



JOH. JACOBI
HOFMANNI

LEXICON
VNIVERSALE.

P.







BASILEÆ.

IMPENSIS IOH. HERMANNI WIDERHOLDI BIBLIOP. GENEV.

TYPIS IACOBI BERTSCHII.

Cum S. Cæs. Maiestatis & Christianiss. Gall. Regis Privilegiis.

LEXICON UNIVERSALE HISTORICO-GEOGRAPHICO-CHRONOLOGICO-POETICO-PHILOLOGICUM.

CONTINENS

HISTORIAM OMNIS ÆVI, GEOGRAPHIAM omnium Locorum, GENEALOGIAM principum Familiarum, additâ ubique CHRONOLOGIA tum veteri tum recentiore, MYTHOLOGIAM insuper omnium Fabularum, Discussionem PHILOLOGICAM illustrium circa hæc occurrentium Difficultatum; Aliaque plurima scitu dignissima.

Cum INDICIBVS *variis*, RERVM *imprimis locupletissimo, memorabilia huius Lexici per Locorum Communium titulos Lectori illico spectanda exhibente.*

OPERA ET STUDIO

IOH. IACOBI HOFMANNI,
Gr. Ling. in Acad. Basil. Profess. Publ.

Cum Privilegiis *S. CÆSAREÆ MAIESTATIS & REGIS CHRISTIANISSIMI.*

TOMVS PRIOR.





BASILEÆ,
Impensis IOHAN. HERMAN. WIDERHOLD, Bibliop. Genevensis.
Typis JACOBI BERTSCHII & JOH. RODOLPHI GENATHII.
M. DC. LXXVII.

יהוה

IEHOVA SERVABIT IPSE!

VIRIS
MAGNIFICIS PRUDENTISSIMIS
NOBILISSIMIS
DN. JO. ROD. BURCKHARDO
CONSULI
DN. JO. JAC. BURCKHARDO
TRIBUNO PLEBIS
DN. JOH. LUDOV. KRUGIO
CONSULI
DN. EMANUELI SOCINO
TRIBUNO PLEBIS
TOTIQUE
ILLUSTRIS BASILIENSIUM REIPUBLICÆ
SENATUI
PIO FORTI FELICI INCLUTO
HELVETIÆ OCELLO
FELICITATEM PERPETUAM!



Magnifici & Amplissimi VIRI,
PATRES PATRIÆ,

Quantus in rebus humanis Historiæ usus sit, infinita ejus, apud Auctores, elogia, illa inprimis indigitant, quibus eam

 Tullius

Tullius *Testem temporum, Lucem ac Nuntiam veritatis, Vitam memoriæ, Magistram vitæ*, pro meritis, vocat *libro 2. de Orat.* Sed & idem insigni hieroglyphico Romani docuere, cùm Tritonibus cum buccinis, in fastigio ædis Saturno sacræ, superpositis, significare voluerunt, à Saturni commemoratione, ad suam ætatem, Historiam elatam ac vocalem esse, cùm ante eum muta, obscura & incognita fuerit: id quod testabantur caudæ Tritonum humi mersæ ac absconditæ, apud Macrobium. Nempe tum demum à quo Historia exculta est, humanum genus vivere & loqui cœpit: cujus ope qui destituitur, sibi fortè sapit, at publico parùm est idoneus. Sed sparsam illam per tot gentes linguasque quotusquisque assequitur? Breve est, quod vivimus, & hoc ipsum in tot tamque varios usus discerpi necesse est, ut vix unius Gentis & Ætatis, quæ propiùs nos tangit, exactæ notitiæ satis sit: Tantùm abest, ut observare cuique liceat, quid in earum unaquaque, nostræ institutioni utile, extare voluerit divina Providentia. Huic itaque ut succurrerent inopiæ Viri eruditi, non uno scribendi genere industriam suam Orbi, sub discendorum mole laboranti, commendarunt: id agentes, ut compendiosiore viâ, quàm factum est hactenus, ad ista Dei μεγαλεῖα propiùs contemplanda, Genus humanum manuducerent. Nec pœnitendo utique successu, tali interim qui sequentibus quoque aliquid cum fructu tentandi spem omnem minimè præciderit. Proin, uti præclarè semper sensi, de illorum laboribus, qui, quod habebant

pre-

pretiosissimum, tempus & vires, in hæc studia, aliis magis quàm sibi profutura, lubentes, ut sic dicam, prodegerunt; ita credidi, illustribus illorum exemplis incitato, licere ex alia quoque statione ad eandem collimare metam, & denuò conari, an in immensa rerum noscendarum spatia exerrans egregiæ juventutis cupiditas, intra breviorem fortè gyrum contrahi possit. Nec hoc invento me jacto, sed gigantum impositus humeris, digito aliis, quà eundum monstrare gloriæ duco. Verùm quid gloriam dico, magnificam illam ingeniorum labem? Officii res est, cujus religione constringimur mortales, ut quidquid donorum cœlitùs indultum est, id omne in commune conferatur, & id, quo spiramus momentum, *vel* rerum gestarum magnitudine, vel si id datum non sit, earundem memoriæ traditarum nervosa brevitate, in secula extendatur. Hac fini, ut strictim instituti rationem exponam, non seorsim tractare Vrbes, hominum domicilia, & Homines urbium incolas: Non Imperia, Regna, Provincias, amplissimas illas Imperatorum, Regum, Principum scenas, & illustres multiplicis hujus scenæ Choragos: Neque ab his omnibus tempus, quo veluti sipario ab æternitate discludimur, avellere: Sed omnia hæc, prout in mundo sunt, cum incolis Vrbes; cum Regibus Principibusquè sua regna ac ditiones, annotatis insuper temporum extantioribus momentis, & si quid porro cognitu dignum, uno quasi ictu sub aspectum dare, visum est. Acces-

ſit interno huic monitori, qui perpetuo de offitio aures nobis vellit, ſeverus ille Εργοδιώκτης is, quem ſuum in his terris Vicarium Numen eſſe voluit, ſive Principis is veniat, ſive Magiſtratus appellatione: cui, præterquam quòd illuſtres ſuæ Majeſtatis caracteres altè impreſsit, nomen voluit eſſe ſibi ſimile; quod, ut infra ſolum illum qui ſupra omnes eſt, ſubſidet, ita reliqua infra ſe videt cuncta, & imperio, legibus, exemplis; beneficiis denique, qui jubendi modus, ut minimè imperioſus ita maximè validus eſt, *Hoc agendi* neceſsitatem imponit. Torſit me diu cogitatio hæc & animum mirè reddidit inquietum, cui hactenus tam infelici eſſe contigit, ut cùm omnia Vobis, MAGNIFICI VIRI, deberem, vitam ex cive, apta vitæ ſtudia, ſtudiis idoneam pacem, & his cunctis, præter merita mea, circumfuſam Profeſſorii muneris lucem, nihil tamen ſuppeteret quo publicè redderem teſtatum, me civis, cui otioſo eſſe non licet, facere officium, inſupérque, licèt in indignum, tamen non in ingratum, congeſtum eſſe tot tantorúmque beneficiorum cumulum, quæ per manus Veſtras DEVS. O. M. in me effundere dignatus eſt, ſícque ſublimi Favori Veſtro, Graæque me porrò commendarem. Obtulit itaque ex voto ſe occaſio, & huic operi nexu planè Vulcanio me non reluctantem illigavit, quod jam Deo favente, in lucem proditurum, ut felicioribus id fiat auſpiciis, velut fructum, in fundo veſtro natum, omníque proin Vobis jure debitum, ac Veſtri patrocinii indigum,

gum ad pedes Vestros depono, eâ quâ decet modestiâ, & sacro horrore, quo civi accedere convenit, ad hunc rerum humanarum apicem & nomen ipsis quoque Angelis tremendum. Erit fortè quod Animum Vestrum, MAGNIFICI VIRI, tempore hoc, inter periculorum minas & blanditiarum insidias maximopere fluctuanti, publicis commodis unicè intentum, neque pro nostrâ solùm, sed & universæ Helvetiæ salute excubantem, subinde reficiat, & non injucundo otio negotiorum gravissimorum dispungat intervalla. Præsertim, cùm inter alia gentium hominúmque decora, totam fortissimorum Helvetiorum historiam in compendium hic redegerim: In quo non tantùm illustria illa & toto Orbe decantatissima 13. *Cantonum fœderatorúmque* Populorum comparent nomina, cum unius cujusque historiâ, à primis incunabulis, per varias rerum vices, ad hæc usque tempora perductâ: Sed minora etiam loca quæcunque, quibus, aliàs alto premendis silentio, tot malis invictæ gentis robur, decus conciliavit æternum, eadem methodo enarrantur; intersertâ, ubi series permittebat, succinctâ illorum *prosopographiâ*, qui vel Authores, post DEUM, libertatis nostræ sudore & sanguine multo partæ, vel vindices Præconésque extitêre, pacis bellíque artibus jamdudum perennanti famæ consecratur: Horum agones, fidem & infractum periculis insidiísque animum, quoties intuemini, gloriosæ imitationis macti conscientiâ meritò gaudetis,

iisdem planè artibus, quibus illi Rempublicam vobis tradiderunt, felicem inclitámque; non solùm à vobis conservari, sed & suo tempore, cum ingenti felicitatis gloriæque incremento, posteris tradendam, tum cùm è statione adeò excelsâ, à DEORVM DEO in Filii sui thronum evocabimini. Sed sera hæc posterorum, & qui post natorum nepotes nascentur, erit cura: Ego, præsentem Patriæ meæ dilectissimæ sub auspiciis consiliísque vestris ad invidiam florentis felicitatem omni affectu veneror, anxiéquè DEVM precor, ut propitius peccatis nostris, illam stabilem ac perpetuam nobis esse jubeat: Quod fiet quamdiu vos, PATRES PATRIÆ fidelissimos, Reipublicæ CVSTODES vigilantissimos, Populi *PASTORES* etiam pro grege mori, si ita salus requirat publica, paratos, gentis tandem hujus inclitæ DEOS, rebus nostris præesse ac interesse patietur. Facite porrò, MAGNIFICI VIRI, Vox est modestè applaudentis, humilitérque gratulantis, ac populi salutem Deíque gloriam absque quâ nulla Populo salus superest, supremam legem ducite. Sic sub sanctissimi Regiminis Vestri alis tuti tranquillam porrò degemus Cives vitam: Sic studia, urbium præsidia ac ornamenta porro inter nos fervebunt: Sic Religio, Rerum publicarum anima ac nucleus, porrò sub patrocinio Vestro vigebit, in diésque nova incrementa capiet; ac numerosioribus quotidie cœtibus

DEVM,

DEUM, qui *clypeus vester est ac merces magna*, laudabimus ac celebrabimus: Imò plausus laudantium & celebrantium Nomen ejus, ac pro Vestra, qui Nomen divino proximum geritis, totiusque Ecclesiæ in his terris militantis incolumitate, continuis votis cœlum pulsantium, erit velut strepitus aquarum, & veluti fragor Oceani tumultuantis! Vivite, Florete æternum! Datum Basileæ, d. 8. Kal. Martij, Anno Christi M. DC. LXXVII.

MAGNIFICARUM VESTRARUM AMPLITUDINUM

Cultor, Cliens, Civis humillimus

IOH. IACOBUS HOFMANN, P.



Præfatio ad Lectorem.

Benevole Lector! talem enim te sibi præsens hoc Opus pollicetur, quod non alio susceptum est fine, quàm ut Publico, si fieri possit, inserviat, & Juventutis Studiosæ ardorem, compendiosiore res præclaras cognoscendi methodo soletur. Namque, ut Te diu non morer, Lexicon *hîc tibi exhibetur* Universale, *succincto scribendi genere comprehendens Historiam omnis ævi, cùm Sacram tum profanam, Gentium omnium ac Personarum, à condito Mundo ad hæc nostra tempora, in quacunque gente, dignitate, professione, Religione, Secta, Virtute &c Illustrium, non omissis etiam iis, qui extantioribus nævis orbi innotuerunt. Ubi diligenter annotata deprehendes, Authores, indolem geniúmque Populorum, cum utriusque fortunæ celebrioribus momentis: incunabula & vicissitudines Imperiorum, Regnorum, Principatuum, Rerump. Societatum, Monasteriorum, Fluviorum, Collegiorum &c Res pace bellóque gestas, Artes vel inventas vel exercitas, Ritus, Vestes, Sacra, Leges, quæque alia sunt, quæ Gentem aliquam dignam reddunt Annalium memoriâ: ínque his, qui præ cæteris caput extulere, succincta descriptione, Tibi spectandi proponuntur, Viri, Fœminæ, regiminis eminentia, factorum gloria, dictorum acumine, scriptorum ἀκριβεία, inventorum felicitate, nævorum quoque vel raritate, vel enormitate aliisq; conspicui: addita, ubicunque se offerebat occasio, illustrium in primis familiarum, olim hodiéque florentium, Genealogia & Majorum serie. Accessit Geographia & descriptio locorum omnium veteris novíque orbis, quorum aliqua ad nos notitia pervenit, Regionum, Civitatum, Vicorum, Viarum, Regiarum, singularium quoque Ædificiorum, arte vel usu memorabilium, Templorum, Turrium, Gymnasiorum, Theatrorum, Pyramidum, Murorum, &c. Porrò Montium, Collium, Clivorum, Vallium, Specuum, Fodinarum, Sylvarum, Desertorum: Æquorum item, Fretorum, Fluminum, Lacuum, Torrentium, Paludum, Sinuum, Portuum Promontoriorum, Insularum, Peninsularum, Scopulorum, Isthmorum, Ventorum, Turbinum, &c. Unde erit facile horum percipere noscenda; Regionum ex. gr. dotes, limites, loca ad earum jurisdictionem pertinentia: Ecclesiarum Fundatores, Reditus, Diœceses: Civitatum Conditores, Privilegia, Insignia: Vicorum, Villarum, Ædificiorum prærogativas ac fata: Montium, tum exteriorem faciem, Arborum plantarúmque variarum discriminibus visendam; tum internas opes, metallorum, quibus, eorum viscera turgent, ditibus venis, desideria hominum in sua vulnera prolicientes: Marium naturam, partes terræ, quas alluunt vel interluunt, ventos quibus obnoxia sunt, usus, pericula: Fluviorum fontes, decursum & ostia eorúmque ut & Fontium, Lacuum &c admiranda, hominúmque*

circa

circa hæc omnia conatus Ulteriùs, ubi opus est mentio interseritur Conciliorum aliorúmque conventuum Ecclesiasticorum, qui in Provinciis Urbibusque celebrati, cum brevi enumeratione Præsidum, Dogmatum, Canonum, Hæresium, Schismatum, aliorúmque huc pertinentium: adjecta ubique Chronologia, quantùm fieri potuit, exacta, quà veteri, quà recentiore. Insuper Fabulas repræsentamus omnigenas Deorum, Dearum, Heroum, Dæmonum, Geniorúmque superstitiosæ antiquitatis, cum Mythologiâ, Sapientiæ ac Religionis arcana sub aspero hoc cortice abstrusa, enucleante. Quæque in his cunctis difficultatis aliquid habere videbantur, Philologiæ ope enodantur fideliter; in testimonium ubique advocatis Authoribus, è quibus hoc Opus collectum; tum priscis tum recentibus optimis atque præstantissimis, editis ac ineditis. Nummis quoque, Marmoribus, Inscriptionibus &c. in consilium adhibitis! Et quidem eâ diligentiâ, ut libros & capita, aliquando etiam paginas, sectiones, paragraphos, notaverimus. quo & de candore nostro ac fide; non enim unquam sine Teste loquimur, certus esse possis, & si prolubium subeat, prolixior rerum, quas per fastigia tantùm sæpissimè tradere coacti fuimus, cognitio ex ipsis fontibus hauriri queat, nec dum cessatum, sed præter catalogos, operi passim suis locis insertos; Provinciarum, Urbium, Castrorum, Arcium, Castellorum, aliorúmque locorum: Æquorum, Montium, Lacuum, Paludum &c. Personarum item ac Rerum aliarum memorabilium, v. c. Delphinorum, Constabulariorum, Marescallorum Galliæ: Admirallorum seu Thalassiarcharum, ac Iustitiariorum Magnorum Angliæ; Torneamentorum in Imperio Rom. celebratorum, Epithetorum, quibus Dii apud Gentiles insigniti: Authorum in primis ac Commentatorum, in quemque S. Scripturæ librorum extantium &c. Subnexi sunt in fine, Indices varij quò eorum beneficio Liber tibi fructuosior redderetur: Nomenclator nempe Μιξογλωττος, locorum præcipuè, deinde personarum, subinde officiorum ac rerum in quacunque, celebrioribus in primis Europæ linguis, nomina in fronte exhibens: Index post hunc rerum locupletissimus, qui res in hoc Lexico memorabiles, quæ in serie operis non apparent, vel quarum authores saltè in apice occurrunt, per locorum communium titulos curioso Lectori citra prolixas ambages, ob oculos ponat, sicque in eodem Polyantheam insuper vel Polymnemona tibi offerat: quæque tandem alia in usum tuum, cui unicè, post Dei gloriam, industria nostra velificata est, esse videbantur Quò faciliùs veniam spero, si fortè, quod rerum humanarum, meæ præsertim imbecillitatis, fatum est, hic, ibi impegero De ordine, quo Viri Illustres familiæque collocatæ, neminem spero litem moturum; ut ut enim annisus sim, hîc eum observare quem illis convenire credidi, fieri tamen haudquaquam potuit, ut non sæpe lucubranti sese nullo ordine ingesserint; ubi malui illos etiam non suo loco admittere quàm morosa sollicitudine planè negligere. Plura dicturientem ipse commodè inhibes, Opus ipsum, quod felici fiat omine, auditurus, quo utere pro lubitu, mi Lector, & sicubi aliquid te dignum fortè inveneris fruere. Magnum erit impensi temporis sudorisque levamen, tibi aliquatenus placuisse; Vale.



Apographum Privilegij

Sacræ Cæsareæ Majestatis.

LEOPOLDUS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirttembergæ, Comes Tirolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quòd cum Nobis Iohannes Hermannus Widerhold Bibliopola Genevensis humillimè exposuerit, quem in modum is *Iohannis Iacobi Hoffmanni Lexicon Universale Historicum, Geographicum, Chronologicum, Poeticum, Philologicum ex variis Authoribus collectum* boni publici causâ sub formâ folii editione primâ in lucem edere constituerit; Vereatur autem ne alii etiam typographi eandem editionem suam magno suo damno imitentur séque adeò non sperato inde tantùm fructu, sed & ipsis expensis iniquè frustrentur; demississimè supplicando, ut privilegio nostro Typographico sibi hac in parte consulere clementer dignaremur: Nos ejusmodi precibus uti æquitate nitentibus benignè censuerimus annuendum; Qui proinde omnibus & singulis Bibliopolis, Typographis, ac Bibliopegis cœterísque quibuscunque rem seu negotiationem librariam exercentibus seriò & expresè, ídque sub pœnâ sex marcarum auri mandamus & præcipimus, ne eorum quisquam præfatum Lexicon, præter antedictum Hermannum Widerhold ejúsve hæredes, intra quindecim annorum spatium à prima editionis die computandum, intra Sacri Imperii Regnorúmque nostrorum hæreditariorum fines, in simili vel alio typo, charactere & formâ integrè aut pro parte recudere, vel aliò recudendum dare, invehere, clam seu palam distrahere præsumat, si quis verò Privilegium seu Interdictum hoc nostrum ausu temerario, spernere seu violare quovis modo præsumpserit; eum non solùm omnibus exemplaribus perperam quippe recusis (quæ dictus Impetrans ejúsve hæredes ubicumque deprehensa, sive propriâ authoritate, sive Magistratus ejus loci auxilio sibi vendicare poterunt) privandum, sed & supra dictâ pœnâ ex dimidio fisco seu Ærario nostro Imperiali inferendâ, ex altero vero semisse parti læsæ pendendâ omni spe veniæ sublatâ, mulctandum decernimus; Dummodo tamen præfatum opus tenorem hujus nostri Privilegij in fronte præimpressum exhibeat, quaternáque ad minimum ejusdem exemplaria ad Cancellariam Imperialem Aulicam quamprimum transmittantur. Mandamus proinde universis ac singulis nostris & sacri Imperij Regnorúmque ac Ditionum nostrarum hæreditariarum subditis, cujuscunque status, gradus, dignitatis, ordinis, conditionis aut præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti vel proprio, vel superiorum nomine & loco, jus & justitiæ

tiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam privilegium hoc noſtrum Cæſ. temerè transgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, quos compererint, præſcripta pœna plecti, aliiſque modis coërceri curent: quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum Teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum & ſigilli noſtri Cæſarei impreſſione munitarum Quæ dabantur in Civitate noſtra Viennæ, die vigeſima quinta menſis Aprilis, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Regnorum noſtrorum, Romani decimo octavo, Hungarici vigeſimo primo, Bohemici vigeſimo.

Leopoldus.

(L.S.)

V^t. Leopold Guilielmus,
Comes in Kinigsegg.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium

Chriſtoph. Beüer.

COPIE DV PRIVILEGE

De Sa Maj. Tres-Chrestienne.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre; A nos amés & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, Senechaux ou leurs Lieutenans & à tous autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra: Salut. Nostre bien amé Iean Herman Widerhold, Marchand Libraire de la Ville de Geneve, Nous a fait representer qu'il a recouvré un Manuscrit, qui porte pour Tiltre Lexicon Vniversale Historico-Geographico-Chronologico-Poetico-Philologicum, composé par Iean Iacques Hoffman, *lequel il desireroit donner au public tant en Latin qu'en François, mais il craint qu'apres en avoir fait la despence on ne l'imprime en nostre Royaume, s'il n'a sur ce nos Lettres necessaires. A ces Causes voulant traiter favorablement ledit exposant, nous luy avons permis & permettons de nostre grace speciale, pleine puissance & authorité Royale par ces presentes de vendre & debiter ledit Livre tant en Latin qu'en François en nostre Royaume, Pays, Terres & Seigneuries de nostre obeissance; mesmes de l'y faire imprimer si bon luy semble & juge à propos durant le temps de quinze années, à commencer du jour & datte de l'Impression d'iceluy achevée, pendant lequel temps nous avons fait & faisons tres expresses Inhibitions & deffences à tous Imprimeurs & Libraires de nostre Royaume & à tous autres d'imprimer ou faire imprimer ledit livre sur peine de confiscation des Impressions, de deux mille livres d'amande & de tous despends, dommages & Interets, A la charge de mettre deux exemplaires dudit livre en notre Bibliotheque publique, un exemplaire dans nostre Cabinet du Château du Louvre & un autre dans celle de nostre tres cher & feal le Sieur D'Aligre, Chancelier de France, avant que de l'exposer en vente, à peine de nullité des presentes, ducontenu desquelles nous voulons que vous fassiez joüir pleinement ledit Exposant, ou ceux qui auront son droit, empeschant qu'il ne leur soit donné aucun trouble. Voulons aussi qu'en mettant au commencement, ou à la fin de chaque volume dudit Livre un extrait des presentes, elles soyent tenuës pour deuëment signifiées, & que foy y soit ajoutée & aux copies collationées par l'un de nos amez & feaux Cons. Secretaires comme à l'Original. Mandons au premier nostre huissier ou sergent sur ce requis de faire pour l'exposition d'icelle tous Exploits sans demander autre permission. Car tel est Nostre plaisir, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, Edits, Declarations, Arrests, Reglemens, Statuts & confirmation d'Iceux. Donné à St. Germain le quatrieme Iour de Fevrier l'An de Grace mil six cens soixante dixsept. Et de Nostre Regne le trente quatrieme.*

Par le Roy en son Conseil

DU JARDIN.

LEXICON



LEXICON UNIVERSALE HISTORICO-GEOGRAPHICO-CHRONOLOGICO-POETICO-PHILOLOGICUM.

A.



Prima litera Alphabeti, in omnibus fere linguis; paulo alia tamen ejus pronuntiatio apud Orientales, quàm apud nos *Alpha* Græcorum, in mystico sensu, initium denotat, sicut finem *Omega*. Utrique literę Servator mundi se comparat, Apoc.c.1. V. *Epiphanium, in Anchorato* Origenem, *tractat*. 1. *in* 5. *Joh*. Pierium, in Hieroglyphicis, *lib*. 47. *cap*. 34.

Aa.

Aa, amnis Belgii, in Transisalana provinc. Stenovicum urbem alluit,& postea in sinum Australem se exonerat,ad *Blockzill* fortalitium,in eadem prov. Hinc à quibusdam *Blokzill Aa* dicitur.

Aa amnis in Galliâ Belgicâ, apud Atrebates scaturiginem habens, civitates Sanctum Audomarum, & Tervannam, Morinosque populos alluit, Flandriam à Picardiâ distinguit, atque disterminat, ac tandem in mare Britannicum effunditur. Ortel. *in Theat. Orb. Ter*. Prope locum, ubi post Caletum Anglis ereptum, Gallos prælio superatos refert Strada.l.1, A. 1558. *Velicer* Sidonio,

Brutterus ulvosâ quem Velicer alluit undâ.

Ubi tamen malim *Vel Nicer*, sic enim legitur in editionibus Sirmondinâ, Colvianâ, & Savaronianâ. Baudrando *Velicer*, est fluv. Westphaliæ, similiter *Aa* dictus, qui Bockholtiam alluit, & in Isalam vet. excipitur, infra Anholtium, opp.in Zutphaniæ Comitatu.

Aa, amnis Westphaliæ, Monasterium urbem alluens, & post duo mill. Germanica in Amasium se exonerans.

Aa, fluvius Westphaliæ, Stenfortiam opp. Monasteriensis diœc. alluens, & postea in Vechtam fluens, 2.leuc. infra in Boream.

Aa, vel *Aas*, fons Bearniæ, *des Arquebuzades* dictus: quia virtus ei peculiaris inest, vulnera sanandi, quæ sclopetorum ictibus infliguntur. Davity in *descript. Europæ*.

Aada, Aade, fluviolus Brabantiæ, Helmontium opp. rigans, & dein Buscoducum, ubi Dommelæ & Diesæ jungitur, & duabus ab hinc leucis in Mosam fluvium se exonerat.

Aada, V. *Adua* vel *Abduas*, infra, Tschud. Rhætia.

Aatius, nomen proprium viri. Valer. Flaccus *lib*. 7. *Argon*. Ita priores editiones. Atqui nec *Aatius* viri alicujus proprium nomen est, sed epitheton Absyrti, fratris Medeæ; nec in 7. Valerii libro invenitur, sed octavo, *vers*. 379. ac ita legendum,

— — *Illinc Aeetius heros,*
Obsidet adversâ tentoria Thessala classe.

Aahusium, opp. Westphaliæ, in ditione Episcopi Monast. ad alterum fluvium *Aa*, qui postea cadit in Leggam. Tribus leucis distat à Cœsfelda, & 5. ab Oldesalia, in Meridiem.

Aain-charim, vicus celebris, in montanis Judææ, 2. mill. ab Hierosolymâ, in ruderibus civitatum Sacerdotalium extructus. Hic Zacharias & Elisabetha, S. Johannis Baptistæ parentes, commorati, Davity in *descript. Asiæ*.

Aama-cullandin, Rex Æthiopiæ, seculo 8. Genebr. Victorin.

Aaneta, Provincia d'Anguis, in Scotia. Ei Mernis ad Bor. Gouvre ad Merid. & mare Germanicum ad Ortum. Fortè Veterum *Horestia* est, Anglis *Forestia*. Camden *Brit*. Buchan. *l*. 2.

Aar, V. *Arula* vel *Arola*. Alius ejusdem nominis fluv. est in Comit. Waldeccensi, in Bavaria.

Aar, celeberrima 90. illarum Insularum, quæ à Fionia Daniæ dependent. Pet. Mont *in Merc*.

Aarak, una ex præcipuis Persię urbibus. V. *Hyrcania*, De Valle.

Aaram, V. *Zagrab*.

Aarassus, urbs Pisidiæ, ex Artemidoro apud Strab. *l*. 12. fortè *Ariassis* Ptolomæi.

Aaron, filius Amram, frater Mosis, Hebræorum primus pontifex consecratus, fratris sui verba populo referebat, quòd ille balbus esset: Ad Levitici Sacerdotii administrationem à Deo per Mosem vocatus, & confirmatus hoc modo. Cùm Israëlitarum quidam indignè ferrent, in solum Aaronem collatam sacerdotii dignitatem, præcepit Dominus Mosi, ut à singulis Israëlitarum familiarum principibus singulas virgas acciperet, & suâ cujusque in virgâ nomen scriberet, easq; in Oraculi tabernaculo reponeret; futurum enim, ut quem Dominus virum elegisset, ejus virga fructificaret: quod cùm fecisset Moses, postridie tabernaculum ingressus, vidit Aaronis virgam, Leviticæ familiæ principis, fructificavisse, floresque edidisse, & amygdala peperisse. Num. 17. Latinè *mons*, sive *montanus*: aut *docens*, vel *concipiens*. Philo Allegoricè, (uti solet) Mosen menti, Aaronem verbo similem facit. Πάντα γὰρ ταῦτα τῷ λόγῳ συμβέβηκεν, ὃς ἀδελφὸς ἐστὶ διανοίας, *Omnia hæc*, inquit, *sermoni accidunt, qui frater mentis est*. Lib. *Quòd det. potiori insidere soleat*.

Aaron, filius Mahdi, Arabibus *Harum*, vel *Harachid-Bila*, 24. Calipha Babylonius, Saracenorum Amirrhas; eâdem nocte, quâ imperium inivit, nuncium de nato sibi filio accepit, quem *Maimon* appellavit; cùm verò in Asiæ provincias exercitum trecentorum millium militum duxisset, ad turpe fœdus perpulit Nicephorum Imperatorem, qui pactus est, se ei daturum annuè trecenta millia aureorum, tributum capitis Imperatoris, & tria pro capite filii sui. A Carolo M. munera accepit, eidemque vicissim misit. Paulus *lib* 24. An. Dom. 803. Sigebertus *in Chronicis*, & Zonaras. Cùm regnasset annos 23. moritur anno Hegiræ 193. Christi 809.

Aaron, Magus quidam insignis, qui cùm gratiâ & auctoritate plurimùm apud Manuelem Comnenum Imperatorem posset, Magiæ accusatus est, & excæcatus, cùm simulacrum testudinis prolatum esset, in quo erat imago hominis, qui ambos pedes habebat in compedibus, & pectus clavo transfixum: deprehensus est etiam evolvens librum Solomonium, qui cùm legebatur, legiones dæmonum adducebat, subinde interrogantium, cur accersiti essent, ac jussa alacriter exequentium. Nicetas, Car. Stephanus.

Aaron, Persarum rex, qui ingentia munera, inter quæ horologium mirâ arte concinnatum, & Elephas, Carolo Magno, primò Romanorum Imperatori misit. Æmil. *lib*. 3. An idem cum *Aarone*, filio *Mahdi*? V. supra.

Aaron-ben-Aser, celebre inter Rabbinos nomen. Genebr. Anno 476. Serrarius, *l*. 1. c. 8. *de Rabbinis*.

Aasar, civitas in tribu Judæ, nunc verò vicus grandis ostenditur eo nomine, pergentibus Ascalonem de Azoto. Hier. *in locis He r.*

Aasbai, Latinè *confidens in me*, vel *frater circundans*, aut ex Hebræo & Syro *frater senectutis*, אחסבי filius Machati, pater Elipheleth, unus ex fortibus Davidis, 2.Reg.23.

Aastari, filius Assur ex Naarâ. 1.Paralip.v.4.c.6.

Ab.

Ab, quintus Hebræorum mensis, jejunio celebris, de quo Zach. c.8.19. Torniel. *A. M* 2545. *n*.31.44. *&* 64.

Aba, Xenophanis filia, quæ Olbi, Ciliciæ urbis, tyrannidem, quam pater procuratorio nomine administrabat, cultu, obsequiisque, ab Antonio & Cleopatrâ sibi impetravit. Strabo *lib*. 14.

Aba, & *Abæ*, civitas Phocidis, cujus cives *Abantes* dicebantur: qui postea relictâ patriâ Eubœam incoluêre, quæ etiam ab ipsis *Abantis* dicta est. Strabo *lib* 10. *Aba* etiam Cariæ urbs Stephano; opidum quoque in Arabiâ felici Ptolemæo, hujus long. 86 30. lat. 13.0.

Aba, vel *Ava*, unum ex 4. Regnis Insf. *de Xicoco*, tertiæ partis Japoniæ, Tursell. *l*.4.*c* 1.

Aba, mons Armeniæ majoris Plinio *lib*.5.*c*.24. qui & *Capotes* nominatur, à Simyrâ urbe 12.mil pass in Boream distans, ex quo Domitius Corbulo Euphratem nasci voluit. Vulgo apud incolas, *Cascol*, teste Theveto.

Aba, tyrannus Hungariæ, in vico Stœbe à suis cæsus est, & in proximâ æde sepultus; non multis à morte annis cadaver ejus effossum est; ubi sudarium & paludamenta fuêre incorrupta, & vulnera obducta, cicatrice curatâ; ideoque ex æde rusticâ, ad cœnobium Saranense ab eo exstructum translatum est cadaver. Bonfinius *lib* 2. *dec* 2.

Ababa, Maximini senioris, Romani Imperatoris mater, gente Alana; hunc ex marito Gotho, in Thracia, peperit. Jul. Capitol. Victor.

Abacana, Ἀβάκενα vel Ἀβακαίνα Ptolemæo, civitas Medorum.

Abacanum, Ἀβάκαινον Stephano & Diod. Siculo Ἀβάκαινα, Ptolemæo; urbs Siciliæ, non procul à Messanâ. *Bigenis ager* sunt qui putant hodiè appellari, inquit Tho. Fazellus. Incolæ *Abacanini*. Vide Cluverium *de Sic. Ant. p.* 386. *Est etiam* urbs Carica teste Herodiano Grammatico, quam tamen invenire se non potuisse ait Stephanus. אבכין *Abacin* dictam putat Bochartus Pœnorum linguâ, quibus אבך *Abac* est extollere. Rudera siquidem hujus urbis ex Fazello & Bonfinio describit Cluverius prope Tripium opidum, *inedito, & undiquaque prærupto monte.*

Abacares, pop. Americæ merid. prope fl. Maderam, qui postea cadit in fluvium Amazonum, versus Layanam prov. teste Texeira.

Abaches, Lydiæ pop. hodie *Habaches*, in 5. Communitates divisus, Marmol. *l*. 8.*c*.1.

Abacoa, insula Americæ septentr. & una ex Lucajis, versus Bahamam & oram Floridæ. Distat ab ins. *Lucajoneq*, 18. leucis Hispanicis, estque in mari Boreali, sub Anglis. Herrera, C. 7. Oviedo, l. c.6.

Abacuc, Latinè *luctator*, vel *amplexans*; propheta: prædicit cladem Judæis à Babyloniis inferendam: consolatur tamen eosdem, quòd hæc calamitas non futura sit perpetua. Inter illius tempora & Danielem in foveam leonum sub Dario conjectum, centum ferè anni intercesserunt. Fabulosum itaque, quod de Belo & Dracone in Apocryphis refertur.

Abacuc, martyr quidam temporibus Claudii Cæsaris.

Abacus, Cevolæ regionis apud Indos metropolis, quæ *Granata* vul ò vocatur. Marc. de Nizz in Relat. long.250.50. lat.36.30.

Abadir, lapis est, teste Prisciano, à Saturno pro Jove devoratus Cùm enim esset in fatis, ut Saturnus à filiis propriis regno pelleretur, id ut evitaret, quoscunque ex Ope uxore partus suscipiebat, devorabat. Eam ob causam, Ops Jovem in lucem editum servari cupiens, nixûs tempore Corybantes accivit, qui strepitu suo infantis vagitum tegerent: quod cùm frustra esset, Saturnum decepit lapide in os ejus injecto, qui *Abadir* dictus est. Hac fabulâ, allegoricè *Tempus* indigitari videtur *edax rerum*. Vide *Batylus*, & Voss. *de Theol. Gent. lib*.6. *c*.39.

Abadon, Latinè *exterminans*, vel *perditio*. Apocal. 9. Græcè Ἀπολλύων. Lege Ἀβαδδὼν. Satanæ epitheton.

Abæ, Phocidis opidum Strab. vide *Aba*. Phocensium urbs est (inquit Pausanias in Bœoticis) à Philippo Macedone, cùm cæteras everstisset, ob id relicta, quòd ejus populus sacrilegii expers esset. Nomen habet ab Aba Heroë, ut Steph. & Suidas prodiderunt. Est etiam *Abæ* πόλις Ἰταλίας Stephano; eadem fortè quam Ptolemæus Ἥβαι vocat, exiguâ vocalium commutatione, in quâ *α* longum Ionicâ dialecto vertitur in *η*. *Cluver.*

Abæ, Lyciæ locus ubi Apollinis fanum erat, ut habet Sophoclis Scholiastes in Oedipo tyranno.

Abaa, eadem quibusdam cum Hira aut Oechalia, de qua Homer. Iliad. l.10. (*Chiores* teste Moletio) opidum in sinu Messeniaco non procul à Pheris, cujus pop. *Abaatæ*: sic dicta, teste Pausania, ab Abante Lyncei, & Hypermnestræ filio. Erat in eâ vetustissimum Apollinis oraculum, in quo dabantur responsa priusquam Delphis darentur, quod ab exercitu Xerxis incensum est; Unde etiam Apollo *Abæus* dicebatur. Plin. *l*.1. *c*.6. Pausan. *l*. 10. Vide *Abea*.

Abæi, Phocensium regionis pop. in Phocidem ab Argis commigrarunt, atque illic Apollinis templum construxerunt.

Abara, Arabiæ desertæ urbs Ptolomæo.

Abaga, Tartarorum rex, & Armeniæ; filius Haalonis, illius adeò famosi, seculo 13. Hierosolymam recuperavit. Sabellicus.

Abagamedri, regio terræ Tigremahon, in Imperio Abyssinorum Monarchæ. Sanut. *l*.11.

Abagarus, Edessenorum Toparcha (erat ea gens ultra Euphratem, cujus Reges omnes sic dicti, sicut Ptolomæi in Ægypto,) scribitur etiam *Abgarus* & *Agarus*. Magis tamen placet *Agbarus*. Certè ἀκβαρ@ Arabica vox est, quæ *potentissimum* significat. Vide Valesium ad cap.13. lib.1. Hist. Eccles. Eusebii Pamphili.

Abagarus, Osrhoënorum & Edessenorum rex, ad Severum transfugit, traditisque obsidibus liberis, fidem suam auctoravit, sagittariorumque vim magnam misit auxilio. Herodianus.

Abagarus, Persarum rex, quem subegit Severus Imperator. Spartianus, Xiphil.

Abagas Can, rex Tartarorum, armis recuperato Turciæ regno, cujus imperium Tartari anno 1280. sibi pepererant; Parvanam Turciæ præfectum, quòd eam regionem Ægyptio Sultano proditoriè vendidisset, medium dissecuit, carnes inter alias epulas coxit, & cum proceribus suis devoravit: questus interim, ne sic quidem sibi pro injuriâ satisfactum esse. Fulgos. *lib*. 9.

Abages, vel *Abagi*, Scythæ pop. Sacis vicini, ad fidem Christi, temporibus Justiniani Imp. conversi, ut ex Procopio memorat Evagrius, *lib* 4 *cap*. 22. & Zonaras. Aliqui *Abasges* legunt.

Abagi, Insula & Regnum Japoniæ, unum ex illis, quæ à Niphonia dependent, Solier. *Hist. Eccles. Japoniæ, lib* 1 *cap*.1.

Abahius, Nilus fluvius dicitur (ut scribit Paul. Jovius lib. 18. Hist.) quasi *omnium pater*, quòd post longum, & tortuosum cursum, totam aquarum molem in multa cornua diffundat. Aliis *Abbahujus*, *Abacchius* tamen legit Lælius Bisciola doctiss. philologus, vocemque putat partim Hebraicam, vel Syriacam, partim Græcam esse. *Ab* enim Hebræis *pater* est, & Græcis χέειν *fundere*, quia *fluminum pater* Nilus. Quanquam hybridæ istiusmodi notationes meritò pro illegitimis sint habendæ.

Abaiba, Abaibe & Abibe, montes excelsi Americæ merid. in prov. Carthagenæ novæ, prope sinum Urabæ.

Abaillardus Petrus, ex Armoricis oriundus, Philosophus Parisiensis, Pelagii opiniones revocavit; Arrianismique & Nestorianismi suspectus Spiritum S. animam mundi esse statuit. An. C. 1140. V. S. Bern. epist. 191. Baron. An. C. 1140. Petrum Cluniac. *l*. 5. *ep*. 20.

Abal, filius Asser patriarchæ, Jacobi filiorum octavi. Joseph. *Antiq. Jud. lib*. 2. *cap*. 4. Lege *Abarus*, Ἄβαρ@ enim scribitur Josepho.

Abala, opidum in Africâ Troglodytarum, non procul à rubro mari. Plin.

Abala, portus Messaliæ proximus, ad quem aufugit Cæsar adversus Pompeium dimicans, cum unico armigero, destitutus servis, amicis, & satellitibus. Appian. *lib*. 5. *Civil. Bell.* Quòd autem ait *Messaliæ proximus*, vereor ne errorem commiserit auctor, locum pro homine substituens, Messaliam scil pro Messalâ. Sic enim sequitur apud Appianum. *Quem quidam è montibus ad rem cognoscendam decurrentes, invenerunt animo defectum & corpore; ac translatum nunc in hoc, nunc in aliud acatium, quo magis hostem fallerent,* μετεκόμισαν ἐς Μεσσάλαν οὐ μακρὰν ὄντα. *Ad Messalam deportârunt, qui non longè aberat.*

Abalgaris, Asiæ civitas in Media Prov. Marc. Paul. l.1. c.5.

Abals, populi Indiæ. Plin. *lib*.6. *cap*. 19.

Abalites, sinus maris Troglodytici, ita dictus ab *Abalâ* ejus regionis opido maritimo. Plin. *lib*.6. *cap*.29.

Aballaba vel *Abellaba*, Britanniæ insulæ urbs Lib. Notitiarum. Sita est in VVestmorlandiâ Brigantum regiunculâ: solâ vetustate suspicienda, nimirum Romano seculo statio erat Maurorum Aurelianorum. *Appleby* hodiè vocatur. *Camdenus*. Baudrando est oppidum Angliæ Borealis, in westmaria prov. ad Itunam fluvium.

Aballo vel *Aballone*, op. Gall. Celt. in ducatu Burgundiæ inter Augustodunum, & Antissiodorum, inde 51. hinc 18. mil. Gall. distans. *Avallon* nunc vocatur long.20.55. lat.46. 56. Baudrando est oppidum situm ad Cussinum fluvium, 10. leucis ab Antissiodoro, & ab Augustoduno 18 leucis tantùm in Boream, in planitie. Hujus muros sponte corruisse A. 1003. Roberto eam obsidente narrant, Continuator Aimonii, Mezeray, Duplex *in Roberto*.

Abalus, Oceani Germanici Insula, in qua nonnulli crediderunt electrum ab arboribus fluere. Plin. 37.2. In eâ, si quando homo mersus in flumen non appareret amplius, centum annis funus illi faciebant, & manes ita expiabant. *Baltiam* eam vocat Timæus.

Abamoth-Baal, oppidum in tribu Ruben, *Jos*. 13

Abana, locus Capuæ, apud Ciceronem contra Rullum. Mendum

dum hic procul dubio pro *Albana*. Vide orat. pro lege Agraria, finem versus.

Abana seu *Havana*: aliàs *Ins. S. Christophori*, celeberrima Antillarum, à Christoph. Columbo sic appellata. Hîc ab an. 1625. Hispanis frustra contra nitentibus, sedem Galli fixerunt. Amœna admodum & fertilis. V. Histor. Antillanam, *c.* 19.

Abana, Latinè *lapideus*, vel *ædificatio*, sive *pater obsecro nunc*, limpidissimus, & jucundus Damasci fluv. qui in Decapolitana reg. è radicibus montis Libani exortus, meridionale ac occidentale Damasci latus alluit, indeque per planitiem Archadob defluens in mare Syriacum effunditur. Varia est lectio in Hebraico codice, nam legitur & אמנה *Amanah*. Id. cum Græcorum *Chrysorrhoa*, & Arabum *Adegele* videtur. Bellon. *l.* 3. *c.* 4. Davity *in descript. Asiæ*.

Abanbus, fluvius Æthiopiæ, sup. Cadit in Nilum, paulo supr. Meroën Ins. Aliis est Abanhus, Ptolomæo Astapus.

Abancajus, fl. prov. de Lima, Americæ merid. in Peruvia. Cadit in flu. Xauxam, non procul à Cusco Civ. Rigat oppidulum *Abancay*, oriturque prope Andes montes. Herrera.

Abanna vel *Abanni*, Africæ populi, Capratiensibus vicini, quos utrosque bello subegit Theodosius. Amm. Marcel. *l.* 29.

Abanta, Urbs juxta Parnassum, ubi Apollinis sacra. Phavorinus.

Abantes, fluvius in finibus Apolloniatum. Sabel. *lib.* 8. *Enn.* 6.

Abantes, Ἄβαντες populi ex Thraciâ oriundi, qui finibus suis egressi, in agro Phocensi op. condidêre, quod à ducis sui nomine *Aban* vocavêre, ipsi quoque à nomine opidi *Abantes* vocati. Hi postea in Eubœam transgressi, quæ tunc *Macris* dicebatur, à suo, relictique nomine opidi, Abantidem illam vocârunt. Hos Herodotus, *lib.* 1. inter Jonas commemorat: Homerus ὄπιθεν κομόωντας, *ab occipitio comatos* vocat, ex peculiari gentis more. Aiunt enim antiquos Curetas Chalcidem habitasse, cùm verò bellum iis de agro Lilantæo inferretur, hostesque ipsos anteriore comâ prehensos in terram affligerent, fronte attonsâ comam in occipitio tantùm aluerunt. Ideo *Curetes* à *tonsurâ* vocati sunt, & statuæ hoc habitu apud ipsos visuntur. Eustath. in Hom. Alios dixit Orpheus in Argonauticis juxta Pontum. Vide Steph. *de Urb.*

Abantes, populi (inquit Paus. in Eliacis) ex Eubœâ octo navibus ad Ceraunia delati, Thronium, in regione quam Abantidem appellârunt, construxêrunt, quam tandem *amiserunt*, & postea Corcyram deducti sunt: אבס *abas* autem, unde *Abantes*, Ebraicè est *saginare*, hinc שור אבוס Pro. 15. 19. Theodotion rectè reddidit βοῦν σιτευτὸν, Vulgatus verò *vitulum saginatum*. Inde factum à Phœnicibus verbale nomen *abas* pro pecudum saginatore, cujus plurale Phœnicium esset אבסין *abasin*, sed Græcâ flexione est Ἄβαντες. Itaque ut à *boum pascuis* insula *Bohmo* & *Eubœa*; ita incolæ *Abasin* vel *Abantes* appellati sunt à boum saginatione. Bochart.

Abantias, Patronymicum est à nomine *Abas*, quo significatur vel filia, vel neptis Abantis. Apud Poetas fere pro Danaë ponitur, Abantis ex Acrisio nepte, vel pro Atalantâ nepte ejusdem ex Jasio.

Abantidas, post Cliniam Arati patrem, Sicyoniorum tyrannidem occupavit; sed ab indigenis quibusdam paulo pòst interemptus est. Pausan. *in Corinthiacis* & Plut. *in Arato*.

Abantis, tractus Epiri in Chaonia prov.

Abantis, Straboni, aut *Abantias*, Plinio, Ἀβαντὶς Stephano & Suidæ, insula maris Ægæi, toti illi Græciæ littori opposita, quod à Sunio Atticæ promontorio, hodie *Capo delle Colomne*, ad Thessaliam usque extenditur, angustissimoque freto, quem Euripon appellant, à Bœotiâ dirempta. *Macris* olim ob situs longitudinem dicta: postea ab Abantibus, Thraciæ pop. qui relictâ Abâ, Phocensis agri opido, in hâc insulâ sedes suas fixerunt, dicta est *Abantis* & postremo *Eubœa*. Hodie *Negrepont*. Chalcis etiam vocabatur, & *Asopis*; Ὄχη etiam & Ἐλλοπία. Ælianus *de An.* 12. 36. prodit eam à poetis Ἀργιβόειον *Argiboeum* appellari, eo quòd in eâ boves ferè omnes albi nascantur. Vide *Eubœa*. Inde *Abantæus*, Ovid *Met.* 15.

Nuper Abantæis templo Junonis in Argis.

Abantonium, Aubanton, opp. Galliæ, in Picardia prov. in reg. Tirascia. Distat à Rupe Regia 6. leucis, à Guisia autem ad rivum cognominem, prope fontes Cesiæ flu.

Abanvivariensis, comitatus super Hung. Cujus caput *Cassovia*, versus confinia Poloniæ.

Abaorta, populi ad Indum fluvium. Plin. 6. 20.

Abaque, vel *Yabaque*, una ex Lucajis. Herrera, *c.* 7.

Abar, vid. *Abarim*.

Abara, Armeniæ opidum. Cedrenus. Vide *Abrotonum*.

Abaradira, Africæ Episcopatus apud Vict. Uticensem.

Abaranum, opp. Armeniæ majoris, juxta flu. *Alingeas*, ubi persæpe degit Archiep. Naxivanensis.

Abaratha, Taprobanæ insulæ opidum. Ptol. Palat. M.S. *Abaraththa*.

Abaraza, Syriæ urbs inter Cyram & Edessam. Ant. *in Itiner.*

Abaraum, & Aboraas, opp. Africæ, in Guinea reg. ad fluv. *de la Volta*, in mediterraneis, 25. leucis à mari distans.

Abarbanel, aliis *Abravanel*, *Abrabaniel* Constant. L'Empereur. Calvino *Barbanel*; Clarissimus Judæorum Rabbinus: floruit circa annum Christi 1500. [Intellexi nuper integrum Abarbanelem in Turciâ duobus magnis voluminibus excusum, nactum esse amicum meum, Gualterum Keuchenium; quod si verum est, est quod sibi gratuletur, nam liber est summè commendatus. Buxt. *Bibl. Rabbin.*

Abarbarea, una Naiadum, ex quâ Bucolion maximus natorum Laomedontis Æsepum genuit & Pedasum.

Hom. *Il.* 6. Βῆ δὲ μετ' Αἴσηπον καὶ Πήδασον, οὕς ποτε νύμφη
Νηὶς Ἀβαρβαρέη τέκ' ἀμύμονι Βουκολίωνι·
Βουκολίων δ' ἦν υἱὸς ἀγαυοῦ Λαομέδοντος,
Πρεσβύτατος γενεῇ.

Abarbina, Hyrcaniæ urbs, Ptol.

Abarca, vel *Sanctius ab Arca*, à certo calceamenti genere sic dictus, tertius Navarræ rex; adversus Saracenos prosperè pugnavit, Arragoniæ regnum auxit. Volaterran. Ritius. Aliis primus Arragoniæ & Pompelonæ, seu Navarræ, & Vasconum rex dicitur; regnavit annos ferè viginti & unum, trucidato in pugnâ adversus Castellanos successit Garsias Sanctius. Ex Theuda uxore, tres filios, quinque filias reliquit. An. D. 926. Mariana, de Marca.

Abaren, filius Mattathiæ, filii Johannis, 1. Macc. 2 5.

Abares, Asiatici Boreales populi, circa Caucasum, Callisto.

Abari, Scythica Hamaxobiorum gens; Turcis finitima, à quibus malè affecti sunt, & littora maris Euxini relinquentes ad Bosporum venerunt. Evagr. 5. 1. *Abares* Nicephoro.

Abarim, Latinè *transitus*, pluralis numeri, sive *transeuntes*, aut *furores*, vel *prægnantes*: aut Syriacè *frumenta*: Mons altissimus, & ascensu difficillimus; Amonitidem, & Moabitarum regionem à Chananæâ terrâ disterminans, ubi Moses Israëlitarum dux sapientissimus vitam finivit. Num. 27. 12, 13. Josephus Jud Ant. 4. 8. ait hunc montem è regione Hierichuntis situm esse. In Valle intermedia *Baras*, planta est cognominis, noctu lucens. Davity. Fuit penultima mansio Israëlitarum ex Ægypto proficiscentium. Inde enim in campestribus seu planitie Moab ad Jordanem castra metati sunt. Montis autem Abarim partes fuêre Nebo, & Phasga.

Abarimon, Scythiæ regio juxta Imaüm montem, in quâ sylvestres vivunt homines, aversis post crura plantis eximiæ velocitatis, passim cum feris vagantes. Hos in alio non spirare cælo, ideoque ad finitimos reges non pertrahi, neque ad Alexandrum M. pertractos, Beton itinerum ejus mensor prodidit, Plin. 7. 2.

Abarinus, vulg. *Navarino*, opp. Peloponnesi, in ora Messeniæ, apud Coryphasium prom. & Pylum. Vid. *Pylus*.

Abaris, Viri nomen à Perseo occisi, Ovid. Met. 5.

Caucasiumque Abarim, Sperchionidenque Lycetum.

Quin & alterius viri nomen ab Euryalo interfecti. Virg. *Æn.* 9. *Fadumque, Hebesumque subit, Rhætumque Abarimque* malè enim in prioribus edd. *Padum, Hebusum, Rhesumque* legitur. Valeat itaque per me licet prior editio, in quâ montis, vel fluvii nomen apud Ovidium habetur.

Abaris, Scytha quidam celebris, Seuthæ fil. Apollinis iter ad Hyperboreos descripsit, & multa alia; hic ab Apolline sagittam accepit, quam jaculans, & ipse cum eâ ferebatur; itaque populos velocissimè transiens, per eam responsa dabat, unde αἰθροβάτης dictus est. Jamblichus Pythagoræ discipulum fuisse asserit; Aliis Solone antiquior est, scripsit oracula regionibus quas peragravit, prædixit iis quoque terræ motus, pestes & similia. Legatus Athenas veniens, ad suos Hyperboreos rediit, nihil comedens. Trojanorum Palladii Simulacrum ex ossibus Pelopis dicitur fecisse, ut Firmicus habet. Vide plura de eo apud Vossium *de Poëtis Græcis. pag.* 16. & 17. & Maussacum *ad Harpocrationem. pag.* 8.

Abaritani, Episcopalis loci meminit in Africâ propriâ Victor Uticensis, hinc *Abaritanam arundinem* habet Plin. 16. 36.

Abaritarum regionis in Indiâ meminit Curt. X. 50. Verùm de hac lectione ambigere se ait *Janus Gebhardus* Exercitationibus ad Q. Curtium, vide *Arabita*.

Abarnus, Phocensium urbs. Hesych. Ἄβαρνος Φωκέων φυλή. Idem.

Abarnus, vel *Abarnis*, urbs & regio Parianæ ad Propontidem. Hecatæus & Ephorus *Abarnidem* ad Hellespontum collocant, & Lampsaci arcem esse volunt. Steph.

Abaron, Latinè *robur* vel *fortitudo*, fil. Mattathiæ, filii Joannis. 1. Mac. 2. 5. *Eleazar* quoque dictus.

Abarraza, Syriæ urbs inter Cyrrham, & Edessam. Anton. *in Itin.*

Abarsis, Locus Episcopalis in Jure Orientali. Ortel *in Thes. Geogr.*

Abarthomius, Vide Abdolonymus.

Abarus, nomen proditoris cujusdam, Arabum primarii, qui M. Crassum Syriæ Præfectum, expeditionem in Parthos suscipientem, astutè in calamitosum excidium compulit. Appian. *in*

Parth. *Mezeras* Floro 3.11. qui Syrum facit. *Ariamnes* autem Plutarcho in vitâ Crassi.

Abas, mons apud Syros, unde Euphrates oritur. al. Armeniæ majoris. Vide *Aba*.

Abas, Armeniæ majoris fluv. ubi Pompejus Albanos prælio fudit. Plut. in Pomp.

Abas, Metaniræ] fil. à Cerere in lacertam, seu ascalabum aut stellionem, animalculum homini infensissimum, Plin. 30.3, 10. conversus, quòd à matre susceptam hospitio molestè tulisset, & rem divinam honori illius institutam irrisisset. Cæl. Rhod. 19. 4. V. & Ovidii *Metamorph. l.5. fab.7.*

Abas, *antis*, rex duodecimus Argivorum, Lyncei ex Hypermnestrâ conjuge filius, (sunt tamen qui Beli filium faciunt) vir bellicosus, & acerrimi ingenii, Pater fuit Prœti & Acrisii, & avus Persei, à quo postea Argivorum reges *Abantiadæ* dicti sunt. Regnavit annis 23. Euseb. Vide Pausan. *in Phoc.* Petavium, &c.

Abas, filius Cymei & Hypermnestræ, Danai filiæ, Abarum Phocensium Urbis conditor & Vates, quo Lysander Laced. usus est: ejus statua olim Delphis spectabatur, Paus. *in Phoc.*

Abas, Melampodis fil. Paus. *in Atticis*.

Abas, comes Æneæ. Virg. *Æneide* 1.

Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et quâ vectus Abas, & quâ grandævus Alethes,
Vicit hyems.

Abas, dux Thuscus, qui Æneæ suppetias tulit; à Lauso interfectus. Virg. *Aen.* 10. *Unà torvus Abas, &c.*

Abas, Græcus, cum Androgeo eâ nocte quâ incendebatur Troja, occisus à Trojanis. Ejus clypeum Æneas in agro hostili Ambraciæ, epigrammate addito consecravit:

Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo. Virg. Æn. 3.

Abas, Centaurus, Ixionis & Nubis filius, venator insignis. Ovid. *Met.* 12.

Abas, Saracenus quidam Christianis infensissimus; de quo Paulus Diaconus, *lib.* 22. *Rerum Rom.*

Abas, Sophista quidam, qui historicos quosdam commentarios, & Rhetoricen scriptam reliquit. Suidas. V. Voss. *l.* 3. *de hist. Græcis.*

Abas, apud Thuscos regnavit annis 15. Ab hoc positi sunt *Absi*, Thusci. Manetho. An. Mundi 2584.

Abas, vel *Xa Abas*, celeberrimus Persiæ Rex à rebus gestis *Magnus* dictus. Hic Achmeto I. Imper. Turcico adhuc juvene, Taurisium & Erezerum recuperavit. Adjecit postmodum Imperio suo Regna Babyloniæ, Ormus & Candahar. Plura de ipso vide apud Mercator. tom. 10. Petrum in primis de Valle, qui ejus aulam & castra diu secutus est, *Itiner. tom.* 2. & 3. Obiit Anno 1629. postquam regnâsset, an. 42.

Abasa, insula proxima Æthiopibus in sinu quodam maris Erythræi, Paus. *Eliacis poster.*

Abascantos, unum ex nominibus Æonis, qui Deus erat Valentini hæretici, Tertull. *contra Gnosticos*, *cap.* 1.

Abasci, Ἀβασκοὶ Arriano, Scythiæ pop. quorum Justinianus in suis Novellis meminit, *Abasgos* appellans. Procop. *Persicorum lib.* 2. Christianos, & jamdudum Romanis amicos dicit fuisse.

Abascus, Sarmatiæ Asiaticæ flu. qui se in pontum Euxinum fundit.

Abaseni, Arabiæ gens, Steph. Ἡ χώρα τῶν Ἀβασηνῶν σμύρνην φέρει, καὶ ὄσσον, καὶ θυμίαμα, *regio Abasenorum myrrham fert, & Osson, & thus*; qui non intelligit Africæ *Abasenos* vel *Abissinos*, sed Arabiæ, à quibus Africani sunt oriundi. Hi porro *Abaseni* Adramitis vel Chatramotis, erant proximi. Uranius apud Steph. Μετὰ τοὺς Σαβαίους Χατραμῶται, καὶ Ἀβασηνοί.

Abasitis, Mysiæ Asiaticæ tractus, in quo Ancyra urbs. Strabo.

Abassarus, à Cyro præfectus restituendo templo Hierosolymitano. Iosephus *Ant. Jud.* 11.1.

Abassia, regnum magni Negus. V. *Abyssini.*

Abassini, vid. *Abissini*, vel *Abyssini.*

Abassus, opidum majoris Phrygiæ ad Tolistobogiorum fines. Liv.

Abastani, libera Indorum gens, circa Indum flu. Arrian. *l.* 6.

Abaster, unus ex tribus equis, qui currum Plutonis trahunt: i. *Niger.* Sicut alter, Metheus, *obscurum*, tertius Nonius, *tepidum* notat. Boccat. *l.* 8. *c.* 6. *Genealog.* Alii, ut Claudian. *sub finem l.* 1. *de raptu Proserp.* quaternos ei attribuunt: Orphnæum, Alastora, Ætonem & Nestæum. Quibus indigitari volunt solicitudinem, cæcitatem, pravas artes, ardorem ingentem, & mortem tandem æternam, in quam auri sacra fames mortales conjicit.

Abathuba, Marmaricæ vicus. Ptol.

Abatia, opidum in municipio Federicorum & Vendraminorum. P. Bembus *l.* 9.

Abaton, ædificium erectum à Rhodiis, ad protegendum Artemisiæ tropæum, quod religione impediti diruere non poterant. Cæl. Rhod. *lib.* 13. *cap.* 33. *Artemisiam*, inquit, *mirari non desinunt Græci, quæ irruentes Rhodios classe exuerit, insulamque domuerit, erectâ in urbe Rhodo statuâ, quæ civitati stigmata inurere videretur. Quem locum obseptum mox Abaton dixere; quoniam tropæa movisse, religio est.*

Abatos, locus ultra Ægyptum, & Æthiopas, juxta paludem Stygem; ab α privativâ particulâ & βαίνω, id est *vado*, sive *ascendo*, quæ loca Græci *Abata*, Latini *Invia*, sive *Avia* vocant. Sen. Nat. Quæst. *lib.* 4. *c.* 6. *exiguo ab hâc spatio petra dividitur, ἄβατον Græci vocant, nec illam ulli, nisi antistites calcant.*

Abatos, insula Ægypti in palude Memphiticâ; sic dicta, quia *inaccessa*; lini, & papyri copiâ olim celeberrima, quibus tum in scribendo usi: cætera inaccessa. Ibi Osiris rex sepultus fuerat. Lucan. *lib.* 19.

Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
Terra potens, primos sensit perculsa tumultus.

Abauchas, nomen viri, cujus amicus fuit Gyndanes; hujus meminit Lucianus, in dialogo cui nomen Toxaris.

Abaugi, Hunnorum gens videtur fuisse apud Procopium.

Abauhii, fl. superioris Æthiopiæ, qui recepto Tagazino, in Nilum se exonerat. Marmol. *l.* 10. *c.* 10.

Abazea, vide *Sabazia.*

Abba, Africæ urbs Carthagini propinqua. Polyb. *lib.* 14.

Abbarus, Solemne Regibus Arabum nomen, ut *Ptolomæus Ægyptiis*. Alii & Græci habent *Acbarus*. Ursinus prodit in numismate æreo Gordiani Pij Imp. exstare Αβγαρος Βασιλευς in cujus numismatis alterâ parte caput ipsius regis diadematum cum titulo Ἐδεσσέων signatum esse, in alio autem ejusdem Gordiani numismate item æneo, teste eodem Fulvio, rex ipse camelo insidens impressus est cum eodem titulo. Camelus autem Arabum insigne est. Vid. etiam *Abgarus.*

Abbas, vid. *Abas.*

Abbassi, *Abbaschi*, pop. Georgiæ regionis Asiæ, in limit. prov. Mingreliæ ad Orientem, ubi inest murus 60. mill. pass. ad coërcendos eorum incursus. *Abcassi* etiam dicuntur.

Abbatiscella, Appenzell, pagus prædives, & unus ex 13. pagis Helv. ad fontes *Sintræ* amnis. Distat à Curia 12. à Fano S. Galli 4. leucis.

Abbatisvilla, urbs comitatus Pontini non antiqua valdè, ut nomen indicat. Sedes est judicis presidialis. Merula. Celebris evasit, post extinctos Carolovingos: sedes Comitum Pontinorum.

Abbefortia, opp. Norvegię, cum portu maritimo; in præfectura Aggerhusiana. Ab Ansloa, versus Occid. 15. leucis Germ. *distans*, à Stavangria autem 20. circiter.

Abben-rybon, Rabbinus scriptis celebris, seculo 14. Genevr.

Abbo, Monachus, scripsit Lutetię obsidionem, quâ eam Normanni Danique fatis arctè cinxerant, duobus libris, carmine admodum inculto. a. 891. Saussay. Alius, ejusdem nominis, Abbas de Fleury, scripsit vitas Paparum. Obiit An. 1003. Voss. *de histor. Lat. l.* 2. *c.* 38. & 41.

Abda, pater Adoniram. 3. Reg. 4. 6. Latinè *servus*, vel *servitus.*

Abdada, Galatiæ urbs. Ptol.

Abdageses, nobilissimus Parthorum, Pater Sinnacis. *Tacit.* VI. 36. qui à Romanis advocato Tiridate, tum aulâ & novo rege potiebatur. *Ibid.* 43.

Abdala, Saracenus, Toleti Rex, Tiresiam Alphonsi quinti Veremundi filii, uxorem duxit; quę, impari hoc conjugio, servatâ patria, post Abdalę decessum sese in perpetuum cœnobio dicavit. Volater.

Abdala, Mahumeti Pseudo-prophetę pater, conditione servus, qui in camelis ductitandis subserviebat mercatoribus: quo moriente, Mahumetus ejus filius in lucem est editus; Fuit Ethnicus, & Emiram Judęam uxorem habuit. Paul. Diaconus. Theophanes, Zonaras, Cedrenus. Pet. Abbas Clun. Baronius A. Ch. 630.

Abdala, sextus Arabum Califa, thronum, in quem mortuo Jezido fratre, ascenderat, armis tueri coactus, ęmulum Marvanum, in prælio occidit. Verùm ab hujus filio, ad Euphratem victus, primo Damascum, dein Cairum pervenit, sed à neutris receptus, cùm in Gręciam cum famulo trajicere vellet, agnitus atque occisus est, cùm unicum annum regnâsset. Anno 686. Marmol. *lib.* 2. *cap.* 8.

Abdala, XVII. Califa Arabum, duobus ęmulis, Abdalâ, filio Ali & Amiro, memorabili fraude, sublatis: furorem mox in Christianos vertit, contra Leonem IV. qui Constantino Copronymo successerat, copias misit, atque Hierosolymis Christianos Judęosque certas in manibus notas habere jussit, queis ab aliis dignoscerentur. An. 781. Marmol.

Abdala Berebere, ex montanis Atlantis oriundus, auctor sectæ Mohavedinorum, i. *Unitariorum*. Hic Afris tribûs Musamudæ in suas partes pertractis, ingenti sectatorum exercitu stipatus, Regem Maroci vitâ regnoque privavit. Marmol. 23.

Abdala Muley, Maroci Cherifus, unà cum Patre, promontorium d'Aguer Lusitanis eripuit, egregiis contra Regni hostes fortitudinis speciminibus editis. Postmodum solus regnavit, relicto ex Æthiopissa filio successore, P. Jovius. *l.* 7. Marmol.

Abdala, Rex Tremesinus, Fratri Buhamu, ope Hispanorum in regnum restituto, successit: sed mox ab Alfaquis quibusdam & Barba-

Barbarossa persuasus, Hispanis annuam pecuniam à fratre pendi solitam dare recusavit. Ei mortuo substitutus filiorum junior. At major natu, Abdala, ad Carolum 5. regnum recuperaturus, secessit. Cujus opibus nixus æmulum vicit, ipsâ metropoli captâ & direptâ. Sed insolentiâ Hispanorum offensis subditis, ipse tandem à suis quoque militibus desertus, atque proditoriè occisus est. An. 1546. Marmol. *l.* 5.*c.* 11.

Abdala, Alfaqui 1. concionator Mahometanus, de secta Mohaydinorum, insurrexit contra Cherifum Mahomet, Regem Maroci, & in monte Nefusa, qui ramus est Atlantis, hodiè *Derenderen* seu *Adren* dicti, plurimos Barbaros congregavit, An. 1543. insignis Magus habitus. Sed mox ab exercitu Regis, in quo plurimi Christiani erant, captus & capite truncatus est. Marmol. *l.* ..*c.* 43.

Abda-labeni, Urbs Regni Tremissani, in Africa. Olim *Sisli*, Marmol. *l.* 5.*c.* 33.

Abdala, vel *Abdelasis*, insignis bellator Maurus; qui à Turcis, pro quibus tamen fortissimè pugnaverat, An. 1550. malè habitus, ipsis hostem se præbuit acerrimum, occisus tandem, post multa egregiè fortiterque gesta. Idem, *l.* 5.*c.* 37.

Abdala, Rex Persarum, & XXVII. Califa Babylonius, exhæredatus à Patre, fratribus tamen successit, armis animoque illustris. Græcos sæpius fudit, & parte Candiæ occupatâ, ipsum regnum Neapolitanum Calabriamque terrore sui complevit. Obiit anno 833. cùm 8. regnavisset, Imperiumque insigniter ampliâsset. Mirkondus *Chronol.*

Abdala, fil. Aven Maugy, Regis Saracenorum, pulsus regno armis dolisque fraternis, à Carolo M. in illud restitutus est. Dupleix.

Abdala, Lopæ Regis Toleti fil. qui Patre à Mahomete pulso, Cæsar augustam recuperavit, tenuitq; cum posteris suis. Mariana. Fuerunt plurimi alii hujus nominis, Reges Persarum, Sarracenorum, Æthiopum in Ægypto, Africa & Hispania. E quibus saltem addam, Regem Maroci, qui Xerifo Mahometi successit, & post 17. annorum regnum obiit an. 1574. Alterumque qui conciliatore Jannetino Mortarâ Genuensi, fœdus iniit cum Philippo 3. Hisp. Rege, An 1607. & biennio pòst, à Mago quodam, sibi ab avunculo & æmulo Muley Zidan immisso, interemtus est.

Abdalmutalib, Arabs, Mahumeti avus, qui tantâ corporis formâ & pulchritudine excelluit, ut eum omnes mulieres admirabili amore prosequerentur. Abbas Clun.

Abdalonimus, longâ cognatione Sidoniorum stirpi regię annexus, sed ob inopiam, suburbanum hortum exiguâ stipe colens, ab Hephæstionis hospitibus, (cui ab *Alexandro permissum ut quem eo fastigio è Sidoniis dignissimum arbitraretur, constitueret regem*) cęteris prelatus, rex constituitur: cùm fortè steriles herbas eligens hortum repurgaret, illi cum regię vestis insignibus intrant. Tum rege eo salutato, alter ex his, *Habitus*, inquit, *hic, quem cernis in meis manibus, cum isto squallore permutandus tibi est: ablue corpus illuvie æternisq; sordibus squallidum. Cape regis animum, & in eam fortunam quâ dignus es, istam continentiam profer; & cùm in regali solio residebis, vitæ necisque omnium civium dominus, cave obliviscare hujus status, in quo accipis regnum, imo hercule propter quem.* Aliis studio factum prosequentibus, aliis indignantibus & criminantibus, admitti eum Alexander protinus jussit: diutius contemplatus, *Corporis*, inquit, *habitus famæ generis non repugnat, sed libet scire inopiam quâ patientiâ tuleris.* Tum ille, *Utinam*, inquit, *eodem animo regnum pati possim. Hæ manus suffecère desiderio meo; nihil habui, nihil defuit.* Magnæ indolis specimen ex hoc sermone Abdalonimi cepit vir maximus. Itaque non Stratonis modò regiam supellectilem attribui ei jussit, sed pleraque etiam ex Persicâ prædâ; regionem quoque urbi appositam ditioni ejus adjecit. Curt. *lib.* 4. Justinus autem *lib.* 11. paulo aliter. *Insignis*, inquit, *præter cæteros fuit Abdalonimus, rex ab Alexandro Sidoniæ constitutus, quem Alexander, cùm operam elocare ad puteos exhauriendos hortosq; irrigandos solitus esset, misere vitam exhibentem, regem fecerat; spretis nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium putarent.* Diodorus Sic. *lib.* 17. *Ballonymum* vocat, non Sidonis sed Tyri regem constitutum. Aliqui *Abdolominum* vocant. Plut. autem de fortunâ Alexandri 2.19. corruptissimè legit *Alynomum.* In historiâ etiam falsus est, nam Paphi regnum accepisse scribit.

Abdara, Ptolemæo, *Abdera*, Straboni. Hispaniæ Bæticę opidum hodie *Almeria*, aliis *Vera.* Clusio autem *Adra.*

Abdaram, Saracenus, Hispaniæ rex, à Radamiro, Gallæciæ rege superatus, Luitpr. 5.1.

Abdaristenses populi. Plin. 4. 10. Rectius, (ut puto) *Audaristenses.*

Abdas, Persarum episcopus, virtutibus plurimis adornatus. Is zelo divino non mediocriter imbutus, *πυρεῖον* i. e. focum eorum, seu Vestam destruxit. Πυρεῖα namque illi templa vocabant, in quibus ignem perpetuum servabant. Deum enim arbitrabantur ignem esse. Theodoret. 5. 39.

Abdastartus, Tyri rex. Regnavit annis novem. Josephus.

Abdecallas, martyr, à Sapore rege Persarum ob confessionem Christi capite truncatus est, unà cum Simone episcopo Seleuciæ & Ctesiphontis. Hist. Trip. *lib.* 3. *cap.* 6.

Abdecammarnus, Saracenorum, & Hispaniæ rex, an. Dom. 826.

Abdeel, Latinè *servus Dei*, vel *nubes abundantiæ Dei.* Pater Selemiæ *Ierem.* 36.

Abdela, urbs circa Mesopotamiam. Cedrenus.

Abdelæ, Scytharum pop. videntur apud Nicephorum, quos quoque *Ephtalitas* vocat Ortel. *in Thes. Geogr.*

Abdelatif, magnus Tartarorum Chamus, ex familia Chynguisi & Teymurlangi ultimus, oriundum se ex famoso illo Tamerlane jactavit. Obiit An. 1541. Texeira, *l.* 2. *c.* 58.

Abdelcader, in regnum Maroci est evectus ab Almohadis, post Ceyedi, Regis eorum, mortem. Mox civilibus obortis turbis, in Numidiam profugus, à regni usurpatore occisus est. Garibay *l.* 26. Iean Leo. *part.* 1.

Abdelmonus, Africæ rex, patre figulo natus, cui, cùm juvenis adhuc esset, regnum Arabiæ prædixerat Aventumerthus Astronomus insignis, eumque in eo acquirendo postea adjuvit: adscivit enim sibi quendam, qui Almohali vocabatur, & cœpit librum Mahumeti, qui dicitur Alcoranus, exponere & docere, ac Caliphæ de Baldac (qui est Papa Arabum, & descendit generationis lineâ, de semine Mahumeti) contraria prædicare, & contra regem Almonidum Abbadem, qui tunc regnum in Africâ obtinebat, rebellare. Itaque Abdelmonus, adjutus superstitione Almohali, (ut consiliis Aventumerthi) regem interfecit, & totum regnum obtinuit Africanum, atque apud Maroccum sedem suam statuit. An. 1147. in Hisp. progressus, Saracenos omnes in suas partes pertraxit; In Christianos crudelis admodum, Ei in regno successit Aveniacob filius. Roder. Toletanus *lib.* 7. *Hist. cap.* 10. Fulgosus *lib.* 3. *cap.* 4.

Abdemelech, seu *Muley Moluc*; regnis Fezzæ & Maroci exutus est à Mahomete nepote, sed à Selimo, Imper. Turcarum adjutus, æmulum, licet Sebastiani Lusit. Regis armis subnixum, ingenti prælio fudit, 4. Aug. an. 1578. Ipse tamen victor, mox in lecticâ obiit, Mahomet paludibus absorptus, Sebastianus verò captus, vel, ut Hisp. dicunt, in prælio occisus est. Thuanus, Labbæus *Chronol.*

Abdemelechus, Latinè, *servus regis*, vel *servus consilii*, Æthiops eunuchus, Sedeciæ regis servus, Hieremiam prophetam intercessione suâ è cœnoso barathro funibus eduxit, (triginta hominibus adhibitis) in quod à proceribus Judæorum conjectus fuerat propter vaticinia; *Ob hanc pietatem promisit Abdemelecho Dominus*, sese illum defensurum contra hostes Chaldæos, ne in illorum manus veniret. Jerem. 39. Ebraicè *Ebedmelech.*

Abdemeneph vel *Abdimenep*, vid *Abdemonaphes.*

Abdemon, puer quidam qui solvebat omnia problemata à Solomone Hierosolymorum rege proposita. Josephus *Jud. Ant. lib.* 8.2. & 1. *contra Ap.*

Abdemon Tyrius, potitus post ejectum Evagoram Cypro, amicus regis Persarum, sed ab eodem Evagorâ recuperante patriam expulsus est, Olymp. XCVII. anno secundo.

Abdemonaphes, Ismaëlita, mercator insignis, qui Mahumetum impostorem emerat: quo mortuo, ejus uxorem ipse duxit Mahumetus. vid. etiam *Abdimonephes.*

Abdenago, Latinè, *servus claritatis*, vel *servus anxius*, aut *faciens splendorem.* Nomen viri, qui & Azarias dicitur. *Dan.* 1. Hebr. *Abednego.*

Abdera, op. Hisp. Bæticæ in orâ Australi regni Granatensis, ab Almeriâ (quæ in Episcopali sede successit) 7 leuc. in Austrolybicum. Aliquibus *Abdara*, sed *Abdera* Pomponio Melæ, 2. 6. cui tanquam Hispano, magis fidendum censeo. Quin & Steph. Ἄβδηρα πόλις τῆς Ἰβηρίας. Hodiè cum articulo, *Aladra*, pro *Alabdra.* Straboni Ἄυδηρα, Φοινίκων κτίσμα κ̓ αὐτή, *Audera etiam ipsa Phœnicum opus.* long. 18. 12. lat. 36. 30. vid. Marin. Sic. *lib.* 20.

Abdera, urbs est Thraciæ maritima, non procul à Nessi fluminis ostio, à Teiis condita, hinc natum proverbiale ænigma, Ἄβδηρα καλὴ Τηίων ἀποικία, *Abdera pulchra Teiorum Colonia*; quo significamus non deesse quò confugiamus, si quis præter modum pergat esse molestus; de quo vide Vossium ad Melam. 1. 235. Dicta ab Abdero, Herculis deliciis, à Diomedis equis dilacerato, & ibi humato; in cujus honorem, Hercules, postea quàm pugnasset cum Diomede, *Abderam* condidit; quæ postea collapsa *Clazomene* à Clazomeniis ex Asia venientibus, qui eam in majorem formam redegerunt, vocata est. Seqq. temporibus *Astrizza*, hodiè *Asperosa* dicitur. Solinus ab *Abdera* Diomedis sorore conditam scribit, & cognominatam. Ejus meminit Ovidius *in Ibin.*

Aut te devoveat certis Abdera diebus.

Ephoro tamen Ἄβδηρα plurali numero. sic & Pomp. Melæ. *Urbs quam soror ejus suo nomine appellavit Abdera.* Hic lacus *Biston* propè, in quo nihil supernatat, teste Plin 3.8. & Pomp. Melâ. Pop. *Abderitæ*, & *Abderitani*, hinc adagium *Abderitica mens.* Abderitanos enim stupori mentis obnoxios scribit Cic. de Nat. Deorum. Plin. quoque 25.8. apud Abderam pascua esse testatur, in quibus equi pasti in rabiem vertuntur, quemadmodum apud Potniam asini. Mart. *lib.* 10.

Abderitana pectora plebis habes.

Imperium Abderiticum. Cicer. 7. ad Atticum. Laudat Mela

 Abde-

Abderam, *quòd Democritum Physicum tulit.* Atqui non solum Philosophum hunc urbs ista dedit, verùm & Protagoram, & Anaxarchum; præterea Hecatæum historicum, & Nicænetum, plurimosque alios insignes viros, ut meritò dixerit Stephanus, Πλεῖστοι Ἀβδηρῖται ὑπὸ τῶν πινακογράφων ἀναγράφονται. Cùm in omnium illustrium virorum catalogis crebri passim essent Abderitæ. Nescio itaque quare Juvenalis hanc *Vervecum patriam* vocet, nam quòd multi apud Abderitas insani nascerentur, aut fierent, quis hoc stupori tribuat? cùm insania non hebetes & stupidos, qui nil habent quod perdant, sed maxima plerunque invadat ingenia. Quamvis autem Hippocrates, lib. 3. Epidem. complurium Abderitarum meminerit, quorum febres conjunctæ fuerint cum delirio, non tamen ex tam inamœno morbo natum esse puto proverbium illud de malo Abderitico; sed potius ex affectu jucundissimo, qui ipsorum febribus succedere solebat, ut testatur Luc. de Conscr Hist. Omnes namque Musicæ & Poeticæ studebant, carmina Poëtarum recitantes sibi invicem, & passim in plateis histrionium agentes: Tam elegans insania non cadit in crassos & pituitosos, nedum in *vervecea* capita, quæ (si verum est paradoxum Stoicum) semper delirant. Vossius. A soricibus ranisque novas sedes quærere coacti, in Macedoniam pervenerunt, ubi à Cassandro benignè recepti, A.M.3650. vide Rhodigin. 16.31 Arianum, *l.* 1.

Abdera est *Asperosa*, Nigro & aliis, propè lacum Bistonium.

Abderama, Princeps Mahometanorum in Hisp. successit Patri suo Abraham, An. 821. & 30 annos, non sine laude, imperium tenuit. Labbæus *Chronol.* Alius, Rex Cordubæ, obiit An 961. regni sui 50. Cui successit Albacan, fil. *Idem.*

Abderama, Rex Arabum, in Hisp. qui Cordubæ sedebant, cum ingenti Maurorum exercitu Castellam vastavit, hacque cum Aragonia, Navarra & Lusitania devictâ, Galafram, in Regno Toletano, frustra primò obsedit: alter Hispaniæ destructor dictus. At sequenti anno & hac potitus est; turpissimam pacem Regibus, Aurelio, aliisque extorsit, qua quotannis centum puellas tyranno objicere coacti sunt. Tandem insigni Moscheâ Cordubæ extructâ obiit 50. anno regni, Salutis 790. Marmol. *l.* 2. *c.* 10.

Abderama, Rex Cordubæ, inducias cum Raimiro, Castellæ Rege, pactus, mox contra datam fidem in illum movit, centum puellarum annuum tributum deposcens. Sed ab hocce victus in posterum regno exornando incubuit. Primus in nummis Arabicis nomen suum expressit. *Hujus tempore, Angli Ulyssiponam frustra obsedere: Anno 846. Obiit, relictis 42. filiis. Marmol. l. 2. c. 23.*

Abderama, dictus *Exaltator Legis*, in Regno Cordubæ, majori natu prælatus est. Hic sæpius victus à Dom Garcia & Pompejopoli aliisque urbibus exutus, cùm tot cladium causam in Christianorum Mahometanorumque conjugia, quæ prius permiserat, rejiceret, conjuges fideles cum liberis ad fidem abjurandam tormentorum metu adigere annisus est, plurimis tamen mortem præferentibus Obiit An. 958. Regni, 5 . Marmol. *l.* 2. *c.* 2.

Abderama, Almansoris fil. ultimus ex stirpe Abdaramarum Cordubensium. Hic voluptatum mancipium, belli curâ neglectâ, à Mahomete, rebellium in Hisp. Arabum Duce, veneno necatus, hunc successorem habuit, An. 062. Marmol. *l.* 2 *c.* 28.

Abderama, Aliatan, Regis Mahometani, in Hisp. filius, capta Toleto, An 809. incolarum 60 0. occidit. Marmol, *l.* 2. *c.* 21.

Abderama, occiso nepote Satiæ principatum, in regno Maroci invasit. Sed vicissim ab Ali Ben Guecimin, juvene urbis primario, cui cum Abderamæ filia stupri erat consuetudo, interfectus est, in Moschea fortè preces fundens. Marmol. *l.* 3. *c.* 53.

Abderama, Saracenorum rex, evocatis ex Hisp. ab Eudone Aquitaniæ duce (qui Carolo Martello Gallorum regi viribus impar erat) 400. millibus Saracenorum, velut exploratâ victoriâ, in Galliam ad ulteriores sedes proficiscebatur: adversus quem copias suas instruit Martellus, mittitque ad Eudonem, ut reconciliationem gratiæ faceret, simultatumque memoriam patriæ Galliæ, religionique condonaret, nec secum cuncta in omne tempus everteret. Quibus motus Eudo clandestinum fœdus cum Franco init, fidemque dat communi saluti se non defuturum; præstititque id re ipsâ; nam cùm ad Turonum urbem signa, inter Ligerim & Carum fl. contulissent, & jam æquo pugnarent Marte, Eudo cum suis castra Saracenorum diripuit, qua clade Saraceni territi, fugam fecere; ad 375. millia barbarorum cecidere An. 725. Æmil. *lib.* 2. Sigebertus. Alb. Krantzus & alii. Sunt qui *Abdiramus* legunt.

Abderana, Saracenorum rex, duce Aburmane, agrum Barchinonensem, Gerundensemque devastavit. Blondus, Decemb. 2. An Dom. 827.

Abderita, vide *Abdera.*

Abderus, unus fuit eorum qui ab equis Diomedis, Thraciæ regis interfecti & devorati sunt. Maserius in Val. Flacci Argonaut.

Abdi, vel *Abdai*, pater Cis Levitæ, 2. Chron. 29. 12. Item filius Maloch, filii Azabiæ, 1. Chron. 6. 7 Item filius Elam, 1. Esdr. 10. 26. Latinè *servus*, aut *servitus*, vel *nubes abundans.*

Abdia, vel *Abdias*, Latinè *servus Domini*; vulgo *Obadiah*, pater Jesmaia, 1. Chron. 27. 19. Alius, Levita, præfectus operis domûs Dei, 2. Chron. 34. 12. Tertius, dispensator domus regis Ahab, 2. Reg. 18. 3. *Le maistre d'hostel.* Quartus, propheta σύγχρονος Amos, quem D. Hieronymus sub Ahab fuisse refert. Quintus, Episcopus quidam Babyloniæ, temporibus Apostolorum, cujus decem libri de certamine Apostolorum planè sunt suppositii, quod pluribus argumentis evincit Vossius *de Hist.* 16. *lib.* 2. *cap.* 9.

Abdiel, filius Guni, è tribu Gad, 1. Chron 5. 15. Latinè *servus Dei*, aut *nubes abundantiæ Dei.*

Abdila, in Hispania impiissimus Christianorum persecutor, sub Justino, de quo Antonin. 15. 15.

Abdimelech, Saracenorum rex, Africam invasit, è qua per Joannem Magistrum militum fugatus est. Æmil.

Abdimonephes, Ismaëlita, locuples mercator, temporibus Heraclii, circa annum Christi 612. Magmet, seu Machumetem, Turcarum prophetam emit, qui postea viduam heri uxorem duxit. Pomp Lætus. Vide *Abdemonaphes.*

Abdiranus, Saracenorum Rex, adversus Carolum M. potentissimè dimicavit. Garduam transgressus, Burdegalam diripuit, omnique impietate defœdavit. Sabell.

Abditana, *Arriana*, teste Lud. Marmolio, op. Africæ apud Tunetim seu Tunesim urbem, olim urbs Episcopalis sub Archiep. Carthaginensi.

Abdiu, Propheta ex Sichem, agro Lechtachamar oriundus: ter semicenturionem egit: huic cùm Elias Propheta pepercisset, relicto Rege suo, Eliæ adhæsit, 4. Reg. 1.

Abdolonymus, vide *Abdalonimus.*

Abdon, Latinè *servus*, aut *nubes judicum*, vir Dei, Hieroboamo super altare excelsorum, filiisque ipsius mortem interminatus est: cui interminanti manum arescere fecit: contra præceptum domini in domo pseudo-prophetæ comedit; quamobrem cùm reverteretur Hierosolymam, in via à leone est interfectus. Hist extat 1. Reg. 13. nomen autem viri, quod sciam, non exprimitur.

Abdon, filius Michai, vel Micha, 2. Chron. 34. qui 4. Reg. 22. *Achobor* dicitur; nomen item civitatis in tribu Aser, Jos. 21. 30. quæ, cum suburbanis suis, Levitis separata est. Fuit & nomen 15. Judicis in Israële. Jud. 12. Jos. l. 5. antiq. Torniel. *A. M.* 2872. & 2879.

Abdon, regulus quidam Christianus ex Corduba, Persarum urbe, oriundus; unà cum Senna etiam regulo, qui cùm Christianos (quos Decius Babyloniæ captivos inventos, Cordubam secum abduxerat, *variisque cruciatibus* ad mortem usque mulctaverat) sepeliissent, accusati apud Decium, Romam pertracti sunt; ibi cùm ad aras ducti sacrificare noluissent, leonibus & ursis objecti sunt: at cùm feræ membra sanctorum non attigissent, *gladiis* interfecti sunt. Bergomensis, lib. 8. Vincentius, *lib.* 11. *cap.* 4.

Abdua, fluvius Galliæ Cisalpinæ, qui *Addua* etiam dicitur, Plin. 3. 10. nunc *Adda* Leandro. Fluit in locum tandem Larium. In Vett. Strabonis libris legere est Ἀδούλας, vox q. Germanica, notans decursum, vel casum potius aquæ; quòd inde Rhenus decidat.

Abducillus, Princeps Allobrogum, Vid. *Ægus.*

Abdula, Tartarorum Chamus, sub finem præcedentis seculi. Hic finibus Persiæ vastatis, 32. urbes in prov. Corasan cepit, sed adveniente Rege Xa Abas retrocessit. Postmodum cum majoribus copiis reversus, Turbet occupavit; hosti ad pugnam invitanti, respondit, à Majorum moribus se neutiquam recessurum. *Relatio* Dom. Juan de Persia.

Abdulac, Rex Fezzæ, ignavus & mollis, cùm Christianis Ceuten occupantibus se non opponeret, subditorum odium incurrit, & à Viziro suo, unà cum 6. filiis strangulatus est. Marmol. 4. 35.

Abdulasis, Hispali sedem imperii tenens, Roderici Regis viduam, quæ Afra erat, duxit, ejusque suasu auream coronam capiti imposuit: unà proin cum uxore, eò quòd Mahometis legem violasset, in Moschea quadam occisus. Marmol. *l.* . *c.* 12.

Abdulmalic, VII. Califa Arabum, cadaver Jezidi, æmuli sui, refossum comburi, cineresque in auras dispergi jussit. Mox, Armeniam à Caim Abispa sibi ereptam recuperavit, præcipuis incolarum, quòd cum hoste senserant, vivis exustis. Obiit anno 707. regni 21. Marmol. *l.* 2. *c.* 9.

Abdulmalic, Hispaniæ ea parte, quam Arabes tenebant, potitus, in Africa Urbem *Tanger* aliasque plures expugnavit. Indeque reversus, æmulum Abecium occidit. Tandem Carthagenâ Christianis ereptâ, obiit. Marmol. *l.* 2. *c.* 14.

Abdulmalic, Arabum in Hisp. Califa, ab æmulo Abul Hagex, occisus. Idem *Ibid.*

Abdulmalic, Regis Fezzani fil. in Hispaniam trajecit, Regi Granatæ contra Christianos suppetiaturus. Inde re fortiter gestâ à Patre revocatus est; à quo regnis, Tremissano & Tunetano, occupatis, in Hispaniam reversus, in Christianos milites *incidit*, & fuga elapsus, postquam, in senticetis delitescens, mortuum se simulasset, deprehensus, lanceâ trajectus obiit, an. 1339. *Idem, l.* 2. *c.* 38.

Abdulmalic, frater Muley Haseeni, Tunetanum regnum occupavit pulso & excæcato nepote, qui parentem prius candente pelvi si-

vi similiter visu privaverat. Regnavit 36. dies. *Idem lib.6. cap.16.*

Abdulmumen, Rex Saracenorum in Africa, ab Abdala, Mohavedinorum authore, in thronum evectus est. Hic legitimum Regni Maroci hæredem, adhuc infantem, propriis manibus strangulavit, Urbemque in pulverem redigi & cribro succerni, sicuti juraverat, jussit. Mox omnibus splendidius extructis, quidquid stirpis Almoravidarum supererat, persequi instituit Tandem plurimis regnis sibi subjectis, cùm in Hispaniam trajecturus esset, obiit an. 1156. Marmol. *l.2.c.34.*

Abdulvates, nomen erat Regum Tremissanorum, qui ex familia Magazoarum & Zinhagiorum orti, totâ Africâ pepulerunt Abderamas, circa an. 986. Hi quidem primò à Romanis pulsi, sed à Gothis imperio restituti sunt, donec Mahometis successores Africâ potirentur. Verum propriis viribus in regnum redierunt, 300. annis eo potiti. *Idem* l.2.28.& 5. 11.

Abdus, *Eunuchus* Parthus præcipuus post Sinnacen in Artabanum conjurationis, ut repudiato Artabano Phrahaten Româ regem arcesserent. Verùm specie amicitiæ vocatus ad epulas lento veneno occubuit. Tacit. VI. 31.

Abea, Ptolomæo Peloponnesi urbs est, ad sinum Messeniacum. Pausan. dicit olim *Iren* appellatam: Hodie *Calamata*, teste Sophiano. vid. *Abaa*.

Abeacus, Siracum rex, qui sunt pop. ad radicem Caucasi, apud Strab. *lib.* 11.

Abeata, pop. in Achaia, non procul ab Aliphireis & Pyrgensibus. Plin. 46.

Abeci, Maurus, absente Abdulmalico, Cordubæ regnum invasit, Amirumque se & Maceleminum vocari jussit. Sed à legitimo Rege, ex Africa reverso, occisus est. Idem *l.*2.14.

Abed, filius Jonatha, 1. Esdr. 8. Latinè *servus* vel *operarius*.

Abedone, nomen urbis Varrino.

Abel, per א, Latinè *luctus*; locus Palæstinæ, Jud. 11. Item 3. Reg. 16. Ubi Josephus *Abellane* legit.

Abel, vel *Abela*, nomen trium urbium facit D. Hieron. in locis Hebr. Unius quidem in terra Ammonitarum, in septimo lapide Philadelphiæ, quæ nomen retinet, hic Jephthe dimicavit. Secundæ, in duodecimo à Gaderis milliario contra Orientalem plagam. Tertiæ in Phœnice, inter Damascum & Paneadem.

Abel, per ה in principio, Latinè *vanitas*, *sive anhelitus*, aut Syriacè *vapor*; filius Adami, à Caino fratre suo interfectus; falsus itaque Josephus, ubi ait, σημαίνει δὲ τὸ πένθος. quod autem illic sequitur (nimirum Antiq. Jud. lib. 1. c. 3.) verissimum Ἄβελος μὲν γὰρ ὁ νεώτερος δικαιοσύνης ἐπεμελεῖτο, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πραττομένοις παρεῖναι τὸν Θεὸν νομίζων, ἀρετῆς προὐνοεῖτο. h. e. *Abel justitiam colebat, & omnibus actionibus suis Deum præsentem ratus, virtuti operam dabat*; & proinde Salvator τὸν δίκαιον eum indigitat, *justum*, Matt. cap. 23. & D. Joannes, 1. Ep. cap. 3. vers. 12. rationem reddens, cur frater ejus eum occiderit, ait, ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρὰ ἦν, τὰ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ δίκαια. *quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus justa.* Vide plura apud Philonem, Lib. *de Sacrif. Abelis* & *Caini*.

Abel, Daniæ Regnum invasit occiso Erico fratre, cujus cadaver in mare projici jussit. Sed in bello contra Frisones occisus, & locus sepulturæ ejus spectris infestatus est. Crantz. *l. 7. c.*21. Spondan. *An.C.* 1250.

Abelardus, vel *Abaelardus*, D. Bernardi σύγχρονος; scripsit opera quamplurima, in uno volumine edita operâ & studio Francisci Amboesii.

Abelbuel, urbs in terra Ruben, unde Elizeus propheta. Dorotheus.

Abelfeidus, Cosmographus, Ptolemæo, (ut putatur) major & doctior; à Postello ex oriente Venetias allatus, qui ante annos 300. vixisse, & princeps Assyriæ, Syriæ, & Persidis fuisse traditur. Neander Geogr. part. 2. Lege tu *Abulpheda*. vid. Voss. *de Mathemat. c.* 43.

Abelia, Indiæ locus apud Zonaram.

Abeliani vel *Abeloita*, hæretici in agro Hipponensi sic dicti, erant conjuges, nec tamen consuetudine conjugali utebantur, sed puerum & puellam adoptabant, qui mortuis eadem conditione succederent, ut narrat Augustinus ad Quod-vult Deum. Hæres. 87. Nitebantur loco Pauli, 1. Cor. 7.9. οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι. At cur sic dicti? Ab Abele, inquies. Ita Augustinus cunctanter, & ex relatu aliorum. Quod quis quæso intellexerit, quum his hæreticis non videatur quicquam fuisse commune cum Abele. Fallor, aut eò penetraverat fabula, quæ totum Orientem jam pridem pervagata est, Adamum post Abelis necem ab uxore abstinuisse per annos 130? Ita Judæi doctores. Inde autem Arabicum verbum ex *Abele* factum תאבל *theabbala* est ab uxore continere se. Giggeius תאבל אדם h. e. *Adam ab Eva se abstinuit ob necem Abelis.* Eodem exemplo *Abelonii* dici potuere, qui ab uxoribus se continebant. Hoc certo certius, *Punicam declinationem* huic nomini Augustinum tribuisse. Bochart.

Abelinates, Plinio Italiæ pop. qui *Protropi* cognominantur; item alii, qui *Marsi* cognomen habent: circa Apuliam utrique.

Abella, fluv. Samogitiæ in Polonia, cadit in Niewazam fluv. prope Kicydany. Copp.

Abella, Campaniæ op. sed in vulgatis authorum exemplaribus est *Avella*. Ex Ptolemæo tamen, (qui Romanorum ferè ubique per Italiam sequitur vocabulorum formationes) collegerim, *Abella* pronunciasse Romanos; habet enim unà cum Strabone Ἄβελλα; alioqui scripturus erat Ἄβελλα. Apud Virg. Æn. 7. jam inde antiqui Grammatici capite suo nomen hoc detruncarunt in hunc modum,

Et quos malifera despectant mœnia Bellæ.

Silius autem Italicus (quem Virgilii simiam verissimè dixeris) *Abella* habet hoc versu lib. 8.

Surrentum, & pauper sulci Cerealis Abella.

De origine opidi, Just. lib. 20. *Jam Nolani, Abellani, nonne Chalcidensium coloni sunt?* Ambrosius Leo, qui de hac sua patria tres libros scripsit, tradit eam à priscis Græcis Ἄελλα à venti vertigine hunc tractum perflante, dictam fuisse, à posteris verò Latinis *b* insertum. *Avella* autem, ut dixi, vulgò perhibetur, unde *Avellanæ nuces* Macrobio Sat. 3. 18. *Nux*, ait, *Avellana, seu Prænestina, quæ est eadem, ex arbore est qua corylus dicitur.* long. 38.15. lat. 41.5.

Abella, Indiæ locus, apud Zonar.

Abellaba, *Appleby*, opp. Albionis in Cumbria reg. & Comit. VVestmariæ, ad Ituram fluv. Vid. *Aballaba*.

Abellinum, urbs episcopalis Hirpinorum, sub Archiep. Beneventano. Populi *Abellinates* Plinio dicuntur. Baptista Porta lib. 5. villæ suæ, scribit duo esse in Italia opida, quæ vulgo *Avello* & *Avellino* vocantur, an hoc *Abellinum, illud Abella?* Ortelius in Thes. Geogr long. 38. 19. lat. 41.6.

Abellinum, urbs, principatus titulo clara, in regno Neap. & prov. princip. ult. Ejus Episcopatus unitus est cum Frequentino: prope fluv. Sabbathum, à quo distat uno tantùm mill. media inter Beneventum ad Boream & Salernum, ad merid. & 30 mill. Neapoli ortum distat.

Abellio, eo quoque inclinat animus (inquit Cl. Vossius 2. de Idol.) ut *Abellionem* non alium quàm Solem, nec aliunde quàm à *Belo* dictum putem. Firmat opinionem meam, quod & Pamphylii & Cretes, sic dixere. Hesych. Ἀβελίην, ἡλιακόν. Παμφύλιοι. Idem Ἀβέλιον, Ἥλιον. Κρῆτες. Et fortasse *Apollo* ex Cretico Ἀβέλιος; Nam veteres Romani *Apello*, pro *Apollo*; ut pro *homo*, *hemo*: pro *bonus*, *benus*: unde *bene*.

Abelmaia, sic in lib. Paralip. *Abelmea* D. Hier. opp. Palæstinæ, inter Neap. Samariæ, & Scythopolin Galil.

Abel-maim, Latinè *luctus aquarum*, civitas, quam (ut narrat historia Paralipomenωn, 2. Chron. 16.) rex Asa per Benhadad Syrum expugnavit. 3. Reg. 15.

Abel-mehula, Latinè *luctus infirmitatis*, aut *luctus chori*, *vel tympani*: Sive ex Hebr. & Syro, *luctus venia*, nomen loci, Jud. 7. & 3. Reg. 4. Hieron. *in Locis Hebr* ait vicum esse in Aulone.

Abel-satim, Latinè *luctus spinarum*, seu *declinationum*, aut *prævaricationum*. Non procul à Jordane locus, in deserto ad Meridiem Moabitarum. Num. 33. Illic fuit 42. mansio Judæorum. dicitur & *Sitim*, sive *Setim*. Num. 25.

Abelterium, Lusitaniæ urbs Antonino inter Olysipponem & Emeritam; Simlerus legit *ab Elterio* divisim.

Aben-boen, Latinè *lapis pollicis*, aut *pollex*; vel *lapis in eis*; à filiis Ruben sic appellatus est terminus filiorum Judæ: jacet in valle contra orientem, in via regia ad Adonim; magnus est in modum clibani, & videtur esse marmor. Bridenbach itin. 6. Hieron. in Locis Ebr. Videatur Andreas Masius in Jud. cap. 15.

Abendonia, vel *Abbendonia*, opidum in comitatu Berchiriæ, 5. mille pass. ab Oxonio distans; Sheovesham primum Saxonibus, inde *Abbandune*; dictum ab Abbatia procul dubio (inquit Camdenus) potius quàm ab Abbeno Hibernico nescio quo heremitâ, ut quidam scripserunt. *Locus erat* (ut habet vetustus liber Abbendonensis) *in planitie, visu desiderabilis, paulisper ultra villam, qua nunc vocatur Sunningvvell, inter duos rivulos amanissimos, qui locum ipsum, quasi quendam sinum, inter se concludentes, gratum cernentibus præbent spectaculum, & opportunum habitantibus subsidium. Sheovesham autem ipsa olim dicta, civitas famosa, aspectu desiderabilis, divitiis plena, agris circundata uberrimis, vernantibus pratis, diffusis campis, & gregibus lactifluis. Hic sedes regia, huc, cùm de regni præcipuis & arduis negotiis tractaretur, concursus fiebat populi.* Vulgò *Abington*. Vide Camdenum in Bercheria.

Aben-el-bach, Arabs, Damasco oriundus, Rex Cordubæ à sociis, qui Alcataranum, legitimum suum Dominum, suspendio necaverant, dictus est. Hic, victis prioris Regis filiis, præ lassitudine, aliis veneno, obiit, sexto regni mense. Marmol. *l.*2. *c.*14.

Aben-ezer, vel *Eben-ezer*, Latinè *lapis adjutoris*; locus in Palæstinâ, 1. Sam. 4 inter Malpha & Sen, ibidem cap. 7. ver. 12. *Corræus* vocatur hic locus à Josepho. Hic cum castra haberent Israëlitæ, profligati à Philistæis arcam testamenti adferri voluerant, tanquam tutiores futuri, Deo præsente; sed mox & ipsi cæsi, & arca capta est. Quòd autem *Corræum* à Jos. vocatum hunc locum asserit author, vereor ne mendum sit. *Coreas* quidem apud Jos. invenio, de bello Jud. lib. 1. cap. 5. juxta Pellam, & Scythopolin; cæterum an locus iste sit *Aben-ezer*, alii viderint.

Abenezra, insignis fuit Philosophus, Astronomus, & Theologus, qui commentaria praeclara in tota Biblia conscripsit. Commentarium suum in 12. prophetas minores absolvit in Urbe Rhodo, Anno Dom. 1145. mortuus anno aetatis suae 75. Ob insignem Doctrinam & Sapientiam fuit κατ' ἐξοχὴν dictus חכם h. e. *Sapiens*. Buxtorf. Unde Mayerus in Phil. Sacra. *Mersto audit sapientissimus Hebraeorum*. Obiit in Ins. Rhodo, An. 1217. secundùm Genebr.

Aben-hut, Maurus doctissimus, & ex praecipuis Regni Granatensis. Hic in potestatem munitissimis urbibus redactis, *Reformator Legis* dici voluit. Postea in bello contra Christianos, ab aliquo suorum necatus est, An. 1234. Marmol. 2. 28.

Aben-Joseph, primus regnum Fezzae occupavit, post obitum Fratris, qui hanc provinciam gubernaverat, & cum nepote, cujus tutor erat relictus, satis feliciter bellum gessit, Idem 2. 38.

Aben-mahamed, celebris Arabs, Cordubae & Toleti Rex factus, magno animo cunctis Almohadarum inimicis se opposuit. *Ibid.*

Aben-neddin, librum de Philosophis Arabibus scripsit, teste Mersennio *praefat. in Apollonii Conica*.

Aben taamon, filius Abdalae, VI. Califae Damasci, Abdulmi cum, qui patrem occiderat, fugiens, in Mauritaniam Tingitanam appulit, ibique regno constituto, contra Romanos & Gothos, multa prosperè gessit, Post quae *Amirus* & *Moceleminus*, sicut Arabiae Califae, dici voluit. Idem *c.2.l.9.*

Aben-Verga, Rabbinus, scripsit tabulas Astronomicas. Voss. *de Mathemat. c.35. §.50.*

Abenchamot, celebris in Barbaria Dux, fusus à Lusitanis, sed mox unius uxorum captivae inclamatione, animatus pugnâ redintegratâ, victor evasit, eâ receptâ. Diego de Torrez, *histor. Cherif forum, c.21.*

Abensperga, Urbs Bavariae super. ad fl. Abenst. Munster *l.3.*

Abeona, Dea ab antiquis culta, quae abeundi facultatem praestaret. August *lib.4. & 5. de Civ. Dei.*

Aber, Cinaeus, vel *Heber* Kenaeus sive Kenites (è posteris Hobabi Mosis soceri) tentorium olim haud longè à civitate Azor in valle Sennim versus Vulturnum, 4. à Castro regio, contra Africum autem à castro Zabul. tribus milliaribus, tetenderat: ubi Jaël uxor ejus Siseram hospitio exceptum, sopitum interfecit. Brocard. *Itin.3.* Jud *cap.4.*

Abera, opp. Arabiae desertae, versus Petraeam.

Aberavonium, opp. Angliae, in Wallia, & Glamorgan. Provincia, in ora, ad ostia Avonis fluv.

Abercovonium, seu ostium Covonii, fluv. opp. Angliae, in Wallia, & Arvonia provinc. in ora. Distat Denbighiâ 15. mil. Angl & 9. Bangoriâ. Aliàs *Conovium*, quod vide.

Aberdonia, & *Aberdona*, olim *Devana*, *Aberdeen*, urbs Scotiae episcopalis, & Emporium, & Academia, in ora Orientali; ab Andreapoli ejus metropoli, supra 60. mill pass. in Caeciam. Salmonum hic ingens piscatus. long. 18. 12. lat. 58. 40. Munster. l. 2. Lesle *descript.* Buchan. *l.1.*

Aberdonia nova, urbs Scotiae, in Prov. Maniae, non procul ab ostio fluv. *Dee.*

Aberdora, opp. Scotiae Septentr. in ora in Buguania prov. Distat Aberdoniâ, 30. mill. Scot. in Boream.

Aberdura, opp. Scotiae merid. in com. Fifae, ad aestuar. Forthae Edimburgo 7. leucis distat.

Aberfrauu, urbs ins. Anglesey. Du Val.

Abergennium, opp. Angliae, in VVallia, & Com. Monumethensi, ad fluv. *Uske* Vide *Gobanium.*

Aberides, Deus ethnicorum, qui deinde Saturnus appellatus est; Coeli & Vestae filius.

Aberistyvium, opp. Angliae in VVallia, in ora littor. ad ostia fluv. *Istvvith*, in Ceretica prov. Vid. *Tybius.*

Abernathum, postea Andreapolis, *S. Andrevvs*, urbs Scotiae archiepiscopalis, & Academia, in orientali ora; inter Edinburgum 20. & Aberdonam supra 60. mill. in Caeciam.

Abernethum, in Strathernia, Scot prov. primaria olim Pictorum. Ejus Episcopat. inde Andreapolim translatus est, procurante Kennetho, Rege Scot.

Abes, Latinè *ovum*, sive *coenosus*, aut *lineus*, nomen civitatis in tribu Issachar, Jos. 19.

Abesamis, Omanorum urbs in Arabia Felici. Plin. *6. cap. 28.* aliis *Besannisa.*

Abesan, Bethlehemita, mortuo Jepthâ, judicavit Israel septem annis; habuit 30. filios, & totidem filias, quas omnes maritis tradidit: similiter filiis omnibus uxores dedit: foras misit filias, filiorum autem uxores domum suam introduxit Jud. 12. Latinè *pater scuti*, aut *patris scutum*, vel *arma*, aut *pater frigiditatis.* Rabbi Sol. & Chald. paraphr. hunc Abesan, Boos esse dicunt. Ibzan autem Ebraeis dicitur.

Abesdonia, Vid. *Aberdonia.*

Abessalom, Latinè *pater pacis*, sive *pater consummationis*, sive *pater retributionis*, aut *patris pax*, sive *patris consummatio*, sive *patris retributio*: Pater Maacha, sive Michaiah; matris Abiam. 3. Reg. 15. qui 2. Chron. 13. dicitur Uriel.

Abeste, Arachosiorum opidum apud Hermandrum fluvium. Plin. *6.23.*

Abetharim, ut habet ex Genesi XXI. D. Hier. quo loco alii viam exploratorum Interpretatos scribit. Athar Ἀθαρὶν legunt LXX. Interpr.

Abgatha, Latinè *pater torcularis*, vel *torcular patris*, Eunuchus Ahasueri, regis Persarum. Esther. 1.

Abgarus, rex Edessenorum in Mesopotamiâ. Exemplar epistolae, ab eo ad Christum scriptae, recitat Eusebius *lib.1. Hist. Eccl cap. ult.* *Abgari* etiam cujusdam regis orientalis meminit Jul. Capitolinus in Antonino pio, ubi Casaubonus ait, familiare nomen esse regulis orientis *Abgarum*, vel ut plures Graecorum scribunt Αὔγαρον. Persidis etiam rex quidam *Abgarus* Spartiano nuncupatur in Severo Vide *Abagarus*

Abgillus, Scriptor Frisius, auctor historiae Caroli M. fabulis refertissimae. Suffrid. *de Script. Frisia.*

Abi, vel *Abia*, mater Ezechiae regis. 2. Chron. 29.

Abia, filius Samuëlis. 1. Reg. 3.

Abia, sive *Abiam*, filius Roboami ex Maacha filiâ Abessalom, quartus Judaeorum rex; hic pravum se, ac paternorum vestigiorum aemulum praestitit: orantibus tamen Deum ejus militibus, vicit ipsum Jeroboam: tunc corruere 500000. virorum fortium ex Israel, confossa à viris Judae. Regnavit Abia tribus ferè annis. 3. Reg. 15.

Abia, filius Jeroboami, 3. Reg. 14. Alius ἐπώνυμος, octavae classis sacerdotum, à Davide in 24. classes distributorum, ex quâ ortus est Zacharias pater Jo. Baptistae, 1. Chron. 24. Luc. 1.

Abia, Herculis filia, Hylli nutrix, in Iram civitatem secessit, quam de suo nomine *Abiam* appellavit, ibique fanum ejusdem nominis condidit.

Abia, civitas maritima in Messeniâ, quae à Saltu Porcino 20. potissimum stadiis distat. *Iram* olim nominarunt: & unum est ex 7. op. quae Agamemnonem Achilli promisisse Homerus scripsit.

Abia, Fluv. Asiae, in Tartaria, & prov. Zagataja, cadit in Oxum.

Abiadene, prov Assyriae, juxta Tigrim fluv.

Abiasaph, sive *Abisaph*, Latinè *pater congregans*, sive *pater consummans*, vel *finiens*; filius Corae. 1. Chron. 6.

Abiasaris, Rex maximae Indorum partis, qui se cum regno suo Alexandri Macedonis potestati subjecit. In hujus ditione dracones prodigiosae magnitudinis nutriebantur. Sab. *lib.6. Enn.4.*

Abiasari, vide *Biasari.*

Abiathar, Latinè *pater excellens*, aut *pater residui*, vel *remanentis*, Sive *pater explorationis*, vel *contemplationis*, aut *pater funiculi*. filius Ahimelech sacerdotis, 1. Reg. 2. & ipse Achimelech. Marc 2. 26.

Abibalus, Tyriorum rex, Solomonis contemporaneus, & amicus. Joseph. *lib. 1. contra Ap.*

Abice, vel *Abica*, Ponti regio, circa Borysthenis ostia; Stephano *Hylea.*

Abida, Latinè *pater scientiae*, vel *scientia patris*, filius Madai, filii Abrahae. Gen. 25.

Abida, Coelesyriae opidum Ptolemaeo.

Abida seu *Abilap*, mons in regno Fessano, olim *Ampelusia*. Quibusdam est altera columnarum Herculis, Johann. Leo. *p. 3.*

Abidan, Latinè *pater judicii*, filius Gedeonis. Num. 1.

Abiddensis, loci Episcopalis in Africa, meminit Collatio Carthag.

Abidenus, qui & *Abydinus*; de Chaldaeorum & Assyriorum rebus scripsit. Vide Vossium *de Hist Graecis* 1. 9.

Abiel, Latinè *pater meus Deus*, filius Seror. 1. Reg. 9. pater Ner. 1. Reg. 14. nomen item cujusdam alterius, 1. Chron. 11. qui 2. Reg. 23. dicitur *Abialbon.*

Abieta, Jazygum Metanastarum in Hungar. versùs Tibiscum fluv. op. Ptolemaeo. *Abrieta* legunt Latini interpretes. Ortel. *in Thes. Geogr.* Nunc *Agria.*

Abiezer, Latinè *pater adjutorii*, sive *patris adjutorium*, vel *pater atrii*, aut *patris atrium*; fil. Manassae. Jos. 17. Unus ex fortibus David. 2. Reg. 23. Alius item. Jud 6.

Abigabaon, Latinè *pater collis*, sive *pater calicis*, vel *scyphi*, aut *pater dorsi peccati*. Vertendum ex Hebraeo, *princeps Gabaon*, cujus nomen erat Jahiel, & uxor ejus Maacha. 1. Chron. 8. 29.

Abigail, Latinè *pater exultationis*, vel *patris exultatio*, nomen uxoris Nabal. 1. Reg 25. uxor David, mortuo marito. Est & filia Naas, soror Zerviae, mater Joab. 1. Chron. 2. 16. 2. Reg. 17. Beat. Ambrosius *Epist.* 13. *paterna gratia rorem* Abigail interpretatur

Abigas, Mauritaniae fluvius, ex Aurisio monte prorumpens. Procopius.

Abigensium, civitatis meminit liber provinciarum in Gallia Aquitanicâ primâ, sed *Albigensium* legit alius codex. *Albic* est Coenali Ortel. *in Thes. Geogr*

Abihail per ח in penultimâ, Latinè *pater fortitudinis*, aut *pater exercitus*, sive *pater divitiarum*, aut *pater antemuralis*, vel *pater doloris*; Pater Suriel, principis Moholitarum. Num. 3. Ubi corruptè

corruptè legitur *Abihaiel*; uxor item Roboam, filii Solomon. 2. Chron. 11.

Abihail, per ה in penult. Latinè *pater luminis*, vel *laudis*; uxor Abisur, filii Semei, filii Onam. 1. Chron. 2.

Abii, Populi sunt (ut Stephano placet) Scythiæ, aut, ut alii malunt, Thraciæ; Hi libertatem à Cyri temporibus fortiter conservatam, Alexandro Magno obtulerunt, cùm esset Miracandæ, Quint. Curtius, *lib* 7. Ita dicti, vel quòd Abianum amnem accolant, vel quòd in curribus degentes, lacte vescentes, & in cœlibatu viventes, vitam humanam agere non videantur. Alii *Abios* dictos putant, quòd, in pace degentes, nemini vim inferant; ab α privat. & βία, violentia. Certè Homerus Iliade quintâ, δικαιοτάτες ἀνθρώπων eos apellat, *h. e. hominum justissimos*. Sunt quoque qui inde *Abios* dictos putant, quòd, more vicinarum gentium, arcu non utantur: ab α priv. & βιὸς *arcus*. Vide Steph. & Bochartum. *Phaleg*. 3. 9.

Abila, quæ Lysanii cognominatur, ab ejus præside, nempe Lysanio, ut testatur Euseb. *Demonstr.* 8. Cavæ Syriæ urbs est Ptolemæo, Polybio, & Plinio. Stephanus duas urbes habet hujus nominis in hoc tractu, unam in Phœnicia, alteram circa Jordanem, ubi locus Palmarum, *Antiq* 4. 7. *Abilene* vocatur D. Lucæ. *cap* 3. hodiè *Bellinas*.

Abila, vel *Abyla*, ad fretum Gaditanum, è regione montis Europæi Calpes, in Africa mons est. Nomen ex Punica lingua *montem altum* exponit Avienus, in oris maritimis:

Abilam vocat Gens Punicorum, mons quod altus barbaro.

Siquidem *Abila* Pœnis erat עב עילא *ab illaa*, quod *montem altum exponi* nequaquam miror, cum עבים, Jeremiæ 4.29. Hieronymus interpretetur *ardua*. Illud huic monti apprimè convenit, qui à Dionysio describitur,

Ἠλίβατος, πυκινοῖσι καλυπτόμενος νεφέεσσι.

Itaque hæc Festi versio posset ferri, nisi alia occurreret aptior, quâ עב *ab* exponitur *sylva*. Patet illud ex ipso Jeremiæ loco, quem indicavimus; ubi pro עבים *abim*, Græci τὰ ἄλση, hoc est, *nemora* reddunt; *Abilam* enim, (velut Græci Ἀβύλην) montem fuisse sylvosum constat, ex his Strabonis, *lib.* 17. Τὸ ὑποκείμενον ὄρος ὄνομα Ἀβύλη, πολύθηρον, καὶ μεγαλόδενδρον. Sunt qui pro *Abylâ*, transpositis literis *Alybam* scribunt, id est, על עבא *al aba*, eodem sensu. Dionys. Periegetes, Στηλάων Ἀλύβη κεῖται μία, una sc. ex Herculis columnis. Ἀβιλύκη Hesych. Ἀβιλυξ Suidæ.

Abilamarodachus, Josepho; vide *Evilmerodach*.

Abileni, apud Golzium sunt in nummo Antonini Britannici, ab Abilena fortè.

Abilius, secundus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, Aniani successor. Euseb. 3. 14.

Abilius, qui antè *Aollius*, voce Græcâ, à civium congregatione vocabatur; Romuli, ex Hersilia Sabina, filius; vel, ut alii volunt, Hostilii cujusdam ex eadem Hersiliâ. Plut. *in Romulo*.

Abilonca, Syriæ populi, Polyb. 5.

Abiluum, Germaniæ urbs. Ptolemæus.

Abimadatocus, vide *Evilmerodach*.

Abimael, filius Jechtan, nepos Heber. Gen. 10. Latinè *pater à Deo*, vel *de Deo*.

Abimelech, Latinè *pater regis*, sive *regum summus*, Gideonis ex concubina filius; cùm grandior factus esset, propinquorum (avunculorum præsertim) studio, favore, industriâ, & labore, Sichemitis persuasum est, ut illi principatum deferrent, dederuntque Abimelecho 70. argenti laminas è fano *Baalberith*: hoc argento egentium, flagitiosorumque colligit manum, & in domum patris sui in Ephrâ sive Ophrâ venit, & metuens, ne si in vivis manerent 70. fratres, imperandi etiam dulcedine tangerentur, & illi insidiarentur, si non omnes, saltem aliqui: eos per satellites, latronesque suos capi jussit omnes, deinde, (quasi facinoris alicujus rei comperti essent) mortis in illos sententiam dedit, sicque demum in uno eodemque supplicii loco, super uno lapide jugulari curavit, & occisi sunt omnes, uno excepto, Jothamo scilicet, filio minimo, qui absconditus fuit. Nefario hoc parricidio in fratres perpetrato, in urbem Sichem rediit, illorum adhuc calenti sanguine respersus, viros Sichem, & universas familias urbis Millo congregavit, ab iisque rex creatus est, & regnavit annis tribus. Tandem inter Regem & Populum immisit DEUS malum spiritum, ut mutuis sese scelerati damnis exitiisque conficerent. Incipiunt ergo Sichemitæ Abimelechum detestari, & illi insidias struere, ab illo vicissim capitur Sichem, occisique quotquot contrariæ partis erant, & urbs penitus excisa, & quidem ita ut totum ejus locum ac solum sale consererent. Inde venit ad opidum Thebez, & dum turris (quam oppugnabat, & ad quam confugerant viri omnes ac mulieres) ostium exurere niteretur, à fœmina, quæ illi fragmen molæ in caput dejecit, oppressus est; sed ne à fœminâ trucidatus diceretur, armigerum suum rogavit, ut gladio eum transfoderet; quod & ille perfecit. Jud. *cap.* 9.

Abimelech, rex Gerar, qui Saram, Abrahami conjugem, in uxorem acceperat; ob quod peccatum, Josephus cum tota familia lethali morbo correptum fuisse refert, mortemque illi Deum in somnio denunciasse; hinc bonus ille rex, etsi Ethnicus, ad agnitionem veri Dei venit, Saram, antequam ei appropinquasset, Abrahamo restituit, eumque placidè objurgatum, singulari munificentiâ regiis donis affecit, hospitium ei liberum in regno concessit, quâcunque regni parte placeret. Oravit autem, Deum Abrahamus, & Deus Abimelechum ipsum curavit, uxoremque ejus, ac ancillas, ut parerent; clauserat enim Dominus omnem uterum in domo Abimelechi, Gen. 20. Apparet autem, fuisse communem appellationem regum Philistææ gentis. Ideo in titulo Psalmi 34. nomen Abimelech tribuitur Achis, regi Gath, ad quem fugit David. 1. Reg. 21.

Abina, Susianæ urbs, apud Ptolemæum.

Abinadab, Levita pietate illustris, Jos. *l.* 6. *Antiquit. cap.* 2. tecto suo arcam excepit, cùm Cariathiarimo adduceretur, cujus cura filio ejus Eleazaro commissa, 1. Reg. 6

Abinadab, filius Isai patris David. 1. Reg. 16. filius Saul, 1. Chron. 8. & præfectus Solomonis, 3. Reg. 3. Latinè *pater voventis*, vel *voti*, sive *pater principis*, vel *pater spontaneus*

Abindonia, seu *Abendona*, *Abington*, opp. Angliæ, in Com. Bercheria, ad confluentes Occhæ & Tamesis. Aliis *Abonis*.

Abinna, nomen urbis. Suidas

Abinoam, Pater Baraci, ducis exercitus Judæorum, Jud. 4. & 5. Latinè *pater pulchritudinis*, vel *jucunditatis*, aut *pater motionis eorum*.

Abiolica, sex mille passus ab Eboroduno versus Vesontionem distat; nomen hoc, spatium, ac situs, conveniunt vico hodiè vulgò *le Bullet* dicto. Cluverius.

Abira, Phœniciæ urbs. Lib. Notitiarum.

Abiram, Latinè *pater celsitudinis* vel *electionis*, aut *pater fraudis* vel *projectionis*, primogenitus Hiel, instauratoris Jericho. 3. Reg. 16. Item filius Eliab, frater Dathan. Num. 16. Socius seditionis Choræ adversus Mosen & Aaronem motæ, unà cum cæteris hiatu terræ absorptus.

Abiria, pars Indiæ intra Gangem, juxta Patalenem. Latinè *Interpr. Ptolomæi*. Apud quem tamen *Sabiria*, Grecè Σαβηρία dicitur.

Abis, fluvius in Danubium influens, qui & *Absus* dicitur. Althamerus.

Abisa, Arabiç Felicis urbs. Ptolemæus.

Abisac, vel *Abishag*, Latinè *patris ignorantia*, vel *patris error*, sive *pater apprehendens*, vel *attingens*, aut *pater multiplicans*, virgo adolescentula, quæ calefaciebat regem Davidem, senio & frigiditate confectum 3 Reg. 1.

Abisai, Latinè *patris munus*, vel *pater muneris*, filius Sarviæ, (sororis Abigail) frater Joab. 1. Reg. 26. Inter fortes Davidis, 2. Reg. 23.

Abisama, civitas Arabiæ Felicis, Ptolemæo.

Abisaris, Regio Indiæ ultra Hydaspem, amnem, Ariano, Ἀμβίσαρος. apud Strabonem, *lib.* 15. Ἀβισσάρη χώρα. Diod. Sic. *Embisarum*, Arrianus *Abisaren* Curtius *Abiasaren* vocat. Verum est, quòd Diodorus *lib.* 17. *Embisari*, & Arrianus *lib.* 5 *Abisaris*, itemque Quint. Curtius *lib.* . *Abiasaris* mentionem faciunt, & pro eodem habent. Regem verò sic vocant, non regionem.

Abisca, prov. Americę merid. in Peruvia reg prope fontes fluvii *Tapy*, cadentis in fluv. Amazonum. Distat 50. circiter leucis, ab urbe Cusco in Ortum.

Abisontes, populi inter Alpinas gentes. Plinio. Aliis *Ambisones*.

Abissensis, Plebs in Africa. Coll. Carth. *Abissanensis*, ibidem; eadem, ni fallor.

Abissini, *Abassini*, vel *Abyssini*, Æthiopię populi. Vide *Abyssini*.

Abissue, filius Phinees, fil. Eleazer, filii Aaronis. 1. Chron. 6. filius item Bela, filii Benjamin. 1. Chron. 8. 4.

Abissur, Latinè *pater muri*, aut *pater bovis*, sive *pater cantantis*, vel *pater aspicientis*, aut *pater rectitudinis*; filius Onam, filii Jerahmeel. 1. Chron. 2.

Abistames, an *Abistamanes*, Cappadocię ab Alexandro prępositus, petente Ciliciam, Curt.

Abitacum, prędium Sidonii, *lib.* 2. *epist.* juxta lacum Gallię apud Claromontem urb. in Arvernis, qui nunc *Sorlivia* vulgò dicitur, teste Massono.

Abital, Latinè *pater roris*, mater Saphatię, filii David. 2. Reg. 3.

Abitinenses, Africę populi, apud D. Augustinum *contra Parmen.*

Abitura, civitatis nomen, in Grammat. D. Augustini.

Abiu, Latinè *pater ipse*, vel *pater est*, filius Aaron cùm fratre Nadabo, quòd peregrinum ignem altari intulissent, cœlitus igne tactus. Exod. 6. & 24.

Abiud, Latinè *pater laudis*, vel *confessionis*, filius Bela, filii Benjamin, 1. Chron. 8. Alius ejusdem nominis, divisor terræ Canaan, Numer. 34. Tertius, filius Zorobabelis. Matt. *cap.1.vers.13.*

Ablacus, fluvius Danubium ingrediens. Althamerus.

Ablata, oppid. Armeniæ primæ in limite, versus Cappadociam.

Ablaudus, Vid. *Ablavius*.

Ablavius, Ægyptius, præfectus Prætorianus, An.Dom.330. Quo anno Constantinopolis (quæ & nova Roma) dedicata est. Anno sequenti Consul factus, à Constantino cæditur. Al. *Ablatius*.

Ablavius, an *Ablaudus*, Gothorum historiam composuit. Jornandes *de rebus Geticis lib.* 4. Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. *pag.* 690.

Abletes, populi non procul à Pergamo, qui parent Mysis. Strabo.

Abliala, Albaniæ urbs Ptolemæo.

Abnaqui, pop. Americæ septentr. in nova Anglia, in Mediterran. Jacobus Cartier. *in Itiner.*

Abner, Latinè *patris lucerna*, vel *patris navale*, princeps militiæ Saul, filius Ner, patruelis & Socer, ut quidam volunt, Saul. 1.Reg.14. Interficitur à Joab. 2. Reg. 3. Davide inscio, qui tum composuisse creditur Psalmum 139.

Abnobi, montes Germaniæ, pro locorum diversitate, varia sortiuntur nomina: in Franconia namque *Stepgerwald* vocantur; eorum pars circa Mœnum flu. *Ottenwald* appellatur; & inter Hassiam, & Franconiam *Spessart* dicuntur, Percheimero autore. Item circa Wirtembergensem ducatum, ubi Danubius oritur, *Die Baar*, Willichio, & Tscudo. testibus. Tacit. sub initio De mor. Germ. *Danubius*, inquit, *molli, & clementer edito montis Abnobæ jugo effusus.* Plin. 4. 12. de eodem amne, *ortus hic in Germania, jugis montis Abnobæ, ex adverso Rauraci Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus.* Ἄυνοβα Ptolemæo, cujus interpretes Latinè reddiderunt *Aunobi montes*, & quidam *Aunobis*; alii etiam Aunobæ, quasi pluralis numerus esset, τὰ Αὔνοβα ὄρη. Eos decepit locutio nova & peregrina, quâ pluralis numerus jungitur singulari, ὄρη τὰ καλούμενα Αὔνοβα. In Taciti quibusdam exemplaribus vocabulum *Abnobæ* corruptum legitur *Arnobæ*, & in aliquibus *Arbonæ*. A Marciano Capellâ *Ad Novem* dici adnotavit Rhenanus, sed corruptè, pro quo viri eruditi restituerunt *Abnovam*, ex quo haud ineptè quidam conjecerunt, ipsis Germanis montis vocabulum fuisse, *die Abenowe*, à quo Latinis, Græcisque facta vocabula *Abnoba*, *Aunoba*, & *Abnova*: Rauraci montes sunt Ammiano. Cluverio id montium jugum est, quod ab Rheni, Arolæque confluentibus Septentrionem versus, ad op. usque *Pfortzheim*, inter Rhenum, ac Danubii fontem, Nicrumque sternitur. *Germ. Ant.*3 48.

Aboa, Urbs episc. Sueciæ, sub Archiep. Upsalensi, ad fluv. Aviaroki in Finnonia Meridionali, prope littus maris Baltici: Provinciæ metropolis. In diœcesi 50. parociæ. Revaliâ distat 25. leuc. Germ. Ab Alandia Inf. 14. *Tres Poll.*

Abobrica, Lusitaniæ opidum insigne, uti vocat Plin. 4. 20. propter situm nempe, quem ei Mela tribuit, *lib.*3. *cap.*1. ubi tamen vulgò *Adrobicum*, & lib. Mss. *Adrobricam*. Vide Vossium ad locum. Oppidum etiam Hisp. Tarraconensis, in ora, prope Bracaram, nunc *Villa de Conde* fortè.

Aboccis, op. Æthiopiæ. Plin. 6. 29.

Abocharana, urbs Felicis Arabiæ, sita in monte edito ad 7. passuum millia angusto colle, ut vix duo simul valeant proficisci. Ibi asservatur regius Thesaurus Sultani. Lud. Barth. *in reb. Arabiæ Fel. lib.*2.*cap.*8.

Abodiacum, sive ut Ptolemæo scribitur, *Abudiacum*, opidum quod hodie vulgò *Tuessen* dicitur. Vindeliciæ urbs.

Abodriti, pop. Germ. tempore Caroli M. ubi nunc Pomerania superior, prope mare Balticum. Vid. *Abotriti* & *Aborichæ*.

Abæocritus, dux Bœotiorum, cum mille aliis Bœotiis cæsus apud urbem Chæroneam, in quodam prælio contra Ætolos. Plut. *in Arato*.

Abolani, populi in Latio, Albensibus proximi. Plin. 5. 2.

Abolla, Siciliæ opidum Stephano, & Suidæ.

Abona, *Abonis*, vel *Abon*, op. & flu. Albionis. Opidum *Avington*, teste Camdeno, & fluvius *Avon* nominatur. A Venta Silurum 9. mill. pass. ex Itiner. Anton. distans. Sed aliis est *Porsbut*, pagus ad ostia *Abonis*, è regione Bristolii urbis. Porro *Avon* flumen Britannicè significat, Camdeno teste.

Aboniteichos, id est, *Aboni mœnia*, Galatiæ opid. Ptolemæo, & Arriano in periplo. Petrus Bellonius & Gyllius *Boli* hodie dici scribunt; *Arcane* Theveto dicitur; in ora maris Euxini inter Teuthraniam ad occid. & Sinopen ad ort. Lucianus in Pseudomante refert, quendam Alexandrum impostorem petiisse à principe Romano, ut commutato vocabulo, *Jonopolis* vocaretur. Stephano est πόλις μικρὰ juxta Euxinum Pontum, cujus populi dicuntur *Abonotichestæ*. Ἀβώνου τεῖχος etiam Ptolemæo, *Asiæ Tab.*1.*cap.*6.

Abor, vel *Habor*, circa Mediam regio. 4. Reg. 17. ad Gozan fluv. Villæ quoque nomen esse in Mediâ, scribit D. Hieronymus.

Aboraca, urbs in Sarmatia Asiatica, vicina mari Euxino. Strabo.

Aboriense, op. Africæ propriæ. Plin. *lib.*4. *cap.*5.

Aborigines, Italiæ pop. qui in Siculorum agros successerunt. Nomen eorum unde originem cœperit, ostendere voluit Festus Pompeius his verbis. *Aborigines appellati sunt, quòd errantes convenerint in agrum, qui nunc est populi Romani; fuit enim gens antiquissima Italiæ.* Eandem, simulque duas alias adfert hujus vocabuli originationes Dionys. Halicarn. *lib.* 1. *Aborigines*, inquit, *auctores, conditoresque Romani generis, Italiæ indigenas, alii sui corporis gentem adferunt, nomenque iis impositum esse, διὰ τὸ γενέσθαι τῆς μεθ' αὐτοὺς ἀρχῆς, i. e. quod posteris suis originis ab se fuerint auctores. Alii malunt, errones quosdam incertis vagantes sedibus, & è multis regionibus convenas, forte fortuna in iis locis junxisse inter se copias, &c. Hi torquent vocabulum ad conditionem hominum istorum.* Ἀβεῤῥιγῖνας λέγοντες, ὥστε δηλοῦσθαι τοὺς πλανήτας. i. e. *quasi ab erroribus vocantes Aberrigines.* Primam etymologiam Virgil. innuere videtur *Æneid.*7. in his:

> *Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum*
> *Antiqua ex cedro, Italusque paterque Sabinus*
> *Saturnusque senex, Janique bifrontis imago*
> *Vestibulo adstabant, aliique ab origine Reges.*

Ubi Servius, *Ab origine reges* pro *Aboriginum reges*, sed est metro prohibitus. Tertiam originationem tradit idem Dionysius aliquantò pòst, his verbis; κληθῆναι δ' οἰόμεθα Ἀβοριγῖνας ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὄρεσιν οἰκήσεως. Quam etiam Virg. firmare videtur *Æn.*8. ubi de Saturno,

> *Is genus indocile, ac dispersum montibus altis*
> *Composuit, legesque dedit.* ——

Græcè Αὐτόχθονας dicas. Vide Suidam in *Aborigines*, & Porti notas ad locum.

Aborras, Straboni, *libro* 16. *Chaboras* autem Ptolemæo, Mesopotamiæ fluv. Anthemisiam urbem præterfluens, non procul ab Euphrate. *Abera* est apud Zosimum, & Marcellinum. Βέῤῥας, *Burrhas* est Æliano. 12. *de Anim. cap.* 30. *Xaborectoram*, vocat, (nescio quo auctore) Pomp. Lætus. *Giulap* nominari in tabulis Geographicis videtur. *Hormiz* auten. possit nominari ex Onuphrio, *in vita Jul.* 3. *Pont.*

Aborzus, Vid. *Borzus*.

Abos, mons Armeniæ majoris Ptolemæo, Latini *Abas* dicunt.

Abotis, civitas Ægypti Stephano & Suidæ.

Abotriti, qui vulgò *Predenecentri*, pop. contermini Bulgaris, Daciam, Danubio adjacentem incolunt. Sic monachus Anonymus in Francorum Annal. *Arborichas* hos interpretis vitio vocari apud Procopium, contendit Hadr. Junius.

Aboga, Urbs Hiberniæ, in Media prov. ad Bovindam fluv. 20. mill. pass. distat à Drogheda in occasum, & 27. à Dublinio, in Circium, Kilmoriam versus.

Abraam, Episcopus quidam, qui toto sui episcopatus tempore, nec pane, nec aquâ, nec lecto, nec igne usus est, neque leguminum ullum genus, neque cocta olera gustavit; lactucis, cichoreis, apiis, aliisque crudis perpetuò contentus; hospitalitate tamen frugali erga omnes usus, lautis epulis, ac portionibus vini; alios sumere semper exhortans, ipse interim nihil prorsus gustans. Vid. *Abraham*.

ABRACADABRA, de quo nomine interpretando Wendelinus & Scaliger, forsan etiam Salmasius, & Kircherus frustra laborarunt. An Deum hoc nomine appellari juvat? Aut hoc chartæ inscripto vim suam exerere oportet? Tamen valet ad curandum morbum Hemitritæum, si credas Sereno Sammonico: audi Baronium (*ad annum* 120. *num.* 13. Habes de his egregium exemplum, apud Q. Serenum Sammonicum, antiquum medicum & Basilidis (Hæretici) ut apparet, sectatorem, qui præcepta medica carmine scripsit Heroico, & ad curandum morbum Hemitritæum his characteribus conficiendum curavit amuletum, ad collum ægrotantis appendendum, continens ABRACA, junctis aliis elementis, quidpiam portentosum ipso sonitu reboantibus. Versus poetæ hi sunt subsequentes:

> *Inscribes chartæ quod dicitur ABRACADABRA*
> *Sæpius, & subter repetes, sed detrahe summam,*
> *Et magis atque magis desint elementa figuris,*
> *Singula quæ semper rapies, & cætera figes,*
> *Donec in angustum redigatur littera conum.*
> *His lino nexis collum redimire memento.*
> *Talia languentis conducent vincula collo,*
> *Lethalesque abigent (miranda potentia) morbos.*

Figura

Figura talis esto.

ABRACADABRA
ABRACADABR
ABRACADAB
ABRACADA
ABRACAD
ABRACA
ABRAC
ABRA
ABR
AB
A

Abraces, dux copiarum Artaxerxis. Xenophon. *lib.* 1. *Cyropæd.*

Abracunium, opp. Armeniæ maj. ad fluv. *Alingeal*, ubi multi Catholici, 3. mill. Abarano distat.

Abradatas, rex Susorum fuit, & maritus Pantheæ nobilissimæ matronæ, quam cùm, à Cyro captam, castè & liberaliter haberi præter spem intellexisset, ad eam accedens quæsivit, quid sibi illa faciendum censeret, quò pro tanti principis beneficio gratiam aliquam referret: cui cùm illa respondisset, ut eniteretur se tanto regi quàm simillimum præstare, statim in aciem profectus, strenuè pugnans occubuit: cujus corpus ad se delatum cùm Panthea aspexisset, acinace seipsam confodit, capite super viri pectus recumbens, ut è jugulo profluens sanguis, mariti vulneribus infunderetur. Xenoph. *in Cyropæd.*

Abragana, Serica urbs, apud Ptolemæum.

Abraham, Lat. *pater multitudinis*, Patriarcha, filius Tharæ; *Abram*, *h.e.* pater excelsus, prius dictus. Natus est post diluvium annis ducentis nonaginta duobus; ante Mosen quadringentis viginti quinque: mortuus est ætatis anno centesimo septuagesimo quinto, cumque Isaacus & Ismael filii, sepeliverunt in duplici cavernâ agri, quem ab Ephrone Hettæo vivus redemerat. Gen. 25. 9. *pater fidelium* vulgò dicitur *& amicus Dei*. Chron. 20. 7. Esaiæ 41. 8. & Iacobi 2. 23. Syracides, Eccles. 44. 19. Ἀβραὰμ, μέγας πατὴρ πλήθους ἐθνῶν, καὶ οὐχ εὑρέθη ὅμοιος ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, &c. Vide plura de Abrahamo apud Philonem, Josephum, & Suidam. Fuit autem nomen Abrahæ, ut Euseb. *lib* 9. *Præp. Evang.* testatur, etiam apud Ethnicos celebratum. Nam & Hecatæus librum de Abrahamo nominatim scripsit; (quod ipsum signatur à Flavio Josepho *lib.* 1. *Ant. cap.* 7. ubi sic scribit, Ἐκείνου βιβλίον περὶ αὐτοῦ (Abrahamo sc.) συνταξάμενος κατέλιπε. *Et Alexander Polyhistor*, Abrahamum *natum ait decimâ post inundationem generatione*, in Camarine Babyloniæ urbe, quam alii *Urien* vocant, quod Græcè Χαλδαιόπολιν sonat, (quod me non intelligere profiteor) inventorem apud illos Astrologiæ, justitiâ & pietate tantâ, ut numini gratissimus, jussus sit ab eo in Phœniciam migrare: quam gentem rationem siderum, aliasque magnas, & præstantes artes docuit. Ita facillimè regi eorum conciliatus est. Nic. Damascenus *libro Historiarum* 4. Damasci Abrahamum regnasse scribit profectum ex Chaldæâ cum exercitu. Hinc in Chananæam venisse, quæ & postea Judæa dicta est, magnamque sui ac diuturnam apud Damascenos reliquisse memoriam, villamque ibi ostendi, quam Abrahami domum nuncupent. Cumque Chananæa fame premeretur, in Ægyptum abiisse; congressumque cum Ægyptiis sacerdotibus, multum eis profuisse, & ad rerum cognitionem, & ad pietatem, rationemque morum & vitæ. Alexander Heliopolin venisse eum perhibet, nec professum se Astrologiæ inventorem, sed à majoribus suis, jam inde ab Enocho, traditam sibi per manus. Divinæ Philosophiæ, Mathematicorum, & Cœmiteriorum inventor quoque dicitur. Polyd. Virgil. *De Invent. Rerum l.* 5. *cap.* 6.

Abraham, vel *Ibrahim*, Bassa. Ottomanni postremi nostrâ memoriâ Turcarum Imperatoris filius, cum repudiata matre, in Persiam ad Sultanum concedens, bellum adversus patrem gessit, quo per patris insidias sedato, dum se revocato filio imperii totius habenas traditurum affirmat, dumque patris præcepto filius ad ejus genua devolutus veniam petit, à duobus Janizariis, fortissimo arcûs nervo ad collum devoluto, miserè suffocatus est. Hist. Turcica.

Abraham, rex Æthiopiæ, pro Deo cultus ab Æthiopibus, ob revelationes quas habuit, inter quas & hæc recensetur, quòd monitus sit à Deo, ut si velit suis hæredibus firmum & tranquillum relinquere imperium, filios omnes, uno natu majore excepto, monti includat, quasi custodiâ asservatos, nec quenquam indeelabi patiatur, nisi quem in successorem eligeret; quam consuetudinem etiam posteri & successores observârunt, inprimis apud Abyssinos. Alvarez. *Hist. Æthiop. c.* 58.

Abraham, Eremita Ægyptius, grandem (jam defessis ætate parentibus) hereditatem mox habiturus, non exspectavit; sed ut nudus discedens, in solitudine sibi cellam constituit: deinde illis vitâ defunctis, cùm ad capiendum tantarum opum patrimonium vocaretur, tanti illud fecit, ut pedem loco non efferret: porro per procuratorem ita egit, ne quid sibi reliquum foret, sed rebus divenditis, pecunia omnis pauperibus, viduisque & pupillis divideretur: illi nihil omnino supellectilis erat præter catinum, vestemque cilicinam, & rusticum sagum. Marullus. 1. 6. Sabellicus 8. 5.

Abrahamus, Marocci rex, pugnâ victus à seditioso quodam Elmahelo, & urbe exclusus, cùm nullam salutis, & regni recuperandi spem superesse videret, uxorem charissimam à tergo vehens, equum ex altissima rupe præcipitem egit. Leo Africanus. *lib.* 2. *cap.* 45.

Abrahamus, Avarorum princeps. Avent. *lib.* 4.

Abrahamus Ortelius, Vid. *Ortelius*.

Abrahamus Bucholcerus, Vid. *Bucholcerus*.

Abrahamus, Vid. *Aben-Ezra*.

Abrahamus, Rabbi. Author *fasciculi myrrhæ*, seculo 15. Abrah. Levita 12. Abr. Parisonius 14 Abr. Baliamon. 16. Ut & alius Levita, author libri *Abodath Levi*. Abrahamus Cai, auctor Algebræ, inter 12 subtilissima ingenia recensitus à Cardano *de Subtil l.* 16.

Abranitis, vide *Auranitis*.

Abrantus, op. Portugalliæ, ad Tagum fl. 8. leucis, supra Sabaliscum, in Ortum.

Abravannus, in Ptolemæo promontorii nomen est in Britanniæ Novantibus; voce conflatâ ex duabus, ut rectè docet Camdenus, nempè *Aber & Ruan*; itaque *Abravannus* est ostium amnis *Ruan*, vel *Rian*, qui ibi loci exit in mare: *Abar* enim, unde Gallis *Haure* vernacula vox, est ostium fluminis. Neque hoc solùm, sed & amnium confluentes apud Britannos eâdem voce appellantur. Id nos docet Cambrensis scriptor, qui floruit ante annos propè quingentos, Sylvester Gyraldus. Illius verba sic se habent, Itinerarii Cambriæ *lib* 2. *cap.* 1. *Aber linguâ Britannicâ dicitur locus omnis, ubi fluvius in fluvium cadit:* & in descriptione Cambriæ *lib.* 5. *Aber Britannicè dicitur locus omnis, ubi aqua in aquam cadit.*

Abraxas, unus ex Diis, qui ab Hæreticis inducti sunt barbaris & inconditis nominibus, quem Basilides pro numine summo coluit, nomine prorsus fictitio; sed quod literis contineret nu-
α. 1. merum dierum, quos annus habet absolutus.
β. 2. Unde & B. Hieronymi suspicio erat, Ἀβράξας esse
ρ. 100. non alium quàm Persarum Mithram, hoc est, So-
α. 1. lem, qui annuo cursu hoc spacium conficit. De
ξ. 60. Basilidis autem hoc numine, sive eo Dæmonio-
α. 1. rum principem, sive solem, sive utrumque signi-
ς. 200. ficarit, vide Irenæum *l.* 1. *cap.* 23. Tertull. *De Præ-*
365. *script. cap.* 46. *Epiphan. Hæres.* 24. Hieron. *adver-*
sus Luciferium, *& lib* 1. *in Amos*. Item Augustinum, Theodoretum & Damascenum, in iis quæ de hæreticis tradiderunt.

Abrelia, Ἀβρηλία, Regionis cujusdam nomen Phavorino.

Abrentius, ab Annibale custodiendis Tarenti muris præfectus, qui cùm in amorem formosæ puellæ, cujus frater in Rom. exercitu erat, incidisset; hujus suasu urbem Q. Fabio Max. prodidit, Polyæn. *lib.* 8.

Abreta, sic olim dicta est Mysia. Plin.

Abrettane, & *Abretine*, vel *Abrettene*, χώρα ἡ λεγομένη Μυσία, ἀπὸ Ἀβρεττίας νύμφης. Phavorinus. Inde *Abretanus* Jupiter, Mysius Deus, ab Abretâ, quæ est Mysia, sic vocatus: cujus sacerdos fuit Cleon, latro priùs insignis, deinde Antonii, posteà Augusti militiæ præfectus.

Abri, gens Talantiorum ad Adriam, vicina Chelidoniis. Steph. *ex Hecatæo.*

Abria, prov. Scotiæ Borealis. *Loquabria* quibusdam. Versùs Occidentem, ubi aliàs Epidii pop. Ibi & lacus cognom.

Abricium, vide *Abritum*.

Abrieta, vide *Abieta*.

Abrinata, populi Pontici Stephano Byzantino.

Abrinca, amnis nomen, qui vulgari nunc vocabulo *Aare & Are* dicitur, medio fermè situ inter Antennacum, & Bonnam apud Sinciacum opidum Rheno miscetur. long. 18. 50. lat. 49. 35.

Abrincatui, Galliæ Lugdunensis populi Plinio, & Ἀβρινκάτυοι quoque Ptolemæo. *Abrinca* urbs Armoricæ est in lib. Notit. in *inferiori* Normannia, prope mare & montem S. Michaëlis, in confiniis Britanniæ duc. Morer. *Auranches* hodie Scaligero, & Vineto in Ausonium. Hîc Concilium habitum An. 1172. quo in mortem Thomæ Cantuar. inquisitum. *Annal. Angl.*

Abritum, Mœsiæ alicubi locus, ubi Decius imperator occubuit. Pomp. Lætus. *Abricium* Thraciæ locum vocat Chronicon Alexand.

Abrocomas, vel *Abrocomes* (utroque enim modo legitur, Ἀβροκόμας Suidæ, Ἀβροκόμης Herodoto) Darii fil. fuit, ex Protagune, fratris Atarnis filia, atque unus ex præcipuis Persarum Satrapis, qui unà cum Xerxe in expeditionem profectus, à Lacedæmoniis cæsus est ad Thermopylas.

Abrodiatus, cognomen Parrhasii, pictoris nobilissimi: Latinè *delicatè vivens, & elegans*. Æl. *lib.* 9. *Hist. Var. cap.* 11. refert eum purpureâ veste usum fuisse, caput aureâ coronâ redimire solitum, scipionem gestare aureis claviculis circundatum, calceorumque ansas ligulis aureis obstingere, ut non immeritò se ἁβροδίαιτον cognominaret. Vide *Parrhasium*.

Abroditi vide *Arboricha*.

Abroleva, locus circa Thraciam videtur Miscell. *Hist.*23.

Abron, Atheniensis, de sacrificiis, & festis veterum Græcorum scripsit. Steph. Βάτη, δῆμ☉ Αἰγηίδ☉ φυλῆς ὅθεν ἦν Ἄβρων ὁ Καλλίε ἐξηγητὴς, περὶ ἑορτῶν, καὶ θυσιῶν γεγραφώς. Scripsit & Περὶ Παρωνύμων: cujus operis idem meminit in *Argos*, *Athenæ*, & alibi sæpius. Alius fuit *Abron* Phryx aut Rhodius Grammaticus, Tryphonis discipulus, qui Romæ Rhetoricam docuit; servis parentibus procreatus, ut ex Hermippo tradit Suidas. Alius quoque *Abro* Lycurgi fil. de quo Plut. *in X. Orat.* Alius item *Abro* Dexippi hospes, apud eundem, *in Eroticis*.

Abron, Argivus quidam vitæ perditissimæ, solutissimæ, luxuriosissimæ; unde Proverb. *Abronis vita*, apud Erasmum ex Zenodoto. Est & *Abro* quidam, de quo Plin. 35. 10. *Mirantur*, inquit, *Abronem Samii*, inter opera Apellis numeratur.

Abronicus, nobilis Atheniensis fuit, Lysiclis fil. cujus fideli, strenuâque operâ usus est Themistocles in bello Persico, & in legatione apud Lacedæmonios. Herod. *lib.* 8. Thucyd. *lib.* 1.

Abronius Silo, Poëta Lat. tempore Augusti, discipulus Porcii Latronis, qui obiit Olymp. 194. Scripsit fabulas aliquot versibus. Senec.

Abronomus vid. *Abrocomas*.

Abrotine, urbs Mysiæ. Vid. *Abretini*.

Abrotonum, nomen proprium meretricis. Lucian. *in Dialog.*

Abrotonum, Themistoclis Mater. Plut. *in Them.* Æliano *Abrotonus* vocatur. Locus est *Var. Hist.* 12. 43. ἐκαλεῖτο ἡ μήτηρ αὐτῦ Ἀβρότον☉.

Abrotonum, Africæ urbs ad mare mediterraneum, Straboni & Plinio circa Syrtim. Stephanus ex Ephoro ait, eandem esse cum Neapoli. At in Strabone Neapolis est Leptis; rursus in Mela & Plinio, Neapolis, Abrotonum, & Leptis, sunt 3. urbes diversæ. Abrotonum herba est notissima, quæ Arabicè vocatur קיסום *Caisum*; an ex eâ nomen traxerit Abrotonum urbs, quærant peritiores. Ego (inquit Bochartus) *Abrotonum* pro *Abaritano* op. dici suspicor, quod ex *Abara* factum sit, ut ex *Membresâ*, *Membresitanum*, ex *Maxula*, *Maxulitanum*, &c. nempè *Abara* עברא i. e. trajectus, aut vadum, dici potuit, propter vada ad vicinum lacum. Strab. *lib.* 17. εἶτ' ἄλλη λίμνη πολὺ ἐλάττων, καὶ μετ' ταύτην Ἀβρότονον πόλις. Sic in provincia consulari alia fuit *Abara*, Carthagini propior, à qua, in Africæ notitia, denominatur *Felix Abaritanus*, qui cum aliis Episcopis in exilium missus est, anno sexto Regis Hunerici. Indidem *Abaritana arundo*, de quâ Plin. 16. 36. *Aucupatoria arundo à Panormo laudatissima, piscatoria Abaritana, ex Africa.* Unde colligas etiam illam Abaram aquas habuisse vicinas. Sed & voce compositâ עבר עדר *Abareoer*, vel *Abaradiera*, i. e. *trajectus gregis* dicta est Byzacenæ urbs; unde in Notitia, *Præfectianus Abaradirensis*; & prope Jordanem בעתברא *Bethabara*, i. e. *domus trajectus* dicebatur locus, in quo Johannes baptizabat. Johan. 1. 28.

Abrucbania, op. Transylvaniæ. vid. *Autariarum*.

Abrupalis, populi Romani socius, à Perseo Macedonum rege expulsus. Liv. *lib.* 2. *Dec.* 5.

Abrus, Sapæorum in Thracia urbs Pausaniæ in Achaicis, nisi mendosus sit locus; de quo vide Fulvium Ursinum ad fragm. Appiani.

Abrusi, vide *Pragutii*.

Abrypolis, pop. Rom. socius, à Perseo Maced. expulsus. Liv. *l.* 2. *dec.* 5.

Absalom, Latinè *pater pacis*, *consummationis*, vel *retributionis*, sive *patris pax*, *consummatio*, vel *retributio*; filius Davidis ex Maacha, filia Talmai regis Geshur, Israelitarum sui temporis formosissimus: fratres suos, filios regios, ad convivium invitat, fratremque Amnonem, propter stupratam sororem suam incautum inter vina obtruncat; hinc majora ausus, patrem & regno, & vitâ spoliare conatur: prælio autem cum paternis ducibus commisso, terga dare compellitur, ramisque quercûs cæsarie involutus, & capite adhærens, tribus hastilibus à Joabo percutitur. Corpus ejus in foveam projectum, lapidibus superinjectis tegitur; carensque liberis nullam sui reliquit memoriam, præter columnam à suo nomine dictam, quam sibi vivens in agro ipse erexerat. 2. Sam. 18. Fuit etiam *Absalom* pater Mattathiæ & Jonathan. Macch. 1.

Absalom, Episc. Roschildiensis, in propaganda fide Christiana, Woldemari, Danorum Regis, adjutor, Saxo Gramm. *lib.* 14.

Absander, decimus nonus Atheniensium rex, regnavit annis decem.

Absarus, amnis Iberiæ, seu Armeniæ minoris in Pontum defluens, qui cum Pariedris montibus Armeniam claudit. Ptolemæo *Apsorrhus*, aliis *Apsarum* & *Apsarus*. Castelli quoque nomen est. Plin. 6. 4.

Absephus, fluvius Asiæ apud Lampsacum, op. perfluens, ex quo Priapus fuit obscœnitate virilium cognitus. Plinio, *Æsepus* l. 5 c. 32.

Abseus, gigas, Terræ & Tartari fil. Hyginus.

Absila, vide *Apsilæ*.

Absimarus, Tiberius 67. Romanorum Imperator, an. Christi 697. Leontium, qui imperium invaserat, naribus Justiniano juniore truncato, simili pœnâ affecit. Per Exarchum Theophylactum, cùm Italiam turbaret, Justinianus, ope Bulgarorum, restitutus est, ipse autem, cum sociis, capite plexus. Regnavit annis septem. Æmil. *lib.* 2. Theophanes, Cedrenus, Zonaras, Baronius, an. C. 696. 701. 705.

Absinthii, populi, (teste Herodoto *lib.* 6.) juxta Pontum habitant, ubi mons ejusdem nominis habetur. vide *Apsynthus*.

Absith, Europæ circa Dardaniam locus est; Niceph. Call. 18. 38.

Absitris, amnis per Sisiclassos populos fluens. Plin. 6. 26.

Absolom, pater Mathatiæ & Jonathæ, quorum frequens mentio, Maccab. 11. & 13.

Absoris, op. in insula Minervæ, conditum à Colchis, qui cum Absyrto Medeæ fratre missi fuerunt ab Æeta illius patre, ad persequendam Medeam, quæ cum Jasone profugerat. Ibi cùm serpentium multitudini resistere non possent, Medea ab iis rogata, lectas eas in tumulum fratris ibi mortui conjecit, quæ adhuc ibi permanent, si quæ autem extra tumulum exit, debitum naturæ persolvit. Hyginus *in fabulis*.

Absorus & *Absyrtis*, apud Melam, maris Illyrici duæ insulæ sunt. *Absyrtides* plurali numero Straboni, & Orpheo *in Argonaut.* At hic eas in mari infructuoso describit, Euxino nempe Ponto. Apud Apollodorum sunt circa Rhodani ostia. Baudrando *Absorus*, paret Venetis, estque Episcopalis sub Arch. Jaderensi, & parvi est admodum circuitus. Aliàs *Civitas Ausarensis*.

Abstinentes, hæretici Galliam & Hisp. turbantes, seculo 3. quo tempore, Diocletianus & Maximinus sæviebant. Ex Gnosticis & Manichæis oriundi. conjugium carnisque usum damnabant, divinitate Spir. S. insuper negatâ. An iidem cum Hieracitis? Philastr. *c.* 26.

Absus, Palæstinæ fluvius Vibio Sequestri.

Absynthus, urbs Thraciæ, cujus incolæ *Absynthii*, vide *Apsynthus*, & *Ænum*.

Absyrtes, vel *Absyrtus*, Colchorum flu. in Adriaticum mare se exonerans, ab *Absyrto*, à Medeâ ibidem interempto, sic appellatus. Lucian. *lib.* 3.

Colchis, & Adriacas spumans Absyrtos in undas.

Tolle comma, & scribe *Absyrtis*, quomodo id nomen scribitur apud Plin. 3. 26. Strabonem quoque & Steph. Hæc enim *Absyrtis*, *Colchis*, i. e. *Colchica* vocatur, quia Medea, & frater ejus Absyrtus (ibi laceratus) ex Colchis erant. Grotius.

Absyrtides, Insulæ in Adriatico mari, vel juxta Istrum, à fratre Medeæ, *ibi interfecto*, nomine Absyrto, sic appellatæ. Strabo *lib.* 17. Παρ' ὅλην (inquit) ἦν εἴπομεν παραλίαν, νῆσοι μὲν αἱ Ἀψυρτίδες, περὶ ἃς ἡ Μήδεια λέγεται διαφθεῖραι τὸν ἀδελφὸν Ἄψυρτον διώκοντα αὐτήν. Vide Steph. *in* Ἀψυρτίδες νῆσοι, Melam. 2. 7. Plin. 3. 26.

Absyrtium, Insula maris Adriatici Plin. 3. 26.

Absyrtus, Æetæ, regis Colchorum & Hypseæ filius, alio nomine Ægialeus dictus, quem soror ejus Medea cum Jasone discedens, membratim discerptum, circumquaque disjecit, ut sequentem se patrem in colligendis ossibus occupatum moraretur, ne eam in fuga retraheret, unde locus ille dictus est *Tomos*, i. e. *dissectio*, & fluvius, juxta quem id fecit, *Absyrtus* vocatus. Sunt tamen qui *Absyrtum* non ex eadem matre cum Medeâ, sed ex Idyia, Oceani filiâ natum tradunt. Alii non à sorore discerptum volunt, sed per Istrum flu. cum fugientibus in Illyriam pervenisse. Fuit insuper *Absyrtus*, (teste Suidâ) Nicomediensis miles quidam, qui cùm sub Constantino ad Istrum militaret, librum utilissimum scripsit de medicandis equis, & de curâ animalium, quem in Bibliotheca. Antonii 6. Comitis Mediolanensis, asservatum esse refert Calepinus.

Abu-Sayd, Rex Maroci & Fessæ, rebus in Hispania, contra Christianos infeliciter gestis, in Africam reversus, obiit, An. 1302 Marmol. Johan. Leo.

Abu, seu *Abul-Heun*, ope Petri, Castellæ regis, patre Abul-Hascen, Rege Maroci devicto, ipsi regna, Tunetanum & Tremissenum, tributaria reddidit. Abdalam regem Granatæ, misso Æthiopico pileo, qui veneno vitiatus erat, interemit, an. 1396. Fuit idem nomen plurimorum Califarum Persiç.

Abubakat, aliis *Abrocherim*, Gener Mahometis. Alcoranum peculiariter interpretatus est, *Muphty* Saracenorum dictus. Se primum constituit Califam, i. *Successorem*, *vel à-Deo-datum*; qui Sedem primò Cufę, deinde Babylone habuerunt. An. 640. Mirkondus *Chronol.*

Abucini portus, in Gallia Lugdunensi, vel Sequanorum, ut habet Liber provinciarum.

Abudiacum, op. olim geminum Vindelicię, (nunc pagus in Bavaria) unus inter Ratisbonam & Abusinam, *Abach*, vulgo. Alter apud Rosenhemium op. *Happing*, in Norici finibus. Sunt qui *Fuessen* interpretantur, h. e. Fauciacum op. Suevię in Comit. Tyrolens. confinio. Sed situs repugnat. long 34. 14. lat. 48. 54.

Abudius Ruso, functus ędilitate, dum Lentulo Getulico, sub quo legioni pręfuerat, periculum facessit, quòd is Sejani filium generum destinasset, ultro damnatur atque urbe exigitur. Paulo, L. Vitellio Coss. Tacit. VI. 30.

Abugana,

Abnia, aliis *Abaca*, una ex Inf. Philippinis in Asia, inter Luzoniam & Mindanaum Insulas.

Abugana, regio regni Angotini, in Abyssinia, ubi templum Christianorum celebre, *Imbra Christos*. Sanut. *l.* 11.

Abuhama, Ins. provinciæ Garetæ, in regno Fessano. Marmol.

Abula, urbs episc. Hispaniæ Tarrac. in Castella veteri. Ptol. Hodie *Avila*. long. 16. lat. 41. 10. Media ferme inter Madritum & Vallisoletum. Sub Archiep. Compostellano.

Abula, clara est S. Teresiæ natalibus. Quibusd. *Arbacula* & *Albucella* Iuxta Adajam fl. Hinc Abulenses montes, *Sierra* d'Avila, in illo tractu.

Abula, opp. Americæ merid. in Peruvia, & prov. *de los Quixos* dicta juxta fl. Napum. *Quito* civ. in Eurum distat 35. leuc Hisp.

Abula fontana, opp. Hisp. in Castella Vet. 6. leucis Segoviâ distans.

Abulhuseni, pop. Africæ, in reg. Dara, prope regn. Marrochi.

Abulites, Persa, Susæ præfectus, civitatem & regionem adjacentem Alexandro tradidit, qui Satrapiam regionis eidem Abuliti restituit. Q. Curtius. 5. 2. Diodoro, *Abuletes*, vel *Abuleutes*. l. 17. Vid. Jani Gebhardi Exercit. ad Q. Curt. l. 5.

Abumalach, Saracenorum, & Hisp. rex, cum Carolo M. fœdus iniit.

Abundantius, Consul Romanus, an. Christi 393. ab Eutropio accusatus in exilium pellitur ab Arcadio, anno 406.

Abundius, martyr in Hisp. urbe Hispali, sub Maximiniano Imperatore, die 10. Decemb.

Abupus, vel potius *Abus*, Britanniæ fluvius magnus, qui Bedæ *Humber* dicitur. V. infra.

Abus, est potius æstuarium, in quo confluunt Urus, Derventio, Ara & Trenta. In Oceanum Germ. se exonerat, inter Eboracensem & Lincolniam prov.

Abus, fluvius Epiri, in finibus Apolloniatum.

Abus, vel *Abas*, mons Armeniæ majoris. Vide *Aba*. Pariedi mont. pars est, ex quo Euphrates profluit, *Caicol* à Gregorianis, teste Theveto dictus.

Abusacus, Soldanus Ægypti, qui per 5. annos multum negotii Rhodiensibus equitibus exhibuit. Obiit A. 1499.

AbuZaid, Rex Persarum, per uxorem, *Amir Chapon*, filiam Veziri sui, quam, marito ejus patreque occiso, duxerat, regnum non infeliciter administravit, A. 1337. quod tandem à Tamerlane subjugatum est. Mirkondus *Chronol.*

Abusiacum, sive ut alii codices habent, *Abusacum*, & *Abuzacum*, vulgò *Fuessen*, op. Rhætiæ; ad Lycum flu. intra montium angustias situm, quod propterea *Fauces*, (unde *Faucense* Cœnobium) etiam Latinè dicitur, à Campidonâ 4. leuc. in Eurum, in viâ quæ ad Tridentum ducit, occurrens. long. 32. 50. lat. 47. 28.

Abusina, Antonino, & Lib. Notit. op. Vindeliciæ in Bavariâ; *Abensburge* Aventino dicitur. long. 34. 5. lat. 48. 44. Ad fluv. *Abenst*.

Abydon, onis, regio Macedoniæ, Steph. & Suid.

Abydos, vel *Abydus*; urbs Asiæ à Milesiis condita, Gyge Lydorum rege permittente, qui totius Troadis imperium habuit: cui Sestos in Europâ opponitur, angusto intercedente mari; à casu virginis Hellesponto nuncupato. Musæus:

Σηστὸς ἔην καὶ Ἄβυδος ἐναντίον, ἐγγύθι πόντε,
Γείτονές εἰσι πόληες. Ovid. *Trist.* 1.
Quaque per angustas malè vecta virginis undas
Seston Abydenâ separat undâ fretum.

Id cùm Asiam ab Europâ dividat, Xerxes ponte conjunxit. Sidon. Apollinaris.

------ Nec tantæ Seston juncturus Abydo
Xerxes classis erat, tumidas cùm sterneret undas,
Et pontum sub ponte daret. Lucan. *lib.* 2.
Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Construxisse vias, multum cum pontibus ausus,
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
Incessitque fretum rapidi super Hellesponti. Idem *lib.* 6.
Tot potuere manus adjungere Seston Abydo,
Ingestoque solo Phryxeum elidere pontum.

Abydos gemina Valerio Flacco dicitur, Argonaut. *lib.* 1. Appropinquantibus enim apparet gemina, propter Sesti vicinitatem:

------ Dirimique procul non æquore visa
Cœperat à geminâ discedere Sestos Abydo.

Dicitur autem hæc *Abydos*, & hoc *Abydon*, Inter alia autem celebris fuit sapore ostreorum. Ennius *in Hedypatheticis*, sive *Hedyphageticis*;

Mures sunt Æni, ast ostrea plurima Abydi.

Quod pari verborum numero expressum ex illo Archestrati apud Athen. *lib.* 3 *cap* 13.

Τὰς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος.

Catullus in Priapeio *Hellespontia ora cæteris ostreosior oris.* Virg. *Georg.* 1. *Pontus. & ostriferi fauces tenentur Abydi.* Populi *Abydeni*; qui cùm à Macedonum rege tam arctâ obsidione coangustarentur; ut nulla liberandæ obsidionis spes superesset, multitudinem tanta invasit rabies, ut se, suasque uxores & liberos, ferro, flammis, & omni genere mortis crudelissimè interficerent, ne in hostis potestatem venirent; quam historiam imprimis memorabilem fusissimè narrat Livius *Decad* 4. *lib.* 1. Ἀβυδηνὰ ἐπιφορήματα, dicuntur futilia, ac nullo prorsus pretio digna. Steph. & Suid. quòd Abydeni molles & effœminati haberentur: & quibus olim is mos fuerat, si quem civem, aut hospitem acciperent convivio, præterea in sacris & solennibus epulis, ut post unguentum, & coronas, infantes à nutricibus inducerentur, circumferrenturque suaviandi. Ostrepentibus igitur nutriculis, & aliis, inconditis clamoribus, minus suave & gratum reddebant convivium. Hoc etiam nomine malè audiebant Abydeni, quòd insignes calumniarum artifices essent, eoque sibi nomine placerent, atque hâc de causâ non tutum esset omnibus illic versari. Hinc natum proverbium, Μὴ εἰκῇ τὴν Ἄβυδον. h. e. *ne temerè Abydum* (*naviges* intellige) quo admoneris, ne quod grave periculum suscipias, sine causâ idonea. Ἀβυδοκόμαι, *Abydocomæ*, Hesychio dicuntur Sycophantæ, à verbo κομᾶν, quod est efferri, & parum modestè se gerere. Est item Abydus Ægypti op. hodie *Elfnim*, Ortel. Vel *Abutich*, testibus Castaldo & Moletio, inter Ptolemaidem ad Arcton. 22, & Diospolim ad Merid. 28. millia pass. à Memphi 290, in Austrum, Syenen versus. Ibi Memnonis regia, & templum Osiridis. Est etiam Japygiæ civitas in Italiâ. *Steph.* Vide Paræum *ad Musæum* Leon. *p.* 8. 16. long. 53. 50. lat. 42. 10.

Abydus, Phrygiæ arx est munitissima Turcarum, & una ex Dardanellis ad Bosphorum Thracium, Olim Episc. nunc Metrop. teste Miræo.

Abyla, mons excelsus Mauritaniæ Tingit. Calpæ monti, qui in Hispaniâ est, oppositus, quos ambos Herculis columnas dicunt, olim perpetuo jugo conjunctos, sed ab Hercule separatos: & sic intromissum terris mare, quod hodie Mediterraneum vocatur. In his Hercules columnas fixisse dicitur, cùm boves Geryonis vestigaret, perinde ac ultima ibidem esset orbis meta. Dionysius *in Perieg.*

Ἀλλ' ἤτοι πυμάτη μὲν ἀγαυῶν ἐστὶν Ἰβήρων,
Γείτων Ὠκεανοῖο πρὸς ἑσπέρῃ, ἐν δὲ οἱ ἀκρῃ
Στηλάων Ἀλύβη κεῖται μία, τῆς δ' ὑπένερθε
Ταρτησσὸς χαρίεσσα. -----

Ubi multa Eustathius; & *notandum est Alybam dici* à Græcis, & non *Abylam*, idque fortè per Metathesin. vulgò *Almina*, Hisp. *Sierra de las Monas*, Gall. *mont des Singes*, Belg. *Schemminckelberg*. Distat à Calpe, ubi Gibraltar est, monte Hisp. 18. m. p. estque prope Septam Urbem. vide *Abila*. long. 15. 10. lat. 35. 40.

Abyla, Syriæ op. juxta quod sitæ sunt Arca, Ampeloessa Gabe. Plin. 5. 18. vide *Abila*. long. 68. 45. lat. 33. 10.

Abylli, populi juxta Nilum, Troglodytis vicini. Steph.

Abylon, vel *Abydon*, Ægypti urbs, Athen. *lib.* 13. ubi spinæ semper florentes proveniunt.

Abyndi, pop. regni Sindæ, in India intra Gangem, commercio cum Europæis clari, Texeira. *l.* 1. *cap.* 22.

Abyssini, Æthiopiæ interioris pop. Christiani. Veterem habent religionem, sed ex hæreticorum erroribus confusam. Eorum Imperator vulgò *Grand NeguZ*, quibusdam *Preste Ian*, sed pravè. Abyssinis dicitur *Beyuc Ivan*, i *Johannes Æstimatus*, Chaldæis *Ivan Enconne*, i. *Johannes pretiosus & magnus*. Verus autem *Preste-Ian*; Princeps Tartarorum fuit, in regno Asiæ Tenduc. Abyssinorum autem nomen fortè ex voce Arab. *Elhabaschi*, quâ Æthiopes & Sarraceni Imperatorem hunc insigniunt. V. *Abyssinia*. & *Æthiopia*.

Abyssinia, regio Africæ, in Æthiopia superiori. Fuit aliàs regnum amplissimum; sed à centum propè annis per Galas populos valdè fuit imminutum, ut pluribus nuper collegimus ex doctissimis scriptis Isaaci Vossii. Dicit enim ille, quòd si solam spectemus Abassiniæ partem, quæ hoc tempore paret Imperatori, illa adeò exigua est, ut vix exæquet Hispaniam, & ut ejus Imperator vix magni Regis titulo censeri mereatur; potiorem quippe regni portionem superiori seculo invasit Galarum vicina natio; litoralem verò tractum vicinum sinui Arabico jam olim occupavere Mauri: ita ut iste Abyssiniæ Rex nullum possideat portum, nec mari possit adiri nisi per Turcicas ditiones. Olim cùm latissimè extendebatur ejus Imperium ab ortu in occasum, à faucibus nempe sinus Arabici usque ad terminos Regni *Goiame*, non tamen excedebat maxima ejus longitudo leucas Germanicas 160. summa verò latitudo à provinciâ Alabâ usque ad Magazam, seu confluentem Nili & Tacaze fluviorum, id est, à latitudine Boreali 8. graduum usque ad gradus 16. erat leucarum Germanicarum centum & viginti. Et scripsit Johannes Barros Lusitanus, regnum Abassenum habere in ambitu leucas Lusitanicas 672. id est, leucas Germanicas 504. Postremi qui ex hoc regno pervenere ad nos nuntii, referunt ditionem hujus Regis adeò imminutam esse, ut vix dimidiam partem terrarum possideat, quas proavi ejus tenuere. Solæ enim supersunt provinciæ, *Tigre*, *Dambea*, *Bagameder*, *Goyame*, *Amahara*, *Narea*, & pars Xaoæ. Harum præcipuæ

cipua est regnum *Tigre*, cujus prorex, *Tigre Mahon* dictus, causam præbuit, ut nonnulli *Tigre Mahon* distinxerint à regno *Tigre*. Sed neque regnum Barnagassi ab hoc distingui debet. Minores autem Provinciæ, quæ huic etiamnum parent, sunt istæ, *Magaza*, *Salait*, *Ogara*, *Holcait*, *Sagulda*, *Semen*, *Salaoa*, *Ozeca*, & *Doba*. Olim verò hæ provinciæ regno ejus continebantur, *Angote*, *Doaro*, *Ogge*, *Balli*, *Adea*, *Alemali*, *Oxelo*, *Ganz*, *Betezamora*, *Gurague*, *Buzama*, *Bugamo*, *Cambate*, *Doxa*, *Gumar*, *Conch*, *Damul*, *Mota*, *Aura*, *Holeca*, *Oifate*, *Gedem*, *Marabet*, *Manz*, & *Bizamo*. Sed anno 37. superioris seculi Galarum populi Abassenis à meridie contermini, provinciam *Balli* ingressi, non tantùm ipsam, sed & *Fatigar*, *Doaro*, *Ogge*, *Bizamo*, *Oifate*, *Angote*, *Cambate*, & alias provincias occuparunt. V. Gautier *in Chronogr.* Spond. an. 1524. n. 15. & 17. 1533. n. 1. & 1555. n. 15. V. quoque *Æthiopia*.

Abystæi, gens Lybica Phavorino.

Abystrum, Magnæ Græciæ urbs apud Ptolomæum, quam hodie *Vrsimaro* vocari scribit Barrius *in suâ Calabriâ*.

Abziritanum, Africæ opidum, Plin. 4. 4.

Abzoæ, pop. ad Oceanum Scythicum. Plin. 6. 13.

AC

Aca, regio Numidiæ, tres urbes continens, in deserto Libyæ contermino. Ad Hilelas spectat, Arabum genus, qui, sub Califa Caimo, Africam ingressi. Opulenta olim, sed bellis civilibus adeò attrita, ut incolæ hodie inopem vitam, fructibus palmarum pro frumento venditis, ægrè sustentent. Gramm. Afr. *l.* 10 *c.* 11. Marmol. *l.* 7. *c.* 8.

Aca, civitas Phœnicum, quæ postea Ptolemais dicta est Straboni. Plinio autem dicitur *Ace*, quæ quondam Colonia fuit Claudii Cæsaris. Vide *Ptolemais*.

Acabe, fons. Ptolemæus: Τὸ Ζυχάβαρι, ἀφ' οὗ ῥεῖ ὁ Κίνυφος ποταμὸς, καὶ ἡ Ἀκάβη πηγή. *Acabe*, עקבה, id est, *extrema*. Situs enim est fons in Africæ extremis, propè fines Cyrenaicæ. Tabulæ Ptolemæi perperam habent *Chuzambari*, & *Cabe*, pro *Zuchabari*, & *Acabe*. Bochart.

Acabe, mons in finibus Ægypti ad sinum Arabicum. Ptol.

Acabene, Mesopotamiæ regio, Ptol. *Acad*, Hebræis dici ex D. Hieronymo ait Montanus. *Hieronymus* ad Hebræis pro *Nisibi* haberi scribit.

Acabis, villa in Cyrenaicâ regione. Ptol.

Acacalis, nympha, quæ ab *Apolline* compressa, in Cretâ filios edidit, Phylacidem, & Philandrum, Pausan. & Apollon. in Argon. Alia fuit ejusdem nominis Minois filia, de quâ Pausan. in Arcad. V. *Acalis*.

Acacesium, urbs Arcadiæ, ab Acaco Lycaonis filio dicta, Steph. à quo etiam *Acacesius* Mercurius cognominatus est, qui eum educavit. Pausan. *in Arcad.*

Acachuma, Ptol. *Achuma*, urbs Æthiopiæ, Maquedæ seu Reginæ Sabæ credita sedes. Marmol. *l.* 10. *c.* 23.

Acacius, Episc. Berrhoënsis eruditione & Virtute clarus. In gratiam tamen Eudoxiæ, Theophilo se junxit, & cùm 110 superaret annos, Nestorium apud Theodos. juniorem defendit, postmodum tamen hujus hæresiarchæ sectatores ad meliorem frugem reducere conatus. Theodoret. *l.* 5. *c.* 23. Baron. *A. C.* 398.

Acacius, Patriarcha Antiochenus, cujus tempore ingens terræmotus. Evagr. *l.* 2. 12. Alius, Episc. Melitenæ, in Armenia, qui interfuit Concilio Ephesino, *A. C.* 431.

Acacius, Alexandrinus, dux belli sub Adriano, propter confessionem Christi de nuce arbore suspensus est. Hist. Tripart. 5. 11. Alius etiam hoc nomine martyr, sub Decio Imperatore.

Acacius, Episcopus Cæsareæ in Palestinâ, An. 340. Arrianis favit in Synodo Seleucianâ & Constantinopolitanâ. Hist. Trip. 5. 34, 35, 36. Hujus sectatores *Acacii*, Item *Anomæi* dicti.

Acacius, Patriarcha Constantinopolitanus, vir imprimis pius, & Leoni Imperatori gratissimus. V. Nicephor *in Chron.* Suid. Item Rhetor insignis, qui Libanii & Juliani temporibus floruit. Idem.

Acacius, Episcopus quidam, Ecclesiæ supellectilem argenteam, aureamque divendidit; & milites Persas fame propè enectos, non tantùm refecit, sustentavitque, sed redemptos ad regem suum remisit. Socrates *Hist. Eccles.* 7. 21.

Acad, vel *Achad*, vide Babylon.

Acada, Natoliæ fluv. hodie *Sangary*, in mare magnum se exonerat. Castald. Belon.

Acadama, Syriæ urbs ad Euphratem. Lib. Notit.

Academia, etsi usu commune, sive, ut vulgò loquuntur, appellativum factum sit, propriè tamen ita dicebatur nemorosus extra Athenas locus, in quo Philosophiam primus docuit Plato. Sunt qui derivent ab ἑκὰς & δῆμος, *seorsim à populo*; remotè scilicet à populari consuetudine. Basilius orat. de Temper. & Incontinentia ait: *Platonem ferunt, cùm animo percepisset nocumentum, quod ex corpore proficisci solet, de industriâ Academiam elegisse, locum Atticæ vel maximè pestilentem, ut ita præcideret nimis bonam corporis dispositionem, veluti superfluam quandam vitis fertilitatem.* Alludit ad Ἀκὴ *acies*, & δῆμος *populus*. In Academiâ siquidem acuebantur hominum ingenia: aut ad ἄκος, id est, *medela*, & δῆμος, quòd ibi sit ἰατρεῖον ψυχῶν, officina sanandi animos. Alias quoque ejus generis allusiunculas fingunt; sed certum est, fuisse prius Ἑκαδημία, ac sic vocari ab *Ecademo* Heroë, quod (præter Suidam) ex Timonis versibus probat Hesychius Illustrius: ex iis verò & Eupolide, Laërtius: uterque in Platone. Respexit eodem Horatius *lib.* 2. *Ep.* 2.

Adjecêre bonæ paulo plus artis Athenæ;
Scilicet ut possim curvo dignoscere rectum,
Atque inter sylvas Ecademi quærere verum.

Quamquam in quibusdam libris *Academi* legitur. Quòd autem penultima vocis *Academia*, nunc correpta inveniatur, nunc porrecta; id ex eo est, quòd Græci nunc Ἀκαδημία dicant, nunc Ἀκαδήμεια. Corripiunt itaque Claudianus, *Paneg. Manl. Th.*

In Latium spretis Academia migrat Athenis.

Et Sidonius *in Epithal. Pol.*

Obviet & quanquam totis Academia sectis.

Producit Cicero *lib.* 1. *de Divinatione*, cùm ait,

Inque Academiâ umbriferâ, nitidoque Lyceo,
Fuderunt claras facundi pectoris artes.

Nec non Laurea Tullius, de quo infra. Cicero autem villam quandam suam, hodie *Bagni di Tritolis*, ab Averno lacu Puteolos tendentibus, impositam littori, celebratam porticu & nemore *Academiam* appellavit, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus. In eam Laurea Tullius è libertis ejus, carmen scripsit, quod legitur apud Plinium Seniorem. *lib.* 3. *c.* 2.

Quo tua Romanæ vindex clarissime linguæ,
Sylva loco melius surgere jussa viret,
Atque Academiæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hîc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hâc fontes cùm patefecit ope.
Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Hesychius Ἀκαδημία, λουτρὸν, καὶ πόλις. Addit Phavorinus. καὶ τόπος ἤγουν Κεραμεικὸς, οὕτως ἐκαλεῖτο. De tribus *Academiis*, veteri, media, & nova, vide Vossium de Philos. sectis, *cap.* 12. 13. 14. In hac Academiâ ridere non licebat; cujus rei rationem reddentem vide Ælianum *Var. Hist.* 3. 35.

Acadera, Indiæ urbs. Curtius *lib.* 8.

Acadinus; fons est Siciliæ, juxta Dellos lacus, Palicis fratribus sacer, ad quem juramenti veritatem explorare solebant ad hunc modum. Iuramenti verba tabulis ligneis inscribebant, quas in fontem dejiciebant, quæ supernatantes juramenti integritatem, demersæ perjurium indicabant.

Acadra, opidum in Arabiâ Felici Ptolemæo.

Acadra, pop. Asiæ in Sinarum regno, ubi nunc prov. *Quichew*, *Huquan*, teste Nic. Sanson.

Acadum, Syriæ urbs videtur, apud Sophronium de peregrinatione D. D. Petri, & Pauli.

Acafran, fluv. regni Tremissæ in Africa. Olim *Quinalaf*, nunc Vetxilef, Marmol. *l.* 7. *c.* 30. 39. 40.

Acalandra, opp. Italiæ, in Lucania, trans Apenninum, in prov. Basilicata, ad fluvium Salandrum.

Acalandrus, flumen in sinu Tarentino, non procul à Metaponto. Plin. 3. 6. Strabo *lib.* 6. *Fiume di Roseto* hodiè. Ab aliis *Salandrella*, teste Cluv.

Acalanthis, nobilissimæ canis nomen, unde est illud Aristophanis in Pace, Ἀκαλανθὶς ἐπειγομένη τυφλὰ τίκτει. Vide Cæl. Rhod. & Erasmum *in Chil.*

Acalarites, fluvii nomen apud Eustath. in Il. Homerus certè Iliad. η epitheton Oceani facit.

Ἐξ ἀκαλαῤῥείταο βαθυῤῥόου Ὠκεανοῖο.

Id est, Ἡσύχως καὶ πρᾳέως ῥέοντος, inquit ibidem Scholiastes, nam ἀκαλὸν, ἥσυχον, id est *quietum*, significat.

Acale, Arabiæ Felicis urbs. Ptol.

Acalis, Minois filia, Sideonis & Oaxis, ex Apolline, mater. An eadem eum *Acacali* Pausaniæ, *l.* 10?

Acalyndrus, V. *Acalandrus*.

Acamantides, Philosophus Heliopolitanus. Suid.

Acamantis, olim dicebatur Cyprus, ab *Acamante* promontorio, sito ad occasum. Steph.

Acamantis, una ex decem tribubus Atheniensium, ita dicta ab *Acamante*, Thesei filio. Suid. Hic postmodum urbem in Phrygia cognominem statuit. Steph.

Acamantium, urbs in majori Phrygiâ, opus *Acamantis*, filii Thesei, qui cùm in expeditione adversus Solymos se strenuè gessisset, locum urbis condendæ à patre impetravit.

Acamantius, Philosophus Heliopolita. Suid.

Acamapixtli, primus Rex Mexicæ, quem incolæ à Rege Culhuacanæ acceperunt, quò cædem filiæ prioris Regis luerent. Hic Urbem

Urbem auxit ornavitque,& moriens Mexicanis libertatem novum Regem eligendi reliquit, licet ipsemet improlis non esset. A Costa *l.* 8. *c.* 8. 9. *&* 10.

Acamarchis, nympha marina, quam Oceani filiam esse volunt. Diod. Sic. *lib.* 6.

Acamas, unus ex Thracum principibus, qui in auxilium Trojanorum venerunt. Hom. *Il* 2. Fuit & fil. Antenoris, qui tempore belli Trojani cælebs erat, & Diis similis habebatur. Est prætereà mons & prom. in Cypro, unde Cyprus etiam *Acamantis* dicebatur. Hodie *Crusocco.* Item *Capo di S. Epifanio.*

Acampsis, Colchidis fluvius. Arrian. *in Periplo.*

Acan, Latinè *tribulatio*, vel *stridor*, vel *antemurale*, filius Eser, filii Seir Horræi. *Gen* 36.

Acanes major, & *Acanes minor*, Urbes duæ Africæ; in Guinea reg. in mediterr.

Acannæ, emporium circa Rubrum mare. Steph.

Acanthine, Arabici sinûs insula apud Ptol. *Angotina* Stuckio, proxima Daphninæ, inter ins. Magorum & Orneon.

Acanthon, mons Ætoliæ. *Plin.* 4. 28.

Acanthus, puer regius,in florem sui nominis conversus Cujus folia occasionem præbuerunt ornamentis pulcherrimis sculpturæ. V. Virgil. Ecl. 3. Ex Acantho triumphum Cæsaris, Ponto devictâ, V. apud. Vell. Paterc. Est item civitas Ægypti prope Memphin. Plin. 4. 10. Scalig. *in Euseb.* Item op. in Macedoniâ, sive Ætoliâ, quæ est urbs Acarnânum, in quâ mutas esse cicadas Steph. scripsit. *Erisso* Sophiano. Item aliud in Asia juxta Ninum fluvium, quod olim *Dulopolis* vocabatur. Plin. 5. 28. Item Insula quædam. Plin. 5. 32.

Acanthus, Bisalta, Urbs Ægypti.

Acaparam, urbs in littore Ponti Euxini, *Carpi* Vett. Davity *descript. Asiæ.*

Acapeatæ, pop. circa Mæotim. Plin. 6.7.

Acapis, flu. Asiæ apud Lazos populos.

Acapulcum, urbs Americæ in nova Hisp. cum portu,in ora maris pacifici; in prov. Mexicana, & castro permunito. 80. leucis Hispan. distat à Mexico in meridiem.

Acar, Latinè *sterilis*, sive *enervans*, vel *truncus*; fil. Ram, primogeniti Jerameel. 1. *Chron* 2.

Acara, op. in medio Pannoniæ. Item, in octavâ Italiæ regione, non procul à Regio Lepido. Strabo *lib.* 5.

Acaraga, opp. Americæ meridion. in regione Parana, & ad Paranam fluv. Aliter *Nativitas beatæ Virginis*, distatque 45. leucis Hisp. à fluv. Argenteo.

Acarassus, urbs Lyciæ. *Steph.*

Acaria, fons in agro Corinthio, apud quem Iolas Eurystheo caput amputavit. Strabo. *lib.* 8.

Acarman, vel *Carman*, Arabiæ Felicis urbs. Ptol.

Acarnania, quæ antea *Curetis* appellata fuit, testibus Pausaniâ & Plinio, regiuncula & pars Epiri est, mersa medio sinu Ambracio. Plin. 2. 92. In hâc est op. *Leucas.* Mar. Niger scribit, hodie hanc *Despotato* vulgò dici. Hanc autem regionem Achelous amnis ab Ætoliâ dividit, vel (ut Solinus) Pindus mons, qui Acheloum parit. Steph. Incolæ *Acarnanes*, quos annum sex mensibus computare solitos, scribit Macrobius *Saturn.* 1. 12. Mollitiei, & lasciviæ apud veteres notati leguntur, apud Lucianum in Meretriciis; unde proverbium, *porcellus Acarnanius*, in lascivos. In Acarnaniâ autem, ut in Epiro, gignuntur equi, corpore & viribus maximi, eximiique pretii, hinc manavit proverbium, Ἀκαρνικοὶ ἵπποι, de re quâpiam insigni. Clades Laconum in Acarnania acceptas, describit Thuc. *l.* 2. Est & civitas non procul à Syracusis (Cic. in Verr.) in quâ Olympii Jovis antiquissimum fanum fuit, quæ à Gotthis exusta est. Item, regiunc. Ægypti, Serv. in 5. Æneid.

Acarnas, vel *Acarnan*, mons Atticæ admodum lapidosus. Sen. *in Hippol.*

---- *Vos, quà tepidis*
Subditus austris, frigora mollit
Durus Acarnan. ------

Acarne, op. circa Mæotim. Plin. 4. 9.

Acaron, civitas Palæstinæ, quæ Cæsarea vocatur. Plin. 15. 7. Scribitur aliâs *Accaron*; Hebr. *Ekron*, id est, *extirpatio.* Ios. 15. 19.

Acarra, urbs Achaiæ. Steph.

Acasis, filia Minois, quæ ex Apolline filios habuit, Cydonem & Oaxem, à quibus Cydonia & Oaxe, Cretæ urbes. Steph.

Acasta, nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiodus in *Theogon.*

Acastus, Peliæ Thessalorum regis fil. venator sagittis clarus. Ovid. *Metam* 8.

---- *Jaculoque insignis Acastus.*

Uxorem Cretheidem, sive Hippolytem duxit, quæ cùm Peleum amaret, neque ille contra hujus amori obsequi vellet, ultrò eum de stupri appellatione apud virum accusavit. Itaque Acastus, Peleo ceu venationis causâ in saltum Pelei montis abducto, ibique omnibus armis spoliato, feris lacerandum eum præbuit. Verùm Chiron, sive is Mercurius fuit, interveniens, acceptâ Vulcani machærâ, Peleum liberavit: qui postea domum reversus, Acastum cum uxore interfecit. Hor. 3. *Od.* 7.

Narrat penè datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolytem dum fugit abstinens.

Vide Pindarum Nem. carm. quarto, & quinto.

Ovid. *Met.* 11. -- *Magnetas adit vagus exul, & illic*
Sumit ab Æmonio purgamina cædis Acasto.

Et *Fastorum* 2. *Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci*
Cæde per Æmonias solvit Acastus aquas.

Acathartus, i. e. *impurus*, ingens sinus in mari Arabico, versus Ægyptum. Strabo. lib. 16.

Acaton, mons Ætoliæ.

Acatucci, Hispaniæ opidum, Antonino.

Acavatha, Syriæ urbs. Lib. Notit.

Acaxium, opp. prov. Farima, in Inf. Iaponiæ in Asia. Distat à Meaco, urbe prim. Inf. 25. leucis, teste Brietio.

Acaxutla, portus Americæ Septentr. in ora maris Pacifici, in nov. Hisp. & regione Guatimala, 7. leucis ab opp. S. Salvadoris.

Acbarus, V. *Abbarus.*

Acca, soror & comes Camillæ. Virgil. Æn. 11.

Acca Larentia, Faustuli regis pastoris uxor, quæ Romulum, & Remum lactavit, & maternâ solertiâ gubernavit. Hæc vocata est *Lupa*, eo quòd nobile scortum fuit; tales enim, ob avaritiam, *lupæ* nuncupantur. Servius. Agellius, lib. 6. cap. 7. *Acca Larentia corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quæstu uberem. Ea, testamento (ut in Antiatis historiâ scriptum est) Romulum regem, ut alii, pop. Rom. bonis suis hæredem fecit. Ob id meritum à Flamine Quirinali sacrificium ei publicè fit, & dies è nomine ejus in Fastos additus.* Vide Voss. *de Idol. lib* 1 *cap.* 12.

Acca, seu *Accas*, Episc. d'Hagulstd, Bedæ σύγχρονος. De cujus scriptis, V. Voss. *l.* 2. *de historicis Lat.*

Acca Taruntia, uxor Taruntii, nobilis Tusci. V. Scalig. in Varron. de L. L.

Accabicontichitæ, pop. sunt in Mauritaniâ, non procul ab Atlantis monte, Steph.

Accabicus murus, opidum circa Herculis columnas, à Carthaginensibus conditum. Steph.

Accadia, prov. novæ Franciæ, in America Septentr. Nova Scotia ab Anglis dicta, qui illam occuparant. Sed reddita fuit Francis pace Bredanâ. Ibi locus præcipuus est Portus Regius.

Accadia, Urbs Principatus ulter. in regno Ne politano. Davity.

Accara, opp. Africæ in Guinea reg. dupl. nempe magn. & parvum, in ora, inter fluv. *de la Volta*, & fortalitium S. Georgii de Mina.

Accaron, civitas Philistinorum, juxta Azotum: Jamnetorum portum, Ἰαμνιτῶν Ptolemæi esse vult Postellus. Vide *Cæsarea Palæstina.* Celebris fuit Idolo Beelzebub. 1. Reg. 4.6.

Accettura, urbs Basilicatæ, in regno Neap. Davity.

Acchitæ, pop. Arabiæ, juxta collum rubri maris. Plin. apud Steph. sunt Ἀκχηνοὶ ἐπὶ τῷ αὐχένι τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης.

Accho, Latinè *compressus*, vel *confractus*, Palæstinæ locus, Jud. 1. qui *Ptolemais* vocatur, uti censet Franciscus Junius.

Acci, Ptolemæo Hispaniæ Tarraconensis opidum Ep. olim *Actio* dictum. Vasæus, & Ambr. Mer. *Guadix* interpretantur. long. 18. 6. lat. 37. 55. Baudrando, *Acci, Guadix*, ad radices montium, juxta fontes fl. *Guadalentin*, 12. leucis à Gienno in Eurum; Mauris erepta An. 1489.

Accia, filia Juliæ, sororis Cæsaris & M. Atii Balbi, qui, cùm Præturam exerceret, unus ex 20. fuit, qui in Campania plebi agros distribuerunt, ex lege Julia. Augusti Cesaris mater. Suetonius.

Accia, Urbs Corsicę, olim episc. nunc in ruinis jacet, in parte Orient. Inf. Episcopatus verò unitus est Marianensi.

Accilla, urbs Siciliæ. Liv. dec. 3. lib. 4.

Acciolus, V. *Donatus Acciajolus.*

Accipitrum civitas, urbs prope Thebas. Strab 17.

Accipitrum inf. seu Hieracum, *Isle de S. Pierre* Gallis, *Isola di S. Pietro*, Italis, Insula parva in ora Australi Sardinię.

Accisi, pop. ad Męotim paludem. Plin. 6.7.

Accitana, colonia est in Hisp. citeriore, in conventu Carthaginensi. Plin. 3. 3.

Accitum, urbem fuisse Hisp. Betice in antiquis Inscriptionibus author est Clusius, diciturque hodie *Finiana* nominari.

Accius, tragędiographus, natus parentibus libertinis, *duriusculus*, Ciceroni ad Atticum, & Licinio *scriptor ferreus* appellatur, quòd dum tragedias ex Sophocle in Latinum verteret, talem se pręstiterit. Quintilianus pro suo candore, id vitii in tempora rejicit. Tanti eum fecit Brutus, ut ejus versibus, & templa & monumenta ornaverit, eoque simulato, statuam in ęde Camœnarum pręgrandi staturâ posuerit, cùm alioqui pusillus fuerit.

Accius, Pisauriensis, cujus accusationi Cicero pro Cluentio respondit, quemque in Oratore suo inter claros Oratores refert:

fuit

fuit alius *Accius* Navius, vel Nævius, cujus idem Cic. in *Divinat.* meminit. Vide *Actius*.

Accius Tullius, Volscorum princeps, Romanis semper infestus, quibus, Coriolano adjuvante, bellum intulit. Livius; & Plut. *in Coriolano*.

Acco, mulier jam decrepita, cùm faciem, (quam ad speculum explorabat) senio deformatam conspiceret, animi ægritudine in insaniam lapsa est: Cæl. Rhod 16. 2 Inde *Accissare* veteres dixerunt pro ineptire, delirare, vel insanire. Utrumque tractum est à moribus Accûs aniculæ, adeò ineptę, atque deliræ, ut & cum imagine suâ in speculo redditâ, tanquam cum alterâ muliere colloqueretur, & vestes nondum pertextas à telâ detrahere soleret atque induere. Hinc manavit Proverbium ἐπὶ τοῖς ὅπλοις Ἀκκίζεται: in eum qui sibi placet, seseque quasi in armis contemplatur. Illud etiam in moribus peculiare habuit prędicta mulier, ut recusaret quod maximè cupiebat. Unde ab ejus quoque nomine *Accismum* dictum volunt, fictam sc. dissimulationem. Cicero 2. ad Atticum. *Hoc opinor, certi sumus, perisse omnia; quid enim ἀκκιζόμεθα tam diu?* hoc est; *quid dissimulamus.* De hoc adagio vide Lucianum, & Olympiodorum. Terriculamenti cujusdam nomen est Plutarcho, cujus metu matres solent puellos in officio continere, & à peccando deterrere.

Acco, rector exercitûs Senonum, in expeditione contra Gallos. Cæsar *Com. lib.* 6.

Accua, Italiæ opidum. Livius.

Accursius, Florentinus nobilis Jurisperitus, primus totum Jus Glossis illustravit. Gesner. *in Biblioth.* Vir magni ingenii & singularis industriæ dicitur Boxhornio; Monum. Illust. Vir. & Elog. Professus est Bononiæ, Anno Dom. 1230. ubi etiam sepultus est. Tanta est Accursii authoritas, ut ex ejus sententiâ causa judicanda sit, quoties insignis aliquis interpres ei adhæret. Dr. Duck de authorit. Jur. Civ. Rom. lib. 1. cap. 8.

Accusiorum Colonia, Ptolemæo urbs Delphinatûs in Gall. hodiè Gratianopolis, vulgò *Grenoble* V. *ibi*.

Ace, opidum Phœnicię. Steph. aliàs Ptolemais. In Sacris *Accho*, Jud. 1. 31.

Acedosa, vicus Judææ. Joseph. *de bello Jud.* 1. 1.

Acedum, *Ceneda*, urbs Marchiæ Tarvisinæ, Venetis subdita.

Acela, urbs Lycię, ita dicta ab Acelo, Herculis & Malidis, Omphales famulæ, filio. Steph.

Acelum, Venetæ regionis opidum, vulgò nunc *Azolo* & *Asolo* dictum. Paulo Diacono *Acilium* est, Rerum Langobardicarum *lib.* 3. *cap.* 26. Apud Ptol. in plerisque exemplaribus est Ἄκεδον, in uno Vaticano reperit Cluverius Ἄκελον. Vide Plin 3. 18. Hinc fuit *Acelinus* Romanus, sęvitiâ famosus inter recentiores historicos. Leander dicit hodiè *Montelice* appellari. long. 33. 20. lat. 45. 16.

Acema, mons in Alpibus, à quo profluit amnis Varus. Plin. 3. 5. aliis *Cema*.

Acemum, urbs Asiæ, in Ins. Sumatra V. *Achemum*.

Acencris, Ægyptiorum rex. Regnavit annis 12.

Acenipo, Hispaniæ Beticæ op. Ptol. *Acinipo*.

Acephali, hæretici quidam sic dicti. Nullus eorum author invenitur. Hi cum Eutyche, duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, & unam in ejus personâ prædicant naturam. Circa an. 500. Niceph. 18. 45.

Acer, S. Marino, mons Æmiliæ, cum opp. in Italia. Est Resp. sui juris, habens sub se 12. pagos. A mari Adriat. 10. mill. & à S Leone 6. mill. distat. In limite Ducatus Urbini, versus Romandiolam prov. Ex montis hujus radice profluit fl. Ariminum, vulgò *Marecchia*.

Acerani, Vid. *Acerræ*.

Aceratus, apud Herodotum *lib.* 8. est nomen vatis, qui solus, reliquis fugientibus, remansit Delphis, Xerxe copiis suis Delphos oppugnante.

Acerbus Morena, V. *Otto Morena*.

Acerina, Brutiorum Colonia, in Magnâ Græciâ, ab Alexandro Epirotico capta. Livius.

Acernum, *Acerne*, urbs parva Principatus ulterioris, 15. mill. à Salerno in Ortum, alia urbs Picentium episc. sub Archiep. Salernit. inde 20. mill. passuum, à monte Corvino, 7.

Aceronia, Agrippinæ ancilla, in navi futili, dum se Agrippinam esse, & ut subveniretur matri Principis, clamitat; navalibus telis confecta est Tacit.

Acerræ, antiquissima Campaniæ urbs, non longè à Neapoli, quam Clanius amnis præterfluit, cujus frequens inundatio ipsam penè exhausit Virg. 1. *Georg.*

—— *Vacuis Clanius non æquus Acerris.*

Sil. Ital *lib.* 8. *Clanio comtempta semper Acerra.*

Civitatem ejusdem nominis habet Plin. *in Umbriâ, lib.* 3. *cap.* 14. quam *Vafrias* cognominavit. Opidani in plerisque Plinii exemplaribus *lib.* 3. *cap.* 5 leguntur *Acerani*. Græci aspirant per χ, modo simplici, modo gemino ę. perscripto. Siquidem uni Appiano utroque modo scribitur. In Punicis Ἀχέῤαι. In primo Civilium Ἀχέῤῥαι. Steph. Ἀχέῤῥαι πόλις μεταξὺ τοῦ Πάδου, καὶ τῶν Ἄλπεων; parum Chronologicè, inquit Cluverius. Disertius paulò situm Acerrarum indicat Plut. in Marcello. οἱ Γαισάται, inquit, τοὺς Ἄλπεις ὑπερβαλόντες, καὶ τοὺς Ἰσόμβρους ἐπαγαγόντες, εὐθὺς ἐπ' Ἀκέῤῥας ὥρμησαν, πόλιν ὑπὲρ ποταμοῦ Πάδου ἀνωκισμένην. *Acera* etiam Polybio *lib.* 2. Insubrum urbs est, ut tradit Bern. Saccus; & *Acreano* hodie dici addit in agro Novariensi. Andreæ Alciato pagus est ad Padum, in agro Ticinensi, *L' Agerola* dictus, aliis *Acere*, sed Ἀχέῤαι legitur apud Polyb. non *Acera*. long. 38. 15. lat. 40. 58. Vid. *Acheræ*.

Acerris, opp. Lacetanorum, in Hisp. hodie *Gerry* in Catalonia prov. ad Nogueram fluv. versus montes Pyrenæos, teste Brietio.

Acerronius, prænom. Cn. Proculi Cos. cum collegâ C. Pontio Nigrino, An. U C. 789

Acersecomes, Apollinis epitheton. Sed Juvenalis eâ voce utitur pro catamito, sive puero usurario.

Sat. 8. *Si nemo tribunal Vendit Acersecomes.*

Conflatum ex α priv. & κείρω, sive Dorico ejus futuro κέρσω, ut κυρίως notet *intonsum*: unde Horat.

Intonsosq; agitaret Apollinis aura capillos.

Et alibi, *Intonsum pueri dicite Cynthium* Macr. *Sat.* 1. 17.

Acervetis, op. Thraciæ, postea *Calatis*, dictum. Plin. 4. 11.

Aces, flu. in Asiâ, Parthorum regionem irrigans, de quo Herod. *lib.* 3.

Acesa, civitas Macedoniæ, cives *Acesai* Steph.

Acesamena, civitas Macedoniæ, ab *Acesameno*, qui in Pieriâ regnavit. Steph.

Acesander, Cyrenaicę hist. conditor, cujus primum librum citat Apollonii interpres, in lib. 4. Argon. Quædam etiam de Batto Cyrenarum conditore ex hoc Acesandri opere refert, Pindari Scholiastes in init. od. 4. Pyth. & aliquantò post, ejusdem verba adducit de Eurypyli genere. Vossius.

Aceseus, Patareus acupictor nobilis fuit, qui primus unà cum Helicone Charistio, peplum Palladis, quæ Athenis in aræ colebatur, pinxit. Unde etiam nobilia opera & insigni arte confecta, vulgato Proverbio *Acesei & Heliconis opera dicebantur*. Eras. *in Adag.*

Acesia, pars Lemni insulæ, à Philoctete sic dicta, qui hic curatus est Philostratus.

Acesias, imperitus medicus, qui dum cuidam podagrico mederi vellet, morbum & dolorem auxit, unde proverb *Acesias medicatus est.* Erasm.

Acesine, Thucydidis, *Asines* Plinii, *Onobalæ* Appiani, Siciliæ fluminis nomina sunt Fazello qui dicit illud hodie vulgò *Cantara* nuncupari, Saracenicè *Alcantara*. Vibius habet *Asinius*. Est & *Acesine* fluvius Persameniorum, qui se in Euphratem exonerat. Procop. 1. *Persic.* V. *Arcesines*.

Acesines, fluvius, idem qui Tanais. Steph.

Acesinus, flu. Persiæ, qui in Indum flu. cadit, magnus & navigabilis: circa quem ferunt arundines tantæ magnitudinis nasci, ut singula internodia incolis præstent vicem navigii Plin. 4. 12. Idem 37. 13. *Gemmiferi amnes Acesinus, & Ganges.*

Acesius, Aliis *Aceseus*, natione Patarensis, nobilis artifex, qui primus unà cum Helicone Carystio, peplum Palladis Poliadis contexuisse fertur: unde Proverb. *Acesii & Heliconis opera*: de iis quæ singulari artificio confecta videntur. Erasm.

Acesius, epitheton Apollinis, apud Macrob.

Acesius, Novatianorum Episcopus, sub Constantino Imp. Suid. Socr. *l.* 1. *cap.* 7. Niceph. *l.* 8. *c.* 20. Sozom. *l.* 1. *cap.* 21. Baron. A. C. 325.

Acesodorus, Megalopolita, de urbibus scripsit, teste Stephano in Μεγάλη πόλις. Nisi fortè *Acestodorus* legendum fuerit, de quo infra.

Acessæus, nomen cujusdam nautæ, qui propter ignaviam ita prorogare solebat navigationem, ut se diceret lunam magis opportunam expectare. Unde proverb. *Acessæi luna*, in comperendinatores. Erasm.

Acesta, urbs Siciliæ, ab Aceste rege sic nominata, quæ postea *Segesta* dicta est. In hâc partem suorum Æneas reliquit, cùm peteret Italiam. Virg. *lib.* 5.

Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.

Meminit Steph. pop. Ἀκεσταῖοι, Plinio *Acestai*. 3. 8.

Acestadorus, V. *Acestodorus*.

Acestai, populi, Plin. 3. 8. 21.

Aceste, Siciliæ urbs. Steph. Item, Nutrix filiarum Adrasti. Stat. *Thebaidos l.* 1.

Acestes, filius Crinisi, fluminis Siciliæ, ex Egestâ Trojana muliere. Virg. *lib.* 5.

—— *Occurrit Acestes*

Horridus in jaculis, & pelle Lybystidis ursæ;

Troia Crinisô conceptum flumine mater

Quem genuit, veterum non immemor ille parentum.

Hic, jam senex, primo Anchisem & Æneam Italiam petentes hospitio suscepit, & mortuum Anchisem unà cum Æneâ in Eryce

Eryce monte Siciliæ ſepelivit. Demum iterum à Carthagine deſcendentem Æneam, quò illum venti impulerant, ſuſcepit, ubi Æneas conditâ invalidis ſociis civitate, Aceſtam eam vocavit. Servius *in illud Æn.*

Trojanoq; à ſanguine Clarus Aceſtes,

Rem fusè explicat his verbis. Cùm Laomedon promiſſam murorum mercedem, Neptuno, & Apollini denegaſſet; Neptunus iratus, Trojæ immiſit cetos, qui eam vaſtarent. Unde Apollo conſultus, cùm & ipſe iraſceretur, contraria reſpondit, dicens objiciendas nobiles puellas belluis. Quod cùm fieret, timens Hippotes quidam nobilis filiæ Segeſtæ, cùm Laomedontis regis Heſiona jam, ortâ ſeditione, eſſet religata, impoſitam eam navi, miſit quò ſors tuliſſet. Hæc ad Siciliam delata, à Criniſo fluvio, in urſum vel canem converſo compreſſa, edidit Aceſtem, qui ex matris nomine civitatem Trojanis condidit, quæ hodiè *Segeſta* nominatur. Virg. *lib.* 5.

Famaq; finitimos, & clari nomen Aceſtis
Excierant. —— ——

Idem *ibidem. Eſt tibi Dardanius divinæ ſtirpis Aceſtes.*
Et *eopſe libro. Hic gravis Entellum dictis caſtigat Aceſtes.*
Ubi Servius, *Gravis ætate, vel moribus*, Ideoque inter ſenes numeratus ab eodem:

Cætera Trinacriis pubes ſenioris Aceſtæ
Fertur equis. —— —— ——

Meminit ejuſdem Ovid. *Met.* 14.

Ad ſedes Erycis, fidumq; relatus Aceſten,
Sacrificat. ——

Et Silius *lib.* 14. *Miſcuerant Phrygiam prolem Trojanus Aceſtes,*
Trojanuſq; Helymus. —— ——

Aceſtes, fluv. Indiæ navigabilis, juxta quem Alex. M. Bucephala urbem condidit.

Aceſtides, fornaces ferreæ, prægrandeſque, in quibus fit Cadmia. Dioſcorides *lib.* 3.

Aceſtium, nomen mulieris, de quâ Pauſanias in Atticis: Aceſtium, inquit, Xenoclis, qui ex Sophocle Leontis filio prognatus eſt, filia fuit. Huic ad Leontem uſque atavum, omnes gentiles, Cereris miniſtros, quaſſantes facem, dum viveret, videre contigit. Nam primùm, in eo vidit Sophoclem fratrem, dein Themiſtoclem conjugem, eoque mortuo Theophraſtum filium. Hæc illius fortuna commemoratur.

Aceſtodorus, hiſtoricus, citatur à Plut. *in Themiſt.* ubi ex eo refert, Xerxen, ante pugnam Salaminiam, claſſem & aciem ſpeculatum fuiſſe, in Megaridis confinio, *ſuper colles quos Cerata* appellant. Meminit & Etymologus in Δωδωναῖος.

Aceſtor, de Cyrenarum urbe opus conſcripſit. Citatur ab Apollonii ſcholiaſte, *Argonaut.* 2.

Aceſtor, vel *Aceſtorus*, Tragicus Poëta, ſed peregrinus & barbarus exiſtimatus, proptereaque dictus *Saces*. Nam Saces Thraces ſunt. Theopompus eum & Myſam & Sacam vocat, in Tiſameno. V. Gr. Scholia in Ariſtoph. Crabrones, & Aves.

Aceſtorides, quatuor vulgavit libros *de quâq; urbe fabularum*, quibus multa quidem vera retulit, ſed multa etiam fabuloſa adſperſit, & propterea, ut calumniam effugeret, μυθικὰ ipſe inſcripſit: ſimul ut titulo jucunditatem operis indicaret. Auctor Photius Tmemate 198. Proſâ ſcripſiſſe, interque alia, quædam de monſtroſâ hominum quorundam formâ in Indiâ, teſtis eſt Tzetzes *Chil.* 7. *hiſt.* 144.

Aceſtorides, Archon apud Athenienſes An. Mundi 3460. Fuit etiam *Aceſtorides* Corinthius, Syracuſarum Imperator: de quo Diod. Sic *lib.* 19.

Aceſtos, V. *Aceſtium.*

Acetes, Solis & Perſeidis fil. apud Colchos regnavit. Phryxum, Athamantis fil. fugientem hoſpitio excepit, eique Chaliopen filiam nuptui dedit, Apollod *l.* 1 *Biblioth.*

Acetes, Evandri armiger. Virg. *lib.* 11.

Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis Acetes
Servabat ſenior, qui Parrhaſio Evandro
Armiger ante fuit. —— ——

Aceum, opidum Colchidis in ripâ Phaſidis.

Acha, urbs reg Hegoviæ in Suevia, Munſter.

Acha & *Achza*, fluv. Germ. in Bavariæ Duc. per lacum Chimum labitur, & poſtea in Oenum fluv. ſe exonerat.

Achab, Iſraelitarum rex ſeptimus. Regnavit annis 22. Impietate omnes anteceſſores ſuos ſuperavit, Jezabel filiam Ethbaal duxit uxorem, in bello adverſus Benhadad occiſus eſt, an. mundi 3027. Vid. 3. Reg. 16. & ſeqq. 2. Par. 18. Item alius ejuſdem nominis Pſeudo-propheta, tempore regis Zedechiæ Jer. 29.

Achabron, V. *Petra Achabron.*

Achabytos, mons eſt Rhodi excelſus, in cujus cacumine Jovis extabat templum. Diod. Sic.

Achacib, Palæſtinæ locus, Jud. 1

Achacica, & *Achiacica*, opp. Americæ in Nova Hiſp. & Mexicanæ prov. ubi argenti fodinæ. 18. leucis diſtat ab urbe Angelorum, in Boream.

Achad, civitas in quâ regnavit Nimrod. Gen. 10. quæ nunc dicitur *Niſibis*. Vide *Acabene*, & *Antiochia*, & *Achar*. Addit Ferrarius, *locus Palæſtinæ trans Jordanem flu in quo Jacob patriarcha obiit.* Neſcio quid ſibi vult. Jacobum certè in Ægypto naturæ debitum perſolviſſe, ſacra pagina teſtatur. Suſpicor itaque, quòd locum lamentationis intelligit, ubi Joſeph inſtituit patri ſuo luctum 7. diebus, Gen. 50. 10. qui tamen non *Achad*, ſed *Arad* dicitur.

Achadia, *Auvagdoune*, urbs parva Hiberniæ in Connacia, & in Comit. Gallivenſi, epiſc. ſub Archiep. Tuamenſi, teſte Brietio.

Achæa, Sarmatiæ Aſiaticæ vicus ad Pont. Eux. Ptol. Incolæ *Achæi*. Orchomeniorum colonia; de quibus Ovidius *Ponticorum lib* 4. *Eleg.* 10.

Nec potes infeſtis conferre Charybdin Achæis.

Achæa, Ceres cognominata eſt, Suidâ teſte, ab eo luctu & anxietate i. e. ἄχους, quem habuit, dum Proſerpinam quæreret. Plut. *lib. de Iſ. & Os.* Bœotii, inquit, Achææ Cereris ædes movent, eamque feſtivitatem ἐπαχθῆ nominant, à queſtu videlicet, & gemitu deæ ob filiæ Proſerpinæ raptum.

Achæa, Pallas dicta, cujus templum, referente Ariſtotele *Lib de mirab.* in Italiâ, apud Daunios Apuliæ populos fuit. In quo antiquitus fuiſſe tradit cùm alia, tum ſecures & enſes, cæteraque Diomedis, ejuſque ſociorum arma Hujus templi cuſtodes canes fuiſſe perhibentur, qui Græcis adeuntibus blandirentur, cæteris mortalibus agreſtes & feri.

Achææ petræ, rupes abſciſſæ ejus montis, ex quo Jordanus effluit, ſuper quibus Samos civitas condita eſt. Strabo, *l.* 8.

Achæi, Theſſaliæ populi, Stephano in Φθίᾳ. Item gens, circa Pontum Euxinum, in Sarmatia Aſiatica, teſtibus Ptolomæo, Plutarcho, Ovidio, Plinio, & Dionyſio. Achæos etiam in Ponto habet, Strabo. 9. Orchomeniorum colonos. Teſtis eſt Plutarchus in Arato, *Achæos*, ductu Arati Sicyonii, expugnatâ Acrocorintho, arce munitiſſimâ, & profligato Antigono, præſidium impoſuiſſe 400 armatorum, 50 canum, totidemque venatorum, qui in arce alebantur. Idem refert in Philopœmene, Meſſenios captivos ab Achæis lapidibus obrutos & immolatos fuiſſe ad tumulum Philopœmenis. A Q. Cæcilio victi, anno 39 8. Vide *Cilicia*,

Achæia, collis in Caryſto. Steph.

Achæium, locus Troadis, Tenedo oppoſitus. Strabo.

Achæmanes, Africæ propriæ gens. Ptol Vide Boch. *Geogr. ſacr.* 4. 30

Achæmea, urbs, in qua ſpecies magnorum cervorum. Etym.

Achæmenes, rex Perſarum. Hor *Carm* 2 *od* 12.

Num tu quæ tenuit dives Achæmenes,
Permutare velis crine Lycinniæ.

Amm. Marcellinus *lib.* 19. reddit, *rex regibus imperans*. De Sapore verba faciens. Perſis Saporem, & Achæmenem appellantibus, & Artaxerxem, quod *rex regibus imperans*, & *bellorum victor*, interpretatur. Hinc Perſæ *Achæmenidæ* dicti.

Achæmenia, pars Perſidis ab *Achæmene* Ægei filio ſic dicta, teſte Stephano. Unde *Achæmenius* Horat. *Epod.* 13.

Nunc & Achæmeniâ Perfundi nardo juvat.

Et *Carm.* 3. *Od.* 1 *Nec Falerna vitis, Achæmeniumq; coſtum.*
Lucanus *lib.* 8. *Paſſus Achæmenis longè decurrere campis.*
Idem *lib.* 2. —— *Achæmenis decurrunt Medica Suſis,*
Agmina. —— —— Stat. 5. Sylv. 3.
Alter Achæmenium ſecludit Zeugmate Perſen.
Auſon. *in Epigr. Laudet Achæmenias Orientis gloria telas.*

Achæmenides, unus ex ſociis Ulyſſis, Æn 3.

Sum patria ex Ithacâ, comes infelicis Ulyſſis,
Nomine Achæmenides. ——

Qui fugientibus Græcis cæteris cum Ulyſſe, apud Cyclopas derelictus eſt, poſtea tamen Æneæ ad eundem locum naviganti comes factus, Cyclopum manus effugit. Nannius *lib.* 7. *Miſcellan.* legendum contendit *Agamenides*, quaſi ſic dictus eſſet ab eventu, quòd nimirum diu manſerit in ſpeluncâ Polyphemi. Ad quod Maro ipſe videatur alludere, loco prędicto.

Hic me dum trepidi ad crudelia limina linquunt
Immemores ſocii, vaſto Cyclopis in antro
Deſeruere. —— —— ——

Cùm pręſertim nullum proprium nomen temerè vel à Virg. vel Hom. uſurpetur.

Achæorum littus, in Cypro eſt, apud Ptol. A Græcis appellatum fuiſſe Adriage, nunc verò pagum eſſe, & *Accathon* vocari ſcribit Luſignanus. *Achæorum caſtra*, Strab *lib.* 13 *Achæorum portus*, Plin. 4. 12. *Porto bon*, teſte Nigro: in Troade eſt, ad Sigæum Promontorium. Item, in Æolide, circa Myrinam, Straboni. In Peloponneſo, Pauſ. Tauroſcytharum portus eſt ad Pont. Eux. Plinio. aliis *Pulcher portus*.

Achæum, Civ. ulteriorem Tenedorum regionem attingens. Strab. *l.* 13.

Achæus, Eretrius poeta tragicus, paulo junior Sophocle. Flor. *Olymp.* 82 Pythodori, & Pythoridis filius, qui cùm 43. vel ſec. alios, 30. vel. 24. fecerit fabulas, ſemel duntaxat vicit. Inter alias, ejus eſt Κύκνος, nam ſic apud Athen pro Κύκλος ſcribi debere, obſervatum Turnebo & Caſaubono. Ejuſdem Μοῖραι, Athenæo *lib.* 7. Fuit & alter *Achæus*, Syracuſanus junior, qui & ipſe Tragœdias decem ſcriptitavit, Suidas. V. & Diog. Laërt. qui *Achæi* cujuſdam mentionem

nem facit, in vita Menedemi. *Achai* quoque historici meminit Pindari schol. in od. 7. Olymp. Videndum autem, an idem sit Ἀχαιὸς, quem cum Pherecyde jungit Arati Schol. quo loco de Hyadibus tractat, atque *Achæum* 4. Hyades statuisse ait. At alius puto Ἀχαιὸς, cujus historicum opus celebrat Nicandri Schol. *in Theriaca*. Nisi magis placet, alterutro loco esse librarii vitio peccatum.

Achæus, puer quidam, qui Hipparinum, Syracusiorum tyrannum, à militia revertentem, ac bene potum, de stupro se sollicitantem, alium quendam esse existimans, in tenebris interfecit. Parthenius *in Amatoriis*.

Achæus, Rex Lydiæ, cùm nova tributa à populo vellet extorquere, in factione populari suspensus est, pedibus sursum versum erectis, & capite in aquas Pactoli demisso. Ovidius, *in Ibin*.

More vel intereas capti suspensus Achai,
Qui miser auriferâ teste pependit aqua.

Achæus, Zuthi fil. homicidio per imprudentiam perpetrato, in Laconicam profugit, & effecit, ut qui ibi habitabant, Achæi dicerentur. Strabo. *lib.* 8.

Achæus Callicon cognomine, Vir singularis stultitiæ, fictile vas pulvinaris loco capiti supponebat: verùm quia duritie ejus offendebatur, paleis implevit, ut molliùs cubaret. Eust. *Od.* X.

Achæus, Dux seu Prætor Seleuci, Antiochi filii, quem ultus, regnum invasit, ab Antiocho occisus. Polyæn *l.* 4.

Achæus, fluvius qui se in Pont. Eux. exonerat. Arrian. *in Periplo*.

Achaia, triplici notione sumitur. *Primò*, est Græciæ regio, quam Ptol. *Helladem*. Plin. Junior *Græciam* vocat. Terminatur à septent. Thessaliâ juxta amnem Sperchium, sinum Maliacum, & Oetam montem. Ab occasu Acheloo amne, ultra quem mox Epiri tractus incipit. Ab oriente nonnihil in Septent. reflectitur & Ægæo ac Myrtoo mari pulsatur, usque ad Sunium promontorium. A meridie, illi Peloponnesus objicitur, & Isthmo quinque m. pass. lato, cum Pelopon. conjungitur. hodiè *Livadia* vocatur in recentibus tabulis. *Achaiam* autem dictam volunt, vel ἀπὸ τῦ ἄχυς, à dolore, propter crebram aquarum inundationem, vel ab Achæo rege, ut placet Etymologo. *Secundò*, Achaia est Peloponnesi regiuncula, quæ à Ptolemæo *Propria* cognominatur, ad differentiam alterius illius Achaiæ, quam Ἑλλάδα vocari diximus. In fluv. ejus Slemno lotos amorum pristinorum oblivisci, tradit Pausan. *l.* 7. Vocatur & aliis nominibus *Jonia, Jas*, & *Olenus* Diod. Siculo. *Ægialos* Pausan. & Plinio, idque vel ab Ægialo rege, vel propter urbes in littore dispositas, unde incolas Pelasgos *Ægialeis*, *i. e.* littorales appellatos scribit Herod. in Polyh. qui Danaam dictam quoque tradit, unde Græci *Achai*, *Achivi*, & *Danai* dicti: *Romania alta* nunc appellari scribit Jac. Castaldus. Describitur à Plinio. 4. 5. & Pauf. *in Achaicis*. Hodie sub Turcico jugo, perpetuis bellis exinanita. *Tertiò*, *Achaia* aliquando usurpatur pro totâ Peloponneso, nunc vulgò *Morea*. Hinc Apuleius *Met.* 6. Lacedæmoniam in Achaiâ collocat Hujus præcipuas urbes eleganti carmine complectitur Ovid. *Met.* 6.

Finitimi proceres coeunt, urbésq; propinquæ
Oravere suos ire ad solatia reges,
Argosq; & Sparte, Pelopeïdesq; Mycenæ,
Et nondum torvæ Calydon invisa Dianæ,
Orchomenosq; ferax, Patræq; humilesq; Cleonæ,
Et Nelea Pylos, nec adhuc Pittheïa Trœzen,
Quæq; urbes aliæ bimari clauduntur ab Isthmo.

Imò & sumitur *Achaia* pro omnibus regionibus, quæ se concilio Achaico adjunxerunt, & à Romanis in provinciam redactæ, commune hoc Achaiæ nomen sortitæ sunt, quæ libertate donata à Domit. Nerone, Plin. *l.* 4. 9. 6. mersa, Plin 1. 92. 1. &c. De Vino Achaico V. Plin. 14. 18. Fuit etiam *Achaia* Rhodi insulæ urbs, à Solis filiis condita. Diod. *lib.* 5. Cujus etiam meminit Athenæus. Item Messeniæ fons, prope Dorium urbem. Pausan. Item civitas Cretæ. Gesner.

Achajachala, munimentum fluminis circuitione vallatum, Ammian. Euphratis nempe & circa Mesopotamiam, exstimat Ortelius, *in Geogr. thes.*

Achajas, Silonius Vates, qui Jeroboamo Regnum Israëliticum prædixit, per novum pallium in 12. partes divisum, quarum decem illi obtulit. 3. Reg. 11. 12.

Achaicarus, Vates quidam apud Bosporanos. Strab. 16.

Achaicum bellum, Olymp. 158. an. 2. Urb. cond. 606. P. Corn. Scipione Africano Æmilio, & C. Drusio Coss.

Achaicum mare, Achajæ Græc. prov. adjacens, ubi Meridiem & Occidentem spectat.

Achaicus, civis Ecclesiæ Corinthiacæ, ad B. Paulum in Asiam delegatus, unde primam ad Corinthios Epistolam retulit. 1. Cor. 16.

Achais, is, & *Achaida*, æ. sicut Persis & Persida, Thebais & Thebaida, Ptolomais, Ptolomaida.

Achais, tractus Lydiæ, circa Mœoniæ fluvium. Steph. *in ditione μαιόνια*. Est etiam oppidum situm ad Orientem plagam maris Hircani, non procul ab Oxo amne, quod *Heraclea* dicebatur, donec ab Antiocho Seleuci filio instauratum, *Achais* cœpit appellari. Vid. Plin *l.* 6. *cap.* 16.

Achaius, Scotorum Rex, prudentiâ insignis. Repulit Hibernorum irruptionem & cum Carolo Magno fœdus iniit, misso, ut creditur, celebri illo Alcuino, ad reprimendas Anglorum Piratarum in Gallicum & Germanicum mare incursiones: cujus fœderis memoriæ causâ, rubenti Leoni, aureo flamine depicto, Scotis Principibus insigni, duplicem tractum (ut dicunt) contrapositis liliis consitum addidit Achaius. H. Boëthius *lib.* 10. Obiit An. 819. regni. 19. Leslæus *l.* 3. *histor. Scotica*.

Achaldæus, ap. Pausan. *l.* 4. Dux ab Aristomene interfectus.

Achale, Ins. circa Malacam Hisp. Sex. Avienus.

Achaly, Saracenorum rex, qui post Calipham, Mahumeto successit, anno Dom. 657.

Achamæ, Lybiæ interioris gens, Ptol.

Achamantys, Danai filia, quæ Echominum occidit. Hyginus.

Achami, Arabiæ Urbs, ubi Eupolemus tradit, Davidem naves præparasse, quæ in Urphen vel Ophir navigarent. Eus. 9. Præp. Ev.

Achamot, unum ex nominibus, quæ Diis suis vel Æonibus tribuit Valentinus hæreticus. Tertull. *l. contra Valentin.*

Achan, Israëlita, crimine anathematis convictus, ac damnatus, ab omni populo lapidibus obrutus fuit, & omnia quæ illius erant, igne consumpta fuerunt. Congregatus fuit super eum magnus lapidum acervus qui hodiè permanet; vocatumque est nomen illius loci, *Vallis Achor*. Josuæ 7. De quo Achane Prudentius *in Psychomachiâ*.

Viderat & Jericho propria interfunera, quantum
Posset nostra manus, quam victor condidit Achan
Cædibus insignis, murali & strage superbus,
Succubuit capto victis ex hostibus auro,
Dum vetitis insigne legens anathema favillis,
Mœsta ruinarum spolia insatiabilis hausit.

Achana, fluvius in Arabia Plin.

Achani, vel *Acharni*, pop juxta Scythiam. Steph.

Achar, Zebedæi filius. Item civitas quæ nunc *Nisibis* appellatur.

Achara, Civ. vicina Sardibus. Strab. *l.* 14.

Acharaca, vel *Characa*, pagus Nysæorum haud procul ab urbe, Plutonis, ac Junonis templo, ut & Charoino antro nobilis. Strabo *lib.* 12. & 14.

Achardæus, fluvius è Caucaso in Mæotim defluens, *Copu* Mercatori, *Zygna* Lazio.

Achardus, Episc. Abrincensis, in Normannia, an. 1162. Continuator Chronici Sigeberti.

Acharenses, Siciliæ pop. Cic. 3. *in Verr.* Circa Syracusas, Fazello, qui putat ibi hodie *Carrane* esse.

Acharitanum, opp. liberum in Africa propr. quâ spectat tractum Cyrenaicum, Plin. 5. 4.

Acharman, Urbs Arabiæ felicis, ubi Thamydeni pop. teste Brietio.

Acharna, op. Græciæ in Att. Reg. totius ejus tractus potentissima, pars tribus Oeneidis. Thucyd. *lib.* 2. Steph.

Acharni, V. *Achani*.

Acharnis, vir senatorius atque militaris, qui occurrens Mario, & non salutatus, à Marianis occiditur. Signum enim suis dederat Marius, ut omnes, à quibus salutatus non respondisset, resalutaretque, necarent. Plut. *in Mario*, de quo Lucanus, *lib.* 2.

——— *Spes una salutis*
Oscula polluta fixisse trementia dextra.

Acharræ, urbs Thessaliæ.

Achas, opp. contra Tripolim, in radicibus Libani. Isid.

Achas, V. *Achaz*.

Achasa, Scythiæ extra Imaum regio. Ptol.

Achaseluta, Civ. in tribu Isaschar. Hieron.

Achatagia, Regio Indiæ, inter Indum & Gangem fluv.

Achatara, Ptolemæo Sinarum urbs. Græcus Ptolemæi codex legit *Acadra*. Est & apud eundem *Acadra* in India extra Gangem.

Achates, Siciliæ fluv. Plinio. *Cantara* vocat Leander Albertus, apud quem lapis *Achates* generatur. De quo Sil. *lib.* 14.

Et pellucentem splendenti gurgite Achatem.

Vibius Sequester *de flum.* *Achates Siciliæ, ubi pari nomine lapillus generatur, unde gemmæ fiunt* Plin. 37. 10. *Achates in magnâ authoritate fuit, nunc in nullâ est, reperta primùm in Siciliâ juxta flumen ejusdem nominis.* Solinus *cap.* 11. *Achatem lapidem Sicilia primum dedit, in Achatis fluminis ripâ repertum, non vilem, cùm ibi tantùm reperiretur.* De memorabili Pyrrhi Achate, V Plin. *l.* 37. 1. & 10. *Achates* etiam fidus Æneæ comes fuit. *Æn.* 1. A solicitudine dictus, quæ Principum perpetuus comes.

Achates, fluv. Sic hodiè *Drillo*: in valle Neetina, in mare Africum cadit, 6 mil. pass. à Terra Nova in Eurum.

Achbalucmangi, opp. Asiæ in Cathaja regione, non longè à Cambalo in prov. *Tainfu*, juxta lacum. Significat, *Urbs alba*, sub M. Chamo.

Achatius,

Achatius, Palæstinensis Episcopus, Constantini Imperatoris temporibus.

Achaz, rex Judæ, successit Jothamo, anno 17. Pekah regis Israelitici, regnavit an. 16. Homo impius, hypocrita, inconstans, religionum rituumque externorum stultus imitator. Esajæ 7.

Achazib, urbs tribus Aser, Jud. 1. quæ etiam *Achzib*, Jos. 19. dicitur. Tribus quoque Judæ. Jos. 15.

Achedorus, flu. Macedoniæ, Apolloniam à Thessalonicâ dividens. Volaterranus.

Achedrus, Hippothoontidis tribus pars. Steph. Vid. *Acherdusius*.

Achelnotus, Cantuariensis, qui brachium S. Augustini Papiæ, uno talento auri, & centum argenti emptum, misit Venturiam Vincentius, *l.* 25. *c.* 25.

Achelorium, fluvium habet Polyænus *lib.* 8. circa Thessaliam.

Achelous, Acarnaniæ in Epiro flu. Straboni, ab Acheloo rege sic dictus. A Pindo oriens, & Ætoliam ab Acarnaniâ dividens in sinum Maliacum defluit. *Aspropotamo* Sophiano. *Catochi*, Nigro. *Geromlea*, Kyriaco Anconitano. *Thoas* olim incolis à celeritate dictus, teste Strabone. Item *Thestius* & *Axenus*, uti author est Plut. *lib. de flum.* hodiè *Pachicolamo*. Inde adjectivum *Acheloïus* pro *aqueus*. Virg. *Georg.* 1.

Poculaq; inventis Acheloia miscuit uvis.

Veteres enim aquam omnem *Acheloum* nuncupavere, quòd primus hic flu. post diluvium erupisse è terra fertur. Sive quòd *Achelous* in Græciâ omnium flu. celeberrimus fuit. Sive quòd *Achelous* quidam primus vini mixtionem cum aquâ in Græcia invenerit, docet hoc Eust. 2. *Iliad.* ait enim, omnem montem editum dici Idam, ὥσπερ καὶ πᾶν ὕδωρ Ἀχελῷος. Ephorus quoque *lib.* 2. *Hist.* Μάλιστα γὰρ τὸ ὕδωρ Ἀχελῷον προσαγορεύομεν ἐν τοῖς ὅρκοις, καὶ ἐν ταῖς εὐχαῖς, καὶ ἐν ταῖς θυσίαις. Unde Eurip. *in Androm.* aquam ad verrendam domum Ἀχελῴου δρόσον, h. e. *Acheloi rorem* vocat. Goropius *in Hermath. lib.* 6. ait *Acheloum* primâ omnium linguâ dictum *Ac-el-hot*, quæ tres voces signant *Aquarum excelsum principem*. Ἀργυροδίνης Hesiodo dicitur; h. e. argenteos vortices habens, ac proinde Dionysius *Vers.* 497.

Δίνῃς ἀργυρέῃς Ἀχελώϊος ἀμφὶς ἑλίσσει.

Achelous, filius Oceani & Terræ, seu Tethyos, ut habet Servius, vel, ut Theodontius, Solis, & Terræ. Hic cum Hercule duello certavit pro Deianira, Oenei Calydoniæ regis filia. Sed videns Herculem fortiorem, se vertit primò in Serpentem, deinde in Taurum, cui Hercules amputavit cornu, quod Copiæ, comiti Fortunæ datum est. Sed postea Achelous Amaltheæ cornu Herculi dedit, atque ita suum recepit. Tandem ab Hercule victus, se in sui nominis fluvium, gemino cornu insignitum occultavit. Ovid. *Met.* 9.

—— Vultus Achelous agrestes
Et lacerum cornu mediis caput abdit in undis.

Idem *Epist.* 9. *Cornua flens legit rapidis Achelous in undis,*
Truncaq; limosâ tempora mersit aquâ.

Et *Ep.* 15. *Ut ferus Alcides Acheloia cornua fregit,*
Dum petit amplexus Deianira tuos.

Propert. 2. 34.
Nam rursus licet Ætoli referas Acheloi,
Fluxerit ut magno fractus amore liquor.

Stat. 7. *Theb.* —— *Acheloon utroq;*
Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.

Certè *Achelous* Græciæ fluvius, duobus locis per fines Perrhæbiorum, in Maliacum sinum effunditur. Et hoc poetis solenne est, ut fluvios Tauris similes effingerent, (Horatius, *Sic Tauriformis volvitur Aufidus*) quoniam cum impetu erumpentes, tauris similem edunt gemitum, vel, ut Hellanicus sensit, quia terram sulcare tanquam boves videntur, vel, ut aliis placet, quia circa ripas fluminum tauri mugire ob uberiora pascua audiuntur. Factus esse draco fingitur, quia sinuoso cursu deferuntur flumina. Cùm idem assiduis aliquando imbribus non augeatur, ac placidus sit, humanam formam sumpsisse dictus est. Porro Hercules, ut ait Strabo. *lib.* 10. Oeneo affinitate conjunctus, & in omnes mortales beneficus, fluvium Acheloum temerè & cum impetu regionem infestantem, aggeribus & aquæductibus coërcuit, & extenuavit: eamque aquam in multos rivulos diductam, quæ prius regionem vastabat, utilissimam reddidit. Inde dictus est illi fluvio taurinum cornu defregisse, & pro illo rerum copiam, seu Amaltheæ cornu accepisse; fluvius igitur paulatim exiccatus, eo facto fabulæ locum dedit, quæ in honorem Herculis ficta est, & prudentiam ad infinita incommoda & pericula avertenda necessariam & perutilem esse demonstrat. Hinc *Acheloides* seu *Acheloiades* Sirenes dictæ, à Patre Acheloo. Ovid. *Met.* 14.

—— Acheloja, dumq; relinquit
Sirenum scopulos.

Achelus, nomen viri proprium Val Flac. *lib.* 3.
Ambrosium Peleus, ingentem Ancæus Achelum
Sternit. ubi alii *Ethelum*.

Achemes, Ægypti Præses. A. M. 3477.

Achemon, qui & *Achmon*, unus Cercopum, qui unà cum fratre Bassalo, nullo non injuriarum genere in obvium quemque debacchabatur. Hisce mater erat *Sennonis* nomine, mulier fatidica, quæ filios cavere jussit, ne quando in Melampygum inciderent. Evenit autem, ut Hercules aliquando sub arbore quadam dormiret, armis in eandem reclinatis. Accesserunt Cercopes fratres, & Herculem sub arbore dormientem ipsius armis aggredi tentarunt. At ille protinus insidias sentiens, correptos, ac vinctos de clavâ à tergo suspendit, leporum more, atque ad eum modum gestabat. Capitibus itaque pendentes deorsum demissis, posticum Herculis nigris pilis horridum, atque hispidum viderunt. Quapropter materni moniti memores, hâc de re inter se confabulabantur. Quod simul ac audivit Hercules, cognomine delectatus, & in risum solutus, vinculis eos liberatos dimisit. Erasmus in proverbio, *Ne in Melampygum incidas*. Meminerunt hujus fabulæ Suidas & Nazianzenus.

Achemum, urbs perampla & regni cognominis caput, in Ins. Sumatra, in India, cum portu, in ora Septentrionali Ins. Aliter *Acemum*. Distat 400. mil. pass. à Malacca in Circium, 210. ab ora proximiori Peninsulæ Indiæ extra Gangem in Occasum, & 40. ab urbe Pedir. Ejus Rex obtinet etiam regna *Pedir* & *Pacem* vicina V. Linschot. *cap.* 19. Spilberg. *c.* 14.

Achequi, Rex Iapponiæ, qui legitimo Principe *Nobiénangâ*, eò quòd pro Deo adorari vellet, occiso, ab uno Ducum ejus, qui filii occisi Regis partes tuebatur, prælio victus & à rusticis interemptus est. Mendoz. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 19.

Achera, vide *Acerra*.

Acherdus, pars tribûs Hippothoontidis. Steph. Unde *Acherdusius*, Dem.

Acherini, pop. Siciliæ. Cic. *Verrinâ quintâ*.

Acherius, quibusd. *Halerius*, orator tempore Augusti Cæsaris, cui tanta orationis celeritas fuit, ut & vitium fieret, & bracteata Cæsaris Augusti sententia ad id circumferretur, *Acherius noster sufflaminandus est*. Is cùm libertinum reum defenderet, quòd patroni concubinus fuisset, dixit, Impudicitia in ingenuo crimen est, in servo necessitas, in liberto officium. Rhod. 15. 11.

Acherna, maximus vicorum, in Attica, Thucydid. 2.

Achero, Hesych. Ἀχερὼ καὶ Ὦπις, καὶ Ἕλλη καὶ Γῆρυς, καὶ Γῆ καὶ Δημήτηρ ἡ αὐτή.

Acheron, filius Cereris absque patre, quem cùm in abdito Cretæ specu peperisset (is autem lucem aspicere, ob Titanas, Cereris genus extirpare conatos, non auderet) ad inferos deduxit; ibi autem fluvius amarissimus, qui primus excipit mortuorum animas, effectus est. Alii Titanis, & Terræ filium faciunt, & ob id à Jove ad inferos dejectum volunt, quòd sitientibus Titanibus aquas præbuisset. *Acheron* autem (i. e. *gaudio carens*) fluvius, fingitur excipere defunctorum animas: quia cùm morituri sunt homines, subtristis quidam torpor mentem animumque ita labefactat, ut propinqua mors esse facilè sentiatur. Tunc enim Conscientia, rerumque gestarum memoria animum perturbat, quæ palus est omnibus primùm trajicienda, ut fabulosè fingitur à poetis; neque enim potest in hâc præteritæ vitæ investigatione animus non magnopere commoveri. Cereris autem, sive Terræ filius hic flu. dicitur, quoniam universa animi molestia & perturbatio, aut ex acquirendarum, aut servandarum studio nascitur. Hic flu. potum Titanibus adversus Jovem pugnantibus præbuit, quoniam multæ iniquæ cogitationes adversus Dei mandata insurgunt, quas si animus diutius aluerit, à sanctâ dei lege desciscit, & in brutorum naturam delabitur. Præterea dicitur esse gustûs insuavissimi, quoniam vitæ nostræ ratio & recordatio, si diligenter perpendatur, multas habet insuavitates. Plura legat Mythologiæ studiosus apud Lil. Gyraldum, & Nat. Comitem. Lucano *adustus* dicitur, *lib.* 3.

Præparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor. ————

Statio *durus*, Silv. 2. 6. *Jam litora duri*
Sæva Pilete senis, durumq; Acheronta videbas.

Virgilio *avarus*, 2. *Georg. Strepitumq; Acherontis avari*
Subjecit pedibus. ————

Senecæ *mæstus*, in *Thyeste*;
Quod mæstus Acheron pavet.

Silio *tristis*, *lib.* 3. *Tristior his Acheron, sanie crassoq; veneno*
Æstuat. ————

Dicitur etiam *Acherons*, vel *Acheruns*. Unde apud Plautum *in Amphitryone*, —— *ulmorum Acheruns*: h. e. vorago, & dissipator virgarum. Ex ulmis autem virgæ fiebant; unde alibi verberonem servum appellat ulmitribam. Idem *Cap.* 5. 19.

Vidi ego multa sæpe picta, quæ sub Acheronte fierent
Cruciamenta; verum enim verò nullus adaquè est Acherons
Atq; ubi ego fui in lapidicinis.

Idem in *Bacchidibus*, 4. 21.
Regiones colere mavellem ego Acheronticas.

Acheron, etiam Epiri flu. juxta Pandosiam urbem, ex Acherusia, palude Thesprotiæ profluens, multisque fluviis auctus in sinum Ambraciam influens, hodiè *Velichi*, seu *Verlichi* Nigro, Ἀχέρων Ptolemæo, *Acheros* Livio. Straboni tamen per ω scribitur. Cui etiam *Acheron* flu. Elidis, regionis in Peloponneso. Est etiam flu. Brutiorum in Italiâ Straboni, *l.* 6. V. etiam *l.* 7. & 8. quem Niger *Bassento*, Leander autem *Santo* appellat. Barrius v. in suâ Calabriâ scribit, eum *Campaniano* hodiè dici; In hoc, Alexander Molossorum rex à Lucanis trucidatus est, Dodonæo deceptus oraculo, quo jubebatur Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem cavere. Est etiam flu. Riphæorum montium, Orpheo *in Argon.* Item Bithyniæ flu. qui juxta Heracleam in Pontum Euxinum exit. Qui postea *Sonautes* dictus est, auctore Apollonio, & Isacio *in Lycophr.* Habet hoc tractu Plin. quoque inter alia flumina *Sonautem*. Ab Ammiano, *Archadius* appellatur; unde Hercules canem infernalem eduxit, Theocriti Interpres. *Acheron* autem dicitur ab Ebræo אחרון *Acharon*, h. e. *ultimum*, *extimum*, sive quod longissimè abest. Hinc σκότος ἐξώτερον Matt. 22. 13.

Acheruntia, civitas parva Apuliæ, in monte sita, quam, ob hoc, *nidum* appellat Hor. *Carm.* 3. *Od* 4.

—— Mirum quod foret omnibus
Quicunque celsæ nidum Acheruntiæ
Saltusque Bantinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti.

Fuit etiam Magnæ Græciæ urbs mediterranea, hodie *Matera* Leandro; pop. *Acheruntini*.

Acheruntia, *Acerenza*, seu etiam *Cirenza* accolis, urbs est hodie in Basilicata, prov. Regni Neap. prope Bradanum fluv. ad radices Apennini, 10. milliaribus Venusiâ distat in Eurum, & 28. à Mateola in Occasum. Deficit indies, estque parva admodum, & ejus Archiepiscopatui unitus est Mateolanus seu Materanensis.

Acherræ, urbs inter Padum, & Alpes. Vide *Acerræ*.

Acherræ, seu *Acerræ*, hodie *Ghierra*, castrum Duc. Mediolanensis, in Laudensi agro, ad confluentes Serii, in Adduam fluv. 2. mil. à Piceleone, & 12. à Cremona in Occas. uti à Placentia in Boream, teste Brietio.

Acherres, rex Ægyptiorum, Successor, secundùm quosdam, cognominis Regis, quem S. Literæ *Pharaonem* vocant, cum quo Moysi res erat, regnavit annis 7.

Achersunda, Ins. Norvegiæ in ora littor. & meridion. estque parva & versus Fridericostadium.

Acherusia, *Lago della Colluccia*, palus inter Capuam, & Aversam, peraperta plana prope Cumas diffusa. Plin. Diod. Sic. *lib.* 2 de sepulcris Ægyptiorum, qui Heliopolim accolunt, tradit paludem esse *Acherusiam*, in quam immittantur cadavera in ulteriorem ripam deferenda: navim verò ipsam quâ trajiciuntur, Barim; h. e. onerariam, & nauclerum Gharontem linguâ illorum appellari. Inde nata de Charonte, qui animas transvehebat Stygem, fabella. V. egregia hanc in rem, apud Pet. de Valle, Itinerar. tom. 2. *Acherusia* etiam Chersonesus circa Heracleam Pont. sive Marginorum in Bithynia ad Pont. Eux. unde Herculem Cerberum ex inferis eduxisse credunt Xenophon, & Eust. ex Diodoro. Est item specus ibidem Apollonio, & Pomp. Melæ. Hujus meminit Ammianus quoque, & addit ab accolis Μυχοπόντιον vocari. *lib.* 22. *Acherusium* quoque ibidem. Apollon. & Plin. Cùm verò Sil. *lib.* 14. ait,

Serpit pascendo crescens Acherusia pestis.

Non de palude intelligendus est, uti sentit Ferrarius.

Achetus, *Acithius*, Ptolemæo, ut nonnullis videtur *Fiume di noto*, flu. Siciliæ, apud Netum urbem fluens. Acithius verò (de quo Ptol.) longè hinc in oram occiduam fluit. Sil. *lib* 14. *Et Netum & Micitæ, pubesque liquentis Acheti.* Populi, *Achetini* Tullio.

Acheus, Rex Tauri.

Achia, sive, *Achias*, fil. Achitob. 1. Reg. 14. fil. item Jerameel 1. Paral. 2.

Achiab, nepos Herodis M. qui eum inhibuit, ne se cultro, quod petierat ad pomum decorticandum, confoderet, Joseph. *l.* 17. *Antiq. c.* 9.

Achidana, Carmaniæ fluv. Ptol. *Achindana* Interpretibus.

Achila, sylva ad dextram deserti Ziph. 1. Sam. 13. *Sycella* apud Joseph.

Achilia, Ins. in ora Connactiæ Prov. in Hibernia, prope Comit. *Majo.* satis parva.

Achillaus, vel, *Aquileus*, Zenobiæ parens, in cujus gratiam Palmyreni præfectum, & milites præsidiarios Aureliani occiderant. Propter seditiones in Ægypto excitatas, feris expositus, & ab iis dilaniatus est. Vopiscus. Pomp. Lætus. *Achillaus* fil. Domicillæ, Eunuchus sub Domitiano, Tarracinæ decollatus est.

Achillas, initio lector scholæ Ecclesiæ Alexandrinæ. Euseb. *lib.* 7. *cap. ult.* dein Episcopus, ejusdem Ecclesiæ, Arium, qui Meletii hæresin amplexus, à Petro priore Episcopo ex Ecclesiâ pulsus erat, denuo recepit ut officio diaconi fungeretur. Mortuo post annum Episcopatûs Achillâ, cùm in petitione Episcopatûs Alexander Ario præferretur, Arius dolore repulsæ motus, hæresin Arianam sparsit. Trip. Hist. *lib.* 1. *cap.* 12. V. Baron. *A. C.* 8. 110-& 111.

Achillas, Ptolemæi exercitûs ductor, cui demandata fuit cura cædis Pompeii. Plut. *in Pomp.* Luc. *lib.* 8.

—— Sceleri delectus Achillas.

Achillas, nobile Galliarum opp. à Gothis multâ vi expugnatum, donec imminente Aëtio non impuniti abscesserunt, Diacono teste. *Archillas* habet Prosper Aq. Sed Arelati hanc historiam tribuit Chron. Wandal. ut Vignerius annotavit, ita ut *Arelas* pro *Achillas* restituendum videatur. Ortel. *in thes. Geogr.*

Achillas, vir quidam, qui cùm calvariam mortui saxo petiisset, resiliente in frontem lapide percussus est. Auson.

Achillea, aliàs *Achillis*, idos, *Achillis cursus*, peninsula est non procul ab ostio Borysthenis, ad formam gladii in transversum porrecta, ab exercitatione Achillis nomen habens. Dionysius *Perieg.* Τοὔνεκα δ' οἱ ναίοντες Ἀχιλλῆος δρόμον αὐτόν. Herodotus *lib.* 4. Ἀχιλλήιον δρόμον vocat. Mela *lib.* 2. *cap.* 1. *Achilles infestâ classe mare Ponticum ingressus, ibi ludicro certamine celebrasse victoriam, & cum ab armis quies erat, se, ac suos cursu exercitavisse memoratur. Ideo dicta est* δρόμος Ἀχιλλεῖος. *Fidonisi* hodiè, teste Nigro. Fuit etiam *Achillea*, insula Sarmat. Europ. ante ostia Borysthenis, quæ & Macarωn, & Leuce & Heros, ut quidam volunt, dicebatur. Dionysius.

Ἔστι δὲ τις καὶ σκαιὸν ὑπὲρ πόρον Εὐξείνοιο
Ἄντα Βορυσθένεος μεγαλώνυμος εἰν ἁλὶ νῆσος
Ἡρώων. Λευκὴν μιν ἐπωνυμίην καλέουσιν.
Οὕνεκα οἱ τὰ πέρ ἐστι κινώπετα, λευκὰ τέτυκται.
Κεῖθι δ' Ἀχιλλῆός τε, καὶ Ἡρώων φάτις ἄλλων
Ψυχὰς εἰλίσσεσθαι ἐρημαίας ἀνὰ βήσσας.

Ammianus *lib.* 22. *In hac Tauricâ insulâ, Leuce sine habitatoribus ullis Achilli dedicatur. In quam, si fuerint quidam fortè delati, visis antiquitatis vestigiis, temploque & donariis eidem heroi consecratis, vesperi repetunt naves. Ajunt enim non sine discrimine vitæ illic quenquam pernoctare.* Autor Peripli ponti Euxini, ab Isaaco Vossio editus, Ἀχιλλέως νῆσον, Ἀχιλλέως δρόμον, & Leucen insulam pro iisdem habet. Subdit ex Demetrio, Thetin filio suo hanc insulam concessisse, Achillemque in eâ habitasse, ac templum ibidem in honorem ejus extructum fuisse. Inde est quòd Q. Calaber *ad finem lib.* 3. *Paral.* Neptunum introducit, matrem Achillis consolantem in hunc modum.

—— Ἀλλ' αὖψα καὶ ἐς Διὸς ἵξεται αὐγάς,
Καί οἱ δῶρον ἔγωγε θεουδέα νῆσον ὀπάσσω
Εὔξεινον κατὰ πόντον, ὁ δὴ θεὸς ἔσσεται αἰεὶ
Σὸς παῖς, ἀμφὶ δὲ φῦλα περικτιόνων μέγα λαῶν
Κεῖνον κυδαίνοντα θυηπολίης ἐρατεινῆς
Ἑσπόμενοι τίσουσι. ——

Nullam hìc avem volare, Plin. *l.* 10. *c.* 19. habet & Strabo *l.* 13. Hodiè *Cacearia*, teste Nigro. Est etiam *Achillea* apud Ptol. Pauf. & Max. Tyr. insula, & urbs ad ostium Istri Boreal. gemina, nova & vetus, vulgo *Kilia*. Vide Steph.

Achillea, fons Mileti, cujus aqua salsissima scaturit, dulcescit autem defluxu. Hic lotus Achilles dicitur, cùm Strambelum filium Telamonis, Lesbiis auxilio venientem, superâsset. V. Freinshem. supplementis *in Curt. l.* 2. *c.* 7. Athen. *l.* 2. *c.* 2. Voss. de Histor. Gr. *l.* 1. *c.* 10.

Achillejenses, populi, circa Macedoniam aut Illyricum, Xenoph. l. 3. hist. Gr.

Achilles, Illyrii filius. Appianus.

Achilles, Pelei & Thetidis filius, quem adhuc infantem mater Stygiis undis immersit: quamobrem invulnerabilis toto corpore factus est, præterquam in eâ pedis parte, quâ comprehensus ab ipsâ fuerat dum ablueretur. Traditus est educandus Chironi Thessalo, sub quo bellicis artibus, ac Musices exercitio proficeret, unde postmodum iram ejus, quæ tot negotia Trojanis exhibuit, citharæ cantu mirabiliter sæpe permulsam, Athen. *l.* 14. post Theopompum, *l.* 46. annotavit, Stat. Achill. *lib* 1.

Quò rapis ingentem magni Chironis alumnum?

Juven. *Sat.* 7. —— *Metuens virgæ jam grandis Achilles*
Cantabat patriis in montibus Et cui non tunc
Eliceret risum Citharœdi cauda Magistri?

Quod autem dixit *metuens virgæ*, idem ante illum cecinit Ovid. 1. de Arte.

Qui toties socios, toties perterruit hostes,
Dicitur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro
Verberibus jussas præbuit ille manus.

Per *patrios* autem *montes*, Pelion intellexit Satyricus. Is enim mons Thessaliæ, & illic nutritus Thetidis filius. Ita enim mater ipsa apud Stat.

—— Quid enim cunabula parva
Pelion, & torvi commisimus antra magistri?

Hunc autem cùm mater ex oraculo didicisset in expeditione Trojanâ periturum, si eò cum cæteris ducibus proficisceretur, jam adul-

adultum inter Lycomedis regis filias furtim occuluit, & ne proderetur, muliebri habitu eum induit: ubi cum aliquandiu delituisset, Deidamiam regis filiam vitiavit, ex quâ Pyrrhum suscepit. Ovid. *Met.* 13.

Præscia venturi genetrix Nereia leti
Dissimulat cultu natum, & deceperat omnes,
In quibus Ajacem, sumptæ fallacia vestis.

Hor. *Carm.* 1. *Od.* 8. ---- *Quid latet? ut marinæ*
Filium dicunt Thetidis sub lacrymosa Trojæ
Funera: ne virilis
Cultus in cædem, & Lycias proriperet catervas.

Postremò tamen ab Ulysse astu comppertus, ad bellum ductus est. Troja enim absente Achille expugnari non potuit. Arma, quę nullâ humanâ vi penetrari possent, à Vulcano, Thetidis rogatu, illi fabricata sunt. Porro, in bello post multas res præclarissimè gestas, adeò ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseida indignatus est, ut aliquandiu bello abstinuerit, neque ullis precibus reduci potuerit. Verùm Patrocli amici conjunctissimi morte permotus, denuo ad bellum profectus, Hectorem interfecit, quem mortuum, & currui alligatum, ter circum urbis muros raptavit (& hęc omnia in Patrocli ultionem) ac demum Priamo corpus vendidit. Virgil. *Æn.* 1.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumq; auro corpus vendebat Achilles. Meminit

Propert. 2.8. *Fortem illum Æmoniis Hectora traxit equis.*
Ovid. *Amorum.* 2.1. *Raptus & Æmoniis flebilis Hector equis.*
Vetus Poëta, apud Tullium Tuscul. 1.

Vidi, videre quod me passa ægerrimè,
Hectorem curru quadrijugo raptarier.

De redemptione cadaveris Hectorei Tragœdiam scripsit Ennius, quam *Hectoris Lustra* sive *Lytra*, inscripsit, quæ sic dicta à luendo, i.e. solvendo pretio, cujus rei argumentum tractasse adolescentem Lucanum ex Statio apparet in Silvis.

Ac primum teneris adhuc in annis
Ludes Hectora Thessalosq; currus,
Et supplex Priami potentis aurum.

Magno pretio redemptum esse innuunt Homeri ἀπερείσια ἄποινα, hoc est, infinita redemptionis pretia. Cedrenus ait, portata à Priamo ad redimendum Hectorem χρυσόν τε, καὶ ἄργυρον, καὶ ἐσθῆτα πολυτελῆ, *aurum, argentum, pretiosam vestem.* Inde Hor. *lib.* 1. *Od.* 10. de hâc re loquens, *dives Priamus*, iniquè à Scaligero laceratus. Cassiodorus,

Priamus quanto pretio sepeliendum Hectorem redemit.

Diffidet tamen Plut. Nam *orat.* 2. *de Alex.* ὁ μὲν γὰρ (loquitur de Achille) χρημάτων ὀλίγων τὸν Ἕκτορος νεκρὸν ἀπελύτρωσεν. h. e. *hic autem parvo pretio cadaver Hectoris redemptum reddidit.* Occisus tandem à Paride, dum conjugium Polyxenæ speraret, ictâ telo eâ pedis parte, quæ Styge tincta non erat, & in Sigæo sepultus est. Plin. 4. 12. Tantæ fortitudinis fuisse fertur, ut (teste Gellio *l.* 2. *c.* 11.) insigni fortitudine duces *Achilles*, sicut L. Sicinius Dentatus, & Q. Cotius, apud Val. M. *l.* 3. *c.* 23. appellentur, & argentum vocetur *Achilleum*, quòd sit insuperabile. Mythologi *Achillem* imperatoris præstantissimi effigiem esse demonstrant, fortes autem viri voluptatum illecebris potiùs, quàm vi externâ sæpissimè obruuntur. *Achillem* scribit Euphorion videri nuncupatum, quòd non chilo, i. e. Cerealibus cibis primùm sit connutritus, verùm ex infantiâ, medullis animalium, Leonum inprimis, mox & carnibus venatu comparatis. Versus Euphorionis hi sunt, quemadmodum citantur ab Etymologo:

Ἐς Φθίην χιλοῖο καλῆς πάμπαν ἄπαστος:
Τοὔνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχιλλέα φημίξαντο.

Sunt qui, Eust. tradente, dici *Achillem* opinentur, quòd bello victis tristitiam immitteret. Alii quòd Ilienses mœrore confecerit. Non desunt, qui ab ἄχος *dolor*; & λύω, *solvo*, nuncupatum eum contendant, quia medicus fuit. Sed hæc trita forsan, & ridicula. Illud autem non perinde vulgatum, alios comminisci Thetidem interdiu filium ambrosiâ ungere solitam, & noctu sub igne occultare, quò quicquid in eo mortale foret, eximeret, donec, à Peleo deprehensa, irata se subduxit. Apollonius 4. *Argonaut.* *vers.* 869.

Ἡ μὲν γὰρ βροτέας αἰεὶ περὶ σάρκας ἔδαιεν
Νύκτα διὰ μέσσην φλογμῷ πυρός. ἤματα δ' αὖτε
Ἀμβροσίῃ χρίεσκε τέρεν δέμας, ὄφρα πέλοιτο
Ἀθάνατος, καὶ οἱ στυγερὸν χροῒ γῆρας ἀλάλκοι.
Αὐτὰρ ὅγ' ἐξ εὐνῆς ἀναπάλμενος εἰσενόησε
Παῖδα φίλον σπαίροντα διὰ φλογός. ἧκε δ' ἀϋτὴν
Σμερδαλέην ἐσιδὼν μέγα νήπιος, ἡ δ' ἀΐουσα
Τὸν μὲν ἄρ' ἁρπάγδην χαμάδις βάλε κεκληγῶτα.

Dictus hinc fuit *Pyrosous*, quasi ab igne servatus, & postea *Achilles*, ab exusto labro, quod, dum lingeret infans, ambrosiâ non fuisse perunctum fingitur. Agamestor *Thetidis Epithalamio*;

Παιδὸς δ' οὔνομα θῆκε Πυρίσοον, ἀλλ' Ἀχιλῆα
Πηλεὺς κίκλησκε χεῖλος εἵνεκά μιν
Κείμενον εἰνὶ κόνι σποδιῇ ἐπὶ πῦρ ἀπάμερσε
Χεῖλος αἰθομένου ἀσφάλτως ἐτέρου. Vide Tertull. *de*
Pallio l. 4. & *l. de Anima, c.* 46.

Achilles, quidam à B. Irenæo Valentiam in Hispaniam missus, ad Evangelii prædicationem; fumo suffocatus est.

Achilles Tatius, Alexandrinus, nisi *Tatii* potius, puta filius, aut libertus dici debeat, literis consignavit ἱστορίαν σύμμικτον, in qua multorum magni nominis virorum meminerat, teste Suidâ; qui addit præterea, sui memoriam reliquisse opere Etymologico, nec non libro de Sphærâ. Hujusce fragmentum superest, manuductio in Arati Phænomena, ex Bibliotheca Florentina, à P. Victore primùm edita, & à P. Petavio in Latinum versa. Meminit præterea Suidas Achillis ἐρωτικῶν: in quibus deponit Τὰ κατὰ Λευκίππην καὶ Κλειτοφῶντα. Valde hoc Amorum opus epigrammate suo laudat, sive Photius Patriarcha, sive potius Imperator Leo. Et sanè nihil Eustathii, & Prodromi Cyri Amores, ad illos Heliodori, vel Achillis Tatii. Cùm autem opus hoc conderet, fuisse gentilem, ea ostendunt, quæ de puerorum amoribus scribit, atque alia. Ab Hier. Commelino, ex Bibliotheca Palat. editum opus hoc, ab Annibale Cruccio Mediol. Latinè versum est. Tandem tamen fuisse Christianum, atque ad Episcopatum etiam pervenisse, ex Suidâ discimus. Vide Phot. Biblioth. *c.* 87. Voss. de hist. Gr. *l.* 3. & Mathem. *c.* 33.

Achilleis, opus est Statii Poëtæ, quo *Achillis* pueritiam descripsit, totam ejus vitam persecuturus, nisi immatura ejus mors tam insigne opus nobis invidisset.

Achilleum, opidum Troadis, juxta tumulum *Achillis*, à Mitylenеis conditum, ubi classis ejus steterat, propemodum interiisse scribit Solinus. Exiguum pagum facit ex eo Strabo. *Achillitidem* hujus agrum vocat Laërtius, in *Pittaco.* Plin. Est & castellum prope Smyrnam, & locus in Siciliâ, & vicus & portus Messenes. Steph. Portus est in Laconica, circa Tænarum Prom. Pausaniæ. Locus ante Tanagræam Bœotiæ Urbem, Plut. Nec non op. & Prom. Sarm. Asianæ ad Bosporum Cimmer. & fauces Mæotidis paludis. *Capo di Croce* Villanovano & Molet. Mileti fons est dulcissimæ aquæ, Athenæo, *l.* 2. Vide *Achillea.*

Achilleus & *Nereus*, à Petro baptizati, impium idolis cultum præstare recusantes, sub Domitiano, avulsis à cervice capitibus, SS. Martyrum chorum auxerunt. Vincent. 10. 15.

Achilleus, Vid. *Achillæus.*

Achillinus, miles Belisarii, Romæ ad portam Pincianam, solus impetus Gothorum repressit. Procop. Potius *Acilenus.*

Achillis lucus, Vid. *Hecatis.*

Achim, fil. Sadoc, Matth. 14. ex majoribus Christi.

Achimaas, pater Achinoam, uxoris regis Saul. 1. Reg. 14. filius item Sadoc Sacerdotis, 2. Reg. 15. fide in Davidem illustris.

Achiman, gigas ex posteris Anach. Num 13.

Achimelech, nomen Sacerdotis, de quo tristissimam historiam, vid. 1. Reg. 21. & 22. Item fil. Abiathar, 2. Reg. 8. qui 1. Chron. 18. *Abimelech* dicitur.

Achimenes, fil. Bacchimonis, filii Persei, qui Achimeniis populis nomen dedit, quibus imperavit, à quo Achimenia regio. Lege *Achæmenes* & sic in seqq.

Achimenes, Jobatis, vel Ariobatis regis Lyciæ filia, & uxor Bellerophontis, *Achæmene* legendum puto.

Achimenia, regio ab *Achimenide* denominata, lege *Achæmenia* & *Achæmenide.*

Achimoth, filius Elcana. 1 Chron. 6.

Achindana, Vid. *Achidana.*

Achinnas, Rex Æthiopum, vixit circa tempora Pharamundi, primi Regis Francorum. Regnavit 3. annos. Davity.

Achinoam, nomen uxoris regis Saul, 1. Reg. 14. Uxor item David, ex Jezreele. 1. Reg 25.

Achiocharus vel *Achiacharus*, Tobiæ ex fratre nepos. De quo multa Salian. *A. M.* 3326.

Achior, dux filiorum Ammon. Judith. 5. 6. & 14. Salian. *A. M.* 3346.

Achira, locus Episc. sub Patriarchatu Constantinop. Balsamoni.

Achiram, filius Benjamin. Num. 26.

Achiroe, Nili filia, ex Sithone marito, Martis filio, Thraciæ rege, filias duas concepit, Pallenæam, & Rhœteam, quarum illa Pallenæam urbem Thraciæ nomine suo vocavit, Hæc vero Rhœteam Troadis locum.

Achis, Gethæorum rex Palæstinus, qui Davidem exulem cum 600. comitibus suscepit, eique civitatem Siceleg inhabitandam dedit, quæ postmodum civitas Davidis appellata est: cum quinetiam in expeditione contra Judæos comitem habuit cum 200. sociis, ejus virtuti plurimùm confisus. 1. Sam. 21. 10. & 27. 2. 1. Reg. 21. Apud hunc Regem cùm delitesceret David, composuit, secundùm quosdam, Psalm. 56. & cùm liberatus esset, Ps. 34.

Achisamech, pater Ooliab, de tribu Dan, Exod. 31.

Achisaris, opidum, Plin. 6. 3. *Achisarmi* populi; ibidem *cap.* 30.

Achitæ, Vid. *Anchitæ.*

Achitob, pater Abimelech sacerdotis. 1. Reg. 22. Item pater Sadoc. 1. Reg. 8.

Achitophel, Gilonita, consiliarius regis David, apud quem tantâ æstimatione habitus fuit, ut quicquid diceret, de cœlo prolatum duceretur: tantâ verò perfidiâ, ut de comprehendendo Davide

Davide daret consilium: tantâ improbitate, ut Absoloni author esset, thorum paternum, luce clarâ coram populo, contaminandi. Cùm autem suum consilium utile repudiaretur, indignatione victus, & præ impotentia laqueo sibi fauces interclusit. 1. Sam. 15. 16. 17.

Achivi, Vide *Gracia*.

Achladaus, apud Pausan. *lib.* 4. dux est, quem Aristomenes interfecit.

Achmat, fil. major natu Bajazetis secundi, 9. Turcarum imperatoris, à Selymo fratre minore, imperium ambiente, strangulatur, patre & altero fratre necatis. Hist. Turc. Vid. *Achomates*, & *Acomates*.

Achmenii, Vid. *Achamenii*.

Achmet, 1. hujus nom. & 18. Imper. Turcarum, Patri Mahometi 3. successit, 15. an. ætatis. Fratrem unicum, in Monasterium detrusum, vivere permisit. Per Bassam Cigalam, in Persia, infeliciter rem gessit, amisso Taurisio & Ertzero. Transylvaniam verò, Valachiam & Moldaviam, per Botscayum, qui contra Imperatorem Germ. rebellaverat, recepit, & Betlemi Gabor contra Bathorium favit. Tandem in bello contra Persas, Polonos & Cosacos infelix, cùm majoribus viribus rem gesturus esset, obiit, an. 1617. imperii 14. ætatis 30. Continuatio Chalcondilæ, Inventar. Baudieri.

Achna, urbs Thessaliæ, & alia Bœotiæ. Steph.

Achne, insula apud Plin. *lib.* 5. *cap.* 13. Sic enim ait; *Rhodiorum insula Carpathus, qua mari nomen dedit*; *Casos*, *Achne olim*.

Acho, Norvegiorum rex, Arrainam & Boitam, quæ solæ ex Hebridibus Insulis adhuc Scotis parebant, fame Scotiam infestante sævissimâ, subegit: mox in Scotiam cum classe 150. navium transmisit, Air castellum expugnavit: Sed Alexander III. Scotorum rex acie victor, quinque suorum millibus amissis, viginti quatuor hostium millia delevit ad Largis oppidum, an. salutis 1263. Acho fugiens, cùm eadem nocte classem tempestas in ipso portu oppressisset, cum quatuor reliquis in Orcades reversus, cùm in sequens ver novam expeditionem adornaret, moritur. H. Boëthius *Lib.* 13.

Achoali, Arabię felicis pop. Plin.

Achobor, fil. Micha, consiliarius regis Josiæ. 4. Reg. 22. Item pater Baal-hanan, 7. regis in Edom. Gen. 36.

Achola, urbs Africæ, Ptol. fortè A. Hirtii *Acilla*; *Achella* Livio.

Acholius, historicus, floruit ætate tum Valeriani, filiique Gallieni, tum Claudii quoque ac Aureliani. Magister admissionum Valeriani fuit, & ejus acta libris aliquot scripsit, ut author est Flav. Vopiscus *in Aurel.* Idem contexuit Alex. Severi vitam, ut videre est apud Lampridium. Vid. Voss. *de Hist.* 2. 4.

Acholius, ep. Thessalonicensis, generosè se Gothis opposuit. Ambrof. *epist.* 39. Theodosium M. baptizavit, Socr. *l.* 5. *c.* 6. Interfuit Concilio Constantinop. an. 381. &c. Baron. An. C. 378. 381.

Acholius, Eunuchus quidam, præpositus sacri cubiculi, quem D. Germanus Ravennæ, maligni Spiritus vexatione liberavit. Sigon. *l.* 13. *Imp. Occid.*

Achella, urbs Libyæ non procul à Syrtibus, Colonia Melitæorum. Steph. *Cholla* Appiano.

Acholoë, una ex Harpyis. Hyg.

Achoma, & *Achomeni* pop. Arabiæ Fel. Steph.

Achomates, Bajazetis Turcarum Imp. fil. qui seipsum Asiæ regem designavit, tandemque à parte Turcarum electus est. P. Jovius.

Achon, Consiliarius; Suenoni Saxoni malè consuluit.

Achonrita, urbecula Hiberniæ, in Connachtia prov. Deficit indies. Est in Letrumensi Comitatu, prope lacum Alyne; & vix 6000. pass. à Letrumo in Boream. Episcopalis est sub Archiepiscopo Tuamensi.

Achor, vallis in tribu Judæ, Jos. 5. ad Septent. Jericho, haud procul à Gilgal, à tumultu & turbatione Israelitici populi appellationem habens, & non ab Achan sacrilego, qui illic lapidatus est propter anathematis furtum. Jos. 7.

Achoris, Ægypti locus, ubi Appelles Monachus. Soz. 6. 18. Call. 11. 34.

Achorus, Alii *Myades* vel *Myager*. Idolum quod invocare solebant Cyrænaici, ut muscas multitudine pestilentiam inferentes interimeret. Plin. Hunc autem non *Achoron*, sed *Acharon* vocat Nazianz. *orat.* 1. adv. Julian. Vid. & Pl. *l.* 10. *c.* 28.

Achorus, tertius Ægyptiorum rex, regnavit an. 12.

Achorus, quartus Ægypt. rex, regn. an. 9.

Achradina, pars Syracusarum, & insula in vicinia. Egregiam ejus descript. Cicero exhibet, *Verr.* 6. Vid. & Steph.

Achradus-untis, tribus Atticæ. Steph.

Achriana, urbs Hyrcaniæ. Steph.

Achridus, vide *Prima Justiniana*.

Achris, urbs in sublimi colle, proximè lacum maximum, unde Drinus fluvius versus Septentrionem effluit, deinde versus Occidentem deflectens, in Jonium mare se exonerat, ad Ilissum castellum. Cedrenus & Curopalates; Bulgariæ metropolis & regia erat. *Alchria* nunc vocari existimat ex Barletii *lib.* 11. & eandem cum *Lychnido* esse putat Ortelius *in thes. Geogr.* Vid *Tauresium*.

Achron, Palæst. locus, Jos. 19. Ἀκκαρὼν habent LXX.

Achrona, vid. *Ochrona*.

Achrua, Ptol. Civitas Arabiæ felicis.

Achsa, filia Caleb. 1. Chron. 2. quæ Jud. 1. *Axa* scribitur.

Achsaph, urbs in tribu Aser Jos. 11. quæ *cap.* 19. dicitur *Axaph*, Hieronymo *Chasalus* dicitur, in 8. lapide Diocæsareæ, ad radicem montis Thabor, in campestribus sita. Davity.

Achyrum, Urbs Pol ad Voorskloam fluv. in Volhinia inferiori & confinio Muscoviæ, cum arce in monte. Distat à Borysthene, 25. leucis Pol. in Boream. Guill. le Vasseur.

Achzib, Palæst. locus, Jos. 15. In tribu Aser, Hier. cui Dippa est, in nono miliario Ptolemaidis, pergentibus Tyrum. Alia ab *Achsab*, & eadem cum Eodippa. Vid. *Eidippa*.

Aciaponda, opp. Indiæ extra Gangem, in ora sinus Bengalæ & Regni Pegu, cum portu 80000. pass. ab Arachamo in merid.

Acibaliana, Africæ locus. In Coll. Carthag.

Acibi, pop. Sarmatiæ Eur. ad fontes Borysthenis Septentr.

Acichorius, dux in ea expeditione, quam Galli adversus Pæoniam susceperunt. Pausan.

Acidalia, Veneris epitheton, vel quia injicit curas, quas Græci (inquit Servius) ἀκίδας vocant, vel certè à fonte *Acidalio*, qui est in Orchomeno Bœotiæ civitate, in quo se Gratiæ lavant, quæ Veneri sunt sacratæ. Ipsius enim & Liberi filiæ sunt. Virg. *Æn.* 1.

At memor ille Matris Acidaliæ.

Acidalus, fons est in Campania, ægris oculis mederi consuetus.

Acidas, Peloponnesi flu. apud Pausan. cujus vetus nomen *Jardanus* fuisse scribit.

Acidios, Loci in Italia nomen, Antonino, inter Venusiam & Grumentum.

Acidira, vide *Dacides*.

Acidon, flu Triphyliæ in ora maritima. Strabo. *lib.* 8.

Acidulus, fontis nomen in agro Venafrano, sic dictus, ob aquas subacidas. Plin. 13. 2.

Acidusa, Vid. *Glaucia*.

Aciensis, Italiæ pop. Albensibus, & Albanis proximi. Plin. 2. 5.

Acila, prom. & urbs Arab. Fel. contra Diram urb. & prom. Æthiopiæ, sinu Arabico intercedente. *Ocila* Plinio. *Ocelis* Ptol. emporium Arab. ad sinum Arab. *Zidem*, teste Nigro. Sed Rhamnusio teste, *Capo Celi* potius dicitur, prom. ad sinûs Arabici fauces, olim Empor. Arabiæ, ex quo, teste Plinio, in Indiam navigabatur. Vid. *Ocelis*. Est & *Acila*, Afr. civitas, Hirt. *c.* 1.

Acilenus, Vid. *Achillinus*.

Acilia Augusta, *Azelburg*, op. olim Vindeliciæ, nunc pagus Bavariæ, apud Straubingam urb. à Ratispona 6. leuc. in ortum.

Acilia, gens plebeia Romæ fuit, à Trojanis oriunda, teste Herodiano. Hanc verò gentem abjectam fuisse & obscuram inde apparet, quòd postremo omnium eorum, quorum originem veteres ad Æneam referunt, honores adepta fuerit.

Acilia, mater Lucani.

Acilisena, regio Asiæ, inter Taurum & Euphratem. Strab.

Acilius, *Acelino* nunc, teste Fazello, flu. Siciliæ, denominatus ab *Aci*, juvene quodam Siculo, qui à Polyphemo interfectus, Galateæ nymphæ amasiæ suæ precibus in fontem sui nominis à Neptuno conversus fuit. Vid. *Acis*.

M. Acilius Aviola, Legatus Tiberii in Galliis, quarto ipsius, & secundo Drusi consulatu Gallos, rebus novis studentes compescuit. an. U. C. 773. Tacit. *lib.* 3. Hic Consularis ille quibusdam esse creditur, qui in rogo revixit. Val. Max. 1. 8. quod si verum sit, falsa sint necesse est quæ sequuntur in prioribus editionibus, scilicet: quique anno U. C. 806. cum Q. Asinio Marcellino consul fuit, quando Claudius Imp. obiit. Saltem alius hic à priori fuerit, quia Tiberio Cęsari hoc opus dedicavit Valerius.

Acilius Aviola, curator aquarum publicarum sub Vespasiano & Domitiano principibus, cui Frontinus in eo munere se successisse scribit.

Acilius Aviola, Cos. cum Cornelio Pansâ. A. U. 874. sub Adriano.

Acilius Aviola, Cos. cum Gordiano Imper. U. C. 991.

M. Acilius Balbus, Cos. cum T. Qu. Flaminio. U. C. 603.

M. Acilius Balbus, Cos. cum C. Portio Catone. U. C. 639. Hoc consulatum gerente, lacte & sanguine pluisse, auctor est Plin. 2. 56.

C. Acilius Butas, Prætorius, cùm patrimonium ingens consumpsisset, & paupertatem suam apud Tiberium fateretur, *Serius*, inquit, *ô Buta experrectus es*. Sen. *Ep.* 122. Meminit ibidem ut hominis lucifugæ, qui ad cereos & faces viveret. Locus est elegantissimus.

Manl. Acilius Faustinus, cum Cæsonio Macro Rufiniano Cos. U. C. 962. Sub Severo Imp.

C. Acilius Glabrio, Quæstor provincialis fuit. U. C. 551. item Trib. pleb. 556. Putat Vossius eundem esse, cujus Annales citat Plutarch. *in Romulo*. vide eum *de Hist. Gr. lib.* 1. *c.* 17.

M. Aci-

M. Acilius, C.F.L.N.Glabrio, Tribunus plebis cum Q. Minutio Thermo. U.C.553. Prætor an. 558. Inter cives & peregrinos jus dixit, & conjurationem servorum, quæ Etruriam propè infestam reddiderat, unà cum legione missus oppressit. Cos.562. cum P. Corn. Scip. Nasicâ, Antiochum regem ad Thermopylas vicit, quo nomine per triduum supplicatio decreta est, & ab ipso triumphus actus, & spectaculo, & famâ rerum magnificus. Idem X. Vir Sacrorum factus est an.554. Censuram cùm peteret, partim invidiâ nobilitatis, quòd homo novus esset, partim Catonis, (qui competitor erat) falso testimonio afflictus, à petitione destitit. Liv. *l.*17.

M. Acilius Glabrio M F. Duumuir, Ædem Pietatis in foro olitorio, quam pater, quo die cum Antiocho ad Thermopylas de pugnavit, voverat, dedicavit, statuamque auratam, omnium in Italia primam, patris Glabrionis posuit. U.C.573. De æde autem Pietatis in eo loco consecratâ, ubi quondam mulier habitarat, quæ patrem inclusum carceri mammis suis clam aluerat, ob quod factum illi impunitas concessa, disertius Val. Maxim. *lib.5.c.4.*

M. Acilius Glabrio, superioris, ut putatur, filius; *legem Aciliam* tulit de pecuniis repetundis severissimam, in qua ne compere ndinari quidem reum licebat. Ascon. Ped.

M. Acilius Glabrio, prioris filius, Prætor & Judex Cicerone Verrem accusante. Cos. inde post biennium, Ciliciam provinciam obtinuit.

M. Acilius Glabrio, superioris fil. avunculo Scauro repetundarum reo in judicio adfuit, sed & ipse bis à Cicerone in judicio capitis defensus fuit. Proconsul Siciliæ sub Cæsare, & legatus Cæsaris in bello civili, præfuit Orico, dum Cæsar Dyrrhachii Pompeium obsidet. Cæs. *Com.lib.3* Meminit ejus Tullius, *Ep.*13.7. Qui cum cum legionibus in Græciam missum scribit.

L. Acilius Glabrio, refertur à Porcio Catone in declamatione contra Catilinam, ut ejus sica in senatu deprehensa sit.

M. Acilius Glabrio, Cos. sub Domitiano U C. 843. Collega in eo honore Ulpii Trajani. Hujus filium Domitianus interemit, quòd cum feris pugnaret, revera autem propter invisum robur. Nam in Albano Leonem confecit. Juvenal. *Sat.*4.

Proximus ejusdem properabat Acilius ævi,
Cum juvene indigno quem mors tam sæva maneret,
Et Domini gladiis jam designata. ——

M. Acilius Glabrio, Cos. sub Adriano U.C.876. Ad hunc Consulem scripta Epistola Hadriani Imp. citatur Pandect. 48. *De accusationibus, & rescr. L.*22.

Anicius Acilius Glabrio, Cos. cum Theodosio Jun. Imp. Fuerunt & multi alii *Glabriones* sub Impp Pio, Commodo, Pertinace, Valeriano, Severo, Antonino, haud dubiè omnes gentis Aciliæ.

Acilius, prænomine *Manius*, legatus Cæsaris. *lib.* 3. de bello Civ. Nam *Manii* prænomine tantùm Acilia familia usa est.

Acilius Rufus, vir Consularis sub Trajano.

Acilius Severus, Cos. & præf. urbis sub Constantino M. U. C. 1075.

Acilius Sthenelus, de quo Plin. 14. 4. *Summam ergo adeptus est gloriam Acilius Sthenelus è plebe libertinâ, 60 jugerum non amplius vineis excultis in agro Nomentano, atque 400. nummûm venundatis.*

Acilius Strabo, reus actus à Cyrenensibus, quòd à Claudio disceptator agrorum missus, quos Rex Apion Pop Romano cum regno reliquerat, potestate prætoriâ usus fuerit. Tacit. 14.18.

Aciminicum, Vid. *Acumincum.*

Acina, Arabiæ opidum. Plin.

Acinaca, Bactrianæ pop. Ptol.6. *cap.*11.

Acinacis, nomen gladii, apud Lat. Occasione veteris laminæ, quę fascium strui imposita, Martis simulachrum fuit, apud Herod. *lib.*4. cui Scythæ pop. quotannis hostias, cùm aliorum pecorum, tum equorum offerebant.

Acinasis, Colchidis fluvius. Arrianus in Periplo.

Acincum, vide *Acumincum* & *Aquincum.*

Acindinus, Antiochiæ prefectus, temporibus Constantii. Augustinus, de Sermone Domini in monte.

Acinetos, Æonis Valentini heret. nomen. Tertull. *contra Valentin. c.*7.

Acinippo, op. Hisp. Bæticę. Plin. quod idem *Acenipo* dicitur Ptolemęo.

Acinus, Bohemię fluvius.

Aciris, *Acri* hodiè, flu. cum op. cognomine in Lucaniâ oriens, ac per Magnam Græciam in sinum Tarentinum apud Metapontum defluens. Est & *Aciris*, *Acri* quoque, op. Brutiorum non obscurum, inter Roscianum & Besidianum, urbes Calabriæ citer

Aciris, fluv. etiam *Agrius* dicitur, vulgò *Agri*. Vid. ibi; habetque ad ostia vicum, qui *Torre d' Agri* dicitur.

Aciro. Vid. *Acyro.*

Acis, Fauni & Simæthidis nymphæ fil. pulcherrimus pastor Siculus, quem cùm Polyphemus amaret, & ab eo sperneretur, ab eodem saxo illisus periit: cujus Galatea miserta in fluvium (aliàs fontem) sui nominis permutavit, qui in Ætna monte oriens in mare Siculum defertur, Ovid. *Met.* 13.

——— *Acis in amnem Versus.*

Idem *Fast.*4. *Præterit & ripas, herbifer Aci, tuas.*

Sic dictus autem παρὰ τὸ ἀκίδι ἐοικέναι τῷ ῥεύματι, inquit Theocriti Scholiastes. Bochartus à Syro אחיש *achis* deductum putat, quod *festinare*, vel *citum esse* significat. *Freddo* nunc ab ejus frigiditate, teste Tho. Fazello. Leander eundem cum Batheo Ptolemæi putat. Meminit ejus Theocritus *Idyl.*1.

Οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἴχετ' Ἀνάπω,
Οὐδ' Αἴτνας σκοπιάν, οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ.

Idem *Idyl.* 1 Ejus ψυχρὸν ὕδωρ vocat. Hesychius Ἄκις, ποταμὸς ἐν Κατάνῃ. *Acius* dicitur Antonino. Meminit & Silius *lib.*14.

Quique per Ætnæos Acis petit æquora fines;
Et dulci gratam Nereida perluit undâ.
Æmulus ille tuo quondam Polypheme calori,
Dum fugit agrestem violenti pectoris iram,
In tenues liquefactus aquas evasit & hostem,
Et tibi victricem, Galatea, immiscuit undam.

Prima syllaba corripitur à Claudiano, *De Raptu Pr. lib.*3.

Lucus erat prope flumen Acin quem candida præfert
Sæpe mari, pulchroque secat Galatea natatu.

Eodem modo in veteri epigrammate nondum edito:

Diffugiens pontum, sylvas Galatea peragrat,
Custodem ut pecorum cernere posset Acin.
Nam teneros gressus infigit sentibus ardens,
Nec tamen alta pedum vulnera sentit amor.
Ipsa Cupidineæ cedunt elementa Pharetræ,
Cujus & in mediis flamma suburit aquis.

Atqui non tanta est hujus epigrammatis autoritas, ut priorem syllabam communem credamus, ideoque doctissimus N. Heinsius legit, *Lucus erat prope flavum Acin.* ——

Et ita Claverius in antiquissimo codice prius invenerat. *Flavos* poetis fluvios dici quis nescit? Sic *Flavus Tyberis, Lycormas, Alpheus, &c. Acis* etiam Siphnos dicebatur Plin. 4.1. Monet hæc fabula, uniri animos eorum non posse, qui mutuâ antipathiâ colliduntur, & insolentem inimicum cautè fugiendum. Vid. *Acilius* & *Acithius.*

Acisculus, idem valet quod *Dolabella*. Erat inter cognomina gentis Valeriæ. Nummus vetus: L. VALERIUS ACISCULUS. Meminit Fab 6.3. Prud *Hym* 4.

Περὶ στεφ. *Afra Carthago tua promet ossa*
Ore facundo Cypriane Doctor,
Corduba Acisculum dabit & Zoellum,
—— *Tresque coronas.*

Acitani, gens Hisp. apud quam Martis simulacrum radiis ornatum, maximâ religione colitur; quod *Neton* vocant. Macrob. *Sat.* 1. 19. Aliis *Accitani.*

Acitavones, pop. inter Alpinas gentes. Plin.

Acithius, Siciliæ fluv. apud Ptolemæum, quem Fazellus *Birgi*, Leander *Acilino* nomen habere ait. *Acithus* Cluverio. Vide *Acis.*

Acitodurum, Galliæ opp. Ortelius *in thes. geogr.*

Aciton, insula prope Cretam. Plin.

Acius, *Jaicis* teste Josiâ Simlero, locus Siciliæ apud Catinam urbem.

Aclea, locus diœc. Dunelmensis in Anglia, ubi aliàs Concilium Anglic. sub Hadriano primo. Est juxta fluvium *Skern*, 9. milliar. Anglicis à Dunelmo in meridiem.

Acleremati, Vid. *Eucleremati.*

Aclisena, civitas in Armenia minore. Strab.11.

Acliulfus, Theodorici cliens, Suevis præfectus.

Acma, sive *Fulgurita*, villa est apud Antoninum, sive locus in Africa propria. Vetustior codex legit *Acina*, Ortel. *in thes. geogr.*

Acme, *Judæa*, ancilla Julii Cæsaris uxoris, corrupta muneribus ab Antipatro, Herodis filio, falsis confictis literis Salomen, Herodis sororem, de insidiis accusavit: sed re detectâ, Acme à Cæsare occisa est. Joseph. Antiq. *lib.*17. *c.*8.

Acme, Septimii amasia, cujus meminit Catul. *Epig.*42.

Acmen Septimius, suos amores,
Tenens in gremio, mea, inquit Acme, &c.

Acmedæ, hodie *Hebrides*. Vid. ibi.

Acmenæ, nymphæ Veneris, quarum ara extabat in Olympia. Pauf. *lib.*1. *Eliac.*

Acmodæ, vel *Acmodes*, insulæ Silurum Solino, vulgò *Silley*; septem insulæ maris Britannici, Britanniæ minori adjacentes, à Leona urbe 8. leuc. distantes, quæ ab aliis *Sorlings* appellantur; sed hæ Albioni adjacent, à 7. insulis diversæ, inter illas & promuntorium Albionis extremum ad occid. sitæ; inde ad 8. leuc. recedentes. Quamobrem insulæ Silurum (qui sunt pop. Albionis) ab *Acmodis* diversæ esse videntur. Vid. infra.

Acmodæ, seu *Æmodæ* insulæ, teste Cluverio & Sansone, hodie *Iles de Schetland*, in mari Caledonio, suntque sub dominio Regis Danię. Earum pręcipua *Mainland* dicta, extenditur ad 60. mill. pass. Vid. *Schetlandia.*

Acmonia,

Acmonia, urbs Phrygiæ magnæ, episcop sub Archiepisc. Laodiceno, Eumeniæ finitima, ab Acmone, Manei fil. condita. Steph.pop.*Acmonenses*. long.59.50. lat. 39.20.

Acmonia, Ptolemæo Daciæ urbs est, ad Danubium, apud pontem Trajani, à Severo Imper. condita, & *Severinum* dicta. *Severino* Mario dicitur.

Acmonides, Cyclops ab ἄκμονος, h.e. *incude*, sic dictus. Quæri video inter eruditos, utrum Saturnus, an Cœlus sit intelligendus apud Theocr. vel potius Simmiam Rhodium, in Alis, cùm ait, Λεῦσσέ με τῆς γᾶς τε βαθυστέρνε ἄνακτ' Ἀκμονίδαν. Sanè Schol. ad hæc verba sic annotavit: Ἀκμονίδαν λέγει τὸν Οὐρανόν. Non displicet, si potiùs intelligamus Cœli filium. Quippe Patronymicum est ex Ἄκμων, quo non *incus* modo notatur, sed etiam *Cœlum*: quod sic dicitur, quasi ἀκάμων, sive ἀκμήτος h.e. *indefessus*. Nec enim Cœlum seu sidera unquam circuitu perpetuo fatigantur. Nisi malis, ipsum Cœli patrem sic dictum, deque naturâ ejus colligi ex naturâ Cœli; quia parentes ac liberi ejusdem esse soleant participes naturæ, utrique sententiæ favet Hesychius; sic enim ille, Ἀκμονίδης, ὁ Χάρων, καὶ ὁ Οὐρανός. Ἄκμονος γὰρ παῖς. Ac continuo subditur, Ἄκμων, ἀπαθής, Κρόνος, Οὐρανός, ἢ σίδηρον, ἐφ' ᾧ ὁ χαλκεὺς χαλκεύει. Vide Eust. *in Il.* Σ. & Etymologum in Ἀκμηνός.

Acmonium, civitas quædam est. & nemus circa Thermodoontem.

Acnonia Vid. *Agnonia*.

Aco, Catulinus Philonianus Cos. & præfectus urbis sub Constantiis princip. Limenii collega.

Acæmetum, Vid *Irenæum*.

Acœtes, vir pauper, & ut indicat etymon vocabuli, *carens cubili*; cujus tenuitatem eleganter exprimit Ovid *Met.*3.

Ille metu vacuus, nomen mihi (dixit) Acœtes,
Patria Mæonia est, humili de plebe parentes.
Non mihi, quæ duri colerent pater arva juvenci,
Lanigerosve greges, non ulla armenta reliquit.
Pauper & ipse fuit, linoque solebat & hamis
Decipere, & calamo salientes ducere pisces.
Ars illi sua census erat. Cùm traderet artem,
Accipe quas habeo studii successor, & hæres
Dixit, opes: moriensque mihi nihil ille reliquit,
Præter aquas: unum hoc possum appellare paternum.

Acola, Mediæ opp. ad mare Caspium. Ptolom.

Acolis, Urbecula fuit, in Insf. Tenedo, in mari Ægæo, à parte Asiæ.

Acolitanum, op. liberum in Africa propria, ab ea parte, quâ Cyrenaicam spectat. Plin.

Acolyti, dicti olim Stoici, eò quòd pertinaces suæ inhærerent sententiæ; postmodum ordo aliquis Clericorum sic dici cœpit. Godeau, *de ordin. sacris*.

Acoma, locus in monte, ex præcipuis novi regni Mexicani in America Septentr.

Acomates, Bajazethis 2. Turcarum Imp. filius, à Selymo fratre prælio victus, & laqueo sublatus est. Circa An. 1513. Jovius.

Acon, seu *Ptolemais*, *Acre*, urbs episc. Syriæ, sub Archiep. Tyrensi. Vid. *Ptolemais*. Celebris est fortitudine Equitum S. Johannis Hierosf. qui illam per tot annos fortiter propugnarunt.

Acon, vel *Accon*, Vide *Acre & Ptolemais*.

Acon, Vid. *Aco*.

Acone, portus Heracleæ, Bithyniæ civitatis, Lyco flu. oppositus, proventu etiam noxiarum herbarum celebris. *Naxio* nunc Moletio, & aliis. *Aconis* fluvii hîc meminit Ferrarius, ex Val. Flac. *lib*.4.

Quid memorem, quas Iris aquas, aut torqueat Acon?

Atqui *Ancon* illic legendum monent interpretes. Meminit etiam *Aconis* herbæ, ex qua aconitum venenum conficitur, teste Dioscoride *lib*.4. Addit denique, sunt qui *Aconen Lagula* nunc dici scribant. Vide *Acona*, apud Stephanum, qui & insulam hoc nomine facere videtur, è regione Eudæmonis civitatis Chalcedonis, propter cotes plurimas illic nascentes dictam.

Aconites, populi sunt montani, prope Sardiniam insulam. Strab. 5.

Aconitus, Collis circa Heracleam Ponticam, ut refert Natal. ex Nicandro, ab *Aconite* herba ibi crescente fortè dicta. Ortelius *in thes. Geogr.*

Acontes, unus ex 50. filiis Lycaonis. Apollon. *li.*3. *Biblioth.*

Aconteus, venator egregius, à jaculando, ut videtur, sic dictus. Stat. *lib*. 7.

—— donec flammatus Aconteus
Strage virum, cui sueta feras prosternere virtus,
Arcas erat —— ——

Sil. *l*. 16. *Et cujus nunquam fugisse hastilia cervi*
Prærapidâ potuere fugâ, venator Aconteus.

Acontimacaria, Arcadiæ opp Pausanias divisim mavult legere. Sylburgius *Acontium* & *Macaria*.

Acontisma, Macedoniæ aditus angustissimus. Ammian. *lib* 26. Antonino locus est, in confinibus Thraciæ & Macedoniæ, inter Neapolim & Topirium. Vid. Lazium. *de R.P.R.* 12.*c*.1.

Acontium, op. Arcadiæ, ab Acontio Lycaonis fil. Est & aliud Eubœæ. Steph.

Acontius, juvenis ex Cæâ insulâ in Delum ad Dianæ sacra profectus, amore Cydippes nobilis puellæ exarsit: sed cùm eâdem potiri non posset, novam fraudem commentus, in pomo hos versus scriptitavit:

Juro tibi sancta per mystica sacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram.

Hoc pomum Acontius jecit in sinum Cydippes, quæ versus legens juravit imprudens, & illi nubere etiam morbo coacta est. Unde illud:

Quale fuit malum, quod litera pinxit Aconti,
Quâ lectâ cupido pacta puella viro est. Vide Ovidii *Epist*.19.& 20.

Acontius, Magnesiæ mons, vel Bœotiæ. Plin.4. 7. Strab.9.

Acontobulus, Asiæ minoris locus, apud Appollon. *lib*. 2. sub Hippolytę Amazonum reginæ imperio, in Leucosyria.

Acor, apud Cyrenaicos pro maximo muscarum Deo colitur. Vid. *Achorus*.

Acoraca, Syriæ Urbs, in Chalybonitide regione, Ptolom.

Acores, Vid. *Azores*.

Acosta, vel *Zacosta*, M. Magister Melitensis, Castellanus gente, octavam nationem, Castellanam & Lusitanam reliquis adjecit: turrem S. Nicolai, in ingressu portus, in Insf. Rhodo, ubi priùs Colossus stabat, extruxit. Pacem cum Turcis inire recusavit, obiitque an 1467. *Histor. Melitæ*.

Acquaviva, Vid. *Aquaviva*.

Acqui, Vid. *Aquia*.

Acra, *Japygia*, Plin. 3.11. aliàs Japygium, & Salentinum, M. Græciæ op mediter. Salentinę Ptolemæo, *Capo di Leuca*, & *Capo di S. Maria* hodiè dicitur Leand. Steph. verò *Acra* Japygiæ urbs est, aliquibus *Hydrusa* dicta, ut ipse subdit. V. *Amphipolis* & *Japygium* Prom. *Acra*, alia Steph in Italia est: in Eubœa: in Scythia: in Cypro: ultra Tigrim: supra Antiochiam: apud Daphnen lucum: item in Acarnania (cujus etiam apud Polyb. mentio est) circa Brundusium: in Sicilia, à Syracusanis condita, hæc fortè est Acrææ Ptolem. Est & *Acra*, apud Hannonem, Africæ Urbs, ad Oceanum Atlanticum: Item vicus Tauricæ Chersonesi, ad os Bosphori, Plinio & Straboni: Sarmatiæ quoque Europeæ, apud Ptolem. *Acra* etiam dicebatur, mons in inferiore civitate Hierusalem, olim eminens, & undique declivis.

Acra, vicus in Mæotide. Strab. 11.

Acraba, civitas Mesopotamię, Ptol.

Acrabata, Urbs, una ex undecim Judęæ Toparchiis, fortè tertia, à qua Acrabathena, vel Acrabitena regio & toparchia nomen habet. Hieron. & Josephus.

Acrabathena, opidum. Plin.5.14. Vide Boch. *De An. Bib.* ubi de Scorpione.

Acrabim, vel *Acrabis*, quod D. Hieron. *ascensum scorpionis* vertit, mons à scorpiis dictus, qui in eo loco abundant, urbe superædificatâ: est in limite tribus Judę meridionali, atque adeò totius terræ promissæ, proximus mari mortuo, in montibus Seir. Wesemb.

Acracanus, flu. ab Euphrate ortus, quem à Nabuchodonosore, unà cum Arnacale flu. obstructum scribit, ex Abadino, Eusebius Præp. Evang.9.

Acracarnes, Aliis *Anacyndaraxes*, Rex Assyriorum, Pater Sardanapali. Euseb *Chron*.

Acradina, vel *Achradina*, arx Syracusanorum, quam Marcellus Rom Imp. cepit. Plut. *in Marcello* Ἔμενε δὲ κρατερώτατον, καὶ κάλλιστον, καὶ μέγιστον (Ἀχραδινὴ καλεῖται) Cic. *Verrinâ* 4. *Altera autem est urbs Syracusensis, cui nomen Acradina est, in qua forum maximum, pulcherrimi portus, ornatissimum Prytaneum, amplissima est curia, templumque egregium Jovis Olympii.*

Acræ, Peloponnesi mons, Paus.

Acra, *Acrea* Ptolemæo, Siciliæ urbs, à Syracusanis habitata, hodie *Palazzolo* vocari ait Fazellus, aliis *Acremont*. *Agra* apud Antoninum. Ejus meminit Sil. *lib*. 14.

Non Thapsus, non e tumulis glacialibus Acra.

Vide Cluver. *Sic. Ant. lib.* 2. *p*.353.

Acræa, Dianę cognomen, quòd Acron mons apud Argivos fuerit, in quo Dianę templum construxit Melampus, quando Prœtidas purgavit. Hesych. Sophocl. Ibidem Venus culta. *Acrea* etiam Juno dicta est, cujus oraculum fuit in Megarea. Strab. *l*.8.

Acræa, Vid. *Acra* & *Acræ*.

Acræphia, op. Bœotiæ, à quo *Acræphius* Apollo dictus. Steph. & Herod. *lib*. 8. *Acræphium* est etiam apud Strab *lib*.9. *Acraphnium*, Pausaniæ. *Agriphia*, Ptolomæo. *Arene*, ut quibusdam visum Homero.

Acragallidæ, gentes iniquissimę, olim juxta Athenas habitabant. Æsch. contra Ctesiph.

Acragas, unus ex statuariis, qui in admiratione summâ fuerunt. Plin. 33. 12.

Acragas, civitas Siciliæ, & Thraciæ. & Eubœæ, & Cypri, & Ætolię. Est & fluv. Sicilię Stephano & Polybio; *Drago* hodie. Vid. *Agragas*.

Acra-

Acramaumorium, locum Cretæ nominat Caſſ. Dionyſius, ubi mel optimum. *Acram Aumorium* fortè legendum diſtinctim. Ortelius *theſ. geogr.*

Acramelana, i. *nigram promontorium*, in Bithynia, ad pontum Euxinum eſt, circa Boſphorum, Arr. in Periplo.

Acrapages, Rex Aſſyriorum. Euſeb. *in Chronicis*.

Acrath, Africę op. *Veles de Gomara* Marmolio. incolis *Deyrat Bediz*; aliis *Agenna*, al. *Mezemme*. Eſt autem urbs Maur. Ting. litoralis, contra Malacam Hiſp. urb. inde 80. leuc. long. 5. 50 lat. 34. 55. Oppidum hodie regni Fezzę, in prov. Errifis, in ora maris Mediterr.

Acrathos, Vide *Athos* & *Acroathon*.

Acratus, libertus Neronis, ad dona & ſimulachra Numinum, per Aſiam atque Achajam abripienda miſſus, cuique flagitio promtus. Tac. XV. 45. Ex civitate Pergamena, cùm ſtatuas quoque & picturas avehere conaretur, vi ab oppidanis prohibitus eſt. Idem XVI. 23.

Acratus, bacchantium genius Athenis ſpectabatur, cui os duntaxat extra parietem extabat. Pauſ. *in Att.*

Acrauiſci, pop. Pannonię inferioris, juxta Scordiſcos Plin.

Acre, civitas Apulię, ab aliquibus Hydruſa dicta. Eſt & alia, quę portum in ſe Brunduſium habet; alia in Syracuſanis, item in Eubœa, Scythia, Cypro, Acarnania; alia ſupra Antiochiam; alia denique ad Tigrim flu. Steph. Vid. *Acra*.

Acre, urbs & portus Phœniciæ, commerciorum frequentiâ celebratiſſimus, mercatoribus ex omnibus mundi angulis certatim illuc confluentibus: quæ cauſa illi tandem ruinę fuit. Sub Impp. Romanis celebris erat Claudii Imper. colonia. Dein Arabum ſubiit jugum, capta à Chriſtianis, An. 1104. quibus Genuenſes claſſem navium 70. ſubſidio miſerant. Guilielmus Tyrius. Sed An. 1291. vel. 1292. à Sultano Mulec-Serato vi expugnata eſt. Spond. *A.C.* 1291. *n.* 6.

Acrenſes, populi Siciliæ. Plin. 3. 8.

Acrephium, mons Thebanorum. Strabo *l.* 9.

Acria, *Ormoas*, teſte Molet. op. Laconicæ marit. ad oſtium Eurotæ. Ptol. qui illud vocat ἄκραιαν. Eſt item op. Hiſp. Plinio.

Acriba, Peloponneſi Urbs, Lacon. 9.

Acride, Africæ opp. Diodor. 20.

Acridophagi, Æthiopiæ populi, deſerto contermini: veris tempore, flante Zephyro & Libyco, locuſtas permagnas artificioſè capiunt, quas ſale ſuperinfuſo diutius ſervant; Hic eſt ſolus eorum per omne tempus locuſtarum victus: neque enim pecora nutriunt, neque piſces edunt, procul à mari poſiti, *neque ullum* aliud vitæ adminiculum habent. *Corpore leves ſunt, veloces curſu, & vitæ brevis, ut qui longiſſimè vivunt, quadrageſimum non excedant annum: finis eorum non ſolùm mirabilis eſt, ſed etiam incredibilis*: nam propinquante ſenectâ pediculi alati, non ſolùm viſu varii, ſed ſpecie horridi ac turpes in corporibus nati, ventrem primò, tum pectus, deinde totum corpus parvo tempore exedunt: qui morbum patitur, primùm veluti ſcabiei cujuſdam pruritu allectus, corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis: deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus, unguibus magno cum gemitu corpus lacerat: tanta verò vermium copia effluit, aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, ut deleri nequeant: & hoc pacto ſive cibi, ſive aëris cauſâ miſerum ſortiuntur vitę finem. Vid. Diodor. Sicul. *lib.* 3. *cap.* 3. 29. *de rebus antiquis*. Agatarchidem, Strab. *l.* 16. Plinius, de ſimilibus in Parthia pop. loquitur, *l.* 11. *c.* 29. De aliis in Lybia, Hieron. *l.* 2. *contra Jovinian.* & *comment. in Johan.* 4. De S. Joh. Baptiſta, Vide Matth. *cap.* 3.

Acrii, Vulgò *Monte Syrii*, montes Siciliæ inſ.

Acrilla, urbs Siciliæ, non procul à Syracuſis. Steph. vide Cluver. *Sic. Ant. p.* 354.

Acrio, Philoſophus Pythagoricus, cujus meminit Cic. 3. *De Fin.*

Acriphia, Vid. *Acræphia*.

Acriſione, urbs Peloponneſi apud Argos, ab Acriſione Acriſii regis filiâ nomen habens: unde *Acriſionæus*, nom. gent. Virgil. *Æn.* 7.

Acriſionæis Danae fundaſſe colonis.

Ubi Servius agnoſcit patronymicum *Acriſioneis*, *eidos*. Non capio; nam ab *Acriſio* forma illa patron. abſurda ſatis. Servii nodum hunc (*Sola enim venerat, non cum colonis*) jam ſolvit alius. Aliter Cerda; quid enim vetat (inquit) ut ex Græciâ coloni affluxerint, ad famam Danaes jam reginæ, jam excitantis urbem? Deinde fucum ſibi facit Serv. nam ſi coloni, certè aliunde: atque adeò nihil obſtat, etiam ſi conjungat cum *Danae*, non cum *colonis*.

Acriſionides, Perſeus Acriſii nepos, Ovid. *Met.* 5.

Vertit in hunc harpen, madefactam cæde Meduſæ
Acriſionides, adigitq; in pectus. ——

Acriſius, teſte Euſebio, libro temporum, Abantis Argivorum regis filius, ex Ochalea conjuge, Mantinei filia, ac frater Præti, cum quo, cùm in utero matris adhuc eſſent, diſſidere cœpit: Ubi verò per ætatem potuere, de regno certare non dubitarunt: Sicque belligerantes primi clypeos invenerunt: inde victor Acriſius Prætum Argis exegit, ipſe verò imperium pàtris occupat. Danaen ex Eurydice Lacedæmonis filia gignit: quâ natâ Acriſius oraculum conſuluit, an marem filium poſtea habiturus eſſet: reſpondit oraculum, nullum quidem marem habiturum, ſed eum manu ejus, qui ex filia naſceretur, moriturum: qui ad effugiendam prænuntiatam mortem, filiam in quadam turri (aliâs ænea) ſepoſuit, ſervarique juſſit, ne quis poſſet ad eam accedere. In ejus gremium Jupiter, verſus in auri guttam, ex tegulis ſe demiſit: à quo prægnans effecta, Perſeum genuit: quod cùm reſciſſet Acriſius, ab Jove compreſſam filiam minimè credens, eam unà cum filio in arca lignea concluſam in mare dejecit, quæ cùm in Seriphum inſulam Jovis voluntate delata fuiſſet, Dictys piſcator câ effractâ, vidit mulierem cum infante, quos ad regem Polydecten perduxit, qui eam in conjugio habuit, & Perſeum educavit in templo Minervæ: quod cùm reſciſſet Acriſius, eos ad Polydecten morari, repetitum eos profectus eſt, quò cùm veniſſet, Polydectes pro eis deprecatus eſt: Perſeus Acriſio avo ſuo fidem dedit, ſe eum nunquam interfecturum: qui cùm tempeſtate retineretur, Polydectes moritur: cui cùm funebres ludos facerent, Perſeus objecto Gorgonis capite Acriſium convertit in ſaxum, vel diſco miſſo, quem ventus diſtulit in caput Acriſii, eum interfecit, ita quod voluntate ſuâ noluit, Deorum factum eſt; Hyginus *Fab cap.* 63. Euſeb. Servius. Vid. *Danae*, & *Perſeus*. Fuit & Acriſius alter, Laertæ patris Ulyſſis pater & Jovis filius, dicente Ulyſſe apud Ovidium *lib. Metamorph* 13.

Nam mihi Laertes pater eſt, Acriſius illi,
Jupiter huic, &c. —— —— —— ——

Ubi tamen caſtigatiores codices, *Arceſius* habent.

Acritas, extremum Bithynię promont. Ptolemęo, juxta Boſporum Thrac. Gyllius dicit hodie uſque nomen retinere. Stuckius hoc idem putat *Promontorium Nigrum*, ἄκραν μέλαιναν ab Apollonio, Orpheo, & Theocrito appellari. *Acritas* etiam Meſſenię promunt. *Capo di Gallo* teſte Soph. cum aliis. Mela *lib.* 2. Plin. 4. 5. Inter Methonem ad Bor. & Coronem ad Auſt. proximas urbes. Inſulæ eſt etiam nomen Cedreno.

Acroathon, Thracię op. in ſummo cacumine montis Atho, Melâ authore. Ptolemęus Ἄθω ἄκρον appellat. Stephanus Ἀκροθόωος, Thucyd. *lib.* 4. Ἀκροθόωι. Herod. *lib.* 7. Ἀκρόθωον. *Cima di monte ſanto* hodie. *Acrothon* Plin. 4. 10. Ejus incolas dimidio plus cæteris mortalibus vivere, nec ibi cineres aquis dilui, aut ventis evolvi, ſcribit Solinus, & Pomp. Mela. Vid. *Athos*. *Acroathon* hodie à Græcis *ἁγίων ὄρος, in ea parte Macedonię, quę nunc Jamboli dicitur.*

Acroceraunii, agreſtes ferique homines, qui Chimęram montem incolunt. Hi anno ſalutis 1537. cùm in Butrotio littore Solymannus Turcorum Imp. haberet caſtra, immane conſilium ſuſceperunt tabernaculi regii noctu invadendi, concitante eos Damiano quodam latronum duce, abſtruſorum collium, qui ſunt in iis rupibus, peritiſſimo. Non reformidabant ullum vel certę necis periculum, viri rerum omnium egentes, ideoque latrociniis aſſueti, & nullos certos colentes Deos, ut incredibili præda, atque uſitati facinoris gloria potirentur, ſi longè maximum terrarum orbis Imperatorem in tabernaculo ſemiſopitum, & fruſtrâ tot cuſtodiis confiſum confoderent, magno ſiquidem ſilentio, ferarum more, ſeſe inſinuaturos concubiâ nocte in ſtationem facilè ſperarant. Sed barbaris ad id audendum facinus paratis fortuna defuit: conſpectus enim Damianus in arbore ex fragore abruptę frondis, uti erat ſemipenſilis & ſpeculabundus, à Janizeris eſt comprehenſus, & per tormenta detectis, quas parabat, inſidiis, juſſu Imperatoris bellue captę modo diſcerptus eſt: unde mox magna illis agreſtibus clades illata, emiſſis ſcilicet in eos *Aſapis* & *Acanzis*, venationis modo, ad trucidandam, & quàm maximè poſſent, delendam horridæ atque infamis gentis ſtirpem: ab hac enim genus ducunt *Huſcochi* maritimi prędones, Dalmatię ſcopulis aſſueti: & *Haidones* à Turcis *Manteloſii* dicti, qui Illyricis nemoribus intererrant, & cunctis mortalibus ex profeſſo hoſtes, uſq; ad interiores Pannonię limites latrocinia exercent. Jov. *l.* 36.

Acroceraunium, promunt. Epiri, in anguſtias maris Adriatici emiſſum, inde dictum, quòd Acroceraunìis montibus ſit vicinum. hodie *Capo della Lengueta*. Siquidem *Acroceraunia*, Servio ſunt montes excelſi in diverſis locis, ſic dicti propter altitudinem, & jactus fulminum. Nam ἄκρον dicitur *mons*, vel *ſummitas*, & κεραυνὸς fulmen. Et ut ait Hor. *Feriunt ſummos Fulmina montes*. Et ante eum Lucret. *lib.* 6.

Altaq; cur plerumque petit loca, plurimaq; hujus
Montibus in ſummis veſtigia cernimus ignis?

Horum autem alii ſunt in Epiro, dividentes Ionium mare ab Adriatico; alii ſunt inter Iberiam & Armeniam, qui tamen *Ceraunii* Plinio, *l.* 5 *c.* 27. Hor. *lib.* 1. *Carm. Od.* 3.

Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos, Acroceraunia.

Et Ovid. *lib.* 2 *De Rem. Amoris.*

Hæ tibi ſint Syrtes, hæc Acroceraunia vitâ.

Monti della Chimera hodie, vel *Cimarioti* dicti, teſte Alphonſo, & Leandro. Pauſanias autem diviſit hoc nomen *in*

Atticis, Ἄκρα τῶν ὀρῶν, ἃ Κεραύνια λέγουσι. Ita etiam Dionysius: Οὐρέων τ' ἠλιβάτων τὰ Κεραύνια κικλήσκουσι. Sic Virg. *Æn*. 3.

Provehimur pelago, vicina Ceraunia contra.

Acrocoma, pop. Thraciæ, à capillorum longitudine dicti, quòd antias in fronte mulierum more demissas gestarent. Author Homerus in Catalogo, quemadmodum è diverso, Abantes priora capitis tondebant.

Acrocorinthus, mons Peloponnesi excelsus, inter duo maria, Ægæum sc. & Ionium. Vertex ipse Veneri sacram habet ædiculam, infra verticem Pyrenen fontem, haud affluentes, sed perspicuas aquas habentem, in radice Corinthum urbem, Strabo *lib*. 8. cui instar propugnaculi erat. Vid. & Plin. *lib*. 4. *cap*. 4. Pausan. *lib*. 3. Plutarch. *in Arato* dicit, eum è mediâ Græciâ enasci. Stat. Theb. 7.

Jam pronis Gradivus equis Ephyrea premebat
Litora, qua summas caput Acrocorinthus in auras
Tollit. ——————

Goryphe fortè apud Polyæn. 4. de Demetrio, Ortel. *in thes. geogr.*

Acrolissus, arx est in colle supra Lissum Illyrici urbem. Strab 17.

Acrolochias, prom. Ægypti, ad Pharum, versus Orientem, Straboni, fortè idem cum *Lochias* Ortel. *in thes. geogr.*

Acroma, Vid. *Arietis frons.*

Acromerus, Cattorum Princeps. Tacito *l. XI c.* 16. *Catumerus.*

Acron, Ceninensium rex, quem ob raptus Virginum Sabinarum Romulus singulari certamine vicit, teloque trajecit, & spolia ejus opima, id est, *exuvias cruentas*, Jovi Feretrio dicavit. Plut. *in Rom.* Etenim, inquit, *Ferire* apud Rom. erat *Vulnerare sagittis*. De hoc Acrone vid. Propert. *lib* 4. *Eleg*. 11. cujus titulus, *Quare Jupiter Feretrius dictus?* Ab eo enim dicitur *Ceninus.*

Tempore quo portas Ceninum Acrona petentem,
Victor in eversum cuspide fundis equum.

Item *Herculeus*, vel quia oriundus ab Hercule, vel quia Ceninenses Herculem colebant: vel quia fortis, & bellicosus ut Hercules. *Ibidem:*

Acron Herculeus, Ceninâ ductor ab arce,
Roma tuis quondam finibus horror erat.

Vid. Dion. Halicarnass. & Plut. *in Romulo.*

Acron, Medicus Agrigentinus, Athenis unà cum Empedocle philosophatus est, antiquior Hippocrate. Scripsit linguâ Doricâ, de medicina librum. In Sicilia Empiricem à Dogmatica separavit primus, Gal. 2. *meth.* & Plin. *l.* 29. *c.* 1. Pestilentiâ Athenis grassante, affectis opem tulit salutarem, accensis in proximo ignibus. Plut. *in Iside, ex Suida.* Suidas. *Acron*, etiam nobilis Grammaticus, qui Horatium enarravit.

Acronium, locus circa Phrygiam. Hist. misc. 21.

Acronerison, Vid. *Asciburgium.*

Acroneus, nomen Principis Phæacum, *Odyss.* 8.

Acronius, in Alpibus lacus est. Pomp. 3. 2. nostri *Constantiensem* vocant. *Brigantium* Plinius. *Brigantia* Ammiano. *Podamicus* recentioribus nonnullis; est autem lacus Helvetiorum maximus, quem *Bodensee* Germani vocant. Cluverio tamen, & rectiùs, Acronius & Brigantinus duo sunt lacus; Is quidem, *Cellersée* ab opp. *Cella*: Hic autem *Bodensée* dictus.

Acropathos, Mediæ majoris sinus, & Susianæ rex.

Acropolis, arx Atheniensium. Athenæ enim in tres partes dividebantur: Acropolin, Asty, & Pyræum portum. *Acropolis* etiam urbs Lybiæ apud Steph. Est etiam alia ejusdem nominis in Ætoliâ, teste eodem. Incolæ *Acropolita*, vel *Acropolienses.*

Acropolis, opp. in littore prov. Princip. citerioris in regno Neapolitano.

Acrorei, urbs Triphyliæ. Steph.

Acroria, Elidis tractus, ex Xen. 7. Gr. hist. ubi Thraustum ejus opp. nominat.

Acrotadus, insula in sinu Persico. Plin.

Acrotatus, fil. Cleomenis, Regis Spartanorum, ante patrem obiit. Quo defuncto filius ejus Aréus suffectus, quod Cleonymus, Acrotati frater, ægerrimè ferens, Pyrrhum in Laconicam vocavit. Hic Aréus filium, patri cognominem, reliquit successorem. Pausan. *lib*. 3. Plut. *in Agide.*

Acrotatus, Arei filius, cujus amore deperiens Chelidonis, uxor Cleonymi, regis Spartanorum & fratris Arei, acerbas amanti marito juxtaque infames præbuit nuptias: neque enim civem latebat ullum ab uxore eum fastidiri: ita cùm ad publicam domestica accessisset ægritudo, irâ & animi dolore consultoribus, Pyrrhum regem Epirotarum Spartam attraxit. Pyrrho urbem oppugnante, Acrotatum senes & mulierum caterva præclarè certantem contemplati sunt. Cùm jam mediâ urbe stationem suam repeteret cruentus & exultans elatusque victoriâ, celsior ac pulchrior Lacænis est visus, Chelidonidemque, quòd talem haberet amatorem, prædicaverunt beatam: præterea grex senum sequutus conclamavit, Perge Acrotate, & complectere Chelidonidem, tantùm bonos Spartæ procrea. Plut. *in Pyrrho.*

Acrothon, Vid. *Acroathon.*

Acroventum, Governo, Pagus Venetiæ apud Padum, ubi is Mincium flu. excipit, in agro Mantuano, inter Mantuam 10. & Concordiam apud Mirandulam 26. m.p. haud procul à D. Benedicti cœnobio. Hîc Leo Pontifex Max. Attilæ obviam venit.

Acrurius, Vid. *Galata.*

Acsa, A. za, fluv. Asiæ, in Georg. regione, in mare Caspium se exonerans, prope urbem *Zurach*, in Zuiria regione.

Acsaph, urbs Aser. Jos. 19.

Acsteda, opp. Germ. infer. in Ducatu Bremensi, ad fluv. *Lun*, in ditione Suecorum. Bremâ 6. mill. Germ. in Boream, & paulo minùs Stadâ distat in occasum.

Acta, apud Thucyd. *lib* 4. locus est vicinus Atho monti, ad Ægæum Pelagus. Vid. *Acte.*

Acta, secretum, & amœnum litus dicitur. Virg. *Æn*. 5.

At procul in solâ secreta Troades Actâ
Amissum Anchisen flebant. ——

Cic. *in Ver. In actâ cum mulieribus jacebat ebrius.*

Corn. Nepos, sive, ut alii, Æmyl. Probus, *in Agesilao:*

Cùm in actâ cum suis accubuisset, secretum, & amœnum litus, &c.

Prud. *contra Symmachum:*

Invenit expositum secreti in littoris actâ.

Parco aliis, qui usi hac voce, videlicet Turpilio citato à Nonio, Val. Flacco *Argon*. 5. Victorino, & S. Ambrosio 5. *Hexam.* Unicum producam Plut. cujus verba, 4. *Sympos. Qu*. 4. Latinè sic se habent, *Quid bone Jupiter volunt sibi, qui ad oblectationem se mutuò invitantes dicunt*, Hodie in acta cœnabimus? *nonne, quòd in littore cœnam, ut est, suavissimam esse sentiunt? Non quidem propter fluctus, aut lapillos (quis enim in littore Lecythum & Capparim mensæ adhibeat?) Sed quòd copiosi ac recentes pisces mensam sint structuri. Adde quod omnium aliorum opsoniorum precium exceditur a marino.*

Acta, vel *Acte*, Attica regio, uti Gellius testatur 14. 6. Plin. 4. 7. Causam nominis explicat Strabo *lib*. 9. in hunc sensum. Atticam apud veteres, *Acten*, i.e. litus, appellatam esse constat, & nomine derivato, pro *Actica*, *Atticam* esse nuncupatam: quoniam maxima illius pars ad mare est extensa, & angusta, oblonga verò satis, & porrecta, montibus usque Sunium subjicitur. Hermol. *in Plin.* 4. 7. *Acten* dictam scribit ab Actæone, vel Actæo rege, ut Favorino placet, & Lycophroni, qui Actæos vocat Athenienses. Dicebatur & Atthis, ab Atthide, Cranai regis filia. Eust. Inde *Actæus, Atticus*. Virg. *Ecl*. 2.

Canto, quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Ubi tamen Servius, *Sanè Aracynthus mons est Thebanus, unde Actæo literali debemus accipere, non Atheniensi.* Ovid. *Met*. 1.

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis.

id est, Atheniensibus, seu Atticis. Inde etiam *Actius*, id est, *Atheniensis. Georg*. 4.

Atq; Getæ, atq; Hebrus, atq; Actias Orithya. Nec non *Actiacus*.

Ovid. *Ep*. 21. *Cur nunc Actiacas miseram me mittis in oras?*

Et *Fast*. 1. *Frondibus Actiacis comptos redimita capillos.*

Denique *Actius Æn*. 3. *Actiaq; Iliacis celebramus litora ludis.*

Et Hor. *Ep*. I. 18. ——— *Actia pugna*

Te duce per pueros hostili more refertur. Vide *Actium.*

Actacottes, pop. feroces, qui insulam Brittannicam, vulgò Angliam, totam diripuerunt. Ammianus Marc. *lib*. 27. *N.L.*

Actæa, nympha ab *Acte*, id est, ittore dicta, una ex Nereidibus.

Actæon, fil. Aristæi, ex Autonoë conjuge, unde *Autonoeius heros* ab Ovidio dictus est. Venationi addictus, cùm in Valle Gargaphie ad fontem limpidum recessisset, à Diana nuda conspecta convitiis lacessitus est, atque in cervum mutatus, quem sui ipsius canes discerpserunt. De quo figmento sic scribit Fulgentius. Anaximenes, inquit, qui de picturis antiquis disseruit, ait *l*. 2. Actæonem venationem dilexisse, qui, cùm ad maturam pervenisset ætatem, consideratis venationum periculis, i.e. quasi nudam artis suæ rationem videns, timidus factus est. Sed cùm venandi periculum fugeret, affectum tamen canum non deposuit: quos inaniter pascendo, penè omnem substantiam perdidit, & ob hanc rem à suis canibus devoratus est. Quanquam de Actæone aliter in Commentariis Apollonii *lib*. 4. Ipsum sc. non Aristæi, sed Melissi filium: nec à canibus suis pro cervo, sed à Bacchi Orgia celebrantibus laniatum fuisse traditur. Sed receptior est Ovidii sententia, ait enim,

Inscius Actæon vidit sine veste Dianam,
Præda suis canibus non minùs ille fuit.

Itemque Senecæ *in Theb.*

——— *Quâ peragrati celer*
Per saxa montis jacuit Actæon suis
Nova præda canibus.

Ex quo subit illud Claudiani *in Ruf.*

——— *Aut subito mutatum Actæona cornu*
Traderet insanis Latonia virgo molossis.

Etiam hoc Silianum *Lib*. 14.

Fama est cùm laceris Actæon flebile membris
Supplicium lueret, spectata in fonte Dianæ,
Attonitum novitate mali fugisse parentem
Per freta Aristæum. ———

Hæc fabula nos ad beneficia in bonos viros conferenda adhortatur, ac retrahit à benè merendo de ingratis, qui sæpius pro acceptis beneficiis, simultatis causas aucupantur, seque, vel quavis levissima de causa iratos fingunt, ut sic deletum appareat quidquid

in eos collatum est. Et canibus certè ejusmodi adulatores aptissimè comparantur. Monemur præterea, ne simus curiosi in rebus ad nos minimè pertinentibus, quoniam multis perniciosum fuit res arcanas aliorum cognovisse, aut principum, civitatum, summorumque virorum, aut Dei præcipuè, cùm vel minima suspicio arcanorum ejusmodi conscios facilè possit opprimere. Actæonis ossa Orchomenios olim horrendo phantasmate liberarunt, quod saxum magnum gestans, totam regionem vastabat: unde accolæ Delphos profecti acceperunt ab Oraculo, ut omnia Actæonis ossa absportarent, eaque sepelirent; quo facto, illico liberati sunt. Pausanias. Plut. autem *in Sertorio*, duos ait Actæones fuisse, alterum à canibus, alterum ab amatoribus discerptum. *Cadmi nepos* dicitur Ovidio: *Met. lib.* 3. item *Hyantius*, siquidem Bœotii, unde oriundus erat, antiquitus *Hyantes* vocabantur, Plin. 4.7. A Nonno in Dionysiacis, κυνοσπὰς dicitur. h.e. *à canibus discerptus*; θρασύς, *audax*, λαγωβόλος, *lepores impetens*; φιλοσκόπελος, *amans scopulos*; λεοντοφόνος, *leonum occisor*.

Actæon, Melissi Corinthii filius, æqualium suorum longè formosissimus ac pudentissimus: cujus multi amatores fuerunt, præ cæteris Archias de Heraclidarum familia, divitiis & opibus super cæteros Corinthios pollens: quem cùm pellicere non posset, vim statuit adhibere, ac puerum rapere. Ita comissabundus ad Melissi ædes profectus est cum amicorum & servorum agmine, tendebatque abducere puerum: Sic obluctantibus patre & amicis, accurrentibusque insuper vicinis ac retrahentibus, Actæon laceratus interiit. Plut. *in Amatoriis*.

Actæus, unus ex 6. dæmonum numero, qui Græcis Telchines dicti, quique intuitu suo omnia fascinasse dicebantur. Hinc crediti priscis terram Stygiâ aquâ irrigare, hincque pestem, bellum, famem, cæteraque calamitatum publicarum genera excitare. Vid. *Telchines*. Duos horum nominat Strabo, *lib.* 10.

Actæus, mons circa Thermodoontem fluv. Lycophroni.

Actania, *Helichland* teste Ortelio, insula maris Germanici in alto, contra Albis flu. ostia, Ditmarsiæ oræ adjacens. Plin. Sub dominio Ducis Holsatiæ.

Acte, Neronis liberta, quam parum abfuit, quin matrimonio sibi conjungeret. Sueton. Ex Asia oriunda; cujus genus Nero ad Attalum Regem porrigebat, ut splendorem ei adstrueret. Item Horarum una, quarum nomina recenset Hyginus. *cap.* 193.

Acte, regionis nomen in Peloponneso, teste Theophrasto 8. Plantar. item Plutarcho in Demetrio & Arato: Locus circa Athon montem est, apud Thucydidem 4. *circa finem*: Est quoque Acarnaniæ, Magnesiæ, Joniæ, & Bospori urbs, ut refert Steph. Vid. *Attica*.

Actia, Soror Cæsaris. *Plut. in Cicerone.*

Actia, mater Augusti Cæsaris Imperatoris, in Apollinis templo obdormiens, visa est cum dracone commisceri, peperitque expletis ad pariendum mensibus: ad hæc antequam pareret, somniavit viscera sua sublime in cœlum ferri, & in totum terrarum orbem diffundi. Sueton.

Actia, *Actiorum*, Suidas, Ludi quinquennales Actiaci, Apollini Actio instar Olympiorum dicati: qui priùs & à finitimis agebantur: sed ab Augusto honorificentius celebrati fuerunt, postquam Antonium & Cleopatram navali prælio ante Actium superasset, curâ eorum deinde Lacedæmoniis demandatâ. Hæc Strabo *lib.* 7. Stephanus, tertio quoque anno celebratos fuisse tradidit, tribusque certaminibus fuisse insignes, gymnico, equestri & navali. Vid. Plut. *in Antonio*. Horum meminit & Servius in illud Virg. 3. *Æn.* *Actiaq; Iliacis celebramus littora ludis.* Vid. *Actium* & *Agonales*.

Actianus fundus, juxta Pisaurum, ab *Actio* tragœdiarum scriptore. Chronicon Eusebii. Meliùs *Accianus*: est qui *Farnazzano* interpretatur. Ortel. *in thes. geogr.*

Actine, Vid. *Apsasium*.

Actinus, Solis filius, è Græcia in Ægyptum profectus, Astrologiæ præcepta tradidit. Diodorus.

Actiolinus, Patavinorum tyrannus, de quo P. Jovius *lib.* 1. *Vir. Illustr.*

Actipus, Judææ urbs in tribu Aser, ut Josephus tradit, qui eam quoque *Arcen* vocat. Lege *Arctipus*.

Actiri, gens Hunnica in Asia, Suid. Vide *Huni*.

Actisanes, Æthiopum rex, qui Amasin Ægypti regem, suis crudelius imperantem, regno deturbavit, Ægyptiisque summâ æquitate imperavit. Hic latrocinia novo more compescuit, sontes neque morte plectens, neque linquens impunitos. Constituto quippe de iis judicio, reos omnes in unum cogens, amputatis naribus, in ultima deserti ire compulit; ibique civitatem condidit, ab excisis naribus *Rhinocuram* appellatam. Ea in Egypti, Arabiæque finibus, haud procul à mari sita, omnibus vitæ commodis caret: nam omnis vicina regio salsa est; intra urbis mœnia unicus est puteus, & is inutilis, utpote aquâ ejus gustu amarâ. Hos autem eo in loco posuit, ne suis moribus vicinas gentes inficerent, neve eorum erga reliquos injuriæ essent occultæ, sed ut tanquam in oram desertam relegati, omni re egentes, cogente necessitate victum sibi quærerent. Fissis itaque calamis, quos ex vicinis agris collegerant, longa sibi retia fecere, quibus juxta litus, per plura stadia dispositis, ex captis coturnicibus, victum sibi côpararunt. Diod. *l.* 1. *c.* 60. vixit circa Jephthæ tempora, A.M. 2850.

Actites, Vide Καλὴ ἀκτή.

Actium, Epiri opidum, & promuntorium, ubi Augustus, devictis navali prælio Antonio & Cleopatrâ, An.U.C. 724. A.M. 4024. A.C. 30. unde illustris Epocha orta, & *Actiaci anni* originem ceperunt, urbem condidit, & *Nicopolin*, à *Victoria* nominavit. Plut. *Figalo* hodiè dicitur. Hinc *Actia*, *orum*, Suidæ ludi quinquennales. V. supra, *Actia*. long. 46. ; lat. 39. 15. V. & *Attium*.

Actius Apollo, dicebatur variis de causis, imprimis tamen ab *Actio*, promont. & civit. Acarnanum celebri. *Æn.* 8.

Actius hæc cernens arcum tendebat Apollo
Desuper. ———————

Prop. *lib.* 4. *Eleg.* 6.

Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quòd inde
Una decem vicit missa sagitta rates.

Idem 2. 34. *Actia Virgilium, custodis litora Phœbi,*
Cæsaris & fortes dicere posse rates.

Et Sil. 15. — *Phœbi vidit citus Actia templa.*

Actius Navius, augur, novaculâ cotem præcidit, spectante Tarquinio Prisco rege; quo factum est, ut & à Rege, & populo, semper in rebus dubiis consuleretur. Flor. *l.* 1. *c.* 5. Liv. *Dec.* 1. *lib.* 1. Val. M. *l.* 1. *c.* 6 *ex.* 1.

Actius, vel *Accius*, Tragœdiarum scriptor inter colonos Pisaurum deductus, à quo & *fundus Actianus* juxta Pisaurum dictus: in scribendis Tragœdiis, sententiarum gravitate, verborum pondere, personarum authoritate gravissimus; ejus meminit Horat. *Serm.* 1. *Sat.* 10.

Nil comis Tragici mutat Lucilius Acci.

Idem *de Art Poetica.* ——— *Hic & in Acci*
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

Actius, Centurio, custodiæ & supplicio Drusi, Germanici filii à Tiberio additus, Tacit. 6. 23.

Actius, Romanorum Consul Eusebius.

Actius, Mediolanensis princeps. Paul. Jovius *lib.* 2. *de Vir. Illustrib.*

Actius III. Estensis princeps: is ut paternas opes & principatum occuparet, Opizum II. patrem in lecto jacentem oppressit: deinde fratres pepulit, ut filio Eliseo, qui naturalis tantum erat, principatum relinqueret. Fulgosus *lib.* 9. *cap.* 11.

Actius Sincerus Sannazarius, vir rari ingenii, magnæque nobilitatis, cùm in conspectu Federici regis esset inter Physicos quæstio, quid præcipuè conferret oculorum perspicuitati? aliique fœniculi afflatum dicerent, alii vitri usum, aliique aliud: at ego, (inquit) Invidiam aio, siquidem majora & pleniora omnia videre facit. Pont. & Panormit. Vid. *Sannazarius*.

Actius Labeo, Poëta fuit indoctus tempore Persii, Iliada Homeri versibus Latinis adeò inscitè transtulit & obscurè, ut nec sua ipse cognosceret. Gyraldus. Voss. *de Poet Lat.*

Acton, Pisidicis & Myrmidonis fil. frater Antiphi. Apollod. *in Biblioth.*

Actor, comes Herculis contra Amazonas, in quo bello vulneratus, cùm retro domum abire vellet, in itinere mortuus est. Item Astyoches pater. Hom. *Il* 2. Item, Menœtii, ex Ægina, parens, Ovid. *l.* 1. *Trist. Eleg.* 8. Alius fuit, Auruncus. Virg. 12. *Æn.*

—— *Validam vi corripit hastam*
Actoris Aurunci spolium.

Actor, Neptuni filius, ex Agamede, Augei filia. Hyginus *c.* 175.

Actor, filius Deionis, Phocidis Regis, ex Diomeda conjuge, Xuthi filia, frater Cephali Apollod *l.* *Biblioth*

Actor, unus ex Argonautis, Hippasi filius, ex Peloponneso. Hyg. *c.* 14.

Actorides, Patroclus, nepos Actoris. Is enim ex Æginâ, quam ei Jupiter à se vitiatam, uxorem dederat, Menœtium genuit: Menœtius autem relictâ Æginâ, Opuntem in Locris se contulit, & ibi Patroclum genuit. *Met.* 13.

Reppulit Actorides sub imagine tutus Achillis
Troas ab arsuris sub defensore carinis.

Flaccus, *Arg.* 1. v. 146. eum scribit à Clyto, ardenti quercu occisum.

Actorides, fratres, à Patre Actore; à matre Molione, *Molionidæ* dicti, congeniti fuerunt aurigæ & concordes, alter habenas & lora, alter scuticam & flagellum moderabatur: duo uterque capita, quatuor manus totidemque pedes, unum verò corpus habuisse dicuntur: hos cùm Hercules vincire nequiret, insidiis intercepit. Pherecydes, Mnaseas, Pindarus, alii.

Actoris, Ulyssis ancilla. Hom. *Od.* 23.

Actoritum, vide *Neritus*.

Actorius Naso, Historicus Romanus, memoratur Suetonio *lib.* 1 *cap.* 9. Suspicatur Vossius, eum vixisse Julii Cæsaris temporibus, vel summùm Augusti, ac Tiberii.

Actrida, opidum Arabiæ felicis Plin. 6. 20.

Actuarius, Medicus Græcus, quem inter Medicos incertæ ætatis collocat Vossius, de Philosoph. *cap.* 13.

Acuensis, V. *Nacuensis*

Acues, Rex Arcadum, qui Lacedæmonios Tegæam proditione obtinentes stratagemate occidit. V. Polyæn. *l.* 1.



Acusida, Mauritaniæ Sitiphensis Urbs Episcop. Victor Utic.

Acuincum, V. *Aquincum*.

Acuinus, civis Rom. qui cædis Cæsaris particeps videri cupiebat. Appian. *Civ. lib.* 2.

Acula, sive *Aquula*, *Acqua Pendente* op. Hetruriæ, loco sublimi apud Peliam flumen, aquis abundans; cujus pop. à Plin. *Aquenses* nominantur. Sunt qui aquas Taurinas esse velint. Episcopali sede decoravit Innocentius X. An. 1647. loco Castri diruti.

Acumetense, monasterium, V. Irenæum.

Acumincum Legio, Ptolemæo Pannoniæ infer. urbs, ad Istri ripam. *Acunincum* legit Amm. *lib.* 19 *Acimincum* Antonin. *Cametzi* interpretatur Simlerus. Aliis *Zalonkemen*. Niger verò scribit *Veradin* dici. Sed *Arumictum* malè habet.

Acumulum, Opp. Aprutii ulter. in Italia, ad fluv. Truentum, 12. mill. pass. distans à Nursia urbe, in ortum, & paulo plus ab Asculo, in Circium, in limite Umbriæ, ad radices Apennini.

Acuphis, Legatus Indorum, ad Alexandrum M. Plut.

Acur, Indiæ intra Gangem urbs, Ptolemæo.

Acus, v. *Pariades*.

Acus, Chunorum Rex, singulari certamine occisus, à Ladislao, Ungariæ Rege, in Danubii ripa, Bonfin. *l.* 4. *Dec.* 2.

Acus, *Agulha*, Lus. *l'Aiguille* Gallis, Ins. maris Æthiopici seu Barbarici. Dicitur etiam *Isle de Gale*; distatque 900. mill. pass. ab ora Zanguebariæ in ortum, uti 300. à parte Septentr. Madagascariæ. Hinc *Acuum* prom. Cap. des Aiguilles. Caput extrem. & præcip. Prom. Bonæ Spei.

Acusi, locus Cappadociæ, ubi Basiliscum Imp. cum uxore & liberis interfectum, tradit Callistus. *Cucusum*, Cedreno. V. *Cucussus* & *Lyminis*.

Acusilaus, Atheniensis Rhetor. Galbâ imperante sese Romam contulit, ibique ludum aperuit, tanto cum successu, ut moriens Atheniensibus decem myriadas aureorum ex fœnore partas reliquerit. Suidas.

Acusilaus, & Damagetus, fratres; victores in Olymp. certaminibus, patrem Diagoram per celebrem conventum gestarunt, in quem & flores conjecerunt Græci, & beatum propter filios appellarunt. Paus. *lib.* 2.

Acusilaus, historiographus Argivus, cujus testimonio Josephus utitur, *lib.* 1. genealogias quasdam conscripsit, ex æneis tabulis, quas pater ejus domi suæ, nescio quid fodiens, invenerat. Suid. Vossius eum de septem sapientibus egisse ait, *lib.* 4. *de Hist. Gr. cap.* 2. Verùm imposuit ei locus Clementis, qui *lib.* 1. *Strom.* de *Acusilao*. Οἱ δὲ Ἀκουσίλαον τὸν Ἀργεῖον ἐγκατέλεξαν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς, ἄλλοι δὲ Φερεκύδην τὸν Σύρον. E quibus verbis de sapientibus scripsisse frustra quis collegerit. Vixit autem πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, teste Dion. Halic. *de Thuc. Charactere*, *sive dicendi genere*. Vide Jonsium de *Script. Hist. Phil. lib.* 1. *cap.* 3.

Acusio colonia, (non *Acusiorum colonia* ut Ortel. cum aliis legit, nam Ἀκουσιῶν Ptolomæo est) Galliæ Narbonensis urbs, postea *Gratianopolis* ab Instauratore dicta, vulgò *Grenoble*, uti J. Poldus scribit. *Cullaro* aliquando appellatam fuisse quidam volunt, ex antiquâ inscriptione, quæ in hujus urbis porta legitur. long. 26. 30. lat. 44. 20.

Acuta, insulæ, quas Poëta *Thoas* vocat, vicinæ Echinadibus. Strabo *lib.* 8. & Hesiod. 5. vide *Dulichium* & *Oxia*.

Acutia, P. Vitellii uxor à Lælio Balbo majestatis postulata ac Gn. Acerronio, C. Pontio Coss. damnata. Tacit. 6. 45.

Acutia, Stephano Hispaniæ *Urbs* est, ex Strabone, qui tamen hodie *Acontia* legit. Vaccæorum ad Durium fluvium est. Aquitanos, hos populos vocat idem Stephanus.

Acuticus, Poëta Lat. composuit elegias quasdam, quæ Plauto tribuebantur. Voss. *de Poëtis Lat.*

Acutus, fluv. Galliæ, in Occitania. Castrum rigat & Vaurum urbes, & pòst in Tarnum se exonerat.

Acuum prom. V. *Acus*. *Aczudia*, opp. Valachiæ, vulgò *Aczud*, infra Backoviam, ad fluv. *Missovo*.

Acylas, Philosophi nomen, qui commentarios conscripsit de Syllogismis. Suidas.

Acylina, urbs Illyriæ. Steph. cives *Acylinai*.

Acyndinus, & Proculus, Cos. Rom. an. ab U. C. 1092.

Acyndinus, vel *Acindinus*, Barlaamo se junxit, quorum opiniones in Synodis Constantinopp. damnatę. V. Jac. Pontanum, *l.* 2. *c.* 40. *in notis in Cantacuzenum*, Et Continuator. Baronii, an. 1337. n. 11. & 1450. n. 20

Acyphas, urbs una ex Tetrapoli Doricâ. Steph.

Acys, V. *Acis*.

Acyttus, insula circa Cydoniam Cretæ. Steph.

AD.

Ada, altera uxor Lamechi, Gen. 4. cui peperit 77. liberos, Jos. *Antiq. l.* 1. *c.* 2. Uxor etiam Esau, filia Elon. Gen 36. Item filia Hecatomni, Carię regis, & Artemisiæ soror, quæ Hidrico fratri nupsit. Strab. 14. Defuncto marito Olympiad. 109. anno primo successit, ac provinciam rexit annos 4. Ejecta à fratre minimo Pexadoro, Olymp. 109. ann. 4. Hæc postmodum Alexandro obviam profecta, Alindis urbe traditâ, eum in filium adoptavit. Deinde ab eo toti Cariæ præficitur. Curt. *lib.* 2. Strabo. *l.* 8.

Ada, Hesych. Ἄδα, ἡδονή, πηγή, καὶ ὑπὸ Βαβυλωνίων, ἡ Ἥρα.

Adacha, Palmyrenę urbs. Ptol.

Adachsunia, Mons Afr. in regno Fezzæ, in prov. *Chaus*.

Adad, rex Edom quartus, Gen. 36. *Adad* etiam Assyriorum summus habebatur Deus, cui etiam Deam Atergatim uxorem assignabant, per *Adad*, solem, per Atergatim, terram significantes, quòd ex his duobus cuncta crederent procreari. Macrob. 1. *cap.* 18. & 23. Ejus simulachrum formabatur radiis inclinatis in terram: hujus verò, sursum versis. Significat autem Adad *unum*.

Adada, est apud Ptolemæum Palmyrenę urbs. *Adatha* putat dici Ortelius *in libro Notitiar.* etsi Phœnicię ibidem adscribatur: sed *Adada* habet idem liber in Euphratensi regione. Est & locus in Palæstina, in tribu Judę sic dictus Josuę. 15.

Adadata, civitas Pisidarum, ad Taurum montem. Strab. 12. Ptolemæo *Adada*.

Adadensis, Episcopus Pisidię, fuit in Concilio Constantinopolitano primo.

Adadremmon, urbs juxta Jezraëlem, quæ hodie vocatur *Maximianopolis*. Zach. 12. Hic Josias Rex occisus est, à sagittariis *Nechao*, regis Ægypti.

Adadus, puer Idumæus è regio sanguine Edom, qui, cùm Joabus, Davidis regis Polemarchus, omnes Idumęæ mares sex menses natos interfecisset, solus cum quibusdam servis patris sui in Ægyptum fugit, ad Pharaonem, cui Pharao Raphim uxoris suæ sororem in matrimonium dedit. Is morte Davidis auditâ, patrium regnum recipere conatus, sed frustrà, Rezoni Eliadæ filio latronum duci, qui Damascum occupaverat, se conjunxit & Syriæ regnum occupavit: & Salomoni regi Deo ei propter idololatriam infenso, adversarius extitit. 3. Reg. 11. Alius ab Achabo, Israelis rege bis prælio captus, atque amicè habitus ac liberatus, post initam pacem, cùm injuriarum loco beneficia accepisset, iterum Judæis bellum intulit: atque ut ostenderet quàm ingratè Achabi regis meritorum memoriam servaret, milites suos jussit aliis in prælio, quantum possent, parcere, vimque in unum Achabum ad eum perdendum vertere. Fulgosus *lib.* 5. *cap.* 3. Torniel. *A. M.* 3058.

Adadus, Damasci rex, à Davide cum viginti duobus Syrorum millibus occisus. 2. Sam. 8. V. *Jos. Antiq. l.* 7. *c.* 6.

Ada, *arum*, op. Asiæ. Strab. 13.

Adæi, Arabes Ægypto finitimi. Ptol.

Adæus, Mitylenæus de statuariis librum reliquit. Athen. *lib.* 13. ubi citatur ἐν τῷ περὶ ἀγαλματοποιῶν. Est item *Adæus*, qui ἐν τοῖς περὶ διαθέσεως, h. e. libris de *affectione* seu *dispositione*, ab eodem memoratur, *lib.* 11. V. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 39.

Adæus, Athenis quidam nomine singulari, singularis ipse Ἀλεκτρυών, Gallus gallinaceus ex eo cognominatus est, quòd cristam in capite gestaret, teste Athenæo *l.* 6. *XII. cap.* 8.

Adagarii, vide *Satagarii*.

Adagous, Hesych. Ἀδαγοῦς, θεός τις παρὰ Φρυξίν. Existimet aliquis rescribendum, Ἀδαδοῦς. Facilius subscriberem, nisi exponeret θεὸς Ἑρμαφρόδιτος, *Deus semivir*. Salm. θεὰς legit.

Adaia, sive *Adaias*, fil. Ethan, filii Zamma. 1. Chron. 2. Filius item Jeroboam. 1. Chron. 9. pater Ididæ, matris Josiæ. 4. Reg. 22.

Adalbero, Metensis episcopus. Euseb. *Adalbero Babius* Genuensis episcopus. Idem.

Adalbertus, Præceptor Lud. 4. Episcopus Augustan. evasit. Scripsit vitam Hariolphi, Abbatis d'Elvacutange, ubi & ipse prius Abbas erat, & obiit, sub Henr. Aucupe, an. 921. Voss. *de Histor. Lat. l.* 2. *c.* 39.

Adalbertus, Episc. Pragensis, primò Bohemis, dein Hungaris, tandem Prussis concionatus, ibi obiit. Surius, 23. *April.* Baronius *A. C.* 980. 996. V. *Adelbertus*.

Adalbertus, Arch. Magdeburgensis, totius Sclavoniæ Metropolit. an. 971. Alius, Hamburg. vel Brem. Ep. vitæ parùm laudatæ. Baron. A. C. 1065. V. *Adelbertus*.

Adalbertus, Eporregiæ Comes circa annum Domini 1405. Cuspinianus. V. *Adelbertus*.

Ad Albulas, locus in Mauritania Cæsariensi. Antonin.

Adaldagus, Archiepiscopus Hamburgensis, qui tres Episcopatus in Jutia constituit, Slesuicensem, Ripensem, & Arusiensem, cùm per annos quinquaginta trium Othonum Imperatorum curias sequutus fuisset, cancellariam administrasset, & multa, quæ extant Imperatorum nominibus, decreta & constitutiones concepisset. Crantzius *lib.* 4. *Saxon. cap.* 3. & *lib.* 3. *Metrop. cap.* 16 & 26.

Adalgarius, Aquitanus nobilis. Paul. Æmil. *lib.* 1.

Adalgarius, Monachus in Corbeiensi cœnobio Remberti socius, tandem ei successit in Episcopatu: à Formoso Romam vocatus, ad dicendam causam, de suo jure in Bremensem Ecclesiam,

non

non venit, neque legatum eò misit. Studio propagandæ religionis Christianæ ad gentes Aquilonares, sacerdotum collegium instituit. Præfuit Ecclesiæ annos viginti, & mortuus est anno Domini 909.

Adalgisius, Longobardus, Salerni princeps, Beneventi defensionem acceperat à Ludovico Secund. Lotharii filio: Græcorum verò promissis illectus, ad eos descivit cum omnibus Samnii, Lucaniæ & Campaniæ oppidis: at cùm Ludovicus recepisset omnia oppida, quæ defecerant, Adalgisius in Corsicam Insulam fugit. Chron. Philip. *lib.* 4.

Adalgothus, undecimus Archiepiscopus Magdeburgensis, qui sub Henrico IV. Imp. instituit, ut quotannis, per Quadragesimæ singulos dies, centum pauperibus singuli panes cum singulis halecibus tribuantur. Crantzius *lib.* 4. *metrop. cap.* 32.

Adalia, filius Aman filii Amadatha. Esth. 9.

Adalualdus, Agilulfi filius, Longobardorum rex à populo puer adhuc salutatus, atque insigni regio decoratus in Circo, patre ipso assidente. Cùm ad eum Eusebius, ab Heraclio Imperatore, legatus venisset, sive jussum Imperatoris, sive consilium suum sequutus, Adalualdo è balneo exeunti poculum specie salutiferum dedit: quo epoto rex desipere, ac planè mentis impos esse cœpit: quod ubi sensit Eusebius, ipsum & juvenem & amentem impulit, ut propriæ securitatis causâ principes Longobardorum è medio tolleret: cœptâ inde cæde, ac jam duodecim è primoribus interemptis, ne malum longiùs serperet, veriti Longobardi, ipsum anno 624. tumultu excito, regno cum regina matre Theodelinga exegerunt. Sigonius *lib.* 2. *regni Italici.*

Adalulfus, quidam summo inter Longobardos loco natus, qui Gundebergam Arioaldi Longobardorum regis uxorem de stupro interpellare ausus, cùm repulsam convitiumque tulisset, veritus ne ab ea proderetur, regem adiit, & apud eum reginam proditionis falsò accusavit: cujus verbis rex fidem habens, uxorem in arctam custodiam conjecit, atque per triennium habuit. Post tertium annum Clotarius rex Francorum, mulieris misericordiâ motus, legatos ad Arioaldum misit, perperam fecisse arguens, quòd Gundebergam ex regio Francorum sanguine ortam injustâ causâ damnasset, atque honore suo dispoliasset: Rege autem se justam causam habere dicente, Ansoaldus è legatis unus, facilè id tibi assentiemur, inquit, si quem ex reginæ familiaribus, singulari cum accusatore commisso certamine, reginam ipsam permiseris expiare (hæc erat antiqua Longobardorum consuetudo, ut crimina vel maxima singulari prælio purgarentur, quæ postea in leges translata, per multa tempora observata est) quibus dictis Pitto quidam, ab Arriperto reginæ consobrino productus cum Adalulfo est comparatus. Certamine inito, à veritate victoria stetit: itaque prostrato Adalulfo victus Arioaldus reginam è custodia eduxit, atque in antiquum locum gratiæ honorisque restituit. Sigonius *lib.* 2. *regni Italici.*

Adalunga, Vide *Haubertinga.*

Adam, nomen primi hominis à Deo conditi. Gen. 2. V. Jos. *Antiq. l.* 1. *c.* 7. De duabus columnis, quæ ei attribuuntur, August. *de C. D. l.* 18. *c.* 38. Pamelius *in Tertul.* Nomen etiam commune, quo Deus virum & fœminam appellavit. Est & nomen urbis, Jos. 3. Cæterùm de Adamo, vide Suidam in voce Ἀδὰμ; Josephum, Philonem Judæum, &c.

Adam, Græcis Κρόνος, Latinis *Saturnus.* Gallis *Dis*, Germanis *Mannus.* In tribus ejus filiis trium Saturni liberorum memoria deprehenditur. Quippe *Abel* est *Pluto*, primus morti, & sepulcro, i. e. inferis traditus. *Cain* est *Neptunus*, habitans in terrâ *Nod*, vagus semper, & instabilis. *Seth Jupiter*, pater filiorum Dei, in cujus familiâ invocatum nomen Jehovæ. Hornius.

Adam de Barkinge, Historicus, sub Johanne Franc. R. Voss. *de Histor. Lat. c.* 56.

Adam de Bremen, scripsit historiam Eccl. à Carolo M. ad Henr. 4. in qua fidem in Septentrione propagatam enarrat: Item, de situ Daniæ edidit opusculum. Vixit circa. ann. 1070. Idem.

Adam Goddam, Anglus, circa an. 1330. scripsit in 4. libros sententiarum. Bellarm. *de Scriptor. Eccl.*

Adam de Muremuth, Canonicus Londin. scripsit duo Chronica sui temporis, circa An. 1380. Vossius *de Hist. Lat.* &c.

Adama, vel *Admah*, urbs Pentapoleos. Gen. 14. Urbs igne cœlesti consumta. V. *Adana.*

Adaman, cognomine *Celudus*, Scriptor Scotus, circa An. 699. Voss. *de Hist. Lat.* 2. 7. *de Mathem.* 67. §. 15. 70. §. 2.

Adamana, urbs Asiæ in Cœlesyria, 15. leucis distat Damasco.

Adamantæa, Jovis nutrix, cui à Junone, in Cretensi Insula, nutriendus datus est: illa eum in cunis in arbore suspendit, ut neque cœlo, neque terrâ, neque mari inveniretur: & ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes convocavit, eisque clypeola ænea & hastas dedit, & jussit eos circa arborem euntes crepare. Hyginus *cap.* 139 *fabul.*

Adamantis, Indiæ extra Gangem fluv. Ptolom.

Adamantium, Bisinani Principis oppidum est, in Calabria inferiore. Metellus.

Adamas, fluvius in sinu Gangetico. Ptol.

Adamas, à Cotye, Thraciæ Rege, puer testes exectus; ob quam injuriam, postea grandior factus, ab eo defecit. *Aristot.* V. *Pol. X.*

Adamastor, apud Claudianum *Damastor* dici putatur, in Gigantomachiâ:

—— Sævusq; Damastor,
Ad depellendos jaculum dum quæreret hostes.

Sidon. Apol. *Porphyrion Pangæa rapit, Rhodopemq; Damastor.*

Adami, civitas in tribu Nephtalim, quæ imperio *urbis* Neceb subjecta erat. Dicta est *Adami*, quod hebræis rubrum significat, à soli, in quo sita est, rubedine. *Josua.* 19. *Ademni. Anneceb* legunt. 70. Interpretes. Vide *Edema.*

Adami spelunca, locus in tribu Juda in rupe, ubi feruntur Adam & Eva flevisse Abelem filium suum, à Caino fratre interfectum, annis centum: & in qua visuntur lecti eorum saxei, habentes in longitudine 30. pedes: fons item in spelunca scaturit, de quo bibisse feruntur primi parentes nostri. Broc. & Breidemb. *itin.* 6. Saligniac. *tom.* 10. *c.* 5.

Adamiani, vel, *Adamitæ*, hæretici ab Adam nominati, cujus imitantur in Paradiso nuditatem, quæ fuit ante peccatum. Credebant enim quòd nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Nudi itaque mares, fœminæque conveniunt; nudi lectiones audiunt; nudi celebrant sacramenta. Hæresis planè horrenda, à Carpocratianis invecta, & à nonnullis fanaticis (proh pudor) nostro seculo renovata. Quos Gentibus, quæ Deum ignorant, viliores meritò dixeris. Siquidem optimè Ennius apud Ciceronem,

Principium flagitii est nudari inter cives corpora.

Et Gyges apud Herod. *Musâ primâ.* Ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή, h. e. *mulier exutâ tunicâ, & verecundiam pariter exuit.* De his V. Clem. Alex. *l.* 3. *&* 7. *Strom.* Eorum similibus, Genebr. *in Alex.* 2. An aliquæ in Polonia & Anglia reliquiæ? Boter. *p.* 3. *l.* 1.

Adana, urbs Ciliciæ Ptolemæo. Vulgò *Adena*, vide Steph. long. 66. 40. lat. 39. 10. Urbs item ad Euphratem. *Steph.* Item, Arabiæ felicis mediterranea, Eid.

Ad Angelos, vide *Angelorum locus.*

Adani, *orum*, duæ insulæ in Arabiâ felici Ptolemæo, Vide Voss. *in Melam. pag.* 301.

Ad Ansam, Angliæ urbs apud Antoninum, *Ithancester* Camdeno.

Adaovi, pop. Afr. in ora Guineæ.

Adapa, Galatiæ fortè opp. apud Cedrenum. Eam Basilius Macedo Imp. multa vi, sed frustra oppugnavit. Zonaræ *Adata.*

Adapera, V. *Apera.*

Ad Aquas, Antonino, quas idem *Ad Larodas* cognominat. Siciliæ urbs, quam Simlerus *Xacca* vocari dicit.

Ad aquas salsas, Monasterium sic dictum, & exstructum ab Heraclio Imp atque ab illo *Heraclianum* nominatum, scribit Otho Frising. *l.* 5. *c.* 9.

Ad Aquilam, V. *Aquila.*

Ad Aquilas, Atticæ locus apud Pausaniam. Locus est etiam vicesimo à Ravennâ milliari. Sic item appellatur vetustus pagus prope Treviros, quem vulgo *Igle*, vel *Aigle* dicunt. Item, opp. Normanniæ. Ad Rillam fluv. V. *Aquila.*

Adar, 8. Rex in Edom. Gen. 36. qui 2. Chron 1. dicitur *Adad.* Item, villa & terminus terræ Chanaan. Num. 34. Nomen etiam mensis apud Hebræos, respondentis nostro Februario, Sigon. *de Rep. Jud.* Torniel A. M. 2545. n. 38. Item, filius Balæ, filii Benjamin. 1. Par. 8.

Adara, vicus magnus Stephano. Eidem est tertiæ Palæstinæ locus inter Areopolin, & Characmobam. Locus corruptus, ac è Stephano ipso restituendus. Ἄδαρα πόλις (inquit ille) πόλις Περσική. ἔστι δὲ καὶ Ἄδαρα, ὑδὲπέρως κώμη μεγάλη. Τρίτη Παλαιστίνης, μεταξὺ χαρακμώβων, καὶ Ἀρεοπόλεως.

Adara, villa in finibus Diospoleos, juxta Thannaticam regionem. Est & civitas tribus Ephraim, teste Hieron. *in loc. hebr.* Opp. etiam Hiberniæ, in Momonia Orient. ad fluv. Mayum. 12. mill. pass. à Limenio distat in meridiem; deficitque indies.

Ad Aras, Hisp. urbs, inter Hispalim & Cordubam.

Adarbigani, V. *Ardabigara.*

Ad Caballos, vide *Tiberiacum.*

Ad Calculos, V. *Psephis.*

Ad Candidam Casam, locus Prov. Berniciorum. Bedæ Insula videtur.

Ad Capræ paludes, vide *Caprilia.*

Ad Capsu Juliani, locus Africæ. Sch. 3. Peuting.

Ad Casas Cæsarianas Antonino, quas idem *ad Fines* appellat, locus est in Italia, quem Simlerus *S. Cassiano* vocari ait; in Tuscia.

Ad Centesimum, locus Italiæ 107. M. P. ab urbe distans, versus Adriam. Anton.

Ad Centuriones, V. *Centuriones.*

Ad Cepasias, V. *Cepasia*.

Ad Columellas, locus est sexto à Ravenna lapide, quo Hen. Rubeus scribit Majoranum Augustum in Imper. creatum.

Ad Crispas, V. *Crispa*.

Ad Decimum, il Borghetto, opp. Italiæ, 10. mill. pass. ab Urbe, Anconam versus.

Ad Decimum septimum, V. *ad Septimum*.

Ad Dianam, V. *Diana*.

Ad Dracones, in Mauritaniâ Cæsariensi locus, item in Armenia majori. Anton.

Ad Duodecimum, locus inter Mosam & Rhenum. Tab. 3. Peuting.

Ad Duos pontes, locus Hisp. inter Bracaram, & Asturicam. Anton.

Ad Ficos, V. *Ficus*, & *Sistinense*.

Ad Fines, *Pfin.* op. non Rhætiç, ut scribit Ortel. sed Helvetiç. Item op. Belgii in Hannoniç & Leodiens. ditionis confinio, ad Sabim flu. à Montib. 4. Leuc. in Ort. Namurcum versus. Vulgo *Tuin. ad Fines* quoque in Liburniæ, & Pannoniæ conf. hodiè *Samaguar*.

Ad Fratres, locus in Mauritaniâ Cæsariensi. Anton.

Ad Gallinas, villa Cæsarum in ipsâ Tiburis ripâ. Vide Cluver. *De Italiâ Ant. pag.* 527. Antea *Vejentanum*. Plin. 15.30. & Suet. in Galba.

Ad Gallum Gallinaceum. Vide *Via*.

Ad Gradus, vide *Massalioticum*.

Ad Herculem, apud Antoninum, videtur Ortelio *Ligorno* Etruriç portus, ad mare mediterraneum. *Ad Herculem Castra*, sic nominat Antoninus Pannonæ locum: item circa Gades, *Ad Herculem*, & *Castra Herculis*, sunt in libro Notitiarum, duo diversa loca Pannoniç. Vide *Herculia*, & *Herculis portus*.

Ad Innocentes, locus apud Mediolanum, ubi Dioclis & Diodori quorundam memoriam coluisse Christianos, testis est Ammianus. 27.

Ad Lapidem, locus Angliæ; *Stoneham*, teste Camdeno.

Ad Lapides atros, vide *Lapides*.

Ad Larodas, vide *Ad Aquas*.

Ad Lippos, Hisp. Bæticæ locus, inter Salmanticam & Emeritam. Anton.

Ad Malum, Liburniæ urbs. Anton.

Ad Marcium, locus non procul à Lanuvio. Liv. *lib.* 6.

Ad Marcum, vide *Margum*.

Ad Marios, vide *Mercurius*, eo loco quo significat loci nomen.

Ad Martis, Italiæ locus inter Narniam & Mevaniam. Anton. Item locus inter Segusium & Brigantionem in Alpibus, fortè *Martis Vertex* Ammiano Marcellino.

Ad Matrem Magnam, cœnobium præclarum Hirpinorum in monte excelso, ab Abellino urbe 4. mil. pass. distans, vulgo *M. Virgine*. Ubi caput totius Ordinis cognominis.

Ad Mauros, pagus Norici in Austriâ. Lib. Notit. *Maurkirchen* Lazio.

Ad Morum, locus Hisp. inter Acci & Carthaginem Spartariam. Anton.

Ad Muros, Austriæ op. Anton. *Sumerein* Lazio.

Ad Murum, villa Albionis in Angliæ Scotiæque conf. *Walltowne*, teste Camdeno.

Ad nonum, Venetiæ *Mestre*, opp. Marchiæ Tarvisinç, prope Venetias, ad Musonem fluv.

Ad Novas, vide *Nova*.

Ad Oculum Marium, Africæ locus in tabula Peutingeriana, à M. Velsero edita.

Ad Olivam, locus Mauritaniæ Cæsariensis, apud Antoninum. *Olivensis* meminit Collatio Carthaginensis.

Ad Palatium, vicus inter Tridentum & Veronam. Anton. *Palazzo* hodiè Simlero.

Ad Paludes, locus Arabiæ Straboni. *Arabicas Paludes* vocat Solinus.

Ad Perticas, prope Ticinum, *S. Maria delle Pertiche*, vicus Italiæ, in Ducatu Mediolanensi, prope Paviam.

Ad Pinum, locus in Samnio. Anton.

Ad Pistores, vide *Pistoria*.

Ad Pontem, Hispaniæ locus circa Gades. Anton. vide *Pons* & *Pons Ælii*.

Ad Pontum, op. Albionis in Angliâ, *Pons Ælius* in Lib. Notit. medium inter Lindum urbem, & Verometum op. 19. mil. pass. Londinum versus. *Paunton*, teste Camdeno. Item Hisp. locus circa Gades. Anton.

Ad Portum, locus Mauritaniæ Cæsariensis. Scheda 3. Peutingeriana.

Ad Publicanos, Gall Narbonensis locus. Anton.

Ad Pulvinos, locus maritimus in Sardiniâ. D. Paulinus *ad Macar.*

Ad Putea, in Hispania locus Antonino, inter Liminium & Cæsaraugustam: *Ad Puteal* mavult scribere Hieronymus Surita.

Ad Pyrum, urbs Germ. super. vide Spira. V. *Pyrimons*.

Ad Regias, Mauritaniæ Cæsariensis locus. Anton.

Ad Rotam, Anton. Simlerus scribit, eam esse Numidiæ urbem, quam D. Augustinus *lib.* 3. *contra Crescentium*, *Rotariam* vocat.

Ad Rubras, Hisp. Bæticæ locus, circa Anæ flu. ostium.

Ad Rubras Petras, Italiæ locus: ejus meminit Martialis, *Lib.* 4. *Ep.* 64.

Fidenas veteres, brevesq́ Rubras.

Ad Salices, circa Danubii ostia locus in Mœsiâ infer. Anton.

Ad Salinas, vide *Publicii* vicus.

Ad Septem aras, vide *Septem aræ*.

Ad Septem fratres, urbs Maurit. Tingitanæ, sic dicta ab æqualitate septem montium; vulgò *Ceuta*. V. *Septem fratres*.

Ad Septimum, locus Hisp. inter Asturicam & Tarraconem. Anton. Simlerus legit, *Ad Decimum Septimum*.

Ad Sex Insulas, & *ad tres Insulas*, loca Maurit. Tingitanæ. Anton.

Ad Silanum, Galliæ locus circa Garumnæ fontes. Scheda 3. Peutingeriana.

Ad Sorores, pagus Hisp. Lusit. apud Emeritam urbem. Anton. *Val de Fuentes*, teste Jac. Delgato.

Ad Stabulum, in Mauritania Cæsariensi. Scheda 3. Peutingeriana.

Ad Statuam, ad fretum Mamertinum locus: vide *Muranum*.

Ad Statuas Colossas, urbs Hungariæ ad Danubium. Lib. Notit. *Colocza* Lazio. Item locus inter Aretium & Clusium Tusciæ urbes. Anton. Et in Hispaniâ circa Sucronem. V. *Colocia*.

Ad Titulos, Liburniæ urbs. Anton.

Ad Tres Insulas, vide *ad Sex Insulas*.

Ad Tricesimum, vide *Tricesimum*.

Ad Turrem, Sardiniæ urbs Antonino, *Turres* vocavit Vict. Uticensis. Vide *Plubium*.

Ad Turres, Antonino Italiæ urbs: in Calabria sita est: & Blazio dici scribit Barrius: Eidem Antonino in Liburnia quoque urbs. Vide *Turris*.

Ad Ursum pileatum, locus urbis Romæ, ubi nunc ædes S. Balbinæ.

Adarchias, sive ut *lib.* 8. *cap.* 6 scribitur *Atharias*, in exercitu Alexandri omissum apud Alicarnassum à junioribus prælium, unus maximè, & quidem jam ætate provectus, accendit: Idcirco à rege in fortitudinis præmium Chiliarchiâ donatus, Curt. V. 10.

Adarchida, gens Lybica. Steph.

Adareser, filius Rehob. rex Saba. 2. Reg. 8.

Adari, Arabiæ Felicis opidum. Ptol.

Adarima, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Adarsa, civitas juxta quam Judas Machabæus, cum tribus millibus prostravit Nicanorem. 1. Machab. 7.

Adarupolis, urbs Persica. Steph.

Adasa, Palæstinæ locus, Josuæ. 15.

Adasathra, Ptolemæo, *Adisathra* Interpreti, Indiæ intra Gangem opidum.

Adaser, nomen urbis. 1. Macchab. 7. Lege *Adasa*.

Adaspios, populos Asiæ habet Orosius 3. *cap.* 18. ab Alexandro Magno subjugatos. *Adharpios* legit membraneus codex manuscriptus Ortelii. *Aspios* hoc tractu novit Arrianus. vide *Hydaspios*.

Adastrus, Phryx.

Adata, vide *Adada*, & *Adapa*.

Adattha, Armeniæ maj. urbs in Rhavenæ præfecturâ. Ptol.

Adaugmagdum, Africæ urbs, apud Antoninum.

Adazer, urbs. 1. Machab. 7.

Adbaris, vide *Barium*.

Adbeel, Filius Ismaelis. Genes. 25.

Adbelum, opidum *Plin.* 5. 23. 37. V. *ad Belum*.

Adbuccillus, Galli cujusdam nomen apud Cæs. Com. *l.* 3.

Adcantuannus, dux Aquitanicus. Cæsar de bello Gallico, *lib.* 3. ubi tamen Maximus Planudes, seu quisquis alius vetus Græcus Interpres Ἀδκαντῆνος legit.

Addaa, Mesopotamiæ urbs, Ptolemæo.

Addar, Palæstinæ locus, Iof. 16. in sorte Benjamin. Hieron. *in locis Hebraicis*.

Addaram, in Palæstina locus. Jos. 15.

Addas, aliis *Theodolfus* & *Tredulfus*, secundus Rex Saxonum, in Northumbria Angliæ. Idæ successor, regnavit ann. 32. seculo 6. *Polyd. Virgilius*. *l.* 4.

Addemne, locus in tribu Nephthalim. Hier. *in l. Heb.*

Addense, municipium, in Mauritania Sithiphensi. Ammianus.

Addephagia, Edacitas, Dea Siculorum. Ælian. *Var. Hist.* 1. 27. Hujus templum in Sicilia visebatur, Cœlius, *l.* 7. *c.* 11.

Addi, pater Melchi. Luc. 3.

Addianum, Africæ propriæ urbs, circa flipponem Regium: Antonino. Vide *Diana*.

Addida, urbem Judææ habet Joseph. *Antiquit.* 13. super montem

rem sitam, unde Judeæ campi patescunt. ἄδιδος est 1 Machab.13. *Adus* legit D. Hieronymus: vide *Adida*.

Addo, filius Joah. 1. Paral. 6. Pater item Barachiæ. Aliàs *Iddo*. Item nomen Prophetę. 2. Paral. 9. V. etiam *Adon*.

Addomin, in tribu Judę, hodie Maledomin vocatur. D. Hieron. *in Loc. Hebr*.

Addon, nomen loci, 2. Esdr. 7. qui & *Adon*, 1. Esdr. 2.

Addua, flu. Galliæ Cisalpinę, qui, ut nonnullis placet, Larium lacum ingreditur, & ex eo integer emergens in Padum influit: bonos quidem pisces nutrit, & potissimum tinulos. Plin. *lib.* 2 *cap* 103. *Adua* dicitur Polybio, *Aduas* Straboni. Davity fl. Vallis Telinæ habet, cujus sabulo aurum permixtum nitet. Claudianus de 6. Consulatu Honorii,

—— *Celer Addua nostro*
Sulcatur socero. ——

Idem *ibidem*.

Colla levant pulcher Ticinus & Addua visu
Cærulus. ——

Idem *alibi*,

Addua quo scissas spumosior incitat undas.

Sidonius Apollinaris,

Ulvosum Lambrum, cæruleum Adduam, velocem Athesim.

Addua Glarea, Giera d'Adda, regiuncula Italiæ, in Duc. Mediolanensi, inter *Adduam*, & Serium fluvios, celebris victoriâ Lud. XII. Francorum R. contra Venetos, prope vicum *Agnadello* in illo tractu.

Addus, Civ. in tribu Ephr. sita in monte, unde patebat longè prospectus in subjectum campum.

Addus, fl. Vallis Telinę aurifer, Davity. V. *Addua*.

Addyma, op. Mauritan. Cæsar. mediterraneum. Ptol. *Ted Velez*, ut aliquibus videtur.

Adea, regnum Africę, in ora Orient. Æthiopię, ubi Magodoxium Urbs cum portu, in Zanguebaria regione. V. Sanut. *l.* 12.

Adeba, Ilercaonum urbs in Hisp. Ptol.

Adeda, opp. Hispaniæ, ubi forsan *Amposta*, ad ostia Iberi fluv. in Catlonia Prov. Sansoni est *Adobra* supra Dertusam.

Adedi, vicus Arabiæ Felicis. Ptol. V. *Aden*.

Adel, Suecię R. filius, an nepos Gothari R. Suecorum & Gothorum. Obiit, equo excussus, ad fores templi Dianæ. *Histor. Suec.*

Adel, regnum Africę, in ora Orient. Æthiopiæ, cum urbe cognom. versus fauces maris rubri, in Zanguebaria reg. ad *Adelum* fluv. V. *Histor. Æthiop.* Urretę, *l.* 1. *c.* 32. Marmol. *l.* 10. *c.* 7. Aliis *Azania*. V. ibi.

Adela, Ludovici Gallorum regis filia, quam Ricardus Anglus ob suspicionem violatę virginitatis repudiavit. Polydor. *lib.* 13. & 14. & Ludovic. Vives de *officio mariti*.

Adelardus, Abbas quidam, qui corpus Edgari, regis Anglorum Glascoviæ integrum & incorruptum inventum, cùm angusto loculo includere non posset, ferro lęsit, unde exemplò sanguis promanavit largus: quo viso exterritus, temploque egressus, brevi pòst obiit. Vincentius *lib.* 25. *cap.* 13.

Adelhais, vel potius *Adelhais*, vidua Lotharii Imperatoris. Ottoni M. postmodum nupsit, Ottonis Jun. Henrici, Brunonis & filiæ cognom. quam Hugo Capetus duxit, ex illo mater. Flodoard. *in Chron.* Paul. Æmil. *l.* 3. Baron. A. C. 973. V. *Adeleis*, & *Adelheidis*.

Adelbero, Boiorum Dux, Cunegundę Imperatricis frater. Aventinus *hist. Bojorum*.

Adelbertus, Babembergę regulus, ab Attone Moguntiæ Episcopo, ultra fidem datam, iniquè traditur Ludovico regi hosti suo capitali.

Adelbertus, Episc. Pragensis, Bohemos ob malam vitam deseruit: Ungarorum plurimos, cum Stephano R. convertit: in Polonia Arch. Gnieznensis creatus docuit: sub finem sec. 10. V. infra.

Adelbertus, sive Albertus, Bavarię Comes, ab Henrico III. Imperatore, Archiepiscopatum Hamburgensem & Bremensem assecutus, Metropolitanus Aquilonarium regnorum: cùm sub Henrico IV. puero Imperii gubernacula teneret, in eos qui vel in regem Henricum manus injecissent, vel Ecclesiastica bona invasissent, animadversionem meditatus, conspiratione principum, Hannonis præsertim Coloniensis Archiepiscopi, ex aula pulsus, ab Ordulfo & Magno Saxonię Ducibus, fortunis omnibus exutus, alienâ misericordiâ per triennium exul vixit. In gratiam receptus ab Imp. cum Coloniense quoque in gratiam rediit, & Vicedominatum adeptus est. Gloriæ tantum indulsit, ut non jam Latino more Ecclesiastica vellet obire ministeria, sed nescio quâ Græcorum consuetudine per tres missas, quibus adstitit, ubicunque esset, duodecim modulari præcepit officia, omnia magna quærens, omnia mirabilia, omnia gloriosa, divinis & humanis in rebus: & ideo dicitur fumo delectatus aromatum, & fulgurationε luminum, & tonitruis altè boantium vocum: quę omnia traxità lectione Vet. Testamenti, ubi majestas Domini dicitur apparuisse in monte Sinai: plurima insuper ambitionis suæ indicia protulit: tandem gravissimo dysenterię morbo correptus, & usque ad ossa attenuatus spiritum exhalavit, anno 1062. Crantzius *lib.* 4. & 5. *Metropol.*

Adelbertus, Eporœdię Marchio, qui Berengarii gener erat, atque ex filia ejus Gisla Berengarium genuerat, eum, qui pòst & ipse regnum Italię tenuit: tantâ sanctitate ab ineunte pueritia fuit, ut si à venatione fortè revertens in pauperem incidisset, neque præsentem pecuniam, quam ei daret, habuisset, cornu, quod pretiosum collo gestabat, elargiretur, & pòst ab eo quanti ęstimaret, redimeret. At mox regnandi libidine accensus, ut Lambertum regem, sic pòst etiam socerum de regno deturbare studuit. Sigonius *lib.* 6. *regni Italici*. De *Adelberto*, seu *Berengario*, qui regno Italię, ab Ottone 1. cedere coactus est, 6. seculo. V. Genebr. *in Chron.*

Adelbertus, Hamburgensis Archiepiscopus, profusissimus & ambitiosissimus, videns ecclesiam suam, quam Adaldagus, decessor suus principum molestiâ liberam fecerat, iterum in id ipsum recidisse, summo nisu conatus est eam reddere pristinę suę libertati, ita ut nec dux, nec comes, nec aliqua judiciaria persona ullam jurisdictionem haberet in suo archiepiscopatu: quod cùm per summum multorum odium fieri non posset, totus ad auxilium palatii confugit, nec sibi, nec suis, nec ecclesię pepercit, Cęsarem Henricum III. & aulicos placando, dum modo id efficeret, ut ecclesia liberaretur: proinde tantos visus est in curia labores tolerasse, ut indefatigabilem ejus constantiam miratus Cęsar, ad omnia reipublicę consilia primum illum habere voluerit: expeditiones in Hungariam, Vandaliam, Italiam, Flandriam cum Cæsare fecit multas. Ædificiorum & pompæ splendore etiam cum regibus certans, humilitatem solis exhibuit servis Dei, pauperibus & peregrinis, adeò ut sępe, antequam cubitum iret, triginta aut ampliùs mendicantibus ipse genu flexo pedes lavaret: principibus autem seculi & coęqualibus suis humiliari nullo modo voluit. Crantzius *lib.* 4. *Metropol* sed hoc fortassis ambitioni tribuatur, majoribus vel paribus cedere nolle, ne te inferiorem esse fateare: minoribus per omnia cedere, quibus te superiorem esse nemo non sciat. Conspiratione principum imperii, ab aula Henrici IV. Imp. ejectus, nunquam balneis usus est, neque hilaris visus est, raroque concessit in publicum: ex dysenteria decumbenti, ex qua etiam periit, tanta fuit animi magnitudo, ut nunquam ab aliquo vellet sustentari, nunquam emitteret vocem doloris. Crantzius *lib.* 5 *Metropol.*

Adelbertus, Moguntinensis Archiepiscopus, Henricum filium contra Henricum IV. Imp. patrem concitavit: Imperatorem contra Paschalem II. P irritavit: Calixto II. ut Imperatorem excommunicaret, author fuit, unde bellum ingens civile in Germania exortum est. Saxonibus, uti rebellarent Imperatori, suasit. Aventinus *lib.* 5. Frisingensis *lib.* 7.

Adelbertus, Lucæ Marchio, suasu uxoris suæ Bertæ, inquieti ingenii fœminæ, occultè adversus Lambertum Imp. exercitum comparavit, in societatem ascito Hildebrando comite, regni cupiditate accensus: Lambertus autem, cùm per aliquot dies assiduis venationibus intentus cognovisset, Albertum cum diversis & infirmis copiis superare montem Bardonem, ne tempus in acciendo majore exercitu tereret, strenuos centum, quos secum in armis habebat, milites sumpsit, ac properè adversus hostem eduxit. Illi ex monte in campos ad burgum S. Domini degressi, cibo ac potui largiùs indulserunt: ac quieti se tradiderunt. Lambertus Placentiâ silentio noctis profectus, ac raptim agmine acto eos oppressit: ipse Adelbertus in præsepio, cùm ibi fortè latitaret, est captus. Sigonius *lib.* 6. *regni Italici*.

Adelbertus, Episcopus Pragensis, anno Christi 997. in Prussiam profectus, populum illum à gentili suo errore avertere conabatur: sed frustrà hanc sibi sumens operam, ab eis occisus, corpusque ejus in minutas partes dissectum, avibus in escam objectum est. V. supra.

Adelbertus, Wormatiensis Episcopus, frater Rudolphi Ducis Sueviæ, corpore monstroso (altero enim pedum claudus) supra modum vorax, corpore ita obeso & crasso fuit, ut aspicientibus incuteret horrorem: atque ipsâ adipis mole tandem suffocatus est, anno 1070. Chronicon Hirsaugiense.

Adelbertus, cognomento Ursus, Orientalis Sclaviæ Dominus, qui profligatis oppressisque Sclavorum contumacibus ad Havelam Albimque degentibus, Holandos, Flandros & Rheni accolas substituit, quibus urbes & oppida rursus incolenda dedit. Helmoldus *in Sclavorum Chronico. cap.* 89.

Adelburgis, matrona quædam in Falderensi parochia, in villa Horgene, Vicelino Episcopo Aldeburgensi, Vandalorum Apostolo, propter vitæ simplicitatem admodum familiaris: hanc pòst luminibus orbatam ille consolari frequentiùs solebat: post obitum ejus vidit mulier cæca in visione nocturna assistentem sibi Vicelinum, & de statu suo percunctantem: cui illa, quæ (inquit) mihi salus, quæ in tenebris sum, & lumen non aspicio? ille statim prætendens dexteram, signum crucis oculis ejus impressit, adhibens benedictionem, & abiit: manè facto evigilans mulier, visu recepto, prona cecidit in terram, prorumpens in gratiarum actionem: si fidem meretur Crantzius *lib.* 4. *Vandal cap.* 20.

Adeldagus

Adeldagus, Episcopus, trium Othonum cancellarius, qui Haraldum Daniæ regem baptizavit, & multos doctores ad Septentrionales misit.

Adeleis, Ruscorum regis filia, uxor Henrici IV. Imp. in quam cùm acerbum odium concepisset, in carcerem conditam omni contumeliarum genere afficiendam ac propè lacerandam susceperat: itaque ad cætera illata probra cùm Nicolaitarum more multis eam stuprandam prostravisset, idem Conrado etiam filio ut faceret, imperavit: addidit inde flagitio contumeliam. His de rebus Adeleis cùm fortè pavens è carcere evasisset, ad Mathildem Lombardiæ & Tusciæ principem, Henrici hostem, in Italiam se recepit, ac supplex misericordiæ ejus subsidium imploravit. Mathildis benignè exceptam Urbano II. Pontifici commendavit. Urbanus verbis mulierem consolatus, atque ut in monasterium iniret hortatus, remisit domum. Sigonius *lib. 9. regni Italici.*

Adeleta, uxor Lotharii Imp. quo defunctò à Berengario, qui Veronæ Imperator declaratus fuerat, in Gardensem arcem relegata, ibi ad id inopiæ redacta est, ut, emendicato per nuntium cibo, calamitosam tueretur vitam: ergo clàm ex Garda profecta, ad Alcardum Veronæ antistitem se contulit: is, quia locum, ubi tam illustris fœmina latere posset, non habebat, eam ad Accionem avunculum suum, quondam Lotharii amicum, clandestinè misit: cujus operâ tam diu in suburbano quodam ad decimum lapidem latuit, quoad Othoni primo, uno Accione auspice, nupsit. Otho illam in Germaniam duxit, habuitque ex ea filium, qui Otho Secundus est postea cognominatus. Sabellicus *lib. 4. Decad. 1.*

Adelgerion, Regulus Germ. à Clodovæo I. victus, Ducalique dignitate contentus esse coactus est. Quidam illum faciunt primum Bavar. Ducem, Ammian. Marcell.

Adelgisus, Desiderii Longobardorum regis filius. Æmylius.

Adelgisus, Azorenorum Longobardiam infestantium Soldanus, qui legatum Capuanorum & Beneventanorum, ope à Basilio Imp. Constantinopolitano imploratâ redeuntem, lectis quas ferebat literis, sexcentis confodit ictibus. Cuspin. *in Basilio*, ex Zonara & Cedreno.

Adelhais, aliis *Praxeda*, uxor Henr. 2. de qua V. Bertold. & Baron. *A C.* 1094. 1095. Fuit idem nomen commune pluribus illustribus fœminis ex Francica, Sabaudica, Germaniæque familiis principalibus. Vid. *Adeleidis* & *Adelheidis*.

Adelhardus, Hirsaugiensis cœnobii monachus, religiosus & doctus, ex gravissimo capitis dolore visum amisit: ac pòst cessantibus doloribus, annis ferè 20. & tribus supervixit. Dono prophetiæ illustris erat cæcus: triennio enim antè, & diem & horam sui obitus fratribus indicavit: Monasterii vastationem quæ post annos 80. sequuta est, vivis coloribus ac si ejus spectator fuisset, depinxit. Mortuus anno 934. ætatis 78. Trithemius in *Hirsaugiensi Chronico.*

Adelheidis, Friderici Saxoniæ principis uxor, forma venusta, sed libidinum flammis furens, posthabito mariti sui thoro, cum Ludovico Thuringiæ Marchione clàm consuevit, & ut honestate conjugii facinus tegeret, cum adultero de tollendo conjuge consilium iniit. Itaque die quodam mœchus equitum turmâ stipatus ad colloquium evocat Adelheidem: quo finito, arci, vicinam sylvam ingreditur, atque in ea venari incipit. Adultera ex composito virum in balneis existentem accedit, magnamque animi indignationem simulans, ipsum timiditatis arguit, quòd Ludovicum ad arcem suam venari patiatur. Fridericus paucis comitantibus Ludovicum insequitur: ibi cùm ex verbis ad verbera perventum esset, Fridericus occubuit, anno 1065. Itaque Ludovicus & Adelheidis matrimonium nefarium contraxere. Chronicon Mersburgense *lib. 2. cap. 12.*

Adelheidis, Monialis quædam in partibus Rheni, in oppido Bingen: claruit anno 1140. cùm ad templum itura sese exquisitè ornasset, in via pedem arboris radici tanto impegit impetu, ut corrueret: elevata à pedisequis dixit, fiat quæso hæc corporis mei offensio & casus, animæ meæ resurrectio & salus: protinusque deposito mundo muliebri, tuguriolum quoddam ad parietes ecclesiæ ingressa est, & toto vitæ tempore se in eo continuit: frequenter rapta est in somnis, & didicit quæ non solùm eloqueretur, sed quod Latinè aliis dictaret: multa etiam prædixisse fertur. Nauclerus *generat.* 39. *Histor. Ulmensis.*

Adelhelmus, Durotellus, Inæ Anglorum Occidentalium regis ex patre nepos, in Bladunensi, vel Malmesburiensi cœnobio educatus, omnes theologos suæ ætatis superavit; moritur anno Christi 709.

Adelicia, Lotharinga, Henrici primi, Anglorum regis, uxor. Polydor. *lib.* 11.

Adelinda, Caroli Magni Imp. concubina, ex qua Theodericum procreavit. Cuspinianus.

Adelitti, & *Almoganeni*, populi Hispanis ita dicti, qui ex volatu avium, ex voce, ex ferarum occursu aliarumque rerum plurimarum ariolantur quid boni malique sit eventurum, deque auguriis omnibus prognosticis libros habent diligentissimè scriptos. Horum alteri sunt duces ac velut magistri, alteri comites ac discipuli. Est & alia horum peritia, investigare transitus non equorum modò jumentorumque, sed hominum quoque, per vestitam, per nudam, per duram humum, per lapides, per saxa, ut nec numerus eorum, qui transierunt, eos unquam fallat, qui appositâ voce *Investigatores* dici possunt. Laurentius Valla *lib. 1. Historiarum.*

Adellum, Hispaniæ opp. Antonino.

Adelman, Episc. Sebusianorum, scripsit contra Berengarium, de præsentia corporis Christi in S. cœna, Circa. an. 1060.

Adelmus, vel *Adhemarus*, ob eruditionem & probitatem, magno apud Carol. M. pretio. Scripsit historiam Franciæ, quam Aimon suæ totam inseruisse se fatetur, *l.* 4.

Adelon Adelingus, nomen Frisii cujusdam, qui sub Carolo M. de moribus Indorum scripsit, Abgillæ σύγχρονος, de quibus V. Voss. *l. 2. de histor. Lat.*

Adelphena, Francorum Regis filia, sumpta in matrimonium à Theodorico. Eusebius.

Adelphii, hæretici, vid. *Messalini.*

Adelphius, Consul Rom. Ætii collega, An. U. C. 1102.

Adolphius, Rauracensium Episcopus, (Basilea autem Rauracorum caput) primæ synodo, quam Franci post receptum Christianismum, ann. 514. Aureliis celebrarunt, interfuit, atque alteri postea, sub Childeberto R. ann. 537. ibidem coactæ, Asclepius presbyter, Adelphii vicarius, subscripsit. Urstisius *Histor. Basil.*

Adelphius, historicus, M. Antonino familiaris, qui ejus in Parthos expeditionem conscripsit, in quâ & ipse adfuit, & præfuit. Strabo *lib.* 11. Quanquam non displicet conjectura Casauboni legentis ὁ Δέλλιος. Ita sanè eum appellant Plutarchi codices in *Antonio*. Dioni quoque similiter vocatur, ex quo & prænomen ejus discimus, nam *Quintum Dellium* vocat. Vide quæ de eo prodidit, *libb.* 49. *&* 50. Sed M. Senecæ Suasoriâ primâ dicitur *Dellius*, uti & L. Senecæ, *lib. 1. de Clementiâ*, *cap.* 10. quanquam ibi vulgò sit *Duillius*. Sed *Dellius* legi debere, jamdudum Lipsio observatum, ad 1. *Annal. Taciti.* Etiam Horatii *lib. 2. Ode tertia* ad *Dellium* scripta est, imò in plerisque disertè legas *Q. Dellium*, ut illâ quæ ante seculum Basileæ cum Acronis commentariis prodiit: at nimis audacter pro eo Cruquius, contra omnium codicum fidem *L. Gellium* reponit.

Adelphius, Proconsularis vir, cujus uxor fuit docta illa Proba Falconia, cujus *Virgiliani Centones* hodiè leguntur.

Adelphonnesus, Vid. *Proconnesus.*

Adelphus, Chaucorum Princeps, cum valida manu, à Carolo M. Francorum Rege, in Britannos missus victor rediit.

Adelstanus, vel *Ethelstanus*, Angliæ Rex, Edoardi ex concubinâ filius, regnavit laudabiliter, annos 16. Saxonicè *gemma*, sive *lapis pretiosus*: nam *Ethel*, seu *Adel* est *Nobilis*, Camdeno.

Adeluardus, prædicator ab Adelberto Hamburgensi metropolitano missus in Sueoniam. Crantzius *lib.* 4. *Metrop. cap.* 33.

Adelulfus, Angliæ rex, qui anno 851. vulgatâ Leonis IV. Pontificis sanctitate permotus venit Romam, ac benignè exceptus, cùm ad basilicam S. Petri adisset, damnatus voti, regnum suum tributarium ecclesiæ Romanæ constituit, singulis familiis numo argenteo in annos singulos obligatis. Sigonius *lib. 5. regni Italici.*

Adelus, Gothorum & Sueonum rex, partâ de Danis magnâ victoriâ, fanum Dianæ Scythicæ pro agendis gratiis ingressurus, subito equi lapsu attritus periit. Joannes Magnus *lib* 8. *cap.* 22.

Adem, Arabiæ Fel. Emporium, celeberrimi nominis, quo ex Æthiopiâ, Indiâ, & Persidе negotiatores conveniunt. Urbs est magnifica; situ, & structurâ benè munita; ædificiorum nitore, atque frequentiâ celebris; muro & præcelsis septa montibus, in quorum summitatibus ardentes faces navigantibus portum ostendunt. Peninsulæ formam quandam obtinuit, nunc autem hominum industriâ, undique aquis ambitur. Osorius *in Hist. Emanuelis*, & Munster. *Cosmog. lib.* 5. Aliis *Aden*. Capta fuit An. 1538. à Turcis, qui à paucis annis inde ejecti fuere. Aliàs *Arabia* dicta fuit, 200. mil. pass. distat à faucibus maris rubri, in Cæciam, & totidem à Saba in Eurum. Vid. *Aden.*

Ademarus, Chronicon Aquitaniæ scripsit, cum Chronologiâ. Circa ann. 1110. Voss. *l. 3. c. 6. de Histor. Lat.*

Ademni, Vid. *Adama.*

Ademon, seu *Ædemon*, ulturus herum, Ptolomeum, quem Caligula occidi curavit, Suet. *in Calig. c.* 35. Mauritaniæ populos ad defectionem, sed infeliciter, solicitavit, Plin. *l. 5. cap.* 1. Dion. *l.* 60.

Aden, super. Æthiopiæ urbs, ann. 1513. ab Albuquercio frustra obsessa, Marmol. *l. 10. c.* 18. Maffæus, *l. 5. hist. Ind.* A Turcis capta, 1538. à Persis, 1605. V. plura *in Adem.*

Aden, mons argentifer, in regno Fezzæ, Marmol. 4. 119.

Adenulphus, Aquinatum Princeps, Hostiens. *l. 2. c.* 11.

Adenystra, Castellum permunitum, in Asia. Theodos. *ex Dione.*

Adeodatus, Romanus Episcopus. Euseb.

Adeodatus, dictus est Francorum Rex, Philippus Aug. quòd publicis

publicis votis ritè conceptis Ludovico Patri natus esset. Ludovicus item XIV. hodie feliciter regnans. Item, Joviniani Romani fil. post Vitalianum Pontifex, Sigebertus, Baron. *A. C.* 676.

Adeodatus, D. Augustini nothus, annorum ferè 15. ingenio multos graves doctosque viros præcelluit.

Adeona, Dea ab Ethnicis culta, quòd *adeundi* facultatem præstaret. Aug. *de Civ. Dei, lib.* 4. *cap.* 7. V. *Abeona.*

Ader, Idumæus, regio genere. V. *Adadus.*

Ader vel *Eder*, id est, Turris gregis, locus juxta Bethlehem, ubi Angelorum chorus in ortu Domini cecinerunt, & Jacob olim pecora sua pavit.

Aderbajon, vel *Adirbetzon*, prov. Persiæ, commercio Russorum, Polonorum & Moscorum, alumen & glastum inde petentium, celebris. Davity.

Aderbona, opp. Germ. in Pomerania sup. ad Oderam fluvium, paulo infra Stetinum, sub Suecis.

Aderburgum, opp. Germ. ad fluv. Oderam, in media Marchia Brandeburgensi, 9. leucis à Stetino.

Adercon, urbs Hisp. Steph.

Ades, sive *Hades*, Græcis Inferorum Deus, quem Latini *Ditem* & *Plutona*, vocant: ita dictus ab α priv. & εἴδειν *videre*, quòd in densissimis Inferorum tenebris, nocteque profundâ perpetuò agens, nihil cernere videatur. Non enim absque lucido aëre (qui apud Inferos nullus est) visio potest fieri. *Etymologus.* Ἅδης, χωρίον ἀφεγγὲς, σκότους αἰωνίου καὶ ζόφου πεπληρωμένον. Item *Hades* Molossorum Rex, cujus filiam, nomine Coram, apud Acherontem flu. conatus est rapere Pirithous, unde factus est fabulæ locus, Pirithoum ad Inferos descendisse, & uxorem Ditis Persephonem, quæ & Cora Græcis dicitur, rapere voluisse. Plut. *in Theseo.* Coel. Rhodig. *lib.* 7. *c.* 15. Qui tamen regem hunc non *Adem* sed *Aidoneum* vocat.

Ades, id est, *Orcus*, locus in Bithynia videtur circa Niceam, ex Zonara & Cedreno: *Plutonem* vertit Cabius, apud Curopalatem.

Adesa, Lyciæ flu. Chomam urbem præterfluens. Plinius. Item fluv. Germ. *Etsch*, qui ex Alpibus scaturiens, in sinum Venetum delabitur. Cluver.

Adessus, Vide *Badessus.*

Adgandestrius, Chattorum Princeps, ad Tiberium, & Senatum Rom. literas misit, quibus Arminii mortem promittebat, si patrandæ neci venenum ad se mitteretur, cui responsum est, *Non fraude, neque occultis, sed palam, & armatum Pop. Romanum hostes suos ulcisci solere.* Quâ gloriâ æquabat se Tiberius priscis Impp. qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderantque. Tac. 2. *Annal. finem versus.*

Adguesirensis, Episc. in Africa. Coll. Carthag.

Adharnaha, opp. Hetruriæ, Liv.

Adherbal, Micipsæ filius, Masinissæ nepos, à Jugurthâ aliquoties victus, frustra Romanorum auxilio implorato, demum Cirtæ deditione factâ, excruciatus necatur. Sallustius *in bello Jugurthino.*

Adhergena, vel *Adhegena*, urbs regni Bagamidri, in Abyssinia. Du Val.

Adhele, opp. Asiæ, in ditione magni Mogoris, & prov. Tatta, non procul ab ostiis Indi fluv.

Adia, Villa in tribu Simeonis, juxta Gazam. Hier. *in loc. Hebr.*

Adiabas, Vid. *Adjabene.*

Adiabatæ, Æthiopiæ pop. contra Meroën Nili insulam. *Adiabana* Plin. *lib.* 6. *cap.* 30. Hos aliqui *Megaboros* vocant. *Megabrodi* dicuntur Ptolemæo. Aliis *Adiaboræ.*

Adiabene, Assyriæ regio. Suidas & Stephanus scribunt, hanc quoque Mesenen vocari, quòd medio loco inter Euphratem ac Tigrim sita sit, unde & Mesopotamia dicitur. Verùm falluntur, uti postea docebimus in *Mesene.* Est autem *Adiabene* Assyria, propriè sic dicta, regio scilicet circa Ninum. Plinius, *Ultra Armeniam Adiabene, Assyria ante dicta.* Amm. Marcel *lib.* 33. *Juxta hunc circuitum Adiabena, Assyria priscis temporibus vocitata.* In Hebræorum libris *Adiabene* est הדייב *Hadiiab.* Græci sic dictam putarunt, quòd propter fluviorum amplitudinem & frequentiam fere esset ἀδιάβατος. Sed hunc errorem Ammianus jampridem correxit, *Adiabenen* dici monens à fluminibus *Diava*, & *Adiava.* *Deva* autem, vel si malis, *Diava*, Chaldæis est *lupus.* Itaque flumen *Diava* idem, qui Græcis *Lycus*, & articulo præfixo *Hadiab* est *Lycia*, sive *Lupina regio.* Populi vocantur *Adiabeni* Straboni, quem locum doctissimus Casaubonus præterivit intactum. Is autem est, καλοῦνται δὲ οἱ Ἀδιαβηνοὶ καὶ Σακκόποδες. In quem vir maximus in Solinum ita scribit; *Haud scio, quare sic dicti; nisi sit quod suspicor. Græci* Ἀδιαβηνοὺς *putarunt nominari*, quasi τοῦ διαβαίνειν *impotes, qui minimè possunt crura divaricare ad ambulandum, haud secus ac si pedes ambo intra saccum conditos haberent.* Hæc ille quidem acutè, ut solet. Bochartus verò aliter; nempe mendosè scribi putat pro Σωκόποδες. Illi autem Hesychio sunt Ἁβρόποδες, qui infracto gressu & suspenso mollitiem animi præ se ferunt.

Adiabenus, Agiras, Judæus quidam miles, qui cum duobus aliis Tito Hierosolymam oppugnante, stupendâ audaciâ raptis facibus per medias Romanorum legiones evolarunt, & ignem aggeribus injecerunt: quibus nec audaciores, nec terribiliores ulli eo in bello apparuere, cùm non secus atque ad amicos in agmen hostium irruerent. Josephus *lib.* 6. *c.* 12. *bell. Jud.*

Adiabla, Albaniæ civitas, Ptol. *lib.* 5. *c.* 12.

Adiaphorista, Vid. *Interim.*

Adiatorix, Demeneclii cujusdam Galatiæ Tetrarchæ filius fuit, qui cùm apud Heracleam Ponticam, Coloniam Rom. eò missam nocte unâ jussu Antonii jugulasset, paulò post in prælio Actiaco captus, & in triumpho circumductus, unâ cum filio jugulatus est. Strabo *lib.* 12. 14.

Adicara, opp. Arabiæ, in ora inferiori sinus Persici. Aliis *Idicara.*

Adida, Judææ Urbs, Jos. 13. *Antiq. c.* 23. & *belli Jud.* 5. 2. *Abida* Ptolomæi in Cœlesyria videtur Ortelio. Eadem fortè cum *Addida.*

Adidos, Vid. *Addida.*

Adiel, nomen Principis, 1. Paral. 4. Item filius Jeta. 1. Paralip. 9.

Adienus, fluvius circa Pontum Euxinum, Ἀδίηνος Arriano, de quo summum apud authores silentium.

Adigermarum, Urbs & patria Eleusii, qui vitam S. Theodori Archimandritæ descripsit. Circa Asiam minorem. Ortel. *in thes. geogr.*

Adilisius, mons, Plin. *lib.* 4. *cap.* 7. Lege *Adylisus.* Est autem in Græcia.

Adima, Numidiæ fluv. Item opp. Moscoviæ, ad Mooxam fluv. in Mordua. 70. mil. à Moscua urbe, in Ort.

Adimantus, quem, quòd candidam gestaret cristam, Aristophanes Λευκόλοφον appellat, unus ex Atheniensium Prætoribus, qui parti copiarum navalium præerat. Vide Auctorem Scholior. *in Ranas pag.* 282. E. Hic cum navibus suis à Spartanis captus, in vita conservatus est, reliquis omnibus occisis, quòd priùs decrevissent omnes captivos trucidare, solo illo non suffragante. Xenoph. *Hist. Græca, l.* 2. Pecuniâ eum à Spartanis corruptum refert, Pausan. *lib.* 4.

Adimantus, Platonis frater. Laërtius *lib.* 3. Fuit etiam hoc nomine Corinthiorum dux, qui cùm Themistocli exilium objiceret, *Num putas* (respondit Themistocles) *exulem quempiam esse, qui ducentas habeat triremes*? Suidas.

Adimantus, Rex Phliasiorum, qui cùm Jovem suis indignum sacrificiis judicaret, ab eo fulmine percussus est. Ovid. *in Ibin.*

Adingthona, opp. Angliæ, cum castro, in Surria prov. 7. mill. Angl. Londino in meridiem distans.

Adiochus, martyr sub Flavio Claudio, virgis atrociter cæsus, cùm per integri diei spatium manibus inversis pependisset, demum vecte confossus est. Sabellic. *Ennead. lib.* 7.

Adipson, Vid. *Gerrum.*

Adiris, Vid. *Atlas.*

Adis, Polybio *l.* 1. Carthaginiensium urbs in Africa est

Adisaga, Vid. *Adesaga.*

Adisamum, Taprobanæ urbs, Ptolemæo.

Adisathra, Vid. *Adasathra.*

Adisathrus, Indiæ intra Gangem mons: & *Adisathri* ibidem populi, Ptolemæo, qui *Xathri* fortè Arriano.

Adisdara, Indiæ intra Gangem oppidum. Ptolemæus.

Aditha, villa juxta Diospolim. Hieron. *in locis Hebr.*

Adithaim, Palæstinæ locus, Jos. 15. Ἀγιθαΐμ 70. Interpretibus.

Aditha, in lib. Notit. pro Arabiæ *oppido* legitur.

Adjuvense, Vid. *Juvense.*

Adlavus, barbarorum Northumbrorum in Britannia rex, Ethelstani, in propinqua Insula regnantis, exercitu pressus, cùm hostium ordines videre cuperet, mimi susceptâ personâ ac musici, ad Ethelstani tentoria profectus cecinit, munera accepit, & fortunæ felicitate magis quàm ratione adjutus, incolumis domum se recepit. Fulgosus *lib.* 9. *cap.* 8.

Admatha, Principis nomen. Esther 1. Item, Palæstinæ Urbs. Libr. Not.

Admedera Vid. *Amædara.*

Admete, nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theogon.*

Admetes, Turcarum Rex, de quo Bembus. Fortè pro *Achmetes.*

Admetus, Rex Pheræorum, pop. Thessaliæ, cujus armenta pavisse fertur Apollo novem annos, ob interfectos Cyclopas, divinâ potestate spoliatus. Callimachus *Hymn. in Apol.*

Φοῖβον, καὶ Νόμιον κικλήσκομεν ἐξ ἔτι κεῖνου
Ἐξ ὅτ' ἐπ' Ἀμφρύσσῳ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
Ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Cùm autem apud Admetum ipsum perquàm humaniter esset habitus, ad referendum patrono beneficium, impetravit à Parcis, ut cùm illarum fusis Admeti fatalis dies volveretur, hâc lege mortem effugeret, si quis reperiretur, qui illius vice mortem vellet oppetere. Cùm itaque dies mortis adesset, neque quisquam inveniretur mortis vicarius, recusantibus conditionem amicis omnibus, Alcestis uxor, capitis sui dispendio, vitam mariti redemit. Ovid. *de Art. Am. l.* 3.

Fata Pheratiadæ conjux Pagasæa redemit.

Idem *Ponticorum lib.* 3.

Si mea mors redimenda tuâ (quod abominor) esset,
Admeti conjux, quam sequereris, erat.

Seneca *in Medea,*

Conjugis fatum redimens Pheraei.

Statius 3. *Silvarum,*

Ergo Thessalici conjux pensare mariti
Funus. — — — — Vid. Eur. Callim.

Tibull. Apollod. *lib.* 2. *Biblioth.* Fulgent. *in myth.* Nat. Comitem.

Admetus, inter Duces Alexandri M. corporis & animi robore insignis; cùm ad Tyrum hostium impetum fortiter sustinuisset, & securi eidem medium caput fissum esset, exspiravit. Diod. *lib.* 17. *cap* 45.

Admetus, Poëta temporibus Neronis, qui (ut Lucianus in Demonacte) obscuri nominis fuit. Hic cùm Demonacti aliquando dixisset, se unius versus epigramma, h. e. monostichon scripsisse, quod testamento cavisset, ut sepulchro affigeretur, quod tale erat:

Γαῖα λάβ' Ἄδμητε ἔλυτρον, βῆ δ' εἰς θεὸν αὐτός.
Terra cape Admeti spolium, cœlum ipse petivit.

Ridens respondit Demonactes, bonum est, ô Admete, hoc monostichon, Sed voluissem ipsum pridem tuo sepulcro inscriptum fuisse.

Adminocinus, Bellini, Batavorum Regis, filius: à C. Caligula in deditionem acceptus est. Eutrop. *lib.* 7.

Admiralis Ins. in ora litt. Novæ Zemblæ, ad Septent. Mosc.

Admot, Vid. *Jaman.*

Adnamantia, Vid. *Anamasia.*

Ado, Episc. Viennensis, Historicus, scripsit de sex mundi ætatibus usque ad an. Christi DCCCC. claruit anno 980. Bodinus, Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 37.

Adoaldus, Rex Longobard. Vid. *Adrevaldus.*

Adobricus, Vide *Adrobicus.*

Adodus, Ἄδωδος βασιλεὺς θεῶν, apud Sanchoniathonem, qui cum Astarte, & Demaraonte regnasse dicitur in Phœnice. Assyriis etiam colebatur, teste Macrobio, qui & vocabulum interpretatur, Saturn. *lib.* . *cap.* 18. *Deo, quem summum maximumque venerantur*, Adad *nomen dederunt, ejus nominis interpretatio sonat unus.*

Adogit, in extrema parte Scandiæ gens, apud Jornandem.

Adolius, fil. Acatii, Armenus genere. Cœlius Rhod. *l.* 21.

Adolphus de Nassau, Cel. D. F. Aug. *XXXII.* Occidentis Imp. VIII. Idib. Jan. creatus. Olym. 517. an. 3. urb. cond. 2043. Christi 1292. Imperii negotia obiit per annos 6. menses totidem, dies aliquot. Ab Alberto, in prælio, prope Wormatiam occisus, postquam Imperio motus esset ab Electoribus. Vid. Vignier. *tom.* 2. *in an.* 1292. &c.

Adolphus, V. C. præn. *Clodius* in occidente Cos. Olym. 307. anno 2. urb. conditæ. 1202. Chr. 451.

Adolphus, Comes Holsatiæ, à Danorum jugo patriâ liberatâ, in Livonia etiam contra Ethnicos multa præclarè gessit. Crantz. 8. Saxo. 8. Spond. A. C. 1239. *n.* 22.

Adolphus, Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Mersburgensis Episcopus, factus anno 1514. regnavit annos duodecim, & mortuus anno 1526. Chronicon Ernesti Brodtauff *l.* 2. *c.* 56.

Adolphus, fil. Gothari, Suecorum R. domuit Danos. Histor. Suec. Alius Nassoviæ gentis, occisus est, Anno 1608. Grot. *Annal. Belg. lib.* 17.

Adolphus, Vid. *Gustavus Adolphus.*

Adommim, Mansio, Jos. 15. & 18.

Adon, Cynaræ, regis Cypriorum, & Myrrhæ filius. Boccatius. Item nomen loci. Vide *Addon.*

Adona, Vide *Adana.*

Adonacris, Vid. *Adovacris*, & *Odoacer.*

Adonai, nomen Dei apud Hebræos, *Dominus* Latinè, quòd creaturæ cunctæ dominetur.

Adoneus, Bacchi nomen apud Arabas.

Adonia, orum, festa Adonidi dicata. Ammianus Marcel. *l.* 22. *Evenerat iisdem diebus, annuo cursu completo, Adonia celebrari, ritu veteri, Amasio Veneris (ut fabulæ fingunt) apri dente ferali deleto.* Cum planctu autem celebrabantur ad luctum Veneris repræsentandum.

Adoniah, sive *Adonias*, quartus filiorum David ex Agguith, 1. Paralip. 3. Videns patrem exactâ ætate, summo senio confectum, & viribus deficientibus infirmum, consilia de regno adipiscendo cum Joab polemarcho, & Abiathare, sacerdote summo, miscere cœpit, quorum operâ coronam sibi ipsi, contra voluntatem & decretum patris, quo Salomon rex declaratus fuit, imposuit: tandem jussu Salomonis regis à Benaja occiditur, An. M. 3020. propter expetitam Abisag in uxorem. 1. Reg. 1. & 2. Vid. Joseph. Torniel. Salian.

Adonibezek, Chananæorum rex, cui Israëlitæ manuum ac pedum pollices absciderunt, qui tunc dixit, *Meritò isthæc patior. Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum pollicibus, colligebant sub mensâ meâ ciborum reliquias: sicut feci, ita mihi reddidit Dominus.* Jud. 1. Jos. *l.* 5. 2. Salianus, A. M. 2601.

Adoniram, filius Abda, qui erat super tributa Salomonis, quique triginta millibus hominum præfectus fuit, qui materiam cedrinam & pineam in Libano monte cęderent, ad Templi ædificationem. 3. Reg. 4. & 5.

Adonis, idis, filius Cynaræ, Cypriorum regis, & Myrrhæ ejus filiæ, quem Venus in deliciis habuit. Hic dum in Idalio nemore venabatur, primo ætatis flore, apri dente sub inguine percussus periit, atque à Venere post multas lacrymas in florem Adonium, qui est sanguinei coloris, transformatus est. Alii dicunt, eum in fluvium cecidisse, dum pulchritudinem suam nimium contemplaretur. Hunc Ausonius cum Plauto *Aidoneum* vocat, Fulgentio autem *Adon* dicitur. Et quia Myrrha suavis est, *Adonem* genuisse fingitur. Ideò autem Venerem eum amasse dicunt, quòd hoc genus pigmenti sit valde fervidum: Hieronymus eundem esse cum Thammuzo Hebræorum putat, unde in Ezechiele legitur, *Ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonida.* Ubi intelligi vult, fuisse Idololatriam celebratam in honorem *Adonidis*, in quâ plangitur quasi mortuus, & posteà reviviscens canitur, & laudatur. Quanquam nonnulli fortasse rectius exponant de planctu, qui fiebat propter mortem Osiridis ab Ægyptiis, quorum ritus imitabantur Judæi. Macrobius accipit *Adonidem* pro Sole, & Moschopulus, pro more Grammaticorum, ab ᾄδω deducit, i. e. *cano.* De eo festivissimè Theocritus *Idyl.* 30. & Bion *Idyl.* 1. qui eum Ἀσσύριον πόσιν Veneris vocat, aliqui enim Assyriorum regem fuisse dicunt. Quin & Orpheus in Hymnis Solem esse censet, cùm illum rebus omnibus præbere nutrimentum, & esse germinandi authorem dixerit in his:

Εὔβουλε, πολύμορφε, τροφὴ πάντων ἀρίδηλε,
Κούρη, καὶ κόρε σὺ πᾶσι, θάλος αἰὲν Ἄδωνι,
Σβεννύμενη λάμπων τε καλαῖς ἐν κυκλάσιν ὥραις.

Id est, Josepho Scaligero interprete;

Conse Deus, Volturne, alimentum nobile rerum,
Pusa, puer cunctis viridescens semper Adonis,
Occase & Redivive statis vertentibus annis.

Finxerunt autem antiqui, qui Adonim Solem esse putarunt, illum ab apro, hirsutâ & asperâ ferâ ictum, quia aspera sit hyems, & hirsuta, sub quâ Solis vires paulatim deficiunt. Ea res omnino Veneri est inimica, quoniam per aëris temperiem viret illa, cùm frigus, ut inimicum, naturæ opus non ingrediatur. Cùm Sol igitur in sex Australibus signis extiterit, per Signiferum incedens, tum dicitur *Adonis* apud inferos morari. Cùm verò signa Borealia longiores dies fecerint, tunc est apud Venerem, per quam omnis venustas arvis restituitur, eâque de causâ illum ait Orpheus modò esse apud superos, modò apud inferos. Alii, inter quos Theocriti Scholiastes, *Adonim* semen tritici esse statuunt, quod sex menses degit sub terrâ, sex menses illum habet Venus, h. e. aëris temperies. Verba ejus hæc sunt: Δοκεῖ ὁ Ἄδωνις μῆνας ἓξ παρὰ Περσεφόνη ποιεῖν, ὡς καὶ παρ' Ἀφροδίτη, ἄνευ τοῦ συγκαθεύδειν καὶ περιστερνίζεσθαι. Λέγουσι δὲ περὶ τοῦ Ἀδώνιδος, ὅτι καὶ ἀποθανὼν, ἓξ μῆνας ἐποίησεν ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Ἀφροδίτης, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Περσεφόνης. Τοῦτο δὲ τὸ λεγόμενον τοιοῦτόν ἐστιν ἀληθῶς, ὅτι ὁ Ἄδωνις, ἤγουν ὁ σῖτος ὁ σπειρόμενος, ἓξ μῆνας ἐν τῇ γῇ ποιεῖ ἀπὸ τῆς σπορᾶς, καὶ ἓξ μῆνας ἔχει αὐτὸν ἡ Ἀφροδίτη, τουτέστιν ἡ εὐκρασία τοῦ ἀέρος, καὶ ἔκτοτε λαμβάνουσιν αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι. Templum habuit in Byblo Phœniciæ urbe. Virgilius *in Gallo,*

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

Unde Theocrito dicitur ὡραῖος, *pulcher*; τριφίλατος, *ter*, hoc est, multùm *amabilis*; ῥοδόπαχυς, *roseos habens lacertos*, καλὸς, formosus, τερπνὸς *jucundus*. Et à Nonno χαρίεις, *gratiosus*, & ἱμερόεις, *desiderabilis* vocatur. Propertius *lib.* 2.

Testis qui niveum quondam percussit Adonim.

De hoc latè Ovidius *Met. lib.* 10. Notandum autem, inquit Bochartus, אדן *adan*, *salicem*, & אדון *adon*, *dominum*, unde dictus *Adonis*, easdem habere radicales. Indeque factum, ut *Adonis* Græcè diceretur Ἰταῖος h. e. *salignus*, tanquam ab ἰτέα, i. e. *salice* facto nomine. Hesychius Ἰταῖος ὁ Ἄδωνις. Sed & Κύρις pro Κύριος ex verâ significatione. Idem Hesychius Κύρις ὁ Ἄδωνις, quod idem est ac *Adon*, i. e. *dominus.* Quod Hesychium ipsum non latuit. Ἄδωνις, inquit, δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων. Sed & id ipsum Κιρὶς Lacedæmoniis. Hesych. Κιρὶς, Ἄδωνις, Λάκωνες. Et Gingram, aliud *Adonidis* Phœnicium nomen, idem significare infrà docebimus in *Gingras. Adonidis horti*, pro instructissimis, cæterùm de rebus ad voluptatem tantùm, nullam autem utilitatem comparatis. Sic dici etiam περὶ τῶν ἀκάρπων καὶ ὠκυμόρων annotat Eustathius. Vide Athen. *pag.* 89. Philostratum 7. 14. Zenobium *pag.* 17. Diogen. 177. Eust. *in Od.* λ. Plut. *in Sympos. l.* 5. *q.* 5. Alex. Rossæi *Mystagog. Poet.*

Adonis, flu. Phœniciæ, *Adonius* Ptolemæo & Luciano, qui scribit eum oriri ex Libano, & circa Byblim in mare effundi, quotannisque cruore infici, ipsumque mare magnâ parte purpureum efficere. *Canis* & *Narracebelle* incolis, teste Guil. Tyrio, & Postello.

Adonizedeck, rex Jerusalem, Vid. ejus historiam, Jos. 10. Lat. *dominus justitia.*

Adopissus,

Adopissus, Lycaoniæ in Cappadocia Urbs. Ptol.

Ador, Syriæ opp. Joseph. *Antiq.* 3.

Adoraim, Vid. *Aduram.*

Adoram, filius Jectan. Gen. 10. Item Officiarius Davidis, qui præerat tributo, 2. Reg. 20. Idem, vel alius, à populo lapidatus sub Rehaboamo. 3. Reg. 12.

Adoreus, mons Phrygiæ, ex quo Sangarius flu. erumpens per Phrygiam labitur in Bithyniam. V. *Didymus.*

Adorfum, opp. Germ. in Voigtlandia, in ditione Electoris Saxoniæ, ad fluv. *Elster.*

Adortianum, opp. Transylvaniæ, in confin. Hungariæ, juxta fluv. Berethon.

Adorsi, apud Tacitum *Annal.* 12. gentis nomen circa Bosporum: *Aorsi* legit Lipsius.

Adosygne, vide *Allosygne.*

Adouacris, rex fuit Herulorum, qui anno nostræ salutis 475. tanta cum manu in Italiam irrupit, ut terrore perculsus Augustus sponte purpuram poneret. Paul. Diaconus. *lib.* 16.

Adra, Illyrici urbs. Ptol. *Zeranaz* hodiè, *Oduca* Moletio. Castellum nunc esse tradit Mar. Niger. Item Phœniciæ urbs: & civitas Arabiæ Petrosæ. Ptol. Et op. Syriæ Cœles, i. e. Cavæ. Idem. V. *Adara* vel *Edrai.*

Adraba, campi quidam sic dicti. Ptol. In Austriâ sunt, uti Lazius docet, & *Markfelt* hodiè vocantur.

Adrach, Palæstinæ regio. Zach. 9. in Cœlesyria, unà cum oppido ejusdem nominis, distante à Bostra 25. mill. *Sedrach* est 70. Interpretibus.

Adragia, pars Persiæ est, in historia Miscell. 18.

Adrai, vide *Edrai.*

Adraista, Indiæ populi sunt, circa Indi fluminis partem superiorem degentes, ut tradit Arrian. 5. Alexandri. *Andresti* sunt Diodoro 17. Malè apud Orosium *l.* 3. *cap.* 19. *Aræstæ* & *Adræstæ.*

Adrama, Cælesyriæ *urbs*, Ptolemæo.

Adramelech, fil. Sennacherib, regis Assyriæ, quem à fratre Saraffaro adjutus occidit. 4. Reg 19. 37. Isa. 37. Item Deus Sepharvaim, 4. Reg. 17. Lat. *magnitudo* vel *potentia regis.* V. infra.

Adramelech, Idolum Assyriorum, quod sibi fabricati erant Sepharvaimitæ, in cujus honorem filios suos flammis exponebant & urebant: illud idem Idolum Samaritani coluerunt. 2. Reg. 17. 31.

Adramiles, vide *Psicterius.*

Adramis, & *Adramin*, nomen viri proprium.

Adramitæ, Arabiæ felicis populi, apud Ptolemæum. Theophrastus habet ἀδραμύτταν locum in eadem Arabia, ubi thus, myrrha, & cinamomum gignuntur. vide *Atramitæ.*

Adramitta, vide *Adramitæ.*

Adramyttium, & *Adramyeteos*, olim Pedasus, Plinio autore, Troadis op. quod nunc *Landramiti* dicitur, Nigro teste. *Atramyttium* Ptolemæo. Hinc *sinus Atramyttenus*, hodie *Golfo de Landramiti.* Olim *Idæus sinus.* in quo plures Lelegas olim habitasse author est Homerus, teste Strabone, *lib.* 13. Adramyttio autem vicinæ erant Thebæ Hypoplaciæ; quin eandem urbem multi faciunt. Etymologus. Θῆβαι, τὸ νῦν Ἀδραμύττειον καλούμενον. Ita etiam Phavorinus, & Jo. Lydus, & Lydum secutus Ortelius. Sed & Livio, *lib.* 37. Atramytteum & Thebes campus idem sunt. *Atramytteum*, inquit, *hostiliter itinere facto petit, agrum opulentum, quem vocant Thebes campum, carmine Homeri nobilitatum.* Saltem Phœnicium nomen utrumque est, inquit Bochartus, & à luto sumptum. De Thebarum nomine alibi. *Adramyttium* autem est חצרא מורי *Astramudi*, h. e. *regio lutosa. Mud* siquidem Phœnicium significat *lutum*, Philo Byblius μὼτ scribit, & exponit ἰλὺν *limum*, sive ὑδατώδους μίξεως σῆψιν, *aquosæ mistionis putredinem.*

Adramyttis, Lyciæ insula. Steph.

Adramyttum, vide *Thebæ.*

Adramyttus, vide *Adrumetum.*

Adrana, urbs Thraciæ, parum supra Berenicen, quæ etiam *Adrene* dicitur. Steph. Leonclavius in Bithynia ponit, haud procul à Prusa, dicitque à Turcis *Edrenos* vocari. *Adrani fauces* commemorat Zosimus. 2. sed circa Pannoniam. Est etiam flu. Cattorum in Germ. Tacito *Adranus. Ædera* hodiè dici existimat Althamerus, sed is ubi locorum sit, non addidit. *Eder* ex eo facit Junius, in sua *Batavia*; scribit etiam eum in Fuldam evolvi, & hoc ex tabulis verum esse constat.

Adrantis, Mansio, in Pannonia, circa Celiam, Antonin. Lazius putat, hunc locum in *Dragemel* incidere; castellum hoc in ripa Saui. Ortel. *in Thes. Geogr.*

Adranum, Siciliæ mediterranea urbs est. Plut. *in Paral* Vel in Ætnæ montis radicibus, flu. habens ejusdem nominis, teste Stephano. *Aderno* dicitur Fazello & Aretio. Ejus meminit Sil. Ital. *lib.* 14.

Adranum, Ergentumq; simul, telâq; superba
Lanigerâ Melite.

Ubi alii *Hadranum.* long. 38. 54. lat. 37. 00.

In hac urbe fanum erat *Adrani*, Dei in Sicilia plurimùm culti, Diod. Sic. *lib.* 14. Διονύσιος δ' ἐν τῇ Σικελίᾳ πόλιν ἔκτισεν ὑπ' αὐτὸν τῆς Αἴτνης λόφον, καὶ ἀπό τινος ἐπιφανοῦς ἱεροῦ προσηγόρευσεν αὐτὸν Ἄδρανον. Plut. in *Timoleonte.* Ἀδρανῖται πόλιν μικρὰν μὲν, ἱερὰν δ' οὖσαν Ἀδρανοῦ θεοῦ τινος τιμωμένου ἐν ὅλῃ τῇ Σικελίᾳ κατοικοῦντες. Ælianus *de Anim. lib.* 11. *cap.* 20. Ἐν Σικελίᾳ Ἀδρανός ἐστι πόλις, ὥς λέγει Νυμφόδωρος, καὶ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ Ἀδρανοῦ νεὼς ἐπιχωρίου δαίμονος, πάνυ δ' ἐναργεῖ φησὶν εἶναι τοῦτον. Hesychius voce Παλικοὶ, Palicos Deos asserit hujus Adrani esse filios. Vide Bochart. *De Phœn. Colon. lib.* 1. *cap.* 28. De canibus hujus fani, mirabilem histor. idem Ælianus loco citato refert.

Adranus, Deus cui sacra erat Adranum civitas.

Adraon, urbs Arabiæ majoris seu desertæ, episcop. sub Archiepisc. Bostrensi. Vid *Adratum.*

Adrapsa, orum, urbs Bactrianæ. Strab. *lib.* 15. long 100. 05. lat. 41. 30.

Adrasii, Æliano *lib. Animal.* 15. *cap.* 25. Interpretes *Gedrosii* legunt.

Adrasson, Episcopatus sub sede Seleucienſi Ciliciæ: alius sub sede Becerra Arabiæ. Guil. Tyrius.

Adrasta, nympha, Oceani filia, Jovis nutrix. Hyginus.

Adrastia, fons Sycioniæ, apud Pausaniam. *Adrastia* montem habet Plutarchus *in Lucullo*: circa Bithyniam *Adrastii* Campi sunt Trogo II. circa Parium: prope Cyzicum, haud procul ab Ida, ut existimat Ortelius.

Adrastia, regio non longè à Troade, quæ est in Mysia, ab Adrasto rege dicta, qui primus Nemesis, id est, Fortunæ, templum ædificavit, *Adrastiamq;* vocavit. Ibi & Apollinis oraculum celebre. Strab. *l.* 13. Pausſ. *l.* 2.

Adrastia, Jovis ac Necessitatis filia, scelerum vindex acerrima, quam nemo flagitiosus, neque magnus, neque parvus, vi aut clam effugere potest. Alio nomine *Nemesis* dicitur, ejusque sedem Ægyptii Sacerdotes supra Lunam constituerunt, ut inde, velut regina, & arbitra, hæc inferiora despectaret. Strabo *lib.* 13. nominis rationem refert ad Adrastum regem, de quo supra. Phurnutus autem παρὰ τὸ ἀεὶ δρᾶν, quasi ἀεὶ δρῶσα, quòd nihil eam impediat, nihil frustretur, nihil ea infectum relinquat, vel, ut Pausanias ait, ὑπὸ τοῦ διδράσκειν, quòd scilicet nemo nocens meritam pœnam unquam effugerit, etiamsi aliquando tardius eum assequitur. Virgilius, sive potius Catullus, *in Ciri,*

Ut scelere infando, quod nec sinat Adrasteia,
Lædere utrumq; uno studeas errore parentem.

Quam nominis rationem Apuleius affert *Lib. De Mundo*, qui de Græco est, quem Aristoteli nonnulli tribuunt. *Idem fatum*, inquit, Μοῖραν *vocant, quod ex partibus constat, quòd unicuiq; attributio sua sit ascripta, Adrastea eadem, quasi ineffugibilis necessitas ultionis.* Mart. Capella *lib.* 1. *Intra consistorium regis* (Jovis) *quædam fœmina, quæ Adrastia dicebatur, urnam cælitem, superamq; sortem, irrevocabilis raptûs celeritate torquebat, excipiebatq; ex volubili orbe decidentes sphæras peplo inflexi pectoris Imarmine.* Intelligit Græcum Εἱμαρμένη. Vid. plura apud Strabon. *l.* 13. Pausſ. *l.* 7. Stat. *l.* 13. *Theb.* Macrob. *Saturn. l.* 22.

Adrastus, Talaonis, & Eurynomes filius, rex Argivorum, qui Thebanis bellum intulit pro Polynice genero suo; sed utrinque multis occisis rediit re infectâ. Statius *Theb l.* 5.

Dux Talaonides antiquâ ut fortè sub orno
Stabat, & admoti nixus Polynicis in hastam.

In honore fuit apud Megarenses, teste Pausaniâ in Atticis. Nam eum apud se diem suum obiisse refert, mortis verò causam senectutem fuisse, & Ægialei filii obitum. Hinc *longævus* Papinio Statio, *lib.* 4. *Thebaidos.*

Proxima longævo profert Dircæus Adrasto.

Virg *Æn.* 6. *Parthenopæus & Adrasti pallentis imago.*

Statio *Inachius* dicitur, ab *Inacho* Argivorum rege, *Theb lib.* 2. Et *Perseius*, utpote à Perseo Jovis filio, & Argivorum rege oriundus, *lib.* 3. Vid. Diod. Sic. *lib.* 4. *c.* 67. Herodot. *l.* 5. Hygin. Apollodor. Pausſ.

Adrastus, Gorgii filius, dum Athim Crœsi filium suæ fidei creditum, in venatione, apri loco percussisset, se super ejusdem tumulum confodit Herodotus *lib.* 1.

Adrastus, philosophus, qui de Peripateticis posterioribus, Aristotelis Logicam in publicas scholas induxit, & juventuti proposuit: ejus meminit Galenus. Philippopoli oriundus. Steph.

Adrastus, Percosii filius: de quo vide in dictione *Percosius.*

Adrasus, Vid. *Andrassum.*

Adrateni, urbis in Hellesponto meminit Chalcedonense Concilium.

Adratum, Arabiæ urbs, quæ respicit ad Bostrensem metropolim: nunc dicitur civitas *Bernardi de Stampis.* Guil. Tyrius, *lib.* 16. *cap.* 10.

Adrazatus, Sophenæ rex.

Adregin, Angliæ regia villa in Berniciorum provincia, ad Glenim fluvium: postea dicta fuit *Melmin.* Beda.

Adremmon, Zachar. *cap.* 12. oppidum est vicinum urbi Jesreel.

Hierony-

Hieronymus scribit, suo tempore *Maximianopolim* vocatam esse hujus meminit etiam Nicenum Concilium.

Adrene, Vid. *Adrane*.

Adreste, Helenæ ancilla, Hom. *Odyss.* 4.

Ἐκ δ' Ἑλένη θαλάμοιο θυώδεος ὑψορόφοιο
Ἤλυθεν, Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα.
Τῇ δ' ἄρ' ἅμ' Ἀδρήστη κλισίην εὔτυκτον ἔθηκεν.
Ἀλκίππη τε τάπητα φέρεν μαλακοῦ ἐρίοιο.

Adrestia, Vid. *Parium* & *Adrastia*.

Adrevaldus, seu *Adoaldus*, Rex Longobardorum, Agilulfi fil. cum matre Theodelinda, substituto Ariobaldo Ariano. An. 626. à subditis pulsus est. Paul. Diaconus

Adreus, Numinis cujusdam nomen. Etymologus. Ἀδρεὺς, δαίμων τις περὶ τὴν Δήμητραν, ἀπὸ τῆς τῶν καρπῶν ἁδρύνσεως.

Adri, Arabiæ Petrææ Urbs, Ptolom. Hujus Episcopum Arabium vocat Epiphanius.

Adria, vel *Hadria*. Steph. & Ptol. Romanorum colonia in Piceno, quintâ Italiæ regione, 12. m.p. à mari distans, in qua ager ipse *Adrianus* dicebatur, vino generosissimo nobilis, quod & ipsum *Adrianum* fuit appellatum. Item urbs Græciæ Illyrico mari proxima, πόλις ἐπιφανὴς Eustathio Item op. ad Padum amnem à Tuscis conditum, nobili portu imprimis clarum; inde fortè *Adriaticum mare*, hodiè *Golfo di Venetia*, quod vulgò *Adria* quoque dicitur, & à poëtis tempestuosum valde describitur.

Catullus. *Minacis Adriatici litus.*

Horat. *lib* 1. *Od.* 33. *Libertina fretis acrior Adria*
Curvantis Calabros sinus.

Idem *lib.* 3. *Od.* 9. ——— *Levior cortice, & improbo*
Iracundior Adriâ.

Idem *alibi*, ——— *Neque Auster*
Dux inquieti turbidus Adriæ.

Seneca *in Thyeste*, *Aut sævo rapidus freto*
Ventosi tumor Adriæ.

Lucano *lib.* 5. *Vagus* dicitur.
—— *Sonat Ionio vagus Adria ponto.*

Eust. *in Dionys.* ait, quosdam Ionium & Adriaticum mare pro eodem habere; addit autem οἱ δὲ ἀκριβέστεροι τὸν Ἰόνιον μέρος τοῦ Ἀδρίου φασί. Vid. Cluver. *Ital. Antiq. lib.* 4. *c.* 17. Vid. in H.

Adria, Aprutii urbs, in colle, 4. mill. pass. à mari Adriatico distans. Estque Ducatus domus Aquavivæ, in regno Neap. 10. mill. pass. à Pinnensi civitate.

Adria, fluminis nomen, Straboni 7. Inde Adriatico mari nomen, ut ipse addit: Vid. *Atria*, *Atrianus*, & *Hadriaticum*.

Adriæ navale, habet Strabo, ad ostia Matrini fluminis in Italia.

Adriæ, Insulæ meminit D. Hieronymus in epistola quadam ad D. Augustinum. *Pelagosa* fortè hodie, in medio sinus Hadriatici. Scopulum tantùm esse scribit Justus Gistelius. Vide *Hydria*

Adriana, locus in Cyrenaica regione, Antonino. *Adrianæ* civitatis meminit quoque Cassiodorus *Varior.* 1. *ad Saturninum.* Vide *Adrinus*.

Adriani, Vide *Bithynia*.

Adrianistæ, Sectatores Simonis Magi, Baron. *A.C.* 34. Item discipuli Adriani Hamstedii, Anabaptistæ. Spond. *A. C.* 1580. *n.* 14.

Adrianopolis, urbs Thraciæ ad Hebrum fluv. emporium, & metropolis, ac ante captam Constantinopolin, regia Turcarum. *Andernopoli* hodiè, & *Endren* Turcis, teste Leunclavio, long. 53. 30. lat. 42. 20 Fuit & Urbs Ætoliæ, & Pisidiæ & Bithyniæ, Ferr. *in Hadrianopolis*.

Adrianos, Vid. *Adrinus*.

Adrianus, ager in Piceno, Plin. *lib.* 3. *cap.* 13. & 14. ab Adria Romanorum colonia.

Adrianus, Imperator Rom. qui post vexatos Christianos, morbo aquæ intercutis periit. Vitam ejus inter cæteros conscripsit Ælius Spartianus. Moriens hos versus fudisse dicitur,

Animula, vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

Mirum autem, quare Spartiano hi versiculi parum videntur elegantes, nam ita mox judicat. Videbimus alibi, inquit Casaubonus, quantum isti Scriptores (Historiæ Augustæ) poëtica facultate valuerint. Multa enim de Græcisâ se versa his libris inseruerunt: præ quorum venustate scilicet sordere *Hadrianea* debuerint. Nobis verò hi dimetri mollissimi, & melioris seculi elegantiâ dignissimi cùm viderentur, etiam Græcè idem fecimus *Hadrianum* dicere, nisi hoc potiùs balbutire est:

Ἐράσμιον ψυχάριον,
Ξένη, χ' ἑταῖρα σώματος,
Ποῖ νῦν πάλαιν ἐλεύσεαι,
Ἀμενὴς, ψυχρά τε κ' σκιά,
Οὐδ' οἷα πάρος τρυφήσεαι;

Subdit Historicus prædictus, *Nec multo meliores fecit & Græcos.* Atqui extant nonnulli adhuc, non quales hic Criticus judicat, sed qui merito suo, cæterorum quos amisimus, ingens desiderium in nobis excitent. Quare etiam non defuere, qui argutias illius imitarentur. Ejusmodi est, quod apud Theophylactum Simocattum, scriptorem eximium inter Græcos recentiores, observabamus, epistolâ illâ, quæ incipit: Ὁ φυσικός σοι κόσμος παρέχει. Clauditur autem sic. κ' γῆρας γὰρ ἀδικεῖς, κ' νεότητα, τὴν μὲν γὰρ ἐπαγγελλομένη διέψευσας, τὸ δὲ κεκλημένη ἐνοθεύσας. *Hadrianum* sine dubio imitatur, qui ægro & mendico homini, à quo fuerat his versibus compellatus,

Ἥμισύ με τέθνηκε. τὸ δ' ἥμισυ λιμὸς ἐλέγχει,
Σῶσόν με Βασιλεῦ, μισθὸν ἥμιτονον.

Respondit hoc argutissimo disticho:

Ἀμφότερας ἀδικεῖς κ' Πλοῦτα κ' Φαιθόντα,
Τον μὲν ἔτ' εἰσορόων, τοῦ δ' ἀπολλύμενον.

Adrianus, Vide *Hadrianus*.

Adrianus, Phœnix, patriâ Tyrius, docuit Athenis multo cultu, victûsque sumptu. Amatus est magnopere à M. Antonio, & Romam ab eodem ductus. Herodis discipulus fuit, & Aristidis æmulus. Inter alia, Μεταμορφώσεις consignavit. Vide Suidam, & Voss. *l.* 3. *c.* 6. *de Histor Lat.*

Adrianus, Luculli legatus. Plut. *in Lucullo*.

Adrianus de veteri Ligno, & *Adrianus Butius*, Flandri, historici. Voss. *de hist. Lat. l.* 3. *c.* 6.

Adrianus Mutius & *Adrian Romanus*, celebres Mathematici.

Adrianus Turnebus, Vid *Turnebus*.

S. Adrianus, seu *Ravanella*, celebris Hisp. mons, à Pyreneis se extendens Compostellam Gallicíæ usque. Cluver.

Adrias & *Senon*, nomina sunt fluminum in Ionicum sinum confluentium: sic Isacius *in Lycophrontem*: Ortelius videtur existimare esse eadem cum *Atriano* & *Senna*. Stephanus etiam Adriam fluvium habet, circa Adriam urbem: quæ Ptolemæo non longè ab Atriano flumine est. Vide *Athesis* & *Idrias*.

Adrieni, Arabiæ populi, Stephano in urbe Ἀβασηνοί, felicis, ut existimat Ortelius.

Adrimachidæ, Vide *Adyrmachidæ*.

Adrinus, locus Episcopalis in Jure Orientali, cujus Episcopus Alexander. ἀδριανὸς non ἀδρινὸς, legunt Callistus, Socrates, Tripartita Historia. Ivonis *epistola ultima*, *Hadrianopolis* legit.

Adris, unus fluviorum in Indum defluentium, Ptolemæo. ῥυάδις habet Græcus codex Vid. *Hydraotis*.

Adrius, mons. Vide *Ardius*.

Adrobicum in Hispania Tarraconensi urbs Callaicorum, in ora litt. *la Corunna*, aliis *Caronium* dicitur. Portum habet capacissimum & tutissimum; distatque 9. leucis Compostellâ. Sed aliis Caronium est Flavium Brigantinum.

Adrobrica, Hisp. urbs in Artabris, Pomponio *lib.* 3. *cap.* 1. Aliis *Abodrica*.

Adrobus, fluv. Asiæ, in Tartaria Moscovitica. Influit in Volgam fluv. infra Cazanum

Adromentum, oppidum. Plin. 5. 49.

Adron, Arabiæ civitas: in synodo Constantinopol. V.

Adros, Vide *Hedrus*.

Adrotta, urbs Lydiæ maritima. Steph. Incolæ *Adrotteni*.

Adruba, vel, *ad Rubras*, Locus Mauritaniæ Cæsariensis, Antonin.

Adrumetum, Africæ propriæ urbs, in ora maris Mediterranei, Vid. *Africa*. Sallustius in *Jugurthâ*, ubi de Phœnicum coloniis in Africâ; *Adrumetum*, *Leptim*, *aliasque urbes in ora maritima condidere* Straboni *lib.* 7. est Ἀδρύμη. Stephano Ἀδρύμης. Ptolemæo Ἀδρύμητος. A multis cum spiritu scribitur *Hadrumetum*. Est autem non incelebris urbs maritima in Byzacio, Africæ regione fertilissimâ, inter Carthaginem & Syrtes. Plinius *lib.* 5. *cap.* 4. ubi de Byzacio; *Hic oppida libera Leptis*, *Adrumetum*, *Ruspina*, *Thapsus*. Adrumeti autem nomen Scaliger, & ex eo Drusius, Casaubonus, aliique viri in his literis primarii, ἔπαυλιν Πλούτωνος, *atrium Plutonis*, & *Acherontis ostium* explicant, ac si idem sit quod Ebræis חצר־מות Sed tunc esset *Adramota*, non *Adrumetum*. Ut taceam nihil esse causæ, cur sic diceretur, neque enim Adrumetina regio importuosa est, aut venenorum ferax, aut, vel soli, vel aquarum, vel aëris vitio pestilens, & insalubris. Quin *Frugiferam* vocant vett. Inscriptiones, qualis est hæc apud Smetium, COLONIA CONCORDIA ULPIA TRAJANA AUG. FRUGIFERA HADRUMETINA. Et meritò, cùm Byzacenus ager, cujus Adrumetum est metropolis, sit inter locos Africæ feracissimos. Plinius *lib.* 17. *cap.* 5. cum ait esse *centenâ*, & *quinquagenâ fruge fertilem.* Et *lib.* 8. *cap.* 10. ex eo ipso probat, tritico nihil esse fertilius, *utpote cùm è modio, si sit aptum solum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii reddantur* Varro de R.R. *lib.* 1. *c* 44. *In Syriâ ad Gadara*, & *in Africâ ad Byzacium item* (dicunt) *ex modio nasci centum.* Hannibal *apud Sil. Ital. lib.* 8.

—— *Seu sunt Byzacia cordi*
Rura, magis centum Cereri fruticantia culmis.

Porrò cum Syris *mea* sit *centum*, & *matan centenos* sonet, Ἀδρύμη, vel Ἀδρύμητον idem videtur esse quod חצר־מאה vel חצר־מאתן hoc est, *regio centum*; seu *centenarum*, supple שערים

שערים hoc est, *menſurarum*. Bochartus.long.36.40.lat.32.40. Hodie vulgò *Mahometta*, unde ſinus adjacens *Golfo di Mahometo*. Arabibus urbs *Hamamatha* dicitur. Epiſcopalis quondam, & Concilii An. 394 habiti ſedes, cujus canones cum reliquarum Synodorum canonibus confuſi, ſub nomine Canonum Eccleſiæ Africanæ. Marmol. *deſcript. Afr.* Mercator. *Geogr.* Baron. *Annal.*

Adrus, Hiſpan. fluvius, Antonino, ubi loci *Anas* fortè legendum cenſet Ortelius. Alii *Dadrus* legere malunt, & *Dorſam* intelligunt.

Adryme & *Adrymes*. Vid. *Adrumetum.*

Adryx, urbs Syracuſiorum. Steph.

Adteiatis, oppidi ager eſt, in libro de limitibus. Vid. *Atteiatis.*

Adua, Vid. *Addua.*

Aduaca, eſt in ditione Leodienſi, *Tongeren* vulgò; ad fluv. *Jecken*: 4. leucis Leodio diſtans. Vid. *Atuacutum.*

Aduas, Vid. *Abdua.*

Aduatici, Belgarum pop. de quibus multa apud Cæſarem. Dioni *Atuatici*. Horum urbs, ut quidam volunt, Duacum, hodie Dovvay dicitur, Academia Flandrorum non obſcura. Sed aliis *Aduatici* in Brabantiâ locantur, eorumque urbem Boſcumducis, *Boſleduc* dici volunt. Eſt autem juxta Moſam in Hollandiæ, & Geldriæ confin. ab Antvverpiâ 12. leuc. in ort. Duacum verò, teſte Guicciardino, urbs eſt Catuacorum, quos Cæſar eo loco deſcribere videtur. V. infra.

Aduatici, populi fuere, ubi hodie Comitatus Namurienſis; prov. Belgii parva, cujus caput Namurium ad Moſam fluv. ubi recipit Sabim, teſte Sanſone, Ortel.

Aduaticum, pagus Belgii in Brabantiâ; *Tungerloo* Huberto Leodio vocata. Vid. *Aduaca.*

Adventia, Urbs apud Allobroges, condita ſupra Ararim fluv. tempore Veſpaſiani. God. Viterb.

Adventus, Conſul Romanus. Euſeb.

Adula, Straboni mons inter Alpes, ex quo Rhenus fluit verſus Septentrionem, inque contrariam partem Addua in lacum Larium, qui ad Comum eſt, delabitur. In quibuſdam Strabonis exemplaribus ſcribitur Ἀδούλας. *S. Gothard*, Jo. Poldo. *Der Vogel* Tſchudo. *Etzel* Willichio, qui addit eum ſic ab accolis vocari. *Graius* hodiè appellari ſcribit Jovius *in lib. De Larii lacûs deſcriptione*. Ejus partes ſunt montes *Giſpaltberg*, unde Rhenus anterior effluit; & *Vogelberg*, unde poſterior oritur; *Mont Furck*, unde Rhodanus & Ticinus, & *Mont Grimſel*, unde Arola fontes habent.

Aduli & Adulita, Vid. *Adula*

Aduliton, Ἄδουλις, Stephano, Ἀδούλη, Ptolemæo, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs, & Emporium ad ſinum Arabicum, *Docono* vulgò, *Eroco*, aliis. Nonnulli apud Stephanum Panis inſulam vocant. Populi *Adulitæ* Plinio *l.* 6. 29. qui *Aduliton* inter Ptolemaidem, & Diren 5. dierum navigatione diſtare ſcribit. Vide Guil. Stukium ad *Arr. Periplum pag.* 10. long. 67.00. lat. 11.40.

Adulla, Vid. *Odolla.*

Adullam, nomen civitatis. Jos. 12.

Adullsam, circa Flandriam Or. habet Peut. tab.

Adultus, Jupiter cognominatus, ut etiam Juno *Adulta*. Nam præcipuè in connubiis Ethnici Deos quinque invocabant, Venerem, Suadelam, Dianam, Jovem Adultum, & Junonem Adultam. Plut *in Problem.*

Adum, flumen Hygeno, circa coloniam Claudiam.

Adunicates, populi in Galliâ Narbonenſi Plin. 3. 4.

Advocatenſis, loci, in Africa, mentio eſt, in Collat. Carth.

Adura, *Ayre*, Urbs Aquitaniæ. Vid. *Aturres.*

Aduram, Vid. *Adoram.*

Adurnum, op. Angliæ in com. Suſſexiæ, *Ederington* Camdeno.

Adurum, loci nomen, in codice Theodoſiano: ubi Anianus hunc eundem juſſu Alarici Regis edidit.

Adus, Ciliciæ urbs, Steph. in verbo Ζώυγμα: juxta Syagram & Laertem. Vid. *Addida* & *Ondicaova.*

Aduſa, Epiri fluv. Apolloniæ propinquus.

Adyliſus, Plinio Bœotiæ mons. *Adilliſius*, alio codice legitur. Ortel.

Adyrmachidæ, pop. interioris Libyæ, *Adyrmachitæ* Ptolemæo. Herodotus *lib.* 1. ponit eos in litore Mediterranei maris, prope Ægyptum, in Marmaricâ, quos Ægyptiis ait moribus fuiſſe ſimiles, & ſolâ veſte diverſos: Πρῶτοι Ἀδυρμαχίδαι Λιβύων κατοίκηνται, οἱ νόμοισι μὲν τὰ πλέω Αἰγυπτίοις χρέωνται, ἐσθῆτα δὲ φορέουσι οἵην καὶ ἄλλοι Λίβυες, h. e. *Colunt Ægyptum verſus Lybiam primi Adyrmachidæ, qui iiſdem ferè quibus Ægyptii legibus utuntur; Sed veſtem geſtant qualem & alii Libyes.* Quæ potuit eſſe ratio nominis Adyrmachidarum; Nam Arabicè אדרמוך *addermuch*, eſt veſtis genus. Bochart. Plura de his, mirabili imprimis vindictæ cupiditate eorum, nuptiis, &c. Cœl. Rhodig. Herodot. *l.* 4. *in Melpom.* V. *Marmarica.*

Adyrus, Vid. *Cajcus.*

Adytos, locus in Ægypto circa Memphin videtur, ex Germanico Cæſare in Arati Phœnom.

Adzelia, opp. Livoniæ Duc. prope Treideram fluv. juris Suecici: aliis eſt *Abzel*, & juxta fluv. *Aa.*

Adzigeri, aliis *Acikirel*, & *Ezigerei*, Camus Tartar. regnavit profunda in pace. Cui Haider fil. ſucceſſit anno 1446. Neugebau, *l.* 6. Michov. 1. 16.

Æ Æ

Æa, nomen puellæ venatricis, quæ Phaſidis fluvii amplexus fugiens, deorum miſeratione in ſui nominis inſulam verſa eſt. Val. Flaccus *Argonauticum lib.* 5.

Barbarus in patriis ſectatur montibus Æam
Phaſis amore furens: pavidas jacit illa pharetras
Virgineo turbata metu: diſcurſibus & jam
Deficit ac volucri victam Deus alligat undâ.

Quod propterea fictum eſt à poëtâ, quia Æam inſulam, ſive urbem Colchidis Phaſis fluvius præterfluit.

Æa, Colchidis metropolis ad Phaſim amnem, *Æopolis* Ptolemæo, *Lipopotamo* hodiè, teſte Moletio. long. 72. 30. lat. 45. 30. V. *Plin.* 6. 4. Eſt quoque Africæ urbs. Sil. *lib.* 3.

Ææq; Trinacrios Afris permiſta colonos.

Vide *Oea*. Eſt & in Theſſaliâ urbs. Item Macedoniæ fons circa Amydonem urbem. Vide *Æas.*

Æacea, ludi in Æaci Regis memoriam, in Ægina celebrati.

Æacidarum familia omnis ferè, divinitùs oblatâ nece, occubuit Achilles enim, ut Homerus tradidit, ab Alexandro Priami filio & Apolline interfectus eſt. Pyrrhus ejus filius, oraculi juſſu, à Delphis occiſus eſt. Pauſanias *in Atticis.*

Æacidas, fil. Neoptolemi, frater Olympiadis, Rex Epiri. In odium ſubditorum incurrens, quòd continuis contra Macedonas bellis, illos attereret, fugit è regno, relicto fil. Pyrrho vix bimo, qui educatus apud Chaucum Illyriorum Regem, delituit. Juſtin. *l.* 17.

Æacus, Jovis ex Europâ, ſive ex Æginâ fil. Hic apud Oenopiam (ſic quidem legitur, ſed niſi mendum ſit apud Strabonem, *Oenonem* legendum eſt) regnaſſe dicitur, quem, ex nomine matris, *Æginam* nominavit. Ovid. *Met* 7.

Oenopiam veteres appellavere. ſed ipſe
Æacus Æginam, genetricis nomine, dixit.

Ubi, cùm ob peſtem defeciſſent homines, Jovem oravit, ut formicas, quas viderat, homines faceret, & exauditus eos *Myrmidonas* ex etymo vocavit. Ovidius, *ubi ſuprà.*

Vota Jovi ſolvo, populiſq; recentibus urbem
Partior: & vacuos priſcis cultoribus agros,
Myrmidonaſq; voco, nec origine nomine fraudo,
Corpora vidiſti, mores quos ante gerebant
Nuncquoq; habent, parcum genus eſt patienſq; laborum,
Quæſitiq; tenax, & qui quæſita reſervent.

Endeida Chironis filiam in uxorem duxit, ex quâ Telamonem genuit, & Peleum. Deinde è Pſamathe Nerei filia compreſſâ genuit tertium, Phocum; quem Peleus occidit. *Æacum* autem tantæ juſtitiæ fuiſſe dicunt, ut apud inferos animarum creditus fuerit à Plutone delectus judex cum Minoe, & Rhadamantho. Horatius *in Odis*,

Quàm penè furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum.

Propertius, *lib.* 4. *Eleg.* 12.

Aut ſi quis poſitâ judex ſedet Æacus urnâ,
In mea ſortitâ judicet oſſa pilâ.

Ovid. *Met. lib.* 13.

Æacus huic pater eſt, qui jura ſilentibus illic
Reddit, ubi Æolidem ſaxum grave Siſyphon urget.

Idem *in Ibin.* —— *Tuaſq;*
Æacus in pœnas ingenioſus erit.

Æacus, fluv. Stephano, circa Narrabonitem portum. In ditione *Narbon.*

Ææ, Inſula Colchidis circa Phaſim, Apollonio 3. *Satabella* dicta ab Herberſteinio. Vid. *Circaum.*

Ææa, ita Circe dicta eſt (inquit Turnebus Adverſar. *lib.* 7. *cap.* 14.) Homeri exemplo. Ductum epitheton à peninſulâ *Æâ* ſita ad Phaſin amnem, ut idem ſit ac *Colchica*. Sic Euſtathius *in* 1. *Odyſ.* Αἰαίη, ἀντὶ τοῦ Κολχική. Αἶα γὰρ πόλις Κολχίδος παρὰ Λυκόφρονι. Aliunde autem forſan rimari poſſis hujus vocis etymon. Ἠὼς Græcis Aurora eſt, inde ſyllabarum mutatione, quæ frequentiſſima illis eſt, Αἰαῖος potuit dici, quaſi Ἠῷος, id eſt, *Matutinus* vel *Eous*. Adjuvat hanc conjecturam, quòd Circe non ſolùm fuerit Solis filia, ut & Virgil. aſſerit, *lib.* 7. verùm in illius inſulâ Sol dicatur naſci, & Aurora domicilium ſuum habere. Hom.

Νῆσον ἐς Αἰαίην, ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
Οἰκία καὶ χοροί εἰσι, καὶ ἀντολαὶ ἠελίοιο.

Fuit etiam *Ææa* inſula in mari Tyrrheno, non modico olim freto ab Italiâ dirempta, hodiè verò continens, ita tamen ut paludibus undique cincta inſulæ ſpeciem præ ſe ferat. Plin.

Æamene, Nabatæorum regio. Steph.

Æanium, lucus, & *Æanis* fons est, apud Strabonem 3. Macedoniæ in Locris.

AEantides, unus ex Pleiade Poëtarum, qui sub Ptol. Philadelpho claruerunt. Voss. *de Poet. Gr.*

Æantides, Hippoclis filius, Lampsacenorum tyrannus, magnæ apud Darium regem authoritatis, Eurydicen, Hippiæ Atheniensium tyranni filiam, uxorem duxit. Thucyd. *lib* 6.

Æantis, Julio Polluci in Attica tribus: Hujus meminit quoque Plutarchus 1. *Conviv alium.*

Æantium, op. Troadis in Sigæo, ab Ajace illic sepulto sic dictum. Plin. Item Magnesiæ promontorium, eodem authore. Insula quoque apud eund. circa Thraciæ Chersonesum, ut videtur. Urbs Pelasgiotarum in Macedonia est, Αἰάντιον Ptolomæo. Vid. *Æna* & *Apsasium.*

Æapolis, Vid. *Thiapolis.*

Æas, Epiri fluv. ex Macedonia defluens, in Ionium mare se exonerat. Lucan. *lib.* 6.

Purus in occasum, sed parvi gurgitis Æas
Ionio fluit inde mari.

Ovid. *Met.* 1.

Apidanusq; senex, lenisq; Amphrysus, & AEas.

Aous, teste Plinio. *Vajussa* nunc, ut nonnullis videtur. Solus autem Ovidius in fabula Iûs, flumen hoc Peneum ingredi dicit, & convenire cum reliquis Thessaliæ fluviis ad Tempe. Sed profectò non unum in illa Penei descriptione errorem committit. Nam quid Æanti, quid Amphryso, quid Sperchio cum Peneo aut Thessalicis Tempis? Quia hæc flumina ex Pindo oriri legerat, ideo quoque existimavit ea confluere, & in Peneum exonerari. Confundit præterea Inachum Argiæ Peloponnesiacæ cum Inacho Epiri, qui iisdem atque Æas oritur montibus. Illud præterea quàm ineptum,

——— *Vocant Tempe, per quæ Peneus ab imo*
Effusus Pindo spumosis volvitur undis.

Nam si è pleno oritur, quomodo potest spumosas volvere undas? Verùm hoc procul dubio est librariorum flagitium, vel saltem ita interpretandum, uti postea docebimus. Ut autem ad *Æantem* redeam, Apolloniatum id erat flumen, teste Pomponio, vicinumque admodum erat mœnibus ipsorum, non verò Epidamniorum. Ita enim scribenda Val. Maximi verba, capite *De Ominibus*, uti habent veteres nonnulli libri: *Atque illi flumen vicinum mœnibus, nomine Æantem, in adjutorium sese mittere dixissent.* Apolloniatæ siquidem ab Epidamniis opem postulabant. Responderunt illi, *Habetis Ajacem, ab eo petite auxilium.* Quis non videat lusisse eos in nomine fluvii, & tamen miror ineptias Interpretum ad hunc locum. Is. Vossius.

Æatus, Philippi filius, Bœotorum hostis acerrimus, sororem habens Polycleam, ambo ab Herculis stirpe genus ducentes: oraculum extabat, Qui primus ex hoc genere, transmisso Acheloo, terram attigerit, urbem cum imperio tenebit: cùm exercitus flumen transiturus esset, Polyclea pedem obligavit, inquiens, plantam sibi vulneratam esse: rogatque fratrem Æatum, ut se trans fluvium portet: ille nihil mali suspicatus, sed, tanquàm sorori inservire volens, scutum armigeris tradidit: sublatâque in humeros Polycleâ, alacriter per fluvium vestigia ferebat: qui cùm ad ripam appropinquasset, illa prævertens exiliit; & conversa ad fratrem inquit, Mihi regnum debetur ex oraculi sententia, nam prima omnium terram ingressa sum: Æatus, intellecto dolo, nequaquam ægro animo tulit: sed puellæ solertiam amplexus, eam in uxorem duxit: simulque imperii gubernacula tenentes filium *Thessalum* genuerunt, à quo civitatem etiam *Thessaliam* nuncuparunt, Polyænus *lib.* 8.

Æbisoci, vel *Ebisocenses*, Vid. *Aquisgravienses.*

Æbudæ, Vid. *Ebudæ.*

Æbura, urbs Hisp. Tarraconensis. Steph. Hodie *Talavera*, Beuthero teste.

Æburobisingesia, Lusitaniæ urbs, Phlegon Trallia nus: vocem corruptam putat. Ortel. Vid. *Ebora.*

Æcalum, castellum Indiæ. Steph.

Æcana, urbs episcopalis Apuliæ Dauniæ. *Troja* nunc appellatur.

Æcani, populi Tuscorum, quos devicit Camillus, eorumque urbem vastavit. Plut. Vide *Æqui.*

Æchilensis, Vid. *Cornensis.*

Æchmacoras, filius Herculis, ex vitiata Phillone, filia Alcimedontis Herois: qui cùm in lucem editus fuisset, ab Alcimedonte, unà cùm matre Phillone, in proximo monte feris expositus fuit: ibi vagientem infantem cùm pica imitaretur, ad hujus avis vocem, quòd puerilem esse credidisset, Hercules fortè illac iter habens conversus, puellam & à se genitum puerum agnovit, ambosque vinculis liberavit. Pausanias *in Arcadicis.*

Æchmis, fil. Briaci, cum Spartanis bellum gessit. Pausan.

Æchtarchus, vel *Æchmalotarchus*, id est *captivorum Dux*, nomen ejus, quem Judæi Sorobabelem sequi nolentes, prope Babylonem, sibi præfecerunt. Origen. *l.* 4. *de Princip.*

Æcitus, lacus Apolloniæ. Vibius.

Ædi, Αἰκλοι, Sic Diod. pro *Æqui*, Vid. *Æqui.*

Æclus, viri nomen. Strabo *lib.* 10. dicens, *Post res verò Trojanas, Æclus & Cothus ex Athenis profecti habitaverunt, ille quidem Eretriam, Cothus verò Chalcidem.*

Æculanos, pop. Italiæ, inter Hirpinos habet Plin. V. *Æculanum.*

Æculanum, Hirpinorum in Italia opidum episcopale 20. circiter m p. à Benevento dissitum; hodiè *Fricento* vocatur; Aliis *Laconiano*. Ptol. Ἱρπινῶν πόλεις, Αἰκουλανία, Ἀβέλλινον, Αἰκουλᾶνον. Appian. Civil. *lib.* 1. Σύλλας δ' εἰς Ἱρπινοὺς μετεστρατοπέδευσε, καὶ προσέλαβε Αἰκουλᾶνον. Opidani *Æculanenses*, Vid. *Fricentum.*

Ædemon, Ptolemæi libertus, qui patronum à C. Cæsare interemptum ultus est. Plin. Vide *Ademon.*

Ædepsum, vel *Ædepsus*, op. Eubœæ, ubi sunt Herculis Thermæ. Plin. Strabo. *lib.* 10. Steph.

Ædesia, mulier Ægyptiaca, uxor Hermiæ, & Syriani Philosophi propinqua, totiusque castitatis, & probitatis exemplar, cujus vitam scripsit Suidas.

Ædesius, gente Cappadox, Jamblichi scholam & in contubernio docendi munus suscepit, nobilitate generis inter suos facilè princeps, sed censu exiguo. Vitam ejus scripsit Eunapius Sardianus, quem sis consule.

Ædessa, *Edessa* Livio & Polybio, urbs in Emathia, non longè à Pella, *Ægeas* postea vocata Trog. 7. *Vodena* Sophiano long. 46. 50. lat. 42. 18.

Ædiles, Nomen primò illorum apud Rom. quibus ædificiorum cura erat commissa. Varr. *lib.* 4. *de L L.* Dein, Magistratibus tribui cœpit, qui bini priùs ex populo, dein etiam ex Patriciis eligebantur. Hi postremi *Curules* dicti, quia in Curulibus sellis sedendi jus habebant. Officium erat, cavere, ne quæ turbæ in ludis orerentur, ædificia quà privata quà publica curare, & nihil omittere eorum, quæ ad ornandam urbem & civium tranquillitatem conservandam spectarent. Primus ad honores gradus. Cic.

Ædipsus, Eubϩæ Insulæ Urbs, Ptolom. Αἴδηψος Strab. & Steph. Vid *Edepsus.*

Ædon, mons Thraciæ. vide *Ædon.*

Aëdon, uxor Zethi regis, fratris Amphionis, Itylum filium per errorem nocte interfecit, putans eum Amanea, vel Amandea Amphionis filium fuisse; Invidebat enim uxori Amphionis, quòd illi sex essent masculi; quæ crimen cognoscens optavit mori, miseratione tamen Deorum in carduelem versa Itylum deflere dicitur. Boccat. *l.* 5.

Aëdon, Pandarei Ephesii filia, quæ Polytechno fabro Colophone Lydæ habitanti, nupsit: plurimumque temporis suaviter cum eo vixit, unico filio procreato, cui nomen Itys. Fuerunt autem felices, quandiu Deos debito honore affecerunt: at postquam inani voce gloriati sunt, magis se invicem amare, quàm Jupiter & Juno se mutuò diligant: Juno offensa Eridem ad eos misit, quæ contentionem operum injiceret ipsis. Paululum restabat Polytechno, ad curulem sellam conficiendam, & Aëdoni, ad pertexendam telam: Itaque hanc sponsionem ineunt, ut uter ipsorum celeriùs opus suum absolvisset, ei alter famulam daret. Citiùs telam pertexuit Aëdon, Junone opus adjuvante: cui invidens victoriam Polytechnus, ad socerum proficiscitur, simulans se ab uxore emissum, ad adducendam secum sororem Chelidonem: & Pandareus nihil mali suspicatus, filiam Chelidonem ei committit: ei Polytechnus in sylva virginitatem eripit, tonsoque capite, aliis eam vestibus induit: mortemque minatus, si quid horum unquam Aëdoni indicasset: ita domum reversus, eam uxori loco ancillæ ex pacto tradit. Aliquandiu soror eam operis exigendis attrivit, donec Chelidonis cum urna ad fontem, prolixè suam deplorans calamitatem, à sorore exaudita est: Postquam se mutuò agnoverunt & consalutaverunt, malum illico Polytechno sunt machinatæ: filium ejus in frusta conciderunt, carnes in ollam conjectas coxerunt: cùmque Aëdon vicino suo mandasset, ut Polytechnum eas juberet edere, ipsa cum sorore ad patrem Pandareum pervenit, indicavitque in quas incidisset miserias. Polytechnus cognito se de filii sui carnibus epulatum fuisse, eas ad patrem usque insecutus est: at famuli Pandarei eum, quòd tantum familiæ Pandarei probrum intulisset, correptum insolubili vinculo constrinxere, corpusque melle inunctum in pascua projecerunt. Ubi cùm muscæ assidentes eum divexarent, Aëdon ob pristinam miserata amicitiam, eas abigebat: Quod cùm deprehendissent parentes & frater, odio incitati eam statuerunt interficere. Sed Juppiter Pandareum miseratus, antequam in domum ejus graviora inciderent mala, eos omnes in aves convertit, quæ partim ad mare usque provolarunt, partim in aërem subvolarunt: Pandareus mutatus est in haliæetum, mater Aëdonis in alcyonem, statimque se in mare voluerunt dejicere, sed Juppiter id prohibuit: atque hæ aves navigantibus sunt secundæ. Polytechnus in pelecanem transiit, quòd ei Vulcanus fabricanti securim dedisset, atque ea avis fabris fausta visa est: frater Aëdonis upupa extitit, quæ avis terrâ marique est auspicata: idque magis si conjungitur haliæeto aut alcyoni. Aëdon quæ est luscinia, circum fluvios & nemora filium Itym deplorat. Chelidonis hirundo facta est, hominum contubernalis, Dianæ consilio, quòd invita virginitatem amittens, plurimùm invocasset Dianam. Antonius Liberalis *ex Boei Ornithogonia.*

Ædonis,

Ædonis, insula Ægyptii maris. Ptol. hæc fortasse Platæa Herodoto dicitur in *Melpomene*, quam inter Gigamas & Adyrmachidas describit.

Ædui, *Hedui* Plinio & aliis, Galliæ Celt. pop. potentissimi, quorum regio Burgundiæ Ducatus, & urbs Augustodunum; à Sequanis pop. alterius Burgundiæ, Arari fluvio divisi. Horum tractus hodie *l'Autunois* dicitur, ab eorum urbe præcipua, *Autun*, ad Arotium fluv. continebatque aliàs majorem partem Ducatus Burg. ubi tractus Augustodunensis, Carolensis, Alexiensis & Cabillonensis, sed hodie multò minor est.

Ædusii, socii Romanorum juxta Galliam Celticam. Steph.

Æeta, vel *Æetes*, Colchorum rex, Solis filius ex Persa Oceani filiâ, liberos habuit Medeam, Absyrtum, & Chalciopem. Ad hunc Phryxus Athamantis filius pervenit, & aureum vellus detulit; quod cùm ille diligentissimè servaret, ejus causâ bellum gessit cum Argonautis, tandem verò ab Jasone, Medeæ filiæ proditione, & spoliatus, & regno pulsus est, sed jam senex ab eodem in idem restitutus Coel. Rhodig Val. Fl. *de Argonaut.* Hinc *Aetaus* adjectivum. Catullus *in Argonaut.*

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas,
Phasidis ad fluctus, & fines Æetæos.

Hinc etiam *Æetias* patronymicum pro Medea. Ov. *Met. l.* 7.

Concipit interea validas Æetias ignes.

Item *Æetis*, pro eadem. Val. Flaccus;

—— Ingens Æetida perculit horror.

Denique *Æetius*. Idem,

Nec minus Æolii proles Æetia Phryxi
Fertur & ipsa furens. Vid. etiam *Absyrtus.*

Æga, nympha, quæ ex Oleno nata Jovis nutrix fertur fuisse. Quidam Panos uxorem dixere. Hyginus. Item promuntorium Æolidis, non procul à Caïco fluvio. Strab. Est etiam Phocidis regionis fluv. & opidum Æmoniæ.

Æga, vel *Æge*, Amazonum regina, à qua *Ægæum* mare, in quo periit, nomen sumpsisse vult Festus Pompeius.

Æga, Ins. maris *Ægæi*, in ora Asiæ, iter Chium & Tenedum; à qua mare *Ægeum* Vid. *Canna*.

Ægabro Vid *Babra*.

Ægades, Ins. versus Siciliam. Vid. *Ægathes*,

Ægæ, Macedoniæ op. Plin. Meloboteram quoque vocari scribit Stephanus, quem consule. Olim vocabatur *Edessa*; Ἔδεσσα, non Ἄιδεσσα, uti perperam legitur in vulgatis Ptolemæi exemplaribus. Aliquantò verò remotior a mari erat Edessa; sive *Ægæ*, atq; *Pella*. *Palus quippe illa, in qua sita erat Pella, mari erat vicina. In istam verò paludem duo incidebant flumina, Axias, & Ludias.* Per Ludiam ἀνάπλους erat ad Ægas sive Edessam. Non rectè Ptolemæus; qui Ægas, sive Ægam, & Edessam distinguit; & hanc ad Erigonem, illam ad Haliacmonem collocat, cùm eadem sit, ut apparet ex Justino, sitaque sit ad Ludiam amnem, ut Anonymus testatur, qui Scylacis nomine prodiit. Urbs verò hæc non modò appellabatur Αἰγαὶ, sed & Αἰγαῖα & Αἴγεια. Sic quoque Theophrastus *libello de ventis*, cùm dicit aquilones Ossæ & Olympo impactos, contrarios nubibus ferri; ἐνιαχοῦ τὰ νέφη τοῖς πνεύμασιν ὑπεναντία φέρεται, καθάπερ καὶ περὶ Αἰγείας τῆς Μακεδονίας, βορέου πνέοντος πρὸς τὸν Βορέαν. Ita scribendum: malè enim Αἰγγιὰς habent vulgata exemplaria. Ab hoc oppido ἐθνικὸν est Αἰγειάτης, & forma Macedonica Ἀιγειάδης. Nihil itaque mutandum apud Justinum. Porrò quamvis regia ex hâc urbe translata sit, morem tamen mansisse, ut Ægis, vel Ægiis reges sepelirentur, colligi potest, non ex Plinio tantùm, verùm & ex Diodoro Siculo, *lib.* 19. Is. Vossius. Est etiam urbs Ciliciæ, de qua Lucanus, *l.* 3.

Mallos, & extremæ resonant navalibus Ægæ.

Ægæa, Ἀιγαῖα, nomen duarum urbium, ut scribit Ptolemæus, quarum una in Emathiâ, altera in Mauritaniâ. Commemorantur & à Strabone duo hujus nominis opida, quorum unum ad Amanum montem, alterum in agro Laconico collocat.

Ægæa, oppidulum Ciliciæ, ubi navium statio. Strab. Vid. *Egas*.

Ægai, Vid *Ætaaei*.

Ægæis, tribus Attica ab Ægeo, Pandionis filio. Steph.

Ægæon, unus ex 50. Lycaonis filiis. Apollod. *l.* 3 *biblioth.*

Ægæon, sævus & immanis, Cœli & Terræ filius, qui uno ictu centum scopulos in Jovem contorquebat Victus demum, alligatus est à Neptuno scopulo Ægæi maris. Statius:

Audierat duros laxantem Ægæona vectes.

Hesychius, Ἀιγαίων, ἐνάλιος θεὸς, ἡ Βριάρεως, καὶ ὁ Ποσειδῶν. Dictus est autem *Ægæon*, ut quidam volunt, à γαίω, i. e. *superbio*; inde γαίων, & per appositionem ἀγαίων, & per pleonasmum, αἰγαίων. Hunc Hom. *Iliad.* 1. ab hominibus quidem Ægæonem: à Diis verò, *Briareum* vocari tradit, in his:

Ὦχ' ἑκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν Ὄλυμπον,
Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες
Ἀιγαίων', ὁ γὰρ αὖτε βίῃ οὗ πατρὸς ἀμείνων,
Ὅς ῥα παρὰ Κρονίωνι καθέζετο κύδεϊ γαίων,
Τὸν καὶ ὑπέδδεισαν μάκαρες θεοὶ, οὐδ' ἔτ' ἔδησαν.

Alii dicunt, *Ægæonem* immanem piratam fuisse, & sic nominatum ab insulâ desertâ in Ægæo mari, quæ *Æge* vocatur, in quâ subsidebat more, piratarum. Centumgeminus autem ideo dictus est, quòd centum homines remigio deservientes haberet in manibus, de quo Ovid *Met. lib.* 2.

—— Balænarumq; prementem
Ægæona suis immania terga lacertis.

Claud. 1. *De Raptu Proserp.*

Rursusq; cruentus
Ægæon positus arcto de corpore nodis,
Obvia centeno vexasset fulmina motu.

Virgil. *lib.* 10.

Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasq; manus, quinquaginta oribus ignem,
Pectoribusq; arsisse, Jovis cùm fulmina contra,
Tot pariter streperet clypeis tot stringeret enses.

Tot, i. e. centum Plato *de Legg lib.* . Γηρυόνου δὲ γένει τις φύσιν ἔχων, ἢ καὶ τὴν Βριάρεω φύοιτο, ταῖς ἑκατὸν χερσὶν ἑαυτὸν δεῖ βέλη ῥίπτειν δυνατὸν εἶναι. *Si quis Geryonæ, aut Briarei naturam habeat, cùm centimanus sit, centum oportet ab eo jacula mitti posse.* Notandum est autem, hic Virgilium ab Homero dissentire, nam apud Hom. *Ægæon* auxilio est Jovi, eum autem contra Jovem armant versus Maronis. Præterea in re fabulosa sibi consonat Poëta. Nam cùm det centum brachia, totidemque manus, consequens est, ut quinquaginta tantùm capita, & pectora. Græci ab se ipsis dissident. Nam Æschylus *in Prometh* Typhonem, qui idem est cùm Ægæone, facit ἑκατοντακάρηνον, & Pind *Od.* 4 *Olymp.* ἑκατογκέφαλον. Cui enim sunt centum brachia, ut Hom. dixit, quomodo esse possunt centum capita, ut Æschylus & Pindarus? Atque adeò prudenter Plutarchus *de multitud. amicorum*, Βριάρεως ἑκατὸν χερσὶν εἰς πεντήκοντα φορῶν γαστέρας. Nonnus autem de Ægæone, *lib.* 31. indefinitè πολύπηχυς, *multiulnis*, ac proinde etiam indefinitè πολυσπερὲς ἔθνος ἀγοστῶν, quibus multiplices quoque facit manus. Itaque etiamsi res fabulosa sit, esse debet consequens. Quin diligenter cavit Poëta, ut adderet το *dicunt*, solens hoc suo more, nam quæ incerta sunt, & fabulosa, famæ attribuit.

Ægeonis prom. circa Rhindaci fluminis ostia, Apollon. 1. & ejus Schol.

Ægæum mare, vulgò *Archipelago*, Turcis *Acdeniz*, teste Leunclavio, id est *Mare album*, ut opp. Ponto Euxino; quem *Caradeniz* appellant, id est *Mare nigrum*. pars maris Mediterranei, Europam ab Asia dividens, in quo insulæ plurimæ Cyclades sunt, & Sporades. Dionysius, *vers.* 133.

Οὐ γάρ τις κείνῳ ἐναλίγκια κύματ' ὀφέλλει,
Ὕψοθι μορμύρων ἕτερος πόρος Ἀμφιτρίτης.

Mare Ægæum intelligit, quod vastum gurgitem habere suprà dixit Artemidorus in Oneirocriticis, *lib.* 2. *cap.* 12. Καὶ τὸ φοβερώτατον πέλαγος Αἰγαῖον λέγεται. Vide ad locum istum Nicolaum Rigaltzium. Nomen quod attinet, ab *Ægis* insulâ, prope Eubœam, Neptuno sacrâ dici asserit Apollonii Schol. *lib.* 1. Et Conon *ibidem* ab *Ægæa Carystiâ*, i. e. à Carysto Eubœæ, quæ & *Ægæa* dicebatur. Et Strabo *lib.* 8. ab *Ægis* ejusdem Eubœæ oppido. Tamen idem *lib.* 13. ab *Ægâ* Æolidis promuntorio deducit. Plinius ab *Æge* scopulo inter Tenedum & Chium; & Festus vel à crebris insulis, quæ procul aspicientibus videantur species αἰγῶν h. e. caprarum, vel ab *Ægeâ* Amazonum reginâ quæ ibi perierit; vel a *Ægeo* Thesei patre, qui in *Ægæum* se dederit præcipitem, de quo longam fabulam texit Suidas, nisi fallor, ex Nicocrate, quem refellit Apollonii Schol. Ubi rursus alii ad *AEgeum* referunt Neptuni nomen in Pherecyde, alii ad *AEgæonem*, de quo suprà. Alii denique sic appellatum volunt ἀπὸ τῆς Περκανίας αἰγὸς, à Percania capra, quod non capio. An legendum Ὠλενίας, vel Οὐρανίας, ut significetur capra cœlestis?

—— Olenia sidus pluviale capellæ,

Uti vocatur à poëta in Fastis, quâ exoriente, ut ait Suidas in Αἶγες, venti vehementius spirant Hor. *Car.* 3. *Od.* 1.

Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi.

Ovid. tamen, *Met.* 14. occidentibus Hœdis tempestatem, & maris commotionem tribuit;

Sævior illa freto surgente cadentibus Hœdis.

Unde ἐπαιγίζειν, flare in modum turbinis, & *AEgæum Pelagus* dicitur, quod maximè terribile est. Ita Suidas. At Isacius in Lycophronem à terrestri capra deducit, quia hoc mare δίκην αἰγὸς κυματοῦται. *capra ad instar agitatur.* Sed his relictis, jam conabimur aliquid afferre vero propius. Hebræum עז *az*, id est, *validum, durum, asperum*, quandoque maris est epitheton, ut Isa. 43. 16. *Sic dixit Dominus, qui dat in mari viam*, ובמים עזים *& in aquis asperis semitam.* & Nehemiæ 9. 11. *Et mare divisisti coram iis, & per medium mare sicco pede transiverunt. & persecutores eorum projecisti in profunda tanquam lapidem.* במים עזים *in aquas asperas*, utrobique agitur de mari Rubro, quod absorpsit Ægyptios, & Ebræis fuit pervium, cujus aquæ meritò appellan-

appellantur asperæ, cùm παραλίαν habeat τραχεῖαν, δυσπαράπλευστον, δύσορμον, ἀπρόσιτον, καὶ κατὰ πάντα φοβερὰν, *asperam, navigatu difficilem, importuosam, inaccessam, atque omnino terribilem.* Ita de eo Agatharchides, Strabo, Diodorus, & Arrianus. Nec in *AEgæo* clementior est navigatio. Constantinus Porphyrogenneta *Themate* 17. Τὸ δὲ Αἰγαῖον πέλαγος βαρύπλουν ἐστὶ καὶ δυσπέρατον, καὶ κύματα μακρὰ, καὶ ὄρεσιν ἐοικότα ἀνεγεῖρον τοῖς πλέουσι. Valer. Flac. *lib.*1.

——*Quanto fremitu se sustulit AEgon!*

Sic enim invenies & *AEgæona* pro *AEgæo* usurpatum. Statius *quinto Thebaidos,*

——*Delove sonanti*

Pejor, & innumeris quas spumifer assilit AEgon.

Apud eundem *eodem libro,*

Diis pelagi ventisq; & Cycladas AEgaoni.

Hesych. Αἰγαίων, τὸ περὶ τὰς Κυκλάδας πέλαγος. Heraclides Sinopensis *Anthol.*3. 22.

——Αἰγαίου τ' οἶδμα κακὸν πελάγους.

Hinc τὸν Αἰγαῖον πλεῖν de iis dicitur, qui in summo discrimine versantur. Erasmus hoc adagium citat ex Æliani epistolis. Est & aliud non dissimile ex Luciano *de Sectis*, ἐπὶ ῥιπὸς τὸν Αἰγαῖον διαπλεῦσαι, *virgulto* (id est, virgultea scaphâ) *AEgæum transmittere.* In eos qui rem supra modum arduam levi operâ conficere tentant; quibus tertium addi queat, ex Cic. *lib.*3. *de Legg. Excitabat fluctus in simpulo Gratidius, quos post filius ejus Marius in AEgæo excitavit mari.* Itaque tam Ægæum quàm Rubrum mare habet מים עזים *aquas asperas*; unde dici potuit à Phœnicibus mare עז *az*, id est, *inclemens*, & *asperum*; Quod cur *AEgæum* veteres reddiderint, statim patebit. Apud Ebræos עז *az*, *asperum* & עז *ez*, *capra*, non modo conjugata sunt, sed & iisdem scribuntur literis, & solùm punctis differunt diversitatem facientibus; Nempe ut hircus Græcè τράγος dicitur παρὰ τὸ τραχὺ δέρμα ἔχειν, ut Grammatici observant; ita Ebraicè עז *ez*, *capra* nominata est ab asperitate pilorum, quorum usus in ciliciis, veste omnium asperrimâ. Inde factum ut mare עז *az*, αἰγαῖον, diceretur, tanquàm à capra sumpto nomine. Idq; eò libentius, quòd ab αἴξ *capra* Græcè, unde αἰγαῖον, alludit ad Ebræum עז *ez*, & videtur ex eo natum, quod jam alii observarunt. Vid. Stephanum in Ἄζωτος.

AEgæus, Neptunus dicitur ab *AEgis* Eubœæ insulâ. Strabo. *l.*9. Item fluvius apud Apollonium *lib.* 4. Corcyræ insulæ esse addit ibidem Scholiastes. Est & campus & regio in Phocide, quem Eust. *in Dionys.* αἰγαῖον πεδίον vocat *pag.*22.

AEgagaes, mons Asiæ, ubi vipera serpens reperitur; lege *AEgagees*, Ita enim Nicandro dicitur *in Theriacis vers.* 218.

——Ἢ καὶ ἐρυμνὸς

Αἰγαγέης πρηών. Ubi Schol. Βουκάρτερος, καὶ Αἰγαγέης, καὶ Κέρκαφος ὀνόματα εἰσιν ὀρῶν τῆς Ἀσίας.

AEgaleos, vel *AEgaleum*, Atticæ mons è regione Salaminis. Herod. Thucyd. Tzetz. *AEgialus* Plinio & Solino: νιφάδης πέτρα apud Istrum, Sophoc. in Oedipo Coloneo Scholiast. Item mons Messeniæ apud Strabonem. Stat. *lib.*12.

Dives & AEgaleos nemorum Parnesq; benignus.

AEgara, Lydiæ urbs. Vid. *AEga.*

AEgares, Insulæ, de quibus Tit. Liv *l.*1.3. *Dec.* apud has à Carthaginensibus malè pugnatum. Vide *Cannæ.*

AEgas, locus Eubœæ, unde *Mare AEgæum* dictum volunt.

AEgas, vocat Polyb. 3. locum circa Dauniam in Italia.

AEgateos, nomen regis apud Strabonem. *l.*8. sub quo antiqua Pylos Messenia civitas erat. Ridiculè. Legendum enim *AEgaleos*, de illo enim agit Geographus, & sub illo Pylon sitam esse scribit.

AEgates, Promontorium Æolidis, nunc *Cane* & *Cava.* Steph. ab Artemidoro αἴξ in Nomin dicitur. Vid. *Canna.*

AEgates, insulæ Africæ maris contra Carthaginis sinum. Ita ab omnibus vocatur, non *AEgades*, quod volebat Cluverius. Nam si hoc esset, media syllaba brevis foret, ut in *Sporades, Cyclades, Stœchades.* At verò Silius producit, *lib.*1.

——*Avet AEgates abolere parentum*

Dedecus, & Siculo demergere fœdera ponto.

Addit Mela, *Romanâ clade memorabiles.* Et hanc quoque lectionem vitiosam putant; vel errasse Pomponium. Neutrum verum est. *Clades* hic est, non quam acceperunt, sed quam dederunt Romani Carthaginensibus, de qua vid. Liv. *dec.*3.*l.*1. cui locutioni simile est illud Virgilii,

——*Et vulnere tardus Ulyssei.*

Hoc est, eo vulnere quod inflixit Ulysses. De quibus reciprocis vocalibus vide Agellium. *lib.*9.*cap.*12. *Aræ* dicuntur Virgilio, ut quibusdam placet, quòd ibi fœdera icta fuere inter Carthaginenses & Romanos, Lutatio Consule. Vide Cluver. Sicil. Ant. *lib.*2.*c.*15. Nardo est *Favognana*, quæ Siciliæ proxima est. *Propitia* à Sisenna vocantur. Servius, Vid. *AEgusa*, & *AEthusa.*

AEgathes, sunt 3. Insulæ ad Occid. Siciliæ, nempe Phorbantia, Hiera & Ægusa, nunc *Levenzo, Maretamo*, & *Favognana.*

AEge ad Climacas, Hellespont i locus, in Authent.

AEgeas, Proconsul Rom. post Andream Apost. martyrio affectum, correptus à malo Spiritu, momento expiravit.

AEgeas, Vid. *Tragias* & *AEdessa*,

AEgeis, tribus Attic. Hesych. & Steph. fortè Αἴγις Polluci.

AEgeli, populi in Media, Stephano Αἰγηλοί.

AEgelion, Macedoniæ Urbs circa Ægeum Pelagus, quam Liv. 31. ab Attalo oppressam scribit.

AEgemon, poëta, bellum Leuctricum, Thebanorum & Lacedæmoniorum versibus consignavit. Volater.

AEgeon; aliàs *Briareus*, fil. Titanis ex Tellure, centimanus gigas, Jovem quem reliqui Dii è cœlo iverunt exturbatum, tuitus est. Homer. *Iliad.*α. Alii eum solum in pugna Gigantûm contra Deos, centum saxa in Cœlum intorsisse dicunt. Virg. *AEneid.*6. Vid *Ægæon* & *Briareus.*

AEgere, Urbs, & Ægerius lacus, Romæ proximus, à quo *AEgerius Jupiter.* Vid. *Egeria.*

AEgeria, Vid. *Egeria.*

AEgesti, Lycophr. Italiæ pop sunt. Isacio. Alii *Angæsi* legunt.

AEgesta, ultra Drepanum & Erycen fuit antiqua in primis, celebrisque, ac potens urbs; eadem nonnullis *Acesta*, & Latinis auctoribus *Segesta* vocitata. Αἴγεστα dicta fuit plerisque scriptoribus Græcis, è quorum numero sunt Lycophron, Dion. Halicarn. Diodorus, Strabo. Sed antiquior formatio fuisse videtur Ἔγεστα, quam Thucyd. Plin. & Steph. nummusque antiquus referunt. Festus, *Segesta*, inquit, *quæ nunc appellatur, oppidum in Siciliâ est, quod creditur AEneas condidisse, præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit; sed præposita est ei S. litera, ne obscœno nomine appellaretur, ut factum est in Malevento, quod Beneventum est. Segestanorum emporium* legitur apud Ptol. *lib.*3. *cap.*4. Vide Cluver. Sic. Ant. *lib.*2. *cap.*2.

AEgestei, pop. Epiri, in ora maris Adriatici, prope ostium Acherontis fluv. Pop. Thesprotiæ, Steph. Vid. *Thesprotia.*

AEgeta, Vid. *Ageta.*

AEgetini, Calabrorum gens mediterranea. Plin. 3. 11.

AEgeus, Athenarum rex, filius Neptuni; duas habuit conjuges, Æthram Pitthei regis filiam, ex quâ Theseum suscepit, & Medeam, quam ab Jasone repudiatam, non solùm hospitio excepit, sed illam etiam sibi matrimonio copulavit, & ex eâ, ut placet Justino, Medum filium habuit. Successit quidem in regno Pandioni regi, revera patri. Eo autem regnante, Atheniensibus bellum intulit Minos Cretæ rex, ob cædem Androgei filii, legesque durissimas eis imposuit, ut sc. quotannis septem juvenes nobiles in Cretam mitterentur ad Minotaurum, qui tribus annis sorte missi sunt; quarta autem sors obtigit Theseo, qui maximo patris Ægei dolore navem conscendit: & cùm omnia navigii ornamenta nigra essent, & navis velum, habuit in mandatis à patre, ut si contingeret in agendis rebus eum felicem sortiri exitum, rediens navi album velum apponeret, amoto nigro, ut eminus sortem ipsius nosceret. Theseus autem Ariadnes consilio victor, mandatorum paternorum immemor, non amoto velo nigro rediit. Ægeus verò excelsâ turri prospectans nigrum velum, Theseum mortuum arbitratus, ex turri se dejecit in mare, quod ab ipso vocatum est *AEgæum*; & mortuus, ab Atheniensibus liberatis, & *Neptuni Filius*, & *Marinus Deus*, in solatium Thesei, consecratus est. Hæc ex Plutarcho, *in vita Thesei.* & Servio. Hinc patronymicum *AEgides.* Ovid. *Met.*7. & 8. *Protinus AEgides raptâ Minoide, Diam*

Vela dedit.——

AEgeus, Pandionis filius, Atheniensium rex, regnavit annos 42. Hic ab Homero, ut quidam volunt Αὐγείας dictus est.

AEgia, Laconiæ opidum. Pausanias. Αὐγάα Steph. Ætoliæ etiam Ægiæ Dioscor. unde crocum advehitur.

AEgiala, vel *AEgiale*, Amorgi insulæ urbs, *Hyali* Sophiano; *Begialis* Ptolemæo, ut quidam volunt. long. 53. 10. lat. 37. 40.

AEgiale, una ex Phaëtontis sororibus, quæ flentes in arbores populos versæ sunt, lachrymæque earum in electrum durare dicuntur, *Heliadesq;* appellatæ.

AEgiale, Adrasti, vel ut aliis visum, Ægialei filia, Diomedis uxor, quæ, marito apud Trojam bellum gerente, cum Cyllabaro Stheneli filio rem habuit; quod ubi Diomedes comperisset, domum reverti noluit, verecundiâ ductus, sed in Italiam vectus, regni partem à Dauno sortitus est. Quidam dicunt, eam Nauplii, patris Palamedis, suasione adhæsisse alteri. Lycophron autem ait Diomedem Stheneli filio Cometæ commisisse domum, & uxorem; Sed Venerem, quia à Diomede vulnerata fuisset, talem Ægialæ ἐρωτομανίαν immisisse, ut cum omnibus juvenibus quàm turpissimè viveret, præcipuè autem cum Cometâ consuesceret. Serv. *in lib.* 11. *AEneid.* Stat.3. *Silvarum:*

Questa est AEgiale, questa est Melibœa relinqui.

Dicitur & *AEgialea*, penultimâ productâ, Græcè Αἰγιάλεια. Ejus meminit Dionysius Periegetes in his.

Ἔνθ' ἥρως ἀφίκανε χαλεψαμένης Ἀφροδίτης,
Ὁππότε τηλίστων μετεκίαθεν ἔθνος Ἰβήρων,
Ἧς ἀλόχου βουλῇσι κακόφρονος Αἰγιαλείης.

Vide *Diomedes.*

AEgialea, insula gemina, una maris Cretici apud Peloponnesum, *Cecerigo* Sophiano, Cytheræ proxima. Eidem *Anticythuria,*

thuria, *Epla*, *AEgile* & *Styra*. Altera, teste Plinio, insula maris Ionii, circa Echinadas, Ætoliæ adjacens, parva quidem, & scopulus potiùs videtur quàm insula, unde illi hodiè nomen non est. V. *Argos*, *Sicyon*, *Peloponnesus*.

AEgialeus, Adrasti filius ex Demoanassa: unus ex septem, quos vocant, *Epigonis*, id est, filiis ducum ad Thebas cæsorum, missis ad Thebas, ut injurias paternas vendicarent, eò quòd insepulti eorum patres jacuerant; solus ex illis periit, cæteri sex victores redierunt: à Laodamante enecatus. Hyginus. *c.*71. Apollodorus *lib.* 3. *biblioth.*

AEgialia, Antiochidis tribus, in Phavor. lex.

AEgialius, Vid. *Apsyrtus*.

AEgialos, vide *Achaia*.

AEgialum, mons Asiæ minoris, Cedren. In Galatia videtur Ortelio, & idem cum *AEgialus*. Vid. *AEgilum*.

AEgialus, Phoronei fil. cui Apis, postquam Argis regnasset, in Ægyptum transiens, regnũ Achaię reliquit. Alii *Ægialeum*, Inachi filium ex Meliâ Oceanitide faciunt, & ab eo *AEgialeam* dictam, quæ postea Peloponnesus à Pelope vocata est. Item frater Medeæ, alio nomine Absyrtus dictus. Item primus Sicyoniorum rex, qui regnavit an. 52. à quo, ut quidam volunt, Peloponnesus *AEgialea* dicta. Fundavit autem hoc regnum, circa An. 2091. ante C.N. Ei filius Europs successit. Suidas regnum hoc An. 900. Augustinus 959. Euseb. 962. Alii aliter durasse scribunt. Vid. Petav. Salian. Spond. Torniel. & Ricciol. *Chron. Reform. t.* 1. *l.* 3. *cap.* 1. *n.* 2. *p.* 124. Unde pop. Sicyonii *AEgiali* dicti. Vide *Sicyon*.

AEgialus, locus inter Sicyonem & Buprasium, & alius proximus Ponto, cum vico ejusdem nominis. Item mons in Æthiopia juxta Ægyptum. *Steph.* Item urbs Asiæ minoris prope Cromnam, juxta Homeri versum,

Κρῶμνάν τ' Αἰγιαλὸν κὴ ὑψηλὰς Ἐρυθίνες.

Ubi tamen pro Αἰγιαλὸν, Strab. *lib.* 12. scribit quosdam legere Κωβίαλον. Vid. Steph. Est etiam mons cum urbe in Galatia, teste Cedreno. *Cagiali* Leunclavio. Est & Vicus ejusdem nominis in Asia min. Steph. Item Urbs in Thracia, juxta Strymonem, & alia, quæ *Magna* cognominatur: & in Æthiopia juxta Nilum: Item, secundùm Pontum, post Carambin prom. eidem Steph. Eandem cum dicta Arriani putat Ortel. Suidas habet hujus nominis urbem in Amorgo Ins. *AEgialam* Sophian. vocat. Vid. *AEgaleum*, *Achaja*, & *AEgitna*.

AEgias, argentarius quidam, qui Arato Sicyonio, in liberandis à tyrannide Sycioniis, socius fuit.

AEgicoreus, Attica quædam antiqua tribus. Steph. & Poll. 8.

AEgida, nomen unius è Gorgonibus, *vel monstri cujusdam ignivomi: à cujus sævitia populos Minerva liberavit, ejusque exuviis clypeum suum obduxit.* Virg. *lib.* 11. *AEneid.* Cic. *l.* 3. *de nat. Deorum.*

AEgida, opp. Istriæ primarium. Quod cùm dirutum esset, à Justino Imper. restauratum, *Justinopolis* nomen accepit. Hodiè *Capo d'Istria*, Ital. *Copia* Slavis, *Gafers* Germ. Sedet in rupe, 700. pass. a terra, ab una parte, & 520. ab altera. Ponte junctum est continenti. Plin. *lib.* 3. *cap.* 81. Leander, Ortel. Vid. *Justinopolis*.

AEgidion, vel *AEgidiorum*, Vid. *Sesecriene*.

AEgidius, Francorum rex, regn. an. 6. quem Childericus fudit, Æmil. *lib.* 1. Vid. infra. *AEgidius* autem à Gallis luxatum est in *Giles*, ut *AEgidia* in *Gillet*. Græcum enim nomen fuisse videtur, quia primus qui dictus est *S. Giles*, Atheniensis erat. Et Αἰγίδιο Græc. idem fuerit, qui in Latinis *Capella*. Quidam a. trahunt *Giles* à *Julius*, & *Gilian* à *Julianâ*. Camdenus. Quid v. si à *Gelliana*?

AEgidius, Romanus, Suessionum præfectus, à Gallis, qui Childericum I. pepulerant, throno impositus est. Apud hunc, Guinomaldus, vel Guiemanus, Childerici fidelissimus amicus, tantum valuit, ut nihil sine illo ageretur. Quare Ægidium in adeò violenta consilia impulit, ut Gallis invisus desiderium illis pulsi Regis conciliaret. Revocatus ergo à Guiemano Childericus, cui dimidiam partem aurei nummi, ex compacto in hunc finem, olim divisi, miserat, Ægidium vicit & regno iterum exturbavit. Gregor. Turon. *l.* 2. Fredegarius, Aimonius, Sigebertus. Vid Narbo.

AEgidius, Archiep. Remensis, post Mappinum, qui An. 572. obiit, in aula Childeberti Austrasiæ Reg. plurimum valuit. Sed accusatus conjurationis in Regem à Sonnesigilo, in vincula conjectus, atque in concilio Metis indicto, An. 590. convictus, depositus & Argentinam relegatus est. Gregor. Tur. *lib.* 6. *c.* 3. *& seqq.* Aimon. *l.* 3. *c.* 50. 51. Flodoard *l.* 2. *c.* 2. Morer. *in Diction. Hist.*

AEgidius Columna, Romanus, *Doctoris fundatissimi* titulo insignitus. Arch. Bituricensis, à Philippo Pulchro, filiorum institutioni adhibitus: Scripsit *de Regimine Principum*, contra Bonifacium 8. An. 1302. obiit An. 1316 Avenione. Edidit quoque alia in Philosophia & Theologia opera, satis probæ notæ: Sabellico *t.* 2. *Ennead.* 7. *l.* 9. testante, à temporibus S. Augustini, illo neminem neque copiosius neque accuratiùs scripsisse. Vide quoque Cornel. Curtium *in elog. Vir. Ill. Ord. S. Augustini*. Hujus enim Generalis Ægidius fuerat; Josephum Pamphilum, *in Chron. August.* Trithem. Possevin. Phil. Bergomensem, Rainaldum, Genebrardum, &c. Dictus idem *AEgidius* de Roma. Vid. Morer. *in Diction. Hist.*

AEgidius Carillus, Hispanus, Cardinalis nobilissimus: legatus Innocentii VI. Pontificis in Italiam missus, eam pacavit, arces plurimas ædificavit per annos quinque. Bononiæ collegium impensis propriis construxit: cui & reditus magnos pro scholasticis Hispanis pauperibus alendis assignavit. Obiit Viterbi, sepultus Assisii: inde multò pòst humeris peregrinorum, jubilei gratia Romam petentium, peccatorum veniam omnibus tam sanctum onus subeuntibus pollicente pontifice, Toletum in Hispaniam delatus est, & denuò sepultus. Tarapha *de reb. Hispan.* Platina, & Hieron. Garimbertus, *lib.* 3. *de Vitis Pontif.*

AEgidius, Argentinensis, eques auratus, qui tribus aciebus contiguis Saracenos vicit, duosque eorum duces occidit. Hier. Boëthius, *lib.* 14.

AEgidius, Eremita quidam, quem Carolus M. Imp. ut pro peccato suo occulto oraret, induxit.

AEgidius Fontana, Patavinus; cùm post irruptionem Attilæ cum patriciis familiis in æstuaria Veneta concessisset, primus fuit, qui leges novæ civitati Venetorum dedit, quæ ab Authore ipso etiamnum hodie *Sanctiones AEgidianæ* appellantur. Bernardin. Scardeonus *lib* 3. *classe* 13 *Hist. Patavina*.

AEgidius, Atheniensis monachus, quoniam miraculis clarere cœperat, jactationis occasionem fugiens, patriam reliquit, & ad eremum se contulit. Marulus *l.* 1. *c.* 4.

AEgidius, Atheniensis, Græcus medicus & philosophus: mox D. Benedicti sectam professus, sub Tiberio secundo, anno Christi 700. multa scripta posteritati reliquit, ut, de Pulsibus librum unum, item de Venenis unum: Vulneratus à venatore sagittâ, noluit vulnus sanari, ut assiduis doloribus exerceretur. Bergomensis, & Volaterranus, *lib* 21. & Vincentius *lib.* 23.

AEgidius, monachus Cistertiensis, scripsit vitas quorundam Episcoporum, Voss. *de H.L. Lib.* 3. Item, Carmelita, Bruxellis natus, à Maximiliano I. magni habitus, auctor historiæ Brabantinæ, & Chronici Carmelitici. Obiit An. 1506.

AEgidius Bossius, Mediolanensis, scripsit de Causis criminalibus, sub finem seculi præt. *AEgidius* Moncurtius, auctor *typi omnium scientiarum* An. 1598. *AEgidius* Muisius, Abbas Tornacensis, scripsit Chronicon, à C.N. usque ad An. 1348. Voss. *de H. L. lib.* 3. Alius de Roya, Flandriæ Annalium conditor. Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *p.* 606 Henriquez *in Menol.*

AEgidius Tschudus, Helvetius, Medicus & Geographus insignis, auctor variorum operum, Obiit An. 1572.

Ægil, *Aigil* aut *Eigil*, sub Ludovico Pio, circa an 818. Abbas Fuldensis, scripsit quædam Ascetica, habuitque pro successore Rabanum Maurum. Voss *H.L. l.* 2. *c* 33.

AEgila, insulæ nomen, Plin. 4. 12. 15. m.p. à Cythara, eademque à Phalasarnâ Cretæ op. 25. m.p. Aliis *AEgyla*. Ejus meminit Dion.

Αἴγυλά τ' ἠδὲ Κύθηρα, Καλαυρεια τε τρηχεῖα.

Ubi Eust. Αἴγυλα μὲν, inquit, ὀυκ ἠξίωσαι πολλὰ λόγυ παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Item Urbs Cyrenes, *Augila* Ptolemæo. *Augela* adhuc in recentioribus tabulis. Est etiam Laconicæ vicus, Pausan.

AEgileus, Cynædus quidam Macrob.

AEgilia, Insula inter Cretam & Peloponnesum. Steph. Styreorum est, ut tradit Herodot. Item, tribus Antiochidis, Steph. Item Atticæ tribus Athenæo. Vid. *AEgialia* & *Begialis*.

AEgilips, urbs Acarnaniæ. Strabo. Et locus in Epiro. Steph.

Αἰγίλιψ πλησίον Κροκυλεία τῆς Ἠπείρυ Ὅμηρ❀
Καὶ Κροκύλεί, ἐνέμοντο, κὴ Αἰγίλιπα τρηχεῖαν. Εἴληχε δὲ τὴν προσηγορίαν διὰ τὸ μετεώδη (Meursius πετρώδη) ἐιναι, κὴ ὑψηλὴν, κὴ ἀπρόσβατον. Unde verò αἰγίλιψ deducatur, vide Lexicographos. Dicitur etiam corruptè *AEgilops*.

AEgilium, insula maris Tyrrheni apud Cosanum litus, Vid. *Dianium*. *Il Oigilio* hodiè, *Igilium* Rutilio. Vide ibi. In ditione Magni Ducis Hetruriæ. Ibi tantùm pagus cum castro.

AEgilodes, sinus Laconiæ. Plin *lib.* 4. *cap.* 5.

AEgilon, insula inter Cretam & Laconicam, item regio quædam in Laconia, & pars tribûs Atticæ cujusdam ab *AEgilo* heroë. Vid *Capraria*.

AEgilops, Vid. *AEgilips*.

AEgilum, locus Asiæ minoris est Zonaræ: *Agilum* legit Curopalates. *AEgialum* Cedreni. Ortel. *AEgilum* prom. habet Lycophr. idque in Peloponneso. Vid. *AEgialus*.

AEgilus, locus in Attica Reg. ubi una tribus urbis Atheniensis habitabat, Ab *Ægilo* Heroe sic dictus, teste Athenæo. *AEgiliensis* tribus meminit quoque Demosth. in *Neæram*.

AEgimius, senex ætate provectissimâ, quem Anacreon tradidit ad ducentesimum usque annum vixisse. Plin. 7. 48.

AEgimo, urbis nomen, apud Suid.

AEgimorus, insula Libyæ Steph. vulgò *La Galetta*. *AEgimurus* Livio & Cæsari. *AEgimuri* Plinio, qui eas contra Carthaginensem sinum ponit, aitque, eas veriùs scopulos quàm insulas esse.

AEgimus, rex Doriensis, circa Oetam. Steph. in *Dyman*.

AEgina, Asopi regis Bœotiæ filia, quam Jupiter amavit, & in ignem conversus compressit, ex quâ postea Æacum, & Rhadamanthum suscepit. Item insula in qua Æacus regnavit, olim Oenopia dicta, hodie *Engia*. Vide *AEacus*. Fama est hujus incolas aliquando omnes peste fuisse absumptos, ita ut solus Æacus fuerit super-

superstes, qui cùm graviter ferret insulæ solitudinem, Jovem precatus est, ut aliquo pacto homines repararet, ita dicens, ut refert Ovid. *Met.* 7.

Jupiter ô dixi, si te non falsa loquuntur
Dicta sub amplexus Æginæ Asopidos isse,
Nec te, magne Pater, nostri pudet esse parentem;
Aut mihi redde meos, aut me quoque conde sepulchro.

Jupiter autem illis precibus commotus, formicas in homines mutavit, qui vocati erant *Myrmidones*, id est, *Formicarii*; Qui ideo sic dicti (inquiunt Mythologi) quia formicarum more terram fodientes, & in cavernis habitantes, frugalitati & parsimoniæ studuere. Populi *Æginenses*, vel *Æginetæ*, unde Paulus *Æginetæ* medicus Græcus, de quo vide Vossium *de Philosophia, cap.* 13. Primi autem Æginenses monetam excuderunt, teste Æliano, *Var. Hist.* 12.20. πρῶτοι νόμισμα ἐκόψαντο, καὶ ἐξ αὐτῶν ἐκλήθη νόμισμα Αἰγιναῖον. Inde etiam *Ægineticum æs*, quod olim in pretio fuit. Plin. *lib.* 34. *cap.* 3. Hi Dario, in omnes Græciæ urbes legatos mittenti, sponte se submiserunt: Potentes olim mari & insignes Athletæ. Herodot. *l.* 6. Fuit etiam urbs ejusdem insul. episc. olim sub archiep. Atheniensi, nunc metropolis, à Megaris 100. stad. in merid. long. 50.05. lat. 38.32. Vide Steph. in Αἴγινα, ubi tres *Æginas* recenset, Menandr. *lib.* 1. *de gent. dem. cap.* 17. Athen. *lib.* 4. Incolas ejus quod attinet, miror (inquit Vir Magnus) in Ægina insula saxosa & sterili, cujus ambitum Strabo & Eustathius definiunt stadiis 180. Plinius verò 20. m.p. quondam habitasse Myrmidonum myriadas 47. Pindari Schol. *in Od.* 8. *Olymp.* πλῆθος γὰρ ἀνδρῶν οὕτω φασὶ τὴν Αἴγιναν, ὡς εἶναι ἐν αὐτῇ τεσσαράκοντα ἑπτὰ μυριάδας ἀνθρώπων.

Ægina, Aristodemi, Spartanorum Regis uxor. Herodot. *l.* 6.

Ægina, nunc *Engia*, arcem habet à Turcis excitatam in tutelam sinus Saronici, qui ab illa *il Golfo d'Engia* hodie dicitur.

Æginaps, Insula Peloponnesi. Hesych.

Æginetes, opidum & fluvius Paphlagoniæ. Steph.

Ægini, populi de quibus hæc Nonius *ex lib.* 3. *Histor.* Sisennæ, *Tum postquam apud Æginos ac Perusinos ejus facti mentionem projecit:* In Italia esse videntur.

Æginium, opp. Thessaliæ, prope Acheloum fluv. in Græcia. In Pieria est apud Plinium.

Æginum, Illyriorum opidum. Plin. 4. 10. Stephano Αἰγίνιον.

Ægiochus, Jupiter dictus est, quòd corio capellæ Amaltheæ usus fuerit pro scuto, quando contra Titanas dimicavit, quasi Αἰγίδοχος, ὁ τὴν αἰγίδα ἔχων, τουτέστιν ὅπλον. Allegoricè autem quòd procellas immittat, id est, τὰς αἰγίδας. Nonnullis placet deduci ab ὀχή, id est, cibus, & αἴξ αἰγὸς, capra, quòd, cùm puer esset, à capra nutritus fuerit. Vid. Lactant. *lib.* 1. *Inst. c.* 22.

Ægiochus, in Creta locus, ubi Jup. à capra enutritus est. Diodor. 1

Ægion, oppidum Achajæ. Plin. 4. 5. 3. Vid. *Ægium*.

Ægipan, Æthiopiæ sub Ægypto, opp. in Nili ripa. Plin.

Ægipan, à poëtis Pan est cognominatus, quòd pedes caprinos haberet. Inde *Ægipanes* homines nudi, leves, & caprinos pedes habentes. Propert. 3. 16.

Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ,
Capripedes calamo Panes hiante canent.

Mela 1. 8. *Blemmyis capita absunt: Vultus in pectore est, præter effigiem nihil humani; Ægipanum quæ celebratur ea forma est.* Satyrorum autem Ægipanumque in Libya eodem modo, iisdemque penè verbis meminere Plinius, Solinus, & Martianus Capella. Nemo tamen addit, qualis fuerit forma Ægipanum. Posteriores duos ignorasse facilè crediderim, an verò Plinius etiam ignorarit, non attinet quærere. Sanè neque in forma hujus monstri conveniunt, si tamen monstris accensenda sunt ea, quæ sunt mera Græculorum commenta. Salmasius in Notis ad Solinum ex Parallelis Minoribus Plutarchi adstruere conatur, Ægipana illum esse, quem Romani Sylvanum vocant. Sed verò valdè infirmo nititur tibicine; neque enim quidquam certius, quàm libellum istum esse prorsus Plutarcho indignum, cùm nugacissimus sit, ac ejusdem planè auctoris, atque sit ille de fluminibus, qui & ipse nomen Plutarchi præ se fert. Porro tantum inter se differunt Sylvani & Ægipanes, ut difficilius aliquid reperias, in quo conveniant, quàm in quo discrepant. Ægipanes enim non ut Sylvani cum humana facie pingebantur, verùm caprinâ prorsus, imò αὐτοχρῆμα capri erant supernè. Pingebantur prætereà cum cauda piscis. Causa nominis hæc est; Ægipan Jovis filius ex capra Bœotia esse fingitur, quam etiam Oleniam vocavere. Alii Jovis collacteum faciunt, natumque ex *Æga Panis* conjuge; hinc *Ægipana* dictum aiunt. Juvisse hic dicitur Jovem in bello contra Typhonem. Quia autem primus invenit concham marinam, quâ inflatâ, terrorem Panicum injecit, ideò caudam piscis huic adfingi. Hujus imaginem in cœlo ajunt esse Capricornum. Theon *ad Aratum:* Ὁ δὲ Αἰγόκερως ὅμοιός ἐστι τῷ Αἰγίπανι, κατηστερίχθη δὲ εἰς τιμὴν τοῦ Πανός, εἰς γὰρ τοῦτον μετεβλήθη διωκόμενος μετὰ τῶν ἄλλων θεῶν, Scholiastes Germanici; *Capricornus sanè similitudinem habet Ægipanos; habet enim posteriorem partem piscis, priorem capri.* Ita quoque Hyginus & alii, licèt in cæteris hujus fabellæ partibus non conveniant. Causam verò quamobrem cum cauda pingebatur, hanc reddit idem Theon; Εὗρε δὲ οὗτος τὸν κόχλακα ἐν τῇ θαλάσσῃ, διὸ παράσημον ἔχειν ἰχθύος ἐχει. Aliam causam verò reddit Hyginus, & Germanici Scholiastes, verùm de eo nos ad ipsum Aratum; verba sunt Is. Vossii. Dii faxint promissis steterit. Porro Ægipanum crebræ effigies occurrunt in antiquis Ægyptiorum monumentis, nempe Satyri αἰγιοπρόσωποι, κέρκιν ἰχθύων ἔχοντες.

ÆGiplanctum, montem habet Æschyl. in Agamemn. Circa Corinthum opinatur Ortel.

ÆGira, urbs inter Ætoliam & Peloponnesum. Item Achaiæ in Peloponneso opidum. Ptol. Homero, ut Pausanias docet, *Hyperesia* vocatur. *Hyperiam* quoque dictam tradit Steph. Gemistus *ÆGyra* scribit, & etiam *Bostitza* nuncupari ait. hodie *Scolocastro*, vel *Xylocastro* dicitur Mario Nigro. Est etiam Insulæ in Achaja nomen. Plin. 4. 5.

Ægirea, pars Ithacæ Inf. apud Steph. Vid. *Crocylion*.

ÆGircius, fluv. Aquitaniæ, Auscios & Lactoram Urbes alluit, & in Garumnam influit, ad alteram supra Agennum leucam. Vulgo *l'Egers*, aut *le Gers*. De quo Fort. *lib.* 1.

Lubricat hic quoniam tenuato Ægircius haustu.

ÆGiroessa, Ætoliæ urbs. Herodotus *lib.* 2.

ÆGirsius, Vid. *Egircius*.

ÆGirum, Lesbi insulæ urbs, inter Methymnam & Mitylenen, ubi arctissima est insula. Strabo. *Gernia*, Nigro teste.

ÆGirusa, op. Megaridis non longè ab ipsis Megaris, quod & *ÆGosthena*, teste Pausaniâ, dicebatur.

ÆGis, Atticæ tribus. Poll. Vid. *ÆGeus*.

ÆGis, scutum Jovis, ἀπὸ τῆς αἰγὸς, id est, à capra. Nam ille à capra Amalthæa nutritus est, cujus mortuæ pelle scutum suum operuit: Capram autem postea vitæ restitutam, & aliâ pelle obductam inter astra collocavit, seque ob capræ memoriam *ÆGiochum* appellari voluit. Virg. *ÆN.* 8.

— Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, cùm sæpe nigrantem
ÆGida concuteret dextrâ, nimbosque cieret.

Scutum verò Palladi dedit, cui ipsa Medusæ caput imposuit, quod qui intuebantur, protinus lapidescebant. Virg. *ubi supra.*

ÆGidaque horriferam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum, auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore Divæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

ÆGisolia, Galen. in libr. de Victus rat. *Ejusmodi Vini in locis ÆGisolia campestribus, magnus est proventus.*

ÆGiste, Arabiæ felicis Urbs, Ptolom.

ÆGisthena, Vid. *ÆGirusa*.

ÆGistum & *ÆGisum*. Vid. *ÆGypsus*.

ÆGisthus, Thyestis filius ex Pelopeiâ ejusdem filiâ, quem infantulum mater, tegendi sceleris causâ perdendum feris exposuit in sylvis; sed à pastore inventus, ejus beneficio nutritus est, & inde Αἴγισθος dictus, quòd nutritus sit à capris. Vide Ælian. *Var. Hist.* 12.42. Hic provectioris ætatis Atreum, impellente tamen patre, interfecit, & ejusdem filium Agamemnona inter epulas, adjuvante uxore Clytæmnestrâ, quâ etiam turpissimè usus est, obtruncavit. Postremò ab Oreste Agamemnonis filio, patris mortem ulciscente, è medio sublatus est. Hom. *Odyss.*

Ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρείδαο
Γῆμ' ἄλοχον μνηστήν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα.

Ovid. *lib.* 1. *De Remedio Amoris.*

Quæritur ÆGisthus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est, Desidiosus erat.

ÆGisthum autem gemens & indignabundus Pompejus, C. Cæsarem vocare solebat, ob adulterium cum uxore suâ Mutiâ, quam tamen postea repudiavit, quamvis ex ea jam tres liberos suscepisset. Sueton.

ÆGisthus, Beli prisci filius (hunc tamen Apollodorus Neptuni & Libyæ filium facit, & Ægyptum vocat) & Danai frater: lege & vide *ÆGyptus*.

ÆGitaurus, Vid. *Taurus*.

ÆGitharsus, promuntorium Siciliæ inter Drepanum, & Segestanum emporium. Ptol. Quod vocabulum ex Αἰγίθαλλος corruptum esse ex Diodori & Zonaræ historiis colligit Cluver. *de Sic. Ant. lib.* 2. *pag.* 248. *Capo de S. Vito* hodie. Brietio verò est, *Capo di S. Theodoro.*

ÆGithium, opidum Ætoliæ in monte, à mari 8. m.p. distans. Thuc. 3.

ÆGitna, oppidi Ligustici nomen in Polybii *fragm.* 34. sed idem videtur *ÆGialon* vocare, ut annotavit Fulvius.

ÆGium, Achaiæ propriæ op. Ptol. ubi Jovem à caprâ nutritum ferunt, unde opido nomen. Αἶγα enim capram Græci dicunt. *Ustitza* Mario Nigro. *Bestitzan* Kyriaco Anconitano dicitur. Vid. *Lasium*.

ÆGle, Æsculapii & Lampeties filia minima. Item, fellatrix quædam. Apud Martial.

ÆGle, Hesperi Italiæ regis filia, vide *Hesperides*. Alia fuit nympha, Solis & Neæræ filia; Græcè *lux*, seu *splendor*. Virg. *eclog.* 6.

Addit se sociam, timidisque supervenit ÆGle,
ÆGle Naïadum pulcherrima. ———

Ægle, insula, vide *Syme*.

Ægles, athletæ Samii nomen, qui cùm per omnem ætatem mutus fuisset, in sacro tamen certamine, cùm in sortitione fraudem admitti videret, nimio loquendi desiderio linguæ vincula rupit, ac distinctè, quàm diu vixit, locutus est. Val. Max. 1.8. Gellius. 5.9.

Æglesburgus, *Ailesburg*, opp. Angliæ in Bukingamiæ Comitatu, ad fluv. Tamam. Distat Oxonio 14. mill. Anglicis.

Ægletes, Apollinis cognomen, quo nomine celebrabatur in Anaphe insula, quæ Sporadum una. Apoll. *Argonauticon lib*. 4.

——— ὅτ' Ἀπόλλωνα θυηλαῖς
Αἰγλήτην Ἀνάφης τιμήορον ἱλάσκοντο.

Nominis rationem antea indicavit his verbis *Vers*. 1714.

——— ——— Αἰγλήτην μὲν ἐϋσκόπε εἵνεκεν αἴγλης
Φοῖβον κεκλόμενοι ——— ———

Ægloge, Neronis Imp. nutrix, Suet.

Æglon, Moabitarum Rex, ab Aiotho occisus. Sab. *l*.8.

Ægobolus, Bacchus apud Potniam celebratus de cujus nomine hæc historia proditur. Cùm ibi Dionysia incolæ celebrarent, ita in contumelias acti sunt & furorem ob ebrietatem, ut Bacchi sacrificulum interimerent; quapropter à Deo irato gravi pestilentiâ affecti sunt. Cives hâc de causâ Apollinem consulentes, responsum acceperunt, ut Baccho formosissimum puerum immolarent, quod cùm Potnienses per multos annos fecissent, capram demum, à Baccho edocti, pro puero supposuerunt, unde illi cognomen. Gyraldus *Synt. de Diis*.

Ægoceros, id est, *Capricornus*, animal in quod poëtæ tradunt se Pana transformasse, & in aquam se dejecisse, cùm in Ægypto unà cum reliquis Diis Typhona Gigantem acerrimum Deorum hostem fugeret. Sed Jupiter hujus ingenium admiratus inter astra eum collocavit. Lucret. *lib*.5.

Nec ratio Solis simplex ac recta patescit,
Quo pacto æstivis à partibus Ægocerotis
Brumales adeat flexus: utq; inde revertens
Canceris advertat metas ad solstitiales.

Lucanus *libro nono*,

Par geminis Chiron, & idem quòd Carcinos ardens
Humidus Ægoceros. ———

Idem *lib*. 10. *rapidos quà Sirius ignes*
Exerit, & vari mutator Circulus anni
Ægoceron, Cancrumq; tenet. ———

Ægocöris, tribus quædam antiqua apud Athenienses, Steph. Vid. *Ægicoreus*.

Ægolius, is cùm in antrum Jovis apibus sacrum in Creta ingressus fuisset, mellis exhauriendi causâ, à Jove in avem sui nominis mutatus est. Antonius Liberalis *in metamorph*.

Ægon, pastor apud Theocritum & Virgilium; quo etiam nomine promuntorium Lemni dictum est. *Ægon* etiam Carysti, Eubœæ civitatis, princeps. Ponitur item aliquando *Ægon* pro *Ægæo mari*. Statius,

——— *Ventisq; absentibus Ægon*
Motus, & ingenti percussit litora ponto.

Val. Flaccus *lib*. 1. ——— *Vix litore puppim*
Solvimus, & quanto fremitu se sustulit Ægon!

Aristot. *in meteor*. Αἰγὼν fluv. est Africæ, ex Æthiopiæ montibus nascens. Vide *Ægæum*.

Ægon, pugil quidam in Zacyntho insula, qui taurum ferum calcibus prehensum è monte in urbem pertractum Amaryllidi donavit: & 80. placentas solus comedit: de eo Theocrit. *Eidyll*. 4.

Ægon, rex Argivorum, primus creatus, postquam defecit Heraclidarum familia, ex qua regem eligere mos illis antiquitus erat: ii namque per oraculum sciscitantes, qui rex creari deberet, responsum acceperunt, Aquilam id ostensuram: paucisque admodum post diebus, Aquila supernè delapsa super Ægonis domo consedit, atque ita omnium consensu Ægon rex creatus est.

Ægones, Gall. Cisalpinæ pop. Polybio, ubi hodie *Vicovenza* opidulum, ut putat Leander. Aliis *Egones*.

Ægonia, vel *Ægonea*, urbs Miliensium. Steph. Lege *Meliensium*, Lycophron *in Cassandra*,

Ὧν οἱ μὲν Αἰγώνειαν ἄθλιοι πάτραν.

Rhianus Αἰγώνην eam vocat. *lib*.16.

Ægophagos, Juno dicta apud Lacedæmonios, quòd ibi capræ illi immolarentur. Cæl. Rhod Emendandus obiter Hesychius, apud quem corruptè legitur Αἰγοφάγος, χήρα ἐν Σπάρτῃ, ubi rescribendum Ἥρα. Huic Deæ coronam imponebant, quæ Πυλεὼν dicebatur. Vide Athenæum *lib*. 15. Meursium Miscellan. Lacon. *lib*. 1. *cap* 5.

Ægos potamos, i. e. *Capræ fluvius*, Anglicè *Goatsbrook* diceretur. Thraciæ Chersonesi opidum est Plinio, Straboni, Æmylio Probo, & Pomponio Melæ. Plutarchus in *Alcibiade*, ad Hellespontum situm esse scribit. Jo. Tzetzes quoque ejus meminit, tanquam urbis Thraciæ. Ad hujus fluv. ostia classis Atheniensium à Lysandro capta fuit. Plinius *lib*. 11. *cap*. 58. refert, ibi ostendi lapidem magnitudine vehiculi, colore adusto, quem Anaxagoras Clazomenius è Sole casurum prædixerat.

Ægosagæ, Galatæ, Αἰγοσάγαι, Asiæ populi erant apud Attalum Regem, quibus Asiam debellavit, ut tradit Polyb. 5. Hos idem Attalus postea ad Hellespontum habitandum dedit. Eosdem alio in loco *Rhisogagas* vocat. Utrobique *Tectosages* legere mavult Ortelius.

Ægosthena, urbs Megaridis. Steph. pop. *Ægosthenenses*. Vide *Ægirusa*.

Ægosthenia, Phocidis in Achaia urbs. Ptolemæus.

Ægostis, locus & urbs Locridis, apud Stephanum ex Epaphrodito.

Ægritia Vid. *Egritia*.

Ægua, αἴγυα, Hispaniæ Bæticæ urbs, non procul à Corduba, Straboni. Vid. *Hegua*.

Ægula, αἴγυλα, Dionysio Afro est insula maris Cretici, Amniso septentrionalior.

Ægus & *Roscillus*, Allobroges duo fratres, Abducilli filii, qui Principatum in civitate, multis annis obtinuerunt, singulari virtute homines, quorum operâ Cæsar, omnibus Gallicis bellis optimâ fortissimâque usus erat, à Cæsare ad Pompejum defecerunt. Hirt *de bello Civil*. *l*.3.

Ægussa, Steph. insula Libyæ, quam incolæ *Catriam* vocant. Græcè Αἴγουσα. Vid. Bochart. *de Phœn*. *lib*. 1. 27. Aliis *Æthusa*. Vid. *Æthusa*.

Ægyla, sive *Ægula*, Vid. *Ægila*.

Æglyodes, sinus circa Laconicam. Plin.

Ægyna, locus est, in Thesauro Goltii. fortè pro *AEgina*.

Ægypanes, Africæ populi semiferi, in intimis regionibus: Pomponio & Plinio.

Ægypius, Anthei filius, Nomionis Nepos, in extremis habitans Thessaliæ finibus, cùm à Timandra vidua pecuniâ datâ impetrasset, ut ipsi ad se domum ventitarti corporis sui potestatem faceret: Neophron Timandræ filius, id ægrè ferens, Ægypii æqualis, multis donis Bulidem Ægypti matrem pellexit, ut cum ea domum suam deducta rem haberet: horam deinde maturè cognoscens, quâ ad Timandram erat Ægypius venturus, suam matrem domo emisit, inque ejus locum matrem Ægypii introduxit, se ad eam rediturum simulans: Ægypius nihil eorum, quæ machinatus erat Neophron, cognoscens, cum matre corpus commiscuit, Timandræ nomine Eum somno jam captum Bulis agnovit, arreptoque gladio oculos filio eruere, & seipsam necare statuit. Apollinis interim voluntate somno Ægypius solvitur: intellectisque Neophronis insidiis, in cœlum sublatis oculis, omnia *secum aboleri optavit: Jupiter porrò eos in volucres mutavit, factique sunt Ægypius & Neophron ægypii (id est, vultures) cognomines*, minori tamen corpore Neophron: Bulis in mergum abiit, eique Jupiter alimentum tale destinavit, ut nihil terrâ editum edat, sed tantùm oculis piscium, avium, aut serpentum vescatur: Timandra in parum est mutata; neque unquam eodem loco hæ aves vitæ sunt. Anton. Liberalis *in metamorph*.

AEgypsus, Getica urbs, in summo montis vertice sita, juxta Danubium: Ovidius *de Ponto* 4. *Elegia* 7. & 1. *Elegia* 9. Gaudentius Merula ad hunc locum scribit ex Plinii *lib* 6 *cap*.7. *Gypsos* hujus populos vocari: *AEgisum* Antonini esse putat Ortelius, & *AEgistum* Procopii 4. *AEdific*. in Thracia: item *AEgyssus* Libri Notitiar. quam in Mœsia Inferiori statuit; hæc Mœsia enim una ex Thraciæ regionibus est apud posteros sive mediæ ætatis scriptores: quam & Getæ quondam habitavere Vid. infra.

AEgypsus, urbs ad ripam Istri fluvii, ab *AEgypso* conditore. Ovidius *Ponticorum lib*. 1. *eleg*. 8.

Stat vetus urbs ripæ vicina binominis Istri,
Mœnibus & positu vix adeunda loci.
Caspius AEgypsos (de se si creditur ipsis)
Condidit, & proprio nomine dixit opus.

Vide *ibi* Nicolaum Heinsium. Rursus *lib* 4 *Eleg* 7.

Non negat AEgypsos, quæ te subeunte recepta
Sensit in ingenio nil opus esse loci.
Nam dubium est, positu melius defensa manuve,
Urbs erat in summo nubibus æqua jugo

AEgypti Paralia, locus circa Pelusium, quem latrones inhabitant. Statius 3. *Amor*

AEgyptia, Vide *Larissa*.

AEyptiacus Sinus, Vid *AElaniticus*.

AEgyptiorum Murus, Locus sic dictus, Apamiensi agro in Syria proximus, Straboni, cui quoque vicus est inter Catabathmum & Paræronium Libyæ. *AEyptiorum* Monasterium sic dictum, habetur in Prato Spirituali, distans 12. M. P. ab Anazarbo secundæ Ciliciæ.

AEgyptini, Æthiopes Ægypti finitimi.

AEgyptis, regiuncula Peloponnesi est apud Pausaniam in Arcadicis: dicit enim Carnionis fluminis fontes esse in Ægyptide: pro qua Amasæus *AEpytide* vertit. *AEgyptios* populos, idem Pausanias eodem in tractu nominat, pro quibus idem Interpres Ægienses substituit. Primam vocem ubique retinendam censet Ortelius, cùm bis idem Pausanias eam repetat: tum quòd Stephanus hujus quoque meminerit in dictione ἦλις, ubi nominat *AEgyptiam Olympiam*.

Ægyptus, Ciceronis libertus. *Lib.* 16. *epist.* 15. *Ad Tyronem.*

Ægyptus, à quo Ægypto regioni nomen secundùm quosdam, Beli filius & frater Danai ex Neptuno & Lybia oriundus, qui cùm 50. haberet filios, totidem eos fratris sui filiabus matrimonio conjunxit, quæ à patre Danao, cui oraculo prædictum fuerat, ab uno generorum suorum regno pulsum iri, instructæ, primâ à nuptiis nocte suum quæque maritum interfecerunt, præter unam Hypermnestram, quæ Lynceo viro suo pepercit, *in parentem*

Splendidè mendax, & in omne Virgo
—— —— Nobilis ævum.

Uti loquitur Horatius. Vid. Euseb. Hygin. Ovid. Eustathium, &c. Lynceus autem postea pulso Danao, Argivorum regnum invasit, & an. 69. regnavit.

Ægyptus, ex Mausoli, Cariæ Regis, ministris, qui, Miletum missus, ad communicanda cum prodituris consilia ferè deprehensus fuit: sed, quo astu evaserit, Vide Polyæn. *l.* 6.

Ægyptus, Rex Æthiopum, à S. Matthæo, ut horum traditio habet, ad Christi fidem conversus. Marmol. *l.* 10. *c.* 13.

Ægyptus Turc. *Elquibet*, Asiæ regio (licet à Ptolemæo in Africâ describatur) teste Melâ in 2. partes dividitur. Una *inferior*, quæ & *Delta*, ad occid. *Bechria*, & ad ort. *Errif*, teste *Jo: Leone*, dicitur. Altera *Superior*, vulgò *Sahid*, & olim *Thebais* dicta: est autem Meridiem versus, & ad Syenen usque procedit. De antiquitate Ægypti, ac disciplinâ Sacerdotum, quos prophetas vocant, innumerabilia penè ab authoribus memorantur. Huc Dædalus, Melampus, Pythagoras, Homerus, Solon, Musæus, Plato, Democritus, Apollonius Tyaneus, compluresque alii eruditionis gratiâ profecti, dogmata Ægyptiorum in suam quisque patriam retulere. Primi siquidem Artium inventores putantur Ægyptii. Dionysius Periegetes,

Οἱ πρῶτοι βιότοιο διεσήσαντο κελεύθους,
Πρῶτοι δ' ἱμερόεντος ἐπιζήσαντο ἀρότρου,
Καὶ σπόρον ἰθυτάτης ὑπὲρ αὔλακος ἁπλώσαντο.
Πρῶτοι δὲ γραμμῇσι πόλον διεμετρήσαντο,
Θυμῷ φρασσάμενοι λοξὸν δρόμον ἠελίοιο.

Ubi per βίου κελεύθους Scholiastes τὰς τέχνας intelligit. Sanè Diodor. Sic. *lib.* 1. Ægyptiis ἀρχαιοτάτην ἀγωγὴν tribuit. Hinc Ægyptus *Terrarum parens* appellata est, uti tradit Crinitus. Et Macrob. *Saturn.* 1. 15. AEgyptum vocat *artium matrem.* Et de Somn. Scip. 1. 19. incolas ejus appellat *omnium Philosophiæ disciplinarum parentes.* & cap. 21. de iisdem, *Quos constat primos omnium cœlum scrutari, & metiri ausos* De agriculturâ AEgyptiorum nos plura in *Osiris.* De fertilitate Dionys. Ἔυβοτος εὐλείμων τε, καὶ ἀγλαὰ πάντα φέρουσα,

Quam tamen Nilo suo plurimùm debet, qui

—— *Viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ,*

Uti loquitur Virg. *Georg.* 4. Et Strabo. *lib.* 17. ait, *Sterile in Ægypto esse, quicquid non attigerit Nilus.* Et certè fidem huic fecerit, si maximè alia non suppeterent testimonia, AEgypti Encomium à veteribus usurpatum, quo *publicum orbis horreum* est appellata. Hoc nomine olim Libyam potentissimam præ se contempsit AEgyptus angusta. Unde Proverb. *Sulcus Ægypti arenas non curat Lybiæ.* Quod Græco disticho expressit Antiphilus,

Καρποῖς, οὐ ψαφίοισιν ἐρίζομεν, οὐδὲ γὰρ αὖλαξ
Αἰγύπτου Λιβύης ψάμμον ἐπιστρέφεται.

Sed non moras faciemus in re tam notâ; videat studiosus lector Wendelini *Admiranda Nili*, *cap.* 21. Hujus divitias & opes ostendunt etiamnum tot opera immortalia, ut sunt Pyramidum vastissimæ moles, tot stupendæ altitudinis ex solido marmore Obelisci, Colossi, Sphinges, Statuæ, Labyrinthi, totque Deorum delubra, quorum plura solùm Ægyptus, quàm aliæ omnes regiones exhibet, teste oculato Herodoto ex antiquis, ex recentioribus P. de Valle, qui magnifica horum mirandorum rudera, accuratissimè descripsit, *Itiner. tom.* 1. Fuisse autem Ægyptios ab initio Idolorum cultores vanissimos, non tantùm docent sacræ literæ, sed etiam profani authores affatim. Unum nomino Juvenalem, *Sat.* 15.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet saturum serpentibus Ibim.
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Opida tota canem venerantur, nemo Dianam. &c.

Post Christum autem ex Divâ Virgine natum, ex hâc eâdem Monachorum, Eremitarumque agmina primum enata, indeque per totum orbem Christianum devulgata, ex primitivæ Ecclesiæ monumentis docetur. A priscis incolis (inquit Bochartus) Ægyptus vocabatur *Chamia*, vel *Chemia*, id est, *terra Cham*, quomodo illam appellat Psaltes Ps. 78. 51. Plutarchus autem, qui ignorabat Ægyptios à Chamo oriundos, à terræ nigredine putavit ita nominari, ἐπὶ τὴν Ἄιγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ Χημίαν καλοῦσιν. Et verò Geneseos *cap.* 30. ubi de coloribus pecudum Labanis & Jacobi, חום *chum* pro *nigro* quater occurrit. *Chemia* tamen potius videtur ad *Chamum* pertinere, ut & apud Steph. aliud AEgypti nomen compositum ἑρμοχύμιος, & in ipsa AEgypto pagi Χέμμις, Ψώχεμμις, Ψιτάχεμμις. Hebræi *Mitzraim* vocant, quam vocem Doctissimus Bochartus non nomen hominis esse putat, sed regionis, ac proinde *Misraim* credit factum per compendium ex *Mesoraiim*, nam singulare ejus est מצור *Masor.* Id in scripturâ occurrit aliquoties. 2. Reg. 19. 24. *Siccabo plantâ pedum meorum omnes rivos Masor*, id est, AEgypti. Et Esajæ. 19. 6. *Et siccabuntur fluvii Masor*; ubi Kimchius, *Masor, idem quod Misraim.* Rursus Michææ 7. 12. *Et à Masor usque ad fluvium*, hoc est, ab AEgypto usque ad Euphratem, qui sunt termini terræ Chanan. Porro מצור, *Masor*, est *munitus locus*; nomen ergo ab argumento sumptum, neque enim ulla regio est naturali situ tutior. Ὀχυρότητι δὲ φυσικῇ (inquit Diodorus *lib.* 1.) οὐκ ὀλίγῳ δοκεῖ τῶν εἰς βασιλείαν ἀφωρισμένων τόπων, idque probat in sequentibus longâ inductione Ab occasu sc. desertum habet inaccessum, à meridie Nili Catarractas, & montes AEthiopiæ, ab ortu item eremum & barathra, & paludem Serbonidis, ab Aquilone mare importuosum; nam ab Joppe Phœniciæ usque ad Parætonium Lybiæ nullus est portus præter Pharum. Hæc postquam pluribus docuit Diodorus, ita concludit, Ἡ μὲν οὖν Ἄιγυπτος πανταχόθεν φυσικῶς ὠχύρωται. Hæc ille *Lib.* 1. Et *lib.* 15. de AEgyptio Nectanebi, Persis adventantibus, Ἐθάῤῥει δὲ μάλιστα μὲν τῇ τῆς χώρας ὀχυρότητι, δυσεφόδου πάντελῶς οὔσης Αἰγύπτου. Ita etiam Strabo. *lib.* 16. *Jam inde*, inquit, *ab initio Ægyptus fuit valde pacata*, διὰ τὸ αὐταρκὲς τῆς χώρας, καὶ τὸ δυσείσβολον τοῖς ἔξωθεν. Sed & AEgyptus potuit dici *Masor* ab angustiis, quia צור *Sur* est coarctari, & צר *Sar*, *angustum* sonat. Angusta enim est AEgyptus, quod omnes sciunt, & à mari Syenen usque tota patet in longitudinem, unde est quòd Ægyptios Esajas appellat גוי ממשך hoc est, *gentem in longitudinem protractam*, vel *extensam*, *cap.* 18. 2. Vox autem dualis *misraim* docet duplicem esse Ægyptum, de quo supra. Ægyptus etiam olim *Eeria* sive *Aeria* dicta. Schol. Apollonii Rhodii *in illud Argonaut.* α.

—— Ἠερίη πολυλήϊος αἶα Πελασγῶν.

Thessaliam ita nuncupari ait, παρὰ τὸ μέλαιναν εἶναι τὴν γῆν. Οὕτω καὶ τὴν Ἄιγυπτον Ἠερίαν φασίν. Atque vetustissimum hoc ei fuisse nomen volunt prisci, & antequam AEgyptus diceretur. Eusebius *in Chronico* sub Mosis tempora Ραμεσσῆς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ὁ Ἄιγυπτος καλούμενος ἐβασίλευσεν Αἰγύπτου ἔτη ξη. μετωνόμασε δὲ τὴν χώραν Ἄιγυπτον τῷ ἰδίῳ ὀνόματι ἥτις πρότερον Μεστραία, παρ' Ἕλλησι δὲ Ἀερία ἐλέγετο. Ac proinde Apollinarius illud Psalmistæ Psal. 114. *In exitu Israëlis ab Ægypto*, &c. ita vertit.

Ἄλκιμος Ἰσραὴλ ὅτ' ἤλυθεν Ἠερίηθεν,
Δῶμα δὲ βαρβαρόφωνον Ἰακώβου λίπε λαός.

Restat jam ut aliquid de Græco vocabulo dicamus. Etymologus postquam varias produxit hujus vocis notationes, concludit, ἢ παρὰ τὸ αἴθω, τὸ καίω, οἱ γὰρ ἐν Αἰγύπτῳ ἄνθρωποι κεκαυμένοι εἰσὶν ἐκ τῆς σφοδρᾶς τοῦ ἡλίου φορᾶς. Quin & Hesychius Ἀιγυπτιῶσαι *denigrare* interpretatur. Videatur quoque Scaliger in Festum, voce *Ægyptinos*. Isychius quoque *ad Levit.* 3. 6. *Ægyptus*, ait, *contenebratio vocatur*, unde *Æthiopia* Stephano & Eustathio dicitur. Verùm de hâc re audiamus Doctissimum virum Simpsonium Sic enim ille, AEgyptus Ἄιγυπτος Græcis dicta, non à Danai fratre *Ægypto*, ut communis fert opinio, sed ab illâ Thebaidos urbe *Coptos*. quæ AEgyptiorum & Arabum commune emporium fuit, uti refert Plinius. Hinc tota illa regio אי Koptos, dicta fuit. Nam Ebræis אי *ai*, est insula, provincia, unde forsan αἶα Græcorum. Postea verò pro Ἄικυπτος dicta est Ἄιγυπτος, nam κ & γ sunt literæ commutabiles, ut in Κώβιος, *Gobius* &c. Vide *Coptos*, & de nomis AEgyptiorum, in *Nomi*. AEgyptus à fulminum casu est immunis ob nimium solis ardorem; siquidem calidi siccique terræ halitus in raras admodum tenuesque, & infirmas nubes densantur. Plin. 2. 50. Siquidem in AEgypto non pluit. Zachariæ *cap.* 14. *vers.* 28. *Quod si familia Ægypti non ascenderit, neque advenerit, super quos non est imber* Claudianus in *Nilo*.

Felix qui Pharias proscindit vomere terras,
Nubila non sperat tenebris condentia cœlum,
Nec graviter flantes pluviali frigore Coros
Invocat, aut arcum variatâ luce rubentem.
Ægyptos sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti.

Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 7.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Lucanus,

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis, in solo tanta est fiducia Nilo.

Inde *hiulca* Statio, ob nimiam siccitatem diducta. Locus est *in Theb. lib.* 4.

Et patris undosi sonitus expectat hiulca
Ægyptos, donec Phariis alimenta rogatus
Donat agris —— —— ——

Eam ob rem Ægyptus Melæ *terra expers imbrium* dicitur. Seculi autem,

li autem nostri admiratores, & hoc quoque antiquorum simplicitati adscribunt. Unâ omnes voce contendunt, imbres in Ægypto non minus frequentes esse atque alibi locorum. Alexandriæ enim & in itinere Memphim versus, pluvias se expertos esse continentes, oculati & complures testes affirmant. Sed desinant rogo, boni viri non veteribus, sed sibi illudere. In inferiori Ægypto, quæ mari vicina est, nonnunquam pluvias descendere, non illos fugit. Proclus *in Timæum lib.* 1. Εἰ καὶ γίγνοιτό ποτε ὄμβρος περὶ τὴν Αἴγυπτον, ἀλλ᾽ οὐ περὶ πᾶσαν, ἀλλὰ περὶ τὴν κάτω γίγνεται εἰώθασι. Vide Voss. *ad Melam. pag.* 49. & infra. De AEgypto sic Baudrandus:

Ægyptus, est Africæ regio celeberrima, non autem Asiæ, sub potestate Turcarum ab anno 1517. A Gallis *l'Egypte* dicitur, ab Italis & Hispanis *l'Egitto*, Indigenis *Chibili*, Arabib. *Bardamasser*, Extenditur à Septentr. in Meridiem, à mari Mediterr. usque ad Syenem. Eam interfluit Nilus fluv. cujus inundationibus fœcundatur. Ab Oriente habet deserta Arabiæ, ab Occid. Lybiam, à Meridie AEthiopiam, & à Septentr. mare Mediterraneum. Habet primariam urbem Cayrum ad Nilum amplissimam, & aliàs Sultanorum Regiam. AEgyptios tanquam viles & sordidos, onera instar asinorum corpore vectare solitos Suid. scribit. Unde apud Aristoph. *Ægyptius laterifer* V. infra.

Urbes Ægypti claræ: quarum clariores asterisco notantur.

Abydus episc. * Alexandria patriarch. Anthedon. Antinopolis episc. Arsinoe.
* Babylon nova. Berenice. Bubastus. Busiris episc.
Canobus seu Canopus. Casium. * Coptos episc.
Dionysias. Diospolis magna. Diospolis parva.
Gerra.
Heliopolis episc. Hermopolis episc. Heroopolis.
* Lycopolis episc.
Mendes. * Memphis. Mysormus.
Naucratis episc. Nilopolis episc.
Ostracine episc.
* Pelusium episc. Pharos. Ptolemais ad Nilum. Altera ad sinum Arabicum.
Rhinocorura episc.
Sais episc. Sebennytus episc. * Syene epis.
Tanis episc. Tentyra episc. * Thamiatis episc. * Thebæ, Thmuis episc.

Nunc pro majori parte interiere; & partes AEgypti à Nilo fluvio remotiores ferè incultæ jacent, præsertim versus Lybiam.

Ægyptus, peculiaris quædam AEgypti regio, in libro Notit. qui eam in 6. Provincias dividit, quarum hæc una. V. *Cuma.*

Ægyptii, apud se ab orbis primordio primos homines fuisse ferunt, cùm propter soli fertilitatem, aerisque temperiem, tùm propter Nilum, qui multa ob limi ubertatem generat animalia, & suâpte naturâ nutrit. Nam in Thebaidos agro gignuntur mures, quâ ex re multùm stupent homines, cùm priorem quorundam partem, pectore tenus animatam, in limo moveri videant, posteriori nondum inchoatâ, sed informi. [De quo Ovid. *Met. lib.* 1. *fab.* 12.

Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alveo,
Ætherioque recens exarsit sidere limus,
Plurima cultores versis animalia glebis
Inveniunt, & in his quædam imperfecta, suisque
Trunca vident numeris, & eodem in corpore sæpe
Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.

Mela 1. 9 *Nilus glebis etiam infundit animas. ipsaque humo vitalia effingit Hoc eo manifestum est, quòd ubi sedavit diluvia, ac se sibi reddidit, per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, sed tunc primum accipientia spiritum, & ex parte jam formata, ex parte adhuc terra visuntur* Verum hoc esse suo quoque suffragio comprobat Plinius, & murium exemplo ostendit *lib.* 9. *cap.* 58. *Omnibus his*, inquit, *fidem Nili inundatio affert, omnia excedentem miracula: quippe detegente eo musculi reperiuntur, inchoato opere genitalis aquæ terræque, jam parte corporis viventes, novissimâ effigie etiamnum terrenâ.* Testis etiam Diod. Siculus *lib.* 1. *cap.* 2.] Verùm Psammeticho regnum adepto: cùm incessisset cupido dignoscendi, qui revera primi hominum extitissent, ex eo tempore dicierunt Ægyptii, Phrygas fuisse primos, se verò secundos. Diod. & Herod. Vide etiam hac de re historiam scitam & lepidam in *Psammetichus.*

AEgyptum plerique volunt Nili fluminis invectu paulatim fuisse aggestam, ac proinde illam Ephorus appellat ποταμόχωστον; Herodotus ἐπίκτητον γῆν, & δῶρον τοῦ ποταμοῦ. Aristot. τοῦ ποταμοῦ ἔργον. Atque ex eo ipso AEthiopes sese AEgyptiis antiquiores esse probabant, quòd cùm AEgyptus olim esset mare, tandem τοῦ Νείλου κατὰ τὰς ἀναβάσεις τὴν ἐκ τῆς Αἰθιοπίας ἰλὺν καταφέροντος, *Nilo per excessus suos limum ex Æthiopiâ ferente*, facta esset terra continens. Cui rei probandæ multa afferunt. 1. Quoties Nilus abundat limi alluvionibus, cedere pelagus & removere nonnihil. 2. In AEgypti montibus conchylia reperiri. 3. puteos & fontes quotquot sunt salsam habere & amaram aquam, ac si reliquiæ maris in iis subsederint 4. Denique Pharum insulam, hodie solùm 7. stadiis aut summum m. p. ab Alexandriâ disparatam, Homeri verò ævo noctis & diei cursu ab AEgypto distasse, ut idem testatur, *Odys.* δ. *Vers.* 356. Constat tamen, AEgyptum semper in eodem fuisse situ; nam ut cætera taceam, Tanis AEgyptiorum olim regia non procul à Tanitico, Nili ostio, jam extabat tempore Mosis. Psal. 78. 12. *Qui mirabilia fecit in terrâ Ægypti, in campo Taneos.* Quin antiquissima urbs, in qua decimus à diluvio Abrahamus diu vixit, Gen. 13. 18. & 23. 2. non nisi septennio ante Tanim fuit condita, Num. 13. 23. Itaque fabularis historia Isidis, & Ori, & Osiridis, quâ nihil antiquius habent AEgyptii, multorum meminit locorum in infimâ AEgypto, ut quæ illo ævo jam extiterint. Sic in Plutarcho *de Iside, & Osiride* legas, arca inclusum in mare fuisse dejectum, διὰ τοῦ Τανιτικοῦ στόματος, *per Nili ostium Taniticum*, & postmodum à Busiride sepultum, aut ut alii volunt, Taphosiride: Et Orum Buti educatum, & Pelusium oppidum ab Iside conditum. Sed & Trojanis temporibus creditur Menelaus Canobum appulisse, unde Pharus aberat solùm 127. stadiis. Itaque falsissimum est, quod ab Homero traditur, à Pharo in AEgyptum noctis & diei cursum fuisse, adeoque cursum navis,

——ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν,
—— *Stridens quam ventus ponè sequatur.*

Navis enim integrum diem vento secundo procedens, eoque stridente & acri, iter emetitur decuplo longius, id est, pro centum & viginti stadiis, stadia mille & ducenta. Id lectorem malo docere Aristidis verbis in *Oratione Ægyptiacâ*: Κάνωβος Φάρου σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀπέχει, κάιτοι ναῦς πανημερίᾳ θέουσα, ὑπ᾽ ἀνέμου κατὰ πρύμναν πνέοντος, προσθήσω δὲ καὶ λιγέως, οὐκ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν σταδίους ἀνύσει μάλιστα, ἀλλ᾽ ἴσως μᾶλλον διακοσίους καὶ χιλίους. Sed neque AEgypto quicquam ex Nili alluvionibus concesserim; id enim quicquid est, facilè dissipat continua maris agitatio. Proinde cùm Alexandria stet ab annis ferè bis mille, tamen semper est litorea, & quantum à Pharo distabat olim, tantum hodieque distat, nempe stadia 7. aut, ut alii, m. p. Aristides *ubi supra*: καίτοι τῆς μὲν ἠπείρου ἀπέχει ἑπτὰ μάλιστα σταδίους Ammianus *lib.* 22. *Insula Pharos, ubi Protea, cum Phocarum gregibus, diversatum Homerus fabulatur inflatius, a civitatis litore mille passibus disparata* Hæc Veteres. Nihilo magis credo, quod habet Plutarchus *in Iside*, omnes AEgypti fontes, & puteos esse amaros. Fontem Solis prope Heliopolim multi describunt; sed amarum esse nullus observat, ut neque quenquam alium in AEgypto, quod quidem sciam. Jam quod de conchyliis in summitate montium præter Plutarchum Herodotus etiam tradit, malo referre ad signa generalis inundationis, quæ in diluvio contigit. Quo mirè faciunt hæc Theophrasti *apud Philonem de mundi perennitate*: Σημεῖα τὰ τῆς παλαιᾶς ἐναπολελεῖφθαι θαλαττώσεως, ψηφῖδας τε καὶ κόγχας καὶ ὅσα ὁμοιότροπα πρὸς αἰγιαλοὺς εἰώθασιν ἀποβράττεσθαι, hoc est, *pristinæ inundationis signa superesse calculos, & conchas, & quæcunque hujus operis æstuante mari solet ad litus ejici.* Itaque etiam in Numidia Pomponius *lib.* 1. *cap.* 6. aliquid observat simile. *Interius*, inquit, *& longè satis a litore (si fidem res capit) mirum admodum spinæ piscium, muricum, ostreorumque fragmenta, saxa attrita (uti solent) fluctibus, & non differentia marinis, infixa cautibus anchoræ Alia & hujusmodi signa, vestigia effusi olim usque ad ea loca pelagi, in campis nihil alentibus esse inveniri que narrantur.* Et Ovid. *Met.* 14.

—— *Vidi factas ex æquore terras,*
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa est in montibus anchora summis.

De AEgypto plura qui volet, præter Geographos, Herodotum, Diodorum, Plutarchum, Aristidem, Heliodorum consulat. Ex recentioribus in primis P. de Valle, *Itiner. tom* 1 qui, paulo post initium seculi hujus, inter alias regiones dissitas, hanc quoque solicitè perlustravit, eamque exactissimè descripsit; Ut alios omittum. Partes ejus, ut dictum, à Nilo fluv. remotiores ferè incultæ nunc jacent, præsertim Libyam versus; cùm olim numeraret 20000. Urbium. Admirabiles adeo fuere in nectendis machinis AEgyptii, ut hinc tractum fuerit proverbium,

Δεινοὶ πλέκειν τὰς μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

De versutis, & ut ait Plautus, consutis dolis dictitatum. Torqueri potest & in perplexas sophistarum argutias, ac syllogismorum inexplicabiles labyrinthos, aut in Sycophantas & delatores, qui vera falsis permiscendo, nectunt calumnias. AEgyptii præterea, quòd gestandis oneribus quæstum non satis honestum factitare consueverint (unde & Ἀχθοφόροι dicti) in jocum proverbialem abierunt, hoc adagio,

Οὐς οὐκ ἄρχειν ἂν οὐδ᾽ ἑκατὸν Αἰγύπτιοι.

De molestis dici solitum, ac moribus intolerandis, seu fastu præturgidis. Suidas. Huic affine est, *Ægyptius laterifer*, Αἰγύπτιος πλινθοφόρος Arist. *in Avibus* Quadrare videtur in sordidum, atque infimæ sortis hominem, vel potiùs in eum, qui molestis negotiis (putâ LEXICIS CONFICIENDIS) premitur.

ÆEgyptios *vanam gentem, & novandis, quàm gerendis rebus aptiorem* vocat Q. Curtius *l.* 4. Synesius in encomio calvitii per translationem Αἰγυπτιάζειν pro *dolosè agere* usurpat. Strabo *lib.* 17. ἀνθρώπους ἀπολέμους vocat, *homines imbelles*, hoc est, ad rem gerendam ineptos. Polybius *lib.* 15. ait, esse *hoc Ægyptiis hominibus innatum, ut dum fervent irâ, mirum in modum sint crudeles*. Plinio *in Panegyrico* appellantur *ventosa & insolens natio*. Philo *in Flaccum* scribit, esse Ægyptios naturâ irritabiles, & è minima scintilla suetos magnas seditiones accendere. Et Vopiscus *in Saturnino: Sunt Ægyptii viri ventosi, furibundi, jactantes, injuriosi, atq; adeò vani, liberi, novarum rerum usq; ad cantilenas publicas cupientes*, Et mox ex epistolâ Adriani: *Ægyptum totam didici levem, pendulam, ad omnia famæ momenta volitantem*, &c. *Genus hominum seditiosissimum*. Ergo Suetonio teste, veritus est Cæsar *Ægyptum provinciam facere, ne quandoq; violentiorem præsidem nacta, novarum rerum materia esset*. Plura suggerent *Geographi*, Ptolemæus, Strabo, Plinius, Pomponius Mela, Solinus, Ortelius, Mercator, Cluverius, Berthius, Merula, Maginus, Sempilius, Golnitzius, Sanso & du Val: *Historici*, Herodotus, Diodorus Siculus, Ammianus Marcellinus, Polybius, Justinus, Diogenes Laertius, Manetho & Berosus, Josephus, Appianus Alexandrinus, Procopius, Jac. Vitriacensis, Nangius, Leunclavius, Torniellus, Salianus, Historia Califarum, Godofridus, P. Jovius, Maffæus, Capellus, Marmolius, Murthadius, Haito, Davity, & accuratissimus P. de Valle *Itiner. tom.* 1. *Philologi*, Philo Judæus, Cicero, Aristoteles, Jamblichus, Lucianus, Cl. Alexandrinus, Eusebius, Plutarchus, Macrobius, Suidas, Ælianus, Cœl. Rhodiginus, Pierius &c. *Chronologi* tandem aliique, Petavius, Scaliger, Calvisius, Ricciolus, Censorinus, Pouletus, Montconis, Thevenotus, Guyonus, Pigafetus, Villamontius, Radzivilius, Palernus, Mantagazzius, Vinc. le Blanc, Belonius, Jarricus, Joh. Leo. &c.

ÆEgyptium mare, quod Ægyptum alluit. Eustathio *Pharium* & *Parthenium*: sic quoque Ammiano: à Parthenio urbe, ut putat Ortel.

ÆEgyra, Vid. *ÆEgira* & *Lesbos*.

ÆEgyrpani, Vid. *Argypana*.

ÆEgys, Αἴγυς urbs Laconica. item Arcadiæ locus. Vide Steph. *in Carysto*.

ÆEgyssus, Vid. *ÆEgypsus*.

ÆEgystus, fil. Plisthenis, Clytemnestræ adulter, occiso ejus marito Agamemnone, Regnum Mycenarum invasit, sed septennio pòst, an. M. 2878. ab Oreste, *fil. Agamemnonis*, unà cum adultera occisus est, Vell. *l.* 1. Euseb. *in Chron.* Hyginus, Eurip. Ovid. De hoc tritum illud:

Quæritur ÆEgysthus, quare sit factus adulter?
In promtu causa est, desidiosus erat Vid. *ÆEgisthus*.

ÆEianes, Græciæ populos habet Pausan. *in Phoc.* Cnemidis montis accolas fortè. *ÆEnianes* mavult legere Ortel.

ÆElana, urbs Arabiæ Petrææ ad intimum ferè sinus Arabici recessum, ubi *sinus ÆElaniticus*, à Sina monte 60. m. p. dist. Stephano Αἰλάνον dicitur. Glaucus vicum appellat, Arabicorum *lib.* 3. *Eltor* hodiè, teste Villanovano, *Aila* verò Nigro. Ἐλανίτης μύχος dicitur Ptolemæo, quem Plinius scribit, alii *ÆElenaticum*, ab Artemidoro *Aleniticum*, & à Rege Jubâ *Leniticum* nominatum. *Lænites* Agatharchidi dicitur. Vide Bochart. *Geogr. Sacr. pag.* 761. itemque Lipenium *De navigatione Solomonis Ophiriticâ*, *Sect.* 2. *pag.* 115. long. 65. 00. lat. 29. 51.

ÆElas, Suburbanum Carthaginis. Procop. 2. Wandal.

ÆElburgum, Urbs episc. in ea parte Daniæ, quæ *Cimbrica Chersonesus* olim, hodie *Jutlandia*. Dicta ab anguillis, *Aelen* Germ. quarum commercium ibi ingens. Mercat. Davity.

ÆEleshamia, opp. Angliæ in Norfolcia prov. Distat à mari Germ. 8. mil. Angl. & totidem à Norvico.

ÆEletani, populi intra Iberum, usque ad montem Pyrenæum, & Pompeiana Tropæa habitantes. Strabo. *lib.* 3. V. Laletani.

ÆElia, Vid. *Elaazama* & *Hadrianopolis*.

ÆElia, Jerusalem ita cognominata, quòd eam *ÆElius* Adrianus Imp. Rom. restaurari curavit. Steph.

ÆElia Aug. Mercurialis Thanitt Vid. *Thena*.

ÆElia Capitolina, colonia, Vide *Hierosolyma*.

ÆElia Adriana, urbs Africæ, Vide *Zama*.

ÆElia Catulla, nobilissima & ditissima matrona, quæ annos octuaginta nata, in ludis à Nerone institutis saltavit. Xiphilinus.

ÆElia Petina, è familia Tuberonum, Claudii Cæsaris uxor, ex qua Antoniam genuit, sed repudiata, inductâ Messalinâ.

ÆElia Ricina, seu potius *Helvia Ricina*, urbs Piceni excisa; ex cujus ruinis *Macerata* urbs episcopalis condita est. Ferrarius. Ei excisæ successit *Recinetum*, urbs Episcop. Piceni in colle, & in ditione Pontificia, 6. mil. pass. ab ora maris Adriatici.

ÆEliana, Ponti urbs In libro Notit.

ÆElianus, cognom. *Claudius*, Præneste oriundus, Sophista Romanus, à Philostrato maximè laudatus, quòd Romanus homo tam probè Atticissaverit, tamque eleganter peregrinam à patriâ vocem retinuerit. Scripsit De Animalibus, De Variâ historiâ, De Re militari, quæ omnia ad nos pervenere. Fuit auditor Pausaniæ sub Adriano Imp. Græcis ob eloquentiam Μελίγλωσσος, & Μελίφθογγος dictus, itemque *Facundus* à Martiale *lib.* 12. *epigr.* 24.

O jucunda, Covine, solitudo,
Carruca magis essedoq; gratum
Facundi mihi munus ÆEliani. Vid. Suid. Vossium, *de Hist. Gr.* 2. 11. &c.

ÆElianus Meccius, Italus medicus, qui pestilentiâ ingruente, author fuit, ut theriacâ uterentur homines: eâ multos servavit, plurimos præservavit: eum commendat Galenus *lib. de Usu theriaca*, ob experientiam & humanitatem.

ÆElice; Vid. *Lalice*.

ÆElieorum, αἰλιέων, & *ÆEliotorum*, αἰλιωτῶν, meminit Thesaurus Goltzii ex nummis: ab αἴλου, vico Arabiæ felicis, ut suspicatur Ortelius; ejus quoque apud Ptolemæum memoria est.

ÆEliopolis, vide *Pelusium*.

ÆEliotorum, vide *ÆElieorum*.

ÆElius, & *ÆElia*, nomina sunt propria Romanorum, carent aspiratione; Perottus de Æliorum familia. Quæ Romæ admodum pauperrima fuit, adeò ut sedecim eodem tempore Ælii fuerint, quibus una domuncula erat, ubi nunc sunt *Mariana monimenta*, & unus in agro Vejentano fundus. Eadem gens nullum antè scrupulum argenti habuit, quàm Paulus, Perseo rege devicto, Quincto Ælio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex præda donaret. Val. Max. 4. 4. Hinc *ÆElia series* pro Æliorum familia. Claudianus *in laud. Serena*, Hispaniam alloquens;

Dives equûm, frugum facilis, pretiosa metallis,
Principibus fœcunda piis, tibi secula debent
Trajanum, series his fontibus ÆElia fluxit,
Hinc senior pater, hinc juvenum diademata fratrum. Videatur *Atheneus, Cordus, Maurus, Sabinus, Verus*, &c.

ÆElius, miles quidam Romanus, qui lethali morbo correptus, ut fortiter interiret, sibi ipsi manus intulit.

ÆElius Adrianus, Rom. Imp. Vid. *Adrianus* & *Hadrianus*.

ÆElius Donatus, Grammaticus, D. Hieronymi præceptor, Romæ cum Victorino rhetore, ethnicus: *Praconius* dictus, quòd pater ejus præconium faceret, & *Stylo*, quòd orationes nobilissimas scriberet. Volaterran. *lib.* 13. *cap.* 3. *Anthropol.* Sigonius *lib.* 5. *Imper. occident.* Cùm de Juliani Imp. Apostatæ morte nuntius Romam perlatus esset, jocabundus dixit, *Quomodo Christiani dicunt Deum suum esse patientem & ἀνεξίκακον?* nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius, ne modico quidem spatio indignationem suam perferre potuisse.

ÆElius Gallus, ordinis equestris vir, Arabiam Felicem primus subegit, ab Augusto Imp. missus. Plin. 6. 38. Hujus amicitiâ usus est Strabo Geographus, & cum eo Nilum navigavit, totamque ferè Ægyptum lustravit, ac bonam etiam Africæ partem. Testis ipse Strabo.

Ælius Gracilis, tempore Neronis, Belgicæ legatus. Tacit. XIII. 53. Ubi tamen Lipsius è libris *ÆElius Gracchus*, Muretus autem *A. Gracchus*.

ÆElius Grammaticus, cognomine duplici fuit; nam & Præconius, quòd Pater ejus præconium faceret, vocabatur; & Stilo, quòd orationes nobilissimo cuique scribere solebat, tanto optimatum favore, ut Metellum Numidicum comitatus sit in exilium. Sueton. Plin. *lib.* 9. *cap.* 35. testimonium ejus citat adversus Fenestellam.

Ælius Lamia, Suriæ præpositus; sed ob metum Tiberio Romæ retentus: ac tandem urbi præpositus, obiit senex Ser. Galbâ, L. Sullâ Coss. extremo anni: cujus mors funere censorio celebrata. Tacit. VI. 27.

Ælius Lampridius, Historicus, qui scripsit de vita Didii Juliani, Commodi, Heliogabali, & Severi. Vid. *Lampridius*.

Ælius Mantia, Formianus, libertini filius, ultimæ senectutis, L. Libonem apud Censores accusabat: in quo certamine cùm Pompeius Magnus humilitatem ei, ætatemque exprobrans, ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset, Non mentiris (inquit) Pompei, venio enim ab inferis L. Libonem accusaturus; sed dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Ænobarbum flentem, quòd summo genere natus, integerrimæ vitæ, amantissimus patriæ, in ipso juventutis flore, tuo jussu esset occisus: vidi pari claritate conspicuum Brutum, ferro laceratum, querentem id sibi priùs perfidiâ, deinde etiam crudelitate tuâ accidisse: Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuæ, bonorumque patris tui defensorem, in tertio consulatu catenis, quas tu ei injici jusseras, vinctum, obtestantem te, adversus omne fas & nefas, cùm in summo esset imperio, à te equite Romano trucidatum: vidi eodem habitu & quiritatu prætorium virum Perpennam, sævitiam tuam execrantem: omnesque eos unâ voce indignantes, quòd indemnati sub te adolescentulo carnifice occidissent. Val. Maximus *lib.* 6. *c.* 2. Alii *Helvius* legunt.

ÆElius Martianus, Jurisconsultus, quem Didius Julianus Imp. jusserat occidi, sed elapsus discrimini, postea in consilio Alexandri fuit: multa in Jure scripsit. Vide *Martianus*.

ÆElius Melissus, nostrâ memoriâ fuit, (inquit Gellius 18. 6.) Romæ

Romæ summi quidem loci inter Grammaticos, sed majore erat in literis jactantiâ, & σοφιστεία, quàm operâ. Is preter alia, que scripsit complurima, librum edidit *de loquendi proprietate*, ubi *matronam* eam esse dicit, quæ semel peperit, quæ sępius *matrem-familiâs*; sicuti sus quę semel peperit, *porcetra* dicitur, quę sępius, *scropha*.

AElius, Neronis libertus, rei familiari Principis in Asia impositus. Tacit. XIII. 1. Vide ELIUS. nam sic rectiùs scribitur.

AElius Pætus, fil. Sexti, vel Publii, sine præn vir Romanus, cujus dicenti cùm in capite picus consedisset, aruspexque affirmasset, conservato eo, fore domûs ipsius statum felicissimum, Reip. miserrimum; occiso autem, in contrarium utrumque cessurum, è vestigio picum morsu suo in conspectu senatus necuit: decem & septem militum familiam, eximię fortitudinis viros, Cannensi prelio amisit. Respublica verò procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit. Val. Max. *lib.* 5. *c.* 6. Hunc autem aliqui non *AElium*, sed *Lælium* fuisse; & *Lælios*, non *AElios* periisse volunt. *Cœlius* etiam nonnullis dicitur.

AElius Pertinax, Ligur, patre Successo libertino, mercatore lignario natus, literis & calculo dedit operam puer, in Græcis imprimis eruditus: Sulpitium Apollinarem audivit, post quem grammaticam publicè professus est: à patre *Pertinacis* nomen accepit, cùm P. Ælius solùm vocaretur, eo quòd lignariæ negotiationi pertinaciter intenderet: à Mar. Antonino Senator factus provincias consulares quatuor rexit: mox à Commodo, cum Perenne legato, ad exercitum in Britanniam missus, seditiones multas compressit: postremò Proconsul Africæ factus, extincto Commodo, ab exercitu, consentiente senatu, Imperator delectus, sexagenario major, invitus ad imperium, cujus nomen ut invidiæ plenum aversabatur, accessit: Imperatoriis possessionibus nomen suum inscribi prohibuit, dictitans non esse illas proprias imperantium, sed communes Romanorum, & publicas esse: cùm Senatus eum hortaretur, ut uxorem suam *Augustam*, filium *Cæsarem* nominaret; satis dixit esse, quòd ipse invitus imperet: tandem à præfecto prætorii Læto, conscio Didio Juliano, sexto Imperii mense, in palatio suo interfectus est. Capitolinus.

AElius Saturninus, poëta Satyricus, qui quòd in Tiberium versus composuerat, ab eo in senatum ductus, è Capitolii rupe præcipitatus est. Dion Nicæus *in Tiberio*.

AElius Sejanus, Consul Romanus, apud Tiberium tantâ fuit authoritate, ut ei pro collega in imperio haberetur: sed elatus cœpit Tiberium præ se nihili facere, Prætorianos, aliosque omnes sibi conciliare: Tiberius re cognitâ, cautè ac pedetentim depressit hominem. Dion *lib.* 58. Vid. *Sejanus*.

Ælius Sextus Catus; hic, teste Cicerone *lib.* 1. *de Oratore*, prudentiâ, & Juris Civilis scientiâ præditus hoc carmine celebratur ab Ennio;

Egregiè cordatus homo Catus Æliu' Sextus.

Censuram cum M. Cethego egit, in quâ in spectaculis senatum secrevit à populo, cùm antea in promiscuo spectabant. Liv. *lib.* 4. *dec.* 4. Hic, cùm legati Ætolorum in consulatu, prandentem in fictilibus, adissent, missa ab his vasa argentea non accepit, neque aliud habuit argenti ad supremum vitæ diem, quàm duo pocula, quæ Lucius Paulus socer ei ob virtutem, devicto Perseo rege, donasset. Plin. 33. 11.

AElius Spartianus, Historicus, scripsit de vita Hadriani, Antonini Pii, & Marci Aurelii: claruit An. 240.

AElius Stilo, Vide *AElius Donatus*.

AElius Successus, mercator, cùm lignariæ negotiationi pertinaciter inhæreret, *Pertinax*, dictus est: ejusque filius P. Ælius Pertinax postea Imperator, extincto Commodo, creatus fuit. Capitolinus.

Ælius Tubero, L. Pauli nepos, nullo in oratorum numero, sed vitâ severus, & congruens cum eâ disciplinâ, quam colebat, paulò etiam durior: Itaque honoribus majorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis & fortis, ac in primis Graccho molestus. Vide plura de eo apud Ciceron. *Orat. pro Muræna*.

Ælius, Tuberonis nepos, Ligarium apud Cæsarem accusavit, quem Cicero luculentâ oratione defendit.

Ælius Pons, hodie *Ponte di S. Angelo*, teste Marliano, pons urbis Romæ, quo in Vaticanum, ex urbe itur, apud molem Hadriani.

Aëlla, Vid. *Abellinum*.

Aëllo, trium syllabarum, gen. *Aëllûs*, nomen unius Harpyiarum, ita dicta, quasi ἑλοῦσα ἄλλο, hoc est, *alienum tollens*. Nihil dici potuit absurdius. Alii itaque malunt à turbine & procella sic appellatam, quæ Græcis ἄελλα dicitur. Quod satis innuit Val. Flaccus *lib.* 4.

—— Harpyiæ semper mea pabula servant,
Fallere quas nusquam misero locus, ilicet omnes
Deveniunt, niger intorto ceu turbine nimbus.

Ovidius *Metamorph. lib.* 13.

—— Strophadumq; receptos
Portubus infidis exterruit ales Aëllo.

Fuit etiam nomen unius ex canibus Actæonis, apud eundem Ovid. *Met.* 3.

Prævalidusq; Lacon, & cursu fortis Aëllo.

AEluæones, Ptolemæo, *Helvecones* Tacito, pop. Germ. quorum urbs *Elbing* à Gedano 9 leuc. in Bor. putatur. Sed hæc in Prussiâ, non in Germania est. At sub Germania olim Prussia censebatur.

AEluri, αἴλουροι, apud Suidam populi sunt, inter quos & Gallos Alpes sunt: additque apud hos Æluros accidisse, ut crebra castella essent, Gothosque ab antiquo ibi excubias egisse: in dictione *Alpes*. Horum meminit quoque Zonaras *tom.* 3. Æluropolim Ægypti civitatem sic dictam à felibus, habet Leonclavius ex Elia Cretensi, *in Nazianzenum*.

AElurus, Pseudepisc. Alexandrinus.

AElus, vide *Halus*.

AElyzæa, vide *HalyZea*.

AEmarorum mons, op. Gall. Narbon. Strab. vulgò *Montlimar*, in Delphinatu ad Rhodanum flu. in Provinciæ confin. inter Valentiam 8, & Avenionem in merid. 13. leuc. Aliis *Montilium Audomari*, seu, *Mons Ademari*.

AEmate, Vid. *Emate*.

AEmathia, vide *Emathia*.

AEmathion, Æthiopum rex, ab Hercule in bello superatus.

AEmera, Vid. *Epidaurus*.

AEmilia, Vid. *AEmylia*.

AEminium, Lusitaniæ op. mediter. Ptol. quod, ut Vasæus putat, hodie *Agueda* dicitur. Varrerius autem Conimbra esse docet. Vid. *Minium*.

AEminius, fluvius Hisp. ab Minio 200. m. p. uti ex Varrone tradit Plin. 4. 21. Vid. *Limæa*.

AEmnestus, Ennensium Tyrannus, à Dionysio majore subornatus, ut ejus rebus studeret. Postquam verò, neglecto Dionysio, sibi dominatum vindicavit, à Dionysio subversus est. Diod. *l.* 14.

AEmon, vir, cujus meminit Ovid. *in Ibin hoc versu*.

Nec tibi si quid amas felicius AEmone cedat.

Hic cùm Rhodopen filiam turpiter amaret, in montem obduruit unà cum eâ, Diis talem infamiam vindicantibus. Domit. Calderinus. Egnatius verò ex Euripide scribit, hunc fuisse Creontis filium natu minorem, Menœci, qui se pro patria devovit, fratrem; cui Antigone Oedipi filia desponsata fuerat. Illâ verò patrem in exilium secutâ, Æmon à Sphinge dilaniatus est. Æmon, ut alii tradunt, tanto amore dilexit Antigonem, ut ad mortuæ tumulum sese interfecerit. Prop. *lib.* 2. *eleg.* 9.

Quid? non Antigones tumulò Bœotius AEmon
Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ,
Quâ sine Thebanam noluit ire domum.

Item, fil. Deucalionis, Vid. *Æmonia*. Item viri nomen, apud Statium, 8 *Theb.*

Sterneret adversos etiamnum Ismenius Æmon.

Æmona, Asiæ urbs primaria. Cic. *pro Luc. Flacco*.

Æmonia, regio Græciæ ab Æmo monte, cui propinqua est, vel ab Æmone Deucalionis filio dicta, alio nomine olim Pyrrha, à Deucalionis uxore, dein Straboni, *l.* 9. Thessalia. Hor. *lib.* 1. *Od.* 37.

——— Aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmoniæ.

Inde *Æmonius*, hoc est, *Thessalicus*. Ovid. *Trist.* 3. 11.

Hector erat tunc cùm bello certabat, & idem
Tractus ab Æmonio noverat Hector equo.

Hoc est, ab equo Achillis Thessali. Idem. 4. 1.

Fertur & abductâ Lyrnesside tristis Achilles
AEmoniâ curas attenuasse Lyrâ.

Id est, *Thessalicâ*. Quidam *Hæmoniam* scribunt.

AEmoniam, Histriæ maritimam urbem, ac hodie *Citta nova* vocatam scribit Leander. long. 36. 20. lat. 45. 20. Ego verò, quis veterum hujus urbis in Histriæ regione ad mare sitæ meminerit, planè ignoro. *AEmoniam* Pannoniæ urbem habet Plinius, & *AEmoniam* quoque in Noricis, quam Julius Capitolinus *Hæmoniam* vocat. Ptolemæus *Emoniam* urbem statuit inter Italiam & Noricum, quam eandem esse puto cum *AEmonia* Plinii. Hanc Moletius *Clemona* dicit vocari, at cum Simlero potiùs credam, Carniolæ esse caput, vulgò *Igg* teste Lazio, quod hodie etiam *Leubach* dicitur, & vulgus Latinum *Lubianum* nominat. In ea enim urbe extat vetus Romana Inscriptio, in qua ÆMONIÆ fit mentio. Paret Venetis ab An. 1270. rarosque habet incolas, ob aëris gravitatem.

AEmonides, nomen viri proprium. Virg. *AEn.* 10.

Nec procul AEmonides Phœbi Triviæq; sacerdos.

Ubi Servius, Hoc nomen licèt possit esse patronymicum, quia in *des* exit, ut dicamus *AEmonis filius*; tamen melius est, ut id proprium esse dicamus, quia nusquam aliud nomen ejus aut præmissum est, aut secutum. Ergò simile est patronymico, ut sit *AEmonides* sicut *Thucydides*.

AEmundus,

AEmundus, Historicus, qui scripsit de Ducibus Burgundiæ, Flandriæ, Brabantiæ, Holandiæ, à bello Trojano usque ad Carolum V. Imp. Claruit an. 1520.

AEmus, sive *Hæmus*, rex fuit Thraciæ potentissimus, qui Rhodopen Strymonis flu. filiam duxit uxorem. Hi in tantam arrogantiam elati sunt, ut Æmus se esse Jovem, Rhodope Junonem se esse prædicarent, sesque tanquam Deos adorari juberent. Quâ insolentiâ Jupiter iratus eos in montes commutavit. Ovid. *Met. lib.* 6.

Threiciam Rhodopen habet angulus unus & AEmum,
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,
Numina summorum sibi qui tribuere Deorum.

Idem *Epist.* 2.

Quâ patet umbrosum Rhodope glacialis ad AEmum.

Vide *Hæmus.*

AEmylia gens, Romæ imprimis illustris, à Mamerco Pythagoræ Philosophi filio dicta, cui propter unicam humanitatem, quam Græci *αἱμυλίαν* vocant, cognomen fuit *AEmylos*, vel *AEmilius*. Scribitur verò *AEmilius* in veteribus libris, & lapidibus. Ex hâc familia fuit *Paulus AEmilius*, qui in Consulatu suo Persen Macedonum regem bello vicit, captumque in triumpho duxit. Item & *AEmylius Lepidus*, quem Plin. 7. 53. refert, cùm cubiculo egredi pararet, nihil mali sentiens, offenso ad limen pollice, repentè obiisse. Item *AEmilius Scaurus*, homo factiosus & subdolus, de quo multa Salust. *in Jugurth* Vid. etiam *Macer, Sura*, &c.

Æmylia, nomen Italicæ fœminæ, quæ duodecimo conjugii anno, in virum transiit, & uxorem duxit. Continuat. Vignerii.

AEmylia Lepida, Juveni Druso nupta, crebris criminibus maritum insecuta, quanquam intestabilis, tamen impunita egit, dum superfuit Pater Lepidus. Pòst à delatoribus corripitur, ob servum adulterum: nec dubitabatur de flagitio. Ergo omissâ defensione finem vitæ posuit. Tacit. VI. 40.

AEmylia Musa, liberta locuples, cujus intestatæ bona in fiscum petita, Tiberius Cæsar Æmylio Lepido, cujus è domo videbatur, tradidit. Tacit. *Ann. II.* 48.

AEmylia, virgo Vestalis, ex nobilissima Æmyliorum familia, de qua Val. Max. *lib.* 1. *cap.* 1. & Dionys. Halic. *lib.* 2.

AEmylia, uxor majoris Africani. Suidas. Vid. etiam Val. Max *lib.* 6 *cap.* 7.

Æmylia, regio Italiæ, quæ & Flaminia, & Romandiola etiam dicitur, in qua sunt urbes Ariminum, Cæsena, Sassina, Faventia, Ravenna, Forum Livii, Bononia, Ferraria, & Imola; priùs etiam dicebatur *Doria*, ut Sempronius habet. *Lombardia di qua del Po*, id est, Lombardia cis Padum, dicitur Leandro. Ejus meminit Mart. *lib.* 6.

Funde tuo lacrymas orbata Bononia Rufo,
Et resonet totâ planctus in AEmyliâ. Subest ejus pars magna Pontifici, alia Ducibus Parmensi, Mutinensi, Mantuano & Mirandulano.

Urbes Æmyliæ episcopales hujus temporis.

Ariminum *Rimini.*	Forum Popilii, *Forlimpopoli.*
Bononia, *Bologna.*	Julia.
Cervia, *Cervia.*	Mutina, *Modena.*
Cesena, *Cesena.*	Parma, *Parma.*
Comaclum, *Comacchio.*	Placentia, *Piacenza.*
Faventia, *Faenza.*	Petra Honorii, *Bertinoro.*
Ferraria, *Ferrara.*	Ravenna, *Ravenna.*
Forum Cornelii, *Imola.*	Regium, *Reggio.*
Forum Livii, *Forli.*	Sarsina, *Sarsina.*

Episcopatus Fori Popilii Petram Honorii, seu Britinorium translatus est à multis annis, & Forum Popilii deficit in dies.

Æmylia Monumenta, sic dicta Basilica & Porticus ab *Æmiliis* exstructa. *Æmilius* Paullus posteà cum C. Marcello consul duas Basilicas, veterem refecit, novam locavit. Nova interventu bellorum civilium non perfecit ipse. Appianus eam exstructam vult è pecuniâ 1500. talentorum, quam à Cæsare acceperat, ne ei adversaretur. Perfecit sub Augusto Paullus *Æmilius*, qui consul anno DCC XX. & postea censor. Eam incendio consumptam refecit XX. annis pòst alius *Æmilius*. Dein post annos XXXV. iterum collapsam firmavit ornavitque Manius Lepidus.

Æmylia via, ab Æmylio consule dicta, quæ à Placentiâ Ariminum usque perducta est. Mart. 3. 4.

Romam vade liber, si veneris unde requiret;
Æmiliæ dices de regione viæ. Ferrarius sic habet:

Æmylia via ab Arimino Placentiam usque, imò usque Dertonam, atque ab Arimino usque Aquileiam, & à Pisis per Hetruriam Dertonam usque urbem Liguriæ perducebatur. Ex quo tres esse vias Æmilias intelligis ab Æmilio cos. stratas.

AEmyliana, Oretanorum in Hisp. oppidum. Ptolom. Item, Locus Romæ, extra portam Frumentariam, vel ut alii, Flumentanam, in urbis tamen continentibus, sive suburbiis: appellatus ab Æmiliorum familia, sicut ab eadem dictus *Vicus AEmylianus*, qui fuit in regione urbis septimâ viæ latæ.

AEmylianus, Africanus minor primus appellatus fuit, Paulli Æmilii filius, eo quod ex Æmiliâ gente in Scipionum familiam fuerit insertus, post quem & alii plerique ejusdem familiæ viri clarissimi, & triumphales eodem cognomine dicti fuere. Juvenal. *Sat.* 8.

—— *Pictosq; ostendere vultus*
Majorum, & stantes in curribus AEmylianos.

Fuit etiam alius, Clodii Albini collega, Item Peregrini, nec non Aquilini.

AEmylianus Libycus, limiti Sarmatico in Mœsia à Decio præpositus est, nec à Gallo submotus.; is itaque cùm Scythæ, solertissimum latrocinandi genus, contenti tributo non essent; id pro concione suis militibus pollicitus est, si hostes vicissent. Præmio accensi vicerunt. Reversus in Mœsiam Æmilianus præmia persolvit. Hoc successu adeò gratus victori exercitui fuit, ut ab eo sit Imperator appellatus, ad hos motus opprimendos Gallus, cum filio profectus, non profecit. Æmylianus ad Senatum scribit, se Imperatorem lectum, promittit se Mesopotamiam, & Armenias recuperaturum, depulsurum undique hostes. Ut verò priusquam opus aggrederetur, qui in alpibus erant milites, Valerianum Imperatorem faciunt, tum qui sub AEmyliano erant, ne civili bello, & cognato sanguine se inficerent, eum ob humilitatem generis trucidant: Valeriano, ob generis nobilitatem, & laudatissimos mores, sese dedunt. Vixit Æmylianus annos 40. imperavit menses 3. Pom. Læ. Eutro. *lib.* 9. Bapt. Egn. Aur. Vict. Orosius *l.* 7. *c.* 22.

AEmylianus, Ægypto à Galieno Imper. præfectus, Imperator voluit appellari. Sed capto à Theodoro, Galieni duce, fauces in carcere elisæ sunt. Trebell. Alius Dux militum, sub Severo.

AEmylii, ab AEmylo, Ascanii Trojani AEneæ filii filio deducti. Videatur *Virgil. Progeniem sed enim.* Nam progeniem Aeneæ & Juli vocare videtur Scipionem Paulli AEmilii filium, qui Imperator Carthaginem excidit; Populum autem legiones Romanas, quæ ab iisdem etiam genus trahebant. Plutarchus *AEmilios* à filio quodam Pythagoræ Mamerco dictos ait, cui consensit Sextus Pompejus: *AEmiliam* gentem, scribens, appellatam dicunt à *Mamerco*, Pythagoræ Philosophi F. cui propter unicam humanitatem cognomen fuit. Ex Albanis Latinis in urbem à Romulo accita, Patricia majorum gentium gens, quæ *Mamercini, Barbulæ, Privernatis, Paulli, Lepidi, Macri, Buæ, Porcinæ, Scauri & Livtani* cognomina tulit.

AEmylius, apud Sybarim op. Italiæ, erat spectatæ venustatis adolescens, mirum in modum venandi studiosus. Uxor autem novella cùm in alterius puellæ complexus ipsum ire opinaretur, in saltus egressa delitescebat. Conquassatis autem arbusculis canes occursant, & ut feram discerpunt. Hæc Clitonymus *lib.* 2. *rerum Sybariticarum*; apud Plut. *in Parallel.* 34.

AEmylius AElianus, Consul Rom. L. Vectii collega.

AEmylius Censorinus, crudelissimus Siciliæ tyrannus. Hic, si quis nova quædam tormenta, & inusitatum cruciandi genus extruxisset, summis eum muneribus prosequebatur. Quidam igitur Aruntius, nomine Paterculus, equum ex ære fabricatum, ut in eum excruciandos homines injiceret, Æmylio, donavit. Ille autem tum denique ad æquitatis cogitationem conversus, muneris authorem primum in eum intrusit, ut quam cæteris pœnam excogitarat, primus ipse subiret, atque pateretur. Plut. *in Paral.* 7. 5. Ab hoc *AEmilii* dicti, qui sævè imperant.

AEmylius Lepidus, qui cùm adhuc puer esset, in aciem progressus, hostem interemit, civem servavit: cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta senatusconsulto posita. Val. Max. 3. 1.

AEmylius Lepidus, Triumvir fuit cum Antonio & Octavio, Africam sortitus cum viginti legionibus, eoque imperio elatus, primas sibi partes vendicabat, Octaviumque spernebat, nec auxilium contra Sextum Pompeium petentem juvit. Quapropter ab eodem & spoliatus exercitu, & supplex, concessâ vitâ, apud Circeios relegatus in perpetuum fuit. Flor.

AEmylius Longinus, primæ Legionis desertor, cædem Dillii Voculæ, Legati, maturavit. Tac. *hist.* 4. 59. Sed ab ala Byzantina, conjectis in obvium telis, interfectus, scelerum pœnas dedit. *Cap.* 62.

AEmylius Macer, Veronensis poëta, tempore Aug. Cæsaris, Scripsit libros de avibus, serpentibus, & herbis. Ovid. *de Tristibus,*

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæq; nocet serpens, quæ juvet herba Macer.

Iliacus cognominatus est, ab eodem Ovidio, quòd belli Trojani gesta ab Homero relicta descripserit. *lib.* 2. *de Ponto.*

Tu canis æterno quicquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu.

AEmylius Mamercus, ter Dictator, Fidenates deficientes in potestatem cum opido recepit. Censuræ honorem, qui antea per quinquennium gerebatur, anni & sex mensium spatio finivit. Quamobrem Censores eum tribu moverunt, octuplicatoque censu ærarium fecerunt. Volater.

AEmylius Pacensis, urbanarum cohortium tribunus à Galbâ exauctoratus, tanquam suspectus, Tacit. *Hist.* I. 20. cui ademptum tribunatum Otho reddidit & summam expeditionis cum Ant. Novellio & Suedio Clementi, contra Galliam Narbonensem

ſem commiſit. *Ibid. cap.* 87. In obſidione Capitolii pugnam auſus, à Vitellianis obtruncatur. *Hiſt.* III. 73.

AEmilius Papinianus, Hoſtilii Papiniani & Eugeniæ Gracilis filius, Scævolæ diſcipulus, procurator fiſci poſt Septimum Severum fuit, eoque ad imperium evecto, amiciſſimus ei, & ut quidam volunt, affinis etiam per ſecundam uxorem, præfectus prætorio fuit conſtitutus: in quo magiſtratu Paulum & Ulpianum diſcipulos ſuos, aſſeſſores habuit. Severus moriens ei filios ſuos commendavit: quorum Antoninus Baſſianus Caracalla Getam fratrem interemit. Parricidium hoc cùm Papinianus excuſare nollet, in conſpectu tyranni à militibus confoſſus eſt, ætatis anno 38. vel 36. Fertur etiam cùm raptus à militibus ad Palatium traheretur occidendus, prædivinaſſe, dicens, Stultiſſimum fore, qui in ſuum ſubrogaretur locum, niſi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret. Hotom. Ex ejus ludo innumerabiles civilis ſcientiæ proceres exierunt, qui ab eo *Papinianiſtæ* ſunt dicti. Filius quoque ejus cùm triduo ante quæſtor opulentum munus edidiſſet, interemptus eſt à Caracalla. In Jure plurima ſcripſit.

AEmylius Pappus, Cenſor cum C. Fabricio Lucino, P. Cornelium Ruffinum, qui bis conſul & dictator fuerat, ſenatu movit, nullam aliam ob cauſam, quàm quòd comperiſſet eum cœnæ gratiâ decem pondo argenti habuiſſe. Livius & Bruſonius *lib.* 1. Conſul de Gallis triumphavi, anno urbis 528. Goltzius.

AEmylius Paulus, Conſul cum C. Terentio Varrone, temeritate collegæ inire pugnam cum Annibale coactus, apud Cannas cecidit, cujus cadaver inventum hoſtis honorificè tumulavit. Volat. Hujus filius *L. AEmylius Paulus*, primo Conſulatu, quem poſt tres repulſas adeptus erat, de Liguribus triumphavit. Liv. *lib.* 5. *dec.* 5. Vid. *Paulus AEmylius.*

Æmylius pons, qui & Sublicius, pons Romæ ſic à conditore dictus, à quo lapideus conſtructus, nunc exciſus, & *Marmorato* dictus. De quo Iuven. *Sat.* 6.

Cùm tibi vicinum ſe præbeat Æmylius pons.

Æmylius Porcina, de quo Cic. *in Bruto*: Marcus Æmylius Lepidus, qui eſt *Porcina* dictus, iiſdem temporibus ferè, quibus Galba, ſed paulò minor natu, & ſummus Orator eſt habitus, & fuit, ut apparet ex orationibus, ſcriptor ſanè bonus. Hoc in Oratore Latino primùm mihi videtur, & lenitas apparuiſſe illa Græcorum, & verborum comprehenſio, etiam artifex, ut ita dicam, ſtylus. Hunc ſtudioſè duo adoleſcentes ingenioſiſſimi & propè æquales C. Carbo ac Tib. Gracchus audire ſoliti ſunt. Hæc Cicero.

AEmylius Rectus, AEgypti præfectus conſtitutus, à Tiberio Cæſare, cùm deprehenſus fuiſſet nimium à populo exegiſſe, ſuper ea re iratus Tiberius reſcripſit, ſe tonderi velle ſuas oves, non deglubi. Dion. Nicæus, *in Tiberio.*

Æmylius Regillus, de quo Liv. *lib.* 7. *dec.* 4. L. Æmylio Regillo, qui claſſe præfectum Antiochi regis devicerat, extra urbem in æde Apollinis, cùm ſenatus datus eſſet, auditis rebus geſtis ejus, quantis cum claſſibus hoſtium dimicaſſet, quot inde naves aut demerſiſſet, aut cepiſſet, magno conſenſu patrum Triumphus navalis eſt decretus. Triumphavit autem Cal. Febr. In eo triumpho undequinquaginta coronæ aureæ tranſlatæ ſunt.

Æmylius Scaurus, nobilis & pauper. Nam pater ejus, quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit. Idem primò dubitavit, honores peteret, an argentariam faceret; ſed eloquentiæ conſultus ex eâ gloriam peperit. Ædilis, juri reddendo magis, quàm muneri edendo ſtuduit. Prætor adverſus Jugurtham pugnavit, ejus tandem pecuniâ victus. Conſul legem de ſumptibus & libertinorum ſuffragiis tulit. Plinius de viris illuſtribus. Cic. pro Fonteio; Ecquem, inquit, hominem vidimus, ecquem verè commemorare poſſumus parem conſilio, gravitate, conſtantiâ, cæteriſque virtutibus, honoris, ingenii, rerum geſtarum ornamentis M. Æmylio Scauro fuiſſe? Tamen hujus, cujus injurati nutu propè terrarum orbis regebatur, jurati teſtimonio, neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum eſt. Hujus filius *M. Æmylius Scaurus*, Syllæ privignus fuit. In Ædilitate ſuâ fecit Theatrum, opus maximum omnium, quæ unquam fuere humanâ manu facta; non temporariâ morâ, verùm etiam æternitatis deſtinatione. Plin. 36. 15. Vid. *Scaurus.*

Æmilius Victor, de eo extat Parmæ tale epitaphium, à Paulo Manutio relatum, uti teſtatur Hieron. Mercurialis *lib. de Gymnaſtica. D. M. L. D. Æmilio Victori, qui pridie natalem ſuum vicesimum & ſecundum pruna in penſili (balneo ſcilicet) poſita, urgente fato, ipſe ſanum necavit ſe: L. Æmilius Victor Principalis & AElia Veneria filio pientiſſ. & ſibi.*

Æmylius, adjectivè aliquando ſumitur. Horat. *ad Piſones.*

AEmylium circa ludum faber imus & ungues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos.

Propert. *lib.* 3. *Eleg.* 3. *de Ennio poëtâ.*

Et cecinit Curios fratres & Horatia pila,
Regiaq; AEmylia vecta tropæa rate.

Æna, Arabiæ felicis urbs Ptolemæo: eidem & Suidæ, Macedoniæ urbs. *AEnitis* regio apud eundem Stephanum, quam quoque *AEantium* vocari ſcribit.

AEnan, euntibus Thamnam, locus nunc deſertus, & proximus Thamnæ vico grandi, qui ſitus eſt inter Æliam & Dioſpolim.

AEnare, Inſula circa Ioniam. Plinius 5. 31. 48.

AEnaria, inſula in ſinu Puteolano, nunc *Iſchia*, ab oppidi coxendicis imaginem præferentis, in monte, figura. Cupreſſo abundat: Thermiſque, quæ calculoſis ſalubres. Plin. *l.* 31. 1. Cornel. Severus *in deſcriptione AEtnæ* ex Scaligeri recenſione.

Dicitur indiciis flagrans AEnaria quondam,
Nunc extincta ſuperq; ſatiſq;, Neapolin inter
Et Cumas locus eſt, multis jam frigidus annis.

Stat. 3. *Sylv.*

AEnariaq; lacus medicos, Statinaſq; renatas.

Plin. 3. 6. *AEnaria*, inquit, *à ſtatione navium AEneæ, Homero Inarime dicta, Græcis Pithecuſa, non à ſimiarum multitudine, ut aliqui exiſtimavere, ſed à figlinis doliariorum.* Quæ omnia, inquit Bochartus, ſunt perabſurda. Neque enim Homerus Inarimen dixit (licèt id ſequantur Virgilius, Ovidius, Lucanus, Statius, Silius, aliique.) ſed diſtinctis vocibus: Ἐιν Ἀρίμοις. Et ab *Æneâ* non diceretur *Ænaria*, ſed *Ænearia*, aut *Æneia* potius, & à doliis *Pithuſa.* At à ſimiis eſt Pithecuſa, ut in Africa Pithecuſæ, de quibus Diodorus *lib.* 2. Ἐνέβαλεν εἰς χώραν ἔχουσαν πλῆθος πιθήκων, καὶ πόλεις τρεῖς τὰς ἀπὸ τούτων τῶν ζώων ὀνομαζομένας εἰς τὸν Ἑλληνικὸν τρόπον τῆς διαλέκτου μεθερμηνευομένας Πιθηκούσσας, hoc eſt, *regionem invaſit ſimiis ſcatentem, & tres urbes ab illis animalibus denominatas, quas Græca lingua more Pithecuſas interpreteris.* Sic Pithecuſam inſulam dici volunt à Cercopibus, in ſimias à Jove mutatis, ac deinceps eò tranſlatis. Ita Lycophron in Caſſandrâ. Ovid. *Met.* 14. *fab.* 3. & Phavorinus in Κέρκωψι & Νῆσος γιγάντων, ubi uſurpat ipſa verba Scholiaſtis in Lycophronem. Quin & *Ænariæ*, vel *Enariæ* potiùs nomen eôdem refert Servius *in Æn* 8. à magno Salmaſio ſic emendatus; *Inarime nunc Enaria dicitur,* &c. *quia in eam ad contumeliam ſimiæ miſſæ ſunt, quas Græcorum linguâ* ἄῤῥινας, id eſt, *enares dicunt, ob quam cauſam Pithecuſam etiam vocitant.* Nempe ut *ſimius* dicitur, quia *ſimus* eſt, ita *enaris*, quia *ſine naribus*; *enaris* enim eſt ut *elumbis*, *elinguis* &c. Itaque ab *enaribus*, id eſt, ſimiis Ἠναρία *Enaria* ſcribendum, quomodo legere eſt in Plutarchi Mario. Hæc Bochartus. If. Voſſius autem ridiculum eſſe ait Salmaſium, cùm *Enariam* dici jubet, ac dictam ſcribit ab *enaribus*, id eſt, ſimiis, quia ſunt *ſine naribus*. Locum Servii, quem adfert ex Strabone emendandum vel puer videat. Ab ærifodinis dicta eſt hæc inſula, ut enim ab *ære* fit *ærarius*, ſic ab *aheno* facta eſt *Ahenaria* vel *Ænaria*, prodigioſæ ſiquidem fertilitatis eſt hæc inſula, non iis tantum, quæ ſummâ tellure naſcuntur, ſed & metallis adeò abundat, ut tota auro, argento, ære, ferro, ſale, aliiſque foſſilibus videatur ſubſterni, ut mirum prorſus ſit, tantam varietatem in tam brevi ſpatio naturam incluſiſſe. Verùm poſtquam auri illic detectæ ſunt venæ, veriſimile eſt deſiiſſe incolas æra ſcrutari, quorum tamen copiam aquæ è viſceribus inſulæ prodeuntes ipſo odore ac guſtu teſtantur. Habet Urbem probè munitam cum arce, in ſcopulo ab inſula quaſi ſejuncto, ubi aliàs aſylum Ferdinandi Regis Neapol. tempore Caroli 8. Franc. Reg. qui totum Regnum ſubjugaverat, intra paucos dies. Eam pluribus deſcripſit C. Nepos Gallus. Vid. *Inarime.*

Ænarium, Jovis lucus in Achaiâ juxta Olenum op. in quo Achæi de rebus communibus conſulturi conveniebant. Strabo *lib.* 8. *Arnarium* alibi vocat.

Ænda, Civil. in tribu Simeonis, quam Aſa, Rex Juda, expugnavit & ſubvertit. 2. Paral. 14. Hier. *in. l. h.*

Ænea, vel *Æneia*, Macedoniæ urbs, 15. m. p. à Theſſalonicâ adverſus Pydnam poſita, fertili agro, ut eam deſcribit Livius; *Moncaſtro* hodie vocari ſcribit Nardus. Ab Æneâ conditam ait Liv. *lib.* 4. Ejus meminit Herodotus *lib.* 7.

Ænea teſta, Vid. *Chalcus Ceramus.*

Æneadæ, Vid. *Latium.*

Æneæ, Vid. *Athos.*

Æneas, Anchiſæ & Veneris filius, princeps Trojanus, poſt longos errores in Italiam pervenit ad Evandrum ac Tyrrhenos, apud quos regnavit Tarchon junior an. 20. Primus fuit Latinorum rex, regnavitque poſt ſoceri Latini mortem annis 3. Turnum vicit, ejuſque ſponſam Laviniam accepit conjugem. Eutrop. Aboriginibus dein cum ſuis conjunctis, poſt varias urbes conditas, tandem in prælio contra Tuſcos occiſus eſt. In Numici ripa à ſuis conditus, Jovis Indigetis nomen accepit. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. *hiſt. Rom.* Liv. *l.* 1. Aur. Victor *l.* 1. *Orig Rom.* Fingunt autem, hunc fuiſſe Veneris filium juxta Simoentem natum. Virgilius Ulyſſi Homerico per omnia ſimilem facit, virum fortem & bellicoſum, qui per varios & maris & terræ errores in Latium venerit. Convenit inter omnes ferè authores, Trojam ab eo & Antenore proditam fuiſſe, quapropter ubique illam culpam diluit, ut Romanorum gloriæ, qui ab eo traxerunt originem, conſulat. Trojâ dirutâ, patrem Anchiſen

chisen senio confectum humeris impositum ab hostibus liberavit. Unde versus in Neronem,

Quis neget Æneæ magni de stirpe Neronem?
Sustulit hic Matrem, sustulit ille Patrem.

Dum autem Ascanium filium suum & Penates secum defert, Creüsam uxorem in itinere amisit; Hinc in Macedoniam transiit: unde ulterius profectus Anchisen in Siciliâ apud Drepanum mortuum reliquit. Africam nunquam vidisse, ne dum Didonem multi testantur; quapropter totum 4. Æneidos librum confictum omnes confirmant. Alii dicunt, Æneam captivum unà cum Andromache datum fuisse Neoptolemo Achillis filio, ac in Thessaliam deportatum; ut scriptum est à Lesche, poëtâ Græco, qui *parvam Iliaden* composuit, cujus versus refert Natalis Comes *lib.* 4. *cap.* 13.

Αὐτὰρ Ἀχιλλῆος μεγαθύμου φαίδιμος υἱὸς
Ἑκτορέην ἄλοχον κάταγεν κοίλας ἐπὶ νῆας.
Παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου ἐϋπλοκάμοιο τιθήνης,
Ῥίψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ πύργου, τὸν δὲ πεσόντα
Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.
Ἐκ δ' ἕλετ' Ἀνδρομάχην ἠΰζωνον παράκοιτιν
Ἕκτορος, ἥν τε οἱ αὐτῷ ἀριστῆες Παναχαιῶν,
Δῶκαν ἔχειν, ἐπίηρον ἀμειβόμενοι γέρας ἀνδρί.
Αὐτόν τ' Ἀγχίσαο κλυτὸν γόνον ἱπποδάμοιο
Αἰνείαν, ἐν νηυσὶν ἐβήσατο ποντοπόροισιν
Ἐκ πάντων Δαναῶν ἀγέμεν γέρας ἔξοχον ἄλλων.

ÆEneas Gazeus, vir eruditus, sub Zenone Imper. Scripsit eximium de immortalitate animæ tractatum, quem *Theophrastum* appellavit. Bellarminus *de Script. Eccl. Seculi V.*

ÆEneas Sylvius, quartus Latinorum rex, regn. an. 31. Alius ejusdem nominis, qui Anno Dom. 1458. factus est Pontifex Romanus, ac dictus Pius 2. Scripsit longè plurima, quæ recenset Platina in ejus vitâ. Vide Vossium *de Hist. Lat.* 3. 7.

ÆEneas Tacticus, floruit temporibus Aristotelis, cujus è στρατηγητικοῖς, sive Commentario de arte Imperatoriâ superest τακτικὸν, καὶ πολιορκητικὸν, *Tacticus*, & *Obsidionalis liber*. In quo non tam obsidentibus, quàm obsessis dat præcepta. Hujus manuscriptum codicem in Bibliotheca Vaticana extare refert Gesnerus. Suidas perperam vocat *De Stratagematis*. Vera enim Inscriptio est Στρατηγικὸν, uti nuncupat Polybius *lib.* 10. itemque Ælianus *in Tacticis*. Primus divulgavit Casaubonus pater, qui & notas adjunxit. Tacticorum verò Æneæ epitomen fecit Cyneas Thessalus, Consiliarius Pyrrhi, Epirotarum regis, quorum meminit Cic. *lib.* 9. *Epist.* 25. Vid. Voss. *de Math. c.* 48. *§.* 3. 4. *& l.* 4. *de H. Gr. c.* 11.

Æneas, unus ex iis legatis, quos Lacedæmonii, octavo belli Peloponnesiaci anno, finiendæ controversiæ ad Athenienses miserunt. Vide Scholia *in Aristoph. Equit.* p. 336. F.

ÆEneia, quæ postea Janiculum. Dion. Halicarn. Troadis quoque urbs, Strab. 13. & Steph. Eidem Thraciæ locus: ad Pallenem Insulam. Halicar. 1. Vid. *Ænia*.

ÆEneis, liber de rebus gestis Æneæ, ut *Achilleis*. Statius ad finem Thebaidos ipsam alloquens.

Vive precor, nec tu divinam ÆEneida tenta,
Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

Ovid. *Trist. lib.* 2.

Et tamen ille tuæ felix ÆEneidos author
Contulit in Tyrios Arma virumque *toros*.

ÆEneos, opp. Thraciæ liberum, cum Polydori tumulo. Ciconum quondam regio Plin. 4. 11. 16.

ÆEnesidemus, illustris Argivorum Imperator fuit, qui cùm Argis à Philocle obsideretur, nec urbem tueri posset, impetratâ à militibus abeundi facultate, ipse honestè in præsidio sibi credito occumbere maluit, quàm cum dedecore in patriam reverti. Liv. *lib.* 4. *dec.* 2. Item Philosophus quidam Pyrrhonicus. Laert.

ÆEnesiphyra, Marmaricæ portus, Ptolom.

ÆEnesippa & *ÆEnesipacta*, Vid. *ÆEnesippa*.

ÆEnesius, Jupiter, dictus ab Æno monte. Vid. *ÆEnum*.

ÆEnetus, Demetrii Prætor, Epheso præsidere jussus: sed astu Lyci & fraude Andronis oppidum amisit. Polyæn. *lib.* 5. Vitiosè Latina Versio propagat *Anetus*.

ÆEnetus, quinquertio in Olympia victor declaratus, acceptâ coronâ statim è vita excessit, præ gaudio. Ejus statua Amyclis visitur. Pausan. *in Lacon.*

ÆEneus, Vid. *Gnosidicus*.

ÆEneus, Cyzici Pater. Hinc *ÆEnidæ*, Valer. Flacc. *l.* 3. 4. dicti.

ÆEni, sinus Arabici Insula. Ptolom.

ÆEni pons, *Oetingen* vulgò, op. Norici in Bavariâ ad Oenum flu. Scribitur & *Oeni pons*.

ÆEnia, urbs Macedoniæ, 15. m. p. Thessalonicâ distans, Liv. Item, urbs Perrhæborum, non procul ab Acheloo, Strab. Vide Steph. in Αἰνία. Pop. *ÆEnianes* & *ÆEnienses*.

ÆEniadæ, Vid. *Oeniadæ*.

ÆEnianes, populi, postea *Paravæ* vocati, cùm fugati Molossiæ regionem circa Avum fluvium occupassent: Plutarchus *in quæst. Græcis*: sed ἀρχιπαραυαίων Græcus codex legit: παραυαίοις, *Parabei*, ab Abo fluvio alii scribunt, ut ait Stephanus ex Rhiano. *ÆEnianes* Straboni & Heliodoro sunt Thessaliæ gentes ad sinum Maliacum: Epicnemidiis Locris vicini, ad Oetam montem, gentile ab Ænia. Strabo quoque *ÆEnianes* in Media habet. Ibidem *ÆEnianam* urbem, in Vitia. Plinio *ÆEnienses* in Ætolia. *ÆEnianes* alios esse in Ponto, quos Parsios vocant, ait Stephanus ex Strabonis *lib.* 14.

ÆEnianes, pop. Epiri, inter Ætolos & Molossos, remotiores ab urbe episc. Joanna in Ortum, & in Thessalia, versus Oetam montem. Vid. *Joanna* & *Cassiope*.

ÆEnicus, Atheniensis, priscæ Comœdiæ poëta, fabulas multas conscripsit, à Polluce & aliis memoratas. Vossius, *de Poët. Græc.*

ÆEniochi, pop. Sarm. Asianæ. Vid. *Heniochi*. Luc. *l.* 2.

Æniochi, notis erepto vellere Colchi.

ÆEnius, flu. Perrhæborum. Steph. Item, Troadis. Strab. 13.

Ænnodius, Cicinensis Episcopus, cui Hormisda Pontifex multa dedit privilegia, atque etiam primum sessionis locum, à sinistra Pontificis, inter Episcopos, ob rectè & constanter administratam legationem ad Anastasium Imp. Bernard. Saccius *lib.* 8. *Ticinensis Historia*.

Ænnum, parvum oppidum, pro quo alii *Philoteram* scribunt, Plinius *lib.* 6. *cap.* 29. ad sinum Arabicum est, à parte Occidentali. Ortelius. *Philoteris* Melæ est φιλωτέρας Ptolemæo.

ÆEnoandrum, Vid. *Cedebratis*.

ÆEnobarbus, vel potius *Ahenobarbus*. Domitius appellatus, quoniam Castor & Pollux cùm de victoriâ nunciarent Domitio, ipseque minimè crederet narrantibus, malas, barbamque manibus permulserunt, & ita ex fuscâ in flavam converterunt; unde à barbâ rutilâ, æneique coloris *ÆEnobarbus* dictus, quod postea Domitiorum cognomen fuit.

ÆEnocauma, mons excelsus Æthiopiæ versus meridiem, æternis ignibus ardens. Mela 3. 9. Sed hodie in plerisque exemplaribus Θεῶν ὄχημα legitur. Ex Annonis periplo hausit Pomponius, qui tamen non dicit hunc montem perpetuis ignibus flagrare, sed noctu tantùm talem apparuisse, verba ejus hæc sunt, Τέτταρας δὲ ἡμέρας φερόμενοι, νυκτὸς τὴν γῆν ἀφεωρῶμεν φλογὸς μεστήν, ἐν μέσῳ δ' ἦν ἠλίβατόν τι πῦρ τῶν ἄλλων μεῖζον, ἁπτόμενον, ὡς ἐδόκει τῶν ἄστρων. τοῦτο δ' ἡμέρας ὄρος ἐφαίνετο μέγιστον, Θεῶν ὄχημα καλούμενον. Mons iste hodie *Sierra Liona* appellatur, adeò altus, ut à ducentis & amplius m. p. nonnunquam sit conspicuus. Latera ejus perpetuò virent odoratis omnis generis arboribus; vertex æternis incingitur nebulis, quas ne ardentissimus quidem Sol unquam dispellere, ac vix perrumpere possit. Hinc fit ut continuis fulminibus ac tonitruis, noctu præsertim, percutiatur, quorum fragor à navigantibus ad 50. m. p. exaudiri potest. Sonitum istum Lusitani assimularunt leonum rugitui, ac ea propter monti nomen indidere *Sierra Liona*. Is. Vossius.

ÆEnon, locus Palæstinæ ad Jordanem flu. ubi D. Jo. Baptista baptizabat, à Scythopoli 8. m. p. in Austrum.

ÆEnona, civitas Illyrici. Plin. 3. 21. *Nona* Nigro. Venetis paret, estque probè munita, & à majori parte mari præcincta 10. m. p. distat Iaderâ, in Boream, Seniam versus 35. Contra Gissam Insul. 4. m. pass. distantem.

ÆEnos, op. Thraciæ liberum, *Enos* Sophiano. Poltymbriam vocat Apollodorus apud Stephanum, cui etiam Ἄψυνθος dicitur, quem vide in Αἶνος. Ab Æneâ conditum scribit Mela. long. 52. 56. lat. 42. 30. Hodie Græcis *Eno*, Turcis *Ignos*. Olim etiam *Æneum* & *Ænus*.

ÆEnostadium, opp. Germaniæ, ab Æno fluv. dictum, quo tantùm dirimitur à Patavio, prope Danub. fluv. Subest Episcopo Patavino, estque sita inter Bavariam & Austriam.

ÆEnotherus, Gigas quidam, ortus ex Durgia, pago Sueviæ, Carolo Magno, Imp. equo meruit: flumina quæ pontibus juncta non erant, post se equum suum trahens, superare solitus fuit: Venedos Avaresque hostes, in fœni modum demetebat, & in morem avicularum hasta, velut cuspide, fixos, humeris suspendebat. Aventinus *lib.* 4. *Annal. Boiorum*.

ÆEnum, op. pro quo aliqui Philoteram scribunt. Plin. 6. 29. Est autem ad sin. Arab. in parte occidentali.

ÆEnum, aliam à priore, Vid. *Oenos* habet in Thracia Suidas, ab Æno, Gogii fratre, denominatam. *ÆEnos* Steph. Thessaliæ urbs est: apud Locros Ozolos quoque: & circa Thapsacum, ad Euphratem fluv. Cephaleniæ Insulæ mons est, apud Strab. ubi *ÆEnesii* Jovis templum. Fluvius & vicus prope Ossam: Item, locus in Rhodiorum continente, Steph. Eidem est insula, juxta Arabiam felicem. Est & Cretæ urbs, ab Ænea condita, Serv. 2. *Æn.* Vid. *Oenus* & *Cissus*.

Ænus, flu. Rhætiæ, vulgò *Ins*, qui inter Noricos & Vindelicos eos separans fluit, Danubioque ad Pataviam urb. excipitur. Oritur in Rhætia, ex monte *Moloia*, 4. leuc. Germ. à Clavenna, in Cæciam. Aliis *Oenus* dicitur. Item mons in Cephalleniâ, in quo Ænesii Jovis templum fuit.

ÆEnyrorum, αἰνύρων, & *Cænyrorum* καινύρων, Thasii insulæ, meminit Herodotus, in Erat. αἴνυροι sunt Hesych.

ÆEnysiphyra,

AEnysiphyra, Vid. *AEnesiphyra.*

AEoli, pop. in Cappadocia.

Æolia, & *Æolis* Plinio, Melæ, Ptolemæo, aliisque, Asiæ propriè sic dicta regio, mari Ægæo exposita, inter Troadem ad arctos, & Ioniam ad meridiem. Pop. *Æoles* ab *Æolo* Hellenis filio dicti, qui relicta patria in Asiam trajecerunt, sedibusque in Mysia min. fixis, Æolidem vocarunt; quæ *Sarcum* hodie, teste Castaldo, dicitur. Dionysius *de situ orbis.*

Τὴν δὲ μετ' Αἰολὶς παρ᾽απέπλαται ἤθεα γαίης,
Αἰγαίω παρὰ χεῖλ☉, ὑπὲρ μέγαν Ἑλλήσποντον.

Æolia, celebratur à Poetis pro ventorum patria, eò quòd insulares venti varii sint, est enim αἰόλ☉ *varius.* Virgil. *Æn.* 1.

——— *Loca fœta furentibus Austris*
Æoliam venit. ———

Æoliæ, septem insulæ inter Italiam & Siciliam, quarum nomina sunt Lipara, Hiera, Strongyle, Didyme, Ericusa, Phœnicusa, & Euonymos; de quibus suis locis. Hodie *Lipari*, *Volcano*, *Stromboli*, *Saline*, *Panari*, *Alicur*, *Felicur* & *Ustica*. Habent civitatem Episc. in Ins. Lipara, probè munitam. Malè habitæ sunt ab Ænobarbo, anno 1544. Aliis nominibus *Vulcaniæ*, & *Hephæstiades* vocantur. *Plotas* appellari scribit Dionysius *in his.*

Τὴν δὲ μετ' Αἰόλυ εἰσὶ περίδρομοι εἰν ἁλὶ νῆσοι,
Ἑπτὰ δὲ οἱ τοί γ' εἰσὶν, ἐπώνυμοι ἀνδράσι Πλωταὶ,
Οὕνεκα μέσσον ἔχυσι περίπλοον ἀμφιέλικτον.

Ab Æolo sic dictæ. Harum Strongyle, fumos exhalat, ventorum prænuntios. Plin. *l.* 3. *c.* 8. & 9. Strabo *l.* 6. Mela, *l.* 3. *c.* 7. Diodor. Sic. *l.* 5. Cluver. *l.* 2. *c.* 14.

Æolica, urbs Æolidis fortè, ab Amazone quadam sic dicta. Eust.

Æolida, Civ. habet Eust. in Tenedo Insula. Aliam videtur Herodot. describere *l.* 7. in Achaia, circa Thermopylas.

Æolides, dictus est Ulysses ab Æolo, qui filium habuit Sisyphum, ex quo natus est Ulysses. Virg. *Æn.* 6.

——— *Comes additur unà*
Hortator scelerum Æolides. ———

Nam Anticleæ fil. fuit, quæ ante Laërtæ nuptias clam cum Sisypho Æoli filio concubuit, unde Ulysses natus est; Quod ei apud Ovid. Ajax etiam objicit,

——— *Quid sanguine cretus*
Sisyphio, furtisque & fraude simillimus illi
Inseris Æacidis alienæ nomina gentis?

Item Misenus tubicen *Æolides* dicebatur. Virg. *Æn.* 6.

Misenum Æoliden, quo non præstantior alter
Ære ciere viros Martemque accendere cantu.

Benè autem tubicen Æoli filius esse fingitur, quia sonus è vento creatur.

Æolii, Insulam quoque peculiarem habet Ptolemæus inter *Æolias*: Ex omnibus Æoliis sola Lippara habitatur, ut docet Scipio Mazzella. Mare inter has Insulas & Siciliam *Æolium* Pontum nominat Silius 14. Celebratur *Æolia* à Poëtis pro ventorum patria, eo quòd Insulares venti varii sunt: est enim αἰόλος varius.

Æolium, Thraciæ Chersonesi oppidum, Stephano. Plinius sic vocat frontem hujus Chersonesi, in qua Eleus oppidum. Atticæ civitas quoque videtur apud Stephanum.

Æolus, ventorum imperator, vel potius (ut quidam putant) quæstor, Hippotæ filius fuit, ut inquit Ovid. *in Epist. Leandri.*

Parce precor, facilemque move moderatius auram:
Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.

Sic Apollonius *lib* 4. Argonauticorum.

Αἴολον Ἱππότεω παῖδα κλυτὸν.

Matrem Æolo fuisse Meneclam, Hylli Liparensis filiam, memoriæ prodidit Euthydemus Atheniensis *in libro De salsamentis.* At Eudoxus Cnidius *in libro* 2. *de ambitu terræ*, Ligyam Actoris Carystii filiam matrem Æoli fuisse maluit. Nec defuerunt, qui Jovis filium putaverint. Scribit Diodorus *lib* 5. Æolum Vulcaniis insulis imperasse (quæ ab eodem posteà Æoliæ sunt nominatæ) pium fuisse ac justum regem, & perhumanum erga hospites, ac nautas docuisse velis uti; præterea ex diligenti ignis observatione prædicere solitum, qui venti futuri essent, atque inde locum datum fabulæ, ut ventorum rex fingeretur. Dionysius cum commendat ob humanitatem in hospites,

Αἰόλυ Ἱπποτάδαο φιλοξείνυ βασιλῆ☉,
Αἰόλυ ὃς θνητοῖ μετ' ἀνδράσιν ἔλαχε δῶρα,
Κοιρανέειν ἀνέμων κλονεόντων θ' ἱεμένων τε.

Plutarchus *lib. De exilio* τὸν θεοφιλέστατον, *Diis Charissimum* vocat. Horatius *ventorum patrem.* Fuisse hunc regem Thuscorum Sostratus scribit *rerum Thuscanicarum lib.* 2. & Plut. *in Paral.* Ovid. *Met.* 15.

Æolon ille refert Thusco regnare profundo,
Æolon Hippotaden cohibentem carcere ventos.

Quod autem de ignis observatione dixit Diodorus, capiendum fortasse de fumo ex mente Plinii *lib.* 3. *cap.* 9. & Solini, qui scribunt, Æolum, cùm regnaret in Strongyle, ex ejus insulæ fumo, quinam flaturi essent venti, in triduum prædicere solitum, indeque existimatum ventos Æolo paruisse. Tradit Isacius, Æolum fuisse hominem astrologiæ peritissimum. Sic etiam Palæphatus. Εἰκὸς δὲ ἀστρολόγον γενόμενον Αἴολον φράσαι Ὀδυσσεῖ τοὺς χρόνους καθ' οὓς ἐπιτολαί τινες ἀνέμων γενήσονται. Strab. *lib.* 1. asserit, Æolum ventorum regem dictum fuisse, quia per fluxum & refluxum aquarum futuræ tempestatis, ac surgentium ventorum signa multo antè prædixerit, quæ cùm ad prædictum tempus evenerint, credidit vulgus mortalium ventos esse in ejus potestate, quos posset, cùm liberet, emittere. Hom. *Odyss.* 10.

Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων,
Ἠ μὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν' ὅν κε θέλῃσι.

Apollonius *Argonaut. lib* 4.

Αἴολον, ὅς ἀνέμοις αἰθρηγενέεσσιν ἀνάσσει.

Quintus Smyrnæus, *lib.* 14. ita habet.

Ἄντρα πέλει συνεχὴς πεν ἀρηράμεν' ἀμφὶ πέτρῃσι
Κοῖλα καὶ ἠχήεντα, δόμοι δ' ἄγχιστα πέλονται
Αἰόλυ Ἱπποτάδαο. Vide quæ sequuntur.

Audiamus Latinos. Virg. *Æn.* 1.

——— *Vasto rex Æolus antro*
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt. Celsâ sedet Æolus arce
Sceptra tenens; mollitque animos, ac temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed Pater Omnipotens speluncis abdidit atris
Hoc metuens, molemque & montes insuper altos
Imposuit, regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Ovid. *Met.* 11.

Neve tuam fallax animam sententia tangat,
Quod socer Hippotades tibi sit, qui carcere fortes
Contineat ventos, & cùm volet, æquora placet.
Cùm semel emissi tenuerunt æquora venti,
Nil illis vetitum est, incommendataque tellus
Omnis, & omne fretum est, cœli quoque nubila vexant,
Excutiuntque feris rutilos concursibus ignes.

Val. Flac. *lib.* 1. *Hinc soliti quondam miscere polumque,*
Infelixque fretum, neque enim tunc Æolus illis
Rector erat, Libyâ cum rumperet advena Calpen
Oceanus, cùm flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & medios intrarent montibus undæ.
Intonuit donec pavidis ex æthere ventis
Omnipotens, regemque dedit, quem jussa vereri
Tota cohors. ———

Stat. *Sylv. lib.* 4.

Et pater Æolio qui frangit carcere ventos,
Cui varii flatus, omnisque per æquora mundi
Spiritus ac hyemes, nimbosaque nubila parent.

Claud. *lib.* 1. *de Raptu Proserpinæ.*

——— *Ceu turbine rauco*
Cùm gravis armatur Boreas, glacieque nivali
Hispidus, & Geticâ concretus grandine pennas
Bella cupit, pelagus, silvas, camposque sonoro
Turbine rapturus: si fortè adversus ahenos
Æolus objecit postes, vanescit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in claustra procellæ.

Bochartus Græcos hanc fabellam à Phœnicibus didicisse verisimile putat, quibus עעול *Aol* (vel Græcè ἄελλα) est *procella* *turbo*, *tempestas.* Hinc rex *Æolus* creditur à Phœnicibus esse rex *Aolin*, id est, *tempestatum.*

Æolus Hellenis filius, qui ventorum rationem invenisse dicitur, ut tradit Plinius VII. Naturalis Historiæ libro. Ab aliis tamen alius existimatur, quibus magis accedo. Tres enim fuerunt Aeoli, unus qui in insulis à se denominatis regnavit, atque ex earum fumo ventorum rationes deprehendit: Vid. *Æolia.* Alter qui in Hetruriâ regnavit. Cujus filii fuerunt Macareus & Canace. Tertius verò *Hellenis filius*, cui tres fuerunt liberi *Cretheus*, *Athamas* & *Salmoneus.*

Æon, nomen ab Hæret. Valentino divinitati tributum, quam in 30. Deos seu Æonas distinxit, partim mares, partim fœmellas: Ex quorum commixtione Servatorem mundi ortum esse. Tertull. *contra Valent.* Iren. *l* 2. *c.* 4. Epiph. *hær.* 31. Ejus sectatores, Ptolomeus, *flos Valentini* Irenæo dictus, Harpocration, &c.

Æon, Ins. in Atlantico mari. Tertull. de Pall. Vid. *Atlantis.*

Æorpata, Vid. *Amazones.*

Æos, Typhonis filius, quem quidam scribunt Paphon civitatem condidisse, cùm tamen sint qui Pygmalionis opus id esse scribant. Vid. etiam *Agapenor.*

AEpalius, rex quidam, partis alicujus Græciæ, qui cùm è regno suo pulsus fuisset, Herculis ope atque operâ restitutus est; in cujus beneficii memoriam, ei rebus humanis circa Oetam exempto gratiam reddidit: quippe Hylam inter ejus filios natu maximum adoptavit, qui regni successionem postea suscepit, posterisque transmisit. Strab. *lib.9*.

AEpasius Campus, circa Lepreum Peloponnesi, Strabo 8.

AEpatiacus Portus, littoris Saxonici, in Belgica, teste Lib. Notit.

AEpei, αἰπεῖοί, Vid. *Hyrmine*.

AEpeia, Thuria dicitur Pheris contermina; sita verò est in excelso colle, unde nomen sortita est, item urbs Laconiæ, & alia Cretæ, & alia Cypri ad Clarium amnem, postea *Soli* nuncupata. Plut. *in Solone*. Vid. *Corone. Methone*, & *Thura*.

AEphulli, locus Archiepisc. in Sanctionibus Pontif. Oriental.

AEpisynangis, Asianus ager. Theophr. 4. *de Causis Plant.*

AEpius, athleta quidam, qui arroganter de pugilatione & insolenter loquutus, ubi obstrepitum apertè est ei, Anne satis est (inquit) quòd ad pugnam sum ineptus? ridiculè satis ostentationem athleticam ignaviæ & languoris molliens confessione. Plut. *De sui laude*.

AEpolium, Urbs Sarmatiæ Europææ, circa Tyram & Istrum, fluvios. Plin. *Oepolium* quidam codices: *Obolium* quoque, ut Dalechampius scribit.

AEpos, mons juxta quem sita est civit. Hypepæ. Cæl. Rhod.

AEpulo, Istrorum, seu Histrorum regulus, cùm A. Manlii castra cepisset, opimæque prædæ incubaret, vino, epulisque indulgeret, à Romano milite ex fuga retracto invaditur; ipse autem, raptim à suis in equum impositus Nesactium fugâ elapsus est, quem insecuti Manlius & Junius Coss. opidum vi capiunt; ille verò ne vivus in hostium potestatem veniret, sese gladio trajecit. Florus tamen *lib.2. cap.10.* à C. Claudio Pulchro captum scribit, ac equo impositum, & cùm subinde crapulâ & capitis errore lapsaret, captum sese vix & ægrè, postquam experrectus esset, dixisse.

AEpy, urbs fuit sub ditione Nestoris, quam *benè munitam* dixit Hom. *Il.2.* Non longè autem aberat à Thryo op. Elidis in Peloponneso, Psophidi urbi finitima Statius *lib.4. Theb.*

Quos Thryon, & summis ingestum montibus Æpy.

Meminit ejusdem Strabo. *lib.9.* Stephanus Messeniæ urbem esse scribit, & veteris cujusdam poëtæ locum de illa citat, is autem est Hom. *Il.2.*

Καὶ Θρύον Ἀλφειοῖο πόρον καὶ ἐΰκτιτον Αἰπύ.

Hinc *Æpytius* adjectivum Stat. *ubi suprà*.

AEpytios idem ardor agros, & Psophida celsam.

AEpytus, Messeniorum R. Cresphontis & Meropes filius, qui in Arcadia apud Cypselum avum maternum fuit educatus, occiso Polyphonte, qui matrem ejus invitam duxerat, regnum paternum recuperavit, Apollodor. *lib.2.* Ab hoc reges Messeniorum Αἰπυτίδαι sunt appellati, quod & Pausaniæ in Messenicis notatum. Eustathius *in illud Hom. Il.2.*

Οἱ δ' ἔχον Ἀρκαδίην, ὑπὸ Κυλλήνης ὄρος αἰπύ,
Αἰπύτιον παρὰ τύμβον ——

Ἐν μέσῳ inquit, Πελοποννήσῳ ἡ Ἀρκαδία, πλείστην ὀρεινὴν ἀποτεμνομένη, μέγιστον δὲ ὄρος ἐν αὐτῇ Κυλλήνη. Ὁ δὲ Αἰπύτιος τύμβος δηλοῖ μὲν τὸν τοῦ Αἰπύτου τάφον. Ἀρχαῖος δὲ Ἀρκὰς ὁ Αἴπυτος, οὗ ὁ τύμβος παρώνυμος. Vide Hesych. *in* Αἰπύτιον.

AEpytus, Elati filius, Arcadum rex: cùm templum Neptuni equestris, in monte Halesio, propè Mantineam, vetitus licet, intrasset, marinæ aquæ è sacris latebris erumpentis vi subitâ excæcatus, non multo pòst in venatione à sepe serpente ictus interiit: sepultus est in Sepia, monte Arcadiæ. Homerus ejus meminit, & Pausanias *in Arcadicis*.

AEquana, Urbs est in prov. Terræ laboris in ora sinus Neap. medio itinere, inter Surrentum & Stabias; estque parva admodum.

AEquana juga, montes Picentum, Vico ac Surrento urbibus imminentes (hodie *Montagna di Sorrento*) sic ab *AEqua* urbe excisâ, cui Vicus successit, nominati, quam Ortelius cum Æcanâ urbe longè diversâ confundit: quo nomine etiam urbs ipsa *AEquana* nominatur, nunc *Vico di Sorrento*. Sil. *lib.5.*

AEquana, & Zephyro Surrentum molle salubri.

AEquesilici, Hispaniæ Tarrac. populi, apud Plin. Fortè *Aquæ Silinorum* Ptolomæi, ut suspicatur Ortel.

AEqui, pop. in Latio, qui Tiburi montes imminentes incolebant. *AEquicula* Virg. *AEn.7.*

Horrida præcipuè cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicula glebis.

Silius *Ital. lib.8.*

Quique Anienis habent ripas, gelidoque rigantur
Simbruvio, rastrisque domant AEquicola rura.

Populi Æquicoli Ovidio *Fast.3.*

Quintum Laurentes, bis quintum AEquicolus acer.

AEquiculani Plinio dicuntur. *AEcani* Stephano ac Dion. Halicarnassæo. Vide Cluver. *de Ital. Ant. lib.2.c.16.* Hos Q. Cincinnatus, Dictator ab aratro, sub jugum misit: Posthumius Tubertus rebellantes domuit, Fabius 40. urbibus mulctavit, *Maximi* hinc nomen meritus. Liv. *l.3.* & 4.

AEquicius, Valeriæ Urbis monasterii Abbas. Marul. *l.2.c.5.*

AEqui lanum, Vid. *AEculani*.

AEquilium, Carnorum Venetæ ditionis urbs. *Citta nova* nunc, Leandro Alberto teste.

AEquimelium, locus Romæ, ubi domus Melii cujusdam solo æquata fuit. Spurius enim Melius ob frumenti largitionem in suspicionem affectatæ dominationis venit, & cùm ad populi fidem fugeret, à Servilio Halâ equitum magistro deprehensus, & occisus est, domusque ejus diruta, & *Area AEquimelii* dicta. Liv. *lib.1. dec.4.*

AEquinoctium, Pannoniæ infer. op. Anton. *Vischmund* Simlero.

AEquum, Colonia & op. Dalmatiæ mediter. à Salona 21. m.p. in Cæc. ab Epidauro 44. in Bor. *Clucci*, seu *Cluzzi* Villanovano; *Chognutz* verò Jac. Luccaro Ragusæo. longit. 42. 50. lat. 42. 30.

AEra, quam Hispani in Chronologiam introduxere, notat initium eventus alicujus extraordinarii, vel mutationem aliquam notabilem. Inventa occasione certi alicujus tributi ab Augusto impositi. Hâc usi Hispani, usque ad A. C. 1351. postquam incepisset 38. ante an. C. N. Reliquæ Æræ illustriores sunt *AEra Nabonassaris*, quæ incidit, in 26. Febr. An. 3967. Periodi Julianæ, 1. annum 8. Olymp. & 6. Romæ *Æra Seleucidarum*, fixa in An. 442. V. C. 312. ante C. N. à Seleuco Nicanore, in Syria, observari jussa, 12. An. post denatum Alexandrum M. *AEra Christiana*, Vide Genebr. Keplerum, Petavium, Scaligerum, Calvisium, Salianum, Cuspinianum, Sigonium, Onufrium, Vossium, Helvicum, Langium &c. De *AEra Diocletiani*, Vid. *in Diocletiano*. De *AEra Arabum*, in *Hegira*.

AEra, urbs Macedoniæ, alia Ioniæ, tertia juxta Hellespontum. Steph. Sunt quoque Carmaniæ pop. apud Ptolom.

Aërea, *Ayr*, Urbs Scotiæ merid. in ora Glottæ æstuarii, in Covalia prov. juxta Æream fluv. 40. m. pass. à Candida Casa in Boream, & 34. à Glascoa in Africum.

AErea Via, Vide *Laurium*.

AErenosi, Hispaniæ populi, apud Polybium 3. corruptam lectionem judicat Ortelius: & Ausetanos habet hoc loco Liv. 21.

AEretica, Armeniæ minoris regio. Ptolem.

AErgitia, vulgò *die AEgrez*, amnis in agro Basiliensi, Liechtstallum urbec. alluens. Hic è convallibus sex proximis, singulis fluviolis, seu torrentibus auctus, rectâ Boream contrà decurrens, & priscam olim Rauricam intersecans, Rheni undis miscetur. Urstisius, *epit. Hist. Basil. cap.2.* Vid. *Arragovia*.

Æria, vel *Aëria*, vel etiam *Eeria*. Vide *AEgyptus*. Fuit etiam *Æria* urbs Celtica, & alia Cretæ; item insula Thasus sic dicta. Steph. Vid. etiam *Creta*, *Libya* & *Thassus*.

AEria, vel *Aëria*, op. Gall. Narbon. in Delphinatu ad Rhodanum, sic quòd in excelso loco sita sit, appellata. Plin. *Aire* hodiè, teste Cognato, aliis *l'Oriol*. long. 25. 33. lat. 43. 40. Item op. Belgii in Artesiâ, ad Lysam flu. non longè à Tervannâ, è cujus ruinis crevit. Urbs est nova & culta; situ & arte permunita. Theatrum sæpe belli Hispanico-Gallici. Cum arce; vulgò *Aire*, inter Audomarum, & Bethuniam.

AErias, antiquissimus Cypri Rex, templi Paphii conditor. Tacit. *hist.* 11.2.

AEriani, Ariani Hæretici, ab *AErio* presbytero nomen habentes, dolente quòd in Episc. Eustathius sibi prælatus esset. Anno Christi 349. sub Constantino. Filium ajunt diversæ naturæ à patre, ut instrumentum ab opifice, diversum est: Spiritum S. esse diversum, sicuti locus & tempus diversa sunt ab illis, qui his utuntur: utque dictiones hæ, *Ex quo*, *Per quem*, & *In quo*, inter se differunt, ita etiam personas Trinitatis. Nuptias damnant, abstinentiam urgent, unde etiam *Encratitæ* dicuntur. Pascha celebrare prohibent, quia Pascha nostrum immolatus sit, Christus. Epiph. *hær.* 75. Aug. *hær.* 53. Onuphrius, A. C 349.

AErimontanus. Vid. *Henricus AErimontanus*.

AErius. Vid. *Misenus*.

Aëromantia, ars divinandi per aërem, una ex sex Magiæ Persicæ speciebus.

AErope, Atrei uxor quæ adulterio à Thyeste Atrei fratre corrupta, duos filios peperit, quos postea Atreus fratri comedendos apposuit. Ovid. *Trist.2.*

Si non AEropen frater sceleratus amasset,
Conversos Solis non legeremus equos.

Item Cephei filia à Marte compressa, quæ ex partu interiit, nihilominus tamen infans ejus supervixit, ac *AEropus* à matre dictus est. Pausan.

AEropolitæ, gens apud Soz. 7.15. in Arabia.

AEropus, mons Chaoniæ. Liv. *lib.2. Dec.4.* Item Epirotarum exercitus dux, à quo cùm multa accepisset Pyrrhus, nec illi per mortem rependere potuisset; Credita, inquit, pecunia hæredibus creditorum solvi licet; at gratias nisi scientibus iis quibus debentur, persolverit, vir honestus & gratus offenderit.

Aëropus, tutor *Oresti* Archelai Macedonum Regis filio datus; qui

qui pupillo sublato regnum invasit, perque annos sex tenuit. Mortuus Olymp. XCVI. anno secundo ex morbo, relicto successore filio Pausaniâ, qui tantùm annum imperium tenuit.

Aëropus & *Damasippus* Duces, in Exercitu Philippi Macedonis, in Thebanos bellum gerentis: qui ex cauponâ Psaltriam conductam castris induxerunt. Hac re cognitâ Philippus utrumque ducem voce Præconis terminis regni sui exegit. Polyænus *l. IV. com*

AErosa, sic olim antiqui Cyprum ins. vocarunt, quòd in eâ plurimum æris nascatur. Author Sextus Pompeius. Vid. *Cyprus*.

AErradi, Indiæ intra Gangem populi Ptolemæo. *Cirradei* sunt interpreti, & rectè, nam idem paulò post horum regionem *Cirradiam* nominat. Ortelius.

AErronesia, Insula est apud Nicetam, inter Aulonem & Siciliam.

AErundele, Urbs Asiæ episc. sub archiep. Petracensi, & Patriarch. Jerosolymitano. Mir.

AEsa, urbs Thraciæ finitima Pallenæ. Steph.

AEsacus, fluv. Trojanus ad Idam mont. Item Priami filius ex Alyxothoe Dymantis filiâ, plus silvis quàm civitatibus delectatus. Hic cùm Hesperiam, seu Eperiem liberali formâ puellam videret, adeò ejus amore captus est, ut in silvas eam sequeretur, quæ fugiens morsu serpentis est occisa; ipse autem amoris impatiens, acrique dolore concussus, se de scopulo in mare præcipitem dedit, cujus Thetis miserta, eum in mergum transmutavit. Vide Ovid. *Met. 11 ad finem*.

AEsagea, montis nomen. Hom. *Hymn. in Apoll. Vers.* 40.

Καὶ Κλάρος αἰγλήεσσα, καὶ Αἰσαγέης ὄρος αἰπύ.

AEsaniforum, meminit thes. Golzii, ex Agrippinæ numo.

AEsapus, vel *AEsepus*, Plin. & Ptol. flu. Mysiæ in Asia, ex Ida monte profluens, ac in Hellespontum apud Cyzicon urb. influens. *Spiga* in tabulis recentioribus. Hom. Item *AEsapus* Bucolionis fil. apud eundem. Sed leg. *AEsepus*.

AEsar, vel *AEsaras*, flu. Mag. Græciæ, in mare Ionium se exonerat, juxta Crotonem. Ovid. *Met. l.* 15.

————Patrias, age, desere sedes:
I, pete diversi lapidosas AEsaris undas.

Hinc *AEsareus*. Ovid. *ubi supra:*

Invenit AEsarei fatalia fluminis ora.

Αἴσαρος est Græcis hic fluvius. Malè ergo *AEseris* multi ex vetustioribus codices, & pejus *Haseris*. Dionys. *de situ orbis*.

Ναιόμενον χαρίεντος ἐπ' Αἰσάρου προχοῇσι.

Hyliam à Thucydide appellari putat Leander, qui dicit eum hodiè *Esaro* vocari. Vid. Cluver. *Ital. Ant.* 4. 15.

Æsaris, Thusciæ fluv. apud Lucam urb. *Auser.* Plinio, *Osari* vulgò dicitur.

Æsaronensis, Sardiniæ populi, apud Ptol.

Æsarus, Dionysio & Straboni, *Æsar.* Ovid. 15. *Metam.* Magnæ Græciæ flu. circa Crotonem: Hujus meminit etiam Lycophron & Theocritus, cujus Scholiastes dicit eum per mediam urbem fluere. Idem quoque in Sicilia fluvium sic dictum habet: *Hyliam* ἤλια à Thucydide appellari putat *Leander*, qui eum hodie *Æsaro* vocat. Vide *Auseris*.

Æschines, Atheniensis Orator, Demosthenis æmulus, cujus orationes tres extant, *Charites* Græcis, & aliquot epistolæ, *Musæ* dictæ. Præter hunc alii septem claruere. Primus, Philosophus, Socratis discipulus. Secundus, qui artem Oratoriam conscripsit. Tertius, ex Arcadia profectus. Quartus, Mitylenæus, quem *Flagellum oratorum* vocabant. Quintus, Neapolitanus, Philosophus Academicus, Melanthii Rhodii discipulus. Septimus, Milesius scriptor. Octavus, statuarius. Laert. *lib.* 2. *in vita Æschinis*. Voss. *de Mathem. c.* 4. *§.* 5. *& de Sectis Phil. c.* 9. *§.* 1. Porro prior Æschines, cùm orationem, quâ fuerat usus adversus Demosthenem, Rhodi legisset, legit & defensionem ejusdem Demosthenis, ob quam depulsus fuerat in exilium, mirantibusque amicis, tum eos magis miraturos dixit, si ipsum orantem audivissent. Plin. 7. 30. Cùm Rhodum secessisset, instituit extemporalem orationem habere, & declamare exercitationis causâ: quod tamen factum Fabius scribit circa Demetrii tempora, an verò ab eo institutum, non sibi constare. Postea Samum cùm venisset, ibi paulò post obiit. Plut. *de* 10 *Orat.*

AEschines, Chius Empiricus, qui multos vel solo aspectu peremerat, Eunapium sophistam, qui Athenas studiorum causâ venerat, morti jam vicinum instrumentis quibusdam diducto oris hiatu medicamentum infundens, vitæ restituit: subitò enim soluta est alvus, & æger loqui cœpit: hoc uno facto superiora errata omnia obliteravit. Eunapius *in Proæresio*.

AEschines, Empiricus Atheniensis, qui ex crematorum hominum cinere anginis medebatur & tonsillis, uvisque & carcinomatis: hoc medicamentum vocabat *Botryon* Plin. *lib.* 28. *cap.* 4. Item nomen unius ex tribus sectis, quæ ex Montanistarum hæresi suppullularunt? Hi præter reliquos errores, Jesum Christum Filium Patremque in SS. Trinitate esse, fabulati sunt. Epiphan. & Philastr. *de Hær.*

AEschines, Charius vel Lysaniæ Filius, Socratis Discipulus, quem inter alios Dialogos Suidas censet scripsisse Axiochum. Ejus meminit Aristophan. *Crabron.* 514. E.

AEschines, Selli filius, Athenis omnium gloriosissimus & vanissimus Vid. *Sellus*, & Aristoph. *Vesp.* 451. 519.

AEschrion, Mitylenæus versificator, inter comites Alexand. M. Aristoteli familiaris, maximeque dilectus, ut tradidit Menander Alexandrinus *in lib. De discipulis Aristotelis*. Idem fortè est cum illo, quem cum exercitu per insidias Hanno *Olymp.* 118. an. 2. oppressit, de quo Diodorus Sic. *lib.* 20. Vid. etiam Nicandr. Lilium Giraldum, & Voss. *de Poët. Gr. c.* 8. Fuit etiam *AEschrion* quidam Samius ἰαμβοποιὸς, teste Athenæo, 8. 3. ubi, ut & 7. 12. ex ejus Jambis nonnihil citatur. Hujus fortè est, Ἔφεσις, cujus *lib.* 7. citat Tzetzes *ad Lycophronem fol.* 101. Fuit quoque *AEschrion* medicus, quem laudat Galenus alicubi. Hujus omnino liber est de Agricultura, quem citat Plin. *lib.* 1. inter Authores, itemque Varro *de R. R.* 1. 1. Antiquissimus autem omnium est *AEschrion* ille, à quo in Samo tribus *AEschrionia* appellationem sortita est, cujus meminit Herodot. *lib.* . *cap.* 26.

AEschylus, duodecimus Atheniensium Judex, regn. an. 23. Hujus anno 2. Iphitus ludos Olympicos in Elide, ut quarto quoque anno celebrarentur, magno totius Græciæ conventu, instituit, quod annorum spatium *Olympias* appellatum est, atque ex hoc tempore apud Græcos anni ab Olympiadibus digeri ac nominari solent. Prima autem Olympias incidit in annum mundi 3174. secundùm Helvicum, circa natalem Romuli & Remi, 407. annos post Trojæ excidium.

AEschylus Corinthius, frater uxoris Timophanis tyranni, per quem Timoleon persuadere conabatur fratri, ut tyrannidem deponeret Plutarch.

AEschylus, Rhodius, cum Peuceste Macedone, deditæ Ægypto præpositus. Curt. IV 71.

AEschylus, frater Cynægiri, bellicâ primùm gloriâ celebris, dein tragœdiographus, qui cùm sensisset, certo quodam die se ruinâ periturum, ex urbe Siciliæ, in quâ morabatur, egressus, loco aperto consedit, super quem Aquila volitans, testudinem quam pedibus gerebat, super caput ejus, splendore illius decepta, (erat enim crinibus vacuum) tanquam super petram, ut fractæ testudinis carne vesceretur, elisit; quo ictu peremptus est Primus, teste Horatio, gravitate personarum & coloris distinctione usus est. Sic enim ille,

Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
AEschylus, & modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnoque loqui nitique cothurno.

Hinc *AEschyleus*. Prop 2. 8.

Desine & AEschyleo componere verba cothurno.

Eumenidum, quibus colubri pro crinibus, primus inventor. Pauf. *in Achaicis*. Impietatis nomine condemnatus, quomodo evaserit, docet Ælianus *Var. Hist.* 5. 19. Vid. etiam Valer Max. *lib.* 9. *c.* 12. *ex.* 10. Voss. *de Gr. Poët.* 4. Cæterum de variis *AEschylis* vide sis doctissimum virum Tho. Stanleium *Comment. in AEschylum, in principio*.

AEsculanus & *Argentinus*, Dii quidam sic dicti sunt *AEris*, & *Argenti*, id est, locupletandorum hominum potestatem habentes. Bud. *lib.* 5. *de Asse*. Item *AEsculanus*, vel *AEs*, Deus sub cujus nomine Pecunia culta est Romæ. August *de Civit. Dei*.

AEsculapii, de his Nonius ex Sisenna: *Castra de Pantia convertit in montes, ut crebro ferculis protinus procedendo posset in fines AEsculapiorum pervenire.*

AEsculapii Ins Vid *Tiberina*.

AEsculapium fanum, vide *Aluns*.

AEsculapium, lucus, inter Berytum & Sidonem. Strabo. *AEsculapios* incolas hujus vocat Sisenna *apud Nonium*, in voce *Protinus*. Alius in Coo insula, Lactantius 2. *de origine erroris*. *AEsculapii Puteum* quendam celebrat Aristides.

AEsculapius, Apollinis ex Coronide nymphâ fil. quam Ovid. dicit è Larissa fuisse, & Phlegyæ filiam. Hom. *in Hymnis*.

Ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἄρχομ' ἀείδειν
Υἱὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ, κούρη Φλεγύου βασιλῆος.

Quæ Coronis postea rem habens cum AEmonio juvene, cui Ischys nomen fuerat, ab Apolline sagittis confossa est. Sed is postea facti pœnitens, secto ejus utero conceptum ex se eduxit infantem, eumque AEsculapium appellavit, traditque Chironi, sub quo medicinæ studuit. Plut. *in Conviv. lib.* 9 *q* 14. Pindarus, *Ode* 3. Pausan. *lib.* 2. Lactant *Instit. lib.* 1 *cap* 10. Ovid. *Met. lib.* 2.

Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina, sed natum flammis uteroque parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum.

Jamque hujus artis peritus, Dianæ precibus Hippolytum ab equis discerptum vitæ restituit, quâ re motus Jupiter fulmine eum occidit. Virg. *AEn.* 7.

Tum pater Omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.

Porro AEsculapium fulmine occisum fuisse à Jove testantur, Pindarus & Euripides *apud Clem. Alex. in Protreptico*, ubi etiam addit, Οὗτος μὲν οὖν κεῖται κεραυνωθεὶς ἐν τοῖς Κυνοσουρίδος ὁρίοις. Marcus autem

autem Tullius *De Nat. Deor. lib* 3. paulo aliter hæc tradit, ubi tres AEsculapios fuisse refert. Primus Apollinis fil. fuit, quem Arcades colunt; qui specillum invenisse, primusque vulnus obligavisse dicitur. Secundus, secundi Mercurii frater; Is fulmine percussus dicitur humatus fuisse Cynosuris. Tertius, Arsippi & Arsinoes, qui primus purgationem alvi dentisque evulsionem, ut ferunt, invenit, cujus in Arcadia non longè à Lusio flu. sepulcrum & lacus ostenditur. Sunt autem, qui AEsculapium Messenium fuisse tradunt, sed Epidauri mansisse, unde *Epidaurius* dictus. Cæterùm Romam accitus urbem ipsam gravi pestilentiâ liberavit, in cujus honorem insigne templum in insulâ Tiberis, de qua Sueton. *in Claudio c.*26. illi construxerunt, colueruntque eum in specie serpentis. Nam Romanis in Epidaurum profectis tempore pestilentiæ, ut AEsculapium Romam portarent, serpens grandis navem ingressus est, quem illi Deum AEsculapium esse rati, secum duxerunt. Ovid *Met.* 15. Veteres gallum gallinaceum ei immolabant, Cyrenenses capram. Duos habuit filios arte medicâ præstantes, Machaonem, & Podalirium; filias verò Hygiæam, AEglen, & Panaceam. Medicinam plurimum ampliavit, ob eamque rem in Deorum numerum receptus est. Duo ejus filii bello Trojano Agamemnonem secuti, non mediocrem opem commilitonibus attulere. AEsculapium ait Pausanias *in Achaicis*, nihil aliud esse quàm aëra, cujus filia fuit *Hygiaa*, id est, *bona valetudo.* Est enim aëris temperies non homini solùm, sed cunctis animalibus saluberrima. Jure optimo igitur antiqui Apollinem AEsculapii patrem esse finxerunt, atque ipsum AEsculapium salubrem vim de sole, animis, corporibusque mortalium sufficientem, id est, sanitatis artificem, quia solis calor universis elementis dominatur. Non defuerunt autem, qui locum datum fuisse fabulæ de AEsculapio tradiderunt, quòd mortuos ab inferis revocaret, quia nonnullos, quorum conclamata spes esset, vitæ ac sanitati restituerit per vim medicamentorum; unde fabulati sunt antiqui, Plutonem apud Jovem conquestum fuisse, quòd suum imperium mortalis medicus exinaniret: Idcirco fulmine percussum fuisse à Jove inquiunt, quod accidit paulò ante Trojana tempora. De nomine sic Bochartus. *Æsculapius*, inquit, fortassis Phœniciè dictus est איש כלבי *Is calabi*, hoc est, *vir caninus.* Festus de *AEsculapio*, *Canes adhibentur ejus templo, quòd is uberibus canis sit nutritus.* Cæterùm de Æsculapio, librum singularem scripsit doctissimus juvenis Thomas Guidottus Med. Bac. Coll. Wadh. Oxon. quem ex variis authoribus, Græcis juxta ac Latinis, multo labore ac judicio compilavit. Eum autem *dias in luminis oras* aliquando exiturum spero. Fabulosam Æsculapii historiam egregiè exponit, Alex. Rossæus *in Mystagog. Poetico.*

Æsculapius, Philosophus, auctor operis alicujus Arithmetici, Voss. *Part.* 2. *de Mathem. c.*50. *§.*10.

AEsepus, fluv. Lyciæ sub Ida monte. Quanquam Oppianus *lib.* 1. *de Aucupio*, montem sic nominat eo loci. Item Bucolionis filius, Hom. *Iliad. l.* 6. Vid. *Æsapus.*

Æsernia, *Esernia*, Plinio, Livio, & aliis: *Sergna* hodie, & *Isernia*, Samnitum urbs in Italia, ad radices Apennini, sensimque deficit, à paucis habitata, de qua Sil. *l.* 8.

Et quos aut Rufræ, aut quos Æsernia, quosque
Obscura incultis Herdonia misit ab agris.

Populi *Æsernini.* long 38.07. lat. 41.43.

Æserninus, Vid. *Eserninus.*

Æsi, Hesychius Αἰσοι, θεοὶ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν.

Æsia, fluv. Gall. Belg. inter Campaniam & Picardiam in Sequanam fluens; Supra Pisciacum; & oritur in Tirascia regione. hodiè Latinis Isara vulgò, *Oyse.* Vid. *Oesia.*

Æsias, Trapezita Sicyonius, apud quem occasio nata Arato Acrocorinthum per proditionem quatuor fratrum Syrorum, operâ tamen præcipuâ Ergini capiendi. Vid. Polyæn. *lib. VI. in Arato.*

Æsica, pagus Albionis in Cumbria, teste Camdeno, vulgò *Netherby.* In littore maris Hibernici.

Æsimedes, Atheniensium rex 15. regn. an. 10. Item navarchus Corcyrensium. Thucyd. *lib.* 1.

Æsion, civis nobilis Atheniensis, cujus illud de Demosthene oratore fuit judicium, ut dixerit, illum non solùm Athenarum dignum civitate esse, sed & supra Athenas. Plutar. *in Demosth.*

Æsipus, Vid. *Æsepus.*

Æsis, Umbriæ civitas, Ptolemæo Αἶσις, at Straboni Αἴσιον, unde Plinio 3. 14 opidani sunt *Æsinates.* Idem 11. 42. quod est de optimis caseorum generibus, *Æsinatem ex Umbriâ.* long. 37.00. lat. 43.35. Item Umbriæ fluv. Strab. *lib* 5 Disertis literis est Αἶσις, & ita Latina vox apud Plin. *loco prædicto.* At apud Melam *lib.* 2. *cap.* 4. corruptè *Esis*; & apud Ptol. obliquus casus τοῦ Αἰσιὸς pro τοῦ Αἴσιος. Plut. *in Pompejo* τὸν Ἄρσιν habet pro Αἶσιν. Apud Appianum. Vid. *Civil. lib.* 1. Αἴσιος ποταμὸς est. Sil. *lib.* 8.

Queis Æsis regnator erat, fluvioque reliquit
Nomen, & à sese populos tum dixit Asilos.

vulgò *Esino.* In mare Adriaticum se exonerat, inter Anconam & Senogalliam.

Æsisium, Ptolemæo Umbriæ oppidum; quod Leandro *Assisi* dicitur, *Esisium* est sine diphthongo in Originibus, quæ Catonis nomine circumferuntur. *Assisium* est in vetusto lapide. D. Francisci patria. *Æsium* fortè Strabonis. *Assisium* à Propertio *Axis* appellari scribit Zacharias Lilius *in suo Orbis breviario*: ex hoc fortè versu,

Scandentisque Axis consurgit vertice murus.

Æsita, Arabiæ desertæ populi, Ptolemæo. *Asitita* legunt Interpretes.

Æsium, in colle Piceni, urbs episc. in ditione Pontif. Ptol. *Æsis*, Hodie *Jesi.* Distat Senogalliâ 12. mill. in meridiem: Fabriano autem 18. mill. in Cæciam.

Æsium, urbs in itinere ab Ocriculo, Ariminum versus dextram, Strabo. Vide *Æsisium*: sic enim legendum.

Æsius, amnis in orâ Bithyniæ. Plin. 5. 32.

Æson, Crethei fil. frater Peliæ, regis Thessaliæ, & pater Jasonis, qui ab eo vocatur *Æsonides.* Eum Jasonis rogatu, annositate decrepitum, suis veneficiis robustiori ætati restituit Medea Ovid. *Met.* 6. Item, fluv. Thessaliæ, cum opp. cognom. cadit in Metam fluvium. Item Urbs Magnesiæ, apud Apollonii Scholiastem. Thessaliæ, Steph.

Æsonenses, pop. Hisp. citer. quorum op. *Æsona*, nunc *Isona*, pagus Catalauniæ, teste Andreâ Schotto.

Æsopus, Phryx, Philosophus, & fabulator clarissimus, conditione autem servus, tempore Crœsi Lydorum regis, cui fabulas suas dicavit. Nomen à nigredine fortè obtinuit. *Æsopus* enim & *Æthiops* idem significant. Hujus vitam Maximus Planudes conscripsit; quæ fabulis *Æsopi* vulgò præfigi solet. Quinctilianus *lib.* 1. *cap.* 9. *Æsopi fabellas, quæ fabulis nutricularum proximè succedunt, narrare sermone puro, & nihil se supra modum extollente, condiscant pueri.* Idem *lib.* 5. *cap.* 11. *Illæ quoque fabulæ, quæ etiamsi ab Æsopo originem non acceperunt, (nam videtur primus eorum author fuisse Hesiodus) nomine tamen Æsopi maximè celebrantur, ducere animos solent, præcipuè rusticorum & imperitorum: qui & simplicius quæ ficta sunt audiunt, & capti voluptate, facilè iis quibus delectantur, consentiunt.* Aulus Gell. *lib.* 2. *cap.* 29. *AEsopus ille è Phrygiâ fabulator haut immeritò sapiens existimatus est; cùm, quæ utilia monitu suasuque erant, non severè, non imperiosè præcepit & censuit, ut Philosophis mos est, sed festivos delectabilesque apologos commentus, res salubriter, ac prospicienter animadversas in mentes animosque hominum, cum audiendi quâdam illecebrâ inducit.* Hinc proverb. apud Suidam. *Ne Æsopum quidem trivisti*, de vehementer stupidis & imperitis. Vide Aristoph. *in Avibus.* Eus. Suid.

AEsopus, libertus Demosthenis, conscius adulterii quod patronus admiserat, tortus diutissimè perseveravit non prodere, donec aliis coarguentibus consciis, Demosthenes ipse fateretur. Macrob. *Sat.* 1. 11.

AEsopus, cognom. Claudus, Tragœdus, amicitiâ Ciceroni conjunctus, de quo 6. *Epist. Fam.* Horat. *lib.* 2. *Epistolarum.*

Quæ gravis AEsopus, quæ doctus Roscius egit.

In maximas opes ex histrionicâ pervenit, adeò ut Sestertium centies ei patina steterit. Val. M. Filium reliquit adeò divitem simul & prodigum, ut is uniones aceto liquefactos cœnis apponeret. Plin. 10. 51. Horat. *lib.* 2. *Sat.* 3.

Filius AEsopi detractam ex aure Metellæ
Scilicet ut decies solidum exsorberet aceto,
Diluit insignem baccam. ———

Item *AEsopus*, Anagnostes Mithridatis eruditissimus; Scripsit de laudibus Mithridatis, & de Helena, Suidâ teste. Item orator clarissimus Laertio *lib.* 1. Item historiographus qui Anaximenis & Philonis temporibus floruit. Plut. *in Solone.*

AEsopus, Tragœdus, histrio facetissimus, & γελωτοποιὸς; cujus meminit Aristoph. Vesp. 469.

AEsquilinus mons, vide *AEsquiliæ.*

AEssui, vide Essui.

AEstiai, & *AEstii*, pop. Sarmatiæ, inter Vistulam fluv. & sinum Finnicum, ubi hodie Prussia & Livonia. Hinc *Esten* Estonia, prov. Livoniæ.

AEstraum, op. Macedoniæ, Ptol. pop. *AEstrai.*

AEstri, Vid. *Hastæ.*

AEstria, Hadriatici maris insula, ut author est Pomponius.

AEstuni, nomen municipii videtur, apud Cassiodorum 3. Varior. numero 9. *Estani* alia lectio. Unde Theodoricus rex jubet columnas & lapides vetustatis invidiâ demolitos Ravennam devehi. *Este* putat Ortelius in Venetia, unde *Estensium* familia. Facilis enim hinc per Brentam fluvium & mare istinc navigatio.

AEstyes, Germ. pop. qui dextro maris Suevici litore alluuntur. Tacitus.

AEstyi, vide *Hastæ.*

AEsuium, vide *Ursus Lucus.*

AEsula, op. in montibus inter Tibur & Præneste. Horat. *Carm. lib.* 3. *Od.* 29.

Eripe

——— *Eripe te moræ,*
Ne semper udum Tibur & AEsulæ
Declive contempleris arvum.

Populi *AEsulani.* Plin. 3. 5. Vid. *Esula.*

AEsyetes, vir ex cujus sepulcro ad Trojam extructo speculabatur Polites quod in navibus suis facerent Graeci. Hom. *in Catalogo.*

Εἴσατο δὲ φθογγὴν υἷι Πριάμοιο Πολίτῃ,
Ὃς Τρώων σκοπὸς ἷζε ποδωκείῃσι πεποιθὼς,
Τύμβῳ ἐπ' ἀκροτάτῳ Αἰσυήταο γέροντος,
Δέγμενος ὁππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί.

AEsyma, urbs Thraciæ. Steph. Castianiræ patria, ex quâ Priamus Gorgytionem suscepit, qui in bello Trojano ab Ajace fuit interfectus. Hesychius Αἰσύμη, πόλις Τρωϊκή, Vid. *Oesyma.*

AEsymneta erant, qui parem regiæ dignitati potestatem habebant; unde Dictatoris imperium traxisse originem creditur. Alex. ab Alex. *lib.* 4. *cap.* 13. Hesychius, Αἰσυμνᾷ, βασιλεύει, ἄρχει. *AEsymnetes* etiam Bacchi cognomen, cujus rationem prolixè exponit Pausan. *in Att.*

AEsymnus, Megarensis quidam, qui regum tyrannidem perosus, consuluit Apollinem, quo potissimum modo Megarenses Remp. felicissimè possint administrare; Cúmque responsum esset, *Si cum pluribus consultarent:* arbitratus id ad mortuos pertinere, qui virorum numerum longè superant, tumulum heroibus extruxit, qui ab ipso *AEsymnium* dictus est; Curiam quoque, quæ ambitu suo tumulum includebat, arbitratus ita futurum, ut ipsi etiam mortui ipsorum consultationibus interessent. Pausan. *l.* 1. Item unus è principibus Græcorum ab Hectore interfectus. Il. II.

AEtaai, Arabiæ felicis populi, Ptolemæo. *AEgai* sunt apud Interpretes.

AEtai, populi Græciæ, Æschini de falsa legatione.

AEtare, Africæ Propriæ urbs, Ptolemæo. *Apari* Interpretibus.

AEternitas, Dea à veteribus culta, cujus imaginem Tempus esse dixerunt Hermes Trismegistus, & Plato. Describitur verò copiosè à Claud. *in Paneg. de laudibus Stiliconis.*

AEternius, prænomine *Aulus*, Patricius & Consularis, Tribunatum plebei gessit.

AEterocama, Vid. *Sabura.*

AEteta, mulier quædam ex Laodicea Syriæ urbe, quæ etiamnum cum marito degens, è fœmina vir extitit, cui nomen *AEtetus*, præside Athenis Macrino: Romæ consulatum gerentibus L. Lamia, & Æliano Vetere: hunc ipse quoque Phlegon Trallianus Adriani libertus lib. de Mirab. & longævis se vidisse scribit.

AEthaa, Laconiæ oppidum, unum ex centenis. Steph. ex Thuc. 1. Vid. *Anthea.*

AEthalia, insula Tyrrhenorum, Αἰθάλη Stephano. Polybius etiam Lemnum insf. *AEthaliam* vocat. Vid. *Chios* & *Ilva.*

AEthalida, pars tribus Leontidis. Steph.

AEthalides, præco, Mercurii fil. cui quandoque inter mortuos, quandoque inter vivos esse licere concessum est. Apollonius *Argon. lib.* I.

Τέως δ' αὐτ' οὐκ νηὸς ἀελπέες προέηκαν
Αἰθαλίδην κήρυκα θοὸν, τῷ πέρ τε μέλεσθαι
Ἀγγελίας καὶ σκῆπτρον ἐπέτρεπον Ἑρμείαο
Σφωϊτέροιο τοκῆος, ὅς οἱ μνῆστιν πόρε πάντων
Ἄφθιτον. οὐδ' ἔτι νῦν περ ἀποιχομένου Ἀχέροντος
Δίνας ἀπροφάτους ψυχὴν ἐπιδέδρομε Λήθη.
Ἀλλ' ἥ γ' ἔμπεδον αἰὲν ἀμειβομένη μεμόρηται
Ἄλλοθ' ὑποχθονίοις ἐναρίθμιος, ἄλλοτ' ἐς αὐγὰς
Ἠελίου, ζωοῖσι μετ' ἀνδράσιν.———

Hunc à patre impetrasse ferunt, ut & vivus & mortuus omnium quæ generentur memoriam haberet. Eum se fuisse gloriari solebat Pythagoras. Laert. *lib.* 8.

Æthaloes, circa Trojam torrens, prope Scepsiam. Strabo. *Aidoneus* fortè Pausaniæ.

Æthea, una ex centum urbibus Laconiæ. Steph.

Ætheria, Vid. *Æthiopia.*

AEtherii, pop. subter Ægytum, qui postea ab *AEthiope* Vulcani filio, *AEthiopes* vocabantur. Plin. 6. 30.

AEthes, Dux Dromichetæ, Thracum *Regis*; qui titulo transfugæ ad Lysimachum venit. Ubi cùm fidem invenisset, Macedonas in magnas conjecit difficultates. Tunc conflictantes fame sitique Dromichætes adortus tum ipsum Lysimachum, tum omnes qui eum sequebantur, cecidit. Erant verò cæsorum è parte Lysimachi centum millia. Polyænus *lib. VII.*

AEthicia, Urbs & regio Thessaliæ, pop. *AEthices.* Steph. Hesychius Αἴθικες παρὰ τὴν Θεσσαλίαν ἔθνος, ὅ ἐστι Δολοπία.

AEthicus, Cosmographus, de quo Vossius *Histor. Lat. lib.* 3. Itemque de Scientiis Mathemat. *cap.* 70. Fuit alius Paphlago, cujus meminit Q. Smyrnæus *lib.* 6.

AEthicus Ister, Geographus contexuit duplicem orbis descriptionem, post Constantinum, quarum altera apud Orosium tota legitur. Eidem adscribitur à quibusdam *Notitia Imperii*, edita inter annos Christi 400. & 453. ut Pancirolus demonstrat. Ut & *Itinerarium Antonini.*

AEthiopia, Diana cognominata est, teste Steph.

AEthiopia, incolis *Abexin*, & *Abissia* nostris, regio Africæ amplissima, cis & ultra Æquatorem extensa, gemina. *Una* sub Ægypto inter Nilum & sin. Arabicum latè patens, in qua Meroe insula; Cujus urbes primariæ olim Napata, Meroe, & ad sin. Arab. Ptolemais & Adule; Dire, Mosylon & Aromata ad sinum Barbaricum. *Altera* ultra Æquatorem, veteribus non satis cognita. Steph. Baudrando Æthiopia dividitur in superiorem & inferiorem.

Æthiopia superior seu interior, quæ aliter sub Ægypto, latè sumpta continet Imp. Abissinorum seu Abissiniam, Nubiam, Regna Mujaci & Macoci, & Zanguebariam; strictè autem continet tantùm Abissiniam, quæ *Abissinia* ab Italis, & *Abissinie* à Gallis dicitur, & à quibusdam *le pais du Preste-Jean*, sed abusivè. Vocatur enim Imperator illius tractus *le grand Neguz.*

Æthiopia inferior seu exterior, ea meridionalior est totius Africæ pars, quæ antiquis prorsùs incognita fuit, à Lusitanis proximè elapso seculo inventa & perlustrata, incipit occasum versùs supra fluv. *Zaire*, non longè ab Æquatore; & totam complectens littoralem Africę partem ultra ipsum Æquatorem, Abyssinorum regnum ab hac parte circumambit usq; ad fretum Arabicum; & continet Regna Monomotapæ, Monemugi, Giringbombæ, & Congioram Cafrorum, & regionem Galarum.

Partes Æthiopiæ superioris, seu Abissiniæ.

Regnum Tigre.	Ogara.
Provinciæ. Amara.	Dobassa.
Angotina.	Ambiama.
Fatigara.	Magaza.
Dambea.	Beleguanza.
Xaoa.	Salaoa.
Damuta.	Gasabela.
Bagamidri.	Sagueda.
Ambiancativa.	Agag.
Quara.	Narea.
Sova.	Dafila, & aliæ multæ provinciæ,

ex quibus Angotina, Damuta, Fatigara, & aliæ per Galas occupatæ fuerunt ultimo seculo.

Æthiopia superior, seu Abissinia raras habet urbes. Præcipuæ totius regionis sunt in præsentia,

Amara.	Chaxumum.
Sova.	Ambadara.
Zet.	Quara.
Ambiancativa.	Zaflan.
Angote.	Barva.
Dambea.	Adhegena.

In tota Abissinia nulla urbs regia certa est. Quocunque enim Rex seu Imperator cum aula sua proficiscitur, ibi fixis tabernaculis, regia esse putatur.

Populi Æthiopes, omnium primi, ut veteres Ethnici crediderunt; De quibus Diodor. Sicul. *libro* 4. ita disserit. Et quidem simile veri est, inquit, eos, qui sub meridiem habitant, primos è terra fuisse homines natos; nam solis calore terram, quæ humida est, arefaciente, atque omnibus vitam dante, decens fuit, locum soli propinquiorem primò naturam animantium tulisse. Iidem quoque omnium primi Deos coluerunt, & ab iis hoc præmium pietatis tulere, quòd nunquam ab externis regibus subacti fuerint. De hominum autem origine aliter sacra Scriptura. Hos Isidorus à Chus, filio Cham, ortos fuisse scribit. Bochartus verò, decem argumenta profert, quibus *Lud* esse Æthiopiam, & *Ludæos* Æthiopes probat. Geogr. Sacr. *lib.* 4. *c.* 26. Æthiopum nigror secundùm Plinium ex vicini sideris ardore provenit. Longè alia mens Isaaco Vossio Notis ad Pomp. Melam: cujus verba apponam. Versa est, inquit, consuetudo in Naturam, quod etiam Macrocephalis olim contigisse autor est Hippocrates: Quantò iis longius esset caput, tantò generosiores habebantur. Infantum itaque ex utero demum prodeuntium capita primo manibus, deinceps etiam fasciis comprimebant, ut sphæricâ & naturali exutâ, oblongam induerent figuram. Hoc ut fieret, primò arte opus fuit, deinceps verò consuetudo abiit in naturam, ac etiam absque curaturâ capita instar columellæ longa habuere. Nec aliam esse existimo rationem nigritiei Æthiopum; Qui non omnino erant atri, quod est turpe illis, succis & unguentis nigricantibus (hæc sunt Æthiopum cerussæ) fuscum colorem atro permutarunt. Transiit & hic ars in naturam, quique olim erat artificialis, is nunc est naturalis color. Hæc ille. Notandum autem, (quod suprà innuimus) duas olim fuisse Æthiopias, secundùm Homericum illud. *Odyss.* α.

Ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας,
Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

Hinc Author De mirabilibus Sacræ Scripturæ *l.* 1. *Æthiopiam alteram esse in multis locis historiarum, scriptura describant, de qua in Ecclesiastica historia scribitur, quod ex parte India adhæret.* Quid quod Chaldæam etiam Æthiopiæ nomine comprehendisse veteres putantur? Siquidem Corn. Tacitus de Judæorum antiquitate

quitate verba faciens, *Hist.l.5.* ait, eos *AEthiopum prolem* fuisse, quorum majores ab Ur Chaldæorum provenisse sat novimus. Strabo itidem, Phœniciam à nonnullis *AEthiopiam* vocari au tor est *lib.1.* Εἰσὶ δ' οἱ καὶ τὴν Αἰθιοπίαν εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς Φοινίκην μετάγουσι. Huc facit Homericum illud, *Odyss.4.*

Αἰθίοπας θ' ἱκόμην, καὶ Σιδονίους, καὶ Ἐρεμβούς.

Æthicus etiam Tigridis fluvii caput in Æthiopia collocat. *Fluvius Tigris*, inquit, *etiam ipse de monte Caucaso quasi visitur, cùm æstivis temporibus sub humo eum desuper AEthiopiam currere ex viriditate superni cespitis prodatur.* Quinimò Sagri vel Zagri incolæ (mons is est trans Tigridem) Æthiopum natio perhibentur. Hesychius. Σάγροι ἔθνος (lege ἔθνος) Αἰθιόπων. Porrò τὰ μέρη τῶν Ἐλυμαίων in Æthiopia ponuntur ab Epiphanio *in Anchorat.num.58.* Susianæ etiam incolæ olim inter Æthiopas habebantur. Memnon enim, qui à Susis ad bellum Trojanum in Priami auxilium pervenit, *AEthiopum rex* ab Hesiodo vocatur, *in Theog.*

Τιθωνῷ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν
Αἰθιόπων βασιλῆα. ——— Unde Pindarus Olymp.

Od.2. eum vocat Ἀοῦς παῖδ' Αἰθίοπα. Virg. *AEn.1.*

Nunc quibus Auroræ venisset filius armis.

Ceterùm, de Æthiopia, præter auctores retro laudatos, consulatur Pigafetus, Linschotus, Jarricus, Lopezius, Marmolius, Joh. Leo, Vincentius le Blanc, Sanutus, Maginus, Cluverus, Sanso, Du Val, &c.. Vid. quoque *Abyssinia, Congum, Monomotapa.*

AEthiopium, regio Lydiæ apud Hyllum prope Euripum; unde Diana *AEthiopia* dicta. Steph. Eubœæ quoque locus, apud Suid.

AEthiopius Oceanus, Vid. *Boricus.*

AEthiops, fluvius Africæ, in Æschyli Prom.

AEthis, dux Dromichætis, Thracum regis, quomodo Lysimachum dolo circumvenit, Vid. Polyænum Strat. *lib.7.*

AEthisiphon, Vid. *Chalame.*

AEthle, Vid. *Chios.*

AEthlius, Jovis ex Protogenia fil. Endymionis pater. Hesiod. primus Eliensium Rex. Item historicus Samius. Athen. *lib.* 14. ubi tamen vulgò corruptè est Ὠζαίων pro Σαμίων; sed veram lectionem vidit Casaubonus *ad eum librum cap.10.* Quæ de Junone Samiâ eum scripsisse ait Clemens *in Protrept.* ea sine dubio fuere ex ipso opere. Horum quoque librorum meminit Etymologus in Νένωτας, ubi ait eum scripsisse de finibus Samiis. Æthlii quoque nomen Arnobio *lib.* 6. ubi vulgò legebatur *Ethedius*, restituit Theod. Canterus.

AEthon, appellatus est Erisichthon, propter nimiam ingluviem. Lycophr. Hesiod. Ælian. Athenæus. Item unius ex Solis equis nomen, i.e. *Ardens.* Ovid. *Met.2.*

Interea volucres Pyroeis, Eous, & AEthon,
Solis equi, quartusq; Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent. ———

Item equus Pallantis. Virg. *AEn.11.*

Post bellator equus positis insignibus AEthon
It lachrymans, guttisq; humectat grandibus ora.

Apud Hom. Æthon est equus Hectoris. *Iliad.* θ.

Ξάνθε τε καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε.

Apud Claud. verò Plutonis *lib.1.de Rapt.Pros.*

Orphnæus crudele micans, AEthonq; sagitta
Ocyor, & Stygii sublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq; notâ signatus Alastor.

Item *AEthon* vir quidam, qui ita pedendi vitio laborabat, ut in templo Capitolino abstinere non potuerit. Sed affectus hoc supplicio, ut triduo cœnaverit domi, didiceritque comprimere nates, ne eâdem pœnâ iterum afficeretur, nam alienâ mensâ victitabat. Mart. *lib.11.*

Multis dum precibus Jovem salutat
Stans summos resupinus usque in ungues,
AEthon in Capitolio pepedit:
Riserunt comites, sed ipse Divûm
Offensus genitor trinoctiali
Affecit domicœnio clientem.

AEthra, Oceani & Tethyos filia, uxor Atlantis, filia Japeti, qui ex ea duodecim filias, & unum filium Hyantem suscepit, qui in Lybia à serpente occisus est, cujus mortem cùm quinque sorores nimiùm deflerent, luctu contabuerunt, sed Jovis commiseratione inter Deas sunt translatæ, *Hyadesq;* à fratris nomine, Latinis *Suculæ*, V. A. Gell. *lib.13.cap.9.* Ovid. *lib.6.Fast.&l.1.Trist. Eleg.10.* dictæ. Reliquæ, eò quòd *plures* superstites mansissent, *Pleiades* sunt appellatæ. Item mater Thesei, Pitthei filia. Uxor Ægei, Vid. *AEgeus*, & quæ Plut. *in Theseo* habet, Ovid. *in Ep.10.Ariadnes.*

Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos AEthræ
Filius, authores saxa fretumq; tui.

AEthradaran, pagi nomen in Persia.

AEthrea, Rhodus insula olim sic dicta. Incolæ *AEtrei* Steph.

AEthria, Vid *Athria*, & *Thasus.*

AEthribum, loci nomen apud Zonaram.

AEthruria, Vid. *Hetruria*, & *Thuscia.*

AEthusa, quæ & *AEgusa*, teste Plinio, ins. Siciliæ. Sed apud Ptol. diversæ sunt. Æthusa enim *Limera* teste Fazello, dicitur, inter Melitam, & Africam sita; Ægusa verò *Favagnana*, nominatur, Lilybæo vicina, inter Hieram & Phorbantiam 10. m. p. distans, à Drepano urbe 20. in Africum. Vid. *AEgathes* & *Constantinop.*

AEthya, epitheton Palladis. Cœl. Rhod. *lib.14.*

AEthyas, scopulus, i. fulicæ, in Megarensium agro. Pausan.

AEthyssei, pop. Libyæ, Marmaridis vicini, Steph.

AEtia, Vid. *Chamavi.*

AEtia, τὰ Αἴτια, ita Callimachus librum suum inscripsit, quem *de causis* & rationibus sacrorum edidit. De quo Martialis 10. 4.

Si non vis Mamurra tuos cognoscere mores,
Nec te scire, legas AEtia Callimachi.

Quæ Prop. *lib 2 inflati somnia Callimachi* vocat.

AEtiani, Hæretici dicti ab Ætio Antiocheno Cœlesyriæ, aurifabro primùm, deinde sophista, mox medico: dicti etiam *Eunomiani*, ab Eunomio Cappadoce successore Aetii; *Anomiani* quoque, *Troglodytæ, Exucontii*, & *Exaconitæ*. Deum se exactè cognoscere tanquam sensibile quid asserunt, non autem per solam fidem. Trinitatis tres diversas substantias esse ajunt, ut auri, argenti, æris; filium à Patre creatum, *Spiritum Sanctum* à filio, filium ex non existentibus. Rebaptizant Catholicos & Arianos: baptizant tantùm in mortem Christi, & caput ad pectus usque semel in aquam intingunt. Vid. *AEtius.*

AEtine, oppidi nomen, Hesych.

AEtinium, op. Macedoniæ, quod *Athenæum* Livio *lib.* 38. nominatur, Triccæ urbi apud Thessaliæ fines finitimum. *Atino* hodiè.

AEtium, municipium in Italia, Frontinus.

AEtius, Consul Rom. Valerii collega, ex agricola Mag. Equitum factus, à Bonifacio bello victus, deinde Hunnorum præsidio pristinæ dignitati restitutus. Item alius Consul *Studii* collega, à Valentiniano prosperitati ejus invidente, eumque pertimescente occidi jussus est. Procop. *l.* 5. Cassiod. An. 454. Gregor. 3. Vid. *ibi.* Tur. *l.2.c.7.*& 8. Victor. Alius medicus Græcus, cujus libri extant, & quædam epistolæ. Vid. Vossium *de Philosophia cap.21.*

AEtius Labeo, poëta qui Iliada Homeri, ita obscurè vertit, ut nec sua ipse cognosceret: Floruit ætate Persii. Gyraldus *Dial. 8.Hist poët.*

AEtius, à quo *Aëtiani*, quos vide, ex Antiochia Syriæ oriundus, Constantini Magni Imp. temporibus, pauper ab initio, aurificinam ob inopiam exercuit: ut interdiu studiis operam dare posset, ab artis suæ hominibus aurum quod noctu elaboraret mercede, petere solebat; brevi in studiis ita excelluit, ut Antiochiæ in disputationibus publicis etiam senes exagitaret & superaret, ob eamque immodestiam ejectus fuit à Catholicis, inde medicus factus & Philosophus, & ad Arianismum propter Categorias Aristotelis malè intellectas lapsus, Antiochiæ à Leontio Diaconus ordinatus, cùm contentiosis disputationibus de Deo, suæ quoque sectę homines intricaret, pro heterodoxo habitus, in exilium pulsus est. Sozomenus *lib.5.* & Epiphanius *l.3. tom.* 1. *hæresi* 76. Theodoret. *lib.2.c.27.* Aug. *hær.74.* Suid. Socrat. *lib.1.c.28.* Volaterranus *lib.13. cap.3.Anthropol.* Hist. Trip.5.13. At Joan Baptista Montanus AEtium, cujus opera medica circumferuntur, Amydenum fuisse ait, ex Amyda Mesopotamię urbe.

AEtius, Patritius, cùm sensisset, Irenem Caroli M. nuptias quęrere, ut utraque Imperia denuo conjungerentur, tantum effecit, ut negotium impediretur. Theophyl Cedren.

AEtius, Archidiaconus Paris. Pretextatum, Archiep. Rhotomag. à Fregedonde sine causa criminis lęsę Majestatis accusatum, masculè defendit. Circa Annum 573. Greg. Tur. *lib.5.c.18* Concil. *tomo.* 5.

AEtna, Cœli & Terrę filia, quam cùm compressisset Jupiter, Palicos Deos peperisse scribunt. Servius *in illud AEn.9.*

—— *Pinguis ubi & placabilis ara Palici.*

AEtna, mons Sicilię, prius *Inesius* appellatus, uti tradit Volaterranus; perpetuo igne terribilis, & quandoque globos igneos longè emittens. Virgil. *Georg* 1.

—— *Quoties Cyclopum effervere in agros*
Vidimus undantem ruptis fornacibus AEtnam,
Flammarumq; globos, liquefactaq; volvere saxa.

Circa radices amœnissimus est multis fontibus & fruticibus. Sub hoc monte Jupiter Gigantes fulmine percussos dejecit, ut poëtę fabulantur. Quare autem Ætna flammas evomat, Trogus *lib.4.* explicat his verbis, *Sicilia terra est cavernosa, & fistulosa, quo fit ut ventorum flatibus pateat, unde ignis concipitur, intrinsecus sulphur habet & bitumen, ubi ventus per spiramenta cavernarum incubuit, diu luctatus concipit ignem, sic AEtna durat incendium. Motus ergo ventorum causa incendii est.* Hæc ille. Ovid. *Met.15.*

Nec quæ sulfureis ardet fornacibus AEtna
Ignea semper erit, neque enim fuit ignea semper.
Nam sive est animal tellus, & vivit, habetq;
Spiramenta locis flammam exhalantia multis;

Spirandi mutare vias, quatiensq; movetur,
Has finire potest, illas aperire cavernas:
Sive leves imis venti cohibentur in antris;
Saxaq; cum saxis, & habentem semina flammæ
Materiem jactant, ea concipit ictibus ignem; &c.

Cælestem columnam eam vocat Pindarus; hodie Italis *monte Gibello*, Gall. *le mont Gibel*, dicitur. *Ætna*, inquit Bochartus, vel אתונא *attuna*; *caminus, fornax*; vel אטונא *Ætuna*; *caligo*. Primæ originationi favent hæc poëtarum loca. Virg. *Æn.* 3.

—— *Ingentemq; insuper Ætnam*
Impositam ruptis flammam expirare caminis.

Claud. Mar. Vict. *lib.* 2.

Non aliter quàm dum ruptis sæva Ætna caminis
Egerit immistis stridentia sulfura flammis.

Hos caminos Græci ἰπνὺς vocant. Schol. Aristoph. *in Vesp.* ἰπνὸς κνεῶνος ὁ κάμινος, adducitq; Æschylum, qui cum relatu ad Ætnam,

Ἰπνούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο.

Posterius Etymon firmare videtur Lucretius *lib.* 6.

Funditus ardorem longè, lateq; favillam
Differt, & crassâ volvit caligine cælum.

Vide doctissimum authorem Geogr. Sacr. *pag.* 579 cum Leandro Alberti, *descr. Siciliæ, p.* 36. *& seqq. edit. Venetæ.* 1581. Ætnam pulcherrimè descripsit Corn. Severus. Optimè autem Virgilius & brevissimè *Æn.* 3.

——— *Horrificis juxta tonat Ætna ruinis,*
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente favillâ;
Attollitq; globos flammarum, & sidera lambit:
Interdum scopulos, avulsaq; viscera montis
Erigit eructans, liquefactaq; saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoq; exæstuat imo.

Super hunc montem ignem simul & nivem videas; ad latera, hinc vineas, inde sylvas. De Nive Silius *lib.* 4.

- *Summo cana jugo cohibet (mirabile dictu)*
Vicinam flammis glaciem, æternoq; rigore
Ardentes horrent scopuli; Stat vertice celsi
Collis hyems, calidâq; nivem tegit atra favillâ.

Claud. *lib.* 1 *de Rapt. Pros.*

Sed quamvis nimio fervens exuberat æstu,
Scit nivibus servare fidem, pariterq; favillis.
Durescit glacies tanti secura vaporis,
Arcano defensa gelu, fumoq; fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Incendia hujus montis frequentia, sed inprimis terribilia fuerunt An. 1536. 1566. & 1579. *Sic* An. 1669. 4. fluvios igneos eructavit, quamplurimis in vicinia locis vastitate illatâ, præsertim in agro Catanensi, ubi 15. castra cremata sunt. De ejus variis incendiis Vid. porrò Cluverium, Bembum, Nat. Comitem, *lib.* 17. *&* 30. Est etiam civitas Siciliæ ad radices Ætnæ sita, Inessum priùs dicta, ab Hierone condita. Steph. vulgò *Centerbe*. Leandro *Atorno*. *Mascali* autem Fazello. Pop. *Ætnenses*. Ponitur *Ætnæus venator* pro inutili. *Ætnæus cantharus* pro ingenti. Item *Ætnæus*, cognomen Vulcani. *Ætnæos* lacus habet Ovid. *de Ponto Eleg.* 10.

Ætoli, Græciæ populi, qui lanceas invenisse dicuntur: ob assidua bella, victusque munificentiam ære alieno oppressi fuerunt: uno tantummodo pede calceati in bellum ibant, sinistro, secundùm Euripidem in Meleagro (quem sequitur Maro *Æn.* 7. ubi de Hernicis Anagninis à Pelasgis oriundis ita scribit,

——— *Vestigia nuda sinistri*
Instituere pedis, crudus tegit altera pedo.)

At dextro secundùm Aristotelem *in* 2. *de Poëtica*: ubi Euripidem reprehendit, quoniam dextrum nudum esse oportet, ut in motu agilior sit, sinistrum tectum, in quo veluti centro movetur. Macrob. *lib.* 5. *Saturn. cap.* 18.

Ætolia, ab Ætolo, Vide infra: qui pulsus à Salmoneo Rege Epeorum & Pisæorum, huc concessit: authore Xenophonte, Achajæ regiuncula est, Epiro, Acarnaniæ, & Locris finitima. Urbes hîc olim celebres, Chalcis, Arachthe, Olenæ, Calydon, Oenei Regis sedes. Populos Ephyros, Timphæos, Dolopes &c. hîc locat Plinius. *Hyanthis* olim dicta fuit, teste Stephano. Cic. *in Pisonem: Ætoliam, quæ procul à barbaris disjuncta gentibus, in sinu pacis posita, medio ferè Græciæ gremio continetur, decedens miseram perdidisti.* Dionysius Periegetes.

Τῆς δ' ὑπὲρ ἐς νότον εἰσὶν ὑπὸ σκοπιὴν Ἀραχύνθου,
Ἀνδρῶν Αἰτωλῶν πεδίον μέγα, τοῦ διὰ μέσου
Ἕλκεται ὁλκὸν ἄγων Ἀχελώϊος ἀργυροδίνης.

Ubi Schol. ἰστέον δὲ ὅτι Αἰτωλοὶ μὲν τὸ ἔθνος ἀπὸ τοῦ Αἰτωλοῦ υἱοῦ Ἐνδυμίωνος. Ovid. *Amor.* 3. 5.

Nec tanti Calydon, nec tota Ætolia tanti.

Artinia hodie, teste Nicetâ, & *Lepanto*, à multis *parva Græcia*; quibusdam *il Despotato*, sub dominio est Turcarum. Ætoli autem petaces erant, ac improbi, adeò ut qui tales essent, proverbio Ætoli dicerentur, teste Stephano *à petendo omnia*, Græcè αἰτεῖν ὅλον, ut quidam volunt. Vide Plin. *lib.* 4. *cap.* 2. Strab. *lib.* 8. & 10. Pausan. *Eliac.*

Ætolus, Martis, vel Endymionis fil. cæde per imprudentiam perpetratâ, fugit in eam reg. quæ postea ab ipso *Ætolia* dicta est, ibique genuit filium Pleuronem, à quo urbs Ætoliæ sic dicta. Hujus autem duo filii fuere, Cures & Calydon, à quibus rursus aliis urbibus nomina data sunt.

Ætosa, Italiæ Urbs, apud Phleg. Trallian. Unde Pollia Polla Longæva.

Ætu, Episcopatus nomen in sanctionibus Pontif. Impp. Or.

Ætuatii, Helvetiæ pop. Strab. Cæsar *Ætuates* vocat, quorum op. *Tavetsch* ad Rhenum, ab Uria seu Tauro urbe Helveticâ 3. leuc. Hodiè propriè *Canini*, à Canis prima syllaba productâ, sive *Grisones*, vulgò. Opp. Ilantium habent. Sub quo Glenner fluv. ex valle Lugnitia descendens, ab hoc Rheni fonte, à dextris suscipitur.

Ætulia, Armeniæ min. portio, quam alii *Ætulanen* vocant. Αἰτυλανὴ Ptolemæo. Vide Voss. *ad Justin. lib.* 14.

Ætus, Nilus olim sic dictus, ut ex Lycophr. notat Cæl. Rhod. Lege *Æetus*, Græcè enim Αἰετὸς est, à cursûs velocitate sc. sic dictus, quòd volatum *aquilæ* propemodum æquare videretur. Est & in Scythia fluv. qui cùm Promethei agrum uberem alioqui crebris inundationibus infestaret, fecit locum fabulæ, ut Promethei continuò renascens jecur ab aquila exedi diceretur. De utroque Vid. Cœl. Rhodigin. *lib.* 7. *cap.* 20. *l.* 20. *c.* 13.

Ætymandri, Asiæ gens, Ptolom.

Ævei, Palæstinæ pop. quorum metrop. Gabaon, & horum civ. Gaza. Hier. *in l. h.*

Æviterni, Dii à veteribus appellati; quòd sempiterno ævo permanerent; qualis Jupiter, quem sic vocavit Ennius. His boves rufi immolati, Plin. Sic *Æviterni* & *Ævitegri*, Dii Platoni dicti, id est, *immortales*. Ut Apul. explicat, de Deo Socratis.

Æx, insula scopulosa, in mari Ægæo, inter Tenedum & Chium, quæ capræ speciem procul aspicientibus præbet, unde & nomen accepit. Αἲξ enim Græcis capram significat. Ab hâc insulâ mari Ægæo nomen factum fuisse tradit Plin. 4. 11. Est & urbs Marsorum in Italia. Item Nympha, Jovis nutrix quam astris inseruit.

Æxone, pagus in Attica: Halicarnasseo & Straboni. Cecropidis tribum vocat Stephanus & Suidas. *Æxonides* & *Æxonicos* diversos habet hoc tractu Strabo 9. Thrasylli patria est Æliano. Vide *Hala*.

Æxones, Atticæ pop. dicacitate, maledicâque virulentiâ insignes, adeò ut αἰξωνεύεσθαι signatum verbum sit, quo denotetur intoleranda mordacitas. *Vide* Steph.

Æxonia, urbs Magnesiæ, & *Æxone*, pars tribus Cecropidis.

Æzas, Vid. *Lycaones*.

Æzala, Armeniæ maj. opp. Ptolom. *Picaza*, Interpp.

Æzanis, Ptolom. Phrygiæ maj. urbs.

Æzari, Marmaricæ nomi gens, Ptol.

Æzica, pars Thraciæ. Steph.

A F.

Afcrixis, mons Insulæ cujusdam. Vid. *Sirthinice*.

Afer, Hadriani Imper. Rom. pater. Spartianus. *Hadriano pater Ælius Hadrianus cognomento Afer fuit.* Xiphilinus, ἦν δὲ Ἀδριανὸς, γένος μὲν Ἀδριανοῦ Ἄφρου υἱός. Suidas, ἦν δὲ τὸ γένος βελτίστου πατρὸς, ἐστρατηγηκότος Ἄφρου, οὕτω γὰρ ὠνομάζετο. Lege quæ sequuntur. Non dubitabis è Dione totum locum esse descriptum. Cedrenus contrà, non Dionem, sed Breviatorem ejus secutus malè capit ejus verba, inquit enim, ἦν δὲ Ἄφρος τὸ γένος. Sed in talibus solens more suo Græcus ille fallitur. Casaub.

Afer, aut potiùs *Apher*, λίβυς. Vid. *Africa*.

Affaca, Vid. *Aphaca*.

Affara, civitas tribus Benjamin. Jos. 18.

Affarea, civitas in tribu Zabulon; Hieronymi ætate villa erat in sexto milliario urbis Legionis, contra Septentrionem. Hieron. *in loc. Hebr.*

Affile, Colonia Italiæ. Vid. *Possessio*.

Affra, Rex Æthiop. seculo 9. Genebrardus.

Afra, Africæ civitas, Josepho, *Antiq.* 1 *cap.* 23. sic dicta ab *Aphra* Abrahami filio, teste Cleodemo: sic quoque apud Euseb. 9. *Præpar. Evangelicæ.*

Afra, arx munita, in ora Zaharę, à Cherifo Mahumet, qui Rex terrę Sus erat, extructa. Ibi perpetuum pręsidium, ad Arabum deserti excursiones compescendas, in aditu Numidię. Solum palmis caprisque frequens, sed oryzę & frumenti minus ferax, Marmol. *lib.* 7. *c.* 20.

Afrania, Licinii cujusdam uxor, apud Val. Max. *lib.* 8. *c.* 3. *ex.* 2. quæ muliebris verecundiæ oblita, suas per se causas agebat, & importunis clamoribus judicibus obstrepebat. Hinc factum est, ut mulieres perfrictæ frontis, & matronalis pudoris oblitę, *Afraniæ* per contumeliam dicerentur.

Afranius, poëta Comicus, teste Cic. *in Bruto*. homo peracutus in fabulis ac disertus, quòd in Togatis excelluit, inquit Quinctilianus *lib.* 10. *cap.* 1. utinamque non inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus. Suet. *in Ner.* Voss. *de Poët. Lat. c.* 1. Et *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 11. Horat. *Ad Pisones,*

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro.

Ausonius *epigr.* 70.

Quam toga facundi scenis agitavit Afrani.

Item Pompeji dux, qui Arabas juxta Amanum subegit; cum Petrejo, à J. Cæsare in Hisp. devictus, Suet. *in Cæs c.*34. Vid. Plut. *in vita Pompeji.* & *de gubern. Rep. c.*24. Strab. *l.* 3. Item Coss. Rom. Asclepiodori collega. Item alius *Burrhus* cognom. de quo Vid. Tacit. *Annal.* 12.

Afranius Potitus, homo plebejus, cùm ad ægrotantem C. Caligulam dixisset, se moriturum libenter, si Cæsar inde convalesceret: Cujus hoc juramento confirmari voluit, & posteaquam convaluisset, hominem occidi jussit, ne pejerasse videretur. Dion.

Afranius Quinctianus, Senatorii ordinis, mollitie corporis infamis, & à Nerone probroso carmine diffamatus, ut contumelias ulcisceretur in Neronem, Principe C. Pisone conjuravit. Tac. 15. 49.

Africa, quæ & *Libye*, Græc. dicitur, ab *α* privat. & φρίκη horror, quasi sine frigore (ita enim veteres Grammatici nugari amant) una ex tribus orbis terræ partibus, in meridiem vergens, mari Mediterraneo ad arctos, Oceano ad occ. merid. & ort. ac sinu Arabico perstricta. Dionysius *de situ orbis.*

Ἀλλ' ἤτοι Λιβύη μὲν ἀπ' Εὐρώπης ἔχει οὖρον
Λοξὸν ἐπὶ γραμμῇσι Γαδείρων τε καὶ στόμα Νείλου.
Ἔνθα βορειότατος πέλεται μυχὸς Αἰγύπτοιο,
Καὶ τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαίοιο Κανώβου.

Mela *lib.* 1. *cap.* 4. *Africa ab Orientis parte Nilo terminatur, pelago à cæteris.*

Silius Italicus *lib.* 1. ubi de Lybia.

Terminus huic roseos amnis Lagæus ad ortus,
Septeno impellens tumefactum gurgite pontum.
At qua diversas clementior aspicit Arctos,
Herculeo dirimente freto diducta propinquis
Europes videt arva jugis: ultra obsidet æquor;
Nec patitur nomen proferri longius Atlas. &c.

Morerio, *in magno. Diction. histor.* terræ continenti Asiæ per Isthmum 35. m. germ. committitur, quam proin Peninsulam totius Orbis maximam dicit. In Ægyptum, Marmaricam, Africam propriè dictam, Mauritaniam, Lybiam interiorem, Æthiopiam & Ægysimbam veteribus ignotam, ultra Æquatorem divisa. Sciendum verò, Africam seu Libyam multis accipi modis; tribus tamen potissimum. Vocabulum istud cum latissimè patet, tum tertiam olim habitati orbis partem complectitur; Angustissimè verò patet, cùm pro Carthaginensi ditione, aut pro illo saltem Africæ tractu litorali accipitur, qui ab Ampsagâ fluv. usque ad Phycuntem extenditur. Tertio verò, Africa aut Libya vocatur, quidquid Afri aut Libyes tenent. Itaque tum præter Africam propriè dictam (quicquid autem inter Mauritaniam & Cyrenaicam jacet, id Africæ propriè dictæ tribuitur) totam quoque comprehendit Libyam interiorem usque ad Æthiopas, & Ægyptios. Excipitur enim, ut plurimum, Cyrenaica Pentapolis, Numidia vetus, & Mauritania. Nam & Mauri & Numidæ pro adventitiis habebantur. *Africa* verò, ut aliquibus placet, dicta est linguâ Arabicâ Ifrik, à verbo *faraka, divisit.* Cur autem sic dicatur, duæ sunt opiniones, quarum prior hæc est, quòd ea terræ pars sit ab Europa mari Mediterraneo, ab Asia verò flumine Nilo separata. Altera, quòd hoc nomen ab *Ifrico* quodam Africæ rege deductum videatur. Matthæus Regius, ab Ebræo *Aphar*, quæ vox *pulverem* significat, deducit. Est enim Africa regio calidissima Hinc Silius Italicus. *lib.* 1.

Æstifero Libye torquetur subdita Cancro.

Et Virg. *Ecl* 1.

At nos hinc alii sitientes ibimus Afros.

Quin & Op. 4. *Cyneg.* Libyam vocat διψάδα γαῖαν, eandem iterum ἀνυδρότατον χῶρον, suprà πολυδίψιον αἶαν. Eumenius Rhetor *Libyæ arva sitientia.* Manilius *Astronomicũ lib.* 4.

Pœnus arenosis Afrorum pulvere terris
Exsiccat populos. ————

Synesius *Epist.* 67. διψηρᾶς Λιβύης, quod à Dionysio proculdubio desumptum *vers.* 182.

Ἡ γὰρ διψηρή τε καὶ αὐχμήεσσα τέτυκται.

Africam Joseph. *Antiq.* 1. 16. ab Ophre filio Madanes, Abrahami nepotis deducit. Sic enim ille, Λέγεται δὲ ὡς οὗτος ὁ Ὤφρης στρατεύσας ἐπὶ τὴν Λιβύην, κατέσχεν αὐτὴν, καὶ οἱ υἱωνοὶ αὐτοῦ κατοικήσαντες ἐν αὐτῇ τὴν γῆν ἀπὸ τοῦ ἐκείνου ὀνόματος Ἀφρικὰν προσηγόρευσαν. Sed vulgatas has Africæ etymologias meritò rejicit Bochartus ὁ μέγας, & à fertilitate suâ nomen traxisse summopere contendit. פרך *Pharaca* inquit, Arabicè *fricare* significat, & פריח *pheric, spica.* Hinc à Pœnis אפריכה *Africa* factum, & terra Africæ ad verbum est *terra spicæ*, vel *spicarum*, phrasi merè Punicâ; Qualem esse Africam propriè dictam, id est, Libyæ partem Carthagini vicinam, neminem latet qui non sit harum literarum planè rudis. Baudrandus de Africa sic loquitur:

Africa à Gallis *l'Afrique*, ab Hispanis & Italis *Africa*, ab Arabibus *Alkebulan*, & ab Indis *Besecath* dicitur: estque una ex tribus terræ partibus antiquis cognitis. Sed Lusitani hisce ultimis temporibus detexerunt meridionalem ejus partem nondum Europæis notam, præsertim versùs oram litt. merid. & insulas. Regio tota siccior in Mediterraneis, ubi sterilis & penè deserta multis in locis, vel arenis sterilibus obducta, vel multo ac malefico animalium genere infesta, vel inopiâ aquarum. Olim Romanorum tempore divisa fuit in sex prov. & Ptol. eam distribuit in 12. regiones. Sed hæc divisio intelligenda est de ea tantùm parte, quæ Romanis paruit. Tunc enim ultra Lunæ montes Meridiem versùs incognita erat. Nunc sic dividitur.

Africæ regiones.

Ægyptus	Marmarica
Æthiopia	Mauritania Cæsariensis
Æthiopia sub Ægypto	Mauritania Tingitana
Africa propriè dicta	Meroë
Agisymba	Nigritarum terra
Byzacena	Nubia
Cyrenaica	Numidia
Delta pars Ægypti	Tripolitana
Getulia	Troglodytica.
Libya	

Africæ regiones præcipuæ hujus temporis.

Ægyptus, *l'Egypte.*	Guinea, *la Guinée.*
Æthiopia infer. sub qua regna Monomotapæ, & Monemugi, *la Basse Ethiopie.*	Nigritia, *le pays des Negres.*
	Nubia, *la Nubie.*
Æthiopia superior, seu Abyssinia, *la haute Ethiopie ou l'Abyssinie.*	Zaara, seu desertum, olim Libya interior, *le Zaara, ou desert.*
	Zanguebaria, *le Zanguebar*, &
Barbaria, *la Barbarie.*	ins. Madagascaris, seu S.
Biledulgerid, *le Biledulgerid.*	Laurentii, quæ etiam insu-
Cafrorum ora, *la Coste de Cafres.*	la Delfina dicitur, *l'Isle Dauphine*, & aliæ versùs
Congi Regnum, *le Congo.*	oram.

Africæ urbes clariores hujus temporis, secundùm Baudr.

Adea, *Adea.*	Melinda, *Melinde.*
Adrumentum, *Hamamethe.*	Mina, *Saint George, de la Mine.*
Alexandria. *Alexandrie.*	
Amara, *Amara.*	Monomotapa, *Monomotapa.*
Aphrodisium, *Africa.*	Mozambicum, *Mozambique.*
Barva, *Barva.*	Quiloa, *Quiloa.*
Beninum, *Benin.*	Rusucurum, quæ Algira aliis,
Bugia, *Bugie.*	*Alger.*
Butua, *Butua.*	Septa, *Ceuta.*
Cairus, *le Caire.*	S. Salvator, in regn. Congi,
Chaxumum, *Chaxumo.*	*S. Salvatore.*
Constantina, *Constantine.*	Siene, *Assuan.*
Dambea, *Dambea.*	Sofala, *Sofala.*
Damiata, *Damiete.*	Thebæ, *Minio.*
Fezzæ, *Fez.*	Tingis, *Tanger.*
Loanda, *S. Paul de Loanda.*	Tripolis, *Tripoli.*
Magadoxa, *Magadoxo.*	Tunetum, *Tunis*,
Marochium, *Maroc.*	Utica, *Biserte.*

Africa propriè dicta, Ferrario, Zeugitana Plin. reg. & pars Africæ mari Mediterraneo, quod Africum dicitur, exposita inter Mauritaniam ad occ. & Cyrenaicam ad ortum: in qua Tunetanum regnum, cujus olim caput erat Carthago. Urbes illius olim claræ, præter Carthaginem, Utica, Thabraca, Hadrumetum, Leptis magna; & intus, Cirta, Sicca Veneria, Thysdrus, Bulla regia, Utina. Nunc clarent Tunes, Utica, Hippon regius, Tripolis. Africa hæc leones plurimos gignit & serpentes, teste Plin. ac Solino. Ea nunc unà cum Mauritania *Barbaria* nominatur. Africæ hujus mem. Mart. *lib.* 2. *ad Germanicum:*

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen.

De eadem Claud. *lib.* 1. *de laudibus Stiliconis:*

Quòd floret Latium, Latio quòd reddita servit
Africa, vicinum quòd nescit Iberia Maurum.

Africæ propriè dictæ urbes maritimæ clariores.

Thabraca	Aphrodisium
Hippon regius	Hadrumetum
Utica	Ruspæ
Chartago	Ruspina
Tunes	Tacape
Clupea	Leptis magna
Neapolis	Neapolis, & Tripolis.

Urbes Mediterraneæ.

Cirta	Suffetula
Lambesia	Tebesca
Assurus	Sicca Veneria
Madaura	Musti
Tagasta	Tuburbis
Lares	Aquæ regiæ
Thysdrus	Byzacium.

Vide si s porrò doctiss. Auth. Geogr. sac. *lib.* 1. *c.* 25. Cluv. Ortel. Marmol. *lib.* 1. *c.* 5. Diego de Torres, Johan. Leonem. &c. Inde *Afer*, ut *Armentarius Afer.* Virgil. *Georg.* 3. *Vagus Afer.* Lucan. *l.* 4. *Afra avis.* Horat *in Epod.* Item *Africanus* adject. & Scipionis cognomentum.

Africani

Africa, quæ olim *Adrumetum*, Urbs regni Tunetani. A Califa Mehedy de Carvan capta & munita, pòst in Siculorum quorundam piratarum manus devenit, qui *Africa* illi indidere nomen. Quâ cùm sequenti tempore Rex quidam Maroci potitus esset, tandem à Carolo V. devicta, & destructa est. Marmol. *lib.6.cap.*28.

Africani maj.Castra, Vid. *Castra.*

Africanus, Alexandri Cæsaris Consiliarius, doctissimus Juris professor, Papiniani discipulus. Lampridius. Idem in sacris literis doctus. Eutrop. *lib.6.*

Africanus, Poëta Ennio laudatus, cujus cæcitatem deplorat Lactantius, *l.1. Instit.cap.* 18.

Africanus Julius, primus Christianorum Chronologus. Vide *Julius Africanus.*

Africanus Sextius, nobilis Juvenis à nuptiis Silanæ deterritus ab Agrippina, impudicam & vergentem annis dictitante; non ut Africanum sibi seponeret; sed ne opibus & orbitate Silanæ maritus potiretur. Pro *Sextius* legit Lipsius *Sex.* ut sit prænomen, repetitque ejus nobilitatem à *Julo Antonio* Marcellæ marito, cui cognomen Africano. Ei filius L. Antonius *lib.5.* Annal. & hic nepos. *ad lib.*13.*cap.*19. Taciti: In censu per Gallias agendo conflictatus est æmulatione cum Q. Volusio. *lib.*14. 46.

Africerones, Vid. *Gamphasantes.*

Africum pelagus, Ptolem. quod Africam propriam à Septentr. alluit. *Punicum* Floro, 2. *Maurus Oceanus*, Juven. *Thuscum*, Dionys. Afro, cujus inundatione interdum Syrtim majorem attolli dicit.

Africus, venti nomen ab Africa spirantis, inter Austrum & Zephyrum. Virgil. *Æn.* 1.

——— Creberque procellis

Africus. Horat. *Car.l.1.Od.1.*

Luctantem Icariis fluctibus Africum.

Idem *alibi*,

Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis.

Sen. Nat. *Quæst.5. Africus furibundus ac ruens ab Occidente hyberno.*

Afrodisius, fluv. qui steriles reddit mulieres.

Afrum, Palęstinæ Urbs. Lib. Notit.

Afufeniensis, Africæ loci Episc. nomen in fragm. Vict. Utic.

A G.

Aga, prov. regni Abyssinorum. Idem, nomen Capitanei generalis Janitzerorum, in Turcia. Chalcondylas.

Aga, mons è quo Araxes & Euphrates oriuntur, quem Strabo & Ptolemęus *Abam* vocant. Hermol. *in Plin.*6.9.

Agaba, Palęstinæ urbs Josepho *Antiq.*13.*cap.*24.

Agabana, circa Persidem castellum. Ammianus 27. Vide *Agamana.*

Agabo, Rex Æthiop. fratricida; de quo mira fabulantur hujus gentis historici.

Agabra, Turdetanorum in Hisp. op. Vasæo authore, qui hodiè *Cabra* dici ait. long.16.20. lat. 37.40.

Agabus, nomen Prophetæ, qui prædixit famem illam, quæ sub Cæsaris Claudii imperio accidit. Actorum 11. Idem Cæsareæ arrepto Pauli Apostoli cingulo, & colligatis suis manibus ac pedibus, sic te Hierosolymis Judæi colligabunt, dixit. Actorum 21.

Agaclytus, Olympiadas consignavit. Suidas *in* Κυψελιδῶν.

Agactari, populi quidam, aliàs *Agacturi.* Plin.6.28.

Agad, civitas in tribu Isachar, sita ad radices montis Hermon. Hieron. *in loc. Hebr.*

Agades, regnum Africæ, cum Urbe cognom. muris præcincta, in Nigritia regione, versus lacum Guardæ. Est etiam alter locus *Agades*, juxta fluv. Ghir, in meditullio Africæ.

Agadez, provincia Æthiopiæ, Lybiæ proxima, cum urbe cognom. Hic magna mannæ copia, & ingentes è mercibus extraneis reditus Principis, qui tributarius est Regis Tombutensis. Marmol. *lib.* 9.*c.*9.

Agaetus, Scytharum rex.

Agag, rex Amalechitarum, Circa An.M.2962. Ejus historiam Vid.1.Reg.15. Torniel.

Agag, Regnum & Urbs Æthiopiæ superior. versus lacum *Zaire*, inter Nilum fluv. & prov. Ambiam & Novam.

Agagammatæ, pop. circa Mæotim. Plin.6.7. Aliis *Agamantes*, & *Agacimates.*

Agagriana Portæ, Syracusis: erat hic magna frequentia sepulchrorum, ut ait Cicero 5. *Tuscul. Archadina* fortè legendum, ut digito monstravit Ursinus.

Agai, locus, à quo Bethel non multùm distat. Hebraicè *Ai* scribitur, cujus parvas tantùm ruinas extare scripsit suo tempore D. Hieron. Hujus mentio fit Genes. 18.

Agalasses, Indiæ populi, circa Indi fluminis partes superiores. Diodor. Sicul. *lib.* 17. quos ab Alexandro Magno expugnatos tradit.

Agalla, Arabum urbs, in Palæstina, Joseph. *Antiq.*14.*c.*2.

Agallis, Corcyrea fœmina, in arte Grammaticâ perita, cui inventionem pilæ nonnulli ascribunt. Vid. Cœl. Rhod. *l.*8.*c.*1. Meursium, *de ludis Gr.p.*5. Voss. *de Philol.c.*2.

Agamana, Mesopotamiæ oppidum, Ptolemæo. Idem fortè cum *Agabana Marcellini.*

Agamea, vel *Agamia*, promuntorium & portus circa Trojam. Steph.

Agamede, opidum Lesbi insulæ. Steph.

Agamedes & *Trophonius*, adytum Delphicum ex quinque lapibus construxerunt, cujus meriti nomine quum ab Apolline pręmium postulassent, quod ille optimum homini duceret, post diem tertium in lecto mortui reperti sunt. Vid. Cic. 1.*Tusc.c.*114. Plut. *in Consol. ad Apoll.* Pausan. *l.*8. & 9.

Agamemnon, Atrei ex Ærope filius, ut Homerus ait, Plisthenis verò, ut Hesiodus, & frater Menelai, Mycenarum & Argivorum rex, quasi ἄγαν μένων, hoc est, *perseverans*, qui omnium Gręcorum consensu Imperator delectus, ad expeditionem Trojanam profectus est, ubi plurimos labores, & maximas Principum simultates pertulit. Ilio capto, inter alia, Cassandra Priami filia ei in sortem cessit, quæ etiam mortem ei prædixit; sed ille verbis ejus minimè fidem habens, ad uxorem Clytęmnestram, cui domi cum quibusdam liberis relictę imperii curam crediderat, reversus, ab Ægistho Thyestis filio, qui omnia priùs tacitè occupaverat, imò & uxorem stupraverat, simulatâ amicitiâ, & Clytæmnestrę consensu, in litore, seu ut aliis placet, in convivio, quod ingens ei uxor paraverat, interfectus est, postquam an. 18. regnasset. Quod facinus Orestes Agamemnonis & Clytęmnestrę fil. ęgrè ferens, Ægisthum & matrem in vindictam patris occidit. Quę omnia elegantissimè prosecutus est Sophocles *in Electra*, Euripides *in Oreste*, & Seneca *in Agamemnone. Agamemnonis hostia*, in duros & persuasu difficiles dicitur, inde natum, quòd Agamemnonem rem divinam in Troja facturum bos effugerit, vixque multo negotio comprehensus, reductus est. Quadrabit etiam in eos, qui nolentes & coacti quidpiam, agunt. Olim in sacris spectabatur, ut hostia lenis, ac volens adstaret, quod si refracto fune pręfugisset, infaustum omen habebatur. Videtur & huc posse referri, quòd Agamemnon in Aulide filiam Iphigeniam sacrificavit, sed admodum invitus. Zenod. Quam fabulam quidam ex historia filię Jephthę ortum traxisse volunt. Petav. Hinc *Agamemnonius.* Virg. *Æn.*6.

Eruit ille Argos Agamemnoniasque Mycenas.

Hinc Ἀγαμεμνόνεια φρέατα, *Agamemnonii putei*, proverbialiter de admirandis operibus dicebantur. Ajunt enim, illum & circa Aulidem & passim in Gręcia puteos effodisse, ne per ęstum aquarum inopiâ laborari posset. Author Zenodotus. Item *Agamemnonii fontes*, fontes quidam tepidi Ionię apud Smyrnam urb. ab eâ 5. m.p. distantes Philostratus.

Agamemnonia, in Attica, Gręcorum classis in Trojam conjurantium statio Pompon.

Agamia, promontor. & portus Troadis, apud Suid. & Steph. ex Hellanico. Dicta etiam *Agame.*

Agamidides, fil. Ctesippi, Herculis nepotis. Rex partis alicujus Gręcię, Paus. *l.*3. *de Laced. Rep.*

Agamium, op. agri Novar. apud Sessitem flu. à Novaria 16.m.p. Incolę *Agamini*, ex marmorea antiqua inscriptione. Hic B. Panacea Virg. & Mart. pręcipuo honore colitur. vulgò *Aghem* seu *Ghem.*

Agamnestor, XI. Atheniensium princeps, qui regnavit an. 20.

Agamnestor, vel *Aganestor*, Academicus quidam, de quo lepidam historiam lege apud Plut. *in Dipnos. quæst.*4.§.4.

Agamus. Urbs, circa Heracleam Ponticam, Steph.

Agamzua, Medię opidum. Plin.6.14. An *Aganzagava.* Ptol.

Agana, *Agan*, seu *Pagan*, una ex Insulis Latronum, in Asia & Oceano Orientali, inter Ins. *Chemochoan* & *Guagam.*

Aganagara, Indię intra Gangem urbs. Ptol. Mercatori *Agonara.*

Agangina, Lybię interioris populi. Ptol.

Aganice, Vid. *Aglaonice.*

Aganippe, fons Bœotię celebris ad Heliconem montem, haud procul à Thebis in Permessum fluv. labens, Musis sacer, à poëtis maximè celebratus. Claud. *in Paneg. Theod.*

Concinuit felix Helicon, fluxitque Agannippe
Largior. ———

Hinc *Aganippeus*, Propert. *lib.* 2.

Et quantum Æolio quum tentat carmina plectro,
Par Aganippeâ ludere docta lyrâ.

Itemque *Aganippis.* Ovid.6. *Fast.*

Dicite quæ fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Medusæi signa tenetis equi.

Aganippe, inquit vir maximus, est אגן אבא *Aganibba*, id est ad verbum, *crater viroris.* hoc est, *viridis*, quia fontis crater est,

Margine gramineo patulos succinctus hiatus.

Agan autem propriè est *crater.* Ita reddunt Gręci Interpretes Exod. 24. 6. & Cant. 7. 2. Sed quâ metaphorâ Gręcè κρατῆρες, eâdem Syriacè אגניא *aganaia* dicuntur in fossis ac fontibus aquarum conceptacula. Sic in Chaldęo Paraphraste, Jud. 4. 11. מישר אגניא *vallis craterum*, interprete Kimchio ager est, in quo sunt lacunę craterum instar, aquis plenę. *Aganippe* etiam *Enippe* dicta est, id est, עין אבא *en ibbe*, h.e. *fons viroris.* Vibius

Sequester perperam in montibus recenset; *Aganippe Bœotiæ, ante Enippe dicta.*

Agantinus, Vid. *Agathyrion.*

Aganus, urbs Pontica circa Heracleam. Stephano Ἄγαμος dicitur.

Aganz, *agaVa*, Vid. *Agamzua.*

Aganzia, Vid. *Bergio.*

Agaosi, pop. Æthiopiæ super. in regno Bagamedri, inter fluv. Nilum & Tagazzam.

Agapæ, convivia, quæ in Ecclesia primit. post sacram Synaxin, inter Christianos, celebrabantur; in ipsis templis, charitatis mutuæ, unde illis nomen contestandæ & confirmandæ ergò. Sed jam S. Pauli tempore abusus irrepsit, 1. Cor. *cap.* 11. Unde postmodum abolita. Tertull. *Apol. c.* 39 Minutius Felix, *in OctaVio*, Clem. Alex. *Pædag.* 12. &c. Haberi autem solebant in primis, tempore natalitio, exequiali, & nuptiali, secundùm Greg. Naz.

Agapenor, præfectus classis Agamemnonis. Hom. *Il.* 2. Item Ancæi fil. Lycurgi nepos, qui capto Ilio, in Cyprum tempestate delatus est, ubi Paphum urb. condidit, & fanum in urbe opulentissimum. Paus. *in Arcad.*

Agapetæ, Virginum societas, de qua Hieron. *Ep.* 2. de cujus abusu vide Pallad. *Dialog de Vita Chrys.* abolitione, Baron. *A. C.* 398. & 1139. Item, secta hæreticorum, cui quædam Hisp. mulier Agape nomen dedit. Prateol. in voce *Agapeti.*

Agapetus de Duro Cornu, Abbas Campidonensis, qui collegit insignem bibliothecam, quæ ex negligentia per candelam accensa conflagravit: ille mœrore animi extinctus est, an. Domini 817. Bruschius *in Monasteriis.*

Agapetus, Synadorum urbis Phrygiæ Pacatianæ episcopus, sectæ Macedonianæ, ad Orthodoxam fidem postea conversus. Socrates *lib.* 7. *c.* 3.

Agapetus, apud Præneste puer 13. annorum, sub Aureliano Principe martyrium passus est.

Agapetus, Imp. Anastasii in Consulatu collega. An. V. C. 1117.

Agapetus, hujus nominis *primus* circa an. 535. Joanni 2. in Pontificatu succedit, & cùm eruditorum virorum copia non esset, de publicis scholis consilium proponit, sed non auditur, quum bellum ingrueret; Hactenus enim tantùm privatæ scholæ fuerant. Obiit 11. mense Pontificatus, Nicephorus *lib.* 17. *cap.* 9 Item alius, hujus nominis *secundus*, An. Dom. 949. successit Martino Papæ; Othonem contra Berengarium accivit, & sedit an. 9. mens. 7. Leo Hostiens. *lib.* 1. & 2. Flodoardus, Baron. An. 946. 955.

Agapis, Alexandrinus Philosophus, in eloquentiæ studiis educatus, in medicinam commentarios edidit, Byzantii ludum aperuit, magnâ doctrinæ famâ, ingeniique solertiâ. Voss. *de Phil. c.* 13. Alius, Philosophus Atheniensis, post Proclum Marini Neapolitani discipulus, Suidas. Tertius, Cæsareæ Palæstinæ episcopus.

Agar, virgo Ægyptiaca, Abrahæ ancilla, ex qua Ismaelem habuit, permittente Sarâ uxore. Vid. Gen. 16. *AdVenam* significat, teste Comestore. item nomen opidi. A. Hirtius *lib.* 1. *de Bello Afric.*

Agara, Indiæ intra Gangem Urbs, Ptol. Vid. *Barad.*

Agaraces, ager Armeniæ, in quo bolus Armenius reperitur. Ætius.

Agareni, Arabiæ pop. ab *Agar* prędictâ denominati, nunc *Saraceni*, ut vulgò volunt, dicti; in quos profectus Trajanus Cæsar cum exercitu, eorum op. *Agarum*, mœnibus nudavit, eos tamen nunquam potuit in acie superare, tempestate cœli, tanquam divinitus, diremptus. Dio Cassius, Strab. *l.* 16.

Agaria, prov. Castellę novę, continet Ducatus de Pastrano, & de l'Infantado, ut & Marchionatum de Monte majore. Davity *tom.* 1. *de Europa.*

Agaria. Vid. *Agria.*

Agarista, Clisthenis filia, adeò formosa, ut ad habendas ejus nuptias celebrata sint procorum spectacula & certamina, quò speciosissimi quique Gręcię adolescentes confluxerunt. Herod. & Ælian. *Var Hist.* 12. 24.

Agaristia, vel *Agariste*, Hippocratis filia, quę Xantippo nupsit, visa sibi est in somniis parere leonem, & paucos post dies peperit Periclem, Plut. *in Pericle.* Herodotus *lib.* 6. & Suidas.

AgarlaVa, Africę Proprię locus: Antonino.

Agarrha, Susianę urbs apud Ptolemęum.

Agarum, promuntorium in Sarmatia Europ. Ptol.

Agarus, Sarmatię Eur. fluv. Ptol. quem *Sagarim* Ovid. vocat, in Bosphorum se exonerat, Ptol. *Shiret* hodie Mercatori. Urbis etiam nomen, *ibid.* à qua & fluvio nomen *Agarico* radici datum creditur. Cœl. Rhod. 18. 18. Plin. 25. 9.

Agasia, Britonum Regis filia, Dursto, Scotorum tyranno nupta, postea repudiata, H. Boeth. *l.* 2.

Agasias, vir fortis & bello clarus, ex Stymphalo Arcadię op. de quo Xenophon Ἀναβάσ. *lib.* 6.

Agasicles, fil. Archidami, Spartanorum rex clarissimus, cujus extat aureum illud apud Plutar. Apophthegma; Nullum esse firmius stabiliendi regni prǽsidium, quàm si rex ita subditis imperet, ut parentes liberis Vid. Plut. *in dict. Lacon. cap* 48.

Agaso, nomen servi, Horat.

—— *Si patinam pede lapsus frangat Agaso.*

Agasonem equidem nomen servi esse fateor, sed appellativum hoc loco, non proprium. Festus *Agasones, equos agentes*, id est, *ducentes.* Sumitur autem loco prędicto pro hippocomo, seu equisone, uti apud Persium. *Sat.* 5.

—— *Hic Dama est non tressis agaso.*

Ita vetus Scholiastes; *Agaso propriè dicitur serVus qui jumenta curat.* Casaubonus *ab* ἀγω deducit, unde ἀγάζω, ac inde ἀγάζων.

Agassæ, Thessalię, aut saltem Macedonię Urbs, Liv. 41. *Pagausæ* Turnebus legit. Ortelius, ex Athenęo *Tagasæ.*

Agasthenes, Rex Eleensium, pater Polyxeni, qui navibus suę gentis pręfuit in expeditione Trojanâ. Hom. *in Catal.*

Τῶν δὲ τετράρχων ἦρχε Πολύξεινος θεοειδής,
Υἱὸς Ἀγασθένεος Αὐγηϊάδαο ἄνακτος.

Agastrophus, Pęonis fil. inter primos Trojanorum bellatores, à Diomede vulneratus in coxâ mortem obiit. Hom. *Il.* 11.

Ἦ τοι Τυδείδης υἱὸς Ἀγάστροφον οὔτασε δουρὶ
Παιονίδην ἥρωα κατ' ἰσχίον.

Agasthus, Atheniensium Archon 2. regnavit an. 36. legitur Ἄκαστος *Acastus.*

Agasus. portus. Plin. 3. 11. vulgò *Porto Greco.* Locus in ora Apulię Daunię in Italia, prope montem Garganum, in prov. Capitanata.

Agatha, Catinensis virgo (Volaterranus habet, Carthaginensis) sub Quintiano Sicilię proconsule, fidiculis eculeoque vexata, quòd Diis thura dare nollet: mammillis deinde torta, cui & una adempta est: necnon super prunas testis permistas aliquandiu volutata: tandem plurimis aliis tormentis vexata, martyrio decorata est. Marulus *lib.* 5. *cap.* 6. Fulgosus *lib.* 3. *cap.* 3. & Sabellicus *lib.* 5. *cap.* 8.

Agatha Gothorum, seu *Agathopolis*, urbs Principatus ulter. in regno Neapol. Episc. sub Archiep. Beneventano.

S. Agatha, Principatus Calabrię ulter. prope Rhegium. Item, Ducatus provincię Capitanatę.

Agatha, Ptol. Strab. Plin. & Steph. urbs est & insula provincię Narbonensis, quondam Massiliensium. *Agde* Morerio. *Ayde* Jo. Poldo, qui scribit hanc à nonnullis historiographis quoque *CiVitas Nigra* appellari. *Agachetyche*, i. e. *Bona Fortuna* à Timosthene dici tradit Steph. long. 24. 05. lat. 42. 40. Item urbs Campanię episc. sub archiep. Beneventano, inde 16. m. p. Capuam versus. Est & insula Lycię, & urbs Phocidis, quam aliqui *Agatheam* vocant. Steph.

Agatha, Urbs Occitanię, 7. leucis distat Narbone, Montempessulanum versus 10. in ora maris Medit. & sinus Leonini, prope ostia Arauraris fluv.

Agatharchidas, dux Corinthiorum. Thucyd. *lib.* 2.

Agatharchides, historicus Samius, in secundo rerum Persicarum laudatur Plutarcho *in Paral. Minor. cap.* 2. Bib. Phot. *capite* 213. 250. Diod. Sic. *lib.* 3. Jos. in *App. l.* 1. Eundem Plutarchus junior citat ἐν τοῖς Φρυγιακοῖς *lib. de Fluminibus.* Et alibi, *in quarto* περὶ λίθων. Fortasse idem est, ac Cnidius, de quo vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 20. & *l.* 3.

Agatharchus, nomen viri, qui stadium vicit Olympiade 61. imperante Athenis Heraclio. Dionys. Halic. *lib.* 4. Item classis Syracusanę prefectus. Thucyd. *lib.* 3. Item pictor, qui cùm apud Zeuxim mirâ celeritate se animalia depingere gloriaretur; Ego verò, inquit Zeuxis, longo tempore Nam in opere faciundo promptitudo ac celeritas haud potest stabilem gravitatem, & exquisitam pulchritudinem rebus adjungere. Plut. *in Pericle.*

Agathemerus Orthon, in lucem edidit Hypotyposes Geographicas, quas inter alios hujus argumenti scriptores, juris publici fecit Isaacus Voss. Ut Pater promiserat, *de Philologia cap.* 11.

Agathi Dæmonis, Insula est apud Steph. in Indico mari. Est & fluvii nomen, in inferiori Ægypto. Ptol.

Agathia, Phocidis Urbs. Steph. ex Hellanico.

Agathias, siveut se in Epigrammatis vocat, *Agathius*, historicus gręcus, natus Myrinę, quę in Asia veterum Æolensium colonia fuit, ad ostia Pythici flu. sita, ut ipse in Prefatione ait, ubi & se patre Memnonio propagatum asserit, ac juri & legibus operam dedisse, unde & *Scholasticus* vocabatur, qui alio nomine *AdVocatus* dicitur. Erant enim *Scholæ* collegia Jurisperitorum. Fuit autem Advocatus Smyrnæ, testante Suidâ, qui eum σχολαστικὸν Σμυρναῖον vocat. Præter epigrammata multa, quæ in Anthologiâ habemus, condidit libros 5. de imperio & rebus gestis Justiniani; nec tamen omnia de eo refert, sed inde, ut ipse ait, cœpit, ubi desiit Procopius. Etiam Δαφνιακὰ, atque alia, partim prosâ, partim carmine exaravit, ut Suidas testatur; imò meminit ipse in Præfatione historiæ suæ, ubi se à puero ait admodum carmine fuisse delectatum, ac panxisse hexametro versu poëmatia quædam amoribus, & istiusmodi illecebris variegata, eaque *Daphniaca* appellari. Dictione utitur tersâ & floridâ. Gentilem fuisse pręter alia ostendit illud φασὶν, quo *lib.* 3. utitur, cùm sermo fit de Martyrio B. Stephani.

Agathicum, opp. terrę motu collapsum, sub Anastasio Imperatore, scribit Marcel. Com. Asię minoris fortè.

Agathirnum, Vid. *Agathyrsus.*

Agatho, Philosophus Pythagoricus, frequens antithetis, adhibitus

bitus quondam convivio ab Archelao rege, cujus erat familiarissimus interrogatusque ab eo, cùm jam esset annorum 80, an robur adhuc ullum servaret? Sanè, inquit, Non solum Ver, sed Autumnus solet bona & prosperitatem adferre. Ælian., *Var. Hist. lib.* 13. *cap.* 4. Item Samius Historicus, & duo Poëtæ, Voss. *Hist. Gr. l.* 3. & *Poët. c.* 6. & 7. Filius Priami, Hom. *Il.* ω. Præfectus tandem arcis Babyloniæ, Curt. 5. 1. & 10. 1. Vid. etiam *Agathon.*

Agatho, Atheniensis, vir monstrosæ fortitudinis, & magnitudinis, tempore Adriani Principis, & Herodis Attici, de quo vide Philostratum *in Attico.* Aliis *Agathion.*

Agatho, Pontifex R. tantæ mansuetudinis & humanitatis, ut neminem à se unquam dimiserit tristem. Platina.

Agatho, Historicus Samius. Plut. in parall. V. infra.

Agatho, tubicen, cantilenarum suavitate mirum in modum amores deliniens, cujus mores musicæ non dissimiles fuisse perhibentur. Laboravit enim infamiâ mollitiei. Hinc factum est Proverb. *Agathonia cantio*, quod rectè dicetur de oratione blandâ magis, quàm frugiferâ. Primus chori Tragici cantum instituit. Arist. *in Poëtic.*

Agathoclea, Ptolemæi scortum. Justinus *lib.* 30.

Agathocles, Babylonius, sive Cyzicenus, utroque enim modo ab Athenæo appellatur, *lib.* 9. & 12. Cyzicenorum res scripsit. Fuit præterea alius, Chius; rei Rusticæ scriptor, de quo Varro & Columella. Est & *Agathocles* Atracius, qui de piscibus, soluta oratione scripsit. Item *Agathocles* Samius, qui de Pessinuntiorum republicâ, & *Agathocles* Milesius, qui de Fluminibus scripsit.

Agathocles, Archon Athenis, Olymp. 105. An. 4.

Agathocles, Macedo, ex urbe Pella, Pater Lysimachi.

Agathocles, Peripateticus, qui cùm apud Demonactem jactaret, sese & solum & primum esse Dialecticorum: respondit ei Demonax, si solus es, qui primus esse potes? si primus, qui solus? Erasm. *lib.* 8. *Apophtheg.*

Agathocles, Siciliæ tyrannus, ad regni majestatem ex humili & sordido genere pervenit. Quippe patre figulo natus, non honestiorem pueritiam, quàm principia originis habuit. Siquidem formâ, & corporis pulchritudine egregius, diu vitam stupri patientiâ exegit. Annos deinde pubertatis egressus, libidinem à viris in fœminas transtulit. Post hæc apud utrumque sexum famosus vitam latrocinio mutavit. Tandem cùm Syracusas concessisset, gregariam militiam sortitus, in omne facinus promptissimus fuit; nam & manu strenuus, & linguâ facundus fuit. Brevi itaque centurio, ac deinceps tribunus militum factus; ac ad postremum, in locum demortui ducis Damasconis suffectus est: cujus uxorem adulterio cognitam, post mortem viri in matrimonium accepit. Nec contentus, quòd ex inope dives repentè factus est, piraticam adversus patriam exercuit. Saluti autem ei fuit, quòd socii capti tortique de illo negaverunt. Bis occupare imperium Syracusarum voluit; bis in exilium actus est. Postremò, dux patriæ contra Carthaginenses sæpè pugnavit. Obiit an. ætatis 72. regni, 28. Multa de eo Justinus *lib.* 22. & Polybius *lib.* 15. *sub finem.* Plut. *Apophth.* 26. &c. Hujus exemplo ad modestiam omnes hortatur Ausonius, elegantissimo epigrammate, quod sic se habet:

Fama est, fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cùm poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul.
Quærenti causam respondit Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediere loco.

Quamvis Agathoclem apud figulum educatum tantùm, non natum Plutarchus scripserit lib. De suâ ipsius laude.

Agathocles, Lysimachi fil. in eo bello, quod cum patre gessit adversus Getas, Lysimacho sibi fugâ consulente, captus est; Tandem patri redditus, Lysandram Ptolemæi Lagi & Eurydices filiam duxit uxorem, atque in Asiam navibus transgressus, Antigoni regnum in suam ditionem redegit. Ephesum præterea urb. ad mare condidit, in quam Lebadios Colophoniosque, deletis eorum urbibus, migrare compulit, ut Phoenix Colophonius, poëta Iambicus testatur, qui patriæ eversionem carmine deflevit. Tandem Lysimachus jam ætate provectus, Arsinoën Lysandri sororem cepit uxorem, quæ quoniam liberis timebat, ne Lysimacho mortuo, in Agathoclis jura venirent, de ejus nece cogitasse fertur. Alii Agathoclis amore captam Arsinoen prodiderunt, ac eum curasse occidendum, quòd ejus concubitum assequi nequiret. Quo occiso Lysandra ad Seleucum cum liberis confugit. Ad postremum verò Lysimachus consertâ cum Seleuco acie longè lateque fusus, occubuit. Paus. *in Att.* & Strab. *lib.* 13. Alius fuit Agathocles, Curt. *l.* 9. qui, cùm Hephæstionem defunctum fleret, parum abfuit, quin occideretur.

Agathocles, Historicus Gr. Babylone oriundus. Scripsit de Rep. Cyzicenorum. Athen. *l.* 1. 9. & 12. Solin. *c.* 1. Cic. *l. de Div.* Alius, Chiensis, de agricultura, Varr. Columella, *l.* 1. *c.* 1. & Plin. *l.* 22. *c.* 22. Tres alios, vid. apud Voss. *de Hist. Gr. l.* 3.

Agathoclis Insulæ duæ, in Sinu Arabico, apud Ptol. *Agathoclis turris*, in Africa locus, 30. ab Utica distans miliario. App. *in Punicis.*

Agathon, Siculus, Pontifex 81. Obiit 682. Vid. Anastas. Baron. *A. C.* 678. 682.

Agathon, abbas, qui lapillo assiduè ori injecto tacere didicisse fertur: idque ab eo annos tres observatum, ne etiam cùm fari vellet, expeditum sibi foret. Marulus *lib* 4. *c* 6.

Agathon, ab Alexandro Magno arci Babyloniæ præsidere jussus. Curt. V. 9. Ob avaritiam & crudelitatem in populum à rege vinctus, post reditum ex Indiâ, asservari jussus *lib.* 10. Fuit verò oriundus Pydnâ teste Diod *lib.* 17. *parte posteriore.*

Agathon, Episcopus Panormitanus, de quo Marulus *lib.* 4. *cap.* 2.

Agathon, Alexandrinus, ex ordine militari, cùm quosdam petulanter cadaveribus martyrum illudentes objurgasset, statim clamorem vulgi in se irritavit: oblatus igitur judici, cùm in confessione Christi persisteret, capitis damnatus est. Henric. Erford.

Agathon, poëta Comicus Samius, Platonis philosophi præcipuus amicus, cujus fabula ἄνθος inscripta, ab Aristotele celebratur: Gorgiam in jambicis imitatus est: eum fœdo amore Pausanias figulus amavit, de quorum amatoriis contentionibus, Ælianus *lib.* 2. *Variar. Histor.*

Agathon, Samius historicus, libros edidit rerum Scythicarum. Plut. *lib. de Flum.* Ἀγάθων ὁ Σάμιος ἐν β' Σκυθικῶν. Idem citat secundum περὶ ποταμῶν, uti & facit Stobæus *Serm. de moribus*, & molestiarum in eis solutione. Ex Agathone hoc quædam de Busiride hospites mactante, posteaque ab Hercule interfecto refert Plut. *in Paral. min. cap.* 8.

Agathon, Tragicus poëta, mollitie infamis. Ab alio Comicus perhibetur Socratis discipulus, moribus egregius & vitâ lautus. Symposium Platonis, in ejus convivio, conscriptum fuisse ajunt multis eò Philosophis congregatis. Contulit se ad Archelaum Macedoniæ regem. Scholia *in Ranas Aristoph.* 1. 2.

Agathon, Priami filius. Hom. *Il.* ω.

Νηκεῖων Ἕλενόν τε, Πάρον τ' Ἀγάθωνά τε δῖον.

Agathonis, Insula sinus Arabici, versus Ægyptum. *Ptolem.*

Agathonymus, de Persiæ rebus egit Plut. *lib. de Flum.*

Agathopolis, urbs Gall. Narbon. Ptol. postea mons Pessulanus, vulgò *Montpellier.* Aliis est *Magalone*, Massiliensium opus, in Agatha Ins. Hæc periit, episcopatu Montempessul. translato. Insula autem nomen retinet *Maguelone.* Vid. *Magalone* & *Monspessulanus.* Fuit etiam urbs Thraciæ episcop. sub archiep. Hadrianopolitano. Vid. quoque *Agatha.*

Agathosthenes, in Asiaticis carminibus citatur à Germ. Cæsare *in Arateis*, ubi ex eo narrat, Cynosuram fuisse Jovis nutricem, unam ex Idæis nymphis. Nec dubito, quin idem opus signet Tzetzes *Chil.* 7. *Hist.* 144. ubi aliqua de mirandis hominum formis tradidisse testatur. Vossius.

Agathostratus, contra Ptolem. R. Navarchum insignem obtinuit victoriam. Videtur Rhodius fuisse. Polyæn. 5.

Agathusa, insula unguento nobilis, sic à Callimacho nuncupata. Vide *Telos.*

Agathus Dæmon, Alexandrinus, scripsit de mundo, secundùm sententiam Ptol. Vossius *de Hist. Gr. l.* 4. & *de Mathem. cap.* 42.

Agathyllus, Arcas, poëta elegiographus: à Dionys. Halic. laudatur in iis, quæ de adventu Æneæ in Italiam prodidit. *l.* 1. *de Antiq.*

Agathyrnum, sive *Agathyrium* Ptolemæo, vel *Agathyrsus* Straboni & Plinio op. Siciliæ. Sil. *lib.* 14.

Defuerant Agathyrna manus, geminoque Lacone
Tyndaris. ———

Opidum hoc condidisse fertur Agathurnus, Æoli, regis ventorum, fil. Illi enim sex filii erant, quorum Ἀγάθυρνος βασιλεύσας τῆς νῦν ὀνομαζομένης Ἀγαθυρνίτιδος χώρας, ἔκτισε πόλιν τὴν ἀπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν Ἀγάθυρνον. Ita Diodorus *lib.* 4. Græcis enim semper suppetit fabularum penu inexhaustum, unde urbium quamlibet vetustarum conditores depromant. Bocharto autem *Agathyrni* nomen deflexum videtur, ex Punico הקתרין *Hakkatharin*, vel *Hakkathorin*, quasi *rupes* dixeris. Nempe urbem hanc probant Fazellus & Cluverius esse opidum S. Marci, de quo ille *Dec.* 1. *lib.* 8. *cap.* 4. *In sublimi colle, agro & mari ad passuum tria millia prominenti S. Marci incubat opidum.* Et mox. *Ad ejus arcem in rupe sitam.* Videtor Cluver. *Sic. Ant. lib.* 2. *cap.* 5.

Agathyrsa, Vid. *Nimblis.*

Agathyrsi, pop. Scythis vicini. Ubi nunc prov. Cargapol. & Vologhda, in Moscovia, teste Brietio. Hieronymus. Hi multum habent auri sine avaritia, sine invidia. Atqui populi sunt, mollitiei perquam deditissimi, si Herodoto fides, cujus verba, *Musâ* 4. hæc sunt: Ἀγάθυρσοι δὲ ἁβρότατοι ἀνδρῶν εἰσὶ καὶ χρυσοφόροι τὰ μάλιστα. Vid. & Plin. *l.* 4. *cap.* 12. A scriptoribus etiam pluri-

plurimis *Picti* dicuntur; idque quoniam versicoloribus vestibus induuntur, quanquam alii de nativo colore intelligunt. Sed non hic litem hanc dirimendi locus. Virgil. 4. *Æn.*

Cretesq; Dryopesq; fremunt, pictiq; Agathyrsi:

Solinus *cap.* 20. *Gelonis Agathyrsi collimitantur, cæruleo picti, fucatis in cærulum crinibus, nec hoc sine discrimine. Nam quanto quis altero præstat, tanto propensiore notâ tingitur, ut sit judicium humilitatis minus pingi.* Dicti autem sunt, uti nonnullis placet, ab *Agathyrso* Herculis filio, vel, ut Pisander vult, ἀπὸ τῶν θύρσων τοῦ Διονύσου, inquit Suidas. Bochartus verò *Agathyrsos* à *Thiras* deducit (qui Græcis Θρᾷξ) quod ipsum nomen, inquit, ultimâ sui parte videtur alludere ad *Thiras*. *Immanes* vocat Juvenalis. *Sat.* 15.

Sauromatæq; truces, aut immanes Agathyrsi.

Agathyrsus, Strabonis Siciliæ prom. *Ægitharsus* Ptolem. *Agathirna* Liv. *Agathirnum*, Plin. *Cabo S. Vito* hodie, si Fazello fides. *S. Fradello*, si Cl. Aretio. Alii tamen *S. Theodoro* interpretantur. V. *Nimbliæ*.

Agatinnus, vel *Agantinnus*, Vid. *Agathyrnum*.

Agatirna, Vid. *Ibid.*

Agava, Africæ, in Pentapoli regione opp. Ptolem. *Andan* Lat. codices habent.

Agave, Cadmi & Hermiones filia, Echioni Thebano nupsit, ex quo Pentheum fil. suscepit, qui cùm abstemius esset, ac propterea Bacchi sacra despicaretur, ab ipsâ matre, reliquisque Mænadibus, inter Bacchanalia, jam rex Thebarum, membratim discerptus est. Horat. *lib.* 2. *Sat.* 3.

Quid caput abscissum demens cùm portat Agave
Nati infelicis, sibi tum furiosa videtur?

Fabulam hanc curiosè tractat Ovidius *lib.* 3. *Met.* & ante illum Theocritus *Idyll.* 26. Plut. *de Superst. c.* 8. Vide Mythologos. Lubet hìc adnotare, quomodo poëtæ passim exemplo hoc pro similitudine utantur. Lucan. *lib.* 1.

——— *Thebanam qualis Agaven*
Impulit, aut sævi contorsit tela Lycurgi
Eumenis. ———————

Statius Theb. *lib.* 11.

——— *Pentheia qualis*
Mater ad insani scandebat culmina montis,
Promissum sævo caput allatura Lyæo.

Seneca Tragœdus

———— *Qualis attonita & furens*
Cadmæa mater abstulit nato caput.

Claud. 2. *in Eutrop.*

Quales Aonio Thebas de monte reversæ
Mænades infectis Pentheo sanguine thyrsis,
Cùm patuit venatus atrox, matriq; rotatum
Conspexere caput, gressus caligine figunt,
Et rabiem desisse dolent. Vid. *Pentheus.*

Agave etiam fuit Statii poëtæ Tragœdia. Juvenal. *Sat.* 7.

——— *Sed cùm fregit subsellia versu,*
Esurit, intactam Paridi nisi vendit Agaven.

Agavi, populi, ut putant, septentrionales, quos Homerus *circa initium lib.* 13. *Iliad.* dixit, gentem fuisse innocentissimam, ut quæ sine divitiis, equino lacte victitet. Vide Scholiastas *in locum.* Hesych. Ἀγαυοὶ, ἔθνος Σκυθικόν.

Agaunum, Helvetiorum op. quod rupibus undique cingitur, apud Rhodanum fluv. in confin. Vallesiæ reg. inter Sedunum ad ort. 24. & Genevam ad Occid. 30. m. p. hodie *S. Mauritz.* long. 28. 25. lat. 45. 39. Olim etiam *Ternada* dictum. Nobilitatum est martyrio S. Mauritii & Sociorum.

Agavus, unus è novem Priami filiis post Hectorem interemptum superstitibus. Hom. *Iliad. ult.*

Agaziri, gentis nomen, circa Vistulæ amnis ostia, Agathiæ & Jornandi.

Agbarus, Vide *Abgarus*.

Agbatana, Vide *Ecbatane*.

Agbus, Rex Æthiop. A. C. 100. Genebrard.

Agdamea, Phrygiæ urbs, apud Socratem & Callistum, *lib.* 14. *cap.* 39. cujus Episcopum Optimum nominat. *Argadamia* apud Juonem, ad calcem Epistolarum: *Argdamia* sine a in secunda, in Tripartita historia 12. *cap.* 8. in jure Orientali *Genabum* legitur, longè diversâ lectione.

Agdami, civitas Arabiæ felicis, Ptolemæo.

Agdei, populi quidam. Plin. 6. 7. Aliis *Agedi*.

Agdenites, Carmaniæ populi Ptolemæo, quos Græcus codex ignorat.

Agdestis, vel *Agdistus*, mons Phrygiæ prope Pessinuntem op. ubi Attis sepultus. Pausan. *in Atticis*. Quin & mater Deûm sic nuncupata. Hesych. Ἄγδιςις ἡ αὐτὴ τῇ μητρὶ θεῶν. Idem docet Strab. *lib.* 10. ubi vulgò Αἴςιν legitur, unde Lil. Gyraldus Ἐςίαν cudebat. Sed rectum est Ἀγδίςιν vel Ἀγδίςιν. Est autem *Agdestis*, nunc lapis, nunc juvenis ex eo natus, nunc ipsa Cybele. Vossius. Inde *Agdestius furor* apud Arnobium.

Agdus, petra inauditæ vastitatis in Phrygiæ finibus, ex quâ Deucalion & Pyrrha sumpserunt lapides, quos Themidis mandato, in orbem mortalibus vacuum jactarunt. Arnobius contra Gentes *lib.* 5. Vide Voss. *de Theol. Gent.*

Agedi, Sarmaticæ Asiat. populi, Plin.

Agedicum, Vid. *Agendicum*.

Agedunum, *Ahun*, opp. Gall. in Marchia Lemovicensi, ad Crausiam fluv.

Agelas, statuarius generosus, Polycleti magister. Item sextus Corinthiorum rex, regnavit an. 30.

Agelastus, dictus Crassus, avus Crassi apud Parthos interempti, quem tradunt semel tantùm in vita risisse, quod factum est, cùm videbat asinum carduos comedentem, dixisseque ob id, *Similes habent labra lactucas.* Cic. *de finibus l.* 5. Plin. *lib.* 7. *cap.* 19.

Agelastus, Petra in Salamine insula, secundùm Scholia in Aristoph. Equit. p. 335. G vel secundùm alios rupes in Attica, haut procul à Callichoro puteo: ita dicta, quòd ibi federit Theseus ad inferos descensurus: vel quòd ibi federit Ceres lacrimans, cùm quæreret filiam. Nam raptam à Plutone Proserpinam cùm frustra noctes diesque cum face investigasset, docta ab Hermioneis filiæ casum, irata Superis deseruit Cœlum, & fœminæ formâ induta venit Eleusinem, ubi in Rupe consedit posteà *Agelasto*, hoc est, risus experte, dictâ. Vide *Iresia*.

Agelaus, fil. Damastoris, procus Penelopes. *Odyss.* 20.

Agele, Tribus Attica, Phavor.

Agelia, epitheton Minervæ, quasi ἄγουσα λεῖαν. id est, prædam abducens. Cæl. Rhod. *lib.* 14. leg. *Agelaa*.

Agelius, Novatianorum Episc. de quo Vid. Socrat. *l.* 5 *c.* 10. Sozom. *l.* 7. *c.* 12. Baron. *A. C.* 383.

Agelocum, Angliæ op. ad Trentam flu. in comit. Notinghamiensi, *Axholme*, sive ut Camdeno placet, *Littleburgh*. Vide *Segelocum*.

Agemachus Dux Messeniorum, qui Nicone pirata multis injuriis ac damnis cives afficiente, insidiis interceptas per eum Pheras Peloponnesi recepit. Polyæn. 2. 156.

Agemytha, Indiæ extra Gangem urbs, Ptol.

Agendicum, op. Gall. Celt. in finibus Senonum, medium ferè inter Lutetiam Parisiorum, & Trecas, inde 19. hinc 16. leuc. à Senonibus verò 12. in Bor. distans, vulgò *Province*, long. 24. 30. lat 48. 20. Aliis est urbs ipsa *Sens*, archiep. ad Icaunum fluv. quæ aliàs Burgundiæ, nunc Præfecturæ Campaniæ accensetur. Vid. *Senones*.

Agennum, *Aginum* Ausonio, *Aginnum* Ptolemæo & Antonino, *Ageduceum* Achilli Statio. *Agredicum* Antonino, vulgò *Agen*, urbs Aquitaniæ præclara ad Garumnam flu. Cujus mem. Plin. 4. 19. & Ausonius *ep.* 24.

Santonus ut sibi Burdigalam mox jungat Aginum.

long. 23. 35. lat. 44. 08. Patria est Jos. Scaligeri: Cujus circumjacens regio, *le pays d'Agenois*, Aginnensis tractus, mirè fertilis & rigua est. Episc. est sub Archiepiscopo Burdigalensi. Ejus præter jam dictos, meminere, Strabo, Plinius, Gregorius Turon. Apollinaris &c. Papyrius item Massonius, Elias Vinetus, Scaliger, Sammart. Johannes inprimis Darnoultius, qui *de Antiquit. urbis & agri Aginnensis*, librum edidit peculiarem. Comprehensus est hic ager, inter Petrocoriensem, Armaniacum, Cadurcensem & Vasatensem, tractus.

Agenor, Antenoris fil. Hom. *Iliad.* 21.

Ὥς Ἀντήνορος υἱὸς ἀγαυοῦ δῖος Ἀγήνωρ
Οὐκ ἔθελεν φεύγειν πρὶν πειρήσαιτ' Ἀχιλῆος.

Agenor, Mitylenæus, de Musicâ scripsit, teste Aristoxeno *lib.* 2. *Musices*. Incertæ ætatis. Vid. Voss. *de Mathem.* 59. 19.

Agenor, Rex Phœnicum, Beli regis fil. Silius. *lib.* 1.

——— *Stat gloria gentis Agenor.*

Progeniem ejus narrat Steph. in *Thasso*. Apollodorus *lib.* 3. *de Agenore*: τεκνοῖ θυγατέρα μὲν Εὐρώπην, παῖδας δὲ Κάδμον, καὶ Φοίνικα, καὶ Κίλικα. Nonnus *lib.* 3. *Bassaricωn.*

Μαντιπόλῳ πέμπτῳ δὲ πατὴρ ἰσόμετρον ἀριθμὸν
Βῆλος ἐπιστεύων γενεὴν σπερμήνατο παίδων,
Φοίνιξ καὶ Φοίνικος λιπόπτολιν, οἷς ἅμα θάλλων
Ἀγχὸς ἀμοιβαίων πολίων περίφοιτος Ἀγήνωρ,
Ἀστατος βιότοιο πατὴρ ἐμὸς εἴχε πορείην
Ἐς Θήβην μετὰ Μέμφιν, ἐς Ἀσσυρίην μετὰ Θήβην.

Agenor, Rex Argivorum, pater Crotopi, qui Jaso patruo successit. De hoc vid. Pausan. *l.* 22.

Agenoria, Dea à Romanis sic dicta, quòd ad *agendum* excitaret. Gloss. vetus, *Ageronia*, ἡ θεὸς βουλῆς καὶ καιρῶν. Jani uxor Capellæ. Item *Agerona*, industriæ Dea, ut *Strenua*, & *Stimula*. Templum habebat, in monte Aventino. Tit. Liv. *l.* 1. Plin. 15. 29. Aug. *de C. D.* 4. 16.

Agenum, Vid. *Garites*.

Ager Robustorum, locus in Gabaon. 2. Sam. 2.

Agerensem agrum, nominat Cicero, de lege Agraria, contra Rullum; Asiæ minoris videtur.

Agerinus, libertus Agrippinæ, cui ad Neronem à Matre misso, Anicetus gladium inter pedes abjecit, tum quasi deprehenso, auctore Agrippinâ istum Principi exitium esse molitum. Tacit. 14. 7.

Agerva,

Agerða, Vid. *Lebedantia*.

Agesander, insignis Statuarius fuit ex Rhodo ins. qui unà cum Polydoro & Athenodoro Laocontem marmoreum fecit in domo Titi Vespasiani Imp. omnium artificum opera longè superantem. Plin. 36. 5. Reperta est hæc statua Romæ, in ruderibus palatii Vespasiani, sub finem seculi præteriti. Item Lacedæmoniorum legatus. Thucydides *lib.* 1.

Agesianax, in Aratum commentatus est. Vossius, *de Mathem.* c. 33. §. 21.

Agesias, Syracusanus Olympionica, Sostrati filius. Item alius, Cyrenaicus, Philosophus Platonicus, prohibitus à Ptolemæo in scholis docere, aut legere, quoniam, immortalitatem animæ suadendo, multos ad mortem compulerit, ut Cleombroto Ambraciotæ accidit. Cic. in Tusc. Qu. Aliis autem *Hesius* vocatur. Vid. etiam *Hegesias*.

Agesias, Archon Athenis. Olymp. 114. An. 1.

Agesidamus, Locrensis Epizephyrius, nobilis Olympionica, in quem, pugilatu vincentem, Pindarus hymnum cecinit.

Agesides, Lacedæmoniorum Rex.

Agesilaus, Laced. Heraclides, Filius Doryagi, pater Archelai, Herodot. Sub eo leges à Lycurgo latæ, Pausan. *l.* 3. Euseb. Chron.

Agesilaus, sextus Lacedæmoniorum rex, Archidami fil. post mortem Agidis fratris sui rex constitutus, Phrygiam diripuit, quasdam civitates cepit, Tissaphernis exercitum, qui ei bellum indixerat, ad Pactolum flu. fudit. Athenienses & Bœotios apud Coroneam urb. Peloponnesi vicit. Brevi corporis staturâ fuit, & altero pede claudus, maximâ tamen virtute præditus. Regn. an. 43. Justin. *lib.* 6. Corn. Nepos, Plut. Diod Sic. Cùm multi effigiem ejus vellent, nunquam eam fieri passus est.

Agesilaus, Atheniensis, Themistoclis frater, speculator in Xerxis exercitum missus, tametsi pater ejus Neocles eum utramque manum per quietem amisisse vidisset. Is itaque inter barbaros, habitu Persico, constitutus, quendam ex regis stipatoribus, nomine Mardonium interfecit, existimaverat enim, eum esse Xerxem. Cùm igitur à circumstantibus captus & ligatus ad regem deductus esset, eum ad Solis aram immolaturum offendit. In quâ dextram imponens, cùm aliquandiu vim supplicii, ne ullo quidem emisso gemitu tolerasset, tandem adjecit, Hujusmodi Athenienses fuisse universos. Quòd si fidem non haberet, lævam quoque (inquit) injiciam. Ea res autem cùm Xerxi pavorem incussisset, servari eum imperavit. Plut. *in Paral.*

Agesilaus, Plutonis cognomen, quòd sc. *populos agat*. Est enim mortuorum ac inferorum Deus ab Ethnicis existimatus. Callimachus *Hymn. in Palladis Lavacrum*.

Φοιτάσει μεγάλῳ τίμιος Ἀγεσίλᾳ.

De quo ex Methodio & Æschylo plura Athenæus.

Agesilaus, historicus Gr. scripsit de rebus Italicis. De quo Vid. Plut. *in Parallel. c.* 29.

Agesinates, populi Galliæ, Pictonibus vicini. Plin. 4. 19.

Agesipolis, I. rex Lacedæmoniorum, qui speciosam sæpe victoriam retulit. Xenophon. *lib* 4. & 5. *histor. Gr.* Pausan. *l.* 3.

Agesipolis, II. fil. Cleombroti, Spartanorum Rex. Pausan. *l.* 3. Plut. *in Apophth. Lac.*

Agesipolis, III. Pausaniæ à Lacedæmoniis fugato substitutus, regnavit Spartæ annos quatuordecim. Suffectus verò Patri Pausaniæ Olymp. XCVI. anno tertio. Fuit justus, moderatus, pactorum ac jurisjurandi religiosus observator. Obiit morbo ad Olynthum, Olymp. centesimæ anno primo. Vid. Polyæn. *lib.* 2. Xenophontem *lib.* 5 *Hellen.* Euseb. *Chron.*

Agesistrata, mater Agidis, virtutibus opibusque illustris, cujus vitam describit Plut. *in Agide*. Vid. *Agis*.

Agesistratus, de arte machinali scripsit, Vitruvio teste, qui ejus meminit *præfatione lib.* 7.

Agessus, urbs Thraciæ. Steph. Ἀγεσσίων meminit Goltzius, ex Gordiani nummo.

Agesta, Vid. *Egesta*.

Ageta, Mœsiæ super urbs, Antonino.

Ageta & *Ægeta*, habet Lib. Notit. utrumque in Dacia Ripensi.

Agetes, vel *Agetis*, Apollinis fil. ex Cyrene virgine, in Pelio monte Thessaliæ raptâ, frater Aristæi. Hunc alii nunc *Ageum*, nunc *Argeum* vocant. Justinus.

Agethaim, Vid. *Adithaim*.

Aggæus, sive *Haggæus*, V. ibi, nomen prophetæ, quasi *festivus*, vel *solennis*, vel *gyrans*. Huic & Zachariæ LXX. interpretes psalmos quosdam adscribunt. Unde Apollinaris,

Ξυνὸς Ζαχαρίαο καὶ Ἀγγαίοιο πέλει ὕμνος.

Aggaritanus, episc. à loco Africæ sic dictus, Vict. Utic. *Aggeritensis* est in Coll. Carth.

Aggenus Urbicus, de agris, eorumque limitibus scripsit; quem cum Siculo Flacco, ac Hygino Gromatico primus typis divulgavit Adrianus Turnebus; notis verò postea illustravit Nicolaus Rigaltzius. Voss. *de Mathem. c.* 27. §. 10.

Agger, unum ex Nili fluv. nominibus, postquam ex lacu Heptagono profluxit. Vitruvius apud Hermol. Barbar. *in Plin.* 5. 9.

Aggerhuna, arx Norvegiæ, in intimo sinu Ansloensi, unde nomen præfecturæ Aggerhusianæ, quæ totius Norvegiæ est Meridionalior. Sub dominio Regis Daniæ. Hæc quæ una est ex 5. Regis hujus in Norvegia præfecturis, amplis proventibus & divite inprimis piscatu Daniæ Regi fructuosa est. Urbem principalem habet Ansloam, Episc. sedem. Schoter *Histor Mundi*, Ortelius.

Aggi, sive *Haggi*, fil. *Gad* Patriarchæ. Gen. 46.

Aggiva, Vid. *Augina*.

Aggrammes, Gangaridarum & Pharrasiorum Rex, patre tonsore natus, qui vix diurno quæstu famem propulsabat, sed propter habitum haud indecorum cordi fuit Reginæ, à quâ cùm in propiorem amicitiæ locum fuisset admotus, sub specie tutelæ liberorum ejus, invasit regnum, necatisque pueris Aggrammem generavit invisum, vilemque popularibus, magis paternæ fortunæ, quàm suæ memorem. Qu. Curtius. *Xandrames*, Diod. *l.* 17.

Aggrinæ, Græciæ populi videntur, apud Ciceronem, *in L. Pisonem*: Hos dicit in Dolopum regionem demigratos.

Aggya, Africæ locus, D. Augustino.

Agheamia, Provincia Syriæ videtur, in Historia *de Judæis clausis*, Eldadi Danii.

Agiadæ, Hesychius Ἀγιάδαι γένος ἐν Λακεδαιμονίᾳ, καὶ οἱ βασιλεῖς δὲ οὕτω καλοῦνται ἀπὸ Ἄγιδος.

Agialia, olim Apia, ab Apio Sicyoniorum rege nuncupata, nunc Peloponnesus. Eadem *Ægialea* dicta est.

Agias, historicus, res Argolicas memoriæ mandavit. Athen. *lib.* 3. Item, Locus in Argia. Diodor. 12.

Agidos, Cypri urbs, nunc *Burgum templi*, inter Lapatham & Aphrodisium. Etiam Siciliæ, inter Anemurium & Arsinoem, Strab. Vid. *Nagidos*.

Agigaus, Hesych. Ἀγιγαῦος, Ἄρχαλος καλεῖται παρὰ Λάκωσιν ὁ μύχλαντος υἱός.

Agila, XI Rex Visigothorum, in Hisp. Theodisili, Principis scelerati, successor, nihilo melior. Superbiâ proin intolerabilis cunctis, occisus est, an. C. 554. regni 5. Isidorus, Gregorius Turon.

Agilaria, Opp. Hispaniæ, cognomento *de Campos*, in Castella Veteri. Distat Burgi urbe 14. leucis in Bor. & 5. à fontibus Iberi fluv.

Agilaus, tertius Corinthiorum rex, regn. an. 36.

Agileus, unus ex Ephoris, qui graviter vulneratus à sociis Cleomenis, solus evasit. Plut. *in Cleomene*.

Agilis, vir, quem poetæ cum Tirynthiâ pube in bello Thebano fuisse commemorant.

Agillæ, Vid. *Ceræ*.

Agillai, Vid. *Gelaos*.

Agilulphus, ex Duce Taurinensi, maritus Theodelindæ, & Rex Longobardorum potentissimus. Obiit an. 616. regni 25. Paul. Diac. *l.* 3. *c.* 14. & *l.* 4. *c.* 1. & 15.

Agimytha, Vid. *Agemytha*.

Aginees, fontis memoria est in antiq. lapide in Hispania. Vid. Volum. Inscr. Smetii.

Aginis, Susiorum pagus, ad Pasitigrim fluv. Arr. de Indicis.

Aginna, Iberiæ Asiat. urbs Ptol.

Aginnata, Vid. *Salinæ*.

Aginnum, vide *Agennum* & *Garites*.

Agion, mons in Scythia, Stephano in voce ψευδάρταβη, *Monti Sancti*, montes etiamnum habet in Sarmatia Asiatica Herbersteinius. Idem Stephanus habet Ἀγιὼν in Scythia locum, ubi Æsculapius colebatur. Vide *Constantinopolis*.

Agios Adrianos, vide *Mycenæ*.

Agios, vide *Constantinopolis*.

Agiria, Hispaniæ urbs Antonino, inter Cæsaraugustam & Liminium. Vide *Agræ*.

Agis, I. Rex Spartæ, successit Patri Eurystheni, annumque regnavit, circa A. M. 2998. Euseb. *Chron.* Ab eo successores *Agides*, Pausan. *l.* 3.

Agis, II. Lacedæmoniorum rex, cùm Atheniensibus cruentissima bella gessit. Illorum provinciam igne ferroque vastavit. Græcas civitates libertati restituit. A suis civibus occisus est in carcere, quòd juxta Lycurgi leges bona publicare vellet. Plut. *in Agide*.

Agis, III. fil. Archidami: bello Epidaurio Argolicam terram vastavit, prælio ad Mantineam victor. Dein, in agro Attico, Deceliam munivit, totoque bello Peloponnesiaco rem fortiter feliciterque gessit. Thucyd. *l.* 4. 5. & 8.

Agis, IV. fil. Archidami, Græciam ad excutiendum Macedonum jugum solicitat, à Pharnabazo & Authophradate pecuniâ navibusque juvatur, ab Antipatro vincitur. Q. Curt. *lib.* 6. *cap.* 1. Diodor. Sic. *lib.* 17. *cap.* 48. & 63. Justin. *l.* 12. Alios Agidas. Vid. apud Pausan.

Agis, poëta Argivus, pessimorum carminum, post Chœrilum conditor, cœlum Alexandro aperiebat, Herculemque & Liberum patrem, & cum Polluce Castorem novi numini cessuros esse jactabat, Curt. *lib.* 8.

Agis, Eurysthenis majoris Aristodemi liberorum filius, ab hoc genus Eurysthenis *Agidas* appellant. Pausan.

Agis, quidam legunt *Agias* Arcas, unus ex illis ducibus Graecis, qui Cyro contra fratrem Artaxerxem militarunt. Comprehensus quoque perfidè à Tissapherne est & ad Regem missus. Polyaen. VII. 502.

Agis, Archidami filius, Lacedaemoniorum Rex, octo millibus Graecorum, qui ex Ciliciâ profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro Macedoniae praefecto molitus, Curt. IV. 16. Sed in praelio femoribus hastâ perfossis ac lanceâ nudo pectori infixâ occubuit, Lacedaemoniorum quinque millibus & trecentis quinquaginta amissis. *Lib.* 6. initio. Successit Patri, Olympiadis centesimae octavae anno tertio.

Agisymba, reg. Africae amplissima in Aust. ultra Æquatorem extensa, plures regiones sub se continens. Ptol. Hodiè *Zanguebar*. *Zangue* autem idem sonat, quod *niger* Latinis; à nigris enim totus hic tractus colitur, Jo. Barroso, & Garcia ab Horto authoribus. *Zenzibat* M. Paulo Veneto, quam non sine maximo errore insulam credit, describitque ab inf. Madagascar versus merid. eamque in circuitu habere duo millia milliariorum addit. Ortelius. *Melocam* nescio quâ authoritate vocat Hieronymus Girava.

Agisymba regio, Sansone teste, erat ubi nunc regna Monemugi & Monomotapa in Mediterraneis, seu in Æthiopa inf.

Agita, Vid. *Aguti*.

Agium, Vid. *Agios*.

Agla, Hispaniae opidum. Plin. *lib.* 3. *cap.* 1.

Agla, opp. regni Fezzae in Africa, prope fluv. Guargam, in Habata prov.

Aglaia, una Gratiarum, alio nomine Pasiphaë dicta. Graecè Ἀγλαΐη *laetitiam* sonat, laeti enim in dandis beneficiis esse debemus. Vid. *Charites*.

Aglais, Megaclis filia, mirâ gulositate & voracitate mulier, ut quae carnium libras decem, panis choenicas quatuor, & vini congium, sive sextarios sex, unicâ coenâ absumeret. Cael. Rhod. 15. 19.

Aglaon, Hesych. Ἀγλαὸν ὕδωρ, ἡ ἐν Αὐλίδι πηγή.

Aglaonice, Hegemonis filia, astrologiae perita, & eclipses Lunae, quando futurae essent, praevidens, illamque se coelo deducere jactitans; quae ob id posteà in magnas calamitates incidit, adeò ut in prov. abierit, τὴν Σελήνην κατασπᾷ. *Lunam detrahit*, ut refert Apoll. *lib.* 4. quo utimur, quoties aliquis suâ jactantiâ in calamitatem incidit. *Aganice*, Plut. *de def. Or. c.* 22.

Aglaope, una Sirenum, & *Aglaophena* alia. Vide *Sirenussae*.

Aglaopes, Æsculapius Lacedaemoniis. Hesychius. Ἀγλαόπης ὁ Ἀσκληπιός. Λάκωνες.

Aglaophon, pictor nobilissimus, cujus meminit Plin. 35. 9. Cic. 3. *de Orat.* Athen. *lib.* 10. Æl. *de Animalibus*, 17. 47.

Aglaosthenes, qui corruptè in libris nonnullis est *Aglosthenes*, imò & *Ædosthenes* vocatur, historiam rerum Naxicarum consignavit. Str. *l.* 6. Plin. 4. 12. Vide Voss. *Hist. Gr. p.* 318.

Aglauros, filia Erechthei regis Athenarum antiquissimi, à Mercurio in saxum mutata, de quâ Ovid. *Met.* 2. Hesychius. Ἄγλαυρος, θυγάτηρ Κέκροπος παρὰ (lege παρὰ) δὲ Ἀττικοῖς καὶ ὀμνύουσι κατ' αὐτῆς, ἦν δὲ ἱέρεια τῆς Ἀθηνᾶς.

Aglaus, Psophidius, Arcadum pauperrimus, ab Apolline felicior Gyge judicatus, quòd agelli sui limites nunquam egressus esset, parvuli ruris fructibus contentus. Plin. 7. 46. Val. Max. *l.* 7. *c.* 1. *ex.* 2.

Aglia, vide *Zellia*.

Agliph, Civ. in tribu Juda.

Aglog, locus alicubi ad Euphratem, teste libro Proprietatum Elementorum, qui Aristoteli falsò à quibusdam adscribitur.

Aglon, Palaestinae locus, Josuae 15.

Agmanisphe, vide *Atmanisphe*.

Agmet, urbs prov. Maroci, 8. m. à metropoli distans, ad radicem Atlantis, sedes olim Imperii, Ptol. *Emera*. Vid. Marmol. *l.* 3. *c.* 41.

Agmonis, Galliae fluvius, circa Sithiense monasterium, Vita S. Audomari.

Agmundeshamum, op. Angliae in Bukingamia prov.

Agna, Mauritaniae Tingitanae flu. Ptol.

Agnanus, Episc. Aurel. tempore Attilae, sanctitate clarus. Prosper, Cassiod. Isidor. *Chron.* Greg. Tur. *l.* 2. *c.* 7. Circa A.C. 451.

Agneda, Scotiae metropolis, vulgò *Edinburgh*. ad Fortheam flu. *Alata Castra* Ptolemaeo, *Castra Exploratorum* Antonino, & *Castra Puellarum* posterioribus. Vid. *Alata Castra*.

Agnelinum, *Agnelin*, opp. Transylvaniae, juxta fluv. Harbach, 5. mill. Germ. à Cibinio.

Agnes, fil. Guilielmi, Pictonum reguli, uxor Henrici III. Imper. qui *Niger* dictus. Mater Henr. IV. quo adhuc minorenni, administravit Imperium per 5. annos, magnâ prudentiae famâ Obiit, Anno 1077. Abbas Ursperg. Bertold. Lamberti *Chron.* Baron. *A. C.* 1056. 1074. 1077.

Agnes, Petro Courtenaeo in uxorem tradita, à Philippo Aug. An. 1184. Robert. SanMart. Item, uxor Guilielmi, Scotiae R. Obiit An. 1201. Item, fil. Ottocari, Bohemiae R. Friderici Imper. Uxor, Spond. *A. C.* 1234. Item, fil. Ludovici S. uxor Roberti, Burgundiae D.

Agnes, Carolo VII. Galliae R. grata. Monstrelet, Dupleix, Spond. *A. C.* 1456. *n.* 12. & 13.

Agnes, Virgo & Martyr, tempore Diocletiani, Ambros. Prudentius in hymnis.

Agneslus, seu *Agnellus*, X. Archiep. Ravenn. Rubeus *l.* 5. *histor Ravenn.* Item Episc. Christianorum, in regno Fezzae & Maroci, sub Miramolino, *A. C.* 1233.

Agni cornu, promuntorium prope Bolbiticum Nili ostium. Strabo *lib.* 17. Hesych. Ἀγνοῦ κέρας, ἡ Κνίδος πρότερον, οἱ δὲ ἀκρωτήριον αὐτῆς, τινὲς δὲ τῆς Αἰγύπτου.

Agniadellum, vicus Ducatus Mediol. celebris victoriâ Lud. 12. adversus Venetos, Anno 1509. Distat Cremâ 8. m. p. estque in tractu *Addua Glarea* dicto.

Agnices, vel *Agnicis*, flu. in Tigridem influens. Plin. 6. 27.

Agnio, *Aa*, flu. Belgii. Oritur in Bononiensi Comit. supra vicum *Rumilly le Comte*, dein Audomaropolim rigat, & infra Gravelingam, Flandr. urbem in mare evolvitur.

Agnita, vel *Agnitas*, Æsculapii cognomen apud Spartanos, apud quos ejus dei simulachrum ex *agno*, quae planta est, erat exsculptum. Cael. Rhod. 18. 5.

Agno, seu *Hagno*, una ex nymphis, quae Jovem educarunt, à qua & in Lycaeo fons appellatur, cujus ea olim fuit vis, ut re divinâ ibi à Lycaei Jovis sacerdote curiosiùs peractâ, & fusis precibus, quernoque ramo aquâ leviter commotâ mox densior surgeret vapor nebulae assimilis, qui non multo post nubes effectus, largos imbres demittebat. Paus. *in Arcad.* & inde Rhod. 13. 17.

Agnodice, virgo medicinam discere cupiens, abscissâ comâ, habitu virili sumpto, se Hierophilo cuidam tradidit in disciplinam, à quo probè edocta parturientium mulierum morbis medebatur, quas sexus sui clam certas faciebat. Tandem à medicis dolentibus, se ad foeminas non amplius admissos, in judicium pertracta, quòd dicerent hunc esse illarum corruptorem, coram Areopagitis tunicâ allevatâ, se foeminam esse ostendit. Tunc Athenienses legem emendantes, artem medicam discere mulieribus ingenuis permiserunt. Hyginus.

Agnoeta, haeretici, Theophronii Cappadocis, qui se Eunomio junxerat, sectatores. Dei omniscientiam in dubium vocarunt, circa an. 370. Niceph. *l.* 12. *c.* 30.

Agnoita, haeretici, ab *ignorantiâ* sic dicti, quòd novissimam horam Christo ignotam esse arbitrarentur. Cael. Rhod. 1. 14. Baron. *A. C.* 535. & 563.

Agnon, Niciae fil. Samio bello, quando à Pericle insula devicta est, dux fuit. Bello Peloponnesiaco contra Potidaeam cùm validis copiis profectus, morbi vi inde, irrito incepto, abscedere coactus est. Hic Amphipolin condidit. Sed cùm postea in bello ad Brasidam Amphipolitani defecissent, illi, quoniam ad urbem ipsorum victor in acie ceciderat, coloniam ceu conditori adscripserunt, dejectisque Agnonis monumentis ad Brasidam honorem transtulerunt. Thucydides.

Agnon, authoris nomen. Quintil. 2. 16.

Agnon, municeps Steriae tribûs Pandionidis, Pater Theramenis.

Agnon, fil. Niciae, fame cum exercitu se dedere coactus, in bello Potid. Thucyd. *l.* 2.

Agnon, Teius, Alex. M. praefectus. Plin. 33. 3.

Agnonia, opidum Thraciae juxta Amphipolim. Steph.

Agnonides, Rhetor, vel potiùs Sycophanta Atheniensis, qui accusavit Phocionem apud Polysperchontem, quòd Piraeeum Nicanori prodidisset. Damnato & cicutâ exstincto Phocione cùm desiisset esse, quem odisset Populus, rebusque ipsis perspexisset, qualem magistrum custodemque temperantiae ac justitiae amisisset, statuam ei aeneam posuit: hunc *Agnonidem* verò communi omnium suffragio damnatum necavit. Plut. & Corn. Nepos, *in Phocione*.

Agnos, Vid. *Agno*.

Agnos, vel *Agnus*, pars Demetriadis tribûs in Atticâ.

Agnos, Æolidis tribus gens. Hesychius. Ἀγνοῦς, τῆς Αἰολίδος φυλῆς δῆμος. Lego τῆς Ἀτταλίδος. nulla enim fuit Αἰολὶς φυλή. Tum legendum est Ἀγνοῦς, ut pridem emendavit Meursius, *De Pop. Att. p.* 2.

Agnotes, pop. Celticae juxta Oceanum. Steph. Vid. *Anagnutes*.

Agobardus, Archiep. Lugdun. Carolo M. familiaris. Imaginum cultum rejecit, & cùm Ludovici Pii filiis favere diceretur, depositus est. Sed restitutus, obiit, *A. C.* 840. Baronius, *A. C.* 823. &c.

Agobel, olim *Victoria*, urbs regni Tremesini in Africa, Marmol. *l.* 5. *c.* 16. Item urbs prov. Hea, in regno Maroci, Idem *l.* 3. *c.* 4.

Agoce, Æthiopiae sub Ægypto urbs. Plin. 6. 29.

Agola, urbs Africae, in Æthiopia super. prope Amaram montem.

Agon, locus est certaminis Romae, qui Circus Flaminius dicebatur;

cebatur; ponitur pro ipso certamine. Est quoque nomen proprium apud Plutarchum. Item Æthiopiæ fluvius. Dicitur autem *Agon* ab *α* privativo & *γωνία* angulus, quòd in loco non anguloso, sed rotundo *Agon* haberi soleat. *Ride si sapias*, Lector.

Agon Nemeacus, primùm ab Argivis actus post eum qui sub Archemoro fuit. Olymp. 53. Nemea autem celebrabantur post Tlepolemia, quæ agebantur die 24. mensis Gorpiæi.

Agon Gymnicus, quem Panathenæon vocant, Athenis actus.

Agon Androgei, quem statuerat Minos, præmium pueros Atticos largiens. Cæterùm Taurus (vir crudelis, & Minoi à consiliis) in agone fortissimus, universos in contentione superavit. Tandem verò factum est, ut à Theseo in palæstrâ vinceretur, ob quod Athenienses pueri tributariâ pœnâ liberati sunt. Plut.

Agon Olympius, ab Hercule institutus, à quo usque ad primam Olympiadem supputantur anni 430. Euseb.

Agon Capitolinus, à Diocletiano institutus, ad imitationem Agonis Olympici. Circa *A. C.* 88. Censorin. *c.* 18.

Agon Solis, ab Aureliano celebrari jussus, *A. C.* 275. Euseb. *Chron.*

Agonales ludi, Servio, quos Augustus Actiacis litoribus, devicto Antonio, statuit, ad quod respexit Virg. 3. *Æn.*

Actiaq; Iliacis celebramus litora ludis.

Agonalia, festa erant apud Romanos, in honorem Jani mense Januar. quotannis celebrari solita, ut est apud Ovid. *Fast.* 1. Aut certè in honorem *Agonii* Dei, ut Festus tradit, qui rebus agendis præesse putabatur. Eo die rex sacrorum arietem immolavit, ut tradit Varro *lib.* 5. Nominis multiplex reperitur notio; aut enim ex ritu sacrorum, in quibus minister tenens strictum gladium ad jugulandum arietem, rogabat *Agon*? Quam opinionem sequitur Ovid. *his versibus.*

Nominis esse potest succinctus causa magister,
Hostia cælitibus, quo feriente, cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper Agatne? rogat; nec nisi jussus agit.

Alii ad *Agonem* montem, in quo illa sacra fieri solebant, qui postea Quirinalis dictus est, referunt. Alii à certamine Curuli dictum putant, quòd hisce feriis antiquitus soleret celebrari. Nam Græci certamina & ludos, ἀγῶνας appellabant. Hujus sententiæ fuisse videtur Ovidius *in his:*

Fas etiam fieri solitis ætate priorum
Nomina de ludis Græca tulisse diem.
Et prius antiquus dicebat Agonia *sermo,*
Veraq; judicio est ultima causa meo.

Inde Ἀγώνιοι θεοί, οἱ τῶν ἀγώνων προεστῶτες. Hesychius & Ἀγὼν χαλκεῖος, τὰ ἐν Ἄργει Ἑκατόμβοια. Idem.

Agonalis Circus aliàs, nunc *Piazza Navona*, platea pulchra, & ampla Romæ, splendidissimis ornata ædificiis, fontibusque & Obelisco, in meditullio urbis, ab Innoc. X.

Agonax, Zoroastris præceptor in arte Magicâ. Quem Plin. *lib.* 30. *cap.* 1. *Azonacem* vocat.

Agonensis porta, quæ & Collina, & Quirinalis. Hodiè *Porta Salari.*

Agones, qui percutiebant victimam apud Romanos, quòd ex more priusquam ferirent, populum rogabant *Agon*? id est, *Agone?*

Agones, pop. Insubriæ, quorum reg. *La Val di Gogna* hodie dicitur, teste Gaudentio Merulâ, in agro Ticinensi. Sed Polybius eos inter Apenninum mont. & Padum describit, ac post eos Boios, deinde Senones recenset. Ex quo Merula & Leander (qui eos inter Ferrariam & Ravennam describunt) errare deprehenduntur, nisi hi populi mutatâ sede in ea loca migrarunt.

Agonia, flu. Insubrum per Laumellinam reg. agri Ticinensis in Padum fluens. Vulgò *la Gogna.*

Agoniclitæ, hæretici, 8. sec. quòd precantes ingeniculare nollent, sic dicti. Johann. Damasc.

Agonida, Ins. Hispanicam habet Sex. Avienus.

Agonides, Phocionis accusator, ipsemet capite damnatus. Plut.

Agonis, liberta Veneris Erycinæ. Cic. Ver. 1.

Agonius, Deus rebus agendis præsidens, ejusque festa *Agonalia* dicebantur; quamvis aliqui ejus sacrificia sic dicta velint, quòd in montibus fiebant quos *Agonales* vocabant. Inde *Agonius* dies, quo Agoniam hostiam immolare solebant. Ovid. 1. Fast.

Nomen Agonalem credit habere diem.

Agonotheta, Agonum moderator, præses ac judex.

Agonus, Ἄγωνος, ποταμὸς περὶ τὴν Αἰθιοπίαν. Hesychius. Vid. *Collina* & *Quirinalis.*

Agopier, Aniacæ region. opp. Curopalati. *Ampierum* Cedreno.

Agora, seu *Agorum*, opp. Italiæ, Venetæ ditionis, in Bellumensi agro, ad Cordevo fluv.

Agora, oppidum in Chersoneso. Steph. hodie *Malgara*. *Agororum mœnia*, Europæ opp. in Hellesponto, Steph. Thraciæ, putat Ortel. Idem fortè cum *Agora.*

Agoracritus, Parius statuarius, Phidiæ discipulus. Plin. 36. 5. Hic creditur Veneris Rhamnusiæ signum effinxisse. Nam cùm de faciendâ Venere cum Alcamene discipulo contenderet, suffragio imperiti populi, non arte superatus, usque adeò rei indignitate commotus est, ut signum illud Nemesin appellaverit, eâque lege vendiderit, ne Athenis esset. Id ponebatur in Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnibus signis prætulisse dicitur.

Agoranomi, apud Athenienses quinque in Piræeo, & totidem in urbe erant magistratus, qui in foro venalia inspectabant, & curabant, ut ibi omnia modestè agerentur, ac ne vendentes aut ementes mendacium dicerent.

Agoranis, Indiæ fluv. in Gangem effluens. Arr. de Ind. Per *v.* in sec. legit quidam codex.

Agorea, vel *Agoræa*, Minerva, id est, *forensis*, à Lacedæmoniis culta. Pausan. & Cæl. Rhod. 18. 5.

Agorei, fluminis meminit historia Miscellanea *lib.* 16. in quo pontem scribit ædificasse Justinianum Imp. in Thracia videtur, juxta Agoram fortè.

Agoresus, Cariæ civitas, apud Stephanum.

Agoreus, Mercurius dictus, quòd ejus statua in medio foro poneretur. Jupiter item sic dictus eâdem de causâ.

Agoritæ, Gens in Sarmatia Asiat. Ptol.

Agra, locus Bœotiæ, ex quo Ilissus flu. oritur, & ubi Diana venata esse fertur, undè *Agræa* dicta. Item Susianæ urbs Ptolemæo, & Arcadiæ Plinio 4. 6. ubi legitur pl. num. *Agra.* Item reg. Leanitarum in Arabiâ. Plin. 6. 28. Incolæ *Agrai.* Steph. *Agrees* dicuntur Dionysio, uti videre est in his:

Ἀλλ' ἤτοι πρῶτοι μὲν ὑπὲρ κλιτὺν Λιβάνοιο
Ἀφνειοὶ ναίουσιν ἐπωνυμίην Ναβαταῖοι.
Ἄγχι δὲ Χαβλάσιοί τε καὶ Ἀγρέες. οἷς ἐπὶ γαῖα
Χατραμὶς ἐνναίει, κατεναντία Περσίδος αἴης.

Agra, urbs Asiæ, in Imperio M. Mogolis, ad fluv. *Gemini*, & in prov. Agra. Ibi persæpe commoratur Magnus Mogol; estque civitas perampla, dives, elegans. 150. leucis distat à Civ. *Lahor.* 35 ab urbe *Delli*, 70 ab urbe *Ameere.*

Agra, vel *Agiria*, variat enim lectio, Africæ urbs: in Concilio Carthaginensi sub D. Cypriano habito.

Agrabat, Vid. *Acrabatena.*

Agradarus, rex Persarum, posteà Cyrus dictus à Cyro Persidis fluvio. Strab. *lib.* 15.

Agradatus, fluv. Vid. *Cyrus.*

Agradiesis, Militis meminit lapis antiquus, in Smetii Volumine, *fol.* 90. *num.* 7. Italiæ videtur.

Agræ, oppidum est mediterraneum Arcadiæ, Plin. *lib.* 4. *cap.* 6. Item Atticæ regiuncula, Dianæ ἀγροτέρας templo insignis. Cæl. Rhod. *lib.* 20. *cap.* 7.

Agræa, Vide *Agrai.*

Agrai, & *Agrenses*, sunt Plinio, Dionysio & Stephano, Arabiæ felicis populi: in Arabia deserta sunt *Agrai* apud Ptolom. Alii sunt quoque ab his in Ætolia Livio & Straboni: qui ibidem etiam locum *Agræam* dictum habet, cujus incolas *Ephyros* vocat; & Thucydides 5. *Agraim* regionem. Vide *Agria* & *Arabia.*

Agragallidæ, Vid. *Acragallidæ.*

Agragas, vel *Acragas*, Siciliæ flu. circa Agrigentum urb. à quâ nomen accepit. *Draco* hodiè Fazello & Aretio. Item mons Siciliæ non longè à Gelâ, muro quondam cinctus, habens in summitate op. ejusdem nominis, alio nomine *Agrigentum*, unde Empedocles Philosophus, & Phalaris Tyrannus originem duxerunt. *Maro* à Nigro hodiè nominatur, ab Anonymo quodam *Gergenti.* Quatuor præterea hujus nominis urbes commemorat Stephanus, quarum primam in Thraciâ locat, secundam in Eubœâ, tertiam in Cypro, quartam in Ætoliâ. Nobis impræsentiarum de Agrigento Siciliensi agendum. Ubi veteres optimos equos alere, & exinde in Græciam ad Agones transmittere consueverant. Virg. *Æn.* 3.

Arduus inde Agragas ostendit maxima longè
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.

Græci optimè Ἀκράγας legunt. Post Himeræ ortum (inquit Bochartus) statim se offert Agrigentum, urbs olim celeberrima, quæque secundùm Syracusas, Siciliæ fuit amplissima. In quâ, si Laertio credimus, *lib.* 8. Μυριάδες κατῴκουν ὀγδοήκοντα. hoc est, *habitabant hominum octingenta millia.* *Octingenta*, inquam, non *Octoginta*, ut perperam habet Cluverius. Sed cùm res planè superet fidem, adeoque sit falsissima, ajo mendum esse in numeris, qui cùm per literas numerales compendiosè scriberentur, facilè potuerunt π & κ. permutari: quâ ratione factum, ut pro viginti myriadibus, octingenta scriberentur. Neque enim habuisse Agrigentum supra 20. myriades, hoc est, 200. incolarum millia, his verbis docet Diodorus Siculus. *lib.* 13. *pag.* 376. Ἀκραγαντῖνοι μὲν ἦσαν πλείους τῶν δεκακισμυρίων, σὺν δὲ τοῖς κατοικοῦσι ξένοις οὐκ ἐλάττους τῶν εἴκοσι μυριάδων. Agrigentum autem annis post

Gelam conditam centum & octo, id est, 600. annis circiter ante Christum, Gelenses condiderunt, ἀπὸ τοῦ Ἀκράγαντος ποταμοῦ ὀνομάσαντες, Thucydidis verba sunt, *lib.* 6. *N*eque aliter Stephanus, & Pindari Scholiastes. Urbis autem tyrannidem invasit Phalaris, Anno 183. U. C. per an. 16. Dein Pœni eâ potiti. Unde autem fluvius hic derivetur, jam disquirendum. Quod ut intelligatur, notandum est, Agrigenti duas fuisse partes, quarum una Græcis Ἄκρα, sive *arx* appellabatur, & à Polybio, *lib.* 8. sic describitur. Ἡ δ' ἄκρα τῆς πόλεως ὑπέρκειται κατ' αὐτὰς θερινὰς ἀνατολὰς, κατὰ μὲν τὴν ἔξωθεν ἐπιφάνειαν ἀπροσίτῳ φάραγγι περιεχομένη, κατὰ δὲ τὴν ἐντὸς μίαν ἔχουσα πρόσοδον ἐκ τῆς πόλεως. Hanc *Acran* ipsâ Agrigento volunt esse multo vetustiorem. Itaque antiqua hæc *Acra*, quæcunque tandem fuerit, Punicè ברך *Crac* dicebatur, & articulo præfixo *Haccrac*. id est, ἡ ἄκρα, & proximus flu. *Nahar Haccrac*, fluvius Acræ, seu Arcis. long. 37. 38. lat. 36. 10. De Sale Agrigentino, Vid. Plin. 31. 7.

Agragiensis, Classis meminit marmor inscriptum, Romæ.

Agrammes, Vid. *Aggrammes.*

Agramontium, Opp. Hispaniæ, in Catalonia prov. ad amnem *Sio*, inter Solsonam & Ilerdam Urbes, in planitie Urgellensi.

Agrani, pop. Arabiæ felicis.

Agrani, op. Babylonicæ reg. Plin. 6. 26.

Agrantomagum, Galliæ urbs, Antonino: circa Rhedones videtur. Vid. *Argantemagum.*

Agraria Lex, quæ ferebatur de agris populo dividendis. Livius. Seditionum, & eversæ sub J. Cæsare Reip. occasio. Vide Cic. *pro Lege Agrariâ.* Florum, Appian. *l.* 1. *B. C.*

Agras, Vid. *Agra.*

Agraule, tribus quædam Athenis. Steph. & Plut. *in Alcib.* Est & Atheniensium locus, in Sardinia, Steph. Vid. *Agriaule* & *Agryle.*

Agraulos, filia Cecropis (forsan *Aglauros*) & Minervæ cognomen. Harpocration.

Agrauonitæ, Illyrici populi, Liv. 45.

Agre, oppidum Lydiæ. Steph. ex Herodiani 11.

Agreable, Ins. regni Fessani. Marmol. *l.* 4. *c.* 49.

Agreda, urbs Americæ Merid. in regno Popajani, parva ad montium radicem, sub Hispanis.

Agredicum, Vid. *Agendicum.*

Agrei, pop. Plin. 6. 20. 50. & c. 28. 6. 72.

Agresphon, περὶ ὁμωνύμων, hoc est, de ejusdem nominis viris illustribus scripsit, teste Suidâ in Ἀπολλώνιος.

Agrestinus, Monachus Gallicanæ Ecclesiæ quietem turbat, sub Clothario R. Baron. *A.C.* 617.

Agria, sive *Agaria*, reg. Sarmatiæ. Ubi agaricus nascitur. Item urbs Iazygum, in Hungar. sup. Incolis, *Erla* seu *Eger*, à Solymanno frustra obsessa, sed tandem à Mahomete 3. An. 1596. subacta, Turcis nunc paret; parva sed munita. Ad amnem *Agriam*, qui tribus ab hinc leucis cadit in Tibiscum fluv.

Agria, pop. Pæoniæ, inter Æmum & Rhodopen. Steph. Ab Agriane fluv.

Agriane, op. Asiæ minoris, in Cappadocia, prope *Irim* fluv.

Agrianes, Herodoto fluv. circa Thraciam. Vid. *Agria.*

Agriaspe, Vid. *Arimaspi.*

Agriaula, gens Att. Hesych. *Agraula* fortè Steph.

Agricola, socer Cornelii Taciti, cujus vitam Tacitus ipse conscripsit. Item Cos. Rom. Clementini collega. Item alius, Eustathii collega, quorum ætate Constantinus Imp. obiit. Cassiodor. Paul. Æmil. *l.* 1.

Agricola Georgius, Vid. *Georgius.*

Agricola Rod. natus prope Groningam, Imper. Maximiliano charus: trium LL. Philosophiæ, Theologiæ, Antiquitatis, Poëseos, Musicæ, Graphices &c. peritiâ celebris. Epitomen historiæ conscripsit, in gratiam Philippi Electoris Palat. ut & alia, quorum catalogum apud Trithemium habes. Obiit Anno 1485. Heidelbergæ, ubi Philosophiam docuit. Bembus, Erasmus, &c.

Agrigentum, Vid. *Agragas.*

Agrii, populi quidam, qui & Cynomolgi. Strab. *lib.* 10.

Agrii, Titanes sic dicti. Hesych. Ἄγριοι θεοί, οἱ Τιτᾶνες. Idem Ἄγριοι λιμένες, τόπος ἐν Ἑρμωνι. Fortè leg. ἐν Ἑρμιόνῃ, vel Ἀρμενίᾳ.

Agrillium, opp. Asiæ minoris, in Bithynia. 5. m. p. distat Niceâ urbe.

Agrimelissa, Hesychius Ἀγριμέλισσα, Ἡγησίας οὕτως ἐκάλει. Fortè leg. *Hegesippus*, vel *Hegesianax.*

Agrinagra, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Agrinium, Acarnaniæ urbs, Polyb. 6. & Diodor. 19.

Agriodos, ab Ovid. inter canes Actæonis numeratur, & ab *agresti* seu *feroci dente* nomen habet. Ovid. *Met.* 3.

Labros, & Agriodos, & acutæ vocis Hylactor.

Agrionia, festa erant apud Bœotios, quæ in honorem Bacchi quotannis celebrabantur. Varia autem Baccho cognomenta veteres tribuerunt; atque, ut omittam quæ nihil ad institutum præsens faciunt, eorum duo sunt, benignitatis; Μειλίχιος, id est, *Mitis*, & Χαριδότης, quod explicat Virgilius, cùm *lætitiæ datorem* appellat. His adversantur ista Crudelitatis, Ἀγριώνιος, & Ὠμηστής; eaque Plutarchus inter se componit *in Antonio.* Nam cùm Antonius vellet se Liberum Patrem dici, habitu quoque & comitatu Liberi veniret Athenas, Πόλις, inquit, ἦν πλέα Διόνυσον αὐτὸν ἀνακαλουμένων, Χαριδότην, καὶ Μειλίχιον· ἦν γὰρ ἀμέλει ἐνίοις τοιοῦτος, τοῖς δὲ πολλοῖς Ὠμηστὴς καὶ Ἀγριώνιος. *Civitas erat plena Bacchum ipsum reclamantium, Lætitiæ datorem, & Mitem; talisq; forte nonnullis erat, pluribus autem Crudelis, & Ferus.* Idque omnino geminum est dicterio Romanorum, in Antonii collegam Cæs. Augustum, Apollinis ornatu se jactantem; *Cæsarem planè esse Apollinem, sed & Tortorem, quo cognomine is Deus, quâdam in parte urbis colebatur.* Suetonius, *cap.* 70. Baccho igitur *Agrionio* dicatum est festum *Agrioniorum.* De quibus nihil habeo quod in medium proferam, præter duos Plutarchi locos: quorum alter est, *lib.* 8. *Sympos. qu.* 1. ubi tradit apud suos, in Agrioniis, Bacchum, ceu fugitivum à mulieribus investigari; easque facto quærendi fine, dicere, apud Musas illum occultari. Οὐ φαύλως οὖν καὶ παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις τὸν Διόνυσον αἱ γυναῖκες ὡς ἀποδεδρακότα ζητοῦσιν· Εἶτα παύονται, καὶ λέγουσιν ὅτι πρὸς τὰς Μούσας καταπέφευγε, καὶ κέκρυπται παρ' ἐκείναις. Μετ' ὀλίγον δὲ τοῦ δείπνου τέλος ἔχοντος, αἰνίγμασι, καὶ γρίφοις ἀλλήλοις προβάλλουσι. *Non itaq; ineptè apud nos in Agrioniis mulieres Bacchum quærunt, tanquam fugitivum; deinde finem quærendi faciunt, dicuntq; eum ad Musas confugisse, atq; apud eas latere occultatum; paulò post, finitâ cœnâ, sibi invicem ænigmata & griphos proponunt.* Quâ ceremoniâ nihil aliud significari puto, quàm depravatos hominum mores, animosque ferociâ temulentos, ad rationis statum Musarum commercio revocari. Alter locus est *in Quæst. Græcis*; ubi refert Minyæ filias furore correptas, esum humanarum carnium appetivisse, Leucippamque missâ sorte, filium Hippasum præbuisse dilaniandum; Quæ causa fuit, cur Minyæ posteros ab Agrioniis stricto gladio Bacchi sacerdos arceret. Καὶ γίνεται παρ' ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις φυγὴ, καὶ δίωξις αὐτῶν ὑπὸ τοῦ ἱερέως τοῦ Διονύσου ξίφος ἔχοντος. Ἔξεστι δὲ τὴν καταληφθεῖσαν ἀνελεῖν, καὶ ἀνεῖλεν ἐφ' ἡμῶν Ζώϊλος ὁ ἱερεύς. *Et quotannis fugantur in Agrioniis à sacerdote Bacchi stricto gladio; licetq; deprehensam interficere: Et quidem necavit ætate nostrâ Zoilus sacerdos.*

Agriopas, Ὀλυμπιονικῶν historiam texuit. Plin. 8. 22. Item Cynaræ illius pater, qui tegulas & metalla, forcipem, item marculum, vectem & incudem invenit. Plin. 7. 56.

Agriope, Agenoris uxor Lactantio *in* 2. *Theb.* Statii, & Hygino; quæ tamen *Telephassa*, seu *Telephaessa* Apollodoro & Moscho vocatur. Fuit alia ejusdem nominis, quam Mimnermus Orphei uxorem fuisse vult, quam tamen cæteri omnes Eurydicen vocant.

Agriophagi, atque *Moschophagi* pop. Æthiopum occidentem versus, qui, teste Solino, solùm Pantherarum, & leonum carnibus vescuntur, Regem habentes unoculum. *Agriophagos*, habet Ptol. in India intra Gangem. V. *Cyclopes.*

Agrippa, Latinum vocabulum est, dictum ab eo, quòd ægros, id est, difficiles partus faciat; Cui malo quo pacto obviam itum à Romanis, Vid. Plin. 7. 8. vel dicitur ille Agrippa, qui in nascendo prius emittit pedes. Gellius. 16. 16. Nonius *cap.* 9. Plin. 7. 8. *In pedes procedere nascentem contra naturam est, quo argumento appellavere Agrippas, ut ægrè partos.* At Claud. Salmasius, summus, ac eruditissimus vir, & usu & origine Græcum esse nomen, ἀπὸ τοῦ ἀγρεῖν καὶ ἵππος, Exercitationibus Plinianis ostendit. Vid. infra.

Agrippa Cor. Colonia est in Thesauro Goltzii, ex nummo. *Agrippa Patricia* ibidem: *Agrippæ stagnum*, Romæ, est apud Tacitum *Annal.* 15. *Agrippenses* sunt Plinio Bithyniæ populi.

Agrippa, primus is appellatus est, V. supr. qui cum labore matris sit editus; v. g. in pedes, non in caput, ab *agro partu* dictus: quemadmodum natum M. Vipsanium Agrippam Augusti generum tradit Plinius *lib.* 7. 8. Alii *Agrippam* dicunt; quasi ægrè pedibus natum, cùm hi propriè dicerentur *Agrippæ*, quorum in nascendo non caput, sed pedes primi exierunt, qui partus difficillimus ægerrimusque habetur. *Agrippa* cùm prius prænomen esset, quo priscis temporibus regem Albanorum Agrippam Silvium primùm; deinde Menenios & Furios usos esse constat; Sequentibus temporibus in cognomen transiit apud Romanos in Vipsaniorum, Asiniorum & Hateriorum familiis.

Agrippa, M. fil. Aristobuli, magni Herodis filii, à Tiberio Cæsare conjectus in vincula, sed à Caio liberatus, rex Judææ factus est, regnavitque an. 7. Postea Claudius Cæsar regnum ejus confirmavit, omne Herodis imperium & Lysaniæ adjiciens, tetrarchiam quoque Philippi Bethaniam Trachonitidem &c. Joseph. *Ant.* 15. 4. Is Jacobum Apostolum gladio interfecit, & Petrum in carcerem detrusit. Act. 12. Item Herodes *Agrippa*, secundus Galilæorum tetrarcha, Herodis, primi Judæorum regis, fil. qui CHRISTUM illusum remisit ad Pilatum Fil. defuncto Herode, Chalcidis Rex designatus est à Cl. Tiberio, an. M. 4011. Christi, 49. Vir prudens, Hebræè Latineque doctus. Berenices maritus, de quo in Actis Apostolorum V. infra, & Juvenal. *Sat.* 6.

Deinde

—— *Deinde adamas notissimus, & Berenices*
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incesta, dedit hunc Agrippa sorori;
Observant ubi festa mero pede sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Agrippa, vide *Julius*.

Agrippa, hic ultimus Iudæorum Rex à Vespasiano missus Romam, sententiam novi Principis de bello Judæorum sciscitatum. Postea creato à legionibus Imperatore Vespasiano, per occultos suorum nuncios excitus ab urbe, ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione properavit. Sub hoc Hierosolyma excisa, ille Tito & Vespasiano honoratus, Romæ obiit. A.C.100. Egesipp. *lib.* 4. *cap.* 21. Tacit. *Hist.* II. 81. *Jos. de Antiq.* 20. *de B. l.* 2. & 3. Dion.

Agrippa Menenius, cognomento Lanatus; dux à Romanis electus adversus Sabinos, de iis triumphavit. Et cùm plebs à patribus secessisset in Aventinum, quòd tributum & militiam toleraret, nec revocari posset, Agrippa apud eam verba faciens, *Humani artus*, inquit, *cùm ventrem otiosum viderent, ab illo discordarunt, & suum illi ministerium negaverunt. Cùm autem eo pacto & ipsi quoq; deficerent, intellexerunt, ventrem cibos acceptos per omnia membra dividere, & sic cum eo in gratiam redierunt: Sic Senatus & Populus, quasi unum corpus, discordiâ pereunt, concordiâ valent.* Livius 2. Dion. Halic. 6. Florus. 1. 23. Plut. *in Coriol.*

Agrippa, Sylvius, Tiberini Sylvii fil. duodecimus Latinorum rex, summerso patri in regno successit, & cùm anno 41. regnasset, moriens Romulum Sylvium reliquit hæredem. Dion Halicarn. *l.* 1. *c.* 8.

Agrippa, Vipsanius. Vide *Vipsanius*.

Agrippa, Augusti gener, navali victoriâ contra Sextum Pompeium insignis. Virgil. *Æn.* 8.

Parte aliâ ventis, & Diis Agrippa secundis
Arduus. Hor. *lib.* 1. *Od.* 6.
Scriberis Vario fortis & hostium
Victor Mæonio carminis aliste,
Quam rem cunq; ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit.
Nos Agrippa neq; hæc dicere, &c.

Agrippa, fil. Posthumus M. Vipsanii Agrippæ, ab avo Augusto, in Planasiam Inf. relegatus, ibi Tiberii jussu, sublatus est, Tacit. *Annal.* 1. Unus ex servis ejus, herum se simulans, parum abfuit, quin ingentes turbas daret. *Idem l.* 2.

Agrippa, cognomento Castoris, vir apprime doctus, contra 24. Basilidis hæretici volumina, quæ contra Evangelia ille scripserat, acerrimè disseruit. Hieronymus.

Agrippa, Furius Medullinus, ac Titus Quin. Capitolinus Barbatus Consules, Romani; Æquos, Volscosque vicerunt.

Agrippa, Philosophus Scepticus. Laert. *lib.* 9.

Agrippa, Furius Philo, Tribunus militum.

Agrippa, Mathemat. sub Domitiano, in Bithynia, Lunam Pleiadibus junctam observavit, 29. Nov. A. C. 92. Ptol. *l.* 7. *c.* 3. D. Haterius *Agrippa*, Consul cum Sulpitio Galba, A. C. 22. M. Asinius *Agrippa* Consul, cum C. Corn. Lentulo, A. C. 25.

Agrippa Henricus Cornelius, à Nettesheim dictus, Juris Utriusque & Medicinæ Doctor, armatæ insuper militiæ Eques auratus, C. S. E. scripsit plurima, inter quæ eminet *de vanitate scientiarum* liber. Reliqua enim, quæ de Magia edidit, dubiæ auctorem famæ reddunt. De cane nigro, qui ad moribundi pedes se visendum præbuit, Vid. alios. Obiit A. C. 1534. æt. 48. Gratianopoli. In hunc Agrippam, Poëta quidam seq. distichο lusit:

Sint vana hæc humana, licet: Sed vanius illud,
Hæc à latranti te dedicisse Sopho.

Agrippenses, Bithyniæ pop. Plin. 5. 32.

Agrippias, Vid. *Anthedon*.

Agrippina, cogn. *Vipsania*, fil. Agrippæ, neptis Cecilii Attici, cui Cicero Epistolas inscripsit. Uxor Tiberii, sed ab eo repudiata, ut Juliam duceret, Augusti fil. Suet. *in Tiberio*, *c.* 7. Susceperat autem ex Tiberio Drusum. Vid. Tacit. Dion. Sueton.

Agrippina, M. Agrippæ filia, neptis Augusti, & uxor Germanici, quem etiam in Syriam comitata est: ubi quum ille, misso à Cn. Pisone veneno, interiisset, cineres ejus in Italiam reportavit & Juliæ familiæ monumento intulit, Pisonemque judicio persequuta ad spontaneam necem adegit. Postremò apud Tiberium Cæsarem, nullo suo merito in invidiam adducta, inediâ sibi mortem conscivit. Vid. Tac. 1. 2. 3. 5. Sueton. *in Tiberio*, *c.* 52. Item Julia *Agrippina*, Germanici, & superioris Agrippinæ filia fuit, quæ primùm C. Domitio Ænobarbo nupsit, cui Neronem peperit, mortuoque Domitio, novo quodam exemplo cum Claudio Cæsare patruo suo secundas nuptias contraxit: quem, ut Neroni filio suo expeditam ad Imperium viam sterneret, venenato boleto sustulit. Tandem infinitis nobilissimorum virorum cædibus grassata, immissis Neronis jussu percussoribus, multis vulneribus confossa est, illud identidem clamans, *Feri ventrem, qui monstrum tam ferum tulit.* Utriusque vitam vide latiùs apud Tacitum.

Agrippina, sive potius *Agrippinensis* Colonia urbs est celeberrima ad Rhenum fluv. sui penè juris, & omnium urbium Germ. maxima cultissimaque, Vibiorum metropolis, nomen habens ab *Agrippinâ* Neronis matre, quæ, ut patriam (ibi enim nata erat) splendidiorem redderet, sociisque etiam nationibus potentiam suam ostentaret, Veteranorum coloniam eò deduci imperavit. Vide Tac. *An.* 12. Ibi Academia antiqua, quæ anno 1388. publicè renovata est, ornataque privilegiis, Parisinæ similibus, ab Urb. 6. Ex adverso urbis fuit olim Divitense munimentum, nunc *Duitsch*, cum ponte Rheni, extructum à Constant. M. sed à Brunone Ep. destructum est, Anno 955. Vid. *Colonia* & *Ubii*.

Agrippinus, Vid. *Paconius*.

Agris, Ptol. Carmaniæ urbs. Steph. ἀγρέσια est.

Agrisius, 14. Argivorum rex, regn. an. 13.

Agrius, Parthaonis, Martis filii, filius; Thersitis pater; cujus nihil præter nudum nomen ad nos pervenit. Boccatius. Item frater Oenei Diomedis avi. Hom. *Il.* ξ.

Πορθεῖ γὰρ τρεῖς παῖδες ἀμύμονες ἐξεγένοντο,
Ὤικεον δ' ἐν Πλευρῶνι, καὶ αἰπεινῇ Καλυδῶνι,
Ἄγριος ἠδὲ Μέλας, τρίτατος δ' ἦν ἱππότα Οἰνεὺς
Πατρὸς ἐμεῖο πατήρ. ——

Fuit & *Agrius* Ulyssis ex Circe fil. cum Latino fratre. Hes. *in Theog.*

Agrius, fluv. regni Neap. in Basilicata prov. Cadit in sinum Tarentinum. Oritur supra Marsicum novum, ex Apennino monte.

Agrizana, Vid. *Assuna* & *Argizala*.

Agroela, Vid. *Agraule*.

Agrœtas, rerum Scythicarum scriptor; cujus meminit Apollonii Scholiastes *in lib.* 2. Idem *in* 3. *rerum Libycarum* citatur ab eodem *in lib.* 4. Meminit ejusdem Stephanus *in* Ἄμπελος.

Agroira, vide *Attalia* apud Stephanum.

Agrolas, unà cum Hyberbio ad arcis Atheniensis radices domicilia habuerunt, omnemque ambitum murorum arcis fecerunt, præter eam particulam, quam Cimon Miltiadæ filius construxit. Pauf. *in Att.*

Agron, primus qui inter Heraclidas Sardis regnavit. Herodot. *lib.* 1. Item rex Illyriorum, qui cùm Ætolos superbissimos populos bello superasset, tantâ sese præ gaudio vini copiâ obruit, ut pleuritide correptus subitò extinctus fuerit. Polyb. Item medicus insignis, qui accensis in proximo ignibus, Atheniensibus magnâ vi pestilentiæ graviter infestatis, salutarem opem tulit. Cæl. Rhod. 24. 22. Item Nini filius, quòd in agris natus esset, sic dictus. Idem 23. 25.

Agros, Regionis nomen, Steph. Loci nomen circa Propontidem, Cedreno.

Agrospi, opp. ad Nili ripam, in Æthiopiâ, sub Ægypto. Plin. 6.

Agrosius, mons, ubi nunc Roma, ad quem Faunus ab Evandro ex Arcadiâ pulsus concessit, quem ipse postmodum Palatinum appellavit.

Agrotera, Dianæ cognomen. Cæl. Rhod.

Agryle, vel *Agraule*, pars tribus Erechtheidis Athenis, & op. in Sardiniâ Atheniensium colonia. Steph.

Agubeni, Arabiæ desertæ gens. Ptol.

Aguensis, plebs in Afr. Collat. Carth. an pro *Agnensis*, ab Agna. Vel potiùs *Aquensis*, ab *Aqua*?

Aguillonium, Urbecula lepida Galliæ, ad Garumnam fluv. ubi recipit Lotium, in Aquitan. Ducatus titulo clara. In Aginnensi agro & reg. feraci sita est. Aginno 4. leucis, Nero 3. distans.

Agulha Caput, *Cap. des Aiguilles*, in Africa. Vid. *Acuum caput.*

Aguntum, opidum Siciliæ, Ptol. Norici item opidum, vulgò *Inneken*. long. 33. 52. lat. 46. 37. Etiam *Gurkthal* alibi Lazio. Aliis est *Doblach*, opp. Brixinensis tractus, in Tyrolis Comit. ad montium radices, juxta amnem *Rienz*, 9. m. p. ab oppido *Inneken*. Cluv.

Agurium, Siciliæ urbs, Ptolem. *Agyrinos* populos habet Plinius. Simlerus scribit, *Augurium* Antonini esse, & hodie *S. Philippo in Agirone* appellari, cui assentitur Leander. *Agyrena* legit Stephanus: Agyrinenses apud Ciceronem sunt. Diodorus Siculus geminato γγ scribit, & idem alio in loco ἀγύριον per ρ in prima.

Agustrus, fluv. Galliæ, *l'Agout*. Vid. *Acutus*.

Aguti, vel *Agita*, Insula inter Siciliam & Africam: Antoninus.

Aguzis, Vide *Ogyzis*.

Agyamaria, Episcopalis locus, sede Sergiopoleos. Guilielmus Tyrius.

Agyleus, sive ut Macrobius, & rectiùs *Agyeus*, Apollo ab Atheniensibus dictus, quòd ei in viis publicis suæ urbis ex responso statutis altaribus sacrificarent. Ἀγυιὰς enim illi *vias* dicunt, quæ sunt contra pomœria. Horatius,

Daunia defende decus Camænæ
——— *Levis Agyeu.*

Agyllina vada, Vid. *Thrasumenus*.

Agylla, Tusciæ civitas, à conditore appellata. Servius. Vide *Cære*. Virg. *Æn*. 8.

Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinæ sedes, ubi Lydia quondam
Gens bello præclara jugis insedit Etruscis.

Dionys. Halicarn. *lib*. 3. Ἐπὶ τὴν Καιρητανῶν πόλιν ἦγε τὴν δύναμιν, ἣ πρότερον μὲν Ἄγυλλα ἐκαλεῖτο, Πελασγῶν αὐτὴν κατοικούντων. Strabo *lib*. 5. Ἄγυλλα ἐλογίζετο τὸ πρότερον ἡ νῦν Καιρε, καὶ λέγεται Πελασγῶν κτίσμα τῶν ἐκ Θετταλίας ἀφιγμένων. Divitem fuisse civitatem innuit Lycophron *in Cassandrâ*, ubi Ἀγύλλης memorat πολυῤῥήνους νάπας, id est, *pecorosos Agyllæ saltus*. Quin & Liv. *lib*. 1. *opulentum opidum* expressè vocat. Unde Dionys. Halic. *lib*. 3. Εὐδαίμων καὶ πολυάνθρωπος dicitur.

Agylleus, luctator Cleonæus, staturæ prægrandis, nec minor Hercule. Statius. *Theb*. 6.

—— *Levat ardua contra*
Membra Cleonææ Stirpis jactator Agylleus,
Herculeâ non mole minor.

Agynnii, Hæretici, circa A. C. 694. A carne & conjugio abstinebant, Deum utriusque authorem esse inficiati.

Agyranis, Vid. *Agoranis*.

Agyrena & *Agyrini*, Vid. *Agurium*.

Agyris, Agyrenensium tyrannus, cum quo Messenii pacem fecerunt. Diod. 14. qui post Dionysium totâ Siciliâ erat potentissimus. Nam circumjecta munimenta propemodum omnia habebat in manu & populosissimæ istis temporibus urbi Agyrenensium imperitabat: quippe in illâ haud pauciores viginti millibus viventium numerabantur. Præterea magnam opum vim ex bonis interemptorum opulentissimorum civium in arce asservabat. Hunc Dionysius major, cùm Mago Siciliam octoginta millibus Olymp. XCVII. anno primo invasisset, traxit in societatem. Ibid. f. 446.

Agyris, rex Cypri & socius Persarum ab Evagorâ occisus fuisse arguitur, apud Artaxerxem, ab Amathusiis, Soliis & Citiensibus. Diodor. 14. 447.

Agyrium, Siciliæ urbs. Priscis Græcis Ἀγύριον, Ptolemæus verò Ἀγύριον vocat. Stephano Ἀγύρινα dicitur, unde vulgare vocabulum hodiè *Agirone*. Populi *Agyrinenses* Tullio, *Agyrini* Plinio. In Excerptis Legat. Diodor. Sic. *lib*. 22. Ἀγυραῖοι procul dubio mendosè pro Ἀγυριναῖοι. Origo hujus op. tam vetusta est, ut Herculis fabulis admiscuerint prisci mortales. Quâ de re vide Diod. Sic. cujus patria fuit. *lib*. 4 & 14. & 16. Posterioribus etiam temporibus celebrem fuisse urbem patet ex Cicer. *Verrinâ* 3. *Agyrinensis est imprimis honesta Siciliæ civitas, hominum ante hunc Prætorem locupletium, summorumque aratorum.* Sed præ omnibus aliis rebus maximè celebrem reddidit ille, qui sub initium operis sui ita scribit, Ἡμεῖς γὰρ ἐξ Ἀγυρίου τὸ γένος τῆς Σικελίας ὄντες. Docti sciunt quem velim.

Agyrius, ab Atheniensibus, Thrasybulo, ad Eurymedontem fluv. ab Aspendiis interfecto, subrogatus Dux. Olymp. XCVII. An. 3. Diod. 14.

Agyrtes, patrem interfecisse dicitur. Ovid. *Met*. 5.

—— *Et cæso genitore infamis Agyrtes.*

Item nomen tubicinis apud Statium *in Achilleide*,

——— *Tecum lituo bonus adsit Agyrtes,*
Occultamque tubam tacitos apportet in usus.

A H.

Aha, Rabbinus celebris, sec. 7. Author scripti *Seelloth*, cujus inter Judæos magnum est nomen Genebr. *Chron*.

Ahala, Serviliorum cognomen. Ita enim scribitur in nummis non *Hala*. Cic. autem in Oratore significare videtur *Ala* scribendum esse. Manutius.

Ahalab, Lat. *fratres cordis*, sive *lacteus*, vel *lactans*, aut *adeps*. Nomen urbis. Jud. 1. 31.

Ahara, Lat. *frater redolens*, aut *pratum odoris*, filius Benjamin. Par. 8. qui Gen. 46. *Gera* dicitur.

Ahareel, Lat. *alter exercitus*, sive *novissimus exercitus*: aut *alter dolor*, sive *novissimus dolor*: aut *ovis fratris*, filius Aram. 1. Par. 4.

Aharna, op. Etruriæ. Liv. *lib*. 10.

Ahasbai, Lat. *confidens in me*, vel *frater circumdans*: aut ex Ebræo & Syro, *frater senectutis*, filius Machati. 2. Sam. 23.

Ahasias, octavus Israëlitarum rex, regnare cœpit an. 17. regni Jehosaphat, regnavitque an. 2.

Ahasthari, Lat. *cursor*, vel *veredarius*, sive *festinatio turturis, aut exploratoris*, sive *frater qui explorat*: vel ex Syro & Ebræo *princeps turturis*, vel *princeps explorationis*. Filius Asher ex Maara. 1. Par. 4.

Ahasuerus, qui est Darius Hystaspis fil. hinnitu equi Rex Persarum confirmatus, reg. an. 36. Herodotus. Repudiatâ uxore suâ Vasthi, Estheram matrimonio sibi junxit. Esth. 2. Aliis Xerxes hic videtur, nec sine ratione.

Ahava, Lat. *essentia*, sive *generatio*, fluvii nomen. 1. Esd. 8. *vers*. 31.

Ahaz, Lat. *apprehendens*, sive *possidens*, aut *videns*, filius Micha. Par. 8. Item alius Neh. 11. 13. Sed leg. *Ahazi*.

Ahemremmon, tribus Judæ locus, Josuæ 15. ut vertit D. Hieronymus. Apud 70. Interpretes duo loca sunt Αἰν & Ῥέμμων. *Ain* tempore D. Hieronymi *Bethennim* vocabatur.

Ahenobarbus, cognomen Domitiorum, quod primus tulit Cn. Domitius, & ad suos posteros propagavit. Quidam scribunt *Ænobarbus*; sed in antiquis lapp. ac monumentis semper est *Ahenobarbus*.

Aher, Lat. *alter*, sive *posterior*, aut *novissimus*. Nomen viri. 1. Par. 7.

Ahi, Lat. *frater meus*, fil. Somer. 1. Par. 7.

Ahia, Lat. *frater domini*, fil. Sisa, princeps exercitûs Salomonis. 1. Reg. 4. Pater Baasa. 2. Reg. 9. Fuit & propheta quidam Silonites. 1. Reg. 12. & 14.

Ahialon, *Elon*, *Ajalon* aut *Addon*, Zabulonita, 11. Judex Israëlit. Judic 12. 12. Torniel. Salian.

Ahialon, Ἐλὼν 70. Interpretibus, locus Palæstinæ, Josuæ 19. Urbs est à Salomone ædificata, 2. Paralip. 11. hæc *Ealom* 70. Interpr. est, & *Elom* Josepho *Antiq*. 8.

Ahiam, Lat. *frater matris*, aut *frater gentis*, fil. Sarar. 2. Sam. 23. Qui Par. 1. 11. dicitur fil. *Sachar*.

Ahiar, D. Hier. *Avan* 70. Interpp. Assyriæ reg. pop. videtur. 2. Reg. 17.

Ahicam, Lat. *frater resurgens*, vel *frater vindicans*, fil. Saphan. 2. Reg. 22.

Ahie, quæ & *Achalgai*, pro hoc interpretatur Symmachus, *in Collibus*: est autem è regione quondam Moab, nunc Arcopoleos, ad Orientalem plagam: sic D. Hieron. in locis hebraicis.

Ahiezer, vel *Achiezer*, Lat. *frater adjutorii*, vel *fratris adjutorium*, aut *fratris atrium*, fil. Amishadai, princeps tribûs Dan. Num. 10. 25.

Ahilud, Lat. *frater natus*, pater Josaphat illius, qui erat à commentariis Davidi. 2. Sam. 8.

Ahimaaz, Lat. *frater meus consiliarius*, Sadoci fil. sacerdos Magnus, cujus ætate Shemaia & Iddo prophetarunt. Item socer Sauli. 1. Sam. 14. Item gener regis Solomonis. 1. Reg. 4.

Ahiman, Lat. *frater præparatus*, sive *frater dextræ*, aut *frater meus quid?* Nomen viri. 1. Par. 9. Filius Enach. Jos. 15.

Ahimelech, Lat. *frater meus rex*, vel *frater regis*, sive *consilii*, unus ex filiis Ithamar. 1. Par. 4.

Ahin, Lat. *frater vini*, vel *fratres*, fil. Semidæ. 1. Par. 7.

Ahinadab, Lat. *frater spontaneus*, aut *frater voventis*, vel *voti*, sive *frater principis*, fil. Addo. 1. Reg. 4.

Ahio, Lat. *frater ejus*, fil. Abigabaon. 1. Par. 8. Filius item Jehiel. 1. Par. 9. Filius Abinadab. 2. Sam. 6.

Ahion, Latinè *intuitus*, *oculus*, vel *fons*, nomen urbis. 1. Reg. 15. In tribu Nephthalim, quam Benhadab Rex Syr. cepit.

Ahira, Lat. *frater iniquitatis*, sive *frater socii*, aut *pastoris*, vel *fratrem confringens*, filius Enam, princeps tribus Nephthali. Num. 1. *vers*. 15.

Ahihud, Lat. *frater unitatis*, vel *acuminis*, aut *ænigmatis*, sive *gaudii*. Nomen viri 1. Par. 8.

Ahisahar, Lat. *frater auroræ*, vel *nigredinis*, filius Balam, filii Jadiel filii Benjamin. 1. Par. 7.

Ahisar, Lat. *frater principis*, *directionis*, vel *cantici*, aut *frater insidians*. Præpositus domûs Solomonis. 1. Reg. 4.

Ahiud, Lat. *frater laudis*, vel *confessionis*, filius Salomi, princeps tribus Aser. Num. 34.

Ahmet, Præfectus Ægypti, sub Saracenis, A. C. 878. cepit Antiochiam, & familiæ suæ Syriæ atque Ægypti regnum vindicavit, Damasci sedens. Opibus, eleemosynâ & numerosâ prole inclytus. Histor. Sarac.

Ahoban, Lat. *frater filii*, vel *fratris filius*, sive *frater intelligentiæ*; aut *frater ædificans*, vel *absconditus*, fil. Abisur, filii Semei, filii Onam. 1. Par. 2.

Ahod, Hebraicè *Ohad*. Lat. *laudans*, sive *confitens*; fil. Simeonis Patriarchæ. Gen. 46.

Ahod, Lat. *laudans*, sive *confitens*; fil. Balan, filii Jadihel, filii Benjamin. 1. Par. 7.

Ahod, Lat. *unitas*, vel *gaudium*, sive *ænigma*, vel *acumen*; nomen viri. 1. Par. 8.

Ahoe, Lat. *tribulus*, vel *spina*, sive *fraternitas*, aut *hamus*; fil. Bela filii Benjamin. 1. Par. 8.

Ahohites, Lat. *frater vivus*, aut *tribulus*, vel *spina mea*, Zalmonis cognomen. 1. Par. 27.

Ahoi, Civ. in tribu Juda. 1. Par. 11. 27.

Ahumai, Lat. *pratum aquarum*, vel *frater aquarum*, fil. Jahath. 1. Par. 4.

Ahusa, opp. Scaniæ in Suecia, ad mare Balticum, prope Christianostadium. Dicitur & *Ahus*, cum portu commodo, in ditione Suecorum paucis ab hinc annis.

Ahylam, 70. Interpp. *Eloth*, loci nomen, 2. Reg. 14.

Aja,

AI.

Aja, per ℵ Lat. *Vultur*, vel *heu*, sive *ubi est?* aut *insula ejus*, fil. Sebeon, filii Seir Horræi. Gen. 36. Item pater Risphæ Saulis concubinæ. 2. Sam. 3.

Aja, per ע Lat. *acervus*, civitas tribus Ephraim. 1. Par. 7.

Ajabira, opp. Americæ, in Peruvia, versus lacum Titicacam, 10. leucis Hisp. hinc distantem; Cusco autem 35. in merid.

Ajacis Murus, Vide *Nain τεῖχος*.

Ajacis Tumulus, Vide *Æantium*.

Ajalon, Lat. *ilex*, vel *quercus*, aut *fortitudo*, sive *cervus*, nomen civitatis à Roboamo constructæ, 2. Par. 8. Item vallis nomen, Jos. 10. Civitas de tribu Dan data Levitis, Jos. 21. Civitas refugii. 1. Par. 6. Filius Sellum, filii Sadoc. 1. Par. 6. Fuit & altera civitas in tribu Zebulun. Jud. 12.

Ajantium, Vid. *Apsapium*.

Ajas, Ægypti mons ad sinum Arabicum, Ptol. Fluvii nomen est Steph. ex Latmo fluentis. *Æas*. Lat.

Ajath, Lat. *hora*, sive *coacervatio*, urbs quæ Hebræis vocatur *Hai*, Esd. 10.

Ajax, nomen unius ex elephantis Antiochi. Plin. 8. 5. Item fluv. à Lycophrone sic dictus, hodie *Pilaca*, teste Gabriele Barrio; Est autem in Magna Græcia per fines Crotoniatarum fluens, & mare apud Lacinium promuntorium subiens. Sed scribendum videtur *Æas*

Ajax, Telamonis fil. ex Hesione filiâ Laomedontis, fortissimus Græcorum post Achillem; cum Hectore congressus est, à quo discedente, gladio donatus est. Achille postea mortuo, cùm Ajax sibi donata arma tanquam legitimus hæres repeteret, quòd ea Ulysses suâ eloquentiâ à judicibus accepisset, præ nimiâ irâ insaniens, permulta pecora, ac imprimis arietem corpore præstantem occidit, credens se Atridas & Ulyssem interemisse. Verùm ad mentis sanitatem rediens, cùm se falsum comperisset, acri dolore compulsus, gladio, quem Hector ei dederat, in loco deserto se transfodit; cujus cruor in hyacinthum florem, vel, ut aliis placet, in florem sui nominis transmutatus fuit. Quod eleganter Ovid. expressit, *Mutationum lib.* 13. *in his:*

Dixit: & in pectus, tum demùm vulnera passum,
Qua patuit ferro, letalem condidit ensem:
Nec valuere manus infixum educere telum.
Expulit ipse cruor. Rubefactaq; sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis puerog; viroq;
Inscripta est foliis: hac nominis, illa querelæ.

Flos autem qui dicitur Consolida regalis, ostendit has litteras A I A I. Becman. Græci fabulantur, totum fuisse invulnerabilem, præterquam in cervice. Hujus sepulchrum unà cum Achillis, ivisse visum Alexandrum M. refert, Diod Sic. 17. 17. Vid. Plutar. *in Dipnos. l.* 9. *q.* 5. Dictus est autem, ἀπὸ τοῦ αἰάζειν, hoc est, *lamentari*. Vid. Soph. *in Ajace Flagellifero*. Item *Ajax* Tragœdiæ nomen, quam Æsopus non sæpè agere solebat. Cic. 1. *Offic.* Item alia Tragœdia, quam magno impetu aggressus Augustus, non succedente stylo, abolevit; quærentibusque amicis, quidnam Ajax ageret? Resp. Ajacem suum in spongiam incubuisse. Suet. *in Augusto*.

Ajax, Oilei fil. rex Locrensium, velox pedibus, hastæ vibrandæ peritus; captâ Trojâ Cassandram virginem & vatem in templo Palladis vitiavit: Quam ob causam domum repetens fulmine à Pallade occisus est. Virg. *Æn.* 1.

——— *Pallasne exurere classem*
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto
Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei?
Ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem
Disjecitq; rates, evertitq; æquora ventis:
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloq; infixit acuto.

Vides ut hic Ajax pereat fulmine transfixus, & scopulo, idque ope Palladis, infixus. Alii verò censent illum naufragium evitasse; in his Timæus Locrus *Hist. lib.* 2. Μετὰ τῆς Τροίας ἅλωσιν πολλοὶ τῶν Λοκρῶν περὶ τὰς Γηρέας ναυηγησάντων ἀντρέθησαν: οἱ δὲ λοιποὶ σὺν Αἴαντι μόλις ἐς Λοκρίδα διεσώθησαν Sed Virgilius suo argumento serviens, & Homerum secutus, illum naufragio obruit. Adeundus Græcus vates *Odys.* 4. & Seneca *in Agamemnone*; Sed omnes dissident. Nam Homerus interitum ejus Neptuno tantùm tribuit, Virgilius tantùm Palladi, Seneca utrique. Quòd autem supra, Ajacem pedibus velocem fuisse scribit hujusce Dictionarii compilator, Homerum habet authorem, apud quem Ajax hic non semel vocatur

——— Ὀϊλῆος ταχὺς ἤος.

Unde Horat. *lib.* 1. *Od.* 15. *Celerem sequi Ajacem*. Longè minorem Ajace Telamonio fuisse indicat Hom. *in his*.

Λοκρῶν δ' ἡγεμόνευεν Ὀϊλῆος ταχὺς ἤος
Μείων, οὔτι τόσος γε ὅσος Τελαμώνιος Αἴας,
Ἀλλὰ πολὺ μείων.

Ajazzo, Urbs ep. cum portu, in ora Occ. Corsicæ Ins. Item urbs Ciliciæ, Vett. *Issus*. Item sinus maris, in Syria, in cujus littore Alexandretta sita est.

Aidan, Guntrani fil. 49. Rex Scotiæ. Vicit Saxones & Pictos, magnâque prudentiâ regno præfuit, An. 27. Obiit An. C. 606. Bedæ, *in hist. Angl. l.* 3. Item Episcopus Scotiæ, qui Osualdum Angliæ R. exulem baptizavit, Obiit An. Christi 651. Idem *lib.* 3. *cap.* 1. & 14.

Aidoneus, Pluto appellatus, regnavit tempore Lycei regis Argivorum, atque Erechthei regis Atheniensium, Euseb. Item Molossorum rex, qui Theseum carceri tradidit, eò quòd filiam suam Proserpinam unà cum Pirithoo rapere voluerit, non procul ab Acheronte fluv. unde factus est fabulæ locus, Theseum ad inferos descendisse, & Proserpinam Ditis uxorem rapere voluisse. Plut. *in Theseo*. Item fluv. circa Trojam Paulan.

Ajello, ducatus regni Neap. in Calabria cit. sub dominio Principis de Masso. Du Val.

Aji, Indiæ intra Gangem pop. Ptol.

Aila, urbs Palæst. quæ & *Elath*, dicitur. 4 Reg. 14. V. *Ælanum*.

Ailam, Lat. *occultus*, aut *juvenis*, vel *seculum*, filius Sesac. 1. Par. 8.

Ailath, sive *Ailoth*, Lat. *ilices*, vel *quercus*, aut *cervæ*, vel *fortitudines*, civitas regni Edom ad mare Rubrum, quam Ozias ædificavit. 2. Par. 26. *vers.* 2.

Ailim, Vid. *Elim*.

Ailon, idem fortè cum *Ajalon*, Vid. *Hajalon* & *Ophir*.

Ailza, Ins. Scotiæ, seu veriùs scopulus, prope Gallovidiam prov. & in Glottę æstuario; 4. mill. Scoticis distat ab ora Gallovidię.

Aimilius, Vid. *Sublicius*.

Aimilus, alter Ascanii filius, unde volunt quidam *Aimilios*, gentem Romanam Patriciam majorum gentium, Pontificatu maximo, duobus Principatibus Senatûs, Dictaturis quinque, magisteriis Equitum quatuor, consulatibus supra quadraginta, censuris triumfisque XV. tribunatibus militum consulari potestate duodecim decoratam.

Aimon, vel *Haymo* Episc. Halberstad. Alcuini discip. scripsit Ascetica quędam. Bellarm. *de Script. Eccles.*

Aimonius, sub Carolo M. Ludovico Pio, & Lothario, scripsit historiam Francię, magna cum cura, ut & Ascetica quędam. Prętulit secessum aulę tumultibus & dignitates Eccles. magno animo sprevit. Obiit circa An. C. 846. vel, ut alii paulo pòst, cùm Lutetia à Normannis obsideretur. Du Brueil, *in præf. operum Aimonii*. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 34.

Ain, Lat. *oculus*, sive fons, civitas est in termino Judę versùs Orientem. Num 34. Quę deinceps Levitis data fuit. Jos. 21. Juxta hanc Saul produxit exercitum contra Philistiim. 1. Sam. 29. Hieronymo *Bethennim* dicitur.

Aina, Vid. *Hain*.

Ainaon, vel *Adinaon*, Ins. Asię, in ora Merid. Sinensium, cum urbe cognom Du Val.

Ainza, vel *Insa*, Urbec. Hisp. in regno Arragonię. Olim caput parvi regni *de Sobrarbe*, ad fluv. Cingam, ubi recipit *Aram* fluv. ad radices Pyrenęorum.

Ainzia, regiuncula Scotię Septentr. in Buquania prov. versus oram & ostia *Spea* fluv. ubi Finlaterum castrum.

Ajon, monachus Anglus, sub Othone 2. scripsit memorabilia sui cœnobii. Voss. *de Hist. Lat.* 3. 5. Item, fil. Archię, Dux Beneventi, cui Rotarius Longob. Rex, ad se à Parente misso, venenum propinavit. Paul. Æmil.

Aire, aliàs *Vicus Juliensis*, Greg. Tur. 9. 7. Urbs Vasconum, Vid. *Aturensium*. Item, urbs Artesię, Vid. *Aëria*. Item, Urbs Scotię, in Comit. Kylensi.

Airiacum, Vicus Burgund. in diœcesi Antissiod. Ubi Concilium sub Benedicto 8.

Airus, *Airu*, fluv. Scotię Septentr. Cadit in Speiam fluv. in Buquania prov. & ortum habet in Marria prov. ex monte Grampio.

Aistulphus, Rex Longob. post Rachisium fratrem, Exarchatum invasit, Romam obsedit, territorio longè lateque vastato, sed à Pepino, quem Stephanus P. contra ipsum acciverat, ad pacem adactus est. Obiit in venatione. P. Æmil. Anastas. *in Zacharia*. Baronius *A. C.* 750 &c.

Aito, *Ato* vel *Haito*, Episcop. Basil. à Carolo M. ad Nicephorum Imper. missus, An. 811. Iter hoc descripsit, redux, obiitque An. 836. in monasterio Augię, Germ. *Reichenaw* Hermann. Contracti *Chron.*

Aitonus, vel *Haitonus*, nepos Aitani, Armenię R. communiter *Antonius Curchin*, in aulam Clementis V. se contulit, ubi de Tartaris librum Gallicè Nicolao Salconio dictavit, A. C. 1307. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 62. Leuncl. *hist. Turc. c.* 3.

Ajullius, Larinas, homo nequam, Cic. *pro Cluentio* Editio Gruteriana legit *Avillius*, unde Janus Guilielmus *A. Villius* fecit.

Ajurensis, Episc. in Afr. Collat. Carth.

Ajus, Deus Romanorum dictus ab eo quod *ajebat*. Nam olim Romę audita vox ex silentio noctis clarior humanâ voce, quę

juberet magiſtratibus nunciari, Gallos adventare, & ut providerent, ne Roma à Gallis caperetur. De Cultu ejus, V.A. Gell. *lib.* 16. *cap.* 17. & alio memorabili caſu, Vid. Aug. 4.21. *C.D.* Val.M. *lib.* 1 *c.7.ex.*1.& 2. Plut. *in Camillo.* Cic. *l.2.c.*69 *de divin.* Livio *Locutius* dicitur.

Aixis, Vid. *Berzobis.*

Aiy, Vid. *Alyi.*

AiZar, Rex Æthiop. ſec 9. deceptus, à Sabata, quę, poſtquam pluribus jam Regibus illuſiſſet, ipſa thronum occupavit. Genebr.

Aizua, prov. Inſ. Japonię, in Aſia. Opp. habet cognomine, in ora Orient.

AK.

Akeveta, urbs Inſ Maragnan, in Braſilia. Sanſon. *c.*31.

Akibas, celebris Rabbinus, ſec. 2. Genebr. *Chron.* Hier. *in.*8. *cap. Eſai.* & *in* 3 *ac* 4. *Zach* Baron. *A C.* 137.

Akle, Rex Æthiop. ſeculo 1. otio vitiiſque deditus, Chronol. Æthiop. Genebr.

Akroczim, urbs Palatinatus Maſſov. in Polonia, cum arce ſatis firma. A Varſovia dependet, Ortell.

Akytania, Vid. *Aquitania.*

AL.

Ala, oppidum Ciliciæ, quod ἀλήτης Johanni Tzetzę eſt *Chil.*7. *num.*149. inde *Alejus* Campus, juxta Mallum, inter Cydnum & Sinarum fluvios, teſtibus Strabone, Arriano, Plinio, & Euſtathio. Vid. *Haylam.*

Ala, Vid. *Tami.*

Alab, vel *Ahalab*, urbs Paleſtinę, de qua cultores priſtinos tribus Aſer primis annis expellere non potuit: *Judic.*1.31. Hieron. *in locis Hebr. literâ C.*

Alaba, civitas Hiſp. citer. Plinio. Nunc vicus tantùm Arragonię. Ad fluvium Xilocam. Item Regio Hiſpanię, hodiè *Alava.* populi *Alabenſes.* Vid. Marian. *lib.*8. *cap.*1. Item, inſula ante Taprobanam, Ptol. Vid. *Alava.*

Alabagium, Carmanię promuntorium. Ptol.

Alabana, Arabię Felicis opidum. Ptol.

Alabanda, civitas Carię mediterranea epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropolitano, inter Amyzonem ad occid. & Stratonicen ad ort. Ejus mem. Juvenalis *Sat.*2.

Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis
Eſquilias, dictumq́ petunt à Vimine collem.

Item urbs ejuſdem reg. num. ſing. Stephano, prope Mæandrum fluv. adeò opulenta, ut in proverbium abierit, Ἀλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη. Hinc Menacles & Hierocles, fratres, ut & Apollonius Molo, Oratores inſignes oriundi. Nomen habet ab equo, quem *Alam* Cares vocant, & *Banda*, quę victoriam apud eoſdem denotat. Gręci *Alabandicos libellos* pro barbaris capiunt, & *Alabandicum opus* pro re ineptâ. long. 57.40. lat. 39 15.

Alabandus, Caris fil. à quo *Alabanda* dicta. Item Deus Alabandenſium. Cic. *de Nat. Deorum lib.* 3. *Alabandenſes*, inquit, *quidem ſanctiùs Alabandum colunt, à quo eſt urbs illa condita, quàm quenquam nobilium Deorum, apud quos non inurbanè Stratonicus, ut multa, cùm quidam ei moleſtus, Alabandum Deum eſſe confirmaret, Herculem negaret; Ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules ſit iratus.*

Alabaſtra, urbs Phrygiæ. Steph. Item Ægypti. Ptol.

Alabaſtrinus, mons Ægypti. Ptol.

Alabaſtrum, mons Ægypti, Plin. Item opidum, ubi Topaſius naſcitur. Idem.

Alabaſtrus, fluv. Troadis ex Ida monte oriens. Plin.

Alabon, urbis & fluminis nomen eſt apud Stephanum, ubi autem locorum, reticet: ἀλαβιὸς, etiam fluvius eſt Heſychio: fortè in Sicilia: cum Ptolemæo & Diodoro *l.*4. qui Fazello hodie *Cantaro* nominatur. Ortelius putat, eundem eſſe cum *Abolos* Plutarchi *in Timoleonte*, & *Alachis* Vibii. Vide *Arathuſa.*

Alabona, Hiſp. urbs circa Cæſarauguſtam. Anton.

Alabula, una ex præcipuis urbibus, in ora reg. Madegaſcar. Thevet.

Alabuntis, hodie *Ventavon*, caſtrum Delphinatus, ad Druentiam fluv. 3. leucis à Siſtarica in Bor. Vapincum verſus 7.V. *Alapuntis.*

Alaburium, Syriæ civitas. Steph.

Alabus, Siciliæ fluv. Ptolemæus à Pachyno Pelorum verſus incedens, Ἀλάβου ποταμοῦ ἐκβολαί. Silio *Alabis* dicitur *lib.* 13.

Necnon qui potant Hypſumq́ Alabinq́ ſonoros.

Apud Heſychium legitur Ἀλαβὼς ποταμός. An ſine mendo, alii viderint. Certè non vidit Schrevelius in nuperâ Heſychii editione. Diodoro & Stephano formatur Ἀλαβών. Apud Vibium quoque *Alachis* corruptè pro *Alabis. Cantaro* dicitur Fazello. Eſt etiam opidum. Stephanus. Ἀλαβὼν, πόλις καὶ ποταμός. Inde pop. *Alabonii.* Apud Plutarchum *in Timoleonte*, Ἄβολον pro Ἄλοβον. Porro *Alabum* amnem Hyblæ proximum Bochartus dictum putat ab חלאוה *halava*, id eſt, *dulcedine*, voce Arabicâ quidem, ſed à verbo חלי deductâ, quod Syris etiam eſt γλυκάζειν, id eſt; *dulceſcere*, unde & nomen חלי mellis epitheton, Ezech. 3. 3. & alibi paſſim.

Alachis, Vid. *Alabon.*

Alachroa, pop. Africæ juxta Aras Philænorum, qui etiam Lotophagi appellantur. Plin. 5.4.

A lacu Dulce, locus in Afric. Coll. Carth.

Ala Flaviana, quæ & *Flaviana Caſtra & Flavianum*, urbs Pannoniæ ſup. ad Danub. in Hungariæ confin. munitiſſima, Auſtriæ caput, Academia, & emporium, à Buda 31. leuc. in occid. Ratiſponam verſus 57. *Juliobona* Ptolemæo. *Vindobona* Antonino. *Vindomana*, lib. Notit. *Wien* Germanis. *Wetzch* Turcis. *Vienna* Italis. long. 39.10. lat. 48. 22. Fruſtra obſeſſa à Turcis, An. 1529. Ibi perſæpe commoratur Imperator, eſtque validiſſimis firmata propugnaculis. Hæc malè confunditur cum *Alis Flavianis*, teſtibus Brietio, Cluverio, aliis. Vide *Vindobona.*

Ala Miliarenſis, ſedes Epiſc. in Mauritania Cæſarienſi. Vict. Utic.

Ala Nariſca, urbs Germ. in Bavaria Transdanubiana; epiſc. proprio paret Epiſcopo; hodie *Aichſtadt*, quaſi Quercopolis. long. 31. 51. lat. 48.50.

Ala Nova, op. Pannoniæ ſuper. in Auſtria ad Danubium. *Erbenſdorff* Simlero. Hic palatium & deliriæ Archiducum Auſtr.

Aladin, Sultanus Ægypti & Damaſci, fil. Saladini illius, qui Palæſtinam Chriſtianis eripuit; aliquoties à Chriſtianis victus. Baron. *A.C.* 1195. Marmol. *l.2. c.*36. Item plures alii Principes Arabum, Perſarum, Saracenorum, aliorumque Mahometanorum.

Ala, Urbs Ciliciæ, Hermolao, in Plin. *lib.5.c.*27.

Ala Flavia, Vid. *Ara Flavia.*

Alaphila, Vid. *Gemon.*

Alæſa, urbs Siciliæ olim epiſcop. ſub archiep. Syracuſano. Vocabulum ejus variè, apud authores, ſcriptum reperitur. Nam Phalaridi, Ptolemęo, ac Straboni eſt Ἄλαισα. Diodoro Ἀλέσα, Antonino *Aleſa*, Ciceroni *Haleſa*, unde opidani Plinio *Haleſini.* Et Inſcriptioni Antiquæ ſæpius repetitur ὁ Ἄλαισος ποταμός. Qui apud Columellam legitur *Haleſus, lib.* 10.

Et quæ Sicanii flores legiſtis Haleſi.

Apud Sil. *lib.*14. ſic legitur;

Venit ab amne trahens nomen Gela, venit & Heſa.

Verùm cùm nullum uſpiam reperiatur Siciliæ opidum *Heſa*, credibile eſt ſcripſiſſe Silium,

——— Venit Aleſa.

Deſcribitur à Diodoro *lib.*14. in colle, 8 ſtad, à mari diſſito. Tamen ad mare portum habuit, de quo Cic *Verrina* 3. Condita eſt annis circiter 400. ante Chriſtum, vel, ut nonnullis viſum, ab Archonide Herbitenſium præfecto, vel, ut alii, à Pœnis. Diodorus *ubi ſuprà.* Τινὲς δὲ φασιν ὑπὸ Καρχηδονίων κτισθῆναι τὴν Ἄλεσαν, καθ' ὃν καιρὸν Ἀμίλκας τὴν πρὸς τὸν Διονύσιον εἰρήνην ἐποιήσατο. Cui ſententiæ Alæſini libentiùs acceſſerunt, quia cùm Herbita cum Alæſa magnitudine, & opibus haudquaquam eſſet conferenda, pudebat illos tam ſordidæ originis Locum enim fuiſſe Alæſæ inter urbes Siciliæ clariſſimas docet Cicero *lib.*13. *Epiſt.*32. *In Haleſina civitate tam lauta, quàm nobili.* Et *Verr.* 3. *Siciliæ civitates multæ ſunt, Judices, ornatæ, atq́ honeſtæ, ex quibus imprimis numeranda eſt civitas Haleſina. Nullam enim reperietis, aut officiis fideliorem, aut copiâ locupletiorem, aut authoritate graviorem.* An hinc עליס *Aliſa*, vel, quod idem eſt עליזה *Aliza*, id eſt, *exultabunda*, Punicè nominata eſt? Quo epitheto in Scriptura inſigniuntur urbes, quæ divitiarum nomine gloriantur, & inſoleſcunt. Sic Tyrus, Eſ. 23.7. Et Nineve, Zeph. 2.15. Et Jeruſalem, Eſ. 22.2.& 23.7. Ut ut hoc ſit, veriſimile eſt עליזה (*aliza*) id eſt, *exultabundum*, Punico vocabulo dictum eſſe fontem Aleſini agri, de quo Solinus. *In Haleſinâ regione fons, alias quietus ac tranquillus cùm ſiletur: Si inſonent tibiæ*, exultabundus *ad cantus elevatur, & quaſi miretur dulcedinem vocis, ultra margines intumeſcit.* Et Priſcianus *in verſione Dionyſii Periegetis,*

Hic & Haleſinus fons eſt, mitiſſimus undis,
Tibia quem extollit cantu ſaltare putatur
Muſicus, & ripis lætans excurrere plenis.

Hic, inquam, fons Aleſini agri ad cantum cum exultatione intumeſcere creditus, verè ne, aut ſecus, nil noſtrâ refert, cùm à Pœnis appellatus eſſet עין עליזה (*ain Aliſa*) *fons exultabundus*; Inde regioni poſtmodum, & urbi, & amni vicinis inditum nomen. Bochart. Videtor Cluver. *Sicil Ant. lib.*2. *cap.*4.

Alaf, Sarracenorum, in Aſia, Rex, cepit Edeſſam opulentiſſimam Chriſtianorum civ. Cujus conatibus, ſub auſpiciis Ludovici Jun. fruſtra obviam ire conati ſunt. Baron *A.C.* 1146. Marmol. *l.2.c.*34. An idem cum *Alafo*, *Alapho vel Balacho*, qui Balduinum II. Regem Hier. captum per annum detinuit? Guil. Tyr.

Alagonia, urbs libera Laconum. Pauſ.

Alagonius, fluvius Hiſpaniæ in regno Legionis, Cauriam Urbem alluit, & poſtea cadit in Tagum, ſupra Norbam Cęſaream.

Alahamarus, al. *Mahumet Abusard*, primus Rex Granatensis, ex Pastore, depulsis Almohadis. Ejus successores, *Alahamari* dicti, regnarunt An. 250. donec à Ferdinando & Isabella ejecti. An. 1492. Marian. 13. 19. Marmol 2. 38.

Alala, Enyo, Dea bellica. Ἀλάλα πολέμοιο θυγάτηρ. Plut. *de fraterno amore*. Vide Hen. Steph. in Ἀλάλα.

Alalai, insulæ parvæ plures in sinu Arabico, in quibus testudines reperiuntur. Arr. *in Per. mar. Erythræi*.

Alalcomenæ, urbs Bœotiæ, denominata à Bœotorum *Alalcomenæo*, ut Plut. *in Hellen.* refert, *pag.* 537. Edit Steph. afferens simul causam nominis. Hasce Alalcomenas, inquit, nobilitavit Tiresiæ sepulchrum & Minervæ templum; unde Poëta, Ἀλαλκομενηὶς Ἀθήνη. Nempe Minerva credebatur nata esse Alalcomenis, & ibi erat in summo cultu. Itaque cùm parva esset, & in plano extructa urbs, semper tamen ἀπόρθητος, intacta, & inviolata mansit, quia ob Deæ reverentiam Πάντες ἀπέχοντο πάσης βίας, *Ab omni vi omnes abstinebant*. Ita habetur apud Strabonem. Putat igitur Vir Magnus, *Alalcomenis* factum nomen ab אלה אלקומה *Ela Alcuma*, id est, *Dea invicta*, vel *contra quam nemo insurgit*, מלך אלקום *Melec Alcum*, id est, *rex invictus*. Prov. 30. 31. Vid. Strab. 7. 9. Pauf. 9. Hom. *Iliad.* δ. Plut. *q.* 43.

Alalcomenium, op. Bœotiæ, ad lacum Copaidem, inter Haliartum & Coronæam, templo Minervæ clarum. Steph. Stat. *Theb. lib.* 7.

Ducis Ithomæos, & Alalcomenæa Minervæ
Agmina. ———

Alalia, urbs Corsicæ, Phocæorum colonia. Herodot.

Alalis, Palmyrenæ urbs juxta Euphratem. Ptol.

Alalon, Vallis nomen in Chananæa, à Christianis *Luna vallis* dicta.

Alamandar, Rex Saracen. errorem Severi sectatorum, de impassibilitate naturæ Christi, lepido commento de S. Michaelis Archang. morte, refutat. Anastas. *Chron.* Cedren. Niceph. Baron. *An. C.* 509. 513.

Alamanes, statuarius Atheniensis, Phidiæ discipulus, cujus opera Athen. plura memorantur. Plut.

Alamani, pop. Germaniæ vicini. Steph. Vid. *Alemanni*.

Alamanni, Vid. *Alemanni*.

Alamat, V I. & ultimus Persarum, ex stirpe Usun Cassanis, Rex, ab Ismaële primo Sophorum, throno deturbatus & occisus. Mirkond. *Hist. Pers.* Marmol. 2. 39. Spond. *A. C.* 1499.

Alamata, Urbs juxta Euphratem, Palmyrenæ reg. Ptol.

Alamath, vel *Alemeth*, עלמת Lat. *occultatio*, sive *juventus*, aut *secula*, vel *super mortem*, filius Beor, filii Benjamin. 1. Par. 7. filius item Jare. 1. Par. 8.

Alambater, *l'Isle de Diu*, Inf. Asiæ, in littore prov. *Guzarate*, in India, cum portu & castro permunito Lusitanorum, frustrà aliàs à Turcis obsesso. Aliis est *Guadel* opp. & Burade est *Diu*.

Alamirus, Princeps seu Califa Tarsi, sec. 9. cum innumerabili Saracenorum exercitu Imperio subjectas terras invasit, ab Andrea Scytha, Præfecto Orientis, victus, & capite plexus. Marmol. *l.* 2. *c.* 26.

Alamontem, Urbem habet Antonin. in Gallia Narb. Vid. *Alabuntis*.

Alamus, Albaniæ op. Ptol.

Alana, urbs Æthiopiæ sub Ægypto. Plin. 6. 29.

Alanæi, populi sunt apud Eusebium 6. *præparat.* quos carnibus ali scribit, pane minimè vescentes.

Alandia, Inf. maris Balth. juris Suecici in Finlandiæ littore. Vid. *Oona Insul.* Relat. Suec.

Alandri, fluminis fontes, sunt in Phrygia majore; ut putat *ex Livii lib.* 38. Ortel.

Alani, pop. Sarmatiæ Europææ haud procul à Mæotica palude incolentes, Roxolanis finitimi, qui nunc *Lithuani* dicuntur, ut quidam putant. Meminit eorum Lucianus *in Toxari*, qui dicit, eos cultum & linguam communem habere cum Scythis. Juxta Tanaim flu. & Mæotidem pal. describit eos Josephus, *de bello Jud. lib.* 7. Itemque ferè Claudianus *lib.* 1. *in Ruf.*

——— *Patriamq; bibens Mæotin Alanus.*

A Dionysio Ἀλκήεντες Ἀλανοὶ vocantur, cui concinit Lucanus *lib.* 8.

Et sequerer duros æterni martis Alanos?

Equestris rei studiosos fuisse innuit idem Dionysius, cùm ait, Πολυίππων φῦλον Ἀλανῶν. Unde Mart. *lib.* 7.

Nec te Sarmatico transit Alanus equo.

Ammianus scribit Alanos dici, quos prisci Massagetas dixerunt. Jul. Capitolinus eos ponit in parte Daciæ. Ptolemæus verò in ea Scythiæ parte, quæ est extra Imaum. Aliis intra Imaum, prope fluv. Carambicem. Ferrar. Hi juncti Vandalis, Suevisque, ut & postea Gothis, sub initium sec. 5. trajecerunt Rhenum, & Moguntia, Vormatia, Remis, Ambiano &c. captis, Prosper. Cassiod. *in Chron.* Orosius, &c. tandem à Vallia Visigothorum R. victi, An. 418. hinc in Hisp. Africamque transierunt. Salvian. 7. *de Prov.* Baron. Eorum reg. *Alania*.

Alania, Episcopatus, in sanctionibus Pontificiis Orient. Impp. circa Byzantium alicubi, in Europa aut Asia.

Alaniticus sinus, juxta mare Rubrum, qui & *Ælaniticus*.

Alanorsi, pop. Scythici, ad Septentr. ultimi, Ptolem. Vid. *Agathyrsi*.

Alanquera, opp. in Lusitania versus Tagum fluv. distat 9. leucis Ulyssipone. Vid. *Jerobrica*.

Alante, urbs Arcadiæ, quam Theopompus *in Historia Philippica*, *Alantrum* appellat. Volat.

Alantonis, Hispaniæ urbs, Antonino 8. m. p. à Pampelone.

Alanus, Dux Aremoricæ, Normannos ingenti prælio superavit, An. 890. Rheg. *l.* 2. Baron.

Alanus de Lynna, Anglus, sub Henr. 7. scripsit quædam in Josephi Antiquit. historiam Longobard. Chronica Roberti Hovedeni, &c. Voss. *l.* 3. *c.* 5. *de Hist. Lat.*

Alanus Deochus, seu *de Teukesburi*, Anglus, scripsit historiam Thomæ Cantuariensis, Baron. An. C. 1162. Alanus *de Insulis*, Doctor Paris. dictus *Universalis*, Trithem. Alanus *Capus*, & Al. *Varensus*, celebres exacto seculo, quorum hic de Musica dialogos edidit. Genebr. *in Chron.* Possev. *appar. Sacro.*

Alanus, Scythiæ flu. Item mons Sarmatiæ. Steph. Item Gothorum dux, sub quo Gothi propter intolerabilem Maximi avaritiam, Thraciam, Epirum, & Thessaliam vastarunt, cædibusque replerunt, Valentem fuderunt, qui in fuga jaculo vulneratus cecidit, acceptusque vili tugurio inter fomenta expiravit. Diacon. *lib.* 11. Hist. Trip. 8. 14. *Alanus* Sclavonicâ linguâ *canis* est, ut putat Jos. Scaliger. Sic apud Romanos dictus *Caninus* & *Caninius*. Camdenus putat nostrum *Alan* Britannicâ linguâ corruptum esse ab *Ælianus*, sicut *Vitellianus* transiit in *Guidalan*.

Alanus, *Alan*, fluv. Angliæ, in Cornub. prov. In mare se exonerat, prope opp. Pastouu.

Alapeni, populi Arabiæ Felicis. Ptol.

Alapia, Vid. *Nerea*.

Alapta, plur. num. locus Thraciæ, apud Gal.

Alapuntis, Gall. Narbon. urbs. Anton. *Talart.* Simlero.

Alares, Pannoniæ pop. habet Tacitus 15. Annal. Sed non gentis nomen, verùm militum ab ala, putat Ortel.

Alaria. Vid. *Alautia*.

Alaricus, Græcè Ἀλάριχος, Claud. *de bello Getico*.

Rumpe omnes Alarice moras: hoc impiger anno,
Alpibus Italiæ ruptis, penetrabis ad urbem.

Nomen id fuit duobus regibus Gothicis: quorum alter Romam destruxit, Vid. S. Zim. *l.* 5. 8. 9. Oros. *l.* 7. Baron. *A. C.* 395. alter cepit quidem, sed per fraudem occisus est, An. Dom. 854. Vid. Greg. Tur. 2. 35. 36. 37. Baron. *Anno C.* 484. 506. *Alaricus* Anglis dictus est *Alric*, Normannis *Alberic*, & fig. *regnum*, sive *opes*, & *potentiam*, q. d. *All rich*: nam *ric* est *regnum*, item *dives*, *potens* Germanis; *Ricco* Italis, *Rico* Hispanis, *Riche* Gallis. *Albericus* igitur sic dicitur, ut *Plutarchus*, *Crates*.

Alarons, *Talart*, Opp Delphinatus, ad Druentiam fluv.

Alarorii, pop circa Pontum, de quibus Herodotus. Steph.

Alarus, fluv Persidis in Hircania. Cadit in mare Casp.

Alas, regio quædam Attica, saxis Carystiis vicina. Euripides.

Alasco, seu *Joh. de Lasko*, nobilis Polonus, ab Eduardo VI. ad Reformationem in Angliam vocatus, Ecclesias ibi Belgicam & Gall. ordinavit. Subsecutâ dein persecutione, in Daniam, cum fidelium cœtu trajecit, ubi hi malè habiti, partim Vismariam, partim Rostochium devenere. Ipse, Francofurti Ecclesiâ Belg. excitatâ, in Patriam 40. Magnatum Ministrorumque literis revocatus rediit, post 20. An. exilium. Obiit autem, An. 1560.

Alasarna, Coorum gens apud Hesychium.

Alasi, op. Africæ interioris à Corn. Balbo expugnatum.

Alasia, metropolis, in sanctionibus Patriarcharum Oriental. fortè *Alazia* Strab.

Alastigi, vel *Alostigi*, Hisp. pop. Plin

Alastor, Plutonis equorum unus, quorum nomina ponit Claudianus *lib.* 1 *de Rapt. Pros.*

Orphnæus crudele micans, Æthonq; sagittâ
Ocyor, & Stygii crudelis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq; notâ signatus Alastor.

Item unus sociorum Sarpedonis ad Trojam ab Ulysse occisi. Ovid. *Met. lib.* 14.

Quid referam Lycii Sarpedonis agmina ferro
Devastata meo? cùm multo sanguine fundi
Caranon Iphitiden, & Alastoraq; Chromiumq;.

Item Nelei fil. Nestoris frater, autore Asclepiade apud Parrhasium.

Alastores, Dæmones quidam, qui calamitates, pestes, & famem in terrâ disseminant. Vide *Telchines*. *Alastoras* apud Plut. *malos Genios* exponit Tho. Morus.

Alata, civitas Arab. Fel. Item alia Arab. Desertæ. Ptol.

Alata Castra, urbs Scotiæ, quæ & *Castrum puellarum*, vulgò *Edingburg*, vel *Edenburg*. vide *Agneda*. Olim *Edinodunum* dicta putatur, teste Buchanano. Græcè Πτερωτὸν στρατόπεδον. long. 17. 12. lat. 57. 10. *Castra exploratorum* Antonini hîc statuit Talbotius.

Alatium,

Alatium, op. in Hierapoli, juxta Emesam, quod & *Elatum* dicitur. Hermol. *in Plin.* 5. 23.

Alatrium, urbs Hernicorum, quod & *Aletrium*, & *Alatrum* Frontino *Lib. de Coloniis*, ubi tamen Keuchenius *Alatrium* reponit, vel *Aletrium*. Straboni certè *Aletrium* dicitur. Plautus *in Capt.* H E G. *Certone?* E R G. Νὴ τὸν Φρουσινῶνα. H E G. *Vide sis.* E R G. Νὴ τὸ Ἀλάτριον. H E G. *Quid tu per barbaricas urbes juras?* Populi *Alatrinates* Livio, & *Aletrinates* Plinio 3. 5. Vulgò *Alatri*. long. 37. 10. lat. 41. 40.

Alava, Urbs antiq. Scotiæ merid. prope fontes Tinnæ. Teste Ortelio.

Alava, prov. Hispaniæ, aliàs Navarræ; nunc autem Castellæ annexa à multis annis, prope Iberum fluv. Cujus præcipua urbs Victoria, est inter Navarram, Ipuscoam & Iberum fluv. Ibi aliàs Varduli pop.

Alavinus, Barbarorum, qui à Valente Imper. ripam Danubii incolendam impetravere, Dux. Hi, sævitia præfectorum, irritati, armis arreptis Lupicinum primò, dein ipsum Imperatorem vicerunt. Hist. Trip. 8. 14. Paul. Diacon. 1. 11. Continuat. Eutrop.

Alaune, op. Britanniæ. Ptol. Vid. *Laudunum*. Dicitur etiam *Alauna* Camdeno, vulgò *Allavay*, in Damniorum finibus, inter Galavam 12. & Galacum 19. m. p. Mediolanum versus, à Clanoventa 30. (Camdeno *Whitlie*, inter Cumbriam & Northumbriam.)

Alauni, Norica gens, ubi nunc pars Sciriæ & Archiepisc. Salzburgensis. Olim etiam *Ambisontii* teste Sansone Ptol. Alia Sarmatiæ. Idem. Horum reg. *Volhinia*, teste Lud. Decio, putatur in regno Polonico, inter Poloniam ad occ. Lithuaniam ad ort. & Russiam ad merid. sita, cujus urbs primaria Luceoria. Vide *Alani*.

Alaunium, Gall. Narbon. urbs. Anton.

Alaunius, fluv. inter Isacam & Trisantonem, per agrum Durotrigum juxta *Christ church* fluens. *Avon* Ortelio. *Halanus* Ptolem.

Alaunus, vulgò *Alne*, seu *Northtyne* ex tab. fluv. Albionis in Northumbria per *Alnewick* in mare fluens. Item, Mons Sarmatiæ Eur. Ptol.

Alavona, Vasconum op. in Hispania. Ptol. vulgò *Alagon*. long. 20. 00. lat. 42. 35. juxta Salonem fluv. qui paulo infra cadit in Iberum.

Alazia, opidi nomen. Strabo *lib.* 12. Apud quem sic Hecatæus: Ἐπὶ δ' Ἀλαζίᾳ πόλει ποταμὸς ὁ Ῥύμβος ῥέων διὰ Μυγδόνης πεδίου ἀπὸ δύσεως ἐκ τῆς λίμνης τῆς Δασκυλίτιδος εἰς Ῥυνδακὸν ἐσβάλλει, ἔρημον δὲ εἶναι νῦν τὴν Ἀλαζίαν λέγει.

Alazon, gens finitima Scythis. Steph. Item fluv. ex Caucaseis montibus in Cyrum amnem defluens, Albaniamque ab Iberia dirimens. Val. Flac. *Argonaut. Vers.* 100.

Hiberni qui terga Noæ gelidumque securi
Eruit, & tota non audit Alazona ripa.

Alba Dea, Vid. *Albunea*.

Alba, Romuli fil. Æneæ neptis, cujus filius, nomine Romanus condidit Romam, secundùm Alcnium in Tyrrhenia.

Alba Sylvius, Latini Sylvii fil. sextus Latinorum rex, patri successit in regno, qui cùm an. 36. regnasset, filio suo Epito moriens imperium reliquit Ovid. *Met.* 15.

——*Clarum subit Alba Latinum,*
Epitos ex illo est. ——

Alba, specula & castellum non longè ab Ascalone contra incursiones Barbarorum exstructum, in tr. Simeon.

Alba fluv. Hisp. citer. per Catalauniam in mare apud Blandas delabens, à Barcinone 9. leuc. in Bor. *Tardera*, teste Floriano. Item, Urbs Portugall. episc. sub Archiepisc. Olisipponensi, nota obsidione & clade Hispanorum, An. 1659. Vid. *Elva*.

Alba Augusta, op. Gall. Narbon. in finibus Vivarensium, à Vivario urbe ad 6. leuc. in occ. distans. *Aubenas*, teste Jacobo Dalechampio long. 24. 45. lat. 43. 34. Aliis est *Viviers*.

Alba Colone, Vid. *Colone*.

Alba Græca, *Belgrade* Gall. *Nandor Alba* Hung. *Griechisch Weissenburg* Germ. urbs munitiss. Hungariæ, in Rascia prov. ad confluentes Savi in Danub. in colle, sub Turcis ab An. 1520. malè pro *Tauruno* ponitur, è cujus ruinis crevit.

Alba Helviorum, vel *Heluorum*, urbs Gall. Narbon. in Arvernorum, & Ruthenorum conf. sub archiep. Bituricensi, quæ & Albiga posterioribus dicta est, hodie *Alby*. Vide *Albiga*. Aliis est *Viviers*, ad Rhodan. fluv. in planitie Vivariensis tractus caput, in Occitania regione.

Alba Julia, sic dicta à Julia Aug. M. Aurelii Antonini matre, priùs Apulum, hodie *Weissenburg*, & Hungaricè *Gyula feiervar*, urbs Transylvaniæ, ac Principis sedes, col. Daciæ episc. sub archiep. Colocensi, inter Claudiopolim, & Cibinium, utrinque 7. leuc. à Corona 18. long 47. 00. lat. 46. 50. sita est prope fluv. Marisum Vide *Apulum*.

Alba Longa, urbs in Latio, ab Ascanio Æneæ fil. condita. Tibullus. 2. 5.

Albaque ab Ascanio condita Longa duce.

Dicta autem, *Alba* ab *alba sue*, ibidem ab Ænea inventa. Prop. 4. 1.

Et stetit Alba potens albæ suis omine dicta.

Virgil. *Æn* 3.

Cùm tibi sollicito secreti ad fluminis undam,
Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba solo recubans albi circum ubera nati;
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Ut augurio vulturis Roma, bovis Thebæ, sic ostento suis Alba condita. Legendi Liv. *lib.* 1. & Dionysius Halicarnassensis. Juvenal. *Sat.* 12.

—— *Tum gratus Iulo*
Atque novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.

Idem *Satyr* 6.

Atque eadem scrofâ Niobe fœcundior Albâ.

Qu. Ennius *in Annalibus*.

Olli respondit rex Albai Longai.

Virgil. —— *Multâ Longam vi muniet Albam.*

Longa autem vocabatur a *longo tractu*. Liv. *lib.* 1. *Ascanius florentem jam, atque opulentam urbem matri, seu novercæ reliquit; novam ipse aliam sub Albano monte condidit, quæ à situ porrecta in dorso urbis* Longa Alba *appellata*. Hodie etiam *Alba* dicitur. *Savello* autem, Leandro Alberto vocatur. Dion. Halic. *lib.* 1. ubi de Alba Longa. Σαφηνισμοῦ δὲ ἕνεκα, inquit, διορίζεται παρ' ἑτέραν πόλιν ὁμώνυμον ἐπικλήσει, τοῦ σχήματος ἐπικατηγορηθείσῃ. long. 36 26. lat 41. 01. Baudrando *Alba* in ruinis jacet, prope tamen est Albanum urbs, quæ ex ejus ruderibus crevit; estque Episcop. uni ex 6. antiquioribus Cardinalibus tribui solitus. Distat Româ 14. m. p. Principatus titulo gaudet Sabellorum & vino suo celebratur.

Alba maritima olim *Bandona*, dein *Beligrada*, & *Belgradum*, Civ. fuit Croatiæ maritimæ, nunc Dalmatiæ. Destructa est, & vulgò *Zara vecchia*, Slavis *Biograd*, dicta etiam *Alba maris*, J Lucio.

Alba, Marsorum civitas, ad lacum Fucinum, ubi eam describit Strabo *lib.* 5. his verbis: Ἄλβα ἵδρυται ἐφ' ὑψηλοῦ πάγου, ἔστι δὲ λίμνη Φουκίνῳ πλησίον. Unde Plin. 3. 12. *Albensium Alba ad Fucinum lacum.* Interjacet autem campus, quem lacus interdum inundare solet. Sil. *Ital. lib* 8.

—— ——*Interiorque per udos*
Alba sedet campos, pomisque rependet aristas.

Appianus *in Annibalicis*. Μικρὸν δέ τι πολίχνιον Ῥωμαῖοι τότε ἐπιτειχίζοντες ἐν Αἰκανοῖς Ἄλβην, ἀπὸ τῆς αὐτῶν μητροπόλεως ἐκάλεσαν. Σὺν χρόνῳ δ' ἐπισύροντες, ἢ διαφθείροντες ἢ εἰς γῆν Ἀλβανῶν σύγχεουσιν, Ἀλβησέας αὐτοὺς καλοῦσιν. Ad discrimen id factum est. Unde Varro de L. L. *lib* 7. *Cùm duæ sint Albæ, ab unâ* (Longa sc.) *dicuntur Albani, ab alterâ Albenses.* Celsus Cittadinus *Alba di Marsa* adhuc vocari tradit. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 767. long. 37. 10. lat. 42. 02.

Alba Pompeia, Urbs Ducatus Montisferrati; sed ab eo avulsa paucis hinc annis, pace initâ Cherasci, paret Sabaudiæ Duci, multas experta vices hisce ultimis temporibus; deficitque indies, à paucis habitata Vid. infra.

Alba Pompeia, col. & urbs Liguriæ, sub archiepis. Mediolanensi ad Tanarum flu. Ejus meminit Plin. 3. 5. in descriptione Liguriæ. Ptolemæus item Liguriam describens, Πολεντία, Ἄστα Κολώνια, Ἄλβα Πομπηΐα. Dio Cassius *lib* 73. Ἦν δὲ ὁ Περτίναξ Λίγυς ἐξ Ἄλβας Πομπηΐας. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 85. long. 29. 58. lat. 43. 35.

Alba Regalis, urbs Pannoniæ super. in Hungariâ Cisdanubianâ intra paludem, olim regum coronatione, & sepulturâ celebris. *Stulweissenburg* hodie sub Turcis, à Buda supra 30. m. p. quot à Strigonio in Austrum recedit; à Viennâ 30. leuc. in Eurum, Vesprinio urbi ep. vicina ad 3. leuc. long. 41 10 lat 74. 08. ad fl. *Sarvitze*.

Alba Sebusiana, seu *Sebusium*, *Weissenburg*, Urbs Alsatiæ in ditione Franciæ R. pace Monaster. Juxta Lutram fluv. Estque una ex 10. urbibus Præfecturæ prov. Vid. *Vissenburgum*.

Alba Tucensia, Italiæ Urbs, inter Tiburtum & Corfinium. Anton. sed corruptè, pro *Alba Fucentis*. Vid. *Alba*.

Alba Vallis, Vid. *Vallis*.

Alba Virgaonensis, Plinio, *Alba & Virgao*, op. Hisp Bæt. *Arjona*, teste Marmol. *ex lap. vetusto*

Alba, op. Germ. apud Nicri fluv. ulteriorem ripam: cujus ager adhuc *Alb*, in Sylva nigra & ducatu Wirtembergensi nominatur. Item urbs Cretæ. Steph

Alba, fl. Hisp. citer. apud Emporias mari exceptus, ex quo *Rio de Ampurias* appellatur. Alter in Gall. Narbon. *Riderens* dictus. Alius in Camp. Gall. Belg. vulgò *Aube*. Oritur in limite Burg. dein per Campan. fluens, Barum rigat, hinc auctus aliquot fluviis in Sequanam se exonerat. Dicitur etiam *Albula*.

Albace, Heracliæ Cariæ locus. Suid. *in voce Diogenianus*.

Albamala, *Aumale*, Urbs Galliæ, in Normannia prov. ad initium fluv Buzinæ. Ducatus titulo ornata. 14. leuc. Rothomago, 8. Bellovaco distans.

Alba-

Albamana, Vid. *Albimana*.

Albana, urbs & empor. Albaniæ ad Casp. mare; quod ex illa *Mar di Bachu* nominatur; vulgò enim urbs illa *Bachu* dicitur. Item urbs Arab.Fel.Ptol.

Albanenses, Hisp.pop.Ptol. 3.3. Vid. *Alba*.

Albani, hæretici, qui sec.8. Manichæorum deliria interpolarunt. Prateol. in *Albani* Gautier *Chronogr.sec.8*.

Albania, sic à populorum colore nominata, regio Asiæ mari Caspio ad ortum incumbens, Iberiæ ad occid.& Atropatiæ ad mer. contermina. *Zuiria*, magnâ ex parte, & *Chiniche* ad Occid. *Zitrachan* verò ad Arctos. Nig. & Cast. Urbes clariores Albana & Osica. Hanc Plin. describit *l.6.c.10*. In Albania tradit Isigonus Nicæensis, quosdam gigni glaucâ oculorum acie, à pueritia statim canos, qui noctu plus quàm interdiu cernant. Plin.7.2. Meminit & Gellius *l.9.c.4*. V.Solin.*c.25*. Pop. *Albani*, quos Justinus *l.42*. dicit ab *Albano* Ital. monte nomen retinere, quòd inde secuti fuerint Herculem, cùm, extincto Geryone, armenta ejus per Italiam duceret.

Albania, reg. Græciæ, quæ olim Epirus & pars Maced. Occid. Ferè tota paret Turcis, populosa valde & Christianis referta, qui *Albanois* Gallis. Hinc milites *Capelets* vulgò dicti. Vid. Volaterr. *Geogr.l.8*. Chalcondyl. *in Mahomete 2*.

Albaniæ urbes clariores hisce temporibus.

Aulon, *la Valona*.	Dyrrhachium, *Du-razzo*.	Lissus, *Alessio*.
Butrotum, *Butrinto*.		Ochrida, *Locrida*.
Croia.	Larta.	Scodra, *Scutari*.

Albania, Scotia sic dicta, teste Hectore Boethio; nunc etiam *Albayn* pars Scotiæ mediter. vocatur.

Albania, *Albegna*, fluv. Italiæ, in Tuscia, in sinum Telamonensem defluens, prope Urbatellum. Vid. *Almiana*.

Albanopolis, urbs Maced. mediter. Albanorum metropolis, à Dyrrhachio supr.40.m.p.& à Lisso 35. in ort.long.46 00.lat.41.06.

Albanum, vulgò *Albano*. Latii villa circa Velitras, ab urbe Româ ad 20 m.p. viâ Appiâ distans. Vid. *Alba Longa*.

Albanum, Urbs Asiæ, in Armen. majori. Ubi S.Barth. Apost. martyrio coronatus. Nunc diruta, nisi sit Albana ad Casp. mare.

Albanus, mons, & lacus in Italia. Mons hodie vocatur *Monte Albano*, ab urbe Româ 16.m.p. apud Albam urb. Horat *l.2 ep.1*.

Dictitet Albano musas in monte locutas.

Lacus vulgò *Lago di castell Gangolfo*. Ejus meminit Propert *lib.3*.

Albanusq; lacus socii Nemorensis ab unda.

Item *Albanus*, mons Pannoniæ super. in Norici & Japygiæ confinio; *Albius* Straboni; *Auff der Alben* teste Lazio. Item flu. Albaniæ in Asiâ, in mare Caspium influens. *Cohan* Moletio & aliis.

Sanctus Albanus, Verolamiensis, martyr in Britanniâ pro Christi nomine occisus, postquam charitatis gratiâ confessorem persecutoribus insectatum (ut ait Gildas) & jam jamque comprehendendum, domo primùm, ac mutatis dein mutuò vestibus occuluit, seque discrimini in fratris vestimentis libenter persequendum dedit. Hic trans Tamesis alveum cum mille viris, sicco ingrediens pede, suspensis utrinque undis fluvialibus, carnificem convertit, & unà secum pati martyrium fecit.

Albanus, Episc. Philippensis, sede suâ Arrianorum insidiis dejectus, Romam ad Leonem P. inde ad D. Ambrosium Mediolanum concessit. In Germania postmodum, cùm Arianis doctoribus obniteretur, sub Theodosio Jun. capite mulctatus, martyrium subiit. Urstis. *hist.Basil.*

Albara, Syriæ urbs circa Phœniciam. Guil. Tyrius.

Albarazinum, Urbs Aragoniæ episc. Vid. *Lobetum*.

Albas, & *Albe*, flu. Tiberis. Vide *Albula*.

Albatenius, Princeps Syriacus, Astronomus insignis, sec. 9. Aliàs *Mahometus Aractensis* dictus, Vid. Voss. *de Mathem. c.35. §.6*. Galeni libros primus in Arabum sermonem convertit, teste Joh. Serapione. Idem scripsit commentarios in Aristotelem.

Albayad, opp. Africæ, prope paludem Nube, in Nigritia regione.

Albe, Cretæ Urbs, Steph.

Albella, flu Rhætiæ prope pagum Tuscanum, ab ortu labitur.

Albenacum, *Aubenes*, opp. Galliæ, in Vivariensi tractu, ad flu. *Ardesche*.

Albensium civitas, nunc *Viviario*, in prov Viennensi. *Maurienne* hodiè Cœnali. Vid. *Alba* & *Albigensium*. Item *Aqua Albenses*.

Albericus, Marchio Tusciæ, ab Hugone Capeto & Ottone Imp. coërcitus. Circa an.941. Luitprand. Item, Archiep. Bituricens. sec.12. Item Diaconus, qui contra Berengarium scipsit. Baron. *A.C.1059*.

Alberstrophia, opp. Lotharig. Metensis ep.4. leucis à Marsalia.

Albertonium, opp. Africæ, in ora regni Barcæ, versus Ægyptum. Al. *Paratonium*.

Albertus, Austriæ dux, Rom. Imp. regn. an. 10.

Albertus, secundus, dux Austriæ, imperavit 35. an. Moravos ac Sarmatas domuit, Bohemos subegit, adversus Turcas exercitum conscripsit. Egnatius.

Albertus, Dux Megapolit. à Suecis Magni tyrannidem, cujus ipse ex sorore nepos erat, non ferentibus, Rex electus, Magnum vicit. Mox & ipse ex otio in tyrannidem prolapsus, nobilitatem sensit inimicam. Unde à Margareta, filia Valdemiri Daniæ R. vidua Haqui, nuru Magni, cruento prælio, An.1388. superatus, post septennalem captivitatem, regno se abdicavit. Joh. Magnus, *lib.21*. Crantz. *lib.5*. *Hist. Suec.*

Albertus, vel *Adelbertus*, Henr.IV Imper. Cancellarius, Arch. Mogunt. Cujus historiam vide apud Abb. Ursperg. Baronium A.C.1112.1121.1125.

Albertus, Patriarch. Hierosol. De quo Vid. Onuphr. Genebr. Spond. *A.C.1203.n.5.*& 1205 *n.13*.

Albertus Magn. professione Augustinianus, genere Patavinus, Thomæ Aquinatis præceptor, in Academia Parisiensi Encyclopædiam, ac præsertim Theologiæ scientiam hausit, quam in universa postea disseminavit Italiâ. Alii Germanum faciunt Dominicanum, in Sueviæ agro Lavingensi, ex Regulis Bolstadiensibus ortum, & episc. Ratisbonensem fuisse, sed sponte resignato episcopatu, ut studiis vacare commodius posset, Coloniæ vixisse, ibique anno Dom. 1280. vitæ 87. obiisse. Vid. Leand. *l.1. de Viris Illustr.* Voss. *de Mathem.16.§.9.20.§.8.*&43.§.20. *Albertus* Germ. sig. *All bright*, ut *Epiphanius*, *Phædrus*, *Eudoxus*, *Lucilius*, *Illustrius*, *Fulgentius*. Nam *Bert*, & *Beort*, est *illustris*, *clarus*, ut Alfricus, & Rhenanus interpretantur. Et *Bertha* Domina Germana apud Grecos dicta est Eudoxia, ut ait Luitprandus. Et qui olim *Ecbert*, *Sebert*, *Ethelbert*, in recentioribus scriptis vocantur *Ecbright*, *Sebright*, *Ethelbright*. Camdenus.

Albertus, Bavariæ Dux, prudentiâ & moderatione insignis, recusavit oblatum Bohemiæ regnum, post mortem Alberti 2 Imper. ne Ladislao, ex Regina Elisabetha, post mariti obitum nato, tanquam legitimo hæredi præjudicaret. Æn. Sylvius, *hist. Bohem.*

Albertus, Austriæ Dux, Basiliensium hostis acerrimus, audito ingenti terræ motu, quo Urbs illa concussa erat, odium in commiserationem vertit & ruinas suas refecturos adjuvit. Urstis. *Hist. Basil.* Joh. Fabri *hist.Suev.1.14*.

Albertus, Marchio Brandenburg. *Achilles*, aliis *Vulpes* Germaniæ dictus, Circa An.1450. Cujus historiam habent Trithem. *in Chron.* Crantz. *Metrop.* 11.48. Æn. Sylvius. *Eur.cap.39*. Campanus, *l.6.epist.*

Albertus, Archid. Austriæ, Rodolphi 2. Imp. frater, fil. Maximil.2.& Mariæ, sororis Phil.2. Hisp.R. primò Cardinalis, dein Lusitaniæ Prorex, porro Belgi Gubernator, An.1596. prudentiæ varia edidit specimina. Mortuo Philippo, deposuit purpuram, & Infantem Isabellam duxit, quæ dotis loco Belgium ei attulit, cum Burgundiæ Comit. An 1598. Victus à Mauritio Nassov. ad Neop. Ostendam triennium obsedit, usque ad an.1604. Secutæ induciæ duodecennales, An.1609. Sub quarum finem, obiit, An.1621. Grotius *Annal Belg.*

Albertus Brandenb. Magnus M. ordinis Teut. Evangelium amplexus, *Sigismundum I. Pol. Regem hostem sensit, sed omisso M. Magistri, & assumpto Prussiæ Ducis titulo, pax inita. An.1525.* Duxit postmodum Dorotheam, Danorum R. filiam, Virtutibus inclytam. Surius, Gaguin. *l.11*. Spond. *A C.1525*.

Albertus Aquensis, scripsit occupationem Hierosol.

Albertus Argentina, Chronica composuit, sub Car.4.

Albertus Banni, celebris Musicus.

Albertus Castellanus, chronol. auctor.

Albertus Cnopius, Medicus Batavus, Geometra egregius, &c. Vid. Gesner. Trithem. Possevin. Genebr. Voss. *de Hist. Lat.* & *Mathem.* P.Jovium, *in Elogiis*.

Albertus Crantzius, vel *Hamburgensis*, quia ibi Theologiam docuit. Scripsit Historiam Eccl. cui nomen *Metropolis*, aliaque plura. Vid. Autores modò laudatos.

Albertus Durerus, insignis pictor Germ.

Albeterra, opp. Duc. Engolismensis. Metel.

Albi campi, Vid. *Leucopedion*.

Albi montes, Vid. *Leucaore*.

Albi populi, Plin.4.18.6.

Albia, V. *Alba Helviorum*, pop. *Albienses* Sidonio Appollinari.

Albia, *Oblok*, op. Germ. in Carniola prov.

Albia, fluv. Vid. *Albis*.

Albia Terentia, Mater Sylvii Othonis, patre equite nata.

Albiana, opidum, seu potiùs pagus Corsicæ mediter. *Rocchà piana* Castaldo.

Albiana castra, pagus Hollandiæ inter Lugdunum & urbeculam *Oudenwater*, quam *Asphen* incolæ vocant. Malè apud Antoninum legitur *Albamana*.

Albianum, Norici Urbs. Anton.

Albiatum, & *Abiatum*, cognomento Crassum, vulgò *Albiagrasso* op. Insubriæ amplum in agro Mediolanensi.

Albici, pop. Aquitaniæ. Sed Cæsar eos in Gall. Narbon. suprà Massiliam describit. Vid. *Albensium*.

Albicus, Arch. Prag. Sigismundi Bohem. Regis ope factus, Joh. Husso, & Viclefi reliquiis favit. Circa An.1412. Spond.

Albidius, vir quidam, qui cùm luxu facultates suas prodegisset, ac novissimè domum, quę sola restabat, incendio perdidisset; Cato sic in eum jocatus est, ut diceret eum proterviam fecisse, *Quod comesse non potuerat, id combussisse*. Macrob. *Sat.2.2*.

Albiensis Comit. prov. Hung juxta Albam Reg. in ditione Turc.

Albieta, Latinorum pop. Halicarnass. 8. *Albiolanos* vertit Gelenius. *Labiniatas* Sylburg.

Albiga, urbs antiquiss. Gall. episc. Cadurcis finitima vulgò *Alby*. long.23.10.lat.43.59. Ad Tarnem, auriferum amnem: Caput dit. Albigensis. *Alba Julia* Ptol. Vid. Cæsar. *comm. de B.G.*

Albigenses, ab *Albiga* seu *Albigio*, de quo supra, dicti, alias *Catari, Publicani, Patarini, Gazari, Pasagieri*, ab exilio: *Valdenses* à Petro Valdo, Cive Lugdunensi opulentissimo, ab urbe illa *Lugdunenses*, itidem appellati, sub Frid. Barbarossa prodiere. Hi Papam Antichristum, Eccles. Rom. veram matrem fornicationum pronuntiabant, puritatem Sacramentorum & dogmatum tuebantur. Hos Alex. Papa, Concilio convocato, lanienæ rapinisque exposuit, quo pacto dispersi, alibi etiam doctrinam suam disseminarunt, in Bohemia inprimis. Adversus eosdem Dominicus Calarogensis, fundator Ord. Prædicatorum 12. an. Tholosæ, in qua Prov. adhuc frequentes erant, docuisse fertur. Interim tamen Albigensium numerus in dies crescebat, sic ut cœtus numerosos variis in locis haberent, in Gallia inprimis & Mediolani: ut apud Sigon. *l.* 18. dicatur: *tot hæreses non tantum pullulant, imo sylvescunt in Italia, & jam Zizania segetes incipit suffocare.* Hinc in Bohemiam, Bulgariam, Croatiam, Germaniam cœtus effusi. Naucler. Crantzius, P. Æmil *l.* 6. Platina, *in Innocentio* 3. Vid. *Valdenses.*

Albimana, vel *Albiniana*, Antonin. *Alphen* Simlero, Hollandiæ vicus, inter Lugdunum & Trajectum. Cohortis tertiæ *Albiniana* meminit, ex vetusto lap. Golzius, *Albamana*, est in tab. Peutingeriana. Vid. *Albiana castra.*

Albina, nobilis matrona Rom. mater Marcelli, discipula S. Hieronymi, V. ejus *præf. in ep. ad Galat.*

Albinæus, Jesuita Gallus, cui cùm Franc. Ravaillacus regicidium Henric. 4. animo agitatum confessus esset, postmodum interrogatus, cur non rem detulisset, *se hoc donum à Deo obtinuisse*, respondit, *ut post datam consitenti absolutionem, oblivioni traderet, quæcunque sibi fuissent confessa.* A. Rivetus, *in Ies. Vap. cap.* 12. Lud. Lucius *Hist. Jesuit. l.* 4. *c.* 3.

Albingaunum, urbs Liguriæ litoralis episc. sub archiep. Genuensi. Apud Melam extrito per incuriam librariorum *n* legitur *Albigaunum.* Atque eodem modo apud Ptol. Ἀλβίγαυνον. Flavio Vopisco in vita Proculi dicitur pl. num. *Albingauni. Patria*, inquit, *Albingauni fuere, positi in Alpibus maritimis.* Strabonis tempestate haud magni fuisse momenti patet ex eo, quòd πολίσμα, h.e. *urbeculam* appellet, cùm è diverso Albium Intemelium vocet πόλιν ἀξιομεγέθη, *urbem magnam.* Hodie *Albenga.* long. 29. 30. lat. 43. 00. subest Dominio Reip. Genuensis. Ad Rutulam amnem in planitie sita; è cujus regione Insula est exigua, & verus scopulus, vulgò *Isolotto d'Albenga*, olim *Gallinaria.* Urbs aliàs dives, nunc deficit.

Albini villa, Vid. *Salina.*

Albiniana, Vid. *Albimana.*

Albinovanus Celsus, comes & scriba Neronis, ad quem scribit Horat. *Ep. l.* 1. *ep.* 8.

Celso gaudere & bene rem gerere Albinovano.

Albinovanus Pedo, poëta Ovidio æqualis, qui eum *sidereum* vocat, *Ponticorum eleg. ult. Sidereusque Pedo.* Atque ad eundem est ejusdem elegia decima *lib. prædicti.* Scripsit de navigatione Germanici, quod ex opere 23. versus refert M. Annæus Seneca, *Suasor.* 1. Etiam epigrammata scripsisse, colligit Vossius ex Martialis *lib.* 2. *ep.* 77. At superest elegia ejus in mortem Drusi sanè elegantissima, & sidereo poëtâ digna. Elegia verò in obitum Mæcenatis ei falsò tributa videtur, licèt aliter sentiat Jos. Scaliger.

Albintemelium, Albintimilium Tacito, *Vintimilium* Varroni, urbs Liguriæ litoralis. Ptol. quæ Plinio, Straboni, & Antonino *Albium Intemelium* dicitur. Urbs episc. est sub archiep. Mediolanensi, ditionis tamen Genuensium. Vulgò *Vintimiglia.* Populi *Intemelii* Livio. Vid. Cluver. *Ital. Ant. pag.* 65. long. 28. 30. lat. 42. 50.

Albinus, Vid. *Lucejus.*

L. Albinus, plebeius Romanus, fugiens Gallos, ex rheda uxorem liberosque descendere jussit, ut Vestales, quæ cum sacris fugitabant, illuc imponeret Livius. Plut. *in Camillo* Val. Max. *lib.* 1. *c.* 1. *ex.* 12.

A. Posth. Albinus, Consul cum Lucullo, an. U.C. 602. Res Romanas Græco sermone scripsit Gellius 3. 10. ubi etiam refert, ut Albinus veniam sibi imperitiæ petierit, quòd homo Romanus Græcâ oratione uteretur; M. Catoa. propterea eum festivè riserit, quòd maluerit culpam deprecari, quàm culpâ vacare. Idemque legere est apud bonorum scriptorum Lavernam Macrobium, *in proœmio Saturnalium.* Narrat id Plut. *in Catone*, sed paulò aliter, ac pro *Albino* vocat *Labienum.* Catonis judicium sequitur Suidas *in* Αὖλ. Ποστούμι. Albinum verò defendentem V. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *c.* 20 Quinimò præter historiam Græcam etiam Annales Latinos hic scriptor reliquit, teste Macrobio, *Sat.* 2. 16.

Albinus, Imp. Rom. dictus quòd exceptus sit utero candidissimus, contra consuetudinem puerorum, qui nascendo solent rubere, cùm secundinis involuti erumpunt menstruo fluore perliti; hinc illud Juvenalis,

—— —— *Modo primos incipientem*
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Cæl. Rhodiginus.

Albinus, Judææ præfectus. Tacit. *l.* 13. Jos. *Antiq. c.* 8.

Albinus Clodius, Consul Rom. Anglorum Gallorumque Dux, à Severo apud Lugdunum victus est, an. 199. caputque ejus Romam missum, Herodian. *l.* 3. Dion. Spartian. Lamprid. Capitolinus. Item alius, Consul, Maximi collega; Tertius, collega Præsentis; Quartus, Amantii; Quintus, Theodosii.

Albinus, vir Prætorius, quià Romanis ad Syllam, tempore belli Socialis missus legatus, saxis ac fustibus à Syllæ militibus mactatus fuit. Plut. *in Sylla.*

Lucii Albini, duo inter Oratores referuntur à Cicerone, qui extare amborum orationes scribit, ex iisque, Lucium, simplicem & antiquum esse; Spurium verò doctum ex disciplina Stoicorum.

Albinus, ut pluribus jam supra memoratis quidam alii adiiciantur, quoque fuit Consul, tempore quo Odoacer in Italiam venit, Cassiod. Item Poëta Lat. qui Annales Rom. metro scripsit, Voss. *de Poët. Lat. c.* 1. Item Præfectus, cujus meminit Greg. Tur. *lib.* 4. *c.* 38. Episcopus quoque apud eundem, *lib.* 6. *cap.* 7.

Albiæci, iidem cum *Albicis.*

Albiolani, Vid. *Albieta.*

Albion Mareoticus, Neptuni, ex Amphitrite conjuge quartus fil. Patris ductu Britanniam intrans, regnum ibi vi tenuit, A.M. 2220 quo, subactis Samothacis & Cassatis, Celtarum, Oceanorum & Neptunicolarum nominibus, cœperunt dein *Albiones* dici. Primus in Brit. astrorum scientiam ac varia navium genera docuit. Ad Rhodani ostia, cum Bergione fratre, lapidum imbre à Jove interemptus est, quòd Herculi transitum impedire voluisset. A.M. 2262. Ante C.N. 1708. regni 43. Diod. Sic. Mela.

Albion Alvion, Ptolemæo, quæ & Britannia, ins. maxima Europæ in Oceano, Galliæ, & Germaniæ adjacens; à Gallia 30. m.p. in Bor. distans. In Britanniam primam (quæ est Anglia, vulgò *England*) & Britanniam secundam (quæ est Scotia, *Scotland* vulgò incolis dicta) duo regna divisa, inter Cantium prom. ad ort. & Bolerium promuntor. ad occid. ad 400. m.p. lata; Longa verò inter austrum & septentrionem supra 800. Angliæ regia est Londinum, Scotiæ Edinburgum; tametsi nostrâ tempestate rex Scotus, Anglis regibus deficientibus, utrique dominatur. *Albion* autem quidam Ὄλβιον insulam dictam putant, alii ab *Albione* Neptuni filio, qui ibi regnavit. V. Plin. 4. 16. Alii potius à rupibus, quæ eminus albæ apparentes, occasionem præbuerunt Insulæ detegendæ. Prius *Samothea* dicta est, à Samothe Gallo, nam Galliæ continenti olim jungebatur Albion. Versteganus *cap.* 4.

Albion nova, pars Americæ septentr. regio sc. de Quivira, in regno Mexicano detecta à Francis. Drak, Equite Anglo, An. 1579. & ab ipso *nova Albion* dicta. Regio perampla, sed nondum bene cognita Europæis, neque etiam versus oram littoralem. An pars terræ Esonis?

Albipheda, vel *Abilpheda*, Arabs Cosmographiæ peritissimus. Vid. Postell. *præf. in Cosmogr.*

Albis, vulgò *Elbe*, Germ. flu. in finibus Silesiæ oriens, in merid. primùm, deinde in occid. postea in septentr. per Bohem. Misniam, & Saxoniam, auctus Multâ, Egrâ, Salâ, ac Ortellâ, in Oceanum fluit, infra Hamburgum urbem Holsatiæ maximam: Ferr. infra Glucstadium habet Braudrandus. Dresdâ, Torgâ, Vitebergâ, Magdeburgo, Luneburgoq; urbibus præclaris eo irrigatis. V. infr. Lucan. *l.* 2.

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Dicitur eodem nomine Græcis auctoribus Ἄλβις, Strab. sc. *l.* 7. ac Ptolem. Dioni verò *l.* 54. est Ἄλβιος, ubi tamen corruptus est casus genetivus τοῦ Ἀλβηίου pro Ἄλβιος. Nomen habere à numero, indicat Fabricius in Misnicis, fontium nempè 11. sive amnium in eum influentium. *Elve* enim & *Elbe* Germanis *undecim* significat. Bohemis verò, apud quos originem sumit, *Labe* dicitur. Posterioris seculi scriptoribus *Albia* dicitur. Porrò hic flu. mediam secat Germ. Nomen ipsum id indicat. Nam ea vox *Albis medium* significat. Scal. *in Hypercritico.* Vid. Munster. *l.* 3. Cluver. *l.* 3. *introd. Geogr.*

Albis, fluv. in monte, *das Risengebirge*, id est, *Gigantum juga*, ortus Bohem. *Labe* dicitur. Suscipit Multam fluv. dein Egram ex monte pinifero fluentem, post Salam ac Ortellam, & per Saxon. super. fluens, inde per inferiorem, inter Ducatus Bremensem & Holsatiæ, infra Glucstadium Oceano Germ. miscetur. Baudr.

Albistrum, op. Brutiorum mediterran. in Calabria citeriori, ad Apennini montis radices, hodie *Ursomarso*, teste Gabriele Barrio.

Albium Intemelium, Vid. *Albintemelium.*

Albius, mons Japodum (*Byrramer Wald* incolis) ingens, ex quo Colapis flu. profluit, qui & *Alben* dicitur, ad occid. ubi *Albium* op.

Albius, nomen viri apud Horat. *lib.* 1. *Sat.* 4.

Stupet Albius ære.

Et *alibi*, *Nonne vides Albi ut male vivit filius, utque*
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis vellet.

Item *Albius*, cognomen Tibulli. Idem Horat.

Albi nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedanâ,
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat.

Albocella, Vaccæorum urbs mediterr. in Tarracon. reg. Ptol. *Arbocala* Livii puto, & *Arbucale* Stephani.

Albofleda, Soror Clotharii R. cum fratre baptizata. Gregor. Tur. *l.* 2. *c.* 31.

Albohozen Haly, fil. Abenragelis, Arabs sec. 3. clarus, scripsit de Astrologia Judiciar. quod opus Alphonsus 10. Castell. R. Hispanicè edi curavit, jam etiam Latinè habetur. Vossius *de Mathem. c.* 35. §. 27. & 37. 14.

Albo-

Albocentii, Daciæ populi. Ptolemæus. Urbs *Cosona*, Hungaris *Rihomeza*, teste *Ricciolio*.

Alboinus, Longobardorum rex, Gepidas bello olim infractos extinxit; memorabili posthac victoriâ apud suos elatus, regnavit circiter an. 30. tandemque uxoris Rosimundæ, quæ fil. erat Cunimondi Gepidarum Regis à se victi & interfecti, dolo necatus est, An. 572. Vide Blond. *Dec* 1. *lib*. 4. P. Diac. *lib*. 1. & 2.

Albonenses, Illyrici Populi. Plin. *l*. 3. *c* 21.

Albonica, Hisp. Urbs Antonino, inter Liminium & Cæsaraugust.

Albonus, Ungariæ rex, Petro ob libidinem & sævitiam pulso, designatus, regnavit annum unum.

Albornozius, Cardinal. & Archiep. Toletanus, in Hisp. & Italiâ gestis rebus clarus. Obiit An. 1367. l'Escal *in ejus vita*. Sanderus *in Elog*. Albi, *Elog. Cardinalium*. Mariana, *l*. 17. *c*. 10.

Alboti, Macedoniæ pop. Ptolem.

Albretanus Henricus, Vid. *Henricus*.

Albretum, opp. & Duc. Galliæ, in Vasconia. Hinc Johanna Albretana, Henrici M. mater. Vid. *Lebreti vicus*.

Albucilla, mulieris nomen est apud Tacit. *lib*. 5. sed admodum impudicæ, & multis adulteriis infamis.

Albudinus, Vid. *Claudiæ Aquæ*.

Albu-Hascen, Rex Fessæ, post Jacobum, Regi Granat. Abul-Hagex, contra Christianos, auxilia summisit. Postea Regem Tremissanum regno pepulit, & potentissimus Africæ Regum evasit. Odio tandem in Christianos furens cum ingenti exercitu in Hisp. trajecit, An. 1440. Sed Tarifâ frustra obsessâ, & copiis ejus magnâ strage victis, in Afr. reversus, & à fil. cognom Petri Castellani auxiliis subnixo, potentiâ suâ exutus est. Mar. *l*. 2. *c*. 38.

Albula, qui & Tiberis, teste Plinio, sic ab aquarum *albedine* dictus. Ἀλβοῦλας Dionysio Hallicarnassensi, & apud Eust. *in Dionys*. Ἄλβουλος. Virg. *Æn*. 8.

—— *Asperq; immani corpore Tybris,*
A quo post Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus, amisit verum vetus Albula nomen.

Ovid. *Fast*. ubi de Hercule,

Venit & à tanto est Albula pota Deo.

Livius, *Pax ita convenerat, ut Hetruscis Latinisq; fluvius Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis esset.*

Albula, altera, quæ & *Albulates* Plinio, fluv. Piceni in Aprutio, per fines Prægutiorum, inter Asculum, & Interamnam urbes fluens in mare Hadriaticum. *Liberata* hodiè nomen habet, uti tradunt Blondus, & Leander.

Albula, aqua quædam in agro Tiburtino, quæ (ut Strabo testatur) vulneribus medetur. Mart. *lib*. 1.

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arces,
Canaq; sulfureis tabula fumat aquis.

Item *Albula*, pl. num. Idem.

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum.

Albulensis, Urbis Episc. in Hispan. meminit Concilium Toletanum. In Mauritania Cæsariensi. Victor Utic.

Album, promuntorium Africæ. Plin. Item aliud in Phœniciâ, non procul à Tyro. Idem.

Album mare, Vid. *Mare album*.

Albumazar, vel *Abbassar*, Philosophus, Medicus, & Astrologus insignis, natione Arabs, educatus tamen in Africâ. Plurima scripsit, de quo vide Gesnerum *in Bibliotheca*. Jos. Blanc. *in Chronol. Mathematicorum*. Voss. *de Mathem c* 3. §. 4. Vixit sec. 9.

Albuna, Dea, quæ in nemore quodam agri Tiburtini colebatur, putaturque esse Ino Athamantis uxor, quæ viri furorem metuens, unà cum Melicertâ fil. se in mare præcipitavit. Ovid. *Metam. lib*. 4 *fab* 13. Pausan *l*. 1. *Lact. lib*. 1. *c*. 6. Aliis Nympha fuit indigena, aquarum ibi saluberrimarum præses, Plin. *lib*. 31. *c*. 2. Alii Sibyllam Tiburtinam fuisse volunt. Isid. Gloss. *Albuna, mater Matuta*. Scribe *Albunea* ex Lactantio (qui unam è Sibyllis facit, *l*. 1.) Virgilio, & Glossis vett. in quibus *Albunea*. Græcis duobus nominibus indigitatur Λευκοθέα, & Βούνη; Latini verò utrumque complexi *Albuneam* dixerunt, uno verbo. Meursius.

Albunea silva, & *Albuneus fons*, apud Tybur urbem, & Anienem flu. nunc etiam *Albuna* vulgò dictus. Virg. *Æn*. 7.

—— —*Lucosq; sub alta*
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat. ——

Horat. *lib*. 1. *Carm. Od*. 1.

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam Domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus.

Tibullus *Albunam* vocat. *lib*. 2. *el* 3.

Quodq; Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit sicco perlueritq; sinu.

Albunea, *Albona*, fluv. Italiæ, in Duc. Med. & agro Novariensi. Dicitur & *Albonea*, inque Padum influit.

Albuquercum, Opp. Hispaniæ, in Extremadura prov. à limite Portugalliæ, 3. leucis in clivo, prope Geboram amnem.

Albuquercus Alphons. dictus *Magnus*, ab Emanuele, Lusitan. Rege in Indiam missus, plurima Regna sub ejus jugum misit, pacemque cum Persarum R. à quo munera accepit, iniit. Obiit An. 1515. in portu Goensi, cùm ægrè ferret successorem sibi datum. Barros. Maffeus, Marmol.

Alburacis, fluv. Galliæ Narbonensis, vulgò *l'Ariege*, in Occitania, cadit in Garumnam paulo supra Tolosam. Aliis *Aurigera* olim *Aregia*. Quod vide.

Alburgum, seu *Ælburgum*, urbs Daniæ Episc. sub Archiep. Lundensi. In Julia, ad sinum Limicum, *Limfort*.

Alburnus, mons Lucaniæ apud Silarum fluv. *Alborna*, teste Cittadina, & Scipione Mazellâ. Virgil. *Georg*. 3

Est lucos Silari circum, ilicibusq; virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, æstron Graii vertere vocantes.

Observet lector loci hujus Deum dictum etiam *Alburnum*, ut inde Romanum morem teneat, qui Deos locorum eodem nomine appellabant, quo ipsa loca. Tertullian. *l. adversus Gentes*, & *contra Marcion*. *l*. 1. *c*. 18. *Vetus erat decretum, ne quis Deus ab imperatore consecraretur, nisi a Senatu probatus; ut M. Æmylius de Deo suo Alburno.* Fuit etiam *Alburnus* nobilis declamator, Seneca. Item nomen piscis apud Ausonium *in Mosella*,

Quis non & virides, vulgi solatia, Tincas,
Norit & Alburnos prædam puerilibus hamis?

Albus, lacus Tart. Asiaticæ, in reg. Cataja, versus civ. Cambulum.

Albus murus, Vid. *Leucotiche*.

Albus pagus, locus est medius inter Berytum & Sidonem, ubi Antonius cum militibus suis Cleopatram expectavit. Plut. Locus item ad sinum Arab. Arrian. *in Periplo* maris Erythræi.

Albusama, *Alboran*, Ins. Africæ, in Mediterr. mari in ora regni Fezzæ, Sanuto. Vid. *Erroris Ins*.

Albutius, Celtiberorum Princeps, cui captam sponsam pulcerrimam P. Scipio Africanus restitui jussit. Plutarch. hunc *Luceium* vocat, Val. Max. *Indibilem*, *l*. 4. *c*. 3.

Albutius Silvius, V. Rex Latin. successit Patri Sylvio; decessit, An. regni, 39. Mundi 3026. Vid. Euseb. *Chron*. Dionys. Halic. 1. 8.

Albutius Silus, Novariensis orator, receptus in Planci oratoris contubernium: jam verò senior, ob vitium vomicæ Româ Novariam rediit, convocatâque plebe, causis, propter quas mori destinâsset, in concione redditis, abstinuit cibo. Suetonius *de Illustr. Orat*.

T. Albutius, Philosophus, discip. Epicuri, cujus M. Varro meminit, dicitque, eum Satyras scripsisse Luciliano stylo. Nam & Lucilius eum ut Græca miscentem verba notat his verbis,

Græcum te, Albuti, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Titi, Anni, centurionum,
Præclarorum hominum, ac primorum, signiferûmq;,
Maluisti dici Græce ergo prætor Athenis,
Id quod maluisti, te, cùm ad me accedis saluto:
Χαῖρε, inquam, Tite: lictores, turma omni cohorsq;
Χαῖρε, hinc hostis Muti Albutius, hinc inimicus.

Vid. Cic. 1. *de N.D.* & 5. *Tusc.* & 1. *de finibus*.

Albutius, vel *Albucius*, Canidiæ pater, homo insigniter avarus & sordidus: Quando ab obsonia comparanda servos suos mittebat, mortem eis minitabatur, ni pro ejus voluntate comparassent. Alii a. scribunt, cùm ille convivaretur, servis officia distribuisse, & antequam aliquis peccasset, eos cecidisse, dicentem, vereri se, ne cùm peccassent, cædere illi postea non vacaret. Horat. *Sat*. 2. *lib*. 2.

———— *Hic neque servis*
Albuci senis exemplo, dum munia didit,
Sævus erit, ————

Alcacar, cognom *Quivir*, metrop. prov. Asgar, in ora Barbariæ, à Jac. Almansor, Fezzę R. condita, ut inde commodus in Granatense R. trajectus esset. Ab Alphon 5. R. Lusit. capta, an. 1468. Joh Leo, Marmol. *l*. 1. *c*. 6. & *l*. 4. *c*. 41. Sanut. *l*. 4. Alia, in Castellæ Regno urbs.

Alcadeta, Opp. Hisp. in Vandalusia.

Alcæos pop. Centuripi vicinos quidam constituere.

Alcæus, poeta Lyricus, Lesbi urbe Mitylene oriundus, floruit Olymp. 44. an. 2. ut Euseb. *in Chron*. tradit. Et firmatur, tum eo, quod Periandri temporibus vixisse dicat Herodot. *l*. 5. tum inimicitiis, quas gessit cum Pittaco septem sapientum uno, qui claruit Olymp. 42. uti Diog. Laert. testatur *in ejus vita*, quem adeò amarum fuisse scribunt, ut authoritate sui carminis multos ex civitate ejecerit. Unde Horat. *l*. 4. *Od*. 9. *Alcæi minaces Camœnas* vocat. Fuit hic magnificus, brevis, diligens, & plurimùm Homero similis, de quo Quinctilianus, Cic. & alii. Ejus è prælio profugi arma reperta, hostes in Sigæo, in templo Minervæ, suspenderunt. Herodot *Terpsich*. Fuit alius *Alcæus*, Comœdiæ veteris scriptor, quem decem Comœdias reliquisse author est Suidas. Earum *Endymion* memoratur Polluci *l*. 9. *Pasiphae*, eidem *l*. 10. quâ cum Aristophane Athenis certavit. Athenæo etiam citantur ejus *Palæstine*, *Nuptiæ sacræ*, *Sorores stuprum passa*, *Ganymedes*, & *Callisto*. Item *Alcæus* Herculis avus, à quo ut quidam volunt, *Alcides* dictus fuit Hercules. Apollod. Diod Sic. Euseb. Item Omphales & Herculis fil. Herod. Clio. Alius V. apud Ælian. *Var. hist*. *l*. 12. *c*. 12.

Alcai, mons celsus & fertilis, in Fezzæ regno, à primariis regni habitatus, & proin munitissimus. Marmol. 4 89.

Alcaida, nomen Judicis & præfecti urbis, in Barbaria. Vid. eundem, *l*. 4. *c*. 22.

Alcairum, Ægypti urbs, de cujus nominis origine sic Bochartus: Arabicâ linguâ, inquit, quæ inter Ægyptiam & Hebræam media esse creditur, קהר *cahara* est *vincere*. & קאהר *Cahir Victoria*, unde nomen אלקאהרה *Alcahira*, id est, *victrix*, urbi *Cairo*, quia Muazzus illam ædificavit in Horoscopo Martis זהו קאהר אלפלך *qui vincit orbem*. Ita reddenda erant Elmacini verba Histor. Saracen. *p.*227. quæ doctissimus interpres multò aliter accepit.

Alcala Regalis, opp. Hispaniæ, in regno Granatæ & confinibus Vandalusiæ: 9. leucis Granatâ distat.

Alcala S. Justi. Vid. *Complutum*.

Alcamenes, nonus Rex Spartanorum, ex Agidarum familiâ, patri Teleclo successit, & an. 77. regnavit. Hujus tempore bellum Heloticum fuit, quibus auxilia tulerunt Argivi. Paus. *in Lacon.* Abstinentiâ & Justitiæ laude clarus, Vide egregia ejus dicta, apud Plut. *in Apophth. Lac. c.*32. Item *Alcamenes*, Achæorum dux. Idem *in Achaicis*. Quin & statuarius ejusdem nominis fuit Praxitele vetustior, qui Agoracritum Parium condiscipulum in faciendâ Venere suffragio pop. Atheniensis superavit. Plin. 36.5. Meminit ejus Lucianus *in Hermotimo*, itemque de Imaginibus, & opera ejus passim recenset Pausanias *lib.*8. Vid. etiam Plut. *de bene administr. Rep. c.*12.

Alcamenes, Sthenelaidæ fil. præfectus quarundam navium Lacedæmoniorum, ab Atheniensibus interfectus. Thucydides *l.*8.

Alcamus, opp. Siciliæ, ad radices montis in valle Mazaræi 20. m. p Palermo, & totidem Drepano distans.

Alcander, unus è comitibus Sarpedonis, Lyciæ regis, ab Ulysse ad Trojam occisus. Ovid. *Met.* 13.

Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque.

Item adolescens Lacedæmonius, qui Lycurgo oculum baculo eruit, adversus quem noluit animadvertere Lycurgus, sed missis consuetis ministris, eum domum introduxit, sibique ministrare jussit. At Alcander, cùm Lycurgi mansuetudinem perspiceret, plurimo amore eum posteà prosequebatur. Plut. *in Lycurgo*, & *in Apophth. Lac. c.*89. Item *Alcander*, qui poëtane, an alius generis scriptor fuerit, non video unde colligi possit, nisi fortè ex loco Clem. Alex. quem profert Vossius *de Poëtis Gr. pag.* 35.

Alcandre, Polybii Thebani, hominis ditissimi, uxor. Hom. *Odyss. δ.* ver. 126.

Ἀλκάνδρη Πολύβοιο δάμαρ, ὃς ἔναι' ἐνὶ Θήβης
Αἰγυπτίης, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται.

Alcanitium, opp. Hisp. in Aragonia, ad fluv. *Guadalete*. Raros incolas habet.

Alcanor, viri proprium, cujus meminit Virg. *Æn.* 10.

Huic frater subit Alcanor, &c.

Alcantara, Vid. *Norba Cæsarea*.

Alcaratium, opp. Hispan. in Castella nova, aliter *Villanova*, juxta flu. *Guadarmena*. Hinc montes dicti *Sierra d'Alcaraz*.

Alcarsus, Vid. *Calcartius*.

Alcataranus, post Abdumalicum, Rex Cordubensis, cùm plus æquo peregrinis Mahometanis, Damascenis inprimis, faveret, suorum odium incurrit, sed vicit hos prope Toletum. Ipse autem à prioribus postmodum captus & de muri pinna suspensus est. Marmol. 2. 14.

Alcath, aliàs *Elcath*, civitas quæ cum suis suburbanis de tribu Aser data est Levitis. Josuæ 21. 31. Hier. *de locis Hebr. literâ E.*

Alcathea, nominatur ab Authore Scholiorum in Aristophanis Equites, mater Pausaniæ regis, qui contra patriam cum Persâ conspiravit, uxor Cleombroti, quæ ab aliis *Theano* vocatur, ut notat Janus Gebhardus, *ad Nepotis Pausaniam.*

Alcathi, Villa in Cypro Insula Jul. Poll.

Alcathoe, urbs eadem cum Megaris in Achaiâ. Ovid. *lib.* 1. *Trist.*

Et quos Alcathoes memorant à mœnibus ortos.

Alcathous, Pelopis fil. qui cædis Chrysippi fratris suspectus Megara venit, occisoque leone, qui multos, & in iis Megarei regis filium Euripppum necaverat, ascitus Megareo gener in regno successit. Paus. *lib.* 1. Item *Alcathous* Trojanus Hippodamiam, Anchisæ filiam in uxorem duxit, & in pugna apud Trojam ab Idomeneo Cretensi occisus est. Hom. *Il. N.*

Alce, canis nomen apud Xenophontem, *lib. de Venatione.* Item una è canibus Actæonis apud Ovid. *Met.* 3.

Et Dromas, & Canache, Sticteque, & Tigris & Alce.

Item nomen meretricis. A. Gellius 4. 11. Item urbs Hisp. in Celtiberia, quam Gracchus ad deditionem compulit. Liv. *l.* 10. *Dec.* 4.

Alcedo, nomen loci, apud Dar. Phrygium, unde Thoas classem Græcis advexerat: sed *Calydonia* legendum haud dubiè: Ortelii codex membraneus, ut ipse refert, *Caledone* habet.

Alcenor, vir fuit Argivus, qui in ea pugna qua 300. Argivi cum totidem Lacedæmoniis de finibus certarunt, solus cum Chromio ex suis superfuit, hostibus quoque omnibus, uno Othryade excepto, ad internecionem deletis. Herod.

Alces, Bithyniæ fluv. Plin. *lib.* 5 *cap. ult.*

Alceste, vel *Alcestis*, Perilai fil. uxor Admeti regis Thessaliæ, quo ægrotante, responsum fuit ab oraculo; quòd brevi moreretur, nisi aliquis amicorum pro eo morti se traderet. Quod cùm omnes recusarent, ipsa promptissimam se obtulit. Juvenal. *Sat.* 6.

——— Spectant subeuntem fata mariti
Alcestem: & similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam servare catellæ.

Ab Ovidio *Pagasæa* dicitur, à Pagasis urb. Thessaliæ, *lib.* 3. *Ματαιοτεχνίας*:

Fata Pheretiadæ conjux Pagasæa redemit,
Proque viri est uxor funere lata sui.

A Claudiano *Thessala*. *De laud. Serenæ*:

—— Consorte redempto,
Casta maritali successit Thessala fato,
Inque suos migrare virum non abnuit annos.

Plura apud Eurip. *in Alceste*. Vid *Admetus*.

Alcestria, opp. Angliæ, in Warvic. prov. ad amnem *Trovv*. *Aulcester*. Distat Warvvico 11. mil. Angl.

Alcetas, Rex Molossorum, longâ serie generationum originem suam ad Pyrrhum Achillis fil. referens. Alius qui sub Alex. M. dux fuit. Utriusque meminit Suidas. Paus. 1. Item octavus Macedonum rex, regn. an. 39. Denique *Alcetas*, historicus Græcus, scripsit de iis, quæ Delphis dicata erant. Athen. *lib.* 13. ubi citatur *ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν ἐν Δελφοῖς ἀναθημάτων.*

Alcetas, Molossorum rex, profugus ad Dionysium Superiorem, qui ope ejusdem & Illyriorum in regnum restitutus est, cùm Epirotarum plures decem mille cæsi essent. Olympiad. XCVIII. anno quarto. *Diod.* XV. 464. Hunc in societatem Atheniensium adduxit Timotheus.

Alcetes, Arymbæ fil. Æacidâ fratre natu major, Epirotarum rex, sed impotentis iracundię vir, atque idcirco à patre expulsus, cùm in Epirotas quoque sævire ac furere inciperet, noctu conspiratione factâ, unà cum liberis de medio sublatus est. Cui interfecto, Epirotę Pyrrhum Æacidę fil. substituerunt. Paus. *in Phocicis.*

Alcetiensium, meminit vetus lapis, in Austria, Lambachi. Lazius 3. in R. P. R.

Alchabitius, Astrologus Arabs, sec. 12. Scripsit quędam in Astrolog. & Optica. Voss. *de Math. c.*62. *§.*4. *& c.*64. *§.*1.

Alchasar, regio, unde Euphrates oritur.

Alchidas Rhodius, Cupidinem nudum Praxitelis manu factum adamavit, atque in eo amoris vestigium reliquit. Plin. 36. 5.

Alchimachus, pictor nobilis. Plin. 35. 11.

Alchindus, Arabs, inter 12. subtilissima ingenia Cardani, *l.*16. *Subtil.* Scripsit de sex qualitatibus.

Alchione, mons Macedonię. Plin. 4. 10.

Alchippe, op. Fucino lacu haustum. Plin 3. 12. Alii tamen *Archippe* scribunt.

Alciacum, *Auchy le Chasteau*, opp. Artesię prov. juris Gall. ad Altilium fluv. 4 leucis ab H. dino, in merid.

Alciatum, *Alzato*, oppidul. Duc. Mediol. in Italia. Vide *Alsiatum*.

Alciatus Andreas, IC Mediolanensis, Jurisprudentię Repurgator, à Franc. 1. in Galliam accitus, Avenione, Avarici, Aurelianique docuit. Dein Patavii, Bononię, Ferrarię, Papię, ubi obiit An. 1550. Scripta ejus in Jure plurima, & Emblemata extant. Forster. *de Jurisc.* Morig. *hist. Medrol.*

Alcibiades, Imp. Atheniensis fuit, summo loco natus, naturęque & ingenii donis excellentibus exornatus: rursus verò omni vitiorum genere deformatus; nisi quantum eum ab illis retraxit disciplina Socratis, cui se erudiendum tradidit. Vitam ejus prolixè descripsit Plutarchus Grecè; Latinè verò perquam eleganter Corn. Nepos. Vid. etiam Thuc. *l.*5. 6. 7. 8. Xen. *Hellen l.* 1 Theopomp. &c. Hic Alcibiades in ludum quendam ingressus, cùm apud magistrum Iliada Homeri postulatam non invenisset, alapam ei impegit satis duram; atque eum imperitum esse, & similes sui pueros efficere dixit. Mortem ejus, quod attinet, de ea sic Justinus *l.*5. *Quem* (Alcibiadem) *cùm profectum ad Artaxerxem Persarum regem comperissent, citato itinere miserunt, qui eum interciperent: à quibus occupatus, cùm occidi apertè non posset, vivus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus est.* Contrà verò habent Plut. & Corn. Nepos, *in ejus vita*, ut jam vidit Clar. Berneggerus. Verba Cornelii in mendo cubant *Illi cùm eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt, circa domum samenam, in quâ quiescebat, eam succenderunt*, &c. Non attinet virorum doctorum super hunc locum conjecturas apponere. Lege, *circa domum Sanisenam*. Sanisene autem locus est in confinio Phrygię & Galatię.

Alcidæ, Dii apud Lacedęmonios sic nuncupati. Hesychius. *Ἀλκεῖδαι, θεοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις.*

Alcidæ statuæ, Vid. *Alybe*.

Alcidamas, luctator insignis. Stat. *Theb.* 10.

—— Tuque ô spectate palæstris
Omnibus, & nuper Nemeæo in pulvere felix
Alcidama.

Idem *lib* 6.

Tandem insperatus nudâ de plebe Laconum
Prosilit Alcidamas.

Item Eleates Philosophus, Gorgię Leontini discipulus. Suid.

Quin-

Quinctilianus verò inter oratores eum numerat. *lib.* 3. Atque extant ejus aliquot orationes in volumine orationum Rhetorum Aldino.

Alcidamidas, Dux Messeniorum, Vid. Pausan. *l.* 4.

Alcidamus, Rhetor antiquus, inprimis nobilis, Mortis laudationem, & de Musica scripsit. Cic. 1. *Tuscul. Qu.* An idem cum priore? Diog. Laërt. *in Protagora*, *l.* 9. Suid. Quintil. 3. 1. Plut. *de* 10. *Orator. c.* 6. & 8.

Alcidas, à Lacedæmoniis, cum 23. triremibus, ad occupandam Corcyram missus. Diod. Thuc. *l.* 3. *c.* 8.

Alcides, Minerva cognominata est à Macedonibus. Liv. *lib.* 2. *Dec.* 5. de Perseo rege bellum adversus Romanos suscipiente. *Ipse*, inquit, *centum hostiis sacrificio regaliter Minervæ, quam vocant Alciden, confecto, cum purpuratorum, ac satellitum manu Citium profectus est.* Item Herculis cognomen, ab Ἀλκὴ, id est, *robur*; vel ab *Alcæo* avo paterno, ut vult Herodotus.

Alcidzuri, Vid. *Boisci*.

Alcimachus, pictor nobilis. Plin. 35. 11.

Alcimede, uxor Æsonis, & Jasonis mater, teste Pherecyde. Quanquam Homeri enarrator Æsonem ex Polymelâ Jasonem genuisse scribit. Ejus meminit Val. Flaccus, *Argon. lib.* 1.

——— *Hunc gravis Æson*
Et pariter vigil Alcimede spectantq; tenentq;. Vid. *Alcymede*.

Alcimedes, Poëta Tragicus, Megarensis. Suidas.

Alcimedon, cælator insignis. Virgil. *Eclog.* 3.

——— *Pocula ponam*
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.

Alcimedon, campus in Arcadia. Pausf.

Alcimenes duo fuere, Megarensis Tragicus, & Atheniensis Comicus, uterque Suidæ memoratus. Posterioris *Thesaurum*, & *Peccantes* citat Athenæus. Item *Alcimenes* inter Achæos, gloriâ, genereque vir primarius, cujus meminit Plut. *in Dione.* Item alius, Epirota, Demetrii comes, omnium audacissimus, ac robustissimus. Plut. *in Demetrio.*

Alcimoennis, Germ. urbs. Ptol. Quidam ejus loco *Ulmam* ponunt.

Alcimus, Siculus, Italica consignavit. Athen. *lib.* 10. & Fest. Pomp. in *Roma*. Item orator, sui temporis facilè princeps. Laert. *in Stilpone.* Item Lydorum rex, pietate, ingenioque mitissimo insignis. Cæl. Rhod. 19. 2.

Alcimus, Judæus transfuga, & proditor, à Demetrio, seu Lysiâ summus Judæorum Pontifex constitutus, quamvis de sacerdotum genere non erat. 1. Mac. 7. 9. & 2. Mac. 14. Vide Josephum, *Antiq. l.* 12. *c.* 17. Salian. Torniel. *A. M.* 3883. *n.* 2. 3893. *n.* 2. & 3895. *n.* 1.

Alcimus, Rhetoricam Burdigalæ docuit, cujus meminit Hieron. *in Chron. Eusebii*, Anno 360. & Ausonius 2. *Epigr. de Profess.*

Alcimus Avitus, Archiep. Viennensis, circa an. D. 500. Refutationes Arianorum, Nestorianorum, Eutych. & Pelagii; item Epist. libros 9. Homilias, & poëmata scripsit, ex quibus sex libelli, præcipuas Geneseos & Exodi historias explicantes, supersunt. Gregor. Tur. 2. 34. Ado Vienn. *in Chron.* Venant. Fortun. Bellarm. *de Scriptor. Eccl.* Baron. *A. C.* 494. 509. & 520.

Alcinor, Argivus, in pugna contra Lacedæmonios, ab utraque parte trecenis confligentibus, victor obiit. Herodot. *l.* 1.

Alcinous, Nausithoi fil. Hom. *Odyss.* 7. rex Phæacum in Corcyrâ insf. justissimus, dicente Orpheo *in Argonaut.*

Ἀλκίνοος κρείνεσκε δικαιότατος βασιλήων.

Virgil. *Georg* 2. *Pomaq; & Alcinoi sylvæ.*

Ferunt horum pomariorum tantam fuisse fertilitatem, ut maturis fructibus novi statim succederent. Papinius *lib.* 1. *Sylv.* 3.

Quid bifera Alcinoi referam pomaria? vosq;
Qui nunquam vacui prodistis in æthera rami?

Juvenalis *Sat.* 5. ——— *Illa jubebit*
Poma dari, quorum solo pascaris odore,
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat.

Ovid. *Amor.* 1. 10.
Præbeat Alcinoi poma benignus ager.

Propertius *lib.* 3.
Nec mea Phæacas æquant pomaria sylvas.

Plin. 19. 4. *Antiquitas nihil prius mirata est, quàm Hesperidum hortos, ac regum Adonidis & Alcinoi.* Meminit etiam, præter vulgares alios, lucorum Alcinoi Theophilus Patriarcha Antiochenus *lib.* 3. *ad Autolycum*, ubi vulgò malè legitur *Antinoi*. Et Nazianzenus *Carm. ad Vitalianum* proverbialiter:

——— Ἡ δὲ τράπεζα καὶ ἄλσος Ἀλκινόοιο
Τερπνοτέρη.

Alcinoi apologus, dicitur de longis & anilibus fabulamentis; refertur à Diogeniano, & Julio Polluce *lib.* 6. Sumptum ex Hom. Odysseâ, ubi Ulysses in convivio Alcinoi Phæacum regis prodigiosas fabulas, & portentosa mendacia commemorat de Lotophagis, Læstrygonibus, Circe, Cyclopibus, atque id genus aliis plurimis miraculis, fretus videlicet Phæacum inscitiâ. Hoc proverbio usus est Plato *de Republicâ lib.* 10. Jul. Pollux, *lib.* 6. Virg. 2. *Georg.* Plin. 19. 4. Tertull. *de Pallio, cap.* 2.

Alcinous, philosophus, epitomen composuit decretorum Platonis. Eam edidit doctissimus vir Dan. Heinsius Gr. Lat. unâ cum Maximo Tyrio, Lug. Bat. 1607. in octavo.

Alcinus, unus ex filiis Hippocoontis. Apollodor. *l.* 3.

Alciphron, Magnesius philosophus, Alexandri temporibus. Suidas.

Alcippe, Martis ex Agraulo filia. Apollodor. *l.* 3.

Alcippe, fil. Oenomai, uxor Eveni, mater Marpessæ fuit, quæ cùm ab Ida rapta esset, pater raptorem insecutus, incidit in fluvium & immortalis evasit. Plut. *in Parall.* Item, filia Alcyonis Gigantis. Rhodig. *l.* 4. *c.* 11. Suid. Alia, quæ Elephantum peperit, Plin. 7. 3.

Alcippe, rustica mulier, cujus sæpe meminit Theocritus. Virg. *Eclog.* 7.

Quid facerem? neq; ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos.

Alcippus, civis Lacedæmonius, inter suos maximæ authoritatis, patriæque studiosissimus, qui ab inimicis, contrarias partes in Rep. foventibus, in exilium actus fuit. De cujus uxore Democrita, lege memorabilem historiam, apud Plut. *in Erot. cap.* 5.

Alcisthene, nobilis pictricis nomen Plin. 3. 11.

Alcisthenes, Archon Athenis, Olymp. 102. an. 1.

Alcisthenes, Sybarita ditissimus, cujus mentio fit in mirabilibus Aristotelis. Nisi fortè legendum *Antisthenes*.

Alcithoe, Thebana mulier, quæ, cùm Bacchum, ejusque orgia contemneret, cæterisque mulieribus sacra celebrantibus, cum sororibus & ancillis lanificio operam daret, ab irato Baccho in vespertilionem commutata est, telæ autem in vitem & hederam. Ovid. *Metam. l.* 4. Docet hæc fabula, cultum divinum non negligendum, sceleratos conscientiæ stimulis agitari, à Numinis incuria facilem esse in hæreses lapsum, Deumque tandem ex impiorum pœnis gloriam Justitiæ suæ manifestare solere.

Alcluith, op. Scotiæ, apud Cludam fluv. vulgò *Dunbritton*, teste Hectore Boëthio.

Alcmæon, Amphiarâi vatis, & Eriphyles fil. Huic pater, ad bellum proficisci coactus, nequitiam Eriphyles in se aperuit, eique *futuræ mortis suæ vindictam reliquit; qui defuncto patre memor præcepti, ut in patrem pietatem servaret, impius in matrem factus est*. Huic fabulæ à cæteris additur, quum posteà ob matris cædem Alcmæon furiis agitaretur, venisse ad fluv. Phlegeum, à quo lustratus est, & cùm filiam ejusdem Alphesibœam amasset, donato illi monili, quod matris Eriphyles fuerat, uxorem illam duxisse: cæterùm cùm aliquando ad Acheloum fluv. post ea tempora fortè rediisset, placuissetque ipsi Callirhoë Acheloi filia, monile, quod superiori conjugi dederat, etiam huic, nuptiarum spe, pollicitum esse. Ad quod repetendum cùm proficisceretur, à fratribus Alphesibœæ, Themone, & Azione, occisum esse: qui tamen & ipsi ab eodem mutuis vulneribus petiti, perierunt; vel, ut Ovidius videtur sentire, à filiis Callirrhoës, quos Jupiter natos statim Deos fecerat, in ultionem patris occisi sunt. Vid. *Metamorph. l.* 9. *f.* 10. Pausan. *l.* 8. Euseb. Anno 817. *ab Abrahamo A. M.* 2743. Virg. *Æn.* 6.

——— *Mæstamq; Eriphylen,*
Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.

Propert. *lib.* 3. *eleg.* 4.
Aut Alcmæoniæ furiæ, aut jejunia Phinei.

Alcmæon, ultimus ex perpetuis Atheniensf. Archont. Cui successit Charops, fil. Æschyli, in decennali dignitate, Anno M. 3300. Euseb. *Alcmæon* etiam dicitur pro *Alcman*, à quo alius est ille, qui in *Delphorum commentariis* citatur à Plutarcho *in Solone.*

Alcmæon, Phil. Crotoniates, fil. Pirithi, discip. Pythagoræ. Primus Physicam scripsit. Vid. Diog. Laërt. *in Alcmæone. lib.* 8. Clem. *Stromat. l.* 1. Euseb. an. 250. *U. C.* Alius, Historicus, Plutarcho laudatus, *in Solone.*

Alcman, poeta Lyricus, Olymp. 27. cùm Ardys Lydiæ imperitaret, vixit; qui, utpote Lacedæmonius, linguâ scripsit Doricâ. Est verò diversus ab Alcmane Messenio, itidem Lyrico. Vide Vossium *de Poet. Gr. pag.* 13. & 15. Pausan. *l.* 3. Euseb. *in Chron.* Plut. *cap.* 2. *de Exilio & in Sulla.* Plin. *l.* 11. *c.* 33.

Alcmania, civitas Cariæ mediterranea, aliàs *Heraclea* dicta. Steph.

Alcmaria, op. Germ. in Hollandia. Seu potius Vest-Frisiæ, egregie munitum, unde repulsus fortiter Hispanus, Anno 1573. Nannius Miscellan. *lib.* 10. ait, quibusdam hanc ab *halecum mari* nominatam videri: aliis quasi *Almariam*, id est, *omnino palustrem*. *Meren* enim Germanis dicuntur stagna latiora. long. 26. 00. lat. 52. 46.

Alcmene, & Archaicè *Alcumena*, Electryonis & Lysidices filia, Amphitryonis uxor, cui hâc lege nupsit, ut mortem fratris

fratris sui à Telebois occisi, ulcisceretur. In quâ expeditione cùm Amphitryo versaretur, Jupiter in Alcmenam ardens, formâ militis assumptâ, quasi ab expeditione rediens, ante lucem ad eam accessit. Illa autem maritum esse suum credens cum eo concubuit, etsi antea ab Amphitryone prægnans esset; concepitque, & sic geminos peperit, Iphiclum ex Amphitryone, & Herculem ex Jove. Ovid. *Met* 9.

—— Levata est

Argolis Alcmene, potiturq; puerpera voto. Vid. Plaut. *Amphitruonem.* Diod. Sic. 4. 9. Ovid. *Metam. l.* 9 *f* . & 6. De ejus sepulchro & conjugio Rhadamanthi, Plut. *in Lysandro.* Imagine à Zeuxide picta, Plin. 35. 9.

Alcmenidæ, Athenas à tyrannide Pisistrati liberarunt, Herodot. 5. Thuc. Pauf. Vid. etiam Plut. in iis quæ contra Herodot.

Alcobasa, monaster. celeberrimum Ord. S. Benedict. in Portugallia.

Alcobricenses, Vid. *Arcobriga.*

Alcocerum Salinarum, opp. Hisp. in Portugallia, ad fluv. *Zadaon.*

Alcomena, civitas Ithacæ, & alia Illyriæ. Steph

Alcon, Cretensis, aliis fil. Erechthei, Principis Athen. sagittarius insignis, cujus filium cum draco invasisset, tantâ arte direxit sagittam, ut ea currens in serpentis desisteret vulnere, nec transiret in filium. Servius *in Illud Virg. Ecl.* 5.

Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Item faber argentarius. Ovid *Met.* 13.

Miserat hunc Therses illi, fabricaverat Alcon
Myleus, & longo calaverat argumento.

Alius apud Statium *lib.* 6.

—— Sequitur Sicyonius Alcon. Alius Hippocoontis fil. cujus sepulchrum describit Pausan. *l.* 3.

Alcon, Martis fil. Alius, Amyci fil. qui ad aprum Calydonium ierunt. Hygin. *c.* 173.

Alcon, unus ex Hippocoontis filiis. Apollodor. *l* 3. V. supra

Alcona Pompeiana, Gall Narbon. portus, 18. m. p. à Telone Martio. Anton. Vid *Nacona.*

Alcoranus, liber, quem impius Mahumetes unà cum magistro suo Sergio monacho, ac sociis quibusdam Judæis conscripsit, partim ab Hebræis, partim à Christianis mutuans. Fit autem ea vox ex articulo Arabico *Al*, & nomine *Coranon*, quod vel *lectionem*, vel *collectionem* denotat Hujus historia porro paucis sic habet. Post Mahometis obitum, cùm, ultra ducentos, diversi commentarii in eum extarent, Mohavia Calipha Babylonius, conventu Damasci instituto, frustra dissidentes conciliare conatus est. Quare 6 è toto numero doctissimos selectos, quemque seorsim includi, & scribere jussit, quod quisque optimum censeret. Sic prodierunt 6. illi libri, qui *Alcoranus* dicuntur, reliquis scriptis in profluentem projectis, & omni contradictione severissime prohibitâ. Nihilominus inde sectæ ortæ: Quarum prima & maximè superstitiosa *Melschi* doctoris, Æthiopas & Arabas: Secunda, *Imeniana* dicta, traditioni Alv conformis, & rationi magis conveniens, Persis: Tertia *Omari*, & liberrima, Turcas; Quarta tandem & simplicissima, *Odemani*, Tartaros sectatores habet.

Alcta, Siciliæ mediterranea urbs, Ἄλκτα Ptolemæo, ubi MS. Palatin. Ἀῆτα.

Alcudia, opp. Insulæ Majoricæ noviter munitum, cum portu. 7. leucis ab urbe Majorica distat.

Alcuinus, Anglus, vir eruditissimus, variis & reconditis disciplinis ornatus, primus apud Parisios literarum aperuit ludum, honestisque effecit exhortationibus, ut Carolus Magnus, cujus præceptor fuerat, Parisiense extruxerit Gymnasium, multisque exornaverit privilegiis. De quo Conradus in hunc modum scripsit *in Bibliothecâ. Alcuinus, seu Albinus, monachus ac diaconus, Abbas monasterii S. Martini Turonensis, natione Anglicus, & Beda presbyteri quondam auditor, infinita penè scripsit volumina, author ubiq; pius ubiq; doctus, succinctus, maturus, gravis, scientiâ plenus, & ante alios præcipuè dignus qui semper in hominum manibus teratur, quò vanitas omnium, quæ sub sole geruntur, magis dilucescat; & corda mortalium ab instabilium rerum curis ad amorem cælestium ardentius inflammentur* Obiit Anno 804. Vid. Bell. *de Auth. Eccles.* Sigebert. & Genebr. *Chron.* Vossium *Hist. Lat.* 2. 30. Baronius *A. C.* 761.

Alcymede Jasonem omnes ex Æsone genitum consentiunt. De ejus matre non usque adeò inter scriptores convenit. Apollonius & Valerius *Alcymeden* Clymenis filiam fuisse scribunt: Stesichorus *Eteoclymenen*; Pherecydes *Alcymeden* Phylaci filiam. Herodotus *Polyphemen* Autolyci. Andron in abbreviatione τῶν συγγενικῶν *Theognites*, Laodici filiam, Jasonis matrem fuisse autumat. Natus est autem ex his duobus solus Jason, ut sentit Apollon. Ibycus filiam etiam eis dicit fuisse *Hippolyten* nomine. Diodorus etiam filium alterum, *Promachum.*

Alcyone, vel *Alcinoe*, una ex Pleiadibus, ex Atlante, & Pleione nata, quæ placuit Neptuno: ex quo peperisse volunt Alcyonem, conjugem Ceycis regis Trachiniæ. Bocat *l.* 4. A. Gell. *l.* 3. *c.* 10. Pausan *l.* 3.

Alcyone, vel *Halcyone*, Neptuni fil. Ceycis uxor, quæ, cùm ad Oraculum vir ejus navigans naufragium fecisset, doloris impatiens, se submersit, ac Deorum commiseratione in avem sui nominis mutata est. Ovid. *Met.* 11. Theocr. Schol. *Idyll.* 7. Ἀλκυὼν θυγάτηρ Αἰόλου καὶ Κανάκης, γυνὴ δὲ Κήυκος. Servius autem *ad Georg.* 1. notat nominativum esse *Alcyone*, cùm de muliere dicitur: cùm de avibus, *hic* & *hæc Alcyon*, *hi* & *hæ Alcyones* Putant debere scribi *Halcyon*; dici enim Ἀλκυόνα, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν. Vide Arist. *hist an. lib.* 9. *cap.* 14. & *lib* 5. *cap.* 8 Varro *de L. L. lib* 6 Schol. Apollonii *pag* 52. & Schol. Aristoph. *in* Ὄρνισ. Vide *Ceyx.*

Alcyone, Eveni fluv. filia, quæ & *Marpessa* dicta est, uxor Idæi, quam Apollo cùm rapuisset, non dubitavit maritus, sumpto arcu & sagittis, uxorem ab eo repetere, quod cùm frustra conatus esset, parentes filiæ salum lugentes, commutato nomine, Alcyonem eam appellarunt, quòd fatum superiori Alcyoni non dissimile sortita videretur. Hom. *Iliad* 9. Vid. *Ida & Marpessa.*

Alcyone, op. Thessaliæ, teste Plinio, ad sinum Maliacum, ex cujus ruinis Methone op. extructum, ad quod Philippus, Alex. Magni pater, altero oculo orbatus est

Alcyone, Meleagri conjux, quæ ob mariti mortem, luctu decessit Hygin *c.* 174.

Alcyone, Vid. *Halcyone.*

Alcyoneus, Antigoni fil. de cujus virtute, & Patris, post filii obitum, constantia, Vid. Laert. *lib.* 4. Plut. *in Pyrrho* Item Gigas quidam, Porphyrionis frater, ab Hercule telis confossus: cujus filiæ, quas septem numerant, ob patris mortem in mare præcipitatæ, ab Amphitrite in *Alcyones* sunt mutatæ. Vide Suidam, Natal Com. *l.* 7. *c.* 1. Cœl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 11. Claud. *lib.* 3. *de Raptu Proserp.*

—— Fractane jugi compage Vesevi
Alcyoneus per stagna pedes Tyrrhena cucurrit?

Alcyonium, Stagnum immensæ altitudinis; Nero enim Imperator, junctis quàm plurimis funibus profunditatem ejus non potuit explorare; quod & *Amphiarai* fons dicebatur, teste Pausaniâ.

Aldarus Joh Historicus Angl. Hiberniam & Scotiam descripsit. Voss. *de Histor. L. l.* 3. *part.* 2.

Aldeberga, urbecula Germ. in Sax. super. in confinio Bohemiæ, versus Albim fluv. Subest Electori Sax.

Aldebertus, insignis impostor Gallus. De cujus erroribus, Vid. Baron. *A. C.* 743. 745.

Aldeburgum, urbec. Germ. in Holsatia, cujus sedes Episc. inde Lubecam est translata, Anno 970. Aliter *Oldenburg*, unde tractus cognom. in Wagria reg.

Aldeburgum, Opp. Angliæ, in Suffolcia prov. & in ora maris Germ. Vid. *Isurium.*

Aldegisus, Desiderii Longobardorum regis fil. à Carolo Magno victus & in carcerem conjectus. Aliter Theophanes, apud Baron. A. C. 774 sentit.

Aldegus, fluv. territorii Veronensis. Cadit in Athesim, in ditione Veneta.

Aldenardum, *Oudenarde*, urbs Flandriæ munita, inter Gandavum atque Tornacum, & interfluente Scaldi fluv. dividitur, sub Galliæ R. Arcem habet validam, *Pamele* dictam, in medio urbis.

Aldenburgum, opp. Germaniæ, in Misnia, cum castro, unde Duces Aldemburgenses, è domo Saxonica Vid. *Altemburgum.*

Aldenburgum, Comitatus in Westphalia, qui ab ortu ad Visurgis ripam, provincias Stegingiam (è regione Bremæ arci Delmenhorstæ subjectam) Stadlandiam in quinque, Butiadiam in septem parochias tributam, & huic subjectam Jeveriam, Frisiæ partem 18. parochiis insignem complectitur: ad occasum Amerlangiam ad Amasim fluvium porrectam, in medio Morinos habet: ad Boream Frisi & Oceano: ad meridiem diœcesi Monasteriensi terminatur, Metel. Item Ducatus & urbs Franconiæ, sub Archiep Mogunt. Munster.

Aldeprandus, vel *Hildeprandus* Rex Longob. post Luitprandum, ob sævitiam mox pulsus; Rachim successorem habuit. Plat *in Zacharia.* Baron. *A. C.* 744.

Aldescus, Sarmatiæ Europææ fluv. qui se unà cum Panticape ex Riphæis montibus oriens in mare glaciale exonerat. Dionys. Perieg *ver.* 314.

Κεῖθι γὰρ Ἀλδήσκοιο καὶ ὕδατα Παντικάπαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσι διάνδιχα μορμύρουσι.

Suidas. Ἀλδήσκος ὄνομα πόλεως καὶ ποταμοῦ. Apud Priscianum in margine pro *Aldesci*, *Ardisci* scriptum reperi, & quidem *Ardiscus*, Ἄρδισκος, teste Aristarcho, flu. Scythiæ est, cujus etiam meminit Herodotus *Musâ primâ.*

Aldestanus, Angliæ R. Vid. *Adelstanus.*

Aldhelmus, vel *Adelmus*, & corruptè *Anthelmus*, frater Inæ Regis Saxonum Occidental. horumque Episc. multa scripsit, obiitque Anno 719. Beda *l.* 8. *hist. Ang. c.* 19. Voss. *de Poët. Lat c.* 5.

Mathem. cap. 34. *§.* 15. *cap.* 51. *§.* 3. *& cap.* 67. *§.* 13. Trithem. *Chron*

Aldilazith, Aſtrologus Arabs, Auctor operis *Archibiæ*. Voſſ. *de Mathem. c.* 64. *§.* 2.

Alduabis, Celtarum flu. oriens circa montem Juram, Sequanos ab Helvetiis dividens, lapſuſque per comitatum Burgundiæ, Veſontionem Sequanorum opidum, ut circino circumductum penè totum cingit: Deinde Dolam urb. præterfluens, circa Virodunum, non longè à Cabillonenſi urbe, Arari fluvio miſcetur, Gallicè *le Doux*, apud Cæſarem *Alduaſdubis*, vel, ut alii, *Alduaſdalis*. Græcus tamen Interpres Ἀλδυάσδυβιν reddit. *Dubis* eſt Ptolemæo.

Alduatnus, Rex Saxonum Occid. ſeculo 5. ab Ina regno vitaque exutus. Polyd. Virg. *l.* 4.

Alduinus, Abbas S. Joh. Angel. Circa Annum 1025. Baron. Item Præfectus Engoliſmenſis, ſub Carolo ſimplici, qui regionem hanc poſteris hæreditariam reddidit uſque ad Aimarum, cujus filia Comiti Luſignano nupſit. Hiſt. Gall.

Aldus, cognom. Manutius, frater Fr. Aldi &c. varia ſcripſit, & inter humaniorum literatorum inſtauratores nomen meruit. Obiit Romæ, An. 1597.

Ale, Regnum Barbariæ. Hic puellæ animalium figuras corporibus incidunt, Et Rex bellum geſturus, ſuos, mirabili commento, ad taciturnitatem adſtringit. Sanut. *lib.* 7. Jarr. *lib.* 5. *cap.* 44.

Alea, urbs Arcadiæ, Theſſaliæ, & Carpetanorum. Stephanus. Quem vide *in* Ἀλέα.

Alebas, rex Lariſſæorum, qui à ſuis ſatellitibus obtruncatus eſt. Ovid. *in Ibin:*

Quosq; putas fidos, ut Lariſſæus Alebas,
Vulnere non fidos experiare tuo.

Alebecerii, pop. Gall. Narbon. Plin. 3. 4.

Alebus, fluv. Hiſp. circa Baleardes.

Alecta, urbs epiſc. Gall. Narbon. hodiè *Alette*. Ad Atacem fluv.

Alecto, Furia infernalis, Latinè *inceſſans* dicta, ab α privat. & λήγω *deſino*, quia cupiditas nunquam ſatiatur. Ovid. *Epiſt.* 2.

Affuit Alecto brevibus torquata colubris.

Virgilius *Æneid.* 7.

Luctificam Alecto dirarum ab ſede ſororum
Infernisq; ciet tenebris: cui triſtia bella,
Iraq;, Inſidiaq;, & Crimina noxia cordi.

quod ait *luctificam*, idem invenies apud Ovid. *Met.* 4. ubi Tiſiphonem ſororem ſuam

Luctus comitatur euntem.

Eadem ibidem affert ſecum *Et ſcelus & lachrymas*. *Alecto* quoque apud Claud. *lib.* 1. *in Ruf.* inter alios comites ſequitur,

Sciſſo mœrens velamine Luctus.

Girald. *Hiſt. Deorum.* Virg. 3. 6. 8. 12. *Æneid.* Suidas, Orph. *in Hymno.* Vid. *Furiæ, Eumenides.*

Alector, fil. Anaxagoræ, Iphim genuit & Capaneum, qui fuit unus ex ſeptem ducibus Argivorum apud Thebas. Volat. *Alectoris propugnaculum* circa Boryſthenis oſtia habes apud Dionem Pruſæum.

Alectryon, teſte Luciano, adoleſcens fuit Marti adeò familiaris, ut adulterii, quo Veneri ille commiſcebatur, conſcius adhiberetur, foribusque cuſtos apponeretur, ne Solis interventu adulter apprehenderetur. Verùm cùm ille ſomno captus negligentiùs excubias ageret, amantes à Sole comprehenſi ſunt, & ad Vulcanum delati, catenisque adamantinis, multò antè in eum uſum paratis, impliciti. Quo nomine Mars indignatus *Alectryonem* in avem ſui nominis transformavit, quem *Gallum* Latini vocant, qui etiam hodiè, veteris negligentiæ memor, Solis adventum cantu ſuo prænunciat.

Alectryones, Galli Gallinacei vocitati fuerunt militari laſciviâ olim Cares, propter galeas criſtis inſignes, teſte Plutarcho *in Artaxerxe.* Quomodo etiam noſtrâ tempeſtate certam militum manum, quâ ſe adverſus inopinos hoſtium inſultus tuentur Clivenſes, noſtrates *Die Hanenfedern* appellant.

Alectryopolis, urbs Macedoniæ inter Philippos & Theſſalonicam, vulgò *Aleſterofori.*

Alectum, poſtea *Dei Donum*, vulgò *Dondy* ſeu *Dundee*, teſte Camdeno cum aliis, op. Scotiæ in orâ ad ort. ad óſtia Tai flu. inter Andræapolin, & Brechinium.

Alectus, militum præfectus, Caranſium Armoricæ uſurpatorem, occidit; ob vitia autem ſuis exoſus redditus, & à Conſtantio Aſclepiodoto Præf. excub. Diocletiani ſimiliter interemptus eſt. Victor, *de Cæſaribus.*

Al Edriſi, ſeu *Nubienſis* Geographus, præclarè ante annos 500. orbem in ſeptem climata deſcripſit: Tempore Rogerii I. utriusque Siciliæ Regis, Anno 1151. Hunc ex Arabico Latinum fecere Gabriel Sionita & Johannes Heſronita, Maronitæ.

Alegranca, parva Inſ. prope Canarias, cum portu commodo & aliquot arcibus. Grammæus, *Afr. l.* 9. *c.* 5.

Aleius campus, locus Lyciæ, in quem cecidit Bellerophontes, cùm à Pegaſo ab œſtro agitato excuteretur: Sic dictus, quòd in eo cæcus erraſſet Bellerophon, donec periret. Dionyſius *Perieg. Ver.* 872.

Κεῖθι δὲ τὸ πεδίον τὸ Ἀλήϊον, ὅ κατὰ νῶτα
Ἀνθρώπων ἀπάνευθεν ἀλώμενος ἐνδιάασκε.

A vagando itaque *Aleius* dictus. Hom. *Il.* 6.

Ἤτοι ὁ κὰπ πεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο,
Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Euſtathius verò aliam tradit nominis originem, viz. ἢ ἀπό τινος πόλεως καλυμένης Ἄλης, ὥς τινες λέγυσιν, ἢ παρὰ τὸ ἐςερῆαζ ληίων.

Alele, Africæ urbs, circa Syrtim Min. Plin.

• *Alemanni*, Stephano *Alamani*, Arnobio *Alamanni*, pop. Germaniæ, Galliæ Belgicæ, & Rhætiæ proximi, in Sueviâ quondam incolentes. Nunc omnes *Germani*, *Alemanni* communiter vocantur. Quos Quadratus, rerum Germanicarum ſcriptor apud Agathiam, non à *Lemanno* lacu, aut ab *Alemanno* fluvio dictos putat; ſed quòd plerique Germaniæ populi in unum coïerunt. Siquidem *Al* Germanicâ linguâ idem ſig. quod *Omnis*, *Man* verò idem quod *homo*. Ut dicti ſint *Almanni*, quaſi *omnis generis hominum colluvies & permiſtio.* Alii verò ſic dictos putant, quòd *toti viri* eſſent; & bellatores fortiſſimi. Horum regio *Alemannia* nominatur, hodiè *Alemagna*. De quâ Claud. *de laud. Stiliconis lib.* 1.

Oravit jungiq; tuis Alemannia ſignis.

Alemannus, fluv. Germ. ex Suevia ort. habens, ac per Aureatum urb. (nunc Aichſtatum) in Danubium inter Ingolſtadium & Ratiſponam influens. Vulgò *Altmola*, vel *Altmul.*

Alemuſii, Atticæ pop. apud quos eſt Cereris Legiferæ, & Proſerpinæ templum. Pauſan. *in Atticis.*

Alenconium, op. Gall. Celt. Ducatûs titulo inſigne, ad Sartam fluv. vulgò *Alençon*, teſte Rob. Cænali. long. 12. 10. lat. 48. 26.

Aleniticum, Vid. *Ælaniticum.*

Alens, Coi Inſ. locus, Theocr. Etiam Siciliæ fluv. Ejuſdem Schol. Vid. *Hales.*

Alentakia, regio Duc. Livoniæ, in Eſthonia prov. prope Narvam urbem, ſinum Finnicum inter & Peipum lacum, in ditione Suec.

Aleon, fluv. Plin. circa Joniam Aſiæ. Fortè *Ales* Pauſ.

Aleopetra, Inſula in Mæotide.

Aleptimus, loci nomen in Africa, in Concil. Carth. ſub D. Cypriano habito. Corruptè forſan pro *Leptis minus.*

Alepum, metropolis civitas provinciæ Comagenæ, tertium locum obtinens inter civitates Turcicas: illuſtris arce; 12. item ornata portis, tribusque ſuburbiis, Chriſtianis ut plurimum habitata ad fluvium Singam ſita eſt, canalemque habet ſeu aquæductum, quo multi fontes in publicum & privatum civium uſum in civitatem ducuntur. Ibi famigeratum eſt emporium. Frequentia ejus incolarum inde colligi poteſt, quòd anno à Chriſto Servatore nato 1585. in ea ejuſque ſuburbiis trium menſium ſpatio mortem obierint hominum centum viginti millia. Natal. Metel. Quibuſdam *Hierapolis*, aliis Lariſſa, nonnullis Bœrea Vett. Vid. Cluver. P. de Valle, Pouletium, &c.

Alera, *Alre*, fluv. Germ. in Saxonia infer. Verdam urbem alluit, & poſtea in Viſurgim cadit. Vid. *Allera.*

Aleria, colon. & urbs Corſicæ marit. in orâ orient. ſub archiep. Piſano, exciſa, manente epiſcopatu, à Marianâ, urbe etiam extinctâ, 30. m. p. in ort. diſtans. Plin. & Ptol. long. 32. 20. lat. 41: 15. V. *Valeria Col.*

Ales, fluv. Ioniæ frigidiſſimus, juxta Colophonem urb. fluens, qui Plinio *Aleon* dici videtur.

Aleſa, urbs Siciliæ. Vide infra & *Haleſa.*

Aleſa, condita ab Archonide Erbitenſium duce, in tumulo octo ſtadia à mari diſtante, deductis in eam mercenariis & aliis convenis, quos belli cum Dionyſio metus Erbitam compulerat. Cùm ob opportunitatem maris ocyus incrementum cepiſſet, aliæque in Siciliâ ejuſdem nominis urbes eſſent, conditor illam à ſe *Archonidion* nominavit. Poſterioribus temporibus & opibus ex maris commercio auctos & immunitate à Romanis donatos, puduit originis ſuæ, turpe ducentes ex humiliore ſe civitate oriundos eſſe. Quidam ab Carthaginienſibus conditam fuiſſe aſſerunt, quo tempore Amilcar cum Dionyſio pacem fecit. Vid. *Alæſa.*

Aleſca, Vid. *Aliſca.*

Aleſia, *Alais*, urbs Galliæ, in Occitania infer. prov. ad Gardonem. Diſtat 5. leucis ab Uccetia, 10. autem à Ponte S. Spiritûs, in Nemauſenſi tractu, ad radices Gebenarum montium.

Aleſia, vide *Alexia.*

Aleſichborium, Æſch. *in epiſt.*

Aleſini, Arabes circa Perſicum ſinum. Strabo.

Aleſium, op. Peloponneſi. Strabo *lib.* 8.

Aleſius, Sceluntis fil. unus ex procis Hippodamiæ; vel, ſecundùm alios, Gargetti fil. unus ex illis qui cum Pelope advenere. Item op. Elidis. Steph. Et mons Arcadiæ non procul à Mantinea, ſic dicta ab *errore* Rheæ. Pauſ.

Aleſtes, fluv. Hiſp. per Bracarum urb. fluens, teſte Vaſæo, vulgò

vulgò *Rio di Braga*; *Cavado* nonnullis, sed hic *Celandus* vett. dictus.

Alesus, Siciliæ fluv. *Pittineo*, teste Fazello, Aletam op. alluens, ac in mare inter Cephalodium & Halesam influens. Item Tusciæ fluv. juxta Alsium fluens; *Sanguinaria*, teste Ortelio.

Aleta, op. geminum; unum Illyrici in Dalmatiâ mediter. *Mosth* hodiè, teste Nigro. Alterum Siciliæ eversum, ubi nunc op. S. Marci, teste Fazello. *Alicya* Ciceroni dicta videtur, ut rudera testantur.

Aletha, postea Maclovium, seu Macloviopolis vulgò *S. Mallo*, urbs Gall. Celt. in Britan. minori, sub archiep. Turonensi. Parva, sed dives & munita; emporium celebre, & statio navium commoda, in Aaronis Insula cum castro. V. & *Alecta*.

Alethes, Corinthiorum primus rex, qui regnavit an. 35. Vid. Pauf. *lib.* 2. Euseb. *Chron.* Item nomen proprium viri Trojani, unius ex Æneæ sociis. Virg. *Æn.*

—— *Grandævus Alethes.*

Sic dictus, quia ἀληθὴς, id est, *verax* fuit, vel potius à fide & *veritate*, quæ præcipuè est in senibus. Nam

Αἰεὶ ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.

Id est, *In juvenibus fides perpetuò fluctuat.*

Alethia; una ex Apollinis nutricibus.

Alethia, id est, *Veritatis fons*, in India, apud Brachmanes. Dion *Or.* 35.

Alethium, opp. Languedociæ, ad pedes montium Pyrenæorum. Vid. *Alecta.*

Aletides; sacrificia quædam Atheniensium, pro Icario & Erigone, quæ oscillis agebantur. Cùm verò in finibus Atheniensium multæ virgines sine causâ suspendio mortem sibi consciscerent propter Erigonem, habito ab Apolline oraculo, sacrificium solenne instituerunt, quod publicè, privatimque faciebant, & id *Aletides* appellabant, quòd Erigone sola cum cane ignotâ patrem Icarium mendica persequuta sit: ab ἀλάω *erro.*

Aletium, Salentinorum urbs. Ptolemæus, Σαλεντίνων μεσόγειος πόλις Ἀλητία; quod vocabulum nunc corruptum legitur Σαλητία, vulgò *Lezze*. Hodie urbs episc. est sub archiep. Hydruntino, inter Brundusium ad occ. & Hydruntum ad ort. 24. m. p. primaria regionis, ac totius regni, post Neapolin, clarissima, à Tarento 50. m. p. long. 42. 30. lat. 40. 13.

Aletrini, vide *Aletrium.*

Aletris, vide *Sebria.*

Aletrium; Straboni Latii oppidum est: *Alatro* nunc dici scribit Leander: incolas *Aletrinates* habent Plinius, & Cicero, item vetusta inscriptio in Goltzii thesauro: in Hernicis sunt Livio, sed per *a* in secunda. *Aletrini* populi apud Plinium, sunt alibi, circa Apuliam.

Aletum, tumulus ad portum Novæ Carthaginis: Polyb. 10. Vide *Aletha.*

Aleu, Arabiæ felicis Insula, Plinio.

Alevadæ, Illustris & regia, è Thessalia Larissæ familia, à Thessaliæ R. Aleva dicta. Ejus meminit Ovid. *in Ibin.* Vid. Platon. in Men. Sozom. Pausan. *l.* 7. Athenæum *lib.* 12. Plut. περὶ ϛοργῆς, *cap.* 41.

Alevades, Thessaliæ populi, apud Pausaniam in Laconicis: item Platoni, Sozomeno, Aristidi, & Polyæno 4. Æliano quoque *Animal.* 8. *cap.* 11. Circa Larissam, & Ossam montem fuere. Ipsos *Larissenses* sic cognominat Diodorus 15.

Aleus, Rex Arcadum, post Epytum, egregiis fanis extructis famam adeptus. Vid. Pausan. *l.* 8.

Alex, Locrorum fluv. terminusque Brutiorum, quos à Magnâ Græciâ separat, agrum item Locrensem olim à Rhegino dividens. Dionysius *ver.* 367.

Τῶν ϗ̀ νῦν γένος ἐςὶν ἐπὶ προχοῇσιν Ἄληκος.

Theocrito *Ales* dici videtur, *Alesso* hodiè vocari scribit Leander. Aliis *Halex* est. Peculiare quiddam de cicadis hujus loci narrat Strabo *lib.* 6. Οἱ μὲν γὰρ ἐν τῇ τῶν Λοκρῶν πεϱάϊα φθέγγονται, τοῖς δὲ ἀφώνοις εἶναι συμβαίνει. Idem habet Plin. 11. 27. nec non Pauf. *in Eliacis*, cui *Cacinos* hic fluv. dicitur. Aliter verò hæc refert Ælianus *de Anim.* 5. 9. Ait enim, τὸν μὲν Λοκρὸν ἐν Ῥηγίνῳ σιγηλότατον ἔξεις, τὸν δὲ Ῥήγινον ἐν τοῖς Λοκροῖς ἀφωνότατον.

Alex, *Alece*, fluv. parvus Calabriæ ulterioris, in mare Ionium se exonerat. Vid. supra.

Alexamenes, Ætolus, Nabidis tyranni Lacedæmonii interfector, mox à Lacedæmoniis ipsis in regiâ obtruncatus. Liv. *dec.* 4. *lib.* 5.

Alexander, Vid. *Paris.*

Alexander Aphrodisiensis, Aristotelis interpres, quo nemo melius mentem Philosophi istius assequi solet, uti loquitur Vossius, *alicubi De Theol. Gent.* Ac proinde Bembus *lib.* 2. *Ep. Hieron.* Donato, Alexandrum Aphrodisæum, inquit, cujus de animâ libros abs te Latinè factos mihi miseras, legi magnâ cum voluptate, cùm ejus Philosophi causâ, tùm tuâ, &c. Vid. Voss. *de Sectis Philos.* c. 17. §. 6, 17.

Alexander, Philos. Epicureus, qui primus quæstionem, *utrum prius*, *Gallinaan ovum*? proposuit. Plut. *in Dipnos. lib.* 2. *q.* 3. Gassendus, *in Vita Epicuri l.* 2. *c* 6.

Alexander Grammaticus, opido Gotthico natus, De Variâ historiâ sive materiâ 34. volumina reliquit; peritissimus ætatis suæ vir.

Alexander, I. Rex Macedonum decimus, fil. Amyntæ, frequens Olympionices. Legatos Megabyzi, ad Patrem missos, lascivientes occidit, regnumque non tam Persici R. munificentiâ, quàm propriâ virtute, auxit. Obiit an. regni 42. Justin. *l.* 7.

Alexander, II. fil. Amyntæ 2. à fratre juniore Ptolomæo per insidias occisus est. Sed hic fratricidio partum regnum vix quadriennium tenuit. Cui successerunt reliqui fratres Perdiccas & Philipp. pater Alex. M. Diodor. *l.* 15. & 16. Justinus in Eurydicem, Amyntæ uxorem, horum malorum originem rejicit, *lib.* 7. *cap.* 5.

Alexander, III. cognomento Magnus, (ob quam causam Græci ἀλέξαν ϱῶδες pro θαυμαςὸν, *admirabile*, dixerunt, quod ad *lib.* 13. Silii Heinsius observat) Philippi Macedonum regis, & Olympiadis filius, quamlibet Olympias nobiliorem ei patrem acquirere affectaverit, cùm se coitu draconis gravidam affirmaret. Ita tamen & ipse erat, ut Deo genitus videretur. Peragravit orbem, rectoribus Aristotele & Callisthene usus. Subegit Asiam, Armeniam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum; Taurum, Caucasumque montes transgressus est. Bactros domuit, Medis & Persis imperavit. Cepit Indiam, emensus omnia, ad quæ Liber prius accesserat. Formâ fuit supra hominem augustâ, cervice celsâ, lætis oculis, & illustribus malis ad gratiam rubescentibus, reliquis corporis partibus non sine majestate quâdam decoris. Tanto honore homines ingenio & scientiâ præstantes prosecutus est, ut Homeri scripta scrinio Darii Persarum regis includi, ac tanquam pro viatico servari jusserit: & Pindari vatis familiæ, penatibusque pepercerit, cùm Thebæ caperentur, & Aristotelis Philosophi patriam condiderit. Plin. 7. 29. Edixit autem, ne quis alius ipsum, quàm Apelles, pingeret, quàm Lysippus ex ære duceret, quàm Pyrgoteles sculperet. Plin. *ibid. cap.* 37. Demum verò victor omnium, inter voluptates, quas vincere non potuit, periit, morbo ex vinolentiâ contracto apud Babylonem, ut post Athenæum, & Senecam, Solinus, *cap.* 14. prodit; quanquam plures sint, qui veneno extinctum sentiant, cùm annos 12. regnasset. Dies verò mortis ejus nos latet. Scio verba Lampridii *in Severo. Eadem die natalem habet hic Mammaæ Alexander, quâ ille Magnus excessit è vitâ.* Utinam vero diem, quam intelligit, charactere certo designasset. Nam tempus mortis Alexandri parum perspicuè veteribus indicatum, scimus quam variè doctissimi viri hodie prodant. Joannes verò Chrysostomus non obscurè affirmat, diem, quo Alexander M. excessit, certò indicari non posse. Sic enim scribit *Hom.* 26. *in posteriorem ad Corinthios.* Πῦ, εἰπέ μοι, τὸ σῆμα Ἀλεξάνδρου; δεῖξόν μοι, ϗ̀ εἰπὲ τὴν ἡμέραν, καθ' ἣν ἐτελεύτησε; Quanquam possis dicere cum Onuphrio, natum esse Alexandrum Mammeæ 4. Kal. Julii, sed tamen non nimis huic ἱσολογίᾳ fidendum. Annum verò mortis Alexandri ignorare nos non sinet Josephus *lib.* 1. *contra Apionem*, *his verbis*, Ἀλέξανδρον δὲ τεθνάναι πάντες ὁμολογοῦσιν ἐπὶ τῆς ἑκατοςῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος. hoc est, *Alexandrum verò profitentur omnes mortuum fuisse Olympiad.* 114. videlicet ineunte, adeò ut Olympiades 113. elapsæ sint, & primus annus Olymp. 114. jam curreret. Vitam ejus ac res gestas luculenter scripserunt tres optimi authores, Qu. Curtius, Plut, & Arrianus,

Ὅς μοι ἱςορικῶν πεφιλημένος ἔξοχα πάντων.

Josephus Gorionius in eâ historiâ, quam Ebraicè conscripsit in usum popularium suorum, Alexandri patrem ait neque Philippum fuisse, neque Hammonem Deum, sed Magum quendam Ægyptium, qui in specie Hammonis venerit ad Gabriam (sic enim appellat) uxorem Philippi; ex quo congressu natus sit Alexander. Ait enim Magum illum, cui nomen Nactenabor. (aliàs Nactegibor, fortè leg. Nectanebus, vel Nactenabis, de quo mentio apud Plutarchum) quondam imperitasse Ægypto. Cùmque ex astrorum scientiâ prævidisset, quod etiam post evenit, fore, ut Persæ potirentur Ægypto, deserto regno, clam omnibus fugisse Antiochiam: inde porro habitu, qualis esse solet procerum Babyloniæ, venisse in Macedoniam ad Philippum regem, ibique cùm in aulâ versaretur, atque in summo honore esset, captum amore Olympiadis; cui, quòd ἄτεκνος esset, non optimè conveniebat cum viro: noctu venisse ad eam in formâ Hammonis Dei, atque hinc natum Alexandrum, vulgò creditum Hammonis filium. Hujus historiæ autores citat Josephus, Strabonem Cappadocem, Nicolaum Damascenum, Titum Romanum, nec non Ægypti sapientes, quos ait conscripsisse de rebus gestis Alexandri. Drusius *Miscel. cent. prima, cap.* 40.

Alexander, Magni ex Roxane fil. à Cassandro, cum matre, peremtus. Justin. *l.* 15. *cap.* 2.

Alexander, I. qui & *Jamneus*: Aristobuli frater, Rex Judæis constituitur à Salome, sive Alexandra, ejusdem Aristobuli uxore relicta,

relicta, quæ mariti fratres, inter quos erat is Jamneus, statim è vinculis liberat, anno mundi 3858. ante Christum natum 104. Jamneus fratrem regni æmulum occidit. Contra Ptolemaidem & Gazam, quæ à Judæis rursus defecerant, movit: cladem maximam à Ptolemæo Lathyro accepit, ad Jordanem. A Cleopatra Ægypti regina, Ptolemæi hujus matre, opem implorat, quæ ne filius subactâ Judæâ in Ægyptum irrumperet, valida cum manu in Cyprum abire cogit. Maxima populi multitudo ab Alexandro defecit, sed adjutos etiam à Demetrio rege Syriæ, vicit, quorum potentissimos octingentos, dum cum concubinis cœnat, crucifigi jubet, liberosque & uxores eorum coram ipsis adhuc viventibus, mactari. Post hæc Janneus hic, sive Alexander crapulæ indulgens, in morbum incidit, quartanâque febri postquam tribus annis laboravit, obiit anno regni 27. Vide Joseph. *l.* 13. *c.* 19. 20. *&* 21. *&* 1. *de B. I.* Torniel. Salian.

Alexander, II. Aristobuli fil. Judæam invasit, cujus exercitum Gabinius vicit. Joseph. *Ant.* 14. 11. *& de bell. Jud.* 1. 17. Salian. Torniel.

Alexander, fil. Herodis M. ex Mariamme, cum fratre Aristobulo, jussu Patris innocens strangulatur. Jos. *Histor. l.* 16. *&* 1. *de B. I.* Post hunc venit Pseudo-Alexander quidam, cujus histor. V. apud Jos. *l.* 17. *c.* 14.

Alexander, qui & *Epiphanes*, undecimus Syrorum rex, regn. an. 5. secundùm Joseph. 10. verò secundùm Eutrop.

Alexander, Cassandri fil. Macedonum rex, regnavit cum Antipatro fratre annis 2. Hic matrem Thessalonicam, à fratre occisam, ulturus, à Socero Lysimacho impeditur, & à Demetrio, Antigoni fil. interimitur. Just *l.* 16. Euseb. *Chron.*

Alexander, alter dux triginta juvenibus Petram altissimam Indiæ, Aornum nomine, conscendere aversâ parte jussis, ab Alexandro Magno additus. Curt. 8. 57.

Alexander Polyhistor, multa philologica & historica reliquit. Floruit Olymp. 173. quâ in Ægypto iterum regnavit Ptolemæus Lathyrus, bellumque in Græciâ gerebat L. Sylla. De hoc Alexandro ita scribit Suidas. *Alexander Milesius, qui & Polyhistor, & Cornelius cognominatur, propterea quòd captus Cornelio Lentulo fuit venditus, ejusq; pædagogus factus est, & postea manumissus. Fuit autem Romæ Syllæ temporibus. Laurenti periit ædibus, in quibus erat, flammâ consumptus: quod ubi uxor ejus audivit, laqueo vitam finivit. Fuit verò Grammaticus, Cratetis discipulus: & libros scripsit innumeros, & de Româ libros quinq;, in quibus ait Hebræam fuisse mulierem, Moso nomine, cujus scriptum sit lex Hebæorum.* Hæc Suidas. Sed quòd Alexandrum facit Milesium, in eo repugnat Stephanus, ubi eum natum dicit Cotyaëi, civitate Phrygiæ ejus, quæ ἐπίκλητος, vel Hellespontia, vel etiam minor appellatur. Atque hinc Ἀλέξανδρος ὁ Κοτυαεὺς vocatur Etymologo *in* Δέδοικα & Περιῤῥηδής. Eidem Stephano dicitur fuisse fil Asclepiadæ, ac scripsisse περὶ παντοδαπῆς ὕλης τεσσαράκοντα δύο λόγους. Nam ne hunc Asclepiadæ filium alium à Polyhistore putem, facit, quòd ibidem vocatur γραμματικὸς πολυμαθέστατος. Multa quoque idem adducit passim, quæ scripsit; sed quædam eorum pertinuisse ad illos omnigenæ historiæ libros, planè censeo. Nominat verò Φρυγιακὰ, sive περὶ Φρυγίας, cujus operis etiam meminit Plutarchus *de Flum.* Item περὶ Βιθυνίας, de quâ ab eo fuisse scriptum, etiam auctor est nobis Etymologus *in* Κύβελον. Item Ægyptiaca, Carica, Lyciaca, Libyæ periplum; de Asiâ, Paphlagoniâ, Syriâ, Cypro, Ponto Euxino, Europâ. Item περὶ τῶν παρ' Ἀλκμᾶνι τοπικῶς εἰρημένων. Primum Κρητικῶν advocat Apollonii Schol. *in lib.* 4. Athenæus quoque *lib* 11. citat eum ἐν τρίτῳ. Plutarchus, *penè initio libri de Musicâ*, exarasse librum ait, quo Phrygios Musicos collegit. Ad hæc *in* διαδοχαῖς citatur à Laërtio *in vitâ Pherecydis & Socratis*, quo opere docuisse videtur, ut philosophorum alii aliis successerint. Etiam edidit Πυθαγορικὰ ὑπομνήματα, sive περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων. Priori modo appellat Laërtius *in Pythagorâ*: posteriori Clem. Alex. *lib.* 1. *Strom.* & Cyrillus *lib.* 9. *adversus Julianum.* Idem Clemens *lib* 1. citat librum περὶ Ἰουδαίων, uti quoque Euseb. *lib.* 9. *de Præp. Evang. cap.* 17. Ubi penè integrum ejus librum exscripsit. Ibidem & illustre ejus elogium habemus, ubi πολύνους καὶ πολυμαθὴς ἀνὴρ vocatur. Nec dubium, quin hoc opus signet Justinus Martyr *Cohortatione ad Græcos*, ubi eos refert, qui Mosis meminerint, ut ducis & principis Judaici. Et sanè nulli obscurum est, quantum illi debeat Plinius ipse, quippe quem toties ad partes advocet in Historiâ Naturali. Meminit ejus quoque Chalcidius, *commentario in Timæum Platonis*, & Agathias Scholasticus *lib.* 2. *Historiæ suæ*, item Josephus *Ant.* 1. 16. Ejusdem de diluvio, & alterum de turri Babylonis testimonium adfert Cyrillus *Initio libri* 1. *contra Julianum.* Vossius.

Alexander Ephesius, cognomento Lychnus, sive Lucerna, inter illos, qui Ephesum illustrarint, reponitur à Strabone *lib.* 14. ubi etiam discimus, eundem & Remp. gessisse, & historiam conscripsisse, & poëmata de rebus cœlestibus, ac orbe terrestri edidisse. Vide Eust. *in Dionys. ver.* 558 itemque Steph. *in* Λάπηθος & Ταπροβάνη, qui ejusdem Asiam ac Lybiam citat *in* Χαονία. Voss.

Alexander, Myndius, historicus, cujus Plut. mem. *in C. Mario*, ubi sermo de duobus vulturibus exercitum ejus sequentibus. Item Monachus quidam, qui scripsit de Inventione S. Crucis, quem edidit Gretzerus.

Alexander, Præsidii per Æolida præfectus, qui *edicto insigni spectaculo* magnam vim hominum concivit, quos postea nisi numeratâ pecuniâ non dimisit. Vide Polyæn. *lib.* 6. 442.

Alexander Spartanus, ab Argivis, per fines Tegeatidis regionis irrumpentibus, occisus, cum 200. dum eos ingressu prohibere conatur. Diod. XV.

Alexander, Thessalus, navale prælium initurus, multis conscensoribus magnum missilium numerum telorum distribuit in constratis navium; eisque præcepit, ut cùm hostium navis appropinquasset, his in nautas jaculis uterentur, ut plurimi inutiles fierent. Polyæn. *6.*

Alexander, Lysimachi & Mecridæ Filius Idem *lib.* 6. 443.

Alexander Trallianus, libros quinque de rebus Turcicis conscripsit, ut apud Gesnerum legas; alius omnino est à nobili illo medico, cùm is vixerit non multo post tempora Juliani Cæsaris, quo tempore Turcarum nomen propemodum ignotum erat.

Alexander Pheræus, in Thessaliâ tyrannidem apud Pheræos exercuit. De quo Cic. *Offic. l.* 2. cujus verba apponam. *Quid? Alexandrum Pheræum, quo animo vixisse arbitramur? qui cùm uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem compunctum notis Threiciis, districto gladio jubebat anteire, præmittebatq; de stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimentis telum occultaretur, exquirerent. O miserum, qui fideliorem & barbarum, & stigmaticum putaret, quam conjugem: nec eum fefellit opinio; ab eâ enim est ipse propter pellicatus suspicionem interfectus.* Ovid. *in Ibin.*

Inq; tuo thalamo juguleris more Pheræi,
Qui datus est leto conjugis ense suæ.

Hujus meminit Plut. & Corn. Nep. *in Pelopidâ*, Diod. *lib.* 15. Pausan. *lib.* 6. & Val. Max. 9. 14.

Alexander, Vid *Tiberius.*

Alexander, I. Epirotarum R. Olympiadis frater, Arymbæ in Molossorum regno successit, Timoleum Leptinem ad deditionem coëgit, in Peloponnesum exulatum misit, civitates libertate donavit. Diodor. Sic. Vid. etiam Justin. 17. 3. Strab. *l.* 6. Liv. *l.* 9. Oros. *l.* 3. A. Gellius *l.* 1 *c.* 21.

Alexander, II. Pyrrhi fil. Epirotarum rex, regnum Macedoniæ oppugnavit, sed à Demetrio pulsus & regno exutus est, quod tamen ab Acarnanibus adjutus recuperavit. Justin. *lib.* 26. *cap.* 2. *&* 3.

Alexander, I. Rex Syriæ, post Epiphanem, à Demetrii Soteris, legitimi hæredis, filio Nicanore, & socero Ptolomæo Philometore, insidiis ejus offenso regni Anno 5. pulsus, in Arabiam confugit, ubi ei caput à Zalezo demptum. Maccab. *lib.* 1. *cap.* 10. *&* 11. Jos. *l.* 13. *Histor.* Justin. *l.* 35. Strabo, *l.* 17. Euseb. Sulpic. Severus, &c.

Alexander, II. Zebenna dictus, Rex Syriæ evasit, ope Ptolom. Physconis, vicitque Nicanorem. Sed postea ipsemet ab hujus filio Antiocho Grypo superatus regni an. 2. occiditur. Joseph. *Histor. l.* 13. *cap.* 18.

Alexander Ptolom. I. Rex Ægypti nonus, Ptolomæo Lathuro fratri, prælatus, ope Cleopatræ matris: quæ impotentis animi fœmina, qualia in Lathurum primò, dein in ipsum Alexandrum molita sit, V. apud Joseph. *l.* 13. *c.* 20. *&* 21. Justin. *l.* 39. Euseb. *Chron.* Sed occisâ ab Alexandro; quod facinus perosi Alexandrini, hoc pulso, Lathurum ab exilio in thronum revocarunt.

Alexander, II. Ptolom. prioris filius, in Ins. Co educatus, in Mithridatis venit potestatem. Inde liberatus ad Sullam confugit, à quo in regnum restitutus, sed 19. die post coronationem à subditis occisus est Appian. *l.* 1. *B. C.*

Alexander, III. Ptolom. Ægypti, post Alex. 2. fratrem, Rex, postquam satis feliciter regno, an 17. præfuisset, à subditis pulsus Tyri obiit, P. R. hærede dicto. Cic. *Orat.* 1. *&* 2. *pro Rullo.*

Alexander, natione Phryx, apud Carthaginem Imperator electus, à Constantini exercitu jugulatus est. Eutrop *lib.* 11. Baron. anno 306.

Alexander I. *Severus*, Vid. *Severus.*

Alexander, II. Constantinopolitanus Imperator septimus, Basilii Imper. f. vir luxu & ignaviâ perditus, reg. an. 1. & mens. 1. Obiit an. 912. Curopalates, Cedrenus, Baron.

Alexander, I. Scotorum R. pietate & justitiâ illustris, obiit improlis, an. 1121. Lesle, *l.* 6. Buchan. Genebr.

Alexander, II. fil. Guilielmi, *Leo* cognom Scotorum R. feliciter contra Anglos pugnavit, mox Henrici 3. sorore ductâ pacem cum illis iniit. Obiit an. 1249. an regni 39. Lesle *l.* 6. Polydorus.

Alexander, III. prioris fil. Norvegiæ Regem vicit, & Hebridas Ins. exiguâ pecuniæ vi Scotiæ adjecit regno. Obiit equi lapsu, A. C. 1 86 regni 27. Lesle *l.* . Buch *l.* 7 Boët *l.* 13

Alexander, primùm Lithuan. Dux, dein Polon. R. obiit, A. C. 1506.

regni 5. æt. 46. Taciturnus, tetricusque, at maximè liberalis. Michov. *l.* 4. *c.* 82. Spond.

Alexander Farnesius, Parmæ D. Caroli 5. nepos, bellicæ rei gloriâ, & Belgii administratione illustris Obiit A. C. 1592. æt. 47. Grotius & Strad. *de B. B.* Item, 2. Cardinales. Vid. Paulus. 3.

Alexander, fil. Æropæ, vir fortis & Alex. M. gratus. Freinshem. *supplem in Q Curtii l.* 2.

Alexander Lyncestes, inter complices Philippeæ cædis, veniam tamen ab Alex. M. nactus, quem ipse primus Regem salutaverat, fidam postea ipsi navavit operam. Arrian. Freinshem. *supplem.* 1. & 2.

Alexander, Lyciæ præfectus, supplementa militum Alexandro M. adduxit. Q. Curt. *l.* 7. *c.* 10.

Alexander, Lithuaniæ D. victoriis inclytus. Novagradiam sibi subjecit, illam adeò in Septentrione celebrem. Crantz. *l.* 13. Cromer. *l.* 29.

Alexander de Medicis, Florent. Dux, Caroli 5. gener, vitiis scatens, miserè periit, anno 1537. P. Jovius, *l.* 38.

Alexander, I. Romanus, post Evaristum, Papa, sub Adriano martyrio coronatus. A. C. 131. Pontificatus 10. Euseb. *l.* 4. *Hist. cap.* 4. August. *ep.* 165. Irenæus *l.* 3. *c.* 3.

Alexander, II. Mediolan. post Nicolaum, Pontifex, cui ab Episcopis Cisalpinis Antipapa Honorius 2. oppositus est, qui tamen obiit anno 1064. Favit Guil. Conquestori, in Angliæ occupatione, & Mathildis Comitissæ ope plurima perfecit. Laicis investituram munerum Eccl. ademit. Obiit A. C. 1073. Pontific. 11. Nauclerus, Volaterr. Onuphr. Sigebert. Platina Leostiensis, Genebrardus, &c.

Alexander, III. Adriano 4. successit, cui Victor 4. Friderico Imper. approbatus, oppositus est. Hocque mortuo, Paschal. 3. & Calixtus 3. Vicit nihilominus, & post triennalem absentiam à Romanis revocatus est. Venetiis Fridericum Imper. pede cervici ejus imposito calcavit, abusus verbis illis Ps. *super Aspidem & Basiliscum ambulabis* Pari fastu Henr. 2. Angl. R. tractavit. Obiit, A. C. 1181. Pontific. 22. Authores prædicti. Baronius.

Alexander, IV. post Innocentium 3. Papa, sub quo Guelphorum & Gibellinorum turbis Italia æstuabat. Cum Manfredo, bello & indulgentiis certavit, Angliam exactionibus vexavit, contra Turcas moturus, Venetorum & Genuensium dissidiis impeditus est. Obiit A. C. 1261. Pontific. 6. Præter supra laudatos, Bzovius, Spond. Joh. Balæus, *lib.* 6. *act. Pontif. ex Paris.*

Alexander, V. Cretensis, in Concilio Pisano, post Gregorium 12. Papa electus, liberalitate insignis. Dixit se fuisse *divitem Episcopum, pauperem Cardinalem, Pontificem mendicum.* Obiit Bononiæ A. C. 1410. Pontif. 10. mense, Vid. supra. Item, Monstrelet. 1. 62. & Joh Baleum.

Alexander, VI. à matre *Borgias*, ex illustri regni Valentiæ stirpe, Paparum spurcissimus, cum Cæsare, spurio suo, Ecclesiæ gravis fuit. Quem ut eveheret, Ferdinando, Maurorum victori, *Catholici* titulum concessit, atque inter eum & Lusitaniæ R. Indias divisit. Hoc sedente etiam Carolus 8. Gall. R. Neapolitanum regnum sibi subjecit. Tandem cùm Cardinalibus quibusdam venenum pararet, illo per errorem ipse hausto, obiit, A. C 1503 Pontific. 11. Vid. insuper Marian. *lib.* 26. *cap.* 2. Guicciard. *l.* 1. &c.

Alexander, VII. Senensis, ex Chisiorum familia, post Innocentium 10. Pontifex evasit, postquam Pacificationis in Imperio negotium, tanquam Nuntius à latere, frustra impeditum ivisset. Venetos, ut Jesuitas reciperent, pecuniâ opibusque contra Turcas juvit. Ludovicum 14. ob legatum qui à Corsis violatus erat, irritatum, misso nepote, Pyramide erectâ, & Corsis in perpetuum rejectis, placavit. Thomam Villanovanum & Francisc. Salesium Sanctos esse jussit, Regem Maroci baptizavit, controversiam de S. Virginis ortu decidit, Romam ædificiis ornavit, obiitque A. C. 1667. æt. 60 Pontific. 12. Scripsit *Musas Juveniles*, sub Philomathi nomine, Coloniæ impressas.

Alexander, Episc. Alexandriæ, contra Arium Zelotes, obiit Anno 325. Athanasio successore designato. Epiph. *hær.* 69. Socr. *l.* 1. *c.* 3. 5. & 8. Theodoret. *l.* 1. *c.* 26. Sozom. *l.* 2. *c.* 1.

• *Alexander*, Ep. Hierosl. postquam 50. annos Ecclesiam rexisset, & insignem Bibliothecam Hierosolymæ collegisset, sub Decio martyrii coronam obtinuit. Euseb. *l.* 6. *c.* 8. 9. 14. Hier. *de Script. Eccl.* Baron. A. C. 199. 230. & 253.

Alexander, primus Patriarcha Constant. Metrophani Ep. successit, Anno 317. Arrio vehementissimè restitit. Socr. *l.* 1. *c.* 5. & 2. 4. Sozom. *l.* 2. *c.* 28. & *l.* 3 3. Theodoret. *l.* 1. *c.* 14. Ruff. *lib.* 1. *cap.* 12.

Alexander, Patriarcha Antioch. post impium Porphyrium, pacem Ecclesiæ reddidit, dissentientibus reconciliatis. Obiit A. C. 408 411.

Alexander, Card. Florentinus, Vid. Leo 10. Alex. *Ludovisius* Vid. *Gregor.* 9.

Alexander, ærarius faber, à Paulo Satanæ traditus. Vid. 1. *Tim.* 1. 19, 20. 2. *Tim.* 4. 14, 15. An idem cum Alexandro Samaritano, de quo Euseb. *l.* 3 *c.* 20.

Alexander, hæreticus, discip. Valentis, Tertull. *l. de carne J. Christi, c.* 16.

Alexander, Magus, Apollonii Thyanæi discip. sub Antonino Pio, Serpentis, quem Æsculapium esse dixit, fictis oraculis Romanis illusit. Baron. A. C. 145. Lucian. *in Vita ejus.*

Alexander, quidam genere Phryx, disciplinâ medicus, vitæque ac morum probitate cunctis charus, Dei amore concitatus, cùm assisteret tribunali, nutibus ad confessionem hortabatur eos, in quos tormenta & quæstiones exercebantur, ita ut omnibus, qui astabant, palam fieret, quid in animo gereret. Cumque id populi notavissent, conclamarunt adversus eum, qui jussus à Præside in medium statui, & quis esset, interrogatus, Christianum se esse liberâ professione testabatur, quem continuò Præses bestiis adjudicavit. Euseb. 5. 2.

Alexander de Hales, *Doctor irrefragabilis*, Thomæ Aquin. præceptor, varia scripsit. Circa annum 1240. Bellarm. *de Scriptor. Eccles.*

Alexander Atrebas, Historicus, sec. 12. Al. *Andersohn*, scripsit supplementum Apollonii. Al. *Benedictus*, Veronensis Medicus & Phil. Auctor Diarii, *belli a Carolo Sculo gesti.* Al. *Celestinus*, Rogerii Sic. R. historiam scripsit. Al. *Cortesius*, Matthiæ Corvini encomiastes. Al. *Ætolus*, Arati commentator. Al. *Floravant*, Capucinus, auctor *rerehorarii*, Al. *Picolomini*, Phil. & Mathem. insignis. Al. *Imola*, sec. 15. Al. *Somersetensis* vel *Staford.* Angl. prosâ & versu celebris.

Alexander ab *Alexandro*, sive Neapolitanus, Jurisconsultus, reliquit Genialium dierum libros 6. Quos multiplici doctrinâ esse refertos, scriptoremque esse longè meliorem Philelpho, judicium est Floridi Sabini *apologiâ adversus calumniatores L. L.* Rectè sanè, inquit Vossius. Sunt enim libri illi, promptuarium antiquitatis, veterisque historiæ; etsi nec pauca in eo sint ad verborum proprietatem, aliaque studia pertinentia. Fuisse Joviani Pontani æqualem, satis liquet ex primis operis verbis. Atque alibi indicat, se in adolescentiâ Philelphum jam senem audiisse Tusculanas Ciceronis quæstiones enarrantem. Item refert ætate suâ Nicolaum Perottum, & Domitium Calderinum, Martialis apophoreta, magnâ contentione Romæ prælegisse juventuti. Item Georgii Trapezuntii, Theodori Gazæ, Hermolai Barbari, Raphaëlis Volaterrani, ac Pauli Cortesii, ut æqualium meminit. Unum autem hoc meritò in hisce præclaris commentariis improbari solet, quòd eorum, unde profecisset, dissimularet auctores. Sed huic vitio medicinam fecit doctissimus Tiraquellus, qui, digitum ad fontes intendens, unde quæque hausta essent, indicavit. Plures Alexandros, si desideret lector (*neq; enim* omnes *numero comprendere refert*) consulat Vossium, Meursium, ac Jonsium *de Script. Hist. Philosoph.*

Alexandra, Judæorum regina, vidu Aristobuli, cujus fratres, prius in captivitate detentos, libertati restituit, Alexandro Jannæo, natu maximo, in thronum evecto. Joseph. *lib.* 13. *cap.* 20.

Alexandra, cognom. Salome, Judæorum regina, uxor Alexandri Jannæi, filium Hyrcanum sacerdotio præfecit, Pharisæis universæ Judæorum Reip. administrationem commisit, regn. an. 9. Vid. Jos. *Antiquit. l.* 13. *c.* 24. Torniel. an. 3979. Fuit & *Alexandra*, quæ & *Cassandra* dicebatur, Priami filia, ac vates, cujus gratiâ, hoc ipso nomine Lycophronis Tragœdia inscribitur.

Alexandra, fil. Hyrcani, mater Aristobuli, & Maximæ, uxor Herodis, superba fœmina, cùm ad Cleopatram fugam pararet, cum filio, deprehensa & unà cum ipso necata est. Jos. 1. *de B. I. c.* 17. Torniel. A. M. 4019. *n.* 2. 4026. *n.* 1.

Alexandra, fil. Bartholomæi Scala, Florentini, Latinè Græceque doctissima. Angel. Polit. *in Epigr.* Obiit an. 1506. Voss. *in addit. Philol.*

Alexandria, urbs multiplex. *Prima Ægypti* in ora ab ostio Canopico 12. m. p. in occid. opus Alexandri M. Caput urbium, Am. Marcellino *l.* 2. Herodian. *l.* 7. *Scanderia* Turcis, & *Alessandria* Italis, urbs Patriarch. & emporium celebre, quò ex Indiâ merces, præsertim aromata, per universam Europam distribuenda advehuntur. Olim ante Cairi erectionem (à quo itinere quatridui distat) clarior. Ipsa deficit in dies. Ad ostium portus Insula Pharos est, quæ jam injectâ mole terræ adjacet, ubi turris Pharos nunc destructa: Super cujus rudera arx est Turcarum, qui juxta portum alteram arcem habent. V. Curt. *l.* 4. Strab. *l.* 17. Plin. 5. 10 Belon. *l.* 2. 19. Sanut. *l.* 9. Leon. *p.* 8. P. de Valle. Hinc *Alexandrinus*. Prop. *lib.* 3.

Noxia Alexandrina, dolis aptissima tellus.

Ob cœli clementiam, incolæ passim apud scriptores luxus maximè notati sunt, velut apud Quinctilianum, *lib.* 1. & Ammian. *lib.* 22. Et ante utrumque *Alexandrina vita*, *atq; licentia* apud Cæsar. *lib.* 3. *de B. C. cap.* 110. Inde Ovid. *Trist.* 1. 2.

Non ut Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile jocose, tuas.

Aër il-

Aër illic adeò temperatus est, ut quolibet die solem videant; unde, ob delicias, per excellentiam πόλις dicitur, ut ἄςυ Athenæ, & *urbs* Roma. long. 58 20. lat. 31. 25. Varia hic Concilia. Vid. 1. 2. 3. *tom. Concil.* Athanas. Cyrill. Evagr. *Hist. trip.* Baron. Godeau. *Secunda*, Albaniæ, ad Caucasi radices, & oram Caspii maris urbs, & emporium regionis præcipuum, *Demircapi* Turcis, quasi portæ ferreæ, & incolis *Derbent*, à Tauresio, seu Ecbatanis, regiâ Persarum, itinere 20. dierum distans in Bor. ubi ex Asiâ in Scythiam per angustias transitus est. *Tertia*, Arachosiæ, *Cabul* hodie, teste Castaldo, regionis metropolis ad Arachotum fluv. à Prophthasiâ regiâ Drangarum 515. m. p. distans in Ort. Indiam versus. long. 117. 00. lat. 32. 30. Aliis est *Candahar*, urbs munita Indiæ cis Gangem, sub dominio magni-Mogolis. *Quarta*, Ariæ, *Hieri* Castaldo & aliis (quod nomen est etiam ipsi provinciæ) urbs primaria, & regia ad Arium flu. inter Hecatompylon, regiam Parthiæ ad occ. 565. m. p. & Bactra, regiam Bactrianæ in ort. 484. m. p. Sunt qui *Burgian* dici velint. long. 111. 30. lat. 38. 50. *Quinta* Carmaniæ, *Serent*, teste Castaldo, urbs regia, & regionis primaria, inter Armuziam, & Arium. long. 100. 00. lat. 39. 30. *Sexta*, Ciliciæ, seu Syriæ in confinio, urbs Episcopalis ad sinum Issicum, *Scanderoon* Turcis, teste Leunclavio, *Alexandrete* Gallis. Emporium celebre, long. 68. 00. lat. 38. 10. *Septima*, *Margiana*, *Indion* hodie di ci putatur in tabb. recentt. urbs præcipua, & emporium earum regionum. *Octava*, Statiellorum, Anno 1178. à Mediolanensibus, Placentinis & Cremonensibus condita, urbs Liguriæ non obscura ad Tanarum fluv. illam interfluentem, ampla & permunita, episc. sub archiep. Mediolan. inde 52. m. p. in Austro-Libycum, media ferè inter Genuam ad ort. & Augusſt. Taurinorum ad occ. Ab Alexandro tert. Pontifice episcopalis effecta, à quo & nomen habet, cùm prius Cæsarea diceretur. Ibi pons lapideus, & longitudinis admirandæ. vulgò *Alessandria della Paglia*, sic per contemptum dicta, à Frider. I. Imper. In Duc. Mediol. long. 30. 30. lat. 43. 54. *Nona*, Troadis, quæ & Troas, quod nomen etiam regionis est, quæ & Phrygia minor, urbs archiep. sub arch. Cyziceno. Nunc locus *S. Maria* dicitur, ac Turcis *Carasia*, teste Leunclavio. Plures Alexandrias si velit lector, consulat Curt. *lib.* 7. Plin. 6. 16. 23. & 25. ut & Stephanum.

Alexandria Polonia, urbs nova in Volhinia superiori prov. ad fluv. *Horin.*

Alexandrides, Lacedæmonius, sororis filiam duxit, ex qua Doryeum Leonidem & Cleombrotum sustulit.

Alexandrides, Delphicus, testis adducitur à Plutarcho in Lysandro; nisi malis *Anaxandrides.* Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 4. *pag.* 502.

Alexandrium, op. Palæstinæ in orâ inter Tyrum ad Bor. & Ptolemaidem ad Aust. teste Zonarâ, proximas urbes. *Scandalia* hodiè Will. Tyrio.

Alexandropolis, Parthorum urbs ab Alex. M. condita. Plin. 6. 13. cujus tamen hodiè nulla extant indicia.

Alexandrovium, opp. Poloniæ, in Podolia, & Palatinatu Barclaviensi, non longè à fluv. *Bog.*

Alexanum, hodie *Alessano*, urbs Salentinorum episcop. sub archiep. Hydruntino, inter Hydruntum & Gallipolim, ad 20. m. p. Leucæ urbi excisæ, apud Japygium promunt. cui successit, propinqua; ab Aletio 25. long. 42. 40. lat. 40. 10.

Alexarchus, historicus, quem in tertio Italicorum citat Plut. *in Paral. c.* 7. Servius etiam *in* 3. *Æn.* Alexarchum historicum Græcum (sic vocat) testem laudat de Epiri, & Campaniæ nomine. Vossius.

Alexas Laodicenus, qui Antonium, cui à Timagene erat conciliatus, ab Octaviâ disjunxit, & Cleopatræ conjunxit, suæque perfidiæ Cæsaris jussu luit pœnas. Plutarchus *in Antonio.* Joseph. *de B. J. l.* 1. *c.* 15.

Alexenor, filius Æsculapii & Lapeties.

Alexia, & *Alesia*, Ita habet Codex Fulvii Ursini & P. Ciacconii. Dio XL. l. Ἀλεσίαν. Plut. Ἀλησίαν, Orosius *Halosiam.* Ptolemæo *Regiacum*, hodiè *Alise*, urbs eversa Mandubiorum in Gall. Celt. metropolis olim, nunc pagus, testibus Vigenereo, & Paradino, apud Flaviniacum castrum, & Semurium op. Burgundiæ, à Semurio 2. leuc. ab Augustoduno urbe. 16. in Bor. inter Lingones 19. & Nivernas 26. Ab Hercule conditum tradit Diod. Sic. *lib.* 5. Quidam illam *Arras* falsò indigitant, cùm illa sit in Belgio. Vid. Cæs. *de B. G. l.* 1. & 6. Cluver. Du Val. Ab *Alexia*, tractus circumjacens etiam nunc *Alexiensis* dicitur, vulgò *l'Auxois*, inter Divionensem & Antissiodorensem tractus.

Alexicacos, id est, *malorum depulsor*, Apollo vocatus est, Arrian. *lib.* 8. Pauf. *in Atticis & Eliacis*, ideò illi nomen inditum ait, quòd à pestilentiæ morbo, in bello Peloponnesiaco, populum liberaverit. Quod nomen Hercules postea est adeptus. Macrob. Est autem ἀλεξικακὸς propriè *in malis adjutor*, *averruncanus*, ὁ τὰ δεινὰ ἀπείργων, hominum defensor, qualem verè Ecclesia Christum agnoscit, & Gentes falsò suum Herculem & Apollinem. Nonnus ἀλεξικακὰ ὕδατα vocat aquas salutares, quibus in regeneratione abluimur. Ἀλεξίκακοι etiam δαίμονες à veteribus dicebantur, qui nocumenta, & diras arcere, amolirique existimabantur, qui & ἀποτρόπαιοι & ἀποπομπαῖοι, & λύσιοι, φύλιοι & φύξιοι vocabantur. Pollux. *lib.* 5. Hesychius Ἀλεξίκακος, βοηθὸς, ἀποτρέπτικος κακῶν. V. & Cœl. Rodig. *l.* 2. *c.* 32.

Alexinus, Eliensis Eubulidis Milesii discipulus, vir acer, & contentionis viribus ac nervis clarus, Zenonis inimicus; dum nataret in Alpheo fluv. arundinis acumine læsus, fato functus est. Erat autem Philosophus Eristicus φιλονεικότατος, *rixarum studiosissimus*, ut inde ἐλεγξῖνος *contradictorius* dictus sit, apud Laert. *lib.* 2. *Euclide*, ubi nomen hoc ejus ἐλεγξῖνος restituendum ex Hesychio Milesio. Neque modò Zenoni Stoico se opposuit, sed exemplo magistri sui Eubulidis Aristotelem quoque perstringere non erubuit. Aristocles *lib.* 7. *de Philosophiâ*, cum ἀπομνημονεύματα καταγέλαστα scripsisse ait, in quibus fingat Alexandrum in colloquio cum patre Philippo habito, Aristotelis præcepta fuisse calumniatum, & Nicagoram Hermem præceptorem sibi elegisse. Hermippus quoque *lib.* 1. *de Aristotele* apud Athenæum *lib.* 15. Alexini in Aristotelem petulantiam notat. Porro Laertius autor est, eum non modò πρὸς Ζήνωνα, sed etiam πρὸς Ἔφορον τὸν ἱστοριογράφον scripsisse: quòd si *ad*, non *adversus Ephorum* ea verba sint interpretanda, Ephorus ad Olymp. 120. circiter vixit.

Alexio, medicus, Ciceroni familiaris, cujus meminit idem Cic. *lib.* 3. *ad Att. ep.* 15.

Alexippus, medicus Alexandri. Plut. *in Alex.*

Alexis, Samius, libros de finibus Samiorum conscripsit, teste Athenæo *libb.* 12. 13. Item *Alexis* Thurius, poëta Comicus ante Menandrum, reliquit plures fabulas. Vide Suidam.

Alexis, Asinii Pollionis servus, sic dict. quasi *sine responsione*, ac superbus. Alii verò ab ἀλέγω *curo*, derivant, quòd poëta curarum stimulis in eo amando torqueretur, unde Virg. *Eclog.* 2.

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?

Alii ab ἀλέξω *arceo*, quòd cum fastidio poetam à se arceret. Virgil. *ubi supra.*

Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

Mæcenatis puerum fuisse innuit Martialis. 7. 28.

Et Mecænati Maro cùm cantaret Alexim.

Idem *lib.* 8. *ep.* 56.

Jugera perdiderat misera vicina Cremona,
Flebat & abductas Tityrus æger opes.
Risit Tuscus eques, paupertatemq; levande
Reppulit, & celeri jussit abire fugâ.
Accipe divitias, & vatum maximus esto
Tu licet, & nostrum, dixit, Alexin ama.

Vide Servium in Virg. *Ecl.* 2.

Alexius, à studiis & epistolis Attico. sive Amanuensis de quo Cic. in Epistolis.

Alexius I. Comnenus, fil. Isaci Imper. Constantinopolitani, incluso in Monasterium Nicephoro Botoniate, imperio potitus; divisis inter fratres terris, cùm sumptuum non suppeteret satis, sacris manus injecit, & exactionibus subditos crudeliter vexavit. Conatus God. Bullionei, terram S. recuperatum euntis, sufflaminavit; ab eo prope Epidamnum victus. Obiit An. 1118. æt. 70. Imperii 37. Anna Comnena, hujus fil. *in Vita ejus*, Zonaras & Glycas, qui in eo finiunt. Baron. Onuphr.

Alexius II. fil. Manuelis Comneni, Andronico à Patre commissus, ab eodem, an. æt. 15. interficitur, cadavere in mare abjecto. Qui hac perfidiâ non contentus, viduam insuper defuncti, Ludov. Jun. Franciæ R. fil. sibi invitam despondit. An. 1183. Nicetas. Guil. Tyr. Genebrard. *in Chron.*

Alexius III. *Comnenus & Porphyrigeneta* dici voluit, cùm antea *Angelus* cognominaretur: Fratrem Isaacum imperio & oculis privavit, à quo è Turcica captivitate liberatus erat. Sed hujus filius Venetiis Gallos in Orientem cogitantes permovit, ut arma contra Alexium verterent. Quem etiam, Urbe captâ, pepulerunt, an. Imp. 8. legitimo Imper. Isaco restituto, Nicet. Robert. San. Marth.

Alexius IV. *Jun.* post Isacum patrem, Imper. ab Alexio Duca, aliàs *Murzuflo* strangulatur. Cui Balduinus Flandriæ C. suffectus, An. 1204. Vid. Georg. Logotetham, *Hist. Const.* Nicet. Gregor. Spond. A. C. 1204. *n.* 11. & 12.

Alexius, Patriarcha Constantinop. A. C. 1025. 1043. Baron. Zonar. Curopalat. Alius, qui Isacum Angelum Imperio exuturus à Sacerdote quodam occisus est. Nicet. *l.* 6 Alius Cilix, qui in Asia turbas dedit, &c.

Alexius Michalowiz, fil. Michaëlis, M. Moscoviæ Dux, post Patrem, An. 1645. prudentiâ inclytus. Cujus specimina Legati ejus in Galliam, Venetias &c. missi non exigua dederunt.

Alexius Myrtilus, puerum Alexium veneno interemit. Æmil.

Alexon Myndius, fecit libros narrationum fabulosarum. Diog. Laert. *in Thalete*, ubi citatur ἐν ἐνάτῳ μυθικῶν.

Alexium, oppid. Languedociæ, Vicecom. titulo insigne. *Metel.*

Alfanus, Arch. Salernitanus, sec. 12. Martyrum quorundam histor. versibus scripsit. Baron. *A. C.* 1107.

Alfaterna, idem quod *Nuceria*, ultima Campaniæ urbs, trans Vesuvium mont. in valle, quam Sarnus amnis efficit, sita. Diod. *lib.* 19. Οἱ δὲ τὴν Νουκερίαν τὴν Ἀλφατέρνην καλουμένην οἰκοῦντες. Populi *Alfaterni* Plinio 3. 5. vide *Nuceria*.

Alfelda, Oppidul. Germaniæ & Saxon. infer. ad Leinam fluv. in episcopatu Hildesiensi, juris tamen Brunsuicensis. Hildesio & Goslariâ 3. leucis distat.

Alfellani, populi Italiæ. Plin. 3. 11.

Alfenus, quibusdam quoque *Varus*, sutrinâ relictâ, Romam venit, & sub Serv. Sulpitio Juriscons. insignis evasit, Consul etiam post. P. Vinutium. Vid. A. Gellium, *l.* 6. *c.* 5. Hor. *lib.* 1. *Sat.* 1. Item, præclarus IC. discip. Papiniani, sub Severo, Genebr. *in Pontiano*. Vignier. *anno* 224.

Alfenus Varus, Castrorum præf. apud Vitellianos. Tacit hist. II. 29. Dein prætoriarum cohortium, unà cum Julio Prisco: Victis partibus ignaviæ infamiæque suæ superfuit. Ibid. Hist. 4. 11.

Alfertonium, *Alfreton*, opp. Angliæ, in Comit. Darbiensi, juxta Ambrum amnem 8. mil. Angl. à Darbiâ urbe.

Alfes, Rabbinus, auctor *Siphra & Siphri*. Genebr. *Chron. seculi* 4.

Alfonsus, Vid. *Alphonsus*.

Alfordia, *Aldorf*, opp. Angl. in Lincolnia prov. versus oram littoralem 4. mil. Anglicis.

Alfredus, M. Anglorum rex, fratri Ethelredo successit, anno 871. qui & *Ealfredus*, & *Aluredus* dictus est, debellavit Danos, & unicus sui seculi Mæcenas fuit. Hujus viri, nunquam satis laudati, res gestas scripsit Asserius Menevensis, cujus ego historiam plurimi meritò facio, quòd Alfredo regi aliquando præceptor fuit, & ejus actorum oculatus planè testis. Lelandus *comment. in Cygn. Cant.* Ita doctus evasit demum, ut Grammaticus, Philosophus, Rhetor, Historicus, Musicus, & Poëta non vulgaris haberetur: Imò Architectus ac Geometres perfectissimus. Balæus *de Script. Britan. Cent.* 2. Dedit Aluredus, jam viginti natus annos, operam literis, atque ita doctus evasit brevi, ut D. Gregorii dialogos, Opus Boetii de Consol. Philos. & Psalmos Davidis ex Latino in patrium (hoc est, Saxonicum) sermonem verterit, quò à cunctis facilè intelligerentur. Sic quoque Orosium & Bedam Anglicè vertit. Obiit *A. C.* 900. regni 29. Matthæus WestMonaster. Polyd. Virgil. *Hist. lib.* 5. Genebr. *Chron.*

Alfredus, nomen duorum historicorum Angl. apud Voss. *de hist. Lat. l.* 2. *c.* 42. & 48.

Alfricus, cognom. *Grammaticus*, Arch. Cantuar. scripsit varia, Obiit *A. C.* 1016. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 42.

Algarbia, pars Hispaniæ exigua, Portugalliæ adjecta, sub Alphonso 3. cum titulo regni, cujus caput Taroira. Habet à septentr. Portugalliam; ab Or. Andaluziam, ab Occ autem & Meridie clauditur Oceano, Montanus Mercat. Rensend. *Ant. l.* 4.

Algarium, urbs Sardiniæ maritima, in orâ occid. vulgò *Algher*.

Algarria, prov. Castellæ Meridionalis, in Hispania, cujus limites periere. Ejus caput olim *Guadalaxara* erat. Toletum atque Madritum in illo tractu censentur.

Algeria, Urbs Africæ, in Barbaria reg. ampla & dives, sed piraticâ infamis. Cum portu capaci & munito arceque valida. Ab eâ Regio adjacens dicitur regnum Algerii. Ubi olim Mauritaniâ Cæsariensis & Silfensis cum Numidiâ. Dividitur in 5. prov. & caput habet Algerium, aliàs *Rusucurum*, quod vide. Reges olim habebat proprios, nunc quandam Reip. formam servat, sub clientela Turcarum, sed ad lubitum tantùm. Marmol. *l.* 5. Mercator, Relatio *d'Aranda*.

Algerus, Leodiensis, circa Annum 1130. de Gratia, L. Arbitrio, & Corpore ac Sanguine D. N. I. C. contra Berengarium scripsit. Bell. *de Auth. Eccles.*

Algidum, Latii op. Tusculo finitimum, ab urb. Rom. paulo supra 12. m. p. distans, *Roccha del Papa*. long. 36. 30. lat. 41. 40. Item *Algidum* nemus, *Selva dell' Aglio*; Silva Latii cum monte cognomine. Hinc *Algidus* nomen gentile. Ovid. *Fast.* 2.

Viderat in campis Algida terra suis.

Horat. 1. *Od.* 21.

Vos lætam fluviis, & nemorum comam,
Quæcunque aut gelido prominet Algido.

Idem *lib.* 3. *od.* 23.

Nam quæ nivali pascitur Algido
Devota, quercus inter & ilices;

Item *lib.* 4. *od.* 4.

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido.

Est & *Algidensis* adject. Plin. 19. 5.

Algonguii, pop. Novæ Franciæ, in America Septentr. versus fluv. S. Laurentii, inter Montem Regium opp. & Magnum lacum, ubi aliquot Francorum Coloniæ.

Algothus, I. Sueciæ R. post Adolphum. Algothus II. Tordi 3. successor, Russos tributarios reddidit. Ericus Pomeranus.

Algovia, Regio Germ. in Suevia, inter Danubium & Licium fluv. & lacum Constantiensem. Ibi Augusta Vindel. Campodunum, Isna, Vangena, Memminga & Biberacum.

Alhaca, vel *Alharam*, Maurorum in Hisp. Rex. Obiit *A. C.* 821. regni 26. Cui Abderamus 2. filius successit. Mariana.

Alhaca, Rex Cordub. Obiit *A. C.* 976. regni 16. Hisseno fil. successore relicto, sub Mahometis Almansoris tutela.

Alhama, urbs olim munita Hisp. in regno Granatæ, aliàs *Artigis*, quod vide.

Alhazen, Arabs, scripsit de Optica, Crepusculis, &c. circa sec. 11. Blancanus *sec.* 11. Voss. de Mathem. 26. §. 7. 35. §. 15.

Alherdon, nobile propugnaculum Scotiæ, ad mare Germ. Met.

Ali, gener Mahometis, auctor Legis Imemiæ, Persas sectatores habuit, quorum primi Califæ ab ipso descenderunt. Post mortem Odmanni, per insidias, Moaviæ imperio, occisus est. Ei symbolum fuit, *Adoro Deum Dominum meum sincero corde.* Obiit *A. C.* 659. Marmol. *l.* 2. *c.* 2. 3. & 5.

Ali, Rex Cordubæ, occisus ab Aliataro, qui propterea omnium Arabum odium in se concitavit. Marmol. *l.* 2. *c.* 29.

Aliacmon, & *Haliacmon*, Plin. *Pelecas*, Soph. *Platamona* Mol. fluv. Macedoniæ, illam à Thessalia separans, ac in Ægeum mare, inter Pydnam & Dium influens. Amnis rapidissimus & præceps. *Aliagmon* Claud.

Aliadora, *Aliola*, Ins. maris Æthiopici, inter Africam & Insulas Madagascaris, prope Insulas S. Spiritus & Comori.

Aliæ, insulæ Æthiopiæ, in Adulico sinu. Plin. 6. 19. *Eliæ* Straboni vocantur.

Aliaptis, Mahometanus factus, ut Califa Persiæ fieret. Urbem Suldaniam condidit, Damascum coërcuit, obiit *A. C.* 1116. Texeira *l.* 2. *c.* 53.

Aliaria, Commagenæ urbs. Antoninus. Item, uxor Sempronii Gracchi, ob adulterium cum Julia, in Ins. Cercina, occisi.

Aliartum, Bœotiæ op. à M. Lucretio expugnatum. Liv. *Dec.* 5. *lib.* 1. long. 51 50. lat. 37. 45.

Aliartus, & *Haliartus*, op. geminum; unum Bœotiæ, ad Copaidem lacum, juxta Permessum flu. Alterum in Peloponneso in orâ Messeniæ, *Neocastro* teste Nigro, Moletio autem *Arcadia*. Ejus mem. Statius *Theb.* 7.

Gargaphie, quorumque novis Aliartus aristis
Invidet. long. 48. 50. lat. 35. 40.

Aliatan, Rex Arabum in Hisp. *A. C.* 801. à Carolo M. primùm, dein quoque ab Alphonso 2. Castellæ R. insigni clade affectus, amissâ etiam Ulyssiponâ: victus quoque à Ludovico Pio; obiit Anno 819. Barcinonem obsessurus. Marmol. *lib.* 2. *cap.* 20. 21. 22.

Alibaca, Pentapolis regionis urbs in Africâ. Ptol.

Alibaluchia, Ins. maris Caspii, in littore Hircaniæ, in ditione Persarum, prope *Mokan* desertum, & ostium Araxis fluv.

Alicadra, Mediæ urbs. Ptolemæus.

Alicanum, Pannoniæ urbs. Antoninus.

Alichorda, Bactrianæ opidum Ptolemæo.

Alicia, *Salemi*, opp. Siciliæ Occid. Mazaram versus, 15. mil. Hinc fluvius cognom.

Alicis, Laconiæ urbs, & Atticæ tribus. Diodor. Strabo.

Alicium caput, *Capo dell' Alice*, prom. Ital. & Calabr. cit. in mare Ionium excurrens.

Alictum, opidum Histriæ, hodie *Isola*.

Alienus Cæcina, Galbæ quæstor in Bæticâ, quem impigrè in partes suas transgressum legioni in superiore Germaniâ præposuit. Mox compertum publicam pecuniam avertisse, ut peculatorem flagitari jussit. Cæcina ægrè passus miscere cuncta & privata vulnera Reip. malis operire statuit. Tacit. *Hist. l.* 53. *Alienum* rectè nominari negat Fulvius Ursinus, nam *Cæcina* non cognomen, sed nomen familiæ fuisse constat ex alio *Cæcina*, qui C. *Cæcina Largus* dicitur in inscriptione fratrum arvalium, & alio item, qui in basi statuæ Vespasiani Imperat. dicitur *C. Cæcina Pætus*. Hic autem ipse A. *Cæcina* habetur apud Fulvium in antiquo lapide iisdem literis inscriptus. Nomina verò familiarum apud Romanos omnibus literis scribebantur, cùm prænomina unicis tantùm, aut ad summum tribus literis notarentur.

Alifa, vide *Allifa*.

Alilai, Arab. Fel. pop. quos cum Gasandis conjungit Diodorus Siculus *lib.* 3.

Alimela, regio Lyciæ. Stephanus.

Alimus, *üntis*, pars tribus Leontidis in Atticâ. Steph.

Alineus, *Alyne*, lacus Hiberniæ, in Connachtia prov. inter Comit. *Letrim* & *Rosecomen*. Eum præterfluit Senus fluv.

Alinda, urbs Cariæ episc. sub arch. Stauropolitano, mediterranea, Mylasæ & Stratoniciæ propinqua. Χωρίον Καρίας ὀχυρώτατον vocat Arrianus *lib.* 1. long. 57. 25. lat. 39. 00.

Alindæa, urbs Macedoniæ. Stephanus.

Alingonis portus, locus circa Garumnam flu. Sidonio Apollinari *lib.* 8. *Epistolarum*. Vulgo *Langon* in Vasatiensi reg. Vix 2. leucis Cadillaco castro distans.

Alion,

Alion, urbs Albionis in Cumbria, ab Eboraco 55. m. p. in Occid. & à Carleolo 42. in merid. long. 17. 16. lat. 55. 01. Ad ostia fluv. *Lune* in ora maris Hibernici. V. *Lancastria*.

Alipha, & *Allipha*, vide *Allifæ*.

Aliphera, urbs Arcadiæ, quæ (teste Polybio) in summitate collis arcem & æneam statuam Minervæ, à cæteris specie ac magnitudine longè differentem, habuit. Lil. Gyraldus Syntag. *lib.* 11.

Alipius, Antiochenus, auctor *descriptionis Veteris Orbis*, sub Constantio & Constante Latinè editæ.

Alipius, S. Augustini σύνεργ☉. Vid. August. *ep.* 8. Hieron. *ep.* 82. Baron. *A.C.* 388. 394. 411. 419. Item, Antiochenus quidam, qui Geographica quædam scripsit. Ammian. Marcell.

Alisarna, urbs Troadis. Stephanus.

Alisca, Pannoniæ urbs. Anton. *Almaz* Lazio. Simlerus *Angavara* vocat.

Aliso, op. Germ. infer. ad fluv. *Ysel* in Rhenum influentem, vulgò *Iselburg*. Hadrianus autem Junius *Wesel* vocat. Item flu. Alisonem op. (de quo supra) alluens, ac in Rhenum, seu fossam Drusianam apud Duisburgum, influens.

Aliso, *Alme*, amnis Germ. Influit in Lippam, haud procul Paderbonâ. Cluver. oriturque prope vicum *Almen*, in Westphalia.

Alisontia, vel *Alisuntia* vulgò *Alsitz*, fluv. Gall. Belgicæ per duc. Lucemburgensem in Mosellam supra Treviros unà cum Sura influens; qui & *Als* aliis nominatur. Anton. Scal. ad Auson *cap.* 2. *Alse* interpretatur, & *Alisontiam* reponendum esse suspicatur, & sic legit Ausonii locum in Mosella,

Stringit frugiferas felix Alisontia ripas.

Ubi alii *Alisuntia*.

Alista, Corsicæ op. Ptol. *Ista* Pineto. Aliis est *Porto Vecchio*, portus cum opp. in sinu, qui *Golfo Arsiano*. In parte Merid. Corsicæ.

Alisum, urbs libera Sueviæ ad Neccarum fluv. vulgò *Helbrun*, vel *Hailbrun*. id est, *salutis fons*. long. 30. 20. lat. 51. 30.

Alisus, urbs Germaniæ in ora Bor. maris Baltici, inter Sundum & Rostochium. Ptol. *Parthen* Villanovano, seu potius *Bart*. long. 35. 00. lat. 52. 5. In duc. Pomer. sub Suevis. Vid. *Bardum*.

Aliterius, Jupiter vocatus est, & Ceres *Aliteria*, quòd in publica fame servassent molitores, ne farina diriperetur, quod in Aristophane notant Grammatici. Plut. & Pollux.

Aljubarota, Vicus Hisp. in Portugallia, celebris victoriâ Johannis R. Lusit. contra Castellanos, An. 1385.

Alium, opp. in Elide, regione Peloponnensi.

Alix, id est, *Adelais*, aliis *Elisabetha*, uxor Ludovici Jun. Galliæ R. Item, *Cypri regina*, cum filia cognom. quæ bellum gessit, cum Theobaldo 4. Comite Blesensi, compositum, anno 1229. Item, uxor Ludovici Crassi, filia Humberti Sabaudi. Item, *Sponsa* Richardi, Angliæ R. & Dupleix. &c. Mezeray.

Alizones, Vid. *Halizones*.

Alizubeir, Mahometis Dux fortissimus, sed mirè ineptus, nec curari equum, nec vestes mundari voluit. Marmol. *l.* 2. *c.* 1.

Alla, opp. Tridentinæ Diœcesis, in Italia, ad Athesim flu. Item, fluv. Poloniæ, in Prussia Ducali. Cadit in Pregelam fluv. infra Allerburgum opp. ad castrum *Velavv*, alluitque Gutstatt & Hilbergam.

Allabus, fluv. Siciliæ, Vid. *Alabus*.

Alladius, qui & *Remus*, seu *Aremulus*, vel etiam *Remulus Sylvius*, Agrippæ fil. 12. Latinorum rex, regn. an. 20. Ob impietatem fulmine ictus interiit, Dionys. *lib.* 1. Aliter Euseb. *Chron.* An. M. 3199. A. C. 855.

Allante, urbs Macedoniæ, & Arcadiæ. Steph. Pop. *Allantenses*. Plin. 4. 10.

Allaria, vel *Alloria*, civitas Cretæ. Steph.

Allatura, urbs Moscov. in regno Cazani, ad Camam fluv. Raris habitata colonis.

Allectum, Vid. *Alectum*.

Alledius Severus, prænomine *Titus*, eques Romanus, primipilaris gratiâ impulsus Agrippinæ, ut fratris filiam exemplo Claudii sibi matrimonio jungeret, C. Pompejo, Q. Veranio Coss. Tacit. 12. 7.

Allendorfia, Urbecula Germ. in Lantgraviatu Hassiæ Cassell. ad fluv. Verram.

Allera, *Aller*, & *Alre*, fluv. Germ. in Saxon. inf. cadit in Visurgim infra Verdam Urbem, quam alluit. Oritur in Duc. Magdeburg. rigatque Gifforniam & Cellam urbes, recipitque fluvios Onacram & Leinam in Luneb. Duc.

Allerburgum, opp. Pol. in Prussia Duc. ad Allam fluv. qui mox cadit in Pregelam.

Allia, fluv. Italiæ, qui à Crustuminis montibus, præalto defluens alveo, Tiberino amni miscetur, quadragesimo ab urbe lapide, ubi magnâ strage Romani à Gallis, duce Brenno, profligati sunt. Plut. *in Manlio*, Livius, Florus, Eutr. Hinc *Alliensis dies* dictus, quasi infaustus. Silius.

——*Horrificis sese extulit Allia ripis.*

Virgilius *Æn.* 7.

Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.

Lucanus *lib.* 7.

Et damnata diu Romanis Allia Fastis.

Ovid. *de Art. Am. lib.* 1.

Tunc licet incipias, quâ flebilis Allia luce
Vulneribus Latiis sanguinolenta fuit.

Idem *in Ibin. ver.* 47.

Hæc est in Fastis, cui dat gravis Allia nomen.

Cic. *lib.* 1. *ad Att. ep.* 4. *Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam urbis captæ.* Infeliciter certè res omnis à Vitellio gesta est, *qui omni divino humanoque jure neglecto, Alliensi die pontificatum maximum cepit.* Verba sunt Suetonii *in ejus vitâ, cap.* 7.

Allienus, Prætor Siciliæ sub Cæsare. Hirtius.

Allifa, vel *Alifa*, & *Alipha*, Italiæ, juxta Æserniam, propè Vulturni ripam, opidum, in prov. Terræ laboris, in planitie, ad radices Apennini. vulgò *Alifi*. Silius *lib.* 8.

Illic Parthenope, ac Pœno non pervia Nola,
Allifæ, & Clanio contemptæ semper Acerræ

Prima opidi mentio fit apud Liv. *lib.* 8. *Eodem tempore & in Samnio res prosperè gestæ. Tria opida in potestatem venerunt, Allifæ, Callifæ, Rufrium.* Idem *lib.* 9. *C. Marcius Rutilius Allifas de Samnitibus vi cepit.* Diod. Sic. *lib.* 20. ὁ δὲ Μάρκι☉ ἐπὶ τοὺς Σαμνίτας ἀναζεύξας, Ἀλλίφας πόλιν εἷλε κτ̃ κράτ☉. Opidani *Allifani*. Plin. 3. 5. Hinc *Allifanus ager*, Silio *l.* 12.

——— *Hinc Allifanus Iaccho*
Haud inamœnus ager.

Horat. *lib.* 2. *Sat.* 8.

Invertunt Aliphanis vinaria tota.

Nunc in ruinis jacet.

Allirrothius, filius Neptuni, qui cùm Pater à Minervâ inventione oleæ superatus esset, & proprietate Athenarum excidisset, missu & jussu ejus oleam in arce Athenarum enatam excidere intendit. Sed strictâ securi aberravit, eamque cruribus suis tam graviter impegit, ut ex plaga interiret. Unde Olea Μορία vocitari cœpit, quasi μόρος, fati seu mortis caussâ.

Allium, urbs inter Pyrgum, & Ostiam.

Allobroges, Gall. Transalpinæ pop. qui Narbonensibus ascribuntur. Siti sunt juxta Rhodanum, nunc Sabaudienses, Delphinates & Pedemontani, victoriâ Fabii, & Catilinæ conjuratione noti. Tac. *lib.* 1. Strab. *l.* 4. Cluver.

Urbes primariæ Allobrogum.

Civaro, *Chambery*.	Mauriana, *S. Jean*.
Geneva, *Geneve*.	Tarantasia, *Moustiers*.
Gratianopolis, *Grenoble*,	Vienna, *Vienne*.

Allobryges Ptolemæo, Polybio autem Ἀλλόβριγες. Ἔθν☉ δυνατώτατον Γαλατικὸν vocat Steph. Horat. *in Epod.*

Novisque rebus infidelis Allobrox.

Juvenalis *de Ruffo*,

Ruffum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.

De origine nominis ita vir magnus *De Phœn. colon. lib.* 1. *cap.* 42. Apud utrosque Britannos, inquit, *bro regionem* vel *agrum* sonat, ut Syris ברא *baro*; & *hel*, vel *uhel excelsum*, ut Ebræis על *hal* vel *al*; & Syris עליא *elloio*. Inde à Gallis dicti *Allobroges*, qui montanam Sabaudiæ regionem obtinebant. Hoc multò verisimilius, quàm quod scribit vetus Juvenalis Scholiastes, *Dicti sunt Allobrogæ, quoniam broga Galli agrum dicunt, allo autem aliud; dicti igitur, quia ex alio loco translati.*

Allobrox, apud Celtas eo tempore regnavit, quo Pharao Cenchres in mari Rubro periit. Berosus *lib.* 5.

Allobrox, 15. Gallorum R. Beros. *l.* 5. Dupleix, *l.* 2. *c.* 16. Vid. supra.

Alloera, Lydiæ urbs, *Attalia*, postea dicta. Steph.

Allon, Lat. *quercus*, vel *fortis*, pater Sephe. 1. Par. 4.

Allonesus, *Pelagnasi*, Ins. Archipelagi, in ora Macedoniæ, versus Thermaicum sinum.

Allophyli, Vid. *Philistæi*.

Alloria, urbs Cretæ, ut ex Polyhistore refert Stephanus.

Allotriges, pop. in tractu septentrionali Hisp. Strabo *lib.* 3. Ubi Casaubonus, *Malim* Ἀλτεγόνας.

Alma, mons est in Mœsia superiori propè Sirmium, quem Probus Imp. Eutropio teste, vineis consevit. Item *Alma* Hetruriæ flu. Anton. *Arbia* Leandro.

Alma, sic vulgò fluv. Tauricæ Chersonesi, illam quasi bifariam separans. Cadit in mare nigrum.

Almaarab-ibni-cahtan, aliàs Arabs dictus, Cami nepos, qui *Arabiæ* nomen dedisse fertur, sicut à fratre ejus Sabo *Sabæa*, & altero Petro *Petræa* quibusdam videtur dicta. Marmol. *lib.* 1. *c.* 28. Sed potius vide Bochartum, *in Phaleg*.

Almagrum, opp. Hisp. in Castella, in tractu *la Mancha*, dicto. Item, *Almagner*, oppidul. Americæ meridion. in regno *de Popayan*, in monte situm, ad fontes fluv. *Cauca*.

Almana, Thusciæ fluv. Scribitur & *Amiana*, hodie *Albegna* dicitur.

Almansor, I. Joseph. Rex Maroci, à Mauris in Hisp. vocatus, *A.C.* 1158. aliquoties victus est à Christianis. Reversus dein cum majoribus copiis, in obsidione Santareni, in Portugall. sagittâ ictus periit. Marmol. 2. 35. Mariana, Vassæus.

Almansor, II. Jacobus, cognom. *Amir & Mocelemin*, prioris fil. potentissimus Africę Regum evasit. In Hispan. transgressus cum innumeris copiis, quas publicatione *Gazia*, id est, sacrę militię, collegit. Ibi omnium suę sectę caput factus & memorabilem victoriam d'Alarcos nactus est. Inde in Africam redux, Marocum recepit, & rebelles, contra datam fidem, occidit. Quam ob rem reprehensus à quodam Marabuto, vagari per mundum cœpit, obiitque pistor Alexandrię. Marmol. *l.*2.*c.*36. Gualt. Rauleigh, *in Mahometis histor.*

Almarasium, oppidul. Hisp. in Extramadura prov. juxta Tagum fluv.

Almath, Lat. *occultatio*, sive *juventus*, aut *secula* vel divisim *super mortem*, & tunc est *Al-muth*, civitas in tribu Benjamin. Cum suburbanis, Levitis data. 1. Par. 6. Item fil. Bechor, filii Benjamin 1. Par. 7.

Almazanum, oppid. Hisp. in Castella vet. juxta fluv. Durium.

Almedessus, Vid. *Halmydissus*.

Almendralegium, opp. Hisp. in Extramadura.

Almene, civitas ad Euxinum Pontum, Steph.

Almentia, sive *Almantia*, opp. Gall. Belg. in Lotharingia olim pręcipuum, vulgò *Almance*. *Almantia* quoque op. Orestidis reg. Macedoniæ, ab Aulone non longè distans in ort. hodie *Avostma*. long. 46.00. lat. 39.40.

Almenum, *Harlingen*, Frisiæ opp. in Belgio fœd. ad mare Germ. amplum & permunitum.

Almeon, Princeps Arabs, Mathematicus insignis, sec. II. Item, alius, cognom. Almansor, Blancanus *Chron. Mathematic.* Voss. *de scientia Mathem. c.* 35. §. 3. *&* 19.

Almeria, urbs Hisp. Bæticæ litoralis, sub archiep. Granatensi, olim *Magnus Portus* hodie *Almeria*.

Almeria, quæ & *Villa Ricca*, opp. Americæ, in nova Hispania, & prov. Tlascalæ, in ora sinus Mexicani. *Noathlan* incolis, ad ostium cognom. fluvii.

Almericus, I. frater Balduini, Hierosolymorum rex 6. Ægyptios vicit, Alexandriam cepit, & reddidit Soldano. Cairum autem, propter fidem non servatam, à Soldano, obsedit. Obiit Anno Christi 1174. regni 12. Guil. Tyr. *l.*19. Genebr. Blond *l.* 3. Æmil. *l.* 3. Item hæreticus, qui dicebat ideas in mente divinâ creare, & creari. Hunc Innocentius 3. cremari jussit Lutetiæ. Volater. Porro *Almericus*, vel *Almaricus*, Germanicè est *Emerich*, id est, *semper dives, & potens* juxta Lutherum. Gallicè scribitur *Aumery*, sicut *Terrey* pro *Theodorico*, *Herry* pro *Henrico*, *Frery* pro *Frederico*. Camdenus.

Almericus II. Guidonis frater, R. Cypri primùm, postea quoque, Hierosolymâ à Saladino captâ, Rex Judææ. Sedit Ptolemaide, ubi nimio Auratarum esu, obiit A. C. 1205. Ei Hugo fil. in regno Cypri successit. Sanut. *l.* 3. *c.* 3. *hist. T. S.*

Almericus, fil. Simonis Montfortii, jure Comitatus Tolosani terrarumque vicinarum cessit Ludovic. 8. Galliæ Regi ejusque Conestabilis evasit. Dein comes Theobaldi, Navarræ Regis, in Orientem, ab infidelibus captus est, & cùm inde liberatus esset, in reditu obiit, in Italia A. C. 1239. Continuat. *militiæ sacræ*, *l.* 3. *c.* 15.

Almericus Arnoldus, Archiep. Narbonnensis, primus contra Albigenses inquisitor. Item Patriarcha Hierof. Guil. Tyr. *l.* 19. *c.* 1. Baronius A. C. 1159. 1180.

Almericus Carnutens. Doctor Parisiensis, erro. De quo vide Prateol. *de hær.* Sander. *hær.* 153. Gaguin, *l.* 6. Vincent. *l.* 29. *c.* 107. Antonin. *part.* 3. *tit.* 19. *c.* 1 §. 7. Spond. A. C. 1204. *n.* 17. Ejus Sectatores in Concilio Parisiis habito, An. C. 1209. damnati demortuique cadaver refossum. Vid. supra.

Almerinum, Oppidul. Hispaniæ, in Portugallia, in prov. Extramadura, ubi Reges degere consueverant, ad Tagum ex adverso Santerini opp.

Alminium, *Almissa*, Urbs Dalmat. Vid. *Peguntium*.

Almissum & *Dalmisium*, seu *Dalmasium* oppidum Dalmatiæ recentioris, olim Chulmiæ, ad ostium fluminis Cetinæ. *Omisc*, Slavè. Non est antiq. *Delminium*, quod erat civ. mediterranea.

Almo, flu. Romæ vicinus, ex via Appia in Tiberim defluens, *Dachia* hodie, vel *Aquataccia*, & *Il Rio d'Appio*. In eo, sacra quæ Cybelæ fiebant, lavabantur. Ovid. *Fastorum* 4.

Est locus in Tiberim quo lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpureâ canus cum veste sacerdos
Almonis dominam, sacraq; lavit aquâ.

Lucanus *lib.* 1.

Et lotam parvo revocant Almone Cybelem.

Val. Flaccus *lib. ult.*

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lataq; jam Cybele, festaq; per oppida tadæ;
Quis modò jam sævos adyris fluxisse cruores
Cogitet, aut ipsi quid jam meminere ministri.

Stat. *lib.* 5. *Silvarum.*

Est locus ante urbem, quâ primùm nascitur ingens
Appia, quaq; Italos gemitus Almone Cybelem
Ponit, & Idæos jam non reminiscitur amnes.

Martialis *lib.* 3 *ep.* 47.

Capena grandi porta quâ fluit guttâ,
Prygiumq; matris Almo quâ lavit ferrum.

Claud. *de bello Gildonico*,

Prælatoq; lavas Phrygios Almone leones.

Vide Ammianum Marcellinum *lib.* 23.

Almochiqui, pop. Americæ, in nova Francia, ad meridiem opp. *Quebec*, ubi aliquot coloniæ Francor.

Almoktafy Bila, Persarum Califa, recepit ea, quæ prædecessorum Duces sibi rapuerunt. Obijt An. C. 1161, regni 24. Item, alius, etiam *Almoktadi* dictus, qui obiit Hegiræ An. 487. Texeira *l.* 2. *cap.* 43. *&* 48.

Almon. viri proprium apud Virgil. *Æn* 7.

Hic juvenis primam ante aciem stridente sagittâ,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almon,
Sternitur. ——

Almon, op. Thessaliæ. Plin. 4. 8. Item civitas Bœotiæ, quæ ab Hellanico malè *Salmon* dicitur. Steph. Item pater Laræ nymphę, ex qua Mercurius Lares peperit. Item civitas tribûs Benjamin. Jos. 12. quæ & *Almath*.

Almon, *Amonde*, fluv. Scotiæ merid. in provin. Lothiana. In Forthæ æstuarium se exonerat.

Almonstacem, ultimus Califa Babylon. ex Abæ familia, à Tartaris occisus, An. 1258. Alius, qui obiit, An. 1244. Alius qui mortuus est, An. 1180. Texeira, *l.* 2 *c.* 50-54.

Almonus, fluv. Germaniæ, quo in tota Germ. nullus pisculentior. Juxta *Kelliaim* in Danubium se exonerat, in Palatinatu super. Vulgò *Altmul*. Aliis *Alemannus*, quod vide.

Almopia, Macedoniæ pars, sic dicta ab *Almope* Gigante, Neptuni & Athamantidis filio. Steph. *Almopii* populi, Plin. 4. 10.

Almostadium, opp. Sueciæ, in Smalandia provin. in limite Blekingiæ.

Almunecara, opp. Hispan. in ora littorali Granatensis regni. Aliàs *Mœnoba*. Vid. & *Excitani*.

Almus, Hungariæ mons, quem Probus Imp. electissimis vitibus, ex Italia allatis, (uti tradit *in ejus vita* Aurel. Victor) consevit; *Arpatarro*, & *Tarezal* incolis dicitur, teste Lazio. *Eruscka* verò Jacobo Luccaro. Vopiscus *Alma* habet, quem vide. Item *Almus* Sisyphi fil. Pausan. *in Corinth.*

Alna, pagus Hannoniæ, 3. leuc. à Laubaco opido distans, hodie *Alne*, & *Aulne*.

Alnensis, *Alnetensis* seu *Alniensis* tractus, vulgo *païs d'Aunois*, regiuncula Galliæ, ad mare Aquitanicum, detracta ex Santonensi territorio, ubi clara suis Rupella malis.

Alnevicum, opp. Angliæ, in Northumbria prov. ad fluv. Alaunum, ubi Guillelmus, Scotiæ R. captus fuit ab Anglis 3. mill. distat ab ora Oceani Germanici.

Aloa, num. pl. festivitas fuit agricolarum Athenis, quæ subvectis ex agris frugibus celebrabatur. Sic dicta, quòd in *areis*, quæ Gæcè Ἅλως dicuntur, præcipuè moras traherent homines; unde & Cererem Ἀλωάδα, id est, *areas replentem*, veteres nuncuparunt. Gyraldus *in Syntag.* Hesychius. Ἀλῶα ἑορτὴ Ἀθήνησι, *Aloa* (aliis *Haloa*) *festum Athenis*. Cujus verò Dei fuerit, haudquaquam exprimit; ut neque Harpocration, & Suidas, qui tamen ex Philochoro nominis originem exponunt. Ἀλῶα ἑορτή ἐστιν Ἀττική, Φιλόχορος δέ φησιν ὀνομασθῆναι ἀπὸ τοῦ τότε τοὺς ἀνθρώπους τὰς διατριβὰς περὶ τὰς ἅλως ποιεῖσθαι. Addit Harpocration, Ἄγεσθαι δὲ αὐτήν φησιν ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν Ποσειδεῶνος μηνός. Ἅλως tamen non simpliciter aream sig. sed ἀμπελόφυτον χώραν, καὶ σιτοφόρον. Quare Philochorus indicare videtur, hoc festum ab Agricolis observatum, cùm ad messem accingerentur. Verùm Eust. *ad Iliad.* 1 Cereris & Bacchi sacrum ait esse; quod comportatis in horrea frugibus agitatur. Ἰστέον δὲ ὅτι ἐπὶ συγκομιδῇ καρπῶν, ἐφ' ᾗ καὶ τὰ Θαλύσια ἐθύετο, ἑορτὴ ἤγετο Δήμητρος καὶ Διονύσου, κατὰ Παυσανίαν, Ἀλῶα καλουμένη, διὰ τὸ ταῖς ἀπαρχαῖς, καὶ μάλιστα ἐν Ἀθήναις, ἀπὸ τῆς ἅλω τότε καταχρῆσθαι φέροντας εἰς Ἐλευσῖνα. Et quidem immodicè fructuum primitias absumi oportuit; quia non licebat Aloorum die sacrificare, aut hostias immolare; quarum alioquin carnes in viscerationem cedebant, adustis tantùm coxis, & pinguedine, quorum nidore frui deos arbitrabantur. Apud Atheneum, *l.* 13. Demosthenes *in orat. contra Nearam.*, Archię sacrorum Antistiti exprobravit. Ὅτι Σινώπῃ τῇ ἑταίρᾳ Ἀλώοις ἐπὶ τῆς ἐσχάρας, τῆς ἐν τῇ αὐλῇ Ἐλευσῖνι προσαγούσῃ ἱερὸν θύσειεν, νομίμου ὄντος ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ἱερεῖα μὴ θύειν.

Alocia, tres Insulæ ad Orient. latus peninsulæ Cambricæ; Suntque hodie *Lesso*, *Rom* & *Anholt* in sinu Codano, & juris Danici.

Aloeus, Gigas, cujus filii dicuntur Martem vulnerasse, à quo patronymicum *Aloides* fuit, Titanis ac Terræ filius, cui conjux fuit Iphimedia, quam cùm violasset Neptunus, duos ex eo peperit filios, Othum & Ephialtum, qui & *Aloidæ* dicebantur, quos Aloeus educavit ut suos. Et cùm novem digitis singulis mensibus crescerent, Gigantibus adversus superos bellum parantibus, nec ob senium Aloeus ad illud accedere posset, misit geminos adjutores qui Apollinis & Dianæ telis confixi perierunt. Horum mem. Hom. *Il.* 5.

Τλῆ μὲν Ἄρης ὅτε μιν Ὦτος κρατερός τ' Ἐφιάλτης,
Παῖδες Ἀλωῆος, δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ.

Item *Odyſ.* λ. *Verſ.*304.

Τὴν δὲ μετ' Ἰφιμέδειαν Ἀλωῆος παράκοιτιν
Εἴσιδον, ἣ δὴ φάσκε Ποσειδάωνι μιγῆναι.
Καί ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδε (μινυνθαδίω δὲ γενέσθην)
Ὦτόν τ' ἀντίθεον, τηλεκλειτόν τ' Ἐφιάλτην,
Οὓς δὴ μηκίστους θρέψε ζείδωρος ἄρουρα,
Καὶ πολὺ καλλίστους, μετά γε κλυτὸν Ὠρίωνα.
Ἐννέωροι γὰρ τοί γε, καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν
Εὖρος, ἀτὰρ μῆκός γε γενέσθην ἐννεόργυιοι
Οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην ἐν Ὀλύμπῳ
Φυλόπιδα στήσειν πολυάϊκος πολέμοιο.

Q. Smyrnæus *Paral. lib.*1.513.

Ἀργεῖοι δ' ἐχάρησαν, ἐπεὶ ἴδον ἄνδρε κραταιὼ,
Εἰδομένω παίδεσσιν Ἀλωῆος μεγάλοιο,
Οἵ ποτ' ἐπ' εὐρὺν Ὄλυμπον ἔφαν θέμεν οὔρεα μακρὰ
Ὄσσαν αἰπεινὴν, καὶ Πήλιον ὑψικάρηνον,
Ὅππως δὴ μεμαῶτε καὶ οὐρανὸν εἰσαφίκωνται.

Virgilius *Æn.*6.

Hic & Aloidas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cælum
Aggreſſi, ſuperiſq; Jovem detrudere regnis.

Lucanus *lib.*6.

Impius hinc prolem ſuperis immiſit Aloeus,
Inſeruit celſis prope ſe cùm Pelion Aſtris,
Sideribuſq; vias incumbens abſtulit oſſa.

Claudian. *de Bello Getico*,

Quid mirum ſi regna labor mortalia vexat?
Cum gemini fratres, genuit quos aſper Aloeus,
Martem ſubdiderint vinclis, & in aſtra negatas
Tentarint munire vias, ſteteritq; revulſis
Penè tribus ſcopulis, cæleſti machina bello.

Alogiani. Hæretici ſic vocati, qu. *ſine verbo*, quia Domini verbum recipere noluerunt, Joannis Apocalypſin & Evangelium reſpuentes, in quo Dei filius Verbum Patris appellatur. Horum hyperaſpiſtes poſtmodum Theodotus Coriarius Byzantinus fuit. Tertull. *de Præſcr. l. ult.* Epiph. *hær.*51.54. Auguſt. *de hær. c.*33. Euſ. *l.*5.*c.*39. Baron. A.C.196.

Aloium, civitas Theſſaliæ, juxta Tempe. Steph.

Alone, inſula juxta Cyzicum. Item Paphlagoniæ civitas. Steph. Etiam apud Scriptores Britannicos Lancaſtrenſis urbs *Alone* dicitur. Item *Alone*, vel *Alona*, Hiſpan. Tarrac. urbs. Ptol. Fuit verò Maſſilienſium colonia, uti teſtatur Stephanus, cui *Alonis* dicitur Ἄλωνις, inquit, νῆσος καὶ πόλις Μασσαλίας. Græcum igitur oportet eſſe vocabulum, ut ergo παρὰ τῶν ἀνέμων ἀνεμώνη &c. ſic παρὰ τῶν ἁλῶν ſit Ἀλώνη; Præſtantiſſimo enim ſale & olim, & nunc quoque abundat. Atque hoc ſolo argumento convinci poſſunt, qui *Alonam* hodie putant eſſe *Alicante*, cùm ea urbs nullas habeat ſalinas. Certum eſt autem, Alonam eſſe id opidum, quod olim Arabes *Tudemir*, Hiſpani verò *Guardamar* vocant, ſitum in peninſula ad os Taberis flu. quem vulgò Seguram vocant. Innumeræ enim illic, & præſtantiſſimæ ſalinæ, eoque ipſo loco veteres Alonam deſcribunt. long.21.10. lat.38.40.

Aloni, populi Meſopotamiæ. Plin. 6. 26.

Alontigeceli, populi Hiſpaniæ. Plin.3.1.

Alontium, urbs Siciliæ in ora occ. everſa, inter Halæſam, & Agathurium, 12. m. p. diſſita. Ex ruinis S. Philadelphi op. conſtructum eſt, & proinde *S. Filadelpho* hodie dicitur, teſte Fazello.

Alope, mulier à qua dicta *Alope* Theſſaliæ civitas, de qua Hom. *Il.*2. & Plin.4.7. Orpheus *in Argonauticis*.

Αἰθαλίδης ὃν ἔτικτε περικλυτὴ Εὐπολέμεια
Μυρμιδόνος θυγάτηρ Ἀλόπῃ ἐνὶ πετρηέσσῃ.

Alia eſt Atticæ, alia Ponti, unde Pentheſilea nata eſt, quarta circa Eubœam, quinta circa Delphos, ſexta juxta Locridem. Stephan.

Alope, Cercyonis filia. Sch. in Ariſtoph. Aves.

Alopece, *Alopecia*, Strab. & Ptol. (cui etiam Tanais dicitur) Mæotidis paludis inſula, *l'Isle des Renards* Pineto. Item Boſpori Cimmerii inſula. Plin.4.14. Item alia in mari Ægæo è regione Smyrnæ apud eundem, *lib.*5.*c.*31. Heſychius Ἀλωπεκὴ, δῆμος Ἀντιοχίδος φυλῆς.

Alorus, Pæoniæ in Macedonia urbs. Ptol. *Olorus* Plinio, hodie *Dianoro*.

Alos, Argiæ urbs in Peloponneſo. Heſychius. Item Arcadiæ urbs Stephano, alia Phthiotidis Plinio, & Theſſaliæ Etymologo.

Aloſanga, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Aloſtum, urbs Belgii, Flandriæ Imperialis caput, ad Teneram fluv. media inter Bruxellas & Gandavum. Immunita nunc ſubeſt Hiſpanis *Aelſt* Belg.

Alous, urbs Illyridis. Steph.

Alpaidis, vel *Althaidis*, uxor Pipini, mater Caroli Martelli. Dupleix, *in Childeberto* 2.

Alpatragus, vel *Alpetregus*, Mathem. Voſſ. *de Sc. Mathem.*64.3.

Alpenor, Vates, ab Ulyſſe interfectus. Bocat.

Alpenus, Locrorum metropolis apud Thermopylas. Herod. *lib.*7.

Alpes, montes ſunt excelſi (qui Italiam ſeparant à Gallia, Helvetia, Rhætia, Hungaria, & Germaniâ.) *l'Alpi* Italis, *Alben* Germanis dicti, qui multiplices ſunt; variaque, pro locorum diverſitate, ſortiuntur nomina. long. 3000. Stad. Liv. Sunt enim 1. Alpes *Carnicæ*, 2. *Cottianæ*, ſive *Cottiæ*. 3. *Graiæ*. 4. *Noricæ*. 5. *Juliæ*. 6. *Maritimæ*, ſive *Litoreæ*. 7. *Pannonicæ*. 8. *Penninæ*, *Pœnæ*, ſive *Pœninæ* 9. *Rhæticæ*. 10 *Tridentinæ*. 11. *Venetæ*. *Albia*, & *Alpionia* olim dictos fuiſſe hos montes ſcribit Strabo. Stephano etiam Ἄλπεια, & Ἄλπεοι dicuntur, Phavorino Ὄλπια; Quin & Σάλπιοι etiam videntur à Lycophrone appellari, ut putavit ejus commentator Iſacius. Per hos montes Annibal in Italiam tranſivit, aceto viam faciente. Livius *lib.*21. *Ardentiaq; ſaxa infuſo aceto putrefaciunt: ita torridam incendio rupem ferro pandunt.* Juven *Sat.* 10.

— *Oppoſuit natura Alpeſq;, niveſq;,*
Diduxit ſcopulos, & montem rupit aceto.

Ubi rectè nives Alpibus tribuit, ita enim eos deſcribunt paſſim Poëtæ. Unde χιονώδεες Ἄλπεις, & νιφοβλῆτες in Anthologia. Horat. *Serm* 2. *Sat.*5.

Furius hibernas canâ nive conſpuit Alpes.

Hinc *Alpina glacies* Claudiano, *lib.* 2. *de Raptu Prof.* & *Alpinæ pruinæ* eidem *in Panegyr.* & *Alpinus rigor* Ovidio *Metam.*14. & *gelidæ Alpes* Lucano *lib.*1. Imo à candore nivium, ut vulgò putant, dicti ſunt hi montes, quia perpetuis ferè nivibus albeſcant Sabini enim *Alpum* dixere, quod poſteri Latini *Album*. Ita Feſtus. Melius, quod mirere, Iſidorus 14.8. *Alpes propriè montes Galliæ ſunt, de quibus Virgilius, Aërias Alpes. Et dicendo aërias, verbum expreſſit à verbo. Nam Gallorum linguâ Alpes montes alti vocantur.* Et ſic Alpes perpetuò deſcribuntur à Poëtis. Catullus,

Sive trans altas gradietur Alpes.

Sil. Italicus *lib.*1.

Non celſæ obſtiterint Alpes. ———

Quin & Servius in iſta Virgilii verba, quæ ſunt initio *lib.* 10. commentans, *Sanè omnes altitudines montium, licèt à Gallis Alpes vocantur, propriè tamen montium Gallicorum ſunt.* Itaque Montis, qui Nicro fluv. vicinus eſt, & haud procul Rutelingâ aſcenditur, illa longè lateque patens planities tritici feraciſſima, indubiè etiamnum *Albæ* nomen à cultoribus olim Gallis retinet. Bochartus tamen montes hoſce nomen ſuum Phœnicibus debere putat, quibus לבן *laban* erat albus, & אלבן *alben* formâ Syrâ *albeſcere*. Unde & *Libano* nomen, quem Paraphraſtæ vocant אולבנין *Olbanin*, Cant.4.11. Non tamen de nihilo Ἄλπιν alii *montem altum* explicant, cùm & *al* celſum, & *pen* verticem montis, ſeu collem ſignificet. Uſurpatur hæc vox præcipuè in pl. num. quanquam aliquando & in ſingulari. Dionyſius *Verſ.* 295. Ἄλπιος ἀρχή. Ovid. *Artis Amatoriæ*, *l.*3.

——— *Nec quot in Alpe feræ.*

Claudianus — *Extemplo frondosâ fertur ab Alpe.*

Porro de Alpibus, vide Ptolem. Geogr.3.1. Plin *l.*3. Strab. *l.*4. & 5. Tacit. *l.*3. Merul. *Coſmogr.* Alciatum *comment in lib. Taciti de Germania*, ſed imprimis Joſiam Simlerum, in libello quem *de Alpibus* inſcripſit. Optimè autem & copioſiſſimè omnium de Alpibus differentem vide doctiſſimum Cluver. *Ital. Ant. l.*1 *c*30. &c. Alpium ſeries ſic ſe habet, à littore maris Gall. inchoando: Maritimæ, Ptol. quæ & littoreæ, Cottiæ, Pœninæ, & Graiæ, à Gallia Narbonenſ. dividunt: Maritimæ quidem, quæ *les Montagnes de Tende*, teſte Pingonio, dicuntur, à Provincia, incipiuntque à Nicæa, Barcinonetamque opp. uſque protenduntur, inter Provinciam & Liguriam extenſæ. Sed deſinunt in Monte Veſulo, *Mont. Viſo*, unde oritur Padus fluv.

Cottiæ, Sueton. quæ & Cottianæ à Tac. nominantur, *Mont-Cenis*, Delphinatum à Taurinis, hoc eſt, à parte Pedemontani Principatus (per quem Padus fluv. decurrit, dividentes.

Graïæ, *M. di S. Bernardo piccolo*, teſte Pingonio, Allobroges, hoc eſt, Sabaudos à Salaſſis, ſive à valle Auguſtana diſcludunt. Graïus mons apud Sen. & Tacit. Harum pars eſt mons Sempronius. Exordiuntur à Monte Ceniſio, excurruntque uſque ad Montem S. Bernardi majoris in limite Valeſiæ.

Pœninæ, Tac. *M. di S. Bernardo maggiore*, quæ ab Allobrogibus & Sedunis partem Principatus Pedemontani & Inſubriæ, dividunt.

Summæ, Adula mons aliis, *M. de S. Gothard*, Pœninis contiguæ, Helvetios ab Inſubribus ſeu parte Ducatus Mediolanenſ. ſeparantes; quarum radices ad lacum Verbanum perducuntur, *Gothardsberg* Germanis, teſte Schudo. Ex his tria flum. Rhodanus, Ticinus, & Rhenus fluunt.

Lepontiæ Plin. Summis, ubi Rhenus ortum habet, junguntur, ubi Lepontii pop. *M. di S. Bernardino* dici videntur.

Rhætiæ, Plin. & Tac. quę & Juga Rhætica, *M. Braulio*, & Germanicè *Wurmſerloch*, teſte Schudo, Rhætos à reliquis Inſubribus dividen-

dividentes. Inde Oenus per Noricos, Athesis per Venetos Cenomanos, & Addua per Insubres flumina derivantur.

Tridentinæ, Cassiod. quæ ad occ. *M. Bernina*, & *M. di S. Nicola*, ad ort. *M. Zelam* (unde Medoacus fluv. & Anassus profluunt) dicuntur, aliaque tenent nomina, Comitat. Tirolensem à Venetis separantes. Hæ extenduntur ad fontes fluv. Natisonis, Baudr.

Noricæ, Marcel. quæ apud Melam mont. Taurus dicuntur, *Taurn*, inter Comit. Tirolensem, Salisburgensem tractum, & Carinthiam intersitæ, circa Villacum *Villacher Alben*, & apud Salisburgenses *Svvanberger*, aliisque nominibus appellatæ.

Juliæ, Tac. quæ & Carnicæ Ptol. & aliis dicuntur, inter Noricos & Carnos, seu inter Carinthiam partem Norici, & Forum Julium, Carnorum seu Venetorum regionem, intercedentes, atque in Hadriaticum mare terminantes. Quæ adhuc *Zeglie*, seu *Zuglie* nominantur. Ferrar.

Alpesa, opidum Celticæ regionis. Plin. 3. 1.

Alpha, flu. non longè ab Aquileiâ.

Alpha, vulgò *Aa*, fluv. Germaniæ infer. in Frisia prov.

Alphabucelis, urbs Marsorum. Ptol. *Avezzano*, ut aliquibus videtur.

Alphani, vel *Alphini*, & *Alpini*, vicus prope Thermopylas, Item metropolis Locrorum. Steph. Sed legendum *Alpeni*. Stephanus enim Ἀλπηνοὶ habet.

Alphanus, Arch. Salernitanus, sec. 11. Possevinus; Bar.

Alpharabius, Arabs, Philosophus & Astronomus insignis. sec. 10. Genebr. *in Sylvestro* 2. Blancanus *Chronol. Mathem. sec.* 10.

Alphaterni, vide *Alfaterna*.

Alphea, Diana, ex eventu sic dicta, quòd Alpheus amore Dianæ percitus, Ortygiam usque eam sit insecutus, ac mox destiterit: ob id extructo inibi Deæ templo, illi conciliatum est de facto cognomen. Cæl. Rhod. *lib.* 13.

Alphenus, vel *Alfenus*, nomen sutoris apud Horat. *lib.* 1. *Serm.* 3.

—— *Ut Alphenus vafer omni*
Abjecto instrumento artis, clausâq; tabernâ,
Sutor erat ————

Alphesibœa, Phlegei, fluv. filia, quam Alcmæon, donato illi monili, quod Eriphyle matri detraxerat, in uxorem duxit. Prop. 1. 15.

Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis & chari vincula rupit amor.

Alphesibœus, pastor quidam apud Virg. *Ecl.* 5.

Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.

Ab ἄλφω invenio, & βοῦς. qu. *inveniens boves*.

Alpheus, Lat. *millesimus*, vel *doctus*, vel *dux*, Pater Jacobi Apostoli. Mat. 10. Mar. 2. Luc. 6.

Alpheus, vir doctissimus, Juris professor. Lampridius.

Alpheus, fluvius Elidis, Arcadiæ civitatis, juxta Pisas decurrens, qui longo cursu, receptis interea aliquot majoribus & ferme 140. minoribus fluviis, in Achaiâ demergitur, ibique terrâ absorptus, & subter mare defluens, ex Græciâ decurrit ad Arethusam, fontem Siciliæ, ubi in mare Siculum cadit. Moschus,

Ἀλφειὸς μετὰ Πῖσαν ἐπὴν κατὰ πόντον ὁδεύῃ,
Ἔρχεται εἰς Ἀρέθουσαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδωρ.

Virg. *Æn. lib.* 3. —— *Alpheum fama est huc Elidis amnem*
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore Arethusa tuo Siculis confunditur undis.

Ovid. *l.* 5. *Metamorph f.* 10. & 3 *Amorum. eleg.* 6.
Quid? non Alpheum diversis currere terris
Virginis Arcadiæ certus adegit amor?

Lucan. *lib.* 3. —— *Populisq; per æquora mittens*
Sicanias Alpheus aquas. ————

Stat. Sil. *lib.* 1. — *Tumida sic transfuga Pisæ*
Amnis in externos longè flammatus amores,
Flumina demerso trahit intemerata canali:
Donec Sicanios tandem perlatus anhelo
Ore bibit fontes: miratur dulcia Nais
Oscula, nec credit pelago venisse maritum.

Quòd ait *dulcia oscula*, idem est quod innuit Virg. *Ecl. ult.*
Sic tibi cùm fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

Huc alludit Gregorius Nazianzenus, *in epitaphio Basilii* Καὶ εἴπῃς, inquit, ἐστὶν ἢ πιστεύεται ποταμὸς δι' ἅλμης ῥέων γλυκύς. Loquitur de Alpheo. Ideoque Libanius *in Progymnasf.* Φυλάττει ἀμιγὲς ἐν τῇ θαλάσσῃ τὸ ῥεῖθρον. Idem Statius 1. *Theb.*
—— *Fluctivagâ quà præterlabitur undâ*
Sicanios longè relegens Alpheus amores.

Sil. Ital. *lib.* 3.
Hic Arethusa suum piscoso fonte receptat
Alpheon, sacra portantem signa coronæ.

Claudianus — *Alpheus Geticis angustus acervis*
Tardior ad Siculos etiam nunc pergit amores.

Sidon. Apoll. *carm. ad Felicem.* —— *Per ima ponti*
Alpheus fluit, atq; trasmarina
In fluctus cadit unda conjugales.

Consentiunt Historici, aliique scriptores. Plin. 2. 103. *Arethusa fons Syracusanus, in quem redduntur jacta in Alpheum.* Vid. etiam *lib.* 4. *cap.* 5. 6. Amm. Marc. *lib.* 15. *Alpheus oriens in Arcadiâ, cupidine fontis Arethusæ captus, scindens Ionium mare, ut fabulæ ferunt, ad usq; amatæ confinia progreditur.* Et ante utrosque Mela. 2. 7. Ubi *de Siciliâ: Ab eo ad Pachynum ora qua extenditur Jonium mare attingens; hæc fert illustria, Messanam, Tauromінium, Catinam, Megarida, Syracusas, & in iis mirabilem Arethusam. Fons est, in quo visuntur jacta in Alpheum amnem, ut diximus, Peloponnesiaco litori infusum: unde ille creditur non se consociare pelago sed subter maria, terrasq; depressus, huc agere alveum, atq; hic se rursus extollere.* Quin & Strabo *lib.* 6 ait, Alpheum sumere originem in Peloponneso, & per mare sub terrâ in Arethusam fontem terminari; Vid. etiam *lib.* 7. 8. quamobrem finxerunt Poëtæ, Arethusam venatricem deamatam ab Alpheo fugisse per subterraneos cuniculos in Ortygiam, quam Alpheum fuisse insecutum Pausanias dictum existimat, quòd *Alphos*, vitiliginis speciem, curet. Hunc fluvium ethnici nonnulli pro Deo coluerunt, cui & statuam, & communem aram cum Diana erexerunt, eumque amicum Jovis fecerunt, ob rationes satis lepidas, quas Pausan. *l.* 5. refert. Consecuta fuit etiam ipsa Arethusa postmodùm divinos honores, ut ait Nicanor Samius *lib.* 5. *de fluminibus.* Siquidem mos fuit Ægiensium, qui populi fuerunt Achaiæ, liba sumpta ex ara salutis in mare projicere, quæ se mittere Arethusæ Syracusas testarentur, sicut refert Melanthes *lib.* 2. *de sacrificiis.* Quoniam verò non animi solùm, sed etiam corporis munditiès Deo gratissima existimanda est, idcirco aquam illam, quæ vim haberet purgandi, sacrificiis accommodatam esse Ethnici sanxerunt, & fluvium ipsum, qui hujusmodi aquam suppeditaret, existimarunt esse Jovi amicissimum atque acceptissimum. Alii Mythologi divinam vim animorum nostrorum, virtutisque normam, per hujusmodi fabulam explicarunt, quippe quòd sicuti materia appetit formam, ut suum proprium bonum, (cùm ipsa per se inutilis sit, & otiosa appareat) sic anima nostra virtutem, tanquam formam suam expetit. Hæc causa est, cur *Alpheus* fingebatur sequi *Arethusam*, cùm ἀλφὸς sit *macula*, sive imperfectio, & ἀρετὴ *virtus* à Græcis nominetur. *Orfea* seu *Rofea*, hodiè dicitur, teste Sophiano, & *Carbon* seu *Darbon* nautis vocatur. Plura vid. apud Petrum de Valle, *Itiner. tom.* 4. Inde *Alphion*, lacus vitiligines tollens. Plin. 31. 2.

Alphius, vel *Alfius*, fœnerator insignis, à quo primùm profecta fertur celebris illa sententia, viz. *vel optima nomina non appellando fieri mala.* Ejus mem. Horat. *in Epod. Od.* 2.
Hæc ubi locutus fænerator Alphius,
Jam jam futurus rusticus:
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Alphius Avitus, poëta historicus, sub Severo. Voss. *de Histor. Lat. l.* 3. Diversus *ab Avito Alcimo*, Poëta Christiano.

Alphonsus, 1. Hisp. Rex, *Catholici* titulum à Julio 2. impetravit. Victoriis contra Mauros clarus. Mariana *Hist. Hisp.* Baron. A. C. 738. 744.

Alphonsus, 2. Hisp. Rex, cognom. *Castus*, 50. Virginum tributum Saracenis antea pendi solitum sustulit, illosque, Ulyssiponâ captâ, magnâ clade affecit, Anno 793. Ximenam Sororem, se invito, Sanctio Sardiniæ comiti nuptam, in monasterium detrusit, Marito ejus excæcato, filium verò eorum Bernard. de Carpio, educari solicitè jussit: qui adultus, cùm parentum libertatem precibus obtinere non posset, aulâ & spe regni decessit. Obiit Alphonsus A. C. 824. Rodericus, Mariana, Marmol. regn. annos 41.

Alphonsus, 3. Hisp. rex. cognomento *Magnus*, Abdalæ & Mahometi, fortiter restitit, in Ecclesiasticos beneficus. A Garcia fil. regno se abdicare coactus est, cui feliciter præfuerat, Annos 46. A. C. 88. Obiit, an. 887.

Alphonsus, 4. Hisp. Rex, *Monachus* cognom. Quia Monasterio se incluserat, è quo thronum repetiturus, excæcatus est, an. 927. Ambros. Moral. *l.* 16. *cap.* 7. 9. 10. regn. an. 5. mens. 7.

Alphonsus, 5. Hisp. rex, Varamundi fil. Correxit leges Gothorum, A. C. 1020. bellum cum Mauris gessit, sagittâ in obsidione urbis *Viseo*, in Lusitan. interfectus, Anno 1027. Mariana, Genebr. *in Chron.* reg. an. 29.

Alphonsus, 6. Hisp. rex, regn. an. 43. Cognom. dictus *Strenuus*. Plurimis urbibus Mauros exuit, Henrico Burg. primo Portugall. R. filiam Teresam uxorem dedit, 6. uxorum maritus. Ejus tempore Cid & Rodrigo, illi adeò celebres, vixere. Obiit A. C. 1100. æt. 70. Marian. Rodericus.

Alphonsus, 7. Hisp. prius jam Arragoniæ & Navarræ, rex, prioris nepos, Urracam uxorem, ob mores, repudiavit, Castellano Regno, quod per eam adeptus erat, post. 2. an. relicto. *Bellatoris* nomen meruit, 29. præliis inclytus. Imperator Hisp. dici voluit, & pluribus urbibus è Maurorum potestate ereptis, obiit,

obiit; in pugna, A. C. 1137. regn. an. 30. Vid. prædictos auctores.

Alphonsus, 8. Hisp. rex, Raimundi, Burg. Com. ex Urraca fil. cognomento *Bonus*, Imperatorem se coronari jussit, per Arch. Tolet. A. C. 1135. Post obitum Alphonsi 7. cum Navarræ & Arragoniæ Regg. feliciter bellavit. Obiit in expeditione, contra Mauros, A. C. 1157. Castellæ regno, Sanctio fil. & Legionis, Ferdinando juniori relicto. Vid. supra. Regnavit an. 35.

Alphonsus, 9. Castellæ rex, cognom. *Nobilis*, regn. an. 54. Adversus Saracenos feliciter pugnavit. Ex Eleonora, Angliæ R. filia, 11. liberorum Pater. E quibus natu maxima Blanca fuit, Lud. 9. Gall. R. mater. Obiit A. C. 1214. Æt. 59. Mariana. Turquet. Genebrard. Marmol. *lib.* 2. *cap.* 36. & 37. Vasæus, *Chronol.* Volat.

Alphonsus, 10. Hisp. Rex, post Patrem Fernandum 3. A. C. 1252. Cognom. *Sapiens*, Historicus, Philosophus & Mathematicus insignis, a quo tabulæ Alphonsinæ. Iolantam, Arragoniæ R. filiam repudiaturus, turbas expectavit, quæ compositæ. In bello contra Mauros felix, Imperium Germ. oblatum recusavit, Occidentalis Imperatoris titulo contentus. Sed à Sanctio filio, de throno deturbatus, mœrore confectus obiit, A. C. 1282. regni 32. Roderic. Mariana, Turquet. Genebr. Rex hic in tabulas astronomicas convocatis undique Mathematicis insignibus, 40. ut alii, 200. coronatorum millia impendit, Alexandri ergà Aristotelem in animalium historiam liberalitate penè exæquatâ. Ramus. Dicere solebat, Se malle privatim vivere, quàm eruditione carere. Virtutes ejus à Blondo, S. bellico, aliisque celebrantur. Gravi morbo laborans, remedia medicis frustra præscribentibus, cœpit legere Q. Curtii historiam de Alexandro, adeoque illius dulcedine captus fuit, ut, sanitate recuperatâ, dixerit, Valeant Avicenna, Hippocrates, Medici cæteri: Vivat Curtius sospitator meus. Biblia quoque cum Commentariis quatuordecies pellegit. Anton. Panormitanus. *lib. de rebus gestis Alphonsi.* Genebr. Cæterum à reverentia Numinis parum laudandus, si vera sunt, quæ de ipso Lipsius habet, *Mon. Pol. c.* 4.

Alphons, si sit Germanicum nomen, idem est quod *Helfuns*, id est, *our help*: & à Gothis profectum est, ut videtur. Nam Alphonsus primus hujus nominis rex Hispaniarum, An. Dom. 740. à Gothis descendit. Camdenus.

Alphonsus, 11. in cunis Rex salutatus, turbis regni compositis, fœdus iniit cum Lusitaniæ & Arragoniæ Regg. atque cum Mauris bellum feliciter gessit, illis ingenti strage fusis, A. C. 1340. Peste peremtus, An. 1350. æt. 38. Successorem habuit fil. Petrum, *Crudelem* cognom. Villanius, *l.* 11. *c.* 119.

Alphonsus, 1. Arragoniæ & Navarræ R. V. supra *Alphonsum* 7.

Alphonsus, 2. Obiit Perpiniani, A. C. 1196. Vid. Marianam, *Invent. Hist. Hisp. l.* 8. Vasæum, Chronol.

Alphonsus, 3. post Petrum 3. patrem Rex, An. 1285. Obiit 1291. improlis, Mariana. *l.* 14 *cap.* 14. & 15. *Antonin. tit.* 20. *cap.* 8. §. 5.

Alphonsus, 4. Jacobo Patri successit, *Pius* dictus, Leridam Academiâ ornavit, & Castellæ Regem, à Navarro, per Gastonem Foxium, adjutus pacem petere coëgit. Obiit A. C. 1337. regni 8. Mariana *l.* 16. *c.* 4. Spond.

Alphonsus 5. cognom. *Magnanimus*, Patri Ferdinando successit, literarum & literatorum amans, sed in sequiorem sexum pronior. Regnum Neapol. occupavit; an. 1442. postquam à Genuensibus navali prælio victus captusque fuisset. Obiit An. 1458. successorem relinquens Ferdinandum, fil. suum naturalem, à Pio 2. in regno confirmatum, exclusô legitimo hærede Renato Andegav. & Johanne fil. ejus. Nauclerus, Æneas Sylv. Antonin. Spondus.

Alphonsus, 1. Lusitaniæ R. quinque Mauritanorum Principibus victis inclytus. A. C. 1139. Hinc insignia Lusitaniæ Regum, quæ hodieque in usu. Contra Alphonsum 7. Castell. R. & Mauros, Ulyssiponâ aliisque locis captis, felix. Obiit A. C. 1188. æt. 91. regni 46. Dupleix, *in Phil.* 1. Mezeray, *in Ludov. Jun* Mariana.

Alphonsus, 2. cognom. *Crassus*, Sanctio 1. Patri successit, in fratres sævus, unde ei cum Rege Legion. bellum. Obiit A. C. 1223. æt. 38. regni 11. Duard. *in Geneal. Portugall.* Turquet. Mariana, &c.

Alphonsus, 3. per Mathildem uxorem, quam postea repudiavit, primò Bononiæ comes, dein post Sanctium 2. fratrem, Lusit. R. Ab Alex. 4. & Gregorio 10. excommunicatus, sprevit bruta hæc fulmina, & magno animo quæcunque bella gessit. Obiit A. C. 1279. æt. 70. regni 12. Mariana, *lib.* 14.

Alphonsus, 4. cognom. *Audax*, Alphonso XI. Hisp. Regi, Maurorum victori, suppetias tulit. Obiit A. C. 1357. æt. 67. regni 32. Vid. suprà.

Alphonsus, 5. Socerum Petrum propriâ manu occidit, Guineâ repertâ, ex auro inde allato monetam cudit, cui *crucigeri* nomen datum. Obiit, A. C. 1481. æt. 49. regni 43. Auctores suprà laudati.

Alphonsus, 6. Patri Joh. 6. successit, A. C. 1656. à fratre Petro, in insulam Terceram, relegatus.

Alphonsus, 1. Rex Neap. & Siciliæ, Vid. *Alphons.* 5. Rex Arragon.

Alphonsus, 2. successit patri, Ferdinando 1. audito Gallorum adventu, regnum Ferdin. filio reliquit, & privatus Messinæ obiit, A. C. 1495. Guicciard. P. Jovius, Cominæus *lib.* 7. *cap.* 11.

Alphonsus, Pictav. Comes, Ludov. 8. Gall. R. fil. Ludovici 9. in expeditione in orientem comes, redux inde Senis obiit, A. C. 1271. Mezeray *in Philippo Audace.*

Alphonsus, Comes Tolosanus, Ludov. Jun. in Orientem comes, obiit veneno Cæsareæ Anno 1148. Item, duo Ferrariæ duces, quorum posterior obiit, 1597. improlis. Item, M. Melitensis M. à fratre veneno necatus. Item, Rex Manicondæ. Marmol. *lib.* 1. *cap.* 38. Item Prorex Indorum, Vid. *Albuquercus.*

Alphonsus Cariglius, Hisp. Cardinalis. Spond. A. C. 1431. *n.* 11. Alph. *Petruccius*, Cardin. in carcere strangulatus, An. 1517. Guicciard. *lib.* 13. P. Jov. *in Leone* 10. Item Episcopus Cartagenæ, historicus. de Palentia, apud Voss. *lib.* 3. *de Histor. Lat.* Alphonsus Hispalensis; Alphonsus Tostatus, scriptis illustris, apud Bellarm. *de Author. Eccles.*

Alpinus, Cornel. poëta, Memnonis Auroræ filii bella descripsit, sed adeò malè, ut ab Horatio dicatur eum carminibus suis jugulare. Serm. 1. 10.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona.

Vide Popelinier. *lib.* 5. *de Historicis.* Vossium *De Poet. Lat. pagg.* 31. 32.

Alpinus, nom. *Julius*, è principibus Helvetiorum, in quem ut concitorem belli Cæcina animadvertit. Tacit. *hist.* 1. 69.

Alpinus Montanus, Trevir, præfectus cohortis Vitellianæ, nuntius victoriæ in Germ. à Vespasianis missus. Tacit. *hist.* 3. 35.

Alpinus, Scotiæ R. post Dongalum, felix contra hostes; tandem tamen, à Brudo Pictorum R. captus & occisus est, A. C. 834. regni 4. Buchanan & Lesl. *hist. Scot.*

Alpinus, vulgò *Alpon Vecchio*, fluv. territorii Veronensis, cadit in Athesim, in ditione Veneta.

Alponacum, *Alpenach*, vicus Germ. in Helvetiis, in pago Undervaldiensi, notus aliàs clade Austriacorum.

Alponos, civitas & mons Macedoniæ. Alii Thessaliæ civitatem faciunt; & alii Locrorum Epicnemidiorum. Steph.

Alpuxaræ, *les Alpujares*, montes Hisp. in regno Granatensi. Aliàs *montes Solis*, inter Granatam & Almeriam.

Alredus, Saxonum Occid. in Anglia R. regni an. 10. deposuit sponte coronam, ob ditiones bellis civilibus miserè vastatas mœstus. Polyd. Virgil. *l.* 4. Item Historicus Baronio sæpe laudatus, obiit Anno 1166. Trithem. Sixtus Sen. *in Catalogo.* Dicitur etiam *Athelredus* vel *Ethelredus*.

Alresfordia, opp. Angliæ, in Hantonia prov. ad fluv. *Ichting.*

Alricus, fluv. Scotiæ merid. in Tivedælia prov. cadit in Tuedam fluv. prope Selaricum opp.

Alsa, flu. Fori Julii, Aquileam præterfluens. Plin. 3. 18. Hodie *Ansa* dicitur, vel *Anfa*; vulgò *Limino*, & *Lizonzio Alsuavus* ego eum apud Cassiodorum dici suspicor, ubi Constantinus junior à Constantino fratre cæsus fuit. Est & *Alsa* alter flu. qui *Ellus* potius Latinè dicitur, vulgò *Ill.* Vid. *Helellus.* Ab hoc *Alsatia* Germ. regio, quæ ab Hungaris, per Alemanniam & Lotharingiam descendentibus, vastata est. Æmilius.

Alsademus, Vide *Sireon.*

Alsatia, vulgò *Elsasz*, Germaniæ superioris regio, quam quidam quasi *Edelsasz*, id est, nobilem & præclaram sessionem: alii ab Illa fluvio, *a* in *i* mutato, quasi sessionem ad Illam fluvium dictam autumant: Unde & quidam regionem *Illesas*, & non *Alsaß* appellatam asserunt: regio nobilissima est, cui ob insignem felicitatem nulla alia in toto illo Rheni tractu comparari potest. 24. long. 48. lat. Sept. Ad Orientem Helvetiam, à qua Rheno distterminatur: ab Occasu Lotaringiam, Vosago monte limitem inter Lotaringiam & Germaniam constituente, respicit: quâ Meridies est, Helvetiæ parte & Burgundiâ: quâ Septentrio, Wirtenbergensi Ducatu terminatur: longitudo milliariorum Germanicorum IX à Rheno ad montes latitudo trium mill. Germanic. Nisi quòd apud Haganoam sit planities amplior, montibus scilicet magis ac magis à Rheni alveo recedentibus. Olim sub dominio regum Franciæ fuit, usque ad Othonem I. ac pars regni Austriaci: cùm antea 500. fere annis sub Romanorum potestate fuisset. Postmodum ab Austriaca familia diu possessa est. Donec ad Gallos pace Monaster. rediit. Primùm autem Ducatus fuit Alsatia sub Hilderico Francorum rege: deinde in Landgraviatum fuit erecta ab Ottone III. Cæterùm duplex est, Inferior & Superior: Inferioris urbs primaria est Argentina: Superioris verò quæ denuo sub Francis, hodierno bello mirè vastata, Einshemium. Mercator. Metel. Munster. *Chron. l.* 3. *de Alsatia.* Cluverius.

Alsatiæ urbes clariores.

Argentina, *Strasburg.*	Molsemum, *Molsheim.*
Benefeldia, *Benfeld.*	Rubeacum, *Rufach.*
Colmaria, *Colmar.*	Selestadium, *Schletstad.*
Enshemium, *Ensisheim.*	Tabernæ, *Zabern.*
Haguenoa, *Hagenau.*	Turchimum, *Turcheim.*
Landavia, *Landau.*	Vissemburgum, *Veissemburg.*

Ex quibus quædam hoc bello muris nudatæ, Selestadium autem de novo munitur.

Alsena, Insula Daniæ, in mari Baltico, ad littus Or. Slesuicensis Duc. à quo exiguo dissita est freto. Ibi magnifica arx Sunderburgum Ducum Holsatiæ, & castrum Nordeburgum.

Alsfeldia, urbs in Germaniâ.

Alsiatum, pagus non obscurus agri Mediolanensis, hodiè *Alzia*, Andreæ Alciati J. C. clarissimi patria. Ferrarius.

Alsietina aqua, & *Alsietinus fons*, aquæ ductus viâ Claudiâ ab urbe Româ 14. m. distans, Romam usque perductus.

Alsium, ultra Pyrgos ad ostia Tiberina euntibus fuit opidum, cujus antiquam originem indicare voluit Silius Italicus *his versibus, lib.* 8.

Nec non Argolico dilectum litus Aleso
Alsium, & oblessæ campo squalente Fregenæ.

Ita legendum, non *Fregellæ.* Strabo *lib* 5. πολίχνιον, id est, *opidulum* suâ ætate vocat. Ἀπὸ δὲ Κοσσῶν, inquit, εἰς Ὤσια παραπλέουσι πολίχνιά ἐστι Γραβίσκαι, καὶ Πύργοι, καὶ Ἄλσιον, καὶ Φρεγηνία. Vide Plin. 3. 5. & Mel. 2. 4. Rutilii tempore villam tantùm fuisse patet *ex hoc disticho:*

Alsia prælegitur tellus, Pyrgique recedunt,
Nunc villæ grandes, opida parva prius.

Populi *Alsienses.* long. 35. 55. lat. 41. 40.

Alsium, vulgò creditur *Palo*, castrum gentis Ursinæ, in Ducatu Braciani, ad mare Tyrrhenum.

Alsius, Achaiæ in Peloponneso flu. qui è Sipylo monte in Hermum fluit. Pausan.

Alsona, opp. Galliæ Narbon. in Occitania prov. ad fluv. *Fresques*, inter Carcassonam & Fanum S. Pauli.

Alstera, fluviolus Germ. in Holsatia, cadit in Albim, juxta Hamburgum.

Alsuanga, opp. Livoniæ, in Ducatu Curlandiæ, in ora maris Balthici.

Alsus, nomen pastoris. Virg. *Æn.* 12.

Sic rigido latus ense ferit; Podalirius Alsum
Pastorem, &c.

Alta, fluviolus Angliæ, in Lancastrensi Comit. Cadit in mare Hibernicum, prope Almutham oppidulum.

Alta, *Alten*, & *Altebotten*, fluv. & æstuarium Norvegiæ, in Finmarchia prov. versus Boreale Promont. in Vardhusiana præfect.

Alta Rhætia, arx Rhætiæ in altiss. monte sita, prope pagum Tuscanum, ubi fluv. Abella ab ortu labitur.

Alta ripa, opp. Germ. super. ad Rhenum, in Palatinatu.

Altaba, Africæ propriæ urbs. Anton.

Altadas, vel *Althadas*, Africano *Sethos*, XI. Assyriorum rex, otium, & vitæ tranquillitatem secutus fertur, eò quòd stultum esse duceret multis laboribus defatigari, amplificandi regni causâ, quoniam ea res ad nullam hominum salutem & utilitatem, sed ad detrimentum potius, atque servitutem pertineret. Berosus. A. M. 2354. Euseb. *Chron.*

Altahaim, vetus Rhætorum urbs, ubi Synodus habita, A. C. 917. Tom. 9. *Conciliorum.*

Altai, & *Althai*, montes Asiæ in Tartaria vera seu Septentr. ubi sepulcra Regum Tartariæ, versus urbem *Caracoran* & regnum Mongul. Quibusdam *Belgian.*

Altanum, Calabriæ opidum. Anton. hodiè *Soreto.*

Altao, urbs Mauritaniæ Cæsariensis. Ptol. Aliis *Atao*, quod *Calao* hodiè dici ferunt.

Altare testimonii, quod præaltum filii Ruben, Gad & dimidia tribus Manasse in testimonium legis Mosaicæ super ripam Jordanis, in tribu Beniamin exstruxerunt.

Altavilla, Oppidul. Principatus citer. in regno Neapolitano, ad Sabbatum fluv. Paucis constat incolis.

Altdorfium, Vicus cultissimus in colle, caput Uriensis pagi. in Helv.

Altellus, Romulus dictus, quasi in *terrâ altus* à lupâ, sive quòd *telis aleretur*, sive quòd rebus gestis *altus*, hoc est, excelsus & gloriosus esset, seu quòd à Latio, Sabinorum rege, in colloquium postulatus, *alternis* vicibus eum audierit, nam sicut à *macro macellus*, à *vafro vafellus*; ita ab *alterno Altellus*. Festus Pompeius.

Altemberga, opp. Transylvaniæ. 6. mil. Germ. distat ab alba Julia, in colle, prope Zalatnæ rudera.

Altenburgum, urbs Germ. in Misnia, ad fluv. *Pleiss* Ducum Sedes, ex Saxonica domo. Item, opp. Hungariæ inferioris permunitum prope Danubium, sub Austriacis. *Ovvar* Hungar.

Altenius, Cariæ mons, qui scorpiones procreat, advenis quidem innocuos, incolis verò perniciosos & infestos. Alex. ab Alex. 1. 17.

Alternia, Carpetanorum in Ital. urbs. Ptol.

Altes, Peloponnesi urbs ad Cladaum amnem, qui in Alpheum fluit. Xen. 7. *Hist. Gr. Altis* à Pausaniâ in Eliacis vocatur.

Alteus, Tusci filius, regn. an. 20.

Altha, Babyloniæ urbs. Ptol.

Althæa, Thestii filia, Oenei regis Calydonis uxor, cui inter alios filios Meleagrum peperit: quo nato audivit fata circum ignem dicentia, tam diu natum victurum, quamdiu stipes, qui tunc ardebat, ab igne inconsumptus maneret. Hunc itaque asservavit in eum diem, quo omnes filios præter Meleagrum in quâdam seditione occubuisse intellexit; quem ut etiam mortuum audiret, stipitem concremavit. Cujus facti posteà pœnitens, laqueo vitam finivit, uti tradit amplissimè Diod. Sic. *lib.* 5. Ovidius tamen *Met. lib.* 8. scribit, eam gladio sese transverberasse, atque ita occubuisse, *acto*, inquit, *per viscera ferro.* Seneca *in Medeâ:*

Piæ sororis, impiæ matris facem,
Ultricis Althææ, vides. ——

Ovid. *Trist. lib.* 1.

Utque cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias, & melior matre fuisse soror.

Althamenes, coloniæ in Cretam dux. Cissi fil. fuit illius qui Argos condidit, eâdem tempestate quâ Procles Spartam. Strabo *lib* 10. Cisus, Κεῖσος, vocatur à Pausaniâ; & Temeni, qui Argos occupavit, filius dicitur. Diodor. *Sic. l.* 5. *c.* 9. Catrei Regis Cretæ fil. est, qui cùm ab oraculo percepisset, à se patrem occisum iri, in Insul. Rhodum se contulit, & templum Jovis Atamyrii, in monte cognom. extruxit. Quò cùm Pater, filium quærens, pervenisset, ab eo ignotus occisus est.

Althea, urbs Olcadum. Vide Steph. & *Olcades.*

Althenus, fluvius sanans omnium animalium ulcera, ope Podalirii. Isac. *in Lycophr.*

Althepus, Neptuni fil. Ægyptiorum rex, à quo Ægyptus *Althepia terra* cognominatur. Rhodiginus.

Altilia, Liguriæ op. Sueton. hodiè *Alteiola.* Volat.

Altilia, *Authie*, fluv. Galliæ in Picardia. Dulendium opp. rigat, & cadit in Oceanum, in Pontivo tractu. Oritur autem in confinio Artesiæ, supra vicum *Authie.*

Altilia, *Altelia*, opp. Italiæ, ad fluv. *Sanuto* in Calabria.

Altingus Menso, Anno 1523. traditur in obsidem Carolo, Duci Geldriæ, nomine Ordinum Drentiæ. Hujus nepos cognominis, primus, Albanis temporibus, in agrum Groningensem semen verbi divini intulit: Theologus Emdanus gravissimus, obiit Anno 1612. æt. 72. Pater *Henrici*, qui Heidelbergæ primùm per 9. Jan. dein Groningæ, per an. 17. Theologiam docuit. Præfuit hic, cum aliis viris doctis, Recensioni novæ Versionis N. T. & librorum Apocryphorum. Gloriæ duxit, ab adversariis, *Theologus Scripturarius & Biblicus* dici. Scripsit plurima: inter quæ eminent *Theologia Didactica, Catechetica, Polemica & Problematica vet. & nova, cum Historica ex parte*: quæ duo postrema scripta *Jacobus*, fil. ejus, Theologiæ in eadem Groningana Professor, post obitum patris edidit. Obiit autem Anno 1644. æt. 61 Vid. *Altingi vitam à Maresio Theologo itidem Groning. editam.*

Altinum, urbs olim in litore Venetiæ florentissima, juxta Aquileiam. Plin. 3. 18. ab Attila destructa. Leand. hodie *Altino*; *Torcello* verò Villanovano. Incolæ Altinates. Hujus urbis lana erat in pretio. Mart. 14. 155.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 161. &c. long. 34. 50. lat. 45. 20. Hîc Concilium habitum, A. C. 802. Tom. 7. *Concil.* Vid. & *Annales Pithæi.*

Altinum, quod & *Altinium*, op. Pannoniæ infer. ad Danubium in Hungariâ. Lazius *Tolna* vocari ait, Simlero verò *Bosoch* videtur. long. 42. 33. lat. 46. 25.

Altinus, nomine *Julius*, detectâ conjuratione Pisonianâ tanquam suspectus, non tamen convictus, in insulas maris Ægæi expulsus à Nerone. Tacit. XV. 71.

Altis, lucus juxta Olympiam, Jovi sacer, unde Jupiter *Altius* dictus.

Altisolia, opp. Hung. super. juxta fluv. *Gran.* In Comitatu Bistriciensi, & in regiuncula *Bergstet.*

Altisiodorum, opp. in Galliâ, *Auxerre* vulgò, vide *Vellaunodunum.* long. 24. 41. lat. 46. 20.

Altmanus, Episc. Papiensis, & Legatus Pontificius in German. contra Henricum 3. Imperat. Baron. A. C. 1081. 1090. &c.

Altomons, Belgii pagus, cum cœnobio; in Hannoniâ, quod nunc *Omont* dici ferunt. Ad Sabim fluv.

Altomontium, opp. in Calabria inferiori ad amnem *Grondo*, Vitibus & fructiferis arboribus undique septum est, unde salis fodinæ mille passibus absunt: vulgò dicitur *Altomonti*. Fuit terræ motu deformatum.

Altonium, opp. Angliæ, in Hantonia prov.

Altorfia, opp. Germ. in Franconia, cum castro & Academia recenti, à Norimbergensibus excitata, Anno 1579. prope *Schwarzach* fluviol. In limite Palatinatus super.

Altringamum, opp. Angliæ, in Cestria prov. prope amnem Ringay. In limite Lancastriæ.

Altus, locus prope Thessalonicam. Steph.

Altus murus, Aliis *Alta Villa*, urbs regni Neap. in Bariana prov. Principat. titulo clara. Alias *Petilia* quibusdam.

Alva, Lat. *ascensus ejus*, sive *prævaricatio ipsius*; civitas Idumæorum. Gen. 36.

Aluaca, Mediæ opidum. Ptolemæus.

Aluan, Lat. *superior*, vel *excelsus*: aut Syriacè *perversus*; filius Sobal. Gen. 36.

Alvaradi, flumen Americæ, in nova Hisp. & prov. *de Guaxaca*, in mare Boreale se exonerans.

Alvarus Capralus, ab Emanuele, Lusitan. R. in Indiam missus, detexit Brasiliam, A. C. 1500. postea ab Amer. Vespucio exactius visam. Osor. *l.* 2. Maffæus *l.* 2.

Alvarus de Luna, 30. annorum spatio, Johannis 2. Castell. R. gratiâ, & hinc opibus florens, tandem gravissimorum criminum reus, capite plexus est; quod per aliquot dies in patina publicè expositum, ut sepulturam emendicaret. Huic Astrologus prædixisse fertur, illum moriturum Cadahalsi, quod cùm ille interpretaretur de loco suæ ditionis, iste de ferali pegmate intellexit. Æn. Sylv. *descr. Europa*, *cap.* 47. Mariana *lib.* 20, 21, 22. Alius, Cordubensis, historicus, Voss. Item, Comes quidam ab Honorio 2. excommunicatus. Spond. A. C. 1217.

Aluca, *Alota*, opp. aliàs Corsicæ, nunc vicus in ora occid. prope *sinum Adjacensem*.

Alverni, vel *Arverni*, aut *Averni*, populi Aquitaniæ, qui cùm se à Trojanis oriundos esse dicerent, audebant se Romanorum fratres appellare. Vide *Averni*.

Alvernia, prov. Galliæ perampla. Dividitur in super. & inferiorem, ejus primaria est Claromons. Vid. *Arverna*.

Alvernus, mons Tusciæ, in Italia, & agro Florentino.

Alvertonia, opp. Angliæ in Eboracensi prov. ad Uviscam fluv.

Alul, aliàs *Halul*, civ. in tribu Juda, Jos. 1.

Alumbrados, Vid. *Illuminati*.

Aluntium, op. Sicil. Ἀλόντιον Ptol. Ἀλύντιον verò Phalaridi, Dionys. Diod. imò Cicer. & Plin. Aliis *Haluntium*. *Alontium* autem ex עלות *aloth*; *Aluntium* ex עלות *aluth* factum putat Bochartus. *Aloth* verò & *Aluth* idem sunt, nisi quòd prius Ebræum, alterum est Phœnicium. Tale quid occurrit in Plauti Pœnulo *alonyth Dea*, & *bynyth filia*. Adde *beryth*, *puteos*: Unde Βηρυτὸς apud Steph. עלות *aluth*. id est, *celsa*, sub. מקומות *mecomoth*, *loca*. Itaque Aluntio nomen à situ. Erat enim in loco edito. Cicero *Verrinâ quartâ*. *Cùm Aluntium venisset prætor laboriosus & diligens, ipse in opidum accedere noluit, quòd erat difficile ascensu*. Th. Fazellus *Dec.* 1. *lib.* 9. *cap.* 4. *In colle edito, & mari prominenti, infra S. Philadelphi opidum, Aluntium vetusta urbs jacet*. Rectè *vetustam* appellat, cùm Trojanis temporibus putetur jam stetisse. Dionys. Halic. *lib.* 1. ubi de Æneæ profectione in Italiam, Πάτρων δὲ πεισθέντες ὑπ' Αἰνείου κοινωνεῖν τῆς ἀποικίας, καὶ σὺν αὐτῷ τινες τῶν φίλων ὑπέμεινον ἐν τῷ τέλῳ ὥς ἔνιοί φασιν ἐν Ἀλοντίῳ κατοικήσαντες τῆς Σικελίας. Vid. Cluv. *Sic. Ant. pag.* 293.

Aluona, Liburniæ urbs. Ptolemæus. long. 36. 50. lat. 45. 30.

Alus, seu *Aluus*, vel *Halus*, Arcadiæ vicus, quem *Æsculapii fanum* quoque vocant. Pausan. *in Arcad.* quanquam ibi potiùs legendum sit *Caus*, ut ex Stephano ostendit Sylburgius.

Alus, Lat. *commistio*, seu *aspersio*, locus ad quem descenderunt filii Israelis proficiscentes in terram Chanaan. Num. 33.

Aluta, Daciæ fluv. Ptol. *Aluata* Mercatori. Lazius & Sambucus scribunt, *Olth* Hungaris, & *Alth* Germanis dici.

Aluta, Gentes Illyricæ in conventu Scardonico. Plin. 3. 2.

Alutrenses, Alpini pop. Plin. 3. 8. *Ledro* opidum putat Simlerus, à quo *Ledronii Comites*.

Aluva, *Alway*, opp. Scotiæ Aust. juxta Tavi æstuarium, in Fifa prov.

Aluum, Histriæ op. mediterraneum. *Algona* Leandro. Vulgò *Albona*.

Alyatta, regio Bithyniæ, ἀπὸ Ἀλυάττου κρατήσαντος τὸν τόπον. Steph. Inde *Alyatteni*.

Alyattes, Lydorum rex, post Sadiatten, Crœsi pater, Cimmerios Asiâ pepulit, cum Medis bella gessit, obiit, in bello contra Milesios, *A. M.* 3496. regni 35. Usus fertur in exercitu Musicis instrumentis. Herodotus, *l.* 1. Euseb. *Chron.* Huic extructum est monumentum apud Sardos, maximâ impendii parte ab ancillis, quæ omnes apud Lydos corpore quæstum faciunt, in hoc opus collatâ. Inde *Regnum Alyattici* apud Horat. 3. *Carm. Od.* 16. pro ditissimo, quanquam ibi posset aliquis legere *Alyattei*, ut *Ulyssei*, *Achillei*.

Alyba, regio non procul à Mysia. Hom. *Iliad* 2.

Αὐτὰρ Ἁλιζώνων ὁ Δίος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχεν,
Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

Hellanicus scribit, esse paludem Ponticam. Vide *Chalybes*.

Alybas, aliàs Metapontium, in Italiâ; vel Thraciæ civitas. Inde *Alybantius*, Steph.

Alybe, una ex Herculis columnis. Vide *Abyla*.

Alycaa, Arcadiæ opidum. Pausanias.

Alycaus, Scironis filius, qui à Theseo interfectus, loco Megarensis agri nomen dedit. Plut. *in Theseo*. Item urbs Peloponnesi. Steph.

Alychme, urbs in quâ *Alychmius* Mercurius colitur. Steph.

Alydda, Phrygiæ majoris opidum. Ptol. *Luday* hodiè. long. 56. 00. lat. 41. 10.

Alymne, urbs Phrygiæ majoris. Steph.

Alysius, Bacchus, ἀπὸ τοῦ λύειν, id est, à *solvendo*, sic dictus. Cæl. Rhod. *lib.* 7. *cap.* 15.

Alysius Jupiter, colebatur in quodam Cretæ promontorio, ubi lucus templum habuit celebre: sic dictus παρὰ τὸ παρακείμενον ἐκεῖ ὄρος ἄλυσις.

Alysonii, populi, quos cum Mysis, & Lydis, & Cabaliis, & Hygennensibus conjungit Herodotus *lib.* 3.

Alyssus, fons Arcadiæ in Peloponneso, morsus rabidi canis sanans. Paus. *in Arcad.* Πηγὴ δὲ ἐστὶν αὐτόθι ὕδατος ψυχροῦ, δύο μάλιστα ἀπὸ τοῦ ἄστεος ἀπωτέρω σταδίοις, καὶ ὑπὲρ αὐτῆς πλάτανος πεφυκυῖα. ὃς δ' ἂν ὑπὸ κυνὸς κατάσχετος λύσσῃ, ἤτοι ἕλκος, ἢ καὶ ἄλλως κίνδυνον εὕρηται, τὸ ὕδωρ οἱ πίνοντι ἴαμα. Καὶ Ἄλυσσον τοῦδε ἕνεκα ὀνομάζουσι τὴν πηγήν. hoc est, *Abest ab opido stadia haud amplius duo fons pragelida aqua; fontem obumbrat platanus. Siquis ex rabidi canis morsu, vel vulnus, vel noxam quovis modo traxerit, aquâ haustâ statim sanatur: è re itaq; ipsâ fontem Alysson* (quòd per eum sedetur rabies, nimirum ab α privat. & λυσσᾶν *insanire*.) *nominant*.

Alyxothoe, filia Dymantis, ut Ovid. testatur *Met.* 11. *in his*:

Quamvis est illum proles enixa Dymantis,
Æsacon umbrosâ furtim peperisse sub Idâ
Fertur Alyxothoe.

Hæc ex Priamo peperit Æsacum, qui postea in mergum, cùm Hesperiæ amore arderet, versus est. Vide fabulam apud Ovid, *ubi supra*.

Alzaa, *Alzheim*, opp. in Palatin. Rheni, 5. leucis Moguntiâ Vormatiâque distans. Malè habitum ultimo bello Germ.

Alzaher, vel *Althaher Bila*, Califa Persarum, successit Patri Nacero, unicumque annum regnavit. A. C. 1227. Texeira, *l.* 2. *c.* 52.

A M.

Am, urbs Armeniæ, in qua fuere 100000. ædes, 1000. templa. Capta à Tartaris A. C. 1219. duodecimo saltem obsidionis die. Vincent. *lib.* 3. *cap.* 95. Antonin. *tit.* 19. *c.* 3. §. 9.

Amaad, Lat. *populus testimonii*, aut *populi transitus*: vel *præda*, sive *populus æternitatis*; civitas tribus Aser. Josuæ. 19.

Amacastus, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Amacaum, vulgò *Macao*, urbs Sinarum in ora prov. *Canton*. in Ins. sub ditione Lusitanorum, emporium celebre & dives. Aliis *Amacao*. Munita est, sub clientela tamen Regis Sinarum. Ferrar. Receptam à Sinensibus an. 1668. referunt Europæi, inde reduces.

Amacaxi, *Amacaches*, pop. Americæ in Brasilia regione, in mediterraneis, versus præfecturam fluv. Januarii.

Amaccura, Africæ urbs D. Augustino.

Amachan, Arabum castrum. Hist. Miscell. *lib.* 23.

Amaci, Hispaniæ Tarraconensis populi. Ptol.

Amaction, præfectus regiæ cohortis, in exercitu Seleuci, apud Polyæn. *l.* 4. *in Seleuco*.

Amacusa, Ins. oblonga, & prov. Japoniæ Ins. in Asia, cum urbe cognom. in ea parte, quæ *Ximo* dicitur. Aliàs incolis referta Christianis.

Amadabatum, urbs Asiæ in India. V. *Armadabathum*.

Amadathi, Lat. *conturbans legem*, vel *mensura*. Hebr. *Amadatha* Pater Aman Esther. 3.

Amadeus, Sabaudiæ dux. Porro Sabaudiæ Ducum nomen *Aimé* (id est, *Amatus*, ut *René* est *Renatus*) Latinè vocatur *Amadeus*, quasi *amans Deum*: ut *Theophilus*. Utuntur nunc ferè *Amias*, ut differat ἀπὸ τοῦ *Amie* mulierum nomine. Vid. *Amedeus*.

Amadoca, palus & civitas Sarmatiæ Europææ, ad Borysthenem, fortè nunc *Kiow*. Item *Amadoci* montes & populi in eâdem Sarmatiâ. Ptol. Stephanus Σκυθικὸν ἔθνος vocat, ac terram eorum Ἀμαδοκίον.

Amadocus, Rex Thraciæ, qui cùm Seuthæ vires exercitûs tradidisset, ab eo eversus est. Aristot. *l.* 5. *Polit.* 10. Diodorus Siculus hunc vocat *Midocon*. Videatur Xenophon *lib.* 4. ἑλλην.

Amae, Hesychius. Ἀμάη Ἑβραϊστί, βαβαὶ Συριστί, Ἑλληνιστὶ σύγχυσις. Vide Seldenum *de diis Syris. pag.* 207.

Amaa, *Amnia* Plinio, urbs Lusitaniæ, quæ nunc *Portus alacris*, vulgò *Portalegre* nominatur.

Amage, Medosacci, Sarmatarum R. uxor, justitiâ & fortitudine insignis, De qua Polyæn. 8.

Amagetrobia, *MaiZieres*, urbs Galliæ. Alii scribunt *Magetrobia*, *Magstat*, urbs Lothar. Quidam libri habent *Admagetobria*, linguâ veteri Gallicâ *am Magren tobel*. V. *Magetrobia*.

Amagria, Inf. Maris Balt. Hafniæ Urbi primariæ Daniæ adjacens ab Oriente, nutrix ejus dicta, eique ponte juncta.

Amaguana, Inf. Americæ Septentr. & una ex Lucaiis Inf. supra Hispaniolam.

Amaia, urbs episcopalis Hisp. Tarracon. in Cantabris, inter Burgos & Legionem; ubi Leovigildus, Gothorum rex, Romanos fudit. Aliis videtur *La Maya*, opidum in Vaccæis.

Amal, Lat. *labor*, aut *iniquitas*. Filius Helem. 1. Par. 7.

Amalaberga, fil. Amalefredæ, soror Theodorici Regis Ostrogoth. vidua Thrasimondi, Vandal. R. nupsit Hermenfrido, cui Basinus, Thuringiæ Rex, Pater, cum duobus fratribus Baderico & Bertiero ditiones partiendas reliquerat. Huic, qui jam Badericum necaverat, mensæ dimidiâ tantùm parte tectæ commento, animos addidit uxor, ut fœdere cum Theobaldo Rege Metensium icto, Bertierum quoque è medio tolleret. Quod factum. Sed fratricida mox in Theobaldum versus, ab eo, Clotarii Suessionum R. ope adjuto, victus & præcipitio necatus est, uxore ad cognatos vix fugâ elapsâ. Greg. Tur. *lib.* 3. *cap.* 4. & 7. Aimon. *l.* 2. *c.* 9. P. Æmil.

Amalaricus, post Theodoricum avum, Gothorum in Hisp. Rex. Clotildem uxorem, Clodovæi fil. ipse Arianus, malè tractavit, à fratribus proin ejus victus. Obiit in fuga, A. C. 531. Greg. Tur. *lib.* 3. *cap.* 10. Isid. *Chron. Goth.* Procop. *l.* 1.

Amalaricus Augerius, Historicus sub Urbano 5. cui Chronicon alphabeticum Paparum dedicavit. Voss. *hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 2.

Amalarius Fortunatus, Discip. Alcuini, sub Lud. Pio, à quo ad Gregor. 4. missus est, A. C. 830. Spond. *in Epitome* A. C. 831. *n.* 2. Steph. Durandus, *l.* 3. *de Ritibus Eccl. cap.* 17. Bell. *de Script. Eccl.* Fuit diaconus Metensis, scripsitque *lib.* 4. *de Ecclesiasticis officiis*. Item *de Ordine Antiphonarii*.

Amalarius Fortunatus, Episc. Trevirensis, obiit Anno 814. postquam tractatum suum, *de Baptismo*, Carolo M. obtulisset. Brouverius, *de Episc. Trevir.* Sirmondus, *in notis ad Theod. Aurel.*

Amalasuntha, Theodorici filia, Græcè Latineque perdocta, ut & plurimarum aliarum lingg. perita; ex Eutharico Cilliga, Athlarici Gothorum regis mater, cum quâ imperavit ipse filius 8. annos. Hæc, mortuo filio, Theodatum cognatum in consortem imperii legit. Verùm ingratus hic ac perfidus, eam paulò post relegavit, tandem etiam obtruncari jussit. Cujus mortem Justinianus Imperator ulturus, Belisarium contra Gothos misit, illosque gravissimis cladibus affecit. Procop. *lib.* 1. *de bell. Goth.* Cassiodor. *lib.* 10. *ep.* 2. 3. 4. & *lib.* 11. *ep.* 13. Jornandes.

Amalchium, Oceani septentrionalis pars, quam vulgò mare glaciatum vocant. Plin. 4. 13.

Amalech, Lat. *populos lambens*; vel ex Ebræo & Syro, *populus percutiens*; Filius Eliphaz ex Thamna concubina. Gen. 36. Erat autem nepos Esau. A' quo *Amalechita*, pars Idumæorum, vicini Judææ, versus meridiem, maledictioni divinitus destinati, Vid. Genes. 36. Ex. 17. Deuteron. 25. Jos. 14. 1. Reg 15. 1. Paralip. 12. Joseph. *l.* 2. *c.* 1. Stephano Ἀμαληκῖται qui ἔθνος Ἑβραϊκὸν vocat. De his Josephus *Ant.* 3. 2. Τοῦ δὲ τῶν Ἑβραίων ὀνόματος, ἤδη πολλοῦ κατὰ πάντας διαβοωμένου, καὶ τοῦ περὶ αὐτῶν λόγου φοιτῶντος, ἐν φόβῳ συνέβαινεν οὐ μικρῷ τοὺς ἐπιχωρίους εἶναι. Καὶ πρεσβευόμενοι πρὸς ἀλλήλους παρεκάλουν ἀμύνειν, καὶ πειρᾶσθαι τοὺς ἄνδρας διαφθείρειν. Ἐτύγχανον δὲ οἱ πρὸς τοῦτο ἐνάγοντες, οἵ τε τὴν Γοβολίτην, καὶ τὴν Πέτραν κατοικοῦντες, οἳ καλοῦνται μὲν Ἀμαληκῖται, μαχιμώτατοι δὲ τῶν ἐκεῖσε ἐθνῶν ὑπῆρχον. Hanc Amalechitarum in Israelem cum vicinis conjurationem innuit Psalmista, *Ps.* 83. Quam sic in Paraphrasi suâ expressit *Vir doctissimus undiquaque* Dionysius Petavius:

Σοὶ γὰρ ἴῃ ὑπὸ φραδμοσύνῃ πολεμιζέμεν οὗτοι
Ἀντιβίην ἐφρόνησαν, ἐς ἀλλήλους τε τάμοντο
Ὅρκι', Ἰδουμαίων τε ἐπὶ κλισίῃσι φάλαγγες,
Ἀμφὶ περὶ σεύμεναι, Μωαβηνός τε μαχητής.
Ἠδὲ πλάνης Ἀγαρηνὸς, ἰδ' ἴφθιμος Γεβαλίτης.
Σύν τ' Ἀμμωνιάδαις Ἀμαληκιάδαι μενεχάρμαι.
Ἠδὲ Παλαιστίνων κρατεραὶ στίχες ἀσπιστάων,
Καὶ Τύρον ἀφνειὴν ἁλιερκέα νῆσον ἔχοντες.

Jacobus Duportus, Græcorum Poëtarum nostri seculi ὄχ' ἄριστος:

Σὺν γὰρ βουλεύοντες, ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσι,
Συνθεσίας κατὰ σεῖο καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες.
Ἀντία σευ κλισίῃσιν ἐνὶ σφετέρῃσιν ἄγερθεν,
Ἰδουμαῖοι ὁμοῦ, Ἰσμαήλοιό τε παῖδες,
Μωαβῖται ἀγαυοὶ, ὑπερφίαλοί θ' Ἀγαρηνοί.
Οἵ τε Γέβαλον ἔχον, καὶ ἀγήνορες Ἀμμωνῖται.
Σὺν δὲ Ἀμαληκῖται, πότμῳ πεπρωμένον ἔθνος,
Οἵ τε Παλαιστίνης σχεδὸν πέδον ἀμφινέμοντο,
Οἱ Τύρον ὠγυγίην τ' εἶχον ναυσίκλυτοι ἄνδρες.

Et ante utrumque Apollinarius.

Αὐτίκα δ' ἐρχόμενοι κακομήχανοι ἐσκέψαντο,
Συνθεσίην κατέναντι, Μάκαρ, σέο τεχνήσαντο.
Ἰδουμαίων φῦλα, καὶ υἱέες Ἰσμαήλου,
Τοῖσιν ὁμοῦ Μωάβος, ὑπερφίαλοί τ' Ἀγαρηνοί.
Ἄμμωνες, Γέβαλοί τε καὶ υἱέες Ἀμαλήκου,
Ἀλλοδαποί θ' ἁλίοισιν ἅμ' ἐρχόμενοι Τυρίοισι.

Amali, gens Getica, cui serviebant Ostrogothæ. Jornand.

Amalobrica, Hisp. urbs inter Salmanticam & Complutum Anton.

Amalon, Campaniæ Dux, à puella, cui vim illaturus erat, in cubiculo occisus. Gregor. Tur. *l.* 4. *c.* 27.

Amalphis, urbs arch. Italiæ, ubi Joannes Goa, sed habet Ferrar. Flavius Gioja, primus usum pyxidis nauticæ invenit, circa an. Christi 1302. unde Panormitanus:

Prima dedit nobis usum magnetis Amalphis.

Vide Lipenium *de navigatione Solomonis Ophiritica*, *pag.* 394. long. 38. 35. lat. 40. 52. In Principatu citeriori prov. regni Neapol. cum tit. Ducatus. Vulgò *Amalphi*. Gall. *Melfi*. Aliis tamen *Melfi*, Lat. *Melphia*, urbs episc. Basilicatæ est.

Amalthea, nutrix Jovis. Melissus enim rex Cretæ duas filias habuit, Amaltheam & Melissam, quæ Jovem caprino lacte & melle nutriverunt. Alii dicunt nutricem eam fuisse capram, & Amaltheam dictam; Melissi autem filias Adrasteam & Idam faciunt. Hæ nutriverunt illum lacte cujusdam capræ, cui nomen erat *Amalthea*; quam Jupiter, jam adultus, ob acceptum beneficium in sidera cum duabus capellis ejus, Arato, 2. stell. Autig. dictis, retulit. Hujus alterum cornu nymphis nutricibus dedit, viz. officii præmium, hanc adjicens facultatem, ut quicquid optassent, id illis ex eo cornu largiter suppullularet. Ovid. *Fast. lib.* 5. paulo diversius fabulam narrat hoc pacto:

Nais Amalthea Cretæâ nobilis Ida
Dicitur in silvis occuluisse Jovem.
Huic fuit hædorum mater formosa duorum,
Inter Dictæos conspicienda greges.
Cornibus aëriis, atque in sua terga recurvis:
Ubere, quod nutrix posset habere Jovis.
Lac dabat illa Deo; sed fregit in arbore cornu:
Truncaque dimidiâ parte decoris erat.
Sustulit hoc Nymphe; cinctumque recentibus herbis,
Et plenum pomis ad Jovis ora tulit.
Ille, ubi res cæli tenuit, solioque paterno
Sedit, & invicto nil Jove majus erat;
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit; quod dominæ nunc quoque nomen habet.

Rem aliter narrat Diodorus Siculus *lib.* 4. *cap.* 5. & rursum aliter, *lib.* 5. *cap.* 2. Vide locos ipsos. Vide etiam, Strab. *lib.* 10. Lactant. *lib.* 1. *cap.* 22. *contra Gentiles*. Hinc proverbium, *Amalthea cornu*, quo utimur, quoties affatim omnia superesse significamus. Horatius *in Carmine Seculari*.

—— —— Apparetque beata pleno
Copia cornu.

Idem *lib.* 1. *ep.* 12. —— *Aurea fruges*
Italia pleno diffudit Copia cornu.

Ovidius tamen hoc ad Acheloum refert. *Met.* 9.

—— Rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque à fronte revellit.
Naiades hoc, pomis & odoro flore repletum
Sacrarunt, divesque meo bona Copia cornu est.

Amalthea, Demophile vel Hierophile, Sibylla Cum. Hanc Servius ait obtulisse Tarquinio regi novem libros, in quibus erant fata & remedia Romana, & pro his poposcisse 300. Philippeos aureos, qui tunc temporis pretiosi erant; ideoque rex libros emere nolebat. Alio die, tribus libris incensis, reversa est, & tantundem poposcit; Item tertio, aliis tribus incensis, cum tribus reliquis venit, pro quibus, 300. Philippeos, quantum postulaverat pro novem libris, accepit. Lactant. *lib.* 1. *cap.* 6. Tibullus 2. 6.

Quicquid Amalthea, & quicquid Marpesia dixit.

Amana, mons Ciliciæ, qui & *Amanus* dicitur, & Ἄμανον Stephano. Alii putant esse montem Cappadociæ. Lucan. *lib.* 3.

Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani.

De Ciliciæ monte Amano multi Solomonem egisse volunt, cùm dicit, Cantic. 4. 8. *Mecum à Libano sponsa, mecum à Libano venies, contemplaberis à vertice Amana, à vertice Senir, & Hermon, è lustris leonum, è montibus Pantherarum.* Quibus in speciem non parum favet, quòd mons Amanus abundat feris. Cervorum è monte Amano Ælianus ita meminit, *lib.* 5. *de Anim. cap.* 56. Οἱ ἐν Σύροις ἔλαφοι γίνονται μὲν ἐν ὄρεσι μεγίστοις, Ἀμάνῳ τε καὶ Λιβάνῳ καὶ Καρμήλῳ. Et Oppianus Κυνηγ. 3. memorat lupi genus planè eximii, densis pilis, labiis æneis, immenso robore prædici, degentis super nivosa Tauri juga,

Κιλικὰς

Κιλικίας τε πύλας, καὶ πρῶνας Ἀμάνε.

Et Val. Flac. *lib.* 1. *Argon.* tigridum venationes circa montem Amanum ita describit eleganter, uti solet, *in his:*

—— Haud aliter saltus vastataque pernix
Venator cùm lustra fugit, dominosque timentem
Urget equum, teneras complexus pectore tigres
Quas astu rapuit pavido, dum sæva relictis
Mater in adverso catulis venatur Amano.

Proinde, dum Ciliciam provinciam administrabat Cicero, à Cœlio rhetore rogatus est, ut exinde Romam, ad ludos, pantheras ad se mitteret. Ita habet Plut. *in Cicerone.* Κεκιλίε δὲ τε̃ ῥήτορ☉ δεομένε παρδάλεις αὐτῷ πρός τινα θέαν εἰς Ῥώμην ἐκ Κιλικίας ἀποςεῖλαι. Sed Κοιλίε legendum pro Κεκιλίε. Ad Cœlium enim è Ciliciâ scribit Cicero *lib.* 2. *ep.* 11. *De Pantheris, per eos qui venari solent, agitur mandato meo diligenter.* Et statim sequitur jocus, quem Plut. *ibidem* refert, de fugâ Pantherarum è Ciliciâ in Cariam, querentium, nihil cuiquam insidiarum in Ciceronis provinciâ, nisi sibi, fieri. Tamen Amana apud Solomonem non potest esse Ciliciæ Amanus. Primò, Quia in Judæâ & vicinis locis est scena sacra dramatis. Secundò, Quia Libanus, Amana, Senir, & Hermon usurpantur ut Synonyma. Itaque, ut Hermon & Senir, ita etiam Amana est pars Libani montis, è quâ oritur fluv. ejusdem nominis; qui b. & m. permutatis, etiam *Abana* dicitur in Ebræo textu. 2. Reg. 5. 12. Sed Chaldæus interpres habet *Amana.* Interim verò tam Ciliciæ mons *Amanus*, quàm Libani pars *Amana*, à firmitate nomen habent. Id enim Ebræis est אמנה *amana*, ac proinde Lucano *durus* dicitur. Nam quòd Amanum dici volunt, quia Orestes ἐν τέτῳ τῷ ὄρει τῆς μανίας τὴν λύσιν εὗρε, ridiculum est, inquit Vir magnus *de Phœn. Colon. l.* 1 *c.* 5.

Amana, Inf. Americæ Septentr. Una ex Lucajis, sub Anglorum dominio.

Amanda, Indiæ populi. Plinius.

Amandra, regio ad Nilum fluv. in quatuor populos divisa, Peucolaitas, Alsagalitas, C retas & Abloos. Plin 6. 36. Urbs etiam in Æthiopiâ, Cephei regis regione. Suidas.

Amanicæ Pylæ, vel *Portæ* Ptolemæo; quæ Curtio & Straboni *Amanides*, Polybio *Menida* sunt sine A. Plinius *Portas Amani montis* vocat, hoc est, angustias, sive fauces ejusdem. *Stretto di Scanderona* Ramusio. *Portella* Mario Nigro. *Syriæ Portæ* sunt eædem Ptolemæo, aut non longè abhinc distantes. *Cilicias Portas* Plinius quoque hoc tr ctu describit.

Amanoides Ciliciæ promontorium Pomponio, *lib.* 1. *cap.* 13. sic dictum, quòd formam effigiemque Amani circumnavigantibus exhibeat. Hæc est Hermolai Barbari conjectura (inquit Vossius *ad locum ipsum*) cùm prius legeretur *Aminodes.* Multis tamen de causis non potest hæc lectio probari, cùm nulla prorsus ratio fingi possit, cur promuntorium aliquod Amano magis simile esse dicatur, quàm alteri monti. Præterea mons iste non est Amano similis, sed Amanus ipse. Amanus enim vocatur ea etiam T uri pars, quæ Ciliciam à Cataoniâ dividit. Duobus verò diversis jugis in mare excurrit, totumque sinum Issicum amplectitur, ut inquit Strabo. Altero quidem jugo Syrias & Amanides Portas efficit, alio verò Cilicias Portas, & hoc, cujus hic Mela meminit, promuntorium. Sed usus obtinuit, ut solæ illæ Portæ, quæ Syriæ Portis vicinæ sunt & Isso urbi, dicantur Amanides, cùm tamen quatuor Amani Portas veteres recenseant. Itaque non *Amanoides*, sed vel *Amani*, vel *Amanidum* istud promuntorium appellasset Mela. Sed profectò, quod semper ferè, id ipsum quoque hic locum habere puto, ut lectio veterum librorum, aut saltem quæ ei proxima est, eadem quoque sit verissima. Legendum enim *Ammodes*, Ἄκρον Ἀμμῶδες Græci vocarunt, cujus nominis promuntoria etiam alibi terrarum occurrunt.

Amantani, populi Pannoniæ infer. Ptol. *Amantes* Plinio.

Amantia, urbs Pannoniæ infer. episc. sub archiep. Colocensi. Lazio *Quinque Ecclesiæ*, vulgò *Funfkirchen.* Aliis verò *Almuz*, op. inter Budam, & Altinium, ad Danubium; à Budâ 8 leuc. esse videtur. Aliis *Mohach*, op. ejusdem tractus apud Danubium, inter Batham & Valcovariam; à Bathâ 2. leuc. long. 4 . 08. lat. 46. 06.

Amantia, urbs Brutiorum litoralis Cedreno; apud sinum N itium ex adv rso Tropææ, sub eodem Episcopo qui archiep. Rhegino subest, in Calabriâ citer. à Consentiâ 16. m. p. long. 40. 1 . lat. 39. 15. Quibusdam *Adamantia*; estque in ora maris Tyrrheni, in ditione Principis Bisigniani. Arcem habet utcunque munitam juxta Olivam amnem. Item op. Macedoniæ Maritimum in orâ occid. apud elydni fluv. ostia, inter Aulonem & Oricum op. Epiri, nunc *Porto Raguseo*, Acroceraunis montibus vicinum, hodie *l Amanthea.* long. 44. 30. lat. 40. 32. Item *Amantia* op. Lotharingiæ, vulgò *Amance*, vide *Almentia* long. 27 . lat. 48. 44.

Amantini, pop. fuere in parte Illyrici, quæ dein *Epirus nova* dicta.

Amantius, Arcadio Imper. à cubiculis, per Porphyrium Episc. Gazensem, effecit, ut Imperator Idoleium, quod Gazæ erat, destrueret. Socr. *l.* 6. *c.* 6. Sozom. *lib.* 8. *cap.* 4. Baron. A. C. 401. Alius, præfectus cubiculi Anastasii, à Justino Imper. occisus, quòd gratiâ abusus Domini sui, Eutychianis contra fideles faveret. Evagr. *lib.* 4. *cap.* 1.

Amantrica, opp. Ital. in Aprutio, ad fontes Truenti & pedes Apennini. Principatus tit. gaudet. Al. *Amantricum*

Amanum, portus; al. oppidul. *Portugalette*; in ora Biscaïæ, paulo infra Bilbaum, ad ostia Nervæ fluv.

Amanus, Deus apud Persas, teste Strabone, *lib.* 11. ubi narrat, ut à Persis in Hyrcaniâ templum sit conditum Deæ Anaitidos, καὶ τῶν συνβώμων θεῶν, Ἀμανε καὶ Ἀναιδάτε, Περσικῶν δαιμόνων.

Amapaja, prov. Novæ Andalusiæ in America merid. prope fluv. *Orenoque.*

Amara, civitas Arabiæ Felicis, non procul à Merâ metropoli. Ptol. Armeniæ item urbs. Cedrenus.

Amara, mons excelsus Æthiop. cum regno cognom. & urbe. Ibi servantur filii & consanguinei Regis Abyssinorum, in custodia, quo defuncto, Imperii successor educitur; estque juxta Regna *Bagamidri* & *Beleguanze.* Etiam *Ahamara* scrib.

Amaracus, puer, Cynaræ regis Cypri unguentarius, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, fregit Alabastrum, magnumque ex confusione odorem creavit, unde optima unguenta *Amaracina* dicuntur. Hic deinde cùm nimio dolore contabuisset, in herbam odoriferam ejusdem nominis, de qua vid. Plin. *lib.* 21. *cap.* 11. & 21. deorum miseratione, commutatus est. Dicitur & Sampsychus; vulgò *Majoranam* vocant. Ejus meminit Virg *Æn.* 1.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat: & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus & dulci aspirans complectitur umbrâ.

Catullus: *Cinge tempora floribus*
Suaveolentis amaraci.

Inde *amaracinus.* Gellius *in fine Noctium Atticarum*: *Vetus adagium est, Nihil graculo cum fidibus, nihil cum amaracino sui.* Lucret. *lib.* 6.

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Unguentum, nam setigeris subus acre venenum est.

Amaranthus, op. Lusitaniæ non obscurum, inter Lamacum, & Bracaram, à qua 8 leuc. abest, in ortum, ad fluv. Tamagam, vulgò *Amarante.*

Amaranti, Colchidis pop. *Amarantii* montis incolæ, à quo Phasis fluv. ingens Colchorum oritur.

Amardi, pop. Asiæ apud mare Hyrcanum, gens fera inter Bactrianos & Sogdianos, apud Oxum flu. Mela. *Amordi* Plinio, *Mardi* Ptolemæo, de quibus suo loco.

Amardus, Mediæ fluvius, Ptolemæo, & Plinio. Cadit in mare Caspium. Fortè *Miana* hodie.

Amari fontes, circa Arsinoen ad sinum Arab. Strab.

Amariaca, Cadusiorum pop. Ptol. *Avarici* Plinio & Solino vocantur.

Amarias, Lat. *dicit Dominus*, aut *celsitudo Domini*: vel ex Syro & Ebræo, *agnus Domini.* Pater Godoliæ. Zeph. 1. Filius Meraioth. 1. Paral. 6.

Amarispii, Bactriana gens. Ptolemæus.

Amarmochdum, opp. Africæ in Æthiop. infer. & regno *Zanguebar*, in regno Melindæ. 40. leucis Hisp. ab urbe Melinda.

Amatsias, nauta fuit, qui Theseum in Cretam ad Minotaurum navigantem vexit. Simonides *apud Plut. in vitâ Thesei.*

Amartheas, Saites, Ægypti rex, regn. an. 6.

Amartus, Græciæ urbs Homero, quam ποιήεντα id est, *herbosam* vocat, *Hymn. in Apollinem*,

Ἔνθεν δὲ εἰς Ἄμαρτον ἀφίκεο ποιήεντα.

Amarua, seu *Amarusa*, Hyrcaniæ op Ptol.

Amarumaja, fluv. Americæ merid. Oritur in Vilcabamba prov. in Peruvia, versus Cuscum Civ. & post longum cursum cadit in fluv. Amazonum, prope Tauricos populos.

Amarysia, Dianæ cognomen, vide *Amarynthus.*

Amaryllis, rusticæ nomen, cujus Theocritus, & Virgilius meminerunt. Virgil. *Eclog.* 1.

Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Quo loco signat *Amaryllis* Romam, ubi Tityrus nactus est libertatem; *Galatea* Mantuam, ubi fingit se servum fuisse. Politianus *lib.* 1. *Epist.* 2. ait, Romam arcano nomine Amaryllida nuncupatam; sacro & rituali Florentiam, sive Anthusam; vulgato Romam: Poëtamque putat allusisse ad nomen arcanum, & ab amore malè deducit. Sed contra eum pugnat Poëta, qui nomen enunciat, neque putandus est fecisse contra religionem. Etenim sacrum illud & arcanum Romæ nomen nemini licuit enunciare. Plin. 3. 5. *Roma, cujus nomen alterum dicere arcanis ceremoniarum nefas habetur: optimaque, & salutari fide abolitum enunciavit Valerius Soranus, luitque mox pœnas.* Hæreo itaque eruditioni, & judicio Nannii Miscellan. *lib.* 6. ἀμαρὶς Græcè incile est, per quod aqua ad irrigationem derivatur. Tradit autem Fab. Pictor, Argeum campum, qui 7. montibus includi-

includitur, inundationibus Tiberis inhabitabilem fuisse, sed Vertumno sacris factis, aquas in alveum revertisse. Itaque ab incilibus, quibus siccata est palus, Roma dicta est Amaryllis. De la Cerda.

Amaryncεus, Epeorum rex, in Buprasio sepultus, Strabo *lib.*8. *ex Hom. Iliade*:

Ὡς ὁπότε κρεῖοντ' Ἀμαρύγκεα θάπτον Ἐπειοὶ
Βουπρασίῳ. ———

Amarynthus, fluv. inter Arcadiam & Triphyliam, qui in Alpheum defertur, *Armoa* hodie, uti à nonnullis indigitatur. Insulæ quoque Eubœæ vicus est, in quo Diana colebatur, quæ inde *Amarysia* dicta est Imò pro insula Eubœa ipsa usurpatur apud Pausan. unde id desumpsit Stephanus.

Amas mons in Laconica regione. Pausanias.

Amasa, Lat. *populus parcens*, sive *populum tollens*, vel *populum elevans*, filius Abigail sororis David, cujus pater Jether dicitur. 2.Sam.17. Dux summus copiarum, sub Absolomo primùm, dein sub Davide R. à Joabo per insidias occisus. 2.Reg.19 & 3.c.2. Joseph. *hist. Jud. l.*7.*c.*9.& 10. Torniel. A M.3005. Filius Hadali, 2.Par.28.

Amasai, per ה. Lat. *fortis*, vel *robustus*; filius Bani. 1.Par.6.

Amasai, per ע. Lat. *populi munus*, vel *cum munere*. Filius Elcana. 1.Par.6. Pater item Mahath. 2.Par.29.

Amasenum, opp. Africæ, in Nigritia, juxta lacum Borni, & in cogn. regno prope Nigrum fluv.

Amasenus, Volscorum fluv. in Latio. Vid. *Amenanus*.

Amasia, German. civitas. Ptol. Hodiè *Marpurgum*, long. 30.33. lat. 50.43. Item urbs Ponti, Mithridatis M. & Strabonis Geographi patria, dicente ipso *lib.*12. ubi de Amasia: Ἡ δ' ἡμετέρα πόλις κεῖται μὲν ἐν φάραγγι βαθείᾳ καὶ μεγάλῃ, δι' ἧς ὁ Ἶρις φέρεται ποταμός. Addit, eam mirum in modum apparatam esse cùm providentiâ hominum, tum naturâ loci. long. 65.52. lat. 43.20. Turcis *Amnasan*. ex præcipuis Beglerbeiatibus seu præfecturis Turc. in Anatolia. Item fluv. Germaniæ inter Albim & Rhenum, juxta Embdam Frisiæ orientalis metropolim in Oceanum illabens. Strabo Cluverio est *Embden*, urbs ampla & munita cum portu, caput Frisiæ Orient. Batavis oppignerata, ad ostia Amasii fluv. Vid. *Embda*.

Amasia, sive *Amasias*, Lat. *fortitudo Domini*, pater Josa. 1.Chron.4. Item fil. Elciæ, filii Amasai. 1 Par.6. Nomen item sacerdotis. Amos 7. Denique rex Judæ, qui reg. an.29. Idumæos vicit. Demum occisus est in Lachish. A.M. 3227. Vid. de eo plura, 4.Reg.12.14.15. 2. Paralip. 24. & 25. Jos. *Hist. Jud. l.*9. *c.*11. Sulp. Severum *hist sacra*, L.1. Torniel. Salian.

Amasias, per ע. Lat. *onus Domini*, Filius Zechri. 2.Par.17.

Amasis I. qui & *Ammosis* vel *Amos Pharao*, Ægypti Rex, A.M.2312. Euseb.

Amasis, II. ex gregario milite, Aprie Rege occiso, rex Ægypti, cujus tumulus fuit una Pyramidum. Lucan. *lib.*9. *ver.* 155.

Non mihi Pyramidum tumulis avulsus Amasis,
Atque alii reges, Nilo torrente natabant?

Regn. an.43. Egregio commento vilipendium sui subditis retudit. Herodot. *l.*2. Eus. *Chron.* Diodor. *l.*1.*c.*95. Hic legem condidit, ut unusquisque quotannis apud præsidem rationem vitæ suæ redderet, demonstraretque unde viveret, aut quo quæstu sustentaretur, qui hoc non faceret, morte afficeretur. Hanc legem Solon ab Ægyptiis transtulit ad Athenienses. Plut. *in Symposio*. Quum ab amicis carperetur, quòd ubi à somno manè in multum diem rerum administrationi vacasset, reliquum verò temporis lusu, risu, & cute curandâ traduceret, respondit, ut refert Herodotus *l.* 2. Τὰ τόξα οἱ κεκτημένοι, ἐπεὰν μὲν δέωνται χρᾶσθαι, ἐντανύουσι; ἐπεὰν δὲ χρήσωνται, ἐκλύουσι. Εἰ γὰρ δὴ τὸν πάντα χρόνον ἐντεταμένα εἴη, ἐκραγείη ἄν, ὥστε ἐς τὸ δέον οὐκ ἂν ἔχοιεν αὐτοῖσι χρᾶσθαι: οὕτω δὴ καὶ ἀνθρώπου κατάστασις, &c. Hunc Ælianus numerat inter eos, qui potationibus celebres fuere, *Var. hist. lib.*2. Extat hodiè una ejus epistola elegantissima ad Polycratem, de expetenda fortuna non usquequaque secundâ, sed laboribus & molestiis temperatâ, in quâ scribit Amasis: Οὐδένα γὰρ λόγῳ οἶδα ἀκούσας, ὅστις ἐς τέλος οὐ κακῶς ἐτελεύτησε πρόρριζος, εὐτυχέων τὰ πάντα. Plura de eodem vide apud Herodotum. Item *Amasis*, peditum Darii dux, contra Cyrenenses missus. Herod. *lib.*4.

Amasius, Germaniæ flu. in ejus Oceanum influens, Ptol. *Amasia*, Straboni, *Amisia* Tacito, *Amisius* Plinio & Pomponio. *Ems* hodie. Fontes habet in Westphalia & Diœcesi Paderbornensi, prope vicum *Ramsel*: recipitque fluvios, Heselum, Beveram, Aam & Hassum, in Diœc. Monast. & amnem, *Soste*, ad arcem Lieroort, in Frisia Or. Vid. *Amisius*.

Amasi, populi circa Mæotim. Plin. 6.7.

Amassus, Vid. *Tamassus*.

Amastris, Xerxis uxor, vide *Amestris*.

Amastris, urbs Paphlagoniæ, in ora maris Euxini, quæ & *Amastrum*, ex quatuor urbibus, seu pagis proximis, Sesamo, Cytoro, Cromnâ ac Tejo, magnam in urbem crevit, media fere inter Tejum, & Cytorum, Cromnæ propior, ab Heraclea Pontica 68.m.p. in ort. distans. Ejus meminit Catullus:

Amastris Pontica, & Cytore buxifer.

Val. Flaccus *lib.*6.

— *Peditem pedes haurit Amastris.*

Ita vulgò, & apud Ferrarium. Sed legendum:

—— *Peditem pedes haurit Amastrum.*

Et est viri nomen proprium. v.554. Hodie Amastris *Famastro*, vel *Samastro* dicitur. Hinc *Amastriacus*. Ovid. *in Ibin:*

Aut ut Amastriacis quondam Lenæus ab oris
Nudus Achilleâ destituaris humo.

long 60.43. lat. 44.25.

Amastris, fluv. Bithyniam & Pontum rigans. Natal.

Amastrus, ex ducibus auxiliaribus Persæ, contra Æeten, Colchorum regem, occisus ab Argo, Phryxi filio. Val. Flacc. 6.554.

Amata, Latini regis uxor, mater Laviniæ, & soror Veniliæ Deæ, quæ ne videret Æneam generum, laqueo gulam fregit. Virg. *Æn.*7.

Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ.

Item *Amata* vocabatur à Pontifice virgo Vestalis, cùm ad Vestæ mysteria capiebatur, quòd prima, quæ hoc ritu capta fuerat, eo nomine vocaretur. A. Gellius *l.*1.*c.*12. Vid. *Vestales*.

Amatæ, Indiæ populi. Plin. *lib.*6.*cap.*20.

Amatha, Arabiæ regio, quæ & *Acmatha* vocabatur, teste Steph. ubi fortè pro *Acmatha* legendum *Psamatha*. Certè verba sequentia, κέκληται ἀπὸ τῆς ψάμμου, tale quiddam innuere videntur. pop. *Amatheni*. Item urbs Phœniciæ & Siciliæ. Steph. Item, Villa, in vicinia Gadaræ, in monte sita, ad cujus radices aquæ calidæ erumpunt, balneis desuper ædificatis, quæ ad sarciendam corporum valetudinem sunt commodæ. Gen. 36. Hier. *in loc. Hebr. lit. A & G.*

Amathus, thi, fluv. Pylon urbem, Nestoris patriam, præterlabens.

Amathus, thuntis, Cypri urbs, Veneri sacra, unde tota insula *Amathusia* dicta, ut est apud Ptol. Virg. *Æn.* 10.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliaque domus. ———

Ab aquis calidis vocabulum sumpsit, quòd aquarum vapor Syro sermone *Amathus* dicitur. Egesippus de exc. Hierosol. *Amathus* autem, (inquit Bochartus) etiam Phœnices habuit conditores, vel ex familia τοῦ חמת *Amath*, filii Chanaan, vel ex Sinæis. si Jonathani credimus, qui Gen. 10.17. pro Sinæis habet אנתוסאי *Anthusæ*, id est, *Amathusios*, ut Hierosolymitanus כפרוסאי *Caprosæ*, id est, *Cyprios*. Ut ut sit, *Amathusios* pro Phœnicibus esse habitos, etiam ex Theopompo scimus, quem, Historiarum *l.*12. narrasse testatur Photius: τίνα τρόπον Ἕλληνες οἱ σὺν Ἀγαμέμνονι τὴν Κύπρον κατέσχον, ἀπελάσαντες τοὺς μετὰ Κινύρου ὧν εἰσιν ὑπολειπεῖς Ἀμαθούσιοι. id est, *quomodo Græci, qui cum Agamemnone* (ad Trojam militaverant) *Cyprum obtinuerint, iis ejectis qui cum Cinyrâ erant* (id est, Phœnicibus) *è quibus reliqui sunt Amathusii.* Porro Amathunte pro Deo colebatur Adonis, quem cum Ægyptio Osiride nonnulli confundentes, Adonim Osiridem appellabant. Hinc Stephanus, Ἀμαθοῦς πόλις Κύπρου ἀρχαιοτάτη, ἐν ᾗ Ἄδωνις Ὄσιρις ἐτιμᾶτο, ὃν Αἰγύπτιον ὄντα Κύπριοι καὶ Φοίνικες ἰδιοποιοῦνται. Hæc tam vera sunt, quàm quod sequitur; vel ab *Amathone*, Herculis filiâ, dici *Amathuntem*, vel ab *Amathusâ* matre Cynaræ. Incolas hujus urbis ira Veneris, propter hospites immolatos, mutavit in cornutos boves:

——— *Unde etiam nomen traxere Cerastæ*;

Si Ovidio credimus. *Met.*9.*f.*9. Metallis eam abundare testis est idem Ovidius:

Piscosamque Cnidon, gravidamque Amathunta metallis.

Inde *Amathunteus*. Idem Ovidius:

——— *Mactatos crederet illic*
Lactantes vitulos, Amathunteasque bidentes.

Ubi alia exemplaria habent *Amathusiacas*. long. 65.45. lat. 35.00. Item *Amathus*, Laconiæ opidum.

Amatica, aliter *S. Thomas*, urbs Americæ, in nova Hispan. & prov. de *Honduras*. Extructa ab Hispanis, An. 1597. Estque parvi circuitus.

Amatini, populi in Epiro. Cæsar. *lib.*3. *de bello civili.*

Amatitucus, fluv. Americæ, in nova Hispan. & provincia Soconusci. Cadit in mare Pacificum, versus limites prov. Guaxacæ.

Amatius, *Amato*, fluv. Italiæ, in Calabria ulter. in mare Tyrrhenum influit, versus S. Euphemiam opp. oriturque ex Apennino monte. Aliis *Lametus*.

Amatus, Archiep. Burdigalensis, A.C.1088. Legatus Gregor. 6. in Hisp. Vid. Baron. A.C. 1075.1077. & 1079. Alius qui Petri & Pauli vitam, aliaque versibus scripsit, circa An. 1060. Voss. *de hist. L. l.* 2.*c.*46. & *Poët. l.*6.

Amaxampeus, Scythiæ fons, qui Hyparium fluv. amaritudine inficit. Græcis ἱεραὶ ὁδοὶ sacræ viæ, ex Herodot. *l.* 4.

Amaxia, vel *Amaxita*, vetus Troadis urbs, arâ 12. Diis ab Agamemnone dicatâ, celebris. Steph. Item *Cilicia urbs*, lignis navalibus abundans, Strab. *l.*14. Vid. Plin. *l.* 5.*c* 9. & 30. Hanc M. Antonius Cleopatræ muneri dedit.

Amazones, bellicosæ mulieres, magnam Asiæ partem occupavere, sic dictæ, quòd alterâ ex mammis careant, ab α *sine*, & μάζος *mamma*,

mamma, unde & *unimamma* dictę fuerunt. Eoque Virgil. allusisse videtur *Æn.*1. ubi de Penthesilea.

Aurea subnectens exectæ cingula mammæ.

Mamma illa dextra fuit. Hippocrates *lib. de Aëre, Locis, & aquis*, ubi sermo est de Amazonibus: Τὸν δεξιὸν δὲ μαζὸν οὐκ ἔχουσι. Diodorus, de illis loquens, τὸν δεξιὸν μαζὸν ἐπικαίουσι. Curtius *lib.* 6. *Aduritur dextra*, & addit rationem hanc, *ut arcus facilius intendant, ac tela vibrent.* Eust. verò sic dictas putat, quòd sine pane, qui μάζα Græcis dicitur, lacertis, testudinibus, atque id genus feris alerentur. Alii ab ἅμα ζῆν appellatas volunt, tanquam *in commune viventes* sine viris, quasi Ἀμαζῶσαι. Masculos liberorum, si quos genuissent, claudos fecisse ac debiles, ne ullum facinus viro forti dignum edere possent. Sextus Empiricus autor est *lib.*3. *Pyrrhon. Hypotyposewn.* Αἱ δὲ Ἀμάζονες, inquit, ἐχώλουν τὰ ἄρρενα τῶν περὶ αὐτὰς γεννωμένων, ὑπὲρ τοῦ μηδὲν ἀνδρεῖον αὐτὰ ποιῆσαι δύνασθαι. Earum originem, reginas, res gestas, & demum interitum copiosè describit Justinus *lib.*2.*c.*4. Diod. *lib.* 3. *cap.* 11.53.54. & *lib.*5.*cap.*2. Idem etiam *lib.*4.*cap.*4.28. Plin. *lib.*6. *cap.*7. & 13. Herodot. *l.* 4. Præter has Scythiæ Amazonas, alias quoque ponit in Libyâ, quarum historiam ibi latissimè persequitur. Unde Silius *lib.*2. Hasbiten, Hiarbæ filiam, *Amazonidem* vocat. Justinus verò non videtur, ut alii, Amazonum gentem in Hyrcaniâ ponere; sed ad Mæotim, & Tanaim. Nam, inquit, 25. dierum itinere confecto in Hyrcaniâ occurrisse Alexandro. Rectius sanè. Neque enim ullus Geographorum, Amazonas alibi collocare, quàm ad Mæotim, unquam dubitavit. Eâque etiam de causâ *Mæotidas*, ac *Tanaitidas* appellari nemo nescit. Seneca *in Hippolyto*:

Qualis relictis frigidi Ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Tanaitis, aut Mæotis, & nodo comas
Coëgit, emisitq́; lunata latus
Protecta pelta; talis in sylvas ferar.

Curtius tamen *lib.*6. Hyrcaniæ finitimam facit Amazonum gentem, sed malè. *Erat*, inquit, *ut supra dictum est, Hyrcaniæ finitima gens Amazonum*, &c. Dicuntur & *Amazonides*. Virg. *Æn.*1.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens. ———

Prop. 3.14.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontæis turba lavatur aquis.

Item *Amazon* in singulari numero. Virg. *Æn* 2.

At medias inter cædes exultat Amazon.

Mart. 10.104.

Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo.

Præter peltas, secures quoque habuisse Amazonas testatur Horatius *lib.*4.*od.*4. — *Quibus*

Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli.

Seneca *in Agamemnone*:

Non picta pharetras, & securigera manu
Peltata Amazon. ———

Claudianus 2. *de Raptu Proserpinæ*:

Qualis Amazonidum peltis exultat aduncis
Pulchra cohors, quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit post prælia turmas;
Seu flavos stravere Getas, seu forte rigentem
Thermodontiacâ Tanain fregere securi.

Inde *Amazonius*. Stat. 5. *Sylvarum*:

——— *Amazoniâ latus intercludere peltâ.*

Et Plin. *lib.*12.*cap.*5. scribens de ficu Indicâ, *foliorum latitudo peltæ effigiem Amazoniæ habet.* Cæterùm de Amazonibus fabulosa esse omnia putat Strabo *lib.*11. quem, sis, consule. *Melanes* eas vocat Jornandes, nisi corruptus sit locus.

Amazonia, regio Amazonum.

Amazonium, locus in Atticâ, ubi Theseus Amazonas vicit. Item Cumæ civitas, ubi Amazones habitabant. Est & *Amazonium* in Bœotiâ. Vid. Steph.

Amazonius, Apollo à Lacedæmoniis sic dictus. Pausan. *in Lacon.* Item *Amazonius* mons in Asiâ, præter cujus radices Thermodon amnis labitur, sic dictus ab *Amazonibus*, quæ illic habitarunt. Aliis *Amazonicus*. Plin. 6.3.

Amazonum flu. vulgò *Rio de los Amazonas*, flu. ingens Americæ merid. Oritur prope Quitum civ. Regni Peruviæ; dein auctus fluviis Coca, Napo, aliisque, percurrit prov. Canelam, & *Pacamoros*, ubi recipit fluv. Xauxam seu Maranionem, & postea rigat prov. Surinam, Camsuaram, Matayam, Apantam, Coropam, Tapayam aliasque. Receptis demum fluviis Arumaya, Jopura, aliisque, post 800. leuc. decursum, in mare septentr. seu *del Nort*, se exonerat inter Brasiliam & Guajanam reg. Quibusdam *fluv. Orellani*, ab Inventore, Joh. Orellano Hisp. An. 1541. Ostium ejus ferunt insulis sparsum 54. leuc. Hisp. complecti. A Costa, *lib.*2.*c.*6. Du Val, *Relatio regionis hujus.*

Ambacia, op. Celticum, in Turonensi provinciâ, quod Ligeris amnis alluit: propter summam loci amœnitatem, est Francorum regum basilica. Vulgò *Amboise.* long 21.20. lat. 47.33.

Ambadara, Urbs Æthiop. super. ad Nilum, in regno Bagamedri, ad pedes montium, inter Sovam & Dambeam prov. in Abyssina reg

Ambarri, Gall. Celt. pop. Cæsar. *l.*1.*Comm.* Necessarii & consanguinei erant Æduorum; Quos quidam opinantur Borbonienses esse. Alii, pro parte Bituricenses, allusione vocabuli. *Ambarros* enim vel *Ambactos* dicunt Galli, civitatum clientes seu adhærentes. Oppidum autem *Ambarrorum*, pagus Semarius sive mons Barri dicitur, Phrys. *in Ptolom. Ind.* Horum regio, teste Vigenereo, est *Charrolois* in Burgundia inter Matisconam, & Burbonium. Aliis *le pays à l'entour de Nevers.*

Ambarvale, sacrum ad arva & segetes lustrandas apud Romanos, multâ prece & religione celebrabatur. *Ambarvalis hostia*, ut ait Festus *apud Macrobium lib.*3. *quæ rei divinæ causâ circum arva ducitur ab his, qui pro frugibus faciunt, seu sacrificant.* *Ambarvale*, inquit Servius, *sacrificium dictum est, quòd arvum ambiat victima. Sicut Amburbale, vel Amburbium sacrificium quòd urbem circumeat, ac ambiat victima.* Porro Ambarvale sacrum non nisi de porca fœcunda, & gravidâ, aut vitula fieri consueverat. Unde Virgil. *Eclog.*3.

Cùm faciam vitulâ pro frugibus.

Tamen Tibullus *lib.*2. de sacro pro frugibus loquens ait:

Cernite fulgentes ut eat sacer agnus ad aras.

Sed solvat litem idem Tibullus, qui postea:

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti
Custodes fertis munera vestra Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos,
Nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet, Io messes, & bona vina date.

Hanc victimam, maturis frugibus, ter circum arva ducere solebant, omnesque post sequentes clamabant, ex quibus unus quernâ coronâ ornatus, cum solenni saltatione, composito carmine, Cereris laudes decantabat, & postquam vino ac lacte libasset, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant. Virg. *Georg.* 1.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho.
Terq́; novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus & socii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri tortâ redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Ambasia, Gall. *Amboise*, urbs Turonum, ad Ligerim cum arce, à Carolo VIII. ibi nato extructa. Hic Ordo Equitum S. Michaëlis, à Lud. II. institutus, 1. Aug. 1469. De Ambosiana conspiratione, Vid. Thuan. *l.*24.

Ambastæ, Asiæ populi, in reg. Sinarum, ubi nunc prov. *Chequiam, Chiamsi* & *Fuquien.*

Ambastum, fluvii nomen in Asia. Ptol.

Ambasum, metropolis Phrygum. Steph.

Ambatæ, Asiæ populi. } Ptol.
Ambautæ, Paropamisi gens. } Ptol.
Ambe, Arabiæ Felicis urbs. } Ptol.

Ambenus, Sarmatiæ Europææ mons, apud Tyram fluv. & Ophiusam, in ora maris Euxini. Val. Flac. *lib.*6.

——— *Linquitur & mons*
Ambenus, & gelidis pollens Ophiusa venenis.

Ambenus, Ducis nomen, qui in bello Colchico occidit truncâ hastâ Otreum, Val. Flacc. 6.252.

Amber, fluv. Germaniæ, in Bavaria, cadit in Isarum, paulo suprà Landshutum. Vid. *Ambro* & *Ambra.*

Amberga, Urbs Germ. ad fluv. *Wils*, caput Palatinatus super. in ditione Ducis Bavariæ, à paucis annis.

Ambiamum, Urbs & regnum Æthiop. super. versus *Zaflan* lacum.

Ambiancativa, Urbs & regn. Abyssiniæ, prope Nilum fluv. inter Nubiam & regn. Bagamidri.

Ambiantinum, vicus Germ. apud Confluentes, ubi Caligula Cæsar natus est. Suetonius.

Ambianum, vel *Ambianensis civitas* Gall. Belgicæ præstantissima, Ep. sub Arch. Remensi. S. Firminus, unus antiquissimorum ejus Præsulum: in Picardiæ provinciâ, sic dicta ab *ambientibus aquis*, quibus undique circumdatur. Antea verò dictam volunt *Samarobrinam*, vel potiùs *Sommonobriam*, restauratamque ab Antonino Pio, ejusque filio Aureolo, vulgò *Amiens.* Arcem hic munitissimam Henr. IV. extruxit, postquam illam ab Hisp. captam recuperâsset, An. 1597. Fuit olim sub Comitibus de Pequigni. Patria P. Eremitæ, Sylvii, Riolani, Fernelii, &c. Morlier. *Ant. Amb.* Populi *Ambiani*, sive *Ambianenses*, quos Plin. cum Bellovacis conjungit *lib.*4.*c.*17. long. 23.20. lat. 49.50.

Ambiati, pop. Galatiæ, de quibus Plin. 5.32. Apud Solinum *Ambiani* dicuntur, sed in MSS. *Ambitii*, vel *Ambitui.*

Ambia-

Ambiatinum, Vicus Germ. apud Confluentes ad Rhenum, ubi C. Caligula natus. Nunc *Capelle*. Al. *Ambitarinus vicus*.

Ambibareti, pop. in quos Cæsar hyemandi causâ C. Antistium Rheginum cum legione unâ, *in 7. Commentariorum libri fine*, misisse se commemorat. Et fortè erant Ambianenses, vel aliqui his proximi, ut eos, Atrebatesque, & Morinos finitimos in fide contineret. Nunc Vivarienses dicuntur, & urbs Vivarium. Vulgò *Viviers*, regio verò *Vivaretz*. Aliis tamen Helvii fuisse dicuntur, ubi nunc Vivariensis prov.

Ambibarii, pop. Celtarum, inter Aremoricas civitates, Oceanum attingentes, finitimi Rhedonibus, & Lemovicibus, circa Britanniam citeriorem, & Normanniam, in regno Francorum siti. *Ambie* eo loco ponitur à Vigenereo, prope montem S. Michaëlis.

Ambidrani, pop. Norici, ubi nunc pars Orient. Stiriæ, in Germ.

Ambigatus, Celtarum rex, tempore Tarquinii Prisci, qui ubi majorem vidit suorum multitudinem, quàm ut commodè ab ea regione ali possent, Bellovesum, & Sigovesum, sororis suæ filios, cum magna Senonum parte ad quærendas novas sedes, alterum in Italiam, alterum ad saltus Hercynios misit. Liv. *l.* 5. Dupleix, *memor. Gall. l.* 2. *c.* 36. Vid. *Bellovesa* & *Segovesa*.

Ambiliates, pop. Gall. Celt. quorum op. *l'Amballes*, non obscurum nominatur in Britannia minori, ubi charta pergamena copiosè conficitur. long. 17.50. lat. 48.20.

Ambilici, pop. Norici, ubi nunc pars Occid. Stiriæ, sub Austriacis.

Ambiorix, Rex dimidiæ partis Eburonum, Cæsar *de Bell. Gall. l.* 5. *c.* 26. *l.* 6. *c.* 30. Imperia erant ejusmodi, ut non minus haberet in se juris multitudo, quàm ipse in multitudinem, *lib.* 5. *cap.* 27. Germanicum nomen videtur esse *Hainrich*. Hic plurimos Romanorum in insidias pertractos occidit. Dein Legionem Q. Ciceronis aggressus, à Cæsare occisus est, cum 60000. Gallis. Cæs. *l.* 5. *B. G.* Dion. *l.* 40. Oros. *l.* 6. *c.* 9. Dupleix, *memor. Gall. l.* 4. *c.* 35, 36.

Ambirkeletus, Eugenii V. Scotiæ R. fil. ante regnum optimus, illo potitus pessimus. Bello contra Pictos obiit, noctu sagittâ, incertum quâ missâ manu, confixus. A. C. 697. Lesl. *lib.* 4.

Ambisontii, pop. Norici, ubi nunc Carinthia prov. in Germ. juxta Dravum fluv.

Ambivariti, populi Belgarum inter Rhenum & Mosam. Putantur eam ducatûs Brabantiæ partem incoluisse, in qua Buscum Ducis, Breda, & Antwerpia.

Amblada, urbs Pisidiæ. Steph. Straboni *lib.* 12. Ἄμβλαδα. Inde *vinum Ambladense* eidem Straboni, quod ibi πρὸς δίαιτας ἰατρικὰς ἐπιτήδειον vocat.

Amblava, & *Amblavia*, fluv. in duc. Lucemberg. apud Stabulum monasterium, in Agrippinensium confin. vulgò *Ambleve*. Aliis ubi sit, non constat, sed *Rechte* fluv. alluit Stabulum Monaster.

Amboglanna, op. Angliæ, ubi nunc Cambecum, vulgò *Camby*, apud Glocestriam, Bristoliam versus. Verùm Camdenus putat esse *Amblesside*, in comitatu Westmariæ.

Ambohitsmens, pop. Africæ in Insf. Madagascar, versus Orient. Ubi etiam montes altissimi sic dicti, q. *montes rubei*, Flacurt.

Amboina, Insula maris Ind. in Asia non procul à Moluccis, parva, sed dives aromatum proventu, & fertilis, ubi colonia Batavorum. Ejus opp. præcipuum *Isou*. Detecta fuit à Lusitanis, An. 1515. ad merid. insulæ *Ceram* sita. 24. leucis à Banda.

Ambola, *Amboule*, prov. & vallis fertilissima Africæ, in Insula Madagascar, versus Merid. Eam bifariam secat fluv. *Mananpani*, ad Septentr. prov. Carcanossiæ.

Ambon, Insf. Ind. Or. asperrima ac sterilis, vicinis aliquot insulis nomen dat. Peridromus ejus 500. mill. Incolas habet anthropophagos & piratas.

Ambota, opp. Poloniæ, in Samogitia prov. ad Wardanam flu. qui paulo post cadit in Uvetam.

Ambra, Vindeliciæ urbs, *Brag* Simlero, ad lacum ejusdem nominis, ex quo *Ambra* fluv. ejusdem nominis exit.

Ambracia, civitas nobilis Thesprotiæ, Epiri, juxta Acherontem fluv. ab *Ambraceo* Thesproti filio dicta, prius *Epuia*, & *Paralia*, *Larta* vulgò vel *Ambrachia*. long. 46.40. lat. 39.29. Pyrrhi regia fuit, quam Alexander M. liberam esse jussit, Macedonico præsidio inde avocato, Freinshem. Supplem. Curt. 1.10. Augustus Nicopolin, à victoria, nominavit, cùm vicisset Antonium. Inde *Ambraciota* sive *Ambraciotes*, incola, & *Ambracius sinus*, pars Adriatici maris Epiro adjacens. Mela *lib.* 2. *cap.* 3. *In Epiro nihil Ambracio sinu nobilius est. Facit sinus, qui angustis faucibus, & quæ minus mille passibus pateant, grande pelagus admittunt.* Plinius 4.1. hoc spatium tribuit, non ostio sinûs Ambracii, sed faucibus sinûs Corinthiaci. Itaque Pintianus omnia hæc verba aliò transposuit, cùm & ex Strabone & Polybio manifestum sit, fauces sinûs Ambracii plus 4. minus verò 5. stadiis patere. Sed Mela antiquiores ferè secutus est authores. Fieri verò potuit, ut cornua istius ostii utrinque pene concurrentia, curâ regum Epiroticorum excreverint, fretumque angustarint. Quod si quis existimet potius errasse hîc Melam, & hoc quoque per me licet. Longè certè ignoscibilior est hic error, quàm is quem committit Strab. *l.* 10. cùm dicit, ambitum sinûs Ambracii esse 300. stadiorum. Polybius enim certissimus testis, prodit tantam esse longitudinem ejus, latitudinem verò stadiorum 100. Polybium secutus esse videtur Plinius, cujus verba, ope libri veteris, ita sunt restituenda: *Ambracius sinus* DCC *passuum faucibus, longitudinis* XXXVIII. *millia passuum, latitudinis* XII. *millia*. Nisi itaque nos fallat lectio vulgata, quod tamen vix puto, valde exiguum fecit hunc sinum Strabo, quod optimè colligere possunt, qui non sunt planè ἀγεωμέτρητοι. Vossius. Hodie hic Sinus *le Golfe de Larta*, seu *de Prevesa* dicitur: celebris Actiacâ Aug. victoriâ. Vocatur etiam *Anactorius sinus*, & recipit flu. Inachum & Arachthum.

Ambracus, Epiri opidum. Steph.

Ambrisius, fluv. Asiæ, in regno Congi. Cadit in mare Æthiopic. inter flumina *Lelunda* & *Lose*. Oritur autem ex montibus prope opp. *Tinda*.

Ambro, fluv. Germ. in Bav. oritur 2. leucis à Fussena urbe, in limite Comitatus Tirol. Vid. *Amber*.

Ambrocius, pagus fuit Hisp. Lusit. ubi nunc Placentia Urbs, teste Jo. Mariana.

Ambrodax, Parthiæ urbs. Ptolemæus.

Ambrones, gentes Galliæ, quæ subitâ inundatione maris quum sedes suas amisissent, rapinis se alere cœperunt. Hinc factum est, ut turpis vitæ homines *Ambrones* dicerentur. Festus & Erasmus *in Chil.* Cluverio aliisque erant pop. Helvetiorum, ubi nunc pagi Bernensis, Lucernensis & Friburg. Ab iis etiam al. *Ambronicus pagus*, sub quo magna pars Helvetiorum. Quibusdam *Tigurini* sunt. Hi à Mario, in Provincia, magnâ clade affecti. Cujus victoriæ monumentum adhuc extat prope Aquas Sext. Plut. *in Mario*. Flor. 3.3. Eutr. *l.* 5. Oros. *l.* 5. *c.* 15. Strabo. *l.* 4.

Ambrosia, Dionysii festum apud Iones, quæ *Lenæa* & *Choa* dicebantur. Cæl. Rhod. 28. 25.

Ambrosia, seu *Ambrosii vicus* seu *Ambresburia*, Urbs Angliæ, ad Avennam fluv. in Viltonia prov. vulgò *Ambresbury*. Hinc *Ambrosii mons*, 2. mill. ab Ambresburia, Britannorum heroum qui regnante Vortigero An. 475. Saxonum dolo illic cæsi humatique sunt, clade nobilitatus, hodie *Stonehenge* nominatur, ubi stupendæ magnitudinis Saxa, ab Aurelio Ambrosio Brit. Rege erecta, conspiciuntur, modo tam incredibili constructa, ut omnes in admirationem tantæ structuræ convenerint. Historiam ejus post Ignatium Jones conscripsit Gualterus Charlton Medicinæ Doctor. Horum quæ hodie restant, spatium 300. pedes continet. Hîc Aurelius R. ut & Uterpendrago & Constans sepulti. Plura Joh. Speedus suggeret.

Ambrosiani, seu *Pneumatici*, enthusiasmos, scripturâ spretâ, jactabant. Prateol. Gautierus, *sec.* 16.

D. Ambrosius, cui in cunis jacenti apicularum agmen in os ingredi, egredique visum, Mediolanensis Episcopus ex Præside electus, priusquam sacri Baptismatis donum, & gratiam suscepisset. Hieron. *de Script. Eccles. Vir disertus, & valde eruditus in Philosophia. Hunc falsò accusat Porphyrius, quòd ex Christiano Ethnicus fuerit, cùm constet eum, usque ad extremam vitam, Christianum perseverasse.* Laudes ejus ita quoque celebrat Trithemius: *Ambrosius, Episcopus Mediolanensis, in divinis scripturis, atque in secularibus literis, omnium facilè doctissimus, Græco atque Latino sermone ad perfectum instructus, cujus meritum totus orbis personat. Qui in exponendis, declarandisq; divinis scripturis, omnes Doctores vicit, cujus fidem nulla unquam potestas terrena infringere potuit: ita ut multis Episcopis pro fide exulantibus, Ambrosium nullus unquam auderet attingere. Fuit enim velut malleus hæreticorum, constantissimus impugnator, cujus linguæ in fide Christi loquenti nulla potuit unquam authoritas humana imponere silentium.* Justinæ Imperatrici, quæ Arianis favebat, fortiter restitit, ut & Valentiniano, Idololatriæ cultum Symmacho concedere volenti; vasa sacra vendidit, ut captivos Christianos redimeret, sub Maximi tyrannide, &c. Quantâ porro loquendi libertate apud Theodosium Imp. fit usus, ipsum divino vinculo ligans, vide in dictione *Theodosius*. Et Hist. Tripart. *lib.* 9. *cap.* 40. Obiit A. C. 397. Vid. Bell. *de Auth Ecc.* Aug. *l.* 6. *Confess.* Hieron. *in Catal.* & *Chron.* Sigebertum, A. C. 481. 384. Onuphr. A. C. 369. Genebr. *in Syricio*. Paulinum *in Vita Ambrosii*.

Ambrosius, Cyzicenus, à Peleo in nocturno conflictu occisus. Flacc. III. 38.

Ambrosius, vir quidam & genere, & literis, satis clarus; cùm Valentini dogmatis sectator extitisset, secundum veritatem Catholicæ fidei ab Origene convictis, ac tanquam veri luminis splendore radiatus, relictis errorum tenebris, ad Ecclesiæ Catholicæ lucem splendoremque conversus est. Euseb. *l.* 6. *c.* 12. 13. 15. 17. Hieron. *de Script. Eccl.* Baron. A. C. 217.

Ambrosius, nobilis Aurelianensis, sumpsit in Anglia purpuram, sub Zenone Imper. & Barbaris restitit magnâ cum laude, Ecclesiasticâ disciplinâ ibi restitutâ. Gildas Sap. Beda, *l. de* 6. *ætatibus, in Zenone.* & *l.* 1. *hist. Angl.* c. 16. Adon *in Chron.*

Ambrosius Ansbertus, sec. 9. Item *de Camaldoli*, doctrinâ inclytus Ab Eugenio 4. ad Concil. Basiliense missus, coram Emanuele Imp. græcè peroravit Ferrariæ, Constantiæ mortuus. An. C. 1490. De cujus scriptis vid. Bell. *de Scr. Eccl.* Voss. *l.* 3. *de histor. Lat.* c. 5. Volaterr. *l.* 31. Sic Ambr. *Contarenus*, à Venetis, ad Ussuncassanem

Pers.

Pers. R. missus, iter hoc descripsit, Obiit A.C.1477. Alios Ambrosios, vid. apud Bellarm. Spond. Genebr. Vossium, &c.

Ambrosius Calepinus, Bergomensis, Ordinis D. Augustini, quo tempore Ludovicus Sfortia Mediolanensibus dux præerat, floruit. De quo vide Jo. Trithemium Abbatem *de Eccles. Script.*

Ambruareti, pop. Galliæ Lugd. inter Ligerim & Icaunam flu. ubi nunc pars prov. Nivernensis.

Ambryon, Theocriti Chii vitam scripsit, ut Laertius *in Aristotelis vita* author est: ubi ex eo refert maledicum hoc Theocriti ejusce epigramma in Naturæ promum-condum Aristotelem:

Ἑρμείω Εὐνούχου ἠδ' Εὐβούλου ἅμα δούλου,
Σῆμα κενὸν κενόφρων τεῦξεν Ἀριστοτέλης.

Cujus sententiam, licet duriusculè, sic expresseris:

Hermiæ Eunuchi, & servi monumenta Eubuli,
Mentis inanis inane extruxit Aristoteles.

Apud Etymologum in ὁμοκλήσασκεν citatur ὁ Ἄβρων. Fortassis idem est. Vossius.

Ambrysus, nomen duarum urbium, quarum unam Strabo locat in Phocide, alteram in Bœotia. Quidam *Amphrysum* rectè dici affirmant. Pausanias *Ambroson* quandoque vocavit, ab heroe sumpto nomine.

Ambuareti, Galliæ Lugd. populi, inter Ligerim & Icaunam fluv. Cæsar *de Bello Gall. lib.* 7. Glareanus legendum putat, qui alibi *Ambulatri* dicuntur *Ambarri*. Quos vid. vulgò *Ambrun*, & *le pays d'al'environ*. Al. *Ambruareti*.

Ambubajæ, teste Acrone, mulieres tibicinæ, Syrorum linguâ dicuntur. Alii Latinum putant, & venire ab *ambu*, pro *am*, hoc est, *circum*, & *Bajæ*; fuisseque mulieres impudicas circa Bajas versantes. Cruquius censet *Ambubajas*, vel potius *Ambubejas* esse agyrtas, omnium morborum remedia vanissimè pollicentes, atque ita dici ab *ambubeja* herba, ex quâ pharmacopœi conficiebant τὸ πάγχρηστον, hoc est, medicamentum ad omnes morbos utile. Sed vera est Acronis sententia. Nam Syrus אבוב *abbub*, est tibia, sive fistula; sed Arabes inserunt *n*. אנבוב *anbub*. Latini autem, *m*. maluere. Syros verò tibicines & tympanistas Romæ fuisse docebit ille locus Juvenalis, *Sat* 3.

Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad circum jussas prostare puellas.

Sunt igitur Ambubajæ mulieres, & prostituendo, & tibiarum cantu sese sustentantes. Hanc ἐτυμολογίαν sequuntur Jos. Scaliger. Is. Casaubonus, &, ut arbitror, quotquot Syriacè sciunt. Horat. *lib.* 1. *Serm.* 2,

Ambubajarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne
Mæstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli.

Habet & Suetonius *in vita Neronis, cap.* 27.

Ambulatri, pop. fuere Galliæ, in Aquitania, prope Vasates.

Ambulii, Castor & Pollux à Laconibus sic nuncupati. Pausan.

Amburbale, sacrificium in ambiendis, & lustrandis urbibus. Lucanus *lib.* 2.

Mox jubet & totam pavidis à civibus urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro,
Longa per extremos pomæria cingere fines.

Amburbiales, hostiæ dicebantur, quæ circum terminos urbis Romæ ducebantur. Festus.

Ambustus, cognomen Fabiorum. Plin. Hoc gessit Fabius Eburnus, quòd fulmine esset ambustus, uti scribit Festus.

Amcopeltum, vulgò *Amcopelz, hokell*, mons celsus in medio Islandiæ, in mari Deucalidonio, in parte, quæ vulgò *Nordlendingafiordung* dicitur. 7. leuc. Germ. à Schaloto urbe.

Amedeus, I. Comes Sabaudiæ & Mauriennæ, dictus *Cauda*, quia Veronæ palatium Henr. III. Imper. noluit ingredi sine comitatu suo, quem sic vocavit. Obiit A.C. 1045. improlis, ante Patrem Humbertum. Chifflet. Guichenon. Successit Odo frater.

Amedeus II. Odoni patri successit, Alexandrum II. contra Richardum Normannum defendit, Henr. IV. Imper. in Italiam comitatus, eum cum Gregor. VII. reconciliavit, Bugesiæ inde dominio obtento. Obiit, An. 1095. Cui Humbertus II. fil. successit. Guilillmannus, Chieza.

Amedeus III. qui primus Pedemontii & Lombardiæ Comes, Henr. V. Imper. in Italiam comes, Imperii Comitis titulo decoratus est. Dein, cum Ludov. Jun. in Orientem expeditione susceptâ, obiit Nicosiæ, Cypri tum metropoli, An. C. 1149.

Amedeus IV. Patri Thomæ successit, à Friderico II. Ducis Antuatum & Vicarii Imperii axiomate donatus. Obiit A.C. 1253. Pingon Guichenon.

Amedeus V. Magnus, felix bellator, Sabaudiæ plurimas regiones adjunxit. Philippo Pulchro, Henrico VII. Imp. Clementi V. & Johan. XXII. apprimè charus. Obiit Avenione, cùm Andronicum Imper. Orientis generum suum, adjutum iret. Anno Christi 1323. æt. 74. princip. 38. Papyr. Masson. Guichenon.

Amedeus VI. Viridis comes dictus, princeps clarissimus. Vicinis devictis, Johannem Franc. R. contra Eduardum juvit, cum Joanna Sicula fœdus iniit, Ordinem dell' Annonciada instituit, Johannem Palæologum à Bulgaris liberavit. Arbiter Italiæ & Paparum vindex. Obiit in Apulia, quò adjutum venerat Ludovicum Andeg. Neapolis R. A.C. 1383. Princip. 40. Chieza, Guichenon, Andreas Favinus, *l.* 8.

Amedeus VII. Rufus cognom. jus suum contra hostes egregiè tuitus, Carolo VI. Gallorum R. auxilia submisit, Nicæam in potestatem redegit, in venatione equi lapsu mortuus. An. C. 1391. Iidem.

Amedeus VIII. primus Sabaudiæ Dux, post prudens aliquod annorum regimen, secessit in arcem suam *de Ripaille*, solitudine delectatus. Postea à Concilio Basil. Papa electus A.C. 1440. Felicis V. nomen assumsit, sed post 9. annorum Schisma cessit Nicolao, Cardinalis titulo contentus. Obiit A.C. 1451. æt. 69. Æneas Sylv. *lib.* 7. *Comment. sub nomine Gobellini*, Platina, Onuphr. Genebr. *in Nicolao V.* Spond. A.C. 1439. &c.

Amedeus IX. Patris Ludov. successor, ob felicem administrationem *Fortunatus* dictus. Obiit A.C. 1472. æt. 37. Boter. *de Princip. Sabaudiæ*. Chiffletius, &c.

Amedeus Lausannensis, sec. 12. Coccius *in appar.*

Amedeus de Talaru, Arch. Lugd. à Carolo VII. ad Eugenium missus A. C. 1432.

Amedeus, Franciscanus Portugall author libri cui *Apocalypsis* nomen, sec. 15. Marc. Olissipon. *hist. Seraph. p.* 3. *l.* 6. *c.* 30. Bzovius, Spond. A.C. 1471. Duo comites Taurin. &c. V. quoque *Amadeus*.

Amel, regnum Afr. in ora maris Atlantici, intra ostia fluv. Nigri in Nigritia.

Amela, civitas Mediæ. Ptolemæus.

Amelandia, Ins. maris Germ. in littore Frisiæ Occid. sub Batavis, oblonga, 6. leuc. Gall. Leovardia distat in Boream. Sabulosa versus Bor. versus merid. verò frugum ferax. Hîc magna canum marinorum copia. Guicc. *descr Belgii*.

Amelas, opidum Lyciæ. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

Amelech, vel *Hamelech*, Lat. *rex*, sive *consiliarius*, pater Joas, 3. Reg. 22. Item alius, de quo Jeremias, *cap.* 36.

Ameles, fluv. apud inferos, cujus aquam nullum vas continere potest. Plato *lib.* 10. *de Rep.* Σκηνᾶσθαι οὖν σφᾶς ἤδη ἑσπέρας γιγνομένης παρὰ τὸν Ἀμέλητα ποταμὸν, οὗ τὸ ὕδωρ ἀγγεῖον οὐδὲν στέγει.

Amelesagoras, Clem. Alex. *Strom. l.* 6. Meletagoras, antiquissimus historicus. Voss. *de hist. Gr. l.* 1. *c.* 2.

Amelius, Philosophus Apamensis, discipulus Plotini, Porphyrii magister, aliis commilito, Ammonii & Origenis coætaneus. Suidas. Vignier. A.C. 215. Voss. *de Philos. c.* 17. *§.* 6.

Amelongus, Romualdi regis Longobardorum miles, cui tantum robur extitit, ut Græcum quendam equitantem ictu baculi sellâ excusserit, & in aëra supra caput suum extulerit. Paulus Diaconus.

Amen, ob veritatem CHRISTUS sic dictus. Apocalyps. 3. 14. τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ. In calce orationis optantis est particula, & idem significat quod *Fiat*. Est etiam assertoria particula, & significat *verè*, seu *fideliter*. Suidas. Ἀμὴν, πεπιστευμένως, ἀληθῶς.

Amenanus, Siciliæ fluv. ad Ætnam mont. Strab. qui hodie *Judicello* dicitur Fazello. *Amelianus* Stephani videtur in *Catane*, sed tu lege Ἀμενανὸν, ac obiter emenda Ovidium *Met. lib.* 15.

Nec non Sicanias volvens Amasenus arenas
Nunc fluit; interdum suppressis fontibus aret.

Scribe *Amenanos*; & ne dubites, Strabonem audi de hac ipsa re & fluvio loquentem, *lib.* 5. Καθάπερ περὶ τοῦ Ἀμενάνου συμβαίνειν φασὶ τοῦ διὰ Κατάνης ῥέοντος, ἐκλείπει γὰρ ἐπὶ πολλὰ ἔτη, καὶ πάλιν ῥεῖ. Apud eundem Ovidium *Fast. l.* 4. ubi:

—— *Amisenaque flumina cursu*
Præterit. —— legas, scribe *Amenanaque*, &c.

Emendationes istas Fulvio Ursino primùm debes, lector, deinde Philippo Cluverio, novissimè Nicolao Heinsio.

Amenides, scriba Darii, ultimi Persarum R. postea Alexandro operam dedit, ab eo Evergetis, qui & Arimaspi, præpositus. Curt. VII. 16.

Amenophis, Ægypti rex, regnavit an. 21 Euseb. Edictum de necandis Hebræorum pueris proposuit, cui per obstetricum pietatem satisfactum non fuit. *Amenophis*, alius Ægypti rex, qui Græciam, Syriam, & Phœnicen suæ ditioni adjunxit, Scythas subegit, atque in Thraciam exercitum duxit. *Vexores* à Justino & Orosio dici videtur, ab aliis *Sesostris*. *Amenophis* alius quoque Ægypti rex. Herodoto *Pheron* dici videtur, *lib.* 2. Ob impietatem (quia in Nili exundatione sumptum spiculum in medios vortices extorsit) excæcatus, rursusque post undecim annos oraculo monitus, ut oculos ablueret lotio mulieris, quæ unicum virum cognovisset, paruit, & visum recepit. Vid. de his Euseb. African. Joseph. *contra Appian. l.* 1. *c.* 5. Plin. *l.* 36. *c.* 7.

Amera, urbs Antorum circa Mæotidem paludem. Procop.

Amerbachius Bonifacius, V. ibi. Fil. Joh. Typographi nobilissimi, JC. excellens, & in Academia Basiliensi, per annos complures, Professor, Reip. Christianæ cùm docendo, tum de jure respondendo, plurimum profuit. Obiit an. 1562. æt. 67. Pater Basilii, JC. similiter celeberrimi. Hujus Bibliothecæ instructissimæ, juncta, ex legato, cimelia Erasmiana insigne hodieque Bibliothecæ

Academicæ præfatæ urbis ornamentum sunt. Plura de celeberrima Amerbachiorum Basileensium familia, vid. apud Chr. Urstisium, *epitome hist. Basil cap.* 19.

Ameria, civitas Umbriæ, ante Persicum bellum annis nongentis septuaginta quatuor condita, teste Catone apud Plin. 3. 14. Unde *Amerina retinacula* pro viminibus. Virg. *Georg.* 1.

Atque Amerina parant lenta retinacula viti.

Stephanus Ἀμέριον vocat. Conditorem nescio cujus nationis, aut conditionis hominem, indicavit Festus *his verbis: Ameria, urbs in Umbriâ, ab Amerio sic adpellata.* Fuisse municipium Romanorum testantur vett. Inscriptiones. Hinc Tullius *Orat. pro Sexto Roscio*, ubi crebrò nominat *Ameriam*, *municipem Amerinum* vocat Roscii patrem. Coloniam paulò pòst Augusti jussu eò deductam ait Frontinus *lib. de Coloniis. Ager*, inquit, *Amerinus, lege Imperatoris Augusti est adsignatus veteranis. Amerina salix* à Plinio & aliis plurimùm commendatur, ubertim enim ibi provenit, quæ substrata toris, Venerem cohibere creditur, amica castitati. Unde Ἄγνος salix à vett. dicta. Hinc *Amerina*, genus pyrorum. Stat *lib.* 1. *Silv. ult.*

Et massis Amerina non perustis.

Plinius inter serissima pyrorum genera numerat, quem vide *l.* 15. *c.* 15 long. 35. 40. lat. 42. 23.

Ameria, vulgò *Aymeries*, castrum Hannoniæ prov. ad Sabim fluv. in Belgio, inter Quercetum opp. & Avennas. Male habitum hoc bello Gallico.

Amerias, vel *Amerius*, Macedo, de origine vocum scripsit, Suid. Athen. Voss. *de Philol. c.* 5. *§.* 16.

America, quæ ob immensam suam longitudinem (Circulum enim utrumque, Arcticum & Antarcticum pertingit, & transit) Novus orbis hodie vocatur, veteribus incognita mansit usque ad An. Dom. 1492. quo primùm a Christophoro Columbo Genuensi, & Americo Vespurio Florentino, à quo ei nomen, Anno 1497 detecta est, quod humanæ admirationis modum excedere videtur. Consideratâ namque cùm antiquorum, in describendo orbe terrarum diligentiâ, & amplissimorum Imperiorum ad perquirendas regiones commoditate, opportunitateque, tùm humani generis dirâ atque insatiabili auro atque argento inhiante cupidine nihil non tentante, quibus hæ regiones incredibili copiâ abundant, tam diu potuisse orbi nostro latere, homines docti non semel mirati sunt. L. Loydius. Contrarium tamen suadere videtur, Plato *Tim tom.* 3. *p.* 24. *edition. H. Stephani.* Cui Crator, Origenes, Porphyrius, Proclus, Marsil. Ficinus suffragantur. Nec dissentit Tertull. *de Pall. c.* 2 *& Apolog. c.* 40. ut Turnebus & Pamelius ostendunt. Adde quòd Diod. Sic. *lib.* 5. scribit de Phœnicibus quibusdam, in Insulam fertilissimam Africæ oppositam, conjectis. Qui insuper docet, Pœnos omnem lapidem movisse, ut Europæis hæc regio maneret ignota. Sic Autor *L. de Mundo* ait, ultra magnam illam Inf. quæ Europam, Asiam, Africamque continet, adhuc alias esse. Vid. Plin. *l.* 2. *c.* 92. Arnob *l.* 1. *contra Gent.* Becan. *l.* 3. *de Antverp.* Turneb. *l.* 20 *Advers. c.* 11. Pamelium, in Tertull. *de P. c.* 2. *n.* 25. & *c.* 40. *n.* 528. *Apologet.* Voss. *de Mathem. c.* 42. *§.* 10. Tota autem hæc pars hodiè circumnavigata est. A Sept. in Merid. descendit sub formâ duarum peninsularum, quæ tenui isthmo 17. leuc discernuntur. Ortel. Franciscus Lopez Gomara, & Hieron. Girava Tarraconensis ejus provincias & partes unà cum variarum gentium in eis habitantium moribus descripserunt. Extant etiam in Hispanica, ac Italica & Anglica lingua non pauci alii scriptores, qui hujus orbis situm, solum, fertilitatem, & statum exactè depingunt. A Costa, *l.* 1. *c.* 1. Herrera *l.* 1. Cluv. *l.* 6. Moquet. Oviedo, Vincent. le Blanc. Maffeus. &c. Regio patet in longitudinem 750. mill. Germanica, in latitudinem verò 525. Baudrando, *America* persæpe dicitur, sed impropriè, Indiæ Occidentales, *les Indes Occidentales* Gallis, *West Inde* Belgis: Non tantùm ab Hispanis, qui illam denominationem primi usurparunt, sed etiam à Belgis, Anglis, & aliquando à Francis, quòd eodem ferè tempore detecta sit ad Occidentem, quo ad Orientem India reperta est. Clauditur ab Occidente mari Austrino seu Pacifico, ab Oriente mari Boreali & Æthiopico, & Meridiem versùs freto Magellanico, & freto Mæreo. At septentrionales ejus fines sunt incogniti, neque hactenus ab hac parte perlustrati. Multæ illius partes subsunt Regi Hispaniæ, uti Peruvia, Nova Hispania, & aliæ regiones. Quædam autem versùs oram maritimam parent Francis, Anglis, Batavis, Lusitanis, atque Suecis. Ibi incolæ cultiores redditi sunt post Europæorum adventum. Sed qui mediterranea incolunt loca, mores patrios adhuc retinent. Dividitur autem in *Septentrionalem* & *Meridionalem.*

America septentrionalis, quæ & Mexicana dicitur, à Mexico urbe præcipua, habet à Septentrione terras Arcticas incognitas, ab Occidente & Meridie fretum Anianum & mare Pacificum seu Austrinum, ab Oriente autem sinum Mexicanum, & mare Boreale.

America septentrionalis regiones.

Canada, quæ & Nova Francia, *le Canada, ou Nouvelle France.*
Estotilandia, *Estotilandt.*
Florida, *la Floride.*
Nova Anglia, *Nouvelle Angleterre*, Anglis *Niew Englandt.*
Novum Belgium, *Nouveau Pays-Bas*, Batavis *Niew Nederlandt.*
Nova Dania, *Nouveau Danemarck.*
Nova Hispania, seu regnum Mexicanum, *la Nouvelle Espagne, ou le Mexique*, Hispanis *Nueva Espanna, ò Mexico*; ubi *Jucatan, Nicaragua, Nova Galizia, Mechoacan, Guatimala,* & *Honduras* provinciæ.
Novum Regnum Mexicanum, aliis Nova Granata, *le Nouveau Mexique.*
Virginia, *la Virginie.*
California Insula, *l'Isle de Californie.*
Cuba insula, *l'Isle de Cuba.*
Hispaniola insula, *l'Hispaniola Isle, ou S. Domingue.*
Terra nova ins. *l'Isle de Terre-neuve.*
Aliæ multæ insulæ Antillarum nomine contentæ.

Urbes præcipuæ Americæ septentrionalis.

Amstelodamum novum, *Nouveau Amsterdam.* Angelopolis, *Ciudad de los Angeles.* Anticaria, *Antequera.*
Dominicopolis, *S. Domingo*, Gallis *S. Domingue.*
Emerita, *Merida.*
Fanum S. Joannis de Portu divite, *S. Juan de Puertorico.*
Guadalaxara, *Guadalajara.* Guatimala, *S. Jago de Guatimala.*
Havana, *la Havana.*
Mechoacanum, *Mechoacan.* Mexicum, *Mexico*, quæ totius illius partis facilè primaria.
Novum Plimuthum, *Nouveau Plimouth.* Panucum, *Panuco.* Pomeiocum, *Pomeiock.*
Quebecum, *Quebec.*
S. Augustini Fanum, *S. Agostino.*

America meridionalis, quæ etiam Peruviana nuncupatur à Peruviæ regno, habet ad Septentrionem mare Boreale, ad ortum Oceanum Æthiopicum, ad Austrum mare Magellanicum, fretaque Magellanicum & Mæreum, ad occasum autem mare Pacificum, seu Austrinum.

Americæ meridionalis regiones.

Brasilia, *le Bresil.*
Cile, *le Chili.*
Guajana, *la Guaiane.*
Magellanica, *la terre Magellanique.*
Nova Andalusia, *Nouvelle Andalouzie.*
Novum regnum Granatense, *nouveau royaume de Grenade.*
Paraguaya, *le Paraguay.*
Parana, *Parana.*
Paria, *Paria.*
Popajani tractus, *le Gouvernement de Popajan*
Peruviæ regnum, *le royaume de Perou.*
Terra firma, *la Terre ferme.*
Terra ignium, *Terre de feux*, Hispanis *Tierra del fuego.*
Tucumania, *le Tucuman.*
Venezuela, *la Venezuele.*

Urbes præcipuæ Americæ meridionalis.

Arequipa, *Arequipa.* Argentea, *la Plata.* Arica, *Arica.*
Baeza, *Baeça.* Bonus aër, *Buenos Aires.*
Carthagena Nova, *Nouvelle Carthagene.* Civitas S. Fidei, *S. Fé de Bogota.* Conceptio, *la Conception.* Corum, *Coro.* Cuscum, *Cusco.*
Fanum S. Jacobi, *S. Jago.* Fanum S. Sebastiani, *S. Sebastiano de Rio de Janeiro.*
Guaira, seu Civitas Regia, *Guaira.*
Lima, quæ & civitas Regum, *Lima ò los Reyes.*
Manua, *Manoa el dorado.* Maranonium, *S. Luis de el Maranon.*
Olinda, *Olinde de Pernambuco.*
Panama, *Panama.* Para, *Para.* Popayanum, *Popaian.* Portus omnium Sanctorum, *la Baya de todos los Santos*, seu *Saint Salvador.* Portus securus, *Porto seguro.* Potosium, *Potosi.*
Quitum, *S. Francesco de el Quito.*
Santa Marta, *Sainte Marthe.* Siara, *Siara.*
Trugillum, *Trughillo.*

Cæterùm de Gentium Americanarum origine Disquisitionem scripsit Vir πολυμαθέστατος Hugo Grotius, ad quam notas & observationes edidit Joannes de Laet Antwerpianus, qui accuratè hanc quartam Orbis partem descripsit.

Americus Vespucius, Florentinus, auspiciis Emanuelis, Lusitaniæ R. primus Europæorum Americam, à se dictam, ingressus est; Postquam Christ. Columbus quinquennio antè Insulas vicinas, nomine Ferdinandi & Isabellæ detexisset. Scripsit librum, de quatuor suis navigationibus, quem Renato Andegav. Siciliæ R. dedicavit. Voss. *de Histor. Lat. l.* 3 *c.* 12. & *de Mathem. c.* 42. *§.* 10.

Ameriola, opidum in Latio, quod jam interiit, ideoque locus ejus ignoratur. Plin. 3. 5.

Amersfordia, urbs Belgii, ditionis Ultraject. ad Emam fluv. probè munita. In illo tractu montes sunt, qui vulgò ab illo *Amersforderberg* dicuntur. Malè habita hoc bello Gall.

Amessis, filia Amenophis, post Patrem in Ægypto regn. An. 48. Euseb. *in Chron.* Aliter Joseph. contra Appion. *l.* 1. *c.* 5.

Amestratus, op. Siciliæ, circa Halesum amnem, binomium. Ad prius nomen pertinent Philisti Μυτιστράτῳ, Polybii Μυτιστράτον, Zonaræ Μυτιστράτον, & Plinii *Mutistratini.* Ad posterius Silii

Amastra,

Amastra, Apollodori Ἀμήστρατος, & Ciceronis *Amestratini*. Stephanus ridiculè descripsit περὶ Καρχηδόνα, *circa Carthaginem*, idque tanquam ex Polybio, cùm & ille, & alii omnes Siciliæ adscribant. Itaque non fuit circa Carthaginem, sed Carthaginensium in Sicilia oppidum munitissimum, quod Romani per 7. menses frustra obsessum, nec sine magnis cladibus, tertiâ tandem obsidione ceperunt, & solo æquarunt, civibus quotquot supererant, sub coronâ venditis. Diodorus *lib.*23. Nomen non intelligo satis (inquit Bochartus) nisi quòd à templo Astartes Punicæ Deæ dictum fuisse suspicor. מת־עשתרתא *mat-Astrata*, &. עם־עשתרתא *am-Astrata*, id est, *urbem*, vel *populum Astartes*

Amestris, Regina Persarum, Xerxis uxor, de qua multa Herodotus *l.* 9. Diodor. *l.*11. Hæc, ut gratiam Diis referret, quòd in vita diu processerat, 14. illustrium Persarum liberos sub terram vivos defodisse, & votum persolvisse dicitur; similiter in Artaintæ, à marito amatæ, matrem fuit crudelissima, quam in convivio regali, *Tecta* dicto, quæ vox *perfectum* designat, à Xerxe impetratam, uberibus, auribus, naribus, linguâ labrisq; privasse legitur.

Amianus, Alexandriæ Episcopus, B. Marci Evangelistæ discipulus, oculum sibi perforavit, quòd intuitu parum pudico transeuntes fœminas conspexisset. Sabell. *in Exemplis*.

Amicitia, Gentium dea, cujus picturam, & ejusdem explicationem vide apud Balduin. *Iconologiâ*, L. Gyraldum, *Synt. de Diis Gentium*.

Amicus, ac *Dexter*, id est, *propitius*, & *favens*, Hercules cognominatus est, idque sumptum ex eo, quòd lucri Deus Hercules ab Ethnicis creditus sit. Horat. *lib.* 2. *Sat.* 6.

——— *Dives Amico*
Hercule. Persius *Sat.* 2. ——*Et ô si*
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule. ———

Amicusia, insula in mari Rubro. Steph.

Amida, quæ Ptolemæo *Ammæa*, Mesopotamiæ ad Tigrim opidum, à Sapore Persarum rege ingenti exercitu obsessum, captumque, cæsis Romanis. Amm. Marcel. *lib.* 19. A Constantino Imp. instauratum fuit, & *Constantia*, dictum. Hic Præfectus Turcarum residet, à quibus *Carahemit* ob nigredinem dicitur, teste Joanne Leunclavio. long. 78. 15. lat. 39. 30. Vid. Davity, *de Statibus Turc. in Asia*, *p.* 318.

Amilcar, cogn. *Rhodanus*, dux Carthaginensis, facundiâ & solertiâ insignis, de sententia Atheniensium, qui eâ tempestate crescentem Alexandri M. potentiam timebant, in castra Alexandri pervenit, sese & exulem fingens, & militem offerens, Parmenione aditum conciliante. Atque ita, consiliis ejus exploratis, in tabellis ligneis, cerâ desuper inductis, omnia Atheniensibus perscribebat. Trogus *lib.*21.

Amilcar, an alius, an idem, quem supra nominavimus, inter authores non satis deprehenditur; qui à Syracusanis accersitus est, fortiterque pugnavit contra Agathoclem tyrannum, eos obsidione prementem, quem tamen postea plurimum juvit, unde à Syracusanis domi accusatus est, sed obiit Syracusis paulo pòst. Trogus *lib.*32. Diodor. Sic. *l.* 20.

Amilcar, cognomento *Barcha*, pater Annibalis, qui primam, secundùm Annibalem filium, inter Pœnos duces gloriam obtinuit. Hic ex Livio, *l.* 21. Corn. Nepote, *in vita ejus*, Plut. *in Annibal.* Polyb. *l.* 2. Diod. *l.* 25. Silio, aliisq; scriptoribus notissimus est.

Amilcar, alius apud Livium, *lib.* 31. ubi ait. L. Furium Prætorem Gallos Insubres rebellantes, & Amilcarem Pœnum in acie vicisse. Vid. etiam Oros. *l.* 4. *c.* 19. Eutr. *l.* 4.

Amilcar, Anno U.C. 550. Galliâ contra Romanos excitatâ, per Cenomanenses proditus est. Liv. 32. Frontin. Stratag. *l.* 3. 16 Alius, cum exercitu cæsus à Gelone Syracus. Rege, prope Himeram; cùm Afri, Xerxis suasu, in Siciliam venissent.

Amilco, Vid. *Himilco*.

Amilos, vel *Anulus*, amnis in saltibus Mauritaniæ, ad quem, nitescente Lunâ novâ, greges elephantorum descendunt, ibique se purificantes aquâ solenniter conspergunt, atque ita, salutato sidere, in silvas revertuntur. Plin. 8. 1.

Amilton, promuntorium prope Byzantium. *Amilion* etiam legitur. *Tripition* (teste P. Gyllio) hodie dicitur.

Amilus, urbs Arcadiæ. Steph.

Amimone vel *Amymone*, fons apud Argos, in Lernam fluens. De quo Ovid. *l.* 2. *Metam.* —— *Quærit Bœotia Dircen,*
Argos Amimonen, Ephyre Pyrenidas undas.

Aminadab, Lat. *populus spontaneus*, sive *populus vovens*, aut *populi princeps*, Levita, pietate insignis, Arcæ custos, per 20. an. 1. Reg. 7. 1. Jos. *l.* 6 *H. J. c.* 2. Item, Filius Ram, filii Esron, filii Phares. 1. Par. 4. 10. Pater item Naasson, Principis tribûs Juda. Numer. 1. 7. Ruth 4. 20.

Aminea, reg. Campaniæ, pop. *Aminei*, qui sunt ejus agri cultores, qui postea dictus est Falernus. Unde *Aminea vina* olim dicta sunt Falerna, à reg. nimirū nomen sortita; non, ut Servius somniat, ab eo quòd *sine minio* essent, h. e. alba, & ruboris expertia. Macrob. *Satur.* 2. 16. *Uvarum ista genera; Aminea, sc. à regione. Nam Aminei fuerunt, ubi nunc Falernum est.* Virgil. tamen videtur Amineam vitem extra Falernum agrum collocare, *Georg.* 2. his verbis:

Purpurea, Preciaq;, & quo Te carmine dicam
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt & Aminea vites, firmissima vina.

Non omittendum hic, aliquos in Virgilio legisse *Taminea vites*. Vide Scal. *in Fest.* Quidam intelligunt genus uvarum, quæ austeræ sunt. Nam Galenus *lib.* 6. κτ̀ τόπους dixit, σαφυλαὶ αὐστηραὶ Ἀμιναίας; Quem sequitur Ætius & Ἀμιναίας explicat τὰς στυφούσας, hoc est, *astringentes*. Huc etiam accidit, quòd Dioscorides Aminæas exigit in conficiendo Omphacio. Alciatus vinum hujus generis interpretatur ἄμεμπτον, quia *optimum*. Notandum quoque duplicem fuisse Aminæam, minusculam & majorem, quod docent Cato *de R. R. c.* 6. & Varro *l.* 1. *c.* 25. iisdem verbis. Genus quoddam Amineæ Varro vocat *Scantianum*, quod & Plin. commemorat, *lib.* 14. *cap.* 4. Porro fertilitatem Amineæ celebrat ex Varrone Auctor Geoponicωn, *lib.* 5. Hesychius: Ἀμιναῖον, δι' ἑνὸς ν, τὸν οἶνον λέγει. ἡ γὰρ Πευκετία, Ἀμιναία λέγεται.

Aminelia, *Aminel*, opp. Africæ, in ora & prov. Barbariæ.

Aminias, Pronapi filius, archon Athenis, Olympiad. aleator, sycophanta & arrogans, de quo scholia *in Aristophanis Nebulas*. Item *Vespas*, *pag.* 436. *c.* 1.

Aminias, Archipirata, ab Antigono subornatus ad decipiendum & evertendum Apollodorum, Cassandreæ tyrannum, de quo Polyænus *lib.* 4. *in Antigono com.* 18.

Aminius Rebius, ex primoribus peritiâ legum & pecuniæ magnitudine, Q. Volusio & P. Scipione Coss. cruciatus ægræ senectæ misso per venas sanguine effugit: haud creditus sufficere ad constantiam sumendæ mortis, ob libidines muliebriter infamis. Lipsius L. *Caninius Rebius*. Muretus verò *Caninius Robilius* vulgatum tuetur Flor. Cod. apud Tacit. 13. 30.

Aminius, Arcadiæ fluv. Pausanias.

Aminone, fluv. Ciliciæ. Vibius Sequester.

Aminula, urbs parvarum opum in Apulia. Festus.

Amiotus Jac. Melodunensis, Hen. II. Gal. R. filiorum præceptor, inde Abbas, & ad Concil. Trid. missus. Porro Episc Antissiodorensis, Plutarchum vertit & Diod. Sic. A. C. 1551. *Biblioth. Gall. pag.* 229, 230.

Amisena, regio Cappadociæ. Srabo, *lib.* 12.

Amisias, poëta Comicus, ob frigus, Aristophani ridetur. Aliquot ejus contra Socratem versus Vid. apud Diog. Laërt. *in Socrate*. Suidas. Videtur legendum *Amipsias*. Vide Voss. *de poëtis Græc.* ubi in indice *Amiphias* dicitur.

Amisius, fluv. Germaniæ, vulgò *Ems*, vide *Amasia*.

Amisodarus, Lyciis *Isarus*, piratæ Chimaræ socius. Plut. *de virt. fœm. c.* 14. Vid. *Bellerophon*, *Chimara*.

Amissas, Megapolitanus, in exercitu Macedonico, à Philippo Aridæo ad Equites extra Babylonem tendentes & frumentum in urbem convehendum intercipientes missus, de finiendâ cum Peditibus discordiâ armisque ponendis. Curt. 10. 32.

Amisus, *Amisum* Plinio. *Simiso* incolis, & *Amid*, sive *Hemid* Turcis, teste Leunclavio, urbs archiep. Paphlagoniæ maritima, à Sinope 175. m. p. in ort. Trapezuntem versus, in reg. Chalybum primaria, à Byzantio 500. m. p. in ort. media inter Sinopen & Themiscyram ad ort. vergentem. long. 65. 50. lat. 44. 15.

Amital, vel *Hamital*, Lat. *calor roris*, aut indignatio roris; vel ex Hebræo & Syro, *caloris sui umbra*, mater Joachas filii Josiæ 2. Reg. 23. Mater item Sedeciæ fratris Joachaz. 2. Reg. 24.

Amitatanus, lacus Americæ, in Nov. Hisp. prope civ. S. Jacobi de Guatimala, à qua 4. leucis tantùm in ortum distat.

Amiternum, Italiæ opidum, Sallustii natalibus clarum, Plin. *l.* 3. *c.* 5. Eus. Paulo Diacono *Amiternus*, Dionysio Halicarnassensi, *lib.* 2. fœm. gen. Ἀμιτέρνα. Inde opidani *Amiternini*. Virgilius autem, & Silius Italicus, metri causâ dixere *Amiternam cohortem*, ut & Martialis *Amiternum agrum*, *lib.* 13. *epist.* 20. Strabo *lib.* 5. Πόλεις δ' ἔχουσιν οἱ Σαβῖνοι ὀλίγας, καὶ τεταπεινωμένας διὰ τοὺς συνεχεῖς πολέμους, Ἀμίτερνον καὶ Ῥέατον. Non procul ab *Aterni* fonte situm fuisse hoc opidum ex Varrone *de L. L. lib.* 4. discimus. *Amnis*, inquit, *id flumen est, quod circuit aliquid, nam ab ambitu amnis. Ab hoc, qui circa Alternum habitant flumen, Amiternini adpellati.* Rudera ejus non procul Aquileiâ hodieque visuntur. Vide Davity, Cluver. *Ital. Ant. pag.* 37. 10. lat. 42. 24.

Amithaon, vel *Amythaon*, pater Melampodis medici, & Sabinorum vatis. Stat. *Thebaidos tertio:*

—— *Solers tibi cura futuri*
Amphiarae datur, juxtaq; Amithaone cretus
Jam senior, sed mente virens, Phœboq; Melampus
Associat passus. ———

Hinc *Amithaonius*. Virgil. *Georg. lib.* 3.

Quæsitaq; nocent artes, cessere magistri,
Phillyrides Chiron, Amithaoniusq; Melampus.

Item, Vir quidam Lemnius, à muliere occisus.

Amitinenses, Latii populi. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

Amitrochares, rex Indorum, per epistolam ab Antiocho mitti sibi ischadas flagitavit. Cæl. Rhod. 18. 9. Lege *Amitrochates*, & vide Athenæum, *lib.* 14.

Amixocori, pop. Americæ, in Brasilia Mediterr. versus præfecturam fluv. Januarii.

Amma, Lat. *obscurata*, sive *cooperta*, aut *populus ejus*, sive *cum eâ*; civitas in tribu Aser. Jos. 9.

Amma, Emmen, fluv. Helvetiorum, qui cadit in Arolam fluv. infra Salodorum. Oritur prope Thunum lacum.

Ammaa, Mesopotamiæ urbs præclara, vide *Amida*. Item Arabiæ desertæ urbs. Ptol. in intimo recessu sinus Persici.

Ammadara, Ptol. urbs Africæ olim episcop. sub Archiepiscopo Carthaginensi, adhuc perseverans, & nomen antiquum retinens, inter Tebestam 25. & Lares 48 .m .p. sita. *Admetera* Antonino. long. 32.10 lat. 30.30.

Ammattha, Syriæ urbs. Lib. Notit.

Ammana, Vide *Philadelphia*.

Ammanitæ, genus Nabatæorum Arabum Josepho, vulgò *Ammonitæ*.

Ammas. Hesychius, Ἀμμὰς, ἡ τροφὸς Ἀρτέμιδος, καὶ ἡ μήτηρ, καὶ ἡ Ῥέα, καὶ ἡ Δημήτηρ. Dicitur quoque Ἀμμὰ, & Ἀμμία etiam. Hebraicum est origine. Vide Seldenum *de Diis Syris, pag.* 166.

Ammaum, nomen civitatis. 1. Macch. 9.

Ammer, Ammerrée, lacus seu palus in Bavaria prov. fluv. Amber eum præterfluit, Monachio 5. leucis, Augustâ 6. & Landsbergâ 2. distans.

Ammianus, poëta quidam celebris, cujus meminit Cæl. Rhod. 17.11. refertque ex eo distichon quoddam, cujus hic sensus est, *Facilius multo esse, corvos reperisse albos, volantesque testudines, quàm Rhetorem ex Cappadociâ vitæ probioris.* Græcum velis? En tibi:

Θᾶττον ἔην λευκὰς κόρακας, πτηνάς τε χελώνας
Εὑρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα Καππαδόκην.

Ammianus Marcellinus, historicus Lat. Græcus natione; Antiochiâ oriundus, floruit sub Gratiano, & Valentiniano. Scripsit libros 31. ex quibus 13. priores deperierunt. Cujus fuerit nationis, & quâ professione, unde item historiam cœperit, & quousque sit progressus, verba ista *in epilogo historiæ* ostendunt: *Hæc, ut miles quondam, & Græcus a principatu Cæsaris Nervæ exorsus adusque Valentis interitum, pro virium explicavi mensura.* Scriptor est veritatis studiosissimus, & prudens, gravis planè ac serius; & dignus qui ab omnibus ametur. Dictio horridior est, sed tantæ sunt virtutes ejus, ut hoc in rationem venire non debeat. Antiquitatum inprimis Celticarum habet plurimum, & optimè explicat Francorum, Alemannorum Burgundorumque origines. Vide Voss. *de Hist. Græc.* 2.18. *Hist. Lat.* 2.9. La Mothe le Vayer, *Jud. de Historicis.*

Ammiel, Lat. *populus Dei*, vel *mecum Deus*, pater Bathsuæ, matris Solomonis. 1. Par. 3. quæ & Bathsheba dicta est. Filius item Gemalli. Num. 13. Pater Machir de Lodebar. 2. Reg. 9.

Ammienses, pop. Hisp. Plin. 4.21. ab *Ammia* civitate, cujus meminit Ptolemæus.

Ammisdai, Lat. *populus omnipotentis*, sive *mecum omnipotens*, aut *mecum devastator*, pater Achiezer; princeps tribûs Dan. Num. 1.

Ammites, fluv. Græciæ. Athenæus *lib.* 8.

Ammiud, Lat. *populus laudis*, vel *confessionis*, aut *mecum laus*, sive *confessio*; pater Elisama principis tribûs Simeon. Num. 34. Pater Tolmai. 2. Reg. 13.

Ammochostus, urbs Cypri episcopalis in ora ad orientem, post Leucosiam primaria; vulgò *Famagosta*. Aliàs *Arsinoë* dicta. Vide *Arsinoë*.

Ammon, aliis *Hammon*, Jupiter sub specie arietis cultus in Libyâ; sic dictus, quòd sitienti Libero patri in Arabiæ desertis, Jovemque imploranti apparuerit in formâ arietis, terramque concutiens pedibus fontem ostenderit. Quamobrem templum illic ædificavit, Jovique *Ammoni*, hoc est, *arenario* consecravit. Græci enim ἄμμον *arenam* vocant. Quod innuere Dionysium censet Eustathius, dum ait:

Καὶ τέμενος Λιβυκοῖο θεοῦ ψαμάθῳ ὑπὸ πολλῇ.

Sed cùm vocabulum illud origine Græcum non sit, sed ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς, teste Plutarcho *lib. de Iside & Osiride*. probabilius est, quod statuit Nicolaus Fullerus *lib.* 2. Solem (quem eundem cum Jove fuisse probat Macrobius *Saturn. l.*1.) hoc nomine cultum; Is verò Ebræis חמה *Hammah* dicitur à חמם *calere*, unde *corniger Ammon* fingebatur ad radios designandos à sole emicantes, sicut eadem vox Hebraica & *radios*, & *cornua* significat. Unde ridiculè apud Vulgatum Interpretem, ubi de vultu Mosis splendente agitur, *Et facies ejus erat cornuta.* Atque hinc Mosi cornua pictores vulgò attribuunt. Macrobio hæc vox significat Solem cadentem, Saturn. *l.* 1. *c* 21. Alii verò *Ham* filium Noë, cujus posteri Libyæ cultores, *Hammonis* seu Ammonis nomine pro Deo hîc cultum censent; quod Vossio placet *lib.* 1. *de Theol Gentili*, nec Fullero displicet, cùm ab hoc *Ham*. vel *Cham* Ægyptus *terra Cham* dicatur, Psal. 105. & Χημίαν *in sacris Isidis* vocatam Plutarchus testetur. Lucan. *lib.* 9.

Quamvis Æthiopum populis Arabumque beatis
Gentibus ac Indis unus sit Jupiter Ammon.

Vide Curtium *lib* 4. *c.* 7. Diodor. *lib* 17. & Arrian. *lib.* 3. *c.* 2. Plin. *l.* 5. *c.* 5, 6. c. 29 & 37. &c. Strab. *l.* 1. & 17. Paus. *l.* 3. Ovid. *lib* 15. *Met.* Peucerum *in comm. de Divinat. gener.* Hujus meminere Suidas & Aristophanes in *Avibus*. Strabonis ætate negligi jam cœpit Ammonis oraculum, ut indicat ipse *lib.* 11. Διόπερ καὶ τὸ ἐν Ἄμμωνι σχεδόν τι ἐκλέλειπται χρηστήριον, πρότερον δὲ ἐτετίμητο. Magis etiam neglectum tempore Plutarchi, uti satis liquet ex iis quæ scripsit *de Oraculorum defectu* Nempe quanto magis perrumperet lux Evangelii, tanto minus pretium erat tenebricosis dæmoniorum oraculis. Itaque temporibus Theodosii senioris despicatui planè erat. Unde Prudentius:

Nec responsa refert Libycis in gentibus Ammon.

Diximus antè, quosdam ab Ægyptiis Jovem Ammonem vocatum putasse. Ita ferè Herodotus *in Euterpe*: Ἀμμοῦν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Et Plut. *in Iside.* Ἔτι δὲ τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμμοῦν, ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν. Denique Hesychius: Ἀμμοῦς ὁ Ζεύς. Ἀριστοτέλης. Nec in Ægypto solùm, sed & in Arabia & Africa universa notum fuisse nomen Ammonis, docent Arabiæ fluvius *Ammon*. Plin. 6.28. & *Ammonium* promuntorium. Ptol 6.7. & *Ammonii* populi, Plinius ubi supra. In Africâ propriè dictâ *Ammonis* urbs ad Cinyphum fluv. Ptol. 4.3. In insula Meroë delubrum *Ammonis*. Plin. 6.29. In Marmaricâ urbs *Ammonia*, Strabo *lib.* 17. quæ vulgò Parætonium. Denique regio *Ammoniaca*, ubi Ammonis oraculum toto orbe celeberrimum. Quid quod universa Africa dicebatur *Ammonis* vel *Ammonia* ab *Ammonis* Dei nomine. Stephanus. Ἀμμωνία ἡ μεσόγαιος Λιβύης, καὶ αὐτὴ δὲ πᾶσα ἡ Λιβύη οὕτως ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἄμμωνος. Vide *Hammon.*

Ammon, Ammonis templum, & Oraculum, Plin. Diod. & Solinus, Urbs Libyę infer. in Cyrenaicę reg. confinio, apud Garamantes, à Cyrene 400. m. p. in Aust. recedens *Canz, aron di Mahoma* nunc. Ejus meminit Claud. *de laud. Stiliconis l.*1.

Et velox Garamas, nec quamvis tristibus Ammon
Responsis.

Nunc in ruinis jacet.

Ammon, pugil, de quo Ovid. *Met* 5.

Hinc gemini fratres, Broteasque, & cæstibus Ammon
Invicti. ——— ——— ———

Item Tritonis filius, rex Libyæ, pater Dionysii, qui & Bacchus dicitur. Diodor. *Biblioth. hist. l.* 3. *c.* 68. *& seqq.*

Ammon, Lat. *populus ejus*, 17. Judæorum Rex, regnavit an. 3. Item filius Lot, ex filia sua minore. Gen. 19. à quo *Ammonitæ* populi. Hesych. Ἀμμὼν υἱὸς, μεθ' ἡμῶν λαός. Jos. *Antiq. lib.* 1. *cap.* 11. Torniel. An. M. 2138. *n.* 1.

Ammon, & *Ammonaria* apud Alexandriam sub Decio Imp. martyrio coronati sunt, quorum hic ex militibus fuit, illa ex nobilibus matronis. Euseb. *Hist. Eccl. l.* 6. *c.* 29.

Ammon, Ægyptius, monasticum vitæ genus excoluit; & cùm suorum impulsione uxorem duxisset, cum illa nunquam rem habuit, sed perpetuam cum illa virginitatem servavit. Sozom. *lib.* 1. *cap.* 14.

Ammon, anachoreta, auriculam sibi abscidit, ne Episc. fieret, sed frustra, Baron. A. C. 385.

Ammonia, mediterranea pars Libyæ. Imò tota Libya olim sic dicta. Steph.

Ammonia, Junô sic dicta, id est, *arenaria*, culta in Græcia ab Eleis. Pausanias.

Ammonii, populi, quos ex Ægypto originem duxisse author est Herodotus, ubi scribit, Ægyptiorum & Æthiopum fuisse colonos, & sermonem usurpasse partim ex Ægyptio partim Æthiopico conflatum. Verba ejus hæc sunt: Ἀμμώνιοι ἐόντες Αἰγυπτίων τε καὶ Αἰθιόπων ἄποικοι, καὶ φωνὴν μεταξὺ ἀμφοτέρων νομίζοντες.

Ammonitæ, Palæstina gens. Gen. 19. Ab Ammone oriundi, cum Moabitis, Cœlesyriam incoluere, Jos. *hist. l.* 1. *c.* 11. Victi à Iephtha, Jud. *cap.* 11. Saule, 1. *Reg.* 11. Jos. *Hist l.* 6. *cap.* 5, 6 Davide, 2. *Reg.* 10. 1. *Par.* 19. Juda Maccabæo, Jos. *l.* 3. *B l. c.* 2. *Ammanitas* vocat Jos.

Ammonium, promuntorium Arabiæ Felicis. Ptol.

Ammonius, Philosophus, sectæ Potamoniæ, vixit sub Nerone & Vespasiano, Præceptor Plutarchi, ut ipse sæpius, inprimis *in Themistocle* prædicat.

Ammonius, Alexandrinus, summus Philosophus, sub Severo, præceptor Origenis, & Plotini Philosophi, ut ait Porphyrius *lib.* 3. *contra Christianos.* A puero Christianus fuit; postquam autem ad maturam ætatem pervenit, sese ad Philosophiam convertit, desertâ fide. Eusebius autem *lib.* 6. eum fidem Christianam, cum Philosophicis studiis, integram, illibatamque servasse usque ad extremum scribit, ut & Hieron. *in Catal.*

Ammonius, Hermiæ fil. Procli discipulus, ejusque frater Heliodorus dicuntur magistri Damascii, apud Suidam *in* Ἑρμείας. Idem ἠγάπα τὴν ἐπὶ ποιητῶν ἐξήγησιν, καὶ διορθῶσιν τῆς Ἑλληνικῆς λέξεως κεκινημένην τέχνην, teste Photio *Tmem.* 242. hoc est, *Ammonius artem in Poëtarum enarratione, & Græcarum vocum correctione occupatam dilexit.* Quare eum aliquando scriptorem credidi libelli *De vocum Græcarum differentiâ.* Sunt qui hunc Ammonium Autorem vitæ Aristotelis esse malint. Vixit sec. 6. & in Aristotelem commentatus est. Vid. Vossium *de Sectis Phil. cap.* 17. §. 18. & c. 21. §. 6.

Ammonius, & Eusebius Scholasticus, Arcadio, & Theodosio juniore Imperantibus vixere; quorum uterque carmine descripsit

bellum

bellum contra Gainam, Gothorum regem. De his duobus sic Nicephorus 13. 6. *Si quis accuratius, plenius&q;, res eo bello gestas cognoscere velit, eum Gaineum librum legere jubemus, quem Eusebius Scholasticus composuit, Troici sophistæ sectator. Qui, cùm rebus gerendis spectator ipse belli interfuisset; in quatuor libellis heroico versu id luculenter exposuit; quod scriptum propter rei novitatem in magnâ admiratione fuit. Sed & Ammonius, Poeta alter, qui idem bellum carmine composuit, præclarus proximo imperio, sedecimo junioris Theodosii consulatu, quem cum Fausto gessit (tum enim poema id publicavit) habitus est.* Quæ ad verbum exscripsit ex Socratis *libro* 6. *cap.* 6. V. Voss. *de hist. Gr. l.* 1. *c.* 18. & *Poet. c.* 9.

Ammonius, historicus ἐν τῷ περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν citatur ab Harpocratione in Ἀμαζόνιον, uti & voce Ἐγχάρα. Ex quo etiam discimus Lampriensem fuisse, ut Gesnerus falsò Alexandrinum vocet. Eidem etiam Harpocrationi *in* Θύλ@- citatur ἐν τετάρτῳ περὶ κωμῶν. Quæ lectio si sana est, egerit de κώμαις, sive vicis illis, in quos Athenarum urbs erat distributa, uti regio ipsa in δήμους sive populos. Sed verisimilius est, pro κωμῶν etiam hic βωμῶν legi oportere. Vossius.

Ammonius, monachus, ad episcopatum gerendum vocatus, dextram sibi amputavit auriculam, ut mutilato corpore Consecrationem effugere posset. Socrates, *lib.* 4. *cap.* 18.

Ammonius, cognom. *Barca*, Dux Carthaginensium, apud Polyb. *lib.* 3.

Ammothea, nympha marina, Nerei & Doridis filia. Hesiod. *in Theog.* ita dicta ἀπὸ τῆς ἄμμου καὶ θεῖν, quasi *per arenam discurrens.*

Amnamethu, Arab. Fel. insula in mari Indico. Ptol.

Amnias, Vide *Zalifcus.*

Amnisus, portus Gnossi in orâ Cretæ boreali apud Minoam, cum fluv. ejusdem nominis, de quo Callimachus, Apollonius, & Suidas. Is nunc *Picorna* Nigro nuncupatur. Unde Nymphæ *Amnisiades*, & *Amnisides.* Stephanus.

Amnitæ & *Samnitæ*, ex al. cod. pop. Gall. Celt. ad Ligeris ostia: quorum opp. *Ancenis* dicitur, teste Bertrando Argent. Vid. *Ancenisium.*

Amnium, Bithyniæ fluvius. Appianus.

Amnon, Lat. *fidelis*, aut *verax*, vel *nutritius*, aut *pædagogus*, sive *matris filius*: primogenitus David ex Achinoam uxore. Polluit incestu Thamaram sororem, propterea biennio pòst, Absolonis jussu, inter mensæ sacra, occisus. 2. Reg. 13. Jos. *Hist. Jud. l.* 7. *c.* 1. & 7. Item filius Simonis. 1. Par. 4.

Amnus, Thuscorum rex, regnavit annis 25.

Amœbæus, citharœdus Atheniensis magni nominis fuit, jussus canere in nuptiis Demetrii & Nicææ. Polyæn. *l.* 4. *in Antigono, com.* 1. Ejus ex Aristeæ *de Citharœdis libro* meminit Athenæus, *lib.* 14. Zenoni coætaneum facit Plutarchus περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς. Laudat eum à continentiâ (utpote qui uxorem suam nunquam attigerit, quamvis formosissimam) Clemens Alexandr. *lib.* 3. *Strom.* Ælianus *Hist. An.* 6. 1. & *Var. Hist.* 3. 30. Hinc est quòd vir doctissimus Nicolaus Heinsius locum Ovidii 3. *de Art. Am.*

Tu licet & Thamyran superes atq; Orphea cantu.

Ita restituendum putat —— *Et Amœbea cantu.*

Amœnus, Poeta Christianus, author *Enchiridii* quibusdam, quod Prudentii operibus subjunctum est. Fabric. *de Poët. Christ.* Bigneus *Biblioth. Patrum tom.* 8. Voss. *de Poët. Lat. c.* 8.

Amolbus, civitas Magnetum, & alia Macedoniæ. Steph.

Amometus, historicus Gr. cujus meminere Plinius *lib.* 6. *cap.* 17. Antigonus Carystius *Hist. Mirab. cap.* 164. Ælianus qui ex eo de mira cujusdam carminis vi, quâ Crocodili ex aquâ evocentur, narrat, *de Anim. lib.* 17. *cap.* 6. Scripsit de Attaciis, Plin. *lib.* 6. *cap.* 17.

Amon, Lat. *fidelis*, aut *verax*, vel *nutritius*, sive *pædagogus*; filius Manasse, rex Juda. De cujus impietate & infelici exitu, vid. 4. Reg. 21. 2. Par. 23. Jos. *lib.* 10. *cap.* 4. *Antiq.* Item princeps Samariæ civitatis. 3. Reg. 22. Tertius quidam, de quo, Nehem. 7.

Amona, urbs in terrâ Israel, mare mortuum versus, in parte orientali Judææ, juxta quam Gog gigas sepultus jacet.

Amonius, vir nobilis, cujus tanta fuit abstinentia, ut nunquam nisi panem assum ederit, nunquam iratus, nunquam mentitus fuerit.

Amor, ponitur pro Cupidine, Veneris filio. Prop. 2. 12.

Quicunq; ille fuit puerum qui pinxit Amorem.

Theocritus: Νῦν ἔγνων τὸν ἔρωτα· βαρὺς θεός.

Vim ejus, sive potius violentiam nemo ferè Poetarum non exprimit. Græcos adducam ad *Cupidinem.* E Latinis duos tantùm impræsentiarum proferam, Virgilium, & Senecam Tragædum; Quorum hic *Georg.* 3.

Omne adeo genus in terris hominumq; ferarumq;,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq; volucres,
In furias, ignemq; ruunt: amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis, nec funera vulgo
Tam multa informes ursi, stragemq; dedere.
Per silvam tum sævus aper, tum pessima tigris:
Heu male tum Libyæ solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantùm notas odor attulit auras?
Ac neq; eos jam fræna virûm, nec verbera sæva,
Non scopuli rupesq; cavæ, atq; objecta retardant
Flumina, correptos undâ torquentia montes.
Ipse ruit dentesq; Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atq; hinc, atq; illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæcâ serus freta: quem super ingens
Porta tonat cæli, & scopulis illisa reclamant
Æquora: nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere Virgo.

Ille *Hippolyt. Act.* 1.

Nulla pax isto Puero: per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.
—— *Juvenum feroces*
Concitat flammas: senibusq; fessis
Rursus extinctos revocat calores:
Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et jubet cœlo Superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.

Exempla profert Phœbum, Jovem, Lunam, ac Herculem. Pergit,

Sacer est ignis, (credite læsis)
Nimiumq; potens. Qua terra salo
Cingitur alto, quaq; æthereo
Candida mundo sidera currunt;
Hæc regna tenet puer immitis:
Spicula cujus sentit in imis
Cærulus undis grex Nereidum,
Flammamq; nequit relevare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti quam magna gerunt
Grege pro toto bella juvenci!
Si conjugio timuere suo,
Poscunt timidi prælia cervi;
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. Tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto est spumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones
Cùm movit amor, tum silva gemit
Murmure sævo.
Amat insani bellua ponti
Lucæq; boves. Aliàs videri poterunt Plato *Tim.* & *Sympos.* Hesiod. *in Theogon.* Natalis Comes, *Mythol. lib.* 4. *cap.* 14. Giraldus *de Diis.* Philostr. *iconibus.* Pausan. *lib.* 1. 5. & 9. Plut. Athenæus, *lib.* 3. *cap.* 5. Lactantius Firm. *lib.* 1. *cap.* 11. & 17. Pierius, *hierogl.*

Amorbachium, urbs Germ. in Franconiâ, ad fluv. *Muldt*, qui paulo infra cadit in Mœnum in ditione Electoris Moguntini. 5. leucis Germ. ab Asciburgio, in merid. 3. autem à Verthæmo, in Occasum; in Othonis sylva.

Amorges, ex Larii ducibus unus, qui in Cariâ occiderunt. Herodot. *lib.* 2.

Amorgos, insula una ex iis, quas plerique Sporadas, Stephanus verò & Eustathius Cycladas esse statuunt. Item, castellum quoddam, in Ins. Patria Simonidis Poëtæ, qui hinc *Amorginus* dictus, Strab. *lib.* 10. Sunt qui *Amorgon* insulam, ex quâ ἀμοργὴ purpuræ genus, & ἀμόργινα ἱμάτια, per literarum inversionem fieri volunt ex Ebræo ארגמן *argaman*, quo purpuram significari nemo est qui nesciat. Favet huic conjecturæ, quòd ab Etymologo in voce ἀπομόρξατο, Ἀμόργινα ἱμάτια redduntur τὰ πορφυρᾶ, & ἀμόργη εἶδ@- βοτάνης πορφυρᾶς. Sed & *in Eustathio* ἀμόργη est πορφύρα κατὰ γλῶσσαν. Et in Stephano ἀμόργιν@- χιτών, χρώματ@- ἴδιον. Et *in Suidâ* ἀμόργεια, χρώματος εἶδ@- ἀπὸ νήσου Ἀμοργῦ@-. Aliis tamen placet *vestes Amorginas* à materiâ dici, quia ἀμοργὶς aliquid est bysso simile vel carpaso, in vestium usum olim adhibitum. Suidas: ἀμόργινον, ὅμοιον βύσσῳ, καὶ πολυτελὲς, *Amorginum bysso simile & pretiosum.* Item: ἔστι δὲ ἡ ἀμοργὶς, ὅμοιον ἀλεπίστῳ λίνῳ. Περιλεπίζουσι δὲ αὐτὸ, καὶ ἐργάζονται. Ἔστι δὲ σφόδρα λεπτὸν ὑπὲρ τὴν βύσσον, ἢ τὴν κάρπασον. *Amorgis autem est quid simile lino decorticato, quod decorticant, & elaborant, estq; id tenuissimum supra byssum, aut carpasum.* Etymologus: Ἀμοργὶς δὲ τῆς καλάμης τῆς ἀνθήλης τὸ λεπτότατον μέρ@-, ὅθεν ἀμόργη; *Amorgis in lini calamo est pappi vel lanuginis pars tenuissima, ex quâ fit amorge.* In eadem sententia sunt Hesychius, Julius Pollux, Harpocration, Lexici Attici author, Pausanias, Phavorinus, alii. Atque id verum esse suadet, quod *in Æschine* ἀμόργινα, & ἔργα λεπτὰ sunt syno-

synonyma. Γυναῖκα, inquit, κατέλιπεν ἀμόργινα ἐπισταμένην ἐργάζεσθαι, καὶ ἔργα λεπτὰ εἰς ἀγορὰν ἐμφέρουσαν, mulierem reliquit, quæ amorgina peritè elaborabat, & opera tenuia deferebat in forum. Nec minus lucis in Aristophanis loco ex Lysistratâ, in quo mulierem tædet τῆς ἀμοργίδος ἣν ἄλοπον οἴκοι καταλέλοιπε, amorgidis quam domi reliquit nondum decorticatam. Vide Salmasium in Plin. Exerc. pag. 1125. Omnino igitur ἀμοργὶς, vel ἀμοργὸς est lini genus in Amorgo insulâ nasci, aut elaborari solitum. Julius Pollux: τὰ δὲ Ἀμόργινα γίγνεται μὲν τὰ ἄριστα ἐν τῇ Ἀμόργῳ, λίνα δ' ἂν καὶ ταῦτα εἶναι λέγουσιν, Amorgina autem optima in Amorgo fieri dicunt, eaq; etiam esse linea. Tamen amorgen pro purpurâ, & amorgina pro purpureis ideo sumi suspicor, quia colore purpureo plerumque imbuebantur. Interim Amorgon à Phænicibus appellatam esse crediderim (inquit Bochartus ὁ μέγας) אם אורגין emoregin, matrem textorum, vel insulam אום om aut עם אורגין am oregin gentis textorum, aut etiam הם אורגין ham-oregin copiæ textorum; voce הם ham ex המון hamon contractâ, ut in אברהם Abraham. Hodie Murgo vel Amurgo dicitur. Olim Hypere, & Patage, Plin. Pancale & Psychia. Steph.

Amoria, Armeniæ urbs. Procopius.

Amorium, Phrygiæ majoris opidum. Ptolemæus. Episcop. sub Archiep. Synnadensi, inter Synnadam, & Apameam sita. Cujus frequens mentio in libr. Concil.

Amorrhæi, posteri Amorrhæi, fil. Canaanis, Gen. 10. 17. pop. Palæstinæ, Lat. *amari*, *rebelles*, sive *loquaces*. Hi Judææ montanis insiderant; sed plerique Jordanem transgressi bellum intulere Moabitis & Ammonitis, & occupaverunt Basan, & Heshbon, & quicquid terrarum est inter fluvios Jabboc & Arnon: in cujus victoriæ memoriam Poëta Chananæus scripsit carmen ἐπινίκιον, quod Moses libris suis inserere dignatus est. Num. 21. vers. 27. Horum Rex potentissimus *Sihon*, Moysi transitum negans ab eo victus est, ejusque ditiones tribui Gad & Ruben, ut & dimidiæ tribui Manasse datæ. *Num.* 21. & 32. Deuteron. 2. Jud. 11. Joseph. *l.* 4. *c.* 4, 5, 7. Hos fuisse testatur Amos proceritate cedris, robore quercubus pares, quia gigantes Rephaim (quorum unus fuit Og, rex Basanis) vel ex Amorrhæorum genere, vel Amorrhæis erant permixti.

Amorrhæus, filius Chanaan. Gen. 10.

Amorrio, historicus Ecclesf. Vid. Voss. *de hist. Gr. lib.* 4. Possev. *epit. appar. sacri, lib.* 1.

Amos, per א in principio, & ץ in fine, Lat. *fortis*, vel *robustus*, pater Esaiæ prophetæ. Es. 1. Hesychius Ἀμὼς ἑρμηνεύεται στερέωσις, ἢ ἰσχύς.

Amos, per ע in principio & ס in fine, Lat. *oneratus* vel *onerans*, Propheta unus ex duodecim, cujus Prophetia extat. Occisus, Amaziæ summi Pontif. jussu, tempore horrendi terræmotus, an. 25. regni Oziæ, 40. Jeroboami, Torniel. & Sal. A. 3248. 3250. In hunc prodierunt: Benefieldi *Conciones in cap.* 1. octavo. Oppenhemii, 1615. Brentii *Commentar.* Danæique Drusii *Lectiones*. Gerhardi *Annotationes*, & Liveleii, octavo. Londini, 1587. Merceri *Comm.* fol. 1565. Genevæ. Oecolampadii *Annotat.* Basileæ 1535. Quadrati *Homilia*, octavo. Parisiis 1576. 1587. Reuteri *Comment.* Ruffini *Comm.* Schaddæi *Synopsis*. Quarto. Argentinæ 1588. Selnecceri *Explicatio*, Lipsiæ. V. Crovvæi *Elench.*

Amos Ægyptius, pater Clinomonachorum, quos ore operto mensæ jubebat accumbere, ne parcè comedentium virtus appareret. *Amos* item Syrach, Judæorum dux, regn. an. 15. Cujus fuit tanta castitas, ut cum uxore nunquam fuerit congressus, sed eidem amorem virginitatis in animum induxerit.

Amos, vel *Hamos*, Patr. Hierosolymitanus successit Johanni 4. Gregor. *lib.* 7. *ep.* 7. Baron. A. C. 595. *n.* 68. & 601. *n.* 14.

Amosa, Lat. *jurgium*, vel *adinventio*, aut *compressio*, civitas tribus Benjamin. Jos. 18.

Amosis, Ægyptiorum rex, regnavit an. 25.

Ampatri, pop. Africæ, Ins. Madagascaris, oram versus ad Meridiem, inter tractus *Caremboule* & *Carcanossi*, Flacurtio teste.

Ampe, civitas ad mare Rubrum. Steph. & Herod. Gentile est *Ampæus*.

Ampela, opidum Cretæ. Plinius *lib.* 4. *cap.* 12.

Ampeloessa, op. in Decapolitanâ reg. quæ Syriæ proxima est, authore Plinio *lib.* 5. *cap.* 8.

Ampelone, colonia Milesiorum in Arab. Felici.

Ampelos, insula, seu promuntorium Sami. Strabo. Sed & juga omnia, quæ totam Samon faciunt montosam, eodem nomine vocantur. Item civitas Cretæ. Ptol. Macedoniæ opidum. Plin. 4. 10. urbs Liguriæ. Steph. Item, urbs Cyrenaicæ reg. Idem. Promontorium quoque, Strab. *l.* 14.

Ampelos, Bacchi amasius. Ovid. *Trist. lib.* 3.

Ampelon intonsum, Satyro, nymphâq; creatum
Fertur in Ismariis Bacchus amasse jugis. Aliis etiam est promontorium Macedoniæ, vulgò *Capo Canistro* prope Toronaicum sinum.

Ampelusia, promontorium Africæ in Mauritaniâ Tingit. Mela 1. 5. *Caput atq; exordium est promuntorium, quod Græci Ampelusiam: Afri aliter, sed idem significante vocabulo, appellant.* Valde verò errat vir quidam doctus, qui Soloenta, vel Syloenta ex Herodoto, hic locum habere putat. Abest illud hinc quàm longissimè, sed quod Ampelusiam Græci vocavere, à vitibus, quarum hic locus ferax, id Κώτης Afri appellant. Vide *Cota*.

Amphane, urbs Dorica. Stephanus.

Amphapalia, urbs Cretæ. Strabo

Amphaxis, op. Macedoniæ, unde regio *Amphaxitis*, ubi Thessalonica, quò Cicero relegatus, & Stagira, Patria Aristotelis. Ejus populi *Amphaxitæ*, intus ad Axium fluv. Steph. Cluver. *lib.* 4.

Amphe, una Cycladum.

Amphea, urbs Messeniæ. Stephanus.

Amphiala, opidum Atticæ. Strabo.

Amphialus, Phæacensis, saltu præstans. Hom. *Odys.* 8.
Ἅλματι δ' Ἀμφίαλος πάντων προφερέστερος ἦεν. Item, Neoptolemi fil. ex Andromacha. Hygin. *fab.* 123.

Amphiatai balnea; locus Africæ. Steph. in Ἄγρια. Sed legendum *Attica*. Vide locum.

Amphiarai fons, Vide *Alcyonium stagnum*.

Amphiaraus, Oeclei fil. (à quo Oeclides dictus) & maritus Eriphyles, Græcus vates, quem Adrastus rex secum ad bellum Thebanum ducere voluit: sed ille præsciens vel per somnia, vel per avium volatum, Paus. *lib.* 1. se illinc non rediturum, latuit; & cùm diu inveniri non potuisset, tandem ab Eriphyle uxore suâ aureo monili ab Adrasto rege corruptâ, productus est, atque ita proficisci coactus, primo die quo ad Thebas venit, postquam telum ejus, ab aquila, in auras sublatum, in laurum versum esset, hiatu terræ absorptus est. Hom. *Odys.* 15.

Αὐτὰρ Ὀικλείης (genuit) λαοσσόον Ἀμφιάρηον,
Ὃν περὶ κῆρι φίλει Ζεύς τ' αἰγίοχος καὶ Ἀπόλλων
Παντοίην φιλότητ' οὐδ' ἵκετο γήραος οὐδόν,
Ἀλλ' ὄλετ' ἐν Θήβῃσι, γυναίων εἵνεκα δώρων.
Notus homo mersis Amphiaraus equis.

Horat. *lib.* 3. *Od.* 16. *Concidit auguris*
Argivi domus ob lucrum
Demersa excidio.

Pro Deo cultus est post mortem, templumque apud Oropios habuit ex marmore candido constructum, ubi Fons, & Ara, cujus descriptio extat apud Pausan. *in Atticis*. Cic. *lib.* 1. *de Divinat.* *Amphiaraum sic honoravit fama Græciæ, Deus ut haberetur, atq; ut ab ejus solo, in quo est humatus, oracula peterentur.* Historiam ejus latissimè scripsit Diod. Sic. *lib.* 5. *cap.* 5. Pausan. *in Att.* & Stat. *Theb.* 7. Vide Plut. *in Paral.* Plin. *l.* 7.

Amphias, ex parte Epidauriorum, ad sopiendam, inter Athenienses & Lacedæmonios discordiam, anno belli Peloponnesiaci 8. missus. V. Scholia *in Eq. Aristoph.*

Amphias, Tharsius quidam fuit, qui ex infimâ sorte ad summas opes evectus, cùm amicum, tanquam degenerem multis probris affecisset, tandem, velut resipiscens, subjecit, *Sed & nos ex iisdem seminibus sumus.* Quæ vox ab astantibus summâ lætitiâ est accepta. Macrob. *Sat.* 7. 3.

Amphiclea, vide *Ophitea*.

Amphicrates, historicus, qui libros de viris illustribus conscripsit. Laert. *in Aristippo*. Ἀμφικράτης ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν φησὶ κώνειον αὐτὸν πιεῖν καταδικασθέντα, *Amphicrates libro de viris illustribus autor est, eum damnatum, venenum bibisse.* Athenæus *lib.* 13. 5. Θεμιστοκλῆς ἐξ ἑταίρας ἦν γεγεννημένος ὄνομα Ἀβροτόνης, ὡς Ἀμφικράτης ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν. *Themistocles è scorto, cui nomen Abrotano, natus est, ut refert Amphicrates libro de viris claris.* Eundem esse cum Rhetore illo Amphicrate, qui apud Tigranem vitam voluntariâ inediâ finiit, teste Plutarcho *in Lucullo*, putat Jonsius *lib.* 2. *de Script. Hist. Phil. cap.* 15.

Amphictyon, Deucalionis ex Pyrrha fil. post Cranaum in Atticâ regnavit: huic inventum ferunt somniorum & portentorum interpretationem. Reg. an. 10. Hujus ætate templum in Delo construxit Erisichthon Triopis fil. Euseb. *in Chron.*

Amphictyon, Heleni fil. amplissimum illud Græciæ Concilium instituit, quod *Amphictyonum* vocabatur, teste Dionysio Hal. *lib.* 4. Cic. *lib.* 2. *de Inventione.* *Accusantur apud Amphictyonas, commune Græciæ Concilium.* Constabat autem ex 7. Græciæ civitatibus. Postmodum ex 13. & Philippo Maced. etiam permissum, illis assidere, cui duo suffragia, quemadmodum Phocenses habuerant, concessa. Strabo *lib.* 8. 9. Huic concilio qui præerant, *Amphictyones* vocabantur. Vide Budæum *in Annot. prioribus*, & Erasmum *in Chil.* Hesych. Ἀμφικτύονες, περίοικοι Δελφῶν συναγόμενοι ἐπὶ πυλαίων (lege πυλαίαν) πυλαγόροι, καὶ ἱερομνήμονες. Vide etiam Harpocrationem, Suidam. Pausan. *in Phoc.* *Marmora Pari*, à Comite Arundelio edita. Euseb. Justin. Oros. Dionys. *lib.* 4. Hic primus à Dionysio edoctus, aquam vino miscuit, qui frugi homines usi sunt, quos meraca prius incurvabat potio; unde Dionysio erecta ara, quem ὀρθὸν, id est, *rectum* vocant, Cæl. Rhod.

Amphidamas, Busiridis fil. quem Hercules unà cum patre hospites immolante interfecit.

Amphidamas, obiit in pugna contra Eretrienses. Unde, quia incertum, an Victor obiisset, occasio Poëtis nata mutuò se interrogandi, Plut. *in conv. 7. Sapientum, c.* 21. Item, fil. Alei, Lycurgi & Cephei frater, ex familia Inachidarum, Pausan. *Arcad. lib.* 8. Argonautarum, in Colchica expeditione, comes, Flacc. v. 376. Orpheo *Iphidamas*. Sed filium hunc fuisse Lycurgi, & nepotem Alei, colligi videtur, ex Apollod. *lib.* 3.

Amphidoli, civitas Triphyliæ Steph.

Amphidromia, Etsi non fuerit Amphidromiorum publica solennitas, sed privatorum affectibus consecrata: tamen hic omittenda non fuit, quòd cùm omnes sigillatim homines spectet, etiam Δημοτελὴς appellari quodammodo videatur. Igitur Ἀμφιδρόμια, vel ut alii scribunt, Ἀμφιδρομία peragebantur à parentibus die quinto post partum, hoc ritu. Infantem gestantes circum lares focumque currebant: Domestici & amici tanquam gratulabundi dona conferebant. Harpocration *ex oratione Lysiæ de abortu*: Ἀμφιδρόμια, ἡμέρα τις ἤγετο ἐπὶ τοῖς νεογνοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος παρὰ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες, καὶ ὑπὸ τῶν οἰκείων, καὶ φίλων πολύποδας, καὶ σηπίας ἐλάμβανον. Cursus ille in orbem convertebatur. Plato *in Thæteto*; ubi Socrates rationem suam docendi obstetricum officio confert; cùmque Theætetus peperisset, id est, ingenii sui specimen edidisset; Socrates veluti obstetricis munere perfunctus addit; μετὰ δὲ τὸν τόκον, τὰ Ἀμφιδρόμια αὐτοῦ ὡς ἀληθῶς ἐν κύκλῳ περιδρεκτέον. Hesychius amplius tum nomina pueris imponi solita scribit: Ἀμφιδρόμια, inquit, ἡμέρα ἀγομένη τοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος περὶ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες κύκλῳ, καὶ ἐπιτίθεσαν αὐτῷ ὄνομα, ὅτι ὑπὸ τῶν οἰκείων καὶ φίλων δῶρα ἐπέμπετο. Ex quibus sequi videtur, Amphidromia fuisse Romanorum Nominalibus affinia. Idem tamen author postea sui velut oblitus, decimo die nomina demum imponi tradit: τῇ δεκάτῃ ἡμέρᾳ τὰ ὀνόματα τοῖς βρέφεσιν ἐτίθεσαν. Atqui si Amphidromia die quincto celebrantur, Nominalia decimo, eadem esse nequeunt. Alio loco vocat δρομιάφιον ἦμαρ. Ἐστὶ δὲ ἡμερῶν ἑπτὰ ἀπὸ τῆς γενέσεως, ἐν ᾗ τὸ βρέφος βαστάζοντες περὶ τὴν ἑστίαν γυμνοὶ τρέχουσι. Igitur acta die quincto Amphidromia, quòd hoc spacium sufficere putarent ad ea curanda, quæ partum ipsum spectant. Hinc etiam obstetrices, & quæ adfuissent enitenti, manus abluebant, & quasi munere suo jam perfunctæ, in posterum nutricibus habendam infantis curam ostendebant. Etymolog. Ἀμφιδρόμια, inquit, ἑορτὴ ἐστιν Ἀθήνησι τελουμένη, καθ' ἣν ἐγκρυφίας ἄρτους ὀπτωμένους, ἐπὶ τῆς ἑστίας ἐπιτρέχουσι. Τὸ δὲ αὐτὸ ποιοῦσι καὶ μετὰ σκευῆς εἰς τὰ βρέφη περὶ τὴν ἑστίαν περιφέροντες, ἐπειδὴ κουροτρόφος ἡ τροφὸς ἐπὶ πάντων πεφήμισται. Huc etiam facit, quòd Genium, natalium præsidem, sive γενέθλιον, Æschylus Ἀμφιδρόμον appellavit. Cæterùm illa non absque solenni epularum apparatu transigebantur, ut Eubuli versus apud Athenæum, *lib.* 2. manifestè loquuntur, quos vide.

Amphigenia, Peloponnesi urbs in Messeniâ reg. cujus meminit Stat. 4. *Theb.*

——— *Quos fertilis Amphigenia,*
Planaq; Messene, montanaq; nutrit Ithome.

Homerus *in Catalogo*:

Καὶ Κυπαρισσήεντα, καὶ Ἀμφιγένειαν ἔναιον.

Amphilochi, pop. Epiri in Acarnaniâ; quorum urbs *Amphilochia*, & *Argos Amphilochium* sive *Amphilochicum*, et am nunc *Ansiloca* incolis dicta. *Amphilochi* pagi meminit Hippocrates, *lib.* 4. *de morbis pop.* In Græcia uspiam est *Amphilochi* tumulus, locus Ciliciæ. Isacio *ad Lycophr.*

Amphilochia, opp. Epiri, juxta Acheloum fluv. in Amphilochia regione, versus Pindum montem.

Amphilochia, urbs Callaicorum in Hisp. Tarraconensi ad Minium flu. inter Tyden & Lucum, vulgò *Orense*, teste Jo. Marianâ. A Teucro condita fuit, sic ab Amphilocho, uno ex sociis ejus nominata, teste Strabone. long. 12. 00. lat. 42. 30.

Amphilochius, Metropolita Cyzicenus, ad quem scribit Photius *Epist.* 207.

Amphilochius, Iconii (Lycaoniæ hæc metropolis est) episcopus. Floruit sub Theodosio M. quem etiam, non salutato filio ejus, ab Arianis, quibus hactenus favere videbatur, avertit. Quanti eum fecerit B. Hieronymus, argumento est, quòd, *epistolâ ad Magnum*, sacrâ, profanâque doctrinâ eum Basilio, & Greg. Nazianzeno, æqualem facere videtur. Vide Voss. *de Hist. Græcis, lib.* 2. *cap.* 19. Hieron. *in Catal.* Theodoret. *lib.* 5. *cap.* 16. Baron. A. C. 363. *n.* 55. 369. *n.* 45. Onuphr. A. C. 372. Sigebert. *de Viris Illustribus*, &c.

Amphilochus, Amphiarai, & Eriphyles fil. reversus ab expeditione Trojanâ, patriâ relictâ Argos Amphilochium condidit, rexque & augur apud Græcos habitus fuit.

Amphilochus, Thespesio cuidam Solensi, qui sceleratè hactenus vixerat, interroganti oraculum, an posthac melius victurus esset, oraculum attulit, fore hoc post hanc vitam. Sic paulo pòst occisus, triduo exacto resurrexit. Plut. *de sera Numinis Vindicta, cap.* 42.

Amphilochus, Atheniensis Philosophus, & agriculturæ scriptor. Varro *lib.* 1. *de R. R.*

Amphilycus Corinthius, Eumeli vel Thymeli Poëtæ pater, qui auctor est *Bugoniæ & Europæ*, poematum. Euseb. *Chron.*

Amphilysus, flu. ab Assaro Sami monte fluens. Steph.

Amphilytus, Acarnan hariolus. Herodot *lib.* 1. *cap.* 62. Hic Pisistratum ad Athenas invadendas incitaturus; divinâ pompâ fungens, sic vaticinatus est:

Ἔρριπται ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται,
Θύννοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός.
Est nummus projectus, item sunt retia tenta,
Nocte meant thynni claro sub sidere Lunæ.

Vel, ut alii reddunt:

Verriculum jactum est expansaq; retia, nocte
Mox aderunt thynni, &c. Quorum verborum occasione, Pisistratus Athenienses post cœnam, partim ludentes, partim sopitos aggressus, tertiâ vice Athenarum potitus est.

Amphimachus, Amphiarai & Eriphyles fil. quem Homerus cum aliis Græcorum ducibus Trojam venisse scribit Ita Dictionarii Poëtici primus compilator. Ego verò apud Poëtam *in Catalogo* duos Amphimachos invenio, neutrum tamen, quod sciam, Amphiarai & Eriphyles filium. Primus occurrit *vers.* 620.

Τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Θάλπιος ἡγησάσθην,
Υἷες, ὁ μὲν Κτεάτου, ὁ δ' Εὐρύτου Ἀκτορίωνος.

Alterius mentio est *Vers.* 870.

Τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Νάστης ἡγησάσθην,
Νάστης, Ἀμφίμαχός τε, Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.

Amphimalia, op. Cretæ in orâ boreali, ubi *sinus Amphimalius*, qui hodiè *Golfo di Sudâ*, & *Golfo di Nicola* dicitur.

Amphimalus sinus, *Golfo di Suda*, ab arce Suda, in scopulo sita & permunita, cum portu commodissimo multoties tentata à Turcis; bello Cretico. Distat Caneâ, 10. milliar. Italicis, Rithimnâ verò 30. versus Occas. Vicus autem *S. Nicola*, unde hic sinus etiam denominari solet, distat Sudo 10. milliar. in Orient. Estque in Insula parva, prope oram maritimam.

Amphimedon, Libycus quidam, qui in aulâ Cephei regis adversus Perseum pugnans, occisus est. Ovid. 5. *Met.*

Ecce Syenites genitus Methione Phorbas,
Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam,
Conciderant lapsi. ———

Amphimedon, unus procorum Penelopes, à Telemacho, Ulyssis filio occisus. Hom. *Odyss.* 22.

Ἔνθ' αὖτ' Εὐρυδάμαντα βάλε πτολίπορθος Ὀδυσσεύς,
Ἀμφιμέδοντα δὲ Τηλέμαχος, Πόλυβον δὲ συβώτης.

Erat autem Melanthei filius, teste eodem Hom. *Odyss.* ω.

Ἔγνω δὲ ψυχὴ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο
Παῖδα Μελανθῆος τὸν ἀγακλυτὸν Ἀμφιμέδοντα.

Amphimetrium, vide *Cerne*.

Amphinome, nymphæ nomen, à *circumpascendo*, quod proprium est aquarum, quæ ripas & litora circumquaque depascunt. Hom *Iliad.* Σ.

Δεξαμένη τε, καὶ Ἀμφινόμη, καὶ Καλλιάνειρα.

Item mater Jasonis, quæ gladio sibi pectus transfixit, & periit absente filio. Nat. Com. 6. 7.

Amphinomus, unus ex procis Penelopes à Telemacho Ulyssis filio interfectus. Hom. *Odyss.* 22.

Ἀμφίνομος δ' Ὀδυσῆος ἐείσατο κυδαλίμοιο
Ἀντίος ἀΐξας, εἴρυτο δὲ φάσγανον ὀξύ,
Εἴπως οἱ εἴξειε θυράων. ἀλλ' ἄρα μιν φθῆ
Τηλέμαχος κατόπισθε βαλὼν χαλκήρεϊ δουρὶ
Ὤμων μεσσηγύς, διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσε,
Δούπησεν δὲ πεσών, &c.

Erat autem Nisi filius, teste eodem Hom. *Odyss.* 18.

Τοῖσιν δ' Ἀμφίνομος ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν,
Νίσου φαίδιμος υἱὸς Ἀρητιάδαο ἄνακτος.

Amphinomus, & *Anapius*, Siculi fratres, cùm Ætnæ incendio Catana urbs, & omnia prope Siciliæ loca deflagrarent, parentes humeris impositos periculo subduxerunt. Vide Val. Max. *lib.* 5. *cap.* 4. Et Sen. *lib.* 3. *de Benef.* Cornel. Severus *in Ætnâ*:

Amphinomus, fraterq; pari sub munere fortes,
Cum jam vicinis streperent incendia tectis,
Accipiunt, pigrumq; patrem, matremq; senilem.

Silius *Ital. lib.* 14.

Tum Catane nimium ardenti vicina Typhœo,
Et generasse pios quondam celeberrima fratres.

Vide Dausqueii *notas ad locum istum pag.* 596.

Amphinomus, Philosophus, scripta quædam Geometrica reliquit; Proclo laudatus, Comment. in Euclid. *lib.* 1 & Vossio, *de Mathem. cap.* 54. §. 17. Quo tempore vixerit, incertum.

Amphion, filius Jovis ex Antiope, Nyctei filiâ, quæ cùm Lyco regi nupsisset, ab Epapho (ut apud Hyginum legitur) aut certè Epopeo (ut *in Corinthiacis* habet Pausan.) per dolum est constuprata; quâ re cognitâ, Lycus uxorem repudiavit, quam Jupiter jam viduam compressit, ex quo & gravida effecta est.

Id sen-

Id sentiens Dirce, cum quâ secundas nuptias Lycus contraxerat, suspicata est virum clam cum Antiope consuescere; eamque ob causam famulis imperavit, ut carceri eam includerent. Verùm instante jam tempore partûs, Jovis miseratione soluta est, & in Cithæronem montem confugit, ibique in bivio gemellos edidit, quos pastores pro suis educarunt; Et alterum quidem *Zethum* appellarunt ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον; alterum autem *Amphionem* ὅτι ἐν διόδῳ, ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν μήτηρ αὐτὸν ἔτικεν. Hom. *Odyss.* λ.

Τὴν δὲ μετ' Ἀντιόπην ἴδον Ἀσωποῖο θύγατρα,
Ἡ δὴ καὶ Διὸς εὔχετ' ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαῦσαι,
Καί ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδ' Ἀμφίονά τε Ζῆθόν τε,
Οἳ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο,
Πύργωσάν τ' ἐπεὶ οὐ μὲν ἀπύργωτόν γε δύναντο
Ναιέμεν εὐρύχορον Θήβην, κρατερώ περ ἐόντε.

Hi postea adulti, cognitis injuriis, quibus matrem suam affecerat Dirce, tauri indomiti caudæ eam alligarunt, eoque per loca aspera agitato, diris eam cruciatibus laniarunt, donec ejus misertus Bacchus in fontem sui nominis eam commutavit. Fuit autem Amphion musicus tam insignis, ut testudinem à Mercurio dicatur accepisse, ejusque sono saxa ad urbis Thebanæ constructionem attraxisse. Apollon. Rhod. *Argonauticωn:*

Ἀμφίων δ' ἐπὶ οἱ χρυσέῃ φόρμιγγι λιγαίνων
Ἤϊε, δὶς τόσση δὲ μετ' ἴχνια νίσσετο πέτρη.

Euripides *in Phœnissis:*

Ἁρμονίας δέ ποτ' εἰς ὑμεναίους,
Ἦλθον οὐρανίδαι. Φόρμιγγι δὲ τείχεα Θήβας
Τᾶς Ἀμφιονίας τε λύρας ὕπο, πύργος ἀνέστα.

Horatius *ad Pisones:*

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet. ——

Et *lib.* 3. *Od* 11.

Mercuri, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo.

Virgil. *Eclogâ* 2.

Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Propertius *lib.* 1. *eleg* 9.

Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ.

Idem *lib.* 3. *eleg* 2.

Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte suâ in muri membra coiisse ferunt.

Ovid. Ματαιοτεχνίας *lib.* 3.

Saxa tuo cantu vindex justissime matris,
Fecerunt muros officiosa novos.

Statius 1. *Thebaid.*

—— *Penitusq; sequar quo carmine muris*
Jusserit Amphion Tyrios accedere montes.

Idem *lib.* 8. —— *Tyriam reptantia saxa*
Ad chelyn, & duras animantem Amphiona cautes.

Et 3. *Silv. in Hercule Surrentino:*

—— *Tyrione hæc mœnia plectro,*
An Geticâ venere lyra?

Obiit tandem, propriâ manu peremtus, quòd liberos suos, ab Apolline & Diana necatos videret. Apoll. Rhod. *lib.* 1. & 4. *Argon.* Plura de Amphione Nat. Com. 9. 15. Plut. *de Musica*, *c* 2. Plin. *lib.* 7. *cap.* 55. Horat. *de arte Poet.* Pausan. *lib.* 9. Ovid. *l.* 6. *f.* 2. *Met.* Eum autem saxa movisse, (inquit Albricus) nihil aliud fuit, quàm quòd mellifluâ oratione suasisset ignaris, & rudibus hominibus, ac sparsim degentibus, ut in unum convenirent, & civiliter viverent, & in defensionem publicam civitatem mœnibus circumdarent. Quòd autem citharam à Mercurio susceperit, id sig. cum eloquentissimum fuisse. Boccatius.

Amphion, Hypsonis Pellæi filius, ex Argonautis unus, fratri Deucalioni adeò vultu similis, ut ne Pater dignoscere potuerit. Flacc. 1. 367.

Amphion, filius Jasii, imperavit Orchomeniis, Minyis, & Pyliis, teste Leontio, alio nomine Argus vocatus, cui erat filia Chloris, natu minima. Hom. *Odyss.* λ. *vers.* 280.

Καὶ Χλῶριν εἶδον περικαλλέα, τὴν ποτε Νηλεὺς
Γῆμεν ἑὸν μετὰ κάλλος, ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα,
Ὁπλοτάτην κούρην Ἀμφίονος Ἰασίδαο,
Ὅς ποτ' ἐν Ὀρχομενῷ Μινυείῳ ἶφι ἄνασσεν,
Ἡ δὲ Πύλου βασίλευε.

Amphion, pictor insignis, Plin. *lib.* 36. *cap.* 10. Item, libertus Q. Catuli, ingenio clarus, Idem, *lib.* 36. *cap.* 18. Item, Statuarius insignis, fil. Acestoris. Pausan. *lib.* 10.

Amphipoles, Archontes seu Magistratus, à Timoleonte Syracusis instituti, post pulsum Dionys. Jun. Horum authoritas, ultra 300 annos viguit, usque ad tempora Diod. Siculi, ut ipse testatur *Biblioth. histor. l.* 16.

Amphipolis, quæ postea Christopolis à Græcis appellata est, hodie *Christopoli*, & *Emboli* Turcis, urbs archiepiscopalis Macedoniæ, in Thraciæ confin. juxta Philippos ad oram litoream; sic dicta διὰ τὴν περίρροιαν τοῦ Στρύμονος, quòd illam Strymon fluv. circumfluat ambiatque. Huc à Nicia, Athen. colonia deducta, plurimorum bellorum inter Athenienses & Lacedæmonios, argumentum, quæ Philippi Maced. tempore resuscitata sunt. Thucyd. *l.* 4. Justin. *lib.* 8. Plin. *lib.* 4. *cap.* 10. Stephanus ait, olim *Myricam* dictam fuisse, & *Eiona*. Item Κράδεμνα, & Ἀνάδραμος eidem dicitur. Vocabatur etiam *Urbs Martis*, & *Novem viæ*, Ἐννέα ὁδοί, teste Suidâ, qui eam in Thraciâ ponit. long. 50. 00. lat. 41. 30. Est etiam Syriæ civitas juxta Euphratem à Seleuco condita, & à Syris *Turmeda* dicta, teste Stephano.

Amphipolitanus lacus, cujus meminit Suidas.

Amphipyros, Dianæ cognomen apud Sophoclem *in Trachiniis*, sic dicta, quòd utrâque manu facem gestat. Cæl. Rhod.

Amphira, Minervæ epitheton apud Lycophronem.

Amphiretus Acanthius, captus à piratis in Lemnum deductus, vinculis detinebatur, prædonibus magno liberationis precio inhiantibus. Ille sibi abstinens, minium aquâ salsâ commixtum bibit. Cùm igitur alvum exoneraret, piratæ opinati eum in sanguinis profluvium incidisse, vinculis solverunt, ne ob morbum è vitâ discederet, & lytri spes periret. Ille solutus noctu aufugit conscensâque navi piscatoriâ Acanthum pervenit. Polyæn. *lib.* 6 *fin.*

Amphiroe, nympha, ab *undecunq; fluendo* sic dicta. Hesiod. *in Theog.*

Amphis, poeta Comicus circa Olymp. 95. Platonis saltem ætate vixisse constat, ex Diogene Laertio. Ejus Γυναικομανίαν laudat Athenæus *lib.* 14.

Amphisa, fluv. in Phocide.

Amphisbæna, serpentis nomen, in Libyæ desertis degentis duo habentis capita, quorum alterum loco suo est, alterum ubi cauda, unde utrinque venenum diffundit. Lucan. *lib.* 9.

Et gravis in geminum surgens caput Amphisbæna.

Æschylus *in Agamemnone:*

Ἀμφίσβαιναν, ἢ σκύλλαν τινὰ οἰκοῦσαν ἐν πέτραισι.

Hesychius: Ἀμφίσβαινα, εἶδος ὄφεως μακροκέφαλον, ἰσόπηχυ, τὴν οὐρὰν κολοβὴν ἔχων, καὶ ταύτῃ πολλάκις τὴν πορείαν ποιούμενον, ὥστε τινὰς ἀμφισβητεῖν μὴ δύο κεφαλὰς ἔχειν, λέγεται δὲ καὶ διὰ τοῦ μ, Ἀμφίσμαινα.

Amphiscii, vocantur ii, qui sub Æquinoctiali circulo habitant, eò quòd quadruplici umbra verberentur. Nam Sole existente in alterutro punctorum Æquinoctialium, id est, in principio Arietis, aut Libræ, umbra eorum matutina jacitur versus Occidentem, vespertina versus Orientem. Sole autem Cancrum, aliquodve ex cæteris signis Septentrionalibus perambulante, umbram habent Australem: contra verò Septentrionalem, Sole sub Capricorno, aliquove alio Australium signorum iter faciente.

Amphissa, urbs Locrorum Ozolorum in Achaiâ. Ptol. ità dicta, teste Stephano, quòd undequaque montibus cingatur. *Lambina* hodie, teste Nigro, Aliis *Ansila*. Lucanus *lib.* 3.

Phocaicas Amphissa manus, scopulosaq; Cyrrha,
Parnassusq; jugo misit desertus utroque.

Hinc *Amphissæi* qui Delphicum templum diripuerunt, ut est videre apud Demosthenem *in Orat. pro Ctesiphonte.* long. 47. 40. lat. 37. 50. Armeniæ quoque minoris regio, sic dicta, teste Lycophrone.

Amphissa, Magnæ Græciæ op. in orâ Calabriæ ulterioris, inter Locros & Caulonam 8. m. p. apud ostia Sagræ flu. Hodie *La Rocella* dicitur, Gabr. Barrio authore. Principatus titulo gaudet, habetque Castrum munitum, ad mare Ionium. Ovid. *Met.* 15.

Linquit Japygiam, lævisq; Amphissia remis
Saxa fugit. ——

Amphissene, regio minoris Armeniæ, Steph. *ex Strabone.*

Amphisthenes, vir Lacedæmonius, qui cùm Dianæ sacra faceret, in furorem conversus est. Pausan. *lib.* 1.

Amphistides, vir quidam tantæ stultitiæ, ut ignoraret utrum ex parente esset prognatus, & cùm magno Arithmeticæ addiscendæ studio flagraret, ultra quinarium tamen numerando procedere non potuerit. Aristot. *Problem. sect.* 10.

Amphistratus, & *Rhecas*, Laconum duces fuere, qui Heniochiam inhabitarunt, quam sic dictam scribunt, quòd hi aurigæ Castoris & Pollucis essent, quos Jason plurimis locis præfecit. Justin. *l.* 41. *c.* 3. Strabo *lib.* 11. Item *Amphistratus*, nomen Statuarii cujusdam. Plin. 36. 5.

Amphitheatrum Statilii Tauri, cujus meminit Suet. in Calig. nunc ferè dirutum jacet.

Amphitheatrum Vespasiani, hodie *Coliseo*, à Vespasiano Aug. extructum, Suet. à Domitiano instauratum, figuram habet ovalem, malè habitum à Gothis, aliisque ultimo seculo, sensim deficit, mediaque ejus pars ferè diruta jacet. Hujus meminit Mart. *l.* 1. epigr.

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Amphithemis, Thebanorum dux, qui bello Græciæ Lacedæmonios implicavit. Plut. *in Lysandro*, & Pausf. *lib.* 3.

Amphitheus, Cereris quidam Athenis Sacerdos, qui apud Aristophanem in Acharnensibus suum genus à Cerere deducit, hoc

hoc modo. Amphitheus antiquior, natus est ex Triptolemo & Cerere, ab isto descendit Celeus, qui in matrimonio habuit aviam hujus Amphithei Phænareten, cujus filius erat Lycinus, pater Amphithei. Verùm Scholia notant, istas Genealogias saltem à Comico, ad irridendum Euripidem, institutas, qui in suis fabulis certam generis seriem promittit.

Amphithoe, nympha marina Nerei & Doridis filia, ut post Hesiodum tradit Hyginus *in Fab. Poëticis*, ab *utrinq; cursitando* sic dicta.

Amphitrite, Nerei, vel Oceani, & Doridis filia, Neptuni uxor, cujus nuptias cùm à principio fugeret, virginitatem servare cupiens, misit ad eam Neptunus Delphinum, qui per varia loca quæsitam tandem ad radices montis Atlantis invenit, &, ut Neptuno jungeretur, persuasit. Claudianus 1. *de R. Pros.*

——— Nereia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.

Hinc à Poëtis maris Dea fingitur, ex qua natus est Triton, ut canit Hesiodus. Sumitur interdum pro ipso mari. Ovid. *Met.* 1.

——— Nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Catullus *in Argonaut.*

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitritem.

Ita Græci Dionys. Periegetes *Vers.* 53.

Ἀντία Κασπίης πεπηγμένος Ἀμφιτρίτης.

Nomen deductum videtur παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν, hoc est, quòd mare terram circumquaque atterat, & quasi radat. Unde Virgil.

Proxima Circææ raduntur litora terræ.

Et Dionys. Perieg. *Vers.* 61. *de Oceano:*

Ἢ ὀρέων ἢ ῥίζαν ὑποξύουσα πολλήν.

Vel ἀπὸ τοῦ τρεῖν, quod est terrere. Mare enim circum se navigantes pereundi terrore insequitur. Hesychius, Ἀμφιτρύτη (lege Ἀμφιτρίτη) θάλασσα, ἀπὸ τοῦ φόβῳ περιβάλλειν τοὺς διαπλέοντας αὐτήν. Etymologus. Παρὰ γὰρ τὸ τρεῖν λέγεται Ἀμφιτρίτη, ἡ ἀμφοτέρωθεν φόβον ἡμῖν ἐμποιοῦσα. Ideoque λέγει ὁ Χοιροβοσκὸς καὶ Ὠρίων, διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφεσθαι debere. Joannes verò Diaconus *in Allegoriis*, quas ad Hesiodi Theogoniam scripsit, aliam profert ab his diversam etymologiam: Ἀμφιτρίτη δὲ, inquit, λέγεται ἡ θάλασσα, καὶ ἁπλῶς ἡ τῶν ὑδάτων ὑπόστασις, διὰ τὸ ἀμφὶ τοῖς στοιχείοις τρίτην λαχεῖν τάξιν. Τὸ πῦρ γὰρ πάντων ὑπέρκειται, εἶτα ὁ ἀὴρ τέτακται, καὶ τότε τὸ ὕδωρ τρίτον ἐστίν. Eadem habet & Tzetzes, seu quisquis est vetus Hesiodi Scholiastes, *pag.* 303. *edit. Heins.* Euripides *in Cyclope* aquam nominat *Amphitritem*, quæ Neptuni uxor dicitur, qui est spiritus per universam aquæ molem diffusus, & tanquam anima ipsius elementi aquæ. *Amphitrite* autem est corpus & materia humoris omnis, qui intra terram includitur.

Amphitrope, pars Antiochidis tribûs. Steph.

Amphitryo, princeps Thebanus, Alcæi filius, Herculis pater. Vide *Alcmena*. Hinc *Amphitryonides*, patronymicum pro Hercule apud Poetas, & per epenthesin τοῦ a *Amphitryoniades*, qui licet Jovis filius, tamen Amphitryonis putabatur, unde Catullo *Falsiparens* dicitur *epigr.* 69. Virg. *Æn.* 8.

Interea cùm jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumq; pararet.

Prop. *lib.* 4 *eleg.* 10.

Amphitryoniades quâ tempestate juvencos
Egerit à stabulis, ô Erythea tuis.

Vide Hesiodum *in Scut. Herc.* & Plaut. *in Amphitr.*

Amphitus, & *Telchius* Dioscurorum aurigæ, à quibus Heniochorum gens ortum habuit. Straboni verò *lib.* 11. *Amphistratus*, & *Rhecas* appellantur.

Amphora, fluviolus, seu potius rivus Forojuliensis prov. in Italia. Cadit in mare Adriaticum, prope Aquilejam.

Amphorites, genus certaminis in Ægina Æaci, viz. exercitii literarii, ubi bos præmium fuit Dithyramborum poëtis, qui præclarius in Dionysium cecinissent. Nat. Comes.

Amphoterus, classi ad oram Hellesponti, ab Alexandro, Præfectus. Curt. *l.* 3. 4.

Amphrysus, Thessaliæ fluv. vel Magnesiæ, juxta quem Apollo pavit armenta regis Admeti. Lucanus *lib.* 6.

——— Et flumine puro
Irrigat Amphrysus famulantis pascua Phœbi.

Virg. *Georg.* 3. *——— Te memoranda canemus*
Pastor ab Amphryso. Ovid. *Met.* 2.
Apidanusq; senex, lenisq; Amphrysus, & Æas.

Alius est ejusdem nominis in Phrygia, reddens mulieres steriles. Plin. 32. 2. Hinc *Amphrysiacus*. Statius:

Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi.

Est etiam urbs Phocidis. Steph. *Amphrysia Vates* apud Virg. *Æn.* 6. ponitur pro Sibylla.

Ampius Flavianus, prænomine *Titus*, consularis legatus Pannoniæ, dives senex in partibus Vespasiani. Tacit. *hist.* 2. 86. à *Cornelio Fusco* inductus, non quia industria ejus egebat; sed ut consulare nomen, surgentibus tum maximè partibus, honestâ specie prætenderetur. Seditioni militum objectus nullo crimine: sed jampridem invisus, turbine quodam ad exitium poscebatur: propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem Donativi clamitabant. Nec defensioni locus, quanquam supplices manus tenderet, humi plerunque stratus, lacerâ veste pectus atque ora singultu quatiens. Quem vix injectis catenis periculo subtraxit Antonius. Ibid. *cap.* 13. Fulvius tamen Ursinus conjunctim legit *Tampius Flavianus*, additque *Tampiam* familiam ex denariis & antiquis titulis notam: cui libenter adsensum præbemus.

Ampre, opidi nomen apud Plin. *l.* 6. *c.* 8.

Ampsaga, castellum in Numidiâ. Mela. 1. 6. ubi aliqui *Ampse*. Sed nusquam terrarum hoc nomen reperias. Vaticanus, aliique codd. legunt, *Et Arsa castellum*. Ordo autem ipse docet legendum hîc esse *Quisa*, vel *Quiza*, uti reposuit Vir doctiss. Is. Voss.

Ampsaga, fluv. Africæ Cirtam urbem alluens. Hodie *Suf Gemar* Lud. Marmolio dictus. Hujus ostia distant Algeriâ 138. m. p. ab Igilgili 18. mill *Suffegmar* quibusdam etiam dicitur, & meliùs.

Ampsalis, *Albasequia*, Sarmatiæ Asiaticæ civitas. Ptol.

Ampsanctus, *Mufit*, sub opp. *Fricento*, locus Italiæ, in Hirpinis, Vid. etiam *Amsanctus* & *Ansancti Vallis*.

Ampulla, ordo equit. à Clodovæo I. institutus, de quo Vid. Gaguin. Aimon. *l.* 1. *c.* 16. Hincmar. *in Vita S. Remigii.*

Ampuniana, opp. Ins. Corsicæ, in parte Orientali.

Ampurdannia, Principatus Hisp. Unde Arragoniæ Regum primogeniti titulum sumebant. Ejus præcipua urbs est Girona. Boterus, *in relatione Hisp.* Davity, *descr. Hisp. p.* 153.

Ampycides, Mopsus Ampycis fil. Ovid. *Met.* 8.

Ampycidesq; sagax, & adhuc a conjuge tutus
Oeclides. Idem *Met.* 12.
Nec tu credideris tantùm cecinisse futura
Ampyciden Mopsum.

Ampyx, nomen viri proprium. Ovid. 12. *Met.*

Ampyca quid referam, qui quadrupedantis Oëcli
Fixit in adverso cornum sine cuspide vultu?

Erat autem *Ampyx*, Mopsi pater. Orpheus *in Argon.*

Καὶ Μόψον Τιταρῆθεν, ὃν Ἄμπυκι νυμφευθεῖσα
Χαονίην ὑπὸ φηγὸν Ἀρηγονὶς ἐξελόχευσε.

Quanquam Scholiastes Apollonii *Ampycum* eum vocat, *in illud lib.* 1.

Ἤλυθε δ' αὖ Μόψος Τιταρήσιος, ὃν περὶ πάντων
Λητοΐδης ἐδίδαξε θεοπροπίας οἰωνῶν.

Ἀμπύκου υἱὸς, inquit, ὁ Μόψος, ἐκ Τιταρῶνος, μητρὸς δὲ Χλωρίδος. Ubi vereor, ne errorem commiserit, patriam ejus pro patre sumens. Mopsus enim erat è Titaro, opido, seu monte Thessaliæ. Item *Ampyx*, Patrensis quidam nobilis. Pausan. *lib.* 1.

Amram, Lat. *pop. excelsus*, vel *manipulus eorum*, aut *cum excelso filius* Koath, filii Levi, Mosis pater. Ex. 6. 18. Natus est A. M. 2386. Denatus, 2522. Alex. Polyhistor, *apud Eus. l.* 9 *c. ult de P. E.* Ἀμαράμης Josepho dicitur *Ant. lib.* 2. quem vocat unum τῶν δὲ γεγονότων παρὰ τοῖς Ἑβραίοις, *c.* 2. 5. V. Torniel. Salian. Spond. A. M. 386. 2512.

Amraphel, Lat. *loquens ruinam*, *occultum*, vel *judicium*, Rex Senaar. Gen. 14. Torniel. A. M. 2118. *n.* 2.

Amri, per א, Lat. *amarus*, vel *dicens*, sive *exaltatio*, aut Syriacè, *aries*, pater Zacchur, Nehem. 3.

Amri, per ע, Lat. *manipulus*, vel *dominium*, sive *populus rebellis*, vel *amarus*, princeps militiæ super Israel, rex tandem constitutus, impietate prædecessorum nulli secundus, Samariæ sedem regni constituit. Obiit A. M. 3117. regni 12. Vid. 3. Reg. 16. Mich. 6. Sed legendum *Omri*. Jos. *Antiq. l.* 8. *c.* 7. Sulp. Severus, *hist.* 5. *l.* 1. Item pater Athaliæ, matris Ochoziæ, filii Joram. 4. Reg. 8. Et fil. Bechor filii Benjamin. 1. Par. 7.

Amrinus locus, *Widloch*, nunc in Westphal. teste Alberto Stad.

Amroma, *Amrom* & *Amrod*, Ins. Daniæ, in ora Duc. Slesvicensis & mari Germanico. Aliis est *Amerum*

Amsanctus, locus in medio Italiæ apud Hirpinos, sulfureas habens aquas, quæ quòd undique silvis, angustiisque clausæ sint, tam pestilentem emittunt odorem, ut propius accedentes necentur. Hinc factus locus fabulæ, *In Amsancti Vallibus Inferorum spiraculum esse.* Cic. 1. *de Divin. Quid enim? non videmus, quam sint varia terrarum genera? ex quibus & mortifera pars quadam est, ut Amsancti in Hirpinis, & in Asia Plutonia, quæ vidimus.* Virgil. *Æn.* 7.

Est locus Italiæ in medio sub montibus altis
Nobilis, & famâ multis memoratus in oris
Amsancti valles; densis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus nemoris, medioq; fragosus
Dat sonitum saxis, & torto vortice torrens.

Claud. *de R. Pros. lib.* 2.

Tunc & pestiferi pacatum limen Averni
Innocuæ transistis aves, flatumq; repressit
Amsanctus. ———

Plin. 2. 93. *Alii Charonæas scrobes mortiferum spiritum exhalantes. Item in Hirpinis Amsancti ad Mephitis ædem lacum, quem qui intravere moriuntur.* Hinc Sidonius explicandus *l.* 3. *ep.* 13. ubi lepidè cujusdam nasum taxans, ait; *Nares circumsedentium ventilata duplicis Amsancti peste funestat*, id est, duo nasi foramina referunt Amsanctum & Mephitim.

Amstela, fluviolus Hollandiæ. Amstelodamum, Urbem celeberrimam, alluit; & ibi in æstuarium *het Ye* se exonerat.

Amstelrodamum, vel *Amsterodamum*, originem trahit à Castro

ad fluv. Yam, quod Dominorum ab Amstel erat, unde fluvio nomen, Olim piscatorum sedes, nunc florentissima, & primaria Hollandiæ civitas, mercimoniorum, sitûsque causâ toto orbe celebris, formâ oblongâ, & fere triangulari, Venetiarum instar, marinis aquis circumluitur; Loci ratione inexpugnabilis; Maximis navigiis frequens est, quæ Anglicis, Hispanicis, &c. mercibus onusta, maximo numero intra civitatis mœnia recipi, exonerarique possunt. Pollentes opibus cives habet, adeò ut licet 300. quandoque navium classis uno eodemque tempore appellat, ingentis pretii merces conferens, earum tamen omnium promptissimi hic inveniantur emptores, qui statim, vel numeratâ pecuniâ, vel aliarum mercium permutatione, omnia externarum navium bona comparent, ut, vel sexto etiam die, itineri se rursus committere queant. In Bursa ejus, ut vocari solet, omnis generis nationes ex toto orbe huc convolantes visuntur. Morerio *Miraculum mundi* ob pulchritudinem, opesque dicta Hinc in domesticæ supellectilis nitore, cùm universæ Hollandiæ, tùm huic imprimis civitati palma debetur. Omnia ejus ædificia maximis alni lignis innituntur, ut plus sumptuum in fundamenti collocationem, quàm superioris ædificii constructionem, impendatur. Lanificio etiam claret; sed omnium religionum miscella non parum laudis tantæ urbi deterit. Vulgò *Amsterdam.* long. 26. 34. lat. 52. 30. Capta fuit à Batavis, sub Guilelmo Nassovio, an. 1578. post longam obsidionem; Vixque 2 milliar. Germanicis distat à mari Austrino. Vid. Cluver. Itinerarium Payeni, *p.* 57. Descript. Amstelodami Belg. & Germ.

Amsterodamum novum, Urbs Americæ septentr. in novo Belgio, ad ostia flu. *de Nort*, hisce ultimis temporib. extructa, & primaria effecta hujus tractus, sub Batavis, cum portu capaci & munito.

Amsterodamum, Ins. maris Glacialis, in ora Occid. regionis Spitzbergæ. Belg. *Amsterdamsche eylandt.* Item, Ins. Maris Indici, versus Terram Australem incognitam, ab Hollandis his temporibus nomen sortita. Parvi circuitus est, & media inter nov. Hollandiam & Insulam Madagascar. Altera porro Insula, in mari Pacifico, prope Ins. *Roterodamum* dictam, inter Peruviam & Insulas Salomonis, ab Hollandis recens detecta & sic dicta. Etiam, Asiæ Insula, in mari Sinico, à Batavis sic dicta paucis ab hinc annis, q. media inter Japoniam & Formosam Ins.

Amuchi, nomen apud Indos Præsidum & Pastorum illorum Christianorum, qui à S. Thoma nomen habent. Quorum ingens in montanis Malabaricis numerus, Itiner. *Archiep. Goënsis*, *l.* 2. *c.* 9. P. de Valle, *Itiner. Tom.* 4.

Amudasa, urbs Africæ propriæ, seu Byzacenæ prov.

Amulius, rex Albanorum, Procæ fil. Numitoris frater natu minor, quem imperio pepulit, filiumque ejus Lausum necavit. Filiam verò Iliam, Vestæ sacerdotem fecit, ut spem sobolis auferret. Occisus fuit à Remo & Romulo, & regnum avo Numitori restitutum. Ovid *Fast.* 3.

Romuleoq; cadit trajectus Amulius ense.

Idem Ovidius *Mutationum lib.* 4.

Proximus Ausonias injusti miles Amuli
Rexit opes: Numitorq; senex amissa nepotum
Munere regna capit

Diversimodè verò à diversis hæc historia narratur, præsertim ab Eusebio, Plutarcho, Livio, Floro, Dionys. Hal. & Eutropio.

Amulius, pictor nobilis, qui Minervam depinxit Plin. *lib.* 35.

Amulius Serenus, Primipilaris in cohortibus Prætoriis. Tac. *Hist.* 1. 31.

Amundus, vel *Hamundus*, Rex Sueciæ, animosus, cui Usso successit. Alii addunt *Amundum* dictum *Jenem* vel *carbonarium*, cui fil. naturalis cognom. successerit, contra Regni leges. Eric. Pomeranus, *Hist. Suec.*

Amurathes I. Turcarum Imper. Solimanno I. fratri successit. Hic in Europam statim transgressus, Adrianopoli sedem Imperii fixit. Dein Macedoniæ orâ vastatâ, Bulgarorum Principem & Serviæ Despotam vicit, cum cujus filio fœdus iniit, acceptâ ejus sorore. Dein cum Johanne Palæologo amicitiâ contractâ, Mysiam infer. sub jugum misit, Bassas rebelles coërcuit, filium suum, qui cum Græci Imper. fil. ad parentes regno pellendos conjuraverat, excæcavit. Postmodum in pugnâ contra Eleazarum, Triballorum Principem, sagittâ ictus victor occidit. An. C. 1388. imperii 23. triginta septem prælii feliciter commissis inclytus. Leuncl. *hist. Musulm. l.* 5 Chalcondilas, *l.* 1. Baudier.

Amurathes II. Mahometis I. patris successor, Mustapham, Bajazethi fil. prælio vicit, Constantinopolim frustra obsedit, Mustapham alterum, à Græco Imper denuo sibi oppositum, fudit, & Thessalonicâ Venetis ereptâ, Caramaniam aggressus, Sperendoviam cepit, Belgradique obsidione frustra tentatâ, Bossinæ Principem sibi tributarium reddidit, ut & Johannem Castriotum, cujus quinque filios sibi obsides missos, contra datam fidem, circumcidit, imò quatuor priores mox veneno sustulit. Dein Transylvaniam cùm invasisset, à Joh. Hunniade ad Pacis leges adactus est. Quas cùm suasu Juliani, Legati Pontificii, Christiani priores violâssent, cruentissimo prælio A. C. 1444. illos devicit tabulis fœderis cœlum versus extensis & Jesu perfidiæ Christianorum vindice invocato. Captus ipse Rex Ladislaus, cùm fermè jam victor esset, ejusque decollati caput per Græciam circumlatum. Dein Joh. Huniadem, viginti millibus cæsis, in fugam conjecit, Sed à Georg. Castrioto, *Scanderbeg* dicto, qui Turcis elapsus paternas ditiones receperat, tantopere vexatus est, ut omisso reliquum vitæ in pace, inter Zichitas religiosos Turcas, vivendi proposito, in Albaniam revolarit, & denuo Crojam, quam jam antea frustra tentaverat, obsederit, sed, an apoplexiâ, an mœrore animi, ibidem mortuus. A. C. 1451. Imp. 30. Leuncl. 14. Phranz. 3. 2. Chalc. 7.

Amurathes III. fil. Selimi II. occisis quinque fratribus, thronum conscendit, Maximil. Imper. impediit, ne Poloniæ regnum obtineret, à Persis sæpius fugatus, Croatarum quietem solicitavit, 10000. Turc. amissis. Dein cum Rodolpho II. Imper. ipsi res fuit, cujus ducum alter, Baro de Tauffembach, strenuè rem gessit, alter Comes ab Hardek Javarinum prodidit. Tandem Janizeris, & Transilv. Valachiæ, Moldaviæque Vaivodis turbas cientibus, præ tædio vitam finiit. An. C. 1595. æt. 48. imper. 20. Continuatio Chalcond. Baudier.

Amurathes IV. fil. Achmeti, fratri Osmanno successit, Anno Christi 1623. æt. 15. Contra Persas, Arabes, Polonos, Cosacosque infelix. Obiit, ex nimio potu, A C. 1640. imper. 16. Idem.

Amurgus & *Amurgo*, Vid. *Amorgus.*

Amus, Cariæ civitas Ἄμος Steph. Item, Lacus Asiæ, in Tartaria & reg. Zagathaja, teste M. Polo.

Amyca, Cœlesyria ab Hebræis עמוקה *Amuca*, à Syris עמיקא *Amyca*, id est *profunda* dicebatur. Unde Ἀμύκης πεδίον Polybio *lib.* 5. ubi de Oronte fluvio: Τὴν ἀρχὴν τοῦ ῥεύματος λαμβάνων ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν Λίβανον, καὶ τὸν Ἀντιλίβανον τόπων, καὶ διανύσας τὸ καλούμενον Ἀμύκης πεδίον, ἐπ' αὐτὴν ἰχνεῖται τὴν Ἀντιόχειαν.

Amyci portus, locus in Ponto, Amyco Bebrycum rege interfecto clarus, Plin. 6. 44. Cujus tumulus lauro tegebatur, quam insanam vocabant, quoniam, si quid ex eâ decerptum navibus inferretur, jurgia fiebant, donec abjiceretur. Unde Δάφνη μαινομένη Arriano dicitur. Hodiè *Lamia*, & *Scala marmorea* dici, scribit Gyllius *in suo Bosphoro.*

Amycla, una ex filiabus Niobes, quam tradit Pausanias cum Melibœa sorore servatam, imploratâ Latonæ veniâ. Homerus tamen omnes interiisse scribit, *Iliad.* Ω.

Amyclæ, urbs Italiæ, inter Cajettam & Tarracinam, à Laconibus, Castoris & Pollucis comitibus, condita, & ab Amyclis Laconiæ sic appellata. Cujus cives, cùm, secundùm Pythagoreorum sectam, ab esu carnium, & animalium cæde abstinerent, serpentesque ex vicinis paludibus natos occidere nefas putarent, ab iisdem sunt interempti. Ubi adhuc specus Amyclæum, *Sperlunga* vulgò; ex quo mare Amyclæum *mare di Sperlunga.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. à muribus deletas scribit. Et *l.* 8. *c.* 29. ab hostibus captas hoc modo: Cùm frequenter hostium adventus falsò nunciaretur, legibus cautum est, ne quis porro hanc famam spargeret. Unde postea ex improviso captæ sunt Amyclæ. Hinc Proverbium: *Loqui volo, nam scio Amyclas tacendo perisse.* Unde etiam *Tacitæ* dictæ Virgilio, *lib.* 10.

—— Tacitis regnavit Amyclis.

Vid. Serv. *in hunc loc.* Catullus Urbicarius, *in Pervigilio Veneris*, quod alii Petronio adscribunt:

Perdidi Musam tacendo; nec me Phœbus respicit:
Sic Amyclas, cùm tacerent, perdidit silentium.

Silius Italicus *lib.* 8.

—— Quasq; evertêre silentia Amyclæ.

Unde *Amyclas vivere*, pro Amyclarum more silere, Ausonius dixit Professor *carm.* 12.

Taciturnè Amyclas qui silendo vixeris.

Sunt tamen, qui Fatum hoc Amyclis Laconicis tribuant: De quibus paulo pòst.

Amyclæ, urbs erat Auruncorum pop. Italiæ & Latii, in ora maritima. Hinc olim sinus Amyclanus, qui est Cajetanus & Formianus, nunc *Golfo di Gaëta* dicitur.

Amyclæ, Peloponnesi civitas, Castoris & Pollucis patria, canum nobilitate celebris. Unde Virg. *l.* 3. *Georg.*

Armaq;, Amycleumq; canem Cressamq; pharetram.

Una ex iis urbibus, quas olim Lacedæmonii centum tenuere, institutis etiam communibus sacris pro singularum salute, quæ Hecatombas ab earum numero vocabant. Nomen indidit *Amyclas* Lacedæmonis filius, cujus matrem Diomedam Interpres Nicandri nominat. Amyclis autem, ut in totâ ferè Laconiâ, Apollo colebatur, uti postea docebimus, in *Amyclæus.* Hæ Amyclæ ab Ovidio vocantur *armiferæ*, *de Art. Am.* 2. 1.

Talis ab armiferis Priameius hospes Amyclis
Candida cum rapta conjuge vela dabat.

Item *antiquæ* ab eodem, *Met. lib* 8.

Et quos Hippocoon antiquis misit Amyclis.

Item *Ledææ* Statio 7. *Theb.*

Parrhasiumq; nemus, Ledæasq; ibis Amyclas.

Item *tetricæ*, à severa Pythagoræorum superstitione eidem Silv. *l.* 5.

— Tetricis Alcman cantatus Amyclis.

Therapnææ vocantur à Martiali, *lib.* 9.

Ista Therapnæis si forma fuisset Amyclis.

Etiam *Taygeta*, à monte Taygeto, ad cujus rad. sitæ, olim quoque

Lemnæ

Lemna, in Laconia prov. prope Eurotam fluv. Nunc *Vordena*, Nigro teste, appellatur. long. 48. 56. lat. 35. 48.

Amyclæi, coloniam miserunt in Cretam. Onuphrius.

Amyclæum, civitas, & portus Cretæ. Steph.

Amyclæus, Apollo sic dictus, propter Amyclas, ubi est templum ei dicatum, opere, divitiisque præcipuum, in loco omni arborum, ac frugum genere refertissimo. Vid. Pauf. *l.* 3. Strab. *l.* 8. Hinc propter arborum pulchrarum copiam, Amyclæ Statio *virides* vocantur. *Theb. lib.* 9.

——Hunc virides non excipietis Amyclæ.

Herbas ejus commendat Val. Flaccus *lib.* 1.

Vectorem pavidæ Castor dum quæreret Helles,
Passus Amyclæâ pinguescere Cyllaron herbâ.

De Apollinis autem fano sunt & hæc Strabonis verba *lib.* 8. Ὑποπέπτωκε δὲ τῷ Ταϋγέτῳ ἡ Σπάρτη ἐν μεσογαίᾳ, καὶ Ἀμύκλαι, οὗ τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερόν. Hinc Amyclæ *Apollineæ* Statio dicuntur, *Thebaid. lib.* 4.

Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ.

Ubi Lactantius, Luctatius, sive Lutatius Scholiastes, *Amyclæ Laconiæ civitas, sacra Apollini.*

Amyclæus, Statuarius quidam Pausan. *lib.* 5.

Amyclas, Heracleota, Philosophus Pythagor. Geometriam studiosissimè excoluit, Procl. 2. *in Eucl.* Diog. Laert. *in Democrito.* Item, Rex Spartæ, Vid. *Amyclæ.*

Amyclas, Gubernator navis, quæ duodecim scalmorum magnitudinem non excessit, à C. Julio Cæsare obvoluto capite & privato cultu conscensæ: qui cùm tempestatis vi superatus retrocedere statuisset, Cæsar retecto capite exclamavit, *Cæsarem Cæsarisque fortunam vehis.* Lucanus. *l.* 5.

——Molli consurgit Amyclas,
Quem dabat alga, toro.

Amycus, Neptuni, & Melies nymphæ filius, Bebrycum rex, qui eam consuetudinem habuit, ut advenas ad certamen provocaret, & insidiis circumventos ibidem interficeret. Cùm itaque Argonautæ illuc venissent, Pollux ab eodem ad certamen provocatus, cognitis insidiis, socios convocavit, & ab iis adjutus Amycum interfecit. V. Theocrit. *in Idyll.* 22. cui titulus Διόσκουροι.

Amycus, Centaurus, Ixionis & Nubis filius Ovid. *Met.* 12.

Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud veritus spoliare suis.

Amycus, Æneæ comes. Virgil. *Æn.* 1.

Nunc Amyci casum gemit, & crudelia secum
Fata Lyci.

Idem *lib.* 9. *Inde ferarum*
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno.

Frater Dioris Idem *lib. ult.*

Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longâ,
Hunc mucrone ferit.

Amydon, civitas Macedoniæ, in Pœonia regione, ad Axium fluvium, unde auxilia missa fuere Trojanis. Hom. *Il.* 2.

Αὐτὰρ Πυραίχμης ἄγε Παίονας ἀγκυλοτόξους,
Τηλόθεν ἐξ Ἀμυδῶνος, ἀπ' Ἀξίου εὐρὺ ῥέοντος,
Ἀξίου οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν.

Ubi Schol. Ἀμυδῶνος πόλεως Παιονίας. Ejus meminit Juven. *Sat.* 5.

Hic altâ Sicyone, ast hic Amydone relictâ,
Esquilias, dictumque petunt à Vimine collem.

Amymni, Epiri populi. Steph.

Amymone, Danai regis filia, una ex 50. sororibus, quæ, dum se in sylvis jaculando exerceret, Satyrum percussit imprudens, qui, impetu in eam facto, vim ei voluit inferre. Quapropter implorato Neptuni auxilio, ab eo passa est, quod à Satyro formidârat. Itaque prægnans facta Nauplium peperit. Hanc in smaragdo Alexander sculpi voluit. Strab. *lib.* 8.

Amymone, fons & fluv. Peloponnesi per Argiam reg. fluens in Lernam paludem, ab *Amymone* Danai filiâ nomen habens. Ovid. Met. 2. *——Quærit Bœotia Dircen,*

Argos Amymonen, Ephyre Pyrenidas undas,

Amyne, collis, mons Falerni, in Campania. vel *Amine*, Vide *Aminea.*

Amynias, Equiso, equorum mangonio exercendo, rem suam apud Athenienses fregit. V. Aristoph Nub. Notus etiam osor pop.

Amyntæ, Thesprotica gens. Steph.

Amyntas, à Nino decimus septimus Rex Assyriorum, regnavit an. 15. satis feliciter. Euseb. *Chron.* Item Rex Lacedæm. qui Athenas Hippiæ obtulit, Herodot. *l.* 5.

Amyntas I. post Alcetam Patrem, Macedoniæ R. A. M. 3396. à cujus filio Alexandro, cùm Legati Megabyzi, ob insolentiam, essent occisi, Bubares contra eum missus est, qui tamen pro hoste gener ejus evasit, Justin. *l.* 7. *c.* 3. Euseb. *Chron.*

Amyntas, II. Menelai, vel Tharralei fil. quartus Macedon. rex. Occiso insidiis Pausaniâ, regnum invasit, donec ab Illyricis ejectus ac spei recuperandi regni renuntians, donatâ Olynthiis finitimâ regione, paulo pòst à Thessalis in regnum restitutus est. Cum Illyriis & Olynthiis, Lacedæmoniorum auxilio nixus, rem gessit. Monitus à filia Euryone, sibi ab uxore Eurydice perniciem imminere, sibi prospexit, obiitque decrepitus. An. regni 24. Ex priore conjuge Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri M. patrem; ex posteriore autem Archelaum, Aridæum, & Menelaum genuit, Sed Philippus, amoris erga fratres oblitus, eos trucidavit, atque ita patri in regno successit. Justin. *lib.* 7. Diodor. *lib.* 14. 15. Xen. *l.* 5. Nepos & Plut. *in Pelopida.*

Amyntas, III. nonus Macedoniæ rex, regn. an. 50.

Amyntas, IV. decimus sextus Macedoniæ rex, regn. an. 6.

Amyntas, V. decimus octavus Macedoniæ rex, regn. an. 21.

Amyntas, VI. decimus nonus Macedoniæ rex, regn. an. 45.

Amyntas, Andromenis filius, inter duces Alexandri Magni. Curt. V. 9. fortè is est, qui quarto loco inter Chiliarchas, ab Alexandro, donatus est, in Satrapene.

Amyntas, unus ex Alexandri ducibus, ad Darium transfuga; qui Persis ad Isson victis, cum quatuor millibus Græcorum ipsum ex acie persecutis, Aegyptum petiit atque occupare festinavit: sed ibidem, ab Mazace, cum omnibus occisus est. Curt. IV. 13.

Amyntas, Antiochi fil. è Macedonia se subduxit, non ob aliud, quàm quòd Alexandrum oderat, & propterea se vicissim ei invisum credebat. Item, fil. Arrabei, contra hostes speculatum missus. Vid. Curt. Arrian. Diodor. Justin. Freinshemii *Supplem.*

Amyntas alius, in exercitu Alexandri Magni, Equitum præfectus. Curt. IV. 120. Habuit fratres Simmiam, & Polemonem, amicissimus Philotæ, & ideo conjurationis suspicione implicatus ac jussu regis vinctus. Verùm egregiè se defendit, absolutusque est, Idem *l.* 7. & in locum Clyti, Sogdianis datus Prætor, à Rege. *l.* 8. 12.

Amyntas, pastoris nomen, apud Theocritum, & Virgil.

Amyntas, fecit volumen, quod Σταθμοὺς, sive *mansiones* inscripsit. Meminit Athen. *libb.* 10. & 12. ubi aliquid de sepulchro Sardanapali, ejusque epitaphio Chaldaicè scripto, ex illo citat: & Ælianus *de Animal.* 17. 17.

Amyntianus, histor. Gr. sub Marco Antonino Imper. scripsit elogium Alexandri M. sed ineptum. Præterea vitam Olympiadis, item vitas parallelas Dionysii & Domitiani, Philippi & Augusti Photius *Biblioth. Cod* 131. Voss. *hist. Gr l.* 2. *c.* 14.

Amyntor, Phœnicis pater. Hom. *Iliad.* 9.

Οἷον ὅτε πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
Φεύγων νείκεα πατρὸς Ἀμύντορος Ὀρμενίδαο.

Ovidius *Epist.* 3.

Venerunt ad te Telamone & Amyntore nati.

Idem *Met lib.* 8. *vers.* 307.

Hippothousque Dryasque & cretus Amyntore Phœnix.

Item Dolopum rector, Ovid. *Met.*

Quem Dolopum rector bello superavit Amyntor.

Item unus ex filiis Ægypti, ab uxore Danai filia, primâ nocte interemptus. Hyginus *in Fab. Poëticis.* Item, Pellæus Macedo, Pater Hephæstionis.

Amyræi, prius *Centauri* dicti, ab urbe Amyro.

Amyraldus Moses, Salmuriensis Theologus; Edidit Paraphrasin *in Psalmos*: Considerationes *in c.* 7. *Rom.* 8°. Salmurii 1648. In *ad Ephesios*: Vitam Lanovii, cognom, *Bras de Fer.* &c. Obiit An. 1665.

Amyras, vide *Jolcos.*

Amyrgium, campus Sacarum. Steph.

Amyricus campus, locus circa Thessaliam. Polyb. *lib.* 3.

Amyris, Sybarita, de quo talis historia narratur. Quum Sybaritæ opibus florerent, quendam Delphos amandarunt, qui de rerum suarum successu sciscitaretur oraculum. Responsum est autem, tum evertendam fore Sybaritarum fortunam, ubi plus honoris habere cœpissent hominibus, quàm Diis. Evenit deinde, ut servus à domino vapulans cùm frustra ad Deorum aras confugisset, pòst ad heri monumentum confugiens, à plagis liberaretur. Quod simulatque conspexit Amyris, collectis rebus suis in Peloponnesum confugit, reliquis interim Sybaritis hominem velut insanum ridentibus. Inde proverbiali figurâ dici cœptum, *Amyris insanit*, ubi quis, sub insaniæ prætextu, rebus suis consulit, aut, ubi quis solus periculum prospiciens in tempore sibi cavet, creditus interim vulgò desipere, ac demum eventus docet, illum unum sapuisse.

Amyrius, Rex Derbicum, cum quo Cyrus major conflixit, in eoque prælio, secundùm Ctesiam, cecidit.

Amyrus, Thessaliæ opidum. Steph. Item fluv. Val. Flaccus *lib.* 2.

Intrantemque Amyron curvas quæsita per oras
Æquora.———— Inde *Amyricus campus.*

Amyschanum, loci nomen, Steph.

Amystis, Indiæ fluv. qui in Gangem influit. Arrian.

Amysum, opidi nomen Plin. 6. 9.

Amythaon, Crethei fil. ex Tyro susceptus, homo bellicosissimus, habitus inter nobiliores medicos, Melampodis & Biantis, qui Reges Argivi fuerunt, pater, Virg. *Georg.* 3.

——— Amythaoniusque Melampus.

Tibullus *Panegyr. Messalæ.*

Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.

Hunc vel restauratorem ludorum Olympicorum, vel augmentatorem credit, Pauf. *l.* 5. Ab eo dicta *Amythaonia*, pars Elidis. Steph.

Amytron, Thraciæ urbs. Hesych. Ἀμυτρον, πόλις τῆς Θρᾴκης. Sed ibi legendum Ἀμυδῶν, ut rectè notat Palmerius.

Amyzon, Cariæ urbs. Plin. 5. 29. *Mezo* hodiè, long. 57. 00. lat. 38.55.

AN.

Ana, Hispaniæ fluvius. Vide *Anas*.

Ana, cum ע, Lat. *respondens*, vel *cantans*, sive *affligens*, vel *pauper*, pater Oolibama uxoris Esau, Mulorum, an thermarum inventor? V. Torniel. A.M.2319. *n.*10. Gen.36. Filius item Sebeon, filii Seir Horræi. 1. Par.2.

Ana, vel Hana cum ה, Lat. *commotio*, vel *motus*, nomen Idoli. 4. Reg.18.

Ananus, summus Sacerdos à Cyrenis constitutus. Joseph. *Ant.* 15.5.

Anab, Lat. *uva*, aut Syriacè *modus*, nomen civitatis, sive montis. Jos.11. & 15.

Anabagatha, Urbs Asiæ Archiep. sub Patriarcha Antiocheno.

Anabaptistæ, hæretici, sic dicti, quòd infantibus baptismum negent, adeoque jam baptizatos suo tempore rebaptizent, Thomæ Muntzeri auspiciis, A.C.1524. exorti, qui rusticis totius Germaniæ contra Principes suos frustra suscitatis, capite plexus est. Horum deliria, & sectas innumeras, in quas subdivisi, vid. apud Prateol. Sander. Meshorium *hist. Anabapt.* Genebr. *in Clem.* 7. Inprimis apud Spanhemium, *Disputationibus de Origine & progressu Anabapt.*

Anabis, fluv. Item urbs. Hisp. Tarr. Ptolem. fortè *Igualada*, ad Noyam amnem, in Catalon. teste Brietio. Pagus Ægypti. Euseb.

Anabum, civitas circa Danubium. Ἄναβον. Ptol.

Anabus, opp. Germaniæ, prope Danubium fluv. forsan ubi nunc Nehoselium, *Neyheusel*, in Hung.

Anacaa, pars tribûs Hippothoontidis. Steph.

Anacalypteria, dies festus fuit post nuptias, cùm sponsa revelabatur, ut ab omnibus consp iceretur. Munera etiam novæ sponsæ *anacalypteria* dicuntur Philostrato. V. Cæl. Rod. *l.*21. *c.*26.

Anace, urbs Achajæ. Steph.

Anaces, Castor & Pollux sic dicti. Vide *Anax*.

Anacharsis, philosphus Scytha, matre Græcâ natus, *sapientia admiranda*, quemadmodum scripsit Cic. *in* 5. *Tuscul. sobrius, continens, abstinens*, & *temperans.* Quod mirum est, cùm inter Scythas solus fuerit doctus, & philosophus repertus. Unde proverb. de raris hominibus, *Anacharsis inter Scythas.* Floruit Solonis temporibus, cujus imaginibus inscriptum fuit, *Linguâ, Ventre, Pudendis abstinendum esse:* Scripsit de LL. Scytharum, & vitæ fragilitate. Plinius tradit, eum invenisse rotam figuli, cujus circuitu vasa formantur. Ibat nudis pedibus, dormiebat in terra, & famem pro pulmento habuit. Leges aranearum telis quàm simillimas esse dicebat. Interrogatus, quo pacto quis abstemius fieret; respondit, Si ebriosorum motus sibi ante oculos ponat. Pecuniam, fastumque contempsit. Ardalus Anacharsim aliquando allocutus, interrogavit, An apud Scythas tibicinæ essent? qui ex tempore respondit, Ne vites quidem apud eos esse. Rursumque Ardalo dicente, Atqui Dii sunt Scythis? Omnino, inquit Anacharsis, iique intelligentes humanæ linguæ. Neque Scythæ putant, quod Græci, qui quanquam Scythis eloquio præstare se censent, tamen Deos ossium & lignorum sonos, quàm humanam vocem libentius audire opinantur. Plut. *in Convivio* 7. *Sapientum.* Tandem verò sacra Deæ Matris, cui votum Cyzici fecerat, vel ut alii, Atheniensium leges apud suos introducere conatus, à fratre, ejus loci rege, sagittâ confossus est. Diog. Laertius *in Anacharsi.* Vid. sis illic Menagium, ut & Herodot. *lib.*4. Cicer. *l.*5. *Tusc.* Plin. *l.*7. *c.*46.

Anachimosi, pop. Africæ, in Insf. Madagascar, versus Orientem, & in Mediterraneis, prope fontes fluv. *Mananghare*, teste Flacurtio.

Anachis, unus ex Diis Laribus, apud Ægyptios. Hi enim quatuor Lares fuisse opinabantur, Dymonem, Tychin, Heroem, & Anachim, quos putabant, simulatque in lucem editus esset homo, illius pervigilem curam habere. Alex. ab Alex. *lib.*8. Sed Gregor. Gyraldus *Syntagm.*15. existimat, hæc nomina corruptè legi, pro Dynamis, Tyche, Eros, & Anance, id est, Vis, Fortuna, Amor, Necessitas.

Anacindaraxes, Rex Ninives, Pater Sardanapali. Vid. Schol. *in Aristoph. Aves.*

Anacium, mons in quo Dioscurorum fanum. Phavorinus. Hujus etiam meminit Polyænus. In Attica est.

Anacletus, Atheniensis, Clementi Papæ, successit, An.C.103. novem pòst annis Martyrii coronam adeptus. Aug. *epist.* 165. Baron. A.C.103.106.112. Platina *in ejus Vita.*

Anacletus, Antipapa, tempore Innocentii 2. à Rogerio Neap. & Siciliæ Rege defensus, excommunicavit Innocentium, ab eo vicissim excommunicatus. Ei post 8. an. mortuo, A.C.1138. substitutus est ab asseclis Victor 4. paulò pòst iterum depositus. Bernard. *epist.*147.

Anacole, Ægæi maris insula. Anton.

Anacreon, poëta Lyricus, ex Teïo, Joniæ civitate, circa 61. & 62. Olymp. Eus. Suid. ut scriptis, ita & toto vitæ genere, suprà modum lascivus. Amavit inter cæteros puerum, nomine Bathyllum, insigni pulchritudine spectabilem. Horatius *Epod. Od.*14.

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Tejum.

Periit strangulatus acino uvæ passæ, ut tradit Plin.7.7. In honore fuit apud Hipparchum, fil. Philostrati & Polycratem Samiorum tyrannum, cujus etiam puerum Smerdiam dilexit. Ælian. 9. 4. Hujus poëma totum amatorium est, ut scribit Cicero, & lasciviæ plenum. Cæterùm de Anacreonte, unà cum reliquis Græcis, ac Latinis poëtis veteribus, quorum scripta extant, nos alibi. L. Loyd. Vid. etiam Herodot. *l.*3. Paus. *in Att. l.*1. Strab. *lib.*14. Ælian. *hist. Var. lib.*9. *c.*4. Plin. *l.*7. *c* 7. Voss. *de Poët. Gr. c.*4.

Anactoria, urbs ad ostium Sinus Ambracii, Corinthiis & Corcyræis olim communis, & hinc dissidiorum frequens materies. Hæc ab Atheniensibus capta, Acarnanas incolas accepit, Thuc. *l.*1.2.4. Plin. *l.*4. *c.*1. Pausanias *l.*5. Augustum hanc coloniam Nicopolim, prope Actium, deduxisse refert, quod Strab. confirmat, *l.*10.

Anactoria, civitas Molossorum in Epiro, & insula, quæ posteà Miletus dicta est. Plin. 5. 29. *Anactorium* dicitur Plauto, Straboni, & Plutarcho. *Vonizza*, hodiè. Populi *Anactorii* Thucydidi dicuntur. Silius Italicus *lib.*15.

Hinc & Anactoriâ signa ostentavit in orâ.

Porro *Anactorium*, ut scribit Herodotus, fuit templum Cereris in Eleusine. Pollux pro adyto accipit; sed tunc est ἀνάκτορον. Laurenbergio *Vodizza* est Bonditium opp. in eo tractu.

Anadyomene, de qua Plin. 35. 10. Venerem exeuntem è mari D. Augustus dicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur, versibus aliquot Græcis, & opus, & pictorem collaudantibus. Corruptam hujus inferiorem partem, qui reficeret, non potuit reperiri. Consenuit hæc tabula carie, aliamque pro ea Nero substituit, Dorothei manu. Meminere hujus Plut. & Artemidorus *lib.*2.

Anaa, urbs Cariæ, in orâ occid. contra Samum insulam ab *Anaâ*, Amazonum unâ, sic dicta. Populi *Anaitæ* Thucydidi, *Anaï* verò Stephano vocantur.

Anatia, Armeniæ majoris oppidum, quod ab Euphrate alluitur. Plin.5.24.

Anagai, vulgò *Anacujes*, pop. Americæ, in Brasilia, versus Præfecturam Segeripppe, sub Lusitanis.

Anagallis, Corcyræa Grammatica; ita Suidas, non *Agallis*, ut est apud Athenæum. Fieri potest, ut anagallidi herbæ fuerit cognominis, sicut Cicero ciceri, Piso piso, Lentulus lenti, Thermus θερμῷ, &c. Casaub.

Anagarum, Urbs Duc. titulo insignis, & victoriâ Petri, cognomento *Crudelis*, Castellæ R. contra Henricum Fratrem, An.1367. sita est, in Rigovia prov. Castellæ adjuncta. Aliis *Najera* dicitur.

Anagelum, vulgò *Anaghelom*, opp. Hiberniæ, in Ultonia provin. & Comit. Dunensi, ad fluv. *Ban.* 20. mill. Angl. ab Armacho in ortum, 10. autem, à Neuvriaco in Boream distans.

Anagnia, civitas Hernicorum in Latio, ubi Antonius sorore Augusti contemptâ, & Cleopatrâ in uxorem ductâ, monetam feriri jussit. Virgil. *Æn.*7. —— *Qui roscida rivis*

Hernica saxa colunt, quos dives Anagnia pascit.

Silius Ital. *lib.*8.

Hernicaq; impresso raduntur vomere saxa,
Queis putri pinguis sulcaris Anagnia glebâ.

Idem postea, *lib.*12. *Surgit suspensa tumentis*

Dorso frugiferis Cerealis Anagnia glebis.

Strabo *lib.*5. πόλιν ἀξιόλογον vocat. Urbs hodie Episc. est, Alexandri 4. Bonif.8. Greg.9. & Innoc.3. natalibus clara. Populi *Anagnini.* Livio, *lib.*9. & Plinio 3. 5. Diodoro autem *lib.* 20. Ἀναγνῖται. long.37.02. lat. 41.40. Vid. *Anagnium.*

Anagnium, seu *Anagnia in Hernicis*, Vid. ibi. Urbs aliàs Latii, nunc Campaniæ Rom. Ep. sub Pontif. Semidiruta jacet, à paucis habitata, inter Signiam ad Occas. & Ferentium ad Ortum.

Anagnutes, pop. Galliæ, in Aquitania, ubi nunc *Pays d'Aunis*, regio in ora Oceani, inter Pictavien. & Santonen. prov. Vid. *Alnensis tractus.*

Anagyrus, pars tribûs Erechtheidis, ubi plurima anagyris nascitur (unde nomen loco est) Steph. Et quia frutex iste teterrimè olet, cùm tractatur, adagio locum præbuit, *Anagyrim* sive *Anagyrum commoves*: de eo, qui sibi malum procurat. Alii Anagyrum Genium quendam fuisse dicunt, qui, propter sacellum suum violatum, omnes incolas vicinos evertit; & inde adagium ortum, ut apud Aristophanem *in Lysistratâ* legitur, referente Suidâ; qui ait, Genium illum, senem quendam, qui lucum suum inciderat, sic ultum fuisse, immisso amore insano in concubinam senis erga filium ejusdem; qui, cùm non assentiretur mulieri, ab ea delatus ad patrem, quòd se voluisset stuprare, à patre præceps è tecto datus est, moxque pater facti pœnitens, laqueo se suspendit, & mulier demum se in puteum præcipitavit.

Anabarath, Latinè *ariditas*, aut *incensio*, vel *ira*, sive *hinnitus*, aut *raucedo*: vel Syriacè *suffocatio*: civitas in tribu Issachar, Josuæ 19.

Anaitis, dea, quam Armenii imprimis colunt, ita more recepto, ut vel nobilitate præstantes, ejus ministerio dedicent filias, quæ inibi corporis pudicitiâ in vulgus datâ, velut inde augustiores factæ, mox traduntur viris, nemine non conjugia id genus alacriter admittente. Hujus Deæ Numini dicata sunt Sacarum festa; Dies quoque illi dicatus sacer, *Saca* vocatur. In his sacris turba virorum, & mulierum vino sese ingurgitabat, vel usque ad stuporem. Celebritatis ratio ex historiâ est Cyrus, cùm expeditionem in Sacas fecisset, prælio victus fugit, & castris eo loco positis, ubi impedimenta reliquerat, paululum quiete refecto exercitu, tabernacula omnium rerum copiâ, ac maximè vino plena relinquens, fugam simulat. Sacæ insequentes, cùm castra hostium vacua, cibo, potuque plena reperissent, sese plus æquo ingurgitarunt. Cyrus reversus omnes leto dedit, ac diem illum Deæ consecravit. Strab. *lib.* 11. Ubicunque autem fanum ejus Deæ est, ibidem statutum est celebrari *Sacaa*, festum Bacchicum, per diem, ac noctem, Scythico habitu, potantibus viris, ac mulieribus, atque in vino invicem per joca, & lasciviam concertantibus. Vide Bochartum *Geogr. Sacr. lib.* 4. *cap.* 19. Pausan. *lib.* 3. à Lydis Dianam hoc nomine cultam ait. Plinius *lib.* 33. *cap.* 4. primam omnium statuam auream huic Deæ sacratam fuisse, Antonii contra Parthos bello fractam, refert.

Analita; Arabiæ Felicis populi. Plin. 9. 28.

Analius, *Aralius*, vel *Aratius*, quintus Assyriorum Rex post Patrem Ariem, regnavit annos 40. usque ad *A. M.* 2198. qui erat 160. Abrahami. African. Euseb. *in Chron.*

Anam & Save Sirei, Rabbini sec. 8. Sadduceismi instauratores. Genebr. *in notis, in Chron.* 8. *sec. p.* 102.

Anamaon, adolescens quidam, à quo *Maones* populi dicti.

Anamani, pop. Galliæ Cispad. Aliter *Ananes* & *Anamares*, in Italia. Ubi nunc Ducatus Placentinus & Status Busseti, in Longob. sub Duce Parmensi.

Anamascia, Pannoniæ infer. urbs. Anton. *Almaz* dicitur Simlero. *Anamatia* Lazio; quod tamen aliis putatur esse *Amantia*.

Anamasis, Ægypti rex, qui & *Amasis* dicitur.

Anamelech, Lat. *responsio*, aut *canticum Regis*, sive *afflictio*, vel *paupertas Regis*, Deus Sepharvaim. 4. Reg. 17.

Anamim, Lat. *fons*, sive *oculus aquarum*, filius Misraim. Gen. 10. Vide Bochart. *Geogr Sacr.* 4. 30.

Anamis, fluv. Carmanorum, in Persia. Cadit in Sinum Persicum. Fortè *Tsindo* hodie.

Anan, Lat. *nubes*, sive *augurium*, aut *divinatio*, Nomen viri. Nehem. 10.

Anandia, seu *vallis Anandi*, *Anandal*, prov. Scotiæ merid. Cujus caput Ananum, ibi aliàs Selgoviæ pop. Sita est inter prov. Nitthiam, ad Occasum, & Eskiam, ad Ortum.

Anandus, vulgò *Anan*, fluv. Scotiæ meridion. in Anandia prov. Ananum alluens, & in sinum *Solvvayfrith* se exonerans, versus mare Hibernicum. Oritur in montibus, prope fontes Cludæ fluv.

Ananelus, infimo loco, Babylone natus, summus Judæorum sacerdos, ab Herode constitutus, ab eodemque mox sacerdotio privatus, ut Aristobulus, Mariammes frater, quem Alexandra mater, Cleopatrâ intercedente, ad Pontificatum omni studio promotum ibat, illo potiretur. Jos. *Ant. l.* 15. 2.

Anani, Lat. *nubes*, sive *auguratio*, aut *divinatio*, filius Elioenai filii Naariæ. 1. Par. 3.

Anania, vel *Ananias*, Lat. *nubes Domini*, aut *divinatio Domini*, nomen unius ducis regis Oziæ. 2. Par. 26. Item, Socii Misaëlis & Asariæ, Dan. 1. & 3. Nomen etiam civitatis, in quâ filii Benjamin habitarunt post Babylonicam captivitatem. 2. Esdr. 11. Nomen item viri cujusdam, cujus cor dicitur ingressus Satan, Actor. 5. De quo vide Cæl. Rhod. *lib.* 2. *cap.* 13.

Anania Laurentius, Calaber Geogr. è civ. Taberna, scripsit *de Fabrica Mundi*, Italicè: Qui liber Venetiis an. 1582. prodiit.

Ananias, Damasci divinitus mandatum accepit, ut Paulo recèns converso, manus imponeret. Quo facto ille visum recepit & baptizatus est. Actor. 9. & 22. Item Sacerdos quidam, Albino, Judææ Præsidi tam acceptus, ut 10. prædonum libertate filium ejus redimeret, Jos. *Antiq. lib.* 20. *cap.* 8. Item Poëta Gr. Jamborum auctor, *Ananius* quibusdam, Voss. *de Poët. Gr.* & *Philol. cap.* 9. §. 6.

Ananum, opp. Scotiæ merid. in Anandia prov. in littore & juxta ostia Anandi fluv. 15. milliar. Angl. distat Carleolo in Circium.

Ananus, I. seu *Annas*, Sacerdos summus Judæorum, ad quam dignitatem omnes 5. filii ejus similiter pervenerunt. Jos. *Antiq. lib.* 20. *cap.* 8. Socer Caiphæ. Ejus tempore Johannes Evangelium prædicare cœpit, Joh. 3. 2. Primus ex illis fuit, qui Apostolos, post resurrectionem J. C. examinavit, Act. 4. 6.

Ananus, II. fil. prioris, Sadducæus, Sacerdos S. Homo audax & Judicum semper severissimus, Jacobum Ap. sustulit, ab Agrippa R. Sacerdotio motus, postquam 4. solùm menses illo functus fuisset. Jos. *Antiq. lib.* 20. *cap.* 8. Euseb. *hist. lib.* 2. *cap.* 22.

Ananus, III. Sacerdos S. ob prudentiam & pietatem laudatus, Zelotas pellere studuit, sed ab iis ope Idumæorum, occisus est. Jos. *lib.* 4. *B. J.*

Ananus, Alexandriæ episcopus, post Marcum Evangelistam, anno primo Neronis. Euseb. 2. 24.

Anapauomenos, fons de quo Plin. 2. 103. Sic enim ille: *In Dodone Jovis fons cùm sit gelidus, & immersas faces extinguat, si extinctæ admoveantur, accendit: idem meridie semper deficit, quâ de causâ Anapauomenon vocant; mox increscens ad medium noctis exuberat, ab eo rursus sensim deficit.*

Anaphe, insula sponte in mari enata. Plin. 2. 7. Ammianus quoque: *Emerserunt*, inquit, *Delos, & Hiera, & Anaphe & Rhodus.* Sic dicta ab Argonautis, quia tempestate laborantibus intermestris Luna ex insperato illis apparuit. Apollonius *Argonaut. lib.* 4.

—— Ἀνάφην δέ τε λισσάδα νῆσον
Ἴσκον, ὃ δὴ Φοῖβός μιν ἀτυζομένοις ἀνέφηνε.

Vide Steph. *in* Ἀνάφη. Ab hâc insulâ Apollo *Anaphæus* cognominatus est, in quâ colebatur. Anaphe (inquit Vir magnus) Phœnicium est ענפה *anepha*, id est, *ramosa* & *opaca*. Unde Apollonius *lib.* 4. *vers.* 1714.

— Τοὶ δ' ἀγλαὸν Ἀπόλλωνι
Ἄλσεϊ ἐνὶ σκιερῷ τέμενος, σκιόεντά τε βωμὸν

Ποίεον. Idem Apollonius βαιὴν νῆσον vocat. Itemque Phavorinus: Βαιὴ νῆσος ἡ Ἀνάφη κληθεῖσα, πλησίον Θήρας. Quæ sunt verba Scholiastis. Itaque fallitur Ortelius, qui ea sic accipit, quasi Βαιὴ esset proprium hujus insulæ nomen *Baie*, inquit, *eadem vocatur in Phavorini Lexico.* Cur autem Ægletæ Apollini Anaphæi σὺν τωθασμῷ, *cum derisione*, sacrificaverint, & κερτομοῦντες ἀλλήλους, hoc est, *sibi invicem conviciantes*, ex Conone discat, qui volet, apud Photium *Tmem.* 186. Si Hegesandro credimus, cùm quidam Astypalæensis duas perdices in hanc insulam immisisset, τοσοῦτον πλῆθος ἐγένετο, ὡς κινδυνεῦσαι ἀναστάτους γενέσθαι κατοικοῦντας, ita Athenæus *lib.* 9. Hodie *Nanfio* dicitur. Ejus meminit Ovid. *Met.* 7.

Hinc Anaphen sibi jungit & Astypaleia regna.

Anapias, vel *Anapius*, vide *Amphinomus*.

Anaplistus, seu *Anaphlystus*, Atticæ municipium, 60. stadiis à Thorico, ubi argentifodinæ. Pars Antiochidis tribus, Steph. Urbs Atticæ, Ptolom. in ora maritima Atticæ, *Asopa*. Per φ. Ptolom. & Aristoph. scribunt.

Anaplus, suburbium Byzantii, ab eo ad 4. m p. distans versus os Ponti, teste P. Gyllio.

Anapuia, prov. Venezuelæ, in America merid. aliàs ab Hispanis perlustrata, versus montes S. Petri & ortum fluv. *Buria*. Distat 40. circiter leucis, ab ora maris Borealis, in Ortum.

Anapus, Siciliæ fluvius, juxta Syraco paludem exit. Vid. de illo *fabulam 6. lib.* 5. *Metamorph.* Hodiè accolarum simplicitate, vulgari vocabulo *Alfeo* dictus. Ejus meminit Theocritus *Idyl.* 1.

Οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἶχετ' Ἀνάπω.

Ovid. *Ponticor. lib.* 11. *eleg.* 10.

Quaque suis Cyanen miscet Anapus aquis.

Silius Italicus *lib.* 14.

Et Cyanes, & Anapus, & Ortygia Arethusa.

Ælian. *Var. Hist.* 2. 33. Καὶ ἐν Σικελίᾳ δὲ Συρακούσιοι τὸν Ἄναπον ἀνδρὶ εἴκασαν, τὴν δὲ Κυάνην πηγὴν γυναικὸς εἰκόνι ἐτίμησαν. Situm ejus indicemus ex vetustis scriptoribus. Thucyd. *lib.* 6. Καὶ οἱ μὲν Συρακούσιοι ἐξελθόντες πανδημεὶ εἰς τὸν λειμῶνα, παρὰ τὸν Ἄναπον ποταμὸν, ἐξέτασιν ὅπλων ἐποιοῦντο, hoc est, *Syracusani omnem populum, ex urbe in pratum juxta Anapum flumen egressum, recensuerunt.* Pratum istud est supra Syracam paludem, inter Anapum, sive, ut nunc vocant, Alpheum, & Neapolim. Planiùs Plut. *in Dione*: Δίων, νυκτὸς ἐπὶ τοὺς στρατιώτας ἀναστήσας, πρὸς τὸν Ἄναπον ποταμὸν ἧκεν, ἀπέχοντα τῆς πόλεως δέκα σταδίους. In hujus quoque fluminis vocabulo enodando grammatici ineptias suas exercuerunt. Sic enim Theocriti Scholiastes: Ὁ δὲ Ἄναπος ποταμὸς ἐν Συρακούσαις τῆς Σικελίας. Ἄναπος δὲ εἴρηται, ὡς ἄνευ πόσεως ὢν, καὶ βληχρὸν ἔχων ὕδωρ, ἢ παρὰ τὸ τοῖς ποσὶ μὴ διαβατὸς εἶναι. Quæ cùm falsa sint, & ἀσύστατα, videant peritiores, annon ab ענב *anab*, id est, *ab uvâ*, deducatur Anapi nomen? Uvis certè fertiles agros fuisse Syracusanos, circa Anapum, vel ex Theocrito colligere est, qui cùm in Homero legisset, terram Cyclopum ferre vinum ἐριστάφυλον, putavit agi de solo circa Anapum, quia utrobique par fertilitas. Unde est, quòd Idyll. 7. Polyphemo ad Anapum metatur sedes. Verba sunt:

Ἀρά γε πα τῆνον τὸν ποιμένα τὸν ποκ' Ἀνάπῳ
Τὸν κρατερὸν Πολύφαμον ὃς ὤρεσι λᾶας ἔβαλλε.

Item fluvius Epiri, juxta Stratum urbem fluens, ab eâ 10. stadiis distans, teste Thucydide.

Anaquitus, Campus Americæ, in Peruvia & reg. Quito, ubi ingens prælium commissum, inter Proregem Peruviæ & Pizarrum Hispanos, magnâ utrinque clade, an. 1546.

Anariaca, populi ad mare Caspium incolentes, ortum versus. Strabo. *Anariaci* Plinio.

Anarium, opp. Armeniæ maj. inter Arsametem fluv. & Arsanium lacum.

Anarrysis, secundus dies Apaturiorum (vide *Apaturia*) quo sacrificabant Tribules Jovi Sodali & Palladi. Nam ut Schol. Aristophanis exponit, & ex eo Suidas, ἀναρρύειν est ἐπιθύειν, & θυσίαν ἐπιτελεῖν. Atque hoc est, quod Homerus dicit ἀνερύειν, id est, ἀνατρέπειν, *resupinare*. Nam si quando Diis superis sacrificabant, hostiam resupinabant, ut cœlum intueretur. Eust. *ad Il. α.* Ἔθος Ἑλληνικὸν, εἰ μὲν τοῖς ἄνω θεοῖς ἔθυον, ἀνακλᾷν τὸν τοῦ ἱερείου τράχηλον ὥστε ἐφορᾷν ὡς οὐρανόν: Ἐὰν μέντοι Ἥρωσιν, ἢ ὅλως τοῖς κατοιχομένοις ἔθυον, κάτω τὸ ἱερεῖον ἔσφαζον. Ritum hunc optimè declarat Sophocles *in Ajace Flagellifero*, quem furore correptum in pecudes sævientem inducit: Καὶ τοὺς μὲν ηὐχένιζε, τοὺς δ᾽ ἄνω τρέπων Ἔσφαζε, κἀῤῥάχιζε. Igitur ἀναρρύειν est, hostiam ἀνατρέπειν καὶ ἀναφέρειν, id est, *ad sacrificandum resupinare*; quod fiebat in sacris Deorum superûm, quales sunt Jupiter & Pallas, quibus hâc Ἀνάρρυσις die sacrificabatur.

Anartes, Cæsari, Straboni *lib.* 2. fortè, in Asiaticæ Scythiæ descript. *Anariacæ*, & Plin. *lib.* 6. *cap.* 16. *Anariaci*. Nisi fortè *Aranitium*, apud Cæs. legendum, ut sint Pannoniæ Infer. populi, quos Tac. *Araniscos* vocat. Cæterùm *Anartios* Ptolom. maximè Septentrionales Daciæ facit juxta Carpeten montem, quod maximè congruit verbis Cæs. Illinc enim sinistrorsum vertitur Hercynia sylva. Sic ergo essent populi Daciæ Walachis, & Transylvanis finitimi. Marciano verò populi trans Rhenum & Danubium, prope Hercyniam sylvam Dacis finitimi.

Anas, Urbes duæ Arabiæ des. Una ad Euphratem, altera ad fluv. de Lastan, Texeira *itin. c.* 8. Du Val.

Anas, Hisp. fluv. Straboni, *Ana* Ptolemæo. Hispanis, *Rio Guadiana* dicitur, ab Arabibus recepto vocabulo, quibus *Guad* fluvium designat. Hic ex montanis *de Consuegra* ortus, per Meridam & Badajos, labitur, & in confiniis Algarbiæ & Andalusiæ in mare se exonerat. Prope Medellinum terrâ conditur, & post 6. mill. apud Argamasillam iterum emergit. Hinc Hisp. inter tria sua memorabilia hoc reponentes, pontem se habere jactant, super quo 10000. ovium pascantur. Vid. Plin. *lib.* 3. *cap.* 6. & *lib.* 4. *cap.* 22. Pomp. Melam, &c. Est etiam Siciliæ fluvius, apud Livium *lib.* 24. quem *Anatim* vocat. De priori fluvio, sic Bochartus: Anas, inquit, inter Tagum & Bætim medius Lusitaniam à Bæticâ dividit. ענא *ana* autem Syris est *ovis*. Inde dici potuisse videbitur Anas fluvius, propter ovium frequentia pascua in utroque litore. Maximè, cùm Bæticæ oves, quam Anas ab Aquilone, & Occasu alluit, sint vellere notabiles, testante Plinio 8. 48. itemque Martiale *diversis locis*. Sed Anas, ut quidem reor, Punicè הנאם *Hanas* dictus est. Significatio vocis ex Arabicâ lingua petenda, quâ חנם *hanasa* verbum est, & significat *se subducere*, *se proripere*, & *occultare*. Arabes de Diabolo usurpant, qui, cùm quis orat, חנם *hanasa*, id est, ita se subducit, ut, finitâ oratione, statim regrediatur. Proinde ab iisdem Dæmon ipse חנאם *hanas* vocatur. Et eodem pertinet quod חנוס אלננום *hunuso lnugiumi* sunt siderum occasus, qui non aliter occidunt, quàm in spem ortûs secuturi. Itaque etiam חנאם *Hanas* appellari potuit amnis, qui in terram ita se condit, ut ex eâ rursus emergat. Plin. 3. 1. *Ortus hic Laminitano agro citerioris Hispaniæ, & modò se in stagna fundens, modò in angustias resorbens, aut in totum cuniculis condens, & sæpius nasci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur.*

Anassus, flu. Carnorum Venetæ ditionis. Plin. 3. 18. *La Piave* Leandro. Vid. *Anastus*.

Anastasia, vel *Anastasiopolis*, civitas Mesopotamiæ, apud Nisibim, ab eâ 12. m. p. distans; ab *Anastasio* Imp. condita; *Daras* prius, teste Marcellino, & *Daria*, teste Procopio, dicta. Altera in Galatiâ sub archiep. Ancyrano. Tertia in Thracia, sub arch. Trajanopolitano.

Anastasius, I. post Zenonem, Imperator, ope Ariadnes Imper. ex Silentiario factus, Longino Zenonis fratre spe imperii hac ratione dejecto. Primis Imperii annis laudatus, abolito ambitu & sublato Chrysargyro, quod nomen exactionis erat, benignus & liberalis. Post in contrarium versus, Constantinopolitanos, Longini instinctu, infestos sensit primùm, dein Isauros, quibus victis larvam penitus deposuit, & Acephaliæ hæresin apertè amplexus, Euphemium & Macedonium Episc. surrogatis hæreticis pepulit, &c. Sed difficilibus bellis implicitus, pacem pecuniâ redimere coactus est, & Constantinopolim adversam habuit. Proclus, qui Vitaliani Constantinopolim obsidentis classem combussit, insignis Mathematicus, cùm ex oraculo nosset, Anastasium igne periturum, cubiculum ei concinnavit, in quo tutus esset. Sed fulmine percussus, obiit A. C. 518. Imper. 27. Cedrenus, Evagrius, Theodor. Lector, Marcellinus, Procopius. Hic audito Clodovæum I. contra Alaricum & Alemannos feliciter pugnâsse, ei coronam Imper. misit, quam Francus Papæ Symmacho transmisit, in Basilica Petri reponendam. Greg. Tur. *l.* 2. *c.* 38. Hincmar. *in S. Remig.* Aimon. *l.* 1. Sigebert.

Anastasius, II. prius *Arthemius*, Secretarius Philippici Imper. ei successit, eruditus & moderatus. Ducem cum classe contra Saracenos missum, à rebelli milite Rhodi occisum, audiit, moxque Theodosium quæstorem, Imperatorem creatum. Qui urbe post 6. mensium obsidionem captâ, Anastasium tonsum in monasterium detrusit, imperii anno 3. A. C. 715.

Anastasius, I. Papa Rom. post Siricium, an. 398. Obiit A. C. 402. Hieronymo laudatus, *ep.* 16. Aug. *ep.* 165. Socr. *l.* 7. *c.* 9. Sozom. *l.* 8. *c.* 24. Theodoret. *l.* 5. *c.* 23.

Anastasius, II. post Gelasium, Pontifex, circa A. C. 496. ad Eutychianismum propendit. Hunc intestina, in secreto loco, Arii instar effudisse, sunt qui scribant. Theod. Lect. *l.* 2.

Anastasius, III. Romanus, Luciani fil. Sergio 3. successit, qui in gratiam Berengarii R. Papiensi Arch. ubi tum aula regum, jus umbellæ, albi equi, crucis & in Concilio lævæ, concessit, nullâ aliâ re memorabilis. Sigebert. Onuphr. Genebr. *in Chron.* Antonin. §. 15. Baron. A. C. 911. 912.

Anastasius, Antipapa, contra Benedict. 3. creatus, mox Româ pulsus est. Onuphr. Genebr. & Ciacconius *in Bened.* 2. Baron. A. C. 855. *num.* 36.

Anastasius, Patr. Constantinop. A. C. 458. 477. Item, Ep. Nicæensis, cui cùm Eunomio Nicomediensi, de Juribus Diœcesis, contentio fuit, in Concilio Chalced. *sess.* 5. composita. Seculo 7. V. Bellarm. *de Scr. Eccles.*

Anastasius, Patriarcha Constantinop. Germano à Leone Isaurico suffectus, à Constantino Copronymo publico ludibrio expositus est. Zonar. Theophyl. &c. A. C. 730. 742. 753.

Anastasius, episcopus Antiochenus, Varia scripsit, à Justino in exilium ejectus, & ab eodem restitutus. An. D. 593. Niceph. *l.* 8. *c.* 44. Sigebert. *de Scr. Eccl. c.* 42.

Anastasius, Jacobita, Heraclio Imp. pollicitus, se Concilio Chalced. subscripturum, ut Patriarcha Antiochenus evaderet, fidem fefellit, & Imperatore seducto, Orientem turbavit. Baron. A. C. 629. *n.* 5. & *seqq.*

Anastasius, historicus, qui præceptoris sui Maximi vitam memoriæ prodidit, floruit circa an. Christi 650.

Anastasius, Theopolita, Cyrilli æqualis, composuit Persica, sive quæ in Perside contigerunt, super Dionysaro, & Philippo historiographis, inter Christianos & Paganos.

Anastasius, Abbas, sec. 8. scripsit contra Judæos, V. *tom.* 4. *Biblioth. Patrum.* Item, præses Palæstinæ, ab Anastasio Imper. Olympio suffectus, &c.

Anastasius, Abbas Romanus, ordinis S. Benedicti, Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli, & Bibliothecarius Gregorii 4. A Leone autem 4. in Synodo Romanâ exauctoratus, eò quòd, contra Canonum decreta, Ecclesiam suam quinquennio deseruisset. Vide Voss. *Hist. Lat.* 2. 31. & 35. Quæ posteriora de Anastasio Antipapa intelligenda, ostendit Morerius.

Anastasius, monachus Cassinensis, & Cardinalis, ac Bibliothecarius Stephani 2. Papæ, A. D. 754.

Anastasius, historicus quidam, qui vitam Gregorii Nazianzeni, à Gregorio Presbytero Græcè scriptam, Latinè transtulit. Vixit circa an. 960.

Anastus, fluv. oritur ex Alpibus Carnicis, in confinio Carinthiæ, prope fontes Dravi fluv. excipitque fluvios, Padolum, Boëtum, Calorum & Cordevolium, & prope Feltrium urbem labitur. Hinc per Marchiam Tarvisinam fluens, ibi in Adriaticum se exonerat. V. *Anassus*.

Anatetarta, urbs Cariæ, episc. sub Archiep. Stauropolitano, teste Miræo.

Anath, Lat. *responsio*, sive *canticum*, aut *afflictio*, vel *paupertas*, pater Samgar Judicis Israel. Jud. 3.

Anatha, urbs quam Arrianus *Tyron* vocat. Steph.

Anathoth, civitas 3. milliaribus ab Hierosolymis distans. Is. 10. Item fil. Bechor, filii Benjamin. 1. Par. 7.

Anatili, populi Galliæ Narbonensis, ubi nunc *la Crau* & *la Camargue*, partes Provinciæ in ora maritima ad ostia Rhodani fluv.

Anatilia, opp. Gall. Narbon. Plin. 3. 4. Vulgò *S. Gilles*, quòd ibi S. Ægidius vitam egerit solitariam. long. 25. 20. lat. 42. 44.

Anatiliorum regio, Ptol. *Provence* Jo. Poldo vocatur. Vid. *Anatili*.

Anatis, Maurit. Ting. fluv. Plin. & Solin. *Zilia* hodie, teste Marianâ.

Anatole, una horarum, quarum varia nomina distribuuntur ab Hygino *cap.* 185. Item nomen montis, circa Gangem fluv. qui & *Coripha*, in quo Sol Anaxibiam nympham compressit, ut scribit Plut. *de Montibus.*

Anatolia, Gall. *Anatolie* & *Natolie*, pars Asiæ, aliter *Asia minor*. Aliis, præter Asiam min. Cappadociam, Galatiam, Paphlagoniam, Pontum, Bithyniam, Lyciam, Pamphyliam & Ciliciam continet. Quidquid nempe inter Pontum Eux. & mare Medit. quod Cyprum alluit, intercipitur. Fortè, ab Ἀνατολή: Constantinopoli enim versus ortum est.

Anatolicum Thema, apud Constantinum Porphyrogennetam, ea pars Asiæ min. quam Turcæ etiamnum *Natolia* vocant. Vid. *Anatolia*.

Anatolius, nuntius Dioscuri, apud Imper. prius, dein Patriarcha Const. Eutychianorum fautor. Obiit A.C. 458. Concil. Chalced. Act. 1. 3. 6. Leo, *ep*. 51. 52.

Anatolius, Alexandrinus, successor Eusebii, in Episc. Laodicensi, non minus pietate, quàm eruditione illustris. Orator insignis, Mathematicus excellens, Philosophus consummatus, doctissimus Aristotelis interpretum suo tempore habitus. Pauca, sed bene scripsit. Eus. *Chron.* A. C. 280. & *lib.* 7. *cap.* 26. *histor.* Hier. *in Catal.* Ado *in Chron.* Trith. *de script. Eccles.* Voss. *de Mathem. c.* 50. §. 3. & *c.* 67. §. 3.

Anatolius, humili loco natus, ingenii ope ad summas dignitates Antiochiæ evectus est. Sed deprehensus, clam idolis facere, à Tiberio 2. Constantinopolim accersitus est, & à feris dilaniatus. Baron. A. C. 580. *n.* 1.

Anatolius, Cos. Rom. Valentiniani Aug. 5. collega.

Anatolius, diaconus Rom. A. C. 533. Item Dux copiarum Theodosii 2. Imper. contra Persas, Sarracenos & Isauros, Ammian. Marcell. *lib.* 31.

Anava, urbs Phrygiæ. Stephanus.

Anauchidas, luctator insignis. Pausan. *Eliac poster.*

Anaudoma, opidum Syenitarum. Plin. 6 29.

Anaurus, fluvius Thessaliæ, oriens in Pelio monte: sic dictus, quòd ex se neque auram, neque nebulam mittat. Lucanus *lib.* 6.

Quiq; nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues ventos aspirat Anauros.

Lege *suspirat*. Videtur autem in Lucanum censoria distringi meritò virgula debere, inquit doctissimus Turnebus. Anaurus enim ab eo, ut Thessaliæ fluv. recensetur, & tamen, quod sciam, nec Strabo, nec Plinius eum nominat in Thessaliâ reddendâ. Videtur autem eum in errorem induxisse Apollonius Rhodius *lib.* 1. *Argonaut.* cujus versus est:

Χειμερίοιο ῥεέθρα κιὼν διὰ ποσσὶν Ἀναύρου.

Sed eo nomine, non perennis, nec jugis fluvius, sed torrens & hybernus intelligitur, vel ejus interprete auctore, cujus hæc verba sunt: Ἄναυρον λέγει τὸν χείμαῤῥον, οἱ γὰρ ἐξ ὑετῶν συνιστάμενοι ποταμοὶ οὕτω καλοῦνται. Quin & ex eo nomen habere videtur, quòd nullas gignat auras. Lucanum tamen inscitiæ magnis testibus absolvere possumus. Callimacho v. g. *hymno in Dianam:*

Αἰὲν ἐβωσηλέοντο μελαμψήφιδος Ἀναύρου.

Cujus interpres ait: Ποταμὸς Θεσσαλίας Ἄναυρος. Quin & Hesychius: Ἄναυρος ὄνομα ποταμοῦ. Item, Troadis fluv. ad Idam montem, ubi Paris paternas pascebat oves, ut refert Coluthus Theb. *de raptu Helenæ*.

Anausis, Alanorum & Heniochorum rex, procus Medeæ, postea a Styro rivali interfectus. Val. Flacc. *Argonaut. lib.* 6. *vers.* 45.

Miserat ardentes, mox ipse secutus, Alanos,
Heniochosq; truces, jampridem infensus Anausis;
Pacta quod Albano conjux Medea tyranno.

Anax, Cœli & Terræ filius, à quo Miletus olim dicta fuit *Anactoria*. Indidem id esse factum putaverim, quòd, apud Poetarum antiquissimos, nomen *Anax* in honore fuit, tanquam sacrum & augustum, regibusque, & Heroibus peculiare. Etiam Dioscuros Ἄνακας ideo dictos esse consentaneum est, quòd statura & majestate cæteris mortalibus antestarent. Cic. *lib.* 3. *de Nat. Deor.* author est, primos Διοσκούρους ex Jove antiquissimo rege & Proserpinâ natos, Athenis *Anaces* fuisse appellatos Cùm verò plures Dioscuros fuisse constet, idem nominis etiam Tyndaridis alii tribuerunt; Plutarchus *in Theseo*, ubi causam quoque exponit appellationis: Τιμὰς ἰσοθέους ἔχον, Ἄνακες προσαγορευθέντες, ἢ διὰ τὰς γενομένας ἀνοχὰς, ἢ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν, καὶ κηδεμονίαν τοῦ μηδένα κακῶς παθεῖν, στρατιᾶς τοσαύτης ἔνδον οὔσης. Ἀνακῶς γὰρ ἔχειν τοὺς ἐπιμελουμένους, ἢ φυλάττοντας ὁτιοῦν. Καὶ τοὺς βασιλεῖς ἴσως Ἄνακτας διὰ τοῦτο καλοῦσιν. Εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες, διὰ τὴν τῶν ἄστρων ἐπιφάνειαν Ἄνακας ὀνομάζεσθαι. Τὸ γὰρ ἄνω τοὺς Ἀττικοὺς ἀνέκας ὀνομάζειν, *Divinos honores obtinuerunt Anaces appellati, vel propter inducias (quas Græci vocant ἀνοχάς) vel ob curam operamq;, quam adhibuerunt, ne quis injuriâ afficeretur, cùm tantus esset in urbe exercitus* (quem illi duxerant ad recuperandam Helenam) *nam ἀνακῶς ἔχειν dicuntur, qui quamcunque rem tutantur, & custodiunt. Et Reges fortassis ob hoc ipsum* Ἄνακτας *vocant. Sunt autem, qui dicant, sic appellatos propter splendorem siderum; nam ἄνω. quod est sursum, sive supra, Athenienses ἀνέκας efferunt.* Ad posteriorem nominis rationem fortè respexit Horat *lib.* [illegible] *Od.* 3.

Sic fratres Helenæ lucida sidera.

Eustathius *ad Odyss.* α. probat etymon, quod Plutarchus priore loco ponit: ἔστι, inquit, ἐν χρήσει ἀνακῶς, ἀντὶ τοῦ φροντιστικῶς, ἐπιμελῶς, πεφυλαγμένως. Quo sensu ab Herodoto & Thucydide usurpatum esse, testis est Pausanias. Pindarus *Pythionic.* 2. *Epodo ultimâ*, unum Pollucem nominans, sic tamen, ut etiam de Castore intelligi debeat, non Ἄνακον, aut Ἄνακα, sed Ἄνακτα vocat. Quem secutus est Tzetzes *ad Lycophronem*: Οἱ γὰρ Διόσκουροι καὶ Θησέως στρατεύσαντες, ἕνεκα τῆς ἁρπαγῆς τῆς Ἑλένης, ἐφείσαντο πάντων τῶν ἐν τῇ πόλει, πλὴν μόνης τῆς Αἴθρας. Διὸ καὶ θαυμάσαντες αὐτοὺς οἱ Ἀθηναῖοι, Ἄνακας ἤτοι θεοὺς, καὶ σωτῆρας ἐκάλεσαν. Divinos autem honores Tyndaridis habitos, non Lacedæmone modò, sed etiam Athenis, ostendit Theodoretus, *lib.* 8. *de cur. Græcorum affect.* Καὶ ἀφ' του, καὶ Τυνδαρίδας θεὺς ἐκάλεσαν Ἕλληνες, καὶ Διοσκούρους ὠνόμασαν, καὶ Ἐφέσιες, καὶ Ἄνακας, καὶ τεμενῶν οὐκ ἐν Σπάρτῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἀθηναῖς τούτους ἠξίωσαν. In tantum, ut illis festum dicarint, quod ratione nominis jam adducti, Ἀνάκεια nuncuparunt. Julius Pollux [illegible]. 1. Ἑορτὴ Διοσκούρων Ἀθήνησιν Ἀνάκεια. Pausanias itidem: Ἀνάκεια, ἑορτὴ Διοσκούροιν Ἀνάκειον.

Anaxagoras, Clazomenius Philosophus, Anaximenis discipulus, ob ingenii subtilitatem, *Spiritus* dictus, in Physicis præcellens. Socratis, Periclis, Euripidis Præceptor. Hic non modo generis gloriâ & divitiis, verùm animi quoque magnitudine clarissimus, totum patrimonium suis sponte reliquit, & cùm ab eis negligentiæ insimularetur; *Quid ergo*, inquit, *nonne vos ista curatis?* Mox abscedens, ad speculandam rerum naturam se contulit, studio doctrinarum flagrans, reique tum privatæ, tum publicæ omnino negligens, & adeò incuriosus, ut cuidam ipsum ita compellanti; *Nullane tibi patriæ cura est?* dixerit, *Mihi verò patriæ cura, & quidem summa est.* digitum in cœlum intendens. Cùm autem post diuturnam peregrinationem, quam in Ægyptum inprimis, sapientiam illorum addiscendi cupidus, susceperat, in patriam rediisset, possessionesque desertas vidisset, *Non essem*, inquit, *ego salvus, nisi ista periissent* Qui pluris facienssculturam ingenii, quam prædiorum, famam consecutus est inter Philosophos, non tamen apud Apollonium Tyaneum. Sicenim Suidas in Ἀναξαγόρας: Οὗτος Κλαζομένιος ὤν, ἀγέλαις τε καὶ καμήλοις τὰ ἑαυτῆς ἀνῆκε. Περὶ τούτου ἔφη Ἀπολλώνιος Τυανεὺς, Προβάτοις μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις φιλοσοφῆσαι. Idem unum esse Deum agnovit, (fulmine proin, juxta Luciani figmentum, à Jove percussus) & cœlestium literarum scientiâ prædixisse fertur, quibus diebus saxum è sole esset casurum. Plin. *lib.* 2. *cap.* 58. Lunæ quoque defectus primum commonstrasse eum, ait Plut. *in Niciâ*, idque ex eo probat; quòd, cùm Nicias, rebus malè gestis, Siciliam deserere decrevisset, & nocte fortè Luna defecisset; omnes milites ejus propter rei ignorantiam, quam paulo ante Anaxagoras calluerat, turbati, malum aliquod sibi portendi arbitrati sunt. De illo Tullius 4. *Academ. Qu. Anaxagoras nivem nigram dixit esse; ferres me si ego idem dixissem?* Argumentum ejus autem erat hujusmod*, referente Sexto Empirico *Pyrrhon. Hypotyp. lib. cap.* [illegible]. Ὡς ὁ Ἀναξαγόρας, τὸ λευκὴν εἶναι τὴν χιόνα, ἀντετίθει ὅτι χιὼν ὕδωρ ἐστὶ πεπηγός. Τὸ δὲ ὕδωρ ἐστὶ μέλαν, καὶ ἡ χιὼν ἄρα μέλαινά ἐστι. Lactantius 5. 3. *Discipulus hic fortasse Anaxagoræ fuerit, cui nives atramentum fuerunt.* Idem primus, *Homeri poema de virtute & justitiâ compositum esse*, dixit, ποίησιν περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης. Ejus mem. Lucretius *lib.* 1.

Nunc & Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομέρειαν.

Est autem ὁμοιομέρεια, *partium similitudo.* Eâ voce utitur Justinus Martyr, Ἐν τῷ πρὸς Ἕλληνας: Ἀναξαγόρας, inquit, τὰς ἀρχὰς τῶν πάντων τὰς ὁμοιομερείας εἶναι φησι. Sunt autem ὁμοιομερῆ partes simplices, & inter se similes, quas Medici similares vocant. Talis est caro, cartilago, nervus, vena, arteria, membrana, ligamentum, os. Quæ verò partes ex his compositæ sunt, dissimilaresque dicuntur, ἀνομοιομερῆ Græcis vocantur; talis oculus, manus, pes. Sed ad Anaxagoram redeamus, cujus morientis præclarum dictum refert Cic. Tuscul. *lib.* 1. *Præclarè*, inquit, *Anaxagoras, qui cùm Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas, in patriam, si quid accidisset, auferri? Nihil necesse est*, inquit, *Undiq; enim ad inferos tantundem via est.* Rogantibus iterum principibus, nunquid fieri mandaret? *jussisse*, ferunt, *ut pueri quotannis eo, quo defecisset, mense, ludere permitterentur.* Quæ consuetudo Lampsaci diu servata est. Obiit an. æt. 62. Olymp. 88. *A. M.* 3626. *U. C.* 326. Plura de illo vide apud Suidam, & Laertium Diogenem. Aug. *de C. D. lib.* 8. *cap* 2. Plut. *in Niciâ*, Plin. *lib.* 2. *cap.* 58. Fuere item eodem nomine alii tres; Primus Æginetа statuarius, cujus mem. Pausan. *lib.* 5. Alius, cujus meminit Antigonus, Tertius Grammaticus, Zenodoti discipulus. Quibus adde quartum Argivorum regem, de quo Pausan. *in Argolicis.*

Anaxagoras, filius Echeanactis Ephesii, qui cum fratribus, Codro & Diodoro, Hegesiam Ephesi tyrannum è medio sustulit. Vide *Diodorus.*

Anaxander, Eurycratis fil. Pater Eurycratidæ, Heraclides. Herodot. 7. Spartæ rex. Paus. *in Laconicis.* Hic Interrogatus, quare Lacedæmonii nullum congererent thesaurum, respondit, quia timent, ne custodes corrumpantur. Plut. *in apophth. Lac. cap.* 32.

Anaxander, Megalopolitarum, ut videtur, Dux, à Thebanis ad Telphusiam captus. Diod. XVI. 50.

Anaxandrides, Fil. Leontis, Pater Leonidæ, Herodot. 7. Lacedæmoniorum rex; solus Lacedæmoniorum duas uxores simul habuit, & duas domos simul inhabitavit. Pausanias *ubi supra.* Plut. *apophth. Lac cap.* 33.

Anaxandrides, Comicus Rhodius, tempore Philippi Macedonis,

donis, docuit fabulas 65. vicit 10. Suidas. Πρῶτ☉ ἔτ☉ ἔρωτας, κὶ παρθένων φθορὰς εἰσήγαγεν. hoc est, *primus amores & virginum stupra in scenam introduxit*, Item alius historicus, qui confecit libros περὶ τῶν συληθέντων ἐν Δελφοῖς ἀναθημάτων. In eorum primo retulerat, unde ortum proverbium: Ἄκρον λάβε, κὶ μέσον ἕξεις. Narrat hoc collector Proverbiorum, quæ è Bibliotheca Vaticana edidit Schottus. *pag.* 255.

Anaxarchus, Philosophus Abderita, sectator Democriti; habuit inimicum Nicocreontem Cypri tyrannum, cujus caput quia deesse convivio regali dixerat, interrogatus ab Alex. M. apud quem summo loco erat, post hujus mortem à tyranno comprehensus, conjectusque in pilum ptisanæ, sive mortarium saxeum, quod Græci ὅλμον vocant, ibique ferreis malleis contusus, adeò toleranter pertulit asperrimos illos cruciatus, ut verbum illud memorabile conduplicaverit: Πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πλήττεις, hoc est, *Tunde Anaxarchi culeum, Anaxarchum vero ipsum non tundis*. Ad ultimum, amputationem linguæ minitante tyranno, protinus dentibus ab scissam, & commanducatam in os ejus irâ patulum conspuisse dicitur. Ovidius *in Ibin*:

Aut, ut Anaxarchus, pilâ minuaris in altâ,
Jactaq; pro solitis frugibus ossa sonent.

Ad quem locum vetus Scholiastes: *Anaxarchus in mortario positus fuit, & sicut sinapi contritus*. Plut. *in Tractatu de Virtute morali*, ubi de Anaxarcho: Ὁ μὲν γὰρ (Nicocreon scil.) ὑπέροις σιδηροῖς κατέπτισσε, κὶ κατεκόπτεν ἐκεῖνον. Tertullianus in Apologetico: *Anaxarchus, cùm in exitium ptisanæ pilo tunderetur, Tunde, tunde, ajebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis*. Origenes *contra Celsum lib.* 6. Γενναῖος μὲν οὖν ὁ Ἀνάξαρχ☉ λέγων τῷ τῆς Κύπρου τυράννῳ Νικοκρέοντι, Πτίσσε, Πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, αὐτὸν γὰρ οὐ πτίσσεις. Clemens Alexand. *Strom.* 4. Τὰ γὰρ Ἀναξάρχου σιωπῶ, Πτίσσε, ἐπιβοῶντ☉, τὸν Ἀναξάρχου θύλακον; Ἀνάξαρχον γὰρ οὐ πτίσσεις. Meminit Nemesius quoque, *de Naturâ Hominis cap.* 30. sed qui tormenti causam aliam reddit: Ἀνάξαρχ☉ ὁ φιλόσοφ☉ ὑπομείνας πτίσσεσθαι ὑπὸ Νικοκρέοντ☉ τοῦ τυράννου ὑπὲρ τοῦ μὴ προδοῦναι τοὺς φίλους. Ex quibus locis patet, Πτίσσε legendum esse apud Laertium, non Πτύσσε. Vide Philonem in libro *Quòd omnis probus liber*. Gregor. Naz. *Epist.* 58. Theodor. *Serm.* 8. Cic. 3. *de Nat. Deor.* & 2. *Tuscul.* Val. Max. 3. 3. Diog. *in Anaxarcho*. Plut *in Alexandro*. Arrian. *lib.* 4. Floruit Olymp. 114. Suidas.

Anaxarchus, Thebanorum dux, Thucydidi, *hist. de bell. Peloponn.* sæpius memoratus.

Anaxarete, puella Cypria ex Salamine op. formâ insignis, & regiâ stirpe superba; quam cùm Iphis infimæ sortis juvenis perditissimè adamaret, & ab eâ ludibrio haberetur, doloris impatientiâ sese ad fores ejus suspendit: cujus funus cùm Anaxarete siccis, immotisque oculis intueretur, in saxum conversa est. Ovid. *Met.* 14.

Forte via vicina domus, quâ flebilis ibat
Pompa, fuit: duraq; sonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes; quam jam Deus ultor agebat.
Mota tamen, Videamus, ait, miserabile funus:
Et patulis iniit tectum sublime fenestris.
Vixq; bene impositum lecto prospexerat Iphim:
Diriguere oculi; calidusq; è corpore sanguis
Inducto pallore fugit; conataq; retro
Ferre pedes, hæsit: conata avertere vultus,
Hoc quoq; non potuit: paulatimq; occupat artus,
Quod fuit in duro jampridem pectore, saxum.

Anaxenor, citharœdus, quem Tyana civitas valdè extulit, sed magis M. Antonius, qui quatuor civitatum ei tributa legenda dedit. Strabo *lib.* 14.

Anaxias, Ducis Thebanorum nomen. Pauf. *lib.* 3.

Anaxibia, soror Agamemnonis. Pausan *lib.* 1.

Anaxibius, Byzantiorum navarchus.

Anaxibius, Laco, præsidii Abydeni præfectus, de quo Polyænus *lib.* 3. *com.* 44. in Iphicrate. Ubi vitiosè legitur *Axibius*. Vide de eo quoque Frontinum *lib.* 1. *cap.* 4. *Exempl.* 7. *Et lib.* 11. *cap.* 5. *Exemplo.* 42.

Anaxicrates, Atheniensium Archon. Pauf. *lib.* 3.

Anaxidamus, Zeuxidami filius, post Theopompum Patrem, Spartanorum rex. Pausanias *in Laconicis*. Habuit fil. Archidamum successorem.

Anaxilas, poeta Comicus, de quo vide Vossium, *de Poet. Græc. pag.* 49.

Anaxilas, vel *Anaxilaus*, Messenius, Rheginorum tyrannus, Zanclen bello cepit, Olymp. 20. & Messanam appellari jussit. Is justitiâ cum cæterorum tyrannorum crudelitate certans, moderationis suæ haud mediocrem fructum tulit: quippe decedens, cùm filios parvulos reliquisset, tutelamque eorum Micalo (aliis Smicytho) spectatæ fidei servo commisisset, tantus amor memoriæ ejus apud omnes fuit, ut parere servo, quàm deserere regis filios mallent; principesque civitatis obliti dignitatis suæ, regni majestatem administrari per servum paterentur. Is verò tutelam sanctè gessit, & perductis in ætatem pueris, & bona, & imperium tradidit, dein parvo viatico sumpto, profectus est Olympiam, ibique summâ tranquillitate consenuit. Pausan. *in Messen.* Just. *lib.* 4. Macrob. *Saturn.* 1. 11.

Anaxilas, vel *Anaxilaus*, Magus, ab Augusto totâ Italiâ pulsus. Larissâ oriundus erat, & sectator Pythagoræ. Euseb. *in Chron.* Item, historicus, apud Dion. Halic. *lib.* 1. Item, Medicus, Plin. *lib.* 19. *cap.* 1. & *lib.* 25. *cap.* 13. & *lib.* 30. *cap.* 10. Plures vid. apud Plut. *in Alcibiad.* & *Apophth. Lac. cap.* 35. &c. Vid. *Anaxilaus*.

Anaxilaus, Lacedæmonius, cujus mem. Plut. *in Alcib.*

Anaxilaus, historicus, cujus meminit Dion. Halic. *initio Antiqu. Rom.* ubi eum dicit, procœmium historiæ suæ à vituperatione aliorum orsum esse, idemque factum esse à Theopompo, quorum neutrum ait se imitari velle. Neque alium putat Vossius Anaxilaum, ex quo Mysonem fuisse Arcadem, Laertius refert, in *Mysone*. At alius est *Anaxilaus* Comicus, cujus fabulas longè plurimas citat Athenæus, qui *Anaxilas* dicitur Suidæ, & Etymologo; de quo supra. Alius est etiam *Anaxilaus* Medicus, quem laudat Plinius *lib.* 19. *cap.* 1. & *lib.* 25. *cap.* 13. & *lib.* 30. *cap.* 8.

Anaxilides, de Philosophis libros conscripsit, quorum secundum citat Laertius, *in Platone*. De hoc B. Hieronymus *contra Jovinianum*, scribit, quod in *lib.* 2. Philosophiæ ferat Platonis matrem phantasmate Apollinis oppressam fuisse, & ob id sapientiæ principem Platonem arbitraretur. Vid. Diog. Laert. *in Platone*.

Anaximander, Milesius Philosophus, Thaletis sodalis, auditor, ac successor; Claruit tempore Servii Tulli Rom. R. Primus terræ, marisque circuitus descripsit, & sphæram construxit. Cylindri formæ terram esse asseruit, tantæ profunditatis, ut ad altitudinem profunditas tertia inveniatur. Is infinitatem rerum posuit, quâ omnia nascerentur. Cic. *Acad. Qu. lib.* 4. Horologium & Gnomonem invenit, primus etiam Geographicam tabulam edidit, Strabo ex Eratosthene. Opinatus est, nativos fuisse Deos, longis intervallis orientes, occidentesque. Idem ex aquâ, terrâque calefactis homines exortos esse putavit. Denique Lacedæmoniis fertur prædixisse, ut urbem ac tecta custodirent, quòd instaret terræ motus; ac tunc urbs eorum tota corruit, & Taygeti montis magna pars ad formam puppis eminens abrupta, cladem insuper eam ruinâ oppressit. Plin. 2. 79. Diog. Laert. &c. Vid. infra.

Anaximander, Anaximandri fil. Milesius junior, temporibus Artaxerxis Mnemonis. Συμβόλων Πυθαγορείων ἐξήγησιν scripsit, teste Suidâ in Ἀναξιμ. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 6. Aug. *lib. de C. D.* 8. *c.* 2. Plut. *Plac. Phil.* Plin. *lib.* 2. *cap.* 8. & 7. *cap.* 56. Strabon. *lib.* 1.

Anaximenes, Philosophus Erasistrati filius, (Eurystrati, Εὐρυστράτου Suidæ.) Anaximandri discipulus & successor, eo die obiit, quo Sardis capta est, & Crœsus à Cyro victus. Hic principium rerum aerem opinatus est, quem genere infinitum, qualitatibus finitum ajebat, cujus condensatione, ac rarefactione cuncta gigni putavit: Motum verò ab æterno esse dixit: Terram ex aere constipato, primùm omnium factam, latam, magnam, idcirco non absque ratione super aerem contineri. Solem, Lunam, cæterasque stellas à terrâ ortum habere, Aerem Deum esse asserebat. Cic. *Acad. Qu. lib.* 4. Primus Solarii manualis auctor extitit, &c. Diog. *in ejus vita, lib.* 2. Aug. *de C. D. lib.* 8. *cap.* 2. Plin. *lib.* 2. *cap.* 76. Voss. *de Mathem. & sectis Philos.*

Anaximenes, Aristoclis filius, Lampsacenus orator, discipulus Diogenis Canis, & Zoili Amphipolitani grammatici illius, qui Homerum maledictis est insectatus. Præceptor fuit Alexandri Macedonis, ipsum etiam in bellum secutus est. Hic Regem Alexandrum, Lampsacenis iratum, hujusmodi arte circumvenit. Cùm Lampsaceni Persarum partibus studerent, Alexander irâ præter modum inflammatus, minabatur se gravissimis quibusque malis ipsos affecturum. Illi verò in uxorum liberorumque amittendorum, & patriæ funditùs evertendæ manifesto periculo versantes, Anaximenem mittunt Alexandro supplicaturum, ut irâ depositâ sibi parceret. Alexander verò cùm cognovisset, quâ de causâ ille veniret, per Deos juravit, se profectò contraria ipsius precibus facturum. Anaximenes verò hoc beneficium, inquit, ô Rex, mihi largiaris, ut uxores, & liberos Lampsacenorum in servitutem abstrahas, eorum templa incendas, & urbem solo æques. Alexander verò, cùm nihil haberet, quod adversus hoc excogitaret callidè, aut quod contra moliretur, cùm etiam juris jurandi necessitate constrictus teneretur, Lampsacenis invitus veniam dedit. Hæc Suidas. Eandem historiam habes apud Pausaniam, *lib.* 6. Is etiam, testibus duobus prædictis, primus dicitur instituisse, ut oratio extemporalis, & declamatio fieret, exercitationis gratiâ. Vide Diog. Laert. *lib.* 2. Adscribunt huic quidam Rhetoricam Aristotelis, Pausan. *lib.* 2. & 6. Strabo, *lib.* 13. Fabius *lib.* 3 *cap.* 5. Valer. M. *lib.* 7. *cap.* 3. *ex.* 15. Freinshem. *supplem. Curt. lib.* 1. *cap.* 2. Voss. *de hist. Gr. lib.* 1 *cap.* 10. Cæterùm de variis Anaximenibus vide Meursium, *in Notis ad Chalcidicum, fol.* 37. Addam solùm

Anaxime-

Anaximenem Lampf. juniorem, hujus è sorore nepotem, Historicum & Orat. sub Ptolomæo Lago, cujus scripta Veteribus frequenter laudantur. Athen. *lib.* 12. Clem. Alex. *Stromatum lib.*6. Voss. *l.* 1.*c.* 11.*hist. Gr.*

Anaxipolis, Thasius, poeta Comicus, de quo Plin. 14. 14. in vett. editionibus: *Sic quoq; diu vina transmarina fuerunt in auctoritate, ad atavos usq; nostros: sicut apparet ex illo Comici versu Anaxipolis Thasii,*

Quinq; Thasii vini inde depromam,

Falerni bina. Hujus mem. M. Varro & Columella inter R. R. scriptores. Vide Voss. *de Poet. Gr. p.* 68. & 69.

Anaxippus, Myndius, Herculi statuam consecravit. Paus. *Eliac.* 1.

Anaxippus, Novæ Comœdiæ scriptor; floruit temporibus Antigoni ac Demetrii Poliorcetæ. Dicere solebat, Philosophos in sermone tantùm sapientes esse, in vitæ verò actionibus insipientes. Multæ illius fabulæ recensentur ab Athenæo. Suid. Voss. *de Poet. Gr. cap.* 8. &c.

Anaxirhoe, Coroni filia, Epei uxor. Pausan. *Eliac.* 1.

Anaxis, Bœotus historicus, historiam suam perduxit usque ad Olym. 104. ac imperium Philippi Amyntæ filii, teste Diodoro Siculo, *extremo libri* 15.

Anaxithea, Danais, ex Jove peperit Olenum. Steph. *in* Ὤλενος.

Anaxius, fluvius per Feltrensem agrum fluens.

Anaxo, Ancæi filia, quam quidam Alcmenæ matrem faciunt, non Lysidicen sororem Pitthei ex Pelope & Hippodamiâ, sicut vult Plutarchus.

Anaxus, vulgò *la Piave*, fluv. Italiæ. V. *Anassus*.

Anazarbus, urbs Ciliciæ, Stephano *Anazarba*, ad Pyramum flu. à conditore ejusdem nominis sic dicta. Oppiani Poetæ & Dioscoridis rei herbariæ peritissimi patria. Plin. *lib.*5. *cap.*27. eam Cæsaream Augustam suo tempore, & Suidas Diocæsaream olim fuisse dictam, ait, cujus in hoc tractu meminit Ptol. *Azar* hodiè Moletio, aliis *Axar*. Vid. Carol. Steph. & Davity, *in Cilicia*. Populi *Anazarbeni*. Plin. 5. 27. long. 64. 20. lat. 38. 50.

Anazipolis, mel. per *x*. Poëta Gr. de Agricultura scripsit, cui quidam attribuunt versum, apud Plin. *l.*14. *c.*14. Voss. *de Poetis Gr. c.* 8. qui eum sub Ptolomæo Lathuro floruisse conjicit. V. supra.

Ancæus, Lycurgi & Antinoës filius, patria Tegeates, unus ex Argonautis. Hyginus, *in Fab. Poeticis*. Orpheus *in Argonaut.*

Ἀγκαῖον δ' ἀν' ὅμιλον ἀπ' Ἀρκαδίης πολυμήλου
Πέμψε πατὴρ γηραιὸς ἐπὶ πλόον Ἀξείνοιο.

Apollonius *lib.* 1. Τέλατος γε μὲν ἔσσιν ἴκαν
Ἀγκαῖος, τὸν μὲν ῥα πατὴρ Λυκόεργος ἔπεμπε.

Ubi Schol. Λυκόεργου καὶ Ἀντινόης Ἀγκαῖος.

Ancæus, Neptuni & Astypalææ fil. patriâ Samius (aliàs rex Sami) qui & ipse inter Argonautas ab Hygino memoratur; Cui, defuncto Tiphy, navis gubernandæ munus mandatum est, teste Simonide. Is (uti scribit Aristomenes) agriculturæ studiosus fuit: Quum autem vineam plantaret, nimium gravi labore servos premebat. Quare illorum quidam dixit, Dominum ex illa vineâ fructum nunquam percepturum. Ancæus verò, postea quam uva maturuit, lætus vindemiabat, coactâque vindemiâ, vinum ex lacu sibi hauriri jussit, increpans eum, qui futurum prædixerat, ut nunquam ejus vineæ vinum biberet. Poculum igitur cùm ori admoveret, dictum servi in memoriam revocavit. Cui servus,

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου,

hoc est, vertente Horatio:

Multa cadunt inter calicem supremaq; labra.

His verò dictis, quidam accurrit, nuntians quàm maximum aprum vineam ingressum illam vastare totam. Itaque abjecto Ancæus poculo, ad aprum festinavit, ab ejusque dente ictus interiit. Unde natum est proverbium, in eos, quibus præter spem aliquid evenit; Quod sic è Græco in Latinum Cato vertit,

Multum interest inter os & offam. V. Natal. Com. *l.*7.*c.*2. Cave autem, ne Ancæum hunc confundas cum eo, qui ab apro Calydonio percussus fuit. Is enim Parrhasius Ovidio dicitur: *Penelopesq; socer cum Parhasio Ancæo.* Alius fuit Pleuronius, Argonauta quoque. Orpheus:

Ἀγκαῖος τ' ἔμολε Πλευρώνιος, ὅς ῥα περήσας
Οὐρανίας ἀστέρων εἰδὼς κύκλους τε πλανητῶν.

Ancalites, populi in Angliâ, Trinobantibus, Bibrogis, Cassiis, & Cenimagnis proximi. Cæsar *Com. lib.* 5. *The Hundred of Henly*, Camdeno.

Ancamari, popul. Americæ meridion. prope fluv. Maderam, qui postea cadit in fluv. Amazonum, In Cayana prov. Aliis *Anoamares*.

Anceamia, *l'Isle d'Ancam*, Insula Sinarum oblonga, in littore prov. Cantonensis.

Ancara, civitas Italiæ. Stephanus.

Ancaria, Dea ab Asculanis populis colebatur, tanquam tutelaris, ne hostium incursu vastarentur. Alex. ab Alex. *Anchariam* scribit Cæl. Rhod. Vid. Tertull. Apolog. *cap.* 24. Turneb. *adversar. l.* 17. *c.*24. Pamelium *c.* 24. *Apol. n.* 387.

Ancenisium, Al. *Angenisium*, opp. Britanniæ, in Gallia, ad Ligerim, aliàs munitum, nunc dirutum. V. *Amnita*.

Ancgelheim, opp. Pomeraniæ, Metel.

Ancharia, Octaviæ mater. Plut. *in Antonio*.

Ancharia, Familiæ nomen apud Romanos; sicut *Asellia*. Ancharius enim, vel *Ancarius*, est Asinus. Ἀχθοφόρον Græci interpretantur Ἀγγάρον, accipiuntque istud vocabulum æque de jumento atque homine ἀχθοφόρῳ. Utitur hâc voce Lucilius:

Hac inquam rudet è rostris, atq; ejulitavit
Concursans, veluti ancarius, clareq; quiritans.

Ancharius, vir nobilis Romanus, à Marianis occisus; προσελθόντα, Plut. *in C. Mario*, Ἀγχάριον ἄνδρα βουλευτὴν, καὶ στρατηγικὸν συντυγχάνοντα τῷ Μαρίῳ καὶ μὴ καταβαλλόντι ἔμπροσθεν αὐτοῦ, ταῖς μαχαίραις τύπτοντες.

Anchemolus, filius Rhæti Marrubiorum regis in Italiâ, cui cùm pater Casperiam, sive Caspiam novercam superinduxisset, privignus eandem constupravit: quo cognito, cùm pater eum persequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens ille ad Turnum se contulit. Postea tamen à Pallante Evandri filio occisus est. Virgil. *lib.* 10.

—— Et Rhæti de gente vetusta
Anchemolum thalamos ausum incestare novercæ.

Anchesites, ventus ab Anchisâ portu spirans, cujus mentio est apud Halicarnass. Dionysium. Cic. *lib.* 7. *ad Atticum*: *Flavit ab Epiro plenissimus Anchesites.* Antea legebatur *Anchemitis*: sed ita restituit Turnebus.

Anchesius, mons juxta Orchomenum, ab Anchisæ monumento dictus. Pausan. *lib.* 8.

Anchesmius, mons Atticæ, in quo Jovis Anchesmii statua. Pausan. *in Atticis*.

Anchiala, vel *Anchiale*; Dionysio Ἀγχιάλεια, Ciliciæ civitas. Ejus Ptolemæus non meminit, quam tamen Strabo & Plinius inter Tarsum, & Solos ponunt, exiguo à mari intervallo, unde nomen. Hanc unà cum Tarso, à Sardanapalo rege, eodem die, conditam fuisse, affirmat Aristobulus apud Strabonem, atque ibi monumentum ejus conspici, in quo imago plaudentis, cum hâc inscriptione: Σαρδανάπαλος ὁ Ἀνακυνδαράξεω παῖς Ἀγχιάλην καὶ Ταρσὸν ἔδειμεν ἐν ἡμέρῃ μιῇ. Σὺ δ' ὦ ξένε, ἔσθιε, πῖνε, παῖζε, ὡς τ' ἄλλα τούτου οὐκ ἄξια. Vid. Scholia in Aristoph. *Aves*. 590. D. Ejus meminit Plin. 5. 27. Ex hâc urbe fuit Athenodorus, qui non à Sardanapalo, sed ab *Anchialê* Japeti filiâ conditam vult, à qua nomen vicino fluvio, qui Ἀγχιάλους dicebatur.

Anchialus, urbs Thraciæ sita intimo sinu, atque ubi Pontus alterum sui flexum angulo finit, non procul à magnâ Apollonia. *Anchialo* ac *Achelo* hodiè Græcis, teste Sophiano. *Kenakis* verò Turcis, ut ait Leunclavius. Ovid. 1. *Trist.*

—— Et ab his per Apollinis urbem
Alta per Anchiali mœnia findat iter.

long. 54. 45. lat. 44. 30.

Anchialus, Astrologus, cujus mem. Cic. *lib. de Divinatione*.

Anchialus, Mentis filius (imò potius pater) vir bellicosus. Hom. *Odyss.* 1.

Μέντης Ἀγχιάλοιο δαΐφρονος εὔχομαι εἶναι
Υἱὸς, ἀτὰρ Ταφίοισι φιληρέτμοισιν ἀνάσσω.

Anchialus, Phæacensis. Hom. *Odyss.* 8. *vers.* 112.

Anchialus, Judæorum Deus, ut quidam colligunt ex loco Martialis *lib.* 11. *ep.* 95.

Ecce negas, jurasq; mihi per templa Tonantis,
Non credo, jura verpe per Anchialum.

Salmasius, *lib. de lingua Hellenisticâ*, legit החיעלם & interpretatur; *per eum qui vivit in æternum*. Verùm illud non est Hebræum, prima enim litera abundat, duæque insuper voces sunt חי־עלם, uti est apud Danielem, *cap.* 11. Et sic jam olim Scaliger legebat hunc Martialis locum. Sed profectò nihil minus, quàm Hebraicè, doctus fuit Martialis. Optimus codex Thuanæus, jam ante octingentos annos exaratus, qui excerpta continet Martialis epigrammata, legit hoc loco *Anchariùm*. Omnino itaque legendum:

—— Jura verpe per Anchariùm.

Ancharius verò vel *ancarius* Est Asinus. Unicè autem confirmat hanc conjecturam versiculus ille Petronii, ex quo liquet, Judæos olim malè audiisse, quòd crederentur per Asinum jurare:

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cilli summas advocet auriculas.

Cillus autem est asinus, hinc *hemicillus*, ἡμίονος & *cillanus*, *agaso* Ciceroni. Malè autem *cæli* vulgò legitur. Gentiles enim finxerunt, asini ductu repertam aquam in eremo; Et hinc fabula illa fluxit, Judæos asinum coluisse. Tacit. 5. *Hist. Jamq; haud procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex asinorum agrestium, è pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses conjecturam herbidi soli, largas aquarum venas aperit.* Plut. 4. *Sympos.* Τιμῶσι τὸν ὄνον ἀναφαίνοντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος. Sed à Græculorum impudentiâ in Christianos etiam derivata est hæc calumnia, quorum Deum,

P non

non tantùm Sileni, uti Mosem, sed Satyri instar finxerunt, uti videre est apud Tertullianum, cum hâc inscriptione; DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOIRITES. Ita enim legendus locus ille, qui omnes hactenus exercuit eruditos. Ὀνοχοιρίτης enim fingebatur, tanquam ex asino & porco compositum monstrum. Epiphanius, *de Gnosticis*: Φασὶ δὲ τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου. Hinc *Asinarii* dicti Christiani. If. Vossius.

Anchidolum mare, vulgò *Mer de Lanchidol*, pars Oceani Orientalis, à Java Insula & Freto Sundano, ad Australem terram parum cognitam porrecta.

Anchimolus, Dux Lacedæmonius, contra Pisistratidas missus, in expeditione occisus est. Herodot. *lib.* 5. Item, fil. Rhæti, Marrubiorum Regis, qui Casperiâ novercâ corruptâ, ad Daunum Rutulorum R. confugit, & Turnum contra Æneam secutus est. Virg. 10. *Æneid.*

——— *Et Rhœti de gente vetusta*
Anchimolum. ——— Vid. supra.

Anchimolus, Sophista apud Elidem fuit, aquæ potor, ac ficis tantummodo vesci solitus, nec tamen aliis imbecillior habebatur. Cæl. Rhod.

Anchion, cursor nobilis Lacedæmonius. Pausan.

Anchisa, opidum Italiæ. Steph. Dionys. *Ant. Rom. lib.* 1. Ῥώμην δὲ Καπύην μὲν ἀπὸ τοῦ προπάππου Κάπυος, Ἀγχίσην δὲ ἀπὸ τοῦ προπάτορος Ἀγχίσου.

Anchises, Capyos fil. ante bellum Trojanum, nemorum latebras, & solitudines coluisse fertur, gregibus, & armentis intentus: quibus cùm vacaret, à Venere adamari cœpit, & cum ea concubuit, unde natus est Æneas, apud Simoenta, Trojæ fluvium. Ovid. *Trist.*

In Venerem Anchises, in Lunam Latmius heros.

Dido apud Virgil. *Æn.* 1.

Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?

Dissident hîc inter se Homerus & Hesiodus. Ille 2. *Iliad.* ait genitum Æneam Ἴδης ἐν κνημοῖσι, id est, *in imis partibus Idæ.* Ille *in Theog.* Ἴδης ἐν κορυφῇσι, *in Ida verticibus.* Virgilius Homero adhæsit, nam Simois fluebat per radicem Idæ. Ovidius autem Hesiodo, nam *in Epistolis:*

Phryx erat Æneas, volucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idæis concubuisse jugis.

Nonnus, *in Bassaricis lib.* 15.

Ἴκελος Ἀγχίσῃ ῥοδοειδεῖ, τοῦ ποτε Κύπρις
Ἀργεννὴν ἑπόμενον ὀρεσσινόμων στίχα ταύρων,
Κεστὸν ἐλαφρίζουσα βοοστόον. ———

Cæterùm Anchises, cùm se Veneris concubitu usum fuisse jactaret, ab eâdem oculis privatus est: propterea dicunt eum Trojanorum consiliis non interfuisse. Ardente Trojâ, cùm nulla salutis spes appareret, senio confectum Æneas humeris eum imposuit, secumque Drepanum usque Siciliæ urbem vexit, ubi fatis concessit. Hinc *Anchisæus.* Virg. *Æn* 5.

Et lucus latè sacer additur Anchisæo.

Item *Anchisiades*, pro Æneâ Anchisis filio. Virg. *Æn.* 6.

Dux Anchisiades, nec me Deus æquore mersit.

Anchises, Archon Atheniensis. Dionys. Hal. *lib* 8.

Anchisus, Arcadiæ mons, apud cujus radices Anchisæ monumentum. Pausanias.

Anchita, Arabiæ Felicis gens. Ptol.

Anchoe, locus circa Cephisi flu. ostia, & ibidem lacus eodem nomine. Strabo.

Anchora, Græcè Ἄγκυρα, Tectosagum, qui quondam Galatiæ partem tenuerunt, Phrygiam majorem versus, castellum erat. Alterum quoque fuit ejusdem nominis, Lydiam versus, circa Blandum Phrygiæ opidum. Strabo. *lib.* 12.

Anchorarius, mons. Plinius, *lib.* 13. *cap.* 15.

Anchurus, Midæ filius, de quo sic Plutarchus *in Parallelis: Circa Celænon, Phrygiæ opidum, terra hiatus cum aqua domos complures ipsis cum hominibus absorpsit in profundum. Midas rex oraculo monitus, ut res eò preciosissimas conjiceret, ita enim futurum, ut terra coiret, auro & argento injectis, nihil opis attulit. Anchurus igitur, regis filius, cùm nihil in vitâ humanâ preciosius esse animâ secum ipse versasset, datis genitori complexibus, & Timotheæ uxori, equum ascendit, inque hiantem locum concitatus est. Ac sic terra rursus coiit, & auream eo loco Jovis Idæi aram Midas dedicavit.* Hujus rei quoque testis est Callisthenes, *lib.* 2. *Metamorphoseων.*

Ancile, scutum breve, authore Festo, ad vocem *Mamurii*, ita ex utroque latere recisum, ut nullus angulus videri posset, & summum infimumque ejus latus medio pateret. Fertur id, Numæ Pompilii tempestate, de cœlo decidisse, unâque editam vocem, omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu in eâ mansisset. Ovidius *Fastorum lib.* 2.

Ecce levi scutum versatum leniter aurâ
Decidit; à populo clamor ad astra venit.

Et paulo pòst.

Idque ancile vocant, quod ab omni parte recisum est;
Quemque notes oculis, angulus omnis abest.

Virgil. *Æn.* 8. — *Lapsa ancilia cœlo.*

Juvenal. *Sat.* 2.

Segmenta & longos habitus & flamea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus.

Nonius *ancilia*, *grandia scuta* interpretatur. Mureto & Camerario dici videntur *ancilia*, à Græco ἀγκύλος, hoc est, *incurvus.* Est & aliorum quorundam hæc opinio, qui idcirco *ancylia* per *y* scribunt. Verùm, in veteri Antonini Pii nummo, ubi tria scuta, ovali prope figurâ, conspicere est, ANCILIA adscriptum. Eodemque modo in antiquis codd. mss. inveniri auctor est Pierius, *ad* 8. *Æneid.* Verius etymon apponit Varro *lib.* 6. *de L. L. Ancilia*, inquit, *dicta ab ancisu, quòd ea arma ab utraque parte, ut pelta Thracum, incisa.* Sed nihil æquè ancilium formam explicat, ac verba Plutarchi *in Numa*, quæ ideo apponam: *Ancilia vocant, propter figuram, circulus enim non est, neque exprimit, ut pelta, orbiculatam formam*, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, *sed excisa est, ita ut revoluta linea fiat.* Historiam autem seu fabulam, de lapsis cœlo ancilibus, quæ eam ob causam *cœlestia arma* Livius vocat, habes apud Dionys. Hal. *lib.* 2. & Lactant. *lib.* 1. *cap.* 21. Vet. Gloss. *Ancilia*, Διοπετῆ. Quæ oratio integra non est, & puto desiderari vocem ὅπλα. In Gloss. Græco Lat. Διοπετὲς ὅπλον, ἀσπίδιον κύκλον, *Ancile.* Hæc ancilia autem Romæ in Templo Martis asservabantur, & annis singulis circumferebantur Mense Martio, per Sacerdotes, aliosque primores per urbem: dicque trigesimo demum recondebantur. Quod antequam fieret, nihil publicè feliciter fieri, superstitio tenebat. Hinc Suetonius, Othonem contra religionem nondum conditis ancilibus, inauspicatò profectum scribit, *in ejus vitâ, cap.* 8. Vide sis ibi Casaubonum, qui similem superstitionem Athenis, cùm *Plynteria* celebrarentur, obtinuisse eruditè, uti solet, observat. Aliter de istoc superstitionis genere Turnebus, quem Torrentius sequitur, in explicando Suetonii loco. Malè autem, uti Lipsio ostensum, *lib.* 5. *Antiq. Lect. cap* 16. Figuram eorum habes, in antiquo nummo, apud Guther. *lib.* 1. *de Jure Pontificio, c.* 11.

Anciuna, vulgo *Ancium Fu*, urbs Sinarum in prov. Sciensia, teste Martino Martinio.

Ancius, prænomine SP. Romanorum legatus, Fidenis interfectus.

Anckliltzen Constantinus, aliàs *Bertholdus Schvvartz*, Friburgo Germ. oriundus, & Monachus professione, inventor pulveris pyrii & sclopororum ignivomorum, chymiæ beneficio. His Venetos primùm usos, in bello contra Genuenses, A. C. 1380. dicunt. Vid. Salmuth. observat. hanc in rem, in comment. rerum memorab. Pancirolli, *p.* 2. *tit.* 18. Polyd. Virgil. *de rerum invent. lib.* 2. *cap.* 11.

Anclamum, urbs Germ. in Pomerania, valde munita, sub dominio Regis Sueciæ, ad fluv. *Pene.* Distat Volgastiâ 4. leucis Germ. in merid. Vsedomiâ 3. in Occas. & Stetino 8. in Circium.

Ancoharitis, regio Arabiæ desertæ opposita. Epit. Strabonis. In Mesopotamia est Ptolemæo, versus Euphratem.

Ancon, Leucosyrorum urbs in Cappadociâ. Ptol. Portum vocat Arrianus, *in Periplo.*

Ancon, vel *Ancona*, unde ditioni, *Marca Anconitana*, nomen urbs Ep. totius Piceni celeberrima, in litore Adriatici maris, à Siculis condita, portum habens insigni operâ à Trajano Cæsare constructum. Nomen habet à situ, qui cubiti flexuram refert. Græci enim & cubitum, & locum cubiti modo sinuosum ἀγκῶνα vocant. Plin. 3.13. *A Siculis condita est colonia Ancona.* Opposita est promuntorio Cumero, in ipso flectentis se oræ cubito. Lucan. *lib.* 2.

Illic Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Juvenalis *Sat.* 4.

Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon.

Silius Italicus *lib.* 8. ubi recenset Picentum oppida, fluminaque:

Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon,
Murice nec Lybico. Portum habet hodie amplum, sed non valde tutum arcemque munitam, prope Crumerum promont. quod vulgò *Monte S. Ciriaco.* A Firmo, 30. milliar. in Boream, 15. ab Auximo, in Cæciam; sub Pontifice est. long. 37. 16. lat. 43. 48. Item nomen Coloniæ in Sicilia. Item urbs Galliæ, Strab. *lib.* 5. & 6. Plin. *lib.* 2. *cap.* 71. & *lib.* 3. *cap.* 14. & 19. Cluver. *lib.* 3. Merula, Sanson, Du Val.

Ancora, vulgò *Ancre*, opp. Picardiæ, in Gallia, ad amnem cognom. quibusdam *Albret* dictum, repugnantibus tamen incolis, inter urbes Corbejam, in Africum, & Bapalmam, in Cæciam.

Ancorarius, mons in Mauritaniâ, circa Tingitanum castellum. Ammianus.

Ancore, urbs Bithyniæ, *Antigonia* postea dicta, deinde *Nicæa.* Steph.

Ancrina, Siciliæ opidum. Ptol. Nomen haud dubiè corruptum ab genuino Ἀγκύρινα, Latinè *Ancyrina.* Vide Cluv. *Sic. Ant. pag.* 373.

Ancudia,

Ancudia, prov. regni Chile in America meridionali. Hinc Ancudanus Archipelagus, *Archipelague de Ancud, ou de Chilve*, multitudo illa Insularum adjacentium, in ora maris Pacifici. Vocatur etiam illa prov. Ancudiana, aliter *Agualaja*; estque in parte Australi Ciles. Sed nullam in illo tractu coloniam habent Hispani.

Anculi, & *Anculæ*, Dii, Deæque ancillarum. Festus.

Ancus, prænomen à Sabinis translatum. Appellatur autem teste Festo, *Ancus*, qui aduncum brachium habet, ita ut exporrigi non possit, ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id est, à cubito incurvo, sicut & *Ancona* sive *Ancon*, Piceni urbs dicta est, à cubito curvo. Fuit autem prænomen quarti Romanorum regis *Anci Marcii* & *Anci Poblicii* Imperatoris Lanuvini,contra Hostilium regem, de quo Dionysius. V. *Ancus Martius*.

Ancus Martius, quartus Romanorum Rex, nepos Numæ ex filiâ. Latinos bello domuit, Aventinum, & Martium montem urbi addidit; Janiculum ponte sublicio urbi conjunxit, Romanorumque limites ad mare usque promovit, ubi & Ostiam condidit. Fertur præterea primus carcerem instituisse. Ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id est, à cubito sic dictus fuit, quem incurvum habuisse fertur, ut ait Servius, tales enim *ancos* appellari, Festus affirmat. Aliter Constantinus Manasses, *Vers.* 1654.

Τὴν γὰρ ἀγκύλην τοῦ ποδὸς εἶχε πεπηρωμένην.

Virg. *Æn.* 6. — *Quem juxta sequitur jactantior Ancus.* Ingenium ejus quale fuerit, satis indicat Livius: Nam de illo: *avitæ gloriæ memor*: &, *medium erat in Anco ingenium, & Numæ, & Romuli memor*: &, *cuilibet superiorum regum belli, pacisq; & artibus & gloriâ par.* Plutarchus ait, περὶ τύχης, conditum Fortunæ templum ab hoc rege, arrogante sibi Romanas victorias. Quæ res etiam satis declarat illius jactantiam. Regnavit satis feliciter 24. an. Dionys. Halic. *lib.* 3. *cap.* 9. Flor. *lib.* 1. *cap.* 4. Liv. *lib.* 1.

Ancus, Lusitaniæ flu. Saurium op. alluens. *Rio di Soure.*

Ancylion, Impius quidam in matrem, à Comicis, perstringitur. Vide Scholia *in Aristophan Crabron.* 515. B. Cujus uxor paulò post perhibetur *Sostrata*, filia *Myrtia*, *pag.* 530.

Ancylium, Siciliæ opidum. Vide Cluver. *Sic. Ant. p.* 389.

Ancyra, Galatiæ urbs, Magnæ Phrygiæ contermina, ideoque ab aliis Phrygiæ, ab aliis Galatiæ tribuitur. Plin. *lib.* 5. *cap. ult.* duas Ancyras memorat, alteram in Phrygiâ, alteram in Galatiâ. Hinc *Synodus Ancyritana*, in Jure Pontificio. Quæ duplex, una an. 314. Baron. *A. hoc.* Altera Anno 357. habita. Hilar. *lib.* 6. *de Synodis*. Baron. A. C. 357. Sic dicta, ab anchoris navium captarum à Mithridate, quas Ptolemæus Ægypti rex suppetias Gallogræcis miserat. *Stephanus.* Hodie *Angouri.* Metropolim Galatiæ fuisse testatur Libanius, *Orat.* 26. Ἐν Ἀγκύρᾳ τῇ πρώτῃ καὶ μεγίστῃ Γαλατῶν πόλει. *Fœcunda errorum mater* Hieronymo dicta est. Hinc enim Photinus, A. C. 374. hinc Ophitæ, Cataphryges, Manichæi, Artotyritæ, Ascodrogi, &c. quibus Ep. Athanasius, Basilio laudatus, fortiter restitit. Hieron. *præf. ep. ad Galat.* Basil. *ep.* 67. Baron. A. C. 347. 373. In hujus urbis agro Bajazetes à Temirlanco victus est. long. 62. 10. lat. 42. 30. Aliam Livius collocat circa Macedoniam, aut Illyricum, *lib.* 43.

Ancyra, Siciliæ urbs, Carthaginensium partes secuta. Diodor. *Sic. lib.* 14. Vide Cluver. *Sicil. Ant. lib.* 2. *pag.* 373.

Ancyreum, Asiæ min. promuntorium, ubi Pontus finitur, incipitque Bosporus. Hodie *Psomion*, teste Petro Gyllio.

Ancyrion, opidum Italiæ. Stephanus.

Ancyron, urbs Ægypti. Stephanus.

Anczacricus, fluv. Podoliæ. Cadit in mare Nigrum, unâ leucâ tantùm ab urbe Ociacovia, quæ nunc est in Chrymea prov. ad ostia Borysthenis fluv. Le Vasseur.

Anda, Africæ urbs. Polybius.

Andabasis, regionis nomen, unde coccum optimum adfertur. Serapio.

Andabatæ, non Asiæ populi in tenebris versantes, uti somniavit Ferrarius; sed gladiatores, clausis oculis pugnantes. Cicero ad Trebatium, *lib.* 7. *Epist. Famil. Quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus.* Vide clarissimum Vossium, *in Andabatæ.*

Andabilis, Cappadociæ civitas. Anton.

Andaca, Indiæ urbs, quam Alexander deditione accepit. Arrianus.

Andaguili, populi Americæ meridionalis, in Peruviæ regno, inter fluv. Xaucam & Abancajum, 25. leucis à civ. Cusco in Circuitum.

Andaia, vel per y. Burgus Galliæ, Hispaniæ propinquior. In Aquitania & in ora Oceani Aquit. è fronte Fontarabiæ.

Andaia, *Andance*, opp. Galliæ, in Vivariensi prov. ubi Domia flu. cadit in Rhodanum. 6. leucis Viennâ, Valentiâque distat.

Andainum, pagus al. oppidum, cum cœnobio in ditione Leodiensi, intra sylvam Arduennam, ad amnem *Homme*, in confin. duc. Lucemburgens. Hodie *S. Hubert. Andagium* Sigesberto dicitur. Huc pertrahuntur, qui rabiem ex rabidi canis morsu reformidant.

Andalusia, regio Hispaniæ è regni Castellæ, sub quâ major Hisp. Bæticæ pars, olim *Vandalitia*, à Vandalis Germaniæ populis, dicta, quibus Sarraceni successere, tandem ab Alphonso 3. pulsi. Aliqui verò Historici eam Bæticam, à fluvio Bæti, ipsam perlabente, nuncupatam asserunt; Alii autem non à dicto fluvio nomen accepisse, sed Chaldaicè *Betin* (quo nomine terra fertilis & deliciis affluens significatur) appellatam volunt. Poëtæ campos Elysios in hac provincia constituerunt, quâ fictione excellentem præ omnibus aliis terræ ubertatem efferre voluerunt. Ad Ortum habet Granatam, ad Septentrionem Castellam novam & Extremaduram, ad Occasum Lusitaniam & Algarbiam, ad Meridiem Atlanticum spectat mare. In ea numerantur 104. civitates & oppida, inter quæ Corduba Senecæ & Lucani patria, Nebrixa, S. Lucar de Barrameda, &c. Metel. Mercat. Sed primaria urbs est Hispalis, ampla & dives, ad fluv. Guadalquivir. Vide *Vandalitia*.

* *Andalusia nova*, regio Americæ merid. inter Venezuelam, & fluv. Orenoque, smaragdorum proventu nobilis. Vid. *Vandalitia nova*.

Andanagarium, urbs Indiæ citerioris, in regno Decan, in Asia, juxta fluv. Mandovam, in Mediterraneis. Malè habita fuit hisce temporibus à Mogorum Rege.

Andania, Arcadiæ urbs in Peloponneso. Strabo. Quam Messeniæ tribuit Pausanias, ut & Stephanus, qui Messeniam ipsam sic quoque appellatam vult.

Andania, mulieris nomen. Pausan. *lib.* 4.

Andanius, Carmaniæ fluv. Strabo. *Andanis* Plinio dicitur. Forte *Tisindan* hodie.

Andanum, urbs Cariæ. Vide Steph. *in Bargylla.*

Andaræ, Indiæ populi. Plin. *lib.* 6. *cap.* 19.

Andarba, Dalmatiæ urbs. Anton.

Andaristus, Pelagonum in Macedoniâ op. Ptol. Populi *Andarestenes* Plinio dicuntur. *Vostanza* Theveto. *Erisso* aliis.

Andate, locus in Britannia insulâ Xiphilin. *in Nerone*. Lege *lucus*. Sic enim Xiphilinus: Καὶ ταῦτα πάντα θύοντές τε ἅμα καὶ ἑστιώμενοι, ὑβρίζοντες, ἔν τε τοῖς ἄλλοις σφῶν ἱεροῖς καὶ ἐν τῷ τῆς Ἀνδάτης μάλιστα ἄλσει ἐποίουν. Subdit, Οὕτω γὰρ καὶ τὴν νίκην ὠνόμαζον, καὶ ἔσεβον αὐτὴν περιττότατα. Ubi pro Ἀνδάτης rescribendum Ἀνδράστης putat Bochartus, vel etiam Ἀδράστης, quomodo legit Guilielmus Blancus Xiphilini Interpres. Vide sis Virum magnum, *de Phœnicum colon. lib.* 1. *cap.* 42.

Andatis, Æthiopiæ sub Ægypto op. in Nili ripâ. *Plinius.*

Andautonium, Pannoniæ superioris op. Ptol.

Andebonthus, filius legitimus Cnutonis Anglorum regis, ægrè ferens, Haraldum filium nothum ejusdem Knutonis patri in regno successisse, mortuum Haraldum refodi jussit, ejusque corpus in mare projici. Volaterr.

Andecrium, Dalmatiæ mediterranea civitas. Ptol. Straboni verò *Andretium* dicitur, quod vid. ut & *Andetrium*.

Andegavia, Gall. *l'Anjou*, regio Galliæ Turonibus ac Biturigibus finitima, Oceanoque proxima, fertilis admodum & rigua. Cujus caput *Andegavum*. Gallicè *Angers*. Populi *Andegavi* Tacito, *lib.* 3. & Plinio 4. 18. Vide *Andes*.

Andegavum, vulgò *Angers*, olim Juliomagus, urbs Galliæ admodum ampla & elegans 2. leucis à Ligeri fluv. 9. à Salmuria, totidemque à Flexia, Meduanâ fluv. alluitur: Estque episc. sub Archiep. Turonensi.

Andelaus, *Andely*, pag. Galliæ Celt. cum cœnobio, ad Sequanam fluv. in Normannia. Fluvium habet ejusdem nominis ad Floriacum. In hoc opp. obiit ex vulnere ad Rothomagum accepto, Antonius Rex Nav. Henrici M. Pater.

Andelaus, vulgò *Andelle*, fluv. Oritur prope oppidul. la Ferté, caditque in Sequanam, paulo supra montem Arcuensem.

Andelovium, *Andelot*, opp. Franciæ, in Campan. prov. in Bassiniaco agro, ad amnem *Rougnon*.

Andelus, Hisp. civitas, non procul à Pompeiopoli, quæ vulgò *Pampilone* appellatur, metropolis regni Navarræ. Gallicè *Pampelune* dicitur.

Andemao, Insula sinus Gangetici, in Asia, versus oram regni Pegu. Ei adjacent 6. aliæ ins. quæ sub illo nomine continentur, inter scopulos & syrtes, versus septentrionem Ins. Sumatræ, 80. leucis Hisp. hinc distantis.

Andera, Stephano Ἄνδειρα, Phrygiæ op. juxta Scepsim, in quo lapis reperitur, qui ustus in ferrum transit, deinde cum quadam terra in camino excoctus, pseudargyrum, seu argentum falsum stillat: cui ubi est æs additum, temperamentum fit, quod orichalcum vocant. Steph. ex Strabonis *libro* 13. Inde *Anderina*, mater Deorum.

Anderica, Cissiæ regionis stathmus 200. stadiis à Susis distans. Herodot. *lib.* 6. *cap.* 119.

Anderida, Angliæ op. in agro Cantiano, vulgò *Newenden*, teste Camdeno, quasi media inter Cantuariam (à quâ 16. m. p. abest) & Roffam.

Anderidum, Vasconum in Hispaniâ opidum. Ptol. Al. est Mimatum, *Mende*, Gabalorum caput. Estque Episc. sub Archiepisc. Bituricensi. Vid. *Mimatum*.

Andes, populi inter Celtas, Carnutibus, & Turonibus finitimi. Cæsar. Hos Meduana fluvius alluit, qui paulo pòst in Ligerim cadit. Gallicè *Le pays d' Anjou.* Eorum caput Iuliomagus seu Andegavi, ut & totius Ducatus: Ubi Academia, à Lud.2. Andegav. Duce erecta, an. 1348. & ab Henr. 3. aucta: Conciliaque duo habita: Primum an. 453. Tomo 5. *Concil.* Secundum Anno 1448. Possev. *tom.* 2. *appar. sacri.* Vid. *Morerium.* Item. *Andegavum.*

Andes, pl. num. vicus Italiæ, non procul à Mantuâ, Virgilii patria. Hinc *Andinus.* Sil. *lib.* 8.

Mantua Musarum domus, atque ad sidera cantu
Evecta Andino. id est, Virgiliano.

Andes, Al. *Cordillera de los Andes*, & *Sierra Nevada*, montes Americæ merid. altissimi. Quorum multi ignivomi, præsertim versus Chilem, ad cujus usque meridiem extenduntur, à parte Septentrion. regni Peruviæ, ab Hispanis *Volcano* dicti.

Andethanna, vel *Andethannalis*, op. cum cœnobio agri Trevirensis, ad Suram flu. vulgò *Echternach.* Aliis Lucemburgensis est. prov.

Andetrium, *Andretium*, Straboni *lib.* 7. ubi de Illyride, Ἐστὶ δὲ Ἀνδρήτιον ἐρυμνὸν χωρίον. Ptolemæo Ἀνδέκριον, vel Ἀνδρέκιον. Dioni Ἀνδήτριον. Plinius, *In hoc tractu sunt Burnum, Mandetrium*; lege *Andretium.* Vid. infra.

Andetrium, opp. Dalmatiæ; dein *Clusa* & *Chlissura*, nunc *Clissa.* Estque arx permunita, in colle, à Venetis expugnata, 20. m.p. Sebenico in ortum distat.

Andiantes, Pannoniæ infer. pop. Ptol.

Andiatarocus, lacus novæ Franciæ in Americ. Septentr. versus limites novæ Angliæ.

Andizetii, Liburniæ populi. Strabo *lib.* 7. Ἀνδιζητίους vocat. Sunt autem, quos Plinius *Sandrizetios* appellat. Nam τὸ σ. in dictionum capite modò adest, modò deest. Casaub.

Ab Andlo Georgius, ex familia admodum nobili, Canonum Doctor, præpositus Basil. & Lutenbacensis, apud superiores Alsatas, doctrinâ, prudentiâ & gravitate conspicuus, primus Acad. Basiliensis Rector: Ei Casparus Maner Theologiæ, P trus zem Luft Juris, Wernherus Wölflius Medicinæ, & Joh. Creutzer, Philosophiæ, primi ibidem Decuriones, additi sunt. Obiit Anno 1466. postquam in Ecclesia illa annis 50. floruisset. Vid. Urstis. *Epit. Hist. Bas. cap.* 8.

Rauriaci primus tractavi sceptra Lycei,
Ingenio excelso, nobilitate pari.

Andocides, Orator Atheniensis, filius Leogori: Unus ex 10. illis oratoribus, quorum vitas Plut. descripsit. Sæpius accusatus & exilio multatus est, sed dexteritate suâ semper in gratiam rediit. Patrem, quem prius criminis suspicione asperserat, defendit. Plut. *de* 10. *Orator.* Orationes ejus habemus Περὶ μυστηρίων. Περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου. Περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης. Κατὰ Ἀλκιβιάδου. Excudebat Henricus Stephanus 1575. folio.

Andoinus, ex primis Regibus Longobard. Thrasimundum, Gepidarum R. in pugna occidit, & cum suis Pannoniam occupavit, A. C. 542. Ei successit fil. Alboinus, qui primus Italiam ingressus est. Diacon. *hist. Longob.* Aimonius.

Andologenses, pop. Hisp. Tarraconensis. Plin. 3.32.

Andomatis, Indiæ flu. qui in Gangem fluit. Arrian.

Andomatunum, Lingonum urbs, in Gall. Belg. Ptol. Villanovanus *Langres* esse putat. Vid. *Lingones.*

Andorisippo, urbs Hisp. Bæticæ. Plin. 3. 1. ubi alii *Andorisa* legunt.

Andorra, vallis fertilissima Pyrenæorum, in Diœcesi Urgelensi, vicina Ceretanis & Fuxensibus, juxta Baliram fluv. qui cadit in Secorim. Forsan aliàs *Udura.*

Andoverpum, Vid. *Antverpia.*

Andra, fluv. Africæ, in ora littorali Guineæ. Quibusdam *Ardra.*

Andraca, Cappadociæ urbs. Ptol.

Andramon, Thoantis pater. Hom. *Iliad.* 2.

Αἰτωλῶν δ' ἡγεῖτο Θόας Ἀνδραίμονος υἱός.

Unde Ovid. *Met.* 13. Thoantem *claro Andræmone natum* periphrasticè appellat.

Andragathus, vir quidam, quem patriæ suæ proditorem primo muneribus affecit Lysimachus, apud Polyænum *lib.* 4. postea verò vitâ privavit.

Andragatius, Maximi Tyranni dux, Gratianum Imper. ab exercitu suo desertum occidit. Hinc in Siciliam missus, audito, Maximum à Theodosio victum, in mare præceps iit. Marcellin. *Chron.* Zosim. *lib.* 4. & 6. Socr. *lib.* 4. *cap.* 11. & 5. *cap.* 14. Pacatus, *Panegyr. Theodosii.* Obiit autem Gratianus, A. C. 383. & parricida ejus, Anno 388. Item, Philosophus Chrysostomi præceptor.

Andragira, quæ & *Gudahiri*, urbs Asiæ, cum regno cognom. in Ins. Sumatra, ferè sub linea Æquinoctiali, & in medio inf. 40 circiter leucis à Malaca in merid.

Andragoras, vir, qui subitâ morte periit, Mart. *lib.* 6.

Lotus nobiscum est hilaris, cœnavit & idem,
Inventus manè mortuus Andragoras.

Andramytes, rex Lydorum, qui primus mulieres fecit eunuchas, iisque vice eunuchorum usus est. Cæl. Rhod. 20. 14. Alex. ab Alex. *lib.* 2.

Andrapana, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Andrasimundi, Taprobanæ inf. promunterium. Ptol.

Andrassum, urbs Asiæ min. circa Galatiam. Cedrenus.

Andreapolis, urbs archiepiscopalis, & Academia Scotiæ in orâ orientali. Vulgò *S. Andrews.* long. 17. 28. lat. 57. 46.

Andreapolis, vulgò *Andero*, urbs Hisp. in littore Biscajæ, olim Flavionavia, episcopalis designata his temporibus. Portum habet percommodum, cum castro antiquo. Ab aliis in Asturia Santillana ponitur.

Andreas, nomen Apostoli. Marc. 4. *vers.* 10. Qui ante vocationem suam discipulus erat Joannis Baptistæ. Joh. 1. Evangelium annuntiavit Scythis, Sogdianis, Thracibus, Æthiopibus, Achivis. Proconsulis Ægei jussu, in urbe Patras, cruci affixus. V. Gregor. Naz. *Orat. contra Arianos.* Chrys. *hom. de* 12. *Apost.* Eus. *lib.* 3. *cap.* 1. Niceph. *lib.* 2. *cap.* 39. & *l.* 3. *c.* 6.

Andreas, I. Hung. Rex, excæcato fratre Petro, qui throno potiebatur, Regnum partitus est cum fratre Bela, à quo tandem, Polonorum ope, planè pulsus, præ mœrore obiit, A. C. 1061. Bonfin. *Annal. Ungar.*

Andreas, II. filius Belæ 3. & frater Emerici, post Ladislai, ex fratre nepotis, mortem, Rex Ungar. Sacræ expeditionis comes invitus, mox rediit, cum insigni damno Christianorum. Quod notandum contra Blond. *lib.* 2. *decur.* 7. & Bonfin. *lib.* 7. *dec.* 2. Nihilominus *Hierosolymitani* tulit elogium. Hujus uxor Gertrudis, mater S. Elizabethæ, in absentia mariti, à Comite Petro trucidata est. Quam cædem Episc. Strigoniensis suasit his verbis, nullâ commatum distinctione interpunctis: *Reginam occidere nolite timere bonum est si omnes consentiunt ego non contradico.* Obiit A. C. 1235. regni 36. Cardinalis Vitriac. *lib.* 2. *de bello Orient.* Chronic. Aug. Calvisius *Chron.* ad an. 13. Spond. A. C. 1217. 1235.

Andreas, III. cognom. *Venetus*, Austriam vastavit, oppida amissa recepit, 11. regni an. obiit A. C. 1301. Æmulum habuit Carol. I. cognom. Martellum, fil. Caroli 2. Hieros. Siciliæque Regis & Mariæ Ungaricæ. Villanius *lib.* 7. *cap.* 134. Bonfin. *l.* 8. & 9.

Andreas, Italis *Andreasso*, ex Hungaria, duxit Joannam Reg. Neap. hac lege, ut Calabriæ ducis titulo esset contentus. Mox à Neapolitanis occisus, quòd Ungaros saltem eveheret, A.C. 1345. Bocat. & Petrarcha, apud Spond. & Boucheum, *hist. prov. in Johanna* I. Vel potius hujus jussu, strangulatus est, quæ postmodum eo loci suspensa, ubi Andreæ gulam fregerat. Bonfin. *dec.* 2. *l.* 10. Lipsius *mon. politicis.*

Andreas, Rex Æthiopum, sec. 15. Genebrardus.

Andreas, Argivus statuarius. Pausan. *lib.* 6.

Andreas, Panormitanus, edidit libros de memorabilibus, quæ in quibusdam Siciliæ opidis contigissent, quorum tricesimum tertium citat Athenæus *lib.* 14. Vide Vossium *de Hist. Gr. lib.* 4. *pag.* 502. Item *Andreas* Penei filius, Pausan. *lib.* 6.

Andreas, Abbas monasterii cujusdam Bambergensis, historicus. Voss. *de hist. Lat. l.* 3. *c.* 10.

Andreas Alciatus, Vid. ibi.

Andreas Argolus, Ephemeridum auctor. Voss. *de Mathem. cap.* 68. *§.* 30.

Andreas, Austriacus, Cardin. Gubernator Belgii. Obiit Romæ, Spond. A. C. 1578. 1600. Grotius.

Andreas Barbatius, celebris JC. cujus scripta Ægid. Aurinius edidit. Bell. *de S r. Eccl.*

Andreas Bathorius, Cardin. Princeps Transylv. à Cæsareanis occisus an. 1599.

Andreas Bilius, historicus.

Andreas, Cæsariensis Arch. scripsit in Apocalypsin. Vid. Bibl. PP.

Andreas Corsalius, Florent. scripsit de navigatione maris rubri & sinus Persici. Poccianitus, *de Script. Florent.*

Andreas Damaratus, Cancellarius Ordinis S. Joh. Hier. Solimano Rhodum prodidit. Hist. Turc. *in Solim.* 2.

Andreas Dandolus, Dux Venet. rebus gestis & prædecessorum historiâ memorabilis.

Andreas Doria, Reip. Statum Genuæ immutavit, Caroli 5. auspiciis, bello contra Turcas celebris, obiit A. C. 1560.

Andreas Duchenius, librorum copiâ, & sylloge historicorum Gall. clarissimus. Obiit 1640.

Andreas Dudithius, Episc. Quinqueeclesiensis, Legationibus clarus, uxorem duxit. Thuan.

Andreas Laurentius, Medicus Henrici M. scriptis clarus.

Andreas Osiander, Lutheranus, novæ de Justificatione nostri opinionis auctor. Obiit A. C. 1552.

Andreas Rivetus, Vid. *Rivetus.* Plures alios Vid. apud Voss. *de histor. Lat.* & *Mathem.* Bellarm. *de Scriptor. Ecclesiast.* &c.

S. Andreas de Carduo, Ordo Equit. in Scotia, cujus lemma, *Nemo me impunè lacesset.* Ab Achaïo, Scotiæ Rege, qui cum Carolo M. fœdus iniit, institutus. Buchan. *hist. Scot.*

Andreus

Andreis, Græciæ regio. Pausan.

Andresti, Indiæ pop. ab Alexandro M. victi. V. *Adraista*.

Andri, pop. circa Clastidium in Gall. Cisalpinâ. Polyb. *l*. 2.

Andria, urbs Elidis, & alia Macedoniæ. Steph. Item, urbs Ep. sita in Bariana prov. regni Neap. in planitie. Ducatus Carafarum, sed parvi circuitus.

Andriaca, Mediæ opidum, & alterum in Lycia. Ptol. Aliud in Thraciâ Straboni. Vide Plin. 5. 17.

Andriclus, Ciliciæ Mons. Strabo *lib*. 14. Est etiam fluminis nomen. Plin. 5. 15. quem Strabo *Andrium* vocat, & in Scamandrum fluere affirmat. Dicitur *Andricus* & *Andricius*.

Andriscus, historicus, Ναξιακὰ, hoc est, *de rebus Naxiacis* libros conscripsit, quorum primum citat Parthenius, *Eroticων c*. 9. Secundum itidem *cap*. 19. Quædam etiam de eodem opere refert Athenæus, *lib*. 1.

Andriscus, ex infima fæce, Macedonas contra Romanos suscitavit. Florus *l*. 2. *c*. 14. Eutrop. *l*. 4.

Androbius, pictor nobilis. Plin. 35. 11.

Androcalis, Æthiopiæ sub Ægypto opidum. Plin.

Androclea, una ex filiabus Antipœni, quæ pro salute populi seipsas interfecerunt. Nam cùm pugna esset Thebanis & Herculi contra Orchomenios, oraculum est allatum, eos bello fore victores, si manum sibi inferret, qui generis dignitate inter cives esset notissimus. Et cùm Antipœno (hic enim majorum genere maximè illustris erat) non placeret pro populi salute mori, ejus filiabus Androcleæ, & Heracleæ placuit. Ubi itaque seipsas interfecissent, hic eis pro tanto beneficio honos est habitus, ut, in parte templi Dianæ Euclææ, Leonis simulacrum ab Hercule illis dicatum conspiceretur. Pausan. *in Bœot*.

Androcles, fil. Phintæ, Messeniorum R. Pausf. *l*. 4. Item Joniæ R. qui Ephesum exornavit. *l*. 7.

Androcles, fuit servus & mendicus & cinædus, ut Cratinus eum notat *ἐν πελάφοις*. Teleclides & Ecphantides eum scripserunt esse crumenisectorem.

Androclides, περὶ τῶν ἐμποδῶν τεχνολόγων, *de Sophistis extemporaneis* scripsit teste Suidâ, Porphyrii æqualis fuit, & sub Aureliano principe vixit.

Androclides, Lacon, qui cùm probro daretur, quòd, cùm claudus esset, bellatoribus se immiscuisset, ideoque ab omnibus, tanquam inutilis, à prælio arceretur; irâ commotus respondit: *In aciem proficisci debere, qui de prælio, non de fuga cogitet*. Plut. *in Apophtheg*. & Cæl. Rhod. 14. 5.

Androclides, Nobilis Thebanus status popularis, contra Oligarchicos, defensor; quem ideò Leontidas dolo interficiendum curavit.

Androclus, Codri fil. rex Jonum. Pausan *l*. 7.

Androcottus, vel *Sandrocottus*, fugiens Alexandri M. iram, sub arbore lassus obdormivit, & à Leone permulsus est. Ad quod omen, animo recepto, Indias occupavit, Alexandri ducibus pulsis. Justin. *l*. 15. *c*. 4.

Androcydes, medicus, cujus extat epistola quædam ad Alexandrum M. scripta, apud Plin. his verbis, *Vinum potaturus, rex, memento te bibere sanguinem terræ: Sicuti venenum est homini cicuta, sic & vinum*. Plin. 14. 5. Alius pictor eidem Plinio 35. 9. Plut. *in quæst. conviv. l*. 4. *q*. 2.

Androdamus, Rheginus, qui leges Chalcedonensibus Thraciæ populis condidit. Aristot.

Androdus, Dacus servus, Romæ in Circo maximo agnitus à Leone, cujus pedem vulneratum aliquando curaverat in sylvis. Ejus historiam lectu dignam vide, apud Gellium. 5. 15.

Andrætas, historicus Tenedius ἐν τῷ περίπλῳ τῆς Προποντίδος citatur ab Apollonii Interprete, *lib*. 2.

Androgea, Persidis regio. Cedrenus.

Androgeus, fil. Minois Cretæ regis, & Pasiphaes, qui cùm omnes in palæstrâ superaret, ab Atheniensibus & Megarensibus ex invidia occisus est. In cujus ultionem Minos, Nisô Megarensium rege occisô, Megaram evertit, Athenienses acri bello superavit, eosq; quotannis septem adolescentes, totidemque puellas à Minotauro devorandos in Cretam mittere coëgit. Virgil. *Æn*. 6.

In foribus lethum Androgeo; tum pendere pœnas
Cecropidæ jussi.

Catullus *de Nupt. Pel. & Thet*.

Nam perhibent olim crudeli peste coactum
Androgeoneæ pœnas persolvere cædis,
Electos juvenes, simul & decus innuptarum
Cecropiam solitum esse dapem dare Minotauro.

Legendus Plutar. *in Theseo* & Pausf. *in Atticis*. Ovid. *Met*. *l*. 7.

Bella parat Minos, qui, quanquam milite, quanquam
Classe valet, patriâ tamen est fortissimus irâ,
Androgeique necem justis ulciscitur armis.

Idem *in epist. Ariadnes:*

Viveret Androgeos utinam, nec facta luisses
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis.

Contra Propertius *eleg*. 1. *lib*. 2.

Et Deus extinctis Cressis Epidaurius herbis,
Restituit patriis Androgeona focis.

Androgeus collocabatur in proris navium. Meminit Callimachus *in Causarum lib*. 4. & Clemens *in Protreptico*: Τιμᾶταί δέ τις καὶ Φαληροῖ κατὰ πρύμναν ἥρως. Phalerus autem erat portus Atticæ. Item unus è Græcorum ducibus, qui Trojam profecti sunt. Virgil. *Æn*. 2.

Primus se Danaûm, magnâ comitante catervâ,
Androgeos offert nobis socia agmina credens.

Androgynæ, vel *Androgyni*, pop. in Africa super Nasamones, utriusque sexûs, inter se vicibus coëuntes; dextra mamma his virilis, læva muliebris. Plin. 7. 2.

Androinus de Rupe, Abbas Cluniac. missus in Angliam, Johannis R. liberandi & pacis conciliandæ causâ. Hinc Cardinalis, & in Italiam legatus, ab Innocentio VI. sed infelix. Spond. Anno Christi 1356. &c.

Androlitia, opidi nomen apud Plin. 5. 29.

Andromache, Hectoris uxor, Eetionis, regis Thebarum Ciliciæ filia. Hom. *Iliad*. *Z*. ubi de Hectore,

Ἔνθ᾽ ἄλοχος πολύδωρος ἐναντίη ἦλθε θέουσα
Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος.
Ἠετίων, ὃς ἔναιεν Ὑποπλάκῳ ὑληέσσῃ,
Θήβῃ Ὑποπλακίῃ, Κιλίκεσσ᾽ ἄνδρεσσιν ἀνάσσων.

Filium peperit Astyanacta. Mortuo marito Pyrrhus eam in Græciam adduxit, & ex ea Molossum suscepit, postea verò eam Heleno vati, Priami filio, cum parte regni in uxorem dedit. Virgil. *Æn*. 3.

Hectoris Andromache, Pyrrhin' connubia servas?

Peperit & Francionem, primum Galliæ R. Si Manethoni fides. A *viri pugnâ* nomen sortita est, fuit enim quædam virago. Juvenal. *Sat*. 6.

———Andromachen à fronte videbis,
Post minor est.

Martialis posuit, pro quâvis fœminâ juniore; *lib*. 3. *Ep*. 76.

Cum possis Hecubam, non potes Andromachen.

Andromachidæ, pop. qui virgines nupturas regi suo exhibere solebant, qui pulchriorem & gratiorem sibi stupret.

Andromachus, adulator Crassi, à quo Parthis proditus est. 2. Sophista è Neapoli Syriæ, Zonæ filius, qui Nicomediæ Grammaticam docuit, Diocletiani tempore. Suidas.

Andromachus, Tauromenitanus, Timæi Historici Pater, divitiis & animi magnitudine præcellens. Diod. XVI. Timoleontis in recuperandâ Syracusanorum libertate adjutor. Ibid. *fol* 546.

Andromachus, Prætor Alexandri Magni, cui Parmenio Syriam, quæ *Coele* appellatur, tradidit, bello quod supererat, interfuturus. Curt. IV. 44. Hunc vivum Samaritæ cremaverunt. Ibid. *cap* 73.

Andromachus, Prætor sive Dux Seleuci junioris, de quo Polyæn. *lib*. 4.

Andromachus, Cretensis, Medicus Neronis, theriacæ cognominis auctor, de qua versu quædam ad Neronem scripsit. Vid. Galen. *l*. 1. *de antid*. *c*. 1. & *l*. 1. *de ther. ad Pis*. *c*. 5. Astrologica quædam eidem attribuuntur, Voss. *de Math*. *c*. 33. §. 10.

Andromadas, Rheginus, Chalcidensibus, qui sunt in Thracia, legum lator fuit, ejus leges exstant de homicidiis & Epicleris, id est, mulieribus hæreditates adeuntibus. Aristot. II *Politic cap. ult*. ubi Sepulveda *Andromachus* legendum censet, Gifanius *Androdamus*.

Andromeda, Cephei Æthiopum regis, & Cassiopes filia, ob matris superbiam, quæ se Nereidas formâ superare gloriabatur, à Nymphis saxo alligata fuit, & ceto marino monstro exposita: postea tamen à Perseo in patriam revertente, occisô prius ceto, liberata, eidem nupsit. Propert *lib*. .

Andromede monstris fuerat devota marinis,
Hæc eadem Persei nobilis uxor erat.

Idem *lib*. 1. *eleg*. 3.

Qualis & accubuit primo Cepheïa somno,
Libera jam duris cotibus Andromeda.

Idem *lib*. 3. *eleg*. 22.

Non hic Andromedæ resonant pro matre catenæ.

Ovid. *in Epistolis*.

Candida si non sum, placuit Cepheïa Perseo
Andromede, patriæ fusca colore suæ.

Vid. etiam *Metam l*. 4. Postremò, Minervæ beneficio inter astra collocata est, oriturque in parte Piscium duodecimâ. De hac Tragœdiam scripsit Euripides, eamque, ab hujus nomine *Andromedam* appellavit.

Andromon, nomen proprium ejus, qui Colophonem ædificavit.

Andron, opidum inferioris regionis Nili. Ptol.

Andron, Catanæus, teste Theophrasto, tibiis canens, primus omnium motiones corporis, & rythmos excogitavit. Cæl. Rhod. 5. 4.

Andron, Ephesius, de 7. Sapientibus scripsit, ut indicat Pindari Scholiastes *in Isthm*. Meminit ejus quoque Laertius *lib*. 1. Clem. Alex. *Strom* 1. Et Euseb. *lib*. 10. *de Præp. Evangelica*. Idem hic omnino *Andron* περὶ θυσιῶν πρὸς Φίλιππον scripsit, ut author est

est Apollonius *Hist. Mirab. c.*8. ubi quartum ejus operis librum citat Voss.

Andron, Argivus, quem per arida Libyæ deserta sine potu profectum fuisse tradit Aristoteles *Lib. de Ebrietate*, apud Apollonium *Hist. Mirabil. cap.*25. & Laertium *lib.*9. Sextus item Empiricus *lib.*1. *Pyrrhon. Hypot fol.*17. *Edit. Aurel.* *Andronem* Medicum memorant Celius *lib.*5. *cap.*20. Galen. *lib.*3. *de Compos. Med. cap.*3. Item Athenæus *lib.*15. *Andronem* Musicum & Geometram M. Antonini magistrum fuisse novimus ex Capitolino, *in Marco*. Jonsius.

Andron, à Dionysio, in expeditionem profecto, præpositus arci Syracusarum. Eum hortabatur Hermocrates, ut sibi adesset in obtinenda arce & pecuniis. Salvus autem paulo pòst Dionysius reversus, cùm nihil audiret ab Androne, ab aliis se omnino audiisse finxit; verùm ab ipso quoque velle cognoscere, quis novas res cogitaverit. Qui deceptus prodidit Hermocratem: Andronem verò Rex necandum curavit, quòd non confestim post reditum hos indicasset. Polyæn. *l.V.*

Andron, Alexandrinus, Χρονικὰ edidit. Athenæus *lib.*4. Item *Andron*, Halicarnassensis, qui laudatur Plutarcho *in Theseo*, Isacio Tzetzæ *ad Lycophronem*, ac Schol. Æschyli, *ad Persas*. Item *Andron*, Tejus, cujus Periplus citatur à Schol. Apollonii *lib.*2. Vid. Voss. *de hist. Gr. l.*3.

Androna, Cyrrhesticæ regionis in Syriâ op. Anton.

Andronicus, id est, *Vir Victoriosus*, nomen viri. 2. Mac. 4. & Rom. 16.

Andronicus I. strangulato Alexio 2. cujus tutor erat, Constantinopolitano Imperio potitus, Agnetem Francicam, Alexio desponsam, sibi nubere coëgit, in Nicææ, aliarumq; urbium incolas crudelissimè desæviens. Ab uno nepotum suorum, Guilielmi Sicil. R. ope adjuto, Constantinopoli obsessus: Sed virtute civium liberatus, sævè agere perrexit, & omnes, quorum nomina ab *Is* incipiebant, quod nomen sibi fatale esse ex Magis didicerat, interemit; ab Isacio tamen Angelo, qui Imperator proclamatus erat, & furibunda plebe crudelissimo integri tridui supplicio peremtus, quod tantâ pertulit constantiâ, ut, Dei justitiâ inter dirissimos dolores agnitâ, hostibus etiam gratias ageret. Nicet. *lib.*2. Guil. Tyr. *lib.*2. *c.*12. & 13. Baron. A.C. 1183. 1185.

Andronicus II. Palæologus, successit Patri Michaëli, An. 1283. à quo jam antè in societatem imperii ascitus erat. Hunc tamen ob unionem Græcæ Eccl. cum Latina tentatam, refodi curavit. Postea, Michaële fil. quem socium imperii dixerat, mortuo, cùm Michaëlem Clotharum quendam in idem axioma asciturus esset, à nepote Andronico, Venetorum & Bulgarorum viribus subnixo, regno cedere coactus, in monasterio consenuit visuque privatus tandem obiit, Anno 1330. Gregoras *lib.* 4. *& seqq.* Cantacuz. *l.*1. & 2.

Andronicus III. dictus *Junior* solus imperavit 9. an. Contra Bulgaros & Acarnanas, ope Turcarum, quos imprudens evocaverat, victor, Obiit An. C. 1341. Filiis in tutela Cantacuzeni relictis qui ipse imperium invasit. Gregoras *l.*10. & 11. Cantacuz. *l.*2. Onuphr. & Genebr. Nicephorus, &c.

Andronicus, fil. Johannis Palæologi, consilio cum filio Amurathis 2. inito, ad Parentes pellendos, aceto ardenti oculis infuso excæcatus est. Chalcondyl. *l.*1. Phranz. *l.*1. *c.*15, 16.

Andronicus, Rhodius, Philosophus Peripateticus. Strabo. Scripsit Indicem Librorum Aristotelis, & Theophrasti, itemque in Categorias Aristotelis, nec non libellum περὶ παθῶν, qui etiam hodiè extat.

Andronicus, unus ex *Prætoribus* Alexandri Magni, cum Carano, Erigyo, Artabazo, additis sex millibus Græcorum, sexcentis Equitibus à rege missus in Arios ad persequendum Satibarzanem. Curt. VII. 16.

Andronicus, Grammaticus, desidiosior in professione Græcâ, cujus meminit Suetonius. Item historicus qui res Alexandri scripsit. Volater. Vid. de Andronico, historico Gr. Hieron. *præf. in Danielem*.

Andronicus, Præfectus Pentapolitanus, in Ægypto, ob crudelitatem, ab Episcopo Synesio excommunicatus veniam delictorum petiit. Synes. *ep.*52. 57. 68.

Andronicus, vide *Livius*.

Andronorus, legislator Chalcidensium. Alex. ab Alex. 6. 10.

Androphagi, Scythiæ gentes in Europâ. Herodotus.

Andropompus, Thebanus, Bori filius, Xanthum in singulari certamine, sed fraude interfecit. Pausan. *in Bœoticis*; Quamvis id à Melantho Andropompi filio, non à patre factum fuerit.

Andros, Britanniæ insula maris Hybernici, inter Walliam, & Hyberniam. *Hedros* Ptolemæo. Anglicè *Berdsey*. Britannicè *Enhly*, dicitur. Est autem apud Gangarorum promuntorium, quod vulgò *Aberconvvey* vocatur.

Andros, maris Ægæi insula, prima inter Cycladas, vicina Samo, cum op. ejusdem nominis, quæ Asiæ adjacet ex opposito ad Ephesum, Juvenal. *Sat.*3.

Hic Andro, ille Samo, &c.

Ovid. *Met.*7.

At non Oliaros, Didymeq; & Tenos & Andros.

Idem *lib.*12.

Et totidem natis Andros fraterna petita est.

Multa habuit nomina apud veteres. Nam *Cauros*, *Lasia*, *Nonagria*, *Hydrussa*, & *Epagris* dicebatur. Nomen habuit ab *Andro*, Eurymachi filio. Ibi fons est, qui quotannis Nonis Januariis vini sapore fluit. Plin. 2. 103. & 4. *c.*12.

Androsa, Castrum Scotiæ Australis, & prov. Cuninghamiæ, in ora littorali. Aliis *Ardrosen*. 4. mill. ab Irvino, & 15. à Dumbritonio.

Androsia, Galatiæ op. hodiè *Andres*, ex tabb. recent.

Androsthenes, ex ducibus Alexandri M. speculatum cum nave missus oras Arabiæ, Arrian. *l.*7. *c.*10. Strab. *l.*16. Edidit descriptionem Orbis, Artemidoro Ephesio & Theophrasto, *l.*2. *c.*7. *de Plant.* laudatam. Item, alius, cujus meminit. Polyb. *l.*11.

Androsthenes, Prætor Thessaliæ, Pompejo favens, à Cæsare obsessus, & expugnatus. Cæs. *lib.*3. *de bello Civili*. Item nomen statuarii Thebani. Pausan.

Androtion, Atticam historiam edidit, teste Pausaniâ *in Eliacis*, & *Phocicis*, & Marcellino *in Vita Thucydidis*. Ejus meminere Plut. *in Solone*, Ælian. *Var. Hist.* 8. 10. aliique. Etiam *Androtion*, sive alius, sive idem de Agricultura scripsit; quem Plinius memorat *in Hist. Nat.* & ante eum Varro, & Columella, uterque *initio lib.*1. *de R.R.* ubi eum reponunt inter eos R. R. scriptores, quorum patriam non acceperint. Voss.

Andrus, vide *Andros*.

Andurianus, vulgò *Lago-Salso*, lacus Capitanatæ, in regno Neap. ab opp. Andurio dictus, al. Salsus, prope ostia flu. Candelari in mare Adriaticum. Parvus admodum.

Andusa, Urbs Galliæ, in Occitania infer. ad fluv. Gardonem. Nunc mœnia ejus disjecta; estque ad radices montium.

Aneburgus, vulgò *Lasnebourg*, burgus Sabaudiæ, ad radices Alpium & Montis Cenisii, ad Arcum fluv. Etiam *Lanciburgium* dicitur, *Lanslebourg*, ad differ. alterius *Lans le Villars*, oppidul. in vicinia. Ibi ordinarius transitus Alpium ex Sabaudiæ Duc. & Mauritana valle, in Pedemontium.

Anecus, Siciliæ flu. Vibius Sequester *in Catalogo: Anecus Siciliæ, qui per 2. m.p. sub terra mergens, Syracusis miscetur mari, appellaturq; Ano post Anapos cœnos superior Antisphorus.* Quem locum plurimâ sui parte esse vitiatum, jamdudum suspicati sunt viri docti, neque nostrum est sine ope ms. eum emendare.

Anedadis, Phil. & Medicus, *sec.*6. Genebrardi *Chron.*

Anejanum, urbs Italiæ, inter Patavium & Mutinam. Anton. *monte Agnano* hodie Simlero.

Anelontis fluminis, juxta Colophonem, meminit Pausanias, cujus frigiditatem prædicat Aliis *Alentis*.

Anem, Lat. *responsio*, aut *canticum eorum*, sive *afflictio*, vel *paupertas eorum*: aut Syriacè, *ovis eorum*, nomen civitatis. 1. Par. 6.

Anemo, fluvius in octava Italiæ regione. Plin. 3. 15. Hodiè *Rosanario, Fantino*, & *Santerno*. Alii sic. *Anemo*, seu *l'Amone*, flu. Æmiliæ, sive Galliæ tog. ex Apennino monte in Padum, per Faventiam (quam interluit) influens, inter Ravennam & Argentam. De eo P. Burg *l.* sic:

Affluit & vallem quicunque Anemonis & agros
Cultor habet.

Anemolia, Phocidis urbs, quæ postea Hyampolis. Strabo. Bœotiæ civitas Ptolemæo.

Anemorea, urbs Phocidis, quæ postea *Anemolia* dicebatur; in confin. Phocidis, ac Delphorum in alto colle. Situs est autem super eam locus κατοπτήριον dictus, unde cognomen Minerva à sedatis ventis adepta est. Cæl. Rhod. 20. 19.

Anemosa, vicus Arcadiæ. Pausan.

Anemothicos, urbs circa Cariam. Porphyrogenn.

Anemotis, Palladis nomen, inde tractum, quòd, cùm Mothonem Peloponnesi civitatem, locaque vicina, venti paulò violentiores, minusque tempestivè perflantes insigniter oblæderent, Diomedis, qui tum ibi imperabat, suasu, simulacrum Palladi erectum est, eidemque ab incolis fusæ preces; quibus peractis, mox ventorum cessavit impetus, unde cognomen Minerva à sedatis ventis adepta est. Cæl. Rhod. 20. 19.

Anemurium, urbs Ciliciæ litoralis episcopalis sub archiep. Seleuciensi, inter Antiochiam ad occid. & Celenderim ad ort. *Stalemura* hodiè, vel *Scalemuro*, teste Nigro. longitud. 65. 10. lat. 36. 50.

Anemusa, insula maris Mediterranei. Ptol.

Anemytas, apud Tarentinos asinus erat, qui ventis sacrificabatur. Etymologus, Ἀνεμύτας παρὰ Ταραντίνοις ὁ ὄνος ὁ ἀνέμοις θυόμενος.

Anena, Insf. Norvegiæ regni, in ora meridion. Finmarchiæ prov. prope insulas *Vestrol* & *Samien*, & media ferè inter Nidrosiam & Vardhusium. Aliàs *Andenes* dicitur, distatque à *Maelstroom*, 25. leuc. German. in Cæciam.

Aner, Lat. *responsio*, aut *canticum lucernæ*, sive *affligens lucernam*, Frater Mamre. Gen. 14. Item civitas, in tribu Manassis. 1. Chron. 6.

Anerita, Marmaricæ Nomi gens. Ptol.

Anethus-

Anethussa, urbs Libyæ. Steph.

Anetia, nomen opidi. Plin. 5.24.

Aneticus, Asiæ locus est arundinibus abundans.

Anetis, Dea quædam apud Armenios, quibus mos erat, ut virgines in fano vetustissimo Anetis Deæ prostituerentur, ubi ipsius statua ex solido auro sita erat, quam Antonius expilavit. Vide *Anaitis*.

Anetum, opp. Gall. in prov. Insulæ Franciæ, ad Eburam fluv. & in limite Normanniæ, cum castro splendido, à Diana, Valentiniensi Duce, excitato. Principatus tit. gaudet Ducis Vindocinensis.

Ansa, vulgò *Anse*, opp. Africæ, in Regno Fezzæ, olim celebre, nunc dirutum, in litore Oceani. Quibusdam *Anasse*; Est in prov. *Temesna*, in portu capaci.

Angadiva, seu *Anchediva*, Inf. parva Asiæ & Ind. citerioris, in ora regni *Decan*, 12. leuc. à Goa, in merid. ibi aliàs castrum Lusitan. nunc disjectum.

Angamala, Urbs parva Indiæ, in monte, ad flu. *Aicotta*, archiep. sita in reg. Malabaria; Ibi & in viciniis degunt Christiani S. Thomæ. Dicitur etiam *Archiep. Serrensis*, seu *S. Thomæ* aut *Cranganorensis*.

Angaris, mons Palæstinæ. Plin. 5.13. Item Bithyniæ emporium, prope Helenopolim. Socrates *Hist*. 8.20.

Ange, Arabiæ Felicis vicus. Ptol.

Angela Curionia, virgo nobilissima. Filia Cælii Sec. Curionis, viri clarissimi, Vid. ibi. Italicè, Germanicè, Gallicè venustè loquuta, Latinè non ignara, ut epistolæ ejus testantur, nihil habuit divino suo ingenio atque industriæ impervium. Obiit Basileæ, quò Patrem, ob purioris religionis amorem, ex Taurinis se recipientem, sequuta est; An. C. 1554. æt. 18.

Angela Zabatha, Valentiâ Hisp. oriunda, ingenio, literis, prudentiâ, inclyta. Lud. Viv. *de Instit fœm*. c. 3.

Angela, Inf. Britanniæ, Vid. *Mona*.

Angele, pars è tribu Pandionide. Steph.

Angelia, Mercurii filia, apud Pindarum, ideo quòd Mercurius nuptiis præsit. Cæl. Rhod. 18.6.

Angelici, Hæretici quidam Ἀγγελολάτραι, quorum meminit Epiphanius *Hæres*. 60. & Balsamon *ad* 33. *canon. Concilii Laodiceni*. Mirum verò ambigere Epiphanium, an non & ita vocari potuerint ab regione ultra Mesopotamiam, quæ Ἰγγελίνη dicta sit. Nam, ut sanè *Angelina* rescribas (quomodo uterque vertit Interpres) non tamen ἀναλόγως, inde Ἀγγελικοὶ deducas. Nunc verò Ἰγγελίνη habet tum Basileensis editio, tum Parisina. Ac in Codice etiam Justinianæo *lib*. 1. *Tit*. 29. qui est *de officio Magistri Militum*, in 3. mss. *Ingelina* reperit L. Russardus I. C. Clarius igitur etymon prospexit nobis Augustinus *Hæres* 49. *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defecisse testatur*. Aug. *hær*. 39. Vossius. Baron. A. C. 360. *n*. 69.

Angelina, locus quidam dicebatur, cujus meminit Epiphanius *Hæres*. 60. ubi de Angelicis Hæreticis loquens ait, ita dictos fuisse, sive ex eo, quòd aliqui mundum ex Angelis factum esse dicunt, sive quòd seipsos in ordine Angelorum esse jactant, sive etiam à loco nomen acceperunt. Nam locus quidam est *Angelina*, ultra Mesopotamiam regionem sita. Hæc ille.

Angelion, statuarius, qui Apollinis simulacrum apud Delos fecit. Pausan. *in Corinthiacis*.

Angelitæ, Sabellii sectatores, à loco prope Alexandriam, *Angelio* vel *Angelio*, dicti. Niceph. *l*. 18. *c*. 49.

Angella, Bæticæ urbs inter Cordubam & Hispalim. Anton.

Angelomus, sec. 9. scripsit Comment. in 4. libros Regum, Canticum Cantic. &c. natione Gallus, sub Lothario Imper. Bellarm. *de Script. Eccl*.

Angelopolis, urbs Apuliæ Dauniæ, in monte Gargano, apud Sipontum. Archiep. Altera in Hirpinis episc. vulgò *S. Angelo di Lombardi*. Tertia in Vestinis, Pinnæ proxima. Olim *Angolus*.

Angelopolis, in America, *Los Angeles*, vel *Puebla de los Angeles*, in Nov. Hisp. Ab urbe Mexico in Ortum 22. leuc. Hispan. Ædificata est. 1531. ab Hisp. in *Tlascala* prov. estque Episc. sub Archiepisc. Mexicano.

Angelopolis, altera, *S. Angelo in Vado*, quibusdam *castrum S. Angeli Vadani*, olim *Tiphernum Metaurum* dictum, urbs Italiæ, in ditione Pontif. & Duc. Urbinate. Episcopatus ejus cum Urbaneæ Episc. unitus est ab Urbano VIII. Vid. *Tiphernum Metaurum*.

Angelotus Fusci, Cardin. à famulo inter meridiandum, occisus. Plat. *in Eugenio* 2. Spond. A. C. 1444. *n*. 19.

Angelus, Neptuni filius, ex concubitu nymphæ cujusdam, in Chio natus. Pausanias *in Corinthiacis*.

Angelus Baldus, JC. famosus.

Angelus de Clavas, Genuensis autor summæ casuum consc.

Angelica ab ipso vocatæ. Circa A. C. 1480.

Angelus Corarius, Venetus, Patriarcha primùm Constantin. dein Cardinalis, tandem Papa. Vid. *Gregor*. 12.

Angelus Politianus, à Mont-Politiano loco natali, sic dictus, aliàs *Bassus*, Canonicus Florentin. Johannis Pici Mirandul. studiorum comes, à Laur. Medicæo filiorum institutioni præpositus. Græcè Latineque plurima, eaque egregia scripsit. Obiit An. Christi 1494. æt. 40. Volater. *l*. 20.

Angeramunda, opp. German. in Marchia Brandenb. ad flu. *Welse*, qui mox in Oderam cadit. Al. *Angermunda nova*.

Angermannia, prov. Sueciæ, Norlandicarum una, ubi & Angermanus fluvius, & civ. unica Hemosandia, in ora sinus Bothnici.

Angermunda, opp. Livoniæ, in Duc. Curlandiæ, & ora marit. maris Balth.

Angerona, seu *Angeronia*, dubium an sit *ab angina*, cui præerat, an ab *angendo*, sive *angoribus*, quibus medebatur. Sed ἀναλογία magis favet posteriori etymo, ut *Angeronia* sit ab *ango*, quomodo à *pello Pellonia*, apud Arnobium; à *populor*, *Populonia* apud Augustinum. Pellonia enim à pellendis hostibus dicta est: Populonia, quòd populationes arceret. Similiter itaque *Angeronia*, quòd *anginam* morbum, vel quòd *angores* & anxietates pellat. Prius etymon secutus est Festus in *Angerona*, & Jul. Modestus, apud Macrobium *Saturn*. 1.10. Posterius amplexus est Verrius Flaccus, & Massurius, apud eundem Macrobium ibidem. Sed potius *Angerona* dicta est, quia *angit* & comprimit os. Nam est Dea ἐχεμυθίας; ideoque in Glossis Philoxeni ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν dicitur. Ambigunt aliqui, annon legendum sit *Ageronia*, quòd ad *agendum* excitet, uti docet Augustinus *de Civit. Dei*. *lib*. 4. *cap*. 6. Sed sana est vulgaris lectio, nam Angeronia ideo consiliis præest, quia in iis opus est silentio: Ideo simulacrum ejus fuit, *ore obligato, signatoq́;*, ut est apud Plinium. Massurius adjicit hujus Deæ simulacrum sic expressum, in ara Volupiæ, propterea collocatum, quòd qui suos dolores dissimulant, patientiæ beneficio ad maximam voluptatem perveniant. Angeronæ festum dictum *Angeronalia*, teste Varrone *lib*. 5. *de L. L.* & Festo. Fuit autem illud 12. Cal. Jan. Plinio, Solino, Macrobio testibus. Vossius *in Etymol*. Plut. *in Numa*, &c.

Angia, opp. Belgii in Hannonia. Ducatus titulo clarum.

Angira, *Ansene*, urbec. Ægypti super. non longè à Nilo. in monte. 20. circiter leucis à Cairo in merid.

Angistidis, mater Deorum. Vide *Agdistis*.

Angites, Thraciæ fluvius, qui Strymonem subit. Herodot.

Angitia, nemus in Marsorum regione, inter Albam & lacum Fucinum, *Selva d'Albi* vulgo. Solino *Anguitia* dicitur *cap*. 8. *Gentem Marsorum serpentibus illæsam esse, nihil mirum; à Circes filio genus ducunt, & de avita potentia deberi sibi sentiunt servitium venenorum, ideoq́; venena contemnunt. C. Cælius, Æetæ tres filias, Anguitiam, Medeam, & Circen, dicit fuisse. Circen Circæos insedisse montes, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem. Anguitiam vicina Fucino occupavisse; ibique salubri scientiâ adversus morbos resistentem, quum desisset hominem vivere, Deam habitam.* Silius Italicus *l*. 8.

> *Hæ bellare acies norant; at Marsica pubes*
> *Et bellare manu, & chelydris cantare soporem,*
> *Vipereumq́; herbis hebetare & carmine dentem.*
> *Æetæ prolem Anguitiam malagramina primam*
> *Monstravisse ferunt, tactuq́; domare venena;*
> *Et lunam excussisse polo; stridoribus amnes*
> *Franantem; ac silvis montem nudasse vocatis.*

Virgilius *Æn*. 7.

> *Quin & Marrubiâ venit de gente sacerdos,*
> *Archippi regis jussu, fortissimus Umbro:*
> *Vipereo generi & graviter spirantibus hydris*
> *Spargere, qui somnos, cantuq́; manuq́; solebat,*
> *Mulcebatq́; iras, & morsus arte levabat.*
> *Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum*
> *Evaluit: neque eum juvere in vulnera cantus*
> *Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.*
> *Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,*
> *Te liquidi flevere lacus.*

Ubi Servius: *Medea, quando, relictis Colchis, Jasonem secuta est, dicitur in Italiam pervenisse, & ibi populos quosdam, circa Fucinum ingentem lacum habitantes, qui Marrubii appellabantur, docuit remedia contra serpentes. Hi ergo populi Medeam Angitiam vocarunt, ab eo, quòd ejus cantus serpentes angerent.* Vibius *in Catalogo nemorum*: *Anguia*, *vel Anguitia*, *Lucaniæ*. Mendum apertissimum est in prima voce: in qua literas *it* vitiatas esse ab exscriptoribus in *u*, dubium esse haud potest. Etenim varietatem vocabuli, quod Virgilio ac Servio *Angitia*, Silio verò atque Solino scriptum erat *Anguitia*, indicare voluit Vibius. In eo autem, ab ipso erratum judico, quòd nemus hoc Lucaniæ tribuat, cùm à dictis autoribus disertè Marsis, Fucinoque lacui adscribatur. Cluver.

Angitula, Italiæ fluv. & opidum in Calabriâ. Anton. *Crissa*, Lycophroni dicitur. Hodie *Roccha d'Angitola*.

Angium, urbs opulenta circa Peloponnesum. Laonicus.

Angleseia, Inf. Angliæ, Valliæ adjacens. Vid. *Mona*.

Angli, Germaniæ pop. ad Albim amnem, ad hæc usque tempora in posteritate clarissimi. Ἀγγειλοὶ Ptolemæo malè. Rectius apud Procopium, *belli Gothici lib*. 4. Ἄγγιλοι. Vide Cluverium *de Germ. Ant. pag*. 605.

Anglia,

Anglia, Insulæ Britanniæ pars, olim *Albion*, seu *Albania*, ab *albis rupibus* (ut quidam volunt) quæ primùm illuc navigantibus apparent, sic dicta. Hodie in duas partes dividitur, Angliam propriè sic dictam, veteribus Lhoegriam, & Cambriam, seu Walliam. Cæterùm *Angliæ* nomen Britanniæ imposuerunt Anglo-Saxones, quia prius ipsorum terra *Anglia* dicta fuit. Nam regio illa, inter Holsatiam & Juitarum terram, *Anglia* dicebatur, & fuit antiqua Saxonum sedes, unde à Danis expulsi sunt. Beda & Krantzius. Dicta fuit autem Teutonicè *Engeland*, ob angustiam regionis; nam *Eng* illis, angulus, angustiæ. Erat enim *Anglia* ista angulus quidam, vel angusta terra ad mare Balticum. Saxo autem Grammaticus, à quodam Rege *Angul*, Anglos hos Saxones vult dictos. Sed priore notatione obtinente, & Britannia non immeritò hinc appelletur *England*, ob angustiam insulæ versus occid. & septentr. Egbertus autem Occidentalium Saxonum rex, sublatâ Heptarchiâ, Angliam vocari voluit, potius quàm Saxoniam, Gregorii Pontificis allusionem affectans, qui *Anglos* dixit *Angelicos* esse. Nam *Engel* est *Angelus*, & *Engelsch*, *Angelicus* Teutonicè. Hinc *Anglum*, alludendo, *Engelisce* id est, *Angel-like* vocavit. Nam & *Anglus* Teutonicè est, *Ein Engelsch man*. Quidam scriptores exteri *Saxoniam Transmarinam*, & *Saxoniam novam* nominarunt. Versteganus. Veteres eam sterilem quidem dixerunt, & ne scrupulum quidem auri, argenti, aut æris in ea reperiri. Ita Tullius, ni fallor, alicubi *in Epistolis ad Familiares*. Sed hodiè ipsa metallis & mineralibus abundare deprehenditur. Terram sulphuream & bituminosam ad ignem aptissimam habet. Lupos, neque ulla animalia rapacia nutrit; unde infiniti ferè ovium greges. Omni etiam pecorum aliorum genere abundat. Canum genus nullibi gentium majus ferociusque. Liceat hîc obiter patriæ honoris ergò, aliquid de canibus nostris Britannicis hîc inserere. Inter antiquos autores, qui eorundem meminerunt, agmen ducat Gratius Faliscus, Ovidio æqualis, qui *Cynegetici sui vers.* 174. de iisdem sic scribit:

Quid freta si Morinûm dubio refluentia ponto
Veneris, atque ipsos libeat penetrare Britannos?
O quanta est merces, & quantum impendia supra;
Si non ad speciem mentiturosque decores
Protinus; hæc una est catulis jactura Britannis.

Nemesianus *Cyneg. vers.* 24.

—— Divisa Britannia mittit
Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.

Oppianus Κυνηγετικῶν α.

Ἔστι δέ τι σκυλάκων γένος ἄλκιμον ἰχνευτήρων
Βαιὸν. ἀτὰρ μεγάλης ἀντάξιον ἔμμεν' ἀοιδῆς.
Τοὺς τέκεν ἄγρια φῦλα Βρεταννῶν αἰολονώτων,
Αὐτὰρ ἐπικλήδην σφᾶς Ἀγασσαίους ὀνόμηναν.

Strabo etiam *lib.* 4. refert, quòd ex Britanniâ in Gallias deferentur præter alia, καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Cæterùm Canes nostri ab exteris etiamnum celebrantur. Unum nomino, sc. Virum doctissimum Janum Ulitium, cujus verba *ad Gratii locum prædictum*, sic se habent: Antequam (inquit) de canibus Britannicis, quos hîc celebrat Gratius, distinctè dicam, quia illi potissimùm huic scriptioni meæ ansam præbuerunt, de toto eorum genere aliquid præmittam. Olim duæ species cognitæ tantùm fuere, robusti, de quibus hîc Gratius aliique, & Agassæi, qui & velocitate, & sagacitate excellunt. Hodie quoque illi robusti etiamnum supersunt, sed rusticis, & pastoribus magis inserviunt, nonnunquam tamen & venationi, cùm validior aliquis cervus, cui impares sint vi collatâ sagaces, sive sanguinarii, debellandus est. Quòd plurimus eorum olim in bellicosâ venatione usus fuerit, manifestis etiam vestigiis apparet, ex Theatrali illâ venatione, quam in tauros & ursos exhibent Anglorum laniones; quibus jampridem interdictum fuit taurum mactare, antequam tribus ad minimum canibus ad satiem usque vexatus fuerit. Unde etiam per minimos pagos frequens hoc spectaculum occurrit, & multis educandi hujus generis canes animum facit, ne impunè sit laniis, nisi stato pretio redimant, virum gregis sui mactare. Londini autem ei lusui peculiare extructum dudum theatrum est, & tauri validiores aliquot, præter ursos, aliasque id genus feras, aluntur, qui semel septiduo depugnent cum canibus; quos unicuique licet immittere, modò plures duobus non concurrant in taurum, quatuor in ursum. Vidi aliquoties singulum canem, qui nares mordicus appetens ita inhærebat, ut nullo impetu excuti posset. Vidi etiam, qui eâdem vi palearia vel collum invaderent, ut non immeritò jam olim de iis dixerit Claudian. *lib.* 3. *de laud. Stil.*

Magnaque taurorum fracturæ colla Britannæ.

Hujus enim generis fuerunt, quos Molossis æquiparat Gratius, cujus ævo nec sagaces, nec veloces è Britannia petitos hactenus fuisse hinc patet. Sed & Strabo, qui paulo pòst floruit *lib.* 5. testatur, canibus Britannicis ad bella sua usos fuisse Gallos: Ταῦτα δὲ κομίζεται ἐξ αὐτῆς (Βρεττανικῆς puta) καὶ δέρματα, καὶ ἀνδράποδες, καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τοὺς πολέμους χρῶνται καὶ τούτοις, καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. Ex quibus apparet, satis frequenter petitos inde hoc genus canes fuisse, etiam Romanis, quorum majestati generosa maximè conveniebat venatio, cui aptissimi, ut nunc quoque, illi canes. Hæc ideo magis retuli, quia Johannes Cajus Anglus in libello suo *de canibus Britannicis*, hos supinè nimis præteriit, qui olim Gratio nostro & Straboni cogniti, nec etiamnum adeò *degeneres*, ut ita ab eo vocari, aut, ut inutiles ablegari debuerint. Miserè insuper fallitur, credens Hyrcanum, quem laudat ex Gratio, eundem esse cum Urcano suo, quem ex urso & cane ridiculè satis ἐτυμολογίζει. Nec unquam tale canum ex ursis mixtum genus in Britannia visum fuisse crediderim, quamvis ex vulpe mixtos canes casus magis, quàm usus aliquando protulerit. Ille etiam & hoc quasi protritum aliquid videtur nobis obtrudere, quod ego rumore tantùm, & vix ita compertum habeo. Et hoc quidem loco canum Britannicorum merita à populari ignominiâ vindicare, curæ pretium existimavi. Subdit postea. Sunt sanè deformes satis bellicosi Anglorum canes, sed longè minus, quàm sanguinarii, quos vocant, qui & generosi ferè & valido corpore sunt, non adeò tamen, ut bellicosis toti accenseri possint. Si hos intelligas, non potest quidquam iis melius attribui, quàm quod hîc de deformitate in Britannicis canibus excernit Gratius. Oculis hi ita lippis, ac detortis, labris & malis adeò sordidis ac dependentibus apparent, ut advenis mera monstra videantur. At quantò deformiores, eo ferè meliores æstimandi. Nam si & labra plurimum propendeant, eo certius odorem quasi sorbent, & clariorem ululatum faventis vestigationis testem edunt. Idem *ad Nemesiani Cyneget. vers.* 124. Tria canum genera, & in unoquoque optimos habet etiamnum Britannia, totumque dimittuntur per orbem, jam à Strabonis ævo usque. Sed ille & Claudianus & Gratius de bellicosis tantùm loquuntur. Hîc itaque & sagacibus & velocibus suus locus erit. De sagacibus primùm agemus. Eorum hodiè tria genera non tantùm magnitudine, sed etiam sensuum, ac virium constitutione diversa. Maximum sagacitate præstat, sed ob corporis molem tardissimum: ideoque *Slowhounds*, & qui eorum ad cervos vulneratos sanguinis destillatione tracti ducunt, *Bloudhounds*, id est, sanguinarii vocantur. Sub hoc genere fere omnes *Inductores* veniunt, & maximè Segusii, quos apud alterum Xenophontem examinabo. Secundum magnitudine, & sagacitate est, quos *Fleethounds* vocant, à velocitate, Petroniis à me accensos, apud Gratium; quos & hîc fortè intellexerit Nemesianus, quia *veloces* vocat. Minimum denique, quoad corporis magnitudinem, planè id ipsum genus est, quod *Agassæorum* nomine describit Oppianus. *Begles* vocant indigenæ. Maximos, ut dixi, *ad Xenophontis Junioris cap.* 3. introducam. Minores jam apud Gratium descripsi. Vide quæ sequuntur. Atque hæc simul in canum Anglicanorum honorem, & lectoris κυνηγεσίας studiosi gratiam dicta sunt. *Non est* enim (ut Plinius loquitur) *quòd contemnas hoc studendi genus. Mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Jam undique silvæ & solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde cùm venabere, licebit autore me, ut panarium & lagunculam, sic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quàm Minervam, inerrare.* Sed hæc καθ' ὁδὸν. Ad Angliam nunc revertemur; cujus solum jucundum quidem est & frugiferum, sed vino caret, ob cujus defectum cervisiâ optimâ utuntur incolæ, quod in alias regiones transvehitur. Oceanus, qui insulam alluit, omnis generis piscium copiâ abundat. Gens procerâ staturâ, venustâ & candidâ facie est, cæsiis ut plurimùm oculis, & ut sono linguæ Italis persimiles, ita corporum habitu ab illis penè nihil discrepent, vestimento non multû absimili Gallico utuntur. Fœminæ niveo candore, insigniq; formâ, quam longè decentissimo vestitu honestant. Unde versicul.

Anglia, mons, fons, pons, Ecclesia, Fœmina, Lana.

Postremum quod attinet, lanam scilicet, vel de multitudine intelligendum, vel de præstantiâ. De priori, id ovium numero adscribendum. Unde querela ista V. Cl. Thomæ Mori, olim Angliæ Cancellarii, in Utopia sua: *Oves*, inquit, *quæ tam mites esse, tamque exiguo solent ali: nunc tam edaces, & indomita esse cœperunt, ut homines devorent ipsos, agros, domos, opida vastent, ac depopulentur.* Secundum quod spectat, Hodie (inquit Vir Magnus *de Theol. Gentili lib.* 3. *cap.* 70.) præcipua est bonitas lanæ Anglicanæ: cujus qui rationem arcessunt à pabulis minus lætis, tueri se possunt Marone, qui læta opiliones pabula fugere jubet. *Georg. lib.* 3. Sanè è solo parum fertili lanam reddi subtiliorem, Cardani etiam judicium est, *lib.* 10. *Subtilitatum, qui est de animalibus perfectis.* Addunt alteram item rationem, quòd eâ regione oves vix bibant, sed ad sitim extinguendam, cœlesti ferè rore sint contentæ. Regio est quocunque anni tempore temperatissima. Quippe hyemes non illic pro plagâ & Septentrionis viciniâ asperæ, cùm vehementer Gallicam oram quatiant, quâ Britanniæ adversa est, multoque rigidius Batavorum cœlo incumbant. Cœlum crassum, in quo facilè nubes, imbres, ventique coguntur. Atque eò minus frigoris, æstusque propter aëris densitatem. Unde Minutius Felix, cùm docet Divinum Numen suâ providentiâ, non solùm universitati, sed & partibus consulere; *Britannia*, inquit, *Sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur.* Quin & Strabo *lib.* 4. in Britannia sereno etiam cœlo aërem caliginosum esse scribit, ὥστ' ἐν ἡμέραις ὅλαις

ἐπὶ

ἐπὶ τρεῖς μόνον ἢ τέτλαρας ὥρας τὰς περὶ τὴν μεσημβρίαν ὁρᾶσθαι τὸν ἥλιον. Quò etiam ſpectaſſe videtur Ceſcennius Gætulicus, poëta vetuſtus, cùm de Britannia cecinerit:

Non illic Aries verno ferit aëra cornu,
Gnoſsia nec Gemini præcedunt cornua Tauri:
Sicca Lycaonii reſupinat plauſtra Bootes.

Cæſar etiam, *Loca ſunt in Britannia*, inquit, *temperatiora, quàm in Gallia, remiſsioribus frigoribus.* Cornelius item Tacitus; *Aſperitas frigorum abeſt.* Hactenus I. Lloydius. Sub tot olim principibus Anglia fuit, quot ibi nationes: Primus Romanorum Julius Cæſar in hanc Inſulam delatus, incolas crebris victoriis perculit, parte Galliæ viciniore ſubjugatâ. Claudius poſtmodum ulterius progreſſus, majorem ejus partem ſibi ſubjecit, totâ à Domitiano demum occupatâ. Sub his itaque fuit uſque ad Theodoſium minorem, cujus tempore Picti, occaſione militum in Galliam evocatorum, & negatæ ab Ætio opis, licet flebilibus hiſce literis imploratæ: *Ætio ter Conſuli gemitus Britonum. Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros; Inter hæc oriuntur duo genera funerum: aut jugulamur aut mergimur.* Beda *lib.* 1. *hiſt.* P. Diacon. *lib.* 14. Polydor. Virg. *lib.* 3. Circa An. C. 430. 446. pulſis ex parte priſcis incolis, & in Galliæ eam partem, quæ poſtea Britannia Aremorica ab iis dicta eſt, ejectis, terrâ potiti ſunt. Poſtmodum iterum ſub variis Regulis Anglia fuit, miſerè à Danis lacerata aliiſque, donec ſub Egberto, ſec. 9. uni iterum ſubeſſe cœpit, cujus poſteri regnarunt uſque ad Guilielmum Conqueſtorem, qui, ab Eduardo ſcriptus hæres, victo Haraldo, Angliæ regnum in Normannicam familiam, in qua hodieque durat, tranſtulit, Anno 1066. Auctoritas Regum à Parlamento limites accipit; Hodiernus Rex Sereniſſimus eſt Carolus II. filius Caroli I. inaudito ſcelere capite truncati, Anno 1649. poſt cujus mortem, 40. Conſiliarii electi, ſub capite uno Cromvello, qui *Protectoris* ſpecioſo nomine aſſumpto, ſummæ rerum per integrum decennium præfuit: Sed Generalis Monckii, poſt hujus mortem, prudentiâ & fide, ad legitimum hæredem è Belgio Fœd. revocatum, regnum rediit, Anno 1660. Prima omnium Eur. provinciarum publicè Evangelium recepit, doctore uſa Joſepho Arimathæo, cui, ſub Nerone, circa An. C. 60. in Inſulam delato Arviragus Rex parum terræ, cum ſociis, ad inhabitandum dedit. Polydor. Virgil. *Hiſtor. lib.* 1. *&* 6. Anno dein 174. Fugatius & Damianus, ab Eleutherio Epiſc. R. ad preces Lucii Regis miſſi, hunc cum tota domo & populo univerſo baptizarunt. Idem *lib.* 2. Tum Archiepiſcopi 3. & Epiſcopi 28. in Archiflaminum Flaminumque locum ſurrogati, prophanoque Deorum cultu ſublato, templa Chriſto dedicata ſunt. Sub Diocletiano, graviter preſſa Eccleſia, unà cum reliquis, quarum mentio, in Epiſtola Synod. Athanaſii, apud Theodoretum *lib.* 4. *cap.* 3. Reſpiravit ſub Conſtantinò Magno, qui patri, Eboraci mortuo, à militibus, in imperio ſuffectus eſt, Anno 306. Infelix Pelagii mater, qui anno 400. pacem ſacram turbavit: à Scotis & Pictis non parum afflicta, anno 430. à Saxonibus Anglis è Germania advocatis, levamen primò ſenſit. Polydor. Virgil. *lib.* 3. Beda *Hiſtor. lib.* 1. Paul. Diaconus, *lib.* 14. Mox his imperio inhiantibus iterum inquieta fuit, ſed ſub Uterio Pendraco, cùm Germanus Epiſcop. Britannos educens, ter cantaſſet canticum Alleluja, hoſtes fugati. Polydor. *Hiſt. l.* 3. & 4. Ethelbertus dein An. 597. Berthæ conjugis pietate, & Auguſtini monachi prædicatione motus, fidem quoque amplexus eſt, cum plurimis Saxonibus: qui cùm ſubjectionem Gregorio Magno negaſſent, ab hoc, per Ethelredum Northumbriæ Regem, miſerè tractati ſunt, Gilfridus *lib.* 8. *de geſtis Britan.* Sub Edualdo quoque Ethelberti fil. apoſtata, perſecutio orta, Anno 616. Beda *Hiſt.* Polydor. *lib.* 4. Sed Eduinus, ab uxore ſua, filia Edualdi, converſus, Archiepiſcopatum Eboracenſem inſtituit, An. 621. eandemque fidem Oſwaldus R. magno zelo propagavit, Epiſcopis ex Scotia vocatis, quorum conciones Anglicè tranſtulit, Anno 634. Beda. Cerdvalla poſtea Veſt Saxonum Rex ſacro quoque fonte initiatus eſt, 639. Vigbertus in Germaniam hinc conceſſit Anno 686. à Radbodo, Friſone, quòd ſtatuam Jovis & Foſtæ evertiſſet, interfectus, Idem *lib.* 5. Sigebertus *Chron.* Interim non parum ſuperſtitionis veræ religioni, jam aliquandiu admiſceri cœpit: Unde regnum Papæ vectigale ab Ina factum, An. 725. Polydor. *l.* 4. & in Germania, à Bonifacio Anglo, utrumque ſedulò propagatum eſt, circa An. 739. Pap. Maſſonius *in Hiſtor.* Egberto, qui multitudini regnorum fine impoſito, toti Angliæ præeſſe cœpit, regnante, irruptione Danorum, novæ turbæ, urbes exciſæ, templa everſa, &c. An. 827. Polydor. *lib.* 5. Camden. *in Brit.* Sed eo victore, rediit tranquillitas: quemadmodum & fil. Edelvolphus Normannos repulit, Polydor. *l.* 5. at Leoni 4. Papæ regnum denuo tributarium reddidit. Idem. Poſt hæc, Alfridus, frater Ethelredi, ab Hadriano 2. P. unctionem & coronam primus accepit, inde *Papæ adoptivus filius* dictus, An. 872. à quo ad an. 1538. quo Henricus 8. jugum Papale excuſſit, numerantur anni 666. Cœlibatus Sacerdotum, ab Odone Cantuarienſi Arch. & Dunſtano, Præſule Glaſconenſi, cùm fabula de Gabriele Angelo 12. articulos contra conjugium ſacerdotum afferente, non valuiſſet, brachio Eadgari R. obtruſus, & Presbyteri uxorati ex Collegio Vintonienſi ac Vigornienſi pulſi ſunt, An. 960. Idem *lib.* 6. Similiter & an. 1018. ſacerdotes uxorati, à Canuto, ex templo Burienſi ſunt ejecti. Idem *l.* 7. Hiberniâ legi huic fortiter renitente, Baron *in Annal.* Cumque Vilhelmus Conqueſtor, poteſtatem uxores habendi Presbyteris denuo conceſſiſſet, Anshelmus Epiſcop. Cantuar. Synodo Londini coactâ, An. 1064. id de novo prohibuit. Idem *l.* 9. Imo ibidem Synodo celebratâ, præſente Johanne Cremonenſi, legato Pontif. conjugium Sacerdotum, rurſus damnatum eſt: Sed hic ipſe, in meretricio interceptus, confuſione plenus domum rediit, An. 1123. Polyd. *l.* 11. Seculo eodem Eum Brito, Chriſtum ſe finxit. Sigon. *l.* 11. ad an. 48. Henricus 2. ob interfectum Thomam Cantuar. Arch. juſſu Calliſti Papę, virgis cæſus eſt. Matth. Pariſ. *in Henr.* 2. Verùm ab Albigenſium quibuſdam huc delatis doctrinæ purioris aliquis radius tum affulſit, quorum 30. cum Doctore Gerardo cæſi flagris, fameque & frigore necati ſunt. Nic. Harpsfeld. *Hiſt. Eccl. Angl.* ſec. 12. c. 36. Et Richardus R. Epiſcop. Belluacenſem captum Papæ repoſcenti, loricam ejus miſit, Matth. Pariſ. *in Hiſt. Ang.* Polyd. *l.* 14. Johannes quoque cum Pontifice, ob creatum Archiepiſcop. ſine hujus ſcitu, diſſedit: at excommunicatus rapinæq; Gall. Regi expoſitus reſignavit coronam in manus Papæ, ob id à ſubditis contemtus. Matth. Pariſ. *in Joan.* Polyd. *l.* 15. Blondus. *dec.* 2. *l.* 6. Ant. Flor. *par.* 3. *tit.* 19. §. 5. Exactionibus hinc Honorii inprimis 3. exhauſtum regnum, Joh. Baleus *lib.* 7. Matth. Pariſ. *in Henr.* 3. militum 60000. Gregorii 9. ſolicitatione in Orientem miſit. Nihilominus Richardus Innocentio 4. contra Conradum magnis promiſſis evocatus, non paruit: Et Robertus Epiſcopus Lincolnienſis *Romanorum malleus ac contemtor*, eodem tempore, dici meruit. Idem *ibid.* Sub Alexandro 4. iterum tantopere preſſa Anglia eſt, ut *venderentur Prælati, ſicut boves & Aſini*: Joh. Balæus *l.* 6. *act. Pontif.* ex Pariſ. verum & tum, Ruſtando Legato dicenti, Eccleſias omnes eſſe D. Papæ: reſpondit quidam Anglus: *Verum eſt, tuitione non fruitione: defenſione, non diſsipatione.* Clementi dein 4. Occamus, ex hoc regno, reſtitit, apud Ludovicum Bav. Imper. gratiâ valens. Gregorium verò 11. Eduardus 3. inveſtiturâ, decimis, & nummo Petrino privavit: Johanniſque Viclefi zelo, qui ſub ipſo, voce ſcriptoque, veritati teſtimonium perhibebat, minimè adverſatus eſt. Hinc Procerum etiam multi, in Viclefi partibus, Joh. Baleus *in Hiſtor. Pontif.* Polyd. *lib.* 19. Hunc tamen pepulit Richardus 2. qui inde in Bohemiam ſeceſſit, poſtea revocatus. Iidem: cujus oſſa poſt an. 40. juſſu Martini 5. exhumata & combuſta. Diſputationi anno 1431. coram Jagielone Pol. R. Cracoviæ inſtitutæ interfuit, inter alios, Petrus Anglus, & partes Huſſi tutatus eſt. Laſicius *lib.* 1. *de geſtis Fr.* Poſteri quoque Viclefi, hujus veſtigiis cum zelo inſtiterunt, multa ac gravia paſſi. Tandem Evangelii luce, paſſim locorum, ſeculo 16. pleniſſimè erumpente Henricus 8. primò quidem contra Lutherum ſcripſit, titulo *Defenſoris fidei* ob id, à Clemente 7. donatus, pòſt cùm ab eodem diris devotus eſſet, ob divortium, Ordinum regni decreto, auctoritatem Pontificiam per regnum abrogavit, tributo annuo negato, Monachiſque ejectis: interim & hic in Evangelicos ſæviit, Thuan. *Hiſt. lib.* 1. At ſub Eduardo 6. ope Thomæ Crammeri, Hopperi, &c. pura religio inducta, evocatique in Angliam Petr. Martyr, Mart. Bucerus, Paul. Fagius & Johannes à Laſco. Nec Mariæ reginæ, quæ fratri ſucceſſit, ſævitia naſcentem Eccleſiam extirpare potis fuit. Eliſabetha enim, hujus ſoror, è carcere in thronum ſublata, Mariâ poſt breve imperium mortuâ, ſub auſpicia regni, *quatuor nobiliſsimos captivos*, Evangeliſtas indigitans, *liberos ſe pronunciare*, in Ordinum regni conventu, profeſſa eſt, Verulam. & pulſo, quidquid puriori doctrinæ hactenus adverſum fuerat, toto regno Evangelium propagavit. Cujus veſtigia ſucceſſores feliciter hactenus preſſere, &c. Plura volenti, de Angliæ ſitu & diviſione, conſulatur Cluver. *introd. Geogr. l.* 2. *c.* 23. De ſoli hominumque indole, Polydorus Virgil. *lib.* 1. Lesleus *de orig. Scotorum.* De regimine, Tacit. *in Annal. & Agricola.* Cæſar *Comment.* Polydor. Virg. Salmonetus, Camdenus. De religione incolarum, Beda *lib.* 1. *Hiſt Angl.* Polydor. Greg. *lib.* 5. *epiſt.* 52. *& ſeqq.* Buchananus *hiſt. Scot.* &c. De Conciliis tandem inibi celebratis, Morer. *in Diction. hiſt.* Adde Spaadum *deſcr. Angl.* Guil. Malmesburium, Rog. Hovedenum, Henr. Huntingdonium, Ethelvedum Ingulfum, Guil. Nebriſſenſem, Joh. Aſſer, Matth. Pariſienſem, Thom. Walſinghamum, Th. Morum, Mat. Weſtmonaſterienſem, Ranulfum Ceſtrienſem, Joh. Froiſſardum, Greg. Lilium, Rich. Grafftonum, Duchenium, Camdenum, &c. Gildas Sap. & Ponticus Virumnus *Hiſt. Britonum* ſcripſere. Balæus, Lelandus, Pitſeus *de ill. Angl. Script.* Vid. quoque *Britannia.*

Anglia nova, regio Americæ Septentr. ad Mare Boreale, inter nov. Franciam & Nov. Belgium dicta *Virginia*, vel à Rege quodam gentis Viguina, vel à Regina Elizabetha. Præcipuas urbes habet Pomejok & Secota. Cluver. *l.* 6. *Indic. itiner.* Vide *Nova Anglia.*

Anglona, Urbs Lucaniæ epiſc. hac tempeſtate everſa.

Angluſa, oppidul. Galliæ, in Bria provincia, ubi Anga fluv. cadit in Albam fluvium, qui 3. leucis infra in Sequanam ſe exonerat.

Angola, Regnum Africæ meridion. in Æthiopia, quod dividit linea à Sinu vel Portu Vaccarum, versus orientem ducta. Et hæc est ejus pars Septentrionalis: à portu Vaccarum usque ad promontorium Nigrum, in littore maris, numerantur 220. milliaria: in quibus comprehensa regio multis sub st Regulis, Angolæ regi vasallis. Hinc ducta linea obliqua versus orientem per montes, qui *Frigidi* dicuntur, & paulò altius versus æquinoctialem per Niveos, desinit juxta montium crystalli radices. Olim Rex ejus vasallus fuit regis Congiani, quo tempore *Abonda* dicta erat, sed non solùm arripuit dominium provinciæ, cujus erat administrator, verùm & circumjacentes populos sibi subditos reddidit, ita ut nunc sit rex potentissimus, nec Congiano inferior, unde ei etiam, cùm libet, tributum aut pendit, aut denegat. Metel. Regio est dives & nota Europæis. Ejus primaria urbs Fanum S. Pauli in Ins. Loanda, in ora Oceani, cum portu percommodo; subest Lusitanis, cum ea parte, quæ argentifodinis inclyta est, inter quas Montes de Cambambe eminent, Vid. Jarric. *l.* 3. *cap.* 6. Pigafett. *l.* 1. *c.* 7. urbem præcipuam nominat Cabazzam. Alii Regem ordinariè Dongi sedem habere asserunt.

Angolus, Vid. *Angelopolis*.

Angotinum, Regnum Africæ, cum urbe cognom. ad Abanbum fluv. in Æthiopia super. seu Abyss. inter Azugam Urbem in merid. & Beleguanze, in Bor.

Angra, Urbs Ins. Terceræ, una ex Azoribus, versus Africam, in Oceano Atlant. Episc. Paret Lusitanis, cum tota Ins. in cujus est parte mer. Parva & munita, cum arce ampla *S. Philippi* dicta.

Angria, Westphaliæ pars, ubi nati Hengistus, & Horsus. Sepultus autem Witikindus Dux, Saxo ille percelebris, cum quo Carol. M. tamdiu dimicavit, Christianus tandem effectus.

Angrivarii, Germaniæ pop. Ptol. & Tac. potens Saxonum Dynastia, ad Luppiæ fluv. caput; quorum op. *Angermund*, & *Engern*, vel *Engerhen*, dicitur. Dicti quasi *Angreiffer*.

Angrus, fluv. Illyrici in Boream fluens. Herod. *lib.* 4.

Anguifer, & *Anguitenens*, sidus cœleste, de quo sic Columella *lib.* 1. *cap.* 2. *Anguifer, qui à Græcis* Ὀφιοῦχος *dicitur: manè occidit, tempestatem significat.* Et ante eum Tullius *de Nat. Deorum: Atque hæc quidem à tergo, propter caput autem Anguitenens,*

Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graji.

Vide Hyginum, *in signis cœlestibus*.

Anguigena, populi non procul ab agro Priapensi, quos antiqui finxerunt cognationem quandam cum serpentibus habere. Strabo *l.* 13. Ὀφιογενεῖς vocat.

Anguillara, opp. ditionis Pontif. in prov. Patrimonii, ad lacum Bracciacensem seu Sabbatium. Prope *Anone* rivum.

Anguillara, opp. & lacus Ital. in Patavino agro, ditionis Venetæ, prope Athesim fluv.

Anguitia, Vide *Angitia*.

Angulani, Italiæ pop. Plin. 3. 12. quorum op. *Angulus*, Ἄγγλος Ptolemæo, vulgò *Civita di sant Angelo*. long. 38. 10. lat. 42. 51.

Angurus, mons Scythiæ, juxta Istrum fluv. Apollonius *Argonaut. lib.* 4.

Angyrorum urbs, civitas in Ægypto. Ptol.

Anhaltium, castrum German. in Saxonia sup. ferè dirutum, à quo Regio circumjacens dicitur Principatus Anhaltinus. Cujus Urbes præcipuæ, Dessavia, Servesta & Bernaburgum.

Anholtium, opp. Comit. Zutphaniensis, in Belgio unito.

Ani, Lat. *responsio*, sive *canticum*, vel *afflictus*, vel *pauper*, nomen Janitoris & Cantoris. 1. Par. 13.

Ania, Romana mulier, quam cùm propinquus moneret, ut alteri viro nuberet (esse enim ei & ætatem integram, & faciem bonam) Nequaquam hoc faciam, inquit: Si enim bonum virum invenero, ut antè habui, nolo timere, ne perdam; sin malum, quid necesse est, post bonum, malum sustinere?

Aniaca, regio circa Armeniam. Cedrenus.

Aniam, Latinè *navis populi*, aut *dolor*, sive *fortitudo populi*. Filius Samidæ, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse. 2. Paralip. 7.

Anian, Regio Americæ Septentrionalis, ad ultimum usque Occidentis limitem pertingens, cœli inclementiâ, & nimiâ paupertate penuriâque cognita, hujus regni fines Boream versus excurrentes Arctico Circulo subjiciuntur, & nisi Oceani æstus impediat, Orientalibus Tartarorum Sinarumque terris conjungerentur. Anianiæ istæ angustiæ per Septentriones intra Arcticum circulum, ad Groenlandiam, Islandiam, Angliam ducunt. Metel.

Aniana, Mesopotamiæ urbs. Ptol. Item, Sinarum, in prov. Chuquami.

Aniana Therma, balnea Campaniæ inter Bajas & Cumas, quorum aquæ multis sunt morbis salutares. *Bagni di Agnano* hodiè teste Scipione Mazzellâ.

Anianum fretum, fretum celeberr. Oceani Septentr. Quod hodie creditur esse inter Insulam Californiæ, versus Americam & nov. Albionem, seu potius terram Esonis. De nov. enim Albione nihil certi.

Anianus, Patriarcha Alexandrinus, per 22. an. Euseb. *in Chron.* Baronius A. C. 64. & 87.

Anianus, Monachus Ægyptius, sub Arcadio Imper. Chronologiam scripsit. Item, Alius, qui Alarici Visigothorum R. auspiciis, in epitomen redegit 16. libros Codicis Theodos. ab hoc Principe publicatam, . Febr. An C 506. & primas 8. homilias Chrysostomi *in Matth.* ab Orontio Ep. rogatus, Latinè reddidit. Item Flander, Chronica scripsit, sec. 15. Voss. *de hist. Gr. lib.* 2. *c.* 20. *& de Lat. lib.* 3. *c.* 6.

Aniava, promontorium celebre in terra Esonis, quæ vulgò *Terre d'Oeso*, in Asia, supra Japoniam, in Septentr. Batavis *Aniva*.

Anicetus, Syrus, post Pium, Papa, An. C. 163. cum Polycarpo de celebratione Paschatis convenire non potuit, Gnosticos in Eccles. Rom. irrepere doluit, martyrio coronatus, Papatus anno 8. Euseb. *hist. l.* 4. *c.* 13. *& l.* 5. *c.* 24.

Anicetus, Libertus pueritiæ Neronis educator, classis apud Misenum præfectus, qui inventor navis solutilis, quâ Agrippina effunderetur in mare ac casu periisse crederetur. Post interficiendæ matris scelus jubente Nerone, suscepit in se. Iterum cùm justa repudii causa cum Octavia à Nerone inveniri non posset, adigente eo, adulterium illius confessus est: Præmii loco secessus abundantes in Sardinia largitus est Nero, ubi fato quoque obiit.

Anicetus, Polemonis libertus, regiæ quondam classis præfectus; postquam regnum in formam provinciæ vertit, mutationis impatiens, Vitellii nomine adscitis gentibus Ponti accolis, Trapezuntem irrupit, cæso ibidem præsidio: Classem dein incendit. Quem Virdius Geminus, in ostio Cohibi assequutus, ab Rege Sedochezorum deditione accepit. Tacit. *Hist. III.* 47. 48.

Anicha, gens Indica. Ptol.

Anicia, familia celeberrima. De Viris V. *in Anicii*. Fœminas habuit illustrissimas; Julianam & Demetriadem, Hieron. epistolis celebratas. Quarum mater Proba Falconia, cognom. *Anicia*, Centonis Virgiliani de Jesu Christo author. Chrysost. Hieron. Augustinus &c. Tomo 8. Biblioth. Patrum, *edit.* 2. sub nomine *Proba*.

Anicii, florentis jam olim Reipub. Roman. temporibus, clari atque illustres habiti sunt. L. enim *Anicius* Gallus Lucii filius, Marci nepos de Illyriis, & eorum rege Gentio triumphavit, Proprætor an. urb. 585. Et L. *Anicius* Gallus, Lucii filius, Lucii nepos, Consul fuit cum collega Corn. Cethego an. urb. 593. *Anicius* Cerealis sub Nerone Consul designatus fuit. Ex ea familia primus ille Christianus senator *Anicius* Julianus. Ex ea V. C. Probus sub Valentiniano præfectus prætorio; de quo videatur Paulinus, *in vita Ambrosii*. Ammianus *lib.* 27. *c.* 28. ejusque filii *Anicius* Hermogenianus, Olybrius, Probinus & Probus, quorum duo priores unà Consules fuere, An. C. 395. sub initio imperii Arcadii & Honorii, à Claudiano Poëta insigni carmine laudati. Ex ea *Anicius* Faustus, *Anicius* Maximus, Boëtii ætate, omnes diversis temporibus consules, cæterique plures, quos recensere singulos, operæ longioris esset. Nomen autem hoc, Boëtii præsertim seculo, celebratum est, ob *Anicium* illum Julianum, qui, quemadmodum Flavius Constantinus primus Imperatorum; ita primus senatorum Romanorum Christianus fuit. Unde posteà omnes ferè Impp. *Flavii*, sicut & senatores *Anicii*, affectatâ primariâ illâ familiâ cognominabantur; ut Romanorum Græcorumque Fasti annotant, & vetera monumenta loquuntur. Aniciorum, Proborum scilicet & Olybriorum splendorem, Secundinus ad D. Augustinum scribens notat, cùm ait, *Ego namque fateor, non tali diligentiâ nec tantâ industriâ Anicianæ domus micare marmora, quantâ tua scripta eloquentiâ.* Quod & S. Gaudentius *sermone de Macchabæis*, confirmat. *Anicios*, inquit apud Cassiodorum (*epist.* 11. *lib.* 10.) rex Theodahadus, *penè principibus pares ætas prisca progenuit. Familiam*, inquit paulo pòst (*epistolâ sequenti*) *toto orbe prædicatam.*

Anicium, Galliæ urbs, quæ & Podium, Episc. immediatè sub Pontifice, vulgò *Le Puy* vocatur. Sunt qui *Avitium* scribendum velint. long. 24. 40. lat. 43. 28. Prope Ligerim fluv. in monte sita est, Velaunorum caput. Episcopus, qui Comes est Velaunensis, jus pallii, & olim quoque monetæ cudendæ habuit. V. Cæsar *lib.* 7. *de bello Gall.* Strab. *l.* 4. Gregorium Tur. *l.* 10. *c.* 25. Sidonium Apollinar. *in epist.* Duchenium, *de Urb.* In hac urbe, concilio ab Aquitanis Episcopis celebrato, An. 1130. damnatus Anacletus Antipapa, Innocentius autem II. confirmatus est. Baronius *in Annal.* & Tom. 10. Concil.

Anigrus, Thessaliæ fluvius, *Aniger* Vibio Sequestri. Hujus meminit Ovidius *Met.* 15.

Antè bibebatur, nunc, quas contingere nolis,
Fundit Anigrus aquas, postquam (nisi vatibus omnes
Eripienda fides) illic lavere bimembres
Vulnera, clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.

Hinc *Anigriades nympha*, Pausaniæ ac Straboni.

Anim, Lat. *respondentes*, sive *cantantes*, aut *afflicti*, sive *pauperes*, Nomen civitatis. Josuæ 15.

Anima-

Animaca, fluv. Asiæ, in India, & reg. Malabaria. Oritur in regno Calecuti, & in Oceanum influit. Opp. rigat cognomine.

Animotha, Arabiæ urbs. Lib. Notit.

Anina, urbs Indiæ extra Gangem. Ptol.

Aninacha, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Aninsula, vulgò *S. Carilefo*, pag. seu cœnob. Gall. Celt. in finibus Cœnomanorum, apud Vindocin. Urbem & Ledum fluv. Ubi S. Carilefus eremita prius, mox Abbatem egit. Masson.

Anio, sive *Anien*, vulgò *Teverone*, nobilis Italiæ fluv. in montibus Trebianorum nascens, Tiburtinum agrum irrigans, ubi è sublimi in subjectam vallem magno impetu delabens efficit catarractam, deinde per plana fluens tres nobiles lacus secum in Tiberim defert. Dixi *sive Anien*, idque authoritate Statii *Silv.* 1.3.

Ipse Anien (miranda fides) intraq; superq;
Saxeus, hic tumidam rabiem, spumosaq; ponit
Murmura. ——— ——— ———

Nomen autem accepisse putatur, ab *Anio* Hetruscorum rege, qui insequens Cethegum filiæ suæ raptorem, cùm eum assequi non posset, in hunc fluvium insiluit, &, ut *Anio* vocaretur, effecit. Horat. *lib.* 1. *Carm.*

Et praeceps Anio, & Tyburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Propertius *lib.* 4.

Ramosis Anio quà pomifer incubat arvis.

Virg. *Æn.* 7. ——*Gelidumq; Anienem, & roscida rivis*
Hernica saxa colunt.

Strab. *l.* 5. Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ ὁ Ἀνίων διέξεισι, καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρά. Plinius etiam ait, hunc fluvium efficere lacus tres nobiles amœnitate, *lib.* 3. *cap.* 12. Silius Italicus *lib.* 1.

Ac gelidis Anio trepidabat cærulus undis.

Idem *lib.* 12.

Sulphureis gelidus quà serpit leniter undis,
Ad genitorem Anio labens sine murmure Tibrim.

Propertius *lib.* 3. *Eleg.* 20.

Hic Anio Tiburte fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, & æternum Martius humor opus.

Hinc *Anienus* adjectivum. Virg. l. *Georg.* 1.

Unde pater Tiberinus, & unde Aniena fluenta.

Propert. 1.20. *Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes.*

Ubi *Amerina* legit Scaliger ex vet. lib. & lacum Vadimonis intelligit. Sed *Aniena unda* Propertius ipse meminit, *eleg.* 14. *lib.* 3.

Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.

Statius *lib.* 4. *Silvarum:*

——*Anienaq; frigora captant.*

Hinc *Anienus*, Deus ipse fluvii Anienis, ut *Tiberinus* Tiberis. Propertius *lib.* 4.

Accessit ripis laus, Aniene, tuis.

Statius *lib.* 1. *Silv.* in Tiburtino Manlii:

Illis ipse antris Anienus, fonte relicto,
Nocte sub arcana glaucos exutus amictus.

Hinc demum *Anienicola*. Silius *lib.* 4.

Quosq; sub Herculeis taciturnus flumine muris
Pomifera arva creant, Anienicolaq; Catilli.

Anisena flumina, apud Ovid. *Fast.* 4. Sed locus est corruptus, lege *Amenana*, & vide *Amenanus*.

Anisis, qui & *Asychis*, Ægyptiorum rex à sacerdotibus designatus, regn. an. 6.

Anistis, Lacon, Alexandri M. cursor, à Sicyone Elim usque mille ducenta stadia uno die percurrit. Solinus.

Anisus, Austriæ fluvius, hodie *Ens*, Rhenanus.

Anitha, Arabiæ Petreæ urbs. Ptol.

Anitia, al. *Lentia*, *Lenza* fluv. Italiæ, in Longob. Oritur ex Apennino, caditque in Padum, prope Brixellum, dividitque Ducatus Parmensem & Mutinensem.

Anitius, Ædilis Curulis. Plin. 33.1.

Anitius Faustus, Cos. Rom. Galli collega. Horum tempestate se, ut Deum, honorari Diocletianus jussit. Eusebius.

Anitius Paulinus, Cos. Rom. Ceionii Juliani Camœnii collega.

Anitius Paulinus, Junior, Cos. Rom. Pub. Optatii collega.

Anitius Rufinus, Cos. Rom. Acilii Severi collega.

Anitorgis, urbs Hisp. Tarraconensis Livio, ad quam inter Scipiones, & Asdrubalem pugnatum est; Ea aliquibus *Concha* esse videtur, aliis *Albaracinum*.

Anius, locus Puteolis vicinus, hodiè *Lago Sudatorio* dicitur.

Anius, Apollinis fil. ex Rhea, & Rex in Delo; habuit Andrum filium. Virgil. 4. *Æn.*

Rex Anius, rex idem hominum Phœbiq; sacerdos,
Vittis & sacrâ redimitus tempora lauro
Occurrit. ——— ——— ———

Ubi Poëta Anium, Deli insulæ Regem Sacerdotemq; inducit. Servatum hoc priscis gentibus, ut earum Reges, sacerdotes quoque essent. Quod de Rege Romulo scribit Cic. *lib.* 1. *de Divinatione*: *Hujus urbis parens Romulus, non solùm auspicatò urbem condidisse, sed ipse etiam optimus Augur fuisse traditur.* Ubi latè probat, Reges olim omnes ac principes claruisse dignitate auguratus, quæ res semper ad sacerdotes pertinuit, & signatè ait, principum liberos sex apud Romanos traditos in disciplinam Etruriæ populis, ut artem vaticinandi addiscerent, ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis authoritate abduceretur ad mercedem & quæstum. Dionysius etiam Halicarn. *lib.* 2. ubi describit constitutionem regni factam à Romulo, ita ait: Βασιλεῖ μὲν οὖν ἐξῄρετο τάδε τὰ γέρα. Πρῶτον μὲν ἱερῶν καὶ θυσιῶν ἡγεμονίαν ἔχειν, καὶ πάντα δι' ἐκείνου πράττεσθαι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια. Deinde latè persequitur, quæ pertinent ad civilem administrationem. Non solùm autem hoc in usu Romanis, sed a[...] quoque, ut Palæstinis, ut Ægyptiis &c. De Palæstinis Xiph[...]us, *in Pompejo*: Ἦρχον δ' αὐτῶν Ὑρκανός τε, καὶ Ἀριστόβουλος ἀδελφοί, καὶ ἐτύγχανον ὑπὲρ τῆς τοῦ σφετέρου θεοῦ, ὅς τίς ποτε οὗτός ἐστιν, ἱερωσύνης διαφερόμενοι. Vid. etiam, de hâc eadem re, Justinum *lib.* 36. loquentem de sacerdotibus & regibus Judæorum. De Ægyptiis Plutarchus *lib. de Iside & Osiride:* Οἱ βασιλεῖς, καὶ ἱερεῖς ὄντες. Inde est, ut avocatis jam regibus ab administranda religione, Reguli, authore eodem Plutarcho, sacrorum & religionis curam susceperint. Quæ nota Plutarchi utilis est, interest enim juventutis scire, cur, qui sacris præsunt, *Reguli* Latinis auctoribus dicantur. Sed ad *Anium* revertamur. Eum autem Delo imperasse Dionysius etiam narrat *lib.* 1. *Rom. Ant.* ac Trojanos, duce Æneâ, eò appulisse: Ἐκ δὲ τῆς Παλλήνης ἄραντες οἱ Τρῶες, εἰς Δῆλον ἀφικνοῦνται, βασιλεύοντος αὐτῆς Ἀνίου. Vide Cæl. Rhod. *lib.* 7. *c.* 15 Cæterùm *Anius* non solùm vir & Rex fuit, verùm etiam Deus habebatur. Clemens Alex. Ἄνιος, δαίμων ἐπιχώριος παρ' Ἠλείοις, ubi Canterus Δηλίοις legit: Dicitur autem ab ἄνω, & cum Ὑπερίονος nomine convenit, à mundi lustratione dictus, teste Nannio *in Miscellaneis*. Porro *Anium* sic vocavit mater παρὰ τὴν ἀνίαν, inquit Etymologus; vel διὰ τὸ ἀνιαθῆναι δι' αὐτὸν, ut scribit Isacius, *in Lycophronem*. Nam ex Apolline gravida, ut fabulantur, & è paternâ domo pulsa, eum post multos errores peperit, in antro Eubœæ. Ἀνία autem Phœnicibus est עני *ani*, quomodo etiam *afflictum* vocant. Plura de Anio vide apud Diodorum Sic. *l.* 5. *p.* 229. Nos ex fabulis hoc solùm addemus, hunc Anium, ductâ Dorippe, genuisse tres Oenotropas, *Oeno, Spermo, & Elaidem*, quibus Bacchus id impertivit, ut quotiescunque vellent, pro nominum ratione, vinum, semina, & oleum consequerentur, easque cùm Agamemnon in expeditionem Trojanam illas invitas secum ducere vellet, Bacchi ope imploratâ, in columbas versas esse. Ovid. *Metam. l.* 13. *fab.* 4. Fabulæ occasionem dedit magna vini, frumenti & olei copia Anio sacerdoti Apollinis suppeditata. Nempe, ex omni terræ proventu, à cultoribus suis tria hæc exigebat *Diabolus*, *Dei simia*. Vide Deut. 18. [.]4.

Anna, Lat. *gratiosa*, sive *misericors*, aut *requiescens*, vel *donans*, altera uxor Elkanæ. 1. *Sam.* 1. Hebr. *Hanna*. Nomen item Prophetissæ cujusdam, de quâ sic D. Lucas *cap.* 2. Καὶ ἦν Ἄννα προφῆτις, θυγάτηρ Φανουήλ, ἐκ φυλῆς Ἀσήρ. Αὕτη προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς ζήσασα ἔτη μετὰ ἀνδρὸς ἑπτὰ ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς. Καὶ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, ἣ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν. De eadem hoc est testimonium S. Cyrilli Hierosolymit. *Cat.* 10. quòd fuerit mulier ἐγκρατής, εὐλαβεστάτη, καὶ ἀσκήτρια. Ubi primus character continentiam ejus, & castitatem vidualem denotat; quam per tot annos integram, illibatamque servaverat (septem nempe duntaxat annos cum conjuge post nuptias vixit, quo tempore maritus ejus, ut par est credere, moriebatur.) Secundus pietatem ejus respicit. Tertius, non solitariam, aut monialem vitam (quemadmodum ibi Latinus interpres falsò reddidit.) sed severam σκληραγωγίας observantiam, utpote quæ bis quâlibet septimanâ jejunaverit, precesque quotidianas tum publicè, tum privatim assiduè frequentaverit, prout olim Asceticis in usu fuit. Ita sese à curis, & negotiis mundanis subduxit, ut melius Dei cultui vacaret, ideoque sub horas precationis quotidie in templum ascendebat; Non quòd nunquam vel comederit, vel dormierit, vel quòd inibi semper ullo modo permanere potuerit; verùm quòd illic statis precationum temporibus Deum semper coluerit, posteaque domum suam redierit. Ita Apostoli, Luc. 24.53. διὰ παντὸς ἐν τῷ ἱερῷ fuisse dicuntur. Et Act. 1. 13. διαμένοντες ἐκεῖ, non quòd nunquam exinde abscesserint, sed, ut illic sequitur, ἦσαν προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ δεήσει.

Anna, Dea ab *annis*, quibus præsidebat, vocata, cui mense Martio privatim & publicè sacrificabatur, ut populo *Annare* & *Perennare* liceret. Fuit autem Beli filia, & soror Didonis, cui in fugâ comes fuit. Quæ, postquam mortuam sororem vidit, & Carthaginem ab Hiarbâ Gætulorum rege occupatam, relictâ sede patriâ, ad Battum regem, qui Melitæ imperabat, cursum arripuit: à quo jure veteris hospitii benignè suscepta, duos circiter annos ibi mansit. Sed, cùm Pygmalionem fratrem jam cum armis advenire didicisset, Battus veritus potentiam illius, Annam, ut inde abiret, hortatus est. Mox igitur mare ingressa, vi tempestatis acta, in Laurentem oram pervenit, ubi jam Æneas, paratis rebus, ac ductâ uxore Laviniâ imperabat, à quo benignè invitata in regiam cum eo profecta est: cui mox Lavinia tendere insidias cœpit. Sed Anna in somniis à Didone monita, ut infaustam domum relinqueret, statim per fenestram exiluit, cùmque citato cursu ad Numicium amnem pervenisset, in eum se præcipitem dedit. Ortâ deinde

luce, magno clamore eam quæritantibus apparent vestigia pedum,usque ad Numicium amnem.Unde Ovid.*Fast.*3.

——Placidi sum nympha Numici,
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.

Aliis autem *Anna* est Luna,tanquam ab *anno* dicta,ut quæ menses,& annos suo motu impleat. Aliis est Themis, aliis Jo, aliis una Atlantidum, quam Jovi ubera præbuisse volunt. Ovidius, ubi supra:

Sunt quibus hæc Luna est, quia mensibus impleat annum,
Pars Themin,Inachiam pars putat esse bovem.
Invenies qui te nymphen Atlantida dicant,
Teq; Jovi priscos, Anna, dedisse cibos.

Sed & eodem teste:

Orta suburbanis quadam fuit Anna Bovillis
Pauper, sed multæ sedulitatis anus.

Anna, Bernardi, Comitis Hohenbergensis Sueviæ fil. uxor Rodolphi 1. Imp. Obiit Anno 1281. Basileæ in Summi Templi adyto sepulta. Hæc nobilissimorum Austriæ Principum genitrix fuit, unde & præcipuarum per Germaniam domorum propagines exortæ.Vid.Urstis.*epit. Hist.Basil.c.*8.

Anna, fil. Francisci,ultimi Aremoricæ ducis, quæ cùm jam per Procuratorem nupsisset Maximiliano Regi R. An. 1491. ducta est à Carolo 8. Galliæ R. qui ejusdem Maximiliani filiam Margaretam, sibi desponsatam,Patri remisit. Quo mortuo, Lud.12. maritum nactus est; mater quidem egregiæ prolis, sed quæ brevis ævi. Obiit An.C.1514. æt.37.Historici Gall. *in Carolo* 8. *& Ludov.*12. Verulam. *in Henrico* 7.

Anna, fil. Moscoviæ R.*Henrici* 1. Gall.R. conjux.

Anna Austriaca, Lud. 14. mater.

Anna, mater Calo-Johannis,Imper.Constant.

Anna, fil.Johannis,Cypri R. quæ Ludovico Sabaudo nupsit, An.1426.

Anna, fil. Ludovici II. Caroli 8. fratris tempore, turbarum causa.

Anna,Sigismundi Bathorii uxor.

Anna Danica, Jacobi 1.M.Britann.R.uxor.

Anna Binsia,Antverpiana, vernaculo sermone poëmata scripsit à Guil. Euchario Gandav. Latine reddita. Albert. Miræus *in Elog. Belg.* Val. Andr.*Bibl.Belg.*&c. De hac Frid.Subertus ita cecinit:

Arte pares Lesbis Sappho, & mea Binsia, distant
Hoc solo, vitia hæc dedocet, illa docet.

Anna Bolena, uxor Henr. 8.Angliæ R capite minuta,&c.

Anna Comnena, fil. Alexii Comneni Imper. eruditione insigni præfulgens. Scripsit historiam Patris sui 15. lib.comprehensam, nuper à Johan. Gronovio publici juris factam. Vid.de illa Zonaram.

Anna Maria Schurmann, Virgo, genere, ingenio & multivariâ eruditione, nobilissima, natione Germana, Ultrajectinam Academiam,cujus natali, excellenti carmine, gratulata est, diu illustravit. Obiit ante paucos annos. Epistolas ejus in 4. lingg. exaratas Frid.Spanhemius edidit.

Anna Marquetia, Monialis Possiacena, Græcè Latineque docta, poëtria non incelebris, Ronsardi, Dorati,&c.tempore. Obiit An.1588.Lud. Jacob, *Bibl fœm.* Augustin. de la Chiesa,*Theat.des Dames Sça.*Hilario Costus,&c.

Anna, Urbs antiq. Arabiæ desertæ, ad Euphr. fluv. Mercatu prius celebris; sed deficit indies, variisque habitatur, cum arce in Ins. adjacente.Aliis in Mesopotam.est. Item,Portus in Amurgo, vel Mergo, Ægæi maris Ins. Natal. Metell.

Anna, civitas Judææ supra Hierichuntem. Steph.

Annaberga, Urbecul. Germaniæ, in Misnia provin. & monte *Schneberg*, versus Bohemiam.Juxta *Schop* amnem.

Annaciugi, pop. Americæ, in Brasilia Mediterr. versus præfecturam Portus securi.

Annacus, vir quidam, qui ann. 300. vixit. Vide Stephanum *in Iconio.*

Annaus Mella, vide *Mella.*

Annaus Seneca,vide *Seneca.*

Annaus Serenus,vide *Serenus.*

Annarus, rex Babyloniæ, qui tanti luxûs fuisse fertur, tamque gulæ deditus,ut stolâ muliebri amictus, mero, & unguento madens,150.psaltriis simul accubantibus,velut officina nequitiæ, magnis effusionibus cœnitaret. Alex.ab Alex *lib.*5.

Annas, id est, *affligens*, vel *humilians*, aut *respondens*, Pontifex Judæorum, socer Caiphæ.Luc.3.Vid.*Ananus.*

Annas Montmorantius, Dux, Par & Conestabilis Franciæ,sub Lud.12.Franc.1.Henr.2. Francisco 2. & Carolo 9. rebus præclarè gestis nomen Magni Ducis Exercitus adeptus. Obiit octogenarius,in prælio SanDionysiano, contra Principem Condæum, Reformatorum in Gallia hyperaspisten, An.1559. octo vulneribus confossus. Thuan. Francisc. du Chesne, Dupleix, Mezeray, La Serre,&c.

Annas, Dux Joinvillæ, Henrico 3. gratus, obiit in pugna Curtracensi, ab Henrico Navarræ R. qui postea Henr. 4. cum omnibus copiis, cæsus.An.1587.Thuan. *in Hist.*

Annas Burgius, agnatus Antonii Burgii, qui sub Francisco I. Galliæ fuerat Cancellarius; Senator Parisiensis, cùm Regem Evangelicos, à Valentina illa strige accensus, persequentem, unà cum collega Ludov. Fabro, in mitiorem partem inflectere vellet, ejus jussu, in carcerem conjectus, eoque in hastiludio paulò pòst occiso,An.æt.38. combustus est. Postquam seriò prius Judices monuisset, *Jam tandem ignes vestros & incendia compescite, atque ad Deum, emendatâ priore vitâ, mentes convertite, ut peccata vobis condonentur.* In ipsa morte, quam constantissimè pertulit, precatus est, *Deus mi, ne me derelinquas, ne ego te derelinquam!* Thuan. *l.*11.13.*&* 23.28.

Annas, vel *Annius* Viterbiensis.Vid.*Annius.*

Annatæ, dicuntur in Communione Rom. dimidium annui proventus, fisco Apostolico, ut vocant, pendi solitum, ab omnibus iis, qui sacerdotium, vel beneficium aliquod Eccles. consequuntur. Harum primus auctor Bonifacius IX. fuit, vel, ut alii volunt, Johannes XXII. Vid.Blondum & Platinam, qui addunt, inventum hoc Pontifices, non minus Christiani orbis, quàm Urbis dominos reddidisse. Polydorus Virgil.*l.*8.*c.*2. earum originem altius arcessit, etsi non neget, vectigal hoc à Johan. & Bonifacio supra dictis promulgatum & publicatum esse. Admiserunt tum hanc consuetudinem omnes,præter Anglos, qui id de solis Episcopatibus concessere. Damnatæ sunt postmodum in Basiliensi concilio *Sess.*21. Carolus 6. quoque Galliæ R. illas è regno exportari inhibuit, Paul. Æmil. *lib.* 10. *Histor.* Vid. plura apud Claudium Espensæum, *in Epist. ad Tit.cap.*1.*pag.*68. Guil. Budæum *lib.* 5. *de Asse.* Cardin. Cusanum *de Concord. Cathol. lib.*2 *cap.*40. Nicol.de Clemangis, Archidiaconum Bajocensem, *de Annatis non solvendis.* Duarenum *lib.* 1. *de sacris Eccles. Min.cap.*6. Tandem Marcum Ant. de Dominis, *lib.*9. *de Rep. Eccl c.*9. &c.

Annecium, urbs lepida Sabaudiæ Duc. & ampla, sed à paucis habitata, ad lacum cognom.Huc translata,sedes Episc. Genevensis, à pluribus annis. Ibi quoque requiescit Corpus Francisci de Sales, Episc Gen.

Annestus, vel *Annestum*, Arabiæ Felicis op. à Gallo deletum.Plin.6.28.

Annianus, Poëta Lat.sub Antonino & Adriano Impp.A.G.*l.*7. *c.*7.& *l.*20.*c.*8.

Annibal, Carthaginensium dux, Amilcaris filius, quem adhuc impuberem jurejurando ante aras pater astrinxisse fertur, ut quàm primum per ætatem liceret, arma contra Romanos sumeret.Sil. Ital. *lib.*1.

Olli permulcens genitor caput, oscula libat,
Attollitq; animos hortando, ac talibus implet.
Gens redeviva Phrygum Cadmæa stirpis alumnos
Fœderibus non æqua premit: si fata negarint
Dedecus id patriæ nostrâ depellere dextrâ;
Hæc tua sit laus, nate, velis: age concipe bella
Latura exitium Laurentibus: horreat ortus
Jam pubes Tyrrhena tuos, partusq; recusent
Te surgente, puer, Latiæ producere matres.

Quibus Annibal sic respondit:

Romanos terrâ,atque undis, ubi competet ætas,
Ferro, igniq; sequar, Rhœteaq; fata revolvam.
Non Superi mihi, non Martem cohibentia pacta,
Non celsæ obstiterint Alpes, Tarpejaq; saxa.
Hanc mentem juro, nostri per numina Martis,
Per manes, Regina, tuos.

Successit Asdrubali, an. æt. 26. statimque in Hisp. res feliciter gessit, Salamancâ Vaccæorum, & Sagunto post 7.mensium obsidionem captis. Gallos ad Rhodanum superavit; Alpes pervias fecit, *& Montem rupit aceto*, uti loquitur Juvenal. *Sat.*10. In Italiam venit, cum exercitu 90000.peditum & 12000.equitum, capto intra triduum Taurino,hic Scipionem vicit, Titum Sempronium Cos. apud Trebiam superavit; Flaminium Cos.ad Trasimenum lacum fudit, 15000. Romanorum cæsis. A Q. Fabio Maximo paulatim imminutus, postea,resumptis viribus, Paulum Æmylium, ac Terentium Varronem Coss. apud Cannas vicit, 40000.peditum,& 2700. equitum cæsis, tribusque ac dimidio modiis annulorum Carthaginem missis. Castris deinde prope Romam positis,

Nil actum est, inquit, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburrâ.

Tempestate autem coactus in Campaniam venit, cujus delitiis fractus, mox à Marcello apud Nolam victus,& audito, fratrem Asdrubalem à Cl. Nerone victum & occisum,gravissimè perculsus est. Postea à Sempronio Graccho, magnâ suorum clade repulsus, navali pugnâ, ad Eumenem victus venit. Deinde Carthaginem rediit, ut eam à P. Scipionis Africani obsidione liberaret, cum quo apud Zamam op.congressus 20000. Pœnorum amisit, ferè totidem captis. Ipse ad Antiochum fugit, à quo auxilium & vires sumpsit, cum quo etiam postremò superatus est. Cæterum à Romanis postulatus, apud Antiochum & Prusiam reges, ipsorum fidem suspectam habens, hausto, quod annulo inclusum

gestabat veneno, seipsum confecit. An. æt. 64. U. C. 571. A. M. 3871. ante C. N. 183. Quidam ferunt, lapidibus obrutum fuisse à Carthaginensibus, ob rem malè gestam; Livius verò scribit eum cruci affixum fuisse: Nicephorus Gregoras in Synesium *De Insomniis*: Ἀννίβας ὁ Καρχηδόνιος ἡττηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ἀφρικανοῦ Σκιπίωνος, ἔφυγεν ἐν Βιθυνίᾳ πρὸς τὸν Προυσίαν. Μετ' οὐ πολὺ δ' ἐκ τῆς Ῥώμης αὐτόθι ἐπιδημήσας Τίτος ὁ στρατηγὸς διὰ χρείας ἑτέρας, καὶ θεασάμενος τὸν Ἀννίβαν, καὶ τὴν δεινότητα, καὶ ἐμπειρίαν τοῦ ἀνδρὸς ὑποπτεύσας, μήποτ' αὖθις ἀνακάμψῃ πρὸς Καρχηδόνα καὶ Λιβύην, ἐμελέτησε λάθρα αὐτὸν πικρῶς ἀποκτεῖναι. Ὁ δὲ δι' ἐνυπνίων τινῶν γνοὺς ὁ Ἀννίβας, φαρμακοποσίᾳ ἑαυτὸν ἐξ ἀνθρώπων πεποίηκε. (Anglicè *made himself away*) Τελευταῖον δὴ τοῦτο εἰπών, Ἀναπαύσωμεν ἤδη ποτὲ τὴν πολλὴν φροντίδα Ῥωμαίων, οἳ δεινὸν ἡγήσαντο καὶ μακρὸν μισουμένου γέροντος ἀναμεῖναι θάνατον, ἀλλ' ὥσπερ ὄρνιν ἄπτηνα καὶ νώθρον ὑπὸ γήρως γενόμενον ἀποκτεῖναι ζητοῦσι πικρῶς. Juvenalis *Sat.* 10. *de Annibale*:

Exitus ergo quis est, ô gloria? Vincitur idem
Nempe & in exilium præceps fugit; atq; ibi magnus
Mirandusq; cliens, sedet ad prætoria Regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, non tela: sed ille
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor
Annulus. ——

De ingenio ejus Livius *lib.* 21. *cap.* 4. de excellentiâ ejus & auctoritate lege eundem *lib.* 28. *cap.* 12. Militarem peritiam & artem ita miratus est Scipio, ut omnium Ducum seu Imperatorum hunc primum, secundum Pyrrhum, tertium semet ipsum pronunciaret. Plut. *in Pyrrho.* Lucianus quoque, *in Mortuorum Dialogis*, Alexandrum, Annibalem, & Scipionem de primo loco inter Duces contendentes introducit. Verùm ibi primum locum Minos Alexandro, alterum Scipioni, tertium demum Annibali tribuit. Cor. Nepos de eo ita scribit, *in ejus vita*: *Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superavit, non est inficiandum, Hannibalem tanto præstitisse cæteros Imperatores, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. Nam quotiescunq; cum eo congressus in Italiâ est, semper discessit superior: Quod nisi domi civium suorum invidiâ debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem.* Silius Italicus *lib.* 1.

—— *Primus sumpsisse laborem,*
Primus iter carpsisse pedes, partemq; subire
Si valli festinet opus; nec cætera segnis,
Quæcunq; ad laudem stimulant, somnumq; negabat
Naturæ, noctemq; vigil ducebat in armis:
Interdum projectus humi: & postea,
—— *Tum vertice nudo*
Excipere insanos imbres, cœliq; ruinas.
Spectarunt Pœni, tremuitq; exercitus Astur,
Torquentem cùm telâ Jovem, permixtaq; nimbis
Fulmina, & excussos ventorum ex flatibus ignes
Turbato transiret equo: & postea,
Fœmineum putat invenià jacuisse sub umbrâ:
Exercetq; sitim, & spectato fonte recedit.
Idem correptis sternacem ad prælia frænis
Frangere equum, & famam lethalis amare lacerti:
Ignotiq; amnis tranare sonantia saxa
Gaudet, & adversâ populos arcessere ripâ.
Idem expugnati primus stetit aggere muri:
Et quoties campo rapidus fera prælia miscet,
Quà sparsit ferrum, latus rubet æquore limes.

Et sanè Horatius Annibalem non nisi ab adversariis fortibus & bellicosis vinci posse innuit, *in Odis.* Ait enim:

Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico,
Pyrrhumq; & ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemq; dirum.
Sed rusticorum mascula militum
Proles. ——

Ab eodem Horatio *perfidus*, & *parentibus abominatus* dicitur. Plura de Annibale vid. apud Corn. Nep. *in vita ejus.* Liv. Flor. Justin. Orosium, Diodorum *fragm.* Polybium, Appianum, Eutropium, Zonaram, *epitomen Virorum illustr.* quæ Plinio Jun. adscribitur.

Annibal, prioris Annibalis filius, ab Himilcone duce in Lilybæum, quod à Romanis oppugnabatur, ad Siculos in officio continendos missus est. Polybius.

Annibal, Rhodius, dux item Carthaginensis. Hujus meminerunt Xenophon, *lib.* 1. *Hist. Græc.* Diodorus, *lib.* 13. Trogus *lib.* 19. *cap.* 2. Mortuus est bello Siculo anno 1. Olymp. 93. Inter hujus obitum, & alterius Annibalis nativitatem, intersunt anni plus minus 160. Non potest itaque patruus fuisse magni illius Annibalis.

Annibal, fil. Gisconis, nepos Hamilcaris, à Gelone an. 274. U. C. victi, à Carthaginensibus, Egestanis auxilio missus, aliquot primò urbes cepit, sed mox ab Hermocrate, exule Syracusano, malè exceptus est, Diodor. Sic. *bibl. hist.* Justin.

Annibal, dictus *Senior*, in Sardinia à C. Sulpicio Paterculo, Cons. Romano superatus, paulo pòst classe insuper amissâ, à suis in crucem actus est. Vid. Liv. Polyb. Diodor. Justin. &c.

Annibalianus, vel *Anabalianus*, nepos Constantini Imper. & ductâ ejus filiâ, Ponti Rex, accusatus necis socero cum complicibus illatæ, & seditionis excitatæ, occisus est. Zosim. *lib.* 2. Ammian. Marcell. *Chronic. Alexandr.*

Annibi, montes & gentes in Sericâ regione. Ptol.

Annibi, Lacus Tartariæ Septentr. in Asia, & montes cognom. in eadem reg. teste M. Polo.

Anniceris, Cyrenæus, nobilis equorum agitator, qui artem Platoni ostentaturus ante Academiam currus conjunxit, sæpeque eundem cursum iisdem vestigiis nihil delirando repetiit, οὕτω ἀκριβῶς φυλάττων τοῦ δρόμου τὸν στοῖχον, ὡς μὴ παραβαίνειν τὰς ἁρματοτροχιάς; ἀλλ' ἀεὶ κατ' αὐτὸν ἰέναι. Verba sunt Æliani *Var. Hist.* 2. 27. Lucianus, *in Demosthenis Encomio*: Φασὶν Ἀννίκεριν τὸν Κυρηναῖον φιλοτιμηθῆναι πρὸς Πλάτωνά τε καὶ τοὺς ἑταίρους. Τὸν μὲν γὰρ Κυρηναῖον ἁρματηλασίαν ἐπιδεικνῦντα, πολλοὺς περὶ τὴν Ἀκαδημίαν ἐξελαύνειν δρόμους, ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἁρματοτροχιᾶς ἅπαντας, μηδὲν παραβάντα ὥστ' ἑνὸς δρόμου σημεῖα κατὰ τῆς γῆς ὑπολείπεσθαι.

Anniceris, discip. Aristippi, Hegesiæ commilito, Platonem ex captivitate liberavit, & auctor extitit unius quinque illarum sectarum, quæ ex Cyrenaica suppullularunt. Diogen. Laërt. *in Aristippo. l.* 2. *& Platone l.* 3.

Annichori, vel *Annichores*, populi Persis vicini. Steph.

Annium, Elidis in Peloponneso opidum.

Annius Annulinus, Rom. Cos. Numidii Tusci collega.

Annius, vel *Annas*, Annalium conditor. Voss. *Hist. Lat. lib.* 3.

Annius Bassus, Undecimæ legionis legatus, qui Poppæum Silvanum consularem secordem bello & dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat. Tacit. *Hist.* 3. 50.

Annius Faustus, Equestris ordinis temporibus Neronis delationes factitavit. Tacit. *Hist.* 2. 10. Sed accusante Vibio Crispo, cujus fratrem perverterat, damnatus est sub Othone.

Annius Libo, Cos. Rom. Torquati Asprenatis collega.

Annius Pollio, vide *Pollio*.

Annius Rufus, Judææ Præfectus.

Annius Scapula, maximæ dignitatis & gratiæ Provincialis homo, propter conjurationem in Cassium interfectus est. Hirtiu, *de bello Alexandrino.* Alios *Annios*, V. *in Festus*, *Florianus*, *Milo*, &c.

Annius Tacitus, 33. Romanorum Imperator. Vide *Tacitus*.

Annius Verus, Rom. cos. Auguris collega.

Annius Viterbiensis (Johannes) Dominicanus, Lingg. & antiquitatis peritissimus, De qua 17. libros edidit, quibus Berosi, Manethonis, &c. opuscula jam dudum eruditis explosa, inseruit. Vid. Leand. *in descr. Italiæ.* Patriæ suæ antiquitatem lepido commento asserere conatus, si fides Antonio Augustino, 10. *dialogo*, habenda. Vid. Scalig. *de E. T. lib.* 5. Genebr. *lib.* 1. *Chron* Perer. *in Danielem.* Possev. *lib.* 16. *Bibl.* Volaterr. *lib.* 16. *Anthropol.* Crinit. *de honest. discipl. l.* 24. &c.

Annobona, Insula Afr. in littore Guineæ. 10. leuc. in circuitu habet. Sic dicta, quia primo Anni die à Lusitanis detecta. Distat 180. m. p. à promontorio Lupi Gonsalvi, in Occasum.

Annon, sive *Hanno*, dux exercitus Carthaginensis, coactus est vertere solum exilii causâ, quòd in expeditionibus leonem haberet sarcinas vehentem, tanquam argumento id esset, eum ad Tyranniden aspirare. Plut. *de instit. Princ. c.* 4. & Plin. 8. 16.

Annon seu *Hanno*, Dux Carthag. à Scipione, in Hisp. captus Romamque missus est. *Filius illius* Bomilcaris, qui ab Annibale jussus Rhodanum clam trajecit, ut Gallos funderet. Plut. *in Annibale.* Liv. Polyb. Item, Dux alius *Carthag.* qui in Siciliam venit, &c.

Annon, Carthaginensis præ nimio fastu humanis terminis non contentus cupiebat majora. Nam cùm aves multas ex iis, quæ modulationibus in cantu utuntur, emisisset, nutrivit eas in obscuro loco, docuitque id unum dicere, *Annon Deus est.* Cùm autem aves unam hanc vocem auditam percepissent, aliam aliò dimisit, ratus carmen illud, quod aves edocuerat, aliis in locis etiam divulgatum iri: quæ tamen opinio eum fefellit; nam aves semel solutæ, & ad propria, consuetaque loca profectæ, priores & naturales cantus edebant, contempto Annone, & iis disciplinis, quas captivæ didicerant. Ælian. *Var. Hist. lib. ult.* Simile extat exemplum de Psaphone, apud Erasmum *in Adag.*

Annon, vel *Hanno*, Carthaginensis, Periplum scripsit, quo prosecutus est Africæ ambitum, & terras in Atlantico Oceano à se inventas. Librum istum Punicè scripsit, sed Græcè est translatus, hodieque extat. Quid de illo sentiant Vossius Pater & Filius, vide hunc *de Hist. Gr. lib.* 4. *circa initium*, illum verò *ad Melam, pag.* 302.

Annoniacum, *Annonay*, Opp. Gall. Celt. ad rivum *Deume*, 2. leuc. à Rhodano fluv. in Vivariensi prov. superiori.

Annuntiata, vulgò *Annonciada*, nomen aliquot Societatum & Ordinum Primus Ordo, propriè *Servitarum* dictus, vel *servorum Virginis* A. C. 1232. à 7. mercatoribus Florentinis, institutus est. Secundus, à Johanna fil. Lud. 11. & uxore Lud. 12. Anno 1498. Tertius, dictus etiam *Cælestium*, à Maria Victoria Fornaria, vidua Genuensi, originem cœpit. Obiit autem illa Anno 1617. Alius, à Card. de Turrecremata, Romæ fundatus, ad elocandas pauperes virgines, A. C. 1468. Ultimus auctorem habuit Amedeum 5. Comitem Sabaud. Anno 1355. & equestris est.

Anob, Lat. *uva*, aut *nodus*, filius Cos. 1. Chron. 4.

Anochus, luctator quidam. Pausan. *lib.* 7.

Anœgara, Libyæ interioris urbs. Ptol.

Anolus, Lydiæ urbs, teste Stephano.

Anonium, Lepontiorum urbs in Latio. Ἀνώνιον Ptolemæo; in Vaticano tamen Ἀνεώνιον legitur.

Anonium, vulgò *Anone*, incolis, *la Roque de Non* Gall. oppid. agri Alexandr. in Ducatu Mediolan. Deformatum hoc bello & quasi Monferrato insertum. Ad Tanarum fluv. 10. milliar. ab Alexandria in Occasum.

Anonus, fons quidam, de quo Pausanias *lib.* 5.

Anopœa, mons, & via dicta prope Asepum fluv. in regione Meliensi. Herodoto Ἀνόπαια, quem vide *lib.* 7. *c.* 216.

Anopolis, urbs Cretæ. Vide *Araden.*

Anossia, vulgò *Anossi & Carconossi*, prov. Africæ, in Insula Madagascar, versus oram meridion. Ubi coloniæ Francorum aliquot. Incolis *Androbeizaha*, inter Ampatres pop. ad Orientem, & Ambolam vallem, ad merid. Flacurt.

Anothia, una ex inf. Sillinis, in Oceano, 25. circiter leucis, à Cornubia, Angliæ prov. in Occas. sub Anglis.

Anotia, *Anout*, Ins. parva maris Balt. in Dania, inter Jutiam Septentr. & Hallandiam, prov. Sueciæ; inter Syrtes posita.

Ansa, opp. Galliæ, in Lugdunensi prov. prope Ararim fluv. 40. leuc. à Lugduno, in Septentr. Matisconem versus, ubi aliàs Concilia celebrata. Primùm quidem Anno 1025. Vid. *tom.* 9. *Concil.* Dein An. 1100. 1107. 1175. &c. Bello cætera vastatum, non magni nominis est.

Ansanctus, vide *Amsanctus.*

Ansegisus, Abbas, capitularium legum Caroli M. & Ludovici, filii ejus, collector. Item, Arch. quidam in Gall. sub Carolo Calvo, Spond. *in Epitome A. C.* 775. *n.* 6. Trithem. Sigebert.

Anser, poeta Romanus, quem Ovidius *procacem* vocat, *lib.* 2. *Tristium*:

Cinna quoq; huic comes est, Cinnaq; procacior Anser.

Propertius, *lib.* 2. *Eleg. ult.* ubi de Virgilio:

Nec minor his, animis, aut si minor, ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.

Scaliger legit, *nec se minor*, & sic exponit. Nec Virgilius propterea aliquid indignum majestate illa sui carminis, aut seipso fecit, cùm lacessitus ab æmulo Ansere non respondit. Reprehenderat enim ille hæc Virgiliana:

—— *Sub tegmine fagi,*
Tityre si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?

Item, *Cujum pecus.*

Dic mihi Damœta, cujus pecus, anne Latinum?
Non, verùm Ægonis; nostri sic rure loquuntur. Item,
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis.
Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat. Item,
Nudus ara, sere nudus, hyems ignava colono.
Nudus ara, sere nudus, habebis frigora, febrem.

Ludit itaque Propertius in nomine *Anseris*, ut Virgilius ipse *Eclog.* 9.

Nam neq; adhuc Varo videor, nec dicere Cinnâ
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Cicero Phil. 13. *Anseres Falerno depellantur* id est, inquit Servius, Anser Poeta; cui agrum Falernum donaverat Marc. Anton.

Anshelmus, Episc. Cantuar. Anno 1064. Potestate uxores ducendi Presbyteris concessâ à Vilhelmo Conquestore, Londini synodum convocavit, Sacerdotesque uxores ducere prohibuit, etsi multa testarentur, loco conjugii prohibiti, in tota Anglia, illicitas commixtiones grassari. Polyd. Virg. Chemnitius *in exam. de cœlib.* Item, Episcop. Lucensis, eruditus & probus. Scriptis defendit Gregor. 7. contra Gilbertum. Obiit A. C. 1086. Item, Episc. Lucensis, qui postmodum Papa, Vid. *Alexander* II. Item, Episc. Abellineus scripsit quædam ascetica. Voss. *hist. Lat.* 2. 50. Item, Abbas Gemblac. continuator Sigeberti, obiit Anno 1136. Item Remensis, auctor Itinerarii Leon. 9. Sigebert. *in catal. c.* 153. Item, Franciscanus Terræ S. descriptionem edidit. Canisius, *t.* 6. *Ant. Lect.*

Ansianacti, pop. Afr. in Inf. Madagascar, in mediterr. 30. circiter leucis, ab ora Occid. versus Inf. *S. Mariæ.*

Ansibarii, Germ. infer. pop. proximi Frisiis, à Chaucis pulsi, Tacit. *Annal. lib.* 13. Quorum opidum *Ansestadt* sive *Amssen.* pagus apud Lochemum, à Zutpheno 2. leuc. à Daventriâ 3. distans. Cluverio in illa parte Westphal. fuere, ubi nunc Mindensis Princip. & Comitatus Diepholtensis & Hojensis.

Ansicani, pop. Africæ, in Æthiop. super ad Septentr. regni Congi, & ad Orient. regni Loangi, in mediterr.

Ansidona, nunc *Ansedonia*, prope mare Tirrhenum, ubi olim Cosæ eversæ; in ruinis jacet, sub magno Hetrur. Duce.

Ansloga, Scandinaviæ urbs in Norvegiâ episcopalis, sub archiep. Nidrosiensi, vulgò *Anslo.* Aliter, *Opslo.* A Christ. IV. *Christiana* dicta.

Anspachium, opp. Germ. cum castro, in Franconia, Brandeburgici juris. Al. *Onoltzbach*, ad fluv. cognom. 6. leucis à Norimberga, in occas. 7. autem à Norlingâ, in Bor.

Anta, Amnis Galliæ, in Normannia. Falæsam urbem alluit, & 3. leuc. infra in Divam fluv. cadit. Item, opp. cum portu, in ora marit. Guineæ, in Africa. Tribus leucis distat à prom. 3. Capitum, Orientem versus.

Antaca, Sarmatiæ Asiaticæ populi. Plin. 6. 7.

Antachara, urbs Indiæ intra Gangem. Ptol.

Antacites, amnis in Asiæ latere ad Tyramben op. à quo pisces *Antacei*, salsamentum Athenæo, cæterisque nobile: Nam & in hodiernum diem in Mæotide lacu præstantissimi quotannis invehuntur. Amnem hunc apud Ptol. corruptè legas *Attacum* pro *Antacite.*

Antæ, populi trans Istrum. Procopius.

Antæa, Dea quædam. Eandem cum Rheâ fuisse tradit Apollonii Interpres ad illud:

Ἡ δ᾽ ἔπι δυαγέεσσιν ἐπὶ φρένα θῆκε θυηλαῖς
Ἀνταίη δαίμων. —— ——

Ubi Schol. Ἡ Ῥέα οὕτω λέγεται, διότι ἐναντία τοῖς Τελχῖσιν ἐγένετο. Ἀνταίαν, autem eandem esse cum τῇ τύχῃ tum alii, tum Horatius ostendit in his,

O Diva gratum quæ regis Antium
Præsens, vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Ita dicebant Deam illam, quæ Antii colebatur, παρὰ τὸ ἐπιπέμπειν τὰ ἄντα, pro quo male apud Hesychium τὰ αὐτά.

Antæas, Scytharum rex, Ismeniam tibicinem bello captum jussit ad cœnam canere. Omnibus autem admirantibus, & præ voluptate plaudentibus, jurejurando affirmavit, *Suavius se interdum equum hinnientem audisse*: Usque adeò aures habebat à Musica abhorrentes. Plut. *in lib de Alexandri fortunâ.*

Antæopolis, civitas in Ægypto. Steph.

Antæus, Gigas Libycus, Neptuni & Terræ filius, magno ac procero corpore; qui, quoties membra labore essent defessa, tactu terræ recreabatur. Hic Neptuno fanum ex craniis humanis extructurus, obvios quosque occidit, tandem ab Hercule, qui eum in altum sublatum suffocavit, superatus est. Lucan. *lib.* 4.

Hoc quoq; tum vastas cumulavit munere vires
Terra sui fœtus, quod, cùm tetigere parentem,
Jam defecta vigent renovato robore membra.

Statius *Thebaidos lib.* 6.

—— *Herculeis pressum sic fama lacertis*
Terrigenam sudasse Libyn, cùm fraude reperta
Raptus in excelsum, nec jam spes ulla cadendi,
Nec licet extremâ matrem contingere plantâ.

Juvenal. *Sat.* 3.

—— *Cervicibus æquat*
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.

Seneca Tragœdus *in Herc. Oetæo*:

—— *Nullus Antæus Libys*
Animam resumit.

Tingi, vel Tingin opidum in Africâ condidisse fertur. Solinus: *Tingi excipit, Mauritania nunc colonia, cujus primus author Antæus est.* Plinius alicubi: *Tingi quondam ab Antæo conditum.* Et paulo pòst, ubi de vicinis opidis Zili, & Lixo: *Ibi regia Antæi, certamenq; cum Hercule, & Hesperidum horti.* Inde Plutarchus *in Sertorio*, ubi de Tingi ab illo captâ, Ἐνταῦθα τὸν Ἀνταῖον οἱ Λίβυες ἱστοροῦσι κεῖσθαι. Καὶ τὸν τάφον αὐτοῦ Σερτώριος διέσκαψεν, τοῖς βαρβάροις ἀπιστῶν διὰ τὸ μέγεθος: ἐντυχὼν δὲ τῷ σώματι, μῆκος (ὥς φασι) πηχῶν ἑξήκοντα κατεπλάγη. Hospitum capita postibus affigere solitum fuisse, innuit Lucanus *lib.* 2.

—— —— *Cognoscitur illic*
Quicquid ubiq; latet scelerum. Non Thracia tantum
Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
Postibus Antæi Libye: Nec Græcia mærens
Tot laceros artus Pisæâ flevit in aulâ.

Mythologiam Antæi, vide apud Nat. Com. *lib.* 7. *cap.* 1. Alex. Rossæum *in Mystagogo Poëtico.*

Antæus, unus è librariis T. Pomponii Attici, quorum meminit Cic. *lib.* 13. *epist.* 44.

Antæus, Medicus, Plin. *l.* 8. *c.* 1. Statuarius, *l.* 34. *c.* 8.

Antagoras, Cous, vir, cujus meminit Pausanias, *l.* 1. Item Rhodius, poeta non ignobilis, cujus festivissimum fertur responsum. Hic enim gulæ nonnihil impertiendum ratus, congrum intentius coquebat; Admonitus super eâ re Antigonus, illique assistens retro, leniter retractum interrogavit, Putasne, inquit, ô Antagora, Homerum Agamemnonis & Græcorum rebus

carmine celebrandis distentum, quo pacto congri melius sape-rent, pensitasse? Cui ille, An opinaris, inquit, ô rex, Agamemnonem, Ω λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε, cui tantarum rerum onus incumberet, perscrutaturum, Ecquis in exercitu congrum coqueret? Cæl. Rhod. ex Plutarcho: *dipnos. lib.* 4. *cap.* 2.

Antalcidas, Lacedæmonius, fil. Leonis, missus in Persiam, cum Patriæ damno, pacem cum Artaxerxe conclusit. Plutarchus *in Pelopida*, & *Artaxerxe*. Xenoph. *lib.* 1. Diodor. *lib.* 14. Pauf. *lib.* 4.

Antander, Messeniæ dux contra incursiones Lacedæmoniorum. Pausanias.

Antandros, nunc *S. Dimitri*, teste Sophiano, Phrygiæ urbs ad meridiem posita, quam habitavere Leleges finitimi Cilicibus. *Edonis* prius vocabatur, deinde *Cimmeris*, & *Assos*, & *Apollonia*. Virgil. 3. *Æn.*

——— Classemq; sub ipsâ
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Nomen ejus quod attinet, audi Melam *lib.* 1. *cap.* 18. *Duplex causa nominis jactatur. Alii Ascanium Æneæ filium, cùm ibi regnaret, captum à Pelasgis, eâ se redemisse commemorant: Alii ab iis putant conditam, quos ex Andro insulâ vis & seditio exegerat. Hi Antandrum, quasi pro Andro: illi quasi pro viro accipi volunt.* Vide de la Cerda, & Servium, *ad prædictum Virgilii locum.* long. 54. 30. lat. 41. 00.

Antanii, Cariæ gens. Porphyrogenneta.

Antapristena, Mysiæ urbs. Nicephorus.

Antaradus, Syriæ urbs. Ptol. Constantiam aliquando nominatam à Constantio Imp. scribit Cedrenus. Hodie *Tortosa* dicitur. Sed in ruinis, & ferè deserta jacet.

Antarctica reg. partes orbis, quæ versus Polum Antarctic. sitæ. Aliis *Terra Australis*. Sed vix ab Europæis lustratæ sunt aliquot partes, versus oram littoralem; suntque Regio Petri Nuitii, Terra Concordiæ seu Nova Hollandia, Carpentaria, Regio Antonii Diemeni, Nova Zelandia, & regio Ferdinandi à Quiro. Vid. *Terra Australis.*

Antarcticus, polus Australis, Arctico oppositus, qui terræ objectus à nobis cerni non potest. A nostris *Meridionalis* vulgò dicitur. Virgil. *Georg.* 1.

Mundus, ut ad Scythiam Riphæasq; arduus arces
Consurgit, premitur Libyæ devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis: at illum
Sub pedibus, Styx atra videt, manesq; profundi.

Hausit ex Arato, cujus hæc sunt:

Καί μιν πειραίνουσι δύω πόλοι ἀμφοτέρωθεν,
Ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐπιοπτὸς, ὁ δ' ἀντίος ἐκ βορέαο
Ὑψόθεν Ὠκεανοῖο.

Author libelli, *de Mundo*: Τῶν δ' ἀκινήτων πόλων τούτων, ὁ μὲν ἀεὶ φανερός ἐστιν ὑπὲρ κορυφὴν ὢν κατὰ τὸ βόρειον κλίμα, Ἀρκτικὸς καλούμενος: ὁ δὲ ὑπὸ γῆν ἀεὶ κατακέκρυπται κατὰ τὸ νότιον, Ἀνταρκτικὸς καλούμενος. Dionysius Halicarnassensis, *lib.* 2. Μετεωρίζεται γὰρ ἀπὸ τῶν βορείων μερῶν ὁ τοῦ ἄξονος πόλος, ταπεινοῦται δὲ ἀπὸ τῶν νοτίων ὁ καλούμενος Ἀνταρκτικὸς κύκλος.

Antariana, populi. Plin. 7. 17.

Antavares, pop. Africæ, in Inf. Madagasc. versùs oram & partem Oriental. ad Septentr. regionis Matatanæ. Fluvio *Mananzaro* tractus eorum rigatur.

Antebrogius, Rhemorum, qui proximi Galliæ ex Belgis erant, legatus ad Cæsarem, *lib.* 2. *Com. c.* 3.

Antejus, prænomine *Publius*, Syriæ à Nerone præpositus. Tacit. 13. 22. sed variis mox artibus elusus; ad postremum in urbe retentus est: invisus Neroni caritate Agrippinæ & prætextu, quòd annuam pecuniam Pammani Chaldææ artis perito ministraret, ab Antistio Sosiano perversus crimine novarum rerum. Quo comperto, Antejus hausto veneno finem vitæ sibi adferre voluit; demum, tarditatem ejus perosus, intercisis venis mortem approperavit. Tacit. 16. 14.

Antelia, Armeniæ min. urbs. Ptol.

Antemna, sive, ut quidam habent autores, *Antemna*, Sabinorum urbs, cis Anienem, à Latinis condita, ac denominata, si Varroni credimus, *lib.* 4. *de L. L. Oppidum*, inquit, *Interamna dictum, quòd inter amnes est constitutum; item Antemnæ, quòd ante amnem.* Idem de nominis istius etymo tradunt Festus & Servius. Dionys. Halic. Antemnas & Cæninam ἐκ ἀσήμους πόλεις fuisse asserit; itemque Virgil. *Æn. lib.* 7.

Quinq; adeò magnæ positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburq; superbum,
Ardea, Crustumeriq; & turrigeræ Antemnæ.

Al. *Antemna*. At contra Strabo *lib.* 5. πολίχνια, hoc est, *urbeculas* vocat.

Antenacum, Germaniæ op. ad Rhenum, vulgò *Andernach*. *Antonacum* Ammiano; *Antunacum* Antonino. long. 28. 00. lat. 50. 25. In dit. Archiep. Colon. parvi circuitus & paucorum incolarum.

Antenor, Scytharum, ad ostia Danubii, rex, à Gothis in bello cum multis cæsus est; huic successit Marcomirus filius. Vid. Trithem. Item *Antenor*, Marcomiri filius, Francorum rex; A. C. 61. hic habuit ex Britanniâ uxorem Cambrem, quæ prudentiâ, & formâ omnibus sui temporis mulieribus præstantior fuit. Item nomen statuarii. Pausan.

Antenor, unus ex Trojanorum Principibus, patriam suam prodidisse putatur, quia & legatos, qui propter Helenam venerant, hospitio suscepit, & Ulyssem habitu falso cognitum non indicavit. Hinc Venetiam venit, urbemque in eâ condidit, *Antenoream* primò dictam, postea *Patavium*, demum *Paduam*. Virgil. *Æn.* 1.

Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi;
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesq; locavit
Teucrorum, atq; urbi nomen dedit.

Enarrator Lycophronis ei dat accensam lucernam ad vocandos Danaos, & reclusionem equi lignei: Ἀντήνωρ δὲ φανὸν ἀνάπτων τοῖς Ἕλλησι, καὶ τὰ ὑπογάστρια τοῦ ἵππου ἀνοίγει. Sunt autem qui illum liberent hoc crimine. Inclinat in hanc partem Virgilius, qui elapsum ait, quo fuga innuitur, non pactum. Livius tantùm ait, fuisse illum unà cum Æneâ auctorem pacis, & reddendæ Helenæ. Ita Ovidius *Fastorum lib.* 4.

Adjice Trojanum suasorem Antenora pacis.

Ita Horatius *Ep.* 1. 2.

Antenor censet belli præcidere causam.

Audi ipsum *Iliad.* η.

Δεῦτ' ἄγετ' Ἀργείην Ἑλένην, καὶ κτήμαθ' ἅμ' αὐτῇ
Δώομεν Ἀτρείδῃσιν ἄγειν.

Hinc Adject. *Antenoreus*. Lucanus *lib.* 7.

Euganeo (si vera fides memorantibus) augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atq; Antenorii dispergitur unda Timavi.

Antenor, Cretica conscripsit. Ælian. *de Anim.* 17. 35. *Delta* cognominabatur, teste Photio *Tmem.* 109. Rationem addit, διὰ τὸ ἀγαθὸς εἶναι, καὶ φιλόπολις. Τοὺς γὰρ Κρῆτας τὸ ἀγαθὸν δέλτα καλεῖν φασί.

Antequia, vel *Antecuia*, Hisp. urbs. Ptol. *S. Ander*, teste Henr. Coquo, in orâ Bor. Autrigonum, inter Laredum, & Fanum S. Julianæ. op. Cantabrorum. Nunc etiam *Andreapolis*, Quod vid.

Anteros, Martis & Veneris fil. cujus meminit Cic. 3. *de Nat. Deorum*, & Pauf. *lib.* 1. apud quem δαίμων dicitur, ultor scilicet eorum, qui vel amantes vel amores spernunt. *Anteros* etiam dictus est Apollonius Alexandrinus Grammaticus, Apionis discipulus, qui Romæ sub Claudio docuit. Suidas in Ἀντέρως, de quâ voce vide Rhodium, *ad Scribonium Largum, fol.* 237.

Antes, gens Scythiæ fortissima, habitans ad Ponticum mare. Agathias.

Antevorta, Dea Romanorum, quòd præterita nosset, sic dicta. Hanc Romani coluerunt, ob res præteritas, sicut Postvortam, ob futuras ambasque Providentiæ comites agnoverunt. Cæl. Rhod. 25. 30. Macrob. *Saturn.* 1. 17.

Anteus, Pater Leonati, Macedo, ex Pella opp.

Anthaim, Antarum reg. apud Paul. Diaconum. *Haim* Germ. patriam notat.

Anthana, una ex 100. urb. Laconiæ, ab *Anthe* Neptuni filio, per Cleomenem Leonidæ fratrem excoriato, oraculis in pelle ejus servari jussis. Plin. 4. 5. Est & Arcadiæ civitas. Steph.

Anthanis, olim dicebatur Troezen, urbs Peloponnesi. Steph.

Antharis, vel *Autharis*, Langobardorum rex, A. C. 585. Teudelinam, vel Theolindam, Garibaldi Bavarorum regis filiam, accepit uxorem: Histriam cædibus & incendiis replevit; Francilionem Cisalpinæ Galliæ præfectum vicit, Comumque cepit. Demum cùm sex annis regnasset, insidiis domesticorum apud Ticinum extinctus est venenato poculo. A. C. 591. Paul. Diaconus, *Hist. Longob. l.* 3. *c.* 18. & *seqq.*

Antharius, Sextus Sicambrorum rex, regn. an. 35. Moguntiam, quæ tunc temporis Romanorum erat Colonia, evertit. A Gallis, Romanorum auxilio, victus est, cui successit filius *Francus*, à quo Sicambri *Franci* dicti sunt.

Anthas, Antheæ civitatis conditor. Pausan. *lib.* 2.

Anthea, vide *Anthia*.

Antheas, vide *Anthias*.

Antheas, Lydius poeta, qui primus poesin ex compositis nominibus excogitasse dicitur.

Anthedon, urbs Bœotiæ, quam Hom. ἐσχατόωσαν vocat. Etymon habet ex florido, fertilique agro, vel ex *Anthedone* Neptuni fil. Thracibus quondam habitata. Ejus meminit Ovidius *Met.* 13.

Nuper in Euboicâ versis Anthedone membris
Glaucus adest. ———

Talandi hodie, teste Ortelio. Hesychius: Ἀνθηδών, ἡ μήλισσα, καὶ πόλις Βοιωτίας καὶ Παλαισίνης.

Anthedon, portus Peloponnesi. Plin. 4. 5. Athenienfium portus apud Ptol. videtur.

Anthedon

Anthedon, Syriæ urbs, Gazæ vicina, mare versus. Plin. postea dicta fuit *Agrippias*, Josepho teste. *Geth* Volaterranus vocat, *Larissa* Nigro dicitur, qui ait præsidium illic nunc esse, quod *Daron* appellat.

Anthela, vicus circa mare, quem Asopus amnis præterfluit. Herodot. *lib.* 5.

Anthemis, maris Mediterranei insula, Melamphylus, & Parthenia vocata, à flu. Parthenio, qui Imbrasus postmodo appellatus est. Eadem est hæc insula cum Samo Jonicâ. Strabo. *lib.* 10.

Anthemius, fil. Procopii cujusdam, Juliani Apostatæ cognati, Imperator à Ricimero, militiæ Magistro, renuntiatus, Romam Macedonianos hæreticos secum duxit. Ricimerum dein generum ascivit, à quo, Attilâ prius in Dacia victo, A. 446. tandem an. imperii 4. vel 5. occisus est, A. C. 471. Sidonius Apollin. *in Paneg. Anthemii.* Cassiodor. Jornandes, Niceph. *l.* 15. *c.* 11. Evagr. *lib.* 2. *cap.* 18. Idem Consul solus. Item, alius, collega Stiliconis. Tertius, Florentini collega. Socrates meminit alicujus Anthemii, qui præfectus fuit, cum Antiocho, urbis Constantinop. dum Theodosius Jun. adhuc minorennis esset. *lib.* 7. *cap.* 1.

Anthemoisia, Lyci fluminis fil. uxor Dascyli, qui ex ea suscepit Lycum & Otrea, vel, ut al. Priolam.

Anthemoïsis, nomen paludis circa Maryandinos. Apollonius *lib.* 2. Alias *Anthemusis.*

Anthemon, Trojanus, Simoisii pater. lege *Anthemion.* Hom. *Iliad.* 4.

Ἔνθ᾽ ἔβαλ᾽ Ἀνθεμίωνος υἱὸν Τελαμώνιος Αἴας
Ἠΐθεον θαλερὸν, Σιμοείσιον, ὅν ποτε μήτηρ
Ἴδηθεν κατιοῦσα, παρ᾽ ὄχθῃσιν Σιμόεντος
Γείνατ᾽. ————

Anthemus, Macedoniæ op. apud Thermam. Item urbs Syriæ, Strabo. Fluvius etiam Colchidis, & Gadis insulæ.

- *Anthemusia*, eadem quæ Samos. Item civitas Mesopotamiæ. Strabo *lib.* 16. *Alsduli* Castaldo. Regio item ejusdem esse videtur apud Ptolemæum.

Anthena, Cynuriæ terræ in Peloponneso urbs. Thuc. *lib.* 5.

Anthermus, Chius, Micciadis fil. Malæ nepos, sculptor insignis, cujus filii Bupalus & Anthermus clarissimi in ea scientia fuere, Hipponactis poetæ ætate, cujus imaginem, quòd illi notabilis fœditas vultûs fuit, lasciviâ jocorum proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus, amaritudinem carminum distrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse, quod falsum est. Complura enim in finitimis insulis simulachra postea fecere, sicut in Delo, quibus subjecerunt carmen, *Non vitibus tantùm conseri Chium, sed & operibus Anthermi filiorum.* Verba sunt Plinii *lib.* 36. *cap.* 5. Iidem Dianæ simulacrum eâ arte concinnârunt, ut templum ingressis subtriste, egredientibus verò lætum appareret. Idem *Ibid.*

Antherus, Græcus natione, Episc. Rom. successit Pontiano, Curavit primus Martyrum res gestas diligenter consignari, hinc Maximino Tyr. invisus, Martyrium subiit. Euseb. *hist. l.* 6. *c.* 22. & *in Chron.* Baronius, A. C. 237. 238.

Anthes, Athedonius, hymnorum repertor. Plut. *lib. de Musicâ.* Item Neptuni filius. Vide Stephanum, in *Anthana* & *Anthedon.*

Anthesphoria, festivitas fuisse traditur, quæ in honorem Proserpinæ fiebat, sic dicta à legendis floribus. Nam ea, cùm à Dite rapta est, floribus legendis erat intenta; ut ex Ovidio liquet *Met. lib.* 5.

—— *Quo dum Proserpina luco*
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit,
Dumque puellari studio, calathosque sinumque
Implet, & æquales certat superare legendo,
Penè simul visa est, dilectaque, raptaque Diti.

Claud. *lib.* 2. *de raptu Proserp.*

—— *Sic fata doloris*
Carpit signa sui. Varios tum cætera saltus
Invasere cohors, credas examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cùm cerea reges
Castra movent, fagique cavâ demissus ab alvo
Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.
Pratorum spoliatur honos: hæc lilia fuscis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur stellata rosis; hæc alba ligustris.
Æstuat ante alias avido fervore legendi
Frugiferæ spes una Deæ: nunc vimine texto
Ridentes calathos spoliis agrestibus implet.
Nunc sociat flores, seseque ignara coronat
Augurium fatale tori.

Porro Ἀνθεσφόρια, Latinè *Florifertum* dixeris: de quo Festus, *Florifertum dictum, quòd eo die spica feruntur ad sacrarium.* De cætero, num quidquam hæc inter se habeant commune, compertum non habeo. Verùm Anthesphoria Siculi Proserpinæ dicasse certum est. Pollux *lib.* 1. *cap.* 1. Κόρης ἑορτὴ παρὰ Σικελιώταις, Ἀνθεσφόρια. Quorum eam esse causam puto, quòd (ut verbis Arnobii utar, *lib.* 5.) *quodam tempore, cùm in Sicilia pratulis purpureos legeres nondum mulier flores, & adhuc virgo Proserpina, cùmque illam per floream messem, hinc atque illinc, passim lectionis cupiditas avocaret, per profunda altitudinis speluncam Rex prosiliens Manium, raptam virginem secum vexerit.*

Antheus, Antenoris filius, quem Paris amavit, & imprudens interfecit. Quo nomine dictus est unus ex Æneæ ducibus, de quo Virgil. *Æn.* 1.

———— *Anthea, Sergestumque vocat.*

Anthia, Soror Priami, capta à Græcis, quæ incensis navibus adegit Pallenenses condere Scionem. Vide Polyæn *l.* 7. 538. Sic autem huic heroinæ nomen ex suo codice restituit Isaacus Casaubonus. Interpreti vocabatur *Euthria.* Rutgersius verò *l.* 6. *Variar. Lect. cap.* 2. leg. *Æthylla* vel *Anthylla.*

Anthia, filia fuit Amphianassæ, uxor Prœti Argivorum regis, Abantis filii. Boccatius *lib.* 2. *cap.* 2.

Anthia, urbs Peloponnesi prope Argos, & alia Ponti, juxta Thraciam, Milesiorum & Phocensium colonia. Hesychius, Ἄνθεια, πόλις τῆς Πελοποννήσου, καὶ Ἀφροδίτη παρὰ Κνωσίοις. Est & Libyæ vicus, & Italiæ civitas, *Antium* postea dicta. Steph.

Anthias, Eumeli fil. Triptolemi illius, qui ex Atticâ rationem servandarum frugum Patras invexit, dracones currui junxit, & sementem facere voluit; sed curru elapsus diem extremum obiit. Pausan. *lib.* 7.

Anthimus, Eutychianus, Patriarcha Constantin. post Epiphanii obitum, factus, ope Theodoræ Augustæ, Eutychianæ, *quæ omnibus modis commoda eorum curabat, qui unam tantùm naturam in Christo statuebant*, ut Evagr. ait. Sed re à Justiniano Imper. cognitâ, exturbatus, scripta ejus publicè combusta, & Menna orthodoxus substitutus est. Anastas. Biblioth. *hist. misc. lib.* 16. Baron. A. C. 535. 536.

Anthimus, Ep. Nicomed. martyr, sub Diocletiano Imper. capite plexus, temploque incenso 20000. Christianorum combusta. A. C. 302. Balæus, *in Diocl.* Item Metropolitanus Cappadociæ, de provinciæ finibus cum Basilio disceptans, A. C. 371.

Anthion, puteus Bœotiæ, ubi à Proserpinæ raptu sedisse Cererem ferunt, vetulæ imagine præditam. Quo nomine, velut Argiva, à Celei filiabus deducta ad matrem est. Cæl. Rhod. 24. 17.

Anthis, & *Stagonion*, meretriculæ quædam fuere, *Aphya* cognominatæ, quòd minutulæ forent, albæque ac oculis grandioribus, ut ex Apollodoro refert Cœlius, *l.* 8. *c.* 19.

Anthisteria, sacra, quæ apud Athenienses in mense, qui Ἀνθεστηριὼν appellabatur, quòd plurimos flores gigneret, agebantur. In quibus (ut à Romanis in Saturnalibus) servi Græciæ hilaribus conviviis à Dominis suis accipiebantur. Lege *Anthesteria.* Erant autem dies Baccho festi. Hesychius, Ἀνθεστήρια τὰ Διονύσια. Tamen peculiarem non fuisse solennitatem, innuit doctissimus Interpres Aristophanis *in Acharnan.* referens ex Apollodoro, Athenienses Bacchi dies festos in universum Ἀνθεστήρια dicere, sigillatim verò suum cuique nomen adsignari: Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος, Ἀνθεστήρια καλεῖσθαι κοινῶς τὴν ὅλην ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην, κατὰ μέρος δὲ πιθοιγίαν, χόας, χύτρον, *Pithœgian, Choas*, & *Chytran.* Sanè Athenienses ab illis mensem nominarunt: Ἀνθεστηριῶνα, quem Harpocration, & Suidas octavum fuisse tradunt, & Baccho sacrum, κεκλῆσθαι δὲ αὐτὸν οὕτω διὰ τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀνθεῖν τότε. Etymologicum Magnum: ἐπειδὴ ἡ γῆ τότε ἄρχεται τοῦ ἀνθεῖν. His accedit Macrobius *lib.* 1. *cap.* 14. *Aprilis Anthesterion vocatur, quòd eo tempore cuncta florescant.* Theodorus autem Gaza, quem sequuntur Junius & Gyraldus, sextum esse putat, & respondere Novembri. Sed difficile est, Græcorum menses ad Romanorum rationes vocare. Cæterùm Anthesteria Athenienses magnâ conviviorum hilaritate celebrabant, uti tritum illud vulgò apud Græcos ostendit:

Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ᾽ Ἀνθεστήρια·
Exite Cares, non amplius Anthesteria.

Quod Zenobius explicat, *centuriâ* 4. *Proverbio* 33. Et Suidas *cent.* 7. *prov.* 90. prout literarum immortale decus, Andreas Schottus, editione nuperâ distinxit. Castellanus.

Anthium, Thraciæ op. postea Apollonia. Plin. Stephanus Ἄνθειαν vocare videtur. Item Italiæ civitas. Vide *Antium.*

Anthius, Bacchi nomen, quod *floridum* significat, Athenis autem colebatur. Patrenses quoque Anthii Dionysii simulacrum habuere. Pausanias, Catullus *in Argon.*

At parte ex aliâ florens volitabat Iacchus.

Antho, Amulii Albanorum regis filia.

Anthonges, pastor, seditionem in Judæâ movit, propter quam duo ferè hominum millia in crucem acta sunt. Ἀθρόγγης dicitur Josepho *Ant. lib.* 17. Ἐπεὶ, inquit, καὶ Ἀθρόγγης ἀνὴρ οὔτε προγόνων ἐπιφανὴς ἀξιώματι, οὔτε ἀρετῆς περιουσίᾳ, ἢ τινῶν πλήθει χρημάτων, ποιμὴν δὲ καὶ ἀνεπιφανὴς τοῖς πᾶσιν εἰς τὰ πάντα ὢν, ἄλλως δὲ μεγέθει σώματος, καὶ τῇ κατὰ χεῖρας ἀλκῇ διαπρέπων, ἐτόλμησε

μήτην ἐπὶ βασιλείᾳ φρονῆσαι, &c. Idem Josephus *lib.* 2. *de Bello Jud. cap.* 2. *Athrongaum* vocat: Τότε καὶ ποιμήν τις ἀντιποιήσασθαι βασιλείας ἐτόλμησεν, Ἀθρογγαῖος ἐκαλεῖτο. Προξενεῖ δ' αὐτῷ τὴν ἐλπίδα σώματος ἰσχύς, καὶ ψυχὴ θανάτου καταφρονοῦσα.

Anthores, viri nomen apud Virgil. *Æn.* 10.

—— At illa volans clypeo est excussa, proculque
Egregium Anthorem latus inter & ilia figit:
Herculis Anthorem comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Evandro, atque Italâ consederat urbe.

Anthracia, nympha. Pausan. 7.

Anthropinus, *Tisarchus*, *Diocles*, Agathocli Syracusano Tyranno insidias fecerunt: quo comperto Agathocles iis arcessitis numerosum exercitum commisit, ut fæderatæ cuidam civitati ab hostibus pressæ suppetias ferrent. Et cras, inquit, in Timoleontium cum armis & equis conveniemus omnemque expeditionem ordinabimus. Illi libentibus animis hæc receperunt, quòd etiam se militares copias ad aggrediendum regem habituros putabant. Postridie, cùm in Timoleontium convenissent; Agathocles signum ad eos comprehendendos dedit. Reliqui, audito signo, Dioclem, Tisarchum & Anthropinum, cum universo satellitio, ad ducentos confoderunt, omnesque quotquot his opem vellent ferre, simul neci dederunt, non minus sexcentis, Polyæn. 5.

Anthropographus, dictus est Dionysius, quòd nihil aliud quàm homines pinxerit. Plin. 35. 10.

Anthropomorphitæ hæretici, simplicitate rusticâ Deum membra habere arbitrabantur, & Pascha cum Judæis celebrabant. Epiph. *hær.* 70. Aug. *hær.* 50. Aliàs *Audiani* dicti, à quodam Audeo, cujus sectatores fuere. Etiam 10. seculo quidam horum erronum Ecclesiam turbavere, à Rathiero, Episc. Veronensi confutati. Sigebert. A. C. 939. Sic prophetissæ quædam, ex Montani secta, animæ corpoream figuram affinxere, cui errori adstipulatus est quoque Tertull. *l. de Anima. c.* 9.

Anthropophagi, Scythiæ populi humanâ carne vescentes, siti sunt ad Orientem, ac Septentrionem, Massagetis finitimi, circa quos tristissima solitudo, & mare, quod *Thabin* vocant. Plin. 4. 12. & 6. 7.

Anthropophagi, sunt quoque pop. Americæ, majori ex parte, præsertim versus Brasiliam, Magellanicam & alibi. Hos Hispani delere conati sunt, sed in cassum. Ipsi enim Hispanos in prov. mediterr. magnis cladibus affecere; sed, in maritimis malè mulctati ab Europæis, ipsis majori pro parte parent. Etiam Pop. Æthiop. Infer. *Anthropophagi* sunt, præsertim in ora Cafrorum, & Zanguebaria, aliisque locis maritimis.

Anthusa, mater Chrysostomi. Chrysost. *ep.* 1. *ad Vit. Jun.* Item, filia Constantini Copronymi, cujus memoriam Græci in Menologio suo celebrant, *d.* 17. *April.* Item alia, quæ Imperatrici, Copronymi uxori, prædixisse dicitur fœcunditatem, cùm antea sterilis esset. A. C. 775.

Anthylla, urbs in Ægypto insignis. Herodot. *lib.* 2. Τοῦτο δὲ ἡ μὲν Ἄνθυλλα, ἐοῦσα λογίμη πόλις, ἐς ὑποδήματα ἐξαίρετος δίδοται τοῦ αἰεὶ βασιλεύοντος Αἰγύπτου τῇ γυναικί. Athenæus paulo aliter *lib.* 1. Ἄνθυλλα, πόλις οὐ μακρὰν ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας, ἧς τοὺς φόρους οἱ τότε βασιλεῖς Αἰγύπτιοί τε καὶ Πέρσαι ταῖς γαμεταῖς ἐδίδοσαν εἰς ζώνας.

Anti, Hunnorum gens, circa Mœotidem paludem, quos Flavius Justinianus devicit; unde *Anticus* dictus, in Digestis. Procopius.

Antia, urbs Italiæ à Romanis subdita. Vid. Steph.

Antia lex dicebatur, quam Antius Restio tulit, quæ licet optima, luxuriæ tamen obstinatione, nullo abrogante, obliterata est; quare ipsum tradunt, quamdiu postea vixit, foris non cœnasse, ne testis fieret contemptæ legis, quam publico loco pertulisset. Macrobius *Sat.* 3. 17. Gellius 2. 24.

Antiana, op. Hungariæ in Pannoniâ infer. *Zamko* Lazio.

Antianira, mater Euryli & Echionis. Apollonius *l.* 1.

Τὼ δ' αὖτ' ἐγγεγάτην Μενετηΐδος Ἀντιανείρης.

Hesychius: Ἀντιάνειραι, Ἀἰσχύλος ἰσανδροι. τὸ δὲ ἐπίθετον τῶν Ἀμαζόνων, ἤτοι διότι ἀνδράσιν ἠναντιοῦντο οὐ θέλουσαι αὐτοῖς συνευνάζεσθαι.

Antias, Dea Fortuna. *Antiatina* Suetonio *in Calig.* Vide *Antaa.*

Antiates, vide *Antium.* Suidas, Ἀντιάτης. τοὺς ἀπὸ Ἀντίου πόλεως, ἡ ἀπέχει Ῥώμης τ' σταδίους.

Antibarum, urbs Dalmatiæ, apud oram Adriatici maris, olim Doclea, ut nonnullis videtur. Hodie *Antivari.* long. 43. 32. lat. 42. 12.

Antibole, unum ostiorum Gangis fluvii. Ptol.

Anticanis, vel *Antecanis*, sidus quod ante majorem Canem oritur. Hic in lacteo Circulo defixis pedibus Æquinoctialem Circulum tangit, spectat occasum, inter Geminos & Cancrum constitutus. Occidit in ortu Capricorni, exoritur cum Leone. Cicero *in Aratais*:

Anticanis, Procyon Graio qui nomine fertur.

Anticaria, urbs Hisp. Bæticæ, quæ & Singylia, à Singyli fluvio dicitur, in loco aspero & edito. Hodie *Antiquera.* long. 16. 00. lat. 36. 58.

Anticaria, in America, *Nova Antequera* dicitur. Urbs Episcop. Sita est in Nova Hisp. & prov. *de Guaxaca.* Parva & malè culta. Distat à Civit. Mexico 80. leuc. Hisp. à Mari Bor. 7. & 20. ab opp. Veræ Crucis.

Anticatones, dicti sunt duo libri, quos Cæsar contra Catonem scripsit. Scripsit Cicero librum pro Catone, quem *Cato* inscripsit. Cui respondit Cæsar libro, quem *Anticato* appellavit. Plut. *de Cæsare*: Ἔγραψε πολλάς τινας κατὰ τοῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών. Τὸ δὲ βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται. Quod verò Author noster secundo librorum meminit, duos testes habet, Mart. Capellam *lib.* 5. *Ut Catonem Tullius laudans, ac duobus voluminibus Cæsar accusans*; Et Juvenalem *Sat.* 5.

Majorem, quàm sint duo Cæsaris Anticatones.

Anticaucasus, mons Seleuciæ. Strabo.

Antichthones, de quibus Mela, *lib.* 1. *cap.* 1. *Antichthones alteram, nos alteram habitamus.* Ad quæ verba sic Is. Vossius. Qui hîc annotarunt, Pomponium perperam antichthones vocare, qui antomi, vel antœci erant dicendi, illi ipsi errant. Duplicem terram statuit Pomponius, uti quoque multi alii, hanc nostram & oppositam ἀντίχθονα. Qui ἀντίχθονα habitant, sunt ἀντίχθονες. Distinguendum hîc tamen, non omnes, qui γῆν ἀντίχθονα habitant, esse nobis antichthones; sed illos tantùm, qui in opposito degunt hemisphærio, quique pedes nostris adversos habent. Verùm hemisphærium non hic accipit Mela pro illâ orbis parte, quam Horizon à nobis disterminat, sed pro hemisphærio Australi. Id ipsum quoque faciunt alii ferme omnes veteres, qui per γῆν ἀντίχθονα nihil aliud intellexere, quàm terræ hemisphærium Australe, vel Oceano, vel Zonæ fervidæ interventu à nostro separatum hemisphærio, ut ipsi existimabant. Verùm ita si accipiamus, jam necessariò aliqua pars terræ antichthonum in nostro est hemisphærio, ac proinde non possunt vel Antichthones, vel antipodes dici, verùm antœci: attamen quia major pars hujus terræ sub Horizonte nostro mersa est, alicubi etiam κατὰ διάμετρον nobis opposita, rectè eam antichthones inhabitare dixit Mela noster, juxta veterum hypothesin. Notandum hîc tamen, antichthones non ita à veteribus accipi, uti vulgò pro antipodibus, sed pro omnibus illis, qui oppositam terram Australem inhabitare credebantur, etiamsi in superiori nostro degerent hemisphærio. Ita semper ab antœcis, & antipodibus distinguuntur. Nonnulli tamen aliter hæc verba accipiunt, & hemisphærium Antichthonum hîc esse ajunt illam orbis partem, quæ est infra Horizontem, & vel invitis omnibus libris, vulgatam illam lectionem servant: *Eademque in duo latera, quæ hemisphæria nominantur, ab Oriente divisa ad Occasum*; duoque ista hemisphæria Melæ non separari ajunt alveo Oceani in zonâ torridâ, sed Horizonte, & Oceano ipso, qui illi respondet. Alveum enim zonæ torridæ, non hemisphæria, sed maculas tantùm binas, uti vocat Macrobius, utrinque distinguere. Fieri autem non posse, ut Oceanus decussatim quatuor maculas separet, quas sigillatim ambit. Licet hæc opinio magnos habeat autores, falsa est tamen, & menti Pomponii contraria. Ille enim non quatuor maculas, ut Macrobius, sed duplicem tantùm statuit terram, hanc nostram, & oppositam, ut diximus Australem. Jam verò scire velim, quid sit terra divisa ab oriente in occidentem? Cur magis ab ortu in occasum, quàm à meridie in boream? Verùm quid verbis opus est? Ipse Pomponius, cùm inquit, antichthonum terram propter ardorem intercedentis plagæ incognitam esse; ostendit, illam totam ad austrum fuisse sitam. Item infra *cap.* 9. cùm antichthones nobis à meridie oppositos facit, & illo, & aliis locis, mentem suam satis prodit.

Anticites, vel *Anticittus. Atticittus* Ptolemæo; Fluvius Sarmatiæ Asianæ, in mare contra Bosporum Cimmerium fluens, è regione Panticapæi urbis. *Latiri* nunc, teste Villanovano.

Anticlea, Dioclis filia, mater Ulyssis, quæ cùm duceretur ad Laertæ nuptias, à Sisypho latrone, Æoli filio, corrupta est. Alii dicunt, cùm Laertæ jam nupsisset, & Oraculum consultura pergeret, captam à Sisypho latrone, & ut multi putant, ex eo Ulyssem concepisse. Quod Ajax ei objicit apud Ovid. *Met.* 13.

—— Quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque & fraude simillimus illi
Inseris Æacidis aliena nomina gentis?

Anticles, Archon Atheniensis, Olympiadis centesimæ tertiæ anno tertio.

Anticles, è puerorum nobilium Alex. M. cohorte, conjurationis Hermolao in Regem particeps. Curt. 8. 33.

Anticles, Atheniensis, victor Stadii Olympiade centesimâ decimâ.

Anticlides, historicus, semel, iterumque in secundo Δηλιακῶν citatur à Scholiaste Apollonii *in lib.* 2. Ejusdem liber, περὶ νόστων, memoratur Athenæo *lib.* 11. & *alibi.* Ejus memoriam quoque celebrant, Strabo *lib.* 5. Plut. *in Alex.* & Plin. 7. 61. Vide Vossium *de Hist. Gr. lib.* 3. *p.* 322.

Anticoli, Libyæ interioris populi. Ptol.

Anticondyles, populi Bœotiæ. Steph.

Anticragus, mons Lyciæ. Crago oppositus. Strabo *lib.* 4.

Anticrates Lacon, Epaminondam Thebanorum ducem hastâ trajecit. Plut. *in Agside.*

Anticyra, Ἀντικύρρα Ptolemæo, vulgò *Suola*, Phocidis urbs, inter Crissam ad occid. & Siphas op. Bœotiæ ad ort. Isthmum Corinthiacum versus, à Delphis 10. m. p. distans, *Cyparissus* ab Homero dicta. long. 48. 4. lat. 9. 5. *Anticyra* verò, in quâ Helleborus nascitur, unde prov. *Naviget Anticyras*, in insanos, insula est (vel urbs Stephano) sinus Maliaci contra Oetum montem. Horatius *Serm. lib.* 2. *Sat.* 3.

Danda est Hellebori multo pars maxima avaris,
Nescio an Anticyram ratio illis destinat omnem.

Ovidius, *Ponticorum lib.* 4.

I bibe, dixissem, purgantes pectora succos,
Quicquid & in totâ nascitur Anticyrâ.

Horatius iterum:

— *Ambitiosus & audax*
Naviget Anticyram. ——

Persius *Sat.* 4.

—— *Anticyras melior sorbere meracas.*

Suidas simpliciter, Ἀντίκυρα, ὄνομα χωρίου τινός. Hesychius, Ἀντικύρας, ὁ Ἑλλέβορος. Vid. Plin. *lib.* 25. *cap.* 5. Strab. *l.* 9. Erasm. *Adag.* & lepidam historiam de quodam Prætorio, huc relegato, Suet. *in Caligulâ, cap.* 29.

Antidalæ, Arabiæ Felicis populi. Plin. 6. 28.

Antidamus, vel *Antidamas*, Heracleopolites, edidit præter moralia, historiam Alexandri Magni. Vide Voss. *de Hist. Gr. l.* 3. *pag.* 323.

Antidicomarianitæ, Helvidii sectatores, Mariam Virginem, post Servatorem Mundi editum, ex Josepho marito liberos suscepisse, dixere. Epiph. *hær.* 78. Aug. *hær.* 84. Hieron. *contra Helvidium.*

Antidonus, Philippi regis miles fortissimus, qui in obsidione Perinthi catapultâ confossus, non prius eam evelli passus est, quàm hostem fugatum inter mœnia compulisset.

Antidotus, pictor nobilis, Euphranoris Isthmii discipulus, qui maximè inclaruit discipulo Niciâ Atheniensi, cui fuit peculiare diligentissimè mulieres pingere. Plin. 35. 11.

Antigenes, Secundus inter Chiliarchas ab Alexandro, cùm in Satrapene moraretur, pro præmio navatæ operæ constitutus est. Curt. 5. 10. Factus deinde dux cum Teutamo Argyraspidum: qui cùm Eumenem Antigono prodidisset, præmium quidem promissum adeptus est: sed ab Antigono ejus perfidiam timente in caveam æream inclusus vivus combustus est.

Antigenes, historicus, à Plutarcho *in Alex.* commemoratur inter eos, qui Amazonem ad Alexandrum venisse narrant, cùm Orexartem fluv. trajecisset. Gesnerus censet cognomentum Istri habuisse, nempe quia continuò Istri nomen apud Plutarchum ibidem subjiciatur: Sed omnino Ister ab Antigene diversus est, uti posteà videbimus. Item, Musici nomen, Plin.

Antigenes, pastoris incertum, an choraulæ nomen apud Virgilium *Eclogâ* 5.

At tu sume pedum, quod me cùm sæpe rogaret,
Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari.

Antigenides, Musicus Thebanus, Philoxeni discipulus, primus calceamentis Milesiis lascivioribus usus est. Plin. 36. 13. Hic etiam, (authore Cicerone *in Bruto*) discipulo suo Ismeniæ, cùm scitè canens populo minus probaretur, *Mihi*, inquit, *cane & Musis*: admonens, prorsus esse contemnendum imperitæ multitudinis judicium. Vide Suidam, Gellium 15. 17. Val. Max. 3. 7. Idem, cùm esset tibicinio apprime nobilis, nihil æquè se laborare, & animo angi ac mente dicebat, quàm quòd monumentarii choraulæ tibicines dicerentur; ut Apuleius *in Floridis* refert. Quod tamen de Ismeno Dio Chrysostomus prodidit, ut Jac. Nicol. Loensis *l.* 6. *Epiphyllid. c.* 8. observat, itemque Geverhartus Elmenhorstius, ad prædictum Apuleii locum. *Antigenida* etiam apud Athenæum mentio fit.

Antigenides, Musicus, Alexandri M. ad bellum incitator. Plut. *de fortuna Alex. l.* 2. Hunc in causa fuisse cur Athenis juvenibus arte tibiâ canendi interdiceretur, ob lepidum quid, quod Alcibiadi contigerat, auctor est A. Gellius, *l.* 15. *c.* 17.

Antigona Berennia, Philippi filia, Pyrrhi uxor. Plut.

Antigona Psaphara, Paraxiæ regionis urbs. Ptol.

Antigone, filia Oedipi, regis Thebanorum, patri cæco, & à Creonte in exilium acto, viæ dux fuit; Seneca *in Oedipo*, & Statius *in Thebaide.* Eadem postea, cùm ad officium funebre fratrum suorum Eteoclis, & Polynicis venisset, ibique adjuvante Argivâ Polynicis conjuge, fratrum cadavera concremasset, ambæ Creontis jussu, captæ & occisæ sunt: quarum mortem postea Theseus ulciscens, Creontem interfecit. Hæmon autem Creontis filius amator, ad Antigones mortuæ tumulum se interfecit. Propertius *lib.* 2.

Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Saucius ipse suo corruit ense latus?

Ovid. *Trist* 4. —— *Fratrem Thebana peremptum*
Supposuit tumulo, rege vetante, soror.

Apollodorus *lib.* 3. vivam sepultam ait. Hyginus *fab.* 72. scribit Hæmonem & se, & Antigonem occidisse, cùm exorare patrem pro salute ejus non potuisset. Idem *fab.* 243. Antigonem ipsam sibi manus ait attulisse. Tragœdiam *Antigonem* scripsit Sophocles grandi cothurno, sæpissimè editam, & doctis omnibus probatam. Item Seneca.

Antigone, scortum quoddam, quod Philotam amantem circumvenit. Plut.

Antigonia, urbs Epiri mediterranea, in Chaoniâ, apud Macedonum fines, *Argiro castro*, teste Nigro; Sophiano verò & Lazio *Croja*, urbs quondam Albaniæ regia in Macedoniâ Episc. sub Arch. Dyrrhacino, inter Dyrrhacium, Albanopolin, & Lissum: cui tamen situs Antigoniæ repugnat, cùm hæc in Epiro, illa in Macedoniâ sit.

Antigonia, urbs Macedoniæ in Mygdoniâ reg. *Cojogna*, Pineto interprete: aliis *Antigoca*, inter Pydnam & Magnesiam. long. 45. 02. lat. 40. 50. *Antigonia* item insula Propontidis, inter Byzantium & Nicomediam. *Isola del Prencipe*, teste Gyllio, à frequenti filiarum Principum habitatione virginitatem solitariam profitentium. Alia est *Antigonia* Arcadiæ, Mantinea dicta. Alia Bithyniæ, juxta Dascylium. Alia Syriæ prope Antiochiam. Est & castellum Cyzicenæ. Steph.

Antigonis, tribus Atticæ ab Antigono dicta.

Antigonus, Alexandri præfectus, Lycaoniam cepit. Curt. *l.* 4. quintum locum inter Chiliarchas, præmium fortitudinis ab Alexandro Magno, cùm in Satrapene subsisteret, tulit. Curt. 5. 50.

Antigonus, primus post Alexandrum in Asiâ regnare cœpit, duodeviginti annis multa bella gessit, in quibus Eumenem ab Argyraspidis proditum cepit, Cassandrum, Seleucum & Ptolomeum vicit, tandem, in memorabili ad Ipsum in Phrygia prælio, octogenarius occubuit. Plut. *in Demetrio, Pyrrho*, Diod. Sic. *l.* 19. & 20. Justin. *lib.* 13, 14, 15. Eus. an. 453. U. C.

Antigonus I. Gonatas, Demetrii Poliorcetæ fil. Antigoni prioris nepos, Macedonum rex, regn. an. M. 3778. Atheniensibus libertatem restituit, Gallos superavit, demum à Pyrrho Macedoniam occupante regno pulsus est, quod tamen, illo mortuo, receptum, Demetrio fil. post regni 36. annos reliquit. Justin. *l.* 24. *c.* 25. Polyb. Plut.

Antigonus II. Tutor Philippi, filii Demetrii, cujus viduâ in uxorem ductâ, regnum ipse invasit. Δώσων dictus est, teste Plut. *in P. Æmylio*, quòd multa promitteret, pauca verò præstaret. Cleomenem Spartan. R. qui Ætolis contra Achivos favebat, prælio superatum in Ægyptum fugere coëgit, Spartamque cepit. Dein Illyrios vicit, & moriens an. U. C. 533. regni 12. pupillo suo Philippo regnum reliquit. Justin. *lib.* 28. & 29. Polyb. *lib.* 2. Plut. *in Cleomene.*

Antigonus, fil. Aristobuli 2. Judæorum Rex, ope Regis Parthorum, cui mille talenta, & 500. fœminas pollicitus est, Phazaëlem & Hyrcanum in vincula conjecit, auriculis huic posteriori resectis, ne ad Sacerdotium S. porro aspirare posset. Sed ab Herode, Romanis viribus suffulto, captus ipse, & ad Antonium deductus est; qui ipsum ultimum Asmonææ stirpis, ab Herode magnâ pecuniæ vi adductus, capite plecti jussit; postquam hæc familia regnasset 126. an. A. M. 4018. Ante *C. N.* 36. Jos. *Antiq. l.* 14. & 15. & *de B. J. c.* 1. Dion. Plutarch.

Antigonus, fil. Hircani, Pontif. S. frater Aristobuli Philelei, 1. Judæor. R. de Asmonæorum stirpe, quem ille, postquam in regni societatem ab eo ascitus fuisset, de medio sustulit. Joseph. *l.* 12. *Antiq. c.* 18. & 19. & *de B. J. l.* 1. *c.* 3.

Antigonus, Carystius, historicus, extremi Philadelphi temporibus vixit. De vitis Philosophorum scripsit, quos recensuit Jo. Jonsius *lib.* 2. *c.* 4. *de Hist. Phil. Script.* Idem ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγὴν reliquit, quam Stephanus citat in Γύαρος; & Meursius edidit, notisque illustravit. Vide Voss. *de Hist. Gr. pag.* 78. Diog. *in Chrysippo*, & *Pyrrhone.* Athen. *lib.* 3. 7. 13. Dion. Halic. *lib.* 1. Plut. *in Romulo.*

Antigonus, statuarii nomen, Plin. *l.* 34. *c.* 8.

Antileo, περὶ χρόνων libros fecit, quorum secundum citat Laertius, *initio vitæ Platonis.* Meminit & Antileonis seu ejusdem, seu alterius Julius Pollux, *in Onom.* 24. Item Chalcidensium tyrannus quo destructo, illa Resp. migravit in Oligarchiam. Aristot. 5. *Polit.* 12. Item Homo improbus & ardelio in comœdiis traductus. Vide Schol. *in Aristoph. Equit.* pag. 349.

Antilia, locus apud Suetonium, ex quo Volaterranus Liguriæ urbem facit, quam *Alteiola* vocat. long. 30. 45. lat. 43. 38.

Antilia, vulgò *Antia*, oppidulum Angliæ, in Comitatu Bedford. 4. milliar. Angl. distat. à Bedfordia in Austrum, & à Buckingamia 12. mill. in Ortum.

Antilibanus, Plin. *l.* 5. *c.* 20. Strab. mons Syriæ seu Phœniciæ, inter quem & Libanum vallis est longa, fertilisque, ac optimè habitata, *Abellinas* incolis dicta, teste Postello, per quam Orontes fluv. decurrit apud Heliopolim. Inhabitatur pro majori parte, à Drusis, pop. Christ. ibique est Abanum oppid. *Abano.*

Antillæ, vulgò *les Antilles*, Insulæ Americæ Septentr. in mari Boreali, quæ in longum excurrunt, inter Floridam reg. & nov-

& nov. Vandalitiam in America. Earum præcipuæ, Hispaniola, Cuba, Jamaica, S. Johannis Inf. Lucajonecca, Bahama, aliæ. Linscot. Aliis autem, & fortè rectius, Antillæ inf. jacent inter continentem Americæ merid. & partem Oriental. Insulæ S. Johannis de portu divite; suntque in modum arcus positæ. Detectæ primùm à Christ. Columbo, an. 1492. dicunturque Antillæ Americæ, quasi ante insulas Americæ, nempe ante majoris Inf. sinus Mexicani. Ex iis 28. præcipuæ numerantur; & majorem partem parent Gallis, ut Inf. Tabaci, S. Vincentii, Martiniga, S. Dominici, S. Christophori, Barbada, & Gardaloupa, ut Morer. scribit; Anglis & Batavis, qui in his multas habent Colonias ab an. 1625. Dicuntur etiam *Caribarum* Inf. ab incolis antiq. Quibusdam *Camercana*. Ab Europæis autem, harum partium incolis, tota hæc multitudo Inf. cum aliis sinus Mexicani, vulgò *Archipelagus Mexicanus* dicitur. Sunt pleræque fertiles & riguæ, abundantque omnibus ad victum & delitias etiam necessariis. A. Costa, *hist. Ind. l.* 3. *c.* 15. Linschot. *Amer. c.* 4. Hist. *Antillarum.*

Antillarum propriè dictarum præcipuæ. sec. Baudr.

Anguis insula, *l'Anguelle*, in ditione Anglorum.
Antiqua insula, *Antigoa*, Anglorum.
Barbata inf. *la Barbade*, Anglorum.
Barbuda Inf. *la Barboude*, Anglorum.
Desiderata inf. *la Desirade*, Francorum.
Dominica inf. *la Dominique*, Caribarum.
Granata inf. *la Grenade*, Francorum.
Guadalupia inf. *la Guadaloupe*, Francorum.
Marigalanta inf. *Marigalante*, Francorum.
Martinica, inf. *Martinique*, Francorum.
Montis ferrati inf. *Montserrat*, Anglorum.
Nivium inf. *Nieves*, seu *Meuvis*, Anglorum.
Saba inf. *Saba*, Hollandorum.
Sanctæ Crucis inf. *Sainte Croix*, Francorum.
Sanctæ Luciæ inf. *Sainte Alouzie*, Francorum.
S. Bartholomæi inf. *S. Barthelemy*, Francorum.
S. Christophori inf. *S. Christophle*, omnium illius tractus facilè primaria, Francorum & Anglorum.
S. Eustachii inf. *S. Eustache*, Hollandorum.
S. Martini inf. *S. Martin*, Francorum & Hollandorum.
S. Vincentii inf. *S. Vincent*, Caribarum.
Tabaci inf. *Tabago*, seu *Niewe Valcheren*, Hollandorum.

Antilochus, Rex Messeniorum, Paul. *lib.* 7.

Antilochus, Nestoris & Eurydices major natu filius, patrem secutus ad bellum Trojanum, in pugna à Memnone Auroræ filio occisus est, uti tradit Homerus, *Odyss.* 4.

Μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο
Τόν ῥ' Ἠοῦς ἔκτεινε φαεινῆς ἀγλαὸς υἱός·

Vel ab Hectore, ut ait Ovidius, *in Epistolâ Penelopes*:

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.

Juvenalis *Sat.* 10. *de Nestore*:

Oro parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cùm videt acris
Antilochi barbam ardentem.

Propertius de eodem. *lib.* 2. *eleg.* 13.

Non ille Antilochi vidisset corpus humari;
Diceret aut, ô mors, cur mihi sera venis.

Vide Q. Smyrnæum *lib.* 2. *vers.* 260. Verùm luctus ille non indesinenter duravit. Horat. *od.* 9. *lib.* 2.

At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos. ———

Antilochus, poeta, qui, cùm carmine Lysandri laudes scripsisset, ab eo, Plutarcho teste, donatus est pileo Laconico argenti pleno.

Antilochus, historicus, laudatus Dion. Halicarn. Clementi Alex. *Stromatum l.* 1. Voss. *de hist. Gr. l.* 3.

Antimachus, Cinædus quidam & formosus fœminarum amore insaniens. Alter malitiæ nomine à Comicis taxatus. Tertius cognomine ψεκάς, hoc est, minuta pluvia. Quartus Trapezita, cujus meminit Eupolis ἐν Δήμοις. Quintus, Historicus.

Antimachus, Claro, ex Jonia, oriundus, vel ut alii volunt, Colophonius, poeta Græcus, tempore Socratis & Lysandri, de Homeri ætate & genere egit, ut author est Tatianus, *Oratione Contra Gentes*. Ex quo opere omnino Colophonium fuisse Homerum, prodit Plutarchus *libello de Homero*. Is Antimachus, cùm poema quoddam obscurum recitaret, atque omnes præter Platonem, quòd minimè intelligerent, discessissent, *Plato mihi*, inquit, *pro omnibus*. Cicero & Plut. *in Lysandro*. Hic aggressus belli Thebani materiam, vigesimum quartum volumen implevit, antequam duces Thebas usque produceret. Suidas. De eo Catullus:

Ut populus tumido gaudeat Antimacho.

Propertius *lib.* 2.

Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero.

Aliquot ejus versus profert Pausanias, *in Arcadicis*. Idem de Gratiis egit, teste eodem Pausaniâ *in Bœoticis*. Adriano Imper. summopere commendatus. Antimachos alios ponit Suidas, alterum Ægyptium, patriâ Heliopolitanum, qui Cosmopoeiam versibus scripsit, alterum poetam Melicum, cognomento Psecada. Item historicum hujus nominis habet: & statuarium celebrem, Plin. *lib.* 34. *cap.* 8.

Antimachus, Trojanus, qui donis Alexandri, auroque corruptus, impedimento fuit, quò minus Helena redderetur. Quin & pro concione Trojanos hortatus est, ne Menelaum, dum legatus ad eos in urbem venisset cum Ulysse, redire ad suos sinerent, sed in urbe ipsos asservarent, trucidarentque. Hom. *Iliad.* 11.

Antimenes, Deiphontis filius. Pausan. *lib.* 2.

Antimenides, cum Alcæo dux exulum, Pittacum tyrannum oppugnantium. Vide Aristot. 3. *Polit.* 4. Strabonem *l.* 13.

Antinoe, urbs Ægypti super. ad Nilum. *Anthios* Leoni Africano. Ab *Antinoo*, Adriani amasio, sic dicta, uti scribit Hieronymus *in Jovinianum*. Nunc in ruinis.

Antinous, Bithynicus juvenis, ab Adriano Imp. adamatus, cui ut creditur, pro Imperatoris salute, ex magica disciplina, mortuo, templum apud Mantineam constituit. Spartianus *in Hadriano*: *Et Græci quidem, volente Hadriano, eum consecrarunt.* Ait, *volente Hadriano*, quasi consecrationis hujus non fuisset Hadrianus auctor, sed Græci homines, quod & Athenagoras his verbis videtur significare: Ἀντίνουν, inquit, φιλανθρωπίᾳ τῶν ὑμετέρων προγόνων πρὸς τοὺς ὑπηκόους ἔτυχε νομίζεσθαι Θεός. Quidam in orbe Lunæ cum Endymione collocarunt. Tatianus: Πῶς ὁ τεθνεὼς Ἀντίνοος μειράκιον ἐν τῇ Σελήνῃ ὡραῖον καθίδρυται, τίς ὁ ἀναβιβάσας αὐτόν. Clemens Alexandrinus: Καὶ νεὼς ἐστιν Ἀντινόου καὶ πόλις. Meminerunt ejus Jo. Xiphilinus, Vopisc. Dion, Spartianus, & S. Chrysostomus *in* 2. *Cor.* 12. Ejus consecrationis cùm alia extant hodieque monumenta, tum istud Romæ egregium, ΑΝΤΙΝΟΩ, ϹΥΝΘΡΟΝΩ, ΤΩΝ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ, ΘΕΩΝ Μ. ΟΥΛΠΙΟϹ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ ΠΡΟΦΗΤΗϹ. Casaub.

Antinous, procus Penelopes superbus, ab Ulysse in convivio bibens sagittâ transfixus. Odyss. 22. De quo Prop. 4. 5.

Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
Nubere lascivo cogeret Antinoo.

Antiochia, urbs Syriæ, de quâ sic Græcus Geographus sub Constantio & Constante Impp. à Jacobo Gothofredo editus: Ἔστι τοίνυν ἡ Ἀντιόχεια, πρώτη πόλις, βασίλισσα, καὶ ἀγαθὴ ἐν πᾶσιν, ὅπου καὶ Κύριος τῆς οἰκουμένης ἔζεται. Idem fere habet Ammianus Marcellinus: *Hanc*, inquit, *nobilitat Antiochia, mundo cognita civitas, cui non certaverit alia advectitiis ita fluere copiis, & internis.* Ab Antigono & Seleuco Nicanore in suorum memoriam condita, quorum ille inchoavit, hic perfecit. Eunapius *in Libanio*: Ἀντιόχεια τῆς Κοίλης Συρίας, πρώτη πόλεων, Σελεύκου τοῦ Νικάνορος ἐπικληθέντος ἔργον. Ab Antiocho verò sic dicta, teste Dionysio Periegetâ, *vers.* 917.

Ἠχί περ Ἀντιόχοιο ἐπώνυμος Ἀντιόχεια.

Quòd verò παρ' ἱερὰ τέμπεα Δάφνης, uti loquitur Dionysius, *juxta Daphnen* Antiochia hæc condita esset, hinc Ἀντιόχεια ἐπὶ Δάφνῃ vulgò vocata est, distinctionis causâ, cùm plures essent huic cognomines urbes. Laudes ejus non vulgares recitat D. Chrysostomus, ἐν ἐγκωμίῳ τῆς Ἀντιοχείας, ac Dio Chrysostomus *Orat.* 47. Libanius *in Basilico, & alibi.* Maxima verò Antiochiæ laus est, χρηματίσαι πρῶτον ἐν αὐτῇ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς, uti loquitur D. Lucas Act. 11. 26. Æra Antiochena, ab hac urbe dicta, quâ Evagrius aliique utuntur, incipit ult. an. Olympiadis 182. U. C. 705. A. M. 4005. ante *C. N.* 49. Hic synodus ab Apostolis habita, V. Concil. 2. Nic. *Act.* 1. Dein Concilium contra Novatianos, An. 255. Contra P. Samosatenum, Anno 266. & 272. Euseb. *hist. lib.* 6. *cap.* 35. & 7. *cap.* 22. Aliaque partim ab Arrianis, partim ab Orthodoxis, Vid. Athanas. *de Synodis*. Socr. *l.* 2. *c.* 15. & 15. Sozom. *lib.* 3. *cap.* 5. & 10. & 3. 7. Hier. *in Chron.* Theodoret. *l.* 5. *c.* 3. long. 68. 10. lat. 36. 20. Nunc *Antachia* dicitur. Sedet partim in clivo, partim in plano, juxta Orontem fluv. qui ibi ponte jungitur lapideo. Muri urbis ferè integri manent. Ipsa autem semidiruta in ruinis jacet. Patriarchali tamen dignitate gaudet, Turcisque paret.

Antiochia, quæ & Nisibis, urbs Mesopotamiæ archiepiscopalis, à Seleuco rege Antiochi filio (uti superior) condita, ad rivum, qui 25. m. p. se exonerat in Tigrim flu. ab Artaxatis urbe Armeniæ maj. 750. m. p. distans in Austrum. Nunc *Nisibin*.

Antiochia, Pisidiæ urbs primaria, sedesque Præfecti, *Versacgeli* à Turcis dicta, ab Epheso 92. m. p. in Eurum recedens. longitudo 61. 20. lat. 39. 36. Nunc paucis constat incolis. In recentioribus autem tabulis Antiochia hæc nomen pristinum servat; distatque à *Versacgeli* 20. leuc. in occas. & ab Epheso 10. m. p. in ortum, in Asia min.

Antiochia, super Crago monte, urbs Ciliciæ litoralis in Pisidiæ, Pamphyliæque confinio, inter Selinuntem, & Nephelim urbes finitimas. long. 62. 30. lat. 38. 30. *Antiochetta*.

Antiochia, ad Tragum aliàs dicebatur, quia sita erat juxta Tragum fluv. & prope Cragum opp. In Cilicia aspera. 25. leucis à Seleucia in Occas. & 4. à Selinunte in Cæciam.

Antiochia, Marginæ, quæ & Alexandria & Seleucia dicta, teste Plinio, *Indion* hodie ex tab. recent.

Antiochia, ad Taurum montem, urbs episcop. Commagenes in Syria, in ejus, & Euphratesiæ confin. nomen adhuc retinens, teste Bellonio long. 68. 40. lat. 39. 20. *Antiochia*, aliæ 7. à veteribus memorantur, quæ cùm minimè extent, prætermissæ sunt. Ea verò Antiochia, quæ & Mygdonia & Nisibis, urbs Mesopotamiæ, hodie etiam *Asebim* ab incolis nominari fertur. Ferrarius.

Antiochia, urbs Americæ merid. in regno Popajano, sub Hisp. Parva & malè culta, 15. leucis Hisp. distat ab opp. *S. Fidei Antiochiæ*. 12. à fluv. Cauca, in Occas. à Popajani civ. 60. in Bor. 50. autem à Carthagena nova.

Antiochia Mæandri, urbs Cariæ Episc. sub Archiep. Stauropolitano, *Tachiali* vulgò, ad Mæandrum fluv.

Antiochis, mater Antiochi Seleuci filii, & mulier quævis è quâvis Antiochiâ oriunda. Præterea nomen tribûs. Steph.

Antiochus, rex Asiæ, urbis Magnesiæ caduceatores veteranos, alveorum ducendorum causâ, ad se missos miratus, quòd cano capillo, & barbâ valdè nigrâ essent, à medicis suis, hâc de causâ accersitis, hujus rei rationem requirit. Cui medici, Non mirandum, inquiunt, ô rex; Aquosa Magnesiæ habitatio, flumine Mæandro, & ingenti palude circumsepta, hoc efficit: nam cerebrum ita humefactum reddit, ut capitis pilus plus ante senium albescat. At caduceatores; Non ita, ô rex, sed quia capitis crines sunt barbâ natu majores: nam nascendo capillos è vulvâ matris, barbam autem multo pòst tempore suscipimus.

Antiochus I. Soter, Seleuci fil. ejusque nominis primus, Syriæ, & Asiæ rex, regn. an. 19. Stratonicen novercam, Erasistrati Medici suasû, Patre consentiente, duxit. Euseb. *in Chron.* Val. M. *l.* 5. *cap.* 7. *ex* 4. Justin. Polyb. Appianus.

Antiochus II. cogn. *Theos*, quod nomen à Milesiis, unde Tyrannum Timarchum expulerat, accepit, dictus, Soteri Patri successit, bellum cum Ptolomæo Philadelpho composuit, ductâ filiâ ejus Berenice. Quod ægrè ferens Laodice, ex quâ jam duos susceperat filios, illum veneno, Seleuco Callinico fil. in thronum evecto, & Berenicem cum filio, ex Antiocho suscepto, immissis percussoribus, sustulit. Obiit an. regni 15. Mundi 3808. Hieron. *in Dan. cap.* 11. 6. Euseb. *in Chron.* Genebr. *lib.* 1. Sulpic. Sev. *lib.* 2. Appianus Alexandr. *de bellis Syria.*

Antiochus III. Magnus, Seleuci CeRauni frater, Syriæ & Asiæ rex, regn. an. 37. *Hierax* vulgò dictus, quòd *accipitris* more in rapiendis alienis vitam duceret. A Ptolomeo Philopatore ad Raphiam cæsus. *A. M.* 3837. in Persiam versis armis, Sardes expugnavit. Hinc, victo Philopatore, Judæam subegit, *A. M.* 3843. A Romanis, Ptolom. Epiphanis tutoribus, superatus, & quotannis 1000. talent. multatus est. Tandem Beli Elymeensis, in Susiana, direpturus templum, ibi cum suis occisus est. *A. M.* 3867. Justin. *lib.* 31. 32. Strab. *lib.* 16. Liv. Florus, Appian. Euseb. Hieronym. *in Daniel.* Sulpicius Sev. *l.* 2.

Antiochus IV. Epiphanes, hoc est, *Illustris*, sive *Nobilis*, post Seleucum fratrem, 8. Syriæ rex, regn. an. 12. Hic Hierosolymam destruxit, & multa mala Judæis intulit, crudelissimus omnium tyrannorum, ideoque *Epimanes*, hoc est, *Insanus*, aut *Furibundus* à Polybio vocatur. Oniam Sacerdotio S. pepulit, Ptolomæum Philometorem frustra oppugnavit, à Romanis prohibitus. Hierosolymâ captâ, templum profanavit, in Judæos supra modum sæviens, quibus tamen Matthatias, cum filiis, aliquid solatii attulit. Post hæc, templum Persepol. spoliaturus inde pulsus est, & audito, quid interea in Judæa actum, furore insanus eò properavit, sed divinitus horribili morbo affectus, obiit *A. M.* 3891. regni 11. V. *lib.* 1. *&* 2. *Maccab.* Joseph. *Antiq. lib.* 12. Polyb. Appian. Hunc Polybius scribit immensos pecuniarum thesauros in commessationibus & symposiis prodegisse, solitumque esse ludibundum, interdum & ebrium, grandiusculos nummorum saccos in viis publicis abjicere, ac subinde dictitare, Isthæc accipiant ii, quos sors, fortunave huic commodo jampridem destinavit; nonnunquam etiam rosis coronatum, aureâque indutum chlamyde vagari solitum dicit, lapides sinu gestantem, quibus obvios quosque impeteret. Publicis quinetiam balneis cum populo promiscuè lavari solebat, pretiosissimisque unguentis inungi; unde cùm quidam aliquando è populo ei dixisset, Beatus es ô Rex, qui adeò benè oles. Ast ego, inquit, hâc tibi in re continuò satisfaciam, & perquam saturum reddam; quo dicto bicongium vas pretiosissimi unguenti plenum super illius caput infundi jussit. Ex quo vehemens adeò odoris fragrantia exorta est, ut plerosque à foro ipso, & longinquis etiam urbis partibus excitatos, ad eum locum contraxerit, ut impellentium sese studio hinc inde & crassi unguenti lubricitate, & plurimi balneatorum humi caderent, & rex ipse profusissimo penè enectus cachinno pronus corrueri. Hunc aliquando ferunt in certaminibus, quæ Antiochiæ celebravit, omnes qui aderant Græcos invitasse, pretiosissimisque unguentis ex aureis guttis perunctos omnes convivio suscepisse: in quo ipse invicem discubuisse, ac discumbentibus ministrasse fertur, cum mimis etiam ac histrionibus licenter adeò, & impudenter saltasse, ut omnes convivas, præ pudore, oculos à se avertere cogeret. Is est Antiochus, qui Romæ aliquando pro obside fuerat, & inde ad regni apicem evectus, ad has insaniæ notas regali licentiâ sine respectu turpiter declinavit. Hæc Polybius. Typus Antichristi à Patribus habitus est, in Daniel. *cap.* 11. Vid. Aug. *de C. D. lib.* 17. *cap.* 8. Vide Suidam, *in* Ἀντίοχος.

Antiochus V. cogn. *Eupator*, Patri Antiocho Epiph. successit, cum immensis copiis contra Judæos, sed Judâ Maccabeo fortiter resistente, frustra movit, inde ut Philippi, ad Syriæ regnum aspirantis, conatus impediret, in Syriam, pace cum Judæis initâ reversus, Demetrii Philopatoris jussu, interfectus est, ut throno, ab Antiocho Epiphane sibi erepto denuo potiretur. Maccab. *l.* 1 *&* 2. Joseph. *l.* 12. Justin. *l.* 34.

Antiochus VI. cogn. *Entheus* seu *Nobilis*, à Patre Alexandro Baleo, Arabis cujusdam, Malci nomine, curæ in Italia commissus, diadema accepit à Diodoro Tryphone, Duce copiarum, ut huncce Demetrio, populis inviso, opponeret. Sed ab eodem vix anno elapso interfectus est. *lib.* 2. *Macc. cap.* 13. Jos. *lib.* 13. *histor. Jud.* Torniel. *A. M.* 3910. 3912.

Antiochus VII. *Sidetes*, 15. Syriæ rex, regn. annos 11. Primùm Tryphonem metuens, in Syria, delituit, dum frater ejus Demetrius Nicanor suppetias flagitat à Parthorum rege, qui ipsi fil. Rhodogunem dedit. Quo percepto uxor hujus Cleopatra, ad nuptias, & regiam, quæ in Seleuciâ erat, Antiochum invitat, qui fretus Simonis auxilio, Tryphonem, Doram obsidentem fudit, fugavitque, ac Apameam cepit. Sed regno potitus erga Judæos ingratus extitit, in bello tandem contra Parthos occisus. Justin. *lib.* 38. Appianus *B. Syr.* Jos. *Ant. lib* 13. & 15. *A. M.* 39 5.

Antiochus VIII. cognom. *Gryphus*, à naso aquilino, fil. Demetrii Nicanoris, ex Cleopatra, quæ cùm fratrem ejus Seleucum 5. sagittâ interemisset, ille efferatus, cùm & sibi venenum à matre paratum nôsset, illam ut id biberet coëgit. Dein Alexandrum Zebennam, quem Ptolomæus Ægypti R. Syriæ præfecerat, occidit: ipse an. M. 3958. regni 29. ab Heracleonte per insidias interfectus. Joseph. *hist. l.* 12. *& de B. J.* 1. Justin. *l.* 39. Appian. *B. S.*

Antiochus IX. cognom. *Cyzicenus*, ab urbe in quâ educatus fuerat, fil. Antiochi Sidetis & Cleopatræ, cum Grypho fratre uterino, de regno dimicavit. Quo sublato, à filio Gryphi Seleuco, prælio superatus, & captus, obiit A. C. 3959. Vid. *Authores priores.*

Antiochus X. cognom. *Pius*, per ironiam, ut Appiano placet, quia duxerat Selenam, uxorem primùm patris sui, dein avunculi, fil. Antiochi Cyziceni, Seleucum Gryphi filium, totâ Syriâ depulit. Dein cùm diu ipsi cum agnatis contentio esset, à Parthis tandem, Reginæ Galatarum suppetias venturus, occisus est. *A. M.* 3963. Appian. Joseph. *Antiq. l.* 13. *c.* 21. Euseb. Torniel.

Antiochus XI. Gryphi fil. Seleuci frater, cui successit. Ab Antiocho Pio, cum copiis, cæsus est. Jos. *Hist. lib.* 13. *cap.* 21. Euseb. *Chron.*

Antiochus XII. cognom. *Dionysius*, fil. ultimus Gryphi, Rex Damasci proclamari voluit, absente fratre Philippo, qui ejus legitimus erat possessor, & in infer. Syria regnabat. Occisus in pugna, contra Arabas, cùm vix annum regnasset. *A. M.* 3969. Jos. *l.* 13. *c.* 21. *histor. & de B. J. l.* 1. *c.* 4.

Antiochus XIII. Cyziceni fil. à Lucullo, pulso Tigrane, in avitum regnum restitutus, sed mox iterum à Pompejo depositus est, dictitante, non dignum esse Syro diademate, qui belli tempore delituisset. Justin. *l.* 40. *c.* 2.

Antiochus, Commagenorum rex, ab Antonio victus. Jos. Cæsar. 3. *de bello Civili.*

Antiochus, Rex Messeniorum, Pausan.

Antiochus, Classis Atheniensium Gubernator, cui cùm summam imperii credidisset Alcibiades, à Lysandro victus est. Vid. Scholia *in Aristoph. Ranas.* Xen. *l.* 2. Diod. *l.* 13.

Antiochus, Consul Rom. Bassi collega.

Antiochus, Ascalonita, ex Academiâ vetere, dicendi peritissimus, Luculli, Ciceronis, & Bruti præceptor. Strabo *l.* 16. Plutarchus *in Lucullo*, *& Cicerone.* Fuit & alius Antiochus Sophista, qui ad Remp. gerendam, quòd animo esset vehementiori, accedere noluit.

Antiochus, Alexandrinus, de poetis egit, qui in mediâ Comœdiâ perstringuntur. Athenæus. 11. 9.

Antiochus Syracusanus, fil. Xenophanis, historicus, scripsit de Italiâ; citatur sæpe à Strabone, Diodoro, *lib.* 12. ac Dionysio Halicarnassæo. *lib.* 1. Vide Vossium *de Hist. Gr. pag.* 456. Itemque *pag.* 504.

Antiochus, Laodiceâ oriundus, Scepticus. Diog. Laërt. *in Pyrrhon. lib.* 9.

Antiochus, Sophista, quem Argæ Cilicum tulere, vir doctissimus, de quo Philostratus, Securus in figuris, vehemens in accusationibus, venustus in defensionibus, in Demonstrativis potens, in forensibus sophisticâ, in Sophisticis forensi utebatur oratione.

Antiochus,

Antiochus, literatus T. Pomponii Attici servus, de quo Cicer. *l. XIII. Epist.* 33.

Antiochus, vetustis opibus ingens & inservientium Romanis Regum ditissimus, Vespasiani partibus accessit. Tacit. *Hist.* 11. 81.

Antiochus Alexandrinus, de Poëtis egit, teste Athenæo *l.* 11. *cap.* 9. Vid. *supra.*

Antiochus, tonsor quidam, de quo Martial. *l.* 11. *Epigr.* 45.

Antiochus, cujus Suidas meminit, inter alios, apud Theodos. Junior. delatus, honore, quo fruebatur, privatus fuit, & publicatis ipsius bonis, in Sacerdotum ordinem cooptatus est, edicto ab Imperatore promulgato; Ἐυνοῦχον ἐν τοῖς πατρικίοις μὴ τελεῖν, *Ne Eunuchus inter patricios censeretur.* Alius Cilix erat natione, qui principio se Cynico more philosophari simulabat, & propterea militibus in bello maximè profuit. Ipsos enim propter magnum frigus animum abjicientes confirmabat, in nivem se abjiciens, & in ipsa se volutans; unde & opes & honores à Severo Antonino est consecutus. Iis autem elatus, cum Teridate se conjunxit, & cum ipso ad Parthos transfugit.

Antiochus, Ptolemaïdis Episc. ob eloquentiam *os aureum* dictus, Imperatrici Eudoxiæ, contra Chrysostomum, adhæsit. Socr. *lib.* 6. Sozom. *l.* 8. Baron. A.C. 400. &c. Item, alius, quem Isdegerdes, Persarum R. miserat, qui Imperium administraret, donec Theodosius Jun. adolevisset. Theoph. *Hist. Miscl. l.* 13.

Antiopa, vel *Antiope*, Nyctei filia, & uxor Lyci regis Thebarum, & Ægyptiorum. Hanc Jupiter in Satyrum mutatus compressit, quod cùm Lycus comperisset, eâ repudiatâ, Dircen superinduxit, à qua in carcerem conjecta est: Verùm cùm partus advenisset, ruptis vinculis aufugit in Cithæronem, ibique Zethim & Amphionem peperit, & exposuit; sed à pastoribus reperti, ab iisdem educati sunt, qui postea adulti, matris injuriam ulciscentes, Lycum cum uxore Dirce interfecerunt. Prop. 1. 4.

Tu Licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
Spartanâ referas laudibus Hermionem.

Idem 3. 15.

Invocet Antiope quem nisi, vincta, Jovem?

Ovid. *Met. lib.* 6.

Addidit ut Satyri cælatus imagine pulchrâ
Jupiter implerit gemino Nycteida fœtu.

Nonnus Dionys. *lib.* 7. ubi de Jovis amoribus, quos duodecim recenset:

Ἑβδόμ@ Ἀντιόπην Σατύρῳ δολόεντι συνάπτει.

Idem *lib* 16.

Ἀντιόπης ἰδίης φιλοπαίγμονα θεσμὸν ἐρώτων,
Καὶ Σάτυρον γελόωντα νόθον μιμηλὸν ἀκοίτην.

Item Pacuvii Tragædia sic dicta. Persius *Sat.* 1.

Sunt quos Pacuviusq; & verrucosa moratur
Antiope, ærumnis cor luctificabile fulta.

Antiope, Amazonum regina, de qua Nat. Com. 7. 9. Fama est, Amazonas bellicosas fœminas in Græciam aliquando cum armis hostiliter irrupisse, atque in Atheniensium agrum præcipuè fecisse impressionem, Antiopenque ipsarum reginam, vel (ut alii malunt) Hippolyten fuisse à Theseo superatam, cùm illi Scythæ opem tulissent. Plut. *in Theseo.* Natalis Com. *l.* 7. *c.* 8.

Antiorus, Lycurgi fil. Plut. *in Lycurgo.*

Antipater, Joali filius, miles Philippi, deinde inter Alexandri M. duces, & regni successores, discipulus & ipse Aristotelis. Successor Alexandri, quem è medio sustulisse, ejusque familiam totam extirpasse legitur, in regno Macedoniæ, post bellum Atheniensibus illatum, legatis ad eum de pace venientibus, quorum princeps erat Xenocrates, respondit, se in amicitia permansurum, si sibi Demosthenes & Hyperides dederentur: Si suum præsidium in Munychiam, id est, Athenarum arcem recepissent; Si denique absumptam in eo bello pecuniam, acceptaque damna resarcirent. Quibus illi conditionibus consenserunt. Vid. Suid. Curt. *l.* 6. *& seqq.* Arrian. Justin. Plut. *in Alex.*

Antipater, Cassandri fil. Macedoniæ Rex, gener Lysimachi, qui in Thracia rerum potiebatur, matri propriæ necem intulit, quòd illa Alexandro fratri magis favere videretur. Justin. *l.* 16. Alius ejusdem Cassandri fil. Vid. proximè sequentem.

Antipater, trigesimus secundus Macedonum rex, regnavit dies 45.

Antipater, Cilicum rex.

Antipater, Herodis pater, vir maximus, ac potentissimus, Judææ procurator à Cæsare constitutus, quem in Ægypto, post mortem Pompeji adjuverat, muros civitatis reædificavit, Phaselum Hierosolymis, Herodem Galilææ præfecit. Veneno à Malcho necatus est. Jos. *Ant.* 14. 14. 8. *de bell. Jud.* 1. 21.

Antipater, Herodis filius, à patre quinto die, priusquam animam ageret, in vinculis interfici jussus est. Joseph. *Ant.* 14, 15, 16, 17. *& de B. J. l.* 1.

Antipater, Archon Athenis, Olymp. XCVII. an. 4. Item, è cohorte nobilium puerorum Alexand. M. conjurationis in Regem Hermolao particeps. Curt. VIII. 33. Item Grammaticus, qui scripsit in Aristoph. commentaria Vid. Scholia *in Aves.*

Antipater Hierapolitanus, sophista nobilis, præceptor liberorum Severi Principis, cujus etiam res gestas consignavit, ac ei ab Epistolis fuit. Philostratus. Fuere etiam duo Latini Historici, Cælius *Antipater* & Gallus *Antipater.*

Antipater, Philosophus, & Poëta Sidonius, Stoicæ sectæ, Catonis Uticensis præceptor. Post Panætium, *de officiis*, scripsit. Hic, quo die natus fuit, eodem semper febre laboravit singulis ætatis suæ annis, eodemque die ac eopse morbo consumptus est. Nobili epigrammate Sappho decimam inter Musas cooptavit. Ex tempore innumerabiles penè versus faciebat. Quinctilianus. Vide Vossium *de Poët. Gr.* pag. 68. Ciceron. *lib.* 3. *de Oratore.* Plin. Valer. M.

Antipater, Stoicus, Diogenis Babylonii discip. laudatus Ciceroni, *l.* 3. *de Off.* Hic cùm Carneade non aliter, quàm scripto disputare ausus est. Item, Tyrius, Philosophus, amicus Catonis Uticensis, Plut. *in Cat.* Cic. *l.* 2. *de officiis.*

Antipater, Tarsensis, Philosophus Stoicus, auctore Plutarcho, Strab. *l.* 14.

Antipater Thessalonicensis, Poëta Græcus, floruit Augusti Cæsaris temporibus: sicut constat ex quodam ejus epigrammate, Ἀνθολογίας *lib* 4. *Tit.* Ἐις ὀρχηστρίδας. Ac eum, unà cum Bathyllo, primos fuisse pantomimos, ac sub Augusto claruisse, satis notum ex Dione, Zosimo, Suidâ, atque aliis. Alius est hic ab Antipatro Sidonio. Utriusque multa epigrammata habemus in Anthologiâ. Vossius Cœterùm de variis *Antipatris*, vid. Vossium *de Scriptoribus Hist. Phil. lib.* 1. *c.* 13. & Vossium *de Histor. Græc. lib.* 3. *pag.* 324.

Antipatria, Daretidis urbs Polybio, Macedoniæ Livio.

Antipatridas, Telmessi Cariæ Urbis præfect. qui dum amico Nearcho Cretensi ad colloquium comparet, & ejus specie vinctos servos ac Psaltrias recipit, miserè deceptus urbem amittit. Polyæn. *l.* 5.

Antipatris, Palæstinæ civitas, nunc diruta, quam Herodes rex Judææ, ex patris sui Antipatri nomine, vocavit. Nunc *Assur*, & *Sur*, testibus Tyrio, & Postello. Ad hanc D. Paulus ductus est captivus. Act. 23. 31. long. 66 20. lat. 32. 00. Sita erat, non longè ab ora marit. inter Joppen ad Austrum, & Apolloniam, ad Bor. nunc, ut dictum, diruta jacet.

Antiphanes, Argivus, nobilis, & ingeniosus statuarius. Pausanias Item scriba equitum Alexandri. Qu. Curtius, *lib.* 7.

Antiphanes Smyrnæus, vel Rhodius, Comicus mediæ Comœdiæ, vixit Olymp. 93. De Pythagoricorum victu egit, teste Athenæo 4. 16. Idem ἐν Ἀνταίῳ περὶ τῆς τῶν φιλοσόφων τρυφερότητ@ διαλεγόμεν@ citatur ab eodem Athenæo 12. Fuere autem præter hunc Antiphanes alii. *Antiphanem* Bergæum Comicum memorat Stephanus, in Βέργη. Cujus tanta fuit mentiendi consuetudo, ut locum proverbio fecerit. Unde Strabo *l.* 1. & 2. narrationem Eudoxi vocat Βεργαῖον διήγημα, quasi diceret, fabulam esse meram. Ita enim locum istum emendavit magnus Casaubonus, cùm ante διάστημα legeretur. *Antiphanes* Atheniensis Comicus Panætio junior, memoratur Suidæ, in Ἀντιφάνης. Quin & *Antiphanes* quidam *de scortis Atheniensibus* scripsit, teste Harpocratione in Νάννιον. Etiam *Antiphanes* quidam *de inventis* citatur à Clem. Alex. I. *Strom.* Vid. etiam 2. *Strom.* & Athen. *l.* 13. *Antiphanes* Delius, medicus, varietatem ciborum esse causam morborum statuit, apud eundem, *lib.* 2. *Pæd.* Quòd si Suidæ verba mendo carent, *Antiphanes* horum omnium antiquissimus Carystius, qui Thespidis tempore vixit, à quo Ἀντιφάνει@ κωμῳδία. Vide Vossium *de Hist. Gr. lib.* 4. *& de Poët. Gr. l.* 5.

Antiphates, Læstrygonum anthropophagorum rex, unus ex Lami posteris, Formiarum conditoris. In cujus litore cùm aliquando ejectus esset Ulysses, tresque ex sociis misisset, qui regionem explorarent, Antiphates unum ex his apprehensum ore dilaniavit; reliqui duo vix fugâ salutem quæsiverunt; Quos Antiphates cum magna Læstrygonum manu insecutus, naves Ulyssis omni conatu oppugnavit, saxisque ac trabibus in eas conjectis, omnes demersit unâ tantùm exceptâ, in qua Ulysses ipse cum nobilioribus aliquot sociis vehebatur. Ovid. *Met.* 14.

Inde Lami veterem Læstrygonis, inquit, in urbem
Venimus, Antiphates terrâ regnabat in illa.
Missus ad hunc ego sum, numero comitante duorum:
Vixque fugâ quæsita salus, comitiq;, mihiq;.
Tertius è nobis Læstrygonis impia tinxit
Ora cruore suo: fugientibus instat, & agmen
Concitat Antiphates: coëunt, & saxa, trabesq;
Continuant: merguntq; viros, merguntq; carinas.
Una tamen, qua nos, ipsumq; vehebat Ulyssem
Effugit —— ——

Idem *Ponticorum lib* 2.

Quis non Antiphaten Læstrygona devovet?

Statius 1. *Silvarum*,

—— —— *Litusq; cruenti*
Antiphatæ. ——

Tibullus *ad Messalam*, ubi de Ulysse:

Incultos adiit Læstrygonas, Antiphatenq;
Mobilis Artaciæ gelidos quos irrigat unda.

Vide hæc latius apud Poëtam, *Odyss.* 10.

Antiphates, nothus Sarpedonis. Virg. *Æn.* 9.

Et primum Antiphaten; is enim se primus agebat
Thebanâ de gente nothum Sarpedonis alti.

Antiphates, avus Amphiarai. Hom. *Odyss.* 15.
Γείνατο δ' Ἀντιφάτην καὶ Μάντιον, υἷε κραταιώ,
Ἀντιφάτης μὲν ἔτικτεν Ὀϊκλῆα μεγάθυμον.
Αὐτὰρ Ὀϊκλείης λαοσσόον Ἀμφιάραον.

Antiphates, alius à Leonteo occisus. Hom. *Iliad.* μ.
Αὖτις δ' ἐκ κολεοῖο ἐρυσσάμενος ξίφος ὀξὺ,
Ἀντιφάτην μὲν πρῶτον ἐπαΐξας δι' ὁμίλου
Πλῆξ' αὐτοσχεδίην.

Antiphellus, & *Phellus*, loca Lyciæ, χωρία Λυκίας Steph. De Antiphello, Plin. 5.27. & 31.11. Ubi mollissimas spongias circa illius muros reperiri ait. long. 60.30. lat. 38.20.

Antipheron Oretanus. Quidam, inquit Seneca, hoc laborant valetudinis genere, ut ipsi sibi videantur occurrere, ut ubique imaginem suam cernant. Quare? quia infirma vis oculorum non potest ne proximum quidem sibi aërem perrumpere, sed resistit, in quorum numero Antipherontem ponit Aristoteles.

Antiphili portus, locus juxta mare Rubrum è latere Africano. Strabo. *lib.* 16. *Vella* nunc, teste Stuckio.

Antiphilus, Atheniensis, militaris rei peritiâ ac fortitudine præstans, in locum Leosthenis, ad Lamiam, ictu lapidis in caput afflicti ac triduo pòst extincti, Olymp. 114. an. 2. suffectus. Diod. XVIII.

Antiphilus, nobilis pictor, qui inter egregia opera puerum in ignem curvatum, & flantem pinxit, quo igne paululum flatu excitato, tota domus videbatur aliquantulum lumen accipere per noctem. Idem jocoso nomine Gryllum ridiculo habitu pinxit. Ipse in Ægypto natus didicit à Ctesidemo Plin. 35.10. Fuit Apellis æmulus. Lucianus.

Antiphon, quidam scripsit librum περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων, è quo Laërtius Diogenes, *lib.* 8. Pythagoræ vitam illustrat. Citat eundem, sed περὶ τοῦ βίου τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων, Porphyrius, *in Vita Pythagora*, & ex illo Cyrillus, *lib.* 10. *contra Julianum.* Glauci Rhegini, *de Poetis*, liber *Antiphonti* (non *Antiphonti* Latinè, ut judicant Grammatici, Sosipater Charisius, *l.* 1. & Priscianus, *lib.* 6. servatur tamen Græca flexio à Cicerone aliisque, quos imitamur) adscriptus est à quibusdam. Idem autem sit Antiphon, necne, non facilè dixerim, cùm multi ejus nominis fuerint, uti eos collegit Jonsius.

Primus avus fuit Antiphontis illius, qui in Parmenide Platonis loquens introducitur, pater verò Pyrilampis, teste Platone, ubi supra. Pyrilampen etiam Antiphontis filium memorat Plutarchus, *lib. de Socratis Genio.*

Secundò, Antiphon quidam Rhamnusius, apud Thucydidem ad Olymp. 92. laudatur. Sic enim ille, *lib.* 8. Ὁ μέντοι ἅπαν τὸ πρᾶγμα ξυνθεὶς ὅτῳ τρόπῳ κατέστη ἐς τοῦτο, καὶ ἐκ πλείστου ἐπιμεληθεὶς, Ἀντιφῶν ἦν, ἀνὴρ Ἀθηναίων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀρετῇ τε οὐδενὸς ὕστερος, καὶ κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος, καὶ ἃ γνοίη εἰπεῖν. Καὶ ἐς μὲν δῆμον οὐ παριὼν, οὐδ' ἐς ἄλλον ἀγῶνα ἑκούσιος οὐδένα, ἀλλ' ὑπόπτως τῷ πλήθει διὰ δόξαν δεινότητος, (id est, ῥητορείας, teste Scholiaste) διακείμενος. Τοὺς μέντοι ἀγωνιζομένους καὶ ἐν δικαστηρίῳ καὶ ἐν δήμῳ πλεῖστα, εἷς ἀνὴρ, ὅστις ξυμβουλεύσαιτό τι δυνάμενος ὠφελεῖν. Καὶ αὐτός τε, ἐπειδὴ τὰ τῶν τετρακοσίων ἐν ὑστέρῳ μεταπεσόντα, ὑπὸ τοῦ δήμου ἐκακοῦτο, ἄριστα φαίνεται τῶν μέχρις ἐμοῦ ὑπὲρ αὐτῶν τούτων αἰτιαθεὶς, ὡς ξυγκατέστησε, θανάτου δίκην ἀπολογησάμενος. Rhamnusium hunc appellat Plutarchus, *in Niciâ*, & quòd Nicias, (qui Olymp. 91. an. 4. cum Demosthene itidem duce Atheniensium à Siculis occisus est, Thucydide, *lib.* 7. ac Diodoro Siculo, *lib.* 13.) Antiphontis' eloquentiam, populo jam suspectam fuisse, observaverit, tradit. Atque hic Antiphon, qui Olymp. 92. an. 1. unus è Quadraginta fuit, sequenti anno, quo eorum potestas abrogata est, ac Thucydides historiam suam finiit, damnatus, egregiâ oratione se defendit. Quod etiam Cicero testatur *lib. de claris oratoribus*, his verbis: *Antea neminem solitum viâ nec arte, sed accuratè tamen, & de scripto plerosque dicere: scriptasque fuisse & paratas à Protagorâ rerum illustrium disputationes, qua nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam accepimus, cum singularum rerum laudes, vituperationesque conscripsisset, quòd judicaret hoc Oratoris maximè proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque, rursus affligere. Hinc Antiphontem Rhamnusium similia quadam habuisse conscripta, quo neminem unquam melius ullam orasisse capitis causam, cùm se ipse defenderet, se audiente, locuples autor scripsit Thucydides.* Addit Cicero de suo, habuisse Antiphonta locos quosdam communes Rhetoricos conscriptos, quibus uteretur. Alii fingunt hunc orationes complures scripsisse. Vide Plutarchi *librum de* 10 *Orat.* Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Strom.* ex Diodoro primum eum Scholasticas declamationes, & Rhetoricas figuras atque proprietates invenisse, & judicialem orationem scripsisse ac δικανικὸν χαρακτῆρα extulisse tradit. Quod si verum esset, Thucydides in Antiphontis laude minimè reticuisset. Contradicit Cicero *in Bruto* huic sententiæ, ubi inter antiquos Rhetores, quos enumerat, eum præterit, pòst tamen de eo illa tradit, quæ supra adduximus, quibus addit Lysiam, Theodorum, Isocratem ea invenisse, quæ Antiphonti aliàs tribuuntur à Plutarcho & Clemente. Occisus tandem Antiphon hic est à pop. Atheniensi, Olymp. 92. an. 2. De cujus morte Theramenes Cothurnus ille, qui Olymp. 94. an. 1. interfectus fuit, apud Xenophontem, *lib.* 2. Ἑλλην. Ἀλλὰ μὲν καὶ Ἀντιφῶντος ὑφ' ὑμῶν ἀπολλυμένου, ὃς ἐν τῷ πολέμῳ δύο τριήρεις εὖ πλεούσας παρείχετο. Errant igitur, qui Antiphonta hunc, ante Triginta viros Olymp. 3. an. 49. constitutos occisum, sub iisdem adhuc vixisse contendunt. Vid. Plutar. *de Vitis* 10. *Rhet.* Errat Cæcilius apud eundem, qui hunc Antiphonta Thucydidis discipulum esse scripsit. Verisimilius est, quod habet Suidas *in* Ἀντιφῶν, præceptorem ejus ignorari, discipulum fuisse Thucydidem: quod Marcellini quoque testimonio in Thucydidis vitâ comprobatur. Error quoque in Plutarcho *lib. de* 10. *Rhet.* hîc notandus postremò est, ubi de Antiphonte agit: Ἔγραψε δὲ καὶ κατὰ Ἱπποκράτους τοῦ ἰατροῦ στρατηγοῦ λόγον. *Scripsit quoque Orationem contra Hippocratem Medicum* (hanc vocem Xylander in versione sua rectè omittit, & in Annotationibus eandem benè, tanquam glossema, expungendam esse judicat) *ducem.* Vox ἰατρὸν ab imperito librario sive lectore, qui Hippocrati Medico famam quandam inde & gloriam conciliare voluit, margini, credo, prius adscripta, pòst in textum recepta est. Verùm ἰατρὸς hîc & ex Photii Eclogâ rejiciendum esse multa probant. Hippocrates ille στρατηγὸς, apud Plutarchum, Atheniensis fuit, & Atheniensium militum dux, Ariphronis filius, qui Megaram proditione frustra tentavit, postea longos ejus muros cepit, Nisæam occupavit, Delium in Bœotia munivit, cum Bœotis acie conflixit, & cecidit Olymp. 89. an. 1. teste Thucydide, *lib.* 4. Confer Diodorum, *lib.* 12. 66. & Pausaniam *in Laconicis.* Quæ omnia in Hippocratem medicum non convenire, nemo inficias ibit. Sed ad Antiphontem nostrum Rhamnusium redeamus, qui, ob suam prudentiam & facundiam, *Nestor* dictus est, teste Plutarcho, *lib. de* 10. *Orat.* Quid quod omnes viri sapientes dicti sunt Rhamnusii, propter Antiphontis Rhamnusii summam sapientiam, teste Suidâ, *in* Ῥαμνούσιος. Hujus vitam scripsit Cæcilius, eumque secutus Plutarchus, sed sapienti Rhamnusio plurima tribuunt aliis tribuenda. Imò jam ante Cæcilii ætatem multa Antiphonti falsò fuerunt supposita. Hic enim apud Plut. è 60. Antiphontis Orationibus 25. spurias esse dicit. Plurimas sanè etiamnum Antiphonti orationes ab antiquis tribui observavimus, de quibus jure dubites, Antiphontis sint, necne. Antiphontis λοιδορίας & convitia in Alcibiadem scripta citat Plut. *in Alcibiade*, & Athen. *lib.* 12. *cap.* 5. ubi de mollitie Abydenorum oratione solutâ egit. Ejusdem omnino Antiphontis nomine Orationes quædam supersunt, quæ tamen Scholasticæ sunt, atque fictæ declamationes, & Antiphontis nil præter nomen habent. Antiphontis, *de cæde Herodis* citat Harpocration, *in* Φροῦδος. Ejus περὶ ὁμονοίας memorat Etymologus *in* θεαιδέστατος. Ejusdem πολιτικὸν Athenæus 10.6. Etymologus, *in* Εὐσύμβολος. Priscianus *lib.* 18. *Gram.* quorum hic loco ejusdem ὀλιγαρχικὸν citat. Ejus περὶ τρυγωνέων εἰ γνήσιος, adducit Varinus, *in* φιλοσελήνη & περὶ τῆς μεταστάσεως, idemque *in voce* στασιώτης. Ejus τέχνην laudat Ammonius *de diff. vocum, in* Σημεῖον, & fortè etiam Galenus *præfat. Glossarum.* Qui ipse *comm.* 1. *in Hippoc. de offic. med. Sect.* 3. Laudat Antiphontis primum περὶ Ἀληθείας. Secundum ejus περὶ Ἀληθείας citat Etymologicus *in* χρυπτοῦσα. Antiphontis etiam περὶ Ἀληθείας citat Hesych. *in* Ἄβιος. Ejus Φοινικικὰ adducit Ammonius *de diff. vocab. in* ἐνθύμημα. Eidem Antiphonti tribuuntur quædam sententiæ. Antiphon Rhetor dixit γηρωτροφία προσέοικε παιδοτροφίᾳ, apud Clem. Alex. *lib.* 6. *Strom.* Aliud Antiphontis dictum citat Plutarchus, *in Antonio*, Τὸ πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος. Eidem tribuendæ sententiæ Antiphontis apud Stobæum quamplurimæ. Fortè & hunc Rosciana imitatio apud Cicer. 2. *de Orat.* signat. Hunc *Antiphonta* quidam Sophili faciunt filium, λογομάγειρον quoque dictum: de quo magnificè admodum Thucyd. *lib.* 10. Tandem αὐτοδίδακτον eum fuisse docent, &c.

Tertius, Antiphon quidam τερατοσκόπος fuit, de quo Suidas. Ἀντιφῶν Ἀθηναῖος τερατοσκόπος καὶ ἐποποιὸς, καὶ σοφιστής. Ἐκαλεῖτο δὲ λογομάγειρος. Atque hunc ceu distinctum ab Antiphonte Rhamnusio recenset Suidas, de quo postea agit. Laërtius *in Socrate*: Τούτῳ τις, καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ ποιητικῆς ἐφιλονείκει Ἀντίοχος Λήμνιος καὶ Ἀντιφῶν ὁ τερατοσκόπος. Hic omnino est, cujus Clemens *lib.* 7. *Strom.* meminit: Χαρίεν τὸ τοῦ Ἀντιφῶντος οἰωνισαμένου τινὸς, ὅτι κατέφαγεν ὗς τὰ δελφάκια, θεασάμενος αὐτὴν ὑπὸ λιμοῦ διὰ μικροψυχίαν τοῦ τρέφοντος κατισχναμένην, Χαῖρε, εἶπεν, ἐπὶ τῷ σημείῳ, ὅτι οὕτω πεινῶσα τὰ σὰ οὐκ ἔφαγε τέκνα. Eadem ferè habet Theodoretus *Serm.* 6.

Quartò, Antiphonta quendam divitem cum Socrate disputantem introduxit Xenophon, *lib.* 1. ἀπομνημ. Quis verò Antiphon ille fuerit, non indicat, Plut. *in vita Antiphontis*, & Photius *Tmem.* 259. Cæcilium, ut apparet, secuti, Antiphontem Rhamnusium in Xenophonte intelligendum putant.

Quintò, Antiphontem quendam pauperem Andocydæ filium memorat Aristophanes, *in Vespis*: Ἦν χελώνας, & πολλάκις δὲ &c. Ubi Schol. addit, Ἀντιφῶν τοῦ Ἀνδοκίδου, περὶ οὗ προείρηται. Καὶ οὗτος δὲ πένης ἦν ὁ Ἀντιφῶν.

Sextò, Antiphon quidam Rhamnusius, Rhetor ineptus fuit. Testis est Socrates apud Platonem *in Menexeno*: Ἀλλὰ καὶ ὅστις ἐμοῦ

ἐμῦ κᾳκίον ἐπαιδεύθη, μυσικὴν μὲν ὑπὸ Λάμπρυ παιδευθεὶς, ῥητορικὴν δὲ ὑπ' Ἀντιφῶντος τῦ Ῥαμνυσίυ. Οἱ περὶ Θεόδωρον καὶ Θρασύμαχον καὶ Ἀντιφῶντα σπυδῆς ἄξιον ὐδὲν δῶρον, ait Dionysius, *epist. ad Ammæum de Demosthene.* Ἀντιφῶν ὁ Ῥαμνύσιος τὸ αὐστηρὸν ἔχει μόνον καὶ ἀρχαῖον, ἀγωνιστὴς δὲ λόγων ὔτε συμβυλευτικῶν ὔτε δικανικῶν ἐστι. Idem *in Isæo*, ubi eum cum Thrasymacho Chalcedonio, Polycrate Atheniensi, Critiâ Trigintaviro & Zoilo, qui contra Homerum scripsit, Rhetoribus enumerat. Fortè idem; quem cum Isocrate & Isæo pueros Rhetoricam in scholis docuisse scribit Plut. *lib. de Glor. Athen.* nisi propterea de alio Antiphonte hæc accipienda videntur, quòd post Isocratem nominatur. Carpit Deipnosophista, apud Athenæum 11.15. quòd malè de Antiphonte & Lampro loquatur Socrates apud Platonem. Hermogenes *l.* 2. περὶ ἰδεῶν, ubi duos Antiphontes Rhetoras; eorumque unum Rhamnusium ἀρχηγὸν τῦ τύπυ πολιτικῦ facit, alterum omnino nostrum duriore dicendi genere usum fuisse tradit.

Septimò, Antiphon quidam, Antiphontis primi nepos, Pyrilampis filius, Platonis, Adimanti, & Glauconis ὁμομήτριος frater erat, teste Platone *in Parmenide.* Νεώτατον appellat Plut. *lib.* περὶ φιλαδελφ. Fortè Pyrilampes hic est idem cum illo ὀρνιθοτρόφῳ, qui avibus & præcipuè pavonibus delectabatur. Taxat eum propterea Arist. *in Vespis.* Sanè Plut. *in Pericle*, Pyrilampen, qui Periclis familiaris erat, à Comicis propterea traductum scribit, quasi mulieribus, quibus Pericles miscebatur, pavones subjiceret. Antiphon Rhetor orationem *de pavonibus* habuit, teste Athenæo 9.12. in qua Δήμου τὸν Πυριλάμπυς (*Sic legendum, non* Πυλάμπυς) varias aves nutrire scribit, quæ à multis spectentur. Memorat eandem orationem Eust. *in Il. β fol.* 259.

Octavò, Antiphonta Critobuli filium memorat Hippocrates, *in Epidemiorum libris*, apud Galenum *lib.* 2. *de diebus critisis cap.* 5.

Nonò, Antiphon quidam circuli quadraturam tradidit, teste Aristotele *lib.* 1. *de Sophist. Elench. cap.* 10. & *lib.* 1. *Phys. cap.* 2. ubi Simplicius eum Sophistam appellat.

Decimò, Antiphon quidam poëta fuit; quem Dionysius senior Siciliæ Tyrannus è medio sustulit, quòd tragœdias ipsius vituperaverit. Vide Plutar. *lib. de* 10. *Rhet.* Dionysii verò senioris Tragœdias laudat Plutarchus *in Timoleonte.* Idem *lib. de disc. adul. & am.* docet, Tyrannum sermone paulo acerbiore ab eo irritatum: Roganti enim Dionysio, quodnam æris genus optimum esset, respondit, illud è quo Harmodii & Aristogitonis statuæ conflatæ sunt. Hi autem Tyrannicidæ fuere. Verba sic habent: Κακῶς δὲ καὶ Ἀντιφῶν παρὰ Διονυσίῳ ζητήσεως ὔσης καὶ λόγυ, ποῖος χαλκὸς ἄριστος; ἐκεῖνος, εἶπεν, ἐξ ὗ κατεσκεύασαν Ἀθηναῖοι τὰς Ἁρμοδίυ, καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας. Οὔτε γὰρ ὠφελεῖ τύτων τὸ λυπηρὸν καὶ πικρὸν, ὔτε τέρπει τὸ βωμολόχον καὶ παιδιῶδες. Ἀλλ' ἐστὶ κακοήθεια καὶ ὕβρει μεμιγμένης ἀκρασίας μετ' ἔχθρας τὸ τοιῦτον εἶδος, ᾧ χρώμενοι προσαπολλύυσιν αὐτὺς, τὴν περὶ τὸ φρέαρ ὄρχησιν ἀτεχνῶς ὀρχύμενοι. Καὶ γὰρ Ἀντιφῶν ἀπέθανεν ὑπὸ Διονυσίυ. Confer eundem, *de Contradict. Stoic.* Antiphontis hujus procul dubio moribundi dictum adfert Aristoteles *lib* 2. *Rhet. cap.* 6. Ἀντιφῶν ὁ ποιητὴς μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίυ, ἰδὼν τὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας ἐγκαλυπτομένυς, ὡς ᾔεσαν διὰ τῶν πυλῶν, Τί ἐγκατακύπτεσθε, ἔφη, ἢ μὴ αὔριόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τύτων; Fortè hic est ὁ τραγῳδοποιὸς Athenæo sic dictus *lib.* 15. *cap.* 4. cujus Πλήξιππον Aristot. *Rhet.* 2.2. & Ἀνδρομάχην Autor Ethicorum Eudemiorum *lib.* 7. *cap.* 4. citant. Hunc Antiphontem cum Rhamnusio confundit Plutarch. ubi supra.

Undecimò, Antiphon quidam Atheniensis fuit somniorum interpres, qui, de sua arte, librum scripsit. Suidas, Ἀντιφῶν Ἀθηναῖος ὀνειροκρίτης, περὶ κρίσεως ὀνείρων ἔγραψεν. Meminit ejusdem Cic. *lib.* 1. & 2. *de Divinat.* De eodem Sen. *Controv.* 9. *Otho Junius edidit quidem* 4. *libros colorum, quos bene Gallio noster Antiphontis libros vocabat, tantum in illis somniorum est.* Tertullianus *lib. de Animâ*, ubi de somniis agit: *Quanti autem commentatores & adfirmatores in hanc rem, Artemon, Antiphon, Strato Philochorus, Epicharmus,* &c. Meminit ejusdem Fulgent. *lib. Mythol.* ubi malè *Antiphon Philocrus* dicitur, cùm *Antiphon, Philochorus* legi debeat.

Duodecimò, Antiphon quidam à Demosthene coram Areopago proditionis accusatur, quasi Philippo Macedoni navalia Atheniensium se concrematurum clam pollicitus esset; & capitis damnatur. Plut. *in Demosth.*

Denique Antiphonta quendam Georgicorum scriptorem laudat Athenæus *lib.* 14. *cap.* 17.

Antiphonus, Priami fil. qui comitabatur patrem, cùm Hectoris corpus ab Achille redimeret. Hom. *Iliad. ult.*

Antiphra, op. prope Alexandriam, non procul à mari. Steph.

Antiphus, Priami fil. ex Hecuba; quem Agamemnon unà cum Iso fratre, sed illegitimo thoro nato, in bello Trojano interfecit. Item Thessali fil. & nepos Herculis, qui cum fratre Philippo dux 30. navium cum aliis Græcis ad Trojam commigravit. Hom. *Iliad.* 2. Item Antiphus & Halitherses, Ulyssis amici. Hom. *Odys.* 17.

Antipodes, Subtilis, & diversa apud veteres fuit inquisitio? Sintne homines, qui sub terrâ, sua vestigia nostris opposita habeant, nec ne? Quod ita esse ratione satis evidenti Macrob. 2. *de Somn. Scip.* & Plin. 2. 65. ostendere conantur. De his Cic. *lib.* 4. *Acad. Qu. Nonne etiam dicitis esse è regione nobis, è contrariâ parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis?* Fuere verò nonnulli, qui credebant fabulosa esse omnia, quæ de Antipodibus referuntur, quorum rationes videre licet apud Plut. *lib. de facie in orbe Lunæ.* Præcipuè verò Christiani; Vide Lact. 3. 24. August. *de Civ. Dei*, 16.9. Quibus assentitur Lucretius *lib.* 1. *vers.* 1063. quem vide. Festivè ac lepidè Seneca *Ep.* 122. luxuriosos homines, qui noctu potant, interdiu dormiunt, *Antipodas* vocavit: quem locum operæ pretium erit videre. Vide *Antœci.*

Antipœnus, Thebanus nobilissimus, cujus filiæ pro patriæ salute seipsas interfecerunt. Pausan. Vide *Anticlea.*

Antipolis, Galliæ Narbon. urbs, in Provincia, cum portu. Sedes olim Episc. quæ Grassam translata, ab Innoc. 4. ob aëris insalubritatem & frequentes piratarum incursiones. Durante schismate, inter Robertum Genev. Cardinalem, qui Clementis 7. nomine sumto, Urbano 6. obnitebatur; prior urbem hanc nobilibus quibusdam Genuensibus oppigneravit, tradiditque, eo quòd Episcopus Grassensis partibus suis non faveret. Qui contractus, licèt à Concilii Basil. patribus irritus pronuntiatus, ab Eugenio tamen confirmatus est, Vicario Apostolico in hac urbe, privatis jurisdictione Eccl. Episcopis, constituto. Quæ lis hodieque durat. *Antibe* hodie. Martial. *lib.* 13.

Antipolitani fateor sum filia thynni.

Vide sis eundem *lib.* 4. *Epigr.* 89. long. 29.49. lat. 42.30. Urbs hodiè permunita est, cum portu in Provin. A Nicæa 3. leucis in Occas. 2. à Vincio, in merid. & 7. à Foro Julii in Cæciam.

Antipyrgus, urbs Marmaricæ. Ptol. *Tetrapyrgia* Straboni, *Luco* hodie, Castaldo interprete.

Antiqua, Antigoa, Ins. Americæ Septen. sub Anglis, in mari *del Nort.* Una est ex Antillis Insul. inter Barbatam & Guadalupam. long. 7. leuc.

Antirites, Larite, fluv. Sarmatiæ. Vid. *Anticittus.*

Antirrhium, promuntorium Achaiæ, seu Ætoliæ, contrà Rhium promuntorium. Plin. Hodie *S. Andrea.*

Antirrhodus, Ægypti insula circa Pharum. Strabo.

Antisara, Datinorum urbs, & portus. Dicitur & *Tisara.* Steph.

Antiscota, Ins. Amer. septentr. aliàs *Ascensionis Ins.* in novâ Francia, & Sinu S. Laurentii, ubi aliquot Coloniæ Francorum.

Antissa, vulgò *Antessa*, op. in Lesbo ins. versus Boreal. partem Ins. Stephanus addit, insulam quoque unam Cycladum sic vocari, & aliam Indiæ. Est & insula Lesbi adjuncta. Plin. 2. 29. Ovid. *Met. lib.* 15.

Fluctibus ambita fuerant Antissa, Pharosque,
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.

Vide *Lesbos.*

Antissiodorum, aliis *Altissiodorum*, Ammianus Antosidurum vocat; Galliæ civitas in Senonensi provinciâ quondam à Burgundis subdita, incendio repentino combusta, à Mathilde Comite restaurata, qualis hodie conspicitur. Vulgò *Auxerre.* Urbs ampla & culta, in fertili planitie. Sita est ad Icaunam flu. cum Comit. & Episc. qui à Senonum Arch. dependet. Emit sibi hanc ditionem Carolus 5. à Johanne Cabillonensi, An. 1372. ibique Juridiciale prætorium seu Balliviatum constituit. Aliàs quoque *Autricus* dicta. Amm. Marcellinus, Prosper, Ericus poëta & Usuardus. Concilium ibi An. 578. sub Pelagio 2. & An. 1147. in quo Gilbertus Episc. Pict. fidei rationem reddidit. Otto. *l.* 1. *de Vita Friderici Imp. c.* 45.46.

Antisthenes, Patre Atheniensi, matre verò Phrygiâ natus, Philosophus, posteaquam docuisset Rhetoricam, audissetque Socratem, dixisse fertur discipulis, Abite & magistrum quærite, Ego enim jam reperi, statimque venditis, quæ habebat, & publicè distributis, nihil sibi præter palliolum reservavit. Princeps fuit Cynicæ sectæ, & ad audiendum Socratem, quotidie ibat ex Piræeo, 40. stadiis emensis, acutus magis quàm eruditus. Præceptor Diogenis fuit. Patientiam & duritiem adamavit. Multos populares esse Deos asserebat, unum tamen naturalem rerum omnium artificem: Cui illud Plutarc. tribuit: *Ad Rempublicam accedendum est, ut ad ignem*; μήτε λίαν ἐγγὺς, ἵνα μὴ καῇς, μήτε πόρρω ἵνα μὴ ῥιγώσῃς. id est, *neque nimis prope, ne uraris; neque nimis procul, ne frigeas.* Idem Pontio cuidam adolescenti, cùm ei se in disciplinam tradere vellet, rogaretque, quibusnam rebus sibi opus esset, respondit, βιβλιαρίυ καινῦ, καὶ γραφίυ, καὶ πινακιδίυ καινῦ, τὸν νῦν παρεμφαίνων. Interrogatus item, quid omnium esset apud homines beatissimum? εὐτυχῦντα, ἔφη, ἀποθανεῖν. Et familiari apud se deploranti, quòd commentaria perdidisset, oportebat, inquit, ἐν τῇ ψυχῇ αὐτὰ, καὶ μὴ ἐν ταῖς χάρταις γράφειν. Rursum interrogatus, Quænam esset disciplina maximè necessaria? mala, inquit, dediscere: τῶν μαθημάτων ἀναγκαιότατον τὰ κακὰ ὑπομαθεῖν. Denique eosdem dixit esse τὺς εὐγενεῖς, καὶ τὺς ἐνάρετυς. Diog. Laërt. Scripsit 10. ingentia volumina, ut idem auctor refert. Fuit & *Antisthenes*, Heracliti discipulus: Alius Ephesius; Tertius Rhodius historicus, uti tradit Laërtius. Fuit &

Anti-

Antisthenes Sybarita. *Antisthenes* etiam Peripateticus Philosophus citatur à Phlegonte Tralliano. *Mirabil.c.3.* Vid. Voss. *de Hist.Gr.lib.3.pag.325.*

Antistia, Rubellii Plauti uxor. Tacit.XIV.22.

Antistiana, Hisp.citer. urbs inter Barcinonem & Tarraconem. Anton.

Antistius, Romanus nobilis, qui uxorem, quam cum libertino fabulari viderat, repudiavit. Alex.ab Alex. *lib.4.*

Antistius, Orator, unus ex illis, quorum curæ Marcus Antoninus Imper. filium suum Commodum commiserat. Volater. *anthrop.lib.14.*

Antistius Petro, Gabiis oriundus, per quem fœdus illud celebre inter Romanos & Gabinos regnante Tarquinio superbo ictum. Dionys. *lib.4.* Vide Fulvium Ursinum *ad lib. 6. Cæsar. comment.*

Antistius Reginus, prænomine *Cajus*, Cæsaris in Gallia *lib.6.* & 7.leg.cum L.Caninio Rebilo. Sed non is est, qui in denario Augusti *C. Antistius Reginus IIIVir* dicitur monetæ cudendæ. Nam ab uno ad alterum anni intersunt plus ferè quàm quinquaginta, ut verisimilius sit, Antistium III. virum filium fuisse legati Cæsariani. *Antistia* verò gentis duæ exstiterunt familiæ & *Reginorum* & *Veterum.*

Antistius Sosianus, tempore Neronis Plebei tribunus, incusatus ob licentiam à Senatu, quòd immodestos fautores histrionum & à Prætore in vincula ductos omitti jussisset. Tac.XIII.28. Prætor factus probrosa carmina in Neronem factitavit vulgavitque celebri convivio apud Ostorium Scapulam. Exin condemnatus accusante Cossutiano Capitone & publicatis bonis in Insulam deportatus est. P. Mario, L. Asinio Coss. *lib.XIV.48.* Ubi sceleratis fraudibus Antejum & Ostorium Scapulam pervertit, ut sibi reditum impetraret. Vid.Tacit. *lib.XIII.& XVI.14.* Sub Vespasiano egressus exilium in easdem Insulas redactus est. *Hist.IV.44.*

Antistius Turpio, miles factionis Pompejanæ in Hispaniâ, ita fidens viribus, ut adversarios Cæsarianos solus ad pugnam provocarit. Hirtius.

Antistius Vetus, prænomine *Cajus*, Triumvir monetæ cudendæ, de quo exstat Laureæ Tullii Epigramma, apud Plinium.

Antistius Vetus, è Primoribus Macedoniæ absolutus adulterii, increpitis judicibus; ad dicendam majestatis causam, à Tiberio retractus, ut turbis & Rhescuporidis consiliis permixtus, quâ tempestate Cotye fratris filio interfecto, bellum adversus Romanos voluerat. Igitur aquâ & igni interdictum reo, adpositumque ut teneretur insulâ, neque Macedoniæ neque Thraciæ opportunâ. Tacit.III.38.

Antitactici, hæretici, ex Gnosticorum portentosa secta suppullulantes, peccatum adeò non malum esse agnoverunt, ut etiam præmio dignum statuerent. Clemens Alex. *Strom. l.3.* Baronius, An.C.120.

Antitaurus, mons Armeniæ min. à Tauro in Septentr. avulsus, in cujus convallibus Comana urbs est. Illum *Roham Thoura* ab incolis vocari scribit Thevetus.

Antitheus, Atheniensium Archon, Olymp.166. Paus. *lib.7.*

Antivestæum, promuntorium Angliæ extremum, ad occid. in Cornubia reg. *Belerium* Ptolemæo. Variè hodie nominatur, *The cape of Corwall* Camdeno; vulgò *The lands end*, quasi finis terræ & *Penriguaed.*

Antium, vetus urbs in Latio, Volscorum caput, Neronis patria, Romanorum colonia: ab Ostia 20.m.p. in Eurum, à Velitris; 14. in Merid. Ita dicta, quòd ante alias urbes, in ipso litore sita fuerit, ad Romanorum otium, rerumque urbanarum permutationem accommodata. Ovid. *Met.15.*

——— *Spissi litoris Antium.*

In hâc fuit Fortunæ templum celebre. Horat.1. *Carm.od.35.*

O Diva gratum quæ regis Antium, &c.

Variè formatur vocabulum hujus opidi. Straboni, Dionysio, Appiano ac Ptolemæo, Ἄντιον dicitur. At qui hos deinceps consecuti sunt Græci, variè id formarunt, modò Ἀντία & Ἄντεια, modò Ἄνθεια, atque Ἄνθιον. In quorum duobus posterioribus haud dubiè Grammatici nugatores ἀπὸ τοῦ ἄνθους, id est, à flore originem somniarunt. Solinus *cap.8. Constituta ab Ascanio Longa Alba, Fidena, Antium.* Populi Suidæ *Antiates*, ac Dionysio Halic. passim Ἀντιάται. At Valerio Maximo 1.8. *Antiense templum* dicitur; & Suetonio in Caligula, *cap.57. Antiatinæ sortes.* Ipsa urbs haud amplius restat; Nomen ejus verò etiamnum durat in promuntorio, cui vulgaris adpellatio *Capo d'Anzo.* Ad cujus etiam latus occidentale specula in litore posita vulgò dicitur *Torre d'Anzo.* Vide omnino doctiss. Cluverium *Ital. Antiqu.lib.3.pag.986.* long.36.30.lat.41.20. Nunc etiam *Antio rovinato.* Navale autem Antiatum nunc à multis creditur Neptunium, *Nettuno*, opp. aliàs Colunnensium, 2. mill.ab Antio, in Campania Rom.& ora maris Tirrheni.

Antobroges, Aquitaniæ populi Narbonensi Provinciæ contermini, non procul à Cadurcis. Plin. 4.9.

Antœci, Si relativè considerentur partium terræ habitatores, respectu ad se invicem, alii *Periœci* sunt, alii *Antœci*, alii *Antipodes. Periœci* sunt, qui pari Latitudine ab Æquatore distant, & ab eodem Æquatoris latere habitant (utrique scil. à Boreali ejus latere, aut utrique ab Australi) sed Longitudinem planè oppositam habent, ita scil. ut ipsorum Meridiani 180. gradibus à se invicem distent. Tales sunt incolæ Virginiæ in America, respectu Chinensium in Asia ultima. His par dierum longitudo, & pares anni tempestates, pari tempore contingunt; sed dum aliis meridies, aliis media nox est. Jam verò *Antœci* sunt, qui eandem Longitudinem habent, quippe sub eodem Parallelo habitantes, & parem etiam Latitudinem, sed hi Borealem, illi Australem: Tales sunt Peloponnesi in Græcia incolæ, respectu extremæ Africæ habitatorum ad Caput Bonæ Spei. His simul meridies est, & pariter media nox; Sed cùm aliis horum æstas est, aliis hyems est; cùm aliis dies longissimi aliis, brevissimi. Denique *Antipodes* sibi invicem sunt, quibus tam Longitudo, quàm Latitudo opposita est, ita ut toto Sphæræ diametro à se invicem distent. Tales sunt Chinenses, respectu incolarum Chili Americanæ regionis. His omnia contraria; dum aliis horum meridies, aliis media nox est; quæ aliis æstas, aliis hyems; quæ aliis dies longissima, aliis brevissima. Montanus.

Antomenes, ultimus Corinthiorum rex, post quem annui Principes constituebantur.

Antona, fluvius & opidum Angliæ. Fluvium Polydorus Vergilius *Veium* dici testatur, incolis *Wie*, in Sabrinam influentem. Opidum *Northampton* teste Lipsio, nominatur. Sed aliis Fluvius *Nen* est, Bennaventam, sive Northamptonam (quasi Antonam Borealem dixeris) alluens. Cæterùm gemina est *Antona*, una Meridionalis in ora contra Vectim insulam, à Wintonia 10. m.p. distans, Emporium non obscurum, *Hampton* & *Southampton* Anglis dicta. long.19.15. lat.51.04. Altera Borealis *Northampton*, opidum celebre inter Londinum & Coventriam, inde 57. hinc 20.m.p. distans. Vide *Bennaventam.*

Antongil, seu *Antonii Ægidii* sinus, sub Poli Antarctici altitudine 16. graduum, ad Austrum Insulæ S. Laurentii, Incolis *Manghabei.* Magnus est, decemque milliarium amplitudinem habet: in ejus extremo est insula parva, post majorem sita, ubi statio navium secura, quocunque flante vento. Insula parva suos habet incolas, producitque fructus omnigenos, multæque ibi aquæ è montibus defluunt. Populus est nigerrimus, eorum capilli pilique barbæ non sunt crispi, ut verorum Maurorum, nec nasus, labiaque ita formata; audax est & robustus, ad pocula promptus, porcorum enim more se ingurgitant, inebriaturque potu ex oryza & melle cocto. Potus hic certis tantùm temporibus conceditur. Nulla alicujus momenti supellex in ipsornm domibus videtur: bibendo loco poculi longa arundine utuntur, quæ obturamento clauditur: quilibet habet propriam messem oryzæ. Nudi incedunt, nisi quòd corpus, linteo è subtiliori cortice composito, circundant: componunt storeas elegantes, quibus insident. Non omnes arma gerunt, immò nec ipsorum dimidia pars, armaque ipsorum sunt hastæ 9. aut 10. pedum, & parmæ ligneæ. Circundatur hic sinus oppidulis & vicis, estque navibus recreandis optimus. Natal. Metel.

Antonia, fil. Marci Antonii, ex Octavia, sorore Augusti, Domitii Ænobarbi uxor, mater Neronis & duarum filiarum. Hujus soror uxor Drusi.

Antonia, Vid. *Flaccilla.*

Antonia, uxor Drusi, mater Germanici, quam Valerius mirè laudat à continentia, & amore in conjugem *lib.4. cap.3.* Eam Plinius ait nunquam spuisse.

Antonia, soror Germanici. Item filia Claudii & Æliæ Petinæ, ex familia Tuberonum, ob causas leves à marito repudiata, Sueton. Tacit. *Annal.*

Antonia, castellum apud Hierosolymam ab Herode in M. Antonii gratiam sic dictum, nunc excisum; antea *Baris* dictum, teste Josepho *B.I.5.15.*

Antonii, ab Antone Herculis filio derivati. Plutarch. *in Antonio.* Patricios hos majorum gentium fuisse liquet. Fuerunt *Antonii* & plebeii. Ex Patricia Antonia gente fuerunt tres *Antonii*, duo *Merendæ*, alter Decemvir legibus scribundis, alter tribunus militum consulari potestate. Tertius Magister Eq. *Antoniorum* Gens plebeja Pietatis & Balbi cognomina usurpavit. Hæc & ipsa consulatibus septem, censuris duabus, magisterio equitum, triumfo, ovationibus duabus celebris novissimis Reipub. temporibus fuit. Vid. *Antonius, Cajus, Lucilius, Marcus.*

Antonii Diemeni reg pars terræ Austr. detecta sub auspiciis Anton. Diemeni Hollandi, Præfecti statuum Societ. Batavæ Ind. Orient. An.1642. die 24. Novembr. Ejus pars maritima tantùm nota est versus Austrum. Utrum autem Ins. sit, an continens, nesciunt. Insulis in littore quamplurimis referta est; estque in mari Pacifico, versus terram Austr. & media fere inter Hollandiam nov. & Zelandiam nov.

Antonina, urbs Batavorum, Utresium Ammiano, vulgò *Utrecht.* Aliis *Trajectum inferius*, vel *Trajectum ad Rhenum*, ad alterius in Brabantia discrimen, quod *superius*, & ad *Mosam* nominatur. Vid. *Ultrajectum.*

Antoninus, Imper. Rom. cognomento *Pius*, regn.an. 23. Anno D.138. Successit Hadriano Cæsari, à quo pro more adoptatus erat.

erat. Pacem coluit, deque omnibus benè mereri ſtudens, exteros reges, atque populos literis & humanitate in officio continuit. Urbes deſtructas, ædificiaque belli flammis conſumta in Inſ. Rhodo, Oriente, Africa, & Gallia, reparavit. Mauros, & Barbaros in Britannia repreſſit, muri ibi obice oppoſito. Obiit Anno C. 161. æt. 77. Imper. 22. menſ. 7. die 26. Xiphilin. Dion. Lamprid. Spartianus, Euſeb. *Chron.* Aurel. Victor. Eutrop. *lib.* 8. Jul. Capitolinus, & Oroſ. *lib.* 7. *cap.* 14. Ei ſucceſſit filius Marcus Aurelius *Antoninus*, cognomento Philoſophus, qui propinquum L. Aurelium Verum, ſocium Imperii ſibi adſumpſit. Per quem feliciter geſſit Parthicum bellum: Ipſe domi & in urbe Rempubl. curans. Deinde mortuo Vero, ſolus imperavit, & in Germanos benè rem geſſit: Marcomannos etiam oppreſſit, & Sarmatas, & Vandalos, & Quados, qui Pannonias invaſerant. Hic eſt ille Antoninus, qui Suidâ teſte, ſcripſit ἰδίου βίου διαγωγὴν βιβλίοις ιβ. Quæritur autem, utrum hi ſint illi ipſi libri, quorum inſcriptio τὰ καθ' ἑαυτὸν, ſive *de Seipſo*. Ita cenſet Xylander. Et favet huic ſententiæ, quòd & illi libri ſint 12. numero: & Suidas non alius operis meminit, quàm ejus quod dixi. Amplior tamen Inſcriptio eſt, quæ apud Suidam legitur; cùm in 12. illis libris, quos hodiè habemus, non tam vita Aurelii referatur, quàm illuſtria tradantur Sapientiæ præcepta. Quare alicui placere poſſit ſuſpicio Caſp. Barthii *Adverſar. lib.* 51. *cap.* 16. ubi cenſet, non exſtare ipſos Antonini libros, ſed excerpta ex iis, qualia veteres *Florida* ſive *Laudabilia*, Græci χρήσιμα dixere. Cui ſententiæ favere aliquis dixerit, quòd in codice ms. qui Romæ eſt, inſcribantur ἐκ τῶν καθ' ἑαυτὸν, Geſnero teſtante, Sed multo veriſimilius eſt, inquit Voſſius, τὰ καθ' ἑαυτὸν, idem eſſe opus, ac illud, quod Suidas appellat, ἰδίου βίου διαγωγὴν, non quaſi vitæ ſuæ hiſtoriam reliquerit, ut vulgò ſunt arbitrati: ſed quia ideam ſuæ vitæ condiderit. Siquidem ſunt hi duodecim libri de officio boni Principis, quos ſcripſit, non ad filium, ſicut Cicero tres libros de officiis filio ſuo miſit: ſed πρὸς ἑαυτὸν, hoc eſt, *ad ſeipſum*: nempe ut illos aſſiduè legeret, ac ſecundùm eos vitam componeret, ac mores. Opus hoc erutum è Palatina Bibliotheca primus in lucem emiſit Conradus Geſnerus. Latinè autem vertit Guil. Xylander. Ejus poſtea tralationem ad incudem vocavit Vir Clariſſimus Mericus Caſaubonus Iſ. fil. Eruditas præterea notas, & emendationes addidit. Poſteà verò recenſuit, ac perpetuo commentario illuſtravit Tho. Gatakerus Londinas, vir κριτικώτατος Cantabr. Anno Dom. 1652. At vita illa M. Aurelii Antonini, quæ ab Antonio Guevara, Mendonenſi Epiſcopo, & Cæſari Carolo 5. à Conſiliis, Hiſpanicè edita eſt, eâque è linguâ in alias translata fuit, nihil Antonini habet, *ſed tota eſt ſuppoſititia, ac genuinus Guevaræ ipſius fœtus; qui turpiter os oblevit lectori, planè contra officium hominis candidi, maximè Epiſcopi. Habet interim plurima lectu nec inutilia, nec injucunda*: imprimis verò Principi; unde & *Horologium Principum* inſcribitur. Eidem à quibuſdam tribuitur *Itinerarium Antonini Auguſti*, quod poſt Conſtantinum videtur editum, aut certè ſubinde mutatum, novis urbibus inſertis; meminit enim Conſtantinopoleos. Aliis id Antonino Auguſto Geoponicorum ſcriptori, nonnullis Æthico tribuentibus. Voſſius. Vid. *M. Aurelius*.

Antoninus Commodus, prioris laudatiſſimi Imperatoris filius flagitioſſimus fuit; per legatos devicit Mauros atque Dacos: compoſuit Pannonias, Germaniam, Britannias, imperium ejus recuſantes: ipſe interim in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitam degens. Vide *Commodus*.

Antoninus Baſſianus Caracalla, Septimi Severi Imp. filius. Hic eſt Antoninus ille, cui Oppianus libros ſuos de venatione, & piſcatione dedicavit. Ita enim orditur Κυνηγετικά:

Σοὶ, μάκαρ, ἀείδω γαίης ἐρικυδὲς ἔρεισμα,
Φέγγος ἐνυαλίων πολυήρατον Αἰνεαδάων,
Αὐσονίου Ζηνὸς γλυκερὸν θάλος Ἀντωνῖνε.
Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτήσατο Δόμνα Σεβήρῳ,
Ὄλβιῳ εὐνηθεῖσα, καὶ ὄλβιον ὠδίνασα.

Scribit autem Sozomenus in epiſtola ad Juniorem Theodoſium, quòd Antoninus eâ erga Oppianum uſus ſit liberalitate, ut pro ſingulo ejus operis verſu eum aureo uno donaverit; quod Imperatoriæ largitatis ac liberalitatis omnibus miraculum fuit; ut adhuc ipſius Oppiani carmina à plurimis Aurea ſint appellata. Vid. *Caracalla*. De variis Antoninis videndus Jonſius de Script. Hiſt. Phil. *lib.* 3. *c.* 10.

Antoninus Auguſtus, Scriptor Geoponicorum, auctor *Itinerarii Anton.* ſecundùm quoſdam. Voſſ.

Antoninus Heliogabalus, Vid. *Heliogabalus*.

Antoninus Liberalis. Vide *Liberalis*.

Antoninus, Patriarcha Hieroſ. ſeculo 6. Item, Epiſc. Epheſi, ſacrilegii accuſatus, ab Euſebio, Epiſc. Valentinopolitano, Godeau *Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 78. Item, *Antoninus Conſtantinianus*, cujus opera 3. tomo Biblioth. Patrum extant.

Antoninus, Arch. Florentinus eruditione & virtute inſignis, legationibus ad varios Pontifices obitis, Obiit An. C. 1459. Ab Adriano 6. inter Sanctos eſſe juſſus, A.C. 1523. Scripſit Summam Theologiæ, varia aſcetica, & hiſtoriam Chronol. quam Summam hiſtoriæ vocavit, in 3. partes diviſam. Mainardus *in Vita ejus*. Spond. An. C. 1459. *n.* 6.

Antoniopolis, civitas Meſopotamiæ. Am. Marc. *lib.* 18.

Antoniopolitæ, Lydiæ populi, qui Mæandro alluuntur.

Antonius Gnipho, poëta Gallus, Romæ docuit Rhetoricam, & poëmata in domo Julii Cæſaris adhuc pueri, cujus ſcholam Cicero & alii clari viri frequentaſſe dicuntur. Nihil unquam de mercedibus pactus eſt, eoque plura ex diſcentium liberalitate conſecutus eſt. Vixit an. 50. Sueton. Nomen *Antonii* quod attinet, Græcè Ἀντώνιος ſignificat *certatim emptum*, id eſt, pretioſum vel facilè vendibilem. Sic Ἀντωνέομαι, liceor adverſus aliquem. Lyſias. Malè ſcribitur Anthonius & ab Ἄνθος deducitur à quibuſdam, ac ſi idem ſonaret quod *Florens, Florentius, Thales, Euthalius*. Utinamque hoc non excidiſſet Camdeno, vel quicunque fuit is qui Relliquias ejus publicavit: ubi additur, quoſdam derivare hoc nomen ab *Antone* ſocio Herculis, ut eſt apud Gellium.

Antonius Marcus, Orator Triumviri Antonii avus, de quo Tullius *in Bruto: Omnia veniebant Antonio in mentem, eaque ſuo quæque loco, ubi primum proficere, & valere poſſint. Ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, ſic ab illo in maximè opportunis orationis partibus collocabantur. Erat ei memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur, ſed ita erat paratus, ut Judices, illo dicente, nonnunquam viderentur non ſatis parati ad cavendum fuiſſe.* Interfectus fuit à Mariana factione, unà cum plurimis aliis clariſſimis civibus, quorum capita in roſtris pependere. Lucan. *lib.* 2.

——Aut te præſage malorum
Antoni, cujus lacerum pendentia canis
Ora ferens miles feſtæ rorantia menſæ
Impoſuit.——

Vide Val. Max. *lib.* 9. *c.* 2.

Antonius Marcus, Oratoris filius natu major, Cottæ conſulis & Cethegi favore in Senatu curationem rei frumentariæ totius oræ maritimæ, cum infinito imperio, ſub initia belli Piratici, nactus, Siciliam, & provincias omnes depopulatus eſt. Poſtremò Cretenſibus bellum inferens, ibi morbo interiit. Hunc Salluſtius ait perdundæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis niſi inſtantibus.

Antonius Cajus, alter Oratoris filius, multos in Achaia ſpoliavit, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. Græci autem eum adduxerunt in jus ad M. Lucullum Prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. Hunc Gellius, & Lentulus Cenſores, ſexennio, quòd hæc dicerentur, ſenatu moverunt, cauſaſque ſubſcripſerunt, quòd ſocios diripuerit, quòd judicium recuſaverit, quòd propter æris alieni magnitudinem prædia ſua mancipaverit. Hunc Cicero *in Verrinis* vocat, In exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium. Nam inter eos fuit, qui juſſu Syllæ in Circenſibus, quos ipſe poſt victoriam fecit, quadrigas agitaverunt. Dictus fuit cognomento *Hybrida*.

Antonius Cajus, prioris filius, cum Cicerone Conſul fuit, eique maximè adverſus, quòd Catilinæ faveret, ſed collegæ conſilio ac induſtriâ delinitus, acceptâ Macedoniâ provinciâ, pro Rep. ſe ſtaturum recepit, idque præſtitit. Re autem apud Dardanos malè geſtâ in urbem reverſus, à M. Lælio accuſatus, damnatus eſt, & in exilium actus.

M. Antonius Triumvir, Marci Antonii Oratoris filii filius, & Lucii frater, cauſa & fax totius belli Civilis fuit. Cùm enim Tribunus eſſet, clam ex urbe ad Cæſarem in Galliam profugit. Mutinam, Bruti provinciam invadentem, hortante Cicerone, Senatus hoſtem judicavit. Superatus ab Hirtio & Panſâ Coss. ac Cæſare puero, mox Triumviratus fœdere inter eum, & Lepidum & Octavium inito, Brutum & Caſſium in Macedonia apud Philippos ſuperavit. Quo bello confecto, Auguſtus valetudinis causâ Romam rediit. Antonius autem in Græciam, Aſiamque profectus, honore quaquaverſus ingenti exceptus eſt. Quum illi Oriens, Auguſto Occidens, Lepido Italia obtigiſſet, multos per Orientem Reges ac Tetrarchos debellavit. Inter quos Antigonum Judæorum Regem ſecuri percuſſit, quod antea Regum nulli contigit. Captus amore Cleopatræ, multa ipſius gratiâ nefanda perpetravit, quod Romanis in infamiam maximè ceſſit. Virg. *Æn.* 8.

Hinc ope Barbaricâ variiſque Antonius armis
Victor, ab Auroræ populis, & litore Rubro
Ægyptum, vireſque Orientis, & ultima ſecum
Bactra vehit, ſequiturque (nefas) Ægyptia conjux.

Quod ait *nefas*, videtur eſſe ſtomachus poëtæ indignantis Ægyptiam conjugem Romano civi nupſiſſe; ut etiam Ovid. *Met.* 15.

Romanique ducis conjux Ægyptia.——

Planius Horatius, *Epod.* 9.

Ut nuper, actus cùm freto Neptunius
Dux fugit uſtis navibus,
Minatus urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus (eheu poſteri negabitis)
Emancipatus fœmina,

Fert vallum, & arma miles, & spadonibus
Emancipatus fœmina,
Interque signa turpe militaria
Sol aspicit Conopeum.

Fulviam uxorem initio Triumviratus repudiavit, ac Octaviam Augusti sororem duxit; Utramque postremò ob Cleopatram contempsit; quæ causa fuit inter eum & Octavium dissensionis. Quocum postremo ad Actium navali prælio congrediens, superatus est, Alexandriamque confugiens, atque ibidem ab eodem obsessus, gladio sponte incubuit, anno ætatis 56. Vitam ejus scripsit Plutarchus, eumque vivis coloribus depinxit Cicero *in Philippica secunda*, quæ res postea mortis ejus causa fuit. Juvenalis *de Cicerone*:

O fortunatam natam, me Consule, Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poëmata malo,
Quam te conspicua Divina Philippica fama,
Volveris à prima qua proxima. ——

Julus Antonius, Antonii Triumviri filius, ad quem Horatii *Oda* 2. *libri* 4. Consul erat cum Paulo Fabio Maximo, ad quem *ejusdem libri Oda prima*. Huic Julo cognomen Africanus. De eodem Seneca *lib. de brevitate vitæ*; *Filia, & tot nobiles juvenes, adulterio velut sacramento adacti, infractam ætatem* (Augusti scilicet) *territabant*; *postquam & iterum timenda cum Antonio mulier*. Apparet enim hunc Julum aliquod scelus (cui proximus ab adulterio gradus est) cum filia in Augustum concepisse: uti olim cum Cleopatra ejus pater. Hunc jussu Augusti occisum prodidere Dio, & Tacitus. Velleius suâ manu cecidisse eum dat intelligi. Præcessit autem jussus Augusti, quem ille exsecutus suâ manu. Lipsius *ad Taciti Annalium lib.* 1.

Lucius Antonius, Triumviri frater, apud Pelusium ab Octavio fame obsessus, in deditionem cum 300. aliis venit: quibus, ut ait Livii Epitomator, Octavius *ipse* pepercit; ut verò Tranquillus, omnes ad aram Cæsaris necari crudeliter jussit. Hic patroni laudem plurimùm affectavit, & à M. Tullio irridetur *Philip.* 6. quòd se à 35. tribubus adoptandum, & inscribendum statuæ patronum curaverit.

Antonius Felix, Claudii Libertus, Judææ Procurator, Drusillâ Cleopatræ & Antonii nepte in matrimonium acceptâ. Tacit. *Hist. V.* 9.

Antonius Flamma, sub Vespasiano Cyrenensibus damnatus lege repetundarum & exilio ob sævitiam. Tacit. *Hist. IV.* 45.

Antonius Julianus, Romæ Rhetor fuit, perquam honesti, atque humani ingenii, doctrinâ quoque utiliore istâ, ac delectabili, veterum elegantiarum curâ & memoriâ multâ.

Antonius, prænomine *Lucius* multâ claritudine generis, sed improsperâ. Nam patre ejus *Julo Antonio* ob adulterium *Juliæ* morte punito, hunc admodum adolescentulum sororis Octaviæ nepotem seposuit Augustus, in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur. Obiit Cornelio Cosso, Asinio Agrippâ Coss. Tunc habitus tamen supremus honor; ossaque tumulo Octaviorum inlata per decretum Senatûs. Tacitus IV. 44.

Antonius Musa, medicus Augusti Cæsaris. Plin. 29. 1.

Antonius Naso, tribunus Prætorianarum cohortium, à Galbâ exauctoratus.

Antonius Primus, tempore Neronis falsi, ob subditum Domitio Balbo testam. damnatus, senatu motus est: postea recuperato ordine, acerrima fax Vespasiano, ad civile bellum.

Antonius Taurus, tribunus in Prætorio, à Galba exauctoratus.

Antonius Lusit. vulgò *S. Antonio di Padoua*, Franciscanus, vixit, sec. 13. Obiit An. C. 1231. à Gregor. 9. Sanctis associatus, anno demum post ejus mortem. Hunc nautæ, in mari periclitantes, quomodo ridiculâ superstitione ligare soleant, Vide apud P. de Valle, Itiner. *tomo* 4.

Antonius Borbonius, fil. Caroli 1. Ducis Vindocinensis, à Ludov. 9. qui *Sanctus* dicitur, in recta linea descendens, uxorem duxit, Viraginem illustrissimam, Johannam Albretanam, filiam Henrici Albretani, Navarræ R. An. C. 1548. quo mortuo Rex Navarræ factus, An. 1555. primùm inter purioris religionis vindices, cum fratre Ludov. Principe Condæo, Reformatorum fortissimo hyperaspistâ, dein promisso Sardiniæ regno delusus, inter hostes, Rothomago secundâ vice obsesso, globi ictu occisus est. A.C. 1562. Pater Henrici 4. Gall. R. cui res gestæ *Magni* nomen pepererunt. Thuan. *l.* 28. 29. &c. Dupleix, Mezer.

Antonius, Prior de Crato, & Magister Equitum Rhodiensium, Ludovici, Eduardi fratris, Lusitani, fil. naturalis, post mortem Henrici Regis, quæ an. 1578. contigit, à populo Rex electus est: sed à Philippi 2. ducibus victus, patriâque extorris aliorum Principum ope aliquandiu frustra imploratâ, tandem Elisabethæ Angl. Reginæ auxiliis subnixus voto potiturus videbatur: verùm dum miles, capto jam Olyssiponæ suburbio, prædâ expletus, non pugnam, sed domum cogitat, eo iterum excidit; sæpe postea ingeminans, quamvis in spem potiundi Paradisi veniret, nunquam Anglorum ope id tentaturum. Obiit exul, veneno, ut creditur, extinctus, An. 1595. familiâ ejus variis in locis, ut Hollandia, ubi Emanuel fil. ex Nassovia familia uxorem duxit, &c. dispersâ. Vid. Thuan. *Hist. l.* 96. Brev. Reid. *an. l.* 8. Lætum Compend. *Histor. Univ. pag.* 454.

Antonius, Dux Brabantiæ, fil. Philippi, Burgundiæ. D. Item Dux Lotharingiæ, sub Franc. 1. celebris. Mezeray.

D. Antonius, Ægyptius, Monachis Christianorum initium dedit, licet non ante omnes Monachos fuerit. Primus enim mirè omnium studia ad eam vitam imitandam incitavit, Monachorumque dogma instituit, sicuti mox D. Basilius in Græcia fecit, & Hilarion in Syria. Polydor. Vergil. *de Invent. rerum* 7. 2. Hieronymus verò Paulo Thebæo id tribuit, qui tempore Decianæ persecutionis, affinis insidiis petitus, ad montium deserta confugit, ibique, necessitate in voluntatem versâ, 90. fere annos in orationibus duxit, palmâ in vestem cibumque contentus, *in Vita Pauli Eremitæ*. Hunc sequutus Antonius, & ipse an. 90. in solitudine exegit: quod unum tum persecutionis effugium erat. Ei panis escæ fuit, & aqua potui; semel in die, idque sub occasum solis, tenui cibo reficiebatur. Hujus sanctitas ita celebris fuit, ut Helena, Constantini Imp. mater, se & filium suum per literas illi commendarit. Obiit in eremo an. natus. 105. A.D. 361. Tribuuntur illi 7. Epistolæ, Bibliothecæ Patrum insertæ. Hieron. *Chron.* & *Catal.*

Antonius, cognom. *Caulæus* Patr. Constantinopol. Obiit Anno C. 890. Item, Antonius cogn. *Studites*, eandem dignitatem obtinuit, An. C. 975. eâque sponte se anno vix exacto abdicavit. Obiit An. C. 981. Item tertius, itidem Patr. Const. cui à Latinis Angelus Corarius oppositus est. Onuphr. Genebr. *Chron.* Anno C. 1398.

Antonius de Beek, Episc. Anglus, à Clem. 5. titulum Patriarchæ Constantinop. nactus. Spond. A.C. 1305.

S. Antonius, Ordo, à Gastone quodam, nobili Delphinate, Anno C. 1095. institutus, in solatium eorum, qui igne sacro afflicti. Insigne ejus litera *T.* est. Item, Ordo militaris, in Abassinia, de quo librum edidit Joh. Balthasar Abyssinus, Eques.

Antonius, auctor vitæ Simonis Stylitæ.

Antonius Bonfinius, Historicus & Philosophus, seculo 15. Matthiæ Corvino gratus, cujus impulsu historiæ Hungaricæ incubuit.

Antonius Caraffa, Cardin. Biblior. Græco-Latinor. editionem accuravit, autorque Baronio fuit, ut Annales meditaretur. Obiit An. C. 1591.

Antonius Cartularius, vitas Philosophorum, Laërtium imitatus, scripsit. Voss. *Hist. Lat. l.* 3. *c.* 9.

Antonius Castor, in simplicium notitiâ, versatissimus, centenarius obiit. Plin. *lib.* 25. *c.* 2.

Antonius Chandæus, Baro de *Sadaël*, antiquâ nobilitate in Segusianis ortus, Chabotis, domo maternâ, & Matisconensis agri castello, in confinio Galliæ & Sabaudiæ sito, ex illustri & antiquâ Chandæorum gente. Henrici Navarræ R. qui postmodum Galliæ regno feliciter potitus est, præceptor, Genevæ ex febre hectica, an. æt. 57. à N.C. 1591. cùm scribendo & docendo totos 36. an. insumsisset, obiit, Theologus insignis. Opera ejus uno vol. in fol. prodierunt Genevæ, An. 1614. in quibus genus dicendi lene ac simplex, sine illecebris, sine fuco, nec tamen sine facundia, sine arte, ut rerum utilitas ac doctrina, cum eloquii splendore certaret; nec brevitas obscuritatem, nec prolixitas tædium pareret. Melch. Adami *in Vitis Theolog.* Hunc satum velut ipsius Dei manu excultumque, scribit Lectius *in Vita ejus*. Primò *Zamariel*, dein *Sadael* dici voluit. Bucholc.

Antonius Cornazani, Poëta Historicus, Placentinus, Leand. *descript. Ital.*

Antonius Corrigia, Venetus, aliàs *Tilianus*, celeberrimus seculo exacto pictor.

Antonius Diogenes, memorabilia Thules scripsit 24. libris. Photius *Biblioth. n.* 166.

Antonius de Dominis, Archiep. Spalatensis, Vir eruditus, Anno C. 1600. Ecclesiam Rom. *incitatus*, ut ajebat, *solo Jesu Christi nomine*, deseruit, & in Anglia, quò se receperat, *Libros de Repub. Christ.* conscripsit, quibus Becanus & Eudæmon Jesuitæ se opposuere. Sed postmodum à Gregorio 15. olim condiscipulo, spe ingentium promissorum, Romam evocatus, & à Successore ejus Urbano 8. in carcerem S. Angeli detrusus, ibi non sine veneni suspicione, anno 1625. animam efflavit. Cadaver post mortem, cum scriptis ejus combustum est. Jac. Revius *in Urbano* 8. A. Rivetus *in Jesuita vapulante* 15. *S.* 16.

Antonius Faber, Eques, Baro de Peroges &c. primarius Præses Senatus Sabaudici. Sebusianus gente, fil. Philiberti, sub Antonio Manutio Taurini studiis vacavit; summis exin à Principe muneribus admotus. Scripsit *Conjecturarum lib. XX. De erroribus Pragmaticorum & interpretum Juris Civ. tom.* 4. Obiit An. 1624. ætatis 67.

Antonius Fr. Doni, de Musica librum edidit.

Antonius Galatheus, Medicus & Poëta, de quo vide Voss. *Histor. Lat. lib.* 3. *c.* 8.

Antonius Giraldinus, nomine Ferdinandi & Isabellæ, coram Innoc. 8. peroravit. Scripsit quædam versu. Idem *ibid.*

Antonius Godeau, Episc. Grassæ primùm, dein Vincii Druidensis patriâ. Eruditione illustris, ex primis Academiæ Gallicæ auctoribus. Scripsit Poëmata Christiana, carmen de S. Paulo, Historiam Eccl. &c. Psalmos Davidicos quoque Gall. carmine expressit. Obiit haud pridem.

Antonius de Govea, Lusitanus, Philosophus & Philologus insignis, obiit 1565.

Antonius Herrera, novi Orbis descriptor.

Antonius de Leva, unus ex Ducibus Caroli 5.

Antonius le Maistre, Parisiensis, Orator & Advocatus insignis. Scripsit varias causas publicè à se dictas: *Plaidoyers*. Obiit Anno 1658.

Antonius Maneti, Florent. Philosophus & Mathematicus, variis scriptis celebris. Pocciant. *de Script. Flor.*

Antonius Musa, Medicus Augusti, Plin. *l.* 29. *c.* 1. & 30. *c.* 13.

Antonius Nebrissensis, insignis in omnivaria scientia, plurima scripsit. Obiit An. 1544. Vasseus *Chron.*

Antonius Panormitanus, ob eruditionem plurimis Principibus gratus, P. Jov. *in Elogiis.*

Antonius Possevinus, à Gregorio 13. in Poloniam & Moscoviam missus, eruditione inclytus, obiit Mantuæ, An. C. 1611.

Antonius Sarcialupi, Musicus Florentinus, statuam meruit. Voss. *de Mathem. c.* 60. *§.* 14.

Antonius Tudertinus, ex urbe Todi, olim *Tuder*, in Umbria, oriundus, in omni scientia versatissimus, Erasmo sæpius laudatus. Leand. *descript. Ital.* &c.

Antor, Centauri cujusdam nomen apud Val. Flac. *lib.* 1.

——*Ardenti peragit Clanis Antora quercu.*

Lege *Actor*, & *Actora*.

Antorides, pictor, Aristippi, filii Aristidis Thebani, discipulus. Plin. 35. 10.

Antricum, op. Gall. Narbon. Normanniæ finitimum, vulgò *Chartes.*

Antrim, castrum Hiberniæ, in Ultonia prov. & Comitatus cognom. caput. Prope lacum *Neaugh.*

Antrimensis Comit. vulgò *Countye Antrym* Angl. prov. Hiberniæ in Ultonia. Terminatur à septentr. mari Deucaledonio, ab Or. mari Scotico, à Merid. Comitatu Dunensi & ab Occid. Comitatibus Colranensi & Tyronensi. Ejus primaria, Rupes Fergusii.

Antronia, urbs in Messenia Peloponnesi regione, ab *antris*, è quibus molares lapides exciduntur, appellata. Straboni *Antron* dicitur, itemque Stephano, qui Thessaliæ urbem esse scribit. Ab hâc *Antronii asini* dicti, de magnis corpore, & stolidis mente. Hesych. Ἄντρων, πόλις Θεσσαλίας, ἔνθεν Ἀντρώνι@ ὄν@. Ita enim legendus ille locus, ubi vulgò malè divisim, & ὄγκ@ pro ὄν@ legi solet. Ego potius *Antronios asinos* à lapidibus molaribus dictos putem, quos ὄνυς Græci vocant. Item *Antronis asinus*, castellum in Phthioticâ plagâ, cujus mem. Strabo *lib.* 9.

Antros, insula in æstu Garumnæ fluvii ex Pyrenæo monte delapsi. Vide Melam 3. 2. *editionis Vossianæ.* Vulgò *Cordouan*: parva, seu veriùs scopulus, inter Syrtes. Ubi Pharum superbam ædificavit Henricus M. quam pòst injuriâ temporis collabentem reparavit magnificentissimè, Ludov. XIV. Vulgò *La Tour de Cordouan.*

Antrum, vulgò *S. Hermeland*, Ins. Gall. Celt. ad Ligerim fluv. Al. *Antrium*, *Aindre.*

Antrum Hecates, opp. Samothraciæ fuit. Vid. *Zerynthus.*

Antrum Sibyllæ, vulgò *Grotta Della Sibilla*, locus celebratiss. Campaniæ, ubi Sibylla Cumana habitavit, in antro, intra durissimum saxum interius mirè excavato, apud Avernum lacum, inter Bajas, Cumas & Puteolos, ad 2. & 3. m. p.

Antuates, pop. circa Rhodanum, finitimi Allobrogibus & Genevæ. Vide *Nantuates*. Ita enim legendum videtur. Hodie prov. est Sabaudiæ. cum tit. Duc. Comprehendit Balliviatus *de Ternier & Gaillard*, cum terris S. Victoris, & Capituli. Vulgò *le Chablais.* Lacum Genevensem ad Sept. Velaunos ad Ort. tractum Fuscinensem ad Mer. ditionem Gen. ad Occ. habet. Nantuatum & Veragrorum olim sedes. Hanc regionem Conradus Salicus Imp. Humberto 1. concessit, in præmium opis contra Odonem 2. Com. Campaniæ, qui ipsi de regno Burgundiæ controversiam moverat, præstitæ. Evangelii lucem præterito sec. sensit, sed ad breve tempus. Guicheno, *Hist. Sabaud.*

Anturnacum, op. Germ. infer. ad Rhenum. Anton. vulgò *Andernach.* long. 28. 00. lat. 50. 25.

Anturnacum, Vid. *Antennacum & Antonnacum.*

Antverpia, olim *Atuatum*, & *Atuacutum*, nobile Brabantiæ opidum. Sedes Episc. & caput Marchionatus Imperii, in ripa Scaldis fluv. Europæ nationibus maximè frequentatum. Sumptuosis tam privatis, quàm publicis nitet ædificiis. Augustissimo D. Virginis templo, cum turri ex candido lapide altissimâ: Civicâ, Hanseaticâ, Anglicâ, ac Portugallensium Domo: Monasterio Præmonstratensium; monumentoque Isabellæ Caroli Ducis Burgundionum nobilis. An. Dom. 1567. die 3. Novemb. Antwerpiæ mœnia à Cronemburgio usque ad Cæsaream portam divulsa, soloque æquata fuere, & arx (vulgò *Cittadel*) vallo cincta, fossâ & aquâ circumdata, quinque propugnaculis ex vivo saxo munita constructa est: habens in circumferentia inter propugnacula supernè eminentes decem & tres formas planas ad hostium insultus propellendos fortissimas. Intus latè patentem aream percommodè claudunt ædes præsidiariis militibus aptæ. In areæ medio tunc statua ænea deaurata, maximis sumptibus fusa, Ferdinando Toletano, Albæ Duci olim in Flandria, Regis Hispani præfecto posita, paulo pòst deturbata, & comminuta est. Arx illa diruta & eversa est, denuo autem procurante Alexandro Duce Parmensi instaurata, & adhuc erecta permanet. Gallicè *Anvers*, *Antorff* Germanis; *Anveres* Hispanicè, & *Anversa* Italis dicitur. long. 25. 41. lat. 51. 16. Sub dominio Hisp. deficit in dies, ex quo Amstelodamum crevit in tantam opum abundantiam.

Antylla, seu *Anthylla*, urbs erat Ægypti, apud Alexandr. Cujus vectigal à Regibus Persarum, Uxoribus in cinctuum impensas dabatur.

Antyrius, Alexandri Magni Dux egregius, qui à sui domini obitu, cum militum strenuorum agmine, qui ipsum Regem elegerant, instructâ classe ex Scythia solvens, ad avitas Herulorum terras navigavit, easque armis occupavit, circa 350. annum ante Christum natum: navis principis vela capite bovino aut equi Alexandri, Græcè βουκέφαλ@ dicti, ornaverat: unde in hodiernum diem Duces Megapolenses (qui ab Herulis sunt oriundi) pro insigniis habent caput bovinum. Metel.

Anubingara, Taprobanæ urbs. Ptolemæus.

Anubis, Ægyptiacus canis, in cujus formâ colebatur Mercurius, Cynopoli inprimis. Strab. *lib.* 17. Virg. Æn. 8.

Omnigenumq; Deûm monstra, & latrator Anubis.

Propert. *lib.* 3 *eleg.* 11.

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubim.

Bene *latratorem*, & *latrantem* dixerunt, nam colebatur hîc Deus canino capite, quod scribit Plut. *de Is. & Osir.* Euseb. *de Præp. Evang.* 2. 1. Tertull. Apologet. *c.* 6. & 15. Arnob. *lib.* 7. Cyprianus *ad Demetrianum*, Minutius Felix, &c. Rationes hujus formæ vide apud illos, Plut. inprimis & Euseb. Eundem hunc fuisse cum Cynocephalo, cui caninum caput, certum est. Sunt & qui putent verè hunc Mercurium fuisse. Servius, *Quia canino capite fingitur, hunc volunt esse Mercurium, ideò quia nihil est cane sagacius.* Juvant verba ista Apuleii: *Ille superûm commentor, & inferûm, nunc atrâ, nunc aureâ facie sublimis, attollens canis cervices arduus Anubis, lævâ caduceum ferens, dextrâ palmam virentem quatiens.* Strabo *lib.* 9. Plutarchus etiam, ubi supra, ait Anubin vocatum *Hermanubin.* Hermes autem Mercurius est. Ovid. *Met.* 9.

Inachis ante torum, pompâ comitata suorum,
Aut stetit, aut visa est, inerant lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus; cum qua latrator Anubis,
Sanctaq; Bubastis, variusq; coloribus Apis
Quiq; premit vocem, digitoq; silentia suadet;
Sistraq; erant, nunquamq; satis quæsitus Osiris,
Plenaq; somniferi serpens peregrina veneni.

Lucanus *lib.* 8.

Nos in templa tuam Romana accepimus Isin,
Semicanesq; Deos, & sistra moventia luctum.

Juvenalis *Sat.* 6.

Ergò hic præcipuum, summumq; meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.

Vide etiam Virgil. *lib.* 8. Diodorus Siculus ait, Anubin patrem Osirim ad bella secutum gestasse canis insigne in clypeo: Alii adjuvisse Isidem in Osiridis corpore investigando. Hujus cultum, apud Zonæ torridæ incolas, perversissimos idololatras, hodieque vigere, refert αὐτόπτης, P. de Valle, *Itiner. tom.* 4. ubi harum gentium miseram superstitionem, à Vett. Ægyptiis mutuatam, accuratissimè descripsit.

Anuchtha, Susianæ urbs. Ptolem.

Anulinus Consul Rom. Sabini 2. Collega. Horum tempore Antoninus Caracalla Alexandriæ cùm esset, Alexandrinam juventutem convocavit, eamque passim omnem, militibus signo dato, interemit. Herod. *lib.* 4.

Anulus, Mauritaniæ fluvius.

Anurogrammi, Taprobanæ populi. Ptol.

Anus, locus Samariæ, à Neapoli 10. m. p. Hierosolymam versus occurrens.

Anuscana, urbs Etruriæ in Hirpinis. Vide *Nuscum.*

Anxa, op. Italiæ in orâ Salentinorum, olim Gallipolis. Plin. 3. 11. Hodie etiam *Gallipoli* dicitur. long. 42. 12. lat. 39. 58. Permunitum, cum portu, in regno Neap. & prov. Hydruntina. Jacet in scopulo, à mari quasi sejuncto. Alii negant Gallipolim Anxam fuisse dictam. Leand. Vid. *Callipolis.*

Anxantini, Pelignorum populi. Strabo.

Anxanum, Ferentanorum in Aprutio Italiæ opidum. Ptolemæus, Ἄγξανον, Λάξανον, Φρεντανῶν μεσόγειοι πόλεις. Hodiè *Lanciano*, sive *Lanzano.* Populi *Anxani*, Plin. 3. 12. lege *Anxanenses.* longit. 38. 55. lat. 42. 27. Deficit in dies.

Anxius, fluvius ex Armenio monte oriens, & in Euphratem influens.

Anxur, ex Ducibus auxiliaribus Persæ, contra Aeeten, Colchorum Regem. Val. Flacc. VI. 69.

Anxur, urbs Volscorum. Plinius. Capta & tantùm non destructa à Romanis, Anno U.C. 348. Liv. Hanc olim *Trachiniam*, nunc *Tarracinam* dicunt. Horatius *in Hodæporico*:

Millia tum pransi tria repsimus, atque subimus
Impositum saxis latè candentibus Anxur.

Lucanus *lib.* 3.

Jamq; & præcipites superaverat Anxuris arces.

Statius *Silv. lib.* 1.

——— *Arcesq; superbæ Anxuris*

Silius *lib.* 8.

——— *Scopulosi verticis Anxur.*

Idem *lib* 4.

Monte procelloso Murrhanum miserat Anxur.

Martialis;

Sive salutiferis candidus Anxur aquis.

Livius *lib.* 5. *In Volscis depopulato agro, Anxur nequicquam oppugnatum loco alto situm.* long. 37. 02. lat. 41. 08. Urbs episcop. munita, Baudrando, Sed parva, cum castro, in Campania Rom. & ditione Pontif. ad radices montis, & in ora Maris Tirrheni. Paucos habet incolas, propter aëris gravitatem, & paludes Pomptinas ei adjacentes.

Anxurus, sive potius *Ankyrus*, nomen est, quo Jupiter à Campanis vocabatur, qui maximè Anxuri colebatur imberbis, vel quasi ἄνευ τοῦ ξυροῦ. *sine novaculâ*, quia barbam nunquam rasisset. Servius, *in illud Poëtæ Æn.* 7.

Circeiumq; jugum: queis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet. ———

Ubi *Axurus* de la Cerda contendit legendum. Sanè Pausan. *in Eliacis prioribus* meminit duplicis simulacri Jovis ἐκ ἔχοντ@- γένεια, *non habentis barbam.* Porro de nummo quodam Jovis aut *Axuri* aut *Crescentis* vix est, qui non meminerit eruditorum, Germanus, Lævinus, Scaliger, Ortelius, Dalechampius, & alii. Non omittendus hìc Statii locus *Theb.* 10. de Templo sacro & Junoni puellæ, & Jovi Axuro:

Ipsa illinc magni thalamo desponsa Tonantis
Expers connubii, & timidè positura pudorem,
Lumine demisso pueri Jovis oscula libat
Simplex, & nondum furtis offensa mariti.

Neque Claudiani, *de 4. Consulatu Honorii*:

Talis ab Idæis primævus Jupiter antris
Possessi stetit arce poli, famulosq; recepit
Naturâ tradente Deos: lanugine nondum
Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Moturæ convexa comæ: tum scindere nubes
Discebat, fulmenq; rudi torquere lacerto.

Aliam ejusdem parvuli Jovis imaginem repræsentat Stat. 1. *Achilleidos*, in hunc modum:

Sic sub matre Rheâ juvenis regnator Olympi
Oscula secura dabat insidiosa sorori
Frater adhuc, medii donec reverentia cessit
Sanguinis, & versos germana expavit amores.

Jovis etiam pueri meminit Apollon. *lib.* 1. *Argon.* dicitur ab eo κοῦρ@- & ἐπὶ φρεσὶ νήπια εἰδώς. Et Nonnus *Dionysiacωn lib.* 41. his versibus:

Ζεὺς τότε κοῦρ@- ἐὼν, ἔτι που βρέφ@-, οὔπω πυκνῷ
Θερμὸν ἀναχίσσουσα νέφ@- βητάρμονι παλμῷ
Ἀστεροπὴ σελάγιζε. ———

Nummus Pansæ & Vibii; cujus meminit Constant. Landus *Numis.* in cujus parte alterâ erat JOVIS AXUR. in altera imago barbata, sed intonsa; Unde colliges, non semper Jovem Axurum sumi pro Jove puero, sed etiam pro Jove intonso, quasi ἄνευ ξυροῦ, ut qui nunquam egeret novaculâ; semper enim tonsus erat; etiamsi grandis fuit.

Anysis, cœcus à nativitate, urbe cognomine Ægypti oriundus, in regno Ægypti, Atychis fuit successor. Hic audito, Sabachum Æthiopiæ R. adventare, regno cessit, donec ille insomniis territus in Æthiopiam reverteretur. Tum è latibulo suo rediit in thronum, & mortuus, Sethonem, Vulcani sacerdotem, successorem habuit. Herodot. *l.* 2. seu *Euterpe*.

Anyta, poëtria, cujus operum fragmenta adhuc extant. Voss. *de Poët. Gr.*

Anytios, Ægypti nomus. Herodotus.

Anytus, Rhetor Atheniensis, unà cum Melito & Lycone Socratem accusavit, & occidi curavit. Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 4.

——— *Qualia vincant*
Pythagoran, Anytiq; reum, doctumq; Platona.

Posteà ab Atheniensibus cum sociis morte mulctatus est. Laërt. *in Socrate.* Ælian. *Varia hist. l.* 2. *c.* 13.

Anzaba, fluvius circa Tigridem. Ammianus *lib.* 18.

Anzerma, opp. Americæ merid. in Regno Popajano Al. *S. Anna d' Anzerma.* 50. leuc. ab urbe Popajani in Septentr. juxta fluv. Caucam. 12. autem à Caramanta opp. in merid.

Anzeta, Armeniæ majoris urbs. Ptol. A qua *Anzetene* reg. quæ *Antizena* Nicephoro, & *Anaita* Plin. versus Euphr. fluv. à quo distat 40. m.p. in Ortum.

Anzigi, vulgò *Anzicains*, pop. Africæ, ultra Loanghum, nempe à Zaire fluv. usque ad deserta Nubiæ, in Æthiopia infer. Dicuntur & *Ansincani*, V. ibi.

Anzuquium, opp. in ora prov. *Vomi*, in Japonia ins. in Asia. Distat à Meaco, primaria Urbe Japoniæ, 20. leuc. in Ortum. In Ora sinus Meaci. Brietius.

AO.

Aod, Hebr. *Ehud.* Lat. *laudans*, seu confitens, Judex Israëlitarum, Eglonem Moabitarum R. occidit, & decem millibus cæsis, populum è servitute hostium liberavit, Judic. 3. Sulpic. Sev. *l.* 1. Torniel. An. M. 2641. 2720.

Aollius, Romuli ex Hersilia fil. pòst *Abillius* dictus.

Aomar, *Homar*, vel *Omar*, Arabs, tres libros conscripsit, de die Natali. Voss. *Mathem c.* 64. §. 10.

Aon, Neptuni fil. factione suorum ex Apulia pulsus, navigio Euboeam, & inde Bœotiam venit, ubi populis montes habitantibus imperavit; eosque *Aones*, ut & montes vicinos *Aonios* appellavit. Porro hic Aon filium Dymantem reliquit, qui ei in regno successit.

Aones, populi *Aoniæ.* Pausan. *lib.* 9. Fuit autem Aonia pars Bœotiæ montana, unde totam Bœotiam prius Aoniam dictam legimus. Virgil. *Georg. lib.* 3.

Primus ego in patriam mecum, modò vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice musas.

Juvenalis, *Sat.* 7.

——— *Cupidus silvarum, aptusq; bibendis*
Fontibus Aonidum.

Claud. 2. *in Ruff.*

Sic mons Aonius rubuit cùm Penthea ferrent
Mænades. ———

Hinc *Aonios specus* posuit Catullus, pro antris Bœoticis. Servius, *in illud Virgil. Eclog.* 6.

Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas ad montes.

Aonia, inquit, *quæ & Bœotia.* Hinc *Aonides Musæ*, quæ apud Ausonium *Bœotia numina* dicuntur. Hinc *Aonium nemus* & *Aonia lyra*, apud Ovid. & Propert.

Aoris, Arantis filius; Corinthi R. venator bellicosus, Sororem Arathyræam tam tenerè dilexit, ut totam illam, ubi morabatur, regionem; ejus nomine appellaverit, Pausan. *lib.* 2.

Aoris, vel potius *Chloris*, Nelei uxor. Pausan *in Bœoticis.*

Aornos, vel *Aornis*, petra apud Indos præceps & invia, monumentis historicorum celebrata, quasi *avibus inaccessa.* Dionysius Periegetes, *Vers.* 1149.

Ἡ δ' ἤτοι προνένευκεν ἐπ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,
Ἠλίβατ@- ταχινοῖσι δυσέμβατ@- οἰωνοῖσι.
Τοὔνεκά μιν καὶ φῶτες ἐπικλείουσιν Ἄορνιν.

Nescio, quo auctore fretus Dionysius Coliacum promuntorium Oceano imminens Ἄορνιν cognominari affirmet. Celebris quidem est apud auctores eos, qui Alexandri res gestas scriptis mandarunt, Ἄορν@- petra (per hyberbolen, altitudinis causâ, sic appellata; ac si *volucribus quoque invia videretur*, uti de Macedoniæ montibus L. Florus *lib.* 2.) quam ab Hercule frustrà obsessam ferunt, ab Alexandro verò expugnatam. Vide Curtium *lib.* 8. & Arrianum *lib.* 4. Sed petra illa longè à Coliaco promuntorio dissita ad Indum sc. fluv. quâ Alexander Indiam ingressus iter fecit. *Radices ejus* (inquit Curtius) *Indus amnis subit.* Et prope ipsos Indi fontes eam statuit Strabo *lib.* 15. Ἄορνόν τινα πέτραν, ἧς τὰς ῥίζας ὁ Ἰνδὸς ὑπορρεῖ πλησίον τῶν πηγῶν. Scribit Plutarchus, Alexandrum, cùm intellexisset hanc petram teneri ab homine meticuloso, dixisse, Nunc locus iste captu facillimus est. De hac rupe Lucianus *in Rhætor. Præcept.* Εἶτα ἐπειδὰν πλησιάσῃς τῷ ὄρει, τὸ μὲν πρῶτον ἀπογινώσκεις τὴν ἄνοδον, καὶ τὸ πρᾶγμα ὅμοιόν σοι εἶναι δοκεῖ οἷα ἡ Ἄορν@- πέτρα ἐφάνη Μακεδόσιν, ἀπόξυρον αὐτὴν ἁπανταχόθεν ἰδοῦσιν ἀτεχνῶς, οὐδὲ ὀρνέοις ὑπερπτῆναι ῥᾳδίαν, Διονύσου τινὸς, ἢ Ἡρακλέους, εἰ μέλλοι καθαιρεθήσεσθαι, δεομένην.

Aornus, locus in Thesprotide, ubi oracula reddebantur. Pausan. Item urbs in Epiro. Ptol. & Steph.

Aornus, lacus quidam prope Tartessum, aliàs *Libystinus* dictus. Schol. Aristoph. *in Ranas*: Ἡ δὲ Τάρτησσ@- πόλις Ἰβηρικὴ περὶ τὴν Ἄορνον λίμνην.

Aornus, lacus inter Puteolos & Bajas, Latinis *Avernus*, sic dictus, quòd *avibus careat*, quæ supervolantes gravi ejus odore enecantur: sive quòd sulphureæ exhalationes aërem usque adeò extenuent, ut aves sustinere non possit. Virgilius *Æn.* 6.

Spelunca alta fuit, vastoq; immanis hiatu
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq; tenebris;
Quam super haud ulla poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris

Faucibus

Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.
Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum.

Hausit ex Lucretio suo. Sic enim ille *lib. 6.*

Principio quòd Averna vocantur, nomen id ab re
Impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis.

Similis planè descriptio est, apud Petronium Arbitrum *in Satyrico*:

Est locus exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter, magnæq; Dicarchidos arva
Cocytâ perfusus aquâ, nam spiritus extra
Qui furit effusus funesto spargitur æstu.
Non hæc auctumno tellus viret, aut alit herbas
Cespite lætus ager: non verno persona cantu
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur:
Sed Chaos & nigro squalentia pumice saxa
Gaudent, ferali circumtumulata cupresso.

Nominis notationem tetigit Claudianus *lib. 2. de Raptu Proserp.*

Tunc & pestiferi pacatum limen Averni
Innocuæ transistis aves.

Aornus palus, in Iberia, propter quam Tartesson collocat. Vid. Schol. in Aristoph. Ranas. Act. 1. sc. 11.

Aorsi, populi Sarmatiæ, Tanaim fluv. accolentes, Horum regio *Severia* hodie dicitur; sub Moschis. Eorum meminere Strabo & Ptolemæus. Al. pop. Asiæ, in Scythia, intra Imaum, versus mare Caspium & ostia Jaxartis fluv.

Aorus, Cretæ civitas. Steph.

Aoti, pop. in finibus Thraciæ, Getis finitimi, non procul ab Istro. Plinius.

Aous, fluv. in eâ parte Macedoniæ, quæ mari Adriatico adjacet, non procul ab Apolloniâ in mare illabens, *Vajussa* hodie. *Lous* Ptolemæo. *Æas* Straboni ac Melæ dici videtur.

Aous, fluv. qui Laurembergio *Alus*, Appiano *Alorus*, Plutarcho *Anius*, Stymphaliam & Elymiotas percurrit. Philippi, Maced. R. clade celebris; hodie *Polina*. Brietius.

A P.

Apaci, pop. Americæ Sept. in parte Bor. regionis novi Mexici. Sunt longè lateque diffusi: dividunturque ab Hisp. in 4. nationes, nempe *Apaches de Perillo*, versus Merid. *Apaches de Xila. Apaches de Navajo*, ad Septentr. *Apaches Vaquiros*, ad Orientem.

Apadna, Mesopotamiæ urbs. Lib. Notit.

Apadnas, locus in Isauriâ. Procopius *lib. 5.*

Apæi, pop. in Æthiopiâ sub Ægypto. Ptol.

Apæsus, urbs Troadis, quæ & *Pæsus* dicitur. Steph.

Apafi Michaël, hodiernus Transylvaniæ Princeps, fortis, prudens, pius. Wendelini, Theologi haud pridem Anhaltini, compendium Theol. in patrium sermonem transtulit. In Hungaros, ob religionem exules, benignus.

Apaitæ, Asiæ minoris populi. Strabo. Quondam Cercitæ, & Cercetici dicti.

Apalache, Floridæ in America regio, 6. provincias fertilitate insignes continens. Hujus incolæ à Gallorum colonia, Ribaldo duce, Caroli 9. auspiciis, illuc deducta, Christianismi cognitionem aliquam acceperunt. Linschot. *descr. Americæ, c. 1.* Histor. Antillarum, *l. 2. c. 8.* V: *Apalatæus.*

Apalatæus, mons, in Florida, reg. Amer. Sept. Ibi quoque pop. *Apalatci*, in mediterr. Europæis etiam *Apalachites* dicti, valde potentes; Quibus proprius Rex; cui 6. amplæ subsunt prov. Nempe, *Bemarim*, ubi urbs *Melilot*, regni caput; *Amana* & *Matique*, in planitie, & 3. aliæ, *Schama*, *Meraco*, intra montes; & *Aqualaque*, juxta lacum *Theomi*, versus Septentr. Ibi Rex Christianus à paucis annis, & quædam Coloniæ Anglorum, quæ ex Virginia illuc penetrarunt; teste Bristokio Angl.

Apama, Artaxerxis fil. Pharnabazi, Joniæ & Lydiæ satrapæ, uxor.

Apama, Antiochi Seleucidæ filia. Pausanias.

Apame, Nicomedis mater, uxor Prusiæ, Bithyniæ R. à quâ urbi *Apamea* nomen.

Apamena, Syriæ regio. Ptolemæus.

Apamesta, opidum Magnæ Græciæ. Populi *Apamestini*. Plin. 3. 11.

Apamia, vel *Apamea*, Phrygiæ urbs, ad Marsyæ fluv. ostia; *Cibotos* olim appellata. Græcè autem κιβωτὸς est *arca*, quâ voce utuntur tum author epistolæ ad Hebræos, *cap.* 11. tum B. Petrus *ep. 1. cap. 3.* ubi de arcâ Noe; quam Flav. Josephus λάρνακα vocat, *Ant.* 1. 4. Strabo; Ἀπάμεια, ἡ Κιβωτὸς λεγομένη. Ptolemæus, Ἀπάμεια Κιβωτός. Plin. 5. 29. *Tertius Apameam vadit, ante appellatam Celænas, deinde Ciboton.* Claudebatur enim in arcæ modum, à tribus fluviis illam ambientibus. Plinius ubi supra: *Sita est in radice montis Signiæ; circumfusa Marsyâ, Obrimâ, Orgâ fluminibus in Mæandrum cadentibus.* Nunc à paucis inhabitata. long. 59. 50. lat. 39. 50. Est & *Apamæa* Bithyniæ op. à Nicomede Prusiæ regis filio, de matris *Apames* nomine sic dictum, postea *Myrlea*, à *Myrlo* Colophoniorum duce appellata, urbs parva & malè culta, long. 56. 50. lat. 49. 56. Item urbs Mediæ, in illius & Parthiæ confin. *Miana*, teste Moletio. Item alia in Mesopotamiâ, apud Euphratem fluv. ex adverso Zeugmatis. long. 79. 50. lat. 49. 56. Altera ad Tigrim in eâdem provinciâ, ubi is in 2. alveos dividitur, supra Seleuciam ad 125. m. p. Alia in Perside. Denique urbs Syriæ archiep. olim clara ad Orontem fluv. inter Antiochiam, & Emesam ad 65. m. p. à Larissâ 15. *Hamous*, teste Bellonio, *Hama* Leunclavio, *Aman* aliis, à Seleuco Nicanore rege condita, ac de sororis, alii, de uxoris nomine dicta. Hanc Thomas Episc. dexteritate suâ, Anno 544. ab armis Cosrois, Persarum R. qui adventabat Antiochiam devastaturus, liberavit. A' Rege enim ad spectacula invitatus, processit, quò animum ejus modis omnibus mitigaret, & placatum redderet: Interrogatusque ab eo, an expeteret ipsum in urbe sua videre; ipse qui sciebat, prudentiæ partem esse, etiam apud ferocissimos homines, veritatem cum magnanimitate & modestia dicere, respondit: *Se nequaquam id cupere.* Quod responsum miratus tyrannus, Apameensibus pacem dedit. Expugnata sub Justino Min. Anno 569. cui cum Cosroë & filio hujus Hormisda res fuit. Vid. Evagr. *lib. 4. cap.* 24. 25. & *lib. 5. cap.* 7. 10. P. Diac. *lib.* 10. Item Plin. *lib.* 5. Strab. *lib.* 6. & 11. Regio *Apamena*. Dionys. *vers.* 918.

Αὐτὰρ ἐνὶ μέσσῃσιν Ἀπαμείης πτολίεθρον
Τῆς δὲ πρὸς ἀντολίην κατασύρεται ὑγρὸς Ὀρόντης.

long. 70. 00. lat. 34. 45. Notandum hîc, urbes hujus nominis fere quotquot sunt, aquis pariter circumfundi. Ammianus Marcellinus, de Apameâ Mesenes. Urbs est, quam Tigridis aquæ ambiunt. Steph. Ἀπάμεια ἐστὶ καὶ ἄλλη ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ τῷ Τίγρητι περιεχομένη. Et Plinius, *Tigris circumdatur huic.* Idem de Apamia Phrygiæ; *Sita est in radice montis Signia, circumfusa Marsyâ.* Stephanus, de Apamia Syriæ, Ἐκλήθη δὲ Χερρόνησος ἀπὸ περιοχῆς τῶν ὑδάτων. Itaque verissimum puto, quod observat Vir Maximus, *Apamia* vocem esse Syram; quamvis illius originem non videatur planè assecutus fuisse, quæ tota latet in Jonæ verbis, *cap. 2. vers.* 4. אפפוני מים *aphaphuni majim*, hoc est, *circumdederunt me aquæ.* Bochartus.

Apamia, vulgò *Pamiers*, urbs Galliæ, in Occitania. Hic circa A. C. 1207. Colloquium institutum inter Albigensium Doctores, & Didacum Episcopum Oxon. Dominicum Mon. Abbatemque Cistertiensem, ab Innocentio 3. missos, cùm eadem res prius Carmanii tentata fuisset. Sed cùm Albigenses de sententia cedere nollent, crucem in eos sumi jussit Pontifex, pares indulgentias ac contra Turcas largitus. Ita Dominico incentore, Simone verò Monfortio duce, bellum atrox, Anno 1209. Vid. Papyr. Masson. *Hist. Gall. lib.* 3. P. Æmyl. *lib.* 6. Propter hujusdem urbis Episcopum, ob insolentiam carceri inclusum, excommunicatus Philippus Pulcher Gall. R. à Bonifacio 8. primò huic generosè per literas respondit; dein Synodo Parisiis convocatâ illum condemnavit, tandem per Vilhelmum Nogaretum Ananiæ cepit. A. C. 1301. 1302. 1303. Vid. *Philippus R.* & *Bonif.* 8. Plura autem de *Apamea*, in *Appamia*.

Apanchomene, Ἀπαγχομένη, Diana apud Arcadas. Clemens *in Protreptico.*

Apanta, prov. Terræ firmæ, in America Meridion. inter lacum *de Parimé*, & fluv. Amazonum, ubi etiam *Apantes*, pop. ad sinistram fluv. Amazonum ripam, ad Occid. prov. *Coropa*, Texeira.

Aparctias, ventus ab Arcto flans; hoc est, à Septentrione. Plin. 2. 4.

Aparia, prov. Peruviæ, in America Merid. prope fluv. Amazonum, ubi recipit Curarajum, ad Septentr. prov. Pacamorum. P. Texeira. Ei insidet Canela prov. ad Occidentem.

Aparni, Scythiæ populi ex Nomadum gente, Hircanis, & eorum mari proximè adjacentes. Strabo *lib.* 11.

Apartheni, populi circa Mæotim. Plin. 6. 4.

Apasiacæ, gens Massagetarum. Steph. & Strabo.

Apaturia, Minerva ab Æthrâ sic dicta; quæ per quietem ab eâ monita, ut Sphæro sacrificaret, cùm in insulam trajecisset, à Neptuno compressa; Palladis templum ibi erexit. Præterea que constituit, ut Trœzeniorum virgines zonas ante nuptias Apaturiæ Palladi consecrarent. Item *Apaturia* Venus dicta. Nam cùm Gigantes quodam tempore vellent eam interimere, dicitur in latebris tam diu delituisse, donec Herculis auxilio sigillatim omnes interfecit. Inde *Apaturum*, Veneris templum in Phanagoriâ. Steph. *ex Strabone.*

Apaturia, festa Atheniensium; quam vocem rectè Budæus vertit, *Festum deceptionis*: quippe cui præbuit originem ἀπάτη, id est, *deceptio.* Nam cùm finium regundorum controversiam, inter Athenienses & Bœotos ortam, Reges Melanthius, & Xanthius certamine singulari dirimere statuissent, Xanthius astu circumventus occubuit. His enim dimicantibus, quidam à tergo Xanthii nigrâ pelle capræ indutus apparuit: Tunc Thymœtas (Is enim tunc regno præfectus fuit) injuriam sibi fieri questus, quòd ad singulare certamen Xanthius cum socio acce-

deret, Xanthius respiciendi gratiâ conversus ab adversario interficitur. Cùm verò Bacchus creditus esset pelle capræ apparuisse indutus, dies festi fuerunt, in ejus honorem, ab Atheniensibus mense Octobri instituti. Aristophanis Interpres nunquam satis laudatus *in Acharnan.* Πόλεμος ἦν Ἀθηναίοις πρὸς Βοιωτοὺς περὶ Κελαινῶν, ὃ ἦν χωρίον ἐν μεθορίοις. Ξάνθιος δὲ ὁ Βοιωτὸς προεκαλέσατο τὸν Ἀθηναίων βασιλέα Θυμοίτην. Οὐ δεξαμένου δὲ αὐτοῦ, Μέλανθος ἐπιδημῶν, Μεσσήνιος τὸ γένος, ἀπὸ Περικλυμένου τοῦ Νηλέως ἐπέστη ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ. Μονομαχούντων δὲ ἐφάνη τῷ Μελάνθῳ τις ὄπισθεν τοῦ Ξανθίου, τραγῆν, τουτέστιν, αἰγίδα μέλαιναν ἐνημμένος. Ἔφη δ' ἀδικεῖν αὐτὸν, δεύτερον ἥκοντα, ὁ δὲ ἐπεστράφη. Ὁ δὲ παίσας ἀποκτείνει αὐτόν. Ἐκ δὲ τούτου ἥτε ἑορτὴ Ἀπατούρια, καὶ Διονύσου Μελαναιγίδος ἱδρύσαντο. Quamobrem, qui genus suum referebant ad Melanthium, id est, omnes verè Jones, Apaturia celebrant, exceptis Ephesiis & Colophoniis. Herodotus *Musâ primâ*: Ἔστωσαν δὲ καὶ καθαρῶς Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηνῶν γεγόνασι, καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ὁρτήν. Ἄγουσι δὲ πάντες, πλὴν Ἐφεσίων καὶ Κολοφωνίων. Οὗτοι γὰρ μοῦνοι Ἰώνων οὐκ ἄγουσι Ἀπατούρια, καὶ οὗτοι κατὰ φόνου τινὰ σκῆψιν. Vid. etiam Natal. Comit. *lib.* 5. *cap.* 12. Porro quæ, *ad Acharnanes*, Aristophanis Interpres exposuit, repetit *In pace*, & Suidas ad verbum, uti ferè solet omnia, excerpsit: Nisi quòd dies quatuor enumerat, uti etiam tot fuisse confirmat Harpocration, Ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἣν ἄγουσι, Πυανεψιῶνι ἐφ' ἡμέρας τέτταρας. Hesychius, Ἀπατούρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἐπὶ ἡμέρας τέσσαρας. Ὧν ἡ πρώτη, Δόρπια καλεῖται, ἡ δὲ δευτέρα Ἀνάρρυσις, ἡ τρίτη Κουρεῶτις, ἡ δὲ τετάρτη Ἐπίβδα. De quibus suis locis.

Apeauros, mons in Peloponneso. Polybius *lib.* 4.

Apelbusa, quæ & *Anelebusa*, Ins. Asiæ min. in ora Pamphiliæ, & sinu Attalico, inter Attaliam & Sidam, urbes littorales.

Apella, idem esse quod verpum sive recutitum, ac dici quasi *sine pelle*, etiam magnus Turnebus censet *lib.* 24. *cap.* 9. & *lib.* 28. *cap.* 21. Imo in veteri quoque glossario legas *Apella*, λιπόδερμος. Imposuit autem iis Horatii locus *lib.* 1. *Sat.* 5.

——— Credat Judæus Apella.

Ubi *Apella* esse proprium viri, tum quantitas primæ syllabæ comprobat, tùm quòd eodem modo Chium *Apellam* legimus, apud Ciceronem, *Epist. ad Att. lib.* 12. *ep.* 19. Quanquam duo vett. Horatii Scholiastæ cum vulgo interpretantur: Hic *Appella, quòd pellem in parte genitali non habeat.* Ille, *Finxit nomen, quasi sine pelle; aut certè Appella, quia præputium non habet.*

Apellas, Cyrenæus Geographus, memoratur in epitome Artemidori Ephesii. Fortè est idem qui de rebus Delphicis commentarium edidit, cujus meminit Clemens Alexandrinus, *in Protreptico.* Videndum annon idem sit, qui Athenæo Apollas vocatur. Vossio quidem *de Histor. Gr. lib.* 3. & *Mathem. cap.* 69. *§.* 17. sic videtur, quia & is de urbibus scripsit, & proclivis in unâ literâ lapsus fuit.

Apellei, populi quidam. Plinius 6. 17. lege *Apellai*, sunt autem in Scythiâ.

Apelles, Cous, pictor eximius, ingenio, & gratiâ, quam in se maximè jactabat, præstantissimus, voluminibus etiam apud Perseum discipulum editis, quæ artis suæ doctrinam continerent. Floruit Alexandri M. temporibus, qui ab illo tantùm depingi voluit, Pancaste Larissæâ ei donatâ. Horatius, *ad Augustum de Alexandro:*

Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem,
Pingeret; aut alius Lysippo duceret æra,
Fortis Alexandri vultum simulantia. ——

Cic. *Epist. lib.* 5. *ad L. Luceium*: *Neque enim Alexander ille gratiæ causâ ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat: sed quòd illorum artem cùm ipsis, tum sibi etiam gloriæ fore putabat.* Plutarchus, *de Fortunâ Alexandri:* Ἦν δὲ καὶ Ἀπελλῆς ὁ ζωγράφος, καὶ Λύσιππος ὁ πλάστης κατ' Ἀλέξανδρον, ὧν ὁ μὲν ἔγραψε τὸν κεραυνοφόρον Ἀλέξανδρον οὕτως ἐναργῶς, καὶ κεκραμένως, ὥστε λέγειν, ὅτι δυοῖν Ἀλεξάνδροιν, ὁ μὲν Φιλίππου γέγονεν ἀνίκητος, ὁ δὲ Ἀπελλοῦ ἀμίμητος. Ovid. *lib.* 3. *de Art. Am.*

Si nunquam Venerem Cous pinxisset Apelles,
Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.

Propertius *eleg.* 9. *lib.* 3.

In Veneris tabulâ summam sibi ponit Apelles.

Hinc *Apelleus* adject. Prop. 1. 2.

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.

Statius, —— *Ut vel Apelleo vultus signata colore.*

Vide Plin. 35. 10. Ælian. *hist. lib.* 12. 34. Valer. M. *lib.* 8. *cap.* 11. *ex.* 4. & Quinctil. *lib.* 12. Non omittendus hìc locus ille S. Empirici Pyrrhon. *Hypotyp. lib.* 1. *cap.* 12. Ὅπερ οὖν περὶ Ἀπελλοῦ τοῦ ζωγράφου λέγεται, τοῦτο ὑπῆρξαι τῷ Σκεπτικῷ. Φασὶ γὰρ ὅτι ἐκεῖνος ἵππον γράφων, καὶ τὸν ἀφρὸν τοῦ ἵππου μιμήσασθαι τῇ γραφῇ βουληθεὶς, οὕτως ἀπετύγχανεν, ὡς ἀπειπεῖν, καὶ τὴν σπογγιὰν εἰς ἣν ἀπέμασσε τὰ ἀπὸ τοῦ γραφείου χρώματα προσρίψαι εἰκόνι. Τὴν δὲ προσαψαμένην ἵππου, ἀφροῦ ποιῆσαι μίμημα.

Apelles, monachus Ægyptiacus plurima miracula edidisse fertur. Hunc cùm in opere fabrili teneretur occupatus, (hanc namque artem profitebatur) spectrum dæmonis noctu, habitu mulieris formosæ, quàm continens esset, tentare cœpit, qui ferro, quod jam poliebat, ex igni extracto, dæmonis faciem exussit; Dæmon autem cum fremitu horrendo & ejulatione aufugit. Sozomen. 6. 28. Item *Apelles*, vir commendatus à D. Paulo. Rom. 16. Fuit etiam *Apelles*, Marcionis hæretici sectator, à cujus communione rejectus, novæ hæreseos auctor extitit. Legem & Prophetas sprevit, Christo corpus aëreum adscripsit, resurrectionem negavit, &c. De hoc vide Euseb. *lib.* 5. *Hist. cap.* 13. Epiphan. *hær.* 44. August. *hær.* 23. Tertullian. *de præscr. c.* 30. 31. Baron. A. C. 146.

Apellicon, Teius, Ptolemæi Lathyri temp. floruit. Philosophus fuit Peripateticus, qui de Hermeâ Atarnensium tyranno, & Aristotelis cum eo familiaritate scripsit. Testis est Aristocles Peripateticus *lib.* 7. *de Philosophiâ*, apud Euseb. *de Præp. Evangel. lib.* 15. *cap.* 1. Περὶ μὲν οὖν Ἑρμείου καὶ τῆς Ἀριστοτέλους πρὸς αὐτὸν φιλίας, ἄλλοι τε πολλοὶ συγγεγράφασι, καὶ δὴ καὶ Ἀπελλίκων, οὗ τοῖς βιβλίοις ὁ ἐντυχὼν, πεπαύσεται βλασφημῶν αὐτούς. Apellicon autem hic familiaris erat Athenioni itidem Peripatetico, Athenionis illius, qui in Erymnei Peripatetici ludo diligentem se disputatorem præbuit, filio, Atheniensium tyrranno, cùm Mithridates Asiam in suam potestatem redegerat, An. U. C. 665. ut fusè narrat Athenæus *lib.* 5. Biennio pòst Romani, duce Syllâ, Athenas receperunt, ubi Sylla Apelliconti jam mortui, teste Strabone *lib.* 13. bibliothecam, in quâ plerique Aristotelis & Theophrasti erant libri multis parum noti, Romam deportandam curavit, ut patet ex Plutarcho. Apellicon autem libros illos à Nelei, cui Theophrastus bibliothecam suam tradiderat, posteris magno emit. Strabo ubi supra, Apelliconta φιλόβιβλον magis, quàm φιλόσοφον fuisse tradit, ejusque librorum usum Romæ à Bibliothecæ præfecto Tyrannionem Grammaticum impetrasse, à quo nos exemplaria corrupta habeamus.

Apenesta, urbs Apuliæ Dauniæ. Ptol. Ἀπούλων Δαυνίων. Σαλαπία, Σηπιοῦς, Ἀπενέσται. *Vieste* hodiè, Ligorio autem *Manfredonia* dicitur. Quo loco autem fuerit, divinatu haud facile est, inquit Cluverius. In regno Neap. & prov. Capitanata situm, 16. milliar. ab Hurio in Eurum, habet Ferrarii ult. editio. Castrum habet munitum, sed paucis constat incolis. In ora maris Adriatici.

Apenninus, mons, cujus nominis origo planè incerta est; siquidem nemo eam unquam aperuit, nisi quæ per summum delirantis cerebri nugamentum de eo adnotaverunt Grammatici, in quibus Isidorus *Origin. lib.* 14. *cap.* 8. ita tradit: *Apenninus mons adpellatus, quasi Alpes Pœnina; quò Hannibal veniens ad Italiam, easdem Alpes aperuit: unde & Virgilius, Alpes immittet apertas. Has enim Hannibal post bella Hispaniæ aceto rupit; & inde loca ipsa, quæ rupit, Apennina Alpes vocantur.* Servius, ad Virgilii *Æn.* 10. *Alpes immittet apertas. Has* (inquit) *ante exustas, aceto infuso Hannibal rupit, & inde loca ipsa, quæ rupit, Apennina Alpes vocantur.* Paul. Diaconus, *rerum Longobardicarum lib.* 2. *cap.* 18. *Apenninæ Alpes, per mediam Italiam pergentes, Tusciam ab Æmiliâ, Umbriamque à Flaminiâ dividunt. Alpes autem Apenninæ dictæ sunt à Punicis, hoc est, Annibale, & ejus exercitu; qui per easdem Romam tendentes transitum habuerunt.* Ecquid hos homines ullam Italiæ cognitionem habuisse dixeris? Ecquid Romanas historias de bello Hannibalico unquam legisse crediderís? Vix arbitror, (inquit Cluverius) Quippe quis tam rudis imperitusque rerum Romanarum esse potest, qui ignoret, quo tractu sint *Penninæ*, sive ut alii scripsere, *Pœninæ Alpes*, quas Hannibal cum Punico suo exercitu ferro, igni, acetoque rupisse traditur? Nempe, qui nunc vocatur *mons Jovis*, sive alio nomine, *Mons Divi Bernhardi*: quà transitus est ex Salassiis ab Augustâ Prætoriâ in Veragros ad Octodurum, quod vulgò dicitur incolis *Martinach*. Cæterùm de Apennino, ita tradit Livius *lib.* 36. *Id jugum, sicut Apennini dorso Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit.* Et Martianus Capella *lib.* 6. *Si à primis Alpibus dextrum latus, & prolixi montis brachium contempleris, prominentias utrinque componens: Theatrum quoddam spectare videaris undarum. Lunata quippe, & quodam hemicyclo in promuntorium memoratum circumfertur Italia.* Leucopetram intelligit. Plinius *initio capitis* 5. *libri* 3. *Lucanum Bruttiumque litus; quò longissimè in meridiem ab Alpium fine lunatis jugis in maria excurrit Italia.* Et eodem capite posteà, expositâ Ligurum orâ maritimâ: *A tergo autem supra dictorum omnium Apenninus mons, Italiæ amplissimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum.* Vetus commentator Horatii, *ad* Ἐπῳδῶν *oden* 16. *Apenninus mons ab Alpibus ortus, & mediam Italiam longissimo tractu, versus Siculum fretum, quasi dorso quodam scindens, inferum mare à supero dividit.* Strabo *lib.* 2. Νέμονται δ' οἱ Λίγυες μέρος τῶν Ἄλπεων, τὸ συνάπτον τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι, μέρος δὲ καὶ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν κατέχουσι. Ταῦτα δ' ἐστὶν ὀρεινὴ ῥάχις διὰ τοῦ μήκους ὅλου τῆς Ἰταλίας διαπεφυκυῖα ἀπὸ τῶν ἄρκτων ἐπὶ μεσημβρίαν, τελευτῶσα δ' ἐπὶ τὸν Σικελικὸν πορθμόν. Ptolemæus, *in descriptione Italiæ*: Τὰ δὲ Ἀπέννινα ὄρη ὑπέρκειται μικρὸν τῆς Λιγυρίας ἀρχόμενα ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, καὶ μετὰ ταύτην ἐπεκταθέντα ἄχρι

Ἀγκῶνος, κἀκεῖθεν ἐπιστραφέντα πρὸς μεσημβρίαν, τελευτᾷ ἐπὶ τὴν Λευκόπετραν. Lucanus *lib.* 2.

Mons inter geminas medius se porrigit undas,
Inferni superiq; maris: collesq; coërcent,
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Pisæ;
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Rutilius *Itinerarii lib.* 2.

Diversas medius mons obliquatur in undas,
Quà fert, atq; refert Phœbus uterq; diem.
Urget Dalmaticos Eoo vertice fluctus,
Cæruleaq; occiduis frangit Etrusca jugis.

Polybius *libro secundo*: Τὸν δ' Ἀπέννινον ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς Λιγυστινοὶ κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία παρὰ θάλατταν μὲν, μέχρι πόλεως Πίσης. Ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοὶ, τούτοις δὲ συνεχεῖς ἑκάτερον τὸ κλίμα νέμονται τῶν προειρημένων ὀρῶν Ὄμβροι. Λοιπὸν ὁ μὲν Ἀπέννινος ἀπέχων τῆς κατὰ τὸν Ἀδρίαν θαλάττης σταδίους ὡσανεὶ πεντακοσίους, ἀπολείπει τὰ πεδία δεξιὸς ἀπονεύων, καὶ διὰ μέσης τῆς λοιπῆς Ἰταλίας διήκων εἰς τὸ Σικελικὸν καταντέινει πέλαγος. Apennini descriptionem etiam nobis exhibet, Marcus Vitruvius Pollio *lib.* 2. *cap.* 10. cujus verba apponam: *Montis Apennini primæ radices ab Tyrrheno mari in Alpes, & in extremas Hetruriæ regiones oriuntur. Ejus verò montis jugum se circumagens, & mediâ curvaturâ prope tangens oras maris Adriatici, pertingit circuitionibus contra fretum. Itaq; citerior ejus curvatura, quæ vergit ad Hetruriæ Campaniæq; regiones, apricis est potestatibus: namq; impetus habet perpetuos à Solis cursu. Ulterior autem quæ est proclinata ad superum mare, Septentrionali regioni subjecta, continetur umbrosis & opacis perpetuitatibus.* Cæterùm ex Polybii loco, nuper adducto, hæc hausit Strabo, *l.* 5. Τὰ Ἀπέννινα ὄρη ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς Λιγυστικῆς, εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν ἐμβάλλει, στενὴν παραλίαν ἀπολιπόντα. Εἶτα ἀναχωροῦντα εἰς τὴν μεσόγαιαν κατ' ὀλίγον, ἐπειδὰν γένηται κατὰ τὴν Πισᾶτιν, ἐπιστρέφει πρὸς ἕω καὶ τὸν Ἀδρίαν, ἕως τῶν περὶ Ἀρίμινον καὶ Ἀγκῶνα τόπων. Συνάψαντα δὲ τοῖς τόποις τούτοις, καὶ ἀφορίσαντα, τὸ ταύτῃ πλάτος τῆς Ἰταλίας ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ θάλατταν, ἐπιστροφὴν λαμβάνει πάλιν, καὶ τέμνει τὴν χώραν ὅλην ἐπὶ μῆκος, μέχρι μὲν δὴ Πευκετίων καὶ Λευκανῶν οὐ πολὺ ἀφίσταται τοῦ Ἀδρίου, συνάψαντα δὲ Λευκανοῖς ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλατταν ἀποκλίνει μᾶλλον, καὶ λοιπὸν διὰ μέσων τῶν Λευκανῶν καὶ Βρεττίων διεξιόντα τελευτᾷ πρὸς τὴν Λευκόπετραν τῆς Ῥηγίνης. Claudianus, *in Panegyrico de* 4. *Consulatu Honorii*:

—— *Stipatus adhuc, equitumq; catervis*
Integer, ad montes reliquo cum robore cessi,
Quos Apenninum perhibent. Hunc esse ferebat
Incola, qui, Siculum porrectus ad usq; Pelorum,
Finibus ab Ligurum populos amplectitur omnes
Italiæ; geminumq; latus stringentia longè
Utraq; perpetuo discriminat æquora tractu.

Unus quidem Strabo Apennini quasi alterum quoddam cornu à proximis Lucanorum finibus, fonteque amnis Bradani in Apuliam producit; quod jugum Alpibus cohærens, *Vulturem* dictum fuisse incolis ostendit Cluverius. Atqui reliqui omnes authores unum Apennini lunatum jugum faciunt, ab Ligurum finibus ad Leucopetram usque promuntorium. Strabonis, ut videtur, verbis inducti nostri ævi Geographi, Apenninum in duo scindi cornua affirmarunt; quorum alterum in Leucopetrâ; in Salentino sive Japygio promuntorio alterum finiatur. Quod idem innuere quoque putarunt Pomponii verba, quæ *lib.* 2. *cap.* 4. sunt hujusmodi; *Italia ab Alpibus incipit in altum excedere: atq; ut procedit, media se perpetuo Apennini montis jugo attollens, inter Hadriaticum & Thuscum, sive, ut aliter eadem appellantur, inter superum mare, & inferum excurrit: diu solida; verum ubi longè abit, in duo cornua scinditur; respicitq; altero Siculum pelagus, altero Jonium.* Quæ ita Solinus *cap.* 8. mutuata refert: *Italia universa consurgit à jugis Alpium; inde procedens paulatim, se Apennini dorso extollit, extensa inter Tuscum & Adriaticum, id est, inter superum mare, & inferum. Ubi longius processit, in cornua duo scinditur; quorum alterum Jonium spectat æquor, alterum Siculum.* Verùm his verbis non Apenninus mons, sed ipsa terra Italia *in duo scindi cornua* disertissimè perhibetur. Præterea falsum est, quod illi nostri seculi adfirmant homines, Apennini aliquod continuatum jugum in Japygium usque promuntorium. Quippe prædictus *Vultur mons*, quem Strabo vocat partem Apennini, non ultra regionem Egnatiæ extenditur. Reliqua hinc terrarum pars, ad memoratum usque promuntorium satis jam plana est: etiamsi incola nuper hujus oræ Antonius Galatæus, *in libro de Japygiâ*, montes hîc extollat tanto verborum tumore, uti Apennini, adeoque ipsarum Alpium altitudinem, antè quàm coram ipse inspexerat, exæquare eos existimaverit Cluverius. De cætero nec illud verum est, quod unus Ptolemæus ait, ad Garganum adpropinquare Apenninum montem: quum hâc regione ferè medium teneat Italiæ inter gemina maria. Apud Lucanum quoque de eodem Apennino sic scriptum est, *lib.* 2.

—— *Non deserit antè*
Hesperiam, quàm cùm Scyllæis clauditur undis,
Extenditq; suas in templa Lacinia rupes
Longior Italiâ, donec confinia pontus
Solveret incumbens, terrasq; repelleret æquor.
At postquam gemino tellus elisa profundo est;
Extremi colles Siculo cessere Peloro.

Siciliam vult quondam adnexam fuisse Italiæ; ut plerique alii veteres authores (uti ostendemus *in Rhegium*) ante ejus divulsionem Apenninum extensum fuisse in eam insulam, quà Pelorus mons Messanæ Tauromenioque urbibus imminet. At quam hîc partem ille facit Apennini, veluti cornu quoddam, in Lacinium usque promuntorium ad 40. fermè millia extensum, Plinius *montem Clibanum* vocat. Uno igitur perpetuo dorso Apenninus à Ligurum finibus, per omnem reliquam Italiam, ad fretum usque Siculum in promuntorium Leucopetram excurrit. Hyperbolicè quidem, poëtico more, de montis hujus rectitudine loquitur Dionysius, dum eum Italiam mediam dividere affirmat, tanquam lineam amussi fabrili ductam. Ita enim verba ejus sunt intelligenda *Vers.* 339.

Μέσση δ' ἀμφοτέρων παρατέπταται Αὐσονὶς αἶα
Πουλυτενής, τὴν μέν τε μέσην ὄρος ἄνδιχα τέμνει
Ὀρθὸν, ἅτ' ἐκ στάθμης ἰθυμμένον (οὐκ ἂν ἐκεῖνο
Ἴδρις μωμήσαιτο σοφῆς ὑποεργὸς Ἀθήνης)
Ὅ ῥά τε κικλήσκουσιν Ἀπέννιον, ἐκ δὲ βορείης
Ἄλπιος ἀρχόμενον Σικελὴν ἐπὶ πορθμίδα λήγει.

Ubi in ultimis verbis hypallagen esse oportet, si authorem errore liberare velimus; ut non intelligatur *à Boreali Alpium parte esse Apennini principium*, sicut verba præ se ferunt (cùm ab Australi potius earum parte oriatur sc. juxta Liguriam) sed quòd *ipse Apenninus ab alpibus*, ut Boreali suo termino, oriatur; qui inde ad Orientem & Meridiem vergit, Italiam ferè mediam secans, donec ad fretum Siculum desinit. *Longitudinem* huic monti tribuit poeta quidam (quem Neronem fuisse vulgò putant) apud Persium *Satyrâ prima*:

Sic costam longo subduximus Apennino.

Altitudinem ejusdem indicare voluit Petronius Arbiter *in Satyrico*, Discordiam introducens hoc modo:

Hæc ut Cocyti tenebras, ac Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Apennini:
Unde omnes terras, atq; omnia litora posset
Aspicere, ac toto fluitantes orbe catervas.

Virgilius *Æn.* 12.

Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Quum fremit ilicibus, quantus gaudetq; nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.

Horatius *in Epodis*:

In mare seu celsus procurrerit Apenninus.

Lucanus *lib.* 4.

Umbrosis mediam, quà collibus Apenninus
Erigit Italiam, nullo quà vertice tellus
Altius intumuit, propiusq; accessit Olympo.

Silius Italicus *lib.* 4.

Horrebat glacie saxa inter lubrica summo
Piniferum cœlo miscens caput Apenninus;
Condiderat nix alta trabes; & vertice celso
Canus apex strictâ surgebat ad astra ruinâ.

Verùm licet immensæ sit altitudinis Apenninus; tamen Alpium sublimitatem minimè adæquat, Cluverio teste. *l.* 3. Utrosque conjunxit Ovidius *Met.* 2.

Aeriaq; Alpes, & nubifer Apenninus. Varia sortitur nomina diversis in locis. Inter agrum Mutinensem & Lucensem dicitur *Mons S. Peregrini*, ibique arduus & difficilis valde, soloque à fluvio Aufido secatur, prope Compsam urbem Baudr.

Apenroa, vulgò *Apenrade*, urbs parva Daniæ & Jutiæ Merid. prope mare Balticum, in Duc. Slesvicensi. Portu gaudet capaci.

Aper, (Arius) occidit Numerianum Imp. generum suum, ut ipsemet imperio potiretur, sed à Diocletiano, qui imper. proclamatus est, vicissim neci est datus, qui sic *Apro fatali*, ut quondam ei à Maga quadam prædictum erat, interfecto, Imperium obtinuit. Vopisc. *in Caro & Numeriano.*

Aper, Consul Rom. Catulini collega. Alter Pollionis 2. Collega, &c. Item, Grammatici nomen.

Apera, Galatiæ opidum. Antoninus.

Aperantia, urbs Thessaliæ. Stephanus.

Aperantii, pop. fuere Græciæ, in Epiro, inter Molossiam & Athamaniam, ad fontes Acheloi fluvii. N. Sanso.

Aperethes, Arcadiæ urbs. Pausanias.

Aperi oculos, vulgò *Abrolhos*, ins. parva & aliquot scopuli, in mari Brasilico, in itinere ex Europa, Pernambucam versus. Ab ora Brasiliæ 70. leuc. circ. nautis formidabiles, propter Syrtes; quæ ad 50. leuc. extenduntur. Sunt autem inter Insulam Ferdinandi Noronæ & oram Brasiliæ Occident.

Aperi oculos, vulgò *os Abrolhos*, Scopuli & Syrtes in mari Brasilico, in America meridion. inter Insulam Ascensionis, ad Eur. & Præfect. Portus Securi.

Aperi oculos Babueca, vulgò *Abreojos ó Baxos de Babueca*, Scopuli & Syrtes Americæ Septentr. in mari Bor. 16. circiter leucis, ab ora marit. Insf. Hispaniolæ, in Septentr.

Aperia, urbs circa Mœsiam. Histor. Miscell.

Aperopia, insula Argiæ regionis. Pausanias.

Aperra, Ptolemæo, *Apyra* Plinio, Lyciæ urbs. *Phinica*, teste Villanovano.

Apesas, sive *Apesus*, *Apesantus* Plinio, *Apasantus* Plutarcho, mons Peloponnesi in Argiâ reg. apud Lernam paludem, & Nemeam silvam. Papinius *Theb.* 3.

Mons erat audaci seductus in æthera dorso
Nomine Lernæi dicunt Apesanta Coloni,
Gentibus Argolicis olim sacer. ——

Ubi Lactantius Scholiastes vult, montem esse Tarsi Ciliciæ, unde se Perseus misit ad volandum, ἀπὸ τῦ ἀφιέναι; ideoque *Aphesanta* legit. Ab hoc monte *Apesantius* Jupiter dictus. Vide Steph. *in* Ἀπίσας.

Apetua, Hisp. Bæt. urbs, non procul à Cordubâ. Strabo.

Apetuba, Gall. *Apetous*, pop. Americæ, in Brasilia, versus præfectur. Portus securi, in mediterraneis.

Aphace, urbs Lybiæ. Steph. Fuit & *Aphace*, vel *Aphaca*, Palæstinæ locus inter Heliopolim, & Byblum, ubi fanum Veneris *Aphacitidis*. Eusebius in vitâ Constantini, *lib.* 3. *cap.* 53. Ἄλσος καὶ τέμενος ἐν ἀκρωρείαις μέρει τῦ Λιβάνυ ἐν Ἀφάκοις ἱδρυμένον. Ubi pro *in Aphacis* perperam Musculus *in fruticeto*, uti Christophorsonus Episcopus olim Cicestrensis *inter arbusta*. Socrates. 1. 4. Τὸ ἐν Ἀφάκοις τῦ Λιβάνυ ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης. Et Sozomen. 2. 4. Ναὸς ὁ ἐν Ἀφάκοις τῆς Ἀφροδίτης περὶ τὸν Λίβανον τὸ ὄρος, καὶ Ἄδωνιν τὸν ποταμόν. Quod apud Cassiodorum, in Tripart. *lib.* 2. *cap.* 20. sic redditur: *In Aphacis juxta montem Libanum, & Adonim fluvium Veneris domus.* Ortelio etiam, *in Thes. Geogr.* jamdiu observatus locus ille Zosimi, *lib.* 1. Ἄφακα χωρίον ἐςὶ μέσον Ἡλιυπόλεώς τε καὶ Βύβλυ καθ' ὃ ναὸς Ἀφροδίτης Ἀφακίτιδος ἵδρυται. Idem legere est in Nicephoro, nisi quòd habet perperam ἐν φακίκοις, pro ἐν Ἀφάκοις. Ejus cultores non aliâ de causâ in locum illum confluebant, quàm ut in honorem Deæ scilicet omni libidinis genere se polluerent, quod etiam testatur Eusebius. Tam detestandæ libidini videtur dedisse occasionem ipsa loci appellatio. Quippe עפקא *aphaca* Syris, adeoque & Phœnicibus *amplexum* sonat. Aphacis porro ab amplexibus voluerunt ideo nomen obtigisse, quia in eo ipso loco accensâ libidine, in Adonidis amplexus ruit Venus. Ne quis nos putet divinare, audi quæ profert Etymologicus ex aliquo veterum, quamvis authorem non citet, Ἄφακα Σύρων μὲν ἐςὶν ἡ λέξις, δύναται δὲ καθ' Ἑλλάδα γλῶσσαν, εἰ δεῖ τὸ δημῶδες εἰπεῖν ῥῆμα, περίλημμα, περιλαβούσης τῆς Ἀφροδίτης ἐκεῖ τὸν Ἄδωνιν, ἢ τὴν πρώτην, ἢ τὴν ἐσχάτην περιβολήν. Vide Bochartum *de Phœn. Colon. pag.* 830. & 831.

Aphæa, Diana dicta, cujus in Ægina templum fuit. Pausan. Britomartis à Cretensibus Dictynna vocata est, ab Æginetis Aphæa, παρὰ τὸ ἀφεθῆναι, quòd effugerit Minois vim. Hesychius Ἀφαία, ἡ Δίκτυννα, Ἄρτεμις. Pausanias de Britomarti, χαίρειν δὲ αὐτὴν δρόμοις τε καὶ θήραις, καὶ Ἀρτέμιδι μάλιςα φίλην εἶναι, Μίνω δὲ ἐρασθέντα φεύγουσα ἔρριψεν ἑαυτὴν ἐς δίκτυα ἀφειμένα ἐπ' ἰχθύων θήρᾳ, ταύτην μὲν θεὸν ἐποίησεν Ἄρτεμις. Σέβουσι δ' οὐ Κρῆτες μόνον, ἀλλὰ καὶ Αἰγινῆται, λέγοντες φαίνεσθαί σφισιν ἐν τῇ νήσῳ τὴν Βριτόμαρτιν. Ἐπίκλησις δὲ οἱ παρά τε Αἰγινήταις ἐςὶν Ἀφαία, καὶ Δίκτυννα ἐν Κρήτῃ. Virgilius (uti vulgò putatur) *in Ciri*:

Nunquam tam obnixè fugiens Minois amores,
Præceps aerii speculâ de montis abisses,
Unde alii fugisse ferunt, & numina Aphææ
Virginis assignant: alii, quò notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.

Videsis illic Scaligerum.

Aphaci, turris munita, in tribu Ephraim, cui vici circumpositi. Jos. 2. *bel.* 23.

Apharias, accusator Lyncestis Alexandri. Curt. *l.* 7. *c.* 2.

Aphana, Insf. sinus Persici, in ora Arabiæ *Quexinni* forsan hodie. 10. leucis distat ab ora marit. in Ortum.

Aphanna, regio Siciliæ ignobilis: unde proverbium *Ad Aphannas*, de obscuris. Steph.

Aphar, Arabiæ Felicis metropolis, circa sinum Arab. Arrian. *in Periplo.*

Aphara, Lat. *Vacca*, sive *frugifera*, aut *accrescens*, sive *irritans*, urbs in tribu Benjamin. Jos. 18.

Apharetus, Marpissam Oenomai filiam visam ex choreâ rapuit. Plut. *in Parallelis.*

Aphareus, rex Messeniorum. Pausanias *in Mes.*

Aphas, Molossorum fluvius. Plinius. In sinum Ambracium cadit. Hodie *Inacho.*

Aphasius Vertex, distans Chalcedone 15. stadia, ubi Darius, obsidens urbem, cœpit cuniculos agere. Polyæn. *l.* 7.

Aphec, sive *Apheca*, Lat. *pelagus*, *Vigor*, vel *fortitudo.* Urbs in tribu Manasse. Jos. 12. Item urbs in tribu Judæ Jos. 15. Item urbs in tribu Asser Jos. 19. ubi Philistini contra Israelem castra posuerunt 1. Reg. 4. 19. Ubi etiam Benhadad rex Syriæ victus est. 3. Reg. 10.

Aphedantes, populi Molossorum. Stephano Ἀφέδαντες.

Aphedas, rex Atheniensium, vel, ut Stephanus, Molossorum.

Apherima, Civ. cum præfectura, in tribu Benjamin, quam Samaritis ademptam, Judææ attribuit Demetrius R. 1. Macc. 11. Joseph. 13. *Antiq.* 7.

Apheta, urbs Magnesiæ in Pagasetico sinu. Steph. Apollon. *Argon. lib.* 1.

Τὴν δ' ἀκτὴν Ἀφέτας Ἀργῦς ἔτι κικλήσκυσι.

Quia inde, ceu à carceribus, soluta est & emissa Argo navis. Pomponius 2. 3. *At cùm litora leguntur, à promuntorio Sepiade per Demetrion & Halon & Pteleon & Echinon, ad Pagasæum sinum cursus est. Ille urbem Pagasam amplexus, amnem Sperchium accipit: & quia Minyæ Colchida petentes inde Argo navem solvere memorantur.* Et hic, inquit Vossius, errat Mela. Non enim per supra memorata loca cursus est ad sinum Pagasæum, sed per sinum Pagasæum cursus est ad supra dicta loca. Errat quoque, cùm dicit Sperchium infundi in sinum Pagasicum, cùm in Maliacum effundatur. Rectè verò dicit Argo navem Pagasis solvisse. Nam quòd *Aphetas* hic reposuit Pintianus, id non probo. Tum quòd id adversetur vett. exemplaribus, tum quoque quòd Aphetæ & Pagasæ pro eodem accipi debeant loco. Itaque & Aphetis & Pagasis rectè dicuntur solvisse Argonautæ. Lucanus,

Prima fretum scindens Pagasæo litore pinus.

Apheterii, Castor & Pollux sic dicti. Pausan. *in Lacon.*

Apheterion, portus Gangeticus. Ptolemæus.

Aphetor, Apollo sic dictus ab edendis oraculis. Cæl. Rhod. 8. 16. & Lilius Gyraldus *Syntag.* 7. Quidam ex antiquis, cujus nomen jam non occurrit, Ἀφήτωρ ὁ ἐν τοῖς Δελφοῖς θεὸς, ὁ πολλὰς δηλαδὴ φήμας ἀφιείς. Hesychius Ἀφητορία, μαντεία. Idem. Ἀφήτορος προφητεύοντος, ἢ τῦ τοξότυ.

Apheus, vel *Aphnius*, Mars ita dictus in Arcadiæ monte Ctesio. Pausan. *in Arcad.* Cæterùm tu vide Cæl. Rhod. *lib.* 20. *cap.* 25.

Aphia, Lat. *flans*, *loquens*, aut *illaqueans*, filius viri Jemini. 1. Reg. 9.

Aphidas, Centaurus. Ἀφείδας Græcè. Item ultimus ex Erecthei familiâ Athenarum rex. Vide Meursium *de regno Attico* 3. 9.

Aphidna, pars Atticæ, & Leontidis tribus. Steph.

Aphidna, locus in Atticâ. Seneca *in Hippolyto:*

—— *Parvas alius*
Calcet Aphidnas. ——

Est & urbs Lycaoniæ. Steph. Sed illic est Λακωνικῆς.

Aphle, *Alarch*, ut scribit Pinetus, vicus Babyloniæ regn. apud lacum Chaldaicum.

Aphneum, civitas Phrygiæ & Lydiæ. Steph. quem vide.

Aphœbetus, conjurationis, contra Alex. M. in Ariis initæ particeps. Curt. 6. 43.

Aphormium, lacus Thespiensium. Steph.

Aphra, urbs Asiæ episc. sub Patriarch. Hierosolymit. G. Tyrius.

Aphraim, civ. in tribu Issachar. Jos. 19.

Aphrica, una ex tribus orbis, jam priscis cogniti, partibus, mel. *Africa.* Fuit olim, sub variis Principibus, à quo Caini Neæque posteri ibi sedes fixerunt. Postea, à Romanis subactâ Carthagine, huc coloniæ deductæ: donec Vandali, Genserici auspiciis, regione potiti sunt, A. C. 427. secundùm Prosperi Chronicon. Recuperavit eam Belisarius, Justiniani copiarum Dux, Gilimerumque cum Carthagine cepit, Anno 552. Arabes anno 653 dein seu 40. Hegiræ, sub Odmano Califa 3. ductu Occuba ben-nafii huc pervenerunt, junctique Saracenis Heraclii Imp. præsidia pepulerunt, à quo tempore per annos 900. gravissimâ servitute terra hæc pressa est: jam Turcarum Imp. partem ejus tenet, reliquum sub Principibus propriis, Mahometanis itidem, gemit, maritima quædam loca Hispani quoque possident, & Angli. Marmol. Diego de Torres.

Religionem Afrorum quod attinet, primi Barbariæ incolæ Soli & Igni sacra fecerunt, dedicaruntque templa sumtuosissima, ubi non minori curâ Ignis, quàm apud Persas, Romanosque custoditus est; conversi Anno 387. Numidæ planetas adorarunt. Nigri quibusdam astris elementisque honorem exhibuerunt divinum, imò etiam primæ rei viventi, in quam matutini inciderunt. Æthiopiæ sup. populi Deum cœli, sub nomine *Guigimo*, venerati, Maguedæ Sabæ reginæ suasu Judaïsmum receperunt, ab Eunucho autem Candaces Christianâ fide imbuti sunt. Inferioris Æthiop. incolæ idololatræ omnes, moribus ab humanitate abhorrentibus, brutis quàm hominibus similiores, semper fuere; nihilominus quidam ex illis à Lusitânis subinde converti dicuntur. Ægyptii olim ridiculi omnino Idolorum cultores, postea devoti Christiani, tandem Mahometa-

hometani superstitiosi evaserunt. Marmolius *lib.* 1. *cap.* 3. Salvianus *lib.* 7. *de provid.* Augustin. *cap.* 15. *de unit. Eccl.* docent, Africam ab Apostolis ipsismet, vel ad minimum, ab horum discipulis veram fidei doctrinam hausisse: unde Ecclesia per aliquot secula, inter persequutionum procellas, erroresque Manichæorum, Donatistarum, Arianorum, Pelagianorum, Circumcellionum, &c. tandem falsorum Fratrum insidias, sub Diocletiano, & Apostatarum insultus sub Decio, nihilominus floruit. Baron. A. C. 302. 353. 439. &c. Vandali post hæc, rerum potiti, Ecclesiam gravissimè afflixerunt, Vid. Victorem Uticensem. Sub Hilderico tamen Thrasimundi successore, exules è Sardinia revocati. Anno 522. Tandem Arabes sub finem seculi 7. Africam ingressi, Mahometis eam deliriis infecerunt, quæ, etiam auctoribus in deserta compulsis, nihilo secius durant.

Propriè autem quinque incolarum hodie genera, Mahometani, Cafri exleges, Idololatræ, Judæi & Christiani. Primi, magnam Africæ partem possidentes, iterum in 72. sectas sunt subdivisi. Secundi nullâ Dei cognitione imbuti, brutorum more vivunt. Tertii Nigrorum regionem & Æthiopiam præsertim infer. impleverunt. Judæorum in variis ibi regnis non exiguus numerus. Ex his indigenæ Abrahami quoque se posteros ferentes, in Ægypto & Abyssinia non invalidi. Advenæ partim, post vastatam à Romanis, Persis, Christianis & Saracenis terram Canaan, huc se receperunt: partim ex Europa pulsi, è Gallia Anno 1395. Italia an. 1342. Anglia 1290. Hispania 1492. eodem confugerunt. Habent hi Synagogas aliquot, sed egeni sunt & ab omnibus calcati. Christianorum in hac Mundi parte degentium quidam peregrini sunt, ut à piratis capti, vel indigenæ, ut Regum Angliæ, Hispaniæque subditi, & magna pars Abyssinorum. Reliqui Schismatici sunt, ut Maronitæ, Georgiani, Græci, Armenii & qui à S. Thoma nomen habent; quorum aliqui Patriarcham Alexandrinum pro capite agnoscunt, alii Præsules habent peculiares. Græci à Constantinopolitano dependent. Joh. Leo, Grammæus, Marmolius, &c.

Synodo Carthagine à Cypriano, an. 255. habitâ, rigor erga abnegantes mitigatus, & pœnitentibus reditus permissus est. Dein an. 257. controversia ingens oborta, an ab hæreticis baptizati rebaptizandi: quod cùm affirmarent Afri, à Stephano Episc. R. excommunicati sunt, increpantibus hunc Orientalibus Episcopis, quòd lenitatem & humilitatem Apostolicam non servasset, Euseb. *lib.* 7. *cap.* 3. Cyprian. *l.* 5. *Epist. ad Pompejum.* Unde Schisma. Plura de Conciliis Africanis vid. apud Lætum *in comp. Hist. univ.* Morer. *in Diction. Hist.* Baron. A. C. 257. 258. 522. 523. Conciliorum *tom.* 1. &c. De situ autem, moribus incolarum, regionibus urbibusque supra, in *Africa.*

Aphrices, Indus, qui cum viginti millibus militum & quindecim Elephantis substitit ad Aornam Petrum: sed à suis dolo interfectus, caputque ei præcisum ad Alexandrum relatum est. Hunc, ut Janus Gebhardus observat, vocat Curtius *Erycem lib.* 8. *cap.* 61. Vide Diodorum *l.* 17. *parte posteriore.*

Alex. *Aphrodisæus*, unus ex Aristotelis interpretibus, *Quo nemo melius mentem Aristotelis assequi solet.* Voss. *de Theol. Gen.*

Aphrodisia, insula in mari Persico, ubi Persis à Carmaniâ dispescitur; sic dicta quòd in eâ Venus coleretur. Alio nomine Κωλιὰς dicta.

Aphrodisias, templum Veneris, Plin. *S. Theodoro*, teste Coriol. Cepio, opp. Ciliciæ marit. 12. m. p. à Seleucia in Africum, 18. autem ab Arsinoë in ortum.

Aphrodisias, olim Trœzen Peloponnesi. Stephanus, apud quem duodecim *Aphrodisiades* enumerantur.

Aphrodisias, urbs Cariæ apud Mæandrum flu. Ptol. *Abodisia* hodie. *Aphrodisium* Ptolemæo. Nunc ferè diruta, sub Turcis. long. 58. 40. lat. 38. 10.

Aphrodisium, urbs Africæ maritima inter Neapolim & Hadrumetum. Hoc *Mahometta* Castaldus interpretatur. Mercator verò *Africa.* Sic etiam Calvetus Stella, qui ejus expugnationem à Carolo 5. Imp. factam descripsit, illudque à Mauris *Mahadia* appellari ait. Urbs hodie munita Barbariæ, in ora regni Tunetani. long. 36. 15. lat. 32. 04. Alterum quoque Aphrodisium in orâ litorali ejusdem Africæ, apud Hipponem Regium, ab eo parum recedens in occid. urbs & colonia. *Mabra* Castaldo & Moletio. long. 30. 20. lat. 32. 30.

Aphrodisium, oppidum Cypri in orâ ad ort. & Bor. à Salaminâ 9. m. p. inter Carpasium & Ceraunium urbes. vulgò *Acharon*, teste Lusignano. Nunc in vicum redactum est.

Aphrodisium, promuntorium cum op. ejusdem nominis in orâ Hispan. citer. Ptol. *Capo de Cruz*, teste Floriano. Straboni & Plinio *Pyrenæa Venus*; *Portus Veneris* Melæ dicitur. Aliis in confinio Cataloniæ prov. prope montes Antipyrenæos, differtque à *portu Veneris*, vulgò *Port Vendres*; qui capacissimus juxta Caucoliberim portus est, in Ruscinonensi Comit. & ditione Regis Fr. 5. leuc. ab Aphrodisio promont. in Circium & 3. ab Helena in ortum. Vid. Baudr.

Aphrodisius, Præsul Bituricensis, Petri discipulus, genere Ægyptius. Volater. In hujus ædibus, Cairi, per septennium, sive quod magis probabile, biennium latuisse Christum, A. C. I. 2. sunt qui scribant. V. Jos. *Antiq. lib.* 18.

Aphrodite, Græcis Venus dicta, ab ἀφρὸς, quod est spuma, nam de spumâ maris natam ferunt. Unde illud Ovidii:

Venus orta mari mare præstat eunti.

Tibullus *lib.* 2.

Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem è rapido sentiet esse mari.

Musæus *in Leandro:*

Ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης,
Καὶ κρατέει πόντοιο καὶ ἡμετέρων ὀδυνάων;

Hesychius Ἀφροδίσιον, Ἀφροδίτης ἄγαλμα. Inde Ἀφροδισιάζεσθαι, γυναικίζεσθαι, Idem Hesychius. Ἀφροδίσιος ὅρκος, παροιμία, ἣν καὶ ἀναγράφουσιν,

Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐ δάκνει.

Sophocles apud Stobæum, Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος.

Callimachus:

Ὤμοσεν, ἀλλὰ λέγουσι θεῶν ποτὶ τοὺς ἐν ἔρωτι
Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ᾽ ἐς Ἀθανάτων.

Athen. *lib.* 12. Πλάτων δὲ ἐν τῷ Φιλήβῳ, φησίν, ἡδονὴ μὲν γὰρ ἁπάντων ἀλαζονέστατον, ὡς δὲ λόγος καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ τὰ Ἀφροδίσια, ἃ δὴ μέγιστα δοκοῦσιν εἶναι καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν. Apollodorus *lib.* 1. Φωραθεὶς ὑφ᾽ Ἥρας τῆς μὲν κόρης ἁψάμενος εἰς βοῦν μετεμόρφωσε λευκήν. Αὐτὴν δ᾽ ἀπωμόσατο μὴ συνελθεῖν, Διό φησιν Ἡσίοδος οὐκ ἐπισπᾶσθαι τὴν ἀπὸ τῶν θεῶν ὀργὴν τοὺς γινομένους ὅρκους ὑπὲρ ἔρωτος.

Tibullus *lib.* 1.

—— *Veneris perjuria venti*
Irrita per terras & freta summa ferunt.

Idem *lib.* 3.

—— *Perjuria ridet amantum*
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.

Totidem prope verbis Ovid. *in* 2. *de Art. Am.*

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum,
Et jubet Æolios irrita ferre Notos.

Idem *in* 3. *Amorum*:

Scilicet æterni falsum jurare puellis
Dii quoque concedunt, famaque numen habet.

Propert. *Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas,*
Quicquid jurarunt ventus & unda rapit.

Idem tamen contrà, *lib.* 2.

Non semper placidus perjuria ridet amantum
Jupiter, & surdâ negligit aure preces.

Aphrodites, civitas juxta Athribin, & Æthiopiam, & Thraciam. Steph.

Aphrodisia, regiuncula Laconicæ. Steph. ex Thucydide.

Aphses, id est, *comminuens*, vel *eripiens*, sive *aperiens*, aut *destruens*, nomen viri. 1. Chron. 24.

Aphthala, vel *Aphthaa*, Ægypti nomus, hinc *Aphthites.*

Aphthartocitæ, Hæretici ex Eutychianorum secta suppullulantes, Servatorem nostrum corpus à conceptione immortale habuisse, commenti sunt. Sanderus *hæres.* 109. Baron A. C. 535.

Aphthonius, Sophista, scripsit προγυμνάσματα, id est, *præexercitamenta* in Rhetoricam, & in artem Hermogenis. sec. 2. Extat Græcè cum Hermogene & Longino apud Jo. Crispinum 1557. Item Gr. Lat. apud Hieron. Commelinum 1597. Vid. Volaterr. *Anthrop. lib.* 13. Genebr. *in Eleuthero.*

Aphusia, Ἀφουσία Græcè, insula quædam, in quâ exularunt D. Theophanes poeta, & Theodorus ipsius frater cognomento Γραπτός. Uterque confessor. Suidas.

Aphydnus, miles Æneæ à Turno occisus. Virg. *Æn.* 9.

Aphyte, vel *Aphytis*, op. Thraciæ non procul à Pallene, oraculo Apollinis insigne. Incolæ *Aphytæi.* Steph. Hos Jovem Ammonem non minore cultu, quàm ipsos in Africâ Ammonios veneratos, Pausanias *in Laconicis* refert, & Lysandro urbem oppugnanti Ammonem per noctem apparuisse, & illum monuisse; & illi, & Lacedæmoniis melius cessurum, si Aphytæos desiissent bello vexare. Itaque Lysandrum obsidionem deseruisse, & Ammonis religiosius colendi eis auctorem fuisse.

Apia, regio ab *Api* 4. Sicyoniorum rege appellata; Ægialea anteà dicta, nunc Peloponnesus. Hom. *Il.* 1.

Τηλόθεν ἐξ Ἀπίης γαίης. ——

Ubi tamen Schol. Ἐκ τῆς ἀλλοδαπῆς καὶ μακρὰν ἀπεχούσης γῆς.

Apianum, *Aviano*, & *Appen*, Germ. castrum Tridentinorum, apud Athesin fluv. in via Tridento Veronam eunti occurrens.

Apianus, Oasi Ægypti urbe natus, Alexandriam se contulit, cujus semper civis habitus est. Dein, Theo, in professione Rhetoricæ, sub Tiberio successit. Hinc Alexandriam reversus, ad Caligulam Imper. remissus est, ubi contra Judæos librum edidit, quem Josephus refutavit. Ridet illum Plinius, in præfatione hist. naturalis, sub nomine *Cymbali mundi*, quo Apianus à Tiberio notatus erat. A. Gell. *lib.* 5. *cap.* 14. & *lib.* 6. *cap.* 8. Euseb. *Hist. l.* 2. *c.* 5. Senec. *ep.* 88. Clemens Alexandr. *Strom.* 1. V. *Apion.*

Apiarius, Presbyter Eccl. Siccensis in Numidia, ob crimina, ab Episcopis provinciæ condemnatus, ad Zosimum appellavit, ab eo-

ab eoque absolutus est. Postmodum, cùm Tabaram, aliam Numidiæ urbem, pervenisset, enormium criminum reus deprehensus & à Synodo condemnatus est. *Concil.* 5. *Carthag.*

¶ *Apiates*, Aquitaniæ populi à P. Crasso superati. Diodorus. *lib.* 39.

Apicata, Sejani uxor, ex quâ tres liberos susceperat; ab eo repudiata, ne adulteræ Liviæ Drusi Tiberi F. uxori suspectaretur. Tacit. *lib.* 3.

Apicium, opp. regni Neap. ad fluv. Caloren, in Principatu ulteriori. A Benevento, 7. m. p. in Orient. totidemque ab Ariano, in Occ. paucisque constat incolis.

Apicius Romanus, totum nomen *M. Gavius Apicius*, omnium helluonum maximus gurges, cui parum fuit & principum congiaria, & Capitolii vectigal devorasse; nisi insuper gulæ suæ monumentum posteris reliquisset, edito *de gulæ irritamentis* volumine, quo seculum suum infecit. Hunc Sen. *lib. de Consolatione ad Albin.* suo seculo vixisse testatur, & laqueo vitam finivisse; cùm subductis rationibus ex sestertio millies, quod in culinam congesserat, centies tantùm superesse sibi cognovisset. Juvenalis,

—— Quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius?

Martialis, *Ipse quoq; ad cœnam gaudebat Apicius ire,*
Quum cœnaret, erat tristior ille domi.

Alii *Apitius.* Ejus quoque meminit Athenæus, *lib.* 1. Cæterùm tres Roma tulit Apicios, inquit Casaub. *ad Athen. lib.* 1. *cap.* 6. & Lipsius *ad Annal. Tac. lib.* 4. Primum, qui Athenæo nominatur, *lib.* 4. *cap.* 20. qui veteri Rep. fuit, quemque à Posidonio celebratum ait, & auctorem fuisse, ut Rutilius in exilium mitteretur. Alterum, qui Augusti ævo, de quo supra; *nepotum omnium altissimus gurges* Plinio *lib.* 9. *cap.* 17. & *lib.* 10. *cap.* 48. dictus, de cujus deliciis volumen Apioni Grammatico scriptum legas Athenæi *libro* 7. Vid. Dion. *lib.* 57. Tacit. 4. 1. & Seneca, *Consol. ad Elbiam.* Tertium, qui in imperio Trajani, cujus mentio apud Suidam in Ὄστρεα, si tamen *Trajani* ibi vox incorrupta.

Apidanenses, Arcades. Dionysius,

Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες ὑπὸ σκοπιὴν Ἐρυμάνθου.

Ubi alii Ἀπιδανῆος legunt, ut referatur ad montem Erymanthum. Cur verò Arcades ipsi, aut mons ille sic dicatur, haud satis constat. Eustathius quidem ab Apide quodam, qui ex Epiro veniens Arcadiam incoluit, Peloponnesum totam *Apiam*, Arcades verò peculiariter *Apidaneas* dictos refert, hunc versum ex Arriano in rei testimonium adducens:

—— Κλυτὸς Ἆπις
Ὅς ῥ' Ἀπίην ἐφάτιζε καὶ ἀνέρας Ἀπιδανῆας.

Callimachus, *Hymno in Jovem*,

—— Ἀλλά ἑ Ῥείης
Ὠγύγιον καλέουσι λεχώιον Ἀπιδανῆες.

Ubi Scholia, Ἀπιδανῆες, οἱ ἀρχαῖοι Ἀρκάδες. Strabo tamen Apiæ nomen potius ad Argiam, & Ἀπιδόνων (sic enim vocat) ad Argivos propriè pertinere censet. Fortè tamen Apis utrique regioni imperitavit, & sic Strabo cum Dionysio & Eust. conciliabitur.

Apidanus, unus ex præcipuis Thessaliæ fluviis, tardè fluens, quousque illi commiscetur Enipeus, quem ipse secum in Peneum defert, supra Larissam, ut habet Lucanus *lib.* 1.

—— It gurgite vasto
Apidanus, nunquamq; celer, nisi mistus Enipeus.

Ovid. *Met.* 1.

Apidanusq; senex, lenisq; Amphrysus & Æas.

Idem *lib.* 7.

Multa quoq; Apidani placuerunt gramia ripis,
Multa quoq; Amphrysi.

Propert. *lib.* 1.

Qualis in herboso concidit Apidano.

Demetrius Troadis fluvium facit. Stephanus. Hodie *Epideno* & *Pidanemo.*

Apidius Merula, quòd in acta D. Augusti non juraverat, à Tiberio Cæsare albo Senatorio erasus est. Tacit. 4. 42.

Apiennuates, Umbriæ populi. Plin. 3. 14.

Apila, Civ. ad Septentr. Urbis Astaroth. Hier. de L. H.

Apilocarium, Lusitaniæ urbs. Phlegon Trallianus.

Apina, vel *Apinæ*, urbs Apuliæ. *Tricas* autem & *Apinas* vulgò res futiles, & nugatorias dicunt. Mart. *lib.* 14.

Sunt Apinæ Tricæq;, & si quid vilius istis.

Plin. 3. 11. Diomedes ibi delevit gentes Monadorum, Dardorumque, & urbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertêre, *Apinam*, & *Tricam.* Inde *Apinarii*, γελωτοποιοί, scurræ, mimarii, qui divitum mensas sectabantur, Trebellius Pollio.

Apinius Tiro, Præturâ functus Classis Misenensis, cum Claudio Apollinari præfectus, ducem se defectoribus ad Vespasianum obtulit; à quibus municipia coloniæque impulsæ, præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studio. Tacit. *Hist.* 3. 57. Romana Editio *Aponius* præfert, aitque Gruterus nomen hoc notius altero; nec putat istud alibi inveniri. V. *Aponius.*

Apiola, vel *Apiolæ*, civitas Italiæ, capta à Lucio Tarquinio rege, de cujus prædâ Capitolium inchoavit. Plin. 3. 15. Steph.

Apion, cognomen Ptolomæi ex Lagidis Nothi, Libyæ regis, qui regnum moriens testamento Populo Romano reliquit; in quo inclytæ civitates erant Berenice, Ptolemais & Cyrene. Factum hoc anno urbis DC. LX. Cajo Cælio, L. Domitio Coss. Videatur Appianus 1. *Civilium* & Eutropius.

Apion, Tiberii temporibus & ultra floruit, περιεργότατος Γραμματικῶν, *Grammaticorum curiosissimus*, ut Africano apud Eusebium vocatur; ἀνὴρ δοκιμώτατος, *vir celeberrimus*, uti dicitur Tatiano, *Literis homo multis præditus, rerumq; Græcarum plurimâ, atq; variâ scientiâ*, ut judicat Gellius 5. 14. Natus fuit Oasi, Ægypti civitate: sed Alexandrinus vocari volebat, quòd jus ejus civitatis haberet. Auctor Josephus *lib.* 2. eorum quos adversus eum scripsit. Cognomen habuit Πλειστονίκης, hoc est, *Multivictor*, uti liquet ex Plin. 37. 5. Gellio 6. 8. & Clem. Alex. *lib.* 1. Στρωμ. Sed Suidæ dicitur Ἀπίων ὁ Πλειστονίκου. Verùm fallitur; nam Posidonii fil. fuit, teste Africano in tertio χρονογραφιῶν. Etiam cognomen habuit Μόχθος, *ab assiduo labore*, ut Suidas docet, ex quo etiam cognosces, quibus præceptoribus usus sit. Plinius *in Præfat. Nat. Hist.* *Apion Grammaticus, hic quem Tiberius Cæsar Cymbalum mundi vocabat, cùm publicæ famæ tympanum potius videri possit, immortalitate donari à se scripsit, ad quos aliqua componebat.* Unde liquet, Tiberii ætate non exiguum nomen habuisse. Idem ab Alexandrinis ad C. Cæsarem, cognomento Caligulam, accepit legationem. Quo tempore Philo à Judæis est missus ad eundem, ut gentis suæ causam ageret, adversus Alexandrinos. Josephus *Ant.* 18. 10. Seneca *Epist.* 88. *Apion Grammaticus, qui sub Caio Cæsare totâ circulatus est Græciâ.* Nec tantùm Tiberii & Caii, sed Claudii etiam tempore vixit, teste Suidâ: Cui Flavius Josephus respondit. Idem scripsit Ægyptiacorum libros 5. Gellius 5. 14. & 10. 10. Ab Ægyptio Apidis numine vocatus est. Errant ideo, qui geminato *p.* dicunt *Appionem*, quasi derivatum sit, ab Appiâ gente Romanâ. Video tamen, non semel sic scribere Josephum Scaligerum, *in eruditâ appendice præclari operis, de Emendatione Temporum.* Vossius.

Apis, Argivorum rex, Jovis filius ex Niobe Phoronei filiâ, alio nomine *Osiris* appellatus, Isidem uxorem duxit; Achaiæ regno Ægialeo fratri concesso in Ægyptum trajecit: ubi cùm homines rudes ad mitiorem vitæ cultum traduxisset, colendarumque vinearum rationem eos edocuisset, concordibus omnium votis in regem est ascitus. Cùmque aliquandiu mirâ prudentiâ, parique clementiâ Ægypti regnum administrasset, multaque in subditos beneficia contulisset, vitâ tandem functus, pro Deo est habitus, & sub vivi bovis imagine, ad cujus imitationem fortè vitulus aureus ab Aarone conflatus est, ab Ægyptiis cultus. Hic Straboni fronte candidâ, cætera niger erat. Herodotus addit, in dorso aquilæ imaginem, in lingua cochleam, &c. gestasse. Pompon. Mela & Plinius illum in latere lunæ crescentis imagine insigniunt; ajuntque ex præcipuis religionis arcanis fuisse, ne diu viveret. Illo igitur mortuo Sacerdotes, nebridibus cincti, horribiliter clamabant, respondente populo, donec altero invento lætitia tristitiam pelleret. Hunc dein per quadragenos dies solicitè nutritum, quo tempore à solo sexu sequiore visebatur, Memphin deducebant, ubi populus escam ei proponens oracula petiit. Hanc enim cùm renuebat, uti Germanico fecerat, infaustum omen erat, &c. Cic. *lib.* 1. *De Nat. D.* *Quid censes igitur Apin illum sanctum Ægyptiorum bovem, nonne Deum videri Ægyptiis?* Ovid. *Amor.* 2. 13.

Et comes in pompâ corniger Apis erat.

Lucanus *lib.* 8.

—— Illo cultore Deorum
Lustra suæ Phœbes non unus vixerat Apis.

Idem *lib.* 9.

Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis.

Vide *Serapis.* Et Euseb. Clement. *de præpar. Ev. cap.* 11. Herodot. *lib.* 3. Ælian. *hist. var. lib.* 11. *cap.* 10. Diodor. *lib.* 1. Macrob. *Saturn. lib.* 21. *cap.* 2. Strab. *lib.* 7. Melam *lib.* 1. *cap.* 9. Plut. *de Iside & Osiride, & quæst. conviv. lib.* 8. Plin. *lib.* 8. *cap.* 46. Minutium Felicem, Augustinum *de Civ. D. lib.* 18. *cap.* 5. Et quia bovis hujus frequentissimus inter Indos hodieque cultus, P. de Valle, *Itiner. tom.* 4. ubi hanc Indicarum superstitionum Camarinam facundè movet. Item *Apis*, vicus in Africâ sic dictus, quia nobilis Ægypti religione esset. Plin. 5. 6.

Apisaon, viri Trojani nomen, Hom. *Iliad.* λ. & ρ. ubi tamen alii Ἀμυθάων legunt.

Apitami, Arabiæ populi. Plin. 6. 28.

Apitius Galba, scurra nobilis sub Tiberio Cæsare. Juvenal. *Sat.* 5.

Si potes ista pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.

Apobathra,

Apobathra, Straboni *lib.* 13. ad Sestum locus ab exscendendo è navibus Apobathra nominatur, ubi Xerxis navis dicitur fuisse congelata. Eustath. *ad Dionys. Perieg.* qui locus Straboni facem præfert.

Apobœoti, populi Ætoliæ. Steph.

Apocalypsis, liber Revelationum divinarum, quibus Johannem Ev. & Apost. in insula Pathmo, Deus dignatus est: ultimus ex Canonicis N. T. continet *cap.* 22. Scripserunt in sacrum hunc librum: Alstedius Joh. Henricus, *Trifolium Propheticum, in Cant. Dan. & Apoc.* quarto Herb. 1640. S. Ambrosius. S. Augustinus, Bibliander, *in Apoc.* Basileæ, 1545. Borrhaus *in Esajam & Apoc.* Basil. 1561. *in fol.* Brightmannus, *in Apoc. Analysis & Scholia.* Quart. Francof. 1609. &c. Le Buy, *sur l'Apocalypse.* Cluverius, *Comment.* Colladon, *Methodus facilima in Apocalypsin.* Octav. Morgiis, 1581. Cregotius, *Notæ.* Diestius, *Analysis Apocal. Exegetica.* Forbesius, *Commentar.* Amstelodami, 1646. Gerhardus *Commentar.* in Quart. Jenæ, Anno 1643. Gomarus in 5. *priora Capp.* inter opera ejus. Graserus, *in plaga regia*, in Quart. Tiguri 1610. Hoe, *Comment.* 6. *Volum.* Quarto. Lipsiæ 1612. 1618. &c. Hogelius. Jacobus Rex, *Paraphrasis in Apoc.* Inter opera ejus. Joachimus Abbas, *in Apoc. expositio*, Quart. Venetiis, 1519. 1527. Junius, *in Apoc. analysis methodica.* Kromayerus. Laurentius *in Apoc.* 3. *priora cap.* Hardervici, 1629. Leoninus, *Contemplatio exegetica*, Octav. Amstelod. 1608. Lucius *in Apoc. notæ textuales & Conc.* 231. *Germ.* Hanoviæ. Medus, *de numero Bestiæ*, in Octav. Basil. Perkinsius, Piscator, *Commentar.* Pricæus, Prideaux; Riccardus, *Idea concionum, in Apoc.* Bernæ, in Quart. Plures vid. apud Guilielmum Crovvæum, *in Elencho scriptorum in Sacram Scripturam*, edito Londini an. 1672.

Apocopa, sinus in Arabico recessu. Steph.

Apocopt, montes Indiæ intra Gangem, Ποινὰ Θεῶν Ptolemæo.

Apocrypha, sic libri dicti, qui publicè primò non legebantur in Eccl. Ludovicus Vives, *in lib.* 15. *de C. D. cap.* 23. Vel, quia apud Judæos, à sacra illa crypta, in qua libri Canonici asservabantur, abfuerunt: Augustin. *lib.* 11. *contra Faustum, cap.* 2. Epiphanius, *de Pond. & Mens.* Damascenus *lib.* 4. *cap.* 18. Horum quidam *Utiles* olim censebantur, quos *Ecclesia quidem legit, sed intra Canonicas scripturas non recepit*, Hieron. *præf. in libr. Salom.* Ut, *liber Judith*, *Tobias*, *libb.* 2. *Maccabæorum*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*: *Baruch*, *Additiones ad Danielem & Estheram*, *Canticum trium puerorum*, *Historia Susannæ & Beli*, *lib.* 2. & 3. *Esræ.* Vid. *quemq; suo loco.* Alii *Noxii*: ut *Evangelium Thomæ*, *Nicodemi*, *Luciani*, &c. de quibus hîc sermo non est.

Priores in pretio primitus esse cœperunt, partim propter materiam, vid. pietatis doctrinam; partim etiam propter historiæ sacræ continuationem: sic secernebantur à libris profanis. Dein conjuncti fuerunt cum libris Canonicis, eodem volumine. Tertiò, legi cœperunt in Eccl. propter rudiores, ad mores eorum formandos & excitandos, firmandosque animos ad constantiam Confessionis, exemplis Martyrum. Vid. Can. 47. Concil. Carthag. qui tamen abusus, & confusio librorum, jam olim damnata est, à Synodo Laodicena Can. 57. Tandem Concilio Florentino & Tridentino par iis cum Canonicis auctoritas data est. Vid. Frid. Spanhemii *Disputt. de auctoritate Libr. Apocryphorum*: Auctorum verò, qui in libros Apocryphos commentati sunt, elenchum exhibet Guil. Crovvæus, *in Elencho script. in S. Scripturam.*

Apolaustus, Agrippæ histrionis cognomentum. Capitolinus *in Vero: Habuit & Agrippam histrionem, quem Apolaustum nominavit.* Propter obscœnum fortè ministerium sic dictus: nam ἀπολαυστικὴ vita, qualis illa Epicureorum. Videtur autem Apolaustus ille, quem unà cum aliis libertis aulicis cæsum, temporibus Commodi, narrat Lampridius. Casaubonus.

Apollinares ludi, Instituti primitus, suasu Cornelii Rufi Decemviri, in honorem Apollinis, priùs incerto tempore, pòst à Licinio Varo Prætore lege latâ 4. Non. Quint. celebrati, bove aurato, capris duabus auratis. Livius. Macrob. *Saturn.* 1. 17. Servius *in* 6. *Æn.* Hos ludos populus laureatus spectabat, stipe datâ pro cujusque copiâ. Festus.

Apollinaris, alio nomine *Claudius*, Præfectus classis Misenensis neque fidei constans neque strenuus in perfidiâ, à Claudio Faventino in partes Vespasiani tractus. Tacit. *Hist.* 3. 57.

Apollinaris, hæreticus, fil. Apollinarii, de quo paulo pòst, Lector fuit Ecclesiæ Laodicensis, Rhetoricam docuit, & Sophistæ Epiphanii, ethnici, amicitiam excoluit. Quam ob caussam objurgatus, ad novam hæresim cudendam animum applicuit. Cujus præcipua momenta: Divinitatem J. C. ei animæ loco, carnem ejus cœlitus demissam, perque Mariam Virg. tanquam canalem, derivatam, eamque Deitati coëssentialem & coæternam, esse. Imo, duos esse Filios, unum ex Deo, alterum ex Virgine natum, &c. Quibus deliriis, discipuli ejus *Apollinaristæ* dicti, varios errores superaddiderunt; partim à Manichæis mutuatos, de natura peccati; partim à Tertulliano, de animæ origine, partim à Sabellio, de personarum divin. confusione. Quae omnia, Alexandrinâ Synodo, cui Athanasius interfuit, & Concilio Oecumenico Constantinop. 2. damnata, Anno C. 373. 381. Scripsit 30. libros contra Porphyrium, Evangelia & Epistolas, in formâ dialogi. Vid. Hier. *in Catal.* Athanas. *epistol. ad Epictetum Cor.* Naz. *epist. ad Cledon.* Epiph. *hær.* 77. August. *hær.* 55. Theodoret. *lib.* 5. Socrat. *lib.* 2. & 5. *cap.* 10.

Apollinaris, Consul Prisci collega.

Apollinaris, episc. Ravennæ, Petri discip. Item, Arch. Bituricensis, Obiit A. C. 611. Item, poëta, cujus meminit Martialis, *lib.* 7. *cap.* 25. Aur. *Apollinaris*, scripsit vitam Imp. Cari. Vopisc. *in Numeriano.*

Apollinarista, Vid. *Apollinaris*, hæret.

Apollinarium, regio, Plin. 3. 24. *Apollinarium in Mimeniis*, seu *Reji Apollinaris Albicorum*, qui & *Alebeceri* dicebantur, nunc est *Riez*, urbs episc. Galliæ, in Provincia, inter aquas Sextias & Sanitium 5 & 12. leucis distat ab opp. *le Buys* in Eurum. Vid. *Rejs.* Baudr.

Apollinarius, Præsul Alexandrinus, successit Zoilo, A.C. 544. Eum excepit Johannes, circa A. 560.

Apollinarius, Alexandriâ oriundus, vir ingenio præstantissimus, doctrinâ clarissimus, carminum & versuum elegantiâ & promptitudine mirus, suis libris, ut ait Basilius, terrarum orbem replevit. Familiaris erat Gregorio, & Basilio, defensor coëssentialitatis. Cùm Julianus, cognomento Apostata, Græcorum disciplinam interdixisset Christianis, tum Apollinarius versibus exposuit ad Homericum modum & stylum historias antiquas sacrarum literarum. Μετάφρασιν τοῦ Ψαλτῆρος διὰ στιχῶν ἡρωικῶν ejus hodie habemus, unà cum interpretatione Latinâ è typographeo Hieronym. Commelini Anno Dom. 1596. Vide omnino Jac. Duportum *Præfat. ad Metaphrasin Libri Psalmorum Græcis versibus à se contextam, Cantab. A. D.* 1666. Plura etiam de hoc Præsule (erat enim Laodiceæ Episcopus) habes apud Eusebium, Socratem, *l.* 2. *c.* 36. Sozomenum, *l.* 6. *c.* 15. Suidam & Vossium.

Apolliniacum, vulgò *Polignac*, opp. Gall. prope Podium, in Velaunis. Vid. *Podominiacum.*

Apollinides, Græcus, sed Persarum partes bello inter Darium & Alexandrum exorto amplexus, Chion, volente Pharnabazo, modico præsidio obtinuit. Sed seditione intra urbem natâ hostes in urbem irruperunt, quibus oppidani olim proditionis consilio agitato, se aggregantes, Persarum præsidium cædunt, vinctumque Apollinidem Amphotero & Egilocho tradunt. Curt. *lib.* 4. *cap.* 46.

Apollinis arx, ad Sibyllæ antrum: cujus meminit Virgilius *Æn.* 6. Hodie *arco Felice* nominari, tradit Pighius *in Hercule Prodico.*

Apollinis civitas magna in Ægypto. Ptol. *Munsia* Zeiglero.

Apollinis civitas parva in Ægypto, Libyam versus. Ptol. Steph.

Apollinis civitas tertia in Æthiopiâ, juxta mare Rubrum. Steph.

Apollinis Fanum, in Africâ propriâ situm. Ptol.

Apollinis Fons, apud Cyrenam in Africâ. Eustathius.

Apollinis promuntorium, est in Africâ Propriâ. Ptol. & Livius. *Rosamusat* Mercatori. Est & *Apollinis promuntorium*, in Mauritaniâ Cæsariensi eidem Ptolemæo, quod *Cabo de Tenes* Castaldo vocatur. In ora marit. Barbariæ, & regni Algerii, à Tenesa urbe vic. sic dictum. Baudr.

Apollinis templum Zerynthium vocant incolæ. Liv. *lib.* 38. qui hoc in Thraciâ describit in Æniorum finibus. Item *Apollinis templum* in Myriensi sinu Lyciæ. Ælianus.

Apollo, monachus in Thebaide, qui annis 40. moratus est in solitudine, parvulam in monte vicino speluncam habens, sed pro miraculorum multitudine brevi effectus insignis, plurimorum Præses extitit monachorum. Sozom. *lib.* 8. *c.* 1.

Apollo, pro Apollinis templo. Virgil. *Æn.* 3.

Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Apollo, Λητοῦς καὶ Διὸς υἱὸς, uti vocatur ab Homero *Iliad.* α. Jovis & Latonæ filius. *Phœbus* etiam dictus & *Sol.* Apollo autem dictus est ἀπὸ τοῦ ἀπόλλυναι, quòd jaculis perderet, quia radii ejus in peste perniciem afferunt animantibus. Vel, Chrysippo teste, ab α privat. & πολλοὶ, cùi non sunt multi similes, vel quòd solus luceat. Unde & *Sol*, quasi *solus* dicitur, teste Tullio 2. *de N. D.* Sanè Hesychius, Ἀπόλλων ὁ τῶν Ἑλλήνων θεὸς. Ἐτυμολογεῖται δὲ ὁ μὴ τῶν πολλῶν συναθλούμενος. Syri *Adad* vocant, quod sig. *unus.* Vide Macrob. *Sat.* 1. 17. Quanquam Eusebius *de Præparat. Evang.* ab ἀπαλλάττειν *Apollinem* nuncupari indicat, quòd ab ægrotationibus homines salvet. Natus est in Delo eodem partu cum Dianâ, quæ & ipsa *Phœbe* dicitur. Adultus Pythonem serpentem sagittis occidit, deinde Cyclopas, ob fabricatum fulmen, quo filius ejus Æsculapius fuit ad inferos detrusus; Unde aliquandiu divinitate privatus, Admeti Thessaliæ regis armenta apud Amphrysum fluv. pavit.

fertur à Mercurio citharam accepisse, & postea Musis præfuisse. Amavit Cyrenen puellam, item Daphnem Penei fluv. filiam, quæ fugiens illius amorem in laurum conversa est, arborem huic sacram. Item Hyacinthum liberali formâ puellum, quem mortuum in florem sui nominis commutasse fertur. Branchum item Thessalum, cui in suo templo sacra fieri jussit, &c. Vicit Marsyam tibicinem, à quo lacessitus fuerat, tibiæ cantu, victum autem excoriavit. Muros Trojæ, adjuvante Neptuno, Laomedonti regi ædificavit. Medicinæ usum primus intulisse, & propterea Deitatem meruisse creditur. Ovid. *Met.* 1.

Inventum medicina meum est, opiferq́ per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Author fuit carminis & Musices, quapropter poetæ præcipuum sibi numen eum faciunt. Ovidius:

—— *Mihi flavus Apollo*
Pocula Castalia plena ministrat aqua.

Vates quâ ratione factus sit, ex veterum fabulis docet Lucanus *lib.* 5. *vers.* 79.

Ultor ibi expulsa premerent cum viscera partus
Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis
Explicuit, cum regna Themis, tripodasq́ teneret.
Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosq́ loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitq́ adyto, vates ibi factus, Apollo.

In Rhodo insulâ, Colossum habuit tantæ magnitudinis, ut inter 7. mundi miracula sit connumeratus. Triplex ejus est potestas, ut sit Sol in cœlo, Liber pater in Terris, & Apollo apud inferos. Ejus simulacro tria appingebantur, Lyra, clypeus & sagittæ. Eidem, ut Baccho, perpetua juventus ascribitur, propterea semper imberbis à poetis fingitur. Ovidius,

Solis perpetua est Phœbo Bacchoq́ juventus.

Horatius, *Intonsosq́ agitaret Apollinis aura capillos.*
Sacra ei fuere Cicada, Gallus, Accipiter, Olea, Laurus, &c. Vid. Cic. *de N. D. lib.* 3. Macrob. *Sat.* Plut. Multa habuit cognomina, de quibus vide Pausaniam, & *lib.* 1. Anthologiæ, ubi Acrostichis ingeniosissimis secundùm literas Alphabeti sunt comprehensa. Artem Rhetoricæ reperisse dicitur, ut auctor est Artemidorus, quam alii dicunt è cœlo ab Jove per Mercurium, procurante Prometheo, demissam. Ægyptiacâ linguâ Apollo vocatur *Horus*; à quo *Horæ* nomen acceperunt, ut ait Macrobius. Illi Lyræ, tibiarum & fistularum assignatur inventio. Polydor. Vergil. 1. 5. Cicero *de Nat. D.* quatuor Apollines constituit, Primum antiquum custodem Athenarum. Alterum Corybantis filium, natum in Cretâ. Tertium Jove & Latonâ natum, qui ex Hyperboreis Delphos venerat; quamvis Eusebius antiquiorem illum describit. Quartum in Arcadiâ, quem Arcades, quòd illis leges dederit, *Nomium* vocant. Cæterum de Apollinis mythologiâ vide Nat. Com. 4. 10. Alex. Rossæum, *in mystagogo Poëtico.* Lil. Giraldum.

Apollo, vid. *Apollos*; vir quidam Alexandrinus, magni nominis in Ecclesiâ, ab Aquila & Priscilla pleniùs instructus, hinc in Achajam, &c. missus, Vid. Act. 18. 1. & 1. Cor. 3.

Apollocrates, alter ex Dionysii filiis, qui unà cum patre in expeditionem, dum exularet, profectus est. Strabo. *lib.* 6.

Apollodorus, Archon Athenis, Olymp. 107. an. 3.

Apollodorus, ab Alexandro Babylone discedente relictus, ut cum Menete regioni Babyloniæ & civitati præesset. Curt. 5. 9. Fuit hic Apollodorus Amphipolitanus, ut testatur Diod. *lib.* 17. *parte posteriore.*

Apollodorus, Cassandreæ tyrannus, ab Antigono astu eversus. Polyænus *lib.* 4. *in Antigono com.* 18. Quo astu verò & quantâ simulatione civilitatis invaserit tyrannidem, vide eundem *lib.* 6. *pag.* 437.

Apollodorus, pictor excellens. Plin. Item Sculptor. Item duo Medici. Idem.

Apollodorus, Atheniensis Grammaticus, Asclepiadis fil. Panætii Rhodii Philosophi & Aristarchi Grammatici discipulus. Primus genus metri Triambici invenit, uti testatur Suidas. Scripsit quoque historiam Atheniensium, usque ad reditum Heraclidarum, uti testatur Diodorus Siculus. Usque adeò arte suâ emicuit, ut ei Amphictyones Græciæ honorem habuerint. Plin. 7. 37. Scripsit περὶ τῶν φιλοσόφων αἱρέσεων, teste Laertio *in Solone.* Scripsit item commentarium in Sophronem. Athenæus *lib.* 3. Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τοῖς περὶ Σώφρονος. Pluribus autem libris id opus constitit. Tertium citat Athenæus *lib.* 7. Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ περὶ Σώφρονος, non *de temperante*, uti perperam Dalechampius vertit. Apollodori de Sophrone quartum librum citat Schol. Aristoph. *ad Vespas.* Librum secundum operis ejus περὶ Νομοθετῶν, citat Laertius *in Solone.* Crebrò ejusdem Χρονικὰ ad Philosophorum historiam illustrandam adducit idem Laertius. Meminit & Phlegon Trallianus *lib. de Longævis.* Tertium χρονικῶν citat Laertius *lib.* 4. Τὰ Λυκούργου νόμιμα, ὡς Ἀπολλόδωρος, inquit Eusebius *Chron. an.* 1218. *Lycurgi leges à Lacedæmone, juxta sententiam Apollodori, hâc ætate susceptæ.* Ita vertit B. Hieronymus. Qui locus vel ex libris ejus de Legislatoribus, vel ex Chronicis petitus est. Ista Chronica respicit omnino Cicero *lib.* 12. *ad Att. ep.* 24. *Quibus Consulibus Carneades & ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo Annali. Hæc nunc quæro, quæ causa fuerit. De Oropo, opinor, sed certum nescio: Et si ita est, quæ controversiæ. Præterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis: qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illustres, quæ etiam ex Apollodori puto posse inveniri.* Scripsit porro Bibliothecam histor. *de origine Deorum*, sæpe priscis laudatam. Macrob. *Saturn. lib.* 17. A. Gell. *lib.* 17. *cap.* 4. Clemens Alex. *Stromat.* 1.

Apollodorus Tarsensis Tragicus, cujus tragœdias recenset Suidas. Item Comicus eodem tempore, quo & Menander, cujus fabulæ nonnullæ ab eodem Suidâ commemorantur.

Apollodorus, scripsit de Parthis. Strab. *lib.* 2. 11. & 15. Item, historicus Erythræus, Lactant. Firm. *de falsa rel. lib.* 1. *cap.* 6. Item, alius Nicæâ oriundus, Suidæ memoratus. Item Geographus Ephesius.

Apollodorus, Pergamenus Rhetor, Cassidii, aliàs Callidii, itemque Cæsaris Augusti præceptor & familiaris, auctor sectæ à se appellatæ, quæ Theodoro opposita. Scripsit de Rhetoricâ, ut author est Strabo, *lib.* 13. Suet. *in Aug.*

Apollodorus, Philosophus Epicureus. Laertius *lib.* 10. Gassend. in Epicuro, *lib.* 2. *cap.* 6. Cæterùm de variis Apollodoris, vide Jonsium *lib.* 2. *de Hist. Phil. Script. cap.* 17. & Vossium *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 21. & *lib.* 3. *pag.* 326.

Apollonia, virgo sub Decio Imp. apud Alexandriam cum aliis permultis coronata. Euseb. *6. 19.*

Apollonia, urbs in tribu Ephraim. Jos. *Antiq.* 13. 21. & *Bell. Jud.* 1. 6.

Apollonia, Cyrenaicorum navale in Pentapoli reg. Ptol. Hodie *Bonandrea* Castaldo. long. 50. 10. lat. 31. 40. Portu gaudet utcunque capaci: paucisque constat incolis, in regno Barcæ. Baudr.

Apollonia, Phrygiæ urbs, quam *Margion* quoque vocat Stephanus.

Apollonia, Mygdoniæ civitas, hodie *Seres*, teste Nigro. ad fluv. *Echedoram.*

Apollonia, Taulantiorum in Macedoniâ op. ad Jonicum mare situm. Ptol. *Sissopoli* Pineto. Niger dicit, hoc loco castellum esse *Piergo* dictum. Sophianus ait, antiquum nomen obtinere. Arbitrii jus sit penes lectorem. Hanc Apolloniam vocat Plinius Corinthiorum coloniam, ex quo suspicor eandem esse cum eâ, quam Stephanus *Gylaciam* vocat (etsi eam in Illyrico ponat) nam & Coloniam Corinthiorum esse ait, non longè ab Epidamno sitam, quod in Macedoniæ confinibus est, ubi eadem à Ptolemæo, & Plinio describitur. Fines namque regionum ab auctoribus confundi non semel experimur. In regno Albaniæ est, à paucis habitata. Baudr.

Apollonia, Cretæ urbs, antea *Eleutheria* appellata. Steph.

Apollonia, Siciliæ urbs, supra Calactam, & Aluntium in Mediterraneo. Ejus meminere Diodorus, & Stephani Epitomator. Vide Cluver. *Sicil. Ant. pag.* 384.

Apollonia, Asiæ op. maritimum, *Assos* dictum in Actis Apostolorum, ut quidam putant. Item urbs in orâ Ponti, Milesiorum colonia. Strabo. Item Thraciæ civitas, Plinio. *Anthium* olim vocata. Mela *magnam* cognominat. Porro *Apollonia*, urbs fuit apud Parnassum, juxta Delphos, aliàs *Cyparissus* dicta. Steph. Trœzen etiam olim *Apollonia* dicebatur. Steph. Populi harum urbium prædictarum *Apolloniatæ*, vel *Apollonienses.* Item *Apollonienses*, pars quædam addita Attalidi tribui. Steph. Quem vide in Ἀπολλωνία.

Apollonia, urbs Bithyniæ, episc. sub Archiep. Nicomediæ; in confinio Mysiæ, ad Rhyndacum fluv. Alia urbs Cariæ, episc. sub Archiep. Staurop. prope Lyciam interiorem, inter Alabandam & Cabiram, urbes; cujus vix apparent vestigia.

Apollonia, urbs Syriæ, ad radices Cassii montis. Baudr.

Apollonia, promontor. Africæ, in ora meridionali Guineæ, prope ostia fluv. *Mancu*; 20. circiter leucis ab arce S. Georgii de Mina.

Apolloniades, Agyrinensium tyrannus, à Timoleonte finem dominationis facere coactus, Olympiadis centesimæ decimæ anno secundo.

Apolloniates, pop. Assyriæ, ubi Apollonia Sittacina, quæ Antiochia Plinio, urbs ad *Gorgem* fluv. qui paulo infra cadit in Tigrim. A' via.

Apollonides, Nicenus, Commentarium scripsit, *de male obitâ Demosthenis legatione.* Meminit Ammonius libello de Similibus & differentibus vocibus, *in* Ὄφλειν. Etiam Apollonidæ hujus περὶ παροιμιῶν librum, citat Stephanus *in* Τέγεα. At simpliciter *Apollonides* in Europæ periplo semel, iterumque citatur à Schol. Apollonii *in lib.* 4. Laudatur etiam à Strabone *lib.* 7. Itemque à Plinio *lib.* 7. *cap.* 2. Fuit præterea *Apollonides* Horapius, de quo vide Vossium *de Hist. Gr. lib.* 3. *pag.* 328. Fuit etiam *Apollonides* Stoicus, quem Cato minor Uticæ jam è vitâ discessu-

discessurus, unà cum Demetrio Byzantino Peripatetico circum se habebat, teste Plutarcho, *in Catone minore.* Fuit etiam *Apollonides* Cyprius, medicus Methodicus à Galeno memoratus, *lib.* 1. *Method. Med. cap.*7. *Apollonides* etiam ὁ Κηφεὺς ἐν τῷ ὀγδόῳ περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας laudatur Anonymo, *in vita poëtæ Arati.*

Apollonius, Africæ, quæ Ægypto conjuncta est, ab Alex. M. post deditam Ægyptum, præpositus. Curt. 4. 72.

Apollonius, Antiochi Epiph. copiarum Dux, Præfectus Samariæ, quem occidit Judas Machabæus. 1. Mac. 1. & 3. Jos. *Antiq.l.*12.*c.*10.

Apollonius, Philosophus Stoicus è Chalcide accersitus ab Antonino Pio, ut Marcum Antoninum, à se adoptatum, artibus imperandi imbueret, cùm Romam pervenisset, intrare domum Imper. noluit, dicens, *Non Magister ad discipulum venire debet, sed discipulus ad Magistrum.* Cui Imp. subridens, *Facilius*, inquit, *erat Apollonio è Chalcide Romam venire, quam à domo sua in palatium.* Circa An.C. 160. Aur. Victor. Hic Philosophus omnem adhibuit diligentiam, ut Bardesanem ad apostasiam permoveret.

Apollonius, Philosophus Christianus, Romæ, postquam pro fide Christiana, apologiam in Senatu recitasset, supplicio affectus est. Circa An.C.140.

Apollonius, Consul Rom. Magni collega.

Apollonius, Eremita, cùm per omne vitæ tempus, nihil monasticæ vitæ didicisset, sciens, quia nec scribere, nec artem jam propter ætatem exercere posset, omnia medicamina & cibaria opportuna laborantibus comparavit, & quotidiè à primo manè, usque ad horam nonam per singula monachorum ostia perrexit, quò ægrotos inviseret. Cùm autem jam esset è vitâ migraturus, ea quæ possidebat, alteri tradidit, jussitque, ut eadem ipse pietatis officia obiret. Sozomen. 7. 1.

Apollonius, luctator quidam apud Pausaniam.

Apollonius, Senator Romanus, lecto senatui Apologetico, pro fide Christi, capite truncatus est, sub Commodo, An. C.189. Euseb. 5. 21. Confunditur à Nicephoro, *lib.* 4. *c.* 25, 26. cum celebri quodam Authore Eccles. qui contra Cataphrygas scripsit. Sed Hier. *in Catal.* & Euseb. *l.* 5. *c.* 17. contrarium suadent.

Apollonius, Stoicus, Panætii discip. Strabo *lib.*4. Item, Medicus, Athenæo, *l.*15. & Gal. citatus. Alius Medicus Pergamo oriundus, qui de Agricultura scripsit, Varro, Columell. *de R.R.* Item, cujus meminit Plin. *l.*29.*c.*6.

Apollonius, Alabandensis (Alabanda autem op. est. minoris Asiæ) dicendi magister clarissimus, teste Suetonio, qui cùm mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere, quemque autem dimittebat, ad quamcunque artem putabat esse aptum. Cicero I. *Orat.*

Apollonius Alexandrinus, cognomento Dioscorus, pater Herodiani Grammatici, nobilis & ipse Grammaticus, filiumque erudiit. Scripsit de constructione partium orationis, & alia quamplurima in arte Grammaticâ.

Apollonius, Aphrodisiensis historicus, scripsit res Caricas, de Trallibus, de Orpheo, ejusque mysteriis, testibus Suidâ, Stephano, & Etymologo. Fuit etiam *Apollonius* Ascalonita, historicus itidem, teste Stephano, *in* Ἀσκάλων. Alius est *Apollonius* Geometres, qui inter Arati Interpretes recensetur. Item alius Apollonius Chæronis filius, citatus Aristophanis Scholiastæ, *in Vespas.*

Apollonius, Illei vel Sillei fil. Argonauticωn scriptor Naucratita Ægyptius fuit, Rhodius cognominatus. Ἀπολλώνιος ὁ Αἰγύπτιος dicitur Theophilo, *lib.* 3. *ad Autolycum.* Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἢ Ναυκρατίτης vocatur Athenæo, *lib.*7.*c.*7. & Æliano *Histor. An. lib.* 15. *cap.*23. Cur autem *Rhodius* dicatur, Anonymus vitæ ejus autor exponit, ἐκεῖ ἐπολιτεύσατο καὶ ἐσοφίστευσε ῥητορικοὺς λόγους. Ὅθεν καὶ Ῥόδιον αὐτὸν ἀποκαλοῦσιν. Suidas *Alexandrinum* cum appellat, *in* Ἀπολλώνιος. Meursius, *in notis ad Apollonium Dyscolum*, hunc Alexandrinum à Rhodio distinguit, ac propterea à Vossio, *lib.*1. *de Hist.Gr.cap.*16. jure reprehenditur. Potuit enim Naucratita ille Alexandriæ, & in Rhodo docuisse, & utrinque denominari, dicique Naucratita, Rhodius, & Alexandrinus, uti & Dionysius Grammaticus triplici nomine gaudet. Dicitur enim *Thrax, Alexandrinus*, & *Rhodius*. Strabo *lib.*14. Διονύσιος ὁ Θρᾷξ καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοὺς Ἀργοναύτας ποιήσας, Ἀλεξανδρεῖς μὲν, καλοῦνται δὲ Ῥόδιοι. Fuit Callimachi discipulus, à quo ob ingrati animi vitium *Ibis* dictus est, æqualis Eratosthenis Grammatici, cujus etiam successor fuit in præfectura Bibliothecæ apud Ptolem. Euergeten.

Apollonius Citticus, Medicus. Strabo *lib.* 16. Tyrius quidam, Strab. *lib.* 16. Diog. Laërt. *l.*4.

Apollonius Dyscolus, sub Antonino Pio vixit, ἱστορίας θαυμασίας edidit, etiamnum superstites, & Meursii notis itidem illustratas. Δύσκολος autem propterea dictus est, ὅτι ἐν ταῖς γυμνασίαις δυσλύτους ἀπορίας ἔλεγεν, ut auctor est Anonymus *in ejus vita.* Vide Wowerium *de Polym. c.*10.

Apollonius Herophilius, Herophili discipulus, scripsit de unguentis. Athenæus. Apud Plin. *Apollodorus* scribitur.

Apollonius Molo Rhodius, Præceptor Ciceronis, ac Julii Cæsaris eodem tempore, teste Plutarcho. Romæ docuit, quò legatus venerat de præmiis Rhodiorum, Dictatore Syllâ. Orator unus in causis, scriptorque præstantissimus, & in annotandis, animadvertendisque vitiis, & instituendo, docendoque clarissimus. Cic. *in Bruto*, & Fabio, *lib.* 3. *cap.*1. Sueton. *in Cæsare, cap.* 4. Plut. *in eodem.*

Apollonius Pergæus, magni nominis Geometra, claruit sub Ptolemæo Euergetâ. De quo vide Vossium *de Scientiis Mathematicis, pag.* 54. &c.

Apollonius, cognomento Titus, à Jonathâ victus. Joseph. 13. 6, 8.

Apollonius Tyaneus, professione Philosophus Pythagoricus, re ipsâ autem Magus consummatus, cujus vitam scripsit Philostratus, & ante eum Damis ipsius in peregrinatione comes. Hic dum Ephesi vitam ageret, & fortè in multitudine disputaret, per eam horam, quâ Domitianus, cui imperium prius prædixerat, immolato infante, interficiebatur, defixus, & elinguis stetit; tum autem exclamavit: *Euge Stephane pulchrè, Stephane percute: pulsasti, vulnerasti, interfecisti.* Hic sermonis animalium peritus erat, Cæl. Rhod. 17. 13. Idem hoc unum à Diis petebat, ut bonos cognosceret, malos vitaret. Alex. ab Alex. *lib.* 4. *cap.*17. De ejus annulo idem 2. 19. Alexander Severus Imp. religione tactus, Christum, Abraham, Orpheum & Apollonium, velut Deos intra ædes veneratus est. Idem 6. 14. Comparatus est etiam ab Hierocle, ob mira quæ edere videbatur, Jesu Christo D. N. peculiari libello, hac de re edito, quem Eusebius refutavit. Obiit tandem, postquam diu orbi illusisset, Christianisque plurimum nocuisset, A. C. 97. vel 99. nemine conscio. Philostr. *in vita ejus.* Justin. Martyr. *q.* 24. Anastas. Nic. *q.* 23. Lactant. *de Inst.* C. *lib.* 5. *cap.* 2. Agresphon apud Suidam, *in Apollonius* indicat, alium Tyaneum Apollonium fuisse præter prædictum, qui sub Nerone vixit his verbis, Ἀπολλώνιος ἕτερος Τυανεὺς φιλόσοφος νεώτερος γεγονὼς ἐπὶ Κλαυδίου τοῦ βασιλέως.

Apollonios, denique Sophistas duos ponit Philostratus, Naucratitem unum, alterum Atheniensem, qui ambo M. Antonini tempore Athenis docuere. Plures hujus nominis adducit Vossius *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 22. Itemque Jonsius *de Script. Hist. Philos. lib.* 3. *cap.* 9. Meursius quoque in tractatu, *de Apollonius.*

Apollonobieritæ, populi quidam. Plinius 5. 29.

Apollopolitis, præfectura quædam. Plin. 5. 9.

Apollophanes, Poëta Comicus circa Olymp. 97. Suid. Ælian. *hist. animal. lib.* 6. *cap.* 52. Item Poëta, cujus meminit Plin. *lib.* 22. *cap.* 21.

Apollophanes, regis Antigoni adulator. *Apollophanem* quendam Stoicum Laert. *lib.* 7. ad Stoicorum placita & dogmata explicanda adhibet, & in Physicâ eum de vacuo disseruisse, alibi etiam unam tantùm virtutem, prudentiam nempe, statuisse tradit. Locum autem inter historicos sibi vendicare videtur, *libro* περὶ τοῦ Ἀρίστωνος. Athenæus *lib.* 7. Ἀπολλοφάνης (in codd. vulgatis Ἀφάνης mutilatè legitur, neque, quod mirere, correxit Casaubonus) γνώριμος ἦν καὶ οὗτος τοῦ Ἀρίστωνος, ἐν τῷ Ἀρίστωνι, καὶ αὐτὸς οὕτως ἐπιγράψας τὸ σύγγραμμα ἐμφανίζει τὴν τοῦ διδασκάλου φιληδονίαν. Libello itaque hoc, quem *Aristonem*, inscripserat, Aristonis magistri sui voluptuariam vitam exposuit. Quæ de ætate ejus nos dubitare non sinunt, quòd Aristonem magistrum habuisse dicatur. Zenonem enim Stoicum audivit Aristo, Arcesilai tempore: Aristonem verò Apollophanes, tempore Ptolemæi Euergetæ. Patriam hujus Apollophanis aperit Stephanus, *in* Ἀντιόχεια: Τέλτη (Ἀντιόχεια sc.) Μεσοποταμίας, Μυγδονία καλουμένη, ἥτις παρὰ τῶν ἐπιχωρίων Ἀσίβη καλεῖται, ὅθεν Ἀπολλοφάνης ὁ Στωικὸς φιλόσοφος. Citat *Apollophanem* hunc Tertullianus *lib. de Animâ, cap.* 14. quòd novem animæ partes statuat. Fuit & *Apollophanes* Medicus, in aulâ Antiochi Soteris, Regi apprimè charus, teste Polybio *lib.* 5. quem laudat Plinius 22. 21. & Corn. Celsus 5. 18. Cujus fortè malagma, contra jecinoris duritiem, descripsit Galenus *lib.* 8. *de compos. medic. sec. locos, cap.* 9. & Paulus Ægineta 7. 18. laudatque Ætius *tetrab. lib.* 3. *sect.* 3. *cap.* 18. Ut ut verò uterque *Apollophanes* sub Euergete floruerit, non tamen hoc sufficere arbitramur, ut eosdem esse statuamus. Alius fuit *Apollophanes* Sophista, cui tempore CHRISTI PATIENTIS Dionysius Areopagita Heliopoli in Ægypto dixit: *Aut divina natura patitur, aut patienti condolet*, teste Suida, *in* Διονύσ. Sed quòd Polemon Laodicenus Sophista, Aristidis magister hunc *Apollophanem* audiverit, juxta Suidam loco citato, ratio temporis vix admittit. Jonsius.

Apollothemis, historiam fecit, quantum colligere licet ex iis, quæ de Lycurgi morte ex eo refert Plutarchus, *in Lycurgo.*

Apollyon, Heb. *Abaddon*, Lat. *perdens*, vel *destruens.* Apocal. 9.

Apomyius, Ἀπόμυιος Jupiter in Elide colebatur ὁ ἐλαύνων τὰς Ἠλείας Ὀλυμπίας τὰς μυίας. Pausanias. Plinius 29. 6. *Myioden* vocat, & *lib.* 10. *cap.* 38. *Myiagrum.* Poeta apud Athen. *lib.* 1.

Ἀεὶ δὲ ὥσπερ Ὀλυμπιάσιν φασὶ ταῖς μυίαις ποιεῖν: Βοῦν τοῖς ἀκλήτοις προκατακόπτειν παντιχοῦ. Profert ista patronus umbrarum, & eorum qui invocati veniunt ad convivia. Ait, Bonum factum fere, si isti alieno sumptu alantur, fiatque illis quod solet muscis Olympiæ: hoc est, ut non prius ineantur ab iis, qui volunt una esse, convivia; quàm in gratiam parasitorum bovem mactaverint. Sacrificium, in honorem Jovis muscarum averruncatoris, fieri solitum, sic iste interpretatur, quasi in muscarum gratiam fieret, ut esset illis unde lautè, ac dapticè accipiantur. Casaubonus. Clemens Alex. *in Protreptico*: Ἀπομυίῳ Διὶ θύουσιν Ἠλεῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ Ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ. Et paulò pòst: Ἡρακλείδης περὶ τὴν Ἀκαρνανίαν, φησιν, ἔνθα τὸ Ἄκτιόν ἐστιν ἀκρωτήριον, καὶ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἀκτίου τὸ ἱερὸν ταῖς μυίαις προθύεσθαι βοῦν. V. *Beelzebub*.

Aponiana, insula Lilybæo proxima. Hirtius *de bello Afric.*

Aponius, vir Prætorius, de quo Suetonius *in Caligula*.

Aponius, prænomine *Marcus*, Mœsiæ præfectus, quòd Rhoxolanos novem millibus equitum in provinciam irrumpentes feliciter cecidisset, triumfali statuâ ab Othone honoratus est. Tacit. *Hist.* 1.79. alterum nomen est *Saturninus*. Vide Hist. 2.85. Seditione militari incessitus atrocissimè, vulgatis epistolis, quas ad Vitellium scripsisse credebatur. Itaque ad supplicium postulatus, ac fortè vacantium balnearum fornacibus abditus evasit mortem. Hist. 3.11.

Aponius, commentario Canticum Canticorum illustravit, qui in Biblioth. Patrum reperitur. Seculo 6.

Aponus, fons & vicus ad Euganeos colles, in Italia propè Patavium, ubi & aquæ calidæ variis morbis aptæ; A Claudiano elegiaco carmine laudatæ, & à Theodorico Gotthorum rege mœnibus cinctæ, teste Cassiodoro. Lucan. *lib.* 7.

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenoris dispergitur unda Timavi.

Ejus aqua fatidica olim credebatur. Unde consultans Tiberius sortes in eas conjecit. Lege Sueton. *in Tiber. c.* 14. Videturque illuc respexisse Lucanus, ubi supra.

Mart. 1.62. *Censetur Apona Livio suo tellus;*
Stellàque nec Flacco minus.

Idem 6.62. *Nec fontes Aponi rudes puellis.*

Nomen ei, quia contra morbos est, vel quia citra dolorem medetur, ab α & πόνος, *labor*. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 153.

Aportanus Georgius, Theologus insignis Frisiæ Orient. Circa An. C. 1540. Is initio, permissu Comitis Edsardi, patentibus in campis prope Emdam, concurrente magnâ hominum multitudine conciones habebat, pòst Emdam, dato sacris loco, translatus est, postquam Comes, Evangelii doctrinâ ex libris haustâ, eam Auricæ, Leeræ, Nordæ Emdæque proponi curasset. Lætus *Hist. Univers.*

Apostoli, nomen XII. Discipulorum Christi, quos miraculorum, linguarum, & infallibilitatis dono instructos, misit in universum orbem, ut Ecclesias ubique fundarent, & discipulas facerent omnes gentes. Horum nomina, *Simon cognom. Petrus, Andreas frater ejus: Jacobus Zebedæi fil. Johannes frater illius: Philippus & Bartholomæus: Thomas & Matthæus: Jacobus, Alphæi fil. Lebbæus, qui & Thaddæus: Simon Cananæus & Judas Ischariotes*, Matth *cap.* 10. v. 2-5. Qui ultimus, cùm Magistro prodito, abiisset in locum suum, forte ei surrogatus est Matthias Act. 1.25,26. His accessit tandem Paulus, peculiari elogio *Apostolus Gentium* dictus, Vid. Gal. 2.9.

Ex his Jacobus, in Concilio Hierosolymitano, præsedit, Act. *cap.* 15. *Boanerges*, cum fratre, dictus à Christo, Marc. *cap.* 3.17. qui ambo quoque *fratres Christi*: & στύλοι dicuntur, unà cum Simone agnominato Petro, Gal. 2.9. Imo omnes 12. θεμέλιοι τοῦ τείχους τῆς πόλεως, Apocal. 21.19. innixi lapidi illi ἀκρογωνιαίῳ Jesu Christo, Ephes. 2.20. appellantur. Neque inferiorem se Paulus ait summis Apostolis, 2. Cor. 11.5. Scripserunt Petrus, Jacobus, Johannes, Matthæus, Paulus & Judas Thaddæus: Vide quemque horum *suo loco*. Reliqui vivâ solùm voce docuerunt. Etiam horum quidam cœlibes, ut Paulus: reliqui uxorati, περιάγειν, in peregrinationibus suis, ἀδελφὰς γυναῖκας, *ut Fratres Christi & Cephas*, 1. Cor 9.5. Unde Clemens Alex. 7. *Strom.* Petro non solùm uxorem, sed & filios tribuit; Philippo item filios atque filias. Sic quoque Ignatius Petrum, imò & Paulum, aliosque Apostolos in matrimonio vixisse scribit, *in epist. ad Philadelph.* additque, *cœlibatus propugnatores inhabitatorem Angelum illum Apostatam habere*, &c. Plura de Apostolis scire cupientes, videant singulos, *in suis locis*.

Apostolici, Hæretici, Encratitarum & Catharorum Soboles, sic dicti, quia Apostolicæ puritatis imitatores videri volebant. Circa An. 145. Conjugium rejecerunt, tanquam cœli remoram; bonis se abdicarunt, omnia communia esse debere dictitantes; Iis qui post Baptismum peccant, spem omnem gratiæ præcluserunt; loco Evangelicorum scriptorum, Apocryphis quibusdam usi, ut *Actis S. Andreæ & S. Thomæ*, &c. Etiam *Apotactitæ* dicti, quia mundo renuntiabant. Aug. *hær.* 40. Alios habet seculo 12. exortos Morerius: qui dicuntur præter Purgatorium, preces pro mortuis, & invocationem Sanctorum, rejecisse Pædobaptismum, conjugium, & usum quorundam ciborum, ex Manichæorum disciplina; refutatos à S. Bernardo An. 1147. Ex hujus *Serm.* 66. *in Cantic.* Sander. *hær.* 144. Baron. & Genebr. *in Innoc.* 2.

Apostolorum Acta, liber Canonicus N.T. à Luca Evangelista conscriptus, historiam Ecclesiæ nascentis, annorum 24. circiter exhibet, capp. 28. ab Ascensione Christi initio facto, usque ad Pauli captivi adventum in urbem Romam. Hunc librum illustrarunt scriptis suis, Amyraldus *Paraphrase sur les Actes des Apostres*, 1654. Augustinus, Brentius, *in Acta homilia* 122. Bullingerus, Calixtus, Calvinus *Comment. in Acta*, fol. Genevæ 1572. 1580. 1614. Octavo ibid. 1565. Cassiodorus, Chrysostomus, de Dieu. Erasmus *Commentariorum Homil. in Acta*. Faucheur *in* 10. *capp. priora*, *Gall.* Ferus *in Acta Enarrat.* Col. 1567. Venet. 1568. Gerhardus, *Annotationes posthuma*, in quarto 1669. Gregorius M. Grynæus. Gualterus. Justus Jonas, *Annotationes*, in octavo Basil. 1525. 1567. Mentzerus, *in Acta Meditatio*, in quarto Giessæ, 1622. Nicetas. Oecumenius. Pelargus *in Acta Expositio*, Octavo, Francof. 1615. Pererius, *in Acta Comment.* Morgiis, 1580. Pricæus, *Annotata*, octavo, Paris. 1647. Rothmalerus, 165. *Conciones Germ.* Strelo *in cap.* 16. *pr. Comment. practicus*, in quarto, Amstelod. 1650. &c. Theophylactus, Viretus, *in Acta Comment.* Gall. &c. Reliquos suggeret, Guil. Crowæi *Elenchus Scriptorum in S. Scripturam*.

Apostrophia, Veneris cognomen, quæ in hunc finem sic à Cadmo cognominata, ut ab omnibus spurcis artibus avocaret, & ab obscœnâ libidine, & à concupiscentiis averteret. Pausan. *lib.* 1. & 9.

Apotevizza, Opp. Sclavoniæ, in regno Hung. non longè à Dravo fluv. in Risiensi Comit. Vix unâ leucâ, à Copranizio, in Occasum, infra montes.

Apotomiæ, Marmaricæ nomi gens. Ptol.

Apotropæi, Dii ἀλεξίκακοι, hoc est, *averrunci*, sive *malorum depulsores*, quibus agnicula immolabatur. Ammian. Marcellinus *lib.* 25.

Appa, Arab. Fel. urbs. Ptol.

Appadana, Persiæ urbs. Ptol.

Appamia, vulgò *Pamiers*, Urbs Galliæ. Vid. *Pamaa*.

Appencensium Urbs, Gap. Vid. *Vapincum*.

Appenzella, seu *Abbatiscella*, Helvetiæ pagus, sed qui omnibus modis oppidum repræsentat, quasi *Abbatum sella*. Habuerunt enim hic Benedictinæ societatis Abbates arcem *Claux*, latinè *Clanxiam* nominatam, tutissimum quovis tempore refugium, quorum authoritas paulatim adaucta, non huic tantùm pago, sed universo territorio appellationem dedit, quod Marti & Bellonæ consecratos homines producit; unde sæpe pauci, nonnunquam unicus, integras hostium fudere turmas, quam ob causam ad Helveticum fœdus An. D. 1513. admissi, decimum tertium in ordine locum obtinuerunt, vulgò *Appenzel*. Sedet pagus ad fluv Sintram. X. M. pass. à Cella Monasterio. Regio verò supra S. Galli oppidum sita est, inter altissimos montes, juxta Rhætorum fines. Vicatim habitatur, & octo insignes habet vicos, præter Appenzellam Pagi caput, Altstetten, Trogam, Hundivillam, Herisoviam, &c. qui cùm olim diversis nobilibus, Comitibus, dominisque paruissent; dein in Abbatis dominium concessissent, tandem in unam Rempubl. coierunt, quam Rupertus Imperator approbavit. Asseruerunt autem se incolæ post frustrà sæpe imploratam justitiam, in libertatem, partim armatâ manu, partim, magnâ pecuniæ summâ Abbati persolutâ: postquam sæpius victores ad pacem illum adegissent, An. 1408. conciliante Ruperto, Constantiæ compositam. Hoc bello primùm fœdere juncti Helvetiis fuerunt, Suitiis nempe & Glaronensibus; seu, ut alii, Lucernatibus, Uriis, Suitiis & Underwaldiis. Triennio pòst, cùm Abbas S. Galli novam litem illis intendisset, societatem junxere, cum Tiguro, Lucerna, Suitia, Underwaldia, Tugio & Glarona: unde, faciente Abbate, ab Imperatore proscripti & à Pontifice excommunicati sunt. Ab illo montibus, ab hoc contrario decreto facto tuti, cujus summa: *Si wellind nit im ding zyn*. Itaque cum Legato, Sacerdotes, Pontificii edicti tenaces, partim è regione ejecerunt, partim cæciderunt. Quare Abbas, nil se proficere cernens, apud Imperii Septemviros illos accusavit, qui Helvetiis, & civitatibus Germ. superioris in mandatis dederunt, hos ut ad officium revocarent. Verùm his paci magis conciliandæ intentis, postquam à Com. Toggenburgio Abbatiscellani bis prælio victi essent, pax conclusa est, anno pòst quarto. Quam cùm vicini nobiles non servassent, Abbatiscellani re strenuè gestâ ac 6000. aureorum datis; Rineggum & Regusforum vallem occupatam, obtinuerunt, & à proscriptione sunt exemti; Anno 1445. Anno dein 1452. sese cum septem Pagis perpetuo fœdere junxerunt, Austriis, Burgundicis Suevicisque bellis forti & fideli operâ præstitâ. Tandem ut dictum, an. 1513. in numerum Pagorum adscripti sunt. Ager dividitur hodie in ordines seu Partes 12. quas *Roden* vocant; Harum 6. conjunctæ pago Abbatiscellæ, dicuntur Interiores, atque olim Abbati S. Galli paruerunt; Communioni Romanæ addictæ: Reliquæ 6. Exteriores, quondam partim liberæ, partim nobilibus subjectæ, hodie Reformatam relig. sequuntur. &c. Vide *Helvetiorum Rempublic.* diver-

diversorum Auctorum, Lugd. Batav. an. 1627. Guillimannus regionem hanc sic describit:

Ventum erat Urnacum, fluvii de nomine vicum.
Hinc sese in vallem demittere molliter Alpes
Excelsæ incipiunt: inclusam more theatri
Vertice sic modico colles hinc inde coronant,
Frondibus umbriferis, & vesco gramine læti.
In medio vallis montes æquare propinquos
Culmine connitens Abbatis cella laborat,
Sintria quam trepido secat agmine. Nec procul inde
Visuntur priscæ labentia mœnia Clancis,
Perfugium quondam Abbatum & munimen avitum.

Henricus Glareanus, *Helv. descr.* de indole gentis:

Tarda venis, sed grata meo Cellana juventus
Concentu, fidibus istis, plebs aspera cultu,
Contemtrixq; animæ, molesq; objecta periclis
Suanorum, cui quanquam alti sunt ardua montes
Pergama, stat fortis pro duro dextera muro.
Est tibi simplicitas prudens, moderata potestas,
Et quo nil majus, justo moderamine ferrum.
Te quoque quis cultuve Dei, pietateve major?

Appha, Parthiæ op. Ptol.

Apphadana, Mesopotamiæ urbs. Ptol.

Apphaim, Lat. *vultus, facies*, aut *furores*, sive *nares*, vel *pistores*, filius Nadab, filii Semei, filii Onam. 1. Par. 2.

Apphanna, insula sinus Persici. Ptol. Fortè *Quetum* hodie. Forsan insi. *Guexsmi* in littore Arabiæ. 40. leuc. à Balsera urbe in merid. Dicitur etiam *Aphana*. Baudr.

Apphar, Mauritaniæ Cæsariensis op. Ptol.

Apphus, filius Mattathiæ, filii Joannis. 1. Mac. 2.

Appia, nomen fœminæ apud Beat. Paulum epist. ad Philemonem.

Appia via, ab urbe Româ per Capuam Brundusium usque perducebatur. 330. seu 350. m. p. longa, ab Appio Claudio Conf. constructa, qui eam à portâ Capenâ usque ad urbem Capuam muniendam curavit, ut scribit Frontinus, *de Aquæductib.* Perduxit postea usque Brundusium sive Cajus Gracchus Tribunus, qui plerasque vias fecit ac refecit: sive C. Cæsar, qui curator viæ Appiæ non leviter in eam impendit: sive Augustus, de quo inscriptiones priscæ, S. P. Q. R. QUOD. VIÆ. MUNITÆ. SUNT. Lucanus *Lib.* 3.

Et quà Pomptinas via dividit uda paludes.

Statius *lib.* 2. *Silv.*

Appia longarum teritur regina viarum.

Mart. 9. 103.

Appia, quàm simili venerandus in Hercule Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ.

Appiades, Deæ Venus & Pallas sic dictæ sunt, quibus ad *Appias* aquas templum erectum erat, prope Cæsaris forum. Ovid. 3. *de Art. Am.*

Has Venus è templis multo radiantibus auro
Læta videt lites, Appiadesq; Deæ.

Vide Cæl. Rhod. 12.

Appiani, populi. Plinius *lib.* 5. *cap.* 29.

Appianus, Alexandrinus, historicus Græcus, Trajani, Adriani, & Antonini temporibus vixit. Romæ primum fuit causarum patronus, postea adlectus fuit Cæsaris procuratoribus. Historiam Romanam scripsit, *lib.* 24. Ac orsus ab Ænea, & capto Ilio, percurrit illa tempora usque ad Romulum. Inde accuratiùs persequitur omnia usque ad Augustum, quædam etiam carptim, atque obiter addit usque ad Trajanum. Vide Suidam, Photium, Vossium *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 13. La Mothe le Vayer, *judic. de histor &c.*

Appianus Petrus, seu *Binewitz*, Germ. emisit Cosmographiam, anno 1524. quam restituit an. 1540. Rainerus Gemma, Frisius.

Appiara, Mysiæ inferioris op. Anton.

Appidanus, Vid. *Apidanus*.

Appii prænomen ex Sabinis ortum, fortè ex Sabino Actio, alii ab Apibus vel ab Appulis dictum existimant. *Appii* autem prænomen proprium reip. temporibus Claudiis patriciis tantùm fuit. Etenim non omnia omnibus familiis prænomina communia fuerunt, sed alia aliis peculiaria. Post Augusti tempora quidam ex gente Juniâ hoc prænomine usus invenitur; qui *Ap. Junius. C. F. Silanus* dicitur. Hac etiam religiosâ prænominum observatione paullatim labante, in familiæ nomen, sub Domitiano, transiit. A Prænominibus autem unam saltem gentem, aliquando verò duas vel tres manasse *lib.* 1. *Saturn.* docet Macrobius. Quod etiam in prænomine *Appii*, à quo *Appieii* fluxere, accidit. Cognomen etiam *Appiani* ab *Appio* prænomine deducitur.

Appion, vide *Apion*.

Appiorum gentem, Romæ cognominatam esse legimus ab apii coronâ, quam L. Appius in Achaiâ meruit.

Appius, proscriptus à Triumviris, opes suas servis divisit, & cùm navem cum illis conscendisset, in Siciliam transiturus, maris tempestate obortâ, in scapham, quasi in tutiorem spem depositus est, ubi salvus evasit; illi autem perfractâ nave ad unum omnes cum opibus, propter quas Dominum prodiderant, perierunt. Appianus *lib.* 4.

Appius, quidam Censor Romanus, an. 442. U. C. de quo Horat. *Serm. lib.* 1. *Sat.* 6.

——— *Censorq; moveret*
Appius, ingenuo si non essem patre natus.

Cic. *epist. ad App. lib.* 3. *Vale*, & *in censurâ, si jam es censor (ut spero) multùm de proavo tuo cogita.*

Appius Annius Trebonius Gallus Conf. M. Attilii collega.

Appius Appianus, prodigus & ob flagitia egens, quem eâ de causâ Tiberius Senatu sponte cedere passus est. Tacit. 2. 48.

Appius Caudex, fil. Appii Claudii Cæci, de quo vide infra, Hieronem Siciliæ Regem fudit.

Appius Claudius Xvir, cum sociis magistratum vi obtinuit; tentatâ Virginiæ pudicitiâ, quam pater propriâ manu in concione interfecit, mutati status Reip. auctor, exilio demum damnatus est.

Appius Claudius, invenit Romanis literam R, ut pro *Valesiis*, & *Fusiis*, *Valerii* & *Furii* dicerentur.

Appius Claudius Cæcus, orator Romanus, de quo Tullius *in Bruto*, & *Tuscul. lib.* 4. à quo *Via Appia* secundùm quosdam. Hic cœcus evasit, cùm munus Herculi sacrificandi, quod hactenus Policiorum erat, ad servos translatum ivisset. Aquæductibus Romam ornavit. In veteri Romanâ historiâ nobilis, disturbatâ maximè cum Pyrrho pace. Ovid. *Fast.* 6.

Appius est auctor: Pyrrho qui pace negatâ
Multum animo vidit, lumine captus erat.

Appius Claudius Crassus Conf. Spurii Nautii Rutilii collega, à Perseo victus. Livius *Lib.* 2. *Decad.* 5. Celtiberos vicit, castrisque exuit. Idem.

Appius Claudius Dictator, Hernicos vicit.

Appius Claudius Lentulus. Conf. M. Perpennæ collega.

Appius Claudius Pulcher, Cæci nepos, Conf. Pub. Servilii collega, cujus ætate Sylla, deposito magistratu, vitam vixit privatam, commentariosque scripsit, quos Lucullo dedicavit. Plut. *in Lucullo*.

Appius Claudius Pulcher, Conf. Lucii Domitii Ænobarbi collega.

Appius Claudius Pulcher, Conf. M. Sempronii Tuditani collega.

Appius Claudius Pulcher, Conf. Q. Fulvii Flacci collega. Sub his Tarentum ab Annibale captum est. Pœni autem à Consulibus victi cæsique sunt. Livius *lib.* 5.

Appius Claudius Pulcher, Conf. C. Norbani Flacci collega; de Afris, & rege Hierone triumphavit, Polyb. *lib.* 1.

Appius Claudius Ruffus, Conf. P. Sempronii Sophi collega.

Appius Claudius Sabinius, Conf. C. Quinti Capitolini collega.

Appius Clausus, Sabinorum dux, à civibus suis malè tractatus, cum quinque millibus familiarum, Romam se recepit, in Senatorium ordinem mox adlectus. Plut. *in Publicola.*

Appius Herdonius, Capitolium occupavit, cum quatuor mille partim exulibus, partim servis, inde paulo pòst deturbatus. Vide Dionys. Liv. Florum, &c.

Appius Junius Syllanus, Conf. P. Silii Nervæ collega.

Appius Silanus, majestatis postulatus sub Tiberio. Tacit. VI. 9.

Appii Forum, Hieronymus putat ab *Appio* quodam Consule appellatum, à quo *Via Appia* dicta. Opidum fuit longius à Roma, quàm Aricia distans, quod Horatius ostendit *Sermon.* 1. *Sat.* 5.

Egressum magnâ me accepit Aricia Româ
Hospitio modico, Rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctissimus; inde Forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Ad hunc locum B. Paulus venit, cùm Romam duceretur, S. Lucas in historia Actor. Apost. *cap.* 28. *com.* 15. Κἀκεῖθεν οἱ ἀδελφοὶ ἀκούσαντες τὰ περὶ ἡμῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρις Ἀππίου Φόρου, καὶ Τριῶν ταβερνῶν. Cicero ad Atticum, *lib.* 2. *Epist.* 10. & 13. *Ab Appii Foro horâ quartâ, dederam aliam paulò antè à Tribus Tabernis.*

Appledora, oppidul. Angliæ, in Cantio provin. ad Rotherum fluvium.

Appulejus, tribunus plebei, qui Furio Camillo ad populum diem dixit, quòd albis equis triumphasset & prædam Vejentanam inique divisisset. Prænomen huic fuit *Lucius*.

Apres, è ducibus auxiliaribus Æëtæ à Colaxe occisus. Valer. Flacc. 6. 639.

Apries, vel *Aprius*, Psammis Ægypti regis filius, regn. an. 30. Ab Ægyptiis, qui ad Amasim defecerant, strangulatus est, & in paternis monumentis sepultus. Herod. 2. Diodor. Sic. *lib.* 1. & Eus. *Chron.*

Apronianus, Conf. Pauli collega. Alius ejusdem nominis, collega Braduæ; sub quibus Romæ incendium fuit.

Apronianus, nomine *Vipsanus*, Africæ proconsul, sub Othone, antea consul, cum C. Fonteio sub Nerone. Fulvius Ursinus ex fra-

ex fragmentis inscriptionum fratrum Arvalium legendum censet *C. Vitellanus Apronianus.*

Apros colonia, Thraciæ op. Justino & Plinio. *Theodosiopolis* etiam dicta fuit, teste Cedreno. *Apri* Ptolemæo, vulgo *Aprio*, inter Philippos urb. Macedoniæ 187. & Byzantium 120. m.p. longitud. 33.40. lat. 42.50.

Aprositos, seu *Aprosita*, inaccessibilis Ins. quibusd. *Lanzarotta*, una ex Canariis, in mari Atlantico. Aliis autem est *Porto Santo*, Ins. prope Maderam, ad 25. leuc. in Cæciam, sub Lusitanis. Sansoni est *Isla de San Borondon*, quæ al. *Ombrio* dicta fuit, hodieque Hisp. *l'incantada e la non tronada* dicitur.

Aprus, amnis Poloniæ, *Wieprz*; in Vistulam cadens, in confinio Poloniæ & Silesiæ, Cluverio teste.

Aprusa, Gall. Togatæ fluv. viam Æmiliam secans, apud Savinianum op. inter Cæsenam & Arminium, ac in mare Hadriaticum desinens. *Plusa* Leandro Alberto.

Aprustum, Plin. *Abystrum* Ptolemæo, op. Brutiorum in Calabria citer. quod *Castrovillari*, nunc dicitur, teste Barrio, à Cosano 6. m. p. à Balbia 7. à Besidiano 22. in occ. Aliis est *Vernicario*, opidulum Castrovillario & Murano proximum. Abystrum verò teste eodem Barrio, diversum ab Aprusto, vulgò *Ursimarso*, in Magn. Græcia apud Petiliam ex Ptolemæi descriptione. Aliis est *Aprigliano*, vicus in Calabria citeriore.

Aprutium, vulgò *Abruzzo*, Italiæ reg. In regno Neap. ubi aliàs Vestini, Marrucini, Frentani, Peligni & Marsi, pop. Nunc duplex est: Nempe *Citerius* & *Ulterius*. A Septentr. habet Marchiam Anconitanam & Umbriam: ab Oriente mare Adriat. à Mer. Comitatum Molicinum; ab Occ. Campaniam Rom. & terram Laboris; Regio est fertilis & abundans. Aprutii ulterioris caput est Aquila, totius Aprutii facilè primaria, citerioris autem Anxanum.

Aprutium, Civ. aliter Theramum, *Teramo* vulgò, Urbs Aprutii ulter. in regno Neap. Hinc Episcopus Aprutinus in prov. Rom. Vide *Interamnia* & *Theramum.*

Apsalus, op. Macedoniæ mediterraneum, Europo, & Hormis opidis finitimum. Ptol. *Prespa* Moletio.

Apsarus, op. cum fluv. Cappadociæ in Colchidis conf. inter Trapezuntem 150. & Phasim urb. Colchorum in Bor. 75. m. p. *Arcani* nunc dici putatur, teste Moletio.

Apsila, gens Scythica Lazis vicina. Steph. Plinius *lib.* 6. *cap.* 4. post fluv. Chrysorrhoam Apsilarum mentionem facit, quorum Justinianus quoque, *in Novellis suis*, meminit. Hos *Apsilios* appellat Agathias *lib.* 3. & sub Colchorum ditione fuisse scribit.

Apsinsus, Rhetor nobilis Atheniensis, de arte Rhetoricâ præcepta edidit, quæ etiamnum Græcè extant.

Apsinthes, Sophista Gadareus, Smyrnæ præceptorem habuit Heraclidem Lycium, Nicomediæ Basilium; docuit Romæ Maximiniani tempore, cujus beneficio adeptus est consulatum.

Apsinthii, vel *Apsynthii*, Thraciæ populi ab Ἄψυνθος, quæ Stephano *Θρᾴκης πόλις* dicitur. Dionysius *Vers.* 575.

> Οὐχ οὕτω Θρηϊκος ἐπ' ἠόσιν Ἀψινθοιο,
> Βιστονίδης κελέουσιν ἐλάβρομον Εἰραφιώτην.

Ubi Shol. τὸ δὲ ἔθνος οἱ Ἀψίνθιοι, ἀπὸ ποταμοῦ ἐοίκασι κεκλῆσθαι Ἀψίνθου.

Apsorus, urbs Ponti, & fluv. ad mare Euxinum. Ptol. *Apsarus* Arriano, qui dicit eam *Apsyrtum* appellatam, quòd Medea illic fratrem *Apsyrtum* occiderit. Fluvium hunc Ægialeum appellatum scribit Stuckius, & num idem dicatur *Naxius* ab Æliano, subdubitat.

Apsorus, insula in mari Adriatico, Liburniæ adjacens, in qua civitas eodem nomine. Ptolem. Stephano civitas Illyriæ dicitur.

Apsus, *Anius*, Plut. *Aous*, Strab. & Plin. *Alores* App. fluv. Macedoniæ vicinus, in mare Jonium, inter Dyrrhachium, & Apolloniam decurrens, Genuso proximus. *Aspro* hodiè. Ejus meminit Lucanus *lib.* 5.

> *Prima duces vidit junctis considere castris*
> *Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus*
> *Circumeunt ripis. Apso gestare carinas*
> *Causa palus, leni quam fallens egerit unda.*
> *At Genusum nunc sole nives, nunc imbre soluta*
> *Præcipitant: neuter longo se gurgite lassat,*
> *Sed nimium terra vicino litore novit.*

Apsus fluv. aliis *Spernaza.* In mare Adriaticum se exonerat. 18. m. ab Apollonia in Boream. Aliàs *Thapsus* etiam dicebatur. Baudr.

Apta Julia, urbs Gall. Narbon. Ad Calevonem fluv. prope montes, Episc. sub archiep. Aquensi. *Apte*, *Atte*, & *Xat* hodiè dicta. long. 26.05. lat. 43.10.

Aptera, op. Cretæ mediterraneum, *Apteria* Ptolemæo. *Apteron* Plinio. *Atteria* in tab. recent. & aliis *Paleocastro.* Rationem nominis reddit Stephanus. *Ait* enim à Sirenibus vocatum, quòd victæ ibi cantu à Musis, præ mœrore exutis pennis in mare desiluissent; qui addit urbem Lyciæ eodem nomine appellari.

Apteros Victoria, Græcè Ἄπτερος Νίκη, id est, sine alis, & implumis, ab Atheniensibus formabatur, teste Pausaniâ *in Atticis*, cujus & statuam describit. Idem *in Laconicis* ait, Victoriam ideo ἄπτερον eos statuisse, ne videlicet avolaret.

Aptuchi fanum, urbs in Cyrenaicâ regione. Ptolem. *Langifarie* incolis.

Aptungis, D. Augustino. *Lungitaria* incolis, teste Ludovico Marmolio. Ἀπτούχου ἱερὸν (inquit vir Maximus) in Ptolemæo servat adhuc vestigia nominis נפתוחים *Naphtuchæorum.* Nam *Aptuchus*, aliis *Aphtuchus*, in fabulis legitur esse Cyrenes filius, & Aristæi frater. Apollonii Schol. *de Aristæo:* ἦν Κυρήνης τῆς Ὑψέως καὶ Ἀπόλλωνος, ἀδελφὸς δὲ Αὐτούχου: Ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Λιβύῃ, Ἀρισταῖος δὲ ἐν τῇ Κέῳ.

Apua, op. Liguriæ, in Thusciæ confin. amplum, ad Macram fluv. cujus incolæ *Apuani* Livio. Hodie *Pontremoli*, teste Justiniano dicitur. Vide Cluver. *Ital. Ant.* 1.10. Subest magno Duci Hetr. qui id redemit ab Hispanis, paucis ab hinc annis. Est valde munitum, eratque prius feudum Ducatus Mediolanensis.

Apui, vulgò *Apuyes*, pop. Americæ, in Brasilia mediterran. versus fontes & præfecturam fluv. Januarii. Laetius, alii.

Apuleja Farilia, sororis Aug. neptis, adulterii cum Manlio quodam, sub Imp. Tiberio damnata. Tac. 2. 49.

Apulejus, vel *Appulejus*, Madaurensis, scripsit libros 11. Milesiarum (ut Capitolinus vocat) sive de Asino Aureo: quod opus de fonte expressit vel Luciani, vel Lucii Patrensis, qui author fuit libri ingeniosissimi Metamorphoseôn, cujus meminit Photius, *cap.* 129. & Salmasius, *præf. in Solinum.* Unde initio operis dicit, se Græcanicam fabulam incipere. Inter opera ejus deperdita fuit *Epitome Historiarum*; ut à Colvio, *in vita Apuleii* traditum est. Sanè ex *epitome Appuleii* quædam Priscianus *lib.* 6. refert: at historiarum fuisse epitomen non dicit. Conscripsit & alia complurcula; velut *Convivales Quæstiones*, Macrobio teste *lib.* 8. *cap.* 3. & 10. & Sidonio Apollin. *lib.* 9. *ep.* 13. Item librum *de Proverbiis*, ut est apud Sosipatrum. Ad hæc libros *ludicrorum*, *Apologiam*, aliaque quæ partim supersunt, partim à Servio, Nonio, ac Fulgentio, commemorantur. *Scriptorem eruditissimum* vocat Casaubonus, *de Satyr. poësi: In asino planè rudis; in aliis sonat hominem, nisi quod Florida sint ridicula, sed excusat ea Inscriptio.* Lud. Vives *lib.* 3. *de trad. discipl. Apulejus non malus author, & antiquarum vocum usurpator.* Turneb. *Advers.* 28.14. Idem *lib.* 29. *cap.* 13. *Interdum non malus auctor, præsertim cùm lasciviæ ingenii non indulget.* Rudere verius, quàm loqui in Aureo Asino Apulejus viris eruditis videtur. Neand. *Geogr. part.* 3.

Apulia, Italiæ regio, mari Adriatico contermina (vulgò *la Puglia*) inter Dauniam & Calabriam, quæ & *Japygia*, ab Japyge Dædali filio, qui eam regionem tenuit usque ad Dauniam, dicta est: Dividitur in *Apuliam Dauniam*, quæ hodie *Puglia Piana*, nunc *Capitanata*, quod Vid. dicitur, & *Apuliam Peucetiam*, quæ Italorum linguâ *Terra Bariana*, sive *Terra di Bari* ultra quam etiam partem *Basilicatæ* continet, vocatur. Vid. Plinium 3.2. Dicta Apulia, an ab Apulo Prisco, multis ætatibus ante bellum Trojanum hujus oræ rege? Apuliæ Peucetiæ termini sunt, in longum ab agro Tarentino ac Brundusino usque ad flumen Phiternum ultra montem Garganum: in latum à supero mari seu Adriatico, usque ad Lucanos, Hirpinos, & Samnites, ad Septentrionem sinus Jonicus sive Adriaticus, ad occasum amnis Phiternus Caracenorum & Frentanorum, qui nunc Aprutii terminus. Inter hos tamen limites conclusam regionem veteres in 2. partes dividunt, ut à Brundusio Tarentoque ad flumen Aufidum una, inde altera Phiternum pertineat, latitudine, ut suprà constitutum, utrique reservata. Apuliæ verò Dauniæ seu Planæ fines sunt ab Oriente Apulia Peucetia flumenque Aufidus, à meridie Apenninus cum Hirpinis & Samnitibus: ab Occidente Frentani Caracenique, nunc Aprutii cum Phiterno, à Septentrione Adriaticum vel Jonium mare. Ex præcipuis Regni Neapolitani partibus est, & aliàs Ducatus titulo nobilis, Apulia: Imò & regni. Rogerius Normannus enim, ab Honorio 2. Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ dux, ab Anacleto 2. Antipapa vero Rex creatus est, circa An. C. 1130. Sigon. *l.* 11. qui à Lothario Imp. pulsus, Ranulpho, Duce Apuliæ declarato, anno 1137. post hujus mortem, amissa recepit, An. 1139. & Innocentium 2. per fil. Wilhelmum malum cepit, titulo Regis Papæ extorto. Successor sic patris, ab Adriano 4. per Græcos oppugnatus, hos feliciter superavit: navigatione in Ægyptum susceptâ infelix, Idem *lib.* 12, 13, 14. Hujus filio naturali Tancredo mortuo, Henricus 6. Imp. regnum occupavit, filio Tancredi Vilhelmo evirato. Idem *lib.* 15. Postmodum Otto 4. Apuliam, cum aliis Italiæ ditionibus, ereptam Imperio recuperaturus, Papam adversarium habuit, opposito Friderico Siciliæ R. qui Ottonem imperio exuit, circa A. C. 1212. Quo in Castro Florentino Apuliæ perempto, An. 1250. filius hujus Conradus Siciliæ ac Apuliæ R. Innocentium 4. vicit, cui Conradinus fil. successit, sub tutore Manfredo; qui cùm regnum invasisset, à Carolo Andegav. à Papa evocato, victus est; ut & Conradinus, qui paternum regnum recuperatum advenerat. Sic Victor à Clemente 4. Siciliæ Apuliæque rex factus est. Platina *in Clem.* 4. Ei in Apuliæ regno successit fil. Carolus Claudus; Huic fil. Robertus, Henrico 7. Imp. obnixus, Princeps eruditus & fau-

tor literarum. Hic Johannæ I. nepti ex filio Carolo, Andream maritum dedit. Bonfin. *dec.2.l.10.* Quo strangulato à Ludov. Ungaro Leviro pulsa, sed restituta est à Pontifice, jure in Avenionem ei donato. Jacobo dein Arragonio, postea Ottoni Brunsuicensi nupta, Urbanum 6. qui Carolum Dyrrachinum Apuliæ Regem creavit, infestum habuit, proin Ludovicum Andegav. Caroli 6. patruum successorem sibi adoptavit. Idem ibid. Sed hoc extincto regnum Carolus tenuit & Ladislao fil. reliquit: qui Romam cepit, mœnibusque nudavit, imperante Ruperto Palat. Bonfin. *dec.3.l.3.* Peucerus *Chron.lib.5.* Platina. Ladislao postea veneno sublato, successit Johanna II. soror: a qua Alphonsus primò Siculus, postea Ludovicus Andeg. dein frater hujus Renatus hæredes instituti: Qui ultimus ad Carolum ex fratre nepotem regnum transmisit, An.1480. à quo Ludovicus XI. successor dictus est. Tandem in Hispanorum potestatem transiit, post gravissima cum Gallis bella, &c.

Vastata est Apulia à Saracenis An. C.825. 872. quo tempore Ludovicus 2. Imp. illis fortiter restitit; Anno item 907. Græcis erepta est, cum Calabria, ab Ottone M. An.973. ob Legatos contumeliosè habitos. Sensit terræmotum adeò stupendum, An.1627. ut plusquam XVIICIↃ. hominum, unà cum oppidis ac pagis quamplurimis, admirabili Dei providentiâ, in conservandis quibusdam elucente, perierint. Cæterùm ovibus *Apulia* olim abundabat, quarum lanæ Martialis palmam tribuit *in Apophoretis*:

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis; Altinum tertia laudat ovis.

Idem 8. 28. *de Parthenianâ togâ*:

Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Quà saturat Calabris culta Galesus aquis?

Et hinc Cicero *Apuliam* à pastorum copiâ describit Orat.3. contra Catilinam. Prima syllaba communiter longa est. Horat. *Sat.1.5.*

Incipit ex illo montes Apulia notos
Ostentare minor. ———

Idem tamen 3. *Carm. Od.4.* corripuit:

Altricis extra limen Apuliæ.

Idem *in Epodis*:

Nec tantus unquam siderum insedit vapor.
Siticulosæ Apuliæ.

Urbes Apuliæ Dauniæ; olim,

Apenestæ.	Teanum.
Arpi.	Salapiæ.

Peucetiæ Urbes.

Canusium.	Barium.
Erdonium.	Egnatia.
Nuceria Apulorum.	Venusia.

Urbes hujus temporis Apuliæ sunt:

Andria, *Andria.*	Gravina, *Gravina.*
Asculum Apulum, *Ascoli.*	Luceria, *Luceria.*
Barium, *Bari.*	Manfredonia, *Manfredonia.*
Barulum, *Barleta.*	Tranum, *Trani.*
Bituntum, *Bitonto.*	Troja, *Troja.*
Bovinum, *Bovino.*	Venusia, *Venosa.*

Apulum, Daciæ urbs. Ptol. Hodie *Alba Giulia.* V. *Alba Julia.*

Apurima, fluv. Americæ mer. in Peruvia. Fontes habet in Parinacochæ tractu, ad pedes Andium montium, alluitque territorium Cusci; & post cursum 60. leucarum Hisp. in fluv. Xauxam, seu Maranionem se exonerat; inter Abancayum & Incayum fluv.

Apurvaca, qui & *Capervaca* quibusdam, fluv. Amer. mer. in Guajana prov. ex præcipuis illius tractus. Oritur ex montibus, supra Lacum Harritianorum, per quem labitur; & deinde, post longum cursum, in Oceanum Borealem se exonerat. *Piraguе* quibusdam.

Apuscidamus, Africæ lacus, in quo omnia fluitant, nihil mergitur. Plin.31.2.

Apyra, Lyciæ urbs. Plin. *Finica* nunc, Nigro teste.

Apyri, quos *Tapyros* vocat Geographus, ut Eust. tradit *in Dionys. Perieg.* Populi sunt Hyrcanis vicini. Vid. *Tapyri.*

AQ

Aqua, vulgò *Baden*, opp. Helvetiorum ad Limagum fluv. qui paulo post cadit in Arolam. Aliàs *Oberbaden.* Vid. *Therma.* Item, opp. Germaniæ, versus Sylvam nigram, non procul à Rheno fl.

Aqua, Oppidum etiam Austriæ, 3. leuc. à Vienna in Austrum, ad montium radices.

Aquæ Albenses, Urbs Mauritaniæ Sitifensis, Episc.

Aquæ Augustæ, Ptol. urbs Aquitaniæ in Gallia, vulgò *Bajonne. Acs* verò vel *Dax* Vineto. long.19.40. lat.43.43. Vid. *Taberla* & *Vibio.*

Aquæ Balissæ, op. Hungariæ in Pannonia infer. à Quinque Ecclesiis 5. leuc. distans in occid. *Selle* vulgò, teste Lazio.

Aquæ Bigerronum, hodie *Bagueres*. Vid. *Aquensis vicus.*

Aquæ Bilbilitanorum, Antonino, quòd in Bilbilis Tarraconensis urbis agro sitæ sint, fortè sic dictæ. In Arragonia sunt, & *los bannos de Alhama*, Varterio teste, vocantur. Eidem etiam hodie aliæ sic dictæ sunt in Bætica, quo verò nomine eæ antiquis cognitæ fuere, studiosis indagandum relinquo.

Aquæ Cajæ, thermæ in Thuscia. Harum meminit Strabo *lib.5.* ut refert Annius Viterbiensis, item Tibullus in hoc carmine:

Nunc autem sacris Cajarum maxima lymphis.

Sed illic optimi codices *Bajarum* habent. Vulgò *Bagni di Ballicano.* Ferrarius non *Cajas* sed *Calidas* habet.

Aquæ calidæ, urbs Angliæ. Vide *Aquæ Solis.*

Aquæ calidæ, Ptol. *Aquæ Celinæ* Antonino. *Amphilochia* Straboni. *Auria, in lib. concil.* vulgò *Orense*, urbs Hisp. Tarracon. in Gallæcia episcop. sub arch. Compostellano, inde 18. leuc. quot à Luco in aust. Tyden versus 8. ad Minium flu. Sed *Aquæ calidæ* potius sunt *Aigues Caldes*, teste Beutero. Opp. etiam Hisp. Tarrac. in Ausetanis, propè Gerundam urbem, vulgò *Bagnoles.*

Aquæ Convenarum, Aquitaniæ op. Anton. vulgò *Bagneres.* long.22.15. lat.42.20.

Aquæ Cutiliæ, lacus Sabinorum in agro Reatino; vulgò *Lago de Contigliano.*

Aquæ Flaviæ, op. Hisp. in Bracarum & Callaicorum confin. op. amplum Portugalliæ, à Bracara Augusta 11. leuc. paulo pluribus à Bragantia. Populi *Aquiflavienses.* A Tito, & Vespasiano nomen habent. Ad fluv. Tamacam; estque in Prov. Portugalliæ, quæ intra montes dicitur, & ad radices montium. Quibusdam *Aquæ Leæ.* Baudr. Vulgò *Chiaues.* long.12.30. lat.41.40.

Aquæ Gradatæ, vicus Carnorum apud Aquileiam, ab ea 3. m.p. ubi S. Chrysogonus pro Christo capite plexus est. Vulgò *S. Cantiano.* Vicus, ad Sontium fluv. 4. mill. ab Aquileia, in Ortum, in ea parte Fori-Julii, quæ subest Imperatori, prope oram littoream maris Adr.

Aquæ Lupiæ, vulgò *Guadaloupe*, Ins. Amer. Septentr. una ex Antillis, nunc sub Francis. Vid. *Guadalupia.* Item, Vicus Hisp. cum amne cognom. in Extremadura.

Aquæ Mattiacæ, vulgò *Visbaden*, opp. Germ. cum titulo Comit. in ditione Archiep. Mog. à Moguntia 2. leucis in Bor. Francofurto 4. in Occas.

Aquæ mortuæ, op. Gall. Narbon. operâ C. Marii 100. m. p. Rhodani ostiis deductæ. Hæ etiam *Fossæ Marianæ* vocabantur. Nunc verò, ob aquas silentes, *Aigues mortes.* Hic Pharus est, & sedes salarii tributi. 7. leuc. ab Arelate in Occ. 5. à Montepess. in Ort. juxta Rhodani ostia, prope mare.

Aquæ Passaris, vel *Passeris*, quarum Martialis etiam meminit 6.42.

Non mollis Sinuessa, fervidiq;
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,
Non Phœbi vada, principesq; Bajæ.

Aquæ Patavinæ. Plin. quæ *Fontes Aponi* Livio aliisque dicuntur. *Bagni d'Abano.* Vid. *Aponus.*

Aquæ Quinctiæ, sive *Quinctianæ*, op. Hisp. in Callaicis. *Aigues Caldes* Moletio. Aliis oppidul. *Sarria*, in Gallæcia: quod fortè melius.

Aquæ Regiæ, urbs Africæ episcopalis, sub Archiep. Carthaginensi. Anton. nunc pagus inter Hadrumetum & Suffetulam 50. m.p. *Casal Romol* vulgò dictus, teste Moletio.

Aquæ Romæ urbis, fuere seqq.

Anio novus, aqua ex Aniene fluv. extracta, via Sublacensi Romam perducta, 24. ab urbe mil. pass.

Anio vetus, aqua pariter ex Aniene, supra Tibur extracta, Romamq; perducta per viam novam inter Latinam & Lavicanam.

Alsietina ab Alsio urbe.

Appia ex agro Lucullano, viâ Prænestinâ, inter sextum & octavum ab urbe lapidem deducebatur.

Claudia è lacu Sublacensi 35. mil. pass. distante in urbem derivabatur: cujus aquæductus arcus propior apud hortos Placianos adhuc conspicitur. Urbem ingrediebatur per portam, quæ nunc major appellatur, olim Esquilina.

Julia ab Aureliano ducta in Tepulam 12. ab urbe lapide incidebat.

Martia ex lacu Fucino via Valeria deducebatur: cujus aquæductus pars apud Sanctum Laurentium extra muros adhuc videtur.

Tepula ex agro Lucullano via Latina, 12. ab urbe milliario, ubi villa Luculli erat, apud Columnam opp. excisum, inter Tusculum & Tibur.

Virginea, & ipsa ex agro Tusculano via Prænestina, 8. m. p. ab urbe, in eam per portam Pincianam ducta, nomen servans, ac *di Trevi* dicta, usui totius urbis inserviens. Cujus mem. Ovid. *lib.1. Fast.*

Hic ubi Virginea campus obitur aqua.

Harum porrò aquarum sola Virginea perseverat.

Aquæ Sextiæ, urbs Archiep. & col. Gall. Narbon. Provinciæ metropolis, conventusque juridicus, Massiliæ finitima, ab ea 5. leuc. in Bor. distans, ab Arelate 12. ab Avenione 13. in ort. inter Nemausum ad occ.53. & Nicæam ad Varum in ort.73. m.p. ex Strabone. Contractis in unum quinque syllabis *Aix* vulgò appellatur. Cæsi hic à C. Mario Teutones Cimbrique. Ad amnem *Arc* sita, ampla & pulchra est, in planitie, crescit indies, estque Parla-

menti totius Prov. sedes. long. 26.45. lat.42.45. Olim colonia Romanorum, in Salyorum regione condita, à Cajo Sexto Calvino, à quo nomen accepit, ut & thermis, quas ibidem extruxit. An.630. vel 631. U. C. 164. Olymp.142. ante N. C. Liv. *lib.60.61.* Vellej. *lib.2.* Strabo *lib.4.* Plin. *lib.3.5.* Plut. *in Mario.* Ad fidem conversa est, à S. Maximino, qui primus urbis Episcopus dicitur, An.49. Archiepiscopalis postmodum facta. Parlamentum, cujus hæc urbs sedes, institutum est à Ludovico 12. aliis id Ludovico 11. vindicantibus, postquam Carolus Andegav. ultimus Provinciæ Comes, ei ditionem hanc donavit. Moneta hîc cusa literam X. habet. Bouchetus & Pithoaus, *hist. urbis hujus.* Frequentes hîc Synodi. Spond. An.1585.& 1612. Morerius non à Sexto Calvino conditam, sed instauratam tantùm vult, postquam à Barbaris eversa esset: quod fatum etiam sub Longobardis & Saracenis subiit. Academia quoque in hac urbe insignis est, &c.

Aquæ Solis, Anton. urbs Angliæ. *Thermæ* & *Aquæ calidæ* dictæ; vulgò *Bathe.* In Somersetiensi Comit. ad fluv. Avonam, In planitie. Britannis dicebatur *Trennaint VVimin.* Vide *Bathonia.*

Aquæ Statellæ, vel *Statyellæ* Plinio; Lombardiæ Cispadanæ op. quod *Acqui* hodie dicitur. Populi *Statellates* Livio, Ciceroni verò *Statiellenses* dicuntur. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 81. Sub Duce Mantuano, sed verè desolata. long.30.27. lat.43.35.

Aquæ Suessanæ, Sinuessanæ, Liv. Plin. Mart. vulgò *Torre di Bagni*, Thermæ apud Sinuessam Campaniæ urb. excisam. Aliis *Acque di Mondragone* dicuntur.

Aquæ Tarbellæ, Auson. *Tarbellicæ* Anton. quæ *Aquensium civitas* lib. Provinc. Vide *Aquæ Augustæ.*

Aquæ Taurinæ, Plin. *Acqula* Ptolemæo op. Etruriæ sub Pontif. apud Peliam fluv. inter Sænam 40.& Volsinios 10. in via quæ Romam ducit. Vulgò *Acqua pendente.* Populi *Aquenses.* Vid. *Aquula.*

Aquæ Voconis, op. Hisp. citer. in Catalaunia, teste Episcopo Gerundensi. Urbs Hisp. Tarrac. in Ausetanis, Sans. *Balneole*, seu *Bannoles* vulgò dictum. Aquæ apud Geographos plura alia ejusmodi extant nomina, quæ partim Thermæ, partim urbes, & opida olim fuere.

Aqualania, vicus Italiæ, in Duc. Urbin. ubi Totila victus à Narsete plagam accepit, ex qua interiit. Prope fluv. Cantianum.

Aquapersa, vulgò *Aigueperse*, opp. Galliæ, caput Delphinatus Arverniæ, ad amnem Buronium, in eo tractu, qui vulgò *La Limaigne.* Urbs princeps est Ducatus Montpenserii. Vetus hîc castrum, situ opereque munitissimum, urbi imminebat, sed destructum est, An.1634. Davity.

Aquaria, Gall. *Yvaire*, oppidul. Sabaudiæ, ad lacum Lemanum, in Caballiaco tractu.

Aquarii, hæretici quidam, sic dicti, quòd solam aquam afferebant in Calice sacramenti. Cælius Rhod. 18. 40. Cypr. *ep.* 63. Epiph. *hær.*46. Aug. *hær.*64. Baron. An.C.257. *n.*5.

Aquarium, vulgò *Acquaria*, opp. Italiæ, in Friniana regione & Ducatu Mutinensi, medicatis aquis nobile, ad Scultennam fluvium.

Aquarius, undecimum Zodiaci signum, Capricorno proximum. Oritur 15. Cal. Febr. Fabulantur poetæ, hunc fuisse Ganymedem, quem Jupiter ejus pulchritudine captus, ab aquila in cœlum raptum, ministrum suum fecisse existimatur. Catullus vocat *Hydrochoon*, Julianus *Aquæ fusorem.* Palladius *Aquæ gestatorem.* Ovid. 2. *Fast.*

Jam levis obliquâ subsedit Aquarius urnâ.

Virgil. 3. *Georg.*

—— Cùm frigidus olim
Jam cadit, extremoq; irrorat Aquarius anno.

Horat. *Sat.*1. *de formica:*

Quæ, simul inversum contristat Aquarius annum,
Haud unquam prorepit. ——

Aqua Sparta, opp. Ital. in Umbria. Sita in monte, Ducatus tit. gaudet, gentis Cæsiæ.

Aquatulcum, opp. & portus Amer. Septentr. in nova Hisp. & prov. Guaxacæ, ad mare Pacificum. Paucis constat incolis, cum castro Hispanorum.

Aqua viva, Vicus, prope Apenninum, in limine comitatus Molicini, in regno Neapol. Item, opp. Pannoniæ super. in Stiriæ & Hungariæ confinio, *Fuczel* seu *Teplicza.* Item, castrum regni Neap. in Bariana prov. Ad radices Apennini. Unde celebri familiæ nomen.

Aquensis vicus, Gall. *Bagheres*, opp. Galliæ, in Novempopulania, in Bigerronibus, aquarum salubritate nobile. Ad Aturrum fluv. in valle Campana.

Aquia, prov. & opp. Japoniæ, in Asia, in ora meridion. parteque ea, quæ *Niphon.*

Aquigira, pop. Americæ meridion. in Brasilia, versus præfecturam Spir.S. in mediterr.

Aquila, vir Judæus ex Ponto. Actor. 18. Alius, qui libros Vet. Testamenti ex Hebræo in Græcum sermonem transtulit. Vixit sub Hadriano, à quo Ædilis factus, & Hierosolymæ, quam hic Imper. *Æliam* à nomine suo vocavit, condendæ præpositus est. In hoc munere dum versatur, Religionem Christianam amplexus, & baptizatus est, sed ob nimium Astrologiæ amorem à communione exclusus, transiit ad Judæos, circumcisione admissâ. A quibus cùm Hebræam linguam utcunque didicisset, Biblia Græcè sic vertit, ut animum in 70. Interpr. & Christum infensiorem non rarò prodat. Morerius *in Aquila.* Voss. *de Art. Gram.* 1.3. *Aquila Ponticus ex Gentili Christianus, posteaque Judæus factus, cùm Hebraicè didicisset, sub Cæsare Hadriano* An. D. 129. *Veteris Instrumenti libros Græce ita transtulit, ut verbum verbo redderet.*

Aquila, olim *Calydon*, urbs Ætoliæ episc. sub arch. Naupactensi ad Euenum fluv. vulgò *Ayton*, teste Sophiano.

Aquila, urbs episc. Brutiorum, ex ruinis Furconii antiquissimi opidi, à Longobardis ædificata. Volater. Ex præcipuis regni Neapol. long 37.10. lat.42.19. Vid. *Amiternum.* Item Scythiæ fluv. Herodot. Etiam *Aquila* Major & Minor, Mauritaniæ Tingitanæ loca duo. Anton. Fuit & Tusciæ mediter. urbs, *Aquapendente* Leandro.

Aquila, vulgò *l'Aigle*, opp. Franciæ, in Normannia, ad Rillam fluv. Vid. *Ad Aquilas.*

Aquila, sidus cœleste, cujus ala dextra circulum Æquinoctialem parum prodit: sinistra autem non longè à capite Ophiuchi videtur. Rostrum ejus à reliquo corpore dividit circulus à Cancro ad Capricornum perveniens. Exorto Leone occidit, oritur autem cum Capricorno. Habet in capite Stellam unam, in utraque penna unam, in cauda unam. Inter astra autem receptus dicitur Aquila, quòd Jovem Cretensem, cùm adhuc infans esset, in spelunca, ne à Saturno patre occideretur, absconditum nectare nutriverit; uti tradidit Mæro Poëtria Byzantina, *in his,*

Νέκταρ δ' ἐκ πέτρης μέγας αἰετὸς αἰὲν ἀφύσσων
Γαμφηλῇ φορέεσκε ποτὸν Διὶ μητιόεντι.
Τὸν καὶ νικήσας πατέρα Κρόνον εὐρυόπα Ζεὺς
Ἀθάνατον ποίησε, καὶ οὐρανῷ ἐγκατένασσεν.

Vel quòd Jovi ad expeditionem bellicam adversus Titanes, qui parentes ejus in vincula conjecerant, accincto, hæc avis augurium futuræ victoriæ in Naxo attulerit, & arma pugnanti subministrarit. Unde & sibi sacram Jupiter in posterum voluit; & in reliquis expeditionibus Aquilæ effigie pro signis militaribus usus est; quod imitati sunt postea Romani, ut author est Alex. ab Alex. *l.*2. *c.*2. Imò attribuit illi tantam facultatem, ac immunitatem, ut nullo fulminis ictu lædi unquam, & solis fulgorem oculis semper apertis, ac minimè hebescentibus intueri possit. Vel etiam, quòd formosissimum illum Ganymedem Trois, Trojanorum regis, filium, centesimo circiter anno ante bellum Trojanum, rapuerit, ac in cœlum portaverit, quò Deorum consuetudine frueretur: ut auctor est Apollonius Argonaut. *l.* 3.

—— Μετὰ καὶ Γανυμήδεα, τόν ῥά ποτε Ζεὺς
Οὐρανῷ ἐγκατένασσεν ἐφέστιον ἀθανάτοισιν,
Κάλλεος ἱμερθείς. ——

Ubi Scholiastes: Τὸν δὲ Γανυμήδην Ὅμηρος οὐχ ὑπὸ Διὸς ἡρπάσθαι, ἀλλ' ὑπὸ θεῶν φησιν. Οὐδὲ δι' ἔρωτα καὶ πόθον, ἀλλ' ὥστε Διὶ οἰνοχοεύειν,
Τὸν γὰρ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν.

Unde & traditum illi imperium in cæteras aves, teste Horatio, *Carm. lib.* 4. *cap.* 4.

Qualem ministrum fulminis alitem
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo.

Alii tamen tradunt, Jovem ipsum in Aquilam conversum, Ganymedem ex luco agris Priapenis, & Cyzicenis contermino rapuisse: unde locus ille postmodum *Harpagia* sit dictus, teste Strabone *lib.* 13. Verùm raptor ille non Aquila fuit, neque Jupiter Phrygius, qui Ganymeden rapuit, aut rapi curavit, in Aquilam transformatus; ut poeticâ saltem fide traditur. Proinde suspicatur Philippus Cæsius, navem fuisse *Aquilam* dictam, ob *Aquilæ* insigne, vel, si mavis, cohortem, aut exercitum Phrygium, Aquilæ picturâ in vexillis militaribus, ut modò diximus, utentem: quorum vel hujus, vel illius adminiculo Tantalus, Phrygiæ & Paphlagoniæ rex catamitum hunc abduxerit. Unde & Troi patri Ganymedis, ac Tantalo maximum bellum exortum esse, indicat Phanocles apud Eusebium & Orosium.

Verùm quidam hîc intelligunt *Aquilam*, illam Typhone & Echidnâ, ut vulgò fabulantur, prognatam: quæ Promethei, Japeti filii, quem Osiris, sive Mizraim parti Ægypti præfecerat, cor, & jecur in monte Caucaso exedisse, & ab Hercule postea sagittis transfixa dicitur, uti traditum est Duridi Samio, Pherecydi *lib.* 2. & 10. *Histor.* Apollonio *lib.* 2. *Argon.* Hesiodo *in Theogoniâ*, ac Luciano *in Prometh.* & *dial. de Sacrificiis.* Hi Prometheum tantis cruciatibus à Jove affectum scribunt; quòd igne (nempe rerum Divinarum, & Scientiarum cognitione) mortalibus divinitus adempto, Minervæ (hoc est, Sapientiæ) auxilio in cœlum ascenderit, ibique ferulâ ad currum solis admotâ, eum rursus in terram portaverit. Cujus tamen aliam causam affert Menander; nempe quia Prometheus invenerit fœminam (fortè Philosophiam intelligit) omnium humanarum calamitatum

auctorem, & animalium genus sceleſtiſſimum, vel quia Palladem, hoc eſt, ſapientiam amaverit: uti Duridi proditum. Verùm de his plura in *Prometheus*. Antequam verò manum de tabula tollam, dicere eſt animus; quòd quidam veterum in ea quoque, ut videtur, fuerint opinione, animam Platonis in hanc Aquilam cœleſtem fuiſſe converſam. Et indicat idem Speuſippus, aut quiſquis ille fuit, qui Græcum illud epigramma in tumulum Platonis compoſuit, quod aliquis ita tranſtulit:

Cur, Aquila, ad tumulum hunc volitas? dic, nunquid ab aſtris
Hic habitare Deum fortè aliquem intuita es?
Imò anima *extincti ſum* diva Platonis; *Olympum*
Qua colo: ſed corpus terrigenum Attica habet.

Aquila alba, Ordo eq. in Polonia, ab Uladislao ſ. cognom. Loktero, inſtitutus, in nuptiis filii Caſimiri M. cum Anna, Ducis Lithuaniæ fil. An. 1325. Occaſio inſignibus, à nido aquilarum, ab uno primorum Regum invento, cùm urbis Gneſnæ fundamenta jacerentur. *Hiſt. Polon.*

Aquilaria, locus in Africa. Cæſar *Comm. lib.* 3.

Aquilas, Judæus, è Ponto, tentoriorum conficiendorum artifex, hoſpitio à S. Paulo Corinthi eſt exceptus, & cum uxore ſua Priſcilla converſus. Poſtmodum ambo hi Apollo, qui ſaltem baptiſmum Johannis hactenus noverat, in Chriſtiana religione, plenius inſtruxerunt. Act. *c.* 18.

Aquileburgium, vulgò *Arnsburg*, arx Daniæ, prope Goldingam, Urbem Jutiæ Septentr. Vide *Coldinga*.

Aquileia, ſeu *Aquilegia*, Herodiano *Roma* ſeu *Romania* dicta, quia florente Imperio ſecundum ſemper locum obtinuit, urbs Carnorum ad Natiſonem fluv. Romanorum colonia, primitus contra Barbarorum excurſiones extructa: 12. m. p. diſtat à mari, juxta quam Timavum amnem nonnulli locarunt. Martialis,

Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo.

Saltem non procul abfuiſſe à Venetiis, indicat Silius *lib.* 8.

Nec non cum Venetis Aquileia perfurit armis.

Dionyſ. Perieg. —— Τόθι σύρετμ Ἀδελὰς ἅλμη
Πόντον ἐς ἀγχίπορον Ἀκυλήιον. ——

Mela. 2. 3. *Natiſo non longè à mari ditem attingit Aquileiam.* Ubi doctiſſimus Iſ. Voſſius. *Aquilegiam* habent libri veteres, quemadmodum etiam paſſim, apud auctores alios, ſcribi notiſſimum eſt. Exiſtimant plerique, verum nomen eſſe *Aquileia*, dictamque fuiſſe ab *Aquila*, quæ dextrà, cùm urbs conderetur, advolavit; ut ait Julianus Imp. oratione de geſtis Conſtantii; hinc aliqui vocarunt *Aquiliam*. Ego aliter puto, nempe *Aquilegiam* antiquum fuiſſe nomen, ſicque appellatam eſſe à fontium, & rivorum copiâ. Nam & fluvialibus aquis & putealibus urbs hæc abundabat, uti docet Strabo *lib.* 5. Vid. & Plin. *lib.* 3. *c.* 19. P. Diac. & Leand. *deſcr. Italia.* Ex hac orti ſunt Chromatius, ad quem Hieronymus ſæpe ſcripſit, itemque Ruffinus Græcè Latineque eruditus. *Aglar* vulgò dicitur. Auſonius *in Catalogo*:

Nona inter claras Aquileia cieberis urbes.

Olim perampla; inſigni virtute, Maximini Thracis Imp. acerrimos obſidionis impetus repreſſit, cùm mulieres ex propriis crinibus funiculos pararent, poſtquam nervi ad ſagittas emittendas defeciſſent, An. C. 240. ſed ab Attila, auſpicio ciconiæ, An. 452. poſt triennii obſidionem, Procop. *l.* 3. *de bello Vandal.* dein à Longobardis, An. 590. incenſa & devaſtata fuit, poſtea à Papone Patriarcha re ædificata. Ad hanc Conſtantinus, fratri Conſtanti Occidentem erepturus, prælio victus eſt, An. 340. Eutrop. *lib.* 10. Aur. Victor. Maximus Tyr. quoque à Theodoſio ibidem victus, captus & obtruncatus eſt, An. 387. Oroſ. *lib.* 7. *cap.* 20. 21. Antiquitus fuit, ſub ditione temporali Patriarchæ, poſtea ab Archiducibus Auſtriæ occupata, uſque in hunc diem; ſed muris caret, & ob aëris inclementiam à paucis habitatur. Vix 9. milliar. ab ora littorali maris Adriatici, media inter Palmam, & Gradum. Baudr. Patriarchatus primò Gradum, nunc Venetias translatus eſt. Concilium ibi habitum primò An. C. 381. contra reliquias Arianorum, Tomo, 1. *Concil.* Secundò, An. 400. contra Origeniſtas, &c. Vid. Sigebert. An. C. 698. Bed. 6. *ætate*, Paul. Diaconum, *lib.* 5. *cap.* 14. Plura apud Cluverum *de Italia Ant. lib.* 1. *cap.* 20. long. 36. 10. lat. 45. 45.

Aquili, Dii quidam, quos in aëre ponit Capella unà cum Manibus & Heroibus: dicti quaſi *nigri*. Gloſſa. *Aquilum*, μέλαν. Cæterùm de Diis Aquilis Arnobius *lib.* 3. *Crinitos effingitis, alios ſenes, juvenes, pueros, Aquilos, caſios*, &c. Malè eſt in Gloſſ. Papiæ: *Aquili*, ſpecies Dæmonum, qui in ſimilitudine aquarum apparent. Grot. *in Cap.*

Aquilia, adulterii delata cum Vario Ligure, quanquam eam Lent. Getulicus lege Juliâ damnaſſet, exilio punita eſt à Tiberio. Tac. I V. 42.

Aquilia Severa, Veſtalis virgo, quam Heliogabalus Imp. clam uxorem duxit, ut ex hoc conjugio cœleſtis planè ſoboles, ipſe enim Pontifex erat, naſceretur. Lampridius & Dio, *in Heliogab.*

Aquilicia, ſacra à Romanis fieri ſolita, cùm in magnâ ſiccitate, aqua eſſet elicienda; tunc enim Jovi immolabatur. Sacerdotes, *Aquilices*. Tertul. *in Apol. cap.* 40. & *adv. Marcion.* hæc falsè ridet.

Aquilinus, Conſ. Junii Ruſtici collega. Alius Æmiliani collega. Tertius Junii Maximi collega.

Aquilius Manius, Oppii legatus, à Mithridate crudeliſſimè interemptus. Arnobius *Adv. Gen. l.* 1. *Innumerabiles alii gloriâ & virtute, & exiſtimatione pollentes, acerbiſſimarum mortium experti ſunt formas; ut Aquilius, Trebonius, Regulus.* Ubi de noſtro Aquilio cum agere, rectè obſervavit doctiſſimus Caſaubonus, magnum literarum lumen, & ſingularis pietatis ac probitatis exemplum, uti eum vocat Deſid. Heraldus. Minutius Felix: *Viros cum Mutio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo.* Aquilio autem capto miris modis illuſit Mithridates, tandemque ἐς τὸ ςόμα αὐτοῦ κατέχεεν χρυσίον, ait Appian. *in Mithridaticis*; *Aurum in os infudit*; ait Plin. 33. 3. Ejuſdem meminit M. Tull. *de Lege Manil.*

Aquilius Niger, Hiſtoricus, Suetonio laudatus, *in Aug. c.* 11. Voſſio idem cum eo, qui *Aquinius Juger* aliis, *Hiſt. lat. l.* 3. *c.* 11.

Aquilius Regulus, delator, frater Vipſanii Meſſallæ, quem ſubverſa Craſſorum & Orphiti domus in ſummum odium extulit: nam ſponte ex Senatûs conſulto accuſationem ſubiiſſe juvenis admodum nec depellendi periculi, ſed in ſpem potentiæ videbatur. Tacit. *Hiſt.* I V. 42. Quem vide. Eundem Plin. in Epiſtolis meritò flagellat; & alibi Bipedum nequiſſimum dicit.

Aquilius Severus, hiſtoricus, & poëta Hiſp. de quo ſic Hieron. *in Catal. ſcript. illuſtr. Aquilius Severus in Hiſpania, de genere illius Severi, ad quem Lactantii duo epiſtolarum ſcribuntur libri, compoſuit volumen, quaſi* ὁδοιπορικὸν, *totius vitæ ſua ſtatum continens, tam proſâ, quam verſibus; quod vocavit* καταςροφὴν, *ſive* πεῖραν: *& ſub Valentiniano Principe obiit.* Meminit & Honorius *in Catalogo.* Item nomen JC. cujuſdam.

Aquillia, vel *Aquilia*, gens Romæ Patricia, quæ tamen paucos habuit claros, quamvis ex ea nonnulli Conſules fuere. Vid. Plutarch. *in Publicola*, *c.* 3.

Aquilo, ventus à Septentrione flans, à vehementiſſimo flatu & volatu, inſtar Aquilæ, ſic dictus, Feſto teſte. Græcis *Boreas*; ſiccus, & frigidus. Ovid. 3. *Triſt.* 10.

Tantaq; commoti vis eſt Aquilonis, ut altas
Æquet humo terras, tectaq; rapta ferat.

Horat. Ἐπῳδῶν *od.* 10.

Inſurgat Aquilo quantus altis montibus
Frangat trementes ilices.

Cæterùm Aquilonis violentiam nemo melius expreſſit, quàm Virgil. *Georg.* 3. *verſ.* 196.

Qualis Hyperboreis Aquilo cùm denſus ab oris
Incubuit, Scythiaq; hyemes, atque arida differt
Nubila, tum ſegetes altè campiq; natantes
Lenibus horreſcunt flabris: ſummaq; ſonorem
Dant ſilvæ, longiq; urgent ad litora fluctus:
Ille volat ſimul arva fugâ ſimul æquora verrens.

Aquilones etiam dicuntur venti, qui 8. fermè diebus exortum Caniculæ antecedunt, & perflant diebus 40. quos vocant Eteſias & Prodromos, quaſi Præcurſores.

Aquilonia, Hirpinorum in Italiâ op. Liv. *lib.* 10. *Tum exercitus omnis Aquiloniam eſt indictus.* Ptolem. Ἱρπινῶν Ἀκυιλωνία. Plin. 3. 11. Hirpinorum *Æculani*, *Aquiloni*. Lege *Æculanenſes*, & *Aquilonienſes*. Aliis eſt *Agnone* op. in Aprutio. Aliis *Anglona*, urbs exciſa in Lucania. Celſo Cittadino *Lacedogna* urbs epiſc. Hirpinorum ſub arch. Compſano. Sed ſitus repugnat. Nam Aquilonia, ut ex Livio patet, erat inter Beneventum, & Lucceriam; Laquedonia verò Melphi & Monti viridi proxima eſt. Quare illam prorſus extinctam cum Volaterrano putat Ferrarius.

Aquilonia, Brietio eſt *Carbonara*, vicus regni Neap. in Principatu ulteriore, inter Laquedoniam & Montem viridem, juxta Aufidum fluv.

Aquilonium, Vid. *Aguillonium*.

Aquilunda, Lacus Africæ, in regno Congi, verſus Orientem & terminos Abyſſiniæ, cum multis Inſulis. Ex eo profluit fluv. Dandus, Europæis *Lago di Quilunda* dictus.

Aquincum, Pannoniæ infer. urbs. Ptol. *Cepol* Lazio. Cluverio *Buda*; quod Vid.

Aquinius, malus quidam poëta. Cic. 5. *Tuſcul. Adhuc neminem cognovi poëtam, & mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui ſibi non optimus videbatur.*

Aquinum, Latinorum op. ad fines Samnitum, quod Melpha fluv. alluit. Strabo. Vulgò *Aquino*. Sil. *lib.* 8.

Commovet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.

Dicit Author hujus Dictionarii, Aquinum Thomæ Doctoris Scholaſtici patriam fuiſſe, qui inde *Aquinatis* nomen ſibi obtinuit. Addam ego & Juvenalis quoque patriam fuiſſe. Sic enim ipſe *Sat.* 3. ——*Et quoties te*
Roma tuo refici properantem reddit Aquino.

LLoyd. Hiſce ſuperaddat Victorinum, Geometram inſignem, Morerius. Pro *Melpha* autem ſuprà lege *Melpis*, idque authoritate Strabonis. Sic enim ille *lib.* 5. Ἀκύινον μεγάλη πόλις ἐςὶ παρ' ἣν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμός. Haud perinde magnus eſt amnis iſte; de urbis verò magnitudine, præter Silium, idem ſatis apertè teſtatur Tullius, dum ait *frequens eſſe municipium*. Philip. 2. Coloniam fuiſſe à Romanis deductam, teſtis eſt Corn. Tacit. *Hiſt.* 2. *Occidi Dolabellam juſſit, quem in Coloniam Aquinatem ſepoſitam ab Othone ſuprà retulimus.* Sita eſt in regno Neapol. & in prov. Terræ Laboris, non longè à Liri fluvio, ſub dominio utili Ducis Soræ. longitud. 73. 37. lat. 41. 28. Vid. Leandr. *deſcript. Italia.*

Aquinus, alio nomine *Cornelius*, legatus Legionis in Germania, interfector Fonteji Capitonis. Tacit. *Hist. l.* 7.

Aquinus, Norvegiæ R. cui Gregor. 9. excommunicationem minatus est, ni bona Ecclesiastica, in proprios usus ab eo conversa, restitueret. Pater Henrici, pietate inclyti. Crantz. *histor. Norveg. l.* 3. *c.* 14.

Aquisgranum, Gallicè *Aix*, urbs Imperialis in Menapiorum finibus, inter Rheuum & Mosam sita, thermis excellentibus, Romanorum Imperatorum primâ inauguratione, & coronatione, unde inter alios de Alberto Austriaco legitur, in tanta hominum frequentiâ hic coronatum fuisse, ut Dux Saxoniæ opprimeretur. An. 1298. Trithem. *in Chron.* D. Caroli Magni palatio & sepulturâ, septennalique peregrinorum visitatione celebris. Nomen habuit à *Grano*, Neronis fratre, (ut quidam putant) qui *Aquas* calidas in hoc tractu inveniens, juxtà habitavit, atque arcem struxit, cujus adhuc extat monumentum, *turris Grani* dicta: quam quidem arcem sunt qui credant Veterram esse, cujus meminit Ptolemæus. Ad hanc Otto 2. Imp. à Lothario Gall. R. vix non oppressus, A.C. 978. injuriam non solùm Lutetiam usque cum irato exercitu excurrendo, sed & de Lotharingia pro lubitu decernendo, ultus est. Aimon. *lib.* 5. *c.* 44. &c. Incolæ, à Ruperto Palatino Imp. proscripti, ac ad subjectionem redacti. Cuspinian. *in Ruperto*. Iterum Protestantes hic malè mulctati, sub initium hujus seculi, urbe à March. Spinola expugnatâ, An. 1614. sed pòst redditâ. Varia hìc à Carolo Magn. concilia celebrata, An. 809. ubi actum de processione Spiritûs S. & de clausula symbolo Niceno addita, *Filioq;*. Crantzius *lib.* 2. *c.* 14, 15. Tom. 7. Concil. &c. Alia sub Ludovico Pio, An. 816. 819. 836. habita, quo Imperator hic *Christianissimus* appellatus, Pap. Masson. *in Ludovico Piò*, Saxoni cuidam Viro docto tum injunxit, S. Scripturam Germanicè carmine transferret, quò & idiotæ eam discere possent. Flacius *in Catal. testium Ver.* Platina, &c. Otto quoque M. in concilio an. 917. hic habito coronatus est ab Archiepiscopo Moguntino. Baronius. Incendio penè tota conflagravit, An. 1656. Sub clientela est Ducis Juliacensis, celebris quoque pace ibi factâ An. 1668. inter Galliæ Hispaniæque Reges. long. 27. 37. lat. 50. 45.

Aquita, prov. Ins. Japoniæ, versus septentr. in Asia. Urbem habet cognom. in ora littorali, prope fretum *Sangaar*, in parte, quæ *Niphon* vulgò; parva & ad montium pedes. Briet.

Aquitania, regio, tertia olim Galliæ pars. A Circio Oceanum habet, qui *Aquitanicus sinus* dicitur; ab Occasu Hispaniam; à Sept. Lugdunensem provinciam; à Meridie Narbonensem. In eâ Tolosa, & Burdigala civitates; Populi *Aquitani*. Plin. 4. 17. *Gallia omnis Comata, uno nomine appellata, in tria populorum genera dividitur, amnibus maximè distincta: A Scaldi ad Sequanam, Belgica: ab eo ad Garumnam, Celtica, eademq; Lugdunensis: Inde ad Pyrenæi montis excursum, Aquitania. Aremorica* olim dicebatur. Ἀκυίτανία, Stephano, Ἀκκιτανία Ptolemæo. Vid. Strab. *l.* 4. Cluver. *l.* 2. De Marca & Oihenart. *hist. Bearn. & Vascon.* Morer. *in Aquitania*. Nunc strictius sumitur, & vulgò *Guienne* seu *Gascogne* dicitur, atq; à Garumna flu. tripartitur. Accuratiores tamen inter Vasconiam & Gujennam sic distinguunt; ut illa contineat Arminiacum, Bigerrensem, Convenensem, Aginnensem, Benearnensem prov. seu inferiorem Vasconiam, &c. Ista autem cum titulo ducatus Burdegalensem propriè tractum comprehendat. Solum est fertile, aër temperatus, incolæ ingeniosi, sed & jactabundi. Olim sub Romanis, quibus à Visigothis erepta est, donec & hi à Clodoveo pellerentur. Post quem Guienna proprios habuit Duces, sub Carolo M. regno inserta. Reges tamen quoque habuit: Ludovicum, filium Caroli, An. 777. & Pipinum, fil. Ludovici Pii, An. 817. Paul. Æmil. *lib.* 3. Hanc cùm Carolus Calvus Pipino patrueli eripere vellet, victus est, An. 844. Crantz. *l.* 2. *c.* 7. Angli postmodum illâ satis diu potiti. Inter quos Henricus 3. Rex Angliæ à Ludovico 9. Dux Aquitaniæ & Par Franciæ creatus est, An. 1265. Polyd. Virg. *lib.* 16. &c. Eduardus I. eam amisit, sed mox Philippo Pulchro reconciliatus, recepit, Anno 1299. Paul. Æmil. *lib.* 8. Eduardus postea 3. An. 1355. in hac ipsa provincia Johannem R. vicit cepitque, Froissard. *lib.* 1. usque ad Carolum 7. qui illos expulit, cruentâ potitus victoriâ, An. 1452. Paul. Æmil. *lib.* 10. Apannagii loco à Ludovico XI. fratri Carolo data, hoc sine prole decedente, rediit ad coronam. Varias in hac urbes An. 1512. expugnavit Henricus 8. Polydor. *lib.* 27. Annales Aquitan. Lurbeus, *in Onomast. & de ill. Viris Aquit.* Joh. Beslius, *Geneal. ducum Guiennæ.* Duchenius &c. Baudrandus de Aquitania hæc addit:

Aquitaniæ urbes primariæ hujus temporis.

Aginnum, *Agen.*	niæ facilè primaria, *Bordeaux.*
Aquæ, *Acqs.*	
Aturrus, *Aire.*	Cadurcum, *Cahors.*
Auscii, *Ausch.*	Condomum, *Condom.*
Bajona, *Bajone.*	Fanum S. Licerii, *S. Licer.*
Bergeracum, *Bergerac.*	Lactorium, *Lectoure.*
Blavia, *Blaye.*	Lascurris, *Lascar.*
Briva, *Brive.*	Lombarium, *Lombez.*
Burdegala, totius Aquita-	Oloro, *Oleron.*
Palum, *Pau.*	Sarlatum, *Sarlat.*
Petrocorium, *Perigueux.*	Tutela, *Tulles.*
Ruthena, *Rodez.*	Vabræ, *Vabres.*
Santones, *Saintes.*	Vasatum, *Basas.*

Aquites, nomen sacerdotis. Val. Flac. *lib.* 6.

Indigenis sacratus aquis, magniq; sacerdos
Phasidis Arctois Aquites errabat in armis.

Aquula, seu *Acula*, *Aqua pendente*, urbs est Hetrur. Episcop. facta ab Innoc. X. loco Castri diruti; in clivo & sat ampla, sed paucorum incolarum, prope Peliam flu. qui ibi jungitur ponte pulcherrimo, Gregoriano dicto. Paret Pontifici. Vid. *Aqua Taurina.*

AR.

Ar, Civitas Moabitarum, sive *Ars*, sonat *civitas Solis*. Nam חרם *Ares* est *Sol*. Vel quasi urbs Ostracina, nam *Ares* etiam ὄστρακον, sive *testa*. Hieronymus. Idem: *Moab provincia Arabum*, &c. *Hujus metropolis civitas Ar: quæ hodie ex Hebræo & Græco sermone composita Areopolis nuncupatur.* Non quòd Ἄρεος, id est, *Martis civitas* sit. Interpretatur *a. Ar*, ער ἀντίδικος, id est, *adversarius*.

Ara, filius Jether. 1. Par. 7. Lat. *maledicens*, aut *videns*.

Ara, urbs Assyriorum. 1. Par. 5. Hieronymus *in Qu. Hebr.* ipsam *Rages* esse scribit, Medorum civitatem, de qua Tobiæ *cap.* 1. Lat. *mons*, aut *prægnans*, sive *demonstratio*.

Ara, civitas Arabiæ regia, & insula Arabiæ adjacens.

Ara, cœleste sidus. Cujus mem. Ovid. *Met.* 2.

Neu te dexterior tortum declinet ad Anguem,
Neve sinisterior pressam rota ducat ad Aram.

Cicero *in Arateis*:

Inde Nepes cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri.

Horizontem nostrum stringit mediâ nocte, sub finem Junii, meridianum transiens, & duodecim in globo nostro complectitur stellas. Θυτήριον Arato dicitur. Sic enim ille:

Αὐτὰρ ὑπ' αἰθομένῳ κέντρῳ τέρατος μεγάλοιο
Σκορπίου, ἄγχι νότοιο Θυτήριον αἰωρεῖται.

Cæterùm *Aram* hanc Cœlestem denotare ajunt aram illam, jussu Deorum à Vulcano, sive, ut ait Eratosthenes, apud Arati Scholiasten, à Cyclopibus, nempe Vulcani fratribus & ministris, extructam; super quâ Jovi adversus Titanas bellum suscepturo, fidelitatis sacramento Dii omnes sese obstrinxêre. Itaque auxilio Deorum devictis Titanibus, Jupiter, in perpetuam rei memoriam, Aram illam inter astra locasse dicitur. Alii tamen Aram hanc in cœlo collocatam dicunt, in gratiam Chironis Centauri; nempe quòd lupum, qui etiam hinc *Victima Centauri* dicitur, & Aræ in cœlo proximus est, in ejusmodi arâ immolaverit. Quæ insimul & Chironi ante oculos sit posita, ut ejus insignis erga deos immortales religio & pietas in perpetuum demonstretur.

Ara Cæsaris, vulg. *Arsago*, pag. Insubriæ, in agro Mediolanensi, apud Curiam pictam.

Ara Lapidea, Vide *Arelape*.

Ara Lugdunensis, vulgò *Ainay*, cœnobium nunc propè Lugdunum, ad Araris cum Rhodano confluentiam, de quo Juvenalis *Sat.* 1.

——— *Et sic*
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad Aram.

Caligula siquidem, teste Suetonio, Lugduni certamina oratoria eâ lege instituit, ut victi victorum laudes componerent, vel præmia illis conferrent; qui maximè displicuissent, spongiâ, linguâve scripta à se delerent, nisi aut ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent. Oratores autem illic dicturi metu pallebant, propositum supplicium timentes.

Ara Lugdunensis, aliàs *Athanacum*; Abbatia prædives intra muros Lugduni.

Ara Tutila, vulgò *Calonica*, opp. olim, nunc pagus Corsicæ, inter Aleriam & Marianam, medio fere itinere.

Ara Ubiorum, vulgò *Bonne*, opp. Germ. ad Rhenum, ubi sedes Electoris Coloniensis, 15. m. p. supra Coloniam Agr. Cluver. Origo ei loco à veneratione Augusti, cui novo cœliti ara illic, receptâ adulatione, exstructa, uti ara Lugduni, & ad eam Sacerdotes ex primoribus gentis, Lipsius ad Tacit. 1. 57. Vid. *Bonna*.

Araas, Lat. *ira*, vel *calor confidentiæ*, sive *protectionis*. Pater Thecue, patris Sellum, mariti Huldæ Prophetissæ. 4. Reg. 22. Hebraicè *Harethas*, qui 2. Par. 34. *Hasra* dicitur.

Arab, Lat. *insidians*, vel *multiplicans*, aut *fenestra*, sive *locusta*, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Araba, nomen viri. 1. Mac. 15.

Arabarches, publicanus apud Ægyptios. Juvenal. *Sat.* 3.

——— *Inter quas ausus habere*
Nescio quis titulos Ægyptius atq; Arabarches.

Ubi alii *Alabarches*. Ἄλαβα Hesychio est μέλαν ᾧ γράφομεν: Quidam volunt significare etiam scriptum de tributo, quod

pro pecorum pastu solvitur. Inde *Alabarches*, qui præest huic scribendi muneri. Schol. Juvenalis Arabarchen ait irrisoriè dictum, quasi *Arabum principem*, id est, servorum, qui essent Romæ ex Arabiâ. Vide Alciatum & Brodæi *Miscellanea*.

Arabathane, nomen civitatis. 1. Mac. 5.

Arabia, Asiæ regio, Africæ proxima, cujus longitudo à mari Mediterr. in confiniis Ægypti, usque ad initium sinus Persici & promontorium Corodamum, latitudo inter Persicum Arabicumque sinus intercipitur. Habet ab Or. montes, qui illam à Babylonia & sinu Persico separant. Ab Occ. sinum Arabicum seu mare Rubr. & Isthmum, qui inter hunc sinum & mare Mediterr. est. A Sept. Palæstinam Cœlesyriam & Euphratem. A' Mer. mare Indicum. Triplex est, Prima *Deserta*, ubi 40. annos Israëlitæ detenti, olimque antiqua urbs Escena, vel Escerneta, Marmol. hodie Meschet, Ocem & Anna urbes. Inculta & sterilis est, hodie *Beriara*, teste Villanovano, cum aliis; vel *Arden*, inter Syriam ad occid. & Arabiam Felicem ad ort. atque inter Mesopotamiam ad Sept. Euphrate fluvio dissaparante, & Arabiam Petræam ad Aust. Secunda *Felix*, hodie *Hyaman*, & Turcis *Gemen*, vel *Giamen*, à Saracenis *Mamotta*, amplissima, inter 2. maximos sinus Arabicum & Persicum perstricta, inter occid. & ort. longissimè excurrens, ad Bor. Arabias Petream & Desertam habens, mari Rubro, Indiam versus definita; Felix autem dicta est, ob aromatum odorumque in ea uberem proventum, & peninsulæ modo inter prædictos sinus comprehenditur. Præteriti seculi Geographi in complura regna eam secant, eaque pleraque Persarum regibus parentia, qui ut in officio provincias contineant, suos in iis proreges constituunt; cujusmodi sunt *Irmin*, *Amansirisdin*, *Ormus*, *Becharim*, *Mappha*, *Alibinali*, *Gubelaman*, *Fortach*, *Hereth*, *Adem* & *Zibith* regna, quæ partim propriis regibus, partim à Persis substitutis, partim Turcis parent: his etiam ab aliquibus annumerantur *Alma*, *Charama* & *Sabara* regna. Bis, ut India, conseritur ob fœcunditatem: fluminibus scatet: aromatum omnis generis feracissima, quibus omnia permutant: urbes sine mœnibus colunt, quòd in pace maximè degant. Auro abundant & præcipuè Dobæ: proximi sunt Sabæi, thure, myrrhâ & cinnamomo divites: nec ferræi hic minus opulenti, quorum ferè suppellex omnis ex auro & argento est, ex his enim & ebore domorum limina, tecta & parietes construunt. Hæc olim fortasse fuit Arabiæ facies: qui verò hâc nostrâ ætate eam vidisse se profitentur, multa ex his aliter habere asserunt, ventorum nimirum sævitiam in arenis congerendis multam: neque binas messes esse, illamque aquarum penuriâ laborare: Cinnamoni nihil habet, eboris insuper & Elephantorum nihil, nisi adventitiorum. Natal. Metel. Urbes habuit olim celebres, hodieque Mecham, Medinam, aliasque nonnullas. Hinc Saraceni egressi. Vid. Plin. *lib.* 6. Strabon. *lib.* 1. Cluver. *lib.* 5. Marmol. *l.* 1. *c.* 28. Tertia *Petræa* demum. *Nabathæa* Straboni & Plinio. *Barraab*, & *Bengaucal*, aliisque nominibus hodiè appellata; inter Palæstinam ad occ. Jordane, & Asphaltite lacu divisa, & Arabiam Fel. ad ort. ac inter Desertam ad arctos, Ægyptum autem partemque sinus Arabici ad meridem. Illius inprimis magna pars arenosa & sterilis est, rarosque habet incolas & urbes, tum ob vastas solitudines & mores asperrimos, tum etiam propter aquæ penuriam. Estque fere tota sui juris. Celebris est tamen urbe *Harac* vel *Crach*, in SS. *Petrâ deserti* dictâ, à Nabathæis inhabitatâ & monte Sinai, è quo Deus legem suam promulgavit. Hic Alabastri & coralliorum vis. Bellonius

Erant olim Arabes sub Principibus, Diod. Sic. *lib.* 2. Ab Assyriis Persisque sæpe victi, Herod. *lib.* 2. & 3. Xenoph. *Cyropæd.* 1. 2. 3. 4. 8. &c. Alexandrum M. quoque dominum senserunt, quem hic sedem imperii statuere voluisse, Strabo *l.* 16. refert. Vid. & Plin. *lib.* 12. *cap.* 14. Post hujus mortem, Hierotimus, Arabum auxiliis nixus, immensùm crevit: Hyrcanus quoque Judæorum R. Aretam Arabum R. imploravit, qui obsedit Hierosolymam, à Scauro pulsus. Jos. *Antiq. lib.* 14. A' Romanis dein sub Augusto & Trajano ex parte utcunque subacti, tandem an. 625. suasu Mahometis jugum penitus excussere. V. supra.

In Africam ex Asia primùm A. C. 653. sub Odmanno Califâ 3. ductu Occuba ben-nafici, transierunt Arabum 80000. urbe *Carvan*, vel *Cairaven* ibi conditâ, 30. mill. Tuneto in ortum. Postea, permissu Cairæ, qui Carvanæ Califa fuit, alia tria Arabum genera huc pervenerunt, A. C. 999. Hegiræ 400. Hodieque in illa frequentes sunt, in Tribus divisi, quarum præcipua *Esqueqnina*, in 6. alias subdivisa est. Habitant autem in pagis *Advares* dictis, qui nil aliud quàm tentoria sunt. Numidici Arabes miseri admodum, nihilominus feroces sunt, canum commercio celebres, venatui, Poësi & Astrologiæ addicti: Reliquorum paulo melior sors est, nisi deserti Barcæ incolas excipias, qui Siculis Mercatoribus sæpe liberos suos, pro frumento oppignorare ob penuriam coguntur.

Idololatræ priscis temporibus Solem Lunamque aliqui, aliqui arbores quasdam & serpentes, universi Turrim *Alcara* vel *Alquebila*, quam ab Ismaële structam dixere, venerati sunt. An à Magis, qui Christum primi salutarunt, hinc profecti, secundùm Justinum Mart. *Dial. c. Tryphon.* Tertullian. *lib.* 3. *c. Marc. cap.* 13. & *c. Jud.* Cyprian. &c. Evangelii luce collustrati, postmodum Judæ Apostoli discipuli fuere. A' Mahomete dein seducti, *Melich* sectæ adhæserunt, quibusdam tamen *Odmanni* quoque *Lethariq*ue partes sequentibus. Afri Arabes in 60. sectas, Mahometani tamen omnes, discerpti sunt. Cæterùm de soli incolarumque ingenio accuratius agentes, Vid. Bellonium, Texeiram, P. de Valle *tom.* 4. &c. De Arabibus Africæ, Marmol. *lib.* 1. *cap.* 27. *usq. ad* 33. De regimine Arabiæ, Diodor. Sic. *lib.* 2. Herodot. *lib.* 2. & 3. Xenoph. *Pæd. lib.* 1. 2. 4. & 8. Plin. *lib.* 12. *cap.* 14. Strab. *lib.* 16. Jos. *Antiquit. lib.* 16. Ammian. Marcell. *lib.* 14. Paul. Diac. *lib.* 5. & 16. Marmol. *lib.* 2. De religione tandem Arabum, Eundem *ibid.*

Concilium in Arabia habitum, an. 229. quo Beryllus Episc. Filium Dei divinitatem propriam non habere fabulatus, ab Origene convictus est. Euseb. *lib.* 6. *cap.* 26. Rursus Anno 247. contra Arabicos hæreticos, quorum plurimi, ab Origene, eò accersito conversi. Idem *lib.* 6. *cap.* 30. Vid. infra *Arabici*. De Arabia Baudrandus ista habet:

Regio, *l'Arabie* Gallis, *Arabia* Italis, & *Arabistan* Asiaticis, est ex præcipuis totius Asiæ partibus, terminos habens à Septentrione Syriam & fluv. Euphratem, ab Oriente sinum Persicum, ab Occidente sinum Arabicum, & à Meridie mare Arabicum, seu partem Oceani Indici. Triplex est. Vide supra. Illius maxima pars arenosa est & sterilis, & raros habet incolas, & urbes, tùm ob vastas solitudines & montes asperrimos, tum etiam propter aquæ penuriam; estque ferè tota sui juris.

Ejus urbes præcipuæ nunc sunt.

Adenum, *Aden.*	Iamana, *Iamana.*
Almacharana, *Almacharana.*	Mascatum, *Mascat.*
Anna, *Anna.*	Mecca, seu Marraba, *La Meque.*
Aracum, seu Petra, *Crac.*	Medina, *Medina Tanalbi.*
Balsera, seu Teredon, *Balsora.*	Sanaa, *Sanaa.*
Bostra, *Bussereth.*	Zibithum, *Zibith.*
Gerra, *el Cattif.*	

Hesychius, Ἀραβία τόπος Συρίας, καὶ κόσμος γυναικός. Hinc *Arabius*; nam quoties aliquem loquacitatis notare volumus, *Arabius tibicen* dicimus. Græcè Ἀράβιος αὐλητής; Item *Arabius nuncius*, Ἀράβιος ἄγγελος: In eos dici solitum, qui à semel cœptis nunquam desistunt. Adagium hinc natum existimant, quòd olim sola mancipia musicam exercerent, quæ plerumque ex Arabia producebantur. Citatur ex Menandro, illiusque meminit Julius Pollux: Populi *Arabes*, & *Arabi* Virgilio Æn. *lib.* 7. quos cum Hyrcanis conjungit:

Sive Getis inferre manu lachrymabile bellum,
Hircanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.

De nominis origine hæc Simpsonius. *Arabia* Hebræis ערב *arab*, à locis campestribus ac desertis, nam ערבה *arabah* desertum est vel solitudo campestris. Vel à mixtis populis, nam ערב est miscuit; mixtum etiam coitum habebant, de quo posteà. Non de nihilo est (inquit Bocchartus) quod ערבי (*Arabi*) Arabs, ערב (*ereb*) vespera, & עורב (*oreb*) corvus sint ab eâdem radice. Nec desunt, qui Arabas ab Homero Ἐρεμβοὺς dici volunt, quasi Ἐρεμνοὺς, vel Ἐρεβεννοὺς, id est, nigros. Vide Strabonem, & Magnum Etymologicum. Aliter de la Cerda. De Etymo Arabum scias (inquit) eâ voce notari *latrones*, ut Chananæis *mercatores*, Chaldæis *Mathematicos*. Auctor Hieronym. *in cap.* 3. *Hierem.* Arabia olim pretiosis unguentis notissima. Lucian. *de Syriâ Deâ*: Ἀπόζει δὲ αὐτῆς ὀδμὴ ἀμβροσίη, ὁκοίη λέγεται τῆς χώρης τῆς Ἀραβίης. Unde Dionysius,

Αἰεὶ κηώεσσι θύοις ὑπὸ λαρὸν ὄδωδεν,
Ἢ θύου, ἢ σμύρνης, ἢ ὀδμῆς καλάμοιο,
Ἢ καὶ θεσπεσίοιο πεπαινομένου λιβάνοιο.

Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 2.

Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener è terrâ divite mittit Arabs.

Idem, *Possideatque metit quicquid benè olentibus arvis*
Cultor odorata dives Arabs segetis.

Idem, *Illic, quas mittit dives Panchaia merces,*
Eoique Arabes, dives & Assyria.

Propertius *lib.* 2.

Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores.

Idem *lib.* 3. *eleg.* 11.

Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.

Ovidius *in Epist. Sapphûs*:

Non Arabum noster rore capillus olet.

Quint. Curt. *lib.* 5. *Arabia odorum fertilitate nobilis regio.* Vide Plin. 5. 11. Plautus *in Milite glorioso*: *Ut Arabio fumificem odore.* Idem *in Pœnulo*: *Arabus* (ita Charisius) *murrhinusque odor omnia complebat.* Statius 5. *Silvarum, Epicedio in Patrem*:

—— Odoratas nec Arabs decerpsit aristas.

Divitias ejus passim innuit Horatius. 1. *Ep.* 7.

——————— *Nec*

Otia divitiis Arabum liberrima muto.

Et *Carm.* 1. 29.

Icci beatis nunc Arabum invides

Gazis. ———

Et *Carm.* 3. 14.

Intactis opulentior

Thesauris Arabum & divitis India.

Idem *Carm.* 2. 12.

Plenas aut Arabum domus.

Idem *alibi*,

Quid maris extremos Arabas ditantis, & Indos.

Seneca Tragœdus:

Et qui sagittas divites Arabes linunt.

Mollitiem Arabum notat Catullus; Ad Fur. & Aurel.

Sive in Hyrcanos Arabesq; molles.

Itemque Manilius, *lib.* 4.

—— *Molles Arabes, terramq; ferentem*

Delicias, variaq; novos radicis odores.

Idem *alibi*,

Et molles Arabes silvarum ditia regna.

Claudianus,

Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorant.

Dionysius *vers.* 968.

Ὀυχ ὡς ἁβροβίων Ἀράβων γένος.

Denique Sabæos, Arabiæ Felicis gentem, *molles* vocat Virgilius, *Georg. lib.* 1.

—— *Molles sua thura Sabai.*

Hodie latrociniis infames sunt Arabes. Ut inprimis videre est, apud P. de Valle *tom.* 4. *Itiner.* Notandum hic, quòd quamvis prima syllaba in *Arabs* semper corripiatur, in *Arabia* tamen eam produxit Propertius *lib.* 2. *eleg.* 10.

Et tremit intacta te domus Arabia.

Idem eodem libro, *Eleg.* 11.

Nec siqua Arabio lucet bombyce puella.

Porro Arabes, qui Felicem incolunt Arabiam, eâ olim utebantur consuetudine, ut una omnibus consanguineis uxor esset. Ex his enim (teste Strabone, *lib.* 6.) qui primus ad eam ingrediebatur, posito præ foribus baculo (nam baculum ex more quisque gerebat) cum eâ coibat, ipsa tamen cum natu grandiore noctes agebat. Adulter apud eos capitis damnabatur, qui ex eo deprehendebatur, quòd alius generis esset. Unde hoc relatu dignum aliquando accidit. Erat enim cujusdam regis filia, mirâ pulcritudine, cui quindecim erant fratres, qui ejus omnes æquè amore flagrabant: propterea alius post alium junctim ad eam ingrediebantur. Illa autem assiduo concubitu jam defessa, rem hujusmodi comminiscitur. Fecit surculos non utique fratrum surculis absimiles: ex quo statim ab eâ quispiam exibat, surculum aliquem similem ante januam ponebat, quo fratres qui invicem sequebantur, surculum præ foribus fixum cernentes, eorumque aliquem intus esse putantes, ab ingressu arcerentur. Verùm cùm aliquando omnes in foro essent, unus ad fores accessit, & cùm baculum vidisset, suspicatus adulterum intus esse, currens ad patrem, sororem de stupro accusavit: sed cognitâ re, eam falsò criminari convictus est. Hæc Strabo. Arabes masculos suos omnes annum decimum tertium agentes circumcidere solent, quòd eo ætatis tempore Ismael, gentis illius author, fuerit circumcisus, Gen. 17. Comestor *in locum.*

Arabici, hæretici 3. seculo, sub Severo Imp. in Arabia exorti. Animas hominum cum corporibus suis mori, & cum iisdem resurgere commenti sunt. Author in incerto est. August. *hær.* 83. Niceph. *lib.* 5. *cap.* 23.

Arabicus sinus, quem Dionysius cum auctore *libri de Mundo cap.* 2. & aliis plerisque Græcis, à mari Rubro perpetuò distinguit. Mare enim Rubrum ipsis Oceani pars est inter Æthiopiam & Indiam interjecta. Ex Latinis tamen aliqui, atque etiam ex Græcis nonnulli, ad sinum etiam Arabicum, & Persicum, ex Oceano illo prodeuntes, Rubri maris nomen extendunt. Ita Seneca *in Troade*,

Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto.

Ubi, per *fretum rubens*, Sinum Persicum intelligit, in quem Tigris se exonerat: Et Plinius non semel, nomine maris Rubri, sinum Arabicum intelligit, ut *lib.* 5. *cap.* 11. quod & à LXX Interpp. fit, & ab authore epistolæ ad Hebræos, *cap.* 11. Ex quorum verbis malè intellectis ortus est quorundam error, qui nomen maris Rubri sinui isti (qui Hebræis ים-סוף mare *Suph*, quasi mare *algosum*, seu *caricosum* dicitur) proprium putarunt. At Plinius, maris Rubri nomen Sinui huic cum Persico commune facit, quatenus sc. uterque ex Oceano Rubro (ut ab Horatio vocatur) prodit, & ejusdem quasi pars est, ut patet ex *lib.* 6. *cap.* 23. 24. 25. ubi de Mari Rubro propriè dicto, hoc est, Oceano Meridiano, loquens, *cap.* 24. *In duos*, inquit, *dividitur sinus*; de Persico & Arabico verba illa mox explicans. Sic Solinus *cap.* 58. *Irrumpit hæc litora Rubrum mare, idq; in duos sinus scinditur.* Neque aliter accipienda videtur sacrorum Interpretum sententia; quanquam enim ים-סוף illis ἐρυθρὰ θάλασσα reddatur, non tamen hoc ita accipiendum, ac si par esset nominis utriusque extensio: Sed quòd mare Rubrum latius sumptum etiam ים-סוף seu Arabicum sinum, tanquam partem ex ipso prodeuntem, complecteretur. Guil. Hill. *Mar di Meccha* ab accolis vocatur: Bar. *Bohar Corsun.* id est, mare clausum dicitur. Nautis formidabilis est propter frequentes Syrtes & scopulos versus utramque oram litoralem, præsertim versus Arabiam, ubi recipit aliquot flumina parvi momenti. Aliàs in intimo sui recessu præbuit transitum Israelitis.

Arabinus, injustus judex, ab Alexandro Severo Imp. Senatu motus est, exclamante: ô Numina: ô Jupiter, ô Dii immortales! Arabinus non solùm vivit, verùm etiam in Senatum venit. Herodian. *l.* 6. *Hist.* Æl. Lampridius *in Severo.*

Arabis, vel *Arabius*, *Arbis* Plinio. Indiæ fluv. qui ab Arianis montibus per Drangas, & Gedrosios in Oceanum defluit. Ejus accolæ *Arabitæ.* Stephanus. Item Æthiopiæ vicus. Ptolomæo.

Arabissus, urbs Armeniæ min. episc. sub Archiep. Melitenensi in confin. Comagenes. Anton. 70. mill. à Melitene in Austrum, & 80. ab Anazarbe, in Bor.

Arabius, Ptolomæo Gedrosiæ in Asiâ fluvius. Indorum ab Occidente, teste Arriano, terminus. Eum Curtius *lib.* 9. *cap.* 50. *Arabon* appellat. Ab hoc ait, Janus Gebhardus, Exercitationibus ad Q. Curtium, *Arabitas* appellatos, nempe ArabI accolas. Cæterùm idem affirmat Diod. *lib.* 17. *f.* 617. hinc emendandum, ubi vulgati codices habent Ἀμβρίτας vel Ἀβρίτας. In Curtii. codicibus malè quoque legitur *Abaritas.* Hodie *Ilment* fortè.

Arabo, flu. & urbs Pannoniæ sup. in Hungariâ. Anton. *Narabo* Ptolemæo. *Rab* utrumque incolis vocatur, urbs verò *Giavarin* Italis dicitur, Austriacisque subest.

Arabos, Vid. *Arabius.*

Arabriga, Lusitaniæ urbs mediterranea: hodiè *Arrabida.* Aliis vicus *Castanheira*, in Portugallia, ad Tagum fluv. medius ferme inter Scalabim & Ulyssiponem, prope opp. *Alanquer*, 10. leuc. Hisp. à Leiria. Quod melius videtur. Baudr.

Arabs, vel *Arabus*, Apollinis fil. ex Babylone, ut inquit, Plin. *lib.* 7. quem artis medicæ repertorem fuisse dicit: fortasse, quòd Babylone natus ibi medicinæ studuerit, postea autem ad Arabas detulerit. Item *Arabs*, vel *Arabus* est lapis eburnei candoris, qui in pulverem redactus aptissimus dentifriciis est. Plinius 36. 22.

Arabyza, civitas Cauconidis, quæ nunc *Pesenus.* Steph. ubi malim *Pessinus.*

Arach, vel *Erech*, civitas à Nimrode constructa, Gen. 10. Ἄρακκα Ptol. urbs Susianæ dicitur, à quâ videntur Arabes hodieque *Irakam* appellare. *Irakam* enim dispescunt in Aghemicam, sive Persicam, & Arabicam. Golius. Salmasius autem *Arach* & *Irakam* pro diversis habet, ob diversam scripturam, Gain sc. & Elif. Ab Areccâ verò dicti *campi Areccai* apud Tibullum, ut idem notat.

Arachle, urbs Asiæ in Palæstina Episc. sub Archiep. Tyrensi. Miræus.

Arachnæum, mons in Argo. Steph.

Arachne, puella Lydia, Idmonis filia, lanificii peritissima, ægrè ferens opus suum à Pallade, quâcum certamen susceperat, confractum, laqueo gulam sibi fregit, quam Pallas in aranéam transmutavit, uti testatur Ovid. *Met.* 6. *in his:*

—— *Doluit successu flava virago;*

Et rupit pictas, cœlestia crimina, vestes.

Non tulit infelix: laqueoq; animosa ligavit

Guttura: pendentem Pallas miserata levavit:

Postea discedens succis Hecateidos herba

Spargit, & extemplo tristi medicamine tacta

Defluxere coma: cumq; his & naris, & auris.

Fitq; caput minimum toto quoq; corpore parva.

In latere exiles digiti pro cruribus harent,

Catera venter habet: de quo tamen illa remittit

Stamen; & antiquas exercet aranea telas.

Volunt mythologi, per Arachnen naturam, per Minervam verò artem indigitari, quæ naturam polit perficitque. Constat, inquit Plinius, Arachnen linum, & retia invenisse, cujus filius Closter fusos in lanificio invenit. Juvenal. *Sat.* 2.

—— *Vos tenui pragnantem stamine filum*

Penelope melius, levius torquetis Arachne.

Hoc etiam nomine, ut scribit Livius, est civitas Thessaliæ.

Arachosia, civitas non procul à Massagetis, à Semiramide condita, quæ etiam *Cophen* vocabatur, à *Cophe* fluv. qui in Indum influit. Steph. Item una è Satrapiis ultra Indum fluv. cujus meminit Plin. in descriptione Indiæ, & Strabo *lib.* 11. Item Asiæ regio, *Cabul* Castaldo, *Chesimur* Mercatori. Nunc *Candahar.* Sanson. Prov. aliàs Persiæ, sed à paucis annis, sub M. Mogole, cum urbe cognom. permunita, intra montes, quæ forsan aliàs Alexandria Arachosiæ. Leucis 100. circiter ab Indo fluv. in Occasum, totidem ferè ab urbe Cabul in merid.

Arachoti, vel *Arachota*, Indiæ populi, ab Arachoto fluv. sic dicti,

dicti, qui ex Caucaso profluit. Dionysius *Vers.* 1096. Λινοχλαίνους Ἀραχώτας vocat, innuens eos *lineis vestibus indui solitos.* Sic Indos quosdam *lineis peplis vestiri* refert Solinus *cap.* 55. *Et centum legatos duarum gentium, quæ Arachosiis tributariæ fuerunt, lineis vestibus auro intextis indutos fuisse*, refert Q. Curtius *lib.* 9.

Arachotos, lacus & fluv. Arachosiæ. Fluvius *Sim*, lacus *Bimaru* dicitur.

Arachotus, urbs, aliis *Chatzan*, in reg. *Hajacan*, ditionis M. Mogolis, media fere inter *Candahar* urb. & fluv. Indum.

Arachthus, unus è quatuor nobilissimis fluviis Epiri, non procul à Nicopoli in sinum Ambracium influens. Strabo *lib.* 7. Item op. ejusdem nominis in Acarnanum finibus, *Spagmagmurisi* incolis, teste Nigro. Vid. *Arethon.*

Aracillum, *Aracillum* Floro, *Aracœlum* Antonino, op. olim, nunc pagus Hisp. Tarracon. *Arraiola* hodiè vel *Arexil* Garibæo. *Aractol* autem Hieronymo Zuritæ. Aliis *Arocillum* & *Arocolis*; estque *Araquil* seu *Huarte Araquil*, oppidul. Hisp. in Navarra, 5. leuc. à Pompelone in Occas.

Aracuiti, pop. Amer. meridionalis, in Brasilia, prope præfecturam Pernambuci, in mediterr.

Aracum, urbs Arabiæ Petreæ, quæ olim *Petrea*. V. ibi.

Aracynthus, mons Acarnaniæ. Plinio 4. 27. Bœotiæ Stephano. Sed leg. Αἰτωλίας. Casaub. Vibius Sequester Atticæ tribuit, Servius Thebis, Eust. *in Dionys.* Ætoliæ; Sunt etiam qui Arcadiæ montem faciunt, sed falsò; nam in Vibio leg. *Acarnaniæ* non *Arcadiæ*, ex notâ Brodæi, *lib.* 2. *Miscellan. cap.* 8. Inde mirè variatum ab interpretibus, in explicatione versus illius Virgilii *Ecl.* 2.

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Nam qui dici Aracynthus potest mons Actæus, cùm in Atticâ non sit? Vibii enim opinio cum nullo consonat veterum Geographorum. Ergo in tantâ varietate Stephano adhæreamus & Servio, qui Bœotiæ & Thebarum montem faciunt, hoc enim quadrat cum superioribus; nam ille, qui Dircæus, id est, Bœotius, aut Thebanus, canebat in monte Bœotiæ, aut Thebarum. Sed quid de epitheto dicemus sumpto ab Atticâ? Placet duplex solutio, inquit de la Cerda, aut Fulvii, aut Germani. Lector, quam velit, eligat. Ait prior, *Actæum* hîc sumi pro παραθαλασσίῳ, id est, *litorali*; sicut *actam* Virg. Æn. 5. posuit pro *litore*. Posterior accipit *Actæum* pro *saxoso* & *petricoso*, more Græcorum, qui ἀκτὴν non solùm vocant litoralem oram, sed τόπον πετρώδη. Nam & Homero ἀκτὴ προβλὴς est promuntorium, seu scopulus, & ἀκταὶ Ammonio sunt loca maris petricosa, sicut θῖνες arenosa. Oppianus *Cyneget.* 3.

—— Ταύροιο νιφοβλῆτες ὑπὲρ ἀκτῆς.

Demum hanc rem firmat Propertii auctoritas, qui Virgilium interpretans, *lib.* 3.

—— *Victorq; canebat*
Pæana Amphion rupe, Aracynthe, tuâ.

Ejus meminit Dionysius *Vers.* 431.

Τῆς δ' ὑπὲρ ἐς νότον εἶσιν ὑπὸ σκοπιὴν Ἀρακύνθε
Ἀνδρῶν Αἰτωλῶν πεδίον μέγα ——

Juxta Pleuronem urbem fuit, teste Strabone *lib.* 10.

Arad, Rex Cananæus, versus merid. audito Israëlitarum adventu, illis se opposuit, aliquibus occisis. Sed mox vitâ regnoque ab iisdem exutus est. Num. *cap.* 21. Torniel. *A. M.* 2583. *n.* 7. Hinc fortè *Aradii*, quorum Strabo meminit, *lib.* 6. Vid. *Aradus.*

Arad, Lat. *Onager*, aut Syriacè *draco*, civitas Amorrhæorum ad sortem Judæ pertinens, ad austrum, solitudini Cades vicina. Num. 21.

Araden, urbs Cretæ, quæ & Ἀνώπολις, quòd superiori loco sit. Steph.

Araduca, urbs Lusitaniæ. Ptol. Hodiè *Arzua. Guimaraens*, ad Avum fluv. Ducali tit. Baudr.

Araducta, Lusitanorum urbs. Ptol. *Lamarante* Moletio. Aliis *Arouca*, pagus Portugalliæ, prope montes, medius fermè inter Viseum & Portum urbes, ad 6. leuc.

Aradus, insula Phœniciæ apud Orthosiam urb. ponte juncta continenti, à litore olim 20. stadiis recedens, cum urbe ejusdem nominis ab *Aradio* vel *Aruadæo*, filio Chanaan condita. Dionysius Perieg.

Ἄγχι δὲ Φοινίκης Ἄραδος.

Vide Melam 2. 7. Geographum *lib.* 16. & Plin. 2. 103. & 5. 31. Etiam Aradus nomen insulæ cujusdam, prope Cretam, & alterius in sinu Persico, quamvis Aradii Phœnicios jactitent suos esse colonos. Vide Boch. *Geogr. Sacr. pag.* 346. & Vossium *ad Melam pag.* 202.

Aræ, dicuntur saxa, quæ inter Africam & Sardiniam medio mari eminent. Sic dictæ, quòd ibi Afri & Romani fœdus inierint. Virgil. *Æneid.* 1.

Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, Aras.

Hi scopuli novem fuisse dicuntur, mox *Aræ propitiæ* vocatæ. Sisenna, citante Servio, atque etiam Claudius Quadrigarius 1. *Annal.* has Aras *Neptunias* vocat.

Ara Alexandri, Ptol. locus erat Sarmatiæ Eur. apud Tanais flexionem, ubi maximè in ortum vergens, proximè ad Rha flu. accedit, in Moscovia.

Ara Cæsaris, locus Sarmatiæ Europææ apud Tanaim fluv. Ptol. quæ & *Ara Alexandri*. Hodie *Veliki Preuvos*, teste Sigismundo Herbersteinio. Ubi *Scosna* opp. Moscorum, seu non longè. Ferrar.

Ara Flavia, Germ. urbs ad Danubium. Ptol. vulgò *Nordlingen*. long. 32. 30. lat. 48. 49. Lloyd. *Aurach*, opp. Sueviæ, in Duc. Wirtembergensi. Cluverius. 4. leuc. à Tubinga, in Ort.

Ara Herculis, locus in Alpibus Grajis, quâ Cæsar in Galliam trajecit, apud montem S. Bernhardi.

Ara Mutia, Catoni & Plin. *Aremuzze*, opp. Hetruriæ, in colle, excisum, in finibus Vejentum, apud urbem Castellanam.

Ara Philænorum, *villa Philæni* Ptol. opp. Africæ maritimum, & extremum in Cyrenes conf. teste Lud. Marmolio, cum aliis; cujus mem. Sallust. & Val. Max. Vulgò *Nain*; Aliis *Porto di Sabia* dici videtur.

Ara Sabea, Moletio *Castachi*, urbs Mediæ, in ora maris Caspii, in Atropatia, apud Cyri flu. ostia.

Ara Sestiana, sive *Aræ tres Augusti*, Trileucum vel Τελλόκιον Ptolemæo, ut situs persuadere videtur, vulgò *Capo di Pennas*, in peninsulâ Asturum apud Gigiam op. ab Oveto 7. leuc. in Bor. recedens. *Scythicum* Melæ dici videtur. Ubi *Capo di Mongia*, prom. in ora Gallæciæ Bor. inter Artabrum prom. & Caronium opp.

Ara Sextiana, urbs Hispaniæ in Gallæciâ. Plin. *Turris Augusti* Melæ, *Lucus Augusti* Ptolemæo; hodiè *Lugo*, teste Ambrosio Morali. Sed *Aræ Sextianæ*, quæ eædem cum *Sestianis* dici videntur, à Luco Augusti diversæ sunt: illæ enim litorales, Lucus verò in mediter. est. 24. leucis in Ort. ab illis distans. In Gallæcia.

Ara Solis, promuntorium Callaicorum. Ptol. *Capo di Mongia* Moletio. Sed Græci codd. Σηςίε βωμοὶ habent.

Arathyrea, regiuncula Achaiæ, postea *Asophis* dicta, urb. habens ejusdem nominis, quam Hom. *in Catalogo*, ab amœnitate commendat, Ἀραιθυρέην ἐρατεινὴν eam appellans. Strabo *lib.* 8. Plin. 4. 5. Ἀραθυρὴ, ὄνομα πόλεως, corruptè apud Hesychium pro Ἀραιθυρέη.

Araius, Jupiter dictus, ad quem cuncti precantur. Cæl. Rhodiginus. 15. 18.

Araga, Arabiæ Felicis urbs. Ptol. Ubi Agrani pop.

Aragisus, Dux Beneventanus, gener Dieterici, Longobardorum R. Caroli M. conatus remoraturus, ab eo in ordinem coactus est. Contra quem cùm denuo quædam machinaretur, Capuâ amissâ Salernum, ab eo superatus, confugit. Nihilominus veniam accepit, in gratiam Rumoaldi & Grimoaldi filiorum, quibus Imper. post Patris mortem Ducatum reddidit. Aimon. *lib.* 7. *cap.* 7. & 8. Dupleix & Mezeray, *in Carolo M.*

Aragonia, corruptè factum ex *Tarraconensis Hisp.* cujus pars est, Regio Hispaniæ, ab Antrigonibus, Hispaniæ populis, teste Laurentio Valla, vel à *Tarracone*, antiqua Civitate, ut Antonio Nebricensi & Vasæo placet, nomen accepit. Alii ab *Aragone* fluvio, qui illic ortus Iberum influere perhibetur: Nonnulli ab Herculis Ara & Agonalibus ludis derivant. Vetus Celtiberorum sedes. Terminatur ad Caurum Navarrâ, ad Vulturnum Cataloniâ, quâ Africo exposita, Castiliam spectat, quâ Aquiloni Pyrenæos habet montes, seu, ut Morerius habet, Cataloniam ab ortu, Pyrenæos & Navarram ad sept. Castellam ad Occ. Valentiam ad Merid. respicit. Regni titulo hodie gaudet, primusque ejus Rex fuit Ranimirus, nothus fil. Sanctii 3. Navarræ R. anno Christi 1016. Vel potius Abarca, qui circa an. C. 898. Aragoniæ & Pompelonîæ Rex creatus est. Vasæus *in Chron.* postquam, Azare duce, jugum Saracenicum incolæ excussissent, A. C. 783. Paul. Æmyl. *lib.* 3. Ranimiro dein prædicto in pugna occiso successit Sanctius 2. Castellæ R. 1065. Postea filius Ranimiri Sanctius 2. de solio deturbavit Sanctium 4. Navarræ R. vel, secundùm alios, liberorum ejus tutor fuit. Pater Petri 1. Aragoniæ & Navarræ Regis, cui successerunt fratres Alphonsus 1. & Ranimirus Monachus. Quorum ille Urracæ Alphonsi Castellani filiæ maritus, Legionis & Vasconum regnum Arragoniæ adjecit, ultimumque Maurorum Regem occidit, anno 1108. 1110. Aliis tamen obiisse videtur 1104. Mariana *de reb. Hisp.* Vid. *Alphonsus* 7. Hicce pertæsus laborum, tradito regno cum filia Raimundo Barcinonensi Com. Alphonso 2. postea dicto, in Cœnobium concessit. *Annales Aragon.* Seqq. temporibus Petrus Arragoniæ R. Alphonsi 2. fil. cum Alphonso Castellano, post pacem cum Aben Josepho, factam, Sanctium Vasconum & Legionis R. regno exuit. Prælio interfuit, quo Mahometes Maroci R. victus, an. 1212. Albigensibus auxilia summisit, in prælio contra Simonem Montfortium occisus, anno 1213. Surita, *Ind. Reg. Arrag. lib.* 1. *&c.* Eum excepit Jacobus 1. fil. qui Baleares insf. Valentiamque regno adjecit. Obiit anno 1276. Pater Petri 3. cujus consilio vesperæ Siculæ institutæ sunt, an. 1282. occisi an. 1285. postquam à Pontifice diris devotus & à Carolo Valesio, oppugnatus esset. Hunc sequutus est Alphonsus 3.

ſus 3. fil. qui improlis diem obiit, Anno 1291. Succeſſit frater Jacobus 2. Pater Alphonſi 4. qui obiit an. 1337. Ejus ſucceſſor Petrus 4. Barcinone mortuus eſt, an. 1387. Hujus fil. Martinus, poſt Johannem 1. fratrem Rex, qui, cùm Eccleſia Rom. horrendo illo ſchiſmate diſcerpta eſſet, juxta Ducem Britanniæ, Comitem Hannoniæ, Remp. Leodienſem, Paparum neutrum agnovit: quod obtinuit per annos 40. Antimach. *in Præf. ad l. 2.* Obiit ultimus ex familia comitum Barcinonenſium, anno 1410. Hujus morte regnum Ferdinando fil. Regis Caſtellæ delatum; & poſt triennium filio hujus Alphonſo 5. qui genuit Johannem 2. patrem Ferdinandi dicti Catholici, Iſabellæ mariti, cujus filia Johanna Philippo nupta, totam ſic Hiſpaniam in Auſtriacam familiam intulit, ab an. 1479. Hunc excepit Carolus 5. Imper. &c. Vid. *quemq; Regum ſuo loco.*

Olim Reges, (id nomen, is honos modicæ poteſtati) ſuffragio legebantur; mox accepti imperio hæredes, ſed in legum verba adacti. Sub Philippo 2. per ſacrorum inquiſitores populorum patientia tentata primùm, dein belli Gallici ſpecie perſuaſa civitas, ut regis exercitum per ſuos fines, & urbem Cæſaraugustam, regni caput, inde trans Pyrenæi juga duci pateretur. Tum primoribus trucidatis, & qui ad libertatem præiverant, expleta ultio, proſpectumque in poſterum dominationi eſt. Factum id an. 1592. Hugo Grot. *Hiſt. lib.* 2. De origine Regni & Regum Aragoniæ, ſcribit prolixè Radericus Sanctius, *Hiſt. Hiſp. part.* 1. *cap.* 13. & Surius Marinæus Siculus *lib.* 8. *de Regib. Hiſp.* Regnum eſt peramplum & ex tribus Hiſpaniæ præcipuis. Iberus fluv. illud bifariam ſecat, habetque *Cæſar-Auguſtam*, primariam urbem. Eſt tota regio ſiccior, aſpera & ſatis deſerta, præſertim verſus Caſtellam. Concilium ibi habitum ann 1062. Hieron. Blanca *Comm. de rebus Arag.* & ab Antipapa Bened. 13. A. C. 1409. Spond. Niemius.

Sub Aragoniæ regno latè ſumpto aliàs erant regna Valentiæ, & Majoricæ, & Catalonia. Nunc ab ipſo disjuncta ſunt, & continet tantùm Aragoniam propriam, ſub qua cenſentur regiunculæ *Sobrarba* & *Ribagorca*, versùs Pyrenæos, aliàs notæ in hiſtoriis illius regni. Scribitur autem Aragonia cum uno *r* ab incolis & ab Hiſpanis, non autem cum duplici *r*, ut quidam ſcripſere.

Aragoniæ urbes præcipuæ.

Barbaſtrum, *Balbaſtro.*	Lobetum, *Albarazin.*
Bilbilis, *Calatajud.*	Montio, *Monçon.*
Cæſar-Auguſta, regni caput, *Caragoça.*	Oſca, *Hueſca.*
	Terulum, *Teruel.*
Daroca, *Daroça.*	Turiaſo, *Taraçona.*
Iacca, *Iacca.*	

Aragonius, fluv. Hiſpaniæ. Cui ortus in Pyrenæis montibus, prope S. Chriſtinam in Aragonia. Iaccam & Sangoſſam alluit, & cum Arago fluv. ſimul in Iberum fluit, in Navarra, infra Calagurim urb.

Aragus, flu. Moloſſorum, Strabo. Item Hiſp. flu. hodie *Arga*, teſte Baudr. qui dicit eum non longè à Bayona, urbe Gall. Aquitanicæ oriri & in Iberum fluv. influere. Al. *Agrada.*

Aralius qui & *Analius*, 7. aliis 5. Aſſyriorum rex, regn. an. 11. al. 40. Claruit ingenio, & ſtudio militari, & (quod mirum) primus adauxit pompas, & gemmas, ac muliebres delicias. Jul. African. & Euſeb. *in Chron.* Torniel. & Salian. *in Annalibus.*

Aram, Lat. *celſitudo* (unde Heſychius Ἀϱὰμ, μετέωϱ❀) ſeu *decipiens*, aut *maledictio eorum*; filius Sem. à quo Aramæi orti, qui poſtea Syri dicti. De cujus quatuor filiis, illorumque regnis, Vid. Gen. 10. Joſ. *Antiq. lib.* 1. *cap.* 6. Filius item Gomer. 1. Par. 7.

Aram, in Hebræo *Ram*, Lat. *excelſus*, vel *projiciens*; inter progenitores Chriſti, Ruth. 4. 19. Matth. 1. 3, 4. Luc. 3. 33. filius Eſrom, Pater Aminadab. Cæterùm de locorum nominibus, quibus vel præfigitur, vel poſtponitur nomen *Aram*, vide Boch. *Geogr. Sacr. lib.* 2. *cap.* 6.

Arama, civitas in tribu Nephthali. Joſ. 19.

Aramai, Scythæ. Scribit enim Plin. Scythas vocatos eſſe *Sacas* à Perſis, & ab antiquis *Aramæos.* Syri etiam *Aramæi* dicti ſunt. Vide *Arimi.*

Arambys, urbs Africæ ab Hannone condita, de quâ vide Boch. *de Phœn. col. lib.* 1. *cap.* 37.

Aran, fil. Thare, patris Abrahami & Nachoris. Obiit in Ur Chaldææ, & Lothum fil. reliquit, cum filiabus Sara & Milca, quarum prior Abrahamo, poſterior Nachori nupſerat. Gen. 11. Joſ. *Antiq. lib.* 1. *cap.* 6. Torniel. *A. M.* 1979. *n.* 1. Hebr. *Haran.*

Arancilis, Heſychius Ἀϱάγκιλις, ἡ νῦν Ἄιγυπ❀.

Arandis, Luſitaniæ urbs. Ptol. *Torre Vedra* Moletio. long. 16. 55. lat. 42. 00.

Aranes, caſtrum ſeu potius palatium ſuperbiſſimum Regum Sueciæ, in Gothia prov. prope lacum *Vener*, cujus nunc tantùm rudera ſuper.

Arania, Inſ. Scotiæ, cum caſtro cognom. Adjacet Cantieræ & Argateliæ prov. eſtque Duc. tit. inſignis. Aliis *Glotta.* Hinc Glotta æſtuarium, ubi eâ inſula. Vid. *Glotta.* Item, Vallis fertiliſſima, intra Pyrenæos montes in regno Aragoniæ, unde oritur Garumna fluv. Ibi Viella, oppidul. præcipuum.

Araniæ, Inſ. duæ Hiberniæ, ad fauces ſinus Gallovidienſis, in Connachia prov. Item, aliæ Inſ. cognom. in littore Occid. Ultoniæ prov. & Comitatus Dungalenſis.

Aranium, op. in Æthiopico ſinu. Plin. *6. 29.*

Aranthas, Bebrycius octo cubitis longus fuiſſe dicitur.

Arantia, urbs, *Phlius* poſtea dicta. Steph. qui etiam in *Arathyrea* de eâ ſcribit.

Aranus, fluv. Tranſylvaniæ. Oritur prope Claudiopolim, & in Mariſium ſe exonerat.

Araphea, inſ. Cariæ. Steph. Parthenius *in Iphiclo:*

—— Καὶ εἰναλίην Ἀϱάφ(ε)ιαν.

Araphen, pars tribus Ægeidis. Steph.

Arapotes, Plinio *Maria*, & *Maraotis*, Μάϱεια, ϗ Μαϱεώτης Straboni. Μαϱειὰ ϗ Μαϱεῶτις Stephano, lacus Ægypti, Alexandriæ incumbens à plaga meridiana. *Butheira* Zeiglero dicitur. Aliis *Lago de Antacon.* Pro Arapotes *Rhacotes* legendum, & non *lacum* ſed *locum* ſuadet Pintianus in Plin. 5. 10.

Arar, fluv. Gall. Narbon. ex monte Vogeſo, in confinio Lotharingiæ, per Comitatum & Duc. Burgundiæ fluit, ubi auctus fluv. Dubi aliiſque & rigatis Græo, Cabillone & Matiſcone Rhodanum juxta Lugdunum ſe exonerat. Clarus ponte Cæſaris, uno die militum opere fabricato; ſed fidelium cadaveribus, in quos totam per Galliam ſævitum, An. 1572. hauſtis funeſtus. *Araris* item dicitur, vulgò *La Saona.* Porro *Arar* Britannis *lentum* ſonat, ut Ebræis אחרי *aharai* Prov. 28. 23. à verbo אחר *ahar*, tardare, ſeu morari. Inde *Arari* fluvio nomen, qui, Cæſare teſte, *fertur incredibili lenitate, ita ut oculis, in quam partem fluat, judicari non poſſit.* Plin. 3. 5. *Fertiliſſimus amnis Rhodanus, rapiens ſe ex Alpibus per Lemanum lacum, ſegnemq; deferens Ararim.* Claudianus, *Lentus Arar Rhodanusq; celer* —— vel *velox*, ut in editione Heinſianâ. Silius *lib.* 4.

Spumanti Rhodanus proſcindit gurgite campos,
Auget opes, ſtanti ſimilis, tacitoq; liquore
Mixtus Arar. ——

Idem *lib.* 14.

Quorum ſerpit Arar per rura pigerrimus amnis.

Lucan. *lib.* 1.

Quà Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim. ——

Et *lib.* 6. ſenſu contrario:

—— *Rhodanumq; morantem*
Præcipitavit Arar. Claud. 2. *in Eutrop.*
Quà Rhodano ſtimulatus Arar.

Seneca *in Apotheoſi,*

Ararq; dubitans quò ſuos curſus agat.

Strabo *lib.* 4. γενόμενος ἐξ ἀμφοῖν Ἄϱαϱ συμμίσγει τῷ Ῥοδανῷ. Inde putarunt Græci nomen inveniſſe παϱὰ τὸ ἡϱμόσϑαι, cùm antè *Brigulus* vocaretur. Plut. *in lib. de Flum.* Ἄϱαϱ ποταμός ἐστι τῆς Κελτικῆς, τὴν πϱοσηγοϱίαν εἰληφὼς παϱὰ τὸ ἡϱμόσϑαι τῷ Ῥοδανῷ, καταφέϱεται γὰϱ εἰς τοῦτον κατὰ τὴν χώϱαν τῶν Ἀλλοβϱόγων: ἐκαλεῖτο δὲ πϱότεϱον Βϱίγουλος. Ibidem multa de Arari, ex Calliſthenis Galaticis. Vid. Plin. 3. 4.

Ararat, regio Armeniæ, aut ipſa Armenia. 4. Reg. 19. Mons eſt, juxta Boccatium, majoris Armeniæ. *Cordianus* Beroſo apud Joſeph. *Baris* Nicol. Damaſc. *hiſt. lib.* 96. Nivibus perpetuis obſitus, quæ procul conſpiciuntur. Hîc ſtetit arca Noæ, poſt diluvium. Pars eſt montis Caſpii, prope Mediam. Nunc *Arar.* Hebert. Lat. *maledictio tremoris*, ſive *lux currentis.* Vide Virum Magnum *Geogr. Sacr. lib.* 1. *cap.* 3.

Ararauceles, pop. in Cyrenaicâ reg. Plin. 5. 5.

Ararena, Nomadum regio, ex magnâ parte deſerta, cujus Sabus rex fuit. Strabo *lib.* 16.

Araricus, Vid. *Vulcatius.*

Araros, Poëta Comicus, Olymp. 101. fil. Ariſtophanis Comici. Suid. Vide de illo Caſaub. *in Athen. l. 3. c. 2. & 35.*

Ararus, Scytharum fluv. in Heniochis montibus oriens, & per Armeniam fluens. Vide Herod. *lib.* 4. Item, fluv. Americæ merid. in Braſilia, vulgò *Arari.* Cadit in mare Bor. juxta præf. & Inſ. Tamaracam.

Araſpas, Medus quidam, cui Panthea Abradatæ uxor à Cyro aſſervanda data eſt. Cæl. Rhod. 13. 33.

Arathia, urbs Aſiæ, in Cappad. epiſc. ſub Archiep. Cæſarienſi. Miræus.

Aratia, inſ. contra Perſidem, cum monte alto, Neptuno ſacra. Plin. 6. 25.

Arator, Poëta Chriſtianus. ſec. 6. Romanus Subdiaconus, qui Hiſtoriam Apoſtolicam, à D. Luca conſcriptam, hexametro verſu expreſſit. Floruit A. D. 544. Trithem. Bellarm. *de Scriptis Eccl.*

Aratrii, Indiæ intra Gangem gens, Arr. *in Periplo.*

Aratus, Poëta Solenſis, tempore Ptolomæi Philadelphi, in aula Antigoni Gonatæ, fil. Demetrii Poliorcetæ plerunque verſatus.

versatus. Scripsit, quæ extant *Φαινόμενα & Διοσημεῖα*, in quibus situm, motum, ortum, occasum, & numerum explicat stellarum apparentium. Quo libro adeò delectati fuere Claudius, & Germanicus Cæsar, ut Latinum fecerit uterque. Vertit eum Latinè & Cicero adhuc adolescens. Taceo Rufum Festum Avienum, qui eundem Latinis versibus eleganter expressit. Ovidius,

Cum Sole & Lunâ semper Aratus erit.

Ejus pulcherrima est hæc sententia:

Μόχθος μὲν τ' ὀλίγος, τὸ δὲ μύριον αὐτίκ' ὄνειαρ
Γίνετ' ἐπιφροσύνης αἰεὶ πεφυλαγμένῳ ἀνδρί.

Verùm de Arato nos alibi. Hic tantùm notet Lector, Arati hujus meminisse Theocritum *Idyll.* 6.

Δαμοίτας καὶ Δάφνις ὁ βουκόλος εἰς ἕνα χῶρον
Τὰν ἀγέλαν ποκ' Ἄρατε, συνάγαγον.

Ubi Schol. Πρὸς τὸν Ἄρατον τὸν ποιητὴν τὸν τὰ Φαινόμενα γράψαντα φίλον ὄντα διαλέγεται ὁ Θεόκριτος, ἰσόχρονος γὰρ ἦν αὐτῷ, οὗ καὶ ἀλλαχόθεν μνημονεύει. Hinc *Arateus*. Cinna apud Isidorum:

Hæc tibi Arateis multum invigilata lucernis
Carmina, &c.

Alius fuit *Aratus* Sicyonius, optimus princeps, qui patriam suam à tyrannide liberavit, Nicocle tyranno superato; Ptolomæum in Achæorum societatem pertraxit, Aristomachum Argivorum tyrannum aggressus est, restitit Cleomeni, & Philippum, Antigoni fil. in regnum restituit, sed ab hoc ingrato mox veneno sublatus est, unà cum filio. Tullius *lib.* 3. *Officiorum*, & Livius *lib.* 69. & 70. Polyb. *lib.* 2. Plut. *in ejus vitâ.* & Pausf. *l.* 2.

Aratus, Cnidius, historiam Ægypt. scripsit.

Araucum, castrum cum valle & fluv. cognom. Americæ merid. in regno Chile, in ora littorali, ubi Araucani pop. notissimi, qui per 100. propè annos cum Hispanis pro libertate pugnavere, felici persæpe eventu, tandem inter ipsos pax coiit an. 1650. Vallis est cultissima, prope fluv. *Lebo.*

Aravisci, *Arabisci*, Ptolemæo, Pannoniæ pop. Scordiscis finitimi, iis borealiores, qui nunc *Rasciani* dici putantur; quos Tacitus ad ulteriorem Danubii ripam, ubi regio *Masons* dicitur, describere videtur.

Arauracides, Pentapoleos reg. in Africâ pop. Ptol.

Araurarıs, *Araurius* Ptolemæo, *Rhauraris* Straboni, fluv. Gall. Narbon. ex Gebennis montibus profluens, ac in mare Gallicum, ad Agatham urb. influens; vulgò *l' Eraud.*

Arausio, & *Arausicensis Principatus*, Galliæ Narbonensis regio, nomen habens à metropoli Arausione, amœna civitate, ad fluv. *Eigue*, unâ leucâ à Rhodano, cujus meminerunt Veteres scriptores; Colonia Secundanorum, Plin. &c. Vulgò *Le principauté d' Oranges.* Innexus undique jacet Avenionensi Comitatui, fluente illi ad Occidentaliora Rhodano: forma ferè semilunari, exsurgentibus utrinque versus Septentrionem cornibus. Habitarunt hic olim populi Cavares & Arausici: nunc ditionis est Nassoviensium principum, olim Cabilonensium imperio celebris. Vid. infra. Metropolis ejus dicitur *Arausio Cavarum*, *Arausica civitas*, *Arausionensis urbs.* Apollinar. Ἀραυσιῶν Ptolemæo: *Arausio* apud Plinium *lib.* 3. *cap.* 4. & Pomponium Melam *lib.* 2. qui *Secundanorum*, ut dictum, nominant. Hic multa antiquitatis vestigia apparent, cùm aliarum rerum, tum theatri & arcus triumphalis in porta, per quam in Lugdunensium agros iter patet. Metel. Merula. Hunc C. Marius & Luctatius Catulus extruxerunt, post Cimbros Teutonasque triumphatos. Præterea Circus, loca unde bestiæ in theatrum immissæ, rudera prodigiosæ turris, quam Dianæ templum fuisse quidam ajunt, aquæductus, &c. gratum visentibus spectaculum præbent. Academia hic à Raimundo 5. erecta est An. 1365. in Aur. quoque Bulla memorata; Parlamentum à Wilhelmo Cabilono institutum, an. 1470. Mor. Urbs ipsa quibusdam videtur à Phocensibus, qui Massiliam quoque statuerunt, condita. Præter hanc Principatus hic comprehendit, *Corthez*, *on*, *Jonquieres* & *Gigondas*, ut & alia, minoris momenti loca. Solum Cereris Bacchique theatrum est, croci, &c. ferax. Episcopatus ejus sub Arelatensi, in quo olim floruerunt Constantius An. 387. Eutropius Hilario Papæ & Sidonio Apollinari laudatus, Florentius, &c. Vid. Jos. de la Pise, *Hist. d'Orange.* Nostradam. & Boucheum *hist. de Prov.* Catellum *Hist. de Lang.* Chorier. *Hist. de Dauph.* &c.

Historia Principatus hujus paucis sic habet: Urbs, cum ditione, *supremi Principatus* titulo, insignita, Provinciæ partem facit, olim imperio Franco-Germanico subjecta, unde moneta cum imperii insignibus tum cusa: postea sub Provinciæ Comitibus fuit. Erat autem tempore Caroli M. Princeps Guilielmus Cornetus, circa An. 800. cujus posteritate masculâ extinctâ, circa Annum 1177. in Ramboldo 4. dein per Tiburgen in Bauscorum familiam cum immunitate Princip. imperii transiit, ut patet ex instrumento confecto à Bertrando Bausco, An. 1242. parte Hierosolymitanis Equitibus concessâ; hinc nummi quidam in anticâ parte Arausionensis, in postica Hierosol. Ordinis insignia repræsentantes. Postea an. 1256. Carolus Andegavensis, Ludovici IX. frater, qui Beatricem Raimundi Berengarii, ultimi ex Barcinonensium Comit. familia, filiam uxorem duxerat, Provinciam, cujus is Princeps fuerat, crevit, & Guilielmum Bauscum Araus. Princ. tanquam beneficiarium, in fidem accepit. Caroli dein fil. Carolus 2. ab Hierosolymitanis Equit. parte quam in hoc Principatu tenuerant, comparatâ, an. 1307. eam mox Bertrando Bausco attribuit, hac lege, ut de Principatu universo ipse, posterique ejus beneficiarii Provinciæ Comitum essent. Bertrando Guilielmus fil. successit, hunc Raimundus 1. fil. excepit: Post hunc Raimundus 2. seu 5. ut Morerius vult, Araus. Princeps fuit, cujus filia unica Maria Johanni Cabillono nupsit, an. 1410. postquam Bausci Principatum possedissent ab an. 1240. Ex hoc conjugio natus Ludovicus Cabilonus Renato Siciliæ regi an. 1436. dum captivus Divione detineretur, magnâ pecuniæ summâ mutuo datâ, jus supremi Imperii vicissim ab ipso, pignoris loco, accepit. Quo cùm Ludovici filius Guilielmus licentiosè uteretur, transactum cautumque est an. 1471. ut subditis appellare jus esset: regnante Ludovico XI. Renati & Caroli, in Provinciæ comitatu, hærede, qui denuo cum Guilielmo sic transegit ut ille acceptis XLcIↄ. aureorum, in posterum Regi & Delphino Viennensi, tanquam beneficiarius, fidem obligaret, subditisque ad Gratianop. Senatum provocandi jus esset: Princeps vicissim titulos supremi Principis, & gratiæ Dei, jus item cudendæ monetæ, gratiam delictorum impertiendi, &c. retineret, an. 1475. Post hæc Ludovicus XII. Johanni 2. Guilielmi fil. optimè de se merito supremum jus remisit, quod hic ab eo tempore usurpavit, & curiam Parlamenti Præsidemque cum 4. Consiliariis instituit. Rege mortuo, Franciscus I. gratiâ illius revocatâ Philebertum Johannis fil. rursùm in fidem accepit: qui Renatum Nassovium Claudiæ sororis fil. hæredem scripsit, illo in Cabilloni nomen adoptato. Hic cùm Austriacis adhæsisset, post Ticinensem cladem, Madritianâ pace, jus antiquum recuperavit: quod confirmatum est an. 1559. quo Guilielmus 9. Guilielmi fil. Renati frater patruelis præfectum urbi imposuit, Magistratusque denuo instituit. Hic celebris est ille Belgicæ Libertatis auctor, cui successit Philippus, Mauritius & Henric. Fridericus filii: Hunc postremum excepit Guilielmus 10. Cui filius successit Guilielmus 11. in Belgicis Historiis omnes notissimi. Plura, ut de Reformatione Principatus, obsidione urbis & calamitate, cùm à Guisiis expugnata esset. Anno 1562. Vid. apud Thuan. *Hist. lib.* 30. & prædictos. An. 1660. urbs prodita est Ludovico XIV. Galliæ R. qui arcem ejus permunitam, à Mauritio Principe An. 1622. extructam, in monte, disjecit. Ei subsunt aliquot pagi. Hodie quis ejus status, bello inter Regem & Confœderatos Belgas, quorum supremus Dux est præfatus Guilielmus 11. Princeps, durante, ex hujus belli scriptoribus petendum.

Concilium hic An. 441. habitum, cui S. Hilarius & S. Eucherius interfuerunt. An. 529. Decio Jun. Consule, ob dedicationem templi, à Liberio, cui Galliæ præfecturam Theodoricus commiserat, extructi: item libros Fausti, hujusque sectatores, qui discipulos Augustini accusantes, doctrinam ejus de Prædestinatione, de Gratia & Libero Arbitrio ibant eliminatum. III. contra Albigenses, circa an. 1228. Vid. Concilia Galliæ Sirmondi, Baron. *in Annal.* Godeau *Hist. Eccl.* Cabassutum *in Notitiâ Concil.* &c.

Aravus, flu. Gall. Belg. per Lotharingiam in Mosellam influens, de quo solus Ausonius ex veteribus agit, in suâ *Mosellana*:

Naviger undisonâ dudum me mollis Aravus
Tota veste vocat. ——

Ubi tamen aliæ editiones habent, *mole Saravus*. Et melius Saravus habet, *Sar*, qui cadit in Mosellam paulo supra Treverim. Baudr.

Arauzona, Illyrici op. *Ostrovizza* Nigro. *Suonigra* Simlero.

Araxa, Noachi filia, Britonis mater, qui originem, & nomen dedit Britonibus, uti fabulatur Gildas.

Araxa, urbs Lyciæ. Steph. long. 60. 00. lat. 36. 40.

Araxa, vel *Araxi*, pop. Illyrici. Steph.

Araxajus, flu. Amer. meridion. in Brasilia & Præfectura Paraibæ. Cadit in fluv. Mongaguabam.

Araxes, flu. Thessaliæ, idem qui Peneus. Steph.

Araxes, Persis *Aras*. flu. notissimus & ingens Armeniæ maj. illam à Mediâ Atropatiâ separans, & in mare Hyrcanum influens. Baudrandus habet: Artaxatam rigat, & in mare Caspium se exonerat, inter ostia Cyri & Cambisis fluv. Lucan. *l.* 1.

Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes.

Idem *lib.* 7. —— *Armeniumque bibit Romanus Araxem.*

Virgil. *Æn.* 8. —— *Et pontem indignatus Araxes.*

Ubi allusum volunt ad historiam Alexandri, qui, cùm vellet transgredi amnem hunc, ponte fabricato, inundans aqua pontem diruit. Isidor. 13. 21. Posteà verò Augustus firmiore ponte illum ligavit, ut ait Servius. Itaque hoc vates ad Augusti gloriam. Servianum hoc firmat Statius, *lib.* 1. *Silv.*

—— *Patiens Latii jam pontis Araxes.*

Alii ajunt, respectum ad historiam Xerxis, qui conatus est hunc fluv. pontibus conscendere. Ad easdem historias Sidonius *Panegyr. Anthem. Augusto*:

—— *non ut mihi pressus Araxes*
Imposito sub ponte fluat.

Et Claud. 1. *Ruffin. ad finem*:

—— *Calcabitur asper*
Phasis equo, pontemque pati cogetur Araxes.

Ab eodem 4. *Consul. Hon. impacatus* dicitur. Statius 5. *Silv.* dat ei feritatem & exultantiam, cùm ait;

—— Ferus exultabit Araxes.

Dionys. Perieg. —— Κελάδοντ@ 'Αράξης.

Hæc omnia non abeunt ab etymo hujus flu. quod dictum ait Eust. Ἐκ τοῦ ἀράσσειν τῇ ὀξύτητι τοῦ ῥεύματ@. Magnam autem hic flu. Geographiæ obscuritatem attulit, dum diversis adeò locis describitur. Aliqui ex Tauro, vel Caucaso, Herodotus ex montibus Matianis, qui sunt in Mediâ; Aristoteles *Meteorologicis*, ex Paropaniso profluere scribunt. Hinc apparet, non uni fluvio nomen *Araxis* attributum fuisse. Primus qui illum descripsit, est Herodotus. Verùm ille per *Araxem* manifestè Oxum intelligit, cùm Massagetarum faciat terminum. Sed quomodo ex Matianis tum oritur montibus? Debuisset enim dicere, ex Paropaniso, ut Aristoteles. Sanè Oxum, ante victorias Alexandri, à Græcis Araxen vocari, mullus dubito, cùm ad orientale maris Caspii latus illum describant. Quod verò Mela, & alii Araxi ascribunt, illud ipsum Polybius Oxo tribuit. Dionysius quoque Alexandrinus Araxen Massagetarum facit terminum, sed perperam ab Oxo distinguit. Jam verò quòd Herodotus scribit, Araxen 40. ostia, sive potius ἐκτροπὰς habere, illud nescio an cuiquam fluvio in Caspium exeunti, possit ascribi, præterquam *Volga* vel *Rha* fluvio. Quod etiam Aristoteles ait, Tanain profluere ex Araxe, & hoc quoque verum esse non potest, nisi per Araxen flu. Rha sive Volgam intelligamus. Hoc enim posito, jam commodam verba Aristotelis interpretationem admittunt, nempe, ut ea capiamus de fossâ illâ, quæ hodie quoque comparet illic, ubi Volga Tanai proximus est, quæque utrumque hoc flumen committit. Nescio quid Barbari fossæ adcolæ de hâc narrent, interim non dubito, quin antiquissimus sit canalis iste, ac is ipse, ut puto, cujus meminit aliquoties Herodotus, addens à servis Scytharum esse effossam. Is. Vossius. Vid. porro de fluvio hoc Plin. *l.* 6. Strab. *l.* 8.

Araxes, aliis *Saoras*, fluv. Mesopotamiæ, in Euphratem se exonerat. 80. milliar. infra Thapsacum.

Araxus, Peloponnesi promuntorium. Ptol. *Chiurenza* Burdonio, *Tornese* Nigro.

Arba, vel *Scarbona*, insula & civitas episc. Illyrici. Ptol. *lib.* 2. *cap.* 17. Plin. 3. 21. Vid. *Arbe*.

Arbace, civitas Celtiberiæ. Steph.

Arbaces, Medorum rex primus, qui unà cum Belocho Babyloniæ præfecto, factâ conjuratione bellum adversus Sardanapalum inter fœminas deprehensum, fecerunt, eumque vicerunt. Regn. an. 28. *Arbactus* Justino *lib.* 1. dicitur, Orosio *Arbatus*. Velleio mendosè *Pharnaces* pro *Arvaces*. Habuit successores 9. sub quibus Monarchia Medorum stetit an. 317. Vid. Petav. *Part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 17.

Arbacula, *Avila*, urbs Hispaniæ, in Castella. V. *Abula*.

Arbanium, civitas juxta Pontum. Steph.

Arbaxani, populi Liguriæ. Steph.

Arbe, seu *Arba*, Ins. est in Dalmatia & ora sinus Flanatici, Venetis paret. J. Lucius.

Arbea, vel *Arba*, Judææ civitas, quæ & *Hebron*, & *Mamre*, Gen. 23. Sic dicta, ut volunt, quia illic tres Patriarchæ sepulti fuerunt, & quartus Adam.

Arbeia, vulgò *Jerbet* seu *Jerby*, opp. olim Albionis, nunc Angliæ pagus, In Cumbria.

Arbela, pl. num. Persiæ civitas, ad Lycum fluv. ab *Arbelo* Athmonei filio dicta. Steph. Mallem ego cum doctissimo Gregorio nostrate ab ער בל *Irbel* derivare, hoc est, *Belli civitate*, qui proculdubio urb. istam fundavit. Hic ab Alexandro ac Dario, ob Orbis imperium, pugnabatur, Qu. Curtio teste. *l.* 5. *c.* 1. Arrianus autem apud Gaugamela, pugnam istam statuit, quocum consentit Plutarchus: Τὴν δὲ μεγάλην μάχην πρὸς Δαρεῖον, οὐκ ἐν Ἀρβήλοις, ὥσπερ οἱ πολλοὶ γράφουσιν, ἀλλ' ἐν Γαυγαμήλοις γενέσθαι συνέπεσε. Nunc vix rudera supersunt. Regio *Arbelitis*. Plinius 16. 13. long. 89. 00. lat. 35. 52.

Arbela, perantiqua Siciliæ urbs, Græcis ἡ Ἄρβελη seu αἱ Ἄρβελαι. Steph. Ἄρβελη, πόλις Σικελίας. Suidas. Ἄρβελαι πόλισμα Σικελικόν. Corruptè apud Sil. *lib.* 14. *Arabeia* dicitur. Cives ejus stolidi erant & abjecti, ut proverbio sint, teste Stephano. Dicebatur enim: *Quid non fies Arbelas profectus?*

Arbella, terminus Judææ, ortum Solis aspiciens. Hieronymus, *in locis Hebraicis*. Est usque hodie, inquit, vicus Arbel trans Jordanem, in finibus Pellæ civitatis Palæstinæ. Est alius hoc vocabulo in campo prægrandi, distans ab opido Legionis 9. m. p. Strabo *lib.* 16.

Arbelus, hominum primus, qui pro Deo habitus fuit, & Jupiter cognominatus, filius Nimrod. Cyrillus *lib.* 3. *contra Julianum*.

Arbetio, Consul Rom. Mavortii Lolliani collega, uxoris literis, quas inconsideratius illa scripsit, in suspicionem affectati Imperii ductus, interficitur sub Constantino. Am. Marcellin.

Arbii, seu *Arbies*, seu *Arbitæ*, pop. Indis finitimi, non procul ab Arianis, & Gedrosiis: ita dicti ab *Arbi* vicino fluv. Plin. Strabo. Steph.

Arbis, Gedrosiæ flu. Indorum ab occ. terminus. Strab. Plin. *Artabium* Ammiano, *Araphius* Ptolemæo. *Berbero* hodie Nigro vocatur. Aliis urbs est, à quibusdam *Bilber* dicta. Unde

Arbiti, montes Gedrosiæ Ptol. *Barbitani* Marcellino.

Arbius, mons Cretæ, & montis incola similiter. Ab hoc monte Jupiter *Arbius* cognominatus est, quòd ibi sit educatus. Stephanus.

Arbocala, urbs, quam Hannibal adversus Romanos proficiscens cepit. Plut. *in Hannibale*.

Arbogastus, à Theodosio Imper. in Gallias, contra Victorem, Maximi fil. missus, illo occiso, Dux exercituum factus est. Postmodum Valentiniani Imper. favore abusus, Sunnonem & Marcomirum, Gallorum Principes bello persecutus est, sed infelici successu. Hinc cùm gratiâ excidisset, prævenire Imperatorem constituit, qui etiam paulo pòst in lectulo suo, Viennæ Delphinatum, strangulatus inventus est, ipsis vigiliis Pentecostes. Quo sublato, cùm parricida Eugenium ad Imperium evexisset, mox à Theodosio victum, rebus desperatis, sui ipsius carnifex evasit. A. C. 394. Zosim. *lib.* 4. & 7. Socr. *lib.* 5. *cap.* 14. & 24. Epiph. *de pond. & mens.* Procop. *lib.* 1. P. Diac. Pacatus, *in Paneg. Theodosii*. Greg. Tur. *l.* 2. *c.* 9.

Arbogia, *Arbo*, ad fluv. cognom. urbs Sueciæ, in Vestmannia prov. Suecis *Arbogen*. Paucis constat incolis, & sita est in confinio Sudermanniæ, 5. leuc. ab Arosia, in Occas. & 4. ab Orebroa, in Ortum.

Arbon, civitas Illyriæ. Stephanus.

Arbona, montis nomen. Plin. 4. 12. Ptolemæus *Abnobam* vocat.

Arborea, Sardiniæ urbs archiep. in orâ occiduâ, à litore 6. m. p. distans, inter Sassarim & Calarim ad merid. 60. m. p. circiter, à Bosâ 30. in Austrum; ægrè ob aëris inclementiam habitata, vulgò *Oristagni*. Habuit Dominos seu Judices, uti dicebantur, aliàs valde notos, cùm Insula in Aragonum devenit potestatem. Portu gaudet capaci, ad ostia fere fluv. *Irisi*. Expugnata fuit An. 1639. à Gallis, duce Harcurtio; & ab ipsis *l'Oristan* vocatur. Vix 45. m distat à Calari. Ei adjacet sinus Arborensis, vulgò *Golfo d'Oristagni*: & urbs olim *Usellis* dicta fuit. Quod vid. long. 32. 50. lat. 38. 08.

Arbor Felix, Helvetiæ op. ad Brigantium lacum situm. Anton. *Arbon* Rhenano. long. 31. 15. lat. 47. 20. Vid. infra.

Arbor felix, Itin. Anton. Germ. *Arbon*, vetus oppidum, ad lacum Acronium; in quo præsidium Romanum fuisse, tempore Gratiani ex Helvetia in Pannoniam euntis, memorat Ammianus. Liber Not. in eo Tribunum cohortis Herculiæ ex Pannonia, fuisse docet. Dictum à maxima soli fertilitate. *Arbona* Walafrido & Raperto. Arcem habet antiquissimam, D. Galli morte nobilitatam, ut vult Vadianus *in Mel. lib.* 3. Episcopo paret Constantiensi, qui ibi præfectum habet, sic tamen, ut Cives præterea Ammanum & Senatum legant: qui An. 1454. fœdere cum Sangallensibus inito, ad jus civitatis illius admissi sunt. Habent & Helvetii aliquid in hoc oppido juris: eorum enim usibus belli tempore arx prædicta inservit, cívesque iisdem militant. In Turgea est prov. Vid. Munster. Stumpf. *Chron. l.* 5. *c.* 9.

Arboricha, Gall. Belg. insulæ vulgò *Zeelandt*, contra ostia Scaldis, numero 7. Prima, *Scaldia*, vulgò *Scowen*, à Scaldi fluv. effecta, in quâ Syrissæa oppid. Secunda, *Duvelandia*, in quâ op. nullum, pagi, & villæ aliquot. Tertia, *Tola*, in quâ op. ejusdem nominis, cum Fano S. Martini opidulo. Quarta *Valacria*, vulgò *Walkeren*, in quâ Metelburgum, vulgò *Middleburgh*, urbs episc. olim sub arch. Machliniensi, opida verò tria sc. *Vera*, quæ & *Campofera*, vulgò *Canfera*, *Veer* ad ort. *Vlißinga*, vulgò *Flushing* ad ort. denique *Ramua*, vulgò *Armuyden*, portus celeberrimus. Quinta, *Zuidbevelandia*, in qua op. 2. *Romeswallia* vulgò *Romerswall*, à Bergâ ad Somam urbe Brabanticâ 1. leuc. recedens; Et *Goa*, sive *Tergoa*, vulgò *Goes*, & *Tergoes* in orâ adversâ. Sexta, *Nortbevelandia*, cujus op. *Corchienne* è regione Veræ aquis absorptum est. Septima, *Wolferdicum*, in quâ nullum op. reperitur. Al. hic fuisse Toxandros ajunt; Ortelius Massiacos. Inter Antverpiam & Mosam, in medio Brabantiæ *Arborichas* locant, Becanus & alii. V. Valesium.

Arborosa, urbs Galliæ in comit. Burgundiæ. Ad amnem Laustinam. *Arbosium* Ammiano *lib.* 16. Victor Giselinus, vulgò *Arbois*, vino celebris. long. 27. 35. lat. 46. 15.

Arbucale, civitas maxima intra Iberum, quam Annibal ægrè obtinuit. Steph.

Arburgum, opp. in Helvetia, cum castro munitissimo ad Arolam fluv. in Bernensi pago. 2. leucis Germ. à Soloduro in ortum 4. autem à Tiguro, in occasum. Dicitur etiam *Arolæ burgum*.

Arbuscula, muliercula mima, quæ cùm à populo exploderetur, ab equite autem laudaretur, contentam se esse dixit bonorum testimonio. Horat. *l.* 1. *Sat. ult.*

—— Nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax
Contemptis aliis explosa Arbuscula dixit.

Item nomen pellicis, quæ floruit cum Origene & Cytheride meretricibus.

Arca, Syriæ Cœles urbs. Joseph. *Ant. lib.* 5. long. 68. 20. lat. 34.

lat. 34. 00. Item, fluv. Sabaudiæ, Maurianam vallem præterfluens, inque Isaram se exonerans. Oritur ex Alpibus.

Arca, vulgò *Arques*, vicus Galliæ in Normannia, 2. leuc. à Diepa in Austrum, prælio sub Henrico M. celebris, ad amnem cognom.

Arcabrica, sive *Arcabriga*, urbs Hisp. Tarrac. olim episcopalis sub Archiep. Toletano, nunc pagus, Conchæ urbi, quæ sedem illius & Valeriæ episcopalem tenet, finitimus. Nunc vicus *Arcas*, in Castella nova. Baudr.

Arcadia, Arcadii Imper. filia, insigni pietate. Sozom. *lib.* 9. *cap.* 1. & 2.

Arcadia, Peloponnesi regio intima, à mari undique remota, poetis decantatissima, ab Arcade Jovis filio, sic appellata. Hæc, ut Eust. docet, aliquando dicta est Pelasgia, à Pelasgo rege magno, & sapiente viro, qui vitæ cultioris eis author fuit, & victum ex stirpibus herbarum, arborumque frondibus, transtulit ad glandem, maximéque ad fagineam. Unde illud,

Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι.

Sanè Arcades glande solitos vesci, Artemidorus etiam observat, *lib.* 2. *Onirocr. cap.* 25. ubi & Rigaltium videre licebit. Aliquando etiam Lycaonia, Gigantis, & Parrhasia dicta, teste Stephano. Opida ejus præcipua sunt Megalopolis, hodie *Leontari*, patria Polybii, Mantinea, hodie *Manti*, prælio Thebanorum contra Lacedæmonios, auspiciis Epaminondæ, feliciter gesto, celebris. Tegea, & Stymphalus. Montes Pholoe, Cyllene, Lycæus, Mænalus, & Nonacris. Fluvii Ladon & Erymanthus. Habuit Arcadia Elidem & Messeniam ad Occ. Lacedæmonem ad Mer. Argolicam reg. hodie *Romania* ad Ort. Fuitque tota pastioni potius pecoris, quàm aut negotiationi, aut agriculturæ dedita: ideoque Pana, pastorum Deum, velut peculiare numen sibi vendicarunt. Virgil. *Ecl.* 4.

Pan etiam Arcadiâ mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadiâ dicat se judice victum.

A Musices studio Arcades, cui à prima infantia liberos assuefaciebant, Polybius laudat, *lib.* 4. *pag.* 289. Inde Virgil. *Eclog.* 10.

——— *Soli cantare periti*
Arcades. ———

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς, *Arcadiam me postulas*. Proverbium, cujus Diogenianus duplicem ostendit usum; convenit enim vel in magna vel inutilia petentem. Herodotus *lib.* 1. natum innuit ex Oraculo. Ἀρκαδικὸν βλάστημα, *Arcadicum germen*, de grandibus & ignavis dici solitum. Arcades enim olim ob stuporem ingenii malè audierunt. Unde Juvenalis,

——— *Lævâ in parte mamillæ*
Nil salit Arcadico juveni.

Lucianus *in Bis accusato*: Πόθεν γὰρ ἐν Ἀρκαδίᾳ σοφιστής, ἢ φιλόσοφος; Habuit Arcadia & asinos procerissimos, qui ob corporis magnitudinem in proverbium abierunt. Pers. *Sat.* 3.

Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.

Ἀρκάδας μιμούμενος apud Hesychium, παροιμία ἐπὶ τῶν ἄλλοις πονούντων καὶ μοχθούντων. Οἱ γὰρ Ἀρκάδες πολλὰ πολεμήσαντες οὐδεμίαν νίκην ἰδίαν ἔχον. Apud Diogenianum est ἐπὶ τῶν ἄλλως, & exponitur frustra. Ita quoque legas in Diogeniano. Suidas verò ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων, quem sis vide. Hom. tamen Arcades ob fortitudinem bellicam non semel commendat. *Il.* 2.

——— Ἀρκάδες ἄνδρες ἐπιστάμενοι πολέμοιο.

Et *Iliad.* 7. ——— Ἀρκάδες ἐγχεσίμωροι.

Arcadiam itidem ob pastionem laudat. *Hymn.* 3. 2.

——— Ἀρκαδίης πολυμήλου. Et *Hym.* 18. 30. ——— Μητέρα μήλων appellat. Aquis quoque benè scatentem innuit ibidem, Ἀρκαδίην πολυπίδακα vocans. Cæterùm plura de Arcadibus Vid. Strab. *lib.* 8. Plin. *lib.* 4. *cap.* 6. Athen. *lib.* 14. Pausan. *in Arcad.* seu *l.* 8. ut & in *Arcas*. Addam hoc unum, Arcadiam nunc cum Laconia dici *Tzaconia*, & Turcis subesse, cum tota Græcia, à 180. annis.

Arcadia, civitas Ægypti. Steph. Item urbs maritima, sed ubi sit, non addit. Munitum oppidul. in Zacyntho. Diod. XV.

Arcadiopolis, Thraciæ urbs. Cedrenus. Nunc *Berges*, in ea parte Thraciæ, quæ aliàs *Corpialica* dicebatur.

Arcadius, fil. major natu Theodosii M. patri successit, An. C. 395. ætatis 18. in imperio Or. sicut frater ejus Honorius, in imper. Occidentis. Duxit uxorem Eudoxiam, Leontii Phil. filiam, formâ & ingenio inclytam. Quod ægrè ferens prætorii Præf. Rufinus, Gothos accivit, qui Græciâ crudelissimè vastatâ, ipsam obsedere Constantinopolim: interim Arcadio, apud quem hucusque plurimum valuit, persuasit, ut copias suas jam victoriæ certas aliorsum vocaret. Subolet fraus Ducibus, & Rufinum, qui jam in eo erat, ut Imperator salutaretur, in frusta discerpunt. Succedit Gainas, eoque Imperatorem adigit, ut Procopium, sibi charissimum, cum Johanne, Saturnino & Aureliano, fidelibus suis Ministris, tyranno trucidandos permittat. Sed & ab hoc liberatus, postea templa Gentilium destruxit, Arianos pepulit, legesque contra hæreticos & Gentiles à Parente latas rigidè observavit. Felix, si ingenio suo potius, quàm Eudoxiæ Eunuchorumque, usus fuisset, ex quorum consilio à Chrysostomo dissedit, eumque etiam exilio multavit. Obiit A. C. 408 *æt.* 31. Successit ei Theodosius Jun. Socr. *lib.* 5. & 6. Zos. & Sozom. *lib.* 6. Marcellin. Cassiodor. Prosper., *in Chron.* Theophanes, &c.

Arcadius Probus, unà cum Paschasio, & Eutycho propter Fidem à Genserico martyrio coronatus est. Isidor. *hist. Vandal.* Prosper *Chron.*

Arcadius, Noæ nepos, Arcadiam tenuit, & nominavit, uti fabulatur Berosus *lib.* 4.

Arcadius, Episc. Ephesino Concilio interfuit, ab Episc. Romano Cœlestino missus, &c. *Tom.* 2. *Concil.* Item, Archiep. Bituricensis, A. C. 542. Item, Senator Avernas, qui audito, de morte Dieterici, rumore, Childebertum solicitavit, ut provinciam hancce occuparet, sed cùm falsus ille esset, patriæ suæ exitium attulit. Gregor. Tur. *l.* 3. *c.* 9. 12. & 16.

Arca, aliis *Arca*, *Archis*, vicus littoralis Phœniciæ, in Syriæ confinio.

Arcandam, vel *Arcandrinus*, Arabs, scripsit prædictiones Astrologicas, inprimis Genethlia spectantes: Editas Parisiis An. C. 1542.

Arcanum, vulgò *Arcan*, sive *Charcan*, opp. Tartariæ desertæ, in Asia, ad fluv. Cassimam, in Cafra reg. ad pedes montium, & ad Austrum opp. Ghermani, ut quidam dicunt.

Arcanum, Ciceronis villa, quod *Arce* nunc dicitur. Cic. ipse ejus mem. *in Epist. ad Att.* 7. 10. sed fratris sui esse dicit; non procul à Minturnis fuisse videtur.

Arcas, Armeniæ min. urbs. Anton.

Arcas, Jovis & Callistûs fil. parum abfuit, quin matrem, à Junone in ursam conversam, interimeret. Postea, cum illa inter sidera relatus. Ἵστρος δέ φησιν, Θεμιστοῦς καὶ Διὸς ὁ Ἀρκὰς ἐγένετο. Ita Stephanus. Ab hoc *Arcadia*, & *Arcades* dicti, quos quia vetustissima gens fuit, ante Solem & Lunam fuisse poetæ fabulantur. Apollon. *Argon.* 4.

Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται.

Nonnus, *Bassaricum lib.* 41. -- ὁ δὲ καὶ αὐτῇ
Ἀρκαδίῃ προσέληνος. Plut. *in Qu. Rom.*

Οὗτοι δὲ ἦσαν Ἀρκάδες τῶν ὑπὸ Εὐάνδρῳ προσεληνῶν λεγομένων. Ovid. *Fast.* 2.

Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, & Lunâ gens prior illa fuit.

Idem ibidem *lib.* 1.

Orta prior Lunâ (de se si creditur ipsi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Seneca *in Hippolyto*:

Aut te stellifero despiciens polo
Sidus post veteres Arcadas editum.

Statius *Theb. lib.* 4.

Arcades hinc veteres, astris Lunâque priores,
Agmina fida satis. ———

Videamus autem, quid ait Illustris vir Jos. Scaliger *in Prolegom. ad libb. de Emend. Temp.* Laconibus (inquit) ante plenilunium aut novilunium aliquid incipere religio fuit; unde, Λακωνικὰς σελήνας vicinorum proverbio jactatas. Inde etiam Arcadibus, proverbiali convicio, neglectum religionis objectum legimus. Quòd enim ante novilunium aut plenilunium, ut plurimum bella, aut alia seriora aggrederentur, ob eam rem à finitimis nationibus Προσέληνοι vocabantur, qu. *Antelunares*. Quæ convicii causa ab ipsis Arcadibus interpretatione elusa est, probrum in laudem conversum ad vetustatem originis suæ referentibus, & antiquiorem sidere isto gentem suam gloriantibus. Fabulæ hujus causam & originem Censorinus *de die Natali*, ita refert *cap.* 19. *Arcades trimestrem annum primo habuisse dicuntur, & ob id Proseleni appellati: non, ut quidam putant, quòd antè sint nati, quàm Luna astrum cœlo esset: sed quòd prius habuerint annum, quàm is in Græciâ ad Lunæ cursum constitueretur.*

Arcassonius, vulgò *Arcachon*, portus, seu potius sinus Galliæ, in Aquitania, ad Oceanum, inter ostia Garumnæ & Aturi fluv. vix 6. leuc. à Burdigala distat in Occasum.

Arcati, urbs Indiæ citer. regia *Bisnagar* Castaldo.

Arcena, Alex. Severi Rom. Imp. patria. Lampridius *in Severo*: *Aurelius Alexander urbe Arcenâ* genitus. Hæc urbs inferiùs *Arca Cæsarea* eidem nominatur, quia, uti scribit Victor, huic loco duplex nomen, *Arca*, & *Cæsarea*. Ptolemæo inter Phœnices mediterraneas urbes recensetur Ἄρκα sive Ἄρκη, aut Ἄρκαι, ut & Georgius Monachus *Arcas* numero multitudinis nominat. Ait enim Alexandrum, ἐν Ἄρκαις τῆς Φοινίκης τεχθῆναι, rectè. Stephanus Ἄρκη πόλις Φοινίκης, ἡ νῦν Ἄρκαι καλουμένη. Cave confundas cum eruditis viris urb. hanc cum aliâ, quam Xiphilinus ex Dione nominat Ἀρχὴν, *in Severi historia*. Nam hæc quidem Alexandri patria, Phœniciæ in Syriâ fuit: Illa verò Assyriæ, ubi Ἀρχαϊτηνὴν collocat Strabo, & Moses quoque *Arech* in terrâ Senaar Babyloni vicinam facit, Gen. 14. Diversa etiam est, & si non longo intervallo dissita, urbs *Arcis* ארביקרית, cujus mentio apud Chaldæum Paraphrastem librorum sacrorum. Judæ enim hoc op. fuit, quondam *Kiriath-Sepher*, postea *Dabir* dictum. Nominatur & *Arcaa* in Palæstinâ. Josepho. Vid. illum *l.* 4. *c.* 4. & 7. *Antiquit.* Ubi de Aarone, in monte excelso territorii urbis Arces, mortuo.

Arcennum, ditionis Pontif. op. parvum, sed lepidum, *Bracciano* Leandro Alberto. Ducem proprium ex Ursinorum familiâ habet. long. 35.50. lat. 41. 45. Item, prom. Asiæ min. in Jonia. Excurrit in sinum Argennum, aliis Smyrnæum, prope Chium insf.

Arcensium col. vulgò *Arcos*, urbs parva Vandalitiæ, cum castro, Ducatus tit. clara, gentis Pontiæ, sub Hisp. R. Ad fluv. *Guadalete.*

Arces Lobia, Hueßen, ad Rhenum, qui paulo infra in Rhenum & Isalam dividitur; sub Batavis.

Arcesilas, dux Catanensium eorumque proditor. Nam donis à Dionysio superiore corruptus, conticinio noctis eundem intra mœnia recepit, urbemque tyranno subjecit. Diod. *lib.* 14.

Arcesilas, & *Arcesilaus*, philosophus, Polemonis discipulus, in disputatione pertinacior, & magno ingenii acumine, Cic. 3. *de Fin.* Ex Pitane, Æolicâ civitate, ortus, relicto genitali solo, Sardes perrexit: mox Athenas profectus in Academiam se ad Crantorem contulit, quem Platonicam Philosophiam omnino commutasse, novamque quandam constituisse ferunt. *Cavillator* vocatus est, quòd cùm nihil se scire diceret, nec alios scire quicquam pateretur, sed omnes perturbaret sophismatibus. Persius *Sat.* 3.

——— *Non ego curo*
Esse quod Arcesilas, ærumnosique Solones.

Vid. Lactant. Firm. *de Instit. lib.* 3. *cap.* 5. 6. Cæterùm magni nominis, & Principibus gratus, vixit Olymp. 120. Seneca, *de benefic. lib.* 2. *cap.* 10. Diog. Laërt. *in ejus Vita.* Fuit etiam poeta ejus nominis priscæ comœdiæ; alius Elegiacus; alter statuarius; in quem & Simonides scripsit epigrammata. Laert. *lib.* 4. Item sculptor quidam apud Plinium. Item pictor, Tisicratis fil. teste eodem Plinio *lib.* 35. *cap.* 11. Denique unus è quinque ducibus Bœotorum, qui ad Trojam cum 50. navibus advenerunt, ut ostendit Hom. *initio Catalogi*,

Βοιωτῶν μὲν Πηνέλεως καὶ Λήϊτος ἦρχον,
Ἀρκεσίλαός τε, Προθοήνωρ τε, Κλόνιος τε.

Ab Hectore postea interfectus est, teste eodem. Hom. *Il.* 0.

Ἕκτωρ μὲν Στιχίον τε καὶ Ἀρκεσίλαον ἔπεφνε,
Τὸν μὲν Βοιωτῶν ἡγήτορα χαλκοχιτώνων.

Arcesilaus, Batti filius, Cyrenensium Rex, seditione civium regno excidit. Polyæn. 8. 625. Herodot. *Melpomene.*

Arcesilaus, è Ducibus Alexandri Magni, cui post ejus mortem, in divisione Provinciarum, Satrapia Mesopotamiæ cesserat. Diod. 18. *pag.* 628. *f.*

Arcesine, civitas in Amorgo unâ Cycladum. Steph.

Arcesines, Indiæ fluv. in Indum incurrens; serpentes fert longitudine cubitorum 70. Philostratus *lib.* 2. *de Vitâ Apollonii.* Fortè *Acesine*, de quo suprà.

Arcesius, Jovis fil. pater Laertis. Ulysses apud Ovidium *Metam. lib.* 13.

Nam mihi Laertes pater est, Arcesius illi,
Jupiter huic. ———

Ἀρκέσιος Homero Od. π. ubi sic Telemachus,

Ὧ δὴ γὰρ ἡμετέρην γενεὴν μόνωσε Κρονίων,
Μοῦνον Λαέρτην Ἀρκείσιος υἱὸν ἔτικτε,
Μοῦνον δ' αὖ Ὀδυσῆα πατὴρ τέκεν, αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Μοῦνον ἔμ' ἐν μεγάροισι τεκὼν λίπεν.

Item *Arcesius*, qui Arcesicerata urb. condidit. Stephanus. *in* Ἐπιφάνεια.

Archa, vulgò *Herck*, castrum Leodiensis ditionis, in confinio Brabantiæ. Alluitur amne cognom. qui paulo infra in *Demeram* se exonerat.

Archadius, scripsit nonnulla, quæ commemorantur à Suidâ.

Archæa, Æolidis in Asiâ urbs. Pausan.

Archæatidis, Peloponnesi regio. Polyb.

Archagathus, fil. Archagathi, qui à militibus suis in Africa interfectus est, Agathoclem avum, Syracusarum Regem, veneno sustulit, circa A. M. 3765. U. C. 465. Diodor. *lib.* 20. & *in fragm.*

Archagathus, Peloponnesius, Lysaniæ fil. medicus primus à Romanis receptus. Plin. 29. 1.

Archama, Ciliciæ præfecturæ in Cappadociâ urbs. Ptol.

Archambaldus, dictus *Magnus*, Borbonii Dominus, pater Margaretæ, quæ Theobaldo, Campaniæ comiti & postea Regi Navarræ, nupsit. Item, alius cognom. *Junior*, pater Agnetis, quæ ex Johanne Burgundo, mater fuit Beatricis; quæ Roberto Lud. 9. quarto filio, nupta, inter regiæ familiæ progenitrices extitit. *Histor. Franc.*

Archander, Danai socer. Herod. *lib.* 2.

Archandropolis, civitas Ægypti. Steph.

Archebius, Heracleotes, hostibus prælium detrectantibus, navigia piscatoria contraxit, iisque per carinas vinculis insertis immobilibus redditis hostes, in insidiis deductos, cæcidit. Polyæn. 5. 408.

Archedemus, à Comicis exagitatus, quòd, diutius Athenis commoratus, civibus adscribi non potuerit. Vide Scholia *in Ranas Aristoph. Act.* 1. *sc.* 7.

Archedicus, poeta Comicus, scripsit contra Democharem, Demosthenis propinquum, teste Athenæo. Voss. *de Poët. Gr. cap.* 8.

Archelai, in Cappadociâ regnaverunt; ex his alter superatus est à Syllâ, quòd Mithridati auxilium tulisset; alterum Romæ retinuit Tiberius. Hic ultimus Cappadoc. Rex, acceptum ab Antonio, Anno urbis 718. regnum, per 50. annos administravit: sed invisus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluisset. Hinc Liviæ literis illectus, postquam in urbem venit, mox in senatu accusatus, finem vitæ, sponte an fato, implevit. Nupsit filia ejus Glaphira, Alexandro filio Herodis, quem Patri egregio commento Archelaus conciliaverat. Jos. *Antiq. lib.* 16. & *B. J. lib.* 1.

Archelais, Cappadociæ colonia, à Claudio Cæsare deducta. Item vicus in Palæstinâ. Jos. *Antiq. lib.* 17.

Archelaus, 12. Macedonum rex, Perdiccæ 2. fil. cui successit, regn. an. 23. Secundùm alios 7. fuitque interfectus ab adolescente Cratevâ nomine, quem habebat in deliciis, quòd ei promissam filiam alteri despondisset. Volater. Justin. *lib.* 7. Ælian. *Var. Hist.* 2. 21. 8. 9. 12. 49. 14. 17. Diod. *lib.* 14. & 24. casu ab imprudente Cratero in venatione occisum scribunt, Olymp. 95. an. 1. cùm tantùm septem annos regni explesset.

Archelaus, Dioni *lib.* 55. Herodes dictus, 13. Judæorum rex, regn. an. 9. Glaphyram Archelai Cappadocum regis filiam, Alexandri fratris sui relictam, contra legem, uxorem duxit. A Cæsare exilio damnatus Viennæ mortuus est. Jos. 17. 18. Hegesip. 5. 5.

Archelaus, filius Herodis illius, qui innocentes occidit, rex Judææ. Math. 2. Ob sævitiam suis invisus. Vid priorem *Archelaum.*

Archelaus, Lacedæmonius, Heraclides, *filius* Agesilai, cui successit, Pausan. *l.* 3. pater Teleclis. Herodot. 7. Regnavit an. 42. feliciter, cum Charilao, Rege alterius familiæ, captis aliquot urbibus.

Archelaus, cui Alexander Magnus Susas urbem, ab Abulite deditam, cum præsidio trium millium militum tuendam tradidit. Curt. *lib.* 5. *cap.* 12.

Archelaus, unus è ducibus Antigoni junioris, qui præsidio Acrocorinthi, cum Persæo philosopho, impositus est. Polyæn. *lib.* 6. 431. Qui proditâ à quatuor fratribus Syris Acrocorintho, missus est liber ab Arato.

Archelaus, Dux ac Præfectus Mithridatis egregius, de quo Polyæn. *lib.* 8. *in Sullâ.*

Archelaus, Præsul Mesopotamiæ, qui librum disputationis contra Manichæum Syro sermone composuit, sub Probo Imp. Hieron. *catal. de Scr. Eccl.* Epiph. *hær.* 66.

Archelaus, Philosophus Atheniensis, seu Milesius, patrem habuit Apollodorum: fuit auditor, successorque Anaxagoræ, à quo Socrates philosophiam audivit. Cic. 5. *Tusc. Qu.* Hic Physicam philosophiam ex Joniâ Athenas invexit, fuitque vel propterea Physicus appellatus, vel quòd in eo defecerit philosophia naturalis, Socrate moralem introducente. Quanquam ne hic quidem Ethicæ rudis fuit, qui de Legibus, de honesto, & æquo philosophatus est. Calorem & frigus rerum principia statuit, primusque vocem definivit, pulsum aëris. Plura de ipso vid. apud August. *de C. D. lib.* 8. *cap.* 2. Diog. Laërt. *in ejus Vita.* Præter hunc tres alii celebrantur, teste Laertio. Primus erat χωρογράφος. Hic omnem terram descripsit, quam Alexander M. perambulavit. Alter, quæ propriæ, ac singularis naturæ sunt, versu consignavit. Tertius orator de arte suâ volumen reliquit. Secundus istorum Laertio dicitur, ὁ τὰ ἰδιοφυῆ ποιήσας. Unde liquet, eundem intelligi ab Athenæo *lib. extremo*, cùm ait, Παρὰ Ἀρχελάῳ Χερρονησιώτῃ ἐν τοῖς Ἰδιοφύεσιν. Sed qui hoc loco est *Chersonesiotes*, is *Ægyptius* vocatur Antigono Carystio: qui illum παραδόξων καὶ θαυμασίων ἐπιγράμματα ad Ptolemæum scripsisse testis est. Vide eum *Hist. Mirabil. cap.* 23. & 96. ubi & epigrammata ejus recitat, quibus docebat, ex crocodilo scorpios; ex equis vespas; ex spinæ medullâ, in nonnullis cadaveribus, parvos enasci serpentes. Cùm autem hæc ad animalium historiam pertineant: planè censeo (inquit Vossius) esse Archelaum eundem, quem de animalibus scripsisse, & quâ re unum quodque eorum curetur, Artemidorus dicit *lib.* 14. *Onirocriticôn cap.* 24. Idem confirmat locus Plinii 8. 50. *Archelaus auctor est, auribus capras spirare, non naribus, nec unquam febri carere.* Istius quod de capris dicit Plinius, etiam Varro Archelaum laudat auctorem *de R. R.* 2. 3. *De quibus admirandum illud* (respicit ad titulum θαυμασίων, καὶ παραδόξων) *quod etiam Archelaus scribit, capras, non ut reliqua animalia, naribus, sed auribus, spiritum ducere solere.* non alium Archelaum ab eo signari, quàm illum Antigono memoratum, liquet ex *lib.* 3. *de R. R. cap.* 16. ubi idem ait, *Primùm apes nascuntur, partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Itaque Archelaus in epigrammate ait, eas esse* βοὸς φθινομένης πεποιημένα τέκνα. Idem,

Ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι.

Hæc Varro. Stobæus *Serm. de morbis, & molestiarum in eis solutione,*

solutione, advocat Archelaum, *lib.*1.περὶ ποταμῶν. Similiter Plut. *lib.*1.*de Flum.* citat Archelaum in ιγ.περὶ ποταμῶν, itemque *primo de lapidibus.* Vossius.

Archemachus, Euboicarum rerum libros conscripsit, quorum 3. citant Athen. *lib.* 6. & Clem. Alex. 1. *Strom.* quartum autem Harpocration, in Ἀλόνησος. Nempe de patria sua hos libros scripserat. Siquidem Straboni *lib.*10. vocatur Ἀρχέμαχος ὁ Εὐβοιεύς. Vide etiam Plutar. *in Iside & Osiride.* & Voss. *Hist. Gr. lib.* 3. *pag.*130.

Archemorus, qui & *Opheltes*, Lycurgi Thracum, vel Nemeæ regis filius. Hic Hypsipilem nutricem habuit, quæ, cùm sitientibus Achivis, qui ad Thebaicam expeditionem venerant, Langiam fontem ostenderat, Archemorum puerum super viridi herbâ deposuit, qui à serpente vulneratus periit. Unde annuus agon, in pueri illius memoriam, celebrari cœpit; Ludos hosce Nemæos vocabant: author Archias *lib.* 1. *Anthologia*: Eusebio de horum ludorum origine aliter sentiente. *Archemorus* etiam postea Langia fons vocabatur.

Archennus, nomen Historici seu Grammatici, apud Aristoph. Scholiast. *in Avibus.*

Archepolis, conjurationis in Alexandrum, in Ariis, initæ, particeps Dymno. Curt. VI.43.

Archeptolemus, Iphiti fil. Hectoris auriga, suffectus in locum Enipei, qui à Diomede interfectus fuit. Hom. *Il.*8.

Archeptolemus, fil. Hippodami multis in Athenienses meritis clarus, acerrimus Cleonis adversarius. Alii eum gente Thurium, Alii Milesium faciunt. Schol. *in Aristoph. Equit.*

Archestratus, poëta, Sardanapali sectator, cujus hoc fuit decretum, in convivio, ut convivæ 3. aut 4. non plures quàm 5. essent. Rhod. 28.8.

Archestratus, vetus author, præter γαστρονομίαν, sive leges ventri ferendas, cujus Athenæus *lib.* 3. sæpius meminit, etiam librum edidit περὶ αὐλητῶν, sive de tibicinibus, cujus apud eundem fit mentio *l.* 14. Erat autem Συρακούσιος, ἢ Γελῷος, teste eodem Athenæo *lib.*4. Voss. *de Gr. Poëtis.*

Archestratus, an idem cum præcedenti, apud Athen. *lib.*13. tam macilentus, ut ab hostibus captus, & in lance appensus, oboli pondus non impleret.

Archetimus, primus historiæ Philosophicæ scriptor, vixit circa initium regni Persici, quo tempore 7. Græciæ sapientes floruere, qui historiam eorum, nec non cum Cypselo congressum, cui ipse quoque interfuit, persecutus est. Laertius, Ἀρχέτιμος ὁ Συρακούσιος ὁμιλίαν αὐτῶν (sapientûm 7. sc.) γέγραφε παρὰ Κυψέλῳ, ᾗ καὶ αὐτὸν φησι παρατυχεῖν. Diog. Laert. *in Thalete lib.*1. Fortean idem est *Archetimus* ille Ἀρκαδικῶν scriptor, apud Plutarchum *in Qu. Gr.* quem incertæ ætatis Historicis annumerat Vossius *Hist. Gr. lib.*3.

Archias, Archon Athenis, Olymp.108. anno 3. Item Imperator Corinthius ex Hercule oriundus, Syracusarum an. 13. Urb. Romæ, Conditor, cui cùm ab Oraculo consulto optio daretur sanitatis ac divitiarum, has legit. Vid. Scholia *in Aristoph. Equit.* Dionys. Halicarn. *lib.*2. Volaterr.

Archias, Architelis fil. sive puer, qui cùm in Oenei convivio manibus aquam infunderet, condylo ab Hectore est interfectus. Rhod. *lib.* 4. *c.*3.

Archias, cujus integrum nomen, *Aulus Licinius Archias*, poëta Antiochenus, Romæ claruit, adjutus à familia Lucullorum, & nonnullis Græcis civitatibus donatus, Ciceroni imprimis familiaris, discedens è Sicilia cum L. Lucullo Heracleam venit, cujus auspiciis in eandem civitatem adscriptus est. Dein, lite motâ à Græco quodam, Cicero ipsum luculentâ oratione defendit, ubi multa de laudibus poëticæ dixit. Ascon. Pæd. Item alius Hyblæus præco celeberrimus. Jul. Pollux.

Archias, Thebanus, qui cùm in adulterio deprehensus esset, quanquam pœnam meritus fuisset; quia tamen legibus sancitâ pœnâ non fuerat adfectus, sed contumeliosissimè in forum ad palum publicè vinctus, vindictæ cupiditate Oligarchicos oppressit. Aristot. V. *Polit.*6.

Archibiades, Byzantius legatus, à Memnone missus, ad Leuconem Phosphori Tyrannum, explorandæ ejus potentiæ. Polyæn. *lib.*5.

Archibius, Apollonii fil. Grammaticus, in Callimachi epigrammata enarrationem scripsit. Suidas. Item alius Grammaticus, qui Romæ docuit sub Trajano. Idem.

Archidamia, mulier Spartana, Cleadæ Reg. fil. quæ Lacedæmoniis deliberantibus mulieres in Cretam mittere, cum gladio in senatum venit, viros jurgata, quasi vivendum fœminis, Spartâ eversâ. Plutarch. *in Lycurgo & Agide.* Polyænus *lib.*8. *Archidamis.*

Archidamus, Rex Spartanorum vicit Helotas, post insignem terræmotum, quo Sparta graviter erat afflicta. Diodor. *lib.* 11.

Archidamus, Rex Spartanorum, Arcadas, Argivosque vicit, tropæis erectis, Xen. *lib.*7. auxilio Tarentinis missus, in pugna strenuè ac fortiter dimicans occubuit, cætera laudabilis, nisi quòd se piaculi Phocensium participem fecerit & auctor extiterit Delphorum occupandorum. Regnavit annos viginti tres, successore filio Agide, Olympiadis centesimæ octavæ anno tertio. Diodorus *lib.* 16. 543. At in fine libri occubuisse scribit, Olympiadis centesimæ decimæ anno tertio. *f.* 556.

Archidamus, rex Spartanus, rogantibus sociis, quantum pecuniarum foret satis ab bellum Peloponnesiacum, scienter respondit: Bellum ordinaria non quærere. In aliis hujusce Dictionarii editionibus *ordinata* legas, propius ad mentem Plutarchi, apud quem τεταγμένα legitur, *in Agide & Cleomene.*

Archidamus, princeps Lacedæmoniorum, Telidis fil. Methonem ad Atheniensium exercitum deficientem recepit, in bello contra Pylum primus è navi prosiliens, nec vulneratus est, nec scutum dimisit; denique adversus Amphipolim strenuè decertavit. Insimulatus postremò, quòd Thraciæ regis amicitiæ studeret, damnatus est. Suidas.

Archidamus, episc. Vid. Athanas. *apol.*2. Baron. An. 347.

Archidamus, filius Agesilai, qui subsidiarias duxit copias Cleombroto ad Leuctra. Diod. XV. 486. m. Alterum cornu in prœlio Leuctrico tuitus, in quo cæsus est.

Archidamus, fil. Anaxidami. Item, fil. Xenii Theopompi, item & Zeucidami, qui Platæas occupavit.

Archidas, Atheniensium dux nomine, sed reipsâ tyrannus, à suis est interfectus. Plut. *in Agesilao.*

Archidemia, fons Siciliæ. Plin. 3.8.

Archidemus, Dialecticus, apud Cic. *in Lucullo.*

Archidemus, Philosophus Stoicus, sponte ad Parthos exulatum iit, successoribus Babylone relictis. Plut. *de exilio.*

Archidium, Cretæ urbs. Pausan.

Archidona, opp. Hisp. in Andalusia, prope confinia regni Granatensis. Parvum & in edito colle. Item oppidul. Americæ meridion. in Peruvia, & prov. Canela, versus Napum fluv. & Abulam, opp. Paucis constat incolis.

Archigabus, Sacerdotum Cybeles, magnæ matris Deorum, antistes dicebatur, quem adeò ingeniosè ridet Tertull. *in Apol. c.* 25. *& de R.C.c.*17. ut & Julius Firmicus.

Archigenes, medicus, Apameâ Syriæ oriundus, fil. Philippi, discip. Agatheni, artem hanc sub Domit. Nerva, Trajanoque professus est. Obiit an. æt. 73. Ultimo Trajani. In quem sæpe invehitur Galenus. V. Juvenal. *Sat.*6.

——— *Tum corpore sano*
Advocat Archigenem.

Idem alibi, ——— *Si non eget Anticyrâ, nec*
Archigene. ———

Archigenes, Siculus, Ariciam urbem condidit.

Archigetes vel *Archegetes*, Apollinis epitheton. Thucyd. *lib.*6. Aliis *Argenetes*, Græcis Ἀργυνίτης, cui Camarinenses, qui sacram Soli insulam incolebant, rem sacram faciebant, uti Deo, qui semper exoriens gignitur, quique ipse generat omnia.

Archilaidas Lacon, duxit olim exercitum magnâ cautione & prudentiâ: nam iter ingressurus, etsi ignorabat quid futurum esset; tamen tanquam tale aliquid accidere posset, prædicebat. Vide Polyæn. ubi vocatur *Arxilaidas lib.*2. *f.* 127.

Archile, Pentapoleos regionis in Africa op. Ptol.

Archilochus, poëta Parius, persecutus est Lycamben Socerum suum, quòd ei filiam pactam, nomine Neobulen, alteri collocaverat, eumque ad laqueum ob Jamborum petulantiam in eum scriptorum compulit. Horatius,

Archilochum proprio rabies armavit Jambo.

Idem Ep.6.

Qualis Lycambæ spretus infido gener.

Et *Epistol. lib.* 1.

———*Parios ego primus Jambos*
Ostendi Latio, numeros, animosq; secutus
Archilochi, non res, & agentia verba Lycamben.

Ovid. *in Ibin,*

Tincta Lycambeo sanguine tela madent.

Quintilianus, *Archilochus primus inter eos, qui Jambos scripsere: summa in eo vis, elegantes sane, vibrantesq; sententia, plurimum sanguinis, & nervorum, &c.* Emicuit regnante Romulo, ut ait Cic. *in Tusculanis.* Hujus libros, ob inverecundiam & obscœnitatem, Lacedæmonii ex urbe tolli jusserunt, authoremque eorum in exilium misere. Postremò à quodam, cui nomen Coraci, in bello interfectus fuit; cujus interfectores Delphis arguit Apollo, ob clarissimum ejus ingenium. Herodot. *Clio. seu lib.*1. Cl. Alex. 1. *Strom.* Cyrill. *l.*1. *contra Jul.* Tatian. *contra gentiles.* Cicero 1. *Tusc.* C. Nepos, apud *A. Gellium, l.*17. *c.*21. Plin. 7.29. Item poëta Lacedæmonius, qui Romæ floruit, regnante Tullo Hostilio. Item Nestoris fil. qui patrem in expeditione Trojanâ secutus à Memnone interfectus est. Hom.

Archimedes, Syracusanus geometra, Cardano *lib.* 16. *Subtil.* inimitabilis dictus, sæpenumero invitus ad balnea ductus, dum perungendus in craterem constituerertur, per corporis unguenta, figuras ac lineamenta digito inscribebat. Plut. *in Marcel.* Cic. 1. *Tusc. Qu.* cùm esset in Siciliâ Quæstor, sepulcrum ejus inter vepres invenisse gloriatur. Hic, tanquam Deus terrenus, mechanico artificio sphæram vitream fecit, in quâ mirâ conversione dissimiles motus circulorum visebantur. Claud. *in Epig.*

Jura poli, rerumq; fidem, legesq; Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit.

Marcellus in expeditione Syracusarum interdixit, ne Archimedes unus violaretur, verùm cùm urbs caperetur, & ipse animo, ac oculis in terram defixis, formas Geometricas describeret, ab ignoto milite interfectus est. Erat autem Hieronis Syracusanorum regis propinquus, *unicus spectator cœli, & siderum*, ut Livii de eo 24.34. verba sunt, *mirabilium inventor, ac machinator bellicorum tormentorum fuit.* Julius Firmicus *Mathes.6.3. Hic est Syracusanus Archimedes, qui Romanos exercitus mechanicis artibus sæpe prostravit. Hunc Marcellus in triumpho victoriæ constitutus, ac inter ovantes militum strepitus, laureasq; collocatus lugubri mœrore deflevit.* Quàm subtili ratione, quomodo argenti auro admisti per fraudem mensura deprehendi possit, invenerit, narrat Vitruvius *lib. 9. cap. 3.* & Fannius Poeta vetus *de ponderibus.* Vide plura de illo, apud Valer. M. *lib. 8. cap. 7.* Liv. *lib. 5. dec. 3. & lib. 25. dec. 31.* Vossium *de Scientiis Mathem.* Fuit alius, Grammaticus Trallianus, qui edidit commentarios in Homerum, & mechanica. Suidas.

Archinara, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Archinus, Ἀρχῖνος ἐν Θεσσαλικοῖς adducitur à Pindari Schol. *in Pyth. Od.* 3.

Archinus, cùm Argivi arma cunctis civib. publico sumptu fabricarent, procurator ejus officii designatus, singulis civibus nova arma largiens, vetera, quasi Diis suspensurus, accipiebat: Etenim sic decretum fecerant Argivi. Postquam omnium vetera arma solus collegit, armatis mercenariis inquilinis, Argivorum tyrannidem invasit. Polyæn. *lib.* 3.

Archinus, Rhetor quidam Athen. qui Poëtis à Magistratibus constitutas mercedes intercepit & consumsit. Schol. *in. Aristoph. Ranas, Act.* 1. *sc.* 7.

Archion, locus juxta Byzantium, qui *Agros Phocas* nunc dicitur. Pet. Gyllius.

Archipelagus, pars Maris mediterr. inter Græciam & Asiam minorem. Vid. *Ægæum mare.*

Archipelagus Chilvensis, in Amer. merid. prope oram Australem regni Chiles. Quibusd. Archipelagus Ancudianus. Vid. *Chilva.*

Archipel. S. Lazari, pars Oceani Orient. ob plurimas sparsas Inf. sic dicta; versus Latronum Inf.

Archipel. Maldivarum, pars Oceani Ind. circa Inf. Maldivas, in Asia, versus oram Malabaricam, ubi infinitæ Inf. Vid. *Maldiva.* Sic *Mexicanus*, Vid. *sinus Mexicanus.* Sic *Novi Belgii Archipel.* pars Oceani Borealis, inf. plurimis referta, in Amer. Septentr. inter oram novi Belgii, & Inf. *t' lange Eylandt.*

Archipheracita, פרק pherac in Gemara non *Titulum* tantum sign. sed *prælectionem* simul, & *explanationem* particulæ legis. Inde *Archipheracitæ*, quorum munus erat Legis partes & prælegere populo, & interpretari, iidem sc. qui & ἀρχισυνάγωγοι dicuntur. Grotius.

Archipolis, conjurationis in Alexandrum M. Dymno particeps, quam hic, per Nicomachum, Regi aperuit. Curt. *lib. 6. cap.* 7.

Archippe, Marsorum op. à Marsyâ, Lydorum duce, unde *Marsiglia* dict. conditum, quod lacu Fucino haustum scribit Plin. 3. 12.

Archippus, Archon Athenis.

Archippus, nomen viri, Coloss. 4. 17. & Philem. *vers.* 2. Item Philosophus, qui Thebis Scholas habuit, & Pythagoræ auditor fuit. Alius Comicus Atheniensis, Olymp. 91. de quo vide Voss. *de Poet. Gr. Pag.* 39.

Archirgilum, castrum Scotiæ Septentr. in ora littorali, prope Cathanesiam Urb. Boream versus & in prov. cognom.

Architis, Venus apud Assyrios culta, ut Macrobius testatur *Saturn.* 1. 27. *Adonin* (inquit) *Solem esse non dubitatur, inspectâ religione Assyriorum, apud quos Veneris Architidis, & Adonidis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent.* Plerique suspicantur, hunc locum esse corruptum. Itaque pro *Architidis* Scaliger in Varronem rescribit *Dercetidis*, Robertus Cottonus *Adargidis*, Seldenus *Aphacitidis*, quomodo Macrobium scripsisse, *ausus sum* (inquit) *fere dejerare*, Bocharto tamen recepta lectio frustra sollicitari videtur, cùm in loco Aphacis proximo, nempe super Libanum, spatio ferè medio, inter Byblum, & Heliopolim sitam fuisse *Arcam* urbem ex Ptolemæo constet. A qua Venus dici potuit *Arcitis*, vel *Architis*, additâ aspiratione, ut fit passim in nominibus peregrinis.

Archium, Opp. Hung. Ubi Bosna fluv. hauritur à Savo. Sub Turcis.

Archon, è Ducibus Alexandri Magni, cui post ejus excessum, in divisione Provinciarum, Babylonia est attributa. Diod. XVIII. 628. *f.*

Archontes, novem erant Principes, nempe Rex, Archon, Ptolemarchus, & Thesmothetæ sex, quibus jus omne, quod primò Regum, deinde Archontum fuerat, ita est divisum, ut in eorum manu & potestate tota esset Atheniensium Resp. Post Codrum instituti, primùm perpetui, à Medonte ejus fil. usque ad Alcmæonem, Olymp. 6. Dein decennales. Annui tandem Olymp. 22. Pausanias, Justin. Euseb. *Chron.* &c. Ante Solonem suffragio eligebantur: at ille, forte ut id fieret, instituit, ita tamen, ut postquam lecti essent, in Senatu quidem excuterentur, in Comitiis populi probarentur. Apud Archontem verò à rege, & sociis separatum, lites intendebantur de mala tractatione, ebrietate, rerum divisarum electione, tutelâ pupillorum, hæreditatibus &c. Quinetiam idem curator erat mulierum, quæ post mariti mortem prægnantes esse viderentur. Lysias, Demosthenes, Pollux.

Archontici, Valentinianorum secta, universitatem, quam Deus condidit, opera esse Principum seu ἀρχόντων dicebant. Negabant resurrectionem carnis; Baptismum, & Cœnam Domini prorsus abjiciebant, de crudelitate Sabahoti Dei in 7. cælo, &c. plurima nugati. Vide Theodoretum, Epiphan. *hær.* 40. August. *hær.* 20. Baron. & Godeau, An. C. 175.

Archylus Thurius, inter duces Dionysio superiori datis militum selectis, noctu, scalis Motyes collapsis domibus applicitis, urbem cepit; proptereà à Dionysio mille minis honoratus est. Diodor. *lib.* 14.

Archytas, Mitylenæus musicus; cui cùm proprium daretur, quòd non exaudiretur, respondit, *Instrumentum pro me loquitur.* Fuit etiam alius agriculturæ scriptor, tertius poëta Epigrammatarius. Diogenes Laërtius *in vita Platonis, lib.* 8.

Archytas, Hestiæi, sive, ut alii, Mnesarchi filius, Philosophus Tarentinus, professionis Pythagoricæ, astrologus, & geometra, quemadmodum eum *Maris & terræ, numeroq; carentis arenæ Mensorem* Horatius appellat, *Carm.* 1. *od.* 28 Meminit ejusdem Cic. *lib. 3. de Orat.* Platonem, cujus in Geometria discipulus fuerat, per literas monuit, ut è Sicilia discederet, quòd Dionysius de eo necando cogitaret; septies ob virtutem Tarenti Rector, cùm aliis munere hoc non nisi per annum fungi liceret. A Cardano, *Subtilit. l.* 16. inter 12. subtilia ingenia numeratus. Cubum primò invenit. Ligneam columbam volatilem fecit. Gellius 9. 12. Voss. *Mathem. c.* 13. 46. & 48. §. 5. 7. & 1. Primus platagen, hoc est, crepitaculum puerorum invenit, quò pueros nunquam quiescentes detineret, & à periculosioribus ludis avocaret. Hinc factus est locus proverbio, ut desipientes, & puerilia tractantes *Ad Archytæ platagen* recidisse dicamus. Diogenianus, Ἀρχύτου πλαταγή, ἐπὶ τῶν ἡσυχάζειν οὐ δυναμένων, ὁ γὰρ Ἀρχύτας τέκτων ὢν ἐπενόησε πλαταγήν, ἣν ἐδίδοσαν τοῖς παιδίοις, ἵνα μηδὲν τῶν κατὰ οἰκίαν διασαλεύωσι. Mundum ingenitum & incorruptibilem, hominumque genus sine ullo ortûs principio ab æterno fuisse somniavit. Vid. Diog. Laërt. *in ejus vita, lib.* 8. & Censorinum *de die Natali cap.* 4. Periit naufragio, sicut locum ipse indicat apud Horatium, ubi suprà:

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.

Inter scriptores R. R. Archytam Varro & Columella memorant.

Arci, Hisp. Tar. op. quod hodie *Harisa* dicitur, ex antiquâ inscriptione ejusdem loci. Clusius. Hoc *Arsi* Ptolem. *Arci* verò, *Arcos*, potius est inter Harizzam & Medinam cœli. Vid. *Arcobriga.*

Arciaca, vulgò *Archy*, opp. Gall. Celt. in finibus Trecensium; 5. leuc. à Trecis in Boream, ad fluv. *Albam*, & vulgo *Arcis sub Aube* dicitur, in Campan. prov. Baudr.

Arcilacis, op. Hisp. geminum Ptol. Unum in Bætica, *Alcala Horra*, teste Moletio. Aliis *Lora*, vicus in regno Granat. vel *Hardales* in Andaluf. Alterum in Bastitanis, *Archisana* eidem Moletio: cui non satis fido, cùm nullus Hisp. author illi suffragetur. Quibusdam est vicus *Xarafuel*, ad Sucronem fluv. Baudr.

Arciroessa, civitas Heracliæ in Ponto. Steph.

Arcissa palus, vulgò *Lac de Vastan*, palus Armeniæ maj. non longè ab Arthemita, versus montes Caspios, & confin. Mediæ. Aliis *Arsissa* & *Arsanius fluv.*

Arciva, Daciæ opidum. Ptol.

Arclovium, Urbec. Hiberniæ, in Lagenia & Comit. Caterlogensi, ad ostia fluv. Durii, non longè à mari, cum castro Ducis Ormondani.

Arcobadara, urbs Daciæ, ad Tyram fluv. N. Sanson. fortè *Chotezin* nunc, in Moldavia Septentr.

Arcobriga, urbs Hisp. gemina. Ptol. Primam in Lusitania ponit, *Alcafor* Moletio, ubi nunc *Laura*, oppidul. prov. inter Tagum & Aram. Baudr. Alteram in Tarraconensi Celtiberorum regione, hodiè *Arcoz.* Vide Ferrarium. Ad Salonem fluv. Deficit in dies. Baudr.

Arcona, Rugiæ insulæ metropolis, in promontorio excelso Wittovia, in regione Monæ Danicæ collocata. Expugnata est & deleta à Waldemaro, primo Daniæ rege, anno 1168. quo Rugiam imperio Danico subjecit. Veteris nominis vestigium locus adhuc retinet, *Orkunde* ab incolis dictus. Metel.

Arconesus, inf. Cariæ. Steph. alias *Aspis* dicta.

Arctanes, gens Epirotica. Steph.

Arctica regiones, aliter *Terræ Arcticæ*, vel *Boreal.* V. ibi.

Arctinus

Arctinus, Milesius, Poëta, Homeri discip. Vixit Olymp. 3. & 9. magnâ apud Vett. gloriâ. Dion. Halic. *lib.* 1. Cl. Alexandr. *Stromatum lib.* 6. Suidas.

Arcton, ins. Cyzicus ita vocabatur. Steph. à Jovis nutricibus, quas illic in ἄρκτους, id est, *ursas* migrasse tradunt. Ἤ ὅτι ὁ τόπ☉ ἐνθηρ☉, κὶ ἀπὸ ϖ θηρίων τῆς ἄρκτου ὠνομάσθη, ἢ διὰ τὸ ὑψηλὸν ϖ ὄρους (erat enim mons Cyzico incumbens) ἀπὸ ϖ δοκεῖν ταῖς ἄρκτοις ϖροσπελάζειν ταῖς ἀστρῴοις. Τοῦτο δὲ ἄγριοί τινες γηγενεῖς ᾤκουν, Schol. Apollonii.

Arctonnesus, op. Milesiorum ad Propontidem, quod alio nomine *Cyzicus* vocabatur.

Arctophylax, sidus juxta majorem ursam, alio nomine *Bootes*. Cic. *in Arateis*:

Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes.

Aratus ipse,

Ἐξόπιθεν δ' Ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικὼς
Ἀρκτοφύλαξ, τὸν δ' ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην,
Οὕνεχ' ἁμαξαίης ἐπαφώμεν☉ εἴδεται ἄρκτου.

Latinè *ursæ custodem* dixeris. Ovid. 3. *Fast.*

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes.

Arctos, mons juxta Propontidem, quem semiferi & horrendi gigantes ex terra geniti incolebant, quos etiam Thessalos fuisse dicit Deilochus: Apollonius verò, in Herculis perniciem, à Junone fabulosè scribit creatos. Fabulæ à leone Nemeæo genitos volunt. Polygnostus verò prædones eos fuisse scribit. Hi assiduè cum Cyzicenis bellum gerebant.

Arctos, pro duobus signis cœlestibus accipitur, quæ Septentrionali polo, velut axe quodam nixæ, Arctico Circulo clausæ, & ita collocatæ, ut utraque resupinata alterius caput contingat; sed caput ejus, quæ superior est, ad caudam inferioris contendat. Alteram majorem ursam, sive Cynosuram, id est, *Canis caudam* vocant; alteram minorem. Hanc Phœnices, illam Græci nautæ observant. Aratus, ubi *de duabus Ursis*:

Οἱ τὴν μὲν, Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι,
Τὴν δ' ἑτέρην, Ἑλίκην. Ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν,
Τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι, περόωσι θάλασσαν.

Ovid. *Fast.* 4.

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis, Helicen Graja carina notet.

Idem *Trist.* 4. 3.

Magna, minorq; feræ, quarum regis altera Grajas,
Altera Sidonias, utraq; sicca, rates.

Val. Flac. *lib.* 1.

——*Neque enim in Tyrias Cynosura carinas*
Certior, aut Graiis Helice servanda magistris.

Harum Virgilius meminit, *Georgicorum lib.* 1.

Maximus hic flexu sinuoso labitur Anguis
Circum, perq; duos in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Complicat hic Anguis duas Ursas, minorem Cynosuram collo & capite, majorem Helicem caudâ; ita Hyginus Aratus quoque *in Phan.*

Οὐρῇ παρ κεφαλὴν Ἑλίκης ἀναπαύεται ἄρκτου.

Et posteà, *de Cynosura*:

———Ἡ δὲ κατ' αὐτὴν
Εἱλεῖται κεφαλήν.

Manilius *lib.* 1.

Majoremq; Helice major decircinat arcum,
Angusto Cynosura brevis torquetur in orbe.

Quæ autem de comparatione fluminis scribit Poëta, sumit procul dubio ab Arato, sic enim ille:

Τὰς δὲ δι' ἀμφοτέρας, οἵη ποταμοῖο ἀπορρὼξ
Εἱλεῖται (μέγα θαῦμα) δράκων περί τ' ἀμφί τ' ἐαγὼς
Μυρί☉.

Quos versus ita reddidit Cicero:

Has inter veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvu', draco serpit subter supraque revolvens
Sese, conficiensq; sinus è corpore flexos.

Germanicus Cæsar verò sic vertit:

Has inter medias, abrupti fluminis instar,
Immanis serpens sinuosa volumina torquet,
Hinc atque hinc superatq; illas mirabile monstrum.

Denique Festus Avienus,

Inter utramq; dehinc præclari nominis Arcton
Ceu circumflexo sinuantur flumina lapsu,
Squameum agmen agens Draco volvitur, atq; obit ambos
Spirarum curvis anfractibus.———

Porro Seneca ad imitationem Arati, *in Medea*:

Huc ille vasti more torrentis jacens
Descendat Anguis, cujus immensos duæ
Major Minorq; sentiunt nodos feræ.

Et *in Thyeste*,

Et qui medias dividit Ursas
Fluminis instar lubricus Anguis.

De flumine tacuit Vitruvius 9. 6. *Serpentis, qui est inter Arctos, qui Septentriones dicuntur, implicatus.* Tacuit etiam Silius Italicus *lib.* 3.

Quantus non aquas perlustrat flexibus Arctos,
Et geminum lapsu sidus circumligat Anguis.

Allusit fortè Manilius *lib.* 1. nam usus est verbo *interfundo*, quod aquarum proprium:

Has interfusus, circumq; amplexus utramq;
Dividit, & cingit stellis ardentibus Anguis.

Et *lib.* 5. pari aquarum verbo:

Illinc per geminas Anguis qui labitur Arctos.

Denique consentiunt omnes, plus vidisse Virgilium hoc loco, quàm Homerum. Impingit enim ille (notante *de la Cerda*) in duplicem scopulum. Nam & Ursam in singulari numero nominat, cùm duæ sint: & addit *solam*, cùm & aliis stellis id contingat, quæ circa illas. Sic enim ille *Odys.* 5. Οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο. Ab utroque cavit Virgilius, & *Arctos* dixit in plurali, neque *solas* dixit, ne stellas alias excludere videatur. Eustathius tamen Homerum defendit, itemque Aristoteles *lib.* 1. *de arte Poët.* Τὸ Οἴη δ' ἄμμορ☉, κὶ μεταφορὰν, τὸ γὰρ γνωριμώτατον, μόνον. Et sanè Ovidius Homerum imitatur *Met.* 13.

———*Immunemq; æquoris Arcton.*

Itemque Manilius, ubi *de Ursa*:

Nunquam tincta vadis, sed semper flexilis orbe.

Arcturus, Stella in signo Bootæ, post caudam majoris ursæ, cujus ortus & occasus futuras tempestates portendunt. Horat. *Carm.* 3. *Od.* 1.

Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis hœdi.

Et ante eum Plautus *in Rudente*:

Arcturus signum sum omnium quàm acerrimum,
Vehemens sum cùm exorior; cùm occido, vehementior.

Oritur à Canicula ferè post dies 50. Sic dictus παρὰ τὴν τῆς ἄρκτου οὐράν, hoc est, ab Ursina cauda. Hesychius, Ἀρκτοῦρ☉, ἀρκτῶ☉ τόπ☉, διὰ τοῦ κὶ οἱ ἑπτὰ ἀστέρες ὁμοῦ καλεῖται ἀρκτοῦρ☉, ἐπειδὴ ἐπὶ τὸ ἄρκτῳον κεῖνται. Λέγεται κὶ ἅμαξα. Suidas, Ἀρκτοῦρ☉ δὲ λέγεται κὶ αὐτὸς ὅλ☉ ὁ Βοώτης. Ἰδίως δὲ κὶ ὁ ὑπὸ τὴν ζώνην αὐτοῦ ἀστήρ, λέγεται κὶ Ἀρκτοφύλαξ.

Arcuatum, vulgò *Arqua*, vicus Liguriæ, ad Scriviam fluv. sub Genuensib. Ad radices Apennini & in confinio Ducat. Mediolanensis.

Arculus, Deus est, penès quem fuit arcarum custodia.

Arcus, oppidul. Tridentinæ Diœc. ad Sarcam fluv. qui paulò pòst cadit in Benacum lacum. 14. m. p. à Tridento in occas.

Arcus, Urbs Bæt. Hisp. Vid. *Arcensium col.*

Arcus, seu *Cœnus* fluviol. Galliæ, in Provincia. Aquas Sextias alluit, & postea in mare Mediterr. se exonerat, ad Astromelam sinum. Item Lacus Scotiæ Septentr. in Loquabria prov.

Arczisz.evius Christophorus, vir illustri, in Polonia, familiâ natus, præclaram Belgii Confœd. Ordinibus in America operam navavit, circa An. 1630. Ei in regimine & Præfectura Brasiliæ, successit Mauritius Nassovius.

Ardabigara, Assyriæ op. & gens. Procopius.

Ardabutius, Consul Rom. Hierii collega.

Ardalus, Vulcani fil. quem tibiam adinvenisse, & ab eo Musas dictas *Ardalidas*, *Ardaliotidas*, scribit Pausan. & Steph. Vid. Rhod. 27. 16. Inde Hesychius Ἀρδαλίδες, αἱ Μοῦσαι.

Ardania, Ægypti regio supra Parætonium. Strabo.

Ardanis, Marmaricæ promuntorium. Ptol. *Capo Rameda* vulgò dicitur.

Ardaricus, Gepidarum rex, junctus Ostrogothis, vicit in Pannonia Ellac, Chaba & Dincionem, Atilæ filios, de successione dissidentes, ac in Barbariam repulit. Jornandes *de rebus Goth.* An. C. 455.

Ardatum, Urbs Hibern. in Momonia prov. & Kerriensi Comitatu. Briet.

Ardaxanus, fluv. Illyriæ circa Lissum Urbem. Polyb.

Ardea, Ulyssis & Circes fil. Steph. in Ἀρδέα. Item Persiæ urbs Ptolemæo & Ammiano Marcellino.

Ardea, urbs in Latio, à Danae, secundùm quosdam, condita, Turni & Rutulorum regia, quasi *Ardua*, id est, *magna & nobilis*, teste Servio, *in illud Virg. Æn.* 7.

———*Locus ardea quondam*
Dictus avis, & nunc magnum tenet Ardea nomen.

Hyginus ab augurio avis Ardeam dictam tradit. Alii verò à fervore regionis. Mart. 4. 60.

Ardea solstitio, Pæstanaq; rura petantur,
Quique Cleonæo sidere fervet ager.

Ubi etiam morbosum locum *Ardeam* fuisse discimus. Strabo *l.* 5. Κᾶσα δ' ἡ Λατίνη ἐστὶν εὐδαίμων, κὶ παμφόρ☉, πλὴν ὀλίγων χωρίων, τῶν κὶ τὴν παραλίαν ὅσα ἑλώδη κὶ νοσερά, οἷα τὰ τῶν Ἀρδεατῶν. &c. Hinc illud Senecæ *Epist.* 105. *Quæ observanda tibi sunt, ut tutior vivas, dicam. Tu tamen sic audias, censeo, ista præcepta, quomodo si tibi præciperem quâ ratione bonam valetudinem in Ardeatino tuereris.* Hanc urbem, post Turni mortem, igne consumptam, & in avem sui nominis commutatam fabulatur Ovid. *Met.* 14. *fab.* 9.

Cadit

———*Cadit Ardea, Turno*
Sospite, dicta potens, quam postquam barbarus ignis
Abstulit, ac tepidâ jacuerunt tecta favillâ,
Congerie è media tum primùm cognita præpes
Subvolat, & cineres plausis everberat alis:
Et sonus, & macies, & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque mansit in illa
Urbis, & ipsa suis deplangitur Ardea pennis.

Nunc in ruinis jacet. Manet tantùm castrum Marchionatus Cæsarinæ gentis in ora maris Tirrh. long. 36.25. lat. 41.30.

Ardea, amnis Gall. in Normannia prov. In Oceanum Britannic. se exonerat, prope Abrincas. Aliis *Arduus*.

Ardebila, Urbs Asiæ, in Persia, versus mare Caspium, in prov. *Servan*. Ibi visuntur multa sepulchra Persiæ Regum. Urbs perampla & sine muris. Olear.

Ardeburus, Dux exercitus Theodosii Jun. Persas vicit, dein in Italiam missus, contra Joannem tyrannum, ab hoc captus, & Ravennæ in carcere detentus est. Hinc verò à filio Asparo mirabiliter liberatus incolumis evasit. Socr *lib.* 7. Theodoret. *l.* 5.

Ardeburus, an idem cum præcedente? in Aula Leonis Imper. adeò potens, ut filio Ardeburi filiam suam Imper. despondérit; qui postmodum hujus insolentiam non ulterius ferre certus, Zenoni Isaurio illum interimendum tradidit, filio ejus in exilium pulso. An. C. 470. Marcellin. *Chron.* Niceph. *lib.* 15. *c.* 27. Evagrius, *lib.* 2. *c.* 16.

Ardeca, vulgò *Ardesche*, fluv. Galliæ in prov. Vivariensi. Albenacum alluit & in Rhodanum cadit, supra Pontem Sancti Spiritus.

Ardelica, item Piscaria, urbs Italiæ permunita, in dit. Venetorum, ad lacum Benac. Baudr.

Ardemburgum, oppidul. Flandriæ, sub Batavis, ab An. 1604. à Gallis 1672. frustra tentatum.

Ardericus, Hiberniæ turbo, qui, spretis consuetudinibus Ecclesiasticis, etiam fœminas, puerosque caput tondere coëgit. Insulâ pulsus. A. C. 1053.

Ardesia, Hibern. regiuncula, in Ultonia prov. ad lacum *Coyn*, in Dunensi Comit. in modum peninsulæ extensa.

Ardiæi, Illyriæ pop. Strabo *lib.* 7. Civitas eorum *Ardia*. Steph. Vid. *Varalii*.

Ardices, Corinthius pictor fuit. Plin. 35. 3.

Ardila, amnis Hisp. In Anam se exonerat, infra Olivenzam Urb. ad Muram, oppidul. Lusitaniæ. Oritur in Andaluzia.

Ardinacha, Vid. *Armacha*.

Ardinium, civitas in campo Thebæ. Stephano Ἀρδύνιον dicitur.

Ardiscus, teste Aristarcho, Scythiæ flu. cujus meminit Herodotus *Musâ* 4*tâ*.

Ardistama, Galatiæ op. Ptol.

Ardium, ut Xylander legit apud Strabonem, Græca Ἄρδιον habent, mons est, qui Dalmatiam mediam secat. Hic, teste B. Rhenano, sub Juliarum Alpium nomine, à Sexto Rufo describitur. Quibusd. *Rosas* nunc dicitur.

Ardmoria, urbec. olim, nunc vicus Hibern. in Comit. Waterfordiensi, cum portu in ora Momoniæ.

Ardon, Lat. *imperans*, vel *descendens*, fil. Caleb. 1. Par. 2.

Ardonea, civitas Apuliæ. Livius.

Ardotium, Illyrici op. Ptol. hodie *Magonicha*. Nigro.

Ardra, vulgò *Ardres*, Galliæ Urbec. in Picardia, permunita, in paludibus.

Ardracum, opp. Hibern. in Ultonia prov. & Comit. Lugensi, ad fluv. *Ardram*, *Ardre*. Item, Urbec. Hibern. in Connachtia prov. & Comit. Lonfordiensi.

Ardstinus, fluv. Scotiæ merid. in Gallovidia prov. In Glottæ æstuarium & mare Hibern. se exonerat, prope *Ardstinsel* oppid. ex adverso Araniæ Inf.

Arduba, Dalmatiæ op. à Tiberio expugnatum. Dio. 56. Dein Teninium Croatiæ. Baudr.

Arduenna, Galliæ totius maxima silva, quæque ab ripis Rheni, finibusque Trevirorum ad Nervios pertinet, millibusque amplius quingentis in longitudinem patet, uti describit & æstimat Cæsar *lib.* 6. *de bello Gall. cap.* 29. Gallicè *La forest d'Ardenne*, cujus magna pars in ditione Leodiensi, in duc. Lucemburgensi, & in Eyfalia regione perseverat.

Arduinus Marchio, in Italia Regem se fecit An. 1005. ab Henrico 2. Imp. quem primò in fugam conjecerat, tandem victus, ac omni potentiâ exutus, An. 1015. Sigon. *lib.* 8. Fabric. *in Chron. Frising. l.* 6.

Ardulfus, Northumbriæ R. à subditis pulsus Caroli M. & Leonis 3. ope imploratâ, paulò post restitutus est. An. C. 808. *Annales Franc.*

Ardurna, opp. Scotiæ Septentr. cum fluv. cognom. in comitatu Srathnaverna, non longè à Virvedro prom.

Ardyenses, circa Rhodanum gens. Polyb. 3.

Ardys, Gygis fil. Lydorum regis, cui etiam in regno successit. 19. Rex, ab Argone Heraclida, regnavit 36. an. Euseb. in Chron. Herodotus, eum Milesiis bellum intulisse, & 49. an. regnasse ait, *l.* 1.

Are, regio Arab. Fel. & inf. in sinu Arabico. Ptol. long. 80.00. lat. 14.26.

Area, Minervæ epitheton, id est, *fortis* & *strenua*, cui apud Platæenses, ex Marathoniæ pugnæ manubiis, templum ædificabatur.

Area, nomen viri Neh. 6. 18. Esdr. 2. 5. Lat. *via* sive *semita*, aut *viator*, vel *odorans*, sive *annona*.

Area, sive *Aria*, inf. Ponti Colchos versus Marti sacrata. Item fons in Thebis, cujus accolæ *Arii* Stephano dicuntur.

Areacidæ, Numidica gens. Polybius.

Arebrigium, pagus Salassiorum ultra Augustam Prætoriam in Alpibus Graiis, *Burus de la Duile*, Simlero teste. Aliis *Erenburus* pagus ejusdem tractûs, quod magis probatur, LLoydius. Nunc *Monago* vicus, Brietio.

Areburgium, vicus inter Treviros & Coloniam Agrippinam, *Arensburg* Simlero. Ad amnem *Aer*, estque principatus S. R. I.

Areca, Syriæ urbs in Commagena. Ptol.

Arecloa, Urbs Hibern. Vid. *Arclovium*.

Arecomici, pop. Gall. Narbon. Volcis proximi; *Aricomii* Ptolemæo, *Aricomisci* Straboni, quorum urbs est Nemausus, Gallicè *Avignon*, aliis *Nismes*. Vid. *Volcæ*.

Ared, filius Benjamin. Genes. *c.* 46. Latinè *imperans* vel *descendens*.

Aredate, Austriæ op. Ptol. *Lintz* hodie dicitur.

Aresa, Phœniciæ urbs. Lib. Notit.

Aregia, Hispaniæ Tarrac. urbs. Isidorus. *Amaya* hodie.

Aregon, pictoris nomen. Strabo *lib.* 8. In Alpheoniæ Dianæ templo (inquit) Cleanthis & Aregontis picturæ visuntur, hominum Corinthiorum; Alterius quidem Trojæ captivitas, & Minervæ natalia; Alterius, Dianæ in cunis deportatio; opera laude plurimâ celebrata.

Aregonis, Mopsi mater. Orpheus *in Argonauticis*:

Καὶ Μόψον Τιλάρηθεν, ὃν Ἄμπυκι νυμφευθεῖσα
Χαονίην ὑπὸ φηγὸν Ἀρηγονὶς ἐξελόχευσε.

Areius, Argonauta. Orpheus,

Λαοδόκος Ταλαὸς καὶ Ἀρεῖος, ἠοὶ ἀμώμοι,
Ἦλθον Ἀβαντιάδαι περιώνυμοι, οὓς τέκε Πηρώ.

Arelatum, urbs nobilis Archiep. Gall. Narbon. secundùm quosdam ab Arulo, Priami nepote, vel ab Areli, filio Gad. Gen. 46. 16. condita: Phocensibus aliis ejus originem tribuentibus, eo tempore, quo etiam Massilia extructa. *Sextanorum Colonia* Plinio, quòd è sexta legione milites coloni eò deducti sint, quam Strabo ad Rhodanum sitam amplissimo emporio insignem esse scribit. *Multarum civitatum decus* vocat Marcellinus. Vid. Melam, *lib.* 2. *c.* 5. Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Ptol. *lib.* 2. *cap.* 10. Strab. *lib.* 4. Sueton. *in Tiberio*, *c.* 4. Cassiod. *lib.* 8. *ep.* 11. Paulin. *lib.* 6. Greg. Tur. *lib.* 9. *c.* 39. 40. & 42. Fortunat. *l.* 5. *c.* 2. &c. præter Cæs. Procop. Prosperum, aliosque innumeros. *Constantia* olim à Constantino Imp. denominata est, uti docet *Ausonio suo* Scaliger. *Mamiliaria Colonia* dici putabatur in vet. Inscriptione, teste Ortelio. Ubi tamen Pontanus *Mamillaria* legendum ariolatur; quia Festus Avienus, in *Ora maritima* ait, *Arelatem* dictam incolis olim Græcis *Thelinen*, quod quid aliud quàm *Mamillaria*? θηλὴ enim *mamilla*. Versus Avieni sic se habent;

Arelatus illic civitas attollitur,
Theline vocata sub priore seculo
Graio incolente.———

Causa ejusce appellationis duplex; Forma urbis, & rerum omnium, annonæque præsertim singularis ubertas. Huc fortasse respexit Ausonius, *Gallulam Romam* nuncupans. Sic enim ille *in Catalogo:*

Gallula Roma Arelas, quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.

Roma enim sonat *mamilla*. Ab illa *rumâ* dicti *Romulus* & *Remus*. Plut. Fest. *Arelate* Straboni dicitur, Vel ab *Arislas*, Gr. quasi *Martis populus*, vel ab *Ara lata*, vel linguâ Britannicâ, quasi urbs in loco paludoso extructa. Gassend *in vita Peirescii*, *p.* 89. Vid. infra. hodiè *Arles*. Reges olim habuit; Postremus eorum nomine Boso, cùm Episcopo, quòd se non expectasset in nocte Nativitatis Domini, alapam impegisset, ab Othone Imp. regno exutus & in cœnobium detrusus est, ex quo tempore regnum Arelatense cessavit, & Romano imperio adnexum est. Vid. infra. De nominis origine Bochartus: *Laith*, inquit, Britannis est *humiditas*, planè ut Ebræis לחות *Lauth*; unde *Arelates* nomen Camdenus ita deducit, *Arelate celeberrima Galliæ urbs solo uliginoso, & humido posita ab ipso situ nomen sumpsisse videtur. Ar enim Britannis super, & laith humidum significat.* Ad Orientalem Rhodani alveum, ubi ex adverso incipit regiuncula feracissima, *la Camargue* vulgò dicta. long. 29. 29. lat. 42. 45. Addam hujus urbis historiam ex Morerio, quæ paucis sic habet. Primitus Colonia fuit Rom. dein Sedes Præfecti prætorii in Gallia, ubi singulis annis septem provinciarum conventus agebatur. Constantinus M. postmodum Imperium in Gallia ibi constituit, ut & Constantinus tyr. Majoranus & Avitus. Deficiente Imperio R. à Regibus Burgundiæ occupata est. Theodoricus dein Visigothorum R. ibi diu sedit, urbemque egregiis ædificiis ornavit.

Boso primus Rex Arelatensis, circa An. 879. cum fil. Ludovico, regnum hoc 43. an. possedit. Quod post Hugonem 3. transiit ad Rodolphum 2. Burg. Regem, cui Conradus Pacificus successit, quem Rodolphus 3. *Ignavus* excepit. Cujus nepte ductâ, Henricus 2. Imper. hoc regnum tenuit. Post varias vicissitudines tandem, ad Principes Andegavenses, Comites Provinciæ, pervenit, A.C. 1257. usque ad A. 1481. quum ultimus Carolus omnes ditiones suas, in Ludovic. 9. Galliæ R. transtulit. Visuntur hodieque illustria hic Antiquitatis monumenta, Amphitheatrum 60. arcubus insigne, plurimique aquæductus. Patria fuit Phavorini Phil. Ambrosii aliorumque clarissimorum Virorum; sedes Academiæ, nuper admodum, ibi erectæ. Trophimus, primus urbis hujus Episcopus fuit, circa An. C. 69. Vid. Lætum, *Compendio hist. Univ. p.* 32. *edit. an.* 1653.

Concilium ibi habitum Anno 314. contra Donatistas, præsente Imper. Constantino. Dein ab Arianis aliud celebratum, Anno C. 353. quo Paulinus Episc. Trevirensis damnatus, quòd depositioni Athanasii subscribere recusaret. Sequentibus temporibus alia plura ibi habita, quæ non magni momenti. Vide Concilia Franciæ, Sanmarth. *tom.* 1. Saxy *histor. Eccl. Arelatensis.*

Arellius, celebris Romæ pictor, paulo ante D. Augustum, nisi flagitio insigni corrupisset artem, semper alicujus fœminæ amore flagrans, & ob id Deas pingens sub dilectarum imagine. Hæc Plinius 35. 10.

Aremberga, Comit. Imperii, Juliacensi & Coloniensi regioni vicinus.

Arembus, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Aremorica, Gall. reg. quæ nunc Aquitania. Plin. 4. 17. quia maxima pars pop. ejus ad Oceanum accolebat. pop. *Aremorici*. Dalechampius apud Plinium legit *Arecomica*, quæ *Armaignac* Marliano.

Aremorica, vulgò *la Bretagne*, Galliæ prov. Vid. *Armorica*.

Aremulus Sylvius, qui & *Remulus*, Agrippæ fil. 12. Latinorum rex, regn. an. 19. Præsidium Albanorum, ubi nunc Roma est, posuit: ob impietatem fulmine ictus interiit. Orosius l. 20. V. *Alladius*.

Arena, sive *Arene*, civitas Triphyliæ & Messeniæ in Peloponneso, quam Hom. ἐρατεινὴν, id est, *amœnam* vocat. Meminit ejus & Stephanus.

Arenacum, Tacito Germ. urbs, permunita & elegans, in Geldriæ ducatu hodie *Arnhem* dicta, uti Divæus & Rhenanus tradunt, in ea Geldriæ parte, quæ Velavia dicitur. 2. leuc. à Noviomago in Bor. totidem à Doesburgo in Occ. Ab an. 1585. sub Hollandorum dominio, quibus bello Gallico erepta An. 1672. sed recepta est An. 1674. long. 27. 20. lat. 52. 02.

Arenæ Olonenses, opp. marit. Galliæ in Pictaviensi provinc. ubi periti nautæ. Vid. *Olona*.

Arenates, Hispaniæ pop. teste Morali.

Arenda, Lyciæ urbs. Ptolemæus.

Arene, Messeniorum urbs in Peloponneso. Strabo. Meminit ejus Plinius, & Pausanias, qui addit *Oebaliam* postea nuncupatam. Schol. Apoll. Rhodii dicit ex Pisandro *Hierona* quoque dictam. *Samicum*, Heroum tempore, aut aliquanto antè Arenem vocatam fuisse, Pausaniæ persuasum est. Hesychius simpliciter Ἀρήνη, ὄνομα πόλεως. Vide *Arena*.

Arenosum litus, Corsicæ urbs. Ptolemæo ἀμμῶδες. *Lajero* hodie Pineto dicitur.

Arensberga, Urbs Westphal. ad fluv. Roer, in ditione Electoris Col. paucorum incolarum.

Arensburgum, oppidul. præcipuum Inf. Osiliæ, in mari Baltico, juris Suecici, cum castro permunito, in ora Orientali Inf.

Arensium, vulgò *Arleux*, oppidul. Belgii in Artesia prov. & Flandriæ confin. Aliis est *Arusium*, bello nuper deformatum.

Arenswalda, opp. Germ. in nova Marchia Brandeburgica juxta lacum *Slavin*, in limite Pomeraniæ. Malè nupero bello habitum.

Arentalium, opp. Belgii, in Brabantia, ad Notham fluv. Aliis *Herentalium*, quod vid.

Areobindas, Theodosii Jun. militiæ præfectus, vicit monomachiâ Alamundurum Saracenorum regulum, Varani Persæ militantem, circa An. 421. *Socr. lib.* 7. *c.* 18. Alius è Ducibus Justiniani Imp. feliciter contra Cabadem & Cosroëm Persarum reges, rem gessit, unà cum Petro Notario, & maximè Bellisario. An. C. 528. Procop. *de bell. Pers. l.* 1.

Areopagitæ, Judices Athenienses severissimi, instituti Anno Mun. 2545. vivente Cecrope, eodem anno, quo Aaron Sacerdos S. factus est; à Solone insigniter ornati, Plutarch. De causis capitalibus pronunciabant tantâ integritate, ut noctu, non interdiu judicarent, quòd non dicentes, sed quæ dicerentur, observarent. Cic. *ad Att.* 1. 14. *Romana res sic se habent, Senatus Ἄρειος πάγος, nihil constantius, nihil severius, nihil fortius.* Hi in templo Martis judicabant; quòd, cùm Mars, qui Græcè dicitur Ἄρης homicidii crimine reus fieret, judicantibus duodecim Diis in eo pago, sex sententiis absolutus sit. Alex. ab Alex. 3. 5. & 4. 11. & 6. 11. Cœl. Rhod. 7. 19. Huic Senatui se sistere jussus est S. Paulus, qui unum ex Senatoribus, Dionysium &c. convertit, Act. c. 17.

Areopagus, vicus erat Athenis, à templo Martis ita dictus, ubi primum judicium capitis, Halirrhotio, Neptuni fil. occiso actum fuisse scribit Plinius. *Areum judicium* dixit Tacit. *An.* 2. Juvenali *Martis curia* dicitur:

Ergo occulta leges ut Curia Martis Athenis.

Non tamen id κατὰ λέξιν sonat, sed *Martis collem, saxum*, sive *rupem*. Hesychius, Ἄρειος πάγος, ἐν Ἀθήναις δικαστήριον ἐν τῇ Ἀκροπόλει. E Stephano discimus, Areopagum fuisse Ἀκρωτήριον Ἀθήνησι, quem vide. Quid ageretur in *Areopago*, docet Jul. Pollux. *lib.* 8. ubi de magistratibus Atheniensium. Vid. Salian. *Annal.* Budeum, *l.* 2. *Pand.* Vivem, in Aug. *de C. D. lib.* 18. *c.* 10. Isid. Pelusiotem, *l.* 2. *ep.* 91. Suid. Voss. in *Areopago*, & imprimis eruditissimum Joh. Meursium *sing. lib. de senatu Areopagitico*, ut & Petiti *leges Atticas*.

Areopolis, Arabiæ civitas, quæ & *Moab* & *Ariel*. Palæstinæ urbs est Hieronymo, *Rhabathmona* Stephano, qui eam in Arabia ponit, *Rhabathnia* Ptolemæo est in Arabia Petræa. Populi *Areopolita*, long. 68. 30. lat. 30. 30.

Areos nesos, insula Ponti, juxta Colchos. Steph.

Arequipa, Urbs Americæ merid. in ora Peruviæ regni, sub Archiep. Limensi. Parvi circuitus, sub Hisp. juxta fluv. Quilcam.

Ares, Cyzicenus, cum fratre Melantho, in conflictu nocturno, à Telamone occisus. Flacc. *l.* 3. *v.* 203.

Ares, etis, reg. Eubœæ. Steph. Gentile *Aresius*.

Arescon, vir, quem Licinius Mutianus prodidit visum à se Argis, cui nomen *Arescusa* fuisset, nupsisse etiam, mox barbam habuisse, & ad virilitatem pervenisse, uxoremque duxisse. Plin. 7. 4.

Aresta, Ind. pop. quos *Adrestas* Justinus vocat *lib.* 12. ubi tamen MSS. omnes *Arestas*. Et sic quoque Lucan. 3.

Tunc furor extremos movit Romanus Arestas.

Ubi alii *Orestas, Olostras*, aut *Aresdas*. Grotius tamen *Oretas*. Sunt enim proximi Carmanis (inquit) Ὠρεῖται, apud Strab. *lib.* 15. Sed poëta primam syllabam corripuit, eâ licentiâ, quam in voce *Orion* usurpari cernimus *Prastos* vocat Qu. Curtius malè.

Arestanus, rusticus quidam, cujus capra Æsculapium à matre expositum lactavit, cane custode. Pausan. 2.

Arestor, pater Pelasgi. Vide *Parrhasia*.

Areta, Aristippi philosophi filia, aliis mater, unde μητροδίδακτος dictus, quæ ei successit in schola; summum bonum in ea voluptate, quæ maxime sensum moveret, posuit. Laert. *lib.* 2. Item Dionis uxor in mare viva demersa. Plut. *in Dione*.

Aretæus, Medicus Cappadox, cujus quædam scripta supersunt, Latinitate donata. Quo tempore vixerit, ignoratur. Voss. *de Philos. l.* 13. *&* 12. *§.* 10.

Aretaphila, Melanippi Apollinis, apud Cyrenæos sacerdotis uxor, à Nicocrate tyranno, marito cæso rapta: quæ piâ ultione tyrannum subvertit. Polyæn. 8.

Aretas, socer Herodis Tetrarchæ, Arabiæ Petrææ, & Damasci dominus. Hyrcanum, ab Aristobulo Juniore pulsum, restituere conatus, victo Aristobulo, Hierosolymam obsedit, capturus, ni Scaurus Pompejani exercitus Dux impedivisset. Dein, ob filiam à genero repudiatam, ingens bellum conflavit, Herode sæpius fugato, &c. Hic cùm Damascum attentius custodiri curasset, Paulus à Discipulis prope portam habitantibus, in cophino demissus evasit. 2. Cor. 11. Jos. *Antiq.* 13. *&* 18.

Aretas, Calabriæ fluv. ut ex Etymologo scribit Gabr. Barrius in sua Calabria, qui eum novo nomine *Lipula* vocat. Alluit Umbriaticum Urbem, & posteà in mare Jonium se exonerat. Aliis *Aretus*.

Aretates, Cnidius, Macedonica scripsit, quorum tertium citat Plut. *in Paral. Min. cap.* 11. Reliquit item librum de Insulis, teste eodem Plut. *ibid. cap.* 27. Condidit opus etiam de rebus Phrygiis, ut arbitratur Vossius. Sed pro eo apud Plut. *lib. de Flum.* scribitur Ἀρετάζης, ubi Maussacus censet ex isto scriptore, utrumque Plutarchi Chæronensis locum corrigi debere.

Arete, unica nata Rhexenoris, Alcinoi, regis Phæacum uxor, ex qua Nausicaam filiam ac tres filios suscepit. Λαοδάμας Homero dicitur. Orpheus *in Argonaut.* Ἀρήτη ῥοδόπηχυς, ἰδ᾽ Ἀλκίνοος θεοειδής.

Aretes, hastatorum, quos sarissophoros vocant, in exercitu Alex. M. Dux. Curt. *l.* 4.

Arethas, infer. Syriæ rex post Antiochum designatus; Item vetus Interpres, qui in D. Joannis Apocalypsim commentaria Græce scripsit. Extat cum Scholiastis reliquis ab Oecumenio collectis, Veronæ 1532.

Arethissa, lacus majoris Armeniæ, omnia illata pondera sustinens. Solinus. Straboni Ἀρσηνή. Per hunc Tigris fluv. tam impetuoso cursu fluit, ut nec lacus Tigri, nec Tigris lacui admisceatur. Plinio *Arethusa* dicitur.

Arethon, fluv. Epiri. Cum *Arachtho* idem, nunc *Spagmamurisi* dicitur. Vid. *Arachthus*.

Arethous, rex Arnæ in Bœotia. Fortè leg. *Areithous*.

Arethusa, Nerei & Coridis filia, Elidis nymphæ, & Dianæ comes; quam cùm Alpheus fugientem persequeretur, à Diana in fontem sui nominis commutata est, cujus aquas cùm suis miscere vellet Alpheus, illa à terra absorpta, in Ortygiam inf. deinde in Siciliam delata est. Alpheus autem, cùm propter mare sequi non posset, per cuniculos subterraneos in Siciliam itidem pervenit, ibique associatis Arethusæ aquis, in mare Siculum se exonerat. Vide Boch. *de Phœn. Col. lib.* 1. *cap.* 28. Cluverium de *Sic. Ant. p.* 156. & c. P. de Valle, *Itiner. tom.* 4.

Arethusa, lacus Armen. maj. prope fontes Tigridis, in quo nihil mergi potest, quique pisces nitrosos alit. Plin. prope montes Gordiæos, Baudr. Vide *Arethissa*.

Arethusa, fons circa Smyrnam. Item Chalcidis Eubœæ, ut & Ithacæ, & Bœotiæ prope Thebas. Hesych. Ἀρέθουσα, κρήνη ἐν Ἰθάκῃ, καὶ ἐν Σικελίᾳ, ἐν ᾗ ὁ ἐν τῇ Ἤλιδι ῥέων ποταμὸς Ἀλφειὸς ἀργύρεον κομίζειν νενόμισται. Didymus octo fontes hujus nominis memorat, ut epitheton esse putetur cujuscunque fontis, ab irrigando. Stephanus, Ἄρδω ἐστὶ ποτίζω, ὃ τὸ ἄρδω παράγωγον, ἐκ τούτου ἀρέθω, ὡς φλέγω φλεγέθω, ἀφ' οὗ πᾶσα κρήνη ἐπιθετικῶς οὕτω καλεῖται. Item locus Syriæ munitus, juxta Emessam, hodie Fornacusa. Strabo. Item Amphaxidis reg. in Macedoniâ op. ad sinum Strymonicum. *Tadino* hodie, nisi fallat Pinetus, vel *Rendina*, Ferrar.

Aretinum, Tusciæ urbs episc. colonia Romanorum, *Arrhetium* Ptolemæo. *Aretium*, Silio. Itali nunc vulgò *Arezzo* vocant. Ejus urbis mœnia alta fuere. Silius Ital. *lib.* 5.

——— *Pœnus nunc occupet altos*
Areti muros, Corythi nunc diruat arcem.

Ubi alii *Arreti*. Et sanè omnes antiquæ Inscriptiones (notante Cluverio) geminum *r* habent. Vasa ejusdem non magno pretio apud veteres. Mart. *lib.* 1. 54.

Sic Aretina violant crystallina testa.

Idem eorundem meminit *lib.* 14.

Aretina nimis ne spernas vasa monemus.

Opidani Diodoro ac Dionys. Halicarn. Ἀῤῥητῖνοι. Steph. Ἀῤῥήτιον πόλις Τυῤῥηνίας. Τὸ ἐθνικὸν Ἀῤῥητῖνος. Strab. *l.* 5. Μάλιστα δ' ἐστὶ μεσογαία τὸ Ἀῤῥήτιον πρὸς τοῖς ὄρεσιν, ἀπέχει γοῦν τῆς Ῥώμης χιλίους σταδίους. Hæc urbs sita est in monte, in Territorio Florentino, subestque magno Hetruriæ Duci. Baudr. Hic profligavit Carolum Andegav. Conradinus, An. 1266. ab eo mox in Marsis fusus. Hic quoque Synodus Diœcesana habita, An. Christi 1597. Leand. *descr. Italiæ*, long. 34. 49. lat. 43. 00.

Aretinus, nomen quod vulgò Guidoni Abbati Benedictino, celebri illi Musico, Aretino opp. oriundo, tribuitur. Qui primus sex notas musicas, primam Stropham Hymni S. Johannis decantans, invenit. Illa autem sic sonat:

UT queant laxis RE sonare fibris,
MIra gestorum FAmuli tuorum,
SOLve polluti LAbii reatum.

Scripsit plurimos libros Musicos, cum tractatu contra Berengarium, Circa An. C. 1022. Trithem. *Catal. & lib.* 2. *c.* 74. *de viris illustr. S. Benedicti*. Sigebert. & Genebr. *in Chron.* Vossius, *de Mus. c.* 4. *§.* 10.

Aretinus Johannes, Cubicularius Eugenii 4. *Scripsit* plurima. Frater Caroli Aretini, Poggio Florentino tantopere laudati. Eodem *Aretini* nomine insignitus est, Leopoldus Brun, Philosophus, Histor. & Orator. Trithem. An. C. 1420. 1443.

Aretius, Benedictus, Bernensis, Theologus celebris, scriptis, de re sacra, libris methodicis inclytus. Obiit Bernæ Helvetiorum, An. C. 1574. Ejus inter alia habentur Comm. breves in Pentateuchum, Comm. in N. T. 2. Vol. fol. sæpius excusi, ultimâ vice Genevæ An. 1618. & Isagoge in Epist. Canon. 8°. Lausannæ 1579. De illo Verheiden, *Virum hunc*, inquit, *candor, pietas, eruditio, labor & methodica illa in docendo ratio celebrem fecere.*

Aretus, fil. Nestoris & Eurydices. Bocat. *lib.* 10.

Areva, citer. Hisp. fluv. *Eresma*, nunc appellari credit Navagierus, *in suo Itinerario Italica linguâ scripto*. Aliis est, *Arlanzon*, fluv. Castellæ Vet. qui cadit in Pisoracam, & dein cum eo in Durium. Briet. Sans.

Arevaca, Hisp. Tarracon. pop. Ptol. *Arevici* Plinio, Ἀρουάκοι Appiano. Hoc tempore eorum urbem *Mathesia* dici, ex ejus antiquis ruinis colligit Car. Clusius. Est tamen in hoc tractu pagus, qui antiquum nomen retinere videtur. Navagierus *Arivalo* urbem habet, quam credit antiquum Arevacorum nomen retinere. long. 16. 00. lat. 41. 35. Erant hi pop. juxta Durium fluv. ubi nunc pars Castellæ Vet. & territorii Segoviensis, & Uxamensis. Baudr.

Areuna, nomen viri 2. Sam. 24. qui 1. Par. 21. dicitur *Ornan*. Latinè *arca, canticum, lux nostra*, vel *exultatio*. Dicitur etiam *Araunah*.

Areus, Lacedæmoniorum rex, prælatus Cleonymo, qui cum Pyrrho fœdus icerat. Athenis ab Antigono subsessis suppetias, sed nullo successu, tulit. Habuit nepotem cognom. qui in pueritia obiit. Ipse apud Corinthum defunctus. Plut. Pausan.

Areus, Bithyniæ fluvius. Plin.

Arezibum, Oppidul. Americæ Septentr. cum fluv. cognom. in Insula S. Joannis de Portu Divite. In ditione Hisp. cum tota Inf.

Argadia, Vid. *Argathelia*.

Argadina, Margianæ op. Ptol.

Argai, teste Varrone, dicebantur effigies scriptæ, quæ per Virgines Vestales jaciebantur, singulis annis, in Tiberim, per pontem sublicium.

Argaus, Pelopis fil. & Alectoris pater. Alius fuit Lycimnii filius, qui ab Hercule abductus, vi morbi peregrè periit; cujus cremati cineres Hercules retulit, ut jusjurandum, (quod dederat, se illum reducturum, servaret. Hunc dicunt primum fuisse, qui crematus sit, & ab eo deinde morem servatum. Cœl. Rhod. 17. 31.

Argaus, sive *Argeus*, Apollinis & Cyrenes fil. Justinus *lib.* 13. Aliter Pindarus *Od.* 9. *Pyth.* & Diodor. *lib.* 4. qui Cyrenes filium unicum referunt Aristæum; Nomium verò & *Agreum* (ita enim legendum, non *Argæum*, ut hic) Aristæi cognomina faciunt, ideo sic dicti, quòd venationi & pascendo esset addictus. Nam ἀγρεὺς est *venator*, & νόμιος à νέμειν *pascere* dicitur.

Argaus, Cappadociæ mons, quam ab una parte cingit, arduus, & perpetuis pruinis rigens, cui Maxata Cappadocum metropolis subjacet. Equorum pascuis olim nobilis fuit. Claud. *in Ruffin. lib.* 2.

——— *Jam pascua fumant*
Cappadocum, volucrumq; parens Argaus equorum.

Et *in lib. de laudibus Serenæ*:

——— *Delectus equorum*
Quos Phrygiæ matres, Argæaq; gramina pasta
Semine Cappadocum sacris præsepibus edunt.

Idem de equo Honorii,

Seu te Cappadocum gelidâ sub valle natantem
Argææ lavere nives. ———

Et de equo Arcadii,

Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis,
Turbidus Argaa seu nive lavit Halys.

Nemesianus,

Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumq; notas referat generosa propago
Argæa. ———

Suidas, Ἀργαῖον, τὸ Καισαρείας ὄρος.

Argaus campus subsidens septem collibus, in quibus Roma condita; sic dictus est ab Argo, Evandri hospite; è comitibus Argivi Herculis, qui ad Evandrum venerunt & in Saturnia subsiderunt. Hinc extrema *Argiletа* dicuntur. Fabius Pictor.

Argais, ins. juxta Lyciam. Steph. Item parva ins. juxta Canobum. Idem.

Argalus, rex Laconum, post Amyclam, successorem habuit Cynertam fil. Pausan. *Lacon. vel lib.* 3.

Argan, urbs novæ Castellæ, in diœcesi Toletana. Ubi Concilium ab Archiep. habitum, An. C. 1473. in quo decretum, ut Ecclesiastico muneri nemo amplius admoveatur, Latinæ linguæ rudis. Valer. Serenius, *in editione Hisp.*

Argania, Indiæ civitas. Steph.

Arganthona, puella, quam Rhesus, priusquam ad Trojam proficisceretur, in Cio repertam duxit uxorem: Hæc, cognitâ mariti morte, è mœrore mortua est. Parthenius *Eroticon cap.* 36. Aliis *Arganthonis*.

Arganthonis, Mysiæ mons prope Chium. Strabo. Stephanus vult, ita appellatum ab *Arganthonide* Rhesi conjuge.

Arganthonium, mons Cii, ὄρος Κίου, inquit Schol. *Apollonii ad illud lib.* 1.

Ἀμφ' Ἀργανθώνιον ὄρος, προχοάς τε Κίοιο.

Arganthonius, rex Tartessi, quem Plinius ait vixisse 120. annos. Silius autem 300. qui ejus mem. *lib.* 3.

Arganthoniacos armat Carteia nepotes;
Rex proavus fuit humani ditissimus ævi,
Ter denos decies emensus belliger annos.

Ideoque Bochartus vocat eum ארך עתנא *Arcantho*, id est, πολυχρόνιον, sive *longi temporis*.

Argantomagum, sive *Argentomagum*, op. Gall. in finibus Biturigum, vulgò *Argenton*. ad Crausiam fluv. in limite Marchiæ Lemovicensis. Ab Inculisma 28. leuc. in Ortum. long. 22. 06. latitud. 46. 05. Alterum, quod in Martyrol. *Argentomachum* legitur, vulgò *Argentan* in Neustriâ, sive Normanniâ inter Sagium, & Fallesiam paulò supra 3. leuc. intersitum, haud obscurum opidum, ad Argenam seu Ornam fluv. long. 21. 00. lat. 49. 44.

Argaradauca, Mediæ urbs. Ptol.

Argaricus, sinus Indiæ intra Gangem. Ptol. *Golfo di Bengala* Mercatori.

Argas, Demosthenes ob morum feritatem, ac naturam immitem sic dictus. Hesychius, Καὶ Δημοσθένης ὑπὸ Αἰσχίνου Ἀργᾶς ὀνομάζεται. Οἱ δὲ ὄνομα Τυράννου. Vide Suidam. Item *Argas*, qui præter annorum rationem sapit. Suidas, Ὁ δεινότατος παρ' ἡλικίαν, ἀργᾶς καλεῖται. Cæl. Rhod. 18. 6.

Argath, Armeniæ urbs. Cedrenus.

Argathelia, prov. Scotiæ meridion. sita inter Leviniam & Canthieram prov. aliàs sub Caledoniis propriè dictis, & ad Boream Novantarum. Marchionatus titulo gaudet.

Argea, loca Romæ sic appellata, quòd in his sepulti essent quidam Argivorum illustres viri. Festus. Varro *l.* 4. *de L. L.* Reliqua urbis loca olim discreta, cùm Argeorum sacraria in 27. partes urbis sint disposita. Argeos dictos putant à principibus, qui cum Hercule Argivo Romam venerunt & in Saturnia subsederunt. Apud Festum verò legendum est *Argei*, ut apud Varronem, Plutarchum, Ovidium, & alios legitur. In lege Flaminia; *Quum eas ad Argeos neque caput comito, neque capillum depectito.*

Argeatha, Arcadiæ vicus. Pausanias.

Argelia,

Argelia, Germ. urbs. Ptol. *Torga* Petro Apiano in Saxonia. long. 35.00. lat. 51.30. Sansoni est *Erfordia*. Quod V.

Argenes, vulgò *Orna* & *Olina*, fluv. Galliæ, in Normannia. Oritur prope Sagium Urbec. & 3. leuc. infra Cadomum, in mare Britannicum se exonerat.

Argennum, promuntorium Joniæ, inter Clazomenas, & Erythras, proximas urbes, al. *Arcennum*, à quo Chios insf. 60. tantùm stadiis abest. *Capo Stellaro* Sophiano. *Capo bianco* Nigro. Alterum Siciliæ promuntorium, *Capo di S. Alessio* Fazello, cum castro nomen antiquum servante, in ora ad ort. à Messana 25. m. p. à Taurominio 6. Denique tertium Lesbi promuntorium, teste Strabone.

Argennusa, ins. ad continentem Troadis, prope Argennum promuntorium, juxta quod Alcibiades extinctus est. Steph.

Argentanum, urbs Brutiorum mediterranea, in Calabria citer. Hodiè *S. Marco*, teste Barrio. Item, Urbs Franciæ, in Norm. ad fluv. Olinam. Vid. *Argentomagum.*

Argentarius, mons Tusciæ in ora australi, in mare, inter portum Herculis & Telamonis excurrens; de quo Rutilius vetus poëta, *lib.* 1. *Itinerarii*,

Tenditur in medias mons Argentarius undas.

Argentarius mons, vulgò *le col de l'Argentiere*, unus ex Alpibus, per quem transitus è Gallia in Italiam, in limite Marchionatus Salutiarum.

Argentea, vulgò *La Plata*, Urbs ampla Americæ Merid. ex præcipuis Peruviæ, & primaria prov. *de los Charcas*, in montanis, prope fluv. Picolmayum; Urbs nova, fodinis argenti mirè opulens, episc. sub Archiep. Limensi, 180. leuc. à Cusco in Austrum, 18. à Potosio in Ortum, sub Hisp.

Argenteola, Asturiæ urbs in Hisp. Ptol. *Argentiolum* Antonino. Hodie *Medules*, teste Moletio.

Argenteus, Gall. Narbon. fluv. in Provincia, inter Olbiam, & Forum Julii in mare Medit. exiens. *Argentius* Ptolemæo. Hodiè *Argentine* Pineto, *Argenton* verò Villanovano. Alter vulgò *Argent*, in Rhodanum influens, separansque comitatum Venusinum à Provincia reliqua. Druentiæ fluv. hoc tribuit, Baudr.

Argenteus, vulgò *Rio de la Plata*. Hisp. *Paranaguazu*, Americ. fluv. Americæ merid. aliter de *Paraguay*, ex maximis totius Orbis. Oritur in regione Paraguaja supra lacum *de los Xarayes*, dein longo cursu versus Merid. defunctus, fluviisque quamplurimis auctus in mare Brasilicum se exonerat, per ostium 40. leuc. latum. Ab illo Regio, circa ejus ostium, vulgò *Provincia de Rio de la Plata* dicitur; estque fertilis admodum & irrigua.

Argenteus mons, vulgò *Sierra Segura* Floriano, *Sierra d'Alcaraz* Clusio, mons Hisp. Tarrac. unde Bætis effluit. Fortè Tugiensis saltus Plinii, ex eo enim Bætin oriri scribit. Appellatur etiam *Argentarius* Avieno. Vide Boch. *de Phœn. col. p. 666.* In Castella nov. versus confinia regni Granat. estque pars montis Orospedæ. Baudr.

Argentia, vel *Argenta*, burgus Ducatus Ferrar. in Italia, medius fere inter Ferrariam & Ravennam.

Argentia Gorgonzola, vicus Insubriæ, & Duc. Mediol. ad incile Martesanum.

Argentina, Vid. *Argentoratum.*

Argentini, Calabriæ populi. Plin.

Argentinus, Deus colebatur ab antiquis, sicut & *Æsculanus*, quem patrem illi posuerunt, quia prius ærea pecunia in usu fuit, quàm argentea. D. Augustinus.

Argentolium, vulgò *Argenteüil*, oppidul. Galliæ, ad Sequanam. 3. leuc. infra Lutet. in ortum.

Argentomagum, vide *Argantomagum.*

Argentonum, quod *Argentomagus* Antonini putatur, oppidum in Ducatu Bituricensi, turrem habet, quæ dicitur *Eracly*, in qua Tauri effigies cernitur, cui insculpta Cæsaris illa, Veni, Vidi, Vici. Metel. Merula.

Argentoratum, sic dictum ab argento, quia ibi tempore Romanorum ærarium: vulgò *Strasburg*, à platea: quòd olim Attila, Hunnorum R. destructâ civitate, amplam per eandem dederit plateam, unde & *Stratopolis* quandoque: Urbs Germ. sup. ampla, dives, munita, ex Germaniæ præcipuis, ad Rhenum, qui ponte ibi jungitur. Alsatiæ caput, libera, & episc. sub Archiep. Moguntino, inter Basileam ad Aust. & Spiram ad Sept. Ejus administratio olim apud Nobiles fuit, sed postquam dissidiis familiarum *de Müllenheim & Zorn*, in cædes itum, Respublicaque turbata esset, occasione captatâ plebeji A. C. 1332. rerum summâ ad se pertractâ, novum sibi ex sui ordinis viris Senatum constituerunt. Qui licèt septenas per vices variis constitutionibus fuerit immutatus, nunquam tamen ad primam faciem rediit. Amplissimis gaudet privilegiis, Homagium non præstat Imperatori, à tempore Ottonis 3. Vexillum ejus, Imperii vexillo proximum est: à Lotharii 2. tempore sub arctiori Imperii protectione fuit, quod renovatum sub Ferdin. 2. an. 1628. Cudit monetam, habet jus nundinarum, &c. Insignia urbs habet, plateam rubram in campo albo. Ditionis adjacentis caput est. Vid. Limnæum Enucl. *lib. 4. cap. 3.* Hìc Alemanni à Juliano primùm Anno C. 356. postea à Gratiano Augusto ad 30. millia cæsi. Ademta est Romanis, à Childerico, anno 478. cum tota ad Rhenum regione. Dein sub Imperium rediit. *Argentina* posterioribus dicitur, Armamentario, Turri Ecclesiæ Cathedralis, & horologio mirâ arte fabricato insignis. Tacito *de mor. German.* & Cæsari *lib.* 1. dicitur *Tribocorum* & *Tribocum*. Primus urbis Doctor Maternus fuit, Petri discipulus, qui idem Coloniæ Agrippinæ docuit circa Annum Christi 68. Espensæus *in cap. 4. ad Timoth. 2.* &c. Inter Episcopos, sic peculiariter vocatos, Sanctus Amandus primus censetur circa Annum Christi 643. Inter cujus successores, Vilderolphus à muribus ob impietatem devoratus scribitur, circa an. 998. Munster. *Cosmogr.* Sequ. tempore An. 1230. cùm in Alsatia nobiles quidam Papam damnarent, quòd Sacerdotibus uxores, & carnis esum adimeret, acriter in illos sævitum: quorum quidam in hac urbe combusti, fassi sunt, tantum esse numerum suorum, ut si quis è Colonia ire Mediolanum statueret, omni nocte hospitium apud suos habere possit: in professione supra omnem fidem constantes, vitæ prodigi, & necis improvidi sectatores, ut quidam de illis scribit. Vid. Hul. Mutium *lib.* 19. Johan. Baleum *lib.* 5. Morn. *in Myster. pag.* 869. Munster. *Geogr. lib.* 3. Trithem. *in Chron.* Circa Annum 1529. Evangelii doctrinam amplexa est, postquam Matthias Cellius Cæsarispergius, primus Evangelizare ibi cœpisset, anno 1522. Lite dein inter Lutherum & Carolostadium circa sensum verborum S. Cœnæ obortâ, cùm illi Saxones, Suevi, Dani, &c. adhærerent, huic Argentinenses, Helvetici, Sabaudici, & postea Palatini Theologi adstipulati sunt, Anno 1524. Lætus *histor.* Cum Tigurinis, Bernatibus & Basileensibus, anno 1530. fœdus iniit urbs, ad mutuam defensionem, contra vim injustam, quæ propter Evangelium inferretur. Bucholc. in *Chron.* Eodem anno Confessionem fidei, cum urbibus Constantia, Memminga & Lindavia, Cæsari exhibuit, per Casparum Hedionem, Ecclesiæ suæ Doctorem, quæ publicè audita non fuit. Post hæc Calvinum, Bucerum, Martyrem, Zanchium, &c. docentes audivit. Anno 1538. Academia ibidem, impulsu Jacobi Sturmii fundata à Senatu, quæ à Maximiliano 2. anno 1566. privilegia accepit. Cum Fratribus Bohemis, misso Matthiâ Ozewenkâ ad Bucerum, unionem iniit, Anno Christi 1542. eademque ex urbe monuit Hieron. Zanchius Stanislaum Ostrorogium Polonum, ne nimis iis in locis à Luthero dependerent, Lætus *histor. p.* 410. Condemnationem Stancari à min. Poloniæ Theologis factam cum Wittebergensibus & Genevensibus iidem Argentinenses approbarunt. Exin à Reformatis secessio facta est, quibus nihilominus *Wolfshemium*, *in ditione Hannoviensi*, *sacrorum causâ excurrendi libertas permissa.* De Episcopatu hujus urbis *acerrima contentio à Rodolpho 2. Imperat.* sopita est. Vide Thuani *historiam.* Postmodum Anno 1608. in Congregatione sacri fœderis, Romæ instituta, decretum, ut eodem tempore Geneva & Argentoratum impeteretur, ad distrahendos Evangelicos. Idem. Ejusdem seculi An. 17. jubileum hic, ut & Spiræ, in Elector. Saxonico, Palatino & Brandeburgico celebratum, Deoque pro accensa luce Evangelii gratiæ actæ sunt. Tigurinorum & Bernatum hoc tempore præsidium urbem tuetur. Vid. insuper Bertium *rer. Germ. lib. 3. c. 2.* Francisc. Guillimannum, de *Argent. Episcopis*, Wimpheling. Henschenium, &c. Episcopi sedes nunc Taberna est. longitud. 29. 26. latitud. 48. 25. Sita est proximè ad flu. Hellelum, *Ill*, ubi in flu. *Breusch* cadit, non longè à Rheno.

Argentuaria, & *Argentaria* Aurelio Victori, hodie, teste B. Rhenano *Horburg* dicitur, op. Germ. sup. ad Ellum fluv. Rhenum versus, jam excisum, ex quo Colmariam illi successisse ferunt, Argentuariamque novam dici.

Argenus, vulgò *Arguenon*, fluv. Gall. Celt. per Britanniam min. fluens, alluit Jugonem opp. & in mare Britannicum cadit.

Arges, Cyclopum unus, Apollodorus: Μετὰ τούτους δὲ αὐτῷ τεκνοῖ Γῆ, Κύκλωπας, Ἄρην (lege Ἄργην) Στερόπην, Βρόντην, ὧν ἕκαστος εἶχεν ἕνα ὀφθαλμὸν ἐπὶ μετώπου. Callimachus *Hymn. in Dianam.*

Μήτηρ μὲν Κύκλωπας ἐοῖ ἐπὶ παιδὶ καλιστρεῖ
Ἄργην, ἢ Στερόπην.

Hesiod. *in Theog.*

Βρόντην τε Στερόπην τε καὶ Ἄργην ὀβριμόθυμον.

Argestes, Græcè Ἀργεστής, venti Noti seu Austri species. Eust. *in Odyss. Φ.* tradit, quòd ἀργέστης barytonè ut plurimùm sit venti nomen, oxytonè autem νότου ἐπίθετον, ut Homer. Ἀργέσταο νότοιο, hoc est, λευκοῦ, ab ἀργὸν quod est λευκόν. Ibidem tradit esse, qui ἀργεστὴν dicant νότον ἐξ Ἄργους εἰς Τροίαν πνέοντα, quos ait οὐκ εὐδιανόντα dicere. Aristot. *Meteor. 2. 6.* ait Euro contrarium esse ἀργέστην. Strabo *lib.* 1. citat *ex Iliad.* λ. *hos versus:*

——Ὡς δ' ὁπότε Ζέφυρος νέφεα στυφελίξει
Ἀργέσταο νότοιο βαθείῃ λαίλαπι τύπτων.

Vide ibi Casaubonum. Vitruvius 1. 6. *Circa Favonium Argestes, & certis temporibus Etesiæ* Plin. 2. 47. ab occasu solstitiali flare scribit. Hesychius, Ἀργέσται, οἱ ἐτήσιοι.

Argestratus, tertius Lacedæmoniorum rex, reg. an. 35.

Argeus, quintus Macedonum rex, Perdiccæ fil. pacatè regnavit an. 38. Eus. Justin. *lib.* 7. Item decimus septimus Macedonum rex, regn. annum unum. Vide infra.

Argeus, secundùm quosdam regnum Macedoniæ, ejecto ab Illyriis Amyntâ, biennium tenuisse cœpit, circa Olymp. XCVI. an. quartum. Diod. XIIII. 444. Occiso ab Illyriis Amyntâ Athenienses eum, per Mantiam ducem, Regno Macedoniæ restituere allaborarunt. Olympiad. CV. anno primo. In codicibus Polyæni impressis, nescio quàm benè scribitur ΑΡΓΑΙΟΣ.

Argeus mons, vide *Argæus*.

Argeus, idem quod *Argivus*, Hor. *lib.* 4. *Carm.*

Tibur Argeo positum colono.

Argia, Adrasti Argivorum regis filia, Polynicis uxor, tantâ in virum pietate, ut cadaver ejus inter maximos cæsorum acervos, nocturno tempore, conquirere non dubitarit, & contra edictum Creontis, funeris justa ei persolvere, ab una adjuta Antigone Polynicis sorore, & quæ ipsa noctu, deceptis custodibus, Thebis egressa erat, ut idem fratribus suis officium præstaret; quamobrem utraque à Creonte interfecta est; cujus rei ultionem, enecato Creonte, Theseus fecit. Stat. *lib.* 12. *Theb.* Vide *Antigone*, & *Adrastus*.

Argia, Peloponnesi regio. Ptol. Hodie *Romania* dici putatur. Suidas, Ἀργεία, ἡ Ἥρα, καὶ ἡ τῶν Ἀργείων γῆ. Nunc plerisque *Saconia*, Item *Romania Morea*, Turcis subest. Baudr.

Argidava, Daciæ op. Ptol. *Argisch* hodie, teste Lazio in Valachia, apud fines Transylvaniæ. long. 48. 45. lat. 48. 5.

Argila, urbs Cariæ. Steph. Item op. Mauritaniæ à Portugalliæ rege expugnatum An. D. 1472. vulgò *Arzilla*.

Argiletum, locus Romæ juxta Palatium, ubi tabernæ opificum erant, præsertimque bibliopolarum. Martialis,

Argelitanas mavis habitare tabernas.

Idem 1. 118. per tmesin,

Argi nempe soles subire letum.

Et *lib.* 2. *ep.* 17.

Argiq; letum multus obsidet sutor.

Dictus ab Argo Argivorum duce, qui ab Evandro hospitio exceptus, cùm in affectati regni suspicionem venisset, ab Arcadibus, inscio Evandro, occisus est; cui postea rex tumulum erexit, quem de nomine ejus *Argiletum* vocavit. Virg. 8. *Æn.*

Nec non & sacri monstrat nemus Argileti,
Testaturq; locum, & letum docet hospitis Argi.

Alii dictum putant, quasi *Argilletum*, ab *argilla*, hoc est, cretâ, cujus eo in loco magna erat copia. Utramque opinionem refert Varro *lib.* 4. *de L. L. his verbis: Argiletum sunt, qui scripserunt ab Argo, seu quòd is huc venit, ibiq; sepultus sit: alii ab argilla, quòd ibi hoc genus terræ.*

Argilia, Hesych. Ἀργιλία, δῆμος τῆς Ἀττικῆς.

Argilii, Andriorum coloni. Ἀνδρίων ἄποικοι. Thuc. *lib.* 4.

Argilium, Bithyniæ op. mediterraneum. Ptol.

Argillus, Ægypti mons circa Nilum. Plut.

Argilus, urbs Emathiæ non procul ab ostio Strymonis fluv. occid. versus. Herodot. *lib.* 7. Item urbs Thraciæ Stephano ex Thucyd. *lib.* 4.

Argina, Locrorum Ozolorum op. Plin.

Arginusa, Urbs Æolidos, è regione Lesbi & prom. *Mania*. Schol. *in Aristoph. Ran. Act.* 1. *Sc.* 1.

Arginusæ, Straboni *lib.* 13. tres insulæ parvæ continenti proximæ, inter Mitylenen & Methymnam. Hìc Conone duce Lacedæmonii superati, Callicratide amisso, an. 347. U. C. Plut. *in Conone*, Plin. *lib.* 5. *c.* 31. Vid. Strab. *lib.* 13.

Argiope, Nymphæ nomen.

Argiphontes, Mercurii cognomen ab *Argo*, centoculo Jûs custode, quem, Jovis jussu, interfecit. Mythologi interpretantur *Argum* sphæram esse stellatam, quòd illi insit species quædam cælestium oculorum: Jo autem terram esse volunt, quam Ægyptii in Hieroglyphicis literis bovis imagine exprimunt. Hanc Argos, id est, cœlum stellatum, nocturno tempore desuper videtur observare. Mercurium autem Solem interpretantur, qui Argum tunc dicitur occidere, cùm luminis sui magnitudine stellas omnes obscurat, earumque à mortalibus conspectum eripit. Macrob. *Sat.* 1. 19.

Argippei, pop. inter Sauromatas. Herod. *lib.* 2. ab ipsa nativitate calvi, simis naribus, & ingenti mento, proprio quodam oris sono, ex arboribus victitantes. Hi cùm arma nulla habeant, à nemine tamen afficiuntur injuriâ, quòd sacri putentur. Iidem finitimorum controversias dirimunt, & ad se confugientes ab injuria tuentur.

Argiri, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Argiruntum, vulgò *Pescha*, urbs Liburniæ, in ora maris Adriatici, Cluv. Vid. *Argyrutum*.

Argisse, Thessaliæ civitas prope Peneum, à Larissæ filiis condita, quæ deinde *Argura* vocabatur. Volater.

Argita, fluv. Hiberniæ in ora Sept. *Banney* Ortelio, *Swilly* Camdeno, cui magis fidendum. Nunc *Band*, in Ultonia prov. qui per lacum Neaugum labitur, dein in Ocean. Caledonium se exonerat, inter Comitat. Colranensem & Antrimensem. Sans.

Argithea, Urbs fuit Epiri, Caput Athamaniæ, in mediterr. versus Thessaliæ limites.

Argiva, Juno ab *Argis* ita cognominata, quo loco sacra ejus celebrabantur. Virg. *Æn.* 3.

Junoni Argivæ sacros adolemus honores.

Signum ejus hoc modo describit Pausanias: Deæ signum (inquit) in solio sedet, eximiâ magnitudine, auro & ebore fabricatum, Polycleti opus, corona capiti imposita; ea Gratias & Horas egregiè factas habet. Dea manu alterâ malum Punicum, alterâ verò sceptrum tenet, cui cuculum idcirco ajunt impositum, quòd virginis Junonis amore captus Jupiter, in avem talem se verterit, quam puella, tanquam ludicrum captavit.

Argivi, populi Græciæ, ab Argis dicti, quorum est frequens mentio apud poëtas. Hesychius, Ἀργεῖοι, οἱ Ἕλληνες. *Argivi* autem furacitatis olim ita notati sunt, ut ab illis adagium ortum sit, cujus mem. Suidas, Ἀργεῖοι φῶρες, ἐπὶ τῶν περιδήλως πονηρῶν. Οἱ γὰρ Ἀργεῖοι ἐπὶ κλοπῇ κωμῳδοῦνται. Contra *Argivo clypeo dignus*, apud Zenodotum, ἐπὶ τῶν αἰδημόνων καὶ εὐγενῶν. Nam apud Argivos pueri incorrupti & puri clypeos prisco more gestabant. Ἀργείους ὁρᾷς, apud Suidam; παροιμία ἐπὶ τῶν ἀτενῶς, καὶ καταπληκτικῶς ὁρώντων. Argivi etiam malè apud veteres audiebant, tanquam Sycophantæ & calumniatores. Inde proverb. apud Diogen. 2. 79. Ἀργεία φορά, ἐπὶ τῶν συκοφαντῶν. Οἱ γὰρ Ἀργεῖοι φιλόδικοι.

Argius, dispensator Galbæ, qui patroni corpus licentiâ tenebrarum pluribus ludibriis vexatum, humili sepulturâ, privatis hortis contexit. Tacit. *Hist.* 2. 49.

Argizala, Galat. Urbs, Ptolom.

Argla, opp. & portus Hiberniæ, in Ultonia prov. & Com. *Downe*, in littore, versus Scotiam ad ostium fluv. *Cog.* & ex adverso peninsf. Ardes, 14. mill. Hibern. à Rupe Fergusii in Austrum.

Argo, navis in qua Jason cum 54. heroibus Thessalis Colchos navigavit. De nominis ratione variant etymologi. Sententiæ eorum ad sex classes revocari possunt. *Primò* Nonnullis dicta videtur ab Architecto, cujus nomen *Argos*: de quo Valer. Flac. *lib.* 1.

——Ad charum Tritonia devolat Argum;
Moliri jubet hunc puppim & dimittere ferro
Robora, ———————

Diodor. Sic. *lib.* 4. Τὴν δὲ ναῦν Ἀργὼ προσαγορευθῆναι κατὰ μέν τινας τῶν μυθογράφων, ἀπὸ τοῦ τὸ σκάφος ἀρχιτεκτονήσαντος Ἄργου. Vide Hyginum in *Argo*. *Secundò*, Alii sic vocatam volunt, quòd secum *Argivos* tulerit, quod sentire videtur M. Tullius *Tuscul. Qu. lib.* 1. *Et eas angustias*, inquit, *per quas penetravit ea, quæ est nominata Argo, quia Argivi in ea delecti viri vecti petebant pellem inauratam arietis.* Quæ postrema verba ex poëta aliquo antiquo (ut sæpiusculè in his libris solet) desumpsit. *Tertiò*, Quidam à velocitate ejus sic dictam arbitrantur. Diod. Sic. ubi supra, Ὡς δ' ἔνιοι λέγουσιν ἀπὸ τῆς περὶ τὸ τάχος ὑπερβολῆς, ὡς ἂν τῶν ἀρχαίων ἀργὸν τὸ ταχὺ προσαγορευόντων. Unde Catullus,

Ausi sunt vada salsa citâ decurrere puppe.

Et Pindarus *in Pythiis*, ἐπέτασσε θοῆς Ἀργοῦς χαλινόν. Quanquam ἀργὸς quoque Græcè dicitur tardus. Hinc jocus Martialis *lib.* 3. *epist.* 67.

At vos tam placidas vagi per undas
Tutæ luditis otium carinæ.
Non nautas puto vos sed Argonautas.

Quartò, Pherecydes Syrus apud Lazarum Bayfium tradit, eam sumpsisse nomen ab *Argo* Phryxi filio. *Quintò*, Alii à textura ducunt, Hebraicè ארג *ereg*, inter quos est Hieremias Hoelzlinus *notis ad Apollon. lib.* 1. Sanè Catullus de hujus navis fabrica:

Pinea conjungens inflexa texta carinæ.

Ad quem locum sic Illustris Scaliger; Texere naves veteres dicebant, à quo locus, ubi naves fabricantur, *Textrinum* dicebatur, auctor Servius in schedis nondum vulgatis. Qu. Ennius,

Idem campus habet textrinum navibu' longis.

Hoc est, ναυπήγιον. Sic τὰ ὕφη νεώς dixit Archimelus poëta, in navem Hieronis:

Ἄστρων γὰρ ψαύει καρχήσια, καὶ τελαλίκτους
Θώρακας μεγάλων ἐντὸς ἔχει ὑφέων.

Malè enim apud Athenæum νεφέων. Ovidius,

Texitur & costis panda carina suis.

Silius Ital.

Fulmineam texit, quâ transvehat agmina, classem.

Idem *lib.* 11.

Æratas jussi texamus mille carinas.

Panegyristes ad Maximinianum, *ut navalia texerentur, ut trabes cæderentur*; ubi navalia dixit pro navibus. *Sextò*, Bochartus ὁ μέγας à longitudine sic dictam suspicatur. Gaulis (brevibus ratibus sc.) inquit, puto Phœnices opposuisse ספינן ארכא naves *arca*, vel *arco*, ut Syri efferunt, id est, naves longitudinis, seu quod idem est, naves longas; ac inde factum, literis G. & C. permutatis, quod passim ferè fit, ut navis *Argo* appellaretur, quæ prima fuit longa navis apud Græcos, qui, usque ad Jasonem & Argonautas, solùm rotundis navibus utebantur. Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. *Longâ nave Jasonem primum navigasse Philostephanus author est.* Et Apollonii Scholiastes *lib.* 1. de

Argo

go nave: Ταύτην δὲ φασι πρώτην ναῦν γενέσθαι μακράν. Et Herodotus, *circa initium, lib.* 1. de Argonautis, Καταπλώσαντες γὰρ μακρῇ νηῒ ἐς Αἶάν τε τὴν Κολχίδα, καὶ ἐπὶ Φᾶσιν ποταμόν. Quinquaginta remiges eam habere refert Apollodorus, id eſt, 25. ab unoquoque latere; unde ſequitur, longam fuiſſe cubitorum minimùm quinquaginta, ſi ſingula interſcalmia fuerint διπηχυαῖα, prout definit Vitruvius, *lib.* 1. *cap.* 2. Quinimò longior fuit, ſi Theocrito credimus, à quo in *Hyla* prædicatur τριακοντάζυγος Ἀργώ, id eſt, 30. *jugorum*, ſive *ſcalmorum*. Lignum, ex quo confecta fuit, pinum volunt Catullus, & Seneca. Hic,

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus,
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas,
Phaſidos ad fluctus, & fines Æetæos.

Ille *in Medeâ,*

Benè diſſepti fœdera mundi
Traxit in unum Theſſala pinus.

Quibus adde Horatium *Epod. Od.* 17.

Non huc Argoo contendit remige pinus.

Et Ovidium *in Epiſt. Hypſipyles:*

Quid mihi cum Minyis, quid cum Tritonide pinu?

Et Statium *in Achilleide,*

Olim equidem Argoos pinus cùm Theſſala reges
Huc veheret. ———

Orpheus ex fago factam innuit, itemque Apollodorus, loco paulò pòſt adducendo; hoc autem de parte ejus vocali ſolummodo intelligendum, quam ex robore factam fuiſſe ſignificat Iſacius *in Lycoph.* Λαλιστάτην εἶχε τὴν τρόπιν ἐκ τῆς Δωδώνης δρυός. In hoc omnes conſentiunt, factam eſſe ex arboribus Dodonæ ſilvæ, quibus olim oracula reddebantur. Unde & Poetæ comminiſcuntur, navem ipſam fuiſſe vocalem. Seneca *in Medeâ,*

——— *Ipſaq; vocem*
Perdidit Argo. ———

Val. Flac. *lib.* 1.

Fatidicamq; ratem.

Claudianus *in Panegyrico,*

— *Rurſusq; locuta*
In te Chaoniæ moverunt carmina quercus.

Idem alibi plenius:

——— *Licèt omnia vates*
In majus celebrata ferant, ipſamq; ſecandis
Argois trabibus jactent ſudaſſe Minervam;
Nec nemoris tantùm vinxiſſe carentia ſenſu
Robora, ſed caſo Tomari Jovis augure luco,
Arbore præſagâ tabulas animaſſe loquaces.

Orpheus:

—— Τομάρελος ἔκλαγε φηγός.

Idem εὔλαλον Ἀργώ & λάλον τρόπιν vocat. Æſchylus, citante Philone in tractatu Πάντα σπουδαῖον, &c.

Πῆ δ᾽ ἐστὶν Ἀργοῦς ἱερὸν αὐδάζον ξύλον;

Lycophron *in Caſſandrâ*, τὴν λάληθρον κίσσαν, hoc eſt, *picam loquacem* nuncupat. Meminit & Philoſtratus *in Imaginibus*, Sophocles *in Trachiniis*. Lucianus *in Somnio ſive Gallo*, καί τοι τί ἐποίησας, εἴ σοι ἡ τῆς Ἀργοῦς τρόπις ἐλάλησε. Variant autem authores de parte navis. Jo. Meurſius, ad Lycophronis locum nuper productum, *Argo navis loquacem malum de quercu Dodonaâ habuiſſe dicitur.* Vocale lignum in prorâ ponit Apollodorus *lib.* 1. Κατὰ δὲ τὴν πρῶραν ἐνήρμοσεν Ἀθηνᾶ φωνῆεν φηγοῦ τῆς Δωδωνίδος ξύλον. Val. autem Flac. *lib.* 1. fingit, hanc navem è tutelâ voces fundere, ut quæ Dodonæam quercum ibi habuerit. Verba ſunt,

Viſa coronatæ fulgens tutela carinæ
Vocibus his inſtare duci.

Vide Boch. *de Phœn. Colon. pag.* 820. Porro hanc primam omnium ratem fuiſſe poetæ, ut plurimùm, volunt. Catullus,

Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten.

Lucan. *lib.* 3.

Theſſalus Æmoniam vomer proſcindit Jolcon,
Inde laceſſitum primo mare, cum rudis Argo
Miſcuit ignotas temerato litore gentes.

Ovid. *Met.* 6. ubi de Argonautis:

Per mare non notum primâ petiere carinâ.

Et alibi,

Æquor Jaſonio pulſatum remige primùm.

Idem *de Triſtibus:*

Per non tentatas prima cucurrit aquas.

Et alibi,

Prima malas docuit, mirantibus æquoris undis,
Peliaco pinus vertice cæſa vias.

Seneca *in Medeâ,*

Merces primâ digna carinâ.

Manilius *lib.* 1.

Mari quæ prima cucurrit.

Mart. 7. 18. de fragmento Argûs:

Hæc fuit ignoti prima carina maris.

Val. Flac. *lib.* 1.

Prima Deûm magnis canimus freta pervia nautis.

Orpheus *in Argonaut.*

Ἡ καὶ ὑπ᾽ εἰλατίνοις ἐρετμοῖς ἁλιμυρέα βένθη
Πρώτη ὑπεξεπέρησε, τρίβους δ᾽ ἤνυσε θαλάσσης.

Denique Cic. 2. *de N. D.* inducit paſtorem, visâ tum primùm *Argo* navi, ut divino & novo vehiculo, primò admiratum & perterritum hoc modo loqui:

—— *Tanta moles labitur*
Fremebunda ex alto, ingenti ſonitu & ſpiritu
Præ ſe undas volvit, &c.

Quanquam probabilius alii Tyriis navium inventionem tribuunt; inter quos eſt Tibullus *lib.* 1.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Dionyſius *Erythrais,*

Οἳ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ᾽ ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο.

Alii Phœnicibus. Vide Schefferum, *de Militiâ Navali lib.* 1. *cap.* 2.

Denique *Argo* navis in ſidus cœleſte tranſlata eſt.

Manilius —— *Tum nobilis Argo*
In cœlum ſubducta. Idem,
Et ratis Heroum, quæ nunc quoq; navigat aſtris.

Argob, Lat. *gleba*, vel *glarea*, aut *maledictio putei*, vel *dorſi*, ſive *lux altitudinis*; nomen reg. Baſanitidis. Deut. 3. 13. quæ in ſortem dimidiæ tribûs Manaſſis cecidit.

Argobaſtes, vel *Arbogaſtes*, quod V. cùm Valentinianum juniorem, apud Viennam, dolo ſtrangulaſſet, ut eidem in imperio ſuccederet, Theodoſio mortem ulciſcente ſuperatus, ſuâ ſe manu percuſſit. Paul. Diaconus.

Argoda, Tauricæ Cherſoneſi urbs. Ptol.

Argolas, tumidus in Locris Epicnemidiis. Diod. XVI.

Argolicus, Laconis fil. è primoribus Achæorum. Tacit. VI. 18.

Argolicus ſinus, ad Peloponneſum. Ptol. Eſt autem *Argolicus* idem quod *Argivus*, & *Argeus*.

Argolis, reg. Peloponneſi, eadem quæ *Argia*, inter Arcadiam ad occ. & mare Ægæum ad ort.

Argon, ex ſtirpe Herculis, regnavit in Lybia, 505. an. ante Gygem. Nomina ſucceſſorum ejus caliginosâ nocte latent, uſque ad Ardyen, qui regnare incepit, *A. M.* 3261. Herodotus, *lib.* 1.

Argonautæ, heroes, qui cum Jaſone in Argo navi, A. M. 2791. Colchos profecti ſunt ad diripiendum vellus aureum; Sunt qui dicant fuiſſe duos, & quinquaginta numero, alii addunt quatuor: Inter quos præcipui Hercules, Hylas, Theſeus, Pirithous, Orpheus, Peleus, Telamon, &c. Numerantur autem ab Apollonio, Orpheo, & Val. Flac. *lib.* 1. Elogia illorum ſparſa plurima, apud poetas Græcos & Latinos paſſim occurrunt. Pindaro *Pyth. Od.* 4. dicuntur ναυτᾶν ἄωτος, *flos nautarum*, ſicut & Theocrito *Idyll.* 13. θεῖος ἄωτος Ἡρώων. Et Virg. *Ecl.* 4.

——— *Erit altera quæ vehat Argo*
Delectos heroas. ———

Eidem Theocrito, ἀριστῆες *principes*, ſive *optimates*, ut & Apollodoro. 1. *Bibl.* ἄριστεις. Ovid. *Pont.* 1. 5.

—— *Primos telluris Achivæ*

Vocat. A Catullo *Lecti* dicuntur, itemque ab Apollonio *Argon.* 4. Λεκτοὶ ἡρώων. Statius *in Achilleide*, *Argoos reges* dixit. Pari laude eos inſignivit Val. Flaccus *lib.* 1.

—— *Preſſam ſub regibus alnum.*

Iterum —— *Video noſtro tot in æquore reges.*

Et rurſus *Turba ducum*. Altiùs Catullus,

Heroes ſalvete Deûm genus.

Apollonius, *lib.* 1.

Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον στόλον.

Et *lib.* 3. Ἀθανάτων υἱῆες. Sen. *in Medeâ,*

Decus illud ingens Græciæ, florem inclytum,
Præſidia Argivæ gentis, & prolem Deûm.

Et Manilius *lib.* 1. apertè *Deos* vocat,

Servando Dea facta Deos.

Denique Val. Flaccus de iiſdem,

Divûm progenies ———

Ac iterum —— *Reges Diis genitos.*

Argonna, regiunc. Franciæ, cujus periere limites. Partim eſt in Campania, partim in limite Lotharingiæ, verſus Moſam & Virodunum, ubi Bellomontium & Claromontium.

Argos, vetus ac nobilis urbs Achaiæ in Argolide, quod etiam *Argos Hippium* dicebatur, ab equorum præſtantiâ. Horatius, *Carm.* 1.

Aptum dicit equis Argos, diteſq; Mycenas.

Quem verſum ab Homero mutuatus eſt, apud quem

Ἄργεος ἱπποβότοιο. & alibi πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Item *Argi* pl. num. Hor.

—— *Thebis nutritus an Argis.*

Virg. 2. *Æn.*

Si patrios unquam remeaſſem victor ad Argos.

Argos, Peloponneſi civitas, juxta Athenas, Nemeis ludis celebris & egregiorum Virorum proventu. Hujus rex primus Phoroneus fuit, aliis Inachus, A. M. 2197. cujus filia Jovi amata; ex

Strab. *lib.* 8. Ortel. Euseb. *in Chron.* dicta ab *Argo* rege, uti scribit August. *lib.* 18. *de Civ. Dei.* Hodie *Argo* dicitur. long. 48.50. lat. 38. 18.

Argos, Thessaliæ op. quod *Pelasgicon* dicunt à Pelasgis. Plin. *l.* 4. *c.* 7. Lucan. *lib.* 6.

—— Ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant.

Vulgò *Armiro.* long. 48. 45. lat. 40. 20. Etiam ipsa Thessalia *Argos Pelasgicum* appellata est, apud vett. Strabo *lib.* 9. Item pro totâ Græciâ aliquando sumitur. Lucan. *lib.* 10.

——— Quantum impulit Argos,
Iliacasq; domus facie Spartana nocenti.

Argos, cognomento *Amphilochium.* In Epiro est, inter Ambracium sin. & Acheloum fluv. occurrens, in finibus Acarnanum. Vide Voss. *ad Melam pag.* 158. long. 46. 50. lat. 39. 45. Nunc omnino periit, Briet.

Argos, Apuliæ op. à Diomede conditum, quod deinde *Argyripam*, & postremò *Arpos* vocarunt. Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 4. *cap.* 12.

Argous portus, vulgò *Porto ferraro*, portus Æthaliæ, seu Ilvæ insulæ maris Tyrrheni. Paulus Jovius. Sub M. Hetruriæ Duce, qui eum munivit, tempore Caroli 5. Imp.

Arguda, Paropanisi urbs. Ptol.

Arguinum, castrum Africæ, in ora maris Atlantici, in reg. Nigritia & tractu Gualata. Sub Anglis. Insulam habet cognom. in littore.

Argulus, fil. Amyclatis, quem primum apud Achæos quadrigam junxisse dicunt, cùm alii Arogilo illud ascribant.

Argus, Arestoris fil. unde *Arestorides* Ovidio dicitur, *Met. l.* 1.

Donec Arestoridæ servandam tradidit Argo.

Apollodorus, *lib.* 2. *de Argo*, ὃν Ἀσκληπιάδης μὲν Ἀρέστορος λέγει υἱὸν, Φερεκύδης δὲ Ἰνάχου. Idem tamen alibi Agenoris filium facit. Πανόπτης Græcis dicebatur, quòd totus oculis scateret. Hunc poetæ fabulantur, à Junone constitutum fuisse custodem Jûs Inachi filiæ, à Jove in juvencam commutatæ; quem postea Mercurius Jovis jussu interfecit, oculis ejus fistulæ sono consopitis. Ovid. 1. *Met.*

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Indq; suis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera servabant, atq; in statione manebant.

Plautus *in Aulularia:*

Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Joni Juno custodem addidit,
Is nunquam servet.

Juno autem oculos ejus avi suæ, hoc est, pavonis caudæ, inseruit. Ovid. *ubi supra,*

Excipit hos, volucrisq; suæ Saturnia pennis
Collocat; & gemmis caudam stellantibus implet.

Mythologi per Argum, cœlum stellatum, per Vaccam, terram, per Mercurium Argicidam, Solem: per oculos partim sopitos, partim apertos, nostrum Antipodumque horizontem intelligunt: Plura Vid. apud Alex. Rossæum, *mystagogo Poëtico.*

Argus, Evandri hospes, vide *Argiletum.*

Argus, canis Ulyssis: vel hoc saltem memorandus, quòd solus dominum vicesimo demum anno domum redeuntem agnoverit. Hom. *Odys.* 17. *vers.* 300.

Ἔνθα κύων κεῖτ' Ἄργος ἐνίπλειος κυνοραϊστέων.
Δή τοτε, χ' ὡς ἐνόησεν Ὀδυσσέα ἐγγὺς ἐόντα,
Οὐρῇ μέν ῥ' ὅγ' ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.

Argus, fluv. Germ. in Suevia prov. Vangenam alluit, & postea in lacum Constantiensem se exonerat, prope Langenarchiam, oppidul.

Arguta, civitas Thessaliæ, prius *Argissa* dicta. Est & locus Eubœæ; vide Stephanum, qui loci istius incolas *Argivos* & *Leontinos* vocari scribit.

Argyna, opp. Locrorum, cujus incolæ vocabantur *Ozolæ.* Plin. 4. 3.

Argynnis, Venus, ab *Argynno* puero ab Agamemnone amato, qui cùm frequentius nataret, in Cephiso flu. periit, quo in loco sepelivit eum Agamemnon, ibidemque Veneris Argynnidos, id est, turpitudinis suæ templum construxit. Prop. 3. 6.

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quæ notat Argynni pœna natantis aquæ.

Ubi al. edit. *Argini pœna minantis.* Turnebus, *cap.* 33. *lib.* 26. *Advers.* conatur hos versus explicare. A Polluce Ἄργεννος vocatur, à Stephano Ἄργυννος, à Plutarcho Ἄργεος, *in lib. quo bruta uti ratione docet*; aitque, Agamemnona perlustrasse totam Bœotiam pervestigando eum puerum, qui se fugiebat, eique moræ prætexebat adversos ventos; ac demum se in lacu Copaide abluit, si fortè ardorem suum unà eluere posset. Hæc ille: Martialis 7. 14. ad *Arginnum* puerum:

Quis puer hîc nitidis adsistit Hyantidos undis?
Et fugit ad dominam Naida? nunquid Hylas?
O benè quòd silvâ colitur Tirynthius istâ,
Et quod amatrices tam propè servat aquas!

Securus licet hos fontes Arginne ministres,
Nil facient Nymphæ, ne velit ipse, cave.

Hæc fabula recitatur à Stephano, in Κήφισσος, ut nos monet Parrhasius, qui Stephani integro codice usus est, nam vulgò eâ parte mutilus circumfertur.

Argyra, nympha, cujus amore cùm Selenius torqueretur, obiit ejus nimio desiderio, & à Venere in cognominem fluv. mutatus est, cujus aquam amantibus prodesse ad amoris remedia, veterum fuit opinio. Pausan. *lib.* 7.

Argyra, urbs & fons Achaiæ, & reg. Indiæ extra Gangem. Ptol. & Steph. Item urbs circa Troadem. Strabo. Et Siciliæ civitas, unde se Diodorus Siculus oriundum facit, cujus incolæ *Argyrini.* Est etiam Taprobanæ Metropolis. Steph.

Argyraspides, sic dicebatur Macedonica quædam legio, à *clypeis argenteis.* Qu. Curtius, *lib.* 4. *Post phalangem Argyraspides erant.* Τάγμα τι στρατιωτικὸν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου Hesychio dicuntur. Horum meminere Arrianus & Athenæus, *lib.* 12. Alexander verò Severus, etiam *Chrysaspidas* milites habuit.

Argyre, extra Indi ostium ins. metallorum fœcunda. Mela. 3. 7. *Ad Tamum insulam est Chryse, ad Gangem Argyre; altera aurei soli, (ita veteres tradidere) altera argentei: atq; ita ut maximè videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo ficta fabula est.* Idem habet Solinus, *cap.* 55.

Argyrini, gens Epirotica. Steph.

Argyripa, op. Apuliæ Dauniæ, à Diomede conditum, *Argipana* Polybio dicta. *Arpi* Cic. Ptol. & aliis. Virg. *Æn.* 11.

Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Japygis arvis.

Ovid. *Met.* 14.

—— Ille quidem sub Japyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaq; arva tenebat.

Quin & Strabo, *lib.* 6. hanc urbem κτίσμα Diomedis vocat.

Argyrius, Atheniensis (qui à Suidâ *Agyrius* vel *Agyrrius* vocatur) vir fuit prædives, sed ob eximias opes adeò immodestus & inverecundus, ut in congressu peditus edere ipsum non puderet.

Argyrondas, vel *Argyrondes*, Ætoliæ flu. Aristarcho, propter argenteum aquæ candorem.

Argyropolis, Byzantii suburbium, Chrysopoli, alteri ejusdem urbis suburbio oppositum. Nicephorus.

Argyropylus, Imperator Constant. qui Zoæ uxoris, & Michaelis Paphlagonis ejus adulteri dolo, inter balnea, aquis submersus est. Bapt. Egnatius. Vid. *Romanus.*

Argyropylus Byzantinus, eruditione clarus, floruit cum Chalcondila, sec. 15. P. Jovius.

Argyrus, nomen urbis. Steph. ex Philisto. Item mons. Vide *Tartessus.*

Argyrutum, Illyrici urbs. Ptol. *Argyruntum* Plinio. *Scrissia* Nigro, *Novigrad* Moletio, *Obravazo* Ragusæo.

Arhusia, Urbs Daniæ, in Jutlia Boreali, in ora sinus Codani. Illam perfluit Gutulus amnis, eique adjacet Scanderburgum arx, ad 3. leuc. in Occas. Vastata fuit à Suecis Anno 1644. Subestque Daniæ Regi.

Ari, vulgò *Aryes*, pop. Americæ, in Brasilia, versus Præfectur. Portus Securi in mediterr. Laetius.

Aria, Asiæ reg. hodie *Corazan*; Item lacus, urbs & fluv. ejusdem reg. Ptol. Item una è Satrapiis Indiam terminantibus. Mela. 1. 2. *Indis proxima est Ariane, deinde Aria.* Ubi Vossius, *Ariam hic*, inquit, *non rectè collocat, tanquam si litoralis esset regio.* Hoc miror, neminem hîc reprehendisse, illud verò ei vitio vertisse, quòd *Ariam* & *Arianem* diversas faciat, cùm tamen in eo prorsus nihil commiserit. Verùm operæ pretium hîc est paucis ostendere, quamnam veteres differentiam inter *Arios* & *Arianos* posuerint, quoniam hæc res multos eruditos in errorem egit. Ὁ πάνυ Salmasius, aliquot locis eos distinguit, alibi verò eosdem esse affirmat, *in Plinianis.* Verùm ita res sese habet. *Aria* regio semper dicta fuit illa tantùm portio terræ, quæ ad *Arium* flu. erat sita, *Arii* verò qui illam inhabitabant. Non tamen, usque ad tempora Alexandri M. & successorum ejus, verùm etiam multis seculis postea *Ariæ* iidem fuere termini, quos Ptolemæus & alii huic adsignant. Scio quidem Herodotum & Pausaniam narrare, Medos dictos fuisse *Arios* ante adventum Medeæ; verùm id nihil ad rem facit, etiamsi verum sit: & forsan fabella est. Imò ausim affirmare esse fabellam, cùm Medi jam ab ipso statim initio ita sint dicti, nec ullum aliud nomen habuerint. *Ariane* verò longè alia est. Nomen id inauditum ante tempora Alexandri. Verùm postquam ab Ariis subacti fuere Bactrii, Gedrosii, Sogdiani, aliæque complures gentes, factum est, ut pleræque istæ regiones, Ariorum dicerentur provinciæ. Plinius itaque Gedrosos, Arachotas, & Paropamisadas vocat Ariorum satrapias. Quod non ita interpretandum, uti Salmasius interpretatur, tanquam si Plinius omnes hos populos *Arios* vocaret, sed quòd essent in ditione *Ariorum.* Nemo unquam ullam ex his gentibus, sub *Ariorum* nomine, comprehendit. *Arii* tantùm unius reg. incolæ dicuntur. Longè alia est *Ariana.* Illa enim extenditur ab Indo fluv. usque

usque ad os sinus Persici. Comprehendit verò præter ipsam *Ariam*, has quoque regiones, Gedrosiam, Drangianam, Arachosiam, Paropanisum, Bactrianam, Sogdianam, Parthiam, Carmaniam, & si quas alias regiones subegerunt aut Menander, aut alii, vel ante, vel post illum, Ariorum duces. *Aria* itaque nomen unius tantùm regionis, *Ariane* verò continet totum Ariorum imperium. Habebat autem *Aria* olim, à Septentr. Bactrianam & Margianam, ab Oriente Paropanisum, à Meridie Drangianam, ab Occid. Parthiam. Ejus urbs Aria nunc *Herat* seu *Semeri* dicitur, urbs ampla & dives, rosisque suis celebris, 30. circiter leuc. Hisp. à lacu Ario seu Burgiani in Occasu distans. Baudr. Item *Aria* Περσικὴ χώρα Stephano, qui eam quoque Thraciæ antiquum nomen fuisse perhibet.

Aria, Ponti Euxini ins. *Farnasia* Pineto. Apollonius autem & Arrianus *in Periplo*, Ἀρητιάδα eam vocant. Mela 2. 7. *Non longè accolitur Aria, quæ Marti sacrata (ut fabulis traditur) tulit aves cum summâ clade advenientium, pennas quasi tela jaculatas.* Ubi Vossius; Ita reposuit Hermolaus Barbarus, cùm prius legeretur *non longè Acolisaria*, quemadmodum omnes etiam, quotquot vidi, manu exarati codices. Legendum verò, *Non longè à Colchis Aria.* Stephanus, Ἄρεος νῆσος, πρὸς τοῖς Κόλχοις ἐν τῷ Πόντῳ, Σκύμνος ἐν Ἀσίᾳ. Τὸ ἐθνικὸν Ἄρεος ἐξ ἑνὸς τῶν δυοῖν παρηγμένον. Quasi verò ἐθνικὸν Ἀρεῖος non sit potius ab Ἀρία. Verùm nescivit Stephanus, ita quoque appellatam fuisse hanc insulam. Possit & legi nullius literæ immutatione, *Non longè à Colis Aria.* Nam & Coli in hoc tractu, quorum regio Κωλική, cujus jam superius meminit Mela. Nec est, quòd quisquam existimet, Colis hîc locum non esse, quòd ii longius absint Septentrionem versus, cùm & Plinius hoc loco Colicam recenseat 6. 5. *Subjicitur Ponti regio Colica, in quâ juga Caucasi ad Riphæos montes torquentur.* Et hîc, pro *Colica*, reposuerunt *Colchicam regionem*, contra fidem veterum exemplarium. Quòd si verum est, Colos inhabitasse τὴν ὑπώρειαν τοῦ Καυκάσου, uti ait Hecatæus apud Stephanum, & Caucasi extrema juga dicta sint Κωλικὰ ὄρη, jam rectè dixerit Mela *Ariam esse Colis vicinam*, cùm montes huic insulæ oppositi, Caucasi sint appendices. Porro Aria Plinio est Chalceritis, forsan ab avibus, quas χαλκήρεις, σιδηροπτέρους, & σιδηρόνυχας fabulantur.

Aria, vulgò *Arrée*, seu *Arren*, Insula parva maris Balt. juris Danici, prope partem Austral. Tioniæ ins. ubi castrum Koping; estque Ducatus Slesvicensis.

Ariabignes, Darii fil. ex filiâ Gobryæ, qui unà cum Prexaspe & Megabyzo præpositus fuit classi Xerxis. Herod. 7.

Ariaca, Margianæ urbs. Ptolemæus.

Ariaca, Scythiæ pop. juxta Jaxartem fluv. in Sogdianorum confinio. Ptol. Quos Castaldus *Decan* dici testatur.

Ariaces, Sadinorum op. Indiæ intra Gangem. Ptol.

Ariacos, op. Mysiæ vel Troadis. Plin.

Ariadne, vel *Ariadna* Minois, Cretensium regis, ex Pasiphae filia, Theseum, cujus amore detinebatur, per filum è Labyrintho extricavit, eumque redeuntem in patriam usque ad Naxum ins. insecuta est; quo loco à perfido Theseo relicta, ac lugens, Libero Patri nupsit, à quo donata est coronâ Cnossiâ 7. stellis adornatâ. Postremò à Dianâ dicitur sagittâ percussa, quòd virginitatem non servasset. Catullus *ep.* 65. *in Argonauticis*, (quem vide) ubi de Theseo:

Inde pedem victor multâ cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo.

Vide Ovid. *Metam. l.* 8. & *Epist.* 10. Statius *in Silvis*,

—— Non talem Cressa superbum
Callida purpureo revocavit Thesea filo.

Prop. 3. 17. Bacchum alloquens:

Te quoque enim non esse rudem testatur in astris,
Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis.

Ovidius 5. *Fastorum,*

—— Baccho placuisse coronam
Ex Ariadnæo sidere nosse potes.

Catullus, *Ex Ariadnæis aurea temporibus*
Fixa corona foret.

Propertius, *Testis siderea torta corona Deæ.*

Virg. *Georgic.* 1.

Gnosiaque ardentis decedat stella coronæ.

Habuerunt ex Arato. Sic enim ille,

Αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκε
Σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.

Vide Philostr. Cœlium, *in Cœlo Astronomico Poet. cap.* 12.

Ariadne, fil. Leonis Imp. mater Leonis, hoc mortuo, Zenoni, Leonis successori nupsit, qui à Basilisco pulsus in Italiam cum uxore confugit, postea in Imperium restitutus, vitiis infamem vitam egit. Hic cùm quodam die somno vinoque esset sepultus, Ariadnes jussu tumulo illatus est, in quo, cùm ad se rediisset, in furorem actus obiit. Quo defuncto Ariadne Anastasium Silentiarium, familiarius quàm decebat sibi cognitum, in thronum evexit, Longino, Zenonis fratre, prætcrito. Obiit A. C. 515. Zonar. *Annal.* Evagr. *l.* 3.

Arialbinum, op Sequanorum, vulgò *Mulhausen*, Simlero. *Basel*, Cluv. & aliis. Vid. *Basilea.*

Arialdunum, Hispaniæ urbs. Plinius.

Arialdus, Diaconus Mediol. genere & pietate illustris, jussu neptis Archiep. Guidonis, quòd Simoniacis & Nicolaitis fortiter obniteretur, occisus est. Bar. A. C. 1066. *Ariamdrus*, vel *Miron*, successit Theodomiro, Suevorum R. in Hisp. Anno 370. Cui Elburius successit, An. 583. Ejus Pater, cùm filius æger mirabiliter sanitatem recepisset, Arianâ hæresi ejuratâ, orthodoxam fidem amplexus est. Gregor. Tur.

Arianda, Cariæ urbs. Mela 1. 16. Atqui *Caryandam* illîc legendum ait Isaacus Vossius, quem sis vide.

Ariani, vel *Arieni*, Asiæ populi. Dionys. *vers.* 714.

Καυκασίας κνημῖδας Ἐρυθραίων τ' Ἀριηνῶν.

Ita versum hunc in antiquis exemplaribus scriptum inveniri ex Eustathio constat: ipse autem copulam interponi voluit, ut legeretur Ἐρυθραίων τ' Ἀριηνῶν, ac de diversis montibus, aliis Caucasiis, aliis Arianorum, intelligeretur. Sed cur Arianos Ἐρυθραίους vocat? Non à colore certè (quod sensisse videtur Hen. Stephanus, dum *rubeos Arianos* hîc reddit) sed quòd *Erythræum mare* fines eorum pertingerent. Arianam sc. latè sumunt veterum plurimi, non tantùm Ariorum regionem strictè sumptam, verùm & alias vicinas regiones sub eo nomine complectentes. Vide Guil. Hill. *ad locum.*

Ariania, Gens Cadusiis vicina. Steph.

Briantes, rex Scytharum, qui à singulis subjectis sibi quotannis offerri sagittam volebat. Herod. *lib.* 4.

Arianthe, op. Oenotriorum in Calab. citer. ad fluv. cognominem, apud Ninæam, sive, ut nunc dicunt, op. S. Donati, inter Balbiam, & Artemisium 4. mil. p. dissitum. *Folone*, teste Barrio. Sed potius *Arenda* videtur op. ejusdem reg. inter Frigidum & Agellum. Ferrarius.

Arianum, urbs parva, in regno Neap. & Princip. ulteriori in colle difficili. A Luceria 25. m. p. in Austrum, & 12. à Benevento, ad radices Apennini. Ab ara Jani dicta, proprium habet Comitem. Episc. est. Sub Archiep. Beneventano. Item, opp. Duc. Ferrariensis, in Italia, ad Padum, unde regio adjacens *Polesino de Ariano*, in limite Veneto. Distat ab Adria 9. milliar. in Austr. & à Ferraria 25. in ortum æstivum.

Arianus, & *Ariani*, vide *Arrianus* & *Arrius.*

Ariarathea, civitas prope Cappadociam, ab *Ariarathe* rege, Antiochi genero. Steph. Aliter *Ariarsathea.* ad montium radices, Baudrando: cui est urbs Armeniæ tertiæ, episc. sub. Arch. Melitenensi, non longè à Mela fluv. 80. m. p. ab Arcis in Occ. totidem à Sebastia in Merid.

Ariarathes, Thracum rex. Liv. *lib.* 2. *dec.* 5. Item Cappadociæ rex primus, observante Strab. *lib.* 12. Cujus successorum unus cognom. à Perdiccâ obsessus, cùm jam desperaret effugium, ne quid fructûs vel tropæorum inimicis accederet; urbem incendit, sibique & suis omnibus mortem conscivit. Justin. *lib.* 13. *cap.* 13. Diodorus Sic. verò *lib.* 18. *cap.* 16. eum, cùm post aliquot annorum pacatum regnum, Darii & Alexandri tempore, Perdiccæ cum 3000. peditibus & 20000. equitibus se opposuisset, victum & ab hoste in crucem actum esse, refert. Alius ejusdem reg. rex, sub quo Cappadoces primùm petierunt pop. Romani societatem, cujus deficiente stirpe lectus est Ariobarzanes, & à Mithridate sæpe pulsus Romanorum armis restitutus. Volater.

Arias Montanus Benedictus, Hispali oriundus, eruditione & lingg. peritiâ celebris. Scripturæ Sacræ editionem in 5. linguis Antverpiæ studiosè procuravit. Mortuus A. C. 1598. Genebr. *in Gregor.* 13. *Spond.*

Ariasmenus, unus ex iis ducibus, qui Persæ fratrem contra Æeten auxilium tulerunt. Val. Flacc. 6. *Argon.* 104. A' falcatis curribus, quos ducebat, laceratus & obtritus, *vers.* 424.

Ariaspe, al. *Callatia*, opp. Persiæ, ad fluv. Salum, parvi nominis. 20. circiter leuc. à Gobina in Ortum.

Aribbaus, Ducis cujusdam nomen, apud Polyæn. *l.* 7.

Aribon, Episc. scripsit sacra quædam. Item, alius Psalmos 15. interpretatus est. Supplem. Chron. Philippi Bergam. Sigebert.

Arica, Opp. Amer. meridion. in ora Peruviæ, in prov. *de los Charcas.* Sub Hispanis. Paucis constat incolis, sed portum habet capacem.

Arica, Gall. *l'Isle de Sarck*, Ins. maris Oceani, in littore Normanniæ, in ditione Anglorum, parvi circuitus, inter Jarsejam & Gransejam Ins. Ei adjacet parvus scopulus, Anglis *little Sarck* seu *parva Arica.*

Aricada, Drangianæ urbs. Ptol.

Aricandos, amnis in Lyciâ, à quo & urbs ibi *Aricanda.*

Arichondas, primus author tubarum in Græciâ.

Arichus, Grammaticus. Schol. in Aristoph. Ran. Act. 5. sc. 1.

Aricia, puella Attica, Hippolyti uxor, postquam ille à Diana in Italiam translatus fuisset. Virg. *Æn.* 7.

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello,
Viribus insignis, quem mater Aricia misit
Eductum Egeriæ lucis.

Aricia, Latii op. post Albanum montem in viâ Appiâ, ab Hippolyto Thesei filio conditum; ita dictum ab *Ariciâ*, nobili

Atticæ

Atticæ fœmina, quam idem fertur adamasse. In agro Aricino præstantissimi proveniebant porri, de quibus Columella *lib.* 10.

Brutia qua tellus & mater Aricia porri.

Mart. *lib.* 11.

Mittit pracipuos nemoralis Aricia porros.

Quòd ait *nemoralis*, in eo non solus est. Ovid. *Fast.* 6.

Inspice quos habeat nemoralis Aricia Fastos.

Lucanus *lib.* 6.

Parva Mycenaa quantum sacrata Diana
Distat ab excelsâ nemoralis Aricia Româ.

Ejus clivo recumbebant mendici. Mart. 2. 19.

Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

Idem 10. 68. *Durus Aricinâ de regione pater.*
Et 12. 32. *Migrare clivum crederes Aricinum.*
Juvenalis *Sat.* 4.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Persius *Sat.* 6.

—— *Accedo Bovillas,*
Clivumq; ad Virbi. ——

Hoc est, ubi Virbius, id est, Hippolytus colebatur. De situ Ariciæ ita Strabo. *lib.* 5. Μετὰ δὲ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐςὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ, ςάδιοι δ᾽ εἰσὶν ἐκ τῆς Ῥώμης ρξ᾽, κοῖλος δ᾽ ἐςὶν ὁ τόπος, ἔχει δ᾽ ὅμως ἐρυμνὴν ἄκραν, id est, *post Albanum montem in viâ Appiâ, urbs est Aricia, 160. stadia à Româ, situ concavo, arce tamen edita, & naturâ loci munita.* Ubi in numero stadiorum ingens est, non dixerim Strabonis errorem, sed exscriptoris mendum. Dionys. enim *lib.* 6. 120. stadia tantùm numerat: Συνίυγχάνουσιν, inquit, ἀλλήλοις ἀγχῦ πόλεως Ἀρικείας, ἣ διέχει ςαδίους ἐγγυτὸν εἴκοσι τῆς Ῥώμης. Eundem stadiorum numerum habet Philostratus, *de vitâ Apol.* 3. 12. Ἐν τοιαύτῃ κατασάσει φιλοσοφίας οὔσης, ἔτυχε προσιὼν τῇ Ῥώμῃ ὁ Ἀπολλώνιος, ςαδία δ᾽ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀπέχων ἐνέτυχε τῷ Φιλολάῳ τῷ Κιτιεῖ περὶ τὸ νέμος τὸ ἐν τῇ Ἀρικίᾳ. In hâc Orestes, oraculo monitus, simulacrum Scythicæ Dianæ, quod è Taurica regione transtulerat, priusquam Argos peteret, consecravit. Erat ad hujus templum nemus, quod vocatur *Aricinum*, dicente Ovidio 5. *Fastorum:*

Vallis Aricina sylvâ percinctus opacâ
Est locus antiquâ relligione sacer.
Hic jacet Hippolytus loris distractus equorum,
Unde nemus nullis illud aditur equis.

Nunc Arica, *la Riccia*, oppidul. est Campaniæ Rom. Duc. titulo insigne. Ei adjacet lacus Aricinus, nunc *Lago di Nemi.*

Aricomici, Gall. Narbon. pop. Vide *Arecomici.* *Alii legunt Aracomici.*

Ariconium, vulgò *Kenchester*, teste Camdeno, op. Angliæ mediter. inter Callevam ad ort. 59. & Iscam ad occ. 32. m. p. Nunc vicus in Comit. *Herefordiensi*, non longè à Walliæ confinio & à fluv. Vvaga, vix 3. milliar. ab Herefordia in Occas.

Aridæus, Satrapa ac præcipuus Cyri Junioris Dux: nam alteri cornu præerat habueratque sub se milites ex Phrygiâ ac Lydia, nec non mille equites. Victo Cyro reconciliatus est Artaxerxi, pactus Græcorum ac mercenariorum in itinere proditionem.

Aridai, Hamanis fil. Esther. 9. Lat. *leo abundans*, aut *maledictionis abundantia.*

Aridatha, alter ejusdem fil. ibidem. Lat. *Leonis lex.*

Arideus, Philippi nothus, Alexandri frater, cui successit, Just. 9. 8. quamvis ab Alexandro præteritus, *lib.* 12. 15. Nominatur pro successore à Meleagro, recusatur à Ptolemæo, *lib.* 13. *cap.* 2. Rex tamen appellatur à militibus, ibidem. Tandem verò cum uxore Eurydice, regni an. 7. necatur ab Olympiade, *lib.* 14. *cap.* 7. Lege *Aridaus.* Vid. etiam Diod. *lib.* 18. Appian. *Syriac.* Euseb. *Chron.*

Aridices, philosophus, de quo sic Macrob. *Sat.* 7. 2. Quum Regis libertus, ad novas divitias nuper evectus, Philosophos ad convivium congregasset, & irridendo eorum minutulas quæstiones, scire se velle, dixisset, *cur ex nigrâ & albâ fabâ, pulmentum unius coloris edatur? Aridices indignè ferens, Tu nobis*, inquit, *absolve, cur de albis & nigris loris similes macula gignantur?*

Ariel, id est, *leo*, sive *lux Dei*, nomen loci. 4. Reg. 15. Isaiæ *cap.* 10. accipitur pro civitate Jerusalem, in quâ altare holocausti. In Ezechielis verò *cap.* 43. *altare holocausti* significat. Est etiam nomen viri. 1. Par. 11.

Ariel, fluv. Tartariæ min. Precopensis. In Borysthenem flu. se exonerat, infra Circassiam urbem, Hondio teste.

Arieldeba, Ægypti urbs. Lib. Notit.

Ariena, vide *Ariani.* Item Halyattis filia, Astyagis, regis Medorum, uxor. Herodot.

Aries, primum Zodiaci signum, quod Sol ingrediens 4. Idus Mart. Æquinoctium vernum efficit. Fabulantur autem Poetæ, hunc illum ipsum esse Arietem, qui aureo vellere insignis Phryxum per Hellespontum trajecit, Hellem verò ibidem submersit. Ovid. *Trist.* 4.

Impositamq; sibi qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis aqua diurna facit.

Manilius *lib.* 4.

—— *Testis tibi laniger ipse,*
Cùm vitreum findens aurato vellere pontum,
Orbatumq; suâ Phryxum per fata sorore,
Phasidos ad ripas, & Colchida regna revexit.

Ovid. *in epist. Leandri:*

Invideo Phryxo, quem, per freta tristia tutum,
Aurea lanigero vellere vexit ovis.

Alii autem eum esse malunt, qui Libero Patri in Libyæ desertis siti laboranti fontem ostendit. Vide Cæsii *Cœlum Astron. pag.* 21.

Aries Aureus: hunc multi aureum vellus habuisse narrant, quos secutus est Orpheus & Apollonius, qui Mercurii contactu aureum dicit effectum *lib.* 11. Simonides verò album interdum, interdum purpureum fuisse dicit. Acusilaus ex mari purpureo infectum colore asserit. Apollonius vocem humanam habuisse scribit: quod & Hecatæus affirmat. Sunt qui dicant, hoc ideò fictum, quia Phryxus in naviculâ, arietis figuram in prorâ habente, navigavit. Dionysius verò Mitylenæus *Crion* (quod nomen apud Græcos *Arietem*, significat) Phryxi pædagogum fuisse, atque cum ipso ad Colchos navigasse: unde ea omnia ficta esse, narrat.

Ariethus, Tegeates laudatur ab Hygino in poet. astron. ubi vocat eum *historiarum scriptorem*, nisi corrigendum *Ariethous*, quod verum putat Vossius, qui addit, Sanè & *Ariethous* Κορυνήτης legere est, apud Pausan. *in Arcadicis.* Atqui fallitur vir maximus, si historicum putet, quem Pausanias memorat. Nam rex fuit hic & bellicosus, cui *Coryneta* cognomen fuit à clavâ, quâ in pugna utebatur, Κορυνήτης, inquit, διὰ τὸ ὅπλον. Hom. *Iliad.* η.

Τεύχε᾽ ἔχων ὤμοισιν Ἀρηϊθόοιο ἄνακτος,
Δίου Ἀρηϊθόου, τὸν ἐπίκλησιν Κορυνήτην
Ἄνδρες κίκλησκον, καλλίζωνοί τε γυναῖκες,
Οὕνεκ᾽ ἄρ᾽ οὐ τόξοισι μαχέσκετο, δουρί τε μακρῷ,
Ἀλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.

Malè itaque Κορυνήτης legit Vossius.

Arietis fons, Tauricæ Chersonesi promuntorium. Vide *Criûmetopon.*

Arigæum, urbs Indiæ, quam Alexander incensam ac desertam reperit. Arrian. *lib.* 4.

Arigia, fluv. Galliæ, in Occit. prov. Cadit in Garumnam. Vid. *Alburacis* & *Aurigera.*

Arignote, inter fœminas præclaras à Clemente Alexandrino recensetur 4. *Strom.* ac memoriæ prodidisse dicitur res gestas à Dionysio tyranno.

Arignotus, Ariphradis filius, quem Aristophanes tanquam infanda patrantem, simulque ut imperitum citharœdum traducit. Vide *pag.* 359. D. Vide Crabron. *pag.* 522. Ubi ejus pater vocatur Automenes.

Arigonde, Clotarii Franc. R. uxor, vivente adhuc Indegonde sorore, quæ eidem regi nupserat, ab illo ducta. Mater Chilperici. Vid. Aimon. *l.* 2. Gregor. Tur. *l.* 4. *c.* 3.

Arii, Indiæ pop. Item Arabiæ, Plin. nec non Scythiæ Herodoto. *Arios* etiam in Germaniâ ponit Tacitus: *Populi truces*, inquit, *qui insita feritati arte ac tempore lenocinantur, nigra scuta, tincta corpora, atras ad pralia noctes legunt: ipsâq; formidine atq; umbrâ feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum, ac velut infernum aspectum; nam primi in omnibus pralis oculi vincuntur.* Horum nominis reliquiæ in *Ar* Danicâ insulâ. Diu illi *Arii* cari fidique Romanis. Procopius *Arberichos* appellat; seu potius scribendum *Arioricho*s. Hos quoque nominavêre *Arudos.* Fuerunt autem hi sedibus suis ob societatem & amicitiam ejecti à Francis, & postea oram maritimam Belgicæ occupavêre. Nuncupati autem vicinis corruptius *Armorici* sive *Armorichi.*

Arima, urbec. Asiæ. in ora littorali Japoniæ, eaque parte, quæ *Ximo* dicitur. Portu gaudet commodo, in regione *Figen.* Ibi multi aliàs Christiani.

Arima, locus Ciliciæ, vel Syriæ, vel in Pithecusis, juxta Tyrrhenos, ubi Typhœum terrâ obrutum in fabulis legimus. Steph. Hom. *Iliad.* 2.

Γαῖα δ᾽ ὑπεστενάχιζε Διῒ ὣς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ᾽ ἀμφὶ Τυφωεῖ γαῖαν ἱμάσσῃ
Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Τοὺς Σύρους (inquit Strabo) Ἀρίμοι δέχονται, οὓς νῦν Ἀραμαίους λέγουσιν, οἱ Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν, ἢ Ἀρίμους. Quod ut melius intelligatur, sciendum, quòd Orontes Syriæ fluv. *Typhon* olim appellabatur, tanquam à Typhone vel Typhœo ibi fulmine percusso. Verum est, Typhœa Cilicem facit Æschylus & Pindarus; sed & Cilicia quoque olim pars Syriæ fuisse creditur, antequam Syros inde pepulissent Phrygiæ populi Cilices. Bochartus. Vide *Inarime.*

Arimanis, unus ex tribus illis principibus, quos placet veteribus quibusdam habere imperium super mundum; hi sunt Oremasis, Mitris, Arimanis. Cæl. Rhod. 7. 14.

Ariman-

Arimantis, Pentapoleos reg. in Africâ urbs. Ptol.

Arimara, Syriæ ad Euphratem urbs. Ptol.

Arimaspes, Zoroastri amicissimus. Cæl. Rhod. 23.4.

Arimaspi, dicti *Euergetæ*, ab Alexandro M. sub jugum redacti. Curt. *lib.* 7.

Arimaspus, Scythiæ fluv. aureis arenis abundans, cujus accolæ *Arimaspi* dicuntur, pop. Scythiæ Europææ, habentes unum oculum in fronte, qui perpetuò bellum gerunt cum gryphibus aurum & smaragdum colligentibus. Ut finxit Aristeas. Vid. Herodot. *Musâ* 3. Strab. *l.* 1. *&* 13. Plin. *l.* 7. *c.* 2. Turneb. *Advers. lib.* 24. *cap.* 42.
Lucan. *lib.* 3. —— *Auroq; ligatas*
Substringens, Arimaspe, comas.
Dionysius *Arimaneas*, vel *Arimanios* vocat. Æschylus verò μόνωπα στρατὸν, id est, *unoculum exercitum*, quòd sagittarii cùm sint optimi, alterum inflectunt oculum, ut à parvulis assueti, altero melius cernant, unde etiam nomen adepti sunt: nam *Ari* Scythicè *unum* sig. & *maspos oculum.* Fallitur verò author noster, si *Arimaneas* apud Dionys. pro nomine proprio habeat. Ἀρειμανέας quidem vocat, hoc est, *Marte furentes*, sive *bellicosos*; epitheton verò illud commune est, ut alibi apud eundem poetam,
—— Ἀρειμανέων ἀπὸ χειρῶν.
Quod etiam Horatius expressit, *Carm.* 2. 16.
Otium bello furiosa Thrace.
Quòd autem addit, *Ari* Scythicè *unum* sig. &c. habuit ex Eustathio. Aliter tamen Herod. *lib.* 4. Ὀνομάζομεν αὐτοὺς Σκυθιστὶ Ἀριμασπούς. Ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι Σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμόν. Habitabant, ubi nunc Ingria, & Ducatus Novogradensis & Plescoviensis, in Moscovia. Baudr.

Arimasthæ, pop. juxta Pontum Euxinum. Orpheus *in Argon.*

Arimathæa, Judææ civitas. Mat. 27. Lat. *Leo mortuus domino*, vel *lux mortis domini.*

Arimazes, Sogdianus, loco edito & exercitu fretus, an Alexander posset volare interrogans, tandem perterritus in castra regis descendit, cum propinquis & nobilissimis gentis suæ, quos omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus montis Alexander crucibus affigi jussit. Qu. Curtius *lib.* 7. Polyæn. *lib.* 4. in Alex. *Ariomazes*, fortè rectius.

Arimbas, Epiri, seu Molossorum rex.

Arimenes, Persis Vejovis dictus, sive malus Genius. Hesychius Plutonem intelligit. Ἀρειμάνης ὁ Ἅιδης παρὰ Πέρσαις.

Arimi, montes & pop. Mysiæ & Lydiæ. Suidas. Item Syriæ. Strabo *lib.* 13.

Ariminum, urbs vetus in Flaminiâ, juxta Rubiconem fluv. Galliam à Flaminiâ separans. Lucan. *lib.* 1.
Vicinumq; minax invadit Ariminum ——
Strabo Umbrorum dicit esse coloniam, sicut & Ravennam. Hæc prius à Cæsare occupata, bello Civili initium dedit. Fuit autem ædificata, Sempronio, & Appio Claudio Coss. Eam Octavianus ampliavit, & à Liburnis dirutam Diocletianus reposuit, eisque devictis arcum triumphalem in eâ extruxit. Hodie *Rimini* dicitur. Episc. est, sub Arch. Ravennensi, cum portu olim celebri, è cujus marmore templum S. Francisci nunc constat. Ibi prope unam portarum insignis arcus triumphalis, in honorem Augusti conditus, & reliquiæ in urbe egregii theatri. Post Romanos, variis dominis subfuit, sub Justino Imp. ausa Gothis resistere. Malatestarum dein imperium suspexit, qui palatiis superbissimis urbem exornarunt. Concilium hìc ab Imp. Constantio celebratum, an. 359. ubi pro Concilio Niceno, decretum primò: postmodum, à Constantio, Ursacii & Valentis artibus prævento, coacti patres, subscribere formulæ fidei, in qua ὁμοιούσιος tantùm Filius dictus: exceptis 20. solùm præsulibus, quorum constantia nullâ ratione expugnabilis fuit. Athanas. *de Synod.* Hieron. *ep.* 83. *& contra Lucifer.* S. Hilar. *in fragm.* Sulpicius Sev. *l.* 2. Socr. *l.* 2. Sozomen. *l.* 4. &c. De urbe hac plura ap. Cluver. *Ital. Ant.* 2. 5. long. 35. 37. lat. 43. 51. Sita est in Romandiola prov. in plano; Estque civ. elegans, sub Pontif. in ora maris Hadriatici. Item Italiæ flu. viam Flaminiam Æmiliæ jungens. *Marida*, vel *Marochia* Leandro. Steph. Ἀρίμινον πόλις Ἰταλίας, ἔστι καὶ ποταμός. Festus, *Ariminum à nomine fluminis propinqui est dictum*, Plin. 3. 15. *Ariminum colonia cum amnibus Arimino & Aprusâ; fluvius hinc Rubico.*

Ariminus, vulgò *Marecchia*, fluv. Æmiliæ prov. Italiæ, ortus ex Apennino monte, prope fontes Tiberis, Ariminum alluit, & ibi cadit in mare Hadriat.

Arimoa, Ins. Asiæ, versus novam Guineam, & prope oram Septentr. *Terra dos Papaous*, à Batavis detecta initio hujus seculi. Parvi circuitus & inter Insulas Moam & Guil. Schuteni.

Arimphai, pop. Scythiæ Plinio, vel Asiæ septentrionalis prope Riphæos montes, aut ubi Riphæi desinunt, Ammiano. In nemoribus habitant, baccis victitant, justi, ac moribus placidis, quorum uterque sexus detonsos capillos habet.

Arimus, rex Mysiæ, seu Mœoniæ. Varro, Xanthum citans, antiquum rerum scriptorem.

Arina, Mauritaniæ Cæsar. op. Ptol. *Tezela* hodie.

Arines, auxiliaris Æëtæ, in prælio à Colaxe cæsus, Flacc. 6.

Arinianum, coloniam ad ripam Arni fluv. condidisse Janum scribit Cato. Nunc vicus, in territ. Florent. *Arignano* Alberto.

Arinianum, opp. Faliscorum, nunc vulgò *Rignano*; in colle est, in prov. Patrimonii dicta, uno mill. à Tiberi fluv. & paucis constat incolis. Baudr.

Arinthe, civitas Oenotrorum. Steph. Aliis *Arianthe* in Calabr. citer. ad fluv. cognom. *Folone* Barrio. Aliis *Arenda* potius videtur.

Arintheus, Rom. Conf. Maximi collega.

Arioaldus, Longobardorum rex, post mortem Theudelindæ, ejecto Adoaldo, regno præfectus est. Blondus *Decad.* 9.

Ariobarzanes, Cappadociæ rex, à Sylla in thronum evectus, Inde à Mithridate pulsus, restitutusque à Romanis, &c. Pompeio in bello Pharsalico favit. Pop. Romani amicus fuit, & à Cicerone cum toto regno servatus, *Lib.* 9. *ad Att.* Horatius, *Ep.* 1. 6.
Mancipiis locuples eget æris Cappadocum rex.
Ariobarzanem Cappadociæ regem videtur tangere velle, de quo Tullius, *Epist.* 1. *lib.* 6. *ad Atticum: Nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius*, &c. Quater nempe rex ille regno expulsus, totiesque restitutus. Flor. *lib.* 3. *cap.* 5. Appianus *in Mithridaticis*, Dio *lib.* 35. Plut. *in Sulla & Lucullo.* Just. *lib.* 38. Eutrop. *lib.* 5.

Ariobarzanes, Phrygiæ Satrapes, ab Artaxerxe descivit, & mortuo Mithridate, ejus regnum sibi invasit. Diod. XV. 504. tenuitque annos viginti sex, defunctus Olympiadis centesimæ decimæ anno quarto, filio Mithridate succedente. Vid. etiam *l.* 17. *cap.* 17.

Ariobarzanes, Darii militiæ præfectus, qui Susidas pylas adversus introitum Alexandri cum 15000. peditum occupaverat. Dein cùm per mediam aciem Macedonum, cum multo suorum, atque hostium sanguine erupisset, Persepolim urbem regiam occupare festinans, à custodibus urbis exclusus, cum omnibus fugæ comitibus, renovato prælio cecidit. Qu. Curtius. *lib.* 4. *&* 5.

Ariobarzanes, origine Medus, ob insignem corporis formam & præclarum animum, volentibus Armeniis, à C. Cæsare, componendæ Armeniæ dilecto, præfectus est Rex. Periit morte fortuitâ. Tacit. *Ann.* 2. 4.

Ariobarzanes, mons inter Parthos & Massagetas. Orosius.

Ariobinda, ex ducibus Anastasii, insigni clade à Persis affectus. Marcellin. *Chron.* Procop. *de bello Pers. l.* 1.

Arioch, rex Ellasar, Gen. 14. Lat. *procerus, ebrietas tua*, aut *leo tuus.*

Ariola, Gall. Belg. urbs. Anton.

Ariomandes, Atheniensium adversus barbaros dux. Plut.

Ariomardus, Darii filius. Herodotus.

Ariomedus, Xerxis navarchus. Plut.

Arion, Methymnæus citharœdus, & poeta Lyricus, ex Lesbo ins. Floruit Olymp. 28. Scripsit cantica circiter versuum 2000. in magno pretio tum temporis habita. Dicitur & Tragici carminis primus inventor fuisse, & chorum instituisse, ac Dithyrambicum carmen nominis hujus appellatione ab ipso primum insignitum, cecinisse, Suidas. Hujus historiam Ovid. *in Fastis*, & Gellius *lib.* 16. ac Ælianus *de Animalibus* referunt. Charus fuit Periandro, Corinthiorum tyranno, cujus auspiciis in Italiam profectus, grandem pecuniam ex arte suâ promeruit; cùmque iterum Lesbon peteret, videretque sibi insidias à sociis parari propter opes, quas secum adferebat, nautas oravit, ut carmen aliquod priusquam moreretur, concinere permitterent, quod cùm impetrasset, sumptâ citharâ modulans è navi in mare se conjecit; sed à Delphine allecto ejus cantu, dorso exceptus, Tænarum (quod op. est Laconiæ, hodie *Capo di Madapan* vel *Maini*, totius Moreæ Australem maximè locum, Olymp. 19. Solin. *histor. Var. lib.* 13. vel potius, Olymp. 41. Euseb. *Chron.*) vectus est, antequam nautæ illuc appulissent: & ibi relicto Delphine Corinthum petiit, omnemque rem gestam Periandro enarravit: qui tamen illius verbis minimè credidit, donec etiam historiam à nautis compertam habuit. Vide Lucianum *Dial. cujus titulus*, Ποσειδῶνος καὶ Δελφίνων. Virg. Ecl. 5.
Orpheus in Sylvis, inter Delphinas Arion.
Dubitaverunt multi, hæc fabulane fuerit, occasione historiæ de Jona Propheta, orta, an vera historia? Plinius in veram hist. inclinat; ait enim, *Quæ faciunt, ut credatur Arionem quoq; citharœdicæ artis*, &c. Vide eum *l.* 9. *c.* 8. Idem quoque sentire videtur Ovidius, ubi ait,
Inde fide majus, tergo Delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.
Ejusdem sententiæ quoque fuit Pausanias *in Laconicis.* Nam, post signum Arionis Delphino insidentis, tanquam veritatem firmaturus, subjicit historiam aliam delphini alterius. Indicat hoc ipsum Apuleius *lib.* 6. *Accedes antiquis & ipse miraculis. Credemus enim exemplo tuæ veritatis, & Phryxum arieti supernatasse, & Arionem Delphino insedisse, & Europam tauro supercubasse.* Propertius *lib.* 2.

Sed tibi subsidio Delphinum currere vidi,
Qui puto Arioniam vexerat antè ratem.

Mart. 8. 5. *Sic Methymneo gavisus Arione delphin,*
Languida non tacitum per freta vexit onus.

Dio Chrysostomus *Orat.* 37. non solùm rem narrat, sed addit nautas illos, qui facinus aggressi sunt, fuisse morte mulctatos, cùm res in quæstionem duceretur. Firmant hanc veritatem, quæ de voluptate Delphinorum erga Musicam passim leguntur, & casus ille, quo Enalus adolescens in mari servatus est à delphinis, eodem penè modo, quo *Arion*, de quo vide Plut. *Sympos.* Quid quod veram historiam, non fabulam esse, Jos. Scaliger asserit *Animadvers. in Euseb. pag.* 79. Quæ hactenus dixi, videntur stare pro historiâ. Contra ad fabulas rejicit Gellius; ait enim, *Fabulam scripsit Herodotus super fidicine illo Arione.* Et Strabo. *lib.* 13. *Arion, quem Herodotus in Tanarum servatum fabulatur.* Ovid. 3. *Art. Am.*

—— Arionia fabula nota lyra.

Arion, equi nomen, quem princeps Oenus quidam, secundus Hercules, ab eo Adrastus Argorum Imperator habuisse traditur. Hic equus est ille, quem primum omnium ejus generis Neptunus, percussâ terrâ, tridente produxisse fingitur: quò Claudianus respiciens *Panegyr. de* 4. *Conf. Honorii vers.* 555. canit;

Si dominus legeretur equis, tua posceret ultro
Verbera Nereidum stabulis nutritus Arion.

Apollodorus *lib.* 3. Ἀδράστον δὲ μόνον ἵππος διέσωσεν Ἀρίων, τοῦτον ἐκ Ποσειδῶνος ἐγέννησε Δημήτηρ εἰκασθεῖσα Ἐρινύϊ κατὰ τὴν συνουσίαν. Hic explicandus Ovid. *Met.* 6.

Et te flava comas frugum mitissima mater
Sensit equum. ———

Prop. *lib.* 2.

Qualis & Adrasti fuerit vocalis Arion,
Tristis ad Archemori funera victor equus.

Stat. *de equo Domitiani:*

Hunc & Adrastaus visum extimuisset Arion.

Idem *Theb. lib.* 6.

—— Dum, non cohibente magistro,
Spargitur in gyros, dexterâq; exerret Arion.

Idem ibidem:

Ducitur ante omnes rutila manifestus Arion
Igne juba. ———

Hunc equum dono dedit Adrasto Neptunus, uti scribit Probus. Vide Pausan. *in Arcadicis*, ubi de eo plura.

Ariona, opp. Hisp. in Vandalitia prov. 2. leuc. ab urbe *Anduxar.* Vid. *Aurieja* & *Alba Vircanoensis.* Item, fluv. Illyrici, apud Scylacem, hodie *Ombla.* Influit in portum Agravonitarum, nunc *Gravosa* seu *S. Crucis*, prope Ragusium. *J. Lucius.*

Ariostus Lud. Ferrariensis, Poëta Italus, scripsit Comoedias, Satyras & Poëma de Rolando; ingeniosus, sed minus castus. P. Jovius, *in elog.* Huic Cardinalis Estensis poëma sibi inscriptum joco pensasse dicitur. Obiit A. C. 1533.

Ariovaldus, Rex Longobard. in thronum, favore Episcoporum, evectus, Adavalo ob insaniam remoto, quem Honorius Papa restituere frustra conatus est. Arrianæ hæreseos fautor, obiit Anno 638. regni 12. P. Diac. *l.* 4. & 5.

Ariovindus, Consul, cujus collega fuit Asper.

Ariovinius, Consul, Messalæ collega.

Ariovistus, Germanorum rex, bello clarus ac potens, numerosas habuit copias, vel hoc unico argumento, quòd à Cæsare fugam simulante victus, octaginta suorum militum millia amiserit. Pugnam hanc contigisse eo loci, ubi nunc D. Apollinaris cœnobium, 1. mill. Basileâ ad Occ. distante, reliquiasque fusi exercitus, post 5. m. pass. emensa, cum Duce, Rhenum trajecisse, ubi nunc Basilea sita est, docet Beatus Rhenanus. De hoc multa Cæsar, *lib.* 1. *de bello Gall.* Itemque Dio Cassius *lib.* 38. Meminit ejus quoque Tacitus *lib.* 4. *Hist.* nec non Plutarchus. Oros. *lib.* 6. 7. Frontin. *lib.* 2. *cap.* 1. & 3. Ariovistum autem dixisse videtur Cæsar, qui Germanorum linguâ dicebatur *Ernest*, id est, *Severus.* Aventinus. Angli eam vocem adhuc retinent. Camdenus. *Arnfastus* Saxoni. Fortè à gente Aria, quæ inter Germanos, & flexa in Rom. vocem.

Aripertus I. fil. Gundebaldi, frater Theodelindæ, Rodoaldo in Regno Longobard. in Italia successit, Anno. 639. habuit successorem Grimoaldum, Anno 663. Sigon. *lib.* 2. *de reg. Ital.* P. Diaconus *lib.* 5.

Aripertus II. fil. Ragumberti, Taurinorum ducis, post intestinis dissidiis turbata omnia, Rex Longobardorum evasit. Ut scelera elueret, Johanni 6. Alpes Cottias dedisse dicitur, Anno 704. obiit Ticino mersus, Anno 712. regni 12. ei successit Luitprandus, P. Diac. *l.* 6. Beda & Ado Vienn. *in Chron.*

Ariphrades, Ariphradis filius, frater Arignoti, quem tanquam fœdissimum hominem & muliebria lingentem traducit, Aristoph. *Equit.* 4. *Epirrhem. In Crabronibus* ejus pater indigetatur Automenes.

Ariphron, Phereclis fil. 9. Atheniensium Archon. reg. an. 20.

Arippara, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Aris, Messeniæ fluvius. Pausanias.

Arisabion, Indiæ extra Gangem urbs, Ptol.

Arisai, Lat. *sponsus*, Hamanis Agagitæ fil. Esther. 9.

Arisba, op. Troadis, Mitylenæorum colonia, in litore Rhœtæo, ab Achille eversum. Virg. 9. *Æn.*

Bina dabo argento perfecta, atq; aspera signis
Pocula, devictâ genitor qua cepit Arisba.

Lucan. *lib.* 13.

Mysiaq; & gelido tellus perfusa Caico
Idalis, & nimium glebis exilis Arisbe.

Homerus ἐϋκτιμένην ac δίαν vocat. Etymologus, Ἀρίσβη, πόλις ἀπὸ Ἀρίσβης θυγατρὸς Τεύκρου, ἣν ἔγημε Δάρδανος. Item civitas Lesbi. Steph. Et Bœotiæ. Suidas.

Arisbus, flu. Thraciæ. Steph. Troadis verò Straboni.

Ariscotum, vulgò *Arschot*, urbs Brabantiæ, in Germ. Infer. cum titulo Ducat. Ad Demeram fluv. V. *Arscotum.*

Ariseria, Cyrrhesticæ reg. in Syriâ urbs. Ptol.

Arisitum, Gregorio *lib.* 5. *Hist. Franc. cap.* 5. dictum *Arisitensis vicus.* Auctori incerto carminis, de stemmate Caroli Calvi *Harisidum* & *Arisidum.* Aliis aliter; Fortè vicus est *Ariat*, in finibus Rutenorum, ad Biaurum fluv. qui in Avarionem cadit; aut certè *Aire*, vicus montanus. Ajunt in Rutenis, inter Amilianum & Ucetiam, territorium pagumve esse, longum 6. leuc. hodie *l'Arsat.* Theutarius primus *Arisitensium* Episcopus fuit, cui Mundericus (quæ duo nomina Germ. sunt) fratris sui filius substitutus est. Emmo quoque concilio Remensi interfuit. Vid. eundem. Postea hic Episcopatus abolitus & XV. illæ Diœceses, quas prædictus auctor commemorat, Rutenicæ Ecclesiæ redditæ fuisse videntur. Hadrianus Valesius *in Notit. Gall. Anno* 1675. *Parisiis edita.*

Arispa, Indica gens, circa Indum fluv. Arrianus.

Aristadium, vulgò *Arnstatt*, opp. Germ. in Thuringia. Vid. *Arnostadium.*

Aristanetus, Consul temp. Honorii Imp. *Aristaneti* cujusdam scriptoris mem. Steph. in Γέλα, ubi citat primum lib. τῶν περὶ Φασηλίδα. *Aristaneti* epistolas amatorias primus edidit Sambucus A. D. 1566. Altera editio emendatior & auctior prodiit Parisiis Gr. Lat. M. VIC Fuit etiam *Sancti* nomen, cujus mem. B. Paulus ad Rom. *cap.* 16.

Aristaum, op. Thraciæ in Hæmi mont. radicibus situm. Plinius 4. 11.

Aristaus, Apollinis (Cicero 6. *Ver.* dicit, Bacchi) ex Cyrene filiâ Penei regis Arcadiæ filius; hic deinde in Arcadiâ regnavit. Hunc primum apum & mellis usum, lactisque coagulum demonstrasse, usumque olei, & alia quamplurima adinvenisse refert Justinus *lib.* 13. Fabulam verò sic poetæ commenti sunt. Aristæum Eurydicen Orphei adamasse, quem illa fugiens à serpente occisa est, in cujus ultionem nymphæ omnes apes perdiderunt. Quapropter, matris exilium imploravit, quæ illum ad oraculum Protei perduxit, à quo infortunii causam edoctus, Eurydicen sacrificiis placare jussus est; quod cùm faceret, taurosque 4. totidemque juvencas immolaret, ingens apum multitudo à bobus erupit, atque hoc pacto apes suas recuperavit Virg. *Georg.* 4.

Hic verò subitum, ac dictu mirabile monstrum
Aspiciunt: liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere costis:
Immensasq; trahi nubes: jamq; arbore summâ
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.

Meminit ejus Oppian. *lib.* 4. *Cyneg.*

Μῦελα δ' ἀγραύλων βιοτὴν ἐδιδάξατο φωτῶν.

Quæ mox explicans ait, illum primum omnium utpote à rurestribus divitiis instructissimum, pecuariam informasse, oleum expressisse, coagulo lac compegisse, & absolvit,

—— Καὶ ποτὶ σίμβλοις
Ἐκ δρυὸς ἀείρας ἀγανὰς ἐνέκλεισε μελίσσας.

Schol. in Apol. *lib.* 2. *Argon.* Ἀρισταῖος δ' ἐν τῇ Κέῳ εὑρὼν τὰ μελισσουργικὰ πρῶτος, καὶ τὴν τοῦ ἐλαίου κατεργασίαν, καὶ κατασκευάσμενος τοῦ Ἐτησίας, Ζεὺς Ἀρισταῖος ἐκλήθη, καὶ Ἀπόλλων, Ἀγρεὺς καὶ Νόμιος. Et Apollonius ipse, *lib.* 4.

Κεῖθι Ἀρισταίοιο μελίφρονος, ὃς ῥα μελισσῶν
Ἔργα, πολυκμήτοιό τ' ἀνεύρατο πῖαρ ἐλαίης.

Interpres etiam Pindari *in Pyth.* ait, Aristæum primum omnium invenisse κτηνοτροφίαν, κυνηγίαν, ἐλαιουργίαν, μελισσουργίαν. Id ipsum latè scribit Nonnus *Dionysiac. lib.* 15. Hyginus Thebarum regem facit. Quædam etiam suggerunt Interpretes aliqui, ex Germanico Cæsare, in Phænomenis Arati. Tu vide, ut Justinus adducto loco conformet fabulas Aristæi ad veritatem historiæ. Multa, quæ de illo scribuntur ab Interprete Apollonii, ut non necessaria, omitto; magnam partem illorum retulit Apollodor. *lib.* 2. Pausan. *lib.* 8. Nat. Comes Myth. *lib.* 5. *cap.* 19. Al. Rossæus, *in mystagogo Poët.* Ovid. *lib.* 1. *Fastorum.*

Flebat Aristaus, quòd apes cum stirpe necatas
Viderat inceptos destituisse favos.

Aristaus, Judæus natione, Philadelphi tempore vixit, à quo, receptis 12000. Judæorum, qui in servitutem redacti erant, Hierosolymas missus est, scriptor jam olim laudatus Josepho *Antiq.* 12. 2. Tertulliano *in Apol. cap.* 12. Epiphanio *lib. de pond.* & Hie-

& Hieronymo *præfat. in Pentateuchum.* Meminit etiam Eusebius, cùm aliàs, tum *lib.* 9. *Præp. Evangel.* Ἀρισαῖος, inquit, ἐν τῷ γεγραφότι βιβλίῳ περὶ τῆς ἑρμηνείας τοῦ τῶν Ἰουδαίων νόμου. Extat hodieque *in Biblioth. Patrum, tom.* 7. *edit.* 2. liber sub Aristæi, seu Aristeæ nomine de Translatione Legis per 72. Interpretes, sed eum genuinum videri negat Lud. Vives *in August. lib.* 18. *de Civ. Dei cap.* 42. Scio Vivi in eo refragari cùm alios non paucos, tùm Perionium, *Observationibus in B. Justini Parænesin ad Gentes*; tum Card. Bellarm. *lib. de script. Eccl.* ex Jos. *Antiq. lib.* 12. *cap.* 2. *l. contra Appion.* Tertull. *Apol. c.* 2. Euseb. *de L. E. lib.* 9. Epiph. *de pondd. & mensuris.* Hieron. *præf. in Pent.* &c. Sed Ludovico accedunt Leo Castrius & Alphonsus Salmero. Et profectò levia non sunt, quæ pro hâc sententiâ adfert Jos. Scaliger *Animadvers. in Euseb. ad an. M.* 1734. Ipsum adi. Vossius.

Aristagoras, historicus, nomen sibi peperit Ægyptiacis suis, quorum primi libri Steph. meminit, in Ταχομψῷ, secundi autem testimonio utitur, in Νικίου κώμη. Ἀπλῶς quoque hoc opus nominat, in Ψεβῶ, non addito libri numero. Idem volumen signat Ælianus *de Anim.* 11. 10. Inter alia hoc in opere, de Pyramidibus egit, teste Plinio 36. 12. Porro, Laertius *in Chilone*, meminit Aristagoræ Milesii, quem, quia Chilon unus è septem sapientibus brevitate gauderet, hunc loquendi morem Χιλώνιον appellasse ait; sed Milesius hic, idemne sit cum superiore, non satis habeo compertum. Vossius. Item *Aristagoras*, præfectus exercitûs Darii contra Græcos. Herod. *lib.* 5. Alius fil. Melpagoræ, gener Histiæi, Mileti tyrannus, qui contra Darium rebellavit, suasu Soceri, Atheniensibus aliisque Græcis, ut arma sociarent, persuasis. Persiæ fines ingressus, Sardeis captas incendit, injuriam Dario gravissimè ferente, ejusque memoriam, quoties cœnaturus erat, refricante. Tandem à Thracibus cum suis occisus est. Idem ibidem. Vid. Polyænum, *l.* 1

Aristagoras, Cyzicenus, Herodot. *Musâ* 4. Item, Cumanus. Ibid.

Aristander, vates celeberrimus apud Plut. *in Alexandro.* Vide Plin. 17. 25. qui cum historiam rerum admirabilium scripsisse ait. Freinsh. *suppl. in Curt. l.* 1. & 2. Curt. *l.* 4. 5. 7.

Aristandros, statuarius nobilis apud Spartanos. Pausan.

Aristarcha, Ephesina matrona, quæ Dianæ jussu, unà cum Phocensibus, navigationem subiit, atque in Massiliâ, templi Dianæ constructi sacerdos, designata est. Strabo. *l.* 4.

Aristarchus, Grammaticus Alexandrinus celeberrimus, oriundus è Samothraciâ, patre itidem Aristarcho. Floruit, Olymp. 156. sub Ptolemæo Philometore, cujus etiam filium Lathurum erudiit. Scripsit commentarios supra mille; discipulus fuit Aristophanis Grammatici, Cratetis contemporaneus. Ἀλεξανδρεὺς τῇ θέσει, φύσει δὲ Σαμόθραξ, uti loquitur Suidas. Decessit in Cypro, seipsum cibi abstinentiâ necans, ob morbum hydropicum, ætatis suæ 72. Filios genuit Aristarchum & Aristagoram, ambos stultos. Suidas. Discipulos circiter 40. reliquit; æmulumque, & adversarium habebat Cratetem Malloten, Grammaticum Pergamenum. Ælianus tradit, eum tam castigato fuisse judicio, ut Homeri versus non putaretur, quem ipse non probaret. Unde etiam *Aristarchos* hodie vocamus alienorum scriptorum censores. Ovid. *Pont.*

Corrigere at res est tantò magis ardua, quantò
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

Cic. *ad Appium Pulchrum lib.* 3. *ep.* 11. *Ut enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat: Sic tu (lubet enim mihi jocari) quod disertum non erit, ne putaris meum.* Et *ad Atticum* 1. 9. *Ego varia meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere.* Horatius *ad Pisones*:

Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus. ———

Mendum obiter è Suidâ, in Ἀμμώνιος, tollendum, cùm Ammonium Saccum Origenis & Plotini familiarem, atque magistrum, qui sub Commodo vixit, Aristarchi Scholæ præfectum jam ante Augusti tempora fuisse refert. Videtur sanè, ob tantum temporis intervallum, lacuna ibi esse, propter quam posteriora verba, ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον, à prioribus separanda, ac de altero Ammonio Grammatico intelligenda. Alius *Aristarchus*, Chronographus, epistolam historicam reliquit de Athenarum situ & rebus ibi gestis, temporibus Apostolorum; inque his de vitâ Dionysii Areopagitæ. Vossius *de Hist. Gr. pag.* 333. Item *Aristarchus* Tegeates, poëta Tragicus, qui Æsculapio pro receptâ sanitate tabulam vovit. Vixit Olymp. 82. Docuit Tragœdias 70. vicit duabus, ultra annum centesimum vixit. Suidam sis adi. Fuit etiam *Aristarchus* Ephesi tyrannus, & alius Mathematicus. Suidas. Denique alius Macedo comes Pauli, Romam proficiscentis, Act. 27. 2. & vinculorum socius, Colos. 4. 10.

Aristarchus, Medicus reginæ Beronices, viduæ Antiochi. Polyæn. 8. 629.

Aristarchus, Orator apud Ambraciotas, qui civibus suis persuasit, impositum urbi à Philippo Macedone præsidium ut ejicerent. Diod. XVII. initiò.

Aristarete, Nearchi fil. pictrix nobilis. Plin. 35. 11.

Aristazanes, nobilis Perses, Artaxerxi Ocho, excepto Bagoâ Eunucho, intimus, & internuncius mandatorum ac petitorum. Diod. 16.

Aristeas, Proconnesius genere, emicuit Cyri & Crœsi temporibus, fil. Democharis, aut Caustrobii, Theogoniam scripsisse dicitur, Suidæ verbis, καταλογάδην εἰς ἔπη α, *Oratione solutâ ad versus mille.* Sic interpres habet Æmylius Portus, quem sequitur Vossius *de Hist. Gr. lib.* 1. Nec aliter sonat ea vox apud veteres quosdam, præcipuè Plutarchum, qui δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην junctim locat. At sequens vox ἔπος reclamat, quæ in pedestri sermone non versum, hoc est, scripturæ prosaicæ lineam, sed metrum notat, & sanè metri speciem Heroicam: unde distincti ab Jambicis & Melicis Epopœi. Adeò ut utrobique Aristeas etiam, in suâ Theogoniâ, fuerit Epicus, vel Hexametrorum Dactylicorum poeta; sicut clarissimè fuit in illâ suæ Arimaspidos tribiblo, propter versus inde quosdam Gnomicos, de Navigationis miseriâ, productos à D. Longino, περὶ Ὕψους *cap.* 8. Itaque aliter sonat Suidæ vox καταλογάδην, nempe *per modum Catalogi*, id est, nominibus nudè tantùm recensitis: non παραμυθολογάδην, cum fabulosæ historiæ intertexturâ; qualiter Hesiodus Theogoniam suam scribit. Κατάλογος propriè est *directa & continua series nominandi, pronunciandive*; unde transfertur interdum ad orationem solutam, quasi liberè laxeque profluentem, nec certis metrorum legibus & modulationis recursu illigatum. Hinc elegantissimè ex veteri & veriori scripturâ, apud Apuleium *in Floridis*, dicitur *oratio prôrsa*, hoc est, *proorsa*, rectâ usque procedens; non conversa modulatimque recurrens. Hinc per vulgarem syncopam *Prosa*, *Prosaicus*. Hesychius Milesius, cognomento Illustris, Ἀριστέου τοῦ Προκοννησίου φασὶ τὴν ψυχὴν ἐξιέναι ὅτε ἐβούλετο καὶ ἐπανιέναι πάλιν. Sed Herodotum haud satis clarè transcribit, *lib.* 4. *cap.* 13. Ubi Aristeas, Caustrobii filius, ex Proconnesiorum nobilitate primariâ scripsisse dicitur Ἀριμάσπεια carmina, præstigiosus extertim poeta, ποιέων ἔπεα, *versificator.* Utpote, admirationis excitandæ gratiâ, profectus ad Issedonas, Arimaspis proximos, venisse Φοιβόλαμπτος γενόμενος, hoc est, *à Phœbo instinctus.* Vixit Olymp. 55. 56. Vide præter Plin. *lib.* 7. *cap.* 2. A. Gell. *l.* 9. *cap.* 4. Henr. Jacobii *Orationem Inauguralem pag.* 54. Et Voss. *Hist. Gr.* 1. 1. Item 4. 2. Alius *Aristeas* fuit Stratonicensis, de quo Pausan. *lib.* 5.

Aristera, Insulæ nomen apud Pausan. *in Corinthiacis.*

Aristeus, sophista, temp. Antonini Imp. Item, Argivus, qui Pyrrhum contra cives excitavit. Polyæn. 8.

Aristhus, res Arcadicas prodidit. Dion. Hal. *lib.* 1. Nisi, ut Sylburgio placet, legere mavis Ἀρίσθος, vel Ἀραίθος.

Aristibus, flu. Pæoniæ. Polyænus, *lib.* 2.

Aristides, fil. Lysimachi, Atheniensis, nobilitate & justitiâ insignis, qui cum Themistocle dissensit, ut Cato cum Cæsare: ὃς οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ᾽ εἶναι ἤθελεν, hoc est, *Qui non videri, sed esse voluit optimus*; quemadmodum Æschyli hunc versiculum populus Atheniensis accommodavit, atque adeo δικαίου, id est, *justi* cognomen ei tribuit. Hujus autem justitiam non ferens Themistocles, exilio eum damnari curavit: Sed anno ferè sexto revocatus ac restitutus est, cùm Xerxes Atticam adoriri statuisset, uti Corn. Nepos auctor est, *in ejus vitâ.* Sed anno tertio id contigisse Plutarchus, *in ejusdem vitâ*, testatur: at Schottus *in Chronologiâ*, id quarto anno factum ostendit. Tandem verò cùm multas præfecturas gessisset, namque & pugnæ Salaminiæ interfuit, & cum Pausania Mardonium vicit, ad Platæas, delectusque est qui constitueret, quantum pecuniæ quæque civitas daret, ad classes ædificandas, bellumque comparandum, in tantâ paupertate obiit, ut vix tantillum pecuniæ corradi potuerit, quæ vespillonibus, & vilibus cadaverum funeratoribus daretur. Plut. *in Aristide*, Diodor. *lib.* 11. *cap.* 47. Thucyd. *lib.* 1. &c.

Aristides, Atheniensis, philosophus Christianus eloquentissimus, sub pristino habitu, volumen contextum Philosophorum sententiis, Anno 126. nostri dogmatis rationem continens, Adriano Principi tradidit. Hieronymus. *Catal. & Ep.* 84. *ad Magn.* Euseb. *hist. l.* 4. *c.* 3. Quo eodem tempore cùm Serenius quoque Granius, Proc. Asiæ, pro Christianis intercederet, persequutionem inhibuit Imperator.

Aristides Eleates, qui Cauloniam contra Dionysium defendit, ut colligitur ex Polyæn. *l.* 6.

Aristides, Locrensis à mustela morsus moritur. Ælian. *Var. Hist.* 14. 4.

Aristides, orator Atheniensis, & sophista, Plin. cujus extant Orationes 54. in quibus præter alias egregias sententias, hæ duæ sunt auro contra non caræ: Πάντα λῆρος πρὸς τὸ πεῖθεσθαι τῷ θεῷ. Et, οὐ γὰρ ἔσθ᾽ ὅπως ἡσυχάσουσιν ἁμαρτάνοντες.

Aristides, philosophus è civitate Adrianorum Mysiæ; Smyrnæ docuit, & advenienti fortè M. Antonino principi unus omnium non processit obviam; eoque modo in cognitionem & amicitiam Imp. venit. Philostratus.

Aristides, pictor Thebanus, Apellis tempore, qui omnium primus animum pinxit, & sensus, ac perturbationes expressit. Item statuarius insignis, Plin. *lib.* 34. *cap.* 8. & 35. 10. Fuit alius *Aristides* Samius, Varroni in Hebdomadibus citatus, ut Gellius indicat, *lib.* 3. *cap.* 10.

Aristides Milesius, celebratur à Plut. frequenter, *in Paral. min.* Nomen sibi comparavit libris rerum Sicularum, Italicarumque, teste eodem Plutarcho. Nec dubito, quin idem sit *Aristides*, qui Persica composuit, quorum ex primo quædam refert Plut. ubi supra. Fortassis idem *Aristides* est, quem in commentario de Cnido advocat Pindari Schol. *in Od.* 3. *Pyth.* Idem condidit Milesia, vel Milesiaca, quæ ἀκόλαστα βιβλία, sive lascivos libros appellat Plut. *in Crasso.* Illud enim opus, non gestas Milesiorum res, sed amatorias quasdam, atque lascivas narrationes continebat. Ovid. *Trist.* 2.

Junxit Aristides Milesia crimina secum,
Pulsus Aristides nec tamen urbe suâ est.

Ita vulgò quidem legitur; tu autem, quomodo legendum sit, vide Tanaquillum Fabrum, *Epist.* 3. *pag.* 12.

Aristippus, Cyrenæus, *Senior* dictus, Socratis auditor; cum Epicuro de voluptate sensit. Primus quæstu philosophatus est, & cum Xenophonte simultatem habuit, & à Diogene *Canis regius* appellatus est, quòd Dionysio, ac aliis divitibus ventris gratiâ adularetur. Horatius,

Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus; si sciret regibus uti,
Fastidiret olus. ——

Is dicebat, lautiorem victum nulli esse impedimento ad benè vivendum. Habuit ingenium ad omnia, pro tempore, loco, & personâ simulanda omnino promptum, quamobrem Dionysio inter cæteros charus fuit. Et ut præsentibus voluptatibus libenter fruebatur, ita & absentes facilè contemnebat. Cùm in Græciam philosophandi causâ proficisceretur, jussit servos aurum projicere, ut expeditiores ad iter capessendum essent. Hor. *Serm.* 2. *Sat.* 3.

———— *Quid simile isti*
Græcus Aristippus? qui servos projicere aurum
In mediâ jussit Libyâ, quia tardius irent
Propter onus segnes. ————

Voluptatem bonorum, dolorem malorum finem constituit. Cæteras scientias exclusit, illud solum utile putans, ut quæras, si quid domi mali, aut boni contigit. Summum bonum posuit in leni motu ad sensum emanante, id est, in voluptate corporis sensus titillante. Qui ab eo fluxerunt, & in dogmate permanserunt, à præceptoris patriâ *Cyrenaici* vocabantur. Tradunt Platonem dixisse, soli Aristippo & chlamydem, & pannum ferre datum esse. Horatius *lib.* 1. *ep.* 17.

Omnis Aristippum decuit color & status & res.

Vide Diog. Laërt. *in Aristippo, lib.* 2. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 4. *cap.* 8. Alius hoc nomine Argivorum tyrannus fuit, de quo Plut. *in Arato.*

Aristippus, cogn. *Junior*, Philosophi nepos, ex filiâ Metrodidacte. Vel potius ipse *Metrodidactos* dictus est, Vid. *Areta*. Cyrenaicæ sectæ illustris assertor. Duos animi motus, dolorem & gaudium, principia statuit, &c. Vid. Diog. *in Aristippo.* Hic in navigio ob tempestatem expallescens, interrogatus, quare, cùm Philosophus esset, timeret? respondit, Non eandem sibi, & interroganti causam esse; quoniam is non esset magnopere sollicitus pro animâ nequissimi nebulonis, ipsum autem pro Aristippi animâ timere.

Aristippus, historicus Arcadiæ historiam scripsit. Laert. *lib.* 2. ubi de quatuor *Aristippis* loquitur, nempe præter tres prædictos etiam de alio quodam Philosopho novæ sectæ. Plin. *l.* 35. *c.* 4. & 10. pictoris egregii, Aristippi meminit.

Aristius, prænomine *Marcus*, tribunus militum Cæsaris, iter ad legionem faciens, fide datâ, à Gallis ab oppido Cabillono eductus. Cæsar *lib.* 7. *Com.* 42. Hic haud dubiè est *Aristius* ille, cui postea Proconsuli scripsit Cicero, ut est videre *lib.* 13. *Epistol.* Etsi perperam ibi non *Aristio*, sed *Aristo*, legitur.

Aristo, Argius palæstrita, apud quem Plato exercitatus est, & ab eo propter egregium corporis habitum *Plato* cognominatus, cùm prius *Aristocles*, ex avi nomine vocatus esset. Diog. Laert. *lib.* 3.

Aristo, Alexandrinus, philosophus Peripateticus, qui de Nilo scripsit. Ejus mem. Strab *lib. ult.* Ἀρχέσθ (inquit) δύο μηνύσαι τοὺς ποιήσαντας καθ' ἡμᾶς τὸ περὶ τοῦ Νείλου βιβλίον, Εὔδωρόν τε καὶ Ἀρίστωνα, τὸν ἐκ τῶν περιπάτων. Addit deinde, iisdem propè verbis utriusque librum esse perscriptum; ut alter necessariò sit plagiarius: sed uter ab altero sit suffuratus, id esse dictu difficile: ab Eudoro quidem accusari hoc nomine Aristonem; sed dicendi genus magis esse Aristoneum. Est verò Aristo hic sextus ordine ex his, quos hujus nominis Laertius recenset, *in Zenone.* Ubi præter Musicum quendam Athen. & alium qui Rhetoricam scripsit, alterum etiam nominat Aristonem Peripateticum, sed Ceum; quippe Julietem, qui Athenis pulsus, tragœdiâ contra Menestheum scriptâ. Plut. Est autem Julis, civitas in insulâ Ceo; Porrò, similitudo nominis inter Aristonem Ceum, & Aristonem Chium, qui Zenonis Cittiei auditor fuit, fecit, ut multa Aristonis Cei Peripatetici, tribuerentur Aristoni Stoico. Nam ex tam multis, quæ Laertius commemorat, solæ epistolæ verè erant Aristonis Chii: cætera fuerunt Aristonis Cei, Peripatetici: ut Laertius tradidit ex Panætio & Socrate. Sed si non aliud dicit Strabo, quàm Peripateticum Aristonem esse auctorem libri de Nilo: Laertius autem docet, duos fuisse Aristones Peripateticos, Alexandrinum unum, alterum Ceum: unde constat, Alexandrinum potius ejus operis esse patrem, quàm Ceum? Nempe, ut ita sentirem, impulit, quòd verisimile videretur de fluv. Ægyptio egisse potius hominem Ægyptium, quàm de Ægæi maris insula. Sed scrupulum injicit Schol. Apollonii *in* 4. *Argonaut.* ubi Aristonis Chii de Nili origine sententiam inter alia adfert. Nempe vulgarem quidem secutus sententiam, *Chium* & *Ceum* confundit. Aristoni Chio quoque tribui solet liber ἐρωτικῶν διατριβῶν, quem Aristoni Ceo Peripatetico assignat Athenæus *libb.* 10. & 13. ubi vocatur ἐρωτικὰ ὅμοια; secundusque ejus operis adducitur. Meminit ejus Plut. *de Is. & Os.* ubi laudatur Ἀρίστων ὁ γεγραφὼς Ἀθηναίων ἀποικίαν. Item Laertius *in Heraclito*, ubi citat Ἀρίστωνα ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείτου. Ejus κτίσεις ἐθνῶν καὶ πόλεων citat Schol. Aristoph. Νεφέλ. Schol. Apollonii, & Phavorinus in ψαμμίτυχον, in quibus duobus posterioribus locis κτίσεις pro θέσεις rectè legit Rutgersius *Var. lect.* 1. 18. Scripsit præterea, de Zenonis Dogmatibus, teste Laertio *lib.* 7. De Demosthene Theophrasti judicium, ex Aristone Chio, profert Plut. *parall.* Demosthenis; Sed hoc ex Aristonis libro πρὸς τοὺς Ῥήτορας petitum, arbitratur Jonsius. De morte Demosthenis itidem, ex Aristone locum adfert Plutarchus, ubi supra. Sed πολλοὶ οἱ Ἀρίστωνες, uti loquitur ingeniosissimus Lucianus *in Lexiphane.* Titi *Aristonis* eruditionem summè admiratur Plin. *lib.* 1. *Ep.* 2. à quo alius Claudius *Aristo* Ephesiorum princeps, apud eundem *lib.* 6. *Epist.* 31. Fuit & *Aristo* Pellæus, sed qui Hadriani demum tempore, aut pòst, vixerit. Ex eo quædam, de postremâ Judæorum rebellione, quæ sub Hadriano contigit, refert Eusebius *Hist. Eccles.* 4. 6. & Nicephorus Callistus 3. 24. Denique *Aristo* Ephesius fuit, qui genus fœmininum perosus, cum asinâ concubuit, ex eoque concubitu genita est puella, cui à *cruribus asininis* nomen *Onoscela* inditum est. *in Paral.* Vid. etiam *Ariston.*

Aristobathra, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Aristobula, Diana à Themistocle sic dicta, qui Athenis ei templum erexit, quòd in Persico tumultu rebus Græciæ salutaria protulisset consilia. Cæl. Rhod. 10. 5.

Aristobulus I. cogn. *Phileleus*, Judæorum Rex, fil. Johannis Hircani, Principis & Sacerdotis S. successit Patri, *A. M.* 3951. junxitque diadema tiaræ. Vivo adhuc Parente, Samariæ habitavit, & Antiochi Cyziceni copias fudit. Dein Antigonum fratrem in societatem regni assumsit, reliquis tribus, cum matre, carceris pœdore fameque confectis. Mox ipsum Antigonum necavit, & primo regni sui anno mœrore animum subeunte, obiit, bonâ parte Itureæ regno adjectâ, ejusque incolis ad Judaismum pertractis. Jos. *Antiq. l.* 13. *c.* 18. & 19. *De B. J. l.* 1. *c.* 3. Sulpic. Sev. *l.* 2. Eus. *Chron.*

Aristobulus II. fil. Alexandri Jannæi, Rex Judæorum, Hircano majore natu fratre victo. Cui suppetias veniens Aretas, Arabum Rex, Aristobulum in templo Hierosol. obsedit, sed à Scauro, Pompeiano duce, recedere coactus est. Uterque ergo Damascum ad Pompejum, qui clandestino Aristobuli discessu irritatus, Hierosolymâ captâ, Regem cum Alexandro & Antigono filiis captivos Romam misit. Unde cùm Aristobulus cum Antigono evasisset, regnum viribus retinere conatus, denuo victus, per Gabinium, Romam mittitur; paulo pòst ab Augusto liberatus, ut ipsi in Asia contra hostem usui esset, sedâ Pompejanis veneno necatus, obiit. *A. M.* 4005. Jos. *Antiq. lib.* 13. & 14. *De B. J. l.* 1.

Aristobulus, fil. Alexandri, Successoris & filii Aristobuli 2. ab Herode, matris Alexandræ & Mariammes sororis precibus, Sacerdotium S. impetravit, an. æt. 17. Quod cùm gratius fuisset Judæis, quàm ut Herodes id posset pati, Juvenem mergi jussit, *A. M.* 4020. & ut celaret facinus, superbas ei fecit exequias. Joseph. *Antiq. l.* 15. *c.* 2. & 3.

Aristobulus, fil. Herodis ex Mariamme, Berenices, quæ Salomes, Herodis sororis, fil. erat, maritus. Cum fratre Alexandro, Sebastæ, crudelissimi parentis jussu, licet nullius criminis rei ambo essent, strangulatus, *A. M.* 4049. Vid. *Alexander, fil. Her.* Item, fil. Herodis, Regis Chalcid. cui Nero minorem Armeniam dedit, Jos. *Antiq. l.* 20. *c.* 5.

Aristobulus, frater Epicuri. Diog. Laërt. *in Epicuro. l.* 10. & Gassend. *in ejusdem vita, l.* 1. *c.* 1. & 8.

Aristobulus, Aristobuli fil. inter comites Alexandri fuit, & de rebus ab eo gestis historiam perscripsit, teste Arriano *initio lib.* 1. cujus & Plut. sæpe mem. *in Alexandro*; multaque ex illo de rebus Indicis adfert Strabo *lib.* 15. Non dubium verò (inquit Cl. Vossius) quin idem sit, quem *Cassandreum* cognominat Plut. *in Demosthene*, Item Lucian. *in Macrobiis*, ubi ait

cum

tum ultra 90. annos vixisse. Plut. *lib. de flum.* citat primum Aristobuli librum, *de lapidibus.* Si quis eundem putet, non video, ut refelli possit. Fortassis & idem est, cujus libros *de rebus Italicis* citat Plut. *in Parall.Min.cap.*32. At alius est *Aristobulus* Judæus, Philosophus Peripateticus, ut eum vocat Clemens Alex. *lib.*1. *Strom.* Scripsit explanationem in Mosem, eamque Philometori Ptolemæo dicavit. Euseb.*lib.*9.*Præp.Evang.* Ἀ᾽ριστόβουλος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς Φιλομήτορα: quæ Trapezuntius vertit, *Aristobulus in primo apud Philometora*, cùm deberet, *in primo eorum quos ad Philometora scripsit.* Vid.Hieron.*in Catal.*& Euseb. *Hist.Eccl.c.*26.*l.*7. Item vir quidam, cujus familiam salutat B.Paulus, Rom.16.

Aristoclea, formosissima puella, quæ rem divinam factura nuda est à Stratone visa, qui in eam exarsit, antea etiam à Callisthene adamatam. Ipso verò nuptiarum die, in amantum manibus discerpta est, quorum postea alter sibi manus intulit, alter aufugit, nec unquam postea visus est. Plutarch. *in Amator.Narrat.*

Aristocles, Messenius Peripateticus, συνέταξε περὶ φιλοσοφίας βιβλία δέκα, καθολικῇ δὲ ἐν τούτοις πάντας φιλοσόφους, καὶ δόξας αὐτῶν. Immediatè enim hæc cohærere debent, in Suida, *Voce* Ἀριστοκλῆς. Sextum ejus operis librum citat idem Suidas, in Σωτάδης. Septimum verò Eusebius, & ex eo egregia fragmenta servat, *lib.* 15. *Præp.Evang.cap.*πῶς γ, ubi de adversariis Aristotelis agit. Et quæ ex Lycone de Aristotele ibi Aristocles adduxit, eadem ex Aristocle, non tamen citato libro, adducit Theodoretus, *Serm.* 8. 12. Octavum operis ejusdem librum laudat idem Eusebius, & multa inde adfert, *lib.*14.*Præp.Evang.cap.* ἄλλοι δὲ & seqq. Quibusdam Alexandri Aphrodisæi præceptor fuisse dicitur, quod si ita est, jam de ejus ætate constaret. Fuit & *Aristocles* Rhodius, Grammaticus, ut in procemio Erotianus testatur. Alter, an neuter, est *Aristocles*, qui paradoxorum libros scripsit? Quibusdam certè Sophista Megarensis fuit. Ex iis quædam Stobæus narrat, *Sermone de Vituperatione Veneris.* Ælianus quoque *de Animal.*11.4. refert Aristoclis nescio cujus octastichon de bove; quem, cùm vix decem viri domare possent, una sacerdos solâ aure prehensum ad aram deduxerit. *Aristocles* Lampsacenus Stoicus, scripsit libris 4. enarrationem eorum, quæ Chrysippus tradidit, de ratione singulorum dicendorum, & cogitandorum. Item *Aristocles* historicus, cujus Clemens meminit, *lib.*6. Στρωμ. quemque ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν citat Plut. *in Paral.* Hunc suâ ætate vixisse, disertim dicit Strabo *lib.*14. quo loco de illustribus viris Rhodiis tractat. Meminit ejus, sed ut Grammatici, Varro *lib.*9.*de L.L.* ubi definitiones ejus obscuras vocat. Ejusdem verò, ut rhetoris Rhodii, mentionem facit Dionys. Halic. *in Dinarcho.* Etiam περὶ ποιητικῆς scripsisse, Ammonius indicat, *de Differ.Verb.Voce* Ἐπικήδειον. Alius fortè est *Aristocles* musicus, cujus meminit Athenæus. Apollonii ad *Aristoclem* sententiam laudat Stobæus *Serm.*20.*qui est de ira.* Vivebant autem quidam *Apollonius* & *Aristocles* sub Evergete 2. Itemque sub Augusto, & tandem sub Antonino Pio, ut incertum sit, qui Apollonius & Aristocles hic intelligantur. Ad *Aristoclem* Phrynichus librum scripsit, teste Photio *Eclog.*158. *Aristocles* etiam Platonis nomen, priusquam à magistro suo *Plato* appellaretur, cujus avus etiam *Aristocles*, Diog.Laërt. *l.* 3.

Aristocles, Tegeatum Princeps, à perfugium simulante Sthenippo, ope eorum, quos ad id corruperat, in pompa jam sacrificaturus, necatur. Polyæn.*l.*1. Alius *Aristoclis*, ut videtur, meminit Idem *l.* 6. Laconis. Vid. in *Aristocrate.*

Aristoclides, Orchomenii tyrannus, qui, cùm Stymphalide virgine potiri non posset, primò patrem ejus de medio sustulit, deinde & virginem ipsam, quæ ad aras Dianæ confugerat, multis vulneribus confodit. Quamobrem in eum universa Arcadia bellum suscepit, virginisque necem tyranni morte ulta est. Hieron. *contra Jovin.*

Aristoclitus, Musicus, qui genus suum ad Terpandrum referebat, floruit in Græciâ circa bellum Medicum. Hujus discipulus fuit Phrynis Mitylenensis, qui initio erat tibicen, sed ab hoc citharâ canere doctus fuit. V. Scholia *in Aristoph. Nubes III.Sc.*3.

Aristocrates, Spartanorum Rex, qui hostes solebat corrumpere. Vid.Pausan. *l.*8.

Aristocrates, civis Rhodius, qui, quòd plurimùm dignitatis, strenuitatisque præ se ferret, civium omnium consensu belli dux electus est: in quo spem suorum egregiè fefellit, ut qui in rebus gerendis, tanquam adulterinus nummus, in igne apparuerit, & omnino alius, quàm primâ fronte promiserat. Suidas.

Aristocrates, Scellii filius, qui Athenis popularem statum commutare conatus erat. Vide Scholia *in Aristoph. Aves.*54.7.

Aristocrates, Dux Atheniensium, cum viginti quinque triremibus auxilio missus Zacynthiis exsulibus. Diod. XV. Hujus meminit Polyænus *lib.*5.

Aristocrates, unus ex iis Prætoribus, quos Atheniensis populus prælio ad Arginusas commisso reduces morte multavit. Vide Scholia *in Aristoph.Ranas V.Sc.*1.268.*F.*

Aristocrates, Hyparchi fil. historicus Gr. in quarto Λακωνικῶν citatur ab Athenæo, *l.*3. Plut. *in Lycurgo.*

Aristocreon, terrarum situm descripsit. Plin.5.9. & 6.30.

Aristocritus, innotuit commentario suo de Mileto, ex quo opere undecima est Parthenii historia, in Eroticis. Plin.5.31. tradit ex eo, ut Samos insula aliquando dicta sit Melamphyllos. Meminit etiam ejus Apollonii Schol. *in lib.* 2.

Aristocritus scripsit archæologiam Deorum. Schol. *in Aristoph. Crabr.*

Aristodemus, Archon Athenis, Olymp.107.an.1.

Aristodemus, Aristomachi fil. Herculis abnepos. Herodot. *lib.*7.

Aristodemus, Messeniorum R. à Lacedæmoniis plurimis urbibus exutus, Itomam se recepit, mox recollectis viribus tantâ strage hostes afflixit, ut uxores filiasque vulgò liberos quærere coëgerint. Unde *Parthenii* orti, qui 30. pòst annis, Phalanto duce, desertâ patriâ, Tarentum in Italia occuparunt. Postmodum Aristodemus, mactatâ, jussu oraculi, filiâ super sepulchro ejus se confodit, Olymp.14. *U.C.*30. Ante *C.N.*724. A. M.3330. Pausan. *in Messeniacis.*

Aristodemus, ex posteris Herculis, Eurysthenis & Proclis, gemellorum, parens, Apollod. *lib.*2. Item tyrannus, Pausan. *in Arcad.* Xenocritæ opera interfectus, Plut.*de Virt.mulierum.*V. infra.

Aristodemus, Cumarum tyrannus, cognomento *Malacus*, id est, *mollis*, cujus furores describit, Plutarch. *lib.* 1. *de rebus gestis illustrium mulierum.* Cæterùm de Aristodemo vide Dionys. Halicarnasseum. Item *Aristodemus* Nisæus, fil. Menecratis, quem Strabo *l.*14. dicit, se juvenem vidisse senem. Alius, superioris ἀνεψιός, sive consobrinus, Magni Pompeii filios erudiit; manè Rhetoricam, meridie Grammaticam docuit. Strabo. Fuit & *Aristodemus* ὁ Ἀλεξανδρεύς, qui aliquot libris *de Pindaro* egit, quorum tertium citat Athen. *lib.*10. Eundem laudat Schol. *Pindari ad Olymp.*9.*Pyth.*3.*Isthm.*1.*& Nemeon.*7. ubi ὁ Ἀριστάρχου μαθητὴς dicitur. Item Ἀριστόδημος ὁ Ἠλεῖος, cujus mentio apud Harpocrationem, in Ἑλλανοδίκαι. Difficile igitur est dicere, cujus *Aristodemi* sit collectio fabularum, de qua Plutarch. *in Paral. Min.cap.*35. ubi ex tertia congerie narrat, ut Helena, cùm immolanda esset, ad averruncandam Lacedæmone pestilentiam, aquilæ beneficio fuerit liberata. Item cujus fuerint Θηβαϊκά; quorum primum citat Apollonii Schol. *in* 2.*Argon.* Aut Γελοίων ἀπομνημονευμάτων; quorum secundum librum adducit Athen. *libro* 6.8.13. Aut μυθικὴ συναγωγή, ex quâ quiddam narrat Plutarch. *in Par.Min.cap.*35. Atque idem *judicium esto, de libris Aristodemi* περὶ ζωγραφημάτων, quorum mentio est apud Clem. Alex. *in primo* Στρωμ. Idem de epitome *Aristodemi* τῇ καθόλου Ἡρωδιανοῦ πρὸς Δαναόν, de qua Suidas. Meminere *Aristodemi* etiam Varro *lib.*9.*de L.L.* Tert. *de An. cap.*46. nec non Euseb. *lib.* 1. Χρονικῶν; ubi *Aristodemum*, de Olympiadum initio consentire ait cum Polybio, Vossius.

Aristogenes Cnidius, vel Thasius, medicus, servus Chrysippi philosophi, famam adeptus est ex curatione Antigoni Gonatæ, Macedoniæ regis, cui libros de arte sua dedicavit. Suidas. Vixit Olymp.125. Vid.de eo Voss. *de Phil.c.*11.*§.*35.

Aristogiton, legatus Atheniensium, ad Darium, captus in deditione Damasci. Curt.*l.*3.

Aristogiton, orator Atheniensis, impudens, ex quo *Canis* vocatus est ab Atheniensibus. Scripsit apologiam ad Demosthenem ducem, contra Timotheum, ad Lycurgum contra Demachum. Item *Aristogiton* & Harmodius, liberatores tyrannidis Pisistrati, quibus statuæ in foro ab Atheniensibus positæ. Herodot. *Musâ* 5. Thuc.*lib.*6.*c.*12. Plut. Pauf. Suidas.

Aristolaus, Pausiæ fil. & discipulus, severissimus pictor, cujus opera nonnulla commemorat Plin.*l.*35.*c.*11.

Aristolaus, Imperatoris Theodosii Jun. tribunus, ingenio & pietate insignis, Cyrillum cum Johanne Antiocheno, qui Nestorio favebat, reconciliavit. A.C.432.

Aristolochus, Athen. vicit stadio Olymp.109.

Aristomache, uxor Dionysii Syracusani, itemque Dionis. Plutarch.

Aristomachus, fil. Cleodæi, pronepos Herculis. Herod. *lib.* 6. Item hostis Cardianorum, ut videtur ex Polyæn.*lib.*5.

Aristomachus, Heracleota, contra Lacedæmonios pugnatum missus, Thucyd. *lib.*1.

Aristomachus, Atheniensis scriptor, de vini apparatu. Plinius 14.19. Item vir, Solis oriundus, qui amore apum sic flagravit, ut duo de sexaginta annis nihil aliud fecerit. Plinius 11.9. & 13.24.

Aristomedes, Thessalus, inter Duces Darii, Persarum R.ultimi, 20000. Barbarorum peditum præpositus. Curt.*l.*3.

Aristomenes, qui ad Hellespontí oram recuperandam, à Dario, missus erat, à classe Macedonum ex Græcia accita, captis, aut demersis navibus superatur. Qu. Curt.*l.*4.

Aristomenes, Messenius, Atheniensium dux justissimus, uti scribit Hieronymus, victis Lacedæmoniis & nocturna sacra celebrantibus, rapuit de choris ludentium virgines 12. & tota nocte gradu concito fugiens, excessit de finibus Spartanorum. Cùmque eas comites ejus vellent violare, monuit, quantum potuit, ne hoc facerent, & ad extremum quosdam non parcentes interfecit,

cæteris metu coercitis. Redemptæ postea à cognatis puellæ, cùm *Aristomenem* viderent reum cædis fieri, tamdiu ad patriam non sunt reversæ, quamdiu ad Judicum advolutæ pedibus defensorem pudicitiæ cernerent absolutum. Tantâ calliditate fuit, ut Lacedæmoniorum sæpe urbem ingressus, & aliquando captus, atque in vincula conjectus, clam aufugerit; quod cùm tertiò fecisset, tandem occisus est; cujus, exsecto corpore, inventum est cor pilosum. Vide Diodorum 15. Pausan. *lib.*4. Justin. *l.*3.

Aristomenes, quoque recensetur Lacedæmonius, Dionysio in auxilium missus, à Polyæno *l.* 2.

Aristomenes, Atheniensis Comicus, inter secundos antiquæ Comœdiæ, flor. Olymp. 88. Cognomentum habuit θυρoποιὸς, id est, *januarum fabricator*, ut est apud Suidam, ubi aliqui malunt, τυροποιὸς, *caseum conficiens.*

Ariston, Agasiclis fil. Patri in regno Lacedæm. successit, maritus uxoris, quæ ante nuptias turpissimâ formâ cùm esset, in matrimonio insigni pulchritudine enituit. Hæc cùm septimo, à quo gravida erat, mense, Demaratum peperisset, Ariston in publico Ephororum conventu, audito nuntio, prolis se esse parentem inficiatus est. Pausan *l.*3. Plut. *in apophth. Laconicis.*

Ariston, Ætolorum dux; Item sculptor, cujus meminit Plin. & J.C. apud Gellium. *lib.*11.*c.*18.

Ariston, Corinthius gubernator, qui auxilio videtur fuisse Syracusanis, contra Athenienses, Polyæn. *l.*5.

Ariston, in exercitu Alexandri magni Pæonum Equitum præfectus, qui Satropatem, Equitatus Persici ducem, vicit. Curt. IV. 82.

Ariston, Autoleontis F. insidiosè & malignè à Lysimacho paterno Pæoniæ regno spoliatus. Polyæn. *l.*4.

Aristonauta, Pellenæorum navale. Pausanias.

Aristonicus, Eumenis regis fil. Asiam invasit, & Pergam. Regnum à Romanis Attalo donatum, vi retinere conatus, Conf. Licinium Crassum, vicit, sed anno pòst à Conf. Perpenna superatus, & in carcere strangulatus est. Liv. *l.*59. Justin. *l.*36. Florus, Eutrop. Vell. Item Methymnæ tyrannus, qui, cùm ignarus Chion Macedonibus traditam esse cum piraticis navibus, primâ vigiliâ, ad portus claustra successisset, & Pharnabazum conventum vellet, velut hospes ac socius admissus est atque in vincula compactus. Postea popularibus traditus, quem illi ob injurias tortum necaverunt. Qu. Curtius *lib.*4. Item Grammaticus Alexandrinus, Ἀριστόνικος ὁ καθ' ἡμᾶς dicitur Straboni *lib.* 1. Scripsit, περὶ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μουσείου, è quo Sopater duodecimum Eclogarum suarum librum confecit, teste Photio *Eclog.*161. Scripsit librum quoque, in Theogoniam Hesiodi, & de nominibus, sive constructione apud Homerum. Item historicus Tarentinus, de quo Voss. *Hist. Gr. lib.*4. *p.*506. Denique Eunuchus quidam, de quo Suidas.

Aristonicus, Citharœdus Olynthius, in arte sua celebris. Vid. Polyæn. *l.*5.

Aristonides, statuarius insignis, qui cùm Athamantis furorem Learcho filio præcipitato residentem, ejusque pœnitentiam vellet exprimere, ferrum & æs miscuit, ut ferri rubigine per nitorem æris relucente exprimeretur verecundiæ rubor. Plinius 34. 14.

Aristonous, Pisæi Macedonis, ex Pella Urbe, fil. inter corporis custodes Alex. M.

Aristonus, Præfectus Pæonum equitum Alexandri, vir bellicosissimus & prudens. Qu. Curt. 9. 5. 10. 6.

Aristonymus, poëta Comicus sub Philadelpho, præfuit Regiæ bibliothecæ, post Apollonium, qui Eratostheni successerat. Veniens tandem in suspicionem, quòd ad Eumenem transfugere cuperet, in custodia per aliquot annos fuit; tandem verò liberatus, mortem non multò pòst retentione urinæ, an. æt. 77. obiit. Athenæus. Suidas.

Aristonymus, ex citharœdis Alex. M. Plut. *de fort. Alex.*

Aristophanes, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ duodecimæ anno secundo. Diodor. Sic. *l.*17.*c.*49.

Aristophanes, poëta Comicus, Philippi fil. ex Lindo Rhodi op. ortus, inventor tetrametri, in carpendis hominum vitiis liberrimus: Ab Atheniensibus serto ex sacra lauro, quæ in acropoli erat, ornatus. Cum Socrate inimicitias exercuit, quem in *Nubibus*, ut juventutis corruptorem egregium acerrimè insectatur. Vide Suidam, & Diog. Laërt. *lib.*2. Per excellentiam *Comœdiæ poëta*, ab ipso etiam magno Persarum rege, cognominatus. In eo sunt omnia linguæ Atticæ ornamenta, quem sub pulvinari suo, cùm dormitum iret, servare solitum ferunt B. Chrysostomum. Comœdias scripsit 54. ex quibus 11. adhuc extant. Hic veteris Comœdiæ, quæ magnâ libertate insectata vitia est, princeps longè, sicut Menander novæ fuit: Ita tamen, ut illi adjungendi Eupolis & Cratinus sint, huic verò Philemon ac Diphilus comites addendi. Vellejus *lib.*1. *Una, neque multorum annorum spatio divisa ætas, per divini spiritus viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem illustravit Tragœdias: una priscam illam ac veterem sub Cratino, Aristophane, Eupolide Comœdiam: ac novam Comicam Menandrus, æqualesque ejus ætatis magis quàm operis, Philemon ac Diphilus, & invenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquere.* Quinctil. *lib.* 10. *cap.*1. *Plures ejus* (antiquæ Comœdiæ sc.) *auctores: Aristophanes tamen, & Eupolis, Cratinusque præcipui.* Horat. *lib.*1. *Sat.*4.

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poëtæ,
Atque alii, quorum Comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multâ cum libertate notabant.

Persius *Sat.* 1.

Iratum Eupoliden prægrandi cum sene palles.

Id est, cum *Aristophane*, inquiunt interpp. quem senem vocat ob monendi, increpandique partes, quas sustinet in fabulis. Sic *senem* Horatius vocat *Lucilium*, non propter ætatem; sed propter gravitatem argumenti, in quo se exercuit. Nam Lucilium annum ætatis 46. non excessisse, ex Eusebii Chronico discimus. Plutarchus collatione Aristophani, & Alexandri instituta, huic palmam tribuit Lilius Giraldus *in vita Poët.*

Aristophanes, Byzantinus Grammaticus, Callimachum senem puer audivit, adultior verò Zenodotum, Dionysium item Jambum, & Euphronida Corinthium magistros habuit, teste Suidâ, in Ἀριστοφάνης, ubi Olymp. 145. ρμέ (non με, uti vulgò legitur) vixisse dicitur. Anonymus ille aureâ suâ, & verè pretiosissimâ Olympiadum descriptione, quâ historiam mille annorum compendio nobis exhibet, ad Olymp. 145. an. 1. Ἀριστοφάνης Βυζάντιος γραμματικὸς, υἱὸς Ἀπελλοῦ, μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου ἐγνωρίζετο. Audivit quoque Eratosthenem, Callimachi discipulum, teste Suidâ in *Eratosthenes*, post defunctum sc. sub Evergete Callimachum. Juvenis cùm esset, Machone Sicyonio poëtâ familiariter usus est, teste Athenæo 14. 23. ut ita hinc Machonis ætas cognoscatur, neque ipse inter incertæ ætatis poëtas cum Vossio habeatur. Obiit an. æt. 80. postquam sub Ptolemæo Evergeta & Philopatore, diu floruisset, scripta ejus laudata, Athen. *lib.*9. 13, 14. Diog. Laërt. *in Platone & Epicuro.* Laudat præter hunc, *Aristophanem* Ægeum, nummus quidam apud Goltzium in Thesauro. *Aristophanes* Bœotus ἐκ τῶν κατὰ ἄρχοντας ὑπομνημάτων, apud Plut. *lib. de Herodot. malign.* narrat, non Leontiadem, quod Herodotus *lib.* 7. voluit, sed Anaxandrum Thebanorum in Thermopylis ducem fuisse. Unde hic Historicis Græcis Vossianis addendus videtur. Jonsius.

Aristophili, Paropanisi pop. Ptol.

Aristophilides, Tarentinorum rex, Darii Persarum regis tempore.

Aristophon, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ duodecimæ anno tertio.

Aristophon, Comicus, qui Fabulâ Πυθαγορειστὴ Pythagoreos, eorumque instituta, & vivendi rationem vellicavit. Fragmenta ex eo nobis servavit Athenæus *lib.*6. *cap.*9. & *lib.*13. *cap.*2. & Laërtius *lib.*8. Aristophonta, Authorem comœdiæ, *Philoctetes*, laudat Plut. Rhetorem cognom. laudat Demosthenes pro Ctesiphonte. Alius pictor fuit, de quo Plin. 35. 11. Nec non Athenarum civis, qui sæpe gloriabatur, quòd nonagies quinquies accusatus, semper evasisset. Vid. de prætore quodam Atheniensi hujus nominis, Diod. Sic. *l.*17. *c.*62.

Aristophon, à Polyæno *lib. III. in Iphicrate com.* 29. recensetur inter accusatores Iphicratis.

Aristor, Crotopi fil. pater Argi centoculi. Ovid. *Met.*1.

Donec Aristoridæ servandam tradidit Argo.

Aristoteles, Stagirita, Philosophus, Peripateticorum princeps, natus est Olymp. 99. An. M. 3670. U.C. 370. Ante C.N. 384. Septendecim annos natus, post Nicomachi parentis mortem, Athenas profectus, Platonis auditor fuit, qui præclarissimum testimonium ipsi perhibuit adhuc discipulo: Cùm enim fortè in auditorium venisset, & *Aristotelem* desiderasset, protinus exclamavit: Ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν, & rursus, Ἄπεστιν ὁ ἀληθείας φιλόσοφος. Sanè Tullius, *neminem Aristotele doctiorem, neminem acutiorem, neminem in rebus inveniendis, vel judicandis acriorem* scribit. Idem judicium est Quinctiliani *lib.*10. *Quid Aristotelem? quem dubito, scientiâ rerum, an scriptorum copiâ, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem?* Discipuli ejus *Peripatetici* dicti sunt; de quorum nomine sic Cic. *Acad.*1. *Qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo.* Idem tradit Laërtius, in *Aristotele*; qui & alias occasiones addit. Hesychius quoque, Ἡ δὲ Περιπατητικὴ φιλοσοφία ἐκλήθη διὰ τὸ ἐν Περιπάτῳ, ἤτοι κήπῳ κατάρξαι αὐτῆς Ἀριστοτέλη. Sed Ammonius *in Categ.* autor est, Platonem ipsum docuisse ambulantem: atque ab hoc primo Peripatetico, post ejus excessum, Xenocratis auditores vocatos Peripateticos ex Academia: *Aristotelis* autem *Peripateticos* ex Lyceo. Tandem verò *Xenocraticos*, nomine *Peripatetici* omisso, à loco solum dictos *Academicos*: & contra *Aristoteleos*, nomine loci prætereito, ab actione solùm vocatos *Peripateticos*. Parentes ejus fuere Nicomachus & Phæstis, quæ Laërtio Phæstitis & Suidæ. Phæstis autem comprobatur hexametro Græco,

Φαιστίδος ἦν μητρὸς καὶ Νικομάχου γενετῆρος.

Nicomachus autem genus ducebat à Machaone heroe, Æsculapii

lapii filio, unde *Aristoteles* dicitur fuisse τῶ τῶν Ἀσκληπιαδῶν γένει. Nicomachus ille fuit medicus Amyntæ regis, qui pater Philippi, avus Alexandri Magni fuit. Olympiodorus *in Gorgiam* Platonis, & Ammonius, vel Damascius, vel alius in vita *Aristotelis*, à Nunnesio editâ, & Bessario *lib.* 1. *adversus calumniatorem Platonis*, ajunt *Aristotelem* triennio audivisse Socratem; quæ est ἀνιστορησία. Nam Socratem constat obiisse an. 1. Olymp. 95. *Aristotelem* natum an. 1. Olymp. 99. ut minimùm 15. anni intersint inter obitum Socratis, & nativitatem *Aristotelis*. *Aristotelis* autem ea laus est, quòd non philosophiâ usus mythicâ, ut poëtæ veteres; non symbolicâ, ut Pythagoras, & sæpe etiam Plato; sed apertâ, ut quæ proprietate gaudeat verborum. Tria hæc philosophandi genera strictim complexus Simplicius, *in proœmio libri τῶν κατηγοριῶν*, ubi de Arist. sic scribit, οὐδὲ μύθοις, οὐδὲ συμβολικοῖς αἰνίγμασιν, ὡς τῶν πρὸ αὐτοῦ τινες ἐχρήσαντο, ἀλλ' ἀντὶ παντὸς ἄλλου παραπετάσματος τὴν σαφήνειαν προτιμήσας. Altera *Aristotelis* laus est, quòd cæteris sit μεθοδικώτερος, ut qui accuratiùs definiat, ac dividat, meliorique omnia ordine pertractet. Nec dubium, quin hoc artificium Logicæ debuerit, quæ verè est, quod dicitur; nempe ὄργανον omnium artium ac scientiarum. Tertia ejus laus est, quòd magis Platone excoluit scientiam naturalem; in qua quantum præstiterit, monumenta ejus docent, præsertim ea, quæ de Animalibus perscripsit. Quid multis? si non partem aliquam virtutum, sed totum philosophum consideremus, unus ille ingenii acie, ac varietate doctrinæ, eorum qui præcesserant, lumina tantum præstinxerit, quantum Sol Lunæ, & siderum minorum. Luculenta ejus laus apud Cic. *lib.* 5. *de Fin.* etiam Plinius appellat *summum in omni scientiâ virum*. Galenus *l.* 2. *de decretis Hippocratis & Platonis* docet, nullam philosophorum sectam magis constantem, ac certam, ac magis suis principiis consentanea dicere. *Vir ingenio præpotens, atque doctrinâ præcipuus*, dicitur Arnobio *l.* 3. Macrobius quoque non veritus dicere, *nihil tantum virum ignorare potuisse*. Eundem quoque *finem humani intellectûs* appellat B. Hieron. *l.* 1. *adversus Jovinianum*. Vide & alia ejus elogia apud Cic. *Tusc.* 1. & *lib.* 1. *de Div.* Plin. 8. 16. & 18. 34. Æl. *Var. Hist. lib.* 12. Lact. *de Ira c.* 10. August. *de Civit. D.* 8. 12. Interim tamen *Aristoteles*, ut *Quisq; suos patitur manes*. Vide Wendel. *Phys. lib.* 1. *c.* 2. Platonis auditor fuit annos 20, à quo cùm vivente adhuc recessisset, ludumque proprium instituisset, dicere in eum, ingratitudinem ejus notans, Plato consuevit, Ἀριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάκτισε καθάπερ τὰ πωλάρια τὴν μητέρα. Meminerunt Laërtius & Æl. *Var. Hist.* 4. 9. Staturâ fuit non magnus, deformis præterea, gibbosus & balbutiens, quod ejus vitium amici tamen, seu adulatores potius imitati sunt, quemadmodum & humeros Platonis latos discipuli & amici ejus exprimere didicerunt. Narrat utrumque Plutarchus *de discrimine adulat. & am.* Alexandri magni à quo increpitus est, quòd libros Acroamaticos vulgâret, non familiaris tantùm, verùm etiam Præceptor per decennium fuit: ex quo magnas divitias consecutus est, earumque nomine malè audiit, ut ex Luciano cognosci potest. Videantur hâc de re Epistolæ & patris Alexandri Philippi, & *Aristotelis* ipsius, denique & Alexandri de benevolentia & gratitudine in eum, ut Præceptorem, suâ, cùm apud alios, tum apud Gellium. Nam & gratitudinis ejus signum hoc vel maximum fuit, quòd Stagiram *Aristotelis* patriam, dirutam, ipsius causâ restituerit. Athenas, ex quibus à Philippo Macedone evocatus erat, ad officium Præceptoris, decennio exacto, rediit, cùm in Asiam ad res gerendas Alexander sese recepisset, ibidemque annis totis 13. in Lyceo philosophiam professus est, de quâ libri ejus multi, magni, eruditi, diserti & graves extant. Ad Animalium historiæ descriptionem contulerat ei Alexander octingenta talenta, teste Athenæo *lib.* 9. quæ summa est pecuniæ nostræ quadringenta & octoginta millia coronatorum. Cui malam gratiam retulit, si verum est, eum veneni, quod Alexandro propinatum erat, conscium fuisse. Bibliotheca illius, quam Theophrasto reliquerat, ab hoc Neleus acceptam Ptol. Philadelpho vendidit, scriptis ejus sibi servatis, quæ in Apellici Teii manus postea pervenerunt, Ath. *l.* 5. Hæc ab imminenti interitu quomodo servata, ac tandem à Sylla victore Romam translata, ubi à Tyrannione Grammatico & Andronico Rhodio, evulgata primum sunt. Strabo *lib.* 13. & Plut. *in vita Syllæ*, exponunt. Vixit an. 63. Morbi cujusdam ejus Ælianus meminit; sed de mortis genere incertæ circumferuntur quorundam narrationes; inter quas illud de ænigmate, à piscatoribus ipsi proposito, nugamentum est & somnium. Pudore & dolore, quòd naturam Euripi Chalcidensis explorare haud posset, mortuum, Justinus Martyr, *Paræn. ad gentes*, scribit: & profectum in Chalcidem, postquam ab Eurymedonte accusatus impietatis esset, clam, ibique diem obiisse, Diog. Laërtius & Dionys. Halicarnassensis consentiunt, quorum posterior morbo mortuum esse disertè scribit, nihil de dolore commemorans. Grotii τὸ πάνυ de *Aristotele* judicium habes, *Proleg. de Jure B. & P.* ut alios taceam. Primus omnium bibliothecam instituisse dicitur, teste Strab. *l.* 13. Syllogismorum, hoc est, collectionum rationem invenit, nam antiqui interrogationibus quibusdam tantùm utebantur. Vide plura apud Ciceronem 5. *de fin.* 1. *Tusc.* & 1. *Divin.* Plin. 8. 16, 18. & *cap.* 34. August. *de C. D.* 8. *c.* 12. Arnob. *l.* 3. *contra Gent.* A. Gellium *l.* 20. *cap.* 4. Curtium, &c. Septem alii fuere *Aristoteles*; Primus qui Athenis Rempub. administravit; Secundus, qui Iliadem Homeri descripsit; Tertius Siculus orator, qui ad Panegyricum Isocratis rescripsit; Quartus cognomento *Mythus*, Æschinis Socratici necessarius; Quintus Cyrenaicus, qui de Poëticâ scripsit; Sextus Pædotriba, cujus mem. Aristoxenus in vita Platonis; Septimus Grammaticus ignobilis, qui de pleonasmo scripsit. Laërtius. *l.* 5. Unum & viginti *Aristoteles* olim extitisse, ostendit vir doctissimus Jo. Jonsius, *Dissertationum suarum primâ de Historiâ Peripateticâ*. Idem postea undecim alios recenset, *de Script. Hist. Philos. lib.* 1. *c.* 12. quem sis consule. Addam solùm, historicum Chalcidensem, Eubœæ authorem, ex Voss. *hist. Gr. l.* 4.

Aristorimus, Epirorum urbem per tyrannidem occupavit & Hellanici industriâ memorabili quinto mense postea, oppressus est. Justin. *lib.* 26. *c.* 1. Pausan. *l.* 5.

Aristoxenus, Grammaticus, laudatur à Schol. *in Aristoph. Ran. Act.* 1. *Sc.* 7.

Aristoxenus, Musicus illustris, tempore Tulli Hostilii, 3. Romanorum regis. Vide Vossium *de Scient. Math. p.* 94. Tarentinus fuit, Mantineæ tamen agens; philosophus etiam fuit, primùm verò audivit Lamprum Philosophum Erythræum, deinde Xenophilum Pythagoræum, postremo Aristotelem, cui morienti convitium dixit, quòd Theophrastum sibi in Scholæ successione præponeret. Plurima scripsit in Musica, Philosophia & Historia, quorum operum 453. fuisse Suidas ait. Joh. Meursius tractatum ejus de Elementis harmonicis edidit, notisque eruditis illustravit, sæpius laudatum priscis. A. Gell. *lib.* 4. *c.* 11. Val. Max. *lib.* 8. *cap.* 13. & *l.* 4. *c.* 7. Jamblich. *in vita Pytag.* Hieron. *in præf. Catalog.* Plutarch. Diogen. Laërt. Cic. Lactantius, &c. Vide plura de eo, apud Jonsium, *de Script. Hist. Ph. lib.* 1. *cap.* 14. Itemque Voss. *Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 9. Distinguendus est autem ab *Aristoxeno* Selinuntio, poëtâ antiquo, ante Epicharmi tempora circa 29. Olymp. & *Aristoxeno* patriâ, & Philosophiâ Cyrenæo, apud Athen. *lib.* 1 *cap.* 7. & Suidam, in Ἀριστόξ. & *Aristoxeno* medico Herophileo, juxta Galenum *lib.* 4. *de differ. pulsc.* 7. cujus librum 13. citat idem *ibidem cap.* 10. ubi Alexandri Philalethis discipulus fuisse dicitur. Porrò *Aristoxenus* Cyrenæus ita delicatus in hortorum curâ fuit, ut vesperi lactucas mulso, & melle, & vino irrigaret, ut luxuriosius crescerent, & saporis essent præstantioris. Suidas.

Aristoxenus, Musicus laudatur ab auctore Scholiorum in Aristoph. Ranas *Act. V. Sc.* 2. *pag.* 273.

Aristus, Salaminius, historicus Gr. scripsit expeditiones Alexandri Mag. Arrian. *lib.* 7. Strabo *lib.* 14. Athenæus & Clem. Alex.

Aristyllus Poëta obscenior. Præter animi vitia illi inerat & hoc corporis vitium; inter loquendum ore non satis aperto loquebatur, sed subhiabat, adeò ut ferè tota vox ejus per nares prodiens stridula esset, qualis est grunnitus porcorum. Hunc taxat Aristophanes, *in Pluto*.

Arithbertus, Clotarii Francorum regis primogenitus, ex paterna hæreditate Parisiorum, ut Guntranus Aurelianensium, Chilpericus Suessionum, Sigebertus Metensium regno successit. Paul. Æmil. *lib.* 1. Item Longobardorum rex, qui Alpes Cottias usque ad Galliarum Alpes Joanni Papæ D. Petri nomine, donavit. Blondus *lib.* 10. Vid. *Aripertus*.

Arithedana, Judææ civitas maritima. Egesippus *lib.* 1.

Arithei, Palæstinæ gens. Jos. *Ant.* 5.

Aritium, Lusitaniæ urbs. Ptol. hodiè *Benavente*.

Arius, sextus, aliis quartus, Aug. *de C. D. lib.* 18. *cap.* 3. quintus, quia ille à Belo orditur, non à Nino, hujus fil. ut alii, Assyriorum rex, collecto exercitu, post patris Niniæ obitum, Bactrianos & Caspios subegit. Euseb. Cassiod. Genebr. *Chron. lib.* 2. regnavit an. 30.

Arius, hæreticus, Vid. *Arrius*.

Arius Tarsensis, commemoratur Sorano Ephesio, *in vita Hippocratis*; ubi ab eo γενεαλογίαν Hippocratis scriptam prodit.

Arius Antoninus, cum Mario Celso Consul. Tacit. *hist. l.* 1.

Arius, vulgò *Lac de Burgian*, Gall. fluv. Asiæ inter Indos & Parthos, quæ pars ab hujus fluv. nomine *Aria* sive *Ariana* dicitur. Prop. *Arii*. Lucan. *l.* 3.

——*Hinc fortis Arius,*
Longaq; Sarmatici solvens jejunia belli
Massagetes.—— —— ——

Recipit Arium fluv. & alios; estque in Prov. Persiæ *Chorasan*, versus Oxum fluv. Baudr.

Arinsius, ager in Chio inf. asper & importuosus, vinum omnium Græcanicorum optimum ferens, à Plinio & Virgilio *Arvisium* per metathesin dictum. Strabo. Vide *Arvisium*.

Arizanthi, Mediæ gens Herodoto. *Arkas* Bocharto *Geogr. pag.* 345.

Arla, Parthorum castrum, Straboni.

Arlape, vulgò *Erla*, teste Lazio, opidum olim, nunc pagus Norici in Austria apud Danubium, ubi is fluv. cognominem *Erlaph* excipit apud Pechlarnum opid. quod Arlapæ successisse

cessisse videtur; fluvius verò *Arlape*, sive *Arlapa*, vulgò *Erlaph* dicitur.

Arlonum, oppidum ducatus Lutzenburgici, jugo collis impositum, Lunam deam hic olim gentilitio more cultam, & inde nomen habere, quasi *Ara Lunæ* putatur. Metel.

Arlotus de Royan, Vincentinus, ingeniosus scriptor, historiam rerum inter Vicentinos & Patavinos gestarum composuit. Voss. *de hist. Lat. l.* 3.

Arlunus Bernardinus, scripsit historiam, à Mediolano condito, usque ad sua tempora. Gesnerus, *in Biblioth.*

Arma, prov. & opp. regni *Popayan*, in America Meridion. prope fluv. Caucam.

Armacha, urbs archiep. Hiberniæ, Ultoniæ metropolis ad Kafin fluv. à Dublinio Laginiæ metropoli 55. m. p. in Bor. distans. Vulgò *Armagh*. Habet Comit. cognom. Incendiis deformata, & penè diruta jacet à multis annis. Antiquitus loco *Drumsailich* nomen fuit. Cluver. *l.* 2. Baudr. Hujus urbis Archiep. totius insf. Primas est, institutus autem hic Archiepiscopatus est ab Eugenio III. an. 1151. cùm antea Episcopos haberet, è quibus septem, usque ad Bernhardi ætatem, uxoratos præfedisse, qui ad vitandum voti Cœlibatus laqueum, ordinationem à Pontificibus R. noluerint petere, refert Baron. *Annal.* Vid. Chemnitium *in exam. Cœlib.* Celeberrimum inter hujus Eccl. Præsules nomen Jacobus Usserius fuit, vastæ lectionis & eruditionis Theologus, inque antiquitate Eccl. versatissimus, qui obiit An. 1655. Vide *Usserius*, long. 12. 19. lat. 55. 46.

Armadabatum, quæ & *Harimederrat*, urbs Asiæ prædives & ampla, non procul à mari Indico, in regno Cambajæ in ditione M. Mogolis, & ex præcipuis illius tractus. Aliis *Amadabath*. Est caput prov. *Guzarata*.

Armagara, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Armageddon, nomen loci Apocalypf. 16. 16. Vide sis doctissimum Hammondum, *in locum.*

Armalausi, pop Germ. Ubi nunc Palatinatus superior. Ibi antea Narisci erant, Brietio teste.

Armalchar, Euphrates fluv. ab Assyriis ita vocatus, & sig. *regium flumen*, Plin. 6. 26. Lege *Nahar malcha*.

Armamaxa, lecticæ genus apud Persas, quo mulieres vehebantur. Max. Tyr. *Serm.* 34. θαυμάζεις πάρθον Μηδικὴν, καὶ τράπεζαν βαρβαρικὴν, καὶ Ἁρμάμαξαν Περσικήν. Xenoph. *lib.* 3. παιδ. Ἀναβάντες ἐπὶ τὰς Ἁρμαμάξας σὺν ταῖς γυναιξίν. Qu. Curtius, *lib.* 3. *Quindecim inde, quas Armamaxas appellant, sequebantur.* Cujusmodi Harmamaxas mulis jungi solitas ex Ctesiæ fragmentis colligimus. Brissonius, *lib. 2. de regn. Pers.*

Armamertes, vel *Armamitres*, 7. Assyr. Rex à Nino, vel 8. à Belo, regnavit 38. an. Ab A. M. 2229. usque ad 2266. sceleribus infamis, Euseb. *Chron.*

Armanas, fluv. Armeniæ. V. *Arsamates*.

Armandus Bironus, Galliæ Mareschallus, sub tribus Regibus militiæ amplissimis muneribus functus, obiit in obsidione Spernæi, globo ictus, A. C. 1592. æt. 67.

Armandus Plessiacus Joh. Cardinalis Richelius, primus, ut vocant, Minister Ludov. 13. Galliarum R. à patre armis destinatus, Episc. Lucionensis primùm, magnus dein Reginæ Eleemosynarius, Cardinalis tandem evasit. Rupellâ expugnatâ, Atrebatibus captis, rebusque plurimis in Germania, Italia alibique locorum, suo consilio gestis, pace inprimis inter tot turbas domesticas conservatâ, inclytus. Cæterùm, non fautor solùm literatorum insignis, verùm ipse eruditione non leviter tinctus: Sed paulò severior in eos, quos potentiæ suæ obniti suspicabatur, obiit A. C. 1642. postquam *Evangelium Christi sibi sufficere*, paulo antè professus esset. V. Spond. Dupleix, Vulson. *in elog. histor. virorum in Gallia illustr.* Imo adi sis ipsum Armandi hujus celeberrimi, *Ministerium*.

Armaniacus tractus, vulgò *l'Armagnac*, comitatus Galliæ, Vasconiæ pars, inter Occitaniam, tesqua Burdigalensia, Aginensem & Bigerrensem regionem. Cæsar hujus incolas *Americos* vocat, *Comm. lib.* 7. Habuit olim Comites inclytos, postmodum Navarræ regno, cum Bearnensi & Fuxensi regione hic comitatus unitus est. Hinc Cardinalis Armaniacus, Georgius, dictus, qui à Francisco I. in Italiam missus, dein Possiaceno colloquio interfuit, tandemq; Arch. Tholosanus & Avenionensis factus est. Avunculus Henrici 4. Obiit an. 1585. Sanderus, *in Elog.* Hinc etiam *Armaniaci* Galli dicti, qui duce Ludovico Delphino, postmodum hujus nominis XI. Gall. R. in Helvetiam irruperunt An. 1444. an ut Tigurum ab Helvetiis obsessum liberarent, an ut Concilium Basiliense dissiparent, illud in gratiam Friderici 3. Imp. & Alberti Austriaci, istud in gratiam Eugenii 4. Tum commissa celebris illa pugna Sanjacobæa, prope Basileam, in qua ex parte Gallorum, quorum triginta millia erant, sex millia, ex parte verò Helvetiorum, quorum erant mille sexcenti, omnes, exceptis sedecim, occisi sunt. Tum & Burcardus Monachus, qui Armaniacos exciverat, ab iis *Borgue le Moyne* dictus, cùm post cruentum prælium, inter cæsa cadavera, apertâ galeâ obequitans, cæsis illuderet, à semianime Helvetio, qui in genua se erexerat, lapide in faciem contorto, tantâ vi percussus est, ut subitò ex equo prolapsus, postridie expiraret. Commissa pugna est die 26. Augusti anni prædicti. Vid. Stumpfium *lib.* 12. *c.* 15. *Hist. Helv.* Urstis. *Hist. Basil.*

Armanothia, prov. Scotiæ septentr. ubi aliàs Cantæ & Lugi pop. Altissimis montibus referta est. Pars prov. Russiæ, inter Loquabriam & Moraviam prov.

Armasanica, incolis *Aymargues*, opp. Volcarum Aremoricorum, in Diœcesi Nemausensi, cujus vett. tabb. mentionem faciunt. Hadrianus Valesius in *Notitia Gall.*

Armata, Venus à Lacedæmoniis culta fuit, de qua Lactantius. Cùm Messenios obsiderent Lacedæmonii, & illi furtim, deceptis obsessoribus, egressi ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, à Spartanis mulieribus fusi, fugatique sunt. Cognitis autem hostium insidiis, Lacedæmonii insequebantur. His armatæ mulieres obviam longius exierunt, quæ, cùm maritos suos cernerent parare se ad pugnam, quia putabant Messenios esse, corpora sua nudaverunt: At illi uxoribus cognitis, ex aspectu in libidinem concitati, ut erant armati, permixti sunt utrique. Propter cujus facti memoriam, ædem & simulacrum Veneri Armatæ posuerunt. Ausonius de hâc re:

Armatam Venerem vidit Lacedæmone Pallas,
Nunc certemus ait, judice vel Paride:
Cui Venus, Armatam tu me temeraria temnis?
Quæ quo te vici tempore nuda fui.

Armatrites, Eusebio *Armametres*, 9. Assyriorum rex, reg. an. 38. ad voluptates ac delicias conversus, ea quæ ad libidinem spectant postea quam invenisset, multum ampliavit. Berosus. Cassiod. An idem cum *Armamertes*?

Armatus, Consul, collega Basilii, temp. Leonis Imp. militiæ Basilisci Magister. Hujus defectione Basiliscum Zeno devicit. Anno C. 477.

Armaviara, Armen. maj. op. Ptol. *Al. Armauria*, inter fontes Euphratis & Lichnitem paludem. Baudr.

Armaxa, Cappadociæ urbs. Anton.

Armedon, Cretica insula, ante Salmonium promuntorium. Plinius.

Armena, Paphlagoniæ vicus. Ptol. Steph. Plinio urbs videtur. Incolæ eam, ob frigiditatem loci, muro cinxere, quasi calidus futurus esset; Unde *Armenen muro cingere*, apud finitimos, in proverbium stoliditatis versum est: qui locus *Carini* nunc dici videtur.

Armenes, Cappadociæ rex.

Armenia Major, Turci *Turcomaniam* & *Curdistan* vocant, vel potius hodie in 3. has provincias Turcomaniam, *Popul* & *Curdistan* dictas divisa est. Persis *Thoura*, *Emnoe* vel *Aremnoe* dicitur, *Zelbecdibes* autem Nestorianis, contra quos Concilium in Armenia, An. 435. Vid. infra. celebratum, quique adhuc plus satis ibi numerosi. Regio Asiæ notissima, & ingens, ultra Euphratem à Cappadocia & Armenia minore eam separantem, usque ad Mediæ limites in ort. extensa, inter Iberiam ad Arctos, & Mesopotamiam ad Meridiem perstricta. Nomen ab *Armeo*, vel *Armenio* Jasonis comite habere fertur. Populi *Armenii*. Probabilius etymon vide, apud Bochartum *in Phalege p.* 22. Nonnullis *Armenta* dicitur, qu. *Aramia* ab *Aram* filio Sem. *Aram* autem sig. *elatus*, unde *Armenii* quasi *sublimes*. Vel à montibus, quibus hæc regio cingitur, nam *Ar* mons est; unde & *Ararat*, in cujus culmine arca Noahi post diluvium quievit, vocatur. Tota fere subest Turcis. Regio olim percelebris, nunc paucioribus habitatur. Ejus Urbes alicujus momenti, *Revan*, *Erzerum* ad Euphr. *Van*, quæ *Arthemita* quibusdam, *Teflis*, quæ dicta *Artaxata*, *Cars*, aliæ.

Armenia minor, hodie *Anaduole*, teste Nigro, & alicubi *Pegian*, teste Castaldo, Bozoc. Morerio, & ubi Colchorum fines attingit, *Acoionlu*, ut Leunclavius scribit, regio Asiæ inter Cappadociam ad occ. & sept. Euphratem fluv. ad ort. Syriam & Ciliciam ad austr. contenta. Baudrand. Nunc *Aladuli*. Sub Turcis. Urbs princeps *Maraz*, reliquæ sunt, Sivas vel Sebaste, Kemach, Suora, Erzinge, &c. Vid. *Armenii*.

Armenidas, de rebus Thebanis egit; seu is historicus fuit, seu historicum argumentum poëta sumpsit; citatur ab Apollonii Scholiaste *in lib.* 1. ubi Vossius *Antimeniden* legi debere suspicatur. Sanè Antimenidæ etiam meminit Laërtius, *in Socrate*: ubi multas celebrium virorum contentiones recensens, inter alia, ait Pittaco fuisse contentionem cum Antimenide & Alcæo. Vid. Lil. Gyraldum *Dialog* 9.

Armenii, pop. Armeniam incolentes. Fuerunt olim sub Persis, dein Græcorum imperio subjecti, tandem in Romanorum potestatem concessere. Post C. N. an. 18. Germanicus Zenonem iis regem imposuit. Dein an. 58. missus Corbulo, qui parta à Lucullo Pompejoque reciperet, castellis aliquot excisis Tigranocerta cepit, Artaxatis solo æquatis, Tigranemque Archelai Cappadocis nepotem regem Armeniis imposuit. Tacit. *Annal. l.* 13. & 15. Vid. quoque Dion. *l.* 63. Dein Trajanus Parthamasirium An. C. 107. à Partho Armeniæ regem datum dejecit, Armeniâ in formam Provinciæ redactâ. Postea Reges habuit proprios, (unà cum Assyria, & Mesopotamia,) ab Adriano Imp. deductis legionibus, deserta, posito fine Imperii Euphrate, An. C. 120.

iisi

Dein iterum à Græcis Impp. vindicata, illis subfuit, donec Bulgaris Saracenisque sub Justiniano Rhinotmeto, per Sabbatium dedita est. An.692. Sic iterum sub Principibus propriis fuit, usque dum illi à Persis primò, dein à Selimo Turc. Imp. An. 1537. penitus sub jugum missi sunt. Strab. *lib.*11. & 13. Justin. *lib.*10. & 13. Curt. *lib.* 5. Sanutus, Vincentius Bellovacensis, &c.

Hos in vera fide S. Bartholomæus instruxit, à quo Christianismus ibi hucusque conservatus, sed minimè primævæ puritatis retinens. Hic Eustathius Monachatum & Cœlibatus legem primus invexit, certâ de cibo, vestitu, aliisque regulâ præscriptâ, ut Socrates refert *l.*3.*c.*14. Cujus etiam discipuli vituperarunt conjugium, & Presbyteros uxoratos contempserunt, ut ait Sozom. circa an.380. paulo ante Conc. Constantinopolitanum 2. Suberant quondam Patriarchæ Constantinop. sed jam ante Photium à Græcis secesserunt. Duos habent hodie Patriarchas, Unum Armeniæ maj. cui sedes in monasterio quodam, prope urbem *Ervan* in Persia, unde bello Turcico pulsus est: (olim Sebaste sedes.) Et huic parent quindecies centena millia familiarum. Alterum Armeniæ min. cui 20000. familiæ tribuuntur, antehac Melitene, nunc in urbe *Sis*, prope Tarsum Ciliciæ, morantem. Credunt Spiritum S. à solo Patre procedere, infantes quoque ad sacram synaxin admittunt, mortuos ante resurrectionem visione Dei frui negant, Jejunium rigorosè observant. Cæterùm aquam vino in calice non miscent, Sacramenta ex opere operato gratiam conferre negant, Purgatorium rejiciunt, habentque Presbyteros conjugatos.

Hos ut ad Latinam Commun. perducerent Pontifices Romani, nullum non movere lapidem, & Florentinum inprimis Concilium id tentavit, sed frustra. Nihilominus Romæ collegium habent, in quo quidam eorum ritus loci sequuntur: Amstelodami libri quidam illorum linguâ excusi, ut Imitatio Jesu Christi Thomæ à Kempis, aliique qui à Basilio & Johanne, Armeniis Presbyteris, haud pridem versi sunt.

Concilium in Armenia celebratum An.435. occasione librorum Theodori Mopsvestii & Diodori Tharsensis, quos Nestoriani Syriacè, Persicè & Armenicè versos, pro Orthodoxis obtrudebant. Ibi, ut hæretici, condemnati missique Leontius & Aberius Presbyteri, ad Proclum Patr. Constantinop. cum tractatu Theodori alioque, qui opiniones illorum continebat. Liberatus *Brev.c.*10. Plura Vid. apud Nicon. *in Bibl.PP.* Baron. An.C. 435. 663. 685. 1080. Arcad. *lib.* 2. *de Concord. Eccl. Or* & *Occ.* Niceph. *lib.* 18. *cap.* 53. Sander. *hær.* 118. &c. De hodiernis inprimis, qui mercaturæ deditissimi, festis illorum, ritibus, consuetudinibus, &c. P. de Valle *Itiner. tom.* 2. & 3. Item in voce *Ciolfa.*

Armenius, Ecclesiæ Gall. Scriba, Priscilliano adhærere convictus, morte multatus est. Sulpicius Sev. *hist. l.*2.

Armenius mons, in Armenia maj. juxta Iberûm fines, ex quo Phasis Colchorum fluv. oritur, qui *Moschicus* à Ptolemæo vocatur.

Armenochalybes, Cappadociæ pop. circa Armeniam maj. Plin.

Armentaria, opp. Flandriæ, ad Lisam flu. elegans, sub Francis, ab An.1668 *Armentiers* Gall.

Armentarium, vel *Armamentarium*, vulgò *Thuyns te Bretten.* Locus Batavorum in Hollandiâ excisus, apud Cattorum vicum, qui à Lugduno 1. leuc. in Bor. versus litus maris distat. Cluverio est *Roomburg*, prope Lugd. Bat.

Armentarius, Episc. Ebrodunensis, depositus & in Chorepiscopum mutatus est. A.C.439. Conciliorum *tom.*2. Alios ejusdem nominis, vide apud Sanmarth. *in Francia Christiana, tom.*1. *p.*271. 617. & 98.

Armentia, Urbs Hisp. Tarrac. in Cantabris, nunc vicus.

Armentio, vulgò *Armanson*, fluv. Galliæ, in Burg. Oritur supra Semurium opp. quod alluit, in Alexiensi tractu, Tornodorumque rigat, & in Icaunam cadit, infra Antissiodorum.

Armeus, vel *Armeis*, qui & Danaus, Ægypti rex. regn. an. 5. Euseb.

Armia, Libyæ interioris pop. Ptol.

Armiana, Parthiæ opidum. Ptol.

Armifera, *Armigera*, *Armipotens*, & *Armisona* Pallas à poëtis vocatur. Ovid. *Met.* 4.

Nec tamen Armiferæ servatum cura Minervæ.

Idem 3. *Fast.*

Armiger Armigeræ correptus amore Minervæ.

Virgil. *Æn.*2.

Penelei dextrâ Divæ Armipotentis ad aram
Procumbit.

Idem *Æn.* 3.

——— *Tum numina sancta precamur*
Palladis Armisonæ.

Armilustrium, festum apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, & sacrificantes canebant tubis. Item locus, in quo ejusmodi ludi fiebant. Varro hoc nomen, ab *ambitu lustri*, dictum putat, quòd ibi circumferretur pompa, & equi currerent.

Armina, V. *Armena.*

Arminiacensis tractus, Regio Gall. in Aquitania super. inter Benearnum & fluv Garumnam. Ejus præcipuæ Urbes Auscii & Lactora. Aliàs Comites habuit percelebres. Gall. *l'Armagnac.* Vid. *Armaniacus tractus.*

Arminius, Germanorum Cheruscorum dux fortissimus, qui Varum cum exercitu suo delevit. Dein à Germanico cruentissimo duplici prælio superatus, illo in Orientem avocato, Marobodum & Inguiomerum patruum sibi adversantes vicit. Tandem an.12. principatus sui, æt.37. dolo Adgandestrii, Chattorum principis, frustra à Tiberio venenum poscentis, occubuit. Dio *lib.*56. Vellej. Plura de eo Tacitus *Annal.*1. & 2. in cujus fine hoc ei elogium tribuit: *Liberator haud dubiè Germaniæ, qui non primordia Pop. Rom. sed florentissimum imperium lacessierit: prælus ambiguus, bello non victus.*

Arminius Jac. Batavus, Amstelrodamensis Ecclesiæ pastor, novam sectam meditatus, Calvinum, Martyrem, Zanchium, Bezam, aliosque Reform. Eccl. Doctores clanculum primùm coram suis sugillare, dein heterodoxas & semipelagianas opiniones, præcipuè cùm Leidæ in Theol. Professione Junio successisset, suis propinare cœpit. Unde Ecclesia Belgica turbata. Nec morte Arminii, qui an.1609. obiit, extinctum malum. *Remonstrantes* enim, ut se Arminii sectatores nominabant, Conr. Vorstium, de Socinismo jam pridem suspectum, ejus in locum surrogare nitebantur. Sed Angliæ R. Jacobus intercessit. Postmodum collatio super 5. Remonstrantium articulis Hagæ instituta, sed nullo successu. Indies enim numerosiores, pro lubitu pastores promovebant, vel amovebant. Donec bellum civile Ordines veriti, ex Jacobi R. & Mauritii principis consilio, nationali Synodo Dordraci convocatâ, malo mederi instituerunt. Cui armis se opponere Arminiani conati, militibus, quos *Præstolantes* vocavere, conscriptis, frustra fuere. Synodus itaque inchoata die 13. mens. 8bris. An.1618. in qua post gravissimam deliberationem deprehensum, Articulos illorum *de Prædestinatione, Redemtione, Vocatione universali, Libero arbitrio, Gratiæ resistibilitate,* & *Sanctorum defectibilitate*, à verbo Dei alienos esse. Theologi illorum citati, auditi, convicti, heterodoxiæ damnati, & ab Ecclesiis exclusi. Horum ingens numerus in Dania, veniâ à Rege impetratâ, egregiam urbem Fridericostadium, in ora sinus Codani, condiderunt. Plurimi adhuc in Belgio supersunt. Vid. *Acta Synod. Dordr.* Remonstrantium *Epistolas*, &c.

Armirus, fluv. inf. Cretæ, in agro Rithymnensi. Cadit in mare Creticum, prope Castrum vetus.

Armistæ, Dalmatica gens. Plinius.

Armitus, Syracusanus, potu nimio in ebrietatem lapsus filias stupro contaminavit. Plut.

Armleder, rusticorum manu coactâ, quoscunque Judæorum obvios, in Germania, trucidavit; Dein etiam in Christianos furore verso, captus, & Lud. Bavari jussu ad mortem damnatus est. Bosquet. *in Bened.*12. Spond. A.C. 1338. *n.*11.

Armone, vulgò *Arton*, sive *Arvon*, op. Albionis in ora Walliæ, contra Monam ins. à Bangoriensi urbe 7. m.p. in occid. Alii *Arvone* scribendum ajunt, quod magis placet, *Caernarvon* hodie forsan dicitur.

Armoni, fil. Saulis ex Respha concubinâ. 1. Reg. 21. Lat. *Aula*, sive *palatium*, aut *Maledictio numerationis*, vel *praparationis*, aut *luminis munus.*

Armoracea, flu. de montibus Arabiæ descendens, in stagnum Asphaltiten erumpit. Dividit Moabitidem & Ammonitidem. Joseph. *lib.*1.

Armorica, vel *Aremorica*, civitates Gall. Celt. apud Cæsarem, *l.*3. & 7. & 11. Regio hodie *Bretaigne*, & incolis *Lhydaw*, teste Rob. Cænali. *Armore* autem Britannicè sonat *super mare.* Unde & *Armorica* regio. Ibi Cæsar felicissimè res gessit, *Comm. lib.* 2. Oros. *lib.*6. *c.*7. Lelandus. Amplissima est, fuitque sub Ducibus olim propriis. A Carolo autem 8. Gallorum R. adjuncta fuit regno An.1488. cùm Annam Prov. hæredem matrimonio sibi copularet.

Armorici, Ἀρμόριχοι Zosimo, Ἀρβόρυχοι Procopio, *Armoriciani* Jordani, pop. Gall. de quorum regione vid. supra, & prolixius, apud Hadrianum Valesium *in Notit. Gall.* Errico Monacho *in lib.*5. *de vita Germ.* inter Sequanam & Ligerim collocantur; *Transsequani* proin Belgis dicti, apud Gilbertum Belgam, *Hist. Hierosol. l.*4. De his præfatus Erricus: Gens

Torva, ferox, ventosa, procax, incauta, rebellis,
Inconstans, disparque sibi novitatis amore:
Prodiga verborum, sed non & prodiga facti.

Ab his Oceanus *Armoricus* nomen accepit, quem Ausonius, à Pictonico Santonicoque distinguit, *ep.* 13. Tractus horum pop. per annos amplius 800. Ligere & Sequanâ terminatus, totam oram Britanniæ min. & Normaniæ, seu provincias Lugdunensem 2. & 3. continebat. Postea pro sola Britannia Cismarina sumi cœpit. Unde patet, *Aremoricas civitates*, apud Cæsarem pro sola Britannia citeriore accipi non posse, licet hæc à recentioribus scriptoribus *Armoricæ* nomine designetur. Incolebant autem civitates has maritimas, Cæsaris tempore, Curiosolitæ, Redones, Osismi, Unelli, Veneti, Lexovii, Namnetes, Ambiliates, &c. Vid. Valesium.

Armorum prom. vulgò *Capo dell' armi*, in Calabria ulteriori, prope fretum Siculum in mare excurrit, quod aliàs Brutium & Leucopetra dicebatur V. ibi.

Armotia, Inf. Gal. in ora Santonensis prov. Brietio teste, & aliis.

Armozum, nunc *Cap. Jaquette*, promunt. Carmaniæ ad fauces sinus Persici è regione Arabiæ Felicis. Ptol. A multis *Capo d'Ormus* dicitur, in Perside, è regione Armusiæ Urbis. Baudr.

Armuzia, Ptolemæo *Armuza*, vulgò *Ormus*, inf. cum urbe regiâ ejusdem nominis, emporio celebri, in ore sinus Persici inter Armorum promunt. Carmaniæ (à quo nomen habet) & Asaborum promunt. Arabiæ: Cujus rex (qui in Arab. Fel. Perside, & Carmaniâ dominatur) Lusitanorum Ab an. 1507. (qui ibi arcem tenent munitissimam, & frustra armis Arabum, ac Turcarum tentatam) vectigalis est, ac sub illorum tutelâ regno potitur. longitud. 95.30. lat. 23.30. LLoyd. Antiquis *Organa*; Ariano *Harmosa*, Tartaris *Necrokin*, celebris unionum copiâ. Nunc Persis subest, qui ope Anglorum Lusitanos expulerunt. an. 1622. A quo tempore deficit indies, crevitque ex ejus ruinis Urbs *Gambron* seu *Bander Gambron*, in vicinia, proxima continenti Persiæ. Vid. Baudr. P. de Valle.

Arna, civitas Lyciæ, *Xanthus* postea dicta, Steph. Alia Umbrorum in Italiâ. Silius Ital. *lib.* 8.

His urbes Arna, & latis Mevania campis,
Hispellum, &c. Ptol. Ἄρνα, Ἰασπέλλον, Τῦδερ, Σπολήτιον, Μηβανία. Populi *Arnates*. Plin. 3. 14.

Arnæum Ducium, opp. Franciæ, in Burg. in Alexiensi tractu. Ad fontes Arrosii fluv. peramœnum & cultum. *Arnay le Duc.*

Arnan, filius Raphaiæ. 1. Par. 3. Lat. *Exultans*, sive *arca eorum*, aut *lux filii*: vel *lux* aut *maledictio permanens* vel *æterna*.

Arne, puella, proditâ Minoi patriâ, in monedulam transformata fingitur, Ovid. *l.* 7. *Metam. f.* 24. Morerius. Sed *Anaphe* potius illa fuerit.

Arne, Jasonis mater, Diod. Sic. *lib.* 4. & civitas juxta sinum Maliacum. Plin. *Arne*, urbs Bœotiæ est הר נאה *Har nae*, id est, *mons amœnus*. Strabo enim, sitam esse dicit ἐν ὑψεῖ *in sublimi loco*. Homerus appellat eam, πολυστάφυλον, hoc est, *uvis abundantem*, & Nonnus *Bassaricωn l.* 13. Ἄρνην βοτρυόεσσαν. Græcorum de ea nugas vide, apud Suid. in Ἐς κόρακας, & in Scholiaste *Lycophronis p.* 106. Boch. Item alia urbs ejusdem nominis Thessaliæ, à Bœotis deducta, quæ *Cierium* vocatur, alia Mesopotamiæ, ultima Erasiniorum juxta Thraciam. Steph. Hesych. Ἄρνη, πόλις Βοιωτίας, ἔστι δὲ καὶ Θεσσαλίας. Item, Inf. Angliæ.

Arnea, civitas Lyciæ parva. Steph.

Arneburgum, opidul. Germ. ad Albim fluv. in veteri Marchia Brandeburgensi. Paucis constat incolis, & fere dirutum fuit ultimo bello Germ.

Arnedum, opp. Americæ merid. in regno Peruviæ. Portu gaudet utcunque capaci, in ora maris Pacifici seu Austrini.

Arnefridus, Lupi fil. propter quem Slavi, qui Histriam & Dalmatiam incolebant, eum volentes in paternum restituere ducatum, multis incommodis affecti, fugatique sunt à Vectare Vincentiæ Comite. Blondus.

Arnemuda, opp. Belgii, in Zelandiæ Comit. & Inf. Valachria, in ora, cum portu è fronte Zud-Bevelandiæ Inf. Aliis *Ramua*.

Arnhemii regio, pars terræ Austr. noviter à Batavis detecta, in ora Maris Anchidolii, ad Austrum novæ Guineæ, inter Carpentariam & terram Concordiæ.

Arnhemium, Urbs Belgii, in Geldria. Ex qua Volfardus, gladiorum politor, cùm temerè Hispanos contemnens ad certamen provocasset, adactus ab Albano pœnâ capitis ad pugnam, duos initio, tum tertium equis deturbavit. Imago Belgici belli imminentis, cujus exitus felix, sed initium asperum omnino fuit. Anno C. 1568. Vid. *Arenacum*.

Arnhusia, Urbec. Germaniæ in Pomerania infer. seu Brandeburgici juris, prope Regam fluv.

Arni, pop. quos Hercules Lybicus, cùm esset rex Latinorum, debellavit, & Italiâ expulit.

Arnine, fluv. inter Pyrgos & portum Herculis. Antoninus.

Arnisium, castrum excelsum Hibern. in Ultonia prov. & Comit. Armachano, medium fere inter Armacham & Lugum Urbes.

Arnissa, Gr. urbs Taulantiorum regionis in Macedoniâ. Ptol.

Arnoba, & *Arbona*, vide *Abnobi*.

Arnobius, in Africa Rhetor, tempore Diocletiani conversus ad Christianismum, libros contra Gentes conscripsit, qui hodie extant. Floruit circa an. C. 330. auctore Hieronymo. Lactantii Præceptor fuit, teste eodem Hieronymo, in his; *Septem libros adversus Gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus ejus Lactantius, quos si legere volueris, dialogorum Ciceronis in eis epitomen reperies.* Quâ occasione hæc scripserit, ex *appendice Chronicorum* Eusebii Pamphili apparet: *Arnobius in Africa Rhetor clarus habetur, qui cùm in civitate Siccâ, ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc Ethnicus, ad credulitatem somniis compelleretur, ut ab Episcopis impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros, & tandem veluti quibusdam obsidibus impetravit.* Scripsit etiam, teste Trithemio, in Psalterium *l.* 1. Item de Rhetorica Institutione *lib.* 1. Commentarii in omnes Psalmos excusi primùm apud Frobenium. Item *in* aliquot Evangelistarum locos, excusæ annotatiunculæ, Basileæ. Extat liber adversus Gentes, cum recensione Viri Celeberrimi, & integris omnium commentariis Lug. Bat. 1651. Vid. Hieron. *in Catal. & Chron.* Morerium.

Arnobius, cogn. *Junior*, disputationem cum Serapione circa Unitatem & Trinitatem divinam, scripsit. Quidam ei adtribuunt quoq; tractatum de duabus substantiis, i. e. naturis. Item Commentarium in Ps. qui ab aliis Arnobio Africano vindicatur. Vixit *sec.* 5.

Arnoldi Henricus, Saxo, Carthusianorum Basiliensium, ante Reformationem, præstes, Patrum in Concilio ibi celebrato, notarium egit, scriptisque suis, ut sunt *Harmonia Evangelica*, *SS. historia*, &c. innotuit. Obiit An. 1487.

Arnoldus, Abbas Cistertiensis, primùm, dein Arch. Narbonn. A.C. 1206.

Arnoldus Bern. de Monte majore, Patr. Alexandrinus, Onuphr.

Arnoldus Clericus, Sebusianus, Abaillardi discipulus, ut habet Morerius, *in Arnoldo*. Clericis ingrata prædicavit. Bona illos non decere, sed Principum esse, libertatem Reip. Rom. pulso Papâ & Cardinalibus, reducendam, Sacerdotum jugum excutiendum, &c. dictitans. Quæ contentio tanti fuit momenti, ut omnes deinceps Pontifices, usque ad Clementem 3. exercuerit. Româ proin ad Fridericum I. Imp. fugere coactus, ab hoc Adriano 4. traditus, & suspendio flammisque necatus est. An. 1155. Platina, Sigonius, Guntherus Tigur. Otto Fris.

Arnoldus Corbiensis, Cancellarius Galliæ, obiit An. 1413. Monstrelet, *hist. Gall.*

Arnoldus à Melchthal, Underwaldius, filius Henrici, duriter habiti à Peregrino Landenbergio Præfecto, tandemq; hujus jussu exoculati, indignitate injuriarum commotus, cum Wernhero Stauffachero Suitio, & Waltero Furstio Urio, viris fortissimis, consilium fœdusque iniit, ad patriam à tyranide liberandam & veteri libertati restituendam: die 16. Kal. Nov. An. C. 1307. quo anno Wilhelmus Tellus, ex confœderatis unus, gratum Helvetiis ac celebre nomen, Grisleri injuriis exagitatus, hunc sagittâ peremit: Kal. dein Jan. in tribus illis pagis arces eversæ, sicque Helveticæ libertatis fundamenta feliciter, Heroum istorum ductu, jacta sunt. Simlerus *de Rep. Helv.* Diversorum Auctorum *Helvet. Respub. edita Lugduni Bat.* An. 1627.

Injusto tandem patientia victa furore,
Ad libertatem pectora pressa vocat. Vide *Henricus*.

Arnoldus Novellius, Card. Gall. à Clemente 5. in Angliam missus, A.C. 1312.

Arnoldus Ossatus, obscurissimis, in tractu Armeniacensi, natalibus, sub Cujacio Juri operam navavit. Secretarius dein Legationis Archiep. Tholosani, ab Henr. 3. Romam missi, ita munere functus est, ut, mortuo Legato, ipsimet successerit. Episcop. hinc Rhedonensis, dein Bajocensis, &c. tandem Cardinalis, obiit An. C. 1604. Bentivolius, *in memor.*

Arnoldus de Palagru, Cardin. Gallus Venetos vicit, & Henrici 5. Imp. coronationi, ab eod. Papa missus interfuit, &c.

Arnoldus de Villa Nova, Medicus celebris, Catalaunus, floruit A. D. 1250. Scripsit *contra corruptiones Ecclesiæ Romanæ*, ideoque tanquam hæreticus à Papa, ejusque conclavi condemnatus est. *Arnoldus* autem Germanis *Ernold* est, & fig. *Probum*, i. e. *Honest.* Camdenus. Obiit A.C. 1309. Antonin. *tit.* 21. *c.* 2. §. 8. &c.

Arnolphus, fil. Carolom. Rex Bavariæ. Imper Occidentis electus est, An. 888. quo tempore Guido Dux Spolet. aliique eundem in Italia titulum affectabant. Slavos repressit, concessâ illis Moraviâ, mox insolentius se efferentes, penitus concidit. Dein Normannos Lotharingiam, quam filio suo Zuinsiboldo vel Zenebaldo dederat, vastantes pepulit. In Italiam transgressus, junctus Berengario, Forojulii D. Formosum Papam, contra Guidonis fil. Lambertum juvit, atque ab eo coronatus est, Romæ, quam *occasione lepusculi* cepit, an. 896. Postmodum, in Spoleti obsidione, ab Agiltrude, Guidonis uxore, soporifero poculo summisso, sanitas ejus labefactata est. Hinc in Germaniam redux, morbo pediculari obiit, An. C. 899. Imper. 12.

Arnolphus, Bavariæ dux post Luithaldum; item Carlomanni ex concubinâ fil. cui Carnutum Comitatum Ludovicus cessit.

Arnolphus, vide *Arnulphus*.

Arnon, Arch. Salisburg. tempore Caroli M. historica quædam scripsit, à Canisio edita, *tom.* 2. *lect. antiq.*

Arnon, fluv. Palæstinæ, qui Josepho *lib.* 4. *Antiqu. cap.* 4. de montibus Arabiæ fluit, ac per totam solitudinem labens in Asphaltiten lacum erumpit, ob syrtes trajectu difficilis, facilis Israëlitis redditus miraculosè videtur, ex Num. 21. 14. Sejungit Moabitidem & Ammonitida: Hieronymo verò est rupes excelsa in limite Amorrhæorum & Moabitarum. Numer. 21. Deut. 2. Jos. 12. Item civitas Moabitarum, ac deinceps Seon Amorrhæorum. Num. 21.

Arnostadia, oppidul. tenue Germaniæ, in Thuringia prov. ad Geram amnem. Vix 3. leuc. ab Erfordia in Austr. & paulo amplius à Gotha.

Arnulphus I. Flandriæ comes, post patrem Balduinum 2. *Magni* nomen, ob res gestas, meruit, sed ob occisum Guilielmum Normanniæ D. in colloquio quodam, an. 943. reprehensus. Obiit anno 965. Sigebert. & Flodoard. *in Chron.*

Arnul-

Arnulphus II. cogn. *Junior*, avo suo Arnulpho I. successit, à Lothario, Franciæ R. ditione exutus. Obiit an. 989. regim. 24. relicto successore Balduino 2. Barbato, ex Rosela, Berengarii Italiæ Regis fil. Mayer. *in Chron. Flandriæ.*

Arnulphus III. fil. Balduini 6. qui Philippi 1. Gall. R. juventam moderatus est. Illo adhuc minorenni, mater Richildis Comitatum administravit, mox à Roberto cognom. Frisone, Balduini fratre pulsa. Cui imploratus Rex copias summisit, cùm quibus Robertus acerrimè pugnans, Arnolphum occidit, Anno C. 1071. Mayer & Sigebert.

Arnulphus, fil. Theodor. I. Comes Hollandiæ, patri successit, An. 988. Ducta Lutgarde, Theophanis Imper. Gr. gener. Frisones imperium detrectantes sæpius vicit, in prælio ad pagum Winckel in Frisia tandem occisus. An. 993. Scriverius, *histor. Comit. Hollandiæ.*

Arnulphus, Episc. Metensis, à Clotario 2. Dagoberti fil. educationi præpositus. *Hist. Gall.* Item Episc. Suessionensis, qui obiit Anno 1087.

Arnulphus, fil. nothus Clotarii, Arch. Remensis, favit Carolo Lotharingo, contra Hugonem Cap. Obiit An. 102. Continuator Aimonii, *l.* 1. *c.* 46. Albericus *in Chron.* Baronius, &c.

Arnulphus, qui in sedem Hierosolymitanam cùm se intrusisset, cum scandalo præfuit. A. C. 1112. 1118.

Arnulphus, Magus Ægyptius, præstigiis suis populum lusit. Romam dein venit, M. Aurelii Antonini perpetuus sectator. Ob quam causam ipsi à Dione *l.* 55. salutaris illa tempestas cœlitus Imperatori contra Alemannos certanti missa ascribitur, quam tamen Xiphilinus, Legioni Christianorum, Melitinæ primùm, postea Fulminatrici dictæ potiori jure vindicat. Tertull. *Apol. c.* 5. & ad Scap. *c.* 4. Euseb. *l.* 5. *hist. c.* 5. *& in Chr.*

Arnulphus, contemporaneus & amicus quidam S. Bernardi. Scripsit ascetica. Circa An. 1077.

Arnulphus, Concionator, quòd errores & vitia Cleri acriter insectaretur, Romæ sec. quosdam, combustus, An. 1110. quo tempore Florentiæ Synodus coacta fuit contra Fluentium Præsulem, qui Antichristum jam natum esse asserebat, & Berengarii sententiam plurimi in Hibernia inprimis tuebantur. V. Bernh. *in Vita Mal.* Platin. *in Vit.*

Arnulphus Buschius, historicus. Voss. *Hist Lat. l.* 3. *c.* 10.

Arnulphus du Buis, historicus; & alius, sub Ottone 4. Idem *l.* 2. *c.* 55.

Arnulphus Ferrerius, cum Pibracio, ad Concilium Trident. à Carolo 9. missus.

Arnulphus Ferronius, Historicus Gallus.

Arnulphus de Lens, Mathematicus.

Arnulphus de Pontac, Chronologus.

Arnuphis, Ægyptius philosophus, arte magicâ & Dæmonum præstigiis præstantissimus.

Arnus, fluv. Tusciæ rapidissimus; ex Apennino oritur, & Florentiam alluens in Tyrrhenum mare defluit. Rutilius *Itin. l.* 1.

Quam cingunt geminis Arnus & Ausur aquis.

Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *p.* 461. Oritur in confinio Romandiolæ prov. in territorio Florent. Baudr.

Aroa, Ins. Daniæ parva admodum, in mari Baltico, inter Fioniam Ins. & Ducatum Slesvicensem. Aliis *Aria*, quod vide.

Aroanna, Galliæ fluv. vicum Doromellum attingit, & per fines Senonum, in Lupam, supra Murittum opp. influit: clade nobilis Clotharii jun. à Theodeberto, ac Theodorico Regg. acie hìc victi, An. 599. Aimonio *Arvenna*, vulgò *Ouaine*: pagus autem hodie *Dormeille.* Hadr. Valerius *Notit. Gall.*

Arocelum, op. Hisp. Tar. in Celtiberis, juxta Segontiam urb. Pop. *Arocelitani* Plinio. Hodie *Nodales* teste Jac. Delgato. Al. *Araquil*, seu *Huarte Araquil*, in Navarra; quod etiam quibusdam *Aracilium*, vide *ibi.*

Arocha, Locrorum in Italia fluv. Plin.

Arod, ארוד, filius Gad filii Jacob. Num. 26. Lat. *imperans*, sive *descendens.*

Arod, ערד, filius Beriæ. 1. Par. 8. Lat. *onager*, aut Syriacè *draco.*

Aroe, civitas Achaiæ, à cultu terræ sic dicta, aliàs *Patræ*, Steph. *Aroa* Pausaniæ, *in Achaicis*, sic enim ille: Πατρέων οἱ τὰ ἀρχαιότατα μνημονεύοντες, φασὶν Εὔμηλον αὐτόχθονα οἰκῆσαι πρῶτον ἐν τῇ χώρᾳ. Τριπτολέμου δὲ ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἀφικομένου, τόν τε καρπὸν λαμβάνει τὸν ἥμερον, καὶ οἰκῆσαι διδαχθεὶς πόλιν, Ἀρόαν ὠνόμασεν, ἐπὶ τῇ ἐργασίᾳ τῆς γῆς. Ἀρῦν enim & αὔλακ᾽ ἐλαύνειν Poëtis de tota ἐργασίᾳ τῆς γῆς sumitur. Hujus mentio apud Tzetzem *in* Ἔργα *Hesiodi.*

Aroer, Lat. *myrica*, sive *suscitatio vigiliæ*, aut *vigilia vigiliæ*, vel *denudatio pellis*, aut *denudatio æmuli*; urbs Moabitarum sita super ripam torrentis Arnon, extructa à filiis Gad Jos. 12. Alia est in agro Damasceno Esaiæ. *cap.* 17.

Aroerni, gens bellicosa Gallorum. Steph.

Arogilus, primus quadrigam in Græcia junxit, regnante Argis Phorbante.

Arola, vulgò *Arr*, fluv. Helvetiorum, fontes habet prope ortum Rhodani & Ticini, ex monte D. Gotthardi; dein auctus fluviis Sanâ, Orbâ, Emmâ, Ursâ & Limago, rigatisque Thuno, Bernâ, Soloduro & Arolæ burgo, infra Aquas Helveticas Rheno miscetur, prope Waldshutum opp. V. *Arula.*

Arola, vulgò *Arool*, Urbs Moscoviæ Austr. juxta Occam flu. 40. mill. Germ. à Moscua Urbe.

Arolæ burgum, vulgò *Aarburg*, opp. pagi Bernensis, in Helvetiis, ad Arolam fluv. cum castro munitissimo, haud pridem extructo. Olim sub Baronibus peculiaribus, dein Austriacis Archiduc. quibus, cum tota Argovia, ereptum est à Bernensibus An. 1415. Stumpf. *l.* 7.

Arolæ mons vulgò *Arberg*, urbs cum arce, 2. mill. Germ. infra Bernam, Arolâ undique circumfunditur, olim sub Comitibus Arbergensibus, è quibus Petrus, tempore Ludovici 4. Imp. jus civitatis à Bernensibus impetravit: contra quos cùm dein Austriacis adhæsisset, obsessa est ab illis, sed nullo successu. Tandem Comes ob lepram ad regimen ineptus redditus, totum Comitatum Bernensibus vendidit. Postea an. 1382. nocturno astu Arch. Leopoldi tentata arx est, sed vigilantia præfecti astum elusit. Stumpf. *Hist. Helvet.*

Arolus, Macedoniæ urbs. Ptol.

Aroma, urbs Æthiopum. Steph. Cariæ pagus Straboni; item urbs Cappadociæ, cujus meminit Capella post Plin.

Aromaia, prov. Americæ merid. in nova Andaluzia, non longè ab ostiis fluv. *Orinoque*, versus Caribanam reg.

Aromata, Africæ promuntorium, & Emporium Æthiopiæ ad sinum Barbaricum. Ptol. *Capo dè Gardafuni.* Jo. Barroso.

Aron, unus ex illis Ducibus, qui Aeetæ Colchorum regi auxilium tulerunt, contra Persen, quem Val. Flaccus ab luxuriosiore cultu & delibutis unguento capillis describit *lib.* . v. 590. *l.* 6. 525.

Arona, sive *Rona*, Insubriæ opp. gentis Borromææ præclarum, ad Verbanum Lac. Quasi *Alona*, à 2. alis, insigni opidi.

Aronca, pop. Africæ, in Lybia interiori, forsan ubi *Benin*, regnum Guineæ, Sansone teste.

Arosapes, Arianæ regionis fluvius. Plin.

Arosia, urbs Sueciæ Episcopalis, sub Archiep. Upsalensi, ubi argentifodinæ; vulgò *Arosen.* Parva admodum, prope lacum *Meler* cum arce. Dicitur etiam *Westeras.* An. 1521. validus Christierni 2. Daniæ Regis exercitus hìc cæsus est, à Gustavo, qui pòst Sueciæ Rex evasit; & anno 1544. regnum Sueciæ in hac civ. ex electivo, in hæreditarium mutatum est.

Arota, apud Syracusanos dicuntur liberi quidem, sed qui ob unum inopiæ nomen serviant. Rhod. 15. 18.

Aroteres, populi gemini; Æthiopes ad sinum Adulicum; & Scythæ in Thraciæ Mysiæque confin. circa Dionysiopolim.

Arotus & Marotus, duo angeli, ut fabulatur Mahumetes Impostor, à Deo missi, ut homines docerent, ne occiderent, nec falsò judicarent, nec vinum biberent. Quos quædam mulier formosissima in cœnam invitavit, eosque, ut vinum biberent, solicitavit. Hi igitur vino cùm incaluissent, eam ad amorem concitarunt; quibus illa tandem quidem assensit, eâ tamen lege & conditione, ut verba, quibus in cœlum facilis esset ascensus, quemadmodum illi dictitabant, aperirent. Quæ cùm voti facta compos fuisset, pollicitis minimè stetit: statimque in cœlum rapta, ibi cùm rem omnem, ut fuerat gesta, Deo narrasset, in stellam matutinam, quam *Luciferum* vulgò, seu *Auroram* vocant, mutata fuit; & angelus uterque à Deo gravissimè punitus est; Unde Deus hominibus, ne, ut jam illis 2. angelis acciderat, in posterum delinquerent, vini usum prohibuit. Hæc author Alcorani.

Arovium, opp. elegans & liberum, in ditione Bernensi; in Pago Urbigeno, qui hodie Argovia dicitur: ad sinistram Arolæ ripam, infra Arolæburgum 1. mill. Germ. non usque adeo antiquum: in loco, ubi arx antiqua Rora, Comitatus caput, quo ab Habsburgensibus & Altenburgensibus Comitibus vi occupato, Arovium ab his conditum creditur: quibus etiam fidam fortemque operam plurimis occasionibus, in primis in prælio Sempacensi, præstitit. Occupatum an. 1415. à Bernensibus cum tota Argovia, jussu Sigismundi Imp. ab hoc illis oppignoratâ. Peculiarem habet Senatum, qui in Curia, in quam prædicta arx conversa est, convenit. Post Disputationem Bernæ habitam, An. 1528. Missâ imaginibusque abrogatis, Reformatam religionem amplexum est, cui in hunc usque diem constanter adhæret. Stumpf. *Helvet. hist. lib.* 7. Hìc Evangelicorum Cantonum consultationes, vulgò *Conferentiæ* dictæ, haberi solent, quemadmodum reliqui Lucernæ conveniunt: cùm iis separatim de rebus suis deliberandi necessitas imminet.

Aroyus, fluv. Americæ merid. Oritur ex lacu Cassipa, & in fluv. Orenoque cadit in nova Andaluzia.

Arpandes, Ægypti prò Cambyse præfectus, à Dario interfectus. Herodot. *lib.* 3.

Arpani, in secundâ Italiæ reg. pop. Plin.

Arpessus, Thraciæ fluv. in Hebrum cadens. Appian.

Arphaxad, fil. Sem. Gen. 10. id est, *sanans*, vel *laxans*, natus An. M 1659. à quo Chaldæi, ut quidam volunt; contra quos est Boch. *Geogr. Sacr.* 3. 4. *Arphaxad*, inquit, Assyriæ parti Arphaxitidi, quæ Ptolemæo Arrapachitis, videtur indidisse nomen. Nam quod Josephus & alii volunt, Chaldæos olim ab eo dictos *Arphaxadæos*, merum somnium est. In Scriptura *Chaldæi* perpetuò vocantur

cantur *Chasdim*, à patre suo *Chesed*, vel *Chased* filio Nachor fratris Abrahæ, Gen.22.Unde Hieronymus *Traditionibus in Genesin, Chased quoque quartus est, à quo Chasdim, id est, Chaldæi postea vocati sunt.*

Arpi, urbs Apuliæ, quæ Servio *in* 7.*Æn*.primò *Argi*, post *Argyripa*, deinde *Arpi* dicta; à Diomede condita, quam prius *Argos hippium* vocavit, deinde *Argyripam*, quam vide. Mart. 4. 55.

Arpis cedere non sinis disertis.

Horatium innuit, qui *Lucanus an Appulus anceps*, ut ipse de se loquitur.

Arpiages, Ovid. *in Ibin*,

Ut puer Arpiagæ, referas exempla Thyestæ,
Inque tui casus viscera patris eas.

Lege *Harpagides*, id est, *Harpagi filius*, quem Astyages Medorum rex patri epulandum apposuit, quod itidem Thyestæ acciderat.

Arpina, civitas Elidis. Steph. ab *Arpina* Asopi filiâ, quæ ex Marte Oenomaum peperit.

Arpinius, prænomine Cajus, Eques Romanus, familiaris Q.Titurii ad Ambiorigem & Cativulcum colloquendi causâ cum Q. Junio ex Hispania oriundo missus. Vulgò legebatur C.Carpinejus. Cæs.V.27. Vitiosè *c*. 36.videtur appellari *Cn. Pompejus*.

Arpinum, Volscorum op. hodie *Abruzzo*, aliis *Arpino*, M.Tullii, & C. Marii patria, qui inde *Arpinates* dicuntur, Juvenal. *Sat*.8.*de Cicerone*:

Hic novus Arpinas ignobilis, & modò Romæ
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Præsidium attonitis. ———

Et paulo pòst, *de C. Mario*:

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes, alieno lassus aratro.

Hinc *Arpinæ chartæ*, pro Ciceronis libris, Mart.10.19.

Hoc quod secula posterique possint,
Arpinis quoque comparare chartis.

Videtor Cluverius *Ital.Ant.lib*.4.*pag*.1045. Hodie castrum est prov.Terræ Laboris, in Regno Neap. in confinio ditionis Pontif. Paucis constat incolis.

Arponium, Italiæ op.in Magna Græcia.Diod.Sic.

Arpus, Princeps Chattorum, cujus conjugem filiamque C. Silius superioris exercitus Germanici legatus captivas abduxit, cùm à Germanico, ad castellum Lupiæ flumini adpositum, obsidione liberandum cum sex legionibus missus esset.Tacit.*Ann.II.*

Arqua, Castrum Italiæ, in dominio Veneto, & territorio Patavino, celebre longâ habitatione & sepulturâ Petrarchæ, 9.m.p. à Patavio in merid.4.ab Ateste in Boream.

Arqua, vicus Galliæ, juxta Mosam fluv. in Barensi Ducatu, prope Valculerias, patria Joannæ Puellæ Aurelianensis, notissimæ sub Carolo 7.

Arquata, opp. Italiæ, in Marchia Anconit. ad radices Apennini juxta Truentum fluv.& versus limites Aprutii.

Arra, Arabiæ Fel.op.& vicus Ptol.& Chalcitidis locus, Anton. & civitas Illyriæ.Steph.

Arrabo, vel *Arrabona*, *Narabo* Ptolemæo, vulgò *Rab*, urbs episc.& fluv. qui Danubio prope urb. miscetur, inter Viennam & Albam Regalem 16. leuc. plus minus. Scribitur & *Arabo*. long.30.40.lat.47.57.

Arrachamum, Urbs Asiæ, in India ulter. prope sinum Gangeticum. Primaria est regni cognom. ad fluv.*Martaban.*

Arrai, Thraciæ pop.Istrum versus.Plin.

Arragonia, vid. *Aragonia.*

Arragovia, tractus terræ, in agro Basiliensi, ad flu.Ærgitiam; ut Joh. Stumpfius, ex monasterii Sangall. diplomate quodam colligit.

Arrebaci, Hispaniæ populi. Plin.

Arremari Monaster. vulgò *Monstier Rameq*, in Tricassium finibus ab Adremaro vel Arremaro, fundatore, dictum. Leo 4. Pont.*Epist.ad Prudentium*.S. Victoris corpus hìc quiescere, refert

Arreomithres Persa, 2000. Equitibus in prælio ad Granicum præfectus.

Bernardus *Epist*.297.*ad Guidonem Abbatem Airemarensem.*

Arretinus Clemens, domui Vespasiani per affinitatem innexus, in locum Arrii Varii pulsi, à Muciano, prætorianis cohortibus præpositus. Tacit.*Hist.IV.* 68. Fulv. Ursin. scribit *Arricinus*, ex antiquâ Inscriptione, apud Ægium Spoletinum sibi visâ, sicque Suetonium *Domitiano cap*.1.emendat.

Arrhabæus, Gentis cujusdam vicinæ & conterminæ Macedonibus rex, qui cum fratre *Sirrha* in magnas difficultates & angustias Archelaum conjecerunt.Aristot. *V.Polit.X.*

Arrhabon, Iberiæ fluv. Steph.

Arrhade, Arabiæ desertæ urbs. Ptol.

Arrhapa, Assyriæ opidum.Ptol.

Arrhapachitis, Assyriæ regio. Ptol.

Arrhata, lacus Africæ apud Rhizophagos. Ælian. qui nunc *lacus Monachorum*, teste Livio Sanulo, nominatur.

Arrhephoria, vide *Hersephoria.*

Arria, Matrona Romana, vel Patavina, generis nobilitate, & pudicitiâ insignis, uxor Pæti, quæ, damnato viro, quòd particeps fuisset Scribonianæ conjurationis, sub Claudio, prior se gladio confodit, eundemque denique extrahens, viro tradidit, suo eum exemplo exhortans, ut fortiter moreretur. Mart.1.14.

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Vide Tac.*Annal*.16.Dionem *lib*.60.Plin.*lib*.3.*ep*.16.

Arria Galla, formosa sed impudica, Domitii Silii matrimonio à C. Pisone abducta. Tacit. X V. 59.

Arriaca, vulgò *Guadalajara*, ad fluv. Tagonium; Olim caput Algarriæ tractus.

Arriani, hæretici, ab Arrio sic dicti, negarunt tres personas SS. Trinitatis esse ejusdem essentiæ. Verbum dixerunt esse creaturam, carnemque solam, sine anima, assumpsisse, &c. Niceno Concilio Anno 325. condemnati, non destiterunt deliria sua docere, & plurimos in sententiam suam partesque pertrahere. Constantini Magni filios hyperaspistas, Gothos & Longobardos, cum ingenti Episcoporum numero, sectatores nacti, Athanasium in Oriente, Hilarium in Occidente persecuti sunt, & non uno in loco conciliabula habuerunt. Antiochiæ inprimis, præsente Constantino Imper. ubi nova fidei formula composita, acta Nicena abrogata, Athanasius depositus, substituto hæretico Georgio Cappadoce, homine truci, & *qui crudelius, quàm ulla fera bestia in ovile Domini grassabatur*, Sozom.*l*.3 *c*.6. quem tamen hodie à Christianorum quibusdam, ut Sanctum, coli cernimus. Dein cùm Constante urgente, Synodo Sardicensi, Nicena acta confirmata, Ariani damnati essent, hi Antisynodum Philippopoli coëgerunt, Theodoret.*l*.2.*c*.8.& paulo pòst occiso Constante, Athanasius iterum pulsus. Mediolani porro Synodus acta, ad promovendum Arii dogma & Athanasii damnationem, sed neutrum successit. Hilarius tamen & Liberius in exilium missi. Ut plura alia omittam, tam misera tum fuit Ecclesiæ facies, ut Hieronymus dixerit, *Ingemuit Orbis totus, & se Arianum miratus est.* Constantius, hujus impietatis clypeus, imperio tandem exutus, cùm ipse Christum honore exuisset, Theodoret.*lib*.2.*c*.32. Dicti etiam **Exoucontii** sunt, quia Christum dicebant factum ἐξ οὐκ ὄντων. In Doxologio suo gloriam dabant non Patri, & Filio, & Spiritui S. sed Patri per Filium in Spiritu S.Orthodoxos etiam rebaptizabant, hominis superiore parte usque ad umbilicum tantùm aquâ tinctâ, &c. Ipsimet inter se divisi, tandem veritate prævalente, undique exagitati sunt, Legibus inprimis Theodosii: Sed utinam non hodieque blasphemiæ hujus reliquiæ superessent! Vid.Epiph. *hær*.68.& 69. Aug.*hær*.49. Athanas.& Nazianz. *contra Arrianos.* Hilarium *de Trinitate.* Hieron. *contra Luciferianos*, Sozomen. Theodoret. Euseb. Rufinum, Socratem, &c.

Arrianus, Poëta, cujus carminibus Tib. Cæsarem delectatum fuisse, scribit Suetonius, *in Tib.* Ejus autem opera Suidas commemorat, sc. metaphrasin Georgicorum Virgilii, & Alexandriada, poema sc. de rebus gestis Alex.Magni, libris 22.

Arrianus, Nicomediensis, Philosophus. Incubuit literis in patria, ibique Cereris & Proserpinæ Sacerdos evasit: Ut Photius confirmat ex Bithynicis ejus, in quibus patriæ historiam à fabuloso tempore orsus, usque ad Nicomedem, qui P.R.hæredem instituit, exequutus est. *Xenophon jun.* dictus, Suid. Epicteti discipulus fuit; Scripsit de Epicteti dissertationibus, qui extant, libros 4. Nam plures scripsisse, ex Gellio constat, qui *lib*.19.*cap*.1. quintum laudat. Scripsit & alia, præcipuè quæ ad Historiam pertinent, inter quæ historiam Alexandri M. descriptionem seu periplum duplicem, Ponti Euxini, & terrarum vicinarum, ut & Maris rubri, à Ramusio & Stukio illustratum; Oceani item Indici, &c. historiam Alanorum, Photius.17.libros Urbium, Steph. de quibus vide Suid. Vossium.*de hist.Gr.l*.2.*c*.11. La Mothe le Vayer, *in judicio de historicis.* Ejus est, Σχολαστικόν σε δεῖ γενέσθαι, τοῦτο τὸ ζῶον, οὗ πάντες καταγελῶσιν. Emicuit Romæ sub Adriano, & M.Antonino Principibus, à quibus ob literas præfecturâ Cappadociæ & honoribus Consularibus ornatus est. Verùm de eo nos alibi, Deo volente, plura. L.Loydius.

Arribantium, Dardaniæ urbs, in Mysia super.Ptolem.*Wiczitterne* Lazio, aliis *Novibazar.*

Arrius, Ciceronis familiaris, cujus epulum lautissimum commemorat in Vatinium Horat. *lib*.2.*Sermonum*:

———*Atque epulum arbitrio Arri.*

Arrius, Philosophus Alexandrinus, qui Augusto Alexandriam venienti, post victoriam Actiacam, se obtulit, tantoque in honore fuit apud eum, ut Augustus ipse palam fit fassus, Alexandrinos tribus de causis à se conservatos esse, ob Alexandri memoriam, ob urbis pulchritudinem & propter *Arrium* Philosophum. Plutarchus.

Arrius, Presbyter Alexandrinus, hæresiarcha, Arrianæ sectæ author, uti scribit Ruffinus *lib*. 10. Hanc sub Petro & Achilla fovit, sub Alexandro verò exclusit, cui fortè hic nimis curiosa *de S. Trinitate* dissertatione, occasionem aliquam præbuerat. Hæreseos manifestus excommunicatur, sed episcoporum non paucos

paucos variis artificiis in partes suas pertraxit, inter quos Eusebius, Episc. Nicomediæ, in gratiâ Constantini M. validus. Qui Arium frustra literis primò, dein per Episc. Osium, monitum, tandem Anno 325. Concilio Niceno, cujus Imper. ipse Præses fuit, damnavit, ejus deliriis rejectis, ipso cum asseclis in exilium deportato, scriptisque combustis. Mox verò à Presbytero Ariano persuasus, Arium revocavit, confessione ejus, quam subdolè concinnaverat, admissâ. Hic verò, pulso Athanasio, cùm jam recipiendus esset in Ecclesiam Constantinop. obiit eo mortis genere, de quo paulo pòst. Contra hunc Augustinus & alii scripserunt. Hic, dum suam hæresin, quâ filium ab æterno Patris substantiâ conabatur abducere, passim disseminasset, acriusque serperet, & eundo vires acquireret ipsa contagio, suæ tandem impietatis pœnas luit. Etenim dum Constantinopoli secessum peteret, ventris exonerandi causâ, fluentibus foras intestinis, miseram evomuit animam, ejus postea judicium experturus, de quo perperam senserat. A. C. 336. Vide Suidam, *in* Ἀρειανοί. Et Ecclesiasticæ Historiæ scriptores, Epiph. *hær.* 68. & 69. Athan. *Orat.* 1. *ad Serap.* Socr. *lib.* 1. Sozom. *lib.* 1. & 2. Theodoret. *lib.* 1. Ruffinum *lib.* 1. &c. Vid. *Arriani*, etiam. Aliis *Arius* dicitur, Ἄρειος, autem Græcè sonat *Martialis.*

Arrius Antoninus, Proc. Asiæ, sub Adriano Imp. ardore Christianorum ad martyrium sese offerentium obstupefactus, jussit eos, si vellent mori, ne amplius tribunal adirent, & præcipitia & restes iis in promtu esse. Euseb. *lib.* 4. *cap.* 3.

Arrius Varus, præfectus equitum sub Corbulone. Tacit. XIII. 9. in Armenia. Ferebatur, secretis apud Neronem sermonibus, virtutes Corbulonis criminatus: Unde infami gratiâ primum pilum adeptus. Bello contra Vitellium, partibus se Vespasiani strenuum ducem præbuit. *lib.* 3. *Hist.* 8.

Arro, fluv. Angliæ. Cadit in Lugum fluv. in Comit. Herefordiensi.

Arroium, vulgò *Arrois*, castrum præcipuum Insf. Mulæ, unius ex Hebridis, ad Scotiæ Occid. in Boreali parte Insf. ex adverso Abriæ prov.

Arrosius, vulgò *Arroux*, fluv. Galliæ in Burg. Duc. Oritur prope Arnæum Ducium. Augustodunum rigat, & postea in Ligerim se exonerat, supra Borbonium Anselmum.

Arruns, prænomen Tuscum, in gente Tarquiniâ Romæ celebratum, quo Prisci & Superbi Tarquiniorum filii usi sunt. Hoc nomine affectus fuit vates quidam Tuscus divinandi scientiâ insignis. Lucan. *lib.* 1.

Arruntius Consul, A. U. C. 732. inter scriptores illustres. Scripsit Geographica. Divitias quoque magnas possedit. Accusatus à Satrio Secundo Albucillæ impietatis in Tiberium conscius ejusdemque adulter, frustra moras suadentibus amicis, venas resolvit, Gn. Acerronio & Pontio, Coss. Tac. *l.* 6.

Arsa, Præfectus civitatis Tirzæ. 3. Reg. 15. Lat. *Voluntas, cursus*, aut *maledictionis exitus.* Item civitas Hispaniæ. Steph. long. 18. 40. lat. 41. 52. Vide Suidam, *in* Ἀρσάκης.

Arsabes, Satrapes Armeniorum, ut videtur ex Polyæn. *l.* 5.

Arsabes, Satrapes Persicus, homo callidissimus, cujus fraudem in occupandis Barcæis & dexteritatem in declinandis insidiis Magistri Equitum commemorat, Polyæn. *lib.* 7. Ubi interpres legit *Arsames.*

Arsaces, Parthorum rex primus, cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, propter quæsitum, constitutumque ab eo regnum, ut omnes deinde reges suos *Arsaces* appellaverint. Justin. *lib.* 41. Strab. *lib.* 14. Photius, *Bibl. caj.* 68. Euseb. *Chron.* Suid. &c. Quin & Parthi ipsi ab eo dicti *Arsacæ* Straboni, aliis *Arsacidæ.* Lucan. *lib.* 1.

Plus illa vobis acie, quàm creditis, actum est,
Arsacidæ. ——————

Hinc *Arsacius*, pro *Parthicus.*
Mart. 9. 35.

Quicquid in Arsaciâ Pacorus deliberat aulâ.

Claudianus *Panegyr. de* 4. *Consul. Honorii*:

Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras.

Apud Tacitum 1. *Hist. Arsacidarum solium*, pro regno Parthorum. Servius, *ad Æn.* 7. *Vers.* 760. *Albani omnes reges dicti sunt* SYLVII, *ab hujus* (Sylvii nimirum Æneæ filii) *nomine: sicut hodieq; Romani Imperatores* AUGUSTI *vocantur: Ægyptii* PTOLEMÆI: *Persæ* ARSACIDÆ: *Latini* MURRANI, &c. Solet enim plerumque fieri, ut primi Regis nomen reliqui possideant, ut idem observat, *ad Æn.* 12. *Vers.* 529. Notandum autem hic, *Persas* Servium pro *Parthis* dixisse, vel solenni quodam auctorum more confundentium populorum nomina, vel quia retinuit imperii nomen, quod invaserant Parthi, ante quos Persæ regnaverant. Ita Horat. cùm *lib.* 3. *Od.* 5. initio Augustum *graves Persas*, ut ipse appellitat, adjecisse imperio scribit, de Parthis intelligendus est. Nec aliter *Persarum* capiendum vocabulum, in Aurelio Victore, est, cùm de Augusto prodit, *Huic Persæ obsides obtulerunt, creandiq; regis arbitrium permiserunt.* Glossarum veterum auctor *Arsacidarum* vocem, de universa Parthorum gente, interpretatur: *Arsacidæ*, Πάρθοι. Regnare autem cœpit hic Arsaces, Seleucidarum jugo excusso, An. M. 3808. feliciterque rexit, an. 38. Successores ejus regnum tenuerunt, usque ad Alexandrum Mammææ fil. quo imperante Artabanus ab Artaxerxe peremptus est. An. C. 227. Ex prisca tamen Arsacidarum nobilitate Basilius Macedo Imperium Orient. tenuit, An. 866. Cedrenus, Curopalates. Item alius *Arsaces*, Pharnacis Ponti & Armeniæ regis filius, Straboni memoratus, *lib.* 12. Item Armenius civis, proditionis convictus à Justiniano Imp. hoc supplicii genus tulit, ut Camelo insidens, ac per urbem circumductus se omnibus visendum præberet. Cæl. Rhod. *lib.* 7.

Arsaces, Artabani fil. natu maximus, à Patre Armeniæ, defuncto Rege Artaxiâ, præpositus. Tacit. *lib.* 6. Item, Eunuchus, Servus Themistoclis secundò ad Xerxem missus. Vid. Polyæn. *lib.* 1.

Arsaces, ab Alex. M. missus in Mediam, ut illâ præfecturâ Oxidates discederet. Curt. *l.* 8.

Arsaces, Armeniæ R. ad quem Julianus Apost. blasphemas in Christum literas misit, illumque, qui Christianus erat, contra Persas proficisci secum coëgit, Sozom. *lib.* 6. *cap.* 1. Quo defuncto, Persas Arsaces inimicos habuit, quibus diu feliciter restitit. Socius & amicus fidus Romanorum, cui cùm opem se non amplius laturum Jovinianus Imp. Sapori Persarum R. ad ignobilem ab hoc adactus pacem, jurasset, tantum odium sibi conflavit, ut in reditu etiam à mulierculis derideretur. Tandem à Sapore in insidias pertractus Arsaces, fœderis spe injectâ, oculis primò, mox vitâ privatus est. Anno 369. Ammian. Marcellin. *lib.* 27. Oros. *l.* 7. *c.* 19. Eutrop. *lib.* 10.

Arsacia, πόλις Μηδείας ἐπίσημος. Steph. Hodie *Casbin* dici videtur. long. 91. 00. lat. 39. 35. Urbs Persiæ pulcherrima & amplissima, in prov. *Ayrach.* Sedes regia ante Aspahaamum. Baudr.

Arsacius, Galatiæ Pontifex, ad quem Julianus Apostata inter alia scripsit: *Religio Græcanica nondum ex animi nostri sententia, incrementa capit. In causa sunt hi, qui res sacras tractant.* Rufin. *l.* 1. *c.* 32. 34. Sozom. *l.* 5. *c.* 15. Vid. infra.

Arsacius, Constantinopolitanus Episcopus, dum Chrysostomus in exilio esset. Obiit an. æt. 81. 1. Episc. piscibus magis mutus, ut lepidè Palladius ait. Vid. *Socr. l.* 6. *c.* 18.

Arsacius, Pontifex Ethnicus, cui Julianus Apostata prolixam scripsit epistolam, de antiphonis introducendis, & pœnitentiâ publica, Nosocomiis, item Ptochotrophiis, Virginumque monasteriis erigendis. Sozom. *l.* 5. *c.* 11.

Arsa, Arabiæ Felicis gens. Ptol.

Arsagalita, pop. ad Indum fluv. Caucaso monti contermini. Plin. 6. 20.

Arsamenes, Satrapa, in prælio ad Granicum sinistrum cornu cum Memnone tenuit. Diod. *l.* 17.

Arsames, Artaxerxis fil. qui fratris Ochi insidiis periit. Plut. Item *Arsames*, vel *Arses*, Ochi fil. 13. Persarum rex, regn. annos 4. Euseb.

Arsames, Ciliciæ Satrapa, sub Dario ultimo; qui adventante Alexandro igni ferroque Ciliciam vastavit, ut hosti solitudinem faceret: quicquid usui esse potuit, corrupit. Curt. 3. 12. Apparet postea in deditionem Alexandri venisse & præfecturam Cariæ accepisse. *lib.* 8. 19.

Arsametes, Asiæ fluv. juxta Parthiam, aut Armeniam. Tacit. *An.* 15. Cadit in Euphratem fluv.

Arsamia, urbs Germ. Ptol.

Arsamias, lacus Armeniæ maj. Vid. *Arcissa palus* & *Arsissa.*

Arsamosata, urbs Armeniæ maj. versus Mesopotamiam, 70. m. p. ab Euphrate fluv. *Arsamote* Plinio, prope montem Mazium. Nunc evanuit. Baudr. Castellum item Armeniæ, Tacit. *lib.* 15.

Arsanes, fil. Ochi, pater Codomanni, qui Persarum regno potitus, Darius dici voluit. Hic ab Alexandro victus.

Arsanes, Vid. *Arsames.*

Arsanias, Armeniæ fluv. quem Tigridi misceri volunt; ac demum, cùm lenius fluat, separari & in Euphratem mergi. Intra Zimaram. Ejus mem. Plin. 5. 24. Plut. *in Lucullo.* Tac. *An.* 15. ubi malè vulgò legitur *Fluvio Arsameti.* Dio, *in Fragmentis*: Ἀφῆκεν αὐτὸν προδιαμολησάμενος ἵνα τὸν ποταμὸν αὐτῷ Ἀρσανίαν ζεύξωσι, hoc est, *Parthus dimisit Patum, prius cum eo pactus, ut ponte sibi jungeret fluvium Arsaniam.* Transit per Arsamiam lacum. Baudr.

Arsaratha, urbs Armeniæ majoris. long. 79. 30. lat. 43. 30.

Arsatianum, Pannoniæ urbs. Anton. Hodie *Arsa.*

Arscotium, opp. Brabantiæ ad Demeram flu. sub Hispanis; estque Ducatus gentis *de Crouy* 4. leuc. à Machlinia in ortum, & 3. à Lovanio, in Bor.

Arsen, Arcadiæ fluv.

Arsena, palus Armeniæ majoris, nitrosa, & unius generis pisces habens, per quam Tigris fluit. Strabo.

Arsenaria, Mauritaniæ Cæsar. colonia. Pomp. 1. 6. Aliis *Arsenna.*

Arsenes, Episc. Schismaticus Melet. se interfectum ab Athanasio mentitus est, ab ejus sociis manu hominis occisi monstratâ.

strata. Postea, è latibulo Thebaidis prodiit, & Synodo, contra eundem Athanas. convocatæ subscripsit. A. C. 331. &c. Item Comes, qui Justiniano uxorique ejus persuasit, Palæstinæ incolas permovisse Samaritanos ad seditionem.

Arsentum, Germ. opidum. Ptol.

Arsenius, Romanus patricius, Arcadii juventæ admotus, qui cùm vocem hanc ab incerto authore audivisset, *Fuge, tace, quiesce*, relictâ paternâ hæreditate ad cœnobium properavit.

Arsenothelyas, eos antiqui dixere, qui utrumque sexum participarent, quasi *Masculo-fœminas* dicas; quo nomine quædam quoque animalia ab Arist. nominantur semetipsa ineuntia. Rhod. 19. 12.

Arses, filiorum Ochi natu minimus, in solium Persarum, occiso Patre, à Bagoâ Eunucho evectus; sed vix triennium regno potitus, cum liberis ab eodem Bagoâ è medio sublatus est. Diod. XVII. 564. *f.* Idem cum sequente.

Arses, 13. Persarum R. filius tertius Artaxerxis, quem Bagoas Eunuchus, cum duobus ejus fratribus, sustulerat, ei successit; regnavit 4. vel secundùm alios, 2. solùm annos. Circa A. M. 3716. Diodor. Justin. Euseb. *in Chron.*

Arsesa, Armeniæ maj. regio. Ptol.

Arsia, Hetruscorum silva, Romanorum cum Veientibus & Hetruscis pugnâ celebris, ab *Arsio* Heroe sic dicta. Plut. Ὀυρσὸν ἄλσ☉ vocat in Publicola. Diony. autem Halicarn. *lib.* 5. Ἱερὸν Ὀρσίτε. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 869. Item Italiæ flu. Campaniam præterfluens, cujus latitudinem ab uno latere distermi-nat, Varo flu. alterum occupante. Plin. 3. 6.

Arsiana, Susianæ urbs. Ammianus Marcellinus.

Arsica, privatus adhuc dictus est Artaxerxes Mnemon.

Arsicodani, Arab. Fel. pop. Plin. 6. 28.

Arsicoras, Sardorum rex, tempore Annibalis.

Arsicua, urbs Germ. Ptol. *Brin* hodie, teste Villanov. urbs Moraviæ, non Slesiæ, ut malè Ortelius scribit, ejus reg. post Olomucium primaria. Aliis est *Hradista*, opp. Moraviæ ad fluv. Moravum. Baudr.

Arsicua alia, urbs Germ. antiquæ, in limite Sarmatiæ, ad Vistulam fluv. Nunc forsan *Warsou* in Polonia, Baudr.

Arsidaus, filius Datamis, qui cùm adversus Pisidas cum exercitu à Patre missus esset, cecidit in prælio. Nepos.

Arsieta, Sarmatiæ Europææ gens. Ptol.

Arsinarium, promunt. Libyæ interioris. Ptol. *Capo Verde* Pineto. Promont. Nigritiæ, in Occid. magis porrectum. Ab eo Gorgades seu Hesperides Insf. dicuntur *les Isles du Cap Verd.* Baudrandus.

Arsinoe, Ptolemæi Lagi filia, Ptolemæorum, Philadelphi & Ceratuni soror, Lysimachi, Macedonum regis, uxor, mortuo marito, à fratre Ceranno, Macedoniæ regnum ambiente, & nuptias ejus ideo petente decepta, illum in urbem suam Cassandream ultro invitat, filiosque suos Lysimachum 16. an. natum, Philippumque triennio minorem, utrumque formâ insignem, coronatos occurrere jubet; quos Ptolemæus ad occultandam fraudem, cupidè, & ultra modum veræ affectionis amplexus, osculis diu fatigat. Ubi verò ad portam ventum est, occupari arcem jubet, pueros autem interfici; qui cùm ad matrem confugissent, in gremio ejus inter ipsa oscula trucidantur. *Arsinoe* verò spoliata filiis, scissâ veste & crinibus sparsis, cum duobus Servulis ex urbe protracta, Samothraciam in exilium abiit, eò miserior, quòd mori cum filiis non potuit. Just. *lib.* 17. & 24.

Arsinoe, Ptolemæi Auletæ filia minor, Cleopatræ soror, dum Cæsar in regiâ Alexandriæ obsideretur, vacuam possessionem regni sperans, ad Achillam sese ex regiâ contulit, unaque cum illo bellum administrare cœpit: sed mox controversiâ de principatu inter eos ortâ, cùm uterque utrique insidiaretur, *Arsinoe* per Ganymedem nutritium suum Achillam interfici curat, atque hoc modo imperium obtinuit. Lucan. *lib.* 10.

—— Nec non subrepta paratis
A famulo Ganymede dolis pervenit ad hostes
Cæsaris Arsinoe. —— ——

Ipsa dein ab Antonio, in gratiam Cleopatræ, interfecta est. Cæsar *de B. Civili.* Appian. *de B. Alexandr. l.* 5.

Arsinoe, soror & uxor Ptolomæi Philadelphi. Item, uxor Agas, Regis Cyrenensium, quæ filiam Berenicen, filio fratris mariti adimere conata, ut illam Demetrio, quem parum pudicè amabat, traderet, scelere prodito, pulsa est, Demetrio interemto. Justin. *lib.* 26. *c. ult.*

Arsinoe, op. Cypri 3x. 1. in orâ occid. inter Paphum novam & veterem, *Alsdime* nunc, teste Steph. Lusignano. 2. in orâ orient. inter Pedalium promunt. & Salaminam urb. quæ nunc, teste eodem Lus. *Famagosta* nominatur, urbs hâc tempestate primaria post Nicosiam: 3. ad Callinusam prom. in orâ Bor. versus occid. Solis proxima, *Lec fare* Lusignano, aliis *Crisocu*, & nostris *Alessandretta.* Additur & quarta in mediterr. *Arzes* incolis, ut idem Lusign. vett. non memorata. Item urbs Ciliciæ maritima, inter Anemurium ad occid. & Celenderim ad ort. nunc pagus, vulgò *Draganti.* Item urbs Ægypti, quæ & *Cleopatris* Ptol. & Strab. vulgò *Sues*, & Saracenis *Barraarn*, teste Pet. Gyllio, urbs Ægypti in intimo sinûs Arabici, à Pelusio 125. m. p. in ort. Ejus mem. Val. Flac. *lib* 5.

—— Arsinoen illi tepidaq; requirunt
Otia læta Phari, pinguemq; sine imbribus annum. Aliis est *Azirut* oppidul. distans à *Suez.* 15. m. p. in Austrum longit. 63. 20. latit. 29. 10. *Arsinoe* item, quæ & *Teucheira*, vulgò *Trochara* teste Marmolio, urbs Cyrenes episc. sub Archiep. Cyrenensi, una ex 5. urb. Pentapolitanæ reg. inter Berenicen ad occ. 47. & Ptolemaidem in ort. 26. m. p. long. 48. 40. latitudo 35. 36. Alia item in Æoliâ, in Syriâ, in Ciliciâ, & alibi, ita ut 14. urbes hujus nominis extare ex vett. monumentis constet. Vide Plin. *lib.* 5. *cap.* 5. 9. 12. 27. & *lib.* 6. *cap.* 29. Strab. *l.* 10. 14. & 17. Ptolom. Steph.

Arsinoë, Urbec. Ciliciæ asperæ, inter Antiochiam ad Tragum & Seleuciam.

Arsinus, Martyr sub Decio, apud Alexandriam. Item, fluv. Lapponiæ, sub Moscis. Cadit in mare Glaciale, versus mare Album.

Arsissaca, Mediæ urbs. Ptol.

Arsites, Satrapa, Paphlagonibus Equitibus præfectus. Diod. *lib.* 17.

Arsitis, Hyrcaniæ regio. Ptol.

Arsonium, urbs Germaniæ. Ptol.

Arsopa, gens circa Pontum Euxinum. Orph. in Argon.

Arsysia, regio Psyrorum & Chii. Steph.

Arsyssa, vel *Arsissa*, vel *Arsamias*, Ptol. in Lat. codd. meliùs *Areesa*, ut Græcè scriptum est, Armeniæ maj. palus, al. lacus. *Giocho* ex tabb. recentioribus, aliis *Vastan*, cum urbe ejusdem nominis, quæ in Mediâ censetur, à Tabresio 100. m. p. in occ. In eâ palude gravissima quæque natant. Plinius. Aquas habet salsas, hinc *mare Armenia* quibusd. dicitur. Ei adjacet *Arthemita*, seu *Van*, cum aliquot pagis, extenditur ad 60. m. p. sed inæqualis est longitud. Sub Turcis, in limite Persiæ. Baudr.

Artabanus, fil. Histaspis, Darii frater, Xerxem bellum Græcis inferre parantem primò dissuadere conatus est, sed postea, bello infeliciter à Xerxe gesto, deficiente regis majestate, in spem regni adductus, adjuvante Mithridate Eunucho, Xerxen obtruncat, ac Darium majorem natu filium, apud Artaxerxem minorem natu, parricidii accusat, hortaturque, ut parentem ulciscatur, & pœnas de fratre sumat, & regnum occupet. Itaque Darius innocens, & non auditus trucidatur, atque *Artabanus*, in societatem regni assumitur ab Artaxerxe, per 7. menses. Inde quum *Artabanus* etiam Artaxerxi insidias strueret, trucidatur. Diodorus. *lib.* 11. Justinus autem *lib.* 3. hæc paulo aliter narrat; nempe *Artabanum*, cùm certamina principum de regno metueret, assumpsisse in societatem consilii Bacabalum, qui, præsente statu contentus, rem prodidit Artaxerxi, ut pater ejus occisus esset, ut frater falsâ parricidii suspicione oppressus, ut denique ipsi pararentur insidiæ; quibus cognitis, Artaxerxem, veritum numerum filiorum *Artabani*, in posterum diem paratum esse exercitum armatum jussisse, se recogniturum & numerum militum, & in armis industriam singulorum. Itaque cùm inter cæteros ipse *Artabanus* armatus assisteret, regem simulasse se breviorem loricam habere, jussisseque *Artabanum* secum commutare, quem exuentem se, ac nudatum, gladio trajecisse: tum & filios ejus corripi jussisse. Ab Aristotele *lib.* 5. *Polit. cap.* 10. dicitur Ἀρταπάνης. A' Ctesia, *Artapanus.* Item *Artabanus*, Parthorum rex, ex Arsacidarum genere, inimicus Tiberii Cæsaris, Armeniam invasit, quem Artaxerxes Persa ejus miles interfecit, regnumque Persis restituit an. ab ultimo Dario 538. regesque deinceps Persarum, non Parthorum dicti sunt. Vid. infra.

Artabanus I. post nepotem Phraaten, Rex Parthorum. In bello contra Thogarienses vulneratus, obiit. Just. *lib.* 41. *cap.* 2.

Artabanus II. Medorum primò, Jos vel Dacorum, Tac. dein Parthorum Rex, Vonone, à quo bis victus, tandem superato, thronum occupavit, plurimis Arsacidarum, è quibus ipsemet oriundus erat, interfectis. Spretâ Tiberii senectute Armeniam rapuit, Arsace vel Orode filio suo Rege illi imposito, petiitque à Romanis thesauros à Vonone in Cilicia & Syria relictos. Sed à Vitellio victus, Armeniâ cessit, æmulis regni se oppositurus. Tandem regno tantùm non pulsus, & à subditis paulo post restitutus, obiit A. C. 48. Joseph. *Antiq. lib.* 18. *cap.* 4. 6. & seqq. Tac. *Annal. lib.* 5.

Artabanus III. Vologesis fil. PseudoNeroni contra Vespasianum favit. Genebrard. *Chron.*

Artabanus IV. & ultimus Parthorum R. post fratrem Vologesem 3. Perpetuo cum Romanis, inprimis cùm Ant. Caracalla, bello implicitus, qui filiæ Artabani nuptias se ambire simulans, vitæ ejus insidias struxit. Ab Artaxerxe postea, qui gregarius primùm miles erat, tribus præliis victus, vitæ, regno, & Arsacidarum stirpi finem fecit, sicque Parthorum regnum, quod ab Arsace, *A. M.* 3808. initium sumserat, ad Persas translatum est, A. C. 230. Dion. *lib.* 77. & 78. Herodian. *lib.* 4. Agathias, *lib.* 2.

Artaba-

Artabatitæ, Æthiopes quadrupedum ferarum modo vagi. Plinius.

Artabazanes, fil. Darii major natu, à regno exclusus, quòd patre adhuc privato, Xerxes verò, illo jam rege, ex Atossâ Cyri fil. natus esset. Herodot. *Musâ 7.*

Artabazus, fil. Pharnacis, unus ex ducibus Xerxis, qui re à Mardonio infeliciter adversus Græcos gestâ, cum paucis suorum aufugit. Herod. *lib. 9.* Alii *Artabazen* vocant.

Artabazus, Artaxerxis Prætor, adversus Datamem irrupit in Cappadociam; & quamvis socer Datamis Methrobarzanes ad eum cum omni Equitatu transfugerit, victus tamen est. Diodorus. XV. 505.

Artabazus, Darii amicus singularis. Qu. Curt. *lib. 5.* Se cum 9. filiis comitantibus Alexandro dedit, post interitum Darii. Idem *lib. 6.* Vid. Diod. *l. 16.*

Artabri, Lusitaniæ pop. qui & *Artabritæ*, ab Artabro Hisp. in Gallæcia vicino promontorio, quod *Nerium* Strab. ac Ptol. hodie *capo de finis Terre*, *Capo di Mongia* Petro Medinæ dicitur. *Cap de Finisterre* seu *Fineterre*, Gall. Artabrorum autem portus fuit, ubi nunc *Muros*, opp. Gallæciæ, ad ostium Tamaræ fluv. Sanf. Sil. *lib. 3.*

Jamq; Ebusus Phœnissa movet, movet Artabrus arma.

Artaca, seu *Artace*, Cyzici inf. mons arboribus plenus, ante quem jacet parva inf. ejusdem nominis, Strabo. 12. Item Milesiorum colonia in Asiâ, quam Steph. Phrygiæ civitatem facit: Plinius portum, Ptol. villam vocat. Item castellum Bithyniæ. Ptol.

Artacacna, vetustius exemplar habet *Artacana*, apud Curtium *lib. 6. cap. 40.* Asiæ urbs circa Ariæ regionem. *Artacoana* est apud Arrianum *lib. 3.* *Chortacana* apud Diod. *lib. 17.* parte posteriore. Hanc quoque Plinius *lib. 6. cap. 23.* agnoscit. An *Articaudna* Ptolemæi?

Artacaas, dux in exercitu Xerxis. Herod. *lib. 7.* Hic totius exercitûs, uno rege excepto, procerissimus fuit; quippe qui ad staturam 5. cubitorum (quatuor tantùm digitorum deerat altitudo) pervenit.

Artacaos, inf. in Propontide, cum op. ejusdem nominis. Plinius. 5. 33.

Artacana, Bactrianæ reg. op. Qu. Curt. *lib. 6.* alii legunt *Arcana.* Vid. *Artacacna.*

Artacena, reg. Assyriæ circa Arbelam, ubi Darium Alexander superavit. Strab. 16.

Artaci, Thraciæ populi. Steph.

Artacia, fons apud Læstrygonas. Tibullus, *ad Messalam lib. 4.* ubi de Ulysse:

Incultos adiit Læstrygonas, Antiphatemq;
Nobilis Artaciæ gelidos quos irrigat unda.

Homerus *Odyss. 10.*

Ἡ μὲν ἄρ εἰς κρήνην κατεβήσατο καλλιρέεθρον
Ἀρτακίην, ἔνθεν γὸ ὕδωρ προτὶ ἄστυ φέρεσκον.

Artacina, Cretæ urbs. Ptolemæus.

Artaa, regio Persica. Pop. *Artai*, vel *Arteatæ.*

Artas, vide *Artaxerxes.*

Artai murus, op. juxta Rhyndacum flu. Steph.

Artageras, seu *Artagera*, Armeniæ maj. urbs. Strabo.

Artagerses, dux Cadusiorum, quem Cyrus interfecit. Plut.

Artagigarta, Armeniæ maj. op. Ptol.

Artagira, Lybiæ interioris urbs. Ptol.

Artamis, Pentapoleos Africæ reg. urbs. Ptol.

Artanes, Sophenus rex à Zadriade, uno ex ducibus Antiochi M. ortum trahens, Armeniæ australes partes tenuit, & à Tigrane reliquarum partium Rege deletus est. Strabo *lib. 11.* Item flu. in Istrum fluens Herod. 4. & Colchidis flu. Arriano.

Artanissa, Iberiæ Asiaticæ op. Ptol.

Artapanus, fecit librum de Judæis, in quo quædam de Mose prodidit, quæ refert Clemens, *lib. 1. Strom.* In Chronico Alexandrino, *Artabanus* vocatur.

Artaphernes, unus ex ducibus Darii, primus Sardium Præfectus, apud Marathonem debellatus. Herod. *lib. 7.* Æschylus dictum ait, quòd φρένας ἔχοι ἀρτίας, inepte.

Artasyras, Persicus aulicus minister, sub Smerdi Mago, conscius conjurationis septem secundùm Ctesiam.

Artatus, Illyriæ amnis. Livius, *lib. 44.* hodie *Fiume della Istria.*

Artavasdes, seu *Artuasdes*, Tigranis fil. Armeniæ majoris rex eruditissimus fuit, qui non modò Tragœdias scripsit, verùm etiam Orationes, atque historias commentatus est. Crassum, in bello contra Parthos, juvit, floruitque quàm diu Romanorum amicitiam coluit. Quum autem Antonium Parthis prodidisset, in bello contra eos suscepto, Antonius eum & legationibus & promissis eò deduxit, ut in castra ad se veniret, ubi statim comprehensus fuit, & Armeniâ, rege absente, subjugatâ, ipse rex Alexandriam in Ægypto abreptus, & in triumpho per urbem deductus, catenis aureis vinctus, habitusque aliquantisper in custodia, bello tandem Actiaco gliscente, interfectus est. Strabo *lib. 11.* Appian. *in Parth.* & Plut. *in Crasso.* Tiberius Armeniæ regnum, alteri cuidam Artavasdo dedit, qui paulo pòst pulsus. Et Augustus idem jam antea Artabazo fil. Agrippæ, sed similiter inde mox pulso tradiderat. Tacit. *Annal. l. 2.*

Artavasdus, Leonis Isaurici gener, cùm Constantinus Copronymus, affinis illius, contra Saracenos in Asiam movisset, imperium invasit, imagines Constantinopoli restituit, ut populum sibi reconciliaret, & liberos Constantini captos in vinculis habuit, tandem verò à Copronymo ex Asia reduce, captâ Constantinopoli, A. C. 743. victus, ab urbe à plebe pulsus est, & unà cùm duobus filiis suis excæcatus; Pseudopatr. Anastasio, à quo coronatus erat, in asino per urbem circumducto: Cedrenus, Theophanes, *Hist. misc.* Zonaras.

Artaunum, urbs Germaniæ Ptol. hodie Herbipolis, vulgò *Würtzburg*, hoc est, *civitas herbarum.* Quibusdam fuit opp. Mattiacorum, fortè ubi nunc *Ortenberg*, oppidul. Veteranorum & Comitat. Isenburgici, fere inter Francofurtum ad Mœnum & Fuldam.

Artaxa, vel *Artaxias*, dux militiæ Antiochi Magni, quo à Romanis devicto, Armeniæ regnum tenuit, à quo Tigranes originem traxit. Strabo *lib. 11.*

Artaxata, pl. num. *Artaxia*, Tacito, *Artaxiasata* Straboni, urbs Armeniæ maj. munitissima, ad Araxem fluv. hodie *Teflis*, Paulo Jovio *Chorn* potius videtur; Sed ista non Armeniæ, at Mediæ urbs est. Juvenal. *Sat. 2.*

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

long. 78. 00. lat. 41. 40. Est nunc in Georgiæ regno, sub Turcis. lim perampla, & Romanorum historiis celebris, nunc paucos habet incolas. Item urbs Cappadociæ, inter Cæsaream 24. & Comanam 42. m. p. Anton.

Artaxerxes, I. *Longimani* cognomine, fil. Xerxis: Artabanum occidit, Vid. *ibi.* Avunculum suum Achæmenem contra Ægyptios misit, qui auxilium ab Atheniensibus petierunt, hinc bellum illud diuturnum inter Persas & Græcos. Nehemias, pincerna ejus, veniam reædificandi Hierosolymam impetravit; misit quoque eò Esdram Sacerdotem, qui populum instrueret. Obiit A. M. 3629. U. C. 329. regni 40. Esdras. Thucyd. *lib. 1.* Diodor. *l. 11.* & 12. Justin. *l. 3.* Scaliger. *de E. T. l. 5.*

Artaxerxes, II. cognom. *Mnemon*, Darii fil. Longimani gener, Cyro fratri juniori coronæ suæ & vitæ insidianti, in gratiam matris, pepercit; mox illum, impetratâ veniâ insolentiorem, prælio vicit. Domesticis inter matrem & Statyram uxorem, quæ ab illa veneno tandem sublata, dissidiis, rebellione insuper fil. Darii, quem hæredem Imperii propterea necare coactus est, infelix. Cæterùm Græcos per Duces bello aggressus multa gessit, &c. Celebre in historiis nomen. Obiit A. M. 3689. U. C. 389. regni 40. Diod. *lib. 15.* &c. Huic 15. filios ex pellicibus variis fuisse, Justinus auctor est. *lib. 10. cap. 1.* Vide Plut. *in ejus Vita.* Cujusmodi fuerit ingenio, matris ejus, cui Parysatis fuit nomen, oratio indicat, quam Plut. scribit, allocuturos ipsum jussisse byssinis, ac mollibus verbis uti, Græcè βυσσίνοις χρῆσθαι ῥήμασι. Plut. *in Apophth. Imp.* qui & hoc de Artaxerxe retulit, *lib. de Valet. tuendâ*, quòd, cùm in fugâ, rebus omnibus sibi bello infelici ereptis, ficubus siccis, & pane hordeaceo vesci coactus fuisset, exclamarit, οἵας ἡδονῆς ἄπειρος ἤμην.

Artaxerxes, III. dictus *Ochus*, Mnemoni patri successit. Fratres, quorum 80. Curt. *lib. 10.* cognatosque occidit, Artabazi conspirationem discussit, Ægyptum occiso Nectenabano recuperavit, & Sidone deletâ, Syriam horrendum in modum vastavit. Sub eo creditur templum Hierosolym. à Bagoa profanatum, & tributum 50. drachmarum, in quemlibet agnum, qui Deo offerretur, impositum. Jos. *Antiq. lib. 11. cap. 7.* A' quo tandem & ipse veneno necatus, obiit A. M. 3715. regni 26. Euseb. Beda, Ado, Diodor. *l. 16.* & 17. Jornandes, *de reg. succ.*

Artaxerxes, vel *Artaxares*, gregarius miles è Persia, occiso Artabano, Vid. ibi, regno Persarum, quod in Dario finierat, denuo ortum dedit. Ab Alexandro Sev. à quo Syriam aliasque Asiæ provincias repetebat, victus, in Persiam se recepit. Lamprid. contrarium asserente Herodiano, *lib. 6.* Obiit A. C. 242. regni 15. Oros. *lib. 7. cap. 11.* Niceph. *hist. Eccl. lib. 1. cap. 6.* Agathias, *de bello Pers.* Spartianus *in Alexandro.* Ex ejus successoribus 4. etiam seculo Artaxerxes aliquis fuit. Etymon & significationem quod attinet, Ἀρτὰς apud Hesych. μέγας καὶ λαμπρὸς dicitur. Idem Ἀρταῖοι, βασιλέας, καὶ ἥρωας. Herod. *lib. 6.* Ξέρξης ἀρήιος, Ἀρταξέρξης, μέγας ἀρήιος. Lampridius *in Severo*, *Artaxerxem potentissimum regem tam re, quàm nomine.* Am. Marc. *lib. 19.* *Bellorum victor* interpretatur. Hesychius, Ἀρταῖοι, οἱ ἥρωες παρὰ Πέρσαις. Stephanus, in Ἀρταία: Ἀρταίους δὲ Πέρσαι ὥσπερ οἱ Ἕλληνες τοὺς παλαιοὺς ἀνθρώπους καλοῦσι.

Artaxias, Artavasdis filius, Armeniorum Rex, memoriâ patris fallacibus Antonii literis subversi, Romanis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. Postea per propinquorum dolum occisus est, censente Tacito. Sed Josephus à Tiberio & Archelao pulsum fuisse autumat. Horatius gloriam

tribuere

tribuere videtur non pulsi solùm, sed etiam occisi: ad Itium Claudi virtute Neronis Armenius cecidit.

Artaxias, Vid. *Zeno*.

Artayctes, Persa, Sesti præfectus sub Xerxe, qui, cùm multa nefariè perpetrasset, tandem à Xantippo, Atheniensium duce, captus vivus palo suffixus est. Herod. *lib. 6.*

Arteata, Persica gens. Steph. *in* Ἀγλαία.

Artemas, nomen viri. Tit. 3.

Artembares, vir clarus apud Medos. Herodot.

Artemidis ara, vide *Zela*.

Artemidorus, Ephesius, qui, ut Marcianus Heracleota in Periplo testatur, vixit, κατὰ ρξθ΄ Ὀλυμπιάδα, hoc est, Olymp. 169. quo tempore Ptolemæo Lathyro ex Ægypto pulso, mater ejus Cleopatra regnabat cum juniore filio Alexandro; qui totus erat in matris potestate. Terras descripsit *libb.* 11. ut ibidem ait Marcianus. Ejus operis *lib.* 8. mem. Diod. Sic. *lib.* 3. Decimum τῶν γεωγραφουμένων citat Athenæus *lib.* 8. Stephanus in Χαλκίτης laudat librum 11. ut alibi *lib.* 1. 2. 3. Item ἐπιτομὴν τῶν ἕνδεκα. Nec alius est *Artemidorus*, cujus sæpe mem. Strabo *lib.* 3. etsi patriam non addit: uti nec *lib.* 15. ubi *Artemidorum* in iis citat, quæ ad res Indicas pertinent. Ac idem videtur, cujus de Bithyniâ volumen, laudat Stephanus, *in* Ἀσκαλών; sæpeque à Plinio memoratur, *in Hist. Nat.* Præter γεωγραφούμενα etiam literis mandavit Ἰωνικὰ ὑπομνήματα, quorum mem. Athen. *lib.* 3. Fuit & alter *Artemidorus*, itidem Ephesius, si paternum solum attendas, uti convenit; materno enim genere Daldianus fuit. Is est, cujus Ὀνειροκριτικὰ exstant, opus vanissimum, sed eruditum, ut multa inde bona philologi haurire possint. Vixit Antonini Pii temporibus, ut cognoscere est, *ex lib.* 1. *cap.* 28 *&* 66. Fuit præterea *Artemidorus* Cnidius, Theopompi Cnidii fil. quos suâ ætate, hoc est, Augusti ac Tiberii temporibus, vixisse, Strabo ait *lib.* 14. ubi illustres ejus inf. viros recenset. Est & *Artemidorus* Aristophanius, sic dictus, quia Aristophanis Byzantii discipulus fuerat. Hic præter glossas ὀψαρτυτικάς, hoc est, *rei culinariæ*, sive *artis opsoniæ condiendi*, etiam volumen *de Doride* scripsit. Prioris operis mem. Athen. *libb.* 10. *&* 14. Posterioris *lib.* 4. ubi secundum ejus operis citat. Hunc nonnulli cum Artemidoro Ascalonita, Bithynicæ historiæ conditore confundunt. *Artemidorus* quoque Grammaticus inter illustres viros, quos Tarsos dedit, reponitur à Strabone, *lib.* 14. Etiam *Artemidorus* philosophus, Trajani tempore, fuit: cujus elogium apud Plin. est *lib.* 2. *epist.* 11. *ad Julium Genitorem*. Sed omnes ejus nominis recensere longum esset, Vossius. Porro *Artemidorus* Cnidius, Romæ Græcas literas docuit, Bruti familiaris, qui libellum *de Conjuratione* obtulit Cæsari, extremo die ingredienti in senatum, ut statim legeret, quod ille minimè fecit. Plutarchus.

Artemis, Diana, sive Luna ab eo quòd aërem secet, quasi ἀεροτόμος; sive (ut Strabo *lib.* 14.) ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν, quòd integros partus reddat, nam parturientibus præest.

Artemisia, Lygdami filia, paternum genus ex Halicarnasso, maternum à Cretâ deducens, Halicarnasseorum, Coorum, Nisyriorum, & Calydniorum regina, an Mausoli uxor, cui mortuo Mausoleum struxit, inter 7. mundi miracula repositum, cujus descriptionem habes, apud Plin. *lib.* 6. *cap.* 5. & *A. G. lib.* 10. *cap.* 18. qui addit, illam cineres mariti poculis inspersisse; præmiumque proposuisse illis, qui, in eo laudando, vicisset: Quod Theopompus, qui in Cariam, cum Theodecte, Naucrite & Isocrate venerat, reportavit? Virilis audaciæ fœmina, in auxilium Xerxi contra Græcos venit, adeoque strenuè se gessit, ut Xerxes diceret, *Viri quidem extiterunt fœminæ, fœminæ autem viri.* Hanc Amineus Pallenæus Atticæ navis trierarchus insecutus est, non prius desiturus, quàm aut illam cepisset, aut ipse captus esset; quippe trierarchis Atheniensium præceptum erat, ut eam caperent, propositumque præmium 10000. drachmarum ei qui vivam cepisset. Indignè enim ferebant, mulierem adversus Athenas militare. At illa prudentiâ suâ evasit. Herod. *Musâ* 7. Justin. Suidas. Moret. *in Dict.*

Artemisia, al. filia Hecatomni, Mausoli, Cariæ regis soror & uxor, insigni pudicitiâ prædita; viri demortui cineres vino commistos ebibit, ad funus quoque ornandum primos Græciæ oratores accersivit, eique splendidum erexit sepulchrum, ut magnifica omnia monumenta *Mausolea* deinceps ab illius nomine fuerint appellata. Vitruv. *lib.* 2. Gellius, Suidas, &c. V. supra.

Artemisia, sive *Artemita*, inf. Tyrrhenica, Latinis *Dianium*, vulgò *Gianuti*. Stephani Breviator. Ἀρτεμίτα, νῆσος Τυῤῥηνικὴ παρὰ τὴν Θάλαν νῆσον, ὡς Φίλων. Scribe παρὰ τὴν Αἰθάλειαν. Imperito exscriptori siquidem notius erat nomen unius Musarum. Cluver.

Artemisia, Dianæ festum esse ait Pollux 1. 1. Præcipuè celebrarunt Cyrenæi. Athen. 12. Ἀρτεμίσια μεγίστη ἐν Κυρήνῃ ἑορτή.

Artemisium, promontorium Eubœæ, cujus mem. Demost. pro Ctesiphonte. Suidas. Item lacus prope Ariciam, Dianæ sacer, quasi *Dianium* dict. Latini *Nemorense* dixerunt, unde & *Nemorensis Rex* Suetonio in Calig. *cap.* 35. id est, Sacerdos ejus regionis. Est & urbs Oenotrorum in mediterraneis. Item Eubœæ civitas.

Artemisium, prom. est Hisp. Tarrac. inter sinus Illicitanum & Sucronensem, quod Dianium Hemeroscopium & Ferraria dictum fuit. Nunc *Capo Martio* Hollandis aliisque, & ejus pars etiam *Punta del Emperador* dicitur. In regno Valentino. Baudrandus.

Artemisius, mons Arcadiæ, in quo *Artemisia*. Plin. 4. Apud Macedones Majum mensem sig. Suidas.

Artemita, civitas 500. stad. à Seleuciâ distans, ad orientem exposita. Strabo *lib.* 15. Item inf. contra Acheloi fluv. ostium, *Artemia* Straboni. Fortè *Artemisia* Plinii est. Item inf. τῶν Ὀξειῶν νήσων. Steph. Aliis est *Van*, urbs permunita, sub Turcis, non longè ab Arsissa lacu in Austrum. Cujus incolæ ex parte Christiani sunt. Etiam *Arthemita*, Baudr.

Artemitium, urbs Oenotrorum, quæ & *Artemisium*.

Artemius, Præfectus carceris Romæ, unà cum uxore Candidâ, & filiâ Paulinâ, Martyres sub Adriano Imp.

Artemius, in Sicilia Imperator proclamatus, contra Leonem Isauricum, à quo captus & ad vivicomburium condemnatus est. A. C. 718. Vid. etiam, *Anastasius 2. Imper.*

Artemon, historicus, uti indigitatur à Schol. Pindari, *in Pyth. Od.* 1. Patriâ Pergamenum fuisse colligit Vossius ex ejusdem Schol. verbis *in Olymp.* 2. Ἀρτέμων ὁ ἀπὸ Περγάμου. Fuit alter *Artemo*, patriâ Clazomenius, cujus mentio apud Servium, *in illud Æn.* 9.

Accelerant actâ pariter testudine Volsci.

Inventor, inquit, *testudinis Artemon Clazomenius fertur*, idemque *arietis repertor dicitur*. In Sami obsidione, Periclis comes. Hic de Homero librum scripsit, teste Suidâ, *in* Ἀρκτῖνος. Ælianus ejusdem librum citat, *de finibus Clazomeniorum*; *de Anim.* 12. 38. At putatur diversus ab utroque ille *Artemo*, qui, ut Plin. scribit. 28. 1. *Calvariâ interfecti, neque cremati propinavit aquam è fonte noctu comitialibus morbis.* Videtur is medicus fuisse. Alius quoque forsan, qui Cassandreus dicitur. Quid is literis mandarit, docet Athen. *lib.* 12. ubi eum citat, ἐν τῷ περὶ ἀναγωγῆς βιβλίων, id est, *in opere, quo ad autores genuinos referantur libri.* Etiam Ἀρτέμων ἐν τῷ περὶ ζωγράφων Harpocrationi laudatur, *in* Πολύγνωτος. Item pictor nobilis, cujus opera enumerat, Plin. 35. 11. Item Syrus quidam, ex infima plebe Antiocho regi adeo similis, ut Laodice conjux regia, necato Antiocho, mimum per eum commendationis, regnique successionis peregerit; verba sunt Plin. 7. 12. ubi nonnulli *munus* legunt pro *mimum*; sed nihil mutandum. Nam, ut scribit Val. Max. 9. 14. Laodice admissum universum populum, & sermone ejus, & vultu consimili ita fefellit, ut crediderint homines, ab Antiocho moriente, Laodicen, & natos ejus sibi commendari. Item faber quidam apud Athenæum, qui è paupere dives, voluptuariam vitam agere cœpit, & *Circumlatitius* dicebatur. Vid. Schol. *in Aristoph. Acharnan.*

Artemon, hæreticus, Jesum Christum, divinitate ejus negatâ, non multo superiorem Prophetis esse dixit. Sectatores ejus, Theodosianis se junxerunt. Euseb. *hist. lib.* 5. *cap.* 26. 27. Baron. A. C. 296.

Artemona, Plauto mulier quædam ab ἀρτέω perficio, quòd perficeret quæ vellet, quòd esset egregie dotata. Malim ab ἀρτέμων velum nauticum.

Artena, urbs Italiæ à Romanis capta. Liv. *lib.* 4. Volscorum opidum vocat.

Artesia, Comitatus Galliæ Belgicæ, sedes eorum populorum, qui, Cæsari, *Atrebates* dicti sunt: nomen *Artesia* recens est à voce *Arras*, qua nunc metropolis hujus regionis nuncupatur, quasi *Arratesia*, per syncopen extritâ syllabâ formatum, vulgò *Artois*. Regio, olim à Cæsare reliquis Belgicæ Galliæque populis adjecta est. A temporibus Caroli M. subfuit regno Austrasiæ, concessaque est dotis loco, à Carolo Calvo, Judithæ filiæ, quæ nupsit Balduino I. Flandriæ Comiti. Dein à Philippo Augusto in Comitatum evecta, hujus filio Ludovico cessit, à quo pervenit ad Robertum, fratrem Ludovici IX. Ita à Flandria avulsa fuit, usque ad Ludovicum *de Male*, qui Margaretæ Franciæ, matri suæ, successit. Post mortem Caroli Burg. Ducis, illam Ludovicus XI. vindicavit. Dein beneficio pacis inter Carolum V. Imp. ac Franciscum primum Franciæ regem, victum captumque anno 1529. initæ unà cum Flandria & Tornaco, Hispanici juris facta est. Nunc iterum ferè tota sub dominio Francorum, pace ad Pyrenæos, Anno 1660. initâ. Fines ejus nunc sunt, versus Orientem partim Flandria Gallica, partim Cameraci territorium: ab occasu Picardia est, ut & à meridie: ex adversa parte, Liza flumine, fossaque, quam novam vocant, à Flandris separatur. Metel. &c. Vid. *Atrebates*.

Arthabatica, pop. ferarum instar vagantes. Plin. 6. 30. Solin.

Arthesium, regio inter Hannoniam, Flandriam & Picardiam, igne, ferroque ab Anglis vastata, An. Dom. 1326. Carolo septimo apud Francos regnante. Vid. *Artesia*.

Arthurus, Britanniæ dux. Camdeno dici videtur ab *Arcturo* stellâ, quo sensu *Ursinus* & *Ursicinus* dictus apud Romanos. Apud Juven. *Sat.* 3. *Arturius* est nomen vilissimi hominis, qui ad magnas opes pervenerat:

Vivant

——— *Vivant Arturius illic*
Et Catulus. Idem *ibidem:*
Si magna Arturi cecidit domus, horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.

Arthus, Vid. *Artus*.

Artiaca, Galliæ urbs, Antonino. Secundùm alios *Arciaca*. Vulgò *Arcis sur Aube*: Oppidul. ad Albam, in agro Tricassino. Æthicus *Itin.* Fregedarius *Chron. lib.* 4. *cap.* 71. Aimonio *Archiacum*; in vita S. Fidoli *Arcejæ*. Bernardus *Arciacense* territ. ad Albam commemorat, vicumque in eo Saturniacum ponit, *in Offic. S. Victoris*. Alia est *Villa Arcia*, in Odoranni *Chron.* Hæc enim vulgò *Arcey*, Villænovæ Regis proxima est ad Icaunam fluv. &c. Vid. Hadrian. Valesii *Notit. Gall.*

Articaudna, Ariæ urbs. Ptol.

Articulejus Pætus, Conf. tempore Trajani Imp.

Artigis, Hisp. civitas. Ptol. Hodie *Althama* dicitur. long. 17. 12. lat. 37. 10.

Artigula, inf. Æthiopiæ, in quâ primo visum est animal Sphingion. Plin. 6. 29.

Artilzarmin, 4. Medorum rex, reg. an. 50. Megasthenes.

Artimiripes, Armeniæ rex, quem Antonius vicit.

Artimpasa, Venus cœlestis sic Scythicis dicitur. Herod. *in Melpomene*, quem locum etiam Origenes adducit, *sexto contra Celsum*; sed apud eum perperam vulgò 'Αργίμπασαν legitur, pro 'Αρτίμπασαν. Nam posterius hoc comprobatur vet. Inscriptione,

ΔΙΙ ΠΑΤΡΙΩΙ ΑΡΤΙ : : ΠΑΣΑ.

Unicâ nempe solùm literâ μ exesâ. Hesych. 'Αρτιμήασαν, 'Ουρανίαν 'Αφροδίτην ὑπὸ Σκυθῶν, ubi η priori loco pro i. posteriori verò pro ϖ. irrepsit.

Artines, septimus Medorum rex, regn. an. 22.

Artobriga, Vindeliciæ urbs in Germ. Ptol. Hodie *Veltemburg*, aliis *Altzburg*, & *Regensburg*. Nunc vicus *Lebnary* Cluv. ad amnem Juravum infra *Lauffen*, in Salisburg. territ.

Artochmes, unus è Xerxis ducibus, qui Darii filiam uxorem duxit. Herod. *lib.* 7.

Artolica, quæ & *Ariolica*, vulgò *la Tuille*, opp. aliàs Segusinorum, nunc vicus ad radices Alpium & montis S. Bernardi min. in Ducatu Augustano, & sub dominio Ducis Sabaudiæ.

Artomici, pop. Gall. Narbon. vide *Arecomici*.

Artona, seu *Artonensis vicus*, in Arvernis vetustissimus, ante annos 1060. Historicis memoratus. Vulgò *Artonne*. Gregorio in *lib. de gloria Confess.* etiam *Arvernensis vicus* dicitur.

Arrontes, Mardonii regis Thebarum fil. Pauf. in Bœot.

Artorius, Medicus Augusti, nocte, quæ pugnam, quâ Cassius & Brutus victi, præcesserat, in somno monitus est à Diana, ut Cæsarem ægrum viseret, eique victoriam polliceretur. Periit paulo pòst naufragio. Valer. M. *lib.* 1. *cap.* 9. Lactant. Firm. *lib.* 2. *cap.* 8. Euseb. *Chron.* Neander, *de illustribus Medicis*, *pag.* 77. 78.

Artos, rex Messapiorum.

Artotyritæ, hæretici, ex Secta Montani suppullulantes, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit; offerebant enim panem, & caseum, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas, &c. Epiphanius, *hær.* 49. Aug. *hær.* 27. Bar. A. C. 173.

Artus vel *Arthus*, M. Britanniæ, post Utherum patrem Rex. Vicit Saxonas, subegit Scotiam, Hiberniam, omnesque Inf. vicinas. *Histor. Angl.* Quod addunt de Lucio Duce R. ab illo victo, magnâ parte Galliæ vastatâ, & Ordine equestri mensæ rotundæ instituto, fabula est. Tandem, in prælio, contra Pictos, occisus dicitur.

Artus, Britanniæ comes, legitimus hæres Angliæ & Normanniæ, patruo Ricardo I. sine prole mortuo. Sed à fratre juniore Johanne, cognom. *sine terris*, post aliquot prælia, captus & Rotomagum abductus, ibique occisus est. Quod scelus cùm mater apud Philippum Aug. esset conquesta, ille Johannem citavit, non comparentem damnavit, illiusque bonis fisco adjudicatis, eum *sine-terris* fecit. *Histor. Gall. in Philippo Augusto.*

Artymnesus, civitas Lyciæ, Xanthiorum Colonia. Steph.

Artynes, Mediæ R. Artei successor, regnavit an. 22. Diod. Sic. *lib.* 2. *cap.* 34.

Artynia, stagnum Asiæ min. circa Cyzicum, & Miletopolin, ex quo Rhyndacus fluv. antea Lycus dictus, oritur, Asiam, & Bithyniam disterminans. Stephan. Plin. 5. 32. *Aphitis* quoque dicta.

Arva, fluv. Normanniam à Francia dividens: hanc enim metam Carolus Franciæ R. Rolloni genero fixit. Vulgò *Aure*. Vernolium Perticensium, Tegularias, Nonancurtim, villam S. Remigii & Stratam attingens, paulo supra Anetum Auturâ recipitur. Hoc solo amne divisum Museium *Mussy*, à stratâ Abbatia, vulgò *l'Estrée*, parvâ à Durocassis seu Drocis distantiâ. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Arva, fluv. Sabaudiæ. Cadit in Rhodanum, infra & prope Genevam. Oritur in Fociniaco agro, ad pedes Alpium, tantoque sæpe aquarum impetu fertur, ut Rhodani cursum impediat, & ad lacum regredi cogat; quo fit, ut Genevensium pistrina, inter lacum & Arvæ confluentum, contrario motu moveantur ac molant; quod ad an. 1572. lanienâ fidelium in Gallia infamem, observatum est à Casaubono, *ad lib.* 4. *Geogr. Strab.* & à Thuano *lib.* 47.

Arva, vulgò *Aru*, Asiæ inf. inter Moluccas & novam Guineam ad Austrum. Ei adjacent aliæ aliquot Inf. Batavis frequentatæ.

Arva, opp. Hungariæ super. unde Comitat. Arvensis, versus Carpathum montem & confinia Poloniæ. Aliter *Orovva* Germanis.

Arvadæi, vide *Aradii*.

Arua, Hyrcaniæ pop. ubi clementer recepit Alex. M. Darii Persarum regis mortui præcipuos duces. Qu. Curt. *lib.* 6.

Arvales, duodecim fratres sacerdotes, quos Romulus primus instituit, seque inter illos nominavit, quorum officium erat Cereri & Baccho pro frugum & vini ubertate Ambarvales hostias mactare: quæ idcirco dicebantur, quòd antequam mactarentur, ter circum arva ducerentur.
Virg. 1. *Georg.*
Terque novas circum felix eat hostia fruges,

Arvaltis, Libyæ interioris mons. Ptol.

Arvangia, vulgò *Arvangen*, opp. agri Bernensis, ad dextram Arolæ ripam, infra Vangiam 1. mill. Sedes olim Baronum cognominum: è quibus Nicolai meminit Stumpfius, circa Annum C. 1165. nunc Præfecti. Vid. Authorem præfatum *lib.* 7. *de Argovia.*

Arvarii, Intra Gangem populi. Ptol.

Arubas, rex Molossorum. Just. 7. 6. Græcis promiscuè 'Αρύβας, & 'Αρύμβας dicitur.

Aruboth, nomen urbis, 3. Reg. 4. Lat. *catarracta, fenestra, insidiæ*, sive *locusta*.

Arucci, nunc *Moura*, oppidul. tenue Portugalliæ, cum castro inter Oliventiam, & Mirtilim.

Arucci vetus, vulgò *Aroche*, vicus Andalusiæ, in confinio Portugall. & à novo distat 9. leucis in Orient. Baudr.

Aruceus & *Arudeus*, fil. Caananis, quorum ille urbem Arcen, in Libano sitam, alter Inf. Arudam tenuit. Joseph. *Antiq. l.* 1. *cap.* 6.

Arucia, op. Illyrici. Ptol.

Arverna, vel *Arvernæ*, civitas Gall. episc. in Aquitanicâ prima, hodie *Clermont*. Vid. *Arverni*.

Arverni, pop. Gall. ad Ligerim siti. Ἀρουερνοὶ Straboni & Ptol. *Arverni liberi* Plin. in Aquitanica; Ἀρβέννοι Plut. *in Jul. Cæsare.* Ἀρόερνοι Steph. *Gens Galliæ Celticæ maximè bellicosa.* Lucano *fratres Latii*, quod Æduis tribuendum erat. Gall. *Auvergnats.* Horum olim clientes Cadurci, Gabali & Vellavi, quos ab Helviis mons Cebenna discludit, Cæs. *lib.* 7. Hodieque sub rectoris Arvernorum dispositione, Gabali & Vellavi. Idem illis imperata à Vercingetorige millia hominum XXXV. refert. Arvernorum gentes memorat Plin. *lib.* 7. *c.* 50. meminitque Bituiti regis illorum capti, qui, contra Romanorum socios Æduos, Allobroges adjutum iverat. Laborant gutturis tumore Cebennarum incolæ Arverni, ob nivales aquas. Metropolis gentis Straboni *Nemossus*, Ptol. Augustonemetum: Prov. *Arvernia* est, Vid. infra. *Arverni*, quoque caput gentis, Augustonemetum, Vid. ibi. Hinc *statuam Arvernorum*, urbis hujus, Zenodorus fecisse dicitur, apud Plin. *lib.* 34. *cap.* 7. Idemque Mercurium pedum 400. fecit, ibidem in foro collocandum. Eadem *civitas Arvernorum*, *Arvernum opp.* &c. vett. Inter prov. Aquitanicæ primæ VIII. civitates olim secunda, eundem hodieque servat locum, Biturigis metropoli suæ, proxima. Distat aliquot stadiis à Gergoviæ Arvernorum reliquiis. *Clarus mons*, quòd arte naturâque munita esset, ante annos fere mille dici cœpit: nisi fortè arx urbis sic dicta est. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vid. *Augustonemetum* & *Clarus mons*. Gall. quoque *Les gens d'Auvergne.*

Arvernia, Gregorio *regio Arvernorum*, & *territor. Arvernum.* Scriptoribus rerum Pipini *pagus Arvernicus*, &c. Gall. *Auvergne.* Galliæ Aquitanicæ regio celeberrima, cum tit. Duc. ac etiam separatim Comit. sita in locis partim planis, partim montosis. Vicinos habet ad Orientem Foxenses & Lugdunenses: ad Meridiem Languedokios: ac Occidentem Cadurcos, Petrocorios, & Lemovices: Septentrionem versus Bituricenses & Borbonios. Arvernorum nomen valde celebre, cùm apud alios, tum apud Cæsarem *in libris, de bello Gallico*: Hi quòd se à Trojanis oriundos putarent, Romanorum se fratres appellare non dubitarunt: Lucanus *lib.* 2.
Arverni nostros ausi se dicere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi.

Hadrian. verò Valesius, ut supra memoratum, errare Poëtam ait, dum, quod Æduis tribuendum erat, Arvernis adscribit. Cùm adversus Cæsarem arma cepissent, duce Vercingetorige, ingenti suorum clade sunt superati; Strabo *lib.* 14. Dividitur in Superiorem & Inferiorem: superior in Cebennis posita,

κατ' ἐξοχὴν vocatur *Arvernia*, Gall. *Le hault pays d'Auvergne*, satis montuosa: ejusque primaria urbs est fanum S. Flori. recens Episc. sedes. Inferior verò, admodum fertilis & rigua, dicitur *Limania*, à Lamona, aut Lymonna fluvio, qui ex montibus defluit: ejus longitudo à Ponte Veteris Brivatæ, Gannatum usque extenditur, circiter leucarum viginti: latitudo est a monte vulgò *Poy de Dome* nuncupato, usque ad oppidum *Tyert*, circiter octo milliarium: Hadr. Valesius *in Notit. Gall.* partem infer. Arverniæ, ad sinistram Elaveris ripam *Limaniam* dicit: quæ & *Lemane* & *Lemmane*, Histor. Franc. *lib.* 3. *cap.* 4. & *lib.* 5. *cap.* 34. Greg. Tur. metropolis illi est Claromontium. Caput Gentis, & vetus Episc. sedes. Metel. Merula, Baudr.

Imperium Arvernorum, à Ligeri Massiliam usque porrigebatur olim, secundùm Strab. *lib.* 4. ubi Luerii Regis illorum magnificentiam multis extollit. Vid. quoque Eutrop. *lib.* 4. Oros. *lib.* 5. *cap.* 13. Florum, *lib.* 3. *cap.* 2. Hujus filius Bitto seu Bituitus, cùm Allobrogibus, Vid. supra, suppetias iret, victus est: imperiumque ejus, Vercingetorige capto, ut dictum, penitus evanuit. Cæsar *Comm. lib.* 7. Diodor. *lib.* 40. Oros. *lib.* 6. *cap.* 9. Post hæc tempora proprios habuit Comites regio, dein in familiam Bononiensem transiit: à Ludovico IX. fratri Alphonso cum Pictonibus data; rediit postmodum ad Comites Bononienses: exin Coronæ unita, nuptiis Johannis R. cum hærede hujus familiæ, tertiâ vice Comitibus Bononiensibus cessit. Margarita tandem Regina, Comitatum, cujus dominium tenuerat, Carolo, fil. notho Caroli IX. tradidit, Anno 1606. De conciliis in Arvernia celebratis, Anno 535. 549. 586. Vid. Gregor. Turon. *lib.* 6. *cap.* 38. & 39. Tom. 5. *Concil. Gall.* insuperque in voce, *Claromontium* & supra *in voce Arverni.*

Urbes Arverniæ, cum oppidis & castellis, in Infer.

Alsona, *Auzon.*	Iciodorum, *Issoire.*
S. Amantii castrum.	Lovolautrum, *Volore.*
Artona, *Artonne.*	Magnus locus, *Manlieu*, Abbatia.
Aqua sparsa, *Aigueperse.*	Manatense Mon. *Menat.*
Biliomagus, *Billon.*	Mons petrosus, *Montpeirous.*
Brivas, *Brioude.*	Pons Castelli.
Cambidobrense monast. & oppidum, *Combronde.*	Pons Givoldi, *Pont Gibaud.*
Casa Dei, *la Chese-Dieu.*	Ricomagus, *Riom.*
Castellum novum.	Rupes fortis.
Castrum S. Amantii.	Scoralia, *Escurolle.*
Castrum Widonis, *Chasteau Guion.*	Talamita, *Talegande.*
	Tigernum castr. *Tiern.*
Celsinaniæ, *Saucilanges.*	Ucio, *Usson.*
Clarus mons, caput gentis.	Vicus comitis.
Curva Petra, *Corpiere.*	Volovicus, *Volvic.*
Eborolacum vel Eurogilum Palatium, vulgò *Ebreule.*	Voluta, *la Voute.*

In super. Arvernia.

Alantia, *Alanche.*	Monssalvius, *Montsalvi.*
Aquæ calidæ, *Chaudes Aigues.*	Muratum, *Murat sur l'Anagnon.*
Aureliacum, *Aurillac.*	Oratorium, *Ouradour.*
Berulfi Rupes, *la Roque-Brou.*	Petra fortis, *Pierrefort.*
Cartilatum, *Carlat.*	Ricomagus alter vicus, *Riom.*
S. Flori opp. Episc. *S. Flour.*	Severiacum, *Severac.*
Interaquas, *Entragues.*	Vicus ad Ceram fl. *Vic.*
Mauriacum, *Mouriac.*	

Olim multò major Arvernia extitit, antequam Burbonensi pago aliisque finitimis non contemnenda ejus portio attribueretur. Vid. præfatum Valesium, *Notit. Gall.*

Arviragus, Britanniæ rex. Juvenal. *Sat.* 4.

——— Aut de temone Britanno
Excidet Arviragus.

Hic Josepho Arimatæo, qui sive casu, sive consilio, cum non parvo comitatu, in Britanniam, sub Nerone venerat, circa A. C. 60. ad oppidum Vuelium parum terræ, ad inhabitandum, concessit: hodie templum & cœnobium Benedictinorum locusque Glasconia dicitur, teste Polydor. Virgilio *lib.* 1. & 2. *Hist.* Sicque benignitate Regis hujus, Britannia prima provinciarum omnium publicè Evangelium recepit. Idem.

Dignus commendes quem Fama nepotibus & qui
A grata laudes posteritate ferat.

Et benedixit Deus huic regi in posteris quoque. Ei enim fil. Marius successit, Pictorum victor Anno 70. Hunc fil. Coylus excepit Anno 93. per annos 45. Hujus fil. Lucius, impetratis ab Eleutherio Episc. Rom. Evangelii præconibus, cum tota familia regia populoque universo baptizatus est, Anno 177. Idem.

Arvisium, promuntorium Chii, generosissimo vini genere nobilitatum. Virg. *Ecl.* 6.

Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.

Sil. Ital. *lib.* 7.

Tmolus, & ambrosiis Arvisia pocula succis.

Plinius de vinis transmarinis *lib.* 14. *cap.* 7. *In summâ gloriâ fuere, Thasium, Chiumque ex Chio, quod Arvisium vocant.* Ἀρεύσιον vocant Plut. & Athenæus. Hic Λαΐδι συγγενίζ, ἐκ πιεῖν οἶνον Ἀρεύσιον. Ille, 1. 25. χαρίεις ὁ δ᾽ ἐστὶν ὁ χῖος, ἐκ τῆς χίῳ ὁ καλούμενος Ἀρεύσιος. Sed & regio etiam Ἀρεουσία. Strabo *lib.* 13. ubi de Chio, Εἶθ᾽ ἡ Ἀρεουσία χώρα τραχεῖα, ἐκ ἀλίμενος, οἶνον ἄριστον φέρουσα τῶν Ἑλληνικῶν. Phœnicibus (inquit Bochartus) erat הר ראש יין *har ros jain*, hoc est, *mons pracipui vini.*

Arula, vulgò *le Loir*, fluv. qui civitatem Galliæ nomine Castelldunensem, Gallicè *Chasteaudun* alluit. Melius *Ladus.* Oritur in Perticensi prov. alluitque etiam Vindocinum, Durestallumque, & per Cenomanensem & Andegav. prov. in Sartam fluv. cadit, paulo supra Andegavum. Baudr.

Arula, fluv. Helvetiæ, oritur in monte Grimsel, à S. Gothardo non longè dissito, supra locum *Spital* dictum, in summa valle Haslensi, ubi post aliquod intervallum duo laculi in eum influunt: Alii tamen ejus fontem, ad radicem montis *Schreckhorn* quærunt. Recipit autem diversos rivulos in valle Haslensi: postmodum lacubus, Brientzensi & Thunensi eluctatus alios fluvios iterum recipit: quorum præcipui *Kandel, Engstlen*, & *Simnen*, qui infra opp. Thun Arulæ conjunctim miscentur. Dein *Girben* sibi jungit, supra Bernam, postea Sanam supra Arbergum, in quem prius Sensa, infra Laupiam, influxit; Thelam quoque, per quem lacus Ebrodunensis, Muratensis, & Nidoviensis in Arolam se exonerant, comitem sumit apud *Meyenried*, supra opp. Büren. Tandem in Rhenum se exonerat. Gaudard. apud Joh. Bapt. Plantin. *in Helv. antiq. & nova.* Aliàs *Arola.* V. ibi.

Arulenus, Vid. *Rusticus.*

Arum, Lat. *excelsus, sublimis, separans*, vel *projiciens*, pater Aharchel. Paral. 4.

Arun, vicus Samariæ. Joseph. *de B. Jud.* 1. 3.

Arunarius, vulgò *Arunar fiord*, sinus Islandiæ Inf. in mari Deucaledonio, versus Occid. Insulæ, & in eam per aliquot milliaria extensus.

Arunci, nunc *Aronches*, opp. Portugalliæ, aliàs munitum, in conf. Extremaduræ 3. leuc. ab Albuquerco, in Occas. Item, pop. Italiæ, Vid. *Aurunci.*

Arunculeius Costa, (Lucius) à J. Cæsare in Gallias missus, & ab Ambiorigis militibus occisus est, Cæs. *Comm.* 5. Creditur Scriptor Reip. Romanæ, cujus meminit. Athen. *l.* 6.

Arunda, Hisp. Bæticæ urbs. Ptolemæo. *Ronda* hodie dicitur.

Arundelius, Vid. *Aruntina.*

Aruns, vates Tuscus. Lucan. *lib.* 1.

Acciri vates, quorum qui maximus ævo
Aruns incoluit deserta mœnia Lunæ.

Item miles Trojanus, qui Camillam occidit. Virg. *Æn.* 11. Item, frater Tarquinii Sup. maritus Tulliæ, à qua sublatus est, ut Tarquinio, qui Sororem Tullii, uxorem suam, similiter veneno peremit, nuberet. Item Tarquinii Sup. fil. natu maximus, qui in eâ pugnâ, quæ ad Regillum lacum facta est, Junium Brutum interemit, & ab illo vicissim hastâ trajectus est. Livius *lib.* 2.

Aruntina, vulgò *Arundel*, opp. Angliæ, in prov. Sussexia, Comitatus titulo clarum, ad fluvium Arontem. Paucos habet incolas: Sed aliunde ipsi, à dominis nempe, Fama accessit: *Arundelliorum* enim Comitum illustre in regno nomen est. Horum unus, legatus ad Cæsarem, Viennâ redux, cùm in Holbenium, seculi sui Apellem, Basileæ incideret, illum in Angliam ut veniret, persuasit, sub Henrico VIII. Vid. *Holbenius.* Ex ejus posteris celebris inprimis Thomas est, Arundelliæ & Surriæ comes, Angliæ Marescallus, cujus impensis Gulielmus Pettæus, in Orientem missus, plurima veneranda priscæ Orientis gloriæ rudera, *Marmora Arundelliana* nunc dicta, in patriam attulit, quæ in ædibus Comitis hortisque cognominibus, ad Thamesis ripam, disposita, dextrè explicuit Johannes Seldenus, in libro, cui titulus, *Marmora Arundelliana*, Londini excuso, Annô 1629. qui propediem auctior proditurus dicitur. Inter Ista, *Epochæ sunt veterum Græcorum nobiliores fere universæ, anno ante vulgarem J. C. Epocham* 263. *seu Periodi Jul.* 4451. *conscripta. Fœdus* item *Smyrnæorum & Magnetum, ad Majestatem Seleuci Callinici tutius conservandam, circa annum ante vulgarem Epocham J. C.* 244. *Periodi Jul.* 5470. *percussum. C.* porro *Ant. Septimii Publii Citharœdi victoria. Donariorum* quoque *ad Gymnasii Smyrnensis ornatum recensio.* Ut &, *Psephismata aliquot Deliorum: Sacrarum tandem in Artemisio erogationum Recensio*, & *Inscriptiones complures Græca sepulchrales.*

Aruntius, cùm Bacchi sacra despicaretur, ulciscente numine, in ebrie-

in ebrietatem lapsus, filiam Medullinam corrupit, quod ægrè ferens puella patrem ipsum interfecit. Plut. *in Paral.*

Aruntius, sub Augusto scripsit stylo Sallustiano bellum Punicum, Sen. *ep.* 114. & *præf. in lib.* 7. *Controv.* Plin. *lib.* 3. & 5. Tac. *Annal.* 1. Diversus ab eo, cujus meminit Sen. *l.* 6. *de benef.* Joseph. *Antiq. l.* 19. *c.* 1.

Aruntius Paterculus, Æmylio Censorino Tyranno Ægestæ equum æneum, ut sontes eò includeret, à se conflatum donavit, cui ipse primùm à tyranno injectus est. Plut. *in Par. Minor.*

Aruntius Stella, Poëta, natus ex familiâ Consulari, floruit eo tempore, quo Flavii Cæsares Romæ imperarunt. Domitiani Victoriam contra Sarmatas versu descripsit. Violantillam, puellam Neapolitanam in uxorem duxit, quorum nuptias celebrat Statius, *in Silvis.* Scripsit elegias, & opus de Asteride, & poema de interitu Columbæ. Prætor Romæ creatus est, & Duumvir.

Arunuii, Gall. Lugd. pop. Ptol.

Arvonia, vulgò *Arvone*, *Caernarvan*, urbs Angliæ, in Valliæ Princip. Inde *Arvonia* Comitatus. Sita est in littore maris & freti *Menay*, excitata è ruinis Segontii.

Arupenum, sive *Arupinus*, Lazio *Aursperg*, op. Japodum in Carniolæ & Corbaviæ confin. à Seniâ 28. m. p. in Bor. Sciscium versus ex Itiner. Anton. Pop. *Arupeni* apud Appianum. Est & *Arupinum* Istriæ op. maritimum, vulgò *Rovigno. Arupinorum* mem. Tibullus *lib.* 4.

Testis Arupinis & pauper natus in armis.

Arupnum, Gall. op. in Aquitaniâ. Sidon. *Ep.* 7. Sed alii *Avernam* legunt.

Arus, vulgò *Are*, fluv. Angliæ, in Eborac. prov. Oritur in confinio Lancastr. Comitatus, & rigatis aliquot oppidulis, in Album æstuarium se exonerat.

Arus, vulgò *Aru*, opp. Asiæ, cum regno cognom. in India, & Ins. Sumatra, ex adverso urbis *Malaca*, in ora freti Sincapuræ.

Arus, fluv. vide *Drys.*

Arusaus, L. Arruntii accusator & calumniæ damnatus. Tacit. 6. 7.

Arusejus, prænomine *Lucius*, sub Tiberio Q. Plautio, Sext. Papinio Coss. morte adfectus. Tacit. 6. 40.

Aruspex, alio nomine *Julius* è primoribus Remorum, dissuasor belli contra Romanos. Tacit. *Hist.* 4. 69.

Aruvacca, pop. Americæ merid. in Caribana reg. prope fluv. *Essekebe.* Potentes sunt & cum Caribis insulanis à multo tempore inimicitias exercent.

Aruvii, pop. fuere Gall. Ubi nunc Sessui & Vagoritum urbs, quæ nunc *Seez* in Neustria, inter Lexovios & Cenomanos. Baudrandus.

Aruzis, Mediæ urbs. Ptol.

Arx Batavorum, vulgò *Batenbourg*, arx Germ. infer. in Geldriæ Duc. ad Mosam fluv. inter Ravenstenium & Megam opp. vicina, vix mill. Belg. distans à Noviomago. Tabula Peuting.

Arces aliquot propriè dictæ.

Arx Alingarum, vulgò *le Fort des Alinges*, est in Sabaudiæ Ducatu & in tractu Caballiaco, in colle, non longè à Drancia fluv. vixque 2. leucis distat à Tanonio & à Lemano lacu in austrum. Sed deficit indies.

Arx Andreana, vulgò *le Fort de S. André*, in Belgio. Vide *Arx S. Andreæ.*

Arx Arausicana, vulgò *t' Fort Van Orange* Belgis, *Fort d'Orange* Francis, arx nova Americæ septentrionalis & novi Belgii, juxta fluv. Boreale, recens à Batavis extructa, & in gratiam Principis Arausicani sic dicta. Distat ab ora littorali circiter 50. mill. pass.

Arx Arausicana, vulgò *le Fort d'Orange*, Belgis, *t' Fort Van Orange*, in America meridionali. Excitata fuit hisce ultimis annis à Batavis prope littus insulæ Tamaracæ in Brasilia; distatque ab Olinda urbe 5. leucis Germanicis in Boream. Sed capta postea à Lusitanis, ipsis etiamnum paret cum toto hoc tractu.

Arx Austrina, vulgò *Zuyd Schans* incolis, *Fort du Sud* Gallis, arx Belgii, in Brabantia, erecta ad tutelam portus Bergarum ad Zomam, cui adjacet ad Scaldim. Distat ab Antuerpia 7. leucis in Boream; estque sub dominio Batavorum.

Arx Barrana quibusdam, vulgò *le Fort Barraux*, locus est permunitus Galliæ, in prov. Delphinatus & valle Gresivodana, ad Isaram fluv. duabus leucis à Monmeliano in occasum. Aliàs excitata à Sabaudo; sed paulò pòst capta à Gallis, anno nempe 1594. ipsis semper remansit.

Arx Blockzylla, vulgò *Schans Blockzyll* incolis, *le Fort de Blockzyl* Gallis, arx est Belgii, in Transisselania prov. ad Sinum Australem, ubi recipit Aam fluv. 2. leucis Germanicis distat à Steenvico in occasum, paretque Hollandis. Capta ab Episc. Monaster. an. 1672. sed fortiter recepta.

Arx Bortangi, vulgò *le Fort Bourtang*, locus Belgii, in Transisselania provincia, prope limites Westphaliæ, inter paludes, noviter munitus ab Hollandis arce pentagonali, in Drentia regione. 5. leucis distat à Covordia, & 6. à Groninga in ortum. A quibusdam Burtanga dicitur. Vastata à Gallis, Anno 1673.

Arx Belgica, vulgò *le Fort Belgique*, erecta fuit à Batavis in Asia, in insula Banda, una ex Molucis; estque etiamnum sub eorum potestate, & permunita.

Arx Brianconia, vulgò *le Fort de Briançonet*, arx Sabaudiæ, in Tarantasia regione, una tantùm leuca infra Monasterium urb. in rupe, ad Isaram fluvium.

Arx Capitis Corsi, vulgò *le Fort de Cape Corso*, sita est in Africa & in ora littorali Guineæ, una leuca ab arce Mina ortum versùs, cum portu. Antea paruit Suecis, deinde Danis, postea Hollandis, hisce ultimis temporibus.

Arx Carolina, vulgò *Fort Charles*, extructa fuit ab Anglis sub initium hujus seculi; estque in Ultonia provincia Hiberniæ, ad amnem *BlackVater*, in Comitatu Tironiæ, 4. milliar. Hibernicis ab Armacha in Septentrionem. Nunc sensim deficit.

Arx Carolina, vulgò *la Caroline*, arx Americæ septentrionalis, aliàs à Gallis excitata in Florida anno 1562. aliquot leucis ab Oceano distans versùs Virginiam; sed postea capta & diruta fuit ab Hispanis.

Arx Coubella, vulgò *Fort Coubels*, quæ aliter Victoria dicitur, excitata fuit in insula Amboina, unâ ex Molucis in Asia, hisce ultimis annis; estque permunita & cum valido Hollandorum præsidio. 25. leucis distat ab insula Banda in occasum.

Arx Delfzilia, vulgò *Delfziil Schans* incolis, *le Fort de Delfzil* Gallis, arx Belgii, in Groningæ dominio, ad littus & prope Amasi fluvii ostia, una leuca à Damma, & paritrium leucarum spatio à Groninga simul & Embda semota. Pluries eversa & restaurata fuit. Nunc subest Batavis cum toto tractu.

Arx Delphina, vulgò *le Fort Dauphin*, arx Africæ, in insula Madagascaria seu Delphina, in Carcanosia regione, versùs meridiem insulæ, cum portu peramplo. Ab incolis *Tholanghare* dicitur, & 3. leucis distat à fluvio *Fanshere* in ortum. A Gallis extructa fuit an. 1643. ipsisque paret.

Arx Dunemunda, vulgò *Dunemund*, sita est in Livonia, ubi fluvius Duina in sinum Rigensem se exonerat, una leuca infra Rigam; subestque dominio Suecorum à multis annis.

Arx Fontanensis, vulgò *Fort de Fuentes*, arx Italiæ probè munita, in Ducatu Mediolanensi, in colle, ubi Addua fluv. in Larium lacum cadit, in confinio Rhætiæ. Extructa fuit à Comite Fontano; & nunc etiam ab Hispanis servatur. Sedet ad Borealem lacus ripam, & 30. milliaribus à Como distat in Boream.

Arx Friderici Henrici, vulgò *Frederik Hendrik Schans*, munitio Belgii, in Brabantia, ad Scaldim fluvium, inter Lilloam & Sanflitam. Sic dicta fuit ab Hollandis, quibus subest, in gratiam Principis Arausicani. 2. leucis Germanicis distat ab Antuerpia in Boream.

Arx Gandulphi, vulgò *Castel Gandolfo* incolis, castrum Italiæ, in ditione Pontificia & Campania Romana. 12. milliaribus distat ab urbe in occasum, Velitras versùs in colle, ubi amœnus Summi Pontificis secessus vernali tempore & autumnali. Egregiè restaurata fuit ab Urbano VIII. Pontifice maximo, ornaturque in dies splendidis ædificiis. Ei adjacet lacus Albanus, qui inde *Lago di Castel Gandolfo* dicitur.

Arx Gueldria, vulgò *le Fort Gueldria*, arx probè munita Asiæ, in India & ora sinus Gangetici & Coromandelis, in regno Narsingæ, ab Hollandis anno 1619. excitata. Distat à Narsinga 10. leucis in ortum, ad ostia fluvii Aremegani.

Arx Hennuina, vulgò *le Fort Hennuin*, munitio Flandriæ in confinio Artesiæ & in territorio Burburgensi, capta à Gallis, quibus postea remansit pace ad Pyrenæos. Distat à Gravelinga vix duabus leucis; estque media in Burburgum & Ardram.

Arx Hofrensis, vulgò *le Fort de Heuft*, sita est in Polonia & provincia Prussiæ, ubi Vistula fluvius in duo brachia scinditur, tribus milliaribus Germanicis supra Gedanum, Elbingam versùs, & totidem à Marienburgo. Paret Regi Poloniæ, & varias experta est vices ultimo bello Suecico.

Arx Imperialis, vulgò *Rocca Imperiale*, castrum regni Neapolitani, in provincia Basilicatæ, in ora sinus Tarentini, versùs limites Calabriæ citerioris. Paucis constat incolis, & malè habitum fuit à Turcis paucis abhinc annis.

Arx Isabella, vulgò *le Fort Isabelle*, munitio Belgii, in Flandria, prope portum Clausularum, aliàs ab Hispanis excitata, & sic dicta in honorem Archiducissæ Isabellæ. Vix una leuca distat ab ora maris Germanici, & 3. à Dama.

Arx Lierotia, vulgò *Lieroort Schans* Belgis, *le Fort de Lierort* Gallis, arx Germaniæ, in Frisia orientali, ad Amasim fluvium, tribus leucis Germanicis supra Embdam, in ditione Hollandorum.

Arx Ludovica, vulgò *le Fort Louis*, aliàs *S. Michael de Ceperoux*, munitio Americæ meridionalis, à Gallis excitata anno 1652. in insula Cajana, ad ostia fluvii cognominis, in Guaiana regione. Subest dominio Gallorum, qui inibi quasdam habent colonias.

Arx Mardica, seu *Mardicum*, vulgò *le Fort Mardik*, fortalitium Belgii, ab Hispanis excitatum & permunitum in ora Flandriæ, ubi statio navium prope Dunquercam, unâ leucâ à Fano S. Vinoci in Boream, & tribus à Gravelinga in ortum. Pluries captum fuit à paucis annis. Nunc autem paret Francis; & ferè dirutum jacet.

Arx Mauritia, vulgò *le Fort Maurice*, à Batavis, quibus paret, excitata fuit à multis annis in Asia, in insula Machiani; una ex Moluccis. Quatuor circiter leucis distat ab ora occidentali insulæ Giloli, in Archipelago S. Lazari.

Arx Monaghana, vulgò *Fort of Monaghan* incolis, arx Hiberniæ, in Ultonia provincia & Comitatu cognomine, ad amnem Aquam Nigram. 15. milliaribus Anglicis distat ab Armacha in austrum. Nunc semidiruta jacet.

Arx Mormontia, vulgò *Fort Moermont*, munitio Belgii, in Brabantia & loco paludoso, prope Bergas ad Zomam, & ad ipsius tutelam extructa ab Hollandis anno 1628. in via Stenobergam versùs.

Arx Nassovia, vulgò *Fort Nassau* seu *Mourée*, arx Africæ, in Guinea regione & ora littorali, 4. tantùm leucis ab arce S. Georgii de Mina in ortum. Est probè munita, & ab Hollandis excitata fuit anno 1612. Portu gaudet percommodo.

Arx Nassovia, vulgò *Fort Nassovv*, fortalitium Belgii, in Brabantia, intra paludes, ad fluv. Scaldim orientalem, inter Bergas ad Zomam & Tolam. Subest dominio Hollandorum.

Arx Nassovia altera, vulgò *Fort Nassovv*, arx munita Asiæ, recèns erecta in insula Motiris, unâ ex Moluccis. Quinque circiter leucis ab ora occidentali insulæ Giloli distat; paretque Hollandis à multis annis cum tota insula.

Arx Nieulana, vulgò *le Fort Nieulet*, arx Galliæ, quæ ab aliis castrum Nulleti dicitur. Est in Picardia provincia, in tractu Ofiensi, prope Caletum urbem, non longè ab ora maris, in ditione Francorum; estque munita.

Arx Patientia, vulgò *le Fort Patientia*, munitio Belgii, in Comitatu Flandriæ, aliàs ab Hispanis excitata in ora littorali ex adverso Zelandiæ, una leuca Germanica ab Isendico, versùs Aggerem Gandavensem. Capta fuit ab Hollandis, ipsisque paret à multis annis.

Arx Philippina, vulgò *Philippine Schans* incolis, fortalitium Belgii, in Flandria, medium ferme inter Birsletum & Aggerem Gandavensem in ora. Aliàs excitatum fuit ab Hispanis; sed postea expugnatum ab Hollandis, eorum subest dominio.

Arx Pinsii, vulgò, *Fort Pinsen*, arx Belgii, in Brabantia, in loco paludoso, prope Bergas ad Zomam, in via Steenbergam versùs, ab Hollandis extructa anno 1628. eorum etiam subest dominio.

Arx Regia, vulgò *le Fort Royal*, munitio Americæ septentrionalis, à Gallis excitata hisce ultimis temporibus, in Guadalupia insula, unâ ex Antillis. Ipsis etiam paret, estque ad meridiem insulæ.

Arx Reyda, vulgò *Reyde Schans*, arx Belgii, quæ ab aliis Reydamum dicitur, in Groningæ dominio, ad Amasi fluvii & Dullarti sinus angulum communem, ex adverso Embdæ, à qua distat uno milliari Germanico in occasum; & quatuor à Groninga in ortum; estque munita, in ditione Hollandorum.

Arx Saeftinga, vulgò *t' Fort van Saeftinga*, arx Belgii & Comitatus Flandriæ, excitata hisce ultimis temporibus, ad ripam Scaldis occidentalis, seu Fossæ Ottonianæ, ex adverso Bevelandiæ Australis, & inter Hulstum & Bergas ad Zomam. Subest dominio Hollandorum à multis annis.

Arx sancti Andreæ, vulgò *S. Andries Schans* incolis, *le Fort de Saint André* Gallis, arx permunita Belgii, quæ aliter Sant-Andreana, in Ducatu Gueldriæ, inter fluvios Mosam & Vahalim, in Bommeliæ territorio, excitata ab Andrea Austrio Cardinale anno 1599. Sed anno sequenti expugnata fuit ab Hollandis, quibus etiam paret. Vix una leuca distat à Bommelia, & ferè duabus à Buscoduco in Bor. Vastata à Gallis, Anno 1674.

Arx sancti Christophori, vulgò *Fuerte de S. Cristoval*, munitio Hispaniæ, à paucis annis excitata, in colle, juxta Anam fluvium, in Extremadura provincia, ex adverso Pacis Augustæ ad ipsius tutelam, à Lusitanis bis tentata. Paret Hispanis.

Arx S. Crucis, vulgò *Cruys Schans*, fortalitium Brabantiæ, ad Scaldim fluvium, excitatum ab Hispanis, vix una leucâ à Lilloa, & duabus ab Antuerpia. Ipsis etiam paret.

Arx S. Donati, vulgò *t' Fort S. Donaes*, arx parva, sed munita Flandriæ, media inter Damam & Clausulas, excitata aliàs ab Hispanis, ad coërcendos incursus Hollandorum post Clausulas captas.

Arx S. Elmi, vulgò *Castel S. Elme*, arx permunita olim Hispaniæ, nunc Franciæ, in Comitatu Ruscinonensi, prope Caucoliberim, in ora littorali maris Mediterranei, ad pedes montium, & media ferme inter Perpinianum & Rodam, in confinio Cataloniæ. Capta fuit à Francis anno 1641. posteaque ipsis remansit pace ad Pyrenæos.

Arx S. Georgii de Mina, vulgò *S. Georgio della Mina*, castrum Africæ, in ora littorali Guineæ regionis, cum portu capaci & oppidulo, aliàs excitatum à Gallis, munitum fuit à Lusitanis, postea expugnatum à Batavis. Varias expertum est vices hisce temporibus. Quatuor leucis distat ab arce Nassovia.

Arx S. Helenæ, vulgò *le Fort de S. Helene*, munitio parva, nuper ab Anglis extructa, in insula S. Helenæ, longè ab ora Africæ, in Oceano Æthiopico occidentali, media ferme inter promontoria Viride & Bonæ Spei.

Arx S. Joannis de Ulva, vulgò *la Fuerça de S. Ivan de Ulva*, arx Americæ septentrionalis, in Nova Hispania, in parva insula prope Portum veræ Crucis, & ad ejus tutelam munita ab Hispanis ultimo seculo. Ibi appellunt qui versùs Mexicum urbem tendunt, à qua distat 80. circiter leucis in ortum.

Arx S. Mariæ, vulgò *la Fortezza di S. Maria*, arx Italiæ bene firmata, in dominio Reipublicæ Genuensis, in sinu Spetiæ & in scopulo, ferme à continenti separata, ex adverso Portus Ericis, in ora orientali Genuensi, & 5. milliaribus distat à Sarsana in occasum, 2. autem à Portu Veneris.

Arx S. Mariæ, vulgò *S. Maria Schans*, fortalitium Belgii, in Flandria & Vasia regiuncula, ad Scaldim fluvium, prope Calloam, & uno milliari Germanico infra Antuerpiam. Ab Hispanis excitatum, ipsis etiamnum paret.

Arx S. Mariæ, vulgò *le Fort Sainte Marie*, munitio Americæ septentrionalis, in insula Guadalupia, unâ ex Antillis, versùs oram orientalem, nuper excitata à Francis, quibus tota insula subest à multis annis.

Arx S. Martini, vulgò *le Fort de S. Martin de Ré*, arx permunita Franciæ, in Rea insula, in ora Santoniæ, ex adverso Rupellæ, à qua distat tribus leucis circiter in occasum. Celebris facta est victoriâ Francorum & clade Anglorum anno 1627.

Arx S. Martini, vulgò *Fortezza di San Martino* incolis, arx est Italiæ, in dominio magni Ducis Hetruriæ & agro Florentino, in colle, à magno Cosmo munita, non longè ab Apennino monte, & prope Sievam amnem. 10. milliaribus distat à Florentia Bononiam versùs in Boream.

Arx S. Michaëlis, vulgò *Fuerte de S. Miguel*, munitio Hispaniæ recèns extructa prope Pacem Augustam, in Extremadura, & ad ejus tutelam. Capta fuit à Lusitanis an. 1658. Sed postea ab ipsis derelicta, juris manet Hispanici.

Arx S. Nicolai, vulgò *Forte di S. Nicolo*, arx Dalmatiæ, prope Sibenicum urbem, & ad ejus tutelam excitata à Venetis, quibus paret, juxta ostium portus. 300. circiter milliaribus Italicis distat à Venetiis in ortum.

Arx S. Petri, vulgò *le Fort S. Pierre*, fortalitium Americæ septentrionalis, excitatum in insula Martinica, una ex Antillis ad meridiem Guadalupiæ inf. Subest dominio Francorum à pluribus annis.

Arx S. Philippi, vulgò *Fuerte de S. Felipe* Lusitanis, *le Fort S. Philippe* Gallis, arx est permunita Tertiariæ insulæ, in Azoribus & in Oceano Atlantico, prope Angram civitatem, sub dominio Lusitanorum.

Arx Schenkia, vulgò *Schenkenschans* incolis, *le Fort de Shenk* Gallis, arx munitissima Belgii, quæ à quibusdam etiam *Sgravenvveert* dicitur. Sita est in Ducatu Gueldriæ, ubi Rhenus in Vahalim & Rhenum scinditur, una leuca infra Emmericum ad occasum, & tot à Clivia in Boream. Sic dicta fuit à Martino Schenkio ejus conditore; & dolo capta ab Hispanis Anno 1635. fortiter recepta fuit anno sequenti ab Hollandis, quibus nunc paret. Ei adjacet alia munitio, dicta nova arx Schenkia, à paucis annis extructa. Utraque vastata à Gallis, Anno 1674.

Arx Stenoberga, vulgò *t' Fort van Steenberge*, fortalitium Belgii, in Brabantia, prope Stenobergam, & ad ejus custodiam, in littore, excitatum anno 1630. à Batavis, quibus paret, vixque ab ea mille passibus distat, & una leuca à Bergis ad Zomam in Boream.

Arx Voornia, vulgò *Voorn Schans*, munitio Belgii, in Ducatu Gueldriæ, in Voornia insula, ad Mosam fluvium, extructa à Mauritio Nassovio Anno 1599. paulò supra arcem S. Andreæ, ubi Mosæ Vahalis conjungitur, & ab ea ferè eodem loco separatur. Vix duabus leucis distat à Buscoduco; subestque dominio Hollandorum.

Arx Urbana, vulgò *Forte Urbano*, arx Italiæ, in ditione Pontificia & in agro Bononiensi, hisce temporibus extructa ab Urbano 8. Summo Pontifice, & ab eo nomen sortita. Ibi antea ruinæ Castri dicti *Castel Leone*. Sita est prope confinia Ducatus Mutinensis, vix uno milliari Italico à vico Castro Franco dicto, & tot à Panaro fluvio, 12. milliar. à Bononia Mutinam versùs.

Arx Zelandia, vulgò *Fort Zelandia*, arx Asiæ, in Calonesо insula, seu Formosa, in Oceano Chinensi, inter Sinas & Luso-

niam insulam. Excitata fuit hisce posterioribus annis à Batavis in ora occidentali insulæ, prope Taonum oppidum. Sed an.1661. Sinenses eam expugnarunt.

Arces alias propriis locis descriptas invenies.

Arxama, Mesopotamiæ urbs.

Arxana, Armeniæ regio. Procopius.

Arxata, urbs Armeniæ prope Araxem. Strabo 11.

Arxippus, vigesimus primus Archon Atheniensium. Acasti fil. fuit. Jo. Tzetzes *in prolegom. in Hesiodum*. Ὁ δὲ Ἄρξιππος ὗτος, υἱὸς ἦν Ἀκάςυ. Patri successit, tenuitque principatum annis 19. ut Euseb. Marianus, Hieronymus & Vincentius sunt auctores. Verùm Tzetzes is quem dixi, annos ei 35. tribuit, ἄρξας Ἀθηναίων ἔτη τεσσάκοντα πέντε. Meminit illius quoque Tatianus, *Orat. contra Græcos*. Vid. Meursium *de Rep. Athen. lib. 3. cap. 16.*

Aryandes, Ægypti Prætor à Cambyse constitutus, occisus, quòd Darium in omnibus æmularetur, ut nomen suum immortale redderet. Herod. *lib.* 4. Ab hoc ἀργύριον Ἀρυανδικὸν dicitur, cujus mentio apud Pollucem. An is, cujus ambiguum juramentum, Polyæn. *l.* 7.

Aryca, Locrensium, qui Epicnemidii vocantur, civitas. Diod. *lib.* 14. 440. habet εἰς Ἀρύκας: qui Ajacis patriam vulgò haberi interserit. Ejusdem quoque meminit *lib.* 16. 530. captæ & eversæ ab Phayllo.

Arycanda, Lyciæ civitas. Steph.

Arymagdus, Ciliciæ fluv. Ptol. *Sequino* Nigro, ex Tauro, in mare exit.

Arymbas, Molossorum Rex, moritur Olympiad. 109. anno tertio, regno potitus annos decem, relicto filio Æacide, Patre Pyrrhi: succedente Alexandro fratre Olympiados.

Arymphai, pop. circa Mæotim. Plin. 6. 7.

Arype, civitas Ægypti. Steph.

Aryptæus, Princeps Molossorum, qui primò clandestinam cum Græcis adversus Macedones conjuratis societatem coluit: postea Macedonum partes amplexus est.

Arzilla, urbs regni Fezzæ, in Afr. in ora Oceani Atlantici. Munita & parva cum portu & arce, in Hasbatha prov. Paret Regi Marochi.

Arzirus, Ptol. *Arzenum*, urbs Armeniæ, apud Euphratem fluv. Vid. *Aziris*.

Arzus, Ptol. hodie *Chiaurlic*, Bellonio teste, urbs Thraciæ, cum fluvio cognom. An eadem cum Tzutulo? V. *ibi*. Item, urbs episc. Cypri in mediterraneis, *Arces* vulgò. Olim *Arsinoë*, ut Steph. Lusignano videtur.

A S.

Asa, Hebr. אסא, Latin. *medicus*, aut *Sanans*, fil. Abiam, pronepos Solomonis, rex Judææ. An. M. 3079. zelo veræ pietatis, & virtute bellicâ præstans, profligavit Zeræ Æthiopis exercitum numero 100000. 2. Chron. 14. Matrem Maacham à regni administratione removit, eò quòd idolum sibi confecisset. 1. Reg. 15. Ben-hadadi Syri operâ, Baasan regem Israëlis fugavit. Tandem podagrâ laborans, in medicis magis, quàm in Deo confisus mortuus est. An. M. 3120. regni 41. V. 3. Reg. 15. 12. Paralip. 13. *& seqq.* Jos. *lib.* 8. *c.* 6. *Antiq.* Torniel. Salian. Capel. &c. Item Levita, fil. Elcanæ. 1. Par. 9.

Asabel, filius Benjamin. Genes. 46. qui 1. Paralip. 7. *Jadiel* dicitur.

Asaborum, Arab. Fel. promunt. Ptol. *Mochandan* Barrio.

Asachai, populi in montibus Æthiopiæ, Plinius 8. 13. qui & *Asacha*.

Asacus, fluv. Heracleam civit. alluens, sub radicibus montis Oetæ. Livius *lib.* 5. *bell. Macedon.*

Asæ, vicus Corinthiacus, & Thraciæ. Steph.

Asaa, mons. Suidas.

Asæi, pop. Sarmatiæ Asiaticæ, versus fontes fluv. Rha Septentrionalioris, inter Modocas & Suardenos, Sansone teste.

Asæus, princeps Græcus ab Hectore interfectus. Homerus *Iliad.* 11.

Asael, Lat. *fecit Deus*, Zerviæ fil. frater Joab, Davidis nepos. 2. Reg. 2. ubi legimus: *Eratque Asahel celer pedibus, ut caprearum aliqua quæ degit in agro.* De quo Josephus perhibet, quod ἵππον κατὰ δρόμον εἰς ἅμιλλαν præverteret. Audacius verò Poëtæ. Virg. *Æn.* 5. ubi de Niso:

Emicat & ventis, & fulminis ocyor alis.

Idem de Camilla, *lib.* 7.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Habuit ex Homero suo, *Iliad.* 20.

Αἱ δ' ὅτε μὲν σκιρτῷεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,
Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων.
Ἀλλ' ὅτε δὴ σκιρτῷεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον.

Apollonius *Arg. lib.* 1. ubi de Polyphemo, quod mirere:

Κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντε ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
Οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
Ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.

Asael, Vid. *Azaël*.

Asagræ Saraceni, in Hisp. quorum regno Petrus Arragoniæ Rex, Jacobi fil. finem, capto Abaracino, imposuit, An. C. 1284. Calvis. *in Chron.*

Asaia, Lat. *fecit Dominus*, sive *factura Domini*, servus Josiæ regis 2. Reg. 22. Nomen item principis 1. Par. 4.

Asalaminius, *Bacchus* ab Aristophane dictus, q. d. *imbellem*, à nave illâ Atheniensium Salaminiâ, quâ in difficillimis rebus utebantur.

Asalelphuni, Lat. *umbra*, vel *submersio vultûs*, aut *sonitus*, vel *tinnitus vultûs*, filia Etam. 1. Par. 4. 3.

Asalia, Pater Saphan Scribæ. 2. Reg. 22. Lat. *prope Dominum*, sive *ablatio*, vel *separatio Domini*.

Asama, Maurit. Tingit. fluv. Ptol. *Omirabi* Castaldo.

Asampatæ, populi circa Mæotim. Plin. 6. 9.

Asan, Rex Bulgarorum, Romanâ communione relictâ, Græcam amplexus est. Quare Gregor. 9. Bedam Hung. R. contra illum excitavit, omnibus ad belli societatem vocatis. Spond. Anno Christi 1238. *n.* 10. *&* 11.

Asan, vel *Assan*, per ignaviam Michaëlis Imper. Turcis junctus in Syria Asiaque magnos fecit progressus, circa An. C. 1072. Zonar. Idem nomen aliquot Barbariæ, post Barbarossam, Regibus fuit. Item, *Asan* vel *Assan Cigale*, sub Mahomete 3. & Achmete 1. celeberrimus. Nec non famosus pirata, Anno 1626. à Christianis captus.

Asan, Latinè *fumus*, aut *fumigans*. Nomen civitatis, Josuæ. *cap.* 15.

Asana, Latin. *rubus*, aut Syriacè *inimicus*. Pater Odvia 1. Paral. 9.

Asanca, Germ. urbs. Ptol. ex quâ Villanovanus *Cleppern* facit, Poloniæ civitatem.

Asander, vir qui Tauricam Chersonesum à continente separavit, ducto per ejus isthmum muro, à sinu Carcinitico, usque ad Mæotim paludem. Strabo *lib.* 7.

Asania, aut *Asana*, fluv. Mauritaniæ circa montem Atlanticum. Solinus.

Asaph, Lat. *congregans*, sive *colligens*, aut *finiens*, fil. Barachiæ, 1. Par. 6. Pater Zechri, 1. Chron. 9.

Asaphopolis, seu *Fanum S. Asaphi*, Urbs Walliæ in Anglia. Vid. *Elvva*.

Asar-haddon, Lat. *ligans acumen*, aut *lætitiam*, aut Syriacè *prohibens novitatem*, vel *unitatem*; filius Sennacherib, qui post eum regnavit. 2. Reg. 19. ab An. M. 3325. usque ad 3335. Novam coloniam Samariam misit, ultimus Assyriorum Rex, Genebr. *Chron.* quod non de tota Monarchia, sed de parte tantùm ejus capiendum. Vid. Torniel. A. M. 3335. *n.* 1. Joseph. *Antiq. l.* 10. *c.* 2.

Asar mahat, dux Judæorum, regn. an. 9.

Asaramel, Græci Σαραμὲλ habent, nomen loci. Macch. 1. 14. Lat. *beatitas populi Dei*, aut *vestigium circumcisionis*.

Asarela, Lat. *beatitudo Dei*, aut *intuens fortem*, vel *quercum*, sive *gressus Dei*, Nomen viri, 1. Par. 25.

Asarota, fuerunt pavimenta, in quibus variis coloribus cœnarum reliquiæ depictæ erant, ita, ut facile falli quis potuisset, existimans veras esse reliquias, & totum pavimentum non fuisse versum, cùm tamen reverà purgatissimum erat. Græcè Ἀσάρωτα, ab α privat. & σαίρειν scopis purgare, Plin. 36. 25. *Celeberrimus fuit in pavimentorum genere Zenodorus, qui Pergami stravit, quem vocant asaraton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent, veluti relicta fecerat, parvis è testulis tinctisque in varios colores.* Stat. *Silv.* 1. 3.

Monstravere solum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superantque novis asarota figuris.

Hinc *Asaroticus*. Sidon. Apol. *Carm.* 23.

—— *Aureasque portas*
Exornas asaroticis lapillis.

Vide Vossium, in *Asarota*.

Asbamea, Cappadociæ fons, de quo Philostratus *in vita Apollonii* 1. 4. *Est autem circa Tyana, aqua Jovi (ut perhibent) sacra, quam Asbamaam vocant. Fons ejus frigidus sanè scatet, ebullit autem non secus atque igne calefactus lebes. Hanc puris & juramenti fidem servantibus aspectu placidam, & gustu dulcem esse perhibent, perjuris verò & infidis palam adversari, &c.* Rhinuccinus, quem hic sequor, pro *Asbameam* habet *inextinguibilem*, nullo sensu, quasi ἄσβεστον ὕδωρ legerit pro Ἀσβαμαῖον, neque id mutavit Jacotius. Tamen rectum est Ἀσβαμαῖον. Inde enim Suidas, Ἀσβαμαῖον, ὕδωρ ὅτω καλέμενον. Et Amm. Marc. *lib.* 23. *Apud Asbamæi quoque Jovis templum in Cappadociâ, apud opidum Tyana stagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus, seseque resorbens nunquam extra margines intumescit.* *Asbamæon* autem Hebraicè esset מי שבע *Me-seba* vel מי השבע *Me-hasseba*, hoc est, *aqua juramenti*, ut *Beerseba*, *puteus juramenti*. Sed Cappadoces, quorum Syrismus erat impurissimus, mutato vocum ordine dicebant

bant *Asbamai*, ut Armeni *Tigranocerta* pro civitate Tigranis, & *Cholobet*, pro Choli domo. Boch.

Asbel, Lat. *ignis vetustatis*, aut *ignis defluens*, vel *decidens*, fil. Benjamin. vid *Asabel*.

Asbelitæ, populi. Num. 26.

Asbestæ, vel *Asbystæ* pop. Libyæ supra Cyrenem, apud quos vulgatissimum Ammonis templum, inter medias arenas conditum est. Ptol. Sunt & alii *Asbystæ*, apud eundem Ptolem. diversi ab Hammoniis, *Hasbitæ* Plinio. Horum etiam meminit Sil. *lib.* 2.

Asbolus, unus ex canibus Actæonis, à fuligineo pilorum colore, nam ἄσβολος fuligo est sive favilla. Ovid. *Met.* 3.

Et niveis Leucon, & villis Asbolus atris.

Asbolus, is Græcè dicitur, qui Phœnicibus *Chus*, vel *Chum* erat; quia, ut כוּן *Chum* Ebræis *atrum* sonat, ita Græcis ἄσβολος *fuliginem*. De cætero mihi nullus occurrit hujus nominis, præter Centaurorum ducem *Asbolum*, quem in Centaurorum pugna interfectum Hercules crucifixisse legitur, hoc adscripto epigrammate:

Ἄσβολος ὅτε θεῶν τρομέων ὄπιν, ὅτ' ἀνθρώπων
Ὑψικόμοιο κρεμαςὸς ἀπ' ἐὐλιπέος πίτυος
Σὺγκίπτει μέγα δεῖπνον ἀμεῖβοβίοις κορώνεσσι.

An hic est ille *Centaurus Asbolus*, quem Tatianus Assyrius *in Orat. contra Græcos*, & ex illo Eusebius *Præp.* 10. censent in catalogo scriptorum, qui Homeri ætatem præcesserunt? Nempe inter Centauros nonnulli docti fuere, ut Chiron, tot Heroum Pædagogus, & in Ovid. *Metam.* 12. augur Astylus. Vide Boch. *Phaleg.* 4. 2.

Asbotus, urbs Thessaliæ. Steph.

Asburtonium, opp. Angliæ, in Devonia prov. ad fluv. *Dart*. Ab Exonia 15. mill. totidemque à Plimutho.

Asbylus, Crotoniata, cujus meminit Pausan. & Plato *in lib. de Republ.*

Asbystæ, civitas Libyæ. Steph. Pop. *Asbystæ*, quorum meminit Dionysius Perieg. *Vers.* 211.

Ἀσβύςαι δ' ἐπὶ τοῖσι μεσήπειροι πελάθουσι,
Καὶ τέμενος Λιβυκοῖο θεοῦ, ψαμάθω ὑπὸ πολλῇ
Κυρήνη τ' εὔιππος. ———

Plinio & aliis *Asbetæ*, vel *Asbytæ*. Hos lasere vivere falsò dicit Solinus, *cap.* 31. malè interpuncto Plinii codice in errorem ductus, ut contendit Salmas. *in Plinianis pag.* 381. qui etiam *Asbystarum* terræ partem fuisse eam ipsam, ubi Cyrenæi urbem condiderunt, ex Callimacho notat, qui ipsum Cyrenarum solum vocat,

——— Ἀσβυςίδα γαῖαν.

Ascadus, Rex Assyriorum, post Sparetum. Euseb. *Chron.* Obiit A.M. 2575. regni 40.

Ascalaphus, & *Jalmenus* fratres, Martis filii ex Astyocha. Hom. *Il.* β.

Οἱ δ' Ἀσπληδόνα ναῖον, ἰδ' Ὀρχόμενον Μινύειον,
Τῶν ἦρχ' Ἀσκάλαφος, καὶ Ἰάλμενος, υἷες Ἄρηος
Οὓς τίκεν Ἀςυόχη. ———

Ascalaphus, Acherontis & Orphnes Avernalis Nymphæ fil. postea à Proserpina in bubonem commutatus. Nam, post raptam à Plutone Proserpinam, cùm Ceres filiæ suæ reditum à Jove eâ lege impetrasset, si nihil cibi apud inferos gustasset, *Ascalaphus* eam prodidit, quòd 7. grana mali Punici ab arbore decerpti comedisset. Indignata itaque Proserpina convertit eum in bubonem, avem funestam & rerum tristium semper prænunciam. Ovid. *Met.* 5.

Ingemuit Regina Erebi, testemq; profanam
Fecit avem; sparsumq; caput Phlegethontide lymphâ
In rostrum & plumas & grandia lumina vertit.
Ille sibi ablatus fulvis amicitur ab alis,
Inque caput crescit longosq; reflectitur ungues,
Vixque movet natas per inertia brachia pennas,
Fœdaq; fit volucris venturi nuncia luctûs
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Ascalingium, urbs Germ. Ptol. *Hildesheim*, teste Irenico. Alii tamen *Ascalingium* putant fuisse opp. Dulgibinorum, versus opp. *Hervvorden*, in Westphalia & Comitatu Ravensbergico, 9. circiter leucis German. ab Hildesio in occasum. Baudr.

Ascalon, Lat. *appensio*, vel *statera*, sive *ignis infamiæ*, civitas Palæstinæ, sive ut Josephus habet *l.* 5. *c.* 3. superioris Idumææ. In tribu Dan, maritima, Philistæorum munitissima. Morer. Conditorem habuisse legitur Lydium *Ascalum*. Ita Xanthus refert in Lydiacis apud Stephanum, ὅτι Τάνταλος καὶ Ἄσκαλος παῖδες Ὑμεναίου. Τὸν δὲ Ἄσκαλον, ὑπὸ Ἀκιαμοῦ τοῦ Λυδῶν βασιλέως, αἱρεθέντα στρατηγὸν, εἰς Συρίαν στρατεῦσαι, κἀκεῖ παρθένου ἐρασθέντα (lege ἐρασθέντα) πόλιν κτίσαι, ἣν ἀφ' ἑαυτοῦ οὕτως ὠνόμασε. Addit, idem haberi in Nicolao Damasceno. Quod mihi tamen suspectum, quia *Ascalon* urbs fuit vetustissima, una è Satrapiis Philistæorum in libris Josuæ & Judicum memoratis. Bochartus. Hujus incolæ, ob arcam detentam, graviter puniti leguntur, 1. Reg. 5. Joseph. Antiq. *lib.* 6. *cap.* 1 Hic Judæi 2500. occisi, An. 66. Sacerdotes & devotæ virgines dissectæ, hordeo impletæ & porcis objectæ, sub Juliano Ap. An. 363. A Saracenis sæpius capta, in Balduini Regis Hier. manus pervenit, An. 1154. postquam Solimannus antea in ejus vicinia, prælio, in quo centum M. cæsa, An. 1097. trienniòque pòst ibidem Turcæ non minori clade victi sunt. Guil. Tyr. *l.* 18. Hic Rex Saladinum quoque ad eandem urbem magnâ clade affecit, An. 1175. Idem. Sed post ejus mortem, civili orto bello, Saladinus, occasioni imminens, cum tota Galilæa, Berytho, Biblo, Ascalonem quoque cepit, An. 1187. quæ postmodum tantùm non penitus destructa est, ut vix 60. familiis Æthiopum, Turcarumque cohorti, qui Arabum Christianorumque conatus ibi observant, sedem hodie præbeat.

Ascanaxes, fil. Gomer, unde *Ascanaxii*, qui Græcis Rheginenses & Eusebio Gothi. Joseph. *Antiq. l.* 1. *c.* 6.

Ascania, ins. maris Mediterranei, non procul ab Andro. Est & regio Asiæ, & palus in Troade. Eustathius. Item Trojæ civitas, quam condidit Ascanius Æneæ fil. Bithyniæ lacus quoque Ptolemæo, *Isnick* Castaldo, Nigro *Londar* vocatur. At Pet. Gyllius oculatus testis, eum *Lago de Nicæa* appellat. *Sunonensis lacus* videtur, ab Ammiano Marcellino nominari, *lib.* 26.

Ascania familia, in Germania, illustrissima, an ab Ascenazo, ex Japeti posteris, Gen. 10. 3. an ab Ascaniis, qui relictâ Bithyniâ, & postea Ascaniâ palude ad Bosphorum, cum Cimbris & Caicis, in has oras profecti, ad Herciniam consederint? dicta; è qua hodierni Principes Anhaltini prodierunt. Ex his Fridericus I. Imp. Albertum Ursum Marchionem & Elect. Brandeburg. An. 1142. hujusque filium Bernhardum I. Ducem & Electorem Saxoniæ creavit, An. 1180. Utroque Electoratu, à Sigismundo Imp. in familias, in quibus hodieque, translato, demum An. 1417. & 1424. Vid. Wendel. *Polit. lib.* 2. *cap.* 32. Henricus autem Bernardi fil. Princeps Anhaltinus, à Friderico II. creatus est. Cujus fil. Otto, genuit filios Sigfridum & Bernhardum, Servestanæ & Bernburgianæ linearum auctores, quæ dein in plures ramos subdivisæ. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* & supra in voce *Anhaltium*: ut & infra in *Ascania*.

Ascania, castr. Germ. perantiquum, Comitatus caput, in Princip. Anhaltino, ad Wippram fluv. medio itinere, inter Magdeburgum & Northusiam. Nomen dedit aliàs Principibus Anhaltinis; distatque media leuca, ab Ascherleba opp.

Ascanius, Æneæ fil. ex Creusa Priami filiâ. Virgil. Livius tamen dubitat, Creusæne an Laviniæ fil. fuerit. Dictus est ab *Ascanio* Troadis fluv. deinde *Ilus*, ab *Ilo* Trojanorum rege: postea *Julus*, à prima barbæ lanugine. Virg.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iülo
Additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.

Huic, cùm avus & pater, jam dirutâ Trojâ, de fuga disceptarent, flammula quædam in capitis vertice apparuit, quæ tamen nihil læsionis intulit, neque etiam manibus extingui potuit, unde illi futuri Imperii omen sumpserunt. Cum patre, post multos errores, in Italiam venit, ubi Turno occiso, & patre mortuo, cùm circa A.M. 1877. apud Lavinium 30. an. regnâsset, Albam Longam condidit, restitutâ tamen prius in regnum novercâ, quæ antea ob timorem in silvas aufugerat. Tandem cùm in universum 38. an. imperii gubernacula tenuisset, jam moriens, cùm videret filium Julum Sylvium, regno non satis aptum, Sylvium posthumum fratrem, sed ex diversâ matre, pietate & justitiâ præstantem, regni hæredem reliquit. Dionys. Halic. *l.* 1. Euseb. *Chron.*

Ascanius, Abderites, vetustus author, cujus meminit Laërtius in Pyrrhone.

Ascanius, Bithyniæ fluv. per *Ascaniam paludem*, apud Nicæam, in sinum Astacenum influens. *Acsu* vulgò. Virgilius *Georg.* 3.

Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium.

Item portus Æolidis.

Ascanius Sforza, Card. frater Ludovici, cogn. *Æthiopis*, Ducis Mediol. Sub Ludov. 12. Gallis, pro Mediolano bellum cientibus, à Venetis traditus & Bituriçes deductus est. An. 1500. Unde postea Cardinalis Ambosiani, qui plurimùm in regno valebat, ope iterum est dimissus. Histor. Franc. *in Ludov.* 12.

Ascantici, Sarmatiæ Asiaticæ pop. Plin.

Ascaphus, Ægæi maris insula. Anton.

Ascaricus, Princeps Gallus, absente Constantio, Regasio junctus, pactas inducias violavit; à filio ejus Constantino victus. Eutrop. *lib.* 10. dicit, *illos canibus objectos esse*. Nazar. *in panegyr. Constantini*. Eus. *in Vita ejus*.

Ascatades, sive *Astades*, decimus septimus Lacedæmoniorum rex, regnavit an. 14. qui penitus omnem Syriam ditionis suæ fecit.

Ascataneas, mons apud Sacas. Ptol.

Ascaucalis, opp. Germ. ubi Burgundiones pop. teste Sansone; Forsan *Furstenovv*, in Marchia Brandeburgica. Baudr.

Ascaulis, urbs Germ. in tractu Septentrionali. Ptol.

Ascene, vel *Ascenas*, Lat. *ignis quasi distillans*, vel *quasi aspergens*, filius Gomer. Gen. 10. *Vers.* 3. Quid sit autem, valdè incertum est. Chaldæi *Asiam* hic explicant; in Jeremia הדייב *Adiabenam*; Josephus *Rhegines*, hoc est, ignotum per ignotius. Chroni-

Chronicon Alexandrinum *Maziees*,æquè ignotos; nisi sint *Mazices* Mauritaniæ, quo nihil potest fingi absurdius. Arabs Interpres אלצקאלבה hoc est, *Slavos*. Non pauci hodie *Bithyniam*, in qua est *sinus Ascanius*, & *Ascanius lacus*, & *amnis*; Et Troadem & Phrygiam minorem, in quibus *Ascania* reg. & urbs, & *Ascania* insulæ. In horum sententiam libens concedit Bochartus, quia antequam Thynni & Mysi ex Europa in Asiam trajecissent, omnia illa loca tenebant Phryges. Itaque hoc maneat, è terrâ Gomer, id est, *Phrygiâ majore*, colonos, duce *Ascenaz*, in minorem, Troademque deductos, ad Pontum usque se diffudisse, qui, cùm ex accolarum nomine *Ascenas* diceretur, à Græcis, paulum deflexâ voce, nominatus est Ἄξενος, id est, *inhospitalis*, & postmodum Εὔξενος, in contrarium versâ significatione ad virandam δυσφημίαν. In libro Juchasin legimus, *Ascenaz in Hebræorum scriptis est Germania*. Ridiculè; nam, ut alia taceam, populos regni *Ascenaz* in Babylonem convocat Deus, Jeremiæ 51. quæ longè à Germania distat.

Ascensio, Insula Americæ, in ora Brasiliæ, versus præfecturam Spiritus S. olim ipso Ascensionis die reperta, hinc nomen obtinuit; ad aspectum primum, nonnihil S. Helenæ insula major & diffusior apparet, ad Austrum ab æquinoctiali grad. 8. & dimid. abest: à S. verò Helenæ insula 190. mill. distat: In tota insula nullam invenias aquam dulcem, nec virentem ullam frondem aut ramulum: valde montosa est, terra rubida scopulis saxisque quàm plurimis referta. Circa hanc & S.Helenæ insulam, adeoque ad æquinoctialem usque lineam, pisces volantes visuntur quàm plurimi, magnitudine halecis, qui turmatim ad duos tresve cubitos extra aquam elevati, quartam circiter & unius miliaris partem provolant, idque ut insidiantium grandiorum piscium voratu se eximant, & tutos præstent. Natal. Metel. In ditione Lusitanorum, & parvi circuitus est. Distat à Brasilia 100. leucis Orientem versus.

Ascerada, oppidul. Livoniæ, ad Duinam fluv. in ditione Suecorum, infra Kachenhusium, 3. leuc. Polon. & 13. supra Rigam. Fœdè à Moscis vastatum.

Aschaffenburgum, urbs Germ. in Franconia, ad Mœnum fluv. cum castro, ubi persæpe commoratur Elect. Mogunt. Dicitur etiam Asciburgium, à Francofurto 4. circiter leuc. in Ort. Herbipolim versus. Vid. Cluver. *lib*. 1. Hic Concilium, post mortem Nicolai 4. habitum. An. 1292.

Aschalita, pop. circa Indicum sinum. Steph.

Ascheton, Achaiæ urbs. Steph.

Ascherleba, Urbec. Germ. in Saxonia, & Principatu Anhalt. ad Wipperam fluv. Malè habita hisce ultimis annis. 3. leuc. à Mansfeldia, & 4. ab Halberstadia.

Aschilaca, Troadis populi. Plin.

Ascholaus, Vid. *Ischolaus*.

Ascia, loca Indiæ, in quibus umbræ non sunt, Septentrioque non conspicitur, nec horæ dinumerantur. Plinius 2. 73. ex Onesicrito.

Asciburgium, nunc urbs Germ. Ptol. vulgò *Emerich*. Quidam libri Taciti habent Ἀσκιπύργιον, quidam Ἀχελιπέργιον, ex quo placet quibusdam Ἀχελινέελον, à Nerito, ut volunt, Ithacæ monte. Locus quidem, quem indicat Tacitus, clivosus est, haud procul *Veteribus* vicus, *Aschelburg* seu *Asburg*, nunc dictus. Lipsius *ad Taciti Germaniam*. & Cluver. qui alterum ad Mœnum fluv. Asciburgium in Germ. ponit, *Ascheburg* dictum. Aliis est *Duysburg*. Sed rudera illius, inter Duysburgum & Mursam, apud Rhenum, monstrantur: 3. leuc. à Novesio, in Bor. & 5. milliar. à Mursa.

Asciburgus, Mons Poloniæ. Cui initium in Hungariæ & Silesiæ confinio; inde in Septentrionem excurrens, versus Uvartam flu. & Marchiam Brandeburgicam, ad mare Balthicum deponitur. Trajectus ejus hic accolis *Gollenberg* dicitur, Cluverio teste.

Ascita, Arabes ab *utribus* sic dicti, quoniam bubulos, ut Plin. inquit, utres binos sternentes Ponto piraticam exercent. Hos Steph. juxta Indicum sinum collocat.

Asclepas, Episc. Gazensis, ab Arrianis pulsus, Concilio Sardico restitutus, Bar. An. C. 342. 347.

Asclepia, Æsculapii festum sic dictum. J. Pollux *lib*. 1. *cap*. 1. Ipsi etiam *Agones* Ἀσκλήπια dicuntur, *in antiquis Inscriptionibus Smetii*, *pag*. 340. Et *pag*. 415. fit mentio ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ.

Asclepiades, Historicus Cyprius, tempore quo Pygmalion regnabat in Oriente, quo tempore scribit esum carnium non fuisse. Hieron. *lib*. 2. *adversus Jovinianum*, *ex Porphyrio*. Vid. Voss. *Hist. Gr. lib*. 4. *pag*. 506. 507.

Asclepiades, Myrleanus, ortu tamen *Nicenus* erat, teste Suidâ. Hinc *Nicenus* dicitur Stephano, *in* Νικαία, & malè Meursius hunc Myrleanum & Nicenum, tanquam duos distinctos, recenset. Diotimi cujusdam filius fuit, & Apollonii Grammatici discipulus, Grammaticus juxta Suidam. Minimè verò hic reticendum est opus ejus φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά, quod ei tribuit Suidas Ἀσκληπ. In illo librariorum errores, in Philosophorum scriptis occurrentes, indicavit & correxit. L. Loydius. Docuisse Rhetoricam, Eumenis tempore, & historica quædam, inter alia, de rebus gestis Alexandri M. scripsisse ex Arrian. *l*. 7. Morerius ait. Hunc *Asclepiadem* cum *Asclepiade* Prusiensi Medico, & altero *Asclepiade* Myrleano, de quo infra, perperam confundit Suidas, vel potius librarius, qui lacunam non advertit. Vid. etiam Voss. *hist. Gr. l*. 1. *c*. 18. *& de Phil. c*. 11. *§*. 38.

Asclepiades, Myrleanus junior Grammaticus, περὶ γραμματικῆς scripsit, & in isto opere Dionysii Thracis, de partibus Grammaticæ, sententiam refellit, teste Sexto Empirico. Eundem esse credit Jonsius, qui de Grammaticis scripsit, cujus operis librum sextum citat Suidas, *in* Ὀρφεύς, ubi Orphea quendam Crotoniatem juniorem, Pisistrati tempore, vixisse scribit. Undecimum citat Anonymus, *in Vita Arati*, & inde Aratum probat Tarsensem fuisse, non Solensem. Fortè ex hoc opere, Polemonis ætatem cognovit Suidas, *in* Πολέμων. Vix aliunde est, quod ex *Asclepiade* Myrleano citat Schol. Apollonii, *ad lib*. 1. *Argon*. quòd scilicet Apollonius Grammaticus omnia sua ex Cleone transtulerit. De Cratino quoque poëta *Asclepiadem* scripsisse, author est Athenæus, 10. 14. *Asclepiades* quidam ὁ Ἀρέως, σύγγραμμα scripsit de Demetrio Phalereo philosopho Aristotelico: unde Athenæus 13. 3. refert, meretricem quandam *Clepsydram* propterea fuisse dictam, quòd sui copiam ad *clepsydram* facere consueverit, donec aqua effluxisset, cùm ejus nomen fuerit *Metiche*. Plures autem hujus nominis fuere. *Asclepiades* Tragilensis Isocratis discipulus erat, teste Plut. *lib. de* 10. *Rhet*. & Photio *Ecl*. 259. unde ætatem ejus cognoscimus, & τραγῳδουμένων sex libros reliquit, de quo Meursius. *Asclepiaden* quendam Phliasium, Philosophum Eretrium, Platonis Discipulum memorant Plut. *lib. de discrim. amici & adul*. Athenæus 4. 19. Laërtius, *in Phædone*, Hesychius Milesius, *in Menedemo*. Fortè hic est, quem oculis postea captum scribit Cic. *lib*. 5. *Tusc. Qu*. qui interrogatus, quid ei cæcitas attulisset, respondit: *Ut puero uno esset comitatior*. *Asclepiadem* Atheniensem signat nummus quidam Goltzianus. *Asclepiades* quidam pater, vel præceptor fuit Alexandri Polyhistoris, teste Stephano, *in* Κοσύτη. Ad hunc fortè *Asclepiadem*, Didymus Grammaticus Epitomen Tabularum Solonis scripsit, teste Plut. in *Solone*. *Asclepiades* Medicus quidam, Prusæus in Bithynia Philophysicus cognomine, sub Pompejo M. vixit, teste Strabone *lib*. 12. Plin. *l*. 26 *c*. 3. Cùm in arte Rhetorica facultates decoxisset, Medicinam sectatus est. Dicebat *salutem constare cibi potûsque abstinentiâ, præterea gestatione, ambulatione, frictione*. Ipse, conditâ novâ sectâ, spretis legatis & pollicitationibus Mithridatis, repertâ ratione, quâ vinum ægris medetur, relato è funere homine, & servato, ingentem famam consecutus est. Sed maximè, sponsione factâ cùm Fortuna, ne medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse, tandem supremâ senectute lapsu scalarum exanimatus est. Plin. 7. 37. De eo quoque multa refert Apul. *lib*. 4. *Asclepiades* Anazarbeus Grammaticus, scripsit de fluminibus. Vide Voss. *Hist. Gr. lib*. 4. *pag*. 507. Duo *Asclepiades* medici, post Augusti tempora vixerunt, teste Galeno. Ælium quendam *Asclepiadem*, Augusti libertum, memorat Inscriptio apud Gruterum, *fol*. 335. hujus fortè est liber ille Στέφανοι, quem citat Athenæus 15. 6. 7. *Asclepiades* quidam Philosophus, tempore Juliani Imp. vivebat, de quo Ammianus *lib*. 22. Item *Asclepiades* Poëta, à quo carmen *Asclepiadeum* dicitur. Author tragœdiarum aliquot, discipulus Isocratis, Plut. *de* 10. *Orator*. *Asclepiades* Mendes, cujus Θεολογούμενα citat Sueton. *in Augusto*. Vide sis ibi Casaubonum. Porro Voss. *de Hist. Gr. p*. 507. *Asclepiadem* quendam Alexandrinum, τοὺς κατὰ δῆμον ἄρχοντας consignavisse scribit, & autorem suæ sententiæ Scholiasten Aristophanis, *in Nubes*, laudat. Verùm Scholiastes nihil aliud ibi dicit, nisi quòd *Asclepiades* ille τοὺς δημάρχους appellaverit τοὺς κατὰ δῆμον ἄρχοντας, librum verò *Asclepiadis* nullum citat. Vid. plura apud Voss. *hist. Gr. l*. 1. *c*. 18. 21. & 22. & *lib*. 4.

Asclepiades, Patriarcha Antiochenus, successit Serapioni, tenuitque sedem ab An. C. 214. usque ad An. 220. secundùm Eusebium. Aliis, ab anno 212. usque ad an. 219. quo Philetum successorem accepit.

Asclepiodorus, pictor ætate Apellis, mirabilis in symmetria. Huic Mnason tyrannus pro 12. Diis dedit in singulos minas tricenas. Plin.

Asclepiodorus, Alexandrinus, singulari ingenio vir, ad omnia Mathematica, ac inquisitionem cognitionemque herbarum & lapidum. Suidas. In Syriam profectus, ut mores incolarum perdisceret, non nisi tres illorum invenit, qui modestè vixissent. Cœlius Rhodiginus *lib*. 14. *cap*. 3. Item Consi. Rom. collega Afranii Ambaliani.

Asclepiodorus, è cohorte nobilium Puerorum, conjurationis, in Alexandrum Magnum, particeps Hermolao. Curt. VIII. 33.

Asclepiodotus, Musicus & Medicus juxta Simplicium, *ad l*. 4. φυσ. ἀκρ. *comm*. 141. qui *Asclepiodotus* Damascii magister, & *Asclepiodoti* Magni gener fuit, teste Photio *Eclog*. 242. Vide Suidam.

Asclepiodotus, Præfectus prætorio, sub Constantino Chloro, circa A. C. 296. vicit Allectum, qui Carausio è medio sublato, se in Anglia Imperatorem proclamari curaverat. Eutrop. & Euseb. *Chron*.

Chron. An hic idem Asclepiodotus, qui vitam Diocletiani descripsit? ut Vopiscus, *in Aureliano*, habet.

Asclepiodotus, Vid. *Cassius*.

Asclepion, Conf. Rom. Joannis collega. A.V.C. 1250.

Asclepius presbyter, Vid. *Adelphius*.

Asclepius, Machaonis fil. Æsculapii nepos. Augustinus.

Asclepius, Philosophus Trallianus, discipulus Ammonii, commentario illustravit Arithmeticam Nicomachi. Vossius, *de Mathem. c.* 10. §. 1.

Ascletarion, Mathematicus tempore Domitiani, qui aliquando dixerat, se discerptum iri à canibus; quapropter à Domitiano jussus est interfici, & accuratissimè sepeliri, ut vanitas ejus artis argueretur: sed repentinâ tempestate disjecto funere semiustum canes discerpsere. Suet. *in Domit.* A.C. 90.

Asclus, Italiæ civitas. Steph.
Sil. *lib.* 8.

Adria & inclemens hirsuti signifer Ascli.

Fortè *Ascalum*, de quo infra.

Ascodrogili, vel *Ascils*, hæretici, qui Paracleto Montani se plenos jactitantes, Bacchanalia in Ecclesiam introducebant, & circa lagenam vino repletam circumibant solenni pompâ. August. *hær.* 62. Philastrius *de hæret.*

Ascolia, Græcè Ἀσκώλια, festa, quæ Rustici Athenienses in honorem Bacchi celebrarunt, ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, id est, ab *utre* nuncupata. Nam cùm victimæ Numinibus aut per similitudinem, ut inquit Servius, *in* 2. *Georg.* aut per contrarietatem immolentur, caper qui obest vitibus, eu grata hostia Libero sacrificabatur. Phornutus, Τὸν δὲ τράγον αὐτῷ θύουσι διὰ τὸ λυμαντικὸν δοκεῖν τῶν ἀμπέλων. Hinc versus Eveni:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ.

Quos in Domitianum fuisse detortos author est Suetonius *cap.* 14. Et quò invisum Baccho animal pejus tractarent, &, ut Servius ait, ne quid ex eo esset, quod non sentiret injuriam, pellem detrahebant, atque inflabant, in quam sublimi saltu juvenes se librabant: ac ne spectaculum risu careret, unguine lubricabant, ut præcipiti magis lapsu in terram giscerent. Suidas, ἑορτὴν οἱ Ἀθηναῖοι ἦγον τὰ Ἀσκώλια, ἐν ᾗ ἥλλοντο τοῖς ἀσκοῖς αἰγείοις, εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. Scholiastes Aristophanis *in Pluto*: Κυρίως δὲ ἀσκωλιάζειν ἔλεγον τὸ ἐπὶ τῶν ἀσκῶν ἅλλεσθαι, ἕνεκα γέλωτος ποιεῖν. Ἐν μέσῳ δὲ τοῦ θεάτρου ἐτίθεντο ἀσκοὺς πεφυσημένους, καὶ ἀληλιμμένους, εἰς οὓς ἀναλλόμενοι ὠλίσθαινον καθάπερ Εὔβουλός φησι. Uno tantùm pede in utrem saltabant. Pollux *l.* 2. Ἀσκωλιάζειν ἔλεγον τὸ τῷ ἑτέρῳ ποδὶ ἅλλεσθαι. Hesych. Ἀσκωλίζοντες, ἐφ' ἑνὸς ποδὸς ἀλλόμενοι. Idem habent Eust. *ad Odyss.* κ. & Tzetzes *ad Hesiod.* ἔργα. Virgilius autem elegantissimè sacrificii causam, & Festi ritum describit, *Georg. lib.* 2.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi,
Præmiaq; ingentes pagos, & compita circum
Thesidæ posuere: atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres.

Quod *per compita*, & *pagos* Virgilius, hoc per κώμας, id est, *vicos* fieri scribit Phornutus: Εἰς τὸν ἀσκὸν ἐνάλλοντες, καὶ τὰς Ἀττικὰς κώμας οἱ γεωργοὶ νεάνισκοι. Castellanus.

Asconda, Pancratiastæ, meminit Aristoph. *Crabr.*

Asconius Labeo, Tutor Neronis, cui ad imperium provectus Consularia insignia petiit à senatu. Tacit. *l.* 13.

Asconius Pedianus, à *Pedia* gente, in quam quia adoptatus erat, primus ita vocabatur. Duo autem ejusce nominis fuere. *Prior* is, qui Virgilio familiaris fuit, quem, ut refert Junius Phylargyrus, dicentem audiverat se Grammaticis crucem fixisse illo versiculo:

Tres pateat cœli spatium non amplius, ulnas.

Hujus extant commentarii, in aliquot Ciceronis Orationes. Et in eam pro Cornelio, Livium se novisse profitetur his verbis: *Inter quos Tuditanus, & Pomponius Atticus, & Livius noster.* Ejus quæ certa ætas hinc disce. In pro M. Scauro: *Scauri domum possidet nunc Longius Cæcina, qui Consul fuit cum Claudio.* Scribe *Largus Cæcina, qui Consul fuit cum Claudio.* An. V.C. 795. *Alter* Historicus, Vespasiani ævo floruit, ut cognoscimus ex B. Hieronymo *in Chron. Eusebiano, ad* An. Dom. 76. qui Vespasiani annus est septimus. *Q. Asconius Pedianus* scriptor historicus, clarus habetur, qui 73. ætatis suæ anno captus luminibus, 12. postea annis in summo honore consenuit. Vid. Voss. *Hist. Lat.* 1. 17. 27.

Ascotia, oppidul. Hispan. in provin. Ipuscoa, ad Urolam fluv. 2. leuc. à Placentia in Ortum, & 5. à Fano D. Sebastiani. *Ascoytia* Hispan.

Ascra, vicus Bœotiæ, in aspero, & sterili loco, in dextra parte Heliconis, Hesiodi patria, teste ipso in his,

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

Stephano πόλις vocatur. Bocharto autem *Ascra* est אשרה *ascera*, hoc est, lucus ubi steriles sunt arbores. Sanè Hesychius Ἄσκρα, δρῦς ἄκαρπος. Atqui verò in epitaphio Hesiodi lego,

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος.

Ἀσκρὴ autem Jonicè pro Ἀισχρὰ, ut innuit Stephanus, dicens hanc vocem esse Ἰωνικῶς σχηματισθεῖσαν. Nam Jones interdum κ pro χ ponebant, ut pro δέχομαι, δέκομαι.

Ascruvium, urbs Illyrici. Ptol. aliis *Ascrivium*, vulgò *Cataro*, sub Venetis, long. 43. 40. lat. 42. 36. Alii credunt esse *Castel novo*, juxta sinum Rizonicum. V. *Cattara*. Baudr.

Asculum, oppidum Apuliæ, memorandum clade illatâ Pyrrho à Curio & Fabricio Coss. ut & internecione Romanorum, durantibus feriis Latinis, in bello Marsico. Dicebatur *Asculum* Appulum, ad discrimen *Piceni Asculi*. Florus 1. 18. ubi de Pyrrho rege: *In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est, Curio, Fabricioq; Consulibus.* Plut. *in Pyrrho*, Ἀναλαβὼν στρατιὰν περὶ Ἄσκλον πόλιν τοῖς Ῥωμαίοις συνῆψε. Zonaras *Annal. Tom.* 2. Pyrrhus impressione in Apuliam factâ, multa vi, multa per deditionem accepit, μέχρις οὗ Ῥωμαῖοι πρὸς Ἄσκλῳ πόλει ὄντι αὐτῷ ἐπελθόντες ἀντεστρατοπεδεύσαντο. Vid. Liv. *epit. lib.* 71. 72. & seqq. Appian. *bell. Civ.* long. 40. 00. lat. 41. 20. Vulgò *Ascoli di Satriano*; quibusd. est in Capitanata prov. regni Neap. non longè ab Apennino, & à confinio Principatus. Ultra 16. milliar. à Compsa, & totidem fere à Venusia. Gaudet Principatus tit. & deficit in dies. Baudr. Morerio, Episcopale est opp.

Asculum, cognomine Picenum, ad superioris discrimen, vulgò *Ascoli*. Lucan. *lib.* 2.

——— *Depellitur arce*
Lentulus Asculeâ.

De situ ejus ita Strabo, *lib.* 5. Ἐν τῇ μεσογαίᾳ ἐστὶ τὸ Ἄσκλον Πικηνὸν ἐρυμνότατον χωρίον, ἐφ' ᾧ κεῖται τὸ τεῖχος, καὶ τὰ περικείμενα ὄρη στρατοπέδοις οὐ βάσιμα. Dignitatem ejus indicat Florus 1. 19. *Domiti Picentes, & caput gentis Asculum.* Ptolemæus Ἄσκλον vocat. long. 36. 40. lat. 42. 39. Est Pontif. ditionis, in colle. Baudrandus.

Ascura, Armeniæ majoris urbs. Ptol.

Ascurus, Colchidis flu. Arrianus, *in Periplo.*

Ascus, Gigas, qui Dionysium vinctum cum Lycurgo in fluvium conjecit. Steph. *in Damasco.*

Asdara, Cappadociæ opidum. Anton.

Asdata, Caucasi incolæ, apud quos Topazius nascitur.

Asdrubal, gener Amilcaris patris Annibalis, favente factione Barchinâ, Amilcari mortuo suffectus, 8. annis Hispaniam administravit, cum magna prudentiæ laude & gloria Carthaginis. Demum à servo barbaro, cujus dominum occiderat, interfectus est, in medio suorum. Comprehensus deinde servus à circumstantibus, haud facti pœnitens, inter cruciatus ac tormenta, speciem semper ridentis præbens, occisus est. Historiam cape ex Silio *lib.* 1. ubi de Tago, servi domino cruci suffixo loquitur:

Quem postquam diro suspensum robore vidit
Deformem Materi famulus clam corripit ensem
Dilectum domino, pernixq; irrumpit in aulam,
Atq; immite ferit geminato vulnere pectus.
At Pœni succensi irâ, turbataq; luctu
Et sævis gens læta ruunt, tormentaq; portant.
Non ignes, candensq; chalybs, non verbera passim
Ictibus innumeris lacerum scindentia corpus,
Carnificesve manus, penitusq; infusa medullis
Pestis, & in medio lucentes vulnere flammæ
Cessavere; ferum visu, dictuq; per artem
Sævitia, extenti, quantum tormenta jubebant,
Creverunt artus, atq; omni sanguine rupto
Ossa liquefactis fumarunt fervida membris.
Mens intacta manet, superat, ridetq; dolores,
Spectanti similis, fessosq; labore ministros
Increpitat, dominiq; crucem clamore reposcit.
——— *Irrumpit in aulam.*

Ita Silius: cæteros inter se scio discordare: Polybius *lib.* 2. in diversorio suo vult Asdrubalem exceptum insidiis, Ἐπιβουλευθεὶς δολοφονηθεὶς ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλύμασι νυκτὸς ὑπό τινος Κελτοῦ τὸ γένος. Nisi fiet in diversorio aula. Appianus *in Ibericis*, eum in venatione occisum scribit: Ἀνὴρ δοῦλος, οὗ τὸν δεσπότην ἀμῶς διεφθάρκει, λαθὼν ἐν κυνηγεσίαις ἀναιρεῖ. Idemque habet, *in Annibalicis.* Livius *lib.* 21. palam vult interfectum. De Servi constantiâ, præter Silium, Livius loco prædicto, ubi de *Asdrubalis* percussore: *Comprehensus à circumstantibus, haud alio, quàm si evasisset vultu; tormentis quoq; cùm laceraretur, eo fuit habitu oris, ut superante lætitiâ dolores ridentis etiam speciem præbuerit*, Val. Max. 3. 3. *Lætitiam tamen, quam ex vindictâ ceperat, in ore constantissimè retinuit.* Vid. etiam Diod. *lib.* 25. Plut. *Annibale.* Cornel. Nepos, *in Amilcare.*

Asdrubal, Hannibalis frater. Plut. *in Hannib.* Hispaniam deserere à Scipione coactus, cùm in Italiam fratri suppetias iret, illique per literas locum, quò venisset, significaret, literis interceptis, ingenti strage, à M. Livio Salinatore, & Nerone Claudio ad Metaurum victus est, caputque ejus lanceæ præfixum, & in conspectu Pœnorum ad terrorem circumlatum est. Horatius. *Carm.* 4. *Od.* 4.

Quid

Quid debas, ô Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen & Asdrubal
Devictus. — V.Liv.*l.*27.Polyb.Plut.*in Annibale*,&c.

Asdrubal, fil. *Magonis*, cognomento *Calvus*, dux classis Carthaginensium in Sardiniam missus, tempestate ad insulas Baleares rejectus, ibi tantisper, quoad quassas reficeret naves, resedit. Livius.

Asdrubal, fil. prioris, contra Numidas bellum gessit.

Asdrubal, Gisgonis fil. à Romanis Hispaniâ pulsus, in Africam rediit, Syphace, cui filiam Sophonisben dederat, in partes suas pertracto. Dein Scipionem Uticæ obsidione depulit, sed ab illo, unà cum genero paulo pòst victus, in prælio cecidit. Dux bello tertio Punico, à Scipione Æmiliano victus. Ejus uxor, factâ deditione, cùm paucis antè diebus à viro impetrare non potuisset, ut ad victorem transfugeret, in medias urbis flammas sese cum filiis conjecit. Livius *lib.* 27. 28. *& seqq.* Plutarchus *in Scipione.* Ovid. *Fast.6.*

Postera lux melior; superat Masinissa Syphacem,
Et cecidit telis Asdrubal ipse suis.

Asdrubal, à L. Cæcilio Metello Consule, prope Palermum in Sicilia, victus, amissis in acie 120. Elephantis, aliisque 104. captis, qui dein per totam Italiam circumducti. Item duorum aliorum, Justin. *lib.* 19. meminit. Vide pluribus Liv. Polyb. Appian. Florum, Orosium, Diodori *fragm.*

Asdynis, insulæ nomen, apud Stephanum.

Asea, vel *Aseatis*, vicus Arcadiæ, ex quo Alpheus profluit. Stephanus.

Asebaim, Lat. *damulæ*, sive *pulchritudines*, aut *militia*, nomen viri. 1.Esdr.2.

Asedoth, Lat. *effusiones*, sive *declivia*, aut *campestria*, vel *depradationes*, regio & civitas in tribu Ruben. Item urbs Amorrhæorum Jos.10.12.13.

Asel, Lat. *propè* vel *juxta*, sive *ablatio*, vel *separatio*, fil. Elasa, filii Rapha. 1. Paralip. 8. Item op. in Medoe, Nili insulâ. Plin. 6. 30.

Aselge, urbs quædam, à civium lascivia sic dicta. Est enim ἀσελγὴς idem quod ἀκόλαςος, & ἀσελγαίνειν, τὸ παρὰ φύσιν ταῖς γυναιξὶ μίγνυσθαι. Phavorinus, Ἀσέλγη, πόλις, ὅπȣ κακῶς ἔζων οἱ ἄνθρωποι, καὶ ἀλλήλοις ἐκοινώνȣν.

Asella, Virgo Romana, Hieronymi discipula, S. literarum peritiâ, & pietate illustris. Hier. *ep. ad Marcellam.*

Asellas, rex Cyrenarum. Just. 22.7. quanquam ibi *Ophellas* legit Bongarsius, de cujus lectione dubitandum non est, nam præter Diodorum, ita quoque habent Theophr. *de plantis* 4.4. & Polyænus, atque alii.

Asellata & Hamata, factionum in Belgio nomina, quæ ultra 200. annos sæviere: excitatæ à Margareta, sorore Gulielmi Hollandiæ Com. Ludovici Bavari Imp. uxore, quæ cùm fratri successisset, atque in domum Bavaricam Comitatum Hannoniæ, Zelandiæ Hollandiæque intulisset, An.C.1324. filium Vilhelmum à Comitatu Hollandiæ amovendo, Ludovico substituto, turbarum causa extitit. *Asellata* Vilhelmo favit, propugnante Ludovicum *Hamatâ*, An.1350. sed frustra: Mater enim Vilhelmo cedere coacta, & Hannoniam sibi habere jussa est. Chron. *Belgii.* Douzæ *Annal.* Postea, cùm Vilhelmi 6. filia Jacoba, Johanni Brabantiæ Duci primò, dein fœmineâ levitate, eo repudiato, Duci Glocestriæ nupsisset, *Asellata* Philippum Burg. tutorem ei constituit, An.1425. renitente *Hamatâ*; undè novæ iterum turbæ: donec Glocestrii victor Burgundus, hæres Jacobæ declaratus est, An.1428. Iidem.

Aselli, duæ stellæ in signo Cancri, exiguum inter illos spatium obtinente nubeculâ, quam *Præsepe* vocant. Plin. 18.35. Item tres aliæ stellæ in Boote. Vide Cæsii *cœlum Astron.*

Asellio Sempronius, historicus, ac Trib. Mil. sub Scipione Æmiliano, apud Numantiam res eas, quibus ipse interfuit, aliaque quædam conscripsit. Citatur à Cicerone, Dionys. Halic. *Antiq. Rom. l.*1. Gellio, Charisio, *l.*2. Servio, A. Gellio, *l.*2.*c.*13.&*l.*13.*c.*20.&c.

Asellius Claudius, Eques Rom. Trib. Mil. sub Claudio Nerone, apud Lucanos memorandâ fortitudine. Volater.

Asem, civitas in tribu Simeon. Jos. 19. Appellatur & *Azoni.* 1. Par. 4. Lat. *os*, aut *fortitudo*, vel *clausura* sc. *oculorum*, vel *lignum eorum.*

Asemona, urbs tribûs Judæ. Jos. 15. Idem sig. quod *Assem.*

Asena, cum ס, Lat. *periculum*, sive *infortunium*, vel *rubus.* Nomen viri, Nehem. 2.

Asena, cum ש, Lat. *mutatio*, vel *duplicitas*, aut *dormitatio*, sive *ignis nunc.* Nomen urbis in tribu Juda. Jos. 15.

Asena, vulgò *Almeda* fortè, Brietio teste oppidul. Hisp. in Carpetanis, ubi nunc pars Castellæ novæ. Aliis est *Adamuz* vicus nunc longè à Tago fluv.

Asenaphar, Lat. *periculum*, sive *infortunium tauri*, aut *periculi incrementum*, nomen viri. Neh. 4.

Asenath, filia Potipharis, uxor Josephi, è qua Manassen & Ephraimum suscepit. Gen. 44. Lat. *periculum*, sive *infortunium.*

Aser, Hebraicè *Assir*, filius Caath. 1. Paralip. 6. sive filius Core, filii Isaar, filii Caath. Exod. 6. Lat. *Vinctus*, sive *incarceratus*, aut Syriacè *prohibitus.*

Aser, Lat. *beatitudo*, sive *felicitas*, octavus filius Jacob ex Zelpha, Liæ uxoris suæ ancillâ. Vixit an. 126. Obiit A.M. 2413. Gen. 30. Benedictionem ejus Vid. Genes. *cap.* 49. Nomen item loci. Jos. 17.

Aseroth, Lat. *nemora*, *luci*, aut *beatitudines*, vel *insidia*, sive *gressus.* Nomen Idoli. Jud. 3.

Aserus, Siciliæ urbs. Ptol. *Monreal* Nigro. Fortè Assorum, & & Assorium Stephani.

Asferun, mons Tartariæ desertæ, in Asia, juxta Obium fluv.

Asgara, provincia regni Fezzæ in Africa, à Septentrion. Oceano abluitur, ab occasu ad fluvium usque Buragragum prætenditur: Orientale Latus claudunt montes Gumaræ, Zaromi, & radices montis Zalagæ, meridie verò fluvio Bunaza terminatur. Ejus caput est Lixa Urbs, cùm aliæ majori ex parte dirutæ fuerint ultimis civilibus bellis. Baudr.

Ashfordia, oppidul. Angliæ in prov. Cantii, ad fluv. Sturam. 9. mill. Anglicis à Cantuaria in Austrum, & 12. à Dubri in Occas.

Ashur, filius Esrom, filii Pharez, ex Abia uxore 1. Par. 2. Pater item Thecuæ. 1. Par. 4. Lat. *denigratus*, sive *ignis libertatis*, vel *albedinis*, aut *foraminis.*

Asia major, una ex tribus orbis partibus veteribus cognitis, reliquas simul acceptas magnitudine superans, in ortum maximè extensa, Indico, Eoo, & Scythico Oceano perfusa; ab Europa ad occid. Tanai fluv. mari Euxino, & Ægæo separata, ab Africa Nilo fluv. Plinio, sed Arabico sinu Ptolemæo divisa. Ab *Asiâ* fœmina, teste Isidoro, *lib.*14. *etymol.* fil. Oceani & Thetyos, uxore Japeti. vel ab Asio quodam, filio Cotyos, nepote Manei Lydi, Herodot. *Musâ* 4. nomen habet. Beemanno autem, *Asia* dicitur ab אש *esh*, id est, *ignis*, qu. אשיה *Eshia*, hoc est, *ignis Domini*, quem in Persia, aliisque Asiæ oris sacrum coluerunt. Herodotus modò laudatus *in Melp.* etiam ad uxorem Promethei refert: Ἡ δὲ Ἀσίη ἀπὸ τῆς Προμηθέως γυναικὸς τὴν ἐπωνυμίην ἔχει. Verùm res eòdem redit, si expendatur fabula de igniculo, quem cœlo Prometheus surripuisse dicitur. Bochartus autem à Phœnicio חצי *asi* deducit, quod non solum *dimidium*, sed *medium* sonat, sic חצי השמים est μεσȣράνημα, Jos. 10. 13. חצו הלילה μεσονύκτιον Jud. 13.3. Itaque חציה *asia*, id est, *media* cœpit vocari Asiæ pars illa, quæ media est inter Africam & Europam, quam *Asiam minorem* vulgò dicunt. De qua Plin. *Præfat. lib.*3. *Hinc* (id est, à Gadibus) *intranti dextrâ Africâ est, lævâ Europa; inter has Asia est.* Mela 1... *Media nostris æquoribus excipitur.* Sed & alio respectu *Asiam* cum Europa & Libya conferens Eust. illam asserit μέσην ἀμφοῖν ἔχειν διαθέσιν. Videsis locum in Dionys. *post vers.* 270. Continebat, secundùm Vett. Sarmatiam, Sericam & Scythicam Asiat. Gedrosiam, Caramaniam, Drangianam, Arachosiam, Sogdianam, Bactrianam, Hircaniam, Margianam, Parthiam, Persiam, Susianam, Mediam, Albaniam, Iberiam, Colchidem, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, Arabiam, Syriam, Palæstinam, Phœniciam, Cappadociam, Ciliciam, Galat. Pontum, Bithyniam, Lyciam, Pamphyliam, Cyprum. Dividitur hæc *Asia* hodie in sex partes. Prima paret magno Duci Moscoviæ. Secunda Magno Chamo Tartarorum Imperatori. Tertiam partem Turcæ occupant; Quartam Persæ; Quintam Indi; Sextam Sinenses. L.Loyd.

Asia magna regiones:

Albania.	Margiana.
Arabia deserta.	Media.
Arabia felix.	Mesopotamia.
Arabia petrea.	Nabathæa, reg. Arabiæ.
Aria.	Osrhoëne, regio Mesopotamiæ.
Armenia major.	
Asia minor.	Palæstina.
Assyria.	Paropamisus.
Babylonia.	Parthia.
Bactriana.	Persia.
Carmania.	Phœnicia.
Carmania deserta.	Sacæ.
Colchis.	Sarmatia.
Drangiana.	Scythia intra Imaum.
Elymais, reg. Persidis.	Scythia extra Imaum.
Gedrosia.	Serica.
Hyrcania.	Sogdiana.
Iberia.	Sinæ.
India citerior.	Susiana.
India ulterior.	Syria.

Asia magna regiones ex ordine mare attingentes:

Asia minor.	Carmania.
Syria.	Gedrosia.
Palæstina.	India citerior.
Ægyptus.	India ulterior.
Arabia triplex.	Sinæ.
Babylonia.	Serica.
Susiana.	Scythia borealis.
Persis.	Sarmatia.

Ad mare Hyrcanum:

Colchis.	Hyrcania.
Albania.	Margiana.
Media.	Sogdiana.

Interiores.

Iberia.	Armenia major.

Mesopotamia.	Arachosia.
Assyria.	Paropamisus.
Parthia.	Bactriana.
Aria.	Sacæ.
Carmania deserta.	Scythia intra Imaum.
Drangiana.	Scythia extra Imaum.

Baudrando nobilissima mundi portio censetur multis decausis,& à Gallis *Asie*, ab Hispanis & Italis *Asia* dicitur. Tribus partibus percingitur vastissimo Oceano, qui ab Oriente vocatur Orientalis seu Eous, à Meridie Indicus, & à Septentrione Scythicus seu Tartaricus; ab Occidua autem parte habet sinum Arabicum,seu mare Rubrum,Isthmum inter Arabicum sinum & mare Internum, atque inde maria Phœnicium & Ægæum, Propontidem, Pontum Euxinum, Mœotidem paludem, & fluvios Tanaim, Rham, & Obium. Non separatur autem ab Africa Nilo fluvio, quia Ægyptus est in Africa. Asiam ipsam Taurus mons mediam quodammodo cinguli in morem dividit, ab Occidente in Orientem longissimo tractu excurrens. Duplicem olim Asiam Veteres fecerunt, alteram scilicet Majorem, quæ trium orbis partium tunc cognitarum una fuit, alteram verò, quam Asiam propriam seu Minorem dixere; estque illius pars seu provincia. Strabo Asiam in quinque portiones dividit. Ptolemæus in 47. regiones ac provincias distribuit. Hisce temporibus dividitur à plurimis in septem amplissimas partes; sunt autem Turcica ditio in Asia, Arabia, Persia, Tartaria, Sinarum regio seu China, India, & Insulæ, sub quibus multæ aliæ regiones continentur.

Asiæ partes nunc sunt,

Arabia, *l'Arabie*, quæ triplex est.	Maldivæ insulæ, *les Maldives.*
Armenia, seu Turcomania, *la Turcomanie.*	Moluccæ insulæ, *les Isles Moluques*, cum aliis in Oceano Indico sparsis.
Asia minor, *l'Anatolie.*	Persia, *la Perse.*
Bornei insula, *l'Isle de Borneo.*	Philippinæ insulæ, *les Isles Philippines.*
Cataia, *le Catay.*	Sinarum Regio, *la Chine.*
Ceylani insula, *l'Isle de Ceylan*, quæ aliàs Taprobana.	Syria, *la Sourie*, sub qua Terra sancta comprehenditur.
Comania, *les Circassiens.*	Sumatra insula, *l'Isle de Sumatra.*
Cyprus insula, *l'Isle de Cypre.*	Tartaria deserta, *la Tartarie deserte*, quæ pars est magnæ Tartariæ, aliàs Scythia intra Imaum.
Diarbeca, *le Diarbeck*, aliàs Mesopotamia.	Tartaria vera, quæ & vetus & magna, *la vraye ou la grande Tartarie.*
Georgia, *la Georgie.*	Turcheftania, seu Thibeti regnum, *le Turqueftan*, seu *le Tobbat*, & *le Thibet*, aliàs Scythia extra Imaum.
Japoniæ insulæ, le Japon.	Zagathaia Mauralnaria, *le Zagathay*, seu *le Mauralnaher.*
Java insula, *l'Isle de Java.*	
India, *l'Inde*, quæ in tres partes dividi potest, nempe in Indiam propriam, seu Imperium magni Mogolis, *l'Indostan*, Indiam extra Gangem, *la Presqu'isle de l'Inde dela le Gange*, & Indiam intra Gangem *la Presqu'isle de l'Inde deça le Gange.*	

Urbes Asiæ nunc celebres:

Adenum, *Aden.*	Goa, *Goa.*
Agra, *Agra.*	Hierusalem, *Hierusalem.*
Aleppum, *Alep.*	Macaum, *Macao.*
Amedebatum, *Amedevat.*	Malaca, *Malaca.*
Armuzia, *Ormus.*	Manilla, *Manilha.*
Aspahamum, *Hispaham.*	Mataranum, *Mataran.*
Bagdatum, *Bagadet.*	Meacum, *Meaco.*
Balsera, *Balsora.*	Meca, *la Mecque.*
Bantamum, *Bantam.*	Nanquinum, *Nanquin.*
Batavia, *Batavia.*	Odiaa seu Siamum, *Odiaa & Siam.*
Bengala, *Bengala.*	Pequinum *Pequin.*
Borneum, *Borneo.*	Prusa, *Burse.*
Calecutum, *Calicut.*	Samarcanda, *Samarcand.*
Cambaja, *Cambaje.*	Smirna, *Smirne.*
Candea, *Candy.*	Surata, *Surrate.*
Cantanum, *Cantaon.*	Tabrisium, *Tauris.*
Casbinum, *Casbin.*	Trapezus, *Trebizonde.*
Damascus, *Damas.*	

Asia minor, superioris pars, in Cherronesi formam coacta, cujus Isthmus à sinu Issico ad Pontum usque Euxinum pertingit. In hac Theodorus Lascares, Alexii gener imperium arripuit. An.1288. Hodiè *Natolia* Turcis dicitur, à Græco ἀνατολὴ, quod *Orientem* sig. Hujus partes sunt Cilicia, Lycaonia, Paphlagonia, Pontus, Cappadocia, Bithynia, Phrygia, Mysia, Lydia, Pamphylia, Æolis, Jonia, Lycia, & Caria. Cicero *pro Flacco*: *Namque ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygiâ, Mysiâ, Cariâ, Lydiâ.* Virgil Æn 3.

Postquam res Asiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam visum superis.

Ita LLoydius. Morerius verò has ei tantùm partes tribuit, Phrygiam, Mysiam, Lydiam Cariam, Æoliam, Joniam & Doridem. Plurimas *Asia* præ reliquis partibus Mundi prærogativas habet. Namque ibi primus homo formatus, coloniis postmodum in universum orbem deductis; sedes fuit Ecclesiæ vet. J.Christi natale solum; Imperiis insuper Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Parthorum, iterumq; Persarum, Saracenorum, denuoq; Persarum, qui sub Ismaële Sopho circa A.C.1502.tertiâ vice emerserunt, incluta,&c. In Min. septem Ecclesiæ, ad quas ipse FILIUS DEI, per S. Johannem Apost. & Evang. totidem epistolas scribi jussit, de quibus Apocalyps. 1.2.3. XII. quoque hîc insignes urbes (XIII. Eusebio) terræmotu (Orosio, sub mortem Christi, quod Lipsius negat) collapsæ sunt, quarum ruinas, Sardium imprimis, Tiberii liberalitas sublevavit. Tacit. *Annal.l.2.* Oros. *lib.7.cap.3.* Strabo *l.12.* Quidam ad A.C.17. referunt. Florentissimas hîc Ecclesias fuisse, Irenæus narrat *lib.1.c.2.& 3.l.3.c.4.* quibus iidem fidei articuli, cum iis, qui in Protestantium Ecclesiis hodieque vigent: circa An. 180. Asiatici Episcopi opposuere se strenuè Victori Episc. R. qui ob Pascha 14. Lunâ celebratum, in Asiæ Ecclesias Excommunicationis dirum fulmen strinxit: Circa Annum C.196.198. Eufeb. *lib.5.cap.23.* A latrociniis Asiam purgavit Aurelius Probus, An.279. Vopiscus *in ejus vita.* In divisione orbis, à Constantino facta, huic cum Oriente cessit, Licinio Occidente permisso.An.316.Tremuit, sub Leone Isaurio, An.740. qui motus etiam Constantinopolim concussit. Sub Michaële Duca, Nicephorus Botoniates, in Asiâ imperium arripuit, An.1075. Nicephoro Briennio in Thracia rerum suarum satagente. Andronicus dein, à Turcis infestatus, illam reliquit, An. 1303. Niceph. Greg. *lib.3.* Ob hujus duces à Bajazete Turcarum Imp. ditionibus suis depulsos, Tamerlanes ingens illi bellum conflavit, cumque captum & caveæ ferreæ inclusum, per totam Asiam circumduxit. An.1399. Tanta porro *Asiæ* ubertas rerum omnium atque fertilitas fuit, ut omnibus terris vel hoc solo antecellere videretur. Cic. *pro Q. Ligario, Asia tam opima est & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.* Eadem Mithridates, apud Justinum, ad milites concionaturus affirmat. Ait enim, *Neque cælo Asia esse temperatius aliud, nec solo fertilius, nec urbium multitudine amœnius: magnamq; temporis partem, non ut militiam, sed festum diem acturos.*

Inde Propertius,

Atque Asiæ veteres cernere divitias.

Horat. *lib.1.Sat.7.*

——*Bruto Prætore tenentem*
Ditem Asiam. ——

Atque de opulentia provinciæ hujus inde etiam conjectura fieri potest, quòd Sulla mulctæ nomine XXM talentûm imposuerit: Antonius totidem uno anno abstulerit, teste Plut. *in Lucullo & Antonio.* Hinc Tacitus, *in Agricola, cap.6. provinciam divitem, & paratam peccantibus vocat.* Plura si velis, consule Strabonem, *lib.1.*& 2. Plin. *lib.5.& 6.* Pomp. Melam *lib.1.* Ptolom. Cluverium, Labbeum, Sansonem, inprimis Reverendiss. Jac. Usserium Archiepiscopum Armachanum, *in tractatu de Asia Minore.* Dividitur Baudr. *Asia min.* in 4. partes; quarum major versùs Occid. & mare Ægeum extensa, propriè *Anatolia*; ubi fuerunt olim Bithynia, Paphlagonia, Mysia, Phrygia, Lydia, Æolis, Jonia, Caria & pars Galatiæ. Altera pars versùs Pontum Euxinum & Septentr. *Amasia* dicitur, seu *Rum*, ubi aliàs Pontus, Cappadocia & pars Galatiæ. Tertia *Caramania*, ad Merid. & juxta mare Mediterr. occupat totum terræ tractum, ubi aliàs Cilicia, Pamphylia, Lycaonia. Quarta in Orientem porrecta versus Euphr. *Aladuli* dicitur, continetque Armeniam min. antiquam.

Asia propriè dicta, Mysiam, seu Phrygiam min. cum Troade, Æolidem, Joniam Cariamq; cum Lydia & Phrygia magna complectitur, mari Ægeo, Icario, Myrtoo, Rhodioque circumfluo. Urbes olim Alexandria, Cyzicus, Ilium, Pergamum, Smyrna, Ephesus, Miletus, Halicarnassus, Gnidus, Sardes, Magnesia, Apamea, Cibyra, claræ: Nunc Smyrna, Cotiæum, Magnesia. Ferrar.

Asiæ minoris regiones, quæ mare attingunt:

Ad Septentrionem.	Jonia.
Pontus.	*Ad Austrum.*
Paphlagonia.	Cariæ pars.
Cappadocia.	Lycia.
Ad Occidentem.	Pamphylia.
Bithynia.	Cilicia.
Mysia.	*Juxta Euphrat. fluv. ad ort.*
Phrygia minor.	Euphratesia, pars Syriæ.
Troas.	Comagene, pars Syriæ.
Æolis.	Melitene, pars Armen.
Caria.	Armenia minor.
Mediterranea.	
Galatia.	Isauria.
Lycaonia.	Phrygia magna.
Pisidia.	Lydia, seu Mæonia.

Asia

Asiæ minoris regionum Metropoles sub Patriar. Constantinopolitano, majoribus asterismo notatis:

Abydus, Mysiæ.
*Adana sub P. Antiocheno, Ciliciæ.
*Amasea Cappadociæ.
Amastris, Paphlagoniæ.
Amorium, Phrygiæ major.
Anazarba, & Anazarbus, Ciliciæ.
*Ancyra, Galatiæ.
*Antiochia gem. una Cariæ, altera Pisidiæ.
Apamia gem. una Bithyniæ, altera Phrygiæ magnæ.
*Attalia, Pamphyliæ.
Cæsarea, quæ & Mazaca, Cappadociæ.
*Cæsarea altera Ciliciæ, nunc sedes Satrapæ.
Camachus, Ciliciæ.
Celtzene in Arm. minore.
Cerasus, Cappadociæ.
Chalcedon, Bithyniæ.
*Chios, insulæ cognominis.
Chonæ, quæ & Colossæ, Phrygiæ magnæ.
Claudiopolis, Honoriadis in Ponto.
Colonia, Arm. minoris.
*Cotyæum, Phrygiæ major.
Cybistra, Arm. minoris.
Cyzicus, Mysiæ.
Ephesus, Joniæ.
Euchaita, Paphlagoniæ.
Gangra, Paphlagoniæ.
Germa, Galatiæ.
Heraclea Ponti.
Hierapolis, Phrygiæ major.
*Iconium, Lycaoniæ.
Laodicea, Lydiæ.
*Melitene, Armeniæ minor.
Miletus, Cariæ.
*Mitylene, Lesbi insulæ.
Mocasus, Cappadociæ.
Mopsuestia sub P. Antiocheno, Ciliciæ.
Myra, Lyciæ.
Nacolia, Phrygiæ major.
*Neocæsarea, Cappadociæ.
Nazianzus, Cappadociæ.
Nicæa, Bithyniæ.
Nicomedia, Bithyniæ.
Pergamus, Troadis.
Perge, Pamphyliæ, sedes nunc Sylæi.
Pessenus, Galatiæ.
Philadelphia, Lydiæ.
Pompeiopolis, gemina, una Paphlagoniæ eversa, altera Ciliciæ sub Pat. Antiocheno.
*Perusa.
Rhizus, & Rhizæum, Cappadociæ.
*Rhodus, insulæ cognominis.
Samosata sub P. Antiocheno, Comagenes.
*Sardes, olim Lydiæ regia.
Sebaste, Ciliciæ.
*Sebastopolis, Cappadociæ.
Seleucia, Ciliciæ.
Sida, Pamphiliæ.
Silæum seu Silvum, Pamphyliæ apud Pergen.
*Smyrna, Joniæ.
Stauropolis, Cariæ.
Synnada, Phrygiæ major.
*Tarsus sub P. Antiocheno, Ciliciæ.
Trapezus, Cappadociæ.
Tyana, Cappadociæ.

Urbes Asiæ minoris nunc celebres:

Amasia, *Amasia.*
Ancira, *Angouri.*
Attalia, *Sattalie.*
Chalcedon, *Scutaret*, & *Scutari.*
Cotiæum, *Cutaige*, seu *Cutage.*
Iconium, *Cogni.*
Issus, *Lajazzo.*
Prusa, *Burse* & *Bursia.*
Sinope; *Sinabe.*
Smirna, *Smirne.*
Trapezus, *Trebizonde*; aliis *Tarabosan.*

Inde *Asianus*, qui ex *Asia* est. Quinctilianus, *Præfat. lib.* 8. *Neque enim Asiani, aut quocunque alio genere corrupti, res aut non viderunt, aut non collocaverunt, &c.* Ubi *Asianos* vocat, qui genus Asiaticum dicendi sequuntur. Ἀσιανὸς ζηλωτής Straboni vocatur, *lib.* 13. Juvenal. *Sat.* 7.

——— Faciant equites Asiani;
Quanquam & Cappadoces faciant, equitesque Bithyni.

Item *Asiacus* aliud adjectivum, ut quidam volunt. Ovid. *Met.* 12. *vers.* 589.

Ecquid ubi Asiacas casuras aspicis arces.

Qui versus tamen in aliis codicibus ita legitur:

Ecquid ubi has jam jam casuras aspicis arces.

Quod probat Ciofanus, & Farnabius quoque in textum recepit, quòd alterum claudicare videretur, cùm prima in *Asiacus* correpta sit; atqui oblitus erat, *Asidis* quoque voce primam poëtam produxisse. Ovid. *Met. lib.* 5.

Jam super Europen sublimis & Asida terram.

Atqui posterior lectio procul dubiò verissima est, & sic legitur in editione Heinsianâ. Hinc denique *Asiaticus*, aliud adjectivum & usitatissimum, ut *bellum Asiaticum*; *genus dicendi Asiaticum*, quod erat copiosum, tumidum & redundans, unde Petronius *ventosam*, & *enormem loquacitatem* appellavit. Causa hujus ab ingenio, & naturâ gentis petenda videtur, quæ ex opibus superba, & vana. Legatus Rhodiorum apud Liv. 45. 13. *Non negaverim & totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia, & nostrorum tumidiorem sermonem esse, quòd excellere inter finitimas civitates videamur.* Item *Asiaticus*, nomen viri apud Tac. *An.* 11. & Dionem, *lib.* 59. Alius Gallorum dux. Tacit. *Hist.* 2. 94. Item Conf. Rom. Aquilini collega.

Asia, palus cum opido cognomine, apud Tmolum montem & Caystrum fluv. circa quam, inter alias aquaticas aves plures grues versantur. Producit primam syllabam. Virg. 1. *Georg.*

——— Et quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

Idem *lib.* 7. *Æn.*

——— Longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis & Asia longè
Pulsa palus. ———

Quod habuit ex Homero, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα; Asii prati etiam meminit Stephanus.

Asiana, civitas Elidis. Steph.

Asianus, Sardiensis Episcopus.

Asiarchæ, viri erant communi Asiaticarum civitatum consensu delecti, qui communia negotia curarent. Strabo. *lib.* 14. In libris Jurisconsultorum usurpatur hæc vox, ut & *Syriarcharum*. Sic autem dicti sunt sacerdotes quidam, quorum munus erat ludos Theatrales in Deorum honorem edere, quos propterea Ruffinus apud Euseb. Munerarios interpretatur, ut observat Cujacius, J.C. longè doctissimus. Eorum functio *Asiarchia*, sicut Bithynarcharum Bithynarchia, Lyciarcharum Lyciarchia &c. dicebatur. *Præsides* iidem dicti: *Principes* item, à ratione tum nominis, tum dignitatis, quæ eminentior erat, & honoris eximii; & notum, eadem vocabula tam Principes, quam Sacerdotes sæpius significare. Hinc Athenis βασιλεὺς, Romæ *Rex*, sacra curabat. Peragebantur autem hæc sacra statis temporibus, à singularum gentium aut Provinciarum Communibus: Et quidem Communis Asiæ seu urbium id genus sacra, in Asianarum civit. eminentissima aliqua, putà Ephesi vel Smyrnæ, quò ex reliquis urbibus commigrabant homines, solebant haberi: Idque in Comitiis, &c. Horum fit mentio apud Divum Lucam *histor. S. S. Apostol.* 19. Vide de his Seldenum, *in marmoribus Arundelianis.*

Asiaticus, Dux Galliarum, concionante Vitellio, ad supplicium postulatus, quòd pro Vindice bellasset. Tacitus *histor.* 2. 94.

Asiaticus, Vitellii libertus, quem postulante exercitu, ut equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem compescuit. Dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur: honoravitque Asiaticum annulis, fœdum mancipium & malis artibus ambitiosum. Tacit. *Hist.* 2. 57.

Asibe, civitas Mesopotamiæ, ab incolis alio nomine dicta Antiochia. Steph. Opp. Asiæ min. in Cappadocia, versus Euphr. fluv. & Moschicos montes, 30. mill. ab ora Ponti Euxini. Baudrando.

Asida, op. Bæticæ mediterraneum. Plin.

Asiel, Lat. *fecit Deus*, fil. Sariæ. 1. Par. 4.

Asilas, augur, qui Æneæ in auxilium venit contra Turnum. Virg. *Æn.* 10.

Tertius ille hominum, divumque interpres Asilas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,
Et lingua volucrum, & præsagi fulminis ignes.

Item dux Trojanus. Virg. *Æn.* 2.

Et genus Assaraci Mnestheus, & fortis Asilas.

Asilum, locus veteri monasterio insignis, in agro Tolosano, vulgò *le Mas d'Asil.* Meminit *Asiliani* castri, Guil. de Podio, *Chr. cap.* 43. quod fortè *Casillat*, ad Atacem fluv. vicus Carcassonæ proximus. Valesius *Notit. Gall.*

Asima, idolum virorum Hemath. 3. Reg. 17. Latinè *dictum*, vel *positio*, aut *ignis maris.* Vide Seldenum, *de D. Syris lib.* 2. *cap.* 9.

Asina, cognomen Corneliorum, quod à Cn. Corn. Scipione ad posteros propagabatur. Hic enim, cùm sponsores ab eo poscerentur, asinam produxit in forum cum pecuniæ onere, quasi pro sponsoribus præsens pignus, eamque ob causam *Asina* postea dictus est. Macrobius 1. *Saturn.*

Asinæus & Anilæus, fratres Judæi, textrinam exercentes, in Parthia, sub Artabano; cùm verberibus à Magistro affecti essent, primò latrones, pòst totius Mesopotamiæ dominatores sunt effecti; exacto 15. ann. spatio, Anilæus, Asinæum veneno tollit, quòd se, ob Parthici ducis uxorem, contra morem gentis, raptam sibique sociatam reprehendisset: Mithridatem deinde regis generum vincit primò, mox ab eo, uxoris verbis stimulato victus, sub specie pacis tractandæ, interimitur. Inde impetus passim in Judæos, quorum L M. perierunt. Joseph. *l.* 18. *c.* 12. Caligulâ rerum potiente.

Asinaria, vulgò *Zanara*, Insula ad littus Occident. Sardiniæ; olim Herculis Ins. dicta, 16. m. p. ambitum continet; distatque 15. mill. ab Urbe Sassari in Septentr.

Asinaria, festus dies erat Syracusis ab *Asinario* fluv. dictus, apud quem Atheniensium Impp. Nicias & Demosthenes capti. Plutarch. Item nomen Comœdiæ Plautinæ.

Asinarius, Siciliæ fluv. Diodoro *lib.* 13. & Plut. *in Nicia.* Thucydidi *lib.* 7. *Assinarus.* Punicè erat, הצינור *hasinor.* Propriè autem ea vox *tubum* significat, per quem aqua in declive fertur, putà ex monte, vel tecto. Occurrit autem Psalm. 42. *vers.* 8. & 2. Sam. *cap.* 5. *vers.* 8. *Assinarus* igitur fluv. ita dictus est, qui à profundo & confragoso alveo, tanquam tubo inclusus, devolvitur in præceps. Ita describit Thucydides, cujus

verba Latinè sic se habent: *Athenienses ad Asinarum amnem festinabant*,&c. *Ut verò eò pervenere, nullo jam ordine in eum ruunt, pro se quisque primus omnium transire properantes. At ex utraque parte superstantes Syracusani (erat autem amnis præceps) desuper missilibus Athenienses conficiebant in cavo fluminis alveo inter se perturbatos.* Bochart.

Asindum, Turditanorum in Hisp.urbs.Ptol. *Medina Sidonia* Clusio dicta. Opp.hodie Andaluziæ, clarum Duc.titulo, è gente Guzmanorum, sub dominio tamen Hisp.R.in colle, inter Gades & Mundam.17. leuc.ab Hispali in Merid.Baudr.

Asine, insula Sporadum, est & alia in mari Adriatico. Mela *lib.*2.

Asine, Messeniæ op. Ptol. *Anchora* Nigro. *Phaneronimi* Favolio,& Sophiano. Inter Methonen & Coronen. Pop. *Asinai*, qui Parnassi olim accolæ *Dryopes* appellabantur, quod nomen in Peloponnesum reversi diù retinuerunt, uti scribit Pausanias. Pro *Asine* autem, Pletho hoc loco (nam is quoque in describendâ Peloponneso Ptolemæum sequitur) *Misyne* legit. Lucan. *lib.* 8.

Quas Asine cautes, & quas Chios asperat undas.

Ubi alii *Asia*. Hinc *sinus Asinaus*, Straboni *l.* 8. long. 48. 50. lat.35.00. Item pagus Argiæ reg. cognomento Hermionica, apud Naupliam. Strabo. *Volcanos*, teste Nigro.

Asine, qui pòst Lacedæmoniorum vicus, erat in ora sinus Argolici, 15.mill.à Nauplia in ortum.Baudr. Item urbs Cypri & Ciliciæ. Steph. Denique parva insula Peloponnesi in ora occid. apud Pylum op. Thucyd.

Asines, Siciliæ fluv. Incolis *fiume freddo*, id est, *frigidus fluvius*. Neque aliud sonabat *Asinus*, vel *Asinii* priscum nomen Plinio & Vibio Sequestri. Pro quo Thucydides *lib.*4. perperam habet, τὸν Ἀκεσίνην ποταμὸν. Syris enim, צין *sin* est *frigus*. Indeque amnis הצין *hassin* est *amnis frigoris*. Bochart.

Asinius Capito, Grammaticus doctissimus, librum reliquit epistolarum, ac in prima ad Pacuvium Labeonem Titulus præscriptus erat: *Pluria & non plura scribi oportere*. Gellius.5.21.

Asinius Gallus, Asinio Pollioni oratori & historico filius natus, quem captis Salonis Delmaticâ urbe agnomento dixit *Saloninum*. Is duxit Vipsaniam, Agrippæ filiam, dimissam paulò antè à Tiberio, qui ex eâ sustulerat Drusum. Unde clandestinum in Asinium Tiberii odium.Habuit ex ea liberos complures. Virilis sexus istos, C. Asinium Saloninum, Asinium Gallum, Asinium Pollionem,qui consul anno urbis DCCLVI. Asinium Agrippam, Asinium Celerem, quem consularem Plinius nominat,& ponit sub Principe Cajo. Hunc eodem die & convivam Tiberii fuisse & ob acerbius responsum eo subornante damnatum,narrat Tacitus *Annal.*1.& 5. Dio *libro* 58. in actis anni DCCLXXXII. Ser. Galbâ, L.Sullâ Consulibus ejus mors vulgatur,quem egestate cibi peremptum haud dubium: sponte vel necessitate incertum habebatur. Consultusque Tiberius,an sepeliri sineret, non erubuit permittere. Eusebius *in Chronicis*, notat Asinium Gallum, diris suppliciis mactatum,anno ante Tit.Livii mortem. Libros edidit de comparatione patris Pollionis & Ciceronis, in quibus patrem Ciceroni prætulit. Plin. *lib.* 7. *ep. ad Pont.* Contra quos Claudius Cæsar, postea Ciceronis defensionem edidit. Tranquillus *in Claudio*. Inter Latinos Poëtas illum recenset, Crinitus *l.*3.*c.*55. & Lil.Giraldus *dial.*8.

Asinius Marcellus, Asinio Pollione proavo clarus ac morum non spernendus, signator subdito testamento cum aliis sociatus: re patefactâ ob memoriam majorum & preces Neronis pœnæ exemptus est. Tacit.XIV.40.

Asinius Pollio, insignis orator, Aug.Cæsaris amicus, à quo lacessitus, noluit scribere contra eum, qui posset proscribere,docuit Romæ temporibus Pompeii M. successitque scholæ Timagenis. Scripsit bellum Cæsaris & Pompeii 17.libr. Orationes & tragœdias,Suid. Primus omnium Romæ advocatis hominibus scripta sua recitavit. Quinctilianus, ubi de eo: *Multa in Asinio Pollione invenio summâ diligentiâ, adeò ut quibusdam etiam nimia videatur, & consilii & animi satis: à nitore & jucunditate Ciceronis ita longè abest, ut videri possit seculo prior.* Omnium primus Romæ Bibliothecam fecisse dicitur. Plin. 35. 2. Plura de eo vide apud Vossium *Histor. Lat.*1.17. Fovit Poëtas Horatium,qui ipsum de Dalmatis triumphasse scribit, atque Virgilium, & hunc imprimis, quorum carminibus etiam celebratus est.Obiit an.æt.80.Tibure.V. porrò Plin. *l.*7.*c.*30.& 35. 4. Hor.*l.*2. *Od.*1. Fabium *l.*6.*cap.*4. 10.*cap.*1. & 12.5. Macrob. *Saturn.lib.*2. *cap.*4.Dion.*l.*68.Euseb.&c.

Asinius Pollio, alæ præfectus in Mauritaniâ Cæsariensi, è fidissimis Albino Procuratori, per præmissos centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent, trucidatus. Tacit. *Histor.*2.59.

Asinius Pollio, Trallianus, Romæ docuit temporibus Pompeii,& historica plurima scripsit. Malè hunc cum priore confundi, asserit Morerius,cùm prior Latinè,posterior Græcè scripserit, ex Suida.

Asinius Torquatus, Historicus, 3.seculo,sub Philippis. Græcè histor. Romanam conscripsit,cui Millenarii nomen tribuit,quia tum U.C.millesimum annum attigerat,qui etiam solemni pompâ celebratus est. Suidas.

Asiongaber, vel *Eziongeber*, locus in quo castrametati sunt Israëlitæ egressi de Hebrona.Num.33.Lat.*lignum viri*, vel *robusti*, aut *consilium viri*, vel *robusti*. Item portus regni Edom, ad mare Rubrum.Deut.2.Vide *Esiongeber*.

Asir, Lat. *vinctus*, sive *incarceratus*, aut Syriacè *prohibitus*, filius Jechoniæ.1.Par.3. Item filius Core. 1.Par.6.

Asisia, Illyridis urbs. Hanc scribit Niger nunc solo æquatam esse, ibidemque multa antiquitatis monumenta extare,& locum *Beriber* dici addit. Nisi tabulæ fallant, videtur mihi etiam *Bergane* vocari.

Asisium, Italiæ opidum,non longè ab Arna, orientem versus, vulgò *Assisi*, Ptolemæo Ἄσισιον, unde Plinio & Inscriptioni Antiquæ opidani dicuntur *Asisinates*. Plin.3.14. *Amerini*, *Attidiates*, *Asisinates*, ubi vulgò corruptè *Asirinates*. Procopio *Gothicor. lib.*3.sunt obliqui casus, Ἀσίνη & Ἀσίνην,opidani autem Ἀσινῖνοι.

Asius, fil.Dymantis, & frater Hecubæ, sed ex diversis patribus,& Hectoris avunculus, qui Priamo adversus Græcos auxilium tulit.Hom.

Asius, Jupiter sic dictus, cujus vetustissimum fanum in Creta fuit teste Stephano, sic dictus ab *Aso* Cretæ opido, quo in loco colebatur.

Asius, Poëta Samius, scripsit opus Genealogicum; Cujus meminit sæpe Pausan.*lib.*4.7.8.9.& Athen.*l.*3.& 12.

Asius, Umbriæ flu. ex monte *Asio* (qui adhuc *Asi* vulgò nominatur) oriens, *Chiazo* Leandro. Recentioribus Clasia seu Clasius, vulgò *Chiascio*, oritur ex monte Apennino,inde auctus aliquot rivis, agrum *Assisinum* rigat, 3. mill. longè ab illa Urbe fluens; post in Tiberim cadit, ad Torscianum castrum, 2. mill. supra Dirutam. Multùm ab Asio Ptolom. fluv. differt, qui per Sennones labitur.V.*Clasius*.

Asius campus, locus juxta Caystrum fluv.Hom.*Il.*2.

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

Askarna, urbec. Hiberniæ in Momonia prov. & Limericensi Comit. ad fluv. cognom. *Ascherne*. Aliis est *Ascheten*, 15. mill. Hibern.in Occas.

Aslan, Dux exercituum Sati, Tartarorum Domini, sub initium seculi præcedentis, Russiam & Poloniam sæpius vastavit, An.1525. Tartarorum Chamus, pulso Sato, electus. Moxque à Turca confirmatus, ditione aliquâ Sato concessâ,unde nihilominus etiam pulsus est; Bellum cum Moscis gessit, An.C.1533. Neugebaur, *Hist.Pol.l.*7.

Asloia, Civitas Episcopalis, in regno Norvegiæ, à qua denominatus est sinus quidam maris Balthici.Metel. & Bert.

Asmera, Urbs Asiæ, in imperio Magni Mogolis, in India, & prov.*Bando*, prope fontes fluv.*Padder*.

Asmirai, montes Asiæ, in Serica reg. ubi etiam Asmiræi pop.versus Issedonem Sericam, in eo tractu, ubi nunc Cataja, regio ampliss. & pars Tartariæ latè sumptæ. Nic.Sanso.

Asmodeus, nomen dæmonii, de quo Tob. *cap.*3. Vid. Seldenum, *de D.Syris.l.*2.*c.*6.

Asmundus, Rex Suecorum, fil. Sibclageri, in prælio contra Haddingum,usurpatoris cujusdam fil. cecidit. Cujus morte auditâ,Gumilda uxor, sibi ipsi necem conscivit. Erricus Pomeran. *Chron.Suec.*

Asmura, Hyrcaniæ urbs. Ptol. *Azmorna* Ammiano.

Asnah, nomen viri, Neh.3.Lat.*rubus*, Syriacè *inimicus*.

Asnaus, mons Macedoniæ, inter quem & Æropum alium montem Aous fluv.Livio teste,decurrit.

Asola, Opp.Italiæ, & agri Brixiani, ad fluv. *Chiese*, in ditione Veneta. Prope limites Ducatus Mantuani, à Brixia 25.m.p.& à Mantua 20.mill.in Occasum.

Asom, Hebraicè אצם, sextus filius Isai. 1.Par.2. Filius item Jerahmeel primogeniti Efrom, Latin. *festinatio eorum*, aut *jejunans*.

Asom, Hebraicè עצם, nomen civitatis. 1.Par.4.29. quæ & *Asem*, Jos.19. Lat. *os*, sive *fortitudo*, aut *clausura oculorum*, vel *lignum eorum*.

Asophis, regiuncula Peloponnesi, circa Phliuntem, Homero *Arathyrea* dicitur.

Asophos, Palæstinæ op.in Galilæa. Josephus.

Asopia, regio,Asopo fluv.finitima.

Asopiades, Æacus, Asopi nepos,pater Æginæ.Ovid.*Met.*7.

Huic Asopiades, petis irrita, dixit.——

Asopodorus, Phliasius poëta, qui primus, post Antheam Lyndium,ex compositis nominibus poesin excogitasse dicitur.

Asopodorus, Tharrelidæ fil.ob staturæ exilitatem,Comicorum lusus.Vid.Schol.*in Aristoph.Aves*.

Asopus, fluvius Asiæ, unà cum Lyco fluv. Laodiceam urb. præterfluens. Alius Bœotiæ, *Asopo*.Cephisi fluv. ramus, qui ex Cithærone monte profluens, agrumque Thebanum irrigans, à Plateensi decidit, ipsasque Thebas præterfluens, Plateas, & Tanagram, inter Oropum op. & Cynosuram promunt. mari excipitur. Ad hunc fluvium, sacra Baccho celebrare solebant. Oppianus:

Oix

Οὐκ ἐθέλω τελέτῃ σε τὰ νῦν ὀρείβακχον ἀείδειν
Οὐ χόρον Ἀόνιον παρὰ βένθεσιν Ἀσωποῖο.

Hunc Poëtæ dixere filium Oceani, Inde enim fluviorum origo: insuperque finxere, à Jove exustum, quo nomine ingentem æstum designare voluerunt, cujus violentiâ fluvius hic exsiccatus est. Strab. *lib.* 8. Pausan. *lib.* 2. qui etiam Regis cognominis meminit, de quo plura hîc dicere nil attinet. Tertius Thessaliæ, qui in sinum Oetæum apud Thermopylas, accepto Phœnice fluvio, à Thermopylis 15. stad. defertur, ac vulgò etiam *Asopo* nominatur. Quartus Macedoniæ, qui, testibus Livio & Strabone, Heracleam alluit: Quintus Peloponnesi, In Sicyonæ tractu, nunc *Arbon*; oritur ex monte Cœloste, & in sinum Corinthiacum se exonerat.

Asopus, op. Peloponnesi, haud procul à Maleo promuntorio, hodie *Esapo*, licèt Nigro *Rampano* dicatur.

Asor, urbs, aut regio Arabiæ, *Jer.* 49. Vide *Hasor.*

Asorhaddon, Lat. *ligans acumen*, sive *lætitiam*, aut Syriacè, *prohibens unitatem* vel *novitatem*, Rex Assur. 1. Esdr. 4.

Asorus, fluv. alluens Heracleam, in radicibus montis Oetæ sitam, Liv. *lib.* 6. *Dec.* 4. De quo forsan, Plin. 4. 10. A Bocatio *Asassus*, aliis *Asurus* vocatur. Legitur hodiè in quibusdam exemplaribus *Ascordus.*

Asoth, id est, *faciens*, vel *factura*, aut *tinea* sc. *vestimentorum.*

Aspachan, vulgò *Hispaham*, urbs Persidis præclara, ad flu. *Senderuth*, in prov. *Yerach*, ubi Rex Persarum commoratur à 72. circiter annis. Amplissima est, pulcherrima, & opibus numeroque incolarum pollens, cum 3. prægrandibus suburbiis *Tsulfa*, *Tabrisabath* & *Hasenabath*; ornaturque quotidie superbissimis ædificiis. Habet in ambitu 16. mill. & palatium Regis sumtuosissimum, principali rerum venalium foro imminens. Persicè *Spahawn.* Vid. hujus accuratam descriptionem, apud P. de Valle, *Itiner. tom.* 2.

Aspacharata, pop. Asiæ, in Serica reg. ubi nunc prov. *Tainfu*, in Cathaja, versus Sinas. Nic. Sans.

Aspagones, Indiæ pop. regionem fertilissimam incolentes. Plin. 6. 21.

Aspalathia, urbs Taphiorum. Steph.

Aspalathis, insula Lyciæ. Steph.

Aspamithres, Eunuchus & cubicularius Xerxis, magnâ in aula gratiâ florens: qui cum Artabano tollendi Xerxem ejusque filios consilium iniit. Ctesias. Idcircò cum summo & acerbissimo cruciatu, re à Megabyzo patefactâ, necatus est.

Aspar, Patritius, Dux Theodosii Jun. patrem Ardaburum, è manibus Johannis tyranni Ravenn. liberavit, hoc ipso capto, Dein, in Africâ, à Vandalis superatus est. In aula postmodum eò potentiæ pervenit, ut formidolosus ipsis Imperatoribus evaderet, Leoque Isaurius filiam suam ejus filio desponderet. Hinc insolentior cum patre occisus est, A. C. 471. Arianismi hyperaspistes. Niceph. *lib.* 15. Evagr. *lib.* 2. Marcellin. *in Chron.* Procop. *l.* 1. *belli Vandal.* V. etiam *Ardaburus.*

Aspar, Garamas quidam, de quo Pontanus:

Hinc Aspar Garamas, quo non præstantior alter,
Aut torquere manu jaculum, aut dare vulnera fundâ.

Asparagium, locus circa Dyrrhachium, circa fluvium Genusum. Cæsar *l.* 3. *Civil. c.* 30.

Asparluca, seu *Aspaluca*, *Aspe*, opp. olim Aquitaniæ, in Tarbellis, nunc vicus in Benearnia, ad pedes Montium Pyren. hinc ortus fluv. Gabarus, qui 5. leuc. infra in Gabarum Oloronensem se exonerat. Baudr.

Aspasia, Hermotimi filia, Phocensis, omnium sui temporis formosissima habita; idque à Cyro primùm, deinde ab Artaxerxe impensè amata. *Sapientem* vocatam & *elegantem* Xenophon, *lib.* 1. *de Exped. Cyri*, sub finem scribit; atque id nominis à Cyro ipso accepisse, Plutarchus *in Artaxerxe* significat; quem ejus consiliis feliciter usum in rebus arduis, Ælianus scribit, qui prolixè ejus historiam exponit ποικιλ. 10. 1. Meminit & Justinus, *lib.* 10. *cap.* 2. Alia est, cujus Athenæus *lib.* 5. meminit, Axiochi fil. Milesia, quâ Socrates in eloquentiæ studio magistrâ est usus, sapiens & Reip. etiam tractandæ callens, unde & à Pericle culta, qui ejus in gratiam Samiis bellum intulit, ob Prienem urbem, quam Milesii sibi vindicatum ibant, & tanti habita à Cyro, ut charissimam pellicum ab ea vocarit *Aspasiam*, de quâ suprà, quippe cui nomen antea *Milto* fuerit, ut Plut. *in Pericle* scribit. Alia hoc nomine fuit, Cleobuli conjux, de quâ Xenophon, *lib.* 5. *Hypomnem. Socrat. de re domesticâ administrandâ.*

Aspasius Byblius, Sophista, qui eodem tempore fuit, quo Aristides. Conscripsit artem Rhetoricam, & panegyricum in Adrianum, &c. Suidas.

Aspasius Paternus, Africæ Proc. Cyprianum, in civ. Curubilitanum relegat, Anno 259. Ei successit Galerius: sub quo sanctus hic Martyr mortem obiit.

Aspasius, Sophista Ravennas, Demetriani fil. sub Alexandro Romæ profitebatur, auditor Pausaniæ & Hippodromi; scripsit contra Aristonem & maledicos. Philostrat.

Aspasius Tyrius, Sophista & historicus, tum opere quodam artem dicendi tradidit; tum de Epiro (ridiculè *de Continente* in prioribus editionibus) & rebus Epiroticis historiam condidit libris 20. teste Suidâ.

Aspasius, Ravennas, docuit Romæ, sub Alexandro Severo, Imper. Suidas.

Aspastes, Carmaniæ Satrapes, suspectus res novare voluisse, dum in Indiâ Alexander esset. Quem occurrentem dissimulatâ irâ comiter allocutus, dum exploraret, quæ delata erant, in eodem honore habuit. Postea convictum interfici jussit. Q. Curtius *lib.* 9. *cap.* 53. 54.

Aspathines, Persa, cum Dario in Magum Smerdim conjuravit. Herodot.

Aspathmus, Persa nobilis, ex illis septem, qui contra Magum quendam, qui se Cyri filium mentiebatur, conjuravit.

Aspavia, op. Hisp. Bæt. *Espejo*, teste Morali.

Aspebetus, Tribunus Pers. accepto ab Isdegerde mandato, de Christianis è regno abire prohibendis, non paruit. Quare à Magis rebellionis accusatus, cum tota familia se in tutum recepit, & ab Anatolio Saracenorum seu Arabum, qui Romanis subjecti erant, Præfectus constitutus: postmodum Baptismo tinctus Petri nomen accepit, multumque inter Saracenos fidem in Christum promovit. Interfuit concilio Ephesino, A. C. 431.

Aspelia, Cypri insl. nomen. Xenagoras apud Plin. 5. 31.

Aspendius, citharœdus; de quo ità Asconius *in Orat. Cic. in Verrem*, de Præturâ urbanâ. *Difficile autem, quod Aspendius Citharista faciebat, ut non uteretur utrâq; manu, sed omnia, id est, universam cantionem, intus & sinistrâ tantùm manu complecteretur. Unde omnes, quotquot fures erant, à Græcis Aspendii Citharistæ, proverbio dicebantur; quòd, ut ille carmina, ita isti furtorum occultatores erant.* Proverbium valet in eos, qui rei nullius, quàm privati sui compendii, rationem habent, tractum, ut dixi ab *Aspendio*, qui tam leviter sinistrâ manu citharæ suæ chordas movebat, ut sonus ad ipsum tantùm citharædum, aut certè ad proximè astantes perveniret. Cic. *Ver.* 3.

Aspendus, Pamphyliæ urbs, Argivorum ædificium. Hîc Veneri suibus sacrificabant, eò quòd author ejus generis Mopsus ex Argis huc proficiscens, cùm primùm sacrificare voluisset, occurrebat illi sus. Stephanus ab *Aspendo* conditam scribit. Ejus meminit Dionysius, *vers.* 851.

Κεῖθι δ' ἂν ἀθρήσειας ὑπειράλιον πτολίεθρον
Ἄσπενδον ποταμοῖο παρὰ ῥόον Εὐρυμέδοντος.

Ubi ὑπειράλιον, *maritimum* significare non potest, ut vocem explicat Hen. Stephanus, nisi manifesta in poetâ sit ἀγεωγραφησία. *Aspendus* enim, inter mediterraneas Pamphyliæ civitates, Ptolemæo numeratur, *lib.* 5. *cap.* 5. & longiùs à mari ab eo statuitur. Et Strabo quidem, *lib.* 14. à mari 60. stadiis distare affirmat: Μετὰ ταῦτα Εὐρυμέδων ποταμὸς, ὃν ἀναπλεύσαντι ἑξήκοντα σταδίους Ἄσπενδος πόλις Ἀργείων κτίσμα. Salmasius igitur statuit, ὑπειράλιον hîc, prorsus è contrario *à mari remotum* significare, ut ὑπὲρ τῆς θαλάττης apud Strabonem, est *à mari dissitum.* Montano tamen videtur, *Aspendum* potius ὑπειράλιον dici, quasi opidum *supra mare eminens* (quod cum alterâ Hen. Stephani interpretatione satis convenit) quia, licet à mari nonnihil distet, in excelso tamen colle situm mare prospectat, teste Mela 1. 13. *Mare quo pugnatum est* (inter Athenienses sc. & Persas) *ex edito admodum colle prospectat Aspendus.* Dixi supra, *Hîc Veneri suibus sacrificabant*; Dionysium habeo auctorem, sic enim ille ubi supra:

Ἔνθα συοκτονίῃσι Διωναίην ἱλάονται.

Asper, Consul Rom. Ariovindi collega.

Asperum mare, qui & sinus Barbaricus Ptol. Troglodyticus sinus est Plinio. Eum maris tractum obtinet, qui hodie *Golfo de Melinde* dicitur, ab urbe littor. præcipua. Pars est Oceani Æthiop. & Austrini extenditurque inter Aromata prom. & Insulam S. Laurentii. Baudr.

Asphaltus, & *Asphaltis*, & *Asphaltites*, lacus Judææ in Pentapoli, in quo nihil grave submergi potest. In eo fuere Sodoma & Gomorrha, Admah & Zeboim, quæ, propter nefandam populi luxuriem & libidinem, cælitus exustæ sunt. *Mare mortuum*, à Justino & Pausaniâ, tum ob aquarum immobilitatem, tum quia nec pisces ibi, nec in ripa aves aquis gaudentes, Vid. infra. vocatur. Incolis *Sorban*, teste Francisco Junio. Arabibus *Bahar Lout*, id est, Mare Lothi, De Recoles *in addition. Davity in descr. Asia, p.* 174. A bitumine sic dictus, quod in Judæâ præstantissimum: Dioscorides, Ἄσφαλτος διαφέρει ἡ Ἰουδαϊκὴ τῆς λοιπῆς, Ἔστι δὲ καὶ καλὴ ἡ πορφυροειδῶς στίλβουσα. Neque alia occurrit causa, cur Ἀσφαλτῖτις, id est, *Asphaltites* lacus ab Hesychio appelletur, ἐρυθρὰ θάλασσα, *Rubrum mare*, quàm bituminosus in eo color. Bochartus. Plin. 5. 16. *Asphaltites nihil præter bitumen gignit: unde & nomen: nullum corpus animalium recipit: tauri, cameliq; fluitant: inde fama, nihil in eo mergi. Longitudine excedit centum mill. pass. Latitudine verò viginti quinq; implet & maxima 25. implet, minima sex: prospicit eum ab Oriente Arabia Nomadum, à Meridie Macherus, secunda quondam arx Judææ, ab Hierosolymis.* Idem habet Solinus

linus *cap.* 38. Justinus 36. 6. *In eâ regione lacus est, qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam neque ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur: neque navigationis patiens est, quoniam omnia vitâ carentia in profundum merguntur, nec materiam ullam sustinet, nisi quæ alumine illinatur.* Corn. Tacitus *Hist. lib.* 5. *Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces, aut suetas aquis volucres patitur,* &c. Et paulò pòst: *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos fulminum jactu arsisse: & manere vestigia, terramque specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herbâ tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vanescunt.* Josephus, *de bello Jud. lib.* 5. *cap.* 5. Ἄξιον δὲ ἀφηγήσασθαι καὶ τὴν φύσιν Ἀσφαλτίτιδος λίμνης, ἥτις ἐστὶ μὲν πικρὰ καὶ ἄγονος, ὑπὸ δὲ κουφότητος, καὶ τὰ βαρύτατα τῶν εἰς αὐτὴν ῥιφέντων ἀναφέρει, καταδῦναι δὲ εἰς τὸν βυθὸν, οὐδὲ ἐπιτηδεύσαντα ῥᾴδιον. Οὐεσπασιανὸς ἐκέλευσε τινὰς τῶν νεῖν οὐκ ἐπισταμένων, δεθέντας ὀπίσω τὰς χεῖρας, ῥιφῆναι κατὰ τοῦ βυθοῦ, καὶ συνέβη πάντας ἐπινήξασθαι, καθάπερ ὑπὸ πνεύματος ἄνω βιαζομένους. Et paulò pòst: Γειτνιᾷ δὲ ἡ Σοδομῖτις αὐτῇ, πάλαι μὲν εὐδαίμων γῆ, καρπῶν τε ἕνεκα, καὶ τῆς κατὰ πόλεις περιουσίας. Νῦν δὲ κεκαυμένη πᾶσα. Φασὶ δὲ ὡς δι' ἀσέβειαν οἰκητόρων κεραυνοῖς καταφλεγῆναι. Ἔστι γοῦν ἔτι λείψανα τοῦ θείου πυρὸς, καὶ πέντε μὲν πόλεων ἰδεῖν σκιάς, ἔτι δὲ κἀν τοῖς καρποῖς σποδιὰν ἀναγεννωμένην, οἱ χρόαν μὲν ἔχουσι τοῖς ἐδωδίμοις ὁμοίαν, δρεψαμένων δὲ χερσὶν, εἰς καπνὸν διαλύονται καὶ τέφραν. Subdit, Τὰ μὲν δὴ περὶ τὴν Σοδομῖτιν μυθευόμενα τοιαύτην ἔχει πίστιν ἀπὸ τῆς ὄψεως. Ubi ridiculè Interpres, *Terra quidem Sodomitica fabula ejusmodi fidem habet ex facie*, cùm Josephus neque fabulam refert, sed veram historiam; nec πρόσωπον omnino innuit, sed αὐτοψίαν. Habet hic lacus 20. leuc. longitud. 5. autem aut 6. latitud. Inque eum influunt Jordanis fluv. Arnon, Dibon & Zered torrentes, cum aliis aliq. Adjacent ei altissimi montes undiquaque. Baudr. Ter de die faciem mutare, pro Solis aspectu, recentiores affirmant.

Asphar, nomen lacus in agro Thecue. 1. Mac. 9.

Asphenes, Præpositus Eunuchorum regis Nebuchadonosor. Dan. 1.

Aspis, Cataoniæ Satrapa, ab Artaxerxe deficiens, à Datame autem in ordinem coactus. Corn. Nepos.

Aspis, op. & mons Africæ, *Meis* incolis, teste Curione. Sil. *Ital. lib.* 3.

In clypei speciem curvatis turribus Aspis.

Est etiam insula prope Cycladas, & Macedoniæ civitas, à Philippo Persei patre condita. Item ins. Lyciæ, & alia inter Lebedum & Tieum, alia Psyris vicina, alia quædam sine arboribus, & alia ultra Pissam. Steph.

Aspis, vulgò *Aspe Viejo*, opp. Hisp. ad Eldam fluv. in regno Valentiæ, è cujus ruinis crevit oppidul. *Aspe*. quod Vid.

Aspis, vulgò *Aspido*, amnis Italiæ, in Marchia Anconitana. Cadit in Musonem, prope Lauretum, & dein cum eo in mare Adriat. se exonerat.

Aspisii, Scythiæ inter Imaum pop. Ptol. Ubi etiam *Aspisius* mons, Sanf. ubi nunc pars Tartariæ desertæ. Baudr.

Aspithra, Sinarum civitas. Ptol.

Aspithra, pop. Sinarum in Asia fuere, ubi nunc prov. *Junnan, Quansii* & *Canton*, in parte Austr. Imperii Sin. Urbs *Aspithra* fortè nunc *Quancheu* est, in prov. *Canton*, ut videre est ex tabulis Mart. Martinii.

Aspledon, Achaiæ urbs, *Spledon* nonnullis dicta, & *Eudielos*, id est, *aprica*, quòd hybernationi locus commodus sit, Strabo *lib.* 9. Bœotiæ eam tribuit Plinius, & Hesychius Phocidi.

Aspona, civitas Galatiæ. Anton.

Asporatius, Conf. Rom. Herculani collega.

Asporenus, mons Asiæ Pergamo proximus; unde templum, quod ibi est matris Deorum, *Asporenum* dictum, dea quoque ipsa *Asporena*. Strabo *lib.* 13.

Asprandus, Longobardorum rex, post Aripertum 2. victum, an. 712. regn. an. 17. Lloyd. Sed tres solùm menses habet, P. Diac. *l.* 6. *c.* 36. Tutor fuerat Luitperti, Cuniberti filii, qui à Ragumberto Taurinatium Duce, patre Ariperti, regno exutus fuit. P. Diac. *l.* 6. *cap.* 28.

Asprenas, sub Tiberio proconsul Africæ, gentis *Nonia*. De *Asprenatum* claritudine & familiâ consulari Plin. *lib.* 30. *cap.* 7. Sueton. *August. cap.* 43.

Asprenas, alio nomine *Calpurnius*, cui à Galbâ Galatia ac Pamphylia permissa, oppressit in Cythno falsum Neronem, corpusque interfecti Romam misit. Tacit. *Hist.* 2. 9.

Asprenciacum, meliùs *Sparnacum*, *Espernay* opp. Gall. medium ferme, inter Catalaunum ad Ortum, & Castrum Theodori, ad Occas. V. *Sparnacum*.

Aspri, duo Consules Rom. tempore Aurelii Antonini Imp.

Aspurgitani, pop. circa Mæotidem paludem. Steph.

Asrael, fil. Jaleleel. 1. Par. 4. Lat. *beatitudo Dei*, vel *intuitus fortis*, aut *gressus Dei*.

Asriel, (idem sig. quod *Asrael*) fil. Galaad filii Machir, filii Manassis. Num. 26. qui Jos. 17. *Esriel* dicitur.

Assa, civitas juxta Athon. Item vicus Scythiæ. Steph.

Assabinus, Jupiter cognominatus, & multâ religione olim cultus apud Arabas. Plin. 12. 12.

Assacana, Indiæ reg. in qua Magosa metropolis. Strabo *lib.* 15. Apud Steph. *Assaceni* populi vocantur.

Assacanus, urbis Massagæ Rex. Curt. 8.

Assa, pop. Africæ, in Guinea mediterr. inter Aboraas & fluv. Mancum. P. du Val.

Assalio Gilbertus, M. Magister Rhodiensium Equit. Anglus, successit Arnoldo Compsano, Anno 1167. Strenuus, sed prodigus. Quemadmodum enim aliquot urbes fortitudine suâ Ordini adjecit, ita vicissim illum, prodigalitate suâ, debitis immensis oneravit. Hinc abdicare se coactus, reversurus in patriam, naufragio periit. an. 1169. *Hist. Melit.*

Assara, Maurit. Cæsar. flu. Ptol. *Selsis* Castaldo.

Assaraca, Libyæ interioris gens. Ptol. Fortè ubi nunc regnum *Biafara*. Nic. Sanso.

Assaracus, Trois regis Trojanorum, ex Callirhoe, fil. frater Ili regis, genuit Capyn, à quo Anchises Æneæ pater. Euseb. *Chron.* Hinc *genus Assaraci* apud Virgil. & *Assaraci tellus* pro Trojâ apud Horat.

Assarhaddon, Vid. *Asarhadon*.

Assasini, pop. qui decem pluresque urbes prope Tyrum, in Phœnicia, inhabitabant. Hi Mahometi deliria secuti, in more habebant Regem eligere, quem *Senem Montis* appellitabant, juvenesque alebant, qui quemque, prout libebat, interficerent. Templariis annuum pendebant tributum, à quo ut liberarentur, Christianismum se amplexuros polliciti sunt. Quod cùm hi Equites non admitterent, tum ordini suo, tum regno Hierosolymitano perniciem attraxerunt. Guil. Tyr. *lib.* 20. *cap.* 31. & 32. *hist. Orient.* Concilio Lugdunensi fautores eorum damnati, sub Innoc. 4. Iidem à Tartaris victi, A. C. 1257. Vid. inprimis de his Spond. A. C. 1231. *n.* 4. 5. & 6. Ut & A. C. 1257. *n.* 5. & in voce *Lassatini*.

Assecoma, Hisp. op. inter Bracaram & Austuricam. Anton.

Assedim, civitas in tribu Nephthali. Jos. 19. Lat. *venationes*, aut *insidia*, vel *latera*, aut Syriacè *destructiones*.

Assedones, vide *Essedones*.

Assem, nomen viri. 1. Par. 11. hoc est, *nomen*, seu *positio*.

Assera, urbs Chalcidensium. Steph.

Asserates, Alpini pop. Plin. *Val de Serra* Simlero.

Assermum, castrum permunitum, in monte, in regno Cambajæ, & imperio M. Mogolis. Paret Lusitanis, & dicitur etiam *La Roche d'Assersm*, Gall.

Asserini, vel *Assarini*, Siciliæ pop. Diod. *lib.* 14.

Assesiates, pop. Illyriæ in conventu Scardonitano, inter eos, qui eo conventu jus habent Italicum, immunesque dicuntur. Plin. 3. 21.

Assesus, urbs Milesiæ. Steph.

Assidæ, genus hominum inter Judæos, 2. Macch. 14.

Assidona, Hisp. Bæt. reg. vulgò *Xeres de la Frontera*.

Assinarius, amnis Siciliæ, *Falconara* dicitur; ab opp. cognom. & prope Neam urbem labitur. Atheniensium clade nobilis, duce Nicia.

Assinarus, vide *Asinarus*.

Assinum, *Skirassin*, urbs Scotiæ Septentr. in Comit. *Assine* & ad lacum *Assin*. Paucis constat incolis, in limite Naverniæ provinciæ.

Assinus Comitat. prov. Scotiæ Septentr. quæ propriè pars est Rossiæ, inter Abriam & Naverniam prov. juxta Caledonium mare, ubi aliàs Cerones seu Creones pop.

Assis, ins. quam efficit Tiberis, ad ejus ostia, inter Portum & Ostiam. Vulgo *Isola sacra*: 12. milliar. à Roma in merid. in ora maris Tirrheni.

Assisia, apud Milesios Pallas dicta, vel *Assesia*, ab urbe *Asseso*, in quâ templum habuit.

Assisium, urbs episc. ditionis Pontif. 4. milliar. à Clasio seu Asio fluv. in merid. In Umbria, S. Francisci natalibus clara. Leand. *descr. Ital.*

Asso, op. olim, nunc vicus Hisp. Tarrac. *Ossea* Moletio.

Assorum, mons Sami, à quo fluit *Amphilysus*. Steph.

Assorus, Siciliæ, inter Ennam & Agyrium op. Græcis Ἄσσωρος, & Ἀσσώριον, op inde Ἀσσωρῖνοι, & Lat. *Assorini*. Haud incelebrem fuisse civitatem, ex Diodoro *lib.* 14. colligere licet. Posterioribus tamen temporibus non perinde celebris fuisse videtur. Cic. *Verrinâ* 4. *Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini posteà, viri fortes & fideles, sed nequaquam ex tam amplâ, neque ex tam nobili civitate.* Vide Boch. *pag.* 586. Nunc vicus est, *Asaro*, & Comitat. tit. gaudet, alluitur Chryso fluv.

Assorus, opp. Macedoniæ, erat juxta fluv. Echedorum. Nunc vix rudera supersunt. Baudr.

Assos, Lyciæ civitas maritima in edito promuntorio sita, ad quam

quam parum tutum est accedere. Unde proverb. *Asson eas, ut citius ad exitii terminos pervenias*; Nicostratus citharœdus:

Ἄσσον ἴθ' ὥς ἂν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι.

Ubi lusus in voce *Asson*. Altera est in Æolide, Tertia in Mysiâ, ubi Sarcophagus lapis nascitur. Plin. 2. 96. & 36. 17. Vide Vossium, *ad Melam. pag.* 88. Ex hâc fuit Cleanthes Stoicus philosophus, qui Zenoni Cittiensi in scholâ successit, & eam Chrysippo Solensi reliquit. Strabo *lib.* 13. Plinius Apolloniam vocare videtur, de quâ Act. Apost. 20. 13. Quarta in Lydiâ; Quinta in Epiro.

Assuerus, pater Darii regis Medorum Dan. 9. 1. Esdr. 4. Me tastheni Artaxerxes vocatur, Josepho Cyrus, qui post Darium patruum Persis imperavit; regn. an. 40. Aliis Xerxes. Vid. *Ahasverus* Hebr. *Aschash verosh*, id est, *princeps* & *caput*.

Assum, Troadis promuntorium. Ptol. *Santiquaranti* Sophiano. Vide *Assos*.

Assumptio, urbs episc. nova & parva Amer. meridion. prope fluv. Argenteum, in regione Paraguaja. Al. *Beata Maria Assumta.* Herrera *cap.* 24.

Assur, Al. Ninus. Lat. *insidians*, sive *beatus*, *aspiciens*, vel *gradiens*, filius Nimrodi, Ninives conditor. Gen. 10. *vers.* 11. 12. Item fil. Semi *vers.* 22. Vide Bochart. *Geogr. sacr.* 2. 3. Item Judææ civitas, quam ædificavit Solomon.

Assuri, nomen loci. 2. Reg. 2.

Assurim, fil. Dedan, filii Jeckian. Gen. 25.

Assurus, urb. Afr. aliis *Assures*, media inter Siccam Veneriam & Suffetulam erat. Quid nunc sit, ignoratur. Baudr.

Assyria, reg. maj. Asiæ, quam Ptol. ab ortu Mediæ parte terminat, ab occasu Mesopotamiâ, à Sept. parte min. Armeniæ, juxta Niphatem montem, à Meridie Susianâ. Plinius 5. 12. ait, eam Syriæ partem esse, quæ postea vocata est *Adiabene.* Strabo autem longè latiores Assyriæ fines assignat, eo nomine comprehendens Babyloniam, & maximam circumjacentium regionum partem. Vide Bochartum *Geogr. Sacr.* 4. 19. Tibullus 3. 6.

Eoiq; Arabes, dives & Assyria.

Absurdum autem videri possit, quòd Assyrios juxta Thermodontem flu. statuat Dionysius. Sic enim ille,

Τοὺς δὲ μετ' Ἀσσυρίης προχύσεις χθονὸς ἐκτετάνυσται.

Sed cùm Assyrii imperium suum longè lateque propagarint, hinc effectum, ut gentes plurimæ Assyrio imperio olim subditæ Ἀσσύριοι, & per aphæresin Σύριοι & Σύροι, Græcis dictæ fuerint. Ita Herodotus & eum secutus Trogus Pompejus *lib.* 1. *Assyrii, qui posteà Syri dicti.* Sic cùm Syria, seu Assyria latè sumpta, Cappadociam comprehendat, & Græci *Syros* vocent, *quos Persæ Cappadoces*, Herodoto teste, (Καππαδόκαι (inquit) οὓς ἡμεῖς Συρίους καλέομεν, atque alibi, Οἱ Σύροι ὑπὸ Περσῶν καλεῦνται Καππαδόκαι) Dionysius generale Assyriæ nomen peculiariter usurpat pro Cappadociæ parte, juxta Irim, & Thermodontem fluvios, quæ aliis strictè *Leucosyria* dicitur. Quin & Val. Flac. *lib.* 5. in Assyriâ Sinopen constituit in his:

Assyrios complexa sinus stat opima Sinope,
Nympha prius, blandosq; Jovis quæ luserat ignes
Cælicolis immota procis.

Apollonius etiam Cappadociam Ἀσσυρίαν vocat, *lib.* 3. *Argon.* Hesychius, Ἀσσυρίων, Χαλδαίων. Occupata à Trajano est, A. C. 113. Sed relicta ab Adriano Anno 20. dicente, se imitari Catonem, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant. Spartian. *in vita ejus.* Dion. *lib.* 69. Hodie partim sub Persis, partim sub Turcis est. Præcipuæ ejus urbes, Mosul, ol. Ninive: Ctesiphon, olim regia Parthorum sedes & Arbella clade Darii nobilis. Primæ Monarchiæ sedes, quæ sub Nimrodo seu Belo, incepit A. M. 1879. Babylone, & ab Assure, seu Nino, fil. hujus Beli, *Assyria* dicta est. Cujus ultimus monarcha Sardanapalus fuit. Duravit an. 1300. Vid. Justin. *lib.* 1. Mercat. *lib.* 1. & 3. Euseb. & Genebr. *Chronol.* Cluver. *l.* 5.

Assyria, Baudrando nunc *Arzerum*, fere tota trans Tigrim fluv. Sub Turcis. Aliàs ampla, nunc arctior. Ejus pars olim fuit Adjabene prov. urbesque ibi celebres sunt, *Mosul*, aliàs Ninive, & *Schiarazur*, versus Persiam. Vid. supra.

Assyrii, quo nomine Tyrios & Phœnicas designari sæpe videas, qui simpliciter *Sorim*, vel *Surim*, hoc est, ipsissimi *Syri* vocabantur, & inde præfixo articulo הצורים *Hassorim*, vel *Hassurim*, id est, *Assyrii.* Macrob. Sat. 1. 27. *Apud Assyrios sive Phœnicas lugens inducitur Dea.* Et Virg. Geor. 2.

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

Assyrio veneno, id est, *purpurâ Tyriâ.* Claud. *lib.* 2. de Raptu Proserpinæ,

Ditibus Assyrii spumis fuscantur aheni.

Quod planius Martialis,

Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno.

Et in descriptione Beroes apud Nonnum Dionys. 41.

Ἀσσυρίῳ Λιβάνῳ παραπέπταται ———

Ubi Assyrium Libanum pro Phœnicio appellat. Neque aliud sonat *Assyria*, quàm *Syriam* apud Senecam Tragœdum, *in Hippolyto*;

O magna vasti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne litus, innumeræ rates
Tenuere pontum, quicquid Assyriâ tenus
Tellure Nereus pervium rostris secat.

Mare mediterraneum intelligit, quod Syria tenus intersecat. Themistius etiam Assyrios vocat ipsos Judæos, Ἀλλ' ἐγὼ (inquit) ὑπενοθόμην καὶ τῶν Ἀσσυρίων γραμμάτων ταῦτο τοῦτο κομψευομένων, ὡς ἄρα ὁ νοῦς τοῦ βασιλέως ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ παλάμῃ δορυφορεῖται. Locus est, *Oratione nonâ.* Ab his autem Assyriis planè diversi sunt אשורים Assyrii, filii *Assur*, trans Euphratem ac Tigrim; atque ipsa etiam scriptura Ebræa multum discrepat. Cujus rei ignoratione Græci scriptores duos populos tantâ locorum intercapedine à se mutuò dissitos in unam gentem sæpe compingunt. Inter quos Herodotus, *l.* 9. *c.* 63.

Asta, Turditanorum in Hisp. civitas, inter Sacrum promuntorium, & Herculeas columnas. *Regia* Plinio dicitur. Rudera ingentem olim fuisse indicant. *Massa de Asta* Morali. Aliquib. *Asta regia*, nunc *Xeres de la Fontera.* Media inter Arcensium urb. & Mnesthei portum, in Vandalitia. Deficitque indies. Baudr. *Asta* autem (ut putat Bochartus) Pœnis fuit אשדה *Asda*, vel *Esda*, id est, ἔκχυσις, vel ἀνάχυσις. Sic Joan. 5. 2. *Bethesda* est *domus effusionis*, uti pridem docti observarunt. Cur indè dicta sit *Asta*, docebunt Ptolemæus & Strabo. Hic, Ἡ κατ' Ἄσταν ἔκχυσις. *Quæ ad Astam est effusio.* Ille, Ἡ κατ' Ἄσταν ἀνάχυσις, καὶ ἀνάβρασις, *Quæ ad Astam est effusio, & æstuarium.* Est & *Asta* in Liguriâ, episc. non longè à Novariâ distans. Claud. *lib. de 6. Cons. Honor.*

Nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis, aut mœnia vindicis Astæ.

Nunc Duci Sabaudiæ paret. Probè munita. Ejus ager vulgò Comitatus Astensis intra Pedemontium & Montferratum. Baudr. Drangianæ item urbs. Ptolemæo & Indiæ locus. Arrian. *in Periplo.*

Astabeni, Hyrcaniæ pop. Ptol.

Astaboras, Æthiopiæ fluv. Heliod. *Æthiopic. lib.* 10. & Ptolomæo. Nunc *Coror*: oritur prope Auxumum, in Abyssinia. Baudrandus.

Astacana, Bactrianæ urbs. Ptol.

Astacapra, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. An *Janager* hodie sub M. Mogole.

Astacara, urbs Persiæ, aliàs maxima, juxta fluv. *Bendimir* prope ruinas antiq. Persepolis. Quam Vid.

Astacenum, æstuarium in Hisp. Bætica. Ptol.

Astacenus sinus, vulgò *la Maresma.* Vid. Baudr. Propontidis pars, hodie *Golfo di Nicomedia.*

Astaces, Prætor Darii, Memphis præsidio relictus, qui Alexandro Philippi filio, Nilo superato, octingenta talenta omnemque regiam supellectilem tradidit. Curt. 4. 61. Verùm Janus Gebhardus unicus Curtii admirator censet, Ruffum emendandum ex Arriani *lib.* 3. heicque legendum *Mazaces.* Sic enim loco laudato: Μαζάκης δὲ ὁ Πέρσης, inquit, ὃς ἦν σατράπης Αἰγύπτου ἐκ Δαρείου καθεστηκώς: iterumque corrigit Arrianum *lib.* 3. ubi vulgatum est, Σατράπην δὲ ἀπέδειξε Παρθυαίων καὶ Ὑρκανίων Ἀμμινάπην Παρθυαῖον. ἦν δὲ οὗτος τὴν Αἴγυπτον ἐνδόντων Ἀλεξάνδρῳ μετὰ Μαζαίου. leg. Μαζάκου. Nam Mazæus Babyloniæ Satrapes vixit, in eaque præfecturâ exspiravit. Vide Curtium *l.* 4. 11.

Astaces, fluv. Ponti, de quo Plin. 2. 103. *In Ponto fluvius Astaces rigat campos, in quibus pastæ nigro lacte equæ gentem alunt.*

Astacilicis, Maurit. Cæsariensis urbs. Ptol.

Astaceni, Indiæ pop. mediam reg. inter Cophenem, atque Indum habitantes. Strabo *lib.* 15.

Astacures, Africæ Propriæ gens. Ptol.

Astacuri, Libyæ interioris gens. Ptol.

Astacus, Asiæ urbs, sinum à se cognominat *Astacensem*, ab *Astaco*, Neptuni & Olbiæ nymphæ filio. Arrianus *in Bithynicis.* Strabo Megarensium coloniam esse ait. Est & civitas Acarnaniæ. Plin. Item reg. Byzantiorum, & Cephalleniæ colonia. Stephanus.

Astæ, Thraciæ gens. Steph.

Astageni, Arab. Fel. gens. Ptol.

Astagoa, urbs Afr. in Æthiop. Inferiori, & imp. *Monæmugi*, versus limites Zanguebariæ & Mozambiæ.

Astalicis, Ptol. vel *Astacilicis* ex al. cod. *Tefezara*, Marmol. oppidum Maurit. Cæsar. mediter. apud Timici urbem regiam, quæ *Tremesin* appellatur.

Astanda, Ariæ opidum. Ptol.

Astandæ, Suidas: Ἀστάνδαι, οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι, οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἄγγαροι, τὰ δὲ ὀνόματα Περσικά.

Astapa, Hisp. Bæt. urbs Livio, quam Navagierus putat *Steppa* dici, aliis *Estepa.* In clivo, paucisque constat incolis. Baudrandus.

Astapæi, ἔθνος Λιβύης Stephano; sed insigniter errat, cùm sit gens ista in Hispaniâ. Meminit *Astapæ* urbis Appianus, *in Ibericis*, itemque *Astapaorum*, aitque eos Carthaginensibus paruisse. Hinc error Stephani.

Astapus,

Astapus, Æthiopiæ fluv. qui cum Nilo & Astaborâ insulam Meroen facit. *Abanhi* Bar. Vide Plin. 5.9. Oritur prope montem Amaram, & in Nilum cadit.

Astaracensis tractus vel Comitatus, regiuncula Gall. in Vasconia, supra Auscos, inter Comitatus Bigerrensem & Convenarum. Ejus caput Miranda.

Astarimus, frater Astarti, Tyri rex. reg. an. 9.

Astaroth, Lat. *greges*, sive *divitia*, aut *faciens explorationem*, seu *tinea legis*, antiqua civitas Og regis Basan, in quâ primum habitavere Gigantes; postea cecidit in sortem tribûs Manassis. Sunt autem duo castella in Bethaniâ hoc nomine 9. m. p. inter se separata inter Adaram & Abilam urbes. Fuit & Philistæorum idolum, teste Josepho, *Ant.* 6. 14. quem sustulerunt Judæi Samuelis jussu. Est & alius Deus Sidoniorum, quem adoravit Solomon. Vid. de hisce porro, Gen. 14.5. Jos. 9.12. & 13. Jud. 2.3.10. 1. Reg. 7.12. 31. & 4. 23.

Astarte, Syrorum nomen & Sidoniorum dea, cui Solomon, uni concubinarum suarum obsequi volens, altaria condidit. 1. Reg. 15. Ἀστάρτην ἐγὼ δοκέω Σεληναίην ἔμμεναι, inquit Lucianus *de Deá Syriá*. Falsò. Nam Ἀστάρτη ἡ παρὰ Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη, inquit Suidas, ἣν ἐλάτρευσεν ὁ Σολομών. Vide Masium *in Jos.* 12. & Capellam *ad an. M.* 3013. & Seldenum *de Diis Syris*, & Bochartum *Geog. Sac. pap.* 781. Fuit & civitatis nomen, & insula in Æthiopiá. Steph.

Astartus, Tyri rex, regn. an. 33.

Astasana, Ariæ op. Ptol.

Astathyii, hæretici, Sergii cujusdam, qui sub initium sec. 9. imposturas Manichæorum incrustabat, sectatores. A' Michaele Curopalate, severissimis edictis, coërciti, cùm priùs sub Nicephoro immensum crevissent. Theophanes & Petrus Siculus.

Astatum, oppidul. ins. Islandicæ, in parte Septentr. in mari Deucaledonio, prope sinum Skagam. Sub Rege Daniæ, cum tota Insula.

Astelebe, civitas Lydiæ. Steph.

Astelephos, Colchidis flu. Arrian. *Atelpos* Plinio, quem inter Terion & Chrysorrhoan ponit.

Astelfus, fluv. Colchidis, in Asia, incolis *Engur*. In Pontum Euxinum se exonerat, Oriturque ex monte Caucaso versùs Alanos pop. & Cipuriam Anarghiamque rigat. Baudr.

Astenas, Hisp. Bæt. op. Strabo.

Astenidum, inter villas regias, ob sylvarum propinquitatem, venatui aptas, memoratur in Capitulis Caroli Calvi. Vulgò *Stenai* Gerberto *ep.* 103. dicitur *Satanaca*. Fiscalis fuit, ad ripam Mosæ fluv. Mosomagum inter & villam Francam. Hinc pagus *Stadinisus*, inter Vongensem & Pertensem collocatur: in iisdem Capit *Stadonensis* Frodoardo dictus *Hist. Rem. lib.* 3. *cap.* 18. inter Castricensem & Catalaunensem. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Aster, puer quidam, Platonis carminibus celebratus, in quem extant Epigrammata, *lib.* 3. *Antholog.*

Asterabatia, regio Persidis, non longè à mari Caspio, in prov. *Tabarestan*. opp. habet cognom. versus montes. Olear.

Asteria, filia Cœi Titanis filii, quæ, teste Fulgentio, post vitiatam Latonam, à Jove dilecta est, à quo in Aquilam verso oppressa fuit, eique ex eo concubitu Herculem peperit. Hæc tandem Jovi adversa, ejusque iras fugiens, deorum miseratione in coturnicem versa est, quæ ὄρτυξ Græcè dicitur, nomenque dedit insulæ, in quam aufugerat, ubi à Jove in lapidem mutata est, undisque demersa, & ab iisdem huc illuc agitata; sed tandem, ob susceptam Latonam, supernatavit, & Neptuno ac Doridi consecrata; posteà *Delos* dicta est.

Asteria, Hydei filia, ex Bellorophonte Hydim, seu Hydissum peperit, à quo Hydissus, urbs Cariæ Steph.

Asteria, Hesychius Ἀστερίη, ἡ Κρήτη, καὶ ἡ Δῆλος οὕτως ἐκαλοῦντο.

Asterion, Cometæ fil. unus ex Argonautis. Orpheus *in Argonauticis*, *Vers.* 161.

Ἀστερίων δ' ἐπέρησε παῖς κλέινοῖο Κομήτου,
Πειρεσίην ὃς ἔναιεν ἐπ' Ἀπιδανοῖο ῥεέθροις.

Apollonius, *in Argonauticis lib.* 1. *Vers.* 35.

Ἤλυθε δ' Ἀστερίων αὐτοσχεδὸν, ὅν ῥα Κομήτης
Γείνατο δινήεντος ἐφ' ὕδασιν Ἀπιδανοῖο
Πειρεσίας, ὄρεος Φυλληΐου ἀγχόθι ναίων.

Val. Flaccus, *Argonaut. lib.* 1. *Vers.* 356.

—— Celer Asterion, quem matre carentem
Cretheus gemino fovit pater amne Cometes.

Lege *Cristatus*.

Asterion, Achaiæ flu. in Nemeâ inf. vel silvâ placidè fluens, fructuum juxta ripam abundantissimus. Statius. 4. *Theb.*

—— Erasinus & aquus
Fluctibus Asterion. ——

Idem *ibidem*.

—— Quos celer ambit
Asterion, Dryopumq; trahens Erasinus aristas.

Est etiam mons in Argolico sinu. Plin. Item Thessaliæ civitas. Hom. *Iliad.* β.

Οἵ τ' ἔχον Ἀστέριον Τιτάνοιό τε λευκὰ κάρηνα.

Sic dicta, quòd in alto monte situm fulgeret:

Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο.

Hesychius Ἀστέριον πόλις ἐν Θεσσαλίᾳ.

Asteris, ins. quam sic describit Hom. *Odys.* 4.

Ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα,
Μεσσηγὺς Ἰθάκης τε Σάμοιό τε παιπαλοέσσης
Ἀστερὶς, οὐ μεγάλη, λιμένες δ' ἐνὶ ναύλοχοι αὐτῇ
Ἀμφίδυμοι. —— ——

Asteria Straboni, *lib.* 2. *Didascalio* Sophiano.

Asterius, Patr. Alexandrinus, ab Imper. Justino constitutus, contra Timotheum, hæreticorum præsulem, cui hi Theodosium surrogarunt, à Theodora Imper. adjuti, & postea Gajanum, vivente adhuc Asterio. Baron. A. C. 521.

Asterius, Episc. Amasiæ, homiliarum auctor, è quibus excerpsit quædam Photius; Imaginum cultum improbasse videtur. Vixit sec. 5.

Asterius, Episc. Arianus, Sophista celeberrimus, hæreseos post Concilium Nicenum defensor acerrimus. Jesum Christum dixit esse Virtutem Patris, aliaque deliravit plurima. Obiit repentinâ morte. Hieron. *in Catal.* ait, illum composuisse Commentarium in Psalmos, Evangelia, Epistolas D. Pauli, aliaque, quæ Sectatores ejus solicitè evolvebant. Socrat. *l.* 1. *c.* 24. Onuphr. A. C. 339. Prateolus, in voce *Asterius*. Bar. A. C. 325. 336. 370.

Asterius, à Leone Episc. R. Constantinopolim missus, sub initium imperii Marciani, ut Orientalem Ecclesiam cum Occidentali uniret, & Episcopos in hæresim prolapsos ad fidem reduceret. an. 450.

Asterius, præfectus Orientis, qui Gregorium, Patriarcham Antiochenum, durius tractavit; cum uxore recens ductâ, ruinâ domus oppressus, durante terræmotu, quo sexaginta hominum millia Antiochiæ sublata. Anno 687. Evagr. *l.* 6. *c.* 8. & 9.

Asterius, nomen patris Minois. Item, locus in Tenedo. Plut. Hesychius Ἀστέριοι, οἱ πρῶτοι τὴν Τένεδον κατοικήσαντες. Vide Boch. *Geogr. p.* 517.

Asterodia, Caucasia nympha, prima Ætæ uxor, teste Apollonio.

Asteropæus, Pelagonii fil. cum Pæoniis venit in auxilium Trojanis, Achilli, ob occisum Patroclum, irato occurrere ausus, ab eo miserè cæsus interiit. Item Spartanus nobilis, qui Lycurgum in formandâ Rep. juvit.

Asterusius, mons Cretæ ad meridiem mare spectans, cujus coloni civitatem ejusdem nominis ad Caucasum ædificaverunt. Steph. Item urbs Arab. Fel. Diod. *lib.* 5.

Astesanus Astensis, vixit sec. 14. Scripsit summam conscientiæ 8. libris comprehensam. Bellarm.

Asterlania, prov. novi regni Mexic. in America Septentr. in Boream prov. Cinaloæ, non longè à mari Purpureo. A' paucis annis ab Hisp. lustrata, quibus tamen nullæ Coloniæ ibi.

Asteus, Archon Athenis, Olymp. 101. an. 4.

Asthæa, Gedrosiæ insula. Ptol.

Asthagura, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Astia, promontorium Thraciæ ad Bosporum, vulgò *Cecrium*; teste Gyllio. *Asti* populi Straboni.

Astigi, urbs Hisp. Bæt. Mela. 2. 6. quæ nunc vulgò *Ecija* dicitur. Tria hujus nominis op. fuere. Præcipua est hæc, cujus plurimi mentionem faciunt. Altera erat in Celticis ad Lusitaniam, quam recenset Anton. in itinere à Cordubâ Emeritam. Sed & Plin. hujus meminisse videtur, cùm in Celticis urbibus *Lastigin* enumerat, perperam, ut putat Vossius, pro *Astigi*. Tertiæ situm ostendit Ptolemæus, cujus quoque mentio apud Plin. sub nomine *Astigi* veteris. Viri docti has malè confundunt, utroque enim modo scribitur *Artigis*, vel *Astigis*, vel *Astigi*.

Astinckhusa, opp. in Comitatu Waldekensi. Metel.

Asto, Prosopitis Nomi Ægypti civitas, & metropolis, ubi Saturnus colebatur. Epiphanius.

Astoa, vicus Arabiæ Fel. Ptol.

Astomi, Indiæ pop. *ore carentes*, Plin. *lib.* 7. *cap.* 2. quem sis vide.

Astovia, Germ. urbs. Ptol. Aliis *Astuia*, vulgo *Bedenhusen*.

Astrabacus, δαίμων ἐπιχώριος παρὰ Λάκωσι. Clem. Alex.

Astrabe, una Cycladum, *Casos* posteà dicta.

Astrachanum, urbs ampla Tartariæ Asiaticæ, prope ostium Volgæ fluv. in ditione Moscorum, ab an. 1554. cum arce permunita. Habuit olim Regem proprium. Ibique antiquitùs erant Asturcani pop. Leuc. à mari Caspio 12. & 70. ab urbe Terkia in Septentr. Pars Tartariæ, in qua sita est, vulgo *Nagaja* seu *regnum Astracanum*, Olear. Capta haud pridem à rebellium Duce, sed recepta.

Astræa, Astræi, Arcadiæ regis (quidam scribunt Titani fratris Saturni) & Auroræ, sive, ut Hesiodus, & alii volunt, Jovis ac Themidis Cœlo & Terrâ prognatæ filia; ob æquitatem suam *Justitia* dicta. Quæ aureo seculo è cœlis in terram migrasse, & tandem in subsequenti æreo & ferreo, vitiis hominum

rum crescentibus offensa, in cœlum iterum subvolasse, ibi Zodiaco inserta, *Virginis* nomine, fingitur. Hesiodi *theog.* Ovid. *Met.* 1. *f.* 4.

—— Et Virgo cæde madentes
Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Seneca *in Octaviâ*:

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum, & cruentâ cæde pollutas manus
Astræa Virgo, siderum magnum decus.

Aratus *in Phænomenis*:

Ἀμφοτέροισι δὲ ποσσὶν ὑποσκέψαιο Βοώτου
Παρθένον, ἥ ῥ' ἐν χερσὶ φέρει στάχυν αἰγλήεντα.
Εἴτ' οὖν Ἀστραίου κείνη γένος (ὅν ῥά τέ φασιν
Ἄστρων ἀρχαίων πατέρ' ἔμμεναι) εἴ τέ τευ ἄλλου,
Εὔκηλος φορέοιτο. Λόγος γε μὲν ἐντρέχει ἄλλος
Ἀνθρώποις, ὡς δῆθεν ἐπιχθονίη πάρος ἦεν,
Ἤρχετο δ' ἀνθρώπων κατεναντίη, οὐδέποτ' ἀνδρῶν,
Οὐδέποτ' ἀρχαίων ἠνήνατο φῦλα γυναικῶν,
Ἀλλ' ἀναμὶξ ἐκάθητο, καὶ ἀθανάτη περ ἐοῦσα.
Καί ἑ Δίκην καλέεσκον.

Et postea,

Ἀλλ' ὅτε δὴ κἀκεῖνοι ἐτέθνασαν, οἱ δ' ἐγένοντο,
Χαλκείη γενεή, προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες,
Οἳ πρῶτοι κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων,
Καὶ τότε μισήσασα Δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν,
Ἔπταθ' ὑπουρανίη, ταύτην δ' ἄρα νάσσατο χώρην
Ἧχί περ ἐννυχίη ἔτι φαίνεται ἀνθρώποισι.

Hæc dum scribo, veniunt mihi in mentem versus Catulli *de Nupt. Pel. & Thet.* quos proculdubiò cùm faceret, Arati locum prædictum ante oculos habuit. Sunt autem tales:

Præsentes namq; antè domos invisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu
Cœlicolæ, nondum spretâ pietate solebant.
Sæpè Pater Divûm templo in fulgente revisens,
Annua dum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terrâ Cretum procurrere currus.
Sæpè vagus Liber Parnassi è vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit, &c.
Sæpè in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est præsens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamq; omnes cupidâ de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primævi funera nati
Liber, ut innuptæ potiretur flore novercæ,
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est Divos scelerare penates.
Omnia fanda, nefanda, malo permista furore,
Justificam nobis mentem avertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Astræa, civitas Illyriæ. Steph.

Astræum, op. Macedoniæ. Ptol.

Astræus, Titanum unus, qui contra Deos arma sumpsit, Astrææ pater, quam ex Aurorâ genuit, nec non & ventos omnes, quos, cùm fratres adversus Jovem bellum movissent, omnes armavit, & in superos emisit. Item fluv. Macedoniæ. Ælianus. Oritur in limite Albanorum, prope Astræum opp. ubi Astræi, seu Æstræi pop. inter Almoves & Dessaretios. Baudr.

Astrampsychus, author antiquus, scripsit *de curâ asinorum*, & ὀνειροκριτικὸν, id est, *de conjectatione somniorum*. Suidas.

Astrapæus, Jupiter à *coruscatione* sic dictus.

Astrassus, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Astrata, Arabici sinûs insula. Ptol. *Caiassa* hodiè, ut ex tabb. apparet.

Astreus, unus fuit ex iis, qui in aulâ Cephei regis Perseo vim inferre conati, ab eodem sunt interfecti. Ovid. *Met.* 5.

Occidit & Celadon Mendesius, occidit Astreus.

Astrobi, Indica gens. Arrian.

Astrologus, Hercules dictus est, quòd eo die se flammis injecit, quo futura erat Solis obscuratio. Festus.

Astromela, urbs Narbonensis provinciæ maritima, *Martiguez* hodiè Pineto. A' Maritima opp. Hinc periti nautæ, *les Martegaux*. Baudr.

Astulphus, Vid. *Aistulphus*.

Astur, qui ab *Asturia* est. Mart. *de Asturconibus*:

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab armiferis gentibus Astur equis.

Item Hetruscus quidam, qui Æneæ suppetias tulit adversus Turnum. Virg. *Æn.* 10.

Astura, *Stura*, *Stora*, & *Astora*, op. olim, nunc exiguum castrum, & flu. Latii apud Circeios. Festus fluvium ait 6. m. p. ab urbe fluere. Sed hic *Stura* in agro Laurenti, *Storas* Straboni vocatur, diversus ab *Astura*, qui 5. m. p. abest ab Antio Circeios versus, ubi Cicero à Marci Antonii militibus fugiens, interfectus est.

Astura, Vicus est ad mare, cum fluv. parvo cognom. aliàs sub Volscis, nunc in Campania Rom. & ditione Pontif. Dominos habuit Frangepanos. Ibique detectus & captus est Conradinus Suevus, nepos Friderici secundi. Baudr.

Astura, seu *Asta* fluv. Hisp. Lucum Asturum alluit, & postea in Cantabr. Oceanum cadit. Quibusdam *Melsus*. Aliis autem est *Tera* fluv. qui Asturicam alluit, & dein cum Urbico & Estolla in Durium cadit. Baudr.

Astures, Hisp. Tarracon. pop. Gallæcis proximi, aurifodinis, & equis quondam tolutariis nobilitati, quibus non vulgaris in cursu, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. De auri fossoribus Asturibus res notissima est. Luc. *l.* 4.

Non se tam penitus, tam longè luce relictâ
Merserit Asturii scrutator pallidus auri.

Ubi perperam *Assyrii auri* nunc circumfertur.

Sil. Ital. *lib.* 1.

———— Astur avarus
Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor auro.

Mart. *lib.* 10. *ep.* 16.

Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in arvis.

Claud. *in Prob. & Olybr. Consul.*

—— Quidquid tellure revulsâ
Callaicis fodiens rimatur collibus Astur.

Ità locum istum feliciter emendavit doctiss. Nicol. Heinsius, cui hanc notam debeo. Horum reg. *Asturia*, vulgò *Las Esturias.*

Asturia, regio & civitas Hispaniæ, prope Lusitaniam, ab Astura fluvio sic dicta. Duæ autem Asturiæ annumerantur, quarum una vernaculè *Asturias de Quiedo* dicta, Galiciâ terminatur, altera *Santillana* nomine, Cantabris & Vasconibus concluditur; utraque excelsis montibus attollitur. Ibi sunt breves equi, sed incessu veloces, qui *Asturcones* vocantur: hodie Pyrenæos montes vulgus *Las Asturias* vocat. Metel. Totius regionis primaria est Lucus Asturum, *Oviedo*, urbs aliàs regio titulo insignis. Regio hæc montosa admodum & sterilis raros habet incolas. Baudr. Roderico Rege à Saracenis Maurisque victo, cùm omnis nobilitas Gothorum cecidisset, sola, cum Cantabria, ex Hispaniæ regnis, intacta remansit, 713. Tum Pelagius, ex regio Gothorum sanguine, ob illatam vim filiæ suæ à Præfecto Saraceno, ad Asturiorum montes profugiens, reliquias Gothorum ad libertatem vocavit, hostiumque XXVM. prostratis, novum in Asturiis regnum condidit. an. 714. 717. Ex Asturiis sedem Legionem transtulit Ordonius, an. 920. Obsessa Astura ab Almansore est an. 985. &c. Hodie sub Hispaniæ Rege. Mariana. *lib.* 7. Plin. *l.* 3. *c.* 3. & *l.* 4. *c.* 20. Strab. *l.* 1. Rodericus Sanctius *in Chron.*

Asturica Augusta, aliàs Asturum urbs, nunc regni Legionensis, ad fluv. *Tera* in contin. Vaccæorum, vulgò *Astorga*. Vid. Boter. *Relationem Hisp.* A paucis inhabitatur & indies deficit. Baudr. Episc. est. Ibi Synodus, an. 947.

Asturicani, Sarm. Asiaticæ gens. Ptol.

Asturis & *Casturis*, urbs Austr. ad Anisum fluv. *Steir.* Vide Ferrar.

Asturum lucus, Hisp. Tarracon. urbs. Ptol. hodiè *Oviedo*. V. *Ovetum.*

Astusapes, Nili nomen. Plin. 5. 9.

Asty, vel *Astu*, Diod. Sic. nomen, quo olim Græciæ urbes vocabantur; Athenæ autem & Alexandria per excellentiam. Stephanus.

Astyages, Cyaxaris fil. nepos Phraortæ, 9. & ultimus Medorum rex, pater Mandanæ, quæ Cambysi, mediocris dignitatis Persæ, nupta Cyrum, à quo Avus de throno deturbatus, peperit; de quo multa Herodotus *lib.* 1. & Justinus. *lib.* 1. Vid. *Cambyses*, *Cyrus*, *Harpagus*, *Mandane.* In hoc finiit Monarchia Medorum, Anno 196. U. C. 5. Olymp. postquam durasset 317. an. connumeratis annis 35. vel 38. secundùm Euseb. regni Astyagis.

Astyalus, Trojanus, à Neoptolemo interemptus. Hom. *Iliad.* 6.

Astyanassa, Helenæ uxoris Menelai, ancilla lascivissima; prima de variis concubitûs modis, librum conscripsit; cujus exemplum posteà imitati sunt Philænis, & Elephantine. Suidas. Hesychius, Ἀστυάνασσα, Ἑλένης θεράπαινα, ἥτις πρώτη ἐξεῦρεν Ἀφροδίτην, καὶ ἀκόλαστα σχήματα. Vide Scalig. *ad Catalect. pag.* 203.

Astyanax, unicus Hectoris ex Andromache fil. natus, post inchoatum bellum Trojanum, quem Ulysses, naves è Sigeo solvens, de turri dedit in præceps. Ovid. *Met.* 13.

Mittitur Astyanax illis de turribus, unde
Pugnantem pro se, proavitaq; regna tuentem,
Sæpè videre patrem monstratum à matre solebat.

Seneca Tragœdus:

Præceps ut altis cecidit à muris puer,
Flevit Achivûm turba quod fecit nefas.

Hinc jocus Martialis 8. 6.

Miratus fueris cùm prisca toreumata multùm,
In Priami cyathis Astyanacta bibis.

Hoc est, *Vinum novum in veteribus poculis.* Hesychius, Ἀστύαναξ, ἰχθῦς τις οὕτως καλεῖται, καὶ ὁ τοῦ Ἕκτορος παῖς.

Astyanax Mecænius, historicus Latinus. Voss. *l. 2. c. 4.*

Astycratia, Æoli filia. Hom. *Odyss.* 10.

Astydamas, Atheniensis, edidit Tragœdias 42. vicit 5. Morerius habet 240. Trag. vicit 15. Olymp. 95. Ex Diod. Sic. *lib.* 4. Suid. Primus ex auditoribus Socratis se ad poeticam convertit. Alius prioris fil. & ipse Tragicus, Olymp. 102. Suidas. Item histrio, Morsimi fil. Huic cùm statua in theatro ponenda decreta fuisset, quòd in agendo Parthenæum sese gnaviter ac scitè gessisset, titulum ipse conscripsit, in quo suas laudes complectebatur. Unde Proverb. *Astydamas seipsum laudat.*

Astydamas, Tragœdiarum scriptor, docuit Olympiad. XCV. anno secundo primùm: postea vixit annos sexaginta.

Astydamia, Ἀκάστου γυνή. Hesychius.

Astydamia, Ormeni filia, quam Hercules, patre prius occiso, rapuit. Ovidius,

Nec referam partus Ormeni nympha tuos.

Astydamus, Milesius, ab Ariobarzane Persarum satrapâ invitatus, novem convivis paratas epulas solus absumpsisse dicitur.

Astygi, seu *Astygis*, Ptol. *Ecya*, urbs Hisp. Bæticæ, hodieque clara, ad Singulim fluv. Episc. olim sub Arch. Hispalensi, unde 15. leuc. recedit Granatam versus, inde in ortum 21. leuc. distans, à Corduba 8. *Augusta firma*, quoque Plinio. Hæc à Ferdinando R. unà cum Astapa, Obulco, Ægabro, Lucena, Marcia, Ursone & Vaena, Mauris erepta est, an. 1231.

Astylus, unus ex Centauris futura prænoscens, fratres monuit, ne bellum adversus Lapithas moverent, exortoque in nuptiis bello, ipse sibi timens, unà cum Nesso fugam arripuit. Ovid. *Met.* 12.

Quiq; suis frustra bellum dissuaserat augur
Astylus, ille etiam metuenti vulnera Nesso,
Ne fuge, ad Herculeos, inquit, servaberis arcus.

Astylus, vel *Astyllus*, Crotoniata, cursor tribus Olympicis continuis vicit, stadio, diaulo, & dolicho. Quòd autem in ultimo se Hieronis magistrum, ac Syracusanum, in gratiam Dinomenis, fil. Hieronis, à præcone declarari fecerat, Crotoniatæ irati, statuam ejus fregerunt, ejusque bona publicarunt. Pausan. *l. 6.* & Plato *in Legg.* qui eum non tam cursu, quàm perpetuâ virginitate clarum prædicat.

Astymedusa, Oedipi uxor, quam repudiatâ matre, prius matrimonio sibi conjunctâ, sed incognitâ, duxit; quæ, ut liberis prioris conjugis infensum parentem faceret, apud patrem eos accusavit, tanquam qui se de stupro appellassent, quapropter Oedipus iratus, regnum cruentum reliquit.

Astynome, Chrysæ, Apollinis sacerdotis filia, quam Achilles, Lyrnesso expugnatâ, secum abstulit. Hesych. Ἀστυνόμη, ἡ Χρυσηὶς ὑπὸ τῶν νεωτέρων.

Astynomi, Athenis erant X viri, quibus cura psaltriarum ac tibicinum (alii addunt & viarum) incumbebat, de quibus Plato *de Rep. lib.* 6. Hesych. Ἀστύνομος, ὁ διοικῶν καὶ τὸ ἄστυ.

Astynomus, de Cypro commentatus videtur. Plin. 5. 31. Vide Steph. *in* Κύπρος.

Astynous, Princeps Trojanus à Diomede interfectus. Hom. *Iliad.* 5.

Astyoche, Actoris filia, quam in cœnaculo paternæ domus Mars oppressit, ex quâ genuit Ascalaphum & Jalmenum. Hom. *Iliad.* 2. Item uxor Telephi, mater Eurypyli. Qu. Calaber. 6.

Τὸν γὰρ δὴ τίκε δῖα κασιγνήτη Πριάμοιο
Ἀστυόχη κρατεροῖσιν ἐν ἀγκοίνῃσι μιγεῖσα
Τηλέφου. —— ——

Astyochia, ab Hercule, ex Ephyre Laconiæ civitate rapta, ex quâ Tlepolemum genuit. Hom. *Iliad.* 2.

Ὃν τέκεν Ἀστυόχεια βίῃ Ἡρακληείῃ
Τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος.

Astypalæa, una Cycladum. Stephanus, Ἀστυπάλαια νῆσος, μία τῶν Κυκλάδων, &c. Ἐκλήθη δὲ ὑπὸ Ἀστυπαλαίας τῆς Ἀγκαίου μητρός. Hanc porro *Astypaleam* Phœnicis fuisse filiam scribunt veteres. Pausanias *in Achaicis.* Ἄσιος δὲ ὁ Ἀμφιπτολέμου Σάμιος ἐποίησεν, ἐν τοῖς ἔπεσιν, ὡς Φοίνικι ἐκ Περιμήδης τῆς Οἰνέως γένοιτο Ἀστυπάλαια, καὶ Εὐρώπη, Ποσειδῶνος δὲ καὶ Ἀστυπαλαίας εἶναι παῖδα Ἀγκαῖον. Schol. Apollonii, *lib.* 1. *Argon.* Ὁ μὲν Ἀγκαῖος υἱὸς Ἀστυπαλαίας ἦν τοῦ Φοίνικος. Vox Græca quidem est *Astypalæa* notissimæ significationis, atque, ut vult Themistagoras, ita dicta est Sami portio ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἐκεῖσε ὄντος ἄστεος. Sed cùm Sami regnaverit Ancæus, tam Sami portionem, quàm insulam, de quâ jam agimus, ab Ancæi matre putamus *Astypalaam* appellatam. Quo nomine si verè dicta est, aliam esse oportet vocis originem, quàm quæ primâ fronte videtur. Absurdum enim est, ut Græco nomine, eoque à vetustate opidi sumpto, vocetur Phœnissa mulier. Itaque si divinare licet, *Astypalæa* verum nomen fuerit אשתפלא *astipella, ab humilitate* ductum. Syris enim אשתפל *estappel* sig. *sese dejicere* & *humiliare.* Item *Astypalæa*, Coæ urbs. Strabo *lib.* 14. Ἡ δὲ τῶν Κῴων πόλις ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν Ἀστυπάλαια, nempe ab illâ ipsâ *Astypalæâ* Phœnicis filiâ, de quâ diximus. Hinc Stephanus, Ἀστυπάλαια, νῆσος, μία τῶν Κυκλάδων, &c. δευτέρα πόλις ἐν Κῷ. Tertia insula, civitatem habens inter Rhodum & Cretam. Quarta urbs in Samo, *Astypalæam* ἀκρόπολιν sive Arcem Samiorum, à Polycrate communitam habet Polyæn. *lib.* 1. *in Polycr.* Quinta promuntorium juxta Atticam. Ovid. 2. *de Art. Am.*

Cinctaq; piscosis Astypalæa vadis.

Idem Ovid. *Metam. lib.* 7.

Hinc Anaphen sibi jungit & Astypaleia regna.

Astyphilus, Posidoniates, vates, qui Junioni Atheniensi, cui erat familiaris, mortem prædixit, ex præcedentibus prodigiis. Plut. *in Cimone.*

Astyr, Memnonis auriga, à quo *Astyres* populi Gallæcis proximi dicti sunt.

Astyra, vel *Astyrum*, civitas Mysiæ juxta Troadem. Est & vicus prope Adramyttium; item civitas Phœniciæ, ubi Minerva *Astyris* colebatur; alia Bœotiæ juxta Potnias. Steph.

Astyrius, Senator Rom. sub Gallieno Imp. pietate insignis, honestâ donavit sepulturâ Marinum centurionem, martyrio Cæsareæ Pal. affectum, An. 269. Euseb. *lib.* 7. *cap.* 14. precibusque suis impetravit, ne dæmon gentiles evanescentiâ victimæ ad fontes urbis illius seduceret. Ibidem *c.* 22. & 23.

Astyron, urbs in recessu Illyrici maris, ab Argonautis condita, à Colchis *Polas* dicta. Strabo *ex Callimacho.*

Asuada, Palæstinæ op. Lib. Notit.

Asualdus, al. *Celuvoldus*, Northumbriæ R. à seditiosis occisus. Polydor. *lib.* 4.

Asuciandæ, Sarmatiæ Asiaticæ pop. Plin.

Asuga, opp. Abyssiniæ, in prov. *Ambiam*, prope Æquatorem.

Asula, op. in agro Brixiano. *Asulani* populi. Plin. 3. 5.

Asulum, *Asolo*, opp. Italiæ, in Marchia Tarvisina, prope fontes fluv. Mussoni, ditionis Venetæ, in monte.

Asunga, lacus Sueciæ, in Westro-Gothia prov. versus Smalandiam.

Asura, op. propè Philiscum ad Euphratem. Plin. 5. 16.

Asurus, vide *Asorus.*

Asybi, Vid. *Ibi.*

Asychis, Ægypti rex, post Mycerinem. Legem tulit, quâ oppigneranti cadaver patrium pecuniam mutuò dari volebat. Pyramidis eximiæ conditor. Herodot. *l.* 2.

Asylas, vates quidam apud Virg. *Æn.* 10. Vide *Asilas.*

Asylum, templum à Romulo ædificatum. Græcè Ἄσυλον, habet affinitatem cum Ebræo אשל quod est *nemus.* Et silvas interdum fuisse *Asylum*, vel fidem fecerit hoc Maronis Virg. *Æn.* 8.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit. ——

Sed ferè templa potiùs, quàm nemora *Asylum* erant. Unde Liv. *lib.* 35. *Eâ religione, & eo jure sancto, quo sunt templa, quæ Asyla Græci appellant.* Vide Vossium, in *Asylum.*

Asyncritus, nomen viri. Rom. 16. Lat. *Incomparabilis.*

Asyphus, Marmaricæ fons. Ptol.

A T.

Atabicis, civ. in Propontide ins. Steph.

Atabuli, Æthiopiæ sub Ægypto gens. Plin.

Atabulus, ventus in Apuliâ præcipuè spirans. Horat. 1. *Sat.* 5.

Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus ——

Porphyrio sic dictum ait, qu. ἀπὸ τοῦ τὴν ἄτην βάλλειν, quòd nocumentum, pestilentiamque inferat. Ventum hunc *Horatianum* vocat Gellius, *lib.* 2. *cap.* 22.

Atabyris, vel *Atabyrium*, Rhodi mons celeberrimus, in cujus vertice templum habuit Jupiter.

Atabyrius, Strab. *lib.* 14. ubi de Rhodo: Ἔστι δ' ὁ Ἀτάβυρις ὄρος τῶν ἐνταῦθα ὑψηλότατον, ἐν ᾧ ἱερὸν Διὸς Ἀταβυρίου. Rhianus apud Steph. Ἀτάβυρον ὄρος Ῥόδου, &c. ἐξ οὗ καὶ Ἀταβύριος Ζεύς. Apollodorus, de Althemene: Προσίσχει τινὶ τόπῳ τῆς Ῥόδου, &c. ἀναβὰς δὲ ἐπὶ τὸ Ἀτάβυρον καλούμενον ὄρος ἐθεάσατο τὰς πέριξ νήσους. Diodorus *lib.* 5. Ἐπὶ δ' ὄρους Ἀταμύρου (lege Ἀταβύρου) Διὸς ἱερὸν ἱδρύσατο τοῦ προσαγορευομένου Ἀταμυρίου (lege Ἀταβυρίου) Pindar. *Olymp.* 7. Ὦ Ζεῦ πάτερ νώτοισιν Ἀταβυρίου μεδέων. Ubi Scholiastes, Ἐπάνω τοῦ ὄρους ἵδρυται ὁ Ζεὺς Jupiter, id est, Jovis templum. Et paulo pòst, Εἰσὶ δὲ χαλκαῖ βόες ἐν αὐτῷ, αἵτινες ὅταν μέλλῃ ἄτοπόν τι γενέσθαι, μυκῶνται. Quod ipsum habet Tzetzes, *Chil.* 5. *Hist.* 138. Phœnicia hæc est fabula, cujus mens est: In eo templo fuisse augures, qui imminentia mala præmonebant. Phœnicibus scil. אלוף מנחש voces ambiguæ sunt, quibus & *doctor augur* significatur, & *bos ex ære.* Quod posterius ideo amplexi sunt fabularum architecti, quia παραδοξότερον. Ab hoc monte insula dicta *Atabyria*, Hesychius, Ἀταβυρία ἡ ὀγδόος πάλαι, rescribe ἡ Ῥόδος. Plinius, *Vocitata est antea*

Ophiusa,

Ophiusa, *Asteria*, *&c.* *Atabyria* ex rege. Imò à monte, quem diximus, qui Phœnicibus erat תבור *Thabor*; unde est, quòd in *Appiani Mithridaticis* sine α. legitur Ταβυρίȣ Διὸς ἱερὸν. Ejusdem nominis montem, & opidum in Phœnice, ex S. Scripturâ notissimum, Josephus, Aquila, Symmachus *Itabyrium* nominant, & Polybius Ἀταβύριον, *lib.* 5. Fuit & in Siciliâ, circa Agrigentum, Polybio teste, *lib.* 9. ἱερὸν Διὸς Ἀταβυρίȣ, καθάπερ καὶ παρὰ Ῥοδίοις. Nempe ad montem cognominem, de quo Pindari Scholiastes, & Stephanus ex Timæo. Ἔστι καὶ Σικελίας Ἀταβύριον. Sed eam Siciliæ partem Punicis nominibus scatere, nihil mirum est, cùm illam Pœni diu tenuerint. De cætero, quid vel *Tabor*, vel *Atabyrion* sig. non usquequaque constat, nisi quòd Hesych. Ἀταβύριον interpretatur ὄρος, ἔνθα θηρία συνάγονται; neque fortasse id malè, cùm *Thabor* ad בר, vel בור alludat. Syri sic vocant locum incultum feris pascendis destinatum, Dan. 2. *Vers.* 38. Bochartus.

Atacama, desertum Americæ merid. in regno Peruviæ, versus confinia regni Chiles, in ora littorali maris Pacifici, in regione *de los Charcas*, inter Aricam & fluv. Copiapum.

Atacini, pop. Narbonenses, ab *Atace* amne ejus provinciæ dicti, à quibus Romæ *Atacinorum* nomen.

Atad, id est, *rhamnus*, sive *spinetum*, locus trans Jordanem, ubi exequias peregerunt filii Israel super mortem Jacob, tertio ab Hierichunte lapide, 2. m. p. à Jordane, qui locus postea dictus est *Abel Mitzraim*, hoc est, *planctus Ægypti*. Gen. 50. lege *Arad*.

Ataa, urbs Laconiæ, & alia Phœniciæ. Steph.

Atalanta, Arcadica virgo, & venatrix, Jasii sive Jasionis, vel, ut alii malunt, Abantis regis Argivorum, filia, quæ, conservandæ virginitatis studio, Dianæ se dedit comitem, sub quâ meruit in silvis, adeò ut vastissimum aprum interfecerit in Arcadiâ, unà cum Meleagro, filio regis Oenei, cui postea nupsit, & ex eo Parthenopœum suscepit. Apri exuviis donata est, punitis qui ei id honoris invidebant. *Nonacria* dicitur Ovidio *Met.* 8. à Nonacri Arcadiæ monte:

—— Sume mei spolium Nonacria juris.

Item *Nonacrina* eidem 2. *de Art. Am.*

Quid fuit asperius Nonacrina Atalantâ?

Jasis Propertio à patre dicta, *lib.* 1.

Milanion, nullos fugiendo Tulle labores,
Sævitiam duræ contudit Jasidos.

Ubi Milanion est Meleager. Musæus,

Παρθένος ȣ̓ σὲ λέληθεν ἀπ' Ἀρκαδίης Ἀταλάντη
Ἥ ποτε Μειλανίωνος ἐρωσαμένȣ φύγεν εὐνὴν,
Παρθενίης ἀλέγȣσα, χολωσαμένης δ' Ἀφροδίτης,
Τὸν πάρος ȣ̓κ ἐπόθησεν ἐνὶ κραδίῃ θέτο πάσῃ.

Calydoniaca Manilio vocatur. Sic enim Ille,

Et Calydoniacam bellantem rupe puellam.

Unde Hieronymus *contra Jovinianum: Referunt fabulæ, Atalantam Calydoniam virginem, semper in venatibus, semper in sylvis, non tumentes uteros fœminarum, fastidiaque conceptuum, sed expeditam & castam amasse virtutem.* De hâc plura Ælianus *Var. Hist.* 13. 1.

Atalanta, Schœnei, Scyri regis, filia, quæ, cùm pedum agilitate præstaret, eâ lege in procos cursu certabat, ut nuberet ei, à quo vinceretur. Puellæ formâ captus adolescens Hippomenes, venit in certamen, acceptis à Venere tribus malis aureis, quæ currens sensim projecit in terram, ut his colligendis occupata virgo tardius ad metam perveniret. Itaque, cùm victa esset, pactâ conditione eidem nupsit. Ambo tamen mutati sunt in leones, quòd in templo Cybeles, neglectâ religione coivissent. Ovidius *Met.* 10.

Hinc Atalantæus. Stat. *Theb.* 4.

Jamque Atalantæas implerat nuncius aures.

Atalanta, vulgò *Talandi*, ins. parva cum opido Eubœæ adjacens è reg. Opuntis urb. Bœotiæ. Vide Steph.

Atanacum, vulgò *La place d'Ainay*, locus extra Lugdunum olim, inter Ararim & Rhodanum, jamjam confluxuros. Hic anno U. C. 744. ara Augusto Cæsari cum templo, ad Confluentem Araris & Rhodani, dedicata est à 60. civitatibus Gall. quarum singularum ibi statuæ visebantur. Ibidem & ludos miscellos, & certamen Græcæ Latinæque facundiæ edidit C. Caligula. Ibidem & Amphitheatrum, *Arena* Adoni. Hodie Monasterium ibi, mœnibus Lugduni haud pridem inclusum, cujus horti à muris urbis viâ angustâ dividuntur. Vid. Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Atanus, villa in pago Lemovicino, ubi Aredius monasterium condidit: nunc *S. Jrier de la Perche*: unde circumposito oppido nomen idem & origo. Idem.

Atraphernes, secundùm Ctesiam nobilis Persa, unus è septem illis, qui contra Magum Smerdin Cyri filium se fingentem & regnum detinentem conjurarunt, eoque occiso regnum Persis reddiderunt.

Ataphyni, gens Arabiæ. Steph.

Atara, Latinè *corona*, altera uxor Jerahmeel primogeniti Esrom. 1. Par. 2.

Ataranta, Libyæ populi. Arrianus.

Atarna, urbs Mysiæ. Steph.

Atarnes, Darii Persarum regis frater. Herod. *lib.* 7. Item Scythiæ flu. *Moravia* hodiè, ut putat Peucerus.

Atarnites, Atarnæ tyrannus, de quo Ovid. *in Ibin:*

Aut, ut Atarnites, insutus pelle juvenci,
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.

Quidam *Acharnides* legunt, sed sic Turnebus emendat, ac de Hermiâ Atarnæ tyranno intelligit Aristotelis necessario, eidemque percharo.

Ataroth, civitas in tribu Gad. Num. 32.

Ataroth-adar, civitas in tribu Ephraim, Jos. 16.

Atas, vel *Athas*, puer miræ agilitatis, qui, Vipsanio Consule, à meridie ad vesperam 75. m. p. concurrit, magnâ omnium admiratione. Mart. 4. 19.

Sive levem cursu vincere quæris Atham.

Vide Plin. 7. 20. & Alex. Neap. 2. 21.

Atavilla, pop. Americæ meridion. in Peruvia, propè fontes fluv. Xauxæ. 60. leuc. circ. à civitate Regum & 40. ab ora littorali maris Pacifici. Baudr.

Ataulphus, Alarici affinis, quem secutus est in expugnatione Romæ, ejus postea successor. Gothorum rex A. D. 412. secundâ vice decreverat Romam vel diripere, vel expugnare, eamque Gothiam nuncupare, nisi Placidia Galla, Honorii soror, & uxor ipsius barbari, quam Alaricus, expugnatâ Româ, cum sorore & matre captam, ei conjugem dederat, ferocientem animum & jam sceleri paratum verbis emollivisset. Paul. Diac. Narbonam occupavit, Anno 414. postquam à Comite Bonifacio Massiliæ obsidionem deserere coactus esset. In Hisp. transgressus, an. regni 5. à Vernulfo, populari suo, occisus est. Prosper, Isidorus, Genebr. *in Chron.* Oros. *l.* 7. *c.* 43.

Atax, flu. Gall. Narbon. ex Pyrenæo monte oriens, in ea parte Comitatus Ruscinonensis, quæ *Capsir* dicitur. Alluit Limosium, Alethum, Carcassonem & Narbonem Occitaniæ Urbes, nisi ubi Narbonem attingit, nusquam navigabilis; dein auctus aliquot fluviolis, in mare Mediterr. se exonerat. Eum accipit lacus Rubresus, spatiosus admodum, sed quà mare admittit, tenuis aditu, *l'Estang de la Rubine.* Utriusque meminere Mela & Plinius. Notus est etiam *Atax* Straboni & Ptolemæo, ut & Fortunato *Carm. lib.* 6. sed Strabo fallitur, cùm ait eum, ut Obrim & Araurarim amnes, è Cemmeno in mare delabi. Idem *Atacus* Stephano, *Atagus* & *Attagus* Rufo, Festo Avieno. Vid. Hadr. Valesium *in Notitia Gall.* Vulgò *Aude.* Lucanus *l.* 1.

Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas.

Tibullus *lib.* 1. *Eleg.* 7.

Hunc fore Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.

Sidonius Apollinaris,

Atacem tonare cum suis oloribus.

Ate, Dea homines malis implicans, mentesque eorum seducens, cui repellendæ & placandæ Litæ Jovis filiæ oppositæ sunt, quæ tanto sunt tardiores, quanto noxa est gravior. Ἄτη enim Græcis *noxa* dicitur. Hom. *Iliad.* 7.

Ἄτη πρέσβα Διὸς θυγάτηρ, ἣ πάντας ἀᾶται.

Ategua, Hisp. Bæt. urbs. Dionys. *Tebala Veia*, seu *Tevela* Morali. Scribitur *Attegua.*

Ateia, Palmyrenæ opidum.

Ateja, villa Regia vel Fiscalis fuit regni Suessionici, in pago Viromanduensi, ad Suminam flu. vulgò *Aties.* Hic Radegundis, Toringorum regum filia ac neptis educata est, antequam Chlotario R. jungeretur. Ab *Attejo* aliquo conditore. An quasi *Attegia*, quo nomine Juvenalis usus, *dirue Maurorum Attegias*, inquit. Dicuntur autem *Attegiæ*, Isidoro *Capannæ*, Gall. *Cabannes.* Valesii *Not. Gall.*

Atella, Campaniæ op. à quo *ludi Atellani*, fuit enim in illo Amphitheatrum egregium. Steph. Juven. *Sat.* 6.

Urbicus exodio risum movet Atellanæ
Gestibus Autonoes. ——

Ad cujus versûs explicationem mirè faciunt hæc Livii *lib.* 7. *Postquam lege hâc fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur, & ludus in artem paulatim verterat, juventus, histrionibus fabularum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit, quæ inde exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt: quod genus ludorum ab Oscis acceptum, tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eò institutum manet, ut actores Atellanorum nec tribu moveantur, & stipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant.* Corn. Tacitus, *Annalium l.* 4. *Oscum quoddam ludicrum, levissimæ apud vulgus oblectationis, eò flagitiorum & virium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit. Pulsi tum histriones Italiâ.* long. 38. 11. lat. 40. 35.

Atella Lucaniæ, opp. est etiam regni Neap. in Basilicatâ prov. ad radices Apennini montis, & in confin. Principatus ulterioris, paucis constans incolis. Baudr.

Atelos, ins. unguento nobilis. Callimacho. Vide *Agathusa.*

Atelphes, Colchidis amnis. Plin.

Atena, pars tribus Antiochidis. Steph.

Atepomarus, Gallorum regulus, Romanis belligerans, non antè se cessurum dixit, quàm ipsi suas ad coitum uxores exposuissent. Cæterùm, ancillarum consilio, hi servas mittentes, barbaros lassos incredibili sopore captos accipiunt, quæ erumpentes in Gallos victoriam reportarunt. Retana siquidem (hæc enim author extitit consilii) per caprificum muros ascendens, Consulibus signum dederat. Ex eo autem facto festus dies institutus *Ancillarum* appellatur. Plut. *in Paral.*

Ater, mons in regione Cyrenaicâ. Plin. 5. 5.

Atergatis, quam & *Atergatam* & *Derceto* Strabo *lib.* 16. appellat, Dea Ascalonitarum Syriæ, quam Plinius prodigiosam vocat, quòd simulacrum ejus superiore parte mulierem, reliquâ piscem referret. Diod. *Sic. lib.* 2. Ἄυτη δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἔχἐ γυναικὸς, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος. Neque aliter Lucianus, testis αὐτόπτης, *in Syriâ Deâ*: Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν Φοινίκῃ ἐθεασάμην, θέημα ξένον, ἡ μεσέη μὲν γυνὴ, τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν εἰς ἄκρους πόδας ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται. Hanc referunt fuisse matrem Semiramidis, quæ, ob amissam pudicitiam, tantum animo dolorem concepit, ut sese in lacum præcipitem dederit: cumque cadaver ejus ab urinatoribus inveniri non posset, creditum est eam in piscem fuisse transformatam. Quo factum est, ut deinceps à piscium esu vicini populi religiosissimè abstinerent. Undè & *Atergatim* dictam volunt, quasi ἄτερ γάνδος, quod Syris *sine piscibus* sonat. Macrobius verò *Sat.* 1. duo fuisse Assyriorum numina tradit, *Adad* & *Atergatim*, ex quibus omnia gigni arbitrabantur; per *Adad*, *Solem*, per *Atergatim*, *terram* intelligentes. Athenæus *lib.* 8. verum Reginæ nomen *Gatis* fuisse refert, quæ, cùm obsoniorum esset avidissima, edictum promulgasse, ne quis pisces ederet, ἄτερ Γάτιδος, *præter Gatidem*. Tum imperitum vulgus, ex ἄτερ & Γάτις unam conflasse vocem Ἀτεργάτις. Sed antiqui in etymis eruendis mirificè nugari solent. Vossius itaque ab אדר *addir*, *magnus*, *potens*, & דג *dag*, *piscis* deducit. Culta verò non in Syriâ modo, sed etiam ipsâ Parthiâ, ut indicat Isidorus Characenus, *in Parthiæ periegesi*: Ἔνθεν Βεσηχάνα πόλις, ἐν ᾗ ἱερὸν Ἀταργάτι.

Aterium, Siciliæ civitas. Steph.

Aterius, vel *Atherius* Quintus, Orator Romanus, promtus admodum & popularis. Obiit A. C. 25. æt. 90. Euseb. *Chron.* Anno 25. Vignier. an. 21.

Aternum, opp. probè munitum regni Neapol. in Aprutio citeriori, sub dominio utili Avalorum. Gall. *Pesquaire*. 16. mill. ab Anxano, & 12. à Pinna *in* Ortum. Baudr.

Aternus, Pelignorum flu. in Italiâ 9. mill. supra Aquilam ortus, prope Theateam labitur, dein auctus aliquot rivis, & diviso Aprutio citer. ab ulter. in mare Adriaticum illabitur, hodiè *Pescara*. Vide Cluverium *Ital. Ant. lib.* 2. *cap.* 12.

Ateste, civitas Venetæ regionis, prope Euganeos montes. Ejus mem. Plin. 17. 17. *Corellius eques Romanus*, *Ateste genitus*. Ptolemæus, Τῆς δὲ Οὐενετίας μεσόγειοι πόλεις, Οὐικεντία, Βελοῦνον, Ἄκελον, Ὀπιτέργιον, Ἀτεστέ. Tac. *Hist.* 3. *Inde Patavium & Ateste partibus adjunxere.* Coloniam fuisse Romanorum, author est Plin. 3. 18. Capta est, ab Attila, post expugnatam Aquilejam, & direpta, unà cum Concordia, Opitergio, Altino, Patavio, & tota maritima regione, Anno 452. Inde coloni atque opidani *Atestani* dicebantur. Mart. 10. 93.

Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpureâ sed modo suta togâ.

Hodie castellum, vulgò *Esta*, long. 33. 10. lat. 44. 30.

Atetrona, Hisp. Bæt. urbs. Strabo.

Atha, urbs Bithyniæ, sub monte Olympo; eadem *Prusa*, Orosf. Item, Amnis Germ. in Ducatu Bavar. paulo supra Ingolstadium in Danubium fluv. se exonerans. Baudr.

Athac, Eunuchus, Esth. 4. Lat. *percutiens*, *humilians*, vel *subjiciens*.

Athach, civitas. 1. Reg. 30. Lat. *hora tua*, sive *tempus tuum*.

Athaias, vir, 1. Esdr. 11. id est, *hora* vel *tempus Domini*.

Athalai, vir, 1. Esdr. 10. id est, *hora mea*, vel *tempus meum*.

Athalaricus, nepos Theodorici, post illum An. 526. Ostrogothorum rex in Italiâ cum Amalasunthâ matre imperavit, annos 8. Legationem ad Justinianum Imp. recens electum misit. Quum autem à matre prudentissimâ fœminâ in bonis artibus institueretur, id indignè ferentes Gothi, matri illum eripiunt, & remotis præceptoribus, ipsi juvenes adjungunt, cum quibus simul bellicis artibus assuefieret, sed ab illis corruptus paulò post morbo lethali contracto obiit. Anno 534. Cassiod. *epist.* Procop. *lib.* 1. Gregor. Tur. &c.

Athalia, mater Ochosiæ, filii Joram, regis Judæ, filia Amri regis Israel. Impietate & sævitiâ infamis. Occisa tandem, jussu Jojadæ Sacerdotis, *A. M.* 3157. tyrannidis 6. 4. Reg. 11. & 12. 2. Paral. 23. 24. Jos. Antiq. *lib.* 9. *cap.* 11. Lat. *hora*, vel *tempus Domini*.

Athamanes, pop. Ætoliæ. Plin. 4. 2. Epiri. Vid. Ferrar. & Baudrandum.

Athamania, reg. Illyriæ, vel Thessaliæ. Steph.

Athamantes, Epiri pop. Lucan. *l.* 3.

Tum qui Dardaniam tenet Oricon, & vagus altis
Dispersus silvis Athamas.

Athamas, Æoli fil. rex Thebarum, Nephelen uxorem duxit, ex quâ Hellen & Phryxum genuit; sed Nephele insaniâ à Libero Patre concitata, cùm in silvas abiisset, *Athamas* liberis suis Ino, Cadmi filiam, superinduxit novercam, quæ eos tot apud patrem accusationibus, tot dolis eò compulit, ut, conscenso aureo Ariete, fugâ sibi consulerent. Quapropter Juno irata, furias in *Athamantem* immisit, quæ in tantam rabiem eum duxerunt, ut cùm Ino ad se venire videret, hanc leænam, & filios ejus catulos arbitratus, rapto Learcho ex filiis altero, saxo illiserit, quod Ino videns, cum Melicerte alterâ prole fugiens, se ex rupe in mare præcipitem dedit. Ovid. *Met.* 4. *f.* 13.

Deq; sinu matris ridentem, & parva Learchum
Brachia tendentem rapit, & bis terq; per auras
More rotat fundæ, rigidoq; infantia saxo
Discutit ora ferox.

Idem *Fast. lib.* 6.

His agitur furiis Athamas sub imagine falsâ
Tuq; cadis patriâ, parve Learche, manu.

Athamas, *a*, Servus & Amanuensis T. Pomponii Att. de quo Cic. *in epist.*

Athamas, Phthiotidis in Thessaliâ mons. Item flu. certo tempore ligna vel tædam incendens. Ovid. *Met.* 15. *f.* 2.

Admotis Athamantis aquis incendere lignum
Narratur, minimos cùm Luna recessit in orbes.

Sed tu lege *Athamanis.*

Athanacum, vulgò *Aisnay*, vicus & Abbatia olim extra Lugdunum, nunc intra est, ad confluentes Araris in Rhodanum fluv.

Athanadas, de rebus Ambraciotarum volumen conscripsit, teste Antonino Liberali. Vossius.

Athanagia, urbs Hisp. citer. in Ilergetibus. Livius. long. 23. 15. lat. 42. 20. Quibusd. est *Ilerda*, urbs Cataloniæ, ad Sicorim flu. Baudrandus.

Athanagildus, Wisi-Gothorum rex. regn. an. 14. in Hisp. Agilâ occiso, thronum conscendit. Ejus filia Gelesuintha, Chilperico Suessionum, Brunehildis verò Sigeberto Austrasiæ R. nupsit. Obiit Anno 568. Isidor. *Chron.* Greg. Tur. *l.* 9.

Athanai, fil. Zara. 1. Par. 6. Lat. *fortis* sive *asininus*, aut *donans*.

Athanaricus, Hisp. rex, regn. an. 11. Item Gothorum rex, Ethnicus, Valentem Imper. post triennale bellum, pacem redimere coëgit. Dein Orthodoxos persecutus; postmodum, pace cum Theodosio initâ, à suis pulsus est. Obiit ergo Constantinopoli exul, Anno 381. Oros. *lib.* 7. Ammian. *lib.* 27. Zosimus, *lib.* 4. Hieronym. Sigebertus, Isidorus *in Chron.*

Athanas, Syracusanus Historicus, qui res gestas Dionis, 13. libellis complexus est, ortus ab Olymp. 104. anno 3.

Athanas, petra, locus Scythiæ, vel Thraciæ circa Istri fluv. ostia, ad Sindi campum. Euripides *in Cyclope.*

Athanasius, Præsul Alexandrinus, educatus ab Alexandro ejus civitatis Præsule, olim Diaconus, in Concilio Niceno Anno 325. Arianorum hostis acerrimus. Episcopus Alexandrinus nolens electus est: quod cùm Ariani impedire nequirent, Meletianis & Eusebianis juncti, Conciliabulo Tyri instituto, eum deposuerunt, & per Constantinum, quem præoccupaverant, Treverim exulatum abire coëgerunt. Sic maximas perpessus insidias, ad Constantem, Galliarum regem, perfugit. Volater. A quo biennio pòst restitutus, Alexandriæ Symbolum Fidei concinnavit. Mox iterum ab Arrianis accusatus, in Synodo ab illis Antiochiæ celebratâ, denuo pulsus est. Sed Sardico concilio absolutus, rediit ad functionem. Donec tertiâ vice hæreticorum furore pulsus, & 6. an. integros in desertis errare coactus, plurimis fidelium cum per solitudines comitantibus, obiit A. D. 377. cùm Episcopatum Alexandrinum pace, belloque gessisset annis 46. post multiplicia illa pro Ecclesiâ certamina, quorum similia Episcoporum, aut Doctorum Ecclesiæ neminem sustinuisse unquam legimus. Genebrard. *Chron. lib.* 3. Plurima egregia scripsit. Vid. Hieron. *de Script. Eccl. & ep.* 7. *ad Lætam.* Naz. *Or. de Athanasio.* Socr. Sozom. Theodoret. Sulpic. Severum, &c. Opera ejus sæpius impressa; Commeliana editio, Anno 1601. & Paris. an. 1627. optimæ notæ.

Athanasius, cogn. *Herniosus*, Patr. Alexandrinus, post Petrum Mongum, cum illo hæreseos fautor. A. C. 491. 497. *Ath. Claramontanus*, similiter Patr. Alexandrinus, Anno 1219. Item, Patriarcha Constantinopolit. qui, postquam sponte se abdicasset, Anno 1294. restitutus est, An. 1301. Scripsit quædam, de quibus Vid. Biblioth. P. *tom.* 3. *col.* 141. *ed.* 1624. Item, Patr. Antiochenus, sub initium hujus seculi. Patr. itidem Antiochenus, Hæreticus Jacobita, qui Heraclio Imper. imposuit. Al. etiam Anastasius, Vid. ibi. Nepos item Cyrilli, interfuit Concilio Ephesino & Chalcedonensi, ubi Dioscori accusator extitit. *Act. Concil. act.* 3. Episcopus tandem & Princeps Neapol. Sergium fratrem, qui tyran-

tyrannidem exercebat; occidit; fœdere cum Saracenis icto à Johanne 9. excommunicatus.

Athanati, apud Persas dicebantur 10. millia virorum delectorum ex Persis ad militiam; quorum si quis aut nece aut morbo numerum minuisset, confestim substituebatur alius. Hesychius, Ἀθάνατοι, τάγμα ἱππέων παρὰ Πέρσαις μυρίων ἀνδρῶν. Suidas, Ἀθάνατοι μύριοι Περσῶν ἐπίλεκτοι. Idem, in *Xerxes*: Εἶχε δὲ ἐπιλέκτους μυρίους, οὓς Ἀθανάτους ἐκάλει. Q. Curt. *lib.*3. *Proximi ibant, quos Persæ Immortales vocant, ad decem millia.* Quem numerum adfirmat quoque Procopius, *de bello Persico.* Vide Herod. *lib.*7.

Athanis, res Siculas memoriæ prodidit, laudatus Plut. *in Timoleonte.* Athenæus *lib.*3. Vid. Voss. *Hist.Gr.l.*3.*p.*336.

Athar, civitas in tribu Simeon. Jos. *cap.*19. Lat. *oratio*; sive *deprecatio.*

Athara, Atergatis sic dicta. Cæl. Rhod. *lib.*23.

Atharrabis, urbs Ægypti. Steph.

Atharsata, fil. Achelai. 2. Esd. 19. de quo & Esdr. 1. 2. 8.

Atheas, Scytha, primus Rex Ponti, cui Artebuzus successit. Flor. *lib.*3.*c.*5. Justinus, de quodam Athea Scythiæ R. loquitur, *lib.*9.*c.*2.

Athelredus, Vid. *Alredus.*

Athena, Cataldi (qui postea Episcopus fuit) mater erat, quæ in partu mortua, ab ipso Cataldo primùm nato ad vitam solo amplexu revocata est.

Athena, Græcis *Minerva* dicitur. Ἀθηνᾶς nomen (inquit Phurnutus) est δυσετυμόλογον, hoc est, ejusmodi, ut difficile sit ejus caussam adferre; atque hoc satis apparet ex ridiculis illis rationibus, quas non grammatici modò, sed Philosophi quoque, & in his Plato, *in Cratylo*, adducunt. Mihi dubium non est, (inquit Vossius) quin ab Oriente vel Ægypto nomen hoc acceperit. Non absurdè deducas ab איתן *ethan*, quod est *fortis, perennis.* Malim tamen à Chaldæo, ac Talmudicis etiam frequentato תנה *tena*, quod idem valet ac שנה *Shana*, nempe ut Græcis, ita & Orienti mos etiam fuit S & T literas commutare. Valet autem utrumque, *meditari, commentari, studere, docere.* Itaque hinc Doctores, qui excepere Synagogam magnam, *Tanaim* dicti. Inde igitur Ἀθηνᾶ studiorum ac doctrinæ præses. Articulus Hebræo *Thana* præmittitur, sed spiritu mutato, quod in compluribus fieri sat notum. Ἀθηνᾶ verò אדוני *Adoni*, id est, *Domina* Capello dici videtur.

Athenæ, civitas Græciæ inter Macedoniam & Achaiam, in eâ litorali reg. quæ olim *Acta*, dein *Attica* vocata. Hanc Osius quidam, secundùm nonnullos, Acrisius aliis, Acteus Pausaniæ *in Atticis*, vel ut communiter fertur, Cecrops primus condidit, unde *Cecropia* dicta. Postea à Mopso *Mopsopia* & ab Ione, Xuthi filio, *Jonia*; postremò autem *Athenæ* vel ab Attea, Cranai filia, vel à Minerva, quam Græci Ἀθήνην vocant. Ferunt enim, Neptunum cum Minerva de urbis hujus nomine contendisse, tandemque inter eos ita convenisse, ut urbi nomen imponeret, qui utilius humano generi munus edidisset. Cumque Neptunus equum, Pallas oleam produxisset, victum suffragio uno Neptunum Minervæ concessisse, quæ urbem recens conditam de nomine suo *Athenas* appellavit. Vide Hyginum *Fab. Poet. cap.*164. Fuit hæc civitas omnium bonarum artium inventrix, Philosophorum & Oratorum mater, & poëtarum alumna. Cic. 1. *de Orat. Ut omittam Græciam, quæ semper eloquentiæ princeps esse voluit: atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis & inventa est & perfecta.* Horat. 2. *Ep.* 2.

Adjecere bonæ paulo plus artis Athenæ.

Propertius 3. 21.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.

Historia ejus paucis sic habet: Incepit regnum Atheniensium, An. M. 2496. ante C. N. 1558. Cujus primus Rex Cecrops, qui ex Ægypto prodierat, regnavit an. 50. Ejusque successores, quorum sedecim erant, per 487. annos usque ad Codrum fil. Melanthi præfuerunt. Dein Archontes perpetui præesse cœperunt, à Medonte filio Codri, usque ad decimum tertium, Alcmæona. Porro Archontes decennales electi, à Charope usque ad septimum, Eryxiam. Ulterius annui erant, quorum primus Creon. Tandem Duces, donec urbs à Turcis capta est.

Democratia primùm ibi floruit, quæ, post Pisistrati filiorumque tyrannidem, restituta. Rebus in Sicilia malè gestis, & urbe à Lacedæmoniis occupata, 30. Tyranni impositi, à quibus liberati, postmodum Macedonibus, Romanis, Græcis Imper. subesse cœperunt. Exin peculiares Dominos seu Duces nacti, tandem urbe à Mahomete 2. An. 1455. occupatâ, in Turcarum potestatem devenerunt. Hîc Ecclesia olim Metropolitana, sub qua 6. Episc. Primus ejus Episc. Publius fuit, cui Quadratus successit, Apostolorum discipulus, circa An. C. 98. Vid. Euseb. *lib.*4.*c.*6. Hyginus verò, ex hac urbe oriundus, Philosophus Christianus, Romanorum Episc. evasit, post Telesphorum, A. C. 152. &c. Hodie non minus Mahometica impietas, quàm profunda barbaries hîc regnat. Vicus autem nunc est, & ab Italis ac Turcis *Setines* appellatur, Vadiano auctore: Incolasque habet partim Christianos, partim Mahometanos. Morerius. Inter fluvios Cephisum & Ilissum sita est, cum arce munita. Portus ejus Phalerus, nunc *Port Leon*, sensim oblimatur, ut vix minorum navium capax sit. Ipsa Urbs nunc obscura sensim deficit, & tantisper distat, ab ora littorali. 120. mill. autem à Sparta in Boream. Baudr. Fruges primùm ibi inventas, aut invectas Diodor. Sic. author est; Inde *frugum parentem* Florus vocat, 3. 5. Vide & Lucretium, *initio lib. sexti. Antiquitate* non tantùm, sed *humanitate*, atque *doctrinâ* omnes alias urbes præstitisse, Corn. Nepos, *in Vita Attici*, tradit. Ac hinc *Athenas*, pro literis, Juvenalis posuit: *Sat.*15. *vers.*110.

Nunc totas Graias nostrasq; habet orbis Athenas.

Id est, *Romanas literas & Græcas*, ut rectè Scholiastes vetus interpretatur. De *Athenarum* urbe, apud Dicæarchum, Lysippi Græci Comici versus extant, qui Latinè sic sonant:

Si nunquam Athenas videris, næ stipes es:
Si visa te urbs haud traxerit, asinus merus:
Si visâ abire poteris, es cantherius.
Hæc namque verè urbs Græca.

Populi *Athenienses.* Cic. *pro Flacco: Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur.* Eosdem *humanos naturâ* & *misericordes*, Plut. *in Pelopida*, vocat. Idem *iracundos, suspicaces, facetos, suarum laudum cupidos* eos fuisse tradit, *Præceptis Politicis, non procul à principio.* De iisdem Ciceronis illud est, *Scire ea, quæ recta sunt, sed facere nolle.* Vide & Dicæarchum de moribus, atque ingenio Atheniensium. *Celeres, & supra vires ad conandum audaces* eosdem, Legati Rhodiorum arguunt, apud Livium 45. 23. Varro *de L. L. Cùm trinæ fuerint Athenæ, ab una dicti Athenæi, ab altera Athenienses, à tertia Athenopolitæ.* Vide Steph. D. Paulus, qui Evangelium hîc, Stoicis ridentibus, docuit, circa An. C. 50. occasione altaris, *Deo ignoto*, conditi, Vid. infra: *Athenas* κατείδωλον πόλιν vocat, hoc est, *idolis refertam urbem.* Actor. 17. Unde Philost. de Apollonio 4. 6. φιλοθύτας τοὺς Ἀθηναίους εἶδεν: Ideoque cum Timasione differens ait, σωφρονέστερον περὶ πάντων θεῶν λέγειν εὖ, καὶ ταῦτα Ἀθήνησι. Vide Suidam, *in* Τιμασίων. Quin & Pausanias de Atheniensibus loquens, ait eos εὐσεβεῖν θεοὺς ἄλλων πλέον. Et alibi, Ἀθηναίοις περισσότερόν τι, ἢ τοῖς ἄλλοις εἰς τὰ θεῖα ἐστι σπουδῆς. Strabo, Ἀθηναῖοι δὲ ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς θεούς. Himerius *orat. contra Epicurum: Cùm Athenas dixi*, inquit, τὸ μέγιστον εἶπον τῆς εὐσεβείας κεφάλαιον. Maximus Tyrius Διαλ. λβ. Ὁ Ἀθηναίων δῆμος ἕτερα καινὰ δαιμόνια ἐπεισφέρων. Joseph. *lib.* 2. *contra Apionem*, Ἀθηναίους τῶν Ἑλλήνων εὐσεβεστάτους πάντες λέγουσι. Sophocl. *in Oedip. Col.*

Ὅθ' οὕνεκ' εἴ τις γῆ θεοὺς ἐπίσταται
Τιμαῖς σεβάζειν, ἥδε τῷδ' ὑπερφέρει.

Plura de urbe hac celeberrima, Vid. apud Joh. Meursium, *in antiquit. & fortuna Athenarum.* Petitum, *in Comment. Leg. Att.* Franc. Rossæum, *in Archaologia Attica*, &c. Porrò *Athenis* omnibus Europæ, Asiæ & Africæ Diis posita est Ara, ex consilio Epimenidis, sic inscripta:

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ
ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ
ΘΕΩΙ ΑΓΝΩΣΤΩΙ
ΚΑΙ
ΞΕΝΩΙ.

Eandem volunt hanc ipsam nonnulli, de qua D. Paulus, ubi suprà. Vide sis illic Oecumenium ac Theophylactum, & Pricæum: Imo etiamnum extare, inter rudera Urbis olim splendidissimæ, Morer. *Athenienses* autem viri propriè dicti, *Atticæ* mulieres. Eustathius, Σημείωσαι Ἀθηναῖον ἄνδρα dici, sed non ita γυναῖκα Ἀθηναίαν, sed Ἀττικὴν, ἢ Ἀστήν. Stephanus tamen & Ἀθηναίαν dici tradit. Vide eum in Ἀθῆναι.

Athenæa, Minervæ sacra, quæ Erichthonius Athenis intulit, eaque ut 5. annis, imò & quotannis celebrarentur, instituit. Pausanias.

Athenæum, locus Minervæ dicatus, ubi Professores studia sua profitebantur. Jul. Capitol. & Lampridius. Hodieque tritum Academiis nomen. Athenæum inprimis Lugdunense, à Caligula institutum, celebre. Ubi prope Augusti aram præmia eloquentiæ Græcæ Latinæque proposita; & illi qui victi, linguâ delere sua scripta coacti sunt, ni vel verbera pati, vel in Ararim præcipitari mallent, Hinc Juvenal. *Sat.*1.

Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Athenæum, quod meliùs Minervæ promuntorium, vulgò *Capo di Campanella*, & *Capo di Massa*, teste Scipione Mazzella. Est autem promunt. Picentinorum contra Capreas insulas, Surrento proximum. *Athenæum* alterum apud Dionys. Halicarn. in ora Magnæ Græciæ; *Roscia* vulgò dictum. Vide *Minerva promuntorium.*

Athenæus, Cosmographus Græcus. Item Peripateticus Philosophus è Seleucia Ciliciæ, Augusti temporibus, princeps aliquandiu patriæ suæ, deinde contractâ amicitiâ cum Muræna, qui contra Augustum conspiraverat, cum illo aufugit, captusque cùm insons reperiretur, revertens Romam, multis eum salutantibus, illud Euripidis respondit,

Ἥκω

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
Λιπών. Strabo *l.* 14.

Athenæus, de *machinis bellicis* librum conscripsit, qui hodieque superest. Videtur Vossius, *de Scientiis Mathematicis*, *pag.* 290.

Athenæus, unus ex iis Legatis, quos, octavo Peloponnesiaci belli anno, Lacedæmonii ad Athenienses, reconciliandæ controversiæ miserunt. Scholia, *in Aristoph. Equites.*

Athenæus, Naucratita Grammaticus, tempore M. *Aurelii*, librum *Deipnosophistarum* composuit, varium opus, & eruditum, ut Plinius alter Græcus ferè dici possit: quod ad nos sanè haud integrum pervenit, ejus epitome ab Hermolao Byzantino tantùm relicta. Suidas. Vignier. A. C. 168. Vide Casaub. & Vossium *de Hist. Gr.* Composuit etiam historiam Regum Syriæ, aliaque, ut ex *lib.* 4. & 5. colligitur. Item *Athenæus* historicus, qui quid de Semiramide literis prodiderit, narrat eleganter Diod. Siculus *lib.* 2. Eamque historiam inde, sed, tacito Diodori nomine, exscripsit Muretus, *Var. lect.* 6. 17. Esse autem *Athenæum* hunc alium à Naucratitâ, satis ex temporum ratione liquet; ille enim floruit sub Antonino, Diodorus autem sub Augusto Cæsare. Item Medicus, sæpius laudatus Galeno.

Athenagoras, Græcus, sed bello Persico Darii partes amplexus, cui cum Apollinide Chium tuendam tradidit Pharnabazus. Sed ortâ intra urbem seditione, oppidani olim proditionis consilio agitato, aggregant se irrumpentibus per effractam portam Amphotero & Egelocho, Persarumque præsidio cæso Athenagoram vinctum Macedonibus tradiderunt. Curt. *l.* 4.

Athenagoras, Philosophus Christianus, Marco Aurelio Antonino, innocentiam Christianorum, qui crudelissimam sustinuere persecutionem, egregiâ apologiâ, probare conatus est. Anno C. 181. Author insuper libri de Resurrectione mortuorum, Biblioth. P. *edit.* 2.

Atheniensis Legio, quibusd. est *Thienen* & *Tillemont*, sed hoc rectius *Tena* dicitur, opp. Brab. ad Getam amnem, deficiens indies. Vid. *Tena.* Baudr.

Athenion, Atheniensis Imp. cujus maxima fuit crudelitas bello Mithridatico. Rhod. 22. 21. Item pictor eximius. Plin. 35. 11.

Athenocles, res Assyriacas prodidit, teste Agathiâ *lib.* 2. *Hist. suæ*, ubi ait, Berosum, Athenoclem, & Simacum antiquissimas Assyriorum & Medorum res conscripsisse.

Athenocles, Dux machinarum, contra oppugnantes adhibendarum scientissimus. Polyæn. *l.* 6.

Athenodorus, Philosophus, de cujus ætate nemo ambigit, nam Augustus eum Tiberio præposuit, ut constat ex Suetonio; imò & Augusti ipsius Præceptor antea fuerat, teste Luciano, *in Macrobiis*; Cui hoc documentum dedit, Cùm, Cæsar, ira Te ceperit, nihil prius, neque dixeris, neque feceris, quàm ipsa 24. elementa Græcarum literarum recensueris. De patriâ non convenit inter omnes. Theodorus Metochita, *in Hist. Rom. compendio*, Alexandrinum vocat. Verba ejus, *in Vitâ Augusti*, hæc sunt: Σοφὸς δέ τις Ἀλεξανδρεὺς, Ἀθηνόδωρος ὄνομα. Similiter Cedrenus & Manasses. Sed Eusebio Tarsensis est, itemque Straboni, qui *Athenodori* ipsius ætate vixit, ex quo etiam cognoscimus *Cananiten* vocatum fuisse. Sic enim ait *lib.* 14. Ἀθηνόδωρος ὁ τοῦ Σάνδωνος, ὃν καὶ Κανανίτην φασὶν ἀπὸ κώμης τινὸς, Καίσαρος καθηγήσατο, καὶ τιμῆς ἔτυχε μεγάλης, ubi etiam refert, ut jam senex in melius mutarit statum patriæ suæ, quem perverterat Boethus, & poeta & civis malus. Quod etiam innuit Lucianus, *ubi suprà:* Ἀθηνόδωρος Σάνδωνος Ταρσεὺς Στωικὸς, ὃς καὶ διδάσκαλος ἐγένετο Καίσαρος Σεβαστοῦ θεοῦ, ὑφ᾽ οὗ ἡ Ταρσέων πόλις καὶ φόρων ἐκουφίσθη, δύο καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη βιοὺς, ἐτελεύτησεν ἐν τῇ πατρίδι, καὶ τιμὰς ὁ Ταρσέων δῆμος αὐτῷ κατ᾽ ἔτος ἑκάστον ἀπονέμει, ὡς Ἥρωι. Plutarchus, *in Publicolâ*, eum citat: ἐν τῷ πρὸς Ὀκταουίαν τὴν Καίσαρος ἀδελφήν. Scripsit etiam, περὶ σπουδῆς, καὶ παιδιᾶς, teste Athenæo; item περιπάτων, sive *dissertationum* libros, quorum 8. citat Laertius. Quæstionem etiam de Oceano, & æstu ejus tractasse, ex Strab. *lib.* 1. constat, ubi de hâc re remittit nos ad Posidonium & *Athenodorum*, nisi hic diversus sit à priori. Nam Strabo *lib.* 16. præter eum, etiam alterum fuisse ejus nominis ait, itidem Tarsensem, cognomento *Cordylionem*, qui cum M. Catone vixerit, atque apud eum diem suum obierit. Vide Steph. in Ἀγχιάλη. Vossius. Videri possunt insuper, Euseb. *Chron. A. C.* 10. *Vignier.* 5.

Athenodorus, Eretriensis, libros ὑπομνημάτων scripsit, ex quorum 8. quædam de Thetidis & Medeæ in Thessaliâ super pulchritudine certamine retulit Ptolemæus Hephæstionis, cognomento *Chennus*, in novæ ad variam eruditionem historiæ *libro* 5. & inde Photius *Cod.* 190. Item sculptor marmorarius, Plinio memoratus. *lib.* 34. *cap.* 8. & 36. *cap.* 5.

Athenodorus, Episc. Neocæsariensis in Ponto, celebris, frater Gregorii Thaumaturgi. Discipulus Origenis, interfuit concilio Antiocheno, contra Paulum Samosatenum, A. C. 266. sub Aureliano Martyrio coronatus. A. C. 275.

Athenopolis, op. Gall. Narbon. Plin. 3. 5. *Ries* quibusdam, aliis *Tres. Tres* Pineto, *Teres*, sive *Eres* Moletio. Forsan melius Antipolis, *Antibe*: Urbs munita, in ora Provinciæ. 7. leuc. à Foro Julio in ortum æstivum. Aliis est Sambracis, hodie *Grimaut*: in ora Prov. & intimo recessu sinus Sambracitani. Baudr.

Athenum, opp. regni Neap. in Principatu citer. prope fluv. Tanagrum seu Nigrum. Ad radices Apennini, parvi circuitus. Principatus tamen tit. gaudet. 9. mill. à Marsico novo in Occas. 16. à Potentia.

Atherita, *Athenry*, Urbs Hiberniæ, aliàs amplior, in Connactia prov. & Gallivensi Comitatu. Baudr.

Athesis, fluv. Gall. Cisalpinæ, ex finibus Rhætorum, per fines Tridentinorum, urbem ipsam alluens, deinde Veronam dividens, ad latus Padi paludes ingrediens, non longè à Brundusio in Adriaticum mare influit. Germanis *Etsch* hodiè vocatur. Niger vult Strabonis *Atagin* esse. Virg. *Æn.* 9.

Quales aëriæ liquentia flumina circum
Sive Padi ripis, Athesin seu propter amœnum
Consurgunt geminæ quercus, intonsaq; cælo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.

Ubi epitheton minimè otiosum addidit. Celebrata siquidem hujus fluv. amœnitas Cassiodor. *ep.* 48. *lib.* 3. *Hunc Athesis interfluit honorus, amœni gurgitis puritate præterfluit, causam præstans muniminis & decoris.* Claud. *in Epithal. Hon.* fluvios numerans aptos voluptatibus, principe loco *Athesin* adhibet, & cùm aliis alia assignet, ut Mincio susurros apum, Pado electrum, Tago aurum, huic uni dat choreas versu illo,

Athesis strepat choreis.

Contrà tamen scribit auctor ἄδηλος *Paneg. Const.* *Athesis ille saxis asper, & gurgitibus vorticosus, & impetu ferox.* Sed hæc extrema ad celeritatem refer, quâ hic amnis celebris. Sidon. Apollinaris *ep.* 5. *lib.* 1. *Velocem Athesim, pigrum Mincium*, quod accepit à Claudiano; Sic enim ille:

—— *Et velox Athesis, tardusq; meatu*
Mincius. ——————

Oritur ex Brenna, monte maximo Alpium, in Comitatu Tirolensi, Eisocumque fluv. recipit, infra Bolzanum, & aliquot alios minores; quibus auctus, in Adriaticum mare recipitur, 16. circiter milliar. à Venetiis in Austrum.

Athilla, rex Pannoniæ, superbus incessu, huc atque illuc oculos circumferens, ut elata potentia in ipso corporis motu appareret. E Gallia reversus, Budam fratrem (qui regnum occupaverat) de medio sustulit. Paulus Jovius.

Athinius, Saracenorum rex.

Athircon, vel *Athichon*. 29. Rex Scotiæ, initio regni laudabilius se, quàm Ethodius 2. pater, cui successerat, gessit, subditorum amore mirificè sibi conciliato. Postmodùm in vitia præceps datus, an. 12. regni sibi ipsi manus intulit, cùm comperisset insidias à Magnate quodam, cujus filiam polluerat, sibi strui. Lesl. & Buchananus *hist. Scot.*

Athis, Syriæ urbs ad Euphratem. Ptol.

Athiso, fluv. Insubrum, Plut. *La Tosa*, vide *Atiso.*

Athlibis, urbs Ægypti; alia Arabiæ. Steph.

Athlula, Arab. urbs. Dio. *Epibula* Xiphilino.

Athmatha, id est, *lacerta*, vel *stellio*, civitas in tribu Judæ. Jos. 19.

Athmonum, pars Cecropis tribûs. Steph.

Atholia, prov. Scotiæ Septentr. intra montes, in mediterr. ubi aliàs pars Caledoniorum pop. Ei adjacent provinciæ Perthia, Badenothia, Abria & Straternia. Baudr.

Athona, Arabum urbs. Jos. *Ant.* 14. 2.

Athos, mons Macedoniæ, nunc in tractu *Jamboli* dicto, instar peninsulæ in mare Ægæum excurrens, inter sinus Strymonicum, & Singiticum, cujus umbra in Lemnum insul. inde in ort. 87. m. p. distantem usq; pertingit. Plin. *l.* 4. *c.* 10. & 12. Unde adagium, *Athos celat latera bovis Lemniæ*; de iis, qui gloriam aliorum obscurant, ut *Athos* simulacrum bovis Lemniæ ex candido lapide factum & excisum. Thucydides *lib.* 4. Ἄθως, ὄρος ὑψηλόν, Virgil. *Æn.* 12. *Quantus Athos, aut quantus Eryx.* Hic est mons ille qui perfossus à Xerxe. Æschines, *contra Ctesiphontem*: ὁ τῶν μεγάλων βασιλεὺς ὁ τὸν Ἄθω διορύξας. Luc. *lib.* 2.

Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Construxisse vias, multum cum pontibus ausus,
Europamq; Asiæ, Sestonq; admovit Abydo,
Incessitq; fretum rapidi super Hellesponti,
Non Eurum, Zephyrumq; timens: cùm vela, ratesq;
In medium deferret Athon.

Juvenal. *Sat.* 10.

——— *Creditur olim*
Velificatus Athos.

Claudianus,

Seu te cana gelu Rhodope, seu remige Medo
Sollicitatus Athos.

Idem,

Nil Rhodope, nil vastus Athos, nil profuit Æmus.

Leporibus olim abundasse innuit Ovid. 2. *de Art. Am.*

Quot lepores in Atho: quot apes pascuntur in Hyblâ.

Jungitur Isthmo 12. stadior. in quo 24. monasteria Monachorum Græcorum, quorum celeberr. Gato pedos & Agias laura. Vid, Baudr.

Baudr. Est & *Athos* urbs in monte. Steph. & locus in Ægypto. Euseb. *Præp.Evang.lib.*9. Inde *Athous Jupiter* in vertice montis cultus. Pausan.Hesychius, Ἀθῷος, ὁ ἐπὶ Ἄθω τοῦ ὄρους ἱδρυμένος ἀνδριὰς ὁ Ζεύς. Mons hodiè *M. Santo* dicitur, Græcis Ἅγιον ὄρος. Turcis *Seididag* vocatur. Cæterum, *de Jove Athoo* nonnulli interpretantur imaginem, quæ in Athoitarum nummis comparet. Sed ea potius de *Athe* Gigante est accipienda, cujus mem. Nicander apud Stephanum:

Καί τις Ἄθω τόσον ὕψος, &c.

In toto Stephano vix alter est corruptior locus, quem sic restituit Is. Vossius,

Καί τις Ἄθω τόσον ὕψος ἰδὼν Θρηΐκιος ἀπ' ἀρχῆς
Ἔκλυσεν, ἑδρηθέντος ἀμελγήτῳ ὑπὸ λίμνῃ,
Ἧς ἀνασπῶν χείρεσσι δύο ῥίψεσκ' ἐπὶ Λήμνῳ
Ἠλιβάτου προθέλυμνα, Κανασραίης πὰρ ἄκρης.

Hoc est quod vult, Athon quendam Gigantem bello contra Deos, cùm tam vastam molem vidisset in solo Thracio, inde solvisse eam, fundatam prius sub immensâ palude. Unde avellens radicitus, ambabus manibus montem illum jactavit, propè Lemnum insulam, ad pedem promuntorii Canastræi. Hunc montem perforasse Xerxem supra ostendimus, quod inter celebriorum Sophistarum materias assumptum fuisse, ex Luciano & Hermogene licet colligere. Mela 2.2. *ex emendatione Is. Vossii: A Xerxe in Graios tendente perfossus, transjugatusq; est, factus freto navigabili pervius.* Hanc Xerxis fossam, quæ erat mille quingentorum passuum, sive 12. stadiorum, fretum similiter vocat Plinius. Catullus verò *mare*, in coma Beronices:

Cùm Medi peperere novum mare, cumq; juventus
Per medium classi barbara navit Atho.

Meliores auctores passim *Atho* dicunt τὸν Ἄθω, non *Athon.* Sed & *Athonem* qui vocant, rectè faciunt, sic Cicero & alii. Corruptissimus est Ammiani Marcellini locus, *lib.*31. de hâc ipsa Athonis fossâ, quem ab aliis jam depositum sic emendat Is. Vossius: *Resipiscant tandem memoriæ veteres Medicas acies ductantes ad Græciam: quæ ductum Hellespontí occupantes, & discidio quodam fabrili, mare sub imo Athonis pede quæsitum, exponunt, & turmatim apud Doriscum exercitus recensitos, concordante omni posteritate, ut fabulosa sunt lecta.* Bellonius, *lib.*1. *c.*35. qui angustias peninsulæ, quam efficit *Athos*, lustravit, & ipse quoque hanc Xerxis fossam fabulosam esse existimabat; nempe quia nulla incisionum vestigia invenit. Sed, qui fieri potuisset, ut per tot secula ductus aquæ, ad pedem tam vasti montis situs, servari potuisset? Hoc illud ipsum est, quamobrem Græci laborem illum Xerxis stultum & insanum adpellarunt, gnari fossam istam à defluviis & impendentibus ruinis statim esse obruendam. Æliani tamen seculo, vestigia hujus perfossionis extitisse videntur; locus est *lib.* 13. *de Anim. cap.* 20. Vid. de hoc monte etiam Herodot. *Musâ* 7.

Athotis, 2. Rex primæ dynastiæ Thinitarum, in Ægypto, medicinæ peritissimus, de Anatomia libros scripsit, & regale palatium Memphi ædificavit. Jul. Africanus, Scaliger, *in Can. Isagog.pag.*222.

Athra, oppidul. Hiberniæ, in Lagenia & Comitatu Kildariensi, ad fluv. Burgum, medium ferme inter Caterlogum & Kildariam.

Athres, fluv. Scythiæ Europææ. Herod. *Labus* hodiè.

Athribis, *Athribitis*, Nomi metropolis præcisè in medio τοῦ Δέλτα, qu. d. *corpyri*, ut ex veteri Grammatico Ægyptio Orione docet Etymologus, Ἀθελβὴν προσηγόρευσαν, ὅπερ εἴποι Ἑλληνιστὶ βούλοιτο φράζειν, οὐκ ἄλλος ἔχει λέξιν, πλὴν καρδίαν ἀπίου, οὕτως Ὠρίων. Nempe Ægyptiis ἀθ, vel ἠθ est *cor*, ut scribit Horus *Hieroglyphicωn lib.*1.*cap.*7. & ῥιβ, vel ῥιβι, *pyrum.* Vid Boch. *Phaleg.*4.24.

Athritæ, Arab. Fel. gens. Ptol.

Athrulla, Arabiæ op. Strabo.

Athum, Opp. permunitum Belgii, in Hannoniæ Comit. ad flu. Teneram. Captum est anno 1667. à Gallis, quibus etiamnum subest, pace ad Aquisgranum confectâ.

Athymbra, urbs Cariæ juxta Mæandrum, *Nyssa* posteà dicta, ab *Athymbro* condita. Strab. 14.

Athyna, opp. Sclavoniæ, in monte, versus Dravum fluv. prope fontes Oriawæ fluv. 6. mill. Germ. à Sigetho in Austrum.

Athyras, Thraciæ fluv. Ptolem. in Propontidem se exonerat, prope Selymbriam. Baudr. hodiè *Acqua dolce*, Plinio *Atyras.* Item *Athyra* plur. numer. urbs episcopalis, & nunc metropolis. ibidem.

Athyta, sacrificia, quæ ἄνευ θυσιῶν, id est, *sine victimis* offerebantur Diis. Cæl. Rhod. 12.1. Ἀκαπνόθυτα Luciano, q. *sine fumo*, & proindè *exigua*, qualia sunt inopum, quibus non esset victimarum copia.

Atia, Caji Julii Cæsaris ex sorore Julia neptis, nupta L. Philippo, quorum filia Octavia C. Marcello elocata.

Atia, mater Augusti, Vid. *Accia.*

Atia, Romanorum urbs in Campania, à Samnitibus expugnata. Diod. Sic. *lib.*20.

Atidius Cornelianus, cæsis Legionibus, à Vologese Parthorum R. fugatus, An. C. 166. sub Antonino Philosopho Imper. Dion. *lib.*71.

Atii, ab Ati Trojano, de quo Virgil. *lib.*5. Quod Augusti causâ scriptum Servius ait, qui ex *Atia* matre natus est. Neque enim ulla vetus *Atiorum* mentio est. *Atii* plebeii fuerunt, neque Præturæ gradum excessêre, cognominaque *Varri*, *Pauli* & *Balbi* tulerunt.

Atilas, vide *Atyla.*

Atilia, gens Romanorum plebeja, sed antiqua, ex quâ nonnulli egregii viri prodierunt.

Atilia, pagus Vindeliciæ in Bavaria apud Danubium. *Altenburus* Aventino, *Azelburus* Welsero.

Atiliana, Hisp. Tar. op. inter Asturicam & Tarraconem. Anton. Nunc *Sadava*, op. Aragoniæ in confinio Navarræ, juxta fluv. Riguelum. Baudr.

Atilius, Libertini generis, qui cœpto apud Fidenam amphitheatro, quò spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit. Unde convulsa moles, dum ruit intus aut in exteriora effunditur, immensam vim mortalium spectaculo intentos, aut qui circum adstabant, præceps trahit atque operit. Quinquaginta hominum millia eo casu debilitata aut obtrita sunt. Tacit. IV. 62. Atilius in exsilium actus est, cautumque in posterum Senatusconsulto, nequis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res, neve amphitheatrum imponeretur, nisi solo firmitatis spectatæ. Contigit M. Licinio, L. Calpurnio Coss.

Atilius Rufus, Consularis, Syriæ sub Domitiano, Præses, ibique mortuus. Tacit. *in Agric.*

Atilius Vergilio, vexillarius comitantis Galbam cohortis, viso cominus armatorum agmine, direptam Galbæ imaginem solo afflixit. Tacit. *Hist.*1.41. Plutarcho *in Galba*, dicitur *Servilio* nescio an rectè.

Atilius Verus, aquilam septimæ legionis à Galba nuper conscriptæ, in prœlio ad Cremonam, multâ cum hostium strage & ad extremum moriens servavit. Fuit centurio primipilaris. Tacit. *Hist.*3.22.

Atina, hodie *Atino*, civitas vetus Campaniæ. Virg. *Æn.*7.

—— *Atina potens, Tiburq; superbum.*

Mart. 10.92.

Mari, quietæ cultor & comes vitæ,
Quo cive prisca gloriatur Atina.

Sil. Ital. *lib.*8.

—— *Nec monte nivoso*
Descendens Atina aberat.

Pop. *Atinates.* Servius *in Virg. locum prædictum: Civitas est juxta Pomptinas paludes dicta Atina, à morbis, qui Græcè* Ἄται *dicuntur, quos paludis vicinitas creat.* Sanè curiosum Grammaticum, ut haud rarò aliàs, hîc quoque se prodit Servius potius, quàm Geographum; à Pomptinis enim paludibus longè abest *Atina*, apud ipsum Apenninum montem in edito, &, ut Silius ait, *nivoso colle* sita. Nunc vicus est Campaniæ fel. propè Melum amnem, ad radices Apennini. Baudr. Est etiam *Atina*, vicus regni Neap. in prov. Principatus citerioris, penè semidirutus. Idem.

Atilla, Mater Lucani Poëtæ, à fil. spe impunitatis, inter conscios Pisonianæ conjurationis nominata. Tac. *l.*15.

Atinetus, libertus Cæsaris, ut ipse testatur in marmore dicato cineribus uxoris Homonoeæ, cum epitaphio pulcherrimo, quod se legisse Romæ Tortellius testatur.

Atintania, pars Macedoniæ. Steph. Hinc *Atintanes* popul. Maced. in Oretide regione. Polyb. Thucydides eos Molossis annumerat.

Atinum, Lucaniæ op. apud fluv. Tanagrum, inter Polam, & Salam. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.*1254.

Atiso, Insubrum fluvius, Verbanum lacum influens, *Tosa* hodie vocatur, testibus Leandro, & Castilionæo. Hujus Plut. mem. *in C. Mario*; Ubi Xylander & Cruserius *Athesin* interpretantur, quàm benè ipsi viderint. *Atisis* habet Liviana epitome. Vide omnino Cluver. *Ital. Ant. l.*1. *p.*139.

Atizies, nomen Persici purpurati, apud Curtium *l.*3.42. quem scribit in prælio ad Isson cecidisse. Diodoro *lib.* 17. vocatur *Antixyes.*

Atlanta, vel *Atalanta*, civitas Locrorum, terræ motu insula facta ante Platonis nativitatem. Euseb.

Atlantica, insulæ duæ, quas beatas & fortunatas vocant, parvo inter se mari divisæ, decem millibus stadiorum à Libya distantes. Imbres illic rari, mediocresque, venti plurimum suaves ac roriferi: Solum pingue, nullo humano studio excultum perdulces fructus otiosæ multitudini præbet. Aër sincerus & temperatus, ac mediocri mutatione per tempora contentus. Nam qui à terra perflant venti, Boreas & Aquilo, propter longinquitatem, vasta & inania incedentes spatia, fatigantur, priusquam ad eas perveniant; qui verò à mari perflant, Argestæ, & Zephyri refrigerantes, raros ac temperatos imbres ex pelago efferunt. Illic *campi Elysii, & beatorum domicilia* ab Homero, Horatio, reliquis-

reliquisque poëtis esse dicuntur. Has Plinius Hesperidas vocare videtur; nam & duas etiam numerat in mari Atlantico, easque ultra Gorgonas, prætervnavigatione Atlantis dierum 40. distare ait. Erunt fortasse *Spagnola* & *Cube*. Ortelius.

Atlantes, Æthiopiæ pop. Herodoto, Melæ, ac Plinio, inter quos nullam nominum appellationem esse ajunt. Hi fortè hodiè regnum *Borneo* dictum habitant, cujus incolas nullum proprium nomen habere tradit Jo. Leo, omnesque à quodam accidente appellari; ut quem procerâ staturâ conspiciunt, *procerum*; quem pinguedine onustum, *pinguem*; sic *cæcum*, *calvum*, *surdum*, &c. nominant.

Atlantides, circa Atlantem habitantes, Africæ pop. tum pietate & religione insignes habiti, tum erga advenas & peregrinos hospitalitate clari. Hi ab se Deorum genus asserebant; Primum verò Deum Uranum, id est, Cœlum apud se regnasse prædicabant, & plures duxisse uxores, ex quibus 45. liberos sustulit, præcipueque ex *Titea* 17 qui à matre *Titanes* vocati sunt. Diod. Sic. *l*.3. & 4. Euseb. 2. *Præp. Ev*.

Atlantides, stellæ, aliàs *Vergiliæ, Hyades vel Pleiades*. Filiæ Atlantis dictæ, qui primò illas detexit.

Atlantis, Inf. maxima Oceani Occidentalis, quam mari haustam Plato tradidit. Hanc extitisse inter Azores & Canarias, hasque è reliquiis ejus remansisse, autumat; imo prolixè demonstrari posse credit Becmannus *Histor. Ins. c*.5. Multis *Atlantis* illa Platonica America est. Vid. *America*.

Atlas, fil. Jovis, ex Clymene, Mauritaniæ rex, Promethei frater, qui cùm oraculo monitus esset, ut caveret à Jovis filio, nullum hospitio suscipiebat; quod Perseus Jovis ex Danae filius indignè ferens, ostendit ei caput Gorgonis, quo conspecto *Atlas* in montem conversus est tam excelsum, ut ejus cacumen cerni nequeat. Lucan. *lib*.9.

Illa sub Hesperiis stantem Titana columnis
In cautes Atlanta dedit.

Fabulam refert Ovid. *Mutationum lib*.4.

Quantus erat mons factus Atlas, nam barba, comaq;
In silvas abeunt: juga sunt humeriq; manusq;
Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen;
Ossa lapis fiunt; tum partes altus in omnes
Crevit in immensum (sic Dii statuistis) & omne
Cum tot sideribus cœlum requievit in illo.

Virgil. *Æn*.4.

Illâ fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila, jamq; volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri:
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Quam *Atlantis* descriptionem sic imitatur Silius, *lib*.1.

Nec patitur nomen proferri longius Atlas;
Atlas subducto tacturus vertice cœlum,
Sidera nubiferum fulcit caput, ætheriasq;
Erigit æternum compages ardua cervix;
Canet barba gelu, frontemq; immanibus umbris
Pinea silva premit, vastant cava tempora venti,
Nimbosoq; ruunt spumantia flumina rictu.

Montem hunc *Africa* fabulosissimum vocat Plinius, & meritò. Fabulis autem ab ipsa montis altitudine occasio data, undè cœlum ab eo sustineri fingitur: *Quo magis surgit, exilior est, & quod altius quàm conspici potest usque ad nubila erigitur, cælum & sidera non tangere modò vertice, sed sustinere quoque dictus est*, uti loquitur Pomponius *lib*.3. *c*.11. Hinc Proverb. Ἄτλας τὸν οὐρανὸν, subaudi ὑπεδέξατο, dici solitum de iis, qui sese magnis & molestis involvunt negotiis, ipsique sibi malum accersunt. Nam hic *Atlas*, ut quidam ajunt, Cœlum hospitio excepit; deprehensus autem, quòd illi struxisset insidias, præceps datus est in *mare Atlanticum*. Ferunt autem, *Atlantem* Astrologiæ fuisse peritissimum, deque sphærâ primum inter homines disputasse, quâ ex re visus est cœlum suis humeris sustinere. Vid. Aug. *de C. D. l*.18. & Diodor. *l*.3. *c*.6. Scribunt autem duos esse montes in Mauritaniâ *Atlantes* dictos. Primus major dicitur, Incipit prope oram Oceani Atlantici, juxta prom. *de Guer*; inde extendit se, Orientem versus, ad confinia deserti Barcæ, & immanibus jugis, è media arenarum vastitate consurgens extollitur, verticem nubibus tectum habens. Versus Ocean. *Aiduacal* seu *Idevacal* dicitur, & inter Segelmessam regionem & provincias Hascoram & Tedlezian, *Tensift*, & *Dedes* ab incolis vocatur, & *Zizi* prope confinia regni Fezzæ. Baudr. Secundus minor vocatur, regnum Fessanum à Marocchico dividens, *Errif* hodiè Marmolio teste, pars est Atlantis maj. abestque ab urbe Lixa 130. m. p. circiter. Tres autem *Atlantes* fuisse testatur Servius. Unus rex Italiæ, & pater Electræ uxoris Coryti. Alter Arcadiæ rex, & pater Maiæ, ex qua natus est Mercurius. Tertius Maurus, qui dictus est Maximus. Sumitur nonnunquam à Poëtis *Atlas*, pro hominis simulacro, columnas ædium sustinente, aut ædificium ipsum, ad similitudinem *Atlantis*, cœlum humero torquentis, qui etiam *Telamones* dicuntur. Est & *Atlas*, teste Herodoto *lib*.4 fluvius ex Æmo monte nascens, & Aquilonem versus in Istrum defluens. Hinc *Atlanticus* adjectivum, ut *Atlanticum mare*, id est, ea pars Oceani, quæ Mauritaniam ab Occidente alluit. Cic. *de Somn. Scip. Omnis terra, quæ colitur à vobis, parva quadam insula, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terrâ*. Horat. *Carm*.1. *Od*.31.

——— *Quippe ter & quater*
Anno revisens æquor Atlanticum
Impune. ——— ———

Et *Atlanteus*. Idem Horatius, *Carm*.1. *Od*.34.

Quo Styx & invisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusq; finis
Concutitur. ———

Et *Pleiades Atlanteæ*, apud Ovid. 3. *Fast*. Hinc *Atlantides*, & per epenthesin *Atlantiades*, Mercurius Majæ fil. & Atlantis nepos. Ovid. *Met*.8.

Venit Atlantiades positis caduciferalis.

Porro *Atlantides* 15. filiæ Atlantis fuere, ex Plione Oceani, vel Deucalionis filiâ, quæ etiam Vergiliæ dicuntur, quarum 5. Hyades, nominatæ à fratre Hyâ, sororibus plurimum dilecto, reliquæ Pleiades à matre. Alii 7. tantùm numerant, quarum una, quòd Sisypho nupsit, non videtur. Virg. *Georg*.1.

Antè tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

Vitruvius *lib*.6. *cap*.10. *Atlantides, quas nos Vergilias, Græci autem πλειάδας nominant, cum sideribus in mundo sunt dedicatæ.*

Atlona, Urbs Hiberniæ munita, in Connacia prov. & Roscomanensi Comitatu, ad Sineum fluv. ubi exit à lacu Rea.

Atmanisphe, Arab. Fel. vicus Ptol.

Atmas, Scytha adeò otium detestabatur, ut diceret se, si quando ab omni negotio esset feriatus, nihil admodum ab equisonibus differre. Cœl. Rhod. 12.1.

Atmones, pop. fuere Germ. Sarmatiæ, pars Bastarnarum, ubi nunc Volhinia sup. prov. Poloniæ.

Atossa, filia Cyri, attulit Dario coronam, ejusque ex hoc filius Xerxes, licèt minor natu, Patri successit. Hanc Democedes Medicus Græcus, à carcinomate infestatam, liberavit, Herodot. *Musâ* 3. & 4. *Atossa* olim Persis imperavit, epistolarumque conscriptionem invenit, Tatianus *ex Hellanico*.

Atquanachuci, pop. Am. Septentr. in Virginia prov. in Cæciam, versus novum Belgium, ubi aliquot Anglorum col.

Atraces, Ætoliæ popul. quibus nomen dedit *Atrax*, Ætoli fil. Regio eorum *Atracia*, unde *Atracis* Hippodamia dicta. civitas, apud Ovid. *in Epist*.

An fera Centauris indicere bella coëgit
Atracis Æmonios Hippodamia viros?

Vide *Atrax*.

Atræ, civitas inter Euphratem & Tigrim. *Steph.* A Septimo Severo frustra oppugnata, An. C. 201. Dion. *lib*.75. Item Arabiæ civ. apud Zonaram.

Atramitæ, pop. Arab. Fel. Steph. Vid. *Chatramitæ*.

Atrani, pop. Hirpinorum in Italia. Plin.

Atrapes, ex Amicis Alexandri, cui post ejus excessum, in divisione Satrapiarum cessit Media. Diod. 18. *pag*. 628.

Atrapum, locus prope Thermopylas, per quem Xerxes Lacedæmonios aggressus est, Appian.

Atratinus, Conf. Rom. Fulvii collega. Item Cœlii accusator, *in Orat*. Ciceronis *pro illo*, malè *Atracinus* dicitur.

Atrax, & *Atracia*, Thessaliæ civitas in Pelasgiotide regione. Inde *Atracius*. Unde *Atraciam artem* Statius appellavit *Magiam*, quæ apud Thessalos plurimùm viguit. Sic enim ille. 1. *Theb*.

——— *Qualis per nubila Phœbes*
Atracia rubet arte labor.

Claud. *in Coss. Prob. & Olybr.* secundùm quædam exemplaria,

Haud secus Atraciam Lunâ regnante per Arcton
Siderea cedunt acies.

Prop. *lib*.1.

Et dicam Atracis licet hæc considat in oris.

Atrax, Ætoliæ fluv. qui infunditur Jonio, & ab eo est initium Achajæ. Catullus,

Smyrna cavas Atracis penitus mittetur ad undas.

Vide Strab. *lib*.9. & Plin. 11.4.

Atrebates, Plin. Galliæ populi, qui XV. M. armata ad bellum polliciti, trans Sabin unà cum Nerviis & Veromanduis, finitimis suis, adventum Romanorum expectarunt, Cæsar *lib*.2. *comm*. Sed ab hoc superati, acceperunt Commium Regem, Cæsari in Britannia fidum ac utilem. Postea, ad Alesiam obsidione liberandam, imperata sunt illis IV. hominum millia, summaque imperii Commio tradita, qui cum reliquis Gallis contra populum Rom. Cæsaremque, conjuratione initâ, cùm omnia frustra expertus esset, *parente Romanis civitate*, legatos demum ad M. Antonium misit, & se imperata facturum, obsidibus datis, firmavit. Sic Atrebates, quibus unâ cum Nerviis & Veromanduis victis Cæsar libertatem & leges abstulerat, pro meritis Commii Atrebatis idem

idem *immunes* esse jussit. Sed non diu libertas illis mansit. Straboni dicuntur *Atrebati*: Ptolem. Ἀτρέβατοι, quos ille falsò ad Sequanam ponit. *Atrevates* quoque in vett. Nott. *Atrepates* Orosio,&c.Hi in Britannia insi.condidere Callevam *Atrebatum*, 44.m. à Londinio, 22. à Venta Belgarum. Nunc *Artesis*, Gall. *Artesiens*. Ab his *Vestes Atrebaticæ*; id est, xerampelinæ, & *birri Atrebatici*, Vopisc. quanquam *Atrebaticas* vocat Suidas, de coloris atri ratione. Sunt autem *Atrebates* textrino percelebres. Horum metropolis munitissima urbs *Atrebatum*, Ptolomæo *Origiacum*, quod tamen Cluverio Orchiacum *Orchies*, hodie videtur, locus humilis & ignobilis, proximus Duagio: *Atrebatum* autem caput *Nemetacum* vult dictum olim. Quidquid hujus sit, in vett. Galliæ Notitiis, nunc *urbs Atrebatum*, nunc *civ. Atrebatum* & *Atrevatum*, appellatur: ibique ac in Chronico Roberti, inter XII.prov. Belgicæ secundæ civitates quinto loco statuitur, post Remos, Suessionas, Catalaunos & Veromanduos. Anno verò Christi 1200. in septimum gradum ab Auctoribus rejicitur, & Camaraco quoque, Turnaco ac Morinis seu Tervannæ postponitur. Sita est ad Scarpam fluv. qui in Scaldim influit; Germ. *Atrecht*, Gall. *Arras*. Pagus *Atrebatensis*, in Ludovici Pii divisione regni inter filios *Adertensis*, in Caroli Calvi Capitulis *Adertisus*, apud Usuardum *territorium Adartense*, dicitur: parum latinè. Recentioribus *Artesia*, vulgò *Artois* nominatur. Comitatus hodie tit. clara, aliàs sub dominio Hisp. nunc autem fere tota Francici est juris. Habet ab Aquilone Flandriam, eandem ad Ortum cum agro Cameracensi, ad Merid. & Occas. Picardiam & Comitatum Boloniensem; estque fertilis admodum. Notat Samson, diœcesin Atrebatensem Comitatui cognomini non usquequaque respondere, cùm diœcesis Audomaropolitana, quæ majori ex parte Comitatu continetur, portio sit veterum Morinorum: Duagium autem ac Orchiacum, in diœcesi sint Atrebatica, cùm tamen ad Flandriam Gall. pertineant, &c. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Galliæ*. Cœterùm urbs, olim Comitatus Flandriæ caput erat, cùm illam Carolus Calvus Juditæ filiæ, Balduino Flandriæ Comiti nuptæ dotis loco cessisset. Dein, cum tota Artesia, rediit ad coronam, nuptiis Philippi Augusti & Isabellæ Hannonicæ, filiæ Balduini 6. Episcopatum hic instituit Urbanus 2. An. 1092. & Lambertum ipsemet infulâ cinxit. Inter cujus successores ille fuit, qui Carolo 5. Imp. suggessit dolum, quo unius literulæ inversâ formâ (vox erat *einig* & *ewig*,) Philippus Landgr. Hassiæ seductus, in vincula incidit, non nisi quinque annis pòst, virtute generi sui Mauritii Saxonis, liberatus. Franc. Guicc. *Comm. l.* 2. Hanc urbem, in duas partes divisam, (quorum altera, *civitas* dicta, ad Episcopum pertinet,) ferrarius quidam faber Maximiliano Imp. prodidit, An. 1493. Ludovicus verò 13. recepit, An. 1640. post bimestre obsidium. long. 23.55. lat. 50.15.

Atrebatii, pop. Albionis, Ptol. quorum regio *Berkshire*, Camdeno ac Lelando testibus. Opida *Okingham, Reading, Illsly*, &c. inter Londinum & Sarisburiam in occid. Eorum primaria urbs Calleva, Anton. & Ptol. nunc *Wallingford*.

Atrene, civitas. Stephan.

Atreni, populi circa Armeniam, quorum urbem *Atras*, Septimius Severus frustra oppugnavit, An. C. 201. Dion. *l.* 75. Herodian. *lib.* 3.

Atreus, Pelopis & Hippodamiæ fil. post avunculum Eurysthеum, rex Mycenarum & Argivæ reg. per an. 5. Thyesten fratrem concubitu uxoris suæ Æropes usum exilio mulctavit, cui deinde revocato proprios filios, quos ex Ærope susceperat, comedendos apposuit: cujus facinoris horrore Sol retrocessisse fertur, revocato ad auroram cursu. Unius Senecæ tragœdiarum argumentum. Unde Ovid. *Trist.* 2.

Si non Æropen frater sceleratus amasset,
Aversos Solis non legeremus equos.

Quod ut Thyestes ulcisceretur, cum propria filia Pelopea concubuit, & ex ea Ægisthum suscepit, qui *Atrei* filium Agamemnonem interfecit. Horat. *ad Pisones*:

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.

Ovid. *Ponticorum primo*:

Non tibi Theromedon, crudusq; rogabitur Atreus.

Vid. Erasm. *Adagia*.

Atri, populi apud quos ne minimum quidem furari licebat. Euseb. *lib.* 6. *Præp. Evang.*

Atria, vulgò *Adri*, urbs juxta Venetias. Ptol. posteà *Adria* dicta, unde mare *Adriaticum* nominatum. In penins. Rhodigina semidiruta jacet. 30. mill. à Ferraria in Bor. 15. à Rhodigio in Ortum, & 25. à Venetiis in merid. Baudr. Stephanus aliam *Atriam* Bojorum, gentis Celticæ commemorat.

Atria, vulgò *Atri*, Urbs est in regno Neap. estque Ducatus gentis Aquavivæ. Paucorum incolarum.

Atrianorum paludes, quæ *Septem maria* vocantur. Plinius *lib.* 3. 16. Locus est circa Padi ostia; *Ravenna paludes* Strabo *lib.* 5.

Atrianus, Italiæ fluv. Ptol. *Tartaro* Mercatori.

Atribunia, fluv. Ins. Hispaniolæ, in America Septentr. versus Occasum Ins. & ex adverso Cubæ, ubi aliquot Francorum mansiones, à paucis annis in eo tractu.

Atricani, Italiæ pop. Dionys. Hal. *lib.* 5.

Atridæ, Atrei filii, Agamemnon & Menelaus.

Atrius, prænomine *Quintus*. Inter legatos seu tribunos C. Julii Cæsaris, navibus in Britannico litore præsidio relictus. Magis tamen placet Fulvio Ursino *Q. Artius*; quia *Atria* gens ipsi ignota est.

Atropatia, Stephano altera ex partibus Mediæ, ita dicta ab *Atropato* duce, qui eam à Macedone vi tutatus est. Media enim distributa est in duas partes, quarum altera Major appellatur, cujus metropolis est *Ecbatana*, altera Minor, quæ & *Atropatia* dicitur Straboni, *lib.* 11. Populi *Atropateni*. Dionysius, *Versu* 1019.

Γηλοί τε Μάρδοι τε, καὶ ἀνέρες Ἀτροπατηνοί.

Gelos, & Mardos in Atropatenâ reg. plerique statuunt: eos tamen ab Atropatenis distinguit Dionysius, non nisi cultiores reg. illius incolas Atropatenos vocans; cùm Geli, Mardi, aliique monticolæ μετανάσται καὶ λῃστρικοὶ, teste Strabone, *lib.* 11. & quidem Scythici generis fuerint. Cætera Atropatenes εὐδαίμονα χώραν, vocat Strabo, ut Dionysius, ἐριθηλέα γαῖαν. Nunc *Servan* seu *Xervan* dicitur, sub Persarum Imp. Ejus præcipua Tabrisium, seu Taruisium, urbs ampla.

Atropos, una ex Parcis, quasi quæ ad nullius preces convertatur. Stat. 4. *Silv.* 8.

His senium, longæq; decus virtutis & alba
Atropos, & patrius laurus promisit Apollo.

Mart. 10. 45.

Gaudia tu differs; at non & stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.

Atta, civitas Arab. Fel. Ptol.

Atta Titus Quinctius, circa 175. Olymp. Poëta Comicus. Horatius, *ep.* 2.

Rectè, necne crocum, floresq; perambulat Attæ
Fabula. ——————

Ejus quædam opera laudat Voss. *de Poët. Lat.*

Attabas, & Numenius, latrones famosissimi proverbio locum fecere: *Convenerunt Attabas & Numenius.*

Attacana, Armeniæ maj. op. Ptol.

Attaci, Serica gens. Plin. 7. 17.

Attacotti, Marcellin. Scotorum populi H. Lhuyd, Buchananus putat eos inter Hadriani & Severi vallum habitasse. Ubi nunc Comitatus Buquamensis, in Scotia Septentr. Baudr.

Attacum, Hisp. Tar. op. Ptol. *Alegon* Moletio, *Ateca* Clusio. Aliis est *Daroca*, opp. parv. Aragoniæ, ad Xilocam fluv. qui postea in Salonem cadit; distat à Bilbili 4. leuc. in merid.

Attali, latrones, Arabum gens. Plin.

Attalia, *Satalia*, *Antali* Turcis, urbs Pamphyliæ Archiep. maritima & primaria regionis, ubi Præfectus moratur, ab *Attalo* rege condita, Strabo. Stephano urbs Lyciæ. Aliqui verò (ut idem scribit) Ciliciæ Corycum sic nominarunt. Aulæa Attalica, olim in pretio fuere Propert. 2. 32.

Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis.

Sil. Ital. *lib.* 14.

Lata Tyros, quæque Attalicis variata per artem
Aulæis scribuntur acu.

Attalia, Urbs Asiæ min. sita in ora littorali maris mediterr. ad ostrum Cestrii fluv. & fere media inter Aspendum & Termessum; nunc sub Turcis, probè munita. Sed malè habita fuit à Christianis, principio hujus seculi. Distat aliquantisper à Vet. Attalia, quæ diruta jacet. Baudr.

Attalis, tribus Atticæ. Steph.

Attalus I. Pergami R. Gallos vicinos domuit, imperiumque suum in Asiam Taurotenus extendit. Regnavit an. 43. Strab. *l.* 13. Liv. *l.* 34. Polyb. *l.* 5.

Attalus II. primùm à fratre Eumene Romam missus, Legationem felicissimè obiit. Redux à fratre filii tutor constitutus est, cujus nomine Regnum an. 20. magnâ prudentiæ laude administravit. Strab. *l.* 13. Polyb. *l.* 5.

Attalus III. Pergami rex, cogn. *Philopator*, pecuniâ, & splendidâ abundantique supellectile ditissimus. Plinius *lib.* 8. Propertius,

Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Hic à Popul. Roman. donatus est eo regno; cùm liberos autem non haberet, eundem Popul. Roman. hæredem fecit, quæ seges Gracchanarum seditionum; ejusque substantia amplissima Romam est allata. Nimirum in Testamento scriptum erat, POPUL. ROMANUS MEORUM HÆRES ESTO: quod largâ & liberali quâdam interpretatione Romani à privato instrumento Regis, ad regnum ipsum extenderunt: quod alias sine consensu populi transire validè haud posset. Ideoque cùm ait Horatius, *lib.* 2. *od.* 18.

—— *Nec Attali Ignotus hæres regiam occupavi.*

Notasse poëtam Romanos, non jure factos hæredes *Attali*, vetus Scholiastes observat. Vide Liv. *lib.* 58. Appian. *bell. civ. lib.* 1. Plut. *in Graccho*. Berneggerum, *ad Florum* 2. 20. *N.* 2. 6. Sed Grotius docet, regna quædam alienari posse, *lib.* 1. *de Jure B. ac P.* & *lib.* 3.

lib.3.cap.20. Unde *Attalicæ vestes* pro splendidis, item *conditiones Attalicæ* pro ingentibus divitiis. Horat. *Od.* 1.

— *Attalicis conditionibus*
Nunquam dimoveas.

Prop. 4. 6.

Sectaq; ab Attalicis putria signa toris.

Idem 3. 17. *Attalicas supera vestes.*

Attalus, Arianus, Præfectus Romæ, cùm eam secundâ vice Alaricus obsideret. Apud hunc tantum evaluit, ut Imperatorem eum proclamare senatus fuerit coactus. Hinc ingentes homini spiritus, & Legatio Honorii, dimidium imperii offerentis, insolenter rejecta. Sed vertente anno ab ipso Alarico depositus est, Anno 410. Mox, hoc mortuo, resumsit in Gallia vires, sed in Hispaniam transiens, An. 415. captus & ad Honorium deductus est, qui manu solùm ipsi abscisâ eum cœtera vivere permisit, militibusque ejus veniam dedit. *L.* 11. *&* 12. *de indulg. crim. Cod. Theod.* Orosius *l.7.c.42.* Zosimus, *l.6.* Sozom. *l.9.*

Attalus, Agrianorum & Cretensium sagittariorum, in exercitu Alexandri Magni, dux. Curt. 4. 109. Fortè hic est, quem scribit *lib.8.67.* Alexandro Magno fuisse æqualem & haud disparem habitu oris & corporis.

Attalus, Macedo, infensissimus hostis Alexandro, Quin. Curtius *lib.6.* Fuit & *Attalus* quidam Philosophus; Senecæ præceptor. *ep.* 100. Tempore Tiberii. Item Martyr nobilis, de quo vide sis Euseb. 5. 3.

Attalus, Presbyter, subscripsit Niceno concilio, in errore tamen pertinaciter perseverans, Concilio Aquilejæ habito damnatus est. An. 381.

Attalus, martyr, sub Antonino Philosopho, tostus in ferrea ignea cathedra, exclamavit: *Ecce hoc est homines vorare, quod vos facitis: nos verò nec homines voramus, nec aliud quiddam mali facimus*; Christianis enim in Gallia tum Thyestea convivia & Oedipodei incestus per calumniam attributi, circa Annum C. 70. Idem Alcibiadem martyrem, ob delectum ciborum, reprehendit. Vid. Euseb. *l.4.c.25.*

Attalyda, urbs Lydiæ. Steph.

Attarras, ex Prætoribus Alexandri Magni, qui participes conjurationis Dymno comprehendit. Curt. 6. 51.

Attasii, Massagetarum, & Sacarum gens. Strab. *Sogdianæ* populi. Plinio.

Attea, Asiæ pagus ad sinum Adramyttenum. Strabo.

Atteiatis, Italiæ op. in Piceno. Lib. de limitibus.

Attejus Capito, ingenti rerum usu, & Romani juris peritiâ, ad consularem dignitatem sub Augusto, evectus est. Scripsit quædam ad Jus spectantia. Pomponius *l. 1. de orig. Juris.* Tacit. *Annal. l.3.*

Attejus Philologus, libertinus, Athenis natus, quem Capito *Attejus* J.C. ejus Patronus, inter Grammaticos Rhetorem & inter Rhetores Grammaticum fuisse ait, quem juvisse Sallustium in scribendo author est Pollio, qui ab illo eloquentiam didicit. Scripsit quædam, ut *An Æneas amaverit Didonem?* Charisius *lib.* 1. Suet. *de Illustr. Grammat.*

Attejus Prætextatus, nobilis Grammaticus Latinus. Suetonius.

Attejus Sanotus, Commodi Imp. præceptor & orator. Lampridius.

Attela, vide *Atella.*

Attelebussa, Lycii maris insula. Ptol.

Attena, Æthiopiæ sub Ægypto opidum. Plin.

Attene, Arab. Fel. regio circa Gerram opidum. Plin.

Attenum, Atteny, opp. Asiæ, in India citer. & regno *Decans.* Al. est *Attony*; distatque ab urbe Visiapor 22. leuc. circiter.

Atter, Attersée, lacus Germ. qui aliis *Schwarzsée*, in Archiep. Salisburgensi. Eum præterluit flav. Æger, in confinio Austriæ.

Attes, Calai Phrygis fil. impotens generandi à matre genitus, qui, cùm adolevisset, in Lydiam demigravit, & Matris Deûm orgia apud Lydos peregit. Quare cùm ob id in honore esset, Jupiter ei invidens, suem immisit, qui Lydorum labores, & opera diripiebat: & cùm alios plures, tum ipsum *Atten* interemit. Pauf. *in Achaicis.*

Atthis, Cranai filia, quæ & *Attica*, à qua regio ejusdem nominis dicta, cùm prius *Actica* diceretur, sive ab *Actæo* rege, ut Lycophroni & Phavorino placet, sive ab Ἀκτὴ litus, quòd ea regio magna ex parte litoralis sit. *Atthis* etiam ins. ubi Telamon habitavit. Apollonius *Argonaut. lib.* 1.

— Τελαμὼν μὲν ἐν Ἀτθίδι νάσσατο νήσῳ.

Quin & *Atthis* poëtis *luscinia* dicitur, in quo fit allusio ad fabulam, quâ Philomela, Pandionis Atheniensium regis filia, in hanc avem dicitur transformata. Martialis,

Sic ubi multisonâ fervet sacer Atthide lucus.

Item *Atthis*, historia rerum Atticarum. Strab. *lib.5.* Οἱ τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες. Eam autem multi scripserunt, ut Philochorus, quem laudant Dionysius & Athenæus. Androtion, quem Pausanias. Hellanici etiam Ἀτθίδα citari video à Grammaticis. Citatur & Amelesagoræ *Atthis.* Casaub.

Attia, Arab. Fel. gens. Ptol.

Attica, hodiè *Ducato di Sethines*, regio Achajæ, sive Hellādis in angulo Orientali & Australi, quæ & *Mopsopia* & *Cecropia* dicta est, in qua Athenæ, urbs totius Græciæ clarissima. Hinc *Atticus* adject. Ovid. *Tristium lib.5.*

——— *O dulcior illo*
Melle, quod in ceris Attica ponit apis.

Mel enim Atticum in pretio apud veteres. Diophanes *in Geoponicis*, *lib.*15. ἄριστον μέλι τὸ Ἀττικὸν, καὶ τοῦ Ἀττικοῦ τὸ Ὑμήττιον. Dio Chrysost. *Orat.*32. de melle Attico, καθαρώτατε, id est, *purissimi.* Sil. Ital. *lib.* 14. ut mel Siculum hyperbolicè amplificaret, dixit:

Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymetton
Audax Hybla favis. ———

Idem *lib.*2. celebrat examina Cecropii Hymetti. Virg. *Georg.*4.

Cecropias innatus apes amor urget habendi.

Ideò Val. Flac. *lib.* 1. *Argonaut.* vocat Hymetton *dulcem*, & Papinius 12. *Thebaidos*, *olentem.* Martialis *lib.* 13.

Hoc tibi Thesei populatrix mittit Hymetti
Pallados a silvis nobile nectar apis.

Philo (nescio an Judæus) celebrat apes Cecropidas apud Galenum, *lib.9. de Compos. Pharm.* Queritur Synesius, *epist.*136. Athenas olim domicilium sapientûm, tantùm jam celebrari apiariis, & Hymetti ferias frequentari, non theatri. Et Plat. *in Critia*, de hac parte orbis, Τῶν γὰρ ὀρῶν ἐστὶν ἃ νῦν μὲν ἔχει μελίτταις μόναις τροφήν. Porro *Attici* pluribus elogiis celebrantur. *Atticus testis*, pro incorruptissimo, & probatissimo, teste Diogeniano. *Attica fides* quoque apud Plautum, *in Aululariâ*, proverbialiter de fide integrâ & incorruptâ dicitur. *Attica Musa*, pro eleganti & venustâ. Contrà *Advena Atticus*, in eos, qui sunt violenti in vicinos, dicitur, quòd *Attici* quondam vicinos populos sedibus suis pellerent. *Attici* quoque præsertim Athenienses, lucri & munerum cupidissimi fuere, adeò ut apud Aristophanem, teste Diogeniano, proverbio dicatur,

Atticus etiam moriens porrigit manus.

Atticum, Cyrenaicæ regionis locus. Anton.

Atticus, Titi Pomponii Equitis Rom. cognomen, ad quem 17. Epistolarum libros Cicero scripsit. Datum id ei, quòd & diu Athenis vixerit, & Græcè peritissimus fuerit, adeò ut Athenis natus videretur, quod & Corn. Nepos de eo, *in vita ipsius Attici*, prodidit. Alium sui temporis *Atticum* celebrat Martialis 7. 32. quem etiam Græcè doctissimum & ejusdem gentis studiis deditum fuisse carmen ipsum arguit. 3. Platonicus Philosophus, qui Romæ floruit temp. Constantini Imp. Eutrop. 4. Qui quædam historica scripsit. Vid. Euseb. *Chron.* An. C. 179. Consul. Rom. Prætextati collega. 5. Alius Consul, Collega Cæsaris sub Theodos. Imp. 6. Constantinopoleos Episcopus tempore Arcadii Imp. 7. *Atticus* Vectinus, Cons. Rom. collega Silii Nervæ temp. Claudii Neronis Imp. Cujus odium, ex intima familiaritate, Nero concepit, dum Vestinus ignaviam Principis penitus cognitam despicit, Nero ferociam amici metuit, sæpe asperis facetiis illusus. Tacit. *lib.*15. Idcirco innocens, sub causâ conjurationis Pisonianæ, jussu Neronis, trucidatus est. Ibid.

Atticus, alio nomine *Julius*, Speculator Galbæ, qui Principi obvius in palatio cruentum gladium ostentans, occisum à se Othonem clamavit. Tacit. *Hist.* 1. 35.

Atticus, Patriarcha Constantinop. Chrysostomo exulante. Innocentii I. Episc. Rom. legatos parum honorificè excepit. Obiit An. 421. Zelo Orthodoxiæ & charitate in pauperes illustris. Socr. *l.7.* Ei successit Sisinnius. Item, Episcopus Nicopolitanus, interfuit Concilio Chalcedonensi.

Attidiates, pop. in 6. reg. Italiæ, Plin. 3. 14. Eorum urbs *Attidium.* Vid. Cluv. *Ital. Ant.* 2. 6.

Attigouvantani, pop. novæ Franciæ, in America Septentr. versus Occidentem, à quibus dictus Lacus ille magnus Attigouvantanorum seu Huronum.

Attila, Hungarorum Rex. Scytha natione, Ethnicus fide, primò Thraciam vastavit, & Oriente turbato Theodosii Imper. copias tributum sibi pendere coëgit. Dein, occiso fratre Bleda, ut ejus imperium invaderet, transiit in Occidentem, *flagellum Dei* appellari gaudens. Pannoniaque & Germaniâ peragratâ, Galliam intravit cum exercitu 500000. militum, quasi Visigothos in Aquitaniam usque persecuturus. Mediomatricibus igitur, Trevire, Tungris, Atrebatibus, &c. captis, Aurelianum obsedit, quæ urbs cùm jam ad deditionem descensura esset, Aëtius Romanorum Dux, junctis cum Theodorico Visigothorum R. copiis, illum subitò aggressus, obsidionem solvere coëgit, pauloque post, in campis Catalaunicis, vel, ut Morerius vult, Secalaunicis, acie vicit, ducentis ejus millibus prostratis. Hinc in Italiam transgressus, Aquileiam aliasque urbes expugnavit, jam jam Romæ imminens, unde occursu Senatus ac Leonis Episcopi reversus, cùm Aëtius validis copiis instructus approperaret, pacem Valentiniano annuo tributo vendidit. Inde in Pannoniam reversus, ipsâ nuptiarum nocte, insigni sanguinis effusione, cui subjectus erat, debilitatus, animam cruentam exhalavit, An. 453. Prosper, Cassiodorus, Isidorus, *in Chron.* Jornandes

handes, *de orig. Gothorum.* Greg. Tur. *l.2.c.7.* P. Diaconus *l.5.* Sid. Apollinaris, *ep.15.l.5.* Vid. etiam *Atylas.*

Attilianus, Consul, Pompejani collega.

Attilius Calatinus, Consul, an. 500. U.C. Cimber, unus ex percussoribus Cæsaris.

Attilius Hister, prænomine *Publius*, sub Claudio, Pannoniæ præses. Tac. 12. 29.

Attilius Regulus, Conf. Rom. primo bello Punico, cùm Carthaginenses sæpè vicisset, horribilem etiam serpentem, ad fluv. Bagrada, necasset; tandem per insidias captus, Romam missus est, pro permutandis captivis, quam per mutationem ipsemet dissuasit, & Carthaginem rediens, crudelissimè necatus est. Lege Horat. *Carm. 3. Od. 5.* Appianus *in Lybicis*, Καὶ ὁ Ἀτίλιος Ῥέγουλος ἐν ἀποῤῥήτῳ τοῖς πέλεσι (lege τέλεσι) Ῥωμαίων ἐπισκήψας ἐγκρατῶς ἔχεσθαι τοῦ πολέμου, ἐπανῆλθεν ἐς λίμενην (lege λιμένα) ἕτοιμος, καὶ αὐτὸν οἱ Καρχηδόνιοι καθείρξαντες ἐν γαλεάγρᾳ κέντρα πάντοθεν ἐχούσῃ διέφθειραν. h.c. *Et Atilius Regulus secreto magistratus monuit, ut bello potenter incumberent, & in portum reversus est, ad omnia paratus, & eum Carthaginenses in cavea undecumque aculeos habente includentes, necaverunt.* Hanc historiam, vel potius fabulam, plerique Romanorum posteris, ut veram, tradiderunt. Cicero *3. de Off.* eam habet, & *vigiliis necatum Atilium* ait: ut & *in Orat. in Pisonem*, resectas ei palpebras dixit, & Horatius, ubi supra,

Atqui sciebat quæ sibi barbarus
Tortor pararet.————

Silius Italicus verò in eo argumento tragicè debacchatur: eos auctores secutus Zonaras, eadem de morte *Attilii* narrat: ii omnes Appiani huic loco concinere videntur. Si dixero, me tantis & talibus auctoribus fidem non habere, risum fortè tuum vel indignationem movebo. Sed audi quæso, quæ me ab ea narratione credendâ demonent, & expande frontem, si corrugata est. Polybius, qui belli primi Punici historiam fusè, ne dicam prolixè, satis exequitur, cùm *Atilii* cladem & captivitatem narrat, de toto eo negotio ne verbum quidem facit, ut nec de itu ejus & reditu, nec de ejus morte loquitur. Si quis conjecturæ nostræ locus est, puto eum auctorem de morte *Attilii* consultò tacuisse, ne coactus foret, fallere fidem historicam eam fabulam narrando, ut Romæ obtinebat, vel odium Romanorum incurrere, si contrarium recepto apud eos rumori traderet. Ut id credam, suadent duo loci insignes, unus Polybii *lib.1.* ubi de auctoribus, qui bellum Punicum primum scripserunt, ait, Philinum, & Fabium, non, ut oportuit, veritatem retulisse, sed Philinum quidem omnia in Carthaginensium favorem scripsisse, Fabium verò contrà, & utrumque falsò. Alter locus est Diod. Siculi, cujus extat fragmentum, *lib.24.* quantivis pretii à Valesio publicatum. Sic autem incipit: (de *Atilii* autem uxore, & ejus liberis loquitur, quibus data fuerat custodia Bostaris & Hamilcaris, Carthaginensium ducum captivorum.) Ὅτι ἡ μήτηρ τῶν νεανίσκων βαρέως φέρουσα τὴν τοῦ ἀνδρὸς τελευτὴν, καὶ νομίσασα δι' ἀμέλειαν αὐτὸν ἐκλελοιπέναι τὸ ζῆν, ἐπόιησε (vel ἔπεισε) τοὺς υἱοὺς κακουχεῖν τοὺς αἰχμαλώτους. Narrat deinde, quomodo ob carceris nimium rigorem, alter eorum mortuus sit, alter verò duraverit, donec re in vulgus proditâ: Οἱ δὲ, μισοπονηρήσαντες τοῖς δημάρχοις προσήγγειλαν. Δεινῆς δὲ οὔσης τῆς ὠμότητος φανείσης, οἱ ἄρχοντες ἐνεκάλεσαν τοὺς Ἀτιλίους, καὶ παρ' ὀλίγον θανάτου κρίσιν προσέθηκαν ὡς καταισχυνοῦσι τὴν Ῥώμην. Διηπειλήσαντο δὲ τὴν ἁρμόττουσαν παρ' αὐτῶν λήψεσθαι τιμωρίαν, εἰ μὴ πᾶσαν ἐπιμέλειαν ποιήσονται τῶν αἰχμαλώτων. Οἱ δὲ τῇ μητρὶ πολλὰ καταμεμψάμενοι, τοῦ μὲν Βοδόστορος καύσαντες ἀπέστειλαν τὴν τέφραν τοῖς συγγενέσι, τὸν δὲ Ἀμίλκαν ἐκ τῆς κακουχίας ἀνέβαλον. Ex hoc Diodori loco, & ex Polybii silentio licet conjicere, totam de M. *Atilii* supplicio tragœdiam ad pulpita amandari debere, & à veritate historica exulare: & mihi videor totam *Attilii* historiam intelligere. Adverte animum lector. M. *Attilio* totam Carthaginensium ditionem liberè depopulante, Asdrubalem, Bostarem & Hamilcarem duces arcessunt Carthaginenses: pugnant cum *Atilio*, vincuntur, de pace agunt; sed incassum, ob duriores conditiones ab *Atilio* propositas; Denuò pugnant, Xanthippo Lacedæmonio duce, vincunt, & universum Romanorum exercitum delent, & ipsum ducem *Atilium* captivum Carthaginem ducunt: curam adhibet Amilcar, & captivum fovet, ut fit in bello: Classem navium 350. parant Romani, & Coss. M. Æmilio & Servio Fulvio ducibus, ad Hermæum promuntorium classem Carthaginensium profligant, captis navibus 114. & ducibus Bostare & Amilcare, quos Romam mittunt cum victoriæ nuncio: quod ex eo conjicio, quòd de iis non fit amplius mentio in illo bello, sed de solo Adrubale, & quòd ex eo Diodori loco citato pateat, eos captivos Romam ductos fuisse. Senatus, ut solaretur uxorem & filios *Atilii*, iis mandat custodiam ducum Carthaginensium, ut haberent redemptionis *Atilii* pretium, factâ scilicet commutatione, ut fit in bello, quod Diodorus narrat. At accidit, ut morbo moreretur in captivitate *Atilius*: unde irata uxor, & non amplius sperans, se per suorum captivorum transmutationem potituram marito, eos crudeliter vexat, undè Senatûs ira adversus matrem & filios: Ea verò ut colorem justitiæ daret crudelitati suæ, fabulam hanc de necato per incuriam, & vigilias & tormenta *Atilio* in vulgus & alias mulieres, ejus affines loquaces tradidit, unde rumor ille increbuit, & in majus traditus est, & propter Carthaginensium odium facilè creditus, vires eundo acquisivit. Nisi ita res se habuerit, multùm me fallit conjectura. Lege lector, veritatis sectator, totum Diodori fragmentum, & Polybii *lib.1.* attentè, & , ut spero, dices, me non aberrare à verisimili, & inter errata historica M. *Atilii* caveam, & aculeos, & palpebras sectas annumerabis. Palmerius. Vide plura de Attilio, apud Liv. Flor. Eutrop. Oros. Zonaram, & in voce *Regulus.*

Attilius Serratus, Consul. Item Poëta, &c.

Attinas, sive, ut alii legunt, *Attinias*, Bactrianæ regioni ab Alexandro Magno præpositus, ab exulibus Bactrianis & octingentis Massagetis in insidias inductus & cum trecentis equitibus interemptus. Curt. VIII. 1.

Attiniacum, oppidul. Gall. *Attigny*, vulgò, in Campania, & Ducatu Remensi. Ubi Synodus An. 765. 822. 834. 870. Flodoard. *Hist. Gall. Concil. 8. tom.* Baudr. Morer. Villa fuit publica, sub Pipino, Carolo M. Ludovico Pio, ac Carolo Calvo, notissima: conventibus gentis, ac legibus ibi latis, (quæ *Capitula* vocantur) celebris ad ripam fl. Axonæ. Hic mortuus Daniel, id est Chilpericus R. an. 720. Pipinus natalem Domini celebravit: Ludovicus Pius pœnitentiam publicam suscepit, &c. *Attiniacum palatium* quoque vett. dicitur, Hadr. Valesius.

Attipiacum, villa ad Axonam flu. Forsan *Attichi* hodie. *P.* enim Latinum non rarò Gallis in *ch* mutatur. Sic pro, Gamapium, *Gamache*; pro Clippiacum *Clichi*, dicunt. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Attiquamechi, pop. novæ Franciæ, in America Septentr. prope fontes fluv. Saguenay.

Attiri, Æthiopiæ sub Ægypto gens. Ptol.

Attium, ins. Corsicæ promuntorium. Ptol. Nunc *Punta di Laccivolo.*

Attius Pelignus cum VII. cohortium præsidio Sulmonem tenuit, ab Antonio interceptus, à Cæsare dimissus fuit. 1. *Civil.* 18.

Attius Tullus, quo duce, Volscos adversus Romanos concitavit Coriolanus.

Attius Varus, Auximum oppidum Pompeii nomine obtinuit, cedere inde ab oppidanis Cæsari faventibus jussus, de quo Lucanus *lib.1.* & Cæsar *lib.1. Civil.* 13. Ab hac fuga in Africam venit, quam Prov. Prætor antè possedit, atque illam à Cæsare avertit. *L. 2. de B. civ. cap. 29.* Periit verò hic in bello Hispaniensi ad Mundam. Vulgò perperam legitur *Actius.* Vetera tamen monumenta habent *Atius.*

Attuarii, Germ. pop. Vellejus. Forsan *Chattuarii*, vel *Cassuarii*, inter Chattos, Bructeros & Cheruscos, secundùm Mich. Ant. Baudran. *in Lexico Geogr.* Eorum regio, vetus patria eorum, qui in Galliam translati trans Rhenum in Germania, *Attuaria* & corruptè *Atoaria*, adhuc sub Ludovico Pio, dicta, ab illo inter Toringiam ac Saxoniam ponitur. Et *Haterch*, vulgò *Halteren*, opp. hodieque ad Lupiam. In divisione regni Lotharii An. 870. facta, in Germania II. inter Bataviam & Mosanum pagum *Attuaria* collocantur, &c. id est in Gelria hodie ad fluv. Nersam, *Neritium* Cluverio, vulgò *Neers.* Sic duplices erunt *Attuarii*, Cisrhenani ad Nersam, prope Bataviam, & Transrhenani: quorum utri à Danis, Gesta Franc. *c.* 19. & Saxonibus, An. 715. devastati sint, in incerto. Aliæ sunt in finibus Lingonum *Attuaria*, quæ, *Comitatus* nomine, in Burgundia, inter Comit. Cabillonensem ac Lingonicum ponuntur, in Annal. Bertinianis, Anno 839. Unde Hugo, *Attoariorum* Comes, in Chronico S. Benigni, ante An. 600. composito, &c. Videtur jacuisse hic pagus ad Vincennam, Tilam ac Ararim flumina: proximus Oscarensi & Tornodorensi ac Lingonico, in cujus finibus monaster. Besvense. Hi autem *Attuarii* Francica gens, Ammiano: capti & translati à Constantino Chloro Cæs. in partem pagi Lingonici, nomen ei pagi *Attuariorum* videntur dedisse. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Attubi, Hisp. Bæt. urbs. Plin. 3. 1. *Espejo* hodie.

Attubi, vel *Ucubis*, opp. fuit Turdulorum, ad Singilim fluv. ubi forsan hodie castrum *Olivera.* Baudr.

Atuacutum, mel. *Advatucum*, Urbs fuit Eburonum, in Gallia Belg. & Tungrorum caput, hodie *Tongeren*, opp. Leodiensis dit. Vid. *Advatuca.*

Aturensium civitatis, meminit Lib. Provinciarum, in Novempopulana Galliæ regione. Sub Gothis Regibus celebris. Ab *Aturo* fluv. dicti hi populi, forsitan quondam pars Tarbellorum. Horum Civ. inter Novempopulanæ civitates XII. octava, vel nona ponitur, & *Civitas Atorensium Vico Juli* dicitur. Hinc Episcopi de civ. Vico Juli Concilio Agathensi, & Matisconensi II. interfuisse leguntur. Cùm Valiæ, Visigothorum Regi unà cum Aquitania II. data fuit ab Honorio Novempopulana, urbs *Atura* præ cæteris Alarico jun. Visigothorum R. à Valia sexto, paruit. Nomen retinere scribit Scaliger; sed depravatione Vasconicâ *Atrensium* civitatem dici, vulgo incolarum *Aire*, ni fallor. Oihenart. Marca, &c. Clarissimum *in Aturensi* diœcesi opp. S. Severi Monasterio & nomine illustre, *S. Sever de Gascogne*, quod Caput, seu initium Vasconiæ interpretatur Hadr. Valesius *Notit.*

Gall. qui Oihenartum semel atque iterum, circa *Aturiam*, corrigit. Vid. infra.

Aturia, pars Assyriæ, in qua Ninus & Gaugamela civitates. Strab. *lib.* 16.

Aturrus, Tarbellorum in Gall. Aquitanica fluv. Ausonius. *Aturius* Ptolemæo: *Atur*, Tibullo, *in eleg. ad Messallam. Atyr* Vibio Sequestri. *Dour* fortè hodiè, ut conjicit Victor Giselinus; *L'Ador* vocat Jos. Scaliger. *Landum* interpretatur Navagierus. Heroldus *Aturnus* legit, & non parvo errore scribit Gall. Belg. fluv. esse, & vulgò *Geln* dici. Hinc pago ad ripam ejus jacenti, *Aturi-ripensis* nomen, *pays d'Auribat*, inter opp. S. Severi & Aquas Tarbellicas. Attingit hic fluvius Aquas Tarbellicas & Lapurdum. Tres fluvios *Aturros* dictos, habet Baudrandus.

Ita autem ille: *Aturus*, seu *Aturrus*, fluv. est Aquitaniæ, *l'Adour* dictus. Apud Bigerros, in valle Campana, haud procul Bagneriis fluunt tres fluvii, Aturri dicti, quorum nomen commune, origo prorsùs diversa. Aturrus ille, qui reliquos excipit, quique sat notus est Historicis & Geographis, oritur ex Pyrenæis montibus, in summo Baredgini montis jugo; hinc per Bigerros fluens, & per Auscios, Elusates, & Datios, rigat urbes Tarbam, Aturum, Fanum S. Severi, & Tastam, & paulò infra Bajonam in Oceanum Aquitanicum se exonerat, receptis priùs Gabro, Niva, aliisque minoribus. Alter Aturrus oritur in finibus vallis Campanæ, diciturque Aturrus Silvensis, *l'Adour de la Seube*; ac dein influit in Aturrum, quem diximus. Tertius Aturrus oritur in Parochia Bagneriarum, vocaturque Aturrus Baudeanicus, *l'Adour de Baudean*, eò quòd vallem Baudeanicam irrigat, infra quam excipitur undis majoris Aturri. Uterque autem horum fluviorum excurrit per duodecim milliaria, antequam influat in Aturrum majorem, teste Baluzio.

Aturum, seu *Aturus*, aliàs Elusatum, nunc *Ayre*, Vasconiæ propriæ Caput est, in Gall. juxta Aturum fluv. in ipso limite Comitatus Arminiaci. 4. leuc. Aquit. supra Fanum S. Severi in Eurum, 10. à Tasta in ortum, uti 16. à Bajona, Auscios versus 11. Episc. An *Vicus Juliensis* Gregorii Turon. *lib.* 9.7. Marca *Hist. Bearn.* vult esse civitatem veterum Sociatum, Vid. supra.

Atyla, vel *Atilas*, vir fortis, imperandique cupidissimus, cui ingenium acre erat, & circumspectum, corpus validum & breve, ingens animi magnitudo, indefatigabilis tolerantia laborum, exacta rei bellicæ disciplina; astûs, & consilii altitudo summa; Egregia forma, torvus aspectus, caput grandiusculum, oculi imminuti, rara barba, simus nasus, calvi ferè crines, color subniger, & magna libidinis impatientia. Inscriptio, quâ in diplomatis utebatur, hæc erat; *Atila Mundizi filius, & magni Nimrod nepos, Engadiæ natus, divinâ benignitate Hunnorum, Medorum, Gothorum, ac Danorum Rex, metus Orbis, Deique flagellum.* Postquam autem regiam dignitatem sortitus est, omnes gentes sibi subditas ad obsequia redegit. Multis & variis subactis ac direptis regionibus, cum exercitu ditato in regnum suum rediit. Bello Italico & Illyrico triumphavit; & quamvis de invadendâ Asiâ, atque Africâ cogitavit, summâ tamen libidine diffluens inter convivia, & ingentem concubinarum numerum, mentem remisit, puellamque Bactrianorum regis filiam, cujus amore succensus erat, primariæ uxoris loco habere constituit, unde Baccho & Venere corpus eâ nocte ita confecit, ut inter dormiendum corpore supino, sanguinis profluvio suffocatus interierit. Munster. 4. *Cosmogr.* Vid. etiam *Attila.*

Atyras, Collis in Illyrico, Dioni, incertæ positionis.

Atys, juvenis, cui Ismene Oedipi filia fuit desponsata, qui tamen ante nuptias à Tydeo interfectus est.

Atys, puer Cybele adamatus, sacrisque suis præfectus eâ lege, ut perpetuò castitatem servaret. Sed cùm postea voti sui parum memor, Sangaritidem nympham compressisset, ab irata Dea in furorem actus, testes sibi exsecuit; cùmque etiam sibi manus afferre conaretur, miseratione Cybeles in pinum arb. mutatus est. Ovid. *Met.* 10.

——Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Vide Catullum, *Carmine, cujus initium:*

Super alta vectus Atys celeri rate maria.

Ubi titulus, in scripto Scaligeri, *De Attine furore percito.* Et sanè ita legitur apud Macrobium, qui hanc fab. ad Terram & Solem applicat *Saturn.* 1.21. & in veteri quâdam inscriptione Hispanâ. Græcis Ἄττιν, Ἄττινος, & Ἄττυς Ἄττυος, ut Φόρκυν & Φόρκυς. Nero enim dixit,

——Berecynthius Attin, apud Pers. *Sat.* 1. Dio de Nerone, Ἐκιθαρῴδησεν Ἄττιν τινὰ ἢ Βάκχας, lege Ἄττινα.

Atys, Crœsi, Lydiæ regis, fil. qui, cùm anteà semper mutus fuisset, in eo tandem prælio, quod Lydiæ servitutem attulit, cùm Cyri militem videret sublato ense patri suo cædem illaturum, nimiâ loquendi cupiditate, linguæ vinculum abrupit, clarâque voce Patris interitum deprecatus est his verbis, Ὤνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Periit in venatione, ab Adrasto, cujus curæ commissus erat, per negligentiam, lethaliter vulneratus. Herodot. *l.* 1. & 2.

Atys, cui pater Manes, Lydiæ R. Herodot.

Atys, Herculis & Omphales filius, è duobus filiis sorte jactâ alterum retinuit *Lydum* nomine, alterum, cum abundante multitudine in Italiam misit coloniæ deducendæ. Cui nomen *Tyrrhenus* & ab eo *Tyrrhenia* terra, Tac. 4.55. Strab. *l.* 5. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 21.

Atys, Indus quidam in Andromedæ nuptiis à Perseo interfectus. Ovid. *Met.* 5.

—— Erat Indus Atys, quem flumine Gange
Edita Limniace vitreis peperisse sub undis
Creditur. ——

Atys Sylvius, Albæ Sylvii fil. quem Eusebius Ægyptium Sylvium vocat. regn. an. 29. Capy filio relicto. Item pueri Trojani nomen. Virgil. *Æn.* 5.

Parvus Atis, genus unde Atii duxere Latini.

Hinc *Atius*, familia Romana, unde Augusti mater.

Atys, seu *Acithis*, *Carabi*, fluv. parvus Siciliæ, in valle Mazaræ; Hic in mare Africum se exonerat, inter Thermas ad Ortum & promont. trium fontium ad Occasum. Vid. *Acis* seu *Acithis.*

Atyxyes, nobilis Persa, in prælio ad Granicum, occubuit, Olympiad. CX. anno tertio.

A V.

Ava, Regnum, urbs & fluv. in continenti Indiæ, inter regna Arracam & Siam. Jarric. *l.* 6. Barbosa &c.

Ava, Lat. *iniquitas*, nomen Idoli. 4. Reg. 18.

Avadiæ, Bactrianæ gens.

Avalites, qui & *Abalites*, sinus & empor. in dextrâ parte Rubri maris. Steph. Vide Boch. *Phaleg.* 2. 22. Hodie *Zeila*, urbs munita regni Adelis, in Ajana regione.

Avallocium, vicus Carnotinensis dicitur, apud Greg. Tur. *hist. Fr. lib.* 4. *cap.* 24. Hodie *Alluje*, vicum esse in Carnutibus, ad flumen Lidericum, quem postea truncato nomine *Allocium* vel *Allogium* vocaverint, observat Hadr. Valesius *in Notit. Gall.* Villam *Allogiam* Fulbertus Carnut. Episc. vocat *epist.* 23.

Avalo, urbs Burgundiæ, cum castro munito. Hanc Robertus R. Galliæ, post mortem patrui Henrici Burg. D. improlis, Burgundiam asserturus, quam ille in gratiam Gisellæ uxoris, Othoni Guilielmo, cogn. *Peregrino*, quem hæc ex priore marito, Adelberto Italiæ R. susceperat, legavit; cepit post trimestrem obsidionem, muris, ut ajunt, sponte corruentibus. Continuator Aimonii, Mezeray, Dupleix *in Roberto.* Vid. *Aballo.*

Avalon, cognom. *Elvan*, sub M. Antonino Phil. & Commodo: Radulphus Niger, *in Chron.* Fidem Christianam in Anglia prædicasse, & de origine Eccl. Anglicanæ opus edidisse legitur, apud Balæum. Qui Meltini *Avalonis* Angli quoque meminit, qui historiam fabulis permixtam consarcinavit. Balæus *centur.* 1. *cap.* 57.

Avalonia, urbs Albionis, *Inis Avalon*, teste Lelando, incolis *Glassenbury.*

Avantici, pop. Helvet. ab op. *Avantico* in Alpibus sito. Plin. Vid. *Aventicum.*

Avara, civitas Arabiæ. Steph.

Avares, pop. quorum Rex Caganus, à Mauritio Imp. ad fœdus, prudenti oratione Theodori Medici pertractus est: postea, imprudenti venatione Prisci ducis offensus, Romanos ingenti affecit clade: à quo cùm Mauritius captivos redimere nollet, in odium militum venit, quod difflare, Cagano licèt per Priscum non minori clade victo, filiisque ejus in Istro submersis, non valuit. A. C. 592. 594. 595. Niceph. *lib.* 18. *cap.* 28. 29. Vid. *Caganus*, &c.

Avari, pop. Italiæ, à Francis victi. An iidem cum prioribus?

Avaricum, op. Celtarum maximum, munitissimumque in finibus Biturigum. Cæsar *lib.* 6. vulgò *Chasteauneuf*, aliis *Bourges en Berri*, Acad. gaudens celebri, aliis *Viarons.* Vid. *Bituriges.*

Avarini, pop. sub Peucinis, in Sarmat. Europæa, ubi nunc pars Palatinatus Cracoviensis, in Polonia, inter Vistulam fluv. & Carpathos montes.

Avarum, Hisp. Tar. promunt. Ptol. *Cabo de Viana* Moletio. Nunc in Portugallia, 5. leuc. à Bracara in ortum abest, ut habet Baudrandus.

Avases, Αὐάσεις Græcis; Ita Ægyptii vocant habitationes, quæ sunt in medio deserto, voce compositâ ex צי *si*, id est, *desertum*, & חוא *havva*, quod est habitatio. Unde plural. חוות Num. 32. 41. Arabicè חוי est ambire, & חוא multæ domus Arabum, tanquam in ordinem digestæ. Ergo חואצי Ἄυασις, propriè est *ambitus domorum*, id est, *villa*, seu *opidum in loco siticuloso*, aut potius *habitatio, quam ambiunt loca siticulosa*; quomodo Græci definiverunt, quamvis vim vocis ignorarent. Strabo *de Africâ lib.* 2. Ἔοικεν παρδαλῇ. κατάστικτος γάρ ἐστι ταῖς οἰκήσεσι περιεχομέναις ἐρήμῳ καὶ ἀνύδρῳ γῇ. Καλοῦσι δὲ τὰς τοιαύτας οἰκήσεις, Αὐάσεις οἱ Αἰγύπτιοι. Et *lib.* 17. Αὐάσεις δὲ οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσι τὰς οἰκουμένας χώρας περιεχομένας κύκλῳ μεγάλαις ἐρημίαις, ὡς ἂν νήσους πελαγίας. In Strabone legunt Ἀνάσεις, sed Αὐάσεις rescribit Casaubonus ex Stephano, *in* Αὔασις, quam lectionem veram esse docet, quòd pro *Avasi Oasin* scribunt Herodotus *l.* 3. & Ptol.

& Ptol. 4. 5. & alii ad legem VII. D. de interdictis & relegatis Sect. 5. Incolas Plinius *Oeasitas* vocat 5. 9. Æthicus autem & Orosius *Avasitas*. Bochartus.

Avastomathes, Mauritaniæ pop. Am. Marcell.

Avatha, Arabiæ oppidum. Steph.

Avatici, Gall. Narbon. pop. Plin. & *Avaticorum Stagna* ibidem Pomponio.

Avatili, mel. *Anatili*, erant in Provincia, prope oram, ubi nunc Maritima, Rhodani ostium Orient. & Campi lapidei. Vid. *Anatili*.

Avaugourum, oppidum Britanniæ Gallicanæ, cujus Dynastæ ex Ducum Britanniæ familia originem habent. Metel.

Aubanea, urbec. lepida Gall. in Provincia, 3. leuc. à Massilia in Ortum. Ibi persæpe celebrantur Comitia provinciæ.

Aubignium, oppidum in Ducatu Bituricensi, quondam sedes regalis. Metel.

Aubriotus Hugo, Parisiorum Præfectus: arcem eam, quam vulgò *La Bastille* vocant, jussu Caroli 5. Anno 1369. ædificavit, ut contra Anglos urbi præsidium foret; itemque castellum illud, quod appellatur *Le petit pont*, adversus Scholasticorum incursiones exstruxit, qui odio ei erant infensissimo. Quapropter postea impietatis & hæreseos accusatus, ad perpetuos carceres damnatus est. Sed à seditiosis, dictis *Maillotins*, sub initium regni Caroli 6. Anno 1381. carcere effracto liber, ne dux illorum esse cogeretur, in Burgundiam patriam suam se recepit. Historia Gall. *in Carolo* 5. *&* 6.

Auburium, Africæ propriæ locus. Anton.

Aubusson Petrus, Gallus, M. Magister Ordinis equitum Rhodiensium, Mahometi 2. Rhodum obsidenti fortissimè restitit. Obiit A. C. 1503. æt. 80. regiminis 27. Ad hunc se Zizimus, Bajazethi frater, recepit. Histor. *Melitensis*.

Auchanites, seu *Auranitis*, tractus Babyloniæ, inter Babylonem & Seleuciam urbes, prope Euphr. fluv. P. à Vico.

Auchatæ, Scythica gens, ad os Bospori apud quos Hypanis oritur. Val. Flac. *lib.* 1. *vers.* 132.

Doctus & Auchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, & extremas laqueis adducere turmas.

Ubi aliqui *Anchates*.

Auchisæ, Cyrenes reg. gens. Diod. *lib.* 3.

Auchitæ, Africæ populi, *Auschisæ* Ptolemæo & *Auschitæ* Stephano. Sic enim ille, Αὐχῖται ἔθνος Λιβύης ὑπὲρ Βάρκης. lege ὑπὲρ Βάρκης ex Herodoto.

Auchus, Cimmeriorum Dux, inter auxilia Persæ contra Æetem, cui Jason caput in conflictu demessuit. Val. Flac. *l.* 6.

Auctus, Florentinus, Abbas Vallis Umbriæ, belli inter Lotharium Saxonem, & Conradum Suevum ferventis tempore vixit. Aliquot operum historicorum auctor. Pocciantius, *de Scriptoribus Florentinis*.

Aucula, urbs Tuscorum. Ptol. aliis *Aquula*.

Audas, Episcopus, cùm Pyreum sustulisset, unà cum aliis Episcopis interfectus est, jussu Varanis Persarum R. à cujus patre Isdigerde, Theodosius Min. liberum Christianis exercitium obtinuerat, An. 421. Theodoret. *l.* 5. *c.* 38. subsecutaque est crudelissima persecutio, in Persia. Idem *c.* 39.

Audatha, Arabiæ Desertæ urbs. Ptol.

Audea, Casiotidis reg. in Syria urbs. Ptol.

Audemarus, vel *Odomarus*, nomen Principis Gall. ante monarchiam Gallicam. Regnavit an. 14. Cujus tempore Vecthan, Pontifex, Philosophus & Poëta vixit, historiæ Gallicæ auctor. Trithemius, *in epit. Ann.*

Audena, Italiæ amnis. Liv. *lib.* 41. In sinistram Macræ ripam defluit, vulgò *Ula*, & *Aula*, & cum articulo *La Ula*, & *L'Aula*.

Audentius, Episc. Hispanus, sec. 5. scripsit contra Manichæos, Sabellianos, Arianos & Photinianos. Gennad. & Trithem. *in Catal.*

Audeus, Caput Audianorum, è Mesopotamiâ oriundus, Scientiâ & Zelo instructus, vitam Ecclesiasticorum acriter reprehendit. Hinc illis exosus primò, dein pellitur. Ultione proin ardens, Anno 338. schisma meditatur, Episcopus à sectatoribus salutatus. Mox ab Imper. Constantio in Scythiam relegatus, ibi Gentilium complures convertit, Epiphanio teste. Pascha celebravit cum Judæis, Deo figuram tribuit humanam, tenebras, aquam & ignem initium non habere docuit, suos inter libros Canonicos & Apocryphos transeuntes absolvit. Athanas. *hær.* 70. Aug. *hær.* 50. Bar. A. C. 341. Theodoret. *lib.* 4. *hær. fab.* Mel. *Audaus*.

Audiani, Japygiæ, quam & Messapiam Græci vocant, pop. Strab. *l.* 6. Item sectatores *Audei*, Vid. *ibi*.

Audofleda, Soror vel filia Clodovæi, cum illo baptizata, nupsit Theodorico, Italiæ R. Jornandes *hist. Goth.*

S. Audomari fanum, oppidum Artesiæ permunitum, prius vocatum Sithiu, hodie *S. Omer*. Situm est ad Agnionem fluvium: Crevit ex Tarvannæ ruinis, & Episcopum habet ab Anno 1559. Non procul lacus est memorabilis, in quo insulæ aliquot fluitantes, quæ funiculo arboribus alligato, aut contis quò libeat impelluntur attrahunturque: & ne quis nugas putet; aut exiguas aliquot terræ particulas, scire debet etiam boves in eis pasci, aliaque pecora posse: sub hisce insulis, brumali tempore & æstivo, maxima latet piscium copia, dum gelu devitant & calorem. Metel. long. 23. 22. lat. 50. 47. A' Ludovico XIII. per Longavillanum, frustra oppugnata, Anno 1639. S. Omerus, Episc. Terovannæ, urbem condidit, an. 660. Fulco Abbas S. Bertini muro cingere incepit: quod Balduinus 2. Flandriæ Comes, absolvit, Anno 902. & Abbatiam *Sitium* urbi junxit. An hic rudera portus Itii? Ortelius, Guicciard. *descr. Belgii*, &c. Hic concilio habito Anno 1099. sub Roberto jun. Comite Flandriæ, pax conclusa. Distat à Bononia 6. leucis in ortum, 4. ab Aria in Boream.

Audon, Mauritaniæ Cæsar. op. Ptol.

Audovera, Galliæ Regina, mater trium filiorum ex Chilperico. Fraude Fregedondis repudiata, in monasterium detrusa, ibique strangulata, omnibus ejus filiis occisis. Greg. Tur. *l.* 4. *c.* 28. Aimon. *lib.* 3. *cap.* 5.

Audus, mons Africæ apud fines Maurit. Cæsar. haud procul ab orâ litorali; *Aurais* incolis, *Capo Gibranel* Moletio. Item fluvius apud *Audum* promunt. in sinum Numidicum exiens; *Balassia*, teste Moletio.

Avedonacum, vel *Auvedonacum*, inter Mediolanum Sant. & Raraunam opp. Santonum. Hodie *Aunay*: Caput Pagi Aunedonacensis, *le pays d'Aunis*. Plerique ignorantiâ antiquitatis caput Pagi *Alneium*, quasi ab alnis, ipsumque Pagum *Alnetensem* vocant. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Aveinum, vicus Belgii, in Duc. Lucemburgico, celebris victoriâ Francorum contra Hisp. Anno 1635. Vix 2. leuc. à Fano S. Huberti in Ortum.

Avella, vide *Abella*.

Avenæum, Urbec. Gall. in prov. Campaniæ, prope Matronam fluv. 4. leuc. à Remis in Austrum.

Avendonis, Liburniæ urbs. Anton. nunc vicus *Adelsperg*, sub Austriacis.

Avenio Cavarum, Gall. Narbon. urbs; pulcra & ampla, sed non tantopere populosa; inter urbium, quas illa habet, opulentissimas, tertio loco memoratur à Mella, colonia Rom. A' Plinio tamen inter oppida Latina refertur. Stephano Ἀυενίων, πόλις Μασσαλίας πρὸς τῷ Ῥοδανῷ. Vocavere autem Græci Massiliam totam ferè oram prov. Narbonensis 2. cum parte Narbonensis 1. & Viennensis. *Avennio*, in tab. Theodos. *Civ. Avennica*, Greg. Tur. *lib.* 3. *cap.* 32. In vett. Notit. *Civitas Avennicorum*, & inter prov. Viennensis Civitates modò 14. modò 11. modò 12. loco ponitur. Recentiores *Avinionem* vocant, non à vino, ut vult Greg. Tur. *lib.* 6. *cap.* 26. quamvis ager vineis & olivetis abundet, nomen enim Gallicum est urbis Gallicæ Avenio. Sedet ad sinistram Rhodani ripam, inter Sulgam & Druentiam, in Rhodanum effluentes. Vulgò *Avignon*. Condita creditur, eodem tempore, quo Massilia, An. 147. U. C. Ptolom. *l.* 2. 10. Strab. *lib.* 4. Mela, *lib.* 2. *cap.* 5. Primùm à partibus Romanorum, dein Burgundis Gothisque cessit, donec à Carolo Martello Saracenis erepta est, circa Annum 725. A Ludovico 8. contra Albigenses, quibus referta erat, movente capta, (postquam Comitibus Provinciæ, Tolosæ, &c. & Consulibus, ab Anno 225. subdita fuisset) ac severissimè habita est; peste mox infestato, quâ plus quàm XXIIM. ex exercitu amisit. Matth. Paris. *in Joh. & Henr.* P. Æmilius, *lib.* 7. Transiit dein ad Fratres Ludovici 9. postmodumque divisione factâ dominium ejus quoque divisum, & Reges Galliæ, utpote hæredes Alphonsi Pictaviensis, ejus dimidiam partem possederunt, usque ad Annum 1290. quo Philippus Pulcher, illam Carolo 2. Siciliæ R. Provinciæque Comiti concessit. Clemens 6. autem à Johanna 1. Regina Neapol. jus ejus Anno 1352. in hanc urbem 30000. aureis redemit, quos tamen nunquam solvisse creditur. Ita sub Pontificibus esse cœpit, antea jam Clementis 5. aliorumque per annos 74. sedes; horribili schismate scissâ Ecclesiâ, donec an. C. 1367. præfatus Clemens 6. monitu S. Brigittæ, Catharinæ Sen. & reprehensione cujusdam Episcopi permotus, Romam denuo sedem transtulit, mox facti pœnitens: cùm Florentinos fulmina sua neutiquam curare sic indignaretur, ut in morbum inde, dein in mortem inciderit, monitis prius Cardinalibus, ne revelationibus amplius fidem adjungant. Vid. Crantz. *lib.* 9. *cap.* 33. Sabell. *in hist.* Mornæum *in Myster. pag.* 1074. Capta ante paucos annos à Ludov. XIV. contra Alexandr. VII. irritato, sed reddita. Ibi semper Vicelegatus Pontificius, Universitas, & Judæorum synagoga. Episc. olim, dein in Metropolim evecta est, cùm antea Arelato suffragaretur, eique Vasio, Cabellio & Carpentoracte, subjectæ: quæ 4. urbes ad sedem Rom. pertinent. Caput est Comit. Avenionensis, à Comit. Vindauscensi divisi. Concilia hic habita Anno 1080. 1209. 1282. 1324. 1327. 1337. 1457. 1594. Spond. Sazi, *hist. Ecclesiæ Arelatensis*, Concilia Gall. &c. Item castrum ejusdem nominis, in Septimania, vulgò *Vignonet*, i. parvus Avenio, in diœcesi S. Papuli, non procul à castro S. Felicis, proximum Montiferrando castro. Hujus meminit Petrus *Hist. Albig. c.* 62. ut vult Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Numero septenario

nario clara est prior civitas. In eâ enim 7. sunt Palatia, 7. Parochiæ, 7. Hospitia, 7. Sacrarum Virginum Monasteria, 7. Collegia, 7. Monachorum Conventus, & 7. Portæ. Petrarcha & Boccatius eam sub nomine Babylonis describunt. Ibi aliàs Cavares pop. long. 25. 20. lat. 43. 25.

Avenna, Avon, fluv. Angliæ, Sarisburiam alluit, & pôst in mare Britannicum se exonerat, ex adverso Inf. Vectis. Speedo est *Avona.*

Avenna, vulgò *Avesnes le Comte*, oppidul. Belgii, in Artesia & limite Picardiæ. Sub Francis. *Avenna* autem, *Avesnes*, opp. est Hannoniæ parvum, sed præclarum & probè munitum, ad Hepram fluv. Comitatus tit. nobile, in dit. Regis Francorum, ab an. 1659. pace ad Pyrenæos.

Avens, fluv. in Sabinis Varroni memoratus, quis autem hodiè censendus sit, incompertum est. Serv. *ad Æn.* 7. *Varro dicit, De gente Pop. Rom. Sabinos à Romulo susceptos accepisse montem, quem ab Avente fluvio provinciæ suæ adpellaverunt Aventinum. Curese* vulgò: in Tiberim se exonerat. Baudr.

Aventicum, Helvetiorum op. Cæsar. *Wiefelsburg* Rhenano, quasi *Vivilonis burgus*, à restauratore Vivilone Comite. *Avenche* Marliano. *Civitas Helvetiorum*, in lib. prov. Divisis sub Augusto in XVII. provincias Galliis, sub Provincia Lugdun. quinta fuit. A' Ptolomæo in Sequanis, à Marcellino in Gallia ponitur. Ab Helvetico quarto anno regni conditam, an. M. 4071. fuisse, Vaudi Chronica habent. Jam Brenni tempore, cujus sedes quibusdam, fuisse docet Viterbiensis Chronica, *part.* 9. & ab eodem expugnatam. Postmodum inter XII. civitates fuisse videtur, quæ ab Helvetiis incensæ, tempore Julii Cæsaris, & ab his reducibus reparatæ sunt: quo tempore princeps Helvetiorum civitas fuit, Tacit. *Annal. lib.* 17. A' Cæcina dein, sub Vitellio, cæsis prius Helvetiis, occupata est. Idem *Hist. lib.* 1. sed à Vespasiano, cujus pater Sabinus, civis hujus urbis quibusdam creditus, apud Helvetios fœnus exercuerat, Romanâ coloniâ, cui Flaviæ nomen, aucta, & à Tito consummata est. *Colonia fœderata* hinc elogio insignis, ut apparet ex vet. inscr. in marmore muri, qui templum Aventicense cingit. Unde non improbabilis est eorum conjectura, qui Aventicenses Vespasiano, in expeditione Judaica, comites fuisse volunt. Hadr. Valesius illam Coloniam vel à Tito, vel à Domitiano factam, & *Coloniam Juliam Aventicorum* dictam fuisse, ait: à Julia Titi fil. quam Domitianus plusquam patruus amavit. Certè in nummo Domitiani legitur, *Colonia Julia Avanticorum.* Vid. illum *in Notit. Gall.* Seqq. temporibus, cùm Gothi primò Galliam pervaderent, Burgundiones dein hîc sedes fixissent, ab his quoque Aventicum, cum regione vicina, sub jugum redactum est. Donec Martiano & Valentiniano Jmpp. Vandalorum, Hunnorum, Saxonum, Teutonum, & Alemannorum incursu Imperio debilitato, Gallia Belgica ab illis devastata, & plurimæ urbes arcesque, inter quas & ipsa hæc civitas, funditus eversa est. Sita fuit, juxta lacum Murtanum. Helvetiorum, ut dictum, caput fuisse, testis est Corn. Tacitus. Ammianus autem scribit, suo tempore desertam fuisse civitatem, sed non ignobilem quondam ex ædificiis semirutis colligi: in quibus inscriptiones plurimæ Rom. quarum præcipuæ Vespasiano, Helvetiorum Evergetæ, positæ. Apollo hîc olim cultus: longè autem lateque tum ejus pomœria patuisse, ex murorum turriumque variis in locis ruderibus, videre est: de quibus Vid. Joh. Baptistæ Plantini *Helvetiam nov. antiq.* Caput fuit Pagi *Aventicensis*, vulgò *das Wiflisburger gow*: quem quidam à Pago Urbigeno distingunt, alii Aventencensem majorem ejus partem faciunt, cujus pars altera Vaudum, *die Waad* dicitur. Ejus, ut cœterorum, partes, nomina sæpe mutarunt: antiquum & ingenitum vocabulum solum circa Friburgum retinuit, ubi Aventici ruinæ. Regio *Uchtland*, seu *Nüchtland*: & lacus, quem hodie à vicino oppido Moratensem vocant, *Uchter see*, & lacus Aventicus, appellitatur in antiquis instrumentis. Redeo ad Aventicum: postquam sub Galliæ Burgundiæque regibus ejus rudera fuerunt, pagus solùm in pristini loci vestigiis erat, cui & ipsi *Aventici* nomen hæsit. Chlodovæorum tempore Episcopatus hîc ortus est, qui postmodum Lausannam translatus, dictique *Episcopi Aventicorum.* E quibus A. C. 535. sub Theodeberto Galliæ R. Superius, interfuit Concilio Arvernensi. Tandem sub Henrico 4. Imp. præsens oppidum Aventicum, à Burcardo Episc. extructum est: in quo non pauci Lausannensium Episcopi commorari amaverunt. Hodie in ditione Bernensi. Vid. Stumpf. *lib.* 8. Cluver. *l.* 4. Remp. Helv. Lugd. Bat. editam, an. 1627.

Quæ caput Helvetiæ fueram; jam nominis umbra
Magni, relliquias vix traho parva meas.

long. 28. 33. lat. 46. 34.

Aventina, Diana sic dicta, quòd in Aventino monte coleretur, quæ & *Aventinensis* Val. Maximo dicitur. Plutarchus & Sext. Pompeius ædem Dianæ dicatam in Aventino, Servio Tullio regnante, volunt. Dionysius autem Halicarnasseus Ancum Martium hujus templi auctorem facere videtur.

Aventinus, cognomento *Sylvius*, fil. major natu Alladii, 12. post Æneam, Latinorum Rex, ab A. M. 3199. usque ad 3236. Moret. pater Proculi Remuli Sylvii fil. cui fulmine occiso successit, Lloyd. *in Aventino* sepultus, cui nomen dedit. Ovid. *Met.* 14.

—— *Remulus maturior annis*
Fulmineo periit imitator fulminis ictu.
Fratre suo sceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino: qui, quo regnarat, eodem
Monte jacet positus, tribuitq; vocabula monti.

Idem *Fastorum quarto*:

— *In Remulum fulmina missa ferunt,*
Venit Aventinus post hos: locus unde vocatur
Mons quoq;. — Vid. Dionys. Halic. *Antiquit. Rom.*

Aventinus, fil. Herculis ex Rheâ sacerdote, Turno adversus Æneam suppetias tulit. Virg. *Æn.* 7.

Victoresq; ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus. ——

Sic dictus, quòd in *collis Aventini* silvâ mater eum peperisset.

Aventinus, insignis Annalium Germaniæ conditor. Voss. *hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 10.

Aventinus, unus ex 7. urbis Romæ montibus, cujus radicem Tiberis præterlabitur: ita dictus *ab Avibus* (ut ex sententiâ Nævii, refert Varro) quarum ob situs opportunitatem, amnisque vicinitatem, maxima ibi copia erat; vel *ab Aventino*, Albanorum rege, in eo extincto & sepulto; vel *ab adventu* hominum, qui ad Dianæ templum, quod eo in monte à communi Latio conditum fuit, commeabant; Vel *ab advectu*, quod Varroni magis probatur. Erat enim hic mons à reliquis urbis Romæ montibus paludibus discretus, unde ratibus ad eum advehebantur, quadrantem pro naulo solventes.

Averia, Urbs Syriæ fuit, in Palmyrene prov. ad fluv. Palmyritem, non longè à confinio Arabiæ desertæ. Quid nunc sit, non satis constat.

Avernus, lacus Campaniæ, prope Baias, quem Plutoni dicatum & inferorum limen esse rudis vetustas credidit. Dictus quasi ἄορνος, hoc est, *avibus carens.* Vide *Aornus.* Ita autem ab Aristotele *in Admirandis* describitur: Περὶ τὴν Κύμην τὴν ἐν Ἰταλίᾳ λίμνη ἐστὶν ἡ προσαγορευομένη Ἄορνος, περικεῖσθαι λέγουσι περὶ αὐτὴν λόφους κύκλῳ, τὸ ὕψος οὐκ ἔλαττον τριῶν σταδίων, καὶ αὐτὴν εἶναι τῷ σχήματι κυκλοτερῆ, τὸ βάθος ἔχουσαν ἀνυπέρβλητον. Strabo *lib.* 5. Ἐστὶ δ' ὁ μὲν Ἄορνος κόλπος ἀγχιβαθής, &c. Vibius Sequester, *in catalogo fluminum*: *Avernus Campaniæ, immensæ altitudinis, cujus ima pars apprehendi non potest.* Diod. Sic. *lib* 4. Κεῖται μὲν οὖν ἡ λίμνη μεταξὺ Μισηνοῦ, καὶ Δικαιαρχείων, πλησίον τῶν θερμῶν ὑδάτων, ἔχει δὲ τὴν περίμετρον ὡς πέντε σταδίων, τὸ βάθος ἄπιστον. Videtor Cluver. *Ital. Ant. l.* 4. *p.* 1127.

Averroes, vel *Aven-Roes*, Arabs, in Africâ educatus, naturali scientiâ vir præstantissimus, omniumque bonarum disciplinarum encyclopædiam adeptus, sectâ Mahometanus, tempore Miramolini R. apud Cordubam, Hisp. urbem vetustissimam floruit An. Dom. 1149. Multa ac varia composuit. Librum (*Colliget*) dictum, totam ferè medicinam complectentem edidit. Avicennæ æmulus, & inimicissimus fuit, teste Symphoriano Campegio, cum quo in Hispania Philosophiæ & Medicinæ studia illustrabat circa illud tempus, quo literæ uno quasi impetu lacertos movebant, & Bononiæ utrumque Jus Irnerius Bulgarus, Mart. Hugo & Jacobus docebant, Canonicum Gratianus condebat: Theologiam Petrus Lombardus tradebat, Petrus Comestor Historiam curabat, &c. Alii Avicennam Averroe longè antiquiorem censentibus. Commentariis suis in Aristotelem Græcos maximè imitatur, hinc *Magni Commentatoris* nomen adeptus. A nonnullis, *Stimulus Medicorum* dicitur, nam & Galeno non paucis contradicit. Gesner. *in Bibliothecâ.* Ægidius Rom. duos filios ejus, in Friderici Barbarossæ aula vidisse se scribit, & hominis deplorat cæcitatem, qui maluit *suam animam cum Philosophis, quàm cum Christianis esse.* Blancanus *in Chron. Mathem.* Vossius *de Sect. Phil. c.* 17. *§.* 19. *De Mathem. c.* 35. *§.* 22.

Averruncus, Deus Romanorum, qui *mala averruncare*, hoc est, *depellere*, atque *avertere* putabatur. Cujusmodi apud Græcos habebantur Hercules, & Apollo, quos idcirco Ἀλεξικάκους, Ἀποτροπαίους, & Ἀποπομπαίους appellarunt. Paccuvius apud Varronem, *lib.* 6. *de L. L. Deus, qui meis rebus præest Averruncus.*

Aversa, Urbs Episc. Campaniæ, in regno Neap. & in Terra Lab. sub Archiep. Neap. Dicitur condita ex ruinis Atellæ: Media est inter Capuam & Neapolim; parva in planitie. Vid. *Atella.*

Avesica, intra montes, in limite Comitat. Goritiensis. Germ. *Senafecz.* 12. milli. à Tegeste.

Avesna, vulgò *Avennes.* opp. situm inter Sabim & Mosam, in Hainoo. Est & *Avennense* monast. Virginum in Atrebatibus, circa Bapalmam, *Avesne les Dames* dictum. Valesius *Notit. Gall.* Vid. quoque *Avenna.*

Aufeia aqua, olim dicta fuit, quæ postea *Marcia* dici cœpit, omnium aquarum toto orbe, Plinio teste, *lib.* 31. *cap.* 3. clarissima, frigoris, salubritatisque laude cæteris præcellens. Oritur in ultimis montibus Pelignorum, transit Marsos & Fucinum

cinum lacum; mox specu mersa in Tiburtina se aperit, 9. m. p. fornicibus deducta. Primus eum in urbem ducere auspicatus est Ancus Martius, unus ex Regibus. Postea Qu. Marcius Rex in Præturâ, à quibus *Marcia aqua* dicta. Hanc rursus restituit M. Agrippa.

Aufidena, urbs Italiæ Caracenorum, vulgari nunc vocabulo *Alfidena*; meminit ejus Livius *lib.* 10. *Borianum inde adgressus, nec ita multo post Aufidenam vi cœpit.* De Cn. Fulvio Cos. loquitur. Apud Ptolemæum, Καρακηνῶν, οἵ εἰσιν ὑπὸ τοὺς Φρεντανοὺς, Ἀυφίδηνα. Nunc castrum est in colle, juxta fluv. Sarum, in Aprutio citer. paucorum incolarum, ad radices Apennini. Baudr.

Aufidenates, populi Italiæ, quorum inter Samnites mem. Plin. 3. 12.

Aufidianus, Gubernator à Trajano in Chersonesum Tauricam missus, ubi Clementem Episc. R. sustulit. Euseb. *l.* 3. *c.* 29.

Aufidienus Ruffus, diu manipularis, dein centurio, mox castris in Pannonicis Legionibus præfectus, quia antiquam duramque militiam revocabat, ab iratis seditiosisque legionibus sarcinis gravatus ac vario ludibrio primo in agmine traductus, de quo Tacit. *Ann. l.* 20.

Aufidius, matronarum corruptor. Juvenalis,

Notior Aufidio mœchus celebrare solebas.

Erat autem Chius natione. Mart. 10. 62.

Acrior hoc Chius non erat Aufidius.

Aufidius Bassus, nobilis historicus, tempore Quintiliani, qui de rebus Germanicis historiam conscripsit. Etiam de bello Civili egit: unde ista sunt, quæ M. Seneca de Cicerone refert. Meminit ejus author de causis corruptæ eloquentiæ, & fortasse idem est, quem Plin. signat, *Hist. Nat. lib.* 6. *cap.* 9. cùm ait, *Universa Armeniæ magnitudinem Aufidius quinquagies centena millia prodidit.* At non de hoc, puto, sed de filio ejus loquitur L. Seneca *ep.* 30. Ea sic incipit: *Bassum Aufidium, virum optimum, vidi quassum, ætati obluctantem. Sed jam plus illum degravat, quam quod possit attolli. Magno senectus & universo pondere incubuit. Scis illum semper infirmi corporis, & exhausti, fuisse: diu illud continuit, & ut verius dicam, concinnavit, subitò defecit.* Fortasse idem est *P. Aufidius* memoratus Prisciano, *lib.* 8. ubi eum docet *contestatur* passivè usurpasse pro συμμαρτυρεῖται. At planè ab hoc diversus est *Aufidius* Modestus, Grammaticus nobilis, qui Maronem interpretatus fuit, & quem celebrat Philargyrius in lib. 2. Georgicorum.

Aufidius Cnejus, civis Rom. vixit Olymp. 170. sub finem regni Ptolemæi Lathuri. Cæcus, nihilominus Senatum frequentavit, & egregia opera edidit. *Plin. lib.* 6. *cap.* 9. Alium cognominem adoptavit. Cic. *Tusc.* 5.

Aufidius, cognomento *Lurco*, qui primus pavones saginare aggressus est, ex eo quæstu reditum sexagenorum millium Sestertiorum percipiens. Plin. 10. 20. *Aufidii* mem. Horat. *lib.* 4. *Sat.* 4.

Aufidius forti miscebat mella Falerno.

Aufidius Luscus, Fundorum Prætor. Horatius *in Hodæporico*:

Fundos, Aufidio Lusco Prætore, libenter
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ.

Aufidus, Apuliæ fluv. ex Hirpinis montibus oriens, & Canusium urb. præterfluens; in Adriaticum mare se exonerat; Romanorum apud Cannas clade nobilis.

Virgil. *Æn.* 11.

Amnis & Adriacas retro fugit Aufidus undas.

Horat. 3. *Carm. Od. ult.*

Dicar quà violens obstrepit Aufidus.

Idem *lib.* 4. *Od.* 14.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Apuli,
Cùm sævit, horrendamq; cultis
Diluviem meditatur agris.

Et *Od.* 9. *ejusdem libri:*

Longè sonantem natus ad Aufidum.

Idem *Serm.* 1. *Sat.* 1.

Cùm ripâ simul avulsos ferat Aufidus acer.

Luc. *lib.* 2. *vers.* 407.

— *Et Adriacas qui verberat Aufidus undas.*

Sil. Ital. *lib.* 8.

—— *Fundoq; imo mugivit anhelans*
Aufidus, & magno latè distantia ponto
Terruerant pavidos accensa Ceraunia nautas.

L' Ofanto Leandro dicitur. Oritur in Principatu ulter. supra Compsam urbem, quam alluit. Solus Italiæ fluviorum secat Apenninum; ex eo tamen oritur. Baudr.

Aufinates, pop. in 4. reg. Italiæ. Plin. 3. 22.

Aufona, vulgò *Nyne*, fluv. Angliæ, Northantoniam urbem & Prov. alluit; posteaque in mare Germ. cadit, inter Norfolciam & Lincolniam, prov.

Auful, Gallæciæ rex Toletam, multis annis obsessam, demum cepit, & Christianæ religioni restituit. Blondus *Decad.* 3.

Auga, *Auge*, vel *Augea*, mater Telephi, quam Euripides dicit ab Aleo patre (cùm ab Hercule corrupta deprehenderetur) in urnâ quâdam cum Telepho filio impositam, mari demersam, Palladis providentiâ, ad Caici ostium delatam, & à Theuthrante exceptam fuisse, quam ille in uxorem duxit, Telephumque pro filio educavit, regnique successorem instituit. Strabo *lib.* 13. Diodorus Sic. *lib.* 4. paulò aliter narrat hanc historiam: *Auge* (inquit) mater Telephi fuit ex Hercule, quæ, à patre gravida deprehensa, nauclero cuidam tradita est submergenda. Sed, antequam ad mare perveniret, urgente tempore partûs, Telephum peperit, quem inter virgulta abdidit; qui posteà inventus à pastoribus, Corytho regi datus est & *Telephi* nomine appellatus, quòd à pastoribus inventus esset pendens ab uberibus τινὸς ἐλάφȣ. *Auge* verò à mercatoribus, qui illam à nauclero dono acceperant, in Cariam ad Teuthrantem regem delata est, ubi posteà à Telepho filio fuit agnita.

Augæ, seu *Augum*, & *Eusium*, Orderico *Aucum*, nonnullis *Alga castrum*, prius *Aucia* fortè à fluvio. Dein *Ou*, tandem *Eu*, urbs Franciæ, in Normannia, unde *præsidium Nortmannorum* dicitur, Frodoardo An. 925. quo Rolloni paruit, ad fluv. Breslam, non longè à mari. Caput Comitatus ditissimi in confinio Picardiæ: cujus incolæ Gall. *Eusiois* dicuntur. Lat. *Augenses*. Media est inter Diepam & Fanum D. Valeriaci. 7. leuc. ab Abbavilla in Occ.

Augatari, pop. Americæ, in Brasilia, & Præfecturâ Portus securi. Laët.

Augarus, Arabum præfectus, qui Pompeio aliquot officiis fidelem operam navaverat, atque ita tunc sibi fidem in parvis præstruxerat, ut posteà, cùm operæ pretium esset, magnâ cum mercede eum falleret. Dio. *Acbarus* Appiano, *Mazara* Floro, *Ariamnes* Plutarcho dicitur. Constat apud omnes, hunc transfugam, quocunque nomine fuerit, subornatum à Persis fuisse, ut Crassi crudelitate in ipsius perniciem abuteretur. Alius quoque fuit *Augarus*, Osroenorum rex, qui, cùm ad Antoninum Caracallam, tanquam ad amicum venisset, ab illo contra fidem datam comprehensus ac in vincula conjectus fuit, & Osroena rege destituta capta. an. 218. Sed mox à spectris exagitatus Imperator, multorum animas ex inferis, arte magicâ, evocavit; paulo pòst insidiis Macrini interfectus. Anno 219. Vid. Dion. *lib.* 78.

Augasii, pop. Massagetarum.

Augea, filia Alæi, quæ ex Hercule Telepho suscepto, à parente, in mare conjecta est, sed fluctibus in Mysiam delata, Teutranti ejus Regi nupsit, cui Telephus in regno successit. Strabo. *lib.* 13.

Augea, urbs Locrensium. Hom. Alia in Laconiâ, Steph.

Augeas, rex Elidis, filius Solis, aut, ut alii volunt, Neptuni; ut alii, Phorbantis & Hirmines; ut alii, Nyctei, seu, ut alii, Epochi; quem Hyginus inter Argonautas connumerat. Bubile habuit 3000. boum capax, nunquam ante Herculis adventum repurgatum, cui cùm *Augeas* id purgandum locavisset, Hercules Alpheum fluvium eò immisit, ejusque aquis 30. annorum fimum, quem egerere longum fuisset, nullo propemodum negotio eluit. Quo nomine cùm pactam sibi mercedem exigeret, tergiversante *Augeâ*, Phyleum filium ejus arbitrum delegit, qui cùm secundùm Herculem pronunciasset, pulsus à patre, in Dulichium insf. confugit; quam rem ægrè ferens Hercules, Elim diripuit, & *Augeam* interemit, revocatumque Phyleum patris loco regnare jussit. Vide Pausan. *in Eliacis*, Plin. 17. 9. Lucian. *In Pseudom.* Erasm. *Adag. Augeæ* quoque meminit Hom. *Iliad. N.* Item *Augeas*, Atheniensis Comicus, teste Athenæo. Item, Poëta Tegeates, ex Creta. Steph.

Augela, desertum Africæ, ubi aliàs Augilæ pop. in Marmarica reg. seu Libya superiori. J. Leo.

Augia, regiunc. Galliæ, in Norm. Aliis *Algia*. Ejus limites periere. *Le païs d'Auge.*

Augia major, vulgò *Richhovv*, vel *Reichenavv*, inf. Germ. intra lacum Venetum, apud Constantiam urb. ubi Abbatia & Cœnobium præclarum; animalibus noxiis caret, ampla, 3. parœciis constans. Vide Munst. *Cosmogr. lib.* 3. Aliis nunc est *Mehtzravv*, vicus juxta lacum Constant. prope Brigantium, in Comitatu cognom. 6. leuc. à Constantia in ortum.

Augia minor, *Meinovv*, Insula Germ. & Sueviæ, in inferiori parte lacus Constantiensis, media ferme inter Uberlingam & Constantiam.

Augila, urbs Libyæ. Steph. long. 58. 00. lat. 14. 30.

Augilæ, Africæ pop. qui nullos Deos putaverunt, præter defunctorum manes, à quibus responsa petere solebant, sepulchris incubantes. Mela. 1. 8. *Augilæ Manes tantùm Deos colunt.* Lapsum hîc putant Pomponium viri eruditi, quòd *Augilis* attribuerit ea, quæ Herodotus Nasamonibus. Sed ipsi errant. *Augilæ* enim sunt Nasamones; & *Augila* vel *Ægila* est op. Nasamonum. Satis hoc ex Herodoto ipso colligitur. Jungit quoque eos Ptolemæus: Ἐν τοῖς Ἀυγίλοις καὶ Νασαμῶσι τὰ Ἄυγιλα. Libri aliquot Ptolemæi legunt hoc loco Ἄιγιλα, uti Herodotus. Ab Ἄυγιλα verò gentile non tantùm Ἀυγίλαι, sed & Ἀυγιλῖται,

rou, si Stephano credendum. Verùm sæpè ex ingenio format ἐθνικὰ sua iste ἐθνικογράφος. Vide Voss. *in Melam. pag.* 45. & Plin. *lib.* 5. *cap.* 8.

Auginus, mons Italiæ. Liv. *Monte Codoro* hodie dicitur.

Augur, Conf. Rom. Annii Veri collega.

Augures, Magistratus Romani, ex avium volatu, cantu & comestione futura prædicentes. Superstitione à Tuscis, qui à Chaldæis, acceptâ. Vid. Valer. M. *lib.* 1. *cap.* 6. Tres primùm Romæ fuere, propter tres ipsius tribûs, Luceres, Rhamnenses, Tatienses; mox uno addito, quatuor extiterunt. Sed cùm posteà plebs admissa esset in honorem urbis, quinque plebei Augures creati sunt, & Patricii quatuor; idque M. Valerio & Q. Apuleio Coss. Locum verò Augurii ita fuisse legimus: Templum Augur constituebat, versus Orientem sedebat, capite velato lituum, id est, incurvum baculum dextrâ gestans, quo cœli regiones dividebat, & quæ Auguria veniebant, prædicebat. Si læva fuissent, quâ parte est Septentrio, felicia pronunciabat; illa enim pars, propter altitudinem prospera putabatur. A dextrâ parte meridies parum fausta, & infelix credebatur, quia locus est depressus. Plura Liv. *lib.* 1. & Halicarnass. Dionys. *lib.* 2. Plut. *in Paral.* & *Problem.* Cic. *de Divin.* & alii. Notum illud Catonis: mirari se, si augur augurem aspiciens sibi temperaret à risu: nempe, quia occulto Syncretismo colludebant inter se, sibi conscii fraudis & imposturæ. Augurum autem illorum deliria inter recentiores egregiè confutavit G. *Peucerus Comment. de variis Divinationum generibus.*

Augurinus, Consul, Sergiani Collega.

Augusta, aliis *Sebaste*, opp. Cil. inter Corycium & Pompeiop. in ora. Vid. ibi.

Augusta, Tubinga dicitur ab omnibus, urbs Sueviæ, Acad. præclara Duc. Wirtembergensis; Castrum habet in colle 2. leuc. à Reutlinga & 1. à Rotemburgo.

Augusta, opp. Marit. Siciliæ, ad Orientem, aliàs *Xiphonia*, permunitum. Situm est in Neetina valle, gaudens portu capaci & percommodo. 8. milliar. à Catana in Austr. & 25. à Syracusis, in Bor. Captum à Gallis, an. 1675.

Augusta, villa Ambianorum, in pago Vinmaco, Auctori *libri de vita S. Salvii Amb. Ep.* Hodie *Aust*, ad Oceanum, inter Augam & Leuconaum, sive portum SuminensemS. Walarici. Unde & *Aut sur la mer* vocatur, aliis *le bourg d'Augst.* 11. leuc. à fluv. Aucia vel Auva, vulgò *Ou*, cujus mentionem facit *Vita S. Lupi Senonici M.S.* & Ordericus Vitalis *lib.* 12. Attingit hic amnis & Andesaginam & Augam seu Aucum opp. cui nomen suum dedit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Augusta Acilia, vulgò *Azelburg*, opp. olim Vindel. nunc pagus Straubingæ urbi Bavar. propinquus. Aventin.

Augusta Ausciorum, Gall. Aquitan. op. vulgò *Aix en Guienne*, *Auch* Villanovano. Caput est Comitat. Arminiaci; situ munita, ad Ægircium fluv. in reg. fertili. *Augusta Ausciorum*, & *Auscia* vett. Cæsar. *lib.* 3. *Comment.* Plin. *lib.* 4. Mela *lib.* 3. Ptolom. *lib.* 2. &c. Archiepiscopalis est, & Præsidialis Curiæ sedes. long. 21. 25. lat. 43. 33.

Augusta Badacum, Cluverio vicus *Pacriburg*, ad fluv. Achsam seu Alasam, in super. Bavaria, paulo infra lacum Chimum, in ditionis Salisb. limite. Vid. *Badacum.*

Augusta Batienorum, *Bassignano*, opp. Lig. ad Padum in finibus Ticinensium. Merula.

Augusta Bracarum, mel. *Braccara Augusta*, urbs archiep. aliàs Callaicorum Baccarum, nunc Portugalliæ, & prov. intra Durum & Minium. Ad Cavarum, seu Celandum fluv. Vid. *Braccara.*

Augusta Cæsarea, urbs supra Iberum in Hisp. citer. distat à Numantiâ 80. stadia.

Augusta Emerita, Lusitaniæ civitas parva, ab *emeritis* Augusti *militibus*, hujusque conditoribus nomen sortita. Hodie *Merida.* Subest dominio utili ord. militaris S. Jacobi *de Spata* Vide *Emerita.*

Augusta Gemella. Vide *Tucci.*

Augusta Nova, opp. Vet. Castellæ ad Arevam fluv. forsan ubi nunc vivus *Cavarruvias*, medius ferè inter Burgos & Uxamam, versus montes.

Augusta Prætoria, urbs Italiæ, à Salassis inhabitata; præter Strabonem, Plinium, Dionem, atque Ptolemæum, qui omnes Coloniam eam vocant, meminerunt ejus etiam Plinii epitomatores duo, Mart. Capellam dico & Solinum, hic *lib.* 6. ille *cap.* 8. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 96. Solino dicitur Italiæ limes. Estque Ducatus caput, qui in 7. dividitur valles, ad radices Alpium, in regione montosa, sed fertili, quæ German. *Augsthal.* Ei nomen an ab Augusto, an quia colonia Rom. Sedes est Episc. sub Arch. Tarentasiæ. Hic arcus triumphalis Augusti adhuc superstes, cum Coliseo, aliisque Rom. magnificentiæ monumentis. Ducatus Sabaudiæ unitus, nuptiis Comitis Odonis, filii Humberti I. cum Adelheida Suzia, vidua Hermanni Ducis Sueviæ, & hærede Manfredi, cognom. Ulrici, comitis Suzy. Guicheno *hist. Sabaud.* Vid. *Salassii.* long. 29. 20. lat. 44. 30.

Augusta Quintanorum, ab aliis Quintana seu Quintiana castra, *Kintzen*, vicus Bavariæ infer. prope Oosterhoven oppid.

Augusta Rauracorum, urbs olim florentissima, totius gentis caput: 4000. m. p. infra Rhinfeldam, ad sinistram Rheni ripam. Vid. Plin. *lib.* 4. *cap.* 7. in vet. inscr. *Colonia Raurica* dicitur. Onuphrio Panv. *lib.* 3. *Comm.* inter septem Galliæ Belg. colonias numerata. Nomen ab Augusto accepit, sub quo colonia hæc deducta est, à L. Munatio Planco, an. Augusti Imp. 2. ante C. N. 40. de quo Cajetæ in regno Neapol. hæc cernitur inscriptio: *L. Munatius L. F. L. N. L. ProN. Plancus. Cos. Cens. Imp. Iter. VII. Vir. Epul. Triumph. ex Rhetis. Ædem Saturni f. de manubiis. Agros divisit in Italia Beneventi, in Galliam Colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.* Prius enim *Raurica* dicta videtur, ab ipsismet incolis, qui Helvetiis, novas sedes quæsituris, se junxerant, combusta tempore Jul. Cæsaris: Cæsar *lib.* 1. donec sub Augusto refloruit. Postmodum eversa est, ab Alemannis, circa An. 450. tempore Valentiniani III. & Martiani, cùm Gothi Hunnique in Italia Romanis negotium facesserent. Imò jam sub Juliano destructam fuisse ex Eunapio Sardiano constat. Hanc à Valentiniano reparatam vult Guillimannus, sed in castrum: unde *Castrum Rauracense*, in libro Prov. dicitur. Tandem ab Attila funditus subversa est, jacetque in ruinis: neque quidquam ejus superest, nisi pagus prope Basileam, plurimis Romanæ antiquitatis reliquiis nobilis: quas primus Amerbachius eruit, cujus M Scr. de nobili hoc loco in Bibl. Acad. Basil. Vulgò *Augst.* Itali *Osta* vocant. Stumpf. *l.* 12. *de Raur.* Joh. Bapt. Plantinus *Helv. nov.* & *antiq.* Ex ejus ruina Basilea crevit.

Me doleo eversam; verùm solatia præbet,
Ex lapsu crevit quòd Basilea meo.

long. 28. 00. lat. 47. 10.

Augusta Romanduorum op. vulgò *Luxenbourg*. Volaterranus *Constance* vocat.

Augusta Suessonum, Vid. *Suessiones.* urbs Gall. Belg. vulgò *Soissons.* long. 24. 20. lat. 48. 50.

Augusta Taurinorum, Italiæ Transpadanæ civitas, vulgò *Turin*, cujus populos, Plin. 3. 7. Taurinos vocat, alii Tauriscos nominant, qui & *Troi* Stephano dicuntur, *Taurasia* P. Apiano. Urbs permunita, in planitie fertili admodum & rigua, in dies crescit. Vide *Taurinum.*

Augusta Tiberii, aliis Reginum & Regina, *Regensburg*, urbs Vindelic. Episc. & libera. Ubi Imperii Comitia haberi solent. Vid. *Regina.*

Augusta Trevirorum, urbs Gall. Belg. vulgò *Trier.* Vid. *Treviri.*

Augusta Tricastinorum, antea Senomagus seu Neomagus, nunc Fanum S. Pauli Tricastinorum. Urbs Gall. in Delphinatu, in clivo sita, parva sed culta. Una leuc. à Rhodano fluv. vix 2. à Vivario. Vid. *Tricastinorum Augusta.*

Augusta Vagienorum, Liguriæ op. Ptol. long. 30. 15. latitud. 43. 15. Quibusdam est Salinæ, *Saluces*, Marchion. caput, in Gall. Subalp.

Augusta Valeria, civitas regni Valentiæ in Hisp. Ptol.

Augusta Veromanduorum, Gall. Belg. civitas, vulgò *S. Quintin* Ferr. long. 24. 50. lat. 49. 20. Nunc vicus est Veromandui tractus, ad riv. *Oumignon*, medius inter Fanum S. Quintini & Peronam, cùm aliàs primaria esset. Baudr.

Augusta Vindelicorum, celeberrima & pervetusta Germ. super. urbs, ad confluentes Lecci & Vindæ, quam vulgò *Wertham* vocant, sita, post funestam Varianam cladem, subactis Vindelicis, ab Octaviano Augusto expugnata, restaurata, aucta & 3. Romanorum millibus ad habitandum tradita est. Factum id an. U. C. 739. hinc *Augusta* nomine insignita: *Augustoburgi* item: à Cl. Tiberio dein Cl. Drusi fratre, qui Vindeliciam in provinciæ formam redegit, *Augusta Tiberia* vocitata. Hungari posteà eam invaserunt, quibus ab Othone primo gravi prælio fusis, Romano imperio restituta est. Ex provinciali Imperialis reddita, à Friderico I. Imp. Anno 1162. Conrado postea ultimo Duce Sueviæ datâ ingenti argenti vi, in plenam libertatem asserta est, an. 1266. cùm prius Fridericus 2. advocatiam urbis & præfecturam regionis, filio suo Conrado R. & hic Conradino reliquisset. Tum demum ipsa sibi Senatum legit & Civitatis Curatores, urbisque præfectos liberè creare cœpit. Sub Patriciis fuit, usque ad Annum 1368. postmodum, turbis obortis, Democraticè gubernata est, usque ad Annum 1548. quo pristinum jus, Caroli 5. auctoritate, ad Patritios rediit: qui immunitatis à vectigalibus privilegio simul urbem ornavit; posteaquam à Rodolfo I. Adolpho, Alberto, Ludovico, Carolo IV. Ruperto, Friderico I. Maximiliano I. Impp. plura alia accepisset. De quibus Vid. Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 4. In insignibus ejus, Strobilus est viridis, in scuto rubro & candido: de quo Vid. Marc. Velserum, *de insignibus urbis Augustanæ.* Exigui territorii caput; unum tantùm pagum, extra urbis mœnia possidere refert Oldenburgerus *in Limnæo Enucl. lib.* 4. *cap.* 5. Cæterùm sumptuosissimis ædificiis, plateis amplis ac nitidis, mœniis, aggeribusque munitissimis, celeberrimis negotiatorum commerciis, politiæ ideâ, incolis opulentissimis, & diligenti pauperum

perum curâ nobilitatur. Vulgò *Augspurg*. Sed inprimis celebre huic urbi nomen, à *Confessione Augustana*, de quâ pòst. Episcop. sub Arch. Moguntino. Inter Episcopos inprimis clarus Huldericus ille, qui Nicolao I. Pontif. R. Cœlibatum per Galliam Germaniamque strenuè promoventi, fortiter restitit, epistolâ ad eum doctissimâ scriptâ, obtinuitque Anno 860. ut libertas conjugii sacerdotum intemerata maneret, per annos fermè 200. Vid. Chemnit. *de Cœlib.* Contra quam epistolam, cùm Bruno itidem Augustanus Episc. ab Italis subornatus, scripsisset, circa Annum 998. miserè à clericis cæsus est, Idem. Huc Lutherus, ad Cajetanum Cardin. ire jussus, comparuit, an. 1518. ast cùm non rationibus, sed minis agi secum videret, ad Pontificem, & hinc ad Concilium provocavit. A Principibus dein Evangelicis *Confessio*, à Philippo Melanchthone scripta, & ab eodem, cum Luthero, per Johannem Saxoniæ Ducem Carolo 5. Imp. die 25. Junii, Anno 1530. oblata, ab urbe, *Augustana* nomen sumsit: cui ipsa urbs An. 1533. sese addixit, usque ad Annum 1547. quo Imperator in Comitiis armatis petiit, ut Principes omnes Tridentinæ synodo se submitterent, templo primario Augustæ, quòd fuisset Lutheranismo pollutum, expiato. Sed an. 1555. sub Ferdinando, vices absentis fratris in Imperio agente, Pax religiosa concessa, tum urbi, tum reliquis in Imperio Evangelicis, frustra ob decretum hoc excandescente Paulo 4. Imò eodem loci confirmata est, an. 1558. à Ferdinando jam Imp. qui ipse S. Cœnam sub utraque specie Viennæ administrari curavit. Post hæc, Fridericus 3. Elector Palat. inc ssum renitente Commendono, Legato Pontif. ab Augusto Saxoniæ El. pro membro & socio Confessionis Aug. agnitus, atque ab Imper. ad pacem Relig. admissus est, an. 1566. Consensus etiam Confessionis hujus, cum Bohemica & Helvetica Sendomiriæ initus, an. 1570. & Syncretismus h c confirmatus est, an. 1595. in synodo Thorunii celebratâ: Postquam Universalem pacem inter Ecclesias Augustanas & Helveticas facturus Henricus Navarræ R. postmodum Rex Galliæ factus, & Magni el gio insignitus, eo fine amplissimam legationem an. 1583. in Angliam, Belgium, Daniam & Germaniam misisset, non eo successu, quem quidem speraverat. Sic libero Religionis exercitio gavisa urbs est, usque ad an. 1629. in quod demum plenè, per Instrumentum Pacis An. 1649. restituta est, prout Religio An. 1624. ibi viguit. Vid. Sleidan. *lib.* 7. Cælestinum *de Comitiis Augusti. tom.* 4. Thuan. *Histor.* Monstrelet. *Cosmogr. lib.* 3. Hic quoque jam olim Concilium habitum, An. 740. & 952. cui Germaniæ, Galliæ, & Longobardiæ Proceres interfuerunt. Vid Baronium, Spond. &c. & de Confessione August. in specie Wendelin. *Theol. & Polit.* long. 33. oc. lat. 48. 15.

Augusta, Conjuges Impp. dicebantur, dum viverent, *Divæ* autem post mortem. Hoc nomen adeptæ sunt Livia Augusti, Agrippina Agrippæ, Lepida Galbæ, Pompeia Sabina Othonis, Petronia Vitellii, & reliquæ, quas enumerat Volaterranus, *l.* 13.

Augusta, urbs in Ciliciâ, & in Italiâ. Steph.

Augustana Castra, al. opp. erat Vindeliciæ, quod nunc est *Gaisting*, vicus prope Danub. II. m. p. infra Reginum, in Ducatu Bavariæ.

Augustanica, vide *Pelusium*.

Augustavia, urbs Pol versus Lithuaniam, in Podlassia Prov. ad fluv. Brebezam, parva & nova.

Augustia, vulgò *Rusty*, opp. Transilv. ad Alutham fluv. versus limites Walachiæ, aliquot milliar. à Cibino.

Augustiniani, ordo Eccles. in Communione Romana, Augustinum Patrem suum & Magistrum vocantium. Ab Alexandro 4. An. 1256. institutus.

D. Augustinus, Filius fuit Patricii & Monicæ, Tagaste Numidiæ urbe natus, An. 354. Maturè studiis admotus, abhoruit à græca literatura, poëtarum fabulis & theatricis spectaculis deditus. Madaurum hinc, dein Carthaginem missus, paulo solutioris vitæ fuit. Hortensii Cicer. lectio ipsi aliquem veritatis amorem ingeneravit, quam investigans, in errorem Manis incidit. Cæterùm ingenio tam acri, ut an. æt. 20. αὐτοδίδακτος Philosophiam imbiberet. Rhetoricam primò Tagaste, Dein Carthagine, Romæ postmodum docuit, tandem Mediolanum à Symmacho vocatus. Ubi S. Ambrosio audito, purioris religionis initia hausit: quod opus divina gratia mox perfecit, Vid. *Confess. ejus lib.* 9. Sic baptizatus An. 388. dum in Africam redire constituit, in transitu Romæ Manichæos scriptis confutavit, Ostiæ dum navigandi expectat tempus, matrem amittit, Tagastem cùm pervenisset, triennio pòst Hipponensis Præsul eligitur. Ubi in vitia, errores Manichæorum, & deliria Donatistarum acer, Imperatorum insuper authoritatem imploravit, ad Zizania hæc funditus eradicanda. Hinc in ejus vitam Erronum insidiæ: Cum S. Hieronymo aliquid litis ei intercesserat, ob hujus paulo acerbius responsum ad epistolam ejus, quâ de Petri & Pauli Ap. συμπλοκῇ, Antiochena agebat, sed sopitum. De Pelagio dein triumphavit, ejusque responsa ab Episcopis aliisque pro oraculis habita. Accepto de Semipelagianismi in Gallia initiis, *de Prædestinatione SS. & Perseverantia dono*, scripta emisit. A Theodosio Jun. tandem ad Ephesinum Concilium invitatus, obiit, Hipponâ à Vandalis jam obsessâ, A. C. 430. *æt.* 76. *Episc.* 36. Urbe à Barbaris captâ & incendio deletâ, cadaveri ejus cum Bibliotheca & scriptis parcitum est: quorum illud postea Luitprandus Italiæ R. magno pretio à Saracenis redemtum, Anno 725. è Sardinia Genuam primò adduxit, dein Papiam transtulit, templo ibi Augustino dedicato. Sigon. *lib.* 3. Opera ejus variis in locis edita: accuratissima impressio Frobenii est, Basiliensis, Anni 1529. Post hanc Antverpianæ, Plantini, an. 1577. Parisiensi, an. 1586. sua laus debetur. Prodiere quoque Venetiis, Lugduni &c. Hieronymus Vignierius edidit eadem in urbe, an. 1654. supplementum operum volum. 2. Fuit hic Augustinus Ecclesiæ Catholicæ fulgor, de quo hunc in modum scripsit S. Victor *lib.* 1. *De persecutione Vandalorum: Eâ, inquit, tempestate Hippo civitas obsessa est, quam omni laude dignus B. Augustinus, librorum multorum confector, Pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiæ, quod uberrimè per omnes Ecclesiæ campos fluebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suavitatis in amaritudinem absinthii versa est. Usque ad illud tempus* 232. *confecerat libros, exceptis innumerabilibus epistolis, vel expositione totius Psalterii, atque Evangeliorum, atque tractatibus popularibus, quos Græci Homilias vocant, quorum numerum comprehendere satis est impossibile.* Hæc Victor. Erasmus eum vocat *Incomparabilem Ecclesiæ Doctorem.* Montacutius *Solidissimi judicii virum, & in fides dogmatibus disceptandis Principem.*

Augustinus, Abbas, à Gregorio M. in Angliam missus, ut Ecclesiam illam sedi Rom. subjiceret: Vulgò *Anglorum Apostolus* propterea dictus. Ethelbertum convertit: Cantuariensis Episc. factus est, Anno C. 596. 601. Hic in Wallia Archiepiscopatu, & 7. Episcopatibus repertis, apud Abbatem ibi celeberrimum nomine Dinothum, ut sibi, tanquam Rom. sedis legato, se submitteret concionandique concederet libertatem, institit, sed is utrumque negavit. Quare Edelredo Northumbriæ R. excitato contra miseros, Dinothus cum ingenti Clericorum numero neci datus est. Beda *Hist. Eccl. l.* 2. *c.* 2. Baron. an. 596. & seqq. Gilfridus *l.* 8.

Augustinus Curio, fil. Cælii Sec. Curionis, Rhetorices in Acad. Basil. Professor, scripsit *de rebus Saracenicis.* Obiit A. C. 1568. æt. 28. Ejus memoriam alabastro inscriptam, à Parente, lege apud Urstis. *Epit. Hist. Basil. cap.* 9. Cujus ultima:

Hujus ad exemplum Juvenes florentibus annis,
Vivere ritè Deo, discite ritè mori.

Vid. *Cœlius Sec. Curio.*

Aug. Dathius, histor. Senensis. *Aug. Egaus*, historicus Frisius.

Augustinus Justinianus, Genuensis, Corsicæ Episc. linguarum peritiâ clarus, in quarum complures S. Scripturam transtulit, &c. Obiit an. 1530. ignotus omnibus. Leander *descr. Ital.*

Augustinus Mascardus, Ligur, plurimis scriptis editis inclytus. Obiit an. 1640. Mich. Justinianus, & Raphaël, *de Scr. Ligur.*

Augustinus Romanus, S. Scripturam commentariis illustravit, &c. Obiit an. 1445. Ejus tria opera prohibita docet Bellarm. *in Catal.*

Augustinus Triumphus, Anconitanus, auctor libri de potestate Eccl. &c. Obiit An. 1328. V. quoque *Tornielus & Valerius.*

S. Augustinus, urbs & portus, Floridæ; ut & prom. Orientalissimum Brasiliæ.

Augustoberga, oppidul. Germ. in Misnia prov. juxta fluv. *Schop.* Bohemiam versus.

Augustobona, Gall. Lugdunensis urbs. Anton. Nunc *Troyes*, urbs Campaniæ prim. ad Sequanam fl. ampla & dives V. *Treca.*

Augustobriga, Pelendonum in Hisp. Tar. urbs. Ptol. Alia in Lusitania. Ptol. *Medina celi* nonnullis, aliis *Burgos*, aliis *Villar de Pedroso* dicitur, al. *Puente del Arçobispo.* Baudr.

Augustodunum, urbs Episc. Duc. Burg. sub Arch. Lugd. ab Augusto (Octaviano, an alio?) qui dirutam bello, quod Cæsar contra Gallias gessit, restauravit: multi eam *Bibracte*, cujus frequens apud Cæsarem mentio, fuisse opinantur: sed Eumenius Bibracte ab illa distinguit, *in Grat. act. Constantino Aug.* alii verò *Æduam* & *Eduam*, olim nominatam asserunt. *Aurelianum* quibusdam & *Roma Celtica*, quamvis hoc Lugduno potius convenire videtur. Adsitum est *Augustodunum* radicibus montium, qui vulgò *les monts de Cinis* vocantur, unde dicta, quasi *Mons Augusti*, nomine Latino gallico, ad fluvium Arrousium vel Arotium. Hodiè vernaculè *Autun*, vel mel. *Austun* nominatur. Merula. Metel. Primus omnium *Augustoduni* meminit Pomponius Mella *lib.* 3. *cap.* 2. ubi ait: *urbes opulentissima in Treviris Augusta, in Æduis Augustodunum, in Auscis Elusa.* Ptolem. in Gallia Lugd. I. Αἰδούων πόλις dicitur, illorum quippe olim Caput. A Flavio postea, Constantio & Flavio Constantino Maximo Augg. restitutoribus suis *Flavia* dicta est, postquam gravia à Bagaudis perpessa, Impp. horum munificentiâ pristinum nitorem recepit. Juventus Galliarum hic ingenuis artibus erudita est, sub Diocletiano & Maximiano, qui Eumenium, auditorio Augustodunensi, morte Latini Rhetoris orbato, præfecerunt, circa A. C. 296. quo Britannia Inf. à Flavio Constantio Cæs. recepta est. Erat tum ibi adhuc Apollinis templum, & Capitolium Jovi, Junoni ac Minervæ sacrum,

fons item aquis calidis nobilis. Post Constantii dein mortem *Flavia ac Flaviensium* nomine sensim obliterato, urbs oppidanique veterem appellationem, quæ Augusti tempore cœpit, resumsere. A' Lugduno, capite Lugdunensis prov. I. proxima fuit. In Not. Imp. Rom. *Fabrica Augustodunensis Loricaria, & Præfectus Sarmatarum Gentilium Augustoduni, & Procurator Gynæcii Augustoduns. translati Mettis*, & in vet. Inscriptione *Cohors XIIX. Augustodunensium* apud Gruterum memorantur. 18. leuc. distat à Divione in Occasum hibern. longit. 25. 00. lat. 46. 50. Caput est Pagi *Augustodunensis*, qui Ligere & Arare olim terminabatur, vulgò *l'Austunois*. Regio est montana, sylvestris, nec frugum, fortium tamen virorum, ferax. Vid Eumenium *Panegyr. Constant. dicto*, Erricum Monachum *lib. 1. de vita S. Germani*, Hadr. Valesium *Notit. Gall.* A Rollone Norvego I. Normannorum duce, urbem eversam esse, refert Guil. Britto *lib. 1. Philipp.* Et quia supra Arotii fluv. Augustodunensis mentio facta, addam hoc unum: illum Gall. *Arrou*, vel *Arou*, rapidum quidem, sed propter saxa minimè navigabilem, in vett. tabb. nunc *Isrum* nunc *Hesrum*, nunc *Adrum* dici: in illum labitur Burbintia, vulgò *la Brebince*, qui Parrulam recipit, nec non Vuldracam (*Leudrac*) cui Patriacus villa, *Percy*, in agro Augustodunensi Mon. veteri nobilis, est imposita. Ex eodem. Vid. insuper Henr. Antissiodor. *lib. 1.* Boter. *Relat.* Plin. *lib. 4. cap. 18.* Mel. *lib. 3. cap. 2.* Amator primus ejus Episcopus fuisse dicitur.

Hic concilium Anno 670. 1055. 1094. contra Philippi I. Gall. R. nuptias, qui Berthâ uxore, filiâ Florentis Com. Holandiæ, repudiatâ, Bertradam, filiam Simonis Monfortii, marito superstiti ereptam sibi junxerat, &c. V. Tom. 10. concil.

Augustodurus, locus Gall. Lugd. secundæ, ad Olinam fluv. supra Bajocasses, ubi nunc forsan *Tury* opp in Norm. Sanso.

Augustomagus, Gall. Belg. urbs, quam Simlerus vocat maximum op. Sylvanectarum. Lepida & culta civ. ad Nonnetam amnem. Vid. *Sylvanectum.*

Augustomana, Tricassiorum urbs in Gall. Lugd. Ptol.

Augustonemetum, Ptol. Nivernum Antonino, Nivernium Turonensi, & posterioribus Nivernæ, *Nevers* vulgò, urbs Gall. Celt ad Ligerim. Al. *Gergobia*, urbs Arvernorum, in Aquit. nunc vicus *Gergoie*, in monte. Baudr. Quibusdam est Claromontium. Vid. ibi, & Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Augustoritum, Gall. Aquit. urbs, *Poictiers*, Pop. *Pictones* Cæs. & Plin. *Pictavi* Marcellino. Al. est *Lemovicum*, ad Vigennam fluv. quod Vid. Aliis est Inculisma. V. Baudr.

Augustulus, Rom. Impp. ultimus, abdicare se coactus est ab Odoacro rege Herulorum, & sic Imperium Occidentale desiit. Sleidanus ait eum animo fractum, Imperium spontè deposuisse. Vid. *Augustus Romulus.*

Augustus Cæsar, Rom. Imp. secundus, patre Octavio Senatore genitus, matre Acciâ, filia Julii, sorore J. Cæsaris, sicque hujus nepos. Natus est A. U. C. 691. Cicerone & Antonio Coss. Vix quadriennis Patrem amisit, duodecennis Juliam aviam publicâ oratione laudavit. Viginti annos natus Consul factus, J. Cæsaris hæres, illo mortuo, quinque bella civilia sopivit. Quorum ultimo M. Antonium ad Actium superavit, An. U. C. 721. Bruto & Cassio prius prope Philippos, An. U. C. 712. L. Antonio Perusiæ, Anno 714. Pompeio Jun. mari An. 718. victis. Externis bellis non minus felix. Ter Janum clausit, bis Senatui summam rerum reddere proposuit, justitiam severè administravit, leges sanxit egregias, visitavit provincias, Sardiniâ & Africâ exceptis, 13. Consul, Fastos correxit, &c. Obiit Nolæ, Anno C. 14. æt. 76. imperii 57. Euseb. *Chron.* Suetonius, Tacitus, Vellejus, &c. Anno ejus 42. imperii, posteaquàm firmissimam, verissimamque pacem composuisset, JESUS CHRISTUS Dominus in Bethlehem natus est: cujus adventui pax ista famulata est. D. Lucas Evangelista, *cap. 2.* refert, ab hoc edictum exiisse, ut censeretur orbis universus. Eo die, quo SALVATOR noster in hunc mundum natus fuit, edicto vetuit, se Dominum appellari, manifesto præsagio majoris dominatûs, qui tum in terris ortus esset: Quod ipsum ab Oraculo Delphico didicit, quod cùm ei de Successore sciscitanti, etiam Hecatombe invitatum, primò non respondisset, iteratâ hostiâ, ex adyto causam silentii dedit:

Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet tristemq; redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitis discedite nostris.

Unde Augustus, Romam reversus, aram in Capitolio cæteris majorem erexit, cum epigraphe: *Ara primogeniti Dei.* An. M. 3949. C. 1. Platina *in Augusto.* P. Martyr. *in 1. Sam. cap. 5.* Ab hoc *Augustus* mensis dictus est, qui anteà Sextilis appellabatur. Cæterùm *Augustus*, non ab *avium gestu*, *gustuve* dicitur, uti volunt Grammatici, sed ab *auctu*. *Augere* autem verbum sacrorum est, ut *immolare, mactare, adolere.* Quoniam itaque hostiæ, cùm respergerentur molâ salsâ, consecrabantur, seu sacræ fierent, hinc *Augustus*, sacer, sanctusque est, & quasi consecratus. Vet. Gloss. *Augustus*, Σεβαστὸς ἱερὸς, σεβάσμιος. Unde Livio *Præfat. operis: augustiora primordia urbis facere, & consecrare origines*, idem est. Ovid. *1. Fast.*

Sancta vocant, Augusta, patres. Augusta vocantur
Templa sacerdotum ritè dicata manu.

Suetonius *Augusto, cap. 7. Loca quoq; religiosa, & in quibus auguratò quid consecratur, Augusta dicuntur ab auctu.* Octavianus itaque appellatus *Augustus* est, id est, *sanctus*, & supra communem naturam, Diis ipsis proximus æstimandus. Dio Cassius, *lib. 53.* cùm de hâc ipsâ Cæsaris appellatione agit, ἀλλά, inquit, Ἄυγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκλήθη, πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα, καὶ τὰ ἱερώτατα, Ἄυγουστα προσαγορεύεται. Optimè totam rem explicat Florus *lib. 4. cap. ult. Tractatum etiam in Senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius ac venerabilius visum est nomen Augusti; ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine ac titulo consecraretur.* Hinc *Augustinus* adjectivum. Sueton. *in Claudio cap. 11. Circensi pompâ currum elephantorum, Augustino similem decernendum curavit.* Pro quo tamen in Codd. quibusdam, *Augusteo* legi notat Beroaldus. Item *Augustianus*, Idem Sueton. *in Nerone cap. 25. Sequentibus currum ovantium ritu plausoribus*, Augustianos, *militesq; se triumphi ejus clamantibus.* Hos Tacitus 14. *Annal. cap. 15. Augustanos* appellat. Hinc *Augustales*, ludi in honorem *Augusti* Cæsaris instituti. Item *Augustale* substantivè, tabernaculum Imperatoris dicebatur.

Augustus Romulus, Cassiodoro *in Chron.* dictus *Augustulus*, ob ætatem; aliis *Momylus*, fil. erat Orestis, Patricii & militiæ Magistri, qui ipsum Imperatorem jussit salutari Ravennæ, An. 475. Nepote pulso, qui Herulorum Regem Odoacrum excivit. Hic Italiam ingressus cepit Romam, occidit Orestem, vicit ejus fratrem Paulum, Augustulum tandem in arcem quandam Campaniæ, cui *Lucullana* nomen, compegit. Cassiodor. & Marcellin. *in Chron.* Jornandes, Procopius, Agathias, Eutropius, &c.

Avia, vel potius *Livia*, urbs Hisp. Ptol.

Avia, Ptol. posteà Furconium, Vestinorum in Italiâ urbs, abest ab Aquilâ 8. m. p.

Aviarium, urbs Gall. in Belsia prov. ad amnem *Oeuf*, satis culta. *Pluviers* Gall.

Aviarocus, fluv. Sueciæ, in Finnonia. Aboam urb. alluit, caditque postea in sinum Finnic.

Avicebron, vel *Avicembron*, Maurorum, Princeps.

Avicenna, vel *Aboli Abiscenne*, Hispaniensis Medicus, sub Conrado 2. & Henr. 3. natione, ut nonnullis placet, Arabs, quem vulgares Bithyniæ regem fuisse dicunt; secundùm alios verò Cordubæ Princeps fuit, eminentissimi ingenii vir. Natus est in pago Balech, A. C. 992. Primus Medicinam methodicè fecit, scriptis editis pluribus. Obiit an. 1050. æt. 58. Leo African. *de Authoribus Arab.* Scaliger, *in Theophr. p. 15.* Ab Averroe venenatum fuisse tradunt, verùm antequam ipse periret, Averroem vicissim interfecisse. Gesnerus *in Bibliothecâ.* Sed ex prædictis patet integri seculi parachronismus. Averroes enim non 11. sed 12. seculo floruit, Vid. ibi.

Avidienus, vir dives, ideoque *beatus* ab Horatio dictus, sed sordidus ac parcus. Hor. *Serm. Sat. 2.*

—— —— Avidienus,
Cui canis ex vero dictum cognomen adhæret.

Avidius Cassius, devictis Parthis aliisque rebus præclarè gestis, post M. Aurelii Antonini mortem, Antiochiæ, ab Orientalibus *Imperator* dictus. Is *alter Catilina* vocabatur, quòd cruoris esset cupidus. Etenim inauditum, & nunquam visum tormenti genus commentus est; Trabem siquidem longitudine 100 pedum infixam terræ erigebat, cui à summo ad intimas partes illigatos homines flammâ & fumo suffocabat. Imperii mense 3 à Decurione quodam occisus. Dion & Capitolinus, *in M. Aurelio.* Vulcatius, *in Cassio.*

Avienus, Consul, tempore Valentiniani Imp.

Avienus Festus, poeta, tempore Gratiani, ac Theodosii vixit, qui Aratum, & Dionysii περιήγησιν carmine Latino transtulit, ut & Livium. Servius in 10. Æneid. Item Carmen Jambicum de Oris maritimis scripsit, ad Probum Consularem. Nec alium puto *Avienum*, quem loquentem inducit Macrobius *in Saturnalibus.* Idem etiam videtur, qui fabulas Æsopicas carmine Elegiaco signavit, quanquam in codd. nonnullis is *Anianus*, atque etiam *Anienus*, imò & *Abidnus* vocetur. V. Voss. *de Poet. Lat. p. 56. & de Hist. Lat. 2. 9.* Ubi vult hunc esse celebrem illum Poëtam, R. Festum Avienum, cujus adhuc 2. libri extant.

Avienus Junior, Consul, Probi collega.

Avilla, urbec. episc. Hisp. in Asturia Ovetana, juxta ostia amnis *Nalon*, non longè ab ora littor. Oceani Cantabr. Teresæ patria. Quibusd. est *Flavionavia Pæsicorum.* Briet.

Avim, id est, *iniqui*, civitas tribus Benjamin. Jos. 18.

Avimense, op. liberum in Africâ Plin. 5. 4.

Avinum, opp. nov. Hisp. in nova Biscaja, ubi argentifodina, inter Durangum & Elleneram, prope vicum Nominis Dei, & versus Zacatecas, in ditione Hisp.

Avinus, fluv. Scotiæ meridion. Avendalium castrum alluit; postea in Cludum se exonerat, in Cludesdalia prov. prope Hamiltonium opp.

Aviola, vide *Acilius.*

Aviquirina, Inf. Amer. merid. in ora regni Chiles, contra civ. Conceptionis, in Mari Pacifico, cum aliquot pagis.

Avisium, opp. Hisp. in Portugall. ad fluv. cognom. parvum sed munitum. Unde Ordo Equitum, institutus ab Alphonso I. Anno 1181. Insigne illorum, in campo aureo crux viridis, cum duabus infernè avibus.

Avith, Lat. *iniqua, perversa*, vel *temperalis*, civitas in quâ regnavit Adad, quartus rex in Edom. Gen. 36.

Avitta, Africæ propriæ op. Ptol.

Avitus, Legatus in Britannia sub Nerone. Tacit. *l.* 14.

Avitus Flavius Eparchius, Arvernas, socer Sidonii Apoll. Suasu Theodorici Wisigothorum R. aliorumque, Imperator, post mortem Maximi, appellatus est, Româ à Genserico captâ, Anno 455. Sed biennio pòst, faciente Ricimero, duce R. depositus, Episc. Placentinus est factus, pauloque post obiit, re contra Childericum Merovæi fil. qui primam Germaniam secundæ, secundam Belgicam primæ conjungere annitebatur, Gothosque, quos ex Gallia in Hispaniam amoverat, præclarè gestâ, insignis. Aimon. *lib.* 1. *cap.* 2. 3. Jorn. *de rebus Goth.* Prosper, Hydatius, Marcellin. Cassiodorus, Theophanes *in Chron.* Greg. Tur. *hist. l.* 2. *c.* 11. Sidonius *l.* 3. *ep. c.* 1.

Avitus, nomen duorum Hispanorum, quorum unus Origenis errores disseminabat, alter Victorini cujusdam sectator erat. Ob quos Orosius ab Hispaniæ Episcopis, Augustinum consulturus, in Africam missus est. Retractat. *l.* 1. *c.* 44.

Avitus, Hisp. de quo V. Gennad. *catal. cap.* 47. Vid. *Alcimus Avitus*, & *Alphius Avitus*.

d'Avity Petrus, Gallus è Vivariensi prov. opus composuit peramplum, de Rebuspublicis & Imperiis, in quinque corpora extensum. Hic multa habet exquisita, ex recentioribus relationibus, navigationibus, hodæporiis, &c. eique Geographia recentior debet plurimum. Natus an. 1572. Obiit Parisiis, an. 1635. æt. 63. cùm sub prælo opera ipsius ferverent, quæ postea, curante Francisco Ranchino Occitano, prodierunt, an. 1643.

Avium, civitas inter Tyrum & Sidonem. Strab *l.* 16.

Avium Inf. una ex Caribarum Inf. Item, una ex Antillis. Utraque parva, in America meridion.

Auklandia, opp. Angliæ, in Dunelmensi Episc. ad fluv. *Were*. Parv. admodum.

Aula, arx ad Æmum mont. Cedrenus, & Arcadiæ locus. Ælian.

Auladis, Mesopotamiæ urbs. Ptol.

Aula, navale Ciliciæ inter Tarsum & Anchialum. Steph.

Aulaga, lacus Amer. merid. in Peruvia reg. Aliter *Lago de Paria*, versus Prov. *de los Charcas*, & montes Andes.

Aulanius Evander, Sculptor. Plin. *lib.* 35.

Aulcestria, opp. Angliæ, in Varvicensi provincia. Vid. *Alcestria*.

Aulerci, pop. Gall. Celt. varii; nam reperiuntur *Aulerci* Eburaici (qui Cæsari Eburovices dicuntur) nunc *le diocese d'Eu veux*, Cenomani, ubi nunc *Le Maine* prov. & Diablintes, ubi nunc regio *le Perche*. Sunt qui *Aulercos* Rhotomagenies esse putant, alii *Aurelianenses* à veteribus sic dictos volunt; cùm nil tale apud Cæs. & Plin. aliosque antiquos legatur. Videntur Aulerci Gallicâ linguâ dici, *Ovvlercher*. Cœnomani *Kurmänner*. Vid. *Cenomani* & *Diablintes*, *&c.*

Aulestes, rex Tyrrhenus à Messapo confossus. Virg. Æn. 12.

Auletes, Ægypti rex, Cleopatræ pater, qui præter alia flagitia, etiam Choraulem exercuit, & adeò in eâ gloriabatur, ut non cunctaretur certamina in regiâ celebrare. Strabo *lib. ult.*

Auli ii dicti, qui Diis alentibus nascerentur, alii ab *aula* id est, ollâ deducunt. ab *Aulo* prænomine *Auliorum* gens deducta est, inter quos A. V. C. CDXXXII. Q. *Aulius* Q. F. Cerretanus cum C. Sulpicio Longo II. Cos. fuit.

Auli, Macedoniæ pop. ad Jonium mare. Ptol.

Aulis, regiuncula Bœotiæ, à *castrametatione* nomen sortita, juxta Chalcidem. Ovid. *Met.* 12.

——— *Bœotaque tellus*
Aulide piscosâ puppes tenuisset ituras.

Servius ait inf. & op. esse cum portu 50. navium capaci; in quo Græci sub Agamemnone in Trojæ excidium conjurarunt. Euseb. *Chron.* Virg. *Æn.* 4.

Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi. Lucan. *lib.* 5.
Euripusque trahit cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.

Hesychius. Ἀυλίδα, λιμένα. Hodie omnino intercidit, Brietio teste.

Aulocrene, Asiæ min. regiuncula, in conventu Apameno, per quam ab Apamiâ in Phrygiam itur. Ibi platanus ostenditur, ex quâ pependit Marsyas ab Apolline victus. Plin.

Aulon, vel *Aulona*, Corinthiorum colonia in Macedoniâ. Plin. *Volonia* & *Caulonia* Sophiano. *Valona* Ferrar.

Aulon, est in Albania super. ubi aliàs Pelasgonia, pars Maced. Est portus amplissimus, seu veriùs sinus, quem duo castra muniunt. Baudr.

Aulon, Stephano est urbs Laconica, una ex centum, & alia Arcadiæ, & alia, civitas vel locus Cretæ. Item Arabiæ locus; & alia ejusdem nominis civitas à Crotoniatis condita, *Caulonia* etiam dicta.

Aulon, mons Calabriæ contra Tarentinam regionem, vini ferax. Mart. *lib.* 13.

Nobilis & lanis & Baccho fertilis Aulon
Dat pretiosa tibi vellera, vina mihi.

Horat. *in Odis.* —— *Et amicus Aulon*
Fertilis Baccho. ———

Vide *Caulon*. Et etiam urbs Ciliciæ.

Aulon, teste Theophrasto, campus est amplissimus & pulcherrimus inter Libanum & Antilibanum. Vide plura apud Cæl. Rhod. *lib.* 17.

Aulonius Æsculapius dictus est, teste Pauf. in fine Messeniacorum: *Ad Aulonem* (inquit) *delubrum est cum signo Æsculapii Aulonii.*

Aulopotamus, urbs Cretæ Inf. Episc. sub Archiep. Cretensi. Miræus.

Aulotum, opp. Hisp. in Catalonia, ad fluv. Fluvianum: paucis constans incolis. 6. leucis à Gerunda in Occasum: 5. ab Ausa, in Bor.

Aulus Aternius Frontinalis, Cos. cóllega Sp. Tarpeii Capitolini. An. U. C. 300.

Aulus Cornelius, Mag. equitum. An. V. C. 330.

Aulus Cornelius Arvina, Dictator. An. V. C. 430.

Aulus Cornelius Cossus, Cos. collega T. Quintii Cincinnati. An. V. C. 328.

Aulus Corn. Cossus, Cos. collega Valerii Corvini. An. V. C. 413.

Aulus Corn. Cossus, Dictator. An. V. C. 381.

Aulus Corn. Cossus, Trib. Militum. An. V. C. 330.

Aulus Corn. Corvinus, Cos. Vinitii Quartini collega. An. V. C. 797.

Aulus Corn. Scipio Arvina, Cos. collega Popilii Lænatis. An. V. C. 406.

Aulus Gabinius, Cos. collega L. Pisonis Cæsoniani. Anno V. C. 696.

Aulus Gellius, Auctor noctium Atticarum, vixit sec. 2. inchoante, Athenis. Opus ejus syntagma ingeniosum est variarum rerum, Criticam inprimis Authorum spectantium. Volaterr. *Anthrop. l.* 16. Vignier. A. C. 128.

Aulus Hirtius, Cos. cum Vibio Pansâ. An. V. C. 711. Hi ambo in pugna contra Antonium occubuere. Horum Consulatu natus est Ovidius, teste seipso. Trist. 4. 10.

Editus hic ego sum: nec non ut tempora noris;
Cùm cecidit fato Consul uterque pari.

Aulus Licinius Archias, Antiochenus Poëta, Cimbrica bella metro scripsit. Idem de historia Consulatus Ciceronis facturus, ab hoc inhibitus est. Vid. *Archias*.

Aulus Licinius Nerva, Cos. collega Qu. Cæcilii Cretici. An. V. C. 759.

Aulus Manlius Atticus, Cos. collega Qu. Luctatii Catuli. An. V. C. 512. Alius, collega C. Sempronii Blæsi. An. U. C. 719.

Aulus Manlius Capitol. Trib. Mil. An. U. C. 351. & 365.

Aulus Manlius X vir. An. U. C. 303.

Aulus Manlius Torquatus, Cos. collega Qu. Cassii Longini. An. U. C. 590.

Aulus Plautius, unus ex ducibus Claudii Imp. cum Vespasiano collega, Britanniæ partem subegit, Anno 143. Sueton. *in Claudio.*

Aulus Posthumius Albinus, Cos. collega Qu. Luctatii Catuli Cærconii. An. U. C. 511.

Aulus Posth. Albus, Cos. collega Sp. Furii Medullini Fusci. An. U. C. 290.

Aulus Posth. Trib. Mil. An. U. C. 373.

Aulus Posth. Regillensis Cos. Titi Virginii Tricosti collega, se Consulatu abdicavit, inde Dictator factus est. An. U. C. 258. Livius.

Aulus Posth. Regillensis, Trib. Mil. A. U. C. 556.

Aulus Posthumus Tubertus, Dictator An. U. C. 325. de Æquis & Volscis triumphavit, proprium filium, quòd injussus contra hostes pugnasset, securi percuti jussit. Liv. *lib.* 4. A. Gell. *l.* 27. *cap.* 21. Val. M. *l.* 5. *cap.* 8.

Aulus Sabinius, Poëta Latinus, plurima scripsit. Hujus meminit Ovid. *de Ponto, l.* 4. & 16. *Amor. eleg.* 18.

Aulus Sempronius Atratinus, Cos. collega M. Minucii Augurini. An. U. C. 257.

Aulus Serenus, vetus Lyricus, Latinus. Voss. *de Poët. Lat. cap.* 18. Quo tempore vixerit, incertum.

Aulus Virginius Cœlimontanus, Cos. collega Sp. Servilii Prisci. An. U. C. 278.

Aulus Vitellius, nonus Rom. Imp. vide *Vitellius*.

Aulus Vitellius, Cos. collega L. Vipsanii Publicolæ. An. U. C. 800.

Aulus Volusius Saturninus, Cos. An. U. C. 839.

Aulziagri, pop. Hunnici. Agathias.

Aumonius, vel *Ammonius*, Monachus Gallus, tempore Ottonis 3. Circa Annum 990. Scripsit opuscula quædam historica. Trithem. *in Catal.* Sigebert. *in Chron.*

Auna, vulgò *Emely* & *Avon*, urbs Hibern. episc. in Comitatu Triperariensi, nunc ferè deserta. Speedus.

Aunedonacum, vulgò *Aunay*, urbs Pictaviæ, circa Santones in Gallia. Anton.

Aunus, vulgò *Auneau*, urbec. Galliæ, in Belsia prov. Nota Germanorum clade, sub Carolo 9.

Avo, vel *Avus*, Ptol. Hisp. citer. fluv. vulgò *Rio d'Avia*. Est autem in finibus Bracarum. Item alius in Callaicis.

Avo, vulgò *Aven*, fluv. Scotiæ meridion. Cadit in Forthæ æstuarium, prope Lindum urbem, in Lothiana prov. Aliis est Avenna.

Avo, vulgò *Avon*, fluv. Angliæ, in Wallia & Comit. Monumethensi. In Uscam se exonerat, prope Iscam urb. Vid. *Alaunius fluv.*

Avogasia, prov. Asiæ, inter Georgiam, mare Nigrum & Comaniam, ubi aliàs pars Colchidis. Ibi locus præcipuus S. Sophia.

Avona, fluv. Angliæ merid. in Ultonia prov. ortus. Bristoliam urbem alluit, & postea in Sabrinæ æstuarium cadit. Vid. *Abonis.*

Avona, fluv. Angliæ Warvvicensem Comit. præterfluit, Warvvicoque rigato, in Sabrinam se exonerat, in Glocestria prov. juxta Teocicuriam.

Aura, vulgò *Eure*, fluv. Gall. in Belsia oritur; Carnutoque & Droco rigato, in Sequanam cadit, supra Rothomagum. Al. *Ebura.*

Auracum, opp. Germ. in Suevia, in Duc. Wirtemb. Vid. *Artaunum.*

Auradis, Mediæ urbs. Ptol.

Auraicum, opp. Galliæ, in Britannia prov. ad æstuarium *le Morbihan*: prælio, ubi de Britannia certabatur, notum.

Aurana, Arab. Desertæ urbs. Ptol. Item, opp. Dalmatiæ recentioris, *Wrana* Slave.

Auranitis, Babyloniæ reg. tractus. Ptol.

Aurarium, Vet. Insc. *Korosbania* dein, vulgò *Keresvannya*, & *Abruckbanga*, opp. Daciæ, in Transylvania, apud Stotnam, ab Alb. Julia 5. leuc. in occ. Wolf. Lazius.

Auras, Europæ fluv. ab Hæmo monte in Istrum fluens. Herod. *lib.* 4.

Aurasius, Mauritaniæ mons. Procopius. Hodiè *Auraz* dicitur, teste Leone Africano.

Auravannus, *Rian*, teste Camdeno, fluv. Albionis in Scotiæ confin. apud Cokermouthum op. fluens. Ita Ferrarius. Camdenus verò habet in Gallividiâ Scot. reg. ad ipsum fere promuntorium, additque positum esse pro *Aber Ruanus*, id est, *ostium Ruani.*

Aurea Chersonesus, *Samotra*, teste Ortelio, maxima Indiæ extra Gangem peninsula, in plura regna divisa, sub Æquatoris Circulo, hoc tempore ab Indiâ ulteriore avulsa, insula effecta, Jabadio insulæ etiam maximæ propinqua. Mercatori est *Japan* ins. longè hinc in ort. distans, Castaldo & Al. *peninsula Gangis*. Item, *regio Malaca*, ab urbe primaria. Ab ins. Sumatra disjungitur freto Malacensi seu Sincapurano, & longè Jabadio distat: est autem *Malaca*, reg. Indiæ prædict. australis, in quâ Malaca urbs regia à Lusitanis olim possessa, nunc sub Hollandis, ab Anno 1641.

Aureatum, Germ. op. hodie *Aichstadt*. long. 33. 00. lat. 48. 51. In Palatin. sup. ad Almannum fluv. paretque proprio Episcopo. Lazio est vicus *Nassavels*, ad Scuterum amnem, in viciniis.

Aurelia, familia Romanorum ex Sabinis oriunda, à Sole (ἥλιον Græci vocant) dicta, quòd ei publicè à Pop. Rom. datus sit locus, in quo sacra faceret Soli. Festus. Fuit & mater Cæsaris.

Aurelia, Gall. Celt. nobilissima civitas & probè culta, in reg. perferaci, An. Dom. 276. condita, ac denominata ab Aurelio Imp. ad ripam Ligeris amnis. Hanc Cenomannorum urbem vetustam fuisse volunt, non minus opibus quàm munitione, populoque præstantem. Eam Cæsar Carnutensium emporium vocavit, ipsamque incendio vastavit, ut ipse *lib.* 7. scripsit, & *Genabum* olim vocatam fuisse, quidam ab ipso Cæsare volunt. Al. Gennabum est *Gien*, opp. vicin. ad Ligerim. Gallicè *Orleans*. long. 22. 00. lat. 47. 30. Caput est regiunculæ, cum tit. Duc. Academiâ à Philippo Pulchro instituta, Curiâ Præsidiali, & Episc. sede sub Arch. Parisiensi. Otto Frisingensis 4. 41. ab Aurelio, ut dictum, urbem vult denominatam: Glaber verò Rodolphus 2. 6. quasi *ore Ligerianam* appellatam scribit. Portum habet insignem. Ab Attila obsessa, an. 450. Lupum Episc. habuit, qui ad Attilam, Salvum te advenisse gaudeo, quem judico, flagellum esse Domini & Dei mei, missum ad castigandos populos. Dein ab Anglis, an. 1417. à Johanna Darcia, hinc puellâ Aurelianensi dictâ, liberata est. Præterito seculo capta, receptaque. Post Romanos olim, sub Gallis fuit, & Clodomirum fil. Clodovei, Clotarium, Gontranum, & Sigebertum, reges proprios habuit: sub prima stirpe Franciæ regum. Sub tertia stirpe, data est fratri Philippo, à Johanne, & filio Ludovico à Carolo 5. regibus. Hodie apennagium est Philippi, fratris Ludov. 14. Vices ejus, quas sec. præterito subiit, flagrante bello intestino, quo capta à Principe Condæo, Reformatis aliquandiu asylum præbuit, Vide apud Thuan. *Histor.* Primus ejus Episc. S. Altinus dicitur. Cæsar *in Comm.* Sidonius Apoll. *in Epist.* Greg. Tur. *Hist. Franc.* &c.

Concilium hic celebratum, Anno 511. à Clodoveo R. Anno 533. 538. 541. 549. contra Eutychem & Dioscorum. an. 645. contra Monotheletas. an. 766. an. 1022. à Roberto R. contra quosdam, Manis errores incrustatum euntes, &c.

Aurelia, cognomine *Carisia*, Hisp. Bæt. urbs. Plin. *Caroza* Taraphæ, *Cazocla* Moletio, videtur Carissa Ptolemæi, quam *Carixa* vocat Moralis: sed locus est hodiè desertus.

Aurelia, porta urbis Romæ Procopio. *Pancratiana* vocatur Marliano. Nunc *Porta S. Petri*. Prope molem Adriani erat, & diruta jacet. Baudr.

Aureliacum, vulgò *Orillac*, urbs Gall. in Alvernia sup. Ad amnem Jordanum, intra montes, satis culta. Al. *Auriliacum* & *Meriolacum*. Baudr.

Aurelianum, Austriæ super. op. Lazio, hodiè *Lintz* dictum, cum eximio castro Archiducum, prope ubi Travus fluv. in Danubium cadit.

Aurelianus Luc. Domitius, Hungarus, aliis Dacus vel Mœsus, de plebe, Imperator salutatus est, à Legionibus, postquam per omnes militiæ gradus cum laude emersisset. Pepulit Pannoniâ Scythas, & acie victos, pacem petere coëgit. Prope Placentiam Marcomannos superavit. Quibus victoriis partis Romam reversus, severior erga omnes esse cœpit, *bonus Medicus, nisi quòd nimium sanguinis mitteret.* Contra Christianos nonam, ut Aug. octavam, ut alii, persecutionem excitavit: vel potius sibi proposuit, ut Orosius & Sulpic. Sev. scribunt: Porro Zenobiam, quæ, mortuo marito Odenato, Orientem retinebat, prælio superatam in triumpho duxit. Hujus tandem libertus Mnestheus aliique Principis iram timentes, catalogum proscriptorum mentiti sunt, sicque in Imperatoris necem illos, quorum nomina in catalogo scripserant, incitarunt. Ita occisus est in loco, qui *Cænophrurium* dictus, inter Heracleam & Byzantium, cùm in eo esset, ut Persas bello adoriretur. Anno 275. imperii 6. Vopiscus *in Aureliano*, Eutrop. *lib.* 9. Cassiodor. & Euseb. *in Chron.* qui addit, Paulum Samosatenum, Episc. sede deturbatum frustra ab Imper. auxilium petiisse. Vid. etiam Balsam. Zonaram. Hujus tanta fuit liberalitas, ut tunicas viritim per populum dederit, item frumentum & oleum cum vino; crudelis tamen, ut qui sororis suæ filium interfecit. Sext. Aurel.

Aurelianus Festus, libertus Aureliani Imp. Firmi Tyranni vitam scripsit. Vopiscus, *in Firmo.*

Aurelianus, Arch. Arelatensis, vicarius Romanæ sedis à Vigilio creatus, Anno 546. Subscripsit Concilio 5. Aurelianensi, Anno 549. & ab eodem Episcopo anno post Childebertum rogare jussus est, ut Totilam ad mitiora consilia inflecteret. Tom. 5. *Concil.* Usuardus, Sirmondus, SanMarthani fratres, *in Gallia Christ. tom.* 1. *p.* 41.

Aurelianus, Clericus Eccl. Remensis, Musicus excellens, scripsit *Tonarium Regularem*, aliaque. Trithemius *in Catal.* Barthius, *Advers. lib.* 45. *cap.* 21.

Aurelii, quanquam plebeii, à Sabinis Romam venerunt; de quibus Festus: Aureliam Familiam ex Sabinis oriundam à Sole dictam putant, quòd ei publicè à Populo Romano datus sit locus, in quo sacra faceret Soli. Hæc gens cognomina Cottæ, Orestis & Scauri tulit, quæ consularis, censoria & triumfalis fuit.

Aureliopolis, urbs Asiæ min. Episcop. sub Archie. Ephesino, Miræus.

Aurelius, Rom. Imp. vide *Marcus Aurelius.*

Aurelius Carus, Rom. Imp. cùm biennio regnasset, in castris supra fluv. Tigridem exanimatus fulmine occubuit. Fla. Vopiscus.

Aurelius, 5. Rex Oviedi, post Troilam fratrem, jussu suo, Toleti occisum. Pacem ab Abderamo tributo annuo & magno virginum numero redemit. Obiit A. C. 775. regni 7. Rodericus, Mariana. *l.* 7. *c.* 6.

Aurelius, Episc. Carthag. Circa an. 400.

Aurelius, pictor nobilis tempore Aug. Cæs. Plin. 35.

Aurelius Alexander, optimus fuit aruspex, augur excellens, musicus insignis, qui orationem eruditissimè scripsit. Quibus rebus tantam impendit operam, ut consueverit in conviviis legentes audire, vel aliis vescentibus legere.

Aurelius Ambrosius, civis Rom. Britonum Dux, Saxones, Reginæ gratiâ superbos, & aliquoties victores, fundit fugatque, uno in prælio Horsâ, in altero Hengisto interemto, An. C. 456. Polydorus Virg. *Hist. lib.* 3. Occubuit postmodum, in prælio cum Osca & Othamo, Hengisti filiis, rege Vortimero in tur-

in turre quadam combusto, cui Utherius Pendracus successit. Idem. Vid. *Ambrosius*.

Aurelius Apollinaris, vitam Cari Imper. scripsit.

Aurelius Brandolinus, cognom. *Lippus Florentinus*, auctor historiæ V.T.&c.obiit An.1498.

Aurelius Conanus, Aurelii Ambrosii nepos & successor, vitiis infamis.

Aurelius Cotta, Vid. *Cotta*.

Aurelius Olympicus Nemesianus, poëta, Afer genere, patriâ Carthaginensis, floruit sub Caro, ejusque fil. Carino & Numeriano. Scripsit Cynegetica, Nautica, & Halieutica. LLoydius. Eclogas quasdam, Lilius Girald. *de Poët.*

P. Aurelius Opilius, Musas scripsit, A.Gell.*l.*1.*c.* 25. Vid. *Cassiodorus, Prudentius*, &c.

Aurelius Philippus, ex præceptoribus Alex. Severi, cujus vitam scripsit. Lamprid. *in Severo*.

Aurelius Prudentius, Hispanus, primam ætatem posuit in agendis causis, demum ad Præfecturam Theodosii patrocinio conscendit. Scripsit egregia opuscula eleganti carmine, quæ extant.

Aurelius Verus, historicus Lat. Severi vitam scripsit. Vixit sub Diocletiano. Lamprid. *in Alex. Severo*.

Aurelius Victor, cogn. *Primus*, historicus. Jul. Capitolinus *in Macrino*.

Aurelius Victor Sextus, sub Juliano Apost. scripsit historiam virorum illustrium à Procante ad Cæsarem, Vitas Cæsarum, de origine gentis Rom &c. Voss. *de Hist. Lat. l.*2.*c.*8.

S. Aurelius Victor, epitomen vitæ Imperatorum edidit, sub Arcadio & Honorio. Voss. *hist. Lat.* 2.*c.*15.

Aureolum, castrum agri Faventini, *Oriolo*, inter Faventiam & Mutilum, à Faventia 4.mill.pass.Antiq.trad.

Aureolus, Illyrici tyrannus, ad Mediolanum victus, cæsusque, à Claudio Dalmata, sub Gallieno Imp. circa An.C. 370. Eutrop. *l.*9.

Aureolus pons, apud quem, teste Trebellio, Aureolus Tyran. à Claudio Imp. interfectus fuit An.270. Bapt. Egnatius ait, eum in agro Mediolanensi extare, vulgoque *Pontirolo*, al. *Pontirvolo*, vocari. Pagus Duc.Mediol. in Addua Glarea, regiunc. in confinio Bergomensis agri. Maginus.

Aureus mons, Corsicæ insulæ. Ptolem. *Monte Gradachio* Leandro.

Aureus mons, Hungariæ, *Mathecgh* Lazio, cujus meminit Lib.Notit.in Mœsia prima, item Aurelius Victor.

Auria, Callaicorum in Hisp. op. ad Minium fluv. hodiè *Orons*. Quibusd. sunt *Aquæ calidæ*.

Auricornu, promuntorium Byzantii, quod & *Chrysoceras*. Plin. 9.15.

Auricum, urbec. Germ. in Frisia Or. cum castro, ubi plerunque moratur Comes Embdanus. Sita est in loco infertili. 3. vix mill. ab Embda in Ortum. Hic Evangelium, Comitis Edsardi jussu, prædicari cœptum, Circa An.1540. Ubbo Emmius *in Hist. Fris. l.* 50.53.

Auriflamba, Auriflammeum, Gall. *l'Oriflambe*, sacrum apud Francos vexillum, S. Dionysii aliàs appellatum, quòd in ejus Ecclesia religiosè custodiebatur. Hoc Francorum Reges, ex antiqua consuetudine, ab altari B. Dionysii solenni humilitate, jejuniis & lachrymis impetratum, tutelæ symbolum, deportabant in hostem, & in prima acie à præstantissimo quopiam deferendum, collocabant: *Quod*, teste Rigordo *in gestis Phil. Aug. videntes adversarii & cognoscentes, territi multoties terga dedere.* Formam ejus & nominis rationem sic descripsit Brito Armoricanus, *lib.*2.*Philippidos:*

At Regi satis est, tenues crispare per auras,
Vexillum simplex, cendato simplice textum,
Splendoris rubei, lethania qualiter uti
Ecclesiana solet, certis ex more diebus.
Quod cùm Flamma *habeat vulgariter* aurea *nomen,*
Omnibus in bellis habet omnia signa praire.
Quod Regi præstare solet Dionysius Abbas,
Ad bellum quoties sumtis proficiscitur armis.

Auriflamba gestatio, tanto (olim aliquando) in honore fuit, ut ad capessendam eam Arnoldus de Eudevehan, Marescalsiâ Franciæ se exuerit, sub Carolo V.R. qui obiit An.1380. nec post ejus imperium semel hactenus in aciem prodiit, ut asserit Tillettus *en recueuil des Roys de France, part.*1. Hujus vexilli meminit quoque Curopalates *in Officiis Constantinop.* ut quod Imperatori tantùm præferri soleret, nec in castris visum eo absente. Quod verò φλάμπυρον vocat, Glossarius mallet φλάμμυρον legi, q. dictum pro flammeo aureo. Spelmannus *Glossar. Archaol.*

Aurigia, Hisp. Bæt.op. hodiè *Arson*.

Aurinia, fatidica mulier superstitiosè à Germanis olim culta, Tacitus *German.c.*8. & sic quoque legerat Bartolinus,

Evolat Hercinio ad Superos Aurinia luco.

Lipsius ex Jornande l. *Alioruna*. Ubi potius leg. *Alteruna* q.d. vetula Runa sive saga. Excellentiores autem Sagarum colebant velut Deas & consuluntur tales hodieque multis in locis, velut Sibyllæ. Sic *Gutruna*, bona saga, apud Saxonem Grammaticum. Nescio etiam ob quam causam majores nostri *Mandragoram* Altrunam appellitarint; credo quia veneficiis & incantationibus adhiberetur.

Aurimiana ala, Tac. *Ried*, olim opp. nunc pagus Norici, apud Oenum fluv. & Vasserburgum urbem, in Bavaria, teste Laz. cui etiam *Haulruck* pagus vicinus esse videtur.

Aurinx, Hisp. urbs. *Moron* in Andalusiâ, teste Beuthero.

Aurisium, tab. Peut. *Ros*, teste Lazio, opp. olim Vindeliciæ, nunc pagus Bavariæ, ad Oenum fluv. Vasserburgo proximum, inter illud, & Rosenhemium, in Austrum distans, ex adverso *Ried*, de quo suprà.

Auritina, Africæ urbs in Pentapoli. Ptol.

Aurora, Titanis, & Terræ filia, Luciferi & Ventorum mater, Hyperionis ac Thiæ filiam facit Hesiodus, *in his:*

Θεία δ' Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε Σελήνην,
Ἠῶ θ', ἣ πάντεσσιν ἐπιχθονίοισι φαείνει,
Γείναθ' ὑποδμηθεῖσ' Ὑπερίονος ἐν φιλότητι.

Tithonum Laomedontis fratrem rapuit, ex quo Memnonem suscepit: Tithonum autem ita adamavit, ut senem jam factum herbarum virtute & ope medicâ juventuti restituerit. Dicitur & Cephalum rapuisse, cui, cùm illum videret unicam suam Procrin diligere, dissimulato habitu domum venienti uxoris perfidiam manifestam fecit. Ovid. *Metam. l.*7.*f.*26. Sappho apud Nasonem:

Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam,
Et faceres, sed Te prima rapina tenet.

Rapuit quoque Orionem, ut scribit Hom *Odys.*5.

Ὡς μὲν ὅτ' Ὠρίων' ἕλετο ῥοδοδάκτυλος Ἠώς.

Hæc ex Astræo præterea ventos & astra peperit; Apollodorus; Ἠὼς δὲ καὶ Ἀστραίῳ ἄνεμοι καὶ ἄστρα. Hesiod. *in Theog.*

Ἀστραίῳ δ' Ἠὼς ἀνέμους τέκε καρτεροθύμους
Ἀργέστην, Ζέφυρον, Βορέην τ' αἰψηροκέλευθον,
Καὶ Νότον ἐν φιλότητι θεὰ θεῷ εὐνηθεῖσα.

Huic digitos roseos tribuit Homerus, propter colorem rubicundum, aut subrubentem, quam in aurea sede vehi dixit Hymno *in Venerem:*

Ὡς δ' αὖ Τιθωνὸν χρυσόθρονος ἥρπασεν Ἠὼς
Ὑμετέρης γενεῆς ἐπιείκελον ἀθανάτοισι.

Fabulati sunt enim poëtæ, *Auroram in curru* à quadrigis rubentibus vehi solitam, uti testatur Virg. *Æn.*6.

Hâc vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam medium æthereo cursu trajecerat axem.

Cui tamen bigas attribuit alibi, ut est in his:

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Theocritus autem non *roseos*, sed *albos* equos Auroræ appellavit, *in Hylâ*, hoc pacto:

Οὐδ' ὄχ' ἁ λευκίππος ἀνατρέχει ἐς Διὸς Ἀώς.

Scriptum tamen reliquit Lycophron *in Alexandrâ*, Auroram à Pegaso equo vehi solitam:

Ἠὼς μὲν αἰπὺν ἄρτι Φηγίου πάγον
Κραιπνοῖς ὑπὲρ πτεροῖσι Πηγάσου πτεροῖς,
Τιθωνὸν ἐν κοίτῃσι τῆς Κέρνης πέλας.

Hanc ex Oceano, tanquam Solem, & reliqua astra surgere, scripsit Homerus *Hymno in Mercurium:*

Ἠὼς δ' ἠριγένεια φόως θνητοῖσι φέρουσα
Ὤρνυτ' ἀπ' Ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου ——

Notandum hic, eos qui ab *Aurora* rapiuntur, non ampliùs comparere. Tales erant, qui ante tempus & diem moriebantur, quos ab *Aurora* raptos esse dicebant veteres. Hinc apud eos morem permansisse, ut pueri, & qui immaturâ morte periissent, mane ante ortum Solis sepelirentur; testis est Eustathius ad Homerum.

Aurunca, Latii civitas, ab Ausone Ulyssis, & Calypsûs filio condita: à qua *Aurunci* vetustissimi Latii populi. Ubi nunc pars terræ Laboris, à Terracina ad Lirim fluv. extensa in regno Neap. Brietius. Virg. *Æn.*7.

—— *Et quos de collibus altis*
Aurunci misère patres. ——

Et alibi:

Auruncos ita ferre senes.

Eosdem hos esse cum Læstrygonibus, probat Vir Magnus *de Phœn. Colon. pag.*652. Deducit autem ab Ebræo אור *Or*, hoc est, *à luce*, quia in ea perpetuò versabantur, & brevissima ibi fuere noctis tempora. Sic enim de illis poëta:

Ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι.

Atque ut in Arato habetur,

Μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσι.

Aurunculeia via, Leodii apud portam, quæ in publicum montem ducit, super Mosam flumen, & à Petrosidio aquilifero *Petrosius* vocatur: nomen traxit à casu Aurunculeji Cottæ, de quo Cæsar V. *Com.*36.&c.

Auruncum, vulgò *Auronzo*, oppidul. Italiæ, in Cadorino agro, ditionis Ven. versus Alpes, ad amnem Ansiam, in limite Comitatûs Tirolensis. 8. mill. ab opp. *Parœcia Cadorini* dicto, in Boream.

Aurupini, pop. Japodum. Strab. quorum op. *Aurupinum*, vulgò *Aursperg*. Vide *Arupenum*.

Aurusspi, Æthiopiæ sub Ægypto pop. Plin.

Ausa, civitas Hisp. Ptol. *Vich* hodiè dicitur. Non procul à Tera fluv. in plano. Deficit indies.

Ausana Legio VIII. vicus Germ. inf. vulgò *Palleschied*, Cluver. quibusdam *Ausacia*.

Ausancali, Liburniæ op. Ptol.

Ausara, urbes duæ hujus nominis in Arab. Felici. Ptol.

Auschitæ, vel *Auschisæ*, pop. Libyæ. Herod. *lib.* 4. Stephan. Αὐχῖται ἔθνος Λιβύης ὑπὲρ Βάρκης, ubi ὑπὲρ Βάρκης legendum esse suprà diximus, idque ex Herodoti prædicto loco. Αὐχῖσαι ὑπὲρ Βάρκης οἰκέουσι.

Ausci, gens Aquitaniæ, Garites inter *& Garumnos, Cæs. *l.* 3. *Comm. bell. Gall.* inter Consorannos & Elusates, Plin. Aquitanorum clarissimi, Pomp. Mellæ, qui urbem opulentissimam in Auscis Elusaberrim indigitat. Aquitaniam autem ille, exemplo J. Cæsaris, Garumnâ flum. & Pyrenæis terminat. *Auscii* Ptolem. quorum præcipua urbs *Augusta*, cui ab Augusto nomen: postea Gentis etiam, cujus caput erat, appellationem suscepit, & *Ausci* nuncupata est. Postrema inter Novempopulanæ prov. civitates XII. Vasatica verò civitas nono loco in Not. Prov. ac Civ. Gall. sub Honorio concinnatâ, collocatur, sed Ammianus Marcell. *lib.* 15. *Novempopulos*, inquit, *Ausci commendant & Vasata*. Postea, ut Elusa ex Novempopulanæ civitatum metropoli ultima facta est, sic *Augusta Auscorum* vice versâ ex ultima prima evasit. Recentiores quoque Notitiæ Vasconiæ Metropolitam seu Arch. Auscitanum faciunt, cui X. suffraganțur, Elusâ ex civitatum catalogo demum erasâ, cùm prius *Auscorum* civ. sub Elusa metropoli Episcopalis esset: quâ dirutâ ei Augusta hæc successit, circa A.C. 800. Sita est autem ad amnem Ægirtium, *Gers*, & vulgò *Ausch* dicitur. Eadem olim *Climberris* videtur dicta, quod pro *Elusaberris*, apud Melam legi debere, Isacus Vossius contendit. Arnaldus Oihenartus, in Fidentiacensi pago atque Comitatu, qui olim Armaniacensem continebat, urbes primarias fuisse *Augustam Auscorum* ait & Fidentiacum, *Vic Fesensac*, bellis civilibus eversum. Et Fidentiaci Comitatus meminit Vita Ludovici Pii Imp. An. 802. Territorii Fidentiaci mentio fit in translatione Faustæ Virg. & Mart. an. 864. Ptolomæus parum exactè sub *Auscus* Velaunos, sub Vasatibus Gabalos, sub Gabalis Ossidates collocat, magnis locorum intervallis divisos. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Auselii, olim dicebantur, qui nunc *Aurelii*. Festus.

Ausen, duces, per quos victoriæ, spoliaque comparata essent, à Gothis dictos esse, Jornandes *lib. de reb Get. c.* 13. refert, id est, Semideos & plusquam homines; Sed *Anses* legendum monet Spelmannus *in Glossario Archæol.* Vid. *Hansa*.

Auser, vel *Auseris*, quibusd. *Anser*, Italiæ fluv. propè Lucam, cujus olim pars rivus ille, qui juxta Pisas nunc labitur, fuit. Straboni *Æsarus* dicitur, hodiè *Osari*, Leandro autem *Serchio*. Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *pag.* 461. Oritur prope Minucianum oppidul. dein per Grafinianam decurrit; ubi auctus multis rivis, & rigatis Castro nov. Barcâ, aliisque locis, in mare Tyrrhenum labitur, 12. mill. infra Lucam.

Auses, Africæ pop. capronas è fronte demisisse gaudent; Virgines quotannis in honorem Minervæ certamen edunt; Arma sunt lapides & fustes. Si qua ex ictu decesserit, falsa censetur virgo. Quæ omnium præstantissimè depræliata est, à cæteris, armis decorata, subvehitur curru per ambitum Tritonidis paludis. Miscuus illis cum mulieribus congressus. Herodotus. Mela. Stephan.

Ausetani, populi non longè à Tarraconensibus, Cæsar *lib.* 1. *de bello Civili.*

Ausigda, urbs Libyæ. Hecatæo insula. Steph.

Ausinga, Persidis urbs. Ptol.

Ausitis, Maurit. Cæsar. op. Ptol. Item regio in qua natus Job. Hebræis *Hus*.

Ausoba, Ptol. *The bay of Galway*, teste Camdeno, fluv. Hiberniæ per Cannaciam reg. in occid. apud Galvejum urb. fluens. Aliis est *Gyll*, in Oceanum influens apud Slegum opidum. A multis *Logh* nunc dictus, per Lacum *Carble* labitur, dein rigatâ Gallivâ civ. paulo infra in Oceanum Occid. se exonerat, ejusque ostium Sinus Gallivensis, vulgò *Bay of Gallway* dicitur. Speedus.

Auson, vel *Ausonius*, Ulyssis & Calypsûs fil. Inde, ut quidam volunt, *Ausones*, antiquissimi Italiæ populi, iidem qui & *Aurunci*. Servius; *Aurunci Græcis Ausones nominantur*. Dio Coccejanus apud Isac. *in Lycophronem*: Αὐσονία κυρίως ἡ τῶν Αὐρύγκων γῆ μόνη λέγεται, μέσω Καμπανῶν καὶ Οὐόλσκων, παρὰ θάλασσαν κειμένη. Tzetzes *in Chiliad.*

Τοὺς δὲ Αὐρύγκους μόνους μοι Αὔσονας λέγειν νόει.

Nempe, ut in Festo habetur, *R pro S* (imò & *S pro R*) *literâ sæpe antiqui posuerunt*, ut *majosibus*, *meliosibus*, *Lasibus*, *fesiis*: pro *majoribus*, *melioribus*, *Laribus*, *feriis*. Et, eodem auctore, *Aurum* Sabini *Ausum* dicebant. Sic variante dialecto, idem erat *Auson* & *Auron*, ex quo *Auronci*, vel *Aurunci*, syllabicâ adjectione, quali in *Etruscorum* nomine ex *Etruria*, & *Hernicorum* à saxis, quæ Marsi *herna* dicunt; & *Opicorum* ab *Ope*, id est, *terra*. Opici enim sunt Αὐτόχθονες. Bochartus. Hi *Ausones* primùm extrema Italiæ litora coluisse dicuntur, quæ à Lacinio promontorio usque ad Salentinos extenditur; unde & ejus loci mare *Ausonium* dicitur. Plin. 3. 10. Poëtæ tamen, suo more, Ausoniæ nomen universæ communicant Italiæ. Vide Cluver. *Ital. Ant.* 3. 9. Dionys. *Perieg. Vers.* 77.

Ἔνθ' Ἰταλῶν ἤπειρος ἐπ' ἠπείροιο νέμονται,
Ἐκ Διὸς Αὐσονίης ἀεὶ μέγα κοιρανέοντες.

Et postea, *Vers.* 339.

Μέσση δ' ἀμφοτέρων παραπέπταται Αὔσονις αἶα
Πουλυλεχής. ——

Ausonium mare, pars est maris Jonii, à promont. Japygio in meridiem porrecta, versus Siciliam.

Ausonius, Sophista, scripsit epistolas & alia quædam ad Nonnum. Suidas.

Ausonius, seu *Decimus Magnus Ausonius*, Gallus Burgidalensis, patre natus Ausonio Medico, Rhetor, Poëta & Gratiani Imperatoris Præceptor fuit, à quo, cùm ipsi simul & patri Quæstor fuisset, ad Præfecturam duplicem & Consulatum evectus est, an. 379. cui in eo Magistratu eleganti oratione gratias egit, quæ oratio inter cætera ejus opuscula etiamnum extat. Ex liberis Hesperium filium vidit Consulem; Filiam Phalesio Consulari viro junxit, unde natum sibi nepotem cognominem & Genethliaco celebravit, & Protreptico ad studia literarum hortatus est. Habuit & fratres duos, quorum major ad summum culmen pervenit honorum, ut ipse scribit, Præfectus Gallis & Libyæ, & Latio. Epigrammata ejus doctis unicè probantur. *Mosellam* verò ipsius ita prædicat Symmachus orator, ut libris Maronis adjungendum putet. Christianum fuisse quidam contendunt, alii carmina illa, quæ hoc probare videntur, pro supposititiis habent. Crinit. *lib.* 5. Voss. *de Poët. Lat. cap.* 4. Bellarminus *de histor. Eccl.*

Ausonius, frater Juliani, ejus ad quem extant B. Hieronymi Epistolæ.

Aussona, urbs Gall. ad Ararim, in Duc. Burg. parva, sed valde munita. In confinio Comitatus Burg. Gall. *Auxone*.

Austagena, Parthiæ tractus, ubi naphtha profluit. Plin.

Austanitis, Armeniæ maj. regio. Ptol.

Auster, ventus meridionalis, calidus & humidus, exitialis & morbosus, unde Hor.

Frustra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

Ab *hauriendis aquis* dictus, unde etiam Græcè eâdem ratione Νότος appellatur, quoniam νοτὶς Latinè *humor* dicitur. Virgil. 1. *Georg.*

——— *Unde serenus*
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster.

Ovid. *Metam.* 1.

—— *Pluvioq; madescit ab Austro.*

Inde Horatio *udus* dicitur, Ovidio *aquaticus*, Claudiano *madidus*. Augustinus quoque, scitè vocat *pincernam pluviarum*, quemadmodum idem Boream eleganter nominat *terræ scopam*. Fortasse tamen, *propter calorem* potius dici videatur, quasi αὐσὴς ab ἄυω *sicco, uro*. Nam Hesychius ἀυὴν interpretatur ἀνάπτειν, idemque ἀῦσαι exponit καῦσαι, φλέξαι. Sanè ventus hic ob æstum plantis plurimum incommodat. Unde Maro, *in Georgicis*:

——— *Namque urget ab alto,*
Arboribusq; satisq; Notus pecoriq; sinister.

Imprimis autem flores torret, atque interficit. Unde idem Virgilius *in Eclogis*:

Eheu quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.

Et Statius Papinius, *lib.* 3. *Silv.* 3.

Pubentesq; rosæ primos moriuntur ad Austros.

Austerbantum, in divis. regni Ludovici Pii inter filios, ponitur Hainoum inter ac Atrebates. Ibi Rictrudim puellam nobilem Adalbaldus Francus, Gerebertæ fil. B. Gertrudis Monasterii Hamatici auctoris nepos, in *pago Austrebatensi* potens, uxorem duxit. Hugbaldus in *Vita S. Rictrudis*. Hic pagus vulgò *Ostrevant*, cum Comitatus tit. olim ab Hainoi Comitis filiorum maximo possessus est. *Ostervandia* recentioribus; cùm Comitatu Atrebatensi contineretur, jam Hainoo adscribitur. Nunc pagi caput Buccinium est, ad Scaldim, *Bouchain*. Germanicam vocem esse, & *Orientalem limitem* designare, vult Wendelinus Belga; quia Neustriæ ortivus limes erat. Hadr. Valesius.

Austerlitium, opp. Germ. in Moravia, ad Occid. Brunæ Urbis; à quibusd. *Slaukovia* dicitur.

Austervicum, opp. Germ. in Saxonia infer. & Principatu Halberstadiensi, ad Olsam amnem, paulo infra in Oacrem cadentem. Olim amplum, nunc defecit. Fermè medium inter Halberstadiam & Wolfembutelam Urbes. Aliis *Ostrovicum*.

Austra, rectius *Asturra* quod Vid.

Austrania, Plin. 4. 13. seu *Austravia*, ut *lib.* 37. *c.* 3. legitur, Inf. Oceani Septentrionalis, à Romanis *Classaria* dicta, aliis *Glessaria*, à succino, quod Germani *glessum* appellant.

Austrania, Ins. maris Baltici, quæ Ortelio *Ameren* est, Cluver. autem *Strand* in ora Occid. Jutiæ, in mari Germ. Baudr.

Austrasia, *Westrick*, reg. Germ. sup. inter Mosam, Mosellam, & Hellum flum. comprehensa; quo in spatio Lotharingia, cum parte Alsatiæ, & Palatinatus continetur. Unde Lotharingia passim Latinè *Austrasia* nominatur, fuitque olim regnum non exiguum, ut vox ipsa declarat, quam quidam *Vastum regnum* interpretantur, sicut vox *Westrick* sonare videtur. Namque sub *Austrasiæ* regibus (qui Metis considebant) non solùm regiones prædictæ, sed & finitimæ cum toto ferme Belgio parebant. Sic dicta vel ab *Austrasio* Præside, quem Justinianus Imp. illi regioni præfecerat, vel ab *Austraso* in ea terra rege. L. Loyd. Vel potius à situ. Olim latissimè extensa, postea Scaldi, Mosa & Rheno fluv. & Vogeso monte est coarctata, & tum divisa in superiorem & inferiorem, quarum hæc Lotaringiæ respondet. Brietius. Aliis portio erat filiorum Regum Gall. sub initium Monarchiæ, quidquid nempe inter Mosam & Rhenum, imo & ultra Mosam, Remos, Cabillonem, Cameracum & Laudunum comprehendens. Addebatur etiam vetus Francia & popul. ultra Rhenum subjugati. In divisione fil. Clodovæi, Theodorico natu maximo cessit. Cluver. *l.*3. Mezeray, *in filiis Clodovæi*. Morerius. Hadr. verò Valesius, *de Austrasia*, ista habet: Latè regnantibus Chlodovei filiis, in Gallia atque Germania, quidquid Galliarum Rheno & Ligeri continetur, *Francia* appellari cœpit. Cujus pars inter Rhenum & Mosam, *Austria*, *Auster*, *Austrasia*, pars à Mosa ad Ligerim *Neustria*, vel *Neptricum* dicta est; Burgundiæ & Aquitaniæ suis nominibus relictis. Et quidem huic regno *Austriæ* nomen Franci, quòd ad Ortum spectaret, indiderunt, *Ost* enim & *Est* Germ. Orientem significat; Unde *Ostrelingi*, *Ost Frisia*, *Est Saxonia*, *Est Anglia*, *Ostrogothi*, &c. Parebant autem *Austrasiorum* regibus, præter *Austriam*, multa ac ingentia trans Rhenum regna, in Ducatuum formulam à Chlodovei M. filiis redacta: vid. Alemannia aut Suevia, duos in Ducatus divisa Alamannorum & Austrasiorum seu Francorum Orient. Bajoaria, Torringia, Frisia, pars Saxoniæ, &c. Sub iisdem intra Gallias Luteven ses & Ucetici in Septimania, (è quibus priores ad Reges Vesigothorum postea transierunt:) Massiliensis provincia: Arverni, Ruteni, Albienses & Cadurci, (quos Theodoricus Chlodovei patris auspiciis, post prælium Vocladense, subegerat:) præterea Belgica prima, & secundæ urbes Remi, Catalauni, Camaracum, ac Lugdunum Clavatum; civitas Senonum in Lugdunensi IV. & Germania prima, ac sec. provinciæ ad sinistram Rheni ripam opulentæ. Sed mutati subinde fines: Chariberto enim, Parisiorum regi, Albienses attributi fuere, & Austriæ detracti, postea restituti: Civ. Senonum Agendicum, quæ Theodorico, Theodeberto atque Theodebaldo Austrasiorum Regg. paruerat, Guntchrammo Chariberti & Sigiberti fratri, unà cum Burgundia, adscripta est: Camaracum Chilperico horum quarto fratri, cum regno Suessionico obvenit, rerum Francic. *lib.* 7. & 9. Regnantibus dein apud Francos Caroli M. posteris *Austria* seu *Austrasia* nomen paulatim exolevit, præsertim, postquam Ludovici Pii filii paternum regnum inter se divisere. Lotharius enim Augustus, regionem hinc Rheno, inde Scaldi, & Mosâ atque Arari clausam, præter cœtera, nactus, *Austriæ* nomine abolito, *Lotharii regnum* vel *Lotharingiam*, illam appellavit. Rhegino, Annales Metenses, Chronicon S. Arnulphi, Sigebertus, &c. quanquam alii, à Lothario R. Lotharii Aug. filiorum uno, cui hoc regnum obtigit, sic dictum malunt. Hoc postea in multos Ducatus ac Comitatus diviso, *Austriam*, pro sola Lotharingia Duc. qualis fere nunc est, acceptam esse & *Neustriam*, pro una Nortmannia, indicat Guibertus *præf. in Hist. Hieros.* Orientalem Franciam, quam Sigibertus Ostro-Franciam appellat, *Austriam* quoque auctores nonnulli appellant. Item pars veteris Pannoniæ, inter Noricum & Hungariam, modò *Oriens*, modò *Marchia Orientalis*, modò *Austria Marchia*, modò simpliciter *Austria*, quasi Orientalis limes regni Germaniæ, seu Francorum Orientalium, Historicis dicitur. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & infra de postrema hac *Austria*.

Urbes Austrasiæ seu Lotharingiæ notiores.

Amantium, vel Amantia, *Amance*.	* Musopontum, *Pont à Mousson*.
Barrum, *Bar le Duc*.	* Nanceium, sedes Ducis, *Nancy*.
Blancus mons, seu Albus mons, *Blanmont*.	Raonum, seu Ravonum, *Raon*.
Castrum novum, *Neufchasteau*.	Romaricus mons, *Remiremont*.
Charmæ, *Charmes*.	Spinallum, *Espinal*.
Deodatum, *Dieuze*.	* Tullum, *Toul*.
* Metæ, *Metz*.	Validus mons, *Vaudemont*.
Mira Curia, *Mirecourt*.	* Virodunum, *Verdun*.

Austrasiæ urbes istæ sunt nunc in Lotharingia, exceptis Metis, Tullo & Viroduno, quæ, etiamsi in eo Ducatu insertæ sint, parent tamen cum eorum territoriis Regi Franciæ à centum & ampliùs annis.

Austrebatensis, seu *Austrebantum*, regiunc. fuit Belgii, inter Scaldim & Scarpam fluv. Cujus caput Bochanium. Nunc limites periere, & sub Hannonia continetur. Vid. *Austerbantum*.

Austregilda, cognom. *Bobilla*, ex ancilla Mercatrudis, quæ uxor erat Gontrani, Regis Aurelian. hæc pulsâ Regina evasit. Moritura petiit à Rege, ut duos Medicos, à quibus sanari non poterat, strangulari curaret, quod factum. Greg. Tur. *lib.* 5. *cap.* 7. 35.

Austria, *Oesterick*, & *Osterich*, regio partem Norici cum particula Pannoniæ, partemque Germaniæ circa Danubium complectens, inter Bavariam ad occ. & Hungariam ad ort. inter Moraviam reg. Germ. ad Sept. & Stiriam ad merid. contenta. Hujus reg. caput est Vienna. Habuit *Austria* olim Marchiones: Albertus enim Bavarus, Austriæ Marchiæ Marchio, ab Henrico III. Imp. creatus est, An. 1049. E cujus posteris, Margaretâ ductâ Ottocarus Bohemiæ R. Austriam acquisivit, An. 1247. posteà Duces, Vid. infra, deinde Archiduces, quorum primus Fridericus 3. fuit; quibus hodiè paret. Lazius, Munster, Monstrelet, *lib.* 3. Cuspin. Bonfin. *lib.* 4. *Dec.* 4. *rerum Hungaricarum*, Cluver. *lib.* 3. Veterum est Pannonia sup. nomenque habet à mundi cardine Orientali, Germ. *Oost*. Dividiturque in Super. seu Cisdanubianam, & inferiorem, seu Transdanub. Bert. Totam nunc Germania complectitur. Baudr. Per matrimonium Alberti divitis, cum Itha, hærede Comitis de Pfullendorf, cui Rodolphus Senior, Albertus Sapiens, Rodolphus I. Imp. successerunt, in hodiernam Austriac. familiam transiit, è qua sola ferè Imperatores sumuntur. Morer. Historia Augustæ hujus familiæ paulo altiùs repetita sic habet: Erchenbaldus vel Erchinoaldus, Gerbertæ Richomere Patritio & Gertrude Hamaticensi natæ, filius, Clodovæi II. palatii magister fuit. Obiit Anno 661. pater Leudesii, qui eodem munere functus, ab Ebroino cæsus est, circa Annum 680. Huic ex uxore, Sigismundi Burg. regia stirpe, filius fuit Ethico, seu Æthicus, cognom. Adelricus, qui Alsatiæ ducatum à Theodorico nactus, inter alios liberos, Adalbertum habuit, Alsatiæ Ducem, & Ethonem seu Hettonem, cujus posterioris fil. Albericus, circa Annum 770. Eberhardum genuit, progenitorem Eberhardi jun. qui Lutrense monasterium ad mortem usque, quæ circa An. C. 900. contigit, vexare non desiit. Filius huic Hugo, Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habspurgicæ, familiarum caput. Cujus filiorum natu minimus Guntramus, cognom. Dives, Obiit An. 946. sator Habspurgiorum. Ei successit Lancelinus, Hungarorum ad Seckingam, victor, An. C. 937. Pater Rathbodi & Landol.: quorum ille, ex Ita Lotharingica, Hugonis Capeti ex sorore nepte, sustulit Wernerum, è cujus filio Ottone, an. 1110. cæso, natus est Wernerus II. ex hoc Wernerus III pater Adelberti Divitis: de quo supra. Is ductâ Itâ Brigantinâ de Pfullendorf, Landgravii Alsatiæ titulum primus gessit: pater Rudolfi, è cujus majore natu filio Alberto Sapiente, qui lectus dux expeditionis Christianæ adversus Saracenos, ad Accaron, extinctus est, prodiit Rudolphus, gentis præcipuum decus & novæ dignitatis auctor. Ex magistro enim aulæ Ottocari Bohemiæ Regis tandem Imperator Roman. An. 1273. priori hero Austriam, in quam sibi jus aliquod vindicabat, ademit, Anno. 1278. quatuordecies collatis signis victor: Pater ex Anna Hohenbergia numerosæ prolis inprimis Alberti, quem Austriæ ducatu donavit, Anno 1283. Hic Imperator electus coronatusque Anno Christi 1299. gravis in Helvetios, fœderi eorum ansam dedit. Ex hujus filio Alberto natus est Albertus III. Austriacæ, & Leopoldus Tirolensis lineæ auctor: è cujus posteris est Philippus Archidux, qui Carolum & Ferdinandum genuit, quorum ille Burgundo-Hispanici, iste Austrio Germanici rami auctor extitit: è quorum singulis singuli supersunt, ex hoc quidem Leopoldus I. Imp. ex illo verò Carolus II. Hisp. R. Vid. Spenerum in *Syllog. Geneal. Historicâ*. Cœterùm vastata est Austria ab Andrea Hungariæ Rege An. 1291. Rodolphus II. Imp. illam Matthiæ fratri cedere coactus est, circa An. C. 1608. postquam vastata rursus esset à Stephano Botskai An. 1605. paxque religionis in Hungaria extorta. Bethlehem Gabor denuo illam invasit, An. 1619. A Valdensibus olim lux purioris doctrinæ regioni illata fuit, tanto cum successu, ut illis in locis ad LXXXM. numerus fidelium excurreret. Sed cruce in illos, Clementis V. jussu, assumtâ, circa An. C. 1308. plurimi eorum ibidem, Cremæ inprimis, ustulati sunt, reliquis in Bohemiam sese diffundentibus. Rursus Valdenses, è Francia ejecti, circa An. C. 1467. ad Austriæ confinia consederunt, cum quibus dum Fratres Bohemici consensum inituri erant, Stephanus Episcopus eorum Viennæ combustus est, & reliqui ex Austria & Marchia expulsi, in Bohemiam ac Moraviam concesserunt, Fratribus grata accessio. Maximil. dein II. præt. seculo, Proceribus & Nobilitati Austriacæ, liberum usum Augustanæ Confessionis, in ipsorum arcibus, oppidis ac pagis indulsit, circa Annum C. 1568. Donec An. 1620. à Ferdinando II. victore, denuo ex omni Austria Pastores hujus Confessionis in exilium acti sunt, *Vid.* præter Auctores supra laudatos, Joh. Lætum, in *Comp. Hist. Univ.*

Austri cornu, promunt. in Æthiopia. Strab. *l.* 16.

Ausugani, popul. inter Feltriam & Tridentum ab *Ausugo* op. quod nunc *Val Sugana* dicitur, in qua magna lanarum copia.

Ausum, Mauritaniæ Cæsariensis urbs. Ptol.

Autander, filiam habuit Tagiram. Stephan. in *Tauchira*, ubi pro Ταγείρας malim Ταυχείρας.

Autariatæ, quibusd. *Aut Artata*, gens Thesprotica. Stephan. quorum Urbes Sicum, Salona, Tragurium, & Illyrica, Strabo. Arrian. Diodor. Vid. *Ardiei*.

Autaricus Gallus, Tertius ex auctoribus, qui Mercenarios Africæ milites ad seditionem & bellum periculosissimum, contra Carthaginem, concitarunt, finito primo Punico Bello.

Autaris, Arab. Felicis locus. Plin.

Autentum, Byzacenæ reg. op. in Africa Propria. Anton.

Auteri, pop. Hibern. ubi nunc Comitatus Clarensis, Letrimensis & Gallivensis, in Connachia prov.

Autessiodorum, Vid. *Autissiodorum*.

Autharis, Longobardorum R. Vid. *Antharis*.

Authe, Alcyonis gigantis, qui Herculis telis confossus est, filia. Is enim filias habuit 7. quæ ob patris mortem in mare se præcipitantes, ab Amphitrite in Alcyones aves mutatæ sunt. Harum nomina, *Phosonia*, *Authe*, *Methone*, *Alcippe*, *Pallene*, *Asterie*, & *Deimo*. Janus Parrhasius in Claud. ex Hegesandro.

Authetani, Hisp. Tarraconensis pop. Ptol. Habitabant in ea parte Catalauniæ, ubi nunc, Gerunda, Ausa, & Aquæ cal. urbes, inter Rubicatum fluv. & Palemum. Baudr.

Authites, Ægypti Nomus. Steph.

Autini, vel *Auteri* Ptolemæo, Hiberniæ populi.

Autissiodorum, seu *Autessiodorum*, primùm Ammiano Marcellino memoratum, urbs provinciæ Lugdunensis Senoniæ tertia, in Vett. Not. prov. & civ. Galliæ. Antepenultima verò ponitur, & non modò Autrico Carnutum, sed etiam Parisiis, Aurelianis & Niverno, postponitur, à Gervasio Tisleberiensi, *lib. de Otiis Imper.* Florentibus Burgundionum Regibus, Chlodoveo Francorum R. paruit: attribuitur tamen regno Burgundiæ à Fredegario, *Chron. lib. ultim. cap.* 58. quia præter cœteras urbes Guntchramno cessit, cum toto regno Burgundiæ, Francicis armis subactæ: quidquid autem Guntchramno sorte obtigerat, à majori parte Gallis Historicis dictum est Burgundia; ut & successores ejus Merovingi, quæcunque ipse obtinuerat, sub communi nomine Burgundiæ possederunt. Gallis *Auxerre*. Ab aqua nomen habet, quæ *Dur* Gallis & Britonibus insularibus, quos eàdem linguâ usos esse, Buchananus, Cluverius, Camdenus docent. Alii ab ostio, quod Gallis vett. *Dorum* derivant, ut & German. *Thor* & *Thur* & *Isan*, seu *Isen*, ferrum, quasi *Isarnodorum*, seu ferreum ostium. Post Agendicum, caput alterum Senonum est, soli fertilitate, bonitate & copiâ vini, ac Icaunâ flumine suo navigabili, nobilitate Comitum, &c. multis claris & magnis Galliæ urbibus jure conferenda. Jam ante 800. annos, vina pagi Antissiodurensis, laudantur Errico *lib.* 2. hodieque in summa sunt gloria, ut non sine causâ Servius & Isidorus Senones, quasi *Ξένους*, dictos voluerint. Ager *Antissiodurensis*, olim totam dioecesim Antissiodurensem amplexus, nunc inter Augustobonam & Antissiodorum, seu inter pagos Tricassinum & Antissiodorensem Ternodorum Lingonum occurrit. Episcopalis est urbs, primoque inter Episcop. loco S. Amator ponitur. Vid. Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Autoba, Æthiopiæ vicus circa Nilum. Ptol.

Autobulus, pictor quidam. Plin. 35. 11.

Autocanes, mons cujus meminit Hom. *Hymn. in Apollinem*, *Vers.* 35.

Σκῦρ☉ καὶ Φώκαια, καὶ Αὐτοκάνης ὄρ☉ αἰπύ.

Autochthones, populi, qui non aliò referunt originem suam; verùm ex *ipso solo* nati videri volunt. Latini *Indigenas* vocant.

Autocles, Atheniensis, à civibus suis dux sive Prætor constitutus triginta navium & mille militum, Alexandro Pheræo missorum auxilio. Diod. XV.

Autocles, Tolmæi filius, ex parte Atheniensium cum Nicia, Nicerati filio, componendæ discordiæ inter se & Lacedæmonios anno belli Peloponnesiaci octavo adhibitus. Vide Scholia *in Equites Aristoph.* 336. G.

Autocrates, historicus, cujus Ἀχαϊκὰ citat Athenæus *l.* 9. & 11. Item Atheniensis, Suid.

Autolala, civitas Æthiopiæ. Ptol.

Autolemus, vir quidam, de quo Poëta:

Dixerat Autolemus flammas consultus Aruspex
Die cavendas postero.
Credidit, & rerum dubius de mane sub amnis
Delituit Etrusci vadis:
Sed neque sic fatum effugit, nam dum innatat Arno,
Ictus crematur fulmine.

Autoleon, Crotoniatarum dux, Crotoniatibus adversus Locros bellum gerentibus; quum Locri, propterea quòd Ajax Locrensis fuerat, quotiescunque bello certabant, locum illi in acie quasi præsenti semper assignarent, in locum illum, quem vacuum videbat, irrumpens ab Ajacis spectro in pectore vulneratus est, vulnere quotidie ingravescente, donec oraculo monitus, Achilleam, Ponti Euxini insulam, delatus atque ibi Heroum, ac præsertim Ajacis Locrensis manibus placatis perfectè sanatus est. Photius, ex Conone. Pausanias hunc *Leonymum* vocat.

Autolicus, seu *Antolicus*, vixit 110. Olymp. Præceptor Arcesilai, Diog. Laërt. *in hujus Vita*. Scripsit de Sphæra opus, aliaque, à Jos. Auria Neapolitano Latinè versa. Voss. *de Mathemat. cap.* 33. §. 14.

Autolola, seu potius *Autololes*, popul. Maurit. Tingit. à Gætulis oriundi finitimos omnes cursûs celeritate superant. Lucan. *lib.* 4.

Autololes, Numidæq; vagi, semperque paratus
Inculto Gætulus equo. ———

Sil. Ital. *lib.* 3.

Nec non Autololes levibus gens ignea plantis,
Cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis,
Tanta fuga est. ———

Claudianus,

——— *Repetunt deserta fugaces*
Autololæ.

Autolata Ptolemæo dicuntur.

Autolycus, Mercurii filius, qui proxima Parnassi loca furtis infestavit. Ovid. *Met.* 11.

Nascitur Autolycus furtum ingeniosus ad omne.

Mart. *lib.* 8.

Non fuit Autolyci tam piceata manus.

Sunt qui Jasonis comitem fuisse, & Sinopen condidisse volunt. Alius *Autolycus* fuit pancratiastes nobilis, cujus statuam in Atheniensium Prytaneo fuisse author est Pausan. *in Attic.* & *Bœoticis*. Plin *lib.* 3. 4. *cap.* 8. Item alius, Areopagita, de quo Suidas, *in* Αὐτόλυκ☉.

Automalax, urbs Cyrenes. Ptol. *Automala* Straboni. *Altudia* hodiè, teste Marmolio. Stephano urbs Libyæ dicitur.

Automate, ins. una Cycladum; *Hiera* etiam dicta. Plin. 2. 37. Est autem inter Theram ac Diam in merid. vergentem, Cretam versus.

Automedon, Dioræ fil. Achillis auriga, & Pyrrhi armiger. Virg. *Æn.* 2.

Una ingens Periphas & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon. ——— ———

Cicero pro S. Roscio Amerino: *Non adest ille Tullius Roscius? non sui manibus in curru collocat Automedontem illum sui sceleris acerbissimi, nefariæq; victoriæ nuncium?* Juvenalis:

——— — *Puer Automedon nam lora tenebat.*

Automenes, fil. Telestis, 12. Rex Corinthiorum. Quo, anno pòst, mortuo vel deposito, A. M. 3275. 3. annis ante Olymp. I. annuus magistratus Corinthi institutus, *Prytanes*. Qui durarunt usque ad Cypselum, filiumque ejus Periandrum, qui urbem hanc tyrannide diuturnâ tenuerunt. Euseb. *Chron.* Pausan. *l.* 2.

Automenes, habuit tres filios Arignotum citharœdum, Ariphradem impurum ac ligurem; tertium histrionem, cujus nomen non exstat. Vide Aristoph. *Crabron.* 522.

Automoli, gens Æthiopica. Steph.

Automolus, viri proprium, ut putavit Casaubonus apud Polyb. *lib.* 4. sed scribendum Αὐτόμολ☉, & vertendum *transfuga*. At hoc viri maximi μνημονικὸν σφάλμα à multis aliis notatum, & nimis acerbè exagitatum est. Palmerius.

Auton, *Volcano d' Auton*, Hisp. mons ignivomus Americæ Meridion. in regno Chiles & prov. *Chucuito*, intra Andes montes, & prope fontes Biobii fluv.

Autonoe, Cadmi Thebarum regis filia, ex Harmoniâ conjuge, & Aristæo conjux, ex quo peperit Actæonem. Hesiod. *in Theog.* Unde venator ille *Autonoeius heros* Ovidio dictus, *Met.* 3. Theocritus *in Lenis*, sive *Bacchis*,

Ἰνὼ κ' Αὐτονόα κ' ἁ μαλοπάρη☉ Ἀγαύα,
Τρεῖς θιάσως ἐς ὄρ☉ τρεῖς ἄγαγον αὐτοὶ ἐοῖσαι.

Autophradates, Lydiæ Satrapa, defecit ab Artaxerxe. Diod. *lib.* 15.

Autosthenes, Atheniensium Archon. Olymp. 27.

Autricum, urbs Carnutum. Ptol. vulgò *Chartres*. Urbs perelegans & ampla, Caputque Belsiæ prov. ad Eburam fluv. Ducatus tit. clara. Urbs est episcop. sub Archiep. Parif. *Aliis Carnutum*, quod Vid.

Autrigones, Hisp. pop. Mela *lib.* 3. Ab Oceano ad Iberum fluv. protensi, inter Cantabros & Caristos incolebant, ubi nunc Biscajæ pars max. Primaria Flaviobriga erat.

Autunnacum, opp. Trevirorum in Germ. *Andernach*. Vid. *Antenacum*.

Autura, vel *Audura*, fluv. Carnutinus, vulgò *Eurre*. Oritur in Pertico, & alluit municipium Curvamvillam Novigentum, ad Auturam, Autricum Carnutum, cui fortè nomen dedit; Novigentum Regis, Vilemeldim, Anetum, Ibream, Paciacum, Luparias, ac demum in Sequanam effluit. Eum augent Blesia, qui Durocassas attingit, Arva, qui Vernolium Perticensium, Tegularias, Nonancurtim & Stratam monasterio insignem alluit, & paulo supra Anetum effluit; Vegeria, qui Hosdenium præterlapsus, apud Ibreium Auturâ recipitur: Itto tandem, qui Britolium, Condate ubi ponte lapideo jungitur, & Ebroicas attingit. Etiam *Adura* in tabb. priscis. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Avus, fluv. Thesprotiæ, ad quem *Paravæi* popul. habitant. Steph. Item fluv. Hisp. Tarrac. Ptol. qui nunc in Portug. & *Rio d'Aves*.

d'Aves. In Oceanum Occid. se exonerat, inter ostia Celandi & Durii, prope Abobricam. Baudr.

Avus, vulgò *Auve*, aliis *Loch Auv*, lacus Scotiæ Australis, in Lorna prov. Eum præterfluit fluv. *Avvon*, qui postea cadit in mare Deucaledonium, è regione Mulæ inf. Estque à meridie in Septentr. extensus, sed non æquè latus.

Auxanius, Arch. Arelatensis, post Cæsarium, An. 543. Vicarius Vigilii, in provinciis Wisigothorum potestati subjectis. Obiit An. 546. Godeau *Annal*.

Auxentius, Cappadox. Acer Arianismi defensor, ope Constantii Imper. pulso Dionysio, Mediolanensis Episc. Maximam partem Illyrici Episcoporum fraudibus suis eò perduxit, ut reciperent Arianorum confessiones Niceæ & Arimini concinnatas. A Damaso binis vicibus excommunicatus, nihilominus in sede, favore Valentiniani subnixus, perstitit. Obiit A.C. 374. Ambrosio successore.

Auxentius, Scytha, à Justina Imper. Ambrosio oppositus, cùm nomen suum invisum esse omnibus sciret, sub Mercurini nomine imponere voluit, frustra. Ambrosium ad disputationem provocavit, qui propterea non paruit, quia alter Ethnicos, & Valentinianum Imp. adhuc catechumenum judices nominavit. Ruffin. *lib.2.cap.5*. Paulin. *in Ambrosio*. Ambrosius, *contra Auxentium*.

Auxentius, mons Bithyniæ. Metaphr.

Auxesia, & *Damia*, puellæ Cretenses, quæ, cùm in seditione obrutæ lapidibus fuissent apud Trœzenem civitatem, in earum gratiam & memoriam festum solenne institutum fuit, quod *Lithobolia* vocitabatur. Herodot. *lib.5*.

Auximum, Piceni urbs in Italia, à qua *Auximates* pop. dicti, vulgò *Osmum*. Belli Civilis tempore in potestatem Cæsaris venit. Apud Liv. *libb.41*. & 42. vitiosè legitur *Oximum*, & in tabula *Ausimum*. Procopio, *Gothicorum* 2. more ejus seculi formatur Αὔξιμος. Apud Strab. *lib.5*. nescio an satis rectè Αὔξουμον. Siquidem omnes alii Græci authores Αὔξιμον, & Latini *Auximum* habent. Lucanus *lib.2*. metri causâ:

——— *Ut admotæ pulsarunt Auximon alæ.*

Coloniam factam Romanorum auctor est Velleius, *lib.1*. *Auximum*, inquit, *in Picenum missi coloni*, &c. πικηνῶν μεγίστην τῶν ἐκεῖ πόλεων Procopius loco prædicto vocat. Vid. Cluv. *Ital. Antiq. p.737*. & Bochart. *Geogr. p.*111 long. 37.35. lat. 43.30. Vid. inf.

Auxuenna, Æthic. opp. fortè S. Manechildis, *S. Manehou*, positum ad Albæ vel Albiæ (*Auve*) atque Axonæ confluentem, Durocortoro Verodunum tendentibus obvium, quod à capite Axonæ non procul abest. Hadr. Valesius *in Not. Gall.*

Auxume, regia civitas Æthiopiæ. Ptolem. *Auxomite* Arriano, Αὐξουμίτης Steph. *Chazumo* fortè hodiè. longitud. 65.30. lat. 11.00. Aliàs versus Troglodyticam, nunc in regno *Tigre*, ex præcipuis Abassyniæ. Versus Marabum fluv. 80. circiter leucis ab inf. Meroë in Ortum. Baudr.

Auxumum, vulgò *Osimo*, in colle sita. Urbs est Episc. Piceni, ad Musonem fluv. paretque Pontifici. 12. mill. ab Ancona in merid. distans, totidemque inter Æsium & Lauretum. Deficit in dies.

Auyama, *Rio de Auyamas*, fluv. Amer. merid. in provin. S. Marthæ. Cadit in fluv. *Cesar*, dein in mare Boreale.

Auza, vel *Auzate*, urbs Africæ incertæ positionis, vetustissima, quam condidit Ethbaal, vel Ithobelus, Achabi socer, de quo 1. Reg. 16. Author Menander, cujus verba sunt apud Jos. *lib.1. contra Apionem*: Οὗτος πόλιν Βότρυν ἔκτισε τὴν ἐπὶ Φοινίκῃ, καὶ Αὐζάτην ἐν Λιβύῃ, vel disjunctis vocibus καὶ Αὖζα τὴν ἐν Λιβύῃ. *Auza* autem in Antonino Maurit. Cæsar. est op. & *Auzea* Numidicum castellum, de quo Tacitus, *lib.4. Annal.* & *Uzan*. Ptolemæo est urbs Africæ propriæ, non procul ab Utica. Vid. Boch. *Phæn. Col. lib.1. c.24*.

Auzacia, Scythiæ extra Imaum urbs. Ptol. Quibusd. nunc *Acru*, in Turchestania reg. Unde Auzacitæ pop. & Auzacius mons. *Saccio* hodie Nigro.

Auzara, Urbs Arabiæ des. ad Euphr. fluv. sita, 50. mill. infra Thapsacum Urbem, in limite Mesopotamiæ.

AX.

Axa, vel *Achsa*, filia Caleb, promissa à patre ei, qui Urbem Cariath-Sepher occupasset. Hinc Othonieli nupta, consilio mariti, à Patre incrementum dotis impetravit. Jos. 15. Jud. 1. Latin. *composita*, vel *adornata*, aut *lasciviens*, sive *confractio*, vel *diruptio velaminis*.

Axa, vulgò *Axmister*, opp. Angliæ, in Devonia provin. ad Axam amnem, 4. milliar. Anglicis ab ora littorali maris Britannici; medium ferme inter Exoniam & Dorcestriam.

Axagui, pop. Americæ merid. in Venezuela prov.

Axalita, Hisp. Bæt. op. *Lora* Clusio.

Axanthos, ins. infr. Hiberniam. Plin. 4.16.

Axaph, civitas in tribu Aser. Jos. 19. quæ *c.11*. *Achsaph* scribitur.

Axatiara, op. in conventu Hispalensi. Plin. 31.3.

Axeium, castellum, memoratum Orderico Vitali *Histor. Eccl. Normannorum l.8*. An *Asse le Boesme*, ad Sartam fluv. an *Asse le Hiboulle*, an. *S. Jean l'Asse*, quæ loca in Pertico, incertum sibi esse scribit, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Axella, vulgò *Axel*, Urbs Flandriæ probè munita, in regione Vasia, Hollandici juris, ab An. 1586. quo dolo capta fuit. Ab Hulsto una leuca, cum dimidia, in Septentr. à Gandavo autem 4. leucis in Septentr. distat, & vix una à fortalitio, Aggere Gandavensi, dicto.

Axelodunum, Angliæ op. in reg. Northumbriæ, ad Tinam flu. *Hexham* Camdeno.

Axenus Pontus, qui & *Euxinus*, à truci accolarum barbarie sic dictus. Ἄξενος enim inhospitalis est. Nam ut Strabo *lib.7*. tradit, *solebant Scythæ, maris hujus accolæ, hospites immolare, eorumque carnibus vesci, calvisque uti loco poculorum*. Ovidius *in Ponticis*:

Frigida me cohibent Euxini litora Ponti,
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Cur mutatum in *Euxinum*, vid. Boch. *Phaleg. pag.397*.

Axia, urbs Locrorum Ozolorum, ab *Axia* Clymeni filia. Est & alia Italiæ. Steph.

Axiaca, popul. Sarm. Europææ inter Tyram & Borysthenem amnes, Peucinis & Carpianis proximi, ab *Axiaca* fluv. dicti, qui à Peucinis jugis nascitur. Hos justissimos fuisse tradit Pompon. *lib.2*. ut qui furti omnis ignari, nec sua custodirent, nec aliena contingerent. Meminit horum Plin. 4.12.

Axiace, Europæ op. ad Pont. Eux. Mercatori, nunc *Oczakou* quibusdam vocatur.

Axiaces, fluv. qui & Hypanis: Carpatho monti adhæret, à quo vicini pop. *Axiacæ*. Qui fuere in Sarmatia Europ. sub Tirangitis, inter ostia Tiræ & Hippanis, ubi nunc Podolia inferior.

Axica, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Axiemum, Castrum Africæ permunitum, in ora Guineæ. 5. leuc. à prom. Apolloniæ distat; ad ostia Manci fluv. in ditione Hollandorum. Vulgò *Axiem* & *Achiem*.

Axieros, Ceres. Apollonii Scholiastes *lib.1*. ex Mnasea Ἀξίερος οὖν ἐστὶν ἡ Δημήτηρ. Phœnicibus erat אחזי ארץ *Achazi eres*, hoc est, *possessio mea terra*.

Axima, urbs Persidis. Ptol. ad fluv. Oroatem. Quid nunc sit, ignoratur.

Axinia, Arcadiæ mons.

Axinium, Celtiberorum urbs. Appian.

Axiochus, Philosophus, cui Plato librum de morte conscripsit, eique dedicavit.

Axiokersos, & *Axiokersa*, Pluto & Proserpina sic dicti, apud Samothraces, qui Cabiri dicuntur in illis sacris, teste Apollonii Scholiaste *lib.1*. ab אחזי *Acazi portio mea* & קרץ *keres*, quod pro *excidio* & *morte* sumitur, scilicet qui habet imperium in mortuos. Unde Diabolus Hebr. 2.4. dicitur τὸ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου.

Axion, frater Alphesibœæ, quæ Alcmæoni nupsit, à quo Alcmæon ipse interfectus creditur, vel, ut Ovidius, à filiis Callirrhoes.

Axiopolis, aliter *Axium*, Mysiæ infer. urbs Triballorum. Ptolemæus, cui Danubius ab hâc ad Pontum usque Ister nominatur; Hodie *Colanamick* dici scribit Olivarius in Melam. long. 54. 00. lat. 45.40. Aliis est *Axiopoli*, nunc in regno Bulgariæ, sub Turcis.

Axiotæ, Troadis gens. Hesychius Ἀξιῶται, ἔθνος Τρωάδος.

Axiothea, Nicoclis Regis Cypri uxor, de qua Polyæn. *l.8*.

Axiothea, Phliasia, nobilis mulier, quæ unà cum Lasthenia Platone præceptore usa, ornatuque interim virili auditorium ejus ingressa est. Plut. & Laert.

Axis, urbs Umbriæ. Prop. *l.4*.

Scandentisque Axis consurgit vertice murus.

Axius, fluv. Paphlagonum per Mygdoniam fluens. Plin. 4.10. Herod. *lib.6*. Labitur in sinum Thermaicum, efficit pecudem nigram, quæ ex eo potavit, diversâ ab Haliacmone, vicino amne, naturâ, qui velleris nitorem potæ ex se pecudi affert. Hesychius, Ἄξιος, ποταμὸς Παιονίας. Strabo. *lib.7*. ὁ μὲν Ἄξιος θολερός ἐστιν. Quærit ibi Geographus, uti solet, de Homeri loco, ubi est hujusce fluv. mentio: erat enim ille locus lectionis ancipitis, variéque à veteribus Criticis lectus, expositusque. Homer. *Il. β*.

Αὐτὰρ Πυραίχμης ἄγε Παίονας ἀγκυλοτόξους
Τηλόθεν ἐξ Ἀμυδῶνος, ἀπ' Ἀξίου εὐρὺ ῥέοντος,
Ἀξίου, οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν.

Quorum versuum, quum hæc sit sententia, ut dicatur *Axii* aqua limpidissima, ac pulcherrima, veteres Critici, qui scirent aquam ejus esse turbidam, voce Αἶα intelligi voluerunt, non *terram*, sed *fontem quendam* sic *nuncupatum*, qui *Axium* ingreditur, cujus fontis etiam Antimachus, *in Thebaide*, fecerat mentionem, teste Stephano, ut sit hæc sententia, Amydonem urbem esse ad *Axium* sitam, ubi est fons *Æa*: atque ita Scholiastæ Homeri locum illum interpretantur. Strabo verò non tantùm interpretationem vulgatam reprehendit, sed & lectionem. Nam cùm vulgò legeretur,

Ἀξίου οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν,

Vel — ἐπικίδναται αἶα. ipse emendabat,

Ἀξίου, ᾧ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται Αἴης.

Vide Eust. *ad locum*. Hic fluv. ex Scardo monte ortus, per Pelagoniam & Mygdoniam labitur, dein auctus Erigono, aliisque fluv. in sinum Thermaicum cadit, inter Thessalonicam & Pellam. Baud.

Axon, Jonum fluv. in Asia min. Plin.5.57. Alius item in Caria.

Axona, fluv. in extremis Rhemorum. Hinc *Axones*, ejus accolæ, Lucan. *lib* 1.

Et Biturix, longisq; leves Axones in Armis.

Ausonius *in Mosella*:

Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps.

Vulgò *le Disne*. Ferr. Oritur in confin. Duc. Barrensis, alluitque Urbes S. Menechildin, Retelium & Suessones; & receptis Vidulâ fluv. aliquotque aliis, in Æliam se exonerat, paulo supra Compendium. Vulgò *Ayne* dicitur. Baudr. Valesio vulgò *Aisne*, vel *Esne*. Recipit modicos amnes Turbam, Valliamque, ad Castrum Portianum effluentem sed præcipuos Rotumnam (*Retourne*,) Supiam & Vidulam (*Vele*.) Alluit oppidum S. Manechildis, ubi Albam recipit: Novam villam ad Pontem, Viennam villam, ubi Bionnam accipit; inde infra Cervonem Turbâ augetur: attingit Altriacum, Grandem Hammum, Sindunum, Valles, Briodorum, Sabiniacum, Valesiam, Vongum Remorum (*Vouzi*) Attiniacum Rem. Reitefte Rem. celebre Comitatus quondam, nunc Ducatus caput, *Retel*; Asciacum, Nantoilum, Castrum Porcianum Rem. Novum Castellum Suessionum, ad Rotumnæ & Axonæ confluentes; Condate, ad Supiæ ostium, Pontem Varensem Suessionum, Velliacum, Condate ad Vidulæ exitum; Augustam Suessionum, Vicum, Attipiacum, Vernoilum, Troslejum, Ritundam; Cauciacum prætterlabitur, atque apud Compendium Isaræ miscetur. *Auxunnus* dicitur Dioni: *Auxuenna* Æthico; sicut & locus, non procul à capite ejus, *Ausona* Hugoni Floriacensi. Galliæ fluviis famosis annumeratur à Johanne Parisiensi. Adverso Sequanâ, Isarâ & Axonâ, ad Pontem Varensem, usque ab Oceano mercatorum naves progredi consuevere. *In Not. Gall. editâ* An 1675.

Axones, & *Cyrbes*, id est, leges Solonis, quomodo scriptæ, vide Boch. *Geogr.p.*494.

Axos, urbs Chersonesi Thraciæ.

Axumis, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Axumites, metropolis Æthiopum. Steph.

Axus, Macedonum fluv. Item urbs Cretæ. Steph.

Axus, vulgò *Axe*, fluv. Angliæ merid. in Somersettensi Comitatu. Cadit in Sabrinæ æstuarium. Habetque prope *Axbridge* opp. in eodem Comitatu

Axylis, Marmaricæ villa, in Africa. Ptol. *Forzeli* hodiè Mercatori.

Axylus, Phryx, è civitate Arisbe, insigni erat humanitate, & benevolentiâ in hospites. Hom. *Iliad*.6.

AY.

Ayaya, Inf. Americæ Septentr. & una ex Antillis, aliter *S.Crux*. Vid. ibi. Paret Francis.

Aydunum, opp. Siciliæ, in valle Neetina, in edito colle. Distat à Catana 10. milliar in occasum, deficitque indies. Vulgò *Aiduni* seu *Aidone*.

Aymar Hannequinus, eruditione inclytus, sec. ultimo, Genebrard. *in Chron.*

Aymar Rivellius, JC. Delphinas, aliis Sabaudus, historiam Juris Civilis 5. libris, cum libro de Jure Canonico, edidit. Ætatis anno 25. &c. Voss. *hist. Lat. l.*3.*c.*22.

Aymontia, opp Hisp. in Andalusia prov. ad Anæ fluv. ostia, in colle, ex adverso castri Marini, in Algarbia. leuc. 18. à Gadibus, & 22. ab Hispali in Occas. Estque munitum contra Lusitanos.

Aynadechium, oppidul. Hungariæ Super. inter Agriam & Fillechium, sub Austriacis. Malè acceptum à Turcis.

Aynsa, urbs Hisp. quâ Saracenis ereptâ, An.727. Garsias Gothus, initia regni Suprarbiensis jecit Vasæus *Chron. Hisp.*

Ayoteci, montes excelsi Americæ, in nova Hisp. & prov. Tlascala, versus mare Australe.

Aytia, Inf. Amer. Septentr. aliter *Hispaniola*, seu *S. Dominici Insula*. Vid *Hispaniola*.

Ayutla, fluv. Americæ Septentr. in nova Hisp. & prov. Guatimala. Cadit in mare Pacificum.

AZ.

Aza, Lat. *fortitudo*, aut *capra*, viri nomen. 1.Esdr.2.

Aza Armeniæ min. op. Plin. Aliud Cappadociæ prope montes, non longè à Confinio Armeniæ min media ferme inter Trapezuntem & Neocæsaream. Ptol. Item Palæstinæ mons. Joseph. *Ant.l.*12. Item urbs Palæstinæ, quæ & *Gaza*.

Azaamurum, Urbs Africæ, in ora Oceani Atlantici, in regno Marochi, ad ostia fluv. Ommirabihi; capta an.1513. à Lusitanis, sed pòst à Mauris recepta: Gaudet portu capaci, in Ducala prov.

Azabetis tania, Sarm. Asiaticæ urbs. Ptol.

Azael, frater Joabi, pernicitate pedum clarus, ab Abnero occisus est. Joseph *Antiq. lib.*7.*c.*1. Vid. *Asaël*.

Azaël, Rex Syriæ, Adadum Regem humectato panno necat, eique succedit, juxta vaticinium Elisæi Prophetæ. Jehu Israëlitarum R. bello aggressus, totam regionem horrendum in modum vastavit. 4. Regum 8. & 10. Joseph. *Antiq. lib.* 9.*c.*2. & 8.

Azafia, *Zafi*, Urbs Africæ, in regno Marochi, in littore, ad ostia Tensisti fluv. in Ducala provincum portu & Emporio.

Azaga, prov. Mediæ in Asia, versus Armeniam maj. & Caldaramæ planitiem. P. à Vico.

Azagarium, Sarm. Europ. op. Ptol. In Amodocis. N. Sanson, fortè *Czernobol*, nunc in Poloniæ regno & Volhinia infer. ad Uskam fluv. qui paulo pòst in Borysthenem cadit. 12. leuc. à Kiovia, in Septentr.

Azahad, desertum Africæ, in Nigritia reg. forsan *Acza* Arabibus. Marmolio teste.

Azamora, Armen. min. circa Cataoniam castellum. Strabo.

Azan, mons Arcadiæ, Cybele, Deorum matri, sacer, à quo nonnulli vicinam regionem *Azaniam* vocatam volunt, quam tamen Stephanus ab Arcadica muliere nuncupatam mavult, quæ *Azano* dicebatur. Stat. *Theb.*3:

—— *Idæis ululatibus Azan.*

Aliis *Azon* dicitur.

Azanes, Arcadiæ pop. inter Græcos vetustate præstantes, ut & Parrhasii. Strab *l.*8.

Azani, Scythiæ intra Imaum populi. Ptol.

Azani. Steph. Ἀζανοὶ πόλις Φρυγίας.

Azania, Æthiopiæ regio in ora maris Azanii, ubi Azanium promunt. in ora occid *Xoa*, teste Ortelio. Aliis *Adel* regnum. Item urbs Massiliensium. Steph.

Azanias, viri nomen. 2.Esdr. *cap.* 11. Latinè *auris*: vel *arma Domini*.

Azanium, mare quod inter Æthiopiam & Indiam citer. situm est, *Archipelago di Maldivar* hodiè, teste Bar. Pars est Oceani Æthiop. in ora Orient. Africæ, inter Aromata prom. & Magadoxum Urbem, in littore Azaniæ regionis. Gall. *la coste d'Ajan*: longè ab Archipelagô Maldivarum, multis *Merde Zanguebar*, dictum. Baudr.

Azanius fons, cujus aquam gustantibus tantum vini tædium supervenit, ut ne odor quidem ejus perferatur. Eudoxus.

Azanoth Thabor, civitas terminus tribûs Nephthalim, Jos.18. Lat. *aures contritionis*, vel *confractionis*.

Azar, dux Aragonum, cujus auspiciis, jugum Saracenicum hi excussere. Circa An.C.783. P. Æmyl. *l.*3.&c.

Azar, Ægypti mons. Ptol.

Azara, Armen. maj. urbs, juxta Araxem fluv. & templum Dianæ dicatum in Persia. Strab. Item urbs Sarm. Asiaticæ. Ptol.

Azaraba, Sarm. Asiaticæ urbs. Ptol.

Azareël, nomen viri, 1. Chron. 12. Latin. *adjutorium*, vel *atrium Dei*.

Azaria, Propheta, Asæ, post devictos Æthiopas, reduci obviam processit, ut Deo pro victoria tam insigni gratias ageret, hortatus. 2.Paral.15. Joseph. *antiq. l.*8.*c.*6. Torniel. A.M.3094.*n.*1.

Azaria, qui & *Uzia*, 12. Judæorum rex, regn. an.52. Item filius Amaziæ regis Judæ. 4.Reg.15 Lat. *auxilium* vel *atrium Domini*.

Azarias, Sacerdos S. sub Roboamo. Alter dictus *Jßus*, sub Joramo. Tertius, cogn. *Joël*, sub Ozia. Alius sub Jehojakimo & fratribus ejus.

Azarias, nomen suum immortale reddere volens, victus est cum Josepho. *l.*1.*c.*5. Nomen quoque fuit unius ex tribus pueris Hebræis, jussu Nebucadnezaris, in fornacem ardentem conjectis. Dan. *c.*1. & 3.

Azaricam, vel *Azricam*, nomen viri. 2.Esdr.11. Lat. *auxilium resurgentis*, vel *vindicantis*, vel *fortitudo vacua*.

Azarithia, fons Phrygiæ, qui *Epicteeus* dicitur. Strab. *lib.* 11. Steph. *Zaretum* vocat.

Azatha, Armen. maj. op. Ptol.

Azau, Hebraicè חזו id est, *videns* vel *prophetans*, filius Nachor ex Melcha. Gen.22.

Azaz, pater Bala. 1.Par.5. Lat. *fortis*.

Azazeni, populi, à quibus deletis *Azazenici* cognomen retulit Alex. Severus Imp.

Azazias, Lat. *fortitudo Domini*, nomen viri. 2.Par.31.

Azba, nomen viri. 1.Par.1. Lat. *Hyssopus mea*.

Azboc, viri proprium. 2. Esdr.3. Lat. *hircus*, vel *fortitudo vacuitatis*, aut *fortis dissipatio*.

Azeca, civitas Amorræorum, quæ sorti cessit tribui Judæ. Jos.15. Inter Eleutheropolim & Æliam sita, teste B. Hieronymo. Hic Deus grandine & lapidibus Gentes perdidit. Jos.10. Ibi Pelischthæi castra contra Israëlem posuerunt. 1.Sam.17. Hanc reparavit Roboam rex Judæ. 2.Paral.11. & rex Babylonis eam debellavit. Jerem.34. Lat. *fortitudo* sive *septa*.

Azei, & *Azeota*, pop. Troadis. Ἀζῶται. Steph.

Azenia, pars tribûs Hippothoontidis in Atticâ. Steph.

Azer, nomen viri. 1.Esdr. 3. id est, *atrium*, vel *auxilium*, *fons exercitus*, vel *fortitudo felicitatis*.

Azer, una ex 12. Trib. Israël, versus Syriam & mare Syriacum. Cui ab Oriente trib. Nephthalim, & à Merid. tribus Zabulon. Al. Aser.

Azera, urbs Armeniæ maj. prope Arsaniam fluv. ab Arthemita 50.m.p. in Occasum.

Azetene,

Azerene, Arm. maj. regio. Ptol.

Azgad, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Azia, nomen viri. 2. Esdr. 11. Latinè *fortitudo*, sive *hircus Domini*.

Azicis, Marmaricæ vicus. Ptol.

Aziel, nomen viri. 1. Paral. 12.

Azilia, opp. Epiri, in Acarnania reg. *Natalico* hodie. Brietius.

Azilis, vel *Aziris*, vel *Azirus* locus, urbs, vel fluv. Libyæ. Steph. Callimachus *Hymn. in Apollinem:*

——— Ποιηὴν δὲ νάπαις Ἄζιλιν ἐνάιον.

Ubi Schol. Ἄζιλις ὄρος καὶ ποταμὸς Λιβύης. Herodot. urbem in Continente fuisse refert, quam Cyrenæi tenuerunt.

Azilium Mansum, opp. Galliæ in Occitania, & Fuxensi Com. ad Risum amnem, inter Fuxium & Cives.

Aziris, Armen. min. op. Ptol. *Arzichan* Nigro dicitur. longitud. 72.00. lat. 42.30. Quibusdam Theodosiopolis; nunc *Arsingan*, ab Amasia distat 150. m. p. in Ortum, ab Amida 250. m. p. in Bor. sub dominio Turc. in Anatolia, & confinio Turcomanniæ. Baudr.

Aziza, nomen viri. 1. Esdr. 10. Lat. *fortitudo*, vel *fortis*.

Azizus, Mars. Julianus *orat. de Sole*. Ἄρης Ἄζιζος λεγόμενος ὑπὸ τῶν οἰκούντων τὴν Ἔδεσσαν Σύρων ἡλίου προπομπεύει. Nomen ei à robore. Syris enim & Arabibus עזיז *aziz*, unde Ἄζιζος, *fortem* & *robustum* sonat.

Azmaveth, nomen viri 2. Reg. 13. qui 1. Par. 11. *Azmot* vocatur, id est, *fortis mors*, sive *hircus*, aut *fortitudo mortis*.

Azmora, Armeniæ min. circa Cataoniam castellum. Strab.

Azmoth, filius Joada. 1. Par. 8. Filius item Jore. 1. Par. 9.

Aznar, vel *Azner*, nepos Odonis, Com. Aquitaniæ, serviit Inigo Garziæ, Navarræ R. contra Mauros, tantumque apud ipsum valuit, ut, quidquid terrarum inter duos fluvios interjacebat, obtineret; sub Aragoniæ nomine, Comitis titulo. Præfuit, an. 15. Galindâ fil. successore relicto. Garibay, *lib.* 9. *c.* .. & 3.

Azo, IC. nobilis, Bononiâ oriundus, Sec. 12. Obiit An. 1200. Baldus ejus elogium scripsit. Genebr. *Chron.*

Azochis, urbs circa Mesopotamiam. Plin.

Azon, vide *Azan*.

Azonax, vir, à quo in magicis instructus est Zoroaster. Plinius 3. 17.

Azones, pop. Assyriæ, ubi Thannuris mons, prope Licum flu.

Azor, fil. Eliacim, inter progenitores Jesu Christi, Matth. 1. Lat. *adjutor*, vel *accinctus*.

Azores, seu Flandricæ, olim *Cattiterides*, Ptol. vel *Cassiterides* insulæ, Plin. dictæ, septem sunt, S. Mariæ, S. Michaëlis, Tertiaria seu Tercera, Gratiosa, S. Gregorii, Pici, Fajal, quibus accedunt aliæ geminæ Florum & Corvi: quæ quidem à cœteris remotiores, & ob id piratis expositæ, olim inter Azores non numeratæ, hodie tamen eidem dominio Lusitanorum subsunt: ita & universæ jam novem statuuntur, sitæ in mari Atlantico. Solum saxosum, at fertile, inprimis fructus *Batatas*, incolis in delitiis ferax. Boves harum Insularum, magni in Europa nominis sunt. Glasti quoque hîc vis ingens. *Azores* ab accipitribus seu nisis, qui primo inventionis tempore magno ibi numero videbantur, dicuntur. *Flandricæ* quoque nuncupantur à Flandris Belgis, qui primi insulam Fajal incoluerunt, anno 1449. Boter. quorum adhuc certæ familiæ inibi illustres sunt, Belgarum ingenium, mores & consuetudinem apprimè repræsentantes, torrentique loco, quem incolunt, manet nomen Flandrorum, vulgò *Ribera de Flamencos* dicitur. Ejus caput est Tercera, in qua Angra, urbs præcipua & Episcopalis. Metel.

Azorus, urbs Pelagoniæ Tripolitidis. Steph.

Azotus, Rex Emesianorum, maritus Drusillæ, quæ fil. Agrippæ senioris, Junioris verò soror fuit, Judæa religione. A Felice Proconsule Marito erepta. Quam ob causam de castitate & judicio ultimo coram iis verba fecit, è vinculis, Apost. Paulus, Actor. *cap.* 24. *vers.* 25.

Azotus, Stephanus Ἄζωτος, πόλις Παλαιστίνης, ταύτην ἔκτισεν εἷς τῶν ἐπανελθόντων ἀπ᾽ Ἐρυθρᾶς θαλάσσης φυγάδων, καὶ ἀπὸ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Ἄζας (Ἄζων) ὠνόμασεν, ὅ ἐστι χίμαιραν ἣν Ἄζωτον μετέφρασαν, ubi φυγάδας Phœnices intelligit, quos è mari Rubro venisse volunt. Sed hæc merè sunt fabulosa. Neque enim Phœnicum fuit, sed Philistæorum urbs Azotus. Capra quidem Phœnicibus עזא *aza* dici potuit, ut עז *ez* Hebræis. Sed in Hebraicâ scripturâ, עז *ez capra*, & אשדוד *Asdod*, id est, *Azotus* nihil quicquam habent simile. *Asdod* autem propriè *robur* sonat: vox est apud Arabas frequens; Inde Dei nomen שדי *saddai* Græci reddunt Παντοκράτορα. long. 65. 5. lat. 31. 50. Primum à Josua subjugata est, dein una quinque Satrapiarum Philistæarum fuit. Post C. N. ibi Episc. sedes. A Balduino Hierosf. R. An. 1101. capta; seqq. temporibus, cùm Oriente Christiani pellerentur, destructa est. Jos. *c.* 11. & 15. 1. Reg. 5. Actor. 8. Guil. Tyr. *belli s. l.* 18.

Azriel, nomen viri. 1. Par. 12. Latin. *atrium* sive *adjutorium Dei*.

Azua, oppid. Americæ Septentr. in parte meridionali Insulæ Hispaniolæ, seu S. Dominici, 24. leucis ab Urbe Dominicopoli, in Occas. Portu gaudet utcunque capaci.

Azuaga, oppid. Hispan. in Extremadura prov. 5. leucis à Regiana.

Azubah, mater Josaphat. 3. Reg. 22. Item uxor Caleb. 1. Paral. 2. 1.

Azur, pater Ananinæ prophetæ. Jerem. 28. Item pater Jechoniæ. Ezech. 11.

Azura, insula maris Adriatici, in littore Dalmatiæ, è fronte Sibenici, in ditione Venetorum.

Azuritanum, Africæ opidum. Plin. 5. 4.

Azylia, Epiri opidum. Ptol.

Azymitæ, nomen, quod Græci per ludibrium Romanis imponebant, undecimo sec. Quasi *Azymorum cultores*; quòd in cœnâ Domini azymis panibus utebantur, non fermentatis. Leo *ep. ad Mich. Patr. cap.* 20. *Conc. tom.* 3. *Quapropter à tanta amentia jam resipiscite, & Latinos verè Catholicos, atq; maximè Petri familiares discipulos, institutionis ejus devotiores sectatores, cessate subsannando Azymitas vocare.* Sigebertus *in* A. C. 1054. *Latinos* (Græci) *vocabant Azymitas, & eos minis persequentes, eorum Ecclesias claudebant, de fermentato sacrificabant.*

Azzi, nomen viri. 2. Esdr. 11.



B

B Litera muta est, diversimodè pronuntiatur, pro gentium linguarumque varietate. Ab Hispanis & Vasconibus sic effertur, ut vix labia tangantur, quod plurimæ gentes imitari solent: ita ut sonus quidam inter B. & V. consonantem medius audiatur. Ægyptii, quibus literas suas animalium figuris notare solemne, per Ovem, consonantem hanc B. quam etiam balatu suo exprimit, repræsentant. Pierius *in Hieroglyph. lib.* 47. *c.* 28.

BA.

Baal, Assyriis Jovis nomen, L. Loyd. renitente Genebr. *in Chron.* qui Orientalibus pop. ante Alexandrum Magnum Jovis Saturnique numina ignota fuisse notat, *lib.* 1. Morer. Punicè *Dominum* sign. inquit Augustin. Unde *Baal semen*, qu. *Dominum cœli*, dicunt. Fuit autem idolum Samaritanorum & Moabitarum: Græci Martem putant Num 22. quod Gideon destruxit. Jud. 6. Est & nomen loci. 1. Par. 5. Filius item Joël, ut & Jahiel. 1. Par. 9. Sæpe occurrunt (inquit Seldenus) in sacris literis *Baal* & *Belus*, variis Diis nomina communia, & numero secundo *Baalim*. Cæterùm Chaldæis seu Babyloniis propria erat vox *Bel*, Phœniciis, & adjacentibus *Baal*. Utrumque ab Ebræo בעל *Baal*, id est, *Dominus*, à quo excidente litera ע juxta morem Chaldaicum fit בל *Bel*, cujus mentio eisdem elementis, apud Esaiam *cap.* 46. 1. & Hieremiam *cap.* 50. 2. & 51. 44. Phœniciis autem, Ebraicè locutis *Baal* cum *Ain* retinebatur. Discrimen istud à Græcis & Latinis minùs observatum. Utrique enim indistinctè tam Phœnicium seu Tyrium numen, quàm *Babylonicum*, plerumque *Belum* vocant, orientalium dialectorum haud curiosi. Et qui Flavio Josepho nunc Βὲλ, mox Βαὰλ dicitur: Consulas eum *Orig. Judaic.* 8. 7. & 9. 6. De Phœniciorum Deo verba facit: Sed mirum est, quod de *Baalis* significatione, sive Assyriacâ sive Persicâ, legitur tum apud Chronici Alexandrini autorem, tum apud Cedrenum. Hic de Thuro Nini regis successore locutus: Τούτῳ τῷ Ἄρει (nam *Martem* eum etiam nuncupatum scribit) πρώτην στήλην ἀνέστησαν οἱ Ἀσσύριοι καὶ ὡς θεὸν προσκυνοῦσι, Βαὰλ ὀνομάζοντες, ὃ ἑρμηνεύεται Ἄρης, πολέμων θεός. Tantundem eisdem pæne syllabis tradit alter ille *pag.* 68. sed vocem Persicam esse dicit; Numen autem idem esse ipsum, quod in Daniele memoratur, & in trium Puerorum historia. Sed nominis interpretatio Græculorum commentum est. Eo primùm fuisse summum & ineffabilem omnium rerum creatorem designatum meritò sentias. Et quàm convenire potuerit τὸ *Baal* nomen Deo Vero, caput secundum Hoseæ satis demonstrat, *com.* 16. *Et erit in die illa, dicit Dominus, vocabis me Ishi* (id est, *maritus meus*) *& non vocabis me, ultra Baali* (nimirum *Baal meus*) *Ego enim auferam nomina Baalim ex ore ejus, & non erunt illi amplius in memoriâ cum nomine illorum.* Populi Dei *Baalem suum piè satis* cum vocabant, priusquam ob vocem illam ad profana Numina frequenter nimis traductam, id ipsum ipse Deus vetaret. Quin & diu est, quòd Chaldæi 15. myriadum annorum commentarios apud se latere jactarent, in quibus Belum suum, uti rerum conditorem, in fabulosissima illa Omorcæ dissectione, celebrabant: Autor est Alexander Polyhistor ex Beroso Beli sacerdote. Deinde, ut fit corruptis moribus & in superstitionem pronis, Solem fortè primo, quem μόνον Οὐρανοῦ θεὸν putabant Phœnicii (ita scribit Philo Bybliensis, Sanchoniathonis interpres,) sub hoc nomine venerabantur. Postremò autem & in simulacra alia, sive Astrorum, sive Regum, quorum memoria, posteris longè charissima, τὸ Βαὰλ sive Βὲλ ad augendum, quà fieri potuit, seu corporis Cœlestis, seu demortui honorem est impiè derivatum. Quemadmodum Belum à Nino fil. sub hoc nomine cultum multi credunt. De Phœnicio Belo capienda sunt quæ habes 1. Reg. 16. & 2. Reg. 10. ubi Rex Achabus, in soceri gratiam, Ithobalis, inquam, Sidoniorum regis, fanum in Samaria *Baali* sacrasse memoratur. Sidon autem Phœniciæ urbs maritima, unde is ipse fuerit hic Belus, qui Jupiter Thalassius, seu marinus Sidoniorum nuncupatur. Hesychius: Θαλάσσιος Ζεὺς ἐν Σιδῶνι τιμᾶται. Belus ergo, Ζεὺς & Jupiter Europæis nominabatur. Nugaces Græculi ex Ægypto Belum hunc petunt, & Neptuni, & Libyes filium faciunt: Fabulosam historiam vide, si vis, apud Apollodorum, περὶ θεῶν *lib.* 2. & passim fermè admittitur. Sed futilis nimium est. De eo autem intelligendum illud Virg. *Æn.* 1.

Implevitque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti. ————

Nam Carthaginenses è Phœnicia oriundi, ac de Didûs libatione loquitur Poëta. Ubi Servius, *Linguâ Punicâ Bal* dicitur, *apud Assyrios* verò *Bel* dicitur, *quâdam sacrorum ratione & Saturnus & Sol.* Ubi Gyraldus & alii depravatis exemplaribus *Hal* & *Hel* legunt. Belo huic seu Bali Punico fanum erat in Bali, urbe Libyes. Steph. Βάλις, πόλις Λιβύης πρὸς τῇ Κυρήνῃ ἀπό τινος Βάλεως, οὗ καὶ ἱερὸν ἔχει. Belum Chaldæum quod attinet, de eo autor Chronici Alexandr. ita: *Jupiter suscepit ex Junone filium*, ὃν ὠνόμασε Βῆλον διὰ ὀξύτατον εἶναι τὸν παῖδα. Ridiculè. Nec omnino capio Græculi originationem, nisi παρὰ τὸ βέλος deducere voluerit, quod jaculum, seu telum, quod acutum est, plerumque denotat. Verùm pro ὀξύτατον substituendum ibi videtur ὀξυκίνητον, quod velocem notat. Firmat hanc emendationem Cedrenus, Βέλος δὲ ὁ υἱὸς διὰ τὸ ὀξυκίνητον εἶναι, οὕτως ἐκλήθη. Paulo melius ii, qui apud Didymum ad illud Hom. *Iliad.* α.

Ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο:

Unde Vulcanus se dejectum queritur, interpretantur Βηλὸν τὸν ἀνωτάτω πάγον καὶ περιέχοντα τὰ πάντα ἀέρα. Sive, ut alii, τὴν περίοδον τοῦ αἰθέρος καὶ τῶν ἄστρων. Dryopum linguâ alii Βηλὸν *Olympum* sign. volunt, & secundùm Chaldæos *Cœlum*, uti ad eum locum refert Eustathius. *Sed rectè ille* Βηλὸν ibi à Belo, quod est nomen proprium, distinguit: Βηλὸς enim limen est: cæterùm diverso scribitur accentu τὸ Βῆλος, quod Regibus & Diis tribuitur. Βῆλος enim exaratur, idque apud vetustissimos authores. Hesiodus *in catalogo Heroinarum*: Θρονίη κούρη Βήλοιο ἄνακτος, quæ prima est apud scriptores Græcos Beli mentio. Citat Strabo *lib.* 8. Tamen & Suidas: Βηλὸς βαθμὸς θύρας, ἢ οὐρανός: Ab homonymia, accentu neglecto, hallucinatus cum aliis est. Neque enim Βῆλος malè pro *Cœlo* accipitur. Velut enim collectivum in Syris numen erat כלצבא השמים *Coltz,iba haschamaim*, *Omnis Exercitus Cœli*. Cui aram in Atrio Templi exstruxit Manasses: Neque non est verisimile, etiam *Belum* Exercitum illum, sive *Cœlum* dictum esse; Generale enim Deorum nomen *Baal* fuisse scimus: & Chaldæis *Cœlum* ita vocatum jam ex Eustathio, qui à veteribus hæc hausit, monuimus. *Omnes Exercitus Cœli*, Seniores 70. πᾶσαν δύναμιν τοῦ Οὐρανοῦ reddunt. Belus autem & οὐρανὸς & Ζεὺς Ποσειδῶνος υἱὸς interpretatur apud Hesychium. Distabat autem Babylonius ab altero illo *Phœniciorum*, ut *Jupiter* Ammon à Jove Capitolino, Cretensis ab utroque. *Uti enim Europæis* Jovis, ita Asiaticis Beli seu Baalim, generale Divûm vocabulum fuit. Et Jovis stella Pharisæis *Cochab-Baal* dicebatur, uti est apud Epiphanium. Signantius autem de τοῖς *Baalim* Scriptura alibi non loquitur, quàm in Jerem. 2. 28. *Nam juxta numerum civitatum tuarum fuerunt Dii Jehudah. Baalim tui* si dixerat, idem dixerat, & B. Paulus. 1. Cor. 8. *Sunt Dii multi, & Domini multi*, quod interpreteris *multi Beli*: vel, si ad Europæum morem respexeris *multi Joves*. Seldenus. Vide *Belus*.

Baala, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Baalardus, Philosophus Peripateticus, in Gallia, magni nominis, seculo 12. Gaultierus *in Chron.* Vid. *Petrus Abalardus*.

Baalasor, Locus est juxta Ephraim, ubi Absolon oves tondebantur, quò evocatos regis filios fratres suos magnopere perturbavit, occiso Ammon, ob stuprum Thamar sororis suæ.

Baalath, urbs firmissima in tribu Dan. Jos. 19. Et civitas à Solomone condita. 3. Reg. 9.

Baal-berith, Lat. *dominus fœderis*. Jud. 9. Beryti urbis idolum facit Bochartus, quem sis consule Geogr. p. 859. Hîc filii Israël extruxerunt Fanum Baali, ibique jurarunt, & fœdus inierunt, cum Baal, ut esset ipsorum Deus. Est in Tribu Ephraim.

Baal-gad, nomen montis sub monte Hermon. Jos. 11. Lat. *dominus exercitûs*.

Baal-hazor, locus infra Ephraim urbem Benjamin. 2. Reg. 2. Lat. *dominantis atrium, aut fœnum*.

Baal-hermon, mons circa Libanum. Jud. 3. Latin. *possessor destructionis*. Est in tribu Manasse, trans Jordanem ad Solis ortum, è regione Pancadis & Libani, in finibus Palæstinæ situs, ad quem usque terra filiorum Israël, dimidiæque tribus Manasse extenditur.

Baalia, nomen viri. 1. Par. 12. Latin. *Dominus*, id est, *Deus idoli*, vel *subjiciens*, aut *possidens dominus*, sive *in ascensu*, vel *in cœnaculo*.

Baal-jada, filius David. 1. Par. 14. Lat. *possessor scientiæ*.

Baal-meon, civitas Amorrhæorum, quæ sorte obtigit filiis Ruben

Ruben, Jos. 13. Lat. *idolum habitaculi*, vel *idolum ex peccato*, aut *subjiciens*, sive *possidens habitaculum*, sive *dominium ex peccato*.

Baal-peor, sive Belphegor, cui initiatos Israelitas scribit Numerorum 25. Constat (inquit Seldenus) Moabitarum & Midianitarum fuisse hoc numen, atque idem quod eodem & 31. capite *Peor* tantùm vocatur, uti & Jos. 22. Ebraicè autem פעור *Peor* & pro sonorum varietate *Phegor* dictum. Nam & 70. Βεελφεγὼρ pronunciabant. Quid fuerit autem, præterquam idolum Turpitudinis, haud invenit narratum apud Hebræos Origenes. Ita enim, *in Numeros Hom.* 20. *Beelphegor idoli nomen est, quod apud Madianitas præcipuè à mulieribus colebatur. In hujus ergo idoli mysteriis consecratus est Israel. Interpretationem nominis ipsius cum requireremus attentius, inter Hebræa nomina, hoc tantùm invenimus scriptum, quòd Beelphegor sit species Turpitudinis. Noluit tamen declarare, quæ vel qualis species, vel cujus esset turpitudinis, honestati credo consulens, qui interpretatus est, uti ne auditum pollueret audientium. Igitur cùm multæ sint turpitudinum species, una quædam ex pluribus Beelphegor.* Verùm nominis causam, & Numinis cultum videtur sibi benè explicasse Salomon Jarchi, *ad Num.* 25. *Eo*, inquit, *quod distendebant coram illo foramen podicis, & stercus offerebant; & hic erat cultus ejus.* Aperire enim sive distendere פער interpretatur, unde *Peor*. Ad hanc mentem Moses Ben Maimon *in More Nevochim*, *à celeberrimo Buxtorfio Latinè verso*, *part.* 3. *cap.* 46. *Tu verò scis, quòd servitium idoli, quod vocabatur Pahor (Peor) in temporibus illis erat, ut discooperiret se homo versus eum. Et idcirco præceptum est sacerdotibus, ut facerent Braccas, quibus cooperirent operienda in horâ sacrificii: & præterea non ascendebant per gradus ad altare, ne discooperirentur.* Ab hiante idoli ore alii nomen deducunt. Philo autem Judæus, dum anagogicè sacram interpretatur historiam, *in lib.* περὶ τῶν μετονομαζομένων, ad hunc modum: ἐπὶ τε τελεταῖς, ait, ταῖς ἀνιεροῖς ταῖς Βεελφεγὼρ τελεσθέντες, καὶ τὸ τῷ σώματι στόμιον πάντα εὐρύναντες πρὸς τὴν τῶν ἔξωθεν ἐπιῤῥεόντων ῥευμάτων ὑποδοχήν. (Ἑρμηνεύεται γὰρ Βεελφεγὼρ ἀνωτέρω στόμα δέρματος) κατακλύσαντες τὸν ἡγεμόνα νοῦν, καὶ ἀπήγαγον εἰς βυθὸν ἔσχατον. Belphegor vides per ἀνωτέρω στόμα δέρματος explicatum. Fortè autem legendum ἀνώτερον. Voluit enim Philo procul dubio τὸ בעל פעור quod Græcis elementis Βεελφεγὼρ exarat, deductum à בעל־פי עור *Baal-Piaghor*, quæ tria vocabula *superius os pellis*, seu ἀνώτερον στόμα δέρματος sonare possunt. Satis consentit Philoni D. Hieronymus, *ad Oseæ cap.* 9. *Ipsi autem educti* (ait Patrum ille doctissimus) *de Ægypto fornicati sunt cum Madianitis, & ingressi sunt ad Belphegor, idolum Moabitarum, quem nos Priapum possumus appellare. Denique interpretatur Belphegor idolum tentiginis habens in ore, id est, in summitate pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet.* Idem Pater Magnus, *ad Oseæ cap.* 4. ubi de sacris Deûm matris: *Istiusmodi* (inquit) *idololatria erat in Israel, colentibus maximè fœminis, Beelphegor, ob Obscœni magnitudinem; unde & Asa Rex tulit Excelsa de populo, & hujusmodi sacerdotes; & Matrem de Augusto posuit imperio, sicut Scriptura testatur, dicens: Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus & abstulit effœminatos de terrâ, purgavitque omnes sordes idolorum, quæ fuerant patris ejus. Insuper & Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in loco ejus quem consecraverat, subvertit, specum ejus, & confregit simulacrum turpissimum & combussit in torrente Cedron.* Item *lib.* 1. *contra Jovin. cap.* 12. *Phegor in linguâ Hebræa Priapus appellatur.* Isidorus *Originum lib.* 8. *Beelphegor interpretatur simulacrum ignominiæ. Idolum enim fuit Moab cognomento Baal, super montem Phegor, quem Latini Priapum vocant, Deum hortorum.* Verùm his ut astipuler, cogi nequeo. Ruffinus *lib.* 3. *in Hoseam*, cautè & juxta aliorum sententiam, *Beelphegor*, inquit, *figuram Priapi dixerunt tenere*. Sed qui utrumque idem faciunt, obscœnos utrique Numini ritus placuisse, probare conantur ex historiâ sacrâ, ubi de stupris Moabitarum & Ebræorum; adferunt etiam caput 9. Oseæ; nec enim hoc, nec illo loco *Baal-Peor* sine fœdâ colentium libidine memoratur. Verùm, tantorum virorum pace, ego Priapum haud magis eundem cum Phegorio fuisse, quàm cum alio quovis Divûm Asiaticorum autumo. Fœdæ enim illæ libidines, quæ in historiâ Moabitidarum recensentur, non minus à Phegorii cultu alienæ, quàm Solomonis stupra à ritu Sidoniarum: Ob amorem enim Sidoniarum, quas deperibat ille, Sidoniorum Deos venerabatur. *Et cœpit populus* (inquit *Moses*) *fornicari cum filiabus Moab, quæ & vocaverunt populum ad sacrificia Deorum suorum, comeditque populus & adoravit Deos illarum. Et junctus est Israel Baal-Peor.* Moabitides amasios suos, ut Deos patrios colerent, libidine pellexerunt; ita Sidoniæ Solomonem, ita alii, uti fit, alios. Libidinem autem in sacris Phegorii fuisse non omnino constat ex Oseæ verbis, qui obscœnos mores ad pop. non ad idolum refert. Neque verò idolorum cultum in Veteri Instrumento sub stupri & libidinis vocibus sæpissimè intelligi quis nescit. His itaque omissis, quod ad nomen attinet, à viro Principe inter Divos relato eum nominatum, sive à cognomine monte satis probabiliter asseri potest. Mons enim in Moabitarum reg. *Peor* dictus erat, ubi, ni fallor, *Baal* hic & delubro & sacris honorabatur. Moses Num. 24. *Et assumpsit Balac Bileam in summitatem* Peor, *sive* Phegor, *qui respicit faciem deserti Jesimon.* Hinc etiam dictum *Beelphegor* vult Theodoretus, *ad Psal.* 105. Suidas, Βεελφεγὼρ, Βεὲλ ὁ Κρόνος. Φεγὼρ δὲ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο, ἐξ ὧν Βεελφεγώρ. Uti enim Jupiter Olympius, Mercurius Cyllenius, & Deus ille lortium Carmelus, apud Sueton. *in Vespas.* à montibus appellati: ita *Baal* seu *Belus noster*, quem *Jovem* seu *Belum Phegorium* licet vocare. In Deut. 34. mentio est domûs *Phegor*, sive *Beth-Peor* in terrâ Moab, juxta quam vallis illa, in quâ sepultus Moses. Sanè *Beth-Peor*, pro monte, ubi Templum Numinis, quod *Beth* Hebraice dicitur, ibi sumitur: ut *Beth-Dagon*, *Beth-Shemesh*, &c. Sic Οἶκος τοῦ Βὴλ in Apocryphis, & Semiramidem Belo fanum in arce Babyloniâ condidisse testatur Dionysius,

——— Μέγαν δόμον εἴσατο Βήλῳ.

Sacrificia autem, quæ, Mose teste, in Phegorii sacris comedebantur, inferiæ erant in memoriam defunctorum peractæ, quod docet Psalmista, Psal. 106. Adjuncti sunt *Baal-peor*, & comederunt sacrificia Mortuorum. Locum ita pangit Apollinarius,

Οἱ δὲ Βεελφεγόροιο μιαινόμενοι τελετῇσι
Νεκρείης ἐπάσαντο κατα φθιμένων Ἑκατόμβης:

Sacrificia Mortuorum, id est, זבחי מתים *Zibche methim* in Νεκρείην καταφθιμένων ἑκατόμβην vertit. Victimas autem DIS Manibus seu Jovi Stygio (qui *Moth* Phœnicibus dictus, id est, *Pluto*, sive *Mortuorum Deus*) mactabant, & ritè epulantes juxta faciebant ac si novendiales ferias agerent. Hic cultus, hæc idoli sacra. Seldenus. Vide Voss. *de Theol. Gent. l.* 2. *c.* 7.

Baal-pharazim, locus in terrâ Chanaan. 2. Reg. 5. Lat. *idolum divisionum*, aut *subjiciens*, sive *possidens divisiones*.

Baal-thamar, vicus juxta Gabaa, in tribu Benjamin. Lat. *idolum palmæ*, aut *subjiciens*, vel *possidens palmam*, aut *idolum commutationis*, sive *subjiciens*, aut *possidens commutationem*. Hic filii Israel, cum tribu Benjamin, acriter certarunt. Judic. 20. *vers.* 33.

Baana, fil. Remmon Berothitæ ex tribu Benjamin, Isbosethum Israëlis R. cum socio in cubiculo obtruncavit, ejusque capite Davidi allato, præmii loco, ipsemet capite luit; 2. Reg. 4. Jos. Antiq. *lib.* 7. *cap.* 2. Pater item Eled. 2. Reg. 23. Filius item Ahilud. 1. Reg. 4. Lat. *in responsione*, sive *in afflictione*, aut *in cantico*: vel Syriacè, *deprecatio*.

Baanitæ, hæretici, Sectatores Baanis cujusdam, qui Epaphroditi discipulum se esse dictitans, Manichæa deliria incrustavit, sec. 9. Pet. Siculus, *hist. Manich. renascentis*.

Baaras, locus, & nomen plantæ mirabilis, cujus virtutes vide apud Jos. de B. Jud. *l.* 7. *c.* 25.

Baarsares, Babyloniæ reg. flu. Ptol.

Baasa, tert. Rex Israelis, occiso Nadab, regnavit super Israelem an. 24. homicidio regnum assecutus, homicidia iterum perpetravit: nam omnem familiam Jeroboam interfecit: Fuit huic bellum cum Asa: Ascenderat enim Baasa in Judam & Rama muro cingebat, ut ne quis à regno Judæ in regnum Israël penetrare posset: quamobrem perterrefactus Asa, missis muneribus opem Benadab, Regis Syriæ imploravit. Tandem Jehu prædixit ipsi Baasæ sui ipsius, suorumque ruinam ob idololatriam: sicut familiæ Jeroboam. Successit Baasæ Ela filius. Incepit regnare Baasa, anno mundi 2992. ante Christum natum 970. Vide *lib.* 3. Reg. 15. & 16. *cap.* Joseph. *antiq. cap.* 12. Lat. *in facturâ*, sive *in tineâ*, aut *in compressione*, vel *scrutationem tollens*.

Baba, Prophetam se dicens, in Palæstina, res mirè turbavit, postea à rege Guniæ interemtus, Anno C. 1239. Calvis. *in Chronol.*

Baba, Mauritaniæ op. Augusti colonia, *Julia Campestris* appellata. Plin. 5. 5.

Baba, quæ Beniteuda, urbecula est Habatæ, prov. regni Fezzæ, ad Guarguam fluv. versus limites Errifis prov. Baudr.

Babactes, & *Bactes*, Bacchi cognomen, ἀπὸ τοῦ βαβάζειν, id est, *vociferari*. Bacchæ enim, in Liberi Patris Orgiis, inconditos ululatus edebant. Hesych. Βαβάκτης, ὀρχηστής, ὑμνῳδὸς μανιώδης, κεχραγώς, ὅθεν καὶ Βάκχος.

Babæ, urbs Libyæ. Steph.

Babanenses, pop. Hisp. citer. in Conventu Carthaginensi, quos inter celeberrimos stipendiariorum collocat Plinius *lib.* 3. *cap.* 3.

Babas, vir maximæ virtutis, cujus solius consiliis Rex Herodes Ascalonita utebatur, quòd rerum publicarum non parum gnarus esset; ac proinde Tyrannus eum suspectum habens, crudeliter ipsi oculos erui jussit. Josephus.

Babel, nomen civitatis. Gen. 11. Ubi linguarum confusione turrim ædificantium conatus impediti, & cùm una prius esset, plurimæ exortæ. 72. enim pro numero gentium hinc ortas communis opinio est, Gen. *cap.* 10. Hier. *cap.* 26. *in Matth.* Aug. *de C. D. lib.* 16. *cap.* 3. & 11. Clemens 1. *Stromatum*. Epiph. *hæres.* *lib.* 1.

lib. 1. *hæresi* 39. Lat. *confusio*, seu *commixtio*. Jos. Ant. 1. 5. Ἑβραῖοι γὰρ τὴν σύγχυσιν Βαβὲλ καλοῦσι. Vide *Babylon.*

Babelmandel, Ins. & Isthmus famosus, in initio maris Erythræi seu Rubri, inter Africam & Asiam.

Babilius, homo Romanus, quem Plinius *lib.* 9. proœmio scribit, à freto Siciliæ sexto die, adminiculo herbæ cujusdam, Alexandriam pervenisse, quod & quibusdam aliis accidisse idem commemora*.

Babilus, Astrologus, à quo, cùm Nero de conspectâ stellâ crinitâ, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò existimatur, didicisset, solere Reges talia ostenta cæde aliquâ illustri expiare, atque à semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit. Sueton.

Babotana, Paropanisi urbs. Ptol.

Babrantium, vel *Babras*, op. Æolidis prope Chium, à quo Gentile *Babrantius*. Steph.

Babrius, vel *Babrias*, duos libros Choliamborum, vel Mimiamborum scripsit, ex Æsopicis apologis. Suidas, Avienus, *in præfat. fabul.*

Babulis, urbs non procul à Deltâ, Nili insulâ, Memphim versus.

Babylas, Martyr præclarissimus. Theodoret. *Hist. Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. Præsul fuit Antiochenus, per 12. an. post Zebinum, vitâ ac doctrinâ præstantissimus. Obiit, durante persecutione Decii, A. C. 253. æt. 90. unà cum tribus filiis supplicio affectus; Ad adstantes inquiens, *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* Quò autem se & eos consolaretur addidit, *Revertere anima mea in requiem, quoniam Jehova tui misertus est.* Voluit cum suis catenis sepeliri, *ne mihi*, dicens, *in postrema mundi die ornamentis meis carendum sit.* Substitutus ei Fabius. Strigelius ex Chrysostomo, Euseb. *lib.* 6. *cap.* 38. & 40. Hujus Martyris ossa prima fuere, quæ reliquiis Sanctorum colendis occasionem præbuerunt. Iis enim Apollo Daphnæus excantatus, cùm à Juliano Ap. ad loquendum induci non posset: tandem, denuo rogatus, cur adeò obmutuisset, à corpore Babylæ, prope templum Daphnæum, in suburbio Antiocheno sepulti, sibi loquendi potestatem ademtam esse, causatus est. Hinc post trium primorum, à N. C. seculorum, silentium, miracula sepulchralia increbrescere cœperunt. Vid. Jos. Medum *de Ap. noviss. temp.*

Babyle, civitas. Steph.

Babylon, vulgò *Bagdet*, urbs Babyloniæ reg. maxima ad Euphratem fluv. etiamnum regionis caput, & sedes Præfecti. De qua præter Auctores sparsim hîc citatos, Vid. Genes. 11. Jos. *Antiq. lib.* 1. *cap.* 4. Epiphan. *in Panar. lib.* 1. *n.* 7. August. *de C. D. lib.* 16. Plin. *lib.* 6. *cap.* 26. Salian. & Torniel. *A. M.* 1909. & 1931. Ambitus mœniorum ejus erant stad. 385. quæ tam lata erant, ut quadrigæ obviæ sese non impedirent. Muros ejus lateritios fuisse tradunt omnes summo consensu. Herod. *lib.* 1. Ἑλκύσαντες δὲ πλίνθους ἱκανὰς ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι. Diodorus *lib.* 2. Ὑψηλοῖς καὶ πολυτελέσι τείχεσιν ὠχυρωμένην ἐξ ὀπτῆς πλίνθου. Dio *in Trajano*, Ἔνθα μέν τοι τήν τε ἄσφαλτον εἶδε Τραϊανὸς ἐξ ἧς τὰ τείχη Βαβυλῶνος ᾠκοδόμητο. Josephus, Ὠκοδόμητο δὲ ἐκ πλίνθου ὀπτῆς ἀσφάλτῳ συνδεδεμένης. Justinus, *Hæc Babylonem condidit, murumque urbis cocto latere circumdedit, arenæ vice bitumine interstrato.* Qu. Curt. *lib.* 5. *Murus instructus laterculo coctili bitumine interlitus.* Sed & præter historicos, qui id ex professo tractant, etiam apud Poetas res est tralatitia. Aristophanes *in Avibus*:

Περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς, ὥσπερ Βαβυλῶν.

Theocritus *Idyl.* 16.

——Ὅπη πλατὺ τεῖχος
Ἀσφάλτῳ δήσασα Σεμίραμις ἐμβασίλευσε.

Ubi Scholiastes, Ἀσφάλτῳ ἔδησεν ἡ Σεμίραμις τὸ τεῖχος ἀντὶ πηλοῦ. Tzetzes *Chil.* 9. *Histor.* 175.

Τὸ Βαβυλῶνος κτίσμα γὰρ ὑπῆρχεν ἐκ βησάλου,
Ἀντὶ δ' ἀσβέστου ἄσφαλτον εἶχεν ἐγκεχρισμένην.

Ex *besalo*, id est, ex *latere cocto*, ut ipse ibidem explicat. Ovid. *Met.* 4.

—— *Ubi dicitur altam*
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.

Prop. *lib.* 3. *el.* 9.

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus.

Lucan. *lib.* 6.

—— *Fragili circumdata testâ*
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.

Mart. *lib.* 9. *ep.* 77.

Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit. ——

Juvenal. *Sat.* 10.

Cùm tamen à figulis munitam intraverit urbem.

Ex quo apparet, quare Dionysius Periegetes muros ejus infractos vocet, *vers.* 1005.

—— Ἥν ῥά τε πᾶσαν
Τείχεσιν ἀρραγέεσσι Σεμίραμις ἐστεφάνωσε.

Conditorem autem Babylonis Belum plurimi gentiles vocant, inque his Dorotheus Sidonius poeta vetustissimus:

Ἀρχαίη Βαβυλὼν, Τυρίου Βήλοιο πόλισμα.

Et Abydenus, apud Euseb. *Præp. Evang. lib.* 9. *cap.* 41. ubi retulisset, ut primitus omnia aquis fuerint obruta, addit, Belum siccasse loca, καὶ Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν. Postquam enim, hominum numero post diluvium crescente, an. circiter 253. pòst, hi in planitie Senaar fertilissima, turrim cœlo minantem extructuri; vel ut contra novum diluvium tutum sibi pararent locum, ut Jos. vult, vel potius, ut hoc facinore nomen suum immortale redderent, linguarum confusione essent impediti; inchoata turris *Babel*, id est, confusio dicta est, & Belus in eadem planitie urbem hanc Babylonem condidit. Alii tamen arbitrantur, non à Belo extructam hanc urbem, sed à filio ejus Babylone. Verùm facilè hæc conciliantur. Nimrod enim seu Belus condere eam exorsus est, filius fortasse incrementum dedit. Alii Semiramidis opus putant, uti supra vidimus. Nec isti errant, inquit Vossius, si sic intelligas, quomodo Constantinus M. Constantinopolim dicitur condidisse, quæ tot antea seculis Byzantii nomine claruit. Hæc enim stupendis muris, & pensilibus illis hortis, qui inter 7. mundi miracula collocari meruerunt, urbem ornavit. Cujus etiam reliqua eximia, ut centum portas æneas, templum Beli magnificentissimum aliaque Herodotus, *lib.* 1. prolixè exequitur.

Sedes fuit Imperii Assyriorum, quo subverso Nabonassar novam ibi Monarchiam fundavit, sub qua eò magnitudinis excrevit, (de qua paulo pòst prolixius) ut Nebucadnezar post Niniven Assyriæ, Alexandriam Ægypti, Hierosolymam Judææ, Gazam Palæstinæ, Tyrum Phœniciæ, Damascum Syriæ, Susas Persiæ, Ecbatana Mediæ, urbes visas, hanc tamen reliquis omnibus longè prætulerit. Daniel. *cap.* 4. Capta est à Cyro, *A. M.* 3516. ante *N. C.* 537. *Hodie evanuit penitus, juxta vaticinia prophetarum.* Vid. infra. Nec omittendum, *in S. Scriptura* figuram esse Babylonem, Mundi, peccati, & qui omnis potentiæ Deo adversantis compendium est, Antichristi: inprimis apud Esajam, & in Apocalypsi. Hieron. *in Ezech.* Augustinus, *sent.* 122. &c. De magnitudine Babylonis jam paulo pluribus dicendum restat, quæ tametsi appelletur jure merito *Magna urbs*, Dan. 4. 30. & Nabuchodonosori Regi Regum, ut dictum, dederit materiam superbiendi: Non tamen est, quòd quis temerè Græculis fidem adhibeat, ex quorum relatione deceptus Aristoteles *Babylonem* sibi fingit portentosæ magnitudinis, & Peloponneso penè parem: Id sibi volunt hæc verba, *Politic. lib.* 3. *cap.* 3. quibus contendit civitatem mœnibus non definiri: Εἴη γὰρ ἂν Πελοπόννησον περιβαλεῖν ἓν τεῖχος. Τοιαύτη δὲ ἴσως ἐστὶ καὶ Βαβυλὼν, καὶ πᾶσα ἥτις ἔχει περιγραφὴν μᾶλλον ἔθνους ἢ πόλεως. Subdit, Ἧς γέ φασιν ἑαλωκυίας τρίτην ἡμέραν οὐκ αἰσθέσθαι τι μέρος τῆς πόλεως. Quod si semel concesseris, etiam id agnoscendum, *Babylonem* non malè cum Peloponneso conferri; è cujus uno extremo ad aliud triduano cursu vix attingere possit expeditus eques. Fortè pro τρίτην ἡμέραν μέρος τι οὐκ αἰσθέσθαι, scripserat aliquis, τρίτον ἡμέρας μέρος τινὰς οὐκ αἰσθέσθαι, vel voce μέρος bis repetitâ τρίτον ἡμέρας μέρος, μέρος τι τῆς πόλεως, &c. Hoc est, diei parte tertiâ aliquam partem urbis nondum sensisse, cùm aliquanto ante lucem capta fuisset. Neque enim in tantâ urbe, quæ capta est in die festo, plerisque somno, vinoque sepultis, & pridianam crapulam adhuc evomentibus, uno momento temporis res potuit ubique sciri. Verè igitur scribit Herod. *lib.* 1. *cap.* 191. Ὑπὸ δὲ μεγάθεος τῆς πόλιος, ὡς λέγεται ὑπὸ τῶν ταύτῃ οἰκημένων, τῶν περὶ τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος ἑαλωκότων, τοὺς τὸ μέσον οἰκέοντας Βαβυλωνίων οὐ μανθάνειν ἑαλωκότας, ἀλλὰ (τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτὴν) χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ ἐν εὐπαθείῃσι εἶναι. Sed & Xenophon Cyropæd. *lib.* 7. præsidiariis, qui tuebantur arces, rem innotuisse, negat usque ad plenam lucem. Verba sunt, ἐπεὶ δὲ ἡμέρα ἐγένετο, καὶ ᾔσθοντο οἱ τὰς ἄκρας ἔχοντες, ἑαλωκυῖάν τε τὴν πόλιν, καὶ τὸν Βασιλέα τεθνηκότα, &c. Itaque potuit fieri, ut qui erant in extremis, parte demum diei tertiâ, urbem captam esse deprehenderint, parte tertiâ, id est, horâ tertiâ post ortum solis. Sed horæ nomen eo sensu nondum in usu erat apud Græcos. Tantùm diem per partes duodecim dividebant, idque à Babyloniis edocti, Herod. *lib.* 2. *cap.* 109. Τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. Hoc ipsum si fidem superat apud eos, qui *Babylonem* æstimant, pro modulo nostrarum urbium, sciant illi, Hygino excepto, in quo mendum esse suspicor, veterem neminem esse, qui *Babylonis* mœnibus in ambitu minus assignet stadiis 360. quæ faciunt m. p. 45. Hæc est in Diodoro Ctesiæ definitio, quam puto secutum Hyginum; Et pro stadiis 300. (ita hodiè legitur) rescribendum 360. Alii omnes quotquot videre contigit, ad hunc numerum aliquid addunt pro mantissâ & auctario. Ita Clitarchus *Babylonem* amplexu suo continere scribit stadia 365. Q. Curtius 368. Strabo 385. Dio Cassius 400. Orosius 470. Herodotus & Apollonius 480. Plinius, & Marcianus Capella, quod idem est. m. p. 60. In hâc veterum inconstantiâ non facile est pedem uspiam tutò figere. Nisi quòd tutius credi puto Ctesiæ & Clitarcho, qui fuere oculati testes, & *Babylone* diu egerunt. Bochartus. Porro hæc urbs, ob vestem variam,

id est,

id est, variegatam & diversis picturæ coloribus intextam, & interstinctam, plurimum apud veteres olim celebrata fuit. Plin. *l. 8. c. 48. Colores diversos picturæ intexere Babylon maximè celebravit, & nomen imposuit.* Idem innuit Tertullianus *de Habitu fœminarum, cap. 1. Age nunc,* inquit, *si ab initio rerum & Milesii oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrii tingerent, & Phryges insuerent, & Babylonii intexerent.* Mart. 8. 28.

Non ego prætulerim Babylonica picta superbè,
Texta Semiramiâ quæ variantur acu.

Idem *lib. 14.* —— Lemmate *Cubicularia polymita:*

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Et de pavone Pub. Syrus in Satyrico Petronii, inter alia sic loquitur:

Plumato amictus aureo Babylonico.

Lucretius *lib. 4.*

Tunc Babylonica magnifico splendore rigantur.

Plautus *in Sticho:*

Tum Babylonica peristromata, consutaq; tapetia
Advexit nimium bonæ rei.

Vide Boch. *Phaleg. lib. 1. cap. 6.* Notandum etiam, hîc Babylonios magnâ curâ Astrologiam olim coluisse; unde *Babylonius* Tertulliano *Genethliacus* aut *Mathematicus* dicitur. Quin ibi *inventam sideralem scientiam* Plinius tradit. Claud. *de 4. Consulatu Honorii:*

—— *Te sensit Hetruscus*
Augur, & inspectis Babylonius horruit astris.

Idem *in Panegyr. ejusdem Consulis,*

Namq; velut stellas Babylonia cura salubres,
Optima tum spondet mortalibus edere fata, &c.

Ubi per *Babyloniam curam* intelligitur *Astrologorum curiositas,* sive *curiosa Genethliacorum ars.* Hinc Horat. *lib. 1. Carm. Ode. 11.*

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dii dederint Leuconoe, nec Babylonios
Tentaris numeros. ——

Id est, *Astrologorum rationes, & supputationes.* Tullius *lib. 2. de Divinat. Contemnamus etiam (inquit) Babylonios, qui ex Caucaso cœli signa servantes, numeris & motibus stellarum cursus prosequuntur.* Huc pertinet illud Lucretii *lib. 5.*

Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans,
Astrologorum artem contra convincere tendit.

Denique, quia hæc sententia etiam apud doctos diu obtinuit, *Bagdad* esse *Babylonem*, libet hic aperire fontes erroris istius ex Bocharto *Geogr. Sacr. lib. 1. cap. 8.* Hujus sententiæ primi authores de vetere *Babylone* nequaquam cogitabant, sed de Seleucia, cujus vicinitate *Babylonem* exhaustam Plinius dicit in solitudinem rediisse, *lib. 6. cap. 26.* Nec multò aliter Strabo *lib. 16. Babylonis partem Persæ diruerunt, partem consumpsit tempus, partem Macedonum negligentia, præsertim postquam Seleucus Nicanor Seleuciam ad Tigrim condidit stadiis tantùm trecentis a Babylone dissitam.* Itaque in *Babylonis* opes & nomen successit Seleucia, quæ non solùm *Babylonia* (ut apud Plinium διαζευκτικῶς, quia non una fuit Seleucia) sed & *Babylon* appellata est. Stephanus, Βαβυλὼν Περσικὴ πόλις μητρόπολις Σελευκία καλουμένη. En *Babylonis* ipsum nomen Seleuciæ tributum. Quò referenda hæc Sidonii *carm. 9.*

Non coctam Babylona personabo,
Quæ largum fluvio patens alumno
Inclusum bibit hinc & inde Tigrim.

Porrò vel in eodem, quo Seleucia loco, vel certè in proximo *Bagdad* conditam fuisse oportet, cùm utramque ad ripam Tigridis, & ferè in eadem à veteri *Babylone* distantiâ describant Geographi. Nam 300. illa stadia, quibus à Babyloniâ Seleuciam distare scribit Strabo, sunt miliaria prope 38. id est, *diurnum illud iter inter Bagdadam & rudera Babylonis interjectum,* juxta Texeiram. Paulò al. Baudr. Bagdatum, inquit, *Bagdet,* urbs ampla & probè munita, ad Tigrim, quæ aliàs Seleucia magna, 50. milliaribus à Babylone antiqua in ortum distat. Sedes Amiræ olim, in Dynastia Saracenica, post Iminem, filium Aaronis, cui trucidato successit Maimon, A. C. 813. Altero Amirâ Damasci, tertio in Africâ residente. Expugnata ab Halacho Tartaro, Turcis victis, captusque Calipha fame enectus est, auro liquefacto in os infuso: Tum diruta Saracenorum templa, & coli religio Christiana ibi cœpit. A. C. 1259. Postea Eridos pomum inter Persas Turcasque, inter alia, ab Habas M. Persarum R. circa A. C. 1625. capta, dein ab Amurathe, circa annum 1638. recepta est; à quo tempore sub Turcarum dominio est. Vid. *Seleucia:* Et de Babylonis priscæ ruderibus, urbeque Bagdato hodierna, quære inprimis apud P. de Valle, *Itinerarii tom. 2.*

Babylon nova, urbs Ægypti maxima, nunc *Alcairo*, Sultani sedes. Sed Baudr. nunc ferè diruta jacet, & tantisper distat à Cairo, urbe primaria totius Regionis. Vid. *Cairus. Babylon* ponitur pro *Româ* ut quidam volunt. 1. Pet. 5. Ἡ διὰ τὸ ὑπερφανὲς, uti loquitur Oecumenius, vel ob confusionem Idololatriæ, quam ibi S. Petrus invenit, si tamen illic unquam fuerit. Vide Apocal. 18. 2.

Babylonia regio, quæ nunc *Terach*, pars fuit Assyriæ veteris, sub qua etiam Chaldæa comprehensa erat.

Babylonii montes Asiæ, in confinio, inter Chaldæam & Arabiam, in Babylonia regione; erantque admodum excelsi & extensi.

Babyrsa, castellum munitissimum Atropatiæ reg. in Asiâ prope Artaxata urbem. Strabo. *lib. 11.*

Babys, frater Marsyæ, qui non veritus est ipsum Apollinem ad canendi certamen vocare, à quo cùm esset victus, ab eodem de pinu suspensus excoriatus est. Deinde cùm Apollo quoque *Babyn* perdere pararet, Pallas intercessit, admonens hunc, usque adeo infeliciter & indoctè tibiis canere, ut omnino negligendus videretur, Κάκιον, inquiens, Βάβυς αὐλεῖ. Quòd & abiit in Proverbium, de iis quorum exercitatio semper vergit in pejus.

Babysenga, Indiæ extra Gangem emporium. Ptol.

Babytace, urbs Assyriæ, ad alveum Tigridis Septentr. in Mesopotamiæ confinio, seu in ipsa Mesop. *Bayburt* Pineto, aliis *Bayport.* Item, urbs Armeniæ min. inter Trapezuntem, urbem Capp. & Euphratem fluv. cui propior. Steph. Hujus incolæ aurum spernunt. Plin. 6. 27. Vix distabat 30. m. p. à Ctesiphonte in Boream, & 60. fere à Babylone veteri, teste Phil. à Vico.

Baca, in tribu Aser, vicus, unde Galilæa superior incipit, terramque Tyriorum dirimit. Joseph. *lib. 3. de bello Jud. c. 2.*

Bacalalus, Lacus Armeniæ Septentr. in Nova Hisp. & Jucatania prov. versus oram sinus Honduræ.

Bacalarius, Bacularius & Bachilarius, qui expleto tyrocinio, in aliqua facultate, proximum limen obtinet. In Academiis notissimum. A' *bacillo* Rhenano dicti, quòd *primi studii auctoritatem, quæ per exhibitionem* baculi *concedebatur, jam consequuti essent.* Et prisci certè possessiones, libertatem, munera, dignitates, ipsumque aliquando Regnum, porrectâ hastâ, vel loco ejus festucâ, virgâ, baculo, bacillo, &c. conferebant. Vid. in *Festuca.* Hinc & apud Anglos, in Curiis Baronum, omnia penè inter dominum & vassallos (quos *Tenentes per virgam* ideo appellant) peraguntur traditione baculi. Veruntamen graviter non affirmabo, inquit Spelmannus, hanc esse genuinam vocis originem; nam in gradibus Scholasticis exhibendis, nondum reperio baculi ministerium: ni ad rem faciat, quòd initiati in Artibus, sub conductu argenteæ, vel deauratæ virgæ, à Præcone Academiæ exhibentur: *in Gloss. Archæol.* In castrensi militia *Bacalarii* dicebantur, qui peracto fortiter tyrocinio cingulum militare, vel aurata calcaria accipiebant. Classes enim in militia erant Tyronum, Bacalariorum & Vexillatorum. Alii sunt *Buccellarii*, celebre olim genus equitum sub Magistro militum in Oriente, Panciról. *in Comm. ad Notit. Imp. Or. cap. 40.* Latiùs sumitur vox *Bacalarii* in antiqq. Constitut. Admiralitatis in Anglia, ubi de ipso Admiralio usurpatur, & omnes dignitates infra Baronis comprehendit. Plura de hac voce, Vid. apud Spelmannum præfatum.

Bacales, pop. Libyæ juxtà mare. Herod. *lib. 4.*

Bacalitis, Æthiopiæ sub Ægypto regio. Ptol.

Bacar, vallis ad Septentrionales montis Libani radices porrecta, in Orientem usque Salmiram nobilem Syriæ urbem sese extendit, optimo solo, uberrimisque pascuis, gregibus atque armentis abundat: in tribu Nephthalim.

Bacara, regio Asiæ, in India, sub Imperio Magni Mogolis, cis & juxta Gangem fluv. Ubi opp. præcipuum *Bicaner.*

Bacaracum, opp. Germaniæ, in Palatinatu infer. ad Rhenum fluv. paulò infra Bingium, & medium ferè inter Moguntiam & Confluentias. Vid. *Bacchi Ara.*

Bacare, Indiæ extra Gangem urbs litoralis. Ptol.

Bacascami, Arab. pop. quorum op. *Riphearma* vocatur, quo nomine *hordeum* appellant. Plin. 6. 28.

Bacasis, Jacetanorum in Hisp. Tar. op. Ptol.

Bacatæ, Marmaricæ Nomi gens. Ptol.

Bacauda, vel *Bagauda*, latro Gallis, à temporibus Diocletiani. Hinc *Bacauda* quoque, & *Bagaudia* latocinium, tumultum popularem, motum agrestium, seditionem, apud Prosperum *Chron.* & Salvian. *lib. 5.* denotat. Constantinopolitani, teste Scaligero, vocabant *Bagaudam* ipsam μῦλτον, id est, tumultum. In vet. Inscr. *Baquates* dicuntur.

D. M.
MEMORIS
FILI
ARRETI CHANARTÆ
PRINCIPIS GENTIUM
BAQUATIUM
QUI VIXIT
ANN XVI.

Vid. quoque in voce *Bagauda.*

Bacbacar, viri nomen. 1. Paral. 9. Lat. *inanis visitatio, vapulatio*, aut *vacca.*

Baccai, Hispaniæ gens. Steph.

Baccana, vicus Etruriæ 15. m. p. à Româ. Anton. Hodie *Baccane.*

cano. Exiguum habet lacum, vulgò *Lago di Baccano*; estque in ditione Pontif. & in prov. Patrimonii.

Baccaracum, urbecula Galliæ, in Lotharingia, ad Murtam fluv. in ditione Episcopi Metensis, 7. leuc. supra Nancejum, versus Fanum S. Desiderii.

Baccha, villa circa Mæotidem. Item Bacchi sacerdos.

Bacchades, vulgò Bacchabel, teste Guil. Tyrio, peramœnus admodum locus est, in finibus Zabulon, in cujus est tribu in summis montium, aquis irriguus, & fructiferarum arborum frequentiâ consitus. Guil. Tyr.

Bacchæ, Vid. *Bacchus*.

Bacchanal, vel *Bacchanale*, Διονύσιον, locus in quo Bacchi sacra celebrabantur. Plautus in Aulul.

Ad Bacchas veni in Bacchanal.

Bacchanalia, Bacchi festa, in quibus viri per noctem fœminis, & teneræ ætati turpiter per dolum admiscebantur. Juvenal.

Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt.

Eorum pompam, & festivitatem breviter describit Plut. περὶ φιλοπλουτίας. De fœditate eorum, quæ tanta fuit, ut an. U.C. 568. publico edicto fuerint inhibita, severissimè punitis, qui obsequium recusarent, Livius *l.* 39. Aug. *de C. D. lib.* 7. *cap.* 21. Tertull. *apol. cap.* 37. Vide *Dionysia*.

Bacchemon, Persei & Andromedæ fil. Lactant.

Bacchi, mons Thraciæ circa Philippos, Appianus.

Bacchi, & *Antibacchi*, inf. duæ in sinu Arabico. Ptol. Steph.

Bacchi Ara, ex antiquâ loci traditione *Baccharach*, super. Germ. op. ad Rhenum in Palatinatu, inter Bingium & Vesaliam sup. 2. leuc. dissitum, quod & *Bachrach* dicitur. Vinum ejus his carminibus olim celebravit Hen. Steph.

Hæc mihi pocula sint, contemnam, Gallica quotquot,
Græcia quotquot habet, quæcunque dat Itala tellus.
Nec sitiam varios mihi quos lautissima Roma
Sæpe ministravit latices, me judice, quamvis
Romanæ Bacchi sint maxima gloria mensæ.
Nam varia ob varios passim celebrantur honores
Vina, sibi propriam poscentia singula laudem.
At tua cunctorum cumulata videmus honore,
Cunctorumque simul titulos, laudesque merere.
Bacchi igitur meritò tribuit tibi nomen ab arâ
Bacchara, quicunque est primus tibi nominis author.

Bacchia, Albaniæ urbs. Ptol.

Bacchiadæ, Corinthii, à Bacchiâ Dionysii filiâ oriundi, qui cùm Actæonem, Melissi filium, in nocturnis Orgiis discerpsissent, ejus necem tam impotenter tulit Melissus, ut, observato Isthmiorum tempore, stans ante aram, diras Corinthiis imprecatus sit, nisi filii sui necem ulciscerentur; carmineque peracto protinus se præcipitem dedit. Corinthii itaque, ut se religione solverent, *Bacchiadas* ex urbe ejecerunt; qui conscensâ navi in Siciliam delati, inter Pachynum & Pelorum consederunt. Ovid. *Met.* 3.

Et quà Bacchiadæ, bimari gens orta Corintho,
Inter inæquales posuerunt mœnia portus.

Hinc *Baccheis* Corinthus dicta. Stat. *Silv.* 2. 2.

Qualis si subeas Ephyres Baccheïdos altum
Culmen, ab Inoo fert semita tecta Lechæo.

Vide Strab. *lib.* 8.

Bacchiarius, vel *Bacchines*, tempore D. Augustini, scripsit quædam, Bibliothecæ Patrum inserta. *Tom.* 3. *edit.* 1624.

Bacchides, Mesopotamiæ Præfectus, tempore Demetrii Soteris 10. Syriæ regis, missus est, ut Alcimum Sacerdotem S. Judæorum constitueret. Dein rediit in Judæam cum 20000. peditum, & 2000. equitum; sed fusus est à Juda Maccabæo, 800. solùm militibus stipato, qui tamen in hoc prælio, post incredibilis fortitudinis edita specimina, lethale vulnus accepit. Cui mortuo suffectus Jonathan frater, non minus fortiter Bacchidi testitit, hujus insidiis frustra tentatus, eumque pacem inire, & Judæâ excedere coëgit. Hinc ergo Antiochiam rediit. 1. Macc. 7. 8. 9. Jos. *Antiq. lib.* 12. *cap.* 18. 19. *& lib.* 13. *cap.* 1. *&* 2. Item dux, qui Sinopen urbem Lucullo prodidit. Strabo *lib.* 12.

Bacchimones, pop. Orientales Boccacio, qui posteà ab Achæmene, Bacchemonis filio, *Achamenides* dicti. Hi Apollinis ritus se invenisse asserunt.

Bacchium, Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Bacchina*, Inf. parva maris Ægæi, ante Smyrnam, urb. Joniæ.

Bacchius & *Bithus*, gladiatores nobilissimi, qui pares ætate, & audaciâ fuere. Hinc natum proverbium: *Bithus contra Bacchium.* Erasm. *Adag.* Suet. *in Augusto.* Horat.

—— *Uti non*
Compositus meliùs cum Bitho Bacchius ——

Hi cùm multos interfecissent, tandem congressi mutuis vulneribus se confoderunt.

Bacchus, Jovis ex Semele filius. Orpheus *in Hymnis*,

Κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχομ᾽ ἀείδειν.
Ζηνὸς καὶ Σεμέλης ἐρικυδέος ἀγλαὸν υἱόν.

Idem alio Hymno Jovis & Proserpinæ filium putavit,

Εὔβουλ᾽ εὐπολύβουλε Διὸς καὶ Περσεφονείας.

Hunc Deum bimatrem appellarunt, non quia duas habuerit matres, sed quod, cùm Semele mater arsisset, ex igne surreptus Jovis femori assutus fuerit, qui matris munere functus fuit, teste Ovid. *Met* 3.

Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener, si credere dignum est,
Insuitur femori, maternaque tempora complet.

Manilius *lib.* 2.

Atque iterum patrio nascentem corpore Bacchum.

Orpheus, *Hymno in Sabazium*, Dionysium inquit, à Sabazio Jovis femori assutum fuisse: cùm tamen alii Sabazium fuisse filium *Bacchi* inquiant, alii *Bacchum* ipsum, alii alium dæmonem. Sic enim ille,

Κλῦθι πάτερ, Κρόνου υἱὲ, Σαβάζιε, κύδιμε δαῖμον,
Ὃς Βάκχον Διόνυσον, ἐρίβρομον, Εἰραφιώτην
Μηρῷ ἐγκατέρραψας, ὅπως τετελεσμένος ἔλθῃ
Τμῶλον ἐς ἠγάθεον. —— ——

Theocritus *Idyll.* 26.

Χαίροι μὲν Διόνυσος, ὃν ἐν Δρακάνῳ νιφόεντι
Ζεὺς ὕπατος μεγάλαν ἐπιγουνίδα θῆκεν λύσας.

Nonnus, *Bassaricwn initio.*

—— Εἰπὲ δὲ φύτλην
Βάκχου διοσσοτόκοιο, τὸν ἐκ πυρὸς ὑγρὸν ἀείρας
Ζεὺς βρέφος ἡμιτέλεστον ἀμαιεύτοιο τεκούσης,
Φειδομέναις παλάμῃσι τομὴν μηροῖο χαράξας,
Ἄρσενι γαστρὶ λόχευσε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.

Hunc primùm matertera ejus Ino clam nutrivit, postmodum Nymphis tradidit, quæ etiam ei alimenta dederunt. Ovidius, ubi supra:

Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat, inde datum Nymphæ Nyseides antris
Occuluere suis, lactisque alimenta dedere.

Et sanè Meleager, non assutum fuisse femori Jovis arbitratus est, sed ab ipsis Nymphis è cineribus maternis statim ereptum & educatum, cùm ita scribat,

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ᾽ ἐκ πυρὸς ἥλαθ᾽ ὁ κοῦρος
Νίψαν ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος, ἢν δέ νιν εἴργῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

A quâ sententiâ videntur non magnoperè dissentire carmina illa, quæ sunt *in lib.* 9. *Dionysiacorum*, apud Demarchum, qui scribit Dionysum ab Horis fuisse educatum, ut est in his:

Τὸν μὲν ὑπερκύψαντα θεηγενέος τοκετοῖο,
Στέμμασι κισσήεντι λεχωΐδες ἔστεφον Ὧραι.

Memoriæ prodidit Lucianus *in Dialogis*, Deorum Dionysum statim natum fuisse deportatum à Mercurio in Nysam, Arabiæ urb. Ægypto finitimam ad Nymphas educandum. At Orpheus in Hymnis illum educatum fuisse, in Ægypto, sig. in his,

Αἰγύπτου παρὰ χεῦμα σὺν ἀμφιπόλοισι τιθήναις.

Alii Hyadas fuisse Bacchi nutrices putarunt, ut ait *in lib.* 2. *De Diis* Apollodorus Cyrenaicus, & Ovid. *lib.* 5. *Fastorum, in his,*

Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutrisse putat, pars credidit esse
Tethyos has neptes Oceanique senis.

Pausan. scribit *in Achaicis*, fuisse sermonem Patrensium, quòd *Bacchus* fuerit apud se educatus intra Mesatim op. quòdque Panum insidiis prope fuerit circumventus. Alii in Naxo nutritum fuisse inquiunt. At Antipater Sidonius hunc, sicut Herculem, Thebanum fuisse memorat in his carminibus,

Ἀμφότεροι Θηβαῖοι, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταί,
Κἠκ Ζηνός. θύρσῳ δ᾽ ὃς, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.

Lucianus addit, matrem ejus Syrophœnicem fuisse. Verùm hæc locorum, nutricumque differentia inde exorta est, quòd varii fuerunt *Bacchi*, de quibus ita scripsit Cic. *lib.* 3. *de N.D. Dionysos multos habemus, primum è Jove & Proserpinâ natum: Secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: Tertium Caprio patre, eumque regem Asiæ præfuisse dicunt, cujus Abazea sunt instituta. Quartum Jove & Lunâ, cui sacra Orphica putantur confici. Quintum Niso natum & Thione, à quo trieterides constitutæ putantur. At de nullo horum prope sit mentio à Poetis, nisi de Jovis & Semeles filio.* Fuerunt qui dixere, statim natum Dionysum fuisse à Mercurio Jovis mandato in Eubœam ad Macrim Aristæi filiam portatum, quæ labra melle illi primùm perunxit, eumque educandum cepit. Id verò cùm sensisset Juno, Macrim Eubœâ relegavit, ne pellicis fil. etiam in insula sibi sacrâ educaretur; quæ in Phæacum regionem profugit, atque in antro duas portas habente illum educavit. Apollonius *Argon.* 4.

Αὐτονυχὶ κούρῃ θαλαμήϊον ἔντυνον εὐνὴν
Ἄντρῳ ἐν ἠγαθέῳ, τόθι δή ποτε Μάκρις ἔναιεν
Κούρη Ἀρισταίοιο μελίφρονος, ὅς ῥα μελισσέων
Ἔργα, πολυκμήτοιό τ᾽ ἀνεύρατο πῖαρ ἐλαίης.

Κείνη

Ἐξάκις δὴ πολύκρωτα Διὸς Νυσήιον ἦα
Εὐβοίης ἐντοσθεν Ἀβαντίδος, ὦ ἐνὶ κόλπῳ
Δέξατο, καὶ μέλιτι ξηρὸν περὶ χεῖλος ἔδευσεν.
Αὐτὸ μιν Ἑρμείης φέρεν ἐκ πυρὸς, εἰδεικε δ' Ἥρη
Καὶ ἑ χωσαμένη πάσης ἐξήλατο νήσου,
Ἢ δ' ἄρα Φαιήκων ἱερῷ ἐνὶ τηλόθεν ἄντρῳ
Νάσσατο, καὶ πόρεν ὄλβον ἀθέσφατον ἐνναέτῃσιν.

Orpheus *in Hymnis*, Hippam *Bacchi* nutricem fuisse perhibet hoc versu,

Ἵππαν κικλήσκω Βάκχου τροφὸν, εὐάδα κούρην.

Idem tamen, *Hymno in Nymphas*, illas *Bacchi* nutrices nominat, ut sensit etiam Homerus *Hymn. in Dionys.*

Ὃν τρέφον ἠΰκομοι Νύμφαι, παρὰ πατρὸς ἄνακτος
Δεξάμεναι κόλποισι, καὶ ἐνδυκέως ἀτίταλλον.

Vide Oppian. Κυνηγ. *l.* 4. Porro *Bacchum* Orpheus vocat,

Ἄρσενα καὶ θῆλυν, διφυῆ.

Et Ovid. *Met.* 4. eum semper juvenem esse scribit,

Tibi enim inconsumpta juventa est,
Tu puer æternus, tu formosissimus alto
Conspiceris cœlo. ——

Fingebatur autem juvenili specie, corpore tenero & delicato, ut Virginem referret. Unde poeta Phallicus,

Trahitq; Bacchus Virginis tener formam.

Quam ob causam inter Deos formosos eidem connumeratur carmine alio, *Formosus quoq; pingitur Lyæus.*

Quæ ad hodiernam *Bacchi* picturam malè respondent: Nisi abdomen & ventrem inter pulchritudinis partes censere velimus. Vide Diod. Sic. *lib.* 4. ubi totam *Bacchi* historiam habes, & Nonnum *in Dionysiacis*, ubi res gestas ejus describit: Per grinationibus enim ad remotissima orbis loca confectis, Indias vicit, homines vineas plantare, segetes demetere, negotiationes exercere docuit. Sic dictum volunt à *Bacchis*, quæ illum βακχεύουσαι hoc est, *insanientes*, *& immodestè se gerentes in Indiam secutæ sunt*; sive ut Eustathio placet, ἀπὸ τοῦ βάκχειν hoc est, *à vociferando*, ac *ululando*; unde ipse *Bacchus* (inquit D. Heinsius) *non est dubitandum, quin à* בכה *Baccha*, quod est *ululare*, aut *lamentari* dictus sit. Aliter Bochartus ὁ μέγας, cui *Bacchus* quasi בר כוש *bar chus*; id est, *Chusi filius*. Vide doctissimum Virum *Phaleg.* l. 2. Mythologiam ejus habes apud Nat. Com. *lib.* 5. *cap.* 13. Alex. Rossæum, *in mystagogo Poëtico*, &c. quos sis consule. Ἐρεβίνθινος Διόνυσος, hoc est, *Cicernus Bacchus*, de re vehementer contemptâ; sumptum adagium, à potu ex leguminibus confecto, qui vinum imitatur. Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, *Nihil ad Bacchum*; ubi quis ea negatur, quæ ad rem præsentem nihil spectant, quæ eleganter dicimus ἀπροσδιόνυσα;

Πολλοὶ τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.
Multi thyrsigeri, pauci viri.

Proverbium, quo significatur complurimis mortalium adesse virtutis insignia, aut etiam famam, qui tamen verâ virtute vacent. Hinc *Bacchæ*, Bacchi sacrificulæ, quæ & Mænades, Bassarides & Thyades, &c. quæ noctu ei sacrificabant alternis annis, in Parnasso monte Bœotiæ; Item anno quoque tertio ad Cithæronem mont. catervatim cum thyrsis convenire solebant; ut ibi *Bacchi* orgia magno cum ululatu celebrarent. Ovid. *Met.* 9.

Utq; tuo motæ proles Semeleia thyrso,
Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ.

Dixi *cum thyrsis*, qui Baccho, & Bacchis passim ab authoribus tribuuntur. Suidas, Θύρσος Βακχικὴ ῥάβδος, ἢ λαμπὰς ἣν ἐβάσταζον εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. Thyrsum itaque esse *Bacchi* certum est. Hinc à Sidonio Antipatro *Bacchus* dicitur θυρσοφόρος: Et Statius *lib.* 5. *Sylvarum:*

Cui jus venerabile thyrsi
Bacchus. ——

Eandem rem firmat insania Antigoni & Antonii. Prior apud Herodotum *Bacchum* repræsentaturus, rum hederam capiti circumponebat pro diademate, tum maximè ferebat θύρσον ἀντὶ τοῦ σκήπτρου. Posterior apud Velleium, cùm Liberum Patrem appellari se jussisset, cùm redimitus hederâ, coronâque velatus aureâ, & thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru velut Liber Pater vectus esset Alexandriæ. Hinc *Bacchus thyrsiger* est, apud Senecam *in Medea*,

Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi.

Fuit verò thyrsus non *Bacchi* solùm, sed & *Baccharum*, cujus virtute nixas illas, atque illudente Dæmone, mira quæpiam prodigia fecisse antiqui prodidere. Apud Euripidem Baccharum una, cùm petram thyrso percussisset, δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς, *fons exiliit aquæ rorulentus.* Alia ut in terram jecit, remisit *Bacchus* κρήνην οἴνου *vini fontem*, & ferè statim ἐκ δὲ κισσίνων θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί. Nonnus *Dionysiacon, lib.* 48.

Θύρσῳ γαῖαν ἄραξε, διχαζομένης δὲ κολώνης,
Αὐτομάτην ὠδῖνα μέθης ἀδῶδινι μαζῷ
Χεύματι πορφύροντι.

Si quis verò descriptionem thyrsi petat, addam ex Virgilio, qui talem ejus adhibet periphrasin, *Eclog.* 5.

Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Nimirum nihil aliud thyrsus denotat, quàm hastam, sive virgam frondibus vestitam, aut etiam pampinis ac foliis hederæ obtectam, in cujus extremitate cuspis erat, aut mucro formâ coni pinei. Plin. 16.34. *Hedera Liberi Patris adornat thyrsos.* Indè Euripides, *in Bacchis*, Thyrsum vocat κίσσινον βέλος, & Ovidius *in Epp. hastam pampineam* eo versu:

Ut quas pampineâ tetigisse bicorniger hastâ
Creditur. ——

Justinus M. ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ χρήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσι. Addit Macrobius, mucronem quoque ipsum tegi lambente hederâ. Seneca clarè, *in Hercule Insano*, *Act.* 4.

Tectam virenti cuspidem thyrso gerens.

Nonnus *Dionys. lib.* 9. hunc thyrsum dicit, κεκρυμμένον πετάλοισι, *occultatum foliis*, & alibi κατάσκιον *umbrosum*, vel *inumbratum*. De la Cerda. Hinc *Bacchanalia*, quæ, ex festis in Bacchi honorem celebrari solitis, præcipua erant. E quibus patuit, hominem vino largius, quàm decet, hausto, mentem perdere & in vitia horrenda despumare. Vid. ibi, & Ovid. *Metam.* 3. Euripid. Diodorum *lib.* 4. 5. &c.

Bacchus, Martyr, unà cum Sergio sub Diocletiano ad Euphratem passus est. Uterque ordinem in exercitu Cæsaris ducebat. Volaterranus.

Bacchylides, Ceus, Poeta Lyricus, Simonidis, è fratre nepos. Natus Julide, in Ins. Cea. Circa Olymp. 82. Auctor hymnorum, Odarum & Epigrammatum, quorum fragmenta supersunt. Juliano Apost. in deliciis, unde plurima egregia, inprimis illud de Castitate, præcipuo hominis ornamento, decerpsit. Amm. Marcellin. Vide Voss. *Poet. Gr. ad Olymp.* 82. Eusebium, *Chron.*

Bacchylides, Tibicen Opuntius, cujus meminit Plato Comicus.

Bacelus, vir quidam effœminatus, totusque luxuriæ deditus. Unde Proverb. *Bacelo similis.* Hesych. Βάκηλος, ὁ μέγας καὶ ἀνόητος, ἢ ὁ ἀπόκοπος, ὁ ὑπ' ἐνίων Γάλλος. Οἱ δὲ ἀνδρόγυνον, ἄλλοι παρειμένον, γυναικώδης παρὰ Μενάνδρῳ Ὑμνίδι.

Bacemum, vulgò *Baçaim*, urbs Asiæ, in India, non procul ab ora Oceani & sinus Cambajæ, in ditione Lusitanorum, cum arce munita; estque media ferè inter Goam & Amedebatum, urbes celebres. 60. m. p. ab Emporio Surata in Austrum.

Bacenis, Silva eadem cum Hercyniâ. Volaterranus *lib.* 7. *Geograph.* diversam putat: tamen ex ejus lectione (nam *Barcenis* legit) colligi potest, eandem gemino, sed idem significanti nomine appellari. Ut enim *Hercynia* sive (ut Eratosthenes habet) *Orcynia* in vernaculâ Germanorum, *Hartz*: ita & *Barcenis*, unicâ literâ immutata dicitur *bartz*, pro *Hartz*. Nam sicuti Taurus mons Asiam, Atlas Mauritaniam & Apenninus Italiam mediam intersecant & dubio procul variâ à variis accolis nomina sortiuntur: ita & Hercynium nemus totam Germaniam ad Riphæos usque montes & paludes Mœotidis permeat: sed ab aliis confinibus aliter & Latinè & Germanicè vocatur. Latini namque partim & Græci eandem Silvam *Bacenim*, *Martianam*, *Gadretam*, *Semanam* & *Hercyniam* nominant. Germani verò juxta Friburgum Brisgoiæ eam *Nigram Silvam* à pinorum haud dubiè opacitate: Heidelbergensis tractus ab Othone *Othonis silvam*. Prope Herbipolim autem & Papebergam *Ardua Silva*, Germanicè *SteigerWald* (unde nimirum vox *Gabreta* apud Strabonem *lib.* 7. nata est) ab iisdem vocatur. A Mœno etiam ad Loriam amnem, prope Confluentiam, *der WesterWald*, hoc est, Occidentalis silva. Non procul autem à Mœni ripâ, ubi Francofurtum, Asciburgium & Moguntium attingit, *Spissharte*, hoc est, picearia Silva. In Saxoniæ faucibus, ubi Comitis Mansfeldii ditionem pertingit, à pice rursus nomen sortitur, Germanicè *auf dem hartz*. A Thuringis adjacentibus *Thuringica* (de quâ Cæsar *lib.* 6. 10. *Com.* loqui videtur) & à Bohemis *Bohemica* appellatur silva.

Bacharius Massæus, Anglus, S. Patricii discip. de Horoscopo librum edidit, primis Juventæ annis. Circa annum 460. sub regno Vortigeri. Vossius, *de Mathem. c.* 63. §. 1.

Bachianum, Insula Asiæ, in mari Indico, & una ex Moluccis, parva sed abundans & mirè fertilis, in ditione Hollandorum, 30. m. p. distat à Machiano in Austr. & paulo minus ab ora occident. Giloli Ins. ferè sub linea æquinoctiali. Olim *Seke* dicta. Hic cœlum ut percoquendis aptum frugibus, ita corporibus humanis grave, ob vapores, quos Sol adeò imminens haurit; quippe positis sub Æquatore terris, quarum & visceribus incensis flammant juga. Sinenses circa A. C. 1013. has insulas tenuere. Post hos Persæ, Arabes, Lusitani, Batavi. Vid. Hug. Grotium *Hist. Belg.* & in voce *Molucca.*

Bachiensis Comitatus, prov. regni Hungariæ, juxta Danubium fluv. prope Coloczam urbem. Vid. quoque in voce *Bathanatii.*

Bachilio, fluv. Italiæ, olim Meduacus minor dictus. Quod Vid. Agros Vicentinum & Patavinum rigat, & in mare Adriaticum se exonerat. *Bachilione* Ital.

Bachina, Vid. *Bacchium.*

Bachovia, vulgò *Bachovv*, urbs Walachiæ, Episc. sub Archiep. Coloczensi, ad *Missovo* fluv. Miræo teste, & aliis. 30. m. p. à Targovisco in Sept.

Bachyllus, Ecclesiæ Corinthi Moderator. Sub finem sec. 2. de celebratione Paschatis, egregium opus edidit, controversiâ sub Victore Episc. R. exortâ, Hier. *in Catal.* Euseb. *lib.* 5. *cap.* 21. 22. *A. C.* 198.

Bacides tres exstiterunt; unus ex Atticâ isque Vates, alter Locris oriundus, tertius Bœotius. Auctorem Schol. *in Aristoph. Equites pag.* 294. *G.*

Bacis, quidam Bæotus, cujus mem. Cic. *lib. de Divinat.* Item luctatoris nomen apud Pausan. Item quintus Corinthiorum rex, à quo reges *Bacidæ* dicti. Tres autem hujus nominis enumerat Ælianus Var. *Hist.* 12. 38. Vid. supra.

Bacium villa, aliis *Abacivum*, nonnullis *Bacivum* Palatium, villa fuit regiâ aulâ insignis, inter Novigentum, villam publicam pagi Laudunensis, & Crisciacum villam quoque dominicam pagi Pontini. Hodie *Beri* seu *bac à Beri*, vel *le bac à Berry* quibusdam, id est, Transitus ad Berium, quòd ad Berium vicum, inter Noviomagum & Compendium positum, Isara nave strata transiri possit: *Back* enim Germ. vas quodlibet, adeoque & navem designat. Hadr. verò Valesius Bacivum seu Bacium existimat esse *Bais*, Monasterium ad Suminam Perronæ adversum, cum tit. Abbatiæ: vel vicum *Buissi*, ad rivulum in Suminam influentem, inter Corbejam & Ambianos: quæ loca utraque à villa Novigento Crisciacum petentibus occurrunt, *Notit. Gall.*

Baches, & Βαβάκτης, Bacchi nomina, ἀπὸ τοῦ βάζειν, *ab inclamando* seu *vociferando*. Solent enim Baccho, hoc est, vino madidi, & mulieres Liberi Patris Orgia celebrantes, omnia tumultuario quodam & incondito clamore replere.

Bactra, trorum, Bactrum etiam Plinio, *Bagdasan*, teste Castaldo, urbs Bactrianæ reg. caput, ad Bactrum flu. Horum Virgilius mem. *Georg.* 2.

Sed neq; Medorum silvæ ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neq; Indi
Totaq; thuriferis Panchaia dives arenis.

Ex quibus Poetæ verbis apparet *Bactrorum* terram fuisse fœcundissimam; Hinc Dionysius *vers.* 734.

——— Ἀφνειῶν πῶμα Βακτρῶν.

Ideoque Strab. *lib.* 2. Παμφόρον eam vocat, & Plin. 18. 7. *Tradunt in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, ut singula spicas nostras æquent.* Et Qu. Curtius *lib.* 7. *solum pingue* vocat. Hæc urbs, nunc à multis *Termend* dicitur; estque parvi momenti, prope montem Caucasum, 360. m. p. ab Alexandria Ariæ, & 630. ab Antiochia Margianæ in Ortum, Sanson. Urbs verò *Badascian* multis est Maracanda antiquorum, 300. m. p. à Bactris, in Occas. distans.

Bactri, *Bactriani* Straboni, *Bactrii* Melæ, Bactrianæ reg. pop. qui, teste Qu. Curtio, senio, morbove confectos canibus ad hoc nutritis devorandos objiciebant. Sponsas etiam eorum, quæ in publicum maximo ornatu prodeunt, etiam servis & advenis impunè commisceri tradit. Ab Alexandro M. subacti, Vid. Curt. legatos miserunt ad Antoninum Pium an. 142. Plinius: *Sunt autem Bactriani inter illas gentes promptissimi, horridis ingeniis, multumq; à Persarum luxu abhorrentibus: situ haud procul Scytharum bellicosissimâ gente, & rapto vivere assueta: semperq; in armis errant.* Verba sunt Qu. Curtii *l.* 4. *c.* 6. Horum Rex fuit Zoroaster. V. in *Bactriana.*

Bactriana, regio Asiæ maj. pars olim Imperii Persarum, inter Ariam ad occ. Paropamisum, ac partem Sogdianæ ad ort. *Carassan* hodie Castaldo, *Corasan* aliis, *Batter* Ramusio. Cujus urbes quondam claræ Bactra, Charta; vel Chatracharta, Zarispa, & Maracanda. Hæc olim mille urbes continebat. Josephus. Vide Boch. *Phaleg lib.* 2. *cap.* 10. R. regio totam hodie illam regionem complectitur, quæ *Maulrenahar* seu *Usbek* dicitur, cum minuta parte Chorasani Septentr. Et arctior nunc, Oxo fluv. dividitur; estque inter Persiam, Tartariam desertam, Imperium M. Mogolis & regnum Thibeti. Sed tamen sub Tartaria latè sumta comprehenditur. Ibi urbs præcipua, Samaracanda. Baudr. Ejus Rex antiquissimus Zoroaster, seu ut alii malunt, Astrotheates, à Nino victus, qui Magicam artem & Astrologiam invenisse creditur. Diod. Sic. *l.* 3. Justin. *l.* 1.

Bactros, flu. in fin. Scythiæ Asiaticæ, à quo *Bactra regio*, & urbs nomen sumpsit. Herod. *l.* 7. Ejus mem. Lucanus *l.* 3.

Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido. ———

Hodie *Bachora* Nigro dicitur.

Baculus, nomen Primipili, apud Cæsarem, *Com.* 2. *cap.* 25. qui in conflictu cum Nerviis, multis gravibusque vulneribus erat confectus, ut jam se sustinere non posset. Ubi Glandorpius & Fr. Hotomannus legunt *Bibaculus*; quòd quarundam familiarum, ut Turiæ & Sextiæ, id cognomentum fuisse veterum monumenta testentur. Integrum ergo nomen *P. Sextius Bibaculus.* Ejus iterum facit mentionem *l.* 3. *Comm. cap.* 38.

Bacuntius, Pannoniæ fluv. in Savum fluens. Plin. 3. 25. *Baz uncha* Lazio vocatur.

Bacurius, vel *Baturius*, Rex Iberorum, prope Caucasum, in ora maris Caspii habitantium, fidem Christianam, cum subditis suis, suscepit, tempore Constantini, à quo Comes domesticorum & Palæstinæ præfectus constitutus est. Cùm enim serva quædam Christiana, quæ in aula hujus Regis degebat, uxorem filiumque ejus à gravi morbo sanasset, neque munera oblata accepisset, virtutem ejus admirari cœpit. Mox in venatione subitâ tempestate spissâque caligine attonitus, eandem rogavit, ut Dei sui opem imploraret, pollicitus se hinc liberatum ei soli adhæsurum. Quod utrumque mox factum est, ipseque qui non nisi Catechumenus erat, erga populos sibi subjectos Apostoli munere functus est. Ruffin. *lib.* 1. *cap.* 10. Socr. *l.* 2. *cap.* 6. Ammian. Marcellin. *l.* 13. *A. C.* 327.

Bada, Urbec. Germ. in Ducatu Sueviæ, caput Marchionatus Badensis. Ab Argentina 5. leuc. in Orient. æstiv. unâ à Rheno fluv. & 8. à Spira in Austr. Aquis calidis celebris. Vulgò *Margraven Baden.* Sub Marchione cognom. Origo illustrissimæ hujus Familiæ, est à Zeringiis ducibus. Bertholdus enim I. Dux Zeringiæ per fil. Bertholdum II. rami Zeringio-Teccii, per Hermannum autem, Hochbergio-Badensis auctor fuit. Hujus ex posteris Philippus, pater fuit Bernhardi & Ernesti, qui novarum linearum extitere sators. Ille quidem *Badensis*, obiit Anno 1537. relicto Philiberto successore: quem fil. Philippus primò excepit, dein Christophorus, pater Eduardi Fortunati, qui religionem Pontificiam in suam domum intulit: Iste verò *Duriacensis*, religionis Evangelicæ cultor, quam ad posteros cum ditione transmisit, è quibus Fridericus, an. 1616. natus, hodiè imperat, pater ex Christiana Magdalena Sueco-Palatina Friderici Magni & Caroli Gustavi. Vid. Philippum Jacobum Spenerum. *Syllog. Geneal. Histor.*

Badacana, Urbec. fuit *Asiæ min.* in Bithynia, cujus vix nunc supersunt rudera. 30. mill. ab Heraclea, in Austr. 60. autem à *Nicæa*, in Bor.

Badacer, dux exercitûs Jehu. 4. Reg. 9. Heb. *Bidkar.*

Badacum, civitas Noricorum, sive Bavarorum, hodiè *Salzburg*, à flum. quod Salezam vocant. Volat. *Bamburg*, ad Alazam flu. qui in Ænum defluit, Cluver.

Badad, pater Adad, regis 4. in Edom. Gen. 36. *vers.* 35. 1. Paralip. *c.* 1. *vers.* 46. Lat. *solitarius*, seu *in mamillâ*, vel *in dilectione.*

Badai, pop. Tartariæ desertæ, Solem, vel laciniam panni in altum sublatam adorantes. Cluver. *l.* 5.

Badaias, nomen viri. 1. Esdr. 10. Lat. *solus Dominus*, vel *vectis Domini.*

Badan, nomen viri. 1. Sam. 12. Filius Ulam. 1. Par. 7. Latinè *Vectis solus*, vel *in judicio.*

Badara, opp. Indiæ, in penins. cis Gangem, in ora Malabarica, & regno Calecuti. 6. leuc. à Calecuto in Ortum distans.

Badas, vel *Bada* Syriæ flu. juxta quem sepultus est Memnon. Strabo *lib.* 15.

Badena, seu *Bada*, caput Comit. cognominis, opp. elegans Helvetiæ, cum duplici olim arce: nomen habet à saluberrimis suis thermis: hinc quibusdam *Thermopolis*, aliis *Castellum Thermarum*: nonnullis *aquæ Helveticæ* dictum, unde & cives *Aquenses.* Unum est ex Helvetiæ antiquissimis, & jam tempore Julii Cæsaris magni nominis vicus, qui postea in municipium excrevit. Othone victo, à Cæcina Vitellii Imp. duce direptus thermarum vicus & aquarum castellum est, circa A. C. 71. Vid. Tacit. *lib.* 1. *Hist.* Postea tamen restitutum, ut patet ex marmorea columna, cum inscriptione, Trajano dedicata, A. C. 100. quam Ægidius Tschudus, tum præfectus hujus Comit. ante arcis pontem collocavit, an. 1534. Vid. Guillim. *p.* 159. & Stumpf. *Chron. lib.* 4. *cap.* 21. ut & alterâ, cujus inscriptio Antonini Caracallæ Severi filii mentionem præfert: in templo oppidi. Simler. Sub Valentiniano dein, Alemannorum in Helvetiam irruptione, iterum malè habitum oppidum, tertiâ tamen vice, (nam inter oppida ab Helvetiis incensa, tempore Julii Cæsaris quoque fuisse, vero est simile,) refloruit, ob commoditatem tum thermarum, tum transitus ex Germania & Helvetiis, per Verbigenum pagum, in Galliam & Italiam. Comites habuit sui nominis, quorum familiâ extinctâ, sec. 12. pervenit ad Comites de Kyburg; è quibus Hartmannus Episcopo Argentinensi illud donavit, ab eoque rursus feudi loco accepit, A. D. 1244. Sed & hâc stirpe abolitâ, Habespurgiis accessit, qui, cum multis aliis, hunc Comitatum Austriæ domui junxere. Unde in bello, inter Archiducem Albertum & Tigurinos, præsidium hic ingens Austriacorum, istis multum molestiæ creavit. Tandem proscripto à Sigismundo Imp. & excommunicato à Concilio Constant. Friderico Austrio, Helvetii, mandato Imperatoris, inter alia Badenam quoque Austriacis ademere. An. 1415. postquam Tigurinis oppidum obsidentibus, cœteri Pagi quoque sese conjunxissent. Tum arx, quâ totâ Helvetiâ munitiorem Austrii non habebant, deleta: nomen ei *der Stein.* Oppidum verò paulo pòst ab Imperatore cum Bremogarto, Mellinga, &

ga, & Surseio Tigurinis oppignoratum est: qui an.1416. in hujus oppignorationis participationem quinque Helvetiorum Pagos Lucernam, Suitiam, Undervvaldiam, Tugium & Glaronam: exin Uriam, tandem quoque Bernates admisere, à quibus usque ad hæc tempora, per Præfectos biennales, in altera arce, ad pontem sitâ, habitantes, regitur. Publicus Pagorum Senatus in hujus oppidi curia, statis temporibus, aliisque necessitate urgente, haberi solet, quod & antiquissimis temporibus usu venisse, Helvetiis ibi Archiva sua habentibus, Cluverius refert, ob loci opportunitatem, amœnitatem & salubritatem. Disputatio quoque hic inter Oecolampadium & Eccium habita de Cœna Domini aliisque articulis controversis, 16. Maii. A. C. 1526. oppido famam conciliavit. Situm est illud in Pago Tugino, ad Limagum fluv. qui

—— Tigurinamq; abluit urbem,
Thermopolimq; adiens, ad olenteis sulphure terras,
Arenteisq; locos, Epicurea mœnia lambit.

Ut Henr. Glareanus canit, *descript. Helvet.* Vid. *quoq; in voce Aqua*, & *Therma.*

Badena, urbs Marchiæ, à Thermis apud Germanos nomen suum trahens. Vid. *Bada.*

Badenacha, Scotiæ Septentr. regiuncula, in Moravia prov. versus montes, prope Atholiam regionem. Speâ amne in duas partes scinditur. Vulgò *Badenoth.*

Badeos, Arab. Fel. urbs, juxta mare Rubrum. Steph. Al. *Serrain*, oppidul. inter Meccam & Oreb montem.

Badericus, fil. Basini, Thuringiæ R. à fratre Hermenfrido, ut hic ditionum paternarum solus potiretur, occisus. Greg. Tur. *l.* 4. Aimon. *l.* 1. Vid. *Amalaberga.*

Badilo, vir nobilis, virgis cæsus, jussu Childerici Franc. R. hunc unà cum uxore prægnante, interfecit, A. C. 678. P. Æmyl. *in Hist. Fr.*

Badizorus, Ithobali fil. rex Tyri, pater Margeni, avus Pygmalionis, & Didûs. Josephus.

Badonicus mons, Bannesdovvn Camdeno, juxta Bathoniam urbem. Polydoro Vergilio *Blascamore* prope Episcopatum Dunelmensem, apud Athesum flu. à Dunelmo ad 20. m. p.

Badrinus, Æmiliæ flu. idem cum Vatreno, Forum Cornelii præterfluens. Hodiè *Santerno* dicitur.

Baduhennæ lucus, in Frisiis Tacito, ubi nongentos Romanorum confectos fuisse scribit. *Seven Wolden* fortè, id est, *septem Silvæ*. Adhuc *Bacucen* dicitur pagus, apud Groningam Aliis est *Coevvorden* opp. Transisalan. in conf. Frisiæ, ad Vydrum fluv.

Bæa, mons Cephalleniæ, à *Bæo*, Ulyssis gubernatore. Steph.

Bæaca, civitas Chaoniæ Steph.

Baagis, Hesychius: Βαιάγις, ἑορτὴ παρὰ Ἀσσυρίοις, ὡς Λέων Ἀλαβανδεὺς ἐν τρίτῳ.

Babe, opidum Cariæ. Steph.

Babro, op. Hisp. Bæticæ. Plin. 3. 1.

Bacolicus, mons Africæ, in Cyren. reg. prope Cleartis paludem, in mediterraneis.

Bacula, opp. Ausetanorum, nunc multis *Rhoda*, ad fluv. *Ter*, vix 2. leuc. ab Ausa in Bor. 7. à Gerunda in Occas. & 10. à Ficeriis.

Bæcyla, urbs Iberiæ juxta columnas Herculeas. Steph. Vide Casaub. ad Strab. *lib.* 3. *Bæcula* Ptolemæo.

Bami, vide *Bojemum.*

Banis, qui & *Minius*, Lusitaniæ max. flu. cujus fons est apud Cantabros. Strabo *lib.* 1.

Baotis, Hesychius. Βαῶτις, Ἀφροδίτη παρὰ Συρακουσίοις.

Basampsa, civitas Arabiæ circa Rubrum mare, quam Stephanus *domum Solis* interpretatur, quasi esset בית-שמש Vide Voss. *de Idol. lib.* 2. *cap.* 8.

Basippo, *Besippo*, Plinio, *Beier*, teste Henr. Coquo, op. Hisp. Bæt. in orâ litorali Vandalitiæ.

Batana, urbs Asiæ, in penins. Indiæ, citra Gangem, quæ nunc *Beder* à multis creditur, urbs regni Decani; aliis est *Visapor* in eodem regno.

Batarra, Gall. Narb. urbs, olim Septimanorum (à legionis sc. Romanæ numero) colonia, vulgò *Besiers*. Βαιτίρρα Ptolemæo. Stephano autem est Βαίταῤῥα. Ejus locum sic emendabis: Βαιταῤῥαι κώμη τελῶν Παλαιστίνης, οἱ κατοικοῦντες Βαιταῤῥηνοί. Ἔστι καὶ πόλις Κελτικὴ Βαίτιῤῥα, ἧς ὁ πολίτης Βαιτιῤῥίτης. τῆς δὲ προτέρας Βαιταῤῥεύσιος, κλίνεται Βαιταῤῥέντος. Malè hæc vulgò separantur, tanquam si & aliqua esset urbs in Gallia, quæ Βαιταῤῥαι vocaretur.

Batarrens, pop. in Cœlesyriâ, non longè ab Ithuræorum gente, à quibus oriundi dicuntur. Plin. 5. 23.

Bathen, Hesychius, Βαίθην, οἶκος θεῖς, lege Βαιθήλ.

Bati, *Batavi*, Voss. *ad Melam pag.* 294.

Batica, *Turdetana* Straboni. Ibi Bastuli aliàs, Turdetani & Turduli populi. Nunc continet *Andaluziam*, sub qua etiam major pars regni *Granatensis* comprehenditur. Regio admodum fertilis & abundans: Urbes Hispalis, Corduba, &c. Hanc, quæ tertia pars Hispaniæ, Alphonso Castellano eripuit an. 1195. Aben Josephus, Maroci R. quam proin ab eo tempore Mauri, usque ad Caroli V. avum tenuerunt. Mariana *de rebus Hisp.*

Batis, fluv. Hisp. ulter. à quo *Batica* Hispaniæ regio dicta. In quo lanas pulchro colore tingi ostendit Martialis, *in his*,

Batis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Item nomen opidi Plinio. Βαῖτις autem Punica vox est, ni fallor, à בת *bat* pernoctare. Unde Sil. Italicus,

—— Solisq; cubilia Cades.

Tribus in locis, inquit Bochartus, stagnat *Batis*, primò statim in ipso fonte, secundò prope Cordubam, tertiò versus ostia, ubi æstuaria, & lacus Avernus, seu Libystinus. Atque ob id ipsum Punicè ביצי *Bitsi*, id est, paludosus dictus est. Tzade Ebræum in T. mutarunt Græci & Romani scriptores, ut in *Tyro* & *Tani* ex צור *Tsor*, & צען *Tzoan*. Neque aliò pertinet, quòd idem amnis ab accolis Πέρκης, id est, *Perca* nominabatur. Stephanus, Βαῖτις, ποταμὸς κατὰ Ἰβηρίαν ὃς Πέρκης λέγεται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. Nempe *Perca* factum ex ברכה *berca* id est, à *Stagno*; ut in Siciliâ *Percusa*, vel *Pergusa* dicebatur lacus Ennæ vicinus, ubi Proserpina rapta est. *Percam* autem, sive *Percem*, in *Certem*, aut *Certim* mutarunt scribæ imperiti in his Livii, *l.* 28. *Martius superato Bati amni, quem incolæ Certim appellant.* Vide Voss. *ad Melamp.* 224. 225. Recipit hic fluv. fluvios Singilim, paulò infra Astigim, Corbonem, Guadarizam, Guadarmenam, & Frigidum, cum aliquot aliis rivis, & Andalusiam prov. mediam secat. Oritur non longè à Basti, in confinio regni Murciæ, 27. leuc. à fontibus Anæ, & 40. ab Ortu Tagi in Meridiem.

Batium, urbs Macedoniæ. Steph.

Batius, Arabiæ Fel. fluv. Ptol.

Batagabra, Judææ mediterranea urbs. Ptol. Becanus dicit, eandem esse cum *Castra Chabria* Strabonis, quam tamen hic ad mare mediterraneum describit. In eodem loco *Ezongeber* esse contendit, & Josephum reprehendit, quòd hanc postea *Berenicem* appellatam scribit.

Baton, historicus Gr. vixit temporibus Alex. Magni, cujus ταθμοὺς scripsit. Sæpe priscis laudatus. Athen. *lib.* 10. Ejus mem. Plinius 6. 17. & Solinus, *cap.* 53. 55.

Batulo, *Betullo*, Melæ, op. olim, nunc pagus Hisp. citer. in ora litorali Catalauniæ juxta Barcinonem, 1. leucâ à fluv. cognom. dissitus, *Badelona*, teste Floriano.

Batulo, vel *Batulum*, Ptol. vulgò *Besos*, fluvius parvus Catalauniæ, in Mare Mediterraneum se exonerans, inter Bætulonem & Barcinonem.

Baturia, Hisp. tractus. *Estremadura* Varreno, Hirtio *Bethuria*, *Beturia* Livio. Quibusd. erat in confinio Bæticæ, inter Anam fluv. & montes Marianos, in qua pars Vettonum fuit. Ibi nunc pars Estremaduræ prov. versus Andaluziam. Baudr.

Batylus, Græcè Βαίτυλος. Priscianus *lib.* 5. *Abadir Deus est*; *Dicitur & hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Græci Batylon vocant.* Hesychius, Βαίτυλος, οὕτω ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. Etymologus, Βαίτυλος ἐκλήθη ὁ λίθος ὃν ἀντὶ Διὸς ὁ Κρόνος ἔπιεν. Idem nullo sensu, Βαίτυλος, Λίβανον τὸ ὄρος τῆς Ἰλίε πόλεως: sed supplendum ex Phavorino. Βαίτυλος, λίθος γενόμενος κατὰ τὸν Λίβανον. Utrobique autem pro Ἰλίε scribendum Ἡλίε. Vide Boch. *de Phœn. Col. lib.* 2. *cap.* 2.

Baus, Ulyssis gubernator. Aliis *Baius*, in Campaniâ sepultus.

Baffins sinus, sinus Oceani, supra Americam Septentr. in Boream & Terras Arcticas maximè extensus & ab Anglis detectus, sicque dictus à paucis annis. *Baffins Bay.*

Baga, al. Boga, *Buga*, urbs Pisidiæ primaria. Cedren. Item Africæ propriæ urbs, quam Justinus Imp. restauravit, & incolæ *Theodoriadem* appellarunt. Procopius *l.* 6. de ædificiis Justiniani. Videtur *Bagasi* apud eundem *lib.* 4. *Belli Vandalici*, ut monuit Svvalemburgius. Vid. *Bagaja.*

Bagacum, vetus & nobile olim oppidum Nerviorum: *Baganum*, Ptolom. *Bacacum Nerviorum* tab. Theodos. *Bajacum* quoque nonnunquam in priscis Æthici codicibus. Magno loci meminit his verbis, *Nervius, Easiacum*: ubi legi convenit *Bajacum*, vel *Bagacum*, id est, Nervius, cujus caput est Bagacum. Recentioribus *Bagacum* dicitur accolis *Bavay*, locus in Hainoo solâ vetustate nunc illustris, nihilque antiquum, præter nomen, servans: quem à Ponte Scaldis *Escaupont*, vico ad Scaldim infra Condate sito, & à Vodogoriaco, vel Vogodoriaco, *Vuandray* aut *Vaudré*, 12. m. p. distare Æthicus docet. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Bagadad, vel *Bagdet*, Asiæ ad Tigrim urbs, in Persiæ Turciæque collimitio. Vulgò *Babylon*, cum qua tamen malè confunditur, cùm hujus rudera ab urbe Bagdet satis longè distent. Vid. Cluver. *l.* 5. & in voce *Babylon*, & *Bagdatum.*

Bagadaria, nomen loci apud Strab. sed leg. Βαγαδαονία. Steph. Βαγαδαονία μοῖρα Καππαδοκίας τοπωνύμη. apud Suidam Βαγδαλονία perperam scribitur.

Bagaia, *Bagay*, vel *Vagai*, urbs Numidiæ, quam Justinianus Imper. ab uxoris nomine *Theodoricam* appellavit, postquam eam muris cinxisset, Procop. *lib.* 1. *de bel. Vand.* Hîc à Primiano, Episcopo Donatista Carthaginensi, an. 394. concilium habitum contra Diaconum Maximianum, quem excommunicave-rat;

rat: In quo ille à 310. Episc. absolutus est, æmulo ejus condemnato. Augustin. *Contra Cresconium l.* 3. & 4. Item *in Ps.* 3. 16.

Bagamidria regnum, Æthiop. super. seu Abyssiniæ juxta fluv. Nilum. Subdividitur in 17. provincias satis latas, versus Nubiam.

Baganfonius pagus, à *Baganfono* vel *Baganfone*, loco ad sinistram Vidulæ contra Durocortorum Remorum, vulgò *Besance*, dictus: inter Virtudensem & Tartanensem pagos medius jacet. Pagus obscurus, & uni Regi Carolo memoratus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Baganum, Nerviorum civitas. Ptol. Aliàs *Tornacum*. Aliis est *Bagenheim* pag.

Bagargara, regio Asiæ, in Turchestania, ubi aliàs pars Scythiæ extra Imaum mont.

Bagaudæ, latrones in Gallia, duce Amando & Æliando rebellantes, ab Aurelio Maximiniano, misso ab Imp. Diocletiano, coerciti sunt, an. 286. Vid. infra.

Bagauda, rustici, qui rebellione in Gallicis excitatâ, à Maximiano Hercule Imper. victi sunt, post obitum Carini. Eutrop. *lib.* 1. Oros. *l.* 7. *c.* 25. Item in Tarraconensi Hisp. regione, à Friderico compressi, an. 452. Isidor. *in Chron.* V. quoque *Bacauda*.

Bagaudarum castrum, pag. Gall. superbo gaudens castro & ponte ad Matronam, 2. leuc. à Lutetia in ortum. *S. Maur de Fossez.* Vigner.

Bagdatum, urbs Asiæ dives, ampla & valde munita, Prov. *Yerak* caput, sub Turcis ab anno 1640. V. *Babylon*.

Bagdedin Mahomet, Arabs, de Geometria scripsit, Blancanus, *in sec.* 0. Voss. *de Mathem. c.* 16. §. 4.

Bagistame, regio amœnissima, arborumque feracissimarum frequentissima. Diod. *l.* 17.

Bagistanes Babylonius, capto & vincto Dario à Besso, à Macedonibus exceptus. Curt. V. 54.

Bagistanus, mons Mediæ, apud quem Semiramis in petra 17. stadiorum suam effigiem insculpsit, quam viri centum donis venerarentur. Cæl. Rhod. *lib.* 26. *cap.* 24.

Bagnarea, urbs Episc. Italiæ, prope urbem vet. seu *Orvieto*. Item, duc. Calabriæ. Leander *descr. Italiæ*.

Bagnoli, vel *Bajoli*, Item *Concordes* & *Cozoci*, hæretici sec. 8. errores Manichæorum incrustabant, ut & Albanorum, V. T. rejicientes, cum parte Novi, animas quotidie à Deo creari negabant, mundumque ab æterno esse, &c. asserebant. Antonin. *sum. hist. part.* 4. *tit.* 11. *cap.* 7. Prateolus, *in hac voce*.

Bagoas, linguâ Persicâ *Spado* dicitur. Plin. *lib.* 13. *cap.* 4. *Clarissima omnium* (palmæ) *quas regias appellant ab honore; quoniam regibus tantùm Persidis servabantur, Babylone nata, uno in horto Bagos; Ita enim vocant spadones: qui apud eos etiam regnavere.* Idem nomen datur *spadonibus regiis*, apud Curtium, Ælianum, Heliodorum, Achillem Statium, & Sulp. Severum, *l.* 2. *Hist. Sacræ*, cùm de Judith loquitur, qui *Baguam* dixit. Suidas Βαγώας, ὄνομα κύριον, ὃς ἦν εὐνοῦχος. Ovid *Amor.* 2.

Quem penes est dominam servandi cura Bagoe Ab hac voce, hodiernum vocabulum *Page*, quod aulicum ministerium denotat, orta videtur Boxhornio *in Tacit.*

Bagoas, vel *Bagosas*, Eunuchus, in aula Artaxerxis Ochi adeò potens, ut sine eo nihil ageretur. Duxit Regis in Judæam copias, & templo profanato, in quemlibet agnum, qui Deo offerebatur, 50. drachmas tributi loco imposuit. Quod factum, postquam Sacerdos S. Johannes fratrem suum Jesum, Eunucho gratissimum, in templo occidisset. In Patriam redux Regi venenum propinavit, minimo ejus fil. Arse substituto, quem quadriennio pòst similiter sustulit. A' Dario Codomanno, qui huic successit, tandem, postquam & illi insidias struxisset, interemtus. Diodor. Sic. *l.* 17. Freinshem. *supplem. in Curt. lib.* 2. Jos. *antiq. lib.* 11. *cap.* 7.

Bagoas, Eunuchus Persicus, ab Alex. M. turpiter amatus. Orsinem, Satrapam & Principem nobilissimum, ut qui inter progenitores Cyrum numeraret, quòd, aliis magnificè ab ipso donatis, ille præteritus esset, calumniis apud Regem labefecit, tantumque evicit, ut innocens Satrapa cruciatibus dirissimis enecaretur, quos tamen incredibili animi magnitudine sustinuit. Curt. *lib.* 10.

Bagodares, amicorum unus Bessi, qui, quòd illum liberius admoneret, vitæ in discrimen venit. Diod. *lib.* 17. parte posteriore. Gebhardus censet Curtii *Cobarem* esse.

Bagoe, nympha quædam, quæ Thuscis artem fulguritorum scripsit, quam quidam *Sibyllam Erythræam* esse putant, cui nomen esset *Herophila*. Alex. Neapol. *l.* 2. *c.* 16.

Bagophanes, Arcis Babyloniæ & pecuniæ regiæ custos, qui urbem ingrediente Alexandro, totum iter floribus coronisque constravit, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quæ non thure modò, sed omnibus odoribus cumulaverat. Eum dona sequebantur greges pecorum equorumque, leones quoque & pardales caveis præferebantur. Curt. V. 4. Hunc Alexander comitari se ad reliqua bella jussit. *cap.* 9.

Bagrada, Carmaniæ fluv. Ptol. hodie *Binimir* N. Nicolao aliis *Budmir*, Niger dicit incolis *Bisarti* vocari. *Biguelmir* Arabicè vocari addit Thevetus.

Bagrada, fluv. Persiæ, nunc *Tisindon*, teste Sansone. Oritur in confinio Carmaniæ desertæ. Et rigatâ Pasagardâ, in Oceanum Pers. se exonerat. Baudr.

Bagrada, Africæ flu. qui juxta Uticam labitur, apud quem ab Atilio Regulo, & exercitu ejus, ballistis & catapultis serpens 120. pedes longus occisus est. Plin. 8. 14. Gellius 6. 3. Ejus scriptura (inquit Bochartus ὁ μέγας) est valdè inconstans; nam pro *Bragadâ* Lucani, Statii, Plinii, Ptolemæi, Procopii, Eutropii, Sidonii, Orosii, & Æthici, legitur in Strabone *Bagradas*; In Pomponio, Silio & Floro *Bagrada*; In Polybio *Macar*, & *Macra*, vel *Bucara*, ut legit Suidas voce Τινάγη. In Geographo Nubiensi נגרדה *Nagiarda*; quæ omnia sunt ex uno fonte deducta. Verum sc. nomen erat ברכה *Braca*, vel emphaticè ברכתא *bractha*, id est, *stagnum*, cujus plurale ברכות *bracoth*, *stagna*, *piscina*, Psal. 84. 7. Unde Græcum Βραγὸς, pro palude. Hesych. Βραγὸς, ἕλος. Jam verò ratio hujus appellationis non est obscura. Nam, præterquam quòd suâ naturâ lentus est, & ex Africæ arenis vix eluctatur, (Luc. *lib.* 4.

—— —— *Quò se*

Bagrada lentus agit, sicca sulcator arena.)

Ex alveo suo excedens circa ostia, in paludis, aut stagni morem longè lateque diffunditur. Sil. *lib.* 6.

Turbidus arentes lento pede sulcat arenas
Bragada, non ullo Libycis in finibus amne
Victus limosas extendere latiùs undas,
Et stagnante vado patulos involvere campos.

Id accidere potissimum certâ anni tempestate, quâ ostio arenâ obstructo aquæ restagnant in campos adjacentes, nos docent hæc Polybii, *lib.* 1. *pag.* 76. Τοῦ προειρημένου ποταμοῦ κατὰ τὴν εἰς θάλατταν ἐκβολὴν συνθεωρήσας κατά τινας ἀνέμων στάσεις ἀποθινούμενον τὸ στόμα, καὶ τεναγώδη γινομένην τὴν παρ᾽ αὐτῷ τῷ στόματι πάροδον. Porro cùm *Bagrada* sic se diffundens multas contrahat sordes, & in limosas paludes desinat, meritò *pulvereus*, & *cœno gravis* à Statio describitur, *lib* 4. *Sylvarum*, ubi Vulturnum Campaniæ amnem inducit sic loquentem:

Nec sordere sines, malumq; latè
Deterges sterilis soli putorem,
Ne me pulvereum, gravemq; cœno
Tyrrheni sinus obruat profundi.
Qualis Cyniphius, tacente ripâ,
Pœnos Bagrada serpit inter agros.

Bagravendene, regio Armeniæ maj. inter Tygranocertam & Arthemitam.

Bahalis, id est, in *lætitiâ*, vel *in arrogantiâ*. Rex filiorum Ammon. Jerem. 40.

Bahama, Ins. Americæ Septentr. una ex Lucajis, in mari Boreali, 50. leuc. ab ora Floridæ reg. distans, & ab ea *le Canal de Bahama* dicitur æstus maris, vehemens admodum & formidabilis, inter eam, Floridam, & Cubam Insulam excurrens.

Bahurim, civitas in tribu Benjamin, satis pulchra, & in monte excelso sita, 2. Reg. 3. id est, *electi*, sive *juvenes*, aut *in foraminibus*, vel *in libertatibus*.

Bahusium, Castrum permunitum regni Norvegiæ, in parva ins. quam facit Trolhetta fluv. qui ex Venero lacu erumpit; Antea Daniæ Regis, sed ab anno 1658. subest dominio Regis Sueciæ, cum tota præfectura, quæ ab ipso Bahusiana dicitur. Conditum fuit An. 1309. ab Haquino 4. Norvegiæ R. Distat 2. leuc. Dan. à Gottenburgo in Sept. & 3. circiter ab ora Oceani in Ortum.

Baiæ, civitas Campaniæ, secus mare sita, à Baio Ulyssis socio illic sepulto. Strab. *lib.* 5. Τὰς δὲ Βαίας ἐπωνύμους εἶναι λέγουσι Βαίου καὶ τὸ Μισηνὸν Μισηνοῦ τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων τινῶν. Sil. Italicus *l.* 12.

—— —— *Ille tepentes*

Unde ferant nomen Baiæ, comitemq; dedisse
Dulichiæ puppis stagno sua nomina monstrat.

In hujus agro, aquæ calidæ sunt ad voluptatem & varios morbos commodæ, & quia fertilitate ac rerum copiâ, ædificiis, litorumque amœnitate præstabant, magna Romanorum multitudo ad eas confluere solebat. Fuit hæc urbs temperie aëris & Romanorum frequentiâ, atque ornamentis ædificiorum celeberrima. Martialis *ad Flaccum*,

Ut mille laudem Flacco versibus Baias,
Laudabo dignè non satis tamen Baias.

Horatius *Epist. l.* 1. *ep.* 1.

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Idem 3. *Carm. Od.* 4.

—— *Seu Tybur supinum*
Seu liquidæ placuere Baiæ.

Prop. 1. 11.

Tu modò quam primum corruptas desere Baias.

Idem ibidem,

Ah pereant Baiæ crimen amoris aquæ.

Juvenal. *Sat.* 3.

Janua Bajarum est, & gratum litus amœni
Secessus. —— —— ——

Statius *lib.* 3. *Sylvarum*:

Sive vaporiferas, blandissima litora, Baias.

Idem

Idem *lib.4.carm.7.*

Ecce me natum propiore terrâ
Non tamen portæ retinent amœnæ,
Desides Bajæ. ——— ———

Strabo ubi supra, Ἐν ᾗ αἱ Βαΐαι, καὶ τὰ θερμὰ ὕδατα τὰ καὶ πρὸς τρυφὴν, καὶ πρὸς θεραπείαν νόσων ἐπιτήδεια.

Bajanus Sinus, vulgò *Golfo di Pozzuolo*, extenditur inter Nisitam Inſ. & Miſenum Prom. Vocatur etiam *Sinus Puteolanus.* Vid.ibi.

Bajazeth, I. Turcarum rex quintus, poſt Amurathem I. Patrem, Anno 1388. Dictus eſt *Gilderin*, id eſt, fulgur, quòd brevi tempore tanta geſſiſſet. Thronum conſcendit, occiſo prius Jacup vel Jacob fratre ſeniore, ſic primus ἀδελφοκτονίας Ottomannicæ auctor. Mox Bulgariâ, Macedoniâ, Theſſaliâ Chriſtianis ereptis, Græcos Armenioſque plurimis urbibus exuit, Principesque Aſiaticos ferme omnes ſubvertit. Hinc terror, & fœdus contra illum à Sigiſmundo Hung.rege procuratum. Sed infelix obſidio Nicopoleos, & paulò pòſt clades: captivorum 600. unco crudeliter affixis, præſente Comite Niverniensi, qui Hungaris auxilio è Gallia ſubmiſſus erat. Tantis ſucceſſibus elatus Bajazeth obſidet Conſtantinopolim, ſed fruſtra. Mox Tamerlanes vel Themir lancus, Tartarorum Rex, ab Aſiaticis imploratus, poſt devictos Parthos advolat & prope Angoriam in Galatia Turcam vincit, captumque mulo imponi, & per exercitum in ignominiam duci, potiſſimum ob ſuperbiam, quâ turgidè intumeſcebat, curavit. Poſtea catenis aureis vinctum, & in cavea concluſum, ſecum quocunque iret, circumduxit, eoque in equum aſcendens, ſcabelli loco uſus eſt. Qui miſer ſubter menſam cùm ederet, inſtar canis, ad pedes ejus ſolas de reliquiis cadentes colligebat micas, quibus tenuiſſimè, ac turpiſſimè victitabat. Tandem cùm & conjugis contumeliam videre cogeretur, illiſo ferreis caveæ retinaculis capite, exſpiravit. An.C. 1403. regni 15. captivitatis menſe 8. Chalcond. *l.* 2. Leunclav. *lib.6.* Ab illo tempore Turcarum Imperatores legitimas uxores habere deſierunt.

Bajazethes II. Mahometi 2. Patri ſucceſſit. Huic controverſiam ſucceſſionis Zizimus, frater minor natu, movit, eò quòd Bajazeth Patri nondum Imperatori natus eſſet, ſed in Aſia victus, paulo pòſt miſerè periit, non ſine veneni ſuſpicione. Naupactum in Acarnania, Methonem in Morea, Dyrrachium in ora Sclavoniæ Venetis eripuit. In Ægypto non æquè felix, Janizerorum inſuper ſeditione exercitus, illos trucidare omnes conſtituit, ni duo Baſſæ ipſi id diſſuaſiſſent. Tandem imperii an.32. à Magnatibus ſuis Selimo fil. coronam cedere coactus, hujus impietate veneno ſublatus eſt, Didymothici in Thracia, quò ſe receperat. An.C.1512. æt. 74. Chalcondil. & Continuator ejus, *l.*10. & 11. Baudier *Invent.*

Baida, regio Aſiæ, in Tartaria deſerta, juxta Peiſidam fluv. & Oceanum Septentr. in confinio ditionis Moſcoviticæ. Paucis ab hinc annis luſtrata & detecta à Moſcis.

Baienni, op. Vindeliciæ in Bavaria, *Faingè* M. Velſero; ſeu *Faing*, aut *Vaing* op. Sueviæ in duc. Wirtembergenſi.

Bailius Ludovicus, Jacobo M. Britanniæ R. à ſacris concionibus, ſcripſit librum illum celebrem, cui titulus *Praxis Pietatis*, ad Carolum Walliæ Principem: qui innumeris vicibus recuſus, & in pleraſque Europæ linguas, Rhæticam quoque haud pridem translatus, omnium piorum manibus teritur.

Bailus, Vid. *Balivus.*

Baioca, urbs antiq. Gall. Celt. epiſc. in Normannia inſ. vulgò *Bayeux*, *Belocaſſes*, vel *Velocaſſes* Cæſari *l.7.Comm.* Greg. Tur. *l.5.c.2*7. Ibi Concilium An.1300. *Velocaſſes* Plinio. long 19.45. latitud.49.20. Circumjacens regio vulgò *le Beſſin* dicitur, ubi aliàs *Bajocaſſes* pop. qui & *Biducaſſes* ſunt dicti. Vid. *Bajocaſſes.*

Bajocaſſes, pop. Galliæ, videntur eſſe Plinii *Viducaſſes*, in Gallia Lugdun. & *Biducaſſes* Ptolomæi, qui & *Bajocaſſini* Greg. *l.5.c.27.* & *Bagaſſini* trunco nomine, Fregedario *Chron.4.c.80.* Hos malè in *Veliocaſſes* aut *Velocaſſes* & *Bellocaſſes* Cæſaris Pithœus & Scaliger convertunt. Horum civitas, in Notit. vett. ſecundas tenet, inter civitates provinciæ Lugdun. II. & unà cum civitate Abrincatum præcedit civitates Ebroicorum ſeu Aulercorum Eburovicum atque Lexoviorum, nobiliſſimarum gentium: ex quibus etiam civitas Lexoviorum civitati Sajorum olim ignotæ, certè ſemper humili infirmæque ſubjicitur. Hodieque Epiſcopus Bajocaſſinus uni Metropolitano ſecundus, reliquos provinciæ Antiſtites antecedit, ſeu primus eſt Suffraganeus Normanniæ. *Bajocæ* olim, Vid.ibi, nunc *Bayeux.* Hinc pagus *Bajocaſſinus*, ut in Capitulis Caroli Magni vel *Bagiſinus* aut *Bagaſſinus*, in Capitulis Caroli Calvi, vulgò *le Beſſin.* Hadr. Valeſius *Notit. Gall.* Urbs Viducaſſium apud Ptol. Argenus memoratur, 5. m.p. ab Oceano: in tabul. Peuting. *Aragenus*, fortè ab amne ſuo Ara vel Aura, *Aure*, & Lexovios inter ac Oſiſmios ponitur. Idem.

Bajona, Urbs Galliæ, in Aquitania, ampla, dives & valde munita, ad Aturum fluv. ubi influit in Oceanum, poſt receptum Nivum. Epiſc. ſub Archiepiſc. Auxitano & portu gaudet ſat capaci. Quidam ibi Aquas Tarbellicas, alii Bojatum fuiſſe rentur. 6. leucis à confin. Hiſp. 7. ab Aquis, & 20. à Burdegala in Mer. Oihenart. deſcript. Vaſconiæ, *l.3.c.13.* de Marca, hiſt. Bearn. *lib.*1. Hîc collocuti Carolus IX. Gall. R. & mater Medicæa, cum Eliſabetha, Caroli ſorore, Philippi II. Hiſp. Regis uxore & duce Albano, exſcindendis Evangelicis, mutuam opem arcanis pactionibus firmaverant, An.1566. Hinc in Gallia Belgioque ſanguinis torrentes. V. Thuan. & Grot. *Hiſtor.*

Bajona, cognomento *de Galizia* à ſitu, Urbs Hiſp. permunita, in ora littor. Gallæciæ. Ibi antiquitus fuerunt Aquæ calidæ Cilinorum.

Bajulus, inter Magiſtratus olim Imperii: Hinc refert Cedrenus, Theodoſium juniorem Conſtantinopoli agentem, Antiochum quendam, Præpoſitum, Patricium, καὶ τὸν Βαΐουλον αὐτοῦ conſtituiſſe. Hic idem poſtea *Magnus Bajulus* dictus eſt, atque inde apud Italos, *Bajulus Regni*; quem Angli *Protectorem* appellant. *Magni Bajuli* meminit Curopalates *in Offic. aulæ Conſtantinop.* ubi Junius inquit, *Bajulos recentiores Græci vocant* παιδονόμους. *Bajulus itaque magnus eſt, qui Imperatorem infantem quaſi geſtavit ulnis, educavitque, & inde inſtituit à pueritia ipſius.* Sic Carolus M. filio ſuo Ludov. R. quem in Aquitaniam regnaturum miſit, *Bajulum* Arnoldum præpoſuiſſe legitur *in Vita Ludovici Pii.* Vid. Flodoard. *Hiſt.Eccl.Rhem.l.3.c.24.* Hincmarum *Epiſt.2.c.2. & ſeqq.* ubi fusè docet, quales *Bajuli* præponendi ſint Regum filiis, &c. Transfertur *Bajulus*, ad plures Officiarios, apud Italos, ut *Ballivus*, apud Gallos. Plura Spelmannus *Gloſſar. Archæol.* ſuppeditat.

Bala, ancilla Rachelis, ab hera Jacobo marito tradita, ex qua hic Danem & Nephthalimum ſuſcepit. Geneſ.30. Item, fil. Azazi, 1. Paralip. *c.5.v.8.* Item Urbs, Geneſ.14. Joſ.19.

Bala, mons vel prom. in tribu Dan. Joſ.19.

Balaam, Pſeudopropheta, à Balaco Moabitarum R. ut Iſraëli malediceret, adhibitus eſt; Sed ter id conatus, ſemper fruſtra fuit, à propriâ aſinâ, cui inſidebat, per miraculum increpitus: diraſque in benedictionem vertit, ſic Deo linguam ejus reluctantis dirigente. Ne tamen muneribus promiſſis excideret, Balaco conſilium ſuggeſſit, de Iſraëlitis ad ſcortationem pelliciendis & cultum Beel-phegoris. Unde horum clades. Poſtmodum Deo ſuis reconciliato, cùm Midianitæ à Joſua immani clade victi eſſent, Balaamus inter occiſos repertus eſt. Vid. Numer. 21.22. &c. 2. Petr. 2.15. Jud. v.15. Joſ. *Antiq.lib.4.cap.*6. Torniel, A. M. 2583. *num.*18.

Balaath, quæ & *Baal*, Hieronymo *Ballath*, Joſ. 19. 1. Paral. 4.5. civitas in tribu Simeon.

Balabithena, regio Armeniæ maj. inter Arſaniam & montem Antitaurum. P. à Vico.

Balac, filius Tſephor Rex Moabitarum, qui Balaamum conduxit, ut Iſraelitis malediceret. Num. 22. Latin. *involvens, deſtruens*, vel *cum lambente*, aut *cum percutiente.*

Balacri, gentes in exercitu Alexandri Magni, apud Curtium *lib.4.c.*108. & Arrianum *l.*3. an Mileſii?

Balacrus, Prætor Alexandri Magni, qui, Idarne Prætore Darii ſuperato, Miletum cepit. Curt. *lib. 4. cap.*45. Hunc adnotat Janus Gebhardus, filium fuiſſe Nicanoris, ac Piſidis Præfectum; & adhuc ſuperſtite Alexandro Rege, à provincialibus occiſum; demum ejus mortem excidio Larandæorum & Iſaurenſium à Perdiccâ vindicatam, è Diodor. XVIII. 639.

Balacrus, Amyntæ fil. Præfectus auxiliariis copiis Alexandri Magni. Q. Curt. *lib.4. Phrygas Balagrus regebat.* Sic enim legendus locus iſte, Freinshemio notante; Raderus gentis nomen putavit, nempe quia legit apud Arrianum *lib.*3. Οἱ Βαλάκρου ἀκοντισταί, cùm verba illa ſic eſſent vertenda, *jaculatores, quos ducebat Balacrus.* Fuit alius Nicanoris filius, Ciliciæ Satrapa; Arrianus *libro* 2. Vid. ſupra.

Baladan, Latin. *abſque imperio*, vel *abſque judicio*, aut *vetuſtas imperantis* vel *judicii.* Rex Babyloniæ, miſſis ad Ezechiam Regem Jud. legatis, fœdus cum illo feriit. Quibus cùm omnia ſua cimelia Rex monſtraſſet, Deus iratus, per Eſaiam illi nuntiari juſſit, hæc omnia olim Babylonem transvehenda, 4. Reg. 20. Eſajæ 39. Joſ. *Antiq.l.10.c.3.* Nabonaſſar eſſe creditur, cujus æra A.M.3306. incipit. Scaliger. *de Emend. Temp. l.5.* Torniel. A.M.3306. *n.*4. Vid. *Nabonaſſar.*

Balagrus, Hiſtoricus Græcus, ἐν Μακεδονικῇ advocatur à Stephano, in Ὄλβηλος, ac ἐν Μακεδονικῇ δευτέρᾳ ab eodem in Κμολβος.

Balaguata, regio Aſiæ, intra montes, peninſ. Indiæ intra Gangem, ſub dominio Regis Decani, versùs confinia regni Golcondæ.

☞ *Balambuanum*, Urbs Aſiæ, in Inſ. Java, cum portu, in ora littorali, versùs Orientem, ex adverſo Inſ. Baliæ. Hinc Fretum inter utramque *Fretum Balambuanum.*

Balamir, Hunnorum R. Boſphoro Cimmerio trajecto Oſtrogothos vicit. Unde tantus reliquis Gothis terror, ut à Valente Imper. ſedes in Mœſia peterent. Procop. *bell. Goth. lib.*4. Sozom. *l.6.c.37.* Jornandes, *c.*14.

Balanam, id eſt, *idoli gratia*, vel *donum*, aut *poſſeſſor gratiæ*, fil. Achobor, ſeptimus rex Edom. Gen. 36.

Balanea, oppid. in confin. Syriæ, & Phœnices. Plinius *libro* 5.*c.*20.

Balanea, Syriæ cavæ op. Stephano Phœniciæ, cui & *Leucas* vocatur, *Bagnias* Postello, *Valiana* Nigro.

Balantipyrgon, Indiæ intra Gangem urbs. Ptolem. *Capilampa* Mercatori.

Balari, Cyrniis exules dicuntur, teste Pausania, quod nomen Sardiniæ montana incolentibus adhæsit, cùm illuc secessissent à Carthaginensibus deficientes. Rhod.19.22. Eorum regio *Baromela* dicitur Pineto, *Præter Ilienses vel Jolaenses*, inquit Bochartus, *inter vetustissimos Sardiniæ populos memorantur Balari & Corsi.* Plinius, *Celeberrimi in ea populorum Balari & Corsi.* Livius *libro* 41. *Ilienses adjunctis Balarorum auxiliis, pacatam provinciam invaserant.* Item *Balarorum magna auxilia Iliensibus venerant.* Etiam *Balaros* recenset Strabo, inter τῶν ὀρείων ἔθνη. Et Pausanias tam *Corsos*, quàm *Balaros* cum Iliensibus in montes se contulisse scribit, & illos quidem arcessit è vicina Corsica, hos ex Africa & Hispania: *Ortâ*, inquit, *super prædâ dissensione, Afri & Hispani irâ accensi, cùm à Carthaginensibus defecissent, & ipsi montium jugis occupatis, seorsim considerunt*, Βαλαρὸν δὲ ὄνομά ἐστιν αὐτοῖς κατὰ γλῶσσαν τὴν Κυρνίων. Βαλαρὸς γὰρ τοὺς φυγάδας καλοῦσιν οἱ Κύρνιοι. At hi non erant exules, nec Corsicâ linguâ debuerunt, sed Sardiniâ denominari. Bocharto itaque *Ilienses, Corsi, Balari*, gens eadem, quia idem situs, & eadem victus ratio. Nempe ut *Ilienses* ex Pœno עילאי *Ilae* quasi *altos* dixeris, à montibus scilicet, ita חורשאי *Corsi* à sylvis, & *Balari à feritate* dicti, quasi ברירם *Barari.* Arabicè sc. בראדי *barari*, *solitudinem* sonat.

Balatha, Urbs Mesopotamiæ, ad Chaboram fluv. inter Nisibim & Tapsacum.

Balatimora, Sinus Hiberniæ Ins. in Momonia prov. & Desmoniæ Comitatu, spatiosus atque Insulis sparsus, cum portu cognomin. in ora Meridionali. *Balatimore Bay.*

Balatoni, Corsicæ mediterr. pop. quorum reg. *Balagna* dicitur. Horum vestigium manet in opp. *Balagna* intra montes, ad fontes Ostriconii, fluv. in parte Boreali Ins. Baudr.

Balatrones, Horatius *lib.* 1. *Sat.* 2.

Mendici, mimæ, Balatrones.

Quem ad locum sic vetus Interpres: *Balatrones luxuriosos ac perditos vocat, à Servilio Balatrone, cujus in 2. libro meminit. Ex hujus autem nomine, similis vita homines balatrones sunt appellati, à balatu fortè dicti, quæ vox intorta est, & ridicula; Legitur & Barathrones, qui bona sua devorando, quasi in Barathrum mittunt. Iidem & Blatrones propriè dicti sunt, à blatiendo, id est, vaniloqui.* Hæc ille. Primum autem etymon probare non possumus, nec enim *balatrones* id nomen habent à Servilio, sed Servilius id nomen accepit, quòd nihili homo foret, ac decoctor merus. Nec magis placet à *balatu* sic dictos. Quod si foret, ita vocarentur propriè *loculeii* & *blaterones*, quod falsum est. Verisimilius est tertium etymon, ut *bonorum gurgites* ita dicerentur, quia sint

Ingluvies & tempestas, barathrumque macelli.

Uti loquitur idem Horatius. Sanè *barathrum* Athenis locus erat immensæ profunditatis; Sed καὶ μεταφορικῶν sumitur à Plauto, pro *Stomacho.* Inde igitur decoctores dicti *barathrones*, quia cuncta conderent in *barathrum* hoc est, in *stomachum.* Hinc vetus Glossator ἄσωτον, *Barathronem* interpretatur. Quòd autem addit Horatianus interpres, aliter dici *Blaterones*, id satis refellitur iis quæ diximus. Est & aliud etymon apud Festum, ex cujus verbis cognoscitur *balatrones* ita dictos videri, à vocabulo *bulla*, sive, ut MSS. habent, *Balla* significante lutum, quod ex itinere adhæret, sive, quod de calceamentorum soleis raditur. Sanè pro *flagrione* usurpat Varro, *de R.R.* 2.5. *Videbo jam vos*, inquit, *balatrones, & huc adferam meum corium & flagra.* Cæterùm ab hâc voce est, quòd Italis homines nequam *Balatroni*, & Gallis *Belitres* dicuntur. Vid. Fungerum, in *Balatrones.* Henricus III. Imp &c. Pictaviæ &c. ac Aquitaniæ Ducis, sororem Guilielm. Agnetem in uxorem accepit. Cumque ex more regio, nuptias Ingenhemii celebraret, omne *Balatronum* & histrionum collegium, quod eò confluxerat, vacuum abire permisit. Spelman. *Glossar.* ex libro Gall. *Preuves de l'histoire des Comtes de Poitou*, &c. Ubi à *Balando* seu saltando, dicti videntur.

Balbeca, vetusta Phœniciæ Urbs, ad montis Libani radices sita, nunc fere omnino diruta, non longè à Damasco, Aleppum versùs.

Balbia, Ausoniæ urbs. Plin. 14.6. ubi nonnulli *Babia* legunt. Opp. Brutiorum in Calabr. citer. in colle, ubi manna & crystallus proveniunt. Hodiè illud *Altmonte* dici, scribit Gabr. Barrius. Hinc *Vina Balbina*, quæ in pretio olim. Plin.

Balbillus, Neronis ætate Ægypti Præfectus fuit, teste Tacito *Annal.* 13. Fuit id an. V.C. 809. Qu. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione Coss. De itinere suo, ac rebus Ægyptiacis, quædam consignavit. Sen. *Nat. Qu.* 4.11. *Balbillus virorum optimus, in omni literarum genere rarissimus auctor est, cùm ipse præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico ostio Nili, quod est maximum spectaculo sibi fuisse delphinorum à mari occurrentium, & Crocodilorum à flumine adversum agmen agentium velut pro partibus prælium: crocodilos ab animalibus placidis, morsuque innoxiis, victos.* Ex eodem opere est, quod refert Plin. *in procem. lib.* 19. *Galerius à freto Siciliæ Alexandriam septimâ die pervenit, Balbillus sextâ, ambo præfecti.* In vulgatis Senecæ libris est *Babillus*, in Plinianis *Balbilius.* Sed *Babillus* dicitur Tacito: atque ita legi oportere, probat Lipsius ex veteri inscriptione: T. JULIUS BALBILLUS, SACERDOS SOLIS. Addere potuit & hanc: SOLI ALAGABALO JULIUS BALBILIUS AQUILA. Sanè ἀναλόγως à cognomento *Balbus* fit *Balbulus*, hinc *Balbillus*; tamen ecce *Babilla* in inscriptione aliâ: PRO SALUTE SABINIANI ET JULIÆ BABILLÆ VINDONA MATER. Vossius.

Balbinus, post mortem Gordianorum, cum Pupieno, electus à Senatu Imp. Rom. bis antè Consul & Præfectus urbis, & plurimarum provinciarum rector. Genus suum referebat ad Cornel. Balbum Theophanem, qui per Pompeium civitatem meruerat, quum esset patriæ suæ nobilissimus, idemque historiæ scriptor. Hic cum Socio Imperii Maximinis restitit, qui in obsidione Aquilejæ perierunt. Mox uterque à militibus, durante Capitolinorum ludorum festivitate, interempti. An. 237. Imperii 10. vel 12. mense. Jul. Capitol. *In Maximin. & Gordian.* Herodianus *libro* 7.

Balburra, urbs Lyciæ. Steph. Vide *Bubo*, apud eundem. longitud. 60.40. lat. 37.20.

Balbus, cognomen Atiliorum, à *balbutie* primum uni ex iis impositum, & posteà à posteris retentum. Vide *Cornelius.*

Balbus, mons Africæ insignis latebra Masinissæ regis à Syphace superati. Est enim fontibus abundans, & pascuis, agroque Carthaginensi vicinus.

Balcea, urbs circa Propontidem. Steph.

Balchus, fluvius Colchorum.

Baldad, id est, *vetusta dilectio*, vel *mamilla* sive *inveteratus motus*, aut *absque motu*, sive *absque dilectione*, vel *mamillâ*; nomen viri. Job. 8.

Balde Jacobus, Ensishemio Alsata, Rector collegii Jesuitici, Neoburgi ad Istrum, Lyricus excellens. Scripsit optimi commatis poëmata, tom. 4. in duodec. Coloniæ excusa: Præterea *Uraniam*, *Batrachomyomachiam*, *Encomium macrorum*, &c. Obiit haud pridem.

Baldequinus, Damasci rex à Baldwino superatus. Blond.

Baldericus, Episc. Noviodunensis. Scripsit Chronologiam Ecclesiæ Atrebatensis & Cameracensis, cum aliquot operibus historicis. Voss. *hist. Lat. lib.* 2. *c.* 47. Sanmarthani fratres, *in Francia Christ. tom.* 2. *p.* 816. Obiit an. 1112.

Baldraca, puella generis obscuri, peregrinæque conditionis, quamvis multarum rerum ob paupertatem indiga, noluit tamen corporis sui facere copiam Othoni Imperatori. Volater.

Baldricus, Aurelianensis, Episc. Dolæ, in Britanniæ duc. Quatuor libros Belli S. scripsit, à tempore captæ per Godofredum Bullionæum Hierosolymæ. Ut & alia plura, in prosa & versu: quæ ultima 4. tomo Authorum histor. Gall. inserta. Ordericus Vitalis, *l.* 9. *hist. Eccl.* Gallia Christ. *tom.* 2. *p.* 566.

Balduinus I. Orientis Imper. priùs Flandriæ & Hannoniæ Comes 8. hujus nominis, fil. Balduini animosi. Cum Gallis expeditione sacrâ susceptâ, Anno 1200. Zaram, à Venetis adjutus, cepit: Alexin Junior. cum Patre Isacio Angelo in Imperium restituit, Constantinopoli, pulso Murzuflo, qui Alexin 4. strangulaverat, occupatâ. An. 1204. in Templo Apostolorum Imperator salutatus, anno 1205. Adrianopolin obsedit, sed coactus est obsidionem solvere à Joannizo, Bulgarorum R. à quo per insidias captus, & in Metropoli Bulgariæ Trinobi vel Ernoë detentus, anno verò pòst occisus est, An. 1207. Onuphr. *Chron.* Outreman. *Const. Belg.* Post hujus mortem Pseudo-Balduinus Flandriam turbavit. Lips. *Monit. Polit.*

Balduinus II. filius ult. Petri de Courtenay, admodum puer fratri Roberto suffectus, cui nondum per ætatem idoneo, Johannem Brennum, Regem Acræ cognom. Hierosolymit. Italiâ evocatum, nomine solùm coadjutorem dedere. Cujus filiâ Mariâ vel Marthâ ductâ, An. 1239. coronatus est. Hinc in Galliam appulit, à Ludov. 9. opem contra Græcos flagitans, cujus auxiliis subnixus in Græciam rediit, sed ab Alexio Cæsare, cognom. Strategopulo, Michaëlis Palæologi Duce, qui per subterraneum meatum à proditoribus monstratum Constantinopolin intravit, pulsus, in Italiam cum Pantaleone Justiniano Patriarcha, se recepit. Postquam Latini 58. an. Imper. tenuissent. Obiit An. 1273. Nangius in Ludovic. 5. Onuphr. *Chron.* Gregoras *l.* 8. Blondus 7. *Decad.* 2. *Baldwin* Germanicè est *audax victor.* Anglicè *A bold winner*; idem quod *Winbald*; ut *Nicolaus* & *Laonicus*. *Bald* autem olim pro *Bold*, id est, *Audax, confidens*: Authores Kilianus & Lips. *Epist.* 43. *Cent* 3. Sic *Ethelbald*, *nobiliter audax*, & *Willibald*, *valdè audax*, Respondet fere Græcis *Thraseas*, *Thrasymachus*, *Trasybulus*. *Win* autem idem est quod *winn victoria*, ut *Tatewin*, *doctus victor*, *Bert-win*, *clarus victor* & *Unwin* adhuc apud Danos, id est, *Anicetus, Uncoquer'd.* Camden.

Balduinus I. ex Principe Edessæ Rex Hierosol. post Godofredum Bullionæum, fratrem, An. 1100. Acren, post 20. menses

cepit;

cepit, ut & Tortosam, sed ipse mox Ramæ obsessus, eâ occupatâ, vix evasit. An. 1190. cepit Bernardus, fil. Raimondi, Comes Tholosanus, Tripolim, quam Comitis tit. sub Rege tenuit. Tandem Barutho & Saydâ anno pôst occupatis, agrisque prope Hierosolymam Christianis, qui inter Arabes vixerant, distributis, Obiit Balduinus, An. 1118. regni 18. in monte Calvariæ sepultus. Guil. Tyr. *l.* 11. & 12.

Balduinus II. de Burgo, fil. Comitis Rethelii, ex Gallia, Anno 1118. postquam Eustachius, Comes Bononiensis, frater Godofredi & Balduini I. jure in regnum cessisset, Rex tertius Hierosolym. coronatus est. Saracenos, qui Rogerium Antiochenum Anno 1120. vicerant, ingenti clade affecit. Ab his tamen anno pôst captus, Tyro urbe illis cessit. Obiit liberatus, An. 1131. regni 13. Gul. Tyr. *l.* 12. & 13. Sanut. *l.* 3. *part.* 6.

Balduinus III. fil. Fulconis Andegav. quintus Hierosf. R. ei cum matre Melesinda successit. Cepit Ascalonem, cum aliquibus locis maritimis, Obiit anno 1162. regni 20. nullis ex Theodora, Emanuelis Imper. nepte liberis susceptis. Guliel. Tyr. *l.* 17. & 18.

Balduinus IV. cognom. *Mezel*, id est, leprosus, fil. Almerici, ex Agnete Courtenæa, regnum obtinuit, An. 1174. quod, eo adhuc minorenni, à Raimondo Comite Tripolit. est administratum. Sibyllam sororem Guilielmo Comiti Montferratensi cogn. *Longus Ensis.* elocavit, è qua Balduinum 5. susceptum, cùm vix quinquennis esset, coronari jussit. Guilielmo verò mortuo illam Guidoni Lusiniano uxorem dedit. Interim vicit Saladinum, Hierosolymam occupare conatum, & Obiit Anno 1285. Nepos Balduinus 5. anno pôst, à matre, veneno necatus creditur, quò maritum suum Guidonem ad regnum eveheret. Gul. Tyr. *l.* 20. & 21. Sanut. *l.* 3. *p.* 6.

Balduinus I. cogn. *Brachium ferreum*, Comes Flandriæ fil. Odoacri, qui Saltuum Flandriæ præfectus erat, (sic enim gubernatores à Regibus Galliæ huc missi dicebantur.) Raptâ Juditâ, fil. Caroli Calvi, & Eardulphi Angli vidua, à Papa excommunicatus, Romam venit, & Nicolao I. intercedente, Socero reconciliatus, Flandriæ comes primus hæreditarius factus est. Obiit Anno 879. Guicciard. *Histor. Belg.* Mezeray & Dupleix, *in Carolo Calvo.*

Balduinus II. cogn. *Calvus*, prioris fil. à Carolo Simplici Atrebatum urbe exutus, licet ei contra Danos Normannosque strenuam navasset operam. Quod ægerrimè ferens Wimonacus dominus Insul. Vasallus ejus, Fulconem Arch. Remensem, cujus consilio Carolum id fecisse suspicatus est, per insidias occidit, Anno 900. Obiit, Anno 918. fil. Arnolphum Magnum successorem relinquens. Iidem.

Balduinus III. fil. Arnolphi Mag. ante Patrem obiit, *filio Arnolpho Juniore successore relicto, Anno 965. Mayer. Chron. Flandr.*

Balduinus, IV. cognom. *Barbatus*, *fil.* Arnolphi 2. ex Rosele, *filia* Berengarii, Italiæ R. successit Patri, An. 989. Cepit Valentias, aliaque loca. Fortunatissimus sui seculi principum, ni Balduinum 5. genuisset. Iidem.

Balduinus V. cognom. *Frisô*, dein *Bonus*, gener Roberti, Galliæ R. cujus fil. Adelaidem duxit, An. 1027. Cupidine dominandi in transversum actus, armis Patrem pepulit, qui à Ricardo 3. Normanniæ D. restitutus est. Post ejus mortem, fil. *Boni* cognomen meruit, Hannoniam occupavit, Regnum Gall. sub Philippo I. administravit. Obiit, Anno 1067. Balduino & Roberto fil. relictis.

Balduinus VI. cognom. *de Monte*, quia Montibus Richildam Reinieri 4. Comitis Hannoniæ hæredem duxit, Frisiâ Robertum fratrem pulsurus, in prælio cecidit, Anno 1070. Arnolpho 3. & Balduino fil. relictis. Quorum ille à Roberto, Anno 1071. occisus, hic Hannoniâ contentus esse coactus est.

Balduinus VII. cogn. *Securis*, quia semper aliquam manibus & in insignibus gestabat, fil. Roberti, ei successit An. 1111. Ludovico Crasso contra Henric. I. Angliæ R. præstò fuit, vulneratusque in exigui castri obsidione, quod *Bures en Caux* dictum, paulo post, intemperantiâ dolorem augente, An. 1119. obiit. Successit ei Carolus Bonus, sororis fil. ex Canuto Daniæ R. frustra Clementiâ Burgundâ matre, quæ secundis nuptiis Godofredo Comiti Lovaniensi nupserat, in Guil. Yprensem, Flandriæ spurium, qui ejus neptem habebat conjugem, regionem transferre conatâ. Guaguinus, *l.* 6. Polydor. *l.* 11. Mayer. *in Chron.* Mezeray, *in Ludov. Crasso.*

Balduinus VIII. Comes Hannoniæ, duxit Anno 1169. Margaretam Flandricam, sororem Philippi Comitis.

Balduinus IX. factus est Imper. Constantinopolitanus. Vid. *Balduinus I. Imper.*

Baldus, de Ubaldis Petrus, Perusinus, JC. celeberrimus sui temporis, Bartholi discip. Bononiæ docuit, plurimos scripsit in J.U. commentarios. Obiit Ticini an Patavii, Anno 1400. vel 1423. ut Trithem. vult. Fratrem habuit Angelum Baldum, studiorum socium & scriptorum aliquot Juridicorum auctorem, qui eodem anno obiit. Joh. Fischardus, *in Vitis JCossp.* 247. Vid. & Bucholc. *Ind. Chron.* ad an. 1344. & 1420.

Baldus, urbs Phœniciæ. Steph.

Baldus, Ital. *Monte Baldo*, mons Italiæ & Veronensis agri, in ditione Veneta; etiam in principatum Tridentinum excurrit, inter Athesim fluv. & lacum Benacum. Maginus.

Baleares, vulgò *Majorque*, & *Minorque*, duæ inf. Maris Mediterr. ante Hisp. quarum major, quæ Orientem spectat, longa est 100. m. p. circuitu 380. Cujus præcipua op. olim fuere *Palma*, & *Pollentia*. Minor longa est 60. ambitu 150. Sic dictæ (ut quidam volunt) à Baleo quodam, Herculis comite ibi relicto. Aut ἀπὸ τοῦ βάλλειν, hoc est, à *jaculando*, propterea quòd fundæ, & jaculationis *Baleares* peritissimi habiti sunt. Tradit enim Lycophron, & post eum Florus, *lib.* 3. *c.* 8. eam hisce insulis consuetudinem fuisse observatam, ut esurientibus filiis à matribus jentaculum in sublimi trabe poneretur, quod illi contingere non poterant, nisi prius fundâ dejecissent. *Majorcam* autem Diodorus *lib.* 5. maximam esse scribit, post 7. magnas, quod nonnulli perfunctoriè legentes sibi finxerunt 7. esse *Gymnesias*, sive *Baleares* (eædem enim sunt. Hesychius, Βαλιαρίδες, νῆσοι αἱ περὶ Κύρνον, αἱ δὲ αὐταὶ καὶ Γυμνησίαι.) Hinc Eust. *in Dionys.* Ἐπὶ δὲ εἰπόντων τινῶν εἶναι τὰς Γυμνησίας νήσους, ὁ Γεωγράφος δύο αὐτὰς λέγει. *Balearium* autem originem Græci conantur sibi asserere; aliis è Bœotiâ cum Lycophrone, aliis è Rhodo deducentibus. Sunt enim, qui à Rhodis καὶ τὴν ἐκ Τροίας ἐφοδευόντας Γυμνησίας νήσους κατασχεῖν λέγουσι. Ita Strabo *lib.* 14. Hinc Silius *l.* 2.

Jam cui Tlepolemus sator, & cui Lindus origo
Fervida bella ferens Balearis & alite plumbo.

Nam in bello Trojano Rhodiorum dux Tlepolemus fuit. Nempe tam Bœotos, quàm Rhodios ad has insulas applicuisse credibile est. *Baleares* tamen à neutris descendisse, palam arguunt lingua & mores planè dissoni. Gens enim fuit aliena prorsus ab omni cultu —— *Domus illis antra fuere: Vestes*, ut quidam ajunt, *æstate nullæ, hyeme autem ex pellibus.* Pro unguentis, quibus se ungerent, oleum lentiscinum, cum adipe suillo: *Ignotum argenti pondus & auri.* Vini ultra modum avidi erant, quo tamen carebat regio, & ita mulierosi, ut in nuptiarum solemnibus cognati & amici omnes cum sponsâ concumberent, priusquam ea viro permitteretur. Itaque in bello pro stipendio nihil exigebant, quàm vinum & mulieres; & pro mulieris captivæ λύτρῳ dabantur viri quatuor. Cadavera fustibus minutatim concerpta, & in vasis recondita lapidibus obruebant. Unicum in bello tellum fundæ tres, è melancrenâ, seu melancreni junci genere, quarum diversus usus; aliæ enim propius, aliæ eminus feriebant; Una circa caput aut collum, altera circa ventrem, aut lumbos, tertia in manu fuit. Hujus artis doctores Phœnices habuisse dicuntur. Strabo, Σφενδονῆται ἄριστοι λέγονται, καὶ τοῦτ' ἤσκησαν, ὥς φασι, διαφερόντως, ἐξ ὅτου Φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους. Quod vero non est absimile. Nam ex Scriptura planum est, hanc artem inter Phœnices & Ebræos pridem fuisse in usu. Jam verò ab hâc arte Βαλιαρεῖς cur dicti sint, non satis liquet. Constat quidem, inde appellatos. Nam palam nugatur Isacius *in Lycophronem*, cùm Balearidas insulas dici vult, quasi Βαλερίας ἤτοι ὑγιεῖς hoc est, *Valerias*, sive *sanas*. Et jampridem explosa est Livii fabula, de Baleo Herculis comite. Proinde ipse Livius, *Baleares à teli missu appellati.* Et Polyb. *lib.* 3. Βαλιαρεῖς, οὓς κυρίως μὲν καλοῦσι σφενδονήτας. Ἀπὸ δὲ τῆς χρείας ταύτης συνωνύμως καὶ τὸ ἔθνος αὐτῶν προσαγορεύουσι καὶ τὴν νῆσον. Idem habent Strabo, Diodorus, Stephanus, Eustathius, & Isidorus, qui in id omnes magno consensu conveniunt, ut *Baleares* ab usu fundæ velint esse nominatos. Quod tamen aliter atq; aliter edisserunt. Nam alii ex Gr. lingua *Balearum* nomen tanquam fidiculis extorquent, ut Isidorus post Diodorum, qui Βαλλιαρεῖς ideò scribit per duplex λ. ut ἀπὸ τοῦ βάλλειν deducat. Alii rem nudè efferunt, nullâ explicatione additâ, ut Stephanus, Livius, & Polybius. Alii denique, ut Eustathius & Strabo, vocem esse volunt vernaculæ linguæ, vel Phœniciæ, quod verissimum. Omnino enim Βαλιαρεῖς est בעל ירה *Baal jaro* id est, *magister jaculi*, seu *projiciendi lapides.* Et ob hoc clari apud poëtas perhibentur, qui eorundem fundarum sæpe meminerunt. Virgil. *Georg.* 1.

Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.

Ovid. *Met. lib.* 2.

Non secus exarsit, quàm cùm Balearica plumbum
Funda jacit, volat illud & incandescit eundo.

Lucan. *lib.* 1.

Impiger & torto Balearis verbere fundæ
Ocyor. ————

Silius *lib.* 1.

—— *Ensis & arcus*
Et telum Baleare. ————

Eodem pertinet, quòd *Baleares* Græcè *Gymnetes* dicti sunt, & insulæ *Gymnesiæ*, sive *ad exercitationem* cum Strabone referas, aut *ad nuditatem* eorum, qui in bellum prodeunt, solis fundis instructi. Quò referenda hæc Hesychii, Γυμνῆτες, οἱ μὴ ἔχοντες ὅπλα, οἱ δὲ τοὺς σφενδονιστὰς, οἱ δὲ τοὺς γυμνοὺς μαχομένους. Sunt qui *Gymnetas* dici volunt, quia ætatem nudi exigunt; Ita Livius ac Diodorus. Atqui à Lycophrone describuntur non omnino nudi, sed σισυρνοδῦται, *Sisyrnâ induti*, id est, *tunicâ villosâ, ex velleribus*, item ἄχλαινοι *sine lanâ* & ἀπεπλοι, *discalceati*. Itaque vereor,

reor, ne veteres ob id ipsum æstatem exigere nudos finxerint, quia non satis constabat, quorsum *Gymnetes* dicerentur. Ejusdem farinæ est fabula de Bœotis, naufragio facto, ad Gymnesias nudis enatantibus. Bochartus. In his insulis tantus olim cuniculorum proventus fuit, teste Plinio 8.55. ut in eos præsidium militare ab Augusto petere sint coacti. *Chœradas* ab Apollonio vocari, annotavit Gerbelius. Sanè Strabo eas χοιραδώδεις appellat, ἤτοι πετρώδεις. Vid. Eust. *ad Dionys. Vers.* 457. Antoninus vocat Majorem *Columbam*, & Minorem *Nuram*. Alphonsus Aragonius, ejecto Balearium rege, cognato suo, Baleares Insf. rapuit. An. 1344. Mariana *de reb. Hispan.* In prælio quoque Cressiaceno, quo Galli ab Anglis ingenti clade affecti sunt, præter Johannem Bohemiæ R. etiam Rex Balearium cecidit. Froissard. *l.* 1. circa A.C. 1346. Hodie ad Hispaniam pertinent, ab ea vix 70. mill. distantes, Inter se autem 25. m.p. Major, quæ *Majorica*, Urbem habet cognom. amplam & munitam, & 34. vicos; in circuitu est 140. m.p. Minor, quæ *Minorica*, opp. habet *Citadelli* dictum, cum 4. vicis, estque vix 50. m.p. Baudr. Vid. *Majorica & Minorica.*

Balech, urbs à Salomone ædificata. Josephus.

Balesium, maritimum Italiæ op. non procul à Brundusio. Plin. *lib.* 3. 11. Vid. *Aletium.*

Baletus, Hipponis fil. Corinthi civitatis primus auctor & fundator. Velleius *lib.* 1.

Baleus I. Rex Assyriorum, ab A. M. 2199. usque ad An. 2228. Alius, imperium tenuit, ab An. M. 2302. usque ad an. 2353. Euseb. *Chron.* August. *de C.D.l.* 18 *c.* 3.

Balgentiacum, Urbs Galliæ Lugd. cum ponte ad Ligerim fluv. in Belsia prov. & Aurelianensi agro, media inter Aurelianum & Blesas. Titulum Comitatus habet. Capta ab Anglis, An. 1428. sed an. pòst à puella Aurel. recepta. *Ibi* concilium an. 1102. quo Philippus I. & Bertrada divortium petierunt & 1152. quo Lud. Jun. & Eleonoræ divortium decretum. *Concilia Gall. Baugency* vulgò.

Balgium, vulgò *Baugé*, opp. Galliæ, in Andegavensi prov. 3. leuc. à Flexia in Merid. & 5. à Salmurio in Bor.

Balia, Inf. Asiæ, in India. Vid. *Balya.*

Baliardus, philosophus Peripateticus, Parisiis floruit; ab Orthodoxis tamen in quibusdam aberrans, à quibus nec per Synodum, jussu regis Ludovici, hujus gratiâ coactam, avelli potuit. Volater. Vid. *Petrus Abælardus.*

L. Balienus, Catilinæ avunculus, Lucretium Asellam, consulatum, contra voluntatem Syllæ, ad perturbandum civitatis statum petentem occidit, jussu Syllæ tunc Dictatoris; accusatus postea, ac damnatus est, Ascon. Pædian.

Baliloth, in Tribu Benjamin. Hieron. in L.H.

Balingum, opp. Duc. Wirtembergensis.

Balinienses, Latii pop. aliàs *Tribulani.* Plin. *lib.* 3. *c.* 5.

Balis, urbs Libyæ, juxta Cyrenem, sic dicta, quòd *Balis* Deus in ea coleretur. Steph.

Balisbiga, opp. fuit Armeniæ maj. ad Arsaniam fluv. 60. circiter milliar. à Militene in Ortum, & vix 10. à Babylone.

Balista, Monte Balestra, mons Thusciæ, inter Regium Lepidi & Lucam intercedens Ferrar. Vid *Ballista.*

Balius, unus ex equis Achillis, à *Balio* colore sic dictus. Hom. *Iliad.* Vid. quoque in voce *Ballivus.*

Balla, urbs Macedoniæ. Steph.

Ballatha, Mesopotamiæ urbs. Ptol. *Bathno* Antonini videtur quibusdam, inquit Simlerus.

Ballegarium, seu *Valaguaria*, urbs celebris expugnatione sua à Gallis, anno 1645. sita ad Secorim fluv. 12. leuc. a Minorissa. Aliis est Bergusia.

Ballio, lenonis nomen apud Plautum, à quo lenones in historiis *Balliones* vocantur.

Balliolum, nomen aliquot in Gallia locorum. Chronicon Fontanellense *cap.* 12. in pago Tellau *Balliolum* memorat, inter Heldonam & Deppam fluv. vulgò *Ballieul*: & *cap.* 11. aliud Vinemaco pago attribuit; vulgò *Ballieul en Vimeu.* Ex horum altero ortus est Rex Scotiæ *Johannes de Balliolo* cognominatus, Johannis de Balliolo domini Galuvidiæ filius. Est & *Balliolum* in pago Carnutino, de quo Joh. Parisiensis *in Mem. Histor.* Nec omitti convenit Balliolum in Hainoo, *Ballieul en Hainau.* Vid. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

Ballista, mons Galliæ Cisalpinæ apud Ligures. Vide Cluver. *de Italia Ant. lib.* 1. *c.* 10.

Ballivus, aliter *Balivus*, *Bailus*; *Bajulus* & *Balius*: Gallis *Baillif*, à βάλλειν, committere, quasi *Commissarius*: dicitur, qui rebus curandis deputatur, sive in provincia, sive in urbibus, sive in castellis, villis, dominiis, re familiari &c. Nisi quòd *Bailus* frequentiùs occurrit, pro Venetorum Legato, in re Mercatoria, apud Imp. Constantinop. & alibi. V. Plat. *in Greg. XI.* Phranz. *Chron. l.* 3. *c.* 1. *apud Meurs.* In Scotorum Regia Maj. occurrit plerumque vox *Ballivi*, pro Judice: apud Anglos aliquando, pro quocunque Ministro Regis de latrocinio cognoscente. Gallis Justitiam tutelarem significat, idemque est, quod Præpositus: splendidus apud illos Magistratus. Apud Anglos honestioris sæpe notæ, sed plerunque minister infimus. *Ballivus Provincialis* Gallis est, qui in Provincia, Satrapia aut Comitatu, judicia exercet, de arduis cognoscit, pacem curat, populi partes, velut Tribunus, tuetur. Militem etiam evocat, lustrat, educit &c. Instituti tales à Ducibus & Comitibus, cùm olim ipsas provincias & dignitates, hæreditariè possidendas adepti essent, sub exordio Capetorum regni. Unde iidem fortè, cum Aldermannis Comitatuum apud Saxones, qui *Grevi*, seu *Gravii*, postea Vice Comites appellati sunt. Et quoniam quatuor istæ provinciæ, *de Vermendoys, de Sens, de Mascon, & de S. Pierre le Moustier*, antiquissimè coaluerunt in regnum Franciæ, ipsorum Præpositi, *Ballivi Franciæ* appellati; ad quos in causis regiis provocare licet, à Magnatum Ballivis: dicunturque ideo *Gardiens des droicts du Roy & de la couronne.* Imo & *Ballivi Regii* nuncupantur, earum provinciarum præpositi, quas Reges posteri fisco adscripserunt: Cœteri omnes Ballivi minoris sunt notæ. A Normannis ad Anglos vox hæc pervenit: & in genere Vicecomitis vel Præpositi similiter functionem designat, jurisdictionemque Aldermanno comprehendit, Vid. supra. In specie, *Ballivus Franchesiæ*, apud illos dicitur, qui in loco immuni seu portione Comitatus, à potestate Vice Comitis subducta, partes Vicecomitis exequitur: His similes apud Gallos Baronum & Castellanorum Ballivi. *Ballivi Burgorum*, sunt in Burgis suis, Prætoris instar: hi interdum bini, interdum quaterni singulis burgis aut civitatibus præficiebantur: cùm Aldermanni & Grevi tantùm singuli suis civitatibus præessent. *Ballivi Manerii, Domestici, Portuum, Itinerantes* &c. de quibus Vid. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Ballonoti, Scythiæ Europ. populi. Valer. Flaccus *Argonauticon lib.* 6.

> *Ibant & geminis æquantes cornibus alas*
> *Ballonoti.* ——— ——

Balma, mel. *Bapalma*, opp. Artesiæ, sub Gallis, ab anno 1641. V. *Bapalma.*

Balma, seu *Balmense cœnobium*, vulgò *Baumes les Nonains*, oppidul. est Comit. Burg. ad Dubim fluv. 4. leuc. à Vesuntione; cum veterrimo intra muros Monasterio Virginum, Benedicti regulam sequentium. Alia in iisdem Sequanis est *Balma*, Monachorum Cluniacensium Abbatia. Significat autem vox *Balma*, linguâ Gallicâ, antrum seu cavernam, præsertim in monte, aut alio aliquo loco eminente. Hinc & *S. Balma* in Provincia nomen accepit, *Sainte Baume*, vel *la Balme.* Italis quoque *Balma*, antrum est. Est etiam castrum *Balma*, in pago Viennensi, vicinum Crimiaco *Cremieu.* Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

Balneolum, oppidul. Italiæ, in regno Neap. & prov. Principatus Ulter. ad fontes Caloris fluv. prope Apenninos montes, 9. mill. à Compsa in Occas. vulgò *Bagnuola.*

Balneoregium, vulgò *Bagnarea*, Urbs episc. Hetruriæ Pontif. ditionis, S. Bonaventuræ patria, in agro Urbevetano. Item Duc. Calabriæ. Leand. *descr. Italiæ.*

Balneum, Ordo milit. in Anglia à Richardo 2. institutus, qui illorum 4. esse voluit. Henric. 4. autem ad 46. numerum extendit. Illorum insigne tres coronæ aureæ, in campo cœruleo, cum lemmate, *Tres in uno.* Quo tres virtutes Theolog. indigitatæ. Solebant hi equites se lavare prius, antequam crearentur. Favin. Froissard. Matthæus Paris.

Balœum, Urbs Macedoniæ. Steph.

Baloth, civitas tribûs Judæ. Jos. 15. Lat. *subjecta*, sive *possessa*, aut *in ascensione.*

Balsa, Lusitaniæ urbs. Ptol. *Tavila* H. Coquo. Item numeratur inter Cyrenaicæ reg. op. *Busera* Nigro: *Albufeere* Sansoni, oppidul. Algarbiæ, in ora prope Silvim, 18. leuc. à Pace Julia, inter S. prom. & Pharum, Baudr.

Bal salisa, Civ. sita in tribu Ephraim, in planitie, in finibus Diospoleos, 15. ab ea mill. distans contra Septentr. in reg. Thamnatica. 2. Reg, 4. Latin. *idolum tertium*, aut *idolum ducis* vel *principis*, sive *possessor trium*, aut *possessor ducatûs* vel *principatûs.*

Bal sasar, Lat. *Servator Thesauri*, fil. Nabuchodonosor. Dan. 5. Secundùm verò Josephum filius Evilmerodachi: *Neriglissar*, auctorum gentilium, *Naboandel* Babyloniorum. Ultimus Chaldæorum R. Babylone à Cyro occupatâ, inter epulas, occisus, postquam manu è pariete prodeunte & scribente *Mané, Mané, Thekel, Phares*, territus esset. An. M. 3516. regni 23. Vid. Dan. *cap.* 5. Jos. *Antiq l.* 10. *c.* 12.

Balsera, & *Bassora*, al. Teredon, Urbs Asiæ, & emporium celebre Persidis, in prov. *Jerack*, prope sinum Persicum, 150. mill. à Bagdeto in Austr. Vid. *Teredon.* Hinc sinus Persicus multis dicitur *sinus Balsera.* V.P. de Valle *Itin. tom.* 4.

Baltassar, nomen Danielis. Dan. 1. qui & *Belteshazzar*, Lat. *abscondite thesaurisans*, sive *in malleatore thesaurisans*, vel *occultè portans angustiam.* Suidas, Βαλτάσαρ οὕτως ἐκλήθη ὁ Δανιὴλ εἰς τιμὴν τῆς τῶν ἀπορρήτων σαφηνείας. Item 8. Babyloniæ rex. Regnavit an. 5.

Balthasarus Castilionæus, Poëta celebris.

Balthasar Gerardus, Burg. ab Hispanis conductus, Delphis Hollandiæ, Gulielmum Principem Auriac. sclopeto tribus glandibus exploso occidit. Ad supplicium ductus, dixit: *à Jesuitis se Martyrum sede illectum, decrevisse trucidare Principem; li-*

cet 50000. *hominum stipatus fuisset.* An. 1584. Thuan. *lib.* 79. Reidanus *Annal. lib.* 3.

Balthasarus Pacimontanus, Anabaptista, Tiguri convictus, palinodiam cecinit. Mox in pristina deliria relapsus, transiit in Moraviam, ubi captus & Viennam deductus, ultricibus flammis exustus est. A. C. 1525. Prateolus, Spond. *Balth. Paez* Trinitarius, plurium commentariorum auctor.

Balthassar, rex Babylonis, sub quo hæc civitas à Persis capta fuit. Tot ac tantis deliciis affluebat, ut inter impudicas mulieres & obscœnas, tanquam in cœno porcus volutaretur. Vid. *Bal-Sasar.*

Baltia, insula in mari Germanico.

Balticum mare, *Morimarusa* Philemoni, & *Amalchium* Hecatæo apud Plinium dicitur. Mercatori est *sinus maris Germanici*, quem hodiè Germani *Oost Zee* dicunt, Rutheni *Waretzkovie More* vocant. *Suevicum mare & Pigrum* Tacito dicitur, ab effectu, ut creditur, quòd non, ut cætera maria moveatur. *Codanus sinus* Melæ est. Ab Inf. Codanonia. *Mare Venedicum* Sigismundo Herberstenio. Accolæ Germani illud *Beltz* indigitant. Hoc quanquam in ejus aditu multæ sint Inf. tamen ex omni parte impervium est, nisi in Sundico freto. Mare autem illud terras subiens, iterum in duos sinus dividitur, Bodnicum & Finnicum. Baudr.

Baltra, sinus oblongus Hiberniæ Inf. in Momonia prov. & Desmoniæ Comitatu. Ab aliis *Bautrebay.* Portus habet aliquos.

Balve Joh. Cardinalis, molitoris Virodunensis fil. Ludovici XI Eleemosynarius, Episc. Andegavensis factus est, accusato prius Johanne de Beauveau Evergetâ suo, tandem ope Regis, purpuram adeptus. Tam proclivi ad militiam animo, ut ipsemet militibus contra Ligam *Boni publici* conductis, stipendia solveret. Unde jocus Comitis Dammartini ad Regem, rogantis, ut committeret sibi Ecclesiam regendam, siquidem Cardinalis militari munere fungeretur. Post quæ perfidiæ suspectus, 11. annos in carcere detentus est, Papâ nequicquam reclamante; donec tandem Pontificii legati operâ dimissus est. Romam cùm venisset, multum gratiæ nactus est, à Sixto 4. mox Legatus à latere in Galliam remissus. Inde reversus, Episc. Albanus, pòst Prænestinus, dein Protector Ordinis Melitensis, tandem Legatus Anconæ evasit, ubi mortuus est. An. 1491. Phil. Cominæus, Continuator Monstrelet. Rob. Gaguinus, P. Æmylius, Mezeray *in Lud.* 11. & *Carolo* 8. Auberius, *in histor. Cardin.* Spond. Anno C. 1465. *n.* 4. 1480. *n.* 4. & 1485. *n.* 3.

Balventius, prænomine *Titus*, primipili centurio in exercitu Cæsaris, vir fortis & magnæ auctoritatis in Galliâ ab Ambiorige cæsus. Cæs. V. *Com.* 35. codex Fulvii Ursini habet *T. Bentius.*

Balus vel *Balaneus* 8. Babylon. Rex, regnavit A. 30.

Balya, Insula Indiæ Orientalis, ad ortum juxta magnæ Javæ insulam sita est: à qua dirimitur tantùm freto Balambuano: Ejus Borealis angulus sub gradu nono cum dimidio poli Antarctici porrigitur, ambitum ferè mill. 12. Germanicorum sortita est. Ad oram aquilonarem valde montosa, populis tamen abundantissima. Regionis hujus homines nigri sunt, crispis capillis spectandi. Regem habent acrem & imperiosum: cœteroquin Ethnici: quodvis primum manè obvium, eo die adorant. Vestitum Javanis & finitimis aliis consimilem gerunt. Uxores plures ducunt, ex quibus liberos adeò frequentes suscipiunt, ut licèt indies & hominum magnus numerus venum eat, nihilominus insulam ultra 600000. alere confirment. Opificium eorum principale est agricultio, & textoria, cùm gossypii insula feracissima sit. Equos, sed pusillos, Gallicanis similes habent, qui cataphractum sessorem vix ferant: Opulentiores & primarii sellis, sclavorum humeris impositis, gestantur, aut curribus Bubalorum opera vehuntur. Oryzâ oppida abundant; cùm, interdicto regis, ejus nihil efferri queat. Omnis quoque generis eadem volucres promit. Fructus eorum primarius est *Cocos*, qui incolis pro cibo optatissimus venit, ex quo & oleum valde salubre exprimunt. Negotiationes maritimas nullas agunt, nisi fortè per parvas *Paraos*, quibus ad littus saltem Javanum suos ad divendendos pannos xilinos ablegant. Eadem insula satis commoda illis navibus est, quæ ad Moluccanas insulas, Bandam, Ambon, Maccardo, Timor & Solor hac transeunt. Apud eos & hodie perniciosus ille mos viget, ut cum defunctis viris multæ simul conjuges comburantur eodem rogo, cui oleum suffundunt & santalum injiciunt. Si quæ mulier eo rogo cremari renuit, parum proba habetur. Cæteras ad pyram promptas & faciles honestissimas & viri amantissimas pronunciant, dignasque quæ illi in futura quoque vita cohabitent. Ritus iste primitus à rege quodam ideò institutus est, ut mulierum proterviæ hoc modo obviam iretur: solebant enim mulieres viri præsentis saturæ & alios ardentes, innumeris dolis aut variè commixtis venenis eum è medio frequenter tollere. Quo flagitio cùm rex sibi viros quam plurimos pessum ire videret, hoc ritu instituto, malitiam muliebrem nonnihil infrenari posse arbitratus est. Nat. Metel.

Balyras, Peloponnesi flu. Rhod. 18. 7.

Bamaal, hoc est, *in circumcisione*, aut *in mistione*, fil. Josaphat. 1. Par. 7.

Bamba, vel *Wamba*, ab aratro ad sceptrum vocatus, & stimuli germinantis miraculo confirmatus, evasit Rex Gothorum in Hisp. invitus throno impositus est, post Reccesiuntem. Audito Hildericum Comit. Nemausensem quædam in Aquitania turbasse, misit contra illum exercitum, sub Paulo, prædecessoris sui agnato. Qui pace cum Comite factâ, Narbonæ se Regem fecit, Provinciamque totam diripuit. Quam perfidiam ultus est Bamba, & redux classem 160. navium, quâ Arabes ex Africa in Hisp. appulsi mare infestabant, oppressit. Interea Eruigus, gener Reccesiunti, venenum Regi propinat, cujus vi in Monasterio quodam obiit, A. C. 680. regni 8. sed 1. Canon Concilii Toletani 8. an. 681. coacti, ad Eruigum eligendum, notat Bambam ei throno cessisse. Roderic. *hist. Hisp. l.* 2. *c.* 2. & *seqq.* Mariana *l.* 6.

Bamba, Provincia regni Congiani, in Africa, cum opp. cognom. inter Loandam & Zaire fluv. ditissima, & totius regni propugnaculum contra quoscunque hostes. Habitatores omnium ejus regni bellicosissimi sunt, semper armati incedunt longis gladiis, qui è Lusitania adferuntur. Tantis sunt viribus præditi, ut servum, quos pecudum ferè loco habent, medium dividant, imò tauro mediocri, uno ictu cervicem amputent. Natal. Metel.

Bamba, prov. Americæ meridion. in regno Popajani, & versùs urbem cognom.

Bambalio, In hujus nominis origine debetur laus Adriano Turnebo, qui *Advers.* 17. 14. scribit hoc modo: *Pater uxoris Antonii propter hæsitantiam linguæ, stuporemque cordis, ut à M. Tullio, Philip.* 3. *et objicitur, Bambalio vocatus fuisse dicitur.* Proinde quæritur, quis sit *Bambalio* à Criticis. Fungerus nomen per diminutionem ad risum factum arbitratur, ut quemadmodum dicitur à *sceparnum Sceparnio*, sic à βομβαλίν, βομβαλίων. Est autem βομβαλίζν, *tremere* ac *dentibus crepitare*, & *labiis balbutire*, quod & algentibus usu venit, & stupentibus quoque, & balbutientibus, & ore tumultuantibus, & in loquendo colluctantibus & hæsitantibus, maximè tamen commissione labrorum balbum sonum elidentibus, quod & βομβαλύζν, & παμφαλύζν dicitur. Quæ omnia per Onomatopœiam sunt effecta, ut βομβαλυβόμβαξ apud Aristophanem, & βόμβος & inde factum nomen bombardæ. Fit & apud Dionem, cùm in Oratione Ciceronis tum in Oratione Caleni, mentio *Bombalionis.*

Bamberga, urbs Franconiæ episc. sub Ep. propr. quæ & *Babenberga*, a *Babâ* Othonis Imp. filiâ nominata, colli imposita, à D. Henrico II. Imp. qui magnificum hic templum, eluendis peccatis, condidit, an. 1007. ad hanc dignitatem evecta. Hic illam cum omnibus suis juribus Romanæ Sedi subjecit, à quo jugo per Henr. V. Benevento cesso, liberata est. long. 32. 49. lat. 49. 51. Prope confluentes Mœni & Regnitii fluv. 9. leuc. ab Herbipoli. Quibusdam creditur *Bergium* antiquorum. Ditmar. *Chron. lib.* 6. Leo Hostiensis, *lib.* 2. *cap.* 47. Marianus, Abbas Ursperg. Autor Vitæ Henr. I. *tomo* 6. *antiq. Lect. Canisii.* Concilium ibi an. 1011. in quo Theodoricus Lucemburgicus, Cunegondis Imperatricis frater, accusatus est, illegitimis mediis in sedem Episc. Mediomatricum irrepsisse. Ditmar. *lib.* 6.

Bamberga, oppidul. Bohemiæ, versùs Montes, in confinio Moraviæ prov. juxta amnem *Orlitz*, in colle, 1. leuc. ab Austria in ort. 6. à Glacio in Austrum.

Bamborum, Mauritaniæ flu. crocodilis refertum. Plin. 5. 1.

Bambyca, vel *Bambyce*, Mesopotamiæ urbs, quæ & *Edessa*, in quâ Atergatim Deam colunt. Strabo 16.

Bambycatii, pop. juxta Tigrim, qui omnem auri & argenti materiam ita execrantur, ut omnia metalli genera coëmentes, illa in profundas terrarum, & abditas solitudines suffodiant, ne pecuniæ commercio animi indoles enervetur. Alex. ab Alexandro 4. 5.

Bamoth, id est, *altaria*, vel *excelsa*, aut *in monte*, nomen vallis. Quam Israëlitæ transierunt, in tribu Ruben. Num. 21.

Bamoth-Baal, civitas in tribu Ruben, & mons, in quo colebatur Baal. Jos. 13.

Bamura, pop. Libyæ. Silius Ital. *l.* 3.

Tum Chalybis pauper Bamuræ cruda juventus.

Ubi Daulqueius ait, in excerptis MS. codicis esse *Banjuræ.* Sanè Βανίουροι Ptolemæo pop. sunt in Maurit. Cæsariensi, & *Bajuræ* Ammiano *l.* 5. *Banurri* Plinio 5. 2.

Banaia, id est, *filius intelligentiæ*, aut *ædificatio Domini*, nomen viri. 2. Reg. 23. Item *princeps.* 1. Par. 4. Pater Phethiæ. Ezech. 11. Filius Jehoiada. Unus ex fortibus Davidis, cui Salomonem inaugurandi & Joabum occidendi cura commissa; hoc sublato Dux exercitus factus. 2. Reg. 8. 22. 23. & 3. Reg. 1. 2. 4. 1. Paralip. 4. 11. 15. &c. Joseph. *Antiq. l.* 7. *c.* 10. & 11. *lib.* 8. *c.* 1.

Banara, urbs Asiæ, in India, in regno Bengalæ, juxta Gangem fluv. sub ditione M. Mogolis, 40. m. p. à *Gouro*, urbe, in Sept. & 100. ferè ab Halobassa in merid.

Banasa, *Banassa* Antonino, & Ptolemæo, Plinio *Valentia, l.* 5. *c.* 1. urbs Maurit. Tingit. à Lixo 40. m. p. *Fansara* Moletio.

Banatia, *Bansey*, teste Camdeno, op. Britanniæ in Angliæ Sco-

 tiæ-

tiæque confin. Tuesi finitimum, in Bor. recedens. Ita Ferrarius. Atqui Camdenus ponit eam, ubi jam *Bean* Castrum, in Moraviâ reg. Scotiæ longissimè à Tuesi flu. distans.

Banatia, urbs erat Vacomagum, nunc castrum *Ban*, in Scotia Septentr. ad amnem *Findorn*, in Moraviæ Comit. versus Badenacham. Vix 10. mill. à Tuesi seu Spea fluv. Sanson.

Banaurides, insulæ Thusciæ, à Banauro Ajacis filio. Stephanus.

Banausi, servorum genus, manuum operâ utentium. Rhodigin. 25. 18 Est autem Βάναυσος propriè *fornicarius*, hoc est, *qui circa fornaces, & caminos exercetur*. Hesychius Βαναυσία, πᾶσα τέχνη διὰ πυρὸς, κυρίως δὲ ἡ περὶ τὰς καμίνους. Καὶ πᾶς τεχνίτης χαλκεὺς, ἢ χρυσοχόος, βάναυσος. Porro βαῦνον Peloponnesii ignis locum vocant *caminum*, & αὔειν est *incendere*. Unde propriè dicitur de artificibus, qui igne opera sua conficiunt. Sed translata vox est posteà ad omnes artes, quæ manuum officio peraguntur, id quod & B. Hieronymus annotat, *lib.* 1. *adversus Pelagium*, *Ut taceam*, inquit, *de iis, quos Græci* Βαναύσους *vocant, nos ad opera manuum pertinentes dicere possumus*. Inde Βάναυσος τέχνη, apud Aristot. *ars sordida & illiberalis*, & βάναυσος φιλότης, apud Platonem, *amicitia trivialis*.

Banburia, opp. Angliæ, in Comitatu Oxoniensi, ad Chervelum amnem, 15. mill. ab Oxonio in Septentr. 12. à Varvico in Austr.

Banca, Ins. Asiæ in longum porrecta, in mari Ind. prope Sumatram Ins. in ora Orient. cum opp. & ex adverso Palimbani oppidul. Hinc fretum inter eam & Sumatram *Fretum Bancæ*.

Bancona, Germ. sup. op. vulgò *Oppenheim*, Georg. Fabricius. long. 27.20. lat. 49.50. V. *Oppenhemium*.

Bancus, vox medii ævi, pro Tribunali: quo nomine duo apud Anglos notissima, teste Spelmanno: *Bancus Regius*, qui post Parlamentum, supremum est totius Regni tribunal, utpote quod de causis cognoscit capitalibus, criminalibus, aliisque ad coronam & Regni Hospitium pertinentibus. In eo præsidebat olim Capitalis Angliæ Justiciarius, & interdum ipse Rex: hodie verò Capitalis Justitiarius *Banci Regis*, cum tribus vel quatuor assessoribus. Et *Bancus Communis*, ubi placita communia, i. lites civiles ex jure inter subditos oriundæ tractantur: cui præest similiter cum 3. vel 4. assessoribus, suus itemque Capitalis Justiciarius. Pertinet autem jus *Banci*, propriè ad Regios Judices, & qui summam administrant justitiam. Infimarum enim Curiarum, puta Baronum & Hundredorum *plano*, ut ajunt, *pede* censentur judicare, in Jure Civ. *pedanei Judices*; Græcis χαμαιδικασταί; Gallis *Juges dessous l'orme*, quòd prope ædes dominicas, sub ulmo, vel alia arbore, solerent considere, dicti. Huc facit illud ex Querolo, antiqua comœdia, *De robore sententias dicunt*. Majorum autem Judicum sedes, Græcis Βήματα, Romanis *sellæ* vel *tribunalia*: Minorum, illis Βάθρα, his *subsellia* vocantur. Sed & antiquissimi moris fuit, è tribunalibus aggesto cespite constructis, jus dicere. *Glossar. Archæol.*

Banda, insula, satis nota in mari Indico, sub Hollandorum dom. vicinæque aliquot insulæ, totius orbis terrarum solæ sponte lautiores in epulas & medicamenta mortalium, ex una eademque arbore macim & nucem myristicam fundunt. Arbor ad pyri similitudinem accedit, fructus mala persica quadantenus imitatur: floret quo tempore ibidem aliæ quoque plantæ, & herbæ varii generis: è quibus universis mirificus odor, incomparabilis cujusdam suavitatis existit: ubi defloruit, maturescens pomum paulatim è viridi, tum cæruleas luteasque, tum purpureas & igneas transit in maculas, qualis in arcu cœlesti cum voluptate cernitur.

Banda, Syriæ fluvius.

Banda, ordo milit. in Hisp. Anno 1332. ab Alphonso Castellano institutus, cujus ipsemet Rex semper caput. Fasciam gerebant rubram sub brachio sinistro nodo constrictam. Honor non nisi juvenibus, & quidem iis, qui 10. annos in bello egregiè se gessissent, aut in Aula serviissent, concessus. Equites S. Jacobi his successisse videntur. Mariana *l.* 16. *c.* 2.

Bandanæ, parvæ insulæ Indiæ Orientalis, numero circiter septem, à meridie Sindarum Insularum ac Moluccarum sitæ sunt, gradu circiter septimo latitudinis australis; alii eas ultra gradus 6. cum triente ponunt. Harum nomina sunt *Bandan* major cæteris, ac iisdem nomen communicans, *Mira*, *Rosolargium*, *Ay*, *Rom*, *Neira*, & *Gunuape* omnium minima, quæ continuò ardet, atque ob id deserta est. Hæ insulæ nuces myristicas & mastichem ex eadem arbore ministrant.

Bandera, al. *Manora*, Castrum Indiæ, intra Gangem, in ditione Lusitanorum.

andobena, op. Indiæ, quod Cophes & Coaspes flu. præterfluunt. Strabo.

Bandoninia, vel *Blandonia*, nutrix Radegondis, Reginæ Gall. uxoris Clotharii I. quæ dein Abbatissa S. Crucis Pictavii facta. Vitam ejus scripsit, jam prius à Fortunato Pictav. Episc. literis quoque consignatam. Surius *tom.* 4. 13. *Aug.* Voss. *de hist. Lat. l.* 2. *c.* 22. *& Phil. c.* 2. *§.* 2.

Bandum, *Bando*, urbs Asiæ, in India & Imperio M. Mogolis, cum regione cognom. 15. leuc. Germ. ab Asmeera in Sept. 70. ab Agra in ort.

Bangorium, urbs Albionis in Walliâ in ora contra Monam insulam, vulgò *Bangor*. long. 15. 37. lat. 53. 05. ad fretum, *Menay*, in comit. Arvoniæ. Baudr.

Banialucum, urbs regni Bosniæ prim. aliis *Vammelucha*, versùs montes & confinia Dalmatiæ, prope lacum cognom. & Cetinam fluv. sub Turcis. Quibusdam est Blanona.

Banisa, vel *Basanisa*, pop. Thraciæ. Steph.

Banna, apud Italiotas *rex* dicitur, aut *maximus magistratus*, Rhod. 5. 17. Apud Bœotos *mulier*. Hesychius. Item fluv. Hiberniæ in Bor. Oceanum decurrens.

Bannerettus, à Bannerio, quod idem cum *Bando*, apud Suidam, ac Procop. *de bel. Vandal. lib.* 2. *Sect. I.* & Germ. *Paner*: dictus, quasi Vexillarius minor, medium tenens inter Baronem, cui propriè competit jus vexilli sc. quadrati, & equites reliquos. Apud Anglos proin *Baronettus* quoque vocatur. Fuit hæc signi seu vexilli gestatio inter homines militares adeò gloriosa olim, ut antiquos Supraïbiensium Reges nihil aliud, quàm signiferos ductores fuisse contendat, Hier. Blancas *in Hist. rer. Hisp.* Oportet autem *Banerettum* ad minimum, decem habere feodales milites: quò respexisse videtur Virg. *Æn.* 5.

Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores, pueri bis seni quemque secuti.

Creatos *Banerettos* ferunt non nisi in exercitu Regio, erecto jam regni Labaro: tunc Regi, bellive Imperatori loco gramineo constituto, candidatum efferri volunt à duobus Equitibus, vexillum, præcinentibus buccinis, penitum (*i.* caudatum, instar Draconis, unde & Draconarium dictum) gestantem suis armis insigne & complicatum: factâque ab ipso protestatione satis sibi esse in patrimonio, quo tantam tueatur dignitatem, Rex vel belli Imperator velum explicat, præcisoque ejusdem cono seu acumine, candidato tradit, jubens, ut erectum ferat auspicatè. Vid. Froissard. *in obsidione Trecensi*, Joh. Gregorium Tholos. *Syntagm. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 9. Percipit in militia *Banerettus*, cui in dignitate est, ut suo se sistat vexillo, dum Bachilarius alienum sequitur, duplex stipendium, quod Bachilarius, &c. Spelmann. *Glossar. Archæol.* qui addit, de penitis illis seu draconariis vexillis aut flamulis, de quibus aliquid retro: Placuisse olim, belloque visa esse aptiora, ob terrorem, utpote quòd dracones exprimerent, *caudarum volumina relinquentes in ventum*, Ammian. Dacis & Scythis in usu, quæ, prioribus devictis, inter signa Imperii constituisse Trajanus, suscipique inde videri in Ecclesiam: formâ plerunque bilingui. Et certè *Auriflamba*, Gallorum celebre ac antiquum vexillum, formam draconariam exhibuit: hodie quadrata vexilla majoris fiunt, &c.

Bannomanna, ins. ante Scythiam. Plin. 4. 13.

Bannus, Turcis & Hungaris, præses alicujus Regni. Propriè tamen his, *Banni* sunt peculiares gubernatores Regnorum, ad Ungariæ coronam, antiquitus spectantium, ut Dalmatiæ, Croatiæ vel Slavoniæ. Propterea solent Turci, Banos Hungaricos suis cum Beglerbegis tum comparare, tum exæquare, quoniam hi quoque integris Regnis præficiuntur. Leunclav. *in Onomastic. Turcico-Arab. &c.*

Bantamum, urbs ampla & emporium celebre Asiæ, in Ins. Java, caput regni cognom. Portu gaudet commodo, eoque quotidie Europæi mercatores confluunt. 15. leuc. à Batavia urbe in Occas. prope fretum Sundæ, ex adverso Sumatræ.

Bantheim, apud P. Diac. quasi *Vandheim*, Vandilorum regio.

Bantia, urbs Italiæ. Steph. meminit ejus Livius *lib.* 27. ubi de Marcello Consule; *Inter Venusiam, Bantiamque minus* 3. *m. p. intervallo Consules binis castris consederunt*. Idem legas apud Plut. *in eodem Marcello*, Ἐξῆλθε μετὰ τοῦ συνάρχοντος ἐπὶ τὸν πόλεμον, καὶ πολλὰ μεταξὺ Βαντίας πόλεως καὶ Βενουσίας καθήμενος ἠρέθιζε τὸν Ἀννίβαν. Hinc *saltus Bantini*, apud Horatium *Carm.* 3. *Od.* 11. Ubi vulgò *Batinos*, sed malè legitur.

Bantii, Thraciæ populi. Steph.

Bantisus, fluv. Asiæ, in Serica reg. quibusdam *Pulisanga*, in Cathaya. Sed nihil certi.

Banurri, Tingitanæ provinciæ pop. Plin. 3. 2.

Banza, opp. Africæ & regni Congi, ad Bengum fluv. inter oram Oceani & lacum Aquilundam.

Bapalma, opp. permunitum Belgii, in Artesia Comit. sub Francis, ab Anno 1641. medium ferè inter Peronam & Atrebatum, in limite Picardiæ & in regione ficciori. Aliquibus *Balma*.

Baptæ, Athenis sacerdotes erant Cotyttûs impudicitiæ Deæ, cui nocturna sacra peragebant saltationibus & omni voluptatum generi indulgentes. Dicti ἀπὸ τοῦ βάπτειν, quòd, qui sacris illis initiabantur, aquâ calidâ tingerentur. Suid. Angelus Polit. *lib.* 10. *Miscell.* Juvenalis *Sat.* 2.

Talia secretâ coluerunt Orgia tædâ,
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.

In ho-

In horum impudicitiam Eupolis fabulam *Baptas* inscripsit, ob quam ab ipsis Baptizatus & mari immersus fuit.

Baptista, prima Galeatii Pisaurienfis Principis filia, & Guidonis Comitis Urbinatis uxor, quæ cum doctissimis viris plerumque magnâ sui laude disputavit, libros quoque *de humanâ fragilitate* scripsit, ac *de verâ religione*.

Baptista Egnatius, Venetus, Humaniorum literarum Professor, historiam Imperatorum Rom. à J. Cæsare exorsus usque ad Maximilianum I. conscripsit; Item de origine Turcarum, &c. Gesner. *in Biblioth.* qui huncce Virum decrepitum planè, Venetiis vidit, an. 1543.

Baptista Ferrarienfis, Secretarius Herculis I. ducis 2. Ferrariæ, Scripsit quædam in Theologia, Item opus historicum, cui *Florida* titulus, ab incarnatione J. C. usque ad sua tempora, nempe an. C. 1494. Chronologiam item Ferrar. aliaque Trithemio & Voss. laudata *hist. Lat. l. 3. c. 11.*

Baptista Frovamola, Italus, Franciscanus, vixit Lovanii an. C. 1483. Auctor Summæ Casuum Consc. cui titulus *Rosella*, vel *Baptistiana*. Bellarm. *de Script. Eccl.*

Baptista Fulgosus, Dux Genuensis, ab Avo Ducatu pulsus, Anno 1483. Scripsit exul 9. libros exemplorum memorabilium, ad imitationem Valer. M. quos Petro fil. dedicavit. Ex Italico in Lat. transtulit Camillus Gilinus Mediolanensis. Leand. *descript. Italiæ*, cui *Fregosus*, sicut Volaterrano *Frigosus* dicitur. Mejer *lib. 1.*

Baptista Spagnolus, cognom. *Mantuanus*, quia ibi natus, A.C. 1448. Carmelitarum aliquot annis Generalis Prior. Poëmata plurima scripsit, quatuor nunc voluminibus comprehensa. Vitiorum errorumque Rom. communionis acer reprehensor, cecinit *Venalia Romæ Templa, Sacerdotes, altaria*, &c. Obiit A. C. 1516. æt. 68.

Baptus, apud Daresios est fluvius.

Bara, בערה, Lat. *incendium*, sive *expurgatio*, aut *pastus*, vel *jumentum*, sive *insipientia* vel *in vigiliâ*, altera uxor Saharaim.

Bara, ברע, Lat. *in malo*, sive *in socio*, aut *in clamore*, vel *in pastu*, sive *in constructione*, Rex Sodomæ. Gen. 14.

Bara, inf. non longè à Brundusio. Festus. Hodiè *St. Andreæ*, ni tabulæ fallant.

Bara, Vid. *Dumbarum*, ubi Scoti victi ab Anglis, anno 1651. magnâ clade.

Bara, opp. Africæ, in Abyssin. in prov. Gorga, prope lacum Zaflanum. Sanson.

Baraa, nomen viri. 1. Par. 8. Lat. *in societate*, vel *malitiâ*, aut *in ululatione*, vel *pastu*.

Barabanes, vel *Baratanes*, Persarum rex, regn. an. 20. Christianos persecutus est, hinc inter Romanos & Persas bellum obortum. Hist. Tripart. *l. 11. c. 13.*

Barabbas, Lat. *filius patris*, insignis latro & homicida, Mat. 27. Sedulius *de Judæis*:

Tunc coluere Baal, tunc elegere Barabbam.

Barac, Lat. *fulgur*, sive *in vanum*, vel *in vacuum*, filius Abinoam de tribu Nephthalim, præfectus fuit exercitui Deboræ. Hic dux fortissimus, decem hominum millibus tantùm assumptis, exercitum Sisaræ, longè copiosiorem, imò bis decies ampliorem ad unum confecit, ac delevit. Quartus Judex Israëlis, præfuit cum Debora, 40. annos. Vide Lib. Jud. *cap.* 4. & Josephum *lib. Antiquit. 5. cap.* 9. Item civitas in tribu Dan. Jos. 19.

Barace, inf. Gedrosiæ. Steph. *Bazaim* Mercatori.

Barace, vel *Burace*, est *Diu*, urbs permunita, in parv. Inf. prope sinum Cambajæ, longè ab ostio Indi fluvii. Baudr.

Barach, civ. in tribu Dan. Jos. 19. prope Azotum.

Baracha, id est, *benedictio*, aut *genuflexio*, nomen viri. 1. Par. 12.

Barachel, nomen viri. Job. 32. Lat. *benedicens Deum*, aut *genuflectens Deo.*

Barachias, Lat. idem sig. quod *Barachel*, Pater Zachariæ prophetæ. Zach. 1. Fil. Mosollamoth. 2. Par. 28. *Filius* Zorobabel. 1. Par. 2. Vid. etiam 1. Paralip. 3. 6. 9. & 15. 2. Par. 38. Esaj. 8. Item cognom. Jojadæ, de cujus fil. Vid. Matth. 23. 25. Jos. B. *J. l. 4. capite* 10.

Baracum, Cyrenes opidum. Plin. 5. 5.

Baracura, Indiæ extra Gangem emporium. Ptol. hodie *Bengala*, civitas fœcundissima, & regnum latissimum. Castaldo *Bacala*.

Barad, Lat. *grando*, sive *in descensu*, aut *imperio*, nomen loci in deserto Sur. Gen. 16.

Baragasa, Æthiopiæ op. Plin. *6.* 29.

Baraja, id est, *creatura Domini*, sive *impinguatio*, vel *electio Domini*, sive *in visione*. Filius Semei. 1. Par. 8.

Barak, vide *Barac*.

Baramalacum, Nabathæorum op. Plin. *6.* 28.

Barampura, Urbs Asiæ, in India, sub dominio M. Mogolis, juxta *Tapte* fluv. aliis *Brampore* 200. mill. ab urbe Agra, in mer.

Baranatheta, regnum Asiæ, cum urbe cogn. in Tartaria. Baudr.

Baras, ex ducibus Hormisdæ, Persarum Regis, huic iratus, quòd cladem à Mauritio acceptam sibi imputans, muliebrem vestem ignominiæ ergo misisset, per Persas abalienatos Regem excœcatum in carcerem conjecit, Cosroë filio ipsi surrogato. A.C. 585. Zonar. *tom.* 3. &c.

Barasa, i. e. *in egestate*, sivè *in cursu*, vel *in beneplacito*, civitas Galaad, munita & magna, 1. Machab. 5. in tribu Gad.

Barathia, Africæ propriæ urbs. Ptol. *Brata* Castaldo, *Blata* Mercatori.

Barathra, locus prope Casium.

Barathrum, locus profundus & tenebricosus in Atticâ, in quod facinorosos præcipitarunt. In hoc puteo multi erant uncini, alii sursum alii deorsum surrecti, in quem Phryga Deorum Matris tanquam furiosum demiserunt, quòd indicasset Deam ad filiam inquirendam venire. Dea verò hoc facinore irritata sterilitatem regioni immisit. Quare Athenienses causâ ex oraculo cognitâ hiatum sive labem obruerunt ac Deam sacrificiis placarunt. Alii nomen esse loci ajunt in Ægypto profundissimi. Est & generale nomen, apud Græcos *pro quovis loco cavo & profundo*. Hoc etiam nomine appellantur terræ cavitates, quæ fluvios hauriunt aliis in locis emersuros. Transfertur quoque ad alia. Martialis *Barathrum fœmineum*, pro locis muliebribus dixit. Idem Stomachi imum hiatum *Barathrum* appellavit,

Extremo ructus si venit a Barathro.

Horatius de lu cone & voraci:

Pernicies & tempestas, barathrumque macelli,
Quicquid quæsierat ventri donabat avaro.

Ponitur & pro *meretrice*. Plautus *in Bacchidibus*:

O barathrum ubi nunc es? ut ego Te usurpem libens!

Barathrum, inquit Festus, *Græci appellant locum præcipitem, unde emergi non possit*, additque venire à βαθὺ *profundus*, nisi βαρὺς ibi legendum. Ridiculè verò Isidorus *lib. 14 cap* 9. ubi *barathro* Latinum etymon assignat, ac dici putat, quasi *voratrum*. Nec multo melius Rhodiginus, *lib. 9. cap. 22.* à βαίνειν sc. *ab eundo*, nempe quia, ex ejus mente, propriè ita dicantur catarractæ ob aquarum ingressum. Quanto verisimilius doctiss. Martinius à Chaldæis esse putat, quibus ביר *ber puteus* est & אתר *athar locus*, quippe Jonibus dicitur βέρεθρον quod Hesychius exponit κοίλωμα καταχθόνιον. Vide Suidam, in Βάραθρον.

Barba autore Eustathio *in 2. Odyss.* portus Troezenis est, urbis Argivorum.

Barbacoa, pop. Amer. merid. in regno Popajani, versus montes, & inter fl. Caucam & mare Pacificum. Sanson, Alii.

Barbaflot, portus in pago Constantino, vulgò *Barfleur*, aliàs *Barfleu en Coutantin*, olim Regum Anglorum in transmarinas suas provincias venientium, appulsu nobilissimus. Ordericus Vitalis *Hist. lib. 11. & 12.* Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* An. 1675. *Parisiis editâ*

Barbalissus, castellum in Oriente, muris cinctum. Steph.

Barbana, fluv. Dalmatiæ, in mare Adriaticum se exonerat, prope Dulcinium. Nunc *Bajana*

Barbara, fil. Hermanni, Ciliæ Comitis, Sigismundi Imp. uxor, quæ stultas vocabat virgines pro Christi nomine passas, quòd voluptatum gaudia non gustassent. Dicebat animas cum corporibus interire, nec futuram aliam vitam post hanc quam vivimus. Mortuo marito, A. 1437. licet jam vetula, Poloniæ R. qui juvenis admodum erat, nubere ardenter studuit, incuriosa filiæ unicæ, Alberti 2. Uxoris, Æneas Sylvius hist. *cap.* 55. Bonfin. *lib. 3. decad.* 3.

Barbara, virgo Nicomediensis, Dioscori viri nobilis filia, à quo in turrim est conjecta, quòd se Christianam profiteretur, ac post omnibus probris nudatum converberatumque corpus, ab eodem ad Præsidem ducta, jugulataque in eâdem urbe sub Maximiniano: demum Venetiis (quo translata est) condita. Volater.

Barbari, Asiæ urbs circa Indi flu. ostia. Ptol. *Bermer* Castaldo, *Meti* Resendio, qui eam insulam non urbem vocat, cùm Ptolemæo sit urbs in insula sita. Nunc à Sansone & al. creditur Amedebatum, Urbs perampla regni Guzarati, sub Imperio M. Mogolis. Vid. *Amedebatum*.

Barbari, ficto nomine, inquit Strabo *lib.* 14. dicti sunt ab initio, qui difficulter, asperè, atque duriter loquebantur, quasi *duriloqui* & *crassilingues*, à βαρβαρ absonâ voce, in quam peregrini homines Athenas adventantes identidem incidebant. Sic etiam dicuntur illiterati, malis moribus, crudeles. Arabicè autem *Bar desertum* signif. inde forsan *Barbariæ* nomen. B. Paulus, *Barbarus erit mihi, & ego illi.* Ovidius,

Barbarus hic ego sum, qui non intelligor ulli.

Atque hoc censu civili, Anagogico autem seu Spirituali, benè vetus Glossa in Psalmos: *Barbara lingua est, quæ Dominum non laudat.* Hinc *Barbarismus*, quem sic definit Suidas: Ἔστι δὲ βαρβαρισμὸς ἐκ τῶν ἀρχαίων λέξιος παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμούντων Ἑλλήνων. Veteribus a. omnes Barbari erant, qui non erant Græci, & Barbarum τὸ οὐχ Ἑλληνικόν. Unde Sophocles,

Τὴν βάρβαρον γὰρ γλῶσσαν οὐκ ἐπαΐω.

Unde Plautus, teste Festo, Nævium poetam Latinum *barbarum* dixit.

dixit. Et *in Asinariæ prologo, Marcus vortit barbarè*, h. e. *Plautus reddidit Latinè. In Captivis* quoque legas, *Barbaricum jus* pro *Latino jure*. Et B. Paulus 1. ad Rom. Ἕλλησί τε ϰ̀ βαρβάροις. Eadem ratione Latini auctores, non utentes linguâ Romanâ *barbaros* dixerunt omnes, sicut & Cicero Afros, Gallos, Hispanos, *in Epp ad Qu Fratrem*. Imo Lacones hospites & peregrinos dixisse *barbaros* annotatum ab Eustathio, ex Herodoto *in* 3. *Iliad*. Clarissimus Vossius, *lib* 1. *de Vitiis sermonis cap.* 1. ex Chaldaico בר *bar*, quod *extra*, vel *foras* sig. deducit.

Barbaria, Africæ, quam in quatuor partes Neoterici scriptores distinguunt, pars præcipua & prima est. Ab ortu habet Marmaricæ (quæ hodie *Barcha* dicitur) deserta, ad montis usque Atlantis partem *Meses* appellatam, quæ pars a Strabone fortè sub nomine *Aspis* describitur. Hunc montem Atlantem habet à meridie, ab occasu autem ipsum mare Atlanticum, Septentrionale verò latus mare mediterraneum lambit. In quatuor regna dividitur, Marocchum, Fezzam, Telesinam, & Tunetem, L.Lodius. Baudrandus sic habet: *Barbaria* pars Africæ, juxta Mare Mediterr. extensa & oblonga. Protenditur ab Oceano in Ægyptum usque; & versus Merid. dividitur, à regione Biledulgerid monte Atlante. Ibi aliàs erant Mauritania, Africa propria & Libya exterior; nunc continet regna Marrocanum, Fezzanum, Algerianum, Tunetanum & Tripolitanum, cum Barcana regione. Morerius in 6. partes Barbariam dividit, regnum Tunetanum, Tremesinum, Fessanum, Marocanum, regionem Dara, & Barca, quæ prima dici debuisset, Ex Marmol. *l.* 1. Cluver. *l.* 6. Ab hominibus subfusci coloris habitatur. Regionis pars, quæ mare mediterraneum spectat, montibus occupata est, à quibus usque ad Atlantem planitie gaudet spatiosâ, quibusdam etiam colliculis. Maxima hîc fontium copia, rivulisque amœnissimis regio irrigatur. Dactylorum, malorumq; Punicorum feracissima, sed frumenti non adeo fertilis, frugum autem, sc. ficuum & olearum ubertate felix. Frigus ibi nunquam adeò intenditur, ut quis ignem ob id accendere velit. Autumni finis, tota hyems, bonaque veris pars impetuosis plena ventis, quin & grandinibus, fulguribus ac tonitruis horridis interdum discruciantur. Accuratam *Barbariæ*, ac totius Africæ, morumque gentis descriptionem habes apud Joannem Leonem Africanum, & Tho. Fazellum *cap.* 1. *lib.* 6. *Decadis rerum Sicularum*. *Barbaria* etiam insf. Gangeti Indiæ fluvii Ptol. Item reg. juxta Arabicum sinum, unde *mare Barbaricum*. Steph. Item *Barbaria* Phrygia, & Trojanum regnum. Horat. *lib.* 1. *ep.* 2.

Græcia Barbariæ lento collisa duello.

Sciendum etiam ϰατ' ἐξοχὴν & proprie veluti, *Barbaros* à Latinis vocari Phrygas, unde *tibia Barbara* pro *Phrygiâ* apud Catullum. *Aurum Barbaricum*, i.e. *Phrygium* apud Virgilium. *Barbaricæ vestes Phrygiæ*, vel *acupictæ* apud Lucretium, Hinc *Barbaricarii* in Codice, *Phrygiones*, vel *acupictores*. Ovidius quoque *Barbariam* posuit pro reg. Geticâ,

Me sciat in mediâ vivere Barbariâ.

Apud eundem sig. *agrestem rusticitatem*, sive *ruditatem*, *l.* 3. *Trist.*

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro,
At nunc Barbaria est grandis habere nihil.

Barbariana, locus Hisp. in Andaluzia prov. qui vulgò *Castel de la Lucena*, in ora, prope Fretum Gaditanum & Cartejam.

Barbarium, Hisp. promunt. ad Tagum flu. Strabo *lib.* 3.

Barbarus, non gentis, sed vocis nomen est. Steph.

Barbastrum, Urbs Hisp. Tarr. in Aragonia, juxta fines Catal. erepta fuit Mauris. an. 1102. sita ad Verum fl. ubi in Cincam se exonerat, aliis Bergidum: quibusdam Belgida.

Barbata, seu Barbada, Insf. Amer. Septentr. in mari Boreali, una ex Antillis. Paret Anglis, ab An. 1627. Ejus ambitus est 25. leuc. circiter, valde fertilis ac dives. 25. leuc. ab Inf. S. Lucæ in Orient.

Barbatia, Arab. op. Item nomen flu. Indici Oceani. Plin 6. 28.

Barbatius, vel *Barbius* Philippicus, de quo Ulpianus *lib.* 3. *F. de officiis Prætor.* Homo comis, & blandis moribus evehitur ad summos magistratus Antonii III. viri operâ. Hunc in foro jus dicentem herus, à quo olim aufugerat, agnovit. Ergo tacitè aggressus, & veste à tergo prehensâ, Salve, inquit, veteri & servili nomine adjecto. At ille perculsus veteri Domino facilè agnito, rogavit eum, ut taceret, domumque suam duxit, maximâque pecuniâ numeratâ se tandem redemit. Vide Suidam.

Barbatus, Conf. Reguli collega. an U. C. 909.

Barbela, Africæ fluv. in regno Congi. In Zairum fl. se exonerat, prope ejus ostia, rigatque oppidum S. Salvadoris.

Barberinum, oppidul. Italiæ in Tuscia, & in agro Florentino, unde nobili Familiæ nomen. In colle sedet, in Via Sena Florentiam versus.

Barberossa, I. *Aruch*, Mitylenæus, piraticam diu exercuit, inque Barbariam transgressus, latrociniis & animi robore nomen aliquod obtinuit. A Selimo Eutemi, vel Beni Tumi, Algeriæ R. imploratus, ut contra Hispanos, quibus hactenus tributum pendere coactus fuit, se tueretur, adest pirata, sed urbe potitus Regem in balneo strangulat, hinc throno conscenso. Postea Amidalabdum Tunetanum R. vincit, quaquaversum finibus extensis, donec eum March. o de Comares, Orani præfectus pro Hispaniæ R. in transitu fl. Huexda, 8. mill. à Tremesino subitò deprehensum cum 1500. quos secum habebat, Turcis occidit. An. 1518. Marmol. *l.* 5. Leon. *l.* 4. P. Jov. *hist. l.* 33.

Barberossa II. Cheredin, fratris in Regno successor. Cepit Constantinam, aliaque loca, & aliquibus Regulis vicinis devictis, Hispanos Insulâ, quam è regione Algerii tenebant, pepulit. A Solimanno 2. Classis supremus præfectus constitutus, Tunem urbem occupat, à 1535. vastat Siciliam: frequentibus in Italia excursionibus terret Hispanos, & junctus copiis Francisci I. Niceam capit, An. 1543. His rebus gestis in Africam reversus, moritur An. æt. 80. A. C. 1547. cùm novam expeditionem navalem meditaretur. P. Jovius, *in elog. l.* 6. *Histor. l.* 33. 41. 44. Leuncl. *hist. Turc. l.* 18. Vigenerus, *in Solimanno* 2.

Barbesola, Hisp. Bæticæ op. in conventu Gaditano. *Marbella*, teste Flor. Item flu. *Rio Verde*, qui urbi nomen dedit. Aliis est *Rio Guadajara*, versus Calpen. long. 16. 00. lat. 36. 54.

Barbius Proculus, Tesserarius speculator, ab Onomasto, corruptus, ad cæteros Prætorianos Othoni contra Galbam conciliandos. Tacit. *Hist.* 1. 25.

Barbosthenes, mons Peloponnesi, in Laconica reg. à Lacedæmone 10. m. p. distans. Liv.

Barbouda, Una ex Antillis Inf. sub Anglis, qui ibi colonias habent. 18. leuc. ab Inf. S. Christoph. in Orient. 10. ab Antiq. Inf. in Bor.

Barbyses, vel *Barbyssus*, flu. agri Byzantini in sinum Ceratinum influens. *Cataricon* incolis, & *Pectinacorion*, teste Gyllio.

Barca, *V. Barcha*.

Barcæ, pop. apud Colchos & Iberos, qui solent agnatos morbis extinctos, velut ignavos igni tradere, in bello autem defunctos, tanquam strenuos, objicere vulturibus. Ælian. *de Anim. lib.* 10. *cap.* 22. ubi tamen γένος Ἐσπέριον dicuntur.

Barcanii, pop. Hyrcanis vicini. Steph.

Bar-Cappara, Rabbinus, 3. sec. Auctor libri Tosaphta dicti, ad explicandas significationes *Misna* 9. Geneb. *notis in Chron.*

Barce, nutrix Sichæi, Virg. Æn. 4.

Tum breviter Barcen nutricem affata Sichæi.

Barce, vel *Barca*, eadem quæ *Marmarica*, teste Bocharto. Ingens Africæ regio, inter Ægyptum, & regnum Tunetanum, in ora maris Mediterr. Sterilis admodum. Morerius. Et urbis nomen in Cyrenaica vetustissimæ, à Batto, fil. Arcesilæ, Ægypti regis conditæ, postmodum ab Amasi destructæ. De quâ multa Herodotus, *lib.* 3. & 4. Strabo *l.* 17. Ptol. *l.* 4. *c.* 4. Pomponius Mela, *l.* 1. *c.* 8. Marmol. *l.* 6. Et Silius, *lib.* 3.

—— *Barce sitientibus arida venis*
Nec non Cyrene. Claud. *de bello Gildonico,*
Dissidet occiduis quod Gadibus arida Barce.

Plerique eandem esse volunt cum Ptolemaide. Strabo *lib.* 17. Εἶθ' ἡ Βάρκη πρότερον, νυνὶ δὲ Πτολεμαΐς. Plin. 5. 5. *Ptolemais antiquo nomine Barce.* Servius *in lib.* 4. *Æn. Barce autem civitas est Pentapoleos, quæ hodiè Ptolemais dicitur.* Steph. Βάρκη πόλις Λιβύης, ἥτις ϰ̀ Πτολεμαΐς. Suidas, & Sophoclis Schol. *in Electram*, Βάρκη γὰρ πόλις Λιβύης ἡ νῦν Πτολεμαΐς ϰαλουμένη. Tamen in Ptolemæo, *lib.* 4. *cap.* 4. *Ptolemais* & *Barce* sunt diversæ urbes, quarum illa littorea est, hæc in mediterraneis. Sed & apud Scylacem Caryandensem, ἡ πόλις ἡ Βαρϰαίων ἀπὸ θαλάσσης ἀπέχει στάδια ρ, id est, *Barcæorum urbs stadiis centum à mari distat*; cùm in littore Ptolemaidem etiam alii describant. Itaque Ptolemaidem Ptolemæi condidere, non quo loco erat urbs, sed quo loco erat portus Barces, de quo Scylax, Ἐκ δὲ λιμένος τῆς Κυρήνης μέχρι λιμένος τοῦ ϰατὰ Βάρκην στάδια φ, *a portu Cyrenes ad portum Barces stadia* 500. Ut ut sit, Barcæorum nomen à *Barce* factum sumitur multo latius, quàm pro solis *Barces* civibus. Extenditur enim ad omnes barbaros undiquaque diffusos, ut apud Virg. *Æn.* 4. ubi ponuntur in censu populorum, qui terrori erant Pœnis,

Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gætulæ urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infreni cingunt, & inhospita Syrtis;
Hinc deserta siti regio, lateq; furentes
Barcæi. D. Hieronymus *lateq; vagantes* legit.

Mihi autem (inquit Bochartus) non fit verisimile, unicam gentem tam latè fuisse diffusam; Tantùm, ut Marmarica hodiè dicitur desertum *Barca*, ita Barcæos olim eosdem fuisse probabile est cum Libybus & Marmaridis, qui erant circa Cyrenen. Huc facit, quòd Βαρϰαῖον Stephanus Λίβυν exponit. Et Hesych. Βαρϰαίοις ὄχοις, Λιβυϰοῖς. Οὗτοι γὰρ ἐσπούδαζον περὶ ἱπποτροφίαν, φασὶ δὲ αὐτοὺς ϰ̀ πρώτους ἅρμα ζεῦξαι, διδαχθέντας ὑπὸ Ποσειδῶνος: τὸ δὲ ἡνιοχεῖν ὑπὸ Ἀθηνᾶς, ὡς Μνασέας ἐν τοῖς περὶ Λιβύης, h. e. *Barcæis curribus*, i. e. *Libycis. Illi enim equis alendis studebant, & primi dicuntur junxisse currum, & agitasse, illud à Neptuno, hoc à Minervâ edocti, ut refert Mnaseas in libris de Libya.* Hæc ille, haud dubiè, ex Electrâ Sophoclis *vers.* 728.

Μέτωπα συμπαίουσι Βαρϰαίοις ὄχοις,
Barcæi rectis frontibus feriunt juga. Ubi Βαρϰαῖοι ὄχοι, *Barcæi currus* iidem sunt, de quibus paulo antè dixerat,

Λίβυες ζυγωτῶν ἁρμάτων ἐπιστάται,
Regunt habenas curruum aurigæ Libes. Est quoque *Barce* mons & prom. Libyæ. Vid. etiam *Barcha*.

Barcelorum, vel *Barselorum*, Urbs Asiæ, in India, & ora Malabarica

labarica, sub Holland. à paucis annis, cùm prius esset Lusitanorum. Sedet in ora littor. Cum portu & media ferme inter Goam & Cananoram; aliàs regio titulo clara. Hujus territorium inter amœnissima totius Orbis. V. testem *αὐτόπτην*, Pet. de Valle, *Itinerarii tom.* 4.

Barcennum, Cat. de Or. *Bracciane*. Vid. *Arcennum*.

Barcetum, P. Diac. *Barcet & Berzeto*, opp. Æmiliæ, in agro Parmensi, intra montes Apennini, inter Parmam 28. & Apuam, 16. m. p. Ibi cœnobium olim celebre, à Regibus Longobardis, conditum.

Barcha, seu *Barca*, regio Africæ, in Barbaria, inter Ægyptum & Syrtim magnam, juxta mare Medit. Ejus primaria Barce. Habet cognom. desertum, à Mesurata, se versus Orientem extendens, ad confinia usque Alexandriæ loca, sic ut longitudine Italica 1300. seu Germanica 325. Latitudine autem Italica quidem 200. Germanica verò 50. capiat milliaria. Desertum est asperum atque frugibus infœlicissimum: Leones gignit plurimos, ac venenatorum ingentem saburram, utpote serpentum, & pestium pestem Basiliscum serpentem, Metell. Ibi aliàs Libya exterior, Cyrenaica & Marmarica. Regio est sterilis admodum & inculta, sub Turcis. Baudr. V. *Barce*.

Barcha, cognomen fuit nobilissimæ apud Carthaginienses familiæ ex quâ fuerunt Annibal & pater ejus Amilcar; Inde *Barchina factio* fuit, quæ Barcharum potentiæ favebat, & eorum in gerendo bello autoritatem sequebatur. Livius *lib.* 2. *bell. Punic.*

Barchochabas, quasi *fil. Astri*, se stellam esse Jacobi dixit, de qua Baalamus vaticinatus est. Nactus sectatores contra Adrianum Imper. insurrexit. An. 130. sub prætextu templi Jovis, quod Imperator ibi è regione Hierosolymitani extruxerat. In Christianos crudelissimus, exitum tandem, qualem merebatur, nactus est. Justin. *Orat. ad Antonin.* Judaicæ defectionis princeps, Christianos, nisi negarent Christum, ad supplicium traxit. Euseb. 4. 8.

Barchusa, parva civitas Phœniciæ. Steph.

Barcino, Colonia Faventia, civitas episc. Hisp. Tar. celebratissima. V. Plin. 3. 3. Fundata ab Amilcare, cui *Barcha* cognomen, quem Carthaginenses cum justo exercitu in Hisp. miserant, inde *Barchino* Livio dicitur. Hodiè caput & metropolis est regni Catalauniæ *Barcelona*. Auson. *Ep.* 24.

Tarraco, & ostrifero superaddita Barcino Ponto.

Ludovicus *bonus*, vivo adhuc parente Carolo M. Saracenis illam eripuit: Cujus Comes Bera vel Bernardus factus. Huic Godofredus d' Arria successit, à Salomone Sardiniæ Com. pulsus. Quo occiso Godofredus *Villosus*, fil. Godofr. d' Arria, ob operam egregiam contra Normannos præstitam, à Carolo Crasso, Comes hæreditarius constituitur: Comitatu postmodum Arragoniæ, post Raimondi Berengarii mortem, unito. *Urbs expugnata ab Almansore An.* 985. Tantùm non inundata, *A.* 1617. *Postea* sub Gallis aliquandiu fuit. Sed An. 1652. recepta est ab Hisp. post longam obsid. estque probè munita, cum portu in ora maris Mediterr. prope ostia Rubricati & Bætulonis fluv. ubi aliàs Laetani pop.

Concilia ibi habita An. 540. 603. & An. 1064. quo leges Gothorum abrogatæ.

Barcino, opp. Provinciæ, versus Alpes, juris Sabaudici cum toto agro. Intra Alpes sedet, ad *Hubaye* riv. *Barcelonette* Gall.

Bardanes, cognom. *Turca*, Imperator proclamatus est, ab exercitu, sed honorem recusavit, cùm sciret Nicephorum Logothetam jam throno potiri, & monasterium ingressus est. Ubi jussu Nicephori oculi ipsi eruti, ne recusati diadematis pœnitentiâ duceretur. Theoph. misc. l. 24. c. 25. V. *Philippicus Bardanes*.

Bardas, Patricius Constantinop. Cæsar factus est, An. 854. per Michaëlem III. cogn. *Bibonem*, qui ejus ex Sorore Theodora nepos erat. Cui mox consuluit, ut matrem pelleret, viveretque liberius. Ipse legitimâ uxore repudiatâ aliam duxit, seque totum vitiis immersit, ab Ignacio Patriarcha nequicquam increpitus, quem exilio multavit, Photio, homine plebeio substituto. Unde schisma. Tandem Michaël à Saracenis victus, à Russis obsessus, hunc, per quem omnia hactenus administraverat, insolentius se gerentem, perdidit. an. 866. Curopalates, Zonaras, Nicetas & Glycas.

Bardas, Armenius, Iconomachus, Pater Leonis V. Imp. Anno 813.

Bardas Sclerus, cogn. Phocas, insignia imperii sumsit, contra Basilium II. & fratrem Constantinum Jun. Porphyrogennetam. Europal. Zonaras, &c.

Bardeatis, opp. Asiæ, in India, intra Gangem, ubi nunc fortè *Bicaner*, in Bacaria reg. 25. leuc. à Gange, sub M. Mogole.

Barderate, *Brà*, opp. ad Sturam fluv. in Principatu Pedemontano, ex adverso Clarasci.

Bardesanes, Valentini discip. Mesopotamiæ præsul, Syrorum linguæ doctissimus, & vehemens dialecticus, adversus Valentinum & Marcionem patriâ linguâ scripsit; sed & Græcè ad M. Aur. Antoninum, sub quo fuit, librum de fato, aliaque complura. Tandem, velut *pretiosis mercibus onusta navis*, ut Epiphan. de illo, ipse *naufragium fecit*, & postquam Apollonio Chalcedonensi, Imperatoris præceptori ad apostasiam se solicitanti fortiter restitisset diu, tandem non Valentini modò, quem prius doctè refutaverat, deliria amplexus est, sed & mortuorum insuper resurrectionem negavit. Reliquit sectatores *Bardesanistas*, novorum errorum architectos, & fil. Hermonium, cujus scripta ab Ephremo Edessemo confutata. Epiph. *hær.* 56. Aug. *de hær. c.* 35. Baron. A. 175. Eusebius.

Bardesanes, Historicus Babylonius, Alexandri Severi temporibus floruit, de quo Porphyrius, *de abstinentiâ*, *lib.* 4. Ὡς Βαρδεσάνης ἀνὴρ Βαβυλώνιος ἐπὶ τῶν πατέρων ἡμῶν γεγονώς, ἀνέγραψεν. Egit autem de Brachmanibus, & Samanæis, Indorum Philosophis, quos Græci *Gymnosophistas* vocant. Idem opus signat B. Hieronymus *lib.* 2. *contra Jovinianum*: *Bardesanes, vir Babylonius, in duo dogmata apud Indos Gymnosophistas dividit: quorum alterum appellat Brachmanas; alterum Samanæos; qui tantæ continentiæ sint, ut vel pomis arborum juxta Gangem fluvium, vel publico oryzæ, aut farinæ alantur cibo: & cùm rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque suæ provinciæ in illorum precibus arbitrari sitam.* Vossius & Jonsius.

Bardi, apud Celtas & Britannos poëtæ erant, qui fortia clarorum virorum facta versibus Heroicis celebrabant, dulcibusque lyræ melodiis ad exhilarandos in conviviis virorum animos, decantabant. Unde Lucanus, *lib.* 3.

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum vates demittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

A Bardo Druydio, 5. Celtarum Rege ita appellati fuerunt, qui inventione carminum inclytus fuit. Tales in Britannia apud Cambros, seu Wallos adhuc sunt, qui & patrio eorum sermone *Bardi* huc usque appellantur. Ipsi Heroum nobilium illustria facta colligunt, in rythmos aptè & ingeniosè redigunt, ac passim in solennioribus epulis lyrâ & voce concinunt. Posidonius apud Athen. *l.* 6. Τὰ δὲ ἀκούσματα αὐτῶν εἰσὶν οἱ καλούμενοι Βάρδοι, ποιηταὶ δὲ οὗτοι τυγχάνουσι μετ᾽ ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες. Strabo *lib.* 4. Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί. Diodorus *lib.* 5. Εἰσὶ δὲ παρ᾽ αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, οὓς Βάρδους ὀνομάζουσι. Qui etiam tanta in veneratione illorum cantum fuisse memorat, ut militum quoque furorem sisteret. Festus, *Bardus* Gallicè *cantor* appellatur, *qui virorum fortium laudes canit.* Ammianus *lib.* 15. *Bardi fortium virorum illustria facta heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Hesychius, Βάρδοι, αἱ ὁδοὶ παρὰ Γαλάταις, ubi pro αἱ ὁδοὶ rectè monuit vir doctissimus legendum esse ἀοιδοί, *cantores*, vel *poëtæ*. Bardus autem est ab Ebræo פרט *parat*, i. e. *modulari*, mutatis homogeneis. Bochartus. Porro *hi Bardi*, ut bonos laudabant, ita malos vituperabant. Diodorus, ubi supra, οὗτοι δὲ μετ᾽ ὀργάνων ταῖς λύραις ὁμοίων ᾄδοντες, οὓς μὲν ὑμνοῦσιν, οὓς δὲ βλασφημοῦσι. Habitasse illos Morerius credit, in monte Burgundiæ, qui hodieque *Mont-Bard*, vel *Mont-Barry*, Lat. Mons Bardorum dicitur. V. Beros. supposit. ab Anna Viterb. *l.* 6. Amm. Marcellin. *lib.* 15. Chassanæum *de gloria mundi*, *part.* 12. Dupleix. *Memor. Gall. lib.* 1. *c.* 16. Perperam autem cum his *Bardis* Galliæ viri docti confundunt *Bardeos*, sive *Bardæos* Dalmatiæ, de quibus ita Glossæ Latino-Græcæ ab H. Stephano primùm editæ: *Bardes* Ἰλλυρικοὶ δοῦλοι, οἱ καὶ ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας κατὰ Κίννου, καὶ Μαρίου στρατευσάμενοι, καὶ ἐκ τούτου τυραννήσαντες κατὰ τῶν δεσποτῶν. Τούτους Σερτώριος δόλῳ περικυκλώσας ἀναιρεῖ. Ac paulo pòst in iisdem legere est, *Bardes*, δορύκτητος Ἰλλύριος, δοῦλος; ubi scribendum conjunctim Ἰλλύριος δοῦλος. Egregius quoque de iis locus est Plutarchi *in C. Mario*: Ubi narrat, ut is primus ante portas constiterit, cavillatus se exulem esse, sibique patriâ interdictum: mox priusquam tres aut quatuor tribus suffragia iniissent, abjectâ simulatione, causatione exilii inierit urbem circumseptus servis, quos *Bardiæos* appellabat. Κατῄει δορυφόρους ἔχων λογάδας, οὓς Βαρδιαίους προσηγόρευσεν. Item Vatinii Imp. Epist. ad Cicer. *lib.* 5. *Dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus cum Vardæis esse, de quo tu nihil mihi mandasti. Ego tamen terrâ, marique, ut conquireretur, præmandavi: & profecto tibi illum reperiam, nisi in Dalmatiam aufugerit, & tamen aliquando eruam.* Similiter Plinius 3. 23. ubi de Liburniæ populis, *popularoresque quondam Italiæ Vardæi.* Ptolemæo sunt Οὐάρδαιοι. Straboni & Appiano, sed corruptè Ἀρδιαῖοι, ut Ortelius observat. Ab hisce Βαρδιαίοις sive Βαρδιείοις, sive Βαρδείοις, *bardaicus*, vel *bardiacus* dicitur. Juvenal. *Sat.* 16.

Bardiacus judex datur hæc punire volenti.

Et Martialis *lib.* 4. *ep.* 4.

Lassi bardiaci os quod evocati.

Ubi *evocati* sunt veteranorum militum genus, de quo inter alios Lipsius multa, *in Electis*.

Bardi, seu mel. *Longobardi*, fuerunt, ubi nunc Marchia Brandeburg. in Germ.

Bardia, vulgò *Bartz*, fluviol. Germ. ad Bardum urbem fluens, marique exceptus. Ferrar.

Bardillus, Illyricorum rex à Philippo victus.

Bardines, fluv. juxta Damascum. Steph.

Bardo, mons Italiæ. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 1. *capp.* 10. & 18.

Bardocucullus, utrum à *Bardis* Galliæ, an *Bardæis* Dalmatiæ veniant, quæri possit. Sed prius malim. Nam vocatur Santonicus. Santones autem in Galliis, Mart. *l.* 14. *distich.* 128.

Gallia Santonico vestit te Bardocucullo.

Et Juvenalis *Sat.* 8. — *Si nocturnus adulter*
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Etiam *Lingones* in Gallia, unde *Lingonicus* dicitur Martiali *lib.* 1. *ep.* 54.

Sic interpositus vili contaminat unco
Urbica Lingonicus Tyrianthina Bardocucullus.

Bardomagum, pag. Insubriæ. Vid. *Vertacomacora.*

Bardovicum, urbs antiq. Saxon. infer. ab Henrico Leone eversa, an. 1189. è cujus ruinis crevit Luneburgum. Ad *Ilmenou* flu. vix 2. mill. Germ. ab Albi fluv.

Barduli, Cantabrorum in Hisp. pop. qui & *Turduli*, & *Tapori*, Plin. 4. 22. Nunc Castiliam veterem inhabitant, ut Clusius vult, aliis *Guipuscoa.* Melius *Varduli*, quod Vid.

Bardum, Luithprando Ticinensis vicus est, in Alpibus, inter Eporediam & Augustam Salassiorum. Baudrando teste dicitur vulgò *Bardo*, pag. Ducatus Augustani, ad Doriam Balteam fluv. 10. mill. supra Eporediam, ad Alpium rad. Item, *Bardum,* vulgò *Bardi*, opp. cum arce, ad Cenum fluv. à multis annis sub dominio Parmæ D. cum toto fere principatu Vallis Tari. *Bardum* item, *Bardt*, urbs Germ. in Pomer. cum portu sat capaci, in ora maris Baltici, 3. mill. Germ. à Sunda. Arce satis splendida exornatur: Subestque Suecorum dominio, pace ad Monasterium confectâ.

Bardus, I. Druydis filius, Celtarum Rex quintus, tempore Aralii, Assyriorum Regis. Hic carminum inventione celebris, immodico Poëseos & Musicæ usu omnia vertit in delitias, mollitiem & luxum. Ab hujus regis nomine, & utraque canendi arte processerunt illi, quos *Bardos* appellant authores. Obiisse fertur hic rex anno mundi 2138. & ante incarnatum Messiam 1832. quum regnasset 69. annis.

Bardus II. Rex Celtarum. Dupleix, *lib.* 2. *memor. Gall.* Berosus *lib.* 5.

Bardyetæ, Hisp. pop. ad flu. Iberum *Bardyali* Straboni.

Bardylis, Rex Illyriorum, à Philippo Amyntæ, acie victus, Olymp. 105. anno 2.

Barea, op. Hisp. Citer. Bæticæ tamen adscriptum, Plin. 3. 3.

Bareas Soranus, qui cùm proconsulatu Asiæ offensiones Principis auxisset justitiâ atque industriâ; & quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpsisset; vimque civitatis Pergamenæ prohibentis Acratum Cæsaris libertum statuas & picturas avehere inultam omisisset, accusante Ostorio Sabino reus factus est apud Neronem amicitiæ Plauti & ambitionis conciliandæ provinciæ ad spes novas. Tacit. XVI. 23.

Barecca viculus, Hi r *in L. H.*

Bared, id est, *grando*, sive *in descensu*, vel *in imperio*, filius Suthalæ. 1. Par. 7.

Barene, urbs Mediæ, vicina Ecbatanis. Steph. Gaud. Merula putat esse op. in Galliâ Cisalpinâ, ad radices collium situm, quod Latini *Valesium*, item *Vasisium* nominant. *Varescio* vulgò dicitur, uti prodit Leander Albertus.

Barensis Duc. in Lotharingia, cujus caput *Barro-ducum.* V. ibi. Ex hac familia Henricus & Philippus, fil. Ducis, Johannem Nivernienfem D. contra Bajazetem I. in Hungaria secuti sunt: patre eorum Anno 1415. in prælio ad *Azincour*, occiso. Et sub finem præced. seculi Dux Barensis, fil. Ducis Lotharingiæ, Catharinam Henrici M. sororem uxorem duxit. An. 1599. *Hist. Gall.* Vid. *Barrum* & *Catharina.*

Barensis ager, Ital. *Terra di Bari*, prov. regni Neap. juxta mare Adriat. inter Basilicatam, & territorium Hydruntinum, ubi aliàs major pars Apuliæ Peucetiæ. Nominatur ab urbe primaria Bario, cujus meminere Mela, *lib.* 2. Plin. *lib.* 3. *cap.* 11. Tac. *lib.* 6. Sigebert. A. C. 1087. Leand. *descr. Ital.* Ibi concilium An. 1097. de Græcis Latinæ Eccl. conjungendis.

Barentius Wilhelmus, rector navis, quâ tertiùm Septentrionis secreta Batavi rimari sunt ausi, an. 1596. in expeditione illa admirabili, obiit, *non minus dignus, qui noscatur, invitâ etiam fortunâ, quàm Vespucius & Columbus.* Hugo Grotius, *Histor. lib.* 5. Ex nautarum militumque numero duodecim fuere, principe Jacobo Hemskerkio, quos ab ultima mundi solitudine Amstelodamum reduces, tanti laboris miraculum illustravit.

Baretium, opp. Insubr. in agro Mediolan. amplum, medium inter lacus Lucanum & Gaviratium. 10. mill. à lacu Verbano, intra montes. Dicitur & *Varetium.*

Bargasa, urbs Cariæ, Steph. à *Bargaso* filio Barges & Herculis, quem Lamus Omphales & Herculis fil. persecutus est. Al. *Justinianopolis.* 40. mill. ab Alabanda in Ort. paulo amplius à Cabyra in Occas.

Bargates, Persa, in aula Smerdis Magi minister, ad septem in societatem conjurationis adscitus: quia claves omnium ædium habebat. Hujus adjumento intromissi sunt in conclave, ubi Magus cum Pellice Babyloniâ acquiescebat; ejusque operâ omnia arma, quibus se Magus defendere posset, ante remota atque subtracta. Ctesias.

Bargemon, vel *Barjamon*, urbec. Provinciæ, 5. m. à mari, in diœcesi Forojuliensi, olim apannagium minorum natu fil. Comitum Provinciæ. Sanmarth. *Gallia Christ. tom.* 4. *p.* 9332. Joh. Nostradamus, *in hist. Poëtarum Provincialium*, meminit cujusdam Guilielmi hinc oriundi, poëtæ elegantissimi, in aula Com. Berengarii, qui obiit in regno Neapol. Carolo I. Principi suo militans. An. 1285.

Bargeni, pop. Africæ ex Troglodytis. Plin. 6. 29.

Bargi, quinam sint, vide Voss. *ad Melam. p.* 253.

Bargioras cognomen Joannis, qui mediam urbem Hierosolymis, ingruente Tito, tenebat. Significat verò filium *Gioræ*, Emendandus hinc Xiphilinus, *in Vespasiano*, ubi Βαρφορᾶς exstat, cum Βαργιορᾶς scribi debuerit. Sed videtur legendum apud Tacitum *lib.* 5. *H.* 12. *Barionam.* Nam Josephus *Simonem* filium *Gioræ* facit.

Bargus, Thraciæ fluv. in Hebrum cadens. Plin. 4. 11. Item *Bargus*, quem nonnulli *Martum* nominant, teste Strabone, Illyrici fluv. quem *Drinum* Ptolemæi esse putat Niger, alii potius *Dravum* sentient.

Bargusii, pop. occidentales juxta Iberum fluv. Steph.

Bargyla, Asiæ min. urbs. Plin. 5. 20. quæ *Bargylia*, sive *Bargylos* ab aliis vocatur, à Bellerophontis comite Bargylo, quem Pegasus occidit. Steph. Sita in ora maris Ægæi, media ferme inter Mindum & Miletum urb.

Bargylus, mons Asiæ. Plin. 5. 20.

Bari, civitas Phrygiæ. Ptolemæus ait esse oppidum in Pisidicâ Pamphyliæ præfecturâ.

Baria, id est, *in societate*, sive *in malitiâ*, aut *in ululatione*, sive *in pastu.* fil. Aser. 1. Par. 6. qui *Beria* Gen. 46. dicitur.

Barjesu, nomen Pseudoprophetæ. Act. 13. 6.

Barine, meretrix, quæ & perjurii rea. Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 2.

Ulla si juris tibi pejerati
Pœna Barine nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres, vel uno
— *Turpior ungue*
Crederem, &c.

Bariquicimeta, prov. Amer. merid. in Venezuela reg. vulgò *Bariguicimeto.* Hinc oritur fluv. cognom. qui multis aliis auctus, simul cum Pato fluv. in Orenocum fluv. labitur ex adverso Cayamæ Ins.

Baris, è septentrionibus peregrinatus est, in Græciam, ubi Apollini serviit & oracula conscripsit, quæ βαρίδες ab eo vocata. Scholia *in Aristoph. Equites.*

Baris, Indiæ fluvius. Item castellum Templo Hierosolymitano adjacens, quod posteà *Antonia* cognominatum est. Joseph. *de Bell. Jud. lib.* 1. Apud Stephanum legimus, Βάρις, πόλις, τὸ ἐθνικὸν Βαρίτης. Λέγεται Βάρις ἡ οἰκία, ὡς Ποσίδιππος, καὶ ἡ συνοικία, ὡς Ἔφορος. Navigii genus ita vocari, testes sunt Hesychius & Suidas. Jonum autem id vocabulum esse, Corinthus auctor est. Videntur verò & illi à barbaris accepisse; ac propterea, puto, Euripides Βαρβάρους βάριδας dixit. Et à quibus potius, quàm Ægyptiis? Nam Herodotus *in Euterpe*, cùm locutus esset de genere navigii Ægyptiaci, atque id nominasset Βάριν, subjicit, Τοῦτο γὰρ δὴ οὔνομά ἐστι τοῖσι πλοίοισι τούτοισι. Propertius quoque, qui unus Latinorum usus videtur, sic scribit de Ægypti reginâ *lib.* 3. *Eleg.* 10.

Scilicet incesti meretrix regina Canopi
Una Philippeo sanguine inusta notâ,
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;
Romanamq; tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi.

Baris, urbs Pamphyliæ, in Pisidia reg. Asiæ min. juxta fontes fluv. Cataractes, versus Taurum mont. 30. mill. ab Antiochia Pisid. in Occasum. Episc. sub Archiep. Antiocheno.

Barisas, è ducibus auxiliaribus Persæ contra Æeten; qui operam suam omnibus bellis in illis locis mercede centum hominum & totidem Equorum locare semper solitus est; occisus à Calai. Val. Flacc. VI. 558.

Dat Calais Barisanta neci.

Barisses, secundùm Ctesiam, nobilis Perses ex illis septem, qui contra magum quendam Smerdin, Cyri filium se mentientem, & regnum obtinentem conjurarunt, eoque occiso regnum ad Persas transtulerunt.

Barium, Apuliæ op. vulgo *Barri.* Barensis agri caput, probè munitum, in ora sinus Veneti. 8. milliar. à Bitonto. Festus sic dictum scribit à conditoribus, qui expulsi ex inf. *Barâ* urbem hanc condiderunt. Hic reges Neapolitani coronari solebant. Frustra tentatum est à Lud. II. Imp. an. 866. Horatius *in Hodæporico:*

Bari mœnia piscosi, dehinc Gnatia lymphis.

long. 41. 12. lat. 41. 05.

Barium, vulgò *Bar*, opp. munitum Poloniæ, in prov. Podoliæ. Arcem habet in colle, & tota paludibus vallatur, ad amnem *Kovv.*

Barium ad Albulam, opp. lepidum Gall. in Campania prov. sic dictum, quia ad Albulam fluv. sedet, in regione peramœna. Vino suo celebratur. 10. leuc. à Trecis in ortum distat. *Bar sur Aube* Gall.

Barium ad Sequanam, urbec. Gall. in Burg. Ducatu & Montanensi agro, prope confin. Camp. ad Sequanam fluv. 5. leuc. *supra Trecas*, in Mer. Vid. *Barrum.*

Barlaamus, Monachus, dein Abbas S. Salvatoris Constantinop. Hujus de Papæ principatu libellum, primus mundo exhibuit Joannes Luidus Novi Collegii Socius, & Academiæ Oxon. Procurator. Edidit eundem posteà Heidelbergæ 1608. unà cum Nili Archiep. Thessalonicensis ejusdem argumenti libris duobus Claudius Salmasius. Ejus quoque Λογιστικὴν habemus hodiè & Ἀριθμητικὴν. Geometriam etiam composuisse, testis est Gesnerus. Item de ratione inveniendi tempus celebrandi Paschæ scripsisse, ait Vossius *de Scientiis Mathematicis, pag.* 393. Gregor. *lib.* 2. Cantacuzenus, *lib.* 2. Vixit A. D. 1350. ut ex æquali ejus Joanne Boccatio constat, *Præfat. operis de Genealogiâ Deorum*, Georgio Palamæ, Arch. Thessalonicensi, lumen in monte Taboris visum increatum fuisse asserenti, fortiter restitit. Ab Andronico Avenionem missus est, ad Benedictum 12. ob negotium unionis Ecclesiæ Or. cum Occ. Vide quæ de eo Pontanus ad Cantacuzenum annotavit, *l.* 2. 39.

Barlaamus Episc. seculo 14. scripsit epistolas ad Græcos, pro unienda illorum cum Lat. Ecclesia, & de Processione Spir. S. Ethicam insuper Stoicam, 2. part. constantem. Bellarm. *Script. Eccl.* Canisius, *antiq. lect. n.* 6. *& in Biblioth. PP.*

Barlæus Gaspar, Orator & Poeta Batavus, cuivis antiquorum comparandus. Scripsit *Heroica*, *Elegias*, *&c.* Obiit ante lustra aliquot.

Barna, seu *Varna*, urbs Bulgariæ, nota clade Christianorum, sub Uladislao Hung. R. An. 1444.

Barnabas, nomen viri. Act. 4. 9. 11. 12. 13. 14. 15. Lat. *filius consolationis*. Ecclesiam Mediolanensem, ut & Romanam sub Tiberio fundasse, & in Liguria prædicasse creditur. Orig. *lib.* 3. *de prec.* Clemens 2. & 5. *Strom.* Hier. *in Catal.* In Cypro, sub Nerone, Martyrio coronatus.

Barnabas Brissonius, advocatus gen. primùm, dein Præses Parlamenti. Missus in Angliam ab Henr. 3. statuta in unum Codicem compegit, plurimaque ad Jus pertinentia scripsit. Tempore Ligæ, Parisiis, à globo seditiosorum suspendio necatus. Anno 1591.

Barnabas Celsanus, Vicentinus, scripsit de Viris patriæ suæ illustribus. Voss. *hist. Lat. lib.* 3.

Barnabitæ, Congregatio Clericorum Reg. S. Pauli, quibus Paulinarum epistolarum assidua lectio incumbit: prima sui ordinis exercitia obierunt, in templo S. Barnabæ, Mediolani. Spond. A. C. 1533. *n.* 14.

Barnagassia, regnum peramplum, pars Abyssiniæ versus mare Rubrum, à quo usque ad Nilum fluv. extenditur. Ibi urbs prim. Barva & portus Suachemum, & Ercocum.

Barnastapula, opp. Angl. in Comit. Devoniensi, juxta fluv. Tavum, cum portu cognom.

Barneveldi insf. detecta à Batavis Anno 1616. in mari Austrino, prope Terram Ignium, & Fretum Mæreum. Dicta sic est in honorem Johannis Barneveldii, vel Oldenbarneveldii, qui ab an. 1588. post Paulum Busium, Hollandiæ fuit Advocatus. Fuit autem hic principum temporibus vox publicæ libertatis, utque tunc periculis, ita mutatâ Rep. auctoritate præcipuus in conventu Ordinum & delegatorum consessu exquirit sententias, præit suadendo, componit dissidentes. Hanc dignitatem auxit virtutibus propriis Barneveldius, quarum insigne documentum dedit, adversus Licestrii minas artesque, ut fidus consilii, ita animi invictus. Ad Henricum IV. Gall. R. missus, pacem illi cum Hispanis, dissuasit, an. 1598. Cùm dein magnis animis inter Fœderatos de pace cum his ageretur, An. 1608. invidiæ præcipuè obnoxius, muneri suo renuntiavit. Sed primorum rogatu ad id reversus omnem Hollandiam aliasque quinque nationes unius fecit sententiæ: Maximis in extremam ætatem negotiis adhibitus. Tandem, velut seditionis, ab Arminianis excitatæ, & collusionis cum hoste suspectus, cum Hug. Grotio, ex cujus *Hist. Belg.* priora hausimus, A. C. 1618. in vincula conjectus & capite plexus est.

Barnichius, fluv. Peloponnesi in Alpheum ingrediens, ante *Enipeus* dictus.

Barnuus, op. Macedoniæ apud Heracleam. Strabo *l.* 7.

Baro, mulier quædam Philosophiæ dedita, uti scribit Suidas, unde Philosophos, qui stolidiores essent, *Barones* vocabant, ut quasi mulierculæ per contemptum appellarentur. E contra autem posterioribus seculis *baro* notavit virum. Unde Glossæ Philoxeni, *Baro* ἀνήρ. Vide Voss. in *Baro*, & infra.

Baro, idem posteris, qui Heros & ex Proceribus unus, antiquis. A Βάρος quibusdam: Βαρὺς autem modò bardum & stupidum; modò elatum, generosum, fortem notat. Alciatus *Barones*, quasi *Verones* vult dictos, à populo Hispaniæ, nomen illud à fluvio quodam Celtiberiæ deducente. Meliùs ab Anglo-Saxonibus vocis origo arcessitur, quibus *Baro* idem, quod Latinis *Vir*. Aliis *Var*, & *Varon* Hispanis, tam pro viro, quàm pro Magnate. Francis Antiquis *Ber*, unde *Hautber*, pro viro summo, vel majori domino. Alamannis *Bar*; hodieque apud Occid. Anglos, pro domino sumitur. Itaque conveniunt *Baro* & *Vir*, in multiplici significatione: utpote, pro homine simpliciter, pro homine præstantiori seu forti, pro marito, &c. Sub *Baronis* itaque nomine veniunt intelligendi, satellites Imperatorum, à robore & prægrandi corpore: Vasalli seu Clientes feudales in genere: Vasalli Capitales in genere: & Vasalli Capitales majores, *i.* Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Magnates: Namque vel maximus horum Principis est Vasallus, eique tenetur Homagii seu *Baronagii* vinculo. V. Aimon. *lib.* 5. *cap.* 49. *A. C.* 1095. Otto Frising. *de gest. Frid. I. lib.* 2. *cap.* 13. *A. C.* 1154. Pro simplici Magnate *Baro*, hodie notissimum: sed non pari ubique consideratione. Germani, Galli, Itali, *Baronem* vocant, qui merum mistumque imperium habet, in aliquo castro, ex concessione Principis: Sic & in Scotia *Baro* est, qui jus furcarum & fossæ habet: sed apud hodiernos Anglos summâ justitiâ nemo gaudet, *Baroniæ* titulo. Spelmannus *in Glossario Archaol.* Olim verò *Barones* apud illos æstimati sunt, qui in suis dominiis de litibus cognoscebant & latrociniis: an tamen hi omnes *majores Barones?* incertum: illud certissimum, *majores Barones* habitos esse, qui de Rege tenentes in capite, judiciis præfuere Aulæ Regiæ: nuperiùs qui in Parlamentariis Comitiis Regi assident & suffragia ferunt, Parlamentarii *Barones*, Angl. *Lords of Parlament* nuncupati. Hodierni Anglorum *Barones* in triplici sunt differentia: Quidam *Feodales* seu *præscriptitii*, è priscis Feodalibus Baronibus oriundi: quibus Wilhelmus Conquestor totam Angliam dispertitus est, de se tenendam. Alteri *Rescriptitii* seu *Evocati*, qui Brevi Regio evocantur ad Parlamentum; hi caput extulerunt ab ævo Johannis & Henrici III. Reliqui tandem *Diplomatici*, qui Regio diplomate id fastigii ascendunt, quorum initium ad tempora Richardi II. refertur: Formulam creandi Barones tales, V. apud Eundem. Et quidem vox *Baro* vel cum ipsis Nortmannis, vel cùm Eduardus Confessor auras moresque illorum inbibisset, in Angliam pervenit. Plura de hac voce V. apud retro laudatum Spelmannum.

Baroca, opp. Asiæ, in India & imperio M. Mogolis, ubi Narvorus fluv. in sinum Cambajæ influit, in regno Guzarati.

Barolum, V. *Barulum.*

Baronius Cæsar, Sorâ Campaniæ Ital. urbe, oriundus, vasti operis Annalium usq; ad sec. 12. conditor, quos Casaubonus *in Exercitat. contra Baron.* in plurimis correxit utpote quæ *multo quidem vigilata labore Pagina, sed nutu sub dominantis erat.* Authoramentum haud leve purpura fuit, quam à Clemente 8. A. 1596. accepit. Triplicem etiam coronam nacturus, post eum, ni in. *Annalium tomo* scripsisset, *jus, quod Hispaniæ Reges in Sicilia sibi vendicant, falsi suspectis testimoniis niti.* Thuan. *Hist. l.* 134. Obiit An. 1607. Spond. *in ejus Elog.* Bellarm. Possevin. Galonius & Alby, *in elogiis Cardinal.*

Barra, opp. Orobiorum in Italiâ Transpadanâ, regione undecimâ. Plin. 3. 17. *Barriano* castellum vocat Leander.

Barrerius Joh. fundator Ordinis Fuliensium, *des Feüillans*, seu S. Bernardi pœnit. Anno 1580. Spond. Item Petrus, primò navicularius, dein miles, tandem sicarius futurus Henrici 4. An. 1593. ni insidiæ fuissent detectæ. *Hist. Gall.*

Barro-Ducum, Gall. *Bar le Duc*, urbs Lotharingiæ, lepida & culta, Ducatus Barensis præcipua, in clivo, cum castro munito, ad flu. *Ornain.* 15. leuc. à Nancejo. V. *Barrum.*

Barrum, nomen Gallicum vetus, quod portum videtur significavisse. Certè locus vulgò *Barbehel* & *Barbeau* dictus, ad Sequanam, Monasterio insignis, Latinè *Sacerportus* nuncupatur: ut appareat *Behel* Sacrum, *Barrum*, vel *Bar* portum amnicum Gallicè appellari consuevisse. Unde autem *Barrum* pro portu sumtum sit, haud facile dictu est. Nisi fortè à barris hanc appellationem accepit, quibus barris ac repagulis portus non maritimi modò, sed etiam amnici claudi consueverunt. *Barræ* apud Wilhelmum Brittonem sunt repagula: & Auctor *Histor. S. Michaëlis ante annos DC. scripta*, de Barro Ducis sic refert: Fridericus, Dux Lotharingorum, propter frequentes Campanensium incursiones, in confinio Lotharingiæ & Campaniæ castrum extruxit, quod *Barrum*, quasi *barram* nominavit. *Barrum* autem *Ducis* dictum est, quòd à Duce Lotharlensium Friderico extructum fuerit: Hoc ampliatum & in oppidum redactum, usque hodie *Barrum Ducis* vocatur, Bruno Herculanus *in Chron. Monast. S. Deodati.* Hujus ager sive Ducatus, qui antea Comitatus fuit, nunc appellatur pagus Barrensis, *le Barrois*. Aliud est *Barrum* ad Sequanam, in Lingonibus, non ignobile oppidum, *Bar sur le Seine*: ita cognominatum, ut distinguatur à Barro ad Albam, *Bar sur Aube*, & à Barro Ducis, de quo supra. Ex duobus prioribus unum pago Barrensi nomen dedit, qui *Barrisius* vocatur, in Capitulis Caroli Calvi, apud Silvacum latis, An. 853. & inter Pertisum & Camizisum pagos medius collocatur. In divisione Regni Lotharii, An. 870. facta *Barrense*, inter Odornense & Portense. Nithardus *lib.* 1. duos pagos Barrenses facit, quos inter Partensem ac Brionensem ponit. Wiomadus, reverenti in Galliam Childerico, comitatus Proceribus Francorum, apud castrum *Barrum* occurrit, & Barrensibus, quòd primi Regem receperant, tributi remittendi auctor fuit, ut Fredegarius, ac Aimonius scribunt: quod tam Barro ad Sequanam, quàm ad Albam convenire potest: quorum ambo- rum pagi sunt Nithardo *utriq; Barrenses.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Barsa, *Isle de Bas* Gallis, *Basepool* Anglis, inf. maris Britanni-

ci Angliæ adjacens, aliis *Bardsey* dicitur. Aliis est insf. Gall. in ora Britanniæ min. propè Staliocanum portum seu Fanum S. Pauli Leonensis.

Barsabas, nomen viri, Act. 1. Lat. *filius conversionis*, aut *quietis*, aut *juramenti*.

Barsalium, quæ & *Sergiopolis* pòst dicta, urbs fuit Armeniæ tertiæ, ad Euphratem fluv. inter Samosatham & Claudiopolim.

Barsanii, seu *Semidalitæ*, hæretici, Gadanaitarum sectatores. Horum sacrificium erat pauxillum pollinis digito ori admotum. Joh. Damascenus, *de hær.* An. 535.

Barsine, Artabazi, vel juxta Arrian. Darii fil. Alexandri M. uxor, quam cum Hercule filio Cassander occidi jussit, scil. quasi regnum Macedoniæ, quod affectabat, aliter consequi, quàm scelere, non posset. Justinus *lib.* 5.

Barsita, quæ & *Borsippa*, urbs Asiæ, in Babylonia reg. ad Euphr. ex præcipuis totius tractus. P. à Vico.

Bartas, Gul. Sallustius, Poëta Gallus, totum ferme V. T. metro reddidit. Carmina ejus Latinè & Italicè postmodum versa.

Barthabaces, Cybeles sacerdos, de quâ Plut. *in Mario*.

Barthenos, uxor Noachi apud Epiphanium. Βαρθένος, inquit, τοῦ Νῶε γέγονε γυνή.

Bartholinus Richardus, Perusinus, Poëta, Austriadem 12. libr. edidit, de bellis Ducum Bavariæ & Princip. Palatinorum. Dedicatum Maximil. I. *Bartholinus Th.* cum filio, Medici celeberrimi, editis scriptis, de novis inventionibus Chirurgicis, venis lacteis, circulatione sanguinis, meatu chyli, &c. inclyti. Hafniæ floruerunt, his ultimis annis.

Bartholomæus, Apostolus, cujus nomen solùm in Evangelio legitur. Post resurrectionem Christi in Indiâ sparsit Evangelii semina, ut scribit Euseb. *lib.* 3. *cap.* 1 & citatur ejus dictum hujusmodi, *Evangelium esse breve & longum*. Etsi enim summa ejus brevibus Aphorismis comprehensa tradi potest, tamen sapientia illius inexhausta est, & propugnatio dogmatum longiorem orationem desiderat. In Armeniæ urbe Albana fertur, jussu Astyagis regis, cujus fratrem converterat, excoriatus esse. L. Loyd. In Armenia maj. Lycaonia, Albania, & India citer. Evangelium cum prædicâsse, habet Morerius. Latinè *filius — haurientis — aquas*. Ita Hesychius. Βαρθολομαῖος, υἱὸς κρεμῶντος ὕδατα. Atqui Vossius scribit *Bar ptolemæus*, quasi *filius Ptolemai*. Evangelium ei hæretici tribuerunt. De ipso Vid. Matth. 10. 2. Marc. 2. 18. Luc. 6. v. 14. Chrysostom. *Homil. de* 12. *Apostol.* Baron. A. C. 31. 44. &c.

Bartholomæus, Superintendens Valdensium in Bohemia, Bulgaria, Croatia, Dalmatia, & Germania dispersorum, circa A. C. 1223. Hunc Matthæus Paris. *in Henrico* 3. vocat *Antipapam*, quòd Episcopos sui dederit, Ecclesiasque ordinaverit. Additque, eum tali usum fuisse subscriptione, *Bartholomæus servus servorum sanctæ fidei salutem*. Vid. quoque Crantz. Metr. *l.* 8. *c.* 18. & Sax. *lib.* 8. *c.* 16.

Bartholomæus Albicius, auctor libri Conformitatum. Obiit An. 1380.

Bartholomæus Amantius, cum P. Appiano collector Inscriptionum mundi.

Bartholomæus Blanchinus scripsit vitas Virorum Illustrium.

Bartholomæus Bressanus, juridica & historica plurima scripsit. Gregorio 9. charus, obiit an. æt. 84. libertatem patriæ, contra Acciolinum tyr. gloriosè defendens.

Bartholomæus Caranza, Dominicanus, Archi. Toletanus, tanquam hæreseos suspectus, Inquisitioni subjicitur: A Martino Aspilcueta, JConsult. celeberrimo, qui an. æt. 80. Romam, ubi Caranza 11. annos detentus erat, venit, acerrimè defensus. Spond. *A. C.* 1559. *num.* 19. Scripsit epitomen Conciliorum & Paparum, usque ad Paul. aliaque.

Bartholomæus Cavalcantius, Florentin. Henrico 2. Gall. R. æstimatus, auctor Rhetoricæ *Ital.* &c.

Bartholomæus de la Cueva, Hisp. Cardinalis, obiit An. 1562.

Bartholomæus Facius, Genuensis, Arrianum Lat. reddidit, scripsit Alphonsi I. Neap. R. histor. & de felicitate vitæ.

Bartholomæus Fontius, à Matthia Corvino Bibliothecæ augendæ adhibitus.

Bartholomæus Gaëtanus, Sebusianus, egregius miles, & historicus. Annalium patriæ suæ scriptor. Obiit an. 1404.

Bartholomæus Glanuyle, Anglus, plurima curiosa admodùm scripsit.

Bartholomæus Janovesius, Hisp. scripsit sub Urbano 5. de Antichristo, quem An. 1360. debuisse venire, & quidem die Pentecostes; ab ipso omnes fideles seductum, contra omnes Judæos, Ethnicos & Mahumetanos conversum iri asseruit. Bzovius *A. C.* 1359. *num.* 9.

Bartholomæus Keckermannus, Dantisc. insignis Mathematicus, Philos. & Theologus.

Bartholomæus d'Osa, Bergomas, sub Ludov. 4. 1340. historiam Paparum & Imperat. 16. libris, edidit.

Bartholomæus Pisanus, scripsit Summam Casuum conscientiæ, cui titulus *Pisanella* seu *Magistruccia*. Obiit an. 1347.

Bartholomæus Pitiscus, Mathem. sec. elapso. Theologus item magni nominis Palatinus, obiit Heidelbergæ, A. C. 1613. æt. 52.

Bartholomæus Scala, Florentinus; Angeli Politiani æmulus.

Bartholomæus Scultetus, Astrologus.

Bartholomæus Tridentinus, scripsit vitas SS.

Bartholomæus Vespuccius, Astrologus.

Bartholomæus Vicentinus, ab Innocentio 4. in Galliam, ad Lud. 9. missus.

Bartholomæus Zambertus, Mathem. Venetus.

Bartholomæus Zuchatus, Hist. Possevin. *Bibl.* Trithem. *Catal.* Leander, *descr. Italiæ*. Voss. *de Mathem.* & *hist. Lat.*

Bartolus de Saxoferrato, JConf. egregiæ hujus Scientiæ Instaurator, natus est A. D. 1309. Puer præceptorem habuit Petrum de Assisio, virum doctum & eximiè pium, à quo in Grammaticis eruditus fuit. Ad Juris Civilis disciplinam se contulit, an. ætatis 14. in civitate Perusina, quam totâ diligentiâ & industriâ didicit, sub præceptoribus Cymo Pistoriensi, Jacobo Burrigario, & Reynerio Forojuliensi, ut postea an. ætatis 20. Bononiæ de Jure publicè responderit, & anno sequenti solennia Doctoratus insignia receperit. Perusii uxore ductâ, ut vitæ portu constituto, ætatem jus profitendo transegit, cui nec ingenium, nec memoria defuit, qui Hebraicas literas & mathemata didicit, & plurium disciplinarum quàm Juris Civilis peritiam habuit. Mortuus est An. 1355. ibidem an. ætatis 46. Hæc Joh. Pichardus *in JC. vitis*. Vid. P. Jovium, Volaterr. Lancelotum *in ejus vita*. Turselin. *lib.* 9. Trithem. *de script. Eccl.*

Bartonia, provincia Prussiæ, Nattangiæ & Varmiæ finitima, agris & oppidis frequentibus ornatissima. Metel.

Baruch, Lat. *benedictus*, vel *genu flexus*. Hesychius, Βαρούχ, εὐλογημένος. Filius Neriæ, amanuensis Jeremiæ, & fugæ in Ægyptum comes, Jerem. 32. 10. Alius videtur ab illo, quicunque tandem fuerit, cujus extat liber inter apocryphos.

Baruli, Hæretici, animas ante hunc mundum conditas, & quidem unâ vice omnes, tumque peccasse, fabulati sunt. Præterea Servatori nostro corpus, cum hodiernis Anabaptistis, phantasticum tribuerunt. Sander. *hær.* 149.

Barulum, vel *Barolum*, *Baretum* Straboni, hodie *Barletta*, ut nonnullis videtur; nobile olim, frequens ac opulentum opp. Apuliæ Peucetiæ, 4. mill. ab ostiis Aufidi fluv. à Bario 30. m. p. in occid. Sipontum versus totidem, Cannis urbi excisæ proximum ad 6. m. p. In hujus medio foro statua ex ærearmati Regis 10. pedum altitud. conspicitur, quam incolæ Imperatoris Heraclii esse dicunt. Aliquandò à Gallis obsessum tantâ fame laboravit, ut milites detractas scutis pelles aquis emollitas absumerent, herbisque (quascunque reperirent) vescerentur. long. 40. 35. lat. 41. 20. Opp. est agri Bariani, &c. nunc deficit indies. Baudr.

Barussæ, 5. insf. in Indico mari Ptol. Mercatori sunt *Mindanao*, *Cailon*, & *Subut*, cum reliquis duabus Circium versus. Baudrando *Macassar*, *Gilolo*, & *Ceram*, cum al. in viciniis, quæ sæpè etiam Moluccæ dicuntur.

Barva, urbs Afr. in Abyssin. & regno Barnagassi, inter Chaxumum & Ercocum urb. juxta Marabum fluv. vix 70. mill. à mari Rubro.

Barutum, oppidum à Soldano incensum & solo adæquatum A. D. 1290.

Barygasa, insigne emporium Gedrosiæ. Steph. Item urbs Indiæ intra Gangem. Ptol. & Arrian. *Bacam* vocat Castaldus. Ramusius autem *Goa* vel *Calicut* ex eâ facere mallet. Nunc *Baçaim*, in regno Guzarati, permunita, cum portu in ora ad fauces sinus Cambajæ. Sub Lusitanis. Baudr.

Barzaentes Satrapes, qui Arachosios ad defectionem impulit; post ea vinctus ad Alexandrum adductus. Curt. VIII. 64. Nabarnæ & Barxaëntis meminit quoque Diod. *lib.* 17.

Barzaith, i. e. *filius*, aut *puritas*, sive *frumentum anguli*, Nomen viri, 1. Par. 7.

Barzanes, Assyriorum rex, in Armeniâ à Nino superatus.

Basa, i. e. *in facturâ*, Judæor. rex, regn. an. 24. Homo impius, sed qui omnem familiam Hieroboam & Nadab interfecit. 3. Reg. 15.

Basabocates, pop. Aquitaniæ, Pictonibus juncti. Plin. 4. 19.

Basaja, id est, *in facturâ Domini*. Filius Melchiæ. 1. Par. 6.

Basan, id est, *in dente*, sive *in ebore*, aut *in mutatione*, vel *in somno*, aut *confusio*, vel *ignominia*. (Hesychius, Βασάν, αἰσχύνη) Regia Og Regis, quæ pascuis, ac nemoribus abundans cecidit in sortem dimidiæ tribûs Manassis. Longitudine à torrente Jaboc, usque ad terminos Selcha, Gessuri & Machati; latitudine verò à montibus Galaad, Seir & Hermon, usque ad mare Galilææ & Jordanem extenditur. Quæ & Havoth-jair Deut. *c.* 3. dicitur, ac terra *Rephaim*. Græcè Josepho, Ptolemæo, & Stephano Βαταναία, vel Βατανία, cujus pascua præter Mosen ac Davidem veteres scriptores mirè celebrant. Hieronymus in Amos *cap.* 4. *Vaccæ pingues de armento se esse noverint, sive quæ nutriantur in pascuis Basan, quæ sunt loca herbarum fertilissima.* Theodoretus *ibidem* Δαμάλεις ζῶντας τῆς Βασανίτιδος ὀνομάζει, ὡς ἀδροδιαίτας, καὶ χλιδῇ παντοδαπῇ κεχρημένας. Τοιαῦται γὰρ καὶ τῆς Βασανίτιδος αἱ δαμάλεις διὰ νομῆς ἀφθονίαν σιτευθεῖσαι. Scilicet teste Cyrillo *in eundem locum*, Χώρα ἡ Βασανῖτις, εὔβοτός τε καὶ εὐδενδρος καὶ πολὺ λίαν ἐπιτη.

ἐπιτηδείως ἔχουσα ταῖς; τὸ δύνασθαι καταπιαίνειν ἀμφιλαφῶς τὰ ἐν αὐτῇ βοσκήματα. Apud Tzetzen *Chil.* 10. *Hist.* 306. legitur,

Βασὰν καί τινας Σκυθῶν λέγεται πόλις εἶναι.

Magno errore. Aliud enim *Basan* regio, aliud *Bethsan* oppidum, quod Græcè Σκυθόπολις dicitur, non tamen à *Scythis* uti volunt, sed quia spinæ genus שטה *scitta*, ibi crescebat affatim, uti docet Bochartus.

Basanburgum, mel. *Batavorum arx*, ad Mosam fluv. 2. leuc. à Noviomago in merid. *Batenburg*. Vid. *Arx Batavorum*.

Basanica, aliàs *Banisa*, pop. Thraciæ. Steph.

Basanus, Sicambrorum rex, regn. an.36.

Bascama, oppidum in tribu Gad, regionis Galaad, in quo Jonathan occisus est à Tyiphone. 1.Machab. *cap.* 13. *vers.* 23. Jos. 13. *antiquit.* 9.

Bascath, civitas antiqua in tribu Juda, Jos. 15. Lat. *massa*, *inflatio*, aut *in angustiâ*, vel *effusione*.

Bascauda, vas Britannicum. Mart. *lib.* 4.

Barbara de pictis veni Bascauda Britannis,
Sed me jam mavult dicere Roma suam.

Juvenalis *Sat.* 13.

Adde & Bascaudas & mille escaria.

Sane *Basket* etiam hodie Angli dicunt.

Baschama, nomen loci. 1. Macchabæorum *cap.* 13. Vide *Bascama*.

Basemath, i. e. *aromata*, vel *confusio mortis*, aut *in desolatione*, sive *in positione*, aut *in nominibus*; altera uxor Esau, Gen. 26. Filia item Solomonis. 3. *Reg.* 4.

Basentellum, opp. Calabriæ, prope quod Otto II. Imperat. Italorum proditione, à Græcis victus, captusque est: unde se persoluto lytro & beneficio Græcæ linguæ liberavit, An. Chr. 980. Sigon. *lib.* 7.

Basera, urbs Phœniciæ. Steph.

Basiana, vulgò *Possega*, urbs Hungariæ, in Sclavonia reg. Caput Comitatus Posegiensis, ad Oriavam fluv. qui 2. leuc. infra se in Savum exonerat. Subest Turcis cum toto tractu.

Basilea, vel *Basilia*, in duabus vitis Caroli M. truncato nomine *Basla*; in divisione regni Lotharii *Basula*, in Annal. Metensibus *Basala*: in Notitiis vett. provinciarum & civitat. Gall. *Basiliensium civitas*, Cluverio *Arialbinum*, quem Valesius Notit. Galliæ, Anno 1675. editâ, ex Ammiano Marcell. qui Theodosii M. ac tabulæ Theodosianæ, in qua Arialbini mentio, æqualis, *Basiliæ* præ cæteris meminit, ut & Arialbini haud paulo obscuriore famâ, refellit: inter civitates provin. Maximæ Sequanorum IV. locum obtinuit: Post dirutam dein Augustam Rauracorum, cujus rudera in pago *Augst* territorii Basiliensis supersunt, sede Episcopatus inde huc translatâ, circa A. C. 800. sec. Valesium, Rauracorum caput. Vide infra. Hodie Helvetiæ urbs est, *præclara & ampla*, *omnibus modis ita commendabilis, ut parem inveniri facile haud credam*, Osvvaldus Molitor. Ejus primus omnium, aut saltem inter primos, meminit Ammian. Marcellinus prædictus, *lib.* 30. Item Notitiæ vett. provinc. & civitat. Galliæ, de quibus similiter supra, quæ Honorii principatu compositæ. Et quidem ille, qui Anno Chr. 360. terras hasce perlustravit, testatur, *Valentinianum II. Imperat. post vastatos aliquot Alemanniæ pages, munimentum, nomine* Robur, *ædificasse prope Basiliam*. Nomen quidam à *Basilina* Juliani Imperat. matre; Cluverius *lib.* 2. *cap.* 5. à Robore accolis *Basil*; quercu vid. annosâ Deo *Basil* ibi consecratâ: Beatus Rhenanus à Rheni transitu, quasi *Passilea*: Nonnulli à *Basilisco* ibi reperto: Heroldus à T. Minutio *Basillo*: Quidam à Græco Βασιλεία, sicut Latinor. Augusta: Hadr. tandem Valesius ab amne proximo Birsa, quem prius *Basilam* nuncupatum putat, deducit. In Boreo Rauracorum angulo ad Rhenum, ubi fluvios Birsam quidem supra, ex Monte Jura profluentem, & infra Wiesam, è sylva Nigra excipit: ponte junctâ eximio, Majore, ut vocant, urbe, in vet. Gallico; Minore, è regione in Alemannico solo positâ, situ sedet jucundo, ædificiis magnificis, templis quamplurimis, fontibus dulcissimis, cœlo saluberrimo, incolarum virtute, mirâ omnium rerum exuberantiâ, inclyta; Franc. Guillimannus, &c. Ex Augustæ Rauricæ reliquiis orta creditur, & Cluverius quidem conditorem ejus Valentinianum II. circa An. Chr. 374. facere non dubitat; Antiquiorem tamen esse, quanquam non tanto nomine, adeoque crevisse potius ex Augustæ ruderibus, probabilius: Cùm Anno Chr. 260. Alemannorum in Galliam Italiamque irruptione, sub Valeriano & Gallieno Imp. pluribus urbibus vastatis, etiam hanc idem fatum subiisse: imò unà cum Augusta Raurac. ab Hunnis quoque gravia passam esse, sint qui scribant. Distat Tiguro 9. Nanceio 24. leuc. Ejus historia paucis hæc. De origine jam aliquid dictum: Munita à Valentiniano retro laudato: postmodum, post Alemannorum, sub Valentiniano III. in Galliam Celt. irruptionem, qui veteribus Rauracis Helvetiisque exturbatis, eorum sedes occuparunt, denuo excitata, & pristino, imò ampliori splendori reddita creditur. Ab Imperat. Henrico dein I. & II. cui ob fortem fidamque operam, contra Francos, Bohemos, Sclavos & Saracenos, feliciter præstitam, unicè dilecta erat, Stumpf. *de Germ. lib.* 2. *cap.* 21. postquam Burgundiæ regno, cui subfuerat prius, destructo ad Imperium venisset, novum decus ei accessit. Ampliata, Anno 1368. & minore quoque urbe, quam à Friderico Blanckenhemio Episcop. Argentor. & Administratore Episcop. Basil. jure emptionis acquisivit, Anno 1392. auctior reddita, jamque olim à variis Imperatoribus, Friderico III. inprimis, amplissimis immunitatibus & privilegiis donata, inter liberas Imperii civitates fuit: Henrico hoc I. Anno 1061. Rodolfo I. Anno 1274. Carolo IV. Anno 1347. Sigismundo, tempore Concilii, Friderico III. Impp. &c. hospitio exceptis: Amicitiâ interim Helvetiorum, ut vicina ipsis erat, diu, antequam fœdere ipsis jungeretur, exsultâ, nobilis. Namque & Ludovico Bav. à Pontifice excommunicato, cùm ingentes turbæ inde exortæ essent, *Basilienses*, qui ob fidem Imperatori servatam, à Pontifice similiter excommunicati erant, Pontificium Legatum insolentius agentem Rheno merserunt, mox ut securitati suæ consulerent, fœdus cum tribus primis Helvetiæ pagis, ac Tiguro & Bernâ, multisque aliis Germaniæ urbibus, Anno 1327. fecerunt. Peculiari dein fœdere urbs cum Tigurinis coiit, Ann. 1345. Rursus An. 1365. cùm Leopoldi Austr. auspiciis Anglorum exercitus, Alsatiâ vastatâ, Argentinam obsideret, Urbi huic quoque minatus, à Tigurinis, Bernensibus, Lucernensibus & Solodurensibus, misso præsidio, confirmata est: quod iterum factum, An. 1409. à Bernensibus & Soloduriis, bello contra Catharinam Burg. Leopoldi uxorem: & tempore Concilii Basil. quod disturbaturus ingentem exercitum in fines Helvetiorum adduxerat Ludovic. XI. tum adhuc Delphinus, qui prælio San Jacobæo, in omne ævum memorabili, prope urbem, cum exigua Helvetiorum manu conflixit, An. 1444. Postea junctis cum Helvetiis copiis commune bellum adversus Austrios gessit. Carolo porro Burgundo imminente, Argentinensibus, Sigismundo Austrio, & Renato Duc. atque Helvetiis tandem, novo fœdere ad decennium juncta est, strenuâ fideliquе operâ eo bello sæpe navatâ. Exin bello inter Maximilianum Imperatorem & Helvetios, ad Dorneggum victores, fervente, mediam se gessit, quod Nobilitas tam graviter tulit, ut magna ejus pars ex urbe in vicinos Sequanos, Alsatas & Brisigavos commigraret, unde injuriarum contentionumque inexhausta seges, victrice tandem *Basileâ*, quæ anno proximo, qui finem belli illius consecutus est, & fuit An. Chr. 1501. perpetuo fœdere sese decem Pagis Helvetiæ conjunxit, septimo inter illos loco obtento. Fuit olim summa hic penes Nobiles auctoritas, cujus societates duæ *frequentibus dissidiis inter se collisæ, turbas non rarò dederunt.* Postea *non tam amoti à gubernaculis sunt, quàm sponte ea deseruerunt.* Namque & *multi, quòd se tempore Concilii hostibus junxissent, exilio multati.* Dein, ut retro jam monitum, bello contra Catharinam: Præterea post fœdus Helveticum, maxima nobilitatis pars excessit. Quidquid tandem residui fuit, urbe Reformationem amplexâ, An. 1529. cùm illam impediri posse desperaret, inde se in proximas arces recepit. A quo tempore Senatus è populo legitur, usque ad nostram ætatem. Bellis externis, namque & obsessa à Rodolfo Com. Habspurgico fuit, Anno 1273. qui in ipsâ hujus urbis obsidione, Imperator electus, ei pacem dedit: intestinis seditionibus A. 1308. inprimis, & 1376. Vid. *Psittaci & Stelliferi*, quæ partibus tum nomina, occultisque insidiis sæpe tentata; Pestem multoties sensit: A. 1314. inprimis, quo 14000. mortalium. A. 1349. quo totidem: An. 1439. quo innumeri, An. 1502. quo 5000. An. 1543. quo flos virorum. An. 1563. & 1564. quo 7000. atque inter illos iterum clarissimi viri. Anno 1610. quo rursus 4000. An. 1629. A. 1633. An. 1667. quo 2000 sublata. Incensa est Anno 917. ab Hungaris. Iterum flammis consumtæ ædes 600. A. C. 1294. Minor urbs arsit, A. 1327. iterumque A. 1354. Rursus ferale incendium urbem funestavit, A. 1377. 1414. inprimis autem 3. Non. Jul. A. 1417. cujus calamitatis immensæ Poggius Florentinus meminit, &c. post quam tamen velut Phœnix, è cineribus splendidior resurrexit. Inundationibus Birsici fluv. & Rheni multa damna passa, An. 1378. An. 1424. 1446. 1480. 1512. 1519. 1529. 1530. &c. Terræ motibus, quibus obnoxia Urbs ripensis, & subtus magna ex parte cavernosa, concussa est sæpissimè, inprimis 15. Kal. Nov. An. 1356. quo tantùm non tota concidit. Quæ damna affatim divina benignitas pensavit. Academiâ namque, quæ mox inter celebriores Europæ, institutore Pio II. ornata est, A. 1459. Post quam erectam, & apertas veluti Musarum januas, Chartacea quoque hîc ars excitata, ab Antonio & Michaële Gallicionibus, Anno 1470. tot tamque nobilibus Chalcographiis occasionem dedit, quibus præ plurimis aliis hæc urbs effloruit, primum Typographum Bernardum Richelium nacta, Anno 1478. In fœdus dein Helveticum, ut dictum, recepta est, Anno 1501. Quibus omnibus divini favoris cumulus, Reformatio, accessit, de qua paulo pòst. Olim Episcopalis fuit, primusque Episcopus Justinianus habetur, qui Concilio Coloniensi subscripsit, Anno Chr. 346. Ejus successores, cùm, per hominum credulitatem, opibus aucti essent, varia cum vicinis bella gesserunt, sensim dein, quicquid in civitatem habebant juris, huic diversis temporibus vendito; donec tandem Reformationis impatientes

Bruntrutum, seu Pontem Ragnetrudis, ut in antiq. Eccl. Vesontiensis tabulis dicitur, sedem transtulere. Hanc Reformationem jam antè prædixit, circa An. Chr. 1400. Johannes Maulbergius, Dominicanus, qui concionibus in vitia & errores seculi acerrimè invectus, Sigismundi Imperat. elogium meruit. Ei prælusit Concilium, non tam id, quod an. 1061. contra Alexandrum II. ab Henrico II. Imper. celebratum, quo Chadelo Episcopus Parmensis, Papa electus & Honorius II. appellatus est, quàm quod A. C. 1440. Generale habitum est, cujus libertate (in illo enim præsente Sigismundo, præsidente autem Juliano Card. liberius, quàm unquam in aliis, in auctoritatem & potestatem Pontificis inquisitum, Joh. Baleo teste, *in Eugenio* 4. Bulling. *lib.* 2. *de Concil.*) offensus Eugenius IV. aliud Ferrariæ indixit, verùm à Patribus Basiliensibus citatus, accusatus, condemnatus, & depositus est, suffecto ei Felice V. qui cùm uxoratus esset, decretum: *Non solùm, qui habuit uxorem, sed & qui habeat, assumi posse: Concilium supra Papam esse*, &c. Sessionibus 45. ut & fulminis Tarpeii à Sixto IV. ob Andream Arch. Strigoniensem vibrati, more Majorum, Vid. supra, neglectus, An. 1485. Wilhelmus Röblinus, Parochus S. Albani ortus est An. 1521. Clero annitente mox urbe pulsus: absolvit tandem Johannes Oecolampadius, qui An. 1522. Basileam delatus, dein an. 1523. in Antonii Zangeri Ecclesiastis Martiniani, emeriti, locum surrogatus, tantum effecit, ut An. 1524. S. Baptisma idiomate vernaculo, & Cœna Domini sub V. S. ut vocant, administrari inciperet: quo anno Disputatio de Cœlibatu publicè quoque habita. Post quæ an. 1526. Psalmi Germ. linguâ, in templo Martiniano, cantari cœpti. Anno 1527. Missa eodem in templo, ut & apud Augustinianos abrogata. An. 1528. imagines maximâ ex parte sublatæ. An. 529. tandem hæ omnes, duodecim curruum onus, cùm super dividunda in domesticos usus præda pauperes rixarentur, in novem compositæ strues, ante primariam ædem, combustæ, totaque urbe Evangelium publicatum, & absque graviore tumultu omnia peracta sunt: dexteritate & prudentiâ inprimis Jacobi Meyeri Consulis, insignis negotii tam sacri promotoris. A quo usque ad nostra tempora non exiguum decus Reformatæ Ecclesiæ urbs fuit. Gallis quibusdam proceribus, interque eos Admiralis Colinii filiis, post Lanienam Parisiensem, ob religionem, huc se Anno 1572. recipientibus, hospitium locumque sacris Gallicâ linguâ privatim peragendis, dedit, unde hodieque non contemnendus ibi ex illa gente fidelium cœtus: quibus, crescente indies numero, An. 1616. templum quoque, & publicè sacrorum causâ conveniendi potestas concessa. Ad Synodum Dordracenam, è Theologis suis, misit Sebastianum Beckium & Wolphgangum Meyerum, Theol. Doctores celeberr. An. 1619. &c.

—— —— Huic ô militet æther
Et conjurati veniant ad classica venti!

Exhibet urbis hujus regiæ historiam Stumpf. *in Chron. lib.* 12. *cap.* 22. *& seqq.* Æneas Sylvius *in descr. Basil.* Christian. Urstisius *Chron. Basil.* Munster. Ramus, *in Encomio urbis*. Vid & Guillimannum, Simlerum, Joh. Baptistam Plantin. *in Helv. Nov. antiq.* Sleidan. Hadrian. Valesium, *in Not. Gall.* &c. De illa Glareanus *in Panegyrico Helv.*

Rauriacas arces, augustaq; limina Rheni,
Helvetiæ muros & inexpugnabile vallum,
Quo pede dicendi, quo plectro, quave Camœnâ
Sat dignè extollam? Non si mihi Tullia verba
Delius inspiret, Musisq; ad transtra vocatis,
Tantillum laudis possem: Salve optima mater
Indigenis Basilea *tuis, urbs inclyta Famâ,*
Urbs Trojâ, Thebisq;, & multis notior astris:
Tota quidem splendes, & te tibi pulchrior ipsa es,
A planta usq; caput: tu nostri portus, apexq;
Imperii: tu totus honos, non indiga laudis
Fucatæ, semper studiorum dulcis alumna,
Massiliam referens, doctasq; Academia Athenas.

Vulgò *Basel*, caput Pagi cognom. Vide infra, longitud. 29. 15. lat. 47. 25.

Basilea minor, urbs recens, in solo Germanico, è regione urbis majoris, de qua supra, cui egregio ponte jungitur. Villa antè seu vicus, *inferior Basilea* dictus, supra quem exiguo intervallo magalia quædam & piscatorum domus stetere, quem viculum *superiorem Basileam* nominatum fuisse, à senioribus audivit Urstisius. Intermedio sive supremo cultioris atque frequentioris pagi loco, communis parochia extitit, quæ hodie Theodori nomen sustinet. Postea in unum locum utrisque commigrantibus, prioribusque appellationibus abolitis, *ulterior Basilea* dici consuevit, antiquo Germanorum idiomate, *Enrun* vel *dirren Basel*. Villa adhuc fuit A. C. 1250. sed annis dehinc 28. fossâ murisque in urbis formam redacta: & contra Rudolfum Habspurgicum, nondum tum Cæsarem, ab Henrico Neoburgensi Episcopo, munita est: à quo etiam, ob fidam operam, id immunitatis accepit, ut in posterum quotannis non nisi 40. libras tributi loco pendere teneretur, An 1270 Iis siquidem temporibus plenum illius temporale dominium Episcopus Basil. habebat (spirituali ad Constantiensem Præsulem spectante) à quo Prætorem accepit, cui 20. Senatores assuere. Ab Episcopo Joh. de Vienna postmodum, pignori data est Leopoldo Austrio, An. 1375. cui proin contra Helvetios A. 1386. militarunt, amissis clade Sempachianâ viris octo. Sed Successor Johannis Himerius Ramstenius, An. 1389. majori Urbi minoris redimendæ copiam fecit: qui cùm biennio pòst Principatu se abdicasset, Fridericus Blanckenhemius Episcop. Argentin. Basiliensi Administrator datus, ut aliis se expediret debitis, urbem hanc, majoris Collegii adsensu, Civitati Basiliensi pro 22000. floren. summa, fiduciariâ venditione assignavit: sequenti verò anno, 28800. florenis super acceptis, perpetuo venditionis titulo omni in eam jure cessit, Bonifacio IX. approbante. A quo tempore utraque urbs in unam Remp. coaluit. Occupat planiciem æquabilem, ac bifido rivo à Viesa fluvio deducto irrigatur, aquis per omnes plateas, quod non parum commoditatis urbi affert, derivatis: figura tetragonum oblongum refert; Ptolomæus tractum eum ultra Rhenanum ad lacum usque Acronium Alpesque, tab. 4. Eur. vocat *Helvetiorum Eremum*, i. Hercyniæ sylvæ caput, cum adjacentibus regionibus, Rhenique contra Rauricos tractu: cui Vadomarius, Alemannorum Rex, tempore Constantii & Juliani Impp. dominatus est. Vid. Urstis. *Hist. Basil. Epit. cap.* 18. & supra in voce *Basilea*.

Basileensis, vel potius *Basiliensis Pagus* in divisione regni Lotharii A. 870. inter Ludovicum & Carolum fratres, Francorum Reges, factâ, nomine Celtico vocatur *Basalchouva*, seu *Basalgouva*: *Gouva* enim seu *Gou*, Pagum denotare, ex appellationibus adhuc hodiernis *Argouv*, *Turgouv*, &c. patet. Constat hoc tempore, de Reip ditione loquor, Episcopi enim sat amplum territorium est, præter opp. Lucisvallum, & Sisgoviam reg. præfecturis quatuor Cisrhenanis, Mönchensteinianâ, Farnspurgensi, Wallenburgicâ, cui Ramsteynia juncta est, & Homburgensi: ac unâ transRhenanâ, Riehanâ: de quibus alibi.

Basilei, sive *Basilii*, Sarmatæ prope Jazygas, quorum pars maxima Nomades sunt; pauci agrorum colendorum studio tenentur. Utramque Istri ripam incolunt. Strab. *l.* 7.

Basileus, fluvius Cypri prorumpens in mare Syriacum.

Basilia, ins. Ponti in Oceano Septentrionali. Xenophon Lampsacenus à litore Scytharum tridui navigatione insulam esse immensæ magnitudinis *Baltiam* tradit, quam Pytheas *Basiliam* nominat. Plin. 4. 13. *Baltia* Timæo dicitur. Plinius *Bannomannam* vocat. *Scandia*, & *Scandinavia* eidem, ut & Solino dicitur. Procopius sub nomine *Thule* sed falsò describit. Jornandes *Scanziam* etiam perperam vocat. Ejus loci incolæ *Suiones* apud Tacitum videntur, sed non esse insulam cognitum fuit, & ea esse creditur, quæ duo amplissima regna habet, nempe Norvegiam & Suediam, ubi partes præcipuæ sunt Gothia, Suecia propria, Lapponia & Finlandia, comprehendens. Scandia autem vel Scandinavia, *Sconen*, quæ hujus est pars, facit Zeiglerus. Idem pro *Bannomanna*, *Pannonia* apud Plinium legere mavult, & Finlandiam hujus peninsulæ partem pro eâ accipit. *Suiones* Taciti Willichius *Sueden* interpretatur. Hanc *Basiliam* peninsulam Mar. Niger *Vergeon* appellatam scribit. Vide *Scandinavia*.

Basilica, Græca vox, sed Latini Græcos sequuti, prætoria & domos ad publicas conciones spatiosas, è magnifico opere, *Basilicas* itidem dicunt. Vocem Scriptores Ecclesiæ à Constantini ævo, ad ædes sacras transferunt, nec solùm ad majores, sed & ad minores, ipsasque privatorum capellas & sacella. Spelmannus *Glossar. Archaol.*

Basilicata, prov. Regn. Neap. ubi aliàs major & potior pars Lucaniæ, inter Principatum citeriorem, Calabriam, Sinum Tarentinum & Terram Barensem. Regio sat sterilis & inculta. Cui primaria urbs Acherontia, versus Apenninum.

Basilidæ, pop. Sarmatiæ Europææ, sub Hamaxobiis, ab Hercule & Echidnâ originem sumpserunt. Mela *lib.* 2. ubi nunc Duc. Moscoviensis & Rezanensis.

Basilides, familia Erythris, è regio sanguine prodiens, qui Oligarchiam ibidem tenuerunt, de quibus Herodot. *lib.* 8. Aristot. 5. *Polit.* 6. Strabo *lib.* 14.

Basilides, Sacerdos in Carmelo monte Dei cognominis, qui sacrificanti Vespasiano inspectis extis magna per ambages prædixit. Tacit. *Hist.* 2. 87.

Basilides, Alexandrinus, Menandri discipulus, cum Saturnino, quorum hic Syriam, ille Ægyptum conspurcavit, An. Chr. 130. Adriani Imper. temporibus vixit. Docuit unum esse Deum Patrem, ex hoc natum esse Νῦν, ex hoc Λόγον, ex hoc Φρόνησιν, ex hoc Σοφίαν καὶ Δύναμιν. Ex his, virtutes Principes & Angelos primum condidisse cœlum. Ex hoc alios atque alios, subinde derivatos usq; dum 365. cœli fabricarentur. Docuit, Primogenitum Patris Νῦν missum esse, ut credentes sibi in libertatem assereret, nec tamen crucifixum esse, sed ejus loco Simonem Cyrenensem. Docuit animam solùm servari, non corpus. Inter cætera, contendit confessionem in persecutione esse ἀδιάφορον, & negationem fidei non esse peccatum. Refutatus ab Agrippa Castore, viro illius ævi celeberrimo. Euseb. 4. 8. Iren. *l.* 2. *c.* 23. *de Hæret.* Epiphan. *hær.* 23.

Basilides, Carmeli sacerdos, Flavio Vespasiano in Judæa tum agenti imperium prædixit An. Chr. 72. Vide supra, & Suet. *in Vit. hujus*, &c.

Basilides, Episc. Asturiæ, in Hisp. qui cùm Libellaticus esset, quod nomen iis erat, qui persecutionis tempore Christum abnegantes, literas à Judicibus impetrabant, ut in pace viverent, redire in Episcopatum volebat, pœnitentiâ prius non editâ. Cyprian. *epist*.68.

Basilides, Scythopolitanus, Philosophus, vixit tempore M. Aurelii, Præceptor L. Veri.

Basilides Patricius, auctor sec.6.

Basilides, Vid. *Potamenia*.

Basilina, mater Juliani Apost. pietate inclyta. Ammian. Marcell. *l*.22.

Basiliopotamus, i. e. *rex fluviorum*, *Eurotas* olim sic dictus, Strab. *l*.6. Sic apud Virgil. *Fluviorum rex Eridanus*. Et Dionys. Perieg.

Θύμβρεις ἐϋῤῥείτης ποταμῶν Βασιληΐδος ἄλλων.

Basilipolis, vulgò *Basilougorod*, urbs Tartariæ Moscoviticæ, in regno Casanensi, ad confluentias Suræ fluv. in Volgam. Urbs nova est, à Duce Basilio condita.

Basilippum, opp. Hisp. Bæt. ab Hispali urbe 21. m. p. ex itin. Anton. distans, nisi sit Besippo, cujus tamen distantia ab Hispali longè major est.

Basilis, historicus, Indica prodidit, quorum secundum Athenæus *l*.9. citat. A Plinio *l*.6.*c*.39. inter eos numeratur, qui Æthiopiæ mensuram consignarunt. Agatharchides autem *lib.de Rubro mari* ἀπαλῶς ejus meminit inter illos, qui Orientis loca descripserunt. Vossius.

Basilis, Arcadiæ civitas. Steph. & Pausan.

Basiliscus, frater Augustæ Verinæ, quæ uxor erat Leonis sen. contra Vandalos Dux, à Genserico pecuniâ corruptus, classem, cui præerat, exuri passus est. Dein Zenonem, in Isauriam, se recipere coëgit, throno occupato: Eutychianorum fautor, hæreticos Episcopos revocavit, contra Concilii Chalcedonensis decisionem; M. Filium Cæsarem fecit. Sed rediens è Syriâ Zeno, jusque suum repetens, cum valido exercitu, Armato, qui dux erat copiarum Basilisci, in suas partes pertracto, Verinę socrui reconciliatus est, in cujus gratiam Basilisco, qui in summum templum cum Zenonide uxore liberisque confugerat, pepercit; nihilominus eo unà cum filio relegato, qui Lemni, alii, in Cappadocia, fame consumpti sunt. A.477. Procop. *Vandal*.*l*.1.*c*.5. Evagr. *l*.3.*c*.3.4. Niceph. *l*.15.*c*.27.

Basiliscus, fil. Armati, vel Harmati, de quo supra, à Zenone in societatem Imperii ascitus, sed mox patre, jussu Imper. occiso, in Lectorum Ecclesiæ D. Mariæ in Blachernis, numerum redactus: Dein verò Arch. Cyzicenus factus est. Iidem.

Basilisene, *Turcomannia*, teste Castaldo, regio Armeniæ maj. in meridiem vergens. Alii ipsam Armeniam totam sic vocari putant, cùm pars septentrionalis *Georgiana* vocetur. Baudr. est pars Turcomaniæ, inter Euphrat. fluv. & Moscicos montes. Turcis subest.

Basilius I. Imperator Or. cognom. *Macedo*, quia è Macedonia oriundus. Ex Scutario nobili in consortium imperii à Michaële 3. electus, hunc omni ope à turpi vita revocare conatus est; mox cum ab eo sibi insidias strui animadverteret, illum necavit. A.867. Photium Pseudo-Patriarch. Concilio Oecumenico 9. Constan. deposuit, Ignatio restituto; mox tamen illum revocavit, ejus non tepidus defensor. Expeditione in Saracenos duplici felix, & Russorum conversione, per captivos procuratâ, accedente miraculo non combusti sacri codicis. Aulico, qui illum è cervi cornibus liberarat, quòd ferrum strinxisset, cingulum quo Imper. hærebat discissurus, occidi jussit. Obiit A.886. regni post Michaëlem 18. præmisso filio Constantino, quem Imperatorem fecerat an.868. Habuit successorem fil. Leonem, quem fraude Theodori Santabareni Monachi, in septennalem carcerem compactum, paulò ante mortem, ad intercessionem Magnatum & vocem Psittaci, *Heu domine Leo*, dimiserat. Curopalates, Nicetas, Cedrenus, Zonar. *tom*.3. &c.

Basilius II. cogn. *Junior*, fil. Rom. Jun. ex Theophana successit unà cum suo fratre Constantino Porphyrogenneta, Johanni Zimisci, An.975. Per Saracenos conductos Apuliam Calabriamque occupavit, Ottoni Imperat. à Zimisce, loco dotis filiæ Theophaniæ, concessam. Bardam Sclerum, qui Imperatorem se dixerat, vicit, ut & Tripolitanos, Damascenos, Bulgarosque, hinc *domitor Bulgarorum* nominatus. Obiit A.1025. regni 50. vitæ 70. Zonaras, Cedrenus.

Basilius Cæsariensis, fil. Basilii presbyteri & Eumeliæ, frater Petri Episc. Sebast. & Gregorii Nysseni, Gregor. Nazianzeni & Jo. Chrysostomi temp. floruit. Is Cæsareæ Cappadocum Præsul factus, missus est à Valente, qui Arianis favebat, in exilium. Cui ille, Antequam, inquit, in exilium proficiscar, tu ab incœpto desistes. Itaque unâ nocte Uxore Valentis maximis doloribus correptâ, & filiâ insuper parvulâ extinctâ, Valens misit ad *Basilium*, ut precibus ad Deum fusis ipse saltem servaretur. Ruffinus. Obiit A. 378. Episc. 8. Opera ejus 2. voluminibus impressa habemus, ubi homiliæ tantâ eruditione & eloquentiâ refertæ, ut cum optimis Græcorum vet. facilè contendi possit. Hieron. *in Chron.* & *Cat.c*.116. Naz. *ep*.38. & *Oratione in Laudem ejus*. Sozom. *l*.6.*c*.14. Theodoret. *lib*.4.*cap*.19.&c. Ab hoc Basilio, Ordo quidam in Communione Rom. nomen habet.

Basilius, Ancyranus Præsul, arte medicus; scripsit contra Marcellum *de Virginitate* librum, & nonnulla alia. Hic etiam imperante Constantino Macedonianæ religionis cum Eustathio Sebastiano princeps fuit. Hieronymus.

Basilius, Cilix Presbyter sub Zenone, & Anastasio floruit, ut ex Photio discimus Cod.107. Historiam divulgavit, cujus & Nicephorus meminit operis sui initio. Vid. Vossium *de Hist.Gr.p*.267.

Basilius Seleuciæ Episcopus, interfuit Synodo quartæ Oecumenicæ, A.448. eique subscripsit. Ejus aliquot homiliæ extant.

Basilius Patriarcha Antioch. successit Maximo An.456. Orthodoxiæ acris assertor. Obiit An.458. Item Patriarcha Constantinop. An.970. ob crimina depositus, An.977. Item alius similiter Patr. Const. cogn. *Camaterus*, an.1183. triennio pòst, ab Isacio Angelo pulsus. Baronii *Annal*. Sozomen. Curopal.

Basilius, Legatus Pontificis, interfuit Concilio Chalcedonensi, à Marciano Imp. convocato. Item, præfectus missus ad Alaricum Romam obsidentem, pacis causâ. Item Medicus, qui monachali veste indutus, errores sparsit per 52. an. Constantinopoli jussu Alexii Comneni, exustus. Vid. *Bongomili*.

Basilius, Præses Ciliciæ, sub Anastasio Principe floruit, abstinentiâ, & vitæ institutis clarus. Scripsit contra Archelaum quendam Presbyterum. Suidas.

Basilius, M. Moscorum Dux. A.1505. post Johannem Basilium, *Magni* nomen meruit. Obiit An.1533. Item alius, à Stephano Poloniæ R. magnâ clade affectus. Thuan. *lib*.69.72.73. Sal. Neugeb. *hist*.*l*.10. Chytr. *in Sax*.*l*.25. 26. *Basilius* Johannes, etiam vocari voluit Suitkius, qui Demetrio successit, occiso an.1606.&c.

Basilus, Opiterginorum dux, qui suppetias Antonio tulit. Lucan. *lib*. 4.

Ut primum adversa socios in litore terra
Et Basilum videre ducem: nova furta per æquor
Exquisita fuga. ———

Basilus, Oratoris nomen apud Juvenalem *Sat*. 7.

Quando licet flentem Basilo producere matrem?
Quis benè dicentem Basilum ferat?

Item Prætor spolians provinciales apud eundem, *Sat*.10.

Quot Basilus socios, quot circumscripserit Irus
Pupillos. ———

Basilius Amerbachius, fil. Johannis, Typographi Basiliensis clarissimi, eruditionem suam trilinguem per laboriosissimam Hieronymianorum operum, cum fratre Brunone, recognitionem toti orbi commendavit. Sec. præt. Item fil. Bonifacii, prioris ex fratre nepos, JC. apud Basilienses celebris. Vid. *Bonifacius* & *Johannes Amerbachius*.

Basilius, fl. Mesopotamiæ, in Euphratem labens. Strab.

Basilus, Vid. *Minutius*.

Basina, Uxor Basini, Thuringiæ R. Childerico 4. Gall. R. qui in mariti aulam se receperat, Basino relicto, adhæsit, mater ex illo Clodovæi I. Aimon. *l*.4.*c*.8. Sigeb. & Adon. *Chron*. Gr. Tur. *l*.2.*c*.12.

Basina, fil. Chilperici ex Audovera, Fredegondes novercæ jussu ignominiam passa, & in monasterium detrusa est. A.589. Greg. Tur. *l*.9.*c*.29. & *l*.10.*c*.20.

Basiniacum, ponitur in divisione regni Lotharii, an.870. facta, inter Solocense territorium & Elischouvam: quod Aub. Miræus putat esse Bassiniacum, *le Bassigny*: quod est unus è pagis Campaniæ Gallicæ, majore ex parte inter Matronam & Mosam orientes positus; & regnum Lotharii tum à Rheno ad Mosam & Scaldim usque pertinebat, sed Miræo non accedit Hadr. Valesius *Not Gall*. Nomen dedit Bassiniaco in Lingonibus *Bassejum*, vel *Vassejum*, opp. ejus pagi, vulgò *Vassy*; vel à situ inferiore nomen accepit. Sic in Duc. Nivernensi pagus est dictus *Bazois*, i. Bassensis, vel humilis & depressus, propterea quòd est in vallibus Morvinni positus. Id.

Basinni, pop. Arabiæ. Steph.

Basistani. & *Bastali*, pop. Hisp. Strab. *lib*.3.

Basolca, fortè *la Basoche*, Baronia Gall. in Pertico Goëti. Conjungitur cum Mansione Odonis, quæ fortè *Auton*, & Vileriis, ab Orderico Vitali *Hist*.*l*. 3.

S. Basoli Monaster. Vid. *Virisiacum*.

Basorpeda, reg. Medorum Armeniæ adjuncta. Strabo *lib*.11.

Basra, opp. Africæ, in regno Fezzæ, & prov. Hasbata, juxta Lucum fluv.30. mill. à Sala versus Ort. & prope conf. Algariæ prov.

Bassa, & *Bassi*, Turcis, teste Leunclavio, caput: Bassileri, capita sive Duces: ut à Κεφαλὴ Græcis sunt dicti Κεφαλάδες, nostris à capite Capitanei. Aliàs *Bassus*, idem quod *Vassus*. Sic L. Alaman. *Tit*. 79.§.3. *Dominus ejus* 12. *Bassos intra domum habet*. Gloss. autem vet. *Bassus*, *Custos populi*. *Vassi fideiussores*. Philoxeno etiam *Bassus*, ἐγγύς. Vid. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

Bassa, locus in Cotylio monte prope Phigaleam in Arcadiâ, ubi celebratur Epicurii Apollinis templum, nato inde cognomine, quòd in pestilenti morbo opem tulisset. Rhod. *l*.19.*c*.1. Vid. Pausan.

Bassania, opp. Maced. in Illyrici confinio ad Lissum urb. Livius.

Bassanum, opp. Italiæ, inter Covetianam arcem & Patavium, in valle arctissima, sub Venetis, ad Meduacum fluv. in Marchia Travisina. Hinc tractus adjacens *Bassanese*. 12. mill. à Vicentia in Boream.

Bassareus, Bacchi cognomen, à vestium specie, quibus ministræ ejus utebantur in sacris; quæ *Bassarides* dicebantur. Alii verò *Bassareum* à βάζειν vocant, quod clamare significat. Horat. *in Odis*:

—— Non ego te candide Bassareu
Invitum quatiam. ——

Ea autem vestis ad pedes fluebat. Statius,

Si decet auratâ Bacchum vestigia pallâ
Verrere. —— ——

Et à *Bassareo* Lydiæ loco cognominata est, ubi conficiebatur. Hinc *Bassaricus*. Prop. 3. 16.

Candida laxatis onerato colla corymbis,
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.

Bassaris, Bassarei, h. c. *Bacchi sacrificula*. Persius *Sat.* I.

Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis.

Ubi vetus Schol. *Bassarides, Bacchæ. Quibusdam videtur à genere vestis, quâ Liber Pater utebatur, demissâ ad talos, quam Thraces Bassarim vocant. Quidam à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur.* Quæ confirmari possunt è Græcis Grammaticis. Nam Hesychio Βασσάραι sunt χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι Βάκχαι. Sed & apud Suidam & Etymologum legas: Βασσάρα· ἀλώπηξ κατὰ Ἡρόδοτον. Porro non Thracum solummodo hæc vox, sed & Afrorum. Nam, ut idem Hesych. scribit, Βασσάρεια, τὰ ἀλωπέκια οἱ Λίβυες λέγουσι. Quanquam Bacchæ non vulpinis tantùm, sed & hinnulorum pellibus utebantur, quas Stat. *lib.* 2. *Thebaidos*, itemque *Achilleidos*, *Nebridas* dixit, Græcorum more, qui pelles istas Νεβρίδας vocant, à νεβρὸς *hinnulus*, sive *cervi pullus*. Altiùs verò rem repetit ὁ πάνυ Bochartus. Sic enim ille, *Bassareus*, inquit, rectè explicatur per Æliani Προτρύγαιον, cùm בצר *bassar* Ebræis sit idem, quod Græcis τρυγᾶν, *vindemiare* scilicet, ubi *Tsade* per *SS*. effertur, ut fit sæpissimè.

Bassi, pop. fuere Belgii, ubi etiamnum opp. Flandriæ aliâs munitum, *la Bassée*, in confinio Artesiæ, quod Francorum dom. subest, ab An. 1668.

Bassiana, Pannoniæ opp. Ptol. *Bossega* hodiè.

Bassianus, dictus est Marcus Aurelius Antoninus Caracalla, ex avi materni nomine. Vid. *Caracalla*.

Bassianus, fil. Anastasii Imperat. Lybiam crudeliter tractavit. Item, maritus Anastasiæ, sororis Constantini M. Item Episcopus Ephesinus, cui cum Stephano, in locum suum suffecto, ingens contentio fuit, Chalcedonensi Concilio sopita.

Bassianus, Syracusanus, Romam studiorum causâ missus, ubi cùm Christianus factus esset, Ravennam, insectante Patre, fugit. Inde Laudensis Præsul electus, ibidem nonagenarius decessit 14. Cal. Febr. Emicuit Ambrosii temporibus, quem ægrotantem adiit & ejus morti interfuit. Volater.

Bassiniacus ager, *le Bassigny*, regio Gall. in Campaniæ prov. versus fontes Mosæ & Matronæ fluv. ubi urbes Lingones, Calvomontium, Andelovium, aliæ. Limites ejus periere. Sed magna ejus pars sub Lotharingia etiam continetur.

Bassus, Consul. Gentiani collega an. V. C. 963. Alius Æmiliani collega an. 1011. Alius Quintiliani collega an. 1041. Alius Ablabii collega an. 1083. Alius Philippi collega an. 1161. Alius Antiochi collega an. 1184. Denique *Bassus* martyr sub Decio clavis ferreis confixus. Volaterr.

Bassus, hæreticus, Cerinthi, Ebionis & Valentini discip. vitam hominum, omniumque rerum perfectionem collocabat in 24. literis & 7. Astris: addens, veram salutem à Jesu Christo minimè expectandam esse. Philastrius *de hær.*

Bassus, Vid. *Cesellius*. Item, *Lucilius*.

Bassus Aufidius, Historicus, Augusti ac Tiberii temp. æqualis M. Senecæ Rhetoris, ut, *ex ejus Suasoriâ* 6. cognoscimus. Ibidem inter Historicos refertur, qui elogiis suis Ciceronem fuere prosecuti. Reliquit autem belli Germanici libros, ut docet Quintilianus *lib.* 10. Etiam de Bello civili scripsit. Vide Voss. *Hist. Lat.* 1. 22.

Bassus Cæsius, Poëta Lyricus, Neronis temp. ad quem Persius scripsit *Sat.* 6. ubi inter alia,

Jamne Lyra & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?

Tetrico, inquit, quia ad Sabinos se recepisset, quorum mons *Tetricus*. Mox ad eundem ait,

Atq; marem strepitum fidis intendisse Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos & pollice honesto
Egregios lusisse senes. ——

Unde argumentum eorum cognoscimus, quæ caneret Cæsius. Vidit eum Fabius: ac quanti fecerit, arguit quòd dicat *lib.* 10. *Lyricorum Horatius ferè solus legi dignus; si quem adjicere velis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper vidimus.*

Bassus Gabius, è cujus commentariis historiam, de equo Sejano, refert Gellius 3. 9. Libros is de origine verborum edidit, è quibus idem Gellius quædam adfert 2. 4. 3. 19. 5. 7. Sed *Gavius* est apud Macrobium. Floruit tempore Trajani. Vide Voss. *Hist. Lat. l.* 1. *c.* 22.

Bassus Julius, Orator August. temp. ex cujus declamationibus plurima excerpta habemus apud M. Senecam, qui & *in Præfat. lib.* 5. *Controvers. hominem disertum* vocat. Sed addit, *Cui demptam velim, quam consectabatur, amaritudinem, & simulationem actionis Oratoriæ. Nihil indecentius, quàm ubi Scholasticus forum, quod non novit, imitatur.*

Bassus Junius, floruit temp. Neronis, aut Vespasiani, homo dicacissimus, unde *asinus albus* vocabatur, teste Fabio *lib.* 6. *cap.* 3. de risu. Nempe *asinus* quidem, ob ineptias, sed *albus* ob jucunditatem, uti Turnebus interpretatur *lib.* 28. *cap.* 35. Vide Voss. *Hist. Lat. lib* 1. *cap.* 22.

Bassus, & Sextius Niger, Romani de Medicinâ Græcè scripserunt. Volaterr.

Bassus Salejus, Vespasiani ævo floruit, non semel memoratus Tacito, sive alteri in Dialogo de Causis corruptæ eloquentiæ, ubi inter alia sic audias Aprum loquentem: *Quis enim nescit neminem mihi conjunctiorem esse, & usu amicitiæ, & assiduitate contubernii, quam Salejum Bassum, cum optimum virum, tum absolutissimum poëtam?* Et Fabius *lib.* 10. *Vehemens & poëticum ingenium Saleio Basso, nec ipsum senectute maturum.*

Basta, Ital. opp. non procul ab Acrâ Japygiâ. Plin. 3. 11.

Bastanabus, portus Arabiæ. Steph.

Bastanai, Arab. Desertæ gens. Ptol.

Bastardus, Græcobarb. μπαστάρδος, *Spurius, nothus*, An à *boes art*; i. degeneris ingenii, ut Cujacius: an à *beste aerd*, id est, optima indoles, per antiphrasin: an à *baste*, i. abjectus, & *aerd*, natura: An tandem à Græco βασσαρίς, i. meretrix? Sed Germanicum omnino videtur, & inde ad omnes Europæ gentes delatum, ac *bas* ubique penè infimum significat, per translationem, spurcum, impurum, abjectum: *Start* Saxonicè ortum vel editum: perinde *Bastart*, impurè editum. Sic Anglis *Upstart*, homo novus, & subitò exortus. Priscos Septentrionales populos etiam spurios in successionem admisisse legimus: nec illius tituli gloriosum Angliæ subactorem Wilhelmum Normannum puduisse videtur, qui epistolam ad Alanum, Britanniæ min. Comitem, sic orditur: *Ego Willielmus, cognomento Bastardus*. Vid. Spelmannum *in Glossar. Archæol.*

Bastarna, Basternæ. Plin. Pop. Sarm. Europ. in regno Polonico contenti apud oram maris Euxini, Peucinis qui in Podoliâ, & Alanis, qui in Lithuaniâ censentur, finitimi. Aliter Peucini, Cluverio, aliis, ubi nunc Russia nigra, Podolia, Volhinia super. & Bessarabia. Horum meminit Ovid. *de Trist.*

Hactenus Euxini pars est Romana sinistri,
Proxima Basternæ Sauromataq; tenent.

Meminit eorum Dionysius, —— Μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης
Γερμανοί, Σαρμάται τε, Γέται θ' ἅμα Βαστέρναι τε.

Vide Strab. *lib.* 7. & Steph. Claudiano *truces* dicuntur, & alibi apud eundem,

—— —— *Cæde tumentes*
Basternas unâ potuit delere ruinâ.

Baternas pro *Basternas* poëtica licentiâ videtur dixisse Val. Flaccus *lib.* 6. *his versibus*,

Atq; ubi Sidonias inter pedes æquat habenas,
Illinc juratos secum trahit Exa Baternas.

Ita legit Hen. Valesius, *Notis ad excerpta ex Joh. Antiocheno*, ubi vett. editt. *Æa* habent.

Basterani, Ægypti pop. quibus permutatio in more est nummorum loco. Ægyptiorum ritu ægrotos producunt, ut à prætereuntibus, quos ejusmodi quidpiam infestarit, aliquid salutaris afferatur.

Basterbini, pop. in 3. reg. Italiæ. Plin. 3. 11.

Basteum, castrum in Italiâ munitissimum prope Padum, ubi Julius 2. Pontifex insignem accepit cladem, inopinatò irrumpente Alphonso Ferrariæ duce. Rhod. 5. 1.

Basti, vulgò *Baza*, urbs Hisp. Tarrac. in regno Granat. Ferrar. aliâs Bastitanorum caput, prope montem Orospedam. Nunc paucis constat incolis, juxta fl. *Guadalentin*, versus limites Regni Murciæ & Castellæ novæ, 7. leuc. ab Acci, & deficit indies. Baudr.

Bastia, urbs Corsicæ ins. caput, sita in parte ins. Boreali, ubi aliàs Mantinum & Mantinorum opp. Gaudet arce munita & portu capaci, in littore Thusco, ibique degit Gubernator.

Bastitani, Hisp. pop. prope Turdulos, qui & *Bastuli*. Strabo *lib.* 3. Ἐνταῦθα δὲ ὄρος ἐστὶ τῶν Ἰβήρων τῶν καλουμένων Βαστητανῶν, οὓς καὶ Βαστούλους καλοῦσιν, καὶ Κάλπη. Ptolomæus, Βαστουλῶν, τῶν καλουμένων Ποινῶν, Μενραλία, Τρανσδούκτα, Βαρβήσουλα, Καρτηία, Κάλπη. Ex *Bastitanis* autem sive *Bastis* facti corruptè *Bastuli*, & corruptiùs *Blasturi*, apud Marcianum, *lib.* 2. *Peripli*, ubi mem. circa Carteiam Βλαστούρων τῶν καλουμένων Ποινῶν, nempe respectu originis. Nam ad eos maximè pertinent hæc Plinii, ut docet sermonis series, *Oram eam universam originis Pœnorum existimabat M. Agrippa.* Vide Boch. *de Phœn. Col. pag.* 685.

Bastonacum, Gall. *Bastoigne*, opp. amplum Belgii, in Duc. Lucemb. propè Arduennam sylv. Aliis Bastonia; estque adeò lepidum & cultum, ut dicatur incolis *Paris en Ardenne*, 8. leuc. à Lutzemburgo.

Bastuli, qui & Pœni, pop. fuere Hispaniæ Bæt. prope fretum Gadit. & oram maris Mediterr. ubi pars Meridionalior Andaluziæ, & pars marit. regni Granat. Almeriam usque.

Basulienses, vel *Basyliensés*, Libyæ gens, quæ cùm bellum gerit,

gerit, noctu pugnat. Nicolaus Damascenus apud Stobæum *de Legibus*.

Basulis, pop. Libyæ.

Basurura, fluv. Amer. merid. Caribanæ regionis. Cadit in Amazonum fluv. paulo infra Cutiguaram flu. P. Texeira.

Bata, Asiæ vicus & portus, ubi Sinope urbs Aust. versus huic oræ plurimum opponi videtur. Strabo. *l.* 6. 11. Ptol. 5. 9.

Batala, antiquissimum Sidicinorum in Italiâ op. Livius.

Batalus, tibicen lascivus, primùm omnium calceis fœmineis in scenâ usus est, artemque tibiarum omni mollitie depravavit, à quo dissolutos & parum viros *Batalos* vocant; tale fuit Demosthenì cognomen, teste Cælio *lib.* 5. *cap.* 13. Libanius, Ἱστόρηται γάρ τινα Βάταλον Ἐφέσιον αὐλητὴν γενέσθαι, ὃς πρῶτος ὑποδήμασι γυναικείοις ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχρήσατο, καὶ μέλεσι κατεαγόσι, ἀπὸ τούτου δὲ τοὺς ἐκλύτους καὶ ἀνάνδρους Βατάλους ἐκάλουν. Unde Hesychius, Βάταλος, καταπύγων καὶ ἀνδρόγυνος, κίναιδος, ἔκλυτος. Cæterùm Βάταλος apud Atticos pudendorum pars. Sic enim Plutarchus scribit, Δοκεῖ δὲ καὶ τῶν οὐκ εὐπρεπῶν τι λεχθῆναι τοῦ σώματος μορίον παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι βάταλος.

Batana, locus juxta Euphratem. Steph. Vide *Agbatana* apud eundem. Hic θησαυροφυλάκιον regum Mediæ & Persiæ fuisse, testatur Isidorus Characenus. *Ecbatana* vocant Qu. Curtius & Justinus. Hic *lib.* 4. *Se quoque, cùm transisset mare, non Ciliciam aut Lydiam (quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem) sed Persepolim, caput regni ejus, Bactra, deinde Batana, ultimique Orientis oram, imperio suo destinasse.* Sic lege. Nam MS. habebat *Batava*. Ille *lib.* 12. *Centum nonaginta millia talentûm Ecbatanis congesta.*

Batanagra, urbs Indiæ intra Gangem. Quibusdam est *Naugralcut* urbs ampla, in dominio M. Mogolis, ad Hidaspem fluv. cum regione cognom.

Batancasara, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol. *Baicadul* Castaldo.

Batane, vel *Batanaa*, Syriæ vicus. Steph.

Batava, seu *Patavia*, incendio penè tota conflagravit Anno 1662. Aliàs *Batava castra*. Urbs triplex est; una dicitur *Passavv*, inter Danubium & Ænum; alia *Instadt*; & tertia *Stat*, quæ versus Bohemiam, & ubi Ilsa amnis in Danubium cadit. Vid. *Patavia* & *Patavium*.

Batavi, pop. Germaniæ, de quibus Luc. *l.* 1.

Vangiones Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ.

Auricomos appellat Silius *lib.* 3.

Jam puer auricomo performidate Batavo.

Unde Mart. 8. 32.

Et mutat Latias spuma Batava comas. Lloyd. Populi Belgii, in Vett. monumentis celeberrimi, ubi nunc pars maxima Hollandiæ, & minuta portio Gueldriæ, cum parte prov. Ultrajectinæ, Cluverius Geogr. *libro secundo*. Vid. quoque infra. Hi *Hollandi* vocantur. Sed Hollandia latius sumitur, quàm Batavi. Baudr. Tacitus *de moribus Germanorum*: *Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi, non multùm ex ripa, sed insulam Rheni colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domesticâ in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos, & antiquæ societatis insigne; nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exempti oneribus, & collationibus, ac tantum in usum præliorum sepositi.* Plin. *lib.* 4. *cap.* 15. *In Rheno ipso*, inquit, *prope centum m. p. in longitudinem nobilissima Batavorum insula.* Plutarchus *in Othone*: Τοῖς δὲ μονομάχοις ἐμπειρίαν τε καὶ θάρσος ἔχειν πρὸς τὰς συμπλοκὰς δοκοῦσιν ἐπῆγαγεν Οὔαρος Ἀλφηνὸς τοὺς καλουμένους Βατάλους. Lege Βατάβους vel Βαταύους. Εἰσὶ δὲ Γερμανῶν ἱππεῖς ἄριστοι, νῆσον οἰκοῦντες ὑπὸ τοῦ Ῥήνου περιρρεομένην. Dio. *lib.* 55. Ξένοι δὲ ἱππεῖς ἐπίλεκτοι, οἷς τὸ τῶν Βαταύων, ἀπὸ τῆς Βαταυίας τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου ὄνομα. Zosimus *lib.* 3. Καὶ τῇ Βατταβίᾳ προσχόντες, ἣν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νήσου. Hinc *Batava auris* apud veteres pro *durâ*. Martialis 6. 83.

Cujus nequitias, jocosque novit,
Aurem qui modo non habet Batavam.

Nam, quod vulgò legitur *severam*, è glossâ videtur huc transmigrasse. Eorum regio *Batavia* vulgò, *Le pays de Holland*. Regio tota admodum rigua & fertilis, abundatque omnibus ad delitias necessariis. Excusso ante Seculum Hisp. jugo Resp. potentissima evasit cum vicinis prov. sub nomine Belgii Confœderati. Baudr. Nannius *Miscell. lib.* 10. ait in Hollandiâ multo infra terram ingentes arbores reperiri: unde quosdam opinatos esse, illic olim fuisse ingentes silvas, & vel vi ventorum vel terræ motu concidisse, atque adeò ipsam *Hollandiam* olim *Holthlandiam* esse dictam: sic etiam antiquissimis libris eam appellari; author est Mart. Dorpius, irridens eos, qui *Hollandiam*, à *cavitate terræ*, nominari putent. Alios etiam ait, à *fœno* putare eam *Haylandiam*, quia *pascuosa est*. Aliis dicitur qu. *Hot-land*. *Batavos* autem ab eâ plagâ, quæ etiamnum linguâ eorum *Der Betovve* dicitur, vocatos credit Adolph. Metkerchus *cap.* 14. *de vet. pronunc. L. Græca*. Imperito quidem Latinorum vulgo liceat omnem Hollandiam *Batavia* nomine appellare, eâdem sc. ratione, eodemque jure, quo *Belgicam* nunc vocant id terrarum spatium, quod 17. Provinciis distinctum, dimidium sui in Germaniæ solo obtinet; cùm antiquitus omnis Belgica cis Rhenum constiterit; quoque jure Pannoniam dicunt Hungariam, quæ tamen vix tertiam sui partem in veteri Pannoniâ censeri potest.

Urbes Batavorum, i. Hollandiæ, præcipuæ.

Alcmaria, *Alcmaer.*	Harlemum, *Haerlem.*
Amsterodamum, *Amsterdam.*	Horna.
Briela, *Briel.*	Lugdunum, *Leyden.*
Delphi, *Delft.*	Roterodamum.
Enchusa.	Trajectum infer. & Ultrajectum, *Utrecht*. Verùm hæc propriè non est urbs Hollandiæ, sed facit dominium disjunctum.
Gouda.	
Gertrudenberga.	
Goricum, *Gorcum.*	
Haga, pagus maximus, ubi Comitia, Gall. *la Haye.*	

Batavia, seu *insula Batavorum*, *Mosa parte quadam Rheni receptâ, quæ appellatur Vacalis, insulam efficit Batavorum*, ut Cæsar *in libro* 4. scribit. Vacalis vel Vahalis vulgò dicitur *Wale* vel *Wael*; Rhenus *Rhyn*. *In Rheno ipso prope centum millium passuum in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Canenefatum*, ait Plinius *in libro* 4. Nimirum ea insula à Batavis & Cannenefatibus incolebatur: sed quia majorem insulæ partem Batavi obtinebant, nomen ei suum dedere, & dicta est *insula Batavorum*, ac *Batavia*. Id nos Tacitus docet *in libro* 4. *Annalium, hisce verbis*: *Batavi, donec trans Rhenum agebant pars Cattorum; seditione domesticâ pulsi extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus simulque insulam inter vada sitam occupavere: quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Cannefates partem insulæ colunt, Gens origine, linguâ, virtute par Batavis; numero superantur.* Eginhardus scribit, *in Vita Caroli Magni*, *Vahalem fluvium Batavorum insulam à parte Meridiana præterfluere.* In tabula Theodosiana vocatur *Patavia* pro Batavia, & *fluvius Patabus* pro Batavus, (uti Dio *Patavos* Παταύους pro Batavos nominaverat:) ac ibidem Batavia sic describitur. *Foro Hadriani* 12. *Flenio* 18. *Tablis* 12. *Caspingio* 18. *Grinnibus* 6. *Adduodecimum* 18. Ex quibus *Forum Hadriani Voorburg* nunc dicitur, quasi *Foorburg*: *Flenium* vel Flevum castellum *Delft*, opidum elegantissimum, impositum Fossæ Flietensi, *de Vliet* sive *Fliet* dictæ, ante 500. annos factæ, ut ait Grotius adversùs Cluverium, qui Fossam Corbulonis eam esse existimabat. *Tabulas* vel *Tablas* vicum *Alblas* Cluverius exponit; *Caspingium*, castellum *Giessenburg*; Grinnes *Rhenen* vicum; *Vadam* sive *Adduodecimum Wageningen*. *Grinnes* & *Vadam*, *in libro* 4. *Historiarum* memorat Tacitus cum *Batavoduro*, & insulam Batavorum palustrem humilemque esse ait, & in sua Germania *Batavos non multùm ex ripa, sed insulam Rheni amnis colere, Cattorum quondam populum* tradit.

Insula Batavorum seu Batavia, postea corrupto & mutilato nomine dicta est *Batua*. In Divisione Regni Lotharii an. 870. facta, *Batua* ponitur inter *Comitatum Testrebant* & *Hattuarias*. Chronicon *de Nortmannorum gestis*, in anno 859. & Annales Bertiniani *insulam Rheni Patavum* nuncupant, ut suprà tabula Theodosiana *Pataviam*. *Batuam* in anno 885. Annales Mettenses vocant. *Godefridus illis obviam procedit ad locum Herispich, in quo Rheni fluenta & Vual uno se alveo resolvunt, & ab invicem longius recedentes, Batuam provinciam suo gurgite cingunt. Hanc insulam ingredientes; soluto colloquio insulâ excedunt.* Quam *Batuam provinciam* & *insulam* non semel appellant; appellant iidem Annales ibidem & *Frisiam*. Anno 885. *D. l. Hugo rebellare disponens contra Imperatorem, legatos ad Godefridum in Fresiam occultè dirigit.* Nimirum Frisii cùm à Francis descivissent, Rhenum transgressi, in parte Bataviæ consederant, & castrum Dorestate vel Batavodurum, ac Trajectum ad Rhenum inferius cognominatum præter cætera loca occupaverant. Quare Beda *citeriorem Frisiam* vocat, ut distinguat ab ulteriore vel Transrhenana Frisia, regione magnæ Germaniæ. Bedæ, *in capite* 11. *libri* 5. *Historiæ*, verba hæc sunt de Pippino Duce Francorum, avo Pippini Regis: *Et quia nuper citeriorem Fresiam pulso inde Rathbedo Rege ceperat, illo eos ad prædicandum misit.* (Wilbrordum Presbyterum cum 11. sociis.) Quin & Annales Bertiniani Frisiam usque ad Mosam proferunt. Sic enim in anno 839. ibi legimus de tota Frisia uls & cis Rhenum: *Ducatum Fresiæ usque Mosam*.

Bataviæ insulæ superior pars vocatur vulgò *de Betavv* seu *Betovv*, aliàs *Betuvve*: ut Cluverius ait.

Insula Batavorum est inter veterem alveum Rheni, & Vacalem qui Mosâ recipitur: & Betuviam *la Betuve*, Ducatus Gelrensis portionem, ac magnam partem Meridianæ Hollandiæ seu Sudhollandiæ continet. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Batavia, urbs Asiæ in Java inf. sub Hollandis, ab an. 1619. antea *Jacatra*. Permunita est, in plano perferaci, & emporium celebre, cum castro & valido præsidio, Ibi residet Præfectus

Gen. Soc. Holland. Ind. Orient. 15. leucis à Bantamo in ortum, 60. à Materano, in occ. Crescit indies splendidior.

Batavia, vulgò *Rivier Batavia*, fluv. Asiæ, in Carpentaria reg. parte Terræ Austr. recèns ab Hollandis lustratus, sed tantùm versus ostia.

Batavodurum, op. Germ. infer. in Batavis, *Durestadium* etiam Latinis dictum. Vulgò *Wyck de Duersteden*. De eo sic Valesius; *Batavodurum* vel *Dorestate*, castrum vel (ut alii vocant) vicus *Dorestate* erat eis & ad Rhenum in parte ea Bataviæ, quæ à Frisiis Gente Germanica occupata, ac *Frisia citerior* dicta est. In Appendice Chronici Fredegarii hæc de Dorestate invenio: *Pippinus contra Ratbodum, Ducem gentilem Frisionum Gentis, adversus alterutrum bellum intulerunt castro Dorestate, illic belligerantes invicem anno* 697. In Annalibus Mettensibus *castrum quod dicitur Dorestadum*: in Annalibus Bertinianis, ad annum 834. *emporium quod vocatur Dorestadus*: in Chronico *de gestis Normannorum* nunc *Dorastadum*, nunc *Dorestatum villa Frisiorum* nuncupatur; in Annalibus Fuldensibus anno 847. *Dorestatum* quoque.

Hic locus olim *Batavodurum* appellabatur, hoc est Batavorum ostium, seu introitus Bataviæ. Tacitus eo nomine utitur, quum *Batavodurum, Grinnes, Vadamq*, *in libro* 4. *Historiarum*, ceu loca vicina conjungit. Batavodurum ad Vacalim est, ut & Noviomagus. Vacalim autem vocant citeriorem vel Gallicum ramum Rheni, qui Mosâ recipitur. In usu sunt adhuc castri & emporii ambo nomina, vetus & recentius. Quippe nunc *Batenburg* dicitur, id est, Batavoburgus vel Batavodurum; nunc *Wick te Duerstede*, sive *Wych te Duerstede*, aut absolutè ac simpliciter *Duerstede*, hoc est, vicus Dorestate, vel Durostate.

Testrabanto vel Testrabento videtur attributum esse castrum Dorestate, & caput etiam ejus exstitisse. Quippe Annales Bertiniani *in rebus anni* 839. prope *Comitatum Batavorum, Comitatum Testrabenticum Dorestado* memorant: qui *Comitatus Testrebant* vocatur in Divisione Regni Lotharii inter Reges fratres Ludovicum & Carolum. *Notit. Gall.* longitud. 27. 15. latitud. 52. 10.

Batavorum Ins. vulgò *Betuwe*, pars Geldriæ, inter fluv. Rhenum & Vahalim comprehensa, sat longa, non æquè lata, ubi nullum magni momenti opp. Baudr. Vid. *Batavia* seu *Ins. Batavorum.*

Bate, pars tribus Ægeidis. Steph.

Batea, Teucri filia, uxor Dardani. Diodorus *l.* 5. Vide Steph. in *Dardano.*

Bateni, pop. ad Caucasi montis juga, non procul à Bactris. Plin. 6. 16.

Batenis, arx *Battenbourg*, op. Germ. infer. in Geldriâ. *de Battenbourg* Barones fratres duo, inter alios Belgii Proceres, jussu Albani, *unius salmonis caput plus valere, quam innumeros pisciculos*, dicentis, capite plexi sunt, Anno 1568. Vid. *Arx Batavorum.*

Baterata, πόλις Αἰγύων. Steph.

Batha insula, cum opidulo ejusdem nominis, non multum abest à continente Britannia minore, vulgò *Baaz*, aut *l'Isle de Baz*. Mentio ejus fit in Vita S. Pauli, ut & *Agnensis Leonensisq; pagorum*: id est, *d'Ack & de Leon.* Ibi est, *Monasterium Bathense*, ab insula cognominatum in Diœcesi Leonensi, quod originem suam S. Paulo debet. Quippe in *insula Batha* minori Britanniæ adjacente, & à continente atque ab opido Leonensi parvo freto divisa, magnâ & vicis infesâ, cum plurimo grege Monachorum sibi subjectorum diu vixisse dicitur Paulus: quam insulam multo post ejus mortem Nortmanni crebris irruptionibus vastavere, diripuere, & omnia ejus ædificia ad solum usque incendio pessumdedere. Cambdenus *Barsam* ab Æthico dici existimat; à Nostris *Isle de Bas*; ab Anglis suis *Basepole*: cujus de Barsa conjecturæ vix possum accedere. Valesius, *Notit. Gall.*

Bathanatii, tractus Pannoniæ infer. ad Sarvitiæ amnis confluentiam cum Danubio, non longè ab ostio Dravi fluv. *Bathmonster* seu *Bathasech* Lazio.

Bathanea & *Batanaa*, regio est Thraconitidi confinis, sita trans Jordanem, in tribu Manasse, cujus incolæ à Josepho Batanæi dicuntur.

Batheus, Siciliæ flu. Ptol. *Jati* Fazello dicitur. Lege *Bathys.*

Bathis, Ptol. *Jati*, Faz. fluv. Siciliæ, apud Elymam, urbem excisam, ad 3. m. p. non longè à Prinifo fluens. Dicitur ab Jeta opp. juxta quod oriens decurrit.

Bathne, in tribu Aser. Hier. *de L. H.*

Bathonia, ex vita S. Elphegi, *Akenianceastre*, locus Angliæ, ubi hic occisus. Matthæus Westmon. Item, urbs Episc. Britanniæ, sub Arch. Cantuariensi, Vid. *Aqua Solis.*

Bathoria, familia Transylvaniæ inclyta, unde plurimi regni hujus Principes. Stephanus *Bathorius*, post Joh. Sigismundi mortem, Princeps electus est An. 1571. Maximiliano pariter Imper. & Selimo probatus. Dein decedente Henr. III. Poloniæ Rex, bello contra Moscos præclarè gesto, inclytus, obiit Anno 1586. Tria dixerat Deum sibi reservasse, *Aliquid ex nihilo producere, imperare conscientiis, & nosse futura.* Interea in Transylv. regno ei successerat Christophorus frater, cui quia domus Austriaca non favebat, ob fratrem in Poloniæ regno prælatum, Constantinopoli opem quærere coactus est. Obiit Anno 1581. Successit ei Sigismundus fil. qui Austriacæ domui reconciliatus, Balthasarum patruum occidit, Stephanum verò & Andream cognatos reos Majestatis pronuntiavit, ob turbas. Postea regno cessit Andreæ Cardin cognato, quod cùm hic tueri non posset, in Rodolphum 2. Imp. illo translato, obiit Pragæ, Anno 1603. Dein Gabriel *Bathorius*, princeps electus, Anno 1608. postquam Botzkay & Rakozius præfuissent: Sed ob luxum & sævitiam suis exosus, interemtus est. Anno 1613. Isthuanffi, *hist. Hung. l.* 24. *& seqq.*

Bathracus, Ptol. Βάτραχος, manuscr. Seldeni, opp. Marmaricæ litorale, *Trabuco*, Mercat. inter Chersonesum magnam, & Antipyrgum ad Ort.

Bathsheba, Uxor Uriæ, posteà Davidis & mater Solomonis. Sulp. Severus, *Quâ tempestate Bersaben quandam, mira fœminam pulchritudinis, stupro compertam habuit. Hac viri cujusdam uxor, qui tum in castris erat, fuisse traditur.* Ubi secutus errorem Græcorum vocat *Bersaben*, quæ in Ebræis & Latinis codicibus *Bathsheba*, vel *Bethsabe* dicitur: quem tamen errorem scribis libentius tribuit Drusius, quàm interpretibus; & videtur natus ex affinitate literarum ϑ & ϱ. Fuit autem *Bathsheba* filia Eliam, quem Hebræi apud Hieronymum tradunt fuisse filium Achitophel, qui ob eam causam posteà conjuravit cum Absalomo. Id etiam probabile esse censet ex Hugone Salianus. Potuit enim Achitophel avus esse 60. annorum: Eliam pater 40. *Bathsheba* filia 18. Idem censet Abulensis & alii. Κάλλιστον τὸ εἶδος καὶ πασῶν διαφέρουσαν vocat Josephus.

Bathuel, id est, *filiatio Dei*, aut *mensura*, vel *desertum Dei*, filius Nachor ex Melcha, pater Labanis & Rebeccæ, Gen. 22. Item civitas in tribu Simeon. 1. Par. 4.

Bathycles, vir quidam dives ac sordidus, unde Proverb, *Bathyclis calix*, in eos, qui divites cùm sint, sibi tamen vivunt.

Bathycolpus, fluv. ad Thracium Bosporum. Turcis *Biuterre*, quod *magnum nemus*, vel *magnum flumen* significat, teste Petro Gyllio.

Bathyllus, adolescens Samius ab Anacreonte dilectus. Horatius *in Epodis*,

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium. ———

Item Pantomimus. Patriâ Alexandrinus, Mæcenatis delitium. Juvenalis,

——— *Molli saltante Bathyllo.*

Persius, ——— *Nec cùm sis cætera fossor,*
Tres tantùm ad numeros Satyri moveare Bathylli.

Juvenalis iterum *Sat.* 3.

——— *Ut video, nullum discrimen habendum est,*
Effigies inter vestras, statuamq; Bathylli.

Tacitus *lib.* 1. *Annal. Indulserat, ei ludicro Augustus, dum Mæcenati obtemperat, effuso in amorem Bathylli.* Vide Scaligerum, *Animadversionibus Eusebianis, pag.* 155. Itemque Salmasium *in Probum Vopisci.*

Bathynias, fluv. idem cum *Bathycolpus.*

Batia, civitas mediterranea Epiri. Strabo *lib.* 7.

Battana, opp. Gall. Narbon. in Segalaunis, ubi nunc fortè *Lauriol*, in Delphinatu, 1. leuca à Rhodano.

Baticala, urb Asiæ, in India & ins. Ceylani, in ditione Holland. à paucis annis. Urbs est regni cognom. in ora Orient. Ins. 40. circiter leucis à Columbo urbe.

Baticala, urbs Asiæ, in penins. Indiæ cis Gangem, in ora littorali maris Malabarici, caput regni cognom. sub Rege *Onor*, sed in feudum Bisnagaræ R. Portu gaudet sat capaci, inter urbes Onorum & Barcelorum, in Canara reg.

Batieia, Ili tumulus in Troade. Strab. *lib.* 3. Vide Steph.

Batieni, Ptol. opp. Liguriæ, *Bacienni* Paterculo, in agro Ticinensi, quorum opp. Augusta Badienorum, Pado imposita. Vid. ibi.

Batilde, vulgò *Baudour*, à Piratis redemta, per Erchinoaldum, Magistrum Palatii, sub Clodovæo 2. qui illam, formâ illectus, uxorem duxit, circa an. 548. ex Saxonum, qui in Anglia regnabant, familia creditam, atque ex ea Clotarium 3. suscepit, quo minorenni, illa cum Erchinoaldo, regnum administravit, Childericum & Theodoricum. Mezeray *in Clodov.* 2. Aliquot monasteriorum fundatrix.

Batina, vel *Bantina*, op. Apuliæ. Horat. *Carm.* 3. *Od.* 4.

Saltusq; Batinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti.

Batis, Eunuchus, Præsidiariorum militum Gazæ dux, quem captâ urbe, egregiâ editâ pugnâ, multis vulneribus confectum, quia supplex Alexandro fieri noluerat, per talos spirantis loris trajectis religandum ad currum ac circa urbem equis trahendum Macedo curavit. Curt. IV.

Batna, civitas Osrhoenæ. Steph.

Batnæ, opp. Mesopotamiæ, apud Nisibim, amœnitate Tempe Thessalicis comparandum. Amm. Steph. Zosim.

Bato, dux Pannoniorum, qui conquesti, *quòd Romani ad greges custodiendos non canes vel Pastores, sed lupos mitterent*, arma sumserunt, A. C. 8. Dio Cass. *l.* 55.

Batochina, ins. *Mauricam* appellant, magnam partem eorum, quę ad victum necessaria sunt & cultum, Moluccis insulis suppeditat.

Baton Sinopensis, rerum Persicarum commentarios condidit: cujus rei auctor nobis Strabo *lib.* 12. ubi de Sinope, Ἄνδρας ἐξήνεγκεν ἀγαθοὺς. Τῶν μὲν φιλοσόφων Διογένη τὸν Κυνικὸν, καὶ Τιμόθεον τὸν Πατρέωνα. Τῶν δὲ ποιητῶν Δίφιλον τὸν Κωμικόν. Τῶν δὲ συγγραφέων Βάτωνα τὸν πραγματευθέντα τὰ Περσικά. Plut. *in Agide* & *Cleomene.* Idem de Thessaliâ & Æmoniâ commentatus est. Athenæus *lib.* 14. Βάτων ὁ Σινωπεὺς ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ περὶ Θεσσαλίας καὶ Αἱμονίας σαφῶς ἐμφανίζει τὴν τῶν Σατουρναλίων ἑορτὴν Ἑλληνικωτάτην. Item librum edolavit, περὶ Ἴωνος ποιητοῦ, de quo vide Jonsium. *pag.* 181. Item, Poëta Græcus, Suid.

Baton, Amphiarai auriga, Polybius.

Batrachus, sculptor. Plin. 36. 5. Nec Sauron atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviæ porticibus inclusa, natione & ipsi Lacones.

Batta, prov. mediterr. regni Congi in Africa, cum opp. cogn. ad Barlam fluv. P. du Val.

Battarus, non quidem arboris sive herbæ nomen est, ut voluit Domitius, sed fluvii *Guattaro*, ut placet Scaligero, cujus meminit Valerius Cato Dirarum initio;

Battare, cycneas repetamus carmine voces.

Battiades, Callimachus à *Batto* patre. Ovid. *in Ibin*,

Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin,
Hoc ego devoveo teq; tuosq; modo.

Stat. 5. *Sylv.* 3.

—— —— Tu pandere doctus
Carmina Battiadæ.

Item *Battiadæ* dicti sunt Cyrenenses à Batto Cyrenes conditore. Sil. Ital. *lib.* 3.

Nec non Cyrene Pelopei stirpe nepotis
Battiadas parvæ fidei stimulavit in arma.

Idem *lib.* 2.

—— —— Et iniquo sole calentes
Battiadas. —— ——

Battis, puella quam Philetas poëta elegiographus suis carminibus celebravit. Ovid. *Trist.* 1. 5.

Nec tantùm Coo Battis amata suo est.

Batto, filius Changii, Tartarorum R. frater Ochtai. Hic cùm patris successor fratres cum copiis ad cœteras orbis partes subjugandas misisset, Batto, cui Septentrio obvenit, Moscoviam subjecit, Russiaque, Poloniâ & Silesiâ, devastatis, ad Lignitium Henricum Ducem, magiæ ope, cruentissimo prælio vicit, ipso cum Poppone Crucigerorum M. occiso. In cujus victoriæ argumentum IX. ingentes saccos auriculis cæsorum impletos domum misit. An. Chr. 1242. Bonfin. *dec.* 2. *libr.* 7. M. Cromer. *lib.* 8.

Batton, Comicus, cujus fabulæ apud Suidam sunt Ἀνδροφόνος, & Εὐεργέται.

Battus, Lacedæmone oriundus, Cyrenes in Africâ conditor, 37. Olymp. Euseb. *Chron.* quem Callimachus ait progenitorem suum fuisse. Strabo *lib.* 17. *Battiades* Ovidio *in Ibin* hinc dictus. Juxta Cretam insula est, nomine Thera, unde profectus *Battus* in Africam venit, ubi Cyrenas urbem condidit. Hujus beneficii memores Afri silphium illi sacrarunt, quòd apud eos herba hæc gloriam inter herbas obtineat primam, ut cujus caulis, succus, folia, fructus, omnia denique, quæ in silphio sunt, preciosa sint & utilia. Amplius Batto numisma percusserunt, in cujus altera parte regia facies sculpta erat, in alterâ silphium, quo donatus à Cyrenæis Battus fuerat. Hinc factum est, ut *Batti silphium*, prò raro & novo quopiam honore vel dono accipiatur. Sig. autem *regem* in linguâ Libycâ. Hesychius, Βάττος, βασιλεὺς, τύραννος. Λίβυες. Hic linguæ usque adeò impeditæ fuit, ut verbum βατταρίζειν ab eo originem traxerit. Suidas. Unde Hesychius, Βάττος, τραυλόφωνος, ἰσχνόφωνος.

Battus, pastor Pylius, quem Mercurius in Indicem commutavit. Nam cùm Apollo Admeti regis armenta pasceret, Mercurius boves quasdam, quæ longius processerant, furto abactas in sylvis occultavit, *Battoq;* cuidam equarum custodi, à quo uno visus fuerat, mandavit, ne cuipiam illud furtum indicaret; quod ut libentius faceret, vaccam pulcherrimam ei dono dedit. Mercurius verò absens, ut hominis fidem experiretur, sumptâ aliâ figurâ paulo post ad eum rediit, rogans, an vaccas quasdam illac transeuntes vidisset, pollicensque, si indicaret, vaccam se illi cum tauro daturum. *Battus* itaque spe corruptus, sub quo monte pascerentur, indicavit: ob quam perfidiam Mercurius eum in lapidem, qui *Index* dicitur, commutavit. Ovid. *Met.* 2.

At senior, postquam est merces geminata, sub illis
Montibus inquit, erant & erant sub montibus illis.
Risit Atlantiades; &, me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait. Perjuraq; pectora vertit
In durum silicem, qui nunc quoq; dicitur Index.

Battus, ineptus Poëta, qui in carmine conficiendo eadem sæpius repetebat; unde Βαττολογία, inepta verborum redundantia, seu ejusdem rei vitiosa repetitio. Suidas, Βαττολογία, ἡ πολυλογία, ἀπὸ Βάττου τινὸς μακροὺς, καὶ πολυστίχους ὕμνους ποιήσαντος, ταυτολογίας ἐχόντας. Hesych. Βαττολογία, ἀργολογία, ἀκαιρολογία. Theophylact. *in Matth.* 6. Βαττολογία ἐστὶν ἡ φλυαρία. Οἷον, τὸ αἰτεῖν τι τῶν γηΐνων, δόξαν, πλοῦτον, νίκην. Subdit, Βατταρισμὸς δ' ἐστὶν ἡ ἄναρθρος φωνὴ, ὡς ἡ τῶν παιδίων.

Batueci, pop. Hisp. vulgò *los Batuecos*, in regno Legionensi, in montanis, inter Cauriam & Salamanticam. Suntque reliquiæ Gothorum, & inventi fuerunt ultimo seculo, à Duce Albano. Mariana.

Batulum, castellum Campaniæ, cujus incolæ Turno in auxilium venerunt adversus Æneam. Virg. *Æn.* 7.

Quiq; Rufas Batulumq; tenent, atq; arva Celenna.

Batum, fluv. Italiæ in agro Brutio propè Blandam urb. Plin. *lib.* 3. *cap.* 5.

Batus, mollitie infamis, Schol. *in Aristoph.* Plut. Item historicus Græcus, in 2. histor. Atticæ adducitur à Pindari Scholiaste, *in Isthm. Od.* 4.

Bavacum, opp. permunitum Hannoniæ Comit. aliter Bagacum seu Baganum, ad *Hosneau* amnem. Deficit indies. 3. leuc. à Valencenis. Vulgò *Bavay.*

Bavai, id est, *in luctu*, vel *miseriâ*, nomen viri. 2. Esdr. 3.

Bavaria, vulgò *Beyern*, Ducatus Germaniæ, secundus Imperii circulus, ab *Avaribus* Hunnorum reliquiis nomen habens, qui Noricis expulsis eâ in terra consederunt, & B. literâ adjectâ Bavariam dixerunt, ut quidam volunt: Marcus verò Baernvvick natum id nomen à *Bavarico*, Tuscorum Rege dicit: dicitur & *Bojaria*, à Boiis Cisalpinæ Galliæ populis, qui hoc loco aliquando sedes habuisse leguntur. *Noricum* etiam dicebatur, à Norix, Duce quodam, qui ex Orientalibus partibus huc profectus Ratisbonensis urbis fundamenta jecit. Conterminos habet ad Boream Francos: ad Occasum Suevos, ad Meridiem Alpes Italas, ad Ortum Austrios & Boëmos. Dividitur in Cis-Danubianam & Trans-Danubianam: Cis-Danubiana rursum in Athesinam juxta Athesim fluvium, in Alpibus ac Rhetiæ primæ finibus, cujus bona pars est: In Bavariam superiorem versus Occ. quæ magna ex parte sterilis, ob Alpes, quibus subjecta, inter Ambram Isaramque fluvios; & in inferiorem versus Ort. quæ fertilior, frequentiusq; habitata, inter Isaram, Vitsum seu Lavarum, & Danubium flumina, proin etiam vitium ferax. Bavaria Trans-Danubiana, ea Nariscorum ora est, & hodie *Nortgovia* dicitur: hæc eadem jam Palatinatus superior est. Dividunt quidam Bavariam in quatuor Episcopatus, Saltzburgensem, Pataviensem, Phrisingensem & Ratisbonensem. Noricorum fuit olim, & priusquam in provinciam redigeretur, à proprio Rege usque ad Arnulphi Imperat. tempora administrata est, ut quidam scribunt. Hinc Ludovicus Pius Imper. Ludovicum fil. Bavariæ Regem declarasse legitur, An. Chr. 817. P. Æmil. *lib.* 3. &c. Deinde Duces habere cœpit, hodieque retinet. Quorum historia paucis hæc: Primus auctor familiæ Arnolphus quidam, à Normannis A. 891. cæsus, cujus fil. Luithpoldus Dux Bavariam rexit; ab Ungaris occisus A. 908. Pater Arnolphi, qui gravibus cum Conrado I. & Henrico Aucupe Impp. bellis gestis, effecit, ut liberi sui ducatu excluderentur. Eberhardus nempe, Austriacorum vett. Marchionum sator, & Arnolphus, Comes Schirensis: è cujus posteris Otto V. vexillifer Friderici Barbarossæ, proscripto Henrico Leone An. 1180. ducatum Bavariæ denuo nactus est. Proavus Ludovici, qui communis Palatinorum & Bavarorum, quotquot hodie supersunt, pater est: Ejus enim fil. minor Ludovicus Imp. qui in summum culmen rem Bavaricam evexit, hodiernorum Bavariæ Ducum progenitor est: sicut major hujus natu frater Rodolphus Palatinos sevit. Præest hodie Bavariæ Ferdinandus Maria, natus A. 1636. ex Maximiliano, qui Electoralem dignitatem in familiam intulit, Anno 1628. Regio ipsa, præterquam ubi Australior est, non seritur, utpote nemorosa plurimum & montosa. Sues glandibus, silvestribusque pomis tantâ copiâ nutrit, ut veluti Hungaria boves; ita hæc sues cæteris Europæ nationibus largè suppeditet. Gens ipsa vestitu, ut plurimum, flavo colore amicitur: ocreis quàm caligis libentius calceatur. Non est hodie deserta, ut Strabonis tempore fuit, sed cultissima, magnas & superbas civitates habens, quarum primaria & sedes Principis Monachium, ad Isaram, & oppida nobilissima, circa quæ magna frumenti copia Ratisbonam, ubi Comitia Imperii habentur, & Landshutam in infer. Ingolstadium ad Danub. frustra à Gustavo Adolpho tentatum, ubi Academia: Frisingam sedem Episc. &c. quæ in super. sitæ. In hanc regionem Berengarius Italiæ R. ab Ottone M. relegatus est, An. Chr. 952. Sigon. *lib.* 6. & 7. Vindicavit eam sibi Stephanus R. Ungariæ, sed victus à Conrado II. Imp. An. 1030. In Bavaricam familiam, Comitatum Hannoniæ, Zelandiæ & Hollandiæ intulit Margareta, Ludovico Imperat. nupta, An. 1324. Controversiam Bavaricam prudenter decidit Maximilianus I. An. 1504. Quid bello Germanico, quo ante memoratus Maximilianus, superiorem Palatinatum, pace Monasteriensi, avitæ ditioni junxit, gestum sit, ex nostri seculi Historicis petendum. In Bavaria dissidentes Episcopos, circa A.C. 936. ad pacem datis literis hortatus est Leo VIII. P. qui Ottoni M. jure eligendi Pontifices ac inve-

stiturâ Cleri restitutâ, inter alia, in epistola memorat, Sacerdotes tum publicè uxores habuisse, sicut cæteros Christianos. Addens, *Satius enim est casto connubio frui, quam vaga Veneri operam dare.* Vid. Aventinum *Annal. Bojorum lib.* 4. Albertus quoque Dux, unà cum Ferdinando I. Imp. & Carolo IX. Galliæ R. tempore concilii Tridentini, Calicis usum in cœna Domini, circa A. C. 1563. ardenter à Pio IV. sed frustra, expetiit, &c. Hodie tota Romanæ sedi addicta est. Munsterus, Aventinus, Alii.

Urbes Bavariæ præcipuæ:

Burchusia, *Burchausen.*	put Ducatus.
Frisinga,	Novoburgum, *Neuburg.*
Ingolstadium,	Ratisbona, *Regenspurg.* urbs
Landshutum.	Imper.
Monachium, *München*, ca-	Straubinga.

Baubo, mulier quædam, quæ cùm Cererem hospitio suscepisset, ei nescio quam obtulit potionem, quam ipsa tota colliquata lacrymis, ob filiæ mortem, bibere nolens, respuit. *Baubo* illud molestè ferens, & non tantæ authoritatis Deam esse putans, pudendum revelavit, & ei nudum ostendit: quo spectaculo Dea delectata in gremium poculum accepit. Clem. Alex. *Orat. ad Gentes*, & Arnobius *contra Gentes.* Hesychius, Βαυβὼ, τιθηνὴ Δήμητρος, σημαίνει δὲ καὶ κοιλίαν, ὡς παρ' Ἐμπεδοκλεῖ.

Baucis, anus paupercula, Philemonis senis conjux, quos Jupiter in arbores commutavit. Ferunt enim, cùm Jupiter & Mercurius Phrygiam peragrarent, solos hos inventos fuisse, qui Deos hospitio dignarentur. Quare cùm Jupiter eam reg. ob inhospitalitatem terræ, hiatu perdere decrevisset, Philemonem & Baucidem monuit, si salvi esse vellent, sese ut sequerentur, qui sine morâ Deorum vestigia subsecuti sunt. Cumque jam ad vicini montis culmen pervenissent, forte respicientes, subjectam oculis regionem palude haustam vident, solâ suâ casâ exceptâ, quæ ipsis aspicientibus in templum est transformata. Jussi deinde pro hospitii munere petere quod vellent, nihil aliud se optare responderunt, quàm ut novi templi sacerdotio præficerentur, nec alter alterum ad sepulturam ferret, sed eodem temporis momento extremum finem vitæ simul ambo clauderent. Quod cùm illis Jupiter annuisset, ad sua eos remisit; ubi quod reliquum erat vitæ, in Deorum ministerio peregerunt: cumque jam extremam senectutis metam attigissent, in arbores conversi sunt, ut latius fabulam refert Ovid. *Met.* 8. Ponitur autem *Baucis* pro *omni vetulâ* in foro olitorio herbas odoratas vendente. Persius *Sat.* 4. *vers.* 21.

Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Cùm bene discincto cantaverit ocyma vernæ.

Vide sis ibi Casaubonum.

Baudicea, Britanniæ regina, ob avaritiam superbiamque Romanorum, armis sumtis, LXXM. civium aut sociorum occidit. Victa tandem à Suetonio, veneno vitam finiit. A. C. 61. 62.

Baudius, Dominicus, Historicus, Orator & Poëta insignis. Docuit in Academiâ Lugduno-Batavâ: scriptis variis, *Epistolis, Orationibus, de Induciis belli Belg. Poëmatum* egregio opere, &c. inclytus. Obiit sub initium hujus seculi.

Baudobriga, vulgò *Boppart*, opp. Germ. ad Rhenum, 10. m. p. à Confluentiis, in ditione Trevirensi. Vid. *Bodobriga.*

Bauhinus Johannes sen. Ambianus, Medicinæ & Chirurgiæ Doctor, in urbe Basilea, clarissimus & felicissimus. Hic utramque artem primò quidem in Galliâ, dein in Anglia & Belgio aliquot annis, tandem verò Basileæ, 40. ann. spatio, magno cum successu exercuit. Obiit Basileæ A. C. 1582. æt. 71. Pater Johannis, qui natus A. C. 1541. Principis Wirtembergici Medicus fuit, scripsitque *de Thermis in gen.* In specie, *de Balneo Bollensi*, Duc. Wirtemb. *de Herbis ab Absinthio & Divis nomen trahentibus: Historiam plantarum*, seu *Herbarium Ebrodunense*, 3. *Vol.* &c. & Caspari, de quo infra.

Bauhinus Casparus, Johannis sen. filius Med. D. Rei Anatomicæ & Herbariæ, in Acad. Basil. Professor, itidemque Principis Wirtemb. Archiater, obiit A. 1623. æt. 63. Scripsit *Phytopinacem & Pinacem: Institutiones Anatom. De partibus similaribus: Theatrum Anatom. De lapide Bezoar: Methodum medendi; de Hermaphroditis: Prodromum theatri Botanici*, &c. Hujus filius, *Bauhinus* Joh. Casparus, Medicinæ similiter Doctor celeberrimus, & ultra 47. ann. in Academia Basil. Professor, Christianissimi Galliæ R. & variorum Germ. Principum Archiater, præter omnigenam eruditionem, morum gravitate, rerum usu & prudentiâ inclytus: Edidit tomum I. Theatri Botanici à Patre affectum, aliaque Medicæ rei plurimum profutura. Ejus fil. Hieronymus, Botanicæ idem & Anatom. Professor, haud pridem in flore ætatis, obiit: Ipse verò septuagenario major Academiam patriam illustrare pergit: Sed,

Quid numeras annos Scriptor sanctissime? Credis
Posse mori, prohibet quem Medicina mori?

Omnes hi:

Ἰητροὶ ἄνδρες πολλῶν ἀντάξιοι ἄλλων.

Baujovium, Gall. *Beaujeu*, opp. Galliæ, in Lugd. prov. caput regiunc. ab eo dictæ *le Beaujolois*, quibusd. *Bellijocum* dicitur. Sedet ad rivum *Ardiere*, 8. leuc. à Lugduno in Bor. 3. ab Arari fluv.

Bavius & Mævius, poetæ duo ineptissimi & malevoli, Olymp. 186. Augusti & Virgilii ætate, nullâ aliâ re noti, quàm quòd clarissimis suæ ætatis poetis oblatrare non dubitarint; quâ de causâ optimi cujusque odium incurrebant. Virgilius, *Eclogâ.* 3.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi. Vid. Lil. Giraldum, *de Poëtis.*

Bauli, vulgò Bagola *Bauli*, villa quædam Latii, ponitur vulgò inter Misenum promont. Bajarumque lacum. Perperam Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. inter Baias atque Lucrinum lacum habet. Hoc enim si verum, tota Taciti gravissimi scriptoris narratio falsa erit. Sic enim ille *Annal.* 14. *de Baulis* loquens: *Id villæ nomen est, quæ promuntorium Misenum inter & Bajanum lacum flexo mari adluitur.* Cui tamen adstipulatur Symmachus *lib.* 1. *ep.* 1. *Baulos*, inquit, *Lucrinâ sede mutavimus.* Propius autem Baias, quàm Misenum fuisse, hos *Baulos*, testatur haud obscurè, Plin. 9. 55. *Apud Baulos in parte Bajanâ piscinam habuit Hortensius orator, in quâ murænam adeò dilexit, ut exanimatam flesse credatur.* In ipso fuisse litore, præter Tacitum, asserit Silius Italicus *l.* 12.

Nec non Misenum servantem Idæa sepulchro
Nomina, & Herculeos videt ipso in litore Baulos.

Villam hic fuisse Hortensii præter Plinium, testatur M. Varro *de R. R.* 3. 17. itemque M. Tullius *Acad. Qu. lib.* 2. uti videre est in his: *Quibus de rebus & alias sæpè nobis quæsita & disputata sunt, & quondam in Hortensii villâ, quæ est ad Baulos.* Denique Symmachus *Ep.* 1. *lib.* 1.

Huc Deus Alcides stabulanda armenta coegit,
Inde recens ætas corrupta Boaulia, Baulos
Nuncupat. ———

Baulon, Atheniensis cujusdam nomen, qui forte fortunâ securi instructus bovem illum prostravit, qui Jovialibus placentam sacrificio destinatam absumpserat. Vide Scholia *in Aristophanis Nubes. Act.* III. 3.

Bauma, op. Æthiopici sinûs ex Africæ latere, Plin. 6. 29.

S. Baume, spelunca, ubi Magdalena dicitur pœnitentiam egisse. An in provincia, prope S. Maximinum, an nullibi? Hoc enim posterius Criticos asserere, ipse Morerius refert.

Bavota, Salentinorum olim opp. Ptol. Σαλεντίνων μεσόγειος πόλις Βαυότα. Nunc vicus: ad radices Apennini montis, 6. mill. à Gallipoli in ortum. *Pacavota* Cluver.

Bausci, Vid. *Arausio.*

Bauscum, oppidul. Poloniæ, in Semigallia, ad Mussam fluv. ex Samogitia exeuntem, qua Sussam fluviol. recipit. Ducis Curlandiæ; 4. leucis à Mitavia in ortum. Vulgò *Bausko* seu *Bautske.*

Bauta, pagus Allobrogum, vulgò *La Bonneville*, ad Arvam fluv. 12. mill. à lacu Lemano, Tarantasiam versùs.

Bautica, fluv. Gall. Cisalpinæ in Padum influens.

Bautisus, Sericæ reg. in Asiâ fluv. Ptol. *Quiam* cum interpretatur Mercator. Græce Βαύτης.

Bayana, Urbec. Asiæ, in India, sub M. Mogole, versùs Agram, in Occasum.

Bayardus Pet. Terralius, cognom. *Eques imperterritus*, nobilis Delphinas. Sub Carolo 8. Neapolitanum regnum sibi vindicante egregia fortitudinis specimina edidit, inprimis in prælio ad Furnoam. Dein sub Lud. 12. in occupatione Duc. Mediolanensis præclarè rem gessit; inde Neapolim remissus, contra 200. equites solus pontem tuitus est. Exin contra Genuenses rem gessit, Patavii obsidioni interfuit, Comitissam Mirandulæ, & Duc. Ferrariensem juvit. Duci Nemorosio, contra Andream Gritti, Venetarum copiarum Ducem, præstò fuit, sub cujus auspiciis etiam Brixiam cepit: Ubi hospitis sui filiabus, oblatos 2000. dupliones, ne domus diriperetur, reddidit. Pòst Delphinatus præfectus, interfuit obsidioni Pompeiopolis, & prælio *Calcarium*, quo captus. Hinc postmodum liberatus Francisco I. contra Helvetios, ad Marignianem adstitit, qui ab illo Eques creari voluit, ejus amplexu, *l'accolade*, ad veterum morem, initiatus. Tandem vulnere in Italia accepto, pugnans obiit, A. 1524.

Bayras, Hæreticus, Jacobita professione, unus ex præceptoribus Mahometis, ejusque in Alcorano consarcinando adjutor. Prateolus, *in Bayras.*

Bazacata, Indici maris insf. Ptol. *Basse* Castaldo.

Bazaëntes, Drangarum Satrapes, conjurationis & parricidii in Darium regem particeps Besso; qui supplicium, quæ meruerat, metu profugit in Indiam. Curt. VI. 40.

Bazanis, Armeniæ urbs, olim *Leontopolis.* Eust. Posteà verò *Justinianopolim* dictam notat Gul. Stuckius.

Bazaria, regio Asiæ, Scythiatica, uti videtur apud Q. Curtium *lib.* 8. 3. Urbem Basistin habet in eâ Diodorus, ut apparet *ex fragmento lib.* 17.

Bazata, id est, *contemptus*, vel *depradatio*, aut *in olivâ.* Eunuchus. Esth. 1.

Baziothia, id est, *contemptus*, vel *despectiones ejus*, sive *præda ejus*, aut *in olivâ Domini*, urbs in tribu Judâ. Jos. 15.

B E.

Beareferdia, oppidul. Groenlandiæ, seu regionis viridis, ad Septentr. Americæ, cum Cœnobio ibi extructo, à 300. & amplius annis, sub Daniæ R. Nunc vix rudera supersunt, & totus hic tractus ægrè ab Europæis frequentatur.

Bearnia, Vid. *Benearnia*.

Beatrix, virgo Romana, cujus comes fuit Lucina, ambæ insigni erga sanctorum Martyrum corpora, quæ in suis agris tumularunt, pietate præditæ; quamobrem à Diocletiano ob Faustinum ac Simplicium reconditos, extremo supplicio multatæ sunt.

Beatrix Sabaudica, uxor Raimondi Berengarii Com. Provinciæ, quatuor filiarum, quæ omnes Regibus nupserunt, mater. Virtutibus illustris. Item, uxor Lud. IV. & Othonis V. Imp.

Beatrix de Forcalquier, uxor Delphini Viennensis.

Beatrix de Melgueil, Berengarii Raimondi, Comitis Prov. primò, dein Bernardi Peleti, ex Narbonensium Ducum familia, uxor.

Beatrix Provincialis, hæres Provinciæ, uxor Caroli Andeg. fratris S. Ludovici, &c.

Beatus Rhenanus, præterito sec. Tertullianum, Plinium, Livium, Vellejum, Tacitum, &c. Commentariis illustravit. Scripsit de rebus Germaniæ. Obiit Argentinæ, an. 1547. Voss. *hist. Lat. l.* 3. *c.* 10. Gualtier, *in Chron.*

Beaucaire, Vid. *Bellicadrum*.

Beaucaire Franc. Ep. Metensis, Concilio Trid. interfuit cum Card. Lotharingo. Auctor tractatus de infantibus in utero materno mortuis, poëmatum diversorum, & historiæ Gall. 30. libris comprehensæ. Obiit Anno 1591. Sanmarth. *Gall. Christ. P.* 3. *pag.* 724.

Bebai, id est, *pupilla*, sive *concavus*, aut *vacuus*, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Bebeecus, Hesychius. Βεβέηκος ὁ Ἠριδανὸς ὑπὸ τῶν Ἐνετῶν. Sed legendum Βοδιγκος. Palmerius. Vide *Padus*.

Bebiani, Ligures sic dicti in 2. reg. Italiæ. Plinius, *l.* 3. *c.* 12.

Bebius, delator insignis, cognomento *Massa*, tempore Vespasiani. Juvenal. *Sat.* 1.

—— Quem Massa timet, quem munere palpat
Carus. —— Damnatus postea est, accusantibus Bæticis, apud Plin. epist. ult. *l.* 7.

Bebius Pamphilus, Cos. Rom. cum P. Cornelio, eo anno, quo Numæ Pompilii libri in agro C. Petilii effossi sunt. Val. Max. 1. 1.

Bebius, mons Campaniæ ignem instar Ætnæ exhalans; corruptè ut puto, pro *Besbius*, sive *Vesuius*, ex *Vesuvius*.

Bebriacum, vicus inter Cremonam & Veronam, apud quem Vitellius Othonem superavit. Juven. *Sat.* 2.

Bebriaci in campo spolium affectare palati.

Hunc vicum Itali hodiè *Labinta* vocant. Freculphus *Tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 21. *Hedriacum* legit. Apud Jos. *de B. Jud. lib.* 5. *cap.* 8. Φηγδιακὸν est. Tacitus *Bedriacum* vocat. Plut. Βητριακὸν habet. Ita enim scribit *in Othone*: Ἔστι δὲ πολίχνη πλησίον Κρεμώνης τὸ Βητριακόν. Vide Cluver. *Ital. Ant. pagg.* 259. 260. Inde *Bebriacenses aves*, de quibus Plin. 20. 49.

Bebriacum, seu *Bedriacum* aliis est *Caneto*, oppidul. Duc. Mantuani, ad Ollium fluv. ubi recipit Clusium. Medium inter Cremonam & Mantuam, celebre pugnâ inter Ottonem & Vitellium; mox aliâ inter Vitellium & Vespaf. Baudr.

Bebryce, una fuit ex Danai filiabus, quæ suo etiam sponso pepercisse traditur, Eust. *in Dionys.* Ἡ Βεβρύκη μὲν, καὶ Ὑπερμνήστρα μόναι τῶν συνεύνων ἐφείσαντο. Ibidem dicit hanc unà cum sponso suo fugisse in regionem, quæ pòst ab eâ fuit *Bebrycia* dicta. Apollodorus quidem, in Catalogo Danaidum, *Bebrycem* fortasse nominavit, quæ in vulgaris codd. perperam Βρύκη appellatur. Idem auctor innuit, duas Danai filias maritis pepercisse: *Danaus*, inquit, *Ægypti filius prater unum aut alterum* (πλὴν ἑνὸς ἢ δυοῖν) *filiarum suarum operâ necavit.* Plerique tamen auctores Hypermnestram solam, quæ à cæde sponsi sui abstinuerit, commemorant. Ita Pind. *Nem.* 10. Οὐδ' Ὑπερμνήστρα παρεπλάγχθη μονόψαφον ἐν κολεῷ κατασχοῖσα ξίφος. Ita etiam Horat. *Carm.* 3. *Od.* 11.

Una de multis face nuptiali
Digna, perjuram fuit in parentem
Splendidè mendax & in omne Virgo
Nobilis ævum.

Bebryces, vel *Bebrycii*, pop. à Thracibus oriundi, quos Stephanus ponit juxta Pontum, & Iberos, de quibus Strabo *libb.* 7. & 12. Hos Arrianus originem à *Bebryce* Danai filiâ traxisse scribit. Eorum reg. *Bebrycia*, quæ postea *Mygdonia*, deinde *Bithynia* dicebatur. Regio est, inquit Solinus, opulenta, fertilis atque fœcunda. Unde Apollonius eam ἐριθηλέα γαῖαν, *virentem*; Dionysius λιπαρὴν, id est, *pinguem terram* vocat. E Latinis duos eis adjungam Val. Flaccum, & Lucanum. Hic,

Proxima Bebryaci panduntur litora regni,
Pingue solum. Ille,
Pinguis Bebrycio discessit vomere sulcus.

Bebryx, rex fuit in montibus Pyrenæis, teste Silio, quos etiam à Pyrene illius filiâ nomen traxisse idem author est.

Becare, portus utilissimus in Asiâ, quo piper monoxylis lintribus inprimis invehitur. Plin. 6. 23.

Becbuc, viri nomen. 1. Esdr. 2. Latinè *laguncula*, vel *vacuitas*.

Beccum Helvini, Abbatia Gall. ditissima, in Normann. Duc. & Rothomagensi Diœcesi, prope Riblam fluv. Inter Ebroicum & Pontem Audomari. 6. leuc. à Rothomago in Occas. Gall. *le Bec Helouin.*

Beccus, dictus est Antoninus primus, puer adhuc, Tolosæ natus.

Becher, filius Ephraim. Num. 26. Lat. *primitia*, aut *in arsete*.

Bechires, gens Scythica, quæ cùm ad Italiam venisset cum Attilâ, vinumque bibisset, omnium bibacissima facta est. Steph. Dionysius *vers.* 765.

Βύζηρές τοι πρῶτα καὶ ἀγχόθι φῦλα Βεχείρων.

Vide Plin. *lib.* 6. *cap.* 4. Suidas, Βέχειρες, ἔθνος Σκυθικόν.

Bechor, fil. Benjamin. Gen. 46. Idem sig. quod *Becher.* Inde *Bechoroth*, pl. num. filius Aphia. 1. Reg. 9.

Beda, Britannus. Natus Anno 673. in castro exiguo prope fluv. *Tyne*, ob vitæ modestiam *Venerabilis* dictus, clarus sub Joanne 6. Pontifice, cùm Saraceni ex Africâ solventes Hispaniam invasere. Græcè, Latinèque eruditus scripsit in Vetus & Novum Testamentum. De quo Possevinus Apparat. Sacr. Tom. 1. Præterea tractatus quosdam Mathematicos, historiam 6. ætatum, Martyrologium, &c. In omni disciplinarum genere, Græcæ Latinæque linguæ gnarus excelluit. Poeta, Rhetor, Historicus, Astronomus, Arithmeticus, Cosmographus, Philosophus, Theologus; ita eo tempore mirabilis, ut in proverbium apud ejus seculi doctores abierit, *Hominem in extremo orbis angulo natum, universum orbem suo ingenio perstrinxisse.* Obiit An. 735. Vid. Sigebert. Trithem. *in Catal.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 28.

Beda, vulgò *Bidburg*, pagus Belgii, in Ducatu Lucemburg. prope confinia ditionis Trevirensis. Baudr. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* de hoc loco: *Beda vicus*, in Itinerario Æthici memoratur, & inter *Treviros* ac *Ausanam vicum* medius ponitur, in itinere à Treviris Agrippinam sic, *Beda vicus leucas* 12. *Ausana vicus leucas* 8. in tabula Peutingeriana, *Beda* inter *Augustam Trevirorum & Ausanam.* Hunc vicum Bedam, vulgò *Bidburg*, in Luciliburgensi Ducatu, vocari ait Cluverius: à quo *Beda* vel *Beta Betasios*, vel *Betasos*, aut *Vetasios* dictos esse existimo. *Betasios in l.* 4. Historiarum memorat Tacitus non semel, & cum Nerviis Tungrisque conjungit. *Betasis* Plinius eos appellat, & in Belgica ponit prope Leucos & Treviros. Notitia Imperii *Vetasios* eosdem nuncupat, & *in litore Saxonico* insulæ Britanniæ *Regulbium* ponit, *ubi cohors* 1. *Vetasiorum.* Nomen dedit *Beda vicus pago Bedensi*: quo in pago Epternacum villa quondam Regia, nunc Monasterium fuit. *Pagum Bedensem* Nithardus *in l.* 1. inter *Odornensem & Blesensem* ponit. In Divisione Regni Lotharii facta an. 870. inter Reges Ludovicum & Carolum fratres, pagus hic nunc *Bedensis* vocatur Latino nomine, nunc *Bedagouva* Germanico; & flumen Urta quod defluit in Mosam, pagum Bedensem irrigare dicitur. Aubertus Miræus duos vicos *Bedas* Latinè, vulgò *Bidburg* dictos distinguit: & *Bedam* quidem Æthici, ab Augusta Trevirorum leucis 12. ab Ausana vico leucis 8. distantem, *Bidburgum* nuncupari ait, ac esse opidum Ducatûs Luciliburgensis, inter urbem Treviros & vicum Ausanam sive *Palleschest*: alteram autem esse *Bedam*, *Bidburg* similiter dictam vulgò, non procul ab Antunnaco & Megenensio, (*Meyen*) quæ pago *Bedensi* seu *Bedagouva* nomen suum dederit, inter *Megenensium* & *Nitachouvam* jacenti. Brouverus *Bedensis pagi* seu *Bedones* in Treviris, tribus fluviis Surâ, (*Saur*) Gelbi aut Celbi (*Kyl*) & Lesurâ terminati, caput ait esse *Bedense castrum*, haud procul à Nemesa, (*Nims*) quod *Biedtburgum* dicimus.

Bedacum, opp. Norici. Vid. *Badacum*.

Bedar, in tribu Aser, municipium situm in territorio *Acon*, quod cum suis agris Balduinus I. R. Jerusalem Bethleemitico Episc. cum hæreditario jure dono dedit.

Bedegene, locus ad radicem Libani situs in tribu Manasse, ubi limpidissimæ emanant aquæ, unde & domus voluptatis dicitur, quem occidentales Christiani bellicâ manu occupaverunt & deprædati sunt, ac postea cum vinculis adjacentibus incendio devastarunt. Tyr. 21. *bel. sacr.* 10. & 22. *bel. sac.* 21.

Bedellus, vox medii ævi, Saxonibus *Bydel*, Præco, nuntius, apparitor, fæcialis, ballivus. Gall. *Sergent.* Ductum à verbo *Bydde*, i. peto, rogo, precor. Sic Episcopi dicuntur *Dei bedelli*, hoc est, præcones, M S. Sax. Sic apud Ingulphum *Hist. Croyl.* Edgarus interdicit omnibus Ministris suis, id est, Vicecomitibus, *Bedellis* & Ballivis, &c. Luc. 12. 58. Exactor, *bydele* dicitur. Legg. Burgor. Scot. *cap.* 112. Citatio facta in burgo, super burgensem, per servientem Domini Regis, sine *Bedello* ejusdem burgi, est invalida. Apud Scotos & Spieg. *quæst.* 5. aliàs legitur *Pedellus*, unde errorem proculdubio contraxit Skenæus, inquiens: Dicitur autem *Pedellus*, à pedo, i. baculo, propterea quòd hujusmodi

modi servientes virgâ aut baculo uterentur. Vid. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Bedesis fluv. vulgò *Ronco*, seu *Bedese*, oritur in agro Florentino. Fanum S. Sophiæ & Meldolam rigat, dein infra Ravennam Mari Adriat. miscetur. Alius est flu. Æmiliæ, *Montone* vulgo.

Bedfordia, urbs Angl. in Comitatu cogn. ad Usam fluv. Unde regio adjacens *Bedfordshire*.

Bedirum, Libyæ inter. urbs, Ptol. *Debris* Plinii est, Hermolao teste.

Bedriacum, Vid. *Bebriacum*.

Bedvini, Arabes ac Saraceni, nullâ ratione, inermesque in bellum ruebant, dicentes mortem vitari non posse, fatoque omnia referentes, hircinis amicti pellibus Solem orientem adorabant. Volat.

Beelphegor, Idolum Moabitarum, propriè Bel adoratus in monte Phegor. Nam 25. 18. Deut. 3. vide *Baal-peor*.

Beera, filius Joel. 1. Par. 5. *puteus*, vel *declaratio*.

Beergios, vel *Bergion*, unus ex Neptuni filiis, quem Hercules devicit.

Beeri, Lat. *explanans*, vel *puteus*, vel *in luce*, vel *in leone*. Pater Judith uxoris Esau. Gen. 26. Item pater Osee prophetæ.

Beer-ramath, urbs in tribu Simeon. Jos. 19. Lat. *puteus*, vel *declaratio celsitudinis*, aut *in luce excelsâ*.

Beer sheba, nomen civitatis. Lat. *puteus juramenti*. 3. Reg. 19. Ubi Josephus, Φοβηθεὶς δὲ ὁ Ἡλίας φεύγει εἰς πόλιν Βερσουβεὲ λεγομένην, ἐπ' ἐσχάτοις δ' ἐστὶν αὐτὴ τῆς χώρας τῶν Ἰούδα φυλὴν ἐχόντων κατὰ τὴν Ἰδουμαίων γῆν. *Borsenam* vocat Ptolemæus.

Befortium, opp. munitum Suntgoviæ, in Alsatia, sub Gallis. Comitatus olim caput: Ad radices montium. Vix 2. leuc. à Monte Belliardi in Ortum, & 4. à Ferretta in Occas.

Begalis, Amorgi ins. urbs, in mari Myrtoo.

Begis, urbs Trallianorum. Steph.

Beguai, nomen loci. 2. Esdr. 7. Lat. *in corpore*, sive *in gente*. Item nomen viri. 1. Esdr. 2.

Beguardi, *Beguini & Beguinæ*, hæretici in Germania exorti, A. C. 1341. Monasticam vitam, sed sine coelibatu, affectabant, in hac vita omni nodam perfectionem obtineri posse, gratiæ auxilio opus non esse, homines perfectos ab obedientia Magistratui debita, à jejunio, precibus, bonisque operibus esse immunes, divitias cum Evangelica perfectione consistere non posse asserentes. Damnati in Concilio Viennensi An. 1311. Petrus Coëns *hist. de origine Beguardorum*. Alex. Rossæus, *in πάνσεβεία*. Pulsi sunt Basileâ, annitente inprimis Johanne Mulbergio, insigni Concionatore, Dominicano, eorumque domicilia partim Nosocomio magno, partim Episcopo: sup llex autem Franciscanis cessit, A. C. 1411. Vid. Christ. Urstisium *Hist. Basil.* Stumpfium, &c. Quibusdam ex illis An. 1403. jam ibidem conversis, Spelmann. *Glossar. Archaeol.*

Begui, nomen viri. 1. Esdr. 8.

Beibas, vel *Beibus*, lacus totius Livoniæ insignior, qui in longitudinem ad 45. milliaria italica porrigitur, atque vario piscium genere abundat, Metel.

Beinvvilense monast. divi Vincentii, professionis Benedictinæ, in valle est, ad decurrentis Biriæ dextrum latus ad Merid. abeunte, in agro Raurico. Initium sumsit eâdem ætate, quâ Lucelense, auctoribus Nokero, Oudelardo, Burchardo, atque Udalrico, viris nobilibus, in quorum proprietate initio constructum fuit, ut diploma confirmationis Friderici Barbarossæ Imp. apud Ulmam, an. 1152. factæ, sonat. Et primò quidem Oudelardus, è Comitibus Sogerensibus, Cœnobii advocatum egit: quod munus dein ad Comites Thierstenios devenit, A. 1240. sub Imperii fide. Hodie Abbatia est, ad Lapidem, cœnobium nobile, vix trihorio Basileâ distans, translata. Urstis. *Hist. Basil.*

Bel, nomen idoli Babyloniorum. Is. 49. Lat. *vetustus*, aut *nihil*, sive *defluens*. Vide *Baal*, & *Belus*.

Bel, sive *Beles*, Apollo ab Aquileiensibus Italiæ populis sic dictus. Herodianus *lib.* 8. Βέλιν δὲ καλοῦσι τοῦτον, σέβουσί τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες. Ubi Βέλινον legendum monet Salmasius.

Bela, I. Pannoniæ rex, primò cum fratre Andrea regnum commune habuit, dein illo toto, per fratris cædem, ope Ducis Poloniæ Soceri, potitus, bonus alioqui princeps; populos à multis vectigalibus immunes fecit. Primus Byzantios nummos, argenteamque monetam percussit. Decessit tandem Anno 1063. equo lapsus, fractusque membra post annos regni tres, sepultus in cœnobio S. Servatoris ab eo constituto. Volater. *Geogr. lib.* 8.

Bela, II. Ungariæ rex, Almi filius, quem Colomannus frater excæcaverat, & ipse cæcus servatus à Pannoniis in regnum, quòd Stephanus sine prole decessisset; duxit uxorem Helenam, regis Serviæ filiam, ex quâ 4. filios habuit, Geysam 3. Ladislaum 2. Stephanum, & Almum, qui in eos, quorum consilio pater excæcatus erat, crudeliter animadvertit. Borichum Colomanni nothum cum Polonorum & Ruthenorum manu regnum affectantem prælio vicit. Obiit Anno 1141. regni 12. Boissard. *Chron. Hung.* Volater.

Bela, III. Ungariæ rex, Stephani tertii filius. Duxit Anno 1186. Margaretam, sororem Philippi Aug. Galliæ R. viduam Henrici Jun. Angli. Obiit Anno 1199. Relictis Emerico & Andreâ 2. filiis, qui ambo Reges fuerunt. Bonfin. & Crantz. *metrop.* reg. an. 18.

Bela, IV. Ungariæ rex Andreæ 2. patris successor, Princeps fortissimus, sed non æquè felix. Rebellione quippe filii & Tartarorum incursione exercitus. Obiit Anno 1270. vel, 75. Bonfin. *l.* 2. *dec.* 8. reg. an. 35.

Bela, V. Ungariæ rex, regn. an. 3.

Belbina, opp. fuit Peloponnesi, prope Eurotam fluv. supra Spartam, in Laconia prov. Item, Insula in Saronico sinu: Ubi templum Panos & Veneris: de utroque variant opiniones.

Beleastartus, Hirami filius, Tyri rex. Aliis *Deleastartus*.

Beledonii, pop. juxta Oceanum. Steph.

Belegra, opp. Italiæ, in Piceno. Ptol. Hodie fortè *Civitella*, opp. munitum Aprutii ulter. ad Sabinelli amnis ripam. 6. mill. ab Asculo in ortum.

Beleguanza, prov. Æthiopiæ super. seu Abyssin. in Afr. cum urbe cognom. versùs Cubelam fluv. inter montem Amaram & regnum Angotinum.

Beleja, opp. *Bolea*, in Aragonia, Ferrario. Brietio, aliisque est *Trevino*, opp. prov. Alavæ, in Castella, prope Zadorram amnem, 8. mill. ab Ibero fluv. inter urbes Mirandam & Victoriam.

Belenatensis Mons à *Beleno* Deo, id est Apolline, quem cum Jove, Mercurio & Marte præcæteris Galli coluere, appellationem videtur traxisse. Hic mons erat inter Artonam & Ricomagum in Arvernis: ut docet Gregorius noster, *in libro de Gloria Confessorum his verbis*: *Cùm ex Artonensi vico venisset in cacumen montis Belenatensis, de quo vici Ricomagensis positio contemplatur.* At nunc mons iste Belenatensis, inter Artonam & Ricomagum medius, ignoratur etiam ab incolis. Hadrianus Valesius.

Belenopola, Parasitus Pamphili fœneratoris Atheniensis; qui in gratiam Pamphili sic se insinuaverat, ut Pamphili bona utriusque viderentur communia. Perstringitur ab Aristophane.

Belenus, Deus idem ac Sol putandus, Aquileiensium Deus tutelaris, item Aremoricorum & Noricorum. Lege Ausonianas Scaligeri, Vossium *de Theologiâ Gentili lib.* 2. *cap.* 17. & Seldenum *De Diis Syris*.

Belepares, Assyriorum R. 19. regnavit an. 30. ab A. M. 2646. usque ad 1675. Euseb. *in Chron.*

Belephantes Chaldæus, à sociis dilectus ad indicandum Alexandro periculum, quod ipsi Babylonem ingressuro ex astris portendebatur. Diod. XVII. *pag.* 622. *in Olympiad. CXIII. anno quarto, Historiâ.*

Belerida, Ins. 3. hodie *le Sanguinare*, in ora Occid. Sardiniæ, 25. mill. à Calari in ortum. Brietius, Alii.

Belesma, opp. Gall. in Belsia prov. & agro Perticensi.

Beleus, fluv. in agro Tyriorum.

Belfortium, aliàs *Belcifortium*, à sua pulchritudine simul ac fortitudine, ut videtur, nomen habens, munitissimum est castrum militiæ templi, juxta Horma ad Eleutherum fluvium in montanis situm, in tribu Aser.

Belga, nomen viri. 1. Par. 24. Lat. *refrigerium*, vel *solatium*, aut *vetustas vultûs*.

Belgæ, Galliæ pop. maximè qui versus Oceanum incolunt; quos Cæsar *lib.* 1. *Comm. fortissimos Gallorum* vocat. De quorum terminis, Vid. ibidem, & Authores infra laudatos. Hinc *Belga*, unus ex Belgis. Lucan *lib.* 1.

Et docilis rector rostrati Belga Covini.

Et adjectivum *Belgicus*. Virgil. 3. *Georg.*

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Ubi Servius, *Belgica esseda*, *Gallicana vehicula*. Horum appellatio refertur à quibusdam ad innatam genti in dimicando ferociam. Nam *Balgen*, inquit Junius, est *manus conserere*. Alii à *Wahlen*, seu *Walgen*, quo nomine Galli Italique Germanis veniunt, derivant. V. Cluver. *l.* 2. Ortelium, & in *Bellovaci*.

Belgæ, dicuntur hodie, pop. Inferioris Germaniæ in 17. provincias divisi, & regio illorum, *Belgica*, quæ partim cis Rhenum, in veteri Gallia, partim trans Rhenum, in Germania. Vid. quamque provinciam suis locis, inprimis *in Flandria*, & *Hollandia* vocibus, ut & in *Belgium*.

Belgæ, etiam pop. Albionis in Anglia, ad occid. quorum regio *Hantshire*, *Wiltshire* & *Somersetshire*, teste Camdeno.

Belgæ, posteà *Wellæ*, vulgò *Wells*, urbs Angliæ ultra Bathoniam urb. ad 24. m. p. in occ. quarum urbium episcopatus copulati sunt sub Archiep. Cantuariensi.

Belgæ, seu *Wellæ* urbec. est Comitatus Somersetiensis, aliter *Fontanensis*, olim *Theodorodunum*, à fontibus, qui passim in ipsa scaturiunt. Vid. ibi. Baudr.

Belgartia, opp. Germ. in Pomerania, & reg. Cassubia, ad amnem *Persante*. Brandeburgici juris.

Belgianum, desertum Asiæ, in Tartaria vera versùs confinia Cataiæ, cum regione cognom.

Belgica Provincia, una è 4. partibus Galliæ, primùm jam inde ab Augusto simplex & unica tantùm fuit. Pars ejus ad Rhenum *Germania superior*, & *Germania inferior* vocabatur. Postea ex provincia Belgica duæ sunt factæ, uti arbitror, à Constantino Maximo, *Belgica prima*, & *Belgica 2.* Addita est quatuor his provinciis & *Maxima Sequanorum.* Igitur tota vetus Belgica demum 5. provincias complecti cœpit, *provinciam Belgicam primam*, *prov. Belgicam secundam*, *prov. Germaniam primam* vel *superiorem*, *provinciam Germaniam secundam* vel *inferiorem*, & *provinciam Maximam Sequanorum.* Notandum est, quod ait Strabo, 15. tantùm esse Belgarum Gentes, Τέτων δὲ (Γαλατῶν) τὲς Βέλγας ἀρίςες φασὶν, εἰς πεντεκαίδεκα ἔθνη διῃρημένες. Hæ 15. Belgarum Gentes vel civitates fuerunt Bellovaci, Suessiones, Nervii, Atrebates, Ambiani, Morini, Menapii, Caleti, Velocasses, ambo citra Sequanam quidem siti in Belgica, Celtis tamen paullo pòst attributi, Veromandui, Aduatici, Condrusi, Eburones, Ceresi, Pemani: quos 15. populos J. Cæsar *in libro 2. Commentariorum belli Gallici*, communi Belgarum Concilio interfuisse scribit, & armatam multitudinem pro se quemque ad bellum Romanum pollicitos esse. Cæsarem autem Strabo clausis oculis sequi ac transcribere consuevit: qui non animadvertit, Remos Belgas quoque esse, sed inter istos 15. Belgarum populos à Cæsare minimè numerari, propterea quòd deditionem fecerant, & principum liberos ipsi obsides dederant. Hæc sub Julio Cæsare. Postea ab Augusto ejus successore provinciarum Imperii Rom. forma mutata est, & Belgarum Gentes civitatesve præcipuæ ac primariæ exstitere Treviri, Mediomatrici, Leuci, Veroni, Remi, Suessiones, Veromandui, Atrebates, Nervii, Bellovaci, Ambiani, Morini, Menapii, Sequani, Helvetii, Rauraci. Nam cæteri populi, qui eadem in Belgica Rhenum accolebant, Germanorum populi fuerunt: unde & provinciis duabus, nimirum Germaniæ superiori vel primæ, ac Germaniæ inferiori vel 2. nomen suum dederunt, nec unquam nisi impropriè admodum Belgæ sunt dicti, quoniam Belgicæ partem ad Rheni ripam occupaverant. Hos *Germanos Cisrhenanos* in *libro 6.* vocat Cæsar, & *Germanos qui sunt citra Rhenum*; *Germanos qui ripas Rheni incolunt*, *in libro 2.* Ut omittam quod idem scribit, *plerosq. Belgas esse ortos à Germanis*, *Rhenumq. antiquitus transductos*, *Gallis expulsis*, *propter soli fertilitatem ibi consedisse.*

Cæterùm falsum est, quod adjicit Strabo, Belgas inter Rhenum & Ligerim atque ad Oceanum habitare, τὰ μεταξὺ τῦ Ῥήνε καὶ τῦ Λείγηρος παροικῦντας τὸν ὠκεανόν: in eoque Strabo à J. Cæsare præter morem suum recedit, qui *Belgas à Celtis* seu *Gallis Matrona & Sequana dividi* ait. Omitto Plinium, qui *à Scalde ad Sequanam Belgicam* pertinere scribit: omitto & Mellam, qui *à Garumna ad Sequanam Celtas*, *inde ad Rhenum pertinere Belgas* tradidit. Certè si trans Sequanam usque ad Ligerim promoveremus cum Strabone Belgicam, non haberent Celtæ vel Galli propriè dicti ubi consisterent, cùm Aquitanos Augustus Cæsar Ligere fluvio terminaverit. Vid. quoque *in Bellovacis*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Belgica Vicus. Æthicus in itinere à Treviris Agrippinam *Belgicam* vicum memorat, & inter Marcomagum vicum ac Tolbiacum ponit, à Marcomago seu Marcoduro leugis 13. à Tolbiaco 10. distantem. Hanc *Bullingen* Simlerus exponit, qui est vicus Prumiam inter celebre Monasterium & Sleidanum, sed non inter Marcomagum ac Tolbiacum. Cluverius meliùs *Belgicam* Æthici *Balchusen* interpretatur, vicum Marcomago ac Tolbiaco medium interpositum. Abest autem ab Augusta Trevirorum, capite & metropoli provinciæ Belgicæ primæ, leucas 68. ab Agrippina civitate, metropoli Germaniæ secundæ leucas 26. cui provinciæ attribuitur, Valesius, *Not. Gall.*

Belgica, locus apud Antoninum inter Agrippinam ac Treviros; *Bullingen* Simlero. *Balchusen* Cluverio, 10. mill. ab opp. *Duren.* Vid. supra.

Belgica, arx Asiæ, in Inf. Nera, una ex Bandis inf. quæ sub Moluccis continentur. Hollandis subest, ab ipsis extructa. Vid. *arx Belgica.*

Belgiosium, vicus Italiæ, in Duc. Mediolanensi & agro Papiensi, cum castro Com. Barbianorum.

Belgis, an opp. Hannoniæ, *Bavay*? an *Veltsick* pagus? Ortel.

Belgites, Pannoniæ pop. Plin. 3.25.

Belgium, Belgarum opidum. Cæsar *lib. de B. Gallico*, *Beauvais* dictum videtur, urbs Picardiæ. Ferrario est regio Gall. Belg. Borealis, V. *Bellovaci.*

Belgium, pro Belgarum regione, ut apud Livium Samnium pro Samnitum regione. Vide Glareanum *in Annot. ad Cæsaris locum*, & ad *lib. 6. Comment.* Sic autem dicitur pars antiqua Galliæ Belgicæ, quæ mari Oceano vicinior est, & versùs Septentrionem porrecta. Dicitur etiam Germania inferior ab aliquot seculis, tum quia tota regio humilior versùs Oceanum, ubi confusi sunt admodum Galliæ Germaniæque limites; tum etiam, quia harum gentium sermo ab aliis Germanis non multùm differt. Nunc arctioribus quàm antea restringitur limitibus, habens à Septentrione Oceanum, ab Occidente & à Meridie Franciam, ab Oriente autem Germaniam propriam. Totum Belgium ab incolis *Nederlandt*, à Gallis *le Pais bas*, & ab Italis *Paesi Bassi* vulgò dicitur; complectiturque septemdecim provincias, quæ sunt:

Quatuor Ducatus	Brabantiæ, Gall. *Brabant.* Limburgi, *Limbourg.* Luxemburgi, *Luxembourg.* Gueldriæ, *Gueldres.*
Septem Comitatus	Flandriæ, *Flandres.* Artesiæ, *Artois.* Hannoniæ, *Hainaut.* Hollandiæ, *Hollande.* Zelandiæ, *Zelande.* Namurci, *Namur.* Zutphaniæ, *Zutphen.*
Marchionatus S. Imperii, ubi Antuerpia, *Anvers.*	
Quinque Dominia	Frisiæ Occidentalis, *West Frise.* Mechliniæ, *Malines.* Ultrajecti, *Utrecht.* Transisalaniæ, *Overissel.* Groningæ, *Groningue.*

Hæ omnes Belgii provinciæ aliàs Regi Hispaniæ paruerunt, eique subsunt etiamnum meridionaliores. Sed quæ sunt versùs Septentrionem, ab Hispanis defecerunt, sub Philippo II. anno 1581. fœdusque inter se inierunt, quod Fœderato Belgio nomen dedit.

Historia paulo altius repetita hæc est. Quæ gentes Rheni insulam & utrinque adsita, ad fretum usque Morinorum & Amasium flumen colunt, hinc ad Germaniam, inde ad Belgicam vet. pertinent. Sed Germanica plerisque origo & lingua: unde una cura belli & libertatis; donec commercia & suas artes Romani invexere, socii aut victores. Pòst, ubi plurimæ nationes, velut signo dato, orbem Romanum irrupere, omnis hic tractus in jus Francorum concessit, donec scissâ potentiâ pars penes Galliæ dominos, pars penes Impp. Germanos adhærescerent. Horum Præfecti Comitum Ducumque titulo judiciis belloque præsidebant, obtentâ tandem perpetuâ ac hæreditariâ ditione: tempore quo Dani Normannique omnia litora obsidebant. Non multo pòst, metu aut gratiâ exemti clientelæ, aut fractâ vi majoris dominatus, summum, sed legitimum imperium populi benevolentiâ constituêre: nec antè accepti in imperium successores, quàm in certas leges sanctè jurassent. His moribus, atque hac Rep. diu æquo jure agitatum est: donec in Burgundionum ditionem plurimæ gentes concessere, qui orti domo regnatrice, sensim ad potentiam majorem grassabantur: interim & inter horum artes jus populi tuiti sunt Ordines. Transfusus dein hic Fortunæ cumulus in Austriacam familiam est, cui cùm Hispanica conjunctio maximum incrementum attulisset, jam tum prudentiores mutationem Reip. formidine quadam augurabantur. Nec vanè: mox enim Hispani, soliti Italiam regere, Americam perpopulari, in Belgas jus idem, aut causam belli quærebant: & Carolus V. quidem de vertendo statu, componendisque in regnum civitatibus seriò consultavit: Sed diversis moribus, institutis, legibus deterritus est, nec tollere audebat. Filius verò ejus Philippus II. idem omnino exequi statuit. Ergo Proceres amoliri, & per Inquisitionem patientiam populorum tentare placuit, frustra dissuadente consilium Mariâ Hungariæ reginâ, quæ fratris Caroli jussu Belgicæ præsidebat. Discedens, contra leges, Hispanorum militum præsidium, reliquit, non audito Ordinum conventu, contrarium petente: quibus hoc implacabilius succensuit, quòd ingruentem dominationem, & imperii artes intellexisse videbantur. Instituti postea novi per Belgicam Antistites, animos magis exulcerarunt: unde tandem motus orti, toto orbe notissimi; de quibus omnium exactissimè scripsit Hugo Grotius *Annal. & Hist. Belg.* Apud Belgas olim Mercurius inprimis cultus, cui humano sanguine litatum: quidam Isidem venerati sunt, alii Marti, &c. sacra fecerunt, idque in sylvis: Unde *Sacrum Nemus*, prope Noviomagum. Sub finem seculi 7. S. Willebrordus Ultrajectum venit, & Christianam religionem populos docuit. Exin Romanæ hic sedis observantia, non tamen tanta, quanta apud alias gentes, unde Geldriæ Ordd. Ducem suum Imperatorem & Papam in sua ditione vocare soliti sunt. Donec Zuinglii, Lutheri, Melanchthonis, &c. ope illata plurimis locis mundo lux Evangelii, in Belgicam quoque circa A. C. 1521. conventu incolarum, contactu externi militis, commerciis denique vulgata est: & Antuerpiæ tum quidem Jacobus Præpositus, Lovanii Martinus Dorpius, Trajecti Johannes Rhodius, Delphis Cornelius Honius, Gnapheusque Hagiensis docuerunt, post N. T. Bibliis, in Idioma Belgicum translatis, & libris ad ædificationem variis editis: nec severitas Caroli nascentem Ecclesiam extinguere potis fuit. Post excarnificata enim hominum non minus CM. ex quo tentatum an posset incendium hoc sanguine restingui, tanta multitudo per regionem insurrexerat, ut publica interdum supplicia, quoties insignior reus, aut atrociores cruciatus, seditione impedirentur. Sub Philippo dein inquisitio publicè introducta an. 1555. multum quidem cruoris fudit, sed non eo successu, qui sperabatur. Postea Anno 1559. novorum Præsulum institutio

non minus hos, quàm reliquos, offendit. Accessit decretum de Concilio Tridentino Belgis obtrudendo, Anno 1563. &c. quæ omnia seqq. motibus ansam præbuerunt, quibus adeò non extirpata Ecclesia est, ut potius proprio velut sanguine lota splendidius effulserit. Primus Fidei confessionem in Belgio publicam edidit Guido de Bres, postea Martyr, Anno 1561. quæ anno 1565. à Confœderatis oblata est Margaretæ Gubernatrici. Nobiles dein 400. ex omnibus Belgii provinciis, libello supplice eidem oblato, Anno 1566. pro libertate Religionis, quam petierunt, *Geusiorum* tulere dicterium, quod omnibus postea in Belgio Reformatis, aspersum. Interea libri ab his editi, à Monachis tam ineptè refutati sunt, ut hinc indies numerus fidelium cresceret: cœtusque variis in locis anno dicto publicè ad sacra convenire inciperent. Quæ dein sequuta V. apud Thuan. Stradam, Meteranum, Hooftium, Grotium, &c. Item in voce *Hollandia.* Hinc post gravissima bella, quæ An. 1608. induciis annorum 12. interpellata, demum An. 1648. pace perpetuâ sopita sunt, orta divisio Belgii in Belgium Hispanum, quod persæpe ab exteris *la Flandre* dicitur, & in Belgium Hollandicum, seu Fœderatum, & Provinciarum unitarum, quod etiam ab aliis *les Estats de Hollande* dicitur: sub quo sunt Hollandia, Zelandia, Gueldria pro majori parte, Zutphania, Transisalania, Frisia occidentalis, Dominia Ultrajecti & Groningæ, & partes Septentrionales Flandriæ, Brabantiæ, ac Limburgi. Reliquæ Hispano parent, exceptis Artesia ferè tota, & partibus maximis Flandriæ, Hannoniæ, & Luxemburgi, quæ Francorum agnoscunt imperium. Vid. quoque supra in voce *Belgica.*

Urbes Belgii & Germaniæ inferioris, majoribus asterismo indicatis.

Aldenardum, Flandriæ, *Oudenarde.*
* Amsterodamum, Hollandiæ, *Amsterdam.*
Ariscotum, Brabantiæ, *Arscot.*
* Atrebates. Vide Origiacum, *Arras.*
*Audomarum, Artesiæ, *S. Omer.*
Augusta Eburonum. Vide Leodium.
* Antuerpia, & Andoverpum, Brabantiæ, *Anvers.*
* Aquægrani, & Aquisgranum, Juliacensis Ducat. *Aix la Chapelle.*
Arenacum, Geldriæ, *Arnheim.*
Bastonia, & Bastonacum, Lucemburg. Ducatus, *Bastogne.*
Bonna, Coloniensis episcopatus, *Bonne.*
*Boscum Ducis. Vid. Sylva Ducis, *Bois le Duc.*
* Brugæ, Flandriæ, *Bruges.*
* Bruxellæ, Brabantiæ, *Bruxelles.*
*Cameracum, Hannoniæ, *Cambray.*
Campi, Transisalaniæ, *Campen.*
Clivia, & Clivensis arx, Ducatus cognominis, *Cleves.*
*Colonia Agrippina, Archiepiscopatus cognominis, *Cologne.*
Corteriacum, Flandriæ, *Courtray.*
* Daventria, & Davontria, Transisalaniæ, *Deventer.*
Delphi, Holandiæ, *Delft.*
Docum, Frisiæ occidentalis, *Dockum.*
*Dordracum, Hollandiæ, *Dordrecht.*
*Duacum, Flandriæ, *Douay.*
Dusseldorpium, Comitatus Bergensis, *Dusseldorp.*
Embrica, Clivensis Ducatus, *Emmerik.*
Exclusa, Flandriæ, *l'Escluse.*
Flevo, & Flevum, Frisiæ occidental.
* Gandavum, Ganda antè, & olim Clarinea, Flandriæ, *Gand.*
Geldria, Ducatus cognominis, *Gueldres.*
* Groninga, & Gruninga, olim Phìlæum, provinciæ cognominis. *Groningue.*
Haga, Hollandiæ, *la Haye.*
* Harlemum, Hollandiæ, *Harlem.*
Herculis Castra, Geldriæ, *Erkelens.*
Huionum, & Huum, Leodiensis episcopat. *Huy.*
Hypræ, Flandriæ, *Ipres.*
* Insula, Flandriæ, *l'Isle.*
Juliacum, Ducatus cognominis, *Juliers.*
* Legia, & Leodium, episcopat. cognominis, *Liege.*
* Levardia, conventus jurid. Frisiæ occident. *Lewarden.*
* Lovanium, olim Grudii, Brabantiæ, *Louvain.*
* Lucemburgum, Latinè Alisuntiopolis, Ducatus cognominis, *Luxembourg.*
* Lugdunum Batavorum, Hollandiæ, *Leyden.*
Lymburgum, quasi Lymeburgum, Ducatus cognominis, *Limbourg.*
* Machlinia, Brabantiæ, *Malines.*
Marcodurum, Ducatus Juliacensis, *Duren.*
* Metelburgum, Zelandiæ, *Middelbourg.*
* Montes, Hannoniæ, *Mons.*
* Namurcum, Comitatus cognominis, *Namur.*
* Navalia, Suolis nunc putatur, Transisalaniæ, *Zuvol.*
* Noviomagus, Geldriæ, *Nimegue.*
Nuesium, Coloniensis episcopatus, *Neus.*
Orchianum, Flandriæ, *Orchies.*
* Origiacum, quæ & Atrebates, Artesiæ.
Orolaunum, Lucemburgi Ducat. *Arlon.*
Pons Scaldis, postea Valentianæ & Valencenæ. Vide ibi.
Roterodamum, Hollandiæ, *Roterdam.*
Ruremunda, Geldriæ, *Ruremonde.*
Stauria, antea Sturii, Frisiæ occidental. *Staveren.*
Suolis. Vide Navalia. *Zuvol.*
Teutoburgium, Cliviæ. *Duysbourg.*
* Sylva Ducis, Brabantiæ, *Bois le Duc.*
Theodonis villa, Lucemburg. Duc. *Thionville.*
* Tornacum, Fland. *Tournay.*
* Trajectum superius, Brabantiæ, *Maestricht.*
* Trajectum inferius, quod & Ultrajectum, & Vtricesium, olim Antonina, Ultrajectinæ provinciæ, *Utrecht.*
Trudonium, Brabantiæ, *S. Truyen.*
Vada, Geldriæ.
Valentianæ, & Valencenæ, quasi Vallis cygnea, Hannoniæ, *Valenciennes.*
Venloa, Geldriæ, *Venlo.*
* Vesalia, Cliviæ, *Vesel.*
Veteres Marsi, Transisalaniæ, *Otmarsen.*
Veteres Salii, Transisalaniæ, *Oldensel.*
Xanthus, postea Santæ, Cliviæ, *Santen.*
* Zutphenum, Comitatus cognominis, *Zutphen.*

Ex his urbibus notabis Aquisgranum, Bonnam, Cliviam, Coloniam Agrippinam, Duseldorpium, Herculis castra, Huionum, Juliacum, Leodium, Marcodurum, Nuesium, Teutoburgium, & Xantum urbes esse Germaniæ propriæ, non autem Belgii, & Embricam & Vesaliam tantùm Batavis oppigneratas.

Belgium fœderatum, illa pars Belgii dicitur, quæ, cùm libertatis & religionis oppressæ injurias ulterius ferre non posset, utrâque tyrannide excussâ, in Remp. coiit, toto orbe inclytam, versus finem seculi præcedentis. Historiam Vid. apud Hug. Grotium, *in Annal. & Histor. Belg.* Thuan. *in Histor. ab an.* 1566. Stradam, &c. Continet septem Belgii provincias: quæ sunt, præter Hollandiæ Comitatum, Vid. supra.

Belgium novum, pars Amer. Sept. inter Virginiam & nov. Angliam, sub Hollandis. Vid. *Novum Belgium.*

Belgius, fil. Lugdi, 13. Rex veterum Gallorum, Beros. *l.* 5. Dupleix *mem. Gall. l.* 2. *c.* 14.

Belgius, dux Gallorum Justin. *lib.* 24. *cap.* 5. Malè Βόλγιος apud Pausaniam, *in Phoc.* Polyb. *lib.* 2. Ptolomæum Ceraunem vicit.

Belgius, Libyæ fluvius. Hesych. Βέλγιος, ποταμὸς ἐν Λιβύῃ.

Belgradum, urbs Hung. permunita in Rascia reg. antea *Taurunum* & *Alba Græca*, ad ripam Danubii, ubi Savum recipit: in colle. Obsessa ab Amurathe, Anno 1439. sed frustra: Cujus fil. Mahometes ibidem ab Hunniade, maximâ clade affectus Anno 1456. Tandem à Turcis an. 1521. est, occupata. Vid. *Bellogradum.*

Belia, opp. Hisp. Tarr. in Aragonia, nunc *Belchite*, ubi aliàs Editani pop. Hinc, Beli seu Belli, & forsan Bellitani. Antea *Segeda* dicta est. Vid. *Belli.*

Belial, Nonnulli volentes hoc nomen *hominem inutilem* significare, derivant à בלי *absq;* & יעל *profuit.* Alii contendentes eodem Dæmonem intelligi, derivant à בלי *absq;* & על *altissimo.* Aquila vertit *Apostatam.* Sanè B. Paulus Satanam *Belial* vocat. 2. Cor. 6. Suidas, Βελίαρ (lege Βελιάλ) τῇ Ἑβραίων φωνῇ τ̀ ἀποστάτην δηλοῖ. Ὁ Ἀπόστολος, τίς δὲ συμφώνησις χριστοῦ πρὸς Βελίαν. Chaldæus interpretatur *malignitatem.* Hieronymus retinet nomen Hebræum, ut cuique pro arbitrio interpretari liceret. Quanquam aliàs filios *Belial* idem filios intelligat Diaboli, homines quippe malignos. Quapropter παρανόμους reddiderunt LXX. Sed & idem Hieronymus alibi deducit à בלי & עול quòd sit *absq; jugo.*

Belica, urbs Gall. in Bressia prov. & in Beugea tractu, Francici juris, ab An. 1600. Non longè à Rhodano. Baudr. In Notitia quadam provinciarum & civitatum, quam ex Bibliotheca Petaviana eruit publicavitque Andreas Chesnius, memoratur *civitas Belicensium, quæ antea* (ut falsò additur) *castrum Argentariense vocabatur*, & in provincia Maxima Sequanorum quarto loco ponitur. Robertus Autissiodorensis *Belisinam*, aliàs *Belisamam* corruptè vocat in prov. Maxima Sequanorum; cæteri *Belicensem civitatem*; nonnulli & *Bellicensem*: quam in *Burgundia* vel in *Sapaudia* sub metropoli Bisuntina sive Vesontione collocant ultimo loco post Basiliam & Lausanam. *Belica* Nostris vocatur *Beley*, aliàs *Bellay*, non procul à Rhodano, inter flumen & montes in Brexia posita civitas, cui & opidum Sessellium, *Seissel*, ad Rhodanum inter Belicam & Genevam medium contribuitur. Hanc urbem in anno 878. Annales Bertiniani *Episcopatum Belisium*; Massonus *Bellicium* nuncupat, & majorem ejus Ecclesiam à Rodulfo Ignavo, Rege Jurensi conditam esse ait, ac Johannis Baptistæ titulo censeri. *Belligam* Magno quasi *Bellicam* vocat. Belica sedes Episcopatus fuit ante annos MC. Quippe *Vincentius Episcopus Ecclesiæ Belicensis* Synodo Parisiensi 2. regnante Childeberto Chlodovei Magni filio, & Concilio Lugdunensi 2. Indictione 5. anno Guntchramni Principatus 6. Christi 567. interfuit atque subscripsit: & *Florentius*, aliàs *Florentinus*, *Episcopus Ecclesiæ Bellicensis* Concilio Cabilloni habito jussu Chlodovei junioris Francorum Regis. Nomen dedit *Belica* pago *Belicensi*, aut Bellicensi, quem quidam corruptè *Bellovicensem* appellant, vulgò *le Bugey*, aliàs *le Beaugey*, quæ pars

pars est Brexiæ. Hæc inter urbes fuit non provinciæ modò, sed etiam Gentis Sequanorum. Est quippe in Brexia saltuve Brexio, quem *in territorio Sequano* ponit Aimonius *in l.* 3. *c.* 81. nimirum à flumine Arari suburbanoque Cabillonensi usque ad flumen Rhodanum. Quare rectè Ammianus Marcell. *in libro* 15. de Rhodani cursu Lemanum egressi sic scribit: *Unde sine jactura rerum Sapaudiam fertur & Sequanos; longeq; progressus Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem.* Quippe constat Rhodanum, posteaquàm lacum Lemanum egressus est, Sequanos inter & Sapaudos fluere, sive Provinciam Maximam Sequanorum, à Sapaudia dividere, & sinistro quidem latere Sapaudiam alluere, dextro partem provinciæ Sequanorum Brexiam dictam attingere, ubi est Sessellium oppidum in insula flum. Rhodani, & *Belica* urbs vetus, ac prisca Episcopatùs sedes, à Geneva 10. leucis, à colonia Equestri Nojoduno circiter 14. distans. Vales.

Belicarium, civitas in regno Neap. & Calabria superiore, vernaculè *Belicastro* dicta. Non longè ab ora littor. Sinus Scyllacei. Vid. *Chonia.*

Belides, nomen patronymicum, quo significatur *filius*, sive *aliquis de genere Beli*. Unde pro Palamede accipitur Nauplii filio, & Beli abnepote. Virgil. *Æn.* 2.

Fando aliquid, si fortè tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta famâ
Gloria. ——

Belingensè castrum, Bononiensis agri, in Picardia Gall. prov. inter Ardram & Guinam, in paludibus.

BelinZona, Vid. *Belitio.*

Belion, fluv. ex Celtiberis, ac Vaccæis labens, Callaicam regionem irrigat. Strabo.

Belippo, Hisp. Bæt. opp. in conventu Gaditano. Plin. 3. 1.

Belus, Ides, patronymicum fœmininum, quo significatur *filia*, vel *neptis Beli*, unde *Belides* dictæ sunt 50. filiæ Danai, Beli filii, quas cùm Ægisthus Danai frater totidem filiis suis peteret uxores, Danaus respondere recusavit. Didicerat enim, ex oraculo se à genero interfectum iri, sed postea coactus à fratre promisit, se ejus petitioni satisfacturum. In nuptiarum autem nocte filias subornavit, ut clam se cultris armarent, & viros jam vino luxuriaque sopitos jugularent. Virgines itaque patri morem gerentes, captato tempore, viros necarunt unaquæque suum, exceptâ solum Hypermnestrâ, quæ Lynceo viro suo pepercit, qui postea, occiso Danao, regnum apud Argos invasit. Hæ *Danaides* à patre vocantur. Unde proverbium, *Danaidum dolium*, pro barathro quodam inexplebili, & insatiabilis cupiditatis homine. Finguntur enim à Poëtis Danai filiæ apud Inferos eo supplicii genere perpetuo damnati esse, ut dolium quoddam pertusum aquâ conentur implere, unde tantum effluat, quantum illæ possint infundere. Ovid. *Met.*

Moliriq; suis lethum patruelibus ausæ
Assiduè repetunt, quas perdant Belides undas.

Belides quidam annos esse dixerunt, qui assiduis fructibus videntur nos velle locupletare, cùm tamen tantundem absumatur, quantum producitur. Sic autem Lucretius *l.* 3. id explicat,

Deinde animi ingratam naturam pascere semper,
Atq; explere bonis rebus satiareq; nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora circum
Cùm redeunt, fœtusq; ferunt, variosq; lepores,
Nec tamen explemur vitai fructibus unquam:
Hoc, ut opinor, id est ævo florente puellas
Quod memorant latices pertusum congerere in vas,
Quod tamen expleri nullâ ratione potestur.

Nonnulli arbitrati sunt, omnem mortalium vitam in hâc fabulâ contineri, cùm omnia, quæ agimus, frustrà à nobis fiant in terris, cùm nulla humana roboris vestigia diu permanere possint, sed omnia rursus confundantur. Alii beneficia, quæ in ingratos conferuntur, per hanc fabulam intelligunt. His urnis & huic dolio Plato *in Gorgiâ* assimilat animum incontinentem, qui effusis in omni intemperantiâ libidinibus agitatur. Eisdem etiam similes sunt homines futiles, qui, ut Parmeno Terentianus, *pleni sunt rimarum, & hàc & illàc perfluunt.* Ebrios quoque perstringit, in quos lepido admodum epigrammate doctissimus poëta allusit. Is autem est Theodorus Beza *Emblem.* 34.

Belidas fingunt, pertusa in dolia, vates
Mox effundendas fundere semper aquas.
Nomine mutato, narratur fabula de te
Ebrie, qui meias quæ sine fine bibis.
Quin etiam hoc in te quadrat, turba ebria, quòd sint
Corpora quæ fuerant dolia facta tibi.

Belisama, vulgò *Ribet*, Cambden. æstuarium Albionis, in ora Angl. Occid. apud Prestonum opp. in Com. Lancastrensi.

Belisarius, Justiniani Imp. dux, Græcus; Persas sub Mithridate R. in Oriente vicit, Vandalos in Africâ, ducto in triumpho Gilismere, sicque Africam à 170. an. ab Imperio revulsam, ei iterum adjunxit. Gotthos in Italiâ, capto Vitige rege, eoque cum uxore, & Magnatibus suis Constantinopolim misso, superavit. Victor Romam reversus, crucem auream, ubi res ejus gestæ cælatæ fuerant, Petri Basilicæ obtulit, Sylveriumque Papam, Vigilio substituto, deposuit. Postmodum rursus contra Persas missus, indeque denuo in Italiam reversus, Totilam, qui captam à se Romam funditus destruere cogitabat, literis ad eum datis absterruit, illamque receptam contra eundem fortiter defendit. Redux Constantinopolim, Hunnos pepulit, sed vel ob conspirationem A. 561. contra Justinianum, cui immixtus, initam, vel ob res feliciter gestas, in affectati regni suspicionem venit, apud Justinianum, a quo uterque ei oculus erutus fuit. Quare cùm Principis ingratitudinem aliter ulcisci non posset, exiguum extra urbem tuguriolum extruxit, ubi per vitam reliquam à prætereuntibus stipem emendicavit, illud identidem referens, *Da obolum Belisario, Viator, quem invidia, non culpa excæcavit.* Crinitus & Volaterranus. Author tamen *histor. miscell.* eum sequenti anno in dignitatem suam restitutum, Cedrenus in pace Constantinopoli obiisse, refert. Quam sententiam Alciatus, in sui Justiniani gratiam, acriter tuetur. Vid. de hoc porrò Procop. *bell. Goth. l.* 3. *c.* 1. & 2. *de bello Vandal. & Pers.* Agathiam, Glycam, Zonaram, &c. Suidas, Βελισάριος, ὁ στρατηγὸς ἦν μὲν τὸ σῶμα καλός τε καὶ μέγας, καὶ εὐπρόσωπος πάντων μάλιστα. Οὕτω δὲ πρᾶόν τε καὶ εὐπρόσοδον ἑαυτὸν παρεῖχε τοῖς ἐντυγχάνουσιν, ὥστε ἀνθρώπῳ πένητί τε λίαν καὶ ἀδόξῳ ἐμφερὴς εἶναι. Ἔρως δὲ αὐτοῦ τῆς ἀρχῆς πρός τε στρατιωτῶν αἰεὶ καὶ ἀγροίκων ἄμαχός τις ἐγένετο, ὅτι δὲ ἐς μὲν τοὺς στρατιώτας φιλοδωρότατος ἐγεγόνει ἀνθρώπων ἁπάντων. Τῶν δὲ γὰρ ἐν ξυμβολῇ ἠτυχηκότων, χρήμασι μεγάλοις παρεμυθεῖτο τὰ τραύματα, καὶ τοῖς εὐδοκιμήσασι, ψέλιά τε καὶ στρεπτοὺς ἆθλα παρεῖχεν. Ἵππου δὲ ἢ τόξου, ἢ ἄλλου ὁτουοῦν στρατιώτου ἐν τῇ μάχῃ ἀπολωλότος, ἕτερος ἀντ᾽ αὐτοῦ πρὸς Βελισαρίου αὐτίκα ὑπῆρχεν. Ἐς δὲ τοὺς ἀγροίκους, ὅτι δὴ τοσαύτῃ φειδοῖ τε καὶ προνοίᾳ ἐχρῆτο, ὥστε βιασθῆναι μὲν αὐτοὺς οὐδὲν πώποτε στρατηγοῦντος Βελισαρίου τετύχηκεν, ἀπεδίδοντο γὰρ αὐτοῖς κατὰ γνώμην τὰ ὤνια πάντα, καὶ ἡνίκα ἀκμάζοι τὰ λήια ἐς τὸ ἀκριβὲς διεφύλασσε, μή τινι παριοῦσα ἡ ἵππος λυμήνηται, τῶν δὲ ὡραίων ἐν τοῖς δένδροις ὄντων ἅψασθαι αὐτῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν ἐξῆν. Ἦν δὲ καὶ σώφρων καὶ λίαν ἐνάρετος.

Belitæ, sive *Bellitæ*, Gentes Asiaticæ in exercitu, qui ad Arbela cæsus est, Darii contra Alexandrum Magnum. Curt. *lib.* 4. *cap.* 98.

Belitani, iidem qui *Lusitani*. Steph.

Belitio, aliter *Belitionium*, oppidum Insubr. ad Ticinum, caput præfecturæ cognom. Sub Helvetiis ab An. 1422. Geminâ arce præmunitum. *BellentZ* Germ. *Castrum Bilincionis* Greg. Turon. *Berinzona* & *BellizZona*, vel *BreuniZona*, tanquam Breuni agri Zona, Bonav. Castilioneo, *lib. de Gallor. Insubrum sedibus.* Vid. *Bilitionium.*

Belitra, opp. Italiæ, Steph. Vid. *Velitra.*

Belius, Vid. *Belus.*

Bella, opp. Campaniæ, Vid. *Abella.*

Bellacum, urbs Gall. in provin. Marchiæ ad Uniconium fluv. 7. leuc. à Lemovico in Bor.

Bellagines, pro *Bilagines*: Jura municipalia Gothorum. Jornandes *de reb. Got.* 1. *cap.* 11. *Diceneus, Gothis Physicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas usq; nunc conscriptas* Bellagines *nuncupavit.* Est autem *By* Saxonicè, habitatio: Inde pagus, & oppidum, Gothis antiquis *By* dictum: *Lagen* autem iisdem Lex est. Anglis *Bilaws* hodieque vocantur leges, quas villarum incolæ sibi constituerint observandas. Scotis *Birlaws* & *burlaws*. Et certè *Baur* Germanis rusticus est, *Law*, verò lex: Unde fortè *Bellagines*, pro *Birlagines* dictæ. Plura de hac voce vide Spelmannum *in Glossar. Archæol.*

Bellajus Joh. Cardinalis, Episc. Par. à Francisco I. in Angliam missus; Marcelli 2. in Pontificatu æmulus. Obiit A. 1560. P. Jovius, Sadoletus, Thuanus, SanMarthan. aliique ejus scripsere elogia. Ejus fratres Guilielmus & Martinus, armis literisque inclaruere. Prior, à Franc. I. Taurini præfectus constitutus A. 1537. atque negotiis plurimis adhibitus, scripsit historiam de rebus Gall. Posterior, Locum-tenens Regis in Normannia, Francisci I. historiæ auctor. Ex eadem familia Renatus, Cardinalis frater, Episc. Cenomanensis, obiit Parisiis, A. 1546. Johannes, Episc. Foro-juliensis, dein Pictaviensis, obiit An. 1479. Reinoldus, Arch. Remensis, obiit an. 1096. Eustachius in Archiep. Paris. successit Cardinali an. 1551. & Concilio Trid. interfuit, An. 1563. nepos Joachimi Canonici Paris. & Poëtæ celebris, &c.

Bellarminus Robertus, Marcelli 2. ex sorore nepos, è Thuscia, Jesuita primùm, dein Cardinalis, scripsit librum *de Authoribus Eccl.* in quo de 400. illorum judicium fert: & vastum opus *Controversiarum*, quod antequam prodiisset, à Witakero, Theologo Anglo, refutatum est; Obiit A. 1621. æt. 80. eleemosynis in pauperes tantùm non prodigè erogatis inclytus. Guilielm. Barclajum, ex Communione Roman. acerrimum sensit, *circa potestatem Pontific. in secularibus*, antagonistam, imo ipsam supremam Galliæ Curiam, quæ librum ejus de hac materia scriptum, condemnavit Lutetiæ, Anno 1610. die 26. Novembris. Bucholcer. *Ind. Chron.*

Belleau Remigius, Perchiensis, unus ex Pleiade Poëtarum in Gallia. Opera Anacreontis Gall. vertit. Obiit A. 1577.

Belleforestius Franciscus, Convenanus, Auctor historiæ Gall. commentarii de 9. Carolis Galliæ Regibus, pluriumque versionum. Obiit An. 1583. Spond. *A. C.* 1574. Gualter. *Chron.*

Bellelagium, vulgò *Bellelay*, cœnobium Benedictinorum, ordinis Præmonstrantium, 12. sec. ortum, non procul à petræa portâ, in agro Raurico. Hic Ortliebus Episc. Bas. an. 1170. Abbatiam erexit, multisque juribus donavit. Nomen habet à speciosa sue: quâ occasione id factum, Vid. apud Urstis. *Epit. hist. Bas. c.* 4.

Bellerophon, Glauci, Regis Ephyræ, fil. cujus formâ capta Sthenobœa, Prœti, Argivorum regis uxor, de stupro eum interpellavit, cumque se præter opinionem repulsam videret, ægrè id ferens, innocentem hospitem apud virum detulit, tanquam sibi vim inferre voluisset. Cujus delationi fidem adhibens Prœtus, hospitii juris memor, domi illum suæ interficere non sustinuit, sed in Lyciam ad Jobatem socerum suum cum codicillis misit; qui cùm & ipse tam strenui adolescentis sanguine domum suam polluere nollet, eum adversus Solymos, quibuscum bellum gerebat, modico cum præsidio misit, sperans futurum, ut juvenis cupidissimus, à gente ferocissimâ, facilè interimeretur. Verùm cùm & Solymos facilè vicisset Bellorophontes, & aliis plerisque periculis objectus semper victor rediisset, postremò ad interimendam Chimæram missus est; quem etiam laborem, nactus, Neptuni beneficio, Pegasum equum, summâ cum laude superavit. Quapropter Jobates, juvenis virtutem admiratus, alteram illi ex filiabus, cum regni parte, uxorem dedit, ex quâ Isandrum, Hippolochum, & Laodamiam suscepit, uti *libr.* 6. *Iliad.* refert Hom. Quod cùm audivisset Sthenobœa, sibi mortem conscivit. *Bellerophon* a. felici rerum successu elatus, cùm in cœlum volare cum Pegaso conaretur, immisso à Jove œstro, equo excussus est. Hic primum *Hipponomus* dictus est, postea *Bellerophontes* à *Bellero* quodam Corinthiorum Principe, quem adhuc adolescentulus de medio sustulit. Hanc fabulam alii ad historiam, alii ad Physicam, alii ad Ethicam explicationem traduxerunt. Vide *Mythologos*. Primus omnium equo vehi docuisse fertur. Plin. *l.* 7. Horat. *Carm.* 4. 11.

—— Et exemplum grave præbet ales
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem.

Idem *lib.* 3. *Od.* 12.

Eques ipso melior Bellerophonte.

Idem *lib.* 3. *Od.* 7.

Ut Prætum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti.

Dionysius *vers.* 869.

——Ὅθι δή ποτε Πήγασος ἵππος
Ταρσὸν ἀφεὶς χώρῳ λίπεν οὔνομα, τῆμος ἀφ᾽ ἵππου
Ἐς Διὸς ἱεμένου πέσεν ἥρως Βελλεροφόντης.

Hinc proverbium, Βελλεροφόντης τὰ γράμματα, cùm quis literas velut commendatitias perfert, quæ contra ipsum sunt descriptæ, vulgò *Literas Uriæ* vocant, cujus non prorsus absimilis historia extat in S. Scripturâ. Hinc *Bellerophonteus*. Propert. 3. 3.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbrâ,
Bellerophontei quà fluit humor equi.

Vide Hom. *Iliad.* 6. Nat. Com. *lib.* 9. *cap.* 3. Erasm. *Adagia.* Item in voce *Pegasus*.

Bellerus, Corinthiorum dux, à quo interfecto *Bellerophontes* dictus est, qui antea Hipponomus. Rhod. 13. 9.

Bellethani, pop. Edetaniæ reg. citer. Hisp. ad Iberum fl. Plin. 5. 3.

Belli, pop. Hisp. in Celtiberis, quorum opp. Segeda. Vid. *Belia*.

Bellicadrum, Gall. *Beaucaire*, urbs Languedociæ ad Rhodanum nundinis S. Magdalenæ annuis celeberrima.

Bellicastrum, Vid. *Belicarium*.

Bellicum, Gall. *Bellay*, urbs Gall. in Baugesia reg. cujus caput, parva, in colle, 1. m. p. à Rhodano fluv. Episc. sub Archiep. Bisuntino, Francici juris ab A. 1600. San Marth. *Gall. Chr. tom.* 2. *p* 355. Guichenon, *hist. de Bresse & de Bugey*. Vid. *Belica*.

Bellienus, Romanus quidam, cujus domus in funere C. Cæsaris deflagravit. Cic. 2. *Philipp.*

Bellifortium, castrum pulchrum in tribu Isaschar.

Bellijocensis tractus, Gall. *Beaujollois*, regio Galliæ, in prov. Lugdunensi, cujus caput *Bellijocum*, vel *Bellus Jocus*, Vid. ibi, Gall. *Beaujeu*.

Bellinguoldium, fortalitium Belgii, in dom. Groningensi, medium ferme inter Dullardi sinum & Burtangam, in limite Fris. Or. sub Batavis.

Bellinus, Angliæ R. frater Brenni illius, qui in Italia Græciaque tantum nomen adeptus est.' Dicitur regnasse an. 20. Sed fides penes auctores. Morerius. Item, quem Suetonius, *in Caligula. c.* 44. Cinobellinum vocat, Adminiiâ Caligula protecti patrem.

Bellinus, Patavii Episcopus, qui cùm urbe sua pulsus esset à nobilibus plerisque, quòd severius, sanctiusque quàm ab illis probari posset, Episcopum ageret, in quoddam palustre solum, 15. m. p. Rhodigio distans divertit. Cæl. Rhod. 17. 18.

Belliola, oppidul. Belgii, in Flandria, 3. leuc. ab Hipra, inter Armentarias & Castellum.

Bellisama, æstuarium Angl. *Belisama*.

Bellismum, castellum, Orderico Vitali *l.* 8. *Hist.* memoratum. Vulgò *Bellesme*, in Pertico non ignobile, ad rivum in Idoneam vel Egueniam decurrentem, apud Firmitatem Bernardi. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Bellizona, Vid. *Belitio*.

Bello, urbs Hispan. citer. ad Besipponem portum. Plin. Vulgò *Tariffa*.

Bellocassi, pop. inter Celtas, proximi Lexobiis, quos vulgus *Bajocenses* vocat. Eorum civitas episcopalis est, in provinciâ Rothomagensi, ducatu Normanniæ. Gallicè *Bayeux*.

Bellocastrum, Vid. *Chonia*.

Bellogardia, urbec. Gall. in Duc. Burg. ad Ararim fluv. Aliter *Seure*, munita alias.

Bellogradum, opp. quod est Taurinum, nunc Albam dicunt ad confluentes Savum Danubiumque situm. Quo in loco Mahumetes 2. à paucis Christianis fugatus, cæsus, castrisque exutus est, vulgò *Belgrade*, & Germanis *Griechisch Weissenburg*. Ab Amurathe, & Mahomete præ ato frustra tentatum, à Solymanno verò An. 1521. captum. Leunclavius. Vid. *Belgradum*.

Belloguarra, vulgò *Beaucayre*, urbs Langued. V. *Bellicadrum*.

Bellojocensis pagus, Vid. *Bellus Jocus*.

Bellomariscus, opp. Angl. in Walliæ Princip. in Mona ins. cum portu ad fretum Menay, è regione Arvoniæ Comit. *Beaumarisch* Angl.

Bellomontium, seu *Bellus mons*, opp. Franciæ ad Oesiam flu. in prov. Ins. Franc. Item opp. in Normanniæ Duc. & Constantiensi agro, prope oram littor. ex adverso Angliæ. Item urbec. in Cenomanensi prov. Ducatus tit. insignis, ad Sartam fluv.

Bellomontium, opp. Calabriæ, cit. prope oram maris Tirrheni.

Bellomontium, opp. Hannoniæ, Comit. tit. clarum. Non longè à Sabi fluv. 7. leuc. à Montibus.

Bellomontium in Argonna, oppidul. Gall. in Campania prov. 1. leuc. à Mosomio & Stenæo opp.

Bellomontium Rogerii, opp. Normanniæ, ad Rillam fluv. in colle situm.

Bellona, Dea bellica, soror Martis, anteà juxta Varronem *Duellona* dicta. Illam Marti in bella eunti currum & equos parare, fabulatur Statius, qui & ejusdem mem. 2. *Theb.*

Nec magis ardentes Mavors, hastataq; pugna
Impulerit Bellona tubas. —— ——

Hyginus refert, ab eâ inventam acum, quæ Græcis dicitur βελόνη: Imò ab hâc ejus deductum nomen. Quidam etiam Martis uxorem faciunt. Sacerdotes ipsius ab Acrone *Bellonarii* dicti, feriebant sese ipsos cultris, ut proprio sanguine numen placarent. Lactant. *l.* 1. *cap.* 21. additque Tertullianus, illos proprium cruorem in volam manus collectum, illis propinasse, qui mysteriis hisce initiabantur, *c.* 4. *& c.* 9. *de Pallio.* Vaticinabantur autem furentes. Fingebatur etiam hæc Dea pugnas ciere flagello. Virg. *Æn.* 8.

Et scissâ gaudens vadit discordia pallâ,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Et Lucanus *lib.* 7.

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum.

Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 3.

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Tibullus 3. 6.

Hæc, ubi Bellona motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.

De templo *Bellonæ* ab Appio Cæco structo. Ovid. *Fastorum l.* 6.

Hâc sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur; & Latio prospera semper adest.
Appius est auctor: Pyrrho qui pace negatâ
Multum animo vidit; lumine captus erat.
Hinc solet hasta manu, belli prænuntia mitti,
In regem & gentes, cùm placet arma capi.

Bellonoti, pop. Sarmatiæ Eur. apud Sidon.

Chunus, Bello notus, Neurus, Basterna, Toringus.

Belloquadra, vulgò *Beaucaire*, Urbec. Gall. in Occitania infer. ad Rhodanum, è regione Taraconis. Nundinis suis clara, 4. leuc. ab Avenione. *Urgernum* al.

Bellovaci, pop. Gall. olim belli gloriâ eximii, quos Cæsar, eorum Duce interfecto, in potestatem accepit; eorum op. *Bellovacum* dicitur, ad Tharam amnem, in prov. Ins. Franciæ. Regio circumjacens, quæ satis extensa, vulgò *le Beauvaisis*: Et Episcopus unus est ex 12. Franciæ Paribus. Civitas al. *Cæsaromagus*, ampla & probè munita est, Baudrand. *in Ferrar.* De *Bellovacis* sic Valesius: *Plurimum inter Belgas Bellovacos & virtute, & auctoritate, & hominum numero valere* ait Cæsar; *hos posse conficere armata millia centum*: eosdem *omni tempore in fide atq; amicitia civitatis Æduæ fuisse*; quos petente Divitiaco Æduo in fidem receperit, sexcentis obsidibus armisque omnibus traditis, *quòd erat civitas magna, & inter Belgas auctoritate ac hominum multitudine præstabat, & in Gallia maximam habebat opinionem virtutis.* Iidem *defectione Æduorum cognita, apertè bellum parare cœperunt*, propterea quòd clientes patronorum suorum auctoritatem atque fortunam sequi consueverant ac debebant. *Bellovacis*, ad Alesiam obsidione liberandam, à Principibus Galliæ imperata sunt millia armata decem: quos Hirtius scribit, *belli gloria Gallos omnes Belgasq; præstare.* Strabo Cæsarem sequitur, & inter Gallos

Gallos Belgas esse fortissimos, inter Belgas *Bellovacos* tradit, quos Βελλόακες *Belloacos* appellat. Plinio in Belgica *Bellovaci* proximi Ambianis memorantur; Ptolemæo in Belgica dicta Βελλόακοι, id est *Bellouaci* vel Belluaci. Florus *in epitome libri* 114. Livii *Bellouacos* rebellantes, à Bruto Legato Cæsaris victos esse scribit. Cœlius *in epistola ad M. T. Ciceronem* 1. *libri* 8. *Crebri & non belli de Cæsare rumores veniunt, ipsum ad Bellovacos circumsideri, interclusum ab reliquo exercitu.* Nullum ferè nomen peiùs acceptum à scriptoribus Latinis reperias. Pro Bellovacis nunc *Bellovacui* dicuntur, ut in Historiæ Miscellæ MS. *libro* 6. aliàs *Bellouagui*; nunc *Belloaci*, ut apud Strabonem; interdum *Bellouagi*, atque *Belleuagi* c literâ in g ex more conversâ; sæpiùs *Beluaci*, ac nonnunquam *Beluagi*, secundâ nominis syllabâ sublatâ. Vulgò *Beauvaisins* Nostri appellitant, quasi *Bellouacinos* aut *Bellouacenses*. Bellouacorum ager *pagus Bellouacensis* vocatur, *pagus Belloacensis*, in Vita S. Ansberti; *Beluacensis*, in Capitulis Siluacensibus Caroli Calvi, inter *Vilcasinum* & *Vindoilisum*: vulgò *le Beauvaisis*. Eumenius *in Panegyrico Constantio Cæsari dicto*, *Bellouacum solum* appellat: quod Isarâ, Sequanâ, Ittâ & Aronâ fluviis terminatur, multis vallibus, in primis Bellouacensi & Claromontana insigne, silvisque multis.

Bellouacorum partem fuisse *Silvanectes* putat Samson, quoniam Cæsari & Straboni ignoti sunt Silvanectes, & à Plinio liberi cognominantur: ita ut alteri Genti vel civitati, putà Bellouacæ subjecti primùm fuisse, deinde ditioni ejus exemti, & Gens per se facti esse videantur. Sed has conjecturas alibi refellimus. Servius *in illum versum libr.* 3. *Æneidos*:

Belgica vel molli meliùs feret esseda collo.

Belgica esseda, (inquit) *Gallicana vehicula: nam Belgæ civitas est Galliæ, in qua hujuscemodi vehiculi aut carpenti repertus est usus.* Henricus Huntindunensis Archidiaconus, *in Historiarum libr.* 1. quas ad annum 1154. deduxit, *Galliam Belgicam à Belvaci nobilissima quondam urbe Galliæ dictam esse* ait. Johannes Parisiensis in suo Memoriali, quod ante annos 360. composuit, *Belgica (inquit) est dicta secundùm Isidorum à Belgis, quæ nunc Belvacum dicitur.* Bernardus Guido, Johannis æqualis, ita etiam videtur sensisse, licèt (ut Isidorus) omisso nomine civitatis: cujus hæc sunt verba: *Belgis civitas est Galliæ, à qua Belgica provincia dicta est.* Hos secutus Cluverius, *Belgium* apud Cæsarem agrum Bellovacum interpretatur; *Belgas* propriè dictos, Bellovacos. Samson *Belgium* amplius quàm Cluverius facit, & Atrebates, Ambianos, Bellovacos, fortè etiam Veromanduos ac Silvanectes Belgio Cæsaris contineri ait: contrà Guillelmus Britto, *in Philippidos libro* 9. *a Belga* castro S. Winnochi Furnis proximo, *Bergue S. Vinnoch*, Belgarum & Belgicæ nomen ridiculè deducit: cùm à monte *Berga* vocari debeat, non *Belga*; & multis seculis sit Belgarum appellatione recentior. Robertus Monachus in Chronico, quod in anno 1210. desinit, *Belgicam* (cujus pars est Belgium) *appellari* tradit *à civitate Belgis, quæ & Treveris dicitur*: Gervasius Tisleberiensis *a civitate Belgis in confinio Burgundiæ sita super fluvium Soanam*, id est, Ararim, vulgò *Baugey* dictâ, Tinurtium inter & Matisconem, sed in adversa ripa. Lucanus libro 1. Belgas propriè dictos, sive soli Bellovaci, sive qui alii sint, designat haud dubiè hoc versu, post Nervios, Suessones, Leucos, Treviros, Lingones, Remos, Sequanos, Vangiones, & Batavos Belgicæ populos commemoratos:

Et docilis rector monstrati Belga covini.

legitur aliàs, *rostrati*. De quo vehiculi genere, à Britannis Belgis monstrati vel traditi, Martialis est epigramma,

O jucunda covine solitudo.

Ex quo intelligitur *Belgam* propriè dictum, apud Lucanum suprà, Bellovacum esse posse, Trevirum esse non posse: cùm Lucanus *Belgam* illum suum à *Treviro* ibidem apertè distinguat,

Tu quoque lætatus converti prælia Trevir.

Unde rectè ait Samson, *Treviros* Belgii & Belgarum propriè dictorum finibus non contineri. Belgas istos propriè dictos in Britanniam insulam transiisse facilè cum Cæsare crediderim, atque ibi colonias condidisse, in primis urbem à Londinio 66. millibus passuum distantem, quæ ab ipsis *Venta Belgarum* cognominata est, & *Calleva Atrebatum* 22. millia passuum abest. Cæterùm Cæsar Remos, Morinos, Nervios, Treviros & Eburones à Belgio apertè distinguit *in libro* 5. cùm ait, se ex legionibus *unam in Morinos ducendam C. Fabio, legato dedisse, alteram in Nervios Quinto Ciceroni, tertiam in Essuos* (vel potiùs *Æduos*) *L. Roscio; quartam in Remis cum Tito Labieno, in confinio Trevirorum hiemare jussisse; tres in Belgio collocavisse: his M. Crassum Quæstorem, L. Munacium Plancum, & C Trebonium legatos præfecisse; unam legionem & cohortes* 5. *in Eburones misisse*: & Eburonibus ac Nerviis Q. Ciceronem oppugnantibus, *Cæsarem statim nuntium in Bellovacos ad M. Crassum Quæst misisse.* Hirtius scribit, Cæsarem 4. *legiones in Belgio collocavisse, cum M. Antonio & C. Trebonio & P. Vatinio & Q. Tullio legatis; duas in Æduos misisse, & ad legiones in Belgium se recepisse, hibernavisseq; Nemetocenna: & cùm Antonius in hiberna venisset, civitasq; Atrebatum in officio maneret, Commium Atrebatem* ex Rege privatum *cum suis equitibus commeatus complures, qui comportabantur in hiberna Romanorum, intercepisse.* Ex quo intelligitur, Atrebates in Belgio fuisse, apud quos M. Antonius hiemabat: fuisse & Bellovacos haud dubiè, cùm Cæsar M. Crassum Quæstorem, quem uni *è tribus legionibus in Belgio* ad hiemandum *collocatis legatum præfecerat*, paulo pòst eodem in libro indicet, in Bellovacis cum sua legione hiberna habuisse. Verba ejus sunt: *Cæsar statim nuntium in Bellovacos ad M. Crassum Quæstorem mittit, cujus hiberna aberant ab eo millia passuum* 25. *jubet media nocte legionem proficisci celeriterq; ad se venire. Exiit cum nuntio Crassus.* Cùm igitur & Bellovaci, & Atrebates in Belgio vel de Belgio fuerint; procul dubio utrique populi Belgis propriè dictis præter cæteros adnumerati sunt, sed Bellovaci tamen sæpius ac magis, quàm Atrebates & quilibet alii Belgii populi. Habent Bellovaci ab Oriente, Veromanduos & Suessiones, à meridie Parisios, ab Occidente Veliocasses & Caletos, à Septemtrione Pontivenses & Ambianos. Urbes eorum, oppida & municipia sunt, Cæsaromagus Bellovacorum, caput Gentis; Bellusmons ad Isaram, Comitivæ titulo illustris; Bubulæ *Bulles*, vicus olim in literis anni 1075. memoratus; Camliacum *Chambli*, quod pago Camliacensi nomen dedit; Clarusmons Comitatu nobilitatus; Credilium ad Isaram *Creil*; castellum Gerboreddum, aliàs Gerboredum, *Gerberoy*; Insula Adami *l'Isle Adam*; Mellotum *Mello* aut *Merlou*; & Pons ad S. Maxentiam. Majores vici, quos Burgos vocant, sunt præ cæteris, Britolium *Breteüil*, olim Comitatus; Castanetum, aliàs Castiniacum *Castenoy*; Flaviacum S. Geremari *S. Germer de Flay*; Miliacum vel Milleium *Milly*; Montiacum vel Monceium *Monchi le Chastel*; Conteium *Conty*; Coldunum *Coudun*. Continet pagus Bellovacus 370. Parœcias rusticanas sub Archidiaconatibus 9. Primus Archidiaconatus est pagi Braiensis, *du pays de Bray*; 2. Archidiaconatus Montium, *des Montagnes*; 3. Archidiaconatus Bellimontis; 4. Archidiaconatus Montiaci vel Monceii; 5. Archidiaconatus Clarimontis; 6. Archidiaconatus Pontis ad S. Maxentiam; 7. Colduni; 8. Ressonis vel Rossonti; 9. & ultimus Britoliensis Archidiaconatus. Archidiaconatus Braiensis continet parœcias 45. Montunus 50. Bellomontensis 44. Montiacensis 49. Claromontensis 34. Maxentianus 46. Coldunensis 35. Rossontensis vel Ressonensis 38. Britoliensis 44. ut Oiselius Bellovacus testatur, qui tamen in numero parœciarum erravit, & à seipso recessit. Sic enim in Bellovacis erunt 385. parœciæ rusticanæ, non (uti suprà dixit) 370.

Bellovacum, urbs Episc. Picardiæ, caput tractus Bellovacensis. *Cæs. l.* 2. *&* 6. *Strabo l.*4. *Greg. Turonensis*, *Odo Viennensis*, &c. Hîc concilium, anno 845. sub Carolo Calvo, ubi Hincmarus, Eboni Arch. Remensi, ob injurias Ludovico Pio illatas, deposito, surrogatus est. Item anno 1034. ubi quæsitum, an S. Martialis, Ep. Lemovicensis, Apostolus sit dicendus? Bin. Sed Morerius repugnat. An. 1114. contra Henricum 5. Imper. anno 1120. 1124. 1161. sub Ludovico Jun. contra Victorem Antipapam. an. 1554. & 1557. sub Odeto Castellionæo Cardin. purioris religionis postmodum assertore insigni, &c. V. quoque *Bellovaci*.

Bellovesus, Celtarum rex: quod nomen corruptè dicitur *Beavis*. *Beau* autem est *bellus*. Nuper autem *Bogo* usurpari cœpit pro *Beavis*. Hic Tarquinio regnante ab avunculo Abigato Celtarum Rege delectus est, qui Italiam occuparet, Sogoveso in Germaniam misso. Vid. Liv. *lib.* 5. Dupleix *memor. Gall. l.* 2. *c.*26. Camden.

Bellovilla, Gall. regio, Anglis olim data, Æmil. *l.*7. Polyd. *l.* 10.

Bellunum. Vid. *Belunum*.

Bellus Jocus, locus memoratus Petro Mauritio, Abbati Cluniacensi, *in epist. quadam*, in diœcesi Matisconensi, in Æduis, Eidem *lib. de Mirac. cap.*27. caput olim pagi *Bellojocensis*, Ararim inter & Legerim: unde Domini Bellojocenses, qui ex Sabaudiæ Comitibus orti videntur. Vulgò *Beaujeu*, estque oppidum à Castro suo, quod *Chasteau de Beaujeu* dicitur, aliquantum distans, impositum Arderiæ fluv. *Ardiere*, qui & Bellam villam alluit, ac in Ararim defluit, Matisconem inter atque Lugdunum. Pagus hodie Villamfrancam pro capite habet: estque partim in Segusianis, seu Episcopatu Lugdunensi; partim in Æduis. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Bellus Mons, castrum in Cenomanis, ad ripas Sartæ flum. prope Axejum, vulgò *Beaumont le Vicomte*: hodie cum tit. Duc. Alius est *Bellus Mons*, vulgò *Beumont le Royer*: castrum munitissimum Guil. Brittoni Armorico, *in rebus* 1194. dictum, & à domino quondam suo cognominatum. Alius ad Isaram, in finibus Bellovacorum, *Beaumont* vulgò inter Credilium & Brivam Isaræ positus: sub Comitibus olim. Item in Britannia Gallicana pagoque Venetensi, prope Rotonem, *Redon*. Vid. Hadr. Valesf. *Not. Gall.* & supra *in Bellomontium*.

Belma, nomen loci. Judith. 7.

Belmontium, Vid. *Bellomontium*.

Belna, opp. Gall. Celt. in Burgundiæ ducatu præclarum, 4. leuc. ab Arari. Greg. Turonensis *Belni* vocatur in Chronico Divionensi: Item *Castrum Belnum*. Rarius *Belna*: in diœcesi est Cabillonensi, vino suo nobilissimum, nec multùm distans à Vinetiburgo *Vinoybourg*. Unde *Vinosa Bealna* dicitur *l.* 1. *Philippidos*: Caput

Pagi

Pagi *Belnensis*, vulgò *le Beaunois*: in quo, inter Tornedrensem & Dusmensem sito, villæ: Sentillacum vel Sentenniacum, Mammiacum & Cussiniacum ponit Chronicon supra laudatum: item Boviscurs. Hadr. Valles. *Not. Gall.* Hic nosocomium, à Nic. Rollino, Philippi Boni Burg. D. Cancellario extructum, inter splendidissima Galliæ ædificia. Sedes olim Parlamenti, hodieque judicialis Basilicæ Cancellarii. Morer. Vulgò *Beaulne*, 5. leuc. à Cabillone, & 8. à Divione.

Belna, villa quondam grandis, in alto & firmo loco sita, in tribu Zabulon.

Belo, quibusdam *Tariffa*, seu *Beger*, mel. *Belona*, vicus cum portu in Andalusia, inter *Tariffa* & *Barbate*, prope fretum Herculeum. Baudrandus.

Belochus I. vel *Belothus* 9. Assyriorum Rex, regn. an. 35. Euseb. & Africanus ex Manethone Ægyptio. Genebr. *l.* 1. *Chron.*

Belochus II. junior, 19. Assyriorum rex, regn. an. 25. Ab Ebræis *Chusan Reshathaim* dictus, à Josepho *Chusartus*. Hujus filia Actosa regn. cum patre annis septem. Euseb. *Chron.*

Belochus, vel *Belosus*, Rex Babylonius, quem sectatores Annii Viterbiensis cum Phul confundunt, Torniel. *A.M.* 3238. *n.* 1. & 2.

Belon, inter duces Alexandri Magni manu strenuus, pacis artium & civilis habitus rudis, vetus miles ab humili ordine ad eum gradum, in quo tunc erat, promotus est. Curt. 6. 70.

Belon, urbs & fluv. in Hisp. Bætica. Strabo *lib.* 3. Βαίλων; Ptolemæo. Sed Strabo scripsit Βέλων, ut ex Stephano cognoscimus. Nonnulli tamen è Latinis *Bello* scribunt.

Belphegor, Vid. *Beelphegor*.

Belsa, recentioribus *Belsia*, inter Ligerim Aurelianosve & Stampas jacens, 15. leucas patere dicitur. Vulgò *la Beausse*. Ejus meminit Fortunatus Presbyter *de Vita B. Germani c.* 51. Regio est arida & squalida, utpote paucissimis fluviis irrigata. Unde Guil. Britto *Philippidos l.* 2.

Belsia graniparis non tot flavescit aristis.

Tribus autem cognominibus distincta, & alia *Belsa Carnutensis*, alia *Dunensis*, pagus enim Dunensis præ cæteris Belsiæ attributus, alia *Pitiverensis* dicta est, à præcipuis locis. Hinc in literis Ludovici R. A. 1120. inter collata Mauriniacensi Ecclesiæ recensentur: Ecclesiæ veterum Stamparum, Ecclesia Stripiniaci (*Estrichi*) Ecclesia de Bonnis (*Bonnes*) apud Dordenum, Ecclesia S. Petri, in Belsia Carnotensi villa *Mesuns*, in Belsia Pitueriensi Betovilia, Verrinæ. Vid. Hadr. Valles. *Not. Gall.* & infra in voce *Belsia*.

Belsan, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *in linguâ*, aut *in detractione*, sive *vetustas dentis*, aut *vetus ebur*.

Belsia, regio Galliæ Celticæ, siccitate & aquarum penuriâ laborans, nihilominus tamen fertilis & frumenti valdè ferax; coluerunt olim, quicquid *Belsia* nunc nomine censetur, Carnutes, Aurelianenses, Andegavi, Cenomani & Turones. Triplex est Beelsia, superior, media & inferior. Superior initium capit ab vico, qui vulgò *Ablys* indigetatur, petens porro Carnutum agros & ulteriora. Mediæ tribui solitum est, quicquid est, inde quidem ad utramq; Ligeris ripam ab Rotomago, vulgò *Romoranti*, Vendomium usq;, hinc autem in dextra ejusdem Ligeris ripa, quicquid Castelloduno porrigitur Blesas & ad Turoventium usque agros. Inferior campestris omnino & plana, frumenti valdè ferax, totius Galliæ horreum, porrecta inter Episcopatus, Aurelianensem & Carnutensem, ab oppido Stampensi procurrit, versus Orientem quidem Senones usque, versus meridiem ad pontem Aurelianensem. Merula. Nunc angustior est, continetq; tantùm agrum Carnutensem, cum parte Aurelianensis agri, cis Ligerim, & aliquot aliis regiunculis. Ejus præcipuæ urbes Carnutum ad Eburam, Aurelianum, Stampæ, Cardunum, Balgenciacum, aliæ. Ejus periere limites. Baudr. Vid. quoque *Belsa*.

Belsinum, Celtiberorum urbs in Hisp. Tarr. *Borja* Villanovano, *Belsoco* Coquo.

Belsonacum, Vid. *Bastonacum*.

Belte, Hesychius: Βέλτη χωρίον Φρυγικόν.

Beluederium, opp. Bisinani Principis, in Calabria inferiore.

Belunum, Venetorum opp. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 118.

Belus, Assyriorum Rex, Nini pater, à Sole ita dictus, qui Assyriorum linguâ *Bel* dicitur. Huic vitâ functo templum erexerunt Babylonii, divinisque eum honoribus prosequuti sunt. Vid. infra.

Belus, Jupiter dictus est, Saturni, h. e. Nimrodi filius. LLoyd. vel Nimrodus ipse, Morer. regn. an. 55. primus Rex, post diluvium, & confusionem lingg. Regnare autem cœpit Babylone, quam condidit in ora Euphratis, A. 1932. obiitque A. M. 1996. æt. 65. Astronomiæ inventor fuisse dicitur. Eam ob rem ei lapillum dicarunt pretiosum, quem *Beli oculum* vocant, quemque D. Cyrillus *Arbelum* nominat. Ex hominibus primus pro Deo habitus fuit. Iste namque *Belus*, primum Chaldæos instituit sacerdotes. Diod. Sic. *lib.* 3. Fuit pater Nini, quem uxor ejus Semiramis, cùm Zoroastrem Bactrianorum regem vicisset, gloriâ & superbiâ nimis efferâ & elatâ, in Deorum numerum referri voluit, ut ait B. Hieronymus *in Oseam*. Hinc Idololatriæ initium, saltem post diluvium, quamvis alii Sarug auctorem faciant. Euseb. *in Chron.* & *l.* 9. *P.E. c.* 4. August. *de C. D. l.* 18. *c.* 2. 17. 21. Beda *de* 6. *æt.* Torniel. & Salianus. Hunc autem Sidonii & Phœnices *Baal* vocarunt, vel *Beel-semen*, id est, *cæli dominum*. Euseb. *Præp. Evang.* 1. 7. Quare Ninus ejus filius, in patris memoriam, statuam erigi jussit, quam tandem aliquando Babylonii divinis honoribus coluerunt, in eoque idolo Dæmon absconditus responsa dabat. Isidor. *l.* 8. & Theophylactus *in Oseam*: Sunt qui à *Belo Ægyptio*, qui primus ei templum erexit, appellatum velint; in eo templo pulvinar erat, ad quod confugientes tuti erant. Eust. *ad Dionys. Perieg.* Βῆλος ἦν βασιλεὺς Βαβυλῶνος, ἢ καὶ ὁ Ζεὺς αὐτός. Diod. Sic. *lib.* 2. Διὸς, ὃν καλοῦσιν οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον. Hesych. Βῆλος, οὐρανὸς καὶ Ζεὺς Ποσειδῶνος υἱός. Vide *Baal* & Seldenum *de Deis Syris Synt.* 2. *c.* 1.

Belus, fil. Epaphi ex Lybia, pater Ægypti & Danai.

Belus, Syriæ fluv. seu Phœniciæ, ubi primò compertum fuisse vitrum scribit Plin. *l.* 2. Josephus *l.* 2. *de bello Judaico*, stadiis ait 2. à Ptolemaide distare, juxta quem sepulchrum Memnonis, & vitrea in rotundâ valle arena, quam venti ex circundatis jugis convehunt, inexhaustâ seculis vi, sed ante omnia mirabili naturâ mutandi alia quoque in vitrum quæ attigerit metalla. E palude Cendaviâ profluit, Hunc *Pagidam* quoque vocari Plin. tradit. V. infra.

Belus, fluv. exiguus sed profundus, quem & *Pagidam* vocant, duobus à Ptolemaide stadiis distat. Qui è proximis montibus scaturiens, rotundam quandam centum cubitorum præterlabitur vallem admiratione dignissimam: ubi primò compertum fuisse vitrum Plinius scribit: qui Locus mirabili quadam naturâ tum ipsam arenam, tum alia quoque, quæ susceperit, metalla, in vitrum mutat: mirabilius quoque illud videtur, quòd jam conversæ arenæ in vitrum, quæcunque pars super margines loci ipsius fuerit jacta, in vulgarem arenam denuò convertitur. Est in tribu Aser.

Belza, urbs Polon. in Russia nigra, tota ferè lignea, inter Leopolim & Zamosciam. 5. leuc. Pol. à *Bug.* fluv.

Bemarchus, Cæsariensis Cappadociæ Sophista, scripsit res gestas Constantini principis libris 10. præterea declamationes quasdam, & orationes. Suidas. Voss. *Hist. Gr. l.* 2. *c.* 17.

Bemarina, prov. Amer. Septentr. in Florida reg. sub Rege Apalatii, ubi urbs *Melilot* regni caput.

Bembina, vicus Nemeæ. Steph. Unde *Nemeaus Leo*, à poëtis *Bembinites bellua* dicebatur. Panyasis Ἡρακλείας primo,

Δέρμα τε θήρειον Βεμβινήταο λέοντος.

Bembus Petrus, Cardinalis, scriptis editis prosâ versuque celebris. Venetus nobilis. Obiit A. 1547. Genebr. *in Chron.* Joh. de la Casa, *in ejus Vita*.

Ben, viri nomen, 1. Par. 15. Lat. *filius ædificans*, vel *intelligens*.

Ben abinadab, unus præfectorum annonæ Solomonis 3. Reg. 4. Lat. *filius patris spontanei*, aut *filius patris voventis*, aut *principis*.

Bena, regn. Afr. cum opp. cognom. in Nigritarum reg. prope Guinalam fluv. versus Guineam & regnum Melli. P. du Val. Aliis *Beria*.

Bena, opp. Pedemontii, aliàs munitum, prope fluv. Tanarum. 5. mill. à Clarasco.

Benacus, Plinio, *Banacus*, Ptolemæo Italiæ lacus in Lombardiâ Transpadanâ; ab opp. Garda, ei adjacente in agro Veronensi, *Lago di Garda*, Italicè, *Gardsee* Germanicè nominatur, uti referunt Leander & Tschudus, quorum prior quoque *Benacum* urbem (unde lacui nomen) hoc tractu olim fuisse refert: cujus hodie vestigia cernuntur in pago *Tusculano* vulgò dicto, qui vicus est agri Brixiani, in ora occid. Benaci lac. inter Salodium & Garniacum. *Benacensium* mem. quædam antiqua Inscriptio, in Orthographia Aldi. Fuit autem lacus non procul à Brixiâ Venetorum opp. aureas arenas volvens, & pisces nutriens, quos indigenæ *Carpiones* vocant, nusquam alibi repertos. Ex hoc Mincius fluv. excurrit in Padum. Situs est autem in agro Veronensi inter arctas montium fauces, adeò ut inter illos impetu coacti venti lacum more maris exagitent. Virg. *Georg.* 2.

Anne lacus tantos, te Lari maxime, teq;
Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino,

Claudianus *in Epigram.*

Proxima cui nigri Verona remotior Indis,
Benacumq; putat litora Rubra lacum.

Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 413. Ad 30. mill. in longum extenditur. Baudr.

Benadad, Rex Syriæ, filius Tabremo, Asam Judæ R. contra Baësam, Regem Israëlis juvit, cum 32. Regulis vicinis obsedit Samariam, unde, postquam duras nimis conditiones Achabo proposuisset, ab hoc depulsus; anno pòst iterum cæsus 100000. suorum amissis, veniam petiit. Quam cùm Achabus, contra Dei mandatum, indulsisset, ab eodem occisus est in prælio. A.M. 3138. 3. Reg. 15. & 20. Latinè *filius sonitus*, aut *clamoris*, vel *dilecti*, vel *patrui*, vel *mamillæ*. Item, fil. Hazaëlis, qui sub Joachaso R. Israëlitas exercuit, 4. Reg. 13. Salian. & Torniel. *in Annal.*

Benavarium, opp. Aragoniæ, in limite Catalauniæ, in comitatu Ripagoniæ, 6. leuc. à Barbastro, in ortum.

Bencochab, se Messiam jactans, sedem Regiam in urbe Blitera locavit, magnâ sectatorum turbâ, qui contra Adrianum Imper. circumcisionem prohibentem insurrexere, stipatus. Cui etiam adhæsit Rabbi Akibha præcellenter eruditus, 24000. discipulorum sub se habens, qui palam vociferatus est, *Hic Rex est ille Messias*. Sed factio ab Imperatore oppressa, cæsis 50. hominum myriadibus,

A. 135.

A. 135. ac mandatum, ne cui Judæo in Hierosolymam introire porro liceret. Oros. *l.7.c.8.* Dion. *l.96.* Buxtorf. *in Syn.*

Benda, urbs olim Macedoniæ, in Albania, nunc in ruinis. Tractus adjacens nomen retinet. Sub Turcis.

Bendarmassina, urbs Asiæ, in parte Austr. Inſ. Bornei, in mari Indico, ad ostia Pactadani fluv.

Bendecar, præfectus annonæ domus Solomonis in Makaz. 3. Regum 4.

Bendis, linguâ Thracum *Diana* dicitur. Per Βένδιν autem intelligi terram, ostendunt hæc verba Heſychii, Μεγάλη θεὸς, Ἀριστοφάνης ἔφη τὴν Βένδιν, Θρᾳκία γὰρ θεός. Eandem verò Lunam esse testis est Palæphatus, ubi agit de filiabus Phorcynis, itemque Suidas, Phavorinus, & ante utrumque Heſychius: Βένδις ἡ Ἄρτεμις Θρᾳκιστί. Παρὰ δὲ Ἀθηναίοις ἑορτὴ Βενδίδεια. Hæc ſacra Bacchanalibus erant affinia. Strabo *l.9.* Τοῖς Διονυσίοις ἔοικε καὶ τὰ παρὰ τοῖς Θρᾳξὶ, τά τε Κοτύτια, καὶ τὰ Βενδίδεια, παρ' οἷς καὶ Ὀρφικὰ τὴν καταρχὴν ἔσχεν. Celebrabantur autem *Bendidia* in Piræeo, vigeſimâ menſis Thargelionis, idque ante Panathenæa, Proclus *l.1. in Timæum*: Ὅτι γε μὴν τὰ Παναθήναια τοῖς Βενδιδείοις ἕπεται, λέγουσιν οἱ ὑπομνηματισταὶ καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος ἱστορεῖ, τὰ μὲν ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι, ἕπεσθαι δὲ τὰς περὶ Ἀθηνᾶν ἑορτάς.

Bendocdar, Sultan Babylonius, legitimo poſſeſſore pulſo, thronum conſcendit. In Christianos ſævus, obſedit Acren, an. 1263. vastavit Armeniam, obiit A. 1277. contra Tartaros pugnaturus. An veneno? Sanut. *l.3.p.12.c.6.* Hayton *c.36.*

Bene, urbs Cretæ ſub Gortyne. Steph.

Benearni, urbis primus meminit Æthicus, quam *Beneharnum* vocat, & inter Novempopulanæ civitates 12. ſeptimo loco in vett. Notitiis ponitur. *Benearna* urbs Gregorio *l.9.c.7.* Hujus Epiſcopus Galactorius interfuit Concilio Agathæ indicto A. C. 506. Sabinus verò Matiſconenſi 2. In hujus ruinis à Ducibus Vaſconiæ citerioris extructa est urbs nova, ab aquarum & fontium vagis curſibus *Lascuris* primùm, *Lascurre*, pòst *Lascar* aut *Lescar* dicta, quæ in prioris locum, dignitatem, ac jura ſucceſſit. An potius nomen ſolùm veteris urbis mutatum? Certè Notitia quædam ante an. 350. civitate Benearnenſium omiſsâ, ejus loco, in Vaſconia, ſub Auſcitana Metropoli EpiſcopatumLaſcurrenſem ultimum ponit. Caput est pagi cognominis, quæ Gall. *le Bearn*, aut *le Bern*, longus & latus itinere bidui: diviſus in Superiorem, qui ſaltui Pyrenæo appoſitus, & inferiorem, qui ei ſubjectus est. Hic totus Diœceſi Iluronenſi atque Benearnenſi, ſive Laſcurenſi continetur, constans regionibus 6. quas *Parſans*, i. e. partes vocant, Palenſi, Vicuilenſi, Iluronenſi, Oſſavenſi, Navarrenſi & Hortenſi: *Bearnum* ante 500. annos dici cœpit. Olim Comitatus, cujus Vicecomes Comit. etiam Bigerrorum obtinuit, & Regibus nunc Anglorum, nunc Francorum, Aquitaniæ Ducatum poſſidentibus, fidem promittere ac militare conſueverat. Gastonis de Bierna meminit Nicolaus Trivetus A. C. 1274. qui cum reste circa collum in Angliam veniens ab Eduardo delictorum veniam impetravit. Sed de pago hoc, vide infra *in Benearnia*. Cujus gentis autem caput olim fuerit Benearnum civitas, ignoratur: quod enim J. Cæſaris Precianos vel Pretianos Samſon in Benearnos mutat, ſomnium est. Hadrian. Valeſius *Nott. Gall.*

Benearnia, reg. Gall. fertilis & rigua, ſitâ ad radices Pyrenæorum montium, inter Bigerronium, Baionenſium, aliorumque confinalium populorum territoria & agros: cum titulo Principatus: dividiturque in duas partes, quarum una montibus obſita est, cujus *Oleronum* est Metropolis: altera ab vallibus locisque planioribus occupatur, ejusque primaria urbs est *Beneharnum*, ad Gabarim fluv. aliis *Lescara*. Merula. Metel. Accrevit Regno Franciæ, ſub Henrico IV. Historia ejus ſic habet: Dotis loco data Galſuindæ, ſorori Reginæ Brunehildis, Gregor. Tur. *l. 9. c. 7. & 20.* ſub Ludovico Pio, Vicecomites accepit, an. 819. Tranſiit dein in familiam Moncadiorum, Mariâ Vicecomitis Petri unicâ filiâ, ſorore Gastonis, abſque prole mortui, Guilielmo Moncadio enupta, an. 1170. Hujus fil. Gasto, ductâ hærede Eſquibati, comitis Bigerrenſis, genuit Margaretam, nuptam Rogerio Bernardo, com. Fuxenſi: Navarra dein ei juncta est, nuptiis Gastonis 4. cum Eleonora Navarreâ: Hujus nepos Franciſcus Phœbus R. fuit, cui ſoror Catharina ſucceſſit, ex Johanne Albretano, mater Henrici, cujus filia Johanna, mater Henrici IV. Gall. R. Evangelii lucem hiſce regionibus intulit, ubi per 50. annos, durante etiam Henrici regno & paulo ultra, inſigniter fulſit. Vid. Thuan. *Hist.* Joh. de Serres, *Invent. hist. Gall. &c.*

Benedictus I. Evagrio, *l.5 c.16.* Benoſus, ſucceſſit Johanni III. an. 573. Cujus tempore Roma fame & incurſionibus Longobardorum afflicta. Supereſt epistola ejus ad Davidem Epiſc. Hiſpaniæ, de SS. Trinitate agens. Obiit an. 577. Succeſſit ei Pelagius II. Anastaſius Biblioth.

Benedictus II. post Leonem II. Papa, A. 684. natione Romanus, fil. Johannis, in S. Scripturæ lectione egregiè ſubactus. Cujus ſanctitate permotus Constantinus Pogonatus, clero Romano pecuniam pro ordinatione Pontificis, Augustæ potestati debitam, remiſit, veniamque conceſſit Pontifices eligendi, non rogato Imper. vel Exarcho. Obiit 8. menſe Epiſc. Beda, Ado, Onuphrius, Sigebert. & Genebr. *in Chron.*

Benedictus III. Romanus, fil. Petri, an. 856. Johanni VIII. tactis prius prudenti cautelâ virilibus, Morn. *in myster. p. 371.* Laon. Chalcond. ſucceſſit. Antipapam Anastaſium patienter tulit. Obiit An. 858. Baron. Anastaſ. *in vita ejus.* Duæ ejus epistolæ habentur: una ad Hincmarum, Arch. Remenſem, altera ad Gall. Epiſc.

Benedictus IV. Rom. fil. Mammoli, Papa, post Johannem IX. vel potius X. aliquot ſaltem menſibus ſedit, An. 905. vixit ſeculo depravatiſſimo. Charitate in pauperes clarus. Volaterr. *in Chron.* Platina *in vita ejus.*

Benedictus V. post Johannem XIII. hominem ſceleratiſſimum, Papa, tempore ſchiſmatis, ab Ottone I. excitati, ſuffecto Leone 8. qui etiam urbe fame captâ, Papam Hamburgum miſit, ubi obiit 965. anno post electionem, Ditmar. *l.3 Chron.* Adam de Bremen. *l.2.c.6.*

Benedictus VI. Rom. Hildebrandi fil. à Bonifacio Francone in carcerem conjectus, ibiq; strangulatus, per Cintium quendam, hominem admodum potentem, A. 974. Pontif. 1. cui ipſe hic Bonifacius 7. hujus nom. ſucceſſit. Leo Ostienſ. *l.2.c.4.* Platina, Onuphr.

Benedictus VII. ex Thuſciæ Epiſc. Pontifex R. ab A. 975. uſque ad an. 984. Platina, Ciacconius, *in vita ejus.*

Benedictus VIII. post Sergium IV. Papa, à Gregorio Antipapa opem Henrici Imper. implorare coactus, ab eo restitutus est. Saracenos Italiam infestantes repreſſit, Græcos in Apulia vicit. Obiit Romæ A. 1024. Pontif. 12. Post mortem nigro caballo inſidens, apparuit, orans ut pecunia pauperibus pro ſe distribueretur, Odiloque Abbas pro anima ſua oraret. Purgatorii &c. fulcrum, furvus hic eques. Platina *in vita ejus.* Joh. Stella Venetus, Genebr. *in Chron.* Surius *in Odillone*, 1. Jan.

Benedictus IX. prius *Theophylactus*, fil. Alberici, Comitis *de Frescati*, post Johann. XIX. Papa an. 1033. vir probroſus & infamis, ſacris quippe dæmoniorum deditus, aliquoties ſede pulſus, non tamen in melius mutatus est. Obiit A. 1045. post mortem anachoretæ horribili ſpecie, cui caput & cauda aſinina, corpus urſinum, apparens, *Oberro*, dixit, *quia ſine Lege & ſine Deo, ut bestia vixi.* Platina *in vita ejus.* Onuphr. Sigebert. Trithem. Genebrardus *in Chron.* Sub eo *Cardinalium* nomen ex parvis initiis ſuboriri cœpit: errores & fœda vitia paſſim per Clerum divagata.

Benedictus X. Antipapa, nomine Johannes Mincius, ceſſit mox Nicolao II. A. 1059.

Benedictus XI. aliàs *Nicolaus Bocaſinus*, fil. opilionis, ex Marcâ Treviſana, ſucceſſit Bonifacio VIII. An. 1303. cujus Bullas contra Philippum Gall. R. Galloſque irritas reddidit, Columnarum condemnationem reſcidit, Tartaris ad Syriam occupandam auxilia ſubmiſſurus; 8. menſe post electionem Peruſii venenato ficu extinctus obiit. Matrem ſplendidis vestibus ornatam agnoſcere noluit, in Eccleſ. Mediolanenſem & Petrum Veronenſem martyrem liberalis. Joh. Baleus *in Bened.* 9. Bzovius, Spond. &c.

Benedictus XII. aliàs Jac. du Four, molitoris fil. eligentibus, *ſcitè*, dicebat, *fecistis, qui aſinum elegeritis.* Johanni XXII. ſucceſſit, decreta Prædeceſſoris contra Ludovicum Bavarum confirmavit, Cameram pœnitentiarum excogitavit, in propinquos parum liberalis. Cardinales 6. tantùm creavit, rogatus cur non plures, reſpondit, *Feciſſem, ſi novum mundum creare poſſem; qui enim est, iis qui jam ſunt, ſatis non est.* Jac. Revius, *in hist. Pap.* Obiit A. 1342. Pontif. 7. Boſquetus, *in ejus vita.* Genebr. *in Chronicis.* Henriquez, *de Ciſtertienſibus.*

Benedictus XIII. Antipapa, Clementi VII. Avenione ſucceſſit, eâ lege, ut unionem quæreret. Creatus eluſit omnes. Edicto Rex Galliæ tum vetuit, alterutrum pro Pontifice agnoſcere, quod triennium valuit, & *facilè Papa eclipſin Gallia tulit.* Papa hic Concilio Constantienſi depoſitus, cùm ſe ferme ab omnibus deſertum videret, Peniſcolam, urbec. Valentiæ regni conceſſit, ubi cùm 30. an. in ſchiſmate vixiſſet, & paucos illos Cardinales, quos adhuc ſecum habebat, coëgiſſet, Ægidium Arragonium, Papam creare, Clem. 8. dictum, obiit A. 1424. Dictus Petrus de Luna, Arragon. Onuphr. Genebrardus, *in Chron.* Oderic. Reinaldus *in Annal.*

Benedictus, patriâ Nurſinus, primò Sublacum ſeceſſit, ubi ordinem monachorum instituit in Italiâ, alii tamen in monte Caſſino, ubi prius Apollinis Or. eum id feciſſe narrant, quem antea Baſilius in Oriente constituerat. Deinde cùm à frequentibus adiretur, vitandæ gloriæ cauſâ Caſſinum venit, A. 529. ubi etiam ſepultus est cum Scholasticâ ſorore, imperante Justino ſeniore. Ejus familia procedente tempore crevit in immenſum, abiitque in plures familias, viz. Cluniacenſes, Camaldulenſes, Valliſumbrenſes, Montolivitenſes, Grandimontenſes, Sylvestrenſes, qui *Humiliatorum* cognomen tenent, Cœlestinos, S. Justinæ, & Eremitanos D. Hieronym. Polyd. Verg. *de Inv. Rer.* 7.7. Trithem. *de hom. illustr.* Aſor, *l.12. inst. mor. c.21.* Arnolph. Wion, *ligno vitæ.*

Benedictus Accoltus, Aretinus, Cardinalis, A. 1511. ſcripſit historica quædam. Alius ejuſdem regionis, Cardinalis, A. 1527. Poëta Lil. Girard. Voſſ. *Hist. Lat. l.3. c.7.*

Benedictus Arrias Montanus, Antiquitates Judæorum, & Mathem. quædam ſcripſit.

Benedictus Burdonius, Patavinus, Geographus. Obiit A. 1521. Leand. *deſcr. Ital.*

Benedictus Cajetanus, Cardin. Cœlestino 5. contra Carolum Neap. R. favit, A. 1293.

Benedictus Florentinus, Arithmeticam scripsit, Voss. *Mathemat. cap.* 51. §. 10.

Benedictus Gentianus, Doctor Paris. Interfuit Concilio Constantiensi. An.1415.

Benedictus Herbestus, Mathematica quædam edidit, Voss. *de Math. cap.* 41. §. 9. & *cap.* 52. §. 24.

Benedictus Levita, scripsit Capitular. Caroli M. An.819.

Benedictus Montanus, inter illustres historicos Bononienses. Leand. *descr. Ital.*

Benedictus Pererius, Jesuita, Philosophicis Theologicisque scriptis celebris, &c. Fuit Valentiâ Hispanus. Opera ejus 2. Vol. fol. prodierunt, Col. Agr. 1622. inter quæ Commentaria in Genesin docta & laboriosa dicuntur, Montacutio.

Benedictus Tlumacensis, Pastor, in Moravia, ob religionem, ustulatus est, circa A. C. 1460. Cujus mors tanto dolori fuit, ut ad 8 milliaria frequentes commearent, ad visitandum locum, particulas ossium conquirentes.

Benedurum, locus in Rhætia, à dextris habens campum S. Petri.

Benejaakan, i. e. *filii tribulationis*, nomen loci in quo castrametati sunt filii Israel profecti de Moseroth. Num.33.

Beneventum, op. archiep. Hirpinorum, Diomedis opus, teste Solino cap.8. *Notum est Arpos, & Beneventum à Diomede constitutos.* Antea *Maleventum* appellabatur, posteà verò à Romanis coloniâ deductâ, boni ominis gratiâ *Beneventum* vocari cœpit. Plin 3. 11 *Hirpinorum colonia, nunc Beneventum, auspicatius mutato nomine, quæ quondam adpellata Maleventum.* LLoyd. Cum Duc. titulo, in regno Neap. fuit ex 18. Coloniis, quæ Romanis contra Annibalem præstò fuerunt. Destructa urbs est à Totila, reparata à Longobardis, qui ibi unum ex Ducibus suis habuerunt. Saracenis à Ludovico II. Imper. erepta, Anno 866. cessaque Adelgiso An.871. Sigon. *l.*5. & ab Henr. Jun. Imperatore, loco Bambergæ, Leoni IX. donata est An. 1053. Hic Manfredum vicit occiditque Carolus Andegav. An.1264. Hodieque sub Pontifice: De hâc Horatius,

Tendimus huc rectâ Beneventum, ubi sedulus hospes, &c.
Concilium hic an.1087. quo Antipapa Gilbertus excommunicatus est. Leo Ostiens. *l.*3. *c.*71. A.1091. contra eundem. A.1108. 113. &c.

Benevolus, Valentiniano Imper. à secretis, munere cedere, quàm edictum contra orthodoxos obsignare maluit. Ruffin. *l.* 2. *c.*16. Sozom. *l.*7. *c.*13.

Benezetus, infans Burgundus, divino instinctu Avenionem venisse, jussisseque ut ibi Rhodanus ponte jungeretur, An. 1177. dicitur: idemque Lugduni factum, refert Paradinus *Hist. Lugd.* sed non ab omnibus fidem impetrat. Theoph. Rainaldus, *in Vita Benezeti*, qui obiit An.1184.

Bengaber, præfectus annonæ Solomonis in Ramoth Galaad. 3. Reg.4. Lat. *filius viri*, vel *robusti*.

Bengala, Urbs Asiæ, cum regno cognom. in India extra Gangem, sub Imperio M. Mogolis à multis annis. Ad ostia Cosmini fluv. non longè ab ostiis Gangis. Ampla & emporium percelebre, ab Europæis frequentatum, unde ab ea sinus Gangeticus nunc *Golfo de Bengala.* Dividitur Regnum in 3. partes, nempe in *Prurop*, quæ cis Gangem; *Patan*, quæ trans; & *Bengala*, versùs oram littor. Regnum est amplum, cujus urbes præcipuæ, Halabassa, Gourum, Chatiganum, Ougela, Patana, Banara & Tanda, Baudr. Longitudo ejus, 60. m. latitudo 180. inter regna Golconda & Pegu. Barbosa, Linschot. Jarricus, &c.

Benguela, reg. Afr. in regno Angolæ in ora Oceani, cum urbe & portu cognom. sub Hollandis, à paucis annis.

Ben-hail, i. e. *filius fortitudinis*, nomen viri. 2.Par.17.

Ben hesed, præfectus annonæ Solomonis in Aruboth. 3.Reg.4. Lat. *filius misericordiæ*, vel *opprobrii*.

Ben-hur, præfectus annonæ Solomonis in monte Ephraim. 3.Reg.4. i. e. *filius libertatis, foraminis*, aut *albedinis*.

Benjamin, fil. Jacob 12. ex Rachel uxore, ab ipsâ matre *Benoni*, i. e. *filius doloris mei* dictus, Gen.35. & seqq. Lat. *filius dextræ*, sive potiùs *filius dierum*.

Benjamin, Eremita senior, valdè clarus habebatur, dono Dei potitus, ut sine medicamine, tactu manûs, aut olei, oratione factâ sanaret ægrotos. Hunc ferunt in hydropem incidisse, ac tantum ejus corpus intumuisse, ut non posset per Cellæ suæ, in quâ habitavit, januas efferri. Is igitur, ægrotationis suæ tempore, penè 8. mensibus ante mortem in sellâ latissimâ sedens, curabat solenniter ægrotantes, non graviter ferens, quòd suæ ægritudini non prodesset; sed etiam se videntes consolabatur, ac deprecabatur, ut rogarent Deum pro animâ ejus, ac de corpore non curarent, quia etiam, cùm sanum (inquit) esset, nihil profuit mihi. Hist. *Trip.*8. 1.

Benjamin, Judæus Hispanus, Itinerarium Hebraicè descripsit, in quo res memorabiles per totum ferè terrarum orbem, quas vel ipse vidit, vel à fide dignis ætatis suæ hominibus accepit, breviter ac dilucidè descripsit. Vide Neandri *Geograph.*

Benibessera, regio Afr. in Segelmessa, parte Libyæ citer. versùs Atlantem, & confinia regni Telensini. L. Marmolius, al.

Benignus, primus Divionensis Episcopus, Divione martyrium passus, & sepultus. Greg. Turonensis.

Benigomia, regio Afr. in Segelmessa reg. Libyæ cit. juxta Ghirum fluv. Hinc *Benegomates* pop. V. Marmol.

BeniguaZevalus, mons Afr. in regno Fezzæ, in Prov. Errifis, versus fontes Guargæ fluv. In eo sunt aliquot opp. cum pagis. Ibi quoque mons ignivomus. Marm.

Beninum, Urbs celebris Africæ, in Guinea, regni cognom. caput, juxta *Benin* fluv. Regnum valde extensum est, præsertim versus oram.

Benis, vide *Nebis*.

Benith, civ. in Ephraim, à Samaritanis exstructa. Hier. *in L.H.*

Benlauni, Vindeliciæ pop. Ptol. Hodiè in hoc tractu est *Wailhelm* opidum.

Ben-merodach, 8. Babyloniorum rex, regn. an.24. ante Nabuchodonosorem I. Genebr. Jos. *ant. l.*10. *c.*11.

Ben-Musa, Mathematicus Arabs, vixit sec. 10. Blancanus, *Chr. Math. p.* 57.

Benna, *Bena*, vel *Bana*, urbs Thraciæ, unde *sinus Bennicus* Stephano, apud quem *Benna* unus est ex Senatoriis ordinibus Ephesi, cujus senatores *Bennii* dicebantur.

Bennaventa, Britanniæ urbs, Catieuchlanorum. Anton. quam Lelandus *Northeavondune* vocari putat, Camdeno potius est *Wedon* in agro Northamptoniensi.

Benni, nomen viri. 2. Esdr.2. Lat. *filius meus*, vel *intelligentiæ*, aut *ædificatio mea*.

Benningdonia, urbs Angliæ, in reg. Merciorum. Ibi concilium, sub Bernulpho R. An.850.

Benno, nomen viri. 1.Par. 14. Lat. *filius ejus*, aut *intelligentia*, vel *ædificatio ejus*.

Benno, ab Antipapa Gilberto, Clemente III. dicto, Cardin. creatus, satyricis scriptis insectatus est Sylvestrum II. Gregor. VI. & Gregor. VII Baronius An. C.999. 1044. 1073. 1079. Item, Episc. Misniæ: inter Sanctos relatus, A.1523. Baron A.1117. Surius, 3. *Jun.*

Bennoi, nomen viri, 1. Esdr.8. Lat. *ædificatio*, aut *filiatio*, sive *in habitaculo meo*, aut *in pulchritudine*.

Bennopolis, Vid. *Hildesia*.

Bennui, nomen viri. 1. Esdr.8. idem sig. quod *Bennoi*.

Benomotapa, præcipua urbs, & sedes regia regni Monomotapani, sita ad flumen Sancti Spiritus, distans à Cefala, versus Oceanum, viginti & uno milliaribus. Bert. Metel.

Benoth, nomen idoli Babyloniorum. 4. Reg.17. Lat. *filiæ*, *intelligentiæ*, vel *ædificationes*. Vide Selden. *de Diis Syris*.

Ben sirach, sententiarum moralium Hebræus author vetustissimus, venustissimusque, qui à Judæis Jeremiæ prophetæ creditur nepos fuisse. Conr. Gesn. *in Bibliothecâ*.

Benthima, seu *Benthemum*, oppidul. Germ. in Westphal. Comitatus caput. In colle, prope Aam amnem. 2. leuc. ab Oldensila in Ort.

Bentitiana, vulgò *Ventotiene*, Ins. parva Italiæ & regni Neap. in mari Tyrrheno è regione Campaniæ fel. Deserta est.

Bentivolum, castrum Italiæ, in agro Bonon. Ferrariam versùs, aliàs pulcherrimum, nunc ferè dirutum. Hinc nobili Familiæ nomen.

Bentius, Vid. *Balventius*.

Ben-Zobeth, i. e. *filius separationis*. Filius Jesi. 1.Par.4.

Beon, civitas Amorrhæorum ultra Jordanem. Num.12. Lat. *in afflictione*, vel *in responsione*, aut Syriacè *deprecatio*.

Beor, pater Bela regis Edom, Gen.36. Item pater Balaam arioli. Num.22. Latinè *incendium*, vel *expugnatio*, aut *insipiens*, sive *jumentum*, aut *pastus*.

Beorgocus, Alanorum R. à Ricimero victus, A. C. 461. Procop. *l.*3. *de bell. Vandal.*

Beorgor, vel *Biorgor*, Rex Alanorum, à Ricimero acie victus, prope Bergomam. An.464. P. Diac. *l.*16. Idem cum priore.

Bepyrus, urbs Mercatori ad Orientalem fluv. Gangis portum; qui hodie *Bouprao* eam dici tradit.

Bequia, Ins. Americ. Septentr. ex Antillis, à Caribis tantùm habitata, propter inopiam aquarum. Circuitus est 12. leuc. Portum habet securissimum.

Bera, urbs in qua habitavit Joathan, cùm fugisset à facie Abimelech, in tribu Dan. Judic.9. Item fil. Supha. 1.Par.7. Lat. *puteus*, sive *explanatio*, aut *in luce ejus*.

Beraba, Indiæ extra Gangem op. Ptol.

Berabonna, Indiæ extra Gangem emporium. Ptol.

Berambe, Babyloniæ urbs. Ptol.

Berauna, urbec. Germ. in Bohemia, ad Misam fluv. 3. leuc. à Praga. Quibusdam *Verona* dicitur. Germ. *Bern*.

Berbica, pop. sunt, qui certam ætatis metam transgressos perimunt, virosque immolant præfocatis mulieribus. Ælian. *ποικιλ. lib.*4. *cap.*1.

Berbis, lacus Thessaliæ. Item Pannoniæ inter. op. Ptol. nunc *Berzenche*, 2. mill. à Dravo fluv. sub Turcis.

Bercerelus, mons Macedoniæ. Ptol.

Bercheria, prov. seu Comit. Angl. juxta Tamesin fl. inter Oxfordiam & Viltoniam prov. Ibi aliàs pars Atrebatum pop. *Barckshire*. Angl.

Berchorius Petrus, ex Pictonibus, Prior. Ord. Bened. Lutetiæ, scripsit

scripsit Cosmographiam, epitomen historiæ Biblicæ, Repertorium morale, Livium Gall. &c. sec. 14. Possevin. *in appar.* Trithem. Voss. *de histor. Lat. l.* 3. *c.* 9. Spond. An. 1350. *n.* 1.

Berchtoldus I. Dux Zeringiæ, cujus familiæ origo à Lancelino est, filio Guntrami divitis, cujus pater Humfredus, Erchinaldum illum celebrem Austriacæ, aliarumque illustrissimarum familiarum satorem, progenitorem habuit. Huic Berchtoldo cùm Imperator Suevicum promisisset ducatum, dein ejus loco Carinthiam concessit. Inter filios Gebhardus Episc. Constantiensis fuit an. 1085. Reliqui duo Berchtoldus II. & Hermannus, rami Zeringio-Teccii, & Hochbergiâ-Badensis auctores fuere.

Berchtoldus II. patri successit, Rudolphi D. Sueviæ in Cæsarem electi, ut & posteà Hermanni, partes amplexus, magnam partem Sueviæ ducatus suæ ditioni adjecit. Obiit an. 1111. pater Berchtoldi III.

Berchtoldus III. Friburgi Brisgoiæ conditor, ad Molshemium, cæsus An. 1122. Conradum fratrem successorem habuit. Qui moriens an. 1152. filios Bertholdum IV. & Adelbertum, novarum linearum, Zeringiæ & Teccensis, auctores reliquit.

Berchtoldus IV. Brisaci, secundùm nonnullos, conditor, continuato cum Reinaldo Burgundo bello, tandemque lite ab Imperatore an. 1167. compositâ, reliquâ Burgundiâ & Regno Arelatensi, quod Pater sibi vindicaverat, abstinere, & aliquibus in parva Burgundia, Allobrogum, Sedunensium, ac Aventicorum ditione bonis acquiescere jussus est. Obiit an. 1186. Pater Berchtoldi V.

Berchtoldus V. cœptam à Patre Bernam absolvit, in Palæstina Friderico Barb. militavit, ut & postea Friderico II. Tum rebelles in Helvetia domuit. A Papa & El. Coloniensi oblatum fastigium Imperiale, Philippo Suevo, seu ultro, seu acceptâ pecuniâ, cessit. Ex mœrore, ob extinctos, seu secundæ conjugis quam ob hoc decollari curavit, seu Burgundorum, scelere filios, mortuus est, an. 1238. Ejus in moneta Reip. Bernensis effigies & nomen servatur. V. Stumpf. *lib.* 7. *de Argovia*, *capp.* 28. 29. 30. Philip. Jac. Spener. *in syll. Geneal. Hist.* & in voce *Zeringia*.

Berchtoldus, Vid. *Bertholdus*.

Bercorcales, pop. Gall. Aquitanicæ. Plin. 4. 19. Ubi forsan nunc *Baulac* oppidul. Baudr.

Bercos, nomen viri. 1. Esdr. 2. i. e. *filius concisionis*, aut *separationis*.

Berdes, è ministris Alexandri Magni, ab eo ad Scythas super Bosphorum colentes missus. *Curt.* 8. 2.

Berdua, regio & desertum Afr. cum Urbe cognom. in Libya deserta. Inter Gagoam & Lemptam regiones.

Bere, Arabiæ Desertæ urbs, & alia Indiæ extra Gangem.

Berecynthes, natio inter Phrygas. Strab. *lib.* 10.

Berecynthia, mater Deorum, dicta à monte Phrygiæ *Berecyntho*. Virg. *Æn.* 9.

Ipsa Deûm genetrix fertur Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem. —— ——

Quo in loco Servius de aspiratione disceptat. Et sanè Hesychius cum τ legit, Βερεκύνται, Φρυγῶν τι γένος, καὶ πρότερον Βερεκυντία ἡ Φρυγία, καὶ αὐλὸς Βερεκύντιος. Pari ratione quoque legitur apud Suidam. Aliàs verò ut plurimum aspiratur. Virg. *Æn.* 6.

—— *Qualis Berecynthia mater*
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlicolas, omnes supera alta tenentes.

Statius *lib.* 6. *Thebaidos*,

——— *Qualis Berecynthia mater,*
Dum circa parvum jubet exultare Tonantem
Curetas trepidos; illi certantia plaudunt
Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide.

Horat. 1. *Carm. Od.* 18.

——— *Sæva tene cum Berecynthio*
Cornu tympana. ———

Beregra, Prætutiorum in Ital. op. Ptolemæus mendosè Βέγεγρα vocat. Opidani Plinio 3. 13. *Beregrani*. Et in lib. Frontini *de coloniis*, est *Beregranus ager*. Situs ejus incertus est, nisi quòd Ptol. inter Interamniam id habeat, & Asculum, Hadriamque, & Plinius quoque in mediterraneis recenseat.

Beren, nomen civ. in tribu Aser, Jos. 19. Lat. *Venter*, *seu terebinthus*.

Berengaria, Richardi Anglorum regis uxor, filia Garsiæ, Navarræ regis. Polyd. *lib.* 14.

Berengarius I. Forojuliensis dux, fil. Eberardi, & Gislæ, Ludov. Pii filiæ, regnum Italiæ sibi vindicavit, contra Guidonem, ducem Spolet. à quibusdam electum. Sed huic impar, recepit se ad Arnolphum Imper. Postmodum, æmulum Ludovic. Bosonem, Regem Arelat. & Comit. Prov. sibi ab Italis proditum excæcavit. Imperator hinc coronatus à Joh. 9. & 10. Bulgaros, Hungaros, proprios tandem subditos infestos sensit, qui Rodolphum II. Burgundiæ Transjuranæ R. ei opposuerunt. Contra quem Hungaros evocavit, à quibus Lombardia vastata, & Papia direpta, ipse tandem Veronæ à suis occisus obiit, an. 924. regni 22. Sigonius, *de regn. Ital. l.* 6. Flodoard. Blondus *lib.* 2. *Dec.* 2. Luithprand. *lib.* 1. *cap.* 6. *&c.*

Berengarius II. cognom. *Junior*, fil. Alberti Marchionis ex Gisla, Berengarii I. filia, contrà Hugonem, Regem Italiæ & Arelat. insurrexit, infeliciter. Hinc in Germaniam, ad Ottonem. Unde redux, Hugone ab Italis deserto, parte Italiæ potitus Regem se dixit, post mortem Lotharii, fil. Hugonis. Luitprandum histor. ad Constantinum VIII. Imper. misit, in suos sæviens, ab Ottone illorum precibus implorato captus an. 964. & in Germaniam abductus est. Obiit Bambergæ, Luitprand. *l.* 5. & 6. Leo Hostiens. *lib.* 1. Flodoard. *Chron.*

Berengarius Raimondus, Comes Prov. filius secundus Raimondi Berengarii I. maritus Beatricis, hæredis Comitatus Melgueil prope Monspelium, cum vicinis bellum gessit, occisus in prælio, vel à piratis, ut alii volunt, an. 1145. Nostradamus, & Bouche, *hist. Prov.* Zurita *lib.* 1. V. *Raimondus Berengarius*.

Berengarius, tempore Leonis IX. Pontificis Ann. Dom. 1049. vir pietate, & eruditione clarus, Andegavensis Ecclesiæ Diaconus, qui quum videret Pontificios Doctores quàm plurimos ingenti fastu Transubstantiationis fundamenta sternere, quòd mentem Augustini, & aliorum veterum non intelligerent, sed sacramentales, & hyperbolicas nonnullas locutiones ad novum sensum inducendum detorquerent, veram sententiam ex Orthodoxo consensu repetitam his corruptelis opposuit, & verbo Dei, testimoniisque vett. Theolog. refellere conatus est, scriptis etiam, & evulgatis libris, ut pii in verâ doctrinâ confirmarentur: Fuit Vir tantæ eruditionis, ut *venienti Romam Pontifex assurrexerit, ingenii dona se venerari dictitans*. Scripserunt contra eum Adelmannus Leodiensis, & Guido Aretinus. Mox cùm jam plurimæ Ecclesiæ ei accessissent, in Synodo Vercellis celebrata & alibi damnatus, humani quiddam passus est, & metu mortis doctrinam suam ejuravit. Sed hinc dimissus contra palinodiam suam scriptum edidit, docens eam sibi per vim extortam, *Romanam Eccl. Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis, Satanæ sedem, &c. esse*. Cui iterum se opposuit Lanfrancus Italus, Episc. Cantuar. Obiit An. 1091. æt. 90. Hauserat autem puriorem hanc doctrinam à Joh. Scoto, seu Erigene, præceptore Caroli Calvi R. Sigon. *l.* 8. *ad An.* 1054. Hosp. *in præf. in librum Concord.* Pantal. *in Chronol.* Ejus sententiam plurimi tum tuiti sunt, inprimis in Hibernia, Clericus quidam, Bernhardus *in vita Mal.* Quo tempore, & Fluentinus Præsul Florent. Antichristum jam natum esse asserebat: & Romæ Arnulphus, quòd errores & vitia Cleri insectaretur, combustus est. An. 1110. 1118. Platina.

Berengosius, Abbas, ann. 1212. scripsit quædam, Bibliothecæ P.P. tomo 2. inserta. *edit.* 2.

Berenice, vel *Beronice*, quo nomine mulieres plures fuere. *Prima*, Ptolomæi Lagi uxor, & mater Philadelphi, rarâ mulier formâ, & viro dilectissima, cujus Theocritus meminit. Urbem cognom. condidit, Plin. 6. 29. Quomodo hæc maritum, inter aleæ lusum, ferentem sententiam de capitibus hominum temerè, corripuerit, Ælianus *Var. Hist.* 14. 43. refert. Super quo loco ejus, corruptus enim ex parte est, videndus Janus Rutgersius, *lib.* 1. *Var. Lect. cap.* 6. 2. *Altera* Ptolomæi Philadelphi & Arsinoes Reginæ filia, uxor fratris Ptolom. Evergetæ, cujus capillum inter sidera Conon Mathematicus figmento, gratiam Regis Evergetæ aucupatus, retulit. De quo crine Callimachus elegiam composuit, conversam posteà à Catullo, cujus hoc est,

E Bereniceo vertice cæsariem.

Tertia Herodis Ascalonitæ filia, Agrippæ frat. uxor. Juven. *Sat.* 6.

———*Deinde adamas notissimus, & Berenices*
In digito factus pretiosior, hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede Sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Berenice siquidem hæc nudipes, & capillos rasa venit Hierosolymam, Deo vota pro salute solutura. V. Act. 25. 26. Str. *l.* 16. Jos. *lib.* 2. *Belli Judaici*, & Egesippum. *Quarta* Herodis, Antipatri filii ex Salome sorore, neptis, Aristobuli, Herodis ejusdem filii, uxor. *Quinta* Græcorum fuit *Berenice*, *Callipatra*, quemadmodum Pausanias scribit, cognominata; spectatrix certaminum Gymnicorum præ reliquis omnibus mulieribus sola, quòd & mater, & soror, & filia esset Olympionicarum, veluti Plinius retulit, *lib.* 7. *cap.* 41. Val. Max. *lib.* 8. *cap. ult.* *Berenicæ*, inquit, *contigit, quod nulli alii mulieri, ut Gymnico spectaculo interesse contigerit.* Item fil. Ptolomæi Auletæ, uxor Archelai.

Berenice, Regina amata Tito Vespasiano, florens ætate formaque, & seni quoque Vespasiano, magnificentiâ munerum grata. Tacit. *Hist.* 2. 81.

Berenice, aliis *Beronice*, civitas à Pyrrho juniore condita: altera, *Bernice* Arriano, *Chosair* Ziegl. *Alchasir* Nigro, al. *Celir*, urbs Ægypti ad fin. Arab. in Æthiop. confin. à Philadelpho Ptolemæo; tertia in Troglodytis; quarta quæ prius dicebatur *Chius*; quinta in Ciliciâ; sexta, *Bernich*, quæ prius *Hesperia*. Urbs Cyrenaicæ marit. archiep. Ubi Hesperidum horti & lucus sacer. Est & alia circa Syriam, quam *Pellam* vocant. Steph. V. Plin. *l.* 5. & 6. Strab. *l.* 2. & 17.

Berenicida, pars tribûs Ptolemaidis. Steph.

Berenicis, tractus Africæ Cyrenaicæ, qui est circa Berenicem urbem. Lucan. *lib.* 9.

—— —— Nam quicquid pulvere sicco
Separat, ardentem tepidâ Berenicida Lepti,
Ignorat frondes. ——

Berentheaces, Arcadiæ fluv. qui in Alpheum infunditur: in ejusdem ripâ est Berenthe op. Pausan.

Beres, urbs Thraciæ. Steph.

Berethis, Æthiopiæ vicus circa Nili plagam Orientalem. Ptol.

Beretra, vide *Belegra*, & *Beregra*.

Berex, gens inter Indiam, & Æthiopiam. Steph.

Berga, urbs Scandinaviæ maritima, sita in sinu flexuoso, vulgò *Carmesond*, cum arce valida *Bergenhusium*. Emporium totius Norvegiæ celeberrimum olim fuit, societatis Teutonicæ, ob commodissimum ac tutissimum portum: Unumque ex quatuor in Europa præcipuis, quæ sunt Brugæ Flandriæ, Londinum Angliæ, Nugardia Moscoviæ, & quartum Berga Norvegiæ. Metel. Gaudet portu capaci & editis montibus cincto. Ab eo Regio adjacens dicitur *Bergensis* Præfectura. Paretque Regi Daniæ, cum tota Norvegia.

Berga, oppidul. Germ. & caput Rugensis Inf. in mari Baltico, prope Pomeraniam. Sub Suecis, ab a. 1630. In monasterio *Bergensi* formula Concordiæ concinnata, An. 1577. Vid. Hospinian. *l.26. & 35.* & in voce *Concordia*.

Berga ad Zomam, urbs permunita Belgii, in Brabantia, ad Scaldim fl. Marchionatus titulo clara ab a. 1533. vel potius ad Zomam, qui in partem Scaldis prope illabitur. Hinc portus oppidi longus & nonnihil flexuosus. Floruit multum commerciis, sub ditione Marchionum cogn. quibus origo fuit à Johanne, filio naturali Joh. III. Brabantiæ ducis. Ex his Johannes, cum Montiniaco, ad Philippum II. Hisp. R. Legatus ab Ordinibus iit, infelici eventu, an. 1566. Postea Antuerpiæ vicinitate & belli malis attrita est, donec fœderi adjiceretur. Frustra tentata à Parmensi, An. 1588. Mauritio donata est, ab Ordd. Hodieque sub Hollandis. Frustra iterum tentata à Spinola D. anno. 1622. 7. leuc. ab Antuerpia.

Berga S. Gertrudis, Urbs Hollandiæ permunita, Principis Arausicani, sub dominio tamen Batavorum, in ora littor. Huic nomen à S. Gertrude Pipini Landeni f. quæ mortua est an. 664.

Berga S. Vinoci, urbs Flandriæ, sub Francis. V. *Vinociberga*, seu *Fanum S. Vinoci*.

Bergamsteldt, prope Cantuariam in Anglia, ubi Concilium, an. 698. sub rege Witredo.

Berge, urbs aut vicus Thraciæ, ex quâ natus est Antiphanes Comicus; unde proverb. Βεργαΐζειν pro *nihil veri dicere*. Steph. Incola *Bergæus*, Hesych. Βεργαῖος, ὁ ἀπὸ πόλεως Βέργης.

Bergensis regio, tractus Germ. ad Rhenum. V. *Montensis* ditio.

Bergepolis, urbs Abderitarum. Steph.

Bergeracum, urbs Gall. in Petrocoriensi prov. ad Duranium fl. olim munita, adhuc elegans est & dives, 5. leuc. à Petrocorio in mer.

Bergidum, urbs Hisp. Ptol. *Berdun* vulgò dicitur. Al. est Urbs Ilergetum, ad Cincam fl. quæ nunc *Balbastre*, in Arag. V. *Barbastrum*.

Bergintrum, vel *Bergnitrum*, Anton. hodiè Centron, est cœnobium D. Bernardo sacrum, idque in summo vertice Graiarum Alpium, ut prodit Simlerus. Baudr. est opp. Centronum, nunc *S. Maurice* castrum ad Isaram, in Sabaudia, versus montem min. S. Bernhardi.

Bergion, & *Albion*, fratres, Gigantes, & filii Neptuni, qui cùm Herculi Rhodani ostia trajicere paranti, vi obsisterent, à Jove imbre lapideo sunt interempti. Melâ *lib.2.*

Bergistani, Hisp. pop. Livio.

Bergium, Germ. urbs. Ptol.

Bergium, Saxonica vox, urbem, oppidum, burgum notans. Propriè autem *Berg* mons est, unde montem Apenninum, quo Sibyllæ antrum fuisse perhibent, Germani *Venus-berg* appellant. At etiam *Civitas*, & *habitatio*: fortè quòd primi mortalium in montibus habitabant, juxta illud Orphei *in Argonaut.*

Οὗ Σύμης ὄρος ἐστὶ πολύς τ' εὐθαλὴς λειμών,
Mons Symus hîc urbs est, viridanti gramine pratum.

Vel quòd habitacula & castra condituri, in egesto monte, seu loco aggere munito ædificabant. Hinc vett. Francorum *Mallobergium*, &c. V. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Bergomum, oppidum episc. Italiæ Transpadanæ. Plin. 3. 17. ex Cluverii recensione. *Orobiorum stirpis esse Comum, atque Bergomum, & Licini forum, & aliquot circa populos, auctor est Cato, sed originem gentis ignorare se fatetur, quam docet Corn. Alexander ortam è Græcâ interpretatione nominis, vitam in montibus degentium. in hoc situ interiit opidum Orobiorum Berra, unde Bergomates Cato dixit ortos, etiam nomine prodente, esse altius quam fortunatius sitos.* Hæc ille. Scilicet *Bergomatium* etiam nomen prodebat eos altè, i.e. *in monte esse sitos. Berg* quippe etiamnum Germanis est *mons. Home* verò Anglis *domicilium*. Vide Cluverium *Ital. Ant. lib. 1. cap. 25.* & *Germ. Ant. lib. 1. cap. 7.* In agro cognom. cum Castro, sub Venetis ab an. 1508. inter Brembum & Serium fl. Baudr. Caput est territorii cognom. seque sponte Venetis subjecit, anno 1408. Morerius ex Leandr. *descr. Ital.*

Bergos, V. *Berga Norvegia*.

Bergula, Thraciæ urbs. Ptol. Βεργούλιον Cedreno, qui illud quoque *Arcadiopolin* nominatum tradit. *Bergas* hodiè Mercatori. In Copialica reg. Thraciæ, prope montem Rhodope, inter fluvios Melam & Arzum.

Bergusia, Ilergetum urbs in Hisp. Tarrac. in Pyrenæis. *Pertus* hodiè dicitur Varrerio, & Beuthero, ad Sicorim fluv. ubi nunc *Balaguier*, urbs Cataloniæ, 5. leuc. supra Ilerdam. V. *Ballegarium*. Livius & Stephanus *Bargusios* populos habent. Est & oppid. in Gall. Narbon. Anton. *in Itin. Burgoin.* 5. leuc. à Vienna in Ortum.

Beria, filius Aser. Gen. 46. qui 1. Par. 7. *Baria* dicitur. Filius item Ephraim. 1. Par. 3. Lat. *in malo*, sive *in clamore*, aut *in ululatione*, vel *in pastu*.

Berillus, Bostrenæ urbis Arabiæ præsul, cùm plura rectè pro religione scripsisset, ad extremum omnia corrupit, peregrina quædam adducens, & Christi divinitatem negans, an. 240. Quare præsules non pauci convenere disceptationis gratiâ; inter quos Origines ita errorem ejus confutavit, ut redire eum ad sanitatem compulerit. Euseb. *lib. 6. cap. 28. & c. 36. 37.*

Berim, regio in tribu Nephtalim, cujus in libris Regum in Hebræo textu fit mentio, 2. Reg. 20.

Berinsona, op. Insubriæ ad Ticinum fluv. *Belinzona* hodie dicitur. V. *Belitio*.

Berjolium, oppidul. Franciæ, in Provincia. Vix. 3. leuc. à Brinolio in Sept. & 5. à Rejis in Austrum.

Beripara, Thraciæ op. Procop.

Beris, sive potius *Baris*, Armeniæ Mons, in cujus vertice quidam falsò arbitrati sunt veteres, multos tempore diluvii servatos; ibique Noe Arcam applicuisse. Item Cappadociæ fluv. Arrian. *in Periplo*.

Berlandus Petr. pauperrimis natus parentibus, Archiep. Burdigal evasit. Continuavit Chronologiam, Pragmaticam sanctionem recipere noluit, Universitatis Burdegal. auctor. An. 1441. Obiit an. 1453. San Marth. *Franc. Christ. tom. 1. pag. 22.*

Berlingerius Marsilius, Nicolai fil. Poëta idem ac Geographus, an. 1480. ut arguunt sex libri, quos de Geographia Ptolomæi fecit, carmine Italico, ad Federicum Urbinatium Ducem, cum plurimis æneis tabulis.

Berlinum, Urbs permunita Germ. in media Marchia Brandeb. ad Sprevum fluv. Electoris sedes. Urbs duplex est, cujus pars una propriè Berlinum, altera, quæ cis Sprevum, Colonia dicitur. 10. leuc. à Vitteberga in Boream.

Berna, vulgò *Bern*, Helveticarum urbium potentissima, in Pago Aventicensi, in longum porrecta, ad Arolam, quæ eam fere totam concludit: eleganti & pervenustâ ædium omnium & viarum similitudine, nulli urbium quàm sibi similis. Inter Solodurum, & Friburgum sita, à Berchtoldo IV. Zeringiæ D. inchoata, à filio verò ejus Berchtoldo V. consummata est, & ab augurio primi occurrentis Urbi nomen accepit, A. C. 1191. Myconio pro. in *Arctopolis* dicta. Hic ultimus Zeringiæ Ducum offensus nobilitati, cujus fraudibus filios suos amisit, urbem à se conditam imperio Rom. attribuit, libertateque donavit: Jus civitatis nactam ab Henrico VI. & Philippo II. Impp. Ratum id habuit Fridericus II. & ab obitu Zeringii, An. 1218. nomine Imperii urbi præfectum dedit: à cujus jure, ob fortem & fidelem operam navatam, paulo pòst exempta, majoribusque immunitatibus donata est. Kyburgium Comitem primùm infestum sensit, cui ut pares essent Bernenses, sese in clientelam Sabaudiæ Comitis dederunt, cujus suasu ampliata urbs est, An. 1228. quæ, bello inter Burgundos & Sabaudos exorto, ob rem pro his strenuè gestam, præmium fortitudinis libertatem recuperavit: in fœdus amicitiamque perpetuam à Comite suscepta. Bello implicita contra Gothofridum Habspurgicum, An. 1241. non ex voto rem gessit. Cum Friburgo fœdus pepigit Anno 1243. similiter cum Valesianis, in 10. annos, An. 1251. A Rodolpho Habspurgico, Imperatore, obsessa An. 1287. hostem etiam filium Albertum Imp. experta est, cum quo prope urbem conflixit, non sine suorum strage, Ann. 1291. Felicior contra Comitem Sabaudum, qui multorum Principum opibus adjutus, hostili animo Bernenses aggressus est, anno eod. hunc enim illi auxilio Comitum Kyburgiorum & Arbergii, civitatisque Salodorensis nixa, ingenti prælio, in colle, qui à tonitruo nomen habet, vicerunt, duce Ulrico Erlachio. Hinc fines ampliati, & Lupensi prælio, Uriis, Suitiis & Undervvaldiis adjuvantibus, duce Rodolpho Erlachio, hostes gravissimâ clade affecti sunt, An. 1339. Exin contra Friburgios, qui Austrio se in clientelam dederant, & vicinam nobilitatem, non minori successu, pugnatum, ad Schonenbergium, eodem anno, ipsaque oppidi suburbia incensa sunt: pacem Agnete Ungaricâ conciliante; ut alia taceam. Rursus auctior urbs reddita, An. 1346. cum Friburgensibus novo fœdere coiit. Litem dein illi cum Argentinensibus ortam, arbitri sopivere. Cùm autem nobilitatem, utpote in Austriorum clientela, semper experta esset infestam, cum tribus Pagis, Uria, Suitia & Undervvaldio, perpetuo fœdere conjuncta est, An. 1353. cui postquam & reliqui accesserunt, secundum inter Cantones locum obtinuit. Post plurima seqq. temporibus egregiè gesta, An. 1536. Argoviam, Sigismundi Imp. jussu, tempore Concilii Constantiensis, occupavit, pignorique accepit, An. 1415. V. *Argovia*. Ducem quoque Sabaudiæ, ditionibus suis, in Aventicensi

pago & regione Vaudi, Genevam usque Bernenses exuerunt, eò quòd Urbem hanc sibi confœderatam Dux infestasset, &c. Tragœdiæ 4. Dominicanorum, quibus cum Franciscanis, de conceptione B. Virginis vetus contentio fuit, memoratu dignæ, An. 1507. ut & Urbis prolixior historia, videatur apud Stumpf. *Chron.* Disputatione de variis articulis Christianæ fidei, habitâ An. 1528. cùm Monachi malè causam tuerentur, communione Latinâ desertâ, Evangelium amplexa est Urbs, habuitque inter primos Reformatores Hallerum Theologum insignem. Abrah. Scultetus *in Annalibus*: Militiam simul mercenariam abrogavit, &c. Insignia Urbis ursus niger, in viridi cespite & campo albo, primitus fuere, quæ postea cur & quomodo immutata, apud præfatum Stumpfium legere est. V. & Simlerum *de Rep. Helv.* &c. Hic etiam Valentinus Gentilis ob blasphemias capite plexus est: quam historiam Ben. Aretius literis consignavit. Caput est Pagi cognom. Glareanus de hac urbe, *in Panegyr. Helv.*

Accede ô memoranda meis Ursina propago
Carminibus, gens Andino bene digna cothurno,
Mæoniaque lyra, & Phœbi laudanda Camœnis.
Urbs actis prudens, urbs tot regnata per annos,
Tot populis, tot castellis, tot & arcibus altis:
Uni qui nobis pugnando restituunt rem.
Hanc Arola undosus, Rhodanoque fugacior amnis
In circum lambit, scopuloque immurmurat unda.
Aspice Dædalios circos, Rhodiasque columnas,
Et Labyrinthæum rutilis vicinius astris,
Templum horrendum, ingens: non illud Mausolaum,
Sed neque Pyramides, Memphitica marmora, vincent.

Bernabon, Vice Comes Mediol. in suos, in vicinos sævus, Ecclesiasticorum contemptor: Proin, à Carolo 4. ac Urbano 5. damnatus, & victus est 1363. Ob apros aliquot, qui agros vastaverant, interemtos, ad centum homines crudeliter occidit, eorum, qui fugâ sibi consuluerunt, domos combussit, &c. 5000. canum subditorum impensis, aluisse dicitur. Tandem à nepote suo Jo. Galeacio, in carcerem conjectus, ibi obiit. An. 1385. æt. 66. Corius. *hist. Mediol.* p. 3. Antonin. *tit.* 22. *c.* 2. §. 16. *& seqq.*

Bernaburgum, Urbec. Germ. cum castro in Princ. Anhaltino, ad Salam fluv. ubi Vipperam recipit, 4. leuc. Germ. à Magdeburgo in Mer. 4. à Dessavia in Occid. V. *Bernburgum.*

Bernama, Hedetanorum in Hisp. op. Ptol.

Bernardi Urbs, Urbec. Germ. in Silesia & Ducatu Olsnensi, ad Veidam amnem. *Bernstad* vulgò. 3. leuc. ab Uratislavia in Ort. versus Poloniam.

S. Bernardi congregatio, à Mart. Verga fundata, Cistertiensium regulâ veteri renovatâ, *in Hisp.* Ann. 1425. Albert. Miræus, *l.* 5. *cap.* 4.

Bernardinus Balde, Urbinas, Geographus & histor.

Bernardinus de Bessa, Francisc. Bonaventuræ socius. Scripsit epitomen Legendorum sui ordinis & Chron. Generalium.

Bernardinus Corius, Mediol. auctor vitæ Imperatorum, hCronic. Mediolan. &c. V. Gesnerum, Vossium.

Bernardinus Ochines, Senensis, Capucinorum Gen. exuit monachalem habitum, ut uxorem ducere posset. Polygamiam scripto defendit, Obiit miserrimè, in Anglia, omnibus exosus, Anno 1547.

Bernardinus Rutilius, scripsit vitas vett. Jurisconsultorum.

Bernardinus Salinus, Mathematicus, &c.

Bernardinus Senensis, Francisc. obiit An. 1444. sexennio post, à Nicol. 5. sanctis insertus. Scripsit plurima, 5. tomis, edita Parif. An. 1636.

Bernardus, fil. Pepini, nepos Caroli M. Rex Italiæ factus, An. 813. quò Carolus jam miserat filium alterius Bernardi, avunculi sui, sub cura Valæ seu Galonis. Ludovic. pium throno deturbaturus, tanquam majoris natu filius, ab Imperatore victus, captus, & excæcatus, triduo pòst Aquis Sextiis obiit, An. 818. relicto filio Pipino, patre alterius Bernardi, Pipini & Heriberti. Hist. Gall. *in Lud. Pio.*

Bernardus, Patr. Antiochenus, per 36. an. Ei cum Hierosolymitano, ob limites, lis. Baron. *An. C.* 1099. 1136.

Bernardus, Burgundus, in loco *Fontaines* dicto, prope Divionem natus, An. 1091. circa 22. ætatis suæ annum, sub Abbate Stephano, qui tertius fuit in Cœnobio Cistertiensi paulo antè instituto, unà cum 30. sociis monasticam vitam egit. Deinde verò Claravallensi Cœnobio, tunc primum Roberti viri illustris impensâ constructo, annos 36. præfuit. Ejus operâ, cujus tum *voces Oracula erant*, Innocentius 2. Pontifex agnitus est, & Victor Antipapa sponte renunciavit. Abaillardum convicit, Monacho Rodolpho, omnes Judæos occidendos esse clamanti se opposuit, Crucem in Turcas sumi jussit; sub Ludov. Jun. lites Principum composuit, Templariis regulas præscripsit, &c. Obiit A. 1153. Edidit commentarios in Cantica, Considerationem divinæ contemplationis ad Eugenium Pontificem, varias insuper epistolas. Sermones etiam in diebus solennibus habitos. Volat. Quæ opera omnia 6. tomis comprehensa, cum ejus vita, edidit Merlonus Horstius, parochus Coloniensis. Nullos habuit præceptores præter quercus & fagos. Hinc proverb. *Neque enim Bernardus vidit omnia.* Nec mirum, cùm incidit in fatalia illa tempora, quibus literis omnibus ferè bonis spissa nox incubuit. *Vir dignissimus meliori ævo, qui vel in tantis tenebris veritatis lucem salutarem aspexit, vicesque suas sæpe deploravit*, uti loquitur Mortonus *in Causa Regia*, *cap.* 3. *sect.* 7. Librum ejus *de Gratia & libero Arbitrio* plurimùm laudat Vossius; *Qui præconio nostro non indiget, cùm in deliciis esse omnibus soleat, qui Catholicam sententiam sequuntur.* Ita ille *Hist. Pelag. lib.* 1. *cap.* 21. Certe eò *scelerum redactum esse regnum Pontificium* agnovit, *ut nil nisi Antichristus præ foribus expectari queat.* V. Sigon. *l.* 11. *ad An.* 45. 46. 47. Ejus tempore Hildegardis monialis prædixit, *futuram magnam religionis mutationem.* Petrus Bruis 20. *annis Tolosa puriorem religionem docuit*, ob id etiam exustus. Thuc. *in Catal. test. ver.* & Henricus Monachus, *Missas pro mortuis*, *Sanctorum Invocationem*, *cœlibatum*, *peregrinationes*. *Chrismatis & olei consecrationes*, *superflua festa*, *Transubstantiationem*, *&c.* acerrimè oppugnavit; ut Galliam ferè totam doctrinâ suâ impleret, & *Basilicæ sine plebibus*, *plebes sine sacerdotibus essent*: sub patrocinio inprimis Hildefonsi S. Ægidii Comitis & Tholosæ: sed in hos plebs excitata à Monachis, qualis & ipse Bernardus, tam crudeliter sæviit, ut id huic vehementer displiceret, dicenti, *approbamus Zelum, sed factum non suademus, quia fides suadenda est, non imponenda.* Morn. *in myst. pag.* 683. Bern. *l.* 3. *c.* 5. *Epist.* 240. 241. *Serm.* 66. *in Cantic.* & 80. Cœterum de illo V. Trithem. & Bellarm. *de Script. Eccl.* San Marthan. *Gall. Christ. tom.* 4. *pag.* 253. &c. Hujus lectioni Carolus V. in secessu suo præcipuè deditus, ejus maximè de duplici hæreditate Christi discursu, in agone mortis se solatus est. Thuan. *l.* 14. *Bernardum*, verò Monachi Cluniacenses dictum volunt, quasi *bonum nardum*; alii quasi *Hard child*. Germani ab *urso* dici volunt, qui illis *Bern* dicitur, ut respondeat τῷ *Arthur*. Aliis dici videtur, qu. *filialis indoles*: Sic *Bernher, Lord of many children.* Camdenus.

Bernardus An. 1210. congregationem pauperum Catholicorum instituit, oppositam Valdensibus, qui *pauperes Lugdun.* dicti.

Bernardus Comes Barcinonensis, Juditæ Imper. fautor. Immixtus turbis filiorum Ludovici Pii. Mezerav, *in Ludov.*

Bernardus Cardinalis, à Clem 6. in Hisp. missus, An. 1343. Alius, An. 1345.

Bernardus Breitenbachius, Itinerarii Terræ S. auctor.

Bernardus Compostellanus, scripsit de constitutionibus Pontificum & priscis Hisp. Regibus.

Bernardus Girardus, Historiographus Galliæ, sub Carolo IX. Accuratiore methodo res Gallicas describere aggressus, quàm antecessores fecerant, non tulit omnium eruditorum punctum. Plagii certè & fidei non optimæ accusatur, à Morerio, *in addit.* Idem edidit librum, *De l'Etat & succes des affaires de France*, Obiit An. 1610.

Bernardus Gualterus, Mathematicus.

Bernardus Guidonis, Limosinus, Chronicon Paparum, Imp. & Regum Galliæ edidit, &c. An. C. 1330. Voss. *de hist. Latin. l.* 2. *c.* 62.

Bernardus Lucemburgensis, hæreticorum catalogi auctor.

Bernardus Noricus & *Rucellarius*, historici, ille Borboniæ, hic Florentiæ. Leand. *descr. Ital.*

Bernardus Seissetus, Bonifacii mancipium, Episc. Apamiensis, à Phil. pulchro, ob linguæ impudentiam, in vincula conjectus.

Bernardus Saliniacus, Arithmeticam edidit.

Bernardus Dux Vinariensis, rebus in bello Germanico præclarè gestis, celeberrimus. Qui cùm victricia Hornio & Bannero junctus diu circumtulisset arma, post Gustavi Ad. mortem confœderati exercitus Dux, insigni clade ad Nordlingam, an. 1636. à Ferdinando, Ferdin. II. fil. victus, non tamen fractus est. Copiis enim novis Gallico ære comparatis, jam Archistrategus Gallo-Suecicus, in Alsatia & Lotharingia, fortis & felix, unico anno hostibus ter acie victis, Rhinfeldiaque expugnatâ, & gloriæ cumulo, Brisaco, an. 1638. Obiit an. pòst, fato an veneno? nam & hoc traditur, Neoburgi ad Rhenum.

Bernava, op. Hisp. Tar. non procul à Cæsareâ Augustâ, vulgò *Benavar.*

Bernburgum, oppid. in Anhaltino Principatu: sub Principe ex illustrissima hac familia: quæ primò in Servestanam & *Bernburgensem* lineas divisa est, ab Henrici Sen. quem Fridericus II. Imp. Principem Anhaltinum creavit, filiis Sigfrido & Bernardo. Huic Bernardo successit Bernardus I I. fil. pater Bernardi III. qui Ascaniâ ab Halberstadiensibus ejectus, *Spoliati* nomen habuit. Hoc præter alios natus Otto est, qui Bernardum V. & Ottonem genuit, sine prole extinctos: Successit sec. 15. in Bernburgica ditione Georgius agnatus. Rursus dein Joachimi Ernesti, qui solus, post plura secula, totius Principatus successor fuerat, filius Christianus, *Bernburgicum* ramum cepit: laude militari inclytus. Hic A. C. 1591. in Galliam auxiliarem exercitum adduxit. Inde 1592. in Argentinensi bello operam suam Brandeburgicis navavit. V. Thuan. *lib.* 101. 104. 133. Ex eo in Unione ipse unus è præcipuis & arcanorum omnium particeps, atque Vicarius generalis fuit: illiusque auspiciis 1610. Juliacum cum Mauritio Nassovio cepit. Obiit an. 1630.

relictis Christiano Jun. (qui mortuus anno Ch.1656.filiis ex Eleonora Holsata Victori Amedeo & Carolo Ursino successionem transmisit.) atque Friderico, Hazkerodæ domino. Cui ex priori conjuge Johanna Elisabetha Nassovia Wilhelmus natus est. Vid. Spenerum *Syllog. Geneal. Hist.* & supra in voce *Berneburgum.*

Bernenses, pop. Rhætiæ, quorum urbs *Bern* Ortelio dicitur, qui valde fallitur, cùm Berna urbs sit Helvetiorum inter Salodoram & Friburgum urbes sita, apud fines Equestrium, longissimè à finibus Rhætorum distans. Hæc urbs ad fœdus Helveticum admissa A.D.1353. L.Lloyd. Hi populi sunt forsan *Veronenses* : quanquam communius in Gall. Transpad. in finibus Cenomanorum ponatur eorum primaria *Verona*. Baudr.

Bernensis Pagus, à Berna, capite nomen habens, inter omnes Helvetiorum Pagos amplissimus, per 30. mill. extensus, & in Præfecturas complures divisus est. Harum aliæ *Germanicæ*, aliæ *Gallicæ* dicuntur. *Illarum* quatuor suburbanæ sunt, quibus totidem urbis signiferi præsunt; præter eas 27. aliæ: Nempe Haselia vallis, quæ *Ammanum* quidem habet ex suo corpore; verùm hic à Senatu Bernensi deligitur, & huic rationem reddit. Undersea opp. cui præponitur *Schuldthesz*, ut vocant: Simmia vallis duplex, quarum præfectos Castellanos *Schachtlan* vocant: Frutinga, Sana, Aquilegi, vel, ut alii malunt, Salinæ, vulgo *Ællen*: Cujus præfectus *Gubernator* appellatur. Laupa, Thunium, cujus par, ac Underseæ, ratio. Signovium, Trachselvalda ac vallis Emmæ fluv. Brandisium, cujus præfectus à Domino de Brandis eligitur, sed exivium Bernensium numero. Simisuldi; cujus præfectum constituunt Teutonici ord. Magistri. Burgodorphum, Pyrenostica, quæ duæ præfecturæ eodem modo, quo Undersea, administrantur. Landeshutum, Arbergum, Nidovium, Erlacum, Bippium, Wanga, Arvvanga, Arburgum, Bibersteynia, Schenckenbergum, Lentheburgum: Et tria libera oppida Zofinga, Arovium & Brugæ Helveticæ. *Istarum* octo sunt: Aventicum, Minnidunum, Ebrodunum, Lausanna, Morgiæ, Novidunum, Oranum, Zilia cum Viviaco vel Ubisco. Præterea quatuor Præfecturæ, Moratum nempe, Schvvartzenburgum, Gransonium & Chalantum, Bernensibus cum Friburgensibus communes sunt. Cœnobiorum tandem Præfecturas in agro Germanico Bernates novem, in Gallico tres possident. Simler. *de Rep. Helv. &c.*

Berno, Abbas primò SanGallensis, dein Augiæ majoris, prope Constantiam, an.1008. Interfuit coronationi Henrici II. anno 1014. Scripsit multa. Munster. Item, Abbas Gigniacensis, sub initium seculi 9. qui primus etiam fuit Cluniacensis Abbas. Baron. A.C. 912. Sed non fuit Hincmari discipulus, ut contra Voss. *de H.L.l. 2. c.44.* notavit eruditiss. Morerius, hic enim obiit an.882.

Beroa, op. Thessaliæ. Cic. *in Pisonem.*

Beroaldus, Frisiorum R. à Dagoberto Ultrajecti conditore victus, An.626.

Berodach, rex Babylon. 2.Reg.20. qui Isa. 39. dicitur *Merodach.*

Beroe, anus Epidauria, & nutrix Semeles, cui se Juno assimulavit, cùm pellici persuadere vellet, ut muneris loco à Jove peteret, ut talis tantusque secum rem haberet, qualis quantusque solebat cum uxore. Ovid. *Met.* 3.

Ipsaq; erat Beroe Semeles Epidauria nutrix.

Item Dorycli uxor. Virg. *Æn.* 5.

Fit Beroe Ismarii conjux longæva Dorycli.

Item Nympha Penei, filia Oceani, soror Cliûs. Virgil. 4 *Georg.*

Clioq; & Beroe soror Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ.

Beræa, urbs Macedoniæ prope Ludiam fluv. à Pherone conditore dicta, mutato ph. in b. vel è Beroeâ filiâ Beretis, qui Macedonis filius fuit. Hujus mem. B. Lucas Act.Ap.17. *Veria* hodie, teste Sophiano. Sic enim Græculi hodierni pronunciant. *Boor* Turcis, uti author est Leunclavius. Lucianus *in Asino*, Ἐρχόμεθα ἐς πόλιν Μακεδονίας Βεῤῥοίαν μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον. Item Syriæ urbs à Seleuco Nicanore Rege Syriæ & Babyloniæ condita. Aliàs *Beroe*, & *Berrhæa*. Steph. Gyllius & Choniates *Aleppo*, vel *Chalopolim* vocant. Ad Marsyam fluv. Emporium celebre, cum innumeris incolis, maximè Europæis, qui eò ob mercimonia conveniunt. Habet in circuitu 8 mill. Castrum munitum & 3. suburbia. Aliis autem *Alep* est Hierapolis. Pop. *Beræenses.*

Beromi, civitas. 2.Reg.23. quæ 1. Par.11. dicitur *Bauramites*, Lat. *filius caloris*, vel *indignationis*, aut *puritas*, sive *frumentum indignationis*, vel *fugiens aquam.*

Berones, pop. sub Celtiberis, inter Autrigones, Caristos & Pelendones, juxta Iberum fluv. ubi nunc pars Rigoviæ prov. Eorum primaria erat Tritium, nunc *Trejo* quibusd. & eorum vestigium in opp. *Briones*, ad Iberum fluv. ubi recipit Tironem amnem. 6. leuc. à Dominicopoli in Bor.

Beronice, vide *Berenice.*

Berosus, Græce Βηρωσσὸς, Chaldæus, Beli Sacerdos, Historicus. De ætate ejus non convenit inter omnes. Mosi æqualem statui à nonnullis ait Caspar Barthius *Adv. lib. 51. cap.7.* quam sententiam jure, ut ineptissimam, damnat. Claudius Verderius *suâ in Annianum Berosum censurâ*, vixisse ait paulo ante principatum Alex. Magni. Hoc unde astrui possit, non video, sed tamen Alexandri ætate vixisse, lego apud Tatianum, oratione adversus Gentes. Verùm addit idem Tatianus, eum historiam suam dicasse Antiocho Soteri, qui tertius fuit ab Alexandro. Meminere ejus plurimi veterum, eosque inter Vitruvius *lib. 9. cap. 9.* Tertul. *in Apol. cap.19.* & Scriptor Chronici Alexandrini, *pag. 48.* V. Euseb. *de P. E. lib. 10. pag. 289.* edit. R. Stephani. Hieron. *in Esaj. l. 37.* Genebr. *l.2. Chron.* Condidit Babylonica, sive Chaldaica tribus libris, promiscuè enim his nominibus utuntur veteres. Nec res solùm Assyrias, seu Chaldæas, sed etiam Medicas libris istis complexus fuit. Agathias *lib.2.* ubi numeratur cum Athenocle & Simacho τοῖς τὰ ἀρχαιότατα τῶν Ἀσσυρίων τε καὶ Μήδων ἀναγεγραφαμένοις. Ex eo opere, præclara quædam fragmenta conservavit nobis Flavius Josephus *lib.1. contra Apionem*, quorum aliqua luculentis notis illustrat Jos. Scal. *in Append. operis de Emend. Temp.* Habemus & aliud fragmentum apud eundem Josephum *lib.1. Antiquit. cap.5.* Sed Annii Berosus ejusdem est farinæ, ac sunt ejus Megasthenes & Archilochus; ut insanum sit, velle ex quisquiliis istis ac nugis mendacibus metiri magnum illum Berosum, cui, *ob divinas prædictiones*, *Athenienses publicè in gymnasio statuam inaurata linguâ posuere*, ut auctor est Plin. *lib.7. cap.27.* Et tamen, quod mirere, V. Cl. Dionys. Gothofredus *præfatione suâ in Antiqua Hist. authores*, historiarum studiosos cognitionem earum hauriri jubet, non ex decimâ, ut ait, lacunâ, sed ex illo Annii Beroso, Manethone & Metasthene. Vide Voss. *Hist. Gr.* 1.13.

Berosus, collis Taurorum tres habens fontes sine remedio, & sine dolore mortiferos. Plin.2.103.

Beroth, una mansionum filiorum Israel, in deserto, Deut. c. 10. Item civitas Heveorum, Jos. 9. non longè ab Hai. Item nomen urbis. 2.Reg.8. Lat. *putei*, sive *explanationes*, aut *in luminibus.*

Berothea, terminus terræ Israeliticæ. Ezech.46.

Berothi, civitas Galilææ superioris, in tribu Nephthalim sita inter Cedes, Nephthalim, & Aquas Meron.

Berramoth, aliàs *Bercameth*, civitas, Jos.19.

Berresa, op. Æthiopiæ. Plin.6.29.

Bersa, rex Gomorrhæ. Gen.14.

Bersabe, aliàs *Bersabee*, & *Bersabe*, civ. quæ terminus est superioris Galilææ, & initium inferioris Galilææ, in tribu Zabulon.

Bersabea, vide *Bathsheba.*

Bersabee, vide *Beersheba.* Hesychius, Βηρσαβεὲ, μήτηρ Σολομῶντος, καὶ τόπος περὶ τὴν ὀρεινὴν τῆς Παλαιστίνης.

Bersabee, id est, *puteus juramenti*, sive *puteus saturitatis*, aut *puteus septem aquarum*, urbs tribus Judæ, sita tamen intra limites Simeonis, contigua deserto magno, terminus regni Judaici versus Merid. viginti miliaribus ab Hebron, vergens ad Austrum, in regione Geraritica, à Gaza quatuor milliaribus distans. Hieronymi tempore fuit grandis vicus, eratque in ea positum Romanorum militum præsidium. Gen.c.24. Jos.19. 2. Amos. c.5.4,5. V. Joseph. *Judaic. Antiq. l.8. c.13.*

Bersabora, urbs populosa, ampla, & munitissima. Zosimus. *Pyrisaborum* vocat eam Amm. circa Naarmalcham amnem sita est.

Bersane, vidua ab Alex. Magno adamata. Diodor.

Bersarii, & *Beverarii*, Ministeriales inferiores, in Aula Caroli M. de quibus V. Hincmarum Arch. *Epist. 3. cap. 17.* Quidam *Bersarios* pro *Bestiariis* accipiunt, qui in Amphitheatris cum bestiis colluctari soliti: Spelmannus verò sub Venatoribus illos reponit, & quidem propriè iis, qui lupos insequuntur: per *Beverarios* autem illos intelligit, qui Castorem, ubique gentium *Bever* nuncupatum, insequuntur. Sic & Scholiastes Juvenalis *Sat. 12.* Castorem *Bebrum* vocat.

Bersilia, Sarmatiæ Europææ regio. Hist. Miscell. *lib.* 19.

Bersima, Mesopotamiæ urbs. Ptol.

Bersinum, vel *Belsinum*. Gall. urbs, 12. m. p. à Lugduno distans. Anton.

Bersius Marcus, Roschachiensis de lacu Acronio, Pastor ad D. Leonhardi, Basileæ, renascenti ibi Evangelio interfuit, adolescentique annis 43. continuis præfuit, in ætate quoque decrepita, ob singulare docendi donum, omnibus gratus. Obiit an.1566. æt.83. Vid. Urstis. *Epist. Hist. Basil. cap. 12.*

Suggessit cupidis divini pabula verbi,
Eloquio extremam gratus adusq; nivem.

Berta, Besantiæ reg. in Macedoniâ urbs. Ptol.

Bertha, cogn. *magnipes*, filia Cariberti, Comitis Laudunensis. Uxor Pipini brevis, Galliæ R. ex eo mater Carlomanni, Caroli M. Pipini, Ægidii, triumque filiarum. Mezeray, *in Pipino brevi.*

Bertha, fil. Pipini, uxor Milonis, Comitis Andegav. qui pater Rolandi erat. Item fil. Caroli M. uxor Comitis Angilberti, Item, fil. Dieterici, Longob. R. uxor Carlomanni. Item soror Rodolphi ignavi, Burg. R. uxor Odonis I. Com. Carnutensis primò, dein Roberti Galliæ R. an. 1003. quam à Gregorio V. coactus est dimittere, ob nimis propinquum cognationis gradum. Item, mater Hugonis III. Regis Arelati Lucæ sepulta, ubi ejus monumentum hodieque visitur.

Bertha, uxor Adelberti Marchionis Lucæ, post mortem mariti turbas movens, à Berengario Italiæ R. in ordinem redacta est. an. 917. Sigon. *l.6.*

Bertha, Baldvvini Comitis Hollandiæ uxor, quam Philippus Rex Francorum duxit, &c.

Berthierus, Magister Palatii, in Neustria, sub Theodorico I. ob sævitiam à suis cæsus. Mezeray.

Bertho-

Bertholdus, vel *Bernoldus*, presbyter Constantiensis, continuavit Chronicon Hermanni Contracti, ab an. 1054. usque ad 64. addiditque historiam sui temporis, usque ad an. 1100. Baron. *in hoc anno.* Bell. *de Sc. Eccl.* Gretserus, *tomo 2.*

Bertholdus, Livoniæ Episcopus, Menardi successor, Barbaros non verbo & exemplis, sed vi ac armis ad fidem compellere conatus, ab iis trucidatus est. Ei successit Albertus, qui Templarios ad propagationem fidei advocavit, circa A. C. 1200.

Bertholdus de Rorbach, Beguardorum deliria secutus, exustus est, an. 1359. Spiræ.

Bertholdus SchVVartZ, Franciscanus, Friburgo Brisgoiæ oriundus, pulveris pyrii & tuborum ignivomorum auctor. Vid. *Ancklitzen.*

Bertholdus, Vid. *Berchtoldus.*

Bertinum, urbs Marchiæ Brandenburgensis. Munster.

Bertiscus, Macedoniæ mons. Ptol.

Bertisum, Thraciæ opp. Procopius.

Bertius Petrus, Flander, divulgavit an. 1601. tabulas Geographicas contractas, atque auctiores & emendatiores, an. 1616. cum Germanicarum rerum libris tribus. An. 1625. emisit Parisiis breviarium orbis terrarum. An. 1630. Ptolemæi Geographiam græcè latineque edidit emendatius, variosque adjunxit Geographos veteres: à Ludovico XIII. regius Geographiæ Professor factus.

Bertoaldus, Magister palatii, sub Clotario 2. fraude Brunehildis in Neustriam missus, ut sibi dilectum Protadem in ejus locum surrogaret, ibi tributa exacturus occiditur. Hist. Gall. *in Clot. 2.*

Bertolgada, opp. Bavar. infer. in ditione Salisburgensi, ad amnem *Aham*, 3. leuc. à Salisburgo.

Bertrada, fil. Comitis, Simonis Montfortii, Fulconis uxor, quam illo adhuc vivente thoro sibi copulavit postea Philippus Francorum rex: Mater 2. filiorum & filiæ. Mezeray.

Bertrandus de Guesclin, Brito, Connestabilis Gall. sub Johanne & Carolo V. Ducem Lancastriæ obsidionem Rhedonum solvere coëgit, Anglos plurimis locis exuit, hinc Ducatu Longavillano donatus. Dein suppetias profectus Comiti Blesensi contra Comitem Montfortium, in prælio Auraïcensi captus est. Inde liber, in Hispania Henrico præstò fuit, contra Petrum Crudelem, qui Blancam Borboniam, uxorem suam, neci dederat. Iterum captus in pugna Navarretana, An. 1367. Liberatus, eundem Petrum 4. præliis vicit, redux in Galliam Conestabilis factus, rebus contra Anglos præclarè gestis, in Arvernia, obiit, An. 1380. æt. 66. In fano Dionysii sepultus, ubi lampas ejus inextinguibilis. Histor. Gall. *in Carolo V.* Chastelet, *in Vita ejus.*

Bertulphus, Merciorum rex, ab Egeberto Anglorum rege domitus.

BerValdia, urbec. novæ Marchiæ Brandeb. nota fœdere inter Reges Franciæ & Succiæ, Principesque Germ. inito, An. 1631. Juxta stagnum, sub Elect. Brand.

Berubium, vel *BeruVium*, promuntorium Albionis. Ptol. *Dumis Bei*, uti tradit Buchananus. *Dume* Hectori Boetio, promunt. Scotiæ in orâ orientali. Baudran 10 maximè in Boream extensum contra Orcades. Nunc *Dungesbyhead*, in Cathanesia reg.

BerVichilo, Vid. *Vettius Chilo.*

Berullus Petrus, Congregationis *de l'Oratoire*, fundator an. 1611. Mariam de Medicis cum filio Ludov. XIII. reconciliavit, Romam ab hoc missus, dein in Hisp. purpuram ab Urbano VIII. accepit, an. 1627. Varia scripsit; obiit anno 1629. Habert. de Cerisy, Doni Dattichi & P. Bourgoin, *in ejus Vita.* SanMarth. *in Gall. Christ. l. 4. p. 900. &c.*

Beruna, Italiæ civitas. Steph. quæ postea *Verona.*

Berus Osvvaldus, Medicus Basil. sec. præt.

BerVVicum, urbs Angl. ad ostium Tuedæ fl. in Northumbria, olim fuit in Marchia prov. Scotiæ.

Beryllus, Vid. *Berillus.*

Berytus, quæ à Gergesæo, quinto filio Chanaam, ejus conditore, olim Geris dicta creditur, antiqua, insignis & robusta Phœniciæ urbs est, quinque contra Aquilonem à Sidone, versus Austrum verò à Cane fluvio tribus miliaribus distans, alto munitoque in loco sita: ab Occidente mari magno alluitur, ab Oriente autem campestris illi adjacet regio, multis fructiferis arboribus, satis, silvis & vineis fertilis & amœna: quam fluvius quidam irrigans juxta urbem in mare labitur. Archiep. sub Patr. Antiocheno, cùm adhuc sub Christianis esset. Hanc Dionysius, *Vers.* 911. γαῖαν ἐρατεινήν vocat, & Geographus, sub Constantio & Constante Impp. πόλιν λίαν τρυφερόν. Justiniani temporibus legum studiis celeberrima fuit, unde Nonnus *Dionysiacῶn lib. 41.*

Βηρυτὸς βιότοιο γαληναίοιο τιθήνη.

Capta, à Balduino I. Rege Hierosolymit. Anno 1104. Chronicon Hierosolymit. *lib. 4. cap. 5.* Sed Christianis rursus erepta est, à Saladino, cum tota Galilæa, & Hierosolyma tandem ipsa, Ann. 1187. Paul. Æmyl. *lib. 5.* Blond. *dec. 2. lib. 6.* Vide Gotthofredum *ad Geographum prædictum*, & Casp. Barthium *ad Zachariam Mitylenaum, pag. 244.* Hodie vulgò *Barutum* vocant. Hîc Concilium an. 448. contra Ibam Episc. Edessanorum: *Acta Concilii Chalced. Actu 9. & 10.* Civis *Berytius.* Suidas, Βηρύτιος, ὁ ἀπὸ πόλεως Βηρυτοῦ. De nomine sic Stephanus, Ἐκλήθη δὲ διὰ τὸ ἔνυδρον. Βὴρ γὰρ τὸ φρέαρ παρ' αὐτοῖς. Ἰσαῦρος δ' ἐν πρώτῃ τὴν ἰσχὺν Βηρὲτ Φοίνικας ὀνομάζειν, ἀφ' οὗ καὶ τὴν πόλιν, ὡς Ἑλλάδιός φησιν. En Beryti nominis duas origines; unam ex באר *Beer*, vel *Ber*, id est, *puteus*, quod vocabulum commune habuere Phænices cum Ebræis; alteram ex בירות *Beryth*, i. e. *robur.* Nam *Beryth*, est pro *Abiryth* ex אביר *abir*, quod *Validum* sonat. Est etiam *Berytus*, urbs Arabiæ *Diospolis* prius dicta. Steph.

Berzellai, qui & *Barzillai* dicitur, nomen viri divitis, qui Davidem traduxit Jordanem V. 2. Reg. 17. & 19. Pater item Adrielis generi Saul. 2. Reg. 11. Lat. *ferreus*, vel *filius despectûs.*

Besa, fons Thessaliæ inter Ossam & Olympum. Strabo *lib. 8.* Sed in emendatis exemplaribus legitur *Bisa*, Βῖσα est nomen tribûs in agro Attico. Idem *lib. 9.*

Besadæ, Indiæ extra Gangem pop. Ptol. qui apud eundem *Pladæ* dicuntur; sic enim ille: Μεθ' οὓς ὑπὲρ τὸν Μαίανδρον Πλάδαι. Καλοῦσι δὲ οὕτω τοὺς Βησάδας, εἰσὶ γὰρ κολοβοὶ καὶ πλατεῖς, καὶ δασεῖς, καὶ πλατυπρόσωποι, λευκοὶ μέν τοι τὰς χρόας.

Besai, nomen viri. 2. Esdr. 7. i. e. *conculcatio*, vel *despectus.*

Besara, oppidum in Ptolemaidis confiniis situm, quod vigesimo à Gaba stadio abest. Josephus in vita sua. Est in tribu Aser.

Besaro, urbs Hispan. Bæt. quæ inter stipendiarios numeratur. Plin. 3. 1.

Besbicus, parva insula circa Cyzicum. Steph.

Besbria, amnis Gall. in Bojis; qui ex Monmorillone ortus, castrum & opp. *la Palice*, perluit, & dein ad Borbovium in Ligerim cadit: *la Bestre.*

Besce, nomen viri. 1. Esdr. 4.

Bescia, urbs Ausonum. Steph. Ambr. Leo putat eam *in Samnio* fuisse, sed eâ deletâ, civium reliquias transmigrasse in locum propinquum, & opidum condidisse, quod hodiè *Vesciano* vocatur. Est autem hoc opidum in confin. Hirpinorum, & Campanorum, prope Nolam.

Besecath, civitas in tribu Judæ. 4. Reg. 22. quæ & *Bascath* dicitur. Lat. *massa*, sive *inflatio*, aut *in angustiâ*, vel *in effusione.*

Beselam, nomen viri. 1. Esdr. 4. Lat. *in pace* vel *in retributione*, sive *decoctio eorum.*

Beseleel, qui & *BeZaleel*, filius Uri, divinitus instructus donis ad fabricandam Arcam fœd. ejusque requisita necessariis. Exod. 31. 1. Jos. Antiq. *lib. 2. cap. 4. 5.* Lat. *in umbrâ Dei.*

Besidiæ, Brutiorum op. Liv. *lib. 30.* Gabr. Barrius putat idem à Stephano *Bescia* dici & hodiè *Besciano.* Nunc *Bisinianum*, urbs est in colle, cum arce, ad Cotilum fluv. qui paulò infra in Crathim cadit. Paucis constat incolis. 15. mill. à mari Tirrheno. Quibusd. *Dedisia.* Baudr.

Besingitis, Regio Indiæ, extra Gangem, ubi nunc regnum Peguanum. Ejus prim. erat Besynga urbs, quæ nunc à multis *Pegu* creditur.

Besippo, vel *Bæsipo*, Hisp. Bæticæ portus, & op. non procul à Mellariâ urbe, patria Pomponii Melæ, ut ipse testatur *lib 2. c. 6.* Aliis est *Vegel*, oppidul. Andalusiæ, prope oram littor. paucorum incolarum. Prope Conilium.

Besodia, nomen viri. Neh. 3. 6. Lat. *in secreto* vel *in consilio Domini.*

Besor, nomen torrentis in reg. Palæstinorum. 1. Reg. 30. Lat. *EVangelizatio*, sive *incarnatio*, aut *in boVe*, vel *in muro.*

Bessa, civitas Phocidis. Item arx in Peloponneso. Strab. Item urbs Locrorum, quæ & *Besa.* Steph.

Bessara, civitas Assyriæ. Ptol.

Bessarabia, prov. magni regni Hung. inter Podoliam, Moldaviam, Danubium fluv. & mare Nigrum, sub Turcis. Ibi urbs præcipua Moncastrum & Tartari populi aliquot.

Bessarion, Trapezuntius, Georgii Themistii Plethonis discip. Cardinalis doctissimus, quod oratio ejus in Concilio Ferrar. postea Florentiam translato, de Græcæ Eccl. cum Romana unione, & scripta, de quibus pòst, satis superque testantur, sub Eugenio IV. Illius Legatus, in Germania, apud Frider. III. & Sigismundum, fratrem ejus. Legatus Bononiæ, sub Nicolao II. A Calixto III. & Pio II. ad fœdus contra Turcas ineundum adhibitus. A Sixto IV. in Galliam missus, an. 1471. Obiit Ravennæ, æt. an. 77. Scripsit varia opera Philos. & Theologica. Platina, *in ejus elogio.* Ejusdem tanta fuit liberalitas erga doctos viros, ut ejus domus artium liberalium officina diceretur; nec minus ipse in literis versabatur; Platonem imprimis observabat, in cujus defensionem commentarios edidit, contra Trapezuntium Peripateticum. Volater.

Bessas, sive *Besas*, idolum Abydi in extremâ Thebaidos parte, quod oracula quondam dabat. Ammian. *lib. 19.*

Bessi, pop. Thraciæ non procul à Ponto, Strymonem lævo latere incolentes. Plin. 4. 11. A quibus Bessica reg. juxta Hebrum fluv. inter Hæmum & Pangæum montes. Eorum præcipua. Urbs fuit Philippopol. Baudr. rapto ac latrociniis victitant. Ov. *Trist. 3.*

Vivere quam miserum est inter Bessosq; Getasq;.

Idem alibi,

Sauromatæ cingunt fera gens, Bessiq; Getæq;.

Val. Flac. *lib. 2. Argonauticon,*

——Immanes quos sternere Bessi,

Nec Geticæ potuere manus, aut æquoris ira,

Clau-

Claudianus *de Consul. Mallii*,

> *Quicquid, luce procul, venas rimata sequaces*
> *Abdita pallentis fodit solertia Bessi.*

Paulinus ad Nicetam Dacorum episcopum, qui Bessos ad Christianam fidem convertit,

> *Et suâ Bessi nive duriores,*
> *Nunc oves facti.* Idem ibidem:
> *Nunc magis dives pretio laboris,*
> *Bessus exultat, quod humi manuque*
> *Ante quærebat, modo mente cœlo*
> *Colligit aurum.*

Bessum, oppidum Arverniæ, vicinum monti, qui *Aureus* dicitur, qui quartâ hinc milliaris parte distat: in hujus ferè fastigio lacus est, qui se latè extendit, ad cujus fundum pertingi non potest, cùm nulla in eum aqua influat, saltem quæ videri possit. Hoc visu quidem est mirabile, horrendum verò, quòd si quis aliquid in eum projiciat, certus ille sit, se mox auditurum tonitrua, subsecuturaque fulgetra, pluviam, grandinemque. Metel.

Bessus, Bactrianæ reg. præfectus, Darium interfecit, Diodor. Regis titulo sumto. A Spitamene Alexandro traditus est, qui illum fratri Regis occisi, Oxatri, in manus dedit. Quem hic manibus auribusque truncatum cruci affigi, sicque sagittis peti jussit. Curt. *lib. 6. & 7.* Justin. *lib. 12.* Item parricida, apud Plut. qui refixo hirundinum nido, conquestus sibi ab ipsis parricidium perpetuò exprobrari, seipsum prodidit; meritò supplicio affectus: *de sera Numinis vindicta.*

Bessyga, emporium Indiæ. Steph. Unde *Bessygicæ* populi, humanis carnibus vescentes, & amnis *Bessygas*.

Besteda, arx Islandiæ, ubi Prorex Ins. pro Daniæ R. commoratur, in parte merid. Ins. Aliter *Kronningesgard*.

L. Bestia, in conjuratione Catilinæ memoratur à Sallustio. Præturam petens repulsam tulit, & paulo pòst ambitûs damnatus est. Cic. *Philip. 2.*

Besua, fluviolus in finibus Lingonum, haud procul à Divione: seu potius fons, magnitudine sua fluvii nomen meritus, vulgò *Baise*, à Massono in Tilam defluit, Sansoni ante Tilam in Ararim devolvitur. Hinc *Besuense* monast. *Baize*, ab Amalgario Franco Duce, i. Rectore amplæ Burgundiæ, sub Chlotario & Dagoberto prope fluvium positum, quòd interfecisset Brunulfum Charibertum, avunculum. Is Legatus ad Sisenandum Gothorum R. cum Venerando, dein adversus rebelles Vascones Dux, cum aliis missus, ex uxore Aquilina Adalricum successorem, & Waldalenum, primum Monasterii hujus Abbatem reliquit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Besyngitis, regio Indiæ extra Gangem. V. *Besingitis*.

Beta, urbs in sinu Æthiopico, Arabiæ latere, Plin. 6. 29. Item flu. Amer. merid. regionis Pariæ. Cadit in Orenocum fluv.

Betagon, Βητάγων ὁ Κρόνος ὑπὸ Φοινίκων. Verba sunt Etymologi, in quibus illum egregiè falli putat vir magnus *de Ph. Colon. l. 2. c. 14.* Neque enim uspiam ulla mentio Dei cujusquam sic nominati, præterquam in Phavorino, qui sæpe hunc sequitur κατὰ πόδα. Itaque corruptum videtur pro *Bethdagon*. Vide Virum doctissimum *loco citato*.

Betaphua, civitas in tribu Juda, Jos. 15. est & vicus trans Raphaim, millibus quatuordecim euntibus Ægyptum, qui est terminus Palæstinæ. Hier. *in loc. Hebr.*

Betarmones, ab Homero Corybantes sic dicti, *in Odyssea*: Βητάρμονες, ὀρχησταὶ οἱ διὰ τῶν ποδῶν ὀρχούμενοι ἀπὸ τοῦ ἡρμοσμένως βαίνειν.

Betasii, pop. Belgii in Brabantiâ, teste B. Rhenano, quorum tractus *Beelandt* appellatur, & vicus *Beets*, teste Pet. Divæo; nomen antiquum referre videtur. Alii horum urbem Bethuniam in Artesiâ esse volunt. Baudrando sunt Aduatici, inter Scaldim & Mosam fluv. ubi nunc Geminiacum & Perviciacum, majorque pars Comitatus Namurcensis.

Bete, civitas. 2. Reg. 8. Lat *fiducia*, aut *in linitione*.

Beten, urbs in tribu Aser. Jos. Ant. 19. Lat. *venter*, sive *terebinthus*.

Beterones, pop. Hisp. Tarracon. inter Saguntum & Liriam: horum hodieque pagus *Beters* exiguus superest, ubi Hamilcar Carthag. cæsus. Liv.

Beth, in tribu Simeonis. Hier. *in loc. Hebr.*

Bethabara, locus trans Jordanem, Joh. 11. *domus transitûs*, aut *iræ*; vel Syriacè *frumenti*.

Bethacad, vicus Samariæ, in tribu Manasse situs est, *in latissimo campo*, non amplius quindecim millibus à Legionis oppido separatus.

Bethacara, & *Bethacarem*, urbs in monte posita, in tribu Juda, Jerem. 6. & Esdr. 3. Hieron. *in Jerem. 6.*

Bethacarma, vicus inter Jerusalem & Thecue in monte situs.

Bethacharam, nomen vici. Neh. 3. 14. Lat. *domus vineæ*, sive *domus cognitionis eorum*.

Bethagan, in tribu Menasse via, per quam Ochosiam fugisse legimus. Hier. *in loc. Hebr.*

Bethaghea, locus est, trans Jordanem in tribu Benjamin.

Bethagon, locus in quo duæ tribus Zabulon & Isachar habent confinia. Hieron. *de loc. Hebr.*

Bethaim, est in tribu Benjamin juxta Gai & Bethel contra Machmas. Hier. *in loc. Hebr.*

Bethalon, pro qua Symmachus interpretabatur, *in campestribus*, locus in tribu Benjamin. *Hieron. in loc. Hebr.*

Bethanath, civitas in tribu Nephthali. Jos. 19. Lat. *domus cantici*, *responsionis* vel *afflictionis*.

Bethania, villa in latere montis Oliveti. Matth. 21. ubi Jesus Lazarum suscitavit. Joan. 11. distans ab Hierosolymis stadiis quasi 15. Lat. *domus obedientiæ*, vel *afflictionis*, aut *domus cantici*, sive *domus gratiæ Domini*.

Bethanoth, civitas in tribu Juda. Jos. 15.

Bethara, quam in expeditione belli occupavit Gedeon, Jud. 7. Hier. *in loc. Hebr.* est in tribu Gad.

Betharaba, id est, *domus planitiei*, vel *suavitatis* aut *fidejussionis*, vel *vespertina*, vel *salicis*, civitas in tribu Juda. Jos. 15. Alia in tribu Benjamin. Jos. 18.

Betharam, civitas in tribu Gad. Jos. 13. Lat. *domus celsitudinis*, *prægnantium*, vel *montium eorum*.

Betharamphtha, ab Herode tetrarcha Galilææ Julia dicta fuit. Eadem fortasse cum *Betharam*.

Bethasan, in tribu Benjamin, vicus usque hodie permanens. Hieron. *in L. H.*

Bethaven, urbs in tribu Ephraim. Oseæ 4. id est, *Domus vanitatis*, *doloris*, *fortitudinis*, vel *iniquitatis*.

Bethaula, vicus in Aulone, in tribu Manasse. Hieron. *in loc. hebr.* decimo à Scythopoli miliario contra Austrum.

Bethazmoth, civitas. 2. Esdr. 7. id est, *domus fortitudinis mortis*.

Bethbera, civitas à Gideone expugnata Judic. 7. Lat. *domus filii ejus*, sive *domus electa*, aut *domus puritatis*, vel *frumenti ejus*.

Bethberai, civitas. 1. Paral. 4. quam inhabitaverunt posteri Simeonis, id est, *domus creatoris mei*, *sanitatis*, vel *pinguedinis*, vel *electionis meæ*.

Beth-besse, urbs in deserto. 1. Macch. 9. Lat. *domus confusionis*, vel *erubescentiæ*. In tribu Benjamin.

Beth-char, urbs juxta quam filii Israel percusserunt Philisthæos. 1. Reg. 7. in Tribu Dan, in agro Bethsemes.

Bethdagon, civitas in tribu Judæ. Josue 13. Item alia in tribu Aser. Jos. 16. id est, *domus frumenti* vel *pacis*.

Betheben, vicus in octavo milliario Ptolemaidis contra Orientem. Hieron. *de loc. heb. lit. B.* est in tribu Aser.

Bethel, id est, *Domus Dei*, urbs in tribu Benjamin, sic primùm dicta à Jacobo, ob scalæ visionem. Eadem & Luz dicta. Gen. 12. & 28. Postmodum *Bethaven*, ob Idololatriam ibi exercitam, Hier. *in Hos. cap. 4. & 5.* Hic altare abominationis, quod Jeroboamus erexerat, destructum à Josia, 3. Reg. 13. & 4. 23. Est & nomen montis. 1. Reg. 33. Benjamin eam *Sargoreg* vocat. Suidas, Βαιθὴλ, θεῖος ναός. Hesychius, Βαιθὴλ, οἶκος Θεοῦ.

Bethelea, vicus Gazensium, valde populosus, habens templa antiqua, ædificiaque pulcherrima, & maximè Pantheon in civitatis arce locatum eminens super omnem vicum, in tribu Simeonis.

Bethemec, id est, *domus vallis* vel *profunditatis*, civitas in tribu Aser, Jos. 16.

Bethen, civitas in tribu Aser. Josuæ, 19.

Bethenabrin, vicus in tribu Manasse, portis & muris munitus.

Bethennim, Villa in tribu Juda, circa Terebinthum. Hier. *in L. H.*

Bether, id est, *divisio*, vel *in turture*, aut *in exploratione*, vel *in contemplatione*, nomen montis Cantic. 2.

Bethera, urbs munitissima, non longè ab Hierosolymis, in tribu Benjamin.

Bethesda, id est, *domus effusionis*, locus, ad quem aquæ pluviales confluebant, nomen piscinæ. Joan. 5. Aliis בית חסדה *Beth-hhesda*, hoc est, *domus misericordiæ*.

Beth-gader, id est, *domus muri*, vel *maceriæ*, locus 1. Par. 2.

Beth-gamul, civitas in terrâ Moab. id est, *domus retributionis* sive *ablationis*, aut *cameli*.

Bethgaraba, civitas in deserto, in tribu Juda, Jos. 15. est & civ. nomen in tribu Benjamin. Jos. 18.

Beth-hagla, id est, *domus festivitatis*, vel *revolutionis ejus*, civitas in tribu Judæ. Jos. 15. & in tribu Benjamin, Jos. 18.

Beth-hanan, id est, *domus misericordiæ*, *gratiæ*, vel *doni*, nomen civitatis. 3. Reg. 4.

Beth-hara, Galilææ op. non longè à mari Tiberiadis. Julia ab Herode dicta, ut scribit Hieronymus. Ἰουλίας Ptol.

Betharga, Mediæ op. Ptol.

Bethia, filia Pharaonis, uxor Mered. 1. Par. 4. id est, *domus filia*, vel *mensura domini*.

Beth jesimoth, id est, *domus desolationum*, *repositionum*, vel *nominationum*, urbs in campestribus Moabitarum, quæ sorte cecidit filiis Ruben. Ezech. 25. Jos. 13.

Bethlebaoth, id est, *domus leanarum*, aut *domus cordis literæ*, vel *signi*, sive *domus venientibus*. civit. in tribu Simeon. Jos. 19.

Bethlehem, id est, *domus panis*, vel *belli*, Civ. in tribu Judæ, civitas David, è quâ fuit Levita, cujus uxorem barbarè illicito concu-

concubitu necarunt Gabaonitæ Jud. 19. Hæc fuit patria Jesu Christi, Mich.5. Matth.2. olim *Ephrata* dicta. Vid. Hieron. *in locis Ebr.* Vocatur & *Civitas David.* Luc.2. Civitas est, sita in monte mediocriter alto, situ ipso arcto & oblongo: ingressus est ab Occidente in declivi loco. Est autem in plaga meridiana sex milliariis ab Hierosolyma distans, ut testatur Severus Sulpitius. Terra subjecta, rerum omnium copiâ multum præstat, vini potissimum, ut comparandum non sit, quod ex aliis Palæstinæ locis adfertur, Iter verò quod Hierosolyma euntibus Bethlehem est, usque adeò sui amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis transeuntes delectat, ut si ad tam præclaram naturæ faciem, cœlestis aliqua & digna Christiano meditatio accedat; non jam in terris esse videantur sibi, sed in Paradiso Christi nativitatem & incunabula præsentibus oculis contueri. Est & altera ejusdem nominis *Bethlehem* in Galilæa, ut testatur Hieron. in Commentar. *super Matth. 2. cap.* Ad cujus distinctionem hæc appellatur *Bethlehem Juda.* Ex illa erat Abessam Judex. Judic. 12. eratque in tribu Zabulon. Priorem prosanavit Hadrianus, Veneris templo ibi erecto. A.135. Vid. Guil. Tyr. *de bello S.* A.135. & duravit hæc idololatria per annos 180. ad Constantini usque imperium. Vid. Hieron. *l. 2. ep. ad Paulin.* 13.

Bethlehem, templum Pragæ in Bohemia, à Mulhemio extructum, in quo Johannes Hussus magno cum zelo ac successu concionatus An.1392. & successores ejus Evangelii præconio defuncti sunt. In hoc ad SS. Ministerium ordinati sunt, An.1609. Johannes Rosa, Elias Aconcius, Petrus Cephas, Johannes Brosius. Vid. Apolog. Fratrum *c. Sam. Martinum Bohemum.* Item Cœnobium Gall. in Senonib. quod postea *Ferrariense* dictum est. Vid. *Ferraria.*

Bethlem Gabor, celebris Vaivoda Transylvaniæ, sub initium hujus seculi, à Belgis in fœdus admissus est. An.1618. fœderi Bohemorum nomen dedit, Hungariamque ingressus, cum exercitu 18000. Cassoviam, Posonium aliaque loca cepit, hinc Principis Hungariæ, mox Regis titulo sumto. Dein Austriam invasit, Tampirium & Buquojum cæcidit. Ducatibus in Silesiâ Oppoliæ & Ratiboriæ, item titulo Principis Germ. placatus, diadema Ferdinando 2. reddidit. An. 1622. Mox armis resumtis, Turcarum subnixus ope, Moraviam vastavit, exercitum Cæsaris ad Hodoninum obsedit, Valenstenium fatigavit; sed desertus ab auxiliaribus suis A.1624. pacem denuò iniit. Mortuus A.1629. Maritus Catharinæ Joh. Sigismundi El. Brandenb. filiæ. Successorem habuit Georg. Rakozium, principem egregium & pacificum. Vassemb. *in Floro Germ.* Calvisius *in Chronol.* Joh. Cluverus *in hist. Epit.*

Beth-leptophon, Toparchia quædam in Judæâ. Jos. *bell. Jud. l.5.*

Bethmancha, civitas Cananitica, ad quam usque prosecutus est Joab perduellem Scheba. 2. Reg. 20. Lat. *domus compressa, contrita*, vel *fixa.*

Bethmaon, civitas in terra Moab. Jer. 48. Lat. *domus habitaculi*, vel *domus expeccato.*

Bethmarchaboth, civitas in tribu Simeonis, Jos. 17. Lat. *domus quadrigarum*, sive *amaritudinis extincta.*

Bethmaus, vicus dissitus quatuor stadiis à Tiberiade, versus Sephoritarum urbem, in tribu Zabulon.

Bethnemra, civitas, quam ædificarunt filii Gad. Num.32. id est, *domus pardi, rebellionis, amaritudinis*, aut *commentationis.*

Bethoannaba, in tribu Ephraim, quæ quarto, ut alii, octavo mill. distat à Diospoli. Hieron. *in Loc. Hebr.*

Betholeme, una ex 10. Judææ toparchiis. Plin.5.14.

Bethonim, & *Bethanim*, civitas in tribu Gad. Jos.13.

Bethoron, civitas Cananitica, quæ ductâ sorte tribui Ephraim contigit. Jos.16. Levitis concessa. Jos.21. Est & superioris simul & inferioris *Bethoron*, passim in scripturis, mentio. Vid. Jos.16.18. Lat. *divisio*, sive *in exploratione ipsius*, vel *filia cantici.*

Bethpeor, i. e. *domus hiatus*, sive *aperturæ*, nomen civitatis. Jos. 13. Aliis *Bethphegor.*

Bethphage, villula in monte Oliveti. Luc. 19. Lat. *domus oris vallium*, sive *domus ficuum præcocium.*

Bethphaleth, sive *Bethpheleth*, civitas in tribu Judæ. Jos. 15. i.e. *domus liberationis*, sive *expulsionis*, aut *vomitus.*

Bethphetez, civit. in tribu Issachar. Jos.19. Lat. *domus divisionis*

Bethrapha, filius Esthon. 1. Par.4. i.e. *domus sanitatis, medicinæ*, aut *laxationis.*

Bethsabe, uxor primò Uriæ, unius è fortibus Davidis, dein huic nupsit, Salomonis ex eo mater. 2. Reg.11.12. 2. Par.20. V. *Bathsheba.*

Bethsaida, clara Galilææ civitas, in tribu Zabulon, quæ inter decem principales Decapolis regionis civitates recensetur. Sita est juxta viam, quæ è Syria in Ægyptum ducit, in angulo maris Galilææ, ubi se mare ab Aquilone flectit contra Austrum, ex quâ Petrus, Andreas & Philippus Apostoli. Matth.11. Lat. *domus venatorum insidiantium, frugum*, vel *cibariorum.*

Bethsan, urbs tribus Manasse, Jos. 17. cujus situm habes 3. Reg.4. quæ Stephano & Joseph. *Ant.* 5.14. *Scythopolis* appellatur. Lat. *domus dentis, eboris, mutationis*, vel *dormitionis.* In hâc corpus Saulis suspendebant Philistini. 1. Reg. *ult.* Hieron. *in Qu. Ebr.* duas urbes hujus nominis fuisse refert.

Bethseca, civ. aliis vicus in tribu Manasse.

Bethsera, locus Palæstinæ. Jud. 7. i. e. *domus deviationis, extensionis*, aut *spina.*

Bethsemes, i. e. *domus Solis*, vel *ministerii*, ante Abel dicta 2. Par.28. Civitas sacerdotalis in tribu Judæ. Jos. 15. posteà Levitis assignata. Jos.21. In quam reducta est Arca à Philistinis capta. 1. Reg.6. In edit. Romanâ Βαιθσαμυς, Βηθσάμη verò Josepho, cui κώμη τις ἐςὶ τῆς Ἰέδα φυλῆς. Hîc clades fuit hominum plus quinquaginta millium, quia Arcam temerè apertam curiosius introspexerant, quod Deus non solum plebeiis, sed & Levitis sub pœnâ mortis interdixerat. Num. 4.20. Hæc ex vulgi sententiâ, à quâ tamen non dissimulabo me esse remotissimum, ut qui cum Josepho sentiam, non nisi septuaginta Bethlemitas fuisse cæsos. Is enim ita habet *Ant. l.6. c.2.* Ὀργὴ δὲ καὶ χόλος τοῦ θεοῦ μέτεισιν, ὥστε ἑβδομήκοντα τῶν ἐκ τῆς Βηθσάμης κώμης ὡς οὐκ ὄντας ἀξίους ἅψασθαι τῆς κιβωτοῦ. ἱερεῖς γὰρ οὐκ ἦσαν, καὶ προσελθόντας αὐτῇ βαλὼν ἀπέκτεινεν. Vide Bochartum sententiam hanc fusè & solidè confirmantem, *de An. Bibl. Part.1. l.2. c.36.* Josephum quoque sequuntur Hieronymus *in Quæst. Ebr.* Rupertus, Isidorus, Lyra, & Abulensis, qui 70. tantùm percussos fuisse statuunt. Est & alia *Bethsemes*, in tribu Nephthalim, Jos.19. à quâ pristinos habitatores non potuit expellere tribus prædicta. Judic.1. Numeratur alia præterea in sorte filiorum Issachar, in pede extremo Carmeli.

Bethsimoth, civitas, quæ & *Bethjesimoth*, Jos.12. i.e. *domus desolationum, repositionum*, vel *nominationum.*

Bethsua, Vid. *Bathsheba.*

Bethsur, opp. vel, ut alii, præsidium & castrum totius Judææ munitissimum, in tribu Judæ, & quoniam erat undiq; montib. circumvallatum, abeo nomen accepit. Impositum erat claustris montium ad vallem Raphaim, distans 1. mill. à Jerusalem, situm super via publica, quę à Jerusalem ducit Gazam, ut quidam volunt: Firmavit locum hunc ædificiis Roboam, rex Judæ, & iterum Macchabæus. Lat. *domus rupis, fortitudinis, plasmationis, obsidionis* vel *vinculi.*

Bethtaphua, civitas in tribu Judæ, Jos.15. i. e. *domus pomi*, vel *inflationis.*

Bethul, i. e. *virgo*, civitas in tribu Simeonis. Jos.19.

Bethulia, nomen civitatis. Judith.6. i.e. *virgo Domini*, aut *domus parturiens Dominum.* Galilææ inclyta urbs est, sita inter montana in pulchro, munito, & alto monte, fontibus abundante, qui per totam ferè cernitur Galilæam, distat ab urbe Tiberiade, versùs Eurum duobus, à castro verò Magdala contra Africum, tribus milliaribus, in tribu Zabulon.

Bethulia Gallorum, nomen arcis, à Christianis prope Bethlehem extructæ.

Bethunia, urbs Artesiæ Com. probè munita, ad amnem *Biette*, 5. leuc. ab Aria. Sub Francis ab A.1646.

Bethzachara, i.e. *domus memoriæ*, nomen civitatis. 1. Macch.6.

Betisiacum, oppidul. Franciæ, non procul ab Oesia fluv. in Provincia Insf. Franc. & Valesio agro.

Betius, Arabiæ fel. fluv. quibusdam *Chaibar*, prope Meccam labitur, pòst in mare Rubrum se exonerat.

Betonim, i. e. *ventres*, vel *terebinthi*, civitas in tribu Gad. Jos.13.

Betoanea, *Bethania*, in 15. à Cæsarea lapide, in qua dicuntur lavacra esse salubria, quam tamen in tribu Aser ponit, dicitque in monte sitam. Hieron. *in Loc. Hebr.*

Bettonium, opp. Umbriæ, in Italia. Vid. *Vettonium.*

Betulo, Hisp. opp. & fluv. cujus irrigatione ager Barcinonensis lætissimus est. Pomp. *lib.2.* Oppidum hohie Badelona, fluv. *Beson* dicitur. long. 17.50. lat. 41.02.

Betunica, Hisp. urbs circa Asturicam. Antoninus.

Beturia, regio Hisp. Plin.3.1.

Betusa, Mesopotamiæ juxta Tigrim opp. Ptol.

Betys, Vid. *Bætis.*

Bevelandia, Ins. Zeelandiæ in Belg. quæ an.1532. inundatione maris duplex effecta est. Unde Nort-Bevelandia, & Zud-Bevelandia, ubi Goesa opp. lautum & munitum.

Bevera, vel *Beveris*, vulgò *la riviere de Bievre*, Parisinis *la Riviere des Gobelins*, à nomine celebrium infectorum, qui fluvio hoc olim feliciter ad tingenda coccina, in suburbanis S. Marcelli, usi sunt: Item *la riviere de Gentilly*, à vico novissimo, quem alluit, fluvius Galliæ est, inde Luteciam decurrens, per cujus suburbana delatus, duobus alveis in Sequanam fertur. Oritur inter Guidonis curtem & Fontanetum Floridum: atq; Cauciacum ad Boves, *Choisy aux Bœufs*, Buc, Jojacum, *Jouy en Josas*, Beveram vicum, Antoniacum Pontem, Pontem Antoniacensem, Lajacum, *(Lay)* Caticantum *Cachant*, Arcolium *Arcueuil*, Gentilliacum attingit, ac demùm Sequanâ recipitur: Rivus ignobilis, sed nonnunquam subitis incrementis sævus. Item *Bevero*, in extremis Carnutum finibus, non longè ab Ambacia Turonum fluens, *le Beuveron*: accipit Beveram amniculum, *la Bievre*, nec procul à castro Blesensium Calvo monte, in Ligerim influit. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Beugesia, regiunc. Gall. partim & Sabaudiæ, à Rhodano fl. bifariam secta. Juris partim Francici, ab A. 1600. unà cum Bressia, ei adjacente: Et ejus prim. est Bellicum, partim Sabaudici. *le Bugey* vulgò.

Beulanus, Presbyter Anglus, scripsit de origine Saxonum in Anglia, tempore Gregorii M. Ejus nepos Samuel, Itinerarii auctor. Voss. *de hist. Lat. l.2. c.21.*

de Beusson Martinus, Gallus, civis Basiliens. cùm in itinere Lucernensi, contra Mariæ invocationem, ex S. Scripturę tenore, ad socios

disseruisset: Zurzeæ ad Magistratum eo nomine, à quodam verborum ejus subsessore, delatus, martyrium ibi subiit exustus, A. 1608. Bucholc *Ind. Chron.*

Beutha, opp. Silesiæ ad fluv. Oderam, in Duc. Glogaviensi.

Beza Theodorus, Vezelius Burg. cui patruus Senator Paris. natus A. 1519. Primis juventæ annis, cùm adhuc in communione Rom. versaretur, carminum licentiâ seculum sequutus, mox serio Numinis, & purioris cultus amore tactus, studio sacro tanto cum successu incubuit, ut Genevæ inter præcipuos Theologos emicaret. A. 1561. inter alios Colloquio Possiaceno, sub Francisco 2. interfuit. Ubi à Lotharingo Card. falsò sibi attributa ante colloquium diluit, ad collationem accessurus, flexis genibus Fidei confessionem edidit, Ecclesiâ ab Anabaptistis & Libertinis vindicatâ. Transsubstantiationem, cum Consubstantiatione, doctè refutavit; tum scripto comprehensam Confessionem Regi obtulit. Quæ de absentiâ corporis Christi reali dixerat, Augustini & Vigilii, Episc. Trid. authoritate apud Reginam, feliciter defendit. Post aliquot dies, de Ecclesia ejusque notis, præclarè disseruit. Vid. Thuan. *hist. l.* 28. Antonium Navarræum, qui stragem Vassiacenam cordi non habuit, monuit, *Ecclesiam esse incudem, quæ multorum malleos hactenus retudisset.* Idem *l.* 28. & 29. &c. A. 1600. ad Henricum 4. qui tum Luiseli, in pago Genevæ vicino, degebat, notum à puero, sed 30. annis non visum, pervenit, Genevensium causam Regi senili facundiâ commendaturus, eique navatæ Patri matr. que olim operæ memoriam renovaturus. A quo benignè auditus, cœnæ adhibitus & 500. aureorum honorario donatus est. Thuan. *l.* 125. Abr. Golnitzius, *in Ulysse Belg.* Tandem cùm 60. annos in lucubrationibus exegisset, debilitatisque viribus memoriam præsentium amisisset, præteritorum, *ut totos Psalmos Hebraicè, & quodcunque caput ex B. Pauli Epistolis Græcè recitare posset*, manente; A. 1605. æt. 87. in concionem iturus, obiit. Varia scripsit, inter quæ: *Lex Mosaica, Job illustratus, in Psal. & Eccl. Paraphrasis, In Cant. Cant. Homilia, Annotationes in N. Test. Epist. &c.* Vid. Melchiorem Adami, *in Vitis Theolog.* Helvicum *in Chronol. tab.*

Bezabde, Assyriæ urbs, quam veteres *Phœnicen* appellarunt, teste Ammiano.

Bezedel, vicus, juxta quem castellum inexpugnabile cum turri, in tribu Benjamin, Jos. *l.* 3. 1. *bell. Jud.*

Bezek, i. e *fulgur*, sive *in compedibus*, Chananææ urbs reg. Jud. 1.

Bezeni, Galatiæ gens. Ptol.

Bezira, al. *Besra*, opp. Indiæ. Curt. *l.* 8. *Bazira* Arriano.

BI.

Biafara, urbs Africæ in Guinea reg. regni cognom. caput, juxta fluv. *dos Camarones*, in mediterr. versus regnum Benini in ortum.

Bialaceria, urbs Polon. in Volhinia infer. ad fluv. *Ros.* Dicitur & *Bialacerkiew*.

Bialogrodenses Tartari, pop. Tartariæ Precopensis, versus ostia Danubii. Dicti à Bialogroda, urbe Bessarabiæ, prope mare Nigrum. Sub Turcis.

Biana, Arabiæ Fel. opp. Ptol.

Biandina, Laconiæ op. Ptol. *Prignico* Mar. Nig. *Rampano* multis.

Bianor, cognomento *Ocnus*, Tiberis & Mantûs filius, qui Mantuam condidit. Virg. *Eclog.* 9. —— *Namque sepulcrum Incipit apparere Bianoris.*

Cato libro *de Originibus*: *Mantua suo conditore Ocno Bianore est, Thuscorum Rege, illustris.* Fuit item unus ex nonæ Trojanis Principibus, qui cum Oilco aurigâ ab Agamemnone interemptus est. Hom. *Iliad.* 11.

Bias, Amythaonis fil. Argivorum rex. Pausanias *l.* 2. Item fluvius juxta Coronem opp. Pausanias *in Messenicis sive lib.* 4. *ubi de Corone*: Προελθόντων δὲ οὐ πολὺ, Βίας ἐκδίδωσιν ἐς θάλασσαν ποταμὸς, γενέσθαι δὲ αὐτῷ λέγουσι τὸ ὄνομα ἀπὸ Βίαντος τοῦ Ἀμυθάονος.

Bias, Teutamidæ fil. Philosophus Prienæus, unus ex 7. Græciæ sapientibus, aureum tripodem, à piscatoribus captum, cum hac inscriptione, τῷ σοφωτάτῳ, & ad se allatum, Apollini Delphico remisit. Civium suorum Princeps, illos diu adversus pericula tutatus est; sed captâ tandem patriâ, cùm universi fugerent, rerum pretiosissimarum sarcinulis onusti, ipseque interrogaretur, cur ex bonis suis solus nihil secum servet, respondit, *Omnia bona mea mecum porto*, eruditionem & sapientiam intelligens. Duo millia versuum condidit, in amplexu ex filia nepotis, pro amico perorans, exspiravit. Diogenes, *in ejus Vita. l.* 1. Plut. & Valer. M. *l.* 7. *c.* 2. *ex.* 16.

Biasari, Indiæ populi. Vide *Abisari.*

Biatia, Hisp. opp. Ptol. Vulgò *Baeza.*

Bibacta, insula circa Indi ostia. Arrianus.

Bibaculus, Cremonensis, ab Eusebio cum Catullo inter poëtas Jambicos, ponitur, cujus meminit Quintilianus. Est & alter, cujus Cæsar meminit in Commentariis.

Bibaculus, de quo Valer. Max. *l.* 1. *c.* 1. Vid. *Baculus.*

Bibacum, Germ. urbs. Ptol. *Bibrach*, Villanovano. Civ. est Imp. à castore animali nomen adepta. Sub Pipino Francorum R. pagus adhuc, An. 751. à Friderico II. Imp. muris cincta est. Maximiliano I. Brugis captivo milites suo ære conductos, atroque panno vestitos misit, quapropter Leonem aureum cum corona in insignibus accepit, cùm antea castorem coronatum gereret, in campo cæruleo. Dein à Maximiliano I I. jus signandi cerâ rubrâ quoque nactam, refert Limnæus *de Civ. Imp.* Patria fuit Johannis Brandmylleri, insignis apud Basilienses Theologi. long. 31. 51. lat. 48. 00.

Bibaga, Indiæ Ins. ostreis & conchyliis referta. Plin. 3. 21.

Bibali, Hisp. Tarracon. pop. Ptol. quorum opp. *Fomillam* dicitur. Baudrando erant sub Callaicis Braccariis. Ei Forum Bibalorum erat ad Letham fluv. ubi nunc pagus Celme, in Gallæcia.

Bibasis, Indiæ fluv. in Indum se exonerans. Ptol.

Bibastus, urbs Thraciæ. Steph.

Biberiacum, Vid. *Bebriacum.*

Biberius, Tiberii agnomen, ob nimiam vini aviditatem.

Bibiana, virgo Romana & martyr sub Juliano. Volaterr.

Bibiscum, opp. Gall. Narbon. ad lacum Lemanum. *Vivis* hodie, teste Simlero. Castrum Helvetiorum, ad lacum Lemanum, in Romana regiunc. pagi Bernensis. Baudr. *Vivay*, Vid. *Viviacum.*

Bibium, Liburniæ urbs. Anton. *Beligraz* Simlero. Baudrando opp. Japodum fuit, in Liburnia, prope Colapim flu. 10. mill. à Metulo in Ortum, prope cujus rudera erectum fuit ultimo seculo Carolostadium, opp. probè munitum in Croatiâ, sub Austriac. sed longè distat à Billigretia, urbec. Carnioliæ super. ad amnem *Billi*, propè Labacum. Vid. *Carolostadium.*

Bible, quæ & *Digba*, urbs Asiæ, in Babylonia reg. ad Tigrim fluv. forsan nunc *Cormaba*, 15. mill. infra Ctesiphontem.

Biblia, vel *Billia*, uxor Duillii, qui primus Romæ navali certamine triumphavit; tantæ pudicitiæ, ut illo seculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monstrum erat, non vitium. Ad nullum enim virum tam prope accessit, ut ejus halitum perciperet. Vid. *Duillius.* Idem de Hieronis uxore, Plut.

S. Biblia, sic per excellentiam vocatur liber eloquiorum Dei, S. Scripturam V. & N. T. continens: Vid. *Testamentum V. & N.* Horum ex Hebræo & Græco, linguis authenticis, versiones jam olim variæ fuerunt: Paraphrasis *Chaldaica* V. T. à Jonathane Uzielis fil. Onkelos, &c. & editio *Syriaca* T. N. Ecclesiæ Antiochenæ nascentis opus, ut videtur. Versio *Græca* LXX. Interpr. 300. ante Christum annis jussu Ptolomæi Philadelphi, ab Hellenistis Alexandrinis adornata. Post Christum, Aquilæ Pontici, Symmachi, Theodotionis, ἀνώνυμος, sub Bassiano Caracalla, in doliis propè Jericho: Item alia incerti auctoris reperta in doliis ad Nicopolim Sept ntr. sub Severo: Ex quibus inter se junctis, Origenes confecit sua *Tetrapla*, LXX. nempe, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis: *Hexapla*, addita prioribus editione Hebræâ orig. scriptâ literis tum Hebræis, tum Græcis: & *Octapla*, in quibus prioribus adnexuit duas versiones Gr. incertorum auctorum. Ad cujus imitationem, sec. superiori, Franc. Vatablus *Tripla*, Hebraica, Græca, Latina. Franc. Ximenius Cardin. Tolet. & Arias Montanus *Tetrapla*, Hebræa, Chaldæa, Græca & Latina: quorum prioris opus, *Opus Complutense*, posterioris *Biblia regia*, dicitur: Elias Hutterus etiam Tetrapla, sed Hebraica, Græca, Latina & Germanica: Augustin. Nebiensis *Octapla* edidit: Hebræa, Chaldæa, Græca, Arabica, & Latina tria de verbo ad verbum, Vulgata, & Paraphrasis Chald. versionem, cum brevibus scholiis. Et nuper admodum *Biblia* πολύγλωττα Londini prodierunt. *Latina* variæ, Itala, Hieronymi duæ, Versio Vulgata; ex recentioribus, Versio Augustini Nebiensis, in Corsica Episcopi: Xantis Pagnini, castigata ab Aria Montano: Tigurinorum, à Leone Judæ, & Theodoro Bibliandro, V. T. Petro Cholino N. T. interpretibus facta: Seb. Munsteri: Seb. Castalionis, Em. Tremellii & Fr. Junii: Joh. Piscatoris. *Germanica*, Lutheri, Tigurinorum & Piscatoris. *Gallica*, Bezæ & Genevensium. *Italica*, Joh. Deodati, *Anglica*, *Belgica*, facta à Joh. Rhodio, Corn. Honio, & Gnapheo Hagiensi, A. 1521. Item à Gomaro, Theologisque aliis, A. 1619. *Hispanica*, *Suecica*, operâ Olai Petri, A. 1527. *Danica*, jussu Friderici R. A. 1536. *Sarmatica*, Nic. Radzivilii sumtibus, ab Orsacio, Zacio, Tricesio, Jacobo Lubelscio, & Statorio, accuratissimè, concinnata, & Brestæ excusa, An. 1563. *Bohemica*, impensis Joh. Zerotinii Bar. ab Alberto Nicolai, Luca Helicæo, Joh. Ænea, Georg. Vettero, Esaja Cæpolla, Joh. Ephraimo, Paulo Jessenio, & Joh. Capitone, summo cum studio, neque sine elogio Episcopi cujusdam Lat. Communionis, facta, Anno 1588. &c. Ut taceam Versiones *Arabicam*, *Persicam*, *Armenicam*, *Æthiopicam*, *Indicas* varias, &c. Vid. Alting. *Th. Probl. Loc.* 2. *Probl.* 27. & in voce *Scriptura.* In universa Biblia prostant Commentarii variorum: Brenii *Annot. in V. & N. T. fol. Amstel.* 1664. Joh. Calvinus, Criticus sacer, *in* 10. *Vol. Londini*, 1660. Criticorum Synopsis S. Scripturæ, 6. *Vol. in fol. Londini*, 1673. Deodatus *Ital.* H. Grotius, Huetius, *de claris Interpretibus S. Scripturæ, in quart.* Maresius *Gall.* Conr. Pellicanus, Joh. Piscator, *Herborna in fol.* A. 1646. Prünerus, *Francof.* 1663. *in fol.* Quistorpii *Annot. Rostochii in quart.* 1648. Lud. de Tena, *Isagoge in S. Scripturam. A.* 1620. Jac. Tirinus 12. *Vol. in fol.* Paulus Tossanus *Germ.* &c. Plura suppeditabit Guil. Crowæi *Elenchus Scriptorum, in S. Script.* Londini editus A. 1672. In quo præmissa sunt S. Biblia partesque Bibliorum, variis linguis, variis vicibus, editæ.

Biblina, reg. Thraciæ, unde *Biblinum Vinum*, quod alii à *Bibliâ Vite* dictum volunt. Demus verò Delius Naxium interpretatur, quoniam Biblus Naxi fluv. fit. Suidas, Βίβλινος οἶνος, ἀνγηρὸς,

ἐς, ἀπὸ Βιβλίνης ὄπω ϰαλεῦμἑνης Θρᾳϰίας ἀμπέλυ. Hujus vini meminit Hesiodus, Εργ. β.

Εἴη πετραίη τε σϰιὴ ϰ᾽ Βύβλινος οἶνος.

Ubi Moschopulus, Βίβλος (ὥς φησι) ποταμὸς, ἢ πόλις Θρᾴϰης. Hesych. Βιμβλινος. εἶδος οἴνε, ἐ γένος ἀμπέλυ ἐν Θρᾴϰῃ ἐ ὁ ἀπὸ πολὸς οἶνος.

Bibliolachas, Didymus appellatus, quòd ter mille quingentos libros conscripsit. Rhod. *lib.* 19. *cap* 9.

Biblis, fons Lyciæ, in quem Biblis, Soror Cauni, conversa, apud Ovid. *Metam. l.* 9.

Sic lachrymis consumta suis Phœbeïa Biblis.

Biblus, sive *Byblos*, Hebraicè *Gebal* & *Gobel*, inclyta Phœnices civitas est, Curt. *l.* 4. cujus incolæ *Biblii* sive *Giblii* in sacris Scripturis nominantur. Hæc versus Aquilonem à *Cane* flu. tribus, contra Austrum verò à civitate Botro quatuor milliaribus, super mare sita, ab Euro sexto filio Chanaan fundata scribitur. Christianis à Saladino erepta, A. 1187. P.Æmil. *l* 5. Blond. *dec.* 2. *l.* 6.

Biblus, Naxi fluv. Steph. Vid. *Biblina*.

Bibonum, opp. ad Nicrum fluv. *Bebelingen*, ut aliquibus videtur. Rhenano autem *Bebenhausen* est opp. in Ducatu Wirtembergensi. Pop. *Bibenses* in Inscriptione antiquâ. Baudr. quid sit, non constat. *Bebling*. oppidul. est Duc. Wirt. 2. leuc. à vill. Tubingam versus, & 2. à Nicro fl. *Bobenhausen*, est vicus prope Tubingam.

Bibracte, Heduorum opp. in Gall. longè maximum, & copiosissimum olim fuit; in quo totius Gall. concilium Cæsar habuit, jus dixit, & sæpè hyemavit, vulgò *Beuracte*.

Bibrax, opp. Gall. Belg. in finibus Suessonum. long. 25. 50. lat. 48. 48. *Brain*, teste H. Leodio, vel *Bray*, H. Stephano, opp. Comitatûs Retelensi. *Bresne* Vigenereo. Baudrando est *Brayne*, oppidul. Campaniæ, ad Vidulam fluv. in Diœcesi Suession. medium inter Fimas & Suessiones. Hic Synodo habitâ, A. 583. Gregorius Turonensis, qui accusatus erat, Archiepiscopo Burdigal. improperati cum Fregedonde adulterii, absolutus est. Greg. Tur. 5. 49. Concil. Gall. *T. V.*

Bibroci, opp Angliæ in Bercheriâ reg. apud Windesoram. Camdeno *The Hundred of Bray*.

Bibulus, fil. M. Calpurnii Bibuli, ex Porcia, filia Catonis Utic. collega Julii Cæsaris in consulatu, in quem extat hoc distichon à Suet. relatum:

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est.
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Idem Cicero in proximam provinciam in Asiâ tenebat. Scripsit de rebus gestis Catonis. Plut. *in hujus vita.*

Biburgum, Daniæ urbs. Vulgò *Biborge* long. 36. 0. lat. 7 26.

Bices, palus non procul à Mæotide pal. de Val. Flaccus *l.* 6. *Quiq; lacum cinxere Bicem*, &c. Vulgò *le mer noir*, forte *Byce* Ptolemæi.

Bicomius, Germaniæ fluvius.

Bicon, Græcus, inter colonos, ab Alexandro M. circa Bactra, relictos, æmulum Athenodorum, qui revertendi cupidine in Patriam regium nomen assumpsit, invitatum ad epulas per Boxum Macedonianum occidit. Quomodo supplicio ob id irrogando evaserit, multis narrat Curt. 9. 37.

Bicurgium, urbs Germ. Ptol. hodie *Erfurd*. Urbs ad Jeram fluv. inter Vimariam & Gotham. 12. leuc. à Lipsia, Academia suâ celebris. Paret Electori Mogunt. à paucis annis, cum toto tractu adjacente. Aliis est *Zuickau*. Vid. *Erfordia*.

Bida, urbs Mauritaniæ Cæsariensis. Ptol.

Bidaium, Austriæ opp. Anton. *Dietmaning* Lazio, nonnulli *Birckhausen* volunt, uti scribit Simlerus, qui illud *Bedacum* Ptol. esse putat. Cluverio aliisque est *Bainburg*, vicus Bavariæ, prope opp. *Trosberg*, in confinio tractus Salisburgensis, qui paulò infra cadit in Œnum. Vid. *Badacum*.

Bidaschia, castrum Gall. in Benearnia, ad *Bidouse* fluv. Princip. tit. clarum, in Vasscitania. 5. leuc. à Bajona.

Bidaspus, fluv. in Indum amnem se exonerans. Ptol.

Bidasso, fluv. parvus, Galliam ab Hisp. separans. Oritur ex Pyrenæis mont. infra Mayam castrum, & post cursum aliquot leuc. in Oceanum Cantabr. se exonerat, prope Fontarabiam.

Bideris, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Biderius, Gallorum mercenariorum Dux, quos Antigonus conduxerat, pollicitus se unicuique aureum Macedonicum numeraturum. Polyæn. *lib.* 4 *in Antigono com.* 17. Interpres Latinus habet *Bedorius*, cùm sit Polyæno Βιδηελος.

Bidil, municipium Mauritaniæ Cæsariensis. Anton.

Bidine, urbs Scythiæ. Suid. Item Bulgarorum. Zonaras.

Bidini, populi Siciliæ, Citariis & Caciniris proximi. Plin. 3. 8.

Bidios, castellum in agro Tauromenitano. Steph.

Bidis, oppidul. Siciliæ, in mediterr. nunc *S. Giovanni di Bidini*, vicus 6. mill. ab ora littorali, in valle Netina.

Bidiscum, seu *Bischtium*, opp. Germ. olim dit. Palat. nunc subest Duci Lotharingiæ, à multis annis. Ad radices montium, cum castro sat tuto. Medium ferme inter Bipontium & Haguenoam. Vulgò *Bitsch*.

Bidos, Φρέριον ἐν Σιϰελίᾳ. Steph.

Biducasses, pop. Gall. nunc in Normannia inf. ubi tractus *le Bessin*, & urbs *Bajocum*. Dicuntur & *Bajocasses*. Vide ibi.

Biducesii, Gall. Celt. pop. Ptol. mel. *Biducasses* & *Bajocasses*.

Biela, sive *Bielski*, principatus Russiæ, cum castro & civitate ejusdem nominis ad fluvium *Opska*, in vastis sylvis 60. mill. in Occid. à Moscqua distat: Dux Moscoviæ hujus tit. insignitur. Metel.

Bielca, *Bielsko*, urbs Polon. in Podlassia prov. cum arce munita. Ad Bialam amnem, inter Bresliciam & Grodnam urbes. Baudr.

Bielesezero, sive *Bielozero*, Ducatus imperii Moscovitici, & ejusdem nominis civitas: denominatur à lacu albo, penes quem reperitur, qui 13. milliar. tam in longitudine quàm in latitudine extenditur, & 36. fluvios excipit. Metel.

Biendium, citerioris Hisp. portus, Plin. *lib.* 4.

Bienna, opp. Helvetiæ, juxta exitum lacus cognom. medium inter Neocomum & Solodurum. Aliter *Bipennium* dicitur, à duplici bipenni, quam in insignibus gerit. Αὐτονομίαν habet & propriis immunitatibus fruitur, licet aliquid hic juris sit Episcopo Basil. Primùm fœdere juncti Bernatibus Biennenses sunt, A. 1303. sed commune id cum Argentoratensibus, Basiliensibus, Friburgensibus ac Soloduriis, imò & Austriaca tum ac Habspurgica domo, ob grassatorum multitudinem, fuit. Triennio pòst, ob controversias cum vicinis graves, peculiare fœdus cum Bernensibus inierunt. Quod repetitum An. 1352. Annis dein 15. pòst, cùm Johannes de Viana, continua cum vicinis bella gereret, securitati suæ consulturi, arctius se Bernatibus junxerunt, civitatis jure utrinque communicato: quod cùm Episcopus ægrè ferens cives collectis aliquot subitò oppressisset, igni quoque oppido injecto, An. 1367. Bernenses re cognitâ auxilio advolantes, arce Episcopi, quam in oppido habebat, expugnatâ, juncti Soloduriis, ei bellum intulerunt, captis vastatisque plurimis locis ei subjectis. Quam gratiam abunde Biennenses retulerunt, forti fideque, in Argoia occupanda, Anno 1415. contra Burgundiæ Duces, bello Sabaudico, Anno 1536. &c. operâ Bernensibus præstitâ. Post Disputationem Bernæ habitam, Anno 1528. hi quoque Evangelium amplexi, Missam abrogarunt, &c. Vid. Stumpf. *in Chron.* Simler. *de Rep. Helv.* Germ. *Biel*.

Biennensis lacus, ab oppid. prædicto dictus, amœnus & piscosus, littora vitibus consita habet: minor Neocomensi. Vocatur quoque *Nidoviensis*, à castro Nidau sito, ad Telæ, per quem fluv. Lacus Neocomensis in Biennensem influit, effluxum. Olim lacus *de Nurol*, *Neurol*, *Nerol*, *Nuirvol*, à loco quodam supra Villam novam sito, dictus est. In medio ferè lacus insulæ aliquot, quarum major S. Petri amœna est, reliquæ sæpe merguntur. Rigente frigore lacus concrescit. Liber inprimis hic pisciculorum *Heurling* captura. V. Munst *l.* 3. Germ. *Bieler-see*.

Biennius Jupiter, sic cognominatus à Bienno, urbe Cretæ, quam aliqui denominatam putant à *Brenno*, uno ex Curetibus.

Biennus, urbs Cret. Vide Steph.

Bienor, nobilis Cyzicenus, Pirni filius, ab Argonautis in conflictu nocturno occisus. Flaccus *lib.* 3. 112.

Bientinus lacus Hetruriæ, partim in agro Lucensi, partim Pisano, ubi vicus *Bientina*, in ditione M. Ducis, aliter *Lago di Sesta*. 2. mill. ab Arno fluv.

Biephi, Daciæ pop. Ptol.

Bieria silva, in Senonibus, *Biere* vulgò. In hac vici conditi, Uriacum, *Vryen Biere*, Mensa Regia, Brolium, superiores Logiæ, Inferiores item: Eremitorium S. Ludovici *la Chapelle S. Louis*: Fons Bliaudi, *Fontainebleau*, Murittum opp. *Moret*. Ab eadem silva Boscisium, *Boissise*, Bosciacum Regis, *Boissy le Roy* vici proximi: Nemus quoque opp. ad Lupam fluv. *Nemours* Latinam appellationem traxit Quippe *Bieria* ab opp. Senonum Meloduno ferè ad municipium nemus pertinet, & haud dubiè Nemus ipsum olim attingebat, antequam pars ejus excideretur. Vales. *Not. Gall.*

Biessi, idem qui *Besse*, Baudrando, pop. sub Peucinis contenti, ubi nunc Polkutia reg. Poloniæ. Versus fontes Tiræ fluv.

Bigastrum, urbs Hisp. Tarraconensis in eo tractu, qui *la Mancha* nominatur, *Bagastra* Marianæ, qui illam Oriolæ urbi proximam facit, quòd una illius urbis porta adhuc *Magastra*, quasi *Bagastrensis* nominatur. Quod etiam Morali probatur. long. 21. 15. lat. 42. 40.

Bigenum, opp. in ea parte Japoniæ Insl. quæ *Niphon* dicitur, aliquot milliaribus ab ora distans, & 60. m. p. circiter ab urbe Meaco in Occid. hib. Brietius.

Bigerra, Hisp. civitas in Valentiæ regno. Ptol. Plin. *Beiar* nonnullis: aliis est *Villena* urbs, & marchionatus in regno Castellæ. Aliis *Pesquera*, vicus Castellæ Nov. in conf. Valentiæ regni, prope *Cauriel* fl qui pòst in Sucronem cadit, inter Concham & Villenam.

Bigerra, vestis Gallica: an à Bigerronibus, quorum in Aquitania Cæsar *de bell. Gall. lib.* 3. meminit? An à Gallico *bigarrer*, quod est, variegare, diversisque coloribus interstinguere, quasi bis variare. Est & *Bigerra* urbs prisca, in Hispania Tarrac. de qua hodie haud satis constat. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Bigerriones, vel *Bigerrones*. *Bigerri* Plinio, *Begeritani*, Ausonio, pop. Gall Aquitan. ad mont. Pyrenæum, in Hisp. confin. quorum reg. *Bigorre*, e tibus Orontio, Vineto, & Scaligero nominatur. Comites ic Fluxo subditi, uti Comitatus est in Vasconiâ consistens. Hinc profectus vir fortis Evequus nomine, regn. Navarræ constituit, pulsisque inde Mauris, successoribus suis regnum per manus reliquit. Loyd *Pellitis Bigerri*, dicuntur Paulino *epist.* . *ad Auson.* pellibus enim ob inclementiam cœli utuntur, & ob Bigerri-

cum turbinem, Sidonio *Epist.* 12. *lib.* 8. memoratum. Hinc *Bigerrica*, *vestis hispida* Sulpicio Severo, *in vita S. Martini*, & Fortunato *hirsuta Bigerrica palla*, qualis Bigerris & Benearnensibus in usu est hodieque, *marlota* dicta. Urbs gentis caput primùm vocata est *Turba*, deinde *Travia*, *Tarvia* ac *Tarbia*: Nunc *Tarba* dicitur. In Notit. provinciarum ac civitatum Galliæ veterrima nominatur, 10. inter Novempopulanæ civitates locum obtinens. Vulgò *Tarbe*: vetus castrum aut arcem *Bigerram Bigorramve* habuit, ubi semper fuit sedes Episcopatus: unde & nunc *la Sede* appellatur. Pagus *Bigerricus* quondam sub Comitibus fuit: Vice-Comitatus duos veteres continens, Levitanensem & Asteriensem: è quibus Levitania, vulgò *Lavedan*, equis generosis olim nomen suum dedit, etiam inter currendum in gyrum verti solitis: caput habet Lordam, *Lourdes*, veteri arce munitissimâ insignem. In Bigerris sunt etiam Vicus Bigerrorum, *Vic de Bigorre*: & Vicus Aquensis, nunc *Bagneres*, à balneis aquisque suis salubribus: à quo Vicani Aquenses nomen habuere, ut vetus marmor docet. Gregor. *de glor. Confess.* agrum Bigerricum vocat *terminum Beorretanæ urbis*, ibique Vicum Sextiacensem ponit. Lingua Bigerritana dicitur *le Vigordan*. Hadr. Valesius *Not. Gall.* Hujus reg. Comes ultimus Esquibatus, filiam Martham reliquit, Gastonis ultimi Comitis Benearnensis uxorem. Marca, *histor. Benear.*

Bigis, Drangianæ urbs. Ptol.

Biguba, regnum Afr. in Nigritia reg. juxta Nigrum fluv. ubi recipit *Bigubam* fluv. Ibi Cantori regn. quibusdam. P. du Val.

Bii, Pannoniæ superioris populi. Ptol.

Bilbaum, urbs Hispaniæ, & Biscayæ caput, ad Nervium fluv. 2. ab Ocean. mill. V. *Flaviobriga*.

Bilbilis, opp. Celtiberorum in Hispan. Tarracon. ad Salonem fluv. optimâ ferri temperaturâ nobile. Ex hoc oppido Martialis poëta originem traxit, ut ipse testatur *lib.* 1. *epigr.* 49.

Videbis altam Liciniane Bilbilim
Equis & armis nobilem.

Idem *lib.* 10. *epigr.* 103.

Municipes Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis.

Catalaiud Villanovano. *Xiloca* Varrerio. long. 19. 20. lat. 42. 05. Item fluvii nomen ferrum durantis. Trogus *lib.* 44. Aliis est *Rio Baubula*, fluv. qui juxta & infra Bilbilim in Salonem se exonerat. Baudr.

Bilbina, urbs Persidis. Steph.

Bilbium, vulgò *Castillo Villovio*, teste Morali, locus Hisp. Tarracon. apud Nagaram urbem, non procul à Cœnobio, quod *S. Maria Cogolla* appellatur.

Biledulgerid, à dactylorum copia, regio Afr. perampla, ubi aliàs Getuli, Cluv. In longum porrigitur ab Oceano usque in Ægyptum, sed non æquè lata habens, à Sept. Barbariam, & à Mer. Zaharam seu Desertum. Baudr. Hic 4. deserta, totidemque urbes, & tria regna. Vid. Marmol. *l.* 7. *c.* 53.

Bilia, vel *Billia*. Vid. *Biblia*, & Cæl. Rhod. *l.* 8. *c.* 17.

Bilina, lacus & fluv. Sueciæ, in Sundheda regiunc.

Bilis, Asiæ fluv. non longè ab Heracleâ. Plin. *c. l.*

Bilitionum, opp. Insubriæ, ad Ticinum, Ital. *Bellinzona*, olim magni nominis. Fuit sub Comitibus propriis, primò, dein horum familiâ extinctâ, Com. Monsaxiis subesse cœpit: quibus propterea cum Ducibus Mediolanensibus contentio, sed hi fortiores illos oppido exuerunt. Proin cùm hoc denuo per insidias Comes cepisset. circa An. 1421. tribus Pagis, Uriis, Suitiis, & Undervaldiis illud vendidit. Verùm & hi iisdem artibus, quibus Comes usus fuerat, à Duce eo privati gravia bella recuperandi ejus ergò gessere. Hinc enim cruento prælio, die ult. Jun. A. 1422. Helvetii victores, à Lucernatibus & Tugiis adjuti: cùm nihilominus oppidum capere non possent, Tigurinis quoque ac Glaronensibus imploratis, denuò Alpes transierunt, Ducis ditione longè lateque vastatâ, A. 1425. Postea, accessione Bernensium animosiores, iterum fortunam experti, A. 1426. rursus frustra fuere. Donec inter Sfortias & Gallos fervente bello, cives, ut sibi consulerent, Uriis sese dedidere, An. 1500. Gallis, qui Insubriâ potiti, sæpius oppidum, sed incassum, repetentibus. Ab inundatione ingens illi periculum, An. 1515. Caput est ditionis, divisæ in præfecturas tres, Bilitionum, vallem Palensam & Rivieram, quibus à singulis trium præfatorum Pagorum præfecti per vices contingunt. Stumpf. *lib.* 9. *cap.* 6. 7. 8. Diversorum Auth. *Respub. Helvet.* Hîc Valentinianus III. sepultus, ut quidam volunt. Vid. & *Breuni*.

Billæus, fluv. cujus mem. Apollonius Rhodius *Argonaut. l.* 2.

Παφλαγόνες δ' ἐπὶ τοῖς Πελοπήιοι ἐκχθὸν αὐτως,
Ὅσσυς Βιλλαίοιο μέλαν περικλύνυται ὕδωρ.

Ubi Scholiastes, Ἔστι ποταμὸς Παφλαγονίας, οἱ δὲ Φρυγίας. Ejus mem. Arrianus.

Billena, amnis Germ. in Vagria ortus, Saxoniam infer. ab Holsatia dividit, pòst ad Hamburgum in Albim cadit.

Billomum, urbec. Gall. in Alvernia, 5. leuc. à Claromonte.

Bilsenum, oppidul. Episc. Leodiensis, ad Demeram fluv. Metel.

Bilsteinum, oppidul. Germ. in Wetteravia, Comit. cogn. caput, inter Confluentias & Marpurgum. Vulgò *Beilstein*.

Bilumnum, Ant. *Beauvois*, Siml. opp. Sabaudiæ, à Tarantasia 13. m. p. versus Viennam distans.

Bimater, cognomen Bacchi, quòd duas matres habuerit, Semelem, & Jovem matris officio fungentem. Hinc *Bis genitus* dicebatur. Et Nonnus *Dionys. lib.* 1. Βάκχυ διστοτόκοιο.

Bimatra, Mesopotamiæ urbs. Ptol.

Bimina, Ins. Amer. Septentr. una ex Lucajis.

Bimonium, Angliæ opp. vulgò *Bincester*, in Episcopatu Dunelmensi. Lhuidus ex Ptolemæo. *Vinnonicum* legitur apud Ptol. Brigantum urbs.

Bina, & *Bacenas*, Gaudentio Merulæ *Binasco*, pagus Insubriæ, in via, medio itinere inter Papiam & Mediolanum occurrens, ubi multæ cauponæ.

Binagara, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Binchium, opp. Belgii in Hannonia, ad fl. Henium, qui in illo tractu oritur. Permunitum, Gallis subest, cum toto tractu, ab A. 1667.

Bingium, nunc *Bingen*, Germ. opp. Belgis ascribendum, inter Moguntiam & Confluentiam urbes, cis Rhenum ejus ripis finitimum, meminit Tacitus, ut & Navæ flum. omnium primò. Situm est ad Navæ & Rheni confluentes, 8. m. p. à Bodobrica, Notitia Imp. Rom. Præfectum militum Bingensium, *Bingio* præsedisse tradit sub dispositione V. Sp. Ducis Moguntiacensis. *Bingia* Eginhardo *in Annal. A. C.* 819. Nithardo *lib.* 3. *Binga*. Annal. Fuldens. *Urbs Pinguia*, &c. long. 31. 00. lat. 49. 30.

Bingum, oppidul. Asiæ, in Japoniæ parte, quæ *Niphon* dicitur.

Binna, Assyriæ urbs. Ptol.

Binsitta, Maurit. Cæsariensis opp. Ptol.

Bintamum, est insula Indiæ Orientalis, Cincapuranis obdita faucibus, nobili secatur amne, qui ponte junctus, dein in mare se exonerans, portum navigantibus præbet. Huic amni imposita urbs insulæ cognominis, præclarè munita. Nat. Metel.

Bintha, Libyæ inter. urbs. Ptol.

Biobius, fluv. Amer. merid. in regno Chiles. Oritur ex Andibus mont. & in mare Pacificum se exonerat, prope Civ. Conceptionis, & Aquitinam Ins. Alf. Ovallius.

Bioeu, Sardiniæ urbs. Ptol. *Biora* Antonino.

Bion, Borysthenites Philosophus, & Sophista callidus, philosophiam vario orationis flore vestivit. Laërtius. Fertur hic dixisse ad eum, qui fundos suos ingluvie voraverat, *Terra Amphiaraum absorbuit, sed terram tu*. Auditor Cratetis fuit. Ad Cynicam sectam prius transiit, sumpto pallio & perâ, deinde ad Theodorea instituta se convertit, tandem Theophrasto Peripatetico se applicuit. Poëseos Musicæque insignis cultor. Antigono, Macedoniæ R. genealogiam facetè texuit, illum servi ex scorto filium dicens. Plut. Diog. Laërt. *in ejus vita. l.* 4. Reliquit commentarios plures, qui non extant, Apophthegmata item plura. Suidas. Fuerunt & alii *Biones* novem, de quibus vide Laërtium. Ex horum numero quartus, è Democriti familia, Mathematicus Abderitanus, primus certas esse regiones docuit, in quibus semestri diei, æqualis nox succederet. Sextus Rhetor, 9. libros scripsit, Musarum nominibus insignitos. Hinc *Bioneus*, Horatius *Epist. lib.* 2. *ep.* 2.

Ille Bioneis sermonibus, & sale nigro.

Ubi *Bionei sermones* Satyræ sunt, explicante Turnebo *lib.* 9. *cap.* 21. Sed quæramus (inquit Marcilius) deinde, cur Satyræ hi sermones dicerentur. Quia, inquiunt, *Bion* ille Borysthenites insigni dicacitate fuit. Sed quid obsecro philosopho cum Satyrâ? aut cur à *Bione*, homine dicace, magis Satyras indigitare *Bioneos sermones* voluit Horatius, quàm alio, cùm vel sexcenti exstiterint facilè Bione illo dicaciores, & Salibus nigris adfluentiores. Hæc itaque non successit, aliâ aggrediendum viâ. Satyræ autem Bionei sermones à Bione poëtâ Satyrico, de quo Laërtius *in Bione*. Quo pacto inquies? Nec enim Bion Satyricus ibi ullus, sed Tarsicus quidam poëta: Βίων, ποιητὴς τραγῳδίας τῶν Ταρσικῶν λεγομένων. Adversaria, ubi supra rescripsere Θαρσικῶν Tragœdiarum videlicet genus fuisse unum, quod à conviciandi audaciâ tharsicum diceretur; At mihi tam liquet quàm meridie ipso, hoc jam lucere, Diogenis manu scriptum fuisse τῶν Σατυρικῶν λεγομένων. Benè hoc inquies: sed quo pacto esse Tragicus idem poëta & Satyricus potest? Tragœdia est duplex una mera, altera, mixta sive Tragœdia Satyrica, in quâ partim Tragicæ, partim Satyricæ personæ fuerunt, cujusmodi Sophoclis Tragœdia, quam laudat Interpres Apollonii *ad lib.* 1. *Argon.* Nempe Sophoclem ἐν κωφοῖς Σατύροις, *in Satyris surdis*. Hoc genus Tragœdiæ inventum est, quemadmodum Horatius tradit *Epistolâ ad Pisones*, ut Tragicarum personarum severitas, Satyrorum risu, procaciâ, & dicacitate dilueretur. Hinc ergo & apud Vitruvium *lib.* 5. *cap.* 9. scena 3x ponitur, Tragica, Comica, & Satyrica. Atque hæc illa quæ Σατυρικὰ δράματα Origenes vocavit, *lib.* 7. *contra Celsum*. Τὰ Σατυρικά, inquit, δράματα ἐμποιεῖ γέλωτας. Isacius *prolegomenis ad Lycophronem*, Ἡ μὲν Τραγῳδία θρήνες μόνον ἔχει, καὶ οἰμωγάς, ἡ δὲ Σατυρικὴ συγκιρνᾷ τοῖς ὀλοφύρσεσιν ἱλαρότητα, καὶ ἀπὸ δακρύων εἰς χαρὰν καταλήγει.

Bion, Solensis, Æthiopica conscripsit. Est hic quintus ejus nominis apud Laërtium in Bione. Testimonio hujus quoque Plinius utitur, cùm alibi, tum *lib.* 6. *cap.* 29. ubi inter illos refertur,

qui

qui mensuram Æthiopiæ tradiderunt. Idem videtur, ex quo Plut. *in Theseo*, narrat, Antiopam Amazonem, à Theseo fuisse captam. Item is, quem de Belitarâ, regnum Assyrium, cùm Semiramidis stirps desiisset, occupante, literis consignasse, Agathias narrat *lib.* 2. *Hist. suæ*. At alius, puto, Bion est, qui τὰς διατριβὰς scripsit, ex quibus Laertius refert, Aristippum, famulo gestante magnam pecuniæ vim, ac de gravitate oneris querente, jussisse, ut effunderet, quod portare non posset. Alius quoque à Solensi illo videtur Cæcilius Bion, de quo Plinius 18. 13. Vossius.

Bion, ex exercitu Darii, cùm prælium ad Arbela committendum esset, ad Alexandrum transfuga, qui nunciavit, murices ferreos in terram defodisse Darium, quà Alexandrum equites emissurum esse credebat. Curt. 4. 3.

Bion, corruptè pro *Bæo*, Doridis urbs. Ptol. Βοῖον habet Stephanus, qui ab Homero *Bœbin* dici tradit.

Bionia, Italiæ urbs. Phlegon Trallianus.

Bioneburgum, urbs Sueciæ, in Finlandia Sept. ubi Cumo flu. in sinum Bothnicum se exonerat, ex adverso Helsingæ. Paucorum incolar. 20. leuc. ab Aboa in Bor.

Biota, al. *Btia*, hodie *Porto Bota*, vicus Sardin. inf. cum portu, in latere Australi. Brietius.

Biottia, opp. Macedoniæ, ex quo *Biottica regio* Chalcidicæ finitima, haud procul ab Olyntho, de quâ inter Athenienses & Spartanos decertatum est. Thucydides.

Bipedimui, Gall. Aquitanicæ pop. Plin. 19. 4. Quorum urbs *Pamiers*.

Bipontium, Duc. Bipontini caput, in Palatinatu Rheni, parva sed culta, ad amnem *SchVVolbe*, cum arce, in Vasgoia reg. 3. leuc. à Cæsaropoli, in Occas. Familiæ origo à Johanne I. secundo filio Wolfgangi, cujus pater Ludovicus, Carolo V. contra Franciscum I. militavit, & inter primos, per SchVVebelium, ditionem reformavit, mortuus Anno 1532. Hic Wolphgangus, Interimisticam formulam Anno 1548. pio ac generoso responso deprecatus, & Neoburgico Principatu ab agnato donatus, ac gymnasio Lauingæ, atque Hornbaci instituto, inclytus, à Friderico III. El. dux copiarum, juvandæ Reformatorum causæ, in Galliam, missus est, Anno 1569. Hoc patre natus Johannes, Catechismum Heidelb. cui suâ manu Præfationem adscripsit, in ducatum introduxit. Unde mox colloquio inter Beutherum & Heilbrunnerum Neoburgi instituto, scripta postea inter Bipontinos & Argentoratenses Theologos cœpere reciprocari. Obiit Anno 1604. Ei successit fil. Johannes II. Unioni implicitus, Obiit 1635. Pater Friderici, qui in adempta restitutus est, pace Monast. Anno 1648. Huic mortuo Anno 1661. successit ex patruo Friderico Casimiro, Landspergensis lineæ satore, natus Fridericus Ludovicus, cujus mascula proles cùm pridem extincta sit, Carolus Sueciæ R. ex tertio filio Johannis II. ortum trahens, Gallicis armis sub initium Anni 1676. vivo adhuc vegetoque Principe ditionem occupavit. Vid. Spener. *Syll. Geneal. Hist.*

Biracelum, urbs Tuscorum. Ptol. *Vicarello* Leandro.

Biragus Renatus, Mediolanensis, in Galliam, metu Lud. Sfortiæ se recepit. Francisco I. à consiliis, dein supplicum libellorum Mag. ad Concilium Trident. missus, Cancellarius sub Carolo IX. Cardinalis, ope Henrici III. Obiit An. 1583. æt. 74. Dicere solitus est, *se Cardinalem esse absq; titulo, Sacerdotem absq; beneficio, Cancellarium absq; sigillo.* Thevetus, *in ejus vita.* Histor. Gall.

Birca, urbs aliàs præclara Sueciæ, & Ostrogothiæ caput, nunc in ruinis, biduo ab Upsalia. Zeilerus.

Birchenfeldia, vel *Bircofeldia*, opp. in Palatin. Rheni, prope Nabum fluv. Principatus caput, gentis Palatinæ, in regione *Hundsruk*, 5. leuc. Germ. à Treviris. Familiæ origo à Carolo, filio minimo natu Wolphgangi Bipontini, mortuo Anno 1600. magnâ pietatis & literarum famâ. Ei successit fil. Georgius Wilhelmus, pater Caroli Ottonis, qui natus Anno 1625. genuit Christianum, natum Anno 1637. & Johannem Carolum, n. 1658. rei bellicæ laude clarissimos. Vid. Spener. *Syll. Geneal. Hist.*

Birdama, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Birfletum, fortalitium Belgii probè munitum, in Inf. cognom. in Flandriæ ora, ex adverso Isendici. Sub Hollandis. *BiorVliet* vulgò.

Birgerus, Sueciæ, post Magnum 2. Rex. Feliciter initio præfuit, devictâ Careliâ, & ad agnitionem J. C. perductâ. Postmodum verò, ab uxore Saxonica impulsus, sævus in Ecclesiasticos, sævus in subditos esse cœpit, hinc captivus: Mox hac conditione liber, ut parte regni contentus esset, ope Errici Dani pristinam potentiam recuperaturus, à duobus fratribus suis, victus, in captivitate obiit. Anno 1319. Magnus, *hist. Suec. lib.* 20. & 21. Item, gener Erici 2. Sueciæ R. pater Waldemari, qui avo successit. Anno 1250. Magnus *lib.* 19. Crantz. *lib.* 5. Item, Episc. Lincopiensis in Suec. auctor historiæ Eccles. Spond. an. 1363. *n.* 7.

Birginium, Hisp. Tarracon. urbs, quæ *Berga* hodie dicitur. Episcopus Gerundensis.

Birgus, Hiberniæ fluv. Ptol. *BarroVV*, teste Camdeno; Aliis est *Neure*, fluv. ingens unà cum Suirio (qui præterlabitur Waterfordiam) in Baroum exceptus, ac in ort. fluens. Hi 3. flu. juxta Camdenum ex montibus Bladinis (Hibernicè *SlieVV Bloemy*, vel *SleVV Bloom*) fluunt, ac divisis alveis decurrentes, priusquam Oceanum adeant, concordibus se consociant aquis, unde *Tres sorores* ab antiquis dicti. Baudrando oritur in Comitatu Reginæ, in Lagenia; dein auctus aliquot rivis, alluit Rhebam, Caterlogum, Laghliniam urbes, recipitque *Neorum* fluv. qui per Kilkenniam labitur, paulo supra Rossas, quas rigat, & pòst unà cum Suirio, Lageniam à Momonia dividit, & in Oceanum Hibernicum se exonerat.

Birias, Italiæ urbs, quam Narses à Gothis recepit. Cedrenus.

Bironium, Castrum Aquit. in agro Petrocoriensi, intra montes situm, unde Mareschalli duo celeberrimi; medium fermè inter Bergeracum & Cadurcum.

Bironius Armandus, Galliæ Maresch. sub Henrico 2. filiisque ejus, & Henr. 4. celebris. In obsidione Spernæi, globo ictus, occubuit, Anno 1592. Ejus fil. Carolus, Henrico 4. gratus, rebus gestis, inclytus, Dux & Par Galliæ factus est. Postmodum sinistri genii impulsu, cum Sabaudis & Hispanis, contra Regem suum, collusit, tandem re detectâ, crimen negare pertinax, licèt 4. vicibus à Rege rogatus, capite plexus est. Anno 1602. *Histor. Gall.*

Birra, fluv. Galliæ, Narbonam inter ac Leucatem, Vallem Corbariam, cujus ex nomine mons, unde fluit, & Villam Salsam alluit: dein stagnum maritimum *l'Estang de l'OliVier* petit, ejusque faucibus in mare abit. Caroli Martelli de Saracenis victoriâ nobilis. Vulgò *Berre*. Vid. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Birrhus, fluv. Norici, *Putster*, per Carinthiam in Dravum fluens.

Birrus, & *Birrum*, lacerna, palliolum: Vestis Romana, ut probat Martianus *lib.* 4. recensente Coel. Rhodigino *lib.* 16. *cap.* 10. Vopiscus, *ab Atrebaticis birri petiti: & donati birri Canusini*: quæ cùm de veste splendidiore dicta videantur, Pithœus *Beri* legit: *Beri*, inquiens, *honestiorum & Palatinorum Vestes erant, serica. Birrus* autem indumentum vile, ad excutiendam pluviam, humeros tantùm & brachia tegens. Gloss. Isidori, *Amfibulum, birrum Villosum.* Etiam lacernæ simile, hoc est, fimbriatum, quo soli quondam milites utebantur. Sed hæc cum *burra* Ausonii, & *bera* Martialis, excutiant eruditi. Fuit etiam *Birrus*, palliolum sacerdotale: sic Paulus Monachus Cyprianum *Byrro* indutum refert, cùm ad supplicium duceretur. Putat Spelmannus *Byrrum* idem esse, quod hodie breve mantillum Hibernicum, & ἱφεστρίδα Suidæ: Servilis vestis, Meursio. Est etiam *Birrus, Bireta, Birretum*, &c. tegmen capitis, pileus: quod Servis tribuitur, L. 1. ad finem Cod. Theodos. non tamen militum servis, quorum domini militantes hoc induebantur, Pithœus. Posterioribus tamen Magisterii nota, ut pileus olim. Clemangius *Epist.* 74. Coccinea *Bireta*, Cardinalium petasus, Platina *in Paulo* 2. à quo id privilegii Cardinales acceperunt, ut soli illo uterentur: cùm prior Innocentius IV. jam id instituisset. Album *Birretum*, capitis tegmen lineum, tenue, strictum: formâ ipsius cranii vel cassidis, quo Homer. *Il.* 6. Ulyssem ornat exploraturum. Hoc insigniuntur apud Anglos, qui supremam in Jure palmam ferunt, *SerVientes ad Legem* dicti. Vid. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Birsa, vulgò *die Birs*, amnis in monte Jura ortus, qui multas valles præterlapsus, rates variique generis & usus ligna secum Basileam maj. usque trahit: ibidem fossa est, ad molendinorum usum, ducta. Mercat. *in Atl. min.* Munst. *lib.* 3. &c. Nasonum, quod piscis marini genus est, stupendo circa Pascha puerperio & numeroso hinc piscatu, celebris. Haud procul Basileâ, ponte jungitur,

Hic ubi multus olor Victuro carmine cælum
Mulcet, & egregiis murmura miscet aquis.

Birsecka, arx ad Birsam fluv. sub Episcopo Basiliensi, cum territorio vicino.

Birsicus, fluviolus agri Basiliensis, in supremitate vallis, quam à limi copia (totus enim tractus ejus argillosus est) vulgò *das Leimthal* appellant, ex monte Blavio, Jurassi brachio, ortus, Basileam per medium secat, elotisque sordibus, prope pontem, in Rhenum exit: gravis urbi, cùm tumet: Ut, inter alia, factum die 18. Kal. Julii, Anno 1529. & 4. Non. Jul. Anno 1630. Urstisius, *epitom. hist. Basil. c.* 5. Vulgò *der Birsick*.

Birtha, urbs parva reg. *Diarbech*, in confinio Syriæ, ad Euphr. inter Alepum & Orpham. Sub Turcis.

Bisa, urbs Thraciæ. Steph.

Bisacium, Urbec. Principatus Ulter. in regn. Neap. juxta Apenninum. Paucorum incolarum.

Bisaltæ, pop. Scythiæ, qui fugientes, equorum sanguine aluntur, lacte permixto. Virg. 3. *Georg.*

Bisaltæ quo more solent, acerq; Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen, aut in deserta Getarum
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Plin. 4. 10. *Libera gens Bisaltæ*, à *fluVio Bisalte, siVe à Bisalte Solis & terræ filio*, ubi lepores duplici jecinore sunt. Suidas,

Βισαλτία, χώρα καὶ πόλις Μακεδονίας, ἀπὸ Βισάλτου τοῦ ἡλίου καὶ γῆς. Περὶ ταύτην οἱ λαγωοὶ πάντες ἁλίσκονται δύο ἥπατα ἔχοντες. Ὁ πολίτης Βισάλτιος. Val. Flaccus *lib*. 6.

— *Proxima Bisalta regio.*

Horum meminit Athenæus *lib* 12. Vide Plin. 4.11. Baudrando pop. Macedoniæ, versùs Thraciam, juxta Strymonem fluv. ubi aliàs Euporia opp.

Bisaltis, vel *Bisalpis*, puella quædam, quam Neptunus in arietem conversus compressit. Ovid. *Met*. 6.

Bisamnis, amnis Liguriæ. Ex Apennino oritur, & in mare Mediterr. se exonerat, prope Genuam. Vulgò *Bisagno*. Aliis *Feritor*.

Bisanthe, vel *Bisate*, urbs Macedoniæ, juxta Thraciam, à Samiis deducta, Græcanica. Steph. *Rodostro* vulgò dicitur.

Bisargis, opp. Ilercaonum, in Hisp. Tarr. nunc fortè vicus *Ribaroja*, in Catal. ad Iberum fluv. seu, *Flix* opp. Paulo inferius, ut aliis placet.

Biscaja, prov. Castellæ vet. ampla, fertilis & portubus referta. Cui à Sept. Oceanus Cantabr. ab Occid. Asturia, ab Or. Ipuscoa, à Meridie Castella vetus, & Alava prov. Præcipuæ urbes Bilbaum, Fanum S. Andreæ, Ordunia & Laredum. Fuit sedes Cantabrorum vett. Plin. 4. 20. Mela. *l*. 2.

Biscaja nova. reg. Amer. Sept. sub nova Hispania. V. *Nova Biscaja*.

* *Bischium*, Vid. *Bidiscum*.

Biserta, urbs Afr. in regno Tunetano, in ora littor. cum portu tuto, sed piraticâ infamis. Marmol. *l*. 6. *c*. 7. Vid. *Utica*.

Bisextus, vel *Bissextus*, dies intercalaris, qui quarto quoque anno interseritur, ut anni ratio cum cursu Solis conveniat. Inventa est autem hæc intercalandi ratio à Cæsare Dictatore. Is enim, ut refert Plutarchus, quum animadvertisset Solem cursum suum conficere diebus 365, & horis circiter sex, quarto quoque anno diem unum adjiciendum curavit. Dictus est autem *Bissextus*, quòd bis, hoc est, duobus diebus continuis numerarent: Sexto Calendas Martias, duos viz. dies pro uno computantes. Unde qui natus est bissexto Calend. Martias, nihil refert, teste Celso de Verborum significatione, utrum priore an posteriore die natus sit, quum illud biduum pro uno tantùm die habeatur. Erat autem huic intercalationi constitutus dies certus, qui est post 23. Februarii diem, inter Terminalia jam peracta, & Regifugium. Februarius verò duabus de causis huic rei aptissimus visus est, tum quòd paucissimos haberet dies, tum etiam quòd inter menses ultimum haberet locum. Nam cùm antea 10. tantùm menses essent, quorum primus erat Martius, 2. postea in fine sunt adjuncti, Januarius & Februarius.

Bisgargitani, pop. Hisp. citer. Plin. 3. 3. Eorum oppidum *Biscargis* legitur in nummo Germ. Cæsaris, teste Goltzio, sic quoque legit Ptolemæus.

Bisnaga, civitas est totius regni Narsingæ maxima: ambitus illius supra quatuor millia passuum continet, multisque muris cingitur. Nat. Metel.

Bisnagara, reg. Indiæ citra Gangem, inter Malabariam, ad Austr. & regna Decani & Golgondæ ad Bor. sub 17. regna continens. Ejus urbs præcipua etiam *Bisnagar*, seu al. *Chandegry*, in mediterr. in via Narsinga, Goam versùs, 50. leuc. ab ora littor. sinus Gangetici.

Bisontium, metropolis Sequanorum, Archiep. in Com. Burgundiæ, vulgò *Besanson*, ubi plurima veterum ædificiorum vestigia cernuntur; in hujus agro .. erumpunt fontes, quorum alter est aquæ dulcis, alter ex quo salem igne densatum conficiunt, candore præstantem, unde maximum est illis vectigal. Sequanorum olim regio, totius Burgundiæ granarium, quemadmodum olim Italiæ Sicilia fuerat. Munster. Cosm. *lib*. 2. Aliàs libera, nunc in ditione Regis Hisp. pace Monaster. Ad Dubrin fluv. Habet Academiam superiori seculo fundatam. 11. leuc. à Dola in Ortum. Aliter *Visuntio* & *Vesuntio*. V. *Vesontio*.

Bistiros, urbs Thraciæ Steph.

Biston, Martis & Callirhoes filius, qui *Bistoniam*, Thraciæ urbem, condidit, unde omnes Thracas *Bistonios* poëtæ dixerunt. Hinc *Bistones*, Gens Thraciæ & Hesychio Βίστονες, Θρᾷκες. Item *Bistonis*, stagnum Thraciæ, Abderæ proximum. Plin. 4. 11. Ovid. *Met*. 13.

Est ubi Troja fuit, Phrygia contermina tellus,
Bistoniis habitata viris.

Stat. *lib*. 3. *Sylvarum*,

— *Ille furentes*
Bistonas, & Geticas populatus cædibus urbes.

Val. Flaccus *lib*. 1.

Bistonas ad meritos cùm cornua sæva Thyoneus
Torsit. ———

Ideo hoc dicit poeta, quòd Lycurgum Thracum rex Liberum contemnens, vites amputaturus, sibi crura conscecuit, uti testatur Servius. Dionysius Periegetes *vers*. 575.

Οὐχ οὕτω Θρηΐκος ἐπ' ἠόσιν Ἀψίνθοιο
Βιστονίδες καλέουσιν ἐριβρόμον Εἰραφιώτην.

Poetæ, ut dixi, Bistones ut plurimum ponunt pro Thracibus. Lucan. *lib*. 7.

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum
Bistonas, aut Mavors agitans.

Hinc *Bistonius tyrannus* pro Diomede Thraciæ rege, apud eundem *lib*. 1. & *Bistonius turbo*, pro vento e Thraciâ spirante *l*. 4. Jam verò Thracas inter Barbaras nationes recenseri solitos esse nemo ignorat. Præcipuè verò,

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est.

Inquit Horatius, quem etiam postea *barbarum morem* ibidem vocat. Idem de Bistonibus tradit Statius *Thebaidos lib*. 7. *hâc similitudine*:

Qualia per Rhodopen rapido convivia cœtu
Bistones, aut media ponunt convallibus Ossa;
Illis semianimum pecus, excussaq; leonum
Ore dapes, & lacte novo domuisse cruorem
Luxus, at Ogygii si quando afflavit Jacchi
Sævus odor, tunc saxa manu, tunc pocula pulcrum
Spargere, & immerito sociorum sanguine fuso
Instaurare diem, festasq; reponere mensas.

Horum etiam meminit Seneca *in Herc. Oetæo*,

—— *Defecisse putent Geten*
Hebrum Bistones ultimi.

Id est, ultimi Thraciæ populi.

Bistonis lacus Thraciæ, in Drosica reg. cis Rhodopen. Vulgò *Bouron*. In eo confluunt multi fluvioli, vixque aliquot milliar. a mari Ægæo distat. Hinc *Bistonia* urbs prope mare, nunc etiam *Bouron*. Ab Abdera 15. mill. in Ortum.

Bistritia, Latinis dicitur Ungariæ urbs, quæ Germanis *Noesne*, Hungaris *Besterez e* nominatur. Sambucus.

Bisuldunum, vulgò *Besalu*, oppidul. Catalauniæ, ad Fluvianum amnem, 5. leuc. ab ora maris Mediterr.

Bisurgis, Germ. flu. vide *Visurgis*.

Biterini, op. Gall. Narbon. inter duo flum. Obrim & Vepram situm; vulgò *Bederrieux*.

Biterra, Vid. *Bliterra*.

Bitettum, urbs regni Neap. in prov. Bariana, paucorum incol. Episc. sub Archiep. Barensi, 8. mill. à Bario, 5. à Bitunto.

Bithalbe, Vid. *Helenopolis*.

Bithias, Mesopotamiæ urbs. Ptol. incolis *Bir*, & nonnullis *Perazuch* nominatur, teste Nigro. *Batha* Antonini videtur Simlero.

Bithon, vir tantâ corporis fortitudine, ut taurum humeris gestaret, unde statuâ apud Argos dignus habitus est. Rhod. 13. 19.

Bithra, oppidum Zosimo, quod Marcellinus *Maiozamalcha* appellat. *Bithra* Ptolemæi eadem videtur juxta Euphratem in Arabiâ desertâ.

Bithus, nobilis gladiator, vide *Bacchius*.

Bithya, pop. Thraciæ, quorum author fuit *Bithys*, Martis, & Setæ sororis Rhesi filius. Steph.

Bithya, fœminæ Scythiæ, quæ pupillas binas in oculis singulis habent. Inest autem illis ea vis naturalis, ut visu effascinent, interimantque quos diutius intueantur. Plin. 7. 2.

Bithynia, Asiæ min. reg. ad Pontum sita, Thraciæ adversa, Troadi proxima, Solino, Servio, & Mar. Nicæâ, ubi duo Concilia Oecumenica, & Chalcedone, ubi simile Concil. celebris. Capellæ primùm *Bebrycia*, postea *Mygdonia*, dein à *Bithyno* rege dicta est *Bithynia*. Sunt qui scribunt *Thynos* populos transisse ex Europâ, & hanc regionem occupasse, à quibus *Bithyni* dicuntur. Claud. 2. *in Eutrop*.

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Vastata est mirum in modum à Cosacis, Anno Christi 1616. Bithyniæ incolas *Halizonas* vocat Suidas, itemque Herodotus, qui ait, eos primùm Strymonios dictos. Hodiè *Becsangia* vocatur, teste Castaldo; aliis *Bursia*, Turcis *Osmanili*, uti docet Leunclavius. A situ, non à conditore dicitur, teste Bocharto בטן *beten* Ebræis est venter, & Arabicè באטן *batin* *interius* sonat: Bithynos enim interiora occupasse veteres docent. Plin. 6. 32. *Tenent oram omnem Thyni, interiora Bithyni*. Et ante illum Pomponius Mela *lib*. 1. *cap*. 19. *Interius Bithyni sunt & Mariandyni*. Laudes ejus decantat vetus Geographus à Jac. Gothofredo editus, Μεθ' Ἑλλήσποντον ἐστὶν εὐθέως ἡ θαυμαστὴ Βιθυνία, ἡ μεγίστη καὶ βελτίστη, ἣ οὕτως πάντα καρπὸν ποιεῖ. Libanius extremo *Basilici*, Αἰνεῖται δὲ τὸ Βιθυνῶν ἔθνος τοῖς ὅπου ἐπιθυμοῦσι λαβεῖν. Vide Steph. *Manilio libro* 4. *Bithynia dives* vocatur. Hinc Horatius 1. *Ep*. 6.

Ne Cybiratica, ne Bithyna negotia perdas.

Et *Carm*. 3. *Od*. 7.

Thynâ merce beatum.

Idem *lib*. 1. *Od*. 35.

Quicunq; Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carinâ.

Juvenalis primam syllabam corripuit,

Quanquam & Cappadoces faciant, equitesq; Bithyni.

Dionysius post *Mariandynos* collocat. *Vers*. 793.

Ἄγχι δὲ Βιθυνοὶ λιπαρὴν χθόνα ναιετάουσι.

Bithynia

Bithynia, urbs Mysiæ. Suidas. Eadem forte quæ Claudiopolis.

Bithynium, vel *Bithynum*, civitas in Bithyniâ, à quâ *Bithynatæ*, & *Bithynienses* populi. Steph.

Bithynopolis, urbs à Bithyâ dicta. Steph.

Bithynus, Jovis & Thraces filius, qui fratrem habuit Doloncum, a quo Dolonci Thraciæ pop. Steph.

Bitias & *Pandarus* fratres ex Alcanore Trojano geniti, quos Hiera in sylvis nutrivit. Hi cum Æneâ in Italiam venerunt, & cùm apertis etiam portis ausi essent Rutulos lacessere, ab iisdem trucidati sunt. Virg. *Æn.* 9.

Pandarus & Bitias Idæo Alcanore nati.

Alius fuit ejusdem nominis inter Didonis proceres, cujus mem. Virg. *lib.* 1. *Æn.*

Tum Bitiæ dedit increpitans.

Bitoana, Lydiæ urbs. Ptol.

Biton, Argiæ sacerdotis filius. Plut. *in Solone.* Val. M. *lib.* 5. *cap.* 4. *ex.* 1. Vide *Cleobis.*

Biton, Mathematicus, tempore Alex. M. aut paulo vetustior, scripsit de machinis bellicis. Voss. *de Mathem. c.* 48. §. 22.

Biton, Syracusanus præsidii dux in captâ Motye, à Dionysio superiore constitutus.

Bitontum, Marchionatus Apuliæ, cum episc. Ejus Episcopus, cùm in prima sessione Conc. Trid. monuisset, confluerent ad Concilium, tanquam equum Trojanum; malè id Patres habuit, eò quòd fallax & perniciosa machina is equus fuisset. P. Suavis *l.* 2. *p.* 147. Ibi Synodus, An. 1570.

Bittigo, Indiæ intra Gangem mons. Ptol.

Bituitus, Arvernorum rex, specie colloquii comiter hospitio invitatus, à Cn. Domitio vinctus est, & Romam deportatus. Epitome verò Livii rem aliter narrat: *Bituitus* (inquit) Allobrogum rex, quum ingentem exercitum contraxisset hominum centum & octaginta millium, pugnaturus cum Fabio Proconsule, qui paucos milites habebat, dixit, Exercitum Romanum vix ad escam canibus suis esse, sed contrâ pugnâ vincitur & 150000. homines amittit, ipse victus Romam proficiscitur ad satisfaciendum Senatui, sed in Galliam remissus non est; verùm decretum, ut & filius ejus Cangentianus comprehenderetur, qui cum patre Albam in custodiam datus est. Consul cùm febri laboraret, in ipsâ pugnâ morbo liberatus est. Plin. *lib.* 7. *cap.* 50. Vid. Oros. 5. 13. Flor. 3. 2. Eutrop. *lib.* 4. Valer. M. *lib.* 9. *cap.* 6. *ex.* 3. Pugna facta, circa medium Julii An. V. C. 633.

Bitum, regnum Afr. in Nigritarum reg. inter Zanfaram & Beninum. P. du Val.

Bituntum, Calderinus vult esse opidum sterile in Hispaniâ. Mart. 4. 55.

Hac tam rustica malo quàm Bituntos.

Ubi aliqui vilissimum Apuliæ Peucetiæ opidum volunt. Musambertius legendum censet *Britannos*, ut sit contentio inter provincias Hispanorum & Britannorum. Alii legunt *Butuntos*, quod Vid. alii *Bitundos.* V. *Bitontum* etiam.

Biturgia, urbs Tuscorum Ptol. quam quidam per errorem *Borgo di San Sepolcro* indigitant. Aliis potius est *Magliano.* Aliis est *Civitella*, oppidul. Hetruriæ, in dominio Florentino.

Bituriges Cubi. Flumine Ligeri Bituriges ab Æduis dividi, & apud eos magnas esse ferrarias Cæsar tradit, ac Rutilius *in libro* 1. *Itinerarii*, cui *Biturix structura* laudatur. Idem ait, Celtas seu Gallos ab Aquitanis Garumna fluvio dividi, & Galliam esse omnem divisam in tres partes, Belgicam, Aquitaniam, Celticam vel Galliam, omissâ provinciâ Narbonensi, quæ pridem Romanæ ditionis erat. Quem secutus Livius *in libro* 5. *Celtas partem Galliæ tertiam* vocat, & Bituriges ponit in Celtis, quorum regionem *Celticum* nuncupat; ut *Sequanicum* pro Sequanica nonnunquam dixere; *Belgium* Cæsar pro parte Belgicæ. *Celtarum* (inquit Livius) *quæ pars Galliæ* 3. *est*, *Tarquinio Prisco Romæ regnante*, *penes Bituriges summa imperii fuit. Hi Regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit: qui prægravante multitudine Segovesum in Hercynios saltus, Bellovesum in Italiam cum copiis misit. Bellovesum secuti sunt Bituriges, Arverni, Senones, Ædui, Ambarri, Carnutes, Aulerci*, (id est Cenomani) *quod eis ex populis abundabat. Postea Boii* (finitimi Helvetiis) *Lingonesq; : tum Senones recentissimi venere in Italiam.* Bituriges ergo tum Celtæ erant, Celtarumque potentissimi, & Regem toti Celticæ dabant, nec Aquitaniæ ante Cæsarem Augustum sunt attributi. Certè multas urbes habuisse eos apparet, cùm jussu Vercingetorigis uno die *amplius* 20. *urbes Biturigum* sint incensæ. Attamen ætate Cæsaris Bituriges Æduorum erant in fide, diuturnitate scilicet temporis mutatis populorum imperiis ac viribus. Apud Plinium Bituriges ac Ædui calce uberrimos fecisse agros dicuntur: & argentum incoquere æreis operibus, gloria Biturigum fuit. *Biturix* Lucano non ignotus: *lib.* 1.

Et Biturix, longisve leves Axones in armis.

In tabula Peutingeriana & apud Magnonem *Beturiges: Betorici* aliis, & *Bitorices*, ac *Biturices* corruptè dicti, vulgò *Berruiers.* *Bituricos* Gregorius Turon. vocat non Avaricenses modò, sed etiam totius pagi Biturci incolas; alii *Bituricenses.* Et Cæsar quidem ac Livius, multique alii *Bituriges* absolutè appellant: at Strabo, Plinius, & Ptolemæus *Cubos* cognominant, ut distinguant à Biturigibus Viviscis, Biturigum Cuborum ut videtur prole. Plinio in Aquitania *Bituriges liberi*, *qui Cubi appellantur*, ut & Straboni; Ptolemæo in Aquitania quoque ad *Ligerim fluvium Bituriges Cubi*, *& urbs Avaricum.* μετὰ τὸν Λίγειρα ποταμὸν Βιτούριγες οἱ Κοῦβοι, καὶ πόλις Αὐάρικον: Bituriges autem non solùm pagum Bituricum, *le Berri* vulgò dictum, sed etiam partem agri Burbonensis atque Turoniæ, qualis nunc est, continent, quæ omnia diœcesis Biturigum civitatis complectitur. *Cataphractarii Biturigenses* in vetere inscriptione memorantur, aliàs *equites cataphractarii Biturigenses*: quos Notitia Imperii Romani *Vexillationibus Comitatensibus* 7. primos adnumerat. Caput Gentis *Avaricum*, ut Cæsar & Claudius Ptolemæus docent. Florus *in libri* 3. *capite* 10. postquàm scripsit, *maximam omnium conjurationem fuisse Galliarum*, *quum omnes pariter Arvernos atq; Biturigas*, *Carnutas simul Sequanosq; contraxit*: adjicit, Cæsarem *ipsa capita belli aggressum* esse, *urbes Avaricum* Biturigum, *Alesiam*, *Gergoviam Arvernorum.* Ex quibus Cæsar ipse appellat *Avaricum opidum maximum munitissimumq; in finibus Biturigum atq; agri fertilissima regione*, nec non *pulcherrimam propè totius Galliæ urbem*, *quæ & præsidio & ornamento sit civitati*. *quòd propè ex omnibus partibus flumine & palude circumdata*, *unum habeat & perangustum aditum.* Dion Ιουτούριγας, & urbem eorum Εὔαικον, pro Οὐιτούριγας & Αὐάρικον nominat. Tabula Peutingeriana *Avaricum* Gabris & Alereæ locis nunc incognitis medium interponit. Æthicus in itinere à Burdigala Augustodunum, inter Argantomagum (*Argenton*) & Tincontium (*Xancoins*, aliàs & meliùs *Sancoin*) *Avaricum* collocat: ita ut situs ipse locorum indicet, Avaricum aliam urbem esse non posse, quàm Bituricas Biturigum caput. Apud Magnonem *Biturex*, *Avaricum.* Quare Jos. Scaliger irridet stultosque appellat, qui Avaricum *Viaron* vel *Vierzon* opidum Biturigum esse arbitrantur, aliqua similitudine nominis ducti: inter quos Marlianus fuit. Scaligero præter cæteros Samson accedit, & Avarici nomine caput Biturigum designari non dubitat. Avaricum autem dictum esse observo à fluvio *Avara*, quem postea *Averam* vocavere. *Avara* porrò vel *Avera*, qui & à nonnullis *Euvra* aut *Evra* nuncupatur, vulgò *Yevre* vel *Evre*, Avaricum Biturigum primò, deinde *castrum Mediolanense* Gregorio memoratum, *Mehun sur Yevre*, quod Aimonius suâ ætate *Magdunum* dictum ait, attingit, deinde apud Virsionem castrum in Carem effluit. Utrio autem *Orron* vulgò nuncupatur; corruptè in tabulis *Aurron* & *Auron.* Nam litera v. in au. mutari non solet. Alluit Vernosum *Verneus*, Dunum Regis *Dun le Roy*, & apud Avaricum pontem habet lapideum 4. ut 5. arcuum, *Pont d'Orron*, portamque cognominem, ubi Avarâ recipitur. Massonus *Evram Auronemq;* confundit, & pro uno eodemque flumine habet errore puerili, ut ex supradictis intelligitur. Liber vetus *de Miraculis S. Austregisili*, utriusque fluminis mentionem facit his verbis: *Est illic* (Avarici) *Ecclesia S. Sulpicii inter duas aquas, super ripam Utrionis & Averæ.* Item *de loco Novavilla secus amnem Utrionis.* Amborum igitur fluminum alterum *Avera* vel Avara, alterum *Utrio* Latinè dicebatur. Ex Avara Nostri Auram & Evram fecere, *Evre* aut *Yevre*: ex Utrione *Orron.* Quatuor sunt fluvii ad Avaricum, Avara major, *Evre* vel *Yevre*; Avara minor, *Aurette* rivulus, Utrio *Oron*; & Molo *Moulon*; qui duo fluvii cum Avara minore, ad Monasterium Navense seu S. Sulpicii Pii Avara majore recipiuntur. In litteris datis regnante Rotberto R. memoratur *burgus S. Ambrosii* Biturigis *inter Averam magnam & Averam minimam.* Avera magna est *Evra*, Avera minima est Aureta. Avaricum postea nomen Gentis, cujus caput erat, accepit, & *Bituriga* vel *Biturica*; *Biturica urbs* aut *civitas*, nonnunquam & *Bituriges* appellari cœpit. Ammianus *in libro* 15. duas tantùm Lugdunenses agnoscit, & in Lugdunensi prima cum Lugduno & Senonibus *Biturigas* ponit, in secundâ Lugdunensi Rotomagum & Turonos: cùm Biturigas Aquitaniæ primæ attribuere debuerit. *Biturigas civitatem* vocant & Sidonius *in Concione*, & Jordanes *de rebus Geticis*, & Gregorius Turonicus Episcopus *in libro* 1. *Historiæ*, cui & *Biturica*, & *Bitorex* dicuntur vel *Bitorix.* In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, *provincia Aquitanica prima metropolis civitas Biturigum*; aliàs *Bituricum*, *Betoricum*, & *Betoricorum.* A Nostris truncato veteri nomine urbs vocatur *Bourges*, *Biturigis* in *Burigas* vel *Burgas* conversis. Qui Conciliis Gallicanis interfuere ejus urbis Antistites, nunc se *Episcopos de Biturica metropoli*, nunc *Episcopos Ecclesiæ Biturica metropolis*, modò se *Episcopos Bituricenses* appellitant. Quoniam autem Avaricum caput erat & metropolis provinciæ Aquitaniæ primæ, ideò Burdigalam metropolim provinciæ Aquitaniæ 2. & Elusam primò, deinde Augustam Auscorum, metropolim Novempopulanæ, quæ est tertia provincia Aquitaniæ, sibi subjectas habuit. Quam ob causam Desiderius Cadurcorum Episcopus, Sulpicium Biturigum Episcopum *Sanctum Patriarcham Sulpicium* nuncupavit

pavit in literis: & in decreto Gratiani Bituricensis Antistes vocatur *Patriarcha.* Nicolai Papæ exstant litteræ, *Radulfo Aquitaniarum Primati* inscriptæ, qui erat Bituricensis Archiepiscopus. Primates autem atque etiam Patriarchas nonnunquam appellabant Antistites, quibus alii Metropolitani vel Archiepiscopi subjecti erant: ut de Lugdunensi Episcopo aliisque constat. Certè *Bitoricas caput Aquitaniæ* vocat Appendix Chronici Fredegarii vetustissima, nimirum totius Aquitaniæ; ut suprà Radulfus *Aquitaniarum primas* dicitur. Adrevaldus *in libro de Miraculis S. Benedicti*, *Avaricum caput Regni Aquitanici* appellat, quia Bituricensis Archiepiscopus toti Aquitaniæ præsidebat. *Turrim Bituricensem* memoravit Sugerius Abbas, ante annos 500. *in epistola ad Radulfum Comitem Viromandensem*, & Cadurcus *in literis ad Rotrocum Comitem Perticensem*: quæ turris nostra ætate à Bituricis ipsis Regis permissu diruta est. Præter cæteras Avaricum habuit portam Gordanicam, *la porte Gordaine*, fortè à castro Gordonico ita dictam, in veteribus tabulis non omissam; & portam Turonicam, *la porte Tournoise.* Fuit ibi & Amphitheatrum, quod vulgò *Arenas* vocabant, à quo & vicus Arenarum hodieque dicitur, *la ruë des Arenes.* Locus ubi Amphitheatrum fuit, *fossa Arenarum* appellabatur, *la fossé des Arenes*: quæ fossa anno 1619. impleta est, & ex eo loco forum publicum factum, quod Plateam Burbonensem nuncupant, *la Place Bourbon.* Ea urbs Palatium suum habuit Romani, ut existimo, operis, quod à Pippino Francorum Rege reparatum esse indicat scriptor ejus æqualis hisce verbis: *Anno 767. Rex Pippinus Ligere transacto ad Betoricas accessit, Palatium sibi ædificare jubet; iterum Campo Madio sicut mos erat, ibidem tenere jubet: initoque consilio cum proceribus suis, Reginam Bertradanem cum reliquis Francis ac Comitibus, fidelibus suis, in prædicta Betorica dimisit.* Et infrà: *Rex Pippinus in Betoricas per hiemem totam cum Regina sua Bertradane in Palatio resedit.* In Palatio igitur Avaricensi, quod refecerat magis, quàm ædificaverat, novo more, non jam Kalendis Martiis, sed Kalendis Maiis tum Conventum Francorum habuit, quem à re *Campum Majum* dicere cœperunt; ibi Bertradam uxorem suam unà cum Comitibus sibi devotis reliquit, Waifarium insecuturus, dein quòd hyems instabat, ibi cum conjuge anno isto 767. hiemavit. *In Epistola P.* Archiepiscopi Bituricensis ad Sugerium Abbatem S. Dionysii, ejusdem Palatii fit mentio: *Unde paratum se in Palatio Domini Regis apud Bituricas secundum usus & consuetudines ejusdem civitatis exhibuit*: ubi & discimus Bituricenses non alibi tum quàm Bituricis judicium subire consuevisse, nec Luteciam Parisiorum aut quoquam aliò evocari potuisse. Agrum Biturigum totum Cæsar *civitatem Biturigum*, Gregorius nunc *terminum Bituricum*, nunc *territorium Bituricum* vocat, sæpiùs absolutè *Bituricum*, semel *Bituricam*, supple regionem; Hincmarus *de Vita Remigii*, *pagum Bituricum*; Annales Bertiniani *pagum Bituricum & Comitatum Bituricum*; vetus Appendix Chronici Fredegarii non semel *pagum Bitorinum*: quem à pago Autissiodorensi & Ma ua ejus vico Ligere fluvio dividi indicat, & trans Ligerim *castrum Burbonem*, hoc est, Burbonem Archembaldi vel Erchenbaldi in eo pago ponit, *castrum* quoque *Argantomagum* vel *Argentonum* ad minorem Crosam: *Bituriam* mutilato nomine recentiores Historici Latini nuncupavere: ex quo nostri fecerunt *le Berri*, sublatâ 2. syllabâ. Willelmus Armoricus *Bitures* quidem vocat Bituriges; regionem autem *Biturium*, nec non *Bituricas oras.*

Urbes, oppida & castra pagi Biturici.

Albiniacum, *Aubigni.*	Dunum Regis, *Dun le Roy.*
Argantomagus, *Argenton.*	Exoldunum, *Issoudun.*
Bosentiacæ, aliàs Busentiacum, *Busançais.*	Firmitas ad Averam, *la Ferté sur Evre.*
Carrocium, *Charrois.*	Ignorandis, *Aigurande.*
Castellio ad Angerim, *Chastillon sur Indre.*	Linariæ, *Linieres.*
Castellum Radulfi, *Chasteau-Roux.*	Magdunum vel Mediolanum, *Mehun sur Yevre.*
Castra, *La Chastre.*	Monasteriolum ad Carem, *Menestou sur Cher.*
Castrum Leprosium, *Leuroux.*	Noviodunum, *Neuvi sur Baragnon.*
Castrum Meliandi, *Chasteau Meillant.*	Oblincum, *le Blanc en Berri.*
Castrum novum ad Garem.	Rufiniacum, *Rouffec le Chasteau.*
Concurcallum, *Concressaut.*	Sacrum Cæsaris vel Sincerrium, *Sancerre.*
Cella S. Eusicii, *Celles en Berry.*	Vastinnum, *Vatan.*
Crazzacum, *Cracay.*	Virsio, *Vierzon.*
Cullencum, *Cullant.*	
Doli, *Bourg de Deols.*	

A Biturigibus Cubis forsitan *Biturgia* in mediterranea Tuscia condita est, & nomen accepit, Βιτεργία Ptolemæo dicta, *Bituriga* in tabula Peutingeriana, inter Florentiam Tuscorum & Umbronem fluvium; vulgò *Berogi.* Ab eisdem & Bituris, Βιτεῖς, urbs Vasconum in Hispania Tarraconensi. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Bituriges Vivisci, Strabo *Bituriges*, cognomine *Ioscos* (Ἰόσκους) *Gallicam Gentem*, hoc est, Celticam, nuncupat, & eos solos in Aquitania alienigenas sive allophylos esse scribit, nec cum Aquitanis tributa conferre: ita ut eos ex Biturigibus Cubis ortos esse indicare videatur, qui ante Augusti principatum Celtis ac Celticæ provinciæ attribuebantur. Plinio vocantur *Bituriges liberi cognomine Ubisci*, aliàs *Vibisci* inter Santones liberos & Aquitanos, & in Aquitania ponuntur: Ptolemæo *Bituriges Vibisci*, Βιτούριγες οἱ Οὐιβίσκοι in Aquitania quoque sub Santonibus. Corruptum cognomen est *Iosci*, ac *Ubisci*; sincerum *Vibisci* ac *Vivisci*, b. litterâ in u. conversâ. Certè vetus marmor Burdigalense *civitatem Biturigum Viviscorum* Burdigalam caput Gentis appellat: *Augusto sacrum & Genio civitatis Bit. V.V.* & Ausonius *Burdigalensis* à seipso dicitur *in Mosella*,

Vivisca ducens ab origine gentem.

A Biturigibus Viviscis nomen accepit *vitis Biturica*, Columellæ & Plinio memorata, ac vulgò *Bidure* dicta, ut Vineto placet, aut certè *Burdigalensis*, *le Bourdelas.* Bituriges Vivisci à capite Gentis plerumque Burdigalenses dicuntur, *les Bourdelois* aut *Bordelois*: ager vel pagus Burdigalensis, *le Bourdelois.* Biturigum Viviscorum *emporium Burdigala, adjacens stagno maritimo, quod ostia Garumnæ fluminis efficiunt*, vocatur à Strabone. Sed hoc stagnum, vel hic lacus maritimus, hæc λιμνοθάλαττα nunc Burdigalæ nusquam apparet: fortè *Divona*, apud Ausonium fons Burdigalæ sacer. Ptolemæo *urbes Viviscorum Biturigum*, *Burdigala*, ἡ Βουρδίγαλα, & Noviomagus Νοιόμαγος: ex quibus Burdigala *in lib.* 8. & in tertia Europæ tabula eidem dicitur *Aquitaniæ urbs insignis*, τῆς Ἀκυϊτανίας πόλις ἐπίσημος: Noviomagus intercidit, nisi si fortè est *Solacum*, locus ostio Garumnæ proximus. Ammianus Marcellinus *in lib.* 15. scribit, in *Aquitanica provincia, amplitudine civitatum admodum culta, Burdigalam & Arvernos excellere, & Santones, & Pictavos.* Paulinus *in epistola ad Ausonium*, *nitentem Burdigalam* nuncupat; Ausonius ipse *patriam* suam & *natale solum* nominat.

Burdigalam insignem Baccho, fluviisque, virisque,
Moribus, ingeniisque hominum, Procerumque Senatu,

& eam inter claras orbis Romani urbes numerat. Eutropius scribit, Tetricum Senatorem, Aquitaniæ Præsidem, *apud Burdegalam purpuram sumsisse.* Æthicus *Burdigalam* ab Aquis Tarbellicis 64. millia passuum abesse docet, à *Blavuto*, id est, Blavia 19. à *Mediolano Santonum* 62. ab *Aginno* 74. millia: tabula Peutingeriana *Burdegalam* appellat, & inter sinum Aquitanicum ac *Blaviam* collocat. *Burdegalim* & *Burdegalem* quidam vocaverat; recentiores Franci Anglique *Bordellum* mutilato & corrupto nomine Burdigalæ. Incolæ *Bourdeaus*, Nostri *Bordeaux* dicunt. In Notitiis veteribus provinciarum & civitatum Galliæ dicitur provinciæ Aquitanicæ secundæ *metropolis civitas Burdigalensium*, aliàs *Burdegalensium*, quinque civitatibus præsidens Aginnensium, Ecolismensium, Santonum, Pictavorum & Petrocoriorum: quibus recentiores Notitiæ Sarlatum, Malliacum, Lucionem, & Condomium, novas civitates provinciæ Burdigalensis addidere. Paulinus *in Eucharistico Burdigalæ*, *Navigeram portam*, id est, portam Navalem ita dictam, & *portum spatiosum* commemorat. Posita est Burdigala ad sinistram seu Novempopulanam Garumnæ fluminis ripam, quæ in occasum Solis ac Pyrenæos montes spectat, & ibidem majorem agri sui partem habet; nec tamen Novempopulanæ provinciæ attribuitur, sed Aquitaniæ secundæ, cujus caput ac metropolis olim habita est, & nunc quoque habetur. Idem Rotomago Veliocassium & Cæsaroduno Turonum, aliisque urbibus videmus accidisse: ex quibus Rotomagus, in ripa dextra Sequanæ sive in Belgica cum maxima agri sui portione sita est: Cæsarodunum in læva ripa Ligeris, sive intra fines Aquitaniæ cum magna agri sui parte est positum. At nihilominùs tamen Rotomagus Lugdunensi secundæ metropolis attributa, non Belgicæ provinciæ; Cæsarodunum seu civitas Turonorum provinciæ Lugdunensi tertiæ pro metropoli adscribitur, non Aquitaniæ. Cæterùm pagus Burdigalensis, ut majore ex parte unà cum ipsa Burdigala trans Garumnam est positus, Boios & Medulos similiter Transgarumnicos continet: qui licèt ultra flumen Garumnam siti sint, tamen Aquitaniæ secundæ cum Burdigala attribuuntur. Eodem modo Veliocasses & Caleti citra Sequanam, quo Celtæ à Belgis dividuntur, latè sedes habent, ac nihilominùs simul cum Rotomago urbe, quæ & ipsa cis Sequanam est, non Belgis seu provinciæ Belgicæ secundæ, sed Celtis vel provinciæ Lugdunensi 2. adscribuntur. Portio igitur Biturigum Viviscorum fuere haut dubiè Meduli & Boii, cùm Burdigalam caput Biturigum Viviscorum pro capite & metropoli habeant etiamnum, & Burdigalensis diœceseos finibus contineantur. Apud Gregorium *in l. 7. c. 31. Gundobaldus erat in urbe Burdigalensi*, & idem nihilominùs *in cap. 34. cùm audisset sibi exercitum propinquare* Guntchramni, *Garonnam transivit, Convenas petens*: quasi tum Burdigala fuerit in ripa Garumnæ citeriore vel dextra, non in ulteriore aut sinistra, ubi nunc est. Id & videtur indicare Appendix Chronici Fredegarii, ab auctore æquali eorum temporum composita: *Carolus Princeps denuò Ligerem fluvium*

tran-

transfiit, *& usq. Garumnam*, *vel urbem Burdegalensem*, *vel castrum Blavium veniens occupavit.* Tam Burdigalam quàm Blaviam cis Garumnam ponit hisce *capitis* 109. *verbis*, *ut & in cap.* 108. *Egressi cum Rege suo Abdirama nomine*, *Garumnam transeunt*, *& Burdegalensem urbem pervenerunt.* Egressi autem erant ex Hispania, quam paullo ante occupaverant Saraceni: quibus si antè Garumna transeundus fuit quàm Burdigalam pervenire possent, Burdigala utique tum saltem trans Garumnam erat, hoc est, ad ripam fluminis dextram sive Santonicam. Hæc sunt diligenter consideranda: nisi si Historicos nostros omnia susque deque miscuisse, & ordinem rerum ac situm locorum confusis verbis turbavisse volumus: quod leviter facere non debemus, aut credere sine causa: præsertim cùm eadem eisdem verbis in Annalibus Mettensibus seu in Chronico S. Arnulfi reperiamus, quæ supra in Appendice Fredegarii. Hadr. Valesf. *Not. Gall.*

Biturigum, vel *Bituricensis* Ducatus, cujus Duces quoque Galliæ Pares, Galliæ Celticæ provincia ampla & fertilis: ab Septentrione Soloniam inferioris Belsiæ partem, à qua Caris fluentis disterminatur: ad Orientem Hurepenses, Nivernenses, & Borbonios respicit, constituente hic limitem rivulo, cui nomen *la Faye*: quâ meridies est, Lemovices habitant, ubi *Creuse* fluit: quâ occidens, Pictones & Turones, à quibus fluviolo *Clery* separatur. Domicilium hic olim fuit Biturigibus, quos *Cubos* scribunt cognominatos Cæsar, Strabo, Ptolemæus, & alii. Bituriges enim Galliæ populi duplices erant, Ptolomæo cognomentis distincti, *Bituriges Cubi*, quorum metropolis Avaricum, primæ Aquitaniæ: reliquæ urbes, Sancerra, Exolodunum, &c. *Bituriges Vibisci* aut *Vivisci*, quorum primaria urbs Burdigala, secundæ Aquitaniæ. Hodie vulgò *Ceux de Berry.* Merula. In Ducatum erecta est hæc regio, à Johanne R. Anno 1350. in gratiam Johannis filii tertiogeniti. Ducum cætera Bituricensium celebre in historiis nomen, inprimis flagrante Aurelianensis & Burgund. domus dissidio, Hist. Gall. V. *in Bituriges.*

Biturigum, vel *Bituriga*, & *Biturica*, nec non *Biturica*, metropolis ducatus Bituricensis: olim *Avaricum Biturigum*, & *Avaricum Cuborum*, Plin. 4. 17. Strabo 4. ab Eura seu Avarone flumine, quo adluitur, dicta. Inter magnifica ædificia, quæ in hac civitate sunt, numeranda est magna illa Turris, forma rotunda, tantæ altitudinis, ut trium aut quatuor milliarium intervallum visui exponat: muri ejus tres orgyas aut circiter spissi sunt: exterior pars opere rustico extructa est, pyramidalis adamantis instar. Hodie *Bourges en Berry.* Merula. Metel. Fuit olim Celtarum regia, pòst caput regni Aquitanici. Vid. & Ptol. *lib.* 2. 7. Cæs. *lib.* 7. *Comm.* Dein sedes fuit Ducum, Arch. Primatu à Carolo M. instituto, & Patriarchatu insignis: *Caroli VII.* perfugium, reliquâ Galliâ ab Anglis occupatâ, à quibus per sarcasmum, *Roy de Bourges* propterea dictus est. Academiâ quoque urbs gaudet, à Ludov. IX. fundatâ, à Carolo verò Duce, fratre Ludovici XI. instauratâ, & amplis privilegiis à Paulo II. instructâ, Anno 1464. ubi Alciatus, Baro, Duarenus, Balduinus, Contius, Hottomannus, Cujacius, &c. floruere. Diœcesis Bituricensis una ex Galliæ amplissimis, continet 35. Abbatias, 900. Parœcias, &c. Antiquitatum porro monumentis, palatio Jacobi Cœur, templo S. Stephani, Anno 254. sub Decio, extructo, urbs hæc clara, primum præsulem S. Ursinum habuit. Sammart. *Gall. Chr. tom.* 1. *pag.* 140. *& seqq.*

Hic concil. habitum Anno 1031. ubi de Apostolatu S. Martialis actum. Anno 1215. à Cardin. Roberto Legato, cui se opponentes Galliæ Episcopi, provocarunt ad Concil. Lateranense. Anno 1225. ubi actum de ditionibus Raimundi com. Tolosani, egregii purioris cultus hyperaspistæ. Anno 1276. 1286. aliaque eodem seculo, ubi de primatu inter Narbonam, Burdigalam & hanc urbem, disceptatum. In primis An. 1438. ubi Gall. Præsules, sub Carolo VII. Concilio Basiliensi astipulati sunt, *Pragmaticâ sanctione* factâ, quæ à Concilio rata habita viguit, usque ad An. 1516. quo inter Franciscum I. & Leonem X. pacto, *le Concordat*, inito, ex parte abrogata est. Idem Carolus biennio post, ibidem loci, denuo, Ecclesiasticorum cœtum congregavit, &c. Vid. Concil. Gall. & in voce *Bituriges.*

Bituris, Vasconum urbs in Hisp. Ptol.

Bityla, Laconicæ mediterranea urbs. Ptol.

Bivius, Vid. *Curius.*

Biula, Cariæ urbs. Strabo.

Biumbres, vide *Amphiscii.*

Bizala, ins. ante Taprobanem. Ptol.

Bizia, arx regum Thraciæ, cis Rhodopen, à Terei nefasto crimine hirundinibus invisa, non quòd illic facinus patratum sit, (in Daulide enim Phocidis op. contigit) sed quòd ea Terei patria fuerit, testibus Thucydide, & Pausaniâ.

Biziometa, Scythiæ Eur. pop. Jornandi.

Bizon, urbs Thraciæ, terræ hiatu absorpta. Plin. 4. 11. Straboni *Bizona* dicta.

Bizona, urbs Pontica. Steph.

B L.

Blaander, Phrygiæ maj. urbs. Ptol.

Blabia, Gall. Celt. op. *Blavet* teste Ortelio. Gaudet portu celebri, *Le Port Louis.* Juxta ostium Blabii flu. 3. leucis ab Hannebonto in Merid. Vid. *Blavetum.*

Blacherna, locus in suburbiis Constantinopoleos. Vide omnino Pet. Gyllium *de Topogr. Constantinop. l.* 4. *c.* 5.

Blachia, Nicetæ, & Curopalatæ, regio Daciæ, cum Mysiæ portione, vulgò *Valachia.*

Blacia, regio prope Cumas, cujus meminit Augustinus. Aliis *Valachia* est.

Blada, Hunnorum R.

Blaena, Ponti regio satis ferax, per quam Amnias amnis labitur. Hoc in loco Mithridates cognomento *Eupator* Nicomedis Bithyni copias funditus delevit, haud quidem præsens, sed per Imperatores. Unde ille, cum paucis domum fugiens, servatus est, & inde in Italiam navigavit. Strabo. 12.

Blasii duo, quoniam Tiberius sacerdotia integrâ eorum domo destinata, convulsâ distulit; ac Q. Plautio, Sext. Papinio ut vacua contulit in alios; signum mortis intellexêre & voluntario exitu ceciderunt. Tacit. *An.* 6. 40.

Blasius, nomen viri. Stat. 2. *Silv.*

Noverat effigiem, generosiq. ardua Blasi
Ora puer. Et paulò pòst:
—— *Et amissi puerum solatia Blasi*
Tollit humo. —— —— Vid. *Pedius.*

Blasius nomine *Junius*, Lugdunensis Galliæ rector, cum Italicâ legione & alâ Taurina Lugduni tendentibus ad partes Vitellii accessit. Tacit. *Hist. l.* 59. genere illustri, largus animo & par opibus, qui Vitellio nullo principali paratu, sed veteri egestate conspicuo circumdedit ministeria ac comitatus est liberaliter. *Histor. II.* 59. Paullò pòst, quòd ægro corpore convivium & lætos dies ageret, occisus. Vid. Tacit. *hist.* 3.

Blagura, mons Hiberniæ, in cujus radicibus tres nobiles fluvii scaturiunt, Berna videlicet, Corus, & Syurus, omnem fere ins. irrigantes.

Blamontium, oppid. Lotharingiæ, aliàs munitum Comitatus titulo gaudet, ad Vosorium fluvium, qui paulò infra in Murtam cadit.

Blanca Castellana, fil. Alphonsi IX. ex Ludov. VIII. Galliæ R. Lud. IX. mater. Mortuo marito, ut & filio in Oriente absente, regnum administravit, frustra renitente validâ ligâ. Obiit Anno 1252. æt. 65. Meloduni sepulta.

Blanca Aquitana, uxor Ludov. ignavi.

Blanca Gallica, fil. Ludov. IX. ex Ferdinando de la Cerda, filio natu majore Alphonsi 10. mater duorum filiorum, qui regno privati, quòd pater vivo adhuc Alphonso obierit.

Blanca Artesia, uxor Henr. Crassi, Navarræ R. Item, filia Philippi Audacis, uxor Roberti, Austriæ D. cum filio veneno necata, an. 1305. Viennæ. Item, filia Ochelini, comitis Burgundiæ, uxor Caroli pulchri, sicut soror ejus Ludov. Hutini R. quarum adulteri vivi excoriati. Item fil. Philippi Euriaci, Navarræ R. Philippi Valesii secunda uxor; marito supervixit 50. an. *Hist. Gall.*

Blanca Borromæa, Patavina, eruditionis famâ illustris. Obiit an. 1557. Morerius *in Addit.*

Blancaberga, opp. Flandriæ, cum portu & fortalitio. 1. leuc. à Brugis in ora littorali. 2. autem ab Ostenda in ortum.

Blancafortium, oppidul. Aquitaniæ, prope Garumnam, in tractu *le Medoc*, vix 2. leuc. à Burdegalâ.

Blancheforitius Guido, M. Magister Rhod. Obiit an. 1513. *Hist. Melitensis.*

Blanciacum seu *Blanziacum*, vicus erat pagi Tarvennensis, vulgò *Blangi en Tornois*: ubi Berta Rigoberti Comitis Palatini filia, cùm amisso illustri viro suo Sigifrido, capiti sacrum velamen imposuisset, Ecclesiam ac Monasterium ædificavit, regnante Theodorico Chlodovei junioris filio, circa annum Dom. 680. Quidam *Blanziacum*; alii *Blangiacum* vocant, *Zing* transeunte, ut *Bruzias* & *Brugias*, *Verziacum* & *Vergiacum* (*Vergy*) promiscue dixerunt, *Virzeium* & *Virgeium.* Cæterùm verisimiliter existimari potest, cùm *s* inter duas vocales, aut sequenti vocali Nostri leniore sono mutarent in *z*, atque etiamnum mutent, inde factum esse, ut nomina quemadmodum efferebantur, scripta legerentur, & litera *z* in locum *s* ubique à scriptoribus librorum apud nos substitueretur: *Blanziacum* itaque scriptum esse pro *Blansiacum*; *Verziacum* aut *Virzeium* pro *Versiacum* aut *Virseium*, *Bruzias* pro *Brusias*; *Lavarcinum* pro *Lavarsinum*; *Liziniacum* aut *Lizineium* pro *Lisiniacum* & *Lisineium.* Certè Z cum Græca sit litera, *tantummodo poni in Græcis dictionibus debet*, ut Priscianus *in libri* 1. *capite ultimo* tradit, qui & adjicit Z. *pro ss conjunctis accipi.* Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Blanda, Italiæ urbs in litore Brutio, non procul. à Bato fluv. & Parthenio portu. Plin. 3. 5. *Blanda* Livio. hodiè *Beluedere*, teste Barrio. Meminit ejus Mela *l.* 2. *c.* 4.

Blanda, Hisp. Tarracon. urbs. Ptol. & Pomp. quæ hodiè *Blanes* Floriano, & Navagiero dicitur, in agro Barcinonensi ad Larnum flu. Plin. 3. 3. Item fluv. ejusdem nominis.

Blandenona, locus non longè à Placentia. Cujus meminit M. Tullius ep. ad Quintum fratrem, hodiè *Broni.*

Blandusia, fons in finibus Sabinorum, apud Mandelam Horatii villam. De quo is *lib.* 3. *Carm. Od.* 13.

O fons Blandusiæ splendidior vitro.

Blangiacum, oppidul. Normanniæ, in tractu Caletensi, in limite Picardiæ, ad amnem Bresle. Vid. Vales. *Not. Gall.*

Blanii, Hiberniæ pop. Ptol. Vid. *Eblani.*

Blannonii sive *Brannonii*, pop. inter Celtas proximi Segusianis, Ambivaritis, ac Heduis, quorum clientes erant. Vulgò *Le pays à l'entour de Sainct Jean de Maurienne.*

Blascon, vel Blascorum, ins. Galliæ in ostio Rhodani, prius *Mesion* dicta. Plin. 3. 5. Strabo. 4. hodiè *Languillade.* Baudrando *Blascon*, vulg. *Brescon*, arx permunita & ins. maris Gall. parva in sinu Leonino & ora littorali Occit. longè ab ostiis Rhod.

Blasius Vigenerius, Borboniensis, Duci Niverniæ à secretis, Cæsarem, Livium, Chalcondylam, Philostrati icones, &c. Gallicè vertit, magni suo ævo nominis. Vixit sec. præt.

Blaso, unà cum Monteforelli & Brioleto memoratur ab Orderico Vitale, *in l.* 10. *Historiæ*, locus in Andicavis ad & trans flumen Ligerim, vulgò *Blaison* dictus. Brioletum autem est *Briolay*, ad Lidum vel Lidericum flumen, Sartæ jamjam accessurum. In Vita S. Mauri Abbatis, mentio fit *fisci Regii, qui Blason nuncupatur*, Monasterio Glannafolio à Chlotario majore Francorum Rege concessi: ex quo apparet, *Blasonem* villam quondam Regiam sive fiscalem exstitisse. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Blastophœnices, Lusitaniæ pop. Appian.

Blastus, nomen viri. Act. 12.

Blatum Bulgium, sive *Ablatum Bulgium, Bulnesse*, teste Camdeno, op. Angliæ in Cumbria ad occid.

Blaudus, urbs Phrygiæ, Steph.

Blavetum, flumen est notissimum in Britannia, *Blavet* hodieque dictum: à quo & *Blavetum* oppidum ad ejus ostium positum nomen accepit, *Blavet.* Ejus fluvii mentio fit in Vita Sancti Gildæ, his verbis, *Construxit parvum oratorium super ripam fluminis Blaveti sub eminenti rupe.* Regino quoque, qui ante annos 760. Chronicorum libros duos scripsit, ejusdem fluminis meminit, ac *Blavittam fluvium* sincero & incorrupto nomine appellat. An. 890. *Illi* (Brittones) *graviter ab hoste laeduntur.* (à Nortmannis) *Caeduntur passim, & usque Blavittam fluvium omnis eorum possessio diripitur*: quæ verba in annalibus Mettensibus etiam reperiuntur. Flumen ergo, ut & castrum, primò dictum est *Blavitta*, deinde *Blavetum.* Oppidum istud *Portum Ludovici*, à Ludovico XIII. Francorum Rege dictum audivimus Principatu ejus, *le Port Louys*: sed hoc nomen post ipsius obitum exolevit. *Blavitta* fluvius à *blavo*, id est, cæruleo colore aquarum dictus est. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Blavia, op. & arx munitissima Gall. Aquit. ad Garumnam flu. in agro Burdigal. Ausonius *ep.* 10.

Fert militarem ad Blaviam.

Hìc relinquere coguntur bellica tormenta, qui Burdigalam navigant. Ausonius autem *Blaviam militarem* cognominat, quòd præsidium militum haberet, ut etiamnum habet. Est enim monti imposita Garumnæ imminenti, paulo infra confluentes Garumnæ & Duranii, ita ut maximum flumen habeat in potestate. Æthicus in itinere à Burdigala Augustodunum *Blavutum* vocat, & inter Burdigalam ac Tamnum ponit, à Burdigala 19. à Tamno 16. millibus distans. In ejus codicibus nunc *Blavutum*, nunc *Blautum* reperiri ait Surita; *Blavium* Simlerus, quod melius est. Tabula Peutingeriana, inter *Burdegalam* similiter & *Tamnum* castrum hoc ponit, sed *Blaviam* sincero nomine appellat. Gregorius, *in libro de Gloria Confessorum*, locutus de Severino urbis Burdegalensis Episcopo & Patrono, statim subjicit hæc verba: *Habetur in hoc territorio* (id est territorio Burdigalensi) *& S. Romanus Presbyter, quem S. Martinus sepulturæ locavit Est autem sepulcrum ejus contiguum Blaviensi castello super litus amnis Garonnæ.* Quibus verbis *castellum Blaviense* agro Burdigalensi sive Biturigibus Viviscis adscribit, non Santonibus. *Charibertum Regem in Blavia castello, in Basilica S. Romani sepultum esse*, Gesta veterum Francorum & Aimonius tradidere: ex quibus Aimoinus *castrum Blaviam* in Aquitania nuncupavit; *castrum Blavium* Appendix Chronici Fredegarii; *castra Blavia* Annales Mettenses corruptè pro *castrum Blaviam.* Vulgò nunc dicitur *Blaye.* Blaviam autem seu Blaiam *promuntorium Santonum* à Ptolemæo appellari existimat Olivarius, qui Mellam adnotationibus illustravit. In notitia Imperii Rom. sub dispositione V. S. Ducis tractus Armoricani & Nervicani reperitur *Præfectus militum Garronensium* vel *Carronensium Blabia*: & *Blabia* hæc nunc ab omnibus ferè pro *Blavia* nostra habetur. Plinius quidem *Aquitaniam à Garumna ad Pyrenæi montis excursum Aremoricam antè dictam* ait: & Notitia suprà laudata, *extendi tamen tractum Armoricani & Nervicani limitis per provincias* 5. *per Aquitanicam* 1. *&* 2. *Senoniam*, 2. *Lugdunensem &* 3. affirmat. Nihilominus Blaviam heic castrum Aquitaniæ locum habere posse non puto: cùm constet Armoricanum tractum Ligere & Sequana fluviis, seu Lugdunensis 2. & 3. finibus terminari, nec unquam (quidquid dicat Plinius & Notitia) ora Aquitanicæ secundæ & Novempopulanæ, multo minùs provincia Aquitanica 1. quæ à mari remota & mediterranea est, *Armoricæ* aut *Armoricani tractûs* nomine à quoquam fuerit designata. Certè in tractu Armoricano Venetos, Osismios, Mannatias, vel potius Namnetas, Aletum, Constantiam, Rotomagum, Abrincatas, Grannonam ponit Notitia ipsa Imperii: quæ omnia loca sunt pars provinciæ Lugdunensis 2. pars tertiæ inter Ligerim & Sequanam: à quibus plurimum abest Blavia, castrum Aquitaniæ Garumnæ adsitum. Itaque pro *Blabia* libenter in Notitia Imperii emendaverim *Blabita*, crediderimque *Blavittam* castrum Armoricæ maritimum, quod & *Blavetum* nomine fluvii sui appellant, ibi designari. Pagus *Blaviensis* vulgò dicitur *le Blaiguez*, ut ager Frontiacensis *le Fronsaguez*, ager Cusacensis *le Cusaguez.* Valesius *Not. Gall.*

Blavus, Romanus, qui cùm audivisset filium à Triumviris interfectum, ab iisdem impetravit, ut interficeretur & filio comes mitteretur.

Blegabridus Syllius, Syllii seu Sisillii regis filius primus & sexagesimus Britannicarum rerum moderator, musices peritissimus, ætate sua ferebatur. Circa annum mundi 3858. & ante natum Christum 112. claruisse scribitur.

Blekingia, prov. aliàs Daniæ, nunc Sueciæ, ab an. 1658. Ducatus olim tit. clara. Juxta mare Baltic. quà Germaniam respicit. Ei à Septentrione Gothia, ab Occid. Scania. Præcipuæ urbes Ahusium, Rotembya, Christianopolis.

Blemyes, *Blemiæ*, *Blenæ*, vel *Bleptæ*, Æthiopum pop. à Martiano Imp. per Florum repressi, an. 450. Claudianus,

——— *Errat*

Per Meroen, Blemyasque feros, atramque Syenen.

Hi capite carent, oculosque habent, & os pectori affixos. Monstra hominum. *Blemys* autem pro בלי *beli*, vel *Bli*, & מוח *muach* h. e. *sine cerebro.* Unde nata est fabula, *Blemyes esse sine capite.* Bochartus. Horum mem. Dionysius *in Periegesi vers.* 220.

Τῶν πάρος αἰθαλέων Βλεμύων ἀνέχουσι κολῶναι.

Dicti autem ab Æthiopum rege *Blemy*, uti tradit Nonnus *in his:*

Καὶ Βλέμυς ὠκὺς ἵκανεν ἐς ἑπτάπορον στόμα Νείλου
Ἐσσόμενος σκηπτοῦχος ὁμόχροος Αἰθιοπήων,
Καί μιν ἀιθερέος Μερόης ὑπεδέξατο πυθμὴν
Ὑψιγένοις Βλεμύεσσι πρωώνυμον ἡγεμονῆα.

Theocritus *in Thalysiis, sive Idyll.* 7.

Ἐν δὲ θέρει πυμάτοισι παρ' Αἰθιόπεσσι νομεύοις
Πέτρᾳ ὑπὸ Βλεμύων, ὅθεν οὐκέτι Νεῖλος ὁρατός.

Ubi Scholiastes, Ἔθνος Αἰθιοπικὸν οἱ Βλέμυες, ἐν τοῖς ἐσχάτοις τῆς Αἰθιοπίας ᾠκισμένον. Ἄλλως. Βλέμυες ἔθνος Αἰθιοπικὸν μελανόχροον, οἱ αὐτοὶ δὲ τοῖς Τρωγλοδύταις. Vid. Pausan. *lib.* 7.

Blenavium, oppidul. Duc. Burgund. in Pusæensi agro, sub dominio Corteneorum, ad Lupam fluv. 4. leuc. à Brevioduro in ortum 11. ab Altissiodoro in Occas.

Blenina, Arcadiæ opp. Pausanias.

Blepsidemus, nomen comicum viri pauperis, qui oculos convertit & jactat in populum, unde auxilium sperat.

Blera, Tuscorum mediterranea urbs. Ptol. hodiè *Bieda*, unde pop. *Blerani*, Plin. 3. 5. Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *p.* 522.

Blesa flu. Belg. vulgò *Bliets* alluit vicum Blesam *Bleiss*, Otvillare *Otwetler*, Altstate *die Altestatt*, Limpachium *Limpach*, Blesam castellum *Bliess-cassel*, : & ad Gemundam *Guemund*, Saravo accipitur. Ab eo flumine eoque castello nomen accepit haud dubiè *pagus Blesensis*, Nithardo *in lib.* 1. memoratus, qui pagos *Tullensem Odornensem, Bedensem, Blesensemque* conjunctim enumerat. Pagus *Blesensis*, *Blesitchouva* appellatur Germanico nomine, composito ex *Blesit*, id est, Blesensis, & *chouva*, hoc est, pagus: poniturque inter *Sarachouvam* & *Albechouvam*, id est, Saravensem & Albensem pagos, in Divisione Regni Lotharii an. 870. facta. Hic pagus per me primùm omnium illustratus, doctis innotescet: quem Aubertus Miræus à loco Treviris propinquo *Blis* dictum esse existimat. Olim arbitratus sum *Blesensem pagum*, quoniam à Nithardo ponitur prope Partensem pagum & utrosque Barrenses, nomen habere à flumine *Blesa* in Matronam decurrente, aut à castello cognomine quod alluit. *Blesa* autem vulgò dicitur *Blaise*, cùm flumen tum castellum; aliàs *Bloise.* Sed nunc non dubito, quin priori sententiæ stare oporteat. Certè legi literas Caroli Magni, in quibus *cellam Salonam in pago Salnensi, cum Blithario villa super fluvium Saroa* (id est, Saram aut Saravum) *& Blesâ* memorari invenio. *Blesa* autem hæc, est villa *Bleiss* vulgò dicta, ad *Blesam* flumen posita. Valesius *Notit. Gall.*

Blesa, opp. & Comit. Gall. Celt. ad Ligerim elegans, *Bloys* seu *Blois*, à Regibus habitari solitum. Hìc conventus ordinum Regni, Anno 1576. quo bellum contra Reformatos conclusum: Et Guisiæ Dux cum fratre Cardinali, Regis jussu in illo ipso cubiculo occisus. A. 1588. Histor. Gall. Thuan. inprimis. Huc à Ludovico XIII. regina mater relegata est, A. 1617.

Blesense Castrum & Pagus *Blesensis* in Celtica. *Blesensium* primus meminit semel atque iterum Gregorius Turonicus Episcopus *in lib.* 7. *Historiæ Francicæ cap.* 2. *&* 21. quum ait, *Aurelianenses cum Blesensibus junctos mortuo Chilperico in Dunenses irruisse*; & ut custodiretur Eberulfus, qui in Basilicam S. Martini

tini confugerat, *Aurelianenses atque Blesenses vicissim ad has excubias venisse* anno Domini 584. in Vita Ludovici Pii Imperat. anno 834. & in Vita Aigulfi Monachi Floriacensis, cujus patria fuit, atque apud Aimonium *in lib. 4. capite ultimo & 42. castrum Blesense* nuncupatur; *Blisium castrum* in Annalibus Bertinianis anno 854. *Blesum castrum* aliis. In quodam veteri num mo legitur *Bleso castro*: quod nunc oppidum est celebre in Carnutibus, vulgò *Blois*. Massonus putat *Corbilonem* à Strabone appellari. Hic locus *pago Blesensi* nomen dedit, *le Blaisois*, qui *pagus Blesisus* nuncupatur in Capitulis Caroli Calvi, & prope Aurelianensem ponitur: dedit & nomen Comitibus Blesensibus, quorum illustris est memoria: quorum originem Johannes Parisiensis, *in Memoriali Historiarum*, enarrat his verbis: *Rollo. nus fuit cognatus Gello, & socius itineris & bellorum, cui pro pace tradidit Carolus Simplex Montem qui Blesum dicitur cum territorio circumstante. Qui baptizatus sicut cæteri, castrum bonum in prædicto loco construxit*, (id est, arcem) *fuitque primus Comes Blesensis*. At multo ante Caroli Simplicis Principatum locus iste *Blesensis*, à monte suo dictus, castrum erat & vocabatur: ut suprà notavimus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Blesilla, discipula Hieronymi, Græcè, Latinè, & Hebraicè docta. Hieron. *ep.* 25.

Blesinon, Corsicæ inf. castellum. Strabo *lib.* 5.

Blestium, Angliæ op. Ant. *Old to*v*n* Camdeno, haud procul ab Herefordiâ.

Bletisa, Hisp. urbs prope Salmanticam. *Ledesma* Vasæo.

Bletonesi, pop. barbari. Plut. in Qu. Rom. non addit autem quo loco sint.

Bleterrum, opp. Com. Burgundiæ, ad amnem *Seille*, in confinio Ducatus Burg. Olim munitum, nunc sine mœnibus. 9. leuc. à Dola. *Bleterrans*.

Bliarus, vide *Membliarus*.

Blitera, Quæ Straboni *Blitera*, Βλιτέῤῥα πόλις ἀσφαλὴς ad Obrim sita, Mellæ inter urbium quas habet Gallia Narbonensis opulentissimas, *Septumanorum Blitera*; Plinio *Blitera Septumanorum* vocatur, adnumeraturque coloniis provinciæ Narbonensis hisce verbis, *In mediterraneo Coloniæ*; *Arelate Sextanorum*, *Blitera Septumanorum*, *Arausio Secundanorum in agro Cavarum*, *Valentia*, *Vienna Allobrogum*: *opida Latina*, *Aquæ Sextiæ*, &c. Ita Plinius (ni fallor) est restituendus adjectione unius litteræ, *Coloniæ* pro *Colonia*, quæ in editis libris menda reperitur. Arelatum autem & Arausionem, & Valentiam, ac Viennam Colonias fuisse constat: quas inter cùm *Bliteras* suas numeret Plinius, dubitari jure non potest, quin eam urbem pro colonia similiter habuerit. A Claudio Ptolemæo Geographo *Batira* aut *Batiræ*, Βαιτίῤῥαι, *Volcarum Tectosagum urbs mediterranea* dicitur, corruptè ut putat Casaubonus pro Bliteræ Βλιτέῤῥαι. Sed Casaubono non accedo, & utrumque nomen sincerum esse arbitror. Nam Itinerarium Hierosolymitanum & Idatius *civitatem Biterras* vocant; *Biterras* & Severus Sulpicius, & Julianus Toletanus Archiepiscopus; Gregorii Nostri veterrimi codices nunc *Biterris urbem*, nunc *Bitturensim civitatem*, ac *Bitturensim* mendosè; Appendix Fredegarii, *regionis Gothicæ urbem famosissimam Biteris*. Tabula Peutingeriana, *Beteras* nuncupat, & inter Cesseronem ac Narbonem collocat, à Cesserone 12. à Narbone 16. millibus passuum distantes; ac Æthicus in Itinerario *Beterras* non semel inter Araurum sive Ceseronem & Narbonem; à quibus *Sep. Bæterr.* id est, Septimani Bæterrenses in antiqua inscriptione Narbonensi dicuntur. Surita non solùm in omnibus Æthici codicibus, sed etiam in Plinii veteribus exemplaribus *Beterras* scriptum reperiri affirmat. Lucas Holstenius quædam ad Ortelii Thesaurum Geographicum adnotavit: quæ adnotationes ipso mortuo Romæ anno 1666. sunt publicatæ. Ibi Holstenius ait, nummum se à Peiresció accepisse, inscriptum Βητῤῥατῶν: ob idque *Bliteras* corruptum esse nomen existimat, & Λ in locum A malè substitutum, nec ΒΑΙΤΕ'ΡΑ apud Strabonem, sed ΒΑΙΤΕ'ΡΑ, item apud Mellam non *Blitera*, sed *Baitera* seu *Batera* scribi oportere, & in Plinii priscis codicibus non *Bliteræ*, sed *Beterræ* rectè legi. Verum enim fuisse olim civitatis nomen *Beterra* & *Beterræ*, Βητῤῥα & Βητῤῥαι: pro quo Stephanus *Betarra* Βαίταῤῥα habeat. Ita Holstenius: cujus sententiæ non accedo. Nummus quidem ab ipso laudatus Βητῤῥαίων potiùs inscribi debuit, quàm Βητῤῥατῶν, ut lex analogiæ docet. In veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ nunc *civitas Beterrensium* appellatur, in provincia Narbonensi 1. tertium obtinens locum; nunc *civitas Betterensium*, atque etiam *Biturnensium* vel *Biturrensium*, quod corruptum est nomen. Gervasius Tisleberiensis & recentior Notitia Episcopatuum Galliæ Episcopum *Bitterensem*, aliàs *Bitarrensem*, secundum numerant inter Antistites Narbonensi Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes; alia Notitia tertium. Hæc urbs vulgò *Beziers* nuncupatur: elegans & culta, quam falsò Jos. Scaliger in Volcis Arecomicis esse semel atque iterum asserit, cùm à Ptolemæo Volcis Tectosagibus attribuatur. long. 25. 50. lat. 42. 42. ad Orobum flu. in Occit. inf. vix 2. leuc. ab ora maris Mediterr. & 3. ab Agatha, in Occas. Episc. est, sub Arch. Narbonensi, habuitque primum Præsulem, S. Aphrodisium, Evangelii luce illustrata, seculo 13. mox Martyrum sanguine inundata est; expugnata enim, & laniena L. M. ab hostibus patrata: præterito seculo eandem, per Dei gratiam, lucem denuo sensit.

Hîc Synodus habita, an. 356. à Saturnino Arelat. Ariano, quâ Hilarius Pictav. in Phrygiam exul abire jussus est. an. 1233. 1246. ubi actum de facilima Albigenses ad Rom. Communionem reducendi via. Ager *Biterrensis*, seu *pagus Biterrensis*, à Juliano Toletanæ Sedis Archiepiscopo *Beterrense territorium* vocatur, ab incolis *le Bezares*: uti pagus Carcassonensis *le Carcassés*; ager Agathensis *Agadez*. Diœcesi Biterrensi continentur Biterræ, Salvianum *Sauvian*; Ripa altâ vel Ripalta *Ribaute*; Capraria *Cabriere*, Villamagna *Villemagne*, Roccarotunda seu Rupesrotunda *Roqueredonde*.

Blitius Catulinus, post conjurationem Pisonianam à Nerone in insulam maris Ægæi rejectus. Tacit XV. 71. Rhenanus, in Codice Budensi, legi adnotat *Britius*.

Bliulæi, Arab. Fel. pop. Ptol.

Bloczilia, arx Belgii, in Frisiâ Occid. ad ostium amnis *Aa*. in littore maris Austrini: ab Episc. Monaster. an. 1672. capta, pauloque pòst fortiter recepta. V. *Arx Bloczilia*.

Bloerini, & *Isangrini* vocantur à quodam poetâ neoterico, qui res gestas Philippi Aug. regis Francorum descripsit, quidam Flandriæ pop. Furnensium, Bergensiumque clientes. Hoc annotavit Jac. Meyerus.

Blondus Flavius, Forojuliensis, Secretarius Eugenii 4. &c. Scripsit Romam *Triumphantem*, 10. libris. *Reparatam* 3. *Exornatam* 8. Porro Historiam Rom. in tres Decades divisam, & tractatum de origine Venetorum. Obiit an. 1463. æt. 75. Gobellin. *Comment. de Pio* 2. *l.* 11. Merula *l.* 10. *hist.* P. Jovius, Volaterran. Trithemius, &c. Quinque filios, eruditos omnes, reliquit. Leander *descr. Ital.*

Blonicum, urbs Poloniæ infer. in confinio prov. Mazoviæ, lignea tota, spatiosa tamen. 7. leuc. Polonicis à Warsovia in Occasum, Lanciciam versùs.

Blucium, Tolistobogiorum castellum, qui Bithynis finitimi sunt, in quo Deiotarus thesauros habebat. Strabo *l.* 12.

B O.

Boaceus, Italiæ locus inter Pisas & Genuam. Anton.

Boactes, Liguriæ flu. Ptolemæus, Μακράλλα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, ἐκτροπὴ Βοάκτου ποταμοῦ. Ubi ἐκτροπὴν Ptolemæum intelligere id, quod alii auctores, id est, *confluentem amnium*, patet ex Germaniæ descriptione, ubi trium amnium in Danubium confluentes memorat, quorum duo sunt, Ænus ab lævâ ripâ, Marus à sinistrâ, in Moraviâ. Hic itaque *Boactes*, ex positione ejus is est, qui opidum *Brignolo* præterlapsus in dextram Macræ ripam defluit. Cluverius. Nunc *Verra*, quibusdam etiam *Brignole*.

Boa, vel Bœæ, Laconiæ op. Ptol. Paus.

Boagrius, Locrensium amnis Thronion urb. præterfluens. Strabo *lib.* 9.

Boane, lacus juxta Nicomediam. Evagr. *l.* 2. *c.* 14. Nicephorus *lib.* 15. *cap.* 10.

Boandus, fluv. Hiberniæ. V. *Buvinda*.

Boanerges, Lat. *filii tonitru*; Sic à Christo cognominati fuerunt Jacobus & Joannes, filii Zebedæi. Marc. 3. *Banereem* scribi debere ait B. Hieronymus.

Boarium, forum Romæ. Plin. 28. 2. & 34. 2.

Boarmia, Pallas à Bœotiis sic dicta est, à boum ad aratrum coaptatione. Rhod. 14. 18.

Boas, Dalmatiæ inf. Ammianus Marcellinus. V. *Bubua*.

Boaulia, urbs Scythiæ. Steph.

Bobacum, haud procul à civitate Secusterone in provincia Narbonensi 2. est vicus, vulgò *Beuvons*, aut *Bevons*. Alii *Bobiacum*; quidam *Badonum*; plures *Bodanum*; nonnulli *Babacum* aut *Babocum* appellant, locum vetustissimo sub Gundobado Rege Burgundiæ Monasterio nobilem. In quibusdam tabulis corruptum est loci ejus nomen. *Benous* enim nuncupatur, pro *Bevons*, transpositis litteris.

Bobæ Ambianorum, Rigordus in anno 1104. *castrum quod Bovas* vocant, prope Ambianos commemorat; & Willelmus Britto Armoricus *in lib.* 2. *Philippidos*, qui *Bobas* nuncupat, atque ita describit,

Inter quæ castrum Bobarum nomen habebat
Clarius & titulis, & gente, situque decorum
Turribus, & muris; fossis, valloque superbum.

Nomen hodieque retinent *Bobæ* vel *Bovæ*. Dicuntur enim *Boves*, olim castrum, nunc vicus ignobilis in Ambianis, ad fluvium, qui apud Samarobrivam in Suminam decurrit. Hadr. Valesius; *Notit. Gall.*

Bobium, op. ad Apennini juga situm, ubi nobile cœnobium à Theodolindâ reginâ Longobardorum extructum: quo in loco reperti sunt Rutilius, Numatianus, & permulti alii libri à Volaterrano enumerati. Geogr. *l.* 4. *fol.* 45. In confinio est ditionis Genuensis & Ducatus Placentini; paucorum incolar. *Bobbio* hodie. 35. milliar. à Dertona in ortum.

Bobonia, urbs Italiæ. Steph.

Boburii, pop. Amer. Merid. prope Emeritam, oppidul. Venezuelæ regionis & Maracaibum lacum.

Bocalias, fluvius in Salamine inf. prius *Bocarus* dictus. Strabo *lib. 9.*

Bocalium, Arcadiæ op. Megalopoli vicinum, & Parrhasiæ. Plin. 4. 6.

Bocani, insulæ Taprobanæ populi. Ptol.

Bocanum Hemerum, urbs Mauritan. Tingitanæ. Ptol. Hæc aliàs totius Africæ urbs amplissima & superbissima, vulgò *Marocco*. Nunc sensim deficit à multis annis. Juxta *Nissim* fluv. 35. leuc. Hisp. ab ora Maris Atlantici. 70. à Fezza in Austr. à Freto Gaditano 350. m. p.

Boccatius, Florentinus, discip. Petrarchæ Genealogiam Deorum scripsit, item de fluminibus & montibus; præterea fabulas, & alia plura vernaculo sermone. Obiit Anno 1376. æt. 62. Volater. & Massæus *in Chron.*

la Boccha, aliàs *la Loquea*, locus in Tripolitanis partibus.

Bocchus, Gætuliæ rex, amicus pop. Romani, ligatum Jugurtham L. Syllæ tradidit, Sallustius *in bello Jugurthino.* Plut. *in Mario.* Flor. 3. 1. Vell. *lib.* 2. Huic successit Juba. Claud. *de 4. Consf. Honor.*

—— Rabies Maurusia ferro
Cedit, & antiqui penetralia diruta Bocchi.

Bocci, id est, *vacuus*, aut *dissipatio* sive *in vomitu*, filius Jogli, princeps tribûs filiorum Dan. Num. 34. Item fil. Abisue, filii Phinees. 1. Par. 6.

Bocciau, id est, *evacuatio*, vel *dissipatio Domini*, nomen viri. 1. Paral. 25.

Boccori, qui & Concordienses, pop. Lusitaniæ. Plin. 4. 12.

Bocchoris, qui & *Chencres* Ægyptiorum rex, regn. an. 16.

Bocchyris, Ægypti rex, reg. Anno 44. Ægyptiis leges constituit. Diod. *lib. 2. cap.* 61. & 95. Hujus ætate agnus locutus est. Eutrop. In litibus dijudicandis justissimus fuit, adeò ut in proverbium abierit *Bocchyris judicium.*

Bocenum, urbs Comit. Tirolensis, in Germ. ad Eisacum fluv. Nundinis celebris. Media inter Tridentum & Brixinonem. Pertinet ad Jurisdict. Oenipontanam.

Bochanium, opp. Belgii, in Hannonia, ad Scaldim fluv. parvum sed munitum. 4. leuc. supra Valentianas, 3. à Duaco & Cameraco. *Bouchain.*

Bochara, urbs Asiæ, in Zagathaya seu Mauralnaharia reg. versùs Oxum fluv. Aliis *Bacchara*. Avicennæ Phil. natalibus celebris. 60. leuc. à Sarmacanda.

Bochna, locus 5. à Cracovia mill. ubi Salinæ inventæ, an. 1252. sub Boleslao Pudico R.

Bochri, vel *Bichri*, id est, *primogenitus*, vel *primitiæ*, sive *in ariete*, pater Sheba rebellis. 2. Reg. 10.

Bochru, filius Asel. 1. Par. 8.

Bodecia, urbs inter Pisam & Genuam. Anton.

Bodeni, Sarmatiæ Europææ pop. Ptol. *Podolia* nunc eorum reg. dicitur, regis Poloniæ ditio. *Willichius. Aliis* pars Bastarnarum fuere, inter Amadocos & Geunios pop. ubi nunc pars Volhiniæ super. prov. regni Poloniæ. Sanson.

Bodesteniu Adamus, Philippi Theophrasti Paracelsi, ut primus, sic fidus interpres, haud paulo Magistro annosior; Obiit ætatis hebdomade septimâ, A. C. 1577. Basileæ.

Boderia, æstuarium Britannici maris. Ptol. *Bodetria* Tacito dictum. *Forth*, aut *Frith* in Scotiâ. Aliquot insulis sparsum, in quod plures se fluvii exonerant.

Bodesianum, opp. Lombardiæ Transpadanæ.

Bodincomagum, op. juxta Padum, quod & *Industria* dictum. Plin. 3. 16. Baudrando est *Casal*, urbs Ital. episc. permunita, & Montisferrati primaria, juxtà Padum fluv. Cum arce hexagona absolutissima. Sub Duce Mantuano. V. *Casale S. Evasii.*

Bodincus, Padi cognomen, Ligurum linguâ, id est, *fundo carens.* Plinius ubi supra.

Bodiontii, Plin. sive *Ebroduntii*, pop. Sabaudiæ, ad lacum Lemannum, quorum opp. *Bonne*, ad eundem lacum, inter Genevam, 6. leuc. & Agaunum. Aliis horum reg. *Val Fontenay*, Germ. *Fussteneir*, Ægid. Tschudus.

Bodius Mons, oppidul. Marchiæ Anconitanæ, in dit. Pontif. prope limites Duc. Urbini. *Monte Albotto.*

Bodminia, seu *Bosvena*, Urbec. Angl. olim Episc. & ampla, in Cornubia, 8. mill. à littore, 15. à Plimuto in Occasum, *Bodman* Angl.

Bodobriga, Germ. opp. ad Rhenum, hodiè *Boppart*, vel *Bebarten*, uti censet Percheymerus. Ditionis Trevirensis, 2. leuc. à Confluentiis. De illo ista habet Hadrianus Valesius *in Notit. Gallia*: *Bodobriga*, in provincia Germania prima præsidium militum Ballistariorum cum Præfecto suo habuit, inter Bingium & Confluentes posita, ut docet Notitia Imperii Rom. in qua reperitur sub V. Sp. Duce Mogontiacensi *Præfectus militum Ballistariorum Bodobriga.* In tabula Theodosiana *Bontobrica* vocatur, & ponitur *Vosaviam* inter & *Confluentes*, à Confluentibus 9. à Vosavia 8. m. p. distans. At in Itinerario Æthici *Boudobrica*, aliàs *Baudobrica* dicitur, & malè collocatur inter Antunnacum & Bonnam: cùm Antunnacum potiùs sit ad flumen Rhenum positum Bodobricam inter & Bonnam. In libri rerum memorabilium à Bernardo gestarum *cap.* 11. *Vicus magnus, qui supra Rhenum situs est, & nominatur Bobardus.* Item, *Transeunte Sancto prope vicum in litore Rheni positum, quem Bobardum vocant.* Vulgò *Bopparten*, vel *Bopart* cum locum nuncupari Simlerus & Cluverius observavere; *Bobardum* ex *Bodobriga* aut *Baudobrica* ante annos quingentos factum esse non observavere.

Bodona, urbs Perrhæbiæ, vel Thessaliæ. Steph.

Bodonæus, vide Steph. in Δωδώνη.

Bodoria, vide *Boderia*, Scotiæ flu. *Fortheia* Lhuido dictus, *Levinum* vocat Hector Boetius. Baudrando *Bodotria* est, æstuarium Scotiæ, inter Fifam & Lothianam provincias. Scotis *Forth* & *Frith.* Anglis *Edenborrou Frith*; Gallis *Golfe d'Edimbourg*, ab Edimburgo metropoli: Aliquot Insulis sparsum, in quod plures se fluvii exonerant.

Bodrogus, fluv. Hung. super. Oritur ex monte Carpatho, & auctus aliquot fluminibus, in Tibiscum se exonerat, prope Tokæum opp.

Boduni, Britanniæ pop. à Claudio Cæsare in fidem accepti. Dio Cassius *lib.* 60. Vide *Dobuni.*

Boduognatus, dux Nerviorum, qui summam imperii tenebat, cùm illi adversus Cæsarem pugnarent. Cæsar, *Comment. II. cap.* 23. Olim apud Germanos & Belgas hac voce *Boden* corpus significabatur, estque hodie ejus appellationis usus apud plerosque populos. Erit itaque *Boduognatus*, quasi dicatur Germanicè *Leibsgnade.*

Bœa, op. Peloponnesi, in sinu Argolico, non procul ab Epidauro. Plin. 4. 6. Item urbs Cretæ. Steph.

Bœbe, Thessaliæ civitas, est & Cretæ palus. Steph. Strabo *lib.* 9. Βοίβη δὲ χωρίον ἐπὶ τῇ λίμνῃ κείμενον. Vide sis illic Palmerium.

Boebeis, lacus Thessaliæ juxta Ossam montem. Lucanus *l.* 7.

Ire per Osséam rapidus Bæbeida sanguis.

Val. Flaccus, *lib.* 1.

Perderet & pingui miseros Bæbeide crines.

Βοιβιὰς Hesiodo *in Aspide*:

Νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα παρθένος ἀδμής.

Hom. *Iliad.* 2.

Οἱ δὲ Φέρας ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην.

Pindar. *Pythiorum* 3. Ἐπεὶ παρὰ Βοιβιάδος κρημνοῖσιν ᾤκει παρθένος. Prop. *lib.* 2. *eleg.* 2.

Mercurioque sacris fertur Bæbeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.

Bædas, Philosophus, in quem Diphilus comicus totum drama composuit: de quo vide Scholia, *in Aristophanis Nubes.*

Boedromia, nomen habent ἀπὸ τοῦ Βοηδρομεῖν, quod, testibus Hesychio & Suidâ, est μετὰ σπουδῆς παραγίνεσθαι, aut potius, sublato clamore, ut in pugnâ fieri solet, succurrere. Festi causam Atheniensibus dedit Jon, qui illis auxilio venit, cùm ab Eumolpo invaderentur. Harpocration, Βοηδρόμια, ἑορτή τις Ἀθήνησι οὕτω καλουμένη, ἥν φησι Φιλόχορος ἐν δευτέρᾳ νενομίσθαι ἐπειδὴ Ἴων ὁ Ξούθου ἐβοήθησε σπουδῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Ἐρεχθέως βασιλεύοντος. Βοηδρομεῖν γὰρ, τὸ βοηθεῖν ὀνομάζεσθαι τουτέστιν ἐπὶ μάχην δραμεῖν. Suidas autem, dum ista exscriberet, se indiligenter habuit, quòd Xuthum Atheniensibus auxilio venisse narrat. Ubi fortè legendum Ἴων ὁ Ξούθου. Neque enim Xuthum, sed Jonem Atheniensibus suppetias tulisse scribit quoque Pausanias *in Atticis.* Et Aristides *in Eleusinâ*, Ἴων Ἀθήναζε ἐβοήθησεν. At Plutarchus *in Theseo*, festi causam à bello contra Amazonas gesto deducit, quòd eas Theseus mense Βοηδρομιῶνος, hoc est, *Junio*, factâ Apollini re divinâ, profligasset. Sic enim ille, Ἡ μὲν οὖν μάχη Βοηδρομιῶνος ἐγένετο μηνὸς ἐφ᾽ ᾗ τὰ Βοηδρόμια μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι θύουσι. Callimachus *Hymno in Apol.*

Ὦ πόλλων, πολλοί σε Βοηδρόμιον καλέουσι,
Phœbe Boedromium multi te nomine dicunt.

Boëmia, vel *Bohemia*, vel *Bœhemia*, Germaniæ regio, fertilissima, circa Sylvam Hercyniam. Quod nomen antiqui Bohemiæ annales interpretantur, *Vaticinium*, *fatum*, eò quòd ea loca Libyssa quædam mulier fatidica habitaret; Sclavi autem, qui tum has partes invadebant, eam occupatam Bohemiam vocarunt, quòd sic vaticinium ipsi appellarent. Verùm ratio nominis faciliùs intelligitur, si priùs veteres hujus regionis colonos consideraverimus: *Boii* enim, Galliæ populi fuere, ii à Cæsare victi, Galliâ excedentes, Italiam transcenderunt, quos Romani finibus ejecerunt: inde trans Rhenum in Germaniam profecti, Hercyniæ sylvæ incinctos incoluerunt campos, à quibus regio *Bohemi* nomen accepit, quod vocabulum si interpreteris, significat *Boiorum patriam* seu *domicilium*; hos Boios è Boiohemo potentissimus Suevorum populus Marcomanni depulit, paulò ante Julii Cæsaris adventum, qui non solùm in locum, sed etiam in appellationem Boiorum successit, ut Boici, i. Boieri fuerint appellati. Hodie Bavari ii corruptiùs vocantur. Ejectis tandem è Boiohemo etiam Marcomannis Quadisque Sclavini Scythica & Barbara gens duce Czecho, intraverunt, Anno 550. quos ab occupato Boiohemo vulgus *Bohemos* vocat. Ejus fines ab ortu Solis ad Marcomannos & Quados, ab occasu ad Noricos protenduntur,

meridionalem ejus plagam Pannonia superior, nunc *Austria* dicta occupat, sicut Saxonia & Misnia Septentrionalem. Universam Hercynia sylva perpetuo ambitu cingit, clauditque undique ad amphitheatri faciem, unde æqua ei fere longitudo atque latitudo, ac etiam utraque paulò amplius ducentis millibus passuum extenditur, dicitur que continere 780. tum arces tum oppida muris cincta, & 32. pagorum millia. Regimen hujus regionis primò sub Duce fuit: Primus *Dux* fuit Zechus, ut dictum, qui è Croatia migrans, Bohemicæ gentis fundavit primordia, huic successisse dicuntur Crocus, Lybussa filia, cum marito Primislao, Ninislaus, Mnata nepos, Urislaus filius, Mnatæ, Necla, Nottericus, Borsivous: sub hoc Christianismum suscepit Bohemia an. 900. à partu Virginis, tempore Arnulfi Imperatoris. Anno verò Domini 1086. Bohemia in regnum evecta est, & in Concilio Moguntino Uratislaus I. *Rex* ab Henrico IV. Cæsare creatus, Gisbertusque Trevirorum Episcopus Pragam missus, qui coram populo Regem inungeret, regalibusve insignibus convestiret. Est inter octo Electores Bohemiæ Rex, magnus Pincerna Imperii. Hujus regni titulo quoque subsunt Moravia, Silesia, & Lusatia regiones, Egra etiam civitas An. 1315. Bohemorum hypotheca facta fuit. Regnum Bohemiæ à Carolo, qui A. 1346. factus est Rex & Imperator, divisum fuit in duodecim regiones, quibus singulis annuatim præerant capitanei, Baro unus, & alter ex ordine equestri. Metel. Merc. Electivum cùm antea Regnum esset, nunc hæreditarium sibi Austriaca familia vindicat, à quo Ferdinandus 2. Imp. Fridericum, ex Comitibus Palatinis, Bohemiæ Regem, A. 1620. prope Pragam acie vicit; Regio hæc olim Hussi, Taboritarum Valdensiumque operâ instructa, & à Zisca sæpius miraculosè defensa, diu Evangelicæ Ecclesiæ, ab Anno nempe 1404. sedes fuit: Versis etiam A. 1578. in linguam Bohemicam Bibliis, & inito Fratrum Bohemorum Evangelico rumque reliquorum consensu, an. 1609. nunc verò, post retro memoratam cladem inde exulat. Vide de hoc regno plura, apud Æneam Sylvium, Le Mire, *histor. Bohem.* Cluver. *lib.* 3. *Geograph. c.* 30. Joh. Lasicium, *de gestis fratrum Bohem.* Camerarium, *in historia Fratr.* De quæstione autem. *An Bohemia regnum finibus Imp. hodieq; includatur, quæq; Imperii in Bohemiam sint jura?* tractatum Nobiliss. D. Conringii, *de Finibus Imperii cap.* 29. &c. Item, in voce *Bohemi.* & Dubravium *lib.* 1. *Historiæ Bohemicæ.* Quæ Cosmas in Bojemorum Chronicis de nescio quo *Boemo* seniore, unde terræ nomen, refert, fabulæ sunt, & meræ nugæ, Faber. Flumina quæ terram irrigant, universa exonerantur in Albim, qui mediam fermè provinciam perlabitur. Oppida, *Praga* regni caput, *Egra*, & alia non pauca. Plura habes præter supra laudatos, apud Munsterum, Sabellicum, Crantzium, & Cromerum, qui *lib.* 1. *rerum Polonicarum* de Bohemiæ incolis, unde venerint, & de antiquis eorum sedibus disserit. Vid. etiam *Bojemum R.*

Urbes Bohemiæ majores hæ sunt:

Austia, *Aussy.*	Marobudum. Vide Praga.
Broda gemina Bohemica, *Bohmisbroda*, & Teutonica, *Deutschenbrod.*	Misa.
	Pilsna, *Pilsen.*
	Praga, *Prague.*
Budovissa, *Budweiß.*	Satecium, *Satz.*
Cutna, *Cuttemberg.*	Slania, *Slany.*
Egra, *Egra.*	Taboria, *seu* Taborium, *Tabor.*
Glacium, *Glatz.*	Tachavia, *Tachaw.*
Glatovia, *Klataw.*	Verona, *Bern.*
Hradecium geminum, unum Reginæ, *Konigingretz*, alterum Henrici, *Hradecz Henry*, seu *Newhaus.*	Sunt & Commodu, *Commetaw*
	Launa, *Launy.*
	Limburgum, *Nymburg.*
	Mutha, *Mosta.*
Jaromiria, *Jaromirz.*	Pardubitia, *Pardubitz.*
Littomeritium, *Litomeritz.*	Tetina, *Teyn.*
Littomescum, *Littomissel.*	Trebonia, & aliæ.

Boëmundus I. Princeps Antiochiæ, ex principe Tarentino, fil. Roberti Guichardi, Apuliæ Ducis. Contra Saracenos Græcosque rebus gestis clarus, duxit Constantiam Philippi 1. ex Bertha filiam. Obiit An. 1111. Petr. Diaconus, *Chron. lib.* 4. Guil. Tyrius *lib.* 1.

Boëmundus II. hujus fil. non æquè felix. Ex Adelaide, filia Balduini 2. Hieros. R. pater Constantiæ, quæ Raimundi Pictav. uxor *Boëmundum* III. genuit. Hujus fil. ex Erine, nepte Emanuelis Imper. *Boëmundus* IV. secundo genitus, nepotes ex fratre Antiocheno principatu exuit, oculumque in Libano amisit. *Boëmundus* V. Patris successor, obiit A. 1251. Ex Lucia, pater *Boëmundi* VI. qui ductâ Sibyllâ, filia Haytonis, Armeniæ Regis, obiit an. 1275. filio *Boëmundo* VII. admodum juvene relicto: Qui paulo pòst improlis decessit. Guil. Tyr. *lib.* 11. 1519. *&c.* Sanut. *lib.* 3 *part.* 12. *&c.*

Boën, i.e. *pollex*, sive *in eis*, lapis in tribu Judæ à filiis Ruben sic appellatus. Jos. 15.

Bœnium, opp. Galliæ, in prov. Forensi, ad Linionem fluv. qui 3. leucis infra cadit in Ligerim. 5. leuc. à Rodumna in Austr.

Bœodurum, opp. Norici excisum, apud Pataviam urbem. Vid. *Bojodurum.*

Bœon, Tauricæ Chersonesi opp. mediterraneum, Ptol. *Czargati* Nigro dicitur.

Bœotia, reg. in fin. Græciæ, in longum ad Atticam se protendens, tria respicit maria, Peloponnesiacum, Siculum & Adriaticum, ab Atticâ Cithærone monte discreta. Ita dicta, ut nonnulli volunt, à bove, cujus ductu Cadmus pervenit ad eum locum, ubi postea Thebas Bœotias condidit. Ovid. *Met.* 3.

Bos tibi Phœbus ait solis occurret in arvis
Nullum passa jugum, curvíq; immunis aratri:
Hac duce carpe vias, & quâ requieverit herbâ,
Mœnia fac condas, Bœotiaq; illa vocato.

Alii alias afferunt nominis rationes, quas habes apud Stephanum. Olim *Aonia* dicebatur, *Ogygia* & *Hyantis*, & *Messapia*, & *Cadmeis* Thucydidi. Populi *Bœoti*, qui stupiditatis & crassi ingenii nomine malè audierunt. His olim à Thracibus eversis prædixit Oraculum, ut ibi sedem legerent, ubi viderent corvos albos. At hi in Thessaliâ, circa Pagasæicum sinum, vidêre circumvolitantes Soli sacros corvos, quos Pueri dimiserant per ebrietatem gypso incretatos. Quo viso oraculi sortem impletam esse existimantes, ibidem consederunt. Horat. 2. *Epist.*

Bœotum in crasso jurares aëre natum.

Hinc *Ænigmatica Bœotica*, id est, *obliqua* & *obscura*. Item *Bœotica cantio*; apud Aristoph. de rudi & indoctâ, & apud Sophoclem de vitâ lætâ, & postea luctuosâ. *Arne* Diodoro dicitur *Bœotia*; incolæ *Leleges* apud Solinum vocantur, ac *Temmici* apud Lycophronem, inquit Scholiastes. Nunc *Stramulipa* dicitur, subest cum tota Græcia Turcis, à 172. annis. Præcipuæ ejus urbes *Stives*, Thebæ, & *Badia*, & sub Livadia reg. videtur comprehensa à recentioribus.

Bœotus, Itoni & Menalippæ nymphæ fil. Pausanias *in Bœoticis* statim ab initio. Item, fil. Neptuni. Steph.

Bœrebistas, vir natione Geta, quum imperium in suam gentem suscepisset, homines frequentiâ bellorum, & cladibus afflictos eò magnitudinis extulit, nunc exercitatione corporum, nunc victûs sobrietate, nunc edictorum obedientiâ, ut intra paucos annos latum adeptus sit imperium, plurimosque finitimorum Getarum ditioni subdiderit, trajectoque audacter Istro Thraciam diripiens, usque in Macedoniam & Illyricum magnum terrorem intulerit. Magnæ obedientiæ argumentum est, quòd ejus suasione inducti vites excidere, & sine iis vitam agere consenserint. Strabo *l.* 7.

Boescus, cùm Philippus Amyntæ fil. Alevadas tollere cogitasset, & ob eam rem morbum simulasset, ut ad se visendum ingressos comprehenderet; *hoc ille Alevadis prodidit: itaque consilium eventu caruit.* Polyænus *lib.* 4. *in Philippo com.* 11.

Boëtius, quem alii *Boëthium* potius vocandum contendunt, Zenone Imperatore regnante, ob affectatæ libertatis suspicionem, à Theodorico rege exilio damnatus, deinde custodiæ traditus, plurima conscripsit. Tandem simul cum Symmacho senatore, socero suo, aliisque præstantibus viris interfectus est. Eusebius, An. 524. Vir fuit Latinè & Græcè doctissimus, in omni disciplinarum genere excellens, quoque Roma à Varronis temporibus non habuerit undecunque doctiorem. Qui, ut Theodoric. *apud Cassiodor.* Pythagoram Musicum, Ptolomæum Astronomum, Nicomachum Arithmeticum, Euclidem Geometram, Platonem Theologum, Aristotelem Philosophum, Archimedem Mathematicum, Latinè loquentes Latio stitit, & Athenarum exuviis patriam opulentam reddidit. Quantum idem carmine valuerit, ostendunt libri 5. de Consolatione Philosophiæ, quos exul Ticini scripsit. Omnino nihil in poëti venustius habuit, vel illud ævum, vel etiam quod proximè antecessit. Uxorem habuit, cui nomen Helpis, quæ & ipsa literis, ac inprimis poësi excelluisse dicitur. Vir fuit Consularis, & filios duos Patricium, & Hypatium Consules vidit. Vossius. Seriùs (inquit Vallinus) nomen istud apud Romanos notum, atque, nisi me conjectura fallit, ex Oriente Latio donatum est. Postquam enim apud Byzantium imperii sedem constituere Impp. Græcæ familiæ miscuere se Romanis; unde prout quæque illustres famâ viros tulit, ita nepotibus aut in eam ascitis nomen dedit. Porro cùm *Boëtii* (hæc enim fuit veterum olim lapidum, vetustiorumque dehinc omnium codicum scriptura) seu *Boëthii* plures fuerint; ut aliorum, qui penè omnes Græci fuerunt, memoriam omittamus, nostros tantùm; i.e. Romanos, hoc veluti stemmate recensebimus, ut referatur fuisse I. BOETIUS V. C. sub Valentiniano Præfectus Prætorio, in ejusdem palatio, unà cum Ætio amico, A. D. 454. Trucidatus, ut meminere Victor Tuneti, Marcellinus Comes, & Cassiodorus *in Chronicis.* Paulus Diaconus *lib.* 15. qui *senatorem nobilissimum* vocat. II. ANICIUS MANLIUS FLAVIUS BOETIUS, nostri pater An. Dom. 487. Consul, cujus Synodus Romæ eodem anno coacta mentionem facit; cumque Onuphrius Panvinius *in Fastis* nostri patrem fuisse existimat, licet illi non Flavii, sed & Severini nomen adscribat. Nos quoque in hoc inclinamus, quòd nimirum ab Ennodio *Epist.* 1. *lib.* 8. Boëtio nostro fuisse dicatur *vena purpurarum*, quia nempe pater, ut & multi alii majores, Consul fuerat. III. ANICIUS MANLIUS TORQUATUS SEVERI-

NUS BOETIUS, Patricius primùm, deinde Consul, An. Dom. 510. postremo Magister Officiorum, summus utriusque Philosophiæ, ac Theologiæ, Mathematicarumque disciplinarum antistes, quem plurimis elogiis, iisque clarissimis, idem ipse rex Theodoricus ornavit, qui occidit, cujus mortem miraculis illustrem is ipse, qui imperavit, flevit, ut Cassiodorus *lib.* 1. *Var.* & Procopius *lib.* 1. *Hist. Gothicæ*, auctores certissimi testantur; quem celebrat Ennodius propinquus multis epistolis. Hujus filius fuit IV. ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETIUS, qui puer cum Symmacho fratre, item puero natu majore Consul fuit ordinarius, An. Dom. 522. quem ingenio excelluisse testatum, *lib.* 2. Consol. modestissimus pater reliquit. Vid. etiam Isidor. *lib.* 3. *orig. cap.* 2. Anastas. *in Johanne* I. Adon. Onuphr. &c.

Boëtus, ineptus quidam poëta Tarsensis; qui Philippensem Antonii victoriam carmine conscripsit: quo nomine præter alios summos honores, quibus ab illo affectus est, Gymnasii etiam Tarsensis præfecturam adeptus est. Strabo *lib.* 14.

Boëtus, Hisp. fluv. ex iisdem nascens locis, ex quibus Anas & Tagus. Strabo.

Bogadium, urbs Germaniæ. Ptol. *Frislar* vel *Fritzlar* vulgò, in Hassia. Libera, inter Cassellam ad Bor. 3. & Martisburgum ad Austr. 6. leuc. Francofurtum versus. Ferrar.

Bogdomantis, Asiæ min. regio. Ptol. Al. *Bogdomanis*: Regio Bithyniæ, inter sinum Astacenum & Cianum; & inter Prusam & Nicomediam urb. P. à Vico.

Bogerus, Bulgarorum princeps, per sororem in aula Theodoræ Imper. salvificâ fide imbutam, ad Christianismum perductus est, cum gente: postquam pestilentiam & famem ipsis Deus immisisset. An. 845.

Boges, Persa ab Atheniensibus obsessus, cùm nihil haberet commeatûs in castris, liberos cum uxore primùm, demum seipsum interfecit. Herod. *lib.* 7. Plut. *in Cimone* Βύτην vocat. Pausan. Βόην, Polyænus Βόγην.

Bogesunda, oppidul. Sueciæ, in Vestrogothia prov. famosum prælio Danorum cum Suecis, anno 1520. commisso, in quo *Steno Sture* regni Sueciæ administrator vulneratus, paulo pòst obiit. D. Chytræus.

Bogud, opp. in Africâ, & regis nomen.

Bogudiana, pars Tingitanæ provinciæ in Africâ. Plinius.

Bogus, rex Maurusiorum, Antonii partes sequebatur in Actiaca pugnâ. Strab. *lib.* 8.

Bohemi, regni Bohemiæ, quod Straboni *Bojæmum*, Tac. *Bojemum*, Velleio *Bojohæmum*, incolæ. Contra hos Dresdam muniit Carolus M. A.C. 808. Crantz. *l.* 2. qui eos per Carolum fil. victos Imperio tributum pendere coëgit, quod usque ad Fridericum II. mansit. Ad pacem compulsi sunt, à Ludovico Rom. R. A. 848. qui circa A. 869. cum iisdem vario Marte rem gessit, Annal. Fuld. Aventinus *lib.* 2. Postquam duodecim illorum duces ad Christianismum pertraxisset, A. 862. Sceptrum Moravici regni ad Bohemos transtulit dux Borzivoi, cui totius gentis adscribitur conversio, An. 894. Cosmas Bohemus: idque ministerio Methodii, Vid. Aventin. *lib.* 4. Horum Princeps Wenceslaus iterum ad pacem compulsus, ab Henrico Aucupe, circa A. C. 930. Boleslaus similiter ab Ottone M. domitus, vasallus illius evasit, An. 954. Otto Frising. *lib.* 6. *cap.* 19. Rursus Bohemi ab Ottone II. territi sunt, A. 976. Idem *cap.* 25. ab Adalberto verò Episc. Pragensi, ob malam vitam, deserti, An. 999. qui inde ad Ungaros profectus, horum plurimos convertit. Sequent. tempore, cùm à Clemente III. missus Petrus Capuanus Card. ut cœlibatum in Polonia urgeret, idem dein in Bohemia moliretur, parum abfuit, quin à Sacerdotibus occideretur, A. 1196. A Valdensibus, huc profugis, edocti, magnâ parte illis adstipulati sunt, circa A. C. 1230. ingens dein Ecclesiæ accessio facta est, concionibus Joh. Hussi, A. 1414. imò ipse Rex Georgius Podiebracius illi nomen dedit, cujus hac de re memoratu dignissima verba, lege apud Bucholc. *Ind. Chron. pag.* 415. *circa A. C.* 1454. Iterum ad eos se receperunt, ejecti ex Austria & Marchia Valdenses, circa A. 1467. Fratrumque Ecclesiæ 200. in Bohemia & Moravia numeratæ sunt, A. 1500. quæ gravia passæ, unionem cum Luthero iniere, An. 1536. 1540. 1542. & templa à Ferdinando I. Imp. clausa, iterum obtinuere, à Maximiliano R. A. 1564. rursus tamen infestatæ A. 1565. à Joachimo Neuhusio regni Cancellario, Lasicius *lib.* 7. qui brevi aquis mersus periit. Exin An. 1574. pulsi è Prussia Fratres, hoc enim fidelibus illis in locis nomen, in Bohemiam remearunt, in qua ut & Moravia, 17. Barones, & 146. ex equestri ordine tum in partibus. Quorum hostes cùm non cessarent, conscripta confessio è Fratrum libris Maximiliano regi per Boguslaum Lobkovicium, A. 1575. oblata, pacem Ecclesiæ denuo conciliavit. Tum & Psalmi rythmis Davidicis, ad Gallicas melodias elegantissimè redditi, & Ecclesiæ usui traditi sunt à Georgio Vettero, Theologo doctissimo. Versa etiam A. 1588. S. Biblia, sumptibus Joh. Baronis Zerotinii, à Theologis clarissimis. Post hæc literæ Majestatis à Rodolfo II. Imp. Bohemis, Moravis & Silesiis confirmatæ sunt, An. 1611. Sed brevi pòst, injuriis Evangelicorum non maturè à Matthia Imperat. vindicatis, bellum Bohemicum excitatum est, An. 1618. postquam infelix controversia, an ex literis Majestatis liceat Evangelicis templa in territorio Ecclesiastico erigere? animos divisisset. Hoc Fridericus Palatinus, à Bohemis Rex electus, à Ferdinando II. victus est, A. 1620. sequuta ea mala, quibus per 30. annos tota Germania conflagravit: Hinc Fratribus exilium indictum, & contra Bohemos anno 1639. Pragæ, novo edicto promulgato, omnes servi religionis Protestantium à Dominis suis sub pœnâ ɪɪ. cɪↄ. Imperialium dimitti jussi sunt: A quo tempore nulli horum publici cœtus: magnâ Fratrum parte in vicinas regiones, Silesiam, Poloniamque diffusâ. Vid. in *Boëmia*, *Fratres*, &c.

Bohemia, Vid. *Boëmia*, & *Bojemum*.

Bohilla, opp. Italiæ, sic dictum, quòd bos intestina vulnere trahens advenerit. Nonius.

Bohussa Kostca, Baro Bohemus, legatos per universum orbem dimisisse, ut inquirerent, an alicubi puræ Ecclesiæ invenirentur: neque ullibi repertas esse, exceptis in Gallia & Italia Ecclesiis Valdensium, quorum in ipsâ quoque Roma occulti cœtus, dicitur, circa An. 1480. V. librum, cui titulus, *Veritas triumphans, Bohemicè scriptum f.* 86. apud Lætum *in comp. Hist. Univ. p.* 361. *edit.* 1653.

Boja, urbs Bojorum, pop. Gall. Celt. quæ nunc *Bourbon* dici putatur, unde Regiæ Familiæ nomen. Nunc opp. à Molino 4. leuc. in Austr. ubi thermæ variis morborum generibus salutares. Ferrar.

Bojanum, Samnium urbs. Ptol. urbs regni Neap. in Comit. Molisino. Baudr. hodiè *Bovianum*, quod V.

Bojatum, vel *Bojatium*, Novempopulana civitas, ut habet libellus provinciarum. Scaliger pro *Bojana* intelligit. Plerisque *Bajone*, urbs Galliæ in Vascitana prov. ad Aturum fluv. qui ibi Nivum haurit. Permunita, ampla, emporium celebre, & Lapurdensis agri caput. Distat 3. m.p. ab Oceano Cantabr. 30. leuc. ab Auscis, & Burdegala. Sunt qui ibi existiment aliàs fuisse Aquas Tarbellicas. Baudr.

Bojemum, reg. Germ. perampla, ubi primùm Boji, tum Marcomanni, & tandem Bæmi. Ptol. Habet ab Or. Silesiam & Moraviam, à Sept. Lusatiam & Saxon. super. ab Occid. Franconiam, à Meridie Bavariam. Paret Austriacis multis ab annis. Vid. *Boemia*.

Boji, pop. Gall. Celt. quorum regio *Bourbonois*, dicitur, Ducatus tit. insignis, in quâ Molinum, sedes ducum, dum starent, ad Elaverem fluv. Hi ex Germ. profecti in Galliâ sedem fixere. Habet Borboniensis prov. ab Oriente Burgundiam, à Septentr. Nivernensem prov. ab Occident. Bituricensem, cum Marchia Lemovicensi, à Meridie Alverniam. Vide infra. *Boji* hi, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noreiamque oppugnarant, Helvetiis domo emigrantibus socii cum 32. capitum millibus adjuncti sunt, ac unà cum eis à Romanis prœlio superati. Quos cùm Cajus Cæsar victor omnes obsidibus armisque traditis in deditionem accepisset, Helvetios quidem, Tulingos, Latobrigos ac Rauracos in suos fines redire jussit: *Bojos* verò *petentibus Æduis, quòd egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suis collocarent, concessit: quibus illi agros dederunt, eosq; postea in parem juris libertatisq; conditionem, atq; ipsi erant, receperunt.* Hæc Cæsar *in libro* 1. scribit: qui & *in libro* 7. *Bojos* istos *non magnis facultatibus* fuisse, *civitatemq; fuisse exiguam, infirmam* ac tenuem tradit, utpote hominum millium circiter 12. aut 15. ac Æduis proximos facit conjungitque his verbis: Cæsar Avaricum obsidens *de re frumentaria Bojos atq; Æduos adhortari non destitit: quorum alteri quòd nullo studio agebant, non multum adjuvabant; alteri, non magnis facultatibus, quòd civitas erat exigua & infirma, celeriter quod habuerant, consumserunt. Summa difficultate rei frumentariæ affecto exercitu, tenuitate Bojorum, indiligentiâ Æduorum, &c.* Idem *eodem in Commentario*: *Bojos stipendiarios Æduorum* appellat, & *Gergobiam, Bojorum oppidum, quos Helvetico prœlio victos ibi Cæsar collocaverat, Æduisq; attribuerat*, à Vercingetorige *oppugnatam* esse prodit: quam Gergobiam Bojorum, *Molinas* nunc esse quidam cum Massono putant, caput pagi Burbonensis, *Moulins en Bourbonnois*. Sampson eam cum Gergovia Arvernorum malè confundit, & ex duabus duarum Gentium civitatibus unam facit: Plinius *Bojos* in Gallia Lugdunensi vel Celtica ponit inter Carnutes & Senones, rectè omnino. Cùm enim Ædui sint Celtæ, seu Galliæ Celticæ gens, uti omnes uno ore consentiunt: apparet, *Bojos* Celticæ quoque Lugdunensive Galliæ attribui necessariò oportere, quandoquidem in finibus Æduorum sunt collocati. Verba Plinii sunt in *lib.* 4. *cap.* 18. de Lugdunensi Gallia: *Intus autem Ædui Fœderati, Boji, Sexones*, Carnutes & Senones flumen Ligerim attingunt, à quo fluvio, & à Biturigum finibus Boji non multum videntur abfuisse: Cùm Cæsar se ex Lingonibus per Senonum agrum atque Carnutum ad Bojos profectum esse scribat *in libro* 7. & Vercingetorigem *rursus in Bituriges exercitum reduxisse, atq; inde profectum, Gergobiam Bojorum oppidum oppugnare instituisse.* Tacitus *in lib.* 11. *Historiarum*, eorundem Bojorum meminit, & rectè Æduis seu quibusdam Æduorum pagis proximos facit, cùm in finibus Æduorum sedes ipsi haberent, *Maricus* (inquit) *quidam*

è plebe

è plebe Bojorum, concitis 8000. hominum, proximos Æduorum pagos trahebat: cùm gravissima civitas (Æduorum) electâ juventute, adjectis à Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disjecit. Captus in eo prœlio Maricus assertor Galliarum & Deus, (nomen id sibi indiderat) ac mox feris objectus, quia non laniabatur, stolidum vulgus inviolabilem credebat; donec spectante Vitellio interfectus est. Omnino Augustoduni in media Amphitheatri arena feris objectus est Maricus, *spectante Vitellio*, Augusto *ac stolido vulgo*: objectus inquam est feris à gravissima civitate Æduorum, quorum caput Augustodunum, qui ipsum fuderant ac ceperant. Marlianus Bojos *hodie Borbonios dici* asserit: quem Massonus in descriptione Galliæ, & Samson, aliique recentiores Geographi sequuntur. Ex quibus Samson *Bojos*, ità pro pago Burbonensi, *le Bourbonnois*, accipit, ut partem pagi Burbonensis Biturigum Cuborum, partem Segusianorum esse, seu Ecclesiæ Bituricæ Lugdunensique diœcesi attribui fateatur. *Bojos* Burbonenses esse, eo faciliùs & patrum nostrorum & nostræ ætatis Geographi sibi persuasere, quòd Cæsar Gergobiæ Bojorum à Vercingetorige oppugnatæ subsidio venire festinans, per agrum Senonum & Carnutum tetendit in Bojos, & apud Genabum Carnutum *exercitum Ligerim traduxit, atq; in Biturigum fines pervenit, oppidumq; Biturigum positum in via Noviodunum (Neuvy) oppugnare instituit.* At *Vercingetorix, cognito Cæsaris adventu, oppugnatione* Gergobiæ *destitit, atq; obviam Cæsari profectus est.* Quæ Julii Cæsaris narratio indicat, Bojos, si non in Biturigibus Cubis, certè saltem eorum finibus proximos fuisse, & in pago, qui Burbonensis nunc dicitur, habitavisse. Falsum tamen est, quod ait Samson, *Bojos inter Æduos, Arvernos ac Bituriges* à Cæsare, vel ab Æduis permissu Cæsaris *collocatos* esse, cùm non alibi quàm in ipso Æduorum agro sint positi. *Gergobiam Bojorum oppidum* sive Gergoviam à Gergovia Arvernorum differre, in Arvernis docuimus, Samsonemque erroris arguimus. Qui sunt ergo Boji? dicet aliquis. Equidem in Æduorum finibus quærendos eos esse non procul à Biturigibus contendo, auctorem Cæsarem secutus: sed cùm longè lateque pateant Æduorum fines; & 4. diœceses contineant, ubi inveniri Boji possint, non facilè dicti est: cùm civitas exigua fuerit ac tenuis, & unius tantùm oppidi, atque paucorum capitum ac agrorum. Haud difficulter accesserim Coquillio, asserenti partem pagi Burbonensis, sed eam tantummodo, quam Liger & Elaver claudunt, & ubi Molinæ sunt, quæ hodieque Æduis seu Augustodunensi diœcesi adscribitur, *Bojos* veterum esse. Addit Coquillius Burbonensis pagi primum fuisse Burbonem modò, Muratum atque Cantiliam: posteà eum pagum sensim crevisse, & de Biturigibus, de Arvernis, de Forensibus seu Segusianis, & de Nivernensibus multa sibi loca adjunxisse, ita ut 4. Episcopatibus nunc attribuatur, Augustodunensi ac Nivernensi Æduorum, diœcesi Bituricæ & Ecclesiæ Claromontensi Arvernorum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Boji, pop. Vindeliciæ, in Germ. quorum reg. *Bavaria*, vulgò *Bayeren* & *Beyeren* esse videtur plerisque. Hos ... ætate trans Rhenum habitasse, atque Norico agro consedisse, *lib.* 1. *de bell. Gall.* refert. Postea *Bojoarii* dicti: inter Isaram & Oenum fluv. Vide *Bavaria*.

Boji, pop. Gall. Aquitanicæ, quorum tractus *Buchs*, teste Vineto dicitur, apud ostia Garumnæ fluv. à Burdigalâ urbe 16. leuc. in Occid. Ibi opp. præcipuum *Buzium*.

Boji, Italiæ pop. in Gall. Togata, inter Æmiliam viam, & Padum, apud oram incolentes, quorum reg. magnâ ex parte Romandiola, vulgò *Romagna* nuncupatur. Meminit horum Silius *lib.* 4.

—— *Spissaq; ruunt conferta per arma*
Unda Bojorum. Polybius *lib.* 2. Τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον, πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοιοὶ κατῴκησαν. Vide Cluver. *Ital. Antiq.* 1.28. Erant, ubi nunc Ducatus Parmensis & Mutinensis & ager Bononiensis. Baudr.

Bojocalus, Ansibariorum Dux, rebellione Cheruscâ vinctus, jussu Arminii; mox Tiberio & Germanico ducibus stipendia meruit: qui suis agros orans à Romanis repulsam tulit ac Cheruscorum agros insedens occisus est cum pleraque juventute. Tacitus 13. 55.

Bojodurum, Vindeliciæ urbs ad Danubium. Ptol. Est instar, ad Confluentias Oeni & Danubii fluv. ex adverso Patavіæ urbis, seu potius pars ipsius versus Austriam, in Bavaria inf. Quibusdam *Ænostadium*.

Bojon, opp. Cyrenes. Plin. 5. 5. Item opp. Doridis in Græciâ. Plin. 4. 7.

Bojorum deserta, Plinio & Straboni memorata, hodie *Wiener-Wald*, auctore Lazio.

Boiscus, Cyzicenus, Poëta Gr. peculiare Jamborum genus invenit. Voss. *de re Poet. l.* 2. *c.* 25.

Bojum, opp. Æmiliæ seu Gall. Tog. nunc pag. *Boibo*: urbs etiam Liguriæ, ad Trebiam amnem, vulgò *Bobio*. Ferrar.

Boizlaus, Boëmorum rex. Blondus 2. 2.

Bola, Vid. *Bolæ*.

Bolaca, Triphyliæ urbs in Peloponneso. Polyb.

Bolæ, Æquorum in Italiâ opp. cujus meminit Diod. *lib.* 14. & Dionys. Halicarnasseus *lib.* 1. quibus Βῶλα vocantur. Stephano autem *Bola* singulari numero dicitur. Βῶλα ὡς Νῶλα, πόλις Ἰταλίας. Virg. *Æn.* 6.

Pometios, Castrumq; Inui, Bolamq; Coramq;.

Sed hoc etiam oppidum Plinius 3.5. inter ea computat, quæ jam tum *interierant sine vestigiis*.

Bolana, Vid. *Bolinà*.

Bolanus, Vid. *Vettius*.

Bolbæ, urbs Cariæ, fluvius aut palus *Bolbaotes*, quæ *Heraclea* dicta est.

Bolbitina, urbs Ægypti.

Bolbitinum, unum ex septem Nili ostiis.

Bolbulæ, opp. & insula maris mediterranei. Plin. 5. 31.

Bolenia Anna, secunda uxor Henrici VIII. Angl. R. mater ex illo Elisabethæ reginæ. A Pontificiis, quibus tum facilem & credulum se Rex præbuerat (Reformationis enim opus aggressus non est, nisi post ductam Janam Semeriam) rea peracta, capiteque plexa est, An. 1536. postquam Anna de suâ innocentia fuisset protestata, nec adduci potuisset Norisius, ut crimen, cujus arguebatur, confiteretur; quamvis oblatâ Regis gratiâ, dicens: *non in animum inducere posse, ut innocenti falsum crimen impingat, etiamsi mille sibi mortes subeundæ forent.* Franc. Godwinus *Annal. rerum Anglic. lib.* 1. *ad A.* 1536. Hujus filiæ Elisabethæ postea Rex morti vicinus testamento regnum destinavit, si Eduardo, ex Semeria, & post hunc Mariæ, ex Catharina Aragonica prognatis, sine hæredibus, mori contigisset. Morerius *in Dict. Hist.*

Bolentium, urbs Pannoniæ sup. Ptol.

Bolerium, nunc *S. Buriena Fanum*, vicus extremus Cornubiæ prov. Angliæ, prope Bolerium prom. Nunc *the lands end*, seu *finis terræ*. Item *the Cape of Cornwal* Angl. Vide *Antivestæum*.

Boleslavia, urbs Bohem. duplex. Vetus seu *Alt Bunczel*, ad Gizeram fluv. & nova, quæ *Jung Bunczel*, ubi Gizera influit in Albim, è regione Brandisii opp. 2. mill. Germ. à Praga, in ortum, condita a Boleslao fratricida. an. 935.

Boleslaus I. cognom. *Crobius*, Dux Poloniæ, post Mieslaum baptizatum; Regis titulum ab Ottone 3. nactus, feliciter præfuit: Prussis & Russis tributum pendere coactis. Obiit An. 1025. Mieeislao fil. successore designato. Cromer *hist. Pol.* Genebr. *in Sylvestre* 2.

Boleslaus II. cognom. *Audax*, Rex electus post Casimirum I. Patrem, An. 1058. bello contra Bohemos & Russos felix, mox in otium & voluptates versus, miserè periit. Crom. Crantz.

Boleslaus III. cognom. *Chrinustus*, successit Patri Ladislao. Vicit Bohemos, vastavit Moraviam, ter Pomeranos superavit, Henricum 5. Imper. ad pacem adegit; ductaque sorore Adelaide, obiit A. 1139. regni 37.

Boleslaus IV. cognom. *Cirratus*, fil. Boleslai 3. fratri Ladislao pulso successit. Prussos rebelles domuit, & ad Baptismi sacra adduxit. Obiit An. 1173. regni 27.

Boleslaus V. cognom. *Castus*, maritus Cunegundes virginis, multa ambitione procerum, & incursionibus Tartarorum passus. Obiit An. 1279. regni 52. Eodem ferè tempore Boleslaus Pius, Item Calvus, Poloni principes, obierunt. Michov. *lib.* 3. Cromer. *lib.* 9.

Bolgius, Dux Gallorum in expeditione contra Ptolemæum regem Macedonum. Pausan.

Bolgrade, opp. Pomeraniæ. Metel.

Bolina, virgo, quam adamavit Apollo. Pauf. *lib.* 7.

Bolina, seu *Boline*, opp. Achajæ juxta Patras. Steph.

Bolinæus, fluv. à Bolinâ urbe dictus, cui erat vicinus. Pausanias *lib.* 7.

Bolinga, pop. Asiæ. Plin. 6. 19. Indiam habitant. Steph.

Bolissus, urbs Æoliæ in edito loco sita prope Chium. Steph.

Bollia, fluv. Pannon. super. *Polan.* Jorn.

Bologesia, urbs juxta Euphratem. Steph.

Bologesiphora, urbs Persica. Steph.

Bolsuerda, opp. Belgii, in Fris. Occid. 3. leuc. à Leovardia in Austr. & vix 2. ab ora Oceani Germ. sub Batavis.

Boltonia, opp. Angl. in Comitatu Lancastriensi, 20. mill. à Lancastria urbe, in Austrum & totidem à Cestria in Boream.

Bolum, urbs Persarmeniorum, propinqua Theodosiæ urbi. Procop. *lib.* 1. *Pers.* ubi aurum effoditur.

Bolus, Cimbrorum rex Aurelium Scaurum cepit, atque interfecit.

Bolus, Βῶλος Democriteus Philosophus præter libr. de arte medicâ, etiam historiam emisit, ut ait Suidas. Ex hoc Bolo recitat ista verba Theophrastus, *nono de plantis*, & exinde Steph. in Ἄψυνθος. Τὰ περὶ Βῶλον τὸ ἐν Πόντῳ τὸ ἀψύνθιον νεμόμενα ἄχολα. Fuit præterea alter *Bolus* Mendesius, de quo Suidam sis adi.

Bolus, locus non procul Cassandrea. Polyænus *lib.* 4. *in Ant.*

Bolurus, urbs in Illyria, & alia in Thesprotiâ. Steph.

Bolzanum, castrum Italiæ, in dit. Veneta, & agro Vincentino, ad Athesim fluv. 3. mill. à Vincentia.

Bombarda, à sono & fremitu, Græcis Βόμβος, Latinis *Bombus*, dicta.

dicta. Machina est ad stabilienda Imperia humana potius, quàm ad delendum genus humanum, (ut quidam queruntur) enata. Auctorem habuit Chymistam quendam, nomine Bartholdum Schvvartz Monachum. Vid. *Anckliz.en Bertholdus*. Primus ejus usus apud mare Danicum fuit, An.Ch. 1350. celebris autem non evasit, donec ad Clugiam pugnatum esset à Venetis & Genuensibus, A.C. 1380. de quo V. Platinam *in Urbano* 6. Paulo pôst Anglis innotuit, & A.C. 1386. captis duabus Gallorum navibus, *diversa machinæ ad jaciendum lapides & muros conterendum, & gunnæ plures, cum magna quantitate pulveris*, teste Walsinghamio, in Angliam delatæ sunt: ubi tandem è ferro fusili A.C. 1543. conflatas legimus bombardas. Harum genera Munsteri ævo in usu, sic ab ipso enumerantur, *Amazona, Basilici, Luscinia, Quartana vulgò Cartunæ, Dracones, Serpentes, Falcones, magni & parvi*. Addatur *Arcubuza*, q. arcus cavus: *Busa* enim Italis foramen. Vid. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Bombona, Peruviæ prov. juxta lacum Chincacocham, & fontes Xauxæ fluv. versus Andes montes.

Bombus, Ciliciæ fluv. Plin. 5. 27.

Bombylia, Hesychius. Βομβυλία κρήνη ἐν Βοιωτίᾳ.

Bomi, colles Ætoliæ, quorum incolæ *Bomienses*. Steph.

Bomilcar, fil. Amilcaris, Pœnorum dux, veniens in suspicionem Carthaginensibus, quòd cum Agathocle conspiraret, in medio foro patibulo suffixus est. Just. *lib.* 22. *c.* 7.

Bomilcar, à Jugurtha impulsus, Massivam sustulit; mox contra ipsummet cum Nabdalsa conspirans, re detectâ, pœnas dedit. Sallust. *in Jugurtha*.

Bomita, opp. Amanæ montis Syriæ Antiochenæ *Plin.* 5. 24.

Bomium, mel. *Bovium Silurum*, vicus Angl. in Wallia, Clamorganensis Comitatus. *Covvbridge*, 3. mill. ab ora littor. 8. à Cardiffa.

Bommelia, opp. Belgii munitum probè, inter Mosam Vahalemque in Duc. Gueldriæ, ad tractum Bataviens. sub Batavis. In Inf. vulgò *Bommelivert*. 2. leuc. à Busco Ducis in Bor.

Bomo, vel *Bohmo*, olim *Eubœa* dicta, teste Hesychio, Βωμῶ· πῶς ἡ Μάκρις ὠνομάζετο. *Macris*, id est, *Eubœa*, teste eodem. Μάκρις Εὔβοια ἡ νῆσος. בהמה *bohmo* Arabibus *pecora*, vel *pecudes* sign. ut Ebræis בהמות *behemoth*. Itaque insula *Bohmo* est insula pecudum, quod Græco Eubœæ nomine *à bubus* sumpto apprimè quadrat. Eodem pertinet, quòd à Poëtis hæc eadem insula Ἀργιβόειος dicitur, tanquam *à bubus albis* apud Ælian. *de Animal.* 12. 36. Nempe jam ante Trojana tempora boum pascuis celebrem fuisse hanc insulam, vel ex tabulis colligere est de bobus ab Autolyco ex Eubœâ abactis. Apollodorus *lib.* 2. Κλαπεισῶν ἐξ Εὐβοίας ὑπ' Αὐτολύκου βοῶν. Proinde initio belli Peloponnesiaci, Athenienses πρόβατα καὶ ὑποζύγια ἐς τὴν Εὔβοιαν διεπέμψαν, ut habet Thucydides, *lib.* 2. Nec mirum Arabico nomine *Bohmo* appellatam esse Eubœam, cùm inter incolas illius vetustissimos à Strabone numerentur, Ἄραβες οἱ Κάδμῳ συνδιαβάντες. Bochartus.

Bomonicæ, erant adolescentuli, qui in Dianæ Orthiæ sacrificiis apud Laconas aris superpositi contendere solebant, quis plura verbera sustineret.

Bon, Tuscorum rex, regn. annis 27. à quo *Bononia* dicta est. Cato *in Originibus*.

Bona Dea, quam veteres *Faunam*, sive *Fatuam* dixere, tantæ pudicitiæ fuit, ut nemo illam, dum vixit, præter virum mas viderit, nec nomen ejus audierit: propter quod illi solæ mulieres Romanæ noctu in operto sacrificabant. Tibullus *lib.* 1.

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Juvenal. *Sat.* 6. *Nota Bonæ secreta Deæ.*

Quidam putant hanc Proserpinam esse, & idcirco ei porcam sacram fieri, quia segetem, quam Ceres mortalibus tribuit, porca depasta est. Vid. Lactant. Firm. *l.* 1. *c.* 22. Alex. ab Alex. 6. 8. Juv. *Sat.* 2.

Atq; Bonam teneræ placant abdomine porcæ.

Prop. *lib.* 4. *eleg.* 10.

Fœmineæ loca clausa Deæ, fontesq; piandos
Impunè & nullis sacra retecta viris.

Ovid. 3. *de Art. Am.*

Cum fuget à templis oculos Bona Diva virorum,
Præterquam si quos illa venire jubet.

Et *Fastorum quinto*:

Templa patres illic oculos exosa viriles
Leniter acclivo constituere jugo.

Plut. *in Cæsare*, Ἔστι δὲ Ῥωμαίοις θεὸς ἣν Ἀγαθὴν ὀνομάζουσιν, ὥσπερ Ἕλληνες Γυναικείαν, καὶ Φρύγες μὲν οἰκειούμενοι, Μίδα μητέρα τοῦ βασιλέως γενέσθαι φασίν. Ῥωμαῖοι δὲ νύμφην δρυάδα, Φαύνῳ συνοικήσασαν, Ἕλληνες δὲ τῶν Διονύσου μητέρων τὴν ἄρρητον, ὅθεν ἀμπελίνοις τε τὰς σκηνὰς κλήμασιν ἑορτάζουσαι κατερέφουσι, καὶ δράκων ἱερὸς παρακαθίδρυται τῇ Θεῷ κατὰ τὸν μῦθον. Ἄνδρα δὲ προσελθεῖν οὐ θέμις, οὐδ' ἐπὶ τῆς οἰκίας γενέσθαι, τῶν ἱερῶν ὀργιαζομένων, &c.

Bona Fortunæ, maris Eoi Inf. Ptol. nunc *Borneo*, Mercat. Vid. ibi.

Bonæ spei Caput, prom. Africæ maximum & extremum, in Austrum valdè extensum. Vid. *Caput Bonæ Spei*.

Bonandria, Syriæ civitas, olim Apollonia.

Bonanus, Tuscorum rex, regn. an. 18.

BonaVallis, oppidul. Gall. in Belsia prov. & agro Carnotensi, ad Lædam fluv. 3. leuc. à Castroduno in Bor.

BonaVentura, prius *Johannes Fidauza*, Franciscanus Theologus, ex oppido Bagico regio, vulgò *Bagnarea*, in Tuscia, ob virtutum commentarios editos, in Cardinalium numerum ex Generali à Gregorio X. relatus est. Habitum, quo nunc utuntur Franciscani Cardinales, instituit, cùm prius aliorum Cardinalium modo incederent. Sacros multos libris scripsit: Obiit an. 1274. à Xisto IV. in Sanctorum catalogum relatus est. Hujus postea libros in epitomen redegit Guil. Fulginas ejusdem ordinis. Volat. Item alius ejusdem nominis & ordinis, Patavinus, Cardinalis tituli S. Cæciliæ sub Joanne XXII. A Cartanensi Principe sagittâ peremptus, dum Ecclesiæ libertatem contra tyrannos tueretur. Volaterranus.

BonaVentura Calatagirone, Siculus, Franciscanorum Gen. interfuit pacificationi Verbinensi, A. 1598.

BonaVentura Cavalerius, Mediolan. Mathematicam Bononiæ, sub initium hujus seculi, docuit, editis scriptis, *Directorio inprimis gen. Uranometrico*, clarus.

BonaVentura Peraginus, Petrarcham funebri oratione laudavit, hinc Cardinalis, sub Urbano 6. obiit, à Patavino quodam tyranno peremtus. Spond. *Annal.*

Bonchæ, pop. Carrenis vicini inter Euphratem & Cyrum fluv. Steph. Alii *Bonchnæ* legunt.

Bonchis, civitas Æthiopiæ. Steph.

Bonconica. Tabula Theodosiana quæ & Peutingeriana, *Bonconicam* inter Mogontiacum & Borgetomagum collocat *Mogontiaco* 9. *Bonconica* 11. *Borgetomagi* 13. *Noviomagus* 12. *Tabernis* 11. *Salestone* 18. *Brocomagus* 7. *Argentorato* 12. Ibidem à Bonconica ad Brocomagum *silva Vosagus* pertinet, & millibus amplius 60. in longitudinem patet. Æthicus in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum *Bauconicam*, vel (ut in quibusdam codicibus scriptum reperitur) *Bouconiam* appellat, & *Bormitomago*, id est, Borbetomago, ac Mogontiaco mediam interponit, ut tabula suprà laudata; à Mogontiaco II. à Bormitomago 13. millibus passuum distantem. Bonconica vel Bauconica nunc vocatur Oppenhemium, *Oppenheim*, locus ad Rhenum non ignobilis hodieque inter Mogontiacum & Borbetomagum vel Vormaciam. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Bondelia, opp. Etruriæ mediterraneum. Βονδηλία Ptolemæo, cui medio itinere inter Lucam & fossas Papyrianas collocatur, Baudrando *Bagnone*, castrum ad radices Apennini, juxta amnem cognom. in valle Macrana, sub dominio M. Ducis Hetruriæ.

Bondenum, oppidul. Italiæ, in Ducatu Ferrariensi, ubi Panarus fluv. influit in Padum. 9. mill. supra Ferrariam, in ditione Pontif.

Bonfinius, Vid. *Antonius Bonfinius*.

Bongomilii, sectatores Basilii Medici, sec. 11. Negarunt Trinitatem, 7. tantùm Scripturæ libros retinuerunt, Deo humanam figuram tribuerunt, sicque Arrianorum, Anthropomorphitarum, Manichæorum &c. deliria incrustarunt: Resurrectione insuper negatâ, &c. Vid. Alex. Rossæum πανσεβείας *Sect.* 8.

Boni, i.e. *filius meus*, aut *ædificans*, sive *intelligens*, filius Somer. 1. Par. 6.

Boni portus, civitas opinor Cretensium, cui nomen Καλὴ ἀκτή, id est, *pulcrum litus*. Καλοὺς λιμένας vocat B. Lucas Act. 27.

Bonianum, opp. in Samnio. Cic. pro Cluentio.

Bonicius, Præsul Avernensis. Volat.

Bonifacium, urbs Italiæ, in Corsica, satis culta & probè munita, sub dominio Genuensium, ad meridiem Inf. cum portu capaci. Ab ea fretum, inter Corsicam & Sardiniam, dicitur *le bocche di Bonifacio*, fretum Bonifacii, quod aliàs fretum Taphros dictum fuit; urbs autem Palla. Vid. ibi.

Bonifacius I. Romà oriundus, post Zosimum, Episcopus Rom. scripsit ad Honorium, *Ecclesiæ mihi Deus sacerdotium, vobis res humanas regni deputavit*. Socr. *l.* 7. *c.* 11. 25. 44. Obiit A. 423. Sedis 5. Vid. etiam Sigebertum, Onuphrium, &c.

Bonifacius II. Romanus, patre Gotho, Sigivulto, natus, post Felicem 3. Papa. Homo elatus, æmulum Dioscurum habuit, qui paulo pôst obiit. Vivens Diaconum Vigilium successorem designavit, quod improbatum, & rescissum. Obiit, A. 532. sedis 1. & 2. dieb. Onuphr. Platina, Genebr. *in Chron.* Baronius. A. 530. 531.

Bonifacius III. Romanus, post Sabinianum, qui Gregorio magno successerat, Papa: priùs apud Phocam Imper. Gregorii apocrisiarius. Huic Phocas, titulum Episc. *Universalis* concessit, sede Rom. capite omnium Ecclesiarum constitutâ: cùm *paulo antè Draco terribilis, comitatus caterva serpentum, in Tiberi visus, aquas ita infecisset, ut peste obortâ, quicunq; sternutasset, illico animam exhalaret.* Aim. *l.* 4. *c.* 4. Platina *in ejus Vita*. Sigebert. *in Chron.* Holpin. *de orig. temp.* Obiit A.C. 606. Sedis mense 8. die 23. Præcursor Antichristi, Gregorii M. judicio.

Bonifacius IV. Valeriâ, Marsicanæ prov. urbe oriundus, patre Johanne Medico, priori, post interregnum 6. mens. successit. Pantheon, ab Agrippa, Jovi Vindici & diis omnibus consecratum, Phocæ indultu, B. Virgini omnibusque SS. Martyribus, superstitione mutatâ, dedicavit: hodie *Maria Rotunda*. Obiit A. 614. Sedis an. 6. m. 6. die 13.

Bonifacius V. Neapolitanus, post Theodatum, Papa. Constituit, ut qui in sacras ædes confugerent, inde non abstraherentur. Obiit A.C. 625. sedis an.7.m.10.die 1. Anastasius, Beda, &c.

Bonifacius VI. Formoso, biduo pòst, successit, 15. diebus postea pulsus. Sceleratissimum illum Baronius A.C. 897. *n.* 1. fuisse dicit, negatque canonicè electum.

Bonifacius VII. cognom. *Franco*, Benedicto VI. in carcere strangulato, sedit per vim an. 1. mens. 1. Mox pulsus, spoliatâ basilicâ Petri Constantinopolim profugit, divenditâ rapinâ Romam reversus. Ubi Johanne Cardinali excæcato, iterum throno mens. 4. potitus est. An. 985. Paulo pòst apoplexiâ extinctus, cadavere ejus nudo per vicos raptato & lanceis contisque confosso. Platina *in ejus vita*, Baron. *A.* C. 974. 985.

Bonifacius VIII. prius *Benedictus Cajetanus*, Catalaunis parentibus Anagniæ natus, Cælestino, cui imposuerat, clanculum per canaliculum inclamans, *Celestine, Celestine, dimitte Papatum, si vis salvus fieri, negotium supra vires est*: successit, & quò securior esset, Celestinum in vinculis tenuit. Cardinales Jacobum & Petrum Columnam, bello persecutus est, in Gibellinos vehementer debacchatus, Prochetæ Spinolæ Archiepiscopo Genuensi, Cinerum die, cineribus vultum respersit, addens: *Memineris quòd Gibellinus es & cum Gibellinis in cinerem reverteris.* Philippum Pulchrum, Galliæ R. ob Episcop. Apamensem carceri inclusum, excommunicavit, *magnæ fatuitatis* titulo à magnanimo Rege notatus. Post quæ Synodo ab hoc convocatâ, Simoniæ, homicidii, usuræ, Atheismi, scortationum, collusionis cum Saracenis Papa convictus & condemnatus: mox à Sciarra Columna, & Vilhelmo Nogareto, Gibellinorum ope Ananiâ occupatâ, Regis jussu captus est, cui cùm Nogaretus minaretur, se ipsum in Galliam protracturum, ut Lugduni indicto concilio, dignitate spoliaretur, respondit, *Patarini minas nullum sibi metum incutere.* Proin ille, ferreâ chirothecâ renitentis ori impactâ, collo abreptum, Romam deduxit, ubi paulo pòst mœrore animi obiit, Anno 1303. sedes 8. mens. 9. die 18. Si compendium malis, Lector, *Intravit, ut vulpes, regnavit, ut Leo, mortuus est, ut canis*, Jubilæi centenarii auctor. Crantzius *Sax. lib.* 8. *cap.* 36.37. Platina *in ejus vita*. Petrarcha, Onuphrius, Villanius, Masson. *lib.* 3.

Bonifacius IX. prius *Petrus Thomacellus*, Urbano VI. successit eo tempore, quo Cardinales, qui Avenione degebant, Clementem VII. & Benedictum IX. elegerunt. Homo imperitus, & rapax, Annatarum auctor, indulgentias pro anno Jubilæo usque ad blasphemiam liberales concessit, nimium insuper in consanguineos indulgens. Obiit Anno 1404. Sedis an. 15. ferme. Platina, Crantzius, Antoninus, Spondus, Bzovius *in Annalibus*.

Bonifacius, Africæ comes, Augustino amicissimus, cùm vitam monasticam amplexurus esset, ab hoc absterritus est, rebus jam in bello præclarè gestis inclytus. Mox ductâ uxore Arianâ, aliquid humani passus, epist. 70. Augustini elicuit, & ab illo excommunicatus, veniam petiit ac impetravit. Post quæ turbarum accusatus, animosè se defendit, Genserici ope imploratâ, sed pacecum Valentiniano initâ, à Wandalis pulsus est. Sensit etiam Aëtium infestum, à quo vulnere accepto, tribus pòst mensibus obiit. An. 432. Prosper. *in Chron.* Procop. *de Bell. Vandal. lib.* 1. P. Diaconus, *lib.* 14.

Bonifacius, Corsicæ Comes, Uticam inter & Carthaginem factâ cæde, dum prædâ onustus rediit, Saraceni Siciliam relinquentes, quam occupaverant, in patriam suam reversi sunt. Æmil. *lib.* 3. Item Montis ferrati dux, qui cum Baldwino Sabaudiæ Comite, & Venetis Jadaram recepit, Alexium Isaci filium unà cum patre regno restituit Constantinopolitano, quo necato à Murtillo Constantinopolim cepit, & communi consensu in Imperatorem Græcorum Flandrensem elegit Comitem, qui se subjecit Ecclesiæ Romanæ. Blondus & Platina.

Bonifacius, Hetruriæ Dux, pater Mathildis, quæ testamento ditiones suas Sedi Romanæ legavit: unde Patrimonium Petri. An. 1115.

Bonifacius, ad Concilium Chalcedonense, Româ missus. Item Russorum Evangelista, Ottonis III. Imper. cognatus, martyrium ibi subiit, A. 1008.

Bonifacius, Anglus, religionem Christian. in Germania propagavit, operâ ejus & Caroli Martelli labore ad C. M. ex transRhenanis gentibus conversis. An. 739. Condidit Mon. Fuldense, An. 784.

Bonifacius, Præsul Carthaginensis, Zenone imperante, Confessor. Item Præsul Ferentinas, itidem Confessor.

Bonifacius Romanus, martyrium, sub Diocletiano subiit, relatus deinde à servis Romam, templum in Aventino sibi dicatum habuit.

Bonifacius Amerbachius, Basiliensis, fil. Johannis, Typographi celeberrimi. Jurium Doctor Avenione creatus, mox inter illustres sui ævi Jurisconsultos emicuit: Basiliensis Academiæ, in qua Jus Civile multorum annorum curriculo magnâ dignitate interpretatus est, præcipuum fulcrum, Reipub. insuper verum Papinianum se præstitit. Amplissimis præmiis ab exteris Principibus evocatus, Patriæ tamen charitatem potiorem habuit: Hinc tam gratus Erasmo, ut, inter tot amicos, hunc solum testamento hæredem fecerit. Obiit anno supra Climactericum quarto, An. Ch. 1562. Professorum humeris tumulo parentum illatus. Pater Basilii Jurisconsulti itidem apud Basilienses celeberrimi. Ejus Bibliotheca instructissima, cum Erasmianis cimeliis, nunc Academicæ ibidem Bibl. juncta est.

Principibus, Patriæq; suæ qui consulit, ille
Rauriacus merito Papinianus ovat.

Bonifacius Ferrerius, Cartusianus, Biblia Hispanicè vertit, &c. Obiit Anno 1419. postquam Generalatu Ordinis se abdicâsset.

Bonifacius Simoneta, Abbas Italus, auctor *de Persecutionibus Ecclesiæ, & Pontificibus*, tractatuum, Voss. *hist. Lat. l.* 3. *c.* 8.

Bonifacius, prius *VVinfridus*, Britannus, Præsul Moguntinus, apud Frisios & ipse martyr, quòd jussu Stephani II. Pontificis Pipinum Caroli patrem oleo sacro perunxerit. An. 754. Ei scripta quædam attribuuntur. Voss. *hist. Lat. l.* 2. *c.* 19.

Bonitium, Tusciæ opp. ad Elsam fluv. vulgò *Boggibonci* dicitur. Leander. long. 34. 08. lat. 42. 42. Ejus arx diruta jacet à multis annis.

Bonium, opp. fuit Cornaviorum in Angl. nunc vicus *Bangor* dictus, ad Devam fluv. in Flintensi Comit. Valliæ. Fuit aliàs monasterium celeberr. nunc in ruinis jacet. 40. milliar. Angl. à Bangoria urbe episc. in ortum, 20. ab ostio Devæ fluv.

Bonna, oppid. ad citeriores Rheni ripas Coloniensi urbi, ac Confluentiæ oppido proximum. Sedes Electoris Colon. *Julia Bonna* & *Verona* olim, Item *Ara Ubiorum* dicta, vulgò *Bonne*. long. 28. 40. lat. 50. 42. Hîc Synodus, an. 942. Urbs hæc A. 1673. à Principe Arausionensi, Confœderatorum Exercituum summo duce, capta, in Imperatoris manus consignata est. Hîc quoque Fridericus Austriacus, contra Ludovicum Bavarum electus, coronam accepit, A. C. 1314. Crantz. *l.* 9. *c.* 8. Vid. Valesium *Not. Gall.*

Bonna, oppidul. Sabaudiæ, aliàs *Banta*. Siml. In Fossiniaco tractu, ad Menojam amnem, 3. leuc. à Geneva in ortum hibernum. Unde illustri familiæ *de Ledigueres* nomen.

Bonni, pater Omirai, 1. Par. 9. Lat. *ædificans me*, sive *adoptans*, aut *intelligens me.*

Bonni, colles Ætoliæ, à quibus *Bonnenses* dicuntur. Thucyd. *lib.* 5.

Bonno vel *Bavo*, Abbas Corbiensis, sub Arnolpho & Ludovico IV. Imper. Scripsit historiam sui temporis. Possevin. *in Appar.* Voss. *de hist. Lat. l.* 2. *c.* 38.

Bonnopolis, opp. Sabaudiæ, in agro Fossiniaco, ad Arvam fluv. 2. leuc. infra Clusas, *Bonneville.*

Bononia, civitas Italiæ Archiepisc. ad Rhenum amnem, in ditione Pontif. Acad. celebris prope Romandiolam. 25. mill. à Ferraria in Austrum. Muris nudata à Ludovico R. fil. Lotharii Imp. A. 844. Henricus autem, filius nothus Friderici II. Imper. victus hîc captusque est, An. 1249. Bentivolos sibi præfecit, Anno 1308. qui subjugati à Joh. Galeacio, An. 1380. Hîc quoque Irnerius jus exponere cœpit, primusque glossas in illud scripsit circa An. 1134. Sil. Ital. *lib.* 8.

Et quondam Teucris comes in Laurentia bella
Ocni prisca domus, parvique Bononia Rheni.

Martialis *lib.* 3. *ep.* 58.

Sutor credo dedit tibi, culta Bononia, munus
Fullo dedit Mutinæ, nunc ubi caupo dabit?

Opidani dicuntur inde Ciceroni *in Bruto*, Val. Max. 8. 1. Tacito *Annal.* 12. ac Suetonio *in Octavio atq; Nerone*, *Bononienses*. Livio, Melæ, Paterculo, Plinio, ac Tacito *Colonia* vocatur, vulgò nunc incolis *Bologna*, Græcis omnibus *Βονωνία*. Unde apud Stephan. pro *Βοβωνία* lege *Βονωνία*. *Felsina* etiam à conditore Felsino, Tuscorum R. dicta fuit. Plin. *l.* 3. *c.* 15. *Colonia Bononia, Felsina vocitata, cùm princeps Etruriæ esset.* Speciem habet onerariæ navis, in longum, quam ex transverso patentior, uno capite proram, altero puppim referens, medium, turre Asinellorum celsissima, mali instar, & turre Garisendæ inflexa, scalæ modo, obtinente, cum multis præterea turribus, funes tanquam exprimentibus. Ædificiis multis atque sumptuosis nitet, inter quæ est in foro amplissima D. Petronii ædes, cujus ædificationi finem eundem fore qui & mundi erit, censetur. Hîc Concilium 1310. Synodi, 1535. 1586. & 1634. Huc etiam Concilium Tridentinum translatum, A. 1547. Leander Bonon. *descr. Ital.* long. 33. 35. lat. 73. 52.

Bononia altera, urbs Episc. Gall. Belg. in orâ Picardiæ à Caleto urbe 7. leuc. distans in Austr. quam Gessoriacum Morinorum putant, Ammian. Marcellin. *l.* 20. & 27. Eutrop. *l.* 9. à quâ ad Doveriam, Angliæ portum, est brevissimus trajectus. Occupata est ab Henrico VIII. Angl. R. An. 1544. Vulgò *Boulogne à la mer.* long. 23. 42. lat. 50. 30. Duplex est, & valdè munita, ad ostium ferè amnis Lianæ, cum portu & Pharo à Carolo M. instaurata. Caput prov. Bononiensis. Cujus Comites in Gallicis Annalibus sæpe memorati.

Bononia tertia, Hungarica urbs olim, nunc opp. Pannoniæ inter. ad Danubium fluv. Hodie *Bonmonster* ob cœnobium nominatur. long. 43. 00. lat. 45. 29.

Bononia quarta, urbs Myſiæ ſup. ad Danubium, *Bodon* Mercatori. Sed quæ nunc *Bodon* dicitur, *Bidina*, ſeu *Bidena* Græcis eſſe videtur, de qua ſuo loco.

Bononia, urbec. Galliæ, in Aquit. & Comitatu Armeniaco, prope Geſſam amnem. 5. leuc. à civ. Lombarienſi, totidem à fano S. Bertrandi.

Bonoſus, Rom. Imperat. filius literarii Pædagogi, authore Vopiſco. Omnium bibaciſſimus fuit, de quo Aurelianus dicebat, *Non ut vivat natus eſt, ſed ut bibat.* Si quando legati Barbari ad eum veniſſent, ipſis propinabat, ut eos inebriaret, quò ab iis per vinum omnia cognoſceret, ac extorqueret veritatem. Poſtea cùm à Probo ſuperatus, laqueo vitam finiviſſet, emanavit jocus, *Amphoram pendere, non hominem.* Filiis autem ejus duobus, ut & matri eorum Hunilæ, Gothi cujuſdam Regis filiæ, pepercit Imper. A.280. Vopiſc. *in Probo.*

Bonoſus, Epiſcopus Macedo in hæreſin abreptus, Photini inſtauravit errores, virginitatem Mariæ perpetuam inficiatus. A.389.

Bontas, anguſtia Alpium, per quas ex Hungaria ad Merid. tranſitus eſt in Tranſylvaniam ad Septentrionem. *Rottenhurn*, & *Proſs*, Lazio.

Bonus, Presbyter Romanus ſimul cum Fauſto & Mauro Diaconis Romæ ſub Valerio Principe paſſi, ſepulti ſunt in viâ Latinâ. Volaterr.

Bonus aër, urbs Amer. merid. in Tucumania reg. juxta Argenteum fluv. *Civitas Trinitatis* etiam dicitur, paretque Hiſp. multis ab annis.

Bonus conventus, vulgò *Bonconvento*, urbec. dit. Senenſis, in colle, juxta Umbronem amnem, 5. mill. à Sena Romam verſus. Hic Henricus VII. Imp. à Bernardo Monacho veneno ſub Sacramenti ſpecie propinato peremtus, Obiit A.C.1313.

Bonus Deus, apud Græcos ἀγαθὸς θεὸς, cujus templum Pauſanias *in Arcadicis* commemorat ad ſiniſtram viæ, quæ in Mænalum montem ducit.

Bonus Eventus, ab antiquis cultus eſt. Plinius deſcribit Euphranoris ſimulacrum *Boni Eventûs* dextrâ pateram, ſiniſtrâ ſpicam, ac papaver tenens. *Boni Eventûs* etiam meminit Varro *de R. R. lib.* 1. inter Conſentes Divos agricolarum.

Boonæ, Βοῶναι, Athenis dicti ſunt, qui boves ad dies feſtos coëmerent. Dem. *in Midiam.*

Booſcoete, Helleſponti urbs, *Germanicopolis* poſtea dicta, Plin. *l.5.c.ult.*

Booſura, h.e. *bovis cauda*, urbs Cypri inſulæ, cui vicina eſt Tereta & Palæpaphus, quæ antiquum Veneris templum habet. Strab.

Boota, Inſ. Scot. meridion. in Glottæ æſtuario, inter Araniam Inſ. & Argatheliam prov. per 8.m.p. in longum ſe extendens, ſed non æquè lata.

Bootes, à bove deductum nomen, Latinè *Bubulcus*; cœleſte ſydus, quod *Arctophylax* vocatur. Stellula enim eſt juxta Urſam majorem, quæ more bubulci plauſtrum ſequi videtur. Cic. *de Nat. Deorum*:

> *Arctophylax vulgò qui dicitur eſſe Bootes,*
> *Quòd quaſi temone adjunctam præ ſe quatit Arctum.*

Ovidius,

> *Arctophylax formam terga ſequentis habet.*

Juv. *Sat.* 5.

> *Frigida circumagunt pigri ſarraca Bootæ.*

Habet 4. ſtellas dextrâ manu, quæ non occidunt. Gell. 2. 11. Manilius,

> *A tergo venit Arctophylax, idemq; Bootes.*

Aratus,

> *Tardus in occaſum ſequitur ſua plauſtra Bootes.*

Hunc nonnulli dixerunt Icarum fuiſſe Athenienſem, Erigones patrem, qui cùm à Baccho vinum accepiſſet, ſtatim utres plenos in plauſtrum impoſuiſſe dicitur atque ex hac re *Bootes* appellatus eſſe, & cùm Atticorum fines perambulans vinum paſtoribus oſtenderet, atque eorum nonnulli aviditate pleni, novo genere pôtus inducti ſomno opprimerentur, membraque huc illuc fœdè & indecorè jactarent, verbaque loquerentur, haud ſanæ prorſus mentis, reliqui eorum venenum paſtoribus ab Icaro datum arbitrati eum interfecerunt, quem poſteà Jupiter ſimul cum Erigone filia, quæ necis paternæ dolore confecta ſuſpendio vitam finierat, canem etiam nomine *Meram* inter aſtra collocavit, atque *Icarum Bootem*, Erigonem *Virginem*, Canem verò ſuâ appellatione, *Caniculam* nominarunt. Aliis creditur hic idem fuiſſe Arcas ex Calliſto Lycaonis filia natus; ab aliis Orion dicitur. Vide *Arctophylax.*

Booz, h.e. *in fortitudine*, vel *in hirco*, filius Salmon. Ruth. 2. 4. Inter progenitores J.C. Matth. 1. 5. Nomen item ſecundæ columnæ in porticu Solomonis 1.Reg.7.

Bopardia, Vide *Bodobriga.*

Boquerana, inſ. maris Indici parva, vix 10. leuc. ab ora Or. Inſulæ Bornei, verſus Mindanaum.

Boramma, latronum Libanum incolentium receptaculum. Strabo *lib.* 16.

Borbetomagus Vangionum, quæ & Warmatia. *Vangiones* à Cæſare, à Plinio, à Tacito, atque Ptolemæo, unà cum Nemetibus memorantur, populus Germaniæ, qui tranſito Rheno, in ſiniſtra fluminis ripa conſedere: de quibus notiſſimus eſt Lucani verſus *in lib.* 1.

> *Et qui te laxis imitantur Sarmata bracis*
> *Vangiones.*

Οὐαγγίονες à Ptolemæo dicuntur, & eorum urbes duæ ad Rhenum, altera *Borbetomagus* vel *Borvetomagus*, Βορβητόμαγος, quæ & primaria; altera Argentoratum, ambæ in ſuperiore Germania, & prov. German. prima nuncupatur. In tabula Theodoſiana vel Peutingeriana *Borgetomagus* vocatur, & inter Bonconicam ac Noviomagum ponitur: Æthico in Itinerario provinciar. *Bormitomagus* non ſemel, nunc inter Bonconicam & Noviomagum, nunc inter Mogontiacum & Noviomagum Nemetum: *Bormitomagus* inquam corruptè pro *Borvitomagus*, id eſt, Borbetomagus. Certè in aliis Æthici codicibus ſcriptum reperitur *Borbitomagus* rectè, in aliis *Bormitomagus*, ut Surita aſſerit. Ea urbs more multarum Galliæ urbium, nomen Gentis, cujus caput erat, poſtea accepit, & *Vangiones* appellata eſt. In Codicis Theodoſiani *libro* 13. legimus reſcriptum Impp. Valentiniani & Valentis AA. ad Muſophilum Vicarium Africæ, *datum Vangionibus*: & in Notitia Imperii Romani *Præfectus militum ſecundæ Flaviæ Vangiones* reperitur. Apud Ammianum quoque *in libro* 15. *Vangiones* inter urbes *primæ Germaniæ*; & apud Hieronymum *in epiſtola ad Agerochiam, Vangiones longâ obſidione deleti* ab Alanis & Vandalis. *Vangionem* etiam reperi in Annalibus Tilianis. *Vangionum civitas* vocatur à Sulpicio *in libro* 1. *de Vita S. Martini*, aliiſque, nec non *urbs Vangionum*: in Annalibus Bertinianis, in rebus anni 843. *Vangium* corrupto & truncato nomine pro Vangionum: in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc ſimpliciter & abſolutè *civitas Vangionum* inter provinciæ Germaniæ 1. civitates quarta & ultima; nunc *civitas Vangionum Warmatia*; nunc *civitas Vangionum, id eſt, Warmatia* vel *Guarmatia*, aliàs *Garmatia*; nonnunquam & *civitas Vangionum, id eſt, VVarmacia. VVarmatiam* & Fredegarius ac Aimoinus; quidam è noſtris ſcriptoribus & *VVarmaciam* appellant. At Zacharias PP. *in epiſtola ad Bonifacium Mogontiacenſem Epiſcopum*, & Eginhardus, ac Theganus, atque Annales Nazariani, aliique *VVormaciam civitatem* aut *VVormaciam* nuncupant; Poëta Saxo *in libris de Geſtis Caroli Magni, VVormantinam urbem.* Dicta eſt igitur *VVarmatia* vel *Guarmatia*, nec non *VVarmacia.* Dicta eſt ſæpius & Wormacia, nonnunquam & *VVormatia.* Ego ſcribi oportere puto *Vormaciam*, & ita appellandam eſſe hanc urbem, potius quàm *VVormaciam*, aut *VVarmatiam* vel *VVarmaciam.* Nam ex *Borbetomagi* nomine mutilato Noſtri fecere (ni fallor) *Bormagum*; ex Bormago *VVormacum, b* in *u, g* in *c*, ex more converſis: ex Vormaco demum facta *Vormacia* eſt; ita ut duo *u* in prima nominis ſyllaba, & *t* in penultima ferre non poſſim. Certè hodieque Noſtri à Vormacia *Vermes*, ac Germani *VVorms* nuncupant. Pagus Vangionum vocatur ab Eginhardo in Annalibus, in rebus anni 823. *pagus VVormacienſis*; in Annalibus Bertinianis *VVormazfelda* compoſito nomine Germanico, id eſt, Wormacienſis campus ſive ager. *Feld* enim Germanis campus eſt. *In Ducatu Ribuariorum VVormazfelda, Sperohgouvi.* Valeſ. *Notit. Gall.*

Borbonia, Inſ. Afr. in Oceano Æthiopico, ſub Francis, à paucis annis, à Luſitanis antea *Inſ. Maſcharenhæ* dicta; ad Or. Inſ. Madagaſcaris ſeu S. Laurentii. Circuitus eſt 50. leuc. fertiliſſima ac bene rigua. Ibi Portus S. Pauli & Aſſumptionis, ubi coloniæ Francorum.

Borbonia, Borbonenſis ager, vide *Boji.*

Borbonium, Galliæ pars, Ducatus dignitate, inter Burgundiam, Bituricenſem, Nivernenſem tractum & Arverniam. Hujus veteres incolæ, pars Bojorum, colonis in Italiam & Germ. ſub Ambigato deductis, belliſque contra Romanos, celebres. Liv. Polyb. Strab. Juſtin. Cæſar *in Comm.* Dein ſub Baronibus fuit, uſque ad Archambaldum & Auſeaumum, fratres, inter quos diviſa eſt. Poſtmodum Robertus, quartus fil. Ludovici IX. duxit Beatricem, filiam & hæredem Agnetis Borboniæ, Archambaldi jun. neptem. Hinc illuſtriſſima familia *Borbonia*, quæ 300. poſt an. regno in Henrico IV. potita eſt. Hujus Roberti fil. meruit Magni nomen, & Baronatus in Ducatum verſus eſt, à Philippo Valeſio, A.1329. Cujus fil. Petrus obiit improlis, alter Jacobus, Coneſtabilis Gall. Johannis pater, (ex eo Jacobi Neapolit. R. avus) & Ludov. II. fuit, à quo familia propagata uſque ad hodiernum Regem, Ludov. XIV. feliciter regnantem. *Hiſt. Gall.*

Borbonium Anſelmium, opp. Burgund. Duc. in agro Auguſtodunenſi, ad Ligerim fluv. cum caſtro antiquo, 7. leuc. à Molino, in Ortum. Vulgò *Bourbon Lancy.*

Borbonium Arcimbaldi, urbec. Gall. in Borbonio Duc. Quibuſdam *Boja*, Cæſ. *l.*7. 4. leuc. à Molino.

Borbuſta, rex Gotthorum in Teutones irrupit, quem vicere tres reges coadunatis copiis.

Borca, oppidul. Guineæ, in regno Biafræ, ad fluv. cognom. qui infra in Oceanum Æthiop. cadit.

Borcani, pop. Hirpinorum in Italiâ, non procul à Collatinis. Plin. 3. 18.

Borceos, vicus, qui etiam *Annuath* appellatur, & eſt in confin. Sarmatiæ regionis.

Borchloon, opp. in Episc. Leod. Comitatus dignitate pollens. Metel.

Borcholmia, oppidul. Succiæ, in Oelandia Inſ. maris Baltici, verſus Oſtrogothiam prov. & Calmariam urb.

Borcholtum, oppidul. Weſtphaliæ, in ditione Epiſc. Monaſt. ad Aam fluv. in confinio Belgii, 3. leuc. à Veſalia.

BorchWorm, opp. Epiſc. Leod. Comit. dignitate clarum. Metel.

Borcobe, Thraciæ urbs circa Mœſiam inferiorem, fuit quidem cum *Gerania* Scytharum Aroterum, ſed Thraciæ finitima & à Plinio in deſcriptione Thraciæ commemorata, *lib.4.cap.*11.

BorcoVicum, urbs Albionis in orâ Angliæ orientali in Northumbriâ reg. teſte Camdeno, probè munita, ad oſtium Tuedæ fluv. Vulgò *BarWick*, *BorWick*, vel *BerWick*. long. 20. 04 lat. 56. 15.

Bordelona, urbs Aſiæ, in India ultra Gangem, in regno Siami, cum emporio & portu ſatis commodo. Vulgò *Bordelong*.

Borea, opp. quod à S. Pompejo captum eſt, ut ſcribit Cic. 16. *ad Atticum*.

Boreas, Aquilo dictus, ab Hyperboreis montibus flans, unde & frigidus, dictus ἀπὸ τῆς βοῆς ῥέω, quoniam ut violenti flatûs eſt, ita etiam ſonori. Virg. 1 *Georg*.

Boreæ penetrabile frigus adurat.

Ovid. *Met*. 6. *Boreas* de ſeipſo,

Apta mihi Vis eſt, quâ triſtia nubila pello,
Et freta concutio, nodoſaq; robora Verto,
Induroq; niVes, & terras grandine pulſo.

Poëtæ eum Aſtræi fil. faciunt, Hyacinthumque puerum adamaſſe volunt, qui etiam ab Apolline diligebatur. Alii Strymonis fil. fuiſſe dicunt. Amavit præterea Orithyiam, Erichthonii, Athenarum regis filiam, quam & in conjugem poſtulavit; verùm, cùm non daretur, vi eam rapuit, ex quâ poſtea Zeten, & Calaim ſuſcepit. Euſeb. *in Chron*. circa *A. M.* 2655. Fertur quoque pulcherrimas Dardani equas adamaſſe, & ex illis 12. velociſſimos equos ſuſcepiſſe. Vide *Aquilo*.

Boreas, mons Epiri, al. Macedoniæ, Dyrrhachio proximus.

Boreoſtoma, unum ex oſtiis Danubii fluminis. Vide Plin. 4. 12.

Boreum, promunt. Hiberniæ in orâ Bor. Ptolem. *Tellinghead*. Ortelio. Aliis *S. Hellens head*. Aliis *Capo di Ligra* dicitur: Ubi Venicnii pop. nunc *Cap Enus*, in Lagenia prov. & Comitatu Dungalenſi. Baudrand. Item Cyrenæ regionis promunt. *Capo di Teiones*, teſte Marmolio. Ejus mem. Mela. 1. 7. Ptolem. vocat Βόρειον ἄκρον. Strabo etiam μικρὸν ἀκρωτήριον Βόρειον refert, oppoſitum Cephalis, Procopius Βορέον. Attamen nec Melam, nec Plinium ita ſcripſiſſe exiſtimo. Antiquiſſimi codd. apud Pomponium *Botrion* legunt. Apud Plinium verò ita ſcribitur in plerisque vetuſtis exemplaribus; *Promunctorium, quod Majorem* (Syrtim) *includit, Byrion Vocatur*. Utrobique ſcribendum *Bryon*. Litus, quod à Berenice Syrtin verſus extenditur, Βρύων αἰγιαλὸς appellatur à Ptolemæo. In illo eſt Βόρειον ἄκρον. Idem ergo *Boreum* & Βρύων promuntorium. In vulgatis Ptolemæi libris malè ſcribitur Βρύων αἰγιαλός. Vett. Grammatici, qui de differentiis accentuum ſcripſere, hujusquoq; litoris meminere. Ajunt enim Βρυῶν, Βρυῶνος cùm pro litore Cyrenaico accipitur, anflecti. Sed errant. Omnino exiſtimo, litus hoc à copiâ muſci marini Βρύων αἰγιαλὸν eſſe appellatum. Iſ. Voſſius. *Boreum* quoque mons Arcadiæ Pauſaniæ, & Tenedi portus Arriano. Dicituretiam *Borion*.

Borges, à Perſarum Rege Eioni impoſitus; qui à Græcis vehementiſſimè oppugnatus, ante quàm ſe dederet, maluit ſubjecto igni conflagrare. Polyæn. *lib*. 7. 514.

Borgi, Ariæ populi. Ptolemæus.

Borgodi, Aſiæ pop. Plin. 7. 28. ubi de deſcriptione Arabiæ.

Borgum Centenarium, Lib. Not. *Zentmar*, opp. olim, nunc pag. Pannoniæ ſup. ſeu Valeriæ Ripenſis. Laz.

Borgus, urbs Finlandiæ, in ora littor. ad Finnicum ſinum maris Balt. in tractu *Nyland*. 15. leuc. Germ. à Revalia Livoniæ, in Ortum. Aliis *Burgus*.

Borichena, vel *Borica*, hodie *Inſula S. Johannis*, à portu divite. Inſula eſt Oceani Occidentalis, ab Ortu habens inſulam S. Crucis, inſulasque exiguas plures: Ab Occidente & Borea inſulam *S. Dominici*: A Meridie promuntorium Pariæ, à quo centum triginta ſex mill abeſt. Inſula in longitudine porrigitur ad 50. penè milliaria, in latum patet duodecim aut ſextemdecim, maxima latitudo octodecim penè milliaria Germanica complectitur. Dividitur in duas partes, nempe *Borealem* & *Auſtralem*: Borealis quidem auro abundat plurimo. Auſtralis frugum, fructuum, aviumque feraciſſima. Urbs præcipua in ea eſt S. Johannis, optimo gaudet portu. Mercat.

Borichus, Colomanni nothus. Volaterr. Ritius.

Boringia, vulgò *Bornholm*, inſ. maris Baltici, verſus Scaniam, ſub dominio Daniæ R. Ibi opp. Nexoa & arx Hammerhuſia. Hic triduano prælio ſuperatus eſt, à Daniæ R. Ericus Suecus, A. 1564.

Boriquena, inſ. Americæ Sept. una ex Antillis, inter Inſulas Portus divitis & S. Crucis, parva admodum. Vid. *Borichena*.

Boris FedroVitius, veneto ſublatis Demetrio & Theodoro fil. Johannis Baſilidis, Moſcoviæ principatum in ſe aſtutè transtulit, A. 1598. contra Tartaros victor. Obiit A. 1605. Sub eo Pſeudodemetrius turbas dedit.

Bormanico, opp. Narbonenſis provinciæ. Plin. 3. 4.

Bormanum, urbec. Daciæ, in eo tractu, ubi Jazyges Metanaſtæ. Non longè à Tibiſco fluv. Sanſon.

Bormia, Italiæ fluv. duplex, uterque oritur in Cevæ Marchionatu, in Pedemontio, & aquas ſuas miſcet paulo ſupra Seſſanum, dein auctus aliquot rivis, Aquas Stateliorum rigat, & infra Alexandr. in Tanarum influit.

Bormia aqua, opp. Rhætorum, ad extremum Vallis Telinæ, inter fontes Adduæ & Ollii fluv. *Wormſee*.

Bormiſcus, reg. Maced. ubi canes Euripidem lacerarunt. Steph.

Bormium, caſtrum Lombardiæ Transpadanæ, populo ac divitiis abundans, quod alluit Abdua. Item opp. Vulturenæ, in ſuprema valle, ad Braulium montem. Prima Præfectura eſt, & præ reliquis privilegia ac immunitates habet.

Borneum, inſula Oceani Indici, quam Mercator putat eandem eſſe, quæ Ptolemæo *Inſula Bonæ Fortunæ* dicitur. Jacet inter Sumatram, Javam & Philippinas Inſul. Figuræ circiter rotundæ. Parte Auſtrali ſubeſt Æquinoctiali circulo, cætera Boream verſus extenduntur. Eſt omnium illius Oceani maxima, ſiquidem ducentas circiter & quinquaginta leucas ambitu colligit: ita ut trium menſium circumnavigationem habeat. Aliquot regna complectitur, ſed præcipua nobilitate *Borneum* regia eſt urbs: Hæc nomen dedit inſulæ, lateritiis mœnibus & ſumtuoſis ædificiis mirum in modum exculta. In hac Inſula reperiuntur aves Luſitanis *Paſſaros del Sol* dictæ, quæ habent adeò ſpecioſas plumas, ut quascunque alias pulchritudine ſuperent: vivas eas nemo vidit unquam, mortuæ in hac inſula delapſæ, ab inſulanis conquiruntur: volant, ut fama eſt, nonniſi in Solem, vivuntque aëre, nunquam in terram ſubſidentes, nec enim pedes nec alas habent, ex ſolo capite & ventre conſtant: corporis pars maxima in cauda conſiſtit: rariſſimæ & maximi pretii. Hæc inſula ab Europæis benè luſtrata eſt, præſertim verſus oram Orientalem. Baudr.

Borneum, urbs regia inſulæ Bornei, ſita in ora ſinus parvi, inter paludes aquæ marinæ, ad inſtar Venetiarum, in qua incolarum 25000. numerantur.

Bornhemum, caſtrum Flandriæ, unde regiunculæ nomen, ad Scaldim fluv. inter Aloſtum & Antverpiam.

Bornum, regnum & deſertum Afr. in Libya deſerta, ubi olim Garamantes, Cluv. Urbem habet cognom. & lacum Borni, per quem Niger fluv. labitur. Vulgò *Borno*.

Boron, Troglodytarum opp. Plin. 6. 29.

Borrhaus Martinus, aliàs Cellarius, Stutgardienſis, Joh. Reuchlini diſcip. Theologiæ apud Baſilienſes Profeſſor, linguæ Hebr. Syr. Chald. peritiſſimus, judicio præclaro inſignis, plurimisque in omni literarum genere lucubrationibus celebris. Inter quæ eminent, Commentarii *in Pentateuchum*, Baſil. 1555. 1561. In *Joſ. Jud. Ruth. Sam. Reg*. fol. ibidem, 1577. In *Job* & *Eccleſ*. fol. ibid. 1564. In *Eſajam* & *Apocalypſin*, fol. ibid. 1561. Obiit peſte A. C. 1564. æt. 65. Baſileæ. Vid. Melch. Adami, *in Vita Theolog*.

Borsholder, Vid. *Decuriæ Præfectus*.

Borſippa, urbs Babyloniæ, olim Dianæ & Apollini ſacra, in quâ maximum lanificium eſt, & maxima veſpertilionum multitudo in eſum conditur. Strabo *lib*. 16. Stephanus Βόρσιππα fœm. gen. aut neutri pluralis ſcribit.

Boructuarii, pop. Germ. quorum villa *Velſenberch* in Ducat. Bergenſi, an *Brouck*, opp. ejuſdem ditionis, inter Duisburgum & Werdam. Cæl. Rhodigin. S. Suiberti vita, Ortelius.

Boruſci, ſive *Boruſſi*, Sarm. Europææ pop. Ptol. Ob necem Adelberti à Boleslao I. ad tributum adacti, An. 1018. Horum reg. *Pruſſia* in regno Polonico, contenta inter oſtia Viſtulæ, & Memelli ad Cæciam 37. leuc. patens inter dicta oſtia; *Prutenia* etiam Latinè dicitur. *Preuſſen* & *Pruſſen* vulgò, in Regiam & Ducalem diviſa, Vid. infra. Ovid. *Triſt*. 4. 8.

Vita procul patriâ peragenda ſub axe Boruſco eſt.

Ita Ferrarius. Tu verò lege, *ſub axe Boreo*. Aliàs diviſa in 12. partes, dum Equitibus Teutonicis paruit: Nunc in duas, *Regiam* nempe, quæ Poloniæ R. ſubeſt, & *Ducalem*, quæ Elect. Brandeburg. Provincia eſt admodum fertilis & rigua, inter mare Balticum ad Bor. Poloniam infer. Mazoviamque ad Merid. Lithuaniam ad Ortum, & Pomeran. ad Occid. Vid. *Crucigeri* & *Pruſſia*.

Urbes illius clariores ſunt:

In Pruſſia Regia.	*In Pruſſia Ducali.*
Gedanum, *Dantzik*.	Regiomons, *Königsberg*.
Mariæburgum, *Marienburg*.	Memelia, *Memel*.
Elbinga, *Elbing*.	Braunsberga, *Braunsberg*.
Torunia, *Thorn*.	Brandeburgum, *Brandeburg*.
Conitza, *Konitz*.	

Boryſthenes, fluv. Scythiæ, ſecundùm Iſtrum omnium maximus ad 600. ſtadia navigabilis, in cujus oſtio ingens vis ſalis ſuâ ſponte naſcitur, & ingentia cete ſpinis carentia reperiuntur. Herodot. Plin. Strabo, Solin. Pompon. & Marcian. Heſychius. Βορυσθένης, ὁ Ἑλλήσποντος, ἔτι δὲ ποταμός. *Danaſter* Jornandi, *Danaſtus* Ammiano Marcellino. *Dnieper* Lud. Decio, *Nieper* Mercatori, *Briſna* Leunclavio, *Bereſina* Peucero, *Dneſter* & *Neſter* Martino Cromero. Sed *Nieper Naparis* eſt Herodoto; *Neſter* eſt Tyras, qui inter Boryſthenem & Danubium fluit. *Bereſina*

itaque per Lithuaniam fluens, & Naparin excipiens (in cujus nomen transit) *Borysthenes* est, cum monte & urbe cognomine, anno 3. post captam Trojam condita, apud ostia illius. Pop. *Borysthenitæ* Herodoto, *Boristhenidæ* Propertio 2. 7.

Gloria ad hybernos lata Borysthenidas.

Ovid. Pont. *l.* 4. *el.* 10.

Cumq; Borysthenio liquidissimus amne Dryaspes.

Dionys. *Vers.* 311.

Ἧχι Βορυσθένεος ποταμοῦ τετανυσμένον ὕδωρ
Μίσγεται Εὐξείνῳ, κελαδεῖ παρὰ πόρφυρα κύματα,
Ὀρθὸν ἐπὶ κρημνοῦ, κατεναντία Κυανεάων.

Ubi Montanus: Si Dionysium cum Ptolemæo & aliis Geographis conciliare velimus, non hoc ad Agathyrsos solos, qui versu præcedenti ultimò nominantur, referendum, (ii enim ex Ptolemæi sententiâ à *Borysthene* satis remoti, & eos ipse Dionysius *Vers.* 319. juxta mare glaciale locat) sed intelligendum est pergentes modò confusiùs recitatas *Borysthenem* ferri, (apud Neuros enim oriri Plinius & Mela testantur) unde in Merid. delatus rectâ adversus Ponti fauces, ubi Cyaneæ petræ, Euxino miscetur, ut verè Dionys. Eosdem tamen Agathyrsos opinari potuit Dionys. & Borysthenì & mari glaciali vicinos fuisse, ut mox indicabitur, quo quidem nomine veteres Balticum sinum intelligunt, sed sinum fuisse ignorarunt. Vide Stephanum, in Βορυσθένης. Fluv. Poloniæ præcipuus, oritur in Moscovia: & Smolensko, Orsâ, Mohiloviâ, & Rahaczoviâ, Lithuan. urbib. rigatis: auctus fluviis variis, per Volhiniam super. labitur juxta Kioviam & Circassium urb. & in mare Nigrum se exonerat, prope Oczacoviam, quæ aliâs etiam Olbia & Borysthenes dicta. Baudrand.

Boryza, urbs Ponti. Steph.

Borzivous, dux Bohemus, Suatoboio in sylvas compulso, sceptrum Moravici regni ad Bohemos tanstulit. Anno Christi 894. Cosmas Bohemus. Baptizatus operâ Methodii, Aventin. *lib.* 4.

Borzus, Persa, ex Polyæni *lib.* 7. ingeniosè perfidiam trium millium res novas agitantium ultus. Interpr. legit *Aborzus*.

Bosa, Sardiniæ opp. Ptol. populi *Bosenses*. Plin. 3. 7. Hodiè *Buosa* dicitur. long. 31. 6. lat. 38. 30.

Bosara, urbs Arab. Fel. Ptol.

Du Bosc Petrus, Minister Ecclesiæ Cadomensis, in Normannia, facundiæ elogium tulit à Ludovico hodierno Gall. R. coram quo, pro cœtu Reformato, qui Carentonii colligitur, haud pridem successu insigni peroravit. Ejus *Septem stellæ cœli Eccl. in Apoc.* 1. 16. *Lachrymæ Petri, in Luc.* 22. 16. *Doctrina gratiæ, in Ephes.* 2. 8. *Censura & Condemnatio tepidorum*, ad March. de Ruvigny, prodierunt Genevæ, in octav. A. 1664.

Boscobellum, oppid. l. Gall. in Bituricensi Duc. Principatus tit. clarum, cum castro. Aliter *Enrichemont*.

Boscum Ducis, urbs nova & ampla Belgii in Brabantia, vulgò *Bosleduc*. Ad Domelam amnem, qui mox cadit in Mosam fluv. Habet Territorium peramplum, *la Mairie de Bosleduc* vulgò, continens 102. Parochias. Sub Hollandis. Vide *Sylvaducis*.

Boses, nomen scopuli. 1. Reg. 14. Lat. *cœnum*, aut *in ipso flos*, sive *in ipso respiciens*, in tribu Benjamin.

Bositara, urbs Ægypti. Steph.

Bosna, Bosniæ reg. fluv. sub magno regno Hungar. Oritur in Servia; dein rigatis Saralio aliisq;, & auctus aliquot fluviis ejusdem reg. in Savum cadit, prope Arkium.

Bosna Sarajum, urbs Bosniæ, ad Bosnam fluv. in limite Serviæ reg. Aliis dicitur *Saralium*, quod Vid.

Bosnia, seu *Bossena*, & *Bosna*, regio Serviæ fuit, à flumine cognom. sic dicta; adjacentibus dein regionibus, Rama, Uiora & Sale mediterraneis, & Chulmia maritima additis, in regnum evecta, proprios habuit Reges, cùm antea pars fuisset magni regni Hung. Nunc tota sub Turcis, postquam à Gothis occupata, dein ad Slavos pervenisset, exin ad Hungaros sub Carolo R. An. 1310. tandem à Mahomete II. An. 1463. excoriato Stephano, ultimo Rege, devicta. Cluver. *lib.* 4. Chalcond. *lib.* 10. Leuncl. *Pand.* 141. 162. Ab Isaco Comneno ad pacem Bossini compulsi sunt, A. 1057. Zon. Ejus primaria urbs Jaycza olim, pòst Warbosaum, hodie Sari, quoque *Bosna* dicitur. Vid. supra. Ei à Septentr. Sclavonia est, ab Occidente Croatia, ab Oriente Servia propria, & à Meridie Dalmatia. Hîc olim fuit pars Illyrici Occid.

Boso, Rex Arelat. Provinciæ & Burgundiæ Cisjuranæ, filius Buvonis Comitis Arduennæ, ex sorore Thietbergæ, uxoris Lotharii II. Hujus sororem Richildam Carolus Calvus uxorem duxit, largus proin in Bosonem, ei Burgundiam commisit, Aquitaniæque ducem fecit. Mox eum Johannes 9. adoptat, i. præfectum in secularibus creat, Baronio explicante. Dein Hermengarde, filiâ unicâ Ludov. II. Italiæ & Provinciæ Regis ductâ, regni Gallici partem sibi vindicaturus, frustra fuit. Nihilominus Regem se Burgundiæ & Arelati fecit, à Ludovico & Carolomanno bello impetitus, & Vienna exutus. Obiit An. 887. ætat. 63. Ei successit in provinciis quibusdam Ludov. Boso filius. Aimon. Du Cheſne, Du Puy, Belleforestus, Dupleix, Mezeray, Bouchæus, *hist. Provinc. lib.* 6.

Boso Gontranus, sub regno liberorum Clotarii I. Exercitus Dux. Theodebertum Chilperici fil. occidi jussit alterumque, Meroveum, Fregedondes sicariis prodidit. Similiter in Orientem profectus, Gondebaldum qui Clotarii filium se ferebat, neci dedit. Tandem à Childeberto Austrasiæ R. punitus, An. 587. Item, avus Bosonis, Regis Arelat. Item Marchio Tusciæ, fil. Hugonis R. pater Berthæ, quæ Bosoni, Comiti Arelat. nupsit, &c. San Marth. *in Gallia Christ.* Nostradamus, Rufy, præter supra laudatos.

Bosor, id est, *munitio*, vel *vindemia*, sive *oblatio*, vel *prohibitio*, aut *in angustiâ*, vel *in tribulatione*, filius Supha. 1. Par. *c.* 7. Item civitas Moabitarum trans Jordanem Orientem versus ad solitudinem nonnihil vergens. Jos. 20. de tribu Ruben Levitis data.

Bospara, Thraciæ urbs. Procopius.

Bosphorani, pop. Sarmatiæ Eur. versus Bosphorum Cymmerium; sub Roxolanis, ubi nunc pars Tartariæ Precopensis. Eorum alii Asiatici dicti fuere, quia in Asia erant trans Bosphorum; alii Europæi, quia in Europa degentes.

Bosphorium, portus Byzantii. Steph.

Bosphorus, sive potius *Bosporus*, cùm Græcè Βόσπορος dicatur, ἀπὸ τοῦ βοὸς καὶ πόρου nomen arcessit, quod vel bos trajicere possit natando. Testis interpres Apollonii, Βόσπορος, inquit, ὀνομάζεται διὰ τὸ δοκεῖν τὴν Ἰὼ βοῦν οὖσαν διαπερᾶσαι τὸ ἀπὸ Βυζαντίου καὶ ἀπὸ Χαλκηδόνος διάστημα. Idem etymon tradit Plin. *lib.* 6. *cap.* 21. nempe quòd *vel bubus meabilis sit transitus*. Apollodorus *lib.* 2. Ἥρα δὲ τῇ βοῒ οἶστρον ἐμβάλλει. Ἡ δὲ πρῶτον ἧκεν εἰς τὸν ἀπ' ἐκείνης Ἰόνιον κόλπον κληθέντα, ἔπειτα διὰ τῆς Ἰλλυρίδος πορευθεῖσα, καὶ τὸν Αἶμον ὑπερβαλοῦσα διέβη τὸν τότε μὲν καλούμενον πόρον Θρᾴκιον, νῦν δὲ ἀπ' ἐκείνης Βόσπορον. Vide Palæphatum in *Jone*, Tzetzem *Chil.* 1. *hist.* 31. Am. Marcellinum *lib.* 22. Atque hæc, ut dixi, usitata nominis ratio est. Nymphis tamen Græcus author antiquus, Acarionis usus testimonio dicit; Phrygas, cùm fretum istud vellent trajicere, navim compaginasse, in quâ tauri effigies erat sculpta, ex cujus specie *Bosporon* appellaverunt: Ephorus verò à Tauro, quem Inacho remisit Rex pro Jo filiâ, quæ à Phœnicibus rapta in ejus venerat potestatem. Sunt qui dicunt, eos qui circa fretum habitabant, cùm ad ulteriorem ejus partem vellent transire, naviculis compactis, bobusque junctis mare solitos transfretare. Alii, quòd illac Phryxus, naviculâ, cui Aries insigne, navigarit. Plures hujusce *Bospori* appellationes habes apud Petr. Gyllium *lib.* 1. *de Thracio Bosporo cap.* 1. Porro *Bosporus* ab autoribus duplex celebratur, unus *Thracicus*, qui vulgò Italis *Stretto di Constantinopoli* dicitur, Græcis *Laimon*, Turcis *Bogazin*, teste Petro Gyllio, qui libellum scripsit *de Thracio Bosporo*. Estque maris angustia inter Byzantium in Europâ, & Chalcedonem in Asiâ 4. stadiis patens, unde utrinque cantus gallorum, latratus canum, rumoresque hominum exaudiuntur. Baudrando, inter Thraciam & Asiam min. seu inter Pontum Euxinum & Propontidem. Hîc castello erecto Mahometes Constantinopolim oppugnavit, Anno 1453. Ejus mem. Dionysius *Vers.* 140.

Τῷ δ' ἐπὶ Θρηϊκίης στόμα Βοσπόρου, ὅν ποτε Ἰὼ
Ἥρης ἐννεσίῃσιν ἐνήξατο πτέρυγος ἔσω.
Στεινότατος δὴ κεῖνος ἁπάντων ἔπλετο πορθμὸς
Τῶν ἄλλων, οἵτ' εἰσὶ πολυκλύστοιο θαλάσσης.

Etymon *Bospori* innuit, ut & Æschylus ante illum, *in Prometheo*:

Ἔσται δὲ θνητοῖς εἰσαεὶ λόγος μέγας
Τῆς σῆς πορείας Βόσπορος τ' ἐπώνυμος.

Val. Flac. *lib.* 4.

Jamq; dies auraq; vocant, rursusq; capessunt
Æquora, quà rigidos eructat Bosporus amnes:
Illos, Nile, tuis nondum Dea gentibus Jo
Transierat fluctus, unde hæc data nomina ponto.

Nonnus Dionys. *lib.* 3.

—— Ὄπη παρὰ Βόσπορον ἀκτὴν
Ἰναχίη δαμάλῃ πεπερημένον ἕλκεται ὕδωρ.

Callimachus divisim scribit *hoc versu*,

Κεκλίμενοι ναίουσι Βοὸς πόρον Ἰναχιώνης.

Alter Bosporus *Cimmerius* appellatur, qui *fretum Cimmerium* Herodoto dicitur, *os Mæotidis* Capellæ, *Patares angustiæ* Marcellino, vulgò *Vospero* (quod nomen est etiam urbis ibi sitæ) *Stretto di Caffa* Italis, & *Bocca di S. Giovanni*, & *Stretto di Kerci*, ab opp. ei adjacente, in Taurica Chersoneso, estque angustia maris inter Tauricam Chersonesum in Europâ & Sarmatiam in Asiâ, inter Mæotidem palud. & Pontum Euxin. Baudr. Ejus mem. Dionys. *Vers.* 167.

Ἐκ τῆς γὰρ Πόντοιο τὸ μύχιον ἕλκεται ὕδωρ
Ὀρθὸν, Κιμμερίου διὰ Βοσπόρου, ᾧ παρὰ πολλοὶ
Κιμμέριοι ναίουσιν, ὑπὸ ψυχρῷ ποδὶ Ταύρου.

Hujus quoque meminit Propertius 3. 11. ubi mutavit genus, vel alludit ad omnia maria pacata victis prædonibus:

Nunc, ubi Scipiada classes, ubi signa Camilli,
Aut ubi Pompeiâ Bosphora capta manu.

Ubi Bosporum Cimmerium intelligit, qui ob vicinum Pontum, in

in ditione Mithridatis fuit. Sane Tullius *orat. pro Murenâ*, Mithridatem Bosporum confugisse ait, & Rufus Festus *in Breviario*: *Mithridates cum uxore & duobus comitibus in Bosporos fugit.* *Fretum* esse à *fremendo* verè dictum innuit Horatius, *Carm.* 3. *Od.* 4.

Insanientem navita Bosporum
Pœnus perhorrescit.

Et *Carm. lib.* 2. *Od.*20.

Visam gementis litora Bospori.

Ubi Porphyrius, *perstrepentis & sonantis.* Hinc *Bosporius.* Ovid. 2. *Trist.*

Egerit Jonio Bosporioque mari.

Vide Voss. *ad Melam lib.* 1. *cap.* 1. Hesychius, Βόσπορος, οὐ μόνον ὁ Σκυθικὸς, ἀλλὰ καὶ Θρᾴκιος οὕτως ἐκαλεῖτο. Suidas, Βόσποροι δύο, ὁ μὲν κατὰ τὴν Προποντίδα, ὁ δὲ Θρᾳκικὸς, ὥς φησι Φιλέας. Idem: Βόσπορος, πόλις περὶ τὸν Ἑλλήσποντον, ἣν Βαχιάνος ὁ Τοῦρκος ἐπὶ Ἰουστινιανοῦ βασιλέως ἐπόρθησε. Atque hi duo Bospori tantùm ferè apud antiquos memorantur. Ausonius tamen tertium addit *in Monosyllabis*,

Threicium & Libycum freta, Cimmeriumque secat bos.

Bosphorus, urbs Franconiæ in Germaniâ. Vulgò *Ochsenfurt.* long. 31. 45. lat. 49. 50.

Bosra, urbs Idumææ vetustissima & munitissima, in quâ natus est Jobab, rex Edom. Gen. *36. 33.* Idumææ disertè adscribunt prophetæ tres, Esajas *36. 6.* Jerem. *49. 13.* & Amos 1. 12. Tamen unus ex hoc numero Jeremias 48. 24. *Bosram* censet inter Moabitarum urbes. Itaque vel utrique adscribitur, eò quod in utriusque fuerit confiniis, vel, quod puto verius, gemina fuit *Bosra*, una Idumæorum, altera Moabitarum. Nec multùm refert, utrum intelligas in his Micheæ: *Ponam illum ut oves Bosra*, quia utraque regio fuit valde pecorosa, quanquam hunc locum veteres multò aliter interpretantur, nam pro *Sicut oves in Bosra* Græci habent ὡς πρόβατα ἐν θλίψει, tanquam esset à צור *coarctari*, vel *in angustiis esse*. Bochartus. Vid. *Bozra.*

Bosseret, vel *Bussereth*, Archiep. sub Patriarcha Antiocheno. Hic concilium contra [illegible] illum.

Bossina, Orientalis [illegible]eg. à Turcis vastata A. D. 1384. Egnatius. Vid. *Bosnia.*

Bossina seu *Bossena*, ubi olim Bessi pop. V. *Bosnia.*

Bossonis villa, oppidul. Lotharingiæ. Ad Nidam fluv. cum Abbatia aliàs celebri, nunc bellis deformata, 2. leuc. à Valdelfinga in Occ. & 5. à Metis in ortum. Germ. *Busendorf.*

Bostitza, vide *Ægyra.*

Bostonus, Monachus Anglus, circa an. 1410. sub Henrico IV. Scripsit *Speculum Religiosi*, & Catalogum scriptorum Eccles. curiosum admodum. Voss. *hist. Lat. l.* 3. *c.* 4.

Bostra, Phœniciæ urbs ad mare sita, Byblo vicina. Strab. *l.* 16. Item urbs Arabiæ. Steph. instaurata à M. Jul. Philippo, & ab eo denominata, A. C. *246.* Episcopus ei Beryllus, A. *216.* V. *Berillus.*

Bosus mons Ital. in Ducatu Mediol. & agro Novariensi.

Botachida, locus Arcadiæ in Tegeâ. Steph.

Boterichus, præses Thessalonicæ, ibi occisus est. Hinc VII. M. à Theodosio necata. Sozom. *l.* 7. *c.* 4. A. C. 390.

Boterus Johannes, Pedemontanus Benensis Abbas S. Michaëlis de Clausula, floruit an. 1595. & *Relationem universalem*, Italicè scripsit, ad Carolum Eman. Ducem, cujus liberos erudiit. Additæ sunt scriptis tabulæ, sed accuratæ parum. Baudrandus.

Bothnia, prov. Sueciæ, ampla, inter Lappiam reg. & extremam partem maris Baltici, quæ Bothnicus sinus nunc dicitur. Dividitur in 3. partes, nempe Borealem, Orientalem & Occid. Ejus primaria urbs est Torna, Civ. juxta sinum Bothnicum.

Botiæi, Thraciæ pop. Plin. 4. 11. Stephanus Nicæam Botiæorum coloniam esse scribit. *Bottiæi* verò fuere pop. ex Creta, ab Atheniensibus genus ducentes. Aristot.

Botieum, urbs Phrygiæ cum stagno *Attea* dicto, quod salem producit. Steph.

Botontinus ager, idem cum *Butuntino*, in Apulia Peucetia.

Botrodus, vicus non longè à Segobriga, quondam opidum à Tiberio Graccho dirutum. Polyb. *Mart. lib.* 1. *ep.* 50.

Et delicati dulce Botrodi nemus
Pomona quod felix amat.

Botrus, opulenta quondam Phœniciæ civitas; Heliæ prophetæ tempore ab Ithobalo Tyriorum rege, ad Aquilonem à civitate Byblo quatuor, ad Austrum verò, à Naphim castro tribus miliaribus in littore maris condita est, & nobilissimo vino vicina loca excellit.

Botrys, Syriæ urbs. Ptol. *Boteron* Volaterrano.

Botskai Stephanus, à Rudolfi II. Imp. ducibus infestatus, protestatione prius factâ, concessum esse ab Andrea II. Rege, jura patria tueri, Comitem Bellioci VI. M. cæsis vicit, Cassaviamque occupavit. Proscriptus, generosè respondit, titulisque Comitis Kiszmariensis & Siculorum, ut & sup. Hung. Dynastæ assumsit, à Sultano coronâ Uladislai R. donatus est. Post quæ Hungariâ, Austriâ Moraviaque vastatis, pacem & Religionis libertatem extorsit. Sigismundo Bathorio tandem surrogatus, Obiit an. 1606. æt. 59. magno sui desiderio relicto. V. Thuan. *Hist.*

Bottanti, gentiles quidam populi, habitantes ex altera parte regni Laor, versus fluvium Indum, finitimi quidem regno Mogor, sed non ei subjecti. Proclives sunt ad pia opera, maximè misericordiæ in egenos. Sunt homines colore candidi, nulli inter eos vivunt Mauri. Tunicis more Turcico utuntur, ita ad corpus eorum astrictis, ut ne minima plica notari possit: quodque magis mirum, nunquam illis se exuunt, nequidem cùm dormiunt, nec deponunt, nisi attritæ vel putrefactæ sponte dilacerentur & excidant. Manus nunquam lavant, causam hujus rei dant, quòd non conveniat elementum tam purum, ut est aqua, sordibus aliisque rebus fœdis inquinari. Nullum habent Regem, summa in libertate vivunt. Colore & faciei lineamentis persimiles sunt Europæis: sunt enim candidi & magna ex parte facie rubicundâ, capillo item promisso & flavo, corpore robusto, staturâ mediocri. Eorum patinæ & lances sunt mortuorum calvæ vel crania, & dimidii calices.

Botthaus, inter eos fuit, qui circumnavigationem orbis descripsere, quem cum Scylace Caryandensi conjungit Marcianus Heracleota in epitome Artemidori & Menippi. Vossius.

Bottiæi, Vid. *Botiæi.*

Bova, Urbs Brutiorum 20. mill. à Rhegio in Ortum, distans, deficit indies.

Boucicaldus Johannes *le Meingre* Turennius, decimo jam ætatis anno arma tractavit, rapto in admirationem Carolo V. Comitatus Carolum VI. in Flandriam, prope ipsum pugnavit, in prælio *de Rosebec* dicto, bis terque in Orientem profectus, secutus est Comitem Nivernienseim, Conestabilem Clissonium, & Joh. Viennensem, Galliæ Admiralem, Marescallus Franciæ. Sed Hungarorum timiditate cæsis Gallorum copiis, captus, vitam à Bajazete impetravit, sexcentis aliis unco affixis. Redux Genuæ præfectus, Constantinopolim cum 1200. solùm militibus, à Turcæ obsidione reddidit immunem, eaque edidit in Oriente & Italia inusitatæ fortitudinis specimina, ut hostibus admirationi, Venetis invidiæ esset. Tandem in pugna *d'Azincour* occisus An. 1415. Poëseos cultor eximius. Histor. Gall. *in Carolo V. &c.*

Bouconia, urbs inter Bormitomagum, & Moguntiam. Anton.

Boudicea, Prasutagi Icenorum regis, qui Neronem hæredem scripserat, uxor indignè à centurionibus habita & ad rebellionem compulsa. Tacit. XIV. 31. Victa à Suetonio Paullino vitam veneno (Dio morbo) finivit. *cap.* 37. *Voadica* vocatur *in Agric.* 15.

Bouets fanum, oppidum Comitatus Forestii: Vulgò *S. Bouet le Chastel.* Metel. Merula.

Bovianum, Samnitum colonia vetus. Plin. *3. 12.* vulgò nunc *Boiano* dictum, episcopali dignitate, sub Arch. Beneventano clarum. Memoratur Livio, Straboni, aliisque. Βουιανὸν Ptolomæo; Βοίανον Straboni; Apud Appianum Ἐμφυλ. α. corruptè Βουανόν. Sed scripsisse etiam Græcos Βοβίανον colligere datur ex Frontino, ubi *Bobiani agri*: In Antonini itinere longè corruptissimè *Bononia.* Benevento ad 30. m. p. distat, in comitatu Molisino. Silius *lib.* 8. sic habet:

Qui Batulum Mucrasque colunt, Boviania quique
Exercent lustra.

Boviasmum, Vid. *Bubienum.*

Bovilla, op. in Latio, haud procul ab urbe Româ. Inde *suburbana* dictæ. Ovid. *Fast.* 3.

Orta suburbanis quadam fuit Anna Bovillis.

Propert *lib.* 4. *el.* 1.

Quippe suburbana parva nanus urbe Bovilla.

Videtor Cluverius *Ital. Ant. lib.* 3. *pag.* 917. Nunc *Bauco*, ditionis Pontif. castrum, in Campania Rom. prope limites regni Neapolit. Baudr.

Bovillium, seu *Boglia*, oppidum Comitat. Nicæensis, intra montes, in Sabaudia & limite Francico. Olim proprios habuit Comites.

Bovina, seu *Bovinium*, Urbs Comitatus Namurc. in ripa Mosæ flum. læva. Metel.

Bovinum, Ins. Gall. in ora Oceani, prope Herum Ins. Parvi est circuitus, cum uno alterove castro. Item, Urbs regni Neap. in Prov. Capitanatæ, ad fluv. *Cervaro*, ad radices Apennini, in limite Princip. Ulter. Paucos habet incolas. Episc. sub Archiep. Beneventano.

Bovis aula, Euboeæ insulæ locus. Strabo.

Bovium, Urbec. Albionis, ubi aliàs Ordovices pop. nunc *Bangor.* Vid. *Bonium.*

Bouta, Libyæ interioris op. Ptol.

Boutevilla, opp. Duc. Inculismensis. Metel.

Bouzimele, Ciliciæ fluv. haud procul à Lyco amne.

Boxtuda, opp. Germ. in Duc. Bremensi. Suecis nuper ereptum. Vid. *Bouxtehuda.*

Boxus Macerianus, per quem Bicon Athenodorum in convivio interfecit. Curt. *l.* 9.

Bozolum, opp. Duc. Mantuani, Principatus tit. clarum, gentis Gonzagæ, in limite agri Cremonensis. Medium fere inter Mantuam & Cremonim.

Bozra, Urbs Palæstinæ, capta ab Abubechere, A. C. 635.

B R.

Brabantia, reg. maxima Belgii inter Flandriam ad Occid. & Geldriam ad Ort. cujus pop. *Ambivariti* veteribus dicti à nonullis putantur. In eâ Tungros & Grudios esse certum est. Urbes primariæ sunt Bruxellæ, sedes olim Ducis (est enim Ducatûs titulo insignis) hodie Gubernatoris Hisp. Machlinia metropolis,& conventus Juridicus: Lovanium Academia celeberrima: Antvverpia emporium maximum, ante excussum à Batavis jugum, quarum descriptio extat apud Ludovicum Guicciardinum, Gallicè *Le Duché de Brabant*. Ei à *Brenno* Britannorum regis cujusdam filio nomen, ut quidam volunt, vel ut alii, à *Bratusspantio* oppido, cujus Cæsar meminit *in commentariis*: alii à *Salvio Brabone* quodam, C. Cæsaris ex nepote cognato: sunt qui à *Gotefrido,Barbato* Louvaniensi Comite appellatam regionem velint. Guicciard. *in Belg.* Secundùm Authores, Anchisus, vel Anchisisne, pater Pepini Herstatensis, Dominus fuit Brabantiæ. Dein Carolus M. & liberi, usque ad Ottonem, Caroli fil. Inf. Lotharingiæ D. quo defuncto An. 1004. Henricus R. Ducatum ejus Godofrido Bullionæo dedit, unde Duces Brabantiæ. Postmodum Flandriæ & Burgundiæ sub Phil. Bono unita. Alii sic: Fuit olim sub Ducibus, quorum origo à Giselberto, Comite Mansuariæ, qui ex Ermengarda, Lotharii Imper. filia, Raginerum I. Hasbaniæ & Haniaci ducem suscepit. Pater hic Giselberti, celebris Lotharingiæ Ducis, qui ab Ottone I. Imper. affine prælio cæsus periit, An. 939. Frater fuit Ragineri II. è quo genitus Raginerus III. pater Lamberti Barbati, qui genuit Lambertum II. patrem Henrici II. cujus fil. Henricus primus se Brachbantiæ patriæ Comitem vocavit: Hujus frater Godofredus I. pater Godofredi II. avus fuit Godofredi III. qui prælio adversus Grimbergiam factionem commisso, in cunis prolatus, victor fuit: pater Henrici, mortui A. 1235. cujus fil. Henricus II. varia gessit bella, ab Innocentio IV. ad regnum Rom. vocatus, contra Fridericum II. Imper. Hic per filium Henricum III. Brabantini, per alium autem Henricum, Hassiaci rami auctor fuit. Henricus prior Dux Brabantiæ, ab Alphonso Imp. universalis tutor & defensor partium Imperii, à Brabantia ad Rhenum usque constitutus, Obiit An. 1260. pater Johannis I. qui ducatum Limburgensem avitæ ditioni adjecit, mortuus An. 1294. Ei Johannes II. fil. successit, pater Johannis III. cui successit ex fil Joanna, gener Wenceslaus Lucemburgicus, quo defuncto An. 1383. Brabantiæ Ducatus jure, à filiâ alterâ Johannis III. Ludovici Flandri uxore, repetito ad domum Burgundicam, ex ea in Austriacam, salvis tamen privilegiis & immunitatibus Brabantorum, quæ magna tum erant, est devolutus. Vid. Philippi Jacobi Speneri *Syllog. Histor. Geneal.* Vide quoque in voce *Brachbantum*. De Brabantia ita Baudrandus: *Brabantia*, vulgò *le Brabant*, provincia est Belgii, inter Hollandiam ad Boream, Gueldriam & Leodiensem ditionem ad Ortum, Flandriam & Zelandiam ad occasum, & Hannoniam Comitatumque Namurci ad Meridiem. Ibi aliàs fuere Menapii populi; & hodie pro majori parte subest dominio Regis Hispaniæ. Sed pars ejus septentrionalis paret Hollandis; & sub Brabantiæ Ducatu censentur etiam Marchionatus S. Rom. Imperii, ubi Antverpia, & Mechliniæ dominium, ubi Mechlinia.

Brabantiæ urbes.

Antverpia, *Anvers*,	*Sub Hispanis.*
Bruxellæ, provinciæ caput, *Bruxelles.*	
Lovanium, *Louvain*,	
Mechliniæ, *Malines.*	
Tienæ, *Tillemont.*	
Bergæ ad Zomam, *Berg op Zoom.*	*Sub Hollandis.*
Breda, *Breda.*	
Buscumducis, *Bosleduc.*	
Gravia, *Grave.*	
Guillelmostadia, *Willemstadt.*	

Brabantini, pop. ex Saxonibus trans Albiam habitantibus, in Franciam à Carolo M. Anno Chr. 806. translatis prognati. Æmil. *lib.* 3.

Brabasthenes, mons Peloponnesi, 10. m. p. à Lacedæmone distans. Livius *lib.* 4. *Bell. Macedon.*

Bracara, vide *Brachara*.

Braccaleone, Marchionatus Calabriæ ult. versus Merid.

Braccata Gallia, vulgò *La Provence*. Nomen habet à *braccis*, quæ Isidoro sic dictæ videntur, quòd sint breves, & corporis verenda iis velentur, q. d. βραχεῖς ἐσθῆται. Imo *Bracca* sunt βράκη, vel βράκια, h. e. ῥάκη vel ῥάκια, inquit Casaubonus, qui minimè assentitur Diodoro Siculo, existimanti βράκας vocem esse Gallicam, uti nec Hesychio, qui scribit, Βράκκαι αἴγειοι διφθέραι παρὰ Κελτοῖς. Ait enim Diodorum *lib.* 7. Galatas anaxyridas vocare braccas. Hieronymus, *ad Fabiolam de veste sacerdotali*, & Ambrosius, 1. *Offic.* appellant braccas feminalia, quibus velantur pudenda. Græci περισκελῆ vocant, quanquam Flaccus *periscelida* acceperit pro ornatu fœminino, & Porphyrio apud eundem, esse velit ornamentum pedum circa crura, ex vi nominis sumta interpretatione, cujusmodi ornamenta Ovidius *genualia* vocat. Ab his autem braccis, ut vulgò volunt, nominata est ea pars Galliæ, quæ aliàs Narbonensis Provincia audit. Quanquam non soli Galli usi sunt braccis, sed & Medi, & reliqui populi. Legitur enim, in Obscœno carmine,

Medis laxior Indicisq; braccis.

Hinc Persius,

—— *Braccatis illita Medis.*
Porticus. Ovidius *Tristium* 5. *de Getis*:
Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Idem alibi:

Hos quoq;, qui Grajâ geniti creduntur in urbe,
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.

Lucanus *lib.* 1.

Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis,
Vangiones. ——

Val. Flac. *lib* 5. *Argonaut.*

Et jam Sarmaticis permutant carbasa braccis.

Braccianum, aliàs *Bracenum*, opp. Italiæ, in prov. Patrimonii S. Petri, Ducatus tit. insigne Ursinorum, ad lacum cognom. Dicitur *Arcennum*, quod V.

Braccum Saccum, in veteribus tabulis appellari reperio castrum in pago Andecavino ad fluvium Albantiam, *Aubance*, quod vulgò *Brissac* nuncupatur, Ducatûs titulo illustre, *Brisiacum* aliàs dictum. Fulco Richinus in rebus gestis Andecavensium Comitum, quas Lucas Acherius nuper edidit, *castrum Brachesac* appellat, nomine ad *Braccum saccum* proximè accedente, atque inde deducto: *Invasit me iterum idem frater*, (Gaufridus Barbatus) *ponens obsidionem circa quoddam castrum meum quod vocabatur Brachesac*. An à *bracco* vel braccone, (ita Germani, ac inprimis Franci canem venaticum & sagacem appellabant) & à *sacco* nomen compositum acceperit, incertum est. Ejusmodi certè canem hodieque Germani *brachen*, Angli *brache*, Batavi *brack*, Nostri *braque* nuncupant. Locum huncce veteres Historici, qui patriâ linguâ scripsere, *Brochesac* etiam vocarunt. In priscis monumentis Latinis *Brigidisaccum* dici, quidam asserunt: quod nomen me nusquam reperire memini. Buchananus *in lib.* 2. *Rerum Scoticarum* rupturam à Nostris *breche* dici ait, & *briser* rumpere vel frangere: & inde cùm Brisiacum in Alesatia, *Brisac*, tum Brisiacum in Andibus *Brissac* deduci affirmat. Cujus ego conjecturæ nequaquam accedo, cùm *Braccum saccum*, & *Brachesac* ac *Brochesac* priscæ appellationes castelli hujus in Andicavis, ab ista ruptura, *breche* aut *brisure* vulgò dictâ, longissimè recedant. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Brachara, apud Ptol. vulgò hodie *Braga*. Ad amnem Cavadum in prov. Inter Durium & Minium dicta: Cujus Præsul Metropoliticus simul, & Primas regni Lusitaniæ appellatur. Urbs antiqua, olim *Bracara Augusta*, & satis ampla, à qua Callaici Braccarii in Hisp. Tarr. Ubi Concilium An. 408. Bernard. de Brito *tom.* 2. *Monarch. Lusit.* An. 563. cùm Theodomirus, Gothorum in Hisp rex ad fidem Christi conversus esset, quo Priscillianistæ confutati. *Tom.* 5. *Concil Gall.* An. 572. sub Ariamiro, & An. 675. Baron. *hoc anno n.* 6. *Tom.* 6. *Concil. Gall.*

Brachbantum. Pagi Bracbantensis primò fit mentio in Vita S. Gudilæ Virginis, quæ in eo *pago Brabatensi* corruptè dicto nata esse dicitur, regnantibus Dagoberti filiis Sigiberto atque Chlodoveo: Gudila autem hodieque Bruœellæ in Brabantia colitur. *Brachbanti* vel *Bracbanti* in Vita S. Hucberti Tungrensis Episcopi fieri quoque mentionem video: qui Antistes, administrante Regna Francorum Carolo Martello per totam *Arduennam*, *Taxandriam* atque *Brachbantum* vel *Brachbante* templa diruisse, fregisse statuas, Ecclesias struxisse dicitur. In literis Domini Ludovici Imper. de divisione Regni sui inter filios, *Bragbentum* vocatur, ponitúrque inter *Asbaniam* & *Franderes* seu Flandriam. In Divisione Regni Lotharii à Ludovico & Carolo Regibus anno 870. facta, quæ Capitulis Caroli Calvi Franc. Regis, & Annalibus Bertinianis inserta est, *Bracbantum* nuncupatur, & ponitur inter Toxandros & Camaracenses, quatuórque habere Comitatus dicitur, his verbis: *Comitatum Texandrum: in Bracbanto Comitatus* 4. *Camaracensim.* Ex quo intelligitur, Bracbantum vel Bragbentum satis amplum & spatiosum extitisse, cùm in eo quatuor fuerint Comitatus vel minores pagi. Sigebertus in Chronico *Brachbantum* appellat in rebus anni 633. in anno 1005. semel ac iterum *provinciam Bracbatensem* mendosè pro *Bracbantensem*, ut sæpe aliàs; (quemadmodum & *Brachantum* non rarò scriptum aut excusum reperitur pro *Bracbantum*) in anno 1059. *pagum* item *Bracbatensem* aut *Brachatensem*. *In pago* (inquit) *Bracbatensi juxta Tornacum, colubri prælio inter se concurrunt.* Turnacum igitur civitas Bracbanti tum erat, quæ nunc Flandriæ attribuitur, non Brabantiæ: quod & docet Anselmus *in Chronico, hisce in anno* 1113. *verbis*: *In pago Bracbatensi circa Tornacum nix tanta cecidit, ut & silvas fregerit. Ganda* quoque Bracbanti olim fuit, quæ nunc est Flandriæ. Certè in literis Ludovici Aug. vocatur *Einhardus Abbas ex Monasterio, quod dicitur Ganda, quod situm est in pago*

pago Brachbatense, constructum in honore S. Petri, ubi etiam S. Bavo corpore requiescit. Sigebertus incolas Bracbanti sive Bracbantenses, *Bratuspantes* nonnunquam vocat, nomine Bratuspantii opidi Bellovacorum, quod apud Cæsarem reperitur, ineptè genti à Bellovacis valdè remotæ attributo. Certè *Ansfridum* quendam memorat an. 997. *Comitem Bratuspantium*, qui fuerit postea Trajectensium Episcopus: & in anno 1012. *Heinricus* (inquit) *Imperator Godefridum Ducem in fines Bratuspantium mittit ad obsidendum castrum Lovanium.* Est autem Lovanium hodieque in Brabantia. Sic & Anselmus in anno 1134. *congregationem Malisnensis Ecclesiæ, quæ est in Bracbanto*, commemorans, satis indicat tum Malisnas vel Maalinas Bracbanti ita fuisse, ut sunt hodieque Brabantiæ. A *Bracbanto* ethnicon fit *Bracbantensis*; à *Brabantia Brabantus*, & plerumque *Brabantio* in recentioribus nostris annalibus: unde hodieque Brabantiæ incolæ vocantur *Brabançons*. *Bracbantum*, quæ *Brabantia* Latinis scriptoribus recentioribus, Nostris *le Brabant* ex parte nuncupatur, olim ab Alosto & Ganda usque ad Turnacum, aut etiam usque ad Condate pertinebat, si qua Miræo fides habetur. *Bracbantum* autem, ut & Austerbantum vel Austrebantum, & Testrabentum vel Testrebantum nomina sunt Germanica à Francis natione Germana pagis regionibusve olim imposita. Limes enim Germanicè *bant* dicebatur. *Regionum* limites ac confinia linguâ suâ vocari *Bant* ait Wendelinus Belga: qui *Testrebantum* (*Testerbant*) Taxandriæ limitem interpretatur; Austrebantum (*Osterbant*) ortivum limitem diœceseos Camaracensis; Bracbantum (*Brackbant*) Arboricorum limitem quasi *Arborickbant.* Ego Bracbantum ad quosvis alios potius quàm ad Arboricos retulerim, qui nulli usquam sunt, cùm apud Procopium Arborychorum nomine corrupto Armorici proculdubio designentur. Austrebantum autem ortivum Neustriæ limitem interpretari convenit. Erat enim hic pagus, ingentium olim Regnorum Austriæ Neustriæque sub nostris Regibus terminus, ab Austria Scaldi flumine divisus, & in extremis Neustriæ finibus positus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Brachia, Stephanus: Βραχεῖα, οὕτως ἡ Ἀραβικὴ θάλασσα καλεῖται. Ἐκλήθη δὲ διὰ τὸ ἐν αὐτῇ βράχη εἶναι πλεῖστα. Verùm non Arabicum tantùm, sed & Æthiopicum mare βραχεῖαν θάλασσαν dixere. Inepti homines apud Ptolemæum τραχεῖαν substituére θάλασσαν pro βραχεῖαν. Vide Voss. *ad Melam lib.* 1. *cap.* 10. Item, Insula Illyrici, Joh. Lucio. Italis, *Brazza.*

Brachinonensis ager à Saracenis vastatus. Blondus 2. 2.

Brachites, secta hæreticorum, qui Manis & Gnosticorum deliria amplexi sunt. Prateolus in *Brachites.*

Brachius Perusinus, omnem Pontificis ditionem occupavit, apud Aquilam verò à Pontificis exercitu superatus occiditur.

Brachmanes, vel *Brachmanæ.* Palladio *Bragmanes*, Indorum Gymnosophistæ, quorum Princeps Dandamis erat tempore Alexandri Magni; Jarchas verò, quando Apollonius Tyaneus, discendi visendique studio ad illos se contulerat. Hi simulachra contemnebant, omnis prorsus carnis genere & vini abstinentes. Clem. Alex. *Stromat. lib.* 3. Βραχμᾶναί γ' οὖν οὔτε ἔμψυχον ἐσθίουσιν, οὔτε οἶνον πίνουσι. Καταφρονοῦσι δὲ θανάτου, καὶ παρ' οὐδὲν ἡγοῦνται τὸ ζῆν, πείθονται γὰρ εἶναι παλιγγενεσίαν. Porphyrius *de Abst. lib.* 4. Τὸ δὲ ἅπτεσθαι τινὸς ἀψαύστου, ἢ ὅλως θιγεῖν ἐμψύχου τροφῆς, ἴσον καὶ τῇ ἐσχάτῃ ἀκαθαρσίᾳ τε καὶ ἀσεβείᾳ νενόμισται. Θρησκεύουσι δὲ τὸ θεῖον, καὶ χρόνον τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς πλεῖστον εἰς ὕμνους τῶν θεῶν ἀπένειμαν καὶ εὐχὰς ἑκάστου ἰδίαν καλύβην ἔχοντος, κοινῇ γὰρ Βραχμᾶνες μένειν οὐκ ἀνέχονται. Degebant partim in saltibus, Astrorum & Naturæ contemplationi intenti, partim in Urbibus, ubi Principibus à consiliis, & populo morum Magistri erant. Μετεμψύχωσιν firmiter credentes, boves inprimis & vaccas venerabantur, felicitatem summam rati, spernere posse fluxa Fortunæ bona. Tertull. *Apol. cap.* 42. Aug. *de C. D.* Strabo *lib.* 15. Diod. Sic. *lib.* 2. Curt. *lib.* 8. Philostr. *in vita Apollonii.* Ad hos ex Græcia quandoque Sapientes consultum accessere. Pantænus verò, à Demetrio Ep. Alexandrino, missus, Christum iis prædicavit, A. C. 183. Eus. *lib.* 5. *cap.* 9. Vide omnino Palladium *de Bragmanibus*, ab Edoardo Bisſæo, Londini editum. *Brachmas* vocat Steph. apud quem mira de vestimentis eorum narrat Hierocl. Ὑφάσματα inquit, μήτε πυρὶ καιόμενα, μήτε ὕδατι καθαιρόμενα, ἀλλ' ἐπειδὰν ῥύπου καὶ κηλῖδος ἐμπλησθῇ, ἐμβληθέντα εἰς φλόγα, λευκὰ, καὶ διαφανῆ γίνεται. Nomen eorum quod attinet, quid sodes Βραχμὰν aliud sonat, quàm בר חכמן *Bar hachman*, ἄγελος σοφιστής, hoc est, Gymnosophista? H. Jacobius. Vide *Gymnosophistæ*, & Suidam in Βραχμᾶνες. Hodiè *Bramines*, *Giogi*, &c. De quibus inprimis consuli meretur P. de Valle, *Itinerarii tom.* 4.

Brachodes, extrema urbs Africæ minoris. Ptol.

Brachyle, urbs Ceretum, qui Iberis vicini sunt. Steph.

Braclavia, urbs Polon. in Podolia inf. ad fluv. Hypanim, *Bog*; versùs confinia Moldaviæ.

Bractia, insula Illyrici. Plinius.

Bradanus, fl. Lucaniæ, per Basilicatam prov. currit, & in ea prope Acherontiam, Oppidum, Montem Pelusium, & Scaliosum urbes labitur; & versus ostia Basilicatam ab agro Hydruntino separat.

Bradas, Italiæ flu. circa Apuliam. Anton.

Bradeas, præcipuæ nobilitatis vir, Regillæ uxoris Herodis Sophistæ frater, argumentum generis gestabat in calceis; Id autem erat episphyrion menoides eburneum. Unde Proverb. *Nobilitatem in astragalis gestare*; quod in eos rectè dicitur, qui generis præstantiâ tumentes nullâ ipsi virtute nituntur. Rhod. 20. 27.

Bradua, Consul, collega Triarii Materni & Aproniani. A. V. C. 937. & 943.

Bracara, vide *Brachara.*

Bragitium, urbs Pannon. hodie *Comara*, ad Danubium fluv. aut locus non procul, *Bontuda*, ubi ejus ruinæ visuntur. Brietio teste. Vid. *Bregatium.*

Brasi, populi Macedoniæ. Steph.

Bragæ, insulæ quædam desertæ. Plin. 4. 28.

Brageriacum, vulgò *Bergerac*, opp. in Petrocoriis nobile, ad Duranium fluv.

Bragiacum, seu *Braeum*, V. *Brajum.*

Bragodurum, Rhætiæ op. in Germaniâ. Ptol. vulgò *Bibrach*, Lazio, *Rockenburg* Rhenano. *Pfullendorf* Mol. in Suevia. *Beyern* castrum in Suevia, Cluver.

Brahma, nomen idoli, apud hodiernos Zonæ torridæ incolas, summâ veneratione culti. Pythagoram hoc nomine ab illis adorari, sunt qui credant. V. P. de Valle, *Itiner. tom.* 4.

Brajum olim linguâ Gallicâ lutum significabat. Hoc me docuit liber vetus Miraculorum S. Bernardi Claravallensis Abbatis, qui est cento ex multorum scriptis consutus, hisce verbis, *Castrum Braium, quod lutum interpretatur.* Sermo est de Braio ad Sequanam in Senonibus, *Brai sur Seine*, inter castrum Triangulum *Trainel* & Monasteriolum *Monstereau* posito: quod & *Braiacus munitio* dicitur in Chronico Senonici Monasterii Sancti Petri Vivi. *Erat Miles Burchardus nomine, & uxor illius Ildegardis: qui habebant munitiunculam in pago Senonico, super Secanam fluvium, quæ Brajacus dicitur, in locis palustribus.* Idem *Braicus* dicitur, in Chronico Ecclesiæ Senonicæ. Est & duplex Braium ad Suminam *Bray sur Somme*: & Brajum ad dextram Ittæ fluminis ripam in Veliocassibus Normannis positum, in Gestis Ludovici VII. Francorum Regis memoratum, vulgò *Braye* dictum: & Brajum *Bray* ad Hormentionem flumen non longè à Sinemuro in pago Alesiensi. Non procul à Gornaco Ittæ apposito, est silva nomine Braium, vel silva Brajensis, *Bray* vel *la forest de Bray*, à qua Firmitas in Braio cognominatur, *la Ferté en Bray.* Citra flumen Ittam in Bellovacis, locus est Braium *Bray*, ad amniculum qui in Taram defluit, & pagus exiguus loco cognominis, Braium nuncupatus *Bray*, planus, humilis, compascuus, in quo multa & magna sunt stagna. Ibi sunt Hosdencum, *Houdancen Bray*, Villa in Brajo *Ville en Bray*, Turris in Braio *Tour de Bray*, Puteoli in Braio *Piseux en Bray*, Ontium in Braio *Onsenbray*, multique alii vici. *Castrum quod Braiam vocant*, Rigordus & Willelmus Britto *in anno* 1191. commemorant, quod à luto nomen invenit, & vulgò *Bray Comte Robert*, vel *Bray C. R.* id est Braia Comitis Roberti dicitur. In pago Silvanectensi, *Braium* vicus etiam reperitur, & Braium in Pictonibus, non longè à castro Campiniaco, *Braye.* Braicum vel Brahicum etiam à luto seu braio nomen accepit. In Vita S. Judoci hæc legimus: *Veniunt pariter* Haimo Dux & Judocus *ad locum qui dicitur Brahic, qui locus fluminis Alteiæ rivulis undique circumdatus, lutulentus habetur.* Idem & Florentinus Abbas ac Ordericus *in Historia lib.* 3. scribunt: ex quibus Ordericus *eremum Braic* vocat. Hic locus *Brahic* vel *Braic* eremo nomen suum dans, nunc est vicus *la Broye* in Ambianorum pago Pontivo ad Alteiam fluvium. Guillelmus Nangiacensis *castrum cui Breic vocabulum est*, inter castrum de Villaribus *Villers*, & castrum S. Gelasii in Pictonibus situm, à Ludov. IX. Francorum Rege captum esse tradit. *Breicum* autem illud vel potiùs *Braicum* nunc dicitur *Brahey. Braiacum* in Carnutibus à luto seu braio cognominatum reperio, quod & *Brajotum* & *Braium* etiam dictum sit, veteri Monasterio S. Romani illustre. In Vita S. Leobini Episcopi Carnutensis, quam Fortunati esse puto, dicitur Leobinus Ætherio Episcopo *Braiaci occurrisse*, & ab eo Diaconus, moxque Presbyter factus, ac *fratribus Brajacensis Monasterii præpositus* esse. Legi & litteras Hugonis Decani Carnutinæ Ecclesiæ, datas *mense Majo, anno* 1226. *de jure, quod Hemericus Renart habet in Granchia de Brajaco.* Idem locus designatur nomine *Brajoti* in litteris *Gervasii de Castronovo Canonici Carnotensis*, quibus reditus suos *pedagii de Brajoto*, id est, centum solidos dat Ecclesiæ Carnotensi. In litteris Raginaldi Carnotensis Episcopi an. 1190. *Odo Rufus, Miles Brajotensis opidi* memoratur, nec non *Garnerius Prior Sancti Johannis de Brajoto: & decimam piscium in Brajoto castro Goëti* S. Aviti Monachabus Castrodunensibus confirmat Alexander PP. 3. literis anni 1170. Brajotum *castrum Goëti* vocabatur, propterea, quòd illud tenuerat præ cæteris Goëtus, qui Pertico minori, ubi Brajotum situm est, nomen suum dedit. Perticum enim Goëti nuncupant, *le Perche Goüet. Leprosorum de Brajoto* fit mentio in tabulis anni 1173. Nonnunquam nominabatur & *Brajum castrum.* Evolvi litteras de rebus datis, à *Willelmo quondam Præposito de Brajo castro Milite, dum Monachalem habitum suscepit in Cœnobio S. Petri Carnotensis*; item

item alias *de Ecclesia S. Romani de Brajo*, datas regnante Hainrico Rege Franc. *Notum esse volumus, quòd ego Airardus de Busdo (Bullon) & Landricus de Torsello Gaufridum commilitonem convenimus, ut loculum in quo Ecclesia S. Romani Mart. habebatur, S. Petro Carnotensi pro remedio sua suorumq; animarum concederet, qui non longè a castello Brajo distat, sed tunc vilis & incultus apud nos æstimabatur.* Brajacum vel Brajotum, vulgò nuncupatur *Brou*, estque opidulum Pertici Goeti, in diœcesi Carnutum, ac in confinio Pertici & Belsæ positum ad amniculum Ozanam *Ozanne*, qui in Lidericum decurrit apud Bonamvallem, postquàm Brajotum & Dangeolum vel Daniolium *Dangeau* alluit. Abest ab Autrico Carnutum leucas 7. à Castrodunensi 4. ab urbe Lutecia Parisiorum 25. In burgo suo vel suburbio habet veterrimum sui nominis Monasterium, nunc à Patrono loci prioratum S. Romani dictum. Situm est in loco palustri & lutoso, & cùm intra muros tum maximè extra, præsertim ad amnem valde cænosum est. His addere possumus Brajum *Brai* in Pictonum pago & Vicecomitatu Toarcensi; Wibrajum locum Falesiæ proximum, *la Guibray* dictum; Vallem Brai *Vaubray*, non longè ab urbe Lingonis; Follanebrajum in pago Laudunensi positum inter Calnacum & Codiciacum, *Follenbray*, villam Regiam Francisci primi ac Henrici II. cujus meminit Hincmarus Laudunensis Episcopus in epistola ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum; Tenerchebrajum, castrum ad Comitem Moritonii in Pertico olim pertinens, Willelmo Gemeticensi *in libri* 8. *capite* 13. memoratum, quod vulgò *Tinchebray* nuncupatur. Omnia hæc Braja, & Brajaca, vel Braica, aut Brajota; & quæ nominibus compositis Follanebraium ac Tenerchebraium appellantur; Breia quoque amniculus vel Braia, *Braye* aut *Bray*, qui Vibreium *Vibraye*, & Sabiniacum *Savigny sur Braye* præterlapsus, Lidericum infra Montem aureum auget; à brajo id est à luto nomen accepere, quòd in locis palustribus & lutosis condita sint. Monstreletius in voluminis primi *capite* 221. à brajo *brajosas aquas* pro lutosis dixit hisce verbis: Urbem intravit, in qua aquæ & scaturigines valde limosæ erant, *Passa parmy la Ville, où y avoit eaües & sources moult brayeuses.* Germani lutum *bruch* aut *broc* appellavere nomine à brajo non multùm recedente. Hinc in Morinis castrum, quod Nostris *Bourbourg*, Flandrensibus *Borborch* vocatur, veteres tabulæ anni 1110. *Broburgum*, aliæ anni 1105. *Bruchburch*, quædam *Brocburgum* & *Brucburgum*, hoc est lutosum opidum nominant. *Brucsellam* quoque pro *Bruxella* quibusdam dici *a situ palustri & lutoso* asserit Strada, nescius *Brucsellam* & *Brucsellas*, vetus ac sincerum opidi nomen, à luto deductum, in tabulis ante annos 600. datis reperiri, quod postea in *Brussellam* atque *Bruxellam* recentiores mutaverint. Quin & Brajum sive Brajotum in Pertico castrum, in litteris datis anno 1180. apud Chesnium de familia Drocensium *Broc* appellari constat. Hodieque *brauchet* Germanicâ linguâ lutum significat. Eadem fuit *brod* vel *brud*, quæ *broc* sive *bruc* significatio. Quippe Gilbertus *de Vita & morte Caroli Comitis Flandriæ*, *Brodburg* & *Brudburg* vocat castrum, quod alii *Bruchburch* & *Brocburgum* dicere maluerunt: & quod quidam ajunt ab incolis *Brouëbourg* nuncupari, id est lutosum opidum. *Brouë* ergo lutum est, à quo & Broagium *Broüage* nomen invenit; castrum pæne undique salinis circumfusum, & in loco valde limoso palustrique situm, proximum Turri Braii vel luti, *Tour de Brouë*. *Brou* quoque vulgò dicitur à Nostris, id est lutum, quod Latinè Brajum, & Brajotum in Pertico. Lutum certè vel aquam lutosam *brouët* olim a Nostris nuncupatam esse, reperio in veterum Francicarum Annalibus. Apud Monstreletium Ludovici Aurelianensium Ducis filii tres pupilli, in litteris suis ad Regem Carolum VI. datis 6. Idus Julias anno 1411. quæ & à Juvenale Ursino mutatis nonnusquam aliquot verbis referuntur, de cæde patris sui sic scribunt: *En outre luy coupperent & cervenerent la teste en divers lieux, tellement que la cervelle en cheut au brouët presq; toute: auquel brouët & boüe ils le travaillerent & trainerent, jusques adonc qu'ils le veirent tout roide mort. Brouët & Boüe* pro uno eodemque, nimirum pro luto accipit Monstreletius: ut vocabulum nostrum *boüe* factum est ex *brouë* & *brouët*. *Brouët* autem ut & *brod* & *brud*, deducitur à brodium, quo nomine jus, & liquida esculenta, ac humor designantur. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Bramæ, pop. Africæ, in Æthiopia inf. & regno Loanghi, inter Anzicanos pop. & Oceanum.

Bramagum, vel *Bromagum*, Anton. Sequanorum op. vulgò *Romont*. Simlero *lib.* 1. *de Vall.* & Guillimanno *p.* 40. est *Bromasin*, parœcia opp. *Ru*. Cluverio est vicus *Bro*. Vid. Joh. Bapt. Plantinum *Helv. descr.*

Bramma, Sinarum regionis urbs. Ptol. *Brema* Mercatori.

Brana, Turdulorum op. in Hisp. & Conventus Cordubensis. Plin. 3. 1.

Brancedunum Castellum, in litteris Petri Albanensis Episcopi & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis anno 1178. *proxima* Cluniacensibus *castella Brancidunum, Berzsiacum, Buxeria, Sedunum, & Oscella* memorantur. In aliis litteris *Iocerannus dominus Branceduni*; idem in litteris Achardi de Maceio Militis, *Nobilis vir, dominus Iocerannus, dominus de Branceduno* appellatur: in litteris quoque Urbani PP. Anni 1095 *Brancedunum*. Brancedunum nunc vocatur *Brancion* ad Graonam flumen. Buxeria est *Bussibourg*; Sedunum *Sandon*; Oscella *Ucelle*. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Branchiades, Apollo dictus est à *Brancho* Thessalo, vel à *Branchidis* pop. apud quos responsa dabat. Strab. 14.

Branchidæ, Apollinis Didymæi sacerdotes. Plin. 5. 29.

Branchidæ, Asiæ populi bilingues, circa Oxum flumen uspiam, quorum urbem adeò excisam scribit Curtius 7. ut ne hujus vestigium exstet. In Sogdianâ est Straboni *lib.* 11.

Branchidarum oraculum, locus Cariæ. Plin. Βραγχίδαι. Straboni. Niger scribit *Petrun* vocari.

Branchillides, Bœotorum princeps. Pausanias.

Branchus, Apollinis fil. Lactantius ad Statii *Theb.* 8. vult filium fuisse Simeri ex Patronis filia, qui cùm Apollinis malas deosculatus esset, ab eo captus, coronam & virgam accepit, unde cœpit vaticinari. Post hoc ingens templum est ei ædificatum, quod *Branchiadon* nominatur. Idem *ad* 3. *Theb.* Thessalum fuisse dicit.

Brancotii, pop. Asiæ. Plin. 6. 20.

Brandenburgensis Marchia, regio amplissima Germaniæ, nomen habet a metropoli *Brandeburgo*: vel (ut vult Merellus) à veteribus incolis Suevis Marcomannis, hos enim orientalem Albis ripam antea tenuisse non obscurè ostendit Velleius Paterculus, qui ipse fuit in exercitu Romano, quem auspiciis Augusti Cæsaris Tiberius usque ad Albim fluvium, domitis antea interjectis populis, perduxit, & cum classe Romana flumine Albi subvecta conjunxit. Protenditur hic Marchionatus, cujus Henricus Auceps, Marchione constituto, An. 928. auctor fuit, in longitudinem ad 60. mill. Germanica: ad occasum clauditur Saxoniæ, Misniæ, & Megapolensium regionum limitibus: quà Septentrio est, Stetinos, Pomeranos & Cassubios respicit: versus Orientem Poloniam & Silesiam contingit: à meridie habet Bohemiam, Lusatiam & Moraviam. Marchio ejus est etiam *Elector Imperii*, & inter opulentissimos potentissimosque Germaniæ Principes numeratur: quippe qui præter Marchiam utramque etiam in Lusatiæ Comitatu & Silesia urbes multas possideat. Dividunt quidam hanc Marchiam in duas tantùm partes, in *Veterem* sc. & *Novam*: alii verò in tres, nempe *Veterem*, *Mediam*, & *Novam*. Vetus Marchia incipit à solitudine, quam Luneburgensem cognominant, & ad Albim fluvium usque protenditur, ex altero verò latere usque ad Magdeburgum: hujus incolæ olim fuerunt Senones Suevi, nec non alicubi Angrivarii cum Teutonibus: ejus longitudo est octo milliarium Germanicorum, & totidem latitudo. Media Marchia ab altera Albis parte initium sumit, & extenditur ad Oderam & Suevum (vulgò *Spre*) fluvios: olim hanc habitarunt Suevi: in ea sunt Brandeburgum metropolis, & Francofurtum ad Oderam, urbes amplissimæ, & aliæ quam plurimæ: ejus longitudo est viginti milliarium Germanicorum, & totidem latitudo. Nova Marchia à media dividitur Odera fluvio, eo tractu quo Warta fluvius prope Costrinum aquas suas in illud exonerat: ejus ambitus est viginti milliariorum Germanicorum. Alii totam Principis Electoris Brandeburgensis ditionem in septem aut octo *provincias* distribuunt, quæ sunt, *Alde Marck*, sive, Vetus Marchia; *Meddel Marck*, sive Media, *Neu Marck*, sive Nova; *Uker Marck*, *Pregnits*, *Crossen* Ducatus, *Sterneberg* & *Cotbus* dominia; item *pars Lusatiæ*. In toto Marchionatu Brandeburgensi cum eo quod est sub ejus jurisdictione, continentur 55. amplæ civitates: 64. oppida: 16. oppidula: 38. castella: 10. vivaria: & 17. cœnobia. Producit corallium: Ætitem, Schistum, aliasque non ignobiles gemmas. Munster. Ortel. Merc. Metel. Hodie autem ingenti accessione hic Principatus auctus est, nempe Pomerania ulteriore, Episcopatu Caminensi, Halberstadiensi, Mindensi & Archiepiscopatu Magdeburgensi. Jubileum in ditione Brandeburgica an. 1617. sicut in Saxonica, Palatina, &c. celebratum est, Deoque pro accensa Evangelii luce gratiæ actæ sunt. Primum Marchionem Brandenburgi constituit, ut dictum, Henricus Auceps. Dein an. 1376. Carolus IV. Imp. Sigismundo Marchionatum emit, & Electoratum contulit, postquam uterque sub Ascaniis Principibus fuisset à tempore Friderici Barbarossæ, Imp. Hodiernæ familiæ Electoralis origo est, à Friderico Comite Zollerio, quinto hujus nominis Burggravio Norimb. sed inter Electores primo. Hic enim Sigismundo Imp. operâ in bellis Ungaricis & Bohemicis strenuè navatâ, ab ipso, Constantiæ Elector & Marchio creatus, an. 1415. ac investitus est, an. 1417. Inde dux Comitiis Norimb. contra Hussitas declaratus, ab illis ditiones suas vastari, Francofurto etiam obsessâ, vidit. Pater Friderici Ferrei, qui Poloniæ Bohemiæque regna sibi oblata recusans, Basiliensis Concilii protector fuit, an. 1434. & Alberti, Electorum. Hic *Achilles Germ.* aliis *Ulysses*, dictus, V. infra, vitâ functus est, an. 1486. Auctor legum fundamentalium domus & confraternitatis cum Saxonibus & Hassis: ut & duarum linearum, per Johannnem, & Fridericum filios: quorum ille *Magnus* & *Cicero* dictus genuit minorem natu Albertum, Arch. simul Magdeburgensem & Moguntinum: qui An. 1536. liberum religionis exercitium suis permisit: Primogenitum autem

Joachimum I. cognom. *Nestora*, Acad. Francofurtensis auctorem, An.1517. qui Elisabetham Danicam uxorem, quòd Evangelium cognovisset, in Saxoniam fugere coëgit, mortuus An.1535. Huic successit fil. Joachimus II. qui religioni Evangelicæ nomen dedit, An.1539. postea Spiræ An.1542. dux Imperialis exercitus contra Turcas declaratus. Hic genuit Joh. Georgium El. qui auxilia Henrico IV. in Galliam, adversus Ligistas, mitti decrevit, An. 1591. Obiit An. 1598. Communis pater omnium hodie ex gente Brandeburg. superstitum. Ejus enim fil. Joachimus Fridericus, qui An. 1566. Archiep. Magdeburgensis creatus, licèt uxoratus, in possessione mansit, patrique in Electoratu successit, An.1598. cujus fil. Joh. Sigismundus El. Reform. religionem amplexus est, An.1614. Quem excepit filius Georgius Wilhelmus, An. 1619. cujus fil. est Fridericus Wilhelmus, natus An.1620. rebus gestis olim hodieque, fervente contra Suecos bello, quod an. 1675. exortum, toto orbe inclytus. Numerosæ prolis è duplici conjugio parens. Christianus verò secundus filius Joh. Georgii Culmbacensis seu Berutinæ, Joachimus & Ernestus tertius fil. Onolspacensis seu Anspacensis lineæ satores fuere. V. infra.

Brandeburgicus Albertus, fil. minor natu Johannis, cognom. Magni, Electoris, Canonicus Trevirensis, dein Archiep. Magdeburgensis, & Episcopatus Halberstadiensis administrator, postea 1514. inaudito exemplo, etiam Archiep. Moguntinus, ac 1518. Cardinalis. Francisci I. electionem impediit. Cum Ludov. quoque Com. Pal. creditur unus obstitisse, quo minus ob religionem in Germania prius bella orirentur. Sub eo 1524. Magdeburgi reformatio instituta, excito Luthero. Tandem ipse Cardinalis, An.1536. subditis civitatibus & nobilitati, in diœcesi Magdeburg. & Halberstad. liberum religionis exercitium permisit. Obiit An.1545. Serarius *hist. Mogunt.* Bruschius *de Prælatis Mog.* Trithemius, Spenerus *in Sylloge Geneal. historica*.

Brandeburgum, quasi *Brennoburgum*, celebre oppidum & metropolis Mediæ Marchiæ Brandeburgensis, extructum, ut quidam volunt, à Brenno, Duce Gallorum; vel, ut alii, à *Brandone*, Francorum principe, Marcomiri *filio*: situm est ad fluvium Havelam, à quo etiam dividitur in Novum & Vetus: est hîc totius regionis tribunal: multa habet privilegia & immunitates ab Imperatoribus, Regibus & Principibus ei concessa: cujus indicio est statua pedestris in novæ urbis parte posita, strictum gladium dextrâ gerens, quam Rolandum cives vocant. Ortel. Merc. Capta urbs à Suecis An. 1675. & recepta est. long. 35.00. lat. 52. 39. Hinc Marchia Brandenburgensis, cum Electoratus dignitate, inter Luxemburgensem, Brunsuicensem, Magdeburgensem ditionem, Silesiam, Pomeraniam & Prussiam Regiam. Dividitur in Veterem Marchiam, *die Alte Marck*. Mediam seu *Mittel-Marck*, ubi Brandeburgum urbs præc. Berolinum, sedes Electoris, Francofurtum ad Oderam, Universitate inclytum. &c. Novam seu *Neumarck*. Vid. supra. Nomen Marchiæ ab eo, quòd Henricus Auceps ibi Marchiones seu præfectos constituit, qui postmodum hæreditarii facti. Electoralis familia hodierna, à Friderico I. descendit, quem Rudolphus I. Imper. sororis suæ maritum, Burggravium Norimb. creavit, An.1273. Cujus nepotum uni Friderico IV. Marchiam Sigismundus Imp. vendidit, Anno 1411. cumque Electorem declaravit, Concilio Constant. ob res in Hungaria & Bohemia præclarè gestas. Hujus fil. Fridericus V. Pomeraniam obtinuit, à Friderico III. Imper. Postmodum familia in varios ramos divisa. De quibus V. Spener. *in Sylloge Geneal. hist.* & supra. Elector Brandeb. etiam Archicamerarius Imperii est, hodieque insuper Prussiam ducalem, Ducatum Crossen, in Silesia, &c. possidet, Reformatæ Religionis fortissimus vindex, Fridericus Wilhelmus.

Brandeburgum, urbs Prussiæ Duc. ab Electore Brandeburg. noviter condita, ubi Pregela fluv. in sinum *Frisch Haff* se exonerat, aliquot mill. infra Regiomontem.

Brandmyllerus Johannes, Biberacensis, Theologus insignis, Eccl. Basiliensis Minister. Edidit *Conciones funebres* 400 *ex V.T.* 80. *ex Nov. Nuptiales itidem, ex priori* 40. *ex post.* 20. Basil. an. 1572. Hanoviæ, An.1608. &c. Obiit An.1586. Pater Johannis Jacobi, cujus extant: *Analysis. typ. Evangeliorum Domin. & Festival. cum observ. Basil. Anno* 1620. *Analysis seu loci Comm. ex Symbolo Apost. & Decal. Ibidem. Analysis omnium Epist. & Apoc. Basil.* 1622. *Anal. typ. librorum V.T. Poët. & Proph. &c.* Catal. Oxon.

Brandmyllerus Jacobus, J.Jac. ex filio nepos: Orator, Poëta, JC. clarissimus, in Academia Basil. Jus docet. Ejus extant, *Manuductio ad Jus Can. & Civ. Dub. Juridica ad Schotanum, &c.* Alia sub prælo sudant.

Brangonia, quæ & *Vigornia*, Angliæ urbs, ad Sabrinam fluv. vulgò *Worcester* dicitur & *Brannogenium*. Ptol. Aliquibus *Bangor* videtur.

Branicum, castrum Comit. Tirol. in dit. Episc. Brixiensis, ad amnem *Rsencz*.

Brannesia, Urbs Episc. Holsatiæ, in Vagria regiunc. fuit, nunc castrum, 2. leuc. ab ora maris Baltici. *Oldenborch*. Vide *Aldeburgum*.

Brannogenium, Camdeno opp. Cornaviorum, nunc *Worcester*. Vid. *Brangonia*.

Brannovices, pop. Gall. Narbon. in Allobrogum finibus, quorum regio *la Morienne*, vel *Maurienne* dicitur.

Branodunum, litoris Saxonici in Britanniâ opp. Lib. Notit. *Brancester* Camdeno teste in Norfolciâ.

Branovium, nunc *Vigornia*, infelici pugna Scotorum adversus Anglos nobilis, An.1652. Vid. *Vigornia*.

Brasiæ, urbs Laconiæ. Steph. *Prasia*. Ptol. *Ciparisi*. Zardo. Sed Nigro *Tyros*.

Brasidas, dux Lacedæmonius celeberrimus, circa Amphipolim ab Atheniensium multitudine impar deprehensus, claudendum se præstitit, ut per longum Coronæ ambitum, hostium frequentiam extenuaret: quaque rarissimi obstabant, erupit. Frontinus *in Stratagem.* Vide Suidam in Βρασίδας. Diod. Sic. *libr.* 12. Thucyd. *lib.* 3. 4. 5. Plut. *in Apophth.*

Brasilas, Cous quidam, cujus mentio est apud Theocr. *Idyl.* 7. Vide sis ibi Scholiasten.

Brasilia, Aliàs Provincia *S. Crucis*, quia hac die detecta, Americæ meridionalis pars admodum ampla & fertilis, duobus ab Æquatore gradibus partibusve, ad quinque & quadraginta in Austrum excurrens, Trigoni oblongi speciem refert, cujus basis in Æquatore ad Septemtriones obversa, ab Oriente in Occidentem rectâ protenditur. Angulus extremus ignotus ad Meridiem regiones attingit, latus in Orientem spectans interposito mari Hesperiis Æthiopibus adjacet: Alterum latus à Provincia Peruana disterminant montium juga, adeò celsa, ut ipsarum avium volatus fatigare dicantur; Sita est inter duos fluvios Maragnon & Della Plata. Regio est amœna, cœli admodum jucunda salubrisque temperies, terra partim in planitiem soluta, partim in colles clementer assurgens; quadrupedia hîc plurima, sed ferme sylvestria, partim nota nobis partim incognita, aves coloris eximii, multæ hîc Portugalensium Coloniæ. Plura vide apud Maffeium. A Lusitanis detecta, & occupata etiamnum Regem Portugalliæ agnoscit. Dividitur in 14. Præfecturas, seu Capitanias. Ejus Urbes præcipuæ Soteropolis Portus omnium SS Olinda, Portus securus, Siara, Spiritus S. Fanum S. Sebastiani. In Orbem maximè porrigitur Baudrando, inter Paraguajam prov. & fluv. Amazonum. Alvarez Cabralus, tempestate hac ejectus, primus columnam ibi cum Lusitaniæ Regum insignibus, erexit. Americus dein Vesputius regionem exactius lustravit. Incolæ nudi, neque serunt, neque metunt, fœcunditate soli & ferarum abundantiâ, in otium versi. Hostes captos devorant: sine Rege, sine Lege, sine Fide. Post Lusitanos Galli huc venerunt, Angli dein & Belgæ, qui postremi, Pernambuco urbe captâ, quatuorque regnis subactis aliquot annos hîc rerum potiti sunt, Mauritio Princ. per XII. annos Vice Rege hîc constituto, postquam Christoph. Arczisзevius, præclaram ibi operam Ordinibus præstitisset, postmodum à Lusitanis denuo tantùm non excussi. Ligni hinc Brasiliani, in tinctorum usum, sacchari, &c. magna copia in Europam adfertur. Vid. quoque Joh. de Laët, *Nov. Orb.* Osor. *l.* 2. Linschotum, Jarricum *l.* 3. Herreram *cap.* 25. Barlæum *in Brasil.* Abbævillanum *cap.* 3. *&c.*

Bratislavia, Urbs Poloniæ & Lithuaniæ Duc. cum arce in scopulo, ad Lacum *Braslavv*.

Brattia, vel *Bractia*, Moesiæ provincia, cum Pannoniis conjuncta. Plin. 4. *ult.* Aliis est insf. maris Adriaci Liburniæ oræ adjacens, capreis, & bobus abundans. *Bratza* vulgò dicitur.

Brattia, Insf. oblonga, in ora Dalmatiæ, inter Spalatum & Narentam, sub Venetis, prope Tragurium & Lesinam Insf. *Labrazza*. Baudr. Vid. *Brachia*.

Bratuspantium, vulgò *Grattepance*, teste Car. Bovillo, vel *Granuiller*, pagus & Abbatia. Aliis *Beaumont*, *al. Clermont*, opp. in fin. Bellovacor. in Gall. Belg. Multis est *Bellovacum*, Baudr.

Brava, urbs Afr. in Zanguebaria reg. & Ajana ora, cum portu. Non procul ab Abyssinia.

Braulion, Episc. Cæsaraugustanus, in Hisp. scripsit quædam, ut & syllog. Canon. Ildefonsus *de Viris. Ill. c.* 12. Baron. A.C. 636. *n.* 18.

Braunodunum, opp. Norici ad Oenum flu. vulgò *Brannavv*. long. 35. 25. lat. 48. 10.

Braunsfelda, opp. Franconiæ, in monte, in Comitatu Solmensi, prope Lanum fluv. 3. leuc. Germ. à Giessa.

Brauron, Atticæ op. Strabo *lib.* 9. à *Braurone* heroe, unde etiam *Brauronia* Diana dicta. Vide Meursium Græc. feriat. p.67.

Bravum, Murbogor. Hisp. Tar. urbs. *Burgos* Taraphæ. V. *Burgi*.

Bre, Thraciæ urbs. Procopius.

Brea, civitas Atheniensium, in quam postea coloniam miserunt. Steph. Hesychius, Βρέα, πόλις Θρᾳκίας εἰς ἣν Ἀθηναῖοι ἀποικίαν ἐξέπεμπον.

Brechinia, prov. Angl. in Wallia oppidumque ad Oscam fluv. cognomine, vulgò *Brecknock*.

Brechinum, urbs Scotiæ in orâ orientali episc. sub archiep. Andreapolitano, inde ad 55. mill. in Bor. inter Aberdoniam & Castrum Chaledonium urbes 20. ad Escam fluv. in Angusiâ regione, vulgò *Brechin*. long. 17. 38. lat. 58. 12.

Brechynia, Urbec. Boh. cum arce bello Taboritano nota. Quibusd. est Bechynia ad Laucnitz amnem, prope Taborum.

Breda, urbs Brabantiæ permunita, ad fluv. Mervam, cum titulo Baroniæ, in dit. Principis Arausicani, sub Hollandis tamen. Ab amne ei nomen, is *Aa* hactenus, in latumque editus mœnia perlabi-

labitur, mutato in *Mercam*, vocabulo, & mox ad Septembergas in maris sinum se exonerat. Polana domus ex emto illam tenuit olim: inde NassaviaEngelberti matrimonio, cujus Henricus pronepos, munimenta fossasque addidit, & nobilissimam arcem, præsidio simul, & ostentui. Ab Heraugerio, auspiciis Mauritii princ. egregio stratagemate capta est, an. 1590. Vide Grot. *Histor. lib. 2.* In Spinolæ manus, nono obsidionis mense, pervenit, an. 1624. Sed fortiter recuperata est, an. 1637. à Friderico Henrico Principe Arausf. post duorum mensium obsidium: Gymnasio illustri, ac pacis negotiis, an. 1575. inter Belgas & Hispan. ac haud pridem inter Belgas & Anglos, inclyta. Septendecim vicis imperat, fertili circum agro.

Bredenberga, oppidul. cum arce permunita, in Holsatia & Stormaria reg. ad Sturam amnem.

Brederoda, castrum Hollandiæ Sept. prope Harlemum. Hinc Familiæ illustri nomen.

Brefurtium, oppidul. Zutphaniæ, sub Hollandis, ab an. 1597. in loco paludoso. 2. leuc. à Grolla.

Brega, urbs Silesiæ, Ducatus cogn. caput ad Oderam flu. vulgò *Brieg*. 4. leuc. ab Uratislavia, totidemque ab Oppolio distans.

Bregetium, Pannoniæ sup. urbs. Ptol. Cluverio Strigonium, *Gran*. Aliis *Komara*, arx ad Danub. in Scutia inf.

Bregi, & *Breges*, Phryges populi. Strabo *l. 12.*

Bregmenteni, Asiæ pop. in Troade. Plin. 5. 30. Sunt qui *Bregneni* legunt.

Brema, dicta à voce *Prämen*, i. navibus latissimis, quibus olim in transnavigando usi, antequam ponte Visurgis jungeretur: Civitas est Imperial. muro circumdata, circa an. 1309. & inter insigniores Germ. urbes locum tenet: in infer. Saxonia cum Archiepiscopatu, cujus sedes olim ab Hamburgensibus huc translata est, ubi antè Archiepiscopatus erat omnium Aquilonarium provinciarum; & Duc. Frisiæ orientali vicina, Hanseatica, mercimoniis florens est, ad Visurgim fluv. posita, ex quo admirandæ altitudinis rota aquam ad incolarum necessitates in hanc urbem per canales subterraneos artificiosè transfundit. Ligneum habet pontem, sub quo molæ frumento frangendo, & tormentario pulveri tundendo destinatæ complures ordine hærent. Gubernatio ab antiquo penes Potestates & Judiciariam manum: postmodum Proconsules & Consules, stetit, donec in Oligarchiam, tempore Grœpelingii, interfecti an. 1307. vergeret: quibus ejectis magis Democraticè regi cœpit, donec an. 1391. sub Bonifacio P. dispositione hujus accedente, optimi quique de civitate in Senatum cooptarentur: quæ electionis ratio hodieque in usu. Caput est regiunculæ adjacentis, in varias *Gohen* divisæ. Libera semper fuit, neque Archiepiscopus jus terrendi aut merum mixtumque imperium, aliaque juri territoriali adhærentia, habuit unquam. Joh. Wachmannus *Descr. Reip. Brem.* Zeileri *Itiner. Germ.* Saurii *Theatr. urb.* Ob fidelitatem jam olim insignibus privilegiis donata est, à Carolo M. Friderico I. Henrico V. Wilhelmo, Carolo V. Matthia, Ferdinando III. Impp. De controversia cum Archiepiscopo, an. 1639. ut & de statu immedietatis ejus, motâ an. 1641. ab Arch. & an. 1653. à Suecicis Leg. iisque quæ hinc suborta, Vid. Burgoldensem. *p. 3. ad Instr. Pac. Disc. 13. n. 3. & ibi not. Franc. Irenici, in Colleg. ad Burgold.* Insignium ei loco Claves sunt, eò quòd, ob viciniam maris, non modò Imperio mercibus suis multum utilitatis affert, sed & mare præsertim ad Wiseræ ostium, & in Wisera à prædonibus liberum, tutumque præstat. Plura vide apud Limnæum *de Cæs. Imp.* Reformatam relig. sequitur, primo Evangelii præcone usa Henrico Zutphaniensi: Lutheranis exercitio libero quoque concesso. Bremervordia, sedes postea Archiepiscopi, cujus ditio nunc sub Suecis, ab an. 1649. Adam de Bremen *l. 1. c. 17.* Crantz. *histor. Sax. l. 1. & 2.* Cluver. *l. 3.* long. 30. 17. lat. 53. 25. Vid. *Bremensis Duc.* & *Phabiranum*.

Brema, urbs Asiæ, in India extra Gangem, ad fluv. Menanum. Caput regni cognom. in regione *Pegu*.

Brembus, fluv. Italiæ & agri Bergomensis. Hinc Brembana vallis. Oritur in limite Vallis Telinæ, & in Adduam se exonerat. 8. mill. à Bergamo.

Bremefurda, opp. Duc. Bremensis. Vide *Vorda*.

Bremenium, Otadenorum urbs, in finibus Scotiæ & Angliæ. Ptol. *Berwick* Villanovano. *Bamburrow* Talboto, *Brampton* Camdeno, oppidul. Northumbriæ, ad amnem Till. Vide Burtonum *in Antoninum p. 37.* &c.

Bremensis Ducatus Germaniæ, trianguli isoscelis figura, cujus latera ferè æqualia sunt, Visurgis & Albis fluvii, in extremo anguli apice ad peninsulam, cui à novo opere seu Turri ad securitatem navigantium ibi extructa, nomen dederunt, coëuntes: Basis verò est linea ab Esta fluv. per fines ditionis Luneburgensis & Verdensis, paulò infra Alleræ, in Visurgim se exonerantis, ostium deducta. Hujus ditionis non eadem ubique qualitas: duæ enim oræ diœceseos Bremensis extrema ad Albis & Visurgis aggeres, admodum opimæ & frugum ac fructuum feraces sunt: medius verò tractus inter Stadam & Bremam, quem mercatores usitatè transeunt, horridus sanè & incultus est: Itaque *pallio expanso* diœcesin Bremensem vulgò comparant, cujus duæ anteriores oræ, à capite seu Albis & Visurgis confluente, ad utriusque fluminis ripas ascendendo, fructuosissimis agris & pascuis, velut Holoserico prætextæ: reliqua latitudo ex levidensi filo aut canabi contexta sit. Metel. Nunc subest Suecis, pace Monaster. cùm aliàs proprium haberet Archiepiscopum. Ejus urbes sunt Stada, Bremefurda, Buxtehuda. Sed Brema totius tractus caput, ferè sui juris est. Terminatur à Septentr. Albi fluv. à Merid. Visurgi, ab Ortu Ducat. Luneburgensi & Princip. Ferdensi, ab Occ. Comitatu Oldenburg. & dit. Lavenburgica. Baudr. A Confœderatis miserè raptata ditio est an. 1675. urbibus maximâ ex parte à Luneburgicis Principp. & Episc. Monasteriensi in potestatem redactis.

Bremetonacum, Angliæ opp. Anton. *Ribchester* Camdeno, viculus Lancastrensis ad amnem Ribbi, 10. mill. Angl. ab ora littor. in Ortum.

Bremogartum, vulgò *Bremgarten*, opp. Helvetiorum, ad Ursum amnem, 15. m. p. ab aquis Helvetiis, Lucernam versus. Fuit olim civ. Romani imper. postea Habspurgicis, & qui ex his orti, Austriis Principibus paruit. A Sigismundo Imp. cum Mellinga, Helvetiis, qui loca hæc Imperii nomine, an. 1415. occuparunt, oppignorata est: à quo tempore octo vett. Pagorum imperium agnoscit. Fortitudine insignes incolæ. Missa hic imaginesque abolitæ, an. 152. restitutæ sunt an. 1531. Imperat vicis aliquot, quos vocant Cellæ præfecturam, *das Keller-amt*: in qua tamen summum imperium & animadversio in capitis reos Tigurinis competit, Vide Stumpf. *Chron. Helv.* Simlerum, Guillimannum, &c.

Brenda, à vett. poëtis brevitatis causâ appellabatur Brundusium, teste Festo.

Brendulum, oppidul. Italiæ, cum portu, in inf. maris Adriatici & Ducatus Veneti, prope littus & fossas Clodias, paucis mill. à Venetiis in Austrum, *Brendolo*.

Brenlandus, cogn. *Brito*, sub Eduardo III. an. 1340. Astrologiam Judiciariam scriptis editis refutavit. Gesner. *in Bibl.*

Brennacum, oppidul. Galliæ ad *Claise* amnem, in Turonensi prov. & confinio Ducat. Bituricensis, vulgò *Mezieres*, seu *S. Michel en Brenne*, P. du Val. Aliis est *Brenne*, vicus Campaniæ, in agro Remensi. Valesio *Brennacum*, seu *Brannacum* villa olim Regia fuit Regni pagique etiam Suessionici, posita ad flumen Vidulam; in qua Chlotharius extruxerat Regiam, morarique consueverat, ubi & ejus thesauri servabantur: à Gregorio Turonico Episcopo, à Fortunato, Fredegario, cœterisque memorata: quò Episcopi ex toto Chilperici Regno ad cognoscendam Gregorii ipsius causam evocati convenerunt. Vulgò *Braine* appellatur. *Villam Brennacum*, vel ut Fortunatus & Gesta Regum Francorum vocant *Brinnacum*; Frodoardus *castrum super Vidulam* situm, *nomine Brainam*, item *munitionem Remensis* (aliàs *Rodomensis*) *Ecclesia super fluvium Vidulam sitam, quam vocant Brainam*, nuncupat. Hic locus S. Euhodii Basilicâ insignis est, vulgò *S. Jued* dicti: quæ Abbatialis Basilica duplici titulo ac patrocinio ab origine gaudens, olim *Ecclesia S. Mariæ & S. Euhodii* dicebatur; jam omisso B. Maria nomine, *Ecclesia S. Euhodii* pridem dicitur. *Branam* prò Brennaco vel Braina ferè omnes recentiores scriptores appellitant. Est & in Hainoo Comitatu Braina Comitis cognominata, *Braine le Comte*: est & Brennacum vel Braina castellum, *Braine le Chasteau*. Est quoque non procul ab Arciaca & à flumine Alba in Campania Gallica *Brenna*, *Brenne*; Frodoardo in rebus anni 951. *munitio quadam nomine Brena* dicta. *Not. Gall.*

Brenni, pop. Norici, aliis *Breuni*. Strabo Βρέῦνυς καὶ Γεναύνυς conjungit. Similiter Horatius,

> —— *Milite nam tuo*
> *Drusus Genaunos implacidum genus*
> *Breunosque veloces & arces*
> *Alpibus impositas tremendis*
> *Dejecit.* ——

Legendum etiam, ut rectè vidit Xylander, *in tropæo Alpium*, ISARCI. BREUNI. GENAUNI. *Perlachres* hodiè Aventino; Item *Breuni*, pop. Alpini in Lepontiorum confinio, quorum reg. *La Val di Bregna* Italis, *Palenserthal* Germ. teste Tschudo nominatur; ubi *Breunus* fluv. *Bregno* vulgò, per vallem antè dictam, decurrens in Ticinum fluv. labitur.

Brennia, oppidul. Hannoniæ. Ab aliis *Braine*. Dicitur etiam *Bronium*, quod Vid.

Brennoburgum, vide *Brandeburgum*.

Brennus, Gallorum Senonum dux, qui cum 300. armatorum millibus in Italiam irrumpens, Clusium, hodie *Chiusi*, in Tuscia, obsedit, inde à Romanis, quorum opem obsessi imploraverant, depulsus: in hos proin armis conversis, illos apud Alliam fluv. ingenti clade profligavit. Deinde ad urbem pergens eandem cepit, totamque exussit, præter Capitolium, quò nobilior juventus confugerat. Sed cùm & illud aggrederetur, Romani cum illo convenerunt, ut acceptis aliquot auri talentis, obsidionem solveret. Cùm igitur aurum penderetur, ipse dux gladium suum vaginâ educens, & hunc pensari imperavit. Sed cùm hoc Romani, ut rem injustam recusarent, atque ita invicem contenderent, Camillus exul, qui absens Dictator creatus erat, collectis iis, qui Româ profugerant, Gallos ex improviso adortus est, qui relicto auro,

auro, cum maximo suorum detrimento fugâ sibi consulere coacti sunt. Camillus verò eos continuò prosequens ex Italiâ expulit. Plutarchus *in Camillo*, Ἅμα δὲ ἡμέρᾳ παρῆν ὁ Κάμιλλος ἐπ' αὐτὸν ὡπλισμένος λαμπρῶς καὶ τεθαρρηκότας ἔχων τότε τοὺς Ῥωμαίους, καὶ γενομένης ἰσχυρᾶς μάχης ἐπὶ πολὺν χρόνον, αὐτός τε τρέπεται πολλῷ φόνῳ, καὶ λαμβάνει τὸ στρατόπεδον. Secutus est (inquit Palmerius) hoc loco Plut. T. Livium, ut sui Camilli, cujus vitam ornare instituerat, gloriæ grato Romanis mendacio velificaretur. Rualdus doctus quidem & acri judicio vir, & qui Plut. illustrandum & castigandum non sine multis doctrinæ adminiculis aggressus est, ad hunc locum multa dixit, nec tamen satis multa. Nam cùm T. Livium aretalogum, & Romanorum mancipium mendacii sategerit hoc loco arguere, id quidem fecit, sed ut mihi videtur, nimis strictè, & quasi ad aliud properans. Poterat enim eum pluribus telis obruere, & hanc fabulam ex hominum memoriâ radicitus evellere. Et Polybium quidem cùm citat, optimè facit; est enim rerum Romanarum fide dignissimus author, qui duobus tantùm, aut circiter seculis aberat ab urbis captæ temporibus. Sed de illo auctore celeberrimo id, quod oblitus est dicere Rualdus, notabo, T. Livium ferè omnia à Polybio accepisse, sæpe paginas integras illius auctoris suo operi intexuisse, adeo ut interpretis Polybii sæpissimè vice fungatur, ejus tamen suppresso nomine fere ubique, & si quando accidit, ut ejus meminerit, eum citasse cum elogio jejuno & mehercules invido, *rerum Romanarum non contemnendus author.* Unde sequitur, Livium malignitate quâdam cum assentatione erga Romanos, & odio erga Gallos aliter eam historiam tradidisse, quam à Polybio veraci & libero auctore acceperat. Sed, ut post Rualdi messem aliquod spicilegium in ejus agro faciam, aliquid etiam de meo ad id argumentum afferam, & tanquam triarius è subsidiis in primam aciem contra Livium advolabo, & ex ipsius Polybii pharetrâ telum depromam acutissimum, nempe *ex libro* 2. ubi Gallos Boios & Insubres, ut auxilium à Gæsatis Transalpinis impetrarent, his rationibus usos inducit: Ἀναμιμνήσκοντες δὲ τοὺς τῶν ἰδίων προγόνων πράξεως αὐτοὺς, ἐν ᾗ ἐκεῖνοι στρατεύσαντες, οὐ μόνον ἐνίκησαν μαχόμενοι Ῥωμαίους, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν μάχην κάτεσχον ἐξ ἐφόδου αὐτὴν τὴν Ῥώμην, γενόμενοι δὲ καὶ πάντων τῶν ὑπαρχόντων ἐγκρατεῖς, καὶ τῆς πόλεως αὐτῆς μῆνας ἑπτὰ κυριεύσαντες, τέλος ἐθελοντὶ, καὶ μετὰ χάριτος παραδόντες τὴν πόλιν ἀθραυστοι καὶ ἀσινεῖς ἔχοντες τὴν ὠφέλειαν, εἰς τὴν οἰκίαν ἐπανῆλθον. Ea sic latinè reddidit Casaubonus: *Majorum res gestas illis in memoriam revocantes, qui expeditione simili susceptâ, non solùm prælio Romanos vicerant, sed etiam à pugnâ Romam ipsam occuparant, bonis deinde illorum omnibus potiti, urbe etiam ipsâ per 7 menses in suâ potestate detentâ, postquam suâ sponte & beneficii loco eam victis tradidissent, illæsi, atque incolumes in suam patriam reversi fuerunt.* In quâ versione oblitus est vir magnus interpretari hæc verba, ἔχοντες τὴν ὠφέλειαν, quæ tamen litem decidunt, *habentes emolumentum*, id est proculdubio aurum, quod ex pacto acceperant. At si vera fuisset Gallorum ad internecionem deletorum clades, quam Tragicè narrat Livius, certè Bojorum illos legatos, ab ejus negotii mentione maximè abstinuisse decebat, quippe quòd contra eorum propositum Gæsatas à petitâ societate plurimum deterrere valebat, & ridicula fuisset eorum exhortatio, & magis ridiculus Polybius, qui eos ita dicentes introduxit, nisi Gallorum victoria omnibus nota, & constanter eo tempore credita fuisset. Itane credibile est, Polybium Africani & Lælii amicum, & contubernalem, virorum patriam amantium, & gloriæ gentis suæ cupidorum, qui proculdubiò multa Romanorum acta ab eorum sermone didicerat, & qui sua scripta eorum censuræ subjecisse dicitur, ausum fuisse talem narrationem suis paginis inserere, sine maledicentiæ notâ, & Romanorum odio, si contraria fama, vel dubia tantùm ad eorum virorum aures pervenisset? Exul nempe Polybius solo Romanorum auxilio fultus, sine lare, sine divitiis, Romanos ut auro redemptos, ad posteros traducere sine auctoribus fide dignis impudentissimo mendacio tentavit? Id certè putare foret absurdissimum. Sed nunc Trogum Pompeium audiamus, virum Romanum; Is *lib.* 28. Ætolos Romanorum legatis sic respondentes inducit: *Adversus Gallos urbem eos suam tueri non potuisse, captamque non ferro defendisse, sed auro redemisse.* Orationem etiam Mithridatis ad milites brevitate militari conspicuam, idem Trogus historiæ suæ inseruerat, & eam in suo compendio Justinus integram intexuit, quâ veluti telo trabali transfigitur tradita à T. Livio fabula: Ea sic se habet *l.* 38. *Mithrid.* ait, *se audire populos Transalpinæ Galliæ Italiam ingressos, maximis eam plurimisque urbibus possidere, & latius aliquanto solum finium, quam in Asiâ, quæ dicitur imbellis, eosdem Gallos occupasse, nec victam sibi solùm dici Romam à Gallis, sed etiam captam, ita ut unius illis montis cacumen tantùm relinqueretur, nec bello hostem, sed pretio remotum.* Hæc ultima verba T. Livium jugulant à Trogo cive Romano satis antiquo prolata. Nunc verò prodeat Suetonius Livio posterior tempore, & videamus, quomodo illius mendacio astipuletur. Is *in Tiberio, cap.* 3. sic ait de Tiberii majoribus: *Drusus hostium, duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit. Traditur etiam Pro-prætore, ex provinciâ Galliâ retulisse aurum Senonibus olim in obsidione Capitolii datum, nec ut fama, extortum à Camillo.* Sic Suetonius pro famâ & nudo rumore Livii fabulam explodit. Nam quamvis in eo fortè fuerit vanus Drusus, dum talem honorem sibi arrogavit, tamen nunquam eam gloriam affectavisset, nisi omnibus constasset, aurum illud à Gallis in patriam suam asportatum fuisse. Sed nunc Livium suo ipsius telo configamus. Ecce parum mendacii sui memor, Samnites in Hetruscorum advocato consilio ita disserentes inducit: *Unam ipsis spem in Hetruscis restare, scire gentem Italiæ opulentissimam armis, viris, pecuniâ esse, habere accolas Gallos, inter ferrum & arma natos, feroces cùm suopte ingenio, tum adversus Rom. pop. quem captum esse, auroque redemptum, haud vana jactantes memorent.* Certè nihil expressius dici potest, ideoque Paulus Orosius, dum eam historiam narrat, de Camillo non meminit. Quare certissimum est, nec de eo in eo negotio Trogum mentionem fecisse: omnia enim ferè ex Trogo habet Orosius, qui sic habet, *in fine lib. . de Roma capta: Universam reliquam juventutem, quam constat vix mille hominum fuisse tunc, in arce Capitolini montis latitantem, obsidione concludunt, ibique infelices reliquias, fame, peste, desperatione, formidine, terrent, subigunt, vendunt. Nam mille libris auri discessionis pretium paciscuntur;* & cætera quæ vide. Vapulet ergo fabricator talis mendacii, seu assertor T. Livius Romanorum adulator, & Galli nominis inimicus, utpote Patavinus domo, urbe semper Gallis vicinis infestâ, quod ipse fatetur *lib.* 10. inde ejus in Gallos odium, quod ubique testatur. Vapulet inquam & Rualdo, & mihi; & quicunque historicam veritatem amat. Elegantiæ quidem & nitoris laudem à me non invito accipiet, fidei verò & veracitatis nequaquam, & dum vapulabit, spectator adsit Plutarchus, qui hoc loco eum male secutus est, & Polyænus, qui ejus mendacii testes manifestè falsi, & qui inter se discordes, ut & cum Livio, tali fabulæ fidem magis derogant, quàm astruunt. Palmerius. Fuit alius quoque *Brennus*, priore junior, quanquam nonnulli eos perperam confundunt, qui exercitu 152000. peditum, 20000. equitum stipatus, Macedoniam invasit, Softhene occiso, Thessaliam vastavit, per Thermopylas Græciam ingressus, Olymp. 125. U.C. 476. ante C.N. 278. omnia depopulatus est, tandem in Phocidem pervenit, ubi Apollinis Delphici templum prædæ causâ ingressus, iram numinis in se concitavit. Polyb. *lib.* 2. Pausan. *in Phoc.* Justin. *lib.* 24. Prop. 3. 12.

Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.

De utroque *Brenno*, Vid. præterea Diodor. *l.* 14. Plut. *in Camillo*, Justin. *l.* 43. Eutrop *l.* 1. Florum, Zonaram, Callimachum *Hym. in Delum, à vers.* 73. & Scholiasten, qui historiam explicat, ut & Val. Max. 1. 2. De mortis genere dissentiunt authores. Just. *lib.* 24. *cap.* 16. *Cùm dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit.* Atqui Pausanias, inquit, illum vulneratum, veneno vitam finivisse, pudore sc. acceptæ in Græciâ cladis. Sed conciliat hos Diod. Sic. Βρέννος δὲ ἄκρατον πολὺν ἐμφορησάμενος, ἑαυτὸν ἀπέσφαξε. Is. Vossius. Βρὴν appellatur apud Suidam. Sunt autem, qui tunc temporis Imperatorum putant commune nomen fuisse, quia Cambri hodiè regem *Brennin* appellant, teste Camdeno. Sanè apud Britannos Gallos *Barner* judicem sonat, & *barn* est *judicare.* Accedit Syrum פרנם *parnas*, pro *Principe & Gubernatore*, Esaiæ. 3. 4. à radice פרנם *parnes*, quod *pascere* sig. Bochartus.

Brennus, mons Norici, *Brenner*, in Com. Tirol. apud Stiriacum opp. V. *Pyrenaus.* Item *Brennum*, *Bre*, pag. agri Brixiensis. Ferrar.

Brentesia, fluv. Venetiæ, *la Brenta*, Vid. *Medoacus.*

Brentha, urbs Arcadiæ. Steph.

Brentheates, fluvius apud Pausaniam.

Brenthus, Herculis filius à quo *Brundusium*, Græce Βρεντήσιον. Steph.

Brentius Johannes, Suevus, Canonicus Wittembergensis, Lutheri fidem amplexus, Ubiquitatis dogma; de quo vivente Melanchthone tantùm mussitatum, primus excudit, anno circiter 1540. Hospinian. *in præf. ad lib. Conc.* Onuphr. Chron. Anno Ch. 1549.

Brentonicum, P. Diac. *Brentoni*, Laz. pagus Venetiæ, ad Athesim, inter Veronam & Tridentum, *Brentonego* Italis; à Roboreto opp. 6. m. p. in Austrum, Veronam versus 30.

Breona villa vocatur, in libello proclamationis Domini Caroli Regis adversus Wenilonem, aliàs *Briona*: quæ nunc Brienna, *Brienne*, Comitatûs titulo insignis. A Breona vel Briona *pagus Brionensis*, Nithardo *libr.* 1. memoratus, inter Tricassinum & utrosque Barrenses, nomen accepit. In Capitulis Caroli Calvi *duo Brionisi* vel *Brionenses* pagi commemorantur à duabus Brionis dicti, quarum altera nunc vocatur *Brienna*, altera Brenna, *Brenne*: suntque ambæ in Campania Gallica non procul ab Artiaca & Alba flumine. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Breones, Fortun. *lib.* 4. *de Vita S. Mart.* Ptolomæo. *Breuni*, Vid. *Breuni*, Straboni *Breuci.* Pop. Vindeliciæ, inter Licum & Oenum.

de Bres Guido, Evangelii administer Valentiis Hannoniæ, scripsit An. 1561. Confessionem fidei, nomine Reformatarum in Belgio Ecclesiarum, 37. articulis comprehensam, quæ Gubernatrici primùm oblata, dein excusa est An. 1566. Scripta linguâ Valonicâ, paulò post in Belgicam translata, dein Latinè reddita est, ut in Syntag. ate Con essionum An. 1582. Genevæ impresso videre licet. Captis dein Valentiis, de Bres unà cum Peregrino de la Grange, ibidem verbi ministro, contra fidem datam, interemptus est, An. 1567. Confessio hæc, de qua supra, ante annos circiter 27. in hodiernam Græco-barbaram linguam, per Archimandritam quendam, à Batavis eum in finem sustentatum, translata est, cum Catechismo Heidelberg. Liturgiaque ac Disciplina Eccl. in usum Ecclesiæ Orient. Joh. Brun, *de Vera relig Hollandorum.*

Bresegella, oppidul. Romandiolæ, sub Pontif. juxta Anemonem fluv. ad radices Apennini, 6. mill. à Faventia, 2. à confinio domini Florent. Vulgò *Brisighella.*

Bressia, prov. Gall. inter Rhodanum, qui illam à Sabaudia & Delphinatu, ac Sequanam, qui eam à Lugdun. & Bellijo. ensi agro, Burgund. item & Helv. separat. Comitatus tit. clara, aliàs sub Sabaudiæ D. sed An. 1600. Francici juris effecta. Ei ab Or. Sabaudia est, à Sept. Burgundiæ Comit. Ab Occ. Burg. Duc. cum Lugdun. Præfectura; à Meridie Delphinatus. In super. & infer. dividitur. Prim. Urbs *Burgus*. Sub ipsa sæpe continentur regiunc. Beugesia & Verromæa. Guicheno, *Histor. de Bresse.*

Bressicia, urbs Polon. in Polesia prov. ad fluv. *Bug*, cum arce, Regionis caput.

Bressuria, urbec. Pictaviensis agri, ad amnem Argentonium, 3. leuc. à Parthenæo.

Bressus, Armeniæ maj. urbs. Ptol.

Brestia, Urbs Polon. in Cujavia prov. satis munita, inter paludes. Aliis *Brzestye*, vix 4. leuc. à Vistula fl. Hic S. Biblia, in Sarmaticum idioma versa, sumptibus Nicolai Razivilii Princ. ab Orsacio, Z cio, Tricesio, Jac. Lubelcio & Statorio, insignibus Theologis; excusa An. 156 . Postea Concilium Ann. 1595. & An. 1620. ad Græcæ religionis Lithuanos, cum Latinis uniendos habitum. Starovol cius.

Brestum urbs Aremoricæ, cum portu. Item Colonia, in nova Armo ica, in reg. Canada.

Bretellium, opp. Normanniæ, juxta Itonem fluv. *Breteüil.* 6. leuc. ab Ebroico; .à Vernolio.

Bretena, urbs Italiæ sub Venetis, Ptol. *Brinthum* Plinio, hodiè *Brignano*, ut vulgò volunt.

Bretina, op. Insubriæ. Ptol. quod hodiè *Barlasina* dici putatur.

Bretolaum, Lusitaniæ op. Ptol. *Bretulla* Moletio.

Bretonia, Urbs olim Hisp. Tarr. in Gallæcia, nunc pag. *Bretagna*, Mindonensi Urbi, quæ illi successit, proximus.

Bretta. oppidul. Sueciæ, in Vestrogothia.

Brettia, regio Italiæ, vide *Brutia.*

Brettotta, insul. in Adriatico mari. Steph.

Brettus, urbs Tyrrhenorum à *Bretto* Herculis filio. Addit Stephanus, Καὶ ἡ χώρα Βρεττία, καὶ ἡ γλῶσσα, qui locus corruptus est, & pro γλῶσσα legendum πόσα monet Bochartus *Geogr. Sacr. p.* 659.

Breuci, Pannon. pop. quos Saüs amnis præterfluit. Plin. 4. 35.

Breucomagus, Vid. *Brocomagus.*

Breve, Græc.-barb. Βρέβιον, scriptum quod summam rei continet; aliter *Pittaceum*. Zonaras *in Concil. Carthag.* Βρέβιον, ἡ ἐπιτομὴ λέγεται, καὶ σύντομος γραφή. Claruit vocabuli usus à tertio post Christum seculo, in Imperio primùm, mox in Ecclesia. Hic *Breve Apostolicum*, quod à Pontif. Romanis, illic Imperatorum, quod emanat à Cæsare, nuncupatum In Angl à *Brevia* dicuntur membranulæ sigillo Regio firmatæ, quibus Imperatoriâ brevitate Princeps aliquid mandat, vel prohibet. Hinc *Breviculus*, diminut. Hincmar. apud Flodoardum Eccl. Rem. *lib.* 3. *cap.* 21. *Brevigerulus*, tabellarius, Hist. Austral. *in exordio.* Vid. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Brevianum, Castrum agri Tarvisini.

Breviodurum, Anton. oppidum fuit Galliæ Celt. in ora Normanniæ, inter Juliobonam, ad Ort. & Neomagum, ad Occid. 17. m. p.

Brevis, Hisp. locus inter Bracaram & Augustam. Anton.

Breuni, pop. Germ. ad Ænum fl. vulgò *Brunawer.* Aventino *Brenni*. Eos Leander Albertus ad Bellinzonam, quam proin quasi *Breunizonam* dictam vult, locat: qua cum valle Brennia tribus antiquissimis Helvetiorum pagis subest. Horatius inter Vindelicorum populos à Bruto devictos *Breunos* refert. *Breuci* Suet. *in Tiberio.* Strabo *Brencos* nominat, illosque vult Porphyrio Cisalpinos esse. An *Bernenses* Plinii *lib.* 3. *cap.* 19. *Brunecum* opp. in Alpibus, *Brunna* etiam Suitiorum vicus, nominis vestigia servare videntur. Vallis Bruniæ incolas Breunos esse, probabilis conjectura est, Joh. Bapt. Plantino *Helv. Nov. Antiq.*

Brexia, (vulgò *la Bresse.*) Hanc *Brissiam* vocari animadverto in Vita S. Triverii Monachi his verbis: *Duo pueruli de pago Dobensi (Dombes) ubi Brissia dicitur, juxta fluvium Araris sive Sagonna. &c.* Ibidem *Prisciniacus vicus (Persieu)* & *rivulus Montenta (Monian)* memorantur. Quibus ex verbis intelligitur, Brexiæ seu Brissiæ portionem pagi Dombensis partem tum habitam esse. Litteræ Paschalis PP. II. datæ anno 1106. *in Episcopatu Lugdunensi Ecclesiam S. Germani in Brexia* commemorant. Hugo Lugdunensis Archiepiscopus dedit Cluniaco *Ecclesiam S. Desiderii sitam in Brixia, & capellam de Roorterco castro* (Riotier) anno 1094. ut litteræ ejus docent. A saltu Brexio nomen accepit, ut Briegium à saltu Briegio, Teoracia à silva ejus nominis, Perticus à silva Pertico, Aimoinus in libro 3. *saltus* pagique *Brexii* primus aut inter primos ante annos 650. meminit his verbis de Guntranno vel Guntchramno Francorum Rege, Cabillonensis Ecclesiæ S. Marcelli Mart. conditore. *Hanc denique Basilicam ipse divino succensus amore in suburbio quidem prædictæ civitatis, sed in territorio Segonûm saltuque Brexio studiosissimè ædificavit: ubi Monachos aggregans, Monasterium construxit, quod pluribus prædiis facultatibusque ditavit.* Vocat Aimoinus *territorium Segonûm* corruptè agrum Sequanorum trans Ararim, ubi in suburbano Cabillonensi & saltu pagoque Brexio Monasterium Sancti Marcelli conditum est; cùm Cabillonum sit citra Ararim in Æduis. Unde apud Fredegarium & in Chronico Sancti Arnulfi Ecclesia Sancti Marcelli *in suburbano Cabilonnense, sed tamen Sequanum est territurium.* Nimirum pars pagi Cabillonensis una cum Monasterio isto suburbioque civitatis Cabilloni trans Ararim est, quo fluvio Ædui à Sequanis dividuntur: quam agri Cabillonensis portionem hodieque *Brexiam Cabillonensem* Nostri cognominant, *la Bresse Chalonnoise*. Brexiam enim in duas dividunt partes, & alteram, sed minorem, *Brexiam Cabillonensem* nuncupant, quæ ad Reges nostros pridem pertinet; alteram *Brexiam Sapaudicam, la Bresse Savoyarde*, quam Carolus Emmanuel Dux Sapaudorum anno 1601. Henrico Magno, Regi Francorum pro Salutiis dedit, Comitatûs titulo insignem inter Rhodanum & Ararim: cujus pars est in Segusianis diœcesique Lugdunensi; pars in Sequanis ac parœcia Belicensi. Hæc Provincia *Bressia* vocatur in catalogo vel polyptycho Monasteriorum Cluniaco subjectorum; in quo *Prioratus de Monasterio in Bressia diœcesis Vesontionensis* memoratur. In Brexia est unà cum Burgo *(Bourg en Bresse)* Belica Episcopatus sedes, Vesontioni Sequanorum subjecta, vulgò *Beley* dicta. Brexiæ Cabillonensis meminit compositio de Balma, facta inter Vesontionensem Archiepiscopum & Abbatem Cluniacensem: in qua *Bartholomæus de Bosco Archidiaconus Brissiæ in Ecclesia Cabilonensi* vocatur. Ubi *Brissia* est *Brexia Cabillonensis* trans Ararim, dicta Aimoino supra *saltus Brexius*. Hæc Brexia in Sequanorum quidem finibus jacet, ut suprà Fredegarius & Aimoinus volunt, sed tamen in diœcesi Cabillonensi consistit, quæ una est ex 14. diœcesibus Æduorum in provincia Lugdunensi I. & nomen suum dedit uni ex Archidiaconis Ecclesiæ Cabillonensis, qui *Archidiaconus Brissiæ* vel *Brexiæ* nuncupatur. Quanquam malo dicere, Brexiam Cabillonensem cum Monasterio S. Marcelli in Æduis esse, cum diœceseos Cabillonensis finibus contineatur; Cabillonum autem sit opidum Æduorum. Vix enim quisquam ignorat, fines Gentium non adeo exactè fluminibus terminari solere, ut non ea sæpe transgrediantur, sicut alibi observare non semel memini. Cui rei indicio sunt Andicavi, Turones, Veliocasses, Caleti, Bituriges Vivisci, aliique populi. Licèt igitur Arar terminus fuerit Æduorum; tamen quod ad Cabillonum pertinet, fines eorum ultra flumen aliqua ex parte patuerunt. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Bria, Regio Galliæ Celticæ, Campaniæ adjecta, antiquus Comitatus, cui nomen inditum creditur à Gallico *Abri*, quod significat umbram vel opacitatem, locumque quò venti non perflant; cùm autem omnia sint hîc valde opaca fructiferisque consita arboribus, nusquam non umbrosa sese offerunt loca, quorum beneficio vel incolæ vel viatores gratam auram captare, seque inopacare consueverunt: Initium illi ad Cetelium Pagum haud procul ponte Charantonio, ubi Matrona Sequanæ commiscetur, quorum fluviorum ille Campanos ferè, hic Gastinenses à Briensibus separat: nam quidquid ferme inter hæc duo flumina est, ad Burgundiæ usque Ducatum, Briensibus ascribi solet. Angustioribus nunc coarctatur limitibus. Ibi Urbes præcipuæ Meldæ, Latiniacum, Provinum, Sesana & Bria comitis Roberti. Baudr.

Bria Comitis Roberti, Urbec. Galliæ in Bria prov. ad amnem *Ierre*, 6 leuc. à Lutetia, in regione feraci.

Briada, vide *Brias.*

Briantica, Thraciæ regio, quæ olim *Gallaica*. Herod. *l.* 7.

Briançonia, arx Sabaudiæ, in Tarentasiæ Comitatu. Vid. *Arx Briançonia.*

Briareus, Gigas, Ætheris, Titanis, vel Cœli & terræ filius. Hunc Homerus ait *Iliad.* I. à superis quidem *Briareum* dictum fuisse, ab hominibus verò *Ægæona*:

Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίωνα. ——

Hic cum cæteris Gigantibus Jovem à regno depellere conatus est; cui centum manus erant, capita quinquaginta, & magnitudine corporis reliquos omnes mortales antecellebat, ignemque ex ore eructabat, uti testatur Virg. *Æn lib* 10. *in his*:

Ægaeon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse; Jovis cum fulmina contra

Tot

Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses.
Quem idcirco sub Ætnam montem fuisse à Jove fulmine detrusum fabulantur, qui quoties latus moveret, Ætnam flammas ingentes eructaret, ut ait Callimachus *in Lavacrum Dianæ*:

Ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ Αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο,
Σείονται μυχὰ πάντα, κατουδαίοιο Γίγαντος
Εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο.

Paucis tamen antè diebus idem *Briareus* Jovi adversus Palladem, & Junonem & Neptunum, reliquosque Deos, qui in Jovis tyrannidem conjurarant, fuerat auxilio, teste Homero, ubi supra:

Ὁππότε μιν ξυνδῆσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι
Ἥρη τ᾽ ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰς Ἀθήνη,
Ἀλλὰ σὺ τόν γ᾽ ἐλθοῦσα θεὰ ὑπελύσαο δεσμῶν
Ὦχ᾽ ἑκατόγχειρον καλέσασ᾽ ἐς μακρὸν Ὄλυμπον,
Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί.

Hunc ideo unà cum Gyge & Cotto Jovis custodes ac satellites Hesiodus *in Theog.* nominavit, ut est in his,

Ἔνθα Γύγης Κόττος τε καὶ ὁ Βριάρεως μεγάθυμος
Ναίουσιν φύλακες πιστοὶ Διὸς Αἰγιόχοιο.

Virgil. *lib.6. Æn.*

Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, & bellua Lernæ.

Claudianus —— *Centum Briareia turba lacertis.*
Statius *Theb. secundò,*

Non aliter (Getica si fas est credere Phlegra)
Armatum immensus Briareus stetit æthera contra,
Hinc Phœbi pharetras, hinc torva Pallados angues,
Inde Pelethroniam præfixâ cuspide pinum
Martis, ac hinc lasso mutata Pyracmone, temnens
Fulmina, cùm toto nequicquam obsessus Olympo,
Tot queritur cessare manus.

Ita dictus est *à corporis robore.* Βριαρὸν enim Græci *fortem* dicunt, & *robustum.* Ventorum autem naturam, sub ejusmodi fabularum involucris, poetæ describunt. Hesych. Βριάρεων ἄνθρωπον ἑκατοντάχειρα.

Brias, adis, Pisidiæ urbs. Strabô.

Briaxes, statuarius; vide *Bryaxis.*

Bribodorum. Æthicus inter Condate & Beleam *Bribodorum* ponit, aliàs *Bridoborum* vel *Briodorum* in priscis codicibus scriptum, à Condate (*Cosne sur Loire*) 16. à Belea millibus passuum 15. distans. In tabula Theodosiana vel Peutingeriana *Brivodurum* dicitur, & inter Beleam ac Massavam ponitur. Vulgò *Briare* nuncupant Nostri: & à *briva* id est ponte quem habet ad Ligerim, *Brivodurum* vel *Bribodorum* dictum olim à Gallis videtur, ac *Bridobori* nomen esse corruptum. *Briodorus* nuncupatur in Historia Episcoporum Autissiodorensium. *Beleam* quidem quædam Æthici exemplaria inter Nevernum & Condate, alia inter *Bribodorum* & *Canabum* seu Genabum collocant, ut Simlerus affirmat. Et *Brivodurum* quidem vel *Bribodorum*, aliàs *Brioderus* est in finibus Senonum, sive in Autissiodorensi diœcesi: At alterum *Brioderum*, in Biturigibus ponit Monachus Cluniacensis in *libri* 1. Miraculorum S. Maioli *capite* 13. his verbis: *Briodetensis dicitur vicus in pago Biturico.* Hunc locum Nostri *Bridiers* appellant, Vicecomitatus titulo illustrem in Marchia.

Bricinnia, urbs Siciliæ. Steph.

Bricium, Hisp. urbs. Anton.

Briega, urbs Silesiæ, cum tit. Duc. è Principum Lignitiorum familia, quibus à Piasto, celebri illo Polonorum R. sec. 9. origo fuit. Scholâ & ædificiis exornata est, à Georgio Duce, filio Friderici II. Briegensis lineæ satore: Hic obiit An. 1586. Pater Joachimi Friderici, ad quem, morte agnati, rediit Lignitius principatus. Ei successit Joh. Christianus, Reformatæ relig. addictus, mortuus An. 1639. relictis, Georgio, qui Briegam obtinuit A. 1635. Ludovico, cui Lignitium tum contigit, & Christiano, qui, in divisione illa paternæ hæreditatis, Olaviam nactus est: filiis. Quorum duobus prioribus, An. 1664. & 1663. sine masculâ prole mortuis; postremus successit, haud pridem defunctus: ex Luisa Anhaltina pater Georgii Wilhelmi, qui ultimus è familia Piastea, post reditum ex aula Imperatoria, & insignia generosæ indolis specimina edita, obiit An. 1675. æt. 15. Primus Evangelium hîc introduxit Fridericus II. de quo supra, An. 1523. Vid. Spener. *Syll. Geneal. Hist.*

Briegius Pagus, vel *Brigensis* aut *Brigeius* à saltu ejusdem nominis appellationem traxit *la Brie.* Jonas *in Vitis Columbani & Eustasii Abbatum, Briegensem saltum* ad fluviolum Resbacem, & *saltum pagumque Briegsum* nuncupat. Beda *in libri 3. Historiæ capite* 8. *Brige* semel atque iterum appellat, commemorans Monasterium, *quod in regione Francorum ab Abbatissa nobilissima nomine Fara constructum est in loco, qui dicitur in Brige.* Locus enim, in quo Monasterium Fara condiderat, Evoriacæ seu Eboriacum vocabatur; pagus in quo Eboriacum erat, *Brige, Brigensis*, vel *Brigeius*, qui in Vita B. Audoëni *Brigiensis silva* nuncupatur. Multo minor autem & angustior olim fuit pagus Brigensis, quàm nunc est: cùm distinguerentur ab eo pagus Meldicus, pagusque Pruvinensis, quos ambos pagos cum urbe Meldis & castro Pruvino pago Brigensi nunc attribuimus. Certè *Latiniacum villam sitam in territorio Meldico*, à Dagoberto collatam Basilicæ S. Dionysii; & *Latiniacum villam quæ sita est in Brieio*, anno post ejus mortem 4. à Nanthilde Reg. Basilicæ ejusdem Martyris donatam esse commemorant Gesta Dagoberti Francorum Regis. Ex quo intelligimus, licèt ambo ista Latiniaca nobis ignota sint, pagum Meldicum tum à Brigensi distingui consuevisse. Pagus Brigensis, qualis nunc est, quatuor est ex parte populorum, Parisiorum, Senonum, Tricassium, atque Meldorum. Parisiorum sunt Nucetum, Gornacum, Latiniacum, Torciacum, Cauda, Turnomium, Liciniacum, Villa nova S. Georgii, ac Braia Comitis Roberti. Senonum sunt Pruvinum, Calma vulgò *Chaume*, veteri Monasterio insignis. Ad Meldicam Diœcesin pertinent Creciacum, Columbaria, Firmitas Galtheri, Jotrum, Firmitas sub Jotro. Diœceseos Tricassinæ est Castellio ad Mucram, *Chastillon sur Morin*, vicus in Castellania Sesaniæ pagoque Brigensi positus, & Sesania ipsa. His adjungendi sunt & Suessiones: quandoquidem omnes sciunt, Castellum Theodorici, quod in Briegio Pediculoso aliqua ex parte esse constat, Suessionicæ diœceseos finibus contineri. Constat quidem & *Montem Mirabilem* castrum in Briegii finibus positum, *Montmirail*, ad diœcesin Suessionicam pertinere, necnon Buscionem *Busson*, cellâ Cluniaco subjectâ illustrem, & Castellioni ad Matronam propinquum. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Briela, Urbs permunita Hollandiæ, prope ostium Mosæ, ubi jacta Reip. Batavæ fundamenta, An. 1572. In quem annum, Grotius hæc memoratu dignissima notavit: Viginti quatuor, inquit, modica navigia, initium belli in potentiam toto orbe præcipuam, edicto ejecta Anglicanis partibus, in Westfrisiam ferebantur, tentandæ fortunæ: sed, vento adversante, rerum necessariarum penuria impulit in maximam insularum, Vornæ vocantur, quæ Mosæ ostia continent: ubi opp. Brilam classiarii repentino terrore, inter trepidantes, aut volentes, invasere; neque tunc mansuram sedem, sed ad paucos dies stationem decreverant. Exoraverunt prudentiores & loci opportunitas, ut victoriam retinerent, &c. Additque: *Ita supremæ providentiæ fere placuit, Belgicis in rebus, humanam fiduciam & consilia illudere, ut nunquam simul essent spes magna & bonus eventus. Annal. l.* 2. Postea unà cum Flissinga & Zeburgo Walachriæ castello Anglorum præsidiis in pignus data est, An. 1585. sub Elizabetha R. sed à Jacobo R. aliquot centenis aureorum *M.* persolutis, restituta. *A. 1616. In Voornia ins. cum portu sat tuto. 2. leuc. à Delphis.*

Brielium, opp. Germ. cum castro Archiep. Coloniensis, ubi Elector sæpe moratur. 2. leuc. Germ. à Colon. in Austrum.

Brietius Philippus, Gallus Abbavillæus, Jesuita. Edidit A. 1648. Parallela Geographiæ vet. & novæ totius Europæ, libb. 3. Additæ sunt minutæ tabulæ, accuratæ. Morte præventus, parallela Geogr. Asiæ, Africæ, & Americæ, jam scripta, publici juris facere non potuit. Obiit Parisiis An. 1669. æt. 70.

Brigacium, Hisp. Tarr. urbs. Ptol. *Oviedo* Taraphæ. Aliis *Braganza*, Urbs Portugalliæ, intra montes. Baudr.

Briganconia, arx Galliæ, in littore Provinciæ, scopulo affixa instar Ins. parva sed munita. Inter Telonem & Fanum S. Eutropii, contra Stœcades Insulas.

Brigantes, pop. Albionis, qui nunc *Eboracenses*, vulgò *Yorkshire men* sunt Lelando. Inde *Brigantium* urbs Archiepisc. *York.* Camdeno autem sunt *Eboracenses*, *Lancastrienses*, *Dunelmenses*, *Westmarienses*, & *Cumbri. Brigantes* quoque Ptolemæo pop. Hiberniæ in orâ orientali. Ubi nunc Comitatus *Waterford*, & *Triperarii*, in Momonia prov. inter Suirii ostium Confluentesque Neori & Barovvi. Baudr. *Brigantes* item in Scotiâ, quorum regio *Gallovidia* esse videtur. Juvenal. *Sat.* 14.

Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum.

Brigantia, urbs Lusitaniæ Ducali titulo insignis, vulgò *Braganza*. Intra montes, in confinio Regni Legionensis. Hujus Dux hodie est Rex Portugalliæ, ab An. 1640.

Briganticus, alio nom. *Julius* Batavus, aulæ præfectus transfugit ad Cæcinam, ab obsidione Placentiæ discedentem. Tacit. *hist. l.* 2. Sorore Civilis genitus, acerrimo odio invisus avunculo, infensusque; *l.* 4. Ideo fidus Romanis, ad Grinnes prælio cecidit. *l.* 5.

Brigantini montes, in Duc. Mediol. ubi Addua fluv. exit è Lario lacu. *monti di Brianza.*

Brigantinus lacus, qui & *Acronius* Melæ, *Brigantia* Ammiano, *Bodensee* Germanis, Rhætiæ lacus inter Alpes, qui mustelas marinis æmulas gignit. Plin. 9. 17. Maximus est, inter Helvetios & Sueviam, supra Constantiam. Sed ab eo differt Acronius, aliter *Cellensis lacus*; estque paulo infra Constantiam, Cluver. Rigat Brigantinus lac. Constantiam, Brigantium, Lindaviam, Uberlingam & Buchorniam, Urbes. Baudr. Longitudo hujus lacus 200. stad. latitud. dimidio minor. Strab. *l.* 7. V. omnino Joh. Baptist. Plantinum *Helvet. Antiq. Nova*, *p.* 103. *cap.* 14. *de duobus majoribus Helvetiæ fluminibus.*

Brigantinus lacus, Cenomanorum lacus in fin. Brixiensium, *Idro* Erythræo. Aliis *Edrinus*, quod Vid.

Brigantinus portus, Hisp. Tarraconsis portus maximus, *Porto della Corunna*, teste Mariana, ab urbe Brigantio, *Corunna*. Aliis tamen Flavium Brigantium est *Betanzos*, Urbec. in vicinia.

Brigantio. A Claudio Ptolemæo, in Alpibus Cottiis, quas cum cæteris Alpibus Italiæ attribuit, ponuntur *Segusiani, quorum urbes Segusium, & Brigantium*: Σεγυσιανοὶ, ὧν πόλεις Σεγύσιον καὶ Βελγάντιον. Ubi forsitan legendum est Σεγυσίων καὶ Βελγαντίων, *Segusio*, & *Brigantio*. Certè Plinius Ptolemæo antiquior *Segusionem* nuncupat: Æthicus *in Itinerario* semel atque iterum *Brigantionem* vocat, in itinere à Mediolano Arelate per Alpes Cottias, item Viennam, & inter Segusionem ac Ebrodunum ponit sic: *Fines* M. P. 18. *Segusione* 24. *Ad Martis* 16. *Brigantione* 18. *Rame* (aliàs *Roame*) 19. *Eburuduno* M. P. 19. *Brigantionem in Alpe Cottia* vocat & tabula Theodosiana, & prope *Ramam* atque *Ebrudunum* collocat. Ammianus *in lib.* 15. *castellum Virgantiam* corruptè nuncupat pro *Virgantiam* vel *Brigantiam*, & prope *stationem Martis*, propius *Matronæ verticem*, id est, montem Matronam seu montem Genebram collocat in Alpibus Cottiis. Juliano *in epist. ad Athenienses* dicitur & *Brigantia*, ἡ Βελγαντία ἐπὶ ταῖς Ἄλπεις Κοτίαις. Itinerarium Hierosolymitanum sive à Burdigala Hierusalem, inter mutationem, quæ Rame dicitur, & montem Matronam Brigantionem ponit his verbis, *Mansio Hebriduno, unde incipiunt Alpes Cottiæ, mutatio Rame* 1017. *Mansio Brigantio: inde adscendis montem Matronam, cui nomen casus fœminæ nobilis dedit*, ut ait Ammianus: quare 2. syllabam producit. Et loci & montis meminit Ennodius, sive potiùs Euhodius Ticinensis Episcopus, qui unus ex omnibus *Matronas* montem vocat, versumque sic orditur,

Matronas taceo.

Et Matrona quidem vulgò dicitur *le Mont Genevre*, inter Brigantionem & Segusionem positus, sed Brigantioni proximus: Brigantio autem nuncupatur *Briançon*, olim tantùm mansio seu stativa militum, nunc opidum montanum Dalfinatûs in Alpe Cottia; unde incipere Alpes Cottias vult tabula Theodosiana, quarum initium facit Ebrodunum Itinerarium Burdigalense. Brigantio nomen suum dedit pago Brigantionensi, *le Brianconnois*, à quo Dalfini quidam, se *Principes agri Brigantionensis* dixere, *Princes de Briançonnis*. Hic autem ager pars erat Regni Cottii, qui nomen suum dedit Alpibus Cottiis inter Meridiem & Septentrionem à monte Vesulo ad montem Cinisium, inter ortum & occasum à Segusione Ebrodunum usque promissis. Cæterùm Brigantio diœcesi Ebrodunensi adscribitur, ita ut non Segusianorum ullorum, sed Caturigum oppidum esse videatur, cùm subjaceat capiti gentis ejus Ebroduno, à quo 38. millia passuum abest. Livius *in libro* 21. per Tricastinos & extremam oram Vocontiorum agri tetendisse in Tricorios Hannibalem scribit, mox transito Druentiâ flumine Alpino, ad Alpes campestri maximè itinere pervenisse: *castellum inde quod caput regionis erat*, vicosque circumjectos *cepisse*. Illud *castellum caput regionis* fuit haud dubiè aut Ebrodunum, *vicus* Straboni dictum, aut castellum Brigantio, 34. ab Ebroduno millibus passuum distans: ex quibus itinerarium à Burdigala Hierusalem usque, Ebrodunum initium Alpium Cottiarum facit; tabula Peutingeriana Brigantionem, *Brigantionem in Alpe Cottia* cognominans. Certè per Caturigas & Ebrodunum, & per Brigantionem ac Segusionem Taurinos Italiamque petiisse Hannibalem, indicant veteres tabulæ atque itineraria. Si tamen per Deam Vocontiorum & Vapincum Tricoriorum petiit Hannibal Ebrodunum atque Brigantionem; opus ei non fuit transire Druentiam: cùm Ebrodunum ad citeriorem Druentiæ ripam obvium haberet. H. Valef. *Not. G.*

Brigantium, opp. Rhætiæ in Sueviâ ad Brigantinum lacum, vulgò *Bregentz*, vel *Bregnitz*. Ibi amnis cogn. influit in lacum Brigantinum, sub Austr. Ejus pop. *Brigantini*, Strab. *l.* 4. qui illos Vindelicis annumerat: Rhætis attribuente Ptol. *lib.* 2. *cap.* 12. *tab.* 5. Cœterum opp. antiquum omnino, cum arce. Romanorum tempore, horum ibi præsidium fuit, contra Vindelicos & Suevos, excubans. Ab Alemannis postea vastatum, in priorem magnitudinem non iterum excrevit: reparatum tamen. Caput regiunculæ adjacentis, Carolovingorum tempore, proprios habuit Comites: quorum familiâ extinctâ, ad Montfortios, tempore Rodolfi I. Imp. pervenit. Obsessum est an. 1407. ab Abbatiscellanis & Sangallensibus, sed liberatum an. 1408. Hinc *Brigantinus lacus*, Vid. supra. *Brigantina sylva*, *&c.* Vid. Stumpf. *lib.* 10. *cap.* 36. *de Rhætis*. Addam Bodini conjecturam, qui populis his à voce Gall. *Brigand*, nomen hæsisse conjicit, ex eo, quòd latrociniis illos deditos fuisse Strabo dicit.

Brigantium, Brigantio Antonino, *Virgantia* Ammiano, opp. Gall. Narbon. vulgò *Briansôn*. Caput regiunculæ cogn. in Delphinatu, Vid. *Brigantio*. Item civitas Angliæ. Vid. *Eboracum*. Alia Hispaniæ in Gallæciâ, *Compostella* nonnullis, aliis *Betanzos*.

Brige, op. Angliæ. Anton. vulgò *Broughton* in Comitatu Hantoniæ inter Ventam Belgarum 11. & Sorbiodunum 9. m. p. *Brage* etiam legitur.

Briges, pop. Thraciæ. Vide Steph.

Brigevatera, oppidul. Comit. Somersetensis in Angl. ad amnem *Parret*.

Brigia fluvius vel potiùs rivus est in Cenomanis, vulgò *Braye* dictus: cujus ad caput vel fontem in radice montis silvâ circumdati est S. Petri Monasterium, *S. Pierre sur Braye*. Hunc *Breiam*, & *Braiam* quoque dici in priscis tabulis reperio, & Vibreium *Vibraye*, ac Sabiniacum *Savigni sur Braye* alluere, Lidericoque infra Montem-Aureum recipi. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Brigiana, opp. Hisp. Tarr. haud obscurum in ora regn. Valentiæ, *Buriana*. Beutherus.

Brigiani, pop. inter Alpinas gentes. Plin. 3.101.

Brigiosum, oppidul. Gall. Aquit. nunc vicus *Brou*, in Pictav. prov. ad Botanam fluv. inter Pictavum & Mediolanum Santonum.

Brigitta, vel *Birgita*, Sueca, ex Nericiæ principe 8. liberorum mater; marito defuncto, in Italiam & Palæstinam transiit. Gregorium IX. Avenione ut Romam rediret, adduxit, S. Salvatoris ordinem fundavit. Scripsit Volumen Revelationum, in quo *Papam animarum interfectorem, pejorem Judæis, Pilato, Lucifero: Sedem ejus demergendam, ut lapidem ponderosum, assessores ejus arsuros igne inextinguibili*, asserit. Et, se vidisse, cum mater Christi ad filium dixisset, *Romam esse feracem agrum*, respondisse verò Christum, *est, sed Zizania, &c.* Spond. anno 1370. 1373. 1415. Morn. *in myst. p.* 1074. Inter Sanctas relata, à Bonif. IX. an. 1391.

Brigitta, Virgo è Scotia, sanctitate clara. an. 523.

Brigobanna, Cluv. *Beyern*, opp. Sueviæ, ad Danub. 12. m. p. à Dutlinga in Ortum.

Brigolium, oppidul. Gall. in prov. Marchiæ infer. prope Vigennam fluv.

Brilessus, Ægialeus dictus, Atticæ mons. Plin. 4.7.

Briletum, mons Atticæ reg. Plin. 11.37. In hoc monte sunt leporibus bina jecinora, cervis renes quatuor; pennatis autem & squamosis nulli.

Brillendunum, oppid. Albionis in ora orientali in Comitatu Eboracensi, vulgò *Bridlington*, quod aliàs *Gambratovicum*. in ora, juxta Flamburgum, 15. mi l. Angl. ab Hullo in Bor. Baudr.

Brimo, unum ex Hecates, sive Proserpinæ nominibus, ἀπὸ τοῦ βρεμεῖν, hoc est, à *terrendo* impositum, eò quòd nocturna terriculamenta ab eâ immitti credebantur, ut ex Apollonii Scholiaste annotat Cæl. Rhod. 11. 16. Hesiodi Interpres *lib.* 1. Βριμὼ δὲ καὶ Ὀβριμὼ κυρίως ἡ Περσεφόνη, ἤγουν ἡ γῆ, καὶ ὁ θάνατος καλεῖται, ὅθεν τὸ Ὄβριμον λέγεται. Fuit & ita appellata Rhea. Theodoretus *Therapeut. Serm.* 1. Ὅτι δὲ καὶ τὰ τῆς Ῥέας, ἢ καὶ τῆς Κυβέλης, ἢ τῆς Βριμοῦς, ἢ ὅπως ἂν ἐθέλητε ὀνομάζειν. Propertius *lib.* 2. *eleg.* 2.

Mercurioque Sais fertur Bœbeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.

Interpres Apollonii, Βριμὼ, ἡ Περσεφόνη. Φασὶ δὲ Ἑρμῆν ἐρασθέντα ἐπὶ κυνηγεσίαν ἐξιούσῃ θελῆσαι βιαίως μιχθῆναι, ἡ δὲ ἐνεβριμήσατο αὐτῷ, ὁ δὲ φοβηθεὶς ἀπετράπη. Statius *Sylv.* 2. in arborem Atedii:

— *Omnia questus*
Immitem Brimo, stagna invida. —

Brincas, Italiæ urbs à Gothis recepta per Narsetem. Cedrenus.

Brinci, Thraciæ pop. Suidas.

Brinio, Caninefas, claritate natalium insignis, cujus Pater multa hostilia ausus Cajanarum expeditionum udibrium impunè spreverat. Igitur ipso rebellis familiæ nomine placuit impositusque scuto, more gentis & sustinentium humeris vibratus, dux Batavorum delectus est. Tacit. *Hist.* 4. 15. Rhenanus, quia in codice Matthiæ Corvini Regis *Brinio*, legendum censet *Brinno*, ut sit qui hodie *Bruno* dicitur. A Florentino quoque cod. vocatur *Brinno*, à Veneto *Brenno*

Brinium, Italiæ op. unde *Briniates* pop. non procul ab amne Boacte, hodiè *Brignolo*, ut putatur. *Boron* forte Ptolemæo.

Brinnica, oppidul. Siles. in Duc. Oppoliensi, ad Brinnitium fluv. 3. leuc. ab Oppolio in Ortum, 1. à confinio Poloniæ; *Brinnitka* vulgò.

Brinnum, Urbs Moraviæ metrop. in Germ. ad Suartam fluv. qui ibi in Zuittam cadit. Munita, cum castro valido. 5. leuc. ab Olomutio, in Merid. Hic Jodocus Imper. coronatus sepultus est. an. 1410.

Brinolium, Urbec. Gall. in Provincia, prunis suis celebris, ad amnem *Caranne*, intra montes. 2. leuc. à Fano D. Maximini.

Brinta, seu *Brenta*, fluv. Venet. apud Patavium, V. *Medoacus*.

Brintum, opp. olim Æmiliæ, in territ. Bononiensi, *Castel Brito*, Al. *Brento*, oppid. excisum videtur, in monte, apud Isidin fluv. à Bononia 12. m. p. in merid. distans.

Briocense fanum, Monasterium primò, dein à Nomenoio, qui sub Carolo Calvo Britannorum Rex factus est, constitutum opidum episc. Britanniæ Gallicanæ, inter Episcopatus prov. Turonensis 8. sub Metropoli Turonis: ejus incolæ Ptolemæo *Biducenses* dicti sunt. Metel. vulgò *S. Brieu*, ab indigete suo, S. Brioco.

Brionia, opp. munitissimum & in corde terræ situm (Neustriæ) dicitur Orderico Vitali *Hist. l.* 8. vulgò *Brionne* vel *Briosne*, ad Risclam flum. inter terram & Pontem Audomari. Caput Comit. Normanniæ in pago Rotmensi (*le Romois*) inter Sequanam & Risclam jacente. *Briossum* in Pictonibus, vulgò *Briou*, prædium Campaniacum. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Brionum, P. Diacono, reg. Norici, ubi *Bruneck*, opp. Tirolis, Laz. à Brixinensi urbe 4. leuc in Ort. Ibi sanguinem pluisse, habet Diaconus. Aliis est *Pernavv*, opp. in terr. Salisburgensi. *Briones* pop. *Breuni* Ptol. *Breones* Ven. Fortunato.

Briossium, locus in Pictonibus, *Brion*. Vid. Valesf. *Not. Gall.*

Briovera, Concilio Aurelianensi primo *Leontianus Episcopus Ecclesiæ Constantinæ* subscripsit, *Leontianus Episcopus de Constantia* in codice Corbeiensi dictus, in Remensi & Bellovacensi *ex civitate Briovere Leontius Episcopus*. In Concilio Aurelianensi 5. quod jussu Regis Childeberti coactum est 5. Kal. Nov. Indictione 13. an. Dom. 549. regni ejus 38. actis statutisque præter cæteros subscripsit *Lauto Episcopus Ecclesiæ Constantinæ vel Brioverensis*, non quòd Constantia vetere nomine dicta sit *Briovera*, ut Sirmundus putat; sed quòd Lauto Constantiæ Episcopus, vir sanctitate vitæ insignis, in castro diœceseos suæ Briovera plerumque sedem haberet, & loci amœnitate delectaretur. *Briovera* autem dicta est, quasi *Bria* aut *Briva Veræ*, hoc est, Pons Veræ: uti *Briserta*, *Bria* aut *Briva Sartæ*, hoc est, Pons Sartæ, Sertæve, vulgò *Brisserte*; Brioledum, vel Brioletum, *Briolay*, *Bria* vel *Briva Ledi Lidive*, id est, Pons Ledi. Salbria trunco nomine, vulgò *Salbris*, quasi Saleræ Bria vel Briva, id est, Pons Saleræ; Carobriæ, *Chabris*, Briæ vel Brivæ ad Carum in Biturigibus. Dicta inquam est *Briovera*, quia pontem habebat Veræ flumini impositum, quemadmodum *Brieserta* Sartæ, *Brioledum* Ledo. *Brioveram* existimo esse locum diœceseos Constantinæ, qui ab ipsomet Lautone vel Laudo Episcopo quondam suo postea novum nomen accepit, & depositâ priore appellatione, vocari cœpit *castrum S. Laudi*, vel *castrum S. Lautonis*, aut (ut Regino loquitur) *ad Sanctum Lot*, vulgò *S. Lo*. In Chronico de Gestis Normannorum, *in territorio Constantiæ civitatis castrum S. Laudi* impugnavisse ac tandem cepisse an. 890. & interfectis omnibus incolis solo æquavisse Normanni dicuntur. Est & *Vera* Veræ flumini orienti apposita atque cognominis, *Vire* vulgò nuncupata, ut fluvius cui adjacet, *la riviere de Vire*: sed is locus & castro S. Laudi minùs clarus est ac nobilis, & Bajocassinæ diœceseos finibus continetur, nec ad Ecclesiam Constantiensem ulla ex parte pertinet, ita ut ei Brioveræ nomen convenire non possit. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

Briquerascum, opp. Ital. in Pedemontio, juxta amnem *Peles*, in colle, 4. mill. à Pinarolo, in Austr.

Brisa, promunt. Lesbi, ubi Bacchus *Briseus* colitur. Steph.

Brisabrita, Indiæ pop. Plin. 6. 20.

Brisacus mons, seu mel. *Brisacum*, inter Argentinam & Basileam, vulgò *Brisach*. Conditum est à Berchtoldo IV. D. Zeringiæ, sec. 12. secundùm quosdam; in Brisgoja, quæ Zeringiis olim subfuit. Sed Lancelinus, jam Brisiacæ dominus fuit, qui an. 1036. mortuus Berchtoldum I. Ducem Zering. genuit. Nisi fortè posterius de oppido, prius de arce intelligendum. Extinctâ dein Zeringiorum familiâ, Episcopo Basil. jus in illud fuit, Vid. Stumpf. *l. 12. de Raur. c. 25.* circa A. C. 1254. Ei ereptum à Rodolfo Com. Habspurgico, an. 1268. sed aliquâ pecuniæ summâ persolutâ, postea redditum est. Sequentibus temporibus ad Austriacam familiam devolutum, munitissimumque effectum est. Donec à Bernardo Duce Wimariensi, post diuturnam obsidionem, famemque Saguntinæ omnino parem, sub Galliæ R. potestatem est redactum A. C. 1638. cui cum Alsatia & Suntgoja, pace Monaster. an. 1649. remansit. Castelli *Brisaci*, ad Eberhartum Com. Palatinum pertinentis, & obsessi ab Ottone M. sec. 10. meminit, Auctor præfatus, *lib. 2. de Germ.* &c. *Brisagum* verò opp. est Locarnensis præfecturæ.

Briseis, Lyrnessia puella, à patre *Brise* ita appellata, cùm vero nomine *Hippodamia* vocaretur. Hæc, captâ Lyrnesso urbe, Achilli victori in sortem cessit, cui postea ab Agamemnone erepta, implacabilis dissidii causa fuit inter eum & Achillem. Vide Homerum *Iliad.* 1. qui eam vocat Βρισηΐδα καλλιπάρῃον. Horat. *Carm.* 3. *Od.* 4.

——*Prius insolentem*
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem.

Prop. *l. 2. el. 9.* *Omnia formosam propter Briseida passus.*

Ovid. 2. *de Art. Am.*

Illis te manibus tangi Brisei solebas.

Idem *de Remed. Am.*

Hoc & in abductâ Briseide flebat Achilles.

Brises, Chrysis sacerdotis frater, Hippodamiæ pater, quæ ab eo *Briseu* dicta.

Briseus, Liber Pater. Cornutus *in hoc Persii Sat.* 1.

Est nunc Brisæi quem venosus liber Axi.

Brisæum appellatum esse scribit, vel à mellis usu, quòd ipse primus mel invenisse dicatur: vel ab uvâ, quòd eam expresserit, quum *brisare* sit exprimere; vel à nymphâ, quæ eum nutrivisse dicitur. *Brisæus* etiam Poëtarum epitheton est, quòd ii in Liberi patris tutelâ esse credantur. Vide Casaub. *ad locum Persii allatum.*

Brisgoja, reg. Germ. sup. inter Rhenum, & Sylvam nigram, vulgò *Brisgovv*, in quâ Friburgum urbs & Academia, à Basileâ 7. leuc. in Cæciam. A pop. *Brisigavis*, prope Rhenum fluv. Hujus tractus primaria, aliàs Brisacum, nunc Friburgum, ubi Bavaris memorabilis clades illata à Gallis, An. 1644. Academiâ inclytum. Fere tota Austriaci juris.

Brisoana, fluv. Persidis, qui Persepolim interluit. *Bindimir*, Moletio & Castaldo.

Bristolium, urbs Albionis in Angliæ & Walliæ confin. apud ost. Sabrinæ fluv. Emporium celebre, *Venta Belgarum* olim juxta nonnullos dicta, sed malè. Vulgò *Bristol*. LLoyd. partim in Somerset. agro, partim Glocestr. ad Avonam fl. ubi Tronum amnem recipit. Editiore situ gaudet. 5. mill. à Bathonia in Occas. 7. ab ostio Avonæ in æstuarium Sabrinæ in Ortum. Speedus. long. 17 30. lat. 51. 45.

Bristolium, nov. opp. Americæ Septentr. in ora littorali novæ Angl. sub Anglis.

Britanni, pop. quoque Belgii, Plin. apud ostium Rheni, *Thuys te Bretten*. Ortelius.

Britanni primi, seu *Brittones*, ut ait Beda *in c.* 1. *lib.* 1. *de tractu Armoricano, in Britanniam insulam advecti, australes sibi partes ejus vindicarunt*, & suâ linguâ usi sunt. Multo ante Bedam tradidit Cæsar *in libro* 5. *Britanniæ maritimam partem ab his incoli, qui ex Belgio eò transierant*, nimirum ab Atrebatibus, Belgis, Iciis aliisque. Idem & Tacitus scripsit. Postea *cùm ab Anglis & Saxonibus Britannia insula fuisset invasa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Venetorum & Coriosolitarum* (seu Curiosolitum; addo & Osismiorum) *regiones occupavit*, Placidi Valentiniani Principatu, circa annum Christi 441. uti scribit Eginhardus in Annalibus, *in rebus an.* 786. Regio à Britannis *Britannia* appellata, ante annos 1200. Hoc est, quod ait Beda *in cap.* 15. *lib.* 1. Britannorum alios fame confectos se in servitutem hostibus dedisse; *alios transmarinas regiones dolentes petiisse*, videlicet tractum Armoricanum, primas Majorum suorum sedes. Quorum Britannorum Episcopum nomine Mansuetum an. 461. Severino V. C. Consule Concilio Turonico interfuisse ac subscripsisse invenio. Sidonius *in lib.* 1. *epist.* 7. Arvandi viri Præfectorii fortunam ac casum defler, qui an. Christi 467. per epistolam Theodorico Regi Gothorum suaserat, ut Imperatorem Anthemium, & *Britannos super Ligerim sitos* impugnaret, ac cum Burgundionibus jure Gentium Gallias divideret. Horum Britannorum Regulus à Sidonio *in libri* 3. *epistola* 9. Riothamus, à Jordane *Riothimus Rex Brittonum* dictus, ad reprimendum Euricum Gothorum Regem ab Anthemio Aug. est arcessitus: qui priusquam cum Romanis vires suas jungeret, ab Eurico in Biturigum finibus victus, magnam duodecim millium armatorum partem amisit, & multis apud Dolensem vicum interfectis, ad Burgundiones, gentem finitimam, sociam tum Romanorum & amicam, trans Ligerim perfugit. An Britanni isti postea Francis in Gallia latè dominantibus paruerint tributumque annuum pependerint, certosque ab eis fines pactione census initio acceperint, disquisivimus *in libro 6. Rerum Francicarum*. Nomenoius, Dux Britannorum, à Carolo Calvo defecit, nec solùm Venetos, quos Pippinus proavus Calvi ceperat, ditioni suæ adjunxit recuperavitque, sed etiam *limitem antiquum transgressus* (ut ait Adrevaldus) Redonas ac Namnetas urbes regni Francici occupavit. In Annalibus Bertinianis invenio, filium Nomenoji Regis Herispoium Regia veste & *paternæ potestatis honore*, hoc est, paterno Regno à Carolo donatum esse, additis Redonis, Namnetis, & *Ratensi*, id est, Ratiatensi pago: seu verius earum urbium & pagi expugnationem, ac possessionem ab eo comprobatam. Ex eo tempore Redones atque Namnetes cum Venetis Britannicæ ditionis facti sunt, & pagus Ratiatensis vel Ratensis in Pictonibus, Britanniæ, à qua flumine Ligere dividebatur, pars esse cœpit. Ex quo intelligitur, ante annos octingentos talem ac tantam cœpisse esse ex angustissima Britanniam, qualis hodieque cernitur. Ab Britannis eam occupantibus Britannia nomine Britannico vocata est *Letavia*, hoc est, maritima seu litorea: si credimus auctori *libri de Vita S. Gildæ*, cujus hæc sunt verba, *Cùm pervenisset in Armoricam quandam Galliæ regionem, quæ tunc à Britannis, à quibus possidebatur, Letavia id est, litoralis dicebatur, ab eis honorificè susceptus est.* Certè auctor est Camdenus, Cæsaream & Sarmiam insulas oræ Galliæ adjacentes, quæ Anglorum Regi parent, *Lettavv* Britannis seu Letavas, hoc est, litorales vocari. *LLydavv* alii scribunt, & linguâ Britannicâ litoreum significare asserunt. Britannia, qualis nunc est, continet partem provinciæ Lugdunensis tertiæ sive provinciæ Turonensis majorem, videlicet civitatem Redonum, civitatem Namnetum, civitatem Curiosolitum vel Corisopitum, civitatem Venetûm, civitatem Osismorum, & quatuor alias recentiores in eadem provincia diœceses. *Britanniam Cismarinam* vocat eam Eginhardus, *in rebus an.* 786. ut distinguat à Britannia insula, quæ Gallis est transmarina, & mari à Britannia nostra Galliæ parte divisa; incolas, *Brittones ad Occident. in extrema parte Galliæ super litus Oceani residentes*, in vita Caroli Magni. *Britanniam Gallicanam* appellat, vetus membrana Monasterii Rotonensis in Britannia, quòd sit portio Galliæ Celticæ non contemnenda. Gervasius Tisleberiensis ac quidam alii *Britanniam Armoricam* nominare malunt, propterea quòd una fuerit de regionibus, quas olim Armorici obtinuerunt. Unde & Guillelmus natus in Britannia Gallic. *Willelmum Brittonem Armoricum* ipse se appellavit. A nonnullis *Britannia minor* dicitur, quòd Britanniâ ins. multo sit angustior. Marlianus *Britanniam citeriorem* nuncupare consuevit, uti supra Eginhardus

Cismarinam, quòd non Gallis modò, ſed etiam Italis, Germanis, Hiſpaniſque citra mare ſit poſita. *Britanniam novam* vocant tabulæ veteres Andicavenſis Monaſterii S. Sergii his verbis. *Anno* 1343. *menſe Junio Normannorum ferox natio numeroſâ claſſe advecti, Ligerim fluvium, qui inter novam Britanniam & ultimos Aquitaniæ fines in Occiduum mergitur Oceanum, ingrediuntur: demum dato claſſibus zephyro, ad urbem Nanneticam contendunt.* Gregorius Turonicus Epiſcopus *in lib.* 4. *cap.* 20. & *in libri* 5. *Hiſtoriæ Francicæ capite* 16. & alibi paſſim eam Galliæ Lugdunenſis provinciam, vel (ut Plinii verbis utar) *peninſulam ſpectatiorem, excurrentem in Oceanum à fine Oſiſmiorum, circuitu* 625. *millium paſſuum in longitudinem, in latitudinem* 125. *ultra quam Nannetes*; nunc *Britanniam* abſolutè, nunc & *Britannias* appellat; incolas regionis *Britannos*, atque etiam *in lib.* 5. *cap.* 22. *Brittones.* Eginhardus *in Annalibus* modò *Britanniam Ciſmarinam*, modò ſimpliciter *Britanniam in rebus anni* 818. ſimiliter vocat, & habitatores *Brittones*: in anno 799. *Brittonum Provinciam.* Ambos imitatur Frodoardus *in Chronici anno* 919. cui dicitur *Britannia in cornu Galliæ, in ora ſcilicet maritima ſita*: incolæ *Brittones.* Geſta Francorum exemplo Gregorii *in capite* 28. modò *Britannias*, modò *Britanniam*; incolas ejus *Britannos* nuncupant, Fredegarius quoque *Britannos*; Jordanes & plerique Hiſtorici noſtri *Brittones*: ſicuti *Britannia* inſula Brittannorum noſtrorum patria, à Romanis ſcriptoribus *Britanniarum* appellatione non raro donata eſt, à Rufo Feſto, ab auctore Notitiæ Imperii Romani, ab Æthico in Itinerario, à Proſpero, aliiſque: & incolæ Britanniæ inſulæ à Juvenale *in ſatyra* 15. nunc *Britanni*, nunc *Brittones* ſecundâ ſyllabâ brevi ac tertiâ dicuntur; *Brittones* à Martiale ſecundâ ſyllabâ longâ; *Brittones* & Auſonio, ac in Notitia Imperii. Equidem obſervo in priſcis codicibus Gregorii *Brittaniam* & *Brittanias*, ac *Brittanos* ſemper ſcribi. In codicibus quoque Fredegarii, *in Chronici lib.* 4. & *lib.* 5. *Brittanos* reperio: pro quo *Britannos* & apud Fredegarium, & apud pleroſque Hiſtoricos noſtros ſubſtituerunt mendoſè, cùm *Britannos*, aut potiùs *Brittanos* retineri edique oporteret. Quod ne quis miretur, eadem planè ratione in Rufi Feſti Breviario codex Regius, qui eſt eximius ac venerandæ antiquitatis, ubique *Brittanias* & *Brittaniam* inſulam nobis exhibet; nuſquam *Britaniam* aut *Britannias*: ut appareat non aliter, quàm *Brittaniam* & *Brittanos* olim ſcribi plerumque conſuevìſſe, ſive de inſula, ſive de parte Lugdunenſis 3. ſermo eſſet, & utramque tam *Brittaniam* quàm *Britaniam*; utriuſque incolas tam *Brittanos* & *Brittones* quàm *Britannos* vocari ſolitos eſſe. Latinum vocabulum, *Brittania*, factum ex Græco inſulæ nomine *Brettania*, Βρεττανία, ε, in *i*, converſo; & *Brittani* ex Βρεττανοὶ *Brettani.* Nos Britanniam noſtram nuncupamus *la Bretagne*; habitatores ejus Brittones, *les Bretons.* Britannia in ſuperiorem inferioremque dividitur. Inferior Britannia, *la baſſe Bretagne*, eſt circa Montem Relaxum, circa Leonenſem urbem, Brivatemque ac Curioſolitas: aut ut aliis placet, à Brivate portu ad urbem Venetos pertinet. Britannia ſuperior, *la haute Bretagne*, ad amnes Uldam & Vicinoniam, atque in finibus Redonum jacet. Argumentum originis, præter nomen, manet ſermonis commercium. Nam inferiores Britanni noſtri hodieque eâdem ferè linguâ utuntur, quâ Cambri ſive Wallenſes, & Cornubienſes, poſteri eorum Britannorum, qui poſt occupatam à Saxonibus atque Anglis majorem inſulæ Britanniæ partem, in Damnonia, Venedotia, Demetiaque conſederunt. Quoniam autem Britanni ſæpe Francis moleſti erant, & incurſiones in pagum Redonicum & in agrum Namneticum crebrò faciebant, ideò à Francorum finibus certo limite dividebantur, uti Saxones, & Avares, & Saraceni in Hiſpania dominantes. Quod Chlodovei Magni abnepotibus Theodeberto & Theodorico apud Francos regnantibus jam in uſu fuiſſe, docet Fredegarius *in libr.* 5. *ac ultimi Chronici capite* 20. qui *Brittanorum limitem* eum vocat. Alii *Brittanicum limitem*, *Marcam Britannicam*, & *Marcam Brittaniæ*, ac *Marcam contra Brittones* nuncupant. Eginhardus Rotlandum illum, priſcis ſcurrarum joculatorumque carminibus celebratum, *Brittanici limitis Præfectum*; *Widonem* quoque *Comitem ac Præfectum Britannici limitis* appellat: in anno 822. *Comites Marcæ Britannicæ*; in anno 826. *illius limitis cuſtodes* commemorat, qui *fines Britannicos tuebantur*, ut ait auctor Vitæ Ludovici Pii Aug. *Marchiſos Britannici limitis* Lambertum & Rainoldum nominat Adrevaldus Floriacenſis Monachus, Caroli Calvi æqualis, *in libri de Miraculis S. Benedicti capite* 33. Rainaldus autem genere Aquitanus, *Nanneticæ urbis Comes* erat, uti docet vetus tabula Andecavenſis Monaſterii S. Sergii, ab Argentræo Cheſnioque publicata. Ex quo judico, *limitem Britannicum* in civitate Namnetum pagoque vel Comitatu Namnetico ex parte conſtitiſſe. Quod & Fredegarius docere videtur his verbis, *Chlotharius oppreſſus per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sigonam & Ligerem usque mare Oceanum & Brittanorum limitem pars Theuderici haberet.* Ibi enim *Britannicum limitem* ponit Fredegarius circa *oſtium Ligeris & Oceanum*: qui ſitus Namnetibus convenit, Genti Galliæ Lugdunenſis, poſitæ inter Ligerim & Vicinoniam amnes ad Oceanum properantes. Et hic quidem erat limes Britannicus à meridie; à Septemtrione verò (ſicut arbitror) pagus Abrincatinus ad Coëtnum fluvium pertinens. Et quoniam de Marca Britannica ſermo eſt, notare convenit, quæ veteres rerum Francicarum Annales de Britannis referunt in anno 799. *Wido Comes qui in Marca Britanniæ præſidebat, unà cum ſociis Comitibus Brittaniam ingreſſus, totamque perluſtrans, in deditionem accepit, & Regi de Saxonia reverſo arma Ducum, qui ſe dediderant, inſcriptis ſingulorum nominibus præſentavit. Nam his ſe & terram ſuam & populum unuſquiſque illorum tradidit.* Ex quo apparet Britanniam tum inter multos *Duces* diviſam, & ſuam cuique regiunculam, ſuum cuique populum fuiſſe: quos *Duces* alii Capitaneos Brittonum, alii, in primis Eginhardus, *populi Primores* appellare maluerunt; *Principes Brittonum* Regino, Annaleſque Metttenſes. *Anno* 786. *Domnus Rex Karolus miſit exercitum ſuum in partes Britanniæ una cum nuntio* (aliàs *Miſſo*) *ſuo Audulfo Siniſcalco: & ibi multos Brittones ſubjugaverunt, cum caſtellis & munitionibus eorum, locis paluſtribus & inciſis: & prævaluerunt Franci, & cum victoria reverſi ſunt, & Capitaneos eorum ad Synodum præſentaverunt Domno Regi apud Warmaciam*: ſicut in Vita Caroli Magni reperio. *Munitiones* illas Britannorum alii *firmitates*, alii *loca firma*, id eſt, munita nuncupant in rebus anni 786. quas *firmitates* cùm *caſtellis* cuncti poſtponant, apparet *firmitatem* aliquid minus fuiſſe *caſtello.* Paludibus *locisque paluſtribus* multum confidere conſueviſſe, eoque & perfugio & pugnæ loco nonnunquam Britannos uſos eſſe, docet Beppolenus Dux Francorum, qui à Waroco Britanno anguſtiis viarum & paludibus incluſus, unà cum exercitu periit, & Franci in paludibus magis luto necati ſunt quàm gladio proſtrati; ut refert Gregorius *in libri Hiſtoriæ* 10. *capite* 9. *Inciſa* autem, aliàs *incæſa*, apud ſcriptores rerum geſtarum & Vitæ Caroli Magni ſunt celſi cæſarum arborum cumuli, pro vallo ad arcendos hoſtes per extrema ſilvarum exſtructi. Ammianus Marcellinus *concædes* eas appellat; Sulpicius Alexander *in Hiſtoria libr.* 3. & Gregorius *in libri* 3. *capite* 28. *concides*; quidam *conciſas*; Geſta Regum Francorum in capitulo 25. *combros* nomine ni fallor Gallico, ex quo aliqua apud Nos vocabula ſunt compoſita. Nam à combris offenſiones Noſtri & impedimenta *incombraria* nuncupant hodieque, *encombriers*, incombrare *encombrer*, diſcombrare *deſcombrer* ſeu combros auferre: ruinas etiam ædificiorum, ſive tignorum, trabium & lapidum confuſorum acervos, *incombros* & *incombramenta* nominant, *encombres* aut *encombremens.* Multæ autem ſunt in Britannia Ciſmarina ſilvæ, multæ etiam paludes, vel ſtagna maritima: minùs ut mirum ſit, Britannos olim noſtros, ſi quando hoſtibus irruentibus in apertis campis reſiſtere non poterant, non *caſtella* modò & *munitiones* ſeu *firmitates* ſuas, ſed etiam *loca paluſtria*, & nemorum ſuorum ingentes concædes aut ſepta pro receptu habere conſueviſſe. Hadr. Valleſ. *Notit. Gall.*

Britanni, pop. quoque Belgii, Plin. apud oſtium Rheni *Thuys te Bretten*, Ortelius.

Britannia, inſula in Oceano Septentrionali omnium quæ Europæ adjacent maxima; unde & *Orbis alter* à veteribus dicta. Claudianus.

—— *Et noſtro diducta Britannia mundo.*

Virgilius,

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Horatius,

Ultimos orbis Britannos vocat.

Et ante eum Catullus:

——*Terribileſque & ultimosque Britannos.*

Dionyſius Perieget. —— Οὐδέ τις ἄλλη
Νήσοις ἐν πάσῃσι Βρεττανίδεσσιν ἰσοφαρίζει.

Quod capio duplici ſenſu; vel enim reſpectum dicit ad magnitudinem; quam ſuprà innuebat

Τάων τοι μέγεθος περιώσιον.

Vel ad bonitatem; utroque enim modo reliquas omnes inſulas facilè ſuperat *Britannia.* Primò fertilitas ejus ex hoc non obſcurè patet, quòd & annonâ in proprios uſus ſufficiente abundet, & frumentarium auxilium populis etiam longiſſimè diſſitis ſuppeditet. Amm. Marcellinus *lib.* 18. *Annona à Britannis ſueta transferri.* Zoſimus Comes *lib.* 3. Ὀκτακόσια κατεσκεύασε πλοῖα (Julianus Imp.) μείζονα λέμβων, ταῦτά τε εἰς τὴν Βρεττανίαν ἐκπέμψας κομίζεσθαι σῖτον. Plura apud Camdenum, in ſuâ *Britanniâ* videat, ſi volet, ſtudioſus lector. Secundò magnitudinem quod attinet, ea quidem apud Dionyſium præcipuè intelligenda eſt. Audi Diodorum *lib.* 5. Νῆσοι πολλαὶ κατὰ τὸν Ὠκεανὸν ὑπάρχουσιν, ὧν ἐστὶν ἡ μεγίστη Βρεττανικὴ καλουμένη. Author libelli *de Mundo*, Ariſtoteli falsò attributus, *cap.* 3. Ἐν τούτῳ γε μὲν νῆσοι μέγισταί τε τυγχάνουσιν οὖσαι δύο Βρεττανικαὶ λεγόμεναι, Ἄλβιον, καὶ Ἰέρνη. Hinc Ariſtides aliique Græci *Britanniam* κατ' ἐξοχὴν, ob magnitudinem, μεγάλην νῆσον appellarunt; quemadmodum & nos hodiè *Magnam Britanniam* vulgò dicimus. Tacitus *in Julio Agricola*: *Britannia inſularum, quas Romana complectitur Notitia, maxima.* Procopius *Vandalicorum*, *lib.* 1. *Britanniam* vocat. Τῶν ἐκτὸς Ἡρακλειῶν στηλῶν νήσων ἁπασῶν μεγίστην παρὰ

πολὺ

πολὺ ἔστιν. Ptolemæus unam quidem excipit Tapobranem, λέγων (inquit Eustathius) ὅτι πρωτεύει ἡ Ἰνδικὴ Ταπροβάνη μεγέθει καὶ τῇ δόξῃ, μεθ᾽ ἣν ἡ Βρεττανική. Cæterum de magnitudine *Britanniæ* vide sis Cl. Salmasium, *in Plinianis*, latè differentem, *pag.* 250. Quidam deducunt, à Βρετὺς *dulcis*, & τανία *regio*, ut in *Lusitania*, *Mauritania*, &c. q.d. *dulcis terra*. Dunæus. Camdenus à *Brith*, id est, *pictus*, nam populi se pingebant glasto. Sin verò à *Britone* vel *Bruto* dicta fuit, certè Brutus ille Gallus fuit, non Trojanus, aut Italus. Verstiganus. Bocharto verò Βρεττανικὴ nihil aliud videtur, quàm ברת אנך *barat anac*, id est, *ager*, seu *terra stanni & plumbi*. ברא *bara* & in regimine ברת *barath*, Syris agrum esse sciunt omnes, & ex Daniele abundè notum, & אנך *anac*, stannum aut plumbum Hebræi explicant Hamosi, 7. 6. Primò, de stanno res notissima ex Diod. Sic. *lib.* 5. *p. m.* 209. Οὗτοι τὸν κασσίτερον κατασκευάζουσιν ἐργαζόμενοι τὴν φέρουσαν αὐτὸν γῆν. Vide quæ sequuntur. Secundò, de plumbo Plinium audi: *Nigro plumbo ad fistulas, laminasque utimur laboriosius Hispaniâ eruto, sed in Britanniâ summo terræ corio adeò largè ut lex ultro dicatur, ne plus certo modo fiat.* Figuram ejus quod attinet, Strabo *lib.* 4. Ἡ δὲ Βρεττανικὴ τρίγωνος μέν ἐστι. Cæsar, *Insula universa triquetra.* Pomponius; *Britannia se in diversos angulos cuneat triquetra, & Siciliæ maximè similis.* Diodorus quoque Siculus; Αὕτη γὰρ τῷ σχήματι τρίγωνος οὖσα παραπλησίως τῇ Σικελίᾳ. Quàm sit autem hoc verum, ex recentiorum descriptionibus discere quivis potest, & præterea ex Tacito *in vitâ Agricolæ.* Dicitur etiam *Britanniæ* plur. num. uti & *Illyriæ* apud Propert. 2. 17.

Dic alias iterum naviget Illyrias.

Solinus,

Gracias cogitamus. Homerus:

Ἦ μὲν Κρητάων γένος εὔχομεθ᾽ εὐρειάων.

Euripides,

Καὶ πτώσεις, καὶ μακρὰς Εὐρωπίας.

Catullus *epist.* 26.

Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.

Idem *Epist.* 42.

Mavult quàm Syrias, Britanniasque.

Incolæ hujus Insul. *Britones*: qui primum Evangelii præconem habuerunt Josephum Arimathæum, A.C. 60. baptizati, sub Rege Lucio, A. 177. E Germania seqq. temporibus in Britanniam commigrarunt Angli, Saxones & Juti seu Jutæ, quos eosdem cum Getis Gothisque esse asserit Spelmannus *in Glossario Archæol.* Unde dictiones complurimæ Anglis, Gallis, Hispanis, Italis, & Græcis Authoribus usitatæ, fontem priscum Saxonicum, Germanis ipsis hodiè non satis cognitum, agnoscunt: quem ad Gothicam dialectum proximè accedere Conr. Gesnerus ait. Hinc & nosmetipsos, verba sunt Spelmanni, à Gothis latè Europam opprimentibus, originem duxisse, moresque & leges aliquot cum vocabulis multis nondum exoletis, imbibisse, certum est. Gravem senserunt Britones Gregorium M. qui Britones Christianos, quòd sibi subjectionem denegassent, per Edelredum Northumbriæ R. miserè tractavit, Dinotho Abbate, viro insigni, cum ingenti clericorum copiâ, perdito, A. 597. Quæ postea secuta, vide in *Anglia* & *Scotia*. Urbes & oppida præclariora Britanniæ primæ, id est, Angliæ & Walliæ, quæ nunc extant, sequuntur. Quæ asterismis indigitantur, oppida sunt vel munitiora vel munimenti capacia.

Urbes & oppida Angliæ.

Aballaba, *Appleby*, in Comitat. Westmariæ.
* Æglesburgus, *Ailesbury*, Buckingh.
Alnevicum, *Alnvvick*, Northumb.
Antona Australis, *Southampton*, reg. cognominis portus.
Antona Borealis, *Northampton*, reg. cognom.
Axelodunum, *Hexham*, Northumbriæ.
* Banburia, *Banbury*, Oxoniensis.
Barnastapula, *Barnstable*, Devoniæ.
Bathonia, *Bath*, olim Aquæ calidæ, & Aquæ solis, Somersett. episc. urbs.
Bedfordia, *Bedford*, regni cognom.
* Bervvicus, *Barvvick*, Northumb. portus.
Boltonia, *Bolton*, Lancastriensis.
* Brigewatera, *Bridgevvater*, Somersett.
* Bristolium, *Bristovv*, Somersett. portus.
Buckingamia, *Buckingham*, reg. cognom.
Calcaria, *Tadcaster*, Eboracens.
Camalodunum, *Maldon*, Essexiæ.
Cantabrigia, *Cambridge*, olim Camboritum, reg. cognom. Academia.
Cantuaria, *Canterbury*, olim Durovernum, Cantii, urbs archiepiscopalis.
* Carleolum, *Carlile*, Cumbr. urbs episc.
* Cestria, *Chester* & *VVestchester*, reg. cognom. urbs episc. & portus.
Chardum, *Chard*, Somersett.
Chelmerum, *Chelmsford*, Essex. olim Canonium.
Chesterfeldia, *Chesterfield*, Derbiensis.
Cicestria, *Chichester*, Sussex. urbs episc.
* Colcestria, *Colchester*, Essex. olim Colonia.
* Conventria, *Coventry*, Varvic. urbs episc.
Corinium, *Cirencester*, & *Circecester*, Glocest.
Dancastrum, *Doncaster*, olim Danum, Eborac.
Derbia, *Derby*, vel *Darby*, reg. cognom.
Dertmuta, *Darthmouth*, Devon. portus.
* Divisæ, *the Vies*, seu *Devizes*, Wiltoniensis.
Dorcestria, *Dorchester*, reg. cognom.
* Dubris, *Dover*, Cantii, portus.
Dunelmum, *Duresme* & *Durham*, episcopatus cognom. urbs episc.
Dunistabulum, *Dunstable*, Bedfordiensis.
Durnovaria, *Dorchester*, reg. cognom.
* Eboracum, *York*, reg. cognom. urbs archiepisc.
Elia, *Ely*, Cantabrig. urbs episcopalis.
* Exonia, *Excester*, olim Isca Damnoniorum, Devon. urbs episc.
Fanum S. Albani, *S. Albans*, ubi olim Verulamium, Hertfordiensis.
* Fanum S. Botolphi, *Boston*, Lincoln. portus & emporium
Fanum S. Edmondi, *S. Edmonds Bury*, Suffolc.
Fons clarus, *Shirborn*, Dorcestr.
* Galleva, *VVallingford*, Bercheriæ.
Garianorum, *Yarmouth*, Norfolc. portus & emporium.
* Genesborvvia, *Gainsborough*, Lincoln.
Gippevicum, *Ipsvvich*, Suffolc.
Glasconia, *Glassenbury*, Somersetensis.
* Glovernia, *Gloucester*, olim Glevum, reg. cognom. urbs episc.
Harlepolis, *Hartlepool*, Dunelm. episcopat. portus.
* Harvicum, *Harvvich*, Essex. portus.
* Herefordia, *Hereford*, reg. cognom. urbs episc.
Hertfordia, *Hartford*, reg. cognom.
* Hulla, *Hull*, vel *Kingston upon Hull*, Eborac. portus & emporium.
Huntingdonia, *Huntington*, reg. cognom.
Lancastria, *Lancaster*, reg. cognom.
Lanstuphadonia, *Launston*, Cornubiæ.
Ledesia, *Leeds*, Eboracensis.
Leicestria, *Leicester*, reg. cognom.
Leonis monasterium, *Lemster*, Hereford.
* Lichfeldia, *Lichfield*, Stafford. urbs episc.
Lindum, *Lincoln*, reg. cognom. urbs episc.
* Linum Regis, *Lienne*, Norfolc. portus & empor.
* Liserpalus, *Lirpool* & *Leverpool*, Lancast. portus.
* Londinum, *London*, Middlesexiæ, urbs regni primaria & episc.
* Ludloa, *Ludlovv*, Salopiæ.
* Mancunium, *Manchester*, Lancastr.
Margaberga, *Marleborovv*, Wiltoniensis.
Morpitum, *Morpeth*, Northumbriæ.
* Morsiburgus, *Brug morse* & *Bridgenorth*, Salop.
Neoportus, *Nevvport*, Vectis ins.
* Nevarca, *Nevvark*, Nottingamiensis.
Northalvertonia, *Northallerton* Eboracensis antehac Comitatus.
Norvicum, *Norvvich*, Norfolc. urbs episc.
Nottingamia, *Notingham*, reg. cognom.
* Novum castrum, *Nevvcastle*, Northumbriæ portus & empor.
Novus mercatus, *Nevvmarket*, Cantabrigiensis.
* Oxonium, *Oxford*, reg. cogn. urbs episc. & Academia.
Petropolis, *Peterborough*, Northampt. urbs Episc.
* Plimmouta, *Plimmouth*, Devon. portus.
* Pons fractus, *Pontfract* vel *Pontfrett*, Eborac.
* Portus ostium, *Portsmouth*, Southampt. portus.
Prestonium, *Preston*, Lancast.
* Readingum, *Reading*, Bercheriæ.
Richmondia, *Richmond*, Eboracens. antehac Comit. caput.
Rium, *Rye*, Sussex. port.
Roffa, *Rochester*, Cantii, urbs episc.
Sacri capilli, *Halifax*, Eboracensis.
* Salopia, *Shrevvsbury*, reg. cognom.
Sandovicum, *Sandvvich*, Cantii, portus.
Sarum & Sarisburia, *Sarisbury*, Wiltoniensis, urbs episc.
* Scarburgum, *Scarborough*, Eborac. portus.
Stanfordia, *Stamford*, Lincoln. antehac Academia.
Staffordia, *Stafford*, reg. cognom.
* Tanodunum, *Taunton*, Somerset.
Theoci curia, *Tevvksbury*, Glocest.
Thetfordia, *Thetford*, Norfolc. olim Sitomagus.
Tonbrigium, *Tunbridge*, Cantii
Tripontium, *Torcester*, Northampton.
Varingtonium, *Warington*, Lancast.
Varvicum, *Warvvick*, reg. cognom.
Vicus Malbanus, *Nantvvich*, Cestr.
* Vigornia, *Worcester*, olim Brannogenium, reg. cogn. urbs Episc.
* Vimutium, *VVeymouth*, Dorcestr.
Vriponium, *Rippon*, Eborac.
Vzella, *Lestithiel*, Cornubiæ.
Wellæ & de Fontibus, *VVelles*, Somersetensis urbs Episc.
Westmonasterium, *VVestminster*, Middlesexiæ.
Wibigginum, *VViggin*, Lancast.
* Windlesora, *VVindsor*, Berch.
Wintonia, *VVinchester*, Southampton. urbs episcopalis, olim Venta Belgarum.

VVallia urbes & oppida quæ exstant.

Albergennium, *AbergeVVenny* & *Abergenny*, olim Gobannium, reg. Monumetensis.
Arvone, *CaernarVon*, reg. cogn.
Bala, *Bala*, Merviniæ.
Bangoria, *Bangor* vel *Banchor*, Carnarv. urbs episc.
* Bellomariscus, *Beau-marish*, & *Beaumoris*, Monæ insul. portus.
Brechinia, *Brecknock*, region. cognom.
Cardiffa, *Caerdiff*, Glamorganensis.
Cardigania, *Cardigan*, reg. cognom.
Chepstovium, *ChepstoVV*, Monumet.
Civitas legionum, *Caer-leon*, olim Isca, Monumetensis.
Conovii ostium, *AberconVVey*, ubi olim Conovium, Canarv.
Denbighia, *Denbigh*, reg. cogn.
Fanum S. Asaphi, *S. Asaph*, Flintens. urbs episc.
Fanum ad Taffum, *Landaff*, Glamorganensis urbs episcopalis.
Harlecum, *Arlech* vel *Harlech*, Mervin. portus.
Haverfordia, *HaVerfordVVest*, Penbroch.
Maridunum, *Caermarden*, reg. cognom.
Menevia, *S. DaVids*, Penbroch. urbs episc.
* Mons Gomericus, *Montgomery*, reg. cognom.
* Monumethia, *Monmouth*, reg. cognom.
Nidum, *Neath*, Glamorganens.
* Penbrochia, *Pembrook*, reg. cognom portus.
Radnoria, *Radnor*, reg. cogn.
Ruthunia, *Ruthin*, Denbigh.
Trellinum, *VVelspool*, Mongomer.

Britannia prima populi juxta Camdenum.

Attrebatii.
Bercheria, *Barkshire.*
Belgæ.
Dorsettia, Dorcestrensis Comitatus, *Dorcetshire.*
Somersettensis Comitatus, *Somersetshire.*
Southamptoniæ Comit. *Hamshire, Hantshire.*
Vecta insula, *The Isle of VVight.*
Wiltoniensis Comitatus, *VViltshire.*
Brigantes.
Eboracensis Comitatus, *Yorkshire.*
Dunelmensis episcopat. *The Bishoprik of Duresme* vel *Durham.*
Lancastriensis Comitatus, *Lancashire.*
Westmaria Comitatus, *VVestmorland.*
Cumbria Comitatus, *Cumberland.*
Cantium,
Kent.
Cattieuchlani.
Bedfordiensis Comitatus, *Bedfordshire.*
Buckingamiensis Comitat. *Buckinghamshire.*
Hertfordiensis Comitat. *Hartfordshire.*
Coritani,
Derbiensis Comitat. *Darbyshire.*
Leicestriensis Comit. *Leicestershire.*
Lincolniensis Comit. *Lincolnshire.*
Northamptoniæ Comit. *Northamtonshire.*
Nottingamiensis Comit. *Notinghamshire.*
Rotelandia, *Rutland.*
CornaVii.
Cestriensis Comitatus, *Cheshire.*
Salopiensis Comitatus, *Shropeshire.*
Staffordiæ Comitat. *Staffordshire.*
Warwicensis Comitat. *VVarVVickshire.*
Wigorniensis Comit. *VVorcestershire.*
Danmonii.
Cornubia, *CornVVall.*
Devonia, *DeVonshire.*
Dimetæ.
Cardiganiæ Comitatus, *Cardiganshire.*
Carmardeniæ Comit. *Caermarthenshire.*
Penbrochiensis Comitat. *Pembrookshire.*
Dobuni.
Glocestriensis Comitat. *Gloucestershire.*
Oxoniensis Comit. *Oxfordshire.*
Iceni,
Cantabrigiensis Comit. *Cambridgeshire.*
Huntindoniensis Comit. *Huntingtonshire.*
Norfolcia, *Norfolk.*
Suffolcia, *Suffolk.*
OrdeVices,
Arvoniæ Comit. *CaernarVonshire.*
Denbighiensis Comitat. *Denbighshire.*
Flintensis Comit. *Flintshire.*
Mervinia, *Merionethshire.*
Mongomeriensis Comit. *Montgomeryshire.*
Mona insula, *The Isle of Anglesey.*
Ottadini,
Northumbria, *Northumberland.*
Regni,
Sussexia, *Sussex.*
Suthreia, *Surrey.*
Silures,
Brechiniæ Comit. *Brecknockshire.*
Herefordensis Comitatus, *Herefordshire.*
Glamorganensis Comit. *Clamorganshire.*
Monumetensis Comitat. *Monmouthshire.*
Radnorensis Comitatus, *Radnorshire.*
Trinobantes,
Middelsexia, *Middlesex.*
Essexia, *Essex,*

Urbes Britanniæ secundæ, hoc est, Scotiæ.

Aberdonia, olim Devana, *Aberdeen*, Academ.
Abrenethea, *Abernethy.*
Aerea, *Ayre.*
* Alata castra, *Edenburg*, urbs regia & Acad.
* Andreapolis, *S. AndreVVs*, Academia.
Brechinium, *Brechin.*
* Candida casa, *VVhithern.*
Castrum Britonum, *Dunbritton.*
Castrum Caledonium, *Dunkelden.*
Chanrea, *Chanonry.*
Donum Dei, *Dundee.*
Dornocum, *Dornock.*
Dumblanum, *Dumblane.*
Dunfresa, *Dunfreis.*
Edimburgus, Vide Alata castra.
Elginum, *Elgin.*
Fordunum, *Fordon.*
* Glasquum, *GlascoVV*, Acad.
Hamiltonum, *Hamilton.*
Innernium, *Innerness.*
Insula S. Columbi, *Columb-kill*, juxta Mulam.
Kirchvallum, *KerckVVale*, in Pomonia.
Lismoria, *Lismore.*
Mussalburgum in Laudonia, *MusselborroVV.*
* Perthum, *S. Johnston.*
Stephanodinum, *Dunstafag.*
*Strivilingum, *Sterling.*
Suavicordium.
Victoria, *VVington*, aliis *Inch-Keith.*

Vide plura in *Anglia* & *Scotia.*

Britannia, Ducatus Galliæ, peramplus & fertilis, vulgò *Britaigne*, qui nomen jura moresque, imò & incolas à *Britannis* insulanis accepit. Julius Scal. *in Urbibus*:

Vicit Aremoricas animosa Britannia gentes,
Et dedit imposito nomina prisca jugo.

Putant autem id factum, imperante Vortigero, cùm in Galliam Britannos expulisset, evocatus ad defensionem adversus Scotos, Saxo. Nec tamen absimile verò est, etiam ante id temporis, ut ex Plinio & Beda patet, in istâ Galliæ parte Britannorum extitisse colonias, easque tunc auctas novâ accessione, quam vim domi fuerant passi, Aremoricis, istique maritimo tractui intulisse. Excreverunt hi postmodum in tantam potentiam, ut Gothis, quò minus Galliam universam occuparint, obstaculo fuerint. Certè Riothinus istorum Rex, teste Jornande, duodecim millia Britannorum contra Gothos in auxilium adduxit. Prælio quoque adversus Attilam Britannos interfuisse autor est Callimachus Experiens. Simonius ex Pontano. Ad Orientem Nortmannos habet, Cenomanos & Andegavenses confinales, ad meridiem Pictones: reliqua latera claudit mare Britannicum. Provinciarum Galliæ ad Oceanum est ultima, in altum ultra reliquas omnes procurrens, peninsulę instar; unde non inconcinnè *Cornu Galliæ* vocatur: Soleæ ferreæ speciem referre dicitur, cujus exterior pars subrotunda mare, interior verò, quæ concava, respicit mediterranea. Longitudo ejus sex dierum est itineris, trium autem latitudo. Dividitur in *Superiorem & Inferiorem. Superior*, quæ est Orientalior, ab *Inferiore* separatur lineâ ex vico, qui vulgò dicitur *Chasteau Andron*, ductâ, porrectaque inter Quintinum & Corlayum, versus extremitatem sinus Venetensis, ad flumen usque Vilanium, sic tamen, ut fanum S. Johannis in Inferiore relinquatur Britannia. Ejus metropolis est Rhedonum urbs episc. cum Parlamento, reliquæ Nantes, S. Malo, S. Brieu, & Dol. Episc. *Inferior* verò Britannia, porrigit se ab communibus cum superiore limitibus in Occident. versus Oceanum, qui tria ejus latera latè pulsat: ejus metropolis est Venetia, vulgò *Vannes*. Merula. Per aliquot secula Duces habuit proprios, sed ab A. 1491. Regno Franciæ innexa est, Baudrandus. Vide paulo infra. Perampla est & fertilissima, maximè in Occid. procurrens. Historia ejus compendio sic habet. A J. Cæsare subacta Romanis paruit, donec, Maximus in Anglia Imper. proclamatus uni ducum suorum, Conano nomine, permisit regnum erigere in Gallia Aremorica. Quod duravit usq; ad Clodovæum & Chilpericum, à quibus coacti sunt Reges hi titulo Comitum acquiescere. Pòst, jugo excusso à Dagoberto II. tributarii sunt redditi, usque ad an. 707. quo Carolus M. illos sibi subjecit. Nihilominus amore libertatis in Ludovic. Pium & Carolum Calvum iterum surrexerunt, mutuis insuper præliis attriti, & occiso ultimo suo Rege Salomone. Post quem Principes præfuerunt, usque ad an. 1213. quo Adelais, Armoricæ hæres Petro Drocensi nupsit; quibus successerunt, 10. Duces, usque ad an. 1491. cùm Anna, unica filia Franc. II. ultimi Ducis, jam Maximiliano I. Rom. Imp. desponsata, à Carolo VIII. primùm, dein à Lud. XII. ducta, ducatum hunc Galliæ regni accessionem fecit. In hac regione Concilium A. 846. de pace inter Gallos & Neomedem Ducem, & 1079. Vid. *tom.* 10. *Concil.*

Urbes Britanniæ Gallicæ, seu minoris.

Aletha. Vide Maclovium.
Briocum, *S. Brieu.*
Brivates, *Brest.*
Clissonium, *Clisson.*
Corisopitum, & Curiosolitæ, *CornoVaille.*
Dinantium, *Dinant.*
Dolis, *Dol.*
Filiceræ, *Fougeres.*
Gueranda, *Guerande.*
Hannebontum, *Hannebont.*
Kimperlæum, *Kimperlay.*
Leona, *S. Pol de Leon.*
Machicolium, *Machecou.*
Maclovium, olim Aletha, *S. Malo.*
Mons Relaxus, *Morlaix.*
Nannetes, *Nantes.*
Rhedones, *Rennes.*
Saliocanus, *Roscou.*
Trecoriũ, olim Osismi, *Triguier.*
Venetiæ, *Vannes.*
Vitræum, *Vitré.* Vide quoque *Britanni.*

Britannia nova, pars Amer. Septentr. inter novam Franciam & Fretum Hudsonium, sic dicta ab Anglis, qui eas oras tantùm perlustrarunt. Aliis *Terra Laboradoris*, seu *Estotilandia.* Vid. ibi.

Britan-

Britannicus, filius Claudii Cæsaris ex Messalinâ, primò Germanicus dictus. Hic quamvis adhuc infans, à patre in castris sæpe circumlatus fuisset, & militibus commendatus, Neronis tamen operâ veneno sublatus est. Tacit. *An.* II. 12. 13. Suet. *in Nerone*. Juvenalis *Sat.6. de Messalinâ*:

Ostenditq; tuum generose Britannice, ventrem.

Britannicus Oceanus, Gallis *le Manche*, extenditur à promuntorio Gobæo, in Britannia min. & Bolerio, seu Antivestæo, in Angl. ad Fretum Gallicum, *le Pas de Calais*.

Britannicus portus, Plin. idem cum Iccio. Vid. ibi.

Britinta, Lib. Conc. *Britonium*, *Britonia* ac *Bretonia*, urbs Hisp. Tarr. in Callaicis, olim Episc. excisa, proxima Mindonensi urbi, quæ illi successit.

Britinorium, seu *Bretinorium*, urbs episcop. Romandiolæ, in dit. Pontif. prope Bedesim amnem, in colle. Crevit ex ruinis Fori Popilii. 5. mill. à Foro Livii in Ortum, 7. à Cesena in Occas.

Britium, Lusitaniæ opp. Plin. 4. 21.

Britius, Archiepiscopus Turonensis, Martino successit. Volaterran.

Britolage, Mysiæ infer. pop. Ptol.

Britolium, vulgò *Breteul*, opp. à Britonibus conditoribus, an colonis? dictum, in Gallia, ad Ittonam fluv. non procul à Mediolano Aulercorum Ebrovicorum.

Britomartis, Nympha Cretensis, valdè formosa, Jovis & Charmes filia, Diodoro *Britona* dicta. Retia ad venandum invenit, ex quo *Dictynna* dicta est, quod causam præbuit, ut quidam Dictynnam ac Dianam eandem esse putarint. Hesych. Βριτόμαρτις, ἐν Κρήτῃ ἡ Ἄρτεμις. Hæc, ut quibusdam placet, à Minoë rege Cretensi adamata, cùm ejusdem concubitum fugere non posset, de rupe se in mare præcipitavit. Ejus meminit Virgilius seu quisquis fuit alius in Ciri. Callimachus *Hymno 3. qui est in Dianam*:

Ἐλλοφόνον, Βριτόμαρτιν ἐΰσκοπον ——

Ubi Scholiastes: Βριτόμαρτις, ὄνομα κύριον τῆς νύμφης, ἀφ' ἧς καὶ ἡ Ἄρτεμις ἐν Κρήτῃ Βριτόμαρτις τιμᾶται, ὡς Διογενιανός. De hac ita Solinus: *Cretes Dianam religiosissimè venerantur*, Βριτόμαρτιν *gentiliter nominantes, quod sermone nostro sonat virginem dulcem*. Et Jos. Scaliger ait, se in Glossariis Græcorum invenisse, Βριτὺ τὸ γλυκύ, ὡς Κρῆτες. A Græcorum Scholiorum auctore in Aristophanis Ranas Act. 5. Sc. 2. vocatur Βριτόμαρτις, additque eam forte fortunâ in retia quædam incidisse atque à Dianâ liberatam Dictynnæ Dianæ templum posuisse, *pag.* 275.

Britomarus, Caput Gallorum Insubrium, ab Æmilio victus, votoque sic frustratus, de quo Vid. Flor. *l.* 2. *c.* 4.

Britones, pop. tum maj. tum min. Britanniæ, quæ posterior est Gall. Celticæ regio ad mare sita Normannis ac Pictavis conterminа. Juvenal.

Quâ nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam.

Vide *Britannia*.

Britonia, Vide *Bretonia*.

Britonum castrum, *Dunbritton*, opp. Scotiæ & emporium in ora Occid. apud ostia Cludæ fluv. Vid. *Alcluith*.

Britvaldus, Episc. Cantuar. tempore Bedæ, *hist. ejus l.* 5. *c.* 4. plurima scripsit. Obiit A. 731. Voss. *hist. Lat.* 3. 3.

Briva-Curretia, vicus erat in finibus Lemovicum, regnantibus Chlodovei Magni nepotibus ac pronepotibus, nunc municipii instar se ferens, à ponte flumini Curretiæ imposito *Briva Curretia* Gallicè, hoc est, pons ad Curretiam cognominatus: cujus in Basilica B. Martinum, Martini Turonici Episcopi discipulum sepultum esse affirmant incolæ, & ob præsens auxilium sæpe expertum summopere venerantur. Vulgò *Brive la Gaillarde*, hoc est, Briva hilaris nuncupatur, proximumque hab t viculum, *Templum Amoris* dictum, *Temple d'Amour*. Posita est Briva ferè ad ipsos Curretiæ & Viseræ confluentes, quorum fluviorum alter *Coureze*, alter *Vezere* appellatur. Curretia autem amnis proximum capiti suo vicum cognominem habet, nimirum Curretiam, *Coureze*, deinde Tutelam attingit Episcopi sedem, *Tulle*, ac Brivam: infra quam in Viseram influit. Basilicam B. Martini supradicti; in Briva vico, ab exercitu Gundobaldi, qui ibi Rex anno 584. consalutatus est à quibusdam Optimatibus Francorum, incensam esse auctor est Gregorius, ita ut tam altaria, quàm columnæ ex variis marmorum generibus igne dissolverentur ac discuterentur: quam Basilicam Ferreolus Lemovicarum Episcopus postmodum reparaverit: & *Brivam Curretiam vicum in Lemovicino* appellat, *in cap.* 10. *lib.* 7. *Hist.* Vales. *Notit. Gall.*

Briva-Isara, in Itinerario Æthici appellatur, ponitur que inter Petromantalum & Luteciam medio spatio: *Brivisura* corruptè pro Briva-Isaræ aut Brivisara nuncupatur in tabula Peutingeriana à *briva*, seu ponte flumini Isaræ imposito: (Pontem enim veteres Galli brivam suâ linguâ dixere) quam recentiores *Pontem Isaræ*, & *Pontisaram*, *Pontem-Esiæ*, & *Pontesiam* vocavere, *Pontoise*. Quippe *Isara* alio nomine dictus est & *Esia*, ut Vibius Sequester docet. Locus hic situs est in Veliocassibus, quorum fines à finibus Parisiorum Isara fluvio dividuntur; Orderico Vitali *in libro* 5. *castellum Vilcassini, quod Pontisera vocatur*; *in libro* 12. *Pontesia*. Cæterùm *Brivisara* vel *Brivaisara* suprà non malè nuncupari videtur in tabula Peutingeriana, pro Briva-Isaræ: cùm *Briva Curretia* similiter appelletur à Gregorio pro Briva Curretiæ. Nam ut hеic pons Curretiæ fluvio est impositus, ita illic Isaræ. *Briva-Isara* autem vel *Brivisara* eodem olim modo dici potuit, quo postea *Pontisera*, *Pontisara*, & *Pontesia*, pro *Pons-Isera*, *Pons-Isara*, & *Pons-Esia*. Hadrian. Vales. *Not. Gall.*

Brivas, quæ & *Briva Curretia*, Gall. *Brive*, urbs lepida Gall. in Lemovicensi prov. ad Curretiam amnem, in limite prov. Cadurcensis. *Brivas* autem, vulgò *Brioude*, oppid. est Alverniæ amplum, ad Elaverem fluv. 10. leuc. à Claromonte in Austr. & 6. à Fano S. Flori. Nobile Capitulo 25. Canonicorum, olim Equitum, à Guil. I. instituto, & Concilio An. 1092. *T.* 10. *Conc.* De hoc oppido ita Valesius: *Brivas* vicus fuit Arvernorum, tumulo ac Basilica Juliani Arverni Martyris nobilis, Constantio Pr. Sidonio, Gregorio, & Fredegario memoratus, vulgò *Brioude*. Eò delatus est Avitus Aug. & ad pedes B. Juliani sepultus anno 456. *Brivatensem vicum*, in libro *de Gloria Martyrum* vocat Gregorius, & *in capite* II. *libri* 2. *Historiæ Francicæ*: ut omittam Erricum Monachum, & Martyrologos. Sidonius *in Propemptico ad libellum* Brivatis meminit his versibus,

Hinc te suscipiet benigna Brivas,
Sancti quæ fovet ossa Juliani.

Nunc est oppidum non longè à flumine, quod dicitur Elaver, *Brioude Glise* ab Ecclesia S. Juliani sæpè cognominatum: cui proximus vicus, impositus ei flumini, ubi & pontem fert, nuncupatur vetus Brivas, *Vieille Brioude*. *Euricum Gothorum Regem* 14. *regni sui anno Ecclesiam S. Juliani Brivate columnis ornatam mirificè construxisse* scribit Fredegarius *in libri* 4. *Chronici capite* 13. deceptus, ut solet male intellectis Gregorii verbis, quæ talia sunt *in libri Historiæ* 2. *capite* 20. *Eorichus Gothorum Rex Victorium Ducem super* 7. *civitates præposuit anno* 14. *regni sui*: *qui* (nimirum Victorius) *protinus Arvernis adveniens, civitatem addere voluit: unde & cryptæ illæ usque hodie perstant ad Basilicam S. Juliani: & columnas quæ sunt in æde posita, exhibers jussit. Fuit autem Arvernis annis* 9. Ex quibus intelligitur, Victorium natione Gallum, virum mulierosum quidem, sed clarum genere atque Catholicum, ab Eurico Gothorum Rege Arvernis ac sex finitimis Aquitaniæ civitatibus *Ducem* esse præpositum sive rectorem: qui civitatem Arvernorum, ubi 9. annis cum imperio moratus est, ampliare voluerit, cryptis etiam ad Basilicam S. Juliani ædificatis, & columnas advehendas, ac in æde ejus Martyris ponendas curaverit. At Fredegarius Eurico Regi Vesigothorum Ariano perperam tribuit, quod Victorio Duci ejus Catholico attribuendum fuit, & de Brivatensi Basilica S. Juliani Mart. accepit, quod de Basilica vel æde ejusdem S. Juliani in urbe Arvernis accipiendum erat: quam Basilicam Victorius quidem *columnis ornavit*, sed non (ut addit Fredegarius) *exstruxit*. Sirmundus scribit, cùm duæ Brivates sint, vetus & nova, de vetere quidem Brivate loqui Apollinarem Sidonium & cæteros; novam verò nobili Canonicorum collegio claram esse: ita ut veterem Brivatem tumulo ac Basilica S. Juliani Mart. insignem faciat: de quo alii judicent. Nam ut *vetus Rotomagus*, *vetus Massilia*, *veteres Pictavi*, cognominati sunt incertam ob caussam, & nonnunquam per jocum vici, qui nunquam sedes fuere Rotomagi, Massiliæ & Pictavorum, urbium semper stabilium atque fixarum, atque ibi primùm conditarum ubi hodieque spectantur: sic *vetus Brivas* casu aliquo dici potuit, licet altera esset recentior. Præterea altera quidem *vetus Brivas* cognominatur; altera *nova Brivas* nusquam cognominatur, *sed Brivas ad Ecclesiam*. A Brivate, ager Brivatensis vocatur *le Brivadois*, & Præpositura Brivatensis, *la Prevosté de Brivadois*. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Brivates, Gall. Lugd. portus. Ptol. *Brest* Scaligero.

Brivenes, pag. Germ. ad Danub. in Suevia, apud Laugingam urbem: *Prentz*, ad Brentium fluv.

Brivodurum, oppidul. Aurelianensis agri, ad Ligerim fluvium. Ibi Ligeris Lupiæ fluv. & dein Sequanæ jungitur per incile, à paucis annis. Vulgò *Briare*. Aliis *Breviodurus* & *Bridoborum*.

Brixaba, mons Tanai fluv. vicinus, posteà *Arietis frons* dictus. Plut. *lib. de Fluminibus*.

Brixellum, opp. Italiæ, inter Mantuam & Cremonam, vulgò *Bressello*. Tacito Hist. *lib.* 2. Suetonio *in Othone*, Phlegonti *lib. de longævis*, prætereaque Ptolemæo atque Antonino scribitur *Brixellum*, at apud Plin. 3. 5. *Brixillum*; apud Plut. *in Othone* ἐν Βριξίλλῳ legas, & postea, ἐν Βριξίλλῳ: ab Agilulpho subactum est. An. 593. long. 32. 42. lat. 44. 08.

Brixentes, populi Norici. Ptol.

Brixia, urbs Longobardiæ Transpadanæ: Catullus *carm.* 68.

Atqui non solùm hunc se dicit cognitum habere
Brixia, Chineæ supposita speculæ;
Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia, Verona mater amata meæ.

Vide Cluver. *Ital. Antiq. lib.* 1. *cap.* 26. *Brescia* & *Bressa* hodie dici-

dicitur, à qua Comitatus Brixiensis nomen habet: in colle, ad rivum Gorzam, prope amnem Melam, cum arce pervalida condita, ut refert Livius, à Cenomannis, qui per Taurinos & Alpis Juliae saltus favente Belloveso, nam is priùs transcenderat ex Gallia in Italiam, Elituo Duce, venerunt: dicit Capreolus meritò Brixiam urbem hanc dictam ab arboribus fructu gravidis & foetu gaudentibus. Colonia deducta est cum reliquis Transpadanis ab Cn. Pompejo Strabone anno 665. & postea cum aliis ab C. Caesare Dictatore Civitatis jure donata: fidem populi Rom. constantissimè coluit, praecipuè verò difficillimis belli Punici temporibus, post cladem ad Trebiam ab Annibale acceptam, quamobrem subsidia rei Romanae praestitit: dein in Imperatorum fuit potestate, quandiu salva stetit sua Romano nomini majestas. Pòst à Radagiso Gothorum rege incendio vastata, anno 412. hinc ab Attila Hunnorum Principe subversa, sed refecta anno 452. imperante Martiano, dein Longobardis, Carolo M. Regibus Italiae subfuit, libera posthaec. Sed ab Henric. VI. Imperat. occupata, tandem in Ducum Mediolan. potestatem pervenit, donec se Venetis dedidit, quibus cùm à Ludovico XII. Anno 1509. erepta esset, à Francisc. I. An. 1517. reddita est, sub quorum imperio maximè hodie floret. Venetae urbis sponsa vulgò cognominatur. Ager Brixiensis admodum longè lateque patet, etenim latitudine stadia ferè 800. seu P. M. C. continet, nimirum à Moso, à Mantua millibus 15. abest, usque ad Dialengum extremo in vallis Camuniae capite situm: longitudine stadia 400. vel P.M.L. inter Limonem Benaci vicum & Orcios novos. Sunt hoc tractu lacus aliquot, nominatim Isaeus, Idrinus, & Benacus. In hujus urbis agro, perfidiâ Italorum, clade affectus est Rupertus Imperat. qui Italiam intraverat, ut Galeatium, dominatum invadentem, compesceret, Anno Chr. 1403. Vide Cuspin. *in Ruperto*. Anton. *par.* 3. *titul.* 22. *cap.* 3. & 38. long. 32. 20. lat. 44. 30.

Brixia, Susianae fluvius. Plin. 6. 26.

Brixino, urbs Germaniae, sub clientela Comitum Tirolis, cum toto territorio. Ad Eisocum fluv. qui ibi recipit amnem *Riencz*, ad pedes montium, 2. leuc. German. à confin. dit. Venetae, 6. à Bolzano. Hîc Henricus III. Imper. An. 1380. contra Gregorium VII. elegit Gilbertum Episcopum Ravennae. Episc. est sub Arch. Salisburgensi.

Brizaca, Armeniae maj. opp. Ptol.

Brizana, vide *Brisoana*.

Brizani, populi Septentrionales Helmoldo.

Brizica, Thraciae urbs. Anton.

Brizo, apud Delios vaticiniorum, quae ex somniis sumuntur, Dea habita est, à βρίζειν, *dormire*. Cael. Rhod. 7. 10.

Broburgus, Morinorum castrum. Veteres tabulae ante annos 600. datae nunc *Broburgum*, nunc *Bruchburch castrum*, id est, Brocburgum sive lutosum oppidum vocant; quod nos *Bourbourg* appellamus; Flandrenses *Borborch*, aut si quibusdam credimus *Brouëbourg*. Gilbertus *de Vita & Morte Caroli Comitis Flandriae*, *Brodburg* nuncupat & *Brudburg*, id est, Brodburgum. *Brod* autem & *brud*, non minùs quàm *bruch* & *broc*, lutum significat, & à brodio deductum videtur. Unde Broagium quoque à situ palustri nomen accepit, *Brouage*: & Monstreletius de caede Ludovici Aurelianensium Ducis loquentes ejus filios inducens, *broüet* pro luto usurpat: uti Flandrenses *broue* lutum nominant; & Brajum vel Brajotum castrum in Pertico, vulgò Nostris *Brou* dicitur. Idem Gilbertus *Brudgas* Flandriae oppidum nominat, haud dubiè sicut *Brudburgum* à luto. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Brocalum, regnum Africae in Nigritia, inter ostia Nigri fluv. non longè ab ora Oceani Atlantici, & ab Hesperio promuntorio.

Brocariacum, Villa Regia, in Galliae regno, ut memorant Jonas *in Vita Columbani Abbatis Luxoviensis*, & Fredegarius *in libro* 5. *ac ultimo Chronici*, quò Columbanus ad Reginam Brunichildem venerit: qui videtur esse vicus *Bourcheresse*, inter Cabillonum Regiam Theodorici ac Brunichildis & Augustodunum positus. Ibidem *Villa Regia Spinsia* vel *Spissia*, in qua commorantes Theodoricum ac Brunichildem ejus aviam adiit Columbanus, videtur esse *Espoisse* locus inter Aballonem & Sinemurum. Valesius.

Brochus, Phoeniciae opp. Polyb. *lib.* 5.

Brocomagus, vel *Brotomagus*, & *Breucomagus*, Ptolemaeo, Germ. vicus, non procul ab Argentorato. *Brucomat* Rhenano, *Brumat*, vel *Broumat*, vel *Brumt*, Velsero. Vid. Hadrian. Valesium *Notit. Gall.* long. 28. 50. lat. 48. 20.

Brocubelus, Mazaei filius, Syriae quondam Praetor, victo à Besso Dario transfugit ad Alexandrum. *Curt.* 5. 56.

Broda, urbs Bohemiae gemina Teutonica & Boëma. Ferrarius.

Brodentia, Germ. urbs. Ptol. Sub Hermanduris, ubi nunc fortè Rotenburgum in Franconia.

Brodra, oppidum Indiae, sub imperio M. Mogolis, non longè à sinu Cambajae in regno *Guzaratte*.

Brognier, seu *le Broniac* Johannes, Sabaudus, Archiep. Arelat. Cardinalis Ostiensis nomine, sub Clemente VII. Antipapâ, Benedicto XIII. Alexandro V. Johanne XXIII. & Martino V. celebris. Obiit Romae An. 1426. Ughel. *t.* 1. *Italia S. in Episc. Ostiensi.* SanMarth. *Gall. Chr. t.* 1. *p.* 63. Saxi, *histor. Arelat.* Ciaconius, Foderus, &c. Collegium magnum Avenione fundavit, reditibusque instruxit, quibus 24. pauperes studiosi alerentur, &c.

Bromagus, vicus *Bro*, hodie, unde lacus Bromagensis, *lac de Bro*, Lemanum ingrediens. In Helvetia. Vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.* Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. nov. antiq. &c.*

Bromius, Bacchi cognomen, ἀπὸ τοῦ βρέμειν, id est, *a fremendo*; Aliis verò ἀπὸ τῆς βροντῆς, hoc est, *à tonitru*, eo quòd natus sit cum tonitru, ejus genetrice fulmine peremptâ. Ovidius *Met.* 4.

Thura dabant, Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyaeumque.

Bromus, Centaurorum unus, à Caeneo interfectus, Ovidius *Met.* 12.

Bronchorstum, oppidulum Belgii uniti, in Comit. Zutphan. ad dextram ripam Isalae fluv. 1. leuc. à Zutphania.

Brongus, fluvius, vide *Angrus*.

Bronium, oppidum Hannoniae, in limite Brabantiae, medium inter Bruxellas & Montes. Etiam *Brennia*. Vulgò *Braine le Comte*.

Bronshroa, pagus Ostrogothiae, in Suec. in limite Blekingiae; hîc pax inter Succos & Danos coiit, anno 1645. Aliàs *Broemsebroo*.

Brontaeus, Jupiter dictus à βροντῇ, quod est *tonitru*, unde Latinè *Tonans* quoque vocatur.

Brontes, unus ex Cyclopibus, Vulcani ministris, qui Jovi cudunt fulmina, ἀπὸ τῆς βροντῆς, id est, à tonitru dictus. Tres autem praecipuè à Virgilio numerantur Vulcani ministri, *Brontes*, *Steropes* & *Pyracmon*, quos Hesiodus *in Theogonia* Coeli & Terrae filios facit, quanquam alii ex Neptuno & Amphitrite natos malint. Virg. *Aen.* 8.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Statius *Sylv.* 1. 1.

Quae super imposito moles geminata Colosso
Stat Latium complexa forum? Caelone per auras
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropem Brontemque reliquit.

Claud. *de* 3. *Consul. Hon.*

—— Vobis jam Mulciber arma
Praeparat, & Sicula Cyclops incude laborat:
Brontes innumeris exasperat Aegida signis,
Altum fulmineâ crispare in casside conum
Festinat Steropes: nectit thoraca Pyracmon,
Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.

Bronteum, machina fuit sub scena, aeneum vas habens, in quod calculi decidentes, & in eo circumacti tonitru sonum imitabantur, quod genus *Claudiana tonitrua* Festus vocat à Claudio Pulchro inventore.

Brontinus, Philosophus Pythag. maritus Theanus Metapontinae, quae aliquot opera Philos. edidit, Suidas. Item pater Theanus Cretensis, quae Pythagorae uxor. Diog. Laërt. *in Pythagora*, *lib.* 8.

Brontoras, locus ab Urbe tribus milliaribus distans, quo Anthemius à Leone ab Italiâ missus imperium suscepit. Cassiodorus, Diaconus.

Broteas, & Ammon, caestibus inclaruerunt. Ovid. *Met.* 5.

Hic gemini fratres, Broteasque & caestibus Ammon
Invicti. ——

Brotes, è Cyzicenis unus, à Polluce, in nocturno conflictu caesus ac semianimis relictus. Flacc. *lib.* 3.

Brotheus, fil. Vulcani & Minervae, deformi facie, ob quam dum plerisque esset risui, animi dolore se in rogum conjecit. Ovidius *in Ibin:*

Quodque ferunt Brotheum fecisse cupidine mortis,
Des tua succenso membra cremanda rogo.

Broversavia, insf. Zelandiae, quae à *Scaldi* fluv. *Scaldia* cognominatur, oppidum nitidè & eleganter constructum, quod rei maritimae peritos & exercitos naucleros suppeditat, piscatoresque strenuos, quorum industria ingentem piscium copiam variis mundi partibus communicat. Theatr. Urbium.

Brovovacis, Angliae urbs. Anton. *Brougham* Camdeno, in regione Westmariae.

Brouverhavia, seu *Brouverii* portus, oppidul. Zelandiae, in Scaldia Insf. cum portu sat capaci. 1. leuc. à Ziriczea.

Brouveri fretum, in Amer. merid. detectum à Batavis, A. 1643. Maximè in Austrum spectat, infra fretum Meraeum, & ab inventore nomen habet.

Brucca, sic putat Cl. Aretius olim dictam urbem Siciliae, hodie *Longobaldam* vocatam.

Bruccia, castrum in Lemovicibus, hodie *Brosse*: cum pago circumjacente, à sylva vicina, nomen accepit. Vid. Valesf. *Not. Gall.*

Bructeri, pop. Germaniae in Frisiâ Orient. incolentes, quorum tractu-

tractus *Brockmerlandt*, teste Cornelio Kempio, dicitur. Putantur iidem cum Busacteris, vide ibi. Sunt qui hos in Marchiâ Comit. in Westphalia collocant. Meminit istorum Claudianus *de 4. Consul. Honorii*,

——— Venit accola silvæ
Bructerus Hercyniæ. ———

Hos Drusus navali prælio in Amasio fluv. superavit, teste Tacito. Legendum forsan *Bruteri*: nam se invicem *fratres* appellabant suo quodam more, & , nisi fallor, militari. Mos ille ab antiquissimis Scythis, ubi teste Nicolao, seniores patres, juniores filios, æquales fratres nominabant. Durat hodieque apud Germanos ἀδελφότης quædam συμποτικὴ, nec minus religiosè colitur, ac priscis illis Romanis *Cara cognatio*.

Bruga, vulgò *Bruges*, Flandriæ urbs, ad fluv. *Reye*, omnium pulcherrima, nitidissimaque. Publicarum siquidem & privatarum ædium in hâc urbe splendor & magnificentia, omnem orationem, omnem dicendi facultatem superat. Optimam urbium formam, hoc est, orbicularem situ obtinet. Pulcherrimis mœniis cingitur. Forum habet, ad quod sex latæ deducunt plateæ, totidemque præcipuis portis respondentes. *A pontium multitudine* sic dicitur. Præcelsis turribus Divorumque augustissimis templis sexaginta numero insignitur. Episcopatus hic à Paulo 4. institutus. Et quemadmodum à Balduino Flandriæ C. urbs muris cincta, ita à Liderico templo S. Donatiani, quod præcipuum, ornata est. Damhouder. Ab hujus civibus, Galli omnes (in quorum potestatem venerat Flandria, Vidone capto) ob avaritiam præfecti, interemti sunt Anno 1300. quam injuriam ulturus Philippus Pulcher à Vidonis filiis magnâ clade victus est, aureaque calcaria 700. in trophæum suspensa. Beyerlinck *in Theatr.* Annales Flandriæ. Maximilianus I. Imp. à rebellibus subditis hîc detentus est aliquandiu. Capta est urbs, à Duce Parmensi, Anno 1584. cum tota fere Flandria. Vid. Thuan. *Hist. lib.* 80. *&* 83. Grotium *Annal. Belg.* &c. long. 24. 25. lat. 51. 36.

Bruga, urbs Stiriæ, ad Muram fluv. Metel. Opp. in Nortgoja, Ferrar.

Brullita, populi, quos Ephesо tribuit Plinius 5. 29.

Bruma, dicitur dies Solstitii hyemalis, qui est ad 15. Calend. Januar. Dicta quasi Βραχὺ ἦμαρ, ut quibusdam placet; quam originationem quoque amplectitur Macrobius *Saturn.* 1. 21. Isidor. *lib.* 5. *cap.* 35. Cæsar Scal. 19. *cap. lib.* I. *de Caus. L. L.* Varro autem, ut & Festus, eam à *brevitate dierum* appellari ajunt. Vide Vossium, in *Bruma*.

Brumalia, à Romanis dicebantur Bacchi sacra, quæ & Liberalia, bis in anno celebrari solita; semel 12. Cal. Mart. atque iterum 18. Cal. Sept. Dicuntur autem à *Brumo*, quo nomine Romani veteres Bacchum appellabant. Rhod. 18. 25. Vide Suidam, in Βρυμάλια.

Brumia, Abbatia Germaniæ, in ditione Archiep. Trevirensis, qui perpetuus ejus administrator est. Hic Lotarius Imp. relicto imperio, solitariam egit vitam, an. 855.

Bruna, seu *Breina*, lacus Scotiæ Sept. in Assino Comitatu, longè per terras excurrens, pôst in mare Deucaledonium se exonerat. Ei adjacet *Breyn* oppidul.

Brundulum, portus quem Athesis amnis ex Tridentinis Alpibus fluens facit. Plin. 3. 16.

Brundunum, urbs Bavariæ, vulgò *Brunaw*. long. 35. 25. latit. 40. 10.

Brundusia, Gall. *Porentru*, corruptè ex *Pons Ragnetrudis* opp. Sequan. in limite Alsatiæ, 6. leucis à Basilea. Sedes Episcopi Basiliensis.

Brundusium, quæ & *Brundisium*, *Brendesium*, Ptolemæo, *Brentesium* Stephano, urbs Calabriæ ad mare Adriaticum sita viâ Appiâ, eousque prædúctâ, & portu insigni nobilis, ex quo Romanis tritissimus olim fuit in Græciam transitus. A *Brento* quodam Herculis filio, si Stephano fides, aut certè à cervini capitis similitudine, quod Messapii linguâ suâ Βρέντιον appellant. Lucan. *lib.* 2.

Brundusii tutas Magnus conscendit in arces.

De situ ejus hæc innuit idem. *Pharsal. lib.* 5.

——— Curvique tenens Minoia tecta
Brundusii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit & pavidas hyberno sidere classes.

Ubi *curvum* dixit, quia semicirculi in formam jacet. Idem poeta *de eadem urbe*,

Hanc latus angustum jam se cogentis in arctum
Hesperia, tenuem producit in æquora linguam,
Adriacas flexis claudit quæ cornibus undas.

Meminit ejusdem Horatius, *lib.* 1. *Sat.* 5. quâ iter ab Româ ad *Brundusium* usque describitur:

Brundusium longæ finis chartæque viæque.

Unde Silius *lib.* 8.

Nec non Brundusium, quò desinit Itala tellus.

Denique Festus, *Brundisium*, inquit, *quidam poetæ brevitatis causâ, Brendam* dixerunt. longitud. 42. 17. latitud. 40. 34. Hodie *Brindisi*.

Brunechildis, fil. Athanagili, Visigothorum in Hisp. Regis, nupsit Sigeberto, Austrasiæ Regi, Furia familiæ regalis. Mortuo marito, à Chilperico fratre ejus, Rotomagum relegata est, ubi filio Chilperici Merovæo nupsit, & reddita filio suo Childeberto, Austrasiam eo minorenni administravit. Pôst, cupidine imperandi accensa, filium jam per ætatem regni capacem sustulit veneno, ut in nepotum tenella ætate autoritatem retineret. Avaritiâ & lasciviâ stimulata, nihil intentatum reliquit, nec ferro nec veneno parcens. Hinc omnibus exosa, nuda Austrasiâ ejecta est. Mox apud nepotem suum Theodoricum authoritate iterum invaluit. Hic lenam nepotis egit, ne ille legitimâ uxore ductâ, aviam excuteret: & licet jam natu grandis, libidinis victima, Protadem, Bertoaldo aliisque occisis, Magistrum Palatii creavit. A' Desiderio Episc. Viennensi reprehensa, illum primò synodo Cabillonensi condemnari, dein biennio pôst lapidari curavit. Theodoricum nepotem, contra fratrem ejus Theodebertum, à cujus magnatibus pulsa fuerat, incitavit, hocque cum tota familia sublato, illi quoque venenum propinavit. Tandem decemplicis Regicidii accusata, in Gallorum panegyri, præsente Clotario II. & convicta, triduum primò torta est, dein in camelo publicè circumducta, tandem ab equa indomita, cujus caudæ alligata erat, miserè huc illuc raptata & lacerata est, cadaveris reliquiis igne absumtis. Alii à quatuor equis dilaceratam volunt. Sunt etiam, qui illam sepultam Augustoduni dicant. Gregor. Tur. *lib.* 4. 5. 6. *& seqq.* Aimon. *lib.* 3. *&* 4. Ado, Sigebert. *in Chron.* Ab ea castrum in pago Cadurcino, *Brunichildis castrum*, cum Vicecomit. tit. nominatum est. Nunc *Borniquet*. Ibi & cella monasterio Moisacensi subjecta Priorem suum habet. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Brunerum, seu *Bruniacum*, urbs Liguriæ, ad Votrum fluv. ad radices Apennini, episc. sub Archiep. & Rep. Genuensi, parvi circuitus. 9. mill. ab Apua, in Occas. à Genua autem 50.

à Brunn Joh. Jacobus, fil. Bonaventuræ Tribuni Pl. nepos Bonaventuræ Conf. Medicus Basiliensis. Scripsit *Manuductionem ad consultationem Med. rectè instituendam.* Obiit ann. 1660. æt. 69.

Brunna, Vid. *Brinnum*, Moraviæ olim Marchionum sedes. Metel.

Bruno, Coloniensis, Remis Theologiam docuit. Vocibus Raimondi Diocris, Canonici Parisiensis, qui opinione Sanctitatis relictâ obiit Lutetiæ, se post mortem in feretro erigentis, & horribili sono tribus diebus continuò se subsequentibus, *Accusatus, Judicatus, Damnatus* sum, exclamantis, territus, an. 1086. cum sociis quibusdam in eremum *la Chartreuse* dictum, in Delphinatu, secessit, Carthusianorum ordinis fundator. Obiit Anno 1101. à Leone 10. anno 1514. Sanctis insertus. Scripsit commentarios in Psalmos & Epistolas Paulinas, &c. Johan. Columbi, *dissertatione de Chartusianorum initiis.* Petræus *Bibl. Carth.* Vincentius de Beauvais, *lib.* 26. *cap.* 82. Petrus Cluniac. *Mir. lib.* 2. *cap.* 28. Miræus, *de origine Relig. lib.* 2. *cap.* 35. Onuphr. Genebr. Sigebert. *in Chron.* &c.

Bruno, contra Berengarium Romæ disputavit, Anno 1079. Abbas dein MontCassini factus. Petr. Diacon. *histor. montis Cass. cap.* 33. Auctor historiæ Henrici IV. Imper. Vossius *hist. Lat. cap.* 47. Item, filius Henrici Aucupis, Archiep. Colon. & Lotharingiæ gubernator. Obiit Anno 965. Item Episc. Herbipolitanus, patruus Conradi Imper. obiit, Anno 1045. Scripsit commentarios in Psalmos, in Cantica utriusque T. in Symbol. Apostol. & Athanasii, in orationem Dom. Trithem. de *Scr. Eccl.* Item, Prussorum Apostolus.

Bruno Amerbachius, V. *Basilius Amerbachius*.

Brunopolis, Vid. *Brunswicum*.

Brunovia, opp. Bohemiæ, in quo templum Fratribus, an. 1618. ademtum, belli Bohemici occasio fuit.

Brunsberga, urbs Prussiæ Reg. ubi Episc. Warmiensis sedem habet, juxta sinum *Frisch Haff.* Media inter Mariæburgum & Regiomontem. Capta à Gustavo Adolpho, Anno 1625. A paucis annis oppignerata est Electori Brandeburgico.

Brunsbutta, oppidul. munitum, in Dithmarsia regione Holf. ad Albis ostia, 1. leuc. infra Glucstadium, *Brunsbuttel*.

Brunswicum, Tubisurgium Ptolemæo, aliis *Brunopolis*, Saxoniæ metropolis, cujus fere centrum obtinet; civitas est permagna & populosa 2. m. p. suo ambitu complectens, una ex 4. Hanseaticarum præcipuis. Tota urbs in plano jacet, mœnibus ac fossâ duplici profundissimâ, & aliquot in locis triplici, ac quâlibet aquis stagnantibus munitâ. Vallum etiam inter fossas crassissimum habet, ductum per circuitum, variis arborum generibus consitum. Libera ferè urbs hactenus fuit, sed Anno 1671. sub Ducum Brunsvicensium jugum redacta est, postquam binis hoc seculo vicibus frustra tentata fuisset. Inter Erphordiam & Hamburgum, inde 24. hinc 20. leuc. à Magdeburgo in occid. 13. quôt à Luneburgo recedens. Hanc *Oacer* fluv. intersecat, quo obstructo Henricus D. urbem capturus erat, Anno 1605. nisi à tempestate agger ruptus disjectusque fuisset. In hac urbe Otto AntiCæsar à Philippo Suevo obsessus, & auxiliaribus superatis, ad fugam in Angliam compulsus est, Anno 1202. Bugenhagium doctorem habuit, circa Annum 1522. ut & Martinum Chemnitium, per an-

annos 30. mortuum Anno 1586. Hinc Brunsvicensis Duc. inferioris Saxoniæ, inter Episc. Halberstadensem, Ducatum Luneburgicum, Westphaliam & Ducatum Grubenhagium. Cujus reliquæ urbes *Wolfenbutel*, sedes Ducum, *Helmstadium*, ubi Academia, &c. Ducum origo ab Azone Estensi, qui ex Cunegonde, è Welforum familia, suscepit Welfum cognom. *Robustum*, qui Dux Bavariæ post patruum cognominem fuit, ejusque filii Henricus Superbus & Henr. Leo, Duces Bavariæ & Saxoniæ, an. 1139. Otto cogn. *infans*, Dux Brunsvic. & Luneburgensis, à Friderico II. Imp. creatus est, Anno 1240. In Brunsvicensem & Luneburgensem ramos familia divisa, An 1372. quorum hic iterum Anno 1546. in lineam Dannebergicam, nunc Wolffembutelanam, & Cellensem: Ille verò ex Henrico, filio juniore Magni, ortus, in Guelferbytanam & Gœtingensem seu Calebergicam, an. 1503. divisus est: quâ posteriore Anno 1584. in Erico, extinctâ, hæreditatem hanc Guelferbytani creverunt, è quibus Fridericus Ulricus superest. In tota hac ditione Lutherana religio viget. Crantz Crus. *hist. Sax. Germ. lib.* 1. Cluv. *lib.* 3. Spener. *in Sylloge Geneal.* long. 32. 40. lat. 52. 40.

Bruschius Casparus, Egranus, Poëta Laur. Vir doctissimus, & antiquitatis eruendæ studiosissimus; C. S. E. interiit trajectus sclopo, insidiis quorundam, in sylva Schlingenbacensi, inter Rotenburgum & Winshemium An. 1559. æt. 41. Bucholc. *Ind. Chronol.*

Brusis, pars Macedoniæ à *Bruso* Emathii filio. Steph.

Brustacia, urbs Oenotrorum, in Italia, sub Crotoniatis & Brutiis, nunc *Umbriatico*, Brietio & Sansoni, in Calabria citer. 10. mill. à sinu Tarentino. V. *Umbriaticum* & *Brystacia*.

Bruthus, Vid. *Brythus*.

Brutidius, vir quidam, qui tempore Juvenalis poetæ tractus est ad judicium, tanquam fautor & amicus Seiani, apud Imp. accusati. Juvenal. *Sat.* 10.

> ——— ——— *Pallidulus mî*
> *Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram,*
> *Quam timeo victus ne pœnas exigat Aiax,*
> *Ut malè defensus.* ——— ———

Hunc *Brutidium* ait Tacitus, *Annal.* 3. *artibus honestis copiosum fuisse*, qui etiam teste Senecâ, *Rhetor & Historicus fuit, non sine laude*. Vide Voss. *Hist. Lat.* 1. 24. & *infra*.

Brutidius Niger, Apollodori discip. Ædilis . Sulpicio, D. Haterio Coss. honestis artibus copiosus. Nam non solùm inter oratores Rhetorasque locum habuit; teste Seneca, *Suas.* 6. & *controv.* 9. sed etiam historiam scripsit, ut ex fragmentis apparet cum laude. Idem cum præcedente.

Brutii, pop. in extremis Italiæ finibus, supra Lucanos, peninsulam incolentes, cujus Isthmus à Lao fluv. usque ad Metapontium porrigitur. Hi Lucanorum olim pastores fuere, qui, excusso servitutis jugo, trans Laum fluv. sedes posuerunt, unde & Βρέντιοι, vel Βρέττιοι à Lucanis dicti sunt, quod illorum linguâ *fugitivos* sonat. A Romanis autem *Brutii* appellati sunt, quasi *Bruti*, hoc est, *stupidi* & *vecordes*; quâ ignominiâ ideo notati sunt; quòd, secundi belli Punici tempore, ad Annibalem defecissent; ob quam perfidiam semper deinde sine honore & dignitate habiti sunt, ad servilia tantùm opera, & viliora munia designati. Dionysius Periegetes,

> Ἄγχι δὲ Λευκανοὶ καὶ Βρέντιοι ἄνδρες ἔασι,
> Τοσσάτιον ναίοντες ὅσον λευκὴν ἐπὶ πέτρην.

Græcis Βρούττιοι & Βρέττιοι dicti. Eustathius, Βρέττιοι καλοῦνται ἀπὸ Βρεττίου υἱοῦ Ἡρακλέος. Justinus à *Brutia* muliere; Diod. Sic. *à servitute suâ* sic dictos putat, καὶ γὰρ τῇ τῶν ἐγχωρίων διαλέκτῳ οἱ δραπέται Βρέττιοι προσαγορεύονται. Strabo Ἀποστάτας vocat, hoc est, *defectores*. Notandum autem hîc, quod observat Bochartus, priscam Italiam nihil fuisse quàm Brutiorum agrum cum parte Lucaniæ, quod ipsum voluit Stephanus, in quo legendum: Ἀντίοχος δὲ τὴν Βρεττίαν φησὶ κληθῆναι Ἰταλίαν. Est autem regio sic dicta à picis abundantiâ ibi nascente, Βρεττίαν enim Græci *picem* appellant. Vide doctiss. Authorem *de Ph. Col. pag.* 660. Baudrando Brutii fuerunt populi Italiæ, in magna Græcia, inter Lucaniam & fretum Siculum extensi, & inter mare Tirrhenum, & sinum Tarentinum. Divisique fuere in Cismontanos & Tramontanos, ubi nunc Calabria cit. & ult. in parte Austr. Regni Neapolit.

Urbes Brutiorum quæ hodie exstant:

Amantia, *l'Amanthea.*	Miletus & Melita, *Melito.*
Balbia, *Altomonte.*	* M. Altus, *Mont alto.*
* Besidianum, *Bisignano.*	M. Leonis, olim Hipponium, *Monte Leone.*
Bova, *Bova.*	Nicotera, *Nicotera.*
* Consentia, *Cosenza.*	Oppidum, *Oppido.*
Marcopolis, *S. Marco.*	* Rhegium, *Reggio.*
Martoranum, olim Mamertium, *Martorano.*	* Tropea, *Tropea.*

Brutina, urbs Hisp. Ptol. Vide *Brutobria*.

Brutium, prom. al. *Leucopetra*, in quo desinit alterum Apennini cornu, testibus Sansone & Brietio, nunc *punta della Saetta*. Estque prope fretum Siculum, in Calabria ulteriore. 12. mill. Ital. à Rhegio 15. in Occas. à prom. *Bursano*, quod olim Zephyrium dictum est.

Brutius, Βρούττιος ὁ σοφώτατος ἱστορικὸς καὶ χρονογράφος vocatur à Scriptore Chron. Alexandr. *pag.* 90. ubi ex eo quædam narrat de Danae & Perseo. Vide Voss. *Hist. Gr. l.* 3.

Brutius Præsens, Cons. Rom. Antonini Pii collega Anno U. C. 890. cujus filiam M. Imperator filio suo Commodo matrimonio junxit.

Brutobria, urbs inter Tyritanos & Bætin fluv. Steph. Eadem nimirum est quæ aliàs *Brutina* vel *Brutopolis*. Verùm pro Τυριτανῶν apud Steph. lege Τυρδιτανῶν.

Brutus. Brutorum familia Romæ imprimis fuit illustris, ex qua clarissimus fuit L. Junius Brutus, Filius M. Bruti. Huic Marco Tarquinii regis filia Tarquinia data uxor, huic Lucium Junium & filium majorem natu peperit, quos, patrem scilicet & filium majorem, Tarquinius superbus ob divitiarum cupiditatem sustulit. Lucius verò ulcisci impotens patris mortem, fatuitatem simulat, ut vitam tueatur; opes nihili faciens. Unde illud poetæ:

> *Brutus erat stulti sapiens imitator.*

Itaque in templo Delphico cum filiis Tarquinii oraculo accepto eum regnaturum, qui prior scilicet matrem exosculetur: casum fingens, terram communem omnium matrem deosculatur: & pòst in ensem conjurans, quo se Lucretia confecerat, vindex fuit libertatis, primusque consul, vir vehemens, & qui duos filios adolescentes, totidemque uxoris suæ fratres Vitellios juvenes, revocandorum in urbem regum insimulatos in concionem protraxit, virgis cecidit, immotâque facie securi percussit. Tandem multis rebus præclarè gestis eo in prælio, quod ad Regillum lacum commissum est, occubuit, eumque matronæ ut fortissimum sui sexus vindicem annum integrum luxerunt. Quidam putant, Junium mensem ab hoc Junio Bruto appellatum, quòd hoc mense Calendis Juniis, pulso Tarquinio, sacrum *Carnæ deæ* (quæ humanis vitalibus præesse creditur) in Celio monte voti reus fecerit. Virg. *Æn.* 6.

> *Vis & Tarquinios reges, animamque superbam*
> *Ultoris Bruti fascesque videre receptos?*
> *Consulis imperium hic primus sævasque secures*
> *Accipiet, &c.* Vid. Flor. *lib.* 1. *cap.* 9. & 10. Liv. *l.* 1. Dionys. Eutrop. Rufum, Oros.

M. Junius Brutus, percussoris Cæsaris pater, quem tres de Jure Civili scripsisse libros, Cic. 2. *de Oratore*, author est, Marianas partes secutus à Pompejo victus, profligatusque est. Post mortem Syllæ, quum Lepidus Consul bellum redintegrasset, Brutus, qui Galliam Cisalpinam Lepidi nomine tenebat, à Pompejo Mutinæ obsidione clauditur, in quâ sive sponte, sive animos militum mutatos cernens, suam militumque salutem Pompejo commisit. Dimissus inde, quum ad Padum pervenisset, postridie per Geminium, Pompeii jussu, interfectus est, non sine sugillatione Pompeii, ut qui perfidè & crudeliter illum occidisset. Cicero Brutum hunc non modò acutum oratorem, sed etiam juris publici & privati peritum esse refert. Uxorem habuit Serviliam Catonis sororem parum sanè pudicam, ex quâ filium M. Brutum, & 2. filias Junias suscepit. Harum altera M. Lepidi Triumviri conjux, altera C. Cassio nupta. Tacitus.

M. Junius Brutus, vir summæ gravitatis, &, si unum ejus facinus excipias, quo se suosque perdidit, cætera valdè bonus & laude dignus. Philosophorum & Eruditorum assiduus sectator, ipsemet epitomen Annalium Fanii composuit. Vid. infra. Contemptor divitiarum, Quæsturam in Galliis sibi oblatam recusavit. Exorto bello civili Pompejum, quanquam patris interfectorem, quia partes illius justiores statueret, sequutus est. A pugnâ Pharsalicâ non tantùm conservatus à Cæsare, verùm etiam inter amicos habitus, imo adoptatus ab ipso, Galliam Cisalpinam obtinuit, idque per tempus belli Africani. Post Cæsaris ex Hispaniâ reditum, urbanâ præfecturâ ornatus, per Cassium dolentem sibi primum locum denegatum, seductus, in Cæsaris necem conspiravit, quâ patratâ, quum in urbe se tutò non fore videret, fugâ sibi cum cæteris conjuratis consuluit, nec multò pòst comparatis exercitibus cum Cassio in Philippis ab Antonio & Cæsare victus necem sibi conscivit, Stratonis amici ope ad id imploratâ, annos natus 40. Uxor illi fuit Porcia, Catonis avunculi filia, quæ morte mariti auditâ, similiter mortem sponte sumsit. Amicissimus fuit Ciceroni, cujus nomine & librum de claris Oratoribus Tullius inscripsit, qui eidem & alium de perfecto Oratore consecravit; habenturque ejus ad Ciceronem, & hujus ad illum non paucæ Epistolæ. Vitam ejus conscripsit Plutarchus. Hunc Cæsar inter conjuratores videns, à quibus interimeretur, filium nominavit, & fortasse verè, quando cum matre ejus Cæsar consueverat. Scripsit hic Brutus epitomas historiæ Fannii & Cœlii Antipatri. Alia etiam scripsisse certum est. Nam librum ejus de Officiis Charisius citat *lib.* 1. & Priscianus *lib.* 6. Ac libri de patientiâ meminit Diomedes *lib.* 1. Quo etiam libro testis adhibetur in laudatione Appii Claudii. Suidas, Βροῦτος, στρατηγὸς Ῥωμαίων, ἔγραψεν ἐπιστολὰς καὶ τῶν Πολυβίου τοῦ ἱστορικοῦ βίβλων ἐπιτομήν.

Vid.

V. Liv. etiam *l.* 124. *breV.* Flor. *lib.* 4. Sueton. *in Cæsare & Aug.* Dion. Appian. Vellej. &c.

D. Junius Brutus Albinus, & ipse unus ex percussoribus Cæsaris, post pugnam Mutinensem, quum persequi vellet Antonium, desertus à legionibus, Antonii jussu cæsus est, quum esset Consul designatus, & à Cæsare inter secundos hæredes adscriptus.

Brutus, fil. Sylvii, qui Ascanii frater, Æneæque filius, occiso patre in Græciam profugus, ibi plurimis Trojanorum in libertatem assertis, filiaque Regis Pandrasi ductâ, in Albionem venit, ibique regnum Britanniæ à se dictum fundavit. Si Annalibus Angl. fides. Certè Messala Corvinus, Dionysius aliique de hoc Sylvii fil. nihil sciunt. Iidem Annales sextum ab hoc Britanniæ R. etiam Brutum nominant, eique 10. an. regnum attribuunt. Polydor. Virg. *hist. Angl. l.* 1. V. *Brythus.*

Bruxella, urbec. Palatinatus Rheni, in dit. Episc. Spirensis, ad amnem *Saltz*. Ab ea est incile, Philippopolim usque, à qua, ut & Rheno 2. leuc. distat.

Bruxellæ, vulgò *Brussels*, urbs Belgii, Brabantiæ præcipua, sedes Principum olim, hodiè Gubernatoris Hisp. Sita est ad fluviolum *Sine* qui per canalem 5. leuc. in Scaldim se exonerat. Cluver. *lib.* 2. Guicciard. *in Belg.* ab Antuerpiâ 8. leuc. in Austr. à Lovanio 4. in occid. versus Gandavum. long. 25. 46. lat. 50. 50. Baudr. *Bruxellæ*, urbs ampla & culta, ad Senam amnem, partim in plano, partim in colle sita, prope Sylvam *Soigne*, 2. leuc. à Vilevordiâ, 4. à Nivella; crescit indies. Gall. *Bruxelles.*

Bruys Petrus, in Provincia ex parte, Languedocia & Aquitania, Religionis à Latina diversæ præco, Tolosæ inprimis 20. an. docuit, Missam precesque pro mortuis, aliaque verbo Dei contraria dogmata solidè è SScriptura refellens. Ob quæ, persequutione ingruente, vivus exustus est, in S. Ægidii urbe. Ejus discipulus Henricus Monachus, majori fervore rem aggressus, Galliam fere totam salutari doctrinâ implevit. Circa A. C. 1126. 1150. S. Bernard. *lib.* 3. *cap.* 5. *epist.* 240. 241. Serm. 66. *in Cantic.* Mornæus *in Myst.*

Bruzzia, pro Brugis, V. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Bryanium, urbs Thesprotiæ. Steph.

Bryas, Argivorum contra Lacedæmonios dux. Pausan.

Bryaxis, sculptor marmorarius, Mausolæum una cùm aliis fecit. Plin. 36. 5. Pausanias *in Atticis*, Τοῦ δὲ Ἀσκληπιοῦ ἄγαλμα Βρύαξις, καὶ τὴν Ὑγίειαν ἐποίησε.

Bryazan, amnis Asiæ in Bithyniâ, Plin. 5. 32.

Brychus, fluv. Peloponnesi, per Achajam, apud Pallenem opp. in sinum Corinthiac. influens.

Bryges, Thraciæ pop. Steph. qui posteà *Phryges* dicti sunt. Strabo *lib.* 7.

Brygi, Illyrici incolæ. Apollon. *Argon. lib.* 4.

Brygianum, vulgò *Bracciano*, opp. Hetruriæ, V. *Atcenum.*

Brygias, vel *Brygion*, urbs Macedoniæ. Steph. cujus etiam Plinius meminit, *lib.* 4. *cap.* 30.

—— Ὅν ποτ' ἔδειμαν,
Ἀρτέμιδι Βρυγοὶ προὔχουσιν ἀντιπέρηθε.

Ubi Scholiastes, Βρυγοί, ἔθνος Ἰλλυρίας.

Brygis, civitas quam Mardonius in suam potestatem redegit. Herod. *lib.* 6.

Brygus, Celtiberorum rex.

Bryllion, urbs in Propontide. Steph. quam Plin. *lib.* 5. *cap.* 32. ponit in Mysia non longè ab Ascanio fluvio.

Bryorum litus, Cyrenaicæ regionis. Ptol. & Mela. 1. 7. Vide sis illic Vossium.

Brysæ, Thraciæ pop. aliis *Brycæ.*

Brysea, vel *Bryseæ*, Laconiæ op. Pausanias.

Brysea, urbs Æoniæ, à qua Bacchus *Brysæus* dictus est, ut quidam volunt, quòd ibi coleretur, Alii tamen eum sic dici volunt, ἀπὸ τοῦ βρύειν hoc est, *à scaturiendo*, quoniam ex alvearibus mella, vel ex uvis musta exprimere primus docuit. Nonnulli verò à *byrsâ*, hoc est, pelle, quam in bello induebat. Diodor. *lib.* 5.

Brysiæ, urbs Elidis. Steph.

Brystacia, urbs Oenotrorum. Steph. Episcopalis Calabriæ sedes; hodie *Briatico*, Vel, *Umbriatico*. Urbs regni Neap. in Calabria cit. ad Aretum amnem. Deficit in dies. Intra montes sita est, Baudr.

Brythus Julius Dardanius (alii *Brutum* vocant) Æneæ Troii magni Latinorum regis, ex Julio Sylvio, Ascanii regis filio, & Laviniæ nepte pronepos, utrumque parentem (quod Mathematici præsagierant) matrem in partu, ac in venatione patrem, invitus interemit. Ob id Italiâ per avum Ascanium pulsus, in Leogræciam insulam sociis quibusdam comitatus anno ætatis 16. abiit, ubi inter lacrymosa ex tam infaustis successibus suspiria, oraculum tandem à Diana Cynthia accepit, quòd esset nobilissimam extremi Occidui possessurus insulam. His *Brytus* lætior factus cum 304. Troianorum navibus fortissimoque duce Coryneo, Albionem post novem annorum in terra marique labores feliciter intravit. Adeptus totius insulæ regimen, obliterato *Albionis* vocabulo, *Brytannia* nomen imposuit anno à Mundi origine 2828. & ante Servatorem natum 1142. Obiit completo 24. sui regiminis anno, ætatis verò 53. scilicet anno formati Adami 2852. & ante incarnatum Messiam 1118. Trenovanti, urbe à se condita, sepultus. V. *Brutus.*

Bryx, & *Bryga*, gens Macedoniæ, Illyriis finitima. Steph.

Brzetislaus, Dux Bohemiæ, post patrem Mieczislaum, ab Imp. Henrico III. tributarius redditus Anno 1041. quotannis D. Marcas argenti, 120. boves pendere coactus est. Cosmas *Bohem. Histor.*

B U.

Buai, Libyæ pop. apud quos vir cæteris viris, mulier mulieribus imperat.

Buana, Armeniæ maj. op. Ptol.

Buba, Ptol. *Buca* Strab. *Termole* quibusdam, urbs Frentanorum marit. in Aprutio, apud Apuliæ fines, apud ostia Tipherni fluv. Histonio opp. proxima, ab eo 6. m. p. in Ortum distans.

Bubacene, Asiæ reg. à Polysperchonte in ditionem Alexandri M. reducta. Qu. Curtius.

Bubaces, Spado Darii ultimi Persarum regis, inter proximos currum ejus sequens, antequam vinciretur à Besso. Curt. V. 48.

Bubaganus, Constantinopolitani Imp. dux ab Henrico II. Rom. vexatus. Blondus. 3. 22.

Bubalia Pannonia, Sex. Aur. quæ & *Sirmiensis*, pars Pannoniæ inf. in Hungaria, circa Sirmium. Laz.

Bubalus, vide *Bupalus.*

Bubares, civitas a Minucio capta V. C. 559.

Bubaris, Amyntæ filiam uxorem duxit. Just. *lib.* 7.

Bubassus, reg. Cariæ, Plin. in qua Bybassus urbs erat, Steph. ubi templum Dianæ spectabile. Inde *Bubasis* patronym. Ovid. *l.* 4. *Metam.*

Bubasides Videre nurus.

Bubastiacum, Ægypti infer. flu. Ptol.

Bubastis, vel *Bubastus*, Ægypti inf. civitas Episc. in quâ religiosissimè olim colebatur Isis, quæ ab eâ etiam *Bubastis* dicta. Ovid. *Met. lib.* 9.

Cum quâ latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, Variusque coloribus Apis.

long. 63. 06. lat. 30. 40. Hinc *Bubastia*, sacra, quæ in honorem Isidis quotannis celebrabantur, quorum præterquam Herodotum Gratius quoque meminit, *in Cynegetico, Vers.* 42.

Vix operata suo, sacra ad Bubastia, lino
Vestitur sonipes astivi turba Canopi

Pibeseth Zeiglero, *Aizoth* Joan. Leoni dici videtur. Etiam *Hephæstus* dicta olim, erat ad Nilum, extra Deltam, 30. m. p. à Pelusio in Austrum. Baudr.

Bubasus, Cariæ regio, cujus mulieres Ovidio *Bubasides*:

Bubasides Videre nurus. V. *Bubassus.*

Bubei, Africæ interioris pop. à Corn. Balbo superati. Plinius 3. 5.

Bubenteni, Campaniæ pop. Coriolanis vicini. Plinius 2. 5. lege *Bubetani.*

Bubesias sinus, in Caria. Mela. 1. 16. Ita libri & rectè: op. enim, unde hic sinus dictus est, Βύβεσσον Jones vocabant, non Βυβασσόν. Herodotus tamen Doricè id vocabulum extulit *lib.* 1: Βυβασσίης enim ibi legendum, non Βυβλεσίης. Neque enim ulla usquam est Byblesia Chersonesus; Sed Βυβασσίη χερρόνησος est illa; quam Plinius vocat *Bubassum regionem.* Urbs enim est, & regio, & sinus &, peninsula. Is. Vossius.

Bubida, fluvius Hiberniæ. Ptol.

Bubiemum, ut Rhenanus; Aventinus & alii apud Strabonem *lib.* 7. ubi vulgò Βουίασμον habetur; at in vet. lib. teste Casaubono, Βουίαιμον. Hanc Strabo ponit, in Silvâ Hercyniâ & Marobodui regiam vocat. Aventinus scribit *Bubiemum* à Maroboduo *Marobudum* appellatum. Et sibi constare ex diligentissimâ segmentorum & partium observatione, *Bubiemum* Strabonis & *Marobudum* Ptolomæi eam esse civitatem, quam hodie *Pragam* vocamus, regni Bohemiæ urbem primariam. Christophorus Pyramius tamen, Pragam *Casurgim* Ptolomæi vult. Et Lazius docet, *Marobodum* Ptolomæi esse oppidum in eadem Bohemiâ, quod nostrâ ætate *BudVVeis* appellant. Vid. *Maroducum.*

Bublio, vulgò *Bulio*, melius *Bullio*, Gall. *Bouillon*, castrum in silva Arduennæ, nunc magna ex parte dirutum, caput ducatus est, ad Ecclesiam Leodicensem pertinentis. Hoc Godefridus, dux Lothariensium, qui postea Rex Hierosolymorum fuit, in literis datis Anno 1094. castrum *Bulonium* appellavit. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & in voce *Bullio.*

Bubo, vel *Bubon*, Lydorum urbs in mediterraneis sita. Plinius 5. 27. Strabo verò *lib.* 13. Lyciæ urbem esse ait, in quâ creta nascitur. Huic Stephanus Bulbarum conjungit, quas ait à *Bubone* & *Balburro* latronibus esse conditas.

Bubona, Dea boum ab antiquis culta. Rhod. 1. 34.

Bubua, Plinio Ins. Dalmatiæ, Ammiano, & Peuting. Boas, nunc *Bua* dicta, Tragurio ponte juncta, Joh. Luc.

Bubu-

Bubula, cum aliis Cyrenes urbibus Plinio commemoratur *lib.* 5. *cap.* 5.

Buca, op. Ferentanorum, in quartâ Italiæ reg. quod Plinius perperam, inter Histionium & Ortonam, ponit *lib.* 3. *cap.* 12. Rectiùs Ptolemæus, Τιφέρνε ποταμε ἐκβολαὶ Βῦκα, Ἱστόνιον. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 1207. Dicitur aliàs *Buba*, quibusdam est *Marozzo*, vicus in ora littorali Aprutii citer. prope ostia fluv. Trivii. Aliis est *Termole*, Civ. Capitanatæ prov. in ora maris Adriat. prope ostia Tipherni flu. 25. milliar. ab Auxano in ortum. Baudr.

Buccialdus, Vid. *Boucicaldus*.

Bucellarii, Gallogræci dicuntur, quorum reg. *Bucellaria*. Suidas. Vid. infra.

Bucellarius, Wisigothis & Hispanis Vasallum notat, qui in alterius patrocinio est. Propriè is olim, cui patronus *buccellas*, i. e. mensam præbuit. Gloss. Nomicum, Βεκκελλάριος, ὁ ἀποσελλόμενος, καὶ φων τινα. Βεκκελλάριος ὁ πεμπόμενων στρατιώτης. Wisigoth. *leg.* 1. *lib.* 5. *tit.* 2. hac voce depingitur miles feodalis antiquus, hodie in Anglia dictus *Tenens per servitium militare*: cui & bene convenit armaturæ genus, quod è Mauritio, auctore Græco, refert Turnebus *Adversar.* 24. *cap.* 16. Scilicet, *Buccellarios fuisse equites armatos Zabis, i. armaturis loricarum prope talarium, manicis ferreis & contatos quosdam.* Idem addit & *sagittarios*: ubi loquitur de certo quodam *Buccellariorum* ordine, magno tunc honore, quòd in agmine ante Imperatorem exercitus equitarent, & pòst sequerentur: patriâ, ut Suidas indicat, Gallogræci. Gregor. Turon. *Hist. lib.* 2. *cap.* 8. *Dum Valentinianus Imperator concionaretur ad populum, Occylla* buccellarius *Ætii, ex adverso veniens, eum gladio perfodit.* Albericus *Buccellarios* interpretatur latrones, fortè, vel quòd acceptâ missione à Magistro militum in Oriente, latrocinari iis licuit, & ex rapto vivere: vel quòd gentis vitium hoc esset. Glossæ Isidori pro *Scurra* ponunt. Gallicum *Bachelier*, & Lat. *Baccalarius* inde deduci sunt qui velint. Vid. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

Bucellum, urbs parva admodum. regni Neap. in prov. Aprutii cit. ad Sarum fluv. in limite Comitatus Molisini. 15. mill. Ital. à Sulmone in Ortum. Vulgò *Civita Burella*.

Bucephala, *Bucephalum*, Qu. Curtio & Au. Gellio, urbs Indiæ citer. ad Hydaspen fluv. ab Alex. M. condita, ac de equi sui nomine dicta. *Gelferen*, teste Mercatore. Meminit Stephanus 2. hujus nominis locorum. Vide Freinshemium *ad Qu. Curtium lib.* 9. *cap.* 3. *ad hæc verba*: *Oppida quoq; duo condidit, quorum alterum Nicæam adpellavit, alterum Bucephalon, equi, quem amiserat, memoriæ ac nomini dedicans urbem.* Sansoni & aliis est *Labor*, urbs prov. *Pengab*, ad fluv. Hydaspen, nunc Raveyum & ex præcipuis imperii M. Mogolis; emporium celebre, & urbs amplissima. 60. leuc. Gall. ab urbe Agra, in Septentr.

Bucephalos, Melæ Peloponnesi promunt. à parte Orientali. *Bucephalum* portus Ptolemæo dicitur, qui eum ad sinum Saronicum ponit, eodemque loco describitur à Plinio & Pausaniâ. *Cavalla* Bellonica dicitur.

Bucephalus, Alexandri M. equus, à latitudine frontis sic dictus, vel ab aspectu torvo, vel ab insigni taurini capitis armo impressi, quo Alexander in certaminibus utebatur. Vide Plinium 8. 42. & Gellium 5. 2. Hesychius, Βεκέφαλος, ἵππος ἐγκεχαραγμένος ἔχων τοῖς ἰσχίοις βέκρανον, κὴ ὁ Ἀλεξάνδρε ἵππος, ἀφ' ἧ πόλιν ἐν Ἰνδοῖς κτίσαι λέγεται Βεκεφαλίαν. Porro *Bucephalum* Onesicritus & Arrianus 5. 3. senio confectum sine vulnere defecisse memorant, quorum prior 30. annorum ætate ait eum decessisse. Plutarchus verò ex prælio cum Poro, non extemplo, sed pòst, ut & plerique tradunt, eum obiisse scribit.

Bucerus Martinus, Selestadio Alsata, magni inter Reformatores nominis, natus Anno 1491. Ordinem Dominic. in quo vixerat annos 15. exuit, Anno 1521. libro hac de re edito, Anno 1523. Dialogum, *Arbogasti* nomine, edidit contra Lutherum, Anno 1527. consensum inter Theologos Evangelicos, quorum quidam Lutheri, quidam Carolostadii sententiam circa doctrinam C. D. sequebantur, initium Anno 1519. ut qui pacis erat amantissimus, Anno 1538. ruptum restituit. Colloquitur cum Petro Malvenda, Ratisbonæ, Anno 1546. Ab Eduardo VI. Argentorato, ubi docebat, in Angliam vocatus, Anno 1549. moritur Cantabrigiæ, Anno 1551. unà cum Paulo Fagio συνέργῳ exhumatus, comburitur in foro, jussu Mariæ, Anno 1555. honori suo restitutus, sub Elizabetha, Anno 1559. Scripsit in Judices, Psalmos, Ecclesiastem, Sophoniam, Evangelia, ad Rom. Ephes. &c. Huic Civ. Argentinensis, restitutam apud se Ecclesiam debet. Beza *in Icon.* Calvinus verò de ipso, *in ep. ad Viretum*, scribit: Quàm multiplicem in Bucero jacturam fecerit Dei Ecclesia; quoties in mentem venit, cor meum prope lacerari sentio.

Buch, regio in sabuletis Burdigalensibus, prope terram Medulam, seu *le Medoc*, creditur patria priscorum Bojorum seu Boatum. Habuit dominos, dictos *Captal de Buchs*, ex familia Fuxiana & Candala.

Bucha, Misniæ op. vulgò *Buech*.

Buchananus Georgius, Scotus, Franciscanus primùm, dein purioris religionis aurâ afflatus, post varias jactationes vitæ hujus, Jacobi 6. Scotiæ, postmodum M. Britanniæ R. præceptor fuit. Scripsit historiam Scotiæ 20. libris, Psalmos Davidis Latino carmine feliciter reddidit, &c. Obiit grandævus, an. 1582.

Buchavia, civ. parva Imp. in circulo Suevico, ad lacum Plumarium, (*Federsee.*)

Buchetium, urbs parva non longè à Cichyro, ad sinum Ambracium sita, non longè à mari. Strabo.

Buchia, Joniæ locus. Steph.

Bucholcerus Abrahamus, Schonaviâ prope Wittenbergam oriundus, Theologus, & Indicis Chronologici auctor, ab initio Mundi, usque ad an. 1580. Obiit Freistadii, in *Silesia*. Anno 1584. Voss. *de Mathem. c.* 42. *§.* 13.

Buchonia, vulgò *in der Buchen*, regiuncula Hassiæ, oppidis, arcibus pagisque mediocriter exculta, & undique nemoribus quernis ut plurimùm septa. Metel.

Buchhorna, parva civ. Imp. à fagina sylva, quæ olim usque ad lacum Constant. se extendebat, sub propriis primò Comitibus, dein ad Altorfinos & Ravenspurgenses pervenit, quibus extinctis Imperialis facta est. Degit sub protectione urbis Uberlingæ: ditio *Bomgarten*, sub Præf. est Sueviæ. Merianus *Suevia topograph.*

Bucia, extrema Siciliæ urbs. Ptol. hodiè *Butera*.

Bucinna, parva Siculi maris insula. Plin. 3. 8. Item civitas Siciliæ. Steph. Vide Cluver. *Sic. Ant. pag.* 415. & 490.

Bucinobantes, urbs Germaniæ è reg. Moguntiæ. *Weisbaden* Heroldo.

Buckingamia, urbec. Angliæ, ad Usam fl. Comitatus seu prov. cogn. caput, media fere inter Oxoniam & Bedfordiam urbes.

Buclopus, Deus muscarum. Rhod. 22. 3.

Bucolion, filius Laomedontis, vide *Abarbarea*.

Bucolium, locus juxta Constantinopolim. Item in Peloponneso, Arcadia, & Ægypto.

Bucolo, urbs Pharsaliæ, aut Thraciæ. Varinus.

Bucoria, reg. Indiæ, sub M. Mogole, ab Indo fluv. in duas partes secta. Extenditur usque ad Persiæ confinia; habetque urbem cogn. ad ripam Indi flu. 60 leuc. Gall. à Tatta, in Septentr.

Bucra, Siciliæ promuntorium. Ptol. *Elcapo Longo*. Quibusdam est *Longobardo*, 10. mill. à Camarina in Ortum, versus Pachinum prom. Aliis est *Capo Scalami*, prom. 5. milliar. tantùm à Camarina.

Buda, vulgò *Offen*, An *Curta* Ptolomæi? Hungariæ metropolis, ampla, dives, munita, quæ thermas habet subtus urbis mœnia haud longè à Danubii ripâ, ex humili colle fonte duplici scaturientes, quorum alter frigidissimus, odore sulfureo, alter ita calidus, ut digitum immersum tenere nequeas. long. 42. 15. latitud. 47. 07. Aliàs sedes Regum Hungariæ, nunc Præfecti Turcarum, ab An. 1541. quo à *Selimo capta est: à* Belgrado 49. mill. Germ. à Vienna 54. in Austr. Ibi concilium an. 1279. Olderic. Rainaldus, 14. *tom. Annal. Eccl.*

Budaa, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Budæus Guilelmus, Parisinus, doctissimus sui seculi, in omni literarum genere. Libellorum supplicum Mag. persuasit cum Joh. Bellajo, Episc. Paris. Francisco I. ut Collegium Professorum in omni literatura institueret. Erasmo, P. Jovio, *in elogiis*, laudatus. Obiit An. 1540. æt. 73. Genebr. *in Chron.*

Budda, Gymnosophistarum apud Indos princeps extitit, quem illi ex Virginis latere natum fuisse credi voluerunt. Unus fuit ex præceptoribus hæresiarchæ Manis. Clem. Alex. 1. *Stromatum*. Hieron. *lib.* 1. *contra Jovinianum*. Rhod. 4. 1. Ritus sacros quosdam exequuturus, à maligno spiritu è sublimi in præceps dejectus, miserè periit. Ejus postea fortunæ scriptaque Cubrico, qui postea Manen se dixit, contigerunt an. 275. Socr. *l.* 1. *c.* 17.

Budea, civitas Magnesiæ, à *Budæo* conditore, unde *Budæa* Minerva, in honore apud Thessalos habita. Græcè Βέδεια. Item urbs Phrygiæ. Steph

Budini, Scythiæ Europææ pop. non procul à Borysthene. Plin. 4. 12. παρὰ τὸ δυνάμιν ἐπαίνω ἁμαξῶν ὑπὸ βοῶν ἐλαυνομένων. Ita Stephanus ex Parmenione Byzantio. Scythica hæc plaustra Ovidius passim commemorat: *Trist.* 3. *el.* 10.

Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.

Et *elegiâ* 12.

Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.

Et *Ponticorum* 4. 7.

Ipse vides, onerata ferox ut ducat Jazyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.

Budinum, Sarmatiæ Europææ mons. Ptol.

Budissina, seu *Bubesia*, urbs Germ. in Lusatia super. ad amnem Spreham, in ditione Electoris Sax. 4. leuc. à Gorlitio in Occas. ferè 7. à Dresda in Ortum, vulgò *Bautzen*.

Budnokum, opp. Hungar. super. in præfectura Cassoviæ, ad Gayum amnem. Sub Austriacis. Paucorum incolarum. P. du Val.

Budora, insulæ duæ prope Cretam. Plin. 4. 12.

Budorgis, seu *Budorigum*, urbs Germ. Ptol. hodiè *Vratislavia*, urbs

urbs ampla & elegans. 8. leuc. à limite regni Pol. vulgò *BreslaW*. Multis est *Ratibor*, opp. Silesiæ sup. ad Viadrum. Aliis duo sunt, & Budorgis est *Ratibor*, Budorigum *BreslaW*.

Budorigum, urbs fuit Longobardorum, in Germ. Nunc quid sit, non constat. Sansoni est Vratislavia.

Budoris, Germ. urbs. Ptol. *Durlach* potius quàm *Heydelberg* esse credit Rhenanus. Sub ditione Marchionum Badensium. Cluverio est *Burtach*, oppidul. Sueviæ, in Marchion. Bad. 1. mill. Germ. à Rheno fluv. & à Durlaco opp. 2. à Philippopoli, in Bor.

Budorum, promuntorium in Salamine, vel, ut Ephorus, castellum: quanquam pro castello Βούδωρον per ω apud Stephanum scribitur.

Budorus, Eubœæ fluv. Ptol.

de BudoWa Wenceslaus, Baro, cum Joachimo Andrea, Comite Schlickio, consensus inter Evangelicos & Fratres, in Bohemia Moraviaque, præcipuus proxeneta, an. 1609. Insigni constantiâ supplicium subiit, an. 1621. Vid. Lætum *Comp. Hist. UniV. pag.* 528.

Budua, olim op. nunc pagus Lusitaniæ inter Ulysiponem, & Emeritam. Anton.

Buduissa, urbs probè munita Bohemiæ, ad Vultavam fluv. 10. leuc. à Passavia in Ortum Æstiv. 5. ab opp. *Tabor* in Austrum, Vulgò *BudWeiss*.

Bugarida, dicebatur factio, tempore Diocletiani, compressa, atque deleta an. ab V. C. 1038.

Bugei, pop. à Partheniis orti, qui expulsi, & ad Cretam appulsi, unà cum Minoe in Siciliam navigantes, inde in Macedoniam pervenere. Strabo *lib.* 6.

Bugella, urbs Ital. in agro Vercellensi, sub Sabaudiæ D. sat ampla & dives. Vulgò *Biela*. Hinc tractus adjacens *le Bieleſe*. Hîc obiit Anno 1658. Franciscus II. Mutinæ D. Virtute militari clarus.

Bugenes, Bacchus dictus, sub quo nomine ab Argivis colebatur. Inde Græci Tauriformem Bacchum, & Tauricipitem effingebant, & appellabant, natumque ex Persephone, ut Euseb. tradit. Quinimo etiam taurus dictus, & illi cornua attributa. Diod. *lib.* 5.

Bugenhagius Johannes, Pomeranus, Pastor Eccl. Wittebergensis. Ecclesias Pomeranicas, Anno 1535. Danicasque an. 1537. ad normam Augustanæ Confessionis reformavit: edito scripto, de ordinatione Ceremoniarum, in illis Ecclesiis, in quibus Papatus abolitus, an. 1532. Obiit an. 1538. æt. 73. Pastoratus, 36. Successit Paulus Eberus.

Bugenum, urbec. Asiæ, cum reg. cognom. in parte Septentr. Japoniæ Inf. quæ *Ximo* dicitur. 60. m. p. à Bungo in Septentr.

Buges, *Byce*, Ptol. Scythiæ Europ. amnis, in paludem Mæoticam influens. *Seſſehan* hodiè. Sansoni autem *Suka Morzi*, in Tartaria Præcopensi palus, ex qua ducta fuit Fossa in sinum Carcinitem.

Bugia, urbs Africæ in ora Barbariæ, ab Hispanis obtenta, anno 1508. Sed à Turcis iterum occupata. Portu gaudet capaci & arce satis tuta. Vid. *Salda*.

Bugus, Russiæ fluv. ubi Jaroslaus Dux à Boleslao, Polono, triplici prælio victus est, an. 1017.

Bul, nomen mensis 8. Ebræorum, nostro Octobri respondens. 3. Reg. 6. Lat. *germen*, *Vetuſtas*, aut *defluens*.

Bulahuana, opp. regni Marocci in prov. Duccala, ad Ommirabihum fluv.

Bulana, Sarmatiæ Europ. pop. Ptol.

Bularchus, pictor præstantissimus, cujus meminit Plinius.

Buleuterion, Cyzici ædificium amplum, sine ferreo clavo ita dispositâ contignatione, ut eximantur trabes sine fulturis ac reponantur, Plin. 36, 15.

Bulgari, Europæ pop. in parte Moesiæ infer. ad Danubium, gens ferox, multas in Europâ clades vicinis remotisque intulit. Nonnullis placet, non indigenas, sed advenas esse, è Scythiâ egressos. Hi ab Anastasio Imp. ad fœdus pertracti, An. 500. Constantinum Pogonatum sæpius vicerunt, Mysiâ extortâ, An. 677. ut & Justinianum Rhinotmetum, ob violatum fœdus, an. 690. quem tamen ab Absimaro pulsum, rege Trebellino, restituerunt; Anno 705. Rursus, sub Philippico Bardane Thraciam vastarunt, A. C. 711. Leoni Isaurio contra Turcas, fortiter adstiterunt, Anno 718. à Constantino Copronymo coërciti, sub rege Zeletine, 763. Eorum verò Rex Telerichus pulsus à Leone IV. ac in fidei communionem, affinitatemque assumtus est, Anno 779. Similiter Bogerus illorum princeps, ad fidem conversus est, an. 845. At Simeon Leonem Phil. vicit, an. 899. qui ab obsidione Constantinopolis, per Zoën, amotus est, Anno 913. Iterum Constantinus Imp. à Bulgaris victus est, Anno 928. qui fidem Christianam recepere, Græcos sequuti, an. 970. sedati à Zimisce, an. 971. cujus successor Basilius ab illis superatus est, an. 981. Thraciâ & Macedoniâ vastatâ. Postea tamen in extremam Bulgariam Samuelem idem amovit, An. 1000. imo iis rursus victis, XV. M. captivorum oculos eruit, singulis centuriis monoculo duce relicto, Samuele verò præ mœrore mortuo, Anno 1013. potitus simul totâ Bulgariâ, regumque thesauris. Exin rebelles, per Maniacem, à Michaële Paphlagone victi, Anno 1043. cum Henrico Imp. pacem fecerunt, Anno 1210. Subacti à Carolo Ungaro Anno 1310. per Michaelem ducem, Andronicum imperio exuerunt, Anno 1321. qui ipse Imper. factus, cùm temerè Alexandro Bulgaro bellum movisset, ab eo superatus, obsessusque siti cum exercitu periisset, nisi hostis ultrò obtulisset pacem, Anno 1336. &c. Vid. infra. & Volater. qui illos à Volga fluv. dictos vult. Alii Getarum Gepidarumque prolem faciunt. Eorum regio *Bulgaria* dicitur. Sita inter Danubium fluv. Serviam, Thraciam & Pontum Eux. estque valde extensa & ampla, aliàs titulo regio insignis. Ejus prim. Sophia, urbs satis culta. Patria Irnerii, JC. clarissimi: & sedes non contemnendi Albigensium cœtûs, circa Annum 1230. urbe ab Amurathe 2. captâ, regio sub Turcis esse cœpit. Cedr. Zonar. Vid. etiam Itiner. *des Hayes*, & Suidam in Βούλγαροι.

Bulgariæ regnum, pars Imperii Moscorum, aliter regio seu Horda Zavolhanorum, juxta Volgam fl. quæ antea paruit Tartaris. Baudr.

Bulgarus Robertus, rigidus in Germania Inquisitor fidei, cum Conrado Marpurgensi, an. 1230. Examen Orthodoxiæ erat candens ferrum, quo innumeri periere, crescente interim fidelium copiâ, V. *Argentoratum*. Tandem multorum reu flagitiorum, in carcerem conjectus est, an. 1238. Conrado, ob sævitiam, occiso. Munster. *Geogr. l.* 3. Trithem. *in Chron*

Bulgarus, JC. celebris, circa an. 1190. Fischardus, *in Vita Jurecoſſ. pag.* 226.

Bulia, Phocidis urbs. Ptol. *Bulis* Steph. pop. *Bulii*, & *Bulleſes*.

Bultaſcum, vicus Liguriæ.

Bulini, gens circa Illyriam, à Hierastamnis usque ad fluv. Nestum, nunc Cetinam extensa. Artemidorus non gentem, sed *Bulinem* civitatem esse dicit. Steph.

Bulla Græcobarb. Βούλλη & Βουλλίον, à bullæ seu monilis similitudine, sub inclinato imperio quadruplex reperitur, quibus omnibus in literis obsignandis usus est Imperator: Nempe

Bulla aurea, χρυσόβουλλον, quæ ante Carolum M. non fuit in usu, Polyd. Virg. *de InVent. l.* 8. *c.* 2. apud Imperatores: Francorum tamen Reges jam an. 200. antè auro obsignasse literas, refert Franc. Rosierius, *in apparatu ad ſtemmata Lotharing.* Sed fides penes auctorem. Usi autem sunt tali bullâ Imperatores, tantùm ad Reges, Sultanos, Toparchas; præsertim cùm ex communi sententia publicè quid statuerent, perpetuoque observandum, Codinus. *Bulla argentea*, ἀργυρόβουλλον, potestatem habuit priori proximam. *Bulla cerea*, κηρόβουλλον: quâ ad matrem, ad uxorem, ad filium literas munivit Imperator: eratque duplex, rubra & prasina, hinc δικήρον, & utrâque usus est Imperator, innuendo, ad semet etiam pariter atque ad Patriarcham docendi munus pertinere. Codinus, Meursius, &c. *Plumbea* tandem, μολυβδόβουλλον, ad Despotas, Patriarchas & reliquos Principes honoratiores mittebatur, Codinus supra memoratus. *Cerea fuit*, inquit, *ſed bullâ plumbeâ incluſa*, quod etiam tum de argentea, tum de aurea dixerit. Interim plures è solido metallo vilæ. Hanc sui juris dein fecerunt Pontifices, in tantum, ut Alexander III. inter alia privilegia Reip. Venetæ, vel hujus Duci, concesserit jus obsignandorum plumbo diplomatum. Interim & auro interdum obsignarunt. Polydorus *de InVent. lib.* 8. *cap.* 2. Ejus specimen exhibet Matthæus Parisiensis, in Anno 1237. Metallo autem sigillare illustre privilegium, & ad Principes pertinens, ut ex præcc. patet. *Bullam auream* in Orient. Imperio curabat magnus Logothetes, & ut verisimile est, *argenteam* quoque. *Ceream* verò & *plumbeam* Accubitor fundæ, i. Sigilli annularis præfectus. *Bullatas* hoc modo literas, tribus in fronte crucibus firmavit Imperator: in calce verò, non pro more Occident. Imperatorum à Carolo M. usitato, complicatis sc. nominis sui literis, sed tituli ipsius conscriptione: omnibus etiam è rubro, nam alioqui haud ratæ videbantur hæ literæ. Atramentum quo usi, erat cinnabaris, minium, Conchylii sanguis: sed ultimo nemini licuit, si non Imperatoris literas firmare, sub Majestatis reatu: ne pupilli quidem Imperatoris tutori, qui colore proin viridi usus est: ut de Alexio Sebastocratore, Alexii Comneni tutore, refert Nicetas *lib. de ejuſdem Imperio.* V. Spelmannum *Gloſſario Archæol.*

Bulla aurea, in specie, appellatur, *Liber ſcriptus in Pergameno, in Viginti quatuor foliis, cum coopertura groſſa, in quo erant ſcripta diVerſa negotia ſacrum Imperium & Electores ejuſdem tangentia: qui quidem liber transfixus erat cum filis ſericis glauci & rubei coloris inVolutis, cum* Bulla *ſeu ſigillo aureo rotundo Imperiali appendente, in cujus uno latere apparebat figura Imperialis, in Majeſtate ſedens, cum corona Imperiali in capite, habens in manu dextra ſceptrum, & in ſiniſtra manu pomum cum cruce deſuper, modo Imperiali; & à latere dextro clypeum cum Aquila, & ſiniſtro clypeum cum forma Leonis. In circumferentia Verò legebantur hæc Verba:* Carolus IV. divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator sem-

semper Augustus, & Bohemiæ Rex. *Ab alio vero latere, castrum magnum cum duabus turribus, habens portam inferius in medio, cum literis* : Aurea Roma. *In circumferentiâ verò legebantur hæc verba*: Roma caput mundi regit orbis frena rotundi. Picus Cardinalis apud Marquardum Freherum, *in not. ad Petr. de Andlo lib. 2. cap. 5. pag. 173. 6.* Vocatur hæc *Carolina* quoque ab auctore: qui eam condidit partim Norimbergæ, partim Metis: A. C. 1356. Capita ejus quatuor 4. Idus Januarii; posteriora verò Natali Domini promulgata sunt. Hæc *Lex nobilissima, nervus firmissimus pacis publicæ, firmamentum, propugnaculum, murusq; tranquillitatis & pacis in Imperio, firmissima Romani Imperii petra, compendiosa juris publici inductio, verissimum Imperii Palladium, &c.* passim Auctoribus dicitur. Vide sis Limnæum Enucl. *l. 1. c. 9.*

Bulla Regia, liberum Numidiæ op. Plin. 5. 3. *Bullaria* Ptol. *Antra* hodiè dici fertur. Urbs Africæ, Sansoni, nunc *Reye.* Inter Constantinam & Tunetum, in regn. Tunet.

Bullaum, urbs insf. Britanniæ. Ptol. Villanovanus scribit *Witlam* appellari, sed Camdeno magis fidendum, cui est *Buelth*, op. in Walliâ comitat. Brechiniensf. ad Veium fluv.

Bullaum, vulg. *Bulles*, opp. Bellovacensis agri in Gall. prope amnem *Bresche*, 4. leuc. à Bellovaco in Ortum.

Bullaminsa, Africæ propriæ op. Ptol.

Bullenses, vel *Bulenses* pop. Locrorum. Plin. 4. 3.

Bullidensis, Macedoniæ colonia. Plin. 4. 10.

Bullingerus Henricus, Bremogartæ natus, Tiguri, Zuinglio in Ministerio sacro successit, Anno 1531. Eruditione, pietate, scriptis editis, inter quæ *in Esajam Homiliæ, Conciones in Jeremiam, Expositio Danielis, Commentarii in plerosq; N. T. libros*, aliaque, quæ omnia 10. Tomis prodierunt, inclytus. Nec omittendus libellus insignis, Anno 1527. vernaculâ linguâ ab eo editus, sub titulo: *Anklag Gottes an die Eidgnosschafft*; quo Deum Helvetios acriter increpantem, illisque militiam tum mercenariam, fœdera cum Principibus alienæ relig. pensiones annuas, &c. exprobrantem, introducit: Et in hoc quoque Zuinglii imitator. Obiit an. 1575. æt. 71. Melch. Adami. *Nullum argumenti genus fuit, in quo probè is non fuerit versatus*, Verheid.

Bullio, opp. cum arce in monte firmissima, seu Ducatus à Gothofrido Lotharingiæ duce, propter expeditionem in Turcas recuperandæ Terræ sanctæ gratiâ Sperto Eburonum Episcopo magnâ vi auri venditus. Anno 1096. Æmil. *lib.* 4. A Leodio 16. milliar. in confinio Franciæ dit.

Bulliones, barbari incolæ Macedoniæ. Plin. 3. 23. ubi *Buliones* dicuntur.

Bullis, opp. Pelasgoniæ reg. Macedoniæ, sub Elymiotis; ejus incolæ *Bylliones* Straboni. V. infra.

Bullis, Macedoniæ urbs in eâ parte, quâ mari Adriatico adjacet, non procul ab Apolloniâ. Ptol. Inde *Bullidensis* Colonia, & *Bulliones* pop.

Bullonium, Vid. *Bullio.*

Bulsinus lacus, Procop. & Agathiæ *Volsiniensis* Plinio, *Vulsiniensis* Columellæ, hodiè *Lago di Bolsona.*

Bulua, Liburniæ urbs. Ptol. nunc *Bedono.*

Bulula, Libyæ Cyrenaicæ op.

Bumathani, Taprobanæ pop. Ptol.

Bumellus sive *Bumelus*, Assyriæ fluvius apud Gaugamelam urbem, Arriano *lib.* 6. & Q. Curtio *l.* 4. *c.* 77. Eundem vulgati codices apud Arrianum & Curtium vitiosè *Bumadum* vocant.

Buna, fil. Jerameel. 1. Paral. 2. id est, *ædificans, intelligens*, vel *adoptans.*

Bunartis, urbs Libyæ. Steph.

Bunas, Atheniensis, qui arbiter in controversiâ inter Calydonios, & Eleos designatus, per fictas occasiones rem in longum distulit, nec unquam de lite pronunciare voluit. Unde Proverb. *Bunas judex est.*

Bunea, Juno dicta est, à *Bunone* Mercurii fil. Pausf.

Bundium, vel *Burnum.* Hunc locum in Aquitania Normannorum latrocinia nobilitarunt. *De Nordmannia* 13. *piraticæ naves egressa, tandem in Aquitanico litore prosperis usa successibus, vico quodam, qui vocatur Bundium* (aliàs *Buin*) *ad integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reversa sunt*: ut scribit Eginhardus in rebus anni 820. Quem *vicum Bundium* in Aquitanico litore vocat, Eginhardus *in Annalibus*, eundem *vicum Buin* nuncupatum reperio in Vita Imperatoris Ludovici Pii. Anno 820. *Naves* 13. *piratica à Nortmannia in Aquitaniam sese verterunt: & vastato vico, cujus vocabulum Buin, multaq; onerata prædâ, reversæ sunt.* In Chronico de Gestis Nortmannorum, quod Andreas Chesnius *tomo* 2. *Historiæ Francicæ scriptorum* inseruit, nuncupatur *vicus Burnad. Northmanni in Aquitanico litore prosperis usi successibus, vico Burnad depopulato, cum ingenti præda reversi sunt ad propria.* Ubi legendum videtur, *vico Burn ad integrum depopulato.* Hæc enim ex Eginhardi Annalibus sunt desumta, & ad verbum ferè transscripta. Certè in Annalibus Bertinianis ita scriptum reperio: *De Nortmannia* 13. *piraticæ naves egressa, tandem in Aquit. litore prosperis usa successibus, vico quodam, qui vocatur Burnad integrùm depopulato, cum ingenti præda ad propria reversa sunt.* Nemo non videt ibi esse emendandum, *vico quodam qui vocatur Burn ad integrum depopulato*: uti legitur scriptum in Chronico S. Arnulfi, quod Annales Mettenses appellant. Ac forsitan & apud Eginhardum & in Vita Ludovici Pii nomen vici emendari convenit, & *Buin* in *Burn* mutari. Quippe vulgò etiamnum vocatur *Born*, vel *S. Paul de Born*, nomenque dedit Præpositurae Burnensi, *la Prevosté de Born.* Vetus iste *vicus Burnensis* positus est in Medulis trans Garumnam, inter duos fluviolos stagnum maritimum, Oceani æstu augeri solitum, ingredientes. Valesius.

Bungum, urbs Japoniæ, in ora orient. Insf. *Ximo*, cum regno cognom. 50. m. p. à Nangasaco in ortum. Ibi Rex Christianus aliàs cum maxima parte subditorum, nunc pauci tantùm, repeniuntur ab Anno 1620.

Bunima, urbs Epiri ab Ulysse condita. Steph.

Bunitium, Germ. urbs. Ptol. vulgò *Stral Sund.* Emporium celebre, & urbs Hanseatica permunita, instar insf. sub Suecis ab Anno 1630.

Bunius, fons in finibus Vestinorum. Colum.

Bunnus, Illyriæ urbs. Steph.

Bunobora, Mauritan. Cæsar. op. Ptol. Nunc *Beni Arax*, Sansone teste: urbs ampla Barbariæ, in regno Algerii, 60. m. p. ab Orano in Austr.

Bunomus, Macedoniæ civitas, *Pella* postea dicta. Steph.

Bupalus, pictor fuit apud Clazomenas Asiæ civitatem, qui cum Anthermo, circa Olymp. 60. Hipponacten Poetam deformem pro risu depinxit, quo ille furore commotus, tali eum carmine perculit, ut se laqueo suspenderet. Horat. *Epod.* 6.

Qualis Lycambe spretus infido gener
Aut acer hostis Bupalo.

Alii sic: *Bupalus* & *Anthermus, filii* fuerunt Anthermi Chii, qui in arte sculpendi clarissimi extitère: ii feruntur sculpsisse Hipponactis deformis poëtæ imaginem: rejicit tamen Plinius ut falsum, quòd ad laqueum adacti fuerint à Poëta: *complura enim*, inquit, *in finitimis insulis simulacra postea fecere: sicut in Delo, quibus subjecerunt carmen, non vitibus tantùm censeri Chium, sed & operibus Anthermi filiorum.* In ipsa Chio monstratur operis ipsorum Dianæ facies, in sublimi posita, cujus vultum intrantes tristem, exeuntes exhilaratum putant. Consulito Plin. *l.* 36. *c.* 5.

Buphagus, Arcadiæ flu. à *Buphago* Japeti filio, quem honesta parum affectantem, in monte Pholoe, peremit Diana. Rhod. 26. 2. Item *Buphagus* Hercules cognominatus est, quòd multi cibi esset, & boves integros comederet.

Buphia, vicus Sicyonæ. Steph.

Buphonia, Etymologus, Ἑορτὴ τις παρ᾽ Ἀθηναίοις τὰ Βυφόνια, ἐν ᾗ πολλοὶ ἔθυοντο βόες. Vide Meursium, in Βυφόνια.

Buphonus, Jovis Sacerdos. Pausan.

Buplanoctistus, tumulus apud Julium, quòd ex Mysia bovem insecutus Ilus, ibi demum urbem condiderit. Rhod. 26. 2.

Buprasium, civitas, & flu. & regio Elidis à *Buprasio* conditore. Hom. Plinio 5. 5. inter Achaiæ loca recensetur.

Bura, Jovis filia apud Pausan. Inde *Buraicus* Hercules dictus. Vide Gyrald. *Synt. De Diis.*

Bura, opp. Gueldriæ Batavicæ, prope Lingam amnem, Comit. tit. clarum. 3. leuc. à Busco Ducis in Sept. totidem ab Ultrajecto in merid.

Bura, vel *Buris*, urbs Achaiæ propriè dictæ, ad sinum Corinthinum sita, olim florentissima, nunc unà cum Helice vicina urbe maris impetu hausta. Ovid. *Met.* 15.

Si quæras Helicen, & Buran Achaidos urbes,
Invenies sub aquis, & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

Burace, urbs Indiæ, intra Gangem. Vid. *Barace.*

Buraa, urbs Italiæ, à Buræo condita. Steph.

Buragragus, flu. Afr. in regno Fezzæ, Prov. Temesnam à Fezzana dividens, in Oceanum Atlant. se exonerat, ad Salam opp.

Burbida, Hisp. urbs, inter Bracharam, & Asturicam. Anton.

Burbo, est vetus castrum in finibus Biturigum, *Burbo Archembaldi* vel *Erchenbaldi* à vetere Domino cognominatum, *Bourbon l'Archambaud*; aliàs *Burbo* ad balnea, *Bourbon les bains*, ab aquis calidis & salubribus, quæ ex duobus aut tribus puteis magis quàm fontibus ibi emicant. Ejus meminit Historicus Pippini Regis æqualis, qui rogatus à Nibelungo Comite V. I. fratre ejus patrueli, res clarissimi Principis scripsit ante annos nongentos: *Anno* 761. *Pippinus Rex ad Nevernum urbem veniens, Ligeris fluvio transmeato, ad castrum, cujus nomen est Burbone, in pagum Bitorinum pervenit; cumq; in gyro castra posuisset, subitò à Francis captus atq; succensus est.* In anno 761. veteres Annales nunc *Burbonem castrum*; nunc sed corruptè *castellum Burbonnis* & *Burbonnes*; Eginhardus *castellum Burbonis*; *Burbonem* Annales Fuldenses appellant; Annales Mettenses *castrum cui nomen est Burbone in pago Biturico.* Gesta Consulum Andegavensium, & Gesta Dominorum Ambaciensium *Borbonem*, & *Borbonum* etiam vocant; Petrus Ecclesiæ Bituricæ Archiepiscopus, *in epistola ad Ludovicum Francorum*

corum Regem, & auctor Gestorum Ludovici VII. Francorum Regis *Borbonium*: ut pro *Rancone Ranconium*, pro *Alentione Alencontum* sæpe dici reperias. Certè illis *Erchenbaudus de Borbone*, & *Archambaudus de Borbone*, ac *Archenbaldus Fortis de Borbone*; his *Archimbaudus de Borbonio*, & *Archambaudus de Borbonio* nuncupatur. Inter Nobiles pagi Biturici *Archenbaudus Princeps Borbonensis* memoratur in litteris anno 1012. datis. Sugerius de Vita Ludovici Crassi *Nobilem Baronem Haimonem, Variam Vaccam cognomine, Burbonensem dominum, in partibus Bituricensium* commemorat: *Comitissam Borbonum* Cadurcus in litteris ad Rotrocum Comitem Perticensem. Est & alter *Burbo* cognominatus *Anselli*, ab Ansello ejus Domino, *Bourbon l'Ansi*, positus ad dextram Ligeris ripam in Æduis diœcesique Augustodunensi, & Ducatu Burgundiæ, & ipse aquis quoque suis calidis ac medicis notus, sed priore minùs. Hildebertus Cenomanorum Episcopus, *in Vita Hugonis Abbatis Cluniacensis, Borbonem* vocat. *Borboni* (inquit) *cùm per 6. menses quartana sustinuisset incendia*. R. Senonensis Abbas B. Johannis Evangelistæ *Bulbonem* vel *Bulbonense opidum* nuncupat in epistola ad *Priorem Cluniacensis cellæ*, & ad *Principes* (id est, Primores) *ac Milites, & universos indigenas Bulbonensis opidi*: in qua de Ursone, regulari Canonico, ordine Diacono, ægrotante ita refert, *Suggestum est ei à nonnullis, balnea quæ apud vos sunt, illi summoperè profutura. Ea propter ad balnea ipsa festinare disposuit, & ibidem quantum sat erit immorari*. Quod ne quis de Burbone Anselli, in Augustodunensi Æduorum diœcesi posito, dictum infitietur, scire convenit inter cellas Cluniacenses sive *Prioratus* ad Cluniacum pertinentes à Paschale Papa anno 1109. *S. Nazarium Borbonensem* numerari; à Ludovico Rege Francorum in litteris anno 1119. datis *Borbonium*. *Prioratus* autem *SS. Martt. Nazarii & Celsi prope castrum Borbonem in Æduensi* (id est, in Augustodunensi) *diœcesi* esse docet Polyptychon Cluniacense, seu catalogus Monasteriorum Cluniaco subjectorum: qui situs & diœcesis Burboni Anselli conveniunt, non conveniunt Burboni Archembaldi, qui situs est in pago Biturico. Ex quo intelligitur Burbonem Anselli ante annos ampliùs quingentos aquis & balneis suis clarum ac nobilem exstitisse: qui *Bulbo* suprà dicitur *r* in *l* converso, sicut ex peregrino pelerinum fecere Nostri. In tabula Theodosiana sive Peutingeriana utriusque Burbonis fieri mentionem Buissonius existimabat, amicus quondam noster, Geographiæ peritissimus ac itinerum Romanorum, in qua hæc leguntur: *Aquis Nisincii, Boxum, Aquis Bormonis*. Heic *Aquas Nisincii*, aliàs *Nisineii* esse *Bourbon l'Ancy* arbitrabatur; *Aquas Bormonis*, aut *Aquas Bormonas*, esse *Bourbon les Bains*, sive *Bourbon l'Archambaud*: quæ probabilis est conjectura: quam si admittimus, *Aquis Boruonis* quàm *Bormonis* legi emendarive malim, & ex *Borvone Burbonem Borbonem*ve postea factum esse existimem. Quamquam non displicet mihi opinio, utriusque *Burbonis* nomen à *burbis*, id est ab aquis lutosis, quas *bourbes* vocitant Nostri, deduci jubentium: sicut *Burbuncia* vel *Burbincia*; qui & *Burbontius* dicitur, vulgò *la Brebence*, aut *la Brebince*, à burba nomen accepit. Nam Olivarius de Marchia insanit, qui *Bourbon* non à veteri nomine, quod est *Burbo*, sed à *Burgo bono* deducit, tanquam *Bourbon* dicatur pro *Bourgbon*. *Burbo Erchenbaldi* nomen dedit pago Ducatuique Burbonensi: qui pagus est non antiquus, & primò Burbonem solummodò, Muratum, (*Murat*) Cantiliamque continebat; sed pòst Bituribus Cubis, Arvernis, Nivernensibus, & Forensibus Segusianis, finitimis suis multa detraxit, auctusque est detrimento vicinorum: & nunc in 4. parœciis est positus, in Augustodunensi & Nivernensi Æduorum, in Biturica Biturigum Cuborum, & in Claromontensi Arvernorum. Pars pagi Burbonensis recentior, inter Ligerim & Elaver flumina jacens, quæ Molinas ipsas nunc caput pagi continet, ad Episcopatum Augustodunensem pertinet, Æduisve adscribitur. Quare rectè Coquillius observavit, Boios quibus Ædui agros dederunt, hos unos & solos esse Burbonenses, qui Ligerim inter & Elaver sedes habent. Pars autem veterrima pagi Burbonensis, cujus caput fuit castrum Burbo Erchembaldi, eique nomen dedit, erat (ut est hodieque) unà cum Burbone ipso in pago Biturico, sicuti suprà docuimus, & Ecclesiæ Bituricæ finibus continebatur. Ab eo Burbone nobilissima familia Burbonensis appellationem traxit: ex qua familia tertium jam Principem habemus, Ludovicum Adeodatum, Francis feliciter imperantem, & cùm victoriis tum eximiis virtutibus suis toto terrarum orbe illustrem, fautorem liberalium artium, litterarum restitutorem. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Burburgus, opp. Belgii, in Flandria, aliàs munitum. Subest Galliæ R. cum toto agro ab an. 1657. 1. leuc. à Gravelinga in Austrum.

Burca, Mauritan. Cæsariensis op. Ptol.

Burchana, inf. maris Germ. occid. vide *Byrchanis* & *Fabaria*.

Burchard, *Brochard*, vel *Buchardus*, Dominicanus, terram S. descripsit. Sixtus Sen. *Bibl. lib.* 4. Gesner *Bibl.* Item, Comes *d'Etable*, qui tempore Caroli M. Saracenos mari vicit, an. 806.

Burchardus, monachus Lobiensis, episc. Wormatiensis. Collegit 20. libros Decretorum seu Canonum Conciliorum, Paparum & Patrum, non Photii methodum, sed Trebonianum in Pandectis, imitatus; aliaque scripsit. Obiit an. 1026. Sigebert. A. C. 1008. & *de Viris Ill. cap.* 141.

Burchardus, fil. Conradi, Burg. R. Arch. Lugd. Item, Arch. Viennensis, cui Comitatum Viennæ, Rud. 3. Burg. R. concessit, an. 1024. Item, Landgravius Thuringiæ, occisus ab Hungaris, Anno 909.

Burchardus Dorcestrius, Anglus, vitam Fremondi Principis scripsit, an. 870. Item, Secretarius Friderici Barbar. scripsit triumphum Imperatoris, captâ Mediolano.

Burchardus Mithobius, Mathematicus, &c.

Burcholmia, arx Sueciæ, in Oelandia Inf. maris Baltici, ex adverso Smalandiæ prov.

Burcinacium, Germ. urbs in Duc. Cliviæ, *Craneburg* hodie, ut Simlero placet, aliis *Burik*. Hadr. Valesio, *Burvet*, aut *Burnet*, Novesio ac Bercæ vicinus locus. *Notit. Gall.*

Burdemons, vulgò *Bourlemont*, castrum Gall. in finibus Claravallis monasterii, unde nobili *Bourdemontiorum* familiæ origo & nomen. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Burdigala, *Burdeaux*, urbs Archiep. valde antiqua, potens & perampla, Aquitaniæ ad Garumnam fluv. Emporium celebre, & statio navium non contemnenda, cum arce munita, vulgò *le Chasteau Trompette*. Patria Ausonii, de qua ille *in Catal. urb.*

Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in hac sum,
Consul in ambabus, cunæ hic, ibi sella curulis.

12. leuc. ab ostio Garumn. Baudr. Plin. *l.* 4. *c.* 9. & Strab. *l.* 4. Burdigalenses appellant *Bituriges Viviscos*, ad differentiam *Bituricensium Cuborum*, uti Cæsar vocat incolas urbis, hodiè *Bourges*. Universitas olim inter celeberrimas, à Carolo VII. Eugenio IV. Ludov. II. pristinum nitorem & incrementum nacta: Unde clarissimi viri prodiere, de quibus Ausonius modò laudatus, & Hieron. videri possunt. Burdigalæ visenda 12. capp. egregiè exequutus est, Jodocus Sincerus, *in addit. Itiner. Gall.* Historia ejus paucis hæc est. Olim sub Gallis, dein Gothis, quibus ibi regia sedes, postea sub Dominis peculiaribus. Greg. Tur. *l.* 8. *c.* 6. meminit Garacharii Comitis, sub Clotario II. Siguinus Comes fuit sub Carolo M. cui successit Hugo fil. Porro Duces Gujennæ, post mortem Caroli Calvi rerum hic potiti, donec Alienora, hæres ultimi Ducis, Ludov. VII. cognom. *Jun.* nupta Galliæ regno Burdegalam adjunxit. Sed repudiata, Henrico Normanno, postea Angliæ R. nupsit. Hinc Angli urbis Domini usque ad Carol. VII. Qui ibi Parlamentum instituit, quod seditione excitatâ excussum, restitutum verò à Ludov. IX. Ab eo tempore sub Galliæ R. Sub Ludov. XIV. iterum turbare cœpit, sed ad obsequium redacta, ante aliquot lustra. S. Martialis Apostolus Burdigalensium fertur. Sub hoc Arch. novem Episc. sunt. Urbs à quatuor Juratis, Gall. *Eschevins*, & Consule seu Magistro populari, Gall. *Maire* administratur. Hîc Concilium An. 385. quo Priscillianus condemnatus. 1093. 1098. 1263. Conc. Provinciale 1582. & 1624. Pluresque Synodi hoc seculo. *Concil. Gall.* Cæterum de urbe hac, vide porro Auson. *de ill. urb. cap.* 13. Paulin. *ep.* 4. Merul. Cosmogr. *p.* 2. *l.* 3. Lurbæum, *Chron. Burdig.* Oihenart. *not. Vascon.* Vinet. *in Antiquit. & notis in Auson.* SanMarthan. *Gall. Chron. tom.* 1. *pag.* 195. *&c.*

Burdigala, oppidul. Delphinatus, ad Robionem amnem, juxta montes, 7. leuc. à Valentia, 5. à *Dia*.

Burdinus, Mauritius, Limosinus, Antipapa, nomine Gregorii VIII. An. 1118. à Calixto II. Pontifice captus an. 1121.

Burdo, nomine *Julius*, Germanicæ classis præfectus, à Vitellio, dum à militibus ad supplicium exposcitur, astu subtractus. Tacit. *Hist.* 1. 58. Nam in custodiâ habitus & post victoriam demum stratis jam militum odiis dimissus est.

Burea, fons in insula Co, vide Theocr. *Idyll.* 7.

Bureva, regiunc. Castellæ vet. *Bureba*.

Burgaracum, opp. Palatinatus, vino suo nobile; Hodiè *Bacharach*. Vid. *Bacchi ara*.

Burggravii, vox in Imperio Germ. usitata, fuerunt olim Castellani limitanei, i. arcis præsidiique præfecti, in iis terris fere, quæ donatione Imperatorum accesserunt Ecclesiæ: Eorum origo vix Saxonum Imperio antiquior. Hi, quum olim civilia jura non haberent Episcopi, missi sunt, qui in diœcesibus jus civile dicerent: postmodum, imminutâ Imperatorum potentiâ magnopere crevere. *Burggraviorum* præcipui numerantur, Noribergensis, qui titulus, ad Brandeburgicos; Magdeburgensis, qui hodie ad Saxonicam lineam Electoralem pertinet: Stromburgensis qui hodie ditionis Palatinæ est: & Reineccensis, qui ad Archiepiscopos Moguntinos & Comites Hanovienses spectat. Minoris notæ sunt *Burggravii* de Dona, quam arcem An. 1402. Misniæ Marchio evertit, ruderibus vix altero à Dresda lapide adhuc conspicuis. Et *Burggravii* in arce seu Burgo civitatis Geilnhusanæ & civit. Fridbergæ. Promiscuè item *Burggravii* castrorum, in quibus Ganerbinatus, qui sicut priores à Condominis seu Ganerbiis eliguntur. Vide Limnæum Enucl. *l.* 2. *c.* 15. De *Burggravio* sic Spec. Sax. *Art.* 52. Scultetus est judex culpæ Judicis & Palantinus seu Palansgravius Imperatoris judex est. *Burggravius*, i. perpetuus Castellanus, judex est Marchionis. Apud Spelmannum *Gloss. Archaeol.*

Burghdorffium, opp. Helvetiæ, in Argovia, Caput olim Burgundiæ min. cum arce, conditum à Sintramo & Baltramo, fratribus, Comitibus Lentzburgensibus. Sedes dein Ducum Zeringiæ, & Comitum Kyburgiorum, beneficio matrimonii Annæ sororis Berchtholdi V. cum Wernhero Com. pervenit ad Habspurgios Com. sec. 13. Oppignoratur Baroni Signoviæ ab Hartmanno Com. qui, contra Bernates, cum tribus Pagis fœdus iniit, A. 1320. Obsessum ab Helvetiis A. 1382. eò quòd Rodolphus Comes Solodurum intercipere fuisset conatus. Dein à Comitibus, pro certa pecuniæ summa, cum arce, Bernensibus venditur, anno 1384. Hinc bello inter Argoviæ civitates & hoc oppidum exorto, cùm Austriaci, sub his enim tum Argovia, prælio inferiores essent, per immissum incendiarium in cineres redigitur, an. 1389. Postmodum reparatum: in ditione Bernensi, à proprio Senatu regitur, &c. Vid. Stumpf. *lib.* 7. *de Argov. cap.* 33.

Burgi, urbs Archiepisc. Hisp. Tarr. ad Arlanzam amnem. Vet. Castellæ regia & caput. Crevit ex ruinis Auccæ, vulgò *Burgos*. An *Braum* vel *Bravum* Ptolemæi? Ibi 4. Synodi, Vide Boterum *Rel. Hisp.*

Burgium, Ant. *Mal Borgetto*. ex Simler. opp. seu pag. Norici, in confinio Carnorum, ad Fellam fluv. in via, inter Aquilejam & Villacum: inter Clemonam opp. Carnorum, & Villacum urbem Norici 24. m. p. intra Alpes Julias.

Burgolium, oppidul. Gall. cum Abbatia celebri Andegavensis Duc. non procul à Ligeri fluv. *Burgueil*, Vide Valesium.

Burgovia, opp. Sueviæ, Marchionatus cognom. caput ad Mindelium fluv. 1. mill. Germ. à Danubio.

Burgum D. Martini, opp. Lombardiæ Cispadanæ, in Marchionatu Montisferrati.

Burgum Sancti Sepulchri, lauta & permunita civitas Umbriæ, vel ducatus Spoletani, Florentinis ab Eugenio quarto Pont. Max. oppignorata. Sub M. Hetruriæ Duc. Est & *Burgum*, S. Dominici urbs Æmiliæ Vid. *Julia* & *Fidentia*.

Burgundia, Galliæ Celticæ regio, nomen habens à Burgundionibus, Germanis populis, ex Vandalorum sanguine ortis, qui dicti à *Burgis*, id est, præsidiariorum castris. Ab Almannis (in horum enim agris violenter in Capellatio, ubi hodie Palatini Comitis ditio, consederant) exturbati, sub Theodosio Arcadii filio, Juniore, expulsis latè Sequanis Eduisque, hanc veteris Galliæ partem cum Nuithonibus occuparunt. Sed nonnulli ajunt, Burgundiæ nomen deduci à loco quodam, qui vulgò *Burg Ogne* dicitur in agro Langrensi. Imperium Burgundis olim fuit vastum; partem enim Vallis Pœninæ, Sedunos, Allobroges, Lugdunum, Viennam, & alias civitates Burgundia complectebatur. Dissensiones iis erant immortales ferè cum Gothis, qui latè tunc temporis per Gallias imperabant. Olim regnum fuit, cujus sedes Arelate, nunc *Aurelia*, fuisse legitur: sed circa annum 1034. bipartitum in Ducatum & Comitatum abiit, quorum ille, versus Occidentem, *Burgundia Inferior & Regia*: hic, ad Orientem, *Superior & Imperatoria* dictus est. Burgundiæ Ducatum cingunt, quà Oriens est, Rhodano interfluente, Sabaudia & Burgundiæ comitatus: quà Meridies, Lugdunense territorium: quà Occidens, latissimi Nivernensium Borboniorumque occurrunt agri: ad Septentrionem Campania se offert. Hic olim floruerunt Edui, Aulerci Brannovices, & Mandubii: Metropolis ejus est Divio, Parlamenti sedes, sub Rege Franciæ. Burgundiæ Comitatus sive Burgundia superior, Gallis *Franche Comté*, quòd planè sit sub suo Comite, ab omnibus tributis & exactionibus libera: feudum est Imperii, sub protectione Bernensium Helvetiorum. Conregionales illi sunt ad Septentrionem Lotharingia, superiorque Germania: ad Occidentem Burgundiæ Ducatus: quà Oriens est, occurrunt Helvetii: quà Meridies, Allobroges & Segusiani. Longitudo 90. latitudo 60. est milliarium. Floruerunt longè lateque his locis olim Sequani. Comitatus hic in tres diœceses seu præfecturas dividitur, Dolanam, Superiorem & Inferiorem: primæ sedes est Dolæ: secundæ Vesulii: tertiæ Polichnii. Totius Comitatus metropolis est Vesontium. Dola Senatus sedes est. Sub Hispanis: quibus nuper. à Gallis denuò erepta est. Duos habet lacus mirabiles, quorum alter, cui ab Voraginibus nomen, mirum naturæ ludentis opus: super enim aqua fit limus, qui adeò durescit, ut continens videatur: super quo tamen equites currusque securè non ambulant, sed soli pedites: is cœlo pluvioso & nebuloso non emergit, nisi serenitas sit futura: tunc per foramina brevi tempore auctus, totam Columbanam planitiem rigat. Inter Nozorethum porrò & Ripariam alius est lacus in Bonvalli, variis piscibus abundans, qui septimo quoque anno in aliquot hebdomadas subfugiens & delitescens, iterum emergit. Merula. Mercat. Historiam Burgundiæ, ex Morerio, succinctam hanc damus: Circa tempora Honorii, à populis ex Germania vet. profectis, quorum 80000. in ipsis Francorum finibus, oppressit Valentinianus Imp. an. 356. P. Orosius *lib.* 7. *cap.* 19. regnum Burgundiæ excitatum est, an. 430. & simul Christianismus introductus, operâ S. Severi, Episcopi Trevirensis, cùm pressi ab Hunnis cernerent Christianos singulariter à Deo defendi, quod quidam ad A.C. 450. referunt, sed annis aliquot pòst in Arianismum populi hi prolapsi sunt. Primi hujus Burgundiæ regni finis, cùm prius, à Chlodovæo, Rex eorum Gundebaldus tributarius factus esset, an. 500. incidit in annum 534. Sigismundo Gundebaldi fil. & hujus fratre Gondemaro, à Childeberto & Clotario, captis; nomen nihilominus legesque servavit. Invasit dein regnum Boso, sub finem Carolovingorum, duravitque usque ad Rodolfum, Regem Burgundiæ Transjuranæ, & Arelati, qui obiit an. 1033. Conrado Imperat. hærede instituto, qui sororem ejus Giselam duxerat, præterito Odone, Comite Campaniæ, majoris natu Berthæ marito. Sic Imperio unita Burgundia est, periitque Regni titulus. Iterum à Rodolfo I. Imperat. occupata, an. 1282. Eodem tempore Henricus I. Galliæ R. Ducatum Burgundiæ Roberto fratri donavit, ex quo orta linea primorum Burgundiæ Ducum, regii sanguinis. Erant hi XII. per an. 330. usque ad Philippum II. qui quindecennis obiit, an. 1361. Unitus dein regno, à Johanne R. Philippo fil. cognom. Audaci concessus est, an. 1363. cui mortuo, an. 1404. successit fil. Johannes, occisus, an. 1419. Hujus fil. Philippus Bonus obiit anno 1467. pater Caroli, ultimi Ducis, ab Helvetiis cæsi, an. 1477. Hujus filia unica Maria, Comitatum Burgundiæ, cum Belgio, in domum intulit Austriacam, Maximiliano Imper. nupta. Ducatus verò à Ludovico IX. regno Galliæ unitus denuo est. Monstrelet. Tilletus, Puteanus, Chassanæus, *Hist. Franc. & Burg.* Vide quoque infra in voce *Burgundiones*.

Burgundia Ducatus urbes primariæ.

Aballonium, *Avallon.*	Cabilonum, *Chalon sur Saone.*
Antissiodorum, *Auxerre.*	Castellio ad Sequanam, *Chastillon sur Seyne.*
Arnæum Ducium, *Arnay le Duc.*	Divio, *Dijon.*
Augustodunum, *Autun* vel *Austun.*	Lingonæ, *Langres.*
Aussona, *Aussone.*	Matiscona, *Mascon.*
Barium ad Sequanam, *Bar sur Seyne.*	Nivernæ, *Nevers.*
Belna, *Beaulne.*	Semurium, *Semur en Auxois.*
Borbonium Anselmium, *Bourbon Lancy.*	Tinurtium, *Tournus.*
	Tornodurum, *Tonnerre.*
	Virodunum, *Verdun.*

(Sed notabis Lingonas & Nivernas non esse urbes Burgundiæ.)

Burgundia Comitatus urbes.

Arbosium, olim Arborosa, *Arbois.*	Orgelium, *Orgelet.*
	Ornanum, *Ornans.*
Cromarum, *Cromary.*	Palma, *Baulme.*
* Dola, *Dole.*	Polichnium, *Poligny.*
Falconiacum, *Falcougny.*	Pons Araris, *Pont sur Saone.*
Grajacum, *Gray.*	Pons Arlius, *Pont Arlier.*
Jussum, *Jussey.*	Quingium, *Quingey.*
Mombolium, *Montboson.*	Rupes fortis, *Rochefort.*
* M. Bellicardus, *Montbelliard.*	*Salinæ, *Salins.*
M. Justinus, *Mont Justin.*	*Vesulium, *Vesoul.*
Nozoretum, *Nozereth.*	* Vesuntio, *Besançon.*

Ex his notabis, Montem Bellicardum non esse in Comitatu Burgundiæ; & exceptis Dola, Vesuntione, Græo, & Vesulio, cætera esse tantùm munita oppida & castra.

Burgundiones, q. Burgwohner, Germ. nomen occuparunt, ex opere, quia crebra per limitem habitacula constituta *Burgos* vulgò vocant. Hi quondam subactâ inferiore Germaniâ à Druso & Tiberio per castra dispositi in magnam coaluerunt gentem, ut sub Valentiniano Imperatore 80. millia ripam Rheni fluminis insederint. Vide Paul. Orosium *lib.* 7. *cap.* 32. Baudrando fuerunt populi Germaniæ sub Vindilis comprehensi, qui agros Chattorum & Alemannorum occupavere. Postea in Gallias transmigrarunt. Valesio *Burgundiones*, qui & *Burgundii*, gens Germanica Alamannis olim confinis, in Galliis principatu Honorii sedes cœpere, ac paulatim fines proferendo, tenuere ibi demum Lugdunensem primam, Sequanos, partem maximam provinciæ Viennensis, Alpes Peninas & Grajas, atque Metropolim Alpium Maritimarum Ebrodunum; Narbonensis 2. urbes Aptam, Vapincum, & Segusteronem; in provincia Lugdunensi quarta vel Senonia Nivernum: quæ pars Galliæ *Burgundia* ab Gente cognominata est, ut ita apud Senatorem *in libri* 1. *Variarum epistola ultima*, ita à Gregorio cæterisque nuncupatur. Igitur ut ex Synodo Epaonensi Agapeto Consule, anno Christi 517. habita, & ex historia nostra discimus, Regnum Burgundiæ continebat 28. circiter civitates, nimirum Metropolim Lugdunum, Augustodunum, civitatem Lingonum, Cabillonum & Matisconem: Vesontionem metropolim provinciæ Sequanorum, Aventicum, Vindonissam, Basiliam & Belicam: Viennam metropolim provinciæ Viennensis, Genevam, Gratianopolim, Albam Helviorum vel Vivarium, Deam Vocontiorum, Valentiam, Augustam Tricastinorum, Vasionem, Cabellionem, Carpentoracte: Metropolim provinciæ Alpium Grajarum & Peninarum, civitatem Centronum Darantasiam, & Octodurum Vallensium: metropolim Alpium maritimarum Ebrodunum; & quas supra diximus, Narbonensis secundæ urbes tres, Aptam, Vapincum, Segusteronem; in Senonia Nivernum. Postea Burgundiam, sed jam aliquot urbibus sub Sigismundo & Godomaro à Francis Gothisque truncatam, Childebertus

bertus & Chlotarius Francorum Reges subegere. Mortuo Chlothario, uni è 4. ejus filiis Guntchramno sors non tota obvenit Chlodomeris patrui, cujus caput Aureliani erant, cum tota Burgundia; à qua *Rex Burgundiæ* sæpe appellatur: & *Burgundionum* nomine sæpe omnes ditioni ejus subjecti designantur, Franci cum Burgundionibus, & Galli. Quidquid Guntchramno paruerat, totum ferè *Burgundia* dictum est à Nostris, & usque ad Theodoricum Chlodovei junioris filium Burgundiæ Regno ac Regibus Merovingis est attributum. Tenuerat autem Guntchramnus, qui primus è Francis *Rex Burgundiæ* est vocitatus, non Burgundiam modò sedem Burgundionum, sed unà etiam Regni Aurelianensis, atque adeò post Chariberti fratris obitum Regni Parisiaci in Gallia Lugdunensi & Aquitania non minimam partem cum Provincia Arelatensi: quæ omnes regiones simul junctæ, exceptâ Aquitaniâ & Provinciâ, ex nomine majoris partis, nimirum Burgundiæ, appellationem traxerunt: ut in *libris* 16. & 20. *Rerum Francicarum* observavimus. Regnantibus apud Francos Merovei posteris, Francia in tria Regna dividebatur, videlicet in Neustriam, Austriam, atque *Burgundiam*: uti docet brevis Appendix Chronici Marii, ab auctore Chlotharii junioris æquali ante annos 1045. composita, Vita Leodegarii Augustodunensis Episcopi, Gesta Francorum, atque ipse Fredegarius. Sed postquàm Chlotharius minor filium suum Dagobertum Regem Austrasiorum fecit, Neustriam secuta *Burgundia* est, & ab uno Principe utrumque Regnum simul obtinebatur, propterea quòd Neustriam atque Burgundiam junctas latitudine regionum & multitudine hominum Austria æquabat. Postea Carolus, Lotharii Aug. filiorum minimus, Burgundiæ maximam partem ac Provinciam anno 855. obtinuit, ac Lugdunum pro Regia habuit. Boso anno 879. faventibus Viennensi, Lugdunensi, Darantasiensi, Aquensi, Arelatensi, & Vesontionensi Archiepiscopis, & 17. Episcopis, qui plerique de Burgundia erant, regnum in Burgundiæ partibus occupavit: & ejus filius Ludovicus anno 890. à 4. Archiepiscopis, Lugdunensi, Arelatensi, Ebrodunensi ac Viennensi, multisque Coëpiscopis Rex electus atque unctus est. Paullo antè, nimirum anno 888. Rodulfus, Chuonradi filius, provinciam inter Juram montem & Alpes Peninas occupavit, & accitis nonnullis Sacerdotibus ac Primoribus, coronam sibi apud Acaunum imposuit, Regemque appellari se jussit, ut Regino & Annales Metenses tradunt. Hoc Regnum exiguum Annales Fuldenses *superiorem Burgundiam*; quidam *Transiurensem Burgundiam*; *Cisalpinam Galliam* magnifico nomine Frodoarius; Constantinus Porphyrogennetus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sigebertus, aliique *Burgundiam* appellant impropriè admodum, cùm tantùm portio esset exigua Burgundiæ. In eo regno erant Winterturum, Acaunum, Novus burgus, *Nuenburg* Hermanno dictus, Murtena *Morat*, & urbes ac castella ad Lemanum lacum, item Octodurum, Salodurum, Aventicum, Seduni, Lausana ad Lemanum, Geneva, Belica, atque etiam Lugdunum Mathildis enim Ludovici Transmarini filia, Lotharii Regis Francorum soror, cùm Conrado Regi Jurensi nuberet, pro dote Lugdunum cum pago Lugdunensi habuit, à Lothario fratre sibi in dotem datum, ut docet Chronicon Monasterii S. Benigni. Castellum etiam, quod Mons Piligardæ Hermanno dicitur, vulgò *Mont belgart*, Nostris *Montbeliart*, estque trans Juram in Sequanis, huic regno contribuebatur: quemadmodum ex Historicis nostris veteribus discimus. Ex quo intelligitur Rodulforum Regnum, quod Jura & Alpibus Penninis claudit Regino, latiùs patuisse, & in Sequanis Juram inter ac Vogesum, in Allobrogibus ac in Segusianis opida ac urbes habuisse. Rodulfus Rex Gloriosissimus in litteris datis Ansâ villâ Indictione 3. anno 997. *res sitas in Comitatu Matiscensi*, in primis partem piscinæ Osæ, quæ Cluniaco Monasterio donatæ erant, confirmat. Idem aliis litteris datis anno J. D. 1019. regni 31. *Ecclesiam S. Blasii in Vicul is, in pago & in Comitatu Genevense sitam*, *Cluniacensibus Fratribus* confert. Amedeus Comes, filius Humberti Comitis & Ancilliæ, & uxor ejus Adelaidis Ecclesiam S. Mauricii sitam in pago Multacena dedere Cluniaco, permissu Maleni Episcopi Gratianopolitani: quorum in litteris hæc legimus, *Hanc donationem fecerunt, & chartam istam fieri jusserunt, & in Curia Regis firmari rogaverunt. Signum Rodulfi Regis, regnante Rodulfo anno 37.* Ex his apparet, non Genevensem modò pagum vel Comitatum, verùm etiam Comitatum Matisconensem saltem ex parte, & pagum Gratianopolitanum, ipsamque adeò cum sua valle Mauriennam, cujus Comites Humbertus & Amedeus exstiterunt, ad istud Regnum pertinuisse: quod *Regnum Austrasiorum* Glaber Rodulfus falsò appellat, cùm veteris Burgundiæ regni partem contineret, Austriæ nullam, quæ mihi sit nota. Anno 1032. Rodulfus, qui eo nomine tertius in Burgundia superiore regnavit, *Ignavus* à quibusdam cognominatus, diadema suum ac Regni insignia Imperatori Conrado moriens misit: à quo tempore Reges Germaniæ Imperatoresque sibi Burgundiam istam vindicaverunt, ac pro Imperii membro habuerunt, sub novo Regni Arelatensis nomine, quod à Jura monte ad ostia Rhodani & ad mare Gallicum usque ad Alpes Maritimas longè lateque patere crediderunt, aut omnibus persuadere voluerunt: cùm tale nunquam à Rodulfis Regibus possessum fuerit, ac ne à prioribus quidem Burgundiæ Regibus, Gundicarii posteris. Nam nec Provinciæ Arelatensis Comitatus, nec maxima saltem ex parte Comitatus Burgundiæ Transararicæ, quem liberum aut immunem Comitatum vocant, *la Franche-Comté*, ad Reges Rodulfos pertinuit. Certè Rotberto in Francia, & Rodulfo Ignavo in superiore Burgundia regnantibus, suus erat Provincialibus Comes & dominus, qui Arelati sedem habebat: quem Glaber Rodulfus *in libri 3. capite 2. Willermum Arelatensem* appellat, hoc est, Willelmum Comitem Arelatensium sive Provinciæ; quidam *Ducem Arelatensem*. Alius fuit & Guillelmus Comes Burgundiæ Transararicæ, *Guillelmus cognomine Captivus*, *Comes Transsagonnanus* dictus veteri scriptori: quem Rotbertus Rex Ducatu Burgundiæ, quem pæne totum occupaverat, armis expulit, & suo Comitatu coëgit esse contentum. Mortuo Imperatore Ludovico Pio, inter tres ejus filios Lotharium, Ludovicum & Carolum cognomine Calvum divisa sunt Regna Francorum. Lothario cum Imperio Romano & Regno Langobardorum obtigit *Austria* cum regione ad Lemanum & ad Alpes Graias, quæ *Regnum Lotharii* paullo pòst vocari cœpit, & maxima pars Burgundiæ, atque Provincia; Ludovico tota Germania cum Norico seu Baioaria Pannoniaque cessit; Carolus Franciam sive Neustriam, & Aquitaniam, ac Burgundiæ reliquam minimamque portionem obtinuit, *in qua parte extunc & modò nomen Franciæ remansit*, ut loquitur Sigebertus. Et Lotharii quidem Aug. filii tres nullis relictis hæredibus decessere: Ludovici quoque ambobus pronepotibus, Ludovico & Zuentiboldo Regibus accidit, ut nihil legitimorum liberorum relinquerent. Carolus Caroli Calvi nepos, qui jure proximæ agnationis eorum Regnis succedere, & totius Franciæ imperium solus obtinere debuerat, Carolus inquam, & ejus filius Ludovicus, neposque Lotharius, bellis civilibus & Optimatium suorum crebris defectionibus vexati, Austriam seu Regnum Lotharii (ne de cæteris Francicæ ditionis Regnis loquar) nunquam recuperare potuerunt. Austriâ igitur seu Lotharingiâ, quæ olim unum è tribus Francorum Regnis fuerat, ab externis Germaniæ Regibus occupatâ, ejus in locum Aquitania est substituta, & tria Franciæ Regna nihilominùs attributa, *Francia Occidua* seu *Neustria*, *Burgundia* quanquam admodum imminuta, & *Aquitania*: quæ divisio jam sub Carolo Calvo videtur cœpisse, & usque ad Philippi saltem I. principatum duravit, ut in Notis in Adalberonis Carmen observavimus. Hæc pars Burgundiæ ad Reges nostros pertinens, *Burgundia inferior* dicebatur: quam *Burgundiam Regiam* vocare possumus, ut superiorem *Burgundiam Imperialem* nuncupat Trivetus in rebus anni 1250. Continebat autem Burgundia inferior Lugdunum, quod postea Conrado Regi superioris Burgundiæ Mathildis dotis nomine detulit, Matisconem, Cabillonum, Augustodunum, urbem Lingonum, Autissiodurum quoque (quam ob caussam incertum) Aballonem, Belnum, Divionem, Latonam, castrum S. Gengulfi, *S. Iangou*, & alia loca. Huic quoque Nivernum accenseri potest ac debet, cùm ad priores Reges Burgundiæ pertinerit. Hanc Burgundiam *in libri 5. Chronici capite* 58. designat Fredegarius, quum *Burgundiæ*, vel *Regnum Burgundiæ* ingressum esse Dagobertum scribit, & *in civitate Lingonis*, *Divione*, *Latonæ*, *Cabilloni*, *Augustoduni*, *Autissioduri* jus dixisse, ac per Senonas Parisios venisse. Portio inferioris Burgundiæ *Ducatus Burgundiæ*, atque etiam nonnunquam *Ducatus Divionensis* appellabatur: propterea quòd Duces, qui eam beneficio Regum Francorum obtinebant, Divione sedere consueverant: uti Glaber Rodulfus Duces Nortmanniæ *Rotomagenses Duces*; alii Comites Provinciæ *Arelatenses Comites*; Comites Gothiæ vel Septimaniæ *Tolosæ Comites* à suæ quemque provinciæ capite dixere. Comites Campaniæ Gallicæ & Briegii, *Comites Trecarum atq; Meldorum*; Comites Hainoi *Comites Montenses*. Qui ei Burgundiæ imperabat, *Ducem Allobrogum* Guillelmus Britto vocat, non semel, cùm Dux Æduorum potiùs vocandus fuerit. Nam Æduos, & Lingonas, ac partem Senonum tenebat; in Allobrogibus trans Rhodanum sitis Dux Burgundiæ nihil omnino possidebat. Hancce Burgundiam Regibus Francorum parentem designat Provinciale M S. ante annos 400. compositum, quum in Burgundia duos cum suis suffragantibus Archiepiscopos collocat, Lugdunensem & Senonensem. Constat enim totam provinciam Lugdunensem primam, hoc est, Lugdunum metropolim cum 4. sedibus ei subjectis, Augustoduno, Matiscone, Cabillono & Lingonis, & ex provincia Senonia sedes duas Nivernum & Autissiodurum inferiori Burgundiæ olim attribui consuevisse. Contrà Notitia Episcopatuum Galliæ, paullo post annum 1322. scripta, cùm *in Burgundia Archiepiscopos* duos *Darantasiensem* & *Vesontiensem* seu *Bisuntinum* unà cum suis ambos suffragantibus ponit; *Burgundiæ* nomine partem Sapaudiæ & Sequanos cum Helvetia designavit, hoc est superiorem Burgundiam, Regnum olim Rodulforum. Burgundiam inferiorem, Francicæ ditionis provinciam, quæ præter cætera Ducatum olim Pariatum-

 que

que continuit, veteres tabulæ vulgari linguâ confectæ appellant nunc *Burgoine*, & *Bourgoine*: uti Constantinus Porphyrogennetus Burgundiam superiorem, Regnum Rodulforum, *Bergoniam* nuncupat pro Burgundiam. Ροδόλφος ῥὴξ εἰς Βεργωνίαν. Nostri nunc *la Bourgogne* vocitant, & ejus ac Comitatensis Burgundiæ superiorisve incolas *les Bourguignons*, id est, Burgundiones. Multi *Bourgongne* scribunt; & *Bourgongnons*: quos veteres modò *Burgundiones*, modò sed rariùs *Burgundios* cum Ammiano nuncupant: recentiores scriptores Latini *Burgundos* appellare maluere. *Burgundiones* sive *Burgundios* nostros, qui partem Galliæ occuparunt, Regnumque ibi constituerunt, Gentem fuisse Germanicam, trans Rhenum sedes habentem; & differre à *Burgundionibus* vel *Burgundiis*, Scythica Gente Transdanubiana, apertè ostendimus *in libro* 1. *rer. Francicar.* Burgundionum nomen à *Burgis*, id est, parvis castellis, per limites constitutis cum Orosio, Isidoro, aliisque deducere ridiculum est. Nam à burgis *Burgiones* dici lex analogiæ jubet. Ut redeam ad regnum Arelatense, Gervasius Tisleberiensis, qui se *Regni Arelatensis Marescallum* ipse appellat, & ante annos 460. vixit, *civitatem Arelatum caput Regni Burgundiæ* bis nuncupat, & Viennensem Archiepiscopum *Regni Cancellarium*, *Burgundiæq;* seu Regno Arelatensi 6. metropoles attribuit, Vesontionem, Viennam, Darantasiam, Ebrodunum, Aquas Sextias, Arelatum, cum sedibus cuique subjectis. Idem facit Not. Episc. Gall. Gervasio suppar, & in Burgundia sex metropoles ponit: ita ut Burgundia 36. civitates, & Sequanos cum Helvetia, Sapaudiam & quem Dalfinatum vocamus, ac Provinciam complexa sit. Ubi miror Lugdunum prætermitti, quod posteriores Burgundiæ Reges duo tenuerunt, & quod propterea Imperatores, tanquam membrum Regni ad ipsos pertinentis, sibi diu vindicaverunt, uti literæ eorum aliquot docent. Suffragabantur autem Vesontioni Basilia, Lausana, Belica; Viennæ Valentia, Vivaria, Dea, Gratianopolis, Maurienna, Geneva; Darantasiæ Seduni & Augusta; Ebroduno Dinia, Nicæa, Antipolis, pro qua nunc Grassa, Glannateva, Sanitium, Vintium; Aquis Sextiis Apta, Reii, Forum Julii, Vapincus, Segustero; Arelatum pro metropoli tum agnoscebant Massilia, Avenio, Arausio, Vasio, Cabellio, Tricastini, Carpentoracte, Telo: Ex quibus Avenio postea in metropolim evectus est, & civitates Vasio, Cabellio, ac Carpentoracte ei attributæ. Hoc igitur Regnum, sive *Burgundia*, sive *Regnum Arelatense* dicatur, planè imaginarium fuit, cùm quale quantumque suprà descriptum est, à nemine unquam possessum sit. Nam priores quidem Burgundiæ Reges, qui ab Chlodovei filiis sunt debellati, Vesontionem, Viennam, Darantasiam & Ebrodunum metropoles, cum Lugduno totaque provincia Lugdunensi prima obtinuerunt: Arelatum & Aquas Sextias metropoles, ex provincia Arelatensi Massiliam, Avenionem & Telonem Martium; ex Alpibus Maritimis Diniam, Nicæam, Antipolim, Glannatevam, Sanitium & Vintium; de provincia Aquensi Reios & Forum Julii non obtinuerunt. Regnum Rodulforum, posteriorum Burgundiæ Regum, exiguum admodum fuit, & paucularum civitatum, ac unius aut alterius metropoleos, sicuti supra ostendimus. Jam Rex Carolus, Lotharii August. filius Genevam, Lausanam, & Sedunos non habuit, ac ne Belicam quidem & Darantasiam, quas ambas civitates postea à Rege Lothario fratre suo accepit: ut Annales Bertiniani docent. At Bosoni Regi sex quidem metropoles paruere, Vienna, Lugdunum, Darantasia, Aquæ, Arelatum & Vesontio, ac 15. civitates eis suffragantes, & duæ civitates Septimaniæ seu provinciæ Narbonensis primæ, Agatha ac Ucetia: at Ebrodunum cum 6. sedibus ad ipsum pertinentibus ei non paruit: & cùm Arelatensis Regni 36. civitates numerantur, Bosonis Regni vix fuere 23. quibus Matisconem & Viennam paulo pòst amisit. Ludovico, Bosonis filio ac successori metropolitani adhæsere non ampliùs quatuor, Lugdunensis, Arelatensis, Ebrodunensis, & Viennensis, cum compluribus Coëpiscopis, sed non omnibus: Vesontio & Darantasia ei Principi non parebant, cùm ambarum civitatum Archiepiscopi ejus electioni unctionique non interfuerint. Apparet igitur, quod jam non semel diximus, Regnum *istud Arelatense* 36. civitatum, falsum, imaginarium, chimæricum, atque à Germanis scriptoribus fictum, & nulli unquam Regi fuisse possessum. Certè Guntherus *in libro* 5. Burgundiam à Basilea ad ostia Rhodani patere ait, caputque & sedem veteris Regni Arelatum fuisse, usque ad Rodulfi mortem: sed 4. tantùm ei metropoles attribuit, *Chrysopolim*, id est, Vesontionem, *Lugdunum*, *Viennam* & *Arelatum*. Ex quo intelligitur, ne ipsis quidem Germanis scriptoribus Regnum Arelatense bene notum fuisse. Vindicaverunt quidem sibi nullo jure Regnum Arelatense Imperatores Regesque Germaniæ post Rodulfi ignavi obitum: sed maxima ex parte illud obtinere non potuerunt, nec quidquam ibi præter inane nomen *Imperii* in Dalfinatu Provinciaque reliquerunt. Hactenus Valesius *Notit. Gall.* Aliter paulo Nobilissimus Conringius, *tractat. de Finibus Imperii*, quem V. de his accuratissimè differentem.

Burgus, urbs Gall. in Bressiæ Comitat. ad amnem *Resousse* Sub Galliæ R. cum tota reg. Ab anno 1600. vulgò *Bourg en Bresse*, de quo vide Guichenon. *hist. de Bress.* Item opp. Aquit. olim munitum, ad Duranium fluv. ubi Garumnæ miscetur, vulgò *Bourg sur mer.* Vett. *Ebromagum.*

Burgus, Saxonica vox, an à Græco πύργος, i. e. turris, an à πῦρ, i. ignis, quòd turres instar columnæ ignis cœlum appetunt. Sumitur pro monte, castro, oppido, urbe: unde *Asciburgium*, in qua voce *Asci* apud Silesios montem; apud citeriores Germanos urbem denotat. Pro castello parvulo, sumtum à Romanis, Valentiniani ævo, Veget. *de re mil. lib.* 4. *cap.* 10. Imo pro habitaculo in limite, antiquius: apud Paul. Orosium *Hist. lib.* 7. *cap.* 32. Porrò pro loco munito, unde *Burgundiones* nomen nacti: sed sic à castello discernitur, quòd Castellum Burgum notat arcem habentem in area, Burgus autem sine castello locum munitum. Græcis recentioribus φώσατον vocatur, accipiturque pro sepimento castrensi, i. ampla fossa & vallo ex egesto introrsum cespite munito. Anastasio *in Vita Stephani III. Clusa.* Reperiuntur autem duplici formâ, interdum quadrangulâ, sed frequentius rotundâ: Hæc opus Saxonicum, Normannicum & Gothicum: illa Romanum. Romanos enim veteres in quadrum semper castrametatos esse, docet Polybius, licèt inferiores edocuit Vegetius loci cedere necessitati. De *Burgo* verò *Gothico* Vid. Procop. *belli Goth. l.* 1. Ammian. *lib.* 31. *in Valent. & Gratian.* Simile de Francis ac Burgundis suggerit Frodoardus *Chron. ad A. D.* 925. qui Græcos proculdubio secuti & Lycurgum, Vid. Xenoph. *Rep. Laced.* Ammianus loco citato *Burgum e plaustris* exhibet, Germ. *VVagenburg.* Nec dissimile videtur priscum Britannorum oppidum, de quo Cæsar *Bell. Gall. lib.* 5. Oppidum vocant Britanni, cùm sylvas impeditas fossâ & vallo munierunt. Burgum etiam dici, quod Germanis aliis *Haga* & *Circulus*, certum. Hinc Hunnos & Avares, octennali bello à Carolo M. edomitos, extructis novem *Hagis* i. *Circulis*, seu *Burgis*, in Pannonia habitasse legimus: & pleraque habitationum vocabula apud Germanos Borealesque populos videntur à cingendo sepiendoque emanasse, ut patet ex vocibus *Haga, Ham, Hem, &c.* Apud Gallos tandem *Burgus* appellatur villa insignior, quæ nec muro nec vallo clauditur. Apud Anglos Villa, quæ Prætorem habet & jure utitur municipali, ac in Parlamentariis Comitiis per Procuratores suos (*Burgenses* dictos) suffragia fert, minimo licèt loco. Vide Henricum Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Burgus, oppidulum Finlandiæ, prope sinum Finnicum.

Burgus-novus, opp. Aquit. in Marchia Lemovic. ad Taurionem amnem. Censetur pars prov. Pictaviensis.

Burgus Sessites, oppidul. Italiæ, in agro Vercellensi, ad Sessitem fluv. sub Sabaudiæ Duc. in confin. Duc. Mediol.

Buria, urbs, in frugifero solo sita, juxta montem Tabor & civ. Nain, in tribu Zabulon.

Burichum, oppidum munitum Ducatus Clivensis, è regione Vesaliæ, ad Rhenum fluvium. Quibusdam est *Burcinacium.*

Burictanum, opp. Bavariæ, prope Lichi fluv. confluentes. *Burchain* Cluv. non longè à Danubio.

Buridensii, pop. Daciæ, quorum urbs Varadinum est, teste Lazio. *VVardin*, & *Varadein.*

Burii, pop. Germ. cognomine Luti, Ptol. qui testibus And. Vellejo & Rantzovio, in inf. maris Baltici, cui nomen est *Bornholm*, habitant. Brietio erant, ubi nunc magna pars Poloniæ, versus Calisiam urbem.

Buris, vide *Bura.*

Burnum, *Burnium* Livio, *Grachovva* teste Nigro, oppid. Illyrici mediterr. in Liburniâ, Arauzonæ propinquum.

Buroa, insul. in mari Indico, inter Moluccam & Macassarias insul. sat culta & oblonga.

Buronia sylva, *VVesterVVald*, apud Col. Agrippinam, Trithem.

Burrhus Afranius, prætoriis cohortibus, ab Agrippina, impositus, egregius militaris Famæ. Tacit. *lib.* 12. In se tumescentibus paulatim faucibus & impedito meatu extinctus. P. Mavio L. Asinio Coss. *l.* 14.

Burrium, Anton. *Uske*, Camden. oppid. olim Albionis nunc Walliæ, finitimum Iscæ Monumetensi, inde 9. m. p. Callevam versus Aliis est *Lodbury.*

Bursa, metropolis Bithyniæ, sedes Imperii Ottomannici, ante Adrianopolim. A Prusia conditore, Prusa dicta creditur. Strabo *lib.* 12.

Bursaonenses, Hisp. citer. pop. Calaguritanis, & Complutensibus vicini. Plin. 3. 3.

Burtanga, vide *Arx Burtanga.*

Burtina, Ptol. *Bortina* Anton. *Almudenar*, teste Surita, opp. Aragoniæ, inter Cæsaraugustam 10. & Oscam in Cæc. 4. leuc. Al. *Balbastro* est, urbs à Cæsaraugusta 22. leuc. ab Ilerda 5. Oscam versus.

Burungum, oppidulum ad Rhenum, *Burick* Simlero. Aliis *VVuringen*, oppidul. ad Rhenum, inter Coloniam & Novesium, sub Elect. Col.

Busa, Apula fœmina, quæ 10000. Romanorum, qui Cannensem cladem effugerant, liberaliter aluit. Valer. M. *l.* 4. *c.* 8. *ex.* 2.

Busacteri maiores & minores, Germ. pop. quos etiam Bructeros esse putant. Horum *Brokersberg* oppidum esse videtur sub Goslariâ

latiâ Saxoniæ urbe. Græci habent codices βεσόκεροι, fortè à malo & sterili agro sic dicti. Hinc Familia haud dubiè illustris *Buskerorum*, cujus & Dithmarus meminit, *l.6*.

Busa, pop. Medorum, quos Diores subegit. Steph.

Busardum, Castellum Salentinorum.

Buscumducis, à silvis & nemoribus, quæ hoc loci quondam Brabantiæ duci fuerunt, appellationem obtinet, una ex 4. præcipuis Brabantiæ civitatibus, ludo literario, magnâ civium & præstantium ædificiorum frequentiâ, pugnacique populo, civili tamen ac blando, nobilis. Ibi mercatura, lanificium, cæteræque artes mechanicæ florent. Vulgò *Bosleduc*. Vocatur etiam *Sylva Ducis*.

Busentus, amnis Calabriæ inferioris Consentiam urbem uno latere includens, cujus aquæ natura est capillum efficere nigrum: accolæ etiam confirmant fila serica, si Busentia qua redordiantur, fuscum accipere colorem.

Busiris, Neptuni filius ex Lybiâ Epaphi filiâ, crudelissimus Ægyptiorum tyrannus, quo tempore Danaus Argivis imperavit. Quibusdam est Orus Pharao, qui Amenophi II. successit. Hic cùm hospites omnes Jovi immolaret, ab Hercule in Ægyptum delato, cùm easdem illi insidias pararet, unà cum Amphidamante filio, & præcone Chelbe & ministris aræ interfectus est. Ovidius *Met.* 9.

Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Busirim domui?

Idem *Trist.* . . II.

Sævior es tristi Busiride, &c.

Statius *Theb. lib.* 12.

—— Imites Busiridos aras.

Virgil. *Georg.* 3.

——Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Encomium tamen ejus scripsit Isocrates. Item alius cognom. *Cenchres*, Euseb. *Chron.* Apollodor. *l.* 2. Item urbs Ægypti ad Nilum fluv. à Busiride condita, in qua fuit templum magnum Isidis. Hinc Busiritica præfectura. Strabo *lib.*17.

Busium, opp. Delphinatus, in limite Provinciæ *Buis.* 5. leuc. à Vasione, ad *Louvese* amnem.

Busmadis, Isaurica civitas. Steph.

Bussetum, opp. Italiæ. Vid. *Buxetum*.

Bussularius, qui superstitione devinctum pop. Tribunitiis concionibus adeò tenuit, ut tyrannidem Ticinensem ad se traxerit. Prænomen ei Jacobus.

Busus, vide *Ebusus*.

Butada, pars tribus Ægeidis. Steph.

Butalion, nomen cujusdam ob insignem stultitiam & stuporem à Comicis exagitati. Vide Scholia *in Ranas Aristophanis*, *Act.* 4. *sc.*1.

Butama, Dalmatiæ oppidum. Cedrenus.

Butas, elegiaco carmine res Romanas tradidit, ex quo fabulosas Lupercalium causas tradit Plutarchus *in Romulo*. Meminit ejusdem Arnobius *lib.5. ubi de Bonâ Deâ: Sicut suis scribit in Causalibus Butas* perperam vulgò *putas*.

Butea, familia Romana, à buteone, id est, accipitre sic dicta: cui principatus in auguriis olim dabatur, prospero auspicio à buteone sumpto. Plin.

Buteo, cognomen M. Fabii apud Liv. & Plut. Item Romanus Orator, cujus mem. Sen. *l.2. Contr.*

Butera, vide *Blitera*.

Buterium, opp. Siciliæ, in valle Neætina, Princip. titulo clarum, intra montes, 4. mill. ab Himera flum.

Butes, filius Amyci, Bebryciorum regis, qui ob sævitiam patris ab Argonautis cæsi, regno pulsus, parvo navigio in Siciliam confugit, ubi à Lycaste nobili meretrice hospitio susceptus est, à quâ cùm ob formæ morumque elegantiam diligeretur, ejus concubitu usus, Erycem filium ex eâ suscepit, & quoniam Lycaste ob eximiam pulchritudinem Venus vocaretur, datus est locus fabulæ, Buten ex Venere filium Erycem suscepisse. Virgilius *libro* 5. *Æn.*

Idemq; ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebryciâ veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit & fulvâ moribundum extendit arenâ.

Butes, nomen sacerdotis. Rhod. 14. 13. Vide Niceph. *in Synesium de Insomniis*. Orpheus etiam quendam hujus nominis recenset, inter Argonautas:

Βύτης τ᾽ Αἰνιάδης ἵκελ⊙ χρυσόορι Φοίβῳ.

Butes, Trojanus à Camillâ occisus est. Virgil. *Æn.* 11.

Protinus Orsilochum & Buten duo maxima Teucrûm
Corpora.——

Item Scytharum fluv. cui propinqui sunt Agathyrsi & Sarmatæ. Tortellius.

Buthia, urbs vel regio Joniæ. Steph.

Buthoe, urbs Illyridis. Βυθόη Sophocli, Βυθὼν Scylaci & Philoni, *Butua* Plinio. Ptolemæo mendosè *Bulva*, hodie *Budua*, vel *Buduvo*; quam apud Stephanum quidam sic dictam volunt, ἀπὸ τῶ Κάδμου ἐπὶ ζεύγους βοῶν ὀχέμενον, ταχέως ἀνύσαι τὴν εἰς Ἰλλυρίους ὁδόν. Alii Cadmum eam nominasse volunt, ἀπὸ τῆς Αἰγυπτίας Βούτους, ab Ægyptio Buto. Sed verum nomen Phœnicium est בטוחה *betua*, id est, *secura*, *tuta*, cujus incolæ habitabant לבטח h. e. *in tuto*, naturâ loci nimirum, aut vallis & mœnibus, aut propriis viribus freti. Boch.

Buthos, opp. Ægypti. Ptol. Plin. 5.10.

Buthrotum, sive *Buthrotus*, Ptol. vulgò *Butrinto*, urbs Epiri in orâ contra Corcyram insulam, Virg. *Æn.*3.

—— Portuq; subimus
Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus arcem.

Ovid. *Met.*13.

—— Regnataq; vati
Buthrotos Phrygio.

Baudrando urbs olim, nunc opp. Albaniæ in Chimera reg. sub Turcis, à centum & amplius annis, ægrè habitatum. Eò multi piscatores confluunt quotidie, hinc sinus Buthroti dicitur, aliàs Pelodes, nunc multis *Botronto*, vix 6. m. p. à Corcyra in Ortum.

Buthrotus, fluv. Magnæ Græciæ apud Locros, *Novitto*, teste Barrio.

Buthus, athleta nobilis, qui bovem integrum uno die devorare solebat; unde natum proverbium in edaces, *Buthus obambulat.* Vide Hesychium in Βῦθ⊙ περιφοιτᾷ, & Zenob. *pag.* 44.

Buthyreus, insignis statuarius, Myronis discipulus, qui fecit puerum sufflantem languidos ignes & Argonautas. Plin. 34. 8.

Buticularius, ceu Buttarum & Buticularum præpositus. Gall. *Bouteiller*, Pincerna. In palatio Caroli M. præcipuæ dignitatis fuit & auctoritatis, ut Hincmarus *Epist.3. cap.* 16. docet, ubi post Apocrisiarium, & Cancellarium, ponuntur Camerarius, Comes Palatii, Senescalcus, *Buticularius*, Comes Stabuli, Mansionarius, &c. *Cap.* 23. *Ad tres autem Ministeriales, Senescalcum*, Buticularium, *& Comitem stabuli, pertinebat, ut cùm communi consensu de suo quoq; ministerio admonendi non essent segnes, ut quanto ejus esse potuisset, omnes actores Regis prascirent, ubi vel ubi Rex illo vel illo tempore tanto vel tanto spatio manere debuisset, propter adductionem vel præparationem, ne fortè tardè scientes, dum inopportuno tempore , vel cum nimia festinatione exigeretur, familia regalis per negligentiam sine necessitate opprimeretur: qua videlicet cura, quamvis ad* Buticularium, *vel ad Comitem stabuli pertineret, maximè tamen Senescallum respiciebat, eò quòd omnia cœtera, præter potus & victus caballorum, ad eundem Senescallum respicerent.* In subscriptione testam. Philippi Augusti apud Rigordum: *Signum Tibaldi, Dapiferi nostri. Signum Guidonis Buticularii. Sig. Authei Camerarii.* Vide Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Butis, Syriæ civitas, Pella postea dicta. Steph.

Butoa, insf. maris mediterr. prope Cretam. Plin. 4. 12.

Butorides, historicus, inter 12. illos, qui de Pyramidibus Ægypti scripsere. Plin. *l.36.c.*12.

Butovium, opp. Pomeraniæ, ad Stolpam amnem, prope *Valdovv* desertum Prussiæ, *in dit.* Electoris Brandeb. 8. leuc. Germ. à Gedano, in Occas.

Butrium, urbs Italiæ. Steph. *Butrio* Leandro. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.*1.*c.*27.

Buttons sinus, in Oceano Septentr. ab Anglo *Buttons*, qui eum lustravit, dictus, in America Septentr.

Butua, urbs Dalmatiæ merid. parva, sed munita sub Venetis, A.1667. terræ motu fere diruta. Plin. 4.22. Vulgò *Budoa*.

Butua, urbs Afr. in Æthiop. inf. & imper. Monomotapæ, cum regno cognom. versus Zamberum fluv.

Butuntum, sive *Butuntos*, vulgò *Bitonto*, urbs Apuliæ Peucetiæ mediterr. nobilis & frequens. Populi *Bituntinenses* Plinio dicuntur.

Butus, Pandionis filius, unde *Butada*, pars tribûs Ægeidis. Est & Ægypti civitas; Herodianus verò vicum esse scribit, ubi oraculum fuit, unde & Latona *Buto* dicebatur; Est & alia Gedrosiæ.

Buvinda, *Banna* Camdeno, sive *Banny*, fluv. Hyberniæ per Laginiam in ort. apud Eblanam (hæc est Dublinum) fluens; *Slain* Villanovano, qui etiam Latinè *Boandus* dicitur, apud Dondalciam urb. fluens. Sanè P. Jovius Boandum cum Buvindâ confundit, illumque per Ultoniam apud Armacum urb. in Bor. contra Scotiam fluere scribit. Camdenus verò, Bannam ait esse fluvium Ultoniensis Provinciæ, in Comitat. Colranensi.

Buxentum, oppidum Lucaniæ, quod Græci *Pyxunta* vocant, vulgò *Pisciota*, nomen habet à *buxo*, cujus ibi copia reperitur. Aliis *Policastro*, urbs Episcopal. regni Neapol. in Principatu cit. Ducatus tit. gaudet. Parva, in ora maris Tyrrheni, 15. mill. à *Capo Pisciozza*.

Buxetum, opp. Ital. in Duc. Placentino, regiunc. cognom. caput, olim in ditione Palavicinorum, nunc Ducis Parmæ. Ubi urbs Burgi S. Domnini, oppida Buxetum, ad Longenam amnem, 2. mill. à Pado fluv. Florentiola & Curia major.

Buxtehuda, urbec. Duc. Bremensis, Estâ amne secatur. In limite Ducatus Luneburg. Sub Suecis, 1. mill. ab Albi fluv. 3. ab Hamburgo. A Confœderatis hoc bello, mense Octob. A.1675. capta est.

Buxium,

Buxium, seu *Buschium*, oppidul. Aquit. propriæ, non longè ab ora littor. Caput ditionis Busianæ, quæ vulgò *le Captalat de Busch*, ad sinum Arcassonium. 7. circ. leuc. à Burdegala in Occas. Ibi aliàs Boji pop.

Buxtorfius Johannes, Sen. Hammoniâ Westphalus, ex familia inter suos illustri, cùm Basileæ studiorum causâ degeret, ob eximiam in Hebraica literatura peritiam, S. Linguæ hujus Cathedræ ibi tum vacanti admotus, spem de se conceptam tam magnificè implevit, ut brevi *Rabbinorum Magister*, meritò audiret. Scripsit, præter *Epitomen Gramm.* & *Manuale Hebr. Lexicon Hebraico-Chaldaicum, Thesaurum, Grammaticam Chaldaico-Syriacam, Synagogam Jud. Abbreviaturas, cum Bibl. Rabbinica, Epistolas Hebr* Præfuit *Operi Biblico*, cui Tiberiadem adjunxit: Affecit *Concordantias*, & *Lexicon Chaldaico-Rabbinico-Thalmudicum*, &c. Reliquit *Babyloniam*, adhuc ἀνέκδοτον. Pater, ex Margareta Curionia, fœmina nobilissima, Johannis Jun. Obiit anno 1629. æt. 65. Basileæ.

Claram Westphalicis Basileam venit aboris,
Hebræo Hebræos qui docet ore loqui.

Buxtorfius Johannes Jun. Patri in Sparta Orientali successit, Hebrææ linguæ in Acad. Basil. itidem, ut & Theologiæ Professor; gloriam Hebraicæ eruditionis à Patre acceptam in tantum auxit, ut ab omnium Religionum Sectarumque viris eruditis, Rabbinorum inprimis doctissimis, à Bosphoro usque Thracico & Constantinopoli Imperii Turcici capite, consuleretur, velut commune Europæ Oraculum. De quo Robertus Bailius *Operis Histor. & Chronol. lib.* 1. *pag.* 7. *Procul omni*, inquit, *dubio literarum Hebraicarum quibuscunque mortalibus, seu ex Judæis seu Gentibus, callentior est.* Obiit An. C. 1664. æt. 65. Scripsit *Lexicon Chaldaico-Syriacum in quart. Dissertationes, Florilegium Hebr. Tractatum de Punctis, Anticriticam c. Capellum, de Sponsalibus & Divortiis, Exercitationes*, &c. Paraphrasi Latinâ illustravit *More-Nevochim*, & *Cosri*, *Concordantias & Lexicon*, aliaque à Parente affecta feliciter absolvit, plurima tandem nondum edita ingenii sublimis monumenta, inter quæ *Critica*, reliquit. Pater Jacobi, Paternæ Avitæque gloriæ dignissimi hæredis, S. Linguæ in Basil. Acad. similiter Professoris.

Buxudis, castrum amplum & elegans Hannoniæ, prope Fanum S. Ghisleni, 2. leuc. à Montibus, ad Hagnam fluv. qui & Haina dicitur. Ab Ottone Imper. obsessum, captum ac dirutum, Sigebert. ad A. C. 974. Nunc *Bessut*, cum tit. Comit. vel *Boussoi*, A. Miræo. Valesius *Notit. Gall.*

Buz, id est, *contemptus*, sive *deprædatus*, nomen loci in terrâ Cedar. Jer. 25. Filius item Nachor ex Melcha. Gen. 22. & pater Jeddo. 1. Par. 5.

Buza, Indica gens. Plin. 6. 20.

Buzancaum, opp. Gall. in Prov. Bituricensi, ad Ingerem fluv. in limite Turoniæ.

Buzaras, mons Mauritaniæ Cæsariensis. Ptol.

Buzes, Marmaricæ Nomi gens. Ptol.

Buzeri, gens Themiscyræ reg. in Asiâ. Plin.

Buzi, pater Ezechielis prophetæ.

Buzyges, Heros quidam Atheniensis, qui omnium primus junctis bobus arasse terram creditur. Hesychius, Βουζύγης, Ἥρως Ἀττικὸς ὁ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας, ἐκαλεῖτο δ' Ἐπιμενίδης. Huic Demophoon Palladium à Diomede sibi creditum Athenas deportandum tradidit. Polyæn. *lib.* 1. Ausonius *in Epistolis*,

Hoc si impetratum munus abs te accipere,
Prior colere quam Ceres:
Triptolemon olim sive Epimenidem vocant,
Aut Bulianum Buzygem.

Ita legendi hi versus. Quis enim sit *Medes*, neminem scire puto: neque etiam, quare *Buzyges* Tullianus dicatur. Omnino itaque scribendum *Bullianus*, vel *Bulianus* à Buliâ civitate Atticâ. Is. Vossius.

Buzygeus, mons Thessaliæ. Plin. 4. 8.

Buzygia, Athenis fuit familia, sacerdotio prædita, à *Buzyge* quodam Heroë, de quo supra.

BY.

Bybassus, vide *Bubassus*.

Bybe, urbs sita juxta Peucetios Thraciæ populos, Populi *Bybæ*. Steph.

Byblesia, Cariæ reg. ab Isthmo Cnidiorum initium sumens. Herod. *lib.* 1.

Byblia, Venus sic nuncupata, de quâ Luc. *in Deâ Syria.*

Byblii, gens Scythica. Steph. Apud Cyprios etiam ita dicebantur sepulchrorum custodes. Hesych. Βύβλιοι, οἱ τῶν τάφων φύλακες παρὰ Κυπρίοις, καὶ πόλις Φοινίκης Βύβλος.

Byblis, Mileti & Cyanes filia, quæ cùm fratrem Caunum miserè deperiret ejusque concubitum assequi non potuisset, laqueo gulam fregit. Ovid. *de Art. Am.*

Byblida quid referam? vetito qui fratris amore
Arsit, & est laqueo fortiter ulta nefas.

Idem verò *lib.* 9. *Met.* aliter hanc fabulam refert, inquiens; Quum Byblis fratrem suum Caunum perditè amaret, eique ardorem suæ libidinis detexisset; ipse detestandam sororis concupiscentiam aspernatus, fugam arripuit, quem illa, amoris impatiens, secuta est; & postquam omnem Cariam, Lyciamque, & Lelegas peragrasset, labore & dolore victa consedit, & multas lacrymas effudit; quapropter Naidum commiseratione in fontem sui nominis permutata est. Ita enim ait,

Sic lacrymis consumpta suis Phœbeia Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet Dominæ, nigraque sub ilice manat.

Suidas, Βύβλις, ὄνομα κύριον, ἀδελφὴ Καύνε, ἀμφότεροι δυστυχήσαντες.

Byblis, parva maris mediterranei insula, cum opp. alio nomine *Melas* dicta, quam Aristoteles *Zephyriam*, Callimachus *Mirmallida*, Heraclides *Siphnum*, & *Acyton* vocant. Plin. 4. 12. Stephanus Βύβλον scribit.

Byblus, Syriæ Phœniciæ urbs, Beryto vicina, in quâ Adonidis templa sunt. Eam à tyranno oppressam Pompejus liberavit. Sita est in excelso quodam loco, non procul à mari. Vide plura apud Stephanum. Ejus meminit Dionysius, uti videre est in his:

Οἱ τ' Ἰόπην καὶ Γάζαν, Ἐλαΐδα τ' ἐνναίουσι,
Καὶ Τύρον ὠγυγίην, Βηρυτε τ' αἶαν ἐραννήν,
Βύβλον τ' ἀγχίαλον, καὶ Σίδονα ἀνθεμόεσσαν.

Hodie *Gible* seu *Gibelleto* vocant.

Byce, nomen paludis. Ptol. *Byges* Plinio. Est autem in Sarmatia, & in Mæotidem influit, *Sesehan* Moletio. Palus nunc *Suza Morti*. Vide *Buges*.

Bychovia, opp. Lithuaniæ, ad Borysthenem fluv. inter Mohiloviam & Rohaczoviam urbes. Malè habitum à Moschis, paucis abhinc annis.

Bycus, fluvius Sarmatiæ, vulgò *Buges* in Thes. linguæ Latinæ.

Bydena, Nigro *Vidin*, seu *Bidin* & *Bodon*, urbs Mysiæ super. apud Danubium, archiepisc. & sedes Præfecti. Vide *Viminacium*.

Bylæum amnem videtur Valer. Facc. *lib.* 5. *Cobyllum* vocasse, initium Paphlagoniæ constituens. Hermol. Barb. in Plin. *lib.* 6. *cap.* 1.

Bylliones, pop. Illyrici supra Epidamnum sive Dyrrhachium & Apolloniam sedes habentes. Strabo *lib.* 7. Dicuntur & *Bulliones*, de quibus Plin. 3. 22. Βυλλιέων ἀκτῆς habet Dionysius, *vers.* 387. Cùm autem, teste Eustathio, nonnulla exemplaria Βυλλιέων per υ ibi habeant, ista lectio, ut quæ ad *Bullionum* nomen propius accedit, vulgatæ hîc præferenda videtur.

Byllis, urbs Illyriæ maritima, à Myrmidonibus, qui cum Neoptolemo erant, condita. Steph.

Byrchanis Straboni, *Burchanis* Stephano, quorum priori insula in mari Germanico, alteri in mari Celtico dicitur. *Burchana Plinio*, qui dicit eam à Romanis *Fabariam* appellari. A Druso subacta fuit.

Byrrhus, latro, cujus meminit Horat. *Serm.* 1. *Sat.* 4.

Ut sis tu similis Cœli Byrrhique latronum,
Non ego sum Capri, neque Sulci.

Byrsa, arx in media Carthagine, in cujus vertice Æsculapii templum, quod Asdrubalis uxor, captâ urbe, concremavit. De cujus nominis origine hæc Servius, *Appulsa ad Libyam Dido, quum ab Hiarba Gætulorum rege pelleretur, petiit callidè, ut tantum terræ emeret, quantum posset taurino tergo circundare, quod cùm obtinuisset, corium in tenuissima frusta sectum ita tetendit, ut occupatis* 22. *stadiis civitatem construxerit, quam postea vocavit Carthaginem. Arcem verò à bovino corio, quod vocant Græci, Byrsan nuncupavit.* Virg 1. *Æn.*

Mercatique solum facti de nomine Byrsan,
Taurino quantum possim circumdare tergo.

Sil. Ital. *lib.* 1.

Tum pretio mercata solum nova mœnia ponit,
Cingere qua secto permissum litora tauro.

Commentum istud Didonis etiam attigit Herodian. *lib.* 5. loquens de quodam simulacro: Φασὶ δ' αὐτὸ Διδὼ Φοίνισσαν ἱδρύσασθαι, ὅτε δὴ τὴν ἀρχαίαν Καρχηδόνα πόλιν ἔκτισε, βύρσαν κατατεμοῦσα. Rem eandem tetigit quoque Dionys. Perieg.

Καρχηδὼν ἣν μῦθος ὑπαὶ βοὶ μετρηθῆναι.

Sunt qui hoc Didonis commentum ad totam urbem referant. Livius *lib.* 44. *Advenis, quantum secto bovis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad urbem communiendam precario datum.* Sed hoc & ratio abnuit, & Appianus, qui clarè *in Libycis*: Οἱ δὲ τὸ δέρμα περιτεμόντες ἐς ἱμάντα ἕνα στενότατον, περιέθηκαν, ἔνθα νῦν ἐστὶν ἡ Καρχηδονίων ἀκρόπολις, καὶ ἀπὸ τοῦδε Βύρσα ὀνομάζεται. Silius 7. 3. veterem vocat,

Proxima Sidoniis Utica est effusa maniplis
Prisca situ, veterisque ante arces condita Byrsa.

Fabulam est qui ex eo natam putat, quòd veterrimis vice pecuniæ fuerint frusta corii bubuli signati. Itaque secundùm antiquos, ut vidimus, *à corio Byrsa* nomenclatio est. Interim tamen & hoc Græculorum inventum est, cui præbita est occasio è

voce *Βύρσαν* illis corium significante, nempe more suo omnium origines ex suâ linguâ petunt. Quod si accuratius inquisivissent in res Punicas, vidissent verum arcis ejus nomen non *Βύρσαν* esse, ut ipsi pronunciabant, sed *Botzra*, vel *Bosra*. Hebr. בצרה h. e. ὀχύρωμα, πύργος, φρούριον, quocirca Strabo *lib.* 17. ἀκρόπολιν interpretatur. Vid. etiam Marmol. *l.* 6. *c.* 15.

Byrsa, amnis è Jura ortus, prope Basileam, cui plurimum adfert commodi, in Rhenum influit. Vide *Birsa*.

Bysalas, regio juxta Syrtes. Steph.

Bysnei, gens Bebrycum. Steph.

Bysus vel *Byssius*, gens quædam. Steph.

Byzacium, Africæ propriæ regio. Inde Byzacenus ager, cujus Adrumetum est metropolis, feracissimus. Plinius *lib.* 17. *cap.* 5. cum ait esse *centenâ & quinquagenâ fruge fertilem*. Vide eundem *lib.* 18. *cap.* 10. Varro *de R. R. lib.* 1. *cap.* 44. *In Syria ad Gadara, & in Africâ ad Byzacium item* (dicunt) *ex modio nasci centum*. Silius Ital. *lib.* 8.

—— Seu sint Byzacia cordi
Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis.

Ubi malè vulgò legitur *Buxentia*. Vide Plin. *lib* 5. *cap.* 4. itemque Solinum *cap.* 27. Videtur itaque natum ex Phœnicio ביזא *biza*, quæ vox, pro *mannâ* vel *ubere*, frequens est in Chaldæâ Paraphrasi, quâ figurâ Homerus οὖθαρ ἀρούρης dixit, & ex illo Virgilius,

—— Fertilis ubere campus.

Porro, ut gemina sunt ubera, ita geminum fuisse notum est in Africâ Byzacium. Sed & in Byzacio oppidum fuit *Mamma*, de quo Procopius, *Vandalicorum secundo*. Alio nomine *Byzantium*, apud nonnullos, dicitur. Bochartus. Byzacena reg. Baudrando fuit, inter Adrumetum & Tacaspem urbes, extremumque angulum Syrtis min. ubi nunc Regnum Tunetanum. Morerio provincia regni Tunetani, prope urbem Hamamet, vel Mahamet, ex Marmol. *lib.* 6. *cap.* 22. Hic Concilium A. 522. post mortem Thrasimundi Regis Vandalorum. 541. 602. 646. contra Monotheletas. Baron.

Byzantium, urbs Thraciæ. Hanc pleraque historia Spartanis adscribit conditam. Justinus *lib.* 4. & Isidorus à Pausaniâ rege; Claudianus à Byzante quodam non obscurè extructam vel saltem restauratam vult: in Eutropium *lib.* 2. *hoc Byzas Constantinusq; videbunt?* Circa annum 97. *U. C.* In Johanne Sarisburiensi, *de nugis Curialium* legitur: *Chilon Lacedæmonius jungendæ societatis causâ missus Corinthum, duces & seniores populi ludentes invenit in aleâ. Infecto itaq; negotio reversus est, dicens se nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus constructo Byzantio clarescebat, hac maculare infamiâ, ut dicerentur cum aleatoribus contraxisse societatem.* Secundùm Eustathium verò à *Byze*, Megarensium classis præfecto, extructa est. Liberæ olim conditionis, & *Ligos* ante dicta. Plin. 4. 1. Hodie à *Constantino* Magno Constantinopolis, antea *Nova Roma*. Mox tempore Severi munita, & filii sui Antonini *Antonia* vocata. Expugnata à Mahumete Turcâ, A. D. 1453. magnâ prorsus Christianæ religionis jacturâ. Nunc sedes est Imperii Ottomannici. Ejus meminit Ovid. *Trist. lib.* 1.

Quaq; tenent Ponti Byzantia litora fauces,
Hic locus est gemini janua vasta maris.

Tacitus *Annalium libro duodecimo*: *Byzantium fertili solo, fœcundoq; mari. Stambols* hodie Turcis dicitur. Vide Petrum Gyllium, *de Topographiâ Constantinopoleos*. Hinc *Byzantiacus*, Statius 4. *Sylv.*

Aut Byzantiacos colunt lacertos.

Porro Urbis descriptionem habes apud Dionem *in Severo*, (à quo duriter admodum habita fuit an. 198. Dion. *lib.* 47.) quam Zonaras in suam historiam de Constantino Magno descripsit; quamque *Tomo* 3. *initio* dedit. Urbs est innumeris referta incolis, & omnium Europæorum maxima, (unâ tantùm Lutetiâ exceptâ) cum portu commodissimo & percapaci. Juxta Bosphorum Thracium inter Pontum Euxinum & Propontidem, è regione Asiæ min. Estque triangularis, & persæpe incendiis deformata. Sed ab aliquot annis multùm defecit, licet situ & aspectu pulcherrima sit totius Orbis. Vide etiam *Constantinopolis*. Est etiam Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Byzea, Scythiæ civitas. Steph.

Byzenus, Neptuni filius, cui mos fuerat mirâ in dicendo libertate uti: unde Proverbium: *Byzeni libertas*, in eos, qui audacius, liberiusque loquuntur.

Byzeres, Ponti populi inter Cappadoces & Colchos. Horum mem. Dionys. Perieg. *vers.* 765.

Βύζηρές τοι πρὸς ὦ καὶ ἀγχόθι φῦλα Βεχείρων.

Val. Flaccus *lib.* 5.

Mossynichi, vos & stabulis Macrones ab altis
Byzeresq; vagi, Philyraq; à nomine dicta
Litora. ——

Buzeri, Plinio *lib.* 6. *cap.* 4. Vide Montanum, *ad prædictum Dionysii locum*. Inde *portus Byzericus* Stephano dicitur.

Byzia, urbs regum Thraciæ, à Terei nefasto crimine hirundinibus invisa. Plin. 4. 11.

Bzovius Abrahamus, Polonus, Dominicanus, continuator hist. Eccles. Baronii. Vel potius auctor Annalium sui ordinis.





C — CA



Nota condemnationis veteribus, proin fatalis litera dicta, sicut contrà *A*. veniæ & absolutionis erat character. Pier. *hierogl. l*. 7. *c*. 23. Metellus apud Indos, illos qui ex regia familia Christianam fidem amplectuntur, in fronte & brachio hâc literâ insigniri, refert.

CA.

Caath, filius Levi, Gen. 46. aliàs *Koath*. Lat. *congregatio*, sive *ruga*, aut *obtusio*. Pater Amrami, qui genuit Mosis patrem. Mendosè autem leguntur verba Demetrii, ex Alex. Polyhistore citata, apud Eusebium *de Præp. Evang. lib*. 9. Κλὰθ ἐτῶν μ΄ γεννῆσαι Ἀβραάμ. Legendum Καὰθ ἐτῶν ξ΄ γεννῆσαι Ἀμβράμ.

Caba, vide *Cave*.

Cabades, rex Persarum electus, Perozâ extincto cum omni ferè exercitu. Hic unius uxoris pertæsus, lascivo impetu in vagum raptus concubitum, omnibus subjectis suis communionem mulierum indulsit. Hinc regno pulsus, uxoris suæ fidelitate è vinculis iterum liber, in thronum rediit. Sævus in Christianos, donec, invento thesauro in arce prius dæmonibus infestâ, illis pacem dedit. Manichæos, qui illo deturbato, filium ejus regem creatum ibant, crudeliter habuit. Cum Anastasio Imper. bellum gessit, quod sub Justino ad tempus compositum. A Justiniano tandem, per Bellisarium, sæpius victus. Obiit A. C. 532. regni 41. Agathias *l*. 4. Procop. *de Bell. Pers*. Niceph. *hist. Miscell. lib*. 16. *cap*. 15.

Cabala, locus in Siciliâ, ubi Dionysius contra Carthaginenses dimicans, victoriâ potitus est. Diod. *lib*. 15. Item urbs Ciliciæ, Appianus. Est etiam Thraciæ oppid. Cedrenus & Zonaras.

Cabalaca, Albaniæ in Asiâ opp. Plin. 6. 10.

Cabalais, Solymorum regio alio nomine sic dicta. Καβαλαὶς Straboni, id est, *montana*: Arabicè id esse גבליה *gabalia*. Sed Græci *g* & *c* permutarunt, ut in *Camelo* & aliis. Hinc & Solymi *Cabalenses*. Strab. Σολύμους δ᾽ εἶναι φασὶ τοὺς Καβαλεῖς.

Cabalia, Asiæ min. regio, pop. *Cabalii*, vel *Cabali*. Herod.

Cabalis, urbs prope Cibyram juxta Mæandrum. Steph.

Caballiacus ager, regiunc. Sabaudiæ, juxta Lemanum lac. prope Fossiniacum tractum. Ibi oppidum primar. Tunonium, ad Lacum. Nantuates hîc quidam locant, vulgò *le pays de Chablais*.

Caballinum, Æduorum in Gall. Lugdun. oppid. Ptol. Cæsar *Cabilonum* vocat. *Castrum Cabillonensium* Lib. Provinciarum. *Chalons sur Saone* Gallicè. Antoninus hîc Legionem 14. collocavit.

Caballinus, fons limpidissimus in Helicone Bœotiæ monte Musis consecratus; Græcis *Hippocrene*, id est, *fons equi* dictus; quem Pegasus in eo loco saxum feriens, aperuit, unde & *Pegasius* vocatur Straboni. Persius *in Prologo*:

Nec labra fonte prolui Caballino.

Propertius *lib*. 3. *c*. 3.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbrâ,
Bellerophontæi quà fluit humor equi.

Stat. 2. *Silvarum*, *in Genethliaco Lucani*:

Pendentis bibit ungula liquorem.

Caballus, viri proprium. Nam *Sestium Caballum* apud Martialem legimus, *lib*. 1. *epigr*. 41.

Cabandena, Susianæ regio Ptol.

Cabanodorum, oppidum Norici. Ptolem. *Brunavv*, teste Moletio. Mel. *Gavanodurum* seu *Juvania*, vulgò *Saltzburg*, juxta amnem *Saltz*. Vide *Gavanodurum*.

Cabaretum, castrum fortissimum in Carcassessio, Chron. Simonis Montisfortis, ubi Rogerii domini hujus castri mentio fit. V. & Petrum *Histor. Albig. cap*. 34. & 61. Vulgò *Cabarede*: & ager Cabarensis *le Cabardet*. Est & Gabarretum, *Gabarret*, caput agri cognom. *le Gabardan*, inter Elusam & Vasates positi, in Novempopulana: quod cum priori nihil commune habet. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall*.

Cabarni, Sacerdotes Cereris apud Parios. Hesychius, Κάβαρνοι, οἱ τῆς Δήμητρος ἱερεῖς, ὡς Πάριοι. Hinc Suidas in Ὀργεῶνες, ὁ γοῦν Ἀντίμαχος ἐν τῇ Λυδῇ (lege Λήδης) γενεᾷ Καβάρνους θῆκεν ἀβακλέας (lege ἀγακλέας) ὀργεῶνας. Stephanus, in Πάρος, scribit post Nicanorem, etiam ipsam insulam dici Καβάρνιν, ἀπὸ Καβάρνου τοῦ μηνύσαντος τὴν ἁρπαγὴν τῇ Δήμητρι τῆς θυγατρός. Quod nihilo est verius, quàm quod ibi sequitur, *Parum* dici à *Paro* Arcade Parrhasii filio. Nam, ut Pari vocabulum Phœnicium est, ita etiam Cabarnorum, quamvis trajectis literis. Phœnicie enim *Cabarni* essent קרבנין *Carbanin*, ut קרב *careb* offerre, est קרבן *corban oblatio*, quam vocem apud Tyrios in usu fuisse, docet ex Theophrasto, Joseph. *lib*. 1. *contra Appionem*.

Cabasites, Nomus Ægypti, & in eâ *Cabasa* oppidum. Ptolemæus.

Cabassus, vel *Cabessus*, urbs Cappadociæ. Hom. Othryonei patria. Hecatæus hanc urbem ultra Æmum Thraciæ montem sitam esse ait. Hellanico Lyciæ urbs est. Est & vicus hujus nominis inter Tarsum & Mazacam, teste Apione. Steph.

Cabedana, Carmaniæ regio. Ptol.

Cabelees, Mœoniæ pop. Herodotus.

Cabellio, Narbonensis provinciæ oppid. *Caballio Cavarum*, Straboni *lib*. 4. *Cabellicum*, vel *urbs Cavallicorum*, Ptol. *lib*. 2. *cap*. 10. vulgò *Cavaillon*. Inter oppida Latina seu jure Latii veteris donata, à Plinio: inter colonias à Ptolemæo & in marmoribus numeratur. Urbs Massiliæ Stephano Artemidoro dicitur. Inter prov. Viennensis 14. civitates decimo loco ponitur, in vett. Not. Prope Avenionem, in Comitat. Vindascino, ditionis Pontif. in planitie, prope Druentiam fluv. cùm aliàs fuerit in colle, ut etiamnum vestigia docent. Parvi est circuitus. Episc. sub Avenion. Vid. Valesium.

Cabera, Protei filia, ex Vulcano *Caberos* tres genuit, totidemque *Caberidas*, quibus omnibus templa dicata sunt. Strabo *lib*. 1.

Caberasa, Mediæ urbs. Ptol.

Caberi, Asiæ populi. Cedrenus.

Caberon, Asiæ fluv. Plin. 6. 23.

Cabes. Anthropophagorum gens Asiatica. Cedrenus.

Cabessus, vide *Cabassus*.

Cabillonum, seu *Cabilonum*, *Cabillo Æduorum*, *Cabillonia*, Strab. *l*. 6. Καβυλλῖνον, Ptol. Καβυλλινον, urbs Gall. Celt. ampla & probè culta, cum duplici muro & ponte lapideo ad Ararim. Episc. sub Archiepisc. Lugdunensi. Distat à Matiscone 11. leucis, ut & ab Augustoduno, 8. à confinio Comitat. Burgundiæ. Vulgò *Chalon sur Saone*, & tractus adjacens *Bresse Chalonoise*. Cum arce permunita. Urbis hujus sæpe Cæsar meminit, *Comm. l*. 7. Strabo *lib*. 4. Ammian. *lib*. 15. Itinerarium Anton. Hîc negotiandi causâ Romani consistebant. Olim sedes Regum Burgundiæ, & inprimis Sigismundi. A Regibus Galliæ primæ familiæ regno adjuncta, tum Monetâ insignis fuit, ut ex nummis antiquis Regum à Merovæo genus deducentium patet, à Chramno, filio Clotarii I. capta & destructa, reparata à Childeberto ex Hispan. reduce. Gontranus R. ibi plerunque moratus, & sepultus est. A Ludovico Pio, Comit. tit. donata, nunc familiâ Comitum illustri extinctâ, Episcopi titulos auget. S. Marcellus ejus Apostolus, Donatianus vetustissimus Episc. fertur, qui Concilio Coloniensi subscripsit, an. 346. Julian. Balleure, *histor. de Episcop. & antiq. urbis hujus*. Ibi Concilium an. 470. an. 570. quo Gontranus Rex, duos Episcop. deposuit. Greg. Tur. *hist*. 5. 27. anno 603. quo instigatu Brunehildis Episcop. Viennensis pulsus est, &c. Vid. *Concil. tom*. 4. 6. 7. 9. De illustri Principum *Cabillonensium* familia, Vid. in *Arausio*: De urbe verò plura apud Vales. *Not. Gall*.

Cabira, uxor Vulcani, Camili mater. Qui tres filios suscepit, aviæ cognomines, unde Nymphæ, *Cabyrita* dictæ, quarum Acusilaus Argivus meminit, apud Strab. *l*. 10.

Cabira, Rhodi civitas, una ex iis quæ conventum apud Rhodios efficiebant, cujus suffragiis omnia gerebantur.

Cabira, urbs Paphlagoniæ, Strab. Aliis urbs fuit Asiæ min. in confinio Lyciæ, media ferme inter Laodiceam & Termessum.

Cabiri, Dii quidam in Samothraciâ culti, quorum sacra in vulgus efferre piaculum erat, quæ à Pelasgis iis, qui cum Atheniensibus unà habitarunt, mutuatos esse Samothraces scribit Herodot. *libr*. 2. His sacris si quis initiabatur, mirabile in iis Deis præsidium habere credebatur & in mari & in bello, multoque melior ac justior fieri prorsus existimabatur, atque impetrare quicquid honestè optaret. De Deorum numero varia est inter scriptores opinio; Mnaseas tres ponit, *Axierum*, *Axiocersam*, *Axiocersum*, id est, *Cererem*, *Proserpinam*, *Plutonem*, addit quartum Dionysiodorus *Casmilum*, h. e. *Mercurium*. Alii duos tantùm fuisse *Cabiros* autumant, Jovem natu grandiorem, minorem verò *Dionysium*. Athenion verò ait, ex Jove & Electrâ natos esse *Jasionem* & *Dardanum*, qui *Cabiri* sunt appellati. Quibusdam ministri Deorum habiti sunt, alii Dæmonas

monas illos existimarunt. Horum in Ægypto quoque celebre templum, quod ingredi quempiam fas non erat, sacerdote excepto. Fuit & *Cabirorum* ædes in agro Thebano, item *Caberia Cereris*, quorum ea religio fuit, ut qui illis manus intulissent, Deorum iram evadere non possent.

Cabiri, vel *Caberi*, Dii Phœnicum, qui Beryti maximè colebantur. Sanchoniathon apud Euseb. *lib.* 1. *Præp. Evang.* Καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον μὲν τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι τῇ καὶ Διώνῃ δίδωσι. Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι, καὶ Καβείροις. Damascius *apud Phot.* Ὁ ἐν Βηρυτῷ Ἀσκλήπιος οὔκ ἐστιν Ἕλλην, οὐδὲ Αἰγύπτιος, ἀλλά τις ἐπιχώριος Φοίνιξ. Σαδύκῳ γὰρ ἐγένοντο παῖδες οὓς Διοσκούρους ἑρμηνεύουσι, καὶ Καβείρους. Sanè כביר *Cabir* Ebræis & Arabibus *magnum* & *potentem* sonat. Hinc jam alii observarunt inde appellatos *Cabiros*, i. e. *Divos potes*, uti Varro & Tertullianus explicant, θεοὺς μεγάλους καὶ δυνατούς, Orpheo δυνατούς. Bochart. & ante eum Casaubonus. Suidas, Καβειρὼν, πόλις, καὶ Κάβειροι, ὄνομα ἔθνους, σημαίνει δὲ καὶ δαίμονες. Hesych. Κάβειροι, καρκῖνοι, πάνυ δὲ τιμῶνται οὗτοι ἐν Λήμνῳ ὡς θεοὶ, λέγονται δὲ εἶναι Ἡφαίστου παῖδες. Orpheus *Argonauticôn initio*,

—— Ἀγλαὰ δῶρα Καβείρων.

Vide Meurs. *de Festis Græcorum* in Καβείρια, & supra.

Cabiria, civitas infer. Asiæ. Steph.

Cabirii, Bœotiæ populi. Steph.

Cabliacum, oppid. Gall. in Senonensi agro, vino suo celebre, juxta Seninum fluv. inter Antissiodorum & Tornodorum. Hîc contra Lotharium Imperat. olim à fratribus pugnatum est. Vulgò *Chably*.

Cabolus, Parmensis, à Longobardiæ episcopis Papa electus, ex utrâque parte conscriptis copiis, in campis Neronianis, factâ cæde magnâ, fugâ elapsus est. Blondus, Platina.

Cabolytæ, Paropanisi gens. Ptol.

Cabrus, Deus Phaselitarum, quæ urbs Pamphyliæ fuit; Suidas etiam insulam facit. Phaselitæ huic Deo sacrificabant de pisciculis sale conditis. Unde proverbium, *Sacrificium Phaselitarum*, ut Suidas & Zenobius scribunt: Quanquam Suidas nomen Dei *Calabrum*, pro *Cabro* legit, & Erasmus *Caprum*.

Cabseel, civitas in tribu Judæ. Jos. 15. Lat. *congregatio Dei*. Patria Benajæ, viri fortissimi, & magnorum operum.

Cabubathara, Arabiæ Fel. mons. Ptol.

Cabul, id est, *compeditus*, vel *quasi germinans*, aut *quasi defluens*, vel *veterascens*, regio Galilææ, quæ Josepho *Ant. lib.* 8. *cap.* 5. linguâ Phœnicum à displicendo, aliis à terrâ tenaci, ob copiam argillæ, quâ figuli utuntur, nomen accepit. Hanc Solomon Hiramo Tyri regi dedit. 3. Reg. 9. Est quoque civitas in tribu Aser. Jos. 19.

Cabullinum, urbs Galliæ. Ptol. *Chalon sur Marne*.

Cabulum, oppid. Indiæ satis amplum, prov. cognom. caput, sub Magno Mogole, versus montes & confinia Zagatajæ regionis.

Cabulus, machina bellica, ad conterendos muros. Brito Armoric. *Philip. l.* 7.

—— *Sed mox ingentia saxa,*
Emittit cabulus, nequiensque (hæc) *ferre dehiscit,*
Per mediumque crepans, pars corruit altera muri.

Fortè à gabuli similitudine, vett. gabali. Glossa Philox. *Gabulum*, Βάσανος. Gloss. Græcol. vet. Βάσανος, *Tortus, Tormentum.*

Cabura, fons Mesopotamiæ, præter aquarum omnium naturam egregiè odoratus: cujus fabulosam rationem reddunt, quòd Juno in eo aliquando fuerit perfusa. Plin. 31. 3.

Caburus, Princeps civitatis Helviorum, cujus filius C. Valerius Donotaurus anno belli Gallici septimo interfectus est. Cæsar *lib.* 7. *cap.* 65.

Cabyla, urbs & regiuncula Thraciæ. Steph. Suidas, Καβύλα, χώρα τῆς Θρᾴκης, ἵδρυμα πρὸς τοῦ Τάξω ποταμῷ κατὰ μέσον τῆς Θρᾴκης. Quid nunc sit, non constat. Baudr.

Cabyra, Vid. *Cabira*.

Caca, soror Caci, quam quidam volunt fratris furtum Herculi indicasse, & ob id sacellum meruisse, in quo ei per Virgines Vestales sacra fiebant. Servius *in Æn.* 8. Quanquam Virgilius ibidem, & Ovid. *lib.* 1. *Fast.* furtum hoc longè aliter detectum fuisse velint.

Cacalla Augustinus, Hispanus, Theologus & Caroli V. concionator aulicus, ab Inquisitione Hisp. propter veritatis agnitionem damnatus & combustus est, die 21. Maji A. 1558. Valledoleti in Hispania. Vid. *Pintia*.

Cacanus, Hunnorum rex, in Thuringiam incursionem fecit, sed à Brunichilde, acceptâ pecuniâ, prædam restituit, & domum rediit. Blondus.

Caccabe, olim Carthago sic dicta. Stephanus, in Καρχηδών. Ἐκαλεῖτο δὴ καὶ Κακκάβη· τοῦτο δὲ κατὰ τὴν οἰκείαν αὐτῶν λέξιν, ἵππου κεφαλὴ δηλοῦται. Hîc autem Græci videntur, peregrinæ linguæ vocem ad suam accommodasse, sed ita ut facili negotio possit restitui, nempe si legatur *Carcabe*. כר *Car* enim ut Hebraicè *ducem*, ita Punicè *caput* videtur significasse analogicâ ratione, & inde transisse ad Græcos. Porro רכבה *recaba*, *equum* innuere potest, nam Ebræis רכב *racab* est *equitare*. Virg. *Æn.* 1.

Effodere loco signum, quod regia Juno
Monstrarat, caput acris equi.

Justinus *lib.* 18. *In primis fundamentis caput bubulum inventum est, quod auspicium quidem fructuosæ terræ, sed laboriosæ, perpetuoque servæ urbis fuit: propter quod in alium locum urbs translata, ibi quoque caput equi repertum, bellicosum, potentemque populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit.* Addit Eust. *in Dionysium*, unà cum equino capite repertam quoque palmam, quo omine firmati Punici ibi civitatem construxerunt. Cui consentit nota Ursini asserentis, extare apud se numisma argenteum Punicis literis notatum, in cujus alterâ parte equi caput, & palma percussa sit.

Cacera, urbs Asiæ, in parte Austr. Luzoniæ Ins. Philippinar. præcipuæ, in mari Indico. Parvi circuitus in ora littor. cum portu, sub Hispan. Episcop. sub Archiepisc. Manillano. Aliàs *Caderensis civ.* Vulgò *Caceres* & *Caceres de Caramintha*.

Cacicius, in Iberia, à Michaële Calaphate, coërcitus, circa A.C. 1043.

Cacus, pastor Aventini incola, qui inter cætera furta, quibus agrum Latinum quotidiè infestabat, Herculis quoque boves, quos ille, occiso Geryone ex Hispaniâ abduxerat, noctu è pascuis abegit, & ne vestigiis furtum deprehenderetur, caudâ in antrum suum pertraxit. Hercules autem ad primam Auroram evigilans, cùm gregem oculis perlustrasset, & partem numero abesse sensisset, ad proximam speluncam pergit, si fortè eò vestigia ferrent, quæ ubi omnia foras versa videt, incertus animi abigere subinde armentum cœpit. Verùm cùm præter speluncam actæ boves quædam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex speluncâ boum vox Herculem convertit: Quem ad speluncam accedentem cùm Cacus aditu prohibere conaretur, clavâ ictus occubuit, ut latius exequitur Livius *lib.* 1. *Virg. lib.* 8.

Hîc spelunca fuit vasto submota recessu
Semihominis Caci, facies quam dira tegebat
Solis inaccessam radiis: semperque recenti
Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros
Ore vomens ignes, magnâ se mole ferebat.

Propert. 4. 10.

Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes, furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora sonos.
Hic ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Aversos caudâ traxit in antra boves.

Mart. 5. 66.

Sylvarumque tremor tacitâ qui fraude solebat,
Ducere non rectas Cacus in antra boves.

Ovid. 1. *Fast.*

Cacus Aventinæ timor, atque infamia silvæ.

Sunt qui adfirmant, hunc Cacum Evandri fuisse servum, qui in eo loco Italiæ omnia latrocinio, & incendio vastaverit, & ob id Vulcani filium appellatum. Ovid. *ubi supra*:

Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande, pater monstri Mulciber hujus erat.

Livius ait, Cacum ictum fuisse clavâ. Accepit credo ab Ovidio, qui

Occupat Alcides, adductaque clava trinodis
Ter quater adversi cadit in ora viri.

Dionys. quoque,

Ἡρακλῆς αὐτὸν τῷ ῥοπάλῳ κτείνει.

Sed Virg. eum conficit *telis, vastisque molaribus*, ac *ramis*. Unde Propertius,

Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus. ——

Juvenalis *Sat.* 5.

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foras. Habuit ex Virgilio,
—— *Pedibusque informe Cadaver*
Protrahitur. ——

Cacus, Mons Hisp. *Moncajo*, in Aragonia, propè confinia Castellæ, inter Turiassonem, Borjam & Agredam. Mel. *Mons Caunus*, quod V.

Cacuthis, Indiæ amnis in Gangem fluens. Arrian.

Cacyparis, Siciliæ fluv. Thucyd. *lib.* 7. Ita dictus, ut putat Bochartus, à sinu magno, in quem se infundit, prope Ptolemæi Μακρὸν ἄκρον, *longum promuntorium*. Punicè enim Cacyparis videtur esse חיק כביר *chec babir*, id est, *sinus magnus*.

Cacyron, Siciliæ urbs mediterr. Ptol. hodiè *Cassaro*. Versus Austrum. In valle Neætina. Principatus tit. clarum. 8. mill. ab ora maris Jonii, totidem à Syracusis in Occasum.

Cadalous, vel *Cadolus*, Episc. Parmensis, homo impius, Antipapa Alexandro II. oppositus, sub nomine Honorii II. Copiis contractis Romam properavit, sed à Duce Godofredo pulsus, Parmam rediit. Mox à seditiosis quibusdam revocatus templum Vaticanum

occupavit. Sed denuo victus, inque arce S. Angeli obsessus, vitam pecuniâ redemit. Obiit, Concilio Mantuano prius condemnatus, An. 1064. Leo *Ostiens. l.* 3. *c.* 20. Platina *in Alex.* 2.

Cadara, insf. ingens rubri maris, cujus objectu vastus efficitur sinus undecim dierum & noctium remigio navigatus Ptol. regi, quando nullius auræ recepit afflatum. Plin. 9. 8.

Cadavus, amnis Lusitaniæ, *Cadavo*. Oritur versus confin. Gallæciæ, alluitque Bracaram urbem, & Borealum opp. dein in Oceanum se exonerat. Sansoni & Clusio est Celandus, quod V.

Cademoth, id est, *antiquitas*, vel *priores*, vel *orientales*, nomen solitudinis. Deut. 2.

Cadena, regia in urbis modum instructa in montibus Lycaoniæ. Strabo. 12.

Cadenacum, opp. Galliæ, in Cadurcensi prov. in cujus viciniis visitur Uxellodunum Cæsaris, quod nunc in ruinis. Ad Oldum seu Lotium fluv. in limite Ruthenensis prov. 1. leuc. à Figeaco. 9. à Cadurco in Ortum.

Cades, i. e. *sanctitas*, aliàs *Cedasa*, urbs est Tyriorum agro, & reg. Galilææ propinqua, 1. Mach. 11. Jos. 13. *ant.* 8. & 2. *Bel.* 19. Est in tribu Aser.

Cades, urbs in fin. Edom, ubi principes Amalecà Chodorlahomor cæsi sunt, à qua & adiens solitudo appellatur *desertum Cades*.

Cades barnea, id est, *sanctitas filii instabilis*, aut *frumenti* vel *puritatis commota*, civitas regionis Moabitarum limes terræ sanctæ. Deut. 1. 2. Aliis locus in deserto Pharan.

Cadetes, pop. Gall. Celt. inter civit. Armoricas in Britan. min. quorum opp. *Chasteau Briant*, inter Andegavos, & Rhedones. Lege *Caletes*, quod vide. Baudr.

Cadi, Phrygiæ urbs, quamvis nonnulli ad Mysiam dicunt pertinere. Strabo 12.

Cadicia, uxor Scevini, post cædem mariti, ob conjurationem cum Pisone, à Nerone Italiâ prohibita. Tacitus 15. 71.

Cadillacum, oppidum Aquitaniæ in Burdegal. agro, cum castro cultissimo. Caput Comitatus Benalgii, juxta Garumnam fluv. 4. leuc. supra Burdegalam, totidem à Vasato.

Cadiscus, mons Cretæ, Plin. 4. 12. *Capo Busco.*

Cadius Rufus, lege repetundarum, accusantibus Bithynis, damnatus sub Claudio. Tacit. 12. 22. Restitutus Senatorio ordini ab Othone *Hist.* 1. 78.

Cadme, vide *Priene*.

Cadmea, fuit arx Thebana, à Cadmo, Agenoris Phœnicum, & Tyriorum R. fil. Conditore sic dicta, quâ pro Thebis ipsis antiqui usurpare soliti sunt. Strabo 9. Stephanus quoque Carthaginem olim *Cadmeam* dictam scribit.

Cadmei, *Cadmii*, & *Cadmeiones* Thebani sunt. Steph.

Cadmeia, sive *Cadmeis*, olim vocabatur, quæ nunc *Bœotia*. Steph.

Cadmelus, Mercurii cognomen. Nonnus *Dionys.* 4. Οὐδὲ μάτην Κάδμηλ⊗ ἀείδεται. Fortè à *Chadama* quod Arabicè est *ministrare*.

Cadmia, quid sit, lege apud Plin. *lib.* 34. *cap.* 10. Ibi paulo aliter, quàm Posidonius refert, qui sic habet apud Strab. *libr.* 3. Ἐπεὶ φησὶν ὁ Ποσειδώνι⊗, καὶ ὁ Κύπρι⊗ χαλκὸς μόν⊗ φέρει τὴν καδμείαν λίθον. Plin. autem, *Omnis, Cadmeia in Cypri fornacibus optima*. Et Dioscorides, Καδμείας ἀρίστη μὲν ἡ Κυπρία. Deinde autem ejus Καδμείας mentionem facit, quæ ex Macedoniâ, Thraciâ, Hispaniâ advehitur.

Cadmus, Agenoris fil. Phœnicum Rex. Alii eum è Tyro, alii autem è Sidone arcessunt, quibus habenda potior fides, quia Cadmi ævo Tyrus nondum erat condita. Regis filium Græci faciunt, ut suo honori consulant, quia regnavit in Græciâ; sed hoc commentum refellunt Sidonii, apud Euhemerum Coum (Athen. *libr.* 14.) Cadmum dicentes, cùm sui regis esset μάγειρ⊗, id est, *coquus*, cum Harmoniâ tibicina aufugisse. Id videtur verisimilius; modò is cocus intelligatur qui Ebraicè dicitur, שר טבחים, quales fuere Potiphar & Arioch, & Nebuzaradan. Josephus, & Græci reddunt ἀρχιμάγειρον. Familiam quod attinet, ex ipso nomine colligimus, Κάδμον fuisse קדמוני *Cadmoni*, id est, *Cadmonæum*, ex illis puta de quibus agit Moses, Genes. 15. 19. Hi porrò Cadmonæi cum Hevæis iidem erant. Neque obscura ratio, cur Hevæi *Cadmonim*, id est, *orientales* dicti sunt, cùm Jos. 11. v. 13. & Jud. 3. v. 3. legamus, eos occupavisse montem *Hermonem*, quæ pars erat Terræ Chanaan maximè Orientalis. Unde est, quòd pro Or. *Hermon*, ut pro Occasu *Thabor* habetur, Psal. 87. 13. Cadmonæus igitur idem qui Hermonæus. Atque hinc factum est, ut Cadmi uxor vocetur *Harmonia* vel *Hermione*. Nempe à monte *Hermone*, ex quo erant oriundi. Nec jam obscurum, cur in serpentes fingantur esse mutati. Hevæi enim erant. Ovid. *Met.* 4.

> *Dixit, & ut serpens in longam tenditur alvum,*
> *Durataq; cuti squamas increscere sentit,*
> *Nigraq; Caruleis variari corpora guttis, &c.*

Dionysius Periegetes, *Vers.* 390.

> Κεῖνον δ' ἂν περὶ κόλπον ἴδοις ἐρικυδέα τύμβον,
> Τύμβον, ὃν Ἁρμονίης Κάδμοιό τε φῆμις ἐνίσπει,
> Κεῖθι γὰρ εἰς ὀφίων σκολιὸν γένος ἠλλάξαντο.

Nicander *in Theriacis*:

> Ἴλλυριν δ' ἣν ἔτρεψε Δελλῶν καὶ Νάρον⊗ ὄχθη,
> Σιδονίῳ Κάδμοιο θεμείλιον, Ἁρμονίης τε,
> Ἔνθα δύο ἀκαμπλῆτε νομὸν στείβουσι δράκοντε.

Nonnus, *Dionysiacôn quarto*, per modum prædictionis:

> Κάδμ⊗ ἀμειβομένων μελέων ἑλικώδεϊ μορφῇ
> Ἀλλοφυὴς ἤμελλε, παρ' Ἰλλυριδ⊗ σφυρὰ γαίης,
> Ξυνὸν ἔχειν ἰδεάλμ⊗ δρακοντείοιο προσώπου.

Libet hîc aliûs de Cadmo fabulæ priori non minus intricatæ rationem aperire. Ajunt ex serpentis dentibus à Cadmo disseminatis, ortos fuisse milites magno numero; quibus in mutuam perniciem ruentibus, solùm quinque superstites universam Bœotiam imperio suo subjecisse. Hâc fabulâ nihil ineptius. Hinc *Cadmea victoria*, Καδμεία νίκη, λέγεται ὑπὸ τῶν κακῶς νικώντων. Οἱ μὲν λέγουσιν ὅτι Θηβαῖοι νικηθέντες, ὕστερον ἐπὶ τῶν ἐπιγόνων ἡττήθησαν. Οἱ δὲ, ὅτι Οἰδίπους τὸ αἴνιγμα λύσας, ἔπαθλον τὴν μητέρα ἔγημε. Τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀλυσιτελῶν, ὅτι Κάδμ⊗ ἀνελὼν τὸν τῆς Ἄρεως κρήνην τηροῦντα δράκοντα, ἐθήτευσεν Ἄρει ὀκτὼ ἔτη. Suidas. Idem, Καδμείαν νίκην ἀποδιδόασι τὴν ἐπὶ τῆς ἀλυσιτελοῦς νίκης, ἐπεὶ Ἐτεοκλῆς καὶ Πολυνείκης μονομαχήσαντες, ἀμφότεροι ἀπώλοντο. Ἕτεροι δὲ φασιν αὐτὴν λέγεσθαι, ἐπὶ τῶν νικώντων μὲν τοὺς πολεμίους, πλείονας δὲ τῶν οἰκείων ἀποβαλλόντων. Sed benè est, quòd in illo, quicquid est reconditum, Phœnicius sermo detegit. Rem paucis explicat Bochartus ὁ μέγας. Primò, inquit, Cadmus Hebræâ phrasi dicitur fecisse milites, quos conscripserat. Sic 1. Sam. 14. 48. ויעש חיל & *fecit copias*, id est, conscripsit. At quorsum ex serpentis dentibus? Resp. Phœniciâ linguâ quæ partim fuit Syra, partim Hebræa, שני נחש *dentes serpentis* erant *area Cuspides*, qualibus primus in Græciâ Cadmus milites suos armavit. Is enim repertor æris. Hyginus *cap.* 274. *Cadmus Agenoris filius as Thebis primus inventum condidit.* Proinde lapis æ. osus, ex quo fit æs *Cadmia* dicitur, Plin. 34. 1. & 10. Jam, ut conscripti milites ad numerum quinarium redigerentur, fecit ambiguitas vocis חמש, quæ pro soni varietate aut quinque significat, aut eum, qui ad bellum expeditus, & accinctus est. Vide Exod. 13. 18. Ut rem in pauca conferam, De Cadmo verisimile est suâ linguâ Phœnices in hunc modum scripsisse,

עשה חיל חמש אנשים נזקים ׃ שני נחש

quæ verba sic reddita sunt, *Fecit exercitum quinq; virorum, armatorum ex dentibus serpentis*, cùm reddi debuissent, *Conscripsit exercitum expeditum virorum armatorum cuspidibus*, i. e. hastis *areis*. Tales enim olim hastæ Græcorum. Ære sc. pro ferro prisci mortales utebantur. Porro idem Cadmus, aliud in Græcia sui monumentum ære perennius reliquit, nempe literas, α. β. γ. δ. ε. ι. κ. λ. μ. ν. ο. π. ρ. σ. τ. υ. quas à Cadmo se accepisse Græci penè omnes agnoscunt. Herod. *lib.* 5. Οἱ δὲ Φοίνικες οὗτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀφικόμενοι, &c. ἐσήγαγον διδασκάλια εἰς τοὺς Ἕλληνας καὶ δὴ καὶ γράμματα οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι. Zenodotus de Zenone apud Laertium:

> Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόν⊗; ἦν καὶ ὁ Κάδμ⊗
> Κεῖν⊗, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Literas tamen in ipsâ Phœnice natas non crediderim, sed à Syris, vel Assyriis ad Phœnices devenisse. Diod. Sic. *l.* 5. Σύροι μὲν εὑρεταὶ γραμμάτων εἰσί, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασιν, οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ μετὰ Κάδμου πλεύσαντες εἰς τὴν Εὐρώπην. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Literas semper arbitror Assyrias fuisse, sed alii apud Ægyptios, alii apud Syros repertas volunt. Utriq; (malim utriq;) in Græciam intulisse è Phœnice Cadmum.* Josephus *contra Apionem*, *l.* 1. contendit, literarum usum apud Græcos Cadmo esse multo recentiorem: Οἱ γὰρ (inquit) ἀρχαιοτάτην αὐτῶν τὴν χρῆσιν εἶναι θέλοντες, παρὰ Φοινίκων καὶ Κάδμου σεμνύνονται μαθεῖν. Οὐ μὴν, οὐδ' ἐπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου δύναιτό τις ἀνδείξαι σωζομένην ἀναγραφὴν οὔτ' ἐν ἱεροῖς, οὔτ' ἐν δημοσίοις ἀναθήμασι. Additque post multam quæstionem tandem constitisse, Græcos Trojani belli tempore adhuc ignorasse literas, atque id esse in confesso, nullum apud eos extare scriptorem Homero antiquiorem. Nec deesse, qui Homerum ipsum asserant, poëmata sua non scriptis, sed recitantium memoriæ commisisse. Sed pleraque hæc planè falsa sunt. Neque enim in Græciâ deerant inscriptiones, non Homero solùm, sed & Trojano bello vetustiores. Talis illa Amphitryonis, quam Thebis, in Ismenii Apollinis templo, literis Cadmeis in tripode incisam se legisse scribit Herodotus:

> Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Facta hæc ætate Laii, qui Cadmum habuit proavum. Ibidem legere est duas alias inscriptiones penè ejusdem ævi. Scriptores Græcos quod attinet, quamvis hodie nullus extet Homero vetustior, tamen olim multi extiterunt, de quibus vide Bochartum *Geograph. pag.* 419. Contrario errore Tzetzes probare nititur Græcos habuisse literas, etiam ante Cadmum, duplici argumento. Priore, quòd oraculo redditum fuit Cadmo,

> Φράζεο δὴ τὸν μῦθον Ἀγήνορ⊗ ἔκγονε Κάδμε
> Ἠῶς ἐγρόμεν⊗, &c.

Altero argumento, quòd Bellerophon antiquior Cadmo scriptas tabellas de suâ cæde attulit. *Sed utrumq; argumentum futilissimum est*, inquit illustris Scal. *ad Euseb. Nam utrumq; gestum fictum est à Poëtis.* Potuit verò aliud regeri, nempe

prius

prius argumentum prorsus esse ἀνακόλουθον. Oraculum ipsi Cadmo in Græciâ redditum est, ergo literæ tunc temporis erant in usu inter Græcos. Non sequitur. Multi populi ante literarum usum habuere suos vates. In posteriore argumento Tzetzes supponit rem falsissimam, nempe Bellerophontem antiquiorem esse Cadmo. Nam Bellerophontis avus Sisyphus, & Cadmus σύγχρονοι fuere. Ab hoc Cadmo eruditi Academiam, quasi Cadmiam deducunt, quo nomine indigitari, locum Musis studiisque consecratum, notissimum est. Vid. *Academia*, Item *Societas*: de Cadmo autem porro Tacit. *Annal. lib.* 11. Plut. Vossii *Aristarchum*. Pausan. *lib.* 9. Ovid. *lib.* 3. Hygin. *fabul.* Natal. Com. *lib.* 9. *cap.* 14. Alexandr. Rossæum, *in Mystagogo poëtico*.

Cadmus Milesius historicus, de quo vide Vossium *Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 1. *lib.* 3. *&* 4. *c.* 1. *De Philol. c.* 10. §. 2. Porro Cadmi Milesii duo fuere, quorum uterque historiam reliquit. Prior Pandionis fil. qui origines Mileti, ac totius Joniæ quatuor libris comprehendit. Ei sine ratione Inventionem historiæ tribuit Plin. *lib.* 7. *cap.* 56. Alter eo junior fuit, qui sexdecim Atticæ historiæ libros condidit, ut auctor est Suidas. Jos. C. *App. lib.* 1. Clemens 1. *Strom.*

Cadmus, nomen artificis apud Horat. *Serm.* 1.

Tune Syri Damæ, aut Dionysi filius audes
Dejicere è saxo cives, & tradere Cadmo?

Cadomum, Gall. urbs, quam hodie *Caen* vocant in Normandiâ. Hanc quasi *Caii domum*, à Cajo Julio Cæsare ridiculè dictam Britto aliique putant. Caput est Normanniæ inf. cum castro permunito, ad Olinam fluv. à quo bisecatur, ponte junctâ, in quo Curia. Hic 4. leuc. infra se in mare Britannicum exonerat. 26. leuc. à Rothomago, 6. à Bajocis in ortum. De ea sic Valesius; urbs clara est Bajocassium, ad Olinæ & Uldonis *Oudon* confluentes: Archidiaconatu Ecclesiæ Bajocassinæ, studiis literarum, ac duobus præcipuè Monasteriis, altero S. Stephani Protom. altero SS. Trinitatis, insigne. Pons ibi Olinæ ex tribus fornicibus constat, qui fluv. 10. ab urbe lapide in Oceanum effunditur. Rigordius *Cadumium vicum opulentissimum* vocat, eumque cum Falesia, castro validissimo & Domnofronte receptum esse à Philippo Aug. Cadomum vocat similiter Guil. Britto Armoric. *villam opulentam*, & tot Ecclesiis, tot domibus ac civibus ornatam & cultam,

Ut se Parisio vix annuat esse minorem.

Idque tum ob situm, tum ob nundinas suas veteres, quæ *feria* vulgò, hodieque post Pascha clausum, ibi quotannis celebrantur, magnâ mercatorum immunitate & frequentiâ. Wilhelmus Conquestor *feriam trium dierum*, i. nundinas triduanas Cadomensibus concessit, ante annos 600. Cadomenses vulgò *Caenois*, *in Notit. Gall.* long. 22. 20. lat. 49. 04.

Cadorinus ager, tractus Marchiæ Tarvisinæ, sub Venetis. Ibi opp. præcipuum Parœcia Cadori, ad Planim flu. Ejus tractus, totius Italiæ maximè Septentrionalis, terminatur Comitatu Tirolensi, versùs Alpes & Occas.

Cadra, Collis in Asia min. circa Taurum montem. Tacit. *lib.* 6.

Cadrema, urbs Lyciæ, Olbiorum Colonia. Steph.

Cadrusi, opp. ab Alexandro M. conditum ad Caucasum. Plinius 6. 23.

Caduceus, Mercurii virga fuisse dicitur, quâ ille ad dissidia, & discordias tollendas utebatur. (unde *Caducifer* dictus est) à *cadendo* sic vocata, quòd contentiones & bella *cadere* faceret, nam quemadmodum per Fæciales bella indicebantur, ita per Caduceatores finiebantur. Vide Vossium, in *Caduceus*. Cæterùm Ægyptii veteres Caduceum in speciem 2. draconum maris & fœminæ figuraverunt, qui parte mediâ sui voluminis, nodo quem Herculeum vocant, sibi alligantur, primisque partibus reflexi, in modum circuli oscula jungunt. Hanc virgam Apollo dicitur invenisse, & Mercurio donavisse, lyrâ vicissim ab illo acceptâ. De draconibus autem caduceo additis hanc afferunt rationem: Mercurium, hanc virgam manu tenentem cùm in Arcadiam proficisceretur 2. serpentes pugnantes invenisse, virgâque interpositâ dicto citius prælium diremisse: ad cujus rei memoriam posteri Caduceum 2. draconum similitudine figurarunt, illudque Mercurio, veluti peculiare insigne, attribuerunt, qui illo & animas ab inferis revocare, & somnum, quibus volebat, immittere credebatur. Virg. *Æn.* 4.

Tum virgam capit, hâc animas ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,
Dat somnos adimitque. ——

Horat. *Carm.* 1. 10.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aureâ turbam.

Cadueni, Sardianæ jurisdictionis in Cariâ pop. Plin. 5.

Cadurbium, opp. agri Tarvisini.

Cadurci, pop. Gall. Aquit. de quibus J. Cæsar *in* 7. *Commentario* scribit, Vercingetorigem Arvernum adolescentem cum Senonibus, Parisiis, Pictonibus, Turonis, Aulercis, Lemovicibus, Andis adversus Romanos sibi *Cadurcos* adjunxisse, & Lucterium Cadurcum cum parte copiarum in Rutenos misisse, qui eam civitatem Arvernis conciliaverit, & à Nitiobrigibus & Gabalis obsides acceperit: ac postea Vercingetorigem Rutenos Cadurcosque ad fines Volcarum Arecomicorum depopulandos misisse: Cadurcos unà cum Gabalis & Vellavis sub imperio Arvernorum esse consuevisse. A Strabone Καδοῦρκοι *Cadurci* adnumerantur 14. Gentibus inter Garumnam & Ligerim sedes habentibus, Aquitaniæ finitimis, eique ab Augusto attributis; Plinio inter Rutenos & Nitiobriges Aquitaniæ populos *Cadurci*; Ptolemæo quoque in Aquitania Καδοῦρκοι. *Caturci, Catorci* & *Cadorci* à recentioribus scriptoribus non rarò vocantur, *d* in *t*, & *u* in *o* conversis. *In culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent. Galliarum hoc, & tomenta pariter inventum*: uti ait Plinius *in libri* 19. *capite* 1. Nimirum tomentum Lingonum, culcita Cadurcorum inventum fuit. Unde alterum *tomentum Lingonicum* & *Lingonicum stramen* dictum est; culcitam veteres nomine Gentis inventricis *Cadurcum* vocavere. Juvenalis *in Sat.* 7.

Institor hibernæ tegetis, niveique Cadurci.

In veteri epigrammate Sulpicia Poëtria *Cadurcas fascias*, lineas fascias è lino Cadurcino vocat his versibus de Sole,

Ne me Cadurcis destitutam fasciis,
Molli Caleno concubantem proferat.

Adjicit Plinius, *Gallias censeri reditu lini*, & *Cadurcos*, *Caletos, Rutenos, Bituriges, ultimosque hominum existimatos Morinos, immo vero Gallias universas vela texere*. Cadurcorum fines *Cadurcinum* absolutè vocat Gregorius *in libri* 4. *capite* 42. ubi pagi vel termini aut territorii nomen subauditur. Vocant & *Cadurcinum* Gesta Francorum *in capite* 12. & Gallus *in litteris ad Desiderium Cadurcorum Episcopum*, aliique: *Cadurcum* Palladius Episcopus *in epistola ad eundem Desiderium*: *Pagum Caturcinum* Fredegarius in *libri* 5. *ac ultimi Chronici capite* 57. Gesta Dagoberti, ac liber *de Vita Leodegarii Augustodunensis Episcopi*, Ermenario ejus successori nuncupatus. De pago *Cadurcino* vel *Cadorcino* Nostri olim fecerunt *Caorcinum*, & agrum Cadurcinum appellaverunt *le Caorsin* vel *Cahorsin*, aut *la terre & pays de Cahorsin*, ut in pactione inter Ludovicum & Henricum Reges anno 1259. facta, in pactione Britiniacensi & alibi non rarò appellari observavit Petrus Pithœus: Cadurcos ipsos seu incolas pagi Cadurcini *Caorcinos* nuncupaverunt, *Cahorsins*, quasi *Cadurcinos*. Nunc pagum quidem Cadurcinum vocitant *le Querci*, *c* in *qu*, *a* in *e* commutatis; Cadurcos verò *les Quercinois*, id est, Cadurcinos vel Cadurcinenses. Pagus Cadurcinus dividitur in superiorem, & inferiorem. Superiorem, *le haud Querci*, occupant Cebennæ: inferior, *le bas Querci*, sub Cebennis jacet. Hic olim fons, hæc patria fœneratorum fuit, qui per totam Galliam, & per Britanniam insulam Italiamque diffusi, Mercatores se ac Cambitores Papæ dicebant, & iniquis exactionibus debitores suos vexabant: adeò ut non ipsi modò, sed etiam Senonenses, & alii cujusvis nationis feneratores, communi nomine *Caursini* appellarentur. Eorum meminit præter cæteros Matthæus Parisiensis, *in rebus anni* 1253. *his verbis. Usurarii Transalpini, quos Caursinos appellamus*: item, *Caursini manifesti usurarii, quos Sancti Patres, quos vidimus & audivimus, à partibus Franciæ ejecerunt.* In anno 1240. *Rex* (Henricus III.) *Caursinis, præcipuè Senonensibus, terram suam interdixit*. Idem, *verè Caursinos*, *quasi causantes*, *vel capientes & ursinos nuncupari* ait. Nomen hoc feneratoribus cùm Cadurcis, tum etiam aliis eorum exemplo iniquum fenus exercentibus, Angli imposuisse mihi videntur omnium primi, quòd eos primi experti essent nomine Papæ grassantes, quòd Cadurci cum Aquitania jam inde ab anno 1154. Anglorum Regibus parere cœperant. Caput Cadurcorum seu urbs princeps Δουήονα à Ptolemæo dicitur, id est, *Doueona*. Sed Δηούονα vel Διούονα legi apud Ptolemæum cum Scaligero ac recentioribus malim, hoc est, *Deuona* aut *Diuona*. In tabula Peutingeriana majoribus litteris notantur *Cadurci*, & urbs eorum *Bibona* corruptè pro *Dibona* sic. *Aginnum*, *Excisum*, (*Eyxse* Abbatiâ illustre) *Diolindum*, *Bibona*, *Varandeto*, *Carantomago*, *Segoduni*. Ubi *Bibonam* Dibonam esse vel Diuonam Cadurcorum, & ita restitui oportere, vel ex eo intelligitur, quòd Cadurci sunt inter Nitiobriges & Rutenos, & Diuona Cadurcorum inter Aginnum Nitiobrigum ac Segodunum Rutenorum. Certè Magno qui notas Tironis & Senecæ multis de suo additis collegit, ac Notas etiam juris, quæ exstant inter opera veterum Grammaticorum, Regi Karlo disticho dedicavit, *Diuonnam* vocat. *Cadurcus*, (inquit) *Divonna*, id est, Cadurcus, cujus caput est Divonna vel Divona. Divonam autem fontem Deorum vel fonte divinum linguâ Gallicâ significâsse Ausonius docet, quod nomen non capiti modò Cadurcorum, sed etiam fonti Burdigalensi fuit. *Diu* Deus, *Wonam* Gallis fons erat, si Blondello creditur: vel potiùs ut existimo, *Diu* fons, *Ona* Celtis Dea exstitit: inde Epona Gallis equorum Dea. Divona nuncupabatur caput Cadurcorum, à magno fonte ibi prorumpente, quem nunc fontem Cartusiensium vocant, quo quatuor molæ vertuntur. Postea Divona Gentis cujus caput erat, appellationem ex more accepit, dictaque est *Cadurci*. Paulinus Presbyter apud

apud Gregorium nuncupat *Alethium Cadurcis* præter cæteros *dignum Domino Sacerdotum, & totius fidei religionisque custodem. Boëthius Episcopus de Cadurcis* Concilio Agathensi subscripsit, & Aurelianensi 1. ubi *Episcopum Ecclesiæ Cadurcinæ* se vocat. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nuncupatur *civitas Cadurcorum*, & inter prov. Aquitanicæ primæ civitates 8. quintum locum tenet; apud Gervasium Tisleberiensem & in recentioribus Notitiis quartum: civitas *Caturcorum*, *Catorcorum* etiam ac *Cadorcorum* nonnunquam dicta corruptè. *Cadurcum urbem*, aut absolutè *Cadurcum* plerumque Gregorius appellat: *Cadurcam urbem* Desiderius ejus Episcopus, Sulpicius Biturigum Episcopus in epistolis ad Desiderium & ad Verum Rutenorum Antistitem, aliique: *Cadurciam oppidum* Eginhardus, ac veteres rerum Francicarum Annales. Aimonio & Hugoni Floriacensibus Monachis inter Aquitaniæ urbes egregias 3. aut 4. loco numeratur *Cadurx*. Nostri *Cahors*; *Cahours* Vascones vocitant. In ea urbe est locus *las Cadurcas* nuncupatus: quam urbem Olitis flexuoso recursu majore ex parte circumdat atque complectitur, fluvius *Lot* vulgò dictus, tribus ibi pontibus lapideis junctus. In ea urbe vestigia aquæductuum, rudera Amphitheatri, & rupes perfossas hodieque cerni ajunt. Samson Geographus Regius multum sudat, ut nobis persuadeat Uxellodunum opidum in agris Cadurcorum, naturâ loci egregiè munitum, in monte positum ac præruptum undique, non esse *Puech d'Vssélou*, vel *le Puech d'Vssoldun*, nec Martellum ei proximum, nec Capdenacum; sed caput esse ipsum Gentis, nimirum civitatem Cadurcorum. At caput Gentis vocabatur Divona, ut suprà docuimus, non autem Uxellodunum: quod opidum quidem Cadurcorum fuit, seu castrum in finibus Cadurcorum; caput Gentis nunquam fuit. Certè opidum Uxellodunum *in clientela fuisse Lucterii Cadurci* Hirtius scribit: quod in caput Gentis minimè convenire nemo non videt. An enim Lucterius Cadurcus, summæ quidem homo audaciæ, & apud cives quondam integris rebus multum potens magnæque auctoritatis, sed certè tamen privatus, patronus esse potuit ejus urbis, quæ caput Gentis suæ esset, ac sic patriam suam ac Cadurcos omnes in clientela habere? Frontinus quidem Uxellodunum Cæsaris, *in libro 3. Strategematon, Cadurcorum civitatem* vocavit, quo nomine veteres Notitiæ caput Gentis Cadurcorum designavere. Sed apparet Frontinum impropriè locutum esse, & nomine civitatis Cadurcorum non primam aut maximam totius Gentis urbem, verùm unum aliquod ex minoribus opidis Cadurcorum designavisse: aut certè ei, sicut Samsoni, placuisse, Uxellodunum pro capite Cadurcorum habere: qui error pluribus refelli non meretur. In Vita S. Desiderii Cadurcorum Episcopi invenio, Desiderium *præter civitatis Caturcæ opera, castellum etiam Caturcum, quod antea nudum pæne ac exiguum videbatur, conspicua quadam munitione ampliavisse, erexisse ac firmavisse, Ecclesias, domos, portas, turres murorum ambitu ac quadratorum lapidum compactione munivisse.* Quod *castellum Cadurcum* mihi videtur esse *Querci*, locus Divonæ Cadurcorum proximus, & ab ea Olite interfluente divisus. In pago Cadurcino est & rupes Amatoris, *Roquemadour*, ad rivum, qui in Duranium defluit, peregrinationibus votivis locus olim celeberrimus. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Cadurcum, Aquit. urbs episc. sub archiep. Bituricens. *Cahors*, ad Lotium fluv. 12. leuc. ab Aginno, 9. à Montalbano in Bor. Urbs ampla, elegans, munita, inque modum penins. à flu. cincta. *Divona Cadurcorum* prius Ptolom. *lib.* 2. Plin. *lib.* 4. *cap.* 19. Greg. Tur. *lib.* 2. *cap.* 12. *& lib.* 9. *cap.* 20. *hist.* Hîc Exuperus, celebris Rhetor Tholosanus, sepultus, Auson. Johannes XXII. natus est: cujus operâ Academia hîc erecta, Anno 1331. Autexerr. *hist. Aquit. l.* 1. *c.* 8. Gallia Christ. *tom.* 2. *pag.* 458. 2. *&* 459. 1. Ibi Synodus an. 1639. Reg. *Quercy* nominatur. Vid *in Cadurci.*

Cadurcus Johannes, Occitanus, Professor juris Tholosæ, veritatem, quam sanguine suo sanciebat, sic asseruit, ut non modò Tholosæ, sed propter celebrem illam Academiam, in universa Gallia, semen purum verbi Dei sparsisse meritò videatur, Anno 1532. Beza, *in Iconibus.*

Cadusii, pop. circa Caspium mare. Steph. De his quæri possit non immeritò, an Israelitarum sint reliquiæ? Quæ Fulleri est sententia, qui Cadusios dici vult, quasi קדושים *Kedosim Sanctos*, ratione vocationis. Sed fallaci etymo non est nitendum. Cadusios & Tapyros non esse advenas, patet ex vetustissimo scriptore Ctesiâ, qui utrosque Nino subjicit, Ἐχυρώσατο (inquit) τῆς τε Καδουσίων χώρας, καὶ Ταπύρων. Narrat idem, Cadusiorum bellum ingens cum Artæo, vel Arsæo rege Medorum, quem cum octingentis hominum millibus irruentem vicit Parsodes. Inde inter Medos & Cadusios odia, & bella perpetua usque ad Cyrum. Quo imperante, cùm Persarum jugum volentes subiissent, & denuo rebellassent sub Artaxerxe Longimano, is expeditionem in illos suscipiens, trecentorum millium peditum & decem mille equitum exercitu instructus; re tamen infectâ rediisset, nisi duos Cadusiorum reges dolo circumvenisset Tiribasus. Vide Plut. *in Artax.*

Cadytis, urbs maxima. Herod. 2.

C Æ.

Cæa, ins. maris Ægæi. *Zea*, vel *Zia*, inter Cycladas, Græcis Hydrussa. *Ceos* Ciceroni. *Cia* Ptol. à Ceo Titanis filio dicta. Ovid. *Ep.*

Cingitur Ægæo nomine Cæa mari.

Virg. 1. *Georg.*

——*Cui pinguia Ceæ*
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Rectè *dumeta* dixit, quia Cæa insula feracissima est. Athen. *l.* 3. Ἐν τῷ δὲ δευτέρῳ περὶ φυτῶν ὁ Θεόφραστος καὶ τὸν ἐλαιῶν εἶναί φησι δίφορον, οἱ δὲ καὶ τρίφορον, ὥσπερ ἐν Κίῳ.

Caada, locus apud Spartanos, in quem maleficum genus hominum conjiciebant. Rhod. 17. 8.

Cacades, comes Æneæ, à quo quidam Cæcilios derivant.

Cacias, ventus flans inter Aquilonem, & exortum æquinoctialem, nubes occultâ quadam naturæ ratione ad se artrahens, non propellens, ut post Arist. docet Plin. 2. 47. Unde Proverb. *Mala ad se trahens, ut Cacias nubes.*

Cæcilia, gens fuit, de cujus origine variæ fuerunt veterum opiniones. Festus. Vide *Metellus.*

Cæcilia, prænomine Caja, Tarquinii Prisci uxor, maximi animi mulier, & lanificii peritissima, quæ prius *Tanaquil* dicebatur. Plin. 8. 49.

Cæcilianus Senator, quòd plurima adversum Cottam Messallinum in accusatione prompserat, calumniæ damnatus. Tacit. VI. 7.

Cæcilii, à Cæcade Æneæ comite, alii à Cæculo Vulcani F. Virg. *Æneid. lib.* 7. qui Præneste condidit. Dictus autem hic Cæculus, quòd unam oculi pupillam alterâ minorem haberet. Plebeii fuerunt, *nullis ante annum* V. C. 470. *honoribus gestis, cognominibusque Metelli, Macedonici, Calvi, Dentricis, Balearici, Dalmatici, Vittati, Caprarii, Nepotis, Celeris, Cretici, Pii, Numidici, Scipionis & Silani distincti. Nobilis admodum Romæ hæc gens fuit, Pontificatus maximos IV. Dictaturas duas, Magisteria Equitum totidem, Consulatus XX. Censuras VII. Triumfos novem, intra annos 250. adepta: quibus honoribus functi sunt viri undeviginti. Hæc familia Præneste oriunda & post exactos Reges in civitatem accepta.* V. *Cæculus.*

Cæcilius, Africanus, in disciplina juris atque legibus pop. Rom. noscendis tractandisque scientiâ, usu, authoritateque illustris fuit tempore Gellii, cujus etiam ipse meminit, dicitque librum scripsisse, de verborum significatione, quæ ad jus civile pertinerent.

Cæcilius, Argivus versificator, scripsit de piscibus. Suid.

Cæcilius Callantianus, Judæorum religionis sectator, Romæ docuit Rhetoricam, sub Augusto, usque ad Adrianum. Scripsit librum contra Phrygas, Dictionarium ex ordine literarum, comparationem Demosthenis, & Ciceronis, & alia multa. Suidas. Aliis parum id credibile, cùm ab Augusto ad Adrianum anni effluxerint ad minimum 60. Credunt proin plures *Cæcilios* fuisse. Dalechamp. *in Athen. lib.* 6. vocat *Cæcilium* Atticum. Alii Siculum faciunt. Vid. Casaub. in Athen. *lib.* 6. *c.* 21. Voss. *de hist. Gr. l.* 2. *c.* 4. Callantiano huic Athen. *lib.* 6. *&* 11. tractatum historicum ascribit, & relationem eorum, quæ bello servili gesta.

Cæcilius Claudius Isidorus, C. Asinio Gallo, & Martio Cyrino Consulibus ad 6. Calend. Feb. Testamento suo edixit; Quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere se servorum 4116. juga boum 3600. reliqui pecoris 257. millia, in numero pondo 600. millia. Plin. 33. 10.

Cæcilius Cornutus Prætorius, à calumniatoribus delatus ad struendas Principi insidias & mittendos in Galliam concitores belli Q. Vibio Sereno ministravisse pecuniam. Sed innocens *Cornutus* & falsa exterritus suâ manu cecidit. Tacit. IV. 29. & 30.

Cæcilius Epirota, libertus Attici Equitis Rom. ludum Grammaticæ Romæ aperuit. Primus dicitur Virgilium & alios poetas novos prælegere cœpisse. Domit. Marsus:

Epirota tenellorum nutricula vatum. Macrob.

Cæcilius Metellus, Consul Rom. C. Servilii Collega. Anno V. C. 470.

Cæcilius Metellus, Balearicus cognominatus T. Q. Flaminii Collega, an. U. C. 631.

Cæcilius Metellus, Numidicus dictus. M. Junii Sylvani Collega. an. U. C. 656. Jugurtham vicit. Censor Quinctium quendam, qui se Tib. Gracchi fil. ferebat, admittere noluit. In legem Apuleiam, utpote vi latam, jurare nolens, Smyrnam exul abiit, inde precibus filii, hinc *Pii*, revocatus. Aur. Victor *de Viris Ill. cap.* 62. 63.

Cæcilius Metellus Calvus, Lucii Aurel. Cottæ Collega. Anno U. C. 635.

Cæcilius Metellus Dalmaticus Cogn. Q. Mutii Scævolæ Collega. an. U. C. 637.

Cæcilius Metellus, Princeps Senatûs Cn. Pompeio M. & M. Licinio Crasso Coss. an. U. C. 685.

Cæcilius Metellus Pius, Scipio prænomine, Consul, addito Cn. Pompeio Magno, cùm plures menses solus magistratum gessisset. an. U. C. 702.

Cæcilius Metellus Quintus, Macedonicus cognom. Prætor Macedoniam subegit, Andrisco, qui Philippi nomine sumto regnum sibi vindicabat, devicto. Superavit Achæos, feliciter rem in Hisp. gessit. Ob severitatem exosus suis, ægrè Consulatum obtinuit. Quatuor filiorum humeris, quorum tres Consularem jam dignitatem obtinuerunt, quartus triumphavit, elatus. Liv. *lib.* 49. & 50. Flor. *lib.* 2. *cap.* 14. Aur. Victor *de Viris Ill. c.* 61.

Cæcilius, Poeta Comicus, Insubriâ oriundus, circa annum 150. Olymp. 575. U. C. 3875. M. Ennii commilito, scripsit comœdias, quarum fragmenta Stephanus collegit. Ejus Hieron. *in Chron.* A. Gellius *lib.* 4. *cap.* 20. *& l.* 15. *c.* 15. meminerunt. V. infra *Cæcilius Statius.*

Cæcilius, Præceptor S. Cypriani, hujus nomine in Baptismo assumto. An Minutii Felicis hic Cæcilius?

Cæcilius Simplex, qui arguebatur Consulatûs honorem pecuniâ mercari non sine exitio Marii Celsi voluisse. Tacit. *Hist. II.* 60. cui sibi assistenti Vitellius, Imperium ejurans, exsolutum à latere pugionem, velut jus necis vitæque civium reddidit. *Hist.* 3. 68.

Cæcilius Statius, poeta Comicus, quem Tullius ad Atticum *malum Latinitatis authorem* vocat. Volcatius tamen Comicorum palmam ei concedit. Fuit natione Gallus & Ennii contubernalis. Decessit uno anno post Ennium, sepultus in Janiculo. Euseb. Horat. *Ep. ad Aug.*

Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.

Quintilianus 10. 1.

Licet Cæcilium veteres laudibus ferant.

Cæcina, Vid. *Alienus.*

Cæcina (prænomen & nomen *A. Severus*) in initiis Principatus Tiberiani inferioris Germanici exercitûs legatus; qui plures per provincias quadraginta stipendia parendi aut imperandi explevit: de quo Tacit. 1. & 3. *Annal.*

Cæcina Tuscus, nutricis Neronis filius, Præfectus Ægypti, à Nerone relegatus, quòd in procuratione ejus Provinciæ, balneis in adventum suum exstructis, lavisset. Sueton. *Nerone cap.* 35. Vide Tacit. *Hist. III.* 38.

Cæcinos, Suidæ amnis vocatur, qui Rheginum agrum à Locrensi dividit, Plin. 3. 10. *Satriano*, teste Barrio. Steph. *Cæcinon* ait esse χωρίον Ἰταλικόν. Vide Cluver. *Ital. Ant.* 4. 15. Vid. *Cecinus.*

Cæcinus, Mons Pannoniæ. Vid. *Cetius.*

Cæcubum, op. Campaniæ in Italiâ, quod licèt paludibus adjaceat, vineta tamen feracissima præcipuis enutrit arboribus. Strabo *lib.* 5. Τὸ δὲ Καίκυβον, ἑλῶδες ὂν εὐοινοτάτην ἄμπελον τρέφει Plinius 13. 6. *Antea Cæcubo vino erat generositas celeberrima, in palustribus populetis, sinu Amyclano.* Mart. 13. 115.

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis,
Vitis & in mediâ nata palude viret.

Idem 2. 40.

Cæcuba siccentur, quæq; annus coxit Opimi:
Condantur parco fusca Falerna vitro.

Et 12. 17.

Ebria Setino fit sæpè, & sæpè Falerno,
Non nisi post niveam Cæcuba potat aquam.

Horat. *Carm.* 1. *Od.* 10. *Ad Mecænat.*

Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam. ———

Idem *Car.* 2. 14.

Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus.

Idem *Car.* 1. 27.

Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis. ———

Et 3. 28. ——— *Prome reconditum*
Lyde Strenua Cæcubum.

Et *Epod. Od.* 9.

Quando repostum Cæcubum ad festas dapes
Tecum Mæcenas bibam?

Et paulò post,

Vel quod fluentem nauseam coërceat
Mitte nobis Cæcubum.

Et *Serm.* 2. *Sat.* 8.

Procedit fuscus Hydaspes
Cæcuba vina ferens.

Cæterùm laudatur idem Cæcubum vinum Dioscoridi quoque & Columellæ, quorum hic *de R. R.* 3. 8. *Neq; dubium est, Massicæ, Surrentiniq; & Albani, atq; Cæcubi agri vites omnium, quas terra sustinet, in nobilitate vini principes esse.* Ille *lib.* 5. *cap.* 10. Ὁ δὲ Καίκυβος οἶνος, γλυκὺς ὢν, ἀδρομερέστερός ἐστι τοῦ Ἀλβανοῦ, ubi vulgò Κέκυβος vitiosè legitur.

Cæculus, Vulcani fil. habitus fuit, cujus mater cùm igni assideret, scintilla in gremium ejus delata est, ex quâ illa se gravidam factam credi voluit, expletisque legitimis mensibus puerum peperit, quem, quòd minores haberet oculorum orbes, *Cæculum* appellavit, à quo *Cæcilios* ortos putant, quorum familia Romæ nobilissima fuit. Hic postea adultus, cùm aliquot annos incertis sedibus vagatus esset, rapto se alens, & latrociniis, tandem Præneste condidit, cumque vicinos populos ad ludorum spectacula convocasset, monere eos cœpit, ut, relictis sedibus suis novam urbem secum incolerent, neque suum, qui Vulcani filius esset, imperium aspernarentur. Quod cùm illis persuadere non posset, Vulcanum dicitur invocâsse, ut, si revera ipsius esset filius, id signo aliquo declararet. Quo facto flammam protinus illuxisse ajunt, quæ universum illum cœtum circumdedit, tantamque omnibus religionem incussit, ut non ægrè in Cæculi sententiam transirent. Alii tradunt, Cæculum recèns natum à pastoribus in igne inventum esse, nullâ sui parte à flammis violatum, indeque factum esse, ut Vulcani filius crederetur. Virg. *Æn.* 7.

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis:
Vulcano genitum, pecora inter inertia regem
Inventumq; focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus. ———

Cædicus Quintus, L. Manlii Vulsonis collega. An. V. C. 498. Alius collega M. Valerii Corvini An. V. C. 465. Item nomen viri cujusdam ditissimi. Virg. *Æn.* 9.

Cælanum, opp. regni Neap. in Aprutio ulter. Comitatus tit. clarum, in ora lacus Fucini, qui ab eo nomen sortitur, 12. mill. ab Aquila civ. ad radices montis Apennini.

Cælestini, Umbriæ populi. Plin. 3. 14.

Cælestinus, Valeriani & Gallieni Impp. temporibus vixit, atque in literas vitam eorum retulit: ut ex Pollione, *in Valeriano juniore*, cognoscimus.

Cælestinus I. post Bonifacium I. Papa, Anno 423. Cælestio Pelagiano restitit, Nestorium frustrà reducere ad fidem conatus, excommunicavit, Novatianis conventus ademit. Augustini defuncti famam contra quosdam Galliæ Italiæque Episcopos defendit, Palladium Scotis misit. Obiit Anno 432. Sub eo *Episcopatus Rom. non aliter atq; Alexandrinus, quasi extra sacerdotii fines egressus, ad secularem principatum aspirare cœpit.* Socr. *lib.* 7. *cap.* 11. 12. 13. 14. Vid. plura apud Aug. *ep.* 261. Prosper. Sigebert. Onuphr. Genebrard. *in Chron.* Evagr. *l.* 1. Gennad. *c.* 54. Plat. Baron. &c. Successit ei Leo M.

Cælestinus II. prius Guido de Castello, Tifernas, successit Innocentio 2. an. 1143. sed mense pòst quinto obiit. Baron.

Cælestinus III. Rom. priùs Hyacinthus dictus, successit Clementi 3. Anno 1191. eò fastus devenit, ut Henrico V. Imper. *primò coronam imponeret, post pede decuteret.* Richardo Anglo cùm illo in oriente absente, Magnates quidam turbas darent, auxilio fuit. Imperatorem Ducemque Austriæ censuræ subjecit, prioreque mortuo, Friderico filio ejus Siciliam dedit, tributum pactus. Episcopi Belluacensis captivi loricam videns, respondit Richardo, *Non est filius meus vel Ecclesiæ, potius Martis quàm Christi miles.* Obiit an. 1198. Sedis an. 6. mens. circiter 9. Baronius, Platina, Ciacconius *in ejus vita.* On. Genebr. Roger. Antonin. Matth. Paris. *in hist. Angl.*

Cælestinus IV. Godefredus, fil. Joh. Castillionei Mediol. & Cassandræ Cribellæ, sororis Urbani 3. post Gregorium 9. Papa. Anno 1241. à 10. solùm Cardinalibus electus, reliquis in captivitate detentis à Friderico Imper. Mense pòst 18. ante coronationem, obiit. Sede per 21. menses vacante. Platina *in vita ejus.* Genebr. *in Chron.*

Cælestinus V. prius *Petr. de Murrhon*, dictus *Eremita*, Iserniâ in Aprutio oriundus, Ordinis Cælestinorum fundator, successit Nicolao 4. post interregnum 2. ann. 3. mens. Vitæ sanctitate inclytus. Caroli II. Siciliæ R. aliorumque suasu tiaram ægrè admisit, asino Aquileiam vectus, ubi coram 200000. hominum coronatus est. Sed à Cardinali Benedicto, fictâ per fraudem divinâ voce, Pontificatu quinto mense exutus, & à deceptore hoc, qui Bonifacium 8. se appellavit, Vid. ibi, in vinculis detentus, obiit an. 1295. Spond. Bzovius. Platina *in Cælestino.* Joh. Baleus *in Cælest. act. lib.* 6. Cardin. d'Ailly *in vita ejus.* Beunier. Cælestin. *de Relig.*

Cælestis, nomen Deæ cultæ ab Afris. Tertull. *in Apologet. Unicuiq; provinciæ & civitati suus Deus est, ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Dysares, ut Norici* (Pithœus legit *Armorici*) *Belenus, ut Africæ Cælestis*, &c. Philastrius Brixiensis *in Catalogo hæres. Alia*, inquit, *hæresis in Judæis, quæ Reginam, quam & Fortunam cœli nuncupant, quam & Cælestem vocant in Africâ.*

Cælestius, discipulus Pelagii, Hibernus. Cum Magistro Romam, dein in Africam profectus, ab Aurelio Episc. Carthag. Africâ expulsus: Inde in Siciliam delatus, à S. Augustino scriptis editis refutatus est. Postmodum ab Africæ Numidiæque Episcopis condemnatus, Zosimo imposuit. Româ dein ab Honorio pulsus, Constantinopolim abiit, inde à Patriarcha Attico exturbatus. Romam redux, denuo inde ejicitur: sic in Britanniam, cum Pelagio, reversus, ibi uterque miserè periit. August. *de perfect. Justit. de remissione pecc.* Sanderus *hær.* 99. Baron. Anno 411. 412.

Cælianum, opp. Lucaniæ, *Ciliano.*

Caliculum, locus, cujus meminit Cicero *de Arusp. Resp.*

Calinum, op. & flu. in Venetiâ. Vide Plin. 3. 19. *Calina*, & *Cilina* idem. Cluver.

Cæliomons, & *Cælius mons*, opp. Sueviæ, ad Ilarum fluv. 3. leuc. infra Memmingam, 3. ab Augusta in Occasum, 5. ab Ulma in Austrum, exigui momenti.

Cælium, Calabriæ op. non procul à Brundusio. Plin. 3. 11. ad radices Apennini, 10. mill. à mari Adriatico. Vulgò *Ceglie*. Baudrandus.

Cælium, al. *Zeira*, vicus Lusitaniæ in Extremadura prov. 2. leuc. à Thomario in Occas. Multi scribunt *Selium*, vel *Sellium*, putantque esse Leiriam, urb. episc. sub Arch. Ulissiponensi.

Cælius, historicus. Plin. 3. 10.

Cælius, latro insignis tempore Horatii. Vide *Byrrhus*.

Cælius, Orator, acri turbulentoque ingenio, Ciceronis discipulus, decessit admodum juvenis, quem Quintilianus dignum longiore vitâ, & meliore mente dixit. Ab Atratino quodam accusatus, quòd cum Catilinâ conspirasset in perniciem reip. quodque aurum à Clodiâ Clodii sorore extorsisset, eique venenum propinasset, defensus est à Cicerone. Vide Orat. *pro Marco Cælio*.

Cælius, Prætor Urbanus. Vide *Ælius Pætus*.

Cælius, Tarracinæ splendido loco natus, cùm in cubiculo quiescens, in lecticulo peremptus esset, ejus cædis, quoniam nulli essent alii, ad quos suspicio pervenire posset, Cælii duo filii causam dixere: postquam verò constitit, eos dormivisse, aperto ostio absoluti sunt, quoniam in tanto facinore verisimile non fuisset, eos quietem capere potuisse. Val. Max. *lib.* 8. ubi in editt. quibusdam *Clodius* vocatur.

Cælius Antipater Lucius, scripsit historiam Rom. cujus epitomen fecit M. Brutus, Cic. *ep. ad Attic. l.* 13. *ep.* 8. Ejus meminit Valer. M. *l.* 1. *c.* 9. *ex.* 6. V. Voss. *de hist. Lat. l.* 1. *c.* 8.

Cælius Apollinaris prænomine, Q. Sosii Prisci collega Anno V. C. 941.

Cælius Probinus, Consul, Marcellini collega, Anno U. Cond. 1093.

Cælius Sec. Curio, Vid. *Cœlius*.

Cælius Sedulius, Scotus Presbyter, sub Theodosio Jun. Trithem. *in Chron.* A. C. 430. Reliquit explicationem epistolarum S. Pauli, quinque libros versuum, cui titulus, *Admiranda Dei*, cum aliquot hymnis: quæ *tomo* 8. *Bibl.* PP. *edit.* 2. & *tomo* 9. *edit.* 1624. inserta. V. etiam *Cœlius*.

Cælius Tubero, vitâ functus & in rogum missus revixit. Plinius 7. 52.

Cælius Vibenus, Tuscorum rex, Romulum contra Cæninenses & Antennates, Crustumerosque juvit. Dionysius *l.* 2. Hinc *Cælius mons*, Vulg. *monte Celio*, item *monte di S. Giovanni*, quia in eo extructa est Basilica S. Johannis Lateran. totius Romæ prima ac præcipua. Hunc Tullus Hostilius urbi addidit, ibique ipse habitavit, quò frequentius habitaretur. Liv. *lib.* 1.

Cælum aureum, P. Diac. suburbium olim Ticini, seu Papiæ urbis, nunc intra mœnia, ubi templum D. Petro à Luitprando R. excitatum, *S. Petro Celaureo* vulgò, in quo corpus Augustini dicitur asservari.

Cæma, mons Alpium dirimentium Togatam Galliam à Comatâ, ex quo Varus flu. emittitur.

Cæmaro, Καιμάρων, Autor Gr. res Indicas tractavit, quarum ex decimo libro Plut. *de Flum.* fabellam narrat.

Cæne, parva insula in mari Siculo, cui vicina est Gaulos & Melite. Plin. 3. 8. Item sinûs Laconici op. non procul à Tænaro promunt. hodiè *Camares*, teste Nigro. Hinc *Cænites portus* apud Plin. & Jupiter *Cæneus*. Ovid. *Met. lib.* 9.

Victor ab Oechaliâ Cæneo sacra parabat
Vota Jovi. ——

Cæneus, vide *Cænis*.

Cænica, regio Thraciæ, cis Rhodopen, à Cœnis pop. dicta. Ibi urbes præcipuæ fuere Bizia, Anchialus & Apollonia magna.

Cænina, Latii op. Stephanus: Καινίνη πόλις Σαβίνων, ἡ ὑπὸ Ῥωμύλυ ἁλοῦσα, τὸ ἐθνικὸν Καινῖται. Plutarcho *in Marcello*, sunt Καινινῆται, & in Romulo Κενινῆται, itemque Livio *Ceninenses*. Verùm non ab opidi vocabulo, sed ab auctoris sui nomine sic dictos fuisse incolas ejus, haud obscurè ex Festo colligas: *Cenina*, inquit, *urbs quæ fuit vicina Romæ, à Cenite conditore sic dicta*. Ovid. *Fast.* 2.

Te Tatius, parvæque Cures, Caninaque sensit.

Prop. 4. 11.

Acron Herculeus Caninâ ductor ab arce,
Roma tuis quondam finibus horror erat.

Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *p.* 665.

Cænis, Thessalica puella, quæ à Neptuno per vim compressa, ab eo muneris loco impetravit, ut in virum transformaretur, nullisque unquam vulneribus posset sauciari. Mutato itaque sexu etiam nomen mutavit, *Cæneus* dictus. Hic cum Lapithis pugnans, adversus Centauros, cùm nullo lethi genere posset violari, congestâ in eum magnâ arborum mole, vivus obrutus est, & in avem transmutatus. Ovid. *Met.*

Maxime vir quondam, sed avis nunc unica.

Quanquam Virgilius à morte non in avem transformatum velit, sed in muliebrem rediisse sexum. Sic enim habet, *Æn.* 6.

It comes & juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus,
Rursus & in veterem fato revoluta figuram.

Cænis, promuntorium Brutiorum, in orâ Calabriæ ulter. contra Pelorum promunt. Siciliæ, apud Scyllæum op. *Coda di volpe*, teste Fazello, *Capo di pessolo* Barrio. Item *Cænis* op. ejusdem oræ præclarum, apud Cænidem promunt. Vulgò *Fiumara di moro*, à Rhegio 8. m. p. in occ. quod & *Cænisium* dicitur. Baudrando opp. est regni Neap. in Calabria ult. 4. mill. ab ora lit. freti Siculi, 8. à Rhegio in Boream, juxta amnem Cænidem.

Cænites, Achaiæ portus non procul à Saronico. Plin. 4. 25.

Cænophrurium, locus medio itinere, inter Constantinopolim & Heracleam, ubi interfectum Aurelianum scribunt Eutropius & Beda. q. d. *novum castrum*. *Novum castellum* nominatur, in Chronologiâ Nicephori, edita cum Hist. Miscella. 20. mill. à Selimbria, nunc *Drepali*. Sanson. Vid. infra.

Cænos Gallicanos, Anton. *Gallica*, Ptol. *Callica* vulgò, pagus Bithyniæ, inter Byzantium 40. & Heracleam ad 32. m. p. distans, ubi Aurelianus Imp. interfectus est, teste Eutropio.

Cænotropæ, Anii & Dorippes filiæ, Oeno, Spermo & Elais, in novas formas omnia vertentes, eò quòd illis Dionysius, ut quicquid tangerent, in triticum, vinum, aut oleum statim verteretur, concessit. Vide *Anius*.

Cænus, fluv. Provinciæ. Quid sit, non bene constat. Baudr.

Cæpio Q. Servilius, Consul R. tempore belli Cimbrici & Teutonici Galliæ præfuit. Avaritiâ stimulatus templis Tolosanis spoliatis, immensam auri argentique vim confecit. Sed divinitus punitus, copias sibi concreditas perdidit, dein Romam reversus accusatus & suspendio necatus est. Strabo *l.* 4. A. Gellius *lib.* 3. *cap.* 9. Justin. *lib.* 32. Oros. *lib.* 5. *cap.* 15. Hinc *Aurum Tholosanum*, Prov. Erasm. *adag. tit. Infortunii vel Exitii.*

Cæpori, citerioris Hisp. populi.

Cære, urbs insignis in Hetruriâ, quæ olim regionis totius caput fuit. Hanc olim *Agyllam* nominatam & à Pelasgis è Thessaliâ profectis conditam ferunt. Deinde verò Lydis, quos postea Tyrrhenos nominarunt, adversus Agyllinos bellum gerentibus, cùm quidam murum subiens, urbis ejus nomen percontatus fuisset, eique à Thessalo quodam de muro χαῖρε responsum esset, eo veluti omine à Tuscis accepto, captam postea urbem, mutato priori nomine *Cære* voc. verè. Verùm tam splendidæ, tamque gloriosæ civitatis Strabo *lib.* 5. asserit vix ulla suâ ætate extitisse vestigia, & solo balneorum vicinorum nomine, quæ *Caretana* dicebantur, fuisse celebratam. Ab hoc opido, *Cærites tabulæ* appellatæ sunt, in quas Censores referri jubebant, quos notæ causâ suffragiis privabant. Nam, urbe à Gallis captâ, cùm Cæretani eos, qui unà cum sacris, æternoque Vestæ igne ad se profugerant, comiter hospitio suscepissent, Romani deinde, restitutâ in meliorem statum urbe, satis malignam illis gratiam retulerunt. Nam civitate quidem illos donarunt, suffragii autem jus iis non concesserunt: Πολιτείαν γὰρ δόντες οὐκ ἀνέγραψαν εἰς τοὺς πολίτας. Ita Strabo ubi supra. A. Gellius verò paulo aliter: *Primos autem municipes*, inquit, *sine suffragii jure, Cærites esse factos accepimus; concessumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent: sed negotiis tamen, atque oneribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis, custoditisque.* Hinc factum est, ut cùm aliquem ignominiâ & contumeliâ dignum volumus significare, *Cærite cerâ* eum dignum esse dicamus. Horatius,

Quid deceat, quid non obliti, Cærite cerâ
Digni.

Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *p.* 493. Nunc oppidul. est parvum Italiæ, in dit. Pontif. in prov. Patrimonii D. Petri, in colle, 3. mill. à mari Mediterr. & 8. à Bracciano, versùs amnem Vacinam. Vulgò *Cervetere*. Dictum etiam fuit *Carete* quibusdam & regio adjacens *Sabatia* ab antiquis. Baudrandus.

Cæresi, & *Pæmani*, unà cum Eburonibus & Condrusis inter Belgas numerantur Cæsari *l.* 11. qui *communi nomine Germanos appellari* tradit. *Ceresos*, & *Pemanos* aliqui melius forsitan scribunt. Marlianus *Cheruscos* illos mendosè, hos *Pemanos* appellat, & utrosque conjicit fuisse inter populos Leodicensis Diœceseos. Orosius alteros *Cerosos*, alteros *Cemanos* pro Pemanis nuncupat, veterum codicum Cæsaris fidem secutus; *Carosos* & *Camannos* auctor historiæ Miscellæ in membranis, qui Orosium transscribere consuevit. Cæresos Samson putat fuisse prope Leodicum, ubi hodieque locus nomen eorum servet, *Siré* vulgò dictus, aliàs *Sere*, vicus ad Mosam Leodico proximus: aut certè accolas Charis fluminis (*Chier*) exstitisse ad Bublionem versus, à quo flumine nomen acceperint. Pæmanos verò existimat esse pagi Famennensis incolas, seu Famennenses, *ceux du pays de Famenne*, aut *Faminne*, in Diœcesi quidem Leodicensi, sed in Ducatu Luciliburgensi positos: apud quos sunt Marca in Famenna, *Marche en Faminne*; & Horreum in Famenna, *Hour en Faminne*, loca non procul à silva Arduenna dissita. Hæ sunt Samsonis conjecturæ, sola nominum similitudine ducti, quo vix ullum est argumentum levius, ullum fallacius. Quanquam quæ *Cemanos* inter vel *Camannos*, atque *Famennenses* nominum similitudo videri potest? *Cemanos* enim vel *Camannos* ab

nos ab Orosio & in historia Miscella vocari diximus, qui à Julio Cæsare *Pamani* nuncupantur: & litteram quidem *P* in *F* mutari constat: *c* in *f* converti nusquam observo. Quæ analogiæ regula à fluvio *Chare* vel *Charo Caresos* deduci permittit? *Charem* autem Fortunatus ante annos 1070. hunc fluvium veteri ac recepto pridem nomine appellavit; *Charam*, *Charum*, & *Carum* Frodoardus ante annos septingentos, ac Sigebertus. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

Caretanorum emporium, hodie *S. Severa* est, pagus in ora maris Tirrheni, cum turri, 5. mill. à Cære in Occas. In prov. patrimonii D. Petri. 28. mill. ab urbe Roma.

Caretanus, *Cares* Virg. *Eri* Leand. fluv. Hetruriæ, in Tirrhenum excurrens. Ferr.

Careti, Germ. pop. apud Cæsarem, nunc *Ripenses* appellantur Leodio, ubi arx *Cerey* nuncupata ad Mosam. *Namur* est Vigenerio. Vid. etiam *Caresi*.

Caretum, Umbriæ op. inter Spoletum & Nursiam, à quo *Caretani* appellati, totum orbem vano quodam ac turpi superstit onis genere ludificantes, ob quam causam ferè perpetuò peregrinantur, familiâ, atque uxoribus domi relictis.

Carobryx, Lusitaniæ urbs. Ptol. alio nomine *Cezimbria*.

Caron. Video esse viros doctos (inquit Bochartus) qui ab his dissentire Josephum putant, cùm arcæ reliquias ostendi dicit in regione Καρρῶν *Caron*, quam Adiabenes rex Monobazus dedit Izati filio; χώραν δίδωσι Καρρῶν λεγομένην. Φέρει δὲ ἡ γῆ πλεῖστον τὸ ἄμωμον ἀγαθή. Ἔστι δὲ αὐτῇ καὶ τὰ λείψανα τῆς λάρνακος, ἐν ᾗ Νῶχον ἐκ τῆς ἐπομβρίας διασωθῆναι λόγος ἔχει, καὶ μέχρι νῦν ταῦτα τοῖς ἰδεῖν βουλομένοις ἐπιδείκνυται. Sed mirum, ni Josephi Καρρῶν corruptum sit, ex Chaldæo קרדון *Cardon*, quo utitur Jonathan, unde Dionis Κάρδυνον ὄρος. Idem certè solum describi docet Adiabenes vicinia, & amomi feracitas, cujus proventu Corduene potissimum insignis est. Strabo *lib. 16.* Ἔστι γὰρ εὔβοτος ἡ χώρα, καὶ εὐεργής, ὥστε καὶ ἀλθαλῆ τρέφειν καὶ ἄρωμα τὸ ἄμωμον. Philargyrius *in Virgilii Georg. 4.* *Apud Corduenos amomum, & alii leves odores gignuntur.* Inde est, quòd amomum modò Armenium dicitur, ut in Dioscoride, Plinio, Avicenna, &c. modò Assyrium, ut in Virgilio *Eclog. 4.*

—— Assyrium vulgo nascetur amomum.

Et in Statio, *in Epiced. Pileti Ursi*:

—— Assyrio manantes gramine succos.

Itemque in Silio, *lib. 2.*

Nec crinem Assyrio perfundere pugnet amomo.

Carperis, Angliæ op. in Com. Southamptoniensi, quod *Portchester* vocant.

Caruleus fons, qui & aquæ Claudiæ, apud urbem Romam.

Cæsena, urbs fuit Senonum, in Gall. Cisalpina, nunc ditionis Pontificiæ, in Romandiola prov. ad pedes montis, in cujus summo arcem habet satis munitam. Vix 10. mill. à Sarsina, in Bor. & totidem à confinio M. Ducis Hetruriæ. Deficit indies.

Cæsar. De hujus nominis origine sunt opiniones eruditorum variæ. Nonnulli enim à *cæso* elephanto deducunt, quem Pœni, quorum lingua ex Syriacâ fluxit, nominant *cæsam*, hoc est, כשירא. Spartianus quoque & Servius dicunt, vocatum primum hoc nomine C. Julii Cæsaris avum, qui in Africâ elephantem interfecit, *Cæsarem* linguâ Punicâ appellatam. Quibus assentitur Constantinus Manasses *pag. 71.* Καίσαρες γὰρ ἐλέφαντες τοῖς Φοίνιξι κηλῶνται. Nonnulli à *cæsarie*, cum quâ primus in Juliorum familiâ in lucem prodiit Jul. Cæsar. Verisimilior eorum sententia, qui id nominis primum illi inditum existimant, qui matris utero erat excisus, etiamsi Festus Pompeius tales potius *Cæsones* appellandos existimet. Multi hanc in sententiam eunt. Suidas inprimis, qui inquit *in Julio*, Καῖσαρ, οὕτως ὀνομάζονται οἱ Ῥωμαίων βασιλεῖς ἀπὸ Ἰουλίου τοῦ μὴ γεννηθέντος. Vide Fungerum, in *Cæsar*, & Vossium, in *Cæsones*.

C. Julius Cæsar, filius L. Cæsaris, ex Aurelia Cottæ filia, originem ab Julo Æneæ fil. per Patrem, ab Anco verò Martio, quarto Romanorum R. per aviam Marciam trahens, natus est d. 12. Julii, Anno 654. U. C. 98. ante C. N. primus Romanorum Imperator, vel secundùm egregios quosdam Authores, primi, Augusti nempe, antecessor: Hic omnem Galliam, quæ saltu Pyrenæo, Alpibusque & monte Gebenna, fluminibusque Rhodano & Rheno continetur, novem annis in provinciæ formam redegit. Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis cladibus affecit. Aggressus est & Britannos, ignotos antea, superatisque pecunias & obsides imperavit. Deinde cùm obtinere non potuisset, ut sui absentis in Consularibus comitiis ratio haberetur, arma in patriam convertit; nemineque repugnante Galliam Cisalpinam, Picenum, Umbriam, & Hetruriam occupavit, Pompeiumque Italiâ expulit. Post hæc in Hispaniam progressus, validissimas Pompeii copias, quæ sub tribus legatis, Petreio, Afranio, & Varrone erant, superavit. Pompeium funestissimo in campis Pharsalicis prælio vicit. Ptolemæum in Ægypto subegit. In Africâ devicit Scipionem & Jubam, in Hispaniâ Pompeii liberos. Triumphavit quinquies, primùm de Galliâ, postea de Alexandriâ, deinde de Ponto, de Africâ & de Hispaniâ. Liberalissimus fuit omnium, & quidem post hos triumphos. Eum scribere, & legere simul, dictare & audire solitum accepimus, inquit Plin. 7. 15. Periit in Senatu à Bruto, Cassio, & reliquis conjuratis 23. vulneribus d. 15. Martii, Anno 709. U. C. æt. 56. ante C. N. 43. Dictaturæ perpetuæ Anno 3. mense 4. die 6. Olymp. 184. confossus, infinitis propemodum portentis mortem ejus antè denunciantibus, quorum bonam partem enumerant Virgilius & Ovidius: quorum primus *Georg. l. 1.* hæc habet:

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cùm caput obscurâ nitidum ferrugine texit.
Impiaq; æternam timuerunt secula noctem.
Tempore quanquam illo tellus quoque & æquora ponti,
Obscœniq; canes, importunaq; volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumq; globos liquefactaq; volvere saxa?
Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit: insolitis tremuerunt motibus Alpes,
Vox quoque per lucos vulgò exaudita silentes
Ingens, & simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis, pecudesq; locutæ,
Infandum, sistunt amnes, terræq; dehiscunt,
Et mœstum illacrymat templis ebur, æraq; sudant.
Proluit insano contorquens vortice sylvas
Fluviorum rex Eridanus, camposq; per omnes
Cum stabulis armenta tulit, nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit, & altè
Per noctem resonare, lupis ululantibus, urbes.
Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ.

Ovidius *Metamorphoseôn lib. ultimo*:

Signa tamen luctûs dant haud incerta futuri.
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesq; tubas, auditaq; cornua cœlo
Præmonuisse nefas. Phœbi quoq; tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.
Sæpe faces visæ mediis ardere sub astris:
Sæpe inter nimbos guttæ cecidere cruentæ.
Cæruleus & vultum ferrugine Lucifer atrâ
Sparsus erat: sparsi Lunares sanguine currus:
Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo;
Mille locis lacrymavit ebur: cantusq; feruntur
Auditi, sanctis & verba minacia lucis.
Victima nulla litat: magnosq; instare tumultus
Fibra monet; cæsumq; caput reperitur in extis,
Inq; foro, circumq; domos, ac templa Deorum
Nocturnos ululasse canes; umbrasq; silentûm
Erravisse ferunt: motamq; tremoribus urbem.

Percussorum autem ferè neque triennio quisquam amplius supervixit, neque suâ morte defunctus est. Damnati omnes alius alio casu perierunt, pars naufragio, pars prælio, nonnulli semetipsos eodem pugione, quo percusserant Cæsarem, interemerunt. Sueton. Id verò mortis genus, inexpectatum sc. optimum semper Cæsar habuerat: & amicis quidem inter cœnandum rogantibus, quænam optima esset mors, responderat, ἀπροσδόκητον. Vitam ejus & res gestas pete ex Tranquillo & Plutarcho. Quibus adde Dionem, Appianum, Diodorum, Florum, Orosium, Ammianum, &c. De scriptis ejus alibi se Lloydius acturum pollicetur.

L. Cæsar, Dictatoris pater, Pisis dum calcearetur repentè interiit.

Cæsar Octavianus, 2. Rom. Imp. Vide *Augustus*.

C. Cæsar, poeta Tragicus & Orator, de quo sic Tullius *in Bruto*: *C. Cæsar. L. F. & superioribus & æqualibus omnibus præstitit, oratorq; fuit minimè ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. Sunt ejus aliquot orationes, in quibus sicut ex ejusdem Tragœdiis lenitas ejus sine nervis perspici potest.*

L. Cæsar, Caii Oratoris frater, & Consul & Prætor fuit, ambo Syllam secuti, jussu Marii interfecti sunt.

L. Cæsar, M. Antonii Triumviri avunculus, Pompeianarum partium, missus ab utraque parte quandoque orator de pace; postremò, inter proscriptos ab Octavio interfectus fuit, cujus loco obtinuit M. Antonius, ut Cicero Octavii amicus proscriberetur. Ejus filius L. Cæsar adolescens, à Julio Cæsare victore occisus est.

Cæsar, Vastallæ Dux, æmulus Ducis Niverniæ, Mantuam asserentis. *Cæsar Vindocinus*, fil. nothus Henrici IV. ex Gabrielide. Franciscâ Lotharingâ, Mercurii Ducissâ, Anno 1609. ductâ, numerosæ prolis parens, fortitudine & prudentiâ muneribusque inclytus, obiit Anno 1665. æt. 71.

Cæsar Baronius, Vid. *Baronius*.

Cæsar Borgia, Alexandri VI. spurcissimi Patris nequissimus fil. Primò Cardinalis & Arch. Valentiæ in Hisp. dein Purpurâ abjectâ, miles, cum Ludovico XII. Gall. R. expeditionem Mediol.

diol. meditante, fœdus iniit, ab hoc Dux Valentinus creatus, inde maritus Carlotæ, filiæ Alani, Domini *d'Albret*. Hujus itaque armis subnixus, suos conatus perficere contendit, Regi non ubique fidus. Romandiolæ potissimâ parte occupatâ, aliisque locis, in Italos Principes crudelissimus: Ardens dein desiderio exuviarum Cardinalis Adriani Corneti, cum Patre, eum convivio adhibitum veneno tollere, constituit. Sed uterque per ministri errorem, lethali liquore, quem merebantur, hausto, Pater mox extinctus est, Cæsar juventæ robore, postquam mulæ vivæ corpore dissecto, ei se immersisset, evasit. Sub Pio III. Alexandri successore, ab hostibus tantùm non oppressus, apud Galliæ R. perfugium habuit, quem tamen paulo post deseruit, traditis Julio Pont. quatuor locis, quæ ex tanto numero ipsi restabant. Hinc in Hisp. missus & in vincula perpetua conjectus est. Quæ nihilominus effugit, ingenti libro intus plumbo repleto, quod Bibliorum speciem repræsentabat, custodi carceris impacto. Inde ad Johannem Albretanum, fratrem uxoris, Navarræ R. se cùm contulisset, Anno 1507. in quodam conflictu, occisus est. Dicere solitus est, quoties per munificas indulgentias pecuniam à patre corrasam prodigè dilapidabat, *Germanorum peccata esse.* Guicc. *hist. Italic. lib.* 5. & 6. Marian. *l.* 27. & 28. P. Jovius, *in elog.*

Cæsar Bussius, fundator Congregationis doctrinæ Christianæ, natus est Cavallione, Anno 1544. Cæcitatem sibi immissam cœlitus tantâ animi æquitate tulit, ut illi amoliendæ nullum collyrium voluerit adhibere. Obiit Anno 1607. Jacob. de Beauvais & Jac. Marcellus, *in ejus Vita.* Gautier. 17. *sec. Chron. pag.* 848.

Cæsar Estensis, ab Alphonso II. hæres institutus, Anno 1597. Ferrariensi ducatu Clementi VIII. cedere coactus est, Mutino & Regio solum retento. Ex Anna Virginia de Medicis, pater Alphonsi, Ludovici, Hippolyti, aliorumque, & trium filiarum.

Cæsar Sextius Paconianus Prætorius, audax, maleficus, omnium secreta rimans, dilectusque à Sejano, cujus ope dolus C. Cæsari pararetur. Quia indicium professus fuit, summo supplicio est exemptus, Tacitus *lib.* 6. *cap* 3. Postea tamen in carcere, ob carmina illic in Principem factitata, strangulatus est. *Ibid. cap.* 39.

Cæsar Vopiscus, cùm causam apud Censores ageret, campos Roseæ Italiæ dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam. Varro *de R. R.* 1. 7. Idem totidem verbis habet Plinius 17. 4. Virg. *Georg.* 2.

Et quantum longis carpunt armenta diebus,
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponit.

Cæsaraugusta, Hisp. Tarr. civitas, *Augusta Cæsarea* Ptolemæo ac Straboni, ab Augusto ad Iberi amnis ripam eo loco fundata, quo *Subduba* op. antea situm erat. Hæc Prudentii Poetæ patria fuit, hodie autem *Saragoza* dicitur. long. 20. 20. lat. 42. 30. Aragoniæ primaria est, Archiep. cum ponte ad Iberum fluv. Academiâ insignis. Deficit in dies. Regum Aragoniæ olim sedes, & juxta illam Iberus fluv. recipit Guervam & Gallæcum amnes. 48. leuc. Hisp. à Valentia, 46. à Barcinone, à Burgis 42. Toleto 54. ab Herda in Circium 20. 10. ab Huesca in Occasum, 12. à Bilbili in ortum 14. à Turiazone in Eur. Baudr. In planitie sedet amœnissima. Templum ibi celebre, *Nostra Sennora del Pilar*, suprema Curia, &c.

Hic Concilium Anno 381. quo Priscillianus condemnatus est, cum sectatoribus suis, quorum tum ingens in Hispania numerus. Porro an. 516. 592. 691. Prudentius *in perist. hymn.*

Cæsaraugustam vocitamus urbem,
Res cui tanta est.

Cæsarea, ins. maris Britannici. Anton. Normanniæ olim pars, quæ *Jersey* dicitur Camdeno. Nunc Suthamptoniæ prov. Angliæ annexa, cùm Angliæ Regi sola supersit una cum Garnseia ex avita hæreditate Ducatus Normanniæ, à cujus ora vix 5. leuc. distat. 12. habet Parochias, & castrum *Montorgueil* in ejus ora Orientali.

Cæsarea, & *Augusta*, Ciliciæ urbes. Ptol.

Cæsarea, cognomento Magna, quæ & *Mazaca* prius, *Tisaria* & *Caisar* à Tiberio nominata, urbs archiep. Cappadociæ ad Melam fluv. & montis Argæi radices, cui D. Basilius Magnus præfuit episcopus. Straboni *lib.* 12. & Stephano olim etiam *Edessa Partheniana.* Pouleto *pag.* 2. *cap.* 8. etiam Apamia, hodie *Erseron*: *Cæsarea* item Ptolemæo penes Anazarbum; aliis Anazarbus, urbs Ciliciæ est. Item urbs Bithyniæ. Ptol.

Cæsarea, pagus Germ. apud Ingolstadium in Bavariâ, vulgò *Resbing.*

Cæsarea, Mauritaniæ urbs. Plin. *Cabo Figalo* Pineto. In Africa. Celebris in histor. Rom. Afris dicta *Tiguident*, seu vetus urbs, à Califis destructa, Anno 959. Rudera magnitudinem loquuntur. Sub Arabibus, divitiis Academiisque, unde Poetæ & Philosophi excellentes prodierunt, inclyta. Strabo *l.* 17. Marmol. *lib.* 5. *cap.* 34.

Cæsarea, inter Ravennam & Classem opidum, aut potius suburbium, ut est apud Jornandem. Blondus & Rubeus tradunt Monasterium *S. Mariæ in portico* hodie ibi extare; idem scribit Leander.

Cæsarea, Pannoniæ sup. oppidul. *Thata*, teste Lazio, in Hungariâ.

Cæsarea Palæstinæ, quæ & *Turris Stratonis*, & *Apollonia*, urbs archiep. ac post Hierosolyma primaria, inter Ptolemaidem ad Bor. 40. & Joppen in Austr. 30. m. p. ab Hierosolymis 50. in Occ. & Circium, prorsus jacens in litore maris. Ab Herode, in honorem Cæsaris, ædificata, in quâ idem in ejusdem honorem magnificam domum è marmore construxit, ubi nepos ejus ab angelo percussus, eò quòd non dedisset honorem Deo, consumptus à vermibus expiravit. Act. 12. 23. In hâc Cornelius Centurio à Petro baptizatus est. Magnificentiam hujus urbis prolixè describit Josephus, *Antiq. lib.* 15. *cap.* 13. *lib.* 4. *cap.* 9. Postmodum metropolis Palæstinæ, nomine *Coloniæ Rom.* honorata, quòd Vespasiani copias humaniter tractasset. Creditur Agabi Proph. patria; ab Eusebio, Theophilo, &c. illustrata. Euseb. *l.* 5. *cap.* 22. Beda *de æquin. verno.* Hic à Gentibus Judæi omnes, ad XXM. occisi, quam cladem ulturi, dum vicos Syrorum vastabant, gentes in se exasperarunt, A. C. 66. Origenes hîc docuit, Anno 221. Ibi Synodus, propter Paschatis celebrationem, ab hoc Theophilo, & an. 334. ob Athanasium, Tyrum translata. Tom. 2. Conc. Expugnata est à Muhavia, post 7. ann. obsidionem, an. 653. long. 66. 15. lat. 32. 20.

Cæsarea Philippi, à Philippo fil. Herodis, in honorem Caligulæ, restaurata, prius *Paneas*, urbs Palæstinæ apud ort. Jordanis fluv. in finibus Cœlesyriæ. *Belina* G. Tyrio, Postello & Brocardo, *Balbec* Bellonio. Occupata est, à Fulcone Balduini successore, Saracenis ad Antiochiam victis, Anno 1135. Guil. Tyr. *lib.* 14. P. Æmil. *lib.* 5. Recepta à Noradino, post victum Raimundum, cùm Almericus in Palæstina rerum potiretur. an. 1169. Tyr. *l.* 19. &c. long. 67. 40. lat. 33. 00.

Cæsarea Ponti, urbs Asiæ min. Episc. V. *Neocæsarea.*

Cæsareopolis, Urbs Hung. super. in Comit. Zepusiensi, juxta Carpathum montem, in finibus Hungariæ & Polon. cum arce 2. mill. à Leutscha, 8. ab Epperia in Occas. Vulgò *Kesmarckt* seu *Keysersmarckt.*

Cæsariensis, Vide *Mauritania.*

Cæsarion, J. Cæsaris ex Cleopatra filius, jussu Augusti occisus. Sueton. *in Cæsare* & *Augusto.*

Cæsarisburgum, quod aliàs *Cæsaris Burgus*, hodie *Cherbourg.* Oppidum, vel potius munimentum maritimum, in pago Constantino, ad rivulum in Oceanum influentem. Non tam à Cajo Julio Cæsare, cui per novem annos bellum in Gallia gerenti non vacavit ullas ibi colonias condere, ulla loca ædificare: quàm ab Augusto Cæsare, in prioris vel ab incolis aut militibus Romanis præsidiariis, in Augusti ipsius, qui post adoptionem Julius Cæsar dictus est, honorem appellatum. Sæpe etiam observatum, ex castris exercituum Romanorum postea ab incolis facta esse castella: ut etiam de Juliobona Caletorum, de Sacro Cæsaris in Biturigibus, & de Juliaco Ubiorum dici fortasse convenit. *Castellum Carusburc*, id est, Carusburgus vocatur à Richardo III. D. N. Anno 1026. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Cæsarium, Ægypti emporium. Strabo *l.* 17.

Cæsarius, Consul, Attici collega. an. V. C. 1150.

Cæsarius, frater Nazianzeni, post Mammertinum, thesauri præfectus, à Juliano Apost. creatus, abdicavit se munere, à fratre monitus: sed antequam ad Patrem reverteretur, Julianum publicâ disputatione, solidè Idolorum vanitate demonstratâ, confudit, exclamante Juliano, *ô felix Pater, ô infelices liberi.* Quæsturam porro à Valente Imp. sibi oblatam, exercuit Niceæ, tempore horrendi illius terræ motus, Anno 368. quo urbs subversa, unde ille miraculo liber evasit. Tribuuntur ei scripta quædam, quæ fratris S. Gregorii esse videntur, Niceph. Calixtus, *lib.* 12. *cap.* 24. Phot. *Bibl. Cat.* 210. Suidas, Gregor. Nazianz, *in oratione*, quâ Cæsarium laudat, & Jacob. Byllius, *præfat. in decim. Orat. Gregorii.*

Præsule Patre satus claro, non Cæsaris ora
Pertimuit, certus fallere nolle fidem.
Non sceptrum, sævasque minas expalluit, orbis
Ipse quibus totus subdita colla tulit.
Sed Patris Fratrisque ardens imitator, Olympo
Posthabuit terræ munera, sceptra, minas.

Cæsarius, Episc. Arelat. Anno 500. Coram Alarico R. accusatus collusionis cum Burgundis, innocentiam clarè probavit. Scripta ejus sacra, tomo 9. Biblioth. PP. inserta reperiuntur. Obiit Anno 544. Gennad. *in Catal. cap.* 86. Sigeb. *cap.* 119. Trithem. & Bellarm. *de Script. Eccl.* Gregor. Turon. Florianus, Venantius, Baron.

Cæsarius, Cistertiensis, sec. 13. Scripsit 12. libros miraculorum illustrium, & historiarum memorab. cum vita S. Engelberti, Arch. Coloniensis; Trithem. *in Catal.* Innocentius Cæsarius, Præpositus Eccl. Brixiensis, scripsit miseriam hujus urbis, à Gastone Foxio Anno 1512. pulsis Venetis occupatæ. Voss. *de hist. Lat. lib.* 3. *c.* 10.

Cæsaro-

Cæsarobricenses, Lusitaniæ pop. Plin. 4. 2.

Cæsarodunum. Apud Claudium Ptolemæum, Turonum, qui Τυρῶνοι pro Τυρώνιοι mendosè dicuntur, urbs est Cæsarodunum, Καισαρόδουνον in Gallia Lugdunensi: in tabula Theodosiana, quæ vulgò Peutingeriana nuncupatur: similiter *Cæsarodunum*, hoc est, Cæsaris mons, nomine Latinogallico parum conveniente urbi in planitie positæ. Dunum enim Gallis collem locumve eminentem significâsse docet Clitophon. Apud Magnonem *Turonus, Cæsaredunum*; id est, Turon aut Turonus, cujus caput Cæsarodunum. Ammiano Marcellino, cujus ætate duæ tantùm Lugdunenses provinciæ erant, urbs nomine Gentis appellatur *Turini* corruptè pro *Turoni*, & in Lugdunensi secunda ponitur: Severo Sulpicio *de Vita S. Martini, Turoni*; *Turoni Galliæ civitas*, & Prospero *in Chronico*, & Gregorio in Historia Francica, aliisque passim nostris scriptoribus, vulgò *Tours*. In Notitiis veteribus provinciarum civitatumque Galliæ nuncupatur *provincia Lugdunensis tertia Metropolis civitas Turonorum*, nonnunquam *civitas Toronorum*; (Nam interdum Toroni pro Turoni scribebant pronunciabantque) Paullino *in libro* 5. *de Vita Martini*, *Turonorum urbs*; *civitas Turonum* Sulpicio *in libro* 3. *de Vita S. Martini*: Gregorio nostro nunc *civitas Turonica*, nunc *urbs Turonica*, qui & urbis totiusque adeò pagi Turonici incolas & habitatores *Turonicos* semper appellat: & Turonos *in libri* 5. *Hist. capite* 14. vocat *unam civitatum, quæ super Ligeris alveum sita est in dextra ejus parte*, in dextra inquam Ligeris ripa adverso flumine navigantibus, non autem secundo amne defluentibus, ut fieri solet, ac mare petentibus. Aimoinus *in libro* 1. *Historiæ Franc.* de urbe Turonis sic scribit: *Urbs Biturica atque Turonica secundùm Orosii diffinitionem, qui Aquitaniam à flumine Ligeri usque ad Pyrenæos determinat montes, quamque moderni sequuntur, non in Celtica Gallia, sed magis in Aquitania sunt provincia.* Et de civitate quidem Biturigum nemo unquam dubitavit, in Aquitania eam cum Gente sua esse: sed de Turonis alibi observavi, & Gentem majori ex parte sitam trans lævum Ligerim, & caput Gentis sinistræ ripæ Ligeris appositum, Aquitaniæ magis quàm Celticæ vel Galliæ Lugdunensi attribui oportuisse, si à Romanis Gallias dividentibus exacta cujusque provinciæ finium ratio habita esset. Paulinus *in libro* II. *de Vita S. Martini*, multùm laudat Turonos paucis, ita tamen ut sua ætate defecisse indicet. Nam qui urbem aliquam *valde quondam floruisse & populis refertam fuisse* ait, apertè docet fortunam ejus esse mutatam, nec jam eam opibus ut quondam incolarumque multitudine florere. Verba Paulini sunt,

Gallorum quondam valde florebat in oris
Urbs Turonum, distenta agris populisque referta.

Hæc urbs Comites quondam suos habuit, deinde etiam Duces. Willelmus Britto *in libro* 3. *Philippidos*, situm civitatis Turonum exponit his versibus,

Inde iter accelerat Turonis festinus ad urbem,
Quam geminum nitidâ flumen circumfluit undâ
Hinc Liger, hinc Carus. Medio sedet inter utrumque
Clara situ, speciosa solo, jucunda fluentis,
Fertilis arboribus, uberrima fruge, superba
Cive, potens Clero, populis numerosa, referta
Divitiis, lucis & vitibus undique lucens.
Quæ cùm sit Britonum caput & metropolis, unà
Bissenas sub se cathedras lætatur habere.

Sanè est inter Ligerim & Carum fluvios posita urbs Turonum & pars Cari fossâ deducitur Turonos: ac Carus non minùs 15. passuum millibus infra Turonos in Ligerim effluit. Guillelmus Postellus nulla veterum auctoritate fretus Cæsarodunum Turonum *Augustam Turonum* appellavit, non magis sequendus, aut non minùs ridendus, quàm qui Genevam opidum Allobrogum novis fictisque nominibus nunc *Aureliam*, nunc *Coloniam Allobrogum* nuncupant. Ætate Gregorii aberat à civitate passus 550. Basilica S. Martini nomine & tumulo illustris: Quæ ne Normannorum incursionibus diriperetur, muris & turribus eum locum totum cingi munirique placuit. Munitionem hancce *Castrum novum*, nonnulli & *Martinopolim* seu Martini urbem nuncupavere, eò confluentibus & ibi sedem capientibus plurimis ob virtutes sancti Martini. *Castri novi* meminit sæpe præter cæteros Monachus Majoris Monasterii in Gestis Consulum Andegavensium ante annos 500. Hadr. Val. *Not. Gall.* Hic Joh. Turrius Evangelii Min. jam septuagenarius, in flumen præcipitatus est, A. C. 1562. Thuan. *Hist.* Vid. quoque *Turo*.

Cæsaromagus Bellovacorum. *Bratuspantium opidum* Bellovacorum, cujus Cæsar meminit, caput ipsum Gentis fuisse, quod postea *Cæsaromagum*, ac demum *Bellovacos* nomine Gentis appellaverint incolæ, existimant Josephus Scaliger, Antonius Oiselius J. C. & Nicolaus Samson aliique; quibus libens accesserim. Nam Cæsar *in libro* 2. scribit, ipso cum exercitu appropinquante, *Bellovacos se suaque omnia in opidum Bratuspantium contulisse*, tanquam nimirum in maximum munitissimumque opidum Gentis. Oiselius & Samson eos irrident, qui sola similitudine nominis ducti, *Grattepanche* esse putant *Bratuspantium* Cæsaris in Bellovacis: inter quos est Massonus. Certè *Gratepance*, vel ut Picardi pronunciant *Gratepanche*, vicus est parvus & ignobilis, qualis semper fuit, in Ambianensi seu in Ambianensi Diœcesi, atque ab urbe Samarobriva Ambianorum 3. leucas abest; ita ut Ambianis, non Bellovacis attribui debeat: quem vicum si Latino nomine appellare quis voluerit, non aliter quàm *Crata-panticem* appellare potest ac debet. Qui Bratuspantium putant esse Britolium, refelli non merentur. Nomen autem est Gallicum urbis Gallicæ Bratuspantium: quo deposito, ea urbs à Julio Cæsare, cui traditis sexcentis obsidibus armisque omnibus sese dediderat, aut certè ab Augusto Cæsare, nominis ejus fortunæque successore dicta est *Cæsaromagus* nomine semilatino ac semiceltico. Ita apud Ptolemæum *Bellovaci, quorum urbs Cæsaromagus*, Καισαρόμαγος: in tabula Theodosiana, quæ & Peutingeriana nuncupatur, *Cæsaromagus* prope Augustomagum; in Itinerario Æthici inter Samarabrivam & Augustomagum *Cæsaromagus* medio ferè spatio ponitur. *Item à Cæsaromago Luticiam usque* M. P. 46. *sic*: *Petromantalium*, (*Mante*) M. P. 17. *Briva Isara* (*Pontoise*) M. P. 14. *Luticiam* M. P. 15. Est & in insula Britannia *Cæsaromagus*, ab urbe Londinio millibus passuum 28. aut 31. distans: sicut ibidem *Condate*, *Mediolanum*, *Noviomagus*, quæ sunt nomina Galliæ opidorum ac locorum. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ vocatur *civitas Bellovacorum*, nunc *civitas Belloacorum*, nunc *civitas Beluagorum* aut *Beluacensium*; nonnunquam & *civitas Bellovagorum*: atque inter provinciæ Belgicæ secundæ urbes nonum obtinet locum; cùm ætate Julii Cæsaris Bellovaci virtute, & auctoritate ac hominum numero Belgis omnibus præstiterint. Ex quo apparet, tum eorum potentiam valde fuisse imminutam, qui Catalaunis, Camaracensibus, Turnacensibus, Silvanectibus etiam postponerentur, & solis Ambianis, Morinis, Bononiensibusque præferrentur. Quanquam ne in nona quidem sede permansere, sed postea in penultimum locum rejecti sunt post Morinos & Ambianos, & soli Lauduno prælati, ut Gervasius Tisleberiensis & recentiores Notitiæ Episcopatuum Galliæ docent. Legimus *in libro* 7. *Codicis Theodosiani* legem Imper. Constantini, latam & *datam in civitate Velovocorum*, corruptè pro *Vellovacorum* aut *Bellovacorum*. Eadem urbs nomen proprium nomine Gentis, cujus caput erat, mutavit, & dici cœpit *Bellovaci*; ut Lutecia *Parisii*, Durocortorum *Remi*, Juliomagus *Andicavi*, Augusta Treverorum *Treviri*, &c. *Civitas Belevagus* in veteri nummo Regio nuncupatur; *Belvagus* Aimoino inter urbes Belgicæ inclytas; *civitas Belvacus* Roberto *in Chronico*. *Belvacum* Ivoni Episcopo Carnutensi, qui *in epistola* 164. *ad Ludovicum Regem Francorum*, Bellovacos vocat *populum, à quo potest Regia majestas præ ceteris urbibus Galliarum honestum habere servitium.* Vulgò *Beauvais* vocitant Nostri, quæ urbs Episcopum suum, Comitem & Parem unum è 12. priscis Franciæ Paribus habet, & ad flumen Taram est posita, & Ecclesias continet ampliùs 30. Legimus cùm apud alios, tum apud Johannem Parisiensem *in Memoriali Historiarum*, regnante apud Francos Rotberto *Comitatum Belvacensem datum esse Rogerio Episcopo*. Addit Johannes, *Tempore eodem decessit in urbe Belvacensi inclytus Episcopus Rogerius: qui dedit Ecclesiæ S. Petri cui præsidebat, Allsiacum in Normannia & Montiacum in Viromandensi patria. Comitatum quoque Belvacensem ab Odone Campaniensi Comite impetravit, dato ei pro commercio* (id est, pro excambio vel commutatione) *castro Sincerio*, (Sancerre) *in territorio Bituricensi sito*, *quod sibi jure patrimonii competebat.* Sic igitur ante annos circiter sexcentos quinquaginta Episcopatui Bellovacensi Comitatus accessit. Hæc est origo Comitatûs & Pariatûs Bellovacensis, quo Episcopi ecclesiæ Bellovacæ gloriantur. Comites autem ante annos 900. *Pares* absolutè, aliàs *Pares Comitum* dictos esse observo, quòd ipsi inter se pares essent, ac dignitate potentiaque æquales. Hoc nos docet Historicus, qui auctore V. I. Nibelungo Comite Childebrandi Comitis filio, *de rebus gestis Pippini Francorum Regis*, scripsit: cujus hæc verba sunt, *Waifarius Princeps Mancionem Comitem partibus Narbonæ cum reliquis Comitibus transmisit. Factum est autem ut Australdus Comes & Galemanius itemque Comes cum Paribus eorum ad propria reverterentur: hic Mancio super eos irruit. Galemanius & Australdus ibidem Mancionem & universos Pares suos interficiunt.* Item, *Chilpingus Comes Arvernorum in pago Lugdunensi ad præliandum ambulare nitebatur; contra quem Adalardus Comes Cavalonensis, & Australdus Comes cum paribus eorum venientes*, &c. Hic scriptor Mancionem Comitem, quem *cum reliquis Comitibus missum* à Waifario dixerat, paullo pòst cum *universis Paribus suis interfectum* esse tradit, id est, cum *universis Comitibus*, collegis suis, quibuscum missus fuerat. Australdum idem & Galemanium Comites *cum Paribus eorum reverti* ait, hoc est, cum aliis Comitibus, qui amborum *Comitum Pares* erant & expeditionis socii: sicuti infra quum Adalardum & Australdum Comites *cum Paribus eorum* ad Chilpingum oppugnandum venisse dicit, *Pares utriusque Comitis* haud dubiè alios Comites appellat, qui cum ipsis adversus Chilpingum missi erant. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Cæsaromagus, op. Angliæ in Essexiâ, *Chelmesford* Talboto. Camdenus verò solum juxta *Brentwood* op. ejusdem regionis esse autumat.

Cæsaropolis, urbs Macedoniæ. Item, urbs in Palatinatu Rheni Imper. ad amnem *Lauter*, prope Ducatum Bipontinum, arce & Præfecturâ gaudens. 6. leuc. à Spira in Occas. paulo minus à Wormatia, 2. a item ab opp. *Landstul*. Gallis *Caseloutre*.

Cæsarotium, Vid. *Cæsortium*.

Cæsena, Gall. Tog. op. Ptol. *Cesena* Plinio, nunc *Cesnabrigo* vocari scribit Fabricius; hinc *Cæsenates* populi & *Cæsenatia vina*. Plin. A *cadendo* dicta, uti volunt Grammatici, quòd exiguo amne cæsa, id est, divisa sit, vel quòd ager ejus duobus fluminibus Sapi & Rubicone sit divisus. Strabo *lib.* 5. Καισῆνα πρὸς τῷ Ἰσάπι ποταμῷ καὶ τῷ Ῥουβίκωνι, ἤδη συνάπτει τῷ Ἀεμιλίῳ. A Procopio Φρούριον tantùm, hoc est, *castellum* dicitur: Agathias autem πόλιν, *urbem* vocat. Imo 170. annis fermè ante Procopium Antoninus bis, in 2. diversis Itinerariis, *Civitatem* appellat, quod ille non nisi præcipuis urbibus tribuit. Morerio Cæsena urbs est ad fluv. *Savio*, episc. sub Arch. Ravennæ, in Romandiola. Hic Synodus, an. 1633. Vid. Leandr. *descr. Ital.* de hac urbe, *pag.* 303.

Cæsennius Pætus; Proprius Dux, in locum Corbulonis, à Nerone, in Armeniam missus. Tacit. XV. 6. Sed rebus ibi flagitiosissimè gestis turpique pace factâ Romam redux scommate à Nerone exceptus est, his fermè verbis: *Ignoscere* se statim, ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine ægresceret. *c.* 25.

Cæserverus, Caradoc antiquitus dictum, Angliæ urbs, quod vulgò *Sarisbury* dicunt. Lhuidus. Apud priscos authores Latinos non videtur extare vocabulum.

Cæsia sylva, Tacit. *Heserwald*, Germ. infer. in Duc. Cliviensi, apud Dinstlakam opp. Chrysanthus.

Cæsius, Poëta Lat. de quo Catull. *ep.* 14. ubi inter malæ notæ poëtas numeratur, cùm ait:

—— —— Cæsios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena. &c.

Cæsius Bassus, Poeta Lyricus, Heroicus, sub Galba & Nerone. Huic Persius dedicavit *Satyr.* 6. Fabius ejus meminit *lib.* 10. Quibusdam videtur Arati commentator. Voss. *hist. Lat.* 1. 22. *Poet.* 3. Hic in suis prædiis, ardente Vesuvio, cum villâ conflagravit.

Cæsius Nasica, legioni in Britanniâ præfectus. Tacit. XII. 40. *f.*

Cæso Duillius Helua, collega L. Papyrii Crassi. Anno U. Cond. 420.

Cæso Fabius Ambustus, Trib. Mil. an. V. C. 361.

Cæso Fabius Vibulanus Cos. collega L. Æmilii Mamerci, an. V. C. 270. Item collega Spurii Furii Medullini, anno V. C. 273. Item collega T. Virginii Rutilii, an. V. C. 275.

Cæso L. Quintii Cincinnati F. petulantissimus à Patre abdicatus, qui & à Censoribus notatus ad Volscos & Sabinos confugit, qui duce Cloelio Gracccho bellum adversus Romanos gerebant.

Cæsonia, Caligulæ Imp. uxor, cujus collum quoties exoscularetur maritus, addebat; *Tam bona cervix simul ac jussero, demetur.* Quin subinde jactabat; *exquisiturum se semel fidiculis, cur eam tantopere diligeret.* Mox dato hippomane, cum in furorem vertit. Juvenal *Sat.* 6.

—— Tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. —— ——

Persius *Sat.* 5.

Essedaq; ingentesq; locat Cæsonia Rhenos. Erat neque facie insigni, neque ætate integrâ, materque jam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciviæ perditæ, & ardentius & constantius amata est à C. Cæsare Caligula: quam sæpe clamyde peltaque & galeâ armatam, & juxta adequitantem militibus ostendit, amicis verò etiam nudam, quam enixam uxorio nomine dignatus est, uno atque eodem die professus & maritum se ejus, & patrem infantis ex ea natæ: nec ullo firmiore indicio sui seminis esse credebat infantem hanc, quàm feritatis, quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ut infestis digitis ora & oculos simul ludentium infantium incesseret. Periit cum viro Cæsonia, gladio à Centurione Julio Lupo confossa, insigni constantiâ, mortem passa, cujus etiam filia parieti est illisa. Suet. *in Caligula. c. ult.* Jos. *Antiq. l.* 19. *c.* 2.

Cæsonius Commodus Verus, prænomine *Lucius*, Cons. collega C. Cornelii Prisci an. V. C. 850.

Cæsonius Maximus, Consularis, ob amicitiam Senecæ, patefactâ conjuratione Pisonianâ, à Nerone Italiâ prohibitus. Tac. *lib.* 15.

Cæsonius, Vid. *Suilius*.

Cæsortium, vel *Cæsarotium*, urbs Gall. in Norm. ad Eptam fluv. 14. leuc. à Lutetia & Rothomago. Cum titulo Comitatus. Dicitur etiam Gisorium. Gall. *Gisors*.

Cæstius, homo erat nasutissimus, sed nullius ingenii, & Ciceroni etiam infestus, quod illi non impunè cessit. Nam cùm M. Tullius Ciceronis filius Asiam obtineret, homo, qui nihil ex paterno ingenio habuit, præter urbanitatem, cænabat apud eum Cæstius. M. Tullio & natura memoriam dempserat, & ebrietas, si quid ex eâ supererat, subducebat, hinc subinde interrogabat, qui ille vocaretur, qui in imo recumberet: & cùm pluries subjectum nomen Cæstii excidisset, novissimè servus, ut aliquâ notâ memoriam ejus faceret certiorem, interroganti domino, quis ille esset, qui in imo recumberet, ait, *Hic est Cæstius ille, qui patrem tuum negabat scire literas*; Afferri protinus flagra jussit Marcus, cui, ut oportuit, de corio Cæstii satisfactum fuit. Rhod. 14. 7.

Catheus, Consul sine collega an. V. C. 1257.

Catobrix, Vid. *Cetobrica*.

Catulum, urbs præstantissima regionis Oretanæ, quam in citer. Hisp. aliquâ ex parte intra columnas Herculis & ad merid. maximè vergentem collocat Strabo *l.* 2. *Castulo* Ptolemæo.

Cafa, secundùm Mahumetum, mons est, qui cœlum, ne concidat, sustinet. Alcoranus.

Cafago, fons in Laconicâ. Pausan. Lege *Cacago*.

Cafanes, Mauritaniæ populi. Ammianus.

Caferoniana, regio Ital. intra Apenninum mont. cujus major pars est dit. Mutinensis, minor Reip. Lucensis; ibi opp. præcipuum Castrum novum. Vid. *Carferoniana* & *Grafiniana*.

Caffa, urbs Tauricæ Chersonesi, sub Turcis, cum portu & emporio celeberr. in ora Ponti Euxini, quanquam in Tartaria minore.

Cafri, pop. Æthiopiæ inf. juxta oram littor. Oceani, inter regnum Angolæ & Zanguebariam reg. Absque civitatibus vagi in ora præsertim, versus prom. B. S. & majori ex parte Anthropophagi. Hic loca alicujus notæ, Caput Nigrum versùs Benguelam; Caput Currentium, versùs Zanguebariam & Caput B. S. in extrema parte Africæ, versùs Austr. Eis etiam tribuitur Soffala, arx Lusitan. in ora Oceani, & Arx Holland. *Caput Tabulæ*, in ora propè prom. B. S.

Cagan, vel *Gagan*, nomen Hunnorum Regibus commune. Horum unus Sigeberti Austrasiæ regis ditiones, sub finem seculi 6. invasit, ab hoc victus; sed biennio pòst, an. 571. reversus, magicis artibus tantum effecit, ut Sigebertus pecuniâ & frumento se redimere cogeretur. Greg. Turon. *lib.* 4. *c.* 23. & 27. Aimon. *l.* 3. *c.* 6. & 11. Vid. & *Caganus*.

Caganus, rex Avarum, superbus admodum, Mauritio Imp. bellum illaturus, prudenti oratione Theodori Medici, ad fœdus pertractus est, an. 592. Mox imprudenti venatione Prisci ducis offensus, an. 594. Romanos ingenti clade affecit. A qua superstites captivos, cùm Imperator redimere nollet, odium militum sibi conciliavit, quod difflare non valuit, licèt Caganum, per Priscum, rursus non minori clade, filiis etiam in Istro submersis, affecisset, Anno 595. Huic postmodum cum Phoca Imper. quoque res fuit, à quo, majori tributo concesso, repressus est, An. 609. Niceph. *l.* 18. *c.* 28. 29. & *c.* 36. 37.

Cajana, Ins. Amer. meridionalis. Vid. *Cayana*.

Cajaneburgum, opp. Finlandiæ, in Cajania prov. cum arce, in mediterr. versùs Lapponiam, propè Ulam lacum.

Cajania, prov. Regni Sueciæ, in Finlandia. Aliàs *Bothnia Orientalis*, inter sinum Bothnicum & Lapponiam extensa.

Cajanum, castellum Latii circa lacum Fucinum.

Caicus, è ducibus Æetæ, quem Lexanor sagittæ in Jasonem directæ aberratione occidit. Val. Flacc. VI. 69.

Caicus, Mysiæ fluvius, cujus meminit Virgilius *Georgicorum lib.* 4.

Saxosumq; sonans Hypanis, Mysusq; Caicus.

Lucanus *lib.* 3.

Mysiaq; & gelido tellus perfusa Caico
Idalis. —— ——

Plin. 3. 5. *Ex Mysiâ veniens Caicus amnis.*

Ovidius *libro* 3. *de Art. Am.*

Quaq; bibunt undas, Myse Caice, tuas.

Sed quæ pars Mysiæ? Plinius adducto loco Teuthraniam nominat. Inde Ovid. *Met.* 2.

—— Teuthrantausq; Caicus.

Est autem fortassis alia ratio, cur *Caicus* attributo isto ornetur; eam capias ex Strabone *l.* 13. Ῥεῖ δὲ ἐκ τῆς Τήμνου ποταμὸς Μύσιος ἐμβάλλων εἰς τὸν Κάϊκον ὑπὸ ταῖς πηγαῖς αὐτοῦ, Ovid. *Met.* 15.

Et Mysum capitisq; sui ripaq; prioris
Pœnituisse ferunt, aliâ nunc ire Caicum.

Ergo ab hâc amnium commistione ratio epitheti. Certè Æschylus *in Myrmidonibus*, utrasque aquas conjunxit, citante ibidem Strabone:

Ἰὼ Κάϊκε, Μύσιαί τ᾽ ἐπιρροαί,
Jo Caice Mysiaq; lymphæ.

De la Cerda.

Cajeta, promuntorium, & opidum, & portus Campaniæ in Italiâ. Nomen unde habuerit Poeta *Æneid.* 6. indicat his versibus:

Tu quoq; litoribus nostris Æneia nutrix,
Æternam moriens famam Cajeta dedisti.

Silius Italicus *lib.* 8.

Fun-

Fundiq; & regnata Lamo Cajeta domusq;
Antiphatæ.

Statius *Silv.* 1. 3.

Cedant Telegoni: cedant Laurentia Turni
Jugera, Lucrinaq; domus, litusq; cruenti
Antiphatæ, cedant vitreæ juga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis, arcesq; superbi
Anxuris, & sedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus. ——

Martialis, *lib.* 5. *ep.* 1.

Seu placet Æneæ nutrix, seu filia Solis,
Sive salutiferis candidus Anxur aquis.

Idem *lib.* 10. *ep.* 30.

Non blanda Circe, Dardanisve Cajeta
Desiderantur. ——

Aliam etymologiam affert Servius. *Cajeta*, inquit, *dicta*, ἀπὸ τοῦ καίειν, *quòd classes Trojanæ ibi incenderentur.* Diod. *lib.* 4. ab Æetâ Colchorum regis nomine dictam tradit. Strabo autem *lib.* 5. à sinûs cavitate sic appellatam existimat Laconum idiomate: Τὰ γὰρ κοῖλα πάντα Καίατα οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσι. Baudrando Urbs est prov. Terræ Laboris, ad radices collis, in peninf. cum duplici arce & portu percapaci, in ora maris Tyrrheni. Aliàs varias experta vices, nunc validum habet Hispanorum præsidium. Vulgò *Gaetta*.

Caimana, inf. in sinu Mexicano, ad Austr. Cubæ inf. piscatione testudinum percelebris. Sub Anglis, à paucis annis.

Cain, id est, *possessio*, vel *possessius*, Adæ filius. Gen. 4. Hesychius, Κάϊν, κλῆσις. Natus A. M. 2. terræ colendæ intentus. Fratrem Abelem, qui per fidem sacrificaverat, proin acceptus Deo, invidiæ furiis agitatus occidit, A. M. 130. Hinc de venia desperans, continuis erroribus divinitus jactatus, in loco *Nais* sedem fixit; Interim nihilo melior, vitia sectatus, sceleratorum hominum caput, ponderis & mensuræ auctor dicitur. Fraudum architectus, primæque urbis conditor, quam Enos seu Enochiam à filio majore natu appellavit. A Lamecho, in vepreto latitans, sagittâ confixus dicitur. A. M. 688. Vide Josephum *Antiquit. lib.* 1. *cap.* 2. & Suidam in voce *Cain*. Item, mons, fons & castrum, in pede extremo Carmeli montis, in tribu Isaschar.

Cainan, id est, *possessor*, vel *emptor*, aut *lamentator*, vel *nidus*, filius Enos, natus A. M. 326. Obiit A. M. 1235. Gen. 5.

Cainan δεύτερος, à B. Lucâ inter Arphaxad & Sala insertus *cap.* 3. *vers.* 36. ac si Sala non fuerat Arphaxadi filius, sed nepos ex Cainan. Sunt qui Evangelistam hîc sequi volunt 70. Interpp. apud quos idem legas. Putant igitur, eum in re non magni momenti, quæque ad fidem nihil pertinet, piâ συγκαταβάσει maluisse errantes sequi, quàm intempestivo dissensu scrupulum injicere, aut etiam Evangelii sui αὐθεντίαν in discrimen adducere, apud infirmos vel pertinaces, quibus persuasum erat, hos Interpretes fuisse ἀναμαρτήτους. Cæterum de hâc re vide Boch. *Phaleg. lib.* 2. *cap.* 13. & If. Vossium *Castig. in Geo. Horn. pag.* 318. Alii librariorum παρόραμα esse volunt; nec quoque in omnibus N. T. editionibus ille *Cainan* apparet, August. Eugub. *in Gen. c.* 11. Jansen. *Concord. Evang. cap.* 14. Alii retinentes etiam hunc *Cainan*, cum Græcis Latinisque plurimis patribus, malunt confiteri, se ignorare, cur in Hebræo omissus sit, quàm agnoscere, vel incuriam librariorum, vel συγκατάβασιν aliquam Evangelistâ minus dignam. Morerius.

Cainitæ, vel *Cajani*, Gnosticorum secta, Cainum formatum di xere virtute cœlesti & omnipotenti, Abelem tantùm infirmâ & debili. Luxuriam ad salutem prodesse delirantes, innumeros finxerunt Angelos, barbaris nominibus, & quemque insigni quodam flagitio conspicuum, ut facinus aliquod enorme commissuri haberent, quos adorarent. Librum, cui titulus, *Ascensio S. Pauli in cælum*, composuerunt, execrabilem penitus; Peculiari cultu Cainum, Core, Datan & Abiram, Sodomitas item, & præ his omnibus Judam proditorem venerati: hujus Evangelium jactantes. Tertull. *de Præscr. cap.* 33. 47. Hieron. *l.* 1. *c.* 35. Epiph. *hær.* 33. Augusl. *de hær. c.* 18. Baron. *A. C.* 145.

Caino, opp. lepidum Gall. ad Vigennam fluv. in prov. Turonensi, versus Pictaviensem tractum. 7. leuc. à Salmurio in Ortum, 5. à Loduno. Etiam *Chinonium*. Vide Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

Cajolum, vicus Lombardiæ Transpadanæ.

Caiphas, princeps quidam Sacerdotum inter Judæos tempore Christi. Lat. *circuitor*, vel *investigator*. Hic Christo respondente, se esse filium Dei, vestem discidit, contra Legem, Lev. 21. Condemnavit eum postmodum ad mortem, Matth. 26. Marc. 14. à Vitellio depositus, contumeliam tam impatienter tulit, ut post 25. ann. Sacerdotii S. sibi ipsi necem consciverit. Constitut. 5. Clementis, *lib.* 8. *cap.* 1. Nicephorus idem de Anna refert, *hist. lib.* 2. *cap.* 10. Vide Josephum *Antiquit. lib.* 18. *cap.* 3. & supra in *Anano I.*

Caiphas, à Tyrio *Porsina* dicitur, & *Porphyria*, urbs maritima ad Carmeli montis radices, parte Aquilonari sita, extructa à Caipha pontifice, & nominata, in tribu Isaschar.

Cairoanum, vide *Cyrene*.

Cairoanum, urbs Africæ in regno Tunetano, non longè ab ora maris Afr. & Syrti min. Crevit, ut multi volunt, ex ruinis antiquæ Thisdri, fuitque antea majoris momenti. Vid. *Thisdrus*.

Cairus, vel *Alcairus*, & *Memphis*, Ægypti, imo Africæ totius maxima civitas, & præcipua opportuno loco sita, ubi nimirum Nilus primum secatur ac τοῦ Δ formam facit. Lutetiam Parisiorum, ut quidam ajunt, quinquies olim superavit. Suburbia multa continet, quorum quædam 3. alia 12. millia domorum habent, urbem autem ipsam 30. millia ædium habere tradunt. Hîc, in ædibus Aphrodisii, Christum infantem, per biennium latuisse, A. C. 1. 2. sunt qui dicant. Restaurata est ab Elmendinalla, Abdallæ Africæ Caliphæ nepote; qui, Ægypto potitus, regnum hîc Babylonio æmulum condidit, A. 968. Postea illam Selymus Turca expugnavit An. D. 1517. ac Tomumbeium tunc temporis Ægyptium Sultanum in palude latitantem captum, ac per totam urb. vectum ad portam laqueo strangulari jussit. Ejus vectigalibus, quæ IDCM. aureorum superabant, muneravit Mahumetes III. Turcarum Imper. matrem 12. annis sibi non visam. Cairum descripserunt J. Leo Africanus, P. Bellonius, aliique. Crevit in immensum, cùm Sultanos seu Reges haberet proprios. Nunc sensim deficit, cùm tantùm habeat Proreges, sub dominio Turcarum. Estque nunc Lutetiâ multo minor, ut quidam volunt. Abora maris Mediterr. 80. milliar. in Austr. & 110. ab Alexandria distat. Baudr. Marmolius urbem hanc à Slavo quodam, Turcicam religionem amplexo, conditam putat, ibique 6000. egregiarum ædium, cum superbis quibusdam palatiis, & Moschea (seu Turcico fano) admiranda, esse refert: additque Memphim, veterum Pharaonum sedem, hodie destructam, ad Nilum fuisse sitam, aliquot à Cairo milliaribus. Quibusdam hoc Cairum Babylon Ægypti est. Vide Marmol. *lib.* 11. *cap.* 24. 25. Texeiram *lib.* 1. Sanut. *lib.* 9. Petrum de Valle, *Itiner. tom.* 1. An. 1582. Jesuitæ quidam, jussu Gregorii IX. Cophitas hujus loci à Nestorii & Dioscuri erroribus abducturi frustra fuere, Morerius.

Cajus, mons Hispan. ex quo Durius fluv. profluit. Julius Orat. *Fluvius Durius nascitur in Carpetaniâ, exiens de monte Cajo juxta Pyrenæum.* Ubi malè mont. hunc juxta Pyrenæum collocat, à quo abest quàm longissimè. Apud Livium *Caunus* vocatur, *lib.* 40. cùm *Cajus* sit verum nomen. Vide Vossium *ad Melam p.* 228. 229.

Cajus, prænomen fuit apud Romanos; sed veteres *Gajus* dicebant, qui multum delectati fuerunt literâ G. ut auctor libelli de Nominibus, qui Val. Maximo tribuitur, & qui cum eo edi consuevit, observat, & nomen *Gaji*, seu *Caji*, à gaudio parentum factum scribit, nimirum ἀπὸ τοῦ γαίειν *a gaudendo*. At Jul. Scaliger, *Cajum*, ab antiquitate dictum censet ἀπὸ τῆς γῆς *à terrâ* sc. Utrumque autem dicebatur *Cajus*, & *Caja*: Ita ut C rectum *Cajum*, C. inversum *Cajam* fœminam notaret. Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 7. *Cajus C. literâ notatur, quæ inversa Ͻ. mulierem declarat; quia tam* Cajas *esse vocitatas, quam* Cajos *etiam ex nuptialibus sacris apparet.* Quod de *nuptialibus sacris* dicit, Plut. explicat *in Qu. Romanis*: *Cur sponsam*, inquit, *introducentes dicere jubent*, UBI TU CAJUS, EGO *CAIA*? An quia hâc conditione pacta intrat, ut particeps rerum omnium, & gubernandæ familiæ fit? Itaque hæc verba id significant, UBI TU DOMINUS ERIS ET PATER FAMILIAS, EGO DOMINA ERO ET MATER FAMILIAS. Dicitur autem & *Cajus* & *Caius*. Mart. *lib.* 9.

Caius à primâ tremebundus luce salutat.

Idem *lib.* 2. Vocativum extulit,

Quod peto, da Cai, non peto consilium.

Ausonius, *Quis tu? Cajus ait.* Hinc adjectivum *Cajanus*. Stat. *Sylv.* 4. 9.

Emptum plus minus asse Cajano.

De quo vide sis Turneb. *Advers. lib.* 20. *cap.* 32.

Cajus, nomen viri Macedonis, cum Aristarcho, à seditiosis Ephesiis ad tribunal rapti, Act. 19. 29. & 20. 4. & Hospes Pauli. Rom. 16. Græcè Γάϊος. Vide *Gajus*.

Cajus, Patriarcha Hier. è Gente C. Rufi, à quo familia Augusti. Sueton. *in Augusto cap.* 2. Item filius Agrippæ, ex Julia, maritus Liviæ, Sororis Germanici. Obiit in itinere Hispan. Tacit. *lib.* 1.

Cajus Acerronius Proculus Cof. Collega C. Pontii Nigrini. An. urb. cond. 789.

Cajus Acilius, Julii Cæs. miles navali ad Massiliam prælio, injecta in puppim hostium dextrâ, & abscissâ, memorabile illud Cynægiri apud Græcos exemplum imitatus, transiit in navem, umbone obios agens. Sueton.

Cajus Ælius Pætus, Cof. Collega Valerii Maximi an. *U. C.* 447.

Cajus Æmilius Mamercus, tribunus militum an. *U. C.* 362. 363.

Cajus Æmilius Paulus, Cof. Collega M. Livii Denteris an. *U. C.* 452.

Cajus Antistius Vetus, Cof. Collega D. Lælii Balbi anno *U. C.* 748.

Cajus Antistius Vetus, Cof. Coll. C. Afinii Pollionis an. *U. C.* 775.

Cajus Antistius Vetus, Cof. Collega M. Suilli Serviliani an. *U. C.* 802.

Cajus Antonius, Cos. Collega M. Tullii Ciceronis an. *U. C.* 691.
Cajus Aquillius Florus, Cos. Coll. L. Cornelii Scipionis an. *U. C* 494.
Cajus Asinius Gallus, Cos. Coll. C. Martii Censorini an. *U. C.* 746.
Cajus Asinius Pollio, Cos. Collega Antistii Veteris an. *U. C.* 775.
Cajus Asinius Pollio, Cos. Collega Cn. Domitii Calvini an. *U. C.* 714.
Cajus Attilius Balbus, Cos. Coll. M. Fabii Buteonis, an. *U. C.* 508. 2. Cos. Coll. T. Manlii Torquati an. *U. C.* 517.
Cajus Attilius Regulus, Cos. Coll. L. Æmilii Pauli anno *U. C.* 529.
Cajus Attilius Regulus Seranus, Cos. Coll. L. Manlii Vulsionis an. *U. C.* 503.
Cajus Attilius Seranus, Cos. Coll. Q. Servilii Cæpionis an. *U. C.* 648.
Cajus Attilius Seranus, Cos. Coll. C. Hostilii Mancini an. *U. C.* 583.
Cajus Aufidius Victorinus, Cos. Coll. L. Septimii Severi Augusti an. *U. C.* 952.
Cajus Aurelius Cotta, Cos. Coll. P. Servilii Gemini anno *U. C.* 501.
Cajus Aurelius Cotta, Cos. Coll. Servilii Sulpitii Galbæ, an. *U. C.* 514.
Cajus Bebius Pamphilius, Insubrium agrum ingressus, cum toto ferme exercitu circumventus est. Liv. *lib.* 2.
Cajus Bellicius Torquatus, Cos. Coll. M. Attilii Glabrionis an. *U. C.* 876.
Cajus Cæcilius Metellus, Cos. Collega C. Furii Placidii, an. *U. C.* 502.
Cajus Cæcilius Metellus, Cos. Coll. *T. Didii Vinii*, anno *U. C.* 656.
Cajus Cæcilius Metellus Caprarius, Quinti Cæcilii Metelli Macedonici fil. Quinti, Lucii & Marci frater. Consul fuit Collega C. Papyrii Carbonis an. *U. C.* 631. Vide Cic. 2. *de Orat.* & Plutarchum *de fortunâ Romanorum*.
Cajus Cæcilius Caldus, Cos. Coll. L. Domitii Ænobarbi, an. *U. C.* 660.
Cajus Cæcilius Ruffus, Cos. Coll. L. Pomponii Flacci, an. *U. C.* 769.
Cajus Calphurnius Piso, Cos. Coll. A. Posthumii Albini an. *U. C* 574.
Cajus Calvisius Sabinus Cos. Coll. L. Portii Censorini, anno *U. C.* 714. 2. Cos. Coll. L. Pessieni Ruffi an. *U. C.* 749.
Cajus Calvisius Sabinus, Cos. Coll. Cn. Gætulici an. *U. C.* 778.
Cajus Caninius Gallus, Cos. Coll. M. Vipsanii Agrippæ, an. *U. C.* 717.
Cajus Cassius Varus Cos. Collega M. Licinii Luculli anno *U. C.* 681.
Cajus Cassius, *Syriæ Prætor.* anno Salutis 49.
Cajus Cassius Longinus Jurisconsultus, Cos. Coll. M. Vinitii Quartini an. *U. C.* 782.
Cajus Cassius Longinus, Cos. Coll. P. Licinii Crassi, anno *U. C.* 583.
Cajus Cassius Longinus, Cos. Coll. Sex. Domitii Calvini, an. *U. C.* 630.
Cajus Cassius Longinus, Cos. Coll. Cn. Domitii Ænobarbi an. *U. C.* 658.
Cajus Cicereius, Præfectus Corsos vicit, pax inde data an. 581. Livius *lib.* 2. *Decad.* 5.
Cajus Civilius, Albanorum Imperator an. ab *U. C.* 82.
Cajus Claudius Caninius, Cos. Coll. M. Æmilii Lepidi, anno *U. C.* 468.
Cajus Claudius Cento, Cos. Coll. M. Sempronii Tuditani, an. *U. C.* 513.
Cajus Claudius Cinna, Cos. Coll. C. Fabricii *Luscini*, anno *U. C.* 480.
Cajus Claudius Marcellus, Cos. Coll. L. *Æmilii Pauli*, anno *U. C.* 702. 2. Consul, Collega C. Claudii an. *U. C.* 705.
Cajus Claudius Marcellus, Cos. Collega L. Aruntii anno *U. C.* 732.
Cajus Claudius Nero, Cos. Collega M. Livii Salinatoris an. *U. C* 547.
Cajus Claudius Pulcher, Cos. Coll. T. Sempronii Gracchi an. *U. C.* 577.
Cajus Claudius Sabinus, Cos. Coll. P. Valerii Publicolæ, an. *U. C.* 294.
Cajus Cornelius Cossus, Trib. Milit. an. *U. C.* 353.
Cajus Cornelius Dolabella, Cos. Coll. M. Fulvii Nobilioris, an. *U. C.* 595.
Cajus Cornelius Scipio, Cos. Collega A. Attilii Calatini, an. *U. C.* 499.
Cajus Fabius Ambustus, Trib. milit. an. *U. C.* 349. 2. Trib. militum an. *U. C.* 350. 3. Trib. mil. an. *U. C.* 355.
Cajus Fabius Ambustus, Cos. Coll. C. Plautii Proculi, an. *U. C.* 398.
Cajus Fabius Interrex, an. ab *U. C* 401.
Cajus Fabius Vibulanus Ambustus, Cos. Coll. C. Furii Petilii, an. *U. C.* 344.
Cajus Fabricius Luscinus, Cos. Coll. Q. Æmilii Pappi, an *U. C.* 471. 2. Cos. Collega ejusdem an *U. C.* 475. De Samnitibus & Lucanis triumphavit. Hujus integritatem notat Eutropius. 3. Cos. Coll. Claudii Cinnæ, an. *U. C.* 480.
Cajus Fannius Domitius, Cos. Coll. C. Domitii Ænobarbi, Allobroges vicit, an. *U. C.* 532.
Cajus Fannius Strabo, Cos. Coll. *M. Valerii* Messalæ anno *U. C.* 591.
Cajus Fulvius Fimbria, Cos. Collega C. M. Nepotis anno *U. C.* 650.
Cajus Fontejus Capito, Cos. Coll. Germanici Cæsaris anno *U. C.* 764.
Cajus Fulvius Flaccus, Cos. Coll. P. Scipionis Africani an. *U. C.* 620.
Cajus Fundanius, Cos. Coll. Sulpitii Galli an. *U. C.* 520.
Cajus Furius, Trib. mil. an. *U. C.* 330.
Cajus Furius Petilius, Cos. Collega M. Papyrii Crassi anno *U. C.* 314.
Cajus Furius Placidus, Cos. Collega C. Cæcilii Metelli an. *U. C.* 502.
Cajus Fusius Geminus, Cos. Collega C. Rubelli Gemini an. *U. C.* 781.
Cajus Gallus, Cos. Coll. T. Saturnini an. *U. C.* 910.
Cajus Genutius Adventinus, Cos. Coll. Æmilii Mamerci anno *U. C.* 393.
Cajus Genutius Clepsina, Cos. Coll. Q. Fabii Gurgitis an. *U. C.* 477.
Cajus Genutius Clepsina, Cos. Coll. Cn. Cornelii Blasionis an. *U. C.* 483.
Cajus Genutius Pansa, Tribunus militum an. *U. C.* 360.
Cajus Gracchus, quietis publicæ turbator.
Cajus Hostilius Mancinus, Cos. Collega C. Attilii Serani an. *U. C.* 584.
Cajus Hostilius Mancinus, Cos. Coll. M. Æmilii Lepidi Porcinæ an. *U. C.* 617. Hic à Numantinis victus, castris exutus, ignominiosam cum eis pacem fecit. Florus, Eutropius.
Cajus Horatius Pulvillus, Cos. Coll. T. Menenii Latini an. *U. C.* 277.
Cajus Horatius Pulvillus, Cos. Coll. Q. Nautii Augurini an. *U. C.* 297.
Cajus Julius Tullus, Cos. Collega P. Pinarii Ruffi anno *U. C.* 265.
Cajus Julius Tullus, Cos. Coll. M. Geganii Macerini an. *U. C.* 308. 2. Cos. Coll. L. Virginii Tricosti an. *U. C.* 320.
Cajus Julius Tullus, Trib. Mil. an. *U. C.* 351.
Cajus Julius Decemvir, an. *U. C.* 303.
Cajo Julio Bruto, dictatore designato, actum fuit nihil an. ab *U. C.* 443.
Cajus Junius Brutus, Cos. Coll. L. Posthumii Metelli an. *U. C.* 462. 2. Cos. Coll. P. Cornelii Ruffini an. *U. C.* 476.
Cajus Junius Brutus Bubulcus, Cos. Collega Æmilii Barbulæ, an. *U. C.* 439. 2. Cos. Coll. P. Papyrii Cursoris an. *U. C.* 442. 3. Cos. Coll. Qu. Æmilii Barbulæ an. *U. C.* 452.
Cajus Junius Syllanus, Cos. Coll. T. Furnii an. *U. C.* 737.
Cajus Junius Syllanus, Cos. Coll. P. Cornelii Dolabellæ anno *U. C.* 762.
Cajus Lælius, Cos. Collega Q. Servilii Cæpionis anno *U. C.* 624.
Cajus Lælius Africanus, Cos. Coll. L. Cornelii Scipionis Asiatici, an. *U. C.* 564.
Cajus Licinius Crassus, Cos. Collega L. Æmilii Pauli anno *U. C.* 586.
Cajus Licinius Geta, Cos. Collega Q. Maximi Biburni anno *U. C.* 638.
Cajus Licinius Stolo Calvius magister Equitum an. *U. C.* 387. Trib. mil. an. *U. C.* 388. Consul, collega C. *Sulpicii Petici* an. *U. C.* 391. quo tempore pestis horrenda grassata est. Eutrop. *lib.* 2. 2. Consul, collega ejusdem Sulpicii an. *U. C.* 395.
Cajus Licinius Varus, Cos. Coll. P. Cornelii Lentuli Caudini an. *U. C.* 517.
Cajus Livius Drusus, Cos. Coll. P. Scipionis Africani Æmiliani an. *U. C.* 607.
Cajus Livius Salinator, Cos. Collega M. Valerii Messalæ, an. *U. C.* 566.
Cajus Luctatius Catulus Cæreonius, Cos. Coll. A. Posthumii Albini, an. *U. C.* 511.
Cajus Luctatius Scævola, Cos. Coll. L. Veturii Levini anno *U. C.* 534.
Cajus Manlius Capitolinus, magister Equitum, cujus tempore Sora capta fuit, ædes Junonis Monetæ ædificata an. *U. C.* 411.
Cajus Manlius Maximus, Cos. Coll. P. Rutilii Ruffi an. *U. C.* 649. Hic cum Q. Servilio Cæpione à Cimbris victus, atque castris exutus fuit. Hoc tempore Marius triumphavit de Jugurthâ.

Cajus

Cajus Manlius, Cos. Coll. L. Furii Medullini, anno *U. C.* 280. Hujus tempore induciæ Vejentibus in annos undecim datæ sunt.

Cajus Marius Nepos, Cos. Coll. L. Cassii Longini, an. *U.C.* 647. Bocchum Maurorum regem, & Jugurtham fudit.

Cajus Marius, Marii filius, Cos. Coll. Cn. Papyrii Carbonis, anno *U. C.* 672.

Cajus Marius Censorinus, Cos. Coll. C. Asinii Galli, anno *U. C.* 746.

Cajus Martius Coriolanus, à Tribunis Plebis exilio damnatus, an. *U.C.* 263. Hic multas Latinorum civitates cepit, Romam obsedit, Veturiæ matris, & Volumniæ uxoris cum imperio tum precibus obsidionem solvit an. *U. C.* 266. Eo tempore templum muliebri Fortunæ conditum, & dedicatum fuit.

Cajus Martius Figulus, Cos. Coll. P. Scipionis Nasicæ, an. *U.C.* 592. 2. Consul, Coll. L. Cornelii Lentuli, anno *U. C.* 598. Parum prosperè primùm, hinc feliciter adversus Dalmatas pugnavit.

Cajus Martius Rutilius, Cos. Coll. Cn. Manlii Capitolini, an. *U. C.* 399. Ex plebe Dictator, an. *U.C.* 400. 2. Cos. Coll. P. Valerii Publicolæ, an. *U.C.* 404. 3. Cos. Coll. T. Manlii Torquati, anno 412. 4. Consul, Collega Q. Servilii Halæ, an. 414.

Cajus Martius Rutilius, Cos. Collega Q. Fabii Rutiliani, anno *U. C.* 445.

Cajus Menenius Dictator, an. *U.C.* 441.

Cajus Menius Nepos, Cos. Coll. L. Furii Camilli, an. *U. C.* 418.

Cajo Mæcenati triennio supremo nullo horæ momento intermissus contigit somnus. Plin. 7. 51.

Cajus Mutius, civitatem ab hostibus liberavit, an. *U. C.* 47.

Cajus Mutius Scævola, Cos. Collega L. Calphurnii Pisonis, an. *U.C.* 621.

Cajus Nautius Rutilius, Cos. Coll. P. Valerii Publicolæ, an. *U.C.* 279. 2. Cos. Coll. L. Minutii Augurini, an. *U. C.* 296.

Cajus Nautius Rutilius, Cos. Coll. M. Papyrii Mugillani, an. *U. C.* 315.

Cajus Norbanus Balbus, Cos. Coll. L. Scipionis Asiatici an. *U. C.* 671. Hic à Sylla Italiam ingresso victus est. Eutrop.

Cajus Norbanus Flaccus, Cos. Coll. App. Claudii Pulchri, anno *U. C.* 716.

Cajus Norbanus Flaccus, Cos. Coll. C. Cæsaris Octaviani, an. *U.C.* 730.

Cajus Norbanus Flaccus, Cos. Collega Drusi Cæsaris, anno *U.C.* 767.

Cajus Octavius, Pater Augusti, Prætor Macedoniæ, fugitivos, reliquam Spartaci & Catilinæ manum in itinere delevit: Bessos ac Thraces magno prælio fudit. Decedens Macedoniâ, priusquam consiteri se candidatum Consulatus posset, morte obiit repentinâ, superstitibus liberis, Octavia majore, quam ex Ancharia & Octavia minore, item Octavio, nondum Augusto, quos ex Accia susceperat. Consulito Suetonium Tranquillum *in Augusti Vita*.

Cajus Oppius, historicus, cui quidam Commentarios Cæsaris de bello Alexandrino, Africano & Hispan. adscriptum eunt. Sueton. *in Cæs. c.* 53. etiam vitas illustrium virorum scripsisse creditur. Tacitus *l.* 12. illum ex primis fuisse refert, quibus à Cæsare de bello & pace tractandi summa commissa.

Cajus Papyrius Balbus, Cos. Coll. P. Manilii, an. *U. C.* 634.

Cajus Papyrius Carbo, Cos. Coll. C. Cæcilii Metelli Caprarii, an. *U.C.* 641. A Cimbris, qui in Illyricum venerunt, victus atque fusus est.

Cajus Papyrius Crassus, Trib. mil. an. *U. C.* 372.

Cajus Papyrius Massus, Cos. Coll. M. Pomp. Mathonis, an. *U.C.* 523.

Cajus Petilius Balbus, Cos. Coll. M. Fabii Ambusti an. *U. C.* 396. 2. Cos. Coll. M. Val. Corvini, an. *U. C.* 410. 3. Cos. Coll. L. Papyrii Mugillani an. *U.C.* 429. Consulibus ære alieno gravatis, ne quis in compedibus teneretur, legem tulerunt.

Cajus Petronius, Neronis jussu occisus, Tacit. *l.* 16.

Cajus Piso Vopiscus, Cos. Coll. Servii Astæ, an. *U.C.* 866.

Cajus Plautius Decianus, Cos. Coll. L. Æmilii Mamerci, anno *U.C.* 426. De Privernatibus triumphavit.

Cajus Plautius Proculus, Cos. Coll. C. Fabii Ambusti, an. *U. C.* 398. Magister equitum anno *U. C.* 400. Ad Salinas, Hetruscos, Faliscos, & Tarquinienses vicit, fudit, cecidit, ac triumphum egit.

Cajus Plautinus Venox, Cos. Coll. T. Manlii Torquati, anno *U.C.* 409. 2. Cos. Coll. L. Æmilii Mamerci anno *U.C.* 415.

Cajus Pompejus Gallus, Cos. Coll. Q. Verannii, an. *U.C.* 801.

Cajus Pontius Nigrinus, Cos. Coll. C. Arannii, an. *U. C.* 789. Agrippam in vincula conjecit. Joseph. 18. 15.

Cajus Pompejus, Samnitum Imperator, à Q. Fabio Max. filio Gurgitis securi percussus est. an. *U.C.* 461. Eutrop.

Cajus Poppæus Sabinus, Cos. Coll. Q. Sulpitii Camerini, an. *U.C.* 761.

Cajus Popilius Lænas, Consul, Collega P. Ælii Ligonis, anno *U.C.* 582. 2. Consul, Collega M. Æmilii Lepidi, anno *U.C.* 596.

Cajus Quintius Claudius, Cos. Coll. L. Genutii Clepsinæ, an. *U.C.* 482.

Cajus Quintius Flaminius, Cos. Coll. P. Furii Philonis, anno *U. C.* 531. 2. Cos. Coll. Cn. Servilii Gemini, an. *U. C.* 537. In pugnâ ad Thrasimenum lacum occisus est.

Cajus Quintius Faminius, Cos. Coll. M. Æmilii Lepidi, an. *U. C.* 567.

Cajus Quintilius, Dictator anno *U. C.* 427. Eo tempore 170. mulieres veneficæ, Romæ deprehensæ, damnatæ fuerunt.

Cajus Rubellius Geminus, Cos. Coll. C. Fulvii Gemini, an. *U. C.* 781.

Cajus Scribonius Curio, Cos. Collega Cn. Octavii, anno *U. C.* 678.

Cajus Sempronius Blæsus, Cos. Coll. C. Servilii Cæpionis, an. *U.C.* 500. 2. Cos. Coll. Au. Manlii Attici anno *U. C.* 509.

Cajus Sempronius Tuditanus, Cos. Coll. M. Aquilii an. *U. C.* 626. Contra Japygas primò malè rem gessit, mox victoriâ cladem acceptam emendavit.

Cajus Sentius Saturninus, Cos. Coll. Sp. Lucretii Cinnæ an. *U. C.* 375.

Cajus Servilius Hala, Cos. Coll. L. Papyrii Mugillani anno *U. C.* 329. Trib. Mil. magister equitum an. *U.C.* 348. 2. Trib. Mil. an. *U. C.* 345.

Cajus Servilius Portius, Trib. mil. an. *U. C.* 339.

Cajus Servilius Priscus, Cos. Coll. L. Æmilii Mamerci, anno *U.C.* 276.

Cajus Servilius Structus, Trib. Mil. an. *U. C.* 338. 2. Tribun. mil. 339.

Cajus Servilius Tucca, Cos. Collega L. Cœlii Metelli. anno *U C.* 461.

Cajus Sextilius, Trib. mil. 337.

Cajus Silius, Cos. Coll. L. Munatii Planci, an. *U C.* 765.

Cajus Suetonius Paulinus, Cos. Collega L. Telessini, anno *U.C.* 8 8.

Cajus Sulpitius Galba, Cos. Coll. P. Popilii Lænatis, anno *U C.* 622.

Cajus Sulpitius Galba, Cos. Coll. D. Haterii Agrippæ, anno *U C.* 774.

Cajus Sulpitius Gallus, Cos. Coll. C. Fundani Funduli, anno *U.C.* 510.

Cajus Sulpitius Gallus, Cos. Coll. M. Claudii Marcelli, an. *U.C.* 588. Ligures subegit.

Cajus Sulpitius Longus, Cos. Coll. P. Ælii Pæti, an. *U.C.* 419. quo tempore Minutia Vestalis Virgo, ob incestum, viva defossa est, Oros. 3. 9. Eutrop. *lib.* 1.

Cajus Sulpitius Longus, Cos. Collega M. Petilii Libonis an. *U.C.* 441.

Cajus Sulpitius Pæticus, Cos. Coll. C. Licinii Stolonis Calvii, an. *U. C.* 392. 2. Cos. Coll. cum eodem Licinio, anno *U.C.* 395. 3. Cos. Coll. M. Valerii Publicolæ, an. *U. C.* 401. Ambo Patricii, contentione de consulatu, vicerunt patres. 4. Cos. cum eodem Publicolâ an. 403. 5. Cos. Coll. T. Quintii Pœni, an. 405. Trib. Mil. an. 374. Dictator 398. Interrex, an. 400.

Cajus Sulpitius Paterculus, Cos. Coll. A. Attilii Calatini, an. *U.C.* 490.

Cajus Terentius Varro, Cos. Collega L. Æmilii Pauli anno *U. C.* 538.

Cajus Val. Cotta, Cos. Collega P. Servilii Gemini, anno *U. C.* 505.

Cajus Val. Flaccus, Cos. Coll. Marci Herennii an. *U.C.* 661.

Cajus Val. Potitius, Cos. Collega M. Æmilii Mamerci, anno *U. C.* 346. Trib. Mil. an. 341. 2. Trib. Mil. an. 350. 3. Trib. mil. an. 353.

Cajus Veturius, Trib. Milit. an. *U. C.* 380. 2. Trib. Milit. an. *U. C.* 386.

Cajus Vibius Pansa, Cos. Coll. A. Hirtii, an. *U. C.* 711.

Cajus Vipsanius Apronianus, Cos. Coll. L. Fonteii Capitonis, an. *U.C.* 811. aliis C. Vipsanius Publicola.

Cajus vel *Gajus*, Dalmata, Diocletiani Imperat. propinquus, creatus est anno 283. Episc. Rom. post Eutychianum martyrio sublatum. Martyres sanctos, inprimis ex fratre Gabinio presbytero neptem Susannam, quam Diocletianus genero suo Maximino Galerio conciliare uxorem volebat, ad mortem pro fide strenuè subeundam hortatus, eâdem coronâ dignus habitus est, anno 296. Eusebius *in Chronic.* & *Histor. libro* 7. *capite* 26. Nicephorus *lib.* 6. *cap.* 34. Platina, Genebrardus, Onuphr. *Tom.* 1. *Concil.* Baron. Anno Chr. 281. 296. Balæus, *in Vita Caji.*

Cajus, vel *Gajus*, eruditione insignis, disputavit publicè, contra Proclum, Montani celebrem discipulum, illumque ad ἐχεμυθίαν redegit. Vide Eusеb. *lib.* 6. *cap.* 14. Hieron. *de Script.* Accidit hoc an. 215.

Calabastores, Africæ opp. Procop.

Calaber, Jovis fil. frater Tænari & Cæresti. Steph.

Q. Calaber, lib. 14. scripsit, τὰ μεθ' Ὅμηρον, sive Παραλειπόμενα: quomodo inscripsit, quia Homerus historiam de Ilio non absolvit. Vulgò solent *Calabrum* vocare, quia eum Bessarion, Nicææ Cardinalis, extra Hydruntem, marit. Calabriæ opp. in

pervetustâ æde B.Nicolai reperit. Atque hoc etiam in Græcâ Constantini Lascaris Grammaticâ legere est. Nunc verisimilius *Smyrnæum* nominant, quia ipse lib. ult. dicat se περικλύτοις, sive illustribus Musarum ovibus Smyrnæ pascendis operam dedisse. Ex quo si de patriâ haud certò colligitur, saltem videmus, Scholam non infrequentem habuisse Smyrnæ. At nullo nititur fundamento, quòd eum Ptolemæus Flavius Romanum putavit. Vossius. Elegans admodum author est, Coluthi, Tryphiodori, & Musæi non multum absimilis, dignus certè, qui omnium manibus teratur; Et ut Homerum in argumento sequitur, ita in Lectione eundem comitari debeat.

Calabria, vulgò *Terre de Labeur*, olim Magna Græcia, Pythagorâ Philosophorum primo insignis insula, quam veteres *Mesapiam* a duce Mesapo, *Peucetiam* à Peucetio Oenotri fratre dixere. Ea ἀπὸ τῦ καλὸς, & βρύω, quoniam sit regio onerosa, & plena omni genere bonorum, dicitur. Aliam verò Etymologiam exhibet nobis vir Maximus, *lib.* I. *de Phœn. Col. his verbis*: Hebræis Doctoribus, inquit, pix alio nomine קלב *calab*, aut קלבא *Calba* dicitur. An hinc vicinæ Brutiis nomen Calabriæ? quæ & ipsa picea est, aliisque arboribus piciferis abunde ferax. Huc facit, quòd *Calabria* Græcè Πευκετία *Peucetia* dicitur, ἀπὸ τῶν πευκῶν, *a piceis arboribus*. Apibus etiam & ovibus abundavit olim hæc regio. De utrisque Horat. *in odis*,

Quanquam nec Calabræ mella ferant apes.

Et, *Pecusve Calabris ante sidus fervidum*
Lucana mutet pascua.

Et alibi,

Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta. ——

Ubi *æstuosæ*, ob canem Cœlestem. Val. Flaccus *lib.* 1.

—— *Sic cùm stabulis, & messibus ingens*
Ira Deum, & Calabri populator Sirius arvi
Incubuit, &c.

Armenta quod attinet, idem Val. *lib.* 3.

Continuo, volucri ceu pectora tactus asilo,
Emicuit Calabris taurus per confraga septis
Obvia quæq; ruens.

Idem ibidem,

—— *Calabris redit armentarius arvis.*

Hinc *Calabræ oves* pro eximiis accipiuntur. Colum. 7. 2. Et Persius *Sat.* 2.

Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus.

Ubi vulgò exponunt *Lanas Tarentinas*. Tarentum autem civitas Calabriæ est, ubi lana optima, teste Plin. *lib.* 8. *cap.* 48. Unde Horatius,

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Oleis etiam nobilem fuisse regionem hanc innuit Columella. Sic enim ille, *Veruntamen habetur præcipua in hos usus olea Calabrica, quam quidam, propter similitudinem, oleastellum vocant.* Hujus regionis incolæ *Calabri* dicuntur, fructibus imprimis abundantes, quos quoniam hospitibus obtrudebant, sibi alioqui nulli usui futuros, factum est, ut *Dona Calabri hospitis* in proverb. cesserint, pro nullius pretii muneribus, quæ donanti oneri magis sunt, quàm usui, Horat. *Ep.* 1. 7.

Non quo more pyris vesci Calaber jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem.

Chersydris serpentibus olim hæc regio abundabat, teste Solino *cap.* 8. *Calabria Chersydris frequentissima*, quorum meminit Virg. *Georg.* 3.

Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis.

In Calabria natus est Ennius poëta Rudiis ignobili oppido, ubi & hortos amœnissimos possedit. Ovid. *lib.* 3 *Mataeotechnias*:

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

LLoyd. Olim Messapiam, teste Brietio, complectebatur, sub qua Salentini & Calabri pop. eratque in modum penins. extensa, inter mare Adriaticum & sinum Tarentinum; Ibique urbes præcipuæ Hydruntum, Brundusium, Tarentum, Gallipolis & Aletium, ubi nunc prov. *Terra Hydruntina*. Hodierna Calabria verò ampla est prov. regn. Neap. maximè in Austrum extensa, versus Siciliam, ubi aliàs Brutii & magna Græcia. Estque duplex, *Citerior*, quæ magis in Boream, & *Ulterior*, quæ magis in Meridiem tendit. Utraque est inter mare Tirrhenum & Jonium, à Borea in Austrum extensa. Citerioris caput Consentia, Ulterioris seu Infer. S. Severina est. Baudr. Vid. Plin. *lib.* 3. *cap.* 11. Ptol. *lib.* 3. Strab. *lib.* 6. Cluver. *lib.* 3. Merul. *Cosmogr. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 27. Leand. *descript. Italiæ*. Hâc Saraceni pulsi, à Pipino A.C. 809. Sigon. *lib.* 4. illam iterum vastarunt duce Achapso. A. 828. Cedren. *in Hist.* iterumque A. 910. Sigon. *lib.* 6. Græcis adempta est, ob Legatos contumeliosè habitos, ab Ottone M. an. 968. Idem *lib.* 7. Ottoni II. vicissim erepta est à Basilio, an. 978. Sed Græci denuo pulsi ab Henrico II. Imper. an. 1022. Sigon. *lib.* 8. A Nicolao II. unà cum Sicilia & Apulia, Normannis in feudum concessa est, an. 1058. Recepta ab Henrico VI. mortuo Tancredo, an. 1192. P. Æmil. *lib.* 6. Carolus postea Claudus Apuliæ Rex, ex captivitate istis legibus dimissus est, ut Calabriâ, cum Apulia, Neapoli & Tarento contentus, Siciliam & Sardiniam Arragoniis relinqueret, an. 1288. Idem *lib.* 7. recuperata tamen est à Friderico Siciliæ Rege, an. 1312. &c. Hodie cum toto regno Neapol. sub Hispanis est.

Urbes Calabriæ, quæ extant.

Bisinianum, *Bisignano.*	Nicotera, *Nicotera.*
Cantazara, *Cantazaro.*	Rhegium, *Regio.*
Cariathis, *Cariati.*	Rossanum, *Rossano.*
Consentia, *Cosenza.*	S. Severina.
Nicastrum, *Nicastro.*	Umbriaticum, *Umbriatico.*

Calabrites, Achajæ urbs in Peloponneso. Laonicus *lib.* 9.

Calabrus, Calabriæ fluv. Pausan.

Calabrya, Asiæ min. locus, à bonæ aquæ scaturiginibus sic dictus. Zonar. Curopalates.

Calachana, Armeniæ min. regio, Strabo.

Calachena, Assyriæ regio, Strab. *lib.* 16. *Calacina.* Ptol.

Calacta, Siciliæ lateris Septentrionalis urbs maritima Ptolem. *Acque dolci* Leandro. *Calora* Nigro. *S. Marco* Fazello. Athenæo *lib.* 6. memoratur, Καικίλιος ὁ ῥήτωρ ὁ ἀπὸ καλῆς ἀκτῆς. Nunc ad amnem *Fitaliam*, 3. mill. ab ora maris Tirrheni. Baudr. Ciceroni *Verrinâ quartâ* memoratur Eupolemus *Calactinus*, ubi perperam vulgò *Calatinus*. Antiquissima loci Calactæ mentio est apud Herod. *l.* 6. Vide Diod. *l.* 12.

Calacticus, sinus circa Hisp. Bæticam, Sex. Avienus.

Caladunum, Callaicorum Bracariorum urbs inter Asturicam & Bracaram. Ptol. Anton. Ubi nunc Mirandela, castrum Portugall. ad Tuelum amnem, in prov. Transmontana, inter Lamegam & Bragantiam.

Cala, civitas in Indiâ, item insula inter Taprobanam. Ptolemæus.

Calagia, Germ. opp. Ptol. quod Pet. Appianus *Wittenberg* interpretatur. In Saxoniâ situm est ad Albim fluv. Sansoni, Jena urbs est. Aliis *Kalbe*, castrum ad confluentes Salæ in Albim, paulò supra Darbicum, infra Servestam & Bernaburgum.

Calai, insulæ sunt in ostio sinus Persici. Arrian. *in Periplo.*

Calanus, fons Lyciæ, aliàs *Calbius*. Steph.

Calagna, Colonia est apud Onuphrium ex Frontino.

Calagorgis, Gall. Aquitanicæ urbs, Anton. nonnulli putant *Bigerriones* esse Cæsaris.

Calagorina, Vasconum in Hispan. Tarrac. urbs. Ptol. *Calagurris* Straboni est. *Calagurris Nascica*, Plin. *Calaborra* eam appellat Varrerius. *Calagurris* dicitur Livio. Itemque Prudentio *in Peristeph. Hymn.* 7.

Nostra gestabit Calagurris ambos
Quos veneramur.

Hujus, ut & Quintiliani, Patria. Surita, *ad Itiner. Anton.* De Marca, *histor. Bearn.* Vide *Calaguris*. Pop. *Calaguritani*, *Nasaci.* Plinio 3. 3.

Calaguris, urbs episc. Hisp. Tarr. ad Iberum fluv. ubi recipit amnem *Cidacos de Castiglia*. 13. leuc. à Calciata in Ortum; prope confinia Navarræ. Vulgò *Calahorra*. Plinio *Calagurris Fibularia*, qui etiam alterius urbis, *Calagurris Nascica*, meminit. Fortissimos olim milites tulit, in Principum excubias, ut hodie Helvetii, expetitos. Vide Suritam, *ad Itin. Anton.* Marcam *Hist. Bearn.* & supra, in *Calagorina*.

Calais, Boreæ ex Orithyiâ filius alatus, qui unà cum Zethe fratre similiter alato cum Argonautis Colchos profectus est. Quâ in expeditione cùm à Phineo rege humaniter essent accepti, Harpyias, quæ epulas ejus fœdabant, persequi constituerunt: quas cùm & alarum auxilio & sagittandi peritiâ in Plotas usque insulas fugassent, ab Iside admoniti sunt, ne Jovis canes ulterius prosequerentur. Inde itaque retrorsum reversi, duas illas insulas, in quibus Harpyias reliquerunt, à conversione suâ *Strophadas* appellarunt, cùm antea *Plotæ* dicerentur. Postremò ab Hercule occisi dicuntur, & in ventos commutati, qui caniculæ exortum dies ferè octo præveniunt, unde & πρόδρομοι, id est, *Præcursores* appellantur. De his Apollon. *lib.* 1. Natalis Com. *Myth. lib.* 8. *cap.* 11. Alex. Rossæus, *in Mystagogo Poet.* Ovid. *Met.* 6. *fab.* 8.

Barbaq; dum rutilis aberat subvexa capillis,
Implumes Calaisq; puer, Zethesq; fuerunt. Vide eundem *lib.* 7. *f.* 1. Propert. 1. 19. *De Hylâ puero*:

Hunc duo sectati fratres Aquilonia proles,
Hunc super & Zethes, hunc super & Calais.

Item nomen pueri, Horat. *Carm.* 3. 9.

Me torret face mutuâ
Thurini Calais filius Ornithi.

Calama, Africæ urbs inter Constantinam & Hipponem. Orosius. Hujus sæpe meminit D. Augustinus. *Calamata*, ut videtur.

Calama, Carmaniæ vicus litori vicinus. Arrian.

Calamæ, urbs Messeniæ in Peloponneso. Steph ex Polyb.

Calamentha, urbs Libyæ, vel Phœnicum. Steph.

Calamiana, insula oblonga Asiæ in mare Ind. inter Borneum & Philippinas extensa, sub proprio Rege. Aliter *Paragoja.*

Calamina, vulgò *Malipur*, & Lusitanis *Citta di S. Thoma*, urbs

urbs parva Indiæ citerioris, versus oram littor. sinus Gangetici, in regione Coromandelis, quæ pars est Narsingæ, satis culta, & à Christianis S. Thomæ dictis, inhabitata 25. mill. à Paliacata in Austr. ubi corpus D. Thomæ Apostoli superioribus annis inventum scribit Mapheus cum aliis.

Calamina, ins. sitæ sunt in Torrhebiâ palude, seu lacu, quem Nymphæum vocant, appellanturque *Nympharum insula*, itemque *Saltares*, quoniam in Symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur, ut Plin. scribit: tametsi à *Calaminis* distinguere videtur Cælius Rhod. 9.3.

Calamina, ins. in Lydiâ, quæ non ventis solùm, sed etiam contis, quò libeat pulsæ, multorum civium Mithridatico bello saluti fuere. Plin. 2. 95.

Calamis, cælator egregius. Prop. 3. 8.

Gloria Lysippo est animosa effingere signa,
Exactis Calamis se mihi jactat equis.

Ovidius *Calaim* vocat, ut vulgò legitur: *Pont.* 4.1.

Vendicet ut Calais laudem quos fecit equorum.

Sed legendum *Calamis*. Vide Plin. 34. 7. Et Quint. 12. 10.

Calamissus, Locrorum opp. Plin. 4.3.

Calamoboas, Antipater cognominatus est: nam cùm nec vellet, nec posset congredi cominus cum Carneade, qui magnâ vehementiâ invehebatur in Stoicos, semet ad scribendum vertit, multosq; libros edidit maledicos, in quibus passim contradicebat Carneadi. Ergo non linguâ sed calamo vociferabatur, Erasmus.

Calamona, Ægypti & Arabiæ opp. Lib. Notit.

Calamos, Asiæ oppidum, in orâ subjectâ Libano monti. Plin. *l.5.c.*20. Urbs item Phœniciæ. Polyb. Et civitas Babyloniæ. Strabo.

Calani, Indiæ pop. ex quibus oriundos Judæos tradit Clearchus apud Euseb. *Præp. Evang. lib.* 9.

Calantica, pag. Lusit. Eboræ urbi proximus, *Arrajolas*. Jac. Vasconc.

Calanus, Philosophus ex Gymnosophistis Indis, qui secutus Alexandrum Magnum extra Indiæ fines, cùm apud Pasagardas an. æt. 83. ægrotare cœpisset, factâ pyrâ, & aureâ lecticâ superimpositâ, in eâ cubans spectante toto exercitu, in aciem disposito, & certis hominibus fragrantissimos odores pyræ affundentibus, combustus est, sine ullo doloris indicio, stramentis opertus. Fertur, cùm Alexander M. rogaret eum, si quid vellet, dixisse: *Propediem Te videbo.* Quod etiam contigit, nam in Babylone paucis post diebus Alexander mortuus est. Arrianus. *Indi*, inquit Suidas, *quemq; sapientem Calanon vocant.* Cæterùm de hujus disputatione & interitu plura vide apud Diod. *l.* 17. Q. Curt. *lib.* 10. Arrian. *lib.* 7. Valer. M. *lib.*1. *cap.*10. *ex.* 26. Strab. *lib.* 15. Casaub. 206.

Calaon, Asiæ fluv. circa Colophonem. Pausan.

Calapis, Pannoniæ memorandus amnis in Saum influens, juxta Scissiam, gemino alveo insulam ibi efficiens, quæ *Segestica* appellatur.

Calaris, Sardiniæ primaria civitas, in 4. partes dividitur; media fortissimo muro septa propriè *Calaris* est, ea quæ Orientem spectat *novum oppidum*; ea quæ Meridiem respicit, *La Gliapola*, & quarta, quæ ad Occasum vergit, *Stampax* nominatur. Suntque hæ 3. partes suburbia quædam, & appendices urbis Calaritanæ. *Calaris* Hirtio, & *Caralis* Ptolemæo. Florus eam *urbem urbium* vocat. pop. *Calaritani*. Vide *Caralis*, & infra.

Calaris, urbs triplex, cum portu capacissimo, in mari Africo. Sub Hisp. cum tota Ins. ab an. 1330. quo capta fuit à Johanne I I. Arragonum R. ab ea pars Australis Ins. dicitur prom. Calaritanum. Ab Arborea 50. mill. in Ortum. Baudr.

Calarna, urbs Macedoniæ. Steph.

Calaroga, oppidul. Diœcesis Oxoniensis, in Hisp. in Castella vet. patria Institutoris Ord. Prædicat. Dominici.

Calarona, locus Antonino quidem non memoratus, antiquus tamen. In illo tribunum & cohortem locat Lib. Notit. ita enim ille: In *prov. maxima Sequanorum*, *Tribunus cohortis primæ Flaviæ Calaronæ.* Manet hodieque nominis vestigium in arce, *Glerolles*, vel *Gleroule*, ad lacus ripam, prope vicum S. Symphoriani, in præfectura Lausannensi. Vicus ne fuerit olim, an oppidum, an castrum potius? in incerto est. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nova Antiq.*

Calarona, quoque *Glarona*, opp. Helvet. ad *Sarneff* amnem. fœdus iniit cum reliquis pagis, an. 1351. Vide *Glarona*.

Calarus, insula, alias *Alopecia*, vel *Atopeconnesus*, aliàs *Calerus* civitas est dicta. Steph.

Calas, ab Alexandro Magno Paphlagoniæ ac Enetis præpositus. Videtur is esse, qui Diodoro *lib.* 17. vocatur *Callas*, in Troade à Persis superatus, confugit deinde Rhœtium. Filius fuit Harpali, præfuit mille & octingentis Thessalis regem in Asiam secutis. Ibid. 571.

Calasarna, Lucanorum urbs, nunc *Capana* in Calabriâ. Aliis est *Campana*, oppidul. Calabriæ cit. juxta amnem Lacanetum 4. mill. ab Umbratico.

Calasiris, pars Ægypti, unde incolæ *Calasirii*. Steph.

Calata, *Galeata*, Anton. opp. Siciliæ medium inter Pactas ad Occid. & Troynum ad Ort. 25. m. p. pop. *Calatini*. *Calata*, altera, urbs Siciliæ mediterranea, Ennæ urbi finitima. *Calatagirone* Clusio. Ferrarius. Intra montes, crevit ex ruinis Zoticæ, habetque vicinum Achatem fluv. in Africum mare se exonerantem.

Calatagirone Bonaventura, Franciscanorum Generalis, à Clemente VIII. Patriarcha Constantinop. designatus, Galliæ R. cum Hispanis, reconciliando operam navavit. Vide *Bonaventura*.

Calataræ, Bactriani pop. Ptol.

Calathana, Macedoniæ vicus. Livius.

Calathe, vulgò *Calathusam* vocant, nomen urbis ad Herculis columnas sitæ. Steph

Calathe, vulgò *Galata*, ins. maris Africi Numidico sinui adjacens. Aliis esse videtur *la Goletta* ins. cum arce in ora sinus Tunetani, ab Hispanis diu possessa, & superioribus annis ob nimiam distantiam amissa.

Calathion, Laconiæ mons, Pausan.

Calathis, nomen civitatis, Κάλατις Straboni, in Illyride.

Calathus, fil. Jovis, & Antiopes, Hom.

Calathusa, ins. inter Chersonesum, & Samothracem deserta. Plin. 4. 11. Item ins. in Ponto. Steph. Et Arabiæ Desertæ opp. Ptol.

Calatia, urbs Campaniæ, *Gajatzo* Leandro. Silius *l.* 8.

—— *Nec parvis aberat Callatia muris.*

Opidani *Calatini*, Liv. 22. & 26. Coloniam huc deduxisse C. Julium Cæsarem author est Appian. Alex. Unde Cic. *ad Att.* 16.6. *Octavianus veteranos, qui Casilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam.* Ipse Appianus *Civil.* 3. Ὁ δὲ Καῖσαρ Ὀκταουΐος ἐς Καμπανίαν ᾔει. πείσων τὰς πόλεις στρατεύεσθαι τὰς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ᾠκισμένας· καὶ ἔπεισε Καλατίαν πρώτην, ἐπὶ δ' ἐκείνῃ Κασιλῖνον. Baudrando urbs est Regn. Neap. in prov. Terræ Laboris, prope Vulturnum fluv. & sensim deficit.

Calatibus, urbs Libyæ. Steph.

Calatia, opp. Indiæ. Steph.

Calatis, opp. in maritimâ regione Ponti. Steph. Item Thraciæ civitas Plin. 4. 11. quæ antea *Acervetis* vocabatur.

Calatrava, urbec. Castell. novæ, ad Anam fluv. aliàs munita. Hinc tractus adjacens campus Calatravæ, & Ordo militaris Equitum Calatravæ. 3. leuc. à Civ. Reg. 4. ab Almagro.

Calatrava, ordo militaris in Hisp. institutus à Sanctio III. Castellæ Rege. Hic enim cùm arcem validam *Calatrava* Mauris Andaluziæ eripuisset, ejus defensionem Templariis obtulit, qui eam tueri desperantes Regi restituere. Abbas autem Raimundus, Cistertiensis, pluribus egregiis viris stipatus, munus hoc in se suscepit, unde Ordini initium, an. 1185. Sub Alphonso nobili dein plurimum auctus, magnos Magistros habere cœpit. Usque ad annum 1489. quo Magisterium hoc à Ferdinando & Isabella coronæ innexum est. Hodieque 24. beneficiaria prædia hujus ordinis equitum in Hisp. reperire est. Paulus III. illis conjugium permisit. In pectore rubram gestant crucem. Rodericus de Toledo, Mariana, Fauyn. & Baronius.

Calatum, mel. *Calacum*, Albionis ins. opp. *Tadcaster* & *Helcaster* Lhuydo. Aliis *Overburrow*, lacus agri Lancastrensis, inter Lonum & Laccum, amnes. Camdeno videtur *Wheallep castle* in reg. Westmariæ.

Calavii, Campana gens. Livius.

Calavius Sabinus, duodecimam legionem in Armeniâ, sub Cæsennio Pæto, rexit. Apud Tacitum 15. *Annal. cap.*7. Ubi tamen magis placet Fulvio Ursino *Flavius Sabinus*.

Calauria, vulgò *Sidra*, teste Sophiano, ins. sinûs Argolici contra Troezenem, ubi Demosthenes Antipatri persecutionem fugiens accepto veneno obiit. Ibi Diana colebatur. Ovid. *Met.* 7.

Inde Calaureæ Latoidos aspicit arva.

De quâ Proverbio datus locus, *Pro Delo Calauria*: In mutui beneficii memoriam. Fertur enim Neptunus cum Latonâ permutationem fecisse, & datâ Delo Calauriam habitasse. Ejus meminit Dionysius *vers.* 499.

Αἰγιαλά τ' ἠδὲ Κύθηρα, Καλαυρειά τε τρηχεῖα.

Vide Schol. *ad locum.* Item Insula parva, juxta Cretam, à *Calauro* Neptuni filio dicta. Vocabatur etiam *Irene*. Steph.

Calazophylaces, Græcorum Sacerdotes, qui grandines cùm instarent, specularentur. Hi enim agni, vel pulli sacrificio avertere credebantur: Sed si agnus vel pullus defuisset, digitum graphio, stylove feriebant, atque inde fuso sanguine litabant. Hos Cleon instituit, ut videre licet in Gyraldo *lib. de Diis Gentium.* Lege *Chalazophylaces* à χάλαζα *grando.*

Calbis, Cariæ amnis. Pompon. 1. 16. Ubi libri veteres vocant *Galbiam*, non *Calbin*. Græcis est Κάλβις, & Κάλβιος, ac forsan etiam Καλβίας. Stephanus & Καλαυνὸν fuisse dictum prodit. Κάλβιος, inquit, κρήνη Λυκίας, ἣν καὶ Καλαυνὸν φασι. Nihil in his verbis est mutandum. Nam Καλαυνὼ mater Tragasiæ fuit, ex quâ natus Caunus & Byblis. Colligere id est, ex versibus istis, qui apud Parthenium extant, quos emendatos adscribit Is. Voss. Notis *ad Melam loco dicto*:

Αὐτὰρ ὅγε προτέρωσε κιὼν Οἰκούσιον ἄστυ
Κτίσσατο. Τραγασίη δὲ Καλαυνοῦς εἵσατο παιδὶ,
Ἣ οἱ Καῦνον ἔτικτεν ἀεὶ φιλέοντα θέμιστας.
Γείνατο δὲ ῥαδαλῇ σ' εἰκαλίγκιον ἀρκεύθοισι
Βυβλίδα, τῆς ἤτοι ἀέκων ἠράσσατο Καῦνος.

Βῆσ᾽ ἐπ᾽ ἔραν Δίας φαύζων ὀφιώδεα Κύπρον
Καὶ Κράγος ὑλιγενὲς, καὶ Κάρια ἱερὰ λοετρά.
Ἔνθ᾽ ἤτοι πτολίεθρον ἐδείματο πρῶτος Ἰώνων.

Deæ hujus, quæ ad Miletum sita est, meminit Steph. Ut autem ad Galbin fluv. revertamur, is & aliud habet cognomen, Indum quippe vocat Plinius, additque eum ortum in Cyburatis, 60. alios recipere fluvios, & plus quam 100. torrentes. Nomen huic amni dedit Indus quidam ab Elephanto excussus, ut ex Livio constat. Verùm & alio olim nomine notum fuisse fluvium hunc existimo, *Mausoli* nempe. Hoc non aliunde conjicio, quàm ex nugatore illo, qui, sub nomine Plutarchi, libellum de fluminibus composuit; qui Indum fluv. illum nempe, qui est in Indiâ, prius Mausolum dictum fuisse tradit. Legerat proculdubio istud de hoc Cariæ Indo. Nulli autem mirum videri debet, Mausolum flumen esse in Cariâ, cùm etiam universi olim Cares Mausoli dicti fuerint.

Calcaria, urbs Ducat. Clivensis parva, sed lepida, 1. leuc. à Rheno, 2. à Clivia urbe. Sub dominio Elect. Brandeburgici, ad amnem Men.

Calcaria, locus inter Massiliam, & Fossam Marianam. Item Angliæ opp. Anton. *Kalcacester* Bedæ, teste Ortelio, *Aberford* Camdeno: est autem in agro Eboracensi vel *Tadcaster* opp. ejusd. reg. ad *Wherfum* fluv.

Calce, Campaniæ civitas. Strabo 5.

Calcedonia, urbs Asiæ min. *Scutaret*. Vide *Chalcedonia*.

Calchas, antis, Græcus augur, Thestoris fil. (à quo Thestorides à Poëtis vocatur) qui cum Græcis ad expeditionem Trojæ profectus est: & quoniam divinandi arte plurimum præstabat, ejus consilio multa gesta sunt. Nam, cùm in Aulide Græcorum classis adversis ventis detineretur, Agamemnonem docuit, quâ ratione Dianæ ira placari posset; & ex serpentis augurio, qui in arborem surrepens, decem passeris pullos unà cum matre devorarat, decimo demum anno Ilium captum iri ostendit. Exortaque deinde ad Trojam pestilentiâ, viam monstravit, quâ Apollinis ira posset mitigari. Quapropter, inter cæteros Achilli acceptissimus erat, adeò ut ejus præsidio plerumque defenderetur, præcipuè verò, cùm censuit Chryseidem patri reddendam esse. Tum enim Agamemnon non solùm in vatem, sed etiam in ipsum Achillem infensus ferebatur. Dirutâ autem Trojâ reversus cum Amphilocho Amphiarai filio, terrestri itinere Colophonem (urbem Joniæ) veniens, cùm in luco Apollinis Clarii extra urbem apud Samum in Mopsum præstantissimum augurem incidisset, artis peritiâ ab illo superatus, dolore contabuit, quòd propositâ sibi à Mopso caprifico (ut refert Hesiodus) aut (ut Pherecydes mavult) sue gravidâ, conjicere non potuisset, quot in illa ficus essent, quotve hæc utero suculas gereret: quos tamen Mopsus sine ullo errore divinavit. Hom. *Iliad.* Virgil. *Æneid.* Plinius alterius Calchantis meminit, *lib.* 3. *cap.* 11.

Calchut, opp. Angliæ, concilio an. 787. tempore Adriani I. habito, notum. Concil. *tom.* 7.

Calciaci, pop. German. infer. quorum urbs teste Junio dicitur *Calcaria*, vulgò *Calkar*, in Ducatu Clivensi. Ortel. negat *Calciacos* à Tacito memorari, sed *Talbiacum*.

Calciata, urbs Castell. Vet. in Rivogia regiunc. Episc. sub Archiepisc. Burgensi. Parva intra montes. 12. leuc. à Calaguri in Occas. & 3. à Nagera. *La Calzada*, seu *S. Domingo de la Calzada* vulgò.

Caldius, militari joco sic dictus est Claudius Cæsar, quemadmodum *Biberius* pro *Tiberius*, & *Mero* pro *Nero*. Sueton.

Caldone, promuntorium Indiæ, propinquum flumini salso.

Caldonatium, opp. agri Tarvisini.

Calduba, Turdetanorum in Bæticâ urbs.

Cale, urbs Lusitaniæ, hodiè *Puerto*. Baudrando, oppidul. aliàs Callaicorum Braccariorum, ad ostia Durii flum. cum portu admodum frequenti, propter piscationem, unde dictus *Portus Cale*; crevit in Civit. opulentam, unde postea *Portugallia* nomen. Emporium est celebre & maximè à Belgis frequentatum. Est & in Galliâ hoc nomine urbs, quam Sallustius captam à Perpennâ commemorat. Servius *in Æn.* 7.

Cale, les, vel *Cales, lium*, sive *Calenum*, opp. Campaniæ non procul à Casilino, in cujus agro vinum generosum nascebatur. Hor. 4. *Carm.*

—— Pressum Calibus ducere Liberum.

Et alibi,

Cæcubum & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam.

Juv. *Sat.* 1.

Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam.

Ibi ridiculè quidam *Calænum.* qu. καλὸς οἶνος, cùm sit à *Cale* Camp. opp. Virg. *Æn.* 7.

—— Vertunt felicia Baccho
Maßica, qui rastris & quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora, quique Cales linquunt.

Sil. *lib.* 8.

Nec cedit studio vicinus sanguine miles,
Quem genuere Cales, non parva conditor urbis,
Ut fama est Calais, Boreæ quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutrivit in antris.

Idem nescio cur *l.* 12. eam singulari numero appellavit:

Threiciamque Calen, vestras à nomine nati
Orithyia domos.

Fuisse haud postremæ notæ urbem, auctor est Strabo *lib.* 5. Καὶ ἡ ἐφεξῆς ἡ τῶν Καληνῶν πόλις καὶ αὕτη ἀξιόλογος, συνάπτουσα τῷ Κασιλίνῳ.

Cale, urbs Italiæ ad Cantianum amnem, ubi recipit Boasim, ad radices montis Apennini; in dit. Pontif. Nunc *Calium*. Ital. *Cagli*. Vide *Calle*.

Cale, seu *Cala*, oppidul. Galliæ cum celebri monasterio Monialium, in prov. inf. Franciæ, prope Matronam fluv. 4. leuc. à Parisiis. Vulgò *Chelles*.

Caleacte, quasi, *pulchrum littus*. Vide *Calacta*.

Calearius, lacus Africæ. Orosius.

Caleb, id est, *quasi cor*, aut *canis*, vel *canistrum*, filius Jephunne. Natus A. M. 2506. inter exploratores terræ Canaan, cum Josua, se reliquis, populum absterrere volentibus, strenuè opposuit, unde etiam solus cum illo solo terram promissam ingressus est, in cujus divisione Hebron ei cessit. Othonielem generum nactus, captâ prius urbe Cariath-Sepher, obiit An. M. 2617. ætat. 113. Num. *cap.* 13. 14. *& sequentibus.* Jos. *c.* 14. *&* 15. Jud. *cap.* 1. Joseph. *Antiq. lib.* 3. *cap.* 13. *& lib.* 5. *c.* 2. Torniel. Salian. *Annal.*

Calecut, urbs Indiæ Oriental. cis Gangem præcipua. Emporium celebre, caput regni perampli, in ora Malabarica, cum portu satis capaci. A Cochino 20. leuc. Hisp. circiter; vix decem à Cananora. Ejus Rex *Zamorinus* dicitur, i. Supremus Imperator, & Deus in terris. Pelago alluitur; vasta est admodum absque mœnibus, intus pluribus in locis vacat, domus non sunt contiguæ, invicem distantes plurimum, lapidibus & calce extructæ, interiores partes sculptæ, pro imbrice palmis utuntur, illisque suas ædes tegunt. Fores prægrandes habent, miroque artificio fabrefactas, quas muro cingunt instar pomœrii. Ibi visuntur arbores innumeræ, stagna, & fontes complusculi, ubi sæpius, & quater ferè interdiu lavantur. Rex Idolorum latriæ mirè est addictus, cui à subditis suis servitus incredibilis exhibetur. Cùm egreditur, carpento, seu curru vehitur, quem bini viri ferunt, omni lapidum genere condecoratum. Carpentum stipant choraulæ, præcones, buccinatores, & id genus quamplurimi. Patritii verò & eminentiores suæ ditionis omnes sequuntur, enses denudatos, & clypeos teretes gerentes; Sagittarii etiam ac velites præcedunt, itinera explorantes; tentorio rex incedens tegitur, ad quem propius quis non accedit, quàm ad 3. & 4. passus. Extra solennis autem pompæ tempus habitu non multùm à cæteris differente utitur. Cùm ei aliquid porrigunt, ac si stipem darent elephanto, ab ipsis tremebundis in ramo porrigitur, quoniam regem apud eos tangere nefas sit. Ditissimi & innumeri sunt in hac civitate mercatores, quorum commercia sunt lapides pretiosi, aromata omnis generis undequaque importata: panni ex serico omnium generum, & auri intertexti plurifariam, ærea autem fabrefacta & stannea vasa plurima: deniq; nihil ferè ibi desideratur, quod ad humanum cultum pertineat. Cadamustus *in Navigat.* & Ludovicus Patricius Romanus. Rex autem Calecutianorum, qui è stirpe Braminis esse debet, urbis hujus conditoris, (inquit Munsterus, *in Cosmographia*,) latriæ Dæmonum est addictissimus. Habet enim Dæmonis imaginem, in sacello suo sedentem; diademate redimito ejus capite, quod quaterna fulciunt cornua: Naso est deformi, torvis, trucibusque oculis, vultu minaci, aduncas manus harpaginis instar habet, pedes verò gallo haud absimiles, quod quidem monstrum ingens, & horrendum; qui conspicantur, pavent continuò. Res est sanè visu indignissima, eademque admodum horrifica. Sacellum ambiunt picti dæmones, & in singulo angulo sedens ex ære visitur Satanas, ita affabrè factus, ut undecunque flammescere videatur. Singulis diebus manè eorum sacerdotes, qui *Bramini* dicuntur, memoratum idolum rosaceâ, & hujusmodi odorifero latice emaculant, suffiuntque variis odoramentis, procumbentesque adorant. Sanguinem galli gallinacei per hebdomadem vasi argenteo, carbunculis ignitis oppleto, indunt, additis suffimentis odorum innumeris, thuribuloque accepto, adolent largissimè thura, tinniente crebrius interea argenteo tintinnabulo. Porro Rex pransurus, quod sobriè admodum & frugaliter fieri solet, humi recubat absque stragulis, ac discumbentem sacerdotes ipsum circumstant, nusquam propius quàm ad quaternos passus accedentes, regis verba summâ cum reverentiâ observantes. Ubi verò edere desierit, sacerdotes regias reliquias efferunt corniculis avibus depascendas, quas nefas est lædere, & ob eam causam tutò volitant, quocunque libuerit. Ducturus rex uxorem, prius thorum inire non consuevit, quàm à digniore sacerdote nova nupta deflorata fuerit: istiusque stupri à rege pretium 500. aureorum constituitur. Primum insuper locum post regem tenent

Sacer-

Sacerdotes idolorum cultores: his succedunt Naëri, qui non minoris dignitatis sunt apud eos, quàm olim apud Romanos fuere Patricii. Horum etenim interest, ensem, clypeum, arcum, lanceamque cùm prodeunt ferre. Qui deinceps tertiæ classis habentur, hi ejus loci sunt apud eos, cujus apud nos ii, qui cerdonicam artem exercent; quarto loco succedunt, qui piscatu victum quæritant; quinto ii, ad quos spectat piper, vinum, juglandesque colligere, postremò qui serunt & colligunt oryzam, contempti à Sacerdotibus, & Patriciis. Adoraturi ante emersum Solem stagno lotionis gratiâ immerguntur: Sicque loti nihil prius contrectant, quàm domi suæ preces ad idola fuderint. Profecturo ad bellum regi, in expeditione sunt centena peditum millia, nam equitum ibi nullus est usus, præter Elephantorum. Qui regem sequuntur vittâ sericâ, eâdemque coccineâ caput vinciunt. Prælium inituri ense obrotundo, clypeo, lanceis, & arcubus utuntur. Hæc Munsterus. Lusitani, licèt sub præcedentis seculi finem, aliquoties Samorinum prælio vicissent, nunquam tamen in regno ejus firmum figere pedem hactenus potuere. Præter Ethnicos, quorum superstitio hîc regnum habet, reperiuntur quoque in hisce oris, Mahometani, Arabes, Christiani S. Thomæ, & quidam à Christianis Europæis conversi. Plura de Rege, & Regno hocce vide apud P. de Valle, testem αὐτόπτην, *Itiner. Tom.* 4. Arcem *Calecuti* condidit Johannes, filius & Successor Emanuelis Lusitaniæ R. circa A.C. 1529.

Caledonia, pars Septentrionalis Scotiæ; & *Caledonii* pop. ubi nunc prov. Rossia, Loquabria & Athoia. Regio Incolis *Allibaum* Lat. *Albania*, Camdeno; vastissimam olim habens silvam, quæ & ipsa *Caledonia* dicebatur; maximos ursos alens. Mart.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso.

Silius *lib.* 3.

Inq; Caledonios primus trahet agmina lucos.

Hodie *Caldar, Calender* Hect. Boëtio. Cujus tamen vix reliquiæ supersunt. Ibi & castrum Caledonium urb. *Dunhelden* ad Taum fluvium. Mart.

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos.

Valerius Flaccus *lib.* 1.

——Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Julos.

Oceanus Deucaledonius Ptol. dicitur, i.e. *mare Scoticum*, maximè versus Boream. Saltem à Cantio longè distare innuit hæc Lucani Comparatio, *lib.* 6.

Prima quidem surgens operum structura fefellit
Pompejum; Veluti media qui tutus in arvis
Sicaniæ rapidum nescit latrare Pelorum.
Aut vaga cùm Tethys, Rutupinaq; litora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

Caledonios, Camdenus rectè deducit à Britannico *kaled* quod *durum* sonat. Duri enim & asperi erant incolæ. Et terra etiam tota horridis & confragosis montibus attollitur. Ita Hebræorum magistris גלד *galad*, est *durescere*. Syris etiam & Arabibus. Unde גליד *gelid* pro *glacie*, & *crystallo* sæpe occurrit. Quasi *duramen* dixeris cum Lucretio *lib.* 6.

Et vis magna geli, magnum duramen aquarum.

Sed & pro firmamento sumitur גליד in Arabicâ Paraphrasi. Gen. 1.6.

Calegia, vide *Calagia*.

Calem, urbs inter Ulyssipolim, & Bracarum. Anton. Hodie *Gaja*. Item urbs Italiæ prope Anconam. Anton. *Caglio* Simlero.

Calemberga, tractus Germaniæ, in Ducatu Brunsuicensi, prope Visurgim fluv. extensus, & inter Hannoveram, Hamelium, Eimbecum & Gotingam urbes, hodie sub dom. Ducis Luneburg. Hannoveræ. Baudr. Hinc linea olim *Calembergia*, alias Gotingensis, stirpis Brunsuicensium Princípp. cujus Ericus senior, Wilhelmi jun. secundus filius Sator fuit. Hic in aula Maximiliani I. Imper. cui in bello Bavarico, prælio adversus Bohemos vitam, aureâ stellâ insignibus adjectâ ob id donatus, servaverat, vixit. Dein grave ei anno 1518. cum Johanne Lawenburgico, Episcopo Hildeshem. bellum ortum. Obiit anno 1540. pater Erici jun. qui à matre Elisabetha Brandeburg. in Evangelica religione educatus, eam postea deseruit, matre ob id mœrore extinctâ, impatiens otii, fastu ac stolidâ taciturnitate vanis consiliis plerunque abreptus, in bello Smalcaldico Cæsari militavit, dein Bremam anno 1546. frustra obsedit. Contra patruelem Henricum an. 1552. bellum suscepit: Alberti Brandeburgici partes tuitus est: Hispano adversus Gallos meruit, prælii ad Quintini fanum pars magna: Monasteriensi Episcopo & Dantiscanis pecuniam extorsit, mox Borussiam invasurus, &c. Tandem Papiæ anno 1584. obiit sine legitima prole. Hæreditatem ejus Guelferbytanus crevit. Vide Spener. *Syll. Genealog. Histor.*

Calena, vide *Caleva*.

Calendæ, primus dies mensis, de quibus Macrobius *lib.* 1. *cap.* 15. Priscis temporibus, inquit, antequam Fasti à Cn. Flavio scribâ, invitis patribus, in omnium notitiam proderentur, pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum aspectum observaret, visamque regi sacrificulo nuntiaret. Itaque sacrificio à rege & minore pontifice celebrato, idem pontifex Kalatâ, hoc est, vocata in Capitolium plebe, juxta curiam Kalabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat: & quintanas quidem, dicto quinquies verbo καλῶ, septimanas repetito septies prædicabat. Verbum autem καλῶ Græcum est, hoc est, *voco*, & hunc diem, qui ex his diebus, qui Kalarentur, primus esset, placuit *Kalendas* vocari. Hæc Macrobius. Eam autem ob causam populo, quotnam dies Calendarum essent, prædici necesse erat, ut sciret, quinam Nonarum dies esset futurus, quo confluere in urbem populus solebat, ut addiscerent, quid eo mense in divinis, humanisque rebus facto opus esset. *Calendaris* Juno dicta est, quòd Calendarum dies ei sacer esset. Ovid. *Fast.* 1.

Vindicat Ausonias Junonis cura Calendas,
Idibus alba Jovi grandior agna cadit.
Nonarum tutela Deo caret.

Vide Vossium, in *Calendæ*.

Calentum, Hisp. ulter. opp. ubi lateres fiunt, qui projecti in aquam natant. Plin. 35. 14.

Calenum, seu *Carinula*, urbs regni Neapolit. in provinc. Terræ Laboris, 4. milliar. ab ora maris Tirrheni, totidem à Suessa. Parvi circuitus. Aquâ, quæ temulentos facit, Plin. vinoque suo celebris, parumque dissita à vet. Caleni ruinis. Vide *Cale*, & *Cales*.

Calenus, vates quondam in Hetruriâ celeberrimus. De quo hunc in modum scripsit Plinius *libro* 28. *capite* 2. Cùm in Tarpejo, inquit, fodientes (videlicet Romani) delubro fundamenta, caput humanum invenissent, missis ob id à Senatu legatis, Hetruriæ celeberrimus vates Olenus Calenus, præclarum id fortunatumque cernens, interrogatione in suam gentem transferre tentavit, scipione prius determinatâ templi imagine, in solo ante se; Hoc ergo dicitis Romani? Hîc templum Jovis Optim. Max. futurum est: hîc caput invenimus; constantissimâ Annalium affirmatione, transiturum fuisse fatum in Hetruriam, ni præmoniti à filio vatis legati Romani respondissent: Non planè hîc, sed Romæ inventum caput dicimus.

Calenus, Legatus Cæsaris in Galliâ. Hirt. 8.39. Integrum nomen *Quintius Fusius Calenus*: gessit Consulatum sub Cæsare, Pompejo acie Pharsalicâ devicto. Hujus subinde meminit Cicero *in Orationibus Philippicis*.

Calenus, alio nomine *Julius*, Æduus Tribun. in Exercitu Vitelliano, nuntius victoriæ à Vespasianæa factione in Gall. missus. Tacit. *histor.* 3.

Calepium, oppidum Cenomanorum in Italia, 14. mill. pass. à Bergamo, patria Ambrosii Calepini. Ad Ollium fluvium, in dit. Veneta & agro Bergamensi. Hinc *Vallis Calepia*, prope Sebrium lacum.

Cales, Italica civitas Episcop. quæ ab initio Ausonum, dein Romana colonia, tandemque municipium fuit finitimum Sidicinis, Livius *lib.* 8. Idem *lib.* 27. & 29. inter colonias Romanas *Cales* connumerat. Hanc quoque Ptolemæus *libr.* 11. *Geograph.* inter Campaniæ urbes statuit. Et de eâ Horatius *lib.* 4. *Carm.* Hanc urbem à Calai, Boreæ filio, extructam, post Argonautarum reditum, testatur Silius *libr.* 8. Hanc hodie *Calvi* vocant, alii *Carinulam* esse contendunt. Municipium effectum *Cales* ac lege Juliâ civitate donatum. Virgil. *libr.* 7.

Quiq; Cales colunt.

Ubi vide Servium. Item urbs Corsicæ, antiquitate inclyta & portu, *S. Maria di Calvi*.

Cales, Bithyniæ emporium ad pontum Euxinum, Arrian. Item fluv. Eust. & Val. Flacc. *lib.* 4.

Quas Tanais, flavusq; Cales, Hypanisq; Melasq;
Addat opes. ——

Κάληξ est Thucydidi *lib.* 4. Λάμαχος, ἐν τῇ Ἡρακλεώτιδι ὁρμίσας ἐς τὸν Κάληκα ποταμόν. Vide Nicol. Heins. *ad Pontica Nasonis lib.* 4. *Eleg.* 10.

Cales, vide *Cale*.

Calesium, de quo Guil. Britto *Philipp. l.* 3.

Classis prima quies Calesi fuit: altera portu
Fit Gravelinga tuo.

Aliis *Calasium*, meliùs; circa An. Chr. 1228. à Philippo Boloniæ Com. ex Burgo castrum vel oppidum factum, murisque cinctum est: *Castrum de Calais* Guilielmo Abbati Andrensi, *in Chronic. Monast. Andrensis* haud semel dictum. Johannes Olivarius, qui Mellam adnotationibus illustravit, falsò Gesoriacum *portum Caletensem*, vel *Cales* interpretatur. Fretum Gallicum, quod aliis Fretum Oceani, aliis Fretum Morinûm dicitur, unde est brevissimus ex Gallia in Britanniam trajectus, à Calesio Dubrim, Angli *The Strait of Callais*, aliàs *Straight of Calais*, i. angustias Calesienses nuncupant. Gall. *Pas de Calais*. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Caletæ, mel. *Caletes*, & Velocasses populi inter Belgas numerantur Cæsari, qui Caletos decem millia armata pollicitos

 esse

esse ait, Velocasses & Veromanduos totidem. Nimirum Gallos à Belgis Matronâ & Sequanâ dividi scripserat. Cùm igitur utrique sint cis Sequanam dextrum, necessario Belgis adscribendi fuerunt. Hirtius similiter *Caletos* & *Velocassos* conjungit. Ambo tamen ab Augusto Celticæ seu Galliæ Lugdunensi adscripti sunt, ac etiamnum eidem attribuuntur, cùm Rotomagus caput Veliocassium & Caletorum, sit metropolis provinciæ Lugdunensis 2. Strabo Julium Cæsarem sequitur, & quamquam Celtas Belgasque confusè descripsit atque permiscuit, tamen Caletos Καλέτας Belgicæ videtur adscripsisse; Morinis, Bellovacis, Ambianis, & Suessionibus, Belgicæ circa controversiam Gentibus, *Caletos usq; ad Sequanæ ostia* adjungendo. Cæteri omnes Geographi Lugdunensi Galliæ Caletos adscribunt: in his Plinius *in capite* 18. qui post *Lexovios* & *Velioeasses Caletos* memorat: Idem *in libri* 19. *capite* 1. de lini satione: *Itane* (inquit) *& Galliæ censentur hoc reditu, montesq; mari oppositos esse non est satis, & à latere Oceani obstare ipsum quod vocant inane? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimiq; hominum existimati Morini, imò verò Galliæ universæ vela texunt. Illi Montes* harenacei *mari oppositi* sunt haut dubiè, quos Nostri *Dunas* appellitant: quid Galli *inane* vocaverint, planè nescio: de quo & Plinius *initio libri* 30. sic mentionem facit: *Quid ipse ego hanc memorem artem* (Magicen) *Oceanum quoq; transgressam, & ad naturæ inane pervectam in Britanniam?* Ptolemæus in Gallia Lugdunensi vel Celtica ponit & Caletos, & eorum urbem Juliobonam. Hanc Ἰουλιόβωναν; illos Καλλέτας nominat *Caletas* pro Caletos; ut *Meldas*, *Carnutas*, *Andicavas*, appellat, quos Meldos, Carnutes & Carnutos, ac Andicavos, plerique nuncupavere. De Juliobona Caletorum alibi scribemus, Deppam eam esse. Caleti vulgò dicuntur *Cauchois*, *Caucheis* & *Cauceis*, nec non *Calcenses* in priscis tabulis pro Caletenses: & ab his Rotomagus unum è forensibus burgis suis habet dictum *Cauchoise*, hoc est, Caleticum. Apud Magnonem inter *Veliocassum* & *Lixovium* ponitur *Callidus*: ubi legendum *Calitus* vel *Caletus*. Caleti à Portu Gratiæ ad Augam castrum, à Sequana ad Aucum vel Auciam fluvium pertinent, & oppida ac castella complectuntur, Portum Gratiæ, Hareflotum *Harfleur*, Tancredi villam *Tancarville*, Caldebeccum, vel Calidumbeccum, Fontanellum & Gemeticum Monasteria, Monasterium Villare *Montivilliers*. Fiscamnum *Fescam*, Caletamvillam *Cauville*, portum S. Walarici in Planis, vel in Caletis, *S. Valery en Caux*. Longamvillam *Longueville*, in Ducale fastigium evectam, Deppam seu Juliobonam Caletorum *Dieppe*, Augam *Eu*, Ulteriorem portum *Tresport*, Gamapium *Gamache*, Blangiacum, Albammarnam, vel Albammarlam *Aumalle*, Novum castellum *Neuf chastel*. Ex his Auga suum Archidiaconatum habet, à primo seu Rotomagensi proximum, cui Albamarlensis pridem adnexus est. Promuntorium Caletorum vocatur *Chef de Caux* ad os Sequanæ. Pars agri Caletorum vocatur pagus Caletensis, *le pays de Caux*, literâ *l* in *u* mutatâ: dividiturque in majorem & minorem. Nam inter Ecclesiæ Rotomagensis sex Archidiaconatus, tertius Archidiaconatus vocatur majorum Caletorum, *du Grand Caux*, sextus & ultimus minorum Caletorum, *du petit Caux*. *Caltivum territorium* corrupto nomine appellat Vita S. Filiberti Abbatis Gemeticensis; *pagum Caletinsem*, hoc est, Caletensem Chronicon Fontanellense *in capite* 7. Ordericus Vitalis *in libro* 12. *Caletensem pagum*, *in libro* 9. *Caletensem regionem*; literæ Caroli Magni & Caroli Calvi de rebus datis Ecclesiæ Rotomagensi *Calciacum pagum* nuncupant mendosè; *pagum Caleticum* alii, & *Caletum* absolutè; *Calcegiam* & *Calceiam* recentissimi scriptores. Sunt & alii in Caletis minores pagi, videlicet pagus Augensis, *le pays d'Eu*; pagus Brajensis à silva Brajo cognominatus, *le Pays du Bray*; & pagus Tellau vel Tallogius, olim quàm nunc illustrior. Pagum Caleticum *insulam de Cavvs*, id est, insulam Caletorum Walsinghamius vocat, quoniam à Caldebecco usque ad Deppam Caletensis ager Oceano ferè cingitur instar peninsulæ; Caldebecco & Deppa isthmum claudentibus. Cæterùm *Cadetes*, quos Cæsar *in libro* 7. inter Armoricas civitates, Curiosolites, Redones, Osismios, & Unellos memorat, mutandi planè viderentur in *Caletes* vel Caletos, nisi *in libro* 2. Belgis adnumeraret Caletos Cæsar, ceu trans Sequanam Celticæ ac Belgicæ terminum sitos: cùm Armoricas civitates, quæ Ligeri & Sequana clauduntur, Celtis attribui oporteat. Strabo quidem quum scribit, merces secundo flumine Sequanâ deferri in Oceanum, & ad *Lexovios & Tadetos*, haut dubiè emendandus est, & legendum Caletos, Καλέτας. Marlianus *Caletes inter Belgas Morinis, Ambianis, Oceanoq; proximos*, à quibus brevissimus in Britanniam trajectus sit, *nomen retinere* ait, *& esse Normanniæ diœceseos*, (id est, Rotomagensis) *in Regno Francorum sitos, Anglorum Regi subjectos*: & in Icio portu scribit, frequens *oppidum Caletas* vel *Caletium Normanniæ esse diœceseos, in Regno Francorum & potestate Anglorum Regis situm*. Ex quibus intelligitur Caletos & Calesium à Marliano confundi magno errore: cùm Calesium quod Caletium vocat, *Calais*, ad Caletos nulla ratione pertineat. Quippe Caleti quidem sunt in Normannia & in diœcesi Rotomagensi; Calesium verò in Picardia, & in Morinis ac Bononiensi diœcesi; atque ætate Marliani ab Anglis adhuc occupabatur. Inter Caletos autem & Morinos quorum oppidum est Calesium, medii Ambiani intercedunt. Ordericus Vitalis *in libro* 12. cis Sequanam in Caletis seu in extrema parte Normanniæ novem fluvios enumerat, *Guitefledam, Talam quæ Dun modò dicitur, Sedanam, Belnaium, Sedam, Guarennam, Deppam, Earam, Aucum flumen, quod vulgò dicitur Ou*. Guitefleda vel Vitefleda est *Vitefleu* vel *Vitefleur*, qui oritur apud Hericurtem, seu vicum S. Malloni: alluit Canucium *Cani*, Witefledam sui nominis vicum *Vitefleu*, aliàs *Videfleur*, Paludellum *Faluel*, Wellas *Veules*, & apud Clicadentes *Cliquedent* in Oceanum effluit: currit leucas plus minùs 4. Vocatur *Riparia de Witeflou* in veteribus tabulis Fiscannensibus, item *Pons de Witeflou* in literis datis anno 1219. vicus autem ipse ibidem dicitur *Witeflo super mare*, *VVitefletum*, *VVitefloi villa*. Tala, altero nomine *Dum* & *Dunus* etiam nuncupatus, vulgò *Dun*, nascitur apud vicum quem à re fontem Duni appellitant, *Fontaine-le-Dun*: attingit vicum S. Petri veteris, *S. Pierre le Vieux*; Dunum, fluvii nomine clarum, *le Bourg Dun*; Vallem Duni *Val Dun*; & ad vicum S. Albini decurrit in mare. *Victriacum super fluvio Duno*, & *Dunum* locum memorat Chronicon Fontanellense. In literis Caroli Calvi *Dunus tam superior quàm inferior* memoratur: ubi *Dunus superior* est, ni fallor, *Bourg Dun*; *inferior Val-Dun*. Richardus II. Normannorum Dux *in Duno terram* commemorans, & Geroldus Miles II. molas *in villa dicta Dun*, & *mercatum quem habebat apud Dun* referens, ambo nomine *Duni* & *Villæ Dun*, Burgum haud dubiè designant. Sedana, vulgò *Seane* & *Saane* dictus, fontem habet apud Veruanam *Varuane*, inde alluit Anglicam villam *Englesqueville*, Vibodium *Vibeuf*, vicos S. Justi, & S. Audoëni, Braciacum *Brachi*: demum accepto Belnaio *Beauné*, Sedanam *Sane* vel *Saane*, cui nomen suum dedit, & Sottamvillam præterfluit, atque apud S. Margaritam, aut si alios sequimur apud Longamvallem *Longueval* mari infertur. Chronicon Fontanellense *Braciacum super fluvio Sedanna* rectè memorat, *Sedannam* nostrum Sedanam vocans; sed *Gammapium villam pulcherrimam super fluvio Sedanna* malè & mendosè sine dubio memorat, cùm sit ad Bresellam vel Breslam fluvium; quem inter & Sedanam amnem quinque flumina intercedunt. Willelmus Rex Anglorum & Dux Nortmannorum anno 1070. donavit S. Amando *unum mercatum in Sedana*. Sedana hæc vulgò dicitur *Saane*, vel *le Bourg de Saane*, vicus in Ducatu Longævillæ, & in Decanatu Braciacensi, ubi est Cella Virginum, Rotomagensi Monasterio S. Amandi subjecta, quem Prioratum B. Mariæ de Sedana veteres tabulæ vocant. *Molendini apud S. Audoënum in riparia de Saane* meminit Reginaldus de Petravilla *in literis datis anno* 1204. Belnajum *Beauné* oritur in vico Belnajo, cui nomen dat: alluit vicum S. Marci, Lambertivillam *Lamberville*, Bascamvillam *Basqueville*, Hermannivillam *Hermanville*, tum Sedanâ recipitur. Vicus Belnajus *Beauné* aliis, aliis *Beaunetot* nuncupatur. Seda *la Sie* accolis nuncupatus, fontem habet ad vicum S. Maclovii *S. Maclou*: attingit Altamfagum vel Altifagum, in veteribus literis memoratum, vulgò *Ausfay* vel *Aufey*; & post acceptum quemdam amniculum Longamvillam Gifardi, oppidum Ducale; *Longueville la Guiffart*; Caroli mansionile *Charle Mesnil* vel *Challemesnil*; Novemmolas *Neufmeules*: deinde apud Provillam *Pourville* Oceano immergitur. Literæ Goscelini circa annum 1030. ejus fluvii meminere. *Concedimus* (inquit) *Monasterio S. Mariæ & S. Amandi Episcopi infra muros urbis Rotomagensis sito silvam, quæ habetur inter aquas Garennam & Sedam*. Seda igitur Garennæ proximus erat, unde Ordericus *Sedam & Guarennam* uti situ proximos conjungit. In veteribus tabulis fit & Sedæ loci mentio amni Sedæ impositi his verbis: *Possessiones quas in Lambertivilla & Seda habuit*. Ubi fortè legendum est *Sedana*. Nam Lambertivilla est ad Belnajum, Sedana ad Sedanam fluv. qui Belnajo augetur. Guarenna, Garenna, aliàs & Varenna, oritur apud castrum, S Sidonii nomine & Monasterio illustre, *S. Sens*, aliàs *S. Saens*: quod *castrum S. Sidonii* 4. ab urbe Rotomago leucis distans commemorat Ordericus Vitalis. Attingit Bellum Combrum vel Bellam concædem *Bellencombre*, Fraxinetum *le Fresnay*, Muchedentium, Torciacum majus, & Torciacum minus, *Torcy le grand, & le petit*, Martiniacum *Martigni*, Varennam nunc viculum, olim Comitatûs Varennæ caput *Varennes*: & circa Arcas *Arques* fluvio Deppâ recipitur. Hic fluvius S. Sidonii à quibusdam dicitur, *La riviere de S. Sens*; ab aliis fluvius Torciacensis, *la riviere de Torcy*: quòd non longè à castro S. Sidonii caput suum habeat apud Montirollerium *Montirollier*, & quòd Torciacum utrumque præterfluat. *In capite* 7. *libri, de vita S. Leufredi Abbatis, Monasteriolum quod vulgò vocatur Varenna, feminarum habitaculum*, videtur esse Varenna ad flumen Varennam sita. In Chronico Fontanellensi reperio *Ulmirum & VVarinnam fiscos duos, qui sunt in pago Tellau juxta fluvios Tellas & VVarinna*: qui fluvius *VVarinna*, & *VVarinna villa* fiscalis à Varenna id est Guarenna flum. & oppido Comitibus olim suis nobili nullâ ratione differunt. Warinnam certè castrum & Monasterium

fterium S. Sidonii alluere, unde & fluvius S. Sidonii dicitur, docet Chronicon Fontanellense *in capite* 9. *Cellam S. Sidonii, quæ est in Warinna*, hoc est ad Varinnam, memorans. Deppa oritur apud Goislenfontem vel Goiselenfontem, id est, Goslenifontem *Galefontaine*, opidulum à situ ita cognominatum. Alluit Novum castellum *Neufchastel*, Buras, Alnetum *Aunay*, vicum S. Walarici *S. Valeri*, Ricardi villam *Ricarville*, ad S. Vedastum *S. Vast*, Fragilem villam *Freulleville*, Dampetram *Dampierre*, vicum S. Albini in Caletis, *S. Aubin le Cauf*, aliàs S. Albini super Arcas *S. Aubin sur Arques*, & viculum Arcellas *Archelles*; Guarennamque fluvium accipit: demum infra Arcas Held nam amnem admittit, atque ad Deppam in Oceanum effluit. Deppa autem & Guarenna vetus nomen amiserunt: & Deppa quidem fluvius Novocastrensis dicitur, *la riviere de Neufchastel* a Novocastro, quod alluit; Guarenna verò, fluvius S. Sidonii vel Torciacensis, uti suprà diximus. Ordericus Vitalis in enumeratione fluviorum Nortmanniæ cis Sequanam non meminit (quod miror) Heldonæ: meminit Stephanus Albamarlensis Comes, *in litteris datis anno* 1115. *Hospitem unum ad flumen Heldonæ.* Hic fluvius dictus est & *Elna*, atque *Alna*, à quo *Novavilla super Alnam* cognominatur prope Albammarlam. Accolæ *Eaune* vocitant, & nonnunquam *Taune*. Alluit Mortuum mare *Mortemer sur Eaune*; Heldonam vel Elnam *Eaune*, à fluvio cognominatam, in quibusdam tabulis *Seaume* mendosè scriptam; vicum S. Germani *S. Germain*, Profundamvallem *Parfondeval*, Longumdenarium *Longdenier* in plerisque tabulis *Londinieres* scriptum, id est, Londinarias; Albertivillam *Auberville*, Ebrardi mansionile *Euvermesnil*, in litteris anno 1050. datis memoratum; quod in tabulis *Anvermenil* plerumque scriptum reperitur. Attingit & Martini Ecclesiam, *Martinleglise*, trunco nomine *Martenglise* vulgò nuncupatam. Demum infra Arcas ad vicum Butilam *Bouteille* Deppâ flumine accipitur, mox apud Deppam portum & opidum clarum in Oceanum intratur. *Eara* Orderico Vitali incorrupto nomine notus, *Iera amnis* Furnario Geographo nostræ ætatis dicitur, Nostris *Iere*, aut *la riviere d'Iere*, nonnullis *Iers* mendosè. Erratum à plurimis eo in amne. Samson Geographus Regius in tabula fluviorum Galliæ *le Sart* pessimè nuncupat inter Heldonam (*Eaune*) & Breslam. Vita S. Wandregisili & Chronicon Fontanellense *Euram* pro Eara appellant: ex quibus Vita Wandregisili *prædium Virtlaicum situm in pago Tellau super amne Eura*, ab Erinberto viro Illustri Wandregisilo donatum esse prodit. Chronicon Fontanellense *in capite* 8. *Vierlascum*, aliàs *Wirtlaicum villam, quæ sita est in pago Tellau super fluvio Eora*, commemorat: & *in capite* 9. *De Bettonecorte super fluvio Eura* mentionem facit, quam *in capite* 4. *Bettoniscurtem* melius appellat, & *sitam in pago Tellau* esset tradit. Utrobique pro *Eora* & *Eura* scribendum emendandumque est Eara: ad quem Earam Bettonicortem & Petreumpontem ac Virtlaicum esse constat. Ex quo etiam cognoscitur situs pagi Tellau, Nam cùm hæc tria loca in pago *Tellau* ad flumen Earam posita esse dicantur, ut revera sunt posita, apparet pagum istum Tellau ad fluvium Earam jacuisse: quem amnem etiam alio nomine *Tellas* vocatum esse puto in Chronico Fontanellensi & in actis Synodi Suessionicæ, unde pagus Tellau nomen acceperit. Earam autem à veteribus dictum esse, & ita dici scribique oportere, ac nomen *Eura* & *Eora* pro corrupto & mendoso haberi debere, docet non solùm Ordericus *Earam* vocans: sed etiam nomen fluminis nunc usitatum *Iere*, *e* Latino in *i*, & *a* in *e* commutatis, ut sæpissime aliàs. Ex *Eora* porro Nostri facturi fuerunt *Ieure* aut *Ioure*, ex *Eura Eure*: quemadmodum solent *o* Latinum in *ou* & in *eu* convertere, in *e* vertere non solent. Fluvius Eara nascitur non procul ab Alberti mansionili *Aubermesnil*, quod alluit: attingit & Fulcardi montem *Foucarmont*, locum in litteris ante annos 500. datis memoratum, hodieque Abbatiâ suâ celebrem; Alnetum *Aunoy*, vicos SS. Richarii & Remigii; Bettonischortem in pago Tellau, *Betencourt*, auctori Chronici Fontanellensis semel atque iterum dictam; Petreum Pontem ab eodem memoratum, *Pierre pont*; Grandemchortem *Grancourt*; Petram *la Pierre*; Vallem Regis *Val le Roy*, aliàs *Val du Roy*; Septem molas *Septmeules*, vicum ingentem, à numero molarum suarum seu vento seu aquâ agi solitarum cognominatum; Telleium *Tilly*, pagi Tellau nomen servans; Asbertivillam *Auberville*; vicum S. Sulpicii *S. Soupli*, aliàs *S. Suppli*: demum apud Criolium *Criel*, castrum in Chartario Fiscannensi celebratum, devolvitur in Oceanum, 2. à castro milliario. Ultimum est *Aucum* flumen, *quod vulgò dici Ou* asserit Ordericus Vitalis: sicuti Aucum opidum, in Annalibus rerum Anglicarum *Ou* sæpissime dictum reperio. In Vita vetere S. Lupi Episcopi Senonici hic fluvius vocatur Aucia haut dubiè: quum *in pago Neustriæ Vinemaco villa Andesagina super fluvium Auciæ* commemoratur. Est enim Andesagina *Ansene* ad Aucum flumen. Auciam recentiores scriptores *Aucum* nuncupavere: ex Auco demum *Ou* factum. Eundem amnem *Viminam* aut Vimnam alio proprioque vocabulo dictum esse, & ab eo pagum *Vimnau* nomen accepisse, mihi persuadent verba hæc ex Chronici Fontanellensis *capite* 7. *in pago Vimnau super fluvio Vimina, in loco qui vocatur Vintolas*, aliàs 6. *molas* sive *Sex molas*. Nunc amnis nomen mutavit, & Brisella seu Brisela vocatur; Samsoni in tabulâ fluminum Galliæ *la Bresle*, Vaffori in tabula Normanniæ novissima atque exactissima *la riviere de Breselle*. Origo nominis incognita: nisi quòd Nostri rumpere atque dividere dicunt vulgò brisare *briser*: Aucum autem flumen Normannos à Picardis, Caletos ab Ambianis, Celticam à Belgica dividit ac dirimit. Alluit Albammarnam *Aumalle*, quæ ab ejus fonte 3. aut 4. passuum millibus distat; Carduetum *le Cardonay*; vicum S. Germani ad Breselam, *S. Germain de Breselle*; *Sinardi pontem* in litteris Stephani Albamarlensis Comitis datis anno 1115. cum *Waltero* suo memoratum, aliis castrum, aliis vicum maximum nuncupatum, *Somardum pontem* in Chronico Fontanellensi mendosè dictum, vulgò *Senerpont*; Nigellam xenodochio claram *Nelle l'Hospital*; Blangiacum *Blangi*; Andesaginam suprâ dictam, *Ausene*, aliàs *Ansene*; Spinetum *Espinay*; Gamapium *Gamache*, Chronico Fontanellensi ante annos 800. notum Longumrete *Longroy*; Bellumcampum *Beauchamp*; Burdonischortem *Bourdencourt*; Mariscos *Marais*; Pontes *Pons*; Aucum *Eu*, fluvii sui vetus nomen servans; Ulteriorem portum, quibusdam Ultrisportum vocatum *Treport*, qui à situ hoc nomen accepit, quoniam est Auco portu portus ulterior, seu Oceano propior. Ibi Aucum flumen seu Bresela in mare effluit. Inter Deppam & Earam est silva Arcensis, *la forest d'Arques*: inter Earam & Aucum flumina est saltus Aucensis, *la forest d'Eu*, undecim millia jugerum continens. In horum pagi Caletensis fluminum nominibus eruendis veteribus ac novis, & in cursu singulorum describendo à V. C. doctissimoque Emerico Bigotio Rotomagensi, amico meo, non mediocriter sum adjutus. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Caletanus ager, non longè à Volaterris in Italiâ. Plin.

Caletum, op. circa Picardiæ fines, Ptol. *Portus Iccius* apud Cæsarem, vulgò *Calais*. Dives & permunitum, emporium celebre, cum arce & portu capaci, juxta fretum Gall. 3. leu. à Gravelinga in Occas. 5. à Bononia in Bor. 7. ab ora Angliæ. Ibi multi credunt fuisse *Itium* antiq. Sed aliis id videtur fuisse, ubi nunc *Wissant*, castrum Bononiensis tractus, quod melius. Baudrand. Historia ejus paucis hæc est. Portus hujus urbis sub Balduino IV. Barbato, Flandriæ Comite, extrui cœpit, tum dictus *Scalas* vel *Petresse*. Urbs ipsa à Philippo Com. Bonon. uno ex illis, qui contra Blancham, Ludov. IX. matrem, Galliam administ. antem insurrexerunt, muro cincta est. Eduard. III. eam cepit Anno 1347. à quo tempore sub Anglis fuit an. 210. jactantibus, se claves Galliæ habere. Recepta autem est à Duce Guisio, Anno 1558. Postmodum in Archiducis Alberti, Belgii Gubernatoris, manus pervenit, Anno 1596. sed biennio pòst Henrico IV. reddita pace Vervinensi. Histor. Gall. *in Philippo Valesio*, *Henr.* 2. & 4. Vide *Gessoriacum*, & supra in *Calesium*.

Caleva vel *Calleva* Anton. *Oxonium*, *Oxenford*, teste Prisæo, vulgò *Oxford*, urb. episc. & Academia præclara Albionis in Angliâ ad Thamesin flu. à Londino 47. m. p. in Occid. Sed Camdeno *Caleva* seu *Galena* est *Wallingford* op. Bercheriæ prov. ad Tamesim, cùm ponte. Cæterum *de Calevâ* vide Guil. Burtonum *in Antoninum pag.* 222.

Calguia, Arabiæ Petrææ urbs, Ptol.

Cali, Palæstinæ locus. Jos. 19.

Caliabrum & *Caliabria*, lib. Concil. ac *Calimbria* alibi. *Montanies*, teste Morali, cùm al. urbs Lusitaniæ olim Episc. sub Arch. Emeritensi, nunc oppidum non obscurum Extremaduræ Equitum D. Jacobi, à Castris Cæciliis 4. leuc. distans, inter Zafram 4. & Ellerenam 10.

Calianassa, & *Calianira*, Nymphæ, quarum altera à bene regendo, altera à viris honestandis dicta. lege *Callianassa*, & *Callianira*.

Caliburne, gladius celebris Arthuri Regis Britannorum notissimi. Hovedenus *in Richardo I. Et contra Rex Angliæ* (Richardus) *dedit Regi Tancredo gladium illum optimum, quem Britones* Caliburne *vocant*. Spelmann. *Gloss.*

Calicadnus, vel *Calycadnus*, Ciliciæ flu. Plin. 5. 27.

Calicandrum, Asiæ min. promuntorium, terminus navigationis positus Antiocho à Romanis superato.

Caliceni, Macedoniæ pop. Polyb. *lib.* 3.

Calicula, urbs Hisp. Bæticæ, Ptol. *Calucula* Plinio, lege *Callidromus*, hodie *Caliar*. *Osca* M. Nigro. Est etiam ejusdem nominis op. in Turdetanis, apud Ptol.

Calidius, prænomine *Marcus*, de quo Cæsar *lib.* 1. *de Bello Civili, cap.* 2. Orator & vir Prætorius *Q. Calidii* Filius, obiit in hoc ipso bello civili, teste Cicerone in Bruto. Illud non prætereundum, quòd Triumvir monetæ cudendæ cum *CN. Fulvio* & *Q. Metello* in denariis argenteis descriptus sit. Addit Ciacconius, videri sibi hunc *Calidium* superiore anno cum L. Paullo & M. Marcello petiisse consulatum, ac dolore repulsa Marcellis inimicum Cæsaris partes secutum esse.

Calidobecum, urbs Normanniæ, prope æstuarium Sequanæ, in tractu Caletensi. Lanificio celebre, 7. leucis infra Rothomagum, versus Portum Gratiæ. Vulg. *Caudebec.*

Calidromus, Achaiæ promuntorium, haud longè à sinu Maliaco.

Calidum Beccum, q. Calidus rivus; hoc enim *Bec* Francis, sicut *Bach* Germ. denotat: opp. Galliæ, vulgò *Caudebec*, ad Sequanæ & rivuli ignobilis confluentes. Ita Orbecum, adsidet fluvio nascenti apud Lexovios, &c. Vid. Hadrianum Valesium *Notit. Gall.*

California, Inf. maxima Americæ Sept. oblonga, à Borea in Austrum ad 300. leuc. extensa, prope nov. Mexicum, à quo dirimitur mari Purpureo. Nulla ibi urbs aut Colonia Europæorum; tantùm lustrata fuit ab Hisp. versùs oram Occident. Ab Oriente in Occid. 70. leuc. plusminus habet. Baudr. Inf. in mari Australi, prope nov. Granatam, à quo freto angusto, *Mar Vermeio* Hisp. dirimitur. Sterilis & deserta. Extendit se à *Cabo Mendocino*, usque ad Cabo *S. Lucar.* Morerius.

Caligii, pop. in Arabiâ. Vide *Calingii*.

Caligula, Caius Imp. dictus à *caligis*, quas margaritis refertas primus portavit. Auson. vel potius à *caligâ* militari, quâ frequenter in exercitu utebatur ad conciliandos sibi militum animos. Id enim militibus gratissimum fore credebat, si Imperatorem vestibus nihil à gregario milite differre videret. Germanici ex Agrippina filius, & Drusi, privigni Augusti, & ipsius Tiberii nepos, Romæ imperavit anno mundi 4000. post Christum natum 38. Hic veneno Tiberium, cui successit, aggressus esse dicitur, quin etiam manu sua spirantis adhuc fauces oppressisse, liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamaverat confestim in crucem acto. Initium Imperii satis tolerabile, sed mox facies conversa est. Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit: has etiam sæpe exoletis suis prostravit: quo facilius eas condemnavit, quasi adulteras, & insidiarum adversus se conscias. Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum, aut ad bestias condemnavit: aut bestiarum more quadrupedes caveâ coercuit: aut medios serrâ dissecuit: nec omnes gravibus ex causis. Exiguo tempore immensos thesauros à Tiberio relictos prodegit, novas sibi opes per injustitiam comparaturus. Deorum imaginibus capita decussit, quò, suo ibi reposito, Deus videretur: & statuam quoque suam inter Castorem & Pollucem positam venerationi publicæ exposuit, Lunæ conjugium mentitus. Imò, per Petronium, Syriæ Præfectum, statuam se sub Jovis formâ repræsentantem, in templo Hierosolymitano collocare voluit, seditionis metu, & Agrippæ, filii Aristobuli, literis, absterritus. Mox pœnitentiâ animum subeunte, Colossum ex auro Romæ conflari jussit, illum ex improviso Sanctuario Hierosol. obtrusurus. Sed à Chærea, Prætoriæ cohortis præfecto, confossus est, Imper. An. 3. m. 10. die 8. Dio, Suetonius, Aurelii Victores, *in ejus Vita*. Joseph. *Antiq. lib.* 18. *&* 19. *& B. J. lib.* 2. Tacit. *Annal.* Philo, *in relatione Legationis, Alexandriâ ad Caligulam à Judæis missæ, cujus ipse caput.*

Calinda, Lyciæ urbs. *Calymna* Straboni, *Calydna* Plinio. *Lagula* hodiè teste Moletio.

Calindra, Mygdonidis in Asiâ urbs, & Indiæ intra Gangem. Ptolemæus.

Calingæ, gentes Indicæ ad mare, quorum fœminæ quinquennes concipere dicuntur, octavum autem vitæ annum non excedere. Plin. 6. 17.

Calingii, Arab. Fel. & Asiæ pop. quibus vicina est Ampelone Milesiorum colonia. Plin. 6. 28.

Calingon, Indiæ promuntorium. Plin. 6. 10.

Calinipara, Indiæ op. Plin. 6. 17.

Calinius Syrius historicus, qui de gestis Alexandri scripsit.

Calinus, statuarius. Quintilianus.

Caliordi, Tauricæ Chersonesi pop. Plin.

Calipha, nomen Principis in Dynastia Saracenica: Divisus est autem *Caliphatus*, A. C. 869. quo Abasidæ quidem in Bagded, Tolonis autem posteri in Ægypto regnare cœperunt.

Calippus, Mathematicus Cyzicenus, videns se exactè satis Annos Solares cum Lunaribus conciliare non posse, errore etiam in Methonis calculo observato, periodum excogitavit, continentem 4. cyclos Methonicos, quorum cuilibet 19. an. attribuit, i. 76. annos, seu 15. Olympiadas. Incepit autem ipsam sub finem Junii, 3. anni 112. olymp. 419. Nabonassaris, 4384. Periodi Jul. 424. U. C. 3724. M. 330. ante C. N. Cùm Aristophon Archon Athenis esset, anno occisi à Besso Darii. Ptolom. *lib.* 3. *pag.* 63. *Gr. edit.* Petav. *lib.* 2. *Chron. cap.* 16. *& lib.* 16. *cap.* 37. Voss. *de Mathem. cap.* 33. *§.* 15.

Calipus, Lusitaniæ fluv. Ptol. *Palma* Goropio, *Sandano* Resendio. Baudr. *Cadaon* seu *Zadaon*. Oritur in confinio. Algarbiæ, recipitque amnes Alvitum, Odegum, Cabrellam, & amniculum *Palma*. Dein prope Cætobrigam in Oceanum Atlanticum se exonerat.

Calis, in exercitu Alexandri Magni, in quem cùm circum latis oculis Philotas incidisset, & per eum Demetrium conjurationis convincere vellet; perturbatus voceque ac sanguine deficiente, ultrò, nemine nominante, Demetrium & semetipsum id facinus cogitasse confessus est. Curt. *lib.* 7.

Calisia, vel *Caliscia*, Germ. op. Ptol. *Clusburg*, teste Ortel. *Kalisch* autem Ferrario, Poloniæ maj. urbs, ad Prosnam, qui paulo post cadit in Wartam. Ubi aliàs Lugii Helvæones. 5. leuc. Germ. à confinio Silesiæ, 12. ab Uratislavia, malè habita à Suecis ultimo bello: Ibi Concilium an. 1457.

Calita, Libyæ inter. pop. Ptol.

Calitur, opp. Indiæ intra Gangem. Ptol.

Calix Eucharisticus, in omni antiqua, etiam Latina Eccl. ad XI. usque seculum præceps cuivis communicanti, juxta institutionem & exemplum Christi, Apostolorumque praxin, ministratus est. Seculo verò XI. cùm vehemens effundendi sacri vini metus, Latinorum animos incessisset, ad morem panis sacro vino tingendi, tametsi à Bracarensi Concilio olim damnatum, confugerunt: sic ut primò ita communicarent infirmi: mox tamen sese istius intinctæ usus in solennem ac publicam sacramenti communionem effunderet. Hoc intinctæ usu abolito, ab Urbano, in Concil. Claromontano, Anno 1095. & à Paschali An. D. 1118. refutato ac prohibito, *Calix* planè omitti cœpit, non tamen apud omnes seculi illius XII. Ecclesias; etiam sec. XIII. antiquissimi moris apud plurimos reverentia mansit: Imo non seculo quidem XIV. planè apud Latinos prisca consuetudo desiit. Tum Viclefus A. D. 1370. restitit novo mori, & Valdensium, qui decimo tertio seculo orti sunt, morem secutus, communicantibus etiam vini speciem ministrandam esse, docuit: astipulantibus Latinorum quoque plurimis. Postmodum initio seculi XV. Bohemi, mori distribuendæ sub una specie Eucharistiæ jam tandem omnium Latinorum communi, repugnarunt, Petro Dresdensi & Jacobello Misnensi, sed utroque nobiliore viro Joh. Husso communionem sub U. S. ex Christi institutione & Pauli 1. ep. ad Cor. probantibus. Verùm A. C. 1415. à Concilio Constantiensi lata, diroque Johannis ac Hieronymi vivicomburio sancita Lex, de *Calice* non amplius præbendo, latè omnibus terrorem incussit, Bohemis exceptis, quos ne talia quidem à tradito Vet. Ecclesiæ ritu absterrere potuerunt: Hinc A. C. 1417. d. 10. Martii, in plena Magistrorum Pragensis Universitatis congregatione, contra Concilium pronuntiatum est. Secuta Cruciata in Bohemos, stupendæ horum victoriæ, Concilii Basiliensis labor, pax denique & concordia IV. articulis, quos *Compactata* vocant, Iglaviæ Anno 1438. comprehensa *Calicisq;* usus Bohemis relictus est. Nec cessarunt plurimorum ex Latinis desideria, idem anhelantium seculo XVI. pro quibus frustra apud Papam & Concilium Trident. intercesserunt Catharina Henr. II. Gall. R. vidua, literis ad Pium IV. datis, Anno 1561. Thuan. *Hist. lib.* 27. Carolus IX. suis eodem anno ad Insulanum, suum apud Papam Oratorem, scriptis: cui inter alia à Cardinali S. Angeli responsum: Nunquam se assensurum, *ut Galliarum populis tantum Venenum propinetur.* Ferdinandus porro I. & Maximilianus II. Impp. Albertus Bavariæ D. &c. dictumque à Concilio Tridentino, Anno 1562. contrarium sentientibus anathema est; à quo tempore in toto Pontificis Rom. regno, consuetudinis Communionis sub U. nullum remansit vestigium, si Sacerdotem celebrantem exceperis, cui conceditur, ut quem consecraverit *Calicem*, totum ipse unus hauriat. Protestantes verò, omnesque reliqui Christiani, unis Latinis exceptis, Græci, Moscovitæ, Jacobitæ, Nestoriani, Abassini, totâ Eucharistiâ, i. *pane & vino*, ut interpretatur Cassander *de Comm. utr. p.* 1043. *inst.* ad hunc usque diem gaudent, *Christum non sine ratione, aut gratis utrumq; modum instituisse*, verba sunt Joh. Hussi *Tom.* 1. *fol.* 42. *a. b. & f.* 43. *A.* firmiter credentes. V. de his plura, apud doctissimum Calixtum, *de Commun. sub utr. pag.* 13. *& seqq.* August. Baumgartnerum Oratorem Bavaricum, *Oratione ad Tridentinos*, à Calixto editâ, Joh. Dallæum *de cultibus religiosis Latinorum, l.* 5. *Cap. ult. &c.*

Calixtini, in Bohemia dicti, qui *Calicis* communione & nonnullorum aliorum retentâ, ad Communionem Romanam redierunt, pace emolliti, cùm bello invicti fuissent: Secessione à reliquis factâ, qui veri Hussi discipuli ritus novos & dogmata ἄγραφα, omnia ejurarunt, & *Taborita* dicti sunt: quorum reliquiæ hodieque superstites, Camer. *in histor. Fr. Boh.* Spond. A. C. 1421. *n.* 2. in Polonia & confiniis.

Calixtus I. Romanus, post Zephyrinum martyrem, episc. R. Impetrato Severi indulgentiâ à Christianis loco, ubi prius caupona fuerat, ibi templum extruxisse fertur, hodie *Mariæ trans Tiberim*. Morer. Ejus tempestate, ob crebras persecutiones *occulta erant omnia; etiam ipsa sacella, potius abdita, & plerumque subterranea fuerunt, quam publicis in locis aperta.* Platina *in ejus Vita*. Joh. Ballæus, *in Calixto*. Ipse an. 5. Episcopatus, A. C. 224. jussu Cæsaris, *in profundo puteo demersus est.* Iidem. Quatuor temporum in anno jejunium inventori ei adscribitur, & aliquot epistolæ.

Calixtus II. Gallus, priùs *Guido*, fil. Guilielmi, frater Stephani, Ducum Burg. avunculus Adelaidis, uxoris Lud. VI. Crassi, post Gelasium 2. Papa, Anno 1119. Romæ in Laterano 900. Patrum concilio celebrato, inter alia, statuit, *ut Clericis uxores adimerentur*; cœlibatu in Germania per Magistratus obtruso. Crantz. *lib.* 3. *cap.* 40. Chemnit. *in exam. de Cœlib.* an. 1120. 1122.

In An-

In Anglia, per Johannem Cremonensem, idem promulgari curavit, qui tamen *ipse, die illâ, quâ corpus Christi (ut ajunt) confecerat & consecraverat, post vesperam in meretricio interceptus, confusione plenus domum rediit*. Matth. Parif. *in Henr. I.* Polyd. *hist. lib.* 1. A. C. 1123. Antipapâ Burdino carceri incluso, Obiit Anno 1124. Aliquot scriptis relictis. Vincentius Bellov. *Spec. histor. lib.* 26. *cap.* 30. *& seqq.* Mariana *lib.* 2. Ciacconius, Baronius, San Marth. *Gall. Christ. tom.* 1. *p.* 800. *&c.*

Calixtus III. Hisp. successit Nicolao 5. Anno 1455. prius Alphonsus Borgia dictus, Xativâ Valentiæ oriundus, anno æt. 76. Campanas *pro pace*, ut vocant, contra Turcas pulsari, indulgentiis eo fine largissimis distributis, instituit: Imo totam Europam contra illos excivit, sed nullo successu: monitus à Turca, *Christum nunquam imperâsse, ut homines ad suscipiendam suam legem vi & armis adigerentur*. Monstrel. *lib.* 3. *cap.* 68. Obiit Anno 1458. Ciacconius, *in vita ejus*. Genebr. *in Chronicis*, &c.

Calixtus I. Monachus in Monte Athos, *Isidoro* successit, Anno 1350. seditque an. 4. Cantacuz. *lib.* 4. *c.* 26.

Calixtus II. Angelo Corrario, in eodem munere, successit. Anno 1406. per an. 13. Item Antipapa, à Friderici Imp. amicis, Alexandro III. oppositus, Calixti III. nomen accepit, an. 1170.

Calixtus Georgius, Theologus insignis, in Acad. Julia Prof. primarius, Abbas Regio Lothar. pacis & concordiæ amantissimus. Scripsit plurima, inter quæ: *Expositio literalis, in* 14. *postr. capp. Geneseos, Concordia IV. Evangelistarum. Expositio Lit. in Acta, in Epist. ad Rom. ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios ad Thessalonicenses, ad Titum*: Præterea, *de Immortalitate animæ liber unus, de Supremo judicio, de auctoritate Antiquitatis Eccl. Hist. Magorum: de auctoritate S. Scripturæ Exercitatio: Apparatus seu introductio in studium de Peccato, de studio Hist. Eccl.* &c. Tandem *Consultatio de Tolerantia Reformatorum, judicium de Controversiis Theol inter Reform. & Lutheranos, Animadversiones in Confess. Thorunensem, a Reformatis an* 1645. *in Colloquio oblatam*, &c. Obiit Helmstadii Anno 1656. decrepitus, Pater Friderici Ulrici, in eâdem Acad. Theologiæ Prof. ac in Senatu Eccl. Gulpherbytano Consiliarii, cujus extant: *Assertio divinitatis Christi, Responsiones ad Calovii Theses Antisyncretisticas*, &c.

Callaici, Lusitaniæ pop. *Gallaici* etiam dicti. Hodiè *Gallæcia regnum*. Ovid. 6. *Fast.*

Tum sibi Callaico Brutus cognomen ab hoste
Fecit, & Hispanam sanguine tinxit humum.

Mart. 10. 16.

Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in arvis.

Idem. 14. 95.

Quamvis Callaico rubeam generosa metallo.

Et *l.* 4. *ep.* 9.

Nec qua Callaico linuntur auro.

Inde *Callaicus Oceanus*, apud eund. m. 10. 37. pro Hispano. Aliàs divisi fuere in Callaicos Braccarios, & Call. Lucenses. Illi inter Durium & Minium fluv. ubi nunc pars regni Portugalliæ, Transmontana, & regio inter Durium & Minium dicta, habitabant. Hi, qui & præcipui fuere, ubi nunc Galliciæ regnum. Habet à Sept. & Occid. Oceanum, à Meridie Lusitaniam, ab Oriente Asturiam & regnum Legionis. Regio est montuosa. Ejus Caput Compostella. V. *Gallaci* Baudr.

Callantiani, pop. in sinistris Ponti partibus habitantes. Diod. *lib.* 19.

Callantis, Siciliæ urbs. Suid.

Callas, Euboeæ inf. fluv. Strab. Item Mauritan. Cæsar. locus. Anton.

Callatebum, Asiæ propriæ urbs in Cariâ regione. Herod.

Callateria, Campaniæ op. Strab. *l.* 5. ad Brundusium ducens, non procul à Benevento.

Callatia, vel *Callantia*, Mœsiæ infer. op. Ptol. *Scilia* Lazio. *Pandalla* Nigro. Laonico *Calliacra*. De Callatianis vide Palmer. *pag.* 563.

Callatia, Indica gens, quæ parentibus vescitur. Herod.

Callaum, Inf. parv. Americ. merid. in ora maris Pacifici, ex adverso Urbis Limæ seu Regum. Habet opp. satis amplum, cum valida arce, efficitque portum urbis ipsius Limæ, totius Peruviæ regiæ. Vulg. *Callao*, seu *Callao di Lima*.

Calle, *Cale* & *Callium*, urbs Umbriæ, *Cagli*. Media ferè inter Urbinum & Eugubium, in Duc. Urbini, sub Pontif. versus Apenninum, ad Boasim, qui paulo pòst cadit in Cantianum fluv. 15. mill. à Foro Sempronii, 10. à limite *Piceni*. Baudrandus. Vide *Cale*.

Calleni, Campaniæ mediter. pop. Polyb. 3.

Callenicus, Senonum in Picenis op. Anton. *Caglio* Leandro.

Calletum, Hisp. oppidum Stipendiarium, non liberum. Plinius 3. 1.

Callia, mel. *Callia*, urbs una ex tribus Ætoliæ. Item parva regio prope Talantum.

Calliades, Gubernator deprehensus à nave celeriore, gubernaculum frequenter inhibuit, à quacunque parte esset incursura, ut persequentes allisis ad gubernaculum remis impressionem facere non possent, quæ ferè primis remis sessoribus fieri consuevit. Polyæn. V. 410.

Calliarus, urbs Locrorum, à Calliaro Odoedoci & Laonomes filio. Stephani verò, quòd benè aretur, & colatur.

Callias, vide *Philonomus*.

Callias, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ anno quarto.

Callias alter, à Phocensibus in locum Phalaci, ob sacrilegium remoti, dux subrogatus, Olympiad. 118. anno 2.

Callias, ut videtur, Comicus, qui scripsit Πεδήτας. Vide Scholia, *in Aristoph. Aves*.

Callias, Atheniensis Comicus fil. Lysimachi, qui *Schœnion* cognominatus est, quòd funes ob paupertatem torqueret. Tragœdiam scripsit de Grammatica, ingeniosissimam, & Comœdias, Athen. *lib.* 10. Voss. *Poët. l.* 1. *c.* 11. *De quat. Art. pop. c.* 2. *S.*.. Scal. *Poët. lib.* 1. *c.* 8.

Callias, Syracusanus historicus, de rebus Siculis libros complures reliquit, ab Agathocle corruptus. Vid. Jos. *c. App.* 1. Athen. *lib.* 12. Ælian. *l.* 16. *c.* 28. Dionys. Halic. *Ant.* 1. Macrob. Saturn. *l.* 5. *c.* 10. Suid. Voss. *de Hist. Gr.* 1. 11.

Callias, *Laccoplutus* cognominatus, dux Atheniensium nobilis, contra Artaxerxem missus. Suidas. Vid. Scholia in Aristoph. *Nubes*.

Callias Eleeus, vates Jamnidarum, Sybaritarum Principe Teli relicto, Crotoniatis, hostibus ejus, suppetias ivit. Herod. *Musâ* 5.

Callias, Methymnæus Grammaticus, quem Strabo *lib.* 13. dicit Alcæum, Sapphoque poetas enarrasse. Cui Mitylenæus dicitur, & inter illustres Lesbios refertur. V. etiam Athen. *l.* 3.

Callias, Arcadiæ op. Paus. Et fontis nomen Suidæ.

Callica, Bithyniæ mediter. urbs. Ptol.

Callicatis, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Callichorus, locus in Phocide, *Panopeus* dictus: propterea, quòd Thyades Athenis profectæ, ut Liberi Patris orgia cum Delphicis mulieribus in monte Parnasso celebrarent, quotannis medio itinere multis locis, præcipuè Panopensi agro, Thyasos & choreas ducerent.

Callichorus, vel *rum*, Paphlagoniæ fluvius, olim *Oxynum* dictus, ab Arriano *Oxina*. Nec non est locus aut fluvius in Atticâ Siciliæ fluvius apud Callimachum. Puteus in Atticâ. In Cnosso Adriani locus est.

Callicles, statuarius nobilis. Plin. 34. 8.

Callicolona, Homero locus Troadis circa Simoenta flu. quem Strabo dicit distare ab Ilio 40. stadiis.

Callicrates, cui thesaurorum Susis receptorum tutela ab Alexandro Magno permissa est. Curt. V. 12.

Callicrates, artifex ex ebore formicas, & alia tam parva animalia fecit, ut partes earum cerni non possent. Plin. 7. 21. & 36. 5. Ælian. *Var. Hist.* 1. 17. Plu. *l.* 2. *c. Stoicos*.

Callicrates, ἀνὴρ Ἀχαιὸς, quomodo perfidiâ suâ Achæos omnes Romanis parere coegerit, docet Pausanias *l.* 7. Itemque, quomodo à Menalcide perfidiâ superatus fuerit, idem demonstrat ubi supra.

Callicrates, Tyrius, Aureliani tempore, & paulò pòst vixit, qui vitam Imperatoris hujus in literas retulit. Vopisc. *in Aurel.*

Callicratides, Methymnam vi cepit, Conone Atheniensium Duce Mitylene obsesso, unicè patriæ devotus, Spartani exercitus Imperator. Sed ab Atheniensibus prope Insulas Arginusas victus, mari mersus obiit, an. 347. U. C. Xenoph. Hist. *lib.* 1. Diod. *l.* 13. Polyæn. *lib.* 1.

Callicratides, quartus è legatis, quos Lacedæmonii, ruptâ cum Alexandro Macedone societate, ad Darium miserunt, cum tribus collegis, proditâ Damasco, in Alexandri manus venit. Curt. III. 60.

Callicula, mons erat Campaniæ, aliter *Eribanus* & *Eribianus*, Brietio, inter Turrim Francolisiam & Calem. Item, opp. Campaniæ, ad Casilinum fluv.

Callidemus, an historicus fuit, haud satis compertum habemus. Plin *lib.* 4. *cap.* 12. & Solin. *cap.* 17. hoc teste astruunt Eubœam prius Chalcidem esse vocatam, ære ibi prius reperto. Vossius.

Callifæ, vide *Allifæ*.

Calliga, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Calligeris, Indiæ intra Gangem urbs, *Cananor* Castaldo.

Callimachus, Cyrenæus historicus & poeta Batti & Mesalmæ fil. discipulus Hermocratis Jasensis Grammatici, vixit apud Ptol. Philadelphum usque ad Evergetem Bibliothecæ regiæ præfectus. Scripsit plurima, sed paucis, *ingentem librum ingens malum* vocare solitus, inter cætera opus de origine & caussis Sacrorum, quæ Αἴτια inscripsit. Martialis, ad Mammurram *lib.* 10.

Si non vis Mammurra tuos cognoscere mores,
Nec te scire legas Ætia Callimachi.

Conscripsit etiam in adversarium poëma acerbissimum, quem ficto nomine Ibin appellavit. Edidit & hymnos, qui hodieque extant: Item carmen de Berenices comâ, quod Catullus transtulit, cum, cum Propertio, sæpe imitatus. Vide Suid. Vossium

de H.

de H. Gr. 1. 15. & Jonsium *de Script. Hist. Phil. lib. 2. cap. 5.* Fuit etiam *Callimachus* junior poëta ἐποποιὸς, ex superioris sorore natus, Stasenoris, & Megatimæ, quæ Callimachi soror erat, filius, ut est apud Suidam. Sed hujus non ita magnum nomen fuit.

Callimachus, Archon Athenis, an. 4. Olymp. 107.

Callimachus, Atheniensis dux præstantissimus, prælio cum hostibus Persis commisso, quamplurimis hostilibus cùm transfossus esset, & animam efflasset, rectus stetit. Plut. *in Paral.*

Callimachus, Atheniensium Polemarchus, cùm Dianæ tot boves vovisset, quot in Marathone Barbaros occidisset, postquam plures occisi essent, quàm ut votum solvere posset, capras immolavit.

Callimachus, Colophonius, Tatiano *Oratione ad Gent.* laudatus. Ut & Euf. *præp. Ev. lib.* 10.

Callimachus, Umber, Mevaniâ, hodie *Bevagna*, in Duc. Spolet. oriundus, Propertii conterraneus; qui Callimachi meminit, *lib.* 4. *el.* 1.

Umbria Romani patria Callimachi.

Callimachus, sculptor κακιζότεχνος nominari voluit, quasi artis interpellator, & qui eam in tenuiorem, exquisitioremque disciplinam reduxit, τήκειν enim *liquefacere, conflareque* significat. Nam ipse primus lapidem perforavit, minutatimque tractavit. Pausan. & Plin. 34. 8. κακιζότεχνος legunt. At Vitruvius 4. 1. κατατηξίτεχνος dicitur.

Callimachus, medicus. Plin. 21. 3.

Callimachus Experiens Philippus, San-Geminiano, in dit. Florentina oriundus, Paul. 2. literatorum osoris, odium declinaturus, in Poloniam abiit, à Casimiro R. filiorum institutioni admotus, ei Albertoque fil. successori gratissimus. Auctor histor. Attilæ, bellorum Vladislai, Pol. & Hung. R. libris 3. ut & de concitatis à Venetis contra Turcas Persis Tartarisque, &c. Trithem. Anno 1490. quo obiit. Volaterr. *l.* 7. Cromer. *l.* 30. Michov. 4, 78. Voss. *hist. Lat. l.* 3. *c.* 8. Adde Platinam, *in Paulo* 2.

Callimedes, Atheniensium imperator. Diod. Sic.

Callimedes, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ quintæ anno primo.

Callimedon, Atheniensis, ex amicis Phocionis atque ejus factionis, quæ optimatum causam agebat & cum Cassandro sentiebat: ideò à populo absens capitis damnatus est.

Callimeles, adolescentis nomen, quem Apollodorus, Cassandreæ tyrannus, correptum mactavit, jussitque ejus viscera à Leontomene cocta conjuratis epulanda anteponi. Polyæn. *l.* 6. 437.

Callimenes, Primus *Amphipolus* (magistratus annui a Timoleonte Olympiadis 109. anno secundo instituti nomen) Jovis Olympii Syracusis.

Callinicum, Persarum op. in Euphratis ripâ. Procop. Et Osrhoenæ regionis, lib. Notit. Mesopotamiæ item, Marcell.

Callinicus, Patr. Constantinop. Anno 691. post Paulum III. Latinæ Eccl. hostis, Justiniani Jun. jussu excæcatus, sicque Romam missus, an. 705. Theophanes, Cedrenus, Baron.

Callinicus, cogn. Sutorius, fil. Caii, Sophista Syrius, vel Arabs, profitebatur Athenis, scripsit de cacozeliâ, de Rhetoricâ ad Cleopatram, de rebus gestis Alexandri. *lib.* 10. & alia quædam, Suid. Viguit tempore Anton. Pii Imp. vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 13. Jonsium *de Script. Hist. Phil. lib.* 3. *cap.* 14. Hieronymum *præf. in Dan.*

Callinicus, Græcus, inventor an. 670. ignium, qui *Ignis Græcus* dicuntur, cujus ope Constantinus Pogonatus feliciter adjutus Saracenorum naves exussit, Zonaras *in vita hujus Imper.* Vid. Valturium, *de re militari lib.* 11. *cap.* 9. J. Bapt. Portam, *Mag. nat. lib.* 12. J. C. Scalig. *exerc. c.* 3. *dist.* 3. Cardan. *de Subtil. l.* 2. Salmuth, *notis in Pancirolum, part.* 2. *rer. memorab. tit.* 19.

Callinicus, Sacri genus Herculi dicatum. Cæl. 5. 4. Item, urbs Syriæ. Curop.

Callinus, primus orator, & inventor Elegiaci carminis, teste Terentiano. V. Athen. *l.* 2. Clem. 1. *Strom.* Strab. *l.* 13.

Callinusa, promuntorium Cypri. Ptol.

Calliope, una Musarum, Orphei mater, quæ Rhetoricæ & Heroico carmini præesse existimatur, à vocis suavitate nomen habens, καλὸς enim *bonus* est, & ὄψ *vox*. Virg. *in Epigr.*

Carmina Calliope libris Heroica mandat.

Effertur & *Calliopea*. Virg. 4. *Eclog.*

Orphei Calliopea, Lini formosus Apollo.

Ovid. 5. *Fast.*

Prima sui cœpit Calliopea chori. Juvencula pingitur, floribus coronata, lævâ plurima serta laurea, dextrâ verò Iliadem, Odysseam & Æneida tenens.

Calliope, urbs Parthorum. Steph.

Callipatira, mulier quædam fuit, quæ, quum capitale esse fœminis sciret, Olympicorum tempore Alpheum amnem transisse, mutatis vestibus gymnastico fefellit habitu. Sed cùm id postea rescitum esset, ignotum quidem est Callipatiræ, quòd patrem, & fratres habuisset Olympionicas. Lata verò in reliquum lex est, uti in certamen nudi prodirent gymnastæ. Pausan. Rhodiginus 14. 14.

Callipia, fons Ephesiorum. Plin. 1. 29.

Callipidæ, Scythiæ Europ. pop. ad Hypanim flu. Solinus *Callipodes* vocat. *Græcoscythæ* Herodoto dicuntur.

Callipides, Græcus tragœdorum histrio, qui in eâ re sibi placebat plurimum. Unde cùm Agesilao regi occurrisset, arrogantius eum salutavit, subinde illi se ostentans, & inter astantes sese intrudens; arbitratus fore, ut à rege comiter exciperetur. At is cùm gravioribus intenderet, ac ne Callipidem respectaret, *Non admodum*, inquit, *nosse me videris ô Rex, nec, qui sim, inaudivisse.* Respondens Agesilaus: *Annon*, inquit, *es Callipides mimus?*

Callipides, insignis actor scenicus, ex Ioniâ ab Alexandro, præsidii per Æolidem præfecto, ad spectaculum evocatus. Polyæn. *l.* 6. *pag.* 442.

Callipides, historicus Gr. Straboni memoratur *in* 12. jungiturque Hellanico, Herodoto, & Eudoxo, quos φλυαρίας arguit. Scripsit de Scythis.

Callipius, Consul, collega Aldaburii an. U. C. 1200.

Callipolis, Turcis *Oeliboli* teste Leunclavio, urbs Thraciæ aliàs ampla, nunc sensim deficiens, sed cum armamentario instructissimo, sub Turcis. E regione Asiæ min. juxta Hellespontum, qui ab ea *Stretto di Gallipoli* dicitur. Sil. 14.

—— *Romana petivit*

Fœdera Callipolis. —— ——

Ita Silianum hoc perperam Callipoli Thraciæ tribuit Ferrarius. Atqui *Callipolis* ista, de quâ Poeta agit, Siciliæ urbs fuit. Steph. Καλλίπολις πόλις Σικελίας. Vide omnino Cluv. *Sicil. Ant. p.* 388. Expugnata est ab Amurathe, contemnente damnum Johanne Cantacuzeno, qui *amphoram vini & stabulum porcorum amissum esse*, imprudens ajebat. Circa annum 1357. Leuncl. *in Hist.* P. Jovius &c.

Callipolis, urbs Apuliæ, sita in extremo promuntorio longè in mare procurrenti, sed arctissimo Isthmo, adeò ut in aliquâ parte vix curribus pervium sit. Munita est & rupibus septa, à continenti unicus est aditus, in quo castellum est munitissimum. Videtor Cluverius *Ital. Ant. pag.* 1239. Et Isa. Voss. *ad Melam, pag.* 166.

Callipolis, urbs Ital. olim sub Salentinis, & *Anxa* dicta, nunc ex præcipuis Terræ Hydruntinæ. In ora sinus Tarentini. Estque urbs permunita. Vid. *Gallipolis.*

Callipos, philosophus, qui honestati voluptatem adjunxit, sicut Dinomachus.

Callipus, Atheniensis, Platonis auditor, insidiator & percussor per Zacynthios adolescentes Dionis, quo trucidato Syracusis imperium per menses tredecim tenuit, & ab Hipparino, Dionysii junioris filio, superatus ac ejectus est, Olympiadis centesimæ sextæ anno quarto. Plut. *in Dione*, & *de Verec.*

Callipus, Corinthius, historiam scripsit de Orchomeniorum rebus, teste *in Bœoticis* Pausaniâ. Item, Dux Atheniensium. Item Philosophus, qui honestatem voluptati junxit. Diog. Laërt. *in Zenone.*

Callipus, op. ad Pontum Euxinum. Jornandes. Item, fluv. Lusitan. *Sandano*, V. *Calipus.*

Callipygos, Venus dicta est à pulcris clunibus, nam cùm duæ quædam visendæ pulchritudinis puellæ, de natium præstantiâ contendissent, tandemque placuisset rem adolescentis cujusdam arbitrio permitti, & ille utrâque diligenter inspectâ, natu majori palmam addixisset, eamque conjugio sibi copulasset: occasionem Syracusanis præbuerunt, ut ab hâc natium altercatione Veneri Callipygæ templum construerent. Rhod. 4. 8.

Callirhoe, fil. Scamandri, uxor Trois, tertii Regis Dardanorum, ex illo mater Ili, Ganymedis & Assaraci, qui pater erat Capyis, avus Anchisæ, Messala Corvin. *de familia Aug.* Homerus Virgil. Euseb. *Chron.*

Callirhoe seu *Callirrhoe*, fons in agro Attico 9. habens fistulas, unde & ἐννεάκρουνος dictus est. Thuc. *l.* 2. Poetæ alterum r ex nomine abjiciunt. Stat. 12. *Theb.*

Et quos Callirhoe novies errantibus undis

Implicat. —— ——

Callirhoe, fons in Palæstinâ calidus, ac morbis sanandis saluberrimus, in quo Herodes morbo horribili, ac prorsus desperato, & cælitus immisso laborans, perperam seipsum lavit, propter tot ac tanta in homines scelera inhumaniter perpetrata. Itemque prope hunc fontem sita est ejusdem nominis civitas. Jos. 17. *Ant. cap* 8. Mel. *Callirrhoe.*

Callirrhoe, Lyci, Lybiæ tyranni, filia, homines sanguinarii, & hospites immolantis: à Diomede relicta, quem Trojâ redeuntem benignè susceperat, & paternis insidiis liberaverat; ægra animi fauces elisit. Item, filia Acheloi fluv. uxor Alcmeonis. Vid. etiam Plin. & Pausan.

Callirrhoe, Phoci Bœotii filia, quæ corporis formâ, & pudicitiæ gloriâ, inter æquales suas & socias facilè sibi primas vendicavit. Hanc 30. numero ex universâ Bœotiâ genere & opibus primarii juvenes summo quisque studio in uxorem expetisse dicuntur. Cæterùm pater alias semper ex aliis moras complicans & connectens, ac diem de die trahens, illorum vota procrastinando

nando consultò frustrare videbatur; quamobrem proci, conspiratione conflatâ, Phocum interfecerunt. Hac re palam factâ Callirrhoe clàm aufugiens, tamdiu delituisse fertur, quoad celebre per universam Bœotiam advenisset festum, quod Παμβοιώτιον illi vocant. Hanc illa celebritatis occasionem nacta, observato tempore, supplex in Palladis arâ consedisse dicitur, palamque de procis conquesta suis, illorum scelus, nefandamque sui parentis cædem indicavit, nominaque singulorum maximo recensuit ejulatu. Bœotii autem, quotquot ad celebre spectaculum aderant, rei ipsius indignitate permoti, cædis patratores, & conscios, ut ab illis meritas exigerent pœnas, diligentius inquirere cœperunt. Hâc illi re perceptâ, ocyus omnes dilapsi, ad Hippotas, quod oppidum medio Thebarum Coronæque interstitio erat, celeri fugâ pervenisse dicuntur. Postulantibus autem illos posteà Bœotiis, & ut sibi dederentur, summo studio contendentibus, cùm oppidani obaudirent, eosque reddere nollent, comparato ex singulis civitatibus delectorum exercitu, illorum fines hostiliter sunt ingressi, opidumque vi captum funditus everterunt. Procos quidem illos in potestatem redactos, maximâ extructâ pyrâ simul omnes in ignem conjectos combusserunt. Leonicerus *Tom. lib.* 4. *cap.* 9. *ex Plutarcho.*

Callirrhoe, palus Mesopotamiæ ad Antiochiam urbem. Steph.

Callista, ins. maris Ægei, una Sporadum, alio nomine *Thera* appellata. Plin. 4. 12.

Callisthenes, conditor rerum Græcanicarum, illas libris decem deduxit ad occupationem templi Delphici & sacrilegium Philomeli. Diod. XVI. 518.

Callisthenes, ex illis ducibus, qui quadringentos & viginti viros noctu introduxerunt Athenas, ut urbe præsidium Demetrii cum duce Heraclide ejicerent. Verùm re detectâ interiit. Polyænus *lib.* 5.

Callisthenes, philosophus Olynthius, Alexandro M. familiaris ex condiscipulatu, accitusque ab ipso rege ad prodenda memoriæ gesta ejus Asiatica. Huic nocuit immodica libertas, gravitasque regi invisa. Nunquam enim assentantium accommodatus ingenio erat. Cùm enim Rex ex Persico bello Deorum more adorari vellet, acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit, palam dictitans, Alexandrum non adorandum esse. Quæ res & illi, & multis principibus Macedonum exitio fuit. Nam illum Alexander, propter adorationis Persicæ interpellatum morem, conjurationis conscium esse criminatus, truncatis membris, abscissisque auribus, ac naso labiisque deformatum, cum cane in caveâ clausum circumferri jussit, diuque tortum tandem necavit. Plut. *in Alex.* Q. Curtius, *l.* 8. Arrian. *l.* 4. Justin. *l.* 12. Ei plurima attribuuntur scripta, priscis laudata, de quibus vide Voss. *Hist. Gr. l.* 1. *c.* 9.

Callisthenes, Sybarita, Galatica consignavit, quorum librum 23. citat Plut. *lib. De Flum.* Et librum 13. Stobæus *Serm.* De morbis, & molestiarum in eis solutione, Vossius, ibidem & *l.* 2.

Callisto, Lycaonis Arcadiæ regis filia, nympha celeberrima, quæ à Jove compressa, gravidaque facta, quùm simul cum Dianâ lavaretur, tumore uteri prodita, & ab eâ repulsa, Arcadem filium in silvis peperit, à quo postea Arcadia dicta est. Hæc postea à Junone in ursam commutata, & Jovis miseratione in cœlo collocata, majorem efficit Ursam, quæ & Helice Græcis dicitur. Prop. *lib.* 2.

Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
Hæc nocturna suo sidera vela regit.

Vid. Ovid. *Metam. lib.* 2. *f.* 5. & 6. Alexandr. Rossæum, *in my. stagogo Poët.* &c.

Callistratia, Galatiæ op. Ptol. *Castellus* teste Theveto.

Callistratus, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ sextæ anno secundo.

Callistratus, Atheniensis, à civibus suis cum Timotheo & Chabria, Dux adversus Lacedæmonios constitutus. Olymp. 100. an. 4. Diod. *lib.* 15.

Callistratus, Aphydnæus, Orator apud Athenienses, disertissimus eo tempore, cui tamen concinnè respondit Epaminondas. Vid. Xenoph. *l.* 6. *Hellen.* & Plut. *Apophth.*

Callistratus, Athenis orator in Rep. fuit, quem cùm Demosthenes admodum adolescens audivisset nobilem illam τὴν περὶ Ὠρωπὸν δίκην dicentem, ita motus, demulctus, & captus est, ut Callistratum jam inde sectari cœperit, & Academiam cum Platone reliquerit. Xen. *l.* 6. Gellius 3. 13.

Callistratus, Histor. Gr. scripsit de Samothracia, laudatus Dion. Halicarn. *Antiq. R. lib.* 1. Item, Poëta Comicus, Athen. Circa 97. Olymp. æmulus Aristophanis. Item, Tenedius, Arati Commentator.

Callistratus, vir doctissimus, Alexandro à consiliis.

Callistratus, videtur fuisse Grammaticus, quem aliquoties laudant Scholia in Aristoph.

Callistratus, statuarius, Plin. 24. 8. Cæterùm de variis Callistratis videsis Voss. *de H. Gr. l.* 3. *p.* 338. *De Mathem. c.* 33. *§.* 21.

Callistus, unus inter comites Juliani Principis, expeditionis ejus Heroico versu historiam conscripsit. Nicephorus. 10. 34. Socr. 3. 18.

Callistus, Vid. *Calixtus.*

Calliteles Samius, Genitor Sylosontis, Polycratis & Pantagnoti.

Callixenus, Atheniensis, qui cum Theramene Steriensi Prætores in Arginusa populo adduxit. Schol. *in Aristoph. Ranas V.*

Callixenus, Rhodius, libro de Alexandriâ, testis citatur ab Athenæo *lib.* 6. *cap.* 11. Pluribus ex libris id opus constabat, nam Callixenus in quarto de Alexandriâ, laudatur Harpocrationi, in Ἐγγυοθήκη. Vossius.

Callixenus, Statuarius nobilis, qui Olympiade 155. quo tempore illorum ars revixit, quum anteà aliquando cessasset, floruit. Plinius 34. 8.

Callixenus, de Pictoribus & Sculptoribus librum edidit. Photius *in Biblioth.* Item, Dux militaris, fame enectus. Xenoph. *hist. lib.* 1.

Callona, Lesbi ins. urbs opulentissima. Laonic. *l.* 10.

Calmaria, urbs munita Sueciæ, in Ostrogothia & Smalandia prov. cum portu, in ora littorali maris Balthici, è regione Oelandiæ Ins. Mirè deformata incendio Anno 1647. Arcem habet validam. 4. leuc. à Christianopoli. 40. ab Hafnia. Ab ea mare, inter ipsam & Oelandiam Ins. *Calmarsund.* Hic Ericus VIII. Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ Rex proclamatus, factumque est decretum, tria hæc regna unum Regem agnoscerent, Anno 1396. quod tamen minimè diu duravit. Expugnata à Friderico II. Daniæ R. an. 1611. sed postea recepta est.

Calmontensis pagus, seu *Calvomontensis*, nomen accepit à loco *Calmons*, vel *Calvus Mons*, aliis *Calmontis*, hodiè *Chaumont*, ad Mosellam in Lotharingia, quibusdam: sed in Lotharienfium finibus ad flumen hoc nullum ejus nominis locum exhibent tabulæ. In pago hoc castrum Spinal est, sedes Episc. à spina montis Mosellæ proximi dictum: hodiè *Espinal*, in Lotharingia ad fluminis Mosellæ ripam, 4. leucis ab Alteriaco, ubi Abbatia illustris, *Autrey*: Castrum quoque Vendopera, nunc ignotum, in eodem pago fuit. Est & *Calmons* vel *Calmontis*, inter Lutosam & Deonantum, vulgò *Calmont*, in parœcia Leodiensi. Vid. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Calne, locus olim celebris in Angliæ prov. Cantio. Ibi Concilium An. 977. ob S. Dunstanum à Clericis accusatum. Matth. Westmon. *addit. Beda, hist. Angl. l.* 2. *c.* 11.

Calniacum, opp. lepidum Gall. ad Oesiam fluv. In Ins. Franciæ, sed in limite Picardiæ, in agro Tarteniaco, 3. leuc. à Novioduno, Vulg. *Chauny.*

Calocerus, præfectus camelorum, in Cypro; Regem se proclamavit. Sed à Delmatio, nepote Constantini M. victus, excoriatus & combustus est, Tarsi in Cilicia.

Calo Johannes, vel *Johannitzus*, Bulgarorum R. Anno 1202. Innocentio. 3. se submisisse scribitur. Balduinum Imp. per insidias captum, Trinobi vel Ernoë, Bulgariæ Metropoli ultra annum captivum detinuit, postea interemit Anno 1206. *Romanicida* dictus, quòd Imperatorum Græc. subjectos lethali odio prosecutus, illos occidere summæ voluptati haberet. Obiit Thessalonicæ. Joh. Georg. Nicetas, Outremann. *Constant. Belg.*

Calo-Johannes etiam Johannis Comneni, & Johannis Palæologi nomen fuit. Vid. *ibi.*

Calon, statuarius, Quint. 12. 10. Plin. 34. 8.

Calones, militum servi, dicti quia ligneas clavas gerebant, quas Græci κᾶλα vocant. Festus. At Servio sic dicuntur, quia militibus ligna portant, & impedimenta. Σκευοφόροι. Horat.

Hunc perminxerunt Calones, atque Caballi.

Quidam tamen à *calando* derivant, quòd ad ministerium advocarentur: alii à *Calendis*, quòd Calendarum die cibaria pro toto mense caperent.

Calonesus, Ins. Gall. in ora meridionali Britanniæ min. cum portu & uno alteroque fortalitio. Ejus longit. 6. leuc. latitudo 2. circiter. Item Ins. Asiæ in mari Sinico. V. *Formosa ins.*

Calonis, *Cleves*, teste Lazio, urbs Germ. ducatûs Clivensis caput. Mel. *Kalenhausen*, vicus Cliv. Duc. ad Rhenum. 2. mill. infra Ordingam. Cluver.

Calor, Italiæ fluv. prope Beneventum, teste Livio *lib.* 24. & Vibio Sequestri; *Pugna* hodiè inquit P. Diaconus Ἄλωρ legitur apud Appianum *in Annibalicis.* & *l.* 2. *Civilium.* Baudrando fluv. est prov. Principatus Ulter. Qui ortus in Apennino monte Montem Maranum civ. rigat; dein auctus Miscano & Tamaro fluv. prope Beneventum labitur, pauloque infra in Sabatum se exonerat.

Calos limen, id est, bonus Portus, portus in Euxino. Mela. 2.

Calostoma Plinio commemoratur inter Danubii ostia. Vide *Boreostoma.*

Calpas, *Carrathassan*, si Theveto fides, fluv. (portus item & op.) Bithyniæ, inter ostia Psyllidis & Sangarii in Euxinum labens. *Aqua*, teste Moletio dicitur, Pineto autem *Zagari.* Sed hic Sangarius est à Calpâ diversus.

Calpe, Hisp. op. ad fretum Gaditanum, hinc *Estrecho de Gibraltar*, antiquitus Heraclea dictum, ut author est Timosthenes apud Strab. Nunc *Gibraltar*, Urbs Vandalitiæ parva, sed munita cum arce, 4. m. p. ab Heracleæ ruderibus, *Gibraltar Vejo* dictis. Baudrandus.

Calpe, mons in extremis Hisp. finibus ad fretum Gaditanum, *Gibraltar* Clusio, & Aretio, *Gebel Tarifi* (id est, *mons Tarif*) Arabibus, teste Beutero; ambitu quidem non magnus, sed altitudine ingens, è regione oppositam habens Abylam, vel Alyben extremum Mauritaniæ montem formâ & magnitudine non dissimilem, Hisp. *Sierra de las Monas*, mons Simiarum. Hi 2. montes procul aspicientibus columnarum speciem præbent, Lloyd. unde Herculis columnæ vett. In Andaluzia est, Morer. Sub hoc monte sita fuit Tartessus urbs vetustissima, alio nomine *Carteia* dicta. Unde & *Tartessia Calpe* à poetis appellatur. Claud.

Condiderat jam solis equos Tartessia Calpe.

A Græco vocabulo sic nominatum volunt, quoniam esset concavus instar vasis, quod Græci Κάλπην vocant. Hesychius, Κάλπη, σταμνὸς, ὑδρία. Avienus in oris maritimis, ex magni Salmasii emendatione:

Calpeque rursum in Græciâ species cavi
Teretisque visu nuncupatur urcei.

Unde Melæ mons iste *in mirum modum concavus* dicitur 2. 6. Bochartus tamen Κάλπην, ex Phœnicio גלפא *galpha*, ejusdem significationis deductum putat. Nam Arabicè inquit, גלף *galph* est *vas fictile*, vel *effracti vasis ima pars*.

Calpe, Κάλπης λιμὴν Arriano in periplo Ponti Euxini. Straboni flu. est inter Chalcedonem, & Heracleam fluens. Ptol. Κάλπην fluv. inter Psyllin & Sangarium ponit. Κάλπις Apollonio, quem βαθυῤῥείοντα vocat.

Calpetus Sylvius, 9. Latinorum rex.

Calphurnia, mulier fuit importunissima, quæ sexus sui verecundiæ oblita, per seipsam causas egit, adeoque se molestam judicibus præbuit, ut occasionem dederit edicto, quo cautum est, ne mulieri in posterum causas agere liceret. Vide etiam *Calpurnia*.

Calphurnia, quonam pacto pro patriæ salute à Mario, patre suo, victima diis immolata fuerat, vide in dictione *Marius*, & Plut. *in parall. cap.* 20.

Calphurnia, L. Pisonis filia, fuit quarta Cæsaris uxor, cùm in Consul. tu ei successurus esset L. Piso; hæc post viri necem omnem pecuniam ad M. Antonium tulit, Suet. *in Cæs.*

Calphurniana, Turdulorum in Bætica urbs. Ptol. juxta Bœtim fl. v. media inter Cordubam & Illiturgim. *Carpio* hodie.

Calphurnius Bestia, nobilis Romanus, qui pecuniâ corruptus, rem adversus Jugurtham malè gessit. Huic à M. Cæcilio accusatore objectum est, quòd uxores suas dormientes interemisset. Plin. 27. 2.

Calphurnius Crassus, patricio genere ortus in expeditionem Reguli socius in Massylos, ut munitissimum castellum, nomine Garætium diriperet, missus est: ubi in hostium potestatem redactus Saturno immolandus destinatur. Bisaltia regis filia, juvenem adamatum, patris à se proditi victorem fecit: Calphurnio autem retro abeunte, puella sibi ferro jugulum transverberavit. Plut. *in Paral.*

Calphurnius Crassus, in Nervam Imp. conjuratione factâ, veniam impetravit à clemente Domino, eique in ludis publicis assidere jussus est. Dion. *l.* 68.

Calphurnius Fabatus, Vid. *Fabatus*.

Calphurnius Galerianus, C. Pisonis filius, à Muciano urbem ingresso, cinctus militari custodiâ, & ad quadragesimum ab urbe lapidem Viâ Appiâ, fuso per venas sanguine, occisus; ob nomen insigne & decoram juventutem, & quia vulgus Principatus inanem ei famam circumdedit. Tacit. *Hist.* 4. 2. 49.

Calphurnius Piso, Cos. Coll. Rustici Bolani. an. U. C. 863.

Calphurnius Piso, Socer Julii Cæsaris, Consul an. 753. U. C. qui plurimis JC. natalis est: nobilis ac ferox vir, qui cessurum se urbe ob factiones accusatorum in Senatu clamitaverat: & spretâ potentiâ Liviæ Augustæ trahere in jus Urgulaniam domoque Principis excire ausus erat. Sed paulò post, recrudescente in animo Tiberii irâ, Pisonem Gravius secreti sermonis incusavit, adversus majestatem habiti: adjecitque in domo ejus venenum esse, eumque gladio accinctum introire curiam. Quod ut atrocius vero tramissum, cæterorum quæ multa cumulabantur, receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam. Tacit IV. 21. Alterius Calp. Pisonis, meminit *l.* 4. *c.* 3. *ex.* 11. memorabilis abstinentiæ.

Calphurnius Repentinus, duodevicesimæ legionis in inferiore Germaniâ centurio; cùm Galbæ imagines protegeret, impetu militum abreptus vinctusque est. Tacit. *Hist.* 1. 56. & occisus.

Calphurnius Salvianus, vide *Salvianus*.

T. Calphurnius, poeta Latinus, natione Siculus fuit, Bucolici carminis author. Per eadem tempora floruit, quibus Diocletianus Cæsar, & Constantii principes Romanum imperium moderati sunt. Vide Crinitum *de Poëtis Lat. Cap.* 83. Sub Caro, Carino & Numeriano, habet Morerius. Hincmari tempore jam in Scholis prælegi solitus est. Ejus 7. carmina restant. Lil. Girald. *in dial.* Voss. *Poët. Lat. c.* 4.

Calvinus lacus Germ. in Duc. Megalopolit. in confinio Brandeburgico, juxta Warenum opp. 5. leuc. à Gustroviain Austr. Inter Muritium & Plavensem lacus.

Calpurnia, famil. apud Romanos, nobilis. A Calpo Numæ Pomp. filiorum uno dicta. Plut. *in Numa*.

Calpurnia, uxor Julii Cæsaris, somniavit eo die, quo maritus occisus est, culmen domus corruere, maritumque inter amplexus suos trucidari. Etiam sponte dissilierunt ædium fores. Suetonius *in Cæsare, cap.* 77.

Calpurnia, illustris fœmina, ab Agrippina perversa, quia formam ejus Claudius fortuito sermone laudaverat. Tac. *l.* 12. restituta, post cædem Agrippinæ, à Nerone. *l.* 14.

Calpurnia, altera pellicum, cui Claudius C. maximè insueverat, à Narcisso largitione & promissis inducta, ut indicaret Messalinam nupsisse Silio. Tacit. *l.* 11.

Calpurnia, Lex Rom. de Ambitu.

Calpurnii, à Calpo, Numæ filio dicti, Romæ plebeii fuerunt, cognominibus Pisone, Frugi, Bestia, Cæsonino & Bibulo distincti, Consulatibus, Censuris & triumphis maximè illustres.

Calpurnius, Poëta Lat. Auctor Comoediæ, cui *Phronesis* titulus. Voss. *de Poët. Lat. cap.* 8.

Calpurnius, Vid. *Calphurnius*.

Calthai, Indiæ apud Polyænum *lib.* 4. Populi, ab Alexandro Magno devicti.

Caltiorissa, Armeniæ min. urbs. Ptol.

Calvarius mons Palæstinæ, prope Hierosolymam, passione J. C. D. N. illustris. Judæis Golgotha. Hic plurimis Patrum placet, Adamum sepultum, & Abrahamum filium suum offerre jussum esse. Postmodum Adrianus Imp. in odium Christianorum, Jovis Venerisque impura idola ibi loci erexit, Hier. *ep.* 3. *ad Paul.* Sulpic. Sev. *l.* 2. Paulin *ep.* 11. Ambros. *in Psalm.* 43. quæ à Constantino M. destructa, templis conditis. Euseb. *in Vita Constantini.* Hieron. *in Chron.* Sozom. *l.* 4. *c.* 4. De cruce mediâ die, an. 353. hic visâ, cùm Constantinus M. Maxentium aggressurus, ambigeret, cuinam religioni se applicaret, cum inscript. *In hoc vince*, vel ut habet nummus ejus, *Hoc Signo victor eris*, Vid. Zonar. *in Constantin.* Eusebium, *in ejusdem vita*, &c.

Calubas, idem qui *Caleb*, fil. Esron, filii Phares. 1. Par. 2. Lat. *caninus*, aut *canistrum meum*, sive *totus ipse in me*.

Calucones Rhætiæ pop. Ptol. quorum regio Argovia, Æg. Tschudo opp. *Leutkirchen*, Laz. à Campoduno 5. leuc. Memmingam versus. Al. *Collucones* Plin.

Calucula, op. Hisp. Bæticæ ex stipendiariis. Plin. 3. 1. vulgò *Cabra*. sed malè: hoc enim *Agabra* vett.

Calvia Crispinilla, Magistra libidinum Neronis, à Veste Sporo fuit custos. Transgressa in Africam ad instigandum in arma Clodium Macrum, famem Populi Romani haut obscurè molita; totius postea civitatis gratiam obtinuit, Consulari matrimonio innixa, & apud Galbam, Othonem, Vitellium illæsa. Vide Tacit. *Hist. l.*

Calvinus Johannes, natus est an. 1509. Novioduni, in Picardia, ex Gerardo patre. Avarici Biturigum, sub Alciato juri aliquandiu vacavit, ubi haustâ purioris doctrinæ aurâ, pòst Encolimæ Græcam literaturam professus, mox ad sublimiora divino instinctu vocatus, Institutiones Christ. Relig. elucubravit, in Germaniam transiens, quæ Basileæ primò, ubi aliquandiu moratus est, an. 1534. dein Argentorati an. 1539. impressæ, &c. Genevæ post Farellum & Viretum an. 1536. S. Theologiæ Professor, inde Argentinam vocatus, sed suæ Genevæ iterum redditus est. Fuit ei ingenium vivacissimum, judicium subactissimum, memoria tenacissima, eloquentia docta, rerumque & sententiarum pondere tonans. Unde Melanchthon de illo: *Nullius hoc tempore oratio in disputando vel nervosior fuit, vel splendidior. Eloquentiâ ipse suâ enervat nostros, terret adversarios & sanabiles juvat.* Barclaj. ex Commun. Rom. *in Euphorm.*

Et qui tergeminam rides Calvine coronam,
Et Latium Latio destruis eloquio, &c.

Et factum hinc, ut complures etiam adversariorum, ignorato scriptorum ejus auctore, ea in summo habuerint pretio, imò vitulâ Calvini araverint. Quod notabili exemplo demonstrat Mich. Beuterus, *in Censura nova ordin. Eccl. Argentin. instituta*, an. 1598. Cæterùm, laboriosissimus, quotannis statas conciones 286. lectiones 186. habere solitus est, elogium meritus Pet. Matthæi, *in hist. Pacis*: *Vix repertus est*, inquientis, *qui Calvinum æquaverit, in perferendis laboribus.* Quæ causa, quòd per integrum decennium à prandio abstinuerit, frugalitatis & φιλοπονίας insigni exemplo. Ut nihil dicam de plurimis & continuis ejus ex quavis religione & gente adversariis, cum quibus illi perpetuo confligendum fuit: non sine frequenti vitæ discrimine, quo inter alia Lutetiæ, inter primos agonismos, & Genevæ inter factiosos tum Pontificios, tum disciplinæ adversarios, exercitus est. Calumniæ scopus fuit omnibus, in hunc unum irruentibus, ut vulgatum illud ostendit:

Sis fur, sis nebulo, sycophanta, & turpis adulter,
Calvinum ferias fulmine, Magnus eris.

A superbia, à prima juventa alienissimus, unde non nisi Farelli primum, subinde Buceri gravissimâ obsecratione ad ministerium S. protractus, & deinceps iterum retractus est. In dicendo minimè mordax, aut in calumnias pronus, à Bucero proin Sanctissimia-

mi appellatione, epist. Anno 1536. datâ, honoratus, ab ipso Luthero pro docto & pio habitus: Ab avaritiæ criminatione mors illum absolvit. Præter divinum Institutionum opus, plurimos tum V. tum N. T. libros eruditissimis commentariis explicuit, aliaque ingenii sui monumenta edidit, è quibus facilè patet, quidquid in ejus cineres convitiorum congeritur, nil nisi pravæ loliginis nigrum succum esse. Obiit piè d. 27. Maj. Anno 1564. in morte illustre insuper patientiæ exemplum, si verum est, quod de eo Eruditiss. Morerius, ex commun. Rom. scribit: qui tot illum morborum generibus excruciatum memorat, ut sigillatim distributa facilè numerosum nosocomium instruere potuissent. Ita etiam laudi invidia velificatur. De illo Verheiden: *Jurisprudentia*, inquit, *operam dedit Aureliis, sub Petro Stella, Jurecoss. Gallorum, facilè tum Princeps*. Thuanus, *Acri vir ac vehementi judicio & admirabili facundiâ præditus*. Iterum Verheiden: *In Oratione gravitas ac Majestas singularis est: concinna, nervosa prorsus, & virilis compositio, quæ pondere suo penetret, moveatq; maximè cum judicio legentium animos, quâ scribendi ratione vix ullum sibi habuit parem.* Andr. Wintonus Episc. *de Usuris: Illustris vir nec sine summi honoris præfatione nominandus*. V. Antibolsecum, ab Anonymo editum, Anno 1622. (liviæ, Rivet. *Cath. Orthod. tom.* I. *in proœm.* & *Jesuita vapulante, cap.* 2. Theod. Zuing. *in theatro Sap. Cœl.* Bezam, *in ejus Vita*. Quòd puriores Religionis cultores *Calvinistæ* dicuntur, non illum sectarium aut hos novæ doctrinæ vel schismatis arguit, sed adversarios impotentis animi. Hinc Franc. Andelotius, Admiralis Colinii frater, qui primus ex Gallica nobilitate, Religionem Reform. publicè professus est, Calvinismi ab inimicis apud Henricum II. delatus, nec quidem nosse se Calvinum sanctè affirmavit, protestatus, solius Scripturæ S. judicio statum se vel casurum. Thuan.

Calvinus Ignatius, operis auctor, à Plinio, *lib.* 10. *cap.* 48. laudati. Fuit etiam nomen plurimis olim Romanis familiare, ut, Domitius Calvinus, Consul, &c.

Calvisiana, Siciliæ urbs. Anton.

Calvisidius Sabinus, prænomine *Cajus*, partium Cæsarianarum Dux, cujus legio, teste Arriano, circa Macedoniam à Scipione tota cæsa est, exceptis octingentis. Postea Africam administravit, & sub Triumviris ad Consulatum evectus est.

Calvisius, Juniæ Silanæ *cliens*, subornatus à Patronâ Agrippinam deferre; tanquam destinavisset ea Rubellium Plautum per maternam originem pari, ac Nero, gradu à Divo Augusto, ad res novas extollere; conjugioque ejus etiam imperio Remp. rursus invadere. Sed falsi compertus relegatus est. Tacit. XIII 19. 22. Inde revocatus, *lib.* 14.

Calvisius Sabinus, Legatus T. Vinii: illius uxor malâ cupidine visendi situm castrorum, per noctem militari habitu, ingressa; in ipsis principiis stuprum ausa & criminis ejus reus T. Vinius arguebatur. Tacit. *Hist. lib* 48.

Calvisius Sabinus, Cos. *Calvisius* Tullus, Cos. Coll. Palmæ, quo tempore Plin. 2. Novocomensis floruit, & 3. Galatiæ civitates terræ motu erutæ sunt.

Calvisius Sethus, plurima scripsit, Chronologiam inprimis, hoc seculo.

Calvium, opp. Corsicæ munitum, in Ora Occid. cum arce permunita, in modum penins. fere inaccessum, sub dom. Genuensium. 10. mill. ab Ajacio in Boream.

Calumacuma, Africæ propriæ pagus ad Syrtim magnam. Ptol.

Calumnia & *Impudentia* apud Athenienses suas habuerunt aras, ut testis est Theophrastus apud Diogenianum: ita verò Calumnia efficta fuit ab Apelle. In dextra quidem sedet vir permagnas habens aures, quales ferme Midæ feruntur: manum longè ille protendit accedenti Calumniæ: circum ipsum verò sunt mulieres duæ Ignorantia & Suspicio. Ex adverso Calumnia, mulier ornata & pulchra, sed aspectu ardens & in iram & rabiem concita: lævâ faciem accensam præferens, dextrâ adolescentem quendam per capillos trahere videbatur, qui manus ambas ad cœlum tendebat superosque obtestabatur; præcedebat vir pallidus, impurus, acutè intuens, his propemodum similis, qui longiori morbo sunt confecti. Hunc, Invidiam vel Livorem, facilè cognoscas conjecturâ. Ponè duæ erant aliæ mulieres, Calumniam dirigentes & adornantes: altera quidem Insidiæ, altera verò Deceptio, vel Fallacia, seu Fraus: à tergo sequebatur *Pœnitentia*, pullas lacerasque vestes induta, quæ retro caput inflectens, flens ac lugens, pudore venientem veritatem excipere videbatur.

Calupena, Armeniæ min. regio. Strabo *l.* 11. Nusquam alibi me legisse memini. Plinius Colopenæ facit mentionem, sed id nihil huc pertinet.

Calus, Colchidis flu. Arrian. *in Periplo*.

Calusidius, in inferiore Exercitu Germanico miles. Hic, cùm Germanicus ad legionum imperium offerentium clamorem, tribunali desiliens moriturum se potius quàm fidem exueret, asseveraret, ferrumque latere direptum in pectus deferret, ni proximi prehensam dextram vi attinuissent; Imperatori strictum obtulit gladium, addito *Acutiorem* esse. Vide Tacit. *Annal. l.* 36.

Calusium, Tyrrheniæ op. Dion. *lib.* 14.

Calvus Cornel. Licinius, Orator celebris suo tempore, amicus Catulli: cujus hic meminit *epigr.* 14.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve.

Quod epigramma scripsit Catullus tum, cùm calvus ipsi inepta ignotorum hominum carmina misisset, ut illorum lectione in Saturnalibus tempus falleret. Vid. etiam Epigr. 54. & 97. Ovid. *in eleg.* quâ Tibulli mortem deflet. Horat. item *lib.* 1. *Sat.* 10. ubi de eo:

Nil præter Calvum, & doctus cantare Catullum.

Calvus mons, Urbs Gall. ampla & munita, in Campan. & Bassiniaco tractu, à Lud. XIII. Francisco I. Henr. II. aucta & munita. In colle, prope Matronam fluv. olim sub propriis Dominis, donec Campaniæ Comitatui juncta est. Item, opp. in Ins. Franciæ, in colle. Item, in Salonia tractu, inter Aurelianos & Romorentium medium. Item, oppidul. ad Garumnam fluv. Gall. *Chaumont*. Aliis est *Calvomontium*, &c. Duchenius. Nomen his omnibus à loci sterilitate. Potest etiam à nimio calore arcessi, quasi *Calidus Mons*. V. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Calvus Mons, oppid. Ital. in Duc. Montisferrat. V. *Mons calvus*.

Calybe, Thraciæ urbs. Strabo *l.* 17. Eam Philippus Amyntæ filius collectis de exercitu ignavissimis habitandam constituit.

Calycadnus, Ciliciæ fluv. ad quem Seleucia civitas sita est, juxta Sarpedonem promuntorium. Strabo. *Saleso* Nigro. Aliis *fiume del ferro*.

Calydium, Italiæ op. in Appiâ viâ ad Brundusium ducens. Strabo *lib.* 5.

Calydna, ins. maris Myrtoi, quam quidam unam esse cum Calymna putant. Alii Calydnas duas, Leron & Calymnem, quæ sunt circa Rhodum. Strabo Calydnam quandam prope Tenedum constituit, cujus meminit Q. Calaber *l.* 10.

Δὴ γὰρ πȣ πέλεν ἄντρον ὑπὸ ςυφελώδεϊ πέτρῃ
Ἠερόεν, θνητοῖσιν ἀνέμφατον, ᾧ ἔνι θῆρες
Σμερδαλέοι ναίεσκον, ἀπ' ἐλλομένοιο γενέθλης
Τυφῶνος νήσοιο καὶ πλύχας, ἥν τε Καλύδνην
Λαοὶ ἐπικλήσκȣσιν ἔσω ἁλὸς, ἀντία Τρόιης.

Vide *Calymna*.

Calydna, urbs Thebæ, à *Calydno* Cœli filio. Dicitur & *Calydnus*, unde Apollo Καλυδνεὺς & Καλύδνιος. Steph.

Calydnus, quidam Thebis regnasse fertur, unde Poeta Chalcidensis urbem eam Καλύδνȣ πόλιν vocat. Sicut autem Ὠγύγιον, pro *antiquo*, usurparunt Poetæ; ita & Καλυδναῖον Hesychius ἀρχαῖον interpretatur.

Calydon, Ætolorum civitas primaria, regia Oenei patris Meleagri, distans à mari septem millium quingentorum passuum spatio, Even fluvio interfluente divisa. Ovid. *Met. l.* 8.

Et Meleagream maculatus sanguine Nessi
Evenos Calydona secat. Idem *ibidem:*
Alta jacet Calydon, lugent juvenesq; senesq;

Idem 3. *Amor. Eleg.* 6.

Nec tanti Calydon, nec tota Ætolia tanti.

Inde *Calydonius*, ut *Calydonius amnis* apud Ovid. Item *Calydonis*: *Plangunt ora simul matres Calydonides*, apud eundem. Inde *regio Calydonia*, quæ olim Æolus dicebatur. Thucyd. *lib.* 3. Hic Diana Laphria colebatur olim. Nunc parvi momenti urbs est, in prov. *parva Græcia*. Baudr.

Calydonium, prom. Britanniæ Borealissimum, quò Ulyssem pervenisse Solinus testatur, pro *Caledonium*, V. *Caledonia*.

Calymna, Stephano insula, quam Scepsius in plurali *Calymnias* vocat, alii *Calymniam*, unde *Calymniates*. Fuit autem non longè à Lebintho, & Astypalæâ. Ovid. 2. *Art.*

Dextra Lebinthos erat, fœcundaq; melle Calymna,
Cinctaq; piscosis Astypalæa vadis.

Inde *mel Calymnium*, de quo Strabo *in fine libri decimi*, Ἅπαν μὲν ȣ̓͂ν τὸ νησιωτικὸν μέλι ὡς ἐπιπολὺ ἄςειον ἐςὶ, καὶ ἐνάμιλλον τῷ Ἀττικῷ. Τὸ δὲ ἐν ταύταις νήσοις διαφερόντως, μάλιςα δὲ τὸ Καλύμνιον. id est, *Omne quidem mel insulare, plerumq; est egregium, & cum Attico certat; maximè tamen excellit in istis insulis, & Calymnium imprimis.* Itaque *Calymna* Phœnicibus erat חלי מנה *Chalimnah*, hoc est, *dulcis sedes*. Alii *Calydnam* & *Calydniam* malunt, quod esset חלי טינע *Chalitna, dulcis rupes*, id est, quæ melle fluit, ut Deut. 32. 13. & Psal. 81. 17.

Calynda, Cariæ urbs. Steph. circa quem tractum *montes Calyndici*, Herodoto.

Calypso, nympha Oceani & Thetidis filia, vel ut aliquibus placet, Atlantis. Regnavit in Ogygiâ insulâ, & Ulyssem naufragum hospitaliter suscepit. Ovid.

Ah quoties illum doluit properare Calypso.

Propert. *Facunda Atlantidos arva Calypsus.*

De eâ Hom. *in Odyss.* Hæc de sui nomine insulam in Jonico mari cognominatam tenuit, Lacinio promuntorio propinquam. Vel, ut aliis placet, in mari Africo. Plin. 3. 10. Ad hanc pervenit Ulysses naufragus, ubi 7. annis detentus est: licèt Ovid. *lib.* 4. *Pont.* sex tantum dicat. *Eleg.* 10.

Angrave sex annis pulchram fovisse Calypso,
Æquoreaq; fuit concubuisse Dea?

Hanc

Hanc Propert. 3. 11. *Ææam* vocat,

Et thalamum Ææa flentis fugisse puella.

Insula quoque ejus *Æa* dicitur Hygino, *cap.* 12. 5. & Melæ 2. 7. Id autem nominis illi, & insulæ illius in situm, quia Æætæ & Circes soror à quibusdam traditur Calypso, uti testatur Tzezes in Lycophronem. Calypsonis insulam juxta Puteolos describit Philostratus, *l.* 8. Baudrando Calypsus Inf. distabat. 15. mill. à Lacinio prom. in Boream: ubi nunc ostia fluv. Neethi, in Calabria citer. versus sinum Tarentinum. Nunc non apparet.

Calytis, urbs Syriæ. Steph.

Calza vel *Galza*, ordo militaris, Venetiis, ex occasione Ordinis *La Bande*, in Hisp. institutus, ad juventutem bellicis exercitiis, terrâ marique instruendam. Renovatus Anno 1562. Justinianus.

Camacæ, aliàs *Camæ*, Scytharum pop. Plin. 6. 17.

Camachus, urbs Ciliciæ, in Armen. min. conf.

Camaldoli, Ordo Ecclesiasticorum in Communione R. à Romualdo, sub finem 10. sec. institutus. Candidi incedunt, P. Damianus, *in Vita ejus*: Habentque Abbatiam, caput Ordinis, Camaldulum, Vid. infra.

Camaldulum, vicus Italiæ, in dit. Florent. cis Arnum, juxta Apenninum, in confinio Romandiolæ Florentinæ, 30. mill. à Florentia in Ortum, & 15. à Sarsina.

Camalodunum, vel *Camulodunum*, *Colchester* Lhyido. Camdeno autem *Maldon* in Essexiâ; Cynobellini olim regia, uti ex Dione cognoscimus, *lib.* 60. Καμυλόδουνον τὸ Κυνοβελλίνου βασίλειον. Per Metathesin Ptolemæo Καμουδόλανον, quam inter Τρινόαντας ponit, sic enim Trinobantes vocat. Vide Burtonum *in Antoninum*, *pag.* 232. Vide *Cambodunum*.

Camane Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. *Chaul* nonnullis. Aliis est *Daman*, urbs ampla & emporium celebre, juxta sinum Barigazenum, nunc *Golfo di Cambaja*, cum portu capaci & tuto, in dit. Lusitanorum.

Camani, Germaniæ pop. Ptol. mel. forsan *Camavi* seu *Chamavi*. Vid. ibi.

Camantium, una ex septem urbibus Asiæ min. quas Cyrus familiari suo Pitharcho largitus est. Athenæus.

Camara, Indiæ intra Gangem emporium supra promontorium Cory. Arrian. *in periplo.*

Camara, urbs Cretæ, Ptol. Λατὼ olim dicta. Steph.

Camaracum, primò memoratum tab. Theodos. inter Pontem Scaldis & Bajacum Nerviorum ponitur: Æthico, inter Nemetacum & Bagacum: item inter Nemetacum, & Augustam Veromanduorum. In priscis Notit. prov. ac civ. Galliæ, inter urbes prov. Belgicæ secundæ, sextum tenet locum: in recentioribus, quartum; post Remos nempe, Suessionas & Catalaunos, sed ante Veromanduos & Atrebates. Capta à Chlodione Francorum R. post quem Ragnacharius ibi sedit. Incendiis vastata est à Normannis, A. C. 881. Belgis *Camerick*, Gall. *Cambray*. Incolæ *Cameracenses*, Gall. *Cambresiens*. Urbs ex Episc. facta est Archiep. & Metropolitana sub Philippo II. cujus Archiepiscopus & Dux Comes Cameracesii & Princeps S. Rom. Imp. nuncupatur. Caput est pagi cognom. qui Gall. *le Cambresis* dicitur: olim Nerviorum fuit, sed sedes prisca Episcopi, donec ut dictum altiùs evecta, cùm prius unà cum Atrebatis & Turnaco Remorum urbem pro Metropoli haberet, jam linguæ Francicæ seu Wallonicæ nova Metropolis facta, quinque ejusdem linguæ civitates sibi subjectas habet, Atrebatensem & Turnacensem veteres, Audomarensem, Iprensem & Namurcensem novas, è quibus Civ. S. Audomari vel Sithiu & Ipra partem antiquæ diœceseos Tarvennæ Morinorum paulo ante eversæ, cui prius attribuebantur, continent. Hadr. Valesius *Not. Gall.* vide quoque *Cameracum.*

Camarata, Mauritaniæ Cæsar. op. Anton.

Camaria, urbs Italica ab Albanis condita. Vide *Camerinum.*

Camaria, Inf. amnica Gall. mel. *Castra Mariana* & *Campus Marii*, ubi Marius castra habuit contra Cimbros, quos maxima ibi pòst clade affecit. Nunc *la Camargue.* Inter Rhodani ostia & Arelatem; miræ fertilitatis, salinis optimis, piscationibus stagnorum, maris & fluviorum, venationibus, cyrogryllis, aucupiis & pascuis præstans in Provincia, 6. leuc. à Maritima in Occas. Baudr. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Camarica, Ptol. Cantabrorum urbs, alio nomine *Victoria* dicta.

Camarina, Italiæ civitas. Strabo 6.

Camarina, palus Siciliæ juxta op. ejusdem nominis; extructum an. 150. U. C. Euf. vel Olymp. 45. Schol. Pindari; destructum à Syracusanis 52. an. pòst, sed denuo reparatum à quodam, cui Hipponas nomen. Vid. Thuc. *lib.* 6. & 7. Polyb. *lib.* 2. Diodor. *lib.* 4. Plin. *lib.* 3. *cap.* 8. Strab. *lib.* 6. Herodot. 7. Leand. *descr. Italia.* Hujus paludis aquæ cùm fœtore suo pestem generarent, consuluerunt Apollinem, expediretne ipsis Camarinam exsiccari, quibus ab Apolline responsum est,

Camarinam non esse movendam.

Μὴ κίνει Καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

Neglecto tamen oraculo, siccaverunt paludem, per quam mox ingressis hostibus, contempti oraculi pœnas dederunt. Unde Proverb. *Camarinam movere* pro eo, quod est, *Sibi malum hoc accersere.* Erasm. *Adag.* Servius, *in illud Virg.* 3. *Æn.*

—— Et fatis nunquam concessa moveri

Apparet Camarina procul, Campique Geloi.

Vide Cluver. *Sic. Ant. lib.* 1. *pag* 192. 193. 194. Interim videamus, quid de hâc urbe ait Vir magnus, *De Phœn. Col. lib.* 1. *c.* 29. Falluntur (inquit) qui paludem volunt ab urbe viciná dictam. Neque enim ab urbe palus, sed urbs à viciná palude nomen traxit: Φησὶ γὰρ Δοῦρις, ὅτι αἱ πλεῖσται τῶν Σικελικῶν πόλεων καὶ τῶν ποταμῶν ὀνομάζονται, Συρακούσας Γέλαν, Ἱμέραν, Σελινοῦντα, καὶ Φοινικοῦντα, καὶ Ἔρυκην, Κάμικον, Ἁλυκὸν, καὶ Θέρμον, καὶ Καμαρίναν. Ita Stephanus in Ἀκράγαντες. *Camarina* porro palus unde dicatur, colligere est ex his Pindari *Olymp.* 5. de Hippari amne, qui in Camarinam influit,

Κολλᾷ τε σταδί-
ων θαλάμων ταχέως
Ὑψίγυιον ἄλσος.
Agglutinatque stabi-
lium cubiculorum celeriter
Altam sylvam.

Quæ Schol ita explicat ex mente Aristarchi Grammatici celeberrimi: θαλάμων κατασκευαστὴν Ἵππαριν τῇ Καμαρίνῃ παρέχειν, &c. id est, *cubiculorum structorem Hipparin Camarina prabuit. Ajunt enim illum per mediam Camarinam defluentem, accedente maris æstu formare terram, ex quâ lateres conficiunt Camarinenses ad domorum structuram.* Itaque Camerinæ nomen est, à חמר *chamar, lutosum esse*, unde & חומר *chomer* est *lutum*, ex quo fiunt lateres. Cur *Camarinaos* Isacius, *in Lycophronem*; eosdem esse velit cum Lotophagis, non capio.

Camarini, Insulæ Arabiæ *Camareni.* Steph. Καμαρηνοὶ νῆσοι Ἀράβων. Camarinorum pomorum mentionem habes apud Plin. 15. 14.

Camarinum, urbs Umbrorum. Ptol. V. *Camerinum.*

Camatullici, Gall. Narbon. pop. Plin.

Camaves, mel. *Chamavi*, inter Cheruscos & Bructeros erant, prope Visurgim fluv. ubi nunc pars Episc. Monaster. & Paderbornensis. Vid. *Chamavi.*

Cambades, unum ex cognominibus Tauri montis.

Cambaja, Regnum Indiæ, sub M. Mogore. Ad ostium Indi fluv. centum & 60. m. germ. longitudine implens. Metropolis Cambaja est. Cùm adhuc proprios haberet Principes, sedem Campaneli, quæ urbs est in edito loco, septemplici muro cincta, habuerunt. Guzaratha regni hujus prov. est, unde aliquando toti regno nomen. Incolæ Ethnici sunt, vel Mahometani, ingeniosi utrique admodum. Terra fertilis, & Coralliorum, gemmarumque proventu opulenta. Barbosa, Linschot. Maffæus, *hist. Ind.* P. de Valle, *Itiner. tomo* 4. V. quoque infra.

Cambaja, regni Cambajæ metrop. emporium nobilissimum, sub M. Mogole; cùm antea esset regnum proprium, dictum al. Regnum Gusaratæ. Vid. supra. Gaudet urbs portu capaci, & ab ea sinus Barigazenus dicitur *sinus Cambaja.* 0. mill. ab Amedebato distat in Austrum. *Catrum India* vulgò etiam dicitur, ob pulchritudinem & magnitudinem, V. P. de Valle *Itin. tom.* 4.

Cambala, *balorum*, Asiæ locus, ubi auri metalla effodiuntur. Strabo *l.* 11. *N. L.*

Cambalidus, Persidis mons, Caucasi ramus in Susianis. Plinius 6. 27.

Cambalum, urbs Tartariæ, Catajæ caput, juxta Caramoranum fluv. De hac pleraque incerta, cùm pauci admodum Europæi eò penetrarint. Dicitur tamen ampliss. Urbs & Tartariæ præcipua, sedes proin Chani. Tribuuntur ipsi portæ suburbiaque 12. Ambitus 24. m. Ital. esse dicitur. Celeberrimum Sinensium inprimis & Indorum affluxu emporium. Hic Turcæ à Johanne Lusitaniæ R. depressi, Anno 1529. Solimannus quoque ab eadem gente inde rejectus est, A. C. 1536. M. Polus, *l.* 2. Mercat. *Atl mundi.* Cluver. *lib.* 5. Arab. *Chan Balig*

Cambate, Galliæ Belg. locus circa Burgundiæ Comitatum. Anton.

Cambei, gens Illyrica. Appian.

Cambellanus, seu *Chamberlanus*, à Gall. *Chambellan* & *Chambrier*, i. e. Camerarius, Cubicularius. Item Quæst. seu Thesaurarius, uti & *Camera* pro loco in quem inferuntur mulctæ & thesaurus Principis. Hinc *Cameræ nuntii* erant Procuratores Fisci Imperatorii, qui cum Ducibus æquatam habentes potestatem, subjectis Imperii præsidebant, & fiscum Imperat. administrabant: aliàs *Advocati Cameræ*, aliàs Imperii dicti. Vide Goldast. *Comment. ad Ekkehardum Jun. cap.* 1. ubi hujusmodi fuisse ait duodecim illos, quos omnibus Israëlitis imposuit Salomon, 3. *Reg.* 4. 6. 7. Alioqui *Advocati Cameræ* erant sub *Cameræ nuntiis*, procurationem tamen publicæ pecuniæ gerentes, Advocatique Fisci dicti, & denique Fiscales. Spelmannus *Gloss. Archæol.*

Camberichum, unum ostiorum Gangis fluv. Ptol.

Cambetis, ab Antonino post Augustam Rauracorum proximo loco ponitur, B. Rhenano teste *Caemps*, Germanis nominatur. Vicus Germ. in Suntgovia prov. ad Rhenum 6. m. p. infra Basileam

Basileam, in dit. Francorum. Vide Hadrian. Valesium *Notit.Gall.*

Cametum, civitas Hisp. Tarracon. Ptol.

Cambidobrense Monasterium, memoratur Greg. Turon. *in vita S. Quintiani Arvernorum Episc.* Locus nunc *Cambronde* vocatur, à Artona amne Morgiâ divisus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Cambiovicenses, incolæ Combraliæ reg. in Arvernis, *Combraille* & *Cambionus*, *Chambon*; qui olim fortè *Cambiovicus* dictus. Idem.

Cambisena, Armeniæ regio. Strabo 11.

Cambistholi, Indiæ pop. circa Indum fluv. ubi Hidraotes fluv. cum Gange aquas suas confundit. Arrianus *in Indicis*.

Cambles, Rex Lydorum tantæ voracitatis, ut nocte quâdam uxorem quoque absumpserit, cujus manum cùm summo mane in ore comperisset, semet jugulavit. Xanthus apud Cæl. Rhod. author est 7. 11.

Camboca, al. *Cambuca*, Baculus pastoralis, putà Camurus, quo Episcopi insigniuntur, ex Clementis institutione. Saxonibus priscis *Camoc*, curvum & camurum significat. Sunt tamen, qui *Cambota* scribunt, quasi καμπύτης ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, i. à curvare. Hinc *Cambucarius*, qui cambucam aut crucem gerit. Vide Durandum *Rational. lib. 3. cap.* 15. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Cambodunum, Vindeliciæ urbs, Ptol. hodie *Monachium* vulgò *Munchen*. Baudrando *Cambodunum*, vel potius *Campodunum*, est caput Æstionum, nunc *Kempten*, ad Ilar. fluv. in Suevia. Vide *Campodunum*.

Cambodunum, Britanniæ opp. in Brigantibus. *Westchester*, Talboto. Sed Camdeno *Almondbury* in Comit. Eborac. Ubi Brigantes pop. ad amnem Calderum, prope montes & confinia Darbiensis Comitatus. Vide Burtonum, *in Antoninum, pag.* 122. Ptol. *Camulodunum*, Bedæ *Campodunum*.

Camboja, regn. Asiæ, in India ulter. cum urbe cognom. ad fluv. *Mecon*. Ei ab Occid. est regnum Siami, ab Oriente regna Cocinchinæ & Ciampæ. Solum fertile, incolæ simplices, Mahometanis impermixti, & à Christianismo tantopere non abhorrentes.

Cambolecti, Gall. Narbon. pop. Plin. 3. 4.

Camboricum, seu *Camboritum*, Angliæ opp. Anton. *Cambridge* esse putat Talbotus. Ad Camum fluv. 35. mill. Angl. à Londino, 10. ab Elya urbe, ab ora maris circiter 28.

Camboritum, castrum Gall. cum palatio planè regio, in agro Blesensi, à Francisco I. extructo, juxta amnem *Cousson*. 4. leuc. à Blesis in Ort. Vulgò *Chambor*.

Cambra, Belini Brytanorum Regis filia, Antenoris Francorum Regis uxor, Priami junioris mater, vitæ finem accepit anno à condito mundo 3590. & ante Messiæ nativitatem 380. Neomagi sepulta.

Cambre, locus Campaniæ, ad Gauri radices, apud Puteolos, ubi balnea *Campana* vulgò, teste Joh. Scoppa, & Franc. Lombardo. Juven. *Sat. 7.*

Occidit miseros Cambre repetita Magistros.

Cambria, sive *Wallia*, Britanniæ tertia pars est, quæ ab Angliâ, Sabrinâ, & Deâ fluminibus separatur. Omni aliâ ex parte Oceano Verginio sive Hybernico cingitur. Continet Dimetas, Ordovices & Silures, teste Camdeno. Angli *Wales* vocant. Hæc pars Britannicæ insulæ suis antiquissimis incolis gaudet, ut qui veri & gnesii Britanni sunt, avitaque Britannicâ linguâ utuntur. Cedit hæc ex veteri instituto primogenito regis Angliæ filio, ei sc. qui regi in imperio successurus est, diciturque à primo nativitatis die *Princeps VValliæ*. Pars est Occid. Angliæ, quâ Hiberniam respicit. Sub Principibus aliàs, usque ad Henricum III. cujus fil. Eduardus primus Walliæ Princeps dictus, ut & deinceps Primogeniti Regum. Vide *VVallia*. Baudrand. Ibi Concilium an. 465. Matthæus Westmon.

Cambrinus, vir ferocis animi, regnavit apud Tuiscones.

Cambunii, montes Macedoniæ Livio, quos ab incolis *Voluftana*, appellari scribit, vide *Canaluvii*.

Cambus, Austriæ sup. fl. Lazio, in Danubium se exonerans, infrà *Chrembs* opp. *Camb* vulgò dictus. Oritur versus confin. Bohemiæ.

Cambusis, Æthiopiæ urbs. Plin. 6. 29.

Cambuvii, montes Macedoniæ, in Æmathia reg. Liv. nunc *Voluzza*.

Cambyses, Persarum & Medorum rex, Cyri filius, qui paternis regnis Ægyptum adjecit. Sed offensus illorum superstitionibus, Apidis, cæterorumque Deorum ædes dirui jussit. Ad Ammonis quoque templum expugnandum exercitum misit, Pœnos dein & Æthiopas invasurus, sed in Lybiâ desertâ arenis obrutus universus interiit. Ipse quoque, cùm suo sese gladio imprudens læsisset, levissimo ex vulnere mortem oppetiit. Herod. 3. occiso prius fratre Tanyoxarce, vel Smerde, an. 232. U.C. 3532. M. 532. ante C. N. Justin. *lib. 1. cap.* 9. Diodor. *Sic. lib.* 2. In injustum Judicem severus, Valer. M. *lib. 6. cap.* 3. Secundus est Nabuchodonosor Judæorum. Salian. Profectus ad quærendos ortus Nili, fame adactus comitum suorum aliquot in aliorum alimentum occidere, re infectâ rediit. Luc. 10. *Vers.* 279.

—— Vesanus in ortus

Cambyses, longi populos pervenit ad ævi,

Defectusq; epulis, & pastus cæde suorum

Ignoto te Nile redit. ——

Cambyses, Persa, mediocri stirpe, ab Astyage, ultimo Medorum Rege, in generum ascitus, elocatâ ipsi Mandane filia, quò sic à nepote periculum sibi in somno prædictum evitaret. Hinc Cyrus natus. Justin. *l.* 1. Herodot. *Musâ* 1.

Cambyses, fluv. Asiæ per Albaniam regionem, ex Caucaso monte in Cyrum influens. Mela 3. 5. Vide Voss. *in loc.* Baudrando fluv. est Mediæ è Caspio monte ortus; dein rigatâ Atropatiâ reg. in mare Caspium se exonerat. 80. circ. mill. ab ostio Cyri in ortum; sed non in ipsum influit.

Cambysopolis, urbs Ciliciæ, episc. sub Archiep. Anazarbeno, ad Patriarcham Antioch. spectans.

Cambysseni, pop. in Cyropoli. Steph.

Camechia, Albaniæ opp. Ptol.

Cameia, Manichæorum metropolis. Cedrenus.

Camelani, Italiæ pop. in 6. regione, Narniensibus, & Nucerinis vicini. Plin. 3. 14.

Camelaria, locus Gall. urbi Arvernis propinquus, in quo Monasterium virginum condidit Genesius Arvernorum civis & Comes, fœminâ illustri, nomine Gundilanâ Abbatissâ constitutâ, circa an. C. 670. Vulgò *Chameliere* & *Chamaliere*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Cameliacum, vulgò *Chambli*, Loricarium dictum Monstreletio *Volum.* 1. *cap.* 176. forsitan, quòd ibi loricæ fierent, caput pagi *Cameliacensis*, in Gall. inter Belloacensem & Velcassinum, ubi aliquot villæ, Baudrinum, Campania, &c. Sugerius *in Vita Ludov. Crassi cap.* 4. Matthæi Comitis Bellimontis castrum, nomine *Cantiacum*, memorat. Idem.

Camelidæ, insulæ duæ in orâ Joniæ regionis. Plin. 5. 31.

Camelitæ, pop. in Mesopotamiæ finibus, non procul ab Euphrate. Scenitis proximi, qui diversoria habent partim cisternarum, partim aquæ ductuum aquis abundantia. Strabo 3.

Camelobosci, Carmaniæ pop. Ptol.

Cameloconi, pop. Arabiæ. Steph.

Camelodunum, opp. Angliæ, *Duncaster*, Thyido. Olim Brigantium opp. nunc Eboracensis Comit. ad Dunum fl. qui cadit in Abi æstuarium 20. mill. Angl. ab Eboraco in Austr. Aliis est *Dunum*.

Camelontium, oppidul. Ægypti. Diod. *lib.* 18.

Camenecia, seu *Camienicum*, urbs Polon. permunita, caput Podoliæ super. cum arce valida inter rupes sita. Ad amnem Smotrzicum, qui paulo infra in Tyram cadit. In confinio Moldaviæ Episc. sub Archiepisc. Leopoliensi. Incendio fœdè vastata, An. 1669. Vulgò *Kamienick Podolski*. Jam sub Turcis.

Camenta, Cypri promuntorium, solem occiduum spectans.

Camera, vel *Camere*, ager, de quo Ovid. *Fast.* 3.

Est prope piscosas lapidosi Crathidis undas

Parvus ager, Cameren incola turba vocat.

Cameracum, permunita urbs Gall. Belg. Episc. ad Picardiæ fines, vulgò *Cambray*. Ad Scaldim fluv. 4. leuc. à Duaco in Austr. 7. à Fano S. Quintini. Sub Hisp. cùm olim civit. Imperialis esset & libera. Baudr. Caput regiunculæ *le Cambresis*, 10. leuc. Metropolitana olim Belgicæ secundæ. Conditor ejus Camber, Sicambrorum R. Chlodion Gall. R. illam occupavit, anno 445. Post mortem Lotharii, ad Carolum Calvum pervenit, an. 870. Pomum hinc Eridos inter Gallos, Imperatores & Flandriæ Comites. Anno 1543. à Carolo V. occupata, iterum Duci Alenconio, Henrici III. fratri se submisit, recepta ab Hispan. an. 1595. Hujus Episcopi *Duces, Comites, & Principes Imperii* dicuntur. Guicciard. *Belgic.* San Marth. *Gall. Chron. tom* 1. Concilia ibi habita, vide in *Conciliis Gall.* Moterius. Hic pax an. 1559. inter Henr. III. & Philippum II. coiit. Vide & *Camaracum*.

Camerarius Joachimus, Papebergensis Germanus, eruditione inclytus, præterito seculo. Scripsit plurima, transtulit in Latium Geometras, Arithmeticos, Astrologos, Oratores, Historicos, Poëtas, ex vetustate varios. Obiit Lipsiæ an. 1574. æt. 74. P. Jovius, *in elog. cap.* 146. Turneb. Lips. Vossius de Mathem. c. 65. §. 14.

Cameriacum, urbs satis ampla Gall. Narb. Sabaudiæ caput & Senatus sedes. In planitie, 2. leuc. à lacu Burgetio, juxta amnem *Orbanne*. Vulgò *Chambery*, Vide *Chamberiacum*.

Camerinum, Umbriæ urbs præclara, à curvitate sitûs appellata. Ab eâ *Camertes* dicti. Vide Cluv. *Ital. Antiq.* 2. 6. Nunc Marchiæ urbs est Anconitanæ, sub Pontif. ad pedes montium. Media inter Maceratam & Spoletum, aliàs Duc. tit. clara. 25. mill. à Fulginio in Ort. Romanis egregiè olim fida. Liv. *lib.* 9. & 28. Straboni, Plinio, Ptolom. Cæs. *Comm. lib.* 1. Sil. Ital. *lib.* 8. *Vel rastris laudanda Camers*, memorata. Quas mutationum vices subierit, vide apud Leandr. *descr. Ital.*

Camerinus, Cos. Coll. Nigri, an. U.C. 890.

Camerinus, poëta, cujus meminit Ovid. *l.* 4. *De Ponto, Eleg.* 16.

Quiq; canit domitam Camerinus ab Hectore Trojam.

Ubi alii *domito*.

Camerinus, vide *Pomponius*.

Camerium, Italiæ opp. juxta Collatiam. Plin. 3. 5. *Cameria* Livio, & Halicarnasseo.

Cameropis, civitas Indiæ. Strabo.

Camertes, pop. Umb. nunc *Camerinenses*, vide *Camerinum*.

Camesene, vel *Camisene* Latii, vel. Ital. vetustissimum nomen, jam inde à Jani temporibus, de cujus origine *Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.* Ad Camisen quidem omnes referunt, sed de Camise nihil certi. Hunc enim alii cum Macrobio & Hygino, & Protarcho Tralliano, advenam & imperii consortem; alii Jani fratrem faciunt cum Catone in Originum libris. Alii denique Camisem asserunt sororem & conjugem fuisse Jani, ut Draco Corcyræus apud Athen. *lib.* 15. Unde videtur desumptum, quòd Servius *in l.* 8. *Æn.* Tiberim vel Tiberinum *Jani, & Camesenæ filium facit.* Quid si *Camesem*, vel *Camisenem* dicamus id ipsum esse quod *Latium* & כתים *Cethim*, quia כמס *Camas* Hebræis est abscondere. Hinc Moses Deut. 32. 34. nonne illud est כמס *camus*, reconditum apud me?

Camesus, Thraciæ urbs. Ptol.

Camicus, urbs Siciliæ, in quâ Cocalus Dædali fil. imperavit. & circa quam Minos Cretensis mortuus est. Ita Steph. Vibius *in Catalogo flumium*: *Camicos*, Siciliæ. ex quâ urbs *Camicos*. Aristot. *Polit.* 2. 10. *Quapropter & maris imperium tenuit Minos, insularum alias cepit, alias incolis frequentavit, ad extremum autem bellum Siciliæ inferens*, τὸν βίον ἐτελεύτησεν ἐκεῖ περὶ Κάμικον. Strab. *lib.* 6. *Multa etiam barbarica oppida interierunt*, Καμικός ὁ Κώκαλος βασίλειον παρ' ᾧ Μίνως δολοφονηθῆναι λέγεται. Vide Herod. *lib.* 7. & Diod. Sic. *lib.* 4. Apud Tzetzen *in Chil.* corruptè Κάμινον, & postea Κάμιλον legitur. *Fiume delle Canne*, hodie Cluverio. Scribit hic Carolus Steph. Charax hanc urbem *Inycum* vocat, dein Stephanum autorem advocat. Sic enim ille habet, Κάμικος, πόλις Σικελίας ἐν ᾗ Κώκαλος ἦρχεν. Χάραξ δ' Ἴνυκον ταύτην φησίν. Atqui non unum eundemque locum esse voluit Charax *Inycum* & *Camicum*; sed cùm alii Camicum fuisse Cocali regiam adfirmarent, *ipse è diverso Inycum sedem ejus fuisse tradit. Nunc urbs semidiruta jacet, in colle, & Siculiano dicitur.* Briet. *Fluvius autem cognom. nunc Cannaro* seu *Fiume delle Canne*; estque parvi momenti, Baudr.

Camigara, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Camileta, pop. ultra Euphratem. Strabo.

Camilla, Volscorum regina, Metabi Volscorum regis, & Casmillæ filia, quam pater invidiâ suorum regno pulsus, Dianæ famulam vovit. Quare ab ineunte ætate venationibus eam, & omni armorum genere exercuit: quibus in rebus brevi tantopere profecit, ut summam sibi ex re militari laudem pepererit. Tandem cùm Turno adversus Æneam suppetias ferret, ab Arunte quodam ex insidiis est interfecta. Ut latius describit Virg. *Æn.* 11.

Pulsus ob invidiam regno, viresq; superbas
Priverno Antiquâ Metabus cùm excederet urbe,
Infantem fugiens, media inter prælia belli,
Sustulit exilio comitem, matrisq; vocavit
Nomine Casmillæ mutatâ parte Camillam.

Eam etiam describit *lib.* 7. *his versibus*:

Hos super advenit Volscâ de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære catervas
Bellatrix, non illa colo, calathisve Minervæ,
Fœmineas assueta manus, sed prælia virgo
Dura pati, cursuq; pedum prævertere ventos.

Camilliacum, castellum Gall. priscum, nunc *Chemillé*, locus non obscurus hodieque in Andibus, à Camillo conditore. Est & Camilliacum, in diœcesi Sajensi, *Chemilly*, quod & Prioratum ad Blesense Monaster. S. Launomari pertinentem & Ecclesiam suam seu parœciam habet. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Camillus, puer ingenuus, qui flamini Diali ad Sacrificia ministrabat. Antiqui enim *Camillos* & *Camillas* vocabant ministros, & ministras impuberes in sacris. Unde Mercurius Hetruscorum linguâ *Camillus* dicitur, hoc est, *Deorum minister*. Plut. *in Numâ.* De nominis notatione Boch. *lib.* 2. *de Anim cap.* 36. Vates & ministri Deorum קסמים *Kosemim* vocantur; ut Romanis Casmilli, id est, קסמו אל *Cosme el* ministri Dei. Cujus fœmininum *Casmilla*, vel *Camilla*, Virg. *Æn.* 11. *Vers.* 557.

Alma tibi hanc nemorum custos, Latonia virgo.
Ipse pater famulam voveo.

Ubi Servius, *Voveo, consecro in tuum ministerium, unde & Camilla dicta est.* Vide Voss. *in Camillus.*

Camillus, L. Furius, qui & alter Romulus dictus est, Romanorum suæ ætatis clarissimus fuit, qui Faliscis devictis, Veios toto decennio obsessos per cuniculos cepit. Nec multò pòst, cùm crimini illi daretur, quòd albis equis triumphasset: & prædam iniquè divisisset, die dicto ab Apuleio Saturnino Tribuno plebis damnatus, Ardeam concessit. Mox cùm Galli Senones urbem diripuissent, ipsumque Capitolium arctissimâ obsidione premerent, absens Dictator factus, collectis ex fugâ Romanorum reliquiis, Gallos pendendo auro intentos incautos oppressit, patriamque in libertatem vindicavit. Post hæc pop. Rom. Veios migrare volentem, gravissimâ, & elegantissimâ illâ, quæ apud Livium legitur, concione retinuit; Legibusque pristino vigori redditis, Volscos, Æquos, Tuscos superavit. Tertiùm Dictator creatus, & Satricum sociam Pop. Romani urbem ab impetu Latinorum tutatus est. Quartùm Dictator ad sedandam pop. seditionem factus, valetudinem excusavit, aliumque sibi subrogandum curavit. Quintùm Dictator Gallos iterum Romam petentes, & ad fluv. Anienem castrametatos superavit. Postremò Romæ octogenarius pestilentiâ interiit. Plut. *in vita ejus.* Liv. *lib.* 5. Flor. *lib.* 1. Aur. Victor *de Vir. Illustr. cap.* 23. Diodor. Oros. Zonaras, &c. De illo Virg. *Æn.* 6.

Aspice Torquatum, & referentem signa Camillum.

Camillus, unus ex Cabiris, quos quatuor fuisse vult Apollonii Schol. *in* 1. *Argon.* Vide Bochartum *de Phœn. Col. lib.* 1. *cap.* 12.

Camillus Scribonianus, cui à Romanis Claudii imperium pertæsis, imperium erat oblatum, mox à suis desertus & necatus est, Arriâ uxore supra sexum virili animo fœminâ, ultronea morte ipsum subsequente A. C. 42. Tacitus *in vita Agric.* Plin. *Epist.* 16. *lib.* 3. &c.

Camina, insula maris Ægæi. Plin.

Caminum, urbs Pomeraniæ ulter. antea sub Episc. proprio, nunc sub Elector. Brandeb. ad ostium Oderæ *Dryvenove*. E regione Insl. Vollinæ. 1. vix leuc. à Mari Balt. 6. infra Stetinum, 3. à Treptavia.

Camirus, urbs in Rhodo, ita dicta à *Camiro* Herculis filio, quem ex Jole Euryti regis filiâ susceperat. Phœnicibus erat חמירה *Chamira*, quasi *argillosam* dixeris. Nam חמר *Chamer* est *argilla*. Natum nomen ex argumento, quia Camirus erat in argilloso solo. Unde est, quòd Homerus, cujus epitheta rarò sunt otiosa, vocat ἀργινόεντα Κάμειρον, *argillosam Camirum.*

Camisena, Parthiæ regio. Strabo *lib.* 11. Cui *lib.* 12. est Armeniæ min. regio, & in eâ urbs Camisa.

Camizisus, pagus Gall. dictus à *Camizo* loco, vulgò *Chemous*, inter Catalaunos & Barrum Ducis, ad amnem in Matronam influentem: Obscurus maximè & ignobilis, nec usquam alibi, quàm in Capitulis Silvacensibus memoratus. Vide Hadr. Valesf. *Not. Gall.*

Camma, nobilis fœmina è Galatiâ oriunda, viri sui Sinati mortem à Sinorige illatam, ægerrimè ferens, quum apud Galatas in more esset, ut qui ineunt sponsalia, vir scilicet & uxor de eodem poculo bibant, dissimulato dolore, sponsalia cum eo inire finxit, venenatumque poculum illi propinavit: quo hausto Sinorix, & ipsa, læta quòd virum ulta esset, mortem obivere. Alex. ab Alex. ex Plut. Polyæn. *l.* 8.

Cammania, pars Thesprotiæ (quæ *Cestrinia* postea dicta, ex quâ Cadnus fluvius Cestrinus) condita à Cestrino Heleni Priamidæ filio. Steph.

Camœna, Musæ, Jovis & Mnemosynes filiæ, à cantûs amœnitate (ut quidam volunt) ita appellatæ. Varro tamen author est ab antiquis *Carmœnas*, & *Casmœnas* dictas fuisse, quæ postea abjecto *r* vel *s*, *Camœnæ* dicebantur. Virg. *Eclog.* 3.

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

Legitur & *Camœna* sing. num. Persius *Sat.* 5.

— *Tibi nunc hortante Camœnâ*
Excutienda damus præcordia.

Hor. 4. *Car.* 6.

Daunia defende decus Camœnæ.

Et 2. *Carm.* 16.

Spiritum Grajæ tenuem Camœnæ.

Et 1. *Ep.* 19.

— *Inhumanæ senium depone Camœnæ.*

Et *Car.* 1. *Od.* 12.

Gratus insigni referam Camœnâ.

Sen. *in Medeâ*,

Ille vocali genitus Camœnâ.

Id est, Calliope dulciter canente.

Camolius, vicus Liguriæ.

Camolodunum, vide *Camulodunum*.

Camon, historicus, libros fecit de rerum inventionibus. Quorum secundum citat Michaël Apostolius in Φοινικικὰ γράμματα. Vossius.

Camon, civitas terræ Galaad, in tribu Manasse, in quâ Jair Galeatides, judex populi Israëlitici sepultus est, *Judic.* 10. Joseph. 5. *ant.* 12. Hieron. *de loc. Hebr.*

Camonica, vallis celebris Ital. in dit. Veneta, & agro Brixiano. Ollio fluv. irrigatur, & monte Auriga à valle Telina separatur. Perlonga est & ferax. Ibi transitus frequens ex Helvetiis in Italiam. In valle hac 10. scholas Albigenses seu Valdenses habuere, circa A. C. 1240. doctrinæ suæ rivulis in Siciliam usque derivatis. Vide Lætum *Comp Hist. Univers.* & in voce *Camunii.*

Campa, Ciliciæ Præfecturæ in Cappadocia opp. Ptol.

Campana, inventum quibusdam Paulini Episc. Nolæ, Civitatis Campaniæ, circa An. Chr. 400. unde à civit. *Nola*, à patria *Campana* nomen. Sunt qui Sabiniano Pontific. Rom. rem. attribuunt, eo decepti, quòd horas is Canonicas primus campanæ sonitu distinxit. Nonnulli à gentibus petunt, quòd apud Ovidium, Martialem, Tibullum, Statium, Manilium, Græcos item vett. tintinnabula reperiantur & pelves, etiam æra strepitantia in eadem sæpe munia, quibus hodie campanis utimur. Non adducar tamen,

tamen, ut ingentes campanarum nostrarum moles, eis seculis excogitatas censeam. Novum enim nomen novum prædicat artificium, & dicitur Lupus Episc. Aurel. an.C. 610. pulsando campanas in templo Stephani, apud Senonas, quo signo convocare solebat populum, exercitum Clotharii; qui muros obsidebat, adeò terruisse, ut omnes sese in fugam verterint: unde patet, nec vulgares tunc fuisse campanas, nec Clotharii militibus cognitas. Averni tamen, *signo* jam usi Sidonii ævo, circa A.C.480.sed unico forsan & exiguo: Lupus grandiores adhibuerit, & in classicum, ut hodie solet, pulsatas. In Britannia Inf. circa A. C. 680. inquit Beda *Hist. Eccl. lib. 4. cap. 23. Audivit subitò in ære notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel convocari solebant.* Græci multò recentiùs à Veneto acceperunt, qui circa annum Chr. 874. Basilio Imper. duodenas magni ponderis, artificiique non vulgaris dono misit campanas: *Suntq; Venetorum munere tum primùm Campano ære usi*, Sabellic. *Ennead. 9. lib. 1.* Ante hoc verò tempus celebris erat Campanarum usus in Anglia. Refert enim Ingulphus, Turketulum primum Croylandiæ Abbatem, qui obiit A. C.875. eidem monasterio, quod ipse fundaverat, 6. dedisse campanas, duas sc. magnas Bartholomæum & Betelinum dictas: duas medias, Turketulum & Betwinum: & duas minores, Pegam & Begam. Postquam jam antè fieri curasset maximam campanam, nomine *Guthlacum*; quæ cum prædictis mirabilem faciebat harmoniam. Munia Campanæ sic olim numerantur in Ecclesia:

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

Durandus *Ration. l. 1. c. 4.* sex genera tintinnabulorum in Ecclesia memorat; cùm inquit: *Squilla*, pulsatur in triclinio, id est, Refectorio: *Cymbalum* in claustro: *Nola* in Choro: *Nolula* seu dupla campana, in horologio: *Campana* in Campanili: *Signum* in turri. Belethus verò *divin. offic. cap. 68.* Tintinnabulum pro Squilla ponit, & Campanam in turri collocat, campanulam in cœnobio, Hieronymi *ad Eustochium* ductus auctoritate: signum autem pro quolibet pulsandi instrumento accipit, quo quidpiam significatur. Occurrunt alia etiam vocabula generali sensu: Pelvis, unde Angl. *Bel*, & Cloca aliàs Glogga, à Germ. *Gloggen.* Vide Vincentium *Spec. Histor. lib. 23. cap. 9. & 10.* Gregor. Turonensem *Hist. libr. 2. cap. 23.* Henricum Spelmannum *Glossario Archæol.* alios.

Campanella Thomas, Calaber, Jacobinus, Neapoli commoratus est. Evulgatis aliquot Monarchiæ Hisp. arcanis, hæreseos accusatus, & Inquisitioni subjectus est, hinc an. 25. in vinculis, donec Urbani VIII. ope liberatus, Parisios venit, an. 1634. à Card. Richelio munificè habitus. Non æquè judicio, ac ingenio, pollens. Scripsit Physiologiam, Quæstiones Physiol. De sensu rerum, Atheismum triumphatum, de Monarchia Hisp. &c. Laur. Crassus, *Elog. Vir. Eruditorum*, Ital. Obiit an. 1639.

Campania, prov. Gall. perampla, continens agrum Retelensem, Remensem & Bassiniacum, partemque Briæ tractus. Habet à Septentr. Belgium, ab Ort. Lotharingiam, ab Occ. Inf. Franciæ, a Mer. Burgundiam. Ejus caput Trecæ. Irrigatur autem fluviis, Sequanâ, Matronâ, Axonâ & Albulâ. Baudr. Comitatus est, cum Paris Gall. dignitate, dividiturque in Super. ubi Remi & Cabillo: & Infer. ubi Trecæ, usque ad fluv. *Bloise*. Historia paucis sic habet: Olim duces habuit, qualis Druis fil. Pipini Crassi, Heribertus, &c. Parebat autem maxima ex parte Regibus Austrasiæ; pars ejus circa Tricassas Burgundiæ attribuebatur: flumine Alba, ad cujus ripam Tricassium opp. Arciaca, Burgundici juris, utramque dividente. Sed major tunc Campania, cùm de ea regnum facere Rauchingus Dux, Ursio, Bertefredusque voluerint, qui Childeberto Austrasiarum R. sublato ita regnum inter ambos ejus filios dividere sibi proposuerunt, ut Theodeberto majori *Campaniæ Regnum* cederet, reliquum Theodorico minori. Sed & Pipinus Dux & Princeps, Drogoni majori natu filio Ducatum Campanensem contulit. Hodie partem Lugdunensis IV. vel Senoniæ occupat, circum Tricassas atque Mauriacum, & partem provinciæ Belg. secundæ, i. Remensem & Catalaunensem, diœceses, nec non portionem provinciæ Belg. primæ, nimirum Barrenses Ducis, ad diœcesim Tullensem, sive ad Leucos gentem Belgicæ primæ pertinentes. Robertus I. Comes hæreditarius fuit, dein Theobaldus, in Gall. hist. toties memoratus. Ejus fil. Odo, pater Odonis II. cognom. *Campani*, quòd renitente licet Roberto, Gall. R. Briam & Campaniam, post mortem Steph. Veromandui. occupaverit. Hic Imper. Conrado Salico successionem regni Burgund. dubiam faciens, in prælio occisus est, an. 1037. Successit Theobaldus III. huic Stephanus cognom. *Henricus* in Palæstina peremptus, An. 1101. Theobaldus IV. *Palatinus*, qui titulus Comitum Camp. fuit, ei successit, clarus Gall. hist. obiit. an. 1152. Filius ejus Henr. I. cognom. *dives*, obiit anno 1173. Cujus primogenitus Henr. II. de fenestra prolapsus, in Palæstina, obiit an. 1197. Hunc excepit Frater Theob. V. qui obiit an. 1201. Hunc Theobaldus VI. cognom. *Posthumus*, qui adjunctâ an. 1236. Navarrâ, obiit è terra sancta redux, an. 1254. Hunc Henr. III. filius minimus, qui Pompeiopoli obiit, 1274. relictâ Johannâ fil. quæ Philippo Pulchro, Philipp. Aud. fil. nupsit, an. 1284. A quo tempore Galliæ regno unita est. Pithoeus, Sammarth. Du Chêne, &c. *hist. Gall. & Campania*, Morerius. Principatus Joinvillæ, pars Campaniæ est. Nomen habet à campis latè patentibus, de quibus Sidonius *Carm. 5. ad Majoranum Aug.*

Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos.

Ibi enim campi Remenses Cæsari *l. 2.* Plin. *l. 19. c. 5.* memorati & Catalaunici, Tetricianâ clade nobiles, 100. leucas in longit. 70. in lat. patentes, Tricassini, Mauriaci, &c. à quorum primis *Remensis* vocatur hæc regio Gregor. Tur. *Hist. Franc. lib. 4. cap. 17.* quæ aliàs Campania Gallica, ad discrimen Campaniæ Felicis, de qua infra, & simpliciter Campania, Gall. *Campagne*, cujus incolæ *Champenois*. Hujus regionis fontibus naturâ album colorem esse, notat Auctor *Vita S. Gengulphi*; unde & Albæ fluv. nomen, & Matronæ albidæ aquæ, cùm Sequana, quo recipitur, nigras habeat. Remos caput Campaniæ fuisse, demonstrat Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Tricassium quoque civitas Augustobona, licèt Guntchramno, cæterisque Burgundiæ Regibus paruerit, Campaniæ ascribebatur. Lugdunum autem Clavatum, seu Laudunum, ob munitiones, ac situm loci Ducum Campaniensium extitit sedes. Sub Comite Campaniæ, qui unus ex 12. Franciæ Paribus, septem alii Comites Pares fuere, quorum primus erat Comes Joviniaci *Jogny*; secundus Comes Reitestinus *Retel*: tertius Comes Breonensis *Brienne*: quartus Rauciacensis ad Axonam, *Roucy*: quintus Brennacensis *Braine*: sextus Grandis Prati Comes, *Grand Pré*: novissimus Comes Barri Sequanici haud longè à Tricassis. Virtutem Campaniensium bellicam eximiè commendat Auctor *Hist. Hierosolymit. ad an. 1200.* eorum dein & Sequanorum audaciam laudat Nicolaus de Braja, *in rebus gestis Ludovici VIII.*

Audaces & Marte probos Campania fudit,
Cum Secana.

Fit etiam apud scriptores mentio Campaniæ Brabantinæ & Leodicensis, unde fortè est colligere, eousque Campaniam Gallicam sive Remensem olim pertinuisse: Campaniamque cùm Brabantinam tum Leodicensem, vulgò *Kempen*, & *Kempenland*, Campaniæ Gall. portionem extitisse; cujus fines hodiernos sic describit retro laudatus Valesius: Campania, inquit, qualis nunc est, à Sequana fluv. circa Barrum Augustobonam Tricassium atque Mauriacum incipit; Mosâ terminatur, circum Mosomagum, Duciacum, Sedanum, Doncherium, Macerias, Caroli urbem, Castrumque Reginaldi. Interfluunt Alba, qui Barrum alterum, Arciacam, Planciacum & Marcelliacum alluit; Matrona Jovis villam, oppidum S. Desiderii, Victoriacum Francisci, Catalaunos, Sparnacum, Dormanumque attingens: Vidula, qui Durocortorum Remorum, Juncariam & Fines præterlabitur: Axona opp. S. Menechildis, Sindunum, Attiniacum, Reiteste, Castrum Portianum ac pontem Varensem alluens. Vide ipsum *Not. Gall.*

Urbes Campaniæ Gallicæ.

Barium ad Albulam, *Bar sur Aube.*	Mosomium, *Mouson.*
Calvomontium, *Chaumont.*	Nogentium ad Sequanam, *Nogent sur Seyne.*
Carolopolis, *Charleville.*	Provinum, *Provins.*
Castrum Theodori, *Chasteau Thierry.*	Remi, *Reims.*
	Retelium, *Retel.*
Catalaunum, *Chalons sur Marne.*	Rupes Regia, *Rocroy.*
	S. Menehildis, *S. Menehou.*
Fanum S. Desiderii, *S. Dizier.*	Sedanum, *Sedan.*
Janvilla, *Joinville.*	Sparnacum, *Esparnay.*
Lingones, *Langres.*	Trecæ, *Troyes.*
Maceriæ, *Mezieres.*	Victriacum Francicum, *Vitry le Françon.*
Meldæ, *Meaux.*	

Campania Felix, Italiæ regio, sub qua nunc comprehenditur maxima pars *Terræ Laboris*: in regno Neapolit. Dicta *Campania* ab opulentissima nobilissimaque quondam urbe Capua, cujus incolæ Campani dicti sunt: dein & *Antiqua* vocata fuit, ut à nova Campania Romana, quæ Latium est, distingueretur: præterea Felix, ab hujus oræ Italiæ felici beataque amœnitate: postremò successit appellatio, *Terra Laboris*, quæ nunc in usu vulgi est, hac occasione inventa, quòd ager regionis commodissimè facillimeque colatur & aretur, nam id laborare suâ linguâ dicunt Itali: vel ut alii, quòd arationes ejus & culturæ magno cum fructu respondeant. Hujus Campaniæ terminos Leander ponit ostia Liris & Silari, mare Tyrrhenum, Samniumque montes, ut ab Oriente Silarus & pars agri Samnitium, à Meridie mare Tyrrhenum, ab Occasu Liris, à Septentrione Samnitium montes latera claudant. Halicarnasseus tribus anni cujusque temporibus, vere, æstate, autumno fructus in ea colligi se oculis vidisse testatur. Unde venustè Plinius, summum hic ait Liberi & Cereris certamen esse. De hujus fertilitate vide etiam *L. Florum.* Juvenalis ejus meminit,

Provida Pompejo dederat Campania febres.

Urbes præcipuas olim habuit Capuam, Neapolim, Cumas, Puteolos, Nolam, Linternum, nunc *Torre di Patria*, quò Scipio sponte exul, se recepit, aliasque complures. Hinc *Campanus*. Virgil. *Æn. 10.*

Et

Et Capys, hinc nomen Campana dicitur urbis.

Tac. *Hist.* 1. *Fœcundissima Campaniæ ora.*
Mela, *Amœna Campaniæ litora.*
Solinus, *Amœnissimus Campaniæ tractus.*
Cicero Campanum agrum, *orbis terræ pulcherrimum* vocat, *pro lege Agrariâ.* Florus 1. 16. *Omnium non modò in Italiâ, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cœlo, nihil uberius solo; denique bis floribus vernat.* Unde *Dives opum*, Silio 8. Statius *Silv.* 3.

—— *Molles Campani litoris oras.*

Tibul. 1. 9.

Non tibi si pretium Campania terra daretur.

Prop. 3. 5.

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur.

Plin *l.* 3. *c.* 5. *Qualiter Campaniæ ora per se, felixque illa ac beata amœnitas? ut palam sit uno in loco gaudentis opus esse naturæ.* Vide quæ sequuntur. Audiamus Græcos. Dion. Perieg. 357.

Τῇ δ' ἐπὶ Καμπανῶν λιπαρὸν πέδον. ——

Polyb. *lib.* 3. Πεδία τὰ περὶ Κάπυην ἐπιφανέστατα μέν ἐστι τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ διὰ τὴν ἀρετὴν, καὶ διὰ τὸ κάλλος. Strab. *lib.* 5. Πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων vocat. Idem illi γεωλοφίας εὐκάρπους tribuit. Et Dionys. Halic. *lib.* 1. testatur se ibi τρικάρπους ἀρούρας vidisse. Vide Cluv. *Ital. Ant. lib.* 4.

Urbes Campaniæ fel. quæ nunc extant.

Acerræ, *l'Acerra.*	Casinum, nunc Fanum S. Germani.
Ænaria, *Ischia.*	Neapolis, *Napoli*, Gall. *Naples.*
Atella, nunc pro illa Aversa, *Aversa.*	Nola.
Calatia, *Cajazzo.*	Puteoli, *Pozzuolo.*
Calenum, *Carinola.*	Suessa, *Sessa.*
Cales, *Calvi.*	Surrentum, *Sorrento.*
Capua, *Capoa.*	Teanum, *Tiano.*
Caferta.	Venafrum, *Venafro.*

Campania Rom. prov. Ital. sub Pontif. Continet maj. partem Latii antiqui, ubi Roma, Tibur, Terracina, &c. & terminatur à Septentr. Aniene fluv. ab Occid. Tiberi, à Merid. mari Mediterr. ab Or. Liri fluv. & regno Neap. Ejus caput Roma. Ibique aliàs Latini, Volsci, Rutuli, Hernici. Vastata est, per Albanum, à Philippo II. Pontifici offenso, quòd sibi jus regni Neapolitani conferre nollet, A. C. 1557. Thuan. *Hist. l.* 16. Vide *Latium.*

Campania, urbs regn. Neap. in Princ. Ult. episc. sub Archiep. Compsano. Antea erat Principis Monœci. 16. mill. à Salerno in Ort. 11. ab ora littor. maris Mediterr. Baudr. Cum tit. Marchionatus in Princ. citer. Morerius.

Campanus Joh. Antonius, Episc. *de Terami*, in Aprutio. Fil. rustici, sub lauro genitus, ruri. In Germaniam 1471. missus est, ut illos contra Turcas exciret, Ratisbonæ egregiâ in Comitiis oratione habitâ. A Sixto IV. in exilium pulsus, postquam Calixto III. Pio II. & Paulo II. gratus fuisset, obiit an. 1477. *Scripsit vitam* Pii II. Andreæ Brachii, ducis clarissimi, Perusini, aliaque versu & prosâ. Volaterr. *Anthrop. lib.* 21. Lil. Gir. *Dial.* 1. *de Poet.*

Campanus Lombardus, Mathematicus, 11. sec. de Astronomia, de errore Ptolomæi in supputatione motus Solaris & Lunaris, &c. scripsit. Trithem. Genebr. Blancanus. Vossius duos hujus nominis fuisse credit, *de Mathem.* c. 35. §. 15. *&c.*

Campaspe, vel *Pancaste*, Alexandri M. ex concubinis præcipuè dilecta, quam cùm nudam pingi, ob admirationem formæ ab Apelle jussisset, cumque tum pari captum amore sensisset, illi eam dono dedit. Plin. 36 10.

Campati, Donatistarum & Circumcellionum deliria secuti. Hieron. contra Luciferianos, *Montenses* dicuntur.

Campegius Laur. Bononiensis, Cardin. à Clemente VII. in Germaniam Legatus, an. 1524. In Angliam, 1528. ob divortium à Catharina Austriaca, quod Henricus VIII. meditabatur, &c.

Campestria Jericho, in tribu Benjamin: in his Sedecias, Rex Juda, captus à Chaldæorum exercitu, in Reblatam, ad Nabuchodonosorem Regem perductus est.

Campesus, unus ex Regibus sive Ducibus, qui Æetæ Colchorum Regi contra Persen auxilio advenerunt, tygridis exuviis indutus. Valer. Flacc. 5. *Argon. vers.* 593. in prælio occisus, *libro* 6. *vers.* 254.

Campi, hæretici, Arianorum sectatores, jactabant Ecclesiæ communionem, tres hypostases in SS. Trinitate, i. tres essentias, ita enim hoc vocabulum accipiebant, asserentes, Hieron. *epist. ad Damasum.*

Campi, urbs Belg. in prov. Transis. ad fluv. Isalam, qui mox cadit in mare Austr. Vix 2. leuc. à Zuvolia in Ortum, 7. leuc. infra Daventriam. In dit. Hollandorum.

Campi Diomedis, in Apulia siti: Est & regio, quæ Diomedi cessit in Apuliæ divisione. Festus. Martialis 13. 93. pro totâ Apuliâ usurpat. Sil. *l.* 1. *Campos Ætolos* vocat, & *lib.* 8.

Infaustum Phrygiis Diomedis nomine Campum.

Campi Lapidei, seu *Herculeus campus*, regiunc. Provinciæ, lapidibus obducta, inter Rhodanum fluv. & Stagnum Astromelam, ubi aliàs Anatili pop. Ibi nunc Salone opp. præcipuum. De his ita Valesius: M. Porcius Cato, *in libris Originum*, de Tuscia Transciminia scribit: *Soana: Non procul Saturniâ lapides à Jove compluti in auxilium Herculis contra Ligures-Etruscos gigantes, à filio ejus dicti Lamones.* C. Sempronius *in libello de divisione Italiæ*, idem refert quod Cato. *A capite* (inquit) *Etruriæ ad Tiberim sunt Etrusci-Ligures, in quibus sunt campi compluti lapidum, clari pugnâ Herculis, adhuc Lamones dicti ab ipsius Herculis filio Lamone.* Amborum libri etiamsi supposititii videantur, veteres tamen sunt: quos ego laudavi, quoniam Camporum lapideorum mentionem faciunt. *Lapides* autem isti, vel *campi compluti lapidibus*, lapideive, *clari pugnâ Herculis*, non in *Etruria Liguria*, sed in Liguria Transalpina; non in Italia, sed in Gallia fuerunt: quos *Lamones* dictos esse à filio Herculis Lamone mihi incognito, nusquam alibi reperio. *Quis ignorat* (inquit Solinus) *ab ipso Hercule dictos in Liguria Lapidarios Campos, quòd à Jove, eo dimicante, creduntur saxa pluisse?* Inter Rhodanum Fossamve Marianam, & Maritimam Avaticorum stagnumque ejus Mastromelam Mella Campos Lapideos ponit, & describit his verbis, *Litus ignobile est Lapideum, ut vocant, in quo Herculem contra Albionem & Bergiona Neptuni liberos dimicantem, cùm tela defecissent, ab invocato Jove adjutum imbre lapidum ferunt. Credas pluisse: adeò multi passim & latè jacent.* Mellæ *Litus Lapideum* sunt *Campi Lapidei, Herculis præliorum memoria*, uti loquitur Plinius. Strabo Mellâ & Plinio vetustior πεδίον λιθῶδες, id est, *Campum Lapideum* vocat, & inter Massiliam ac ostia Rhodani collocat, stadiis circiter centum seu 12. millibus passuum à mari distantem. Eum campum ait rotundum, & plenum esse lapidibus, sub quibus herbæ nascantur, pascendo pecori abunde sufficientes: medio in campo aquas & salinas esse. Certè aquæ ibi aliquot in locis reperiuntur, & salinæ nomen ibi dederunt loco dicto *Val Luec salins.* Campi ipsi Lapidei vocantur vulgò *la Crau*, aut *las Craux*: & vici ibidem aliquot cognomen hoc servant, nimirum vicus S. Martin, & vicus S. Eligii; prior *S. Martin de Crau*, posterior *S. Eloy du Crau* dicti: præter quos sunt vici, Magnianum *Maignan*, Fossa *Fos*, S. Metriæ *S. Mitre*, qui fuit Aquisextiensium Episcopus. Hosce campos perflat niger aquilo, frigidus & vehemens, quem μελαμβορέαν Strabo; Circium olium incolæ; nunc *Gario* & *Cerce* appellant; Africum Mella, quum ait Galliæ Narbonensis *omnem plagam Austro atque Africo expositam esse.* De Circio Lucanus, Plinius *in capite* 49. *libri* 11. Suetonius *in Claudio*, aliique. Cæterùm apud Mellam olim *Bergiona* corruptum nomen in *Geryona* sublatâ unâ litterâ mutandum existimavi, propterea quòd Eustathius, *in Dionysii Periegesin*, hoc accidisse Herculi prodit contra Geryonem dimicanti: qui & *Campum Lapideum Massiliam inter & Regenem* ponit, τὸ Λίθινον πέδον μεταξὺ Μασσαλίας καὶ Ῥηγένης. Ubi in locum Ῥηγένης, substituo Ῥοδανοῦ. Est enim inter Massiliam & Rhodanum effluentem Campus Lapideus. *Geryona* igitur apud Mellam legebam. Certè si qua Blondello fides, hodieque Nemausus statuam Geryonis servat: quam veteres posuere, ut occisi ab Hercule ejus tyranni monumentum exstaret, & memoriam beneficii ad posteros transmitteret: tanquam Hercules utriusque ripæ Rhodani accolas circa Nemausum & Arelatum Camposque Lapideos à Geryone impotente tyranno vindicaverit. Sed quis *Geryonem* huncce *Neptuni filium* agnovit in Gallia Narbonensi? quis *Albionem* ejus fratrem? Geryon quidem Hispanus heic locum habere non potest, patre Chrysaore, matre Callirhoë Oceani filiâ natus, uti Apollodorus asserit. Omitto Herculem adversus Geryonem Hispanum, Regulum insularum Hispaniæ, in Gallia de bobus dimicare non potuisse. *In libro* 11. *Bibliotheca* narrat Apollodorus, Herculem ex Europa in Africam, ex Africa in Hispaniam transisse, & statutis columnis, ac Geryone interfecto, abactas ejus boves in naves imposuisse apud Abderam, qui est Bæticæ portus, & in Liguriam venisse, (εἰς Λιγύην lego, pro εἰς Λιβύην) ubi boves istas furati sint Alebion & Dercynus Neptuni filii: (Ἀλεβίων τε καὶ Δέρκυνος) quibus occisis, Hercules per Etruriam iter fecerit. Quæ Apollodori relatio si vera est, apud Mellam *Albionem & Bergiona* in *Alebionem & Dercynum* mutari oportebit. Nam quod ad errores iterque Herculis pertinet, ab Apollodoro Virgilius, Silius, aliique dissentiunt, affirmantque Herculem per Gallias & Pyrenæum montem in Hispaniam venisse; ac Geryone occiso, sua per vestigia revertisse; & fabulosum hoc certamen cum Neptuni filiis in Liguria Transalpina seu Gallica, alterum cum Caco Vulcani filio in Latio certavisse. In vita S Hilarii Arelatensis Episcopi hæc lego, *Ut ante Resurrectionis diem, dum Campi Lapidei spatia peragrasti, pastores singulos undâ Baptismi regenerando baptizas.* Multi nimirum erant tum, ut sunt hodieque, pastores in Campo Lapideo, nimirum bubulci, & opiliones, caprarii, ac suarii, quoniam ibi herbæ inter lapides atque etiam subter (ut ait Strabo) enascuntur, quas expetunt boves ac pecora, & quarum suavitate delectantur. *Not. Gall.*

Campi Macri, Lombardiæ Cispadanæ locus, ubi solemnis conventus habebatur. *Valle de Montirone* Leandro.

Campi Phlegræi, & Forum Vulcani, *La Solfatara*, locus Campaniæ, instar theatri, collibus cinctus prope Puteolos.

Campi Phlegræi, & Forum Vulcani, *La Solfatura*, locus Campaniæ, instar theatri, collibus cinctus, prope Puteolos.

Campi Sylvæ, in Tribu Juda. Ps. 132. Hieron. *in Epitaph. Paulæ.*

Campi Tiberiani, inter Romam & Tibur. Frontinus.

Campi Veteres, locus Lucaniæ, nullâ re nisi morte Gracchi memorabilis.

Campianum, opp. munitum Ital. prope Tarum fluv. ad radices Apennini, in Principatu vallis Tari, sub Parmæ Duc. 12. milliaribus Italic. ab Appua in Boream 6. à Burgo vallis Tari in Austr.

Campidona, pervetus in Germania Almangoviæ (*Algovv*) opp. Ptolom. cum castro montano, sive arce Hillermontana, *die Burghald*, quæ hodie disjecta & vastata. Sedes fuit antiqua Sueviæ Ducum: inter quos magni nominis Hildebrandus, cujus fil. Hildegardis Carolo M. nupta, fundavit hic Fanum antiquissimum, sub cujus Antistite, tanquam principe Imper. civitas fuit, donec grandi ære ab illo libertatem redimeret: Postea in ditionem venit S. R. Imperii, A. C. 1525. Privilegiis donata est à Friderico III. qui & illi concessit Aquilam dimidiâ parte auratam, cum corona. Lites inter urbem & Abbatem decidit Maximilianus I. & Carolus V. Aristocratico-Democraticè gubernatur. Evangelium amplexa est, A. C. 1530. Limnæus, Zeilerus, *Chronol. Suev.* Bruschius *de Monast. fol.* 25. *&c.* Germ. *Kempten.*

Campinacum, seu *Compiniacum*, urbs parva Gall. in Inculism. prov. ad Caranthonum fluv. vulgò *Cosnac*. Vide *Conacum*.

Campinia, tractus Brabantiæ, in Tetrarchia Buscoducensi, sub Batavis, ubi opp. Endovia, inter Boscumd. Geldriam super. & domin. Leodiense.

Campodunum, vide *Cambodunum*, & *Campidona*.

Campona, Pannoniæ infer. urbs. Anton. *Keppel*, *Theten*, vel *Koppan*.

Camponi, pop. inter Aquitaniæ gentes. Plin. 4. 19.

Campoveria, seu *Veria*, opp. Valachriæ ins. ubi Scaldis fluv. in Oceanum Germ. se exonerat, cum portu & arce, sub dominio Principis Arausi. paret tamen Batavis.

Campsa, urbs circa Pallenem. Herodot.

Campsani, Germaniæ pop. Ptolom. quorum sedes fuit inter urbes *Brunsvvick* & *Werningerode*, in Saxonia infer. versus Chattos. Cluver.

Campsari, Africæ propriæ pop. Ptol.

Campseonysis, fluv. in Themiscyrenâ regione, prope Heniochos populos. Plin. 6. 4.

Campsiani, Germ. pop. indigentiâ laborantes. Strab. 7.

Campson Cauri, Sultanus Ægyptius, ex servo, præfuit magnâ cum prudentiæ laude. Turbis regni providè compositis, in Indiam copias misit, Lusitanos exturbaturus, & mercaturâ subditos ditaturus. Arbiter Orientis, inter Ismaëlem Persam & Selimum Turcam, æquilibrio servato. Sed à Præfecto Alepi & Comagenæ Cayerbejo proditus, qui fervente prælio, deserto Sultano ad hostes transierat, victis sic Mamelucis, periit equi lapsu obtritus, an. 1516. æt. 70. Leuncl. *lib.* 17. P. Jov. *lib.* 17. Item, Circassius quidam, qui, sub ejusdem seculi initium, Sultanus factus, 8. pòst mense à seditiosis occisus est.

Campus, idem Longobardis, quod Regia, Aimonius *Francor. libr.* 4. *cap.* 86. inquit, Hunnorum Regia, ab iis *Rhingus*, à Longobardis *Campus* vocatur. Statio Græci Imper. duplex fuit: domestica, quæ Palatium & campestris, quæ Fossatum dicebatur. Sic Longobardis fortè palatium & campus. *Campus* etiam de duello, unde Campiones: item de ipso exercitu & ipsis castris, Vide *Hringus*. Apud Anglos duplex *Campi* seu Duelli formula, alia secundùm Curiam militarem, quam Marescalli vocant, alia juxta Curiam civilem, quâ togati judicant. Hic obtusis omnino telis agitur, illic mucronatis: hîc victoria tantùm quæritur, illic cædes: solemni autem utrobique spectaculo, & multa interea ceremoniâ. Utramque formulam, Vide apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Campus Lapideus, Gall. Narbon. campus est, centenûm ferè stadiorum diametrum habens, lapidibus, qui singuli manum impleant, plenissimus, sub quibus gramen exoritur, à quo pecoribus pabuli suppeditatur ubertas. In medio salsæ scatent aquæ, salisque vis magna. *Campus Saxosus* Plinio dicitur. Strabo eum inter Massiliam, & Rhodani ostium constituit. *Campum Lapidarium* habent Solinus & Marcianus, sed eum in Liguriâ ponunt. *Litus Lapideum* à Mela dicitur, *l.* 2. *c.* 5. Vide ibi Vossium. Hodie *La Crau* dicitur. Vid. *Campi Lapidei.*

Campus Magnus, qui & *Campus Mageddo*, habet in longitudine decem milliaria, in latitudine verò ad mare Galilææ, & Jordanem usque extenditur: gleba ejus optima est, fertilis supra modum in frumento, vino & oleo, atque adeò rebus omnibus affluit, ut qui suis oculis aliquando conspexerunt, affirment sese nihil unquam perfectius, & in quod natura æquè sua omnia contulisset, aspexisse. Est in tribu Issaschar.

Campus Martius, locus urbis Romæ maximus.

Campus Maspha, hucusque Josua Chananæos persecutus est, Jos. 11. Est in tribu Aser.

Campus Merulæ, locus Pannon. Inf. Vid. *Merula Campus.*

Campus Mulierum, vide *Fravvenfeldum.*

Campus S. Petri, opp. elegans in Rhætia, *Feldkirch.*

Campus Regius, Germ. *Konigsfelden*, insigne monasterium virginum, pagi Verbigeni in Helvetia, 30. m. p. plus minus Tiguro distans, cùm anteà cella Fratrum non magni nominis esset: extruxit illud Agneta Hungar. Regina, filia Alberti Imp. an. 1308. Vindonissæ occisi, reditibusque amplissimis, ex parricidarum bonis, locupletavit. Fundamenta ejus cùm jacerentur, plurima numismata aliaque antiquitatis monumenta ibi reperta. Vid. Stumpf. *lib.* 7. *de Argovia. cap.* 15.

Campus Piorum, τῶν Εὐσεβῶν χῶρος, quomodo eum vocat Lycurgus oratione in Leocratem; locus celebris in Siciliâ juxta Catanam, quòd ibi duo juvenes sublatos parentes evexerunt inter Ætnæ flammas intacti ab igne. Solinus *cap.* 11. Vide Claud. *Epigr. De piis fratribus & eorum statuis, quæ sunt apud Catinam.* Strab. *lib.* 6. vocat eos Amphinoum & Anapiam. Ælian. *in Var.* Φιλονόμον καὶ Καλλίαν vocat citante Stobæo. Martialis, *Siculos fratres* vocat: Seneca *Siculos juvenes lib.* 3. *de Ben. cap.* 37. Sil. *lib.* 4.

Et Catane generasse Pios celeberrima Fratres.

Corn. Severus *in Ætnâ,*

Erubuere Pios Juvenes attingere flammæ.

Εὐσεβεῖς etiam Straboni loco dicto. Pausanias *in Phocicis*: Περὶ πλείστου γὰρ δὴ ἐποιοῦντο οἱ πάλαι γονέας, ὥσπερ ἐστὶν ἄλλοις τε τεκμήρασθαι καὶ ἐν Κατάνῃ τοῖς καλουμένοις Εὐσεβέσιν. *Catinenses* siquidem fuisse constat, etsi Solinus testatur, Syracusanos etiam hos fratres sibi vindicasse. Præter locum ex Silio nuper adductum, Ausonius id abunde evincat *carmine* 10. *de claris civitatibus*:

Quis Catinam sileat, quis quadruplices Syracusas,
Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis & amnis?

Videatur & Aristot. Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. Et Val. Max. *lib.* 5. *cap.* 4.

Campus Rheni, vide *Rinfeldia.*

Camuel, i. e. *surrexit Deus*, vel *suscitavit*, aut *confirmavit eum Deus*, filius Nachor ex Melchâ. Gen. 22.

Camulodunum, Angliæ Opp. seu Colonia in Trinobantibus, apud Tacitum, hanc hodie *Colchester* appellari scribit Humfredus. Id est, ut conjectamus, *Domini* seu *regis collem*. Nam Arabicè קמעל *kamala dominari*, *Dun* autem Gallis, Germanis, & Anglis est collis. Clitophon: Δῦνον καλοῦσι τὸν ἐξέχοντα, id est, *locum eminentem Dunum vocant*. Vide *Cambodunum*. Baudrando est *Maldon*, opp. Essexiæ prov. ad amnem Chelmerum, 8. mill. Angl. à mari Germ. totidemque à Colcestria in Occas.

Camulogenus, Aulercus, singulari scientiâ rei militaris ad eum est honorem evocatus, ut Parisii & finitimæ civitates ei summam imperii deferrent, anno belli Gallici septimo, *libro* 7. *capite* 57. Cæs.

Camulus Deus, sive *Sangus*, sive alius è Sabinis Italiæ populis colebatur: ut ex antiquo lapide apud Sabinos reperto constat, in quo *Camuli* ipsius simulacrum incisum est, cum titulo *Camulus.*

Camuni, Italiæ pop. Plin. 3. 20. Καμοῦνοι Straboni, in aliquibus tamen exemplaribus Κάμυλοι, ut & *Camuli* apud Plin. Dioni Καμμούνιοι, *lib.* 54. Nomen horum retinet vallis Camunica seu Cammonica: è quâ Ollius in Sebinum lacum influit. Parent hodie cum Triumpilinis, quorum similiter mentio in tropæo Augusti, Brixiensibus: ex Euganeis montibus oriundi, secundùm Plinium retro laudatum: & ex Lepontiorum numero, referente Cellario. Sabellicus & Guarinus *Camuli* legerunt, vide supra.

Camurisarbum, Ponti Cappadocici urbs. Ptol.

Camurius, decimæ quintæ legionis miles, quem crebrior fama tradidit impresso gladio jugulum Galbæ hausisse. Tacitus *Hist.* 1. 41.

Camus Joh. Petrus, Bellic. de Bellay, obiit an. 1652. æt. 70. scriptis editis clarus. Gall. Chron. *t.* 2. *p.* 360.

Camus, Syriæ Coeles civitas. Polyb.

Cana, opp. in reg. Arabiæ Fel. thurifera, quæ adhuc teste Rhamusio *Canacam* nominatur.

Cana, *Canna* Melæ, *Cane* Ptolemæo, opp. Æolidis cum promuntorio cognomine, contra Methymnam urbem Lesbi ins. porrecto.

Cana, oppid. Galilææ, ubi Christus primum signum edidit, aquam in vinum commutans, Joh. 2. dein filium regii ministri ibidem sanavit, Joh. 4. Vid. August. explicantem, Joh. 4. versum 54. Nathanaëlis patria, Hieron. *de L. H.* Fuit autem in tribu Zabulon. Item alia *Cana* major dicta, in tribu Aser. Josue *cap.* 14. Latinè *zelus*, vel *æmulatio*, sive *possessio*, aut *lamentatio*, vel *nidus*, aut *arundo*. Item, alia in tribu Ephraim. Hieronymus *in Loc. Heb.*

Canaan, filius Chami fil. Noæ, à quo *Cananæus.*

Canaan, Palæstinæ gens, Suidæ *Chetthæi*. Vide *Palæstina.*

Canabas, Dux Gothorum, cæsis suorum V. M. in Thracia victus, à Valerio Aureliano, A. C. 272. Aur. Victor, Eutrop. *l.* 9.

Canaca, Turdetanorum in Hisp. urbs. Ptol.

Canacea, Æoli filia, quæ cum Macareo fratre concumbens, ex eo concepit, peperitque filium, quem cùm per nutricem exponi curaret,

ret, infelix se suo vagitu avo prodidit, qui ob execrandum filiorum amorem incensus, infantem canibus lacerandum projici jussit; misitque per satellitem filiæ gladium, ut eo pro meritis uteretur. Verum quid illa fecerit non satis liquet, Macareus autem fugiens factus est Apollinis Delphici sacerdos.

Canache, Ovid. *Met.* 3. numeratus inter canes Actæonis, quod nomen ἀπὸ τῆς καναχῆς, hoc est, *a clamore*, & *strepitu* impositum videtur.

Canacium, opp. Pedemontii.

Canada, pars Amer. Septentr. vasta Regio, à Gallis detecta, anno 1504. occupata, auspiciis Francisci I. anno 1525. iterumque anno 1534. Post hæc, navigatione aliquandiu neglectâ, occasione Floridæ, sub Carolo IX. iterum hic aliquid tentatum, & sub Henrico IV. anno 1604. colonia huc deducta, felici successu. Anno 1640. magna vis incolarum conversa est: qui satis ingeniosi. Solum, licet frigori ingenti obnoxium, metallorum tamen & frugum ferax est. Linschot. Lescarbot. & *Relationes Canadæ*. Ibi & Canada fluv. unde fortè regioni nomen. Vide *nova Francia*. Item fluv. ibidem. Vide *Fluvius S. Laurentii*.

Canadium, urbs Hung. ad *Mericz* fluv. qui paulo infra cadit in Vibiscum. Comitatus Conadiensis caput, in dit. Turcarum, versùs confin. Transylvaniæ, 3. leuc. Germanic. à Segedino in Ortum.

Cana, Locrorum opp. Strabo.

Cana, urbs ad Tigrim fluv. unde *Canaus* Jupiter nominatus. Steph.

Canæ, opp. Æolidis regionis. Plin. 5. 10.

Canagora, urbs Indiæ citerioris, *Canago* Castaldo. *Gangigu* Mercatori.

Canalicum est *Cairo*, castrum ad Bormiam amnem, in Duc. Montisferrati, prope Apenninum, medium inter Finariam & Aquas Statiellas, 10. mill. à Savona in Bor.

Canalovii, montes in Macedoniâ sunt, Ptolemæus. *Cambunii* à Livio dicuntur; qui addit eosdem ab incolis *Volustana* appellari.

Canan, dicta est Arabia à *Cham*, qui in eâ consedit, à quo *Cananai*. Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignoravit; quia princeps ejus & conditor cultum à patre non accepit, maledictus ab eo; Itaque ignorantiam divinitatis minoribus reliquit.

Canan, locus inter duo flumina, qui à Tiberiade vix quatuor distat milliaribus, in tribu Zabulon.

Cananea, Syriæ regio, à Canane Cham filio, qui eam regionem, quæ nunc Judæa appellatur, inhabitans à se Canaan nuncupavit. Inde *Cananitis, itidis*, regio.

Cananorium, urbs Indiæ citer. in ora Malabarica, Lusitanis erepta, à Batavis, his temporibus. Regni cognom. caput. 10. leuc. Hisp. à Calecutho. Vid. Maffæum *hist. Ind. lib.* 12. Barbos. *lib.* 9. *cap.* 1. Linschot.

Canar, promuntorium in Mauritaniâ Tingitanâ. Anton.

Canara, reg. Asiæ citer. inter montes & oram littor. Oceani Indici, versùs Occas. sub Rege Bisnagaris, inter Malabariam & regn. Decani, ubi regna Onoris, Baticalæ in ora, & Gorcopæ in Mediterr. Hinc lingua Canarina usitatissima in Indiis. *Tulamar*, Barbosæ. Hic mercatura floret, & Lusitanis aliquot arces. Texeira *l.* 1. *c.* 12. Linschot. &c.

Canaria, inf. Africæ in mari Atlantico, è regione Maroci regni, Fortunatis propinqua, sic dicta à magnorum *canum* multitudine ingenti. Plin. *lib.* 6. *cap.* 32. Hodiè omnes illæ insulæ, quas veteres Fortunatas dixerunt, quæ 7. nempe *Teneriffa*, aliàs Nivaria: *Forteventura*, antea Capraria & Casperia: *Lancerotta*, aliàs Centuria: *Gomera*, aliàs Theode; *Insula Ferri*, aliàs Pluvialia: *Inf. Palma*, aliàs Capraria: præcipuaque *Canaria*. Baudrand. Detectæ à Ludovico Comite Claræmontano, fil. Alphonsi de la Cerda, cognom. *Exhæredati*, anno 1343. Visitatæ à J. Bentacurtio nobili Gallo, anno 1346. uno nomine *Canariæ* dicuntur. Harum nobilissima est Palma, vel Madera, præstantissimo saccharo, quod Maderanum vocatur, insignis. LLoyd. Ipsa Canaria urbem habet cognom. cum arce & portu. Post varias vicissitudines, ad Hispanos pervenere hæ insulæ. Incolæ Christiani sunt, sub Episcopo, cui Canariæ sedes. Solum frugum & generosi vini feracissimum. Insula Ferri, mirabili arbore est celebris, quæ toti Insulæ, aliàs siticulosæ ad modùm, aquarum affatim suppeditat. Vide Sanut. Linschot. Marianam, Gramæum, &c.

Canarii, pop. circa Atlantem Africæ montem habitantes, quòd victus canibus & his promiscuus sit. Plin. 5. 1.

Canas, opp. Lyciæ. Plin. 5. 27.

Canasida, urbs Indiæ, Arrianus *in Indicis*.

Canastraum, Macedoniæ promuntorium in Thermaico sinu. Plin. 4. 10. *Capo Canistro*, vel *Capo Crio*.

Canastrum, promuntorium proximum Pallenæ, vel Thraciæ. Steph.

Canath, id est, *emptio*, sive *possessio*, aut *lamentatio*, urbs in tribu Manasse, quæ & *Nobah* dicitur. Num. 32.

Canatha, opp. in Decapolitanâ regione, quæ Syriæ jungitur. Plin. 5. 18. Mediæ urbs Ptol. & alia urbs a l Bostram Arabiæ sita. Steph.

Canathra, inf. ante Taprobanem. Ptol.

Canathus, fons juxta Nauplium, in quo quotannis Juno, ut virginitatem recuperaret, lavabatur; Quod mulieres Archivæ credentes, idem factitabant. Pauf. *in Corinth.*

Canatius, mons est excelsus citer. Hisp. in cujus vertice (ut ajunt) est lacus profunditatis imperscrutabilis, colore niger, in cujus fundum si quis lapidem, aut durum aliquid jecerit, confestim tempestatem oriri scribunt historici, ejusque in abdito specu palatium esse Dæmonum. Bozat.

Canauna, regio Arabiæ felicis. Plin.

Canavensis tractus, regiunc. Ital. aliàs Montisferrati pars, nunc Pedemontio adjuncta, anno 1631. pace ad Clarascum confectâ. Inter Eporedium urb. & Padum fluv. versùs Clavasium.

Cancellarius, Ingulpho, aliisque *Scriba*, & *Notarius*: Goldasto *Graphiarius*: Hincmaro *Secretarius*: Nicetæ *Scriniarius*, item *Domesticus*: Cassiodoro *a Cancellis*: Hincmaro iterum *a Secretis, ab Actis, a Libellis*. In Gloss. Isidori, *Antigraphus*. In Imperio Or. *Logothetes* & *Caniclinus*. In Eccles. Rom. aliquoties Onuphrio *Bibliothecarius*: Suidæ *Logographus* & *Epistates*: Gregorio Tur. *Referendarius*: Quibusdam *Apocrisiarius*, & quòd regiæ capellæ curam gerebat, *Capellanus*. Interdum *Actuarius*, quòd acta Judicum scriberet, & *Tabellio*, quòd tabulas. Ad distinctionem, *Cancellarius Regis & Cancellarius Palatii*: *Archicancellarius*, *Protocancellarius & Protonotarius*, *Nomophylax*, *Asylum Juris*, *Ara boni & æqui*, *Vicarius Regis*, *Prorex*, *Interrex*, *&c.* Originem *Cancellarii* ab Augusto Cæsare, ab Atheniensibus, ab Amphictyonibus, ab ipso Minoë, Jovis fortè Cancellario, quòd ex ejus sententia Leges Cretensium sanxit, arcessunt. Dici cœperunt sic Notarii Imperatoris, cùm seclusi à turbæ molestiis inter cancellos agerent. Sunt autem *cancelli* fenestratæ partitiones, ingressum prohibentes, non visum: ut quæ chorum in Ecclesia dividunt à navi, cancellum inde appellatum. Sed & Cancelli dicuntur, septa curiarum, quæ *barras* vocant: atque inde Juris Candidati, causas illic agentes, Budæo *Cancellarii*: spatium intra Curiam, cancellorum area; & à *cancellis Curiæ* explodi dicitur, cui ab agendis causis interdictum est. Per translationem, *cancellos judiciales sibi circundat*, qui rem arduam in se probandam suscipit: *Conjicit se in cancellos Curiæ*, qui litibus se implicat, &c. Mox vocabulum *Cancellarius* transferebatur, à Scribis Imperatoris, ad Notarios quoque publicos: inter quos tamen id discriminis est, quòd Cancellarius Regum præcepta vel acta Judicum scribit, Notarius vulgaria instrumenta. Hinc in charta Eduardi Conf. Cancellarius, post Episcopos & Abbates, inter Capellanos, subscribit, Notarius verò ultimum locum sumit. Hinc *Cancellare*, pro scribere: Et illud,

Cancello, scribo: Cancello, grammata findo,
Cancelloque meas in cruce pono manus.

Vide Henricum Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Cancellarius Anglo-Saxonum, vulgò *Scriba* & *Notarius* dicebatur: vernaculo sermone *Bosa*. Hi tum operam navarunt in dictandis chartis regiis, si non exarandis, ut patet ex Ingulpho, ubi de Turketulo Eduardi Sen. Cancellario loquitur. Fungebatur hic etiam legatione ad Imperatorem & Franciæ Reges, quin & bellator egregius Constantinum Scotiæ R. fudit & occidit. Exutus tandem mundo, Abbas Croylandiæ factus est: cùm, ut cæteri Cancellarii, nec Capellanus Regis, nec vel eousque Cleri pars fuisset. Postea dispartitum est munus alternatim pluribus. *In Histor. Eliens. l.* 2. ubi de Ethelredo, qui regnum iniit A.C. 97[illegible]. connectuntur munus Cancellarii & Capellani Regis, nec deinde nisi rarò disjunguntur. Sigillis sub hoc seculo vix usi sunt Reges Saxonici, Athelstano tamen, & Edgaro, & Canuto sua interdum, sed incerto custode, attribuuntur: Eduardi verò Confessoris penes Cancellarium fuit. Sub Anglo-Normannis dein, Guilielmus Conquestor Scribarum collegium, qui diplomata scriberent, ejusque collegii Magistrum vocatum *Cancellarium*, qui paulatim supremus effectus Magistratus, instituisse legitur, apud Polyd. Virg. quæ cum supradictis perpendantur. Verum id est, Cancellarii sub ipso ingressu Normannorum dignitatem non, ut postea, claruisse. Vid. muneris specimen apud Spelmann. *Glossar.* Fungebantur autem antiquè Cancellariatus dignitate, viri tantùm Ecclesiastici & Episcopi, qui præterea curam gerebant regiæ Capellæ, repositaque illic monumenta sacrâ custodiâ tuebantur. Hinc accidit, ut Ecclesiastica omnia ad Regem pertinentia, Cancellarius administraret, Ecclesias disponeret & regio nomine Visitatoris munus exequeretur. Nec perpetuus olim fuit, sed vel biennalis, vel triennalis, sæpe bimus & annuus: pluresque interdum simul vicibus alternantes. Electionem ad Parlamentum spectare ex antiquo jure asseverabant tunc omnes Angliæ Magnates. Recentior electio apud Reges fuit, è quibus Henricus VIII. cùm curam ejusdem Consiliariis suis demandasset, Episcopos hi prætereundos censuerunt: sed Eduardo VI. & Mariæ aliter visum est idem. Occurrunt quoque *Archicancellarius* & *Vicecancellarius*, hic Cancellario inferior, ille superior. Dici autem videntur *Archicancellarii*, qui & aliàs Ar-

chicapel-

chicapellani, sub ævo Ottonum Impp. Antistes Moguntinus, rebus Germaniæ præfectus, Coloniensis Italiæ: Treverensis, Galliæ; cùm exuti paulatim molestias Cancellariatus, ut Ecclesiis suis liberius vacarent, munus per vicarios, quos Cancellarios simpliciter nuncuparunt, exequerentur. *Vicecancellarius* apud majores dictus est, qui aliàs Custos sigilli, aliàs Cancellarii Locum-tenens appellatur. Sed & aliâ significatione celebris est Vicecancellarii appellatio, in Academiis, de quo vide in *Vicecancellarius*.

Cancellarius Imperii, primò omnium memoratur Fl. Vopisco *in Carino*, circa annum Chr. 287. cùm humile admodum ac despectum munus fuit. Post alterum autem seculum ad amplissimum crevit fastigium unus è Cancellariis, cæteris præfectus: cujus munus & dignitas luculenter describuntur apud Cassiodorum, *Variar. lib.* 11. *Formul.*6. qui locus hodiernum Magistratum graphicè depingit. Inferiorum, qui huic summo parebant, numerum Heraclius Imperat. ad 12. redegit. Nec summus quidem unicè datus est toti Imperio, sed Provinciis singulis singuli, ut clarè indicat Cassiod. *libr.* 12. *form.* 1. Hincmari ævo, qui sub Carolo Magno & Ludovico Pio floruit, minui videtur in aula Gallica muneris istius amplitudo: dum parte unâ Apocrisiarius fungitur, aliâ Comes palatii; Cancellario ipso vix quid præterea tunc curante, quàm chartas Regias. Vide illum *Epist.* 3. *cap.* 16. Sigillum verò regium nondum adeptus est. Hoc enim cùm aliud non esset, quàm annulus, apud ipsum mansit Regem, ut Monachus Engolism. *in Vita Caroli Magni p.* 15. docet. De Imperii hodierni Romano-Germ. Cancellario, Vide apud Limnæum *de Jure publico*, aliosque. A palatio Imperii deducitur Cancellarius in Consistorium Ecclesiæ, ævo quidem incerto, sed antiquo. Vide Hieron. *epist. ad Gerontiam.* Transiit dein hic Magistratus in aulas omnium Principum Europæorum: sed primùm à similitudine potius Gallici Cancellarii, quàm Imperatorii. Exoletis verò aliquando Apocrisiario & Comite palatii, sensim pervenere ipsorum munera in officium Cancellarii, qui deinceps, ne Præfecto prætorio, ut in Imperio olim, subjectus, ejus etiam partes plures suscepit, eoque tandem crevit fastigii, ut Principis præsentis vicarius & eo pergere profecto, Interrex quodammodo censendus dicatur. Budæus. Vide quoque supra.

Cancer, poëtæ Tragici nomen.

Cancer, unum est ex 12. Zodiaci signis, à quâdam Cancri piscis similitudine ita dictum; eo quòd Sol in mense Junio signum hoc perambulans, paulatim incipit à nobis recedere, & cursu retrogrado ferri in modum Cancri. Refert Hyginus hunc fuisse Cancrum, qui à Junone in Herculem cum Hydrâ Lernæâ pugnantem immissus fuit, qui cùm pedem ejus momordisset, ab Hercule occisus, & à Junone inter sidera collocatus est, quod itidem testatur Germanicus, In ἀρατείοις,

Te quoque fecundam meteret cùm cominus Hydram
Alcides, ausum morsu contingere, bello
Sidere donavit, Cancer, Saturnia Juno
Nunquam oblita sui, nunquam secura novercæ.

Vide Cæsium *Astron. Poet. in Cancro.* Virg. *Eclog.* 10.

Æthiopum versemus oves sub sidere Cancri.

Unde *rapidus Cancer* dicitur Statio *Thebaid. quartâ.* Et *torrens* Lucano *lib.*8. Cicero *in Arateis*:

Claro collucens lumine Cancer,
In quo consistens convertit curriculum Sol.

Proximum geminis signum est. Ovid. *Fast.*6.

Sol abit è geminis, & Cancri signa rubescunt.

Canchai, Arabiæ pop. Plin. 5. 10.

Cancius, fluv. Picardiæ, *la Canche*, Hedinum alluit; & infra Monstrolium in Ocean. cadit. Vid. *Quentia.*

Candace, Æthiopum Regina, tempore Augusti, maximi animi mulier, tantique in suos meriti, ut omnes deinceps Æthiopum reginæ ejus nomine fuerint appellatæ. *Plin. lib.* 6. *cap.* 29. Hujus quoque fit mentio apud Strab. *lib.* 17. ubi illam magni animi fœminam fuisse refert, sed altero oculo privatam; & Dionem *lib.* 54. Vide Marmol. *lib.* 10. *cap.* 23. & Johannem de Barros, *lib.* 3. *cap.* 2. Candaces Reginæ, Juditæ quibusdam, Eunuchus per Philippum Evangelistam ad fidem Christi convertitur. Actor. *cap.*8. Et consentaneum est, hunc Eunuchum semina Evangelii de Christo apud Æthiopas, Iren. *lib.* 3. *cap.* 12. Hieron. *in Esaj. cap.* 51. Cyrillus Cath. Euseb. *libr.* 2. *cap.* 1. sparsisse, quæ postea per Matthæum Evangelistam exculta & latius propagata sint.

Candacensis vicus, & *Candaum*, oppidul. Galliæ, ad Ligerim fluv. ubi Vigennam recipit. Estque prov. Turoniæ, sed in limite Andegavensi.

Candahara, reg. Asiæ, cum urbe cognom. in Persia olim, nunc sub Magno Mogole, à multis annis. Urbs ipsa est permunita, intra montes. 50. leuc. German. ab urbe *Balch*, 60. ab Indo fluv.

Candali, Indiæ intra Gangem pop. Ptol.

Candamius mons, vet. inscr. *Candaunedo*, Marianæ in finibus Asturum, in Hisp. Tarr. inter Legionem & Ovetum, urbes.

Candania, mons Epiri, à Dyrrhachio distans 88. m. p.

Candanum, Jazygum Metanastarum urbs. Ptol.

Candara, urbs Paphlagoniæ tribus schœnis à Gangris distans, & Thariba vico, ubi Junonis Candarenæ templum est. Steph.

Candari, Sogdianæ pop. sunt & Plinio & Ptolemæo, quamvis apud priorem *Gandari* non rectè vocentur.

Candasa, Cariæ castellum. Steph.

Candavia, regio & mons Epiri, Illyriam à Macedoniâ dividens. Lucan. *lib.*6.

Devia, quâ vastos aperit Candavia saltus.

Vide Plin. & Strab. *lib.* 7. Etiamnum *la Canovia*; estque regiunc. Albaniæ, intra montes, ubi incolæ plerunque Christiani. Baudr.

Candaules, Græcis Myrsilus, fil. Myrsi, ab Alcæo filio Herculis oriundi, 4. & ultimus ex Heraclidis. Lydorum Rex, occisus à Gyge jussu reginæ, eo quòd nudam inspiciendam se Gygi concessisset, qui sic uxore & regno potitus est. Anno regni Candaulis 18. Sicque ad Mermnadas illud transtulit, in quorum familia duravit, usque ad Crœsum, anno 210. U.C. Euseb. Herod. *lib.* 1. & Justin. *lib.* 1.

Candea, urbs Indiæ cit. in ins. Ceylan, regni cognom. caput, in meditullio ins. urbs ampla & totius ins. facilè princeps.

Candei, Arabici sinûs pop. quos Ophiophagos ob id vocant, quòd serpentibus vesci soliti sint. Plin. 6. 29. Mela.3.

Candelarus, fluv. regni Neap. in Capitanata prov. Ex Apennino ortus, in mare Adriat. se exonerat, prope Manfredoniam.

Candia, Ins. celeberrima maris Mediterr. ab urbe prim. sic dicta. Vide *Creta.*

Candia, urbs archiepisc. Cretæ primaria: satis ampla & permunita. Cum portu commodo. Venetis post obsidium diuturnum à Turcis ægrè erepta, an. 1670. Olim *Matium*, teste Pineto, quod vide, ut & in voce *Creta.*

Candia nova, arx permunita Cretæ, à Turcis, prope Candiam urb. extructa. Nunc diruta jacet ab aliquot annis. A Candia vix 3. mill. distabat. Vid. *Creta.*

Candida casa, urbs Scotiæ, à Glascoa 45. mill. Scot. in Austr. In ora maris Hibernici, ex adverso Monæ ins. Cum portu utcunque commodo. Vulgò *With-hern.*

Candidianus, Comes, jussu Theodosii jun. interfuit Concilio Ephesino, sed à Nestorio seductus, contra Orthodoxos, Cyrillum imprimis, ad Imp. scripsit: Postmodum ab hoc, ab Episcopis Concilii melius edocto, punitus. an. 431. *Concil. tom.*2.

Candidum, Zeugitanæ regionis, quæ propriè *Africa* dicitur, promuntorium. Plin. 5.4. *Capo Ferrato*, Merc.

Candidus, Consul, collega Numatii Quadrati an. U. C. 837. In Fastis Capitolinis Julii Quadrati.

Candidus, Isaurus, historiam scripsit, ab imperio Leonis exorsus, vel Zenonis, ut Voss. *de hist. Gr. lib.*2. *cap.*21. vult, usque ad Anastasium. Christianus fuit, sed stylus ejus nimis poëticus videtur Photio, Biblioth. *cap.* 79.

Candidus, scripsit hexaëmeron. Hieron. Euseb. Item Episcop. Donatistarum, in Africa, qui in Ecclesiæ communionem rediit. August. *lib.* 2. *cap.* 10. *contra Crescon.* Item, presbyter à S. Gregorio, in Galliam missus. *lib.* 4. *epist.* 5. & *lib.* 5. *epist.* 10. Item monachus, aliquot vitarum auctor. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.*34. Hugo *Candidus*, Monachus, historicus. Idem *cap.*56. Petrus *Candidus* December, Nicolao V. gratus, Alphonsi V. Arrag. R. jussu, Appianum Alexandr. vertit, sed parum feliciter. Scripsit dein vitam Philippi, Vice-Comitis Mediolan. Obiit an. æt. 80. Mediolani. Paul. Jov. *in Elog.*

Candiope, Oenopionis filia, soror Theodotionis, quam cùm frater in venatione in antrum traxisset, vim illi intulit: & ex eâ Hippolagum suscepit, quod cùm Oenopion rescivisset, indignatus filium exulatum abire jussit: qui oraculo edoctus versus Orientem in Thraciam cum Candiope, & parvo filio delatus est, ibique ob insignes virtutes in magno pretio fuit. Aliter Ovidius, ut infra de Orione.

Candiparna, Indiæ intra Gangem opp. Ptol.

Candollica, urbs Norici, *S. Veit* Simlero; cui eadem est cum *Candalicâ* Antonini, & *Canabiaca*, lib. Notit. opp. ex præcipuis Carinthiæ, ad confluentes fluv. *Wilitz*, & *Glan.* Olim quoque *Norejo*, ut quibusdam visum. Baudr.

Candoum, Germ. opp. Ptol.

Candrogari, Æthiopiæ sub Ægypto opp. in Nili ripâ. Plin.

Candyba, Lyciæ reg. civitas, ubi laudatur Oenium nemus. Plin. *l.*5. *c.*72. A Candybi Deucalionis filio dictam scribit Steph.

Candys, Mediæ regionis urbs. Ptol.

Cane, opp. Arabiæ Fel. in ora maris Arabici: juxta *Fartaque* promuntorium, ut manifestè ex autore peripli Erythræi colligi potest. Vide Voss. ad Melam. p. 288: vulgò *Caxem.*

Cane, in tribu Manasse. Hier. *in L. H.*

Cane, promunt. Æolidis, olim Ægeates. Steph.

Canea, olim *Cydon*, Cretæ opp. à Genuensibus captum ac dirutum. Blond. Hodie urbs Cretæ munita & episc. in ora Boreali Ins. capta à Turcis, an. 1646. *Cydonia.*

Canebium, urbs Cariæ, *Cyon* pòst appellata. Steph.

Canelate, Corsicæ urbs, Ptol. *Scala di Canello* Leandro. Nunc

S. Fiorenzo, satis munita, in planitie, in parte Septentr. Inf. A Bastia 6. mill. in Occas. 18. à Sacro promunt. Sanson, Briet.

Canens, Nympha, Pici Laurentum regis uxor, quæ cùm virum à Circe in avem mutatum supra modum lugeret, extabuit, & loco cuidam ad ripam Tiberis, ubi hæc contigerunt, nomen suum reliquit. Ovid. *Met.* 14.

Fama tamen signata loco est, quem ritè Canentem
Nomine de nymphâ veteres dixere Coloni.

Canentulum, Gall. Aquitan. fluv. Ptol. *Carantonius* Ausonii videtur; fortè hodie *Charente*. Aliter *Canentelus*.

Canestrinum, locus in Palestina. Tyrius 4.7.

Canethum, Eubœæ ins. locus, postea intra muros Chalcidis receptus. Strabo. Item mons Bœotiæ. Apollon.

Canetum, oppidul. Ducat. Mantuani, ubi Clusius in Ollium se exonerat, medium inter Mantuam & Cremonam. Aliàs *Bedriacus vicus*.

Canganorum, Cangorum Tacito, promuntorium Albionis ins. versus Occidentem, Ptol. in Wallia & Arvonia prov. *Lhein* Camdeno. *Gogarth* hodiè Humfredo Lhyido. *Braychypult point*, Speedo: *Penvenkele point* aliis esse videtur. Baudr.

Cangi, pop. Britann. *Icenis* vicini.

Cani, pop. Rhætiæ, quorum regio *Campi Canini*, Amm. Marcellino *l.* 15. Hodieque Italis *Grisoni* & Germ. *Grawpündter*, id est, *Cani Confœderati*. Simler. *de Rep. Helv. l.* 1. Vide *Rhæti*.

Canica valles, *Cangas*, opp. Hisp. Tarr. in finibus Asturum.

Canicleus, seu *Caniclinus*, κανικλεῖον, palatium alterum Constantinopoli, arce & monasterio insigne, à cujus præfectura, apud Auctores Orientales omnium honoratissima, & quâ Codinus socerum donat Imperatoris, *Caniclinus* dicitur. Hunc Cancellario assimilat Rodericus *de gestis Frid. I. l.* 1. *c. ult.* Tyrius autem *de Bello Sac. l.* 22. *c.* 6. Logothetem, qui Cancellarium verius exprimit, à Caniclino videtur distinguere. Guntherus non malè de Camerario intelligit *Ligurin l.* 8.

——— *Tempore servus eodem*
Argolici regis, Græci cognominis usus
Hoc Caniclinus *erat, nobis* Camerarius *idem*
Esse potest.

Sic Narses, apud Paulum Diac. *Longob. l.* 2. *c.* 3. & alios, *Chartularius* dicitur: Cedreno κουβικουλάριος, & à vetere Scholiaste Juliani Patricii Constit. 15. Tit. 60. *Cubicularii* exponuntur *Chartularii*. Vide Henr. Spelmannum. *Gloss. Archæol.*

Canicula, Stella lucida in ore canis quæ quòd Canem diem unum noctemque anteverta, à Græcis *Procyon*, à Cicerone etiam *Antecanis* appellatur. Vide *Erigone*, & Cæsii *Cœlum Astronomico poëticum p.* 250.

Canidia, unguentaria Neapolitana, in quam tanquam in veneficam, sæpe invehitur Horatius. Vide *Gratidia*.

Canigus Mons, unus ex Pyrenæis, *Candidus* etiam dictus, inter Com itatum Ruscinonensem & Cataloniam, versus Confluentes.

Canindasta, Isauriæ vicus. Steph.

Caninefates, pop. Batavis finitimi, & eandem insulam incolentes, qui origine & virtute, & linguâ pares Batavis numero superantur. Tacitus. *Le pays de Gorikum en Hollande. Kenemerland*, B. Rhenano. Hos Fulvius Ursinus *Cannanefates* ex antiq. inscript. vocat.

Canini Campi, Rhætorum sunt apud Marcellinum, *Grisoni* Italis, *Graupündter* Germanis. Vide *Cani*.

Caninius, Moretio *C. Caninius* Rebilius, eodem die, quo adeptus est Consulatum, obiit. Septem enim horarum Consul fuit, in quem jactatum est illud scomma Ciceronis, *Mira fuit Caninii Consulis vigilantia, qui toto suo consulatu somnum non vidit.* Vide infra.

L. Caninius Gallus, Cos. Coll. Vipsanii Agrippæ an. 717. *U. C.* 37. ante C.N. cùm Hierosol. ab Herode, juvante C. Sosio capta est.

C. Caninius Gallus, Cos. an. 752. *U. C.* quem Christi natalem, Onuphr. Sigon. Pererius, Salianus, &c. volunt.

Caninius Gallus, XV. vir Sibyllinus. Tac *l.* 6.

Caninius Rebilus, prænom. Lucius, Legatus Cæsaris in Gallia. Cæs. *l.* 7. *Comm.*

Caninius Rebilus, Vide *Aminius*.

Caninius Rebilus, unius diei Consul, C. Cæsare Dict. cùm belli civilis præmia festinarentur. Tacit. *l.* 3. *hist.* Vide supra.

Caninius Rufus, amicus Plinii jun. poëma de Dacis meditatus est. Plin. *l.* 1. *ep.* 3. & *l.* 8. *ep.* 4.

Canipsa, Arab. Fel. urbs, Ptol.

Canis, sydus cœleste oriens, 18. Cal. Aug. occidens autem, sed non totum, post dies 40. quod dierum spatium Dies Caniculares appellamus: quo tempore sydus hoc in medio Cœli centro cum sole conjunctum æstum conduplicat. Unde & nomen invenit, quòd nimio calore mordere quodammodo videatur. Unde *Æstiferum Canem* appellat Virg. 3. *Georg.* & Tibull. 3. 5.

Unda sub æstivum non adeunda canem.

Vide omnino Cæsium, *in Cœlo Astron. p.* 258. &c.

Canis, ordo eq. à Bochardo IV. ex Montmorantia famil. primo Galliæ Barone, institutus; qui pace cum Philippo I. vel Ludov. fil. ejus potiùs, à quo arce quâdam exutus erat, quòd Adrianum Abbatem S. Dionysii bello vexasset, initâ an. 1102. Parisios venit, magnâ comitatus catervâ equitum, quibus omnibus *Canis* insigne de collo pendebat, ad fidelitatem suam demonstrandam. Mennenius *de Ordd. Equest.*

Canis, Arab. Fel. fluv. Ptol.

Canis suspensus, castrum Gothiæ, inter Carcassonem & Narbonem, sed illi propius. Hodie *Cappendu*; aliàs *Canpendu*. Vid. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Canisia, Mercurii D. fortitudine aliàs clara A. 1600. arx est Turcarum in Hungar. prope confinia Stiriæ, 3. leuc. Germ. à Savo, 2. à Mura, 12. ab Alba reg. Intra paludes. Christianis erepta anno prædicto, frustrà ab Archiduce Ferdinando, Papæ Italorumque copiis subnixo, anno pòst, repetita est.

Canisius, Jesuita celebris, scripsit complurima, inter quæ eminent *Lectiones antiquæ*. Johannem Augustam, Pastorem in Bohemia Evangel. carcere 16. annorum ob religionem constanter tolerato clarum, Romanæ Ecclesiæ reddere omni ope sed frustra, est annisus; Ardore enim precum ipsis lictoribus conversis Augusta tandem, Magnatum intercessione, à Maximiliano II. Imper. liber dimissus est, A. 1564. Lætus *Comp. Hist. Univers.* Vide *Petrus Canisius*.

Canistius, cursor Lacedæmonius, qui uno die 1200. stadia cucurrit. Plin. In aliis exemplaribus *Anistis*.

Canius, vel *Canis*, poëta, temporibus Martialis, eique familiaris, naturâ ita hilaris, ut semper rideret. Mart. 1. 62.

Gaudent jocosæ Canio suo Gades.

Et *lib.* 3. *ep.* 20.

Vis scire quid agat Canius tuus? Ridet.

Vide etiam *l.* 3. *epigr.* 63. & *lib.* 7. *ep.* 68. ubi de duabus Canii uxoribus, Theophila & Sappho, agit:

Castior hæc, & non doctior illa fuit.

Canius, eques Rom. cùm in Siciliam otiandi causâ venisset, hortosque à Pythio argentario dolo emisset, instructos piscibus, & piscatoribus de industriâ positis: postero die, quum ad eosdem ipse amicos invitasset, nullos ipsi pisces, neque piscatores reperit. Cic. *l.* 3. *Offic.* Lepida historia est, quam L. Loydius olim his versibus expressit:

Trinacrias olim Canius Romanus in oras
Venit eques, Latiâ factus in urbe senex.
Inde Syracosias præ cunctis eligit arces,
Otia longinqua causa fuere via.
Huc veniens aliquos dicit se frugibus hortos
Velle emere instructos; undique fama volat.
Venales Pythius negat argentarius hortos
Esse sibi, at Canio cuncta licere suo;
Et simul ad cœnam invitat, promissaque fiunt
A Canio ad pactum certa venire diem.
Interea piscatores sibi convocat, hortos
Retia projicerent orat ut ante suos.
Ad cœnam Canius prædicto tempore venit,
Lauta epula, ante oculos plurima cymba natat.
Pro se omnis fictò quod ceperat attulit horto,
Ante pedes Pythii piscis ubique jacet.
Tum Canius, dic oro Pythi, dic unde natantûm
Tot pecudum hic, cymba præ foribusque jacent?
Cui Pythius, Quid mirum? inquit, nam nullus in urbe
Hâc piscis, nostram quin subit hospes aquam.
A Pythio incensus Canius, sibi venderet, orat,
Nolentem primo se simulat Pythius.
Quid multa? (usque adeo urgebat malus ardor habendi)
Obtinuit tandem, nomina deinde facit.
Postridie Canius socios invitat amicos,
Manè venit, toto cymbula nulla lacu.
Vicinum idcirco rogat, An lux festa fuisset,
Piscatorum isto justitiumque die?
Nulla hìc festa dies vicinus, quod sciat, inquit,
Verùm hoc piscari gurgite nemo solet.
Atque ideo multum tacitus mirabar apud me,
Quòd piscatorum hîc affuit ullus heri.
Quocirca Canius stomachari cœpit, at ille
Quid faceret, quonam se extrahat inde modo?
Nondum etenim Titius leges hoc tempore, jura
Deque dolo nobis protulit ulla malo.

Canna, Æolidis opp. Mela. Lycaoniæ civitas. Ptol. urbs inter Cyrrhum & Edessam. Anton.

Cannaba, Gotthorum dux, à Valeriano trans Danubium interemptus. Orosius *lib.* 7. Eutrop. *lib.* 9.

Cannaba, Cyrrhæsticæ regionis in Syriâ urbs. Anton.

Cannæ, vicus Apuliæ Peucetiæ, non procul ab Aufido fluv. circa quem Annibal P. Æmilium, & Terentium Varronem Cos. ingenti clade superavit, cæsis quadraginta Romanorum millibus, tantoque; equitum numero, ut tres annulorum modios in signum Victoriæ Carthaginem transmiserit. Apud Polybium πόλις est, idque singulari numero ἡ Κάννη, Livius nudè *vicum* appellat, *l.* 22. Florus 2. 6. *Quartum, id est, penè ultimum vulnus imperii, Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus: sed magnitudine cladis emersit: & quadraginta*

draginta millium eade parta nobilitas. Quin & Appianus *in Annibalicis, κώμην*, hoc est, *Vicum* vocat: Populi *Cannenses*, quos clade Romanâ *nobiles* vocat, Plin. 3. 11. Hîc *pugna Cannensis*, Prop. 3. 3 & Cicer. *de Claris Orat. Cannensis calamitas.* Nunc ejus tantùm supersunt rudera; diciturque *Canna destrutta.* In agro Barcano. 5. mill. infra Canusium, 6. ab ora maris Adriat. Baudrandus.

Cannibali, vel *Caraibæ*, incolæ Antillarum olim, nunc aliquot saltem eorum tenent. Captivos devorare soliti, cadavera hostium etiam in loco pugnæ depascuntur, interim ab avaritia alienissimi; commercio Europæorum paulo nunc civiliores. Oviedo, Herrera, Rochefort. *de Antill. hist. mor. 1. par.*

Canobium, castr. Ducatus Mediol. in ora orientali lacus Verbani, in confin. Grisonum, 6. mill. à Locarno in Austr. 6. à Pallantia in Boream. Gentis Borrhomœæ.

Canobus, navium Menelai gubernator. Vide *Canopus.*

Canogiza, Indiæ extra Gangem urbs. Ptol.

Canonium, Angliæ op. in Essexiâ, *Chelmesford* Camdeno. Baudrando *Canonium* vel *Canovium*, opp. est Trinobantum, in Angl. nunc vicus *Canvvdon*, in Essexiæ Com. ad Crouchium amnem, qui paulò infra in mare Britann. se exonerat. 5. mill. à Ralegho in Ortum, totidem à Tamesi in Bor.

Canonor, urbs Indiæ pulcherrimarum rerum præstantiâ celeberrima, Ibi Lusitaniæ rex munitissimam habet arcem. Urbis rex idola colit cum subditis, qui solem, Lunam, vaccasque adorant. Portum urbs habet, sed immania sunt ejus vectigalia. Ager est aromatum, maximè vero gingiberis feracissimus. Osorius *Hist. Ind.* Vid. *Cananorium.*

Canopus, Deus Ægyptiorum, de quo Ruffinus *lib. 11. cap 26. Hist. Eccles. Jam vero*, inquit, *Canopi quis enumerare superstitiosa flagitia possit? Ubi prætextu sacerdotalium literarum* (ita enim appellabant antiquas Ægyptiorum literas) *magicæ artis erat penè publica Schola*: Quem locum, velut fontem quendam atque originem dæmonum, in tantum venerabantur pagani, ut multo ibi major celebritas, quàm apud Alexandriam haberetur. Sed de hujus quoque monstri errore, cujusmodi originem tradant, absurdum non erit paucis exponere. Ferunt aliquando Chaldæos Ignem, Deum suum, circumferentes, cum omnium provinciarum Diis habuisse conflictum, quo scilicet qui vicisset, hic esse Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum provinciarum Dii æris, aut auri argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacunque materiâ constabant, quæ per ignem procul dubio corrumperetur. Ex quo fiebat, ut ignis locis omnibus obtineret. Hæc cùm audivisset Canopi sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri solent *in Ægypto fictiles*, undique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, qui usaqua turbida desudans, defæcatior, ac purior redditur. Harum ille unam cerâ foraminibus obturatis, desuper etiam variis coloribus pictam, aquâ repletam statuit in Deum. Et excisum veteris simulachri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput desuper positum, diligenter aptavit. Adsunt post hæc Chaldæi, itur in conflictum circa hydriam, ignis accenditur: cera, quâ foramina fuerant obturata, resolvitur; sudante hydriâ, ignis extinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Ægyptiorum victor ostenditur. Hæc Ruffinus.

Canopus, Ægypti civitas, distans ab Alexandriâ 120. stadiis, ex quâ ortum ferunt Claudianum poetam. Dicta quasi Canobus, à Canobo Amyclæo, Menelai navis gubernatore ibi sepulto. Nam, devictâ Trojâ, in Ægyptum vi ventorum delatus cum Helena, gubernatorem ictu serpentis, quem Hæmorrhoida vocant, amisit, in ejusque memoriam urbem condidit, relictis ibi iis, qui ad navigandum inutiles erant. Vide Melam 2. 7. Solin. *c.* 34. Am. Mar. 22. Strab. *l.* 17. Virg. 4. *Georg.*

> *Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi*
> *Accolit effuso stagnantem flumine Nilum.*

Pop. *Canopæi*, de quorum luxuriâ eleganter Strabo *lib. ult.* ubi de *Canopo*: *Super omnia*, inquit, *memorabilis est turba eorum, qui ad festivos illic dies per fossam Alexandriam navigant, quæ fossa diebus ac noctibus navicularum plena est, viros pariter, ac mulieres vectantium, qui cantant ac tripudiant cum extremâ lasciviâ, ac impudentiâ.* Juvenal. *Sat.* 15.

> ——— *Horrida sanè*
> *Ægyptus, sed luxuriâ quantum ipse notavi*
> *Barbara, famoso non cedit turba Canopo.*

Stat. *Sylv.* 3.

> *Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi?*

Juven. *Sat.* 6.

> *Nupta senatori comitata est Hippia Ludium*
> *Ad Pharon & Nilum famosaq; mœnia Lagi,*
> *Prodigia & mores urbis damnante Canopo.*

Ubi scelus exagitat; Romam Canopo famosiorem fuisse queritur. *Bochir*, Zieglero, sive *Bichieri* aliis, *Canopus* item insula parva ostio Canopico objecta.

Canopus, Stellæ austrinæ nomen, de quâ Vitruvius 9. 7. Proclo est Κάνωβος: *Quæ* inquit *stella in summo Argûs navis gubernaculo fulget, Canobus nominatur.* De eo Cleomedes quoque ac Strabo. Tendentibus meridiem versus, Rhodi incipit apparere. Non autem videtur in Græciâ, sed nec in Italiâ. *Stella Canopi his regionibus est ignota*, ait prædicto loco Vitruvius. Plin. 6. 22. ubi de Taprobane, *Canopum lucere noctibus sidus ingens & clarum.* Vide Germ. Cæsarem *in Arateis*, & Hyginum *in Eridano.*

Canosa, ad fluv. Ofante, urbs Comitatus tit. in regno Neap. Episc. hujus urbis Archiep. Barensi junctus est. Miræus, *Pol. Eccl. lib. 1. cap. 3.* Item Comitatus, in agro Mutinensi.

Canovaci, Scotiæ pop. in orâ occiduâ, quorum regio ampla *Lennosia*, *Argadia*, & *Lorna*, *Lennox Argile*, & *Lorne* putatur, teste Lhuydo. Sed apud Ptol. *Carnonacæ* pop. leguntur longè ab hoc situ distantes, nam post Epidios, & Cerones eos locat, deinde Cornalios orientaliores describit. Sansoni etiam *Carnovacæ*, ubi nunc est Rossia prov. Scotiæ.

Canstatum, urbec. Germ. in Duc. Wirtembergico, ad Nicrum fluv. prope Stutgardiam, vix una leuc. infra Eslingam.

Canta, urbs Hisp. in Cantabris. Isid.

Cantabra, flu. in Indum erumpens, cum 3. aliis, quos secum trahit. Plin. 6. 20.

Cantabri, Hisp. Tarrac. pop. inter Astures ad Occas. Autrigonesque ad Ortum, juxta Oceanum, ubi nunc Biscaja pro maj. parte & pars Asturiæ Santillanæ. Omnium olim Hispanorum efferatissimi, nullam sine armis vitam esse existimabant. Contra Augustum rebellantes, victi sunt, & servitutem mutuâ cæde declinarunt. Flor. *lib. 4. cap. 12.* Roderico dein à Gothis pulso, soli cum Asturibus, intacti manserunt, Anno 714. Horum regio *Cantabria*, Sil. *l.* 2.

> *Cantaber ante omnes hyemisq; æstûsq; famisq;*
> *Invictus.* Et mox,
> *Nec vitam sine Marte pati, quippe omnis in armis*
> *Lucis causa sita est, damnatum vivere paci.*

Hor. *Car.* 2. 11.

> *Quid bellicosus Cantaber, & Scythes.*

Et *lib.* 1. *ep.* 19.

> *Militiam puer, & Cantabrica bella tulisti.*

Ab Augusto victi. Horat. *Carm.* 2.

> *Cantabrum indoctum juga ferre nostra.*

Hæc regio *Biscaya* hodiè dicitur. Quæ cùm latè sumitur, continet etiam Autrigones, Caristos & Vardulos. Eorum primaria fuit Juliobriga, ad Iberum fluv.

Cantabriæ lacus, in quo fulmen decidit, repertique fuere duodecim secures. Suet. *in Galbâ.*

Cantabrigia, *Cambridge*, opidum, & Academia Angliæ secunda: patria Jacobi & Conradi, discipulorum Viclefi, qui an. 1404. in Acad. Pragensi, contra Consubstantiationem, Confessionem Auricularem, Ordinationem, &c. publicè disputarunt, docentes præterea, Papam Antichristum esse. Joh. Lasicius *lib.* 1. *de gestis Fr. Bohem. ex MS.* apud Lætum *compend. Hist. Univ.* Vide *Camboricum.*

Cantabrigensis Comit. Angliæ prov. Cujus caput Cantabrigia. Inter prov. Lincolciam, Norfolciam & Suffolciam est.

Cantacuzenus, historicus Græcus, qui ex Imperatore monachus factus, sub nomine Christoduli, luculentam condidit historiam, de imperio Andronici junioris & suo. Floruit anno Christi 1360. Inter Græcos recentiores, neminem ei præferendum, putat Vossius *de Histor. Gr. lib. 2. cap. 29.* Vid. *Johannes Cantacuzenus.*

Cantazara, urbs regni Neap. in Calabria ulter. versùs oram maris Jonii, ad 4. mill. V. *Catacium.*

Canterius, mons in Sabinis Varroni memoratus, *de R. R.* 2. 1.

Canthari Portus, pars Piræei una, sic dicta à Cantaro quodam Heroe. Vid. Schol. in Aristoph. *Pacem.* Ibi navale est, Venerisque templum & quinque circum porticus. Forsan hinc emendandus Plut. *in Vita Phocionis*, Κάνθαρος λιμήν. Ubi vulgò legitur κάθαρος.

Cantharium, promuntorium in Samo insulâ. Strab. 14.

Cantharolethros, locus parvus in Thraciâ, in quo Scarabæi omnes intereunt.

Cantharus, poeta Comicus Atheniensis, cujus fabulas nonnullas commemorat Suidas. Item Impostor & maleficus apud Athenienses, de quo extat proverbium, *Cantharo astutior.*

Canthele, urbes Libophœnicum. Steph.

Canthelia, urbs juxta Carthaginem. Steph.

Canthi, sinus ad ostia Indi flu. Ptol. Nunc *Sinus Indicus*, in eum enim se Indus exonerat. In dit. M. Mogolis. Quibusdam etiam *Sinus Resbutarum.* A' Resbutis pop. Estque in regno Guzaratarum.

Canthus, Abantis fil. inter Argonautas ab Apollonio ponitur, itemque ab Orpheo. Apollonius eum dicit periisse in Libyâ, Flaccus autem in Æâ.

Canticum Canticorum, unus ex Canonicis V. T. libris, à Salomone, divinitus inspirato, compositus, describit *capp.* 8. mysticum Christi & Ecclesiæ connubium. In hoc extant: Abbatisvillæ *Commentarii*, Paris. 1521. Ægidius Rom. Agathius. Agelii *Com.* fol. Parisiis 1611. Albinianus. Alcuinus. de Alliaco. Aloysius, Octav.

Venetiis 1604. Almonacrii *Comm.* Compluti 1588. Alstedii *Trifolium.* Quart. Herb. 1640. Angelomus, Ansbertus. Anselmus. de Aquino. Aponius. Arboreus. Aretius, Quart. Mediol. 1640. Artopæus. Asclepius. Azorius. Beda. Bezæ *Homiliæ.* 8. Londini 1587. Bernardi *Sermones.* Bessoni *Lucubrationes* fol. Tolosæ, 1646. Blacknei *Comm.* Venetiis 1591. Brightmanni *Comm.* Octav. Basileæ 1614. Brocardus. Brucciolus. Bruno. Calovii *Annotationes.* Cantacuzenus. Caponsaccius. Cassiodorus. Cathi *Paraphrasis continua.* Octav. Antv. 1625. Clarius. Cypriani Cisterc. *Commentarii.* Damianus. Del Rio. Duporti Σωλομῶν Ἔμμετρ☉. Eusebius. Folioti *Expositio.* Quart. Londini. Genebrardus. Gerson. Ghislerii *Commentaria.* fol. Romæ 1609. Gorcomii *Explicatio mystica.* Belg. Octav. 1610. Gregorius Naz. & Nyss. Guilielmus Paris. Halgrini *Expositio.* fol. Paris. 1521. Haymo. Hezeri *Comm.* Octav. Ulmæ 1662. Hieronymi *Homiliæ.* Holkotus. Honorius. de Hoylandia. Jansonius. de Jesu Maria Joh. & Thomas. de Insulis *Lecturæ.* Don Joseph. aben Jechija. Don Isaac Abarbenel. Rabbi Isaac ben Arama. Isidorus Hisp. Justus Orgelit. de Lapide. Lambertus. Lechem Setharim. Lindanus. Lutheri *Enarratio.* Malderus. Maldonatus. Malvenda. de Manganellis. Medrasch schir haschirim. Mercerus. Meursii *Eusebius Polychronius & Psellus* Gr. Quart. 1617. Moncæus. Monchiacenus. Moringus. Nannius. Neomenii *Tabula*, fol. Bregæ 1619. Nigidius. Origenis *Homiliæ.* Orosius. Osorius. Paris. Patherius. Picus. Pinto. Placæi *Paraphr.* in 12. Gall. de Ponte. Pontius. Psellus. Pullenius. Rabboth Hebr. Rinnat Dodim. Hebr. del Rio. Rôperi *Canticum* Germ. Quart. Jenæ 1662. Roffetus. Rupertus. Sanctius. Salonius. Sherlogi *Anteloquia* & *Comm.* tom. 3. fol. Lugduni, 1637. 1640. Salazar. Soto-Major. Tegleatius. Theodoreti *Explicatio.* Titelmannus. Tompsonus. Tuccius. Udemannus. Veronius. Vivianus. Weitvveiler. Willeramus & Wolberon Abbates, &c. Vid. Crovvæi *Elenchum.*

Cantiera, prov. Scotiæ merid. in modum peninf. extensa, & in mare Hibern. excurrens, ubi Dunovertium opp. præcipuum, & Tribartia Urbec.

Cantilia, castellum Galliæ, vulgò *Chantelle le Chastel*, ut distinguatur à Cantilio villa seu vico, *Chantelle la Ville.* Utrumque positum est ad Bublam amniculum, *Bouble*, quem Secula *Siolle* in Elaver defert. Inter Aquas Neri & Augustonemetum, tab. Theod. inter Burboni atque Clarmonti castella, Annal. vett. Vid. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Cantiæbis, *Amberg* ex P. Appiani conjectura, urbs Germaniæ in Nariscis.

Cantium, *Cantia* Bedæ, vulgò *Kent*, regio Angliæ in orâ orientali, ubi Cantium promuntorium, Ἄκαντιον Ptolemæo, vulgò *Northforland* teste Ortelio. pop. *Cantiani* omnium, qui Britanniam incolunt, humanissimi, Cæsare teste. Aliàs regio tit. decorata, sedes data est Saxonibus Anglis, ducibus Hengisto & Horsâ, à Vortigerno, è Germania evocatis, A. C. 450. In hac regione victus est ab Henrico VII. Perkinus Verbelius, qui Richardum Eboracensem Eduardi filium mentitus, multum ipsi negotii facessebat. Vid. Verulam. *in Hist. Henrici VII. circa A. C.* 1489. Habet à Sept. Essexiam, ab Occid. Suriam, à Merid. Sussexiam, ab Or. Oceanum Germ. Ibi urbes Cantuaria, totius prov. Caput, Roffa, Dubris, Sandvvicus & Gravesinda.

Cantogilum, vel *us*, locus in Arvernis, vulgò *Chanteuge*, Monasterio insignis. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Cantones, hodie vocantur sive voce Ital. Anguli sive Pagi sive Civitates tredecim, in quas Helvetiorum Democratia seu regio descripta est. Metaph. *à canthis*, i. ferreis notarum extremitatibus seu oris. Germ. *Ort.* A' concordia potentes. V. *Helvetii.*

Cantuaria, Cantii metropolis, urbs Archiepiscopalis primaria Angliæ, à Londino ad 45. m. p. distans. Ad Sturam flu. sub qua 21. Episc. Vulgo *Cantorbery*, *Kenterbury* vel *Caerkent*, olim *Durobernum* aut *Danovernum*, Bed. Antonin. Sub Saxonibus, regum sedes fuit, usque ad Ethelbertum, qui illam Augustino Mon. à quo conversus est, concessit, primo Archiep. Hic dein Anselmus & Thomas sanctitate inclyti, & templum magnificentissimum. Concilium Anno 605. præsente Ethelberto. Anno 820. tempore Beornulfi, Merciorum R. Anno 1309. 1419. Beda, Baron. Hic quoque rituum Latin. ab Arch. introductione, Eccl. Anglica graviter concussa est. an. 1638.

Cantuariani, pop. in Mauritaniâ. Amm. Marcell.

Cantzacium, urbs in Persarmeniâ. Cedren.

Canuccis, Mauritaniæ Cæsar. op. Ptol.

Canucha, fluv. navigabilis in Gangem influens. Plin. 6. 18.

Canuleta, inter primas Vestales, quæ quatuor erant, lecta est à Numâ. Plut. *in ejus Vitâ.*

C. Canuleius, Romæ Trib. pleb. Anno 309. U. C. rogationes duas tulit, ut nimirum connubia plebis cum patribus essent communia, & alter consul de plebe crearetur. Livius *l.* 4. Florus *l.* 1. *cap.* 25.

Canum, regn. Afr. in Nigritia, cum urbe cognom. cujus ædes ex ligno & limo, non longè à Nigro fluv. Sedet urbs juxta lacum estque ex præcipuis totius regionis. Vulg. *Cano.* Incolæ pastores & agricolæ: Rex olim potens, sed à rege Yschia bello petitus, post diuturnam obsidionem, hac lege demum pacem impetravit, ut victoris filiâ ductâ, tertiâ redituum parte ei cederet, Sanut. *l.* 2. Marmol. *l.* 9. *c.* 10. Leo, &c.

Canum fœdus, sive superius, inter tria Rhætorum fœdera, primum, aliàs *Griseum*, Germ. *der Ober oder GraVVpundt*; à Canis pop. nomen accepit. Constat 19. Conventibus seu Communitatibus, inter quos præcipuo loco fuere Abbas Disentitius, Baro Rhætiæ, & Misaucorum Comes: *Sed posteriorum familiæ periere*; vulgò tamen, qui arcem Baronum vett. possident, domini à Rætzüns dicuntur; quem titulum postea domini à Marmorea, tandem Plantæ, habuerunt. Præcipui populi hujus fœderis sunt Ætuatii, Lepontii, Misauci. Conventuum singuli summum aliquem annuum Magistratum habent, quem plerique *Ammanum* vocant: præter quos unus est totius fœderis Præfectus *der Landrichter.* Comitiorum locus est in pago Trunio. Præfectum auctoritate superat Rhætiensis arcis & Jurisdictionis dominus. Fœdus hoc cum vicinis Uraniis jam olim amicitiam coluit, Anno dein Christi 1497. æterno fœdere Helvetiis septem vett. Pagorum junctum est: anno ante quàm Rhæti de domo Dei seu de fœdere Cathedrali iisdem se junxissent. Simler. *descr. Helvet.* Vid. etiam in *Cani*, & *Rhæti.*

Cani Fœderis Communitates 19.

Discentisium cœnobium, cui Ætuatius vicus, Trunum, &c. conjuncta.	dem *Wald.*
Waltenspurgum, *Burtz.a.*	Flemium, *Flims.*
Suprasaxum, *Obersachs.*	Trimontium, *Trimmis.*
Vallis Leguntia, *Lugnitz.*	Stussavia, *SaVien.*
Vallis, *Vals.*	Ræzium, *RhætZünZ.*
Iliantum, *IlantZ.*	Domiliasca vallis ac Tusciana; vicus illic celebris.
Schloüis.	Scopina.
Liberi supra silvam, quorum vicus supremus *Laax.*	Sessa, *Schamps.*
Thanna. Et hæ jurisdictiones novem dicuntur Rhæris, pars supra sylvam, *die ob*	Speluca, *Splügen.*
	Misauci, *Masay.*
	Rogoretum, *Rufflee*, quæ omnes pars sub sylva, *die under dem Wald.*

Canunefates, vide *Caninefates.*

Canusium, Apulorum Dauniorum op. Ptol. ad Aufidum fluv. Plinio, & Pomponio testibus. Idem esse cum Cannarum vico Romanorum clade nobili, asserit Leander, cui quo minus assentiar, faciunt Livius, Strabo, Plinius, qui utriusque meminere; ut & Appianus *in Annibalicis*: Οἱ δὲ ἐς Κάννας ἐπιφυγόντες περὶ δισμυρίους, ὀλίγοι δὲ ἐς Κανύσιον διέδρασαν. Procopius item scribit Canusium distare à Cannarum vico 25. stadiis. Rutilæ lanæ ferax erat, quæ ab eo *Canusina* dicitur, ex quâ qui vestes gestabant *Canusinati* dicebantur. Mart. 9.

Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Et *lib.* 14. 127.

Hæc tibi turpato Canusina simillima musto
Munus erit: gaude, nam cito fiet anus.

Græcis plerisque Κανύσιον. Appiano & Procopio Κανύσιον, Stephano Καινύσιον, vulgò nunc *Canosa* dictum. A Diomede conditum, ut habet Strabo *l.* 6. Cui convenit Horat. 1. *Serm. Sat.* 5. ubi de pane Canusino loquitur:

Nam Canusi lapidosus, aqua non ditior urna,
Qui locus à forti Diomede est conditus olim.

Haud procul à mari abesse Canusium, asserit Strabo, ubi supra, οὐ πολὺ γὰρ δὴ τῆς θαλάσσης ὑπέρκειται. Idem haud obscurè colligas ex Philostrato, *in Vitis Sophistarum*, ubi de Herode Atheniensi, Ὤκισε δὲ καὶ τὸ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ Κανύσιον ἡμερώσας ὕδατι, μάλα τούτου δεόμενον. Hic Henricus IV. Imp. à Gregorio VII. excommunicatus, & rapinæ expositus, ipsi supplex factus est, sed ab eo adeò duriter tractatus, ut regio deposito cultu, intra secundum murorum ambitum, sine calceis, sæviente hyeme, jejunus, per triduum, usque ad vesperam Pontificis responsum expectare cogeretur: tandem nudis pedibus, forcipes & scopas in manu habens, admissus & durissimis conditionibus absolutus est, Anno C. 1077. Sigon. *lib.* 9. Inde *Canusinus* incola. Hor. *Canusini more bilinguis*, ubi Schol. *Bilingues* vocat, quòd utramque noscant linguam, & Latinam, & Græcam. Videtur autem Poeta, non tam significare voluisse duarum linguarum doctos fuisse illos, quàm unius, sed mixtæ ex duabus. Sic ut nec Latinam, neque Græcam posses dicere, quod vitio magis quàm laudi ducendum est. Baudr. Canusium urbs aliàs Apuliæ Peucetiæ, nunc agri Barensis, 5. mill. à Cannis excisis, 10. à Barulo in Occas. sita est in colle, non procul à Veteris loco.

Canusius, vel *Ganusius*, hist. Gr. sub Ptolomæo Aulete, Ptolomæo Dionysio & Cleopatra. Plut. *in Cæsare.* Calisius, Gesnero *in Bibliotheca.*

Canutius Tiberinus, Trib. plebis continuâ rabie lacerabat Antonium jam hostem judicatum, Ciceronem imitatus, quæ libertas utrique morte constitit. Vide Paterculum. Objicientibus Antonio, & Cæsare, quòd in Rep. administrandâ potissimum Consularis Isaurici sectam sequeretur, respondit, *malle se Isaurici esse discipulum*, *quàm Epidii Calumniatoris.* Hujus forsitan est quod citat Prisc. *lib.* 8. *Turpe est propter Venustatem Vestimen-*

ftimentorum admirari, & propter turpissimè vitam actam contemni.

Canutus I. Daniæ rex, & Angliæ 34. Monarcha. In Angliam cum Patre Sunone venit, ut Danos ab Ethelberto occisos, & uxores eorum umbilicotenus defossas, superiori parte molossis atrocibus propinatâ, ulciscerentur. Mortuo Sunone filius, cum Edmundo 2. rem gessit, à quo aliquoties superatus, tandem prælio victor, monomachiâ oblatâ, partem regni impetravit. Mortuo Edmundo, parricidis ejus punitis, regno solus potitus est, hinc Suecis bello illato, Norvegiam occupavit, *Magni* nomen meritus. Leges tulit quamplurimas, & bonas, idque Oxoniæ, ubi Parliamentum convocavit. Rex verè magnificus, & à Parasitis suis *Alexander*, *Cyrus*, *Cæsar*, Rex terræ marisque dictus, quam adulationem memorabili facto refutavit. Polydor. *lib.* 7. Ejus tempore, res Danorum in Angliâ ad ἀκμὴν pervenerunt, cujus morte paulatim decrevere. Imperavit an. 19. Obiit Schaftsburiæ, Anno 1035. Wintoniæ sepultus, relicto fil. Haraldo Angliæ, Canuto Daniæ R. & filiâ Henrico III. Imp. nuptâ.

Canutus II. fratri Haraldo successit. Ab Anglis benignè exceptus, malam iis gratiam retulit, magnatibus plurimis sublatis & plebe exactionibus afflictâ. Fratris cadaver refossum in Tamesin conjecit, quòd matrem suam, filius enim nothus Canuti I. erat, duriùs tractasset. Biennio post in nuptiis, repentinâ morte, an veneno, sublatus. Eo mortuo Dani pulsi, legeque perpetuâ à regno Angliæ exclusi.

Canutus I. Daniæ R. post patrem Ericum III. Christianam religionem ejuravit, à successore Frotone restitutam. De II. & III. jam dictum.

Canutus IV. in templo occisus, an. 1081.

Canutus V. maritus Helenæ, sororis Errici XII. Sueciæ R. quem tantopere contemserat, quòd blæsus esset, ut ei etiam bellum inferret. Sed in illo periit. Saxo Gramm. Finiit in hoc Rege *hist. Dan.*

Canutus, Vandalorum R. Sacerdotes honorabat, ut patres, pauperes fovebat, ut filios: viduas ut matres: Erat cœcorum baculus, esurientium cibus, miserorum spes, lugentium consolatio. Sigon. *lib.* 2. Ejus operâ instituit Lotharius Imp. Episcopos in Dania, Suecia, Norvegia, Grœnlandia & Islandia. Circa Annum Christi, 1133. 1137.

Canutus, fil. Erici IX. Suecorum R. occidit Carolum VII. ob suspicionem paternæ cædis, & laudabiliter feliciterque regnavit, an. 23. Saxo Gr. *hist. Dan.* Magnus *hist. Suec.*

Canutus Joh. Sebastianus, è Biscaya, nauta famosus, cum Ferdinando Magellano 5. navium Duce, Hispali solvit, Anno 1519. quo vel veneno, vel in prælio, in Philippinis, sublato, unicam navem, *Victoriam*, reduxit, post triennium toto orbe circumnavigato, Anno 1522. A Carolo V. donatus aureo torque, cum inscriptione, *Primus circumdedisti me.* Oros. *l.* 11. Maffæ. *lib.* 8. Mariana *lib.* 26.

Canytis, urbs Syriæ magna. Steph.

Capa & *Cappa*, vestis, cùm ad capitis tegmen, tum ad corporis, multiplex. Inter indumenta corporis, ejusmodi est, quod manicis carens, caputium habet, à collo in humeros rejectum. Sed nec constans hac formâ, nec sexui proprium: frequens in Eccl. Latina. De *Cappa clauda*, V. Constit. Ottonis *Tit. de habitu Cleric.* In choro, *Cappa coralis* adhibetur. *Manicatæ Cappæ* mentio in Decrett. *Greg. lib.* 3. *Tit.* 1. *cap.* 15. Usi etiam sunt *Capâ* ad electum jam Papam insigniendum. Pro veste fœminea, seu cyclade reperitur, apud Matth. Paris. *in Richardo I.* Pro scrinio ad conservandas reliquias, Vid. in *Capella*: & de his omnibus Spelmann. *Glossar.*

Capacia, civitas Lucaniæ, non procul à mari, olim admodum frequens ac opulenta, tituloque ducatus insignis: cæterùm hac ætate propemodum deserta, propter alluviones.

Capæ, urbs Hellesponti. Steph.

Capæus, fluvius in superficie frigidus, infra calidus. Antigonus *in Mirabilibus.*

Capaneus, nobilis Argivus, maritus Evadnes, qui unà cum Polynice ad bellum Thebanum profectus, cùm scalas muris admovere vellet, à Thebanis lapidibus fuit obrutus. Hinc factus est locus fabulæ, *Capaneum cum Deorum contemptor esset, à Jove fulmine esse percussum.* Vegetius *lib.* 4. *De re militari*: *Qui scalis* (inquit) *in obsidione urbium utuntur, frequenter periculum sustinent, exemplo Capanei, à quo primùm scalarum oppugnatio perhibetur inventa, qui tantâ mole lapidum fuit obrutus à Thebanis, ut fulminibus dicatur extinctus.* Ovid. 4. *Trist.*

Cùm cecidit Capaneus subito temerarius ictu.

Hinc *Capaneus*. Stat. 8. *Theb.*

——— *Capaneaq; pinus*
Jam procul Aoniis volet agnoscenda catervis.

Idem *lib.* 12.

——— *Capaneaq; misimus umbris*
Pectora. ——— ———

Item *Capaneius*, Stat. 12. *Theb.*

——— *Ausa ante alias Capaneia conjux.*

Vide etiam Apollod. & Hyginum.

Capanna, nomen plurium locorum in Gallia rusticanorum & vilium; quæ partim *Chabannes*, partim *Chavannes*, nec non *Chevannes* dicuntur. A' voce *Capanna*, quæ apud Isidorum agrestem casam notat, Gall. *Cabanne.*

Capara, Lusitaniæ urbs Ptol. aliàs *Caperá.*

Caparataa, Samariæ vicus Justino, & Eusebio, unde Menandrum quendam Simonis Magi discipulum oriundum tradunt.

Caparcelis, Armeniæ min. op. Ptol.

Caparnaum, fons juxta Genesareth lacum, quem nonnulli Nili fluminis venam opinantur. Jos. *Bell. Jud.* 3. 12.

Caparosa, Judææ urbs. Ptol.

Capasa, Lusitaniæ urbs. Ptol.

Capastite, Asiæ præfectura. Plin. 5. 9.

Capdenacum castrum, Galliæ, vulgò *Cadenac*, situm inter Figiacum, & civ. Rutenorum. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Cape Ptolemæo, Africæ propriæ urbs ad Syrtim min. sita, *Capi* vocat Castaldus, *Tacape* habent hoc loco Latina Ptolemæi exemplaria.

Capedunum, Scordiscorum op. Strabo *lib.* 7. *Capastein* & *Capfenberg* Lazio.

Capella, Poëta. De quo Ovid. *de Ponto lib.* 4. *el.* 16.

Clauderet imparibus verba Capella modis.

Capella, arx Gall. munita, in Picard. & Tirascia tractu, vix 1. leuc. ab Oesia fluv. 4. leuc. ab Avenna in Austr. In Confin. Hannoniæ, erecta ultimo seculo, contra Belgas. *la Chapelle* Gall. Vid. Valesium.

Capella, fortè à Ciceroniano *capsa*, & Pliniano *capsella*, in genere cistam, cistulam, scrinium: in specie illud, ubi Martyrum reliquiæ reponuntur, denotat. Hinc pro ædicula, in qua reliquiæ asservantur, & perinde pro quovis sacello ac Oratorio. Sed capsam à *Capella* distinguere videtur Ekkehardus Jun. qui obiit Anno 996. hanc pro sacra ædicula, illam pro scrinio reliquiarum ponens. *Capella regia*, non à sacris tantùm locus fuit, sed etiam Graphiarium, Secretarium, Chartophylacium & Archivum, quo mandata & responsa regia, Chartæ, Epistolæ, Brevia, à Capellanis regiis condebantur, scribebantur & emittebantur; rescripta & monumenta Regni, sacrâ quasi custodiâ, conservabantur. *Capella* hinc appellatione, continebatur etiam aliquando Cancellaria. Vide Spelmannum *Gloss. Archaol.* & infra in voce *Capellani.*

Capella Antistius, insignis Orator, à M. Aur. Antonino Phil. selectus, ut esset, cum aliis, magister Commodi Imp. Lampridius.

Capella Marcianus Mineus Felix, Afer, uti videtur, scripsit Mercurii & Philologiæ nuptias. Gessit Proconsularem dignitatem, ut ipse de se ultimo suorum voluminum epigrammate testatur. Vide Vossium *de historicis Latin. libr.* 3. *p.* 712.

Capellani, primò dicti sunt, qui capellam reliquiarum curabant, deinde, qui sacellum, ubi eadem sistebatur: & tandem omnes, qui à sacris ministrabant, clerici nempe & sacerdotes. Vid. Walafr. Strabonem, qui floruit. A. C. 700. *de exord. & increm. rerum Eccles. cap. ult.* Honorium *Serm. de S. Martino*, Durandum *Ration. lib.* 2. *cap.* 10. ubi inquit: *Antiquitus Reges Franciæ ad bella procedentes, Capam S. Martini secum portabant, quæ sub eodem tentorio servabatur, quod ab ipsa capa dictum est capella, & clerici ejus custodes* Capellani. Sed vocabula hæc *Capella* & *Capellanus*, nusquam deprehenduntur ævo S. Martini, qui A. circiter 400. obiit, nec in subsequenti: unde fabulam illa narratio sapit. Dicti postea *Capellani* quoque, qui aliàs Scribæ & Notarii, aliàs Secretarii, tandem Cancellarii, i. scriptores, quorum primarius *Archicapellanus* & scribarum princeps appellatus est: hodie summus Cancellarius. Sic Einhardus Caroli M. Imp. Cancellarius, vocatur Archicapellanus in Chr. Schvvartzahensi, i. Princeps Scribarum, ut notat Goldastus *ad cap.* 11. *Ekkehardi Jun.* Sed Hincmarus Capellanum & Cancellarium, diversos facit in aula Franciæ, *epist.* 3. *cap.* 16. Vestigium rei hujus hodieque apud Anglos, ubi præcipua Cancellariæ statio, sc. Archivum ipsum, quo diplomata & regni monumenta (*rotulos* vocant) custodiuntur, in capella habetur, quæ à munere *Capella Rotulorum* appellata est. *Capellani* verò nunc Anglis propriè, qui Magnatibus à sacris sunt. Spelmannus *Gloss. Archaol.* & supra in voce *Capella.*

Capellatium, quod & *Palas*, Alemaniæ regionis nomen. Am. Marcell. hodie *Pfaltz*, quæ, teste Rhenano, *Palatinatus* nominatur. Aliis est *Bergstrasse*, quà itur Francofurto Heydelbergam.

Capellianus, præf. Mauritaniæ, sub Maximino, utrumque Gordianum, Imperatores in Africa proclamatos, & à Senatu approbatos, aggressus vicit, Filio æt. 47. in prælio occiso, Patre ex desperatione ad laqueum redacto, an. 237. Julius Capitolinus, *in Gordiano.* Herodian. *l.* 7.

Capena, Capinna Steph. *Canapina* vulgo, op. Hetruriæ, Nunc castrum status Ronciglionis, in dit. Pontif. 7. mill. circiter à Viterbio & Capraria, Baudrando. Hinc *Capenates* Italiæ

pop.

pop. Clusinis vicini. Plinius 3.5. *Capenus*, nom. gent. Virg. 7. *Æn.*

Et Cimini cum monte lacum, lucosq; Capenos.

Capena, porta urbis Romæ, *Porta di S. Sebastiano.* Ov. *Fast.* 6

Appositum dextra porta Capena via.

Dicta est & *Fontinalis*, à multitudine fontium. Juven. *Sat.* 3.

Substitit ad veteres arcus madidamq; Capenam.

Ibi Capenas fluviolus. Sil. 13.

Et sacer humectat fluvialia rura Capenas.

Dicta etiam est *Triumphalis*, quòd triumphantes per eam in urbem invehi solebant.

Caper, nomen proprium Grammatici.

Caper, fluvius Laodiceam clarissimam Cariæ urbem cum Lyco & Asopo amnibus alluens, Strabo *l.* 12. *Caprus* Plinio dicitur, qui etiam est Asiæ min. fluv.

Capernaum, Vid. *Capharnaum.*

Capersana, locus circa Zeugma Syriæ. Am. Marcell.

Capertini, agri circa Massiliam. Justin.

Caperturi, Commagenæ in Syria urbs. Anton.

Capeterum, castellum circa radices montium prope Theodosiopolim. Cedrenus.

Capeti, arx circa Atzen. Curopalates.

Capetus, Albæ rex, 6. ab Ænea, Capyos fil. Tiberini pater. regn. an. 26. Ab an. M. 3064. Dionys. *ant. Rom.* Ovid. *Met.* 14. Vid. etiam *Hugo Capetus.*

Capeus, Arab. Fel. sinus. Plin.

Capha, urbs Pontica à Turcis expugnata. Vide *Theodosia.*

Caphara, civitas in tribu Benjamin. Josue 18. aliàs *Caphira.*

Capharath, oppidum in Galilæa, non procul, ut videtur, à Jotapata situm, in tribu Zabulon.

Capharbarucha, id est, villa benedictionis, sita in monte: quem ad locum usque Abraham prosecutus est duos angelos euntes Sodomam, ad subvertendas urbes, quæ contra Deum tantopere deliquissent: quo etiam loco benedictionem à recedentibus accepisse videtur. Erat in tribu Juda.

Caphareus, mons altissimus & prom. Eubœæ, *Capo dell' ore*, Hellespontum versus, impetuosus, & formidolosus, propter scopulorum frequentiam & crebros undarum vortices. 20. mill. à Scyro inf. in Austr. 12. à Caristo. 70. à Chalcide in Ort. Hic Nauplius, Eubœæ rex, mortem filii Palamedis Ulyssis dolo interfecti ultus est. Nam cùm Græci Trojâ dirutâ redirent, Nauplius facem in montis vertice posuit, ut locus fidem portûs haberet, quò cùm venissent, multi naufragium fecerunt. Unde Virg. *Æn.* 11.

Euboicæ cautes, ultorq; Caphareus.

Ovid. *Met.* 14.

Quos communis hyems importunusq; Caphareus
Mersit aquis. Et paulo antè,
—— *Cumulumq; Capharea cladis.*

Et *Tristium primo*:

Quicunq; Argolicâ de classe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.

Seneca Tragœdus,

Ubi saxa rapidis clausa vorticibus tegit
Fallax Caphareus. —— ——

Stat. 7. *Theb.*

Non humiles Ægas altumq; Capharea dixi.

Propert. 3. 7.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cùm vasto Græcia tracta salo est.

Idem 1. *lib.* 4. *eleg.*

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia pressa suis.

Bassus *Antholog.* 1.

Οὐλόμεναι νῆσοι Καφαρείδες αἵ ποτε νόστον
Ὠλέσαθ' Ἑλλήνων, καὶ στόλον Ἰλιόθεν.

Pacuvius in Duloreste apud Priscianum, in voce *Pleros*, ait, *Pater Achæos in Caphareis saxis pleros perdidit.* Meritò igitur כיפא רוע *Capha rus*, id est, *contritor scopulus* à Phœnicibus est appellatus. Bochart.

Capharnaum, Græcè *Capernaum*, gloriosum & præclari nominis emporium erat, atque ex decem primariis regionis decapoleos urbibus una, in tribu Nephthalim atque adeo florentissima totius Galilææ metropolis, quæ reliquis pulchritudine, opibus, fastu, luxuque excellebat: sita est ad mare Galilææ super ripam Jordanis fluvii, in finibus Zabulon & Nephthalim, in amœniori & feraciori Galilææ agro, atque ab Oriente quidem Jordanis, ab Austro verò ipsum mare urbis mœnia lambunt. Hæc urbs cùm & commoditate situs, & pulcherrimorum ædificiorum splendore, & civium multitudine, ac opulentia, nobilis imprimis ac illustris esset, Christi tamen Dei filii inhabitatione longè facta est illustrior, in qua multa miracula edidit, & primùm in ea cœpit prædicare Evangelium regni Dei. Hic etiam Matthæus ad Apostolat. vocatus. Nunc prorsus deserta, postquam à Solimanno in cineres redacta est, nisi quòd paucæ ibi Æthiopum familiæ, qui à peregrinis loca sacra quærentibus pecuniam extorquent.

Capharnaum, sive *Capernaum*, fons uberrimus muro circumdatus: in tribu Nephthalim, scaturit è pede montis Christi, ac mox in fluvium excrescit, qui similes coracino Alexandrino generat ac nutrit pisces: dividitur autem hic fluvius in tres rivos, quorum primus inter fontem hunc & urbem Capharnaum medius, mare Galilææ ingreditur, secundus suo aquæductu Bethsaidam civitatem transit: tertius verò terram Genesar irrigat, & tandem à mari Galilææ absorbetur.

Capharnaum, oppidum maritimum prope Cæsaream in tribu Manassè, aliud ab illo cujus in Evangelio fit mentio. Tyr. 10. *bol.* 26.

Capharsalama, urbs 1. Mach. 8.

Capharsorech, nomen torrentis est: sed & usque hodie ad Septentrionalem plagam Eleutheropoleos vicus ostenditur, nomine *Capharsorech*, juxta villam Saraa, unde fuit Samson. Est in tribu Dan.

Caphartobas, Idumææ vicus. Joseph. *B. J. l.* 5. *c.* 4.

Caphas, Libyæ inter. mons. Ptol.

Capherdago, grandis vicus inter Diospolim & Jamniam demonstratur. Est in tribu Dan.

Capheletha, muri Hierosolymitani pars 1. Mach. 12. lege *Caphenatha.*

Capheris, inter desertas insulas, quæ inter Chersonesum, & Samothracem sunt, numeratur. Plin. 4. 12.

Caphira, vide *Caphara.*

Caphrena, op. Plin. 6. 26. *Dicta est in Zeugmate Apamia, ex quâ orientem petentes excipit opidum Caphrena munitum*, &c. ubi tamen aliæ editiones *apprimè munitum* habent, Venetianam dico & Parmensem.

Caphthorim, id est, *sphæra*, sive *poma*, aut *vola* vel *palma turturum* vel *exploratorum*, pop. Gen. 10. De quibus Bochartus *Phaleg. l.* 4. *c.* 31. *per totum.*

Caphyia, urbs Arcadiæ. Steph.

Capidava, Mysiæ infer. urbs ad Danubium. Anton.

Capillati, pop. inter Alpinas gentes. Plin. 3. 20.

Capillati, pars Gothorum inferior, superior enim *Pileati* dicta fuit: hæc à sacris, illa à Rep. Jornandes *de reb. Get. cap.* 11. *Elegit namq; ex illis* (Diceneus ex Gothis) *tunc nobilissimos prudentiores viros, quos Theologiam instruens, numina quædam & sacella venerari suasit, fecitq; sacerdotes, nomen illis* Pileatorum *contradens, ut reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant: reliquam verò gentem* Capillatos *dicere jussit: quod nomen Gothi pro magno suscipientes, adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur.* Petrus Patricius *in Eclog. Legat. Decebalus*, (Dacorum Rex) *Legatos ad Trajanum misit* Pileatos *dictos: hi enim apud illos sunt honoratiores. Prius namq;* Capillatos *miserat, qui apud eos viliores æstimati sunt.* V. & Cassiodor. *lib.* 4. *form.* 49.

Capilli, apud Gothos & Boreales pop. in magna olim veneratione. *In capillis esse*, idem est, ac in virginitate esse, Longob. *l.* 2. *Tit.* 14. *l.* 20. & *l.* 24. Nuptæ ex antiquo more caput tegebant, virgines nudum præbebant, demissis interdum à tergo crinibus. Virgil. *Æn.* 1.

Virginis os habitumq; gerens & virginis arma,
Spartanæ, dederatq; comam diffundere ventis.

Quo ritu antiquissimo hodie multis in locis nubentes utuntur, Principum præsertim filiæ. Feudistis nihil aliud videtur sonare, quàm *in domo patris permanere*: ideoque ad ipsas quoque nuptas trahunt. *Capillum suscipere*, adoptionis symbolum. Sic P. Diac. *de gestis Longob. l.* 6. *c.* 53. *Circa hæc tempora*, inquit, *Carolus, Princeps Francorum, Pipinum fil. ad Luithprandum direxit, ut ejus, juxta morem, capillum susciperet. Qui ejus Cæsariem incidens ejus pater effectus est.* Sic Benedictus II. cum clero & exercitu suscepit mallones capillorum Justiniani & Heraclii filiorum Imperatoris, A. C. 684. Biblioth. *in ejus vita.* Vid. quoque Aimon. *de gestis Franc. lib.* 4. *c.* 57. Leonem Marsic. *in Chr. Casin. l.* 1. *c.* 49. Hinc *Capilli* seu *Comæ detonsione* usi sunt Galliæ Reges, in abnegationem filii, Gregor. Tur. *Hist. l.* 6. *c.* 24. Longobardi item conspiratores tondebant, in notam infamiæ. Servis autem manumissionem notabat: nam pileus libertatis calvo capiti imponendus, Gothofr. Saxones apud Greg. Tur. *Hist. l.* 5. *c.* 15. & P. Diac. *de gestis Longob. l.* 3. *c.* 7. devoverunt se neque barbam, neque *Capillos incisuros*, nisi de hostibus Slavis ultionem sumsissent. Mos Germanis antiquus, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum, Tacit. Hinc veteres Anglos, instar Sacerdotum, rasos apparuisse, legitur. Vid. Spelm. *Gloss. Archæol.* De Capillo Simsonis, in sacris: Comâ Græcorum, Cæsarie Achillis Hom.

Capina, Arab. Fel. insula in Indico mari.

Capionis turris, in Hisp. est ad Bætim fluv. sita in petra, quam circumcirca pelagus alluit. Ea sicut Pharus mirum in modum ad navigantium salutem ædificata est. Strab. 3. Nunc *Chipiona*, castrum in colle, ad ostia Bætis, in ora Oceani. Vix 1. leuc. à Fano Luciferi in ortum. 5. à portu S. Mariæ. Parvi momenti. Baudrandus.

Capis, Colonia Italica. Frontin.

Capisa, Paropanisi op. Ptol. pop. *Capissena.* Plin. 6. 33.

Capistra-

Capistranus Joh. in loco cognomine, prope Aquilam, in Aprutio, natus, parente nobili Andeg. qui Ludovicum Andeg. sub Carolo VI. Galliæ R. Regi Neapolitano, propinquo suo suppetias euntem, comitatus erat. Franciscanus, Generalis Ordinis, Inquisitor, Legatus in Germaniam, ad Hussitas sub jugum Rom. communionis retrahendos, tuba belli sacri, sub Nicol. V. & Calixto III. exercitus contra Turcas individuus comes, qui ab obsidione Belgradi tum repulsi: Obiit in Hungaria, Anno 1456. Scripta ei de auctoritate Papæ & Concilii, de Conjugio, de Excommunicatione tribuuntur. Bellarm. *de Scr. Eccl.* Trithemius, Blondus, Wadingus, Possevinus, &c.

Capitalia, mons Indicorum altissimus. Plin. *6.* 20.

Capitanata, sic dicta, à quo Basilius Imper. certum quendam Capitaneum eò misit, prov. regn. Neap. pars Apuliæ Dauniæ, fertilis admodum & rigua. Ei à Sept. & Or. Mare Adriat. ab Occid. Comitatus Molisinus; à Merid. Principatus Ulter. Basilicata & terra Bariana. Urbes præcipuæ, Manfredonia, Asculum Apulum, Luceria Paganorum, Bovina, & Troja. Merula *Cosmogr.* Leander. *descr. Ital. pag.* 249.

Capitaneus, propriè qui prædia vel dignitatem in capite tenuit, hoc est, ab ipso Rege, Baro Regis vel Regni. Plebi enim terras olim non dividebant Reges, sed vel pagos integros, vel amplas ruris portiones Capitaneis conferebant, qui acceptas itidem suis dispartiebantur clientibus. Communiter *Capitanei* appellantur, qui cœtui præsunt, tanquam caput, tum in re militari, Curopalati κεφαλάδες, tum in Civili & Ecclesiastica: unde Lyra in Matth. *cap.* 17. *vers.* 27. *Quia jam Petrum fecerat Capitaneum super alios Apostolos.* Vid. Henr. Spelmannum *Gloss. Archaol.*

Capitis viridis Insulæ Oceani Atlant. ex adverso Capitis viridis, in Afr. Aliàs *Hesperides* & *Gorgades*. Sunt 10. numero, Nempe præcipua S. Jacobi, Ignium, S. Antonii, S. Vincentii, S. Luciæ, S. Nicol. Boni visus, Salis, Maii & Brava. Sub Lusitanis.

Capitium, Siciliæ urbs, circa Symæthi fontes, vulgari nunc incolis vocabulo *Capizzi* dictum. Id Ptolemæo vocatur Κάπυον. At Romanis fuisse videtur *Capitium*, & inde Opidani *Capitini*, Nam Ciceroni *Verrinâ* 2. memoratur, inter cæteras Siciliæ urbes celebriores, *Capitina civitas*.

Capito. 8. Hierosolymorum episcopus Anno Dom. 165. Item alius, post Julianum II. usque ad annum quintum Commodi, à N. C. 186. Eus. *in Chron.* Item Poëta Alexandrinus, scripsit Commentarios ad Philopappum, *lib.* 7. *&* 8. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. *de Poët. c. ult. de Mathem. cap.* 69. *§.* 19.

Capito, Vid. *Valerius*.

Capito Atejus, Vid. *Atejus Capito*.

Capito Fabricius Wolphgangus, Hagenoâ Alsatiæ oriundus, patre Ordinis Senatorii, Theologus celebris, Reformationis opus, cum Bucero, in partibus Rheni superioribus, egregiè promovit. Cum eodem interfuit colloquio Marpurgensi, Anno 1529. in quo inter Evangelicos in omnibus ferme conventum. *Vir ingenii & judicii præclari, literarum & Scholarum ita amans, ut qui maximè*, Melch. Adami *in Vitis Theol. Germ.* Ejus in Hexaëmeron explicatio doctissima, in Hoseam Comment. in Habbacucum Enarrationes, &c. prodierunt Argentinæ, Anno 1526. 1528. 1539. Obiit ibidem, ex peste, an. 1541. æt. 63.

Capito Fonteius, —— *ad unguem Factus homo*, uti eum in hodœporico vocat Horatius.

Capito Lycius, composuit historiam Isauricam libris 8. Epitomen Eutropii, de Pamphylia, & alia, de quibus vide Voss. *Hist. Græc. lib.* 3. *pag.* 339.

Capito Titinnius, scripsit exitus illustrium virorum. Plinius *lib.* 8. *ep.* 12.

Capitolias, Cavæ Syriæ urbs. Ptol. vix 60. mill. à Damasco, in Austr. *Sueta* P. de Vico.

Capitolinus, Jovis cognomen, quòd templum in monte Capitolino extructum haberet, votum quidem primùm à Tarquinio Demarati filio, extructum deinde à Tarquinio Superbo. Diversus hic à Jove Tonante, quem D. Augustus constituit, quòd liberatus esset periculo, cùm, in expeditione Cantabricâ, per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque aurigam exanimasset. Sueton. *in Aug.*

Capitolinus, cognomen M. Manlii, qui ob tyrannidem affectatam de Saxo Tarpeio dejectus est.

Capitolinus Cajus Jul. Consul Collega Aureliani Augusti, anno ab U. C. 1026. Chr. 274.

Capitolinus Julius historicus, qui de Cæsaribus scripsit; sub Diocletiano, cui vitam Antonini Pii, & Veri dedicavit: sicut Cl. Albini, Macrini, 2. Maximinorum & 3. Gordianorum, Constantino. Maximi verò & Balbini nemini inscripsit. Plurium aliarum auctor, quæ tamen periere. Vide Vossium *de H. Lat. lib.* 1. *cap.* 7. Corn. *Capitolinus*, Auctor libri, Trebellio Pollioni, *in Vita* 30. *tyrann.* laudati, ubi post illum scribit, *in Odenato*, Zenobiam, non solùm virtute & rerum gestarum gloriâ, sed & formâ omnes alias in Oriente præcelluisse. *c.* 14.

Capitolium, prægrandis arx Romæ in monte Saturnio ex prædâ Apiolarum, Latinorum urbis, à Tarquinio Superbo extructa. Plin. 3. 5. Pulsis Regibus anno pòst tertio, M. Horatius Pulvillus eâ magnificentiâ dedicavit, quam immensæ postea Romanæ opes ornarent potius, quàm augerent. Vide Tacitum, *lib. hist.* 3. Virg.

—— *Capitoli immobile saxum.*

Sic dictum *à capite Toli* Vulcentani, teste Arnob. ibi reperto, dum fundamenta templi Jovis, Dionys. Halic. *lib.* 4. foderent. Antea mons Tarpeius vocabatur, à Tarpeiâ Virgine Vestali, quam ibidem Sabini scutis suis obrutam necarunt. Virg. *lib.* 6.

Iste triumphata Capitolia ad alta Corintho.

Et *Capitolia celsa* idem *Æn.* 8. *Fulgens Capitolium.* Horat. 3. 3. Suet. *in Vesp. Ipse institutiones Capitolii aggressus.* Intellige Cap. novi, quod reg. urbis 8. sive reg. Fori Romani. Aliud enim vetus fuit reg. Urb. 6. sive reg. Circi Flaminii. De utroque P. Vict. *in topogr. urb.* & *Notit. Imp.* Varro *L.* 4. Mart. 7. 72. De vetere autem etiam Val. Max. 4. 9. Novi Cap. conditores Tarq. reges Prisc. & Superbus. Dedic. autem Hor. Pulvil. Plin. 3. 5. Tac. *Hist.* 3. Veteris conditor N. Pomp. apud Aurel. Cassiod. *in Chron.* Lloyd. Capitolium in cineres redactum sub Vitellio, à Vespasiano reparatum eo tempore, quo Hierosolymitanum templum in cineres resedit. Rursus cœlitus sub Tito tactum, Domitianus denuo magnificentius extruxit, institutis Agonibus Capitolinis, qui 5. quoque anno celebrarentur. Etiam Aram ibi ab Augusto positam, cum inscriptione, *Ara primogenito Dei*, dicunt: nunc templum extructum in celebri hoc loco, *Ara cœli*, dictum. Morer. Neque tantum Romæ *Capitolium* erat, sed & in aliis urbibus, uti observat doctissimus Lilius Gyraldus, *de Diis Gentilibus. Syntag.* 2. V. gr. Narbone. Sidon. Apoll. *Carm.* 23.

Salve Narbo nobilis
Delubris, Capitoliis, monetis.

Itemque Capuæ. Sil. Ital. *l.* 10. *de Annibale eam ingresso*,

—— *Monstrant Capitolia celsa.*

Capiton latro, qui cùm aliquandiu latrociniis vacasset, pertæsus vitæ, in solitudinem se contulit, ubi annis 50. duravit in quodam specu.

Capitulum, Italiæ urbs prope Bovillas, & Calatias. Cluverio oppidul. versus Fucinum lac. ubi nunc forsan vicus *Luco*.

Capituria, Thraciæ op. Procopius.

Capleia, vicus pagi Ternodorensis, vino inclytus: Nunc *Chablie*, aut *Chablis*. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Capnias, Poëta Gr. Suid. Ejus scripta in fumum abierunt. Voss. *de Poët. Gr. pag.* 87.

Capnio, vide *Reuchlinus*.

Capnobatæ, pop. qui *Mysi* dicuntur. Strabo *lib.* 7. Scribit autem Posidonius, Mysos religioni indulgentes ab animantibus abstinere, & eam ob causam pecus omne vitare, melle verò & lacte, & caseo vesci. Quumque tranquillam exigerent vitam, ob Deorum culturam, Deicolæ & Capnobatæ, id est, *fumi conscensores* nominantur.

Caportes, Marmaricæ locus. Anton.

Capotana, Asiæ urbs. Ptol.

Capotes, Asiæ mons, ex quo Euphratem oriri Lucinius Mutianus antiquissimus rerum scriptor credidit. Plinius *libro* 5. *capite* 24. &c.

Cappadocia, Asiæ regio ampla mari Euxino exposita, inter Galatiam ad occid. & Armeniam min. ad ortum contenta, introrsus in austrum usque ad Ciliciæ fines Tauro monte dividente extensa, Plin. *lib.* 6. *cap.* 8. Strab. *lib.* 12. Hujus præses, Cl. Herminianus, acris Christianorum hostis, tandem à vermibus corrosus, dedit operam omnem, ne illi id rescirent: *Nemo sciat*, ajens, *ne gaudeant Christiani.* Anno 210. Docuit ibi Firmilianus, Anno 255. Occupata est à Solimanno Turc. Imp. Alimbego, per Bassam Ferat, occiso, A. C. 1537. unà cum Galatia & Armenia, P. Jovius, Thuan. *in Hist. &c.* In ea urbes olim celebres Trapezus, Comana Pontica, & Comana Cappadociæ, deinde Amasea, Cæsarea, Tyana, & Sebaste ac Satala. Nunc clarent Amasea, ex quâ nomen regionis ad occid. quæ *Amasia* nominatur, Trapezus & Nicopolis, ex qua regio ad ortum *Genech* dicitur & Neocæsarea, in medio, ex qua reg. *Toccato* vocatur. Ferrar. In 4. prov. hodie dividitur, *Genech, Suas, Anadole & Amasia*, juxta Morerium.

Urbes Cappadociæ, quæ adhuc durant, cum aliquot Armeniæ min. sunt hæ:

* Amasea.	Laranda.
Archalla.	Mazaca, postea Cæsarea.
Baratha.	* Melitene.
Cæsarea. V. Mazaca	Mocasus.
Comana Ponti.	* Neocæsarea.
Cerasus.	Nazianzum.
Cybistra.	Nyssa.
Derbe.	Pharnacea.
Diocæsarea.	Pityusa.
* Iconium.	Polemonium.

Rhizus & Rhizæum.	* Sebastopolis.
Sasima.	Trapezus.
Sebaste.	Tyana.

Pop. *Cappadoces.* Duobus olim insignes fuere. Primò Equis. Dionys. Perieg. *Vers.* 973.

—— Ἐπ' ἠπείροιο βαθείης
Καππαδόκαι ναίουσι δαήμονες ἱπποσυνάων.

Solinus, ubi de *Cappadociâ, Terra illa ante alias altrix equorum, & proventui equino accommodatissima est.* Solinum secutus Isidorus, *Terra ejus ante alias nutrix equorum.*

Oppianus *Cyneg. lib.* 1. *Vers.* 197. de equis Cappadocicis:

Καππαδόκαι τε κλυτοί, Ταύρῳ προπάροιθε νέμονται.

Item, Κραιπνότεροι δὲ πέλουσιν ὅσῳ μάλα γηράσκουσι.

Secundò Mulis. Hom. *Catalogo,*

Ἐξ Ἐνετῶν ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.

Id est, ex Amiso Cappadociæ urbe, ad Pontum celeberrima, ut veteres interpretantur. Unde colligit Constantinus Porphyrogenneta. *Them.* 7. Τὸ τῶν ἡμιόνων γένος ἐκεῖθεν πρῶτον ἐκφῦναι. Et Plut. περὶ φιλοπλουτίας, in divitum jumentis censentur, ἡμίονοι Γαλατικαί, quia inter Galatas, & Cappadocas medii sunt Heneti. De iisdem ita Plin. 8. 44. *Theophrastus vulgò parere mulas in Cappadociâ tradit, sed esse id animal sui generis.* Et Strabo *lib.* 11. Cappadociam scribit, Persis conferre quotannis, tributi nomine, ἵππους χιλίους, καὶ πεντακισχιλίους, ἡμιόνους δὲ δισχιλίους. Mancipiis etiam notabiles fuere. Cicero *in Oratione, post reditum in Senatu, Cappadocem modò abreptum de grege venalium diceres.* Horat. *lib.* 1. *ep.* 6.

Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum Rex.

Pers. *Sat.* 6.

—— Ne sit præstantior alter
Cappadoces rigidâ pingues pavisse catastâ.

Mart. 10. 76.

Nec de Cappadocis eques catastis. V. & Claud. *de equo Hon.*

Nempe Cappadocum ingenia tam erant servilia, ut, cùm illis Romani permisissent vivere suis legibus, libertatem deprecati sint, οὐ γὰρ δύνασθαι φέρειν αὐτὴν ἔφησαν. Hæc de suis civibus refert, Strabo ipse Cappadox, *lib.* 16. Historia regionis hujus paucis ista est. Ariarates, unus ex priscis Cappadociæ Regibus. Cujus Successorum plures P. R. amici. Ariobarzanes sæpe à Mithridate pulsus, à Pompeio restitutus est. Quo mortuo Archelaus, favente Antonio, regno admotus est, cujus filia Glaphira Alexandro, Herodis M. filio nupsit. Postea in provinciam Cappadocia à Rom. redacta est, & per Proconsules administrata. Isaacus Comnenus, Constantinopoli profugus Anno 1204. ibi Imperii Trapezuntini sedem constituit, à Trapezonte Metrop. dicti, mansitque usque ad Davidem Calo-Johannem, à Mahomete 2. an. 1461. captum: Qui in Græciam abductus, cum regia prole, ibi necatus est. Volaterr. & Genebr. *Chron.* Nicetas, P. Jovius, *histor.*

Cappadox, amnis in Cappadociâ. Plin.

Cappagum, Hisp. Bæticæ oppidum conventus Gaditani, Plinius 3. 1.

Cappellianus, Mauritaniæ procurator, exercitum adversus Gordianum duxit, eum vicit; cecidit Gordiani filius. Herodian. *lib.* 7.

Cappidus, Parochus Staverensis, in Frisia, sub Conrado & Henrico Auc. Genealogias Principum, Ducum & Regum Frisiæ composuit, Ecclesiast. itidem hujus historiam, aliaque, quæ incendio fortuito perierunt. Voss. *de hist. Lat. l.* 2. *c.* 39.

Capra, meretrix quædam apud Suidam, ob voracitatem dicta.

Capra, signum Cœleste. Hæc, ut poetis placet, Amaltheæ capra fuit; cujus lacte educatus est Jupiter, quare postea rerum potitus inter astra eam collocavit. Græcis αἲξ Ὠλενίη, Aratus, *in Phænomenis*:

Ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται.

Capram dictam volunt Ὠλενίαν, quòd apud urbem Bœotiæ *Olenum* nutrita, ut est apud Strab. *lib.* 8. vel quòd in *ulnas Aurigæ*, sive Oleni Vulcano prognati filiæ excepta fuerit. Cur autem in cœlum relata sit, explicat Cæsar Germanicus Aratæa vertens,

———— Illa putatur
Nutrix esse Jovis, si verè Jupiter infans
Ubera Cretææ mulsit fidissima Capræ,
Sidere quæ claro gratum testatur Alumnum.

Et Ovid. 5. *Fast.*

———— Primâ mihi nocte videnda,
Stella est in cunas officiosa Jovis.
Nascitur Olenia sidus pluviale Capella,
Illa dati cœlum præmia lactis habet.

Horat. vocat *insana Capræ sidera*, quia noctes frigidas inducere solet: eoque ortu suo vitibus nocere legas apud Pausan. *in Corinthiacis.* Vide Cæsium *Cœl. Astron. p.* 127. &c.

Capræ, aliàs *Caprile*, Vicus agri Florentini, in confin. Duc. Urbini, ad fontes Armenii flu. prope Apenninum. 5. mill. ab ortu Tiberis in Ortum.

Capræ mons, villa olim Regia in Tungrorum finibus diœcesive Leodicensi, vulgò *Chieuremont*, aliàs *Kevermont.* Munita egregiè, regnante Ottone I. sed castellum hoc seu oppidum funditus sustulit Notegarius Episc. Leod. A. C. 980. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Capranica, opp. Ital. aliàs amplum in dit. Pontif. in prov. patrimonii D. Petri, vix 2. mill. à Sutrio, Vetrallam versus, & 3. à Roncilione. Deficit in dies.

Capraria, insf. montuosa, cum castro, contra Piratas, culta, in mari Ligustico, capris abundans, quam Græci *Ægilon* dicunt. Plin. 3. 6. Solin. *cap.* 9. Aliis *Caprasia*, Varro *R. R.* 2. 3. *Capræ, quas alimus, à capris feris sunt ortæ, à queis propter Italiam Caprasia insula est nominata. Capraia* vulgò, sub Genuensibus, quibus ibi præsidium. De eâ Rutilius *lib.* 1.

Processu pelagi jam se Capraria tollit.

Capraria, Ins. parva maris Adriat. una ex Tremitanis, quæ aliàs *Diomedææ* dictæ. Oblonga est atque deserta, versùs oram Apuliæ & montis Gargani. Pendet ex regno Neapolitano.

Capraria, altera ins. maris Iberici, sive Balearici, vulgò *Cabrera*. Majoricæ adjacet in Austr. parvi circuitus.

Capraria, item una ex insulis Fortunatis, *Casperia* Ptol. *Forteventura*, teste Nigro, à Canariâ 10. leuc. distita. Baudrando *Palma* est. Circuitus 25. leuc. cum urbe *Palma*. Vide *Canariæ.*

Capraria, castrum pagi Biterrensis, vulgò *Cabriere*, non procul à Fonticulis & Piscenis, 4. leucis & dim. ab urbe Biterris. Vid. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Caprarienses, pop. & montes Mauritaniæ. Ammianus Marcellinus.

Caprarola, palatium superbiss. Parmæ D. in prov. Patrim. D. Petri. Opus est Vignoli Architecti, extructum ab Alexandro Card. Farnes. 26. mill. à Roma Viterbum versus; In tractu *Stato di Ronciglione* dicto.

Capras, locus in Tusciâ, ubi Totilas interemptus est. Procop. *lib.* 3. Hodiè *Caprese* vocari scribit Leander.

Caprasa, Calabriæ op. Anton. hodie *Tarsia* Barrio. Principatus tit. clarum: medium ferme inter sinum Tarentinum, & mare Tirrhenum, in tractu valde riguo. 18. mill. à Rosciano in Occas. 15. à Cassano in Austr.

Caprasia, vulgò *Porto di Magna Vacca*, vicus est Duc. Ferrariensis, cum castro & portu, in ora maris Adriat. ubi stagnum Comaclium in mare se exonerat 14. mill. à civ. Comaclo, 10. ab ostiis Padi. Baudr.

Caprasia, Padi flu. ostium. Plin. 3. 16.

Capreæ, insula regni Neap. ultra Surrentum Campaniæ urbem circiter 8. m. p. nobilis coturnicum incredibili multitudine, quæ ex Italiâ volantes illic bis in anno capiuntur. Ovid. *Met.* 15.

Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ.

Ptolemæo autem singul. num. Καπρεία, Reliquis Græcis Καπρέαι, & Καπρέα. Hodieque vulgò *Capri.* De situ Dio *lib.* 52. Κεῖται δ' οὐ πόρρω τῆς κατὰ Σύρρεντον ἠπείρου. Χρηστὸν μὲν οὐδὲν, ὄνομα δὲ νῦν ἔτι διὰ τὴν Τιβερίου συνοίκησιν ἔχουσα. Contra sanè tradit Statius 3. *Sylv. carm.* 1.

—— Dites Capreæ, viridesque resultant Taurubulæ.

Sueton. *in Tib. cap.* 40. *Peragratâ Campaniâ, Capreas se contulit, præcipuè delectatus insulâ, quòd uno parvoque litore adiretur, undique præruptis immensæ altitudinis rupibus, & profundo maris.* Plin. 3. 6. *A Surrento* 8. *millibus passuum distantes Tiberii Principis arce nobiles Capreæ circuitu* 40. *millia passuum.* Vel potius secessu ejus infames. Vide Suetonium, Juvenal. *Sat.* 10.

——— Tutor haberi
Principis, angustâ Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo.

Pharus etiam fuit in hâc insulâ. Suet. *in Tib. cap.* 74. *Et ante paucos, quàm obiret, dies, turris Phari terræ motu Capreis concidit.* Instauratam rursus fuisse apparet ex Statio *Sylv.* 3. *Carm.* 5.

Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Æmula noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Teleboas autem Capreas insulam habitasse testatur Virgilius *Æneid.* 7.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis
Oebale, quem generasse Telon Sebetide nymphâ
Fertur, Teleboum Capreas cùm regna teneret
Jam senior. Hinc Telonis insula, Silio, *l.* 8.
Non Prochyte, non ardentem sortita Typhœa
Inarime, non antiqui saxosa Telonis —— Insula. Est in mari Tirrheno, 3. mill. à Minervæ prom. 24. à Neapoli cum Civ. parva. Baudr.

Capreæ palus, ad quam Romulus evanuit. Plut. & Cicero. Ovid. 2. *Fast.*

Est locus, antiqui Capreæ dixere paludem,
Fortè tuis illic Romule jura dabas.

Caprenas, Vid. *Secundus Caprinas.*

Capreolus, Ep. Carthag. ob Africam à Vandalis miserè afflictam, Concilio Ephesino interesse cùm non posset, misit illuc Diaconum Besulam, cum literis, quibus absentiam excusavit. Act. Concil. Eph. *tom.* 2. *c.* 9. Alterius ejus epistolæ de Incarnatione meminit Baron. *ad an.* 431.

Capreo-

Capreolus Elias, JC. insignis, Brixiâ oriundus. Scripsit historiam patriam 14. libb. Anno 1599. Leand. *descr. Ital.*

Capreolus Joh. Dominicanus, obscuro circa Tolosam loco, Thomæ Aq. acris defensor. Scripsit 4. libr. Com. in Magistrum Sentent. Sec. 15. Disputationis ejus cum Tostato, in Concilio Basil. meminit Spond. *Annal. an.* 1443. *n.* 10.

Caprera Bern. Siciliæ M. judex, post mortem Martini, Regni & Blancæ viduæ desiderio flagrans, magnorum malorum causa fuit. Fazell. *l.* 2. *descr.* 9. *c.* 8. Surita, *l.* 11.

Capreta, Asiæ pop. inter Ciliciam, Cappadociam, Cataloniam, & Armeniam, ubi fuit postea condita Apamia à Seleuco rege. Plin. 5. 30.

Capriæ lacus, in Pamphyliâ. Strab. 14.

Caprianus, mons Siciliæ circa Heracleam. Diodor. *in Fragm.*

Capricornus, Decimum Zodiaci signum, quod Sol ingrediens Solstitium facit hybernum. Hunc *Pana* fuisse nonnulli existimant, qui in Ægypto, repentino adventu Typhonis Gigantis, perterritus, posteriorem sui partem in piscis caudam, priorem in formam hirci commutavit: cujus ingenium admirans Jupiter figuram hanc dicitur in cœlum transtulisse. Horat. 2. *Carm.* 7.

—— Seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ.

Propert. 4. 1.

Lotus & Hesperia quid Capricornus aqua.

Manilius *lib.* 4.

Tu Capricorne regis, quicquid sub sole cadente
Expositum. —— ——

Vide de hoc sidere prolixè agentem Cæsium *Cœl. Astron. p.* 89. Natus hoc sidere, Augustus, nummos complures ex argento, auro & ære ejus notâ percussit, Car. Patinus in Suet. *August. cap.* 49. Idem sidus natale habuisse, Cosmum Medicæum, Magnorum Florentiæ D. primum, refert Thuanus.

Caprificialis, dies Vulcano sacer fuit, quo Attici æstivi mellis vindemias auspicabantur. Plin. 11. 15.

Caprilia, appellatur ager, qui vulgò *ad Capra paludes* dici solet, Festo auctore.

Caprima, Cariæ reg. op. Diod. *l.* 19.

Caprina Turris, arx Gall. & Inf. parva in ora provinciæ, prope Maritimam, media ferme inter Massiliam & ostium Rhodani; *La Tour de Bouc.*

Caprius, vir, cujus meminit Horat. 1. *Serm. Sat.* 4.

Non ego sum Capri neq; Sulci. —— & rursum,
—— Sulcius acer
Ambulat, & Caprius malè rauci, cumq; tabellis.

Caprotinam Junonem, & Nonas Julias *Caprotinas* veteres dixere, quòd Romæ nonis Caprotinis sub Caprifico sacra fierent. Nam post urbem captam, cùm sedatus esse Gallicus tumultus, exhaustâ Rep. finitimi opportunitatem invadendi Romani imperii nacti, præfecerunt sibi Postliminium Livium Fidenatum Dictatorem, qui fœciali ad Senatum misso postulavit, ut si vellent reliquias suæ urbis non deleri, matres familiâs & virgines omnes sibi dederentur. Et cùm Patrum hâc de re esset anceps deliberatio: ancilla nomine Philotis, assumptis cæteris omnibus ancillis, matrum familias, virginumque habitu assumpto, nomine Dominarum ad hostes transiit, persequentibus cæteris ad rei fidem. Quæ cùm à Livio in castris distributæ essent, hostes plurimo vino provocarunt, diem festum apud se esse simulantes: quibus somno obrutis ex Caprifico signo dato hostes trucidati sunt. Itaque memor Pop. Rom. accepti ab ancillis beneficii, omnes jussit manumitti, dotemque iis ex publico assignavit; diemque ipsam *Nonas Caprotinas* appellavit; & sacra annua Junoni Caprotinæ sub Caprifico instituit, adhibito lacte ad rei memoriam.

Caprulæ, urbec. ins. proximæ littori Fori Julii, in mari Hadriat. 40. mill. à Venetia in Cæciam, 4. ab ostio Romati fluv. Ægrè inhabitatur, propter aëris graveolentiam; *Caborle* vulg.

Caprullum, portus prope montem Atho. Pompon. 2.

Caprus, portus in Chersoneso Athi montis, & ejusdem nom. ins. Strabo: *Epitome.* Item, fluv. Asiæ in Mæandrum cum Lyco influens.

Capsa, Libyæ inter. urbs. Ratio nominis non est obscura (ait vir magnus) Ebræis enim קפץ *Caphas* est *συσφίγγειν comprimere* & *constringere.* Hinc meritò *Capsa* dicitur, quam undiquaque premebant vastissimæ solitudines. Florus, *Capsam in media Africâ sitam, anguibus, arenisq; vallatam.* Sallustius de Capsensibus, *Muniti adversus hostes, non mœnibus modò & armis, atq; viris, verùm etiam multo magis locorum asperitate.*

Capsa, urbs Chalcidicæ regionis juxta Pellenen, Thermæ Sinui vicina. Steph.

Capsaga, Syriæ urbs, Curt. *lib.* 10. Vetustiores Editiones legunt *Tapsagas.* Ortelius *Thapsacum* Ptolomæi esse putat.

Capsitani, pop. Zeugitanæ regionis, quæ *Africa minor* dicitur. Plin. 5. 4.

Capsum, op. à Narsetâ per deditionem captum an. 561. Agathias, *lib.* 2.

Capsus sinus maris Mediterr. in ora regni Tunetani, olim *Syrtis minor.* In eum influit Capsus, sicque dicitur ab urbe Capsa adjacente.

Capua, totius olim Campaniæ urbs præstantissima, quam Vulturnus amnis interfluit. Diodorus eam M. Genutio Agrippâ, & Curtio Chilone Coss. conditam tradit; ab Oscis. Livius à *Capy* Samnitum duce dictam existimat. Alii à Falcone, sub cujus augurio condita est, qui priscâ Tuscorum linguâ *Capys* dicebatur. Virg. à *Capy*, Æneæ commilitone, qui eam condidit, dictam mavult: *Æn.* 10.

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbis.

Cujus sententiæ subscribit Suetonius *in Julio Cæsare.* Strabo inde dictam existimat, quòd esset 12. Campaniæ urbium caput. Hoc certè constat, Campaniæ urbium potentissimam fuisse, & Punici belli tempore Romanæ u bis æmulam, agri autem bonitate nulli terrarum posthabendam. Virg. 2. *Georg.*

Talem dives arat Capua.

Strabo *lib.* 5. Καπύη μητρόπολις, κεφαλὴ τῷ ὄντι κατὰ τὴν ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος, dictam siquidem vult à *Capite.* Subdit, Τὰ γὰρ ἄλλα πολίχνια νομίζοι τ' ἂν κατὰ σύγκρισιν, πλὴν Τεάνυ Σιδικινῦ. Florus 1. 16. *Urbes ad mare Cumæ, Puteoli*, &c. & *ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemq; numerata.* Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 4. *pag.* 1174. Cicero luxûs infamiâ Capuam notans, *luxuriæ & superbiæ domicilium esse ait:* in orat. *de lege Agrariâ contra Rullum*, item in Orat. *post Red. in Sen.* Livius *lib.* 2. *Prona semper civitas in luxuriam.* Hujus Annibal, post pugnam Cannensem, delitiis fractus est, quo factum, ut Capua à Romanis, aliàs destruenda, conservaretur. Postmodum Coloniâ factâ, à Genserico Vandalorum R. vastata, à Narsete verò, Justiniani duce, reparata est. Capta à Ludovico II. Imp. & Saracenis erepta Anno 866. qui illam rursus expugnarunt, an. 884. iterum à Longobardis destructa, qui etiam novæ Capuæ fundamenta jecisse videntur. Quæ Archiepisc. ab an. 968. Capuani Principes Johannem XIV. Pontif. qui à Romanis imperium affectantibus pulsus fuerat, reduxerunt, Anno 966. Anno dein 1167. Guilielmus fil. Mali rex Siciliæ, Dux Apuliæ & Calabriæ, ac Princeps Capuæ ab Hadriano Pontif. confirmatus est, Dionys. Halic. Cato, Sempronius, Appian Al. Tacitus, Sueton. Silius Ital. Leander *descr. Ital. pag.* 164. *& seqq.* Hic Concilium Anno 389. 1087. 1118. quo Henr. V. excommunicatus, &c. Baron. *in Annal.*

Capua, urbs regni Neap. in Campania fel. cum arce munita. Olim *Casilinum.* Eò translata est Capua, à Laudone Comite, & Episc. Dandulfo, loco Capuæ vet. à qua distat 2. mill. in Bor. cùm antea sæpe ædificata in monte Pisisco, semper deflagrasset. Sensim deficit.

Capuciati dicti, quidam ex Wiclefi discipulis, in Angliâ, quòd velato capite ad Sacramenti participationem accederent. Spond. A. C. 1387. *n.* 9.

Capucini, à miro, quod gestant, cucullo sic dicti: Ordo religiosorum Francisc. in communione Rom. ab Anno 1525. Cujus Auctor vel saltem Generalis Bernardinus Ochinus etiam fuit. In ditione M. Ducis Florentini ortus, inde se in orbem effudit. Luc. Vadingus, Zach. Boverius *Ann. Cap.* Spond. A. C. 1525.

Capudaba, locus maritimus in Byzantio Africæ. Procopius.

Caput, pro Rege, unde *tenere in capite*, est tenere de Rege, omnium terrarum capite. Etiam superior dominus feodi, infra Regem, Capitaneus & *Caput* dicitur. *Caput jejunii* dies Mercurii auctoribus vocatur. *Esse in capite* idem est, quod præfectus, capitalis, primarius. Isidor. Orig. *lib.* 9. *c.* 3. ubi Quinquagenarii dicti, qui sunt in capite 50. militum. *In Capite tenere*, licèt non à Rege, nobilitatis olim indicium fuit. Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Caput Aqueum, *Capaccio*, urbs Principatus citer. in regno Neap. 3. mill. ab ora littorali. 3. mill. à Pesto, urbe excisa.

Caput Cervium, vulgò *Sacerge*, locus Gall. seu pagus in Biturigibus, proximus Bruciæ *Brosse*, & municipio Salis vel Salensi castro, monasterioque *S. Benoist du Sau.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Caput Cillanum, Maurit. Cæsar. locus. Anton.

Caput Etruriæ, locus maritimus Etruriæ in confinio Liguriæ. Anton.

Caput Istriæ, urbs Italiæ, aliàs *Ægida*, in Istria reg. Venetorum, in ora sinus Hadriatici, quondam *Justinopolis* etiam: Quod vide.

Caput Padi. Ptol. Fortè *Cadagoro*, vicus agri Ferrar. juxta ramum Padi Volanæ dictum, inter Arianum & Comaclum.

Caput Stagni, castrum Galliæ, ad caput stagni in Atacem influentis, non procul Columbariis & Casulis *Casoux*: vulgò *Capestang*, aliàs *Capestain.* Ejus meminit Petrus Monachus *cap.* 27. *Hist. Albigensium*, qui ibi quoque dira passi, sec. 13.

Caput Tyrsi, Sardiniæ locus. Anton. Fortè fons Tyrsi fluminis.

Promontoria.

Caput Acuum, vulgò *Cap des Aiguilles*, in Africa meridionali. Vide *Acuum Caput.*

Caput Album, vulgò *Capo Bianco* Hispanis, promontorium Africæ alias, Solventia extrema dictum à quibusdam, excurrit in Oceanum Atlanticum, in ora Nigritiæ regionis, & in regno Gualatæ, ubi Arquinum oppidum, inter oram Zaaræ & fluv. Senegam.

Caput Aniwa, vulgò *Cap Aniwa*, promontorium est Asiæ, in Tartaria & in regione *Tupi* dicta, 350. mill. pass. à parte Boreali Iaponiæ, & totidem à Terra Esonis in Occasum. A Batavis detectum fuit.

Caput Arenarum, vulgò *Cap de Sable*, promontorium Americæ septentrionalis, in Nova Francia & prov. Acadia in Austrum tendens, prope sinum Gallicum & Portum Regium.

Caput Aromatum, vulgò *Cabo de Guadafui*, in Africa. Vide *Aromata promontorium.*

Caput Bicayum, vulgò, *Cabo Bicayo*, promontorium Asiæ, in Mindanoa insula, una ex Philippinis in austrum & orientem maximè tendens.

Caput bonæ Spei, vulgò *Cap de bonne Esperance* Gallis, *Cabo de buena Sperança* Hispanis, promontorium est celeberrimum in parte australiori Africæ, in Cafreria regione, primùm detectum à Vasco Gama Lusitano anno 1498. & ita procellosum & nautis formidabile, ut idcirco tunc dictum fuerit Caput procellarum; sed ab Emanuele Lusitaniæ Rege nomen ei fuit mutatum, & dictum Caput bonæ Spei; quia eo detecto, faciliùs sperant nautæ in Indiam pervenire. In Austrum maximè tendit juxta Oceanum Æthiopicum.

Caput Bonum, vulgò *Cap Bon* Gallis, *Capo Buono* Italis, promontorium est Africæ, in regno Tunetano, in mare Mediterraneum valde protensum è regione Siciliæ. 70. milliaribus à Tuneto distat in Boream, & 45. à Pantalarea insula. Aliàs Mercurii promontorium dictum fuit.

Caput Boreale, vulgò *Noort Caep* Hollandis, *Nortkin* incolis, promontorium est Nortvegiæ, in Boream maximè tendens, in septentr. parte Lapponiæ, antiquitus dictum Rubeæ promontorium. Vide ibi.

Caput Boreale, vulgò *Cap de Nort* Gallis, *Cabo Race* Hispanis, promontorium est Americæ meridionalis, in Guayana regione, prope ostium fluvii Amazonum Septentrionem versùs, in mare Boreale excurrens.

Caput Britannicum, seu & Britonum, vulgò *Cap Breton*, promontorium & insula est Americæ septentrionalis, in ora Novæ Franciæ, inter Accadiam & insulam Terræ Novæ, in sinu S. Laurentii.

Caput Candenoum, vulgò *Cap Candenos*, promontorium est Moscoviæ, in parte Boreali insulæ Candenoæ, in Septentrion. Oceanum seu Petzoricum mare excurrens, prope mare Album, è regione Lapponiæ regionis.

Caput Cantinum, vulgò *Cabo Cantin*, promontorium Africæ, in ora Oceani Atlantici & in regno Marochi, prope Azafiam & ostium Tensisti fluvii, in provincia Duccala.

Caput Comorinum, vulgò *Cabo Comorin*, promontorium est Asiæ, in parte australi peninsulæ Indiæ cis Gangem, in regione Malabarica. In Oceanum Indicum se extendit versùs Maldivas insulas.

Caput Corsum, vulgò *Cabo Corso*, promontorium est Africæ, in Guinea, cum arce probè munita, prope oppidum S. Georgii de Mina, & ab eo aliquot tantùm leucis distat in Ortum. Pluries capta fuit arx hisce ultimis temporibus à Danis, Suecis, Anglis, atque Batavis.

Caput Crucis, vulgò *Cap de la Croix*, promontorium est Asiæ, in terra Esonis, prope fretum *Uriez*, & ex adverso insulæ Terræ Statuum dictæ, nuper à Batavis detectum & denominatum.

Caput Currentium, vulgò *Cabo das Corrientes*, promontorium Africæ, in ora Cafreriæ, aliàs Prassum dictum. In Oceanum Æthiopicum excurrit ex adverso insulæ Madagascariæ.

Caput Farwelum, vulgò *Cap Farwel*, Gallis *Cap d'Adieu*, promontorium est Americæ septentrionalis, in parte Australi Gronlandiæ regionis, ex adverso Estotilandiæ & Terræ Laboradoris.

Caput Finis terræ, vulgò, *Cabo de Finisterra*, in Hispania. Vide *Artabrum promontorium.*

Caput Floridæ, vulgò *Cabo de Florida*, promontorium Americæ septentrionalis, in parte australi Floridæ regionis & in Tegesta provincia, in sinum Mexicanum valde protensum è regione Cubæ insulæ, à qua distat 28 leucis Hispanicis.

Caput Formosum, vulgò *Cabo Formoso*, promontorium Africæ, in ora Guineæ & regni Benini, 70. circiter leucis Hispanicis à Benino in austrum distans, & 50. ab insula Ferdinandi Pai in occasum, inter sinum Benini & sinum S. Thomæ.

Caput Henricum, vulgò *Cap Henry*, promontorium Americæ septentrionalis, in ora Virginiæ regionis, ad fauces sinus Chesapeaci, ab Anglis illius tractus incolis sic dictum in gratiam Henrici filii primogeniti Regis Jacobi.

Caput Hornanum, vulgò *Cap de Hoorn*, promontorium Americæ meridionalis, in Magellanica regione & in Terra Ignium, maximè in austrum porrectum versùs mare Magellanicum. A Jacobo le Maire Batavo Hornano detectum fuit anno 1616. & ab ipso sic denominatum. A quibusdam verò Hispanis dictum fuit Caput S. Salvatoris.

Caput Lupi Gundisalvi, vulgò *Cabo di Lopo Gonsalves*, promontorium Africæ, in ora Oceani Æthiopici, inter sinum S. Thomæ & oram Congi.

Caput Mendocinum, vulgò *Cabo Mendocino*, promontorium Americæ septentrionalis, in Boreali parte Insulæ Californiæ, juxta mare Pacificum.

Caput montis Leænæ, vulgò *Cabo de Sierra Liona*, promont. Africæ, aliter Caput Tagrinum, aliàs Hespericornu dictum, Sansone teste, in ora occidentali Guineæ, juxta amnem cognominem, & in confinio Nigritiæ regionis.

Caput Nigrum, vulgò *Cabo Negro*, promuntorium Africæ, in ora occidentali Cafrorum, in regno Molemba. 140. circiter leucis Hispanicis distat ab urbe Loanda in austrum.

Caput Non seu Naonis, vulgò *Cabo de Non*, promontorium Africæ, in ora Oceani Atlantici, & in prov. *Sus* regni Marochi, sic dictum antea, quòd esset ultima meta navigantium, ultra quam progredi posse non credebant.

Caput Palmarum, vulgò *Cabo dos Palmas*, promontorium Africæ, in Guinea, ubi desinit ora Malaghettæ, & incipit ora littoralis Guineæ propriæ, in austrum porrectum.

Caput S. Antonii, vulgò *Cabo de S. Antonio*, promontorium Americæ meridionalis, ad ostia fluvii Argentei, versùs austrum, in Provincia Plata seu Argentea, in mare Magellanicum excurrit.

Caput S. Antonii vulgò *Cabo de S. Antonio*, promontorium Americæ septentrionalis, in Cuba insula versùs occasum insulæ, 55. leucis Hispanicis circiter distans à Lucatania provincia in Boream.

Caput S. Augustini, vulgò *Cabo de S. Agostino*, promontorium Americæ meridionalis, in Brasilia, cum valida arce, in Præfectura Pernambuci. 6. leucis Germanicis distat ab Olinda in austrum. Aliàs capta fuit ab Hollandis, sed postea recepta à Lusitanis hisce posterioribus annis.

Caput S. Crucis, vulgò *Cabo de santa Cruz*, promontorium Americæ septentrionalis, in Cuba insula versùs austrum, è regione Iamaicæ insulæ, à qua 20 leucis Hispanicis circiter distat.

Caput S. Lucæ, vulgò *Cabo de S. Lucas*, promontorium Americæ septentrionalis, in parte meridionali Californiæ insulæ, vix 50. leucis Hispanicis distans à nova Hispania.

Caput S. Sebastiani, vulgò *Cabo de S. Sebastian*, promontorium Africæ, in parte septentrionali Madagascariæ insulæ, in mari Æthiopico.

Caput S. Vincentii, vulgò *Cabo de S. Vincente*, promontorium Hispaniæ, in Portugallia. Vide *Sacrum promontorium.*

Caput Spartellum, vulgò *Cabo Spartel*, promontorium Africæ, in Mauritania Tingitana, ad fretum Herculeum. Vide *Cotes promontorium.*

Caput trium furcarum, vulgò *Cabo de tres forcas*, promontorium Africæ & regni Fezzæ in ora littorali maris Mediterranei, è regione Alborani insulæ, in provincia Gareta.

Caput Victoriæ, vulgò *Cabo de la Vittoria*, promontorium Americæ meridionalis, prope ostium freti Magellanici, in mare Pacificum, versùs Boream, à Magellane dictum & detectum.

Caput Virginum, vulgò *Cabo de las Vergines*, promontorium Americæ meridionalis, ad ostium orientale freti Magellanici, versùs mare Paraguaium, sic dictum à Magellane, quia ab eo primùm detectum fuit die festo S. Ursulæ.

Caput Viride, vulgò *le Cap Verd*, Gallis, *Cabo Verde* Hispanis, promontorium est Africæ, in Nigritia regione, inter ostia fluvii Senegæ. In Oceanum Atlanticum maximè excurrit. Aliàs Arsinarium dictum fuit. Vide ibi.

Capys, filius Assaraci, Anchisæ pater, Ovid. *Fast.*

—— Tros est generatus ab illo,
Assaracum creat hic, Assaracusq; Capyn.

Capys, qui cum Ænea in Italiam venit, Capuam condidit. Virg. 10.

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbis.

Capys Sylvius, Rex Albanorum, 7. ab Ænea, & Capeti pater. regn. 28. an. Dion. Halic. Eus.

Capytium, Siciliæ urbs. Ptol.

Carabactra, locus circa Bactra sive Indiam. Curt. *l.* 9. Ubi Ortel. legit *circa Bactra.*

Carabi, Scythiæ flu. Plin. 6. 17. Alii legunt *Cambari.*

Carabia, Mygdonidis in Macedoniâ op. Ptol.

Carabis, Hisp. urbs. Appian.

Caraca seu *Caracca*, urbs parva Castellæ novæ, *Guadalaxara*, juxta amnem *Henares*. In Algarria regiunc. 5. leuc. Hisp. à Compluto in Ort. Vid. *Caracca.*

Caracalla M. Aurel. Anton. Bassianus, Imp. post patrem Severum, Lugduni natus. Romam reversus Medicos, quòd parentis mortem non accelerassent, mori jussit, fratrem Getam, in matris sinu, occidit, Papinianum parricidium excusare nolentem sustulit, aliosque ad 20000. peremit. Viduam Patris Juliam uxorem duxit, in O.

Orientem transiens Alexandriam occisorum sanguine replevit, Magis atque Astrologis in consilium adhibitis, vanus Alexandri Magni imitator. Hinc Edessâ Carras in Mesopot. profecturus à quodam Centurione, Macrini, qui ei deinde successit, jussu peremptus est, cùm equo descendisset, naturâ, imo fato, urgente. Anno 217. Imper. 6. æt. 29. vel 43. juxta Spartianum. Caracalla dictus est, à certo vestimenti genere, quod è Gallia allatum Romæ in usu volebat esse. Et quia aliquot Germ. populos devicerat, Germanici cognomen sumsit, Parthici & Arabici etiam additurus. Unde Helvius Pertinax dicere solitus, etiam Geticum appellandum, alludendo ad Getam fratrem. Spartian. Aur. Victores, Dion, Herodian. *in ejus Vita.*

Caracates, Germ. pop. Vangionibus Tribocisque finitimi. Tacit.

Caracca, Hisp. Tarracon. opp. in Carpetanis. Ptol. Oppidanos Plut. in Sertorio *Characinatos* appellat.

Caracciolus, Galeacius, ex illustriss. Caracciolorum, in regno Neap. familia, Vici Marchio, purioris religionis acerrimus & constantissimus assertor. Obiit A.C. 1586. æt. 69. mens. 4. Genevæ.

Caraceni, Italiæ pop. Ptol.

Caracotinum, Gall. Lugdun. locus Anton. *Le Crotoy* Cluver. opp. Picardiæ, ad Somonæ fluv. ostia *Gravinum* aliàs. Aliis *Portus Gratiæ* videtur, in Caletensi tractu.

Caractacus, Scotiæ R. post Metellanum, A. C. 27. regnavit feliciter an. 20. Buchan *hist. Scot.*

Caractacus, Silurum Britannorum Regulus à P. Ostorio Proprætore victus, quum fidem Cartismanduæ reginæ Brigantum petivisset, vinctus ab illâ, & victoribus traditus est. Sed cùm generosè Claudium Cæsarem allocutus esset, Cæsar veniam ei, conjugique & fratribus tribuit. Tacit. *Annal.* 12. Dio Καταράκτον nominat, alii *Catacratum*: Zonaras *Caratacum*. *Caradocum* vocasse videntur Britanni. Certè etiam hodie locus est & in eo parietinæ arcis, quem *Caer Caradoc* vocant: id est, oppidum sive arcem Caradoci.

Cara, ita dicti vici, ubi Alexander Magnus ex Susis movens ac Tigrim transgressus castrametatus est. Diod. *lib.* 17. *fol.* 620. & 621. Servius, ad illud *Æneid.* 8.

> *Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonas*
> *Finxerat.*

Caræ, inquit, Insulani pop. fuerunt piraticâ famosi, victi à Minoë.

Cara, munitus locus, de quo Polyæn. *l.* 4. *in Philippa.*

Caradocus, è Wallia Anglus sub Stephano R. A. 115 . Tractatum de successione diversorum Angliæ regulorum edidit, alium de situ terræ. Voss. *de hist. Lat. l.* 2. *cap.* 51. Vide *Cardocus.*

Caras, Arab. Fel. pop. Ptol.

Caraus, Jupiter à Bæotiis nuncupabatur, quòd altus ac celsus sit, παρὰ τὸ κάρα, καραιὸς, id est, à capite *Caraus*. Dicebatur etiam *Carius* à Caria regione, ut refert Herodotus *lib.* 1. qui ait ejus delubrum vetustissimum fuisse, quo communiter & Lydi utebantur, ut qui inter se germani haberentur & fratres.

Caraffa Carolus, Neap. Cardinalis, Pauli IV. ex fratre Alphonso, nepos, omnium sub hoc rerum arbiter, dein cum reliquis agnatis, pulsus. A Pio postmodum II. illis in vincula conjectis & ad mortem condemnatis, Carolus in carcere strangulatus est. Anno 1560. *Caraffa* Olivier, Card. navium Pontif. contra Turcas præfectus, A. 1472. Item Joh. Petrus Card. Theatinorum auctor. Vide *Paulus IV.*

Caraga, Africæ propriæ opp. Ptol.

Caralia, Lybiæ urbs. Steph.

Caralis, Sardiniæ primaria civitas. Strabo de Sardiniâ, *lib.* 5. Πόλεις δ' εἰσὶ μὲν πλείους, ἀξιόλογοι δὲ Κάραλις, καὶ Σουλχοί. Pomp. *l.* 2. *c.* 7. *Sardiniæ urbium antiquissimæ Caralis & Sulchi.* Pausanias *in Phocicis*, Ὤκισαν δ' ἐν αὐτῇ νήσῳ καὶ αὐτοὶ πόλεις οἱ Καρχηδόνιοι Κάραλίν τε καὶ Σοῦλχους. Claud. *de Bello Gildonico*,

> *Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti*
> *Tenditur in longam Caralis tenuemque per undam*
> *Obvia dimittit fracturum flamina collem.*

Unde Phœnicibus קררין *Cararin*, vel קרירא *Carira*, *à refrigeratione* dicta, propter collem illi vicinum, quo ab austro defenditur. Bochartus. Hujus urbis Episcopus Lucifer, cum Eusebio Vercellensi, sub Juliano Ap. Thebas relegatus, in reditu Antiochiam deflexit, ibique schismate scissâ Ecclesiâ, cùm alii Euzojum Arrianum, alii Meletium Orthodoxum sequerentur, non expectato hujus reditu, Paulinum Episcopum creavit: quod cùm Eusebius ægrè ferret, Lucifer, ejus actis Alexandriæ improbatis, ab aliis se segregavit: hinc secta *Luciferianorum* orta, circa A.C. 362. Ab urbe hac promuntorium *Caralitanum* nomen accepit.

Carallis, & *Carallia*, Isauriæ urbs. Steph.

Caramania, an à Caramano quodam Turca, qui inde Armenios expulit, Leuncl. *pand. c.* 13. regn. Asiæ min. juxta mare Mediterr. ex adverso Cypri inf. Aliàs *Cilicia*. Vid. ibi. Cluverio *l.* 5. Pamphyliam, cum parte Ciliciæ, complectitur.

Carambice, insula eadem cum Nova Zembla, quasi nova terra, creditur. Vide *Nova Zembla.*

Carambice, fluv. Sarmatiæ amplissimus, Europam ab Asia dividens. *Oby*, Cluverio. Oritur in Tartaria deserta, & rigatis aliquot Moscoviæ ditionibus, in Ocean. Sarmaticum seu Chronium, se exonerat, in Samojeda reg. Ad ejus ostia est *Litarmis* prom. nunc *Cap d'Oby.*

Carambis, Paphlagoniæ, seu Galatiæ promuntorium magnum ad Septentrionem porrectum. Mela I. 19. *Quorum* (Paphlagonum sc.) *in littoribus penè mediis promuntorium est Carambis.* Val. Flac. *lib.* 4.

> *Quid tibi nubiferâ surgentem rupe Carambim?*

Idem *lib.* 5.

> *Jamque reducebat noctem polus; alta Carambis*
> *Raditur, & magna pelago tremit umbra Sinopes.*

Idem *lib.* 7.

> —— *Jam nubiferam transire Carambim*
> *Significans.* ——

Plin. *de gruibus*, *Illas certum est*, inquit, *Pontum transvolaturas, primum omnium angustias petere inter duo promuntoria, Criu-metopon, & Carambin.* Quæ non nisi 170. m. p intervallo distant, ut idem asserit, *lib.* 4. *cap.* 12. Alii quidem aliter statuunt, nempe tridui navigatione, vel quod ferè idem est, bis mille quingentis stadiis ab invicem distare, duo hæc promuntoria. Dionys. *Vers.* 155.

> Ἄιτ' ἄμφω ξυνίασιν ἐναντίαι, οὐ μὲν ἔχουσαι
> Ἐγγύθεν, ἀλλ' ὅσον ὁλκὰς ἐπὶ τρίτον ἦμαρ ἀνύσσῃ.

Et Amm. *lib.* 22. *Haud procul inde attollitur Carambis*, &c. *cujus è regione Criumetopon Taurica promuntorium duobus millibus & quingentis stadiis disparatum.* Strabo etiam *lib.* 2. Τὸ μὲν οὖν τῆς Εὐρώπης ἀκρωτήριον καλεῖται Κριοῦ μέτωπον, τὸ δὲ τῆς Ἀσίας Κάραμβις, διέχοντα ἀλλήλων περὶ δισχιλίους σταδίους καὶ πεντακοσίους. Quæ tamen sunt falsissima, & palam refelluntur ipsius Strab. verbis, *lib.* 7. Διέστηκε δ' ἡ Κάραμβις τῆς μὲν τῶν Χερσονησιτῶν πόλεως σταδίους δισχιλίους καὶ πεντακοσίους, τοῦ δὲ Κριοῦ μετώπου πολὺ ἐλάττους τοῦ ἀριθμοῦ. Rectè omnino. Nam aliud *Chersonesus* urbs, aliud *Chersonesus* regio, in qua urbs illa sita. Et urbs quidem, quæ est in Boreali Chersonesi parte à *Carambi* verè distat 2500. stadiis. Sed in oppositâ parte *Chersonesi* Criu-metopon est multo propius. Tamen hæc promiscuè sumta sunt, & quod de urbe *Chersoneso* nonnulli scripserant, illam à *Carambi* distare stadiis 2500. ita sumptum est, quasi de totâ *Chersoneso* dictum, atque illius parte maximè australi, nempe *Criu-metopo*. Sed hujus commenti vanitas ex eo maximè apparet, quod ibidem à Strabone additur: Σύχνοι γοῦν τῶν διαπλευσάντων τὸν πορθμὸν ἅμα φασὶν ἀμφοτέρας ἰδεῖν τὰς ἄκρας ἑκατέρωθεν. In medio scilicet spatio constituti; quod non fieret, si fretum pateret 2500. stadiis. Imbecillior est enim humani oculi acies, quàm ut ad totidem stadia possit penetrare. Bochartus.

Carambucis, Scythiæ fluv. ad montes Riphæos. Plinius *l.* 6. *c.* 13. Vide *Carambice.*

Carambyce, gens Hyperboreorum à *Carambyco* fluv. Steph.

Carana, Ponti opp. à quo *Catanensis* regio. Strab. 12.

Caranitis, præfectura Armeniæ majoris. Plin. 25. 4.

Caranna, πόλις γαλατίας. Stephanus.

Carannicum, Hispaniæ opp. inter Bracaram & Asturicam. Anton.

Caranthonus, fluv. Gall. *la Charente*, oritur in confin. Lemovic. & Encolism prov. in vico Caronaco *Cheronnac*, fonte modico, dein per Pictav. Comit. labitur, & rigatis post Giviacum opp. & Vertoilum, Inculisma, Castello Novo, Bassiaco, Ajarniaco, Conniaco, ad ipsius, & duorum amnium confluentes, Mediolano Santonum, Talleburgo, Tauniaco ad Carantonum *Tonnai Charante*, Rupe forte, in Ocean. Aquitan. se exonerat, ad Solbisiam & portum Lupini, ex adverso Vliari insul. 2. leuc. à Broagio. Recipit præter cæteros fluvios, Tarduceram, Tolveram *Touvre*, supra Encolismam, magni amnis nominis, sed brevissimi cursus, Notram *Noëre* & Vultonnam *la Boutonne*, qui Secundiniacum, Cisacum, Inulam, Avallem, Verventum, Angericum, Tauniacum ad Vultonam, & Vallem alluens, apud locum nomine Portum *Port*, in Carantonum effluit. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.* Antonius de illo,

> *Assiduo resluus non ipse Carantonus æstu.*

Carantonus, olim *Carantomagus*, locus Galliæ, ubi hodieque monasterium Virginum Benedictini Ord. ad flumen Milmandram, *la Marmande*, quod in Carem defluit. Vulgò *Charenton*. Item locus in Aquitania prima, inter Dibonam Cadurcorum ac Segodunum Rutenorum, in tab. Peutingeriana memoratus. Valesius *Not. Gall.*

Caranus, primus Macedonum rex, septimus ab Hercule, reg. an. 28. vel 30. Cum Græcorum multitudine, caprarum gregem sequens, Edessam, quam Ægeam vocavit, expulso Midâ, cepit, regnique Macedonici fundamenta jecit. Justin. *l.* 7. *c.* 1. A.M. 3240. Vellej. Paterc. *l.* 1. Marmor. Arundel. Ab hoc usque ad Alex. numerantur vulgò 23. Reges, è quibus Amyntas, cum 4. filiis Regibus, illustres, quorum minimus natu Philippus, prima Monarchiæ Gr. fundamenta locavit. Duravit regnum hoc Macedonicum, usque ad Alex. M. mortem, an. 490. & usque ad Persei, ultimi R. interitum, 646.

Caranus, unus ex Ducibus sive Prætoribus Alexandri Magni, qui

qui cum aliis missus est, ad compescendum Satibarzanem, in Arios. Curt. 7.16.

Caranus, Aradiorum portus in Phoenicia. Strabo *lib.* 16.

Carape, Armeniæ min. urbs. Ptol.

Cararos, Africæ propriæ opp. Ptol.

Caras, vir qui Caribus imperavit, illisque primus ex avibus auspicium dedit. Alex. ab Alex. *lib.* 5. *cap.* 13.

Carasa, Aquitaniæ civitas in Pyrenæis. Anton.

Carasoni, Tauricæ reg. pop. Plin. 4. 12.

Carastasei, pop. circa Mæotim. Plin. 6. 71.

Carasyra, Thraciæ opp. Procop.

Carata, Sacarum gens. Ptol. in Norico quoque populi, ut vult Lazius.

Caravacca, oppidul. regn. Murciæ, intra montes, prope Seguram amnem, versus confinia Castellæ novæ.

Caravaggius, Pictor nobilis, Italus.

Caravagium, opp. lautum Duc. Mediol. in confinio agri Bergomensis, notum Dominis suis & victoriâ Francisci Sfortiæ contra Venetos. Aliis est *Carraca*, quod Vid.

Caravia, Hisp. urbs, circa Cæsar-Augustam. Anton.

Caravigiolus Bernardinus, Cardin. de S. Cruce, Hisp. Alexandro VI. & Pio III. charus, sub Julio II. se Pisam offensus recepit, Maximil. Imper. Ludov. XII. aliorumque Principum, Papæ infestorum, partes amplexus, Concilii Pisani caput, an. 1511. Sub Adriano VI. & Clem. VII. rursus magnis rebus adhibitus, obiit, an. 1522. æt. 77. Marian. *hist. Hisp.*

Carausius, Menapius, Belgicæ Procurator, in Britannia jussu Diocletiani & Maximini Gallos coërciturus, imperium arripuit; cui illud post 7. annos Allectus, cum vita, eripuit, quo mox per Asclepiodorum oppresso, recepta Britannia. An. 293. A. Victor, *in Diocl.* Eutrop. *l.* 9.

Carax, Strab. *Caruci*, pag. Corsicæ, apud Marianam urbem, sub se plures seu vicos seu villas continens, sub Episcop. Marianensi.

Caraxus, frater Sapphûs, & amasius Pyramidis meretricis. Perottus.

Carba, vel *Carbas*, ventus Africus dicitur à Vitruvio, *l.* 1. *c.* 6. Nautæ *Carbinum* vocant, Narbonicè *Garbin.*

Carbaca, Paropanisi urbs. Ptol.

Carbam, Armeniæ opp. Cedren.

Carbana, urbs Lyciæ, Steph.

Carbanda, vel *Carbaganda*, frater Cassani, Tartarorum R. huic successit, an. 1304. Matre Christianâ natus, dum illa viveret, Christianus, baptismate etiam tinctus, Nicolai nomine sumto, postmodum Mahometanus, Christianis in Oriente plurimum nocuit. Hayton. Sanut. &c.

Carbania, parva insula Italiæ adjacens. Mela *lib.* 2. Plinio est *Barpana*, ut jam aliis rectè observatum, quorum opinio hâc in parte verior est, quàm Cluverii, qui *Columbariam* hîc pro *Carboniâ* substituit. If. Vossius.

Carbanis, loci nomen. Steph.

Carbantorigum, opp. fuit Selgovarum, nunc castrum tantùm, Camdeno *Caerlaverock* in Nidisdaliâ reg. Scotiæ Merid. in ora Oceani Hibern. prope itunam æstuar. & ostium Nidæ fluv. 3. mill. à Dunfreja. Antea munitum, nunc aggeres disjecti.

Carbi, Arabiæ fel. pop. Diodor. *lib.* 3.

Carbia, Sardiniæ urbs. Anton.

Carbilesi, Thraciæ pop. Plin. 4. 11.

Carbilius Ruga, primus Romanorum, A. 523. U. C. sub M. Atilio & P. Valerio Coss. uxorem repudiavit ob sterilitatem, præstito juramento antè, se uxorem liberorum causâ quærere, Author Gellius. *l.* 4. *c.* 3. Vide *Carvilius*.

Sp. Carbilius, ejus libertus, primus ludum Grammaticæ Romæ aperuit, mercede docens. Plutarchus *in Problematis.*

Carbina, Japygum urbs. Athen. 12. 7.

C. Carbo, Triumvir, cum Graccho & Flacco, de divisione agrorum, contendit.

Carbo, Romæ orator, frustra conatus Romani p. statum moresque corrigere, sibi ipsi necem conscivit. De hoc multa *in Bruto*, Tullius.

Carbo, eloquentissimi viri Carbonis fil. Orator non satis acutus, sed tamen orator numeratus: Erat in verbis gravitas, & facilè dicebat, & authoritatem quandam naturalem habebat Oratio. Cicero. Hunc postremò ab exercitu suo interfectum fuisse, quem bellis civilibus collapsum adstringere, & ad disciplinam reducere cupiebat, refert Valer. Max.

Cn. Carbo, hujus frater, summâ fuit in Rep. authoritate, partes Marianas secutus. In tertio Consulatu suo in Siciliâ jussu Pompeji, dum ventrem apud latrinam exoneraret, trucidatus est. Valerius Max.

Carbonaria, Padi fluv. ostium. Plin. *l.* 3. *c.* 15. *Le fornaci* teste Leandro. Baudrando *Porto di Goro*, unum ex 2. præcipuis Padi ostiis, à vicina Turri sic dictus. Ejus alveus *Po di Ariano*, ab opp. cognom. Vix 8. milliar. in austr. ab alio ostio Padi, nunc *Porto Vecio*. 20. mill. ab Hadria in Ort. 25. à Fossa Clodia in Austr.

Carbonarius saltus, vel *Carbonaria Sylva* apud Trithemium, Greg. Turonensem, & Sigebertum, à veteribus *Hercynia Sylva* dicitur. Gall. *La forest Noire.* Baudrando pars fuit Arduennæ sylvæ, in Hannonia, inter fluv. Sabim, Scaldim & Haynam, atque inter Binchium & Quercetum, cujus vestigia in sylva de *Mormaux* dicta manent. Valesio *Carbonaria sylva*, seu *Saltus Carbonarius*, à carbonibus, qui in ea fieri hodieque consueverunt, appellationem traxit: *la Forest Charboniere.* Hæc Arduennæ silvæ pars est, inter Mosam & Scaldim amnes in Nerviis ac finitimis pagis. Gotefridus Wendelinus, vir doctus, in Legibus Salicis illustratis, silvam Carbonariam in Hainoo Brachantoque ponit, atque eam ab ultimo Hainoo ad Lovanium & Diestam flumenque Tameram pertinere: ejus silvæ partes esse Mormaliam, *bois de Mormal*; Cerasiam, *bois de Cirau*; Soniacam, *bois de Soigne*; Levacam, *Die Leu*, à Lovanio ad portas Diestenses pertingentem: quem totum tractum vocari *Hagelanden*, vel *Hageland*, hoc est, regionem silvestrem & arboroiam. *Laubiense Monasterium* in silva Carbonaria esse situm, auctore Fulcuino; esse & Cœnobium S. Foillani in silva Soniaca parte Carbonariæ non longè à Niviala: ut literæ Nicolai Camarac. Episcopi anno 1137. datæ docent: *Mormaliam Carbonariæ partem* à Dintero vocari. *Carbonariæ* mentionem facit Sulpicius Alexander, *in historia apud Gregorium*: quum *multos Francorum*, qui Rhenum transierant, *a Romanis apud Carbonariam ferro peremtos* tradit. Et *in Gestis Regum Francorum* Chlodio Rheno transito, *Carbonariam silvam ingressus*, Tornacensem urbem obtinuisse dicitur. Ex quo intelligitur, inter Rhenum & Scaldim fluvios Carbonariam silvam fuisse. In eisdem *Gestis*, *Franci Carbonariam silvam transeuntes, usq; Mosam fluvium terras illas vastantes succenderunt.* Quæ videntur confirmare opinionem inter Mosam & Scaldim Carbonariam silvam ponentium; ut & Nithardi *in libro* 2. verba hæc. *Per idem tempus cùm Lodharius à Lodhuvico reverteretur, & omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Mosâ trajectâ tatum duxit, ut Sequanam usq; procederet.* In Chronico Monasterii S. Arnulfi, quod Andreas Chesnius Annales Mettenses appellare maluit, hæc silva Neustriam ab Austria dividere dicitur his verbis: Anno 690. *adunato exercitu Pippinus ad Carbonariam silvam pervenit: qui terminus utraq; Regna dividit. Tunc invocato unanimiter Dei auxilio Carbonariam silvam transeunt, & ad interiores Regni illius partes intrepidi perveniunt, haud proculq; ab oppido Veromandorum juxta villam Textricium castra posuerunt.* Ex his apparet Carbonariam silvam usque ad Isaram & Summam ferè pertinuisse. Certè & *Karolus ab Aquitania Carisiacum venisse, & a Carbonariis & infrà ad se venientes benignè suscepisse* dicitur à Nithardo *in libro* 2. Est autem Carisiacum ad Isaram flumen non procul ab urbe Veromanduorum Noviomago. *Notit. Gall.*

Carbones, Sarmatiæ Europ. pop. Ptol.

Carbrusa, insula deserta juxta Thraciæ Chersonesum. Plinius.

Carbulo, oppidum Hispan. Bæticæ prope Cordubam. Plinius *lib.* 3. *cap.* 3.

Carca, Bastitanorum in Hispan. urbs. Ptol.

Carcaa, urbs in tribu Judæ. Jos. 10. 15. Latinè *pavimentum*, sive *frigiditatem dissolvens.*

Carcanossta, reg. in Insul. Madagascariæ, versùs oram Austr. fertilis, rigua & culta. Ibi & aliquot coloniæ & munitiones Gallorum à paucis annis.

Carcantia, Ital. opp. circa Insubriam. Anton.

Carcanum, opp. apud Italos Longobardicos, genus à Saxonibus, qui *Carcannum*, pro carcere & ergastulo dixere, ducentes. Spelmannus *in Glossario Archæol.*

Carcaranna, fluv. Amer. merid. in Paraguaja. Oritur versùs Andes montes & in fluv. Argenteum se exonerat.

Carcarum, locus circa Mediam. Curopalates.

Carcassum, *Carcaso* Ptol. *Carcassio* Procop. *Carcassum Volcarum* & *Tectosagum* aliis, urbs triplex Gall. Narbon. lanificio clara, hodie *Carcassone.* Ad Atacem fluv. Episc. sub Archiep. & Parlamento Tholosano. Cum forti castro, ubi acta vetustissima, corticibus arborum pannoque inscripta, à Visigothis, ut creditur, qui ibi tanquam in loco munitissimo gazam regiam servare assueverant, Româ allata asservabantur. Vide de illa Plin. *lib.* 8. *cap.* 4. Greg. Tur. *lib.* 8. Procop. *hist. Goth.* Post Visigothos, ad Saracenos, dein demum, ad Gallos pervenit, post victum in campo Vogladensi, Alaricum à Chlodovæo, qui ibi pretiosissimam Salomonis supellectilem, urbe præfatâ avectam, obtinuisse legitur, anno 508. Bernardus Comes Tholos. hujus urbis comitatum muneri accepit, à Carolo Calvo, an. 871. Rogerius ibi comes, anno 887. cujus successores plurimum ei adjunxerunt: usque ad Rogerium, Albigensium strenuum defensorem, qui à Simone Montfortii Comite, Duce copiarum contra innocentes hos, A. C. 1209. captus, (cùm cæteri utriusque sexus, nudi per exercitum transire cogerentur, partibus etiam iis, quæ honestè nominari non possunt, Sanctorum illorum cruciatorum oculis expositis, verba sunt Riveti, ex Girardo du Haillan) bonisque exutus est. Neque diu hostis tantâ prædâ est fruitus, Almaricus enim Simonis filius, æmulis impar, jus suum in Ludovicum VIII. R. an. 1222. transtulit, Connestabilis factus, Catel. *hist. Langued.* de Marca, *hist.*

hist. Bearn. l. 8. SanMarth. *tom.*2. *Gall. Christ. p.*475. Sedes Episcopatus, cum Elena, non nisi post Gothos devictos facta est, quæ proin inter Episcopatus sub Narbonensi Arch. ultimo loco ponuntur. Ex quo autem ambæ Episcopales evasere, usque ad Pipini principatum, non Synodis in Gallia, sed Conciliis in Hispania Toleti habitis alibique earum Episcopi interfuere, Septimaniâ & Gothiâ Gothis tum primò, dein Saracenis in Hispania regnantibus subjectâ. Caput est pagi cognominis, vulgò *le Carcassez*, incolis, reliquis *Carcassonois*. Valesius.

Carcassonensis Diœceseos loca.

Aquæ vivæ, *Aigues Vives.*	Mons laureus, *Montlaur.*
Balneola, *Bannoles.*	Mons olivus, *Montolieu.*
Canis suspensus, *Canpendu.*	Mons Regalis, *Montreal.*
Carcasso.	Pratella, *Pradelles.*
Castanetum.	Rivi, *Rieux.*
Confluentes, *Coffolens.*	Rufiacum, *Rofiac.*
Crassa, *la Grasse.*	Villare, *le Villar.*
Mons clarus, *Montclar.*	Villa sicca, *Villesecque.* &c.

Carcathiocerta, Armeniæ maj. urbs, Tigri proxima. Plin.6.11. Sophenes regia. Strabo.

Carcer, castellum Galliæ, in finibus & diœcesi Cenomanorum, vulgò *la Chartre*. Vid. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Carcha, Assyriæ urbs, haud procul à Nineve. Masius.

Carchabesa, urbs ad Euphratem. Josephus.

Carchedon, Græcis dicitur *Carthago*, unde Pœnulus Plautina Comœdia *Carchedonius* dicitur. Dionysius *Vers.* 195.

Τοῖς δ' ἐπὶ Καρχηδὼν πολυήρατ☉ ἀμπέχει ὅρμον,
Καρχηδὼν, Λιβύων μὲν, ἀτὰρ πρότερον Φοινίκων,
Καρχηδὼν, ἣν μῦθος ὑπαὶ βοὶ μετρηθῆναι. Vide *Carthago.*

Carchesia, ins. una Cycladum, aliàs *Amorgus*. Steph.

Carchi, Mediæ gens. Polyb. *lib.* 5.

Carcicium, urbs circa Armeniam. Curopal. *Carcinium*, Cedreno.

Carcina, civitas Mediterranea, à quâ *sinus Carcinites.*

Carcinites, sinus Scythiæ Europ. Plinius *l.*4. *c.*12. & Mela *lib.* 2. Medius inter ostia Borysthenis, & Bosphorum Cimmer. in Scythia Eur. Olim *Tamyraces.* Ei adjacet Carcine urbs, juxta ostia Gerrhi & Carcinites seu Hippaciris. Quid nunc sit incertum. Sunt qui credant, nunc dici *Golfo di Moscovia*. Sed reg. adjacens in ejus ora littor. majori ex parte est deserta atque inculta. Est & *Carcinites*(aliàs *Carcinitus*) fluvius oppidum præterfluens. Ptolemæus Item urbs Scythica. Steph.

Carcinum, Magnæ Græciæ promuntorium, Italiæ longissimum. Plinius. Est etiam urbs circa Petiliam. Pomp.

Carcinus Agrigentinus, Poëta Tragicus, floruit paulo ante Philippum Macedonem, docuit fabulas 98. cum Æschine, apud Dionysium vixit. De hoc extat Proverbium, *Carcini poëmata*, de his qui obscurè, & *instar ænigmatum scribunt. Fuit alius Carcinus*, Atheniensis, poëta Tragicus, Olymp. 100. Vide Suidam, Athen. *l.*8. Voss. *de Poët. Gr. c.*7.

Carcinus, Tragicus Poëta, cujus filii fuerunt Xenocles, Xenetimus & Demotimus, quem ob præsumptionem victoriæ deriderri ab Aristoph. adnotant Scholia.

Carcinus, Signum cœleste, quod Latini *Cancrum* vocant. Lucan. *lib.* 9.

Par Geminis Chiron, & idem quod Carcinus ardens
Humidus Ægoceros. ———

Carcome, Maurit. Cæsar. opp. Ptol.

Carcoviaca, urbec. Scotiæ, Orcadum præcipua, in Mainlandia Ins. cum arce & portu capaci. Scotiæ R. ab aliquot seculis pignoris jure, frustra reclamante Daniæ R. qui illas insulas sibi vindicat. 20. circ. mill. Angl. à Tarvedro promunt. Borealiori Scot. in Septentr.

Carcuvium, urbs fuit Hisp. inter Emeritam & Cæsar-augustam. Anton. Quid nunc sit, ignoratur.

Cardaces, Asiæ min. populi, Polybius & Arrian. Hesychius, Κάρδακες οἱ στρατευόμενοι βάρβαροι ὑπὸ Περσῶν καὶ εἰς Ἀσίαν οὕτω καλοῦσι τοὺς στρατιώτας, ἀπὸ ἔθνους ἢ τόπου. Strab. *lib.*15. Καλοῦνται δὲ οὗτοι Κάρδακες ἀπὸ κλοπείας τρεφόμενοι. Κάρδα γὰρ τὸ ἀνδρῶδες καὶ πολεμικὸν λέγεται. Vide Eust. *in Iliad.*β.

Cardacus, vel *Caradocus*, Historicus Gallus, sub Faraberto, Francorum Duce, de quo Genebr, *in Sother. & Eleutherio.*

Cardalena, Arab. Fel. regio. Plin.

Cardamine, insula sinûs Arabici. Plin.

Cardamus, Bulgarorum R. Constantio Porphyrogennetæ, tributum sibi, à Græcis Impp. pendi solitum, in majus aucturus, ab illo Bulgariam ingresso miserè exceptus est. *Hist. miscell.*

Cardamyla, urbs in Argo, Pylo propinqua, & sub dominio Agamemnonis. Hom. *Iliad.* 9. Herodotus Laconicam esse scribit, *lib.* 8. Καὶ Ἀσίνη ἡ πρὸς Καρδαμύλῃ τῇ Λακωνικῇ. Ptol. inter urbes mediterr. eam ponit, *lib.* 3. Strabo in saxo sitam dicit, *l.*8. Εἶτ' ἐπὶ πέτρας ἐρυμνῆς ἵδρυται Καρδαμύλη. Hesychius simpliciter Καρδαμύλη, πόλις. Videtur & alia esse prope Chium. Stephan. Baudrando opp. Peloponnesi, in Laconia, trans Eurotam fluv. prope Messeniacum sinum, 8. mill. à Leuctris in Bor.

Cardamylessus, vicus quidam. Steph.

Cardanus Hieron. Medicus & Astrologus Mediol. Scripsit in 4. libros Ptolom. *de Astrolog. Judic.* de restitutione temp. Aphorismos Astronomicos, de subtilitate &c. quæ 10. voluminibus comprehensa. Ipse etiam vitæ suæ scriptor: Dubiorum natalium, ut ipse memorat. Jul. Cæs. Scaligerum adversarium expertus est. Arcanorum imprimis naturæ peritissimus. Obiit Romæ anno 1576. æt. 75. fame spontaneâ enectus, ut annum diemque propriæ mortis à se prædictum attingeret. Thuan. *histor. libr.* 62. Genebr. *Chron.* Blancanus, *de Mathem sec.* 16. Voss. *de Math. cap.* 10. §. 10. *cap.* 41. §. 5. *cap.* 49. §. 18. *cap.* 65. §. 30. *de Theol. Gent. l.*3. *c.* 80. *&c.*

Cardava, Arab. Fel. urbs. Plin.

Cardea, vide *Cardinea.*

Cardesus, urbs Scythiæ. Steph.

Cardia, urbs in Thraciâ Chersoneso, à cordis similitudine vocata. Solinus *Cardia à Melane sinu, hac ex facie loci nomine accepto.* Plinius 4. 11. Hujus sæpe meminit Demosthenes in oratione contra Aristocratem. Steph. Ptol. *Cardiopolis*, ex cujus ruinis crevit *Lysimachia* in viciniis, nunc tantùm oppidul. *Carida.* Hinc adjacens sinus maris Ægei *Caridiacus* dictus est. 15. mill. à Callipoli in Occas. Alexander Myndius hanc civ. in Eumenis gratiam, immunem à tributis Philippum fecisse scribit.

Cardiabanca, Valeriæ Ripensis in finibus Pannoniæ opp. Lib. Notit.

Cardiceas, 4. Medorum rex, regn. an. 13.

Cardidum, Africæ promuntorium Sardiniæ adversum.

Cardiffa, urbs Angl. in Wallia, in Comit. Glamorganensi, ad ostia Taffi fluv. in Sabrinæ æstuarium. Olim quibusdam *Ratostibius.*

Cardiganum, urbs & prov. Valliæ, in Anglia. Vid. *Ceretica.*

Cardinales, in Communione Rom. Assessores & Consiliarii Papæ. Primitus 25. de quo numero vide Potter. *de num. Apocal.* Sequentibus temporibus excrevere, usque ad 72. Quorum 6. Episcopi Cardinales, quibus præcipuæ in & extra Romam parochiæ obtigere, 52. Presbyteri Cardin. quibus reliquæ cesserunt, & 14. Diaconi Cardin. quorum sunt Nosocomia, cum cura viduarum, orphanorum, &c. Primus horum, Pelagius, ab Innocentio III. Anno 1213. Constantinopolim missus, purpuram gestavit, quod dein omnibus commune esse cœpit, Concilio Lugdun. an. 1245. sub Innocentio IV. Equum candidum cum fræno inaurato addidit, Paulus II. 1464. Plura vide apud Bellarm. *Controv.* 5. *de Membris Ecclesiæ, lib.* 1. *de Clericis, cap.* 16. *de Cardinalibus*, & authores ipsi laudatos. Sub Benedicto IX. Papa non usque adeò laudato, *Cardinalium nomen*, ex parvis initiis suboriri cœpisse, tempore admodum depravato refert Platina *in Vitis.* Vide quoque infra.

Cardinalis, nomen officialium Theodosii, quales Magistri quidam militum, Præfectus prætorio Asianæ diœcesis, Præfectusque Africæ, quòd hi cæteris illustriores essent. Et in Cassiodor. *lib.* 7. *formul.* 31. occurrit, urbis Romæ *Princeps Cardinalis.* In Ecclesia item perantiquæ sunt hæ voces, quas tamen apud Hieronymum vix reperias. Dicti autem Cardinales olim, non quòd præcipui tunc essent, & à rerum cardine, sed quòd certæ alicui Ecclesiæ, quam *titulum* vocabant & *cardinem*, impacti essent & annexi. Postquam enim Evaristus Pont. circa an. Chr 112. Ecclesias Presbyteris divisisset, & Fabianus circa A. C. 240. urbem totam in 14. regiones distribuisset, iisdem 7. constituens Diaconos, sc. binis regionibus unum, cœpere tum Presbyteri isti & Diaconi, *Cardinales* appellari, eo quòd quocunque locorum agerent, designatæ Ecclesiæ, tanquam cardini, inhærendum esset. Nec dissimili sensu apud Damasum, in vita Fabiani, iidem Diaconi à prædictis regionibus *Diaconi regionarii* appellantur. *Episcopos Cardinales* primùm memorat Gregorius, & nomine solùm à cæteris discrepantes. Non autem Romæ permansit aut *Cardinalium* appellatio, aut institutio, sed quò tum fides se diffudit, eò unà penetravit utraque. Inde Universitas Pragensis ad Oxoniensem: *Perlectis multis Chronicis & historicis authenticis, nihil invenio de Cardinalibus, usq; ad tempus Gregorii M. quo tempore Episcopi indifferenter Cardinales faciebant, & Papa Cardinales in Episcopos promovebat.* Reperiuntur adhuc igitur Cardinales in antiquissimis pluribus Ecclesiis, Ravennate, Aquilejensi, Mediolanensi, Pisana, Beneventana, Compostellana, & D. Pauli Londinensi. Non pro fastu recentiorum, purpurati, sed ad antiquorum similitudinem, tenues admodum & pauperes. Vid. Gregor. *epist. ad Maximianum Episc. Syracusanum, pro Felice Diacono Cardinali.* Affluente tandem opibus & potentiâ Rom. Ecclesia, subjectasque jam habente reliquas, consentaneum videbatur, ejusdem etiam ministros cœteris omnibus anteferri. Præcelluit inter hos statim *Cardinalium* cœtus, qui Papæ semper à consiliis & rebus gerendis, magis indies atque magis cœperunt inclarescere. Præsertim ab ævo Caroli M. ex quo ea, quæ convocatis Italiæ Episcopis aliquando in Synodis solebant definiri, omissis nunc illis, in Cardinalium conclavi agebantur. Huc facit, quòd post schisma à Constantino excitatum, decretum fuerat in Concilio Rom. sub Stephano III. A.C. 768. can. 4. *Ut nullus, si non Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus honorem possit promoveri.* Denuo, quòd exuto

cætero Clero & omnino Laicis, summi Pontificis electio ad solos Cardinales deducta est. Ut verò omnes honoratiores haberentur, Innocentius IV. & Paulus II. effecere, Vide suprà in voce *Cardinales*. Hodie ordo hic tam illustris est, ut regiæ vix cedat dignitati: *Notandum enim*, ait Pontificale Rom. *quòd Cæsar, antequam coronetur, simplici diademate, sedet post primum Episcop. Cardinalem, & si quis Rex adest, sedet post primum Presbyterum Cardinalem*: Non mira igitur Clemangii querela *de corrupto stat. Eccl. cap.* 10. Vid. Henr. Spelm. *Glossar. Archaol.* qui de numero Cardinalium ista adjicit. Marcellus 5. constituisse dicitur, A.C.304. Septem Episcoporum Cardinalium hebdomadariorum meminit Anastasius *in vita Steph. An. Chr* 768. Sigebertus *in An. Chr.* 1085. *Hildebrandus*, ait, *qui & Gregorius, nunc in extremis positus ad se vocavit unum de* 12. *Cardinalibus.* Post aliquot lustra, in schismate nempe circa electionem Alexandri III. & Victoris Antipapæ, A.C. 1159. numerus à Marcello institutus, extat apud Radevicum *de gest. Frid. II. lib.* 2. *capp.* 52. & 53. In Codice verò M. S. circiter A. D. 1450. deprehenduntur Episcopi Cardinales 7. Presbyteri 28. Diaconi 16. In libro impresso An. C. 1490. Episcopi Cardinales 7 Presbyteri 33. Diaconi 18. qui numerus subinde variavit. Vid. supra. Ex M.S. exemplari modò laudato, nomina Cardinalium hæc sunt.

Episcopi Cardinales.

Episcopus Hostiensis, qui, quia Papam consecrat, reliquis dignior est & pallio utitur.	Episcop. Albanensis.
	Episc. Sabinensis.
	Episc. Ponestrinus.
	Episc. Ruphinæ.
Episcop. Portuensis.	Episc. Tusculanus.

Presbyteri Cardinales 28. per numerum septenarium divisi, residuis quatuor Ecclesiis Patriarchalibus sunt intitulati. Vid.

Ad Ecclesiam S. Petri septem.

Cardin. S. Mariæ trans Tiberim.	Card. S. Laurentii in Damaso.
Card. S. Grisogni.	
Card. S. Cæciliæ trans Tiberim.	Card. S. Marci.
Card. S. Anastasiæ.	Card. S. Martini in monte.

Septem alii S. Pauli, in altari majori servientes.

Card. S. Sabinæ.	Achillei.
Card. S. Priscæ.	Card. S. Sixti.
Card. S. Balbinæ.	Card. Marcelli.
Card. SS. Nerei &	Card. S. Susannæ.

Septem Card. Presbyteri S. Laurentii.

Card. S. Praxedis.	Card S. Steph. in monte Celio.
Card. S. Petri ad vincula.	Card. S. Johannis & Pauli.
Card. S. Laurentii in Lucina.	Cardin. SS. Quatuor coronatorum.
Card. S. Crucis Jerusalem.	

Septem Presbyteri Card. S. Mariæ majoris.

Card. SS. Apostolorum.	Card. S. Vitalis.
Card. S. Ciriaci in thermis.	Card. SS. Marcellini & Petri.
Card. S. Eusebii.	
Card. S. Potentianæ.	Card. S. Clementis.

Diaconi Cardinales, ad minister. Pontif. deputati.

Card. S. Mariæ in Dompusinica, qui Archidiaconus.	Card. S. Mariæ in porticu.
	Card. S. Nicolai, in carceribus.
Card. S. Luciæ, in cta Palatii, juxta Septisolium.	Card. S. Angeli.
	Card. S. Eustachii.
Card. S. Mariæ novæ.	Card. S. Mariæ in Aquario.
Card. SS. Cosmæ & Damiani Palatii.	Card. S. Mariæ in via lata.
	Card. S. Agathæ.
Card. S. Gregorii Palatii.	Card S. Luciæ, in caput Sabintæ.
Card. S. Mariæ in schola Græca.	Card. S. Quintini.

Plura Vide apud Spelmannum retro memoratum.

Cardinea, Dea apud Romanos, quæ Cardinibus præerat, quasi *Cardina*, vide *Carna*.

Cardines, dicuntur duæ cœli partes immobiles sibi mutuò oppositæ, quarum altera est ad Septentrionem, altera ad Austrum, Græci Πόλους vocant. Sæpe tamen Cosmographi Cardinum nomine quatuor præcipuas Cœli regiones intelligunt, *Ortum, Occasum, Septentrionem*, & *Meridiem*. Lucan. 4.

—— Summus Olympi
Cardo tenet Tethyn.

Ovid. 2. *Pont. El.* 9.

—— Cùm sim sub cardine mundi,
Qui semper liquidis altior extat aquis.

Stat. 1. *Theb.*

—— Quid si peteretur crimine tanto,
Limes uterque poli, quem sol emissus Eoo
Cardine, quem portu vergens prospectat Ibero?

Cardona, opp. Catalauniæ, Duc. tit. clarum, ad amnem cogn. 3. leuc. infra Solsonam. Sub dominio antiquæ familiæ *de Folch*. Ibi Salis Fodinæ celebres.

Carduchi, pop. Mediæ bellicosi, ἐκ τοῦ βασιλέως οὐκ ἀκούοντες. Steph. Aliis *Carduchi*, gens circa Hyrcanium mare, Adiabenis connexa, Ptolomæo sunt *Carchudi*. Diod. *l.* 14. habet *Carduchos* montes, inter Mediam & Armeniam.

Carduus, Gall. *Chardon*, vel *Nostre Dame de Chardon*, Ordo militaris, institutus à Ludovico II. cognom. Bono, Duce Borbonio, an. 1370. Numerus equitum 26. quorum cingulo cæruleo inscr pta vox *Esperance*, i. Spes. Emblema *Allen Allen*, i. Eamus unà, ad serviendum Deo & patriam defendendam. Docronvilla, Favynus, Morerius *in diction. Histor.*

Cardynus, mons circa Nisibin ad Tigrim fluv. Xiphilin.

Cardytenses, Syriæ in Cyrrhesticâ reg pop. Plin.

Cardytus, Syrorum urbs magna. Steph.

Care, Hisp. oppid. inter Liminum & Cæsar-augustam. Anton.

Carea, Tartarorum urbs circa Bosporum Laonicus.

Carecardama, Indiæ intra Gangem opp. Ptol.

Caree, i.e. *calvus*, sive *glacies*, pater Johanan. 4. Reg. 15. *Carehim*, idest, *calvi*, vel *glacies*, n. p. nomen loci. 1. Paral. 11.

Cares, urbs Indiæ intra Gangem.

Carelia, prov. Succiæ, in Finlandia. Ejus pars pertinuit ad Moscos, nunc tota sub Suecis est, & pars extenditur ad sinum Finnicum. Ibi opp. præc. Viburgum.

Carembola, reg. ins. Madagascariæ seu Delfinæ, in Oceano Æthiopico, versus Austrum.

Carena, à Gall. *quarantaine*, spatium 40. dier. Occurrit vox sæpius apud Scriptores Ecclesiasticos. Vide Spelmann. *Gloss. Archaol.*

Carene, Mysiæ opp. Steph.

Carens, pop. Scotiæ Septentr. Ptol. quorum regio *Loghuabria* in orâ occiduâ contra Mulam insulam, teste Lhuydo; juxta quam Evonium urbs vulgò *Dunstaphag*. Χαρηνοὶ Manuscr. Selden. Aliàs *Carini* & *Catini*. Horum nomen remanet in prov. *Cathnes*. Fuere omnium ultimi versus Orcades. Baudr. Item pop. circa Persidem Procopio, atque inter Euphratem & Cyrum fluvios. Steph.

Carenses, Hisp. pop. Complutensibus vicini. Plin. 3.3.

Carentani, Germ. pop. Bojariis vicini. Luitprand. Sigeb. Carinthiæ incolæ Crantzio, & Lazio. Vide *Carinthia*.

Carentini, Italiæ pop. Ferentanis vicini. Plin. 3.12.

Carentonium, opp. Normanniæ, in tractu Constantiensi, ad amnem cognom. cum castro, 3. leuc. ab ora maris Britan. 8. à Constantia. Ordericus *lib.* 11. meminit vici *Carentoni*, in pago Constantino. Vulgò *Carentan*. Hadr. Valesio est non procul ab Oceano, & ostio duorum amnium, vulgò *Charenton*. Item vicus, binis à Lutetia leucis distans, ubi templum novum splendidum, Henrici IV. permissu à Reformatis extructum, sequentibus annis fraude hostium arsit; reparatum tamen, hodieque illis inservit, quippe quò sub concionem aliquot auditorum millia, è principe Regni urbe, rhedis, naviculis, pedes convenire solent. Hîc Synodus Reformatorum habita hoc sec.

Careon, Hisp. civitas. Appian.

Careotæ, Sarmatiæ Europææ gens. Ptol.

Carepula, Mauritan. Cæsariensis urbs, *Baitalio* à nostris, *Giraflumar* Pœnis dicitur, Jovio teste. Castaldus *Mustagani* vocat.

Cares, fil. habuit Caryassum, qui Cari urbi nomen dedit. Steph.

Cares, Statuarius nobilis, Lysippi discipulus.

Cares pl. num. Populi sub Minoë fuerunt, & tunc *Leleges* dicebantur, & insulas habitabant, sed suâ ditione parum contenti, magnam maritimæ oræ, & mediterraneæ partem occuparunt, eam prioribus habitatoribus adimentes, qui & ipsi magnâ ex parte Leleges Pelasgi erant: sed Jones & Dores, ut allatam in uriam ulciscerentur, eos rursus, quamvis belli studiosissimos, suis finibus expulerunt. Cares & Mysos ejusdem fuisse cum Lydis originis, ex Herodoto discere est, qui *de Caribus* hæc habet *lib.* 1. Ἀποδεικνῦσι δὲ ἐν Μυλάσοισι Διὸς Καρίου ἱερὸν ἀρχαῖον, τοῦ Μυσοῖσι μὲν καὶ Λυδοῖσι μέτεστι, ὡς κασιγνήτοισι, ἐοῦσι τοῖς Καρσί. Τὸν γὰρ Λυδὸν καὶ τὸν Μυσὸν λέγουσι εἶναι Καρὸς ἀδελφεούς: *In Mylassis, Jovis Carii delubrum vetus ostenditur; quod Mysis etiam & Lydis commune est, ut qui sint Carum Germani. Quippe Lydum & Mysum Caris fratres esse dictitant.* Ovid. *Met.* 9.

Caras & armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.

Virgil. *Æneid.* 8.

Hic Caras, Lelegasque sagittiferosque Gelonos.

Vide *Caria*.

Caresa, insula Ægæi maris ex adverso Atticæ. Plin.

Caressus, Ciæ insulæ urbs. Ptol.

Caressus, fluv. Troadis. Homer. *Iliad.* 12. celebratus, cujus Plinius ait nulla suâ ætate vestigia extitisse, *lib.* 5. *cap.* 30.

Caretha, insula in mari Lycio, postea *Dionysia* dicta. Plin. *Gironda* Nigro.

Caretius, M. Britanniæ R. ad regnum pervenit, illo bellis intestinis admodum turbato, à Saxonibus paulo pòst pulsus. *Hist. Angl.*

Careum, locus Galliæ, ubi bello contra Albigenses, horum 60. suspensi sunt, an. 1212.

Carferoniana, al. *Grafiniana*, quod Vid. regiunc. Italiæ, intra montem Apennin. in Hetruria, vulgò *Carfagnana*.

Cargani, pop. Transrhenani in Galliam Celticam, circa fines Sequanorum, ac Heduorum, ab Ariovisto Germanorum rege transportati, quos non abs re opinari possumus eosdem fuisse cum Harudibus ab ipso rege similiter translatis.

Cargapolia, prov. Moscov. Occid. cum opp. cognom. prope lacum Onegam, inter confinia Sueciæ & Duinam fluv.

Caria, nunc *Aldinelli*, regio min. Asiæ inter Lyciam nunc *Mesenteli*,

sentes, & Joniam Strabo eam à Boreâ Mæandri flumine clausit, ab occidente Icario, & Myrtoo pelago, à meridie Rhodiensi, ab ortu Lyciis, & aliis gentibus, magnamque Tauri montis partem in Cariâ conclusit, omnem oram Rhodiam ei attribuens, quæ meridionalis est. Hujus Metropolis est Halicarnassus, in quâ regnavit Mausolus, cui ibidem Artemisia conjux Mausoleum illud celebratissimum extruxit. Dicta Caria, à *Care* rege, qui primus auguria avium dicitur invenisse. Epaphroditus totam Cariam *Chrysaoridem*, vocat, alii urbem quandam Cariæ tantùm sic nominant. Steph. à *Care* conditore dictam scribit. Ovidius *Met*.

Arcades antiqui celebrataq; Caria famâ.

Subest dominio Turcarum ab aliquot seculis. Ibique sunt raræ urbes alicujus momenti. Baudr. Olim Magnesia, Alabanda, Stratonice, Mynda, Priene, Miletus, nunc *Malazo* vel *Melasso*, 80. coloniis & Thalete ibi genito clara. Mons Latmus hujus reg. fabulæ de Luna & Endymione originem dedit, Strabo *libr*. 14. Mela *libr*. 1. Cluv. *lib*. 5. Concilium à Macedoniæ Episc. An. 366. in Caria habitum, quo rejecto termino *Consubstantialis*, formulæ Antiochenæ & Seleuciensi, subscripsere. Sozomenus *libr*. 6. *cap*. 9. Est & *Caricus* gentile, & *Carius*, quo nomine Jupiter apud Mylassenses colitur. Herodot. Caricam gentem celeberrimam fuisse scribit. Vocabatur etiam *Caria*, magna quædam arx à *Care* filio Phoronei: alioqui fœmininum est à *Careo*, ut & *Cariatis* & *Caira*, unde Hom. Μηονὶς ἠὲ Κάειρα. Cos etiam insula Καρὶς dicebatur. Est & Phrygiæ urbs. In Caria extitit olim amnis, qui fuerat ante dulcis, postea in salem mutatus. Plin. *lib*. 2. *cap*. 5.

כר *Car* Hebræis est *aries*, aut *agnus*, atque ab eis ad Jones transiisse hoc vocabulum, ex his Hesychii colligas: Κὰρ, πρόβατον Κάρα, Ἴωνες τὰ πρόβατα. Inde videtur *Caria* dicta. Cic. *lib*. 1. *de Divin*. *Arabes autem & Phryges & Cilices, quòd pastu pecorum maximè utuntur*, &c. *Tum Caria tota*, &c. Et Καρὶς altenum nomen insulæ Co apud Stephan. & Eustath. *in Iliad*. B. quia, eodem auctore, insula erat πολυθρέμμων, & celebris δι' εὐβοίαν. Hinc Callimachus, *Hymno in Delum*, illam cum Delo confert,

Νῆσος ἐκεῖ λιπαρὴ τι κ᾽ εὔβολ☉, εἰ νύ τις ἄλλη.

Bochartus. Cares autem, licet in rebus bellicis eminuerunt, ut *arma Carica*, & *lorica Carica* in proverbio essent, viles tamen habiti sunt, quòd mercede militarent, ac in primâ acie locati, primos hostium impetus sustinentes vitam suam nihili æstimarent. Unde adagium natum, *In Care periculum facere*, apud Platonem *in Socrate*, cùm periculo exponitur res, cujus jactura gravis non sit. Illud quoque, apud Diogenianum, *Cum Care Carissa*, hoc est, cum rustico rusticè agas, quòd Cares inter agrestes & rusticos haberentur. Item *Caricum vinum*, apud Suidam pro tenui, & *Carica Musa* pro insuavi. Item *Caricus hircus* in hominem vilem, & contemptibilem, vel pro oblatione vili, ut & *Caricum sacrificium*, quòd Cares pro hirco canem immolarent. *Caricum Schema* quoque apud Hesychium, pro modo congressus libidinosi spurco, & turpi, qualem figuræ Caricæ ostendebant. Sic enim ille, Καρικὸν ἀτελὲς, μικρόν. Δηλοῖ ᾗ κ᾽ ἀφροδίσιον σχῆμα αἰσχρόν. Idem Καρικίζειν, βαρβαρίζειν.

Caria portus in Thraciâ, Mela 2. 2. Portus ipse Καρῶν λιμὴν vocabatur, sed verò regio circumsita Caria. Testantur hoc Arrianus, & Anonymus, *de Ponto Euxino*; quamvis apud posteriorem perperam legitur κατακλύζεται, pro Καρία κλύζεται. Notum enim, Pontum Eux. non esse obnoxium reciprocationi alicui sensibili. Scio quidem aquas & hic quoque multum intumescere, adeoque attolli, ut totum hunc tractum ad quatuor usque milliaria operuerit, quandoque urbes verò Odessum, & Dionysiopolim totas penè absorpserit, prodentibus id Cedreno aliisque. Verùm particularia ista diluvia locum hîc habere non possunt, cùm toto sæpe seculo vix semel contingant. Sed verò, quod Arriani lectionem maximè confirmat, Cariamque regionem hîc fuisse evincit, id est, quòd præter hunc Portum Carum, situm hîc fuerit & aliud oppidulum Κέραμ☉ dictum, cujus meminit Pausan. *Eliacis posterioribus*: Ὁ πολίτης δ' ἦν οὗτ☉ ἐκ Κεράμου τῆς ἐν τῇ Θρᾳκίᾳ Καρίας. Perperam viri docti id accipiunt de Ceramo in Cariâ Asiaticâ, tanquam si & illic aliqua fuisset Thracia. Rectè verò Suidas, in voce Ἱππόδαμ☉, locum illum Pausaniæ respiciens, Θρᾳκίαν Καρίαν interpretatur τὴν ἐν Θρᾴκῃ Καρίαν. If. Vossius.

Carianda, vide *Caryanda*.

Cariapa, Parthiæ promuntorium. Ptol.

Cariara, quæ & *Cararia*, opp. Lunegianæ, in Hetrur. ad radices montium. A paucis annis Princip. tit. gaudet, in dit. Massæ D. è gente Cibo, juxta amnem Lavenzam, 6. mill. à Sarzana, totidem à Massa.

Carias, civitas Peloponnesi, quæ cum Persis hostibus contra Græciam consensit, posteaque à Græcis deleta est. Vitr. *lib*. 1.

Cariata, urbs Bactrianæ, quam Alexander subvertit, ubi Callisthenes comprehensus est & in vincula conjectus. Strabo *libr*. 11.

Cariath, civitas in tribu Benjamin, Jos. 18. id est, *civitas*, vel *vocatio*, sive *lectio*, aut *occursus*.

Cariathaa, aliàs *Cariathbaa*, nomen civitatis in tribu Juda. Josuæ 15.

Cariatham, urbs Moabitarum, antiqua & valida, in tribu Ruben, Jos. 13. ubi olim Emim gigantes habitabant. Hieronymus, *in Eclogâ*, scribit, eam esse juxta Medebam urbem Arabiæ, & appellari *Corajatha*.

Cariath-arbe, i.e. *civitas quatuor*, civitas in tribu Judæ, sic dicta ab *Arbea* conditore, non autem à quatuor Patriarchis, Adam, Abraham, Isaac & Jacob, qui ibi sepulti, sepulcris, ut quidam volunt. Jos. 15. quæ & *Hebron* dicitur Josue *cap*. 20.

Cariath-baal, id est, *civitas idoli*, vel *domini*, civitas in tribu Juda, quæ & *Kiriathjarim*, Jos. 15. Uno tantùm milliario ab Æliâ, quâ pergimus Diospolim, distat.

Cariathiarim, urbs Sylvarum, in tribu Dan: est de Jerusalem ad quatuor milliaria & dimidium contra Occidentem euntibus Diospolim. Urbs prius Gabaonitarum, postea tribus Judæ & Benjamin, sita in colle, 1. mill. ab Æmilia, versus Diospolim. Vide *Cariath-baal*.

Cariath-sepher, i.e. *civitas literarum*, civit. in tribu Judâ. Jos. 15.

Cariath-urim, id est, *civitas vigilantium*, nomen viri, 1. Esdr. 2.

Cariatum, urbs parva Calabriæ citer. in ora littor. maris Jonii. Princ. tit. gaudet. Episc. sub Archiepisc. S. Severinæ, 10. mill. ab Umbriatico, 20. à S. Severina.

Cariba pop. Americæ Sept. qui aliàs occupabant omnes Antillas. Nunc verò ins. ab Europæis occupatis, ipsi majore ex parte in proximam continentem Amer. merid. se receperunt. Ubi Guajana reg.

Carica, domicilia dicuntur, quæ in edito sita sunt, & naturali munimento tuta. Rhod. 27. 23.

Caricontichus, Libyca urbs, ad sinistram Columnarum Herculis. Steph.

Caricum, (inquit Steph.) locus solitarius in Memphide, ubi Cares affinitate cum Memphitis contractâ, *Caromemphita* dicti sunt. Steph.

Caridemum, vide *Charidemum*.

Carides, Phrygiæ urbs. Steph.

Carietes, Hisp. pop. in conventu Cluniensi. Plin.

Cariga, Drangianæ urbs. Marcellinus.

Carige, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Carilla, vide *Cerillum*.

Carima, Galatiæ opp. Ptol.

Carina, fœmina sive virgo è Caribus, quæ amore Nymphæi correpta, insidias, quas Cares Meliis parabant, aperuit. Polyænus *lib*. 8.

Carina, mons Cretæ, 9. m. p. suo ambitu continens, in quo nullæ muscæ visuntur. Plin.

Carinæ, mulieres dicebantur, quæ cantu flebili mortuos in funeribus assectabantur, eo quòd ex *Caria* accersebantur. Cæl. Rhod. 16. 3.

Carinæ, Romæ dicebantur ædificia facta, in modum Carinarum, quæ erant intra Templum Telluris. Alii addunt, vicum fuisse Romæ, ubi domus fuit Pompeji. Virgil. *lib* 8.

—— Passimq; armenta videbant,
Romanoq; foro & lautis mugire Carinis.

Hor. *lib*. 1. *epist*. 7.

—— Foro nimium distare Carinas
Jamgrandis natu queritur.

Varro *Carinas*, dici putat ab eo, quòd hinc oreretur caput Sacræ viæ, caput enim Græcè Κάρα dicitur.

Carinas, vide *Secundus*.

Carine, urbs circa Caicum fluv. in Asiâ min. Herodot. *lib*. 7. *Ita exercitus è Lydiâ perrexit ad flumen Caicum, & regionem Mysiam*, ἀπὸ δὲ Καΐκου ὁρμώμεν☉ Κάνης ὄρ☉ ἔχων ἐν ἀριστερῇ διὰ ᾗ Ἀταρνέ☉ ἐς Καρίνην πόλιν. *Cherima* Nigro.

Carini, Germ. pop. Plin. 4. 14. Ubi nunc pars Marchiæ Brandeb. & magnæ Poloniæ. Cluv.

Carninianum, opp. Pedemontii cum arce & ponte, ad Padum fluv. longa obsidione Gallorum, cùm à Petro Columna Cæsarianarum legionum præfecto defenderetur, nobilitatum. Princip. tit. gaudet. 5. mill. supra Taurinum in Austr. Paulo minus à Carmaniola.

Carinii, Illyrici pop. Appian.

Carinsis, Sardiniæ pop. Ptol.

Carinthia, vel *Carnithia*, olim Pannoniæ prov. nunc Germ. ducatus, habet ab Ortu & Septentr. Stiriam, ab Occasu & Meridie Alpes, & Forum Julii contingit. Hujus pars est *Carniola*. Multæ in hâc regione valles, collesque tritici feraces, multi lacus & amnes, quorum præcipuus est Dravus, qui ipsam in duas partes secat. Olim hunc tractum Japides inhabitasse putantur. Regionis imperium tenent duces Austriaci. Munster. Sabellicus. A tempore nempe Henrici, Duc. ultimi, qui, postquam Bohemiæ per triennium præfuit, à Johanne R. Henrici VII. Imp. fil. pulsus est, an. 1311. Incolas ferunt privilegio ornatos esse novos Duces inaugurandi, Duce rusticanâ veste in florido prato adstante: Idque factum, quia primi fidem Christianam sint amplexi. Hîc urbes *Sanveit*, *Villach*,

 Volck-

Volckmarck, Judenburg, Clagenfurt, &c. Æneas Sylv. *Eur. c.* 20. Monstrelet. *Cosm. l.* 3. Cluver. *l.* 3. *Geogr.*

Carinus Marc. Aurelius, Imper. quidam Romanus, fil. Cari, Imperat. cum fratre Numeriano, Cæsar pronuntiatus, & hoc in Orientem sumpto, in Galliam missus. Novem uxores habuit, in innocentes sævus, & scelerum victima, unde à Patre abdicatus Quo mortuo Diocletiano se opposuit, & prope Veronam, Sabinum Julianum, Imperium affectantem, occidit, à quodam Capitaneorum suorum, cujus uxorem corruperat, in Mœsia interfectus, Aurel. Victor. Dion. Vopiscus, *in vita ejus*, ubi eum *hominem omnium contaminatissimum*, & *adulterum* vocat. Idem est judicium de ejus moribus, apud omnes historicos, fuisse scilicet omni genere luxûs perditum, crudelem etiam & superbum. Quare disertissimus scriptor Synesius, qui in elegantissimâ, & gravissimâ oratione de regno, Carinum laudat, ut principem sobrium, moderatum, & magni exempli, sine controversia falsus est: *Carinum* enim nominat, quem debuerat *Carum*.

Cario, nomen comicum Servi apud Aristophanem *Pluto*, deductum à Caribus, qui servili fuisse ingenio dicuntur, parati quidvis malorum pati mercede propositâ. Propterea Aristophanes alibi ait, Εἰ δὲ δοῦλός ἐστι καὶ Κάρ, id est, Quòd si servus est & Car.

Cariobarzanes, mons inter Parthos & Massagetas.

Cariopolis, urbs Cariæ, *Clarioboli* Turcis. Leuncl.

Cariosuellites, Gall. Lugd. pop. Plin. 2.18.

Carioth, civ. in tribu Juda, Jos. 15. *Jer.* 48. Item, in reg. Moab. in tribu Ruben. *Jer.* 48. Amos. 2.

Cariovalda, dux Batavorum, inter auxilia Romana sub Germanico. Eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumjectam traxerunt; ac diu sustentatâ hostium sævitiâ, denique in densissimos irrumpentem, congestis telis & suffosso equo labentem interfecerunt. Tacit. *Annal.* 2. 11.

Caripeta, Arab. Fel. opp. Plin.

Caris, olim vocabatur Cos insula. Steph.

Caris, Galliæ fluv. oritur in confin. Alverniæ, dein per Bojos, Bituriges & Turones lapsus, aliquot milliar. infra Cæsarodunum Turonum, in Ligerim se exonerat, vulgò *Le Cher*, Baudrandus. Secundùm Valesium, alluit Caris oppida & castella, Montem Lucionem, *Montluçon*; Podium Foliosum *Pui Feüilleux*; Valliniacum *Valligny*, Aniacum vetus *Ainay le viel*; vel potiùs Aniacum villam *Ainay la Ville*, Aniaco castello propinquam; Columbarium *Colombier*; Montemrotundum castrum, à situ cognominatum, *Montrond* vulgò, & corruptè *Mouron*; Aureamvallem *Orval*; Nigrumlacum *Noirlac*, Bruerias ad Carum *Bruieres sur Cher*; Castrum novum *Chasteau-neuf*; Coryletum *le Coudray*; Villamnovam, Quintiacum, Virsionem *Vierzon*, ad quem Averam vel Euvram, *Teure* & *Eure* dictum, Utrione (*Auron*) auctum recipit. Deinde attingit Castra *Chatre*; Monasteriolum ad Carum *Menestou sur Cher*, Carobrivas vel Carobrias *Chabris*; Cellam Biturigum vel Cellam S. Eusicii, *Celles en Berry*; ubi Saleram amnem, *la Saudre*, Saldriam quibusdam nuncupatum, admittit: tum Nucaria *Noyers*; castrum S. Anniani, Maroilum *Marueil sur Cher*; Montem Tricardi; Blaracum *Bleré*; Aciacum *Azay sur Cher*; Saponarias, Columbaria, Linarias: ac demum in Ligerim influit. Accipit præ cæteris Tardam *Tarde*, Milmandram *Marmande*, Aueram *Teure*, & Saleram majorem *la grande Saudre*, qui Nigram *Nerre*, & Saleram minorem *petite Saudre* secum defert. *Notit. Gall.*

Carisia, cognomine Aurelia, civitas Hispan. ad Bætin fluv. in Gaditano Conventu. Plin. 3. 1.

Carisiacum, Gall. Belg. opp. Anton. vulgò *Cresci*. Ad Saram fluv. in Picardia, 3. leuc. à Lauduno in Bor. 4. à Fera in Ortum. Item Villa olim regia, Hadr. Valesio, palatio insignis, saltuique contigua, non procul à Compendio. Hìc Carolus Dux & Princeps Francorum decessit, A. C. 741. & Godescalcus Monachus iterum damnatus ac honore Presbyterali dejectus est, Concilio hìc habito, A. C. 848. A Charisio conditore aut saltem possessore nomen accepisse videtur. Hodie *Chiersi* vicus, 6. m.p. à Noviomago, ad ripas Isaræ. *Notit. Gall.*

Carisius, prænom. Publius, Legatus pro Prætore in Hisp. Emeritæ, jussu Augusti, conditor.

Carissa, Paphlagoniæ opp. Plin.

Carissanum, castellum quoddam in Italia, juxta quod T. Annius Milo occisus est. Plin. 2. 57.

Caristi, Hispaniæ Tarracon. gens. Ptol. Ubi nunc pars Guipuscoæ prov. & pars Orient. Biscajæ, inter Iberum fluv. & Ocean. Cantabricum.

Caristum, Liguriæ opp. Liv. *lib.* 42. vulgò *Carusco*.

Caritas, cella Monachorum Cluniac. ad ripas Ligeris, in diœcesi Antissiodorensi: una ex 5. majoribus cellis seu Prioratibus, huic Ordini subjectis. Hinc oppido non ignobili nomen *la Charité*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Carith, vel *Cherith* torrens, qui in Jordanem influit. 3. Reg. 17. id est, *concisio, confossio*, aut *exterminatio*. In tribu Ephraim. Hìc Elias tempore siccitatis mansit.

Caritni, Germ. pop. Ptol. ubi nunc Wirtembergensis Duc. in Suevia, juxta Nicrum fluv. Ortelius, Sanson.

Carium, locus in Cypro, ubi Apollinis sylva. Isac. *in Lycophr.* fortè *Curium* scribendum.

Carius, Jovis & Torrhebiæ filius, qui circa Torrhebiam lacum oberrans, Nympharum cantum dicitur audivisse, & ab eis musicam didicisse, eamque apud Lydos propagasse. Quapropter divinos honores apud suos meruit, templo illi magnificè extructo in monte, qui & ipse *Carius* à nomine ejus appellatus est. Steph. Vide *Torrhebus*.

Carleolum, urbs Angl. munita ab Henr. VIII. ad Itunam fluv. 3. mill. à mari, 6. à Scotia, in Cumbria, juxta ruinas muri Pictici. Parvi circuitus. *Carlisle* vulgò. Ptol. *Leucopibia*. *Luguvallum* antiquorum Brigantum esse credit Camdenus & alii, quod vide.

Carlilocus, Gall. *Charlieu*, urbs Comit. Carolensis, in Burg. Ibi Synodus an. 926. *Tom.* 9. *Concil.*

Carlingfordia, oppidul. munitum Hibern. in Ultonia prov. & Lugensi Comit. Portu gaudet utcunque capaci, 4. mill. à Dunkerano, 22. à Duno in Austr.

Carlomannus, fil. Ludovici Balbi, ex Ansgarde, nobili puella, cum Ludov. III. fratre, coronatus, an. 879. regno sic diviso, ut Ludovicus Neustriam, Carlomannus Aquitaniam cum Burgundia teneret. Hi cum Ludovico, Alemanniæ R. fœdere inito, Bosonem, qui Burgundiæ regnum invaserat, prælio vicerunt, Viennâ, ubi uxorem reliquerat, obsessâ. Sed cùm Ludovicus Normannorum incursiones repressurus, domum iter parans, in reditu obiisset, Frater, obsidioni Comite Richardo præposito, in Picardiam transiit, ubi Barbaros aliquoties victos, tandem, aliquâ pecuniæ summâ exhibitâ, discedere penitus coëgit. Paulo pòst prope Montfortium, in venatione, an ab apro, an ab aliquo suorum, lethaliter vulneratus, obiit, an. 884. Sponsus filiæ Bosonis, Regis Arelat. ex Hermangarde.

Carlomannus, fil. Caroli Martelli, Dux & Princeps Francorum in Austrasia, cum fratre Pipino Griffonem minimum natu, in vincula compegerunt, Hunaldum dein, Aquitaniæ ducem, in ordinem coëgerunt; dein regno diviso, Carlomannus in Germaniam transiens Theobaldum, Alemannorum & Theodoricum, Bavariæ D. subegit, quorum hic fidem mox fallens, plurimorum cæde perfidiam luit. an. 746. Hinc commendato prius fratri Druide filio, à Zacharia P. sacris initiatus, monasticam vitam suscepit. Obiit anno 755. Aimon. *l.* 4. Leo Ostiens. *l.* 1. Hist. Gall. *in Childerico II. & Pipino Curto.*

Carlomannus, fil. Pipini Curti, regno cum Carolo M. fratre diviso, Suessione coronatus est. Paulo post, cum fratre commissus, inquietorum hominum operâ, obiit an. 771. Pater duorum filiorum, ex Bertha, quæ marito mortuo ad Taxilonem Bavariæ D. se recepit. Hist. Franc. *in Pipino Curto & Carolo M.* Tilletus, Sammarth. *Geneal. domus Gallicæ.*

Carlomannus, major natu fil. Ludovici Germanici, frater Ludov. II. & Caroli, regnum Bavariæ, sub se continens Pannoniam, Carinthiam, Bohemiam & Moraviam tenuit, cum titulo quoque Italiæ Regis. Quod regnum Imperio adjecturus, exercitu collecto, Panico terrore perculsus, frustra fuit. Paralysi ictus an. 880. Ottingæ jacet. Pater duorum nothorum, Arnulphi, cui Carinthia obtigit, & Giselæ, quæ an. 890. Zuendipoldo, Moraviæ R. nupsit. Regino, &c.

Carlomannus, fil. Caroli Calvi major natu, qui cùm contra Patrem conspirasset, diaconus factus est. Mox iterum rebellis, in vincula conjectus: unde ope Adriani II. liber denuo turbaturus, excæcatus est, & in Monasterium Corbejæ detrusus. Obiit an. 873. Flodoard. Aimon. &c.

Carlota, fil. Johannis II. Regis Cypri, Hierosol. & Armeniæ, ex Helena, filia Theodori Despotæ Peloponnesi, uxor primò Johannis Lusitani, Ducis Conimbr. eo mortuo an. 1457. nupsit Ludov. Sabaudo, secundogenito Ludov. Ducis, ex Anna Cypria, sorore Johann. II. Nicosiæ, patre mortuo, trium regnorum Regina coronata est, an. 1458. sed equo cum illa titubante, corona, malo omine, excidit. Paulo enim pòst Jacobus, patris ex Maria Patra fil. nothus, à Sult. Melec-Ella adjutus, eam regno excussit. Quæ primò in Sabaudiam, dein Romam delata, donavit amissum Cypri regnum nepoti suo Carolo, Sabaudiæ Duc. Obiit an. 1487. Æn. Sylv. *in Asia cap.* 97. *& lib.* 7. *Comm.* Steph. Lusinian. *histor. Cypri*, Guicheno *hist. Sabaud.*

Carlota, fil. Lud. Sabaudi, ex Anna Cypria, Sponsa Friderici Saxonis, dein uxor Ludov. XI. tum Delphini, ex eo mater trium filiorum, quorum unicus superstes mansit, Carolus VIII. Obiit an. 1483. in templo Mariæ Cluniac. prope Aurelianum, cum marito, sepulta. *Hist. Gall.*

Carmaca, Asiæ pop. circa Mæotim. Plin. 6. 4.

Carmalus, Asiæ min. in Sagarausenâ regione amnis, qui in Cilicium mare effluit. Strabo.

Carmana, insula. Steph. Item urbs primaria Carmaniæ. Ptol.

Carmania, regio Asiæ Majoris in regno Pers. inter Persidem propriam, & Indiam sita. Habuit olim & Regni titulum. Cladinus enim Sultanus Iconiensis, ob irruptionem Tartarorum, è regno profugus, Otrugarelem Carmaniæ præfecit, Anno 1296. quo post paucos menses defuncto, filio ejus Ottomanno insignia regni dedit, eumque Regem Carmaniæ creavit: sic prima

ma fundamenta Ottomannicæ potentiæ,quæ dominatur hodie, jacta sunt. Hanc duplicem esse Ptolemæus tradit, cultam alteram, vulgò *Chirman*, alteram desertam, *Dulcinde* Castaldo, & *Mingiu* Ortelio. Prior Persidi hæret, ab eâ in ortum recedens,sinum Persicum circa fauces illius Armuzo promunt. contra Armusam insulam & urbem attingens: Altera Oceano Indico adjacet, inter priorem Carmaniam ad occ.& Gedrosiam ad ort.perstricta. Tota Carmaniæ ora 1250. m. p. patet ex Plin. Aliter eas Ptol. describit. Desertam enim in Bor. versus Ariam & Parthiam, ac in occ. Persidem versus extendit; alteram ad meridiem & ortum. Carmaniæ pars(inquit Bochartus)una deserta est;Altera,ad quam Sabthecam putamus appulisse, ubi *Samydace* urbs & Samydacus fluv. omnium arborum est ferax, præter oleam. Auro etiam & argento dives esse traditur, & ære,& arsenico,& minio,& sale,& frugibus Persicarum æmulis. Sed Carmaniam nihil tantopere commendat,quàm portentosa vitium ubertas,quarum uvæ solent esse bicupedales, grandibus acinis, ac densis. Ita habetur in Strabone: Γεώργια δ' ἔχει παραπλήσια τοῖς Περσικοῖς, τά τε ἄλλα καὶ ἄμπελον, πάσης δ' ἡ Καρμανία λεγομένη παρ' ἡμῖν, καὶ δίπηχυν ἔχει πολλάκις τὸν βότρυν, πυκνόρραγά τε ὄντα καὶ μεγαλόρραγα, ἣν εἰκὸς ἐκεῖ εὐερνεστέραν εἶναι. Et *in Indicis* Arriani, ὁρμίζονται δ' ἐν Βαδισχώρῳ τῆς Καρμανίης οἰκουμένῳ δένδρεά τε πολλὰ ἥμερα πεφυκότα ἔχοντι, πλὴν ἐλαίης, καὶ ἀμπέλους ἀγαθάς. Et Plin. *lib.6.cap.3.*ubi de Carmaniâ,*Inde Vineæ coli,& arva,&c.* Ab hâc vitium copiâ & præstantiâ כרמאן *Carman*,i.e.*Carmania* videtur dicta. Chaldæis enim & Syris כרמא *carma* est *Vitis*. Arabes scribunt כרמה *carama*, Hebræi כרם *cerem*. Baudrando Carmania, reg. Asiæ,perampla,inter Persidem propr. ad Occas. Gedrosiamque ad Ort. versus oram sinus Armusiani & Oceani Indici sita, nunc *Khermam*,ab urbe cognom.quæ aliàs etiam *Carmania*. Continet prov. *Guadel, Dulcinda* & *Armuza*. Carmania autem Deserta prov. Persidis parva, inter Parthiam & Carmaniam propr.cujus veriùs pars, ubi nunc pars prov. Merid. *Sablestan*. & desertum *Mingui*,in Boreali parte Kermani, intra montes. Vide de Carmania, præter prædictos, Arian.*lib.* 8. Melam, P. Jovium, Texeiram, &c.

Carmaniola, urbs Pedemontii munita, 2. mill. à Pado fluv. 9. à Taurino in Austr. Arcem habet & armamentarium. Sub Sabaudiæ D.

Carmanis,Persiæ Emporium, apud Eusthathium.

Carmanum, castrum Galliæ, ubi cum Albigensium doctoribus colloquium institutum primò est, quod dein Apameam translatum. A. C.1208. Vulgò *Carmain* : Comitivæ tit. illustre, in pago Tolosano. Ejus meminit Petrus Monachus, *Hist. Albig. cap.3.*

Carmata, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Carme, nympha ex Jove Britomartin concepit, quæ cùm cursu delectaretur, & venatione, Dianæ grata fuit; Hanc cùm amaret Minos, insequereturque, illa fugiens in retia capiendis piscibus demissa, se præcipitem dedit. Rhod.18.26. *Vide Dictynna.*

Carmejus,unus ex Ducibus,qui Æetæ contra Persen fratrem auxilio venerunt. Val. Flacc. *l.* 5. *Argon.*

Carmelis,Hisp. urbs,ubi Servilius Galba hyemavit. Appianus.

Carmelitæ,Ordo religiosorum, in communione Rom. qui initium cepit in Syria, in monte Carmelo locatus, ab Almerico, legato Alex. III. in Or. Regulas accepit ab Alberto, Patriarch. Hierosol.an. 1205.habitum ab Honorio IV.mitigationem regularum, ab Innocentio IV. An.1245. Vide Sabellic. 9. *Ennead.* 5.Onuphr. & Genebr.*in Chron.tom.*1. *Bull. in Honorio III. Const.* 8. *Innoc.IV. Const.6. in Bonif. VIII. &c.* De duplici ordine militari à monte Carmelo dicti, quorum alter ab Henrico M. institutus, an. 1608. numero 100. nobilium Gallorum, quorum est, belli tempore, Reges proximè sequi: alter S. Lazari dictus, pro Sabaudis & Italis, qui ab Innoc. VIII. Melitensi junctus est, Vid. Spond. A. C. 1608. *n.*3. Matthæum, Favynum, Morerium, & in voce *S. Lazarus.*

Carmelus, sumitur vel appellativè,vel propriè. Et quidem priori sensu *Carmel* dicitur locus quivis arboribus consitus, frugibusque aut gramine fertilis. Es. 16.10. Jerem. 48.33. Voce, ut suspicor, composita, ex כר *Car*, quod *pascuum*, aut *agrum* sonat, & מול *mul*, quod *succidere* est, ut *Carmel* sit *pratum*, vel *ager succisionis*, i.e. ex quo fœnum, aut spicæ succiduntur. Sed & *Carmel* proprium nomen est duorum in Judæâ montium. Quorum unus ad Aquilonem est παραθαλάσσιος, prope Ptolemaidem, in confinibus Asser & Zabulon, de quo Jos. 12. 22. & 19. 26. fertilis, in pascuis, fructibus & herbis, ferax vini delicatissimi. Morerio, in tribu Issachar, ambitus 13. leuc. innumeris fontium scatebris irriguus, ubi aliquot pagi hodie, plurimæque cavernæ Eremitarum. Alter ad meridiem μεσόγαιος, prope Hebronem in tribu Judæ, de quo Jos. 15.55. In priori habitavit Elias, & altare Deo erexit: & per insigne miraculum, coram Israëlitis præstitum, Baalitas confutavit, & veri Dei cultum restituit. Sed & illud ipsum altare postmodum in superstitionem versum, & Jovi consecratum est. Unde Scylax, ex doctissimi Vossii emendatione Κάρμηλος ὄρος, καὶ ἱερὸν Διός. Quamvis in eo Tacitus *Hist.* 2. templum ullum fuisse neget, sed montem ipsum asserat pro Deo fuisse cultum: *Est*, inquit, *Judæam inter Syriamque Carmelus. Ita vocant montem, Deumque. Nec simulacrum Deo, aut templum, sic tradidere majores, aram tantùm & reverentiam.* Inde est, quòd in Suetonio Vespasianus Carmeli Dei oraculum consuluisse legitur. Ab hoc monte Carmelitæ, successores Eliæ & Elisæ, se jactantes, nomen mutuati sunt. Vide ibi. In altero monte Carmelo degebat Nabal, 1. Sam. 25. 2. Et ad hunc Carmelum referunt, quæcunque habent Prophetæ, de Carmeli pascuis. Jerem. 50. 19. Amos. 1. 2. Mich. 7. 14. Quæ tamen loca referri possunt etiam ad Eliæ Carmelum; Bochartus *de Anim. Bibl. Part.1.lib.2. cap.* 48. Hesychius, Κάρμηλος, ὄρος ἐν τῇ Φοινίκῃ.

Carmelus, prom. 10.mill. à prom. Albo in Austrum, prope Porphyrion & Caipham. Baudr.

Carmelus,vel *um*, promontorium in tribu Issachar, ubi S. Helena Ecclesiam construxit. Niceph. 8 *hist.* 30.

Carmenta, & *Carmentis*, vates Arcadica, Evandri mater, cum quo, ex Arcadia, in Italiam appulsa, benignè à Fauno Rege, 60. an. ante captam Trojam, A.M. 2810. excepta est. Dicta à *carminibus*, quibus dabat responsa, cùm propriè *Nicostrata* vocaretur. *Carmentalia festa*, Vide infra,& *Carmentalis porta*. Virg.

Et Carmentalem Romano nomine Portam.

Postea verò *Scelerata* dicta est, quòd per eam sex, & trecenti Fabii, cum clientum quinque millibus egressi, adversus Hetruscos, ad amnem Cremeram, omnes interfecti sunt. Ovid. *Fast.*

Carmentis portæ dextro via proxima Jano est,
Ire per hanc noli quisquis es, omen habet.
Illâ fama refert Fabios exisse trecentos,
Porta vacat culpâ, sed tamen omen habet.

Ita primum versum emendavit Doctissimus Nic. Heinsius cùm antea legebatur:

Carmentis portæ dextra est via, &c.

Idque ex Livii authoritate *lib.* 2. in hac ipsâ narratione: *Infelici viâ à dextro Jano portæ Carmentalis profecti.* Vid. Dionys. *ant. Rom.* Aurel. Victor. *de origine Rom.* Plut. *in Romulo.*

Carmentalia, erant festa, quæ annis singulis in honorem Carmentæ à matribus familias 18.Cal.Feb fiebant, in quibus aliquod scorteum, aut suâ morte peremptum attulisse erat piaculum. Ovid. 1. *Fast.* & Alex. ab Alex. 16. 8.

Carmides, vir Græcus, qui tantâ valuit memoriâ, ut quæ quis exegisset volumina in bibliothecis, legentis more repræsentaret. Plin. 7. 24. ubi tamen alii *Charmidas*, alii *Carneadas*, quidam *Carmadas* legunt.

Carmina, inf. Indiæ, pop. *Carmini* & *Carminai*. Steph.

Carminius, historicus Lat. qui libros aliquot de Italiâ scripsit, in quorum secundo ait, *Tuscos æneo vomere in condendis urbibus usos.* Rhod. 29. 6. Vide Macrob. *Sat. l.* 5. *c.* 19. Servium *in* 5. *&* 6. *libr. Æneidos*, Voss. *de hist. Lat. l.* 3. *p.*699.

Carminna, ins. Carmaniæ. Ptol.

Carmon, locus in Messeniâ, & templum Apollinis in Laconiâ, & in Achajâ flumen, & mons in Peloponneso. Est & Hisp. Bæticæ urbs Straboni. *Charmonia* apud Ptol. legitur. *Carmo* habent numismata. *Carmonia* fortè hodie. Baudr.opp. Turdetanorum in Hisp. nunc in Vandalitia prov. 2. leuc. à Bætifluv. Aliàs amplum & probè munitum, nunc parvi momenti, juxta Silicensem amnem.

Carmylessus, locus in Anticrago, monte Lyciæ, in convalle jacens. Strabo *lib.* 14.

Carna, sive *Cardinea Dea*, quæ vitalibus humanis præesse existimabatur: ab eademque petebatur, ut jecinora, & corda, & cætera, quæ sunt intrinsecus viscera, salva conservaret. Huic pulte fabariâ, & larido sacrificabatur. Jun. Brutus, pulso Tarquinio, in monte Cœlio ipsi sacrum fecit, 1. die 4. mensis, qui Junius ab illo dictus est. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 2. Ovid. *Fast.* 6.

Prima dies tibi Carna datur, Dea Cardinis hæc est,
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

Hæc striges nocturnas puerorum, ut dicebant, cunas infestantes, à limine submovebat. Rhod. 9. 8.

Carna, Arabiæ Fel. urbs, in *Minæis*, erat in illo tractu, ubi nunc Medina Tanalbi. Hic natus Mahometes pseudopropheta. Baudrandus.

Carna sylva, Germ. *KärnWald*, Subsylvaniam seu Undervvaldiam, sextum inter Helvetiorum pagos, in duas partes dividit, Superiorem, *ob dem Wald*, & Inferiorem *Nid dem Wald*, seu *Under dem Wald*: à qua posteriore toti pago nomen. Vide diversorum Auctorum *Remp. Helv.*

Carnabas, vir quidam crudelis, qui parentem suum Triopam Perrhæborum Regem interfecit. Rhod. 11. 17.

Carnaim, i. e. *Cornua*, pop. civitatis Astaroth. Gen. 14. Est & nomen civitatis, 1. Macchab. 5. in tribu Manasse. Sitæ ultra torrentem Jaboc, ad Septentr. munitæ ac magnæ. In reg. Galaaditica.

Carnana, urbs Minæorum, juxta rubrum mare. Steph.

Carnapæ, pop. circa Mæotim. Plin. 6.7.

Carnarius sinus, in Istria. Vide *Flanaticus.*

Carnasa, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Carnasius saltus, Peloponnesi vicus in Messeniâ. Pausan.

Carne, Phœniciæ oppid. ad montem Libanum. Plin. 5. 20. Baudrando, prope Cassium montem & ostia Eleutheri fluv. in ora littor. maris Mediterr. Est item urbs Stephano, à *Carno* Phœnicis filio dicta. Gentile *Carnites*. Est & alia Æolidis; Gentile *Carnaus*, Vide Steph.

Carnea, viculus in nono ab Ælia milliario, in tribu Benjamin Hier. *in Loc.*

Carneades, Cyrenæus, novæ seu tertiæ Academiæ princeps, Chrysippi maximè studiosus, de quo Gellius, itemque Plinius ait, scripturum adversus Zenonis Stoici libros superiora capitis helleboro candido purgasse, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilium usque animi redundaret, & constantiam, vigoremque mentis labefactaret. Physicâ neglectius habitâ, morali Philosophiæ se dedidit, studio tam pertinaci, ut discumbenti Melissa serva sæpe cibum aliud cogitanti ingerere cogeretur. Hunc præterea memoriæ arte usum fuisse, Cicero *de Orat.* scribit, & Quintilianus, missum Romam legatum ab Atheniensibus, unà cum Diogene Stoico & Critolao Peripatetico, suspectam fecisse Romanis legationem, dicente M. Catone in Senatu: *Ab hoc viro cavendum esse, qui ob eloquentiam & disserendi facultatem, facilè quacunq. vellet, impetrare posset.* Audito, Antipatrum venenum sumpsisse, idem fecit, obiitque Olymp. 162. Diog. Laërt. *in vita ejus.* æt. 85. U.C. 625. Eclipsi Lunari mortem comitante. Vide Gellium 7. 14. & 17. 15. Val. Max. 8. 8. Plut. *c. Colot.* Jonsium *hist. Phil.* Voss. *de Sectis Phil. c.* 14. Petav. *exercit. miscell. in Julian. cap.* 8. Cicer. *quæst. Acad. l.* 4. *&c.*

Carneades, alius Philosophus Atheniensis, Anaxagoræ discipulus. Suidas. Item, Poëta elegiacus, obscurus & frigidus. Diog.

Carneus, citharœdus, qui Terpandrum vicisse legitur.

Carneus, Apollo sic dictus à *Carno* vate, quem quidam Ales nomine interfecit. Hinc festa Carnea, seu ludi in honorem Apollinis, cujus Sacerdotes tenuerunt per 33. annos Regnum Sicyoniorum, post mortem Zeuxippi, 26. & ultimi Regis: ab Archelao, qui primus fuit, ad Charidemum usque, qui, cùm impensis par non esset, se subduxit, African. & Euseb. an. 879. & 889. *nativ. Abraha*: qui etiam de Ludis Carneis, 26. Olymp. Spartæ institutis, quibus Musicis præmia proposita, loquitur. Vide *Carnia.*

Carni, pop. supra quos Apenninus mons incumbit, Galliam Togatam inhabitantes: Venetis vicini, quorum regio hodiè *Carniola* dicitur. Baudrando pop. Italiæ, ubi nunc pars Oriental. Foro Julii & Comitatus Goritiæ, inter Liquentiam fluv. & Formionem, vulgò *Friuli.* Prov. ampla, sub Venetis, exceptis Aquilejâ, Tergesto & Goritiâ, quæ sub Austriacis. De Carnorum genere ac finibus vide Cluver. *Ital Ant.* 1. 19. & *Geogr.* 3. de agro itidem, fluminibus, urbibusque eorundem, quæ *Laubach* episc. *Krainburg, Cilly* Comit. *Mensburg, &c. cap.* 20. *ejusdem libri.* Hodierni incolæ, partim Slavi, partim Germani sunt. Ortel.

Urbes Carnorum.

Aquileja, *Aquilegia.*
Concordia.
Forum Juliũ, *Cividal di Friuli.*
Julium Carnicum, *Zuglio*, aliquibus, *Pontafella* aliis.
Noreia, *VenZone.*
Tergestum, *Trieste.*
Utinum, *Udine.*

Carni Taurisci, pop. Norici, versus Alpes Julias, ubi nunc Carniola, vulgò *Krain.* Vide supra.

Carnia, urbs Joniæ, Steph.

Carnia, vel *Carnea*, festa Apollinis, apud Spartanos, in quibus Terpander primus vicit.

Carnicum Julium, Ptol. Norici opp. hodiè *Villach* dictum, inter Alpes situm in Carinthiâ regione, *Gorithia* Leandro. Nunc *Pontafella*, Lazio, opp. partim in Forojulio, partim in Carinthia situm, 7. leuc. à Villaco in Austr. ubi transitus. Aliis est pag. *Zoel* seu *Zuglio*, prope fontes Buti amnis & oppidul. Moscardum, ad pedes Alpium; 4. leuc. Germ. à Pontefella in Occas. Baudr.

Carnifex, splendidi officialis appellatio apud Anglo-Saxones. Flor. Wigorn. in A. C. 1040. Rex Hardecanutus Alfricum Eboracensem Archiep. Godwinum Comitem, Stir Majorem domus, Edricum dispensatorem, Thrond suum *Carnificem*, & alios magnæ dignitatis Viros, Londinum misit. Hoc inde totidem verbis Hovedenus apud Henr. Spelmannum *Gloss. Archaol.*

Carnilius, ex 4. Reg. ad Cantium & mare. Cæs. *l.* 5.

Carnioburgum, opp. Carniolæ super. prope Savum fluv. quibusd. *Carrodunum.*

Carniola, vulgò *il Cragno*, regio Norici inter Alpes Julias, & Saum fluv. quæ etiam Japodes Liburnis finitimos complectitur. Pop. *Carniolenses.* Baudr. inter Carinthiam & Stiriam, in Boream, & Foro Julium Istriamque ad Austr. Croatiam autem ad Ort. Sub Austriac. Dividitur in Super. & Infer. Ejus caput est Laubacum.

Carnion, nomen Præsidii, in tribu Manasse. 2. Macch. 12. Item Laconiæ opp. Polybius. Arcadiæ item fluvius. Pausanias.

Carnithia, vide *Carinthia.*

Carnius, Hesychius: Κάρνειος ἐπίθετον Ἀπόλλωνος, ἴσως ἀπὸ Κάρνου τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης. Vel ἀπὸ τῶν Κάρνων, ἤγουν προβάτων. Pind. *Schol. p.* 276. Meurs. *Gr. Fer.* 51.

Carnius, mensis apud Athenienses, *Majus* dicebatur.

Carnodunum, Vindeliciæ opp. ad Danubium. Ptol. lege *Carrodunum.*

Carnon, Arab. Fel. opp. Plin.

Carnovaca, Scotiæ pop. Ptol. quorum reg. *Cathnesia*, vulgò *Cathnesse* ab aliquibus putatur, in orâ Orient. Tarvedum promuntorium versus. Baudrando erant in ultimo recessu Scotiæ Bor. prope oram Occid. inter Creones & Carinos, ubi nunc pars Occid. Stranaverniæ prov. Sanson, Alii.

Carnovia, opp. Silesiæ, regiunc. cognom. caput, ad Oppam fluv. Cum castro splendido, *Jägerndorff.* 3. leuc. ad Oppavio 4. à Ratiboria.

Carnovium, seu *Curnonium*, est *Estella*, urbs Navarræ, ad Egam amnem. Vide *Curnonium.*

Carnus, nomen Vatis, à quo Apollo *Carneus* dictus est. Pausan. Item opp. Pannoniæ super. nunc pag. Austr. *S. Petronel* Lazio.

Carnus, ins. Acarnaniæ. Steph. Vide *Carne.*

Carnutes, pop. inter Celtas, Andegavensibus Turonibusque finitimi, ac Oceano proximi. Horum meminit Cæsar *in suis Commentariis lib.* 4. cùm ait, *Carnutes Remorum erant in clientela, & Carnutum regio totius Galliæ media habetur.* Tasgetio Carnuti, cujus majores regnum in sua civitate habebant, Cæsar id reddidit, tertio pòst anno ab inimicis occiso. Gens inter Sequanam & Ligerim latè diffusa est: *Carnuti flavi* Tibullo *carm. ad Messallam.* Caput est *Carnutum*, seu *Autricum Carnutum* ab Autura fl. *Eure*, urbs ampla, ad Eburam fluv. Post metropolim civ. Senonum à veteribus prima ponitur, in prov. Lugdun. quarta seu Senonia. Recentiores in tertium locum rejiciunt, postquam Lutetia caput regni facta est. Hanc captam A. C. 743. incendit ac diruit Hunoldus, Aquitanorum Dux. Caput est ut dictum, gentis validissimæ, totam latitudinem Galliæ Lugdun. à Sequana ad Ligerim, quæ est 30. leucarum, obtinentis, æquali intervallo à Sequana & Ligeri, inter quos sita est, distans. In Carnutibus plures pagi: Blesensis, Vindocinensis, Durocassinus, *le Dreugesin*, Dunensis, Carnutinus *le pays Chartrain*, Pinciacensis, *le Pinceraïs*, Madricensis, Aurelianensis, Belsa, pars Pertici, ac trans Ligerim quoque usque ad Carum fluv. Secalaunia. Carnutes igitur, sicut Turones, & Andicari præ cæteris, ultra Ligerim amnem, intra fines Aquitaniæ partem aliquam agri sui habuere, habentque etiamnum, sed multo utrisque minorem. Diœcesis Carnutina è maximis Franciæ, dividitur à quibusdam in 4. novas diœceses seu Episcopatus: Blesensem, Vindocinensem, Durocassinum & Dunensem. In Eccles. Carnutena sex Archidiaconi sunt: Carnutensis seu major, Dunensis, Durocassinus seu Drocensis, Pinciacensis, Vindocinensis & Blesensis. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* Distat urbs 18. leuc. à Lutetia in Africum, totidemque ab Aurelia in Boream. Vulgò *Chartres.* Vide *Autricum* & *Carnutum.*

Carnuti, Germ. pop. inter Danubium, & Hercynium saltum. Plin. 4. 12. Vide omnino Cluver. *De Vindel. & Norico cap.* 5.

Carnutum, Galliæ opp. Episc. Zosimus. *Autricum* Ptolemæo. Tantæ vetustatis, ut prima ejus fundamenta à Gomeritis, paulo post Noachi tempora, jacta credantur. Alii Druidas & Sanorydas, Gallorum vett. Sacerdotes eam condidisse ferunt, quas prædixisse addunt, *Virginem parituram*, unde huic templum à Prisco, Romanorum in Gall. præfecto, erectum. Hujus incolæ libertatem suam acriter contra Romanos tuiti, postmodum à Cæsare victi & in societatem recepti sunt. Dein Comites urbs habuit. Franciscus I. Ducali dignitate illam ornavit, in gratiam Renatæ, Ferrariensis Ducissæ. A Rollone, Normannorum Duce obsessa, postea tota ferme in cineres redacta, an. 1019. à Ligæ partibus stetit, præterito seculo, sed capta est, ab Henrico IV. an. 1591. qui ibi coronatus. Cæsar *Comm.* Merula, Johann. Bonifacius *histor. Virgin. lib.* 2. *cap.* 1. Seb. Rouillard. *hist. Eccl. Carnut.* Du Chéne, *Antiquit. Gall. cap.* 1. *de Carnut.* Ecclesia Cathedralis hujus urbis antiquissima censetur Galliæ totius, & in diœcesi numerantur 30. Abbatiæ, 297. Prioratus, 1300. parœciæ. Hîc Concilium an. 1124. 1146. quo S. Bernardus, militiæ sacræ caput constitutus, &c. Morerius *in Diction. historico.* Vide quoque *Carnutes.*

Carobertus, seu *Carolus Robertus* Hungaris, Carolus II. Hung. R. fil. Caroli Martelli, nepos Caroli Claudi, Regis Siciliæ & Comitis Prov. Hujus Martelli mater Maria erat, filia Steph. IV. hinc jus in Hungariam, quod dubium Caroberto patruus Robertus facere conatus, à præcipuis Jurisconsult. rejectus est. Carobertus ergo, jam Andreâ ab Hungaris electo, vi thronum asseruit, victis ingenti prælio Hungaris, sub Matthæo Palatino Trinchiniæ. Unde quies, & ob suave regimen, Caroberti amor. Ductâ Mariâ primò Casimiri fil. & Elisabethâ, filiâ Ladislai, reliquit filios duos, Ludovicum Magnum, Poloniæ Regem, & Andream, maritum Johannæ I. Neapolitanæ. Obiit an. 1342. regni 32. Bonfin. *libr.* 9. *dec.* 2. Thurosius *cap.* 96. *Chron. Hungar. p.* 2. *cap.* 99.

Carobria, vicus Gall. in finibus Biturigum, pontes olim habuit Caro impositos, hinc nomine mutuato. Nunc *Chabris.* Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Caroburgus, urbs Normanniæ, in tractu Constant. ad mare Britann. munita cum portu utcunque capaci. Vulgò *Cherbourg.*

Carocotinum, locus Galliæ, ad mare non procul ab ostio fluminis Suminæ. Hodie *Crotoy.* Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Carodunum, German. urbs. Ptol. hodie *Cracovia*, in Poloniâ. Vide *Carrodunum.*

Caræa, Sarmatiæ Europææ vicus. Ptol.

Carolesium, regiunc. Duc. Burg. cujus caput *Carolia*, urbecula lepida, ad amnem Reconsam, 6. leuc. à Cluniaco & Ligeri fluv. sub dominio utili Hisp. Gallis *Charolois.* Inter agrum Matisconensem

sem & Burbonium Duc. Veterum fuit Burgundiæ Ducum, dein ad Borbonios, Armeniacos, tandem ad ultimum Burg.D.pervenit. Per hujus filiam Mariam Austriacæ familiæ obtigit; cui hoc seculo à Gallis ereptus, restitutus est Philippo IV. pace an. 1659. initâ, superioritate Galliæ R. semper reservatâ.

Carolo-Bergomum, urbs Bavariæ, vulgò *Karlesperg.*

Carolomannus, vide *Carlomannus.*

Carolomontium, opp. Belgii, cum arce, an. 1555. à Carolo V. excitata in monte, juxta Mosam, in Namurc. Comit. medium inter Carolopolim & Namurcum.

Carolopolis, urbs nova & munita Gall. ad Mosam fluv. in agro Retelensi, ubi antea pagus *Arches.* Ei insidet ex altera parte fluv. Mons olympus, arx munita. 5. leuc. à Sedano, 3. à Rupe regia.

Caroloregium, fortalitium Belgii, ab Hispan. excitatum, anno 1666. in monte, prope Sabim fluv. in Comit. Namurc. in confin. Hannoniæ, ubi aliàs vicus *le Charnois.* Gallis subest ab anno 1667.

Carolostadium, Franconiæ opp. vulgò *Karlstatt.*

Carolostadium, urbs nova Germ. & probè munita, in Vinidorum Marchia, ad confluentias fluvior. *Kulp* & *Meresvviz*, à Carolo Archid. condita contra Turcas. Alii in Croatia ponunt, quod mel. forsan. 2. leuc. à Metelinga in Ort.

Carolostadium, opp. Sueciæ, in parte Ostro-Gothiæ, *Wermelandia*, loco Tinguallæ civ. à Carolo IX. extructum, juxta Venerum lacum. 25. mill. à Philippostadio in Occas. Malè habitum à Danis an. 1644.

Carolostadius Andreas, Archidiaconus primò Wittembergensis, Lutheri intimus amicus, eum Doctorem Theologiæ renuntiat, an. 1512. dein Evangelii luce illustratus, disputat cum Eccio, de libero Arbitrio, an. 1519. absente Luthero ejicit imagines è templis, an. 1521. edito de Sacerdotum conjugio & votis Monasticis rescindendis, libro Bartholomæum Bernh. Feldkirchium, præpositum in oppido Kemberg secutus, ducit uxorem, an. 1522. Notatur literis alphabeti A. B. C. D. *in* 1. *ep.* Melanchthonis ad Camerar. id est, Andreas Bodenstein Carlstadius Doctor. A Luthero docente, *Christum in pane S. Cœnæ tantum esse, quantus in Cruce pependisset*, dissentit, mysticum verborum sensum ex Scriptura urgens. Rotenburgi per totam hyemem latet, an. 1525. Basileam venit, ubi eum an. 1543. à Dæmone strangulatum, cùm è Ministrorum Basiliensium literis, se referre dicat Morerius, *in diction. magno*: Adjicere visum est ex Viri Sancti, Joh. Jac. Grynæi, Antistitis Basil. ad Barthol. Pitiscum, Concionatorem aulæ Elect. Palatin. 1601. literis, d. 18. Martii scriptis sequentia: *Illud significare visum est, postquam à Luthero, quem natu major & dignitate superior doctorem creârat Carolstadius, è Saxonia pulsus esset per annos decem, Ecclesiæ Petrinæ fideliter præfuisse Rectoris in Academia nostra munere functum cum laude: Εὐσεβείας & disciplinæ amantem fuisse: inculpatè vixisse, obdormivisse piè, eo ipso tempore, quo D. Petrus Boquinus Basileæ vixit. Monstrosum mendacium, de Diabolico spectro, quo ante obitum turbatus sit, auctori Satanæ relinquimus. Qualis vir visus sit Oecolampadio, in hujus dialogo videre est*, &c. Vide Bucholcerum, *Ind. Chronol.* &c.

Imperatores.

Carolus I. cognomento *Magnus*, Pipini Francorum Regis filius, primò Francorum Rex, postea etiam primus Occidentis Imperator. Natus Ingelhemii prope Moguntiam, an. 742. vel secundùm alios, 747. Post patrem, coronatus Novioduni, an. 768. vicit Hunaldum, ducem Aquitaniæ, & Lupum Vasconum ducem, à Carolomanno fratre contra se excitatos. Quo mortuo Galliæ Monarcha, Saxones attrivit, prope Osnabrugum, destruxitque famosum Deastri illorum *Irmensul* templum. Desiderium, Longobardorum R. ab Adriano vocatus, prælio vicit, & Paviæ captum, in Galliam secum duxit, fine sic regno huic imposito, an. 776. postquam 200. an. stetisset. Donationem à patre Pipino Stephano II. factam, ratam habuit, addito territorio Sabinæ, Ducatus Spoletani & Beneventi. Saxones denuo aggressus, 33. an. spatio, ad Christianismum perduxit, etiam magno illorum Rege Witekindo baptizato. Dein Saracenos in Hispania, an. 778. oppressit, Alphonso Castro à tributi necessitate liberato, à Vasconibus, in reditu lacessitus, Rolandum, nepotem suum amisit. Post hæc Aragisum, Desiderii generum, hujusque filium Adalgilum, à Tassilone Bavaro excitatos, compescuit. Pipinum filium Italiæ, Ludovicum Aquitaniæ R. creavit. Saxones rebelles, tertiâ vice, domuit, Britonibus etiam victis: Tassilonem Bavariæ, & Aragisum Beneventi duces, soceri Desiderii exilium vindicaturos, subegit, illo cum filiis in monasterium detruso. Cum Hunnis ab eodem evocatis rem habuit, quos an. 788. post octennale bellum, fregit: Rhenum Danubio jungere frustra conatus. Turbas postmodum Romæ ob Pontificem Leonem ortas composuit, Imperator Occidentis coronatus an. 800. postquam Irenes conjugio excidisset, sic cum Nicephoro Imper. pactus, Venetos in medio utriusque Imperii liberos pronunciavit: apud omnes *Magni* & *Augusti* nomen promeritus. Interea, cùm imaginum non usus tantum historicus, sed & veneratio, annitente Irene Synodo Nicænâ, quod Oecumen. 8. Concilium fuit, restituta esset, actaque hujus Concilii Adrianus ad Carol. M. misisset, ut ea Germaniæ, Galliæque Episcopi approbarent, Carolus Francofurti Concilium 300 Episcoporum an. 794. celebravit, in quo *Imaginum usus historicus quidem approbatus, sed adoratio damnata, Græcorum Nicena Synodus destructa, acta rescissa sunt*, &c. Refutatio etiam ejus sub nomine Caroli M. contexta. Sigon. *lib.* 4. Chemn. *in exam. de imag.* Porro, jam Imperator Theodorum Hunnorum Caganum, pulsum à Lecho, per Carolum filium propugnavit, Saxones devictos, alios in Franciam, unde Brabanti & Flandri, alios in Hungariam, unde Septemcastrenses, transtulit: Helmstadium, contra Vandalos, Dresdam contra Bohemos, Naumburgum contra Sorabos, Hamburgum contra Danos, condidit. Pipino, ac Carolo filiis amissis, Ludovicum minimum natu Imperatorem, Bernardum è Pipino nepotem, Regem Italiæ creavit, maximâ bonorum parte Ecclesiasticis & pauperibus legatâ. Ei jam Imperatori Romæ datum, ut *per singulas provincias Archiepiscopos*, &c. *institueret, Pontificem eligeret, sedemque Apostolicam ordinaret*, Sigon. *lib.* 4. Itaque & Leo Papa, ipse juramentum subjectionis ac fidelitatis dixit. In singulis monasteriis & Episcopiis, scholas esse jussit, ubi Grammatica, Musica & Arithmetica doceretur, Sigibert. *in Chron.* Rhegino *lib.* 2. Textus Evangeliorum & Epistolarum singulis Dominicis, operâ Pauli Diaconi adaptavit, Synodos varias habuit, &c. Literatorum insignis fautor, Grammaticam Teutonicam ipse scripsit, mensium ventorumque nomina Germanica esse jussit, &c. Obiit pleuritide, an. 814. Aquisgrani, ubi tum aula, æt. 72. regni Francici 45. Italici 42. Imperii 13. Plura de ipso, Eghinart. & Acciajolus, *in vita Caroli M.* Aimon. Ado, Sigon. Blond. *dec.* 2. *lib.* 3. P. Æmil. *l.* 3. Crantzius *lib.* 2. Baronius, &c. Paucis, Hunnos, Saxones, Longobardos, Bavaros multis præliis fregit, Aquitaniam subegit, Vascones perdomuit, Pannoniam vastavit, multa in Hispaniâ prælia commisit, quinque concilia coëgit, Scholam Parisiensem instituit, multasque in Italiâ Sanctorum hominum res gestas literis prodendas curavit, ventis, & mensibus nomina imposuit; ædes sacras plurimas extruxit; denique omnium, qui unquam fuerunt Principum, belli, pacisque artibus longè clarissimus fuit.

Carolus II. Calvus, ultimus fil. Ludovici Pii, ex Judita, Velfi Bavariæ Comitis filia, Franciæ Rex, an. 840. post multas cum fratribus de regni jure controversias, tandem etiam Imperator factus. Prius cum Fratre Ludovico, fratrem maximum natu Lotharium, vicit, ac utroque mortuo, cum Ludovici fil. negotium habuit. Lothario Rege Lotharingiæ, filio Imper. cognominis Placentiæ mortuo, Metas advolans Carolus, coronam ibi sumsit. A Britonibus victus, Robertum Saxoniæ Principem iis opposuit, Hollandiæ Comitem primum Theodoricum creavit, ut Normannis resisteret, à quibus domi in tantas angustias redactus est, ut illis Neustriâ, hinc *Normanniâ* dictâ, cedere cogeretur, an. 875. Aquitaniam sibi, Pipino & Carolo patruelibus, in cœnobia relegatis, semel prius victus, subjecit. Post hæc Ludovico fratri Imperium, conciliato sibi Johanne IX. præripuit, Christianissimus ab eo dictus, an. 875. Carolomannum fratris filium, contra se missum, elusit, Italiæ regnum sibi vindicaturus, à Bossone impeditus est, fratris etiam liberis regnum rapturus, judicio calidæ aquæ, & ferri candentis, convictus primùm, dein cùm desistere nollet, à Carolo Crasso acie superatus, paulo pôst in Galliam reditu parato, à Sedechia Judæo Medico, veneno propinato, obiit, an. 877. Ex Ermentrude, filia Odonis, Comitis Aurelian. pater Ludovici Balbi, successoris, Caroli, Lotharii, à patre excæcati & Juditæ: Aimon. *lib.* 5. *cap.* 32. Rhegino *lib.* 2. Paul. Æmilius *lib.* 3. Sigon. *lib.* 5. *ad an.* 877. Annales Fuldenses, Tilletus, Ado, &c.

Carolus III. Grossus vel Crassus, 7. Romanorum Imperator, Ludovici II. Germ. Regis fil. tertius Lotharingiæ, Alemaniæque Rex, an. Dom. 881. prius Carolo Simplici, adhuc minorenni, post Carolomanni mortem, Galliam administraverat. Longobardorum regno occupato, Imperator coronatus est, à Joh. IX. qui quòd Balbum prius vocaret ad Imperium, à Romanis in carcerem conjectus fuerat. Fratrum ditiones, iis mortuis, adiit. Cum Normannis, traditâ Godofredo duci Frisiâ, ac in uxorem Giselâ filiâ Lotharii elocatâ transegit. Post tamen, cùm Hugonem Lotharii nothum ad occupandam Galliam armaret, eum trucidari, Hugoni oculos erui curavit. Hinc animo & corpore æger, divortio cum Richarde conjuge facto, Germanorum iras incurrens, Arnolpho nepoti Imperio cedere coactus, Obiit an. 888. in obscuro Sueviæ pago, in summa paupertate. Sepultus in Abbatia de Richenow, in Insl. Lacus Constantiensis. Aimon. *lib.* 5. *cap.* 40. P. Æmil. *lib.* 3. Rhegino *lib.* 2. Sigebert. *in Chron.* Otto Frising. Matth. Vossius, *Annal. Holl. l.* 1. *p.* 7.

Carolus IV. Dux Lucemburg. filius Johannis, Bohemiæ Regis, Nepos Henrici VII. Imper. à Clemente VI. contra Ludovicum Bavarum, Imperator dictus, sed ab Electoribus non admissus, æmulos Eduardum Anglum, Fridericum Thuringum, & Guntherum Schvvartzemburgicum habuit. Quorum illi duo cùm mox renuntiarent juri suo, à tertio Carolus per matrimonia Electores sejunxit, etiam veneno, ut ajunt, propinato. Sic Imperio potitus an. 1347. prælio Cresciacensi, quo Johannes Galliæ Rex, ab Eduar-

Eduardo victus captusque erat, interfuit, patre Johanne ibi amisso: & in Italia coronatus anno 1355. Galeacium ejusque fratrem Barnabam Vicecomites, Imperii vicarios creavit: statimque ut jusserat Papa discessit, *ô infamem diem, ô pudendum fœdus, ô superi!* exclamante Petrarchâ. Anno pôst Auream Bullam in Comitiis Norimbergæ condidit. Ut Wenceslaum ad Imperium promoveret, ex illius patrimonio plurima abalienavit, Sigismundo alteri filio Marchionatum Brandenburg. emit, Electoratum contulit. Pragam, quam lateritiam acceperat, marmoream reliquit, templa & monasteria plurima erexit, Moltavam ponte sumtuosissimo stravit, Arcem splendidam & Academiam Pragæ erexit. Historiam rerum à se gestarum ipse scripsit, ubi inter alia, in exordio, *quid valet*, inquit, *nobilitas generis, aut rerum affluentia, nisi adsit pura conscientia cum fide recta, spe sancta resurrectionis.* Plurimarum linguarum præterea notitiâ clarus, obiit Pragæ Anno 1378. æt. 63. Imperii 32. Crantz. *metrop.* Æneas Sylv. & Dubravius, *hist. Bohem.* Cuspinian. *histor.* Trithem. Onuphr. *Chron.* Blondus *dec. 2. lib. 10.* Platina *in vitis, &c.*

Carolus V. fil. Philippi I. Archid. Austriæ, ex Johanna Castellana, nepos Maximiliani I. natus d. 24. Febr. Anno 1500. Hispaniæ Rex, Anno 1517. Romanorum Imperator, Anno 1519. per Europam omnem bellum gessit, & triumphum egit, Hispaniam suam tumultuantem compescuit, Belgas rebellantes in ordinem coegit; In Italiâ Mediolanensem ducatum primò fœderatis, pôst sibi asseruit; Pontificem, Florentinos, Senenses, Genuenses, vel erexit socios, vel hostes afflixit. In Germania Solymannum Viennâ depulit, Protestantes acie victos sub jugum misit. Et quasi Europa tot victoriis angustior foret, transmissus in Africam, barbaris gentibus regem dedit; arcemque posuit, ubi antè nec licebat stare. Sed quid hæc bella ad Gallicum? Nam Carolus nihil omisit, quo Franciscum rivalem gloriæ tot triumphis adjungeret. Hunc proin ex Italia, ademto Mediolanensi ducatu, ejecit, redeuntem ad ingenium, vicit ad Ticinum, cepitque, An. 1525. Clementem VII. bella contra se cientem, duce Borbonio, aggressus, Romam expugnavit, *quoties oppugnationem iterabat, cadente nebulâ, & Pontificis prospectum adimente,* Thuan. *lib.* 1. Camer. *in hist. Romæ captæ.* & per Hispanos inprimis diripuit, *aliquo Papali habitu cum meretrice in equo per urbem circumducto,* P. Jov. *in vita Pomp. Columnæ.* Pontificem in mole Hadriani ad incitas redegit, Anno 1527. In Germania tam ipse præsens, quàm per fratrem Ferdinandum, varios conventus, ut dissidia religionis componerentur, egit. Colloquia Theologorum utriusque partis crebro instituit, Confessionem Augustan. à Principibus oblatam audivit. Quibus ad Mulbergam victis, librum *Interim*, formulam fidei continentem, permisso conjugio Clericorum & calicis usu, usque ad Concilium, Germaniæ obtrusit. Donec à Mauritio Saxone, Philippi Hassi captivi genero, Oenipontè, in fœdam fugam conjectus, impedimentis omnibus amissis, & ad pacem Protestantibus dandam coactus est, Anno 1552. quo Passavii conclusum, *propter religionem nulla cuiquam exhiberetur molestia.* Cœterùm Peruviam & Mexicum novi Orbis terras, Ferdinandi Cortesii præclarissimas victorias, à Pizarro vel ignoravit diripi, vel dissimulavit. Tandem post Metas frustra obsessas, anno Christi 1555. Imperii 36. vivus & vegetus se hæredibus tradidit, donumque concessit ab omni memoriâ locupletissimum Ferdinando Fratri Imperium, ac regna cætera Philippo filio: In Hispano secessu duobus annis sibi superfuit, imo sibi vixit, si vita mortis commentatio est, Bernhardi lectioni præcipuè deditus. Obiit Anno 1558. æt. 58. Imperii 36. P. Jovius Guicciard. Thuan. Strada, &c. Filius ejus Philippus, *Carolum* filium habuit, quem tum adhuc unicum, an. ætatis 24. morte affici jussit, Anno, quo

FILIUs ante DIeM patrIos InqUIrIt In annos.

Carolus II. Hisp. Rex, ejusdem Imper. abnepos, Philippo IV. Patri successit, Anno 1665. sub tutela Annæ Mariæ Austriacæ matris.

Reges Galliæ.

Carolus I. & *II.* Vid. *inter Imperatores.*

Carolus III. cognom. *Simplex*, fil. posthumus Ludov. Balbi & Adelaidis. Quo adhuc minorenni Carolus Crassus, & post eum Odo, regno præfuerunt. Coronatus est Anno æt. 14. mense 4. die 11. annitente Fulcone Arch. Remensi, magni animi viro, A. C. 891. postquam ipse Odo moriturus monuisset Proceres, illum legitimum Regem suum agnoscerent. Pacem iniit cum Lotharingiæ duce & Normannis, quorum dux Rollo Roberti nomen baptizatus assumsit, Gislâ Regis filiâ ductâ. Sed cùm Rex dependeret à consiliis Haganonis, desertus à proceribus, & Robertus, Parisiorum Comes, substitutus est, Anno 922. quem in prælio ipsemet lanceæ ictu occidit. Interim Regi à factiosis Rodolpho Burgundiæ R. opposito, Herbertus II. Comes Veromanduorum in carcerem eum compegit, ubi sex pôst annis obiit, an. 929. æt. 50. Relicto fil. Ludovico, ex Ogina, filia Eduardi I. successore.

Carolus IV. cognom. *Pulcher*, fil. Philippi Pulchri, post Ludov. Huttinum, & Philippum Longum, fratres, Galliæ R. Anno 1322. titulo etiam Navarræ R. assumto, ob matrem Johannam, fil. Henrici I. ex Blanca Artesia. Plurimos, exactionum convictos, & redituum malè administratorum, partim carcere, partim morte puniit. Ludovicum, Flandriæ Comitem, contra Robertum, tuitus est. Eduardo infensus, quòd inaugurationi suæ non interfuisset, per Carolum Valesium, ferme totam Guiennam occupavit, à Regina Isabella, sorore suâ, cum Eduardo fil. in Galliam veniente, placatus. Imperium à Papa oblatum repudiavit. Obiit an. 1327. æt. 34. regni 6. sine mascula prole.

Carolus V. cognomine *Sapiens*, Francorum Rex, Joannis Regis fil. Primus Delphini titulo, ante regnum, insignis, Dux Normanniæ quoque fuerat, & Patre in captivitate detento, Regens, cui successit, Anno 1364. Temporum suorum turbulentissimum statum suâ prudentiâ emendavit; pacis artibus etiam bellicas res feliciter administrare doctus, ita ut quæ pater ejus armatus amiserat, inermis in cubiculo sedens recuperarit. Unde Rex Angliæ dicere solitus, *nullum sibi hostem, qui illo minus armaretur, & plus negotii facesseret.* Froissard *lib.* 2. Per Bertrandum Guesclinum & Maresch. Bucicaldum, vicit Carolum Navarræ Reg. in Normannia; Carolum Blesensem in Armorica contra Johannem Montfortium conatus est defendere, sed hic æmulum interfecit, Guesclino capto, quem liberatum Rex in Hisp. misit, contra Petrum crudelem. Angliæ Regem, quòd Vasalli fidem non præstaret, à Parlamento condemnatum magnâ parte ditionum, quas in Gallia habebat, exuit, terrâ marique victor. Biblia sacra, à Nicolao Oremo, in Gallicam linguam verti curavit: ad exemplum Lud. IX. qui idem suo tempore Theologis imperaverat, Baleus *l. 6.* V. quoque in voce *Oremus.* Majora conatus, obiit, Anno 1380. æt. 42. regni 16. prius jam veneno debilitatus, à Navarræ R. propinato, cujus vim Imperatoris medicus aliquousque retuderat. Relicto ex Johanna uxore, Carolo. 6.

Carolus VI. Franciæ Rex, successit Patri Carolo 6. an. æt. 12. coronatus an. 1380. per initia imperii satis felix, suppressis seditiosis, dictis *Maillotins*, nobili eriam de Flandris victoriâ ad Rosebecum, Anno 1382. victo Philippo Artevilla, rebellionis, contra Ludovic. de Marle, Flandriæ Comitem, duce, insignis, in morbum incidit, cùm contra Johannem Montfortium, Britanniæ min. D. expeditione susceptâ, Sole nimis fervido, iter faceret, accedente apparitione hominis ignoti, qui ipsum monebat: *Siste, proditus es*; imprudentiâ ministri, qui dormiens in equo lanceâ galeam ejus percussit, & tandem quorundam personatorum infelici spectaculo: cujus occasione à suis contemptus, multis seditionibus agitatus, tandem inter Anglorum, qui anno 1415. pugnâ *ad Azincourt* victores, in regno impunè grassabantur, manus moriens, Anno 1422. regnum eis reliquit, coactus filium exhæreditare, quæ res innumeras calamitates utrique populo attulit. Ex Isabella Bavarâ, Galliæ furiâ, præter plurimos alios utriusque sexus, Carolum successorem suscepit. Monstrelet, Froissard. *Joh. Juvenalis de Ursinis, Laboureur, & Iean de Serres Invent. in Carolo. 6.*

Carolus VII. cognom. *Dilectus*, Rex Franciæ, homo egregiè exercitatus, primùm enim ab Anglis omni penè regno exclusus, ut etiam per jocum *Rex Biturigum* diceretur, eos posteà tantâ felicitate persecutus est, ut nullus eis locus in Franciâ relinqueretur, ubi in suo pedem ponerent. Habuit cognom. *Victoriosi*, natus est Anno 1403. Regentis titulum sumsit Anno 1418. coronatus post obitum patris Pictavii, tum cùm mater ejus cum Anglis colludens, Henricum VI. Angliæ R. Lutetiæ Regem proclamari curâsset. Dein iterum Remis, Anno 1429. quam urbem, ope Johannæ d'Arc, Vid. ibi, præter plurimas alias recuperaverat, ejus ut & Comitis Dunensis ministerio, contra Anglos, felicissimè usus, quos Gallia penitus, Caleto tenus, expulit. Postea Ludovicum Delphinum infestum sensit, qui ad Ducem Burgundiæ perfuga, 14. an. ab aula abfuit, non nisi patre mortuo reversus. Rex venenum timens, cùm à cibo septiduum abstinuisset, fame periit, Anno 1461. æt. 58. regni 39. Ludovico XI. filio successore relicto. Heroldus *hist. Caroli. 6. & 7.* Joh. de Serres, *in Inventario histor. Gall.*

Carolus VIII. cognom. *Affabilis*, fil. Ludovici XI. ex Carlota Sabauda successit patri, qui noluit plura filium Latinè scire, quàm pauca hæc, *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*, anno 1483. æt. 13. Eo minorenni, soror ejus Anna, Regens, vicit, per Ludov. II. Tremollium, Ludovicum Ducem Aurelian. regimen ad se trahere conatum, in Armorica, Anno 1488. Postmodum Annam Ducis ultimi filiam, jam Maximiliano Imper. desponsatam per procuratorem, sibi junxit, ei Margaretâ filiâ, cui ipse prius fidem conjugii dederat, remissâ. Dein, cùm hæres Renati Carolus Ludovico XI. jure suo in regnum Neapol. cessisset, hoc sibi asserturus, Anno 1494. in Italiam transiit, ibi multa correxit, Romæ Alexandro 6. investituram regni Neap. & coronationem velut Imperatoris Constantinop. extorsit, inde an. 1495. regno intra quadrimestre occupato, unde Alphonsus R. cum filio Ferdinando, conscientiâ scelerum magis, quàm vi Caroli, ejectus profugerat. Pôst à Ferdinando Hispano fugatus, à Venetis in regressu victus, & impedimentis exutus, Neapolitanum

num regnum, Gallorum insolentiâ subditis irritatis, Ferdinando recipiente & patrueli Friderico relinquente amisit. Redux domum, amisso prius filio trienni, subitò, paulo ante prolocutus: *spero me nihil facturum amplius, quo Deum offendam*, in loco sordido, obiit, Ambosiæ, Anno 1498. æt. 27. regni 14. Guil. de Jaligny, *in ejus Vita*. Belleforestus, *de novem Carolis*. P. Jovius, Guicciardinus, Joh. Serres, &c.

Carolus IX. fil. Henrici II. ex Catharina Medicæa, natus Anno 1550. Egregiis à natura dotibus instructus: Sed à Matre in transversum actus est, venationi inprimis frequenti adhibitus, in quâ cæsarum ferarum vulneribus cubitotenus brachium immergere puer admodum didicit, ut cruori assuesceret. Successor fratris Francisci II. æt. an. 11. quòd edicta, in gratiam Protestantium lata, non servaret, Bello civili denuo ansam dedit. Quo Anna Montmorantius ad Fanum Dionysii cum Condæo & Coliniis fratribus collisus, ex vulnere accepto obiit, an. 1567. postquam Anno 1562. ad urbem Druidum similiter conflixissent, utriusque exercitus duce capto. Cùm verò Condæus, Casimiri Palatini copiis auctus, jam terribilis esset, decreta revocata, religio concessa, amnestia sancita. Mox religio & cultores ejus rursus proscripti, quibus Rupella asylum fuit, & brevi res iterum egregiæ, ut Condæus sæpe usurparet vocem Themistoclis, *Periissem nisi periissem*; Anno 1569. tamen in pugna Bassacena captus, & contra datam fidem occisus. Quo sublato, perculsos fœderatos Johanna Labretana erexit, donec an. 1570. rursus pax facta, libertas religioni data, amnestia proclamata. Et quia hactenus pellis Leonina non juvit, vulpina induta, ac sub prætextu nuptiarum Henrici Navarri, cum Margareta, Caroli sorore, *Laniena Parisiensis* secuta, dictitante Catharina, *necesse esse unam partem regni perire, ut altera incolumis servetur*. Sed Reformatorum conclamatas res Rupella, strenuè se contra Henricum Andium ducem, Caroli fratrem, defendendo restituit, è propugnaculo, cui *Evangelii* nomen, hostibus inprimis infestatis. Rex verò, cui ab hoc tempore, somnum nocturni horrores plerunque interrumpebant, frustra Symphoniacorum puerorum solatio implorato, Anno 1574. post dolores adeo pertinaces, *ut se mori diu ante mortem senserit*, extinctus est, quum 14. diebus ante mortem, *nil nisi sanguinem è corpore fluere vidisset*, æt. 24. regni 13. Cœterum Poëseos & Venationis, V. supra de qua etiam tractatum dictasse Villaregio dicitur, insignis amator. Maritus Elisabethæ Austriacæ. Relicto successore Henrico fratre. Plura de eo V. apud Jac. Aug. Thuanum *lib.* 26. *& seqq.* VilleRoy, *Memor. Caroli IX.* Vide quoque *Guido Faber*.

Carolus Borbonius Cardinalis, post Henr. III. mortem, ab Henotica factione, rex Galliæ proclamatus est, cusis & signatis nomine Caroli X. nummis, additoque ipsi Vicario, Duce Meduanio. Sed personatus hic Rex, paucis pòst diebus, in Navarræi custodia, ex calculi doloribus, exspiravit, Anno æt. 66. Hic verò jam prius in castris Rex proclamatus, felicibus auspiciis thronum conscendit, Henricus IV. seu Magnus dictus, V. ibi.

Carolus, primogenitus Caroli M. Rex Franciæ Orientalis, testamento Patris dictus, Anno 806. magnâ diligentiâ reliquiis Idololatrarum, è Germania exstirpandis, incubuit, vicit Bohemos, [duce illorum Lecho occiso], superavit Slavos Sorabos, trans Albim habitantes. Obiit improlis, Anno 811. Eginhart. *in Vita Caroli M.* Aimon. *l.* 4. *hist. Gall.*

Carolus Martellus, Magister palatii, seu Majordomus, fil. Pipini, ex Alpaide, Anno 694. à Plectrude, quam Pater repudiaverat, in vincula conjectus, mox inde liber, Raimfroidum Majorem D. aggressus vicit, Anno 717. Saxonas dein, Alemannos, Bavaros, Noricosque sub jugum misit. Chilperico Rege superato, Lotharium Dagoberti fil. regno admovit, quo mortuo, Chilpericum resumsit, cum Luitprando amicitiam, misso Pipino filio, inivit. Ab eo adjutus, Saracenos ab Eudone, Aquitaniæ duce, evocatos, cæcidit, Anno 732. Burgundiam dein, & Aquitaniam subjugavit, Saracenosque secunda vice in Galliam reversos expulit. Chilperico mortuo, Theodoricum Dagoberti fil. substituit. Ex Majore D. Princeps Franciæ pronuntiatus, Obiit Cressiaci Anno 741. æt. 55. regiminis 26. Relicto Carlomanno & Pipino Curto, capite secundæ familiæ regiæ. Brevi post mortem, sepulchrum inane, & serpens solùm ibi repertus. P. Æmilius *in hist. lib.* 2. Sigon. *l.* 3. Fredegarius, Sigebertus, Aimonius, Anastasius, *in Gregorio* 2. &c.

Carolus Valesius, cogn. *Defensor Fidei*, fil. Philippi Audacis R. ex Isabella Arragonia. Caput Valesiæ familiæ, quæ regnum tenuit 260. an. ab an. 1328. quo Philippus, filius ejus regnare incepit, usque ad annum 1589. quo Henr. III. obiit. Arragoniam sibi Valentiam, & Comitatum Barcinonensem à Papa oblata, hac lege, ut occupet, sprevit. Post mortem Philippi Pulchri, curam regni gessit, Anglis in Guienna bello illato. Dein à Bonifacio IX. Vicarius Gen. & Defensor ditionum Ecclesiæ creatus, Florentiam profectus est, Albörum & Nigrorum factiones sublaturus. Prioribus pulsis Dantem Poëtam in carminibus suis infestum sensit, &c. Obiit an. 1325. V. Duchêne, Choletum, SanMarth. Dominicum, Du Bouchet, &c. *Genealog. Famil. Gall.*

Carolus, fil. Caroli II. Rex Aquitaniæ, coronatus, Anno 855. Obiit, an. 866. Item, fil. Caroli VII. caput Ligæ Boni publici, Anno 1465. Obiit an. 1472. cum veneni à Monacho quodam Benedictino propinati suspicione. Item, Comes Eusianus, Par Franciæ, in prœlio *ad Azincourt*, captus. Obiit Anno 1472. Item, Comes Alenconius, fil. Caroli Valesii, in pugna Cresciacensi, occisus, Anno 1346. Item, ultimus Dux Alenconius, fil. Renati, post mortem Ludov. XII. pro primo principe regii sanguinis agnitus. Obiit Anno 1525. Item, filius Ludovici, nepos Caroli V. in Anglia an. 25. captivus, obiit Anno 1465. pater Ludovici XII. Item, Comes Encolismæ, fil. Johannis Aurelianensis, obiit an 1496. pater Francisci I. Item Dux Borbonius, obiit an. 1456. ex Agnete Burgundica, 11. liberorum parens. Item, Conestabilis Franciæ, ex Ducibus Borboniæ, transiit ad Carolum V. Imper. in expugnatione Romæ mortuus, Anno 1517. Item, primus Dux Vindocinus, pater Antonii Navarræ R. obiit an. 1537. Item, Comes Suessionum, Par & magnus Galliæ Mag. filius Ludovici Condæi, Obiit Anno 1612. Item, Princeps Rupi-Sur-yonius, obiit an. 1555. Item *Carolus* Borbonius, Dominus de Carency, Anno 1493. *Vid.* Morerium.

Reges Hisp. Vid. *Carolus V. Imperator.*

Reges Navarræ.

Carolus I. Vid. *Carolus IV.* Gall. Rex.

Carolus II. Malus, Navarræ rex, fil. Philippi Comitis Ebroicensis, ex Ludov. X. Hutini Galliæ R. filia Johanna, cui Ordines regni, mortuo Philippo Longo & Carolo Pulchro, coronam detulerant. Coronatus est Pompejopoli, Anno 1349. Carolum Hisp. de la Cerda, Franciæ Conestabilem & Johanni R. charum, in Normannia, castro, ubi degebat, noctu expugnato, trucidavit. Cum Anglis non semel contra Galliam fœdus iniit, eloquio, dexteritate, ingenio, animositate abusus; modò scopo potiretur, nihil pensi habuit. Carolum Sapientem, seu V. tanto odio prosecutus est, quòd ab ipso adhuc Delphino, in vincula conjectus olim fuisset, ut illum cum reliquis sanguinis regii principibus, veneno quoque aggressus sit, sed frustra: Idem facturus Gastoni Phœbo, affini suo, similiter frustratus est. Tandem suum ipse funus vivus confecit, dum ad vires malè deperditas reficiendas, insutus est linteis aquâ ardente perfusis, ubi admota filo candela flamma concepta est. Ita mors in remediis quæritur, & telo, quo pellitur, sæpè vincit. Anno 1387. æt. 55. Carolum fil. successorem habuit. Froissard. *lib.* 3. Juvenal. de Ursinis, *in Carolo* 6. P. Æmyl. Belleforestus, Mariana, &c.

Carolus III. cogn. *Nobilis, & alter Salomo*, patri Carolo II. successit. Justus, mitis, benignus. Obiit Anno 1425. relictâ ex Eleonora Castellana, filiâ Blancâ, uxore Johannis Arrag. R. quæ Patri successit. Mariana, *l.* 18. 19. 20. Garibay.

Reges Neapolitani, Comites Provinciæ.

Carolus I. fil. Lud. VIII. cogn. *Leo*: frater Lud. IX. maritus Beatricis, Raimondi Bereng. Comit. Prov. filiæ, fratrem, à quo Comit. Andegav. &c. donatus erat, in Orientem secutus, postquam rediit, ab Urbano IV. & Clemente IV. contra Manfredum vocatus, Neapolisque & Siciliæ Rex creatus est, hac lege, ut 40000. aureorum sibi quotannis solveret, postquam Manfredum primò, fil. nothum Friderici II. ad Beneventum, dein Conradinum regni utriusque hæredem legitimum, prius quidem ad Aretium profligatus, in Marsis superasset: quem cum Friderico Duce Austriæ, ex annulo & liberali forma agnitos, è fugâ retraxit, & Clemente, feralem sententiam ferente, *Vita Conradini mors Caroli*, &c. cum 11. aliis Sueviæ Italiæque Proceribus, Neapoli, securi percussit: Carnifice illico plexo, ne gloriari posset, tam nobilem sanguinem à se fusum esse. Quæ sævitia Vesperis Siculis mox expiata, Nicolao III. cujus fratri regiæ puellam stirpis Carolus uxorem negaverat, dictitans, *etsi Nicolaus rubro galero utatur, ejus tamen agnatos regii sanguinis puellâ indignos esse*, Papir. Masson. *l.* 3. *hist.* conjurationis fabro, ipso Paschatis die, Anno 1282. quibus, dum campanæ ad vespertinas preces pulsarentur, omnes Galli interfecti sunt, prægnantibus quoque occisis, ne quid Gallici sanguinis superesset: Petrusque Aragonius illico eò transivit, ac Rex Siciliæ coronatus est, frustra obnitente Carolo: qui iterum monomachiâ propositâ ab Arragone elusus, mox Carolo Claudo fil. ab hoste capto, mœrore confectus obiit, Anno 1285. in Apulia. Relicto Carolo fil. successore. Blondus, Villan. Nangy, Spond. Bzovius, Raynald. *in Annal. Eccl.* Bouchæus *lib.* 9. *historiæ Provincialis.*

Carolus II. Claudus, Patre mortuo, adhuc captivus, demum Anno 1288. liberatus est, postquam pollicitus esset, effecturum se, ut gener suus Carolus Valesius regno Arragoniæ renuntiaret, & Jacobus Aragonius Siciliæ regnum à Papa impetraret, *ut frustra sint, qui à S. Magdalena eum liberatum dicant*, Morer. *in diction. hist.* Hinc in Galliam, inde iterum in Italiam reversus, Rex Neap. coronatus est, Anno 1289. Hungariæ quoque, per Mariam, fil. Stephani V. & sororem Ladislai IV. regnum adeptus. Mitis in subjectos, Cœlestini V. electionem, & Clementis V. conatum, in Templariis exstirpandis adjuvit, templa monasteriaque plurima excitavit, ob benignitatem *Alexander* sui temporis dictus. Obiit Casæ Novæ, prope Neapolim, Anno 1309. æt. 63. regni

regni 25. Pater ex Maria Hung. decem filiorum, & 5. filiarum. E quib is primus Carolus Martellus in Hungariam vocatus est, Robertus Patri successit. P. Æmylius, Zurita, Villanius, Spond. Nostradamus, Rufy, Bouchæus, *hist. Prov. l.* 9.

Carolus, fil. Roberti, nepos Caroli II. Dux Calabriæ, pepulit Sicilia Fridericum, Trinacriæ R. qui cum Castruccio & Gibellinis Roberto R. insidias struxerat. A Florentinis urbis suæ Præfectus assumtus; obiit Anno 1328. æt. 31. Sub Eleazaro Comite Ariano, Ephoro suo, tantum profecit, ut Petrarchæ verbis, *fortitudinem Caroli I. liberalitatem Caroli II. prudentiam Parentis, cum exactâ Justitiæ observantia in se uno conjunxerit.* Ex Maria, Caroli Valesii filiâ, præter alios, Johannæ parens, quæ Roberto successit. Petrarcha *lib.* 10. *ep. ad Donat.* Summont. *hist. Neap.* Bouch. *lib. 9.*

Carolus, Dux Duracinus, fil. Johannis Siculi, nepos Caroli II. Præfectus Neapolis, sub Johanna, Andreâ Hungaro strangulato Aversæ, capite plexus eodem in loco, operâ Ludovici fratris ejus. Anno 1347. Summonte, *hist. Neap.*

Carolus III. cogn. *Pax*, Dux Duracinus, fil. Caroli, nepos Johannis, abnepos Caroli II. Johannam, in vincula conjectam, mori coegit, hinc ab Urbano VI. regni Neapol. investiturâ acceptâ, frustra obnitente Ludovico Andeg. filio Johannis Galliæ R. à Johanna adoptato. Quo mortuo Anno 1384. Carolus, in Hungariam profectus, Budæ occisus est, Anno 1386. æt. 41. artibus Isabellæ, quæ generum suum Sigismundum in thronum evexit. Ex Margareta Duracina, parens Ladislai, Hungariæ R. & Johannæ II. Ruffy. *hist Comit. Prov.* Bouch. *l. 9.*

Carolus III. vel IV. fil. Caroli, Comitis du Maine, &c. à Renato R. patruo suo adoptatus, ei successit, Anno 1480. Obiit Anno 1481. Ludovico IX. Gall. R. hærede instituto, Nostradamus, Ruffy, Bouch. *hist. Prov.*

Reges Angliæ.

Carolus I. M. Britanniæ, post patrem Jacobum, Rex, an. 1625. Rupellæ, sub Buckinghamio Duce, succurrere conatus est: mox pace cum Gallo initâ, domesticis turbis implicitus, Scotos obsequium aliquatenus detrectantes, armis terruit, hinc veniâ dignatus. Aliæ exinde in Anglia exortæ turbæ, intestino bello omnia miscuerunt, Rege tandem pulso. Qui apud Scotos perfugio frustra quæsito, ab illis in Anglorum manus traditus, Fairface & Cromwellio annitente coram Parlamento accusatus, & inaudito ab omni memoria exemplo, manu carnificis in publicâ panegyri, capite plexus est, an. 1649. Du Chene, *hist. Angl. l.* 22. *& seqq.* Gualdo, *histor.* Ex Henrietta Francica, parens Caroli II. successoris.

Carolus II. Hagæ Comitis erat, funesto paternæ mortis nuntio audito. Hinc à Scotis Rex factus, illuc concessit, sed ab Anglis, Cromvvello duce, acie victus, postquam diu in hostico latitasset, tandem lignatoris habitu primùm usus, dein cubicularium nobilis alicujus fœminæ simulans, in Hollandiam evasit. *Decennali exilio jactatus, Coloniæ inprimis moram traxit: Frustra dein Galliæ Hispaniæque R. qui tum pacem nuptiasque sanciverant in utriusque regni collimitio, Anno 1660.* ope imploratâ, paulo pòst, mortuo Protectore, miraculo restitutus, ministerio Generalis Monckii, ex Hollandia, ab hujus incolis magnificè exsultus & deductus, in Angliam rediit: In throno stabilitus, Hollandis binis vicibus bello illato, non usquequaque felix.

Reges Sueciæ.

Carolus VII. priores enim nullâ re memorabiles, vindictâ mortis Erici IX. cognom. *Sancti*, simulatâ, thronum conscendit, à Canuto Erici filio, occisus, Anno 7. regni. Olaus M. *hist. Suec. lib.* 19.

Carolus VIII. ex antiquis Sueciæ Regibus, post Christophorum electus est, Anno 1448. Justitiæ & prudentiæ laude clarus, Philosophiæ etiam & Mathematum peritus. Ter pulsus, ob nimium in Ecclesiasticos rigorem, obiit Anno 1470. Joh. Magnus, *lib.* 23. Crantz. &c.

Carolus IX. Dux Sudermanniæ, Sigismundi R. patruus. Cui in Poloniæ regnum adscito, cùm religionem in patria turbare conaretur, neque, postquam citatus esset ab Ordinibus, compareret, aut Uladislaum filium, vel saltem Johannem, ex noverca fratrem mitteret designaretve, Stockholmiæ in Comitiis regnum abrogatum; ipsi autem Anno 1604. delatum est, cedente Johanne jure suo. Bello cum Polonis Danisque non adeò felix, obiit Anno 1611. relicto fil. Gustavo Adolpho M.

Carolus Gustavus, X. ex Bipontinorum Ducum familia, nepos Caroli IX. ex filia, successit Christinæ, Anno 1653. Bello Polonis Danisque illato celebris. Obiit post Hafniam frustra obsessam, Gottemburgi Anno 1660. secundùm alios, in obsidione ignobilis cujusdam in Norvegia castri, relicto ex Hedvige Eleonora, Holsata, Carolo fil. successore.

Carolus XI. natus an. 1660. hodiè regnat, difficili cum confœderatis Germaniæ Principibus bello implicitus.

Hungariæ Reges.

Carolus I. cogn. *Martellus*, fil. Caroli Claudi, Neapol. & Siciliæ R. natus est Anno 1272. coronam Hungariæ an. 1290. nactus, ex Maria, nepos Stephani V. & Ladislai IV. Andream cognom. Venetum, & Imperatorem Rodolphum, qui fil. Alberto regnum conciliatum ibat, infestos sensit, sed hujus gener, thronum occupavit, parte Hungariæ sub Andrea manente. Obiit an. 1297. secundùm alios, 1301. Ex Clementia Habspurgica Pater Caroli II. &c. Villanius, *l.* 7. *&* 8. Bonfinius, Theurosius, &c.

Carolus II. dictus *Carolus Robertus*, vulgò *Carobertus*, Vide ibi.

Palatini Principes.

Carolus Ludovicus, fil. Friderici V. Bohemiæ Regis, natus est Anno 1617. Adolevit apud Belgas: mortuo Patre, cùm Ferdinandus III. rex Roman. eligeretur, an. 1638. contra electionem protestatus, jus suum in Electoratum scriptis tuitus est. Post Vinariensis obitum Dux exercitui destinatus, cùm ex Anglia ad copias properaret, in Gallia detentus est. Pace Monasteriensi Anno 1648. restitutus, inferiorem Palatinatum recuperavit, promissâ simultaneâ quoque investiturâ, in superiorem Palatinatum & Electoratum priorem, si Wilhelminam lineam extingui contigerit. Ferdinando III. extincto Vicariatum Imperii administravit, frustra obnitente Bavaro. Cum domo Darmstattina dein an. 1661. ob jus Ecclesiasticum in præfectura *Umbstatt*; cum Duce Lotharingiæ, cum Principibus vicinis, ob Wildfangios, hodie cum Galliæ Rege, gravibus bellis implicitus, ubique excelsi & supra omnes fortunæ vices eminentis animi magnitudine, invictâ insuper in Cæsarem & Imperium fide, omnium admirationem in se rapit. Pater, ex conjuge Hassiaca, filii unici *Caroli*, dignitatis Electoralis & virtutum paternarum ex asse hæredis, qui haud pridem auspicatissimo matrimonio sibi junxit Wilhelminam Ernestinam, Serenissimi Daniæ R. sororem: & Carlottæ Elizabethæ, quæ an. *1672.* nupsit Philippo Duci Aurelianensi, Galliarum Regis Christian. fratri unico.

Sabaudiæ Duces.

Carolus I. fil. Amedei IX. successit Philiberto fratri, an. 1482. æt. 14. Sub tutelâ Ludov. XI. in cujus aula educatus est. Marchionem Salucianum, bello petitus, ditione suâ exuit, Anno 1489. ab hoc veneno peremtus. Græcè Latinèque eruditus, à Carlota Cypri regno donatus, Anno 1485. ex Blanca Montferratensi parens Caroli II. successoris. In ejus aula Bayardus ephebus fuit. Guicheno *hist. Sabaud.* Phil. Bergamus, Juligny, &c.

Carolus II. Johann Amedaus, natus Taurini, Anno 1488. novem ante patris obitum mensibus; unde Marchioni Saluciano occasio ditionem recuperandi. Paulo post lapsu obiit. Guicheno *hist. Sab.*

Carolus III. cognom. *Bonus*, Philiberto II. fratri successit, Anno 1504. In partes Caroli V. Imp. cùm transiisset, Taurinum à Gallis, Nicea à Barberossâ Turca capta est, & post pugnam *de Cerisoles*, an. 1544. Pedemontium belli theatrum fuit. Sic afflictus, obiit an. 1553. æt. *66.* princip. 49. Pius, Sapiens, Justus, literarum & Literatorum fautor, sed non æquè animosus. Ex Beatrice Lusitana 9. liberorum pater. P. Jovius, *l.* 35. *& seqq.* Thuan. *lib.* II. *&* 12.

Carolus Emanuel, I cogn. *Magnus*, fil. Emanuelis Philiberti, natus est an. 1562. maritus Catharinæ Michaëlæ Austriacæ, Anno 1585. Plurimis conflictibus interfuit, literatus & literatorum fautor, memoriâ, judicio, arte inprimis animos hominum sibi conciliandi, & Regum arcana perscrutandi, inclytus, præcipuè autem bello clarus. Unde inter clarissimos sui seculi Duces habitus, solusque cum solo Henrico D. Roanio, à Forstnero, *notis in Tacit.* collatus, quem Vid. Cœterum in sequiorem sexum effusus, pollicitorum immemor, & plus quàm decet, suspicax. Ligâ fervente, non ad Comitatum Provinciæ solùm, sed ad regnum aspirare ausus, imò ad Imperium, post mortem Matthiæ, Cypri quoque & Macedoniæ regna cogitavit. Hinc æmulatio, invidia, odium. Ab Henrico IV. maximâ ditionum parte exutus, Marchionatu Saluciano cedere ipsi coactus est. Genevam an. 1602. primò, dein an. 1609. infelicissimè tentavit. Bello posteà Mantuano, Gallico, Hispanico, &c. implicitus, obiit Savilliani, præ animi mœrore, Anno 1630. æt. 68. Adeò tectus, ut pluribus montibus pectus, quàm regio ejus circumvallata vulgò diceretur. Pater numerosæ prolis. Successit fil. Victor Amedeus.

Carolus Emanuel II. Victoris Amedæi fil. natus an. 1634. successit Franc. Hiacyntho fratri, Anno 1638. sub tutela matris Christinæ Francicæ, tum Hispanorum armis exercitus; ex filia Ducis Nemorosii, prolem masculam suscepit, an. 1666. Obiit A. C. 1675.

Lotharingiæ Duces aliiq; Principes.

Carolus I. fil. Lud. IV. Galliæ R. Dux Lotharingiæ factus est: à Galliæ regno, electo Hugone Capeto, exclusus, quòd Germanis nimis faveret, cùm jus urgeret suum, ab Hugone captus est, & in vinculis Aureliani, obiit, an. 991. numerosâ prole susceptâ. Sigebert. *l.* 5. *Annal. Loth.*

Carolus II. fil. Johannis, veneno Parisiis peremti. Interfuit prælio *de Rosebecq*, Anno 1382. & obsidioni Gandavensi, quâ Philip-

Philippus Audax urbem cinxit. In Prussia, Regem Lithuaniæ in prælio prope Vilnam cepit, socero Ruperto Imper. Francofortum obsidenti adfuit. A vicinis Principibus bello petitus, illos vicit, præcipuis captis. Sed Gallos infestans, veniam petere coactus est. Obiit an. 1430. Isabellâ, quæ ipsi successit, uxore Renati Andegav. & Catharinâ filiabus relictis. Froissard. Joh. Juven. de Ursinis, Hist. *Caroli 6.* Annal. Lothar.

Carolus III. fil. Francisci Ducis. Natus est, an. 1543. educatus in aula Henrici II. Gall. R. Guisianorum turbis implicitus, bellum in Campania gessit. Obiit Anno 1608. Henrico fil. successore relicto, &c.

Carolus IV. fil. Francisci, Comitis de Vaudemont, nepos Caroli III. maritus primo Nicolaidis cognatæ, dein Beatricis Cusantiæ. Fortunæ pila, sæpius ditionibus pulsus, diu exul, tandem pars non minima exercitus Confœderatorum, contra Galliæ Regem, Principum, post Gallos, Crequio Duce, ingenti clade ad Mosellam, A. C. 1675. affectos, captamque Trevirorum Augustam, paulo pòst obiit, septuagenario major. Ei successit, ex fratre nepos, Carolus, Imperatori Leopoldo gratus.

Carolus, cognom. *Bellator*, natus an. 1433. successit patri Philippo Duci Burgundiæ, Anno 1467. in Leodienses rebelles nimis rigidus, junctus dein Ludov. Delphino plurimorum Galliæ malorum causa. Lotharingiâ postmodum occupatâ, vicinis formidabilis, ad majora aspiravit. Quare Helvetii subjugandi erant; occasio currus pellibus ovinis onustus, quem Jacobus Sabaudus, Romontii comes, retinuerat. Sed belli, non qualem optasset, exitus. Vid. infra. Ex Isabella, Caroli Borbonii, filia, pater Mariæ, quæ amplissimam hæreditatem, in familiam Austriacam intulit, nupta Maximiliano I Cominæus, *l.* 5. Gaguin. *lib.* 10. Hic Dux Burgundiæ potentissimus, primùm *Carolensis Comes* appellatus, variâ fortunâ cum Ludovico undecimo Francorum rege, Eburonibus, Helvetiis bellum & pacem exercuit: tandem verò, postquam binis cladibus ab Helvetiis afflictus, ad Muratum innumeros milites, ad Grandissonem thesauros suos perdidisset, ad Nancejum, à Renato Lotharingiæ duce pugnâ superatus, & interfectus est, Anno 1477.

Carolus Blesensis, fil. Guidonis, Com. Bles. & Domini Castellionis, ex Margareta, sorore Philippi Valesii R. maritus Johannæ, cujus patruus Arturus II. Dux Britanniæ erat, quo defuncto sine prole, Carolus Ducatum afferens, Johannem Montfortium æmulum habuit. Unde diuturnum bellum, in quo an. 1347. Carolus captus est, cum duobus filiis: post quæ in prælio *d'Auray* occisus, obiit an. 1364. Histor. *Britannia & Castellion.*

Carolus, cogn. *Bonus*, fil. Canuti, Daniæ R. successit Balduino VII. Flandriæ comiti, natus ex filia Roberti Frisonis. Brugis, in templo S. Donatiani, à suis occisus. an. 1127.

Carolus I. Gonzaga, Mantuæ Dux.

Carolus II. Mant. D. ejus filius, obiit Anno 1637. paulo post Mantuam captam. Eo natus

Carolus III. qui obiit an. 1665. æt. 34. Filio relicto, sub tutela Matris, ex Austriacâ familiâ.

Carolus Borromæus, Arch. Mediolanensis, nepos ex sorore Pii IV. natus est, Anno 1538. Obiit an. 1584. à Paulo V. Beatis Rom. Communionis adscriptus. Godeau, Car. Biscapo & Ripamontius, *in ejus Vitâ.*

Carolus I. Cardinalis Borbonius, fil. Caroli I. Borb. D. Concilio Lugdunensi, Schismati inter Felicem V. & Eugenium exorto finem imposuit. Obiit Anno 1488.

Carolus II. Cardin. Borbon. V. *Carolus X.* supra.

Carolus III. Cardin. Borb. dictus *Junior*, fil. Ludovici Principis Condæi, Arch. Rotomagensis. Obiit an. 1596. æt. 32. Sammarth. *hist. Geneal. Regum Franciæ. tom.* 2. Et, *Gall. Christ. l.* 1. Thuan. *lib.* 110.

Carolus I. Cardin. Lotharingus, natus est Anno 1519. ex Claudio Lotharingo, primo Duce Guisiæ & Antonia Borbonia. Apud Francisc. I. Henr. II. multum valens, Reformatis bellum movit. Sub Carolo IX. præsuit Colloquio Possiaceno, ubi vitreis argumentis usus, veritatem frustra oppugnavit. Proin Romæ postmodum, audito *Lanienæ* nuntio, mille aureos, lætitiâ ebrius, primo latori numeravit, velut victos hæreticos, gavisus. Obiit Anno 1574. Avenione, quâ nocte tanta tempestas urbem solicitam habuit, ut ex imis fundamentis omnia exciri crederentur. Videatur Ciacconius; & qui multorum aliorum loco esse meretur, Thuanus, *in hist.*

Carolus II. Cardin. Lotharingus, fil. Nicolai ex Johanna Sabauda, frater Ludovicæ, quæ Henrico III. nupsit, an. 1575. Vulgò, *Cardin. Vaudemontius*, obiit, an. 1587. Ciacconius, Petramellarius, Attichy *hist. Cardin. Gall. Christ tom.* 3.

Carolus III. Cardin. Loth. filius Ducis Caroli III. ex Claudia Francica, Obiit an. 1607. Johanni Georgio Brandenburgico à Protestantibus Episcopo Argent. electo oppositus, Anno 1592. Ciacconius, &c.

Carolus Dominicus Carretus, Cardinalis Final. filius Galeazi, & frater Alphonsi I. March. Final. in aula Ludov. II. plurimum valuit. Obiit Romæ, Anno 1514. Bembus Cardin. *hist. Ven. l.* 2. Hubert. Folieta, *de Viris Ill.* Francia Chr.

Carolus Aretinus, frater Johannis, historicus & Poëta. Obiit an. 1443. æt. 74. Poggius Flor. Vossius *hist. Lat.* 3. *c.* 7.

Carolus Bovillus, scripsit 6. libros Introductionis, in Geometriam, de Quadratura circuli, &c. Circa annum 1510. Voss. *de Mathem. cap.* 16. *§.* 17. *cap.* 61. *§.* 5. *cap.* 52. *§.* 3. Gesner. Ant. Verdier, *in Bibl.*

Carolus de Chantecler, Borbonius, in aula principum Borbon. educatus, Francisc. I. ex Hispania reducem fecundè salutavit, hinc ad amplissimos honores evectus. SanMarth. *elog. l.* 2.

Carolus Estienne, seu *Stephanus*, Medicus, auctor egregius plurium scriptorum Lat. & Gall. Vid. Gesner. & Verdier *in Bibl.*

Carolus Gesvaldus, Princeps Venosæ, novos in Musica tonos excogitavit. Obiit an. 1594. Blancanus *Chron. Math. Sec.* 17.

Carolus de Louvieres, scripsit sub Carolo V. de potestate Eccles. & Seculari: acer jurium Ecclesiæ Gall. vindex.

Carolus Malapart, Mathematicus.

Carolus Molinæus, JC. Parisiensis celeberrimus, contra Curiam Romanam & Concil. Tridentinum libero scripsit stylo. Obiit Anno 1566. æt. 66. V. infra.

Carolus Molinæus, Parisiensis, JC. & Consiliarius regius: tam eruditione ac judicio, quàm probitate conspicuus, Thuan. Genebrardo ipsum ignorantiæ in fide hæresisque accusante. Edidit inter alia Evangelistarum Unionem, cum Annotationibus, quæ in Quart. Hanoviæ prodiit A. C. 1565. Obiit anno sequente, sexagenario major.

Carolus de Navieres, Sedanensis, Poëta, plurima scripsit.

Carolus Sigonius, histor. Italiæ, aliaque scripsit. Obiit an. 1585.

Carolus SanMarthanus, JC. Picto, de Sepulturis, pompisque funebribus scripsit, Psalmos commentariis illustravit, &c. Poëta Latinus & Gall. Scævola S. Marth. *elog. l.* 3.

Carolus Stephanus, Doctor Medicus, frater Roberti, Vid. ibi. plurima egregia in lucem edidit. La Croix du Maine, *in Biblioth. Francic* Vid. quoque *Carolus Estienne.*

Carolus Verardus, Cubicularius Paparum, circa an. 1484. Scripsit de obsidione Granatæ, aliaque. Voss. *de hist. Lat. l.* 3. *c.* 8.

Caromemphitæ, vide *Caricum.*

Caronium, Hisp. Tarraconensis urbs. Ptol. Quibusdam opp. Callaicorum, nunc vicus Gallæciæ, aliquot leucis ab ora.

Caropolis, urbs Cariæ. Steph.

Caros cepi, id est, *horti*, parva regio Cariæ. Steph.

Carosus, Abbas, fautor Eutychis, condemnatus concilio Chalcedonensi. Vid. *Concil. Chalc. sess.* 5.

Carothus, Cyrenaicæ regionis urbs. Anton. *Carcera* Mercatori.

Carpasia, *Carpasium* Plinio, urbs Cypri in orâ Boreali, *Carpasso* vulgò. Inter Aphrodisium & Dinaretum prom. 28. mill. à Salamine in Bor. & paulo amplius à Clide. Ab ea Carpasiæ Ins. dictæ sunt, in ora adjacente Cypri, inter Carpasiam & Dinaretum prom. Baudr.

Carpasia, insula Ciliciæ ante Sarpedonem promuntorium.

Carpates, mons Sarmatiæ Europææ. Ptol. Pro varietate locorum & idiomatum varia nomina sortitus est. Sarmatiam à Dacis submovet. Hungaricè *Tartzal* & Germanicè *der Munck*, *Vatter*, *Wurtzgarten* & *Schneeberg* vocatur. Apud Aventinum sunt ejus nomina *Chremnitz und Semnitz.* Hujus altissima juga à Solino *Sarmaticæ rupes* dicuntur; quæque sunt inter Moraviam & Hungariam ac Danubium attingunt, *Schneeberg* Germanis & *Tatri* Slavorum linguâ hodie vocantur. Vulgò horum montium tractus, qui est inter Hungariam, Transsilvaniam & Poloniam, *Crapack* vulgò & *Bescid* à Ruscis dicitur.

Carpathus, ins. in mari Mediterraneo, contra Ægyptum media, inter Rhodum & Cretam ducentorum stadiorum circuitu, quatuor urbibus insignis. Ab ipso situ כרפאת *Carpath* dicta est, quia est ad oram Cariæ. Ut enim Hebræis פאה *pea* vel פאת *peath*, ita Syris פאתא *patha* est *latus*, *ora*, *plaga*, *regio.* Quòd in Isidoro legitur, *Carpathon* vocatam, *propter celerem fructuum maturitatem*, tam futile est, quàm quod sequitur, ex hac insulâ dici Carpasias naves magnas, & spaciosas Hodiè *Scarpanto.* Hinc *Carpathius testem*, & *Carpathius leporem* apud Archilochum, proverbium est in eum, qui testem in sui malum adducit, vel aliquid aliud in sui perniciem adfert uti qui lepores in Carpathon insulam deferunt, adeò excrescentes, ut fruges omnes dissipent maximo incolarum detrimento. *Mari*, inter Ægyptum & Cretam, nomen dedit hæc ins. Philonis Carpathii, qui commentarium in Cantic. Cant. scripsit, tempore Epiphanii, patria. Plin. *lib.* 4. *cap.* 12. Davity *t.* 2. *pag.* 54. 55. opp. habuit Posidium, nunc etiam *Scarpanto* dictum. Sub Turcis. Baudr. qui ibi Cadi i. Judicem habent. Incolæ Græci sunt.

Carpe, *Carcenia*, Hisp. Bæticæ locus. Anton.

Carpella, Carmaniæ promuntorium.

Carpentaria, regio seu pars terræ Austr. recèns detecta, in intimo recessu Oceani Indici, à Præfecto Carpentario Batavo.

Carpentoracte, Galliæ Narbonensis civitas. *Carpentoracte Meminorum*, Plin. 3. 4. vulgò *Carpentras.* Caput Comit. Venuxini, in Provincia. Sub Pontifice, quæ gens sub Tricassinis ponitur Ptolemæo. Romanis *Forum Neronis* dicta est, & inter 14. prov. Viennensis civitates 10. 12. etiam 13. loco in Notitiis collocatur.

Ad ripas amniculi Ruffæ *Ruffe*, olim fortè *Racte* dicti, qui in Sulgam *la Sorgue* effluit; 2. leuc. ab Arausione, 4. à Vasione in Austr. Condita est in rudéribus Vindausceæ; Petrarcha epist. ad Guidonem Arch. Genuensem. Episcopalis est, olim sub Arelatensi. Metrop. hodie sub Arch. Avenionensi. Ibi Concilium an. 527. quo Episcoporum luxus castigatus.

Carpesii, gens Iberica intra Iberum flu. Steph.

Carpetani, Hisp. Tarr. pop. juxta Vaccæos ad Tagum fluv. Plin. 3. 3. In eo tractu Castellæ nov. ubi nunc pars Algarriæ, & regionis *la Mancha*. Eorum caput fuit Toletum. Sanson, Brietius.

Carpi, pop. Zeugitanæ regionis, quæ propriè Africa dicitur. Plin.

Carpia, urbis nomen. Steph.

Carpiani, pop. Sarm. Europææ fuere, gens Bastarnarum, inter Carpatem montem & Vistulam flu. Dicti etiam *Carpi*, Cluver.

Carpion, historicus Gr. Vitruvio laudatus, in præf. *l. 7*. V. Voss. *de Mathem. cap.* 71. §. 1.

Carpis, *Carpen* Lazio, op. Pannoniæ infer. in Hungariâ apud Danubium, inter Strigonium, & Budam occurrens. *Carpis* item Ptolemæo olim urbs, nunc pagus Africæ inter Maxulam, & Clypeam, Tuneti urbi finitimus, *Carpi* adhuc. *Carpis* etiam Herodoto fluv. Mysiæ, qui unà cum Albi Istro miscetur. Vulgò *Crappin*, qui & *Kruppa*. Verùm hic Colapis est non in Mysiâ, sed in Liburniâ, in Saum influens.

Carpium, urbs Ital. in dit. Mutinensi, cum tit. Princip. aliàs sub dominio Piorum, ad incile flu. Secji, 4. mill. à Corregio, 12. à Mutina in Bor. Arcem habet munitam, & territ. sat amplum.

Carpocrates, Alexandrinus, Simonis Magi discipulus, Hæreticus tempore Adriani Imp. Docuit mundum ab angelis conditum, & Christum cæteris hominibus parem esse, hoc uno excepto, quòd animam mundam habuerit. *Jactavit Somnia & Δαίμονας παρέδρους*: *Uxores voluit esse communes. Filium habuit*, Epiphanium, *paternorum deliriorum cultorem, discipulum* Cerinthum, *sectatores Gnosticos, & hodiernos Adamitas*. Irenæus 1. 24. Clem. Alex. Στρωμ. γ. Euseb. 4. 8. Epiph. *hær.* 27. Tertull. *de præscr. cap.* 48.

Carpophorus, martyr Hispalensis sub Maximiano. Decembris die x.

Carpophorus, adolescens magnâ apud Domitianum Cæsarem gratiâ. Martialis *de Spectaculis* 15. 23. 27.

Carposis, Hesychius: Κάρπωσις, θυσία Ἀφροδίτης ἐν Ἀμαθοῦντι.

Carpudemum, Thraciæ mediterraneæ urbs. Ptol. Hodie *Cappa* vel *Capsia*.

Carpus, Episcopus & Martyr sub Aurelio Commodo.

Carpus, Mathematicus, sec. 5. Scripsit Astronomica quædam, Proclo in 1. Eucl. laudata. Voss. *de Mathem. c.* 48. *§.* 5. *& c.* 62. §. 8.

Carpus, nomen viri. 2. Tim. 4.

Carra, Syriæ fluvius. Steph.

Carraca, Tusciæ urbs mediterranea, hodie *Carrara* Leandro.

Carraciolus Richardus, Ord. Rhodii M. Mag. ab Urbano VI. an. 1383. creatus, contra Joh. Ferdin. de Hæredia, qui Clementem VI. pro vero Pontifice agnovit, sed ab equitibus non receptus. Histor. Melit.

Carraria, quæ *Carrera* & *Carera*, urbec. Thusciæ, nuper Princip. tit. insignita, in dit. Ducis Massæ gentis Cibæ. 4. mill. à mari Mediterr. 6. à Sarsina in Ort. Vid. *Cariara*.

Carrea, quæ & *Clarascum*, opp. Pedemontii, ad Tanarum flu. ubi recipit Sturam, medium inter Albam & Fossanum, 7. mill. ab utraque. Celebre pace ibi confectâ an. 1631. in qua portio satis ampla Montisferrati accessit Pedemontio.

Carrei, Arab. Fel. pop. Plin.

Carretus Fabricius, Genuensis, ex familia Marchionum Final. Melitensium Ord. M. Magister, an. 1513. Cum Sultano Ægypti pacem iniit, 1516. Rhodum muniit, post obitum, amissam. *Histor. Melit.*

Carrha, hodie *Heren*, civitas Arabiæ, ad mare Rubrum. Steph. Morer. Est etiam civitas Mesopotamiæ 40. mill. ab Edessa. Ptol. & aliis ad Chaboram fluv. Crassi nobilitata clade, Flor. *l.* 3. *c.* 11. Plin. *lib.* 5. *c.* 24. Lucan. *l.* 1.

——— Miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carrhas.

Et Caracallæ Imp. etiam nece. Hic enim, ut Rufus consularis scribit, intra Euphratem apud civitatem Edessam periisse fertur, cùm levandæ vesicæ gratiâ ex equo descendisset. Hanc *Herren* nunc nominari, scribit Niger. Hebræis חרן Abrahami habitatio. Gen. 36. Act. 7. Nunc est in prov. *Diarbech*, sub Turcis.

Carrhenes, nomen illustris Parthi, partes Meherdatis contra Gotarzen secuti. Tacit. XII. 12.

Carriatum, urbs episc. Calabriæ cit. cum titulo Princ.

Carricta, prov. Scot. merid. in ora ad Occ. inter Gallovidiam & Coveliam prov. Ejus prim. opp. Berigonium, *Bargeny*, ad Lussum amnem, 20. mill. à Candida casa in Bor.

Carriña, pag. prov. Beiræ, in Comarca Conimbricensi, supra fontes amnis *Giraon*, 1. leuc. Hisp. à castro Cantaneda, 2. ab Oceano Lusitano, uti à Munda fluv.

Carrinensis, ager Hisp. in quo duo scaturiunt fontes, alter omnia respuens, alter absorbens.

Carrocium, Italis dicitur sacrum totius exercitus vexillum, Romanis inferioribus *Labarum*, Germanis & Anglis *Standardum*. Illis, quòd è carro erigeretur, motus gratiâ: His, quòd solennem nihilominus stationem in exercitu obtineret: carrus enim, ut cœtera forma, utrique erat communis. Vid. Sigonium *in Friderico I.* cujus Notarius Burchardus Epist. *de excidio Mediolan.* horum *Carrocium* fusius describit. Brito Armoricanus *Philippidos lib.* 11. *de Ottone Imp. præliaturo*, canit:

Erigit in carro palum, paloq; draconem
Implicat, ut possit procul hinc atq; inde videri,
Quem super auratâ volucer Jovis imminet alâ.

Vide in voce *Standardus*.

Carrodunum, Ptol. Germ. op. quod Pet. Apianus *Krakow* Poloniæ regiam interpretatur. *Gracchopolin* appellat Bonfinius. *Carrodunum* alterum in Vindelicis ponit Ptolomæus. Hoc *Cramburg* juxta Wasserburgum ad Oenum fluvium est, Pircheymero auctore. Tertium Pannoniæ superioris est. Nunc Stiriæ, *Kornburg*, ad Arrabonem fluv. parvi momenti. Quartum super Tyram fluv. in Sarmatiâ Europæâ collocatur. Cluverio aliisque Peucinorum præcipua est Leopolis, Russiæ min. seu nigræ caput, Germ. *Lemburg*, Palatinatûs caput, ad amnem *Peltew*, qui in Bugem flu. cadit.

Carrofum, vel *Karrofum*, Gall. *Charroux*, Abbatia vetus, in Pictavia super. non procul Biturigibus. Vid. Chenæum *de antiqq. urbium Gall. cap.* 5. *de regione Pictav.* Ibi concilium Anno 989. *t.* 9. *conc.* Anno 1028. à Guil. Comite Aquitaniæ, contra Manichæos, celebratum. Anno 1082. & an. 1186. Hadr. Valesio *Caroffinium* vel *Carroffum*, locus est in Aquitania, veteri Monasterio à Ludovico Pio vel extructo vel reparato clarus, ad Carantonum flumen. Incendio vastatus est, regnante Rotberto. Hic Basilica Monasterii *Salvatorem* pro patrono habet: duæque ibi Ecclesiæ, S. Michaëlis & S. Sulpitii. *Notit. Gall.* Rotgarium Comitem Lemovicinæ urbis, Monasterii præfati conditorem, sub Carolo M. qui illud munificè dotaverit, refert Auctor *vitæ Gengulphi, lib.* 2.

Carruca, Hisp. op. Hirtius.

Carsa, maris Ægæi insula. Anton.

Carse, Armeniæ urbs. Cedren. seu *Chorsa*, nunc *Cars*, urbs munita Asiæ in Turcomannia, prope fontes Euphr. sub Turcis à 100. circiter annis. Baudr. Tantopere æstimata, ut Turcarum Imper. inter titulos suos, Dominus Carsi, dici amet. An Charræ, ubi Crassus devictus? Poulet. *Relat. Orient. tom.* 2. *c.* 9.

Carsea, Asiæ minoris gens. Polybius.

Carseolani, pop. in quartâ regione Italiæ. Plin. 3. 12.

Carseoli, op. Æquorum Italiæ in colle, in Viâ Valeriâ, non longè à Pelignis. Ovid. *Fast.* 4.

Frigida Carseolis, nec olivis apta ferendis
Terra: sed ad segetes ingeniosus ager;
Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam
Parva; sed assiduis humida semper aquis.

Hinc *Carseolanus*. Ovid. 4. *Fast.*

Factum abiit, monimenta manent: nam dicere certam
Nunc quoq; lex vulpem Carseolana vetat.

Videtor Cluverius *Ital. Ant. lib.* 2. *pag.* 784. Nunc *Arsoli* castr. 3. mill. ab Aniene fluv. paulo amplius à confin. Aprutii, intra montes, in dit. Pontif. Baudr.

Carsicis, portus Galliæ Narbon. Anton.

Carsidava, Daciæ Alpestris urbs. Ptol. quæ *Kuryma* Lazio est, in Valachia, versus Moldaviam.

Carsitani, Italiæ pop. juxta agrum Prænestinum. Macrobius, *Sat.* 2. 14.

Carsius Sacerdos, sub Tiberio reus, tanquam frumento hostem Tacfarinatem juvisset, sed absolutus. Tacit. IV. 13.

Carsuli, Umbriæ in Italiâ urbs. Strabo *l.* 5. Πόλεις, inquit, εἰσὶν τῆς Ὀμβρικῆς ἄξιαι λόγε εἶτε Ὄκελλοι, καὶ Λάρολον, καὶ Ναρνία, εἶτα Κάρσουλοι καὶ Μηυανία. Id vocabulum commentatorem Strabonis voluisse corrigere è Livio, Plinio, ac Ptolemæo, in Καρσέολοι, mirari se scribit Cluverius, & meritò. Siquidem Livii, Ptolemæique *Carseoli* Æquorum op. fuit. Tac. *Hist.* 3. *Carsulas* vocat hodie, *Carsula* Leandro.

Carsum, Mysiæ infer. op. Ptol.

Carta, unus ex Darii Principibus.

Carta, Hyrcaniæ urbs, Strab. & portus circa Thraciam. Zonaras.

Cartadulorum, regio in subsolanis Indorum montibus, in quâ Satyri reperiuntur, perniciosissimum animal: tum quadrupedes, tum rectè currentes humanâ effigie, propter velocitatem, nisi senes, aut ægri non capiuntur. Plin. 7. 2. ubi MS. *Catardudorum*.

Cartalias, Hispaniæ op. Strabo *lib.* 3.

Cartalo, viri nomen proprium. Sil. *lib.* 14.

——— Cadit obvius acri
Cartalo, Vasidio Libycæ regnator arenæ.

Cartamitarum municipium, seu *Cartima*, opp. regni Granat. 3. leuc. à Malaca in Occas. ad maximi montis radices situm, prope confin. Vandalitiæ, aliàs amplum & munitum, nunc deficit.

Cartandus, mons est inter Persas Medosque positus.

Cartare, Hispanica insula. Sext. Avienus.

Cartasina, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Carteia, *Algezira*, op. Hisp. ad fretum Gaditanum versus orientem. alio nomine *Tartessus*, ut multi volunt. Strabo, Ἔνιοι δὲ Ταρτησσὸν τὴν νῦν Καρτηίαν προσαγορεύουσι. Mela, *Carteia, ut quidam putant aliquando Tartessos*. Plin. *Carteia, Tartessos à Græcis dicta*. Pausanias, *in Eliacis posterioribus*, Εἰσὶ δὲ οἱ Καρπίαν (lege Καρτηίαν) Ἰβήρων πόλιν καλεῖσθαι νομίζουσι τὰ ἀρχαιότερα Ταρτησσόν. Silius *lib.* 3.

Arganthoniacos armat Carteia nepotes.

Ac si Tartessi rex Arganthonius Carteiæ regnaverit. Appianus *in Ibericis*: Ταρτησσὸς δὲ μοι δοκεῖ ποτε εἶναι πόλις ἐπὶ θαλάσσης, ἣ νῦν Καρπησσὸς ὀνομάζεται. Item, Διέδραμον ἐς Καρπησσόν, ἐπὶ θαλάσσῃ πόλιν ἣν ἐγὼ νομίζω πρὸς Ἑλλήνων πάλαι Ταρτησσὸν ὀνομάζεσθαι, καὶ Ἀργανθώνιον αὐτῆς βασιλεῦσαι. *Carpessum*, id est, *Carteiam*: nam binomia fuit urbs, unum nomen Carteia, alterum fuit Carpessus; Quod ipsum putaverim errori ansam dedisse, quia ad Tartessum alludit Carpessi nomen. In scripturâ tamen nihil simile. Tartessus enim Phœnicibus scribebatur תרשיש *Tarsis*, vel תרתיש *Tartis*, & *Carpessus* קרפסה *Carphesa*, vel קורפסה *Corphesa*, id est, *concha*. Nempe à *conchis* dicta Carpessus, quæ *Carteia* veteribus, quia conchas habuit portentosæ magnitudinis. Strabo, Ἐν δὲ Καρτηίᾳ κήρυκας δεκακοτύλους καὶ πορφύρας φασίν. *Apud Carteiam buccinæ, & purpuræ inveniri dicuntur decem cotulas continentes*. In cotylâ autem sunt sex cyathi. Vetus ejus nomen Heraclea, tanquam ab Hercule conditore. Herculem enim suum Phœnices Μέλκαρθον, *Melcarthum* appellabant. Philo Byblius ex Sanchoniathone apud Euseb. *lib.* 1. *Præpar.* Τῷ δὲ Δημαροῦντι γίνεται Μέλκαρθος, ὁ καὶ Ἡρακλῆς. Μέλκαρθος, id est, מלך קרתא *Melec Kartha*, *rex urbis*, id est, Tyri. Omnino igitur ex *Melcartho*, vel *Melec cartha*, urbs quam ad Calpen condidit Hercules Phœnicius, primò *Melcartheia* vocata est, quasi *Heracleam* dixeris, deinde per aphæresin *Cartheia*, vel *Carteia*. Bochartus. Nunc vix rudera supersunt: portu tamen gaudet commodo & capaci, intra fauces freti Herculei, versus Ortum, 2. leuc. à Calpe in Occ. 4. à Tariffa in Ortum. Aliàs regio tit. clara, dum in ea permaneret filius Miramolini seu Regis Maroci. Hic Cn. Pompejus Magni f. cæsus est, ex prælio ad Mundam profugus.

Cartenaga, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Cartenna, Augusti colonia in Tingitanâ provinciâ. Plin. 5.2.

Cartenna, Mauritaniæ Cæsar. urbs. Mela. 1.6. veteres autem codices (testante Is. Vossio) *Cartinna* legunt. Κάρτιννα quoque in antiquissimo Ptolemæi codice. Hodie *Arcilla*, aut *Acilla* ab Afris dicitur.

Cartennæ, nunc *Mostagan*, opp. Afr. in regno Algerii, cum portu capaci & arce in ora littor. maris Mediterr. ad ostia fluv. *Selef*. 14. leuc. Hisp. ab Orano in Ortum. Baudr.

Cartenus, Mauritaniæ Cæsariensis fluvius. Ptol.

Carteria, ante Smyrnam insula. Ptol.

ad S. Carterium, locus Galliæ, in Petrocoriis, vulgò *S. Chatier en Perigord*. Fuit autem Carterius Petrocoriæ Eccl. Episc. cui Majestatis accusato, negantique à se missas esse literas, quæ fuerant interceptæ, Chilpericus R. cessit ac ignovit, A. C. 582. Greg. Tur. *Hist. Fr. lib.* 6. *c.* 22.

Carterum murus, locus in Sarmatiâ Asiaticâ. Ptol.

Carterus Historicus, qui collegit decreta sive Atheniensium, sive omnium Græcorum. Ejus συναγωγὴν ψηφισμάτων laudat Auctor Scholiorum *in Aristophanis Ranas*, *Act.* 1 *sc.* 7.

Cartha, civitas Levitarum in tribu Zabulon. Jos. 21. id est, *civitas*, sive *vocatio*, aut *lectio* vel *occursus*.

Carthæa, urbs in Ceâ insulâ. Plin. 4. 12. Hinc *Cartheius*. Ovid. 2. *Met.*

Transit & antiquæ Cartheia mœnia Ceæ.

Item *Carthæus*. Idem *Met.* 10.

Namque sacer nymphis Carthæa tenentibus arva,
Ingens cervus erat.

Carthago, Filia Herculis, Cic. 3. *de Nat. Deorum. Quartus Hercules Jovis est, qui Tyri maximè colitur, ejus Carthaginem filiam ferunt.*

Carthago, Græcis Καρχηδὼν, urbs Africæ totius celeberrima, Romanique imperii aliquando æmula, à Didone condita, septuagesimo post Romam conditam anno, Eusebius. Atqui Justinus tradit conditam fuisse ante Romam. Imò condita fuit ante captum Ilium, annis 50. si credas Appiano *in Libycis*, Καρχηδόνα τὴν ἐν Λιβύῃ Φοίνικες ᾤκισαν ἔτεσι πεντήκοντα πρὸ ἁλώσεως Ἰλίου. Ideo de eâdem urbe ibidem Πόλεως ἀρχαίας, *Urbis antiquæ*. Unde Virg. *Æn. primâ*,

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago; Italiam contra, Tiberinaque longè
Ostia, dives opum studiisque asperrima belli.

Sic nihil Didoni, præter Byrsam arcem, relinquitur, ubi nunc, Marmolio teste, turris, *la Rocca di Mastinaca* Christianis, Afris *Almenare* dicta. Vid. infra. De nomine & origine urbis hujus. Vid. Servium, Josephum, *antiq. lib.* 8. *cap.* 13. *c. App. lib.* 1. post Menandrum, qui scripsit historiam Regum Tyri & Sidonis, Solin. *cap.* 30. *vel* 27. *edit. Salm.* Salian. & Torniel. *in Annal.* Petavium, *lib.* 9. *de doctr. temp. cap.* 63. *& rat. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 13. Tatianum. *c. Gent.* Theophilum Patr. Antioch. ad Antilochum, *lib.* 3. Tertull. *apol. capite* 19. Clem. 1. *Strom.* Vellejum *lib.* 1. Strab. *lib.* 17. Plin. *lib.* 5. Marcellin. Marmol. *l.* 6. *c.* 15. Leonem *de Africa*, &c. Quibus adde Plutarchum, Livium, Eutropium, Florum, Orosium, Zonaram, Prosperum, &c. de urbis Fato, quod paucis sic habet: Eò potentiæ urbs hæc à tenuissimis primordiis paulatim excrevit, ut non modò Libyæ universæ, verùm etiam insularum, & bonæ Hisp. partis imperium tenuerit. Tria cum Romanis gravissima gessit bella, quorum primo, quod duravit annos 24. ab an. 490. U. C. usque ad 513. superati navali prælio Pœni, æquas propemodum pacis conditiones à victoribus acceperunt, insulis tantùm quibusdam abstinere jussi. Huic successit bellum Punicum secundum, Annibalis ductu gestum, qui expugnata in Hisp. Sagunto, victorem exercitum in Italiam transportavit, eosque totos 18. annos ferro, flammaque crudelissimè vastavit. Victo deinde à P. Scipione apud Zamam Annibale, eò angustiæ res Carthaginensium redactæ sunt, ut salutem suam mœnibus tueri, durissimasque pacis conditiones pro arbitrio victoris accipere sint coacti. Verùm cùm ne sic quidem quietè agitare possent, tertioque bellum, quod duravit ab an. U. C. 605. usque ad an. 608. instaurarent, Senatus Catonis autoritatem secutus, Carthaginem delendam censuit, & Scipionem Æmylianum in Africam misit, qui victis Pœnis urbem obsidione cinxit, captamque solo æquavit: Reparatam, à Romanis sub Graccho & Augusto, coloniâ 3000. hominum illuc deductâ. Adrianus autem Imperator eam à se renovatam *Adrianopolim* appellavit, prius *Carthadam* dictam, quod Phœnicum linguâ *novam civ.* significat, & ridiculè Commodus *Alexandriam Commodianam togatam*. A' Genserico, Romanis erepta, A. C. 432. sedes regni Vandalici fuit, per centum annos; tandem sub Turcarum potestatem venit, ab Arabibus penitus destructa est, postquam & à Ludovico IX. Gall. R. capta esset, Anno 1269. Sub Christianis Archiep. fuit, & Primatu Africæ inclyta. A' Pelagianis & Donatistis plurimum passa. Ibi Concilium Anno 215. 252. contra Novatum & Felicissimum. Duo Anno 306. & 308. à Donatistis habita. Quibus oppressis, à Constante Imper. an. 348. Concilium dictum I. Carthag. celebratum, quo reiteratio baptismi, ἀναβαπτισμὸς, &c. damnata. II. an. 390. III. an. 397. IV. an. 398. quo Honorius Imper. rogatus, reliquias Idololatriæ in Africa abolevit. an. 401. Concilium prov. *quo Donatistis in Ecclesiæ sinum redeuntibus dignitates pristinæ concessæ.* an 417. quo damnatum Pelagii dogma, decretumque insuper est, *non provocandum esse Ecclesiasticis, ad judicia transmarina, quamvis Sosimus Rom. contrarium posceret.* Aliaque contra Donatistas, Pelagium & Cœlestium, Pelagianos, Monothelitas, &c. V. Cyprian. *in ep.* Augustin. Baron. & *Tom. Concil.* 1. 2. & 3. Vid. etiam *Byrsa*. Silius *lib.* 13. *almam* vocat:

——— *Si nunc existeret alma*
Carthago ante oculos turritâ celsa figura.

Virgilius *altam*; *Æneid. quart.*

Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.

Horatius *impiam. Carm.* 4. *Od.* 8.

Non incendia Carthaginis impiæ.

Item *invidam*, *Epod.* 7.

Non ut superbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret.

Populi hujus & alterius Carthaginis *Carthaginienses*, quibus arietis & quadriremium inventio tribuitur, *fraudulenti & mendaces* dicuntur Tullio, *Orat. pro lege Agrariâ.* Ejus portus nunc *Marcia*, & mons, qui hac urbe cingebatur, *Almenara* Afris, *Rocca de Mastinaces* Christianis. Ejus ex ruinis crevit Tunetum vicina urbs.

Carthago Nova, urbs quam dux Pœnorum Asdrubal condidit in Hisp. Bæticâ. Itaque πόλιν Φοινίκων appellat Polyænus *lib.* 8. Et Solinus expressè, *Carthaginem apud Iberos, quæ mox Colonia facta est, Pœni condidere.* Itemque Strabo, Ἡ Καρχηδὼν ἡ νέα κτίσμα Ἀσδρούβα, &c. A Scipione expugnata est, Hannone non sine suorum clade se dedente, Livius *lib.* 6. *Dec.* 3. Contestanorum maritima urbs Ptolemæo, & aliis. Hanc autores, ut Plin. & Appianus *Spartariam* cognominant. Idem Appianus putat prius *Saguntum* appellatam, sed posteà ab Annibale excisam, & Carthaginiensium coloniam factam, *Carthaginem Spartaginem* nuncupatam; Sed hanc *Carthaginem* & *Saguntum* duo & diversa opida esse, lippis & tonsoribus, ut dicitur, notum est; at hoc condonandum est homini Græco, & peregrino, & cui Hispania minus cognita fuerit, veluti, qui scribit, Iberum fluv. in Septentrionalem Oceanum evolvi, cùm in Mediterraneum exeat. Καινὴ πόλις dicitur Stephano & Polybio, ubi vocis etymon expressum videtur. Ebræis enim קרתא הדת *Karta hadath* novam urbem notat; ex *Carthada* autem factum, Καρχηδὼν, χ. & θ. permutatis, quod Siculorum est proprium, qui pro ὄρνιθες dicunt ὄρνιχες. Vide Salmasium, *ad Solinum pag.* 332. Carthaginis hujus descriptionem accuratissimam habet Polybius, *lib.* 10. *pag.* 583. *edit. Casaubon.* quam in pauciora contraxit Livius *lib.* 26. Et utrumque secutus Silius pleraque ista carmi-

carminibus hisce optimè expressit *l.* 15. quæ, in lectoris gratiam, huc transcribere non gravabor:

Carthago impenso naturæ adjuta favore,
Excelsos tollit pelago circumflua muros.
Arctatas ponti fauces modica insula claudit,
Quà Titan ortu terras aspergit Eoo.
At quà prospectat Phœbi juga sera cadentis,
Pigram in planiciem stagnantes egerit undas;
Quas auget veniens refluúsq; reciprocat æstus;
Sed gelidas à fronte sedet sublimis ad Arctos
Urbs imposta jugo, pronumq; excurrit in æquor
Et tuta æterno defendit mœnia fluctu.

Hodiè *Carthagena* nominatur. Vide Boch. *De Phœn. Colon. l.* 1. *cap.* 35. 6. leuc. à Murcia in Austr. totidem à Scombraria, prom. in Occas. Arcem habet permunitam, portumque amplissimum totius Hisp. & tutissimum. Ibidem ingens sparti copia & scombrorum piscatio opulenta, à quibus insf. objecta, quæ portum claudit *Scombraria* dicta: Gemmæ quoque. Estque prope Virgitanum sinum. Vid. Botterum *relat. Hisp.*

Carthago nova, urbs marit. Amer. merid. in novo regno Granat. episc. sub Archiep. S. Fidei de Bogota. Gaudet portu tuto & capacissimo, permunita, cum duobus fortalitiis. Hinc Regio adjacens *Covernacion de Cartagena*, irrigata ex parte, à fluv. Magdalenæ, Linschot *Amer. c.* 8. Herrera *c.* 16.

Carthago vetus, urbs Hisp. Tarraconensis Ptolemæo. *Villa Franca* hodiè, vel ut alii volunt *Cantavilla*. Nunc vicus *Cantaveja*, in Aragon. versus confinia Cataloniæ & Valentiæ, in colle, medius inter Terulum & Dertusam. Aliis fuit ad ostia Sicoris in Iberum, ubi nunc Mequinença, castr. Cataloniæ. Baudr. Stephanus quoque Carthaginem habet in Armeniâ. Item, *in* Thracia, Schol. *in Aristoph. Eq.*

Carthan, civitas in tribu Nephthalim, quæ cum suis suburbanis Sacerdotibus & Levitis separata fuit. *Jos.* 21. Hier. *de loc. Hebr. lit. c.*

Carthara, Mesopotamiæ ad Tigrim urbs. Ptol.

Carthasis, regis Scytharum frater, cum magnâ Equitum manu missus, ad diruendam urbem, quam in ripâ Tanais Macedones condiderant. Curt. VII. 45.

Cartheia, parva insf. circa Delon, nobilibus clara ingeniis: siquidem ex eâ Simonides Poeta, & Bacchylides, deinde Erasistratus, medendi arte clarus, atque Aristo Bionis æmulus ex Peripateticâ disciplinâ duxerunt originem. Alex. ab Alex. *l.* 6. *c.* 3.

Carthusia, eremus intra montes altissimos, 4. leuc. à Gratianop. in Bor. prope confin. Sabaudiæ, ubi incunabula Carthusiani Ordinis, sic dicta à Carthusio vico, *Chartrous*, adjacente. Hic semper moratur Prior General. Ordinis.

Carthusiani, monachi à Brunone Coloniensi, qui Parisiis Philosophiam professus est, orti sunt in Galliâ circa an. Christi 1080. vel 1086. Jejunium silentiumque ferme perpetuum servant, à carne, indispensabili lege, abstinent, perpetuò inclusi, & ciliciis horrentes. Generalis illorum vocatur *Prior Carthusiæ*, ubi quotannis Capitulum Generale indicit: estque hodiernus quadragesimus à primo octavus. Historiam Ordinis hujus exhibet Nic. Monachus *l.* 3. *c.* 8. & 23. Petrus Abbas de Celles, *lib.* 1. *ep.* 23. Vinc. Bellovacensis, *lib.* 26. *c.* 82. Petrus de Bles, *ep.* 68. Joh. Salisburiensis, *l.* 1. *Polit. c.* 23. Dorland. *Chron. Carth.* Petræus *Bibl. Carth.* Albertus Miræus, *de origine Relig. l.* 2. *c.* 35. Lud. Beurriere *de Ordin. Relig.* Morerius *in Diction. historico.* V. *Bruno.*

Cartii, Persiæ pop. Strabo *lib.* 11.

Cartilatum, castrum Galliæ, in Arvernia sup. cum tit. Vicecomitatûs, vulgò *Carlat*: caput pagi cognominis, *le Carladez*, cui ascribitur Vicus Ceræ Seræve flumini appositus, *Vic en Carladez*, dictus, ut distinguatur à Vico Comitis, in Arvernia infer. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Cartismandua, regina Brigantum; cujus fidem ab Ostorio victus Caractacus cùm petisset, vinctus ab eâ ac victoribus traditus est, nono pòst an. quàm bellum in Britanniâ cœptum. Tacit. *Annal.* 12. 36. Maritum habuit *Venutium*; qui mox orto dissidio hostilia adversum ipsam & Romanos induit. *c.* 40. Vid. *Hist.* 3. *c.* 45.

Cartris, Cimbrorum peninsula. Plin. 4. 13.

Cartularius Antonius, Papiensis, vitas & mores Philosophorum scripsit, Laërtium imitatus. Obiit an. 1440.

Cartvvrigthus Thomas, Anglus, Hertfordiensis, Theologiæ in Academia Cantabrigiensi Professor celeberrimus, ob commentationes in Proverbia Salomonis, Metaphrasin in Eccles. Commentarios practicos in Evangelia, Harmoniam Evangelicam, &c. *in quibus non acumen solùm viri, sed & vita sanctitas mirè elucet, omnibus doctis amabilis*, Lætus *Compend. Hist. Univ.* Obiit, an. 1603. Varvici sepultus. Fullerus.

Caruancas, Norici mons. Ptol. *Prenner* Pyramio.

Caruaniana, urbs ab Æquis capta, quam rursus pulsis hostibus Valerius Consul recuperavit, an. U. C. 346.

Carvanis, urbs Ponti Polemoniaci in Cappadociâ. Ptol.

Caruentus, urbs Latinorum. Steph.

Carvilius Marinus, Dux militum in Pannonia, post obitum Philipporum, Imperator proclamatus, mox cùm expectationi non faceret satis, interfectus est. Zosimus, Zonaras.

S. P. Carvilius Maximus, duorum nomen, qui bis Coss.

Carvilius Pollio, eques Romanus, tricliniis quibusdam argentum addidisse primus traditur, non ut operiret, aut ut Deliacâ specie faceret, sed Punicâ. Plin. 33. 11.

Carvilius Rex, in eâ parte Britanniæ, quæ est ad Cantium, & tota maritima est. Cassivellani imperio, castra navalia Cæsaris improviso adoritur, Cæs. *Com. V. c.* 22.

Carvilius Ruga, Vid. *Carbilius.*

Carvilius Spurius, victis Samnitibus Sacratâ lege pugnantibus, è pectoralibus eorum, ocreisque & galeis Jovem, qui est in Capitolio, fecit, amplitudine tantâ, ut conspiciatur à Latiario Jove. Plin. 34. 7.

Carvilius Spurius, primus Romanorum, solâ infœcunditate objectâ, uxorem repudiavit. Dionys. Halic. *l.* 2. Σπύριος Καρβίλιος ἀνὴρ οὐκ ἀφανὴς πρῶτος λέγεται ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα, ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν Τιμητῶν ὀμόσαι τέκνων ἕνεκα γυναικὶ μὴ συνοικεῖν. Ubi particula μὴ omitti potest, ut legamus γυναικὶ συνοικεῖν, & novam intelligamus uxorem, quam Carvilius petebat. Sic enim de eo Gellius 4. 3. *Jurare à Censoribus coactus erat, uxorem se liberorum quærendorum gratiâ habiturum.* Sin verò retineamus particulam τὸ μὴ, de suâ tunc accipiendum, quam jam habuit. Val. Max. 2. 1. Primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causâ dimisit, qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrantur. Hæc ille.

Carula, Hisp. Bæticæ urbs. Anton.

Caruonis, oppidul. ad Mosam in Geldriæ ducatu. *Grave* Similero. Permunitum, Cuicanæ regiunc. caput. Sub Batavis, 2. leuc. à Genapia, 5. à Busco Ducis, in Ort.

Carura, regia Cerobothri, Indiæ intra Gangem. Ptol. Pagus item circa Mæandrum flu. limes Phrygiæ, & Cariæ, Strabo.

Carus, Narbonensis, Eutrop. Aur. Victor. 36. Romanorum Imperator, imperavit post Probum, annis 2. cum filio Numeriano Cæsare, doctissimo juvene; & Carino, quorum hunc in Gallias misit, illo secum in Orientem abducto. Vicit Sarmatas, bellum Persicum, quod Probus parabat, aggressus, Mesopotamiâ captâ, Ctesiphontem usque pervenit, & in tempestate maximâ morbo periit ann. ab U. C. 1035. A. C. 283. Imperii 1. vel 2. In urbe Ctesiphonte fulmine occisum habet Vopiscus, *in ejus vita.* Eutrop. *lib.* 9.

Carus, alter dux datus ab Alexandro triginta juvenibus, in Aornum Petram eniti jussis. Curt. VIII. 57.

Carus, nomine *Julius* legionarius miles, qui T. Vinium ante ædem D. Julii jacentem in utrumque latus transverberavit. Tacit. *Hist. I.* 42.

Carus Metius, delator, sub Domitiano, ejus meminit Tacit. *Agricol.* 45.

Carus locus, monasterium in diœcesi Bisuntina, vulgò *Charlieu.* Item locus in Æduis, in diœcesi Matisconensi; oppidulum monasterio veteri illustre; non procul à Cluniaco, aliàs *Cherlieu*: Cluniaco subjectum. Item municipium in pago Bellojocensi, vix 2. à Ligeri leucis distans. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Carussi, pop. Troglodytis finitimi pariter & Æthiopibus, in finibus Africæ ad latus meridiem spectans, inhabitantes. Sipontinus.

Carya, regio Arcadiæ. Xenophon. Curia item Tegeatarum, Pausan. & urbs Laconiæ. Luc.

Carya, civitas Peloponnesi, quæ cum Persis contra Græciam consensit, posteaque à Græcis deleta est. Vitruvius *lib.* 1. Vide Steph. in Καρύη.

Caryanda, locus & insula eodem nomine Cariæ regionis, Strabo. Stephano urbs & stagnum non procul à Myndo, & Coo, qui subdit: Ἐντεῦθεν ἦν Σκύλαξ ὁ παλαιὸς λογογράφος. Vide Is. Voss. *ad Melam. pag.* 83.

Carynia, Achaiæ urbs. Plin.

Caryones, Sarm. Europææ gens. Ptol.

Carysa, Statio navibus malefida in Galatia. Arrianus.

Carystion. Milesii cum Samiis bellum gesserunt & cùm inferiores essent, accersiverunt auxilium Atheniensium, qui quadraginta navibus, cum imperatore Pericle Xanthippi filio, missis, Samo urbe potiti sunt, & statum popularem constituerunt obsidibus acceptis & Lemni collocatis. Postea cùm Samii defecissent ad Regem Persarum, rursum Athenienses, duce eodem Pericle, triremes bellicas plures instruxerunt, & beneficio *Carystionis*, qui Samiorum insidiosa consilia ipsis aperuit, victores evaserunt, & ad deditionem murorumque destructionem Samum coëgerunt. V. Schol. *in Aristoph. Vespas. pag.* 449. *c.* 1.

Carystus vel *Carystos*, *Caristo* etiam hodie, teste Sophiano, urbs Eubœæ litoralis in orâ australi, una è Cycladibus, varii marmoris ferax. Seneca *in Troadibus*:

Ferax vario lapidis Carystos.

Hinc *Carystæus*, Ovid. *Fast.* 3.

Quâq; Carystæis frangitur unda vadis.

Ibi Apollinis marmorei templum. Carystii marmoris meminit Plin. 4. 12. & 36. 6. Lucanus *l.* 5. de insf. Eubœâ loquens,

Quâ maris angustat fauces saxosa Carystos.

Martia-

Martialis *l.9. ep.76.*

Idem beatas lautus extruit thermas
De marmore omni, quod Carystos invenit.

Marmor autem istud viride erat & fluctibus concolor. Statius,

Et Chios, & gaudens fluctus æquare Carystos.

Idem *Sylv.1.5.*

Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos.

Tibul. *l.3. c.3.*

Quidve domus prodest Phrygiis innixa Columnis,
Tanare sive tuis, sive Caryste tuis?

De nominis origine sic Bochartus, *in Eubœâ*, inquit, *nil quicquam fuit lapide Carystio mirabilius, ex quo texebatur tela, quæ ubi sordes contraxerat, in ignem injecta purgabatur.* Vide Strab. *lib.* 10. Apollonium *in Mirabilibus*, Plutarchum, *de defectu Oraculorum*, & Stephanum in Κάρυστος. Ab hâc ardente tela dici potuit ipsa Caristus; quia Ebræis חרר *charar*, vel חר *char ardere*, & שתי *sti telam* significat.

Caryum, Laconiæ opp. à quo Diana *Caryatis*, quòd illic coleretur: Vitruvius *Caryam* vocat, unde sunt *Caryatides columnæ* in antiquis substructionibus celebratæ, Vide Meursium *in Lacon: Miscell. lib. . . cap.2.*

Casæ, Ciliciæ asperæ in Pamphyliâ urbs. Ptol.

Casæ, villâ Anicerorum in Africâ propriâ. Anton.

Casæ Calbenti, Mauritaniæ Cæsariensis locus. Anton.

Casæ Nigræ, Africæ civitas. D. Augustinus.

Casaia, pater Ethan, 1. Par. 15. Lat. *durities*, aut *gravitas*, aut *scandalum ejus*.

Casale, urbs episc. permunita Ital. aliàs *Bodincomagus* dicta à Liguribus, & *Industria* à Rom. ubi aliàs Veliates pop. Ægrè habitata, propter Cœli inclementiam. Celebris obsidione & clade Hispanorum, an. 1627. & 1640. Vulgò *Casal di S. Vaso*, à D. Evasio ejus patrono. Olim Marchionum Montisferrati sedes. Jus civ. adepta est à Sixto IV. an. 1474. Guil. Palæologo, Marchione Montferr. precibus impetrante, Leander. *descr. Ital.*

Casale majus, opp. Duc. Mediol. in agro Laudensi, prope Padum, in limite Ducatus Mantuani & agri Parmensis.

Casale Pusturlengum, opp. amplum & cultum, in agro Laudensi Duc. Mediol. medium ferè inter Laudem Pompejam & Placentiam.

Casaloth, civitas, Jos. 19. Lat. *temeritates*, sive *fiduciæ*, aut *iliâ*. In tribu Isaschar.

Casalius, sinus ad Corsicam insulam. Ptol. *Golfo di S. Florentio*; aliis *Capo di porto*. Magino *Golfo di Calvi*; in parte occ. Ins. Inter Sagonam & Nebium, quod probabilius. Baudr.

Casama, Palmyrenæ urbs. Ptol.

Casaman, Armeniæ opp. Cedrenus.

Casamarri, Æthiopiæ sub Ægypto pop. Plin.

Casandra, ins. contra Persidem. Plin. 6.25.

Casanova, opp. in Comitatu Tirolensi.

Casanum, urbs Tartarorum, sub Moscis, à Joh. Basilio expulsis Regibus, capta. Ad Casanum fl. qui mox in Volgam fluv. cadit. Primaria regni cognom. inter Bulgariam & Ceremissos.

Casaubonus Isaacus, Delphinas, reform. religionem amplexus, eruditione Græcâ, notis in Athenæum, Exercitationibus contra Baronium Annalistam, &c. immortalem famam meruit; Floruit sub initium hujus seculi, finemque præcedentis.

Casbinum, urbs Persiæ cultissima & perampla, in *Ayrach* prov: Vetus Regum sedes. Quibusdam est Ecbatana antiq. Vide ibi.

Casbon, civitas, 1. Machab. 5. In tribu Gad.

Cascale, opp. Lusitaniæ, in ora Oceani, cum arce satis munita; prope promuntorium Lunæ, quod vulgò *Cabo de Rocca sintra*, ad ostium Tagi, 5. leuc. infra Ulyssiponem in Occ.

Cascandrus, Insulâ deserta in Oceano Indiam versus. Plinius *lib.6. cap.25.*

Cascantenses, Hisp. pop. Plin. *lib.3.*

Cascantum, oppidul. Navarræ, ad amnem *Queiles*, in præfectura Tudelensi, inter Tudelem & Turiasonem, vix 2. leuc. ab Ibero fluv.

Cascar, regnum Tartariæ, in Turcostania, cum urbe cognom. Hiarchan hodie metropolim habet. M. Paulus, *libr.* 1. *cap.* 39. Jarric. *libr.* 5.

Cascia, opp. Umbriæ, versus Apenninum & confin. regn. Neap. infra colles. In ditione Pont.

Cased, id est, *quasi dæmon*, vel *quasi deprædator*, aut *quasi mamilla*, sive *quasi ager*, filius Nachor ex Melcha, Gen. 22. à quo *Casdim*, i.e. *Chaldæi*.

Caseera, Rhodopæ regionis in Thraciâ urbs. Procop.

Casella, lautum opulentumque castellum Lombardiæ Cispad. Veteribus *Cassium*.

Casellius Vindex, optimus habitus consultus juris, de cujus erroribus dicitur scripsisse Terentius Scaurus, Adriani temporibus. Hæc Janus Parrhasius, *in illud Horatii de Arte Poëtica*:

——— *Nescit quantum Casellius Aulus,*
Sed tamen in pretio est.

Caserota, Ariæ gens, Κασήρωται Ptolemæo.

Caserta, urbec. Campaniæ fel. prope Vulturnum fluv. Princip. tit. gaudet gentis Gaëtanorum, ad radices montis Tifatæ. Episc. sub Archiep. Capuano. 6. mill. à Capua in Ort.

Cashelia, urbs Mommoniæ, in Hibernia, ubi sedes unius ex 4. Archiepiscopatibus Hiberniæ, & Concilium an. 1171.

Casia, Scythiæ extra Imaum regio. Ptol.

Casilinum, Italiæ opp. in Campaniâ. Plin. 3.5. Strabo *lib.* 5. Γνωριμώταται δὲ τῶν ὁδῶν, ἥτε Ἀππία, καὶ ἡ Λατίνη καὶ ἡ Οὐαλερία. μέση δ' αὐτῶν ἡ Λατίνη, ἡ συμπίπτουσα τῇ Ἀππίᾳ κατὰ Κασιλῖνον πόλιν διέχουσαν Καπύης ἐννεακαίδεκα σταδίους. Et postea Κασιλῖνον δὲ ἵδρυται ἐπὶ τῷ Οὐαλτούρνῳ ποταμῷ. Livius *lib.* 2. *Fabius Casilinum occupat modicis præsidiis, quæ Urbs Vulturno flumine dirempta Falernum à Campano agro dividit.* Hodie *Capua*, Santoni, Brietio, aliis. Inde

Casilinus fluvius, idem qui Vulturnus, Agathias *lib.* 2 & Constant. Porphyrogen. *lib. 2. Them.* 11.

Casimirus I. Rex Poloniæ, à Mieczslao patre relictus est, sub tutela Riskchæ matris. Quæ cùm Germanis suis nimium tribueret, à Polonis pulsa, in Saxoniam, cum thesauris, se recepit. Filius autem in Franciam ignotus transiit, ubi Lutetiæ studiis cùm vacasset, Monachus Cluniacensis factus est. Septennio pòst, à subditis revocatus, duxit Mariam Russam, & Remp. egregiè administravit, pace belloque inclytus. Ab eo tempore rasum Polonis caput, relictâ caprona in fronte. Obiit an. 1058. Boleslaum Audacem fil. Successorem habuit. Longin. *Annal. Polon.* Cromer. *lib.* 3.

Casimirus II. cognom. *Justus*, Mieczslao III. ob avaritiam pulso, successit. Prussos devictos, ad Christianismum reduxit, Obiit an. 1194. æt. 77. regni 17. Ei successit Lescus fil. ejus.

Casimirus III. cognom. *Magnus*, Ladislai Loctici successor, an. 1333. uxorem secundam Adelam Hassiacam, ob deformitatem, repudiavit, Judæâ quadam fotâ. Bello felix, contra Johannem Bohemiæ R. Subegit totam Russiam. Mortuâ uxore, Hedvigen, unius ex Ducibus Polonis filiam, duxit; Templis, Nosocomiis, Arcibus propugnaculisque magno numero substructis, seriâ inprimis Justitiæ curâ inclytus. Obiit in venatione, equi lapsu, an. 1370. regni 37. Successit ei Ludovicus Hung. R. ejus ex sorore nepos. Michov. *lib.* 4. Cromer. *l.* 12.

Casimirus IV. Dux Lithuaniæ priùs, pòst Varnensem cladem, quâ Ladislaus frater & antecessor ejus periit, ad regnum vocatus est, coronatus an. 1447. Bohemiæ regnum sibi conciliare conatus est, Matthiâ prælato. Sub eo, Legato Sixti IV. an. 1478. Cracoviam ingredienti, Academia nil honoris exhibuit, adhærens Basiliensi Concilio, quod decreverat, *Concilium supra Papam esse.* Imo 12. elapsis annis ipse Rex restitit Pontifici, neque permisit ei pro arbitrio Episcopatus distribuere, *Malle se regnum amittere*, addens, *quam jure suo cedere.* Obiit in Lithuania, an. 1492. æt. 64. quinq; relictis filiis, quorum 4. priores Reges. Michov. *l.* 4. Cromer. *lib.* 28. 29. & 30. Sym. Turnovius, *in spec. ver. ex libro 7. Sarnicii.*

Casimirus V. Johannes, Ladislao IV. fratri successit, an. 1648. ex Jesuita Rex. Maritus uxoris fratris sui, è quâ filiam suscepit, an. 1650. non vitalem. A Carolo Gustavo Succiæ R. bello petitus, & tantùm non regno exutus, pacem impetravit, titulo Succiæ R. remisso, An. 1660. Moscico dein intestinoque bello implicitus, cui uxoris avaritia ansam præbuit, hac defunctâ, regno sponte cessit, & in Francia, ex Rege Abbas, aliquandiu vitam trahens, obiit haud pridem. Ei successit Michaël Rex.

Joh. Casimirus, fil. Friderici III. Elect. Palatini, cognom. Pii, in Galliam puer ductus, ibi adolevit, multis egregiæ indolis speciminibus editis. Redux inde, Patri ante alios semper præstò fuit: Expeditionem dein geminam pro Reformatis in Galliam suscepit, A. C. 1568. primò; dein an. 1575. Pòst quæ, mortuo Patre, sicut prius exules è Gallia pòst lanienam Paris. ita tum Reformatos à Ludovico fratre Elect. pulsos, suscepit, Neostadii illustri Academiâ institutâ, quæ *Casimiriana* dicta. Formulâ *Concordiæ* ab Ubiquitariis promulgatâ, an. 1577. Francofurti, cum legatis variorum regnorum ab Ecclesiis missis, de iniqua ejus censura conquestus est, edito libro, cui titulus: *Christiana admonitio, de libro Concordiæ.* In Belgium dein movit, Thuan. *l.* 66. inde transiit, ad Elisabetham Angl. Reginam, à qua periscelide donatus est. Iterum an. 1588. Gebhardo Truchsessio, Archiep. Colon. adstitit consiliis, mox armis. Sed mortuo fratre, in patriam reversus, *Administrationem* suscepit, scripto *legitimi tutoris ante testamentarium prærogativam*, tuitus. Mox Lutheranos Palatinatu toto exegit, pòst novendialem Heidelbergæ, An. 1584. inter Jac. Grynæum, Basileâ evocatum, & Ministros Lutheranos habitam disputationem: quemadmodum & inter ejus Theologos, ac Wirtembergicos colloquium Marbaci postea celebratum est. Obiit, auditâ morte Christiani I. Elect. Saxonici, an. 1592. Ejus Epitaphium vide apud Pareum *p.* 360.

Casinomagum, seu *Casinomagus*, opp. inter Tolosam & Lactoram fuit, ubi nunc *Coulogne* opp. in Verdunensi regiunc. Vasconiæ, 7. leuc. à Tolosa in Occas.

Casina, Plauti fabula, dicta à *Casina* ancilla, quam Stalino senex, ejusque filius certatim deperibant.

Casina & *Casinum*, ad confin. Campaniæ opp. Volscorum fuit. Nunc autem in prov. Terræ laboris, in regno Neap. Ex ejus ruinis crevit opp. S. Germani. In multis authorum exemplaribus

Cassinum est. Inscriptiones autem antiquæ *Casinum* habent. De nominis Origine Varro *de L.L. lib. 6. Cascum significat vetus, Ejus origo Sabina, quæ usq; radices in Oscam linguam agit, &c.* Addit, *Item ostendit quod oppidum vocatur Cassinum, hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt, unde & Cassinum forum, vetus.* Ejus meminit Sil. *lib.* 4.

—— *Nebulosi rura Casini.*

Itemque *lib.* 12.

Nymphisq; habitata Casini
Rura evastantur.

Casinus, mons Campaniæ, ubi olim Apollo colebatur, cujus templum eversum est à viro quodam sanctissimo. Boccat. Celebri Abbatiâ, à S. Benedicto institutâ, hodie inclytus. Morer.

Casiope, Ptol. urbs Chaoniæ reg. in Epiro, quam Sophianus *Casopo* vocat. *Santi quaranta* Nigro.

Casiotis, pars Syriæ, Phœniciæ proxima.

Casis, i. e. *concisio*, aut finis, nomen vallis. Jos. 18.

Casium, mel. *Cassium*, opp. Ægypti, prope confinia Palæstinæ, in Augustamnica prima prov. ad radices Cassii montis, intra Ostracinam & Gerrhum, in ora, ubi Sirbonis palus in mare Mediterr. se exonerat. 50. mill. à confin. Arabiæ. Fuitque antea episc. sub Arch. Alexandrino.

Casius, mons apud Euphratem, ubi Trajanus dicavit crateras argenteos, in templo Jovis Casii, cum epigrammate. Suidas. Item *Casius*, nunc *Larissa*, mons trans Pelusium, extremum Nili ostium in eâ Arabiæ Petrææ parte, quæ ab hoc monte *Casiotis* Ptolemæo appellatur; in quo erat M. Pompeji tumulus ab Adriano instauratus, ut *in vitâ ejus* testatur Capitolinus. In hoc monte templum insigne habebat Jupiter, qui inde *Casius* dicebatur. Luc. *lib.* 8.

—— *Manesq; tuos placare licebit*
Et Casio præferre Jovi.

Nostri *Sinai* montem esse asserunt, ob illic à Deo datas per Moysen populo Israëlitico Decalogi tabulas, nobilem. Plin. 5. 11. Arabiam hanc sterilem, & præter Casium montem nihil insigne habentem indicat. Al. *Cassius*. Vide *Casium*.

Casius, mons in Syriâ Antiochenâ, supra Seleuciam cognomine Pieriam. Cujus excelsa altitudo quartâ vigiliâ orientem per tenebras Solem aspicit. brevi circumactu corporis, diem noctemque pariter ostendens; ambitus ad cacumen 19. m. p. est, altitudo per directum quatuor. Hæc Plin. 5. 22.

Casletum, opp. Gall. Belgicæ. Æmil. *lib.* 8. à Philippo Valesio Flandris victis, captum, an. 1328. quod cùm fieri non posse obsessi censerent, specie galli gallinacei laneâ factâ, & pro muris propositâ, Regi illuserunt, dictitantes, tum potiturum Casleto Repertum (ita Regem, quòd non natus sed electus esset, vocaverunt) cùm alites lanei canerent. Sed eventus pro Rege fuit. Froissard. *libr.* 1.

Casleu, decimus mensis Hebræis nostro Novembri & Decembri, respondens Zach. 7. Ab Ebræo *Cesil*, quæ *Orionem* vulgò significat, Job. 9. 38. Hoc autem sidus mense Novembri Cosmicè occidens, turbulentas ciet tempestates. Unde Virg. *Æn.* 7.

Sævus ubi Orion hybernis conditur undis.

Caslutium, castrum Galliæ, in Cadurcis, vulgò *Cailus de Bonnette*, à fluviolo, cui assidet, cum tit. Comitatus. Amniculus autem Bonnetta sive Bonatidia in Avarionem defluit, *l'Averou*, Avarionem Tarnis in Garumnam defert. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Casmannus Otto, Theologus Reform. scriptâ Angelographiâ, Cosmopœiâ, aliisque pietatem & praxin spirantibus, celebris. Obiit Stadæ Saxonum, A. C. 1604. æt. 45.

Casmare, Mauritaniæ Cæsariensis opp. Ptol.

Casmene, urbs Siciliæ. Steph. hodie *Comiso*, vide Cluv. *Sicil. Ant. lib.* 2. *p.* 358. & Bochartum *de Phœn. Col. lib.* 1. *cap.* 20. Nunc *Scicali*, Brietio, aliis. Ad amnem cognom. in valle Neætina, Magino *Scicli*. Ab ora 10. milliar. totidem à Neæto in Occas. Nunc fere in ruinis jacet.

Casmilus, cognomen Mercurii, apud Samothraces. Vide *Camillus*.

Casmonates, Liguriæ pop. Plin. 3. 5.

Casninium, oppid. unum ex illis, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam Resp. neque tamen magistratus suos habebant, in quæ legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. Festus.

Casope, vide *Cassope*.

Casos & *Casus*, *Casso*, teste Sophiano, insf. maris Ægæi, una Sporadum, teste Plinio, inter Sammonium promunt. Cretæ 30. & Carpathum insulam in Cæciam vergentem ad 20. m. p. uti scribit idem Plin. Sunt autem multæ Casorum insulæ per ambitum, à quibus vestimenti nomen *Casiaca*, quod & nunc quoque durat, vulgare Græcis militibus. Eusthat. *Casianam* appellat à monte *Casio*.

Casos, Persidis insula & civitas. Steph.

Caspanum, opp. Lombardiæ Transpadanæ.

Caspapyrus, urbs Gandarica, Scytharum verò ἀκτὴ, i. e. *litus*. Stephan.

Caspasium, fluv. apud Scythas Asiaticos. Plin.

Casperia, Rhœti Marrubiorum regis uxor, quæ cum Anchemolo privigno corpus commiscuit, ut annotavit Servius in illud Virgil. *Æn.* 7.

Hinc Sthenelum petit, & Rhœti de gente vetustâ
Anchemolum thalamos ausum incestare novercæ.

Casperia, Indiæ intra Gangem regio. Ptol.

Casperia, *Aspra*, oppidum olim, nunc pagus Sabinorum apud ortum Himellæ fluv. à Narniâ 12. mill. pass. ab Interamnâ ferè totidem, inter Ocriculum & Reate 16. Ejus meminit Virgil. *Æneid.* 7.

Qui Tetricæ horrentes rupes, montemq; Severum,
Casperiamq; colunt, Forulosq; & flumen Himellæ.

Caspersus, centurio præsidiariorum in castello Gorneas. Tacit. 12. 45. obsesso Capitolio pugnam ausus, à Vitellianis obtruncatus, *Histor.* 3. 73. Fulvius Ursinus legendum censet *Asperius*, *ad lib.* 12. *Annal.* fortè dividendum *Cajus Asperius* Jano Gebhardo videtur: in quâ opinione ante eum natum fuit M. Antonius Muretus.

Casperula, oppid. Sabinorum, quod Sil. Ital. à *Caspiis portis*, quæ in Oriente sunt, ubi Bactriana est regio, accepisse nomen fingit, *lib.* 8.

Hunc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
Casperula, hunc Foruli magnaq; Reate dicatum
Cælicolûm matri, nec non habitata pruinis
Nursia & à Tetricâ comitantur rupe cohortes.

Casphor, nomen civitatis. 1. Macchab. 5. In tribu Manasse.

Caspiæ Portæ, variæ dicuntur; Quidam Amazones portis Caspiis egressas ad Alexandrum venisse in Hyrcaniam prodidere: sed illæ Caucasiæ fuerunt, per quas transitus est ex Iberiâ in Scythiam. Neronis quoque comminatio ad Caspias portas (ut inquit Plin.) ad eum transitum respiciebat. Verùm Taurus mons tribus in locis interruptus, quasi portis quibusdam pertransitur in Armeniam, in Ciliciam, & in Mediam. Sed illæ tantùm Caspiæ portæ appellantur, quæ apud Medos sunt. Ptol Plin. & Strabo. Per has transitus est ex Babylone & Perside ad mare Caspium; Et hinc fortasse Caspiæ dictæ sunt, quòd aliquæ gentes vicinis insident montibus appellatæ Caspiæ. Juga verò Caspia procul hinc absunt, & ad Armenios ulterioresque populos pertinent. Portæ autem Caspiæ panduntur itinere manufacto millibus octo passuum longo: nam latitudo vix est plaustro permeabilis. Hæc alibi Armeniæ, alibi Caspiæ, alibi Ciliciæ vocantur, Plin. *Caspia claustra* dicuntur Lucano *lib.* 8. itemque Valerio Flacco *libr.* 5. Stat. *Silv.* 4. 4.

—— *Metuendaq; porta*
Limina Caspiaca. ——

Nonnullis *Les Portes de Testis.*

Caspiana, Armeniæ maj. regio. Strabo.

Caspii, pop. Scythici generis, Hyrcanis finitimi, ejusque maris accolæ, quod ab ipsis *Caspium* appellatur. Horum regio à Strabone *Caspiana* appellatur. Virg. 5. *Æn.* ἀδελφοκτόνως *Caspia regna* nominat,

Hujus in adventum jam tunc & Caspia regna
Responsis horrent divûm.

Hi parentes decrepitos, & septuagesimum ætatis annum attingentes, angusto loco includere dicuntur, & fame enecare. Strabo *lib.* 11. Apud hos sævissimi sunt canes, ut scribit Val. Flaccus *lib.* 6. uti videre est in his:

Insequitur Drangæa phalanx; claustrisq; profusi
Caspiadæ, queis turba canum, non segnius acres
Exilit ad lituos, pugnasq; capessit heriles:
Inde etiam par mortis honos, tumulisq; recepti
Inter avos, positusq; virum: nam pectora ferro
Terribilesq; innexa jubas ruit agmine nigro
Latratuq; cohors: quanto sonat horrida Ditis
Janua, vel superas Hecates comitatus ad auras.

Vide Lips. *Cent.* 1. *ad Belg. Epist.* 44. Eliam Reusner. *Artis Strateg. lib.* 1. *cap.* 15. Casp. Facium *in axiom. Bellicis cap.* 94. Baudrando fuere pop. in Hyrcania.

Caspii montes, à Septentr. in meridiem valde extensi, inter Armeniam maj. & Mediam. Ex his Turcæ in Armeniam irruperunt, A. C. 755.

Caspin, civ. pontibus & muris munita, in tribu Dan. 2. Macchabæor. 11.

Caspingium, opp. Batavorum, prope Vahalim fluv. nunc castr. dictum *Giessenburg*, Cluverio teste, inter Goricum & Dordracum, in Comitatu Hollandiæ.

Caspirus, urbs Parthorum, finitima Indiæ, cujus incolæ omnium cursu sunt velocissimi. Steph. Aliis *Caspira*.

Caspis, Syriæ urbs. 2. Macch. 12.

Caspium mare, instar lacus, unde dulces ei aquæ, inter Caspios & Hyrcanos montes est, à quibus nomen accepit. Dicitur enim & *Hyrcanum mare*. Strabo *l.* 11. Καλεῖται δ' αὕτη ἡ θάλαττα καὶ Ὑρκανία. Dionys. *vers.* 50.

Ἥντε καὶ Ὑρκανίαν ἕτεροι διεφημίξαντο.

Immensum spatium occupat, de quo tamen inter scriptores pa-

rum

rum convenit. Mela. 3. 5. *Mare Caspium ut angusto, ita longo etiam freto.* Videsis illic Vossium. Strabo ubi supra, Ἔστι δ' ὁ κόλπος ἀνέχων ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ πρὸς μεσημβρίαν. Ubi sequitur vulgatam suorum temporum de hoc mari opinionem. Putabant enim plerique omnes, mare Caspium nihil aliud esse, quàm sinum Oceani Cronii sive Septentrionalis, ut sinus Persicus ex Oceano meridiano ἀνέχει. Hæc est Dionysii sententia, qui sinum Oceani secundi ita describit:

> Δοιτερος αὖτ' ὀλίγος μὲν, ἀτὰρ προφερέστατος ἄλλων,
> Ὅς' ἀποκιδνάμενος Κρονίης ἁλὸς ἐκ βορέαο,
> Κασπίη αὐτὸ ῥέεθρον ἐπιπροίησι θαλάσσῃ.

Quocum consentiunt duo Interpretes, Festum Avienum dico & Priscianum. Hic

> *Alter item est primo brevior, majorq; duobus*
> *Hic prolapsus aquas, Boreali fusus ab alto*
> *Terga procelloso turgescit Caspia fluctu.*

Priscianus.

> *Hoc minor est, reliquis major, quem Caspia tellus*
> *Suscipit intrantem vastis Aquilonis ab undis,*
> *Nomine Saturni quod Tethys possidet aquor.*

Hæc etiam Pomponii Melæ, hæc Plinii sententia. At non eorum, qui nostrâ ætate de eo mari accuratius scripserunt, qui affirmant esse id per se, nec ullo modo, aut cum Oceano, aut cum alio mari misceri. Falluntur verò è recentioribus plerique, dum totam antiquitatem hujus erroris insimulant. Nam quid illi novi docent, quod non jam pridem ab Herodoto sit traditum? Sic enim ille, Ἡ δὲ Κασπίη θάλασσά ἐστιν ἐπ' ἑωυτῆς, οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. Diodorus quoque Siculus ait, Τὴν Ὑρκανίην esse καθ' αὐτήν. Idcoque maximus philosophorum Aristoteles lacum appellat; mare tamen ab accolis vocari tradit Casaubonus. Horatius,

> —— *Nec mare Caspium*
> *Vexant inaquales procellæ*
> *Usq;.*

Aliàs in 4. sinus distributum fuit, nempe Scythicum, Albanum, Caspium & Hircanum. Nunc *mer Caspie*, vel *mer de Sala*, ab urbe *Salacinits* in ora, & *mer de Bacu*, ab urbe cognom. in Media, & de *Tabarestan*. In illud se exonerant Rha, Jaxartes, Oxus, Cyrus, Araxes. Longit. est 800. mill. pass. Latitud. 650. mill. p. Hieme magna ex parte concrescit. Ei à Borea Tartarea deserta, ab Ortu Usbechia, ab Occasu Georgia, à Merid. Persia, Baudrand. Vide Texeiram.

Cassan, vel *Chagan*, Persiæ R. fil. Aragonis R. ad regnum sic pervenit. Raytho Aragonis successore occiso, Baython substitutus est. Qui, quòd Christianis faveret, à Cassane hac lege electo, ut Christi fidem ejuraret, prælio victus est, an. 1294. sed hic regno potitus, rem Christianam mirificè promovit. Cum Christianis in Oriente Principibus, fœdere inito, Melechnazerum Ægypti in Syria R. superavit; Carbandam fratrem successorem habuit, An. 1304. Sanut. *l.* 3. *part.* 13. *cap.* 8. & 10. Hayton. *cap.* 41. *&c.*

Cassan, Bassa Solimanni, vastatâ Hungariâ, à Principe Palatino in prælio occisus. An. 1532.

Cassanda, ins. Belgii, in ora Flandriæ, ex adverso Zelandiæ & Flissingæ. Arcem habet cognom. permunitam. Sub Batavis vix 1. leuc. à Slusa & Brugis in Ortum.

Cassandane, filia Pharnaspis, & mater Cambysæ generi Astyagis. Herodot. *lib.* 1.

Cassander, 25. Macedonum Rex, 2. verò post mortem Alexandri Magni, fil. Antipatri, Aridæo successit. Democratiâ Athenis abolitâ, magnam Græciæ partem sibi subjecit, urbi Demetrio Phaleræo præposito. Irritatus dein Aridæi, uxoris Eurydices, aliorumque Macedonum cæde, Olympiadem necari jussit. Thessalonice porro Alexandri sorore ductâ, Macedoniam perdomuit, Thebas denuo extruxit, Roxanen cum filio Alex. posthumo sustulit, alterum quoque, Herculem, per Polyperchonta interemit. Cum Seleuco & Lysimacho fœdere inito, contra Antigonum, ingentis prælii victor, ad Ipsum, in Phrygia, an. 453. U.C. 3753. M. 3. Olymp. 119. triennio pòst hydropicus obiit. Regnavit an. 19. Diod. Sic. *l.* 19. Euseb. & Justin. *l.* 14.

Cassandra, Priami & Hecubæ filia, quæ cùm ob formæ venustatem ab Apolline amaretur, jussa quamcunque vellet concubitûs mercedem petere, vaticinandi peritiam sibi dari postulavit, quam cùm credulus amator ei concessisset, neque illa promissis staret, indignatus Deus, quoniam munus jam datum eripere non poterat, effecit, ut vaticiniis ejus fides nulla haberetur. Quare cùm equi Trojani insidias detexisset, eumque mœnibus minimè recipiendum clamaret, neminem tamen invenit, qui verbis ejus fidem adhibendam putaret. Virg. *Æn.* 2.

> *Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris*
> *Ora, Dei jussu, non unquam credita Teucris.*

Hanc Virgil. postremis Trojani belli temporibus, Chorœbo juveni desponsatam fuisse tradit, qui cùm extremâ illâ nocte, quâ Ilium cecidit, sponsam captivam abduci videret, eique suppetias ferre conaretur, à Peneleo quodam confoditur, Virgoque ipsa ab Ajace Oileo in Minervæ templo vitiatur. Hæc postea, in prædæ divisione, Agamemnoni cessit, qui cùm indentidem ab illâ admoneretur, ut Clytemnestræ uxoris suæ insidias caveret, nihilo tamen minus ejus monita, velut vesanæ muliercula deliramenta contempsit. Cujus postea securitatis pœnas dedit, unà cum Cassandrâ, uxoris, Ægysthique insidiis in convivio obtruncatus. Hom. *Iliad.* Virg. *Æn.* 2.

> *Ecce trahebatur passis Priameia virgo*
> *Crinibus à templo Cassandra, adytisq; Minervæ.*

Idem, *Sola mihi tales casus Cassandra canebat.*

Vide de hac porro Lycophronem *in poëmate ab ea denominato.*

Cassandra, Jobatis filia, quæ Bellerophonti nupsit. Homerus.

Cassandra Fidelis, puella Veneta, erudita, Angelo Politiano, decus Italiæ, vocata. *Lib.* 3. *ep.* 17. Vixit an. 1487. Fulgos. *rerum memorab. l.* 8.

Cassandra, opp. & *Cassandria colonia*, de quibus vide in *Polidæa.* Ptolemæus *Casandra* cum simplici *s* scribit. Est autem urbs Macedoniæ maritima. Pausan. & Steph. adhuc etiam *Cassandria* Sophiano.

Cassani, vicus agri Tarvisini.

Cassanitæ, populi maritimi ad mare Rubrum. Steph. Arabiæ Felicis, Ptol.

Cassanorus, urbs Ægyptia. Steph.

Cassanum, urbec. Calabriæ cit. juxta amnem *Lione*, Episc. sub Archiepisc. Consentino, 20. mill à Rossano in Boream.

Cassanum, oppidul. Duc. Mediol. ad Adduam fluv. aliàs frequens, 15. mill. à Crema. 12. à Bergamo.

Cassanus, vide *Cassan*.

Cassella, urbs, Landgraviatûs Hassiæ caput. Familiæ origo à Ducibus Brabantinis: è quibus Henricus II. Magnanimus, reliquit filios duos, Henricum III. Brabantini, & Henricum, cognom. Puerum, Hassiaci rami, auctores: quorum hic obiit an. 1308. pater Ottonis, qui principatum ad Lanum; Johannis, qui Cassellas, & Ludovici, qui Marpurgum tenuit. Sed successit reliquis Otto; è cujus posteris Ludovicus Mitis, genuit Ludovicum Pium, qui Cassellas iterum, & Henricum, qui Marpurgum tenuit: quorum ille mortuus A.C. 1471. stirpem propagavit, è cujus successoribus, Philippus Magnanimus fuit, rebus pro Evangelio gestis, inclytus. Hujus fil. Guilielmus iterum *Cassellanæ*, Georgius verò *Darmstatinæ* lineæ auctores fuere. Guilielmus, Princeps literis egregiè cultus, in Patre captivo liberando, multùm & cum successu occupatus, Cassellas suas maximè munivit, magnâ in Imperio auctoritate, & controversiarum, inter vicinos obortarum, arbiter: Libro Concordiæ fortiter se opposuit, Obiit an. 1592 ex Sabina Wirtenbergica, pater Mauritii: qui πολύγλωττος & eruditus, Reformatæ Religioni summo zelo adhæsit: Primo fœderi, an. 1603. quo unioni præludebatur, dein ipsi Unioni nomen dedit. A Gronsfeldio, jussu Tillii, Cassellis obsessus, regimen transtulit in filium Guilielmum, an. 1626. mortuus an. 1632. Hic cognom. Constans, suscepto regimine, cum fratribus de Apennagio, inde cum Darmstatinis de causa Marpurgensi transegit: Fœdus cum Gustavo Adolpho pepigit, Lipsiensi conventui interfuit, an. 1631. Regi ad Lipsiam victori copias suas prope Hœchstam junxit. Pace Pragensi penè solus in Germania noluit comprehendi, Hanoviam à Cæsareanis liberavit, defunctus in Frisia an. 1638. Vidua ejus Amelia Elisabetha, Lambojum an. 1642. in agro Kempensi, & an. 1648. ad Grevenburgam cæcidit, &c. Horum filius Guilielmus, in pace Monaster. Abbatiam Hirschfeldiam, & præfecturas *Schawenburg*, *Buckeburg*, *Statthagen* & *Saxenhagen*; atque pro satisfactione 600000. imperialium accepit: in causa Marpurgensi, & Waldeccensi cum adversa parte transegit, &c. prudentiâ & pietate inclytus. Obiit repentinâ morte, an. 1663. pater ex Hedvige Sophia Brandeburgica, inter alios Guilielmi, qui an. 1672. ær. 18. Parisiis obiit, & Caroli, qui nunc ditionibus præest. Ut diu & feliciter præsit, vota piorum Deus exaudiat! Vide Spener. *in Sylloge Geneal. Histor.* & in voce *Cassilia.*

Cassentium, sive *Casuentium*, Frontin. opp. olim & Colonia Hetruriæ, excisum: cujus ager *Casentine*, in territ. Aretino.

Casséra, Macedoniæ opp. Plin. 4.10.

Cassi, pop. Britanniæ apud Cattieuchlanos: *Grassère*, nunc Glareano, at Camdeno *Caishow*; sed *Caishhow* Cattieuchlani esse videntur. Ita Ferrarius. Camdenus autem ait, in regiunculâ *Caishow* servari nomen Cassiorum, quos etiam Cattieuchlanos vocat. Vulgò *the Hundred of Caishow*, in Comitatu Herfordiensi.

Cassia via, à Cassio Strata. Festus.

Cassianum, urbs ampla Persidis, in prov. *Hierach* In perpulchra planitie. Tridui circiter itinere distat ab Haspahamo in Boream, versùs mare Caspium.

Cassianus, Antiochiæ rex, ab Armeniis interfectus, anno Salutis 899. Blondus *lib.* 4. *Decad.* 2.

Cassianus, Hierosolymitanus Episcopus XI. A.D. 142.

Cassianus, martyr apud Forum Cornelii, ubi & jacet, & quò venerat peregrinationis gratiâ è Brixiâ urbe, cujus erat civis, & Præsul. Cùm apud forum Cornelii doceret, jussu Juliani Imperatoris, qui prohibuerat Christianos docere, stylis discipulorum confossus est. Martyrium ejus eleganter descripsit Aurelius Prudentius Περὶ Στεφάνων, *Hym.* 14.

Cassianus

Caßianus, Alexandrinus sub Joviniano in Italiam veniens, apud Ortona, templum construxit, cujus & Præsul electus: Inde peregrinando Augustodunum venit, ac Episcopo Simplicio viro sancto successit.

Caßianus, Monachus, Honorii tempore, Hierosolymitanâ Ecclesiâ ab hæreticis ejectus, Massiliam venit, ubi duo condidit cœnobia; scripsit & de Monachorum institutis. Volaterr. Vide Voss. *Hist. Lat. lib.2. cap.17.* & infra.

Caßianus, auctor Chronographiæ, Clem. apud Hieron. *in Catal. Script. Eccl. cap.38.*

D. Caßianus, quintus Augustoduni Galliæ civitatis, vulgò *Autun*, episcopus fuit: ad cujus tumulum pleraque ac miranda eduntur miracula, si fides Greg. Turon. *cap.75. de glor. mart.*

Caßianus Johannes, Scytha origine, natus Athenis, discipulus Chrysostomi, scripsit collationes Patrum deserti, 24. libris; Institutiones & modum vivendi cœnobitarum, remedia contra octo vitia capitalia, de Incarnatione verbi, contra Nestorium. A Prospero refutatus, quòd 13. libro Collationum, Semipelagianis favere videretur, cæterùm vitæ sanctitate illustris. Obiit an. 448. æt. 97. Gennad. *c.61.* Guesnay, *Caßian. illustr. l. 1. Praf. & l.2.c.12.* Massiliæ imo in tota Prov. colitur.

Caßibelannus Helius, fortissimus Britannorum Rex. Cajum Cæsarem à sua Britannia bis bello repulit, sed tertiò devictus, in subjectionem cum suo populo venit, anno mundi 3921. & ante natum Servatorem 49.

Caßida, Indiæ intra Gangem opp. Ptol.

Caßii, montes Scythiæ extra Imaum. Ptol.

Caßilia, urbs probè munita Germ. ad Fuldam fluv. cum arce. Sedes Principis Landgr. Hasso-Cassellani. 12. leuc. à Marpurgo in Bor. Etiam *Castellum Cattorum* dicta & *Stereontium*. Vid. ibi.

Caßilia, urbs Momoniæ in Hibern. ad Siurium fluv. in Comit. Tiperariensi. In colle. Ampla & culta, sed posterioribus his temporibus malè habita ab Anglis.

Caßiliacum, Rhætiæ oppidum, lib. Notit. *Romakessel*, Rhenano.

Caßilium, vulgò *Cassel*, vide *Stereontium*.

Caßinitius, Thraciæ fluv. cujus aqua equos potos efficit.

Caßinogilum, palatium vett. Aquitaniæ Regum, in pago Aginnensi, vulgò *Chasseneuil*. Hic Hildegardis Ludovicum Pium genuit, A.C. 788. Petro Monacho *in Histor. Albigensium*, vocatur *Castrum Caßanolium nobile & fortißimum, ad pedem montis, in amœnißima planitie, &c.* Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Caßinum, vide *Casinum*.

Caßiodorus Magnus Aurelius, Patricius, & Senator Romanus, Theodorici Gotthorum regis Præceptor, & Cancellarius, solus Consul. A. 514. tandem postquam vidisset, Gothorum res, sub Vitige, ruere in pejus, in extremitate Calabriæ Monasterium à se conditum incoluit. Ibi ei horologia Solis & aquæ plurima, lampades inextinguibiles, & Bibliotheca selecta. Cùm multa alia scripsit, ut Commentarium in Psalmos, in Canticum, &c. Libros duos Institutionum divinarum, 12. epistolas sub Theodorico Rege, 12. libros historiæ Gothicæ, à Jornande in epitomen redactos, Chronica, plurimosque tractatus Grammaticos, Rhetoricos, Dialecticos, Arithmeticos, Musicos, Geometricos, Astronomicos, Orthographicos, de figuris, tum verò Historiam Ecclesiasticam, quæ Tripartita nominatur, ex tribus Scriptoribus Theodoreto, Sozomeno, & Socrate in unum corpus coagmentavit. Mortuus est temporibus Justiniani Imper. Anno Chr. 562. æt. penè 100. Gregor. *lib.7. ep. 31. & 33.* P. Diac. *hist. Lomb. l. 1. c. 25.* Aimon. *hist. Franc. l.2.c.9.* Volaterr. vide etiam Voss. *Hist. Lat. 2. 19. Mathem. c. 16. §. 2. c. 22. §. 6. & cap.34. §. 1.*

Caßiope, sive *Caßiopea*, Cephei Æthiopum regis uxor, & Andromedes mater, quæ quòd gloriaretur, Nereidibus sese corporis pulchritudine præstare, illarum indignationem incurrit. Nymphæ enim jactantiâ ejus irritatæ incredibilis magnitudinis cetum immiserunt, filiamque ejus unicam, nomine Andromedam, saxo alligarunt, cetoque devorandam objecerunt, quæ tamen Persei virtute liberata, ei nupsit. Cassiope verò tandem generi meritis in cœlum translata traditur. Arabibus vocatur *mulier sedis*, id est, *sedens in siliquastro cum palmâ delibuta*. Manilius *inversam* vocat, quòd capite cernuans occidat. Unde Marcus Tullius Aratea vertens,

Labitur illa simul gnatam lachrymosa relinquens
Caßiopeia, neq; ex Cœlo depulsa decore
Fertur. Nam verso contingens vertice primum
Terras, post humeris eversâ sede, refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereïdes almæ,
Cum quibus, ut perhibent, ausa est contendere formâ.

Vide Cæsium *in Cœlo Astronom. pag.* 116. Propert. 1.17.

Nec mihi Caßiope solito visura carinam,
Omniaq; ingrato litore vota cadunt.

Caßiepea, pro *Caßiopea*, dicere jubet Scal. *in Manilium*, atque ita se reperisse ait in codice Gemblacensi. Sanè Græcis est Κασσιέπεια. Verùm codici uni plures opponere licet, in quibus *o* scribatur, nempe Latini ut *Calliope*, & *Calliopea*: ita *Caßiope* & *Caßiopea* scripsere. Nec est quòd Græca vox opponatur, nam *E* & *O* facilè commutantur. Ita Græcè est Πτολεμαῖος, at in optimis libris est *Ptolemaus*, & Βερονίκη *Berenice*. Vossius.

Caßiope, Corcyræ ins. opp. Plin. 4. 12. Ptolemæo *Caßiopolis* dicitur.

Caßiope, Eripi urbec. à qua *Caßiopæi*. Plin. & Ptol. in montanis. Straboni promuntorium est, quod & *Phalacrum* vocat. Cassiope alia, urbs Epiri, in Almena prov. (cùm prior sit in regiunc. Cassiopæa) versus oram littor. Nunc *Joannina*. Estque alicujus momenti. Ambæ sub Turcis.

Caßios, fluv. Scythiæ, qui per Albaniam in mare decurrit. Plin. 6. 13.

Caßipa, lacus Amer. merid. in Paria reg. In Orenocum fluv. se exonerat. Inter Orinocum & lacum Parime.

Caßiterides, insulæ in occidentali Oceano, unde plumbum candidum effoditur. Plin. 4. 16. *Ex adverso*, inquit, *Celtiberia complures insula sunt Caßiterides Gracis dicta, à fertilitate plumbi.* Olim nemini perviæ, præterquam solis Phœnicibus, Strabo *l.3.* πρότερον μὲν γὰρ Φοίνικες μόνοι τὴν ἐμπορίαν ἔστελλον ταύτην ἐκ τῶν Γαδείρων, κρύπτοντες ἅπασι τὸν πλοῦν. Plumbum ex illis insulis Græcis primò allatum. Plinius, *Plumbum ex Caßiteride insulâ primus apportavit Midacritus.* Atque indidem stannum habuere. Herodot. Οὔτε νήσους οἶδα Κασσιτερίδας ἐούσας ἐκ τ' ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ. Potest autem hoc nomen Phœniciæ originis esse, quia Chaldæi, & Arabes stannum appellant, vocabulis huic simillimis. Sic Num. 31. 22. pro Ebræo בדיל Jonathan habet קסטירא *Kastira*, & Hierosolymitanus Interpres קיסטרא *Kistara*, & Arabs קזדיר *scasdir*, Bochartus, quem vide de *Phœn. Col. l. 1. c. 39.* Cluverio, aliisque sunt Insulæ, quæ Trileuco prom. Gallæciæ objacent, quarum una ad Occ. *Zigarga*, alia ad Ort. *Ista de S. Cyprian*, in ora Bor. Gallæciæ & in Oceano Cantabr. Baudr.

Caßitira, Insula in Oceano, Indiæ vicina. Steph.

Caßivelaunus, Britannus, cui cùm Cæsar in Britanniam exercitum traduxisset, summa imperii belliique administrandi communi Britannorum consilio permissa est. Cæs. *l. 5.* Frater fuit Ludi R. eoque mortuo regni administrator fidus, Thomantio primogenito ejus Cornubiam, Androgeo jun. Cantium dederat. Beda, Polydorus Virgil. *hist. Angl.*

Caßium, vulgò *Case*, oppidul. Liguriæ, in agro Ticinensi.

Caßius, civis Rom. cùm filius ejus Tribunus, Agrariâ lege latâ, Remp. turbatum ivisset, eum regni affectati accusatum, ad virgas & mortem condemnari curavit: Templo dein Cereris ex præda extructo. Valer. M. *l. 5. c. 8. ex. 2.*

Caßius, Trib. plebis, C. Mario & L. Flacco Coss. plures leges ad diminuendam nobilitatis potentiam tulit: in quibus sanxit, ut quem pop. Rom. damnasset cuive imperium abrogasset, id ratum esset. Fuit & inter competitores Ciceronis in Consulatu. Ascon. Pædian.

Caßius, dux Pompejanus cum decem navibus ardente bello civili ad Cæsarem transiit.

Caßius, Præsul Narniensis tempore Totilæ regis Gotthorum, cui occurrens animum ejus placavit, ne civitati noceret. Gregor. 3. *Dialog.*

Caßius, Poëta Parmensis fuit, cujus ingenium in scribendo carmine mirè concinnatum, & promptum prædicat Horat. 1. *Serm. Sat. 10.*

—— *Hetrusci*
Quale fuit Caßi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse, librisq;
Ambustum propriis: ——

Hic est, qui in partibus Cassii & Bruti Trib. militum fuit, quibus victis Athenas se contulit. Quintilius Varus ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reperit, & perempto eo scrinium cum libris tulit, unde multi crediderunt Thyesten Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas tragœdias, Acron in illud Horatii:

Scribere quod Caßi Parmensis opuscula vincat.

Caßius Apronianus, Cos. collega Pætini, an. U. C. 871. Atheniensibus jura ex Draconis, & Solonis, reliquorumque libris conscripsit. Cassiodorus.

Caßius Asclepiodotus, magnitudine præcipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit, exutusque est omnibus fortunis, & in exilium actus. Tacit. *l. 16. c. 33.* à Xiphilino *Caßius Asclepidotus Niceus* paulò aliter dicitur.

Sp. Caßius Bellicinus, al. *Viscellinus*, regni affectati crimine damnatus, cui plus suspicio conceptæ dominationis nocuit, quàm tres magnifici Consulatus, ac duo speciosissimi triumphi profuerunt. Nam S. P. Q. R. non contentus capitali eum supplicio afficere, interempto domum superjecit. In solo autem ædem Telluris fecit. Valerius Max. *lib. 6. cap. 3. ex. 2.* Liv. *lib. 2.* Flor. *l. 1. c. 26.* Dionys. Halic. *l. 8.*

Caßius Brutus, patriæ proditor, à patre inediâ consumptus est, nam bellum adversus Latinos Romanis erat. In eo ducem P. Decium creant quidam Patricii. Cæterùm inops hic adolescens Cassius Brutus, dictâ mercede, portas aperire cùm deprehensus esset, ad auxiliare Palladis templum confugit, cujus pater

Cassius

Cassius signifer, occlusis foribus, necatum fame juvenem insepultum ejecit. Plut. *in Parallelis.*

Cassius, prænomine *Cajus*, cùm Nerone tertiùm Valerio Messallâ Coss. seditio Puteolis inter Senatum & plebem ad saxa & minas ignium progressa esset, adhibendo remedio dilectus. Quia ejus severitatem non tolerabant, precante ipso, ad Scribonios fratres ea cura translata est, datâ cohorte Prætoriâ, cujus terrore & paucorum supplicio rediit oppidanis concordia. Tacit. XIII. 48. Eundem Nero officio exsequiarum Poppææ prohibendo admonuit exitii, quod in eum haud in longum dilatum est. *lib.16.* 7. Nam statim in insulam Sardiniam deportatus est. Oderat verò eum Cæsar, quòd opibus vetustis & gravitate morum præcellebat. Ibid.

Cassius Dio, Consul, collega Ju. Tiberiani an. ab. U. C. 1042. Alius omnino est à Dione Cassio historico, de quo postea; Is enim consulatum gessit cum Alexand. Mammeæ filio an. U.C. 981.

C. Cassius, (*Longinum* vocat Dio lib. 40.) ex illustrissima Romanorum familia, Quæstor Crassi in Syria, hoc cæso, reliquiis exercitus collectis, ad Orontem fl. Osacem vicit. Dein Pompeium sequutus, victus est à Cæsare, mox illi reconciliatus, unus fuit ex ejus percussoribus, unà cum M Bruto apud Philippos à M. Antonio & C. Octavio victus, mortem sibi conscivit, vir omni laude dignus, & animo in Remp. planè singulari: hoc tamen minus felix, quòd, sublato tyranno, tyrannidem tollere non potuit. Plut. *in Bruto.* Cæsare interfecto, quum postridie apud M. Antonium cœnaret, rogante illo, Num etiam ibi gladium aliquem in sinu reconditum haberet? Et quidem permagnum, inquit, si & tu tyrannidem affectas. Suet. *in Cæsare & Aug.* Plut. *in Bruto.* Liv. *lib.116.* Flor. *l.3.c.6.* Vellejus, Dion, Appianus, &c. Scientiarum amator fuit, Literatorum Fautor, Epicuri sectator, Vid. Cicer. *l.15. epist. fam. Philippicâ 2.* Gassend. *in Vita Epicuri.* Voss. *de Sectis Phil. c.8. §. 25.* Uxorem habuit Juniam Bruti sororem, quæ utrique per annos 64. superstes vixit. Lloyd. Præfectura ejus, quâ sub Pompejo Syriacis navibus præfuit, in argenteis denariis acroterii signo indicatur, addito etiam nomine M. Servilii, ejus Legati, cùm in altera parte sit M. SERVILI. LEG. Uterque autem in percussoribus Cæsaris fuit & in denariis M. BRUTI IMP. alter LONGUS, alter CASCA notis cognominibus describuntur. MSCR.

Cassius Hemina, Chirurgus apud Roman. cui ob peritiam jus Quiritium datum, & taberna in compito Acilio empta. Plin. 7.25.

L. Cassius Hemina, quem *vetustissimum annalium auctorem* vocat Plin. 13.13. Ubi Guilandinus, & Dalechampius, pro *vetustissimus* legunt *verissimus*; idque quia, ut ajunt, vix 70. annis antiquior fuit Plinio: ut qui Augusto ac Tiberio fuerit coævus; iisque historiam suam dicavit. Verùm errant. Vixit enim ludis secularibus quartis C. Cornelio Lentulo, & L. Mummio Achaico Coss. an. U. C.608. ut de eo testatur Censorinus cap. 17. Fecit Annalium libros 4. Eorum quartus inscribebatur *Bellum Punicum posterior*, ut Priscianus auctor est *libr.7.* Nempe ex veterum usu, quibus exeuntia in (*or*) communia erant. Vide A. Gellium *l. 17. c. 21.* Censorinum *c.17.* Plinium passim, Voss. *De Hist. Lat. l.1. c.7.*

Cassius Longinus, Jurisconsultus, quòd Cassii Cæsaris percussoris nomen, & stemmata haberet, jussus est à Nerone mori. Pronepos fuit Servii Sulpitii ac eques Romanus. Tranquillus.

Cassius Longinus, prænomine Cajus, Jurisconsultus, in honore sub Claudio fuit, Syriam administravit, pulsus à Nerone, per Vespasianum rediit & omne istud tempus vixit.

Cassius Longinus, prænomine *Lucius*, Consul, cum M. Vinucio Quartino A.V. 783. cui Tiberius Germanici filiam Drusillam collocavit. Posteà sub Caio proconsul Asiæ & monentibus sortibus caveret Cassium, à tyranno cæsus est. Sueton. *cap.57.* Dio. 59.

Cassius Longus, Præfectus Castrorum, vincto proditionis ergò Cæcinâ, dux cum Fabio Fabulo à Vitellianis militibus dilectus. Tacit. *hist.3.14.*

Cassius, prænomine *Lucius*, Collega C. Marii, in primo illius consulatu, anno V. C. 647. à Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui à civitate recesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites, qui eâ ex clade supererant, obsidibus datis & dimidiâ rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt: tempore quo Jugurtha pulsus est à Mario. *Lucius* quoque Piso vir consularis, legatus Cassii Consulis, interfectus est. Q. Publius, alter legatorum, deditus sub jugum missus est. Ciacconius hoc factum adnotat anno urbis sexcentesimo quadragesimo sexto. Vide Liv. Epitomam, *lib.65.* Orosium *lib.5. cap.15.* Appianum *in Celticis, &c.*

Cassius Posthumus Labienus in Galliâ regnavit an. 7. sub Gallieno majore Imperatore.

M. Cassius Scæva, miles Cæsaris fortissimus, de quo Cæsar Bell. Civil. *lib.* 2. Valer. Max. 3. 2. Appian. Ἐμφυλ. 2. Lucanus *libr.6.* Florus, & Sueton. *in Cæsare.*

Cassius Severus, orator, de quo Quintilianus sic scribit: *Cassius Severus, qui si cæteris virtutibus colorem, & gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret, nam & ingenii plurimum est in eo, & acerbitas mira, & urbanitas, & vis summa.* Hæc ille. Hujus Cassii scripta ex Senatusconsulto abolita sunt. Sueton. V. Voss. *Hist. Lat. l.1.c.21.* & infra.

Cassius Severus, Parmensis, Orator primus flexisse dicitur ab illâ rectâ & vetere dicendi viâ. Historiam quoque scripsisse innuit Tertulliani Apologeticus; & Suetonius *Vitellio cap.2.* Cæterùm sordidæ originis, maleficæ vitæ; maledicæ linguæ: idcircò ejus scripta librique abolita ab Augusto & judicio jurati Senatûs Cretam amotus. Ibidem eadem actitando recentia veteraque odia advertit, ac sub Tiberio bonis exutus, interdicto igni atque aquâ saxo Seriphio consenuit, & 25. exsilii sui anno, summâ inopiâ moritur; vix panno verenda contectus. Hieron. *in Chron.* Eus. *An.4. Olymp.* 200. Plin. *l.7. cap.12. lib.35. cap.12.* Quintil. *l.10.* Macrob. *Saturn. cap.4.* Oros. *lib. 6. cap. 21.* Appian. *bell. civ. 5.* Plut. Vellej. Fabius. Adde Horat. *l.1. Sat.19. Od.6. Epod.* Voss. *de Poët. Lat. c.2. de H. L. l.1. c.21.* An idem cum *Cassio* Poëtâ?

Cassius Viscellinus, prænomine Spurius, Consul cum Opstere Virginio Tricosto A.V.C. 252. Vid. etiam supra.

M. Avidius Cassius, Præfectus exercitus Antonini Principis in Oriente, dum Imperator ipse res in Germaniâ gerit contra Marcomannos, defecit ab eo; itaque relicto bello Imperator cum exercitu eum petit, & superat.

Cassius, Hisp. mons. Sext. Avienus.

Cassobia, vel *Cassovia*, Urbs Hungar. sup. caput, & Comitatus Abanvivariensis præcipua, juxta Kunnertum fluv. rapidum, probè munita, 4. mill. ab Eperia in Austr. sub Imperatore, cui à Steph. Botskai, An.1604. & Betleemo Gabore, A. 1619. erepta, sed recepta est. Est tamen libera & sui penè juris, 6. leuc. à monte Carpatho. Vulgo *Caschau.*

Cassopa, urbs in Molosso. Vid. Steph.

Cassubia, ducatus Poloniæ, inter Prussiam & Pomeraniam, hodie regio Pomeran. Ulter. inter mare Balticum & Prussiam. Ducali tit. gaudet. Ibi urbes præcipuæ Chonitza, Coloberga, Coslinum, Lavenburg, Sclochovia & Belgardia. Sub Electore Brandeburg. ab aliquot annis. Ab his populis, ut & Prussis, Pomeranis, ac Henetis erepta repetiit Zemovitus Polonus, An. 892. Cromer. *Hist. Pol. lib.2.* sed bellum à patre inchoatum, deseruit Lescus, quietis & otii amantior, Ann. 900. Idem. Boleslao postmodum, post res sæpius turbatas, cum Pomeranis subacti, cæsis eorum XXVII M. A. C. 1119. Idem *lib.5.* atque ad Christianam fidem perducti sunt. Crantz. *lib. 3.c.40, &c.*

Castabala, Ciliciæ campestris & Phœniciæ civitas, quæ & Perasia dicebatur. Steph. Populi *Castabalenses*, qui propter bella cohortes canum habuere, teste Plinio. In Castabalis autem Dianæ Perasiæ templum extitit, quod sacræ mulieres ingressuræ super prunas nudis pedibus incedebant. Æneas Sylvius *Asia cap.46.* Baudrando *Castabala* est versùs oram littoral. sinus Illici, inter Anazarbum & Adanam.

Castaldus Jacobus, Pedemontanus, emisit typum totius Orbis, & plurimas tabulas recentes, Europ. Asiæ & Afric. An.1550.

Castalia, Acheloi filia.

Castalia, urbs Ciliciæ. Steph. alia circa Phocidem. Herodot.

Castalio Sebastianus, Allobrox, excellenti linguarum cognitione præditus, Basileæ græcè docuit, per an. 18. Biblia latinè interpretatus est, quod opus An.1542. Genevæ aggressus, nono pòst anno absolvit majori elegantiâ, quàm fide: in sacris suis Dialogis, Aresdorphii editis, non usquequaque sincerus, obiit Basileæ An.1563. æt. 49. *Elegantia plus satis curiosus, proterve in re sacra Dei verbum Ciceronianæ dictionis flore vestire, insolenti temeritate molitus est,* Morus *Exercit. de S.Scr.* Translationem ejus *Ethnicam* appellant, Idem ibid. *Magnum proculdubio ab eruditis omnibus, & piis gratiam initurus, nisi sacrosanctam rerum divinarum Majestatem visus esset, aliquot in locis, præ nimio Latinitatis & facundiæ studio violasse,* Scævola Sanmar. *El.* Ejus autem Biblia cum Annot. prodierunt Basil.1551. 1554. 1573. hæcque extant inter Criticos Sacros, per Corn. Bee. Scripsit quoque in Cap.9. ad Rom. Annot. octav quæ Jenæ editæ, a. 1613. Prima Arminianismi semina in Dial. suis, de quibus supra, sparsisse videtur. Epitaphio Basil. insigni à Stanislao Starzechovio, Joh. Ostrorogio & Georgio Niemsta, Nobilibus Polonis honoratus est, quod V. apud Urstis. *Epitom. Hist. Basil.*

Castalius fons, *Caballinus*, & *Libethris* dicitur. Est in radicibus Parnassi, Musis sacer. Virgilius *Castaliam* vocat *Georg.3.*

—— *Juvat ire jugis, quâ nulla priorum*
Castaliam molli divertitur orbita clivo.

De nominis origine sic Boch. Arabicè, inquit קסטלה *Castala*, est *fluminis* vel *fontis murmur.* Sunt qui *fragorem* reddunt. Talis fons Castalius Virgil. *in culice.*

Castaliaque sonans liquido pede labitur unda.

Quin Castalii fontis murmur putabatur aliquid habere fatidicum. Unde est, quòd apud Nonnum *Dionys. lib.4.* Cadmo Apollinis oraculum consulente,

—— Ὀμφήεντι ῥεέθρῳ
Κασταλίης πάφλαζε νοήμονος ἔνθεον ὕδωρ.

Et in Luciani *Jove Tragœdo*, Apollo ad vaticinia deesse sibi queritur, πηγὴν μαντικὴν, οἷα ἡ Κασταλία ἐστίν. Et Clemens *in Protreptico*, Σεσίγηται γοῦν ἡ Κασταλίας πηγὴ, καὶ Κολοφῶνος ἄλλη πηγὴ, καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως τέθνηκε νάματα μαντικά. Quô palam alludens Gregor. Nazianzenus *Orat.4.* Πάλιν, inquit, ἡ Κασταλία σεσίγηται καὶ σιγᾷ, καὶ ὕδωρ ἐστὶν οὐ μαντευόμενον, ἀλλὰ γελώμενον. Quale

est

est, quod idem scribit *Orat.*39. Κασταλίας μαντικὸν πόμα, divinum Castaliæ laticem solum silentium suum vaticinari non potuisse: Quod quidem Scholiastæ referunt, ad Syriæ Castaliam, prope Daphnem Antiochiæ: Sed ad hanc nostram Constant. Porphyrogen. Themate *Nicopolis*. Nempe eâdem virtute pollere fons uterque creditus est. Sozomenus *lib. 5. cap.*19. ubi de Daphne Antiochiæ: Ἐπιστεύετο δὲ παρὰ τοῖς τῇδε πρεσβεύουσι, ῥεῖν αὐτόθι καὶ ὕδωρ μαντικὸν ἀπὸ Κασταλίας τῆς πηγῆς, ὁμοίας τῆς ἐν Δελφοῖς ἐνεργείας τε καὶ προσηγορίας λαχούσης. Ita etiam Niceph. Callistus 10. 28. Proinde in Syrâ illâ Castaliâ ex aquarum motu, & strepitu ὑδρομαντεῖς futura prædixisse constans fama est. Hinc Apollinem refert Suidas, in Antiochiæ Κασταλίᾳ solitum χρησμολογεῖν, αὔρας καὶ πνοῆς ἐκ τοῦ ὕδατος ἀναδιδομένης, *Oracula edere, aurâ, & flatu ex aquâ expirante.* Ex eâ porro aquarum agitatione fragor, & murmur consequebatur: quod & alii disertè scribunt. Græcus Schol. *in Gregorium, ubi supra*: Κασταλία, πηγὴ περὶ τὴν Ἀντιόχειαν, ἐν ᾗ καὶ ὁ Ἀπόλλων ἐφορεύει, *Castalia fons circa Antiochiam cui Apollo præsidet.* Pergit, Μαντεία οὖν τις ἐξεφέρετο κατὰ τὴν τοιάνδε πηγὴν, ἡ τοῦ νάματος, οὐ κατὰ φωνὴν, ἀλλ' ἁπλῶς ἤχου τινὸς καὶ πνεύματος ἀναδιδομένη (lege ἀναδιδομένου) *Proinde Divinatio quædam ad fontem illum edebatur ex defluxu, non per vocem, sed solùm sono quodam & flatu edito.* Vides Lector, huic aquæ sonum, stridorem, & strepitum tribui, id est, קסטלה *Castala*; unde *Castalia* dicta est, non à *Castalio*, de quo Pausan. *in Phocicis*, nec ab Acheloi filiâ *Castaliâ*, de quâ ibidem Panyasis, & Constant. Porphyrog. in *Nicopoli*, nec à *Castalia* nymphâ, quæ metu insequentis Apollinis eò se præcipitem dejecerit, ut à Lutatio traditum. Bochartus.

Castalo, maxima civitas Oretaniæ, gentile *Castalonites*. Steph.

Castanea, urbs circa Peneum fluv. Strabo. Et Magnesiæ Plin. Eudoxus per θ scribit. Gentile *Castanaus*. Steph. Ab hâc urbe, (nisi à priori malis) nuces, quæ *Castaneæ* dicuntur; quas Nicandri Scholiastes duplicis generis facit, Καστάνων, inquit τὸ μὲν λοπιμὸν, τὸ δὲ μαλακόν. Ita Virgil. distinguit, *Eclog.*7.

Stant & juniperi, stant Castaneæ hirsutæ.

Et *Eclog.* 1.

Castaneæ molles, & pressi copia lactis.

Castania, seu *Castellanata*, Urbs Lucaniæ, in Salentinorum confin. Steph.

Castanovitium, arx Croatiæ, in ditione Turcarum ad Unnam fluvium 3. leuc. à Siscia, 4. à Petrina, versùs confinia Croatiæ Austriacæ.

Castaon, Cazorla teste Mor. cum Gomesio, op. Hisp. Bæt. inter Ubedam urb. & Seguram opp ad ort. 6. leuc. Sed Henr. Coquo, & Car. Clusio est *Villa Nueva d'Alcaraz*, op. amplum Hisp. Tar. haud procul à monte, ex quo Bætis fluv. profluit, ubi olim plumbum proveniebat, cui argenti pars immixta fuit, non adeò ut ejus utilis sit expurgatio. Baudrando est ad Bætim fl. in Diœcesi & regno Toletano, sed in confin. Vandalitiæ, ubi aliàs Oretani pop. Aliàs *Castulo*, quod V.

Castax, urbs Iberiæ, Gentile *Castacæus*. Steph.

Castella, regnum Hisp. amplissimum, divisum in *Vet.* Castellam, quæ versus Sept. cujus caput Burgi Arch. & *Novam*, versus Meridiem, seu regnum Toletanum, cujus prim. aliàs Toletum, nunc Madritum. Habet Castella à Septentr. Asturias & Biscajam; ab Or. regna Navarræ, Aragoniæ, Valentiæ, Murciæ; à Merid. Andaluziam; ab Occ. Estremaduram & regnum Legionis. Primò Comites habuit, quibus Alhaca Saracenorum R. non pauca ademit, A. C. 961. usque ad Garciam, cui Nunna soror successit, uxor Sanctii Navarræ R. à quo Regnum esse jussa est: quod Ferdinandus II. Rex Legion. suo junxit, An. 1217. Cum Arragoniæ regno unita Castella est, An. 1474. sub Ferdin. & Isabella. Hodie sub Regibus Hisp. ex familia Austr. Merula *Cosmogr.* Ortelius, Atlas M. Boterus *Relat. hist.* Mariana, &c. In hujus collimitio Ordonius, trucidatis LXX M. Saracenorum, Almanzorem in fugam conjecit, An. C. 916. Mariana, Vasæus, &c.

Urbes Castellæ Veteris:

Albula, *Avila.*	Burgi, *Burgos.*
Calaguris, *Calahora.*	Oxoma, *Osma & Borgo d'Osma.*
Calciata, *la Calzada*, seu *S. Domingo de la Calzada.*	Segovia.
	Vallisoletum, *Valladolid.*

Nova.

Calatrava.	Conca, *Cuenca.*
Civitas Regia, *Ciudad Real.*	Madritum.
Complutum, *Alcala de Henares.*	Seguntia, *Siguenza.*
	Toletum, *Toledo.*

Castella aurea, pars Americ. Merid. inter Isthmum Panamæ, Peruviam & Venezuelam, à Castellanis detecta & dicta. Solis aurifodinis celebris, Herrera c.15. Linschot. *Amer. c.* 7. Nunc *Terra firma* dicitur, quod vide. Sub Hispanis.

Castellana, civitas episc. Umbriæ, *Tiphernum* Ptolomæo dicta. Item, opp. Gall. in Provincia, ad Verdonam amnem, intra montes. 2. leuc. à Sanitio in Austr.

Castellaneta, urbs regn. Neap. cum tit. Princip. ad fluv. Talvum, in prov. Hydruntina. Episc. sub Ar. Tarentino. 9. mill. ab ora sinus Tarentini.

Castellani, Hisp. Tarracon. pop. in Catalauniâ, quorum tractus ducatus est Cardonæ, teste Varrerio cum Villanovano. Est autem Cardona oppid. inter Salsonam 2. & Minorissam urbem 3. leuc. ab Ilerda 10. Bor. versus, ubi mons est copiâ salis colorum varietate respersi celebris: Baudrando fuere inter Ausetanos & Cerretanos, versus Bessidam & Bergam, oppida Cataloniæ, ad radices Pyrenæorum, & prope Cardonam etiam protendebantur.

Castellanus, à castello, Præfectus castri, domini vices ibidem agens, ut in villa Villicus. Constituti enim olim à Ducibus & Comitibus amplissima possidentibus territoria, in loco aliquo munito, non solùm militares Præsides, ad propulsandos hostes, sed & civiles Judices, ad dirimendas populo lites. Facti dein potentes, & in patrium munus succedentibus sæpe filiis, à dominis tandem impetrarunt, ut præstitis antiquis servitiis & tributis, munus sibi in feudum retinerent. Jurisdictionis etiam suæ cancellos paulatim transeuntes, virgam inferioris justitiæ, quâ primùm fungebantur, in gladium superioris tandem commutarunt: dignitatis sibi fastigium, Baronum minus, sed nomine potius, quàm amplitudine, conficientes. Sic Gallis noti, & Polonis, eò magis, quòd Baronum classem non agnoscant: Anglis autem, ne muneris appellatione: quos enim Galli *Casteleins*, illi *Constables of the castle* appellant: sed apud eos rari & inhonori. Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Arch.*

Castellanus, Bassiano oriundus, Poëta, an magis historicus, Bernardin. Scardeonius, *hist. Pat.* Pacem Friderici I. & Alexandri III. versu prosecutus est. Voss. *de hist. Lat. l.* 3. *p.* 798. Leand. *descr. Italia*, *p.* 480.

Castellanus, sub Franc. I. eruditione clarus. Quærenti Regi, an nobilis esset, cùm respondisset, nescire se, ex quonam filiorum Noahi oriundus sit, ita Regem oblectavit, ut hinc Episc. Matiscon. &c. Magnus tandem Eleemosynarius Galliæ evaserit. Mori. *in diction. hist.* Animam Francisci, cùm in funebri Oratione, *simul atque ex corpore excessit, cœlo receptam esse, dixisset*, periclitatus est, sed à Joh. Mendoza egregiè defensus. Vid. Thuan. *L.* 3. *hist.*

Castellatium, oppidum Pedemontanæ ditionis, ad Burmiæ Tanarique confluentes situm, antiquis *Gamundium* appellatum.

Castelletum, vulgò *le Catelet*, oppidulum Galliæ probè munitum, in Picardia regione & in confinio Hannoniæ & Cameracensis tractus, ad fontes Scaldis fluvii. 5. leucis distat à Perona; estque medium inter Cameracum & Fanum S. Quintini.

Castelletum, locus juxta Tiberiadem, secus mare Galilææ, ubi quondam Christianorum copiæ coactæ sunt.

Castellio, vulgò *Castillon*, oppidulum Galliæ, in Petragoricensi provinciâ, ad fluvium Duranium, ubi Angli victi, & grandi clade affecti à Gallis anno 1451. sub Carolo VII. Rege. Distat 3. leucis à Liburniâ in ortum, & totidem à Fano S. Fidei in occasum.

Castellio ad Lupiam, vulgò *Chastillon sur Loing*, oppidum lepidum Galliæ, in Vastinio tractu, cum castro in colle, ad Lupiam amnem, & antea Ducatus titulo insignitum. 4. leucis supra Montargium in meridiem distat, & 6. à Ligeri fluvio.

Castellio ad Matronam, vulgò *Chastillon sur Marne*, urbecula Franciæ, in Campania superiori, ad Matronam fluvium sita, vix 3. leucis ab Epernaco in occasum, & 7. à Remis in austrum.

Castellio ad Sequanam, vulgò *Castillon sur Seine*, urbs Galliæ satis culta, in Ducatu Burgundiæ, ad Sequanam fluvium, 16. leucis à Divione in Boream, & 13. à Lingonibus in occasum. Patria fuit Guilielmi Philandri, qui Vitruvii Pollionis de Architectura *libb.* 10. adnotationibus doctis & laboriosis illustravit. Dicitur autem *Castellio*, à castello, quasi parvum Castellum. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Castellionensis Lacus, vulgò *Lago di Castiglione*, lacus est Hetruriæ, in agro Senensi, sic dictus ab oppidulo ei adjacente, *Castiglione di Piscaria*, inter Grossetum & ditionem Plumbinensem. Paulò pôst in mare Mediterraneum se exonerat, sub dominio Magni Ducis Hetruriæ.

Castellodunum, vulgò *Chasteaudun*, urbs Galliæ lepida & culta, ad Lædum fluvium, octo leucis supra Vindocinum. Sita est in Belsia provincia, in eo tractu, qui ab ea *le Dunois* dicitur, in dominio Ducis Longovillæ. Distat à Rothomago 28. leucis in austrum, & totidem à Lutetia in occasum.

Castellum, Vid. *Castrum*.

Castellum, Locus inter Faventiam & Florentiam, Anton. & in Maurit. Cæsariensi.

Castellum Abbatis, oppidum novi nominis in Lucania.

Castellum

Castellum in Andibus, hodie *Chasteaux*, locus Andicavinæ diœceseos, non procul à fluvio Liderico, in Andium Turonumque confinio.

Castellum Aquarum, quod & Aquæ, & Thermæ superiores, *Baden*, & *Ober Baden*, urbs Helvetiorum inter Tigurum 2. & Basileam 6. leuc. ubi comitia haberi solent Helvetiorum generalia. Vid. *Badena*.

Castellum Arianorum, seu *Castelavium* Auracium, vulgò *Castelnaudary*, oppid. Galliæ, in Occitania, celebre pugnâ ibi commissâ an. 1632. Sedet in colle, 5. leucis à Carcassona, & 8. à Tholosa.

Castellum Carnones, castrum Burgundiæ liberæ Sequanorum, vetustissimâ Monialium Abbatiâ insigne, vulgò *Chastel Chalon*; inter Montemacutum & Polemniacum. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Castellum Cattorum, vulgò *Cassel*, urbs Hassiæ primaria. Vide *Cassella* & *Stereontium*.

Castellum Delphinum, oppidum Pedemontii.

Castellum Durantium, vulgò *Castel Durante*, oppidum aliàs Italiæ, in Ducatu Urbini, ad Metaurum amnem, ubi antea delitiæ Ducum, & palatium superbum. Sed ab Urbano VIII. Barberino Romano Pontifice facta fuit civitas anno 1632. & dicta Urbanea, *Urbanea*, cujus episcopatus unitus est cum Diœcesi S. Angeli Vadani. Vide *Urbanea*.

Castellum Francum, oppidum agri Tarvisini.

Castellum Goscelini, vulgò *Joscelin*, castrum Galliæ, in diœcesi Aletensi seu Maclovienfi, cellâ seu Prioratu S. Nicolai illustre & Prioratibus S. Martini ac S. Crucis. Dictum à domino Goscelino. Nonnunquam *Joslin* quoque.

Castellum Guntherii, in prov. Lugdunensi 2. ad fluv. Olinam, hodie *Gontel*. Aliud nobilius, in prov. Lugdunensi, 3. in finibus Andium, ad ripam fluv. Meduanæ, structum à Fulcone Nerra, tertio Andicavorum Comite, & Villici appellatione donatum. V. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Castellum Heraldi, vulgò *Chastelleraud*, in Pictonum finibus, olim Vicecomites habuit, nunc tit. Ducatus illustratur. Ibi Vingenna primùm navigia tolerat, ad Inf. Burchard. properans. Caput pagi Castroheraldens. Vid. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Castellum Holmium, vulgò *Castelholm*, oppidum Sueciæ, & Alandiæ insulæ præcipuum, in mari Baltico, ad fauces sinus Bothnici, cum portu capaci.

Castellum Hunnorum, seu Castellaunum, oppidulum est tenue, in Palatinatu Rheni & in conf. Trevirensis ditionis, unâ leucâ à Simmera, & 2. à Mosella fluvio.

Castellum Menapiorum, vulgò *Kessel*, oppidum est Gueldriæ superioris, prope Mosam fluvium, & ab eo regio adjacens dicitur *T'land van Kessel* incolis, *pais de Kessel* Gallis, inter Mosam & paludes *Peele*, versùs Brabantiam. Oppidum autem 2. leucis distat ab Horna in Boream.

Castellum Morinorum, vulgò *Cassel* & *Mont-Cassel* dicitur; estque lepidum oppidum Flandriæ in colle situm, 4. leucis ab Hypra, cum amplo territorio.

Castellum Novum, opulentum oppidum Lombardiæ Cispadanæ, à Gothis, cùm Dertonam tenerent, conditum, tam quò belli temporibus hoc uterentur propugnaculo, quàm ut horreum rei frumentariæ haberent: situm est inter Æmiliam viam & Padum: de *Castellis Novis* Galliæ, Vid. Valesium.

Castellum Theoderici, vulgò *Chasteau Thierry*, opp. in Suessionibus, ad Matronam fluv. cum tit. Ducatus & arce celsa. Vid. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

Castellum in Vosago, locus in sylva Vosago, apud Lotharienses, ad ripam Mosellæ. Vulgò *Chastel*. Idem.

Castelon, vulgò *Castellon d' Ampurias*, opp. amplum Hisp. citer. in Catalaunia, apud Emporias urb. olim in ora littorali, nunc oppidulum inter Gerundam supra 5. & Helenam in Bor. supra 8. leuc. ab Emporiis ferè 3.

Casthenes, Thraciæ sinus juxta Byzantium. Plin. *lib.*4.

Castianira, mulier genere Thressa, ex Æsimo urbe, quæ Priamo Gorgythionem peperit. Hom. *Iliad.*8.

Casticus, Catamantelidis fil. Sequanus. Cæs. *l.*3. *Comm.* Germanicum forsan nomen *Kastrich*.

Castilio Stiverorum, vulgò *Castiglione delle Stivere*, oppid. munitum Italiæ, intra limites Duc. Mantuani. Gaudet arce non temnenda, & titulo Principatus Gonzagarum, cum regiuncula adjacente, quæ proprio paret Principi. 12. milliar. distat à Piscaria; estque fermè medium inter Mantuam & Brescian.

Castilionæus Johannes, cum Francisco de Harcatara, ob religionem Florentiæ combustus, A. C. 1321. Mornæus *in myst. Iniq.*

Castillio Mantuanus, vulgò *Castiglione Mantuano*, oppidulum Italiæ, in Ducatu Mantuano, 15. milliaribus à Mantua Veronam versùs.

Castimensis, Venus cognominata est, sub quo nomine & Thessalis culta, apud quos fanum habuit, & aliud in Sidâ Pamphyliæ, & in Aspendo Argivorum, & Argis in festo quod Hysteria dicitur: in quibus præter instituta moresque aliorum, sues mactare licet, cùm in cæteris nullo modo fas sit. Alex. *lib.* 3. *cap.* 12. Ex Strabone, *lib.*9. alii *Castniensis*.

Castinium, mons in Aspendo Pamphyliæ, gentile *Castinius* & *Castnetes*. Steph.

Castinus, Cos. Collega Victoris an. U.C. 1177.

Castoli, campus apud Dorienses. Quos Lydi *Castolos* vocant.

Castologi, pop. Gall. Belgiæ. Plin. 4.

Castolus, urbs in Lydiâ. Steph. hinc *Castoli* campus apud Xenoph.

Castor, & Pollux Διόσκουροι, fratres gemini Jovis ex Ledâ sub cygni formâ compressâ filii, qui & Tyndaridæ passim à Poetis appellantur, quemadmodum & Helena soror ipsorum Tyndaris. Hi ubi primum adoleverunt, mare piratis liberarunt, & ob id Dii maris habiti sunt, quos in tempestate nautæ solent implorare. Post hoc in Colchos cum Argonautis profecti: quâ in expeditione Pollux Amycum Bebryciorum regem insidias sibi struentem interfecit. Deinde domum reversi, Helenam sororem à Theseo raptam receperunt, Aphydnâ urbe, Theseo absente, expugnatâ. Tandem cùm Castor diem suum obiisset, ferunt Pollucem (qui eodem cum Helenâ ovo natus immortalis erat) fratris desiderio à Jove petiisse, ut immortalitatem suam cum fratre posset partiri: quâ re impetratâ, alterni mori traduntur, & reviviscere. Virg. *Æn.*6.

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,
Itque reditque viam toties.

Quod ideo fingitur, ait Servius, quia horum stellæ ita se habent, ut occidente unâ, oriatur altera. Hor. *Ep.*2.1.

—— Cum Castore Pollux
Post ingentia facta Deorum in templa recepti.

Vide *Gemini*. His Romani templum, tanquam Liberatoribus suis, illorum sæpe experti, ut rebantur, præsidium, dedicarunt. Plut. *in Coriol.* Vid. Florum passim & Salmasii *in eum notas*. Cæterùm communicatur inter fratres *Castoris* nomen, apud auctores, D. Lucas in Act. Apost. *cap.*28. secundùm Vulgatum Interpretem: *Post menses autem tres navigamus in navi Alexandrinâ, quæ in insulâ hyemaverat, cui erat insigne Castorum.* Ubi tamen Græcè Διόσκουροι. Plin. 10. 43. *Super ædem Castorum genitus pullus in oppositam sutrinam devolavit.* Arnobius *lib.*5. *Tyndaridæ Castores, equos unus domare consuetus, alter pugillator bonus, &c.* Atqui Castor equorum domitor, Pollux bonus pugil fuit. Theocritus *in Dioscuris*:

Ὑμνέομες Λήδας τε καὶ Αἰγιόχω Διὸς υἱὼ
Κάστορα, καὶ φοβερὸν Πολυδεύκεα πὺξ ἐρεθίζειν.

Et postea,

——Σὲ δὲ Κάστορ ἀείσω
Τυνδαρίδα, ταχύπωλε, δορύσσοε, χαλκεοθώρηξ.

Et ante illum Homerus *Odyss.* λ.

Κάστορά θ᾽ ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα,
Τοὺς ἄμφω, ζώους κατέχει φυσίζοος αἶα,
Οἳ καὶ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες,
Ἄλλοτε μὲν ζώουσ᾽ ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε
Τεθνᾶσι, τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσι.

Horat. *Carm. lib.*1. *Od.*12.

Dicam & Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem, quorum simul alma nautis
Stella refulsit.

Idem *Sat.*1. *lib.*2.

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis. ——

Ovid. *Fast.*4.

Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.

Seneca *in Medeâ*,

Cedet Castore cum suo
Pollux cæstibus aptior.

Porro Castor & Pollux arbitri ac testes legum judiciorumque fuerunt. Cicero *contra Verrem*. Est & Meteori genus, quod appellarunt *Castores*; ignes nimirum fulgoris stellarum instar, felix omen navigantibus habitum, si incidissent gemini. Lege Plin. 2.38. & Senec. *Nat. Qu. lib.*1. *cap. extr.* Hinc *Ecastor*, & *Mecastor*, adverbia jurandi apud Plaut. & Terent. Item adject. *Castoreus*, ut *manus Castorea*, apud Senecam. Item *Castor*, animal ἀμφίβιον, Latinè *fiber*, vel *canis Ponticus*, juxta Servium, Juvenal. *Sat.*12.

——Imitatus Castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculorum, adeò medicatum intelligit inguen.

Redimere se eâ parte, propter quam petuntur maximè, quò Juvenalis hoc carmen pertinet, præter Ælianum *de Animal.* aliosque, etiam Horapollo affirmat, qui *lib.*2. *Hieroglyph. cap.*65. Ægyptios tradit *Castorem*, sive *fibrem* pingere, cùm designare volunt hominem, qui sibi ipsi damnum inferat: quòd hoc animal, cùm se venatione peti videt, proprios testes evulsos in prædam objiciat. Author Elegiæ *de Nuce*:

Sic, ubi detracta est à te tibi causa pericli,
Quod superest, tutum, Pontice Castor, habes.

Quod Sestium tamen, medicinæ diligentissimum, negasse, Plinius *lib.*32. *cap.* 3. prodidit. Negat & Dioscorides *l.*2. *cap.*26.

Castor, medicus antiquus, docuit piperitim herbam, quam alio nomine siliquastrum nominant, bibi contra morbos Comitiales. Plin.20.7.

Castor, historicus Rhodius, floruit sub Julii Cæsaris principatu, quem aliqui Galatam vocarunt, quia in Galatiâ vixerit. Putat Vossius, hunc eundem esse cum eo, cujus meminit Plin. *lib.*20. Cyrillus *lib.*1. *contra Julianum*, ac Stephanus in Βοιωτία. Nobilis Chronographus fuit; atque eo nomine etiam laudatur Eusebio *in Chron. ad an.* 989. ubi ex Chronographiâ Castoris de regno Sicyoniorum, & mox de Atheniensium regno, fragmentum citat. Item ad an. 161. & 542. ubi quædam adfert ex eo de regno Argivorum. Ad hæc Tatiano etiam celebratur, & ante hos Flavio Josepho, qui *lib.*2. *contra Apionem*, cum historicis annumerat, ex quibus constet, Antiochum Epiphanem, in templo Hierosolymitano à se spoliato haud quicquam reperisse; propter quod Judæi à nationibus rideri mereantur. Massiliensis primùm fuit orator, si Suidæ credimus; qui & auctor est, scripsisse libros 5. sive juxta alios libros 9. de epicherematis; item de persuadendo libros 2. ad hæc artem dicendi. Sed historica ejus, quorum idem meminit, sunt ista: Libri 2. de Babylone, liber de Nilo, item χρονικὰ ἀγνοήματα, sive *de ignoratione temporum*, quæ etiam Apollodorus citat, *lib.*2. & fortasse Ausonius *Carm.* 23. *in Professores Burgidal.*

Quod Castor cunctis de regibus ambiguis.

Nam cùm imprimis soleat in temporibus peccari, eò quòd ejusdem nominis principes confundantur: planè est verisimile, Castorem illo opere unius nominis reges distinxisse. Scripsit præterea, eodem teste, περὶ θαλασσοκρατησάντων: ex quo opere sunt, quæ Eusebius, *in Chronicis*, passim de illis refert, qui imperio maris sunt potiti. Porro Castorem hunc; atque item Thallum, diligentèr tractasse historiam, auctor est Africanus & ex eo Eusebius *lib.*10. *Præp. Evang. cap.*3. Idem Euseb. *lib.*1. Χρονικῶν: Κάστωρ ἐν τῷ κανόνι αὐτοῦ φησὶν ὧδε. Adfert deinde verba, de imperio Assyrio, ejusque initio, quod est à Belo. Mentionem quoque Justinus Martyr facit, *parænesi* ad *Græcos*. Impensius semper favisse Romanis, indicat cognomen Φιλορώμαιος, cujus meminit Suidas. Atque eo magis verisimile fit, esse hunc ipsum Castorem illum, qui volumine quodam Romana instituta cum Pythagoricis contulit, teste Plutarcho *in Qu. Romanis*. Quod opus etiam signat, *libro de Is. & Osiride*. Sed Strabo alterum etiam cognomen adfert. Nam *lib.*12. vocatur *Saocondarius*. Refert ibidem, fuisse generum Deiotari, regis Galatiæ, atque ab eodem unà cum uxore fuisse interemptum. Suidas causam hanc cædis addit, quòd socerum esset criminatus apud Jul. Cæsarem. Itaque videri possit hic esse idem Castor, adversus quem pro Deiotaro orationem habuit Cicero, apud Cæsarem. Sed obstat, quòd Castor iste Deiotari fuit nepos: & vocatur adolescens, quâ ætate tam multa scripsisse minimè fit verisimile. Verba Ciceronis sunt: *Crudelis Castor, ne dicam sceleratum & impium, qui nepos, avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiaq; sua terrorem injecerit ei, cujus senectutem tueri & regere debebat.* Cicerone autem quis melius ista nosse potuit, qui causam Deiotari adversus Castorem egit? Num igitur Strabonem & Suidam errasse dicemus, qui ex nepote generum fecerint? An potius statuendum, Castorem illum, de quo Cicero loquitur, esse filium Castoris illius, de quo Strabo & Suidas? Saltem illud extra controversiam poni potest, Castorem nepotem, de quo Tullius, esse filium Castoris Chronographi; qui cùm genere esset humili, solâque fortasse eruditione & facundiâ commendabilis, Regis gener factus est. Vide sis Vossium *de Hist. Gr.* 1. 24. *p.* 158. *& seqq.*

Castor, Cursor velocissimus. Pausan.

Castoria, urbs episc. Maced. apud Lacum Lychnidum. Castoria castra Anton.

Castorius Johannes, Monachus Anglus, scripsit historiam Westmonasteriensem, & Chronicon patriæ suæ: quod orditur à Bruto seu Brytho illo fabuloso, usque ad an. 1306. Voss. *de hist. Lat. l.*2. *c.*61. Item, Episc. Concilio Milevitano, in locum fratris Maximiani, sponte se abdicantis, surrogatus. August. *ep.*217.

Castorum lucus, ad duodecimum lapidem à Cremonâ distans, ut habet Tacitus. *An. lib.*18. *Castoris lucus* vocatur Orosio, *lib.* 6. *cap.*8.

Castra dicta Romanis, loca naturâ atque arte, vallo, fossâ & aggere munita: qualia ferme militum in campis tendentium erant: exiguum castrum *Castellum*, parvum verò Castellum *Castellio* vocabatur. In priscis Notitiis Provinciarum & civitatum Galliæ, *Castrum* Cabillonense, Matisconense, &c. memoratur: quæ loca olim urbes & quidem Episcopales fuere. Sic *Castrum* Rauracense, Augusta Rauracorum etiam Colonia. Veteres Gallici Historici sola capita Gentium urbes aut oppida, nec non civitates, interdum etiam municipia vocitant: cœteras urbes eis subjectas *Castrorum*, vel *Castellorum*, nonnunquam & Vicorum appellatione notantes. Contra in Annalibus & Chronicis rerum Francic. atque in priscis tabulis, *Castra Castellaq;* appellantur non pauca, quæ Vicorum nominè deberent esse contenta: sive bellis eversa, sive pestilentiâ exhausta, sive lapsu temporis minora multò ac desertiora facta sunt, quàm olim fuerunt. Ad *Castella* proximè accedunt, quas Galli *Firmitates, Salvitates, Salvas Terras* & *Fortia, Montes Fortes, Montes* item & *Rupes*, vel *Roccas* & *Petras*, cum adjuncto aliquo, vocaverunt. V. Hadr. Valesium *Præfat. in Notit. Galliæ.*

Castra, Indiæ intra Gangem op. Ptol. Norici urbs Anton. Alia quoque Macedoniæ inter Lychnidum & Heracliam. Idem.

Castra alata, urbs Scotiæ regia, *Edenburg.* vide *Alata Castra.*

Castra Alexandri, locus Ægypti circa Pelusium. Qu. Curt. *l.*4.

Castra Annibalis, Magnæ Græciæ portus. Plin. *Le Castelli* Leandro.

Castra Cæcilia, Lusitaniæ urbs. Plin. Hodiè *Caceres*, vel *S. Maria Guadalupe* Varrerio. Nunc prov. Estremaduræ, inter Augustam Emeritam & Caurium, in ampla planitie, 3. leuc. à Tago, 16. à Placentia, uti ab oppidul. Guadalupia in Occas. Baudr.

Castra Catulina, oppidul. Austr. Infer. ad amnem cognom. *Tuln*, qui una leucâ infrà se in Danubium exonerat.

Castra Celica, Hispan. locus inter Emeritam & Salmanticam. Anton.

Castra Cornelia, seu *Corneliana*, Africæ propriæ urbs. Plin.

Castra Constantia, civitas Gall. Celticæ in Neustriæ, seu Normanniæ provinciâ, sic vocata, quòd ibi C. Julii Cæsaris milites *constanter*, ob Aremoricorum incursiones, castrametabantur. Am. Marcellinus *lib.*5. vulgò *Constance.*

Castra Cornelia, opp. Africæ, in ora, inter Carthaginem & Uticam. Ammian. Plinius, Mela.

Castra Cyri, regio Ciliciæ; sic dicta, quòd stativa illic habuerat Cyrus, cùm adversus Crœsum, in Lydiam, exercitum duceret. Curt.3.12.

Castra Dan, locus est post tergum Cariathiarim, ubi sexcenti Viri de cognatione Dan pernoctarunt.

Castra Dei, i. e. *Mahanaim*. Vide Genes. *cap.*32.

Castra Exploratorum, locus in Angliâ, Anton *Burgh upon Sands* Camdeno Burgus ad Sabulum; Baudrando est vicus in Cumbria prov. ad Ituna æstuar. medius inter Carleolum & Drumbourg. Hic obiit Eduard. I. Aliis *Old Carlesl.*

Castra Flaviana, vide *Ala Flaviana.*

Castra Gemina, Hispalensis conventûs op. Plin.

Castra Germanorum, Mauritaniæ Cæs. op. Hodiè *Brexar*, & *Bersac.*

Castra Hannibalis, pag. magnæ Græciæ, in littore, Esulæ urbi proximus. Ferrar.

Castra Herculis, opp. Geldriæ, insertum Duc. Juliac. versus Ruram amnem; *Erkelens*. 3. leuc. à Juliaco, 7. à Colonia. Aliis *Herculanum.*

Castra Judæorum. Vide *Bubastus.*

Castra Julia, Hispan. op. Plin. Hodiè *Trugillo*. inter Castra Cæcilia & Guadalupam. 8. leuc. Zephyræ propior 5. leuc. distans ab Emerita 12.

Castra Lælia, Africæ min. urbs. Mela. *Dellia* ibi habet Vossius.

Castra Lapidariorum, urbs Ægypti, Lib. Notit.

Castra Larba, Thraciæ urbs. Anton.

Castra Mariana, pag. Duc. Mediol. in planitie. 5. mill. à Novaria in Occasum.

Castra Metallina, seu *Metallinum*, opp. Lusit. nunc Extremaduræ, ad Anam fl. Vid. *Metallinum.*

Castra Nova, Maurit. Cæsariensis locus. Plin.3.4.

Castra Posthumiana, locus Hisp. Bæticæ. Hirtius, *Castro del Rio* hodiè dicuntur, ut vult Ambr. Moralis. Oppidul. Vandalitiæ.

Castra Regina, Rhætiæ Locus. Lib. Notit.

Castra Rhætica, vulgò *Gastern*, vel *Gasteln*, ditiuncula Episcopatu Curiensi olim comprehensa; nunc Suitiis & Glaronensibus subest, ab A. C. 1436. quo Fridericus ultimus Toggiensium Comitum, cui oppignorata erat, cum aliis, obiit. Tum enim *Castrenses*, se Pagis junxerunt, salvo Superiorum jure, sed A. C. 1437. pignori *Castra* data sunt iisdem. Missa cum imaginum cultu hic abolita est, A. C. 1529. Dein Tigurini Rhætis Toggiisque juncti ibidem contra Suitios bellum gesserunt. Vid. Stumpf. *de Rhætis, lib.*10. *cap.*28.

Castra Vetera, Urbs Cliviæ Duc. *Santen*. Inter Vesaliam & Calcariam. Vid. *Vetera.*

Castra Vicelliana, Morali & Varrerio *Medelin*. Vid. *Castra Metallina.*

Castra Vinaria, Hisp. urbs. Ptol.

Castra Ulpia, nomen urbis. Anton. Hanc Simlerus *Cleve* existimat, Cliviensis ducatûs primariam civitatem.

Castratius, cùm tempore Syllanæ dissensionis Placentiæ gereret magistratum, & Cn. Carbo Cos. Marianarum partium obsides peteret Placentinos, ne Placentia ad Syllam deficeret, negantique Castratio dixisset, multos se habere gladios: *At ego annos*, respondit. Val. Max.

T. Castratius, Rhetoricam Romæ docuit, ubi locum principem declamandi ac docendi habuit, summâ authoritate gravitateque vir, & à D. Hadriano ob mores atque literas spectatus. Lege *Castritius*, & vide discipulum ejus Gellium *lib.*11. *cap.*13. & *lib.*13. *cap.*20. ubi severitatem ejus, contra duos Auditores nimiùm ornatos, exponit.

Castren-

Castrensis pagus, seu comitatus, in Belgica secunda, ad flumen Mosam, memoratur in divisione regni Ludovici Pii. In hoc Doncherium, Calvus Mons Castellum dioeceseos Remensis *Chaumont*, à Doncherio 7. leucis dissitum, 2. à Castro Portiano: Vicus Castricensis, unde Pago nomen, Maceriæ, &c. Quidam ad flumen *Bair* positum, & usque ad Mosam amnem, cui Doncherium adjacet, pertinuisse dicunt. Barus autem fluv. alluit vicos Barum, Broilum, Solium, Novam villam, & paulo infra in Doncherium in Mosam evolvitur. Hodiè nomen Comitatus Castrensis exolevit cum Reitestensi Comitatu confusi. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Castriani, populi ab Aureliano Imp. magnâ ex parte interempti. Vopiscus.

Castrilocus, aliàs à situ *Montes*, vulgò *Mons en Hainau*, olim *Castrilucium*: ubi antehac cœnobium nobile Monachorum, hodie Canonicarum nobilium. V. Hadr. Valesium. *Notit. Gall.*

Castrimonium, oppidum Volscorum, in Latio, nunc forsan *Castro*, in Campania Romana, versùs Lirim fluvium & conf. regni Neapolitani, medium inter Aquinum & Pipernum, 12. milliaribus ab Alatrio, & totidem à Sora in austrum, 20. autem à Signia in ortum.

Castrocomium, Iberiæ locus. Cedrenus.

Castrodunum, vulgò *Chateau-Dun*, urbs Galliæ, caput regiunc. Dunensis, olim *Urbs-clara* seu *Rubeclatre* dicta. Hic à Sigeberto R. Prometo Episcopo constituto, Pappolus Episc. Carnutensis restitit, An. 573. V. Gregor. Turon. *l.* 7. *T. V. Conc.* Duchenium, *antiq. Urb. Gall. c.* 4. *de Balliuatu Blesensi.*

CastroZarba, Thraciæ op. Procopius.

Castruccius Castracanus, Tyrannus Lucensis, Pistorium cepit, à Johanne XXII. excommunicatus, A. 1326. Filii ejus duo à Ludovico Bav. pulsi. Antonin. *tit.* 21. *cap.* 5. §. 6. Macchiavellus, *in Vita ejus.* Blondus, Villanius, Sabellicus, Leand. *descr. Italia.*

Castrum, vul. *Castro*, urbs fuit Hetruriæ, Ducatus Castrensis caput, Ducis Parmæ antea, munita, & episcopalis; sed ab Innocentio X. Pontifice Romano funditus eversa & deleta fuit anno 1646. & ejus episcopatus Aculam translatus, erat juxta amnem Olpitam, 13. milliaribus ab ora maris Tirrheni, & paulò minùs à Soana in austrum, uti à Tuscania in occasum. Ab eâ regiuncula adjacens dicta fuit *Stato di Castro*; estque inter agros Senensem ad occasum, & Urbevetanum ad Boream, Patrimonium D. Petri ad ortum, & mare Mediterraneum in austrum; nunc in ditione Rom. Pontificis. Altera autem urbs Castrum dicta, in Salentinis, est Castrum Minervæ. Vide ibi.

Castrum, seu Castrum Albiensium, vulgò *Castres*, urbs Galliæ, in Occitania, ad Acutum fluvium, episcopalis facta anno 1317. à Joh. XXII. sub Archiep. Bituricensi, 6. leucis distat à Carcassona in Boream Albigam versùs, à qua tot leucis dissita, & 10. à Tolosa.

Castrum, urbs Siciliæ excisa, apud Arcatam opp. teste Faz. ab Aluntio 15. mil. pass. in Cæc. Patria Epicharmi.

Castrum ad Lædum, seu Castrum Lidium, vulgò *Chateau du Loir*, opp. Galliæ, in Cenomanensi provincia, ad Lædum fluvium. Sedet inter Turones ad 8. leucas, & Cenomanum ad 9. circiter, prope confinia Turonensis agri.

Castrum Alio, vulgò *Chastel Allion*, ad Oceanum, in priscis Santonum finibus, non procul Rupellâ: diœcesi huic nunc attributum, & cum Rupella, aliisque locis Santonicæ diœcesi exemptum, postquam sedes Malliacensium Episcoporum apud Pictones aucta, & Rupellam translata est. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Castrum Altum, vulgò Castralla, teste Beuthero, opp. Hisp. Tarrac. medium inter Saguntum ad merid. & Carthaginem veterem ad septentr. cæde Amilcaris memorabile, Liv. *l.* 24. in regno Valentiæ. Floriano autem est *Castel Seras.*

Castrum Aragonense, vulgò *Castel Aragonese*, urbs Sardiniæ insulæ, in parte Boreali, sat ampla & culta, totiusque insulæ post Calarim prima, & probè munita, in ora littorali, prope ostia fluvii Aragonensis, cum portu satis capaci. 24. milliaribus distat à Sassari in Boream, 80. ab Arborea, & 100. circiter à Calari pariter in Bor. Aliàs Tibula dicta fuit.

Castrum Bononiense, vulgò *Castel Bolognese*, oppid. Italiæ, in ditione Bononiensi, quanquam in Romandiola insertum, in via Æmilia, inter Imolam & Faventiam, sub dominio Summi Pontif.

Castrum Briandi, vulgò *Chasteau Briant*, opp. Galliæ, in Britannia, versùs Andegavensem provinciam, 10. leucis à Nannetis in Boream, cum castro antiquo.

Castrum Brientii, in Britannia min. à Brientio conditore vel domino. Vulgò *Chasteau briant.* Hadr. Val. *Notit. Gall.* V. *Castrum Briandi.*

Castrum Britonum, Script. Scot. *Dunbritton*, oppidum est Scotiæ, in Levinia provincia, cum arce munitissima, ubi Levinus fluvius cadit in Glottam fluvium. Distat. 8. miliaribus à Glasco. Vide *Dumbretonium.*

Castrum Caledonium, vulgò *Dunkelden*, urbs est Scotiæ, ad Tavum fluv. in Perthia provincia, versùs Atholiam regionem, 10. milliaribus à Perthia urbe in Boream. Est episcopalis sub Archiepiscopo S. Andreæ; fuitque malè habita ab Anglis hisce ultimis temporibus.

Castrum Cameracense, vulgò *Catteau Cambresis*, oppid. Belgii, in agro Cameracensi, bellis nuper deformatum. 5. leucis distat à Cameraco in ortum, & 2. à Landreceio, ad Sellam fluvium.

Castrum Caninum, vulgò *Chasteau Chinon*, non longè à fonte fluminis Icaunæ, in diœcesi Augustodunensi, cum Prioratu S. Christophori Cluniaco subjecto. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Castrum Celsum, in diœcesi Namnetensi, ad Ligerim, celebre olim, nunc *Chantoceaux.* Idem.

Castrum Censorium, ad ripam Icaunæ, non procul à Chorâ fluvio & Viceliaco. Vulgò *Chasteau Sausoy*, pro *Chasteau Censoy.* Pago Nivernensi attribuitur à Coquillio.

Castrum Corbolinum, Gall. *Corbeil*, opp. Gall. ad fluv. Sequânam, 14. Ital. milliarib. ab urbe Parisiensi dissitum.

Castrum Francum, vulgò *Castelfranco*, opp. Italiæ, in ditione Pontificia & agro Bononiensi, & medium ferè inter Mutinam & Bononiam, prope Panarum amnem. Ei adjacet Arx Urbana, ab Urbano VIII. Pontifice Maximo extructa in tutelam confinii Status Ecclesiastici contra Mutinensem Ducatum.

Castrum Gandulphi, vulgò *Castel Gandolfo*, oppidum Italiæ, in Latio. Vide *Arx Gandolphi.*

Castrum Guelphum, vulgò *Castel Guelfo*, oppid. Italiæ, in Ducatu Parmensi & in via Æmilia. Paucis nunc constat incolis; estque prope Tarum amnem, & medium inter Parmam & Burgum S. Domnini.

Castrum Gonterii, vulgò *Chasteau Gontier*, opp. Galliæ, in Andegavensi provincia, ad Meduanam fluvium, in limite Cenomanensis provinciæ, & medium ferme inter Andegavum & Lavallium. Hic diversa Concilia, V. Laur. Bouchelium, *nomencl. Syn. & Autor. edit.* 1609.

Castrum Heraldi, vulgò *Chastelleraut*, urbs Galliæ, in Pictavensi provincia, ad Vigennam fluvium, 6. leucis infra Pictavium, versus Turones. Prope urbem hanc cervâ militibus Clotarii M. vadum ostendit, contra Maricum Gothum ituris. Olim Vice Comitatus, postea à Francisco I. in Ducatum erecta & Paris dignit. in gratiam Francisci Borbonii. Duchenius *aux recherches des Villes.*

Castrum Inui, erat oppidulum Rutulorum, in Latio, in orâ littorali maris Tirrheni. Situm inter Antium & Aphrodisium, teste Brietio.

Castrum Iphium seu Taxianum, vulgò *Chasteau d'If*, arx Galliæ in scopulo, in ora Provinciæ, prope Massiliam urbem, undique mari cincta, parva, sed munita.

Castrum Lamberti, vel *Lamperti*, versus Aquilonem à Ptolemaide quatuor, contra Austrum verò à Sandalio *Castro* tribus distans miliaribus, sub monte Saron, juxta mare, situm, est in tribu Aser.

Castrum Lidi, opp. in Cenomanis, Turonibus finitimum, vulgò *Chasteau du Loir.* V. *Castrum ad Lædum.*

Castrum Lucii, in Lemovicibus, in cujus obsidione Richardus Angliæ R. vulneratus occubuit, A. C. 1199. Vulgò *Chalus.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Castrum Luna, vulgò *Chasteau de la Lune*, ad ripam Riscelæ, in Aulercis Eburovicibus. Idem

Castrum Minerva, vulgò *Castro*, urbs fuit Salentinorum, nunc regni Neapolitani, in prov. Hydruntina, episcopalis, sub Archiepiscopo Hydruntino, in ora littorali maris Ionii, aliàs malè habita à Turcis, nunc utcumque reparata & munita. 6. milliaribus distat ab Hydrunto in austrum, 9. ab Alexano in Boream, & 16. à Iapygio promontorio, centum autem & ampliùs à vico Grottaria dicto, in Calabria ulteriori.

Castrum Nantonis, vulgò *Chasteau Landon*, urbecula Galliæ, in Insula Franciæ & Vastinio agro, 2. leucis à Nemurtio in meridiem, & 4. à Montargio, 20. autem à Lutetia.

Castrum novum in ora Hertruriæ, Plin. Liv. & al. locus provinciæ Patrimonii S. Petri, in ora maris Tyrrheni, nunc Castrum S. Marinella dictum, in ditione Barberinorum, ut ex conjectura liquet, & ex loci distantia inter Pirgos & Centumcellas, cum portu aliàs capaci, sub dominio Rom. Pontificis. Castrum novum alterum Blond. Leand. est in Aprutio ulteriori, in ora sinus Adriatici, nuncque tantùm supersunt rudera *Calveno* dicta, ad ostia Romani fluvii.

Castrum novum, Cassiod. *Castel Novo*, opp. amplum Liguriæ, ad Iriam, seu Scripiam fluv. inter Dertonam urb. 5. & Ticinum in Bor. 20. mil. pass. à Gothis, teste Cassiod. ædificatum. Baudrand.

Castrum novum, vulgò *Castel novo Tortonese*, quia in Dertonensi agro. Dicitur etiam ad differentiam aliorum *Castel novo de Scrivia*; estque in Ducatu Mediol. 3. milliaribus à Pado fluvio.

Castrum novum item, Vet. Inf. urbs Dalmatiæ, ad sinum Rhizonicum, Ascrivio urb. finitima, in ora: ubi sedes est Episcopi Risiniensis, nunc sub Turcis. Baudrando *Castel novo*, opp. est Turcarum probè munitum, aliasque à Christianis tentatum irrito conatu, distat 10. milliaribus à Cattara in occasum, & totidem à Rhizino, 22. autem à Budua in Boream.

Castrum novum, Christianorum præsidium in montanis, quâ Tyrensi urbi ab Oriente adiacent, situm est in monte Aser.

Castrum novum Grafinianum, vulgò *Castel novo di Carfagnana*, oppidum amplum Italiæ, & caput Caferonianæ seu Grafinianæ regionis, ubi arx munita, dicta Mons Alphonsus. Subest Duci Mutinensi; sedetque versùs montem Apennini, & prope amnem Sercium, 20. milliaribus à Lucca in Boream.

Castrum Novum de Strictis fontibus, ita dictum, quòd recentius esset aliis castris proximis, & fontes haberet angustos. Vulgò *Castelnau de Stretefons*, aliàs absolutè *Castelnau*, 3. leuc. ab urbe Tolosa.

Castrum Octavianum, vulgò *S. Locat*, teste Morali, pag. Hisp. citer. apud. Barcinonem urbem.

Castrum Porciani, vulgò *Chasteau Porcien*, urbecula Franciæ, in Provincia Campaniæ & Retelensi agro, ad Axonam fluvium, Principatus titulo clara, vix 2. leucis à Retelio in occasum, & 8. à Remis in Boream. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Castrum Radulfi, in Biturigibus, hodiè *Chasteau Roux*, pro *Chasteau Raoul vel Roul.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Castrum Rainaldi, vel *Reginaldi*, hodie *Chasteau Renaud*, in Turonibus, ad fluv. Braennam, *la Branle.* Proximum habet Buculium, *le Boulay*, locum olim Prioratu, nunc collegio Canonicorum illustrem. Idem.

Castrum Reginaldi, vulgò *Chasteau Regnault*, castrum munitum Franciæ, in Retelensi agro, in colle, cum titulo Principatus, ad Mosam fluvium, duabus leucis infra Carolopolim, in limite Leodiensis dominii.

Castrum Regium, quondam dominorum Teutonicorum, quod contra Vulturnum à *Castro* Indi tribus, contra Africam autem à Tabernaculo Aber Cinæi quatuor miliaribus in valle situm, optimis quibusque fructibus abundabat, est in monte Aser.

Castrum Rufum, vulgò *Chasteau Roux*, oppidum Galliæ, in provincia Bituricensi, Ducatus titulo insignitum, ad Ingerem fluvium, 7. leucis ab Exeloduno in Austrum. Dicitur etiam, & forsan meliùs, *Castrum Rodulphium.*

Castrum S. Angeli, vulgò *S. Angelo*, oppidum Italiæ, in Ducatu Mediolanensi, non longè à Lambro fluvio, & 7. milliaribus à Laude Pompeia.

Castrum Stiliconis, vulgò *Castion*, teste Merula, opp. Insubr. in agro Mediolanensi, à Mediolano 25. mil. pass. Varesium versùs 7. à Stilicone viro clarissimo Honorii Aug. socero, à Claudiano versibus celebrato, nominatum, prout alia castra, sive oppid. ejusdem nominis non modò in Italia, sed in Galliis.

Castrum Theodorici, vulgò *Chasteau Thierry*, urbs lepida Galliæ, in Campania regione, ad Matronam fluvium. Ducatus titulo gaudet. 10. leucis distat à Meldis in ortum, & 12. à Remis. Hic Concil. an. 933. urbe à Rodolfo obsessâ, Flodoard. *in Chron. T. IX Concil.*

Castrum Truentinum, Cic. App. Liv. opp. Piceni excisum, ad ostia Truenti fluv. Vide *Truentum.*

Castrum Villanum, quasi villa munita, vulgò *Chasteau Vilain*, locus Comitatûs titulo insignis, in finibus Lingonum. V. Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Castrum Vulpinum, vulgò *Chasteau Renard*, opidulum Galliæ, in Insula Franciæ & Vastinio agro, supra amnem *Ovayne*, 2. leucis à Montargio, & 27. à Lutetia in meridiem, sub dominio utili Principis Auraici.

Castula, op. Etruriæ inter Aretium 5. & Cortonam, medium ferè intra montes, 10. m.p. non obscurum, vulgò *Castiglione*, nisi sit aliud ad lacum Thrasymenum, à priore 20. m.p. in merid distans. long. 35. 15. lat. 42. 40. Baudrando est, 4. mill. à Clani palude, sub M. D. Hetruriæ. 15. mill. in Boream ab altero opp. *Castellione* dicto, juxta lacum Thrasimenum, in agro Perusino, in ditione Pontifica.

Castulo, urbs olim episc. nunc pagus Hisp. Tar. Appiano, Καςόλων, Straboni corruptè Κλάσων, & Κασσάων, & Κάιτυλον. Artemidoro, Polybio & Stephano Καςάλων. Ejus mem. Silius *lib.* 13.

Castulo Phœbæi servat cognomina vatis.

Et paulo pôst:

Fulget præcipuis Parnassia Castulo signis.

Populi *Castulonenses* Plinio. Oretanorum urbs maxima est (inquit Bochartus) Bæticæ finis versus Orientem, ubi Bætis ne scaphis quidem est pervius, propter confragosas crepidines, quibus utrimque obsidetur. Res expressa in Strabone, qui, postquam Bætin stadiis fere quingentis Hispalin usque, ὁλκάσιν ἀξιολόγοις, onerariis grandioribus, navigari docuit, & minoribus usque ad Ilipam & Cordubam usque scaphis; Τὸ δὲ ἄνω, inquit, τὸ ἐπὶ Κλαςῶν (lege Καςαλῶνα) οὐκ ἔςι πλώϊμον: παράλληλοι δὲ τινες ῥάχεις ὀρῶν παρατείνουσι τῷ ποταμῷ. Ubi Ῥάχεις sunt rupes, ad quas fluctus cum fragore alliduntur: unde Proverbium in loquaces, ῥαχίας λαλίςερ☉, ripâ aut litoris crepidine loquacior. Cùm autem ad hujusmodi ῥάχεις sita fuerit *Castulo*, ut Geographus author est, ab aquarum fragore videtur esse appellata, quia קסטלת *castala* ab Arabibus *fluvii fragor* dicitur. Hoc saltem verosimilius, quàm quod Græci fabulantur, non aliâ ratione freti, quàm vocis sono, Castalium, Castaliæ nymphæ filium, à quâ prope Cyrtham & Parnassum fons Castalius dictus est, Castulonem in Hisp. condidisse. Unde Silius *lib.* 3. de Imilce uxore Annibalis, quæ Castulone nata erat, ut ex Livio discere est:

——— *Cyrrhæi sanguis Imilce*
Castalii, cui materno de nomine dicta
Castulo. ———

Ad Castulonem meminit Strabo fodinæ plumbi, cui argentum erat admixtum. Sed & agenti fodinas in eodem agro memorat his verbis Polybius, *lib.* 10. Ἐν τοῖς περὶ Καςαλῶνα τόποις, περὶ Βαικύλων πόλιν, ὁ μακρὰν τῶν ἀργυρείων μετάλλων. Hæc *Bacula* est *Obulcum* Ptolemæi, cui vicina fuit Castulo ad Bætim, non ad Anam, ubi describunt πινακογράφοι. Sed, in Castulonis situ, fefellit illos numerus latitudinis, qui in Ptolemæo corruptus est, ut Casaubonus rectè observat. De Castulone plura qui volet, Livium legat *lib.* 24. & 28. Nunc tenuis vicus est, infra montes, ubi transitus *Puerto de Muradal*, inter Castellam nov. & Andaluziam.

Castum Nemus, allusum ad castum Cereris, apud Romanos. Fuit tamen, cùm suspicarer, *Castum Nemus* propriam quandam appellationem Teutonicam fuisse, quæ arcani illius vehiculi nomen exprimeret, dictumque adeò *Castenwald.* Vocatur hodie silvæ etiam Martianæ pars, apud Brisiacum, eo nomine, an à simili ratione? Nam de Castaneis nugæ sunt, cùm silva tota obsita quercubus. Ortelius locat in insulâ Oceani.

Casventilliani, Italiæ pop. in 6. Regione. Plin. 3. 14.

Casuentum, fluv. in sinu Tarentino. Plin. 3. 11. quem Leander *Vasento* dici ait; in Calabria sup. est. *Basentium* Diaconus vocat. Baudrando Lucaniæ fluv. trans Apenninum est, nunc Basilicatæ prov. inter Bradanum & Acalandrum. In sinum Tarentinum se exonerat, 24. mill. à Tarento in Occ. *Barentinus amnis* est apud Jornandem, sub cujus alveo Alaricus Gothorum rex sepultus fuisse dicitur. Fuit etiam *Casuentium*, vel *Casuentum* Colonia Romanorum, teste Frontino.

Casula, Africæ propriæ urbs. Ptol.

Casurgis, Praga urbs, Bohemiæ totius caput. Ptol. long. 37. 20. lat. 49. 59. Sansoni verò & Ortelio nunc est *Caurzim.* V. *Caurzima.*

Casus, insula prope Rhodum, Phœnicibus erat קש *cas*, id est, *stipula*, vel *minuta palea*, quam ventus rapit. Cur autem inde dicatur insula *Casus*, sibi non constare ait Bochartus. Tantùm constat sic dici, quia Casi aliud nomen est *Achne.* Plin. 5. 31. *Rhodiorum insulæ Carpathus, quæ mari nomen dedit, Casus, olim Achne, &c.* Achne scil. Græcis id ipsum est quod Ebræis קש *cas.* Hesych. Ἄχνη, τὸ ἄχυρον, id est, *palea.*

Catabanes, pop. Arab. desertæ, quos Strabo *lib.* 6. *Catabanenses* vocat. Horum regionem Eratosthenes thuriferam esse perhibet; Φέρει δὲ, inquit, λιβανωτὸν μὲν ἡ Καταβηνία. Plin. *lib.* 12. *cap.* 14. solùm thus scribit avehi per Gebanitas (nam Catabanos & Gebanitas eosdem esse verisimile videtur) *Evehi*, inquit, *non potest, nisi per Gebanitas, itaque & eorum regi penditur vectigal.* Unde nomina; *Gaba* enim vel *Geba tributum exigere*, & *Catab*, vel *Cetab scribere* sig. Putat igitur Bochartus, Syros mercatores gentis avaritiam his epithetis potius, quàm nominibus sugillasse, quòd videretur modum excedere in aromatum, quæ efferebantur, descriptione, & vectigalium exactione. Unde sequitur in Plinio, *Sunt & quæ sacerdotibus dantur portiones, scribisq; regum certæ.* Obiter emendabis Dionysium *vers.* 959. ubi vulgò Κλεταβηνοὶ corruptissimè; lege Καταβηνοί. Sic duo Interpp. Priscianus,

Minnæiq; maris prope Rubri litora vivunt
Atq; Saba, post hos nec non habitant Catabeni.

Festus Avienus,

——— *Rutili contermina ponti*
Minnæi, Sabataq; tenent superi, impiger ampla
Æquora dissulcat gleba ditis Catabenus.

Catabathmus, urbs olim, nunc pagus Marmaricæ litor. inter Cyrenem ad occ. 174. & Parætonium ad orr. 129. m.p. Anton. *Carto* Moletio; *Capo d' Alber* Theveto. Mela 1. 8. *Catabathmos vallis devexa in Ægyptum finit Africam.* Sallustius vocat *declivem altitudinem*, sed non addit, in quam partem vergat ista declivitas. Inquit enim *in Jugurthino*; *Africam habere ab ortu satis declivem altitudinem, quem locum Catabathmon incolæ appellant.* Καταβασμὸν vocat Æschylus *in Prometheo*, ridiculè verò ponit ad fontes Nili. Sed ignoscendum hoc Æschylo, qui non major inter Græcos fuit Geographus, quàm fuerunt apud Romanos vel Seneca, vel Lucanus. Non rectè verò interpres Solini hunc Catabathmum, qui terminus fuit Cyrenaicæ, arenosum fuisse colligit, ex loco illo Stephani, Κατάβαθμ☉ τόπ☉ ἐν Λιβύῃ, μεταξὺ τοῦ Ἄμμων☉ καὶ τοῦ Παραιτονίου. Locum enim istum non posse accipi, nisi de Catabathmo parvo, nemo, ut opinor, negabit. Is. Vossius.

Catabolum, Ciliciæ urbs. Anton.

Catacecaumene, Phrygiæ regio, quam alii Mysiæ, alii Mæoniæ ascribunt, ut videre est apud Strabonem. Sed eandem Phrygiæ Hesychius tribuit vocabulo Ἐκκεκαυμένη. Ἄελμα, inquit, τινὲς

τὴν Κατακεκαυμένην τῆς Φρυγίας χώραν. Diodorus item Siculus, quo loco fabulatur Ægidem belluam ignivomam à Pallade occisam, τὸ μὲν πρῶτον φανῆναι περὶ τὴν Φρυγίαν, καὶ κατακαῦσαι τὴν χώραν, ἣν μέχρι τοῦ νῦν κατακεκαυμένην Φρυγίαν ὀνομάζεσθαι. Tam verè, quàm quod alii apud Strabonem, ἐκ τῶν κεραυνοβολιῶν καὶ πρηστήρων, *à fulminibus & ignium procellis*, hoc contigisse dicentes eò referunt fabulam Typhonis, à Jove sc. fulmine icti. Utut sit, *Catacecaumene* dicitur Phrygiæ portio, circa Caystrum & Mæandrum & urb. Philadelphiam, de quâ Apocalypf. *cap.* 3. *vers.* 7. cujus campestris regio est τεφρώδης, id est, *cinericia*, montana autem & saxosa μέλαινα ὡς ἐξ ἐπικαύσεως, *nigra tanquam ex adustione*. Terra denique tota est εὔθρυπτος καὶ ψαθυρὰ, *fragilis & friabilis*, πλήρης τε ἁλμυρίδων καὶ εὐεκπύρωτος, *plena salsuginis, & facilè inflammatur*. Est etiam insula in mari Rubro. Steph.

Cataceti, Asiæ pop. circa Mæotim. Plin. 6. 7.

Catacium, Urbs ampla Calabriæ ulter. In colle. 3. mill. ab ora sinus Scillacei, à Scillaceo & Bellicastro 11. mill. distans. Vulg. *Catanzaro*.

Catacumbæ, cœmeteria antiqua subterranea, prope & extra muros Romæ, ad aliquot milliaria extensa à Christianis, ubi sæpe degebant tempore persecutionum. Ut Calepodii, Callisti, Prætextati, Priscillæ, &c. cœmeteria.

Catada, Africæ propriæ fluvius. Ptol.

Catadra, Æthiopiæ sub Ægypto opidum.

Catadupi, pop. Æthiopiæ apud Catarractas Nili incolentes; unde nomen *Catadupa*. Cic. *de Somnio Scip. Hoc sonitu opplete aures obsurduerunt: nec est ullus hebetior sensus in nobis; sicut ubi Nilus ad illa, quæ catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus: Ea gens, quæ illum locum accolit propter magnitudinem sonitûs, sensu audiendi caret.* Vide Sen. *Nat. Qu.* 4. 2. Amm. Marcell. *lib.* 22. Plin. 5. 9. nec non Vitruvium *lib.* 8. *cap.* 2. & Wendelin. *de Adm. Nili. cap.* 5.

Cataa, Persidis insula. Arrianus.

Catæbates, Jupiter, hoc est, *descensor*, ut meminit Pausan. *in Eliacis*, aram habebat in Olympia, ubi & Themidis fuit & primum Terræ oraculum. Sunt qui ideo sic appellatum tradant vel propter fulmina, vel quòd à cœlo sæpe descendisse putaretur ad amores potiendos: huic Jovi Scarabæum fuisse in tutela datum, scribit Aristophanes.

Cataonium, Marmaricæ promunt. Ptol.

Cataja, Reg. Asiæ, in Tartaria, versus Ortum & terram Esonis maximè extensa, inter Tartariam veram ad Bor. Sinas ad Austr. & Turchestaniam ad Occas. Ejus partes Europæis notæ sunt, Tangutum, Tenducum & Tainfujum; crediturque Serica antiquorum. Primaria ibi Urbs Cambalum, quæ & amplissima. Ibi & urbs Caindou, linteo subtilissimo, quod ex certarum arborum cortice conficitur, celeberrima. Tota hæc regio populosa & omnium rerum proventu opulenta fertur. Plin. *lib.* 6. *c.* 17. Marc. Paul. *lib.* 2. Cathainum regnum cœpit, An. 1147. cùm Tartari Sinense jugum excussissent.

Catalauni, pop. Galliæ, qui olim Vadicasses, quorum urbs Noviomagum tum dicta: in Gallia Lugdunensi seu Celtica primùm locati; postmodum, hac in duas, ut & Belgicâ in totidem divisâ, Belgicæ secundæ attribui cœperunt. Ab his Vadicassibus nomen habet ad Matronam ager, *la Galevesse*, estque ex parte quidem Meldorum Meldicæque diœceseos, ac etiam Suessionum; sed ex majori parte Catalaunorum seu Vadicassium, Catalauniæque parœciæ. Cœterùm ante annos 500. Catalaunos *Chaalons* dici cœpisse & *Chalongos*, ostendit Hadr. Valesius *Notit. Gall.* qui addit, Episcopos Catalaunorum, jam tum dominium aliquod & aliquam jurisdictionem, in urbe sua habuisse, Comitivam putà atque Pariatum aut certe saltem aliquid, quod utrique originem dederit. Vid. infra in voce *Catalaunum*.

Catalaunia, mel. Catalonia, reg. Hisp. citer. inter mare Mediter. ad ort. Arragoniam ad occ. mont. Pyrenæum ad Sept. & Iberum fluv. ad Austr. à regno Valentiæ fere dividentem. Principatus tit. clara, aliàs paruit Comitib. Barcinonensibus; dein Regibus Arag. Ejus pars, nempe Comitatus Ruscinonensis Gallis subest, ab An. 1660. Regio est montuosa, sed ferax, & valde rigua, ejusque incolæ libertatis amantissimi. Ingenti motu intremuit, An. 1427. horrendo dein diluvio tantùm non tota submersa est, An. 1617. Metropolis Barcino est, reliquæ, Tarraco, Tortosa, Gironna, Lerida, &c. Vid. *infra*. Ibi Monasterium Monserratense, peregrinorum ex universo orbe affluxu nobile. Historia compendio sic habet: Carolus Martellus Catalaunos juvit, contra Mauros Hispaniæ, qui sub Carolo M. regione hac potiti. His Barcinone ereptâ à Ludovico Pio, Catalaunia proprios habuit Principes, donec Arragoniæ unita est, Vid. *Barcino*. An. 1640. Josepho Margarito nobili annitente, incolæ, jugo Hispanico excusso, Gallos receperunt, hinc per 20. an. belli hic cruenti theatrum. Donec An. 1659. sic inter utramque Coronam conventum, ut Montes Pyrenæi litem deciderent, Cataloniaque cum Comit. *de Cerdanna*, quæ trans, Hispanorum, Rusino autem & Confluentia, quæ cis montes sunt, Gallorum esset. An. 1674. bello inter Hispanos denuo & Gallos exorto, rursus alternantis Fortunæ ludus est.

Urbes Catalauniæ.

Barcino, *Barcelona*.	Rhoda, *Roses*.
Cardona.	Celsona, *Solsona*.
Dertusa, *Tortosa*.	Tarraco, *Tarragona*.
Gerunda, *Girona*.	Vicus, *Vich d' Ossona*.
Ilerda, *Lleyda*.	Urgela, *la Ceu d' Urgel*.

Catalaunici campi, à *Catalaunis* urbe dicti, *Mauriaci* quoque, Jornandi vocati, 100. leucas in long. 70. in latitud. eo teste habent. Hîc Aurelianus Aug. Tetricum, & Ætius Magister militum, Gotthicis adjutus auxiliis, Attilam Hunnorum Reg. & Chlotarius Jun. Francorum Rex Theodorici liberos, inprimis Sigebertum Regem pars dolo, pars prælio superavere. Cæterùm *Mauriacos* campos, à Mauriaco in Tricassibus *Merg* dictos, ab urbe Catalaunis 51. m. p. abesse indicat Æthicus *in Itiner.* Vid. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Catalaunum, duæ sunt hujus nominis in Galliâ civitates, unâ ampla & munita in Campania, inter splendidas urbes Belgicæ sec. Amm. Marcell. tertio loco, Notit. vett. ad fluv. Matronam sita, quæ Gallicè profertur *Chaalons* per duplex *a*. Ab hac dicti *Catalaunici campi*, ubi Attila devictus à Gallis, Gothis & Romanis. Vid. *Cathelauni*. Morerio vulgaris hic error est, creditque *in campis Secalaunicis*, prope Aurelianum, hoc factum, aliter Valesio sentiente, Vid. supra. Hîc Concilium, an. 1115. contra Henricum IV. Imper. à Legato Paschalis II. &c. V. Rapinum, *de Episc. Catalaun.* Gall. Christ. *tom.* 2. *pag.* 501. long. 25. 40. lat. 48. 58. Altera vero in Burgundiâ, & *Chalons* vulgò vocatur per simplex *a*. Vid. quoque *Cathelauni*.

Catamana, Syriæ urbs Comagenæ reg. Ptol.

Catamanteles, Regnum in Sequanos, multis annis obtinuit, & à S. P. Q. R. amicus appellatus est. Cæs. *l.* 1. *Comm.* Germanicum nomen fortè fuit *Kaltmantel*.

Catamitus, à veteribus Romanis nec dum assuetis Græcæ linguæ appellatus est, qui *Ganymedes* Græcis dicebatur, & Jovi in deliciis fuisse traditur. Ita enim iidem *Alcedonem* quoque *Halcyonem* dixerunt, ut Festus observat. Idem Festus: *Catamitum*, inquit, *pro Ganymede dixerunt, qui fuit Jovis Concubinus.* Vetus Gloss. *Catamitus, Ganymedes.* Arnobius *lib.* 5. *adversus Gentes*: *Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ virgines, ac mille matres: cumque illis Catamitus post pudoris spoliatus est honestate.* Loquitur ibi de stupris Jovis. Unde Cic. *Phil.* 2. *catamitum* pro *molli & effœminato posuit*: *O hominem*, inquit, *nequam! (Quid enim aliud dicam? Magis propriè nihil possum dicere) ergo ut te Catamitum, nec opinato, cùm ostendisses, præter spem mulier aspiceret, &c.*

Catana, Siciliæ opp. episc. ad radicem Ætnæ mont. conditoribus Caloydiis, Thuc. *l.* 5. situm, patria Charondæ, inter Atheniensium legislatores inprimis celebrati. Ibi fuit simulacrum Cereris, teste Cicerone, quod à viro non modo tangi, sed ne aspici quidem fas erat. Silius *lib.* 13.

Tum Catana ardenti nimium vicina Typhæo.

Diodorus *l.* 11. & 14 scribit, hanc ab Hierone, cùm ejus incolas ejecisset, Ætnam appellatam fuisse. Hodie tamen adhuc *Cataniâ* dici tradit Fazellus. Procopio *Gothicarum rerum lib.* I. Κατάνη mendosè legitur. Strabo *lib.* 6. Ἡ Κατάνη δ' ἐστὶ Ναξίων κτίσμα. Idem tradunt Marcianus Heracleota, & Thucydides *lib.* 6. Videtor Cluverius *de Sic. Ant. l.* 1. *pag.* 117. Ad Amenani ostium (inquit Bochartus) *Catana* קטנא hoc est, *parvam* sonat. Nempe *Catana* erat opidulum, antequam Naxii illud auxissent, coloniâ eò deductâ, Evarcho duce. Quos proinde Græci habuere pro Catanæ conditoribus. Ita *Cana* Galilææ Ebraicè scribitur קטנה *Catna*, & in Syriâ paraphrasi קטנא *Corne* Joh. 2. 1. in quem locum consulendus est Lud. de Dieu ὁ μακαρίτης. Bochartus. Urbs hæc capta à Roberto, fil. Caroli Claudi Neapol. & Apuliæ Regis, An. C. 1312. mox à Friderico Siciliæ R. recepta est. Sita est in regione *Valle Demona*, in ora littor. maris Jonii, ubi sinus Catanensis. A Carolo V. mœnibus & propugnaculis cincta est. Estque prope radices Ætnæ cujus eructationibus patet. An. 1669. incendiis ejus deformata est, & in ipsius territorio plurima castra eversa sunt, 4. fluminibus igneis, ex Ætna prodeuntibus. 40. mill. distat à Syracusis in Bor. Baudr. Vid. Leandr. *descr. Inf. Italiæ*.

Catangius, sinus in litore Asiatico Bospori Thracici. *Golfo Castacio* nunc, Petrus Gyllius.

Catanitæ, urbs apud Stephanum.

Catanni, populi ad mare Caspium. Steph.

Catanzara, Vid. *Catacium*.

Cataonia, supra Ciliciam regio, confinis Cappadociæ, ut Corn. Nepos *in Datame* describit. Incolæ *Cataones* Stephano dicuntur. Vid. Plin. 6. 2.

Cataphryge, hæretici, qui in Phrygiâ fuerunt, ut Montanus, Priscilla, & Maximilla. Hi adventum Spiritûs sancti, non in Apostolis, sed in se traditum, asserebant, veteribus Prophetis rejectis. Mortuos baptizabant, & sanguine infantum, aciculis compunctorum, ad Eucharistiam utebantur: illis postmodum, Martyrum instar, cultis. An. Dom. 174. Epiph. *hær.* 48. Aug. *hær.* 26.

Cataracta, Samnitum urbs à Romanis expugnata. Diodorus.

Cataractes, hodiè *Cascada di Tivoli*, casus Anieni fluv. apud Tibur urb. in Latii Sabinorumque confinio. Alius *Catarractes* Danubii, *Sevvreusſel*, teste Lazio, Locus Norici in Austriâ, infra Lentiam urb. ubi in Danubio navigia periclitantur.

Cataractonum, sive *Cataracton*, vulgò *Catterick*, teste Rob. Talboto, op. Scotiæ, ubi & diversorium *Cantarickbridge*. Vide *Caturactonium*, quod alii *Carlile* indigitant. Camdenus habet *Catarrick*, & *Catarrikebridge* Angliæ in Com. Ebor.

Catari, Pannoniæ pop. Plin. 5. 23.

Catarita, Arab. Fel. populi. Ptol.

Catarractus, fluv. Cretæ in orâ australi apud Libenam opp. fluens, *Arpadore* hodiè dicitur. Item fluv. Pamphyliæ, qui cum Melane Aspendum urb. præterfluit.

Catarrythum, Græci vocarunt Hipponem Africæ urb. propter aquarum irrigationem. Plin. *lib*.5.

Catascopia, Venus dicta est à κατασκοπεῖν, id est, *contemplari*, quòd templum haberet intra eam stadii partem, in quâ Hippolytus se exercebat, unde Phædra Hippolytum spectare consueverat.

Catathra, insulæ duæ Rubri maris. Ptol.

Catatus, civitas Ungariæ à Pisano Venetæ classis duce vi capta, diruta & incensa.

Catelani, seu *Catalani*, aliter *Gothalani*, pop. ex Avarum stirpe, qui in Hisp. profecti regioni nomen indiderunt. Ubi antea Lacetani, Cosetani, Laletani, Ausetani, Castellani, Cerretani, Indigetes & Illergetes pop. inter Pirenæos montes, Iberam & Cincam fluv. & mare Mediterr. Vid. Plin. *lib*.10.

Catenates, Vindelicorum populi, quorum meminit Plin. *lib*.3. *c*.20.

Catenes, unus, cui maximè fidem habebat Bessus; quoque ad comprehendendum eum usus est Spitamenes; de quo vide Curt. 7.33. Adeò certo istu destinata feriebat, ut aves quoque exciperet. *cap*.37. Defecit iterum ab Alexandro, ac in prœlio occisus est. Ibid. *libr*.8.

Caterlogensis Comit. regio Hibern. in Lagenia prov. Inter Comitatus Vexfordiensem, Dublinienſem & Kilkenniensem: Cujus caput.

Caterlogum Urbs, ad Brigum fluv. media inter Kildariam & Cellam S. Canici.

Cateth, id est, *tædium*, sive *contentio*, terminus tribus Zebulunis. Jos. 19.

Cath, fil. Trismegisti. Euseb.

Cathæa, regio Indiæ, in qua mirum in modum pulchritudo excoli dicitur, adeò ut Onesicritus author sit, in eâ regem pulcherrimum eligi. Vide plura de Cathæorum moribus apud Strab. *lib*.15. *Cathana* Stephano dicitur. Sic enim ille, Κάθαια, πόλις Ἰνδική· τιμῶσι δὲ τὰς καλὰς ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε βασιλέα τὸν κάλλιστον αἱρεῖσθαι.

Cathalusius, Nicanor nominatur apud Steph. in *Misza*.

Cathari, Græci καθαροὶ θεοὶ, id est, *puri Dei*, colebantur ab Arcadibus, quorum templum erat in colle Pallantio, ad quorum numen jusjurandum Arcades habere solebant. Horum Deorum nomina se nescire fatetur Pausanias *in Arcadicis*.

Cathari, Galliæ pop. Straboni, in ult. ripâ Rhodani habitantes, Salyis finitimi.

Cathari, Indiæ pop. apud quos hic mos invaluit, ut uxores cum maritis defunctis deflagrarent. Rhod. 18.31.

Cathari, Hæretici quidam antiqui, quos hodiè *Puritanos* vulgus vocat. Lloyd. Hoc nomen sibi Montanistæ sumserunt, ut ostenderent, non esse se ex illis, qui tormentorum vi adacti finem abnegarent; quem in finem candidas quoque vestes gessere. Quibus Augustin. ad nomen alludendo regessit, *Si nomen suum voluissent agnoscere, mundanos potius, quam mundos vocassent*. Euseb. *l*.6.*c*.35. Socr. *l* 6.*c*.20. Augustin. *de agon. Christi c*. 31. Baronius, *A*.C. 254. *n*. 106. 107. Nomen hoc etiam aliis, subinde per injuriam, tributum. Mulierem nobilem hæresis *Catharorum* convictam Parmæ, cùm fratres Prædicatores subito igne cremassent, An. 1280. plebs tumultu concitato, omnes urbe exegit. Blondus *dec*.2. *lib* 9. Sigon. *l*. 10.*&c*. V. & *Gazari*.

Catharina, virgo Alexandrina, à tribus Philosophis à pueritia exculta, ac deinde studio doctrinæ cœlestis dedita. Quæ cùm Maximinum cogentem Ægyptios ad ethnica sacrificia celebranda palam arguisset, primùm carceri inclusa est, deinde ad disputationem cum 50. Grammaticis ac Rhetoribus educta, omnes vicit & ad fidem Christi convertit. Eos omnes Tyrannus trucidavit; Catharinam rotæ impositurus erat, sed fulmen rotam disjecit; quare gladio decollata est. An. 307. Corpus dicitur ab Angelis in montem Sina delatum esse. Vid. Voss. *de Philolog. cap*.11.§.3.

Catharina, fil. Caroli VI. Galliæ R. nupsit Henrico V. Anglo, postmodum Ouuino cuidam, ex sartore Walliæ Principi, qui capite plexus, sub Henr. VI. avia Henrici VII. Item fil. Caroli VII. Gall. Reg. quæ Carolo Burg. nupsit.

Catharina, Soror Phœbi, Navarr. R. uxor Johannis Albretani. Item hæres Portugalliæ, à Philippo II. exclusa, cujus posteri iterum throno potiti. Item Regina Georgianorum, in Persiâ, martyrii coronam nacta, An. 1617.

Catharina, soror Henrici IV. Galliæ Regis, Ducis Barrensis uxor, Reformatæ Religionis cum lacte haustæ tenacissima, Obiit A. C. 1604. Nanceii. Ob cujus mortem cùm tota Regia in luctu esset, simulque omnes exterorum Principum Legati, Pontificis Nuntius, quid ageret, aliquandiu incertus, tandem & ipse pullatus coram Rege comparuit, dicens: *majores se habere luctus causas, quam reliquos: suum enim Dominum & se lugere interitum animæ, cum reliqui tantùm corporis deflerent jacturam*. Cui Rex, *minimè dubitare se de animæ sororis salute*, respondit, referente Bucholcero, *in Ind. Chron*.

Catharina Borena, Lutheri uxor. An. 1525.

Catharina Genuensis, duos libros Catalogorum sacrorum composuit. Obiit. A. 1510. Coccius.

Catharina Havardia, quinta Uxor Henrici VII. Angli, capite plexa.

Catharina Hispanica, fil. Ferdinandi, desponsata Arthuro, filio Henrici VII. Angliæ R. quinto pòst mense mortuo, ducta est à fratre ejus Henrico VIII. ex eo mater Mariæ, quæ post Eduardum VI. regnavit. Postmodum à marito repudiata est, qui, cùm antea contra Lutherum scripsisset, Defensor Fidei proin à Papa dictus, nunc à Pontifice diris devotus, *Ordinum regni decreto, authoritatem Pontificiam per regnum abrogavit*. Thuan. *l*.1. Sic misera Regina, in regia domo, *Kimbalton*, in Comit. Bethfordiensi, fortunæ suæ triennium cùm supervixisset, Obiit An. 1536. æt. 50. meditationibus in Psalmos, &c. compositis. Polydor. Virgil. *lib*.27. Surius, in *Comment*. Verulamius, *in Henrico VII*.

Catharina Landaa, erudita virgo, Bembus *epist*.*l*.2.*p*.615.

Catharina Medicæa, fil. Laurentii, nupsit Henrico Duci Aurelian. secundogenito Francisci I. A. 1533. Post sterilitatem decennalem, jam Regina, decem liberos peperit: inter quos Franciscum II. Carolum IX. Henricum III. omnes Reges, Franciscum Alenconium Brabantiæ ducem, &c. Mortuo marito, & filiis vel minorennibus vel absentibus, Galliæ Regens, omnia turbis miscuit, verè regni Furia, &c. Hanc Clemens VII. patruus ejus magnus Henrico elocaverat, non ex amore, sed odio ductus, quia ex Mathematicis cognoverat, *natam eam exitio Patriæ, ideirco etiam Florentini de exponenda, aut prostituenda Virgine cogitarant*, Thuan. In regno 30. annos grassata, mœrore animi, An. 1589. ætat. 72. decessit, *vasti animi ac superbi luxus fœmina*, Thuan. *lib*.94. postquam de filiorum, Successorumque fortuna, per Magicum speculum, fuisset edocta, Pet. Matth. *in Histor. Henrici IV*.

Catharina Parra, sexta uxor Henr. VIII.

Catharina de Roches, Pictaviensis, doctrinâ insigni prædita. V. elogia Virorum doctorum.

Catharina Senensis, viguit 14. sec. Gregorio XI. qui Florentinos excommunicaverat, persuasit, ut Avenione relictâ Romam rediret, A. 1377. Obiit An. 1380. æt. 33. à Pio II. in Beatarum Catalogum relata, A. 1461.

S. Catharina montis Sinai, ordo milit. in Palæstina, à Turcarum religiosis peregrinis, huc venientibus, conferri solitus. Insigne crux, in modum rotæ formata. Favyn.

Catharinus Ambrosius, Senensis, Episcop. Consanus, Concilio Tridentino interfuit. Plurima scripsit, in quibus opiniones quasdam peculiares fovit. Obiit A. 1552. Sixtus Sen. Possev. Bellarm. *de Scr. Eccl*.

Catharistæ, hæretici, præter deliria Montani, Gnosticorum spurcitias secṫati. *Macarii* quoque dicti. Cyrill. *Cat*. 6. Augustin. *hær*.46. Baron. A. 277.

Catharum, urbs munitissima Dalmatiæ, in ora, ad sinum Rizonicum, cum arce in colle, sub Venetis, episc. sub Arch. Ragusino. Vid. *Ascrivium*. Vulg. *Cattaro*.

Catharum, Libyæ inter. promuntorium. Ptol.

Cathedrale fœdus, seu fœdus *Domus Dei*, Germ. *Gottshausbundt*, secundum Rhætorum fœdus, nomen habet ab Episcopo & Collegio Curiensi: Hujus caput urbs Curia est: Conventus seu Communitates habet 21. quæ nonnunquam in 11. majores contrahuntur: è quibus duæ Germanicâ linguâ, reliquæ suâ peculiari Rhæticâ utuntur. Populi præcipui Curienses, Prægallienses & Engadini, apud quos Oenus & Athesis oriuntur. Ex his Episcopus & Capitulum, civitasque Curiensis cum Tigurinis fœdus An. C. 1419. junxerunt in annos 51. Dein fœderi Cano junctum Cathedrale in perpetuum fœdus cum 7. Helvetiorum Pagis coiit, Anno Chr. 1498. anno postquam Canum illis accesserat. Factum id autem ob negatam justitiam & insidias ipsis structas à Maximiliano I. Imp. cui tum Episcopus Curiensis operam navabat. Proximo statim anno, bello Suevico, Rhæti adversus Austrios fines suos egregiè tutati sunt, & tum suis viribus, tum adjuti ab Helvetiis pluribus præliis hostem fuderunt: pace tandem, quam cum Imperatore Helvetii sæpiùs victores Basileæ fecerant, quoque comprehensi. Plura V. apud Simlerum *de Rep. Helvet*. Stumpf. *Chronic. Helvet. &c*.

Conventus fœderis Cathedralis 21.

Curia, *Cur.*	*Pregell ober und nider Port.*
Furstenovia, *Furstenovv.*	Zuzium, *Sutz.*
Pagi quatuor ad Asperum montem spectantes.	Summada, *Summaden.*
	Pesclavium, *Puschlaff.*
Varium superius, *Obervatz.*	Stenzebergum.
Rætia ampla.	Scultina, *Schuls.*
Imum castrum, *Teuffen-Castell.*	Eremusium, *Remus.*
Grifenstein.	Monasteriensis vallis, *Münsterthal.*
Bivium sive Stalla, *Bevi* vel *Stallen.*	Ad Malos, *Maltz.*
Aversa, *Ardetz.*	Galfa.
Prægalia infra & supra portam,	Stanza.

Cathei, montes Sarmatiæ Asiaticæ, ex quibus Lagous amnis profluit. Plin.

Cathelauni, mel. *Catalauni*, Gall. pop. apud Marcellinum *l.* 15. quorum urbs *Cathelaunum* à Neotericis, & *Catalaunum* in Lib. Provinciarum nominatur. Eandem hodie *Chalons en Champagne*, vocant; & *Cathelauni campi*, ubi Attila cæsus est, an. 453. à Merovæo, Francorum R. Theodorico Gothorum R. & ab Ætio, Romanorum D. à pluribus sumuntur extrà reg. quam Gallicum vulgus *Champagne* vocat, ubi adhuc *Chastillon* civitas. Sed hi campi Catalaunici in tam exiguo terrarum spatio vix includi posse videntur. Quidam verò *Catalauniam*, quasi *Gothalaniam*, h.e. Gothorum & Alanorum regionem, vocari putant. Alii scribunt, esse circa Tholosam, totamque vel maximam regionem hos campos designare verisimile est ex Jornande, qui eos 100. leucas in long. & 50. in lat. patere ait. Idem eos quoque *Mauricios campos* nuncupat. Apud Catalaunios Tetricum ab Aureliano Imper. superatum tradit Eusebius. Baudrando sunt in Campania reg. Gall. Belg. prope Catalaunum. Vide *Catalaunum.*

Cathieremitæ, gens vicina Gabaonitis. Jos. *Ant.* 5. 1.

Cathilci, Germ. pop. à Germanico Cæs. devicti, Strabo. Lege *Cathulci.*

Cathippi, Asiæ urb. nomen circa Mediam aut Parthiam. Orosius.

Cathnesia, reg. Scotiæ Septentrionalior & ultima, versus Orcades Insf. ubi aliàs *Carini*. Ibi loca quædam parvi momenti.

Catholica, vicus Romandiolæ, in ditione Pontif. medius ferè inter Ariminum & Pisaurum, in colle, & in ora maris Adriatici, tabernis tantùm constans & turri.

Catholicus, titulus Hispaniæ Regum, cujus origo ad Flavium Recaredum, Regem Gothicum refertur, qui Arianis ditionibus suis expulsis, A. C. 585. Valdesius *de excell. regni Hisp.* in Toletano Concilio *Catholicus* proclamatus est, Mariana *l.* 7. *c.* 4. *Isid. in Chron.* Adelphonsus dein, gener Pelagii, Saracenorum viribus attritis, & Christianismo reducto, idem agnomen meruit, an. 738. Vasæus *in Chron. Hisp.* Quod multis postea ætatibus intermissum repetiit Ferdinandus Aragoniæ R. pulsis totâ Hispaniâ Mauris, A. C. 1492. effecitque, ut consequentibus Regibus proprium & hæreditarium esset. Iidem: Sed & Philippum Valesium, Gall. R. quòd jura Ecclesiastica strenuè tueretur, *Catholici* nomen obtinuisse, legimus apud Froissard. *lib.* 1.

Cathon, insula à Pomponio inter Cyclades adnumerata.

Cathulci, seu *Cathulcones*. Ptol. Germaniæ pop. ad Albim fluv. Erant clientes Cheruscorum, ubi nunc Luneburgum, urbs ampla & probè munita, Ducatus cognom. caput. Cluver.

Cati fons, dicebatur, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluebat, quia in agro erat cujusdam *Cati*. Festus.

Caticardamna, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. *Chiromandel* Petro Apiano. Baudrando quid sit, non constat.

P. Catienus, Philotimus, patronum adeò dilexit, ut hæres omnibus bonis institutus in rogum ejus se jecerit. Plin. 7. 36.

Catifa, opp. Asiæ, in ora Arabiæ fel. juxta sinum Persicum, qui hinc *Golfo del Catif*, habet portum & arcem satis munitam; Aliàs *Gerra* dictum, Sansone teste. Vide ibi.

Catignatus, Allobrogum Dux, qui post conjurationem Catilinæ rebellaverat. Pacati verò fuerunt Allobroges an. U.C. 694. biennio antequam Helvetii sunt domo profecti.

Catili, Alpium incolæ inter Polam & Sergestum. Plin.

Catilina, civis Romanus nobilis, conjuratione contra patriam initâ notissimus, cujus impii conatus prudentiâ Ciceronis oppressi sunt, an. 692. U.C. Historiam eam scripsit Sallustius. Vide & Flor. *l.* 4. *c.* 1. & Plut. *in Cicerone.* Juven. pro quovis pessimo & exitioso patriæ cive posuit *Sat.* 14. cùm ait:

—— Et Catilinam
Quolibet in populo videas, quocunque sub axe.

Virg. *Æn.* 8.

—— Et te Catilina minaci
Pendentem scopulo Furiarumque ora trementem.

Lucanus *l.* 7 ubi de Cicerone —— *Cujus*
Pacificas sævus tremuit Catilina secures.

Martialis,

Dixerat O mores! O tempora! Tullius olim
Sacrilegum strueret cum Catilina nefas.

Catilius Severus, vir doctissimus, discipulus Papiniani. an. U.C. 976. Lampridius in *Alexandro.*

Catilius Severus, Consul, Coll. T. Aurelii Fulvii Antonini. an. U.C. 872.

Catilli, pop. circa Anienem fluv. Silius Italicus *lib.* 4.

—— —— Anienicolæque Catilli.

Catillus, filius Amphiarai, qui cum fratribus Corâ & Tyburto in Italiam venit, ibique Tybur condidit, & à nomine fratris nomen ei imposuit. Virg. *Æn.*

Catillusque, acerque Coras Argiva juventus.

Silius Italicus *lib.* 8.

Et Tybur, Catille, tuum.

Catillus, mons prope Tiberim, à *Catillo* sic dictus.

Catina, Siciliæ urbs. Vide *Catana*. Item Arcadiæ opp. Plin. 4. 6.

Cativulcus, Rex dimidiæ partis Eburonum, frater Ambiorigis. Cæs. *Comment. cap.* 26. *lib* 6. *cap.* 31.

Catius, Deus Ethnicorum, qui *catos*, i.e. acutos homines faceret, aliis *Cautus*, quia *Cautos* homines efficit. Aug. *de C. Dei.*

Catius, hominis nomen, cujus meminit Horat. 2. *Sat.* 4.

Unde & quò Catius, &c.

Catizi, Pygmæorum gens à barbaris dicuntur, quos credunt à gruibus fugatos. Plin. 4. 11. Stephano Κάτιζα & Ῥαχώλη eorum regio vocatur; incolæ *Tussyli.*

Cato. Hujus nominis celebres aliquot fuerunt: ut M. Porcius *Cato*, cui postea à *Censuræ* dignitate *Censorii* nomen inditum est. Ex Tusculano municipio ortum traxit, indeque persuasione atque amicitiâ Val. Flacci adductus primus ex eâ familiâ se Romam contulit, ubi propter singularem virtutem honores omnes sine repulsâ est adeptus. Primò enim Trib. Mil. in Siciliâ fuit; deinde Prætor Sardiniam subegit, ubi ab Ennio fuit Græcis literis institutus, cùm jam natu grandior esset. Postremò Consul cum eodem Flacco creatus citer. Hispaniam sortitus est, ubi rebus feliciter gestis urbium omnium muros, quæ intra Bætim erant, uno die solo æquari jussit. Hunc ob morum gravitatem, singularemque justitiam Virgilius *Æn* 8. Inferorum judicem facit:

Secretosque pios & dantem his jura Catonem.

Tametsi locum illum aliter intelligit De la Cerda, nempe de Catone Uticensi, quem *severum* Martialis, *gravem* Silius, *horridum* Lucanus vocat. Cæterum Cato noster tres summas res præstitisse existimatus est. Erat enim *Optimus Orator, Optimus Imperator, Optimus Senator*, uti eum Plin. 6. 27 prædicat: Præterea quadragies causam dixit, & quamvis toties postulatus fuit, tamen semper absolutus est. *Omnium bonarum artium magister* eidem Plinio vocatur *l.* 25. *c.* 2. Scripsit varia, jam senex: Ut septem libros histor. Cornelio Nepote teste, quos *Origines* dixit: frustra ab Anna Viterbiensi mundo obtrusos, cùm perierint. Aliaque, de quibus vide Voss. infra laudatum. Quintilianus *l.* 12. *cap ult. M Censorius Cato, idem Orator, idem Historiæ conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi seculo literas Græcas ætate jam declinatâ didicit, ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse, quæ senes concupiscent.* Vide Plutarchum & Nepotem *in ejus vitâ*, itemque Livium *l.* 39. *c.* 40. Elogium quoque ejus habes apud Val. Max. *lib.* 8. *c.* 7. Vide sis etiam Voss. *de hist. Lat. l.* 1. *c.* 5. Dicere solebat, Trium potissimum rerum se pœnitentiam egisse; primùm eò pervexisse navigio, quo pede proficisci potuisset: Secundò ignavum præteriisse diem; Tertiò uxori secretum revelasse. Carthaginem delendam semper suasit, in quacunque occasione Reip. devotus. Quando obierit, incertum est. Plerique tamen obiisse illum an. 606. U.C. M. 3906. ante C. N. 148. Olymp. 158. secundo bello Punico, asserunt. Item *Catones* duo fuere superioris filii, quorum alter in bello contra Perseum, sub Æmilio Paulo, magnâ cum laude militavit, ejusque ductâ Tertiâ, gener factus: Alter *Cato Salonius* dictus, quem pater jam octogenarius, ex Salonia, cujusdam domesticorum suorum filia, susceperat, patre superstite, at Prætore designato, extinctus est, & egregios in juris Civilis disciplinâ libros composuit. Gellius *l.* 2. *c.* 4. Pater Catonis Cos. Avus Catonis Philosophi, Proavus Catonis, qui in Philippica pugna contra Augustum & Antonium pugnans occubuit, Plut. *de duobus Catonibus.*

M. Cato Uticensis, M. Porcii pronepos fuit, quem & vitæ, Stoicæque disciplinæ severitate referebat. Hic nudis interdum pedibus, brevique togâ in publicum prodibat, sese adsuefaciens non nisi turpibus rebus erubescere. Consulatum frustra petiit, quòd virtuti suæ fidens, populo non nimium submisse voluerit supplicare. Martiam conjugem Hortensio amico, liberorum causâ concessit, eandemque post ejus mortem recepit; quod Cæsar avaritiæ causâ ab eo factum calumniatus est: *Dimisit*, inquit, *inopem, ut locupletem reciperet.* Post Pharsalicam cladem, reliquias Pompejani exercitus collegit, ac terrestri itinere per deserta Libyæ ad Jubam regem perduxit. Tandem, victo à Cæsare Scipione, Uticæ, quam tutandam sumpserat, necem sibi conscivit, perlecto antè Platonis Dialogo, de animæ *Immortalitate*, qui *Phædon* inscribitur. Lucanus,

Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.

Horat. 3. *Carm. Od.* 21.

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Quem vino non indelectatum liquet, ex Sen. *cap.* 15. *libr.* 1. *de Tranquillitate*: *Cato*, inquit, *laxabat animum curis publicis fatigatum*, &c. Et mox, *Catoni ebrietas objecta est. At facilius effecerit, quisquis objecerit, hoc crimen honestum, quàm turpem Catonem.* Sanè & Plutarchus quoque author est, Catonem πολλάκις ἐν οἴνῳ διάγειν εἰς ὄρθρον. Hunc *Sapientis* nomen in senectute habuisse, scripsit Cic. *lib. de senect.* Quo nomine eum vetus Poëta *in Florido* ita admiratus est, ut vel Socrati anteferret. Ejus versus isti sunt:

Sperne mores transmarinos; mille habent offucias,
Cive Romano per orbem nemo vivit rectius:
Quippe malo unum Catonem, quàm trecentos Socratas.

Fuit nimirum severis moribus, invicti animi & continentis: Unde omnes *cordati, severi & inculpatis moribus Catones* vocati, ut Val. Max. *l.* 2. *c. ult.* observat. Lucan. *lib.* 2.

—— Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemq; tenere,
Naturamq; sequi, patriæq; impendere vitam,
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

Nec alia causa aureolo illi libello, *De moribus*, versibus conscripto, qui vulgò pueris proponi solet, *Catonis* nomen inditum est: Neque enim Cato ejus author est: sed ita appellatur, quia de sanctitate morum præcipit, qualis in Catone fuit. Ejus vitam scripsit Plutarchus. Elogium ejus apud Senecam habes, *de Const. Sapientis, cap.* 1. & 2.

Val. Cato, Grammaticus, qui Romæ multos & nobiles docuit tempore Syllæ, cujus famam hi versus indicant:

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit, ac facit poëtas.

Scripsit, præter Grammaticos libellos, etiam poëmata, ex quibus præcipuè probantur *Lydia*, & *Diana*. *Lydiæ* Ticida meminit;

Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianæ verò Cinna:

Secula permaneant nostri Diana Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summâ pauperie & penè inopiâ, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, auctor est Bibaculus *in his*:

Si quis forte mei domum Catonis
Depictas minio assulas, & illos
Custodes videt hortulos Priapi,
Miratur, quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assecutus,
Quem tres calculi & selibra farris,
Racemi duo, tegulâ sub unâ,
Ad summam prope nutriant senectam.

Et idem rursus,

Catonis modò, Galle, Tusculanum,
Totâ creditor urbe venditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
Summum Grammaticum, optimum poëtam
Omnes solvere posse quæstiones,
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!

Ejus quoque meminit Catullus:

Ride, quicquid amas, Cato Catullum.

Itemque Ovidius:

Et par Cornifici, parq; Catonis opus.

Catobriga, Hisp. urbs inter Cordubam & Emeritam. Anton.

Catolacum, seu *Catulliacum*, vicus suburbanus agri Parisiaci, 6. ab urbe lapide, in quo Dionysius Parisiorum Episc. sepultus est. Hic clarissimum monasterium à Dagoberto R. extructum & basilica magnificentissimâ condita est: quod monasterium S. Dionysii dicitur, & oppido originem ac nomen dedit Regumque Galliæ palatio fuit inclytum, Dagoberti, Caroli Ducis Francorum, Pippini Regis, Caroli Calvi ejus pronepotis & omnium ferè ab Hugone Rege Mausolæum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Catoluca, Gall. Narbon. opp. Anton.

Catona, taberna diversoria Calabriæ infer. è regione Messanæ.

Catoni, pop. Scythiæ circa Mæotim degentes. Plin. 6. 7. Alii *Caroni* legunt.

Catonius, vide *Justus*.

Catopterium, locus excelsus supra Anemoriam Phocidis urb. sive Parnassi præcipitium. Strabo.

Catorissium, seu *Cartusia*, vulgò *Chartrousse*, vel *Chatrousse*, magnus Galliæ in Delphinatu vicus, positus ad pedem montis cognom. nomen dantis Eremo Monasterioque majoris Cartusiæ, *la grand' Chartrouse*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Catra, civitas, Gentile *Catreus*. Steph.

Catraleucos, Lusit. urbs. Ptol. *Guimaranes* Moletio.

Catrea, Cretæ urbs. Pausanias.

Catria, insula in mari Libyco, eadem quæ *Æthusa*. Steph. De nominis origine sic Bochartus. *Ægusa* Libycum nomen, apud Steph. est *Catria*; Αἰγοῦσσα, inquit, νῆσος Λιβύης κατὰ Λιβύας λεγομένη Κατρεία. Ubi pro Κατρεία Cluverius scribendum censet Καπραρία, quasi pro *Ægusâ* Libyes *Caprariam* Romanâ voce appellaverint. Sed utut Αἰγοῦσσα & *Capraria* sint voces synonymæ, tamen à Romanis ipsis Ægusa dicitur non Capraria. Vide Plin. 3. 8. *Aponianam* vocat Hirtius, *de bello Africano*, unde hodiernum *Favagnanâ*; *Caprariam* nemo quod sciam. Præterea non est credibile, Pœnos à Romanis accepisse nomina insularum, quas tenuere diu ante Romam conditam. *Catria* igitur, ut vult Stephanus, Punicum nomen est, sed à Græcis interpolatum, nam & ע expressum per *G.* ut in *Gaza*, *Segor*, *Gomorrha*, & similibus, עדר *geder* autem vel *gadar* est *grex*, non solùm ovium sed & caprarum. Hinc in plurali emphatico עדריא *gedrajá* vel *gĕdreta* sunt *greges*. Itaque insula *Gadraja*, unde deflexum *Catria*, est insula gregum, caprinorum scilicet, id est, *Ægusa*.

Cattabania, regio Fel. Arabiæ thurifera. Steph.

Cattara, vide *Catharum*.

Catti, ab Hermonduris, ob rivum, unde sal colligebatur, victi sunt, exuviis Marti & Mercurio dicatis, id est, hominibus, equis jumentisque internecioni datis, Tacit. *l.* 13. *Annal.* *Chatta* Ptolemæo pop. Germ. hodie *Hessi*, à Druso domiti, quorum regio *Hessia*, seu *Hassia*, *Hessen* vulgò, teste Junio: Baudrando erant, ubi nunc Hassia, cum parte Turingiæ & Brunsuic. Ducatus, prope Visurgim fl. & Cheruscos. Postea in inf. Batavorum transgressi sunt, Tacit. Hinc in Batavis sunt Cattorum vici duo, vulgò *Catvvick*, ad mare & Rhenum, apud Lugdunum urb. Adversus Cattos nullâ necessitate bellum sumsit Domitianus Imp. anno Chr. 85. sed amisso Poppæo Sabino Consulari rediit, Dion. *l.* 67. Horum mem. Mart. 2. 2.

Frater Idumæos meruit cum patre triumphos;
Quæ datur ex Cattis laurea, tota tua est.

Juvenal. *Sat.* 4.

Tanquam de Cattis aliquid, torvisq; Sicambris,
Anxia præcipiti venisset epistola pinnâ.

Catti Melibocci, Germ. tractus, qui *Catzenelebogen* dicitur B. Rhenano; Comitatus Wetteraviæ; in Hassiâ est; sub Landgr. Hasso Cassellano. Cum opp. cogn. vix 2. leuc. à Nassavio in Occas.

Cattigara, Sinarum statio. Ptol. *Canton* Castaldo, urbs Sinarum in orâ littorali, sub Lusitanis, in Indiæ ultra Gangem confinio, Emporium frequens. Quibusd. est *Xanton*, urbs Asiæ sub Tartaris, in regno Sinæ, in ora littor. sinus Nanquini. Baudr.

Cattiterides, vide *Cassiterides*.

Cattuaci, pop. inter Belgas, Nerviis, Caletibus, Veromanduis & Condrusis proximi, quos forte Duaci opp. incolas Diœcesis Atrebatensis opinari licet. Cæsar *lib.* 2. Corruptè pro Aduaticis, qui fuere, ubi nunc Comit. Namurcensis, & eorum urbs Namurcum, ad confluentias Sabis in Mosam. Sanson, Brietius. Al.

Cattuza, vide *Catizi*.

Catualda, nobilis inter Gothones juvenis, profugus olim, vi Marobodui; sed pòst dubiis rebus ejus ultionem ausus, validâ manu fines Marcomannorum ingressus, corruptisque primoribus ad societatem irrupit regiam Bubiemum, Maroboduumque regno proturbavit. Eundem casum paulò pòst expertus, Hermundorum opibus & Vibilio duce pellitur; receptusque Forum Julium Narbonensis Galliæ coloniam mittitur. Tacit 2. 63.

Catularia, porta Romæ sic dicta, quia non longè ab eâ, ad placandum caniculæ sidus frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.

Catulina castra, *Tuln*, oppidul. Austr. infer. ad amnem cogn. qui 1. leuc. infrà se in Danubium exonerat, 5. leuc. à Vienna in Occas. 4. à Chremsa in Ort.

Catulinus, Consul, collega Apri, an. U. C. 882.

Catulinus, vide *Blitius*.

Catullus, *Cajus*, vel *Quintus Valerius*, Poëta Veronensis, in Peninsf. Sirmio, hodie *Lac de la Garde*, septimo Consulatu Marii, natus, epigrammatum scriptor, quorum 117. supersunt, anno uno Sallustio major, quo tempore Romanorum imperium Marii & Syllæ factionibus concutiebatur. Latinæ puritatis custos fuit religiosissimus, unde & *Docti* cognomen meruit. Martialis,

Verona docti syllabas amat Vatis.

Alioqui lascivus, & supra modum mordax; utpote qui ne Cæsari quidem, jam rerum potito, pepercerit. Ipsitillam & Clodiam, amicas celebravit, quarum hanc ficto nomine *Lesbiam* dixit. Ovid. *Trist.* 2.

Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo
Fœmina, cui falsum Lesbia nomen erat.

Martialis, *Nolo quot arguto dedit exorata Catullo*
Lesbia. ——

Obiit an. æt. 30. U. C. 698. Hieron. *in Chron.* Quintil. Lilius Girald. 10. *dial. de P. L.* Voss. *de Poët. L. c.* 1.

Catullus, cogn. *Urbicarius*, mimographus, de quo Juven. *Sat.* 13.

—— Mimum agit ille
Urbanus qualem fugitivus scurra Catulli.

Idem *Sat.* 8.

Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.

Ubi vide sis veterem Scholiast.

Q. Luctatius Catulus, primo bello Punico 300. navibus adversus Pœnos profectus, 600. eorum naves commeatibus impeditas, duce Amilcare, apud Ægates, insulas inter Siciliam & Africam, depressit, finemque bello imposuit. Pacem verò petentibus hâc

hâc conditione concessit, ut Siciliâ, Sardiniâ, cæterisque insulis inter Italiam, Africamque cederent, & Hispaniâ citra Iberum abstinerent. Liv.

Catulus, Orator Conf. cum C. Mario, quarto ejus consulatu, Cimbros fudit: à collegâ postea, urbe occupata per dissensionem, mori jussus est, frustra precantibus pro eo civibus. Itaque in cubiculo inclusus candentium carbonum vapore suffocatus est, cujus manes ultus postea Sylla, interfecto Mario juniore. Lucanus,

—— Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam?

Catulus, sororius Catilinæ, eques Romanus, partium nullarum tantumque quieti studens, à Catilinâ jussu Syllæ interfectus. Ascon. Pædian.

Catulus alius, hujus superioris filius, qui Lepidum, post Syllæ mortem bellum reparantem, oppressit. Hic nimirum fuit Ciceronis temporibus, & Capitolium incensum restituit, vir non minoris integritatis, quam gravitatis, & apud suos cives authoritatis.

Caturica, locus circa Alpes Cottias, inter Brigantionem & mont. Seleucum. Anton. Vide infra.

Caturiga, qui & *Caturiges*, populi Galliæ, à Plinio in Alpibus Cottiis locati, quorum caput tum Ebrodunum, postea Alpibus Maritimis adscripti sunt. Ab his Ebrodunum, nomine gentis accepto, *Caturigæ*, nunc *Chorges* dicitur. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & in voce *Caturiges*.

Caturiges, *Catiriges* Ptolemæo, *Catoriges* Straboni, pop. Gall. Narbon. Alpini in Delphinatu super. quorum opp. *Caturigæ*. Anton. *Charges*, teste Simlero. Nunc *Chorges*. 1. leuc. à Druentia fluv. medium inter Ebrodunum & Vapincum, 2. leuc. ab utraque. Baudrand. Vide & *Caturigæ*.

Caturractonium, Angliæ opp. vulgò *Caerlile*. Aliis autem est *Allerton* oppidum in Comitat. Eboracens. long. 19. 20. lat. 51. 16. Baudrando *Cataructonium*, seu *Cataracton*, oppidum fuit Brigantum, vastatum anno 769. ab Eanredo, Northumbriæ R. Nunc viculus *Catterick*, in prov. Eboracens. ad amnem Suuatam, 3. mill. pass. infra Richmondiam, 7. ab *Alverton* oppidulum longè à Carleolo.

Caturriga, Galliæ Belg. urbs inter Durocortorum & Nasium. Anton.

Catus, vide *Firmius*.

Catus Decianus, Britanniæ Procurator, sub Nerone. Tacit. *l.* 14.

Catyeuchlani, Albionis pop. Ptol. Hodie *Buckenghamienses*, *Hertfordienses*, & *Bedfordienses* Camdeno vocantur.

Cava, urbs Princip. citer. parva, paucorumque incolar. episc. sub Archiep. Salernitano, vix 4. mill. à Salerno & ab ora sinus Salernitani.

Cavana, Arab. Fel. urbs. Ptol.

Cavaræ, *Cavares* Plinio, *Cavari* Ptol. pop. Gall. Narbon. Nunc in Provincia, apud Rhodanum fluv. *Gavots*, teste Dalechampio inter Avenionem & Valentiam incolentes, quorum metropolis *Avenio* dicitur.

Cavarillus Æduus, pedestribus illorum copiis, quæ ad Cæsarem missæ fuerant, præfectus. Cæs. *l.* 7. *Comm.*

Cavarinus Seno, quem Cæsar apud Senones regem constituerat regno domoque à suis expulsus ad Cæsarem confugit, *Comment.* 5. *cap.* 54. Eum Cæsar Senonum Equitatui præfecit. *l.* 6. *c.* 5.

Cavarus, Gallorum rex, anno à Diluvio 2085.

Cauca, urbs Hisp. alio nomine *Coca*. Oppidulum Vaccæorum aliàs, nunc Castellæ vet. inter montes, inter Segobiam ad 6. leuc. & Tagum fluv. 13. à Valisoleto.

Caucabeni, Arabiæ desertæ gens. Ptol.

Caucadæ, gentes ad Lagoum amnem, ubi in eum influit Ophiùrus circa Mœotim. Plin. 6. 7.

Caucana, Siciliæ portus prope Syracusas, teste Ptolemæo, cui Καύκανα λιμὴν dicitur. Pluralis numeri esse τὰ Καύκανα è Procopii *Vandalicorum libro primo* discimus: Βελισάριος δὲ τὸν Προκόπιον ἐκέλευσεν ἐς Καύκανα τὸ χωρίον συμμίξαι, διακοσίοις μάλιστα σταδίοις Συρακουσῶν διέχον, ubi τριακοσίοις legendum censet Cluverius. Porro *Caucana*, vel ut veteres efferebant *Cascana*, videtur esse חופקנה C. *of cane, portus arundinis*, i.e. *arundinosus*, Bochartus.

Caucasus, mons editissimus in Septentrionali Asiæ parte, Indiam dirimens à Scythiâ. Val. Flaccus *lib.* 5. *Argonaut.*

Ultimus inde sinus, sævumque Cubile Promethei
Cernitur in gelidas consurgens Caucasus Arctos.

A Circassis *Salatta*, versus Mingreliam & Georgiam valde extensus, quibusd. *Mont de Circassie.* Ejus pars multis est mons *Ararath*, versus Armeniam. Hic fertur tantæ altitudinis, ut circa illius verticem Sol velut scindi videatur, uti Philostratus *lib.* 2. *de Vita Apol.* prodidit, ubi vide plura de hoc monte, itemque apud Qu. Curt. *lib.* 7. Hinc *Caucasum mente induere*, pro supra modum indurare animum. Seneca *in Medeâ*, *vers.* 43. dixit:

—— Pelle fœmineos metus,
Et inhospitalem Caucasum mente indue.

Virg. *Æn.* 4.

—— Duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Horat. *Carm.* 1. *Od.* 22.

Sive facturus per inhospitalem
Caucasum. ——

Porro sylvosum esse montem, atque arboribus, quæ fabricandis navibus sint aptæ, plenissimum fuisse testatur Strab. *l.* 11. nec dubitare nos de eo sinet Propert *lib.* 2.

Et nemus omne satas intendat vertice sylvas,
Urgetur quantis Caucasus arboribus.

Virgilius *Georg.* 2.

Ipsæ Caucaseo steriles in vertice sylvæ,
Quas animosi Euri assiduè franguntque feruntque,
Dant alios aliæ fœtus: dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrosque, cupressosque.

In radicibus herbis veneficis & vulturibus abundat. Supra Iberiam ac Albaniam in Septentrione à Ptolemæo collocatur. *Cocas*, & *Cochias*, teste Haytono Armeno dicitur, *Albsor* Nigro, *Adazar* Theveto. *Caspium* vocat Eratosthenes apud Strabonem, in quo Prometheum vinctum, aquilâ jecur rostro depascente, fabulantur. Cum Tauro sæpe à priscis confunditur, qui tamen saltem pars Caucasi, ut bene Arrianus *lib.* 3. *de Alex.* observavit, ea nempe quæ Pamphyliam & Ciliciam ambit; in aliis locis alia, pro nationum diversitate, nomina sortitus. Vide etiam Plinium *l.* 5. *c.* 27. P de Valle, *Itinerarii parte* 2. & 3. Inde *Caucasiæ Portæ* seu *Pylæ*, quæ & *Iberiæ*, circa Harmastin urb. in cujus rupe Cumania castellum est. Ibi urbs nunc est, exteris *Derbent* i. angustiæ, omnium totius Orientis munitissima: Turcis *Demircapi* & *Themircapi*, id est, *porta ferrea*, uti ab Egesippo nominatur, non quòd ex ferro constet, sed quòd locus adeò munitus, ut quemvis hostilem impetum facilè sustineat, quum transitus duntaxat pateat 300. passuum. Gaudet portu satis commodo, sub Persis. Indies tamen deficit, prope Cyrum fluv. Hæ portæ magno errore *Caspiæ* à multis dictæ fuere, ut Plin. *lib.* 6. *cap.* 11. tradit. Inde *Caucasiæ volucres*, apud Virgilium, *Eclog.* 6.

Caucaseasque refert volucres, furtumque Promethei.

Id est, vel *Aquilæ*, juxta Hesiod. *in Theog.* Apollonium *lib.* 2. *Argon.* Ovidium, & Attium *in Prometheo*, sic scribentem:

Jam tertio me quoque funesto die,
Tristi advolatu aduncis lacerans unguibus
Jovis satelles, pastu dilaniat fero.

Vel *Vultur*, juxta Fulgentium *in Mythol.* & Petronium *in Hendecasyllabo*:

Cur vultur jecur ultimum pererrat
Et pectus trahit, intimasque fibras.

Et hæc fortè ratio (notante De la Cerda) quare Poëtæ dictum *volucres*, quasi insinuaret Prometheum jam ab aquilâ, jam à vulture lancinari, nam aliter dixisset *volucrem* vel *avem*, ut Prop. *lib.* 2. *Eleg.* 1. —— *Medio pectore pellet avem.*

Et Mart. *in Amphitr.*

Assiduum nudo pectore pavit avem.

De nomine Bochartus. Terra Gog vel Magog erat Scythiæ pars circa Caucasum, quam Colchi & Armeni, quorum dialectus erat semichaldæa, גוג חסן *Goghasan* vocarunt, id est, *Gogi munimentum*, atque inde Græci Καύκασον sono molliori, ut cùm pro גמל *gamel*, κάμηλον dicunt. Fuit etiam *Caucasus* locus, circa Chium ins. Herodot. Item in Arcadiâ Halicarnasseo, nisi illic *Thaumasios* legendum sit, uti putat Portus.

Caucenses, Hisp. citer. pop. in conventu Cluniensi. Plin.

Cauchabeni, Arab. Desertæ gens. Ptol.

Caucha, campi circa Ctesiphontem, quos Tigris fluv. Septentrionem versus flexus secat. Plin. 6. 27.

Cauchi, vide *Cayci* & *Chauci*.

Cauci, Hiberniæ populi. Ptol.

Cauciacum, vulgò *Choisi* Gallis, ad Axonam, non procul ab ejus & Isaræ confluentibus atque Compendio, villa olim fuit publica, Regiâ & ponte lapideo flumine imposito insignis. Hic obiit & sepultus est Childebertus R. Berta item, mater Caroli M. A. C. 783. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Caucobabdita, Hæretici, à loco, in quo primitus convenerant, dicti. Severi Antiocheni & Acephalorum sectatores. Niceph. *l.* 18. *c.* 49. Baron. *A. C.* 535.

Caucoliberis, mel. *Illiberis*, urbs Gall. Narb. probè munita, ad radices Pyrenæorum, in Comit. Ruscinon. In ora littor. maris Mediterr. & sinus Leonini, gaudet portu commodo & percapaci, vulgò *Collioure*. Sub Gallis, ab an. 1660. Vide *Illiberis*.

Cauconea, regio à *Caucone* fluvio sic dicta. Steph.

Caucones, pop. Bithyniæ circa Parthenii fluv. ostia. Item pop. Messeniæ. Ptol. Strabo.

Caudi, vel *Caudium*, Samnitum oppidum in Italiâ prope Beneventum. Baudrando Hirpinorum oppid. nunc *Arpaja*, vicus Princip. Ulter. prope amnem Isclerum, in regn. Neap. in confinio Terræ Lab. 4. mill. à S. Agatha in Austr. 7. à Nola in Bor. 16. à Capua in Ort. unde *Furcæ Caudinæ*, & *Fauces Caudinæ*, Romanorum ignominiâ & clade nobilitatæ. Ibi enim eorum copiæ, duce Sp. Posthumio Consule, in angustias redactæ, & ab hostibus circumquaque obsessæ, cùm alia spes evadendi non esset, positis armis, sub jugum missæ sunt. Lucan. *lib.* 2.

Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas.

Strab. *lib.* 5. Κεῖται δ' ἐπὶ τῇ Ἀππίᾳ αὐτή τε Καπύη, καὶ αἱ τῶν ἄλλων ἐπὶ Βρεντέσιον ἄγουσαι ἀπ' αὐτῆς Καλατία, καὶ Καλόδιον, καὶ Βενεούεντον, lege Καύδιον, vel si mavis Κλαύδιον; ita enim est apud Ptol. Quin & *Claudium* quoque habet Hor. *Sat.* 5. *l.* 1.

Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt,
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa,
Quæ super est Claudi caupones.

Apud Plut. *in Parallel.* sic scriptum est: Κατὰ τὰς κυλινδρίας φορῶν τὰς Κλαυδίνας, ἐπὶ δὲ τόπῳ γενόμενος. lege Φούρκλας. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 1197. *Furcarum* autem *Caudinarum* natura hæc est, saltus duo alti sylvosique sunt, montibus circa se perpetuis inter se juncti. Jacet inter eos satis patens clausus in medio campus, herbidus aquosusque, per quem medium iter est: sed antequam venias ad eum, intrandæ primùm angustiæ sunt, & aut eadem quâ te insinuaveris, retro via repetenda, aut si porrò ire pergas, per alium saltum arctiorem impeditioremque evadendum. Hodie locus *Stretto d' Arpaja*, inter Arpajam vicum & Airolam castr. in Princip. cit.

Caudos, ins. vicina Cretæ, ubi maximi onagri nascuntur. Suidas. Aliis *Claudos*, nunc *Gozo*, è regione promuntor. *Arietis Frontis*. Vide *Claudos*. Baudr.

Cave, seu *Caba*, fil. Juliani Comitis, à Roderico, Hisp. Rege violata. Quâ injuriâ offensus Pater, Africæ à Rege præpositus, junctus duobus Vitizæ, ultimi Regis à Roderico excæcati, filiis, an. 712. Saracenos in Hispaniam pellexit, qui, rege superato, totum regnum occuparunt. Garibay *lib.* 8. *comp. cap.* 48. Roderic. Sanctius, *p.* 2. *c.* 37. Vasæus, *in Chron.* Mariana, *l.* 6. *cap.* 21. *&* 23. Marmol. *lib.* 2. *cap.* 10.

Cave, magnus vicus in Bithyniâ. Xenoph. *Hist. lib.* 2.

Caverna Susis, locus prope Carthaginem, ubi 53. episcopi Donatistæ contra Primianum, congregati, quòd Diaconum Maximianum injustè excommunicasset, illum ad causam dicendam citarunt. Qui cùm non comparuisset, ab illis postmodum majori numero coactis Cebarsussi depositus est, Augustinus, *lib.* 3. *&* 4. *c. Cresc.* Baron. *A. C.* 394. Sunt tamen qui credant, non nisi unam Synodum fuisse, & vocem *Cebarsussense*, cum *Caversusense*, confusam esse. Vide Concilia Bin. & edit. Lupar. *T. III. pag.* 459.

Caviclum, Bæticæ urbs, circa Menobam. Anton.

Cavii, Illyrici populi. Livius.

Cavinio, vulgò *Chavignon*, vicus magnus Galliæ, inter urbem Suessionas & Laudunum medio itinere positus, ab utraque civ. 5. leuc. distans. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Caviones, pop. Germaniæ ad Albim fluv. ubi nunc Daneberga & Lavenburgum oppida. Cluver. Sanson, Alii.

Caulei, Germ. pop. ad Oceanum. Strabo.

Caulici, pop. juxta Jonium sinum, *Cauliaci* Apollonio. Vide Steph.

Caulum, sive *Caulon*, qui & *Aulon*, opp. in primâ Italiæ fronte apud Locros. Plin. 3. 10. Virg. *Æn.* 3.

Caulonisq; arces, & navifragum Scylaceum.

Quanquam ibi Poëta non tam de oppido, quàm promuntorio loqui videtur. *Caulonia* dicitur Straboni & Pomponio. Stephanus, Καυλωνία πόλις Ἰταλίας, ἔστι καὶ ἄλλη Σικελίας. Opidanus *Cauloniates*, vel *Caulonius*.

Caum, Hisp. opp. inter Asturicam & Tarraconem. Anton.

Caumana, alveus Indi fluv. circa ejus ostia. Arrianus *in Indicis*, h. e. *Historia ejus lib. ult.*

Caumas, unus è Centauris, Ixionis fil. Boccat.

Caunus, fil. Mileti & Cyanes, qui cùm à Byblide sorore perditè amaretur, sponte patriam amisit, & in Cariæ littore è regione Rhodi urbem condidit, quam de nomine suo *Caunum* appellavit. Vide Ovid. *Met.* 9.

Caunus, Cariæ opp. marit. ad Calbin fluv. versus Glaucum sin. vix 50. mill. à Rhodo Ins. Sub Turcis, cum toto tractu, 40. mill. à Macra in Occas. in ora sinus Macrensis. Nunc *la Rossa*. Soph. Hujus meminit Strabo *lib.* 14. æstate & autumno, ut ipse ait, ad habitandum gravis, ob calorem & pomorum copiam. Ob id Caunii sub pestilenti cœlo esse dicuntur. Hos cùm intuitus esset Stratonicus Citharœdus, homo salibus plenus, illum, ex 6. *Iliados*, versiculum in eos protulit:

Οἵη περ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν,

Id est,

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Colorem videlicet, quo omnes pallebant, sugillans. Caunii verò cùm hominem incessissent acriùs, quòd urbem, ut morbidam carperet, *Ego*, inquit, *morbidam dicere ausim, ubi mortui ambulant?* Urbanius multò acriusque, quàm prius illudens. Hæc Strabo ubisupra. Ab hâc civitate vehebantur fici *Cauneæ* dictæ. Cic. *lib.* 2. *de Divinatione.* Cùm M. Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens *Cauneas* clamitabat, ac si dixisset (præsagiens futuram cladem, in quâ Crassus occubuit) *Cave ne eas.* Vide Stephan. Est etiam *Caunus* Doridis opp. Ptol. *Magri* dicitur Olivario. Item Cretæ urbs, nec non Hispan. mons in Celtiberis, *Moncayo* hodie, aliquando quoque *Caci mons* dictus. Baudrando in Arragonia, versus confin. Castellæ vet. 2. leuc. à Turiasone in Austr. 6. ab Ibero fluv. Item Æolica urbs, Athenæo.

Cavonium, castr. Hiberniæ, in Ultonia prov. Comitatus cognom. caput, juxta *Aquam Nigram* fluv. in limite Connaciæ. 8. mill. à Chilmorea in Bor. Vulgo *Cavan*.

Cavortium, oppidulum Pedemontii, ad Alpium radices, in colle, aliàs munitum, 6. mill. à Pinarolo in Austr. Ad *Peles* fluv. Sub Gallis.

Cauphiaca, Persidis urbs. Ptol.

Caurasia, gens Bætica. Plin.

Cauratani, Arab. Fel. pop. Plin.

Caurensis urbs, *Nueva Caures*, in Philippinis ins. episc. sub Archiep. Manillano. Sub Hispan. In ora Orient. Ins. Cebu. Al. *Nomen* seu *Villa Jesu*.

Caurita, Hisp. urbs, circa Placentiam. *Caria* Clusio.

Caurium, Lusitaniæ opp. Ptol. quæ & *Caura*, vulgò *Coria*. In Extremadura Legion. juxta Alagonem fluv. qui septem inde leuc. cadit in Tagum, 5. leuc. à confin. Portugalliæ, versus montes, media ferme inter Mirobrigam & Alcantaram, 12. leuc. à Placentia in Occas. 17. à Guardia in Ortum. Baudr.

Cauros, ins. cum oppido, quæ priùs Andros. Plin.

Caursini, Mercatores Italiæ, qui cum Legatis Papæ, in Angliam venientes, sub Henrico III. non solùm populum & Clerum, sed Regnum ipsum gravissimis usuris corroserunt: Matthæo Parisiensi *Usurarii Transalpini, Papæ mercatores* vel *scambiatores* dicti, An. Chr. 1235. Formulam, quâ debitores sibi obligaverant, idem exhibet, pag. 403. &c. Hos excommunicavit Episcopus Londinensis, & è sua diœcesi frustra nixus est ejicere: Sed regio nomine in jus tandem vocati gravissimas pœnas meritò luerunt, Judæis enim habiti deteriores. Vide plura apud Matthæum Parisiensem, laudatum Spelmanno *Glossar. Archaol.*

Caurus, ventus ab Occasu solstitiali flans, qui & *Corus* dicitur. Virg. *Georg.* 3.

Semper hyems, semper spirantes frigora Cauri.

Vide Gell. 2. 22.

Caurzima, oppidum Bohemiæ amplum, vix 2. mill. Germ. ab Albi fluv. medium inter Pragam & Czaslaviam. Sansoni est *Casurgis* antiquorum.

Caus, *untis*, urbs Arcadiæ in agro Telphusio, ubi *Causius Æsculapius* colebatur. Steph.

Causatum, Galliæ opp. ubi in Albigenses sævitum, A. C. 1213. non minus ac Carei, Mossaci, Tholosæ, in Fano Antonii, & Marcelli, &c. Lætus *in Comp. Hist. Univ.*

Causennis, opp. Angliæ. Anton. Est autem in Comit. Lincoln. *Cayseven* Talboto, *Kesteven* Camdeno.

Causiani, pop. qui nascentes lugent, mortuos autem beatos reputant. Stobæus in *Encomio mortis*.

Causini, Mauritan. Tingitanæ pop. Ptol.

Cauti, Scotiæ pop. Mel. *Canta*. ubi pars Orient. Rossiæ & Armanothiæ, ubi promuntorium *Tarbart*, inter Moraviam & Sutherlandiam.

Cavum, oppidum Latii, à situ loci sic dictum, quòd tanquam in cavo seu fovea jaceat.

Caxamalca, locus Amer. merid. ubi Atabalipa Peruviæ R. ab Hispanis captus est. Intra montes est, prope Vagnam amnem, 30. leuc. Hisp. ab ora Maris Pacifici.

Caxtonus Guil. historicus Anglus, Margaretæ Burgundiæ Duci, sorori Eduardi IV. gratus. Plurima è Lat. & Gallico, in patrium sermonem transtulit, & Chronicon conscripsit 7. libris; cui titulus, *Fructus Temporum*: usque ad annum 23. Eduardi, An. Ch. 1483. Simler, Possevin, Vossius, *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 9.

Caxuma, metrop. regn. Tigremahon, *Tigray* Marmolio, fortè *Tenesis* Strab. Sedes reginæ Sabæ. *lib.* 16. *c.* 23.

Cayana, ins. Amer. Merid. in Guajana reg. ad ostia Cayani fluv. circuitus 18. leuc. 100. circiter à fluv. Amazonum in Bor. Ibi Arx S. Michaëlis Gallorum, cum aliquot coloniis.

Cayci, pop. Germ. qui & *Chauchi* & *Chauci*, in majores & minores dividuntur. Illi inter Albim & Visurgim fluv. locantur, eorumque metropolis est Brema, urbs in Saxonia. Hi inter Visurgim & Amasium fluv. quorum urbs Bidenburgum, vel Oldenburgum cum aliis in Frisiæ & Westphaliæ confiniis. Alii Cauchos majores, ubi Luneburgenses sunt, statuunt. Lucan. *lib.* 1.

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi. ———

Caycus, Celæni filius. Pausan. Item fluv. Mysiæ. Vide *Caicus*.

Caym-Adam, Califa 24. Babylonius, Mahometis successor, A. 874. bello contra Persas Græcosq; infelix. A Nicephoro Phoca, qui postmodum Imper. prælio victus, Beroë urbe amissâ. Marmol. *l.* 2. *c.* 27.

Caym-Bearmila, familiæ Abesenæ legitimus, ut ferebat, hæres, Arabum ope, totum Africæ Orientem brevi occupavit, hinc in Occidentem transgressus, Regni Fessani provincias vastavit. Tandem per ducem quendam Dalmatam, totâ Barbariâ, Numidiâ & Libyâ potitus, opibus immensis Carvanæ congestis, potentissimus Africæ principum, ante 16. sec. quo vixit, evasit. Marmol. *lib.* 2. *cap.* 29.

Cayre-

Cayrethus, Myuntis conditor.

Cayster, vel *Caystrus*, fluv. Asiæ circa Ephesum, nunc *Chiay*, cui etiam regioni nomen dat; nam tractus ille *Caystrius* dicitur, ut author est Eunapius Sardianus. Fluvius hic cygnis olim abundavit. Unde Ovidio *Trist.* 5. 1. *Caystrius ales* pro cygno. Propert. *lib.* 3.

Si qua ve olorigeri visenda est ora Caystri.

Ubi tamen alii *Gygæ*, Vossius autem *Ortygii* legit. Ovidius, *Met.* 2.

Et quæ Mæonias celebrabant carmine ripas,
Fluminea volucres medio caluere Caystro.

Mart. I. 54.

Sic niger in ripis errat cùm fortè Caystri,
Inter Ledæos ridetur corvus olores.

Hom. *Iliad.* 2.

—— Ὀρνίθων πετηνῶν ἔθνεα πολλὰ
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

Inde Virg. *Georg.* 1.

Jam varias pelagi volucres & quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

Ubi forsan meliùs legendum,

Dulcibus in pratis rimantur stagna Caystri. Oritur in Phrygia combusta. Dein per Lydiam labitur; & rigatis Philadelphiâ aliisque urbibus, per Joniam in Sinum Jonium se exonerat. Est etiam *Caystrus*, secundùm nonnullos, urbs Ciliciæ mediterranea.

Cazanum, regn. Moscoviæ. Vid. *Casanum*.

Cazeca, vicus in litore Tauricæ Chersonesi. Arrianus *in Periplo*.

Cazerta, urbs Terræ Lab. cum tit. Princ. & sede Episcopi.

Caziacum, villa olim Regia seu fiscalis Galliæ fuit, mel. *Casiacum*, ubi Monast. vetus, in Diœcesi Suessionica, vulgò *Chezy*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

C E.

Cea, vel *Ceos*, insula juxta Eubœam, *Cos* contractè dicitur ab Heraclide ac Diodoro; A Romanis scriptoribus, Virgilio, Ovidio, Plinio, Sallustio apud Servium *Cea*; A Ptolemæo *Cia*; A Lyseâ apud Suidam, & Æliano de Animalibus *Cios*, à Philone & Melâ *Cianos*, vocabulis ita diversis, ut ea constet omnia esse orta ex uno fonte. Nempe כוה *cava* Ebræis est *exurere*, ut Græcis καίειν & καίω & כי *ci* vel כויה *cevia* exustio dicitur; Hoc de quâvis exustione, illud propriè usurpatur de adustione Solis. Nomen insulæ cur eò referatur, docet Vir magnus, *de Phœn. Col. lib.* 1. *cap.* 14. *his verbis: Liber Pater Cadmi nepos Icarium, vel Icarum* (id est, אכר *iccar agricolam*) *misit in Atticum agrum, ut vitium culturam Athenienses edoceret.* Hunc vino poto rustici semiebrii, venenum se bibisse credentes, nefariè interfecerunt, & admissi criminis sibi conscii aufugerunt, in Ceam insf. in quâ regnabat Aristeus Cadmi gener. Hyginus ex magni Salmasii emendatione, *lib.* 2. *Astron. cap. Arctophylax: Interfectores ejus* (Icarii) *animi conscientiâ permoti statim se fugæ mandaverunt, & in insulam Ceum* (lege *Ceorum*) *pervenerunt, à quibus ut hospites recepti domicilia sibi constituerunt. Aliquanto pòst irâ Numinis reos persequente, canicula exoriens æstu Ceorum loca & agros fructibus orbabat, & ipsos morbo affectos pœnas Icario cum dolore sufferre cogebat, quòd latrones recepissent. Quibus malis concitatus insulæ rex Aristæus Apollinis & Cyrenes filius*, &c. *petiit à parente, quo pacto calamitate civitatem posset liberare. Quem Deus jubet multis hostiis expiare Icarii mortem & ab Jove petere, ut quo tempore Canicula exoriretur, dies quadraginta ventum daret, qui æstui Caniculæ mederetur. Quod jussum Aristæus confecit, & impetravit, ut Etesiæ fierent.* Hæc ex Hygino hactenus, quibus similia referunt etiam alii antiquiores. Theophrastus *de Etesiis*: Εἰ δέ ποτ᾽ ἐξέλιπεν, καὶ Ἀρισταῖος αὐτὰς ἀνεκαλέσατο, θύσας τὰς ἐν Κέῳ θυσίας τῷ Διΐ, καθάπερ μυθολογοῦσι. Et apud Apollonium *lib.* 2. *Argonaut.* cùm Sirius οὐρανόθεν Μινωΐδας ἔφλεγε νήσους, id est Cyclades, monitu Apollinis Aristæus in Ceum se contulit:

Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς Ἰκμαίοιο,
Ἱερά τ᾽ εὖ ἔρρεξεν ἐν οὔρεσιν ἀστέρι κείνῳ
Σειρίῳ αὐτῷ τε Κρονίδῃ Διΐ· τοῖο δ᾽ ἕκητι
Γαῖαν ἐπιψύχουσιν ἐτήσιαι ἐκ Διὸς αὖραι
Ἤματα τεσσαράκοντα, Κέῳ δ᾽ ἔτι νῦν ἱερῆες
Ἀντολέων προπάροιθε κυνὸς ῥέζουσι θυηλάς.

Plura vide apud Scholiastem & in Heraclidis politiis, & Diodori *lib.* 4. & Ciceronis *de Divin. lib.* 1. & in Germanici *fragmento ad Arati Phænomena, capite, Aquarius*, qui omnes meminere hujus sacrificii ab Aristæo instituti, & à Ceis celebrari soliti ad Etesias impetrandos.

Cea, dicta etiam *Hydrusa*, nunc *Cia*, una Cycladum, prope Atticam reg. & Helenam Inf. 20. mill. ab Eubœa in Austr. 30. ab Andro Inf. vix 30. mill. in circuitum, nunc ægrè habitata, sub Turcis. Baudrandus. Vide *Cea*. Hîc Julis, hodie *Julide* urbs præcip. Simonidis natalibus inclyta, Mnemonices inventoris, ut & Bacchylidis & Philosophi Aristonis. Plin. *l.* 4. Pinet. Niger, Morer.

Cea, fluv. Hisp. per regn. Legionense fluens, juxta opp. S. Facundi.

Ceades, vir Thrax, cujus filius Euphemus unus erat ex iis, qui Trojanis auxilium tulerunt. Hom. *Iliad.* 2.

Ceadragus, fil. Thrasiconis, qui Princeps Aboritarum, à Danis occisus erat, tempore Caroli M. protecto is ejus; Dux factus est, Sclaomiro à Ludovico Pio pulso. Sed collusionis cum Danis accusatus, hoc restituto, depositus est: Post mortem tandem Sclaomiri, innocentiâ Regi probatâ, in dignitatem an. 818. rediit. Hist. Gall. *in Lud. Pio.*

Ceaulinus, tertius Rex Weastsaxonum, in Anglia, Ethelbertum Cantii R. devicit, & Britones usque in Walliæ deserta fugavit, urbibus eorum captis. Post quæ, undique hostibus concurrentibus, victus, regnoque exutus est. Beda *hist. Angl.*

Ceba, op. Italiæ, pop. *Cebani*. Plin. 10. 42.

Ceballinus, qui à fratre Nicomacho, Dymni exoleto, comparatas contra Alexandrum Magnum in Hyrcania insidias cùm percepisset, ad Philotam, dein ad Metronem detulit. Curt. *l.* 6. 44.

Cebares, equiso fuit, cujus astu Darius regnum Persarum adeptus est: nam cùm Magi inter se pacto convenissent, ut is, cujus equus primus hinniret, regno potiretur, Cebares manum vulvæ equinæ prius admotam naribus equi olfaciendam præbuit; quo odore irritatus equus primus hinnitum dedit. Herodotus.

Cebarsussi, Vid. *Caverna Susis*.

Cebcha, fluv. regni Mogor. Natal. Metel.

Cebenna, mons, seu *Cebenna*, non *Gebenna*, Græcis Κέμμενον ὄρος, *Cemmenus mons*, Gallis *les Cevennes*, lim Celtas à provincia Narbonensi, nunc Aquitaniam primam à Narbonensi prima dirimit. Hinc Obris & Arauraris vel Arauris, Vitturlus item in Septimania, *la Bidourle* & Vardo, quorum alter in mare Gallicum, alter in Rhodanum influit; præterea in Vellavis Liger, & Elaver in Gabalis; Tarnis & Agotus *Agout*, atque Avario *Aveirou*, qui Tarne recipiuntur; Olitis *le Lot* & Triobris *Trieure*, qui in Olitim labitur; Durantius cum Visera, quem in Garumnam defert, scaturiunt. E quibus Tarnem in Rutenis, Duranium in Arvernis, Olitim quoque in Rutenis, non longè à Tara oriri constat. Promittuntur hi montes à Rhodano seu ab Helviis, per Vellavos, Gabalos & Arvernos, ad Garumnam usque & Vivariensem seu Helvicum pagum, Vellavum, Gabalicum, Arvernum, Cadurcinum & Rutenum dividunt in superiorem & inferiorem: *Montes Arverniæ dicti*, quà per Arverniam longo limite immittuntur. Addunt aliqui partem Arvernorum Burbonenses & Lemovices, qui cum Marchia in superiores inferioresque dividuntur. Volcas Tectosages Cebennæ austrina usque promontoria incolere tradit. Strabo. *Cebennas* montes, nec non Pyrenæum & Vosagum, auro, argento aliisque metallis, nulli regioni cessuros esse, si exercere liberet: sed deesse servos qui fodiant, refert Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Cebrenia, regiuncula Troadis cum oppidul. ejusdem nominis, non procul à Scepsi. Inde *Cebrenis* patronymicum. Ovid. *Met.* 11.

Aspicit Hesperien patriâ Cebrenida ripâ.

Statius *in Sylvis*:

—— *Vidua Cebrenidos arida luctu*
Flumina. —— Sunt etiam *Cebrenii* in Thraciâ.

Cebriones, unus ex Gigantibus, qui Superis bellum intulerunt, devictus à Venere. Ejus meminit & cum Porphyrione conjungit, Aristophanes *Avib. pag.* 567. Ubi vide Schol. *G.*

Cebriones, Priami nothus, à Patroclo saxo ictus interiit. Hom. *Iliad.* 11.

Κεβριόνη νόθον υἱὸν ἀγακλῆος Πριάμοιο.

Cebus, Inf. Asiæ, in mari Ind. una ex Philippinis, parva sed culta. Ibi Anno 1520. occisus est Ferd. Magellanus celeberrimus ille Argonauta, qui primus eam detexit. Subest Hisp. habetque urbem *Villa Jesu*.

Ceccanus Annibaldus, Rom. primus Arch. Neapolitanus, dein Card. Ep. Tuscul. versu scripsit Petri Paulique Apostol. vitam. Anno 1327. Voss. *de hist. Lat. l.* 2. *c.* 64.

Ceccus Franciscus, Asculo oriundus, Ducis Florentiæ Astrologus, exustus est Bononiæ, Anno 1327. Malos quosdam Spiritus in cœlo gigni, Jesum Chr. certo sidere natum, necessariò inopem fuisse, Antichristum sub opulentâ constellatione nasciturum, &c. asseruit. Nec profuit hæc retractasse, annitente Dino Medico æmulo ejus, qui 15. die, post Ceccum, obiit. A. C. 1327. Leander *descr. Italiæ, p.* 267.

Cechiana, prov. regni Sinæ satis ampla, prope littus maris & sinum Nanchini, ex adverso regni Coreæ.

Cecia, Austriæ urbs, *Seissselmaur* Lazio.

Cecides, antiquissimus Poeta Dithyrambicus, cujus meminerunt Cratinus ἐν πανόπταις atque Aristophanes *in Nubibus*.

Cecilia, Syriæ urbs, ad Euphratem flu. Ptol.

Cecilia Mellinum, Lusitaniæ urbs. Ptol.

Ceciliana, sunt ruinæ, inter amnes *Agualva* & *Agua de Moura*, qui ibi cadunt in Cadaon fluv. vix 2. leuc. à vico Marteca in Occas. In Extremadura Lusitanica.

Cecilianus, Diaconus Mensurii Episc. Carthag. ei successit, Anno 306. A' qua dignitate exclusos se dolentes Botrus & Celesius, secessionem fecerunt, *Donatistæ*, à Donato, Majorini successore, dicti; dein in duas partes divisi, per duo secula Africanam Ecclesiam turbaverunt. Cecilianus verò à criminibus sibi tributis liber pronuntiatus Romæ primò, Anno 313. dein Arelati an. 314. Niceno Concilio Gener. interfuit. Obiit an. 325. August. *lib.* 1. *c. Parm. c.* 3. *Brev. Coll. di.* 3. *c.* 14. *l.* 3. *c. Crescon. c.* 27. *Optat. lib.* 1. *c. Parm.*

Cecilion, locus Hisp. inter Emeritam & Salamanticam. Antonius.

Cecina, mel. *Cecinna*, fluvius ad Volaterras. Mela *lib.* 2. *cap.* 4. & Plin. 3. 5. Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *pag.* 469. Oritur inter Senas & Volaterras; dein auctus aliquot fluviis, in Mare Mediterr. se exonerat, 18. mill. à Liburno in Eur. Ab eo vallis amœna & fertilissima in territorio Pisano nomen habet. Baudr.

A. Cecinna, equestris ordinis vir, quadrigariorum magister, Pompejanarum partium; tempore belli Civilis hirundines parvas è nidis Romæ comprehensas nutriebat, quas postea nuncias belli mittebat amicis, ut Plinius refert. Scripsit librum contra Cæsarem. Fuit Ciceroni familiaris, & cliens, defensus ab eo in quâdam hæreditatis causâ: extant & inter eos epistolæ conscriptæ. Librum quoque *de fulguribus procurandis* edidit, quem Seneca *quæst. nat.* se fatetur imitari, dicitque eum virum facundum, nisi à Ciceronis rebus primò recessisset. Cic. *Orat.* 13. *Epist.* &c.

Cecinna, Octavii Cæsaris scriba, prout legitur, *in Epp. ad Atticum.*

Cecinna, vir Consularis, ob conjurationis suspicionem à Tito Imp. ad cœnam vocatus, ac per proditionem interfectus. Suet. *cap.* 6. *in Tito.*

Cecinna, dux Vitellianus, cum exercitu è Galliâ profectus, ad Bebriacum, cum Othonianis congressus feliciter dimicavit: Missus dein cum exercitu 30000. contra Primum, Mœsiæ Præsidem, Vespasiani partes amplexum, Joseph. *de B. J. l.* 4. *c.* 40.

Cecinum, oppidul. *Stilo*, quod & *Carcinum* & *Cocinthum*, ad amnem cognom. nunc *Cacino*, in Calabria ulter. 12. mill. à Cocintho prom. in Occas. 15. à Soriano, 22. à Mileto in Ortum. Maginus, Alii.

Cecrena, urbs Troadis. Phavorinus.

Cecropia, Vid. *Cecrops.*

Cecropius, Ep. Sebastæ, Concilio Chalced. interfuit. De illo Vid. *Acta Concil.* Baron. A. C. 451. Item, Episc. Nicomediæ, Arianus & hostis Athanasii, post Eusebium ejusdem farinæ hominem. Periit urbis ruinâ, in horrendo illo terræ motu, de quo Ammian. Marcellinus, *l.* 17. Anno 358. Vid. Socr. *lib.* 2. Sozom. *lib.* 4.

Cecrops, primus Atheniensium rex. Euseb. *in Chron. lib.* 1. Οἱ δὲ ἐν μετὰ τὸν Ὤγυγον, καὶ τὸν κατακλυσμὸν, βασιλεῖς, εἰσὶν οἱ δέ. Πρῶτος Κέκροψ, ὁ Διφυής. Joannes Tzetzes *Chil.* 5 *Hist.* 18.

Πρῶτος ἁπάντων Ἀττικῆς ὁ Κέκροψ βασιλεύει,

Apollodorus *lib.* 3. Κέκροψ αὐτόχθων, συμφυὲς ἔχων σῶμα ἀνδρὸς καὶ δράκοντος, τῆς Ἀττικῆς ἐβασίλευσε πρῶτος. Et observa, indigenam illic eum dici; cùm Ægyptium alii faciant. Suidas: Κέκροψ Αἰγύπτιος ὢν τὸ γένος, ᾤκησε τὰς Ἀθήνας. Atque idem rursus dicit in Προμηθεύς. Totidem quoque verbis Schol. Aristoph. *ad Plutum.* Et Jo. Tzetzes eum refert è Sai, Ægypti urbe, Athenas commigrasse post diluvium Ogygi, *Chil.* 5 *Hist.* 18.

Ὡς δὲ ἀπὸ τῆς Σάεως, πόλεως Αἰγυπτίας,
Μετὰ τὸν κατὰ Ὤγυγον κατακλυσμὸν ἐκεῖνον,
Ὁ Κέκροψ παραγέγονεν Ἀθήνας τῆς Ἑλλάδος.

Isacius Tzetzes ad Lycophronem: Ἡ Ἀττικὴ βασιλεία ἦν Κέκροπος. Οὗτος γὰρ ἐλθὼν ἀπὸ πόλεως Αἰγύπτου, τὰς Ἀθήνας συνῴκισε. Inde *Cecropium lutum* apud Papinium, pro Ægyptio, *Sylv. l.* 3. *in Propemptico Metii Celeris:*

——*Te præside noscat*
Unde paludosi fœcunda licentia Nili:
Cur vada desidant, & ripa coerceat undas,
Cecropio stagnata luto.

Certè peregrinum facere etiam videtur Strabo, qui Bœotiæ præfuisse eum ante regnum tradit, *lib.* 9. Λέγεται καὶ κατὰ Κέκροπα, ἡνίκα τῆς Βοιωτίας ὑπῆρξε. Gotfridus Viterbiensis, regem Cretæ fuisse refert, *Chronici parte* 4.

Cùm dominum Cecropem regem tenet insula Creta.

Quod non dubium est, quin ille ab antiquo auctore acceperit; innuitque hoc ipsum Plautus *in Trinummo:*

Pol illum reliqui ad Rhadamanthum, in Cecropiâ insulâ.

Quod parentes ejus attinet, matrem Hyginus Terram facit, *fab.* 48. patrem autem Vulcanum, *fab.* 158. Ac matrem Terram refert etiam Antoninus Liberalis *Metamorphos. capite sexto*: Περίφας ἐγένετο ἐν τῇ Ἀττικῇ αὐτόχθων, πρόσθεν ἢ φανῆναι Κέκροπα τὸν Γῆς. Οὗτος ἐβασίλευσε τῶν ἀρχαίων ἀνθρώπων. Isacius verò Tzetzes ad Lycophronem, ex draconis dentibus enatum scribit, quâ de re videndus quoque Schol. Ἀριστοφ. *ad Plutum.* Et Athenienses quidem ab eo dicti *Cecropidæ.* Herod. *l.* 8. Ἀθηναῖοι δὲ ἐπὶ Κέκροπος βασιλῆος ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι. Virgilius,

——*Tunc pendere pœnas*
Cecropidæ jussi. Ovid. *Met.* 7.
Phœbus in interius spatium pulchrosque recessus
Cecropidas duxit. Silius *lib.* 13.
Cecropidæ ob patriam Mavortis forte peremptos
Decrevere simul communibus urere flammis.

Claud. *lib.* 1. *de R. Pros.*

——*Templumque remugit*
Cecropidûm, sanctasque faces extollit Eleusis.

Ausonius *Epist.* 24.

Sistere Cecropidûm in terris monumenta paranti
Obstitit. Inde etiam Athenæ *Cecropia.* Plin. 7. 56.

Opidum (Athenas) *Cecrops à se appellavit Cecropiam.* Hinc mons *Cecropius*, Athenis proximus. Attica quoque universa, *Cecropia* dicta Apollodorus *lib.* 3. ubi de Cecrope: Καὶ τὴν γῆν, πρότερον λεγομένην Ἀκτὴν, ἀφ' ἑαυτοῦ Κεκροπίαν ὠνόμασεν. Catullus *in Epithalamio*:

Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.

Porro Cecrops hic, uti supra innuimus, Διφυὴς cognominatus est. Archelaus in Epigrammate, apud Antigonum Carystium *Hist. Mirab. cap.* 96.

——Ἐι δὲ τὸ δ' ἐστιν,
Οὐ θαῦμα, βλαστεῖν τὸν διφυῆ Κέκροπα.

Ovidius *Geminum* dicit, *Met. lib.* 2.

Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis,
Servandam dederat.

Cujus cognominis variæ rationes proferuntur. Sunt qui velint à staturæ magnitudine, aut duarum linguarum peritiâ, Græcæ nempe & Ægyptiacæ, ita dictum. Euseb. *Chron. lib.* 1. Κέκροψ ὁ Διφυὴς τῆς τότε Ἀκτῆς, νῦν δὲ Ἀττικῆς, ἐβασίλευσεν ἔτη πεντήκοντα, διὰ μῆκος σώματος οὕτω κληθεὶς, ὥς φησιν ὁ Φιλόχορος, ἢ ὅτι, Αἰγύπτιος ὢν, τὰς δύο γλώσσας ἠπίστατο. Idem tradunt Hieronymus & Cedrenus. Aliis placet, quòd, conjugio instituto, virum fœminæ conjunxerit. Athenæus *lib.* 13. Ἐν δ' Ἀθήναις πρῶτος Κέκροψ μίαν ἑνὶ ἔζευξεν ἀνέδην τὸ πρότερον οὐσῶν τῶν συνόδων, διὸ καὶ ἔδοξέ τισι Διφυὴς νομισθῆναι. Justinus *lib.* 2. *Ante Deucalionis tempora regem habuere* (Athenæ) *Cecropem, quem, ut omnis fabulosa est antiquitas, Biformem tradidere, quia primus marem fœminæ matrimonio junxit.* Syrianus in Hermogenem: Κέκροψ πρῶτον συνήγαγεν ἄνδρα καὶ γυναῖκα, ὅς καὶ ἀπὸ τούτου Διφυὴς ἐκλήθη. Idem quoque Eustathius refert, *ad Iliad.* σ'. & ω. Certè à Cecrope institutum matrimonium, etiam testatur istis verbis Nonnus Panopolitanus *lib.* 41.

Κάδμος εὐγλώσσοιο διδάσκαλα ὄργανα φωνῆς
Θεσμὸν Σόλων ἄχραντα, καὶ ἔννομον Ἀτθίδι πόλει
Συζυγίης ἀλύτοιο συνωρίδα δίζυγα Κέκροψ.

Alii tradunt, partim hominem, partim draconem fuisse. Aristoph. *in Vespis*:

Ὦ Κέκροψ, ἥρως ἄναξ, τὰ πρὸς ποδῶν δρακοντίδη.

Ubi Schol. Φασὶ τὸν Κέκροπα Διφυῆ γεγονέναι, καὶ τὰ κάτω ὄφεως ἐσχηκέναι. Apollodorus *lib.* 3. Κέκροψ αὐτόχθων, συμφυὲς ἔχων τὸ σῶμα, ἀνδρὸς καὶ δράκοντος. Nonnus, *ubi supra*:

Κέκροπος οὐ τύπον εἶχεν, ὃς ἰοβόλῳ ποδὸς ὁλκῷ
Γαίαν ἐπιξύνων ὀφιώδεϊ σύρετο ταρσῷ,
Νέρθε δράκων, καὶ ὕπερθεν, ἀπ' ἰξύος ἄχρι καρήνου,
Ἀλλοφυὴς ἀτέλεστος ἐφαίνετο δίχροος ἀνήρ.

Quare autem hoc confinxerint, explicatur à Demosthene *in Orat. Fun.* Ἤιδεσαν Κεκροπίδαι τὸν ἑαυτῶν ἀρχηγὸν, τὰ μὲν ὡς ἐστὶ δράκων, τὰ δ' ὡς ἐστὶν ἄνθρωπος, λεγόμενον, οὐκ ἄλλοθέν ποθεν, ἢ τῷ τὴν σύνεσιν αὐτοῦ προσομοιοῦν ἀνθρώπῳ, τὴν ἀλκὴν δὲ δράκοντι. Alii verò sic existimabant, hominis pariter ac draconis formam illi attributam, quòd ex bono rege postea ferus factus fuerit. Quorum sententia refutatur à Plutarcho, *De sera num. vind.* Οἶμαι μὲν οὖν καὶ τὸν Κέκροπα Διφυῆ προσαγορεῦσαι τοὺς παλαιοὺς, οὐχ ὥς ἔνιοι λέγουσιν, ἐκ χρηστοῦ βασιλέως ἄγριον καὶ δρακοντώδη γενόμενον τύραννον, ἀλλὰ τοὐναντίον ἐν ἀρχῇ σκολιὸν ὄντα καὶ φοβερὸν εἶθ' ὕστερον ἄρξαντα πρᾴως καὶ φιλανθρώπως. Hæc Meursius; apud quem vide sis plura de Cecrope, *lib.* 1. *de Reg. Athen. capp.* 8. 9. 10. 11. 12. Primus hic inter Gentiles Sacrificia instituisse, & ad civiliorem vitam, legibus sancitis, subjectos perduxisse legitur. Regnavit annos 50. ab an. 35. Mosis, qui erat Mundi 2498. ante C. N. 1556. Sedecim Successores habuit, usque ad Codrum, per annos 487. Illius monumento certos quosdam characteres insculptos, plurimos Gallinaceos ejus Manibus sacrificatos, umbramque demortui sub Leonis forma apparuisse, tradunt quidam. Chronologus ignotus Insulæ Pari, à Seldeno editus, ab eo Epocham orditur, Euseb. *Chron.* Cyrillus Al. *lib.* 1. *c. Julian.* Aug. *de C. D. lib.* 18. *cap.* 8. 9. Pausan. *Achaic.* Fuit alius *Cecrops*, Atheniens. rex 7. post fratrem Erechtheum, regnavit annos 40. de quo idem Meursius *l.* 2. *de Reg. Ath. cap.* 14. Jul. Africanus, Eus. *Chron.* &c.

Cecryphalea, promuntorium, seu ins. Peloponnesi, ubi Athenienses ab Æginetis prælio superati fuerunt. Steph.

Cecyli-

Cecylistrium, opp. Gall. Narbon. Sext. Avienus.

Cecyrina, Achaiæ in Peloponneso urbs. Pausan.

Cedar, Arabiæ regio in Agarenorum, id est, Saracenorum solitudine, à *Cedar* secundo filio Ismaelis. Gen. 25. 14. Hier. *de L. H.* Etymologo Κήδαρ est vox Græca, quæ σημαίνει, inquit, τὸ σκοτεινὸν, παρὰ τὸ κήδω τὸ κηδεμῶμαι. Verum autem etymon est ab Ebræo קדר *kadar*, *atratus fuit*, sive *fuscus*, qualis ferè Arabum color; unde Sponsa Cant. 1. 5. nigram se esse dicit, *ut tentoria Cedar*. Sæpe pro Arabia ponebatur antiquitus: Ita enim Arabia Petræa Hebræis dicta. Baudr. Deserta, quæ prope Mesopotamiam & sinum Pers. Morerius.

Cedar, civitas est gloriosa in tribu Manasse in montanis Seir, alto ac firmo loco sita, quæ à civitate Corozaim, versus Orientem, quatuor miliaribus abest.

Cedem, id est, *oriens*, filius Ismaelis, *Kedemah*. Gen. *c.* 25.

Cedes, urbs in tribu Judæ. Jos. 15. Lat. *sanctitas*.

Cedes, magna & munita tribus Nephthalim urbs est, ob agri adjacentis ubertatem nullis non rebus abundans, quæ ad distinctionem aliarum ejusdem nominis civitatum in tribubus Jssachar & Juda Jos. 15. sitarum, plerumque Cedes Nephthalim vocatur. Sita est in Galilæa superiore, super montem Nephthalim, & versus Boream à civitate Cephet quatuor, totidemque contra Corum, ab urbe Capharnao miliaribus distat: quam Josue cæso hujus urbis rege cum suburbanis suis sacerdotibus & Levitis habitandam dedit. Hæc etiam fugitivis deputata, qui nescii homicidium perpetraverant. Jos. 10.

Cedias, vicus propè Sinuessam. Plin. Item Africæ op. D. Augustino.

Cedimoth, Lat. *antiquiores, priores*, vel *Orientales*, sive *incendium*, aut *incurvatio mortis*, op. in tribu Ruben. Jos. 13. Et solitudo Cademoth Deut. 2.

Cedisia Tabernæ, dictæ à Domini nomine, qui *Ceditius* vocabatur.

Cedmiel, vel *Cadmiel*, id est, *antiquitas*, aut *Orientis Deus*; nomen viri. 2. Esdr. 3.

Cedmonei, vel *Kadmonita*, populi. Gen. 22.

Cedon, Atheniensis, in classe ad oppugnandam Naxum à populo missâ, lævum cornu tuitus est; in quod Pollis Lacedæmonius invectus eum cum multis navibus submersit.

Cedonia, vulgò *Cedogna, Lacedogna*, urbs Episc. Principatus ulter. in regno Neap. An *Aquilensia* Livii, ubi L. Papyrius Consul Samnites ad fidem jurandam adegit. Leander Alb. *descr. Ital.*

Cedrea, urbs Cariæ. Steph.

Cedreanita, Arab. Fel. gens. Steph.

Cedreatis, Diana ab Orchomeniis ideo sic vocatâ, quòd ejus simulacrum in ingenti cedro esset erectum. Pausan.

Cedrei, Arab. Petrææ gens. Plin. *Cedareni* Lampridio.

Cedrenus Georgius, Monachus Græcus 11. seculo, Annalium à Mundi initio, usque ad Imperium Isaaci Comneni, conditor. Historia, quæ ei præterea attribuitur, Joh. Curopalatæ videtur esse. Voss. *de hist. Gr. l.* 2. *c.* 26.

Cedris, fluvius Sardiniæ. Ptol.

Cedron, torrens inter Jerusalem & mont. Oliveti. Hunc transiit Christus iturus ad agonem, Joh. 18. Eâdem viâ David Absalonem fil. fugiens transivit. 2. Reg. 15. In hâc valle rex Asa combussit simulachrum Priapi. 3 Reg. 15. & Josias vasa Baalis. 4. Reg. 23. ut & Ezechias. 2. Paral. 29. Item urbs inter Joppem & Eleutheropolim, cujus in Macchabæis mentio fit, & alias *Gedor* vocatur.

Cedropolis, Cariæ opidum.

Cedros, insula in Germ. litoribus, cedri genere sylvosa, unde electrum in petras defluere dicitur. Perottus.

Cedrosi, populi prope mare Rubrum. Steph.

Cedrusiorum, post Abaritas, meminit in India, Curtius *l.* 9.

Cedvalus, Rex Westsaxonum, in Anglia, Cantii regnum, Ederico usurpatore à suis occiso, occupare frustra annisus. *Hist. Anglic.*

Ceelatha, locus ad quem venerunt filii Israel profecti de Rhessa. Num. 33. Lat. *cœtus, congregatio*, vel *ecclesia*.

Cefala, Africæ ins. An. Dom. 1500. primùm inventa, cujus longitudo est trium milliarium, latitudo verò unius. Pagos habet duos, in quibus domus non paucæ & arx: Regi civitatis Quiloa quondam parebat, cœterùm ab eo deficiens peculiarem regem postea habuit. An. Dom. 1505. arcem, quam Lusitani tenebant, vehementi obsidione incolæ oppugnarunt, adeo ut pertenuis evadendi spes Lusitanis appareret, qui noctu, præter Afrorum opinionem erumpentes, Regem multosque proceres in cœnaculo suo opprimunt, ejusque caput hastæ infixum per arcis fenestram exponunt; eâque ratione ingens evadunt periculum ac tandem alium regis Portugalliæ nomine Præfectum constituunt. Theatr. *urb. orbis*.

Cefalodium, Vid. *Cephaledis*.

Ceila, civitas in tribu Judæ. Jos. 15. Lat. *dissolvens eam*, sive *dividens*, aut *scindens eam*, vel *fixio ejus*. Hîc absconditus aliquando fuit David, & nunc est *Villula* Ceila ad orientalem plagam Eleuteropoleos, in tribu Juda. V. 1. Reg. 19.

Ceilan, vide *Ceylan*.

Cejonius Ælius Verus, juvenis insigni formâ, ab Adriano adoptatus, licet gener Nigrini, qui vitæ Imperatoris insidiatus fuerat. Prætor, Præses Pannoniæ, Consul designatus. Sed morbo gravissimo implicitus in reditu periit. Post hunc Adrianus Antoninum Pium adoptavit, hac lege, ut Cejonii filio Annio Vero idem faceret; Ita hic collega Antonini Philosophi evasit. Spartian. *in Adriano*, Dion, &c.

Cejonius Bassus, Cons. Coll. Val. Aurel. Augusti. Suevos ac Sarmatas vicit.

Cejonius Julianus Camœnius, Cons. Coll. Amici Paulini. Vid. de illo Voss. *hist. Lat. l.* 2. *c.* 7.

Cela, & *Cila*, opp. Palæstinæ, ubi Michæas Propheta sepultus est.

Celadionus, Alexandrinus Episcopus. An. Dom. 157.

Celadon, unus ex iis, qui unà cum Phineo in aulâ Cephei regis Æthiopum Perseo vim inferre conati, ab eo sunt occisi. Ovid. *Met.* 5:

Occidit & Celadon Mendesius, occidit Astreus.

Celadon, amnis in Alpheum influens. Strabo *lib.* 8. Ejus mem. Hom. *Iliad.* 7.

—— Ὡς ὅτ' ἐπ' ὠκυρόῳ Κελάδοντι μάχοντο
Ἀγρόμενοι Πύλιοί τε καὶ Ἀρκάδες ἐγχεσίμωροι. Quid sit non constat, nisi fortè Ladon, fluv. Peloponnesi, in Arcadia, in agro Clitoriorum existens; ait Pausan. & in Alpheum cadens. Ejus aqua cœteris aquis Græciæ præcellit. Baudr.

Celadone, urbs Locridis. Steph.

Celadragus, fil. Liubi, Regis Wiltzorum, Milegasti majori natu prælatus, & à Ludov. Pio confirmatus, muneribusque cum fratre exultus. Aimon. *l.* 4.

Celadus, Arcadiæ fluvius. Pausanias.

Celadusa, ins. maris Adriatici. Mela. Bobus & capris abundat; Plinio authore. *Lagusta* Hermol. Barbaro. *Celadussa* verò parva insula Delo proxima.

Cela, ins. ante Troadem. Plinius.

Celana, locus Campaniæ, Junoni sacer. Virg. *Æn.* 7.

Quique Rufas, Batulumque tenent, atque arva Celanæ.

Celanæ, Straboni tumulus est Asiæ propriè dictæ, Apamiæ imminens, opidum habens ejusdem nominis, quod *Phrygiæ caput* Livius vocat, Antiochus Soter *Apamiam* dixit, matris nomine, filiæ Artabazi, uxoris Seleuci Nicanoris. Hoc in loco Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse fabulantur, victumque temeritatis suæ pœnas dedisse, & in fluv. sui nominis commutatum fuisse. Ovid. *Fast.* 4.

Inter, ait, viridem Cybelen, altasque Celænas
Amnis it insanâ nomine Gallus aquâ.

Lucanus;

Lugent damnatæ Phœbo victore Celænæ.

Stat. *Theb.* 2.

Fœda Celænæâ committere prælia buxo.

Ubi Scholiastes: Celænæ Marsyæ civitas, ubi primùm dicitur tibiarum usus inventus; quibus Apollinem provocare ausus est, à quo victus temeritatis suæ pœnas exsolvit. Marsyas enim Celænæus fuit, ut ipse infra,

—— *Et illustres Satyro pendente Celænæ.*

Obiter emendabis Polyænum, in Melantho, *lib.* 1. *Stratagem.* Ἐπολέμουν Μελαινῶν πέρι. Μελαιναὶ, χωρίον μεθόριον Ἀττικῆς, καὶ Βοιωτίας. Legendum Κελαινῶν, & Κελαιναὶ, ut rectè monet magnus Casaubonus. Schol. Aristoph. *Acharn. Act.* 1: Πόλεμος ἦν Ἀθηναίοις πρὸς Βοιωτοὺς περὶ Κελαινῶν, ὃ ἦν χωρίον ἐν μεθορίοις. Ita etiam Suidas & Phavorinus vocibus Ἀπατούρια, & Κελαιναί. Vid. Strab. *l.* 12. *sub finem.*

Celæno, una ex Pleiadibus, Atlantis & Pleiones nymphæ filia, cum quâ Jupiter concubuit. Ovidius *in Fastis*:

—— *Et te formosa Celæno*
Majan & Electram, Taygetamque Jovi
Concubuisse ferunt.

Tzetzes *in Lycophronem*, refert ex Acesandro, ex hâc & Neptuno natos esse Eurypylum ac Tritonem.

Celæno, una Harpyiarum, Neptuni ac Terræ filia, soror Ocypetes & Aëllus, quarum formam, & ubi habitant, describit Virgil. *Æn.* 3:

—— *Strophades Graio stant nomine dictæ*
Insulæ Jonio in magno, quas dira Celæno
Harpyiæque colunt aliæ.

Figuratè Juvenal. *Sat.* 8.

—— *Si nullum in conjuge crimen,*
Nec per conventus & cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno.

Ab obscuritate nomen habet, nam κελαινὸς Græcè *niger*. Vide infra *Harpyiæ*.

Celænus, mons Galatiæ. Ptol.

Celæthi, Thesprotica gens. Steph.

Celæthra, urbs Bœotiæ prope Arnen. Steph.

Celaia, Lat. *levis*, sive *torrefactus*, aut *vox mea*, nomen viri. Nehem. 12.

Celaiah.

Celaiah, Lat. *Vox Domini*, aut *alleVatio*, sive *torrefactio Domini*, nomen viri. 1 Esdr. 10.

Celama, Maurit. Cæsariensis op. Ptol. Quibusd. est *Calama*, versus Malvam flu. 70. mill. circiter ab ora maris Mediterr. ad radices montium. Baudr.

Celandus, seu *Alestes* & *CaVarus*, est fluv. Hisp. Tarr. in Callaicis. Braccaram Aug. alluit Cœliobrigamque, dein in Oceanum Occid. se exonerat, 6. leuc. à fluv. *Grefones*, in Bor. Vulgò *CaVado*.

Celanum, castellum Latii, circa lacum Fucinum, quod Fucino lacui vulgatum hac memoriâ nomen *Celani* præbuit.

Celbanus, unus ex Macedonum ducibus, à partibus stans Eumenis; sed prælio facto eum Antigono cum aliis prodidit: ideò ab hoc iterum suspectante perfidiam occisus est.

Celbis, Germaniæ fluvius rapidus, nobilibus piscibus suis ac Cerealibus molis celeberrimus, laudatur ab Ausonio *in Mosella*: vulgò *Kil*, aut *Kelh*, aliàs *Kyll*. Alluit non procul à fontibus suis *Celbim* nominis sui castellum, *Stat Kil* vulgò dictum, Gerardisaxum *Gerhardstein*, Celbim Burgum aut Celbisburgum *Kylburg*, & ad Eringium opp. *Erang*, Mosellam auget infra Augustam Trevirorum, ferè è regione Confluentium Erubris & Mosellæ. Erubris enim, vulgò *Rouer* aut *Rober*, ad vicum cognominem in Mosellam dextrum infunditur. De utroque præfatus Ausonius:

Te rapidus Celbis, te marmore clarus Erubris,
Festinant famulis quam primum allambere lymphis.

Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Celchytum, locus Angliæ, in Merciorum regno, ubi Synodus, Anno 794. & 816. præsente Kenulpho Rege.

Celebe, ὄνομα τῆς πόλεως. Schol. Theocr. *Idyll.* 2.

Celebis, Ins. ampla Asiæ, in Archipelago Moluccarum, aromatum copiâ dives, inter Borneum, Mindanaum & Gilolo Ins. Ibi urbes præcip. Celebis, Bantachaja & Macassar. Longit. 200. leuc. latitud. 100. Continet 6. regna, nempe *Macassar*, præcipuum, *Cion*, *Sanguin*, *Caurspana*, *Getigam* & *Supar*: quandoque etiam sub nomine Moluccarum comprehenditur.

Celebothras, rex Muziris, quod primum est Indiæ emporium. Plin. 4. 23.

Celea, Peloponnesi urbs. Pausan.

Celegeri, Mœsiæ populi. Plin. 4. 26.

Celeia, vel *Celia*, Noricorum op. Plin. 4. 24. vulgò *Cilio*.

Celelates, Liguriæ populi. Livius.

Celemantia, Germaniæ op. Ptol. Quadorum olim. Nunc *Kalmints*, vicus Austr. prope Teyæ fluv. fontes, in confin. Moraviæ. Cluver. Alii.

Celendra, sive *Celendris*, aut *Celenderis*, Samiorum colonia in Ciliciâ, portum habens ejusdem nominis ad Selinuntis fluv. ostia. Lucan. *lib.* 8.

— *Sequitur pars magna Senatus*
Ad profugum collecta ducem, parVisq; Celendris,
Quo portu mittitq; rates, recipitq; Selinus.

At in Strabone, inter Selinuntem & Celenderin, multa sunt interjecta. Hinc *regio Celenderitis* apud Plinium. Vide Bochart. *de Phœn. Colon. lib.* 1. *cap.* 5. Mem. ejus quoque Tacit. *An.* 2. *Piso castellum Ciliciæ munitum admodum, cui nomen Celenderis, occupat.* Nominat id Josephus *lib.* 17. collocatque in viâ, quâ Romam ibatur; sed in eo scriptum *Celendris*. Meminit & Ptolemæus. Antiquissimum id fuit, si Apollodoro fides, *lib.* 3. qui conditionem ejus refert, ad Sandarum Tithoni nepotem, Ὃς, inquit, ἐκ Συρίας ἐλθὼν εἰς Κιλικίαν πόλιν ἔκτισε Κελένδεριν. Lipsius ad illum locum Taciti.

Celeneus, Cimmerius, ritus expiandi fontes cædibus docuit, Flacc. *lib.* 3.

Celer, Cons. Coll. Venantii An. U. C. 1262.

Celer, machinator Neronis, in domo, post exustam Romam, struenda, cui cum Severo ingenium & audacia erat, etiam quæ Natura denegavisset, per artem tentare & viribus Principis illudere. Tacit. XV. 42.

Celer, alio nomine *Fabius*, centurio, qui Remo transilienti mœnia, contra legem, rutro caput displanavit. Sic dictus à celeri ex agro Latino in Etruriam fugâ.

Celer, prænomine *Publius*, accusante Asiâ, reus; quia cum Cæsar Nero absolvere nequibat, traxit senectâ, donec mortem obiret. Nam Celer interfecto Silano proconsule, magnitudine sceleris cætera flagitia obtegebat. Tacit. XIII. 33.

Celerini, pop. citer. Hisp. Plin.

Celestinus, Vid. *Cælestinus*.

Celerius, prænomine *Publius*, eques Romanus Iunii *Silani* eversor. Tacit. XIII. 1.

Celethes, pop. Thesprotiæ, Thessaliæ vicini. Steph.

Celetrum, Macedoniæ urbs. Livius.

Celeus, rex Eleusinæ, pater Triptolemi, cui Ceres, quòd esset ab illo excepta hospitio, commonstravit omnem agriculturæ rationem. Ejus vilis & rusticana supellex abiit in proverbium, Virg. *Georg.* 1.

Virgea præterea Celei, Vilisq; supellex.

Schol. *in Aristoph. Equit.* De hoc sic Eusebius ad Num. 611. *Eleusina Celeus regnaVit coæVus Triptolemo, quem Philochorus ait longâ naVi ad urbes accedentem distribuisse frumenta, & ob id suspicionem dedisse, quòd naVis ejus serpens pennatus fuerit.* Eustathius *in* 2. *Iliad.* ait, Cephalum patrem fuisse Celei, & Celeum Arcesii, qui Ulyssis avus fuit. *Ex Orat.* 1. Nazianzeni *contra Julian.* elici potest, Celeum pertinuisse ad familiam Cereris; ait enim: Τὰς Δημήτρας, ϗ τοὺς Τριπτολέμους διηγούμενοι, ϗ τοὺς δράκοντας, ἔτι δὲ ϗ Κελεοὺς τε ϗ Ἰκαρίους. Idem *Orat.* 2. Κατάβαλε Τριπτολέμους σου, ϗ τοὺς Κελεοὺς, ϗ τοὺς μυστικοὺς δράκοντας. Et *Orat. ad Sancta Lumina*: Οὐ δὲ Κόρη τις ἡμῖν ἁρπάζεται, ϗ Δημήτηρ πλανᾶται, ϗ Κελεοὺς τινας ἐπεισάγει ϗ Τριπτολέμους ϗ δράκοντας.

Celeusum, opp. Vindeliciæ, ad confluentes Abusini fluv. in Danubium, nunc *Neustatt*, opp. Bavariæ sup. medium ferme inter Ingolstadium & Ratisbonam. Cluver.

Celezenæ, Suidas. Κελεζηνὴ, χώρα τῶν Ἀρμενίων, πλησίον Μελιτηνῆς, ἡ παρ' ἡμῖν Κελζηνὴ ὀνομαζομένη.

Celia, Norici op. Plin. In Stiria, ad Saanam fluv. qui paulo infra in Savum cadit, versus confin. Carniolæ. Caput Comitatus perampli, sub Austriac. Cum duplici arce, ibi multæ antiquitates Rom. sese exhibent, Baudr. Urbs item Apuliæ Peucetiæ, Ptol. & Campaniæ, Diodor.

Celida, Pentapoleos reg. in Africâ op. Ptol.

Celidnus, fluv. Macedoniæ, & ejus limes ab Austro, versus Elymiotas, nunc *Salnich*, in Albania. In mare Adriat. se exonerat, in parte Bor. sinus Ocnei.

Celina, opp. al. Carnorum, nunc vicus *Maniage*, in prov. Foro Julii, ad *Celine* amnem, prope opp. Montis regalis, 8. mill. ab Ariano.

Celiobriga Celerinorum, *Barcelos*, opp. Portugall. ad Cælandum amnem, Duc. tit. clarum. Alias Callaicorum Braccarensium fuit, Sanson.

Celiomons, Vid. *Cæliomons*.

Celion, vel *Celius*, Rex Eleusiniæ, pater Triptolemi. V. Virgil. *Georg lib.* 1. Ovid *Fast. l.* 4.

Celita, Lat. *refugium*, vel *contractio*, aut *Vocis declinatio*, nomen viri. 2. Esdr. 8.

Celium, ut legit apud Anton. Varrerius, urbs Hisp quam putat *Cesce* esse prope *Tomar* urbem. Quibusdam est *Leira*, Vid. *Calium*.

Celium, seu *Cælium*, *Ceglie*, opp. aliàs Apuliæ Peuc. nunc prov. Hydruntinæ, ad radices Apennini, 6. mill. ab Hostunio Oriam versus.

Celius, mons Romæ à *Celio*, nobilissimo Tuscorum duce dictus. Baccat.

Cella, urbs Ducatus Luneburg. Ducum sedes, quibus inde nomen. Ad Alleram fluv. cum arce eleganti & permunita. 6. leuc. à Brunsuico. Rami hujus *Cellensis*, auctor Wilhelmus fuit, frater Henrici, à quo Wolffenbutellanus ortus est: qui ambo fil. fuerunt Ernesti Luneburgici, mortui an. 1546. Hic Wilhelmus, Anno 1582. omit. Hojensem, cum Agnatis, Anno verò 1585. Diepholtensem solus adiit: defunctus Anno 1592. Huic cùm septem filii superessent, hi communi pacto constituêre, ut uno solùm uxorem ducente, quæ sors in Georgium cecidit, reliqui cœlibem agerent vitam. Hic, initio Hispanis in Belgio operam addicturus erat, nisi an. 1607. induciæ supervenissent. Daniæ dein R. contra Suecos, an 1615. Cæsari verò contra Danum militavit an. 1624. Sueciæ postea Regi accessit, quo mortuo, tertiæ parti exercitus præfuit, & Hassis junctus, strenuè rem ad Hameleam, &c. gessit. Pace Pragensi Anno 1635. Cæsari reconciliatus, causâ Brunsuigiæ successionis expeditâ, in principatu Calenbergensi à subditis receptus est, Anno 1636. Post quæ iterum Suecis adfuit, donec in obsidione Guelferbyti an. 1641. defecit: pater Christiani Ludovici, cui Cellensis principatus: Georgii Wilhelmi, cui Hannoverana portio seu Calenbergica à patre relicta: Johannis Frid. & Ern. Augusti, qui Episcopus Osnabrugensis factus, ex Sophia Palatina, familiam propagare cœpit. Ex quibus duo medii ad Pontificios transierunt, primus verò & ultimus Evangel. Relig. tenaces, pro Imperio, contra Gallos ad Mosellam, & Suecos, in ducatu Bremensi, fortiter feliciterque rem gerunt. Vid. Phil. Jac Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Cella, urbec. Sueciæ, Imperialis, cognomento in *Hammerspach*, ad Nagoltum amnem in Mortnavia tractu, 1. & dim. leuc. à Pforzeno. Item, alia ad lacum cognom. 3. leuc. à Constantia, in dit. Episc. Constantiensis.

Cella Abbatis, Vid. *Abbatis cella & AppenZella*.

Cella Episcopi, seu *Episcopi cella*, Germ. *Bischoffzell*, opp. Helv. ad confluentes Siteræ & Turi, in Turgea, parvum, sed elegans admodum, cum arce, & monasterio, à Solomone S. Galli Abbate & Episcopo Constantiensi, circa A. C. 891. extructo: Muniri cœptum est sub Ottone Imp. ut contra Hungarorum irruptiones tutum esset. Paret Episcopo Constantiensi ex parte, à quo Nobilitati an. 1115. oppignoratum fuit, per annos 100. Cætera αὐτονομίᾳ fruitur. Postquam enim ab Episcopis redemtum esset, insignia ab illis privilegia accepit, quæ ab Impp. confirmata. Inprimis Henri-

Henricus Episc. in oppidum beneficus fuit, qui cives Senatus sententiæ stare, omni appellatione præcisâ, jussit, A. C. 1631. quod Anno 1373. à Nicolao Episc. confirmatum est. Ob quæ merita, cùm Episcopis fideliter adhæreret, ab hostibus eorum, tempore depositionis Friderici II. Imp. subitaneâ irruptione occupatum & combustum est. Reparatum dein, à Wenceslao Imp. novo privilegio est munitum, ne unquam ad extraneum tribunal cives rapiantur, &c. A' Sangallensibus & Abbatiscellanis captum est Anno 1406. & an. 1407. Iterum arsit, Anno 1419. de novo postea privilegiis amplissimis ornatum, Anno 1434. à Friderico, & Anno 1468. ab Hermanno Episcopis. Habet autem Episcopus præfectum in arce, cui omnium mulctarum pars media cedit, cives verò oppidi proprium sibi Senatum legunt: à quo cùm Episcopus jusjurandum exigit, prius juramento se obstringit, se illorum privilegia & immunitates nullâ ratione imminuturum. Cives sub suis signis cum Helvetiis militant, quorum tamen Præfectus nullum in eos imperium habet. Religio hic Reformata viget, inter cives: quibus inter primos Evangelium annuntiavit Doctor Johannes Zuickius Constantiensis, mortuus A. C. 1542. Ferax virorum clarissimorum oppidum est, Hinc enim Theodorus Bibliander, Hugwaldus Mutius, Joh. Jungius, &c. prodierunt, quorum primus Tiguri, alter Basileæ, tertius Constantiæ docuere. Hinc Zuingerorum Basiliensium, de Ecclesia & Academia, totaque adeò Re literaria optimè meritorum merentiumque prosapia ortum ducit: Hodieque Bartholomæo Anhornio Pastore, Theologo scriptis editis notissimo, gaudet. Vid. Simler. *de Rep. Helv.* Stumpf. &c.

Cella, vel *Cellula* S. Eusicii, in Biturigum finibus ad Carum fluv. insigne monasterium, unde nomen oppido *Selles en Berry*, mel. *Celle*. Fuit autem Eusicius eremita ac Monachus, sub Childerico maj. ab eoque aditus est. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Cella S. Genulphi, locus in Biturigibus, ad Naonem amnem, vulgò *Celle sur Nahon*, Turonibus confinis, ubi olim Dianæ fanum, à S. Genulpho ibi sepulto nomen habet. Haud procul à Stradensi Monasterio, ubi cœnobium à Wifredo & Oda, sub Pippino, extructum, cui suus Abbas est: appellatur autem vulgò *S. Genou*, seu S. Genulfi. Idem.

Cella S. Jodoci, *S. Josse*, pag. Picardiæ, cum cœnob.

Cella S. Kanici, urbs ampla Hiberniæ, in Lagenia prov. in Comit. Kilkenniensi, ad Neorum. fluv. Vulgò *Kilkenni*, quod Vide.

Cella vel *Cellula* S. Maxentii, monasterium in Pictonibus, à S. Maxentio, sub Chlodovæo & Alarico conditum. Abbatem habet, & oppido suum nomen dedit; Vulgò *S. Maxent*, ad Separim amnem, *la Seure Niortoise*, in Pictavensi pago. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Cella, locus Macedoniæ. Item alius Africæ. Anton. *Cella* præfectura, Vid. *Bremogartum.*

Cellensis lacus, aliàs Acronius. Per ipsum Rhenus decurrit à Constantia Basileam versus; in Suevia est & confin. Helvetiorum.

Cellerarius, vel *Cellarius*, juxta concil. Aquisgranense, sub Stephano V. A. C. 861. can. 140. Officialis est in Monasterio, qui fratrum stipendia servat & administrat: pistrinum etiam curans, ne ministri ibidem deputati, annonam eorum aut furtim surripiant, aut negligenter vivendo dissipent. Crevit dein munus, & in Abbatia S. Edmundi Buriensis, illustris ædium pars cum latifundiis ejus muneri designata fuit, verba sunt Henr. Spelmanni *Glossar. Archæol.*

Cellius Matthias, Cæsarispergius, primus Argentinæ Evangelizare cœpit, anno æt. 45. an. C. 1522. obiit, Anno C. 1548. ætat. 71.

Cellonaenses, Scythica gens. Phavorinus.

Cellos, vicus Tripolitanæ reg. in Africâ. Anton.

Celmis, unus fuit ex Idæis Dactylis, qui cùm Matrem Deorum stupro violasset, deinde à reliquis fratribus rejectus est. Ab hoc ferrum solidissimum cudi solebat, unde Proverb. *Celmis in ferro.* Zenodotus, Clem. Alex. Κέλμις καὶ Δαμναμενεὺς οἱ τῶν Ἰδαίων Δακτύλων πρῶτον σίδηρον εὗρον ἐν Κύπρῳ. Vide Scal. *ad Euseb. p.* 38. & Palmerium *ad Marmor. Arundel. p.* 688.

Celmus, Jovis nutritius, quem & parvulus adhuc Jupiter plurimùm amavit. Cæterùm cùm aliquando mortalem esse Jovem dixisset, Jupiter injuriæ memor, cùm Saturno expulso rerum jam potiretur, in adamantem lapidem eum commutavit, Ovid. 4. *Met. Fab.* 7.

Te quoque nunc adamas quondam fidissime parvo
Celme Jovi. —— ——

Celnius, fluv. in Rossiâ comit. Scotiæ, *Killian* Camdeno. Quibusdam est *Boggie*, in Buchania prov. Versus Ortum. Baudrandus.

Celona, Asiæ op. in Mesopotamiâ. Diodorus.

Celredus, vel *Ceolredus*, Merciorum Rex, post Ethelredum, rebus contra Inam WestSaxonum Regem gestis clarus. Obiit Anno Chr. 717. regni 8. Beda, qui tum vixit, *historia Anglic.*

Celricus, Rex quartus WestSaxonum, *in Anglia*, post patruum Ceaulinum, prudentiâ inclytus, regnavit an. 6. Beda, Polydorus Virg.

Celsa, Ilergetum in Hispania urbs. Ptol. Item alia ad Iberum. Strabo; nisi fortè eadem sit; Vide Casaub. ad Strabonem *lib.* 3.

Celsenses, citer. Hisp. pop. Plin. 3. 3.

Celsinania, cella est in Gallia, Cluniaco subjecta, dicta à Celsino: In Arvernis diœcesique Claromontensi: à S. Odilone vel à fundamentis extructa, vel restaurata, Vulgò *Sausilanges*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Celsona, urbs ampla Catalauniæ, ad pedes montium. 11. leuc. à Vico in Occ. 8. à Minorissa in Bor. Juxta amnem *Cardoner*. *Solsone* Gallis, à quibus antea munita est.

Celsus, tyrannus, septiduum imperavit. Pollio, *de* 30. *tyr. cap.* 28. Item Patritius, Guntrani R. exercituum dux, Arelatum cepit.

Celsus, plagiarius ab Horatio notatus,

Quid mihi Celsus agit, monitus, multumque monendus,
Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Plures ejusdem nominis Trajano & Adriano Impp. vixisse neminem latet historiæ vel mediocriter studiosum. Celsi Jurisperiti Spartianus meminit, *in Adriano: Cùm judicaret*, inquit, *in concilio habuit non amicos suos aut comites solùm, sed Jurisconsultos, & præcipuè Julium Celsum.* Alium *Celsum* consularem virum tunc temporis vixisse, nobis retulit quoque prædictus author his verbis: *In adoptionis sponsionem venit, Palmâ & Celso, inimicis semper suis.* Hic jussu Adriani interfectus. Tertii, quartique memoriam ab Origene accepimus, qui in primo, *contra Celsum*, qui scripto edito Christianos lacessiverat, nobis aliqualem utriusque notitiam suppeditavit: Δύω δὲ, inquit, παρειλήφαμεν Κέλσους γεγονέναι Ἐπικουρείους, τὸν μὲν πρότερον κατὰ Νέρωνα, τοῦτον δὲ κατ᾽ Ἀδριανὸν καὶ κατωτέρω. Vide Spencerum *in Annot. ad Origen. pag.* 3. Huic posteriori à Luciano Pseudomantes dedicatus. Baron. A. C. 132. *n.* 16. Volaterr. *l.* 14. *Anthrop.* Gassendus, *de Vita Epicuri, lib.* 2. *cap.* 6. Fuit etiam Corn. *Celsus* Medicus sub Cæsare Tiberio, qui methodicam Asclepiadis sectam sequebatur, itaque Jo. Heurnius medicus doctissimus ait; *Pluris Latinitatem ejus, quàm medicinam fieri oportere.* Ejus mem. Quintilianus *lib.* 12. *cap. ult. Quid plura, cum etiam Corn. Celsus, mediocri vir ingenio, non solùm de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris & Rusticæ etiam & medicinæ præcepta reliquerit.* De Rhetoricâ scripsisse ex eodem Quintiliano *lib.* 2. *cap.* 15 & *lib.* 3. *cap.* 6. constare potest. Libros *de R R.* sæpissimè laudat Columella, circa cujus tempora etiam fuit; nam *lib.* 1. *cap.* 1. ita scribit: *Non minorem laudem meruerunt nostrorum temporum viri Corn. Celsus & Julius Atticus, quippe Cornelius totum corpus disciplinæ quinque libris complexus est.* Eundem etiam de Philosophiâ scripsisse Quintilianus testis est, *lib.* 10. *cap.* 1. *sub finem.* Alius Julius *Celsus* fuit multo recentior, qui & de vitâ Cæsaris scripsit & commentarios Cæsaris recensuit an corrupit. Vide Voss. *de Histor. Lat. lib.* 1. *cap.* 13. & *Instit. Orat. cap.* 3. *sect.* 10. itemque Salmas. *Proleg. Exercit. Plin. sub finem.*

Celsus Maphæus Veronensis, sec. 15. opus quoddam historicum scripsit, de quo V. Voss. *l.* 3. *c.* 8. *p.* 620.

Celta, pop. Gall. Comatæ inter Garumnam & Sequanam fluvios, ita dicti, ut vulgò volunt, à *Celto* Polyphemi ex Galathea filio, Appianus. Alii à Celte, 9. Gallorum vett. Rege. Aliud etymon suppeditat nobis vir magnus *Phaleg. lib.* 3. *capite* 6. In Talmudico tractatu *Nidda*, inquit, חלת pro *croco* sumitur, siquidem fides Hebræis, & viris undecunque doctis Boderiano & Buxtorfio. Idem autem חלת si libeat Chaldæo more inflectere, fit חלתא *Chalta*, vel *Chelta* vox proximè accedens ad *Celtas*. Ita croceis capillis Galli tam Celtarum & Galatarum, quàm Rhodaniorum nomen debebunt. Sanè Gallos τὰ ξανθὰ ἔθνη passim appellari notat vir doctissimus Is. Vossius. Diodorus Siculus, Οἱ δὲ Γαλάται τοῖς μὲν σώμασιν εἰσὶν εὐμήκεις, ταῖς δὲ σαρξὶ κάθυγροι καὶ λευκοί, ταῖς δὲ κόμαις οὐ μόνον ἐκ φύσεως ξανθοί, ἀλλὰ καὶ διὰ τῆς κατασκευῆς ἐπιτηδεύουσιν αὔξειν τὴν φυσικὴν τῆς χρόας ἰδιότητα. Strabo *de Britannis lib.* 4. Οἱ δὲ ἄνδρες εὐμηκέστεροι τῶν Κελτῶν εἰσί, καὶ ἧσσον ξανθότριχες. Atque ob hoc ipsum, Britannos Gallicæ esse originis, conjectat Jornandes *historia Gothorum cap.* 9. quòd illis sint *rutilæ comæ*. Ubi *rutilas* dixit pro *flavis*, quomodo Ammianus *lib.* 15. *Candidi penè Galli sunt omnes & rutili*; capillitii ratione scilicet, Claud. *in Rufinum lib.* 2.

Inde truces flavo comitantur vertice Galli.

Bodinus *Celtas*, quasi κελητὰς dictos voluit, quia liberis equis, haud stratis, aut ad currum junctis vehi consuescerent. Lazius à *Galatis*, per contractionem. Strabo ait, Κελτὰς appellatos διὰ τὴν ἐπιφάνειαν, quòd authoritate prævaluerint, sive quòd

robusta & valens natio fuerit. Id sonat *Gelten* hodiè, Germanorum linguâ. Nominis vestigium remanet in *Geldris*. Belgis quoq; *Gelte baars* est pisciculus melioris notæ: & *Gildos, bos præstans valore*, Pontanus. Horum regio Κελτικὴ dicitur, quæ apud vetustissimos Græcos ea tantùm Galliæ erat pars, quam mare mediterraneum alluit, nam eam tantùm noverant. Postea verò id nomen etiam ad alias partes, quæ paulatim cognosci cœpere, translatum est, donec tandem toti Galliæ, postquam tota cognita fuit, est attributum. Idem de Romanâ Galliæ appellatione sentiendum: Nam qui *Celtæ* propriè appellantur; ii à Romanis *Galli* dicti sunt, auctore Cæsare; deinde ea vox latiùs accipi cœpit. Polybius autem, Κελτικὴν proprio nomine appellat eam Austrinæ oræ partem, quæ est inter Narbonem & Pyrenæos, Casaubonus. Horum Imperium celebre, sub Ambigato, Rege Beruyorum, qui Tarquinii Prisci tempore vixerat, Liv. *lib.* 5. Porro Celtarum nomine, præterquam quòd quidquid Europæarum gentium erat, antiquissimis temporibus illud continebat, dein factâ regionum & populorum distinctione, & unicuique proprio nomine indito, veteres non solùm Gallos intelligebant, auctore Appiano, sed & Germanos, ut ex Herodoto *lib.* 2. & 4. aliisque constat. Maximè tamen eos Germanos fuisse crediderim; quippe quòd Aristoteles *Polit.* 7. hunc morem tribuit Celtis, quòd recens natos ad fluvium explorarent, quod ipsum Germanorum moribus tribui apud Cæsarem & Melam legas. Eodem refero Græci poetæ testimonium de Celtis, probantibus prolem spuriam vel legitimam Rheni lavacro. Sunt enim Celtæ Germani, qui Celticâ dictâ Galliâ expulsis Gallis, aut saltem iis permixti trans Rhenum consederunt; unde factum, teste Dione, *lib.* 39. ut Celtæ uno nomine sint appellati, ἑκάτεροι οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ οἰκοῦντες. Quemadmodum enim veteres Romani gentem utramque (*Gallos* & *Germanos*) nondum satis sibi cognitam *Gallorum* vocabulo nuncuparunt, ita Græci *Celtarum* nomen utrisque indiderunt. Hinc Herodotus Danubium in *Celtis* oriri scribit, cùm illum in Germaniâ & quidem in eo tractu, quem *Baronatum* vocant, profluere constet. Sed & Bassus Poëta, Germanicum cum Celtis pugnasse canit. At eo tempore nulli ad Septentriones populi, præter quàm Germani, cum Romanis bella gessère. Hujus rei ignorantia multis errandi causam præbuit tribuentibus Gallis, quæ liquet esse Germanorum. Refert Appianus, satellitem illum, qui ad occidendum Marium in carcerem missus est, *Celtam* fuisse: at Paterculus *Germanum* fuisse testatur. Sic Strabo profectos ad Alexandrum Magnum, in Getis tum agentem, *Celtas* memorat, haud dubiè Germanos intelligens. Illud unum præterea addendum, eam fuisse *Celtarum* audaciam & fortitudinem, ut Aristoteles hujusmodi audaciam, quæ cum propriæ salutis contemptu sit, *Celticam* vocaverit. Baudrando, Celtæ fuere pop. Galliæ, à quibus una pars *Gallia Celtica* dicta, olim amplissima. Præter Lugdunensem enim & pop. intra Ligerim & Garumnam fluv. Massiliam usque atque Narbonem extendebatur, Strab. Postea angustior, vulgò *Lugdunensis* dicta est. Qui fines ejus sub Cæsare, qui sub Augusto, Vid. Cluver. *lib.* 2. Sanson. *de antiqua Gall.* Ausonius Gallos sive *Celtas* à Belgis Matronâ fluvio dividi, disertè testatur, in *sua Mosella*,

Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non, Gallos Belgasq; intersita fines.

In quæ verba Hadr. Valesius, *Certè*, inquit, *Matrona Gallos vel Celtas à Belgis dividit, non dividit, saltem exactè, Sequana, fluvius interior: quod tamen Julius Cæsar, Plinius, Ptolemæus, Ammianus Marcellinus, aliiq; plurimi affirmant.*

Celtes Protucius Conradus, Suinfurto ad Mœnum oriundus, sec. 15. à Friderico Imper. Poëta coronatus est, primus Germanorum id honoris adeptus. Discipulus fuit R. Agricolæ, in Germ. Marsilii Ficini, Sabellici, Pomponii, &c. in Italia. Scriptis poëticis historicisque clarus, Obiit Anno 1505. æt. 49. Lil. Giraldus, *dial.* 2. *de Poët.* Voss. *de hist. Lat. l.* 3. *cap.* 10.

Celtaca, op. Hisp. in conventu Hispalensi. Plin. 3. 1.

Celtiberi, Hisp. pop. à *Celtis* originem traxisse creduntur, qui cùm venissent ad *Iberum* fluv. ibique consedissent, assumpto ad nomen suum fluvii nomine, juxta quem consederunt, *Celtiberi* dicti sunt, & eorum regio *Celtiberia* vulgò *Arragon*. Lloyd. Arragonia & Castella, Morer. Lucanus *lib.* 14.

——*Profugiq; à gente vetustâ*
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Silius *lib.* 3.

Venere & Celtæ sociati nomen Iberis.

Robur Hispaniæ eos vocat Florus *lib.* 2. Romanis & Pœnis, magna cum fortitudinis gloria, restiterunt. Diodor. *l.* 6. Strab. *l.* 4. Plin. *l.* 3. *c.* 1. Liv. *l.* 5. Florus *l.* 2.

Celtica, vide *Celtæ*.

Celtica Comes Odo, sororius Rodolfi Burgundiæ Reg. Conrado II. Imperat. pro filio Henrico, quem hæredem Rex scripserat, Burgundiam vindicanti frustra restitit, Anno 1033. Frising. *lib.* 6. *cap.* 30. &c.

Celtici, Hisp. pop. à *Celtis* oriundi.

Celticum, Hisp. promuntorium, quod *finem Terræ* hodiè vulgus peregrinorum vocat. Vadianus.

Celtillus, Arvernus, Vercingetorigis pater, qui totius Principatum Galliæ obtinuit, & ob eam causam, quòd regnum appetebat, ab civitate est interfectus. Cæsar VII. *Com.* 4.

Celtorii, Gall. pop. prope Senones. Plut. *in Cam.*

Celtoscythæ, gens septentrionalis. Strabo *l.* 10.

Celtum, urbs Hisp. inter Hispalim & Emeritam. Anton.

Celtzene, urbs Armeniæ, olim episc. dein Archiep. sub Patriarcha Constantin. Etiam *Keltzene*.

Celurca, opp. Scotiæ, in ora littor. maris Germ. ubi ol. Horestæ pop. 7. mill. Scot. à Brechinio in Ortum. Vulgò *Monros*. Vid. *Mons rosarum*.

Celydnus, Vid. *Celidnus*.

Cema mons, al. *Cemenus*, in Ital. & Alpib. in Comit. Nicæensi, in Vicariatu S. Stephani, prope castrum S. Stephani, juxta fontes Tineæ fluv. Hic ostenduntur rudera magnæ urbis, vulgò *Camelion* seu *Camella*, teste Brietio, al. Cemenelio seu Cemenæum. Olim *Acema*. Baudr.

Cema, Narbonensis provinciæ fluvius in Alpium monte *Cemeno* profusus. Plinius 3. 4. Aliàs *Acema*, vide itaque suo loco.

Cemandri, pop. in parte Illyrici. Jornandes.

Cembani, Arab. Fel. pop. Plinius.

Cemeneleon, op. Liguriæ in Alpibus, dicitur & Cemeleon Plinio, quasi à *Cemeno* monte. Hoc loco, teste Leandro, Varus fluv. originem sumit, diciturque nunc *monte Cameleone*, sed hoc montis nomen est, non urbis. Vide Cluv. *Ital. Ant. lib.* 1. *pag.* 66. Nunc viculus, vulgò *Cimies*, 6. mill. à Nicæa in Boream. Historia ejus hæc. Olim urbs in Galliis comprehensa, etiam *urbs Vediantinorum*, alii habent, *Vendiatiorum*, Plin. & Ptol. dicta est: in prov. *Alpium* Maritimarum, penultimo loco collocata, in vett. Notit. Sedes Præfecti Alpium maritimarum, magnifica admodum, ut ampitheatri, aquæductuum, & templi Apollinis rudera testantur. Episcopalis quoque fuit, ubi Pontius, sub Valeriano & Galieno martyr, Amantius, qui Anno 381. Concilio Aquilejæ interfuit, Valerianus, &c. A Gothis Vandalisque, vel ut alii volunt, à Lombardis, aut Saracenis destructa, sede Episc. Nicæam translatâ, quæ, ex ruina Cemeles, in opulentam egregiamque urbem excrevit. Distat ab oppido Cemenelio mons Cemenus, è cujus gremio amnis Varus profluit, & à quo, ut dictum, quidam oppidum denominatum volunt, ad minimum 30. m. p. Holstenius *Annot. ad antiq. Cluverii Italiam.* Ibi præter prædicta, Templum B. Virgini sacrum, quæ *nostra Donna de Cimies* dicitur, & opus antiquum theatri simile, quod *Cimella* nomen habet, quo etiam urbs insignita est jam ante annos 800. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Petrus Jofredi, *hist. Episc. Nic.* Francia Christ. *t.* 3. *pag.* 785. Guesnay, *histor. Massil.* Theophan. Raynoldus, *in apol. Valeriani, capite* 1. &c.

Cemmenus, *Gebenna* Cæsari, Plinio & Ausonio, qui & *Cebennæ* & *Gebennæ* num. plur. mons maximus Galliæ, vulgò *les Sevennes*. In Aquitania versus Gall. Narb. Inter Volcas, Arecomicos, Helvios, Velaunos, Gabalos & Ruthenos per 30. leuc. circiter in longum protensus. Initium habet versus fontes Ligeris, in Vivariensi prov. superiori, extenditurque per Occitaniam, Lutevam usque. Dicitur etiam *les Montagnes de Sevennes*, ubi quamplurima castra, oppida & urbes alicujus momenti. *Cemenus* verò unico *m* est mons Gall. apud Varum, ex quo *Cema* fluv. Plinio teste. Sub Cemeneo hoc tractu comprehenduntur prov. Vivariensis sup. Gabalium, cum parte Ruthenorum: Reformatorum perfugium. V. quoque *Cebenna*.

Cempsi, pop. Hisp. citer. ad montis Pyrenæi radices incolentes, in regno Arragonio, quorumop. *Venasque*, ad amnem Esseram, ad rad. Pyrenæorum in limite Gall. ab Oscâ ad 15. leuc. inter montes distans. Horum mem. Dionys. *Vers.* 338.

Κέμψοι θ' οἳ ναίουσιν ὑπαὶ πόδα Πυρρηναῖον.

Nusquam, ut opinor, apud alium quenquam authorem hujus populi mentio extat, ideo ipsos non sub *Pede Pyrenæi*, sed in *Utopiâ* quærendos putat Montanus. Nescire verò se ait, an Κελτοὶ ab auctore scriptum fuerit. Sanè Ceporinus *Celtas* vertit. Priscianus verò & Avienus *Cempsi* habent.

Cena, Siciliæ locus. Anton.

Cenabum, Carnutarum civitas. Ptol. hodiè *Gian*.

Cenai, Palæstinæ gens. Gen. 15.

Cenaum, prom. Eubœæ inf. in Occas. maximè porrectum, prope Malliacum sin. contra Opuntem & Locros Epicnemidios. Nunc *Capo Litar*.

Cenchreæ, Peloponnesi op. prope Corinthum in Isthmo ipso juxta fanum Neptuni, quinquennalibus ludis inclytum. Item portus Corinthi. Inde *Corinthiaca*. Ovid. *Trist.* 1. 9.

Illa Corinthiacis primùm mihi cognita Cenchreis.

Plin. *lib.* 4. *Lechea hinc, Cenchreæ illinc angustiarum termini, longo & ancipiti navium ambitu, quas magnitudo plaustris transvehi prohibet.*

Stat.

Stat. *Theb. lib.* 4.

It comes Inoas Ephyre solata querelas
Cenchreaeq; manus. ——

Item urbs Troadis, in qua commoratus est Homerus, ut de rebus Trojanis certior fieret. Item alia Italiæ. Steph.

Cenchreenses, à D. Paulo Christianismo initiati, apud quos ipse caput, ut voverat, totondit. Act. *c.* 18.

Cenchres, Ægypti rex, periit in mari Rubro. Berosus *l.* 5.

Cenchreus, Pirenæ filius. Pausan.

Cenchris, Cinyræ Assyriorum regis uxor, Myrrhæ mater, quum superbiùs locuta esset, & filiæ suæ formam Veneri antepoSuisset, Venus Myrrhæ nefandum amorem objecit, adeò ut patrem suum amaret, quæ ne suspendio seipsam necaret, nutrix intervenit, & patre nesciente per nutricem cum eo concubuit, ex quo concepit. Id autem ne palam fieret, pudore stimulata in silvis se abdidit. Ejus verò Venus postea miserta est & in speciem arboris commutavit, unde myrrha fluit, ex quâ natus est Adonis. Hygin. *Fab.* 58. Quamvis paulo aliter hoc narretur à Theocriti Scholiaste *in prim. Idyll.* Id scilicet non Cenchridis, sed ipsius Myrrhæ superbiâ accidisse, utpote quæ inter pectendum non æquè formosos esse Veneris capillos ac suos gloriata fuisset, ac proinde Veneris iram in se concitasset.

Cenchrius, Joniæ amnis ad Ephesum Caystro proximus, per Ortygiam fluens, in quo Latonam fabulantur ab Ortygiâ nutrice lotam ex partu. Tacit. *Annal.* 3. *Primùm omnium Ephesii adiere, memorantes, non, ut vulgus crederet, Dianam, atque Apollinem Delo genitos; Esse apud se Cenchrium amnem, & Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam, & olea, qua tum etiam manebat, adnisam, edidisse ea numina.*

Cencius, Cubicularius Cælestini .III operis, de reditibus & servitiis, Eccl. Romanæ debitis, titulisque, auctor. Baron. A.C.1191. Asservatur in Bibl. Vat.

Cendebæus, nomen ducis Antiochi Sidetis; qui vastatâ Judæâ, à Johanne Simonis fil. victus est. A. M. 3918. U.C. 617. ante C. N. 135. Olymp. 161. Mach. 15. 16.

Cendevia, palus in Phœnice, intra mont. Carmeli radices, ex quâ creditur nasci Belus amnis 5. m. p. spatio in mare profluens, juxta Ptolemaidem Coloniam. Plin. 36. 26.

Cenebum seu *Genebum*, urbs permunita Duc. Clivensis, ad Mosam fluv. sub Hollandis. In confin. Geldriæ, media ferè inter Vesaliam ad Ortum, & Boscum D. ad Occasum. Vide *Genepum.*

Ceneda, Lat. *Ceneta* & *Ceneda Agathia*, in Marca Trevisana, Venetæ reg. opp. inter Liquentiam & Anassum flumina. Agathias *lib.* 2. *Ep.* sub Arch. Aquit. Venatius Fortunatus ejus meminit.

Ceneia dicta est Atalanta *Cenei* filia. Vide *Ceneus.*

Cenereth, Lat. *cithara*, vel *quasi lucerna*, urbs in tribu Nephthalim. *Jos.* 19. *Est* & ad Orientem Judææ mare. Num. 34. Aliàs *mare Tiberiadis*, & *lacus Genesarethicus*, seu *mare Galilææ* dicitur, 40. stad. in lat. diffunditur, ac 100. in long. extenditur. Joseph. *de Bell. Jud.* 3. 18. Per hunc medium Jordanes amnis profluit.

Cenespolis, urbs Hispaniæ. Polyb.

Cenestum, Corsicæ civitas. Ptol. Nunc quibusd. *S. Lucia*, vicus, prope Rhotanum fluv. ubi hodieque multa rudera, inter Curiam & Aleriam. Aliis est ipsa Curia, *Corte*, in saxo undique prærupto, prope Cremum lacum.

Ceneta, urbs Ital. 13. mill. à Belluno, & Opitergio totidem, 15. à Tarvisio. Sub Venetis. Prope fontes amnis Mottegani. Aliis est in dit. Pontif. Baudr.

Cenetium, Peloponnesi op. Elidis regionis. Strabo.

Cenetum, opp. regni Neap. Sedes Episc. Telesini. Aliis est *Cerritum*, in prov. Terræ L. & confin. Princip. Citer. 5. mill. à Telesio in Circium.

Cenevalkus, Rex Westsaxonum 7. post Cynigilsum, à Pando Merciorum Rege, cujus sororem ductam repudiaverat, regno exutus, perfugit ad Annum, Regem Saxonum Orient. Ubi cùm triennio latitasset, Christi fidem amplexus, paulo pòst regnum recuperavit, Wisherumque, Pandi fil. aliquâ parte ditionum mulctavit. Duchenius, *hist. Angl.*

Ceneum, Eubœæ insf. promuntorium. Strabo.

Ceneum, promuntorium Eubœæ, à quo Jupiter *Ceneus* appellatus est, quòd ibi præcipuè coleretur. Hercules enim ab Oechaliæ expugnatione rediens in eodem loco aram parenti construxit. Ovid. *Metamorph.*

Victor ab Oechaliâ Cenæo sacra parabat
Vota Jovi. —— —— Vid. *Cenæum.*

Ceneus, Thessalus, Lapitha, cùm multis interfuisset præliis, nunquam tamen lædi potuit. Hinc natum proverb. *Invulnerabilis Ceneus.* Nestor apud Ovid. *Met.* 12.

—— *Vestro fuit unicus ævo*
Contemptor ferri, nulloq; forabilis ictu
Cycnus: at ipse olim patientem vulnera mille
Corpore non læso Perrhæbum Cenea vidi,
Cenea Perrhæbum, qui factis inclytus Othryn
Incoluit. ——

Fuit hic ex fœminâ mutatus in virum, ut idem refert Ovidius eodem loco; & Virg. *Æn.* 6.

—— *Et juvenis quondam, nunc fœmina Ceneus*
Rursus & in veterem fato revoluta figuram.

Lege *Caneus.*

Cenez, id est, *nidus iste*, aut *lamentatio hæc*, sive *possessio* aut *emptio hæc*, filius Eliphaz, Gen. 36.

Cenezei, populi. Gen. 22.

Ceni, regio Philistæorum. 1. Reg. 27. in tribu Judâ.

Cenicenses, Gall. Narbon. pop. Plin.

Cenimagni, pop. Albionis, in orâ Angliæ orientali, Cæsar *Com. lib.* 5. *Cenimagni* autem nunquam lecti inter Britanniæ gentes. Apud Cæsarem igitur legit Lipsius *Iceni*, *Cangi*, (diviso vocabulo) Cangos enim vicinos ait fuisse Icenis, & capit judicem Guil. Camdenum, qui Britanniæ nostræ nebulas claro ingenii sole illustravit, *Ad Annal. Tacit.* 12. Hi pop. Baudrando inter Trinobantes, Catieuchlanos & mare Germ. ubi pòst *East-Anglia*, & nunc Suffolcia, Norfolcia, Cantabrigiensisque Comitatus. Aliis etiam *Simeni.* Vid. *Iceni.*

Cenina, urbs Romæ vicina à *Cenite* conditore, Festus. Incolæ *Ceninenses.* Pompon. *lib.* 3.

Cenionis, fluvii ostia habet Ptolemæus in latere meridionali Albionis insulæ.

Cenisius, mons Italiæ Transpad. ex Alpibus Cottiis, sub Segusinis, in limite Gall. Inter Sabaudiam & Pedemontium, prope Maurianam vallem & agrum Segusinum. Aliter *Mons Cinereus.*

Cenites, viri proprium, qui Ceninam urb. condidit.

Cennaba, mons in Maurit. Cæsariensi. Ptol. *lib.* 5.

Cenni, Germ. pop. cum quibus Caracalla bellum gessit. Xiphilinus.

Cenomani, Gall. Celt. pop. vulgò *Manseaux.* Hi & *Aulerci Cenomani* dicti, inter Rhedones, Andegavos, Carnutes & Sesfuos siti sunt. Eorum tractus *le Maine*, prov. ampla & admodum rigua, inter Normanniam, ad Bor. Belsiam ad Ort. Britanniam ad Occas. & Andegavensem provinc. cum parte prov. Turonensis ad Austr. Caput prov. est Subdinum, seu Vindunum, al. Cenomanum, *le Mans.* Vid. quoque *Cœnomani.*

Cenomani, Italiæ Transpad. pop. in quorum agro Cremona fuit, & Brixia opidum. Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 1. *cap.* 26. His à Septentr. Euganei, ab Or. Veneti, à Meridie Padus fluv. ab Occid. Insubres; ubi nunc agri Veronensis, Mantuanus, Cremonensis & Brixianus, maj. ex parte sub Venetis. Baudr.

Urbes Cenomanorum Italiæ.

Bergomum, *Bergamo,*	Mantua, *Mantoua.*
Brixia, *Brescia.*	Tridentum, *Trento.*
Crema,	Veronæ.
Cremona,	

Cenomanum, urbs Gall. ad Sartam fluv. ubi Auisnam recipit, episc. sub Archiepisc. Turonensi, 10. leuc. ab Alenconio in Austrum 16. à Turonibus abest, triginta verò leuc. distat à Rhedonibus, totidem à Carnuto. Olim *Subdinum* & *Vindinum*, nunc *le Mans*, Caput prov. *Cenomanensis.* Scaliger, Cluver. &c. Una ex antiquissimis Galliæ urbibus. Unde vetus illud:

Bourges, Autun, le Mans, avec Limouges,
Furent jadis les quatre villes rouges.

Majoris olim, quàm hodie, famæ: Galliæ Celticæ sub Carolo M. florentissima, Aimon. *Histor.* Sed à Normannis Anglisque, ut & plurimis incendiis, gravia passa est. S. Julianus primus urbis hujus creditur Episcopus. Gregor. Tur. *lib.* 5. Duchenius *Antiq. des villes.* Anton. Corvaserius, *de memorabilibus Diœces. Cœnom.* &c.

In hujus territorio concilium habitum, Anno 843. annitente Carolo Calvo, cùm quædam contra divinum cultum & auctoritatem regiam essent oborta. Item an. 1242. Concil. T. XXIII. *edit. Reg.* & T. VIII. *edit. ult. Paris.*

Cenon, Italiæ op. Antiatum, à Virginio captum. Livius.

Censor, Magistratus nomen, apud Rom. qui morum præfecti, bona in censum redegerunt, Senatores deposuerunt, Principem Senatus crearunt, familiarum inspectores, luxus castigatores, &c. Bini primitus, quorum unus Patricius, alter ex plebe, quinquennium præesse soliti. L. Papyrius Mugellanus, & L. Sempronius Atratinus primi hoc munere functi sunt. A. U. C. 311. postquam Senatus deprehendisset, Consules bellicis curis distractos, hæc civilia curare non posse. Vid. Cicer. *de Legibus* 3. Plut. *in Catone Censore.* Liv. Dionys. Rosinum *antiq. Rom.* Salmasium *in Flor.* &c.

Censorinus, Senator Rom. bis Cos. bis Prætorii præfectus, bis urbis, Legatus in Persiam, & Pannoniam, Vir præcipuæ auctoritatis, & bello clarissimus. Cùm senex rus secessisset, vulneris, tempore Valeriani, in Persiâ accepti, curandi ergò, contra Claudium II. Imperator factus, at ob nimium rigorem, paulò pòst ab iis ipsis, qui Imperatorem elegerant, occisus est. Monumento

ejus, prope Bononiam in Ital. inscriptum: *Felix ad omnia, Imperator infelicissimus.* Ejus familiæ pars in Thraciam, pars in Bithyniam se recepit. Trebellius Poll. *addit.* 30. *tyrann. capite* 32.

Censorinus, ex nobili familia Manciorum Anno 238. primo Gordiani Imper. *de die Natali* libellum pereruditum & Chronologis utilissimum conscripsit. Recensuit, notisque perquam elegantibus illustravit Henr. Lindenbrogius Lugd. Bat. 1642. Idem etiam de Accentu opus edidit, sæpe laudatum Sidonio Apollinari, Cassiodoro,&c. Vid. Voss. *de hist. L. l.* 2. *c.* 3. *de Math. c.* 34. §. 9. *de Philol. c.* 5. §. 8.

Censum, Eubœæ promuntorium in Septentr. directum.

Centa, Maurit. Tingitanæ urbs mediterranea. Ptol. Hodie *Benibahalud*.

Centale, oppidul. Pedemontii, recens munitum, ad amnem Maleam, prope Marchionatum Salutiarum, cujus etiam pars fuerat antea. Medium ferè inter Cuneum & Savilianum.

Centaretus, Galata quidam fuit, qui Antiocho rege occiso, equo ejus potitus, eum ovans conscendit; quod ille indignè ferens, præceps in abrupta desiliit, unaque cum sessore exanimatus est. Plin. 8. 42.

Centauri, Thessaliæ pop. secus Pelion mont. habitantes, qui primi equos domare, & ex iis pugnare cœperunt: quo factum est, ut à vicinis populis primùm conspecti, membra partim humana, partim equina habuisse crederentur. Vid. Plin. *lib.* 7. *capite* 56. De horum origine sic fabulantur poetæ. Ixionem sc. à Jove Deorum mensæ adhibitum, Junonis amore captum fuisse, eamque de stupro interpellasse. Quod cùm illa viro suo indicasset, Jovem Ixioni Nubem subjecisse, in uxoris imaginem transformatam, eamque Ixionem pro Junone compressisse, & ex eâ Centauros generasse, *qui* inde *Nubigenæ* dicti sunt. Cui fabulæ ansam præbuisse videtur castellum nomine Νεφέλη, Centaurorum sedes, νεφέλη enim Latinè *nubem* sonat. Hi cùm in nuptiis Pirithoi vino madentes sponsam rapere conarentur, à Theseo & Lapithis partim cæsi, partim in fugam acti sunt. Iidem & *Hippocentauri* dicti sunt, quòd equis insidentes boves œstris agitatas stimulis ad tecta revocarent, est enim κεντεῖν *stimulare, & pungere.* Centaurorum verò, qui à Poetis maximè celebrantur, nomina sunt hæc: *Chiron, Eurytus, Amycus, Grynæus, Rhœtus, Arneus. Lycidas, Medon, Pisenor, Caumas, Mermeros, Pholus*, qui suscepisse Herculem hospitio dicitur. Lucanus,

Hospes & Alcidæ magni Phole.

Eos ab Hercule victos interfectosque ostendit Diodor. Siculus. Alii sic narrant: Cùm Hercules à Pholo Centauro hospitio exciperetur, *Centauri* prius *Amyræi*, postea *Leleges* dicti, dolium vini optimi defossum extulerunt, quod eâ illis lege Bacchus dederat, ut cùm Hercules illac transiret, illud effoderent: ipsi verò ebrii facti & ad rapinas conversi ad unum omnes cæsi sunt. Vide Polyænum *lib.* 1. *Hercules*, *Com.* 1. Alii non omnes cæsos, quin ipsum bis cum centauris pugnasse prodiderunt: Primò cùm Hippodamia nupsit Pirithoo, deinde cùm *Eurytus* ab Oeneo hospitio exceptus, *nihil Deos hospitales veritus*, vim inferre Dejaniræ conatus est, quas fabulas Ovidius prorsus confundit. Palæphatus ubi de Centauris: Τὸ μὲν ὄνομα ἐντεῦθεν ἔλαβον οἱ Κένταυροι, ὅτι τοὺς ταύρους κατεκέντησαν. Eos autem in numero τῶν ἀπίστων, hoc est, *Incredibilium* haberi jubet: Εἴ τις πείθεται, inquit, τοιοῦτον γενέσθαι θηρίον, ἀδυνάτοις πεπίστευκε, οὔτε γὰρ ἡ φύσις σύμφωνος ἵππου καὶ ἀνδρὸς, οὔτε ἡ τροφὴ ὅμοια, οὔτε διὰ στόματος καὶ φάρυγγος ἀνθρωπείου δυνατὸν ἵππου τροφὴν διελθεῖν. Eadem Lucretii mens,

Sed neq; Centauri fuerant, neq; tempore in ullo
Esse queant duplici naturâ & corpore bino,
Ex alienigenis membris compacta potestas.

Eorum mem. Lucanus *lib.* 6.

Illic semiferos Ixionidas Centauros
Fœta Pelethroniis Nubes effudit in antris.

Inde *Semihomines* dicti, Ovid. *Met.* 12. Visum à se allatum in melle Centaurum, ex Ægypto affirmat Plinius 7. 3. ubi & Claudium Cæsarem scripsisse prodit, *Hippocentaurum in Thessaliâ natum eodem die interiisse.* Vid. & Plut. *in conv.* 7. *sap.* D. quoque Hieronymus *in vita Pauli*, tradit, Antonium ad Paulum Eremitam pergentem, *conspexisse*, ut ipse loquitur, *hominem equo mixtum, cui opinio poetarum Hippocentauri nomen indiderit.* Sed potest hoc spectrum fuisse; rectè itaque subjungit Patrum ille doctiss. *Verùm hæc utrum Diabolus ad terrendum simulaverit, an, ut solet, eremus, monstruosorum animalium ferax, istam quoq; gignat bestiam, incertum habemus.* Vide Hieronym. Magium *lib.* 1. *Miscell. cap.* 10. ubi de Centauris prolixè disputat. Mythologi, fabulâ hac, hominem corporearum illecebrarum violentiâ in ferinam naturam degenerantem, repræsentari volunt. Vid. Psalm. 32. v. 9. Alex. Rossæum, *in Mystagogo Poet.* &c. Item *Centaurus* nomen navis sic. dictæ, quod *Centauri* habuerit insigne. Virg. *Æn.* 5.

Centauro invehitur magnâ:

Ubi Servius ait subaudiri debere *navis*. Hinc adjectivum *Centaureus*. Horat. 1. *Car. Od.* 18.

At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata. ———

Hinc etiam *Centaureum* herbæ genus, & pl. num. *Centaurea.* Virgil. *Georg.* 4.

Cecropiumq; thymum & graveolentia Centaurea.

Et ante eum Lucretius:

Abrotoniq; graves & tristia Centaurea.

Herbæ hujus meminit Nicander *in Theriacis*, uti videre est in his:

Πρώτην μὲν Χείρωνος ἐπαλθέα ῥίζαν ἑλέσθαι
Κενταύρου Κρονίδαο φερώνυμον, ἥν ποτε Χείρων
Πηλίῳ ἐν νιφόεντι κιχὼν ἐφράσσατο δειρῇ.
Τῆς μὲν ἀμαρακόεσσα χυτὴ περιδέδρομε χαίτη,
Ἄνθεα δὲ χρύσεια φαείνεται, ἡ δ᾽ ὑπὲρ αὐτῆς
Ῥίζα, καὶ οὐ βυθόωσα Πελεθρόνιον νάπος ἴσχει.

Vide sis ibi Scholiasten.

Centauropolis, urbs Thessal. apud Tempe, in mont. Ossâ. Procopius.

Centenarius, belli & pacis minister; hic regiunculæ Judex, illic manipuli Præfectus: nec diversus olim, sed ex vicissitudine munus utrumque obiens. Apud Romanos Centumvirales Judices his aliquid simile habebant, sed Gothorum propriè & Germanorum id inventum est, qui Comitum territoria per *Centenas* sive *Centurias*, (Tacito pagos) dividebant, singulos singulis præficientes, *Centenarios* inde & *Centuriones* appellatos, Francis *Centones*. Dicti *Centuriones*, quòd centum præsint militibus, Isidor. *Orig. lib.* 9. *cap.* 3. Nominis ratio à numero emanavit, de numerato tamen non ubique convenit. Germani, quòd è singulis pagis centum milites conscriberent, conscriptos *Centenos* vocabant & *Centenarios*: conscriptionis locum *Centenam*, *Centuriam* & *Centuriatum* (quod potius ad Centenariorum munus & sodalitium referendum est) præfectum, *Centgravium*, i. Centenæ præpositum. Gothi, Franci, Longobardi, melius hoc fortè retinuerint, quàm Anglo-Saxones, ut infra in *Hundredus*, quod idem illis est cum *Centena* & *Centuria*. Primò autem dictus est *Centenarius*, unusquisque ex eadem *Centena*, demum Præfectus tantùm, cujus classem partim & munus noveris ex Wisigothorum legibus *lib.* 2. *Tit.* 2. *lib.* 26. Et *lib.* 9. *Tit.* 2. *lib.* 1. &c. apud Spelmannum *Glossar.* Evocabat superior quisque inferiores, regebatque in militia juxta castrensem disciplinam, in pago juxta forensem. Nam & suo foro adornatus est *Centenarius*, sed inter judices minores semper habitus. Prisca ejus jurisdictio liquet è Capitular. Caroli & Ludovici Impp. *l.* 4. *cap.* 26. & è lege Caroli M. tam in Longobard. *lib.* 2. *Tit.* 52. *l.* 3. quàm Capitular. *lib.* 3. *cap.* 79. exhibitâ. Celebravit autem apud Germanos *Centenarius* generalia placita ter in anno: ordinaria, vel à septem in septem noctes: vel quando pax in provincia melior, post 14. noctes. Apud Anglos bis in anno, nempe circa festum S. Michaëlis & Annunciationis beatæ Virginis, generalia perficiuntur placita, Angl. *Hundred Courts*, ordinaria à 3. septimanis in tres. Præterea apud hos *Centenarii* dicuntur liberi Possessores seu Tenentes, qui in *Centena* degunt, Angl. *the Freeholders*, & sunt hi ipsi in *Centena* curia Judices (Centumviralia Romanorum judicia imitati) quos & Tacitus Centenos *Comites* vocat, qui addit, illos non nisi armatos agere, quod etiam Anglorum *Centenariis* olim religiosè observatum. Plura Vid. apud supra memoratum Spelmannum, & in voce *Hundredus*: de *Centgravio* autem Munster. *Cosmogr. l.* 3. *cap.* 20. &c.

Centinum, Umbrorum urbs in Italiâ. Stephanus. Hodie *Sentinum*.

Centobrica, Celtiberorum urbs. Val. Max. 5. 1.

Centodemum, Thraciæ locus in Mysiâ infer. Procop.

Centon, Thraciæ Castellum ibidem. Idem.

Centores, Scythiæ populi. Val. Flac. *lib.* 6.

Impulit & dubios Phryxæi velleris ardor
Centoras, & diros magico terrore Choatras. Melæ *Essedones. lib.* 2.

Centrites, fluvius, qui Armeniam à Carduchis dividit. Xenoph. inter Mediam & Armeniam eum fluere scribit Diodorus.

Centrones, pop. Gall. Narb. versus Alpes Graias, ut hodie dicuntur, in Sabaudiâ. Hos, cum Garocellis & Caturigibus exercitum suum itinere prohibere conatos, complurimis præliis pulsos à se esse scribit, Cæsar *Comm. lib.* 1. Etiam Straboni noti sunt, supra Salassos, *in* verticibus montium, Plinio item *lib.* 3. *cap.* 19. & *lib.* 11. *cap.* 42. Illorum regio & urbs Tarantasia, vulgò *Le pays de Tarentaise*, testibus Marliano, Vigenereo & Tscudo, ubi Centronum pag. vulgò *Centron* vel *Sentron*, inter Augustam Prætoriam, 12. & Genevam 14. leuc. visitur. Ferrar. A Foro Claudii Aximam petenti ad dextram procul à via visendum se præbet. Quidam tamen Bergintrum *Sentron* esse putant, quod à Tarantasia 18. m.p. abest. Eorum urbes apud Claudium Ptolemæum Axima, hodie vicus magnus *Esma* vel *Aime* dictus, 4. leuc. à Foro Claudii & primaria Forum Claudii, *Moustier en Ta-*

en *Tarentaise*, urbs Archiepisc. ad Isaram fluv. qui illam dividit interfluitque: à Claudio regionis præfecto, qui ibi jus dixit, appellata: postea tamen Darantasiæ nomen assumpsit, seu Tarantasiæ, quod non urbi modò, sed etiam toti tractui Alpino Centronum est attributum. Habet hæc urbs metropolis sedes sub se duas, Sedunensem ac Augustanam, & plerisque à veteri aliquo monasterio Monasterium vocatur; unde *Môtier, Monstier* vel *Moustiers* dicitur: Olim verò ipsa Viennensi sedi fuerat subjecta: Hinc *Centronica* Alpes: Caseus apud Centrones Vatusicus, à Vatusia vel Vatusio, hodie loco ignoto, olim nobilis. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Centrones, Belgii pop. olim sub Nerviorum imperio, Cæs. *lib.* 5. quorum opp. *S. Truyen* vel *Truyden*, teste Henr. Leodio, à Tungris 3. leuc. à Leodio 6. in Occ. in medio inter illud, & Lovanium. Regio nunc Hasbania Latinè nominatur, vulgò *Hasbengaw*. Becanus verò *Cortryck* vocat Flandriæ opp. ad Scaldim. Baudrando in Morinis sunt, ubi nunc *Corteriacum*, urbs Flandriæ, ad Lisam fluv. cum arce permunita, sub Gallis, ab an. 1657. inter Aldenardum & Ipras.

Centulum, vicus pagi Pontivi, cum monasterio, à conditore ejus ac primo Abbate S. Richario, qui sub Dagoberto maj. floruit, *S. Riquier* dicto. Idem Richarius in silvam Crisciacensem secessit, ibique obiit, ubi cœnobium Forestiscella *Forestmoustier*, à Centulo 10. m. p. distans. Distat autem Centulum ab Abbatisvilla, capite pagi Pontivi in Ambianis 2. leuc. ad Ort. estque ad Scarduonem amniculum, *la riviere aux Cardons*, qui in Suminum evolvitur contra Abbatiscellam, positum. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Centum, opp. Duc. Ferrar. sat cultum, aliàs munitum, in confin. dit. Mutinensis, 18. mill. à Bononia, Mirandulam versùs, prope Rhenum amnem, sub Pontif.

Centum cellæ, Tusciæ urbs: *Civita Vechia* hodie. Oppid. Hetruriæ in ora littor. maris Tirrheni, Diœcesf. Viterbiensis, recèns munitum, cum portu tantisper capaci & castro. 6. mill. à Castro nov. in Occas. 9. à Corneto in Austr. 4. à Roma in Occas. in planitie Baudr. Trajano Imperatori originem debet. Plin. Jun. 6. 31. *Evocatus in consilium à Cæsare nostro ad Centum cellas longè maximam cepi voluptatem.* Vide quæ sequuntur. Græcis auctoribus Procopio, & Agathiæ, more ejus temporis, eliso μ Κεντκέλλαι. Ptolemæo ὁ Τραϊανὸς λιμήν, id est, *Trajani portus* dicitur; quem Rutilius pulchrè describit his versibus:

Ad Centumcellas forti deflexìmus austro,
Tranquillâ puppes in statione sedent.
Molibus æquoreum concluditur Amphitheatrum,
Angustosq; aditus insula facta tegit.
Attollit geminas turres, bifidoq; meatu
Faucibus arctatis pandit utrumq; latus.
Nec posuisse satis laxo navalia portu,
Ne vaga vel tutas ventilet aura rates:
Interior medias sinus invitatus in ædes
Instabilem fixis aëra nescit aquis.

Ædes intelligit, quas Græci νεωσοίκους vocant: Νεώσοικοι autem Suidæ sunt οἰκήματα παρὰ τῇ θαλάσσῃ οἰκοδομηθέντα εἰς ὑποδοχὴν νεῶν ὅπως μὴ σαλεύωσιν, nempe quibus subducebantur in stationem naves, Latini *cellas* dicunt, unde portui nomen. Huc Cornelius, Ep. Rom. relegatus est, Galli persecutione durante &c. Vid. Leandr. Albertum, cui *Ferrolla* aut *Forcella* dicitur Collenutium, &c.

Centum colles, Hungariæ opp. vulgò *Zashalon*.

Centum nuces, Sugerio Centinodium, *Cennous* aut *Sanois*, Parisiorum vicus. Vid. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

Centumperanea, ins. in agro Sentinarum, Nicol. Perotti patria.

Centurinum, castr. Corsicæ inf. Ptol. *Centuri* Pineto. Cui adjacet ab Occ. Inf. Centurina. 18. mill. ab arce S. Florentii. 20. à Bastia in Bor.

Centuriones, urbs Hisp. versus Gall. Narbon. Anton.

Centuripe, ager Siciliæ, à quo *Centuripinum crocum* hodie *Centorus* Fazello. *Centuripa* Pomponio Sabino, & Ptolemæo αἱ Κεντόριπαι, reliquis Græcis autoribus neutro genere τὰ Κεντόριπα. Quin & apud Cicer. Plin. Solin. *Centuripis* obliquo casu legimus. Apud Silium *Centuripe*, *lib.* 14.

Nec non altus Eryx nec non è vertice celso
Centuripe, largoq; fluens Entella Lyæo.

De situ Strabo *lib.* 6. Κεῖται δ' ὑπὲρ Κατάνης τὰ Κεντόριπα, συνάπτοντα τοῖς Αἰτναίοις ὄρεσι καὶ τῷ Συμαίθῳ. Populi *Centuripini*. Vulgò *Centorbi*. Opp. Siciliæ, in Valle Dæmona, prope Adranum fluv. 12. mill. à Paterno. Baudr.

Cenulphus, vel *Kenulphus*, 14. Merciorum R. pietate & rerum præclarissimarum gloriâ illustris. Regem Cantii victum cepit. Obiit an. 819. regni 24. *Hist. Angl.*

Cenus, libertus Neronis, qui cùm atroci mendacio vulgasset, Vitellianos superventu XIV. Leg. junctis à Brixello viribus, cæsos victores, versam partium Fortunam, rapidus in urbem vectus, paucos post dies, jussu Vitellii, pœnas luit. Tacitus *lib. hist.* 2.

Cenus, extremum Italiæ promuntorium versus Pelorum Siciliæ.

Ceolfridus, Abbas Anglus, Bedæ præceptor, de festo Paschatis librum edidit. Beda *hist. Angl lib.* 5 *cap.* 16. Trithem.

Ceolphus, decimus sextus Rex Merciorum, post fratrem Kenelmum, Cenulphi nepos. Decimo post anno pulsus. Item, Rex WestSaxonum. Item, Rex Daniæ.

Ceos, Cea Plin. *Cia* Ptol. vulgò *Zea*, insula maris Ægæi, una Cycladum. Vide *Cea*.

Cephalæ, municipium Acamantidis tribus, in Atticâ: alludit Aristoph. *Avibus*,

Ὁ πατὴρ ἀρχὴ τῆς κορυφῆς, νυνὶ κεῖται πτηνὸς κεφαλῆσιν.

Cephalæon, historicus Gr. ab Adriano Imper. in Siciliam relegatus, ubi epitomen historiæ scripsit, à Nino usque ad Alexandrum Magnum, libris 9. Musarum nominibus, instar Herodoti. Patriam, Homerum imitatus, nunquam confessus est. Euseb. *Chron. lib.* 1. Phot. *Bibl. tm.* 68. Vossius *de hist. Gr. lib.* 1. *cap* 5. *& lib.* 2. *cap.* 12.

Cephalas, altum & sylvosum promuntorium majoris Syrtis initium. Strabo *lib. ult.*

Cephaledion, opp. Siciliæ non procul ab Himera fluvio Plin. 3. 8. & Strabo *lib.* 6. Vide *Cephalædis*.

Cephalene, vel *Cephallenia*, inf. maris Jonii. Plin. tradit eam quondam dictam fuisse *Melanam*, *lib.* 4. *cap.* 12. A *Cephalo* Amphitryonis socio, Deionei filio, dictam volunt. Populi *Cephallenes*, qui Ulyssem ad bellum Trojanum secuti sunt, ut videre est apud Hom. *in Catalogo navium*,

Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους.

Silius *lib.* 6.

Saxa Cephalenum, & scopulosis Neriton arvis.

Infra Corcyram est, & Acarnaniæ objecta. Nomen ejus à verbo כפל *cephal*, quod Syris est *duplicare*, ut כפל *caphal* apud Hebræos, quia bifariam divisa est, & videtur esse gemina insula, partibus isthmo tam plano inter se cohærentibus, ὥσθ' ὑπερκλύζεσθαι πολλάκις ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν, Ita Strabo. Eam olim Taphii & Teleboæ tenuisse perhibentur. Ejus circuitus est 120. circiter mill. sub Venetis, cum urbe permunita in colle, versus Austr. Incolis Græcus ritus. Vix 20. mill. à Zacyntho. Olim 4. habuit urbes, nunc villas tantùm & pagos, cum portu *Argostoli*, ad Austr. Inf. 6. mill. ab urbe Cephalenia. Davity *T. III.*

Cephallen, Lampi filius Citharœdus nobilis, apud Pausan.

Cephalædis, seu *Cephaludium*, Siciliæ urbs munita, hodiè *Cefalu* Leandro. In ora Boreali Inf. cum portu versus mare Tirrh. in modum promunt. in mare excurrens. 49. mill. à Panormo in Ort. 90. à Messana. Episcop. sub Archiep. Messanensi. Octavius Brancifortius, Constitutiones Synodales fecit an. 1635 publicè editas. Κεφαλοιδὶς Ptolemæo, Κεφαλοίδιον Straboni *lib.* 6. Κεφαλοιδιὰς Græcâ formatione, Silio, *lib.* 14.

Quaq; procelloso Cephaloidias ora profundo,
Cæruleas horret campis pascentia cete.

Πολίχνιον Strabo vocat. Φερέλιον Diodorus *lib.* 13. Vide Cluver. *de Sicil. Ant. lib* 2 *cap.* 3. populi *Cephalæditani*, Ciceroni *in Verrinis*, & Prisciano. Nomen utut Græcum videatur, tamen est merè Punicum. Pœnis enim כיפא לוד *Cepha-lud* est *rupes flexa*. *Cephalædis* porro sita est in vertice rupis, pænè in ipso flexu promuntorii, quod multum in mare prominet. Constat id tam ex tabulis, quàm ex descriptione Fazelli, dum in eo est, ut probet Græcum esse vocabulum, *Cephalædos* inquit, *urbs vetusta, nomen à* Κεφαλὴ, *quod Caput est Latinis, nacta est, vel ob id, quòd ad verticem prærupta rupis, promuntorii speciem habentis, condita fuit, ubi adhuc arx est naturâ munitissima, & urbs ipsa jacens ambitu ferme mille passuum.* A Messeniis proditione captam narrat Diod. *l.* 14.

Cephalon Gergithius, Κεφαλὼν ὁ Γεργίθιος memoratur Straboni *lib.* 13. ubi ait, fuisse in agro Cumano urbem, quæ pl. num. & genere muliebri αἱ Γέργιθες diceretur, atque hanc Cephalonis hujus patriam fuisse. Testem quoque eum producunt Parthenius *in Eroticis*, qui Troica illius citat, *Hist.* 4. & Festus Pompeius, *in Romam.* Item Dionysius Halicarn. *lib.* 1. ubi vocatur Κεφαλὼν Γεργίθιος συγγραφεὺς παλαιός. De Æneæ in Italiam adventu. Vide Voss. *Hist. Græc. lib.* 2. *cap.* 12. *& lib.* 3. *pag.* 340.

Cephalonnesus, Carcinites sinus, ubi in pontem Eux. se exonerat, inf. *Rubea* teste Pineto, apud Tauricam Chersonesum cum urbe cognomine. Plin. Ptol. Amm. Marcel. Inf. parvâ & oblonga in Hyllæa reg. prope Tamiracam portum, ex adverso Tauricæ Chersonesi, 50. circiter ab ea mill. in Occas. distans. Baudr.

Cephalotomi, pop. ad Pont. Euxinum. Plin. 6. 5.

Cephalus, Deionis, vel Deionei filius, vel, ut alii volunt, Mercurii & Herses filiæ Cecropis, qui Procrin Erechthei, vel Hyphili Atheniensium regis filiam uxorem duxit. Hujus amore capta Aurora, cùm juvenem uxoris amantissimum nullâ ratione ad sui amorem posset inflectere, vi eum dicitur rapuisse. Verùm cùm ne sic quidem constantiam ejus posset labefactare, ad uxorem eum remisit in negotiatoris similitudinem transformatum: cujus erga se fidem cùm explorare vellet, ingentibus muneribus pudicitiam ejus solicitavit, cumque illa pretii magnitudine jam succumberet, Cephalus receptâ pristinâ formâ perfidiam ei exprobravit. Quod Procris cùm inficias ire non posset, pudore impulsa, relicto viro in silvam sese, locaque deserta contulit. Tandem tamen viro reconciliata, jaculum ei inevitabile, & canem Lælapa nomine dedit, quem à Minoe dono acceperat. Iis itaque muneribus instructus Cephalus silvis sese assiduè oblectabat, reli-

ctoque ante lucem uxoris thalamo, venatione sese exercebat. Quamobrem verita Procris, (ut res est plena suspicionis amor) ne nymphæ cujuspiam amore teneretur, clam eum in silvas est subsecuta, & ut in furto virum deprehenderet, inter fruteta sese occultavit. Cùm itaque Cephalus, æstu laboreque fatigatus ad virgulta se recepisset, & sub arbore quâdam recumbens *Auram*, ut se reficeret, ex more invocaret, Procris suspicata aliam pellicem affuturam, quò rem omnem melius cognosceret, sese erigens virgulta commovit. Quâ re animadversâ Cephalus feram ratus, jaculum suum emisit, uxoremque charissimam inevitabili ictu interfecit. Ovid. *lib.* 7. *Met.* Sed paulo aliter Hyginus *Fab. Poëtic. cap.* 189. Propterea accusatus fuit coram Areopago, & hoc fuit secundum Areopagi judicium, uti discimus ex Scholiaste Euripidis *in Orestem*; Primum fuit Martis à Neptuno accusati, quòd filium suum Halirrhothium interfecisset; Secundum Cephali, propterea quòd Procrin uxorem occidisset, Tertium Dædali, qui Talum nepotem ac sororis suæ filium de medio sustulerat; Quartum Orestis parricidii à Tyndaro Clytæmnestræ patre accusati. Neque tamen desunt, qui Cephalum à Jove in lapidem conversum tradant. Ovid. *in De Arte Amand.*

Latmius Endymion non est tibi Luna pudori,
Nec Cephalus rosea præda pudenda Dea.

Idem *in Ep.*

Clarus erat Cephalus silvis, multaq; per herbam
Conciderant illo percutiente fera.

Idem ibidem:

Hunc ne pro Cephalo raperes Aurora timebam.

Cephalus, Atheniensis orator, qui primus procemia, & epilogos induxit. Suidas. Cujus etiam Æschines & Demosthenes, *in Orationibus*, meminerunt. Hic gloriabatur, quòd cùm plura decreta, quàm quis sui temporis orator, scripsisset, nunquam fuisset accusatus, quòd contra leges decrevisset. Cæl. Rhodiginus.

Cephalus Corinthius, correxit leges Dioclis Syracusis, post ejectum Dionysium Juniorem, Olympiad. 110.

Cepharnoma, vicus in tribu Manasse. Joseph. *in vita sua.*

Cephas, sic dictus fuit Simon Petrus, Andreæ frater, rationem nominis reddit Servator, Joh. 1. 42. Σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται ὁ πέτρος. Syriacæ originis, Hier. Tertull. August. &c. Scires unde vocabulum illud originem suam duxerit? Consules Cardinalem Betronium, & invenies eum cum Optato Milevitano, aliisque ejusdem farinæ miseris linguarum insciis ex linguâ Græcâ derivantem. Cephas, inquit, dicitur ἀπὸ τῆς κεφαλῆς *à capite.* Atque hinc ingens producit mysterium, imò & simul ingens ignorantiæ specimen. Petrus, inquit, est ἡ κεφαλὴ; quia totius Ecclesiæ Catholicæ caput, & fundamentum est, qui suam etiam vim Pontificibus Romanis continuâ successione communicavit. Atqui כיפא *Cepha* Syriacè *Petra* dicitur.

Cephenes, Æthiopiæ pop. Herod. & Ovid. *Met.* 5.

Dumq; ea Cephenum medio Danaeius heros
Agmine commemorat. ——

Cephesis, vide Telphusa.

Cepheus, Æthiopum rex, Andromedæ pater, quam Perseus periculo liberatam, uxorem duxit. Ovid. *Met.* 5.

Auxiliumq; domus Servatoremq; fatentur
Cassiope, Cepheusq; pater.

Hic postea generi meritis cum uxore & filiâ in cœlum translatus est, & à tergo minoris ursæ constitutus, circuloque arctico ita inclusus, ut præter caput & humeros ejus occidere videatur. Hinc *Cephaus* Ovid. *Met.* 4.

Æthiopum populos, Cephaaq; conspicit arva.

Item *Cepheus*, unus ex Argonautis. Orpheus.

Cepheus, Alei filius, Argonautarum in expeditione Colchicâ comes. Flacc. 1. 378.

Cephira, i. e. *leuncula*, aut *propitiatio*, sive *lenitio*, aut *villa*, vel *oppidum*, sive *glacies*, aut Syriacè *negatio*: nomen viri. 1. Esdr. 7. Item urbs. 2. Esdr. 8. Eadem & *Caphara*, & *Caphira* dicitur. Item nomen urbis. Jos. 18.

Cephis, statuarius nobilis. Plin. 24. 8.

Cephisia, regiuncula Atticæ, per quam Cephisus labitur, & in quâ fons ejusdem nominis, teste Plinio 6. 7.

Cephisidorus, Atheniensis Tragicus, antiquæ Tragœdiæ scriptor, Æschyli tempore. Suid. Fuit & alius *Cephisodorus*, qui in Comœdiis tanquam asinus traductus est. Fuit quoque alius præfectus, qui cum Gryllo Xenophontis filio ad Mantineam occubuit. Suid. Item Atheniensium dux, qui rei malè gestæ damnatus, in obsidione Alopeconnesi, quinque talentis multatus est. Suid. Præterea fuit *Cephisidorus* Atheniensis Isocratis discipulus, & ipse Rhetor, qui Platonem, & Aristotelem reprehendit, quòd Proverb. scripsisset, testibus Halicarnassensi Dionysio *in Isocrate*, & Athenæo 8. 13. Alius etiam, *Cephisodorus* Belli sacri seu Phocici scriptor citatur ab Eustratio *in Aristot. Ethic. lib.* 3. *cap.* 8. Vide Vossium *de Poët. lib.* 3. *cap.* 6. *De Philolog. c.* 6. §. 1.

Cephisidorus, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ tertiæ anno tertio.

Cephisidorus, Archon Athenis Olympiadis centesimæ quintæ anno tertio.

Cephision, tribus millibus peditum & quingentis equitum, auxilio Megapolitanis missis à Thebanis, præfectus. Diod. 16. 530.

Cephisis, lacus juxta mare Atlanticum, quem Mauri *Electrum* vocant, quòd sole calefactus electrum è limo det. Plin. 37. 2.

Cephisodemus, Rhetor ac rabula Atheniensis importunus procax ac nugax. Vide Schol. *in Aristoph. Acharn. paginâ* 405. *D.* Eo nomine Grammaticus laudatur ab auctore Scholiorum *in Aristophanis Aves, pag.* 601. *C.*

Cephisodorus, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ decimæ quartæ anno secundo.

Cephisophon, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ duodecimæ anno quarto. Fuit & *Cephisophon*, qui populi scitum fecit, ut jure cibum in Prytaneo capiendi Euripides prohiberetur. Vide Scholia *in Aristophanis Ranas, Act.* 4. *Sc.* 1.

Cephisophon, Servus Euripidis, laborum ejus adjutor maximè in versibus struendis, quem & cum ejus uxore solitum fuisse Comici traduxerunt. Vide Scholia *in Ranas* 277. *G.*

Cephisus, vel *Cephissus*, fluv. Bœotiæ, qui in Trinemiis nascens, & præter Larymnam in Atticum agrum influens, tandem in Phalericum sinum se exonerat. Strabo *lib.* 9. Lucan. *lib.* 3.

Bæoti coiere duces, quos impiger ambit,
Fatidica Cephissus aquâ.

Ubi Cephissi aquas fatidicas dicit, propter Themidis oraculum, fluvio huic vicinum, à quo Deucalioni, & Pyrrhæ ratio ostensa est, quâ genus humanum possit reparari. *Cephissus*, inquit Bochartus, Arabibus חפיז *Chaphiz*, quod *profundum* notat, est enim ἀγχιβαθὴς, *alti gurgitis*, teste Pausaniâ *in Bæoticis.* Et in Melanis cum Cephiso confluxu βαθεῖαν λίμνην, *profundum lacum*, describit Theophrastus *Hist. Plant. lib.* 4. *cap.* 12. Καλλιρέεθρος Homero *in Hymnis*, hoc est, *pulcrifluus*, & Καλλίναος, *pulchrè fluens*, Euripidi *in Medeâ* dicitur. Baudrando oritur in Doride, prope Lilæam urbem; dein auctus Melâ fluv. Elatæam Phocidis urbem rigat, postea per Cherroneam in Bœotiam labitur, caditque in Copaidem lac. *Cephissides* hinc dictum, mox per cuniculum exiliens, in Euripum se exonerat, prope Larimam opp. Inundationibus valdè obnoxius. Septem enumerat *Cephisos* Strab. *lib.* 9. Longè sanè diligentior Polemone, qui in libro περὶ ποταμῶν, tres tantùm nominat. Sic enim ille, ἐν Ἀθήνῃσί τε Κηφισσὸς, καὶ ἐν Σικυῶνι, καὶ ἐν Ἄργει. Vibius quoque Sequester Polemone negligentior est: unicum enim novit Phocicum Cephissum.

Cephissus, Atticæ fluv. juxta Athenas fluit ad Occas. dein in sinum Saronicum se exonerat, prope Pyræum portum.

Cephisus, nepotis obitum lugens, in monstrum marinum ab Apolline conversus est. Ovid. *Metam. l.* 7. *f.* 19.

Cephren, Ægyptius Tyrannus. Synesius *Ep.* 58. Vide Jonsium *de Script. Hist. Phil. l.* 1. *cap.* 13.

Cepi, id est, *horti*, locus maritimus, ubi Mæander in mare illabitur. Cedrenus.

Cepiana, Celticorum in Lusitania urbs. Ptol. In prov. intra Tagum & Anam fluv. Aliis est *Pinhel*, opp. Portug. in Transmont. prov. juxta amnem cognom. vix 4. leuc. à confin. regni Legionis in Occas. totidem à Durio fluv. in Austr. à Trancosio autem 5. in Ort.

Cepio, civis Romanus, qui cum Druso inimicitias exercuit, unde origo belli socialis. Valerio Max. scribitur *Cæpio.*

Cepio Coriolanus, Dalmata, Scodræ inclusus, cùm à Mahomete II. obsideretur, an. 1478. scripsit historiam Mocenici, Ducis Veneti. Voss. *de hist. Lat. l.* 3. *c.* 6. Vide *Cæpio.*

Cepio Servilius, Cos. Rom. Hispaniam duce Viriatho rebellantem pacavit; Proconsul, captâ Tolosâ, in terrâ Galliæ è templo aurum sustulit. Unde & ipse, & quicunque ex ea direptione aurum attigisset, misero exitu perierunt. Nam postea Cos. cum Cn. Manlio contra Cimbros in Italiam ruentes missus, apud Rhodanum victus profligatusque est. Jussu pop. Rom. ejus bona publicata, ejusque imperium primò post Tarquinium abrogatum, ipse in publicis vinculis extinctus, inde tractus discerptusq; est ad Scalas Gemonias, Liv. *lib.* 67. Alii in exilio periisse dicunt. Is antè de Ciliciis triumphavit. Valerius Maximus.

Cepoe, opp. Bospori Cimmerii, Plin. *lib.* 6. *cap.* 6. hodie *Copa.*

Cepus, urbs ad Pont. Eux. in Corocondamâ insula. Strab. Diodor. De ea sic Baudr. *Cepus*, seu *Cepe*, aut *Cæpa* vel *Cepi* Milesiorum, opp. Asiæ ad Corocondamim lac. in regno Bosphorano, inter Phanagoriam & Tyrambim, in Eione ins. vix 10. mill. à Bosphoro Cimm. in Ortum.

Cepusiensis Comit. prov. Hung. Septentr. versus montem Carpatum & confin. Poloniæ, *Cepusz* dicta, cujus pars etiam Polonis, à 3. seculis, subest. Ibi opp. præc. *Leutsch*, in dit. Imperatoris, ut Hungariæ R. cum parte Australi Comitatus.

Ceraca, Macedoniæ urbs circa Lychnidem paludem. Polyb. *lib.* 5.

Ceracates, Germ. Transrhenani populi, Vangionibus ac Tribocis proximi. Tacitus.

Cerambycas, fluvius, & insulani *Cerambyca*, vide *Helixoea.*

Ceramentes, pop. qui de conventu Carum, quem *Chrysaoreum* vocant, participant, licet Carici generis non sint. Strabo *libr.* 14.

Cerami-

Ceramicus, Cariæ sinus, non longè ab Halicarnasso. Plin. 3. 29. *Ceramici*, inquit Suid. Athenis loci duo erant, unus in civitate, alter extra civitatem: in quorum altero, qui in bello cecidissent, publico sumptu sepeliebantur, funebrique oratione ornabantur. In altero verò scorta prostabant. Hesych. Κεραμεικὸς, τόπος Ἀθήνησιν, ἔνθα αἱ πόρναι προεστήκεσαν. Εἰσὶ δὲ δύο Κεραμεικοὶ, ὁ μὲν ἔξω τείχους, ὁ δὲ ἐντός. Vide Suid. & Jo. Meursii *Athen. Att.*

Ceramis, municipium tribus Acamantiæ. Suidas.

Ceramium, locus Romæ, in quo Cicero & Milo domum habebant. Cicer. *ad Att. lib.* 4.

Ceramnus, ingentis staturæ, dux auxiliaris Persæ, à Phryxi filio, inflicto in pectus spatioso vulnere, occisus apud Val. Flacc. 6. 51.

Ceramorum forum, Asiæ min. urbs in finibus Mysiæ. Xenoph.

Ceramus, Asiæ min. opp. in Mœoniâ, & in Arctonneso insf. juxta Cariam. Plin. Doridis item opp. litorale. Ptol.

Ceramyntes, à Græcis Hercules cognominatus, quasi *fata rejiciens*, ut idem sit fermè cum Alexicaco. Rhod. 6. 7.

Cerange, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Cerason Chryseon, promuntorium Propontidis, in quo Byzantium oppidum fuit, nunc Constantinopolis.

Ceraste, insulæ prope Syenen. Plin. 5. 9.

Cerastis, Cyprus olim sic dicta, quoniam homines *Cerastas*, id est, *cornibus insignes* eam quondam tenuisse quidam scribunt. Alii quòd procurrentibus promuntoriis, velut infestis cornibus, assurgat. Quinimo *Cerastæ* dicti sunt Cyprii omnes, quia ipsa insula *Cerastis* à frequentibus promuntoriis, in cornuum modum prominentibus, vocabatur. Steph. Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Κεραστὶς ἀπὸ τοῦ πολλὰ ἄκρα ἔχειν. Hinc Nonnus, *lib.* 13. & passim: Κεραστίδος εἰς χθόνα Κύπρου, ubi malè scribitur Κεραστίδος.

Cerasus, *funtis*, nunc *Chirissonda*, urbs Cappadociæ marit. Mela. 1. 19. *Raræ urbes. Cerasus, & Trapezus maximè illustres:* Græca Sinopensium colonia. Baudrando urbs Asiæ min. in Ponto Polemoniaco, & ora littor. ponti Euxini. Inter Hermonassum ad 36. mill. & Trapezuntem ad 65. Nunc paucis constat incolis in Amasia reg. sub Turcis. Hinc *Cerasa* primùm à Lucullo in Italiam delata, teste Athenæo. Hieron. *ad Marcel. Accepimus & canistrum cerasis refertum talibus, & tam virginali verecundiâ rubentibus, ut ea nunc à Lucullo delata existimarem. Siquidem hoc genus pomi, Ponto & Armeniâ subjugatis, de Cerasunte primus Romam pertulit; unde è patriâ arbor nomen accepit.* Atqui *Cerasorum* appellatio ipsius *Cerasuntis* urbis natalibus prior est & antiquior. Κεράσους enim indubitanter dicta, ἀπὸ τῶν κεράσων, ut Αγνοῦς, Ἀναγυροῦς, Ἀχραδοῦς, Ῥαμνοῦς, Μυρρινοῦς, Σελινοῦς, Πυξοῦς, Μυρλεοῦς, & similia, ab aliis plantis locorum deducta nomina. Casaub. *in Athen.*

Cerata, locus in Megaridis confinio. Plut. *in Paral.*

Cerate, Straboni Italiæ urbs. *Cereto* nunc Leandro. In colle, inter Sublacum & lacum Fucinum, *in confin.* Aprutii ulter. Aliter *Cerata* & *Cereata*. Est etiam castrum Umbriæ, ad Neram amnem, ad pedes Apennini, versus Marchiam Anconitanam, 12. milliar. à Cascia, 15. à Nursia in Occasum. Sub Pontif. Vulgò *Cerretto.*

Cerate, vicus Turonum, Gregorio Tur. *Hist. l.* 10. *cap. ult.* memoratus, hodie *Ceray*, non procul à fluv. Caro, & à Vico Turonum Orbiniaco *Orbigni*. Hadr. Valesius.

Ceratus. fluv. Cretæ Cnossum urbem præterlabens, quæ etiam de nomine fluvii dicta est. *Fiume di Ginosa*: hinc *Cerateus* adject. Virg. sive Catullus *in Ciri*,

> *Carpathium fugiens, & flumina Ceratæa.*

Ceraunia, Achajæ in Peloponneso urbs. Polyb. *lib.* 2.

Ceraunia, Cypri insf. opp. quod hodie *Cerines* vocari ait Mercator, sed Græcus Ptolemæi codex habet *Ceronia.*

Ceraunia, sive *Ceraunii*, montes in finibus Epiri, in mare usque extensi, ubi Jonium mare ab Adriatico separatur: Ita dicti à fulminibus, quibus sæpe impetuntur, Ovid. 2. *de Pont. Eleg.* 6.

> *Cum poteram recto transire Ceraunia velo,*
> *Ut fera vitarem saxa, monendus eram.*

Lucanus *lib.* 5.

> —— *Scopulosa Ceraunia nautæ*
> *Summa timent.* ——

Prærupta Ceraunia Ovidio *Met.* 15. Sunt in Chaonia reg. versus Oeneum sinum. Nunc à Chimera opp. *Monti di Chimera.* Sunt ab Occasu in Ortum extensi, inter Albaniam & Epirum. Vix 50. mill. à Corcyra Inf. in Bor. Baudr. Vide *Acroceraunium.*

Ceraunias, Jupiter dictus, quòd fulmen emittat.

Ceraunii, montes in Asiâ in Caspium pelagus obversi. Pompon. Quin & Taurus mons in universum Græcè *Ceraunius* dicitur. Plin. 5. 27.

Ceraunus, cognomen cujusdam Ptolemæi primi filii, sic dicti, quòd in bello fulminaret. Rhodiginus 24. 6.

Ceraunus, amnis clarus Cappadociæ. Plin. *lib.* 6.

Ceraußus, Arcadiæ mons. Pausan.

Cerbalus, Apuliæ amnis. Plin. 3. 11. *Cervaria* Nigro. Is est, de quo Strabo *lib.* 6. Μεταξὺ τῆς Σαλαπίας καὶ Σιπούντος ποταμὸς πλωτὸς δ᾽ ἐς τὰ ἐν Σιπούντι κατάγεται. Baudrando *Cerbalus* fluv. Italiæ, in regno Neap. in prov. Capitanatæ. Oritur ex Apennino monte, & prope Bovinum urbem labitur, dein in Candelaram fluv. se exonerat, prope Sipuntum, vulgò *Cervaro.*

Cerbani, Arab. Fel. pop. Plin.

Cerbarium, locus in Apuliâ. Procop.

Cerberion, oppidum in ultimo ostio Bospori Cimmerii, Plin. *lib.* 6. *cap.* 6.

Cerberus, à poëtis fingitur canis triceps, inferorum custos, quem ab Hercule catenâ ab inferis tractum esse iidem fabulantur. Virgil. *Æn.* 6.

> *Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci*
> *Personat, adverso recubans immanis in antro.*

Tibullus *lib.* 2.

> *Nec canis anguinea redimitus terga catenâ,*
> *Cui tres sunt linguæ, tergeminumq; caput.*

Sophocles *in Trachiniis*: Τρίκρανον σκύλακος, ἀπρόσμαχον τέρας.

Ovid. *Met.* 11.

> —— *Nec forma triplex tua Cerbere movit.*

Hesiod. *in Theog.* quinquaginta capita illi tribuit in his:

> Δεύτερον αὖτις ἔτικτεν ἀμήχανον. οὔτι φατειὸν
> Κέρβερον ὠμηστὴν Ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον
> Πεντηκοντακέφαλον, ἀναιδέα τε κρατερόν τε.

Isacius illum centum capita habuisse scribit: Ἐκεῖ δὲ λέγουσιν εἶναι τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς, ἃς φυλάσσει ὁ κύων τοῦ Ἅδου ὃς ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς. Sic etiam Horat.

> —— *Demittit atras bellua centiceps Aures.*

Quod autem addit Isacius, Λέγουσιν ὅτι τοὺς εἰσερχομένους μετὰ κολακείας προσδέχεται, τοὺς δὲ ἐξελθεῖν θέλοντας σὺκ ἐᾷ, ex Hesiodo habuit; cujus versus apponam:

> —— Δεινὸς δὲ κύων προπάροιθε φυλάσσει
> Νηλειὴς, τέχνην δὲ κακὴν ἔχει, ἐς μὲν ἰόντας
> Σαίνει ὁμῶς, οὐρῇ τε καὶ οὔασιν ἀμφοτέροισιν,
> Ἐξελθεῖν δ᾽ σὺκ αὖτις ἐᾷ πάλιν, ἀλλὰ δοκεύων
> Ἐσθίει, ὅνκε λάβῃσι πυλέων ἔκτοσθε κιόντα.

Mytholog. *Terram* interpretantur: dictum que volunt Cerberum qu. κρεοβόρον, hoc est, *carnivorum*. Terræ enim proprium est cadavera consumere, & ad primam suam originem revocare, hoc est in humum convertere. Item tempus edax rerum, cui tria capita, Præsens, Præteritum & Futurum. Ab homine cordato superatur, qui exigit monumentum

> *Ære perennius,*
> *Quod nec imber edax,* &c.

Etiam tres hominis capitales hostes significare potest, qui à generosa Anima sub jugum mittuntur, &c. Alii Serpentem fuisse volunt, in Tænaro Laconiæ promuntorio, cujus veneno mortales extinguebantur. Et quoniam in Tænaro ad inferos dicitur esse aditus, *Ditis canem* dixerunt; quem cùm Hercules trucidasset, nata est fabula, *canem tricipitem interemisse*; quanquam alii hoc ad virtutem ejus, & animi cupiditatem referre malint, quâ omnes cupiditates, & cuncta vitia terrena contempsit ac domuit. *Cerberus* etiam dictus est canis Alexandri Epirotæ cum leonibus congrediens. Hesychius habet Κερβέρειοι, ἀσθενεῖς.

Cercaphus, filius Poliadis & Cydippes. Steph. in *Camiro*; à quo Rhodiæ mulieres *Cercaphides*. Meminit ejus etiam in *Lindo*. Fuit & alius *Cercaphus*, filius Æoli, Phœnicis proavus, cujus meminit Strabo *lib.* 9. Et Eust. *in* 2. *Il.*

Cercaphus, Colophonis mons, ubi vipera reperitur. Nicander, Isac. *in Lycophr.*

Cercasorum, Ægypti opp. juxta quod scinditur Nilus in Pelusium fluens & Canopum. Herod. *lib.* 2.

Cerceis, nympha marina, Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* à *texendo* dicta. *Cercis* enim Græcè *radium textorium* significat.

Cerceticus, sinus maris Euxini, in Sarmatiâ Asianâ, ubi Tazus urbs, vulgò *Golfo di Susaco.*

Cercetii, pop. in orâ ejusdem Sarmat. *Cercetæ* Plinio. Κερκέται Ptol. qui nunc *Circassi* memorantur.

Cercetius, mons Sami juxta Ampelum mont. & promunt. Sunt & *Cercetii* montes in Thessaliâ. Plin.

Cerciæ, insulæ circa Joniam. Plin.

Cercidas, optimus legislator Megalopolites fuit. Hic cùm morti esset proximus, ad suos conversus, Jucundè se à vita migrare pronunciavit, quòd animo concepisset, mox paulò ex sapientibus quidem cum Pythagorâ se congressurum, ex historicis cum Hecatæo, ex musicis cum Olympo, ex poëtis cum Homero. Stephanus.

Cercidas, poëta Jambicus. Rhodigin. 4. 8.

Cercii, Italiæ pop. Diodorus *lib.* 14.

Cercina, vel *Cercinna*, inf. parva maris Mediterranei, cum urbe ejusdem nominis in ora Africæ, & regn. Tunetani, ad promuntorium min. Syrtis sita. Plin. 5. 7. Inde *Cercynites* perparva insula, Cercinæ superiori Carthaginem versus ponte juncta. Plin. ubi supra. Hæc *Gamera*, forsan aliàs *Cercinna minor* dicta est. Baudr. Etymon ejus sic explicat Bochartus. Insulæ nomen, inquit, ab urbe factum, quam Pœni appellabant, כרכין *Ceracin*, id est, φραγέλα, ὀχυρώματα. Hinc Plinius, *Cercina cum urbe ejusdem nominis.* Et Strabo; Ἡ Κέρκινα εὐμεγέθης ἔχουσα ὁμώνυμον πόλιν. Et

Diodorus, Ἑξῆς δ' ἐςὶ Κέρκινα, πρὸς τὴν Λιβύην νευδυκῦα, πόλιν ἔχυσα σύμμετρον. In Strabone *Cercina* & *Menix*, sunt πάρελοσι τοῖς μεγέθεσι, *æquales magnitudine*, sed in Plinio *Menix* longa est 35. m. p. lata 25. *Cercina* longa duntaxat 25. m. p. lata dimidium ejus, ubi plurimum, ac in extremo non plus 5. mill. pass. Itaque Menix Cercinâ multo est amplior: At Cercina non minus ferax. Unde est, quòd apud Polybium suorum agrorum depopulationem à Cn. Servilio Cercinates magno redimunt. Et apud Hirtium Sallustius: *Prætor ab iisdem receptus magno numero frumenti Cercinæ invento, naves onerarias, quarum ibi satis magna copia fuit, complet, atq; in castra ad Cæsarem mittit.* Distat hæc ins. ab Adrumeto in Ort. 25. mill. à Tacapis 100. circiter in Bor. 90. à Lopadusa 50. à Lottophagite seu Meninge Ins. in Bor. Ægrè à paucis habitatur *Chercara*. Ital. Baudrand.

Cercina, mons Thraciæ, versus Macedon. Sinthos & Pæones pop. conjungens, in Dantheletica reg. Thuc. *l.* 2.

Cercinium, Macedoniæ opp. Livius.

Cercion, vide *Cercyon*.

Cercopes, pop. Pithecusæ ins. qui cùm nullo flagitii genere abstinerent, à Jove in simias mutati sunt. Ovid. *Met.* 14.

Quippe Deûm genitor fraudem & perjuria quondam
Cercopum exosus, gentisq; admissa dolosa,
In deforme viros animal mutavit, ut iidem
Dissimiles homini possent, similesq; videri.

Cercopes, item fratres duo fuerunt *Passulus* & *Achemon*.

Cercopia, magnæ Phrygiæ opp. Ptol. Versus Lydiam, juxta Cryam amnem, qui paulo infra in Hermum cadit. Nunc *Arcobia* Castaldo. Prope Eucarpiam.

Cercops Milesius, historiæ fabulosæ scriptor, Apollodoro *lib.* 2. *bibl.* laudatus. Itemque Philosophus Pythagoricus. Vide Clem. 1. *strom.* Voss. *Hist. Gr. lib.* 4.

Cercosium, opp. à Diocletiano ampliatum mœnibus, turribusque inexpugnabilibus munitum; Pompon. Lætus.

Cercum, opp. Tauricæ Chersonesi.

Cercus, Bithyniæ collis. Cedrenus.

Cercyon, latro insignis, apud Eleusinem, Atticæ civitatem, tanto corporis robore, ut validissimas arbores incurvare posset, quibus viatores alligatos discerpebat. Filiam habuit nomine Atopen, quæ à Neptuno vitiata Hippothoonta peperit. Quod cùm nutricis judicio rescivisset Cercyon, tam ægrè id tulit, ut puerum quidem in silvis devorandum feris objecerit, filiam verò carceri inclusam fame enecarit. Interfectus est tandem à Theseo eodem supplicii genere, quo ipse in viatores sævire consueverat. Ovid. *Met.*

Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleusis.

Inde *Cercyoneus* adjectivum. Idem *in Ibin*,

Quaq; Ceres vidit læto pereuntia vultu
Corpora, Thesea Cercyonea manu.

Cercyra, ins. maris Jonii, quæ à Latinis literâ unâ immutatâ *Corcyra* dicitur. Populi *Cercyrei*, qui quoniam crebris seditionibus agitabantur, consueverant gestare flagra ingentia ansis eburneis exornata.

Cerdanita, Arab. Fel. pop. Steph.

Cerdias, civitas à Lysandro vi capta & diruta. Xenophon, *Histor. lib.* 2.

Cerdo, seu *Cerdon*, Patr. Alex. præfuit, ab A. C. 100. usque ad 110. Baronius *in Annal.*

Cerdo, seu *Cerdon*, hæreticus, discipulus Heracleonis, sectator deliriorum Simonis Magi & Saturnini, in Syria errores suos sparsit. Duos statuit Deos, bonum & malum, Legem & Prophetas &c. rejecit, solâ Evangelii Lucæ parte aliquâ, & quibusdam Paulinis Epistolis retentis. Verum Christi corpus, corporisque resurrectionem inficiatus est: Hinc Christum verè esse passum negavit. An. 151. Romam veniens, mentitâ abjuratione errorum suorum Orthodoxis imponere frustra conatus, mox pulsus est. Tertull. *de Præscr. cap.* 51. Irenæus *c. hæret. lib.* 1. 3. &c. Epiph. *hæret.* 41. August. *hæresi* 21. Eus. 4. 12.

Cerdous, dictus est Apollo, ut & Mercurius à Κέρδος, *id est*, *lucrum*: Hic quidem, quia negotiis præsit ac lucro, quâ ratione illi marsupium assignatur: ille verò, quia oraculis editis ad lucrum conferre insigniter crederetur. Rhodigin. 16. 19. Suidas, Κερδῷος θεὸς ὁ Ἑρμῆς, ὡς κέρδυς ποιητικός. Καὶ ἄγγελον δὲ αὐτὸν καλῦσι, καὶ κλῶπα, διὸ καὶ μάρσιπον αὐτῷ ποιῦσι βαςάζειν. Unde Ausonius *ditem* vocat *ep. ad Paulinum*,

Jam nunc per auras Persei talaribus,
Petasoq; ditis Arcados vectus vola.

Cerdylium, Argiliorum locus, non procul distans ab Amphipoli. Thucyd. *lib.* 5. Ἔςι δὲ χωρίον τῦτο Ἀργιλίων, ἐπὶ μετεώρυ, πέραν τῦ ποταμῦ, ὐ πολὺ ἀπέχον τῆς Ἀμφιπόλεως.

Cere, vide *Care*.

Cerealia, orum, sacra Cereris à Triptolemo instituta, quæ Plinius *lib.* 24. *Thesmophoria* vocat, à Cerere Thesmophoro, h. e. *legum latrice*. Hæc autem festa tantâ religione celebrabantur, ut feriæ pollutæ crederentur, si quis eo tempore cum uxore concubuisset. Præterea in sacrificiis Cereris vinum non adhibebatur. Unde Plaut. *in Aulul.* Megadorum Cereri nuptias esse facturum, ait, quòd nihil vini ad nuptias esset allatum.

Cerealis, Consul, Collega Commodi, an. U. C. 859.

Cerealis, Consul, Collega Læti, an. U. C. 967. Thermas Romæ ædificavit. Novercam Juliam uxorem duxit. Spart. Oros. Eutropius.

Cerealis, Episc. Afer, seculo 5. Carthagine, contra Maximianum Episc. Arianum, qui ipsum, coram Rege Vandalorum, erat aggressus, scripsit. Vide Biblioth. PP. edit. 2. *tomo* 4. Gennad. *capite* 96.

Petilius *Cerealis*, Dux Romanus, in Anglia, ad Bundvica cæsus. Tacit. *Annal. lib.* 14. Item, avunculus Gratiani Imper. Valentinianum, filium hujus, an. 10. æt. Imperatorem proclamavit, Socr. *l.* 14. *c.* 26. A. 375.

Cerealis, quæ alio nomine *Ebura* dicitur, Hispan. urbs. Plinius *lib.* 3. *cap.* 1.

Ceredanum, pag. agri Novariensis, *Cerane*. Ferrar.

Ceremissi, seu *Cremissi*, pop. Moscoviæ Orient. discreti in cis-Volganos & trans-Volganos, Brietio aliisque. Vulgò *Nagornoy*, i. montuosi. Extenduntur ad montes Riphæos, habitantque in sylvis, inter Novogardiam infer. & Casanum.

S. Cerenisi castellum Galliæ, vulgò *S. Celerin*, ad ripam Sartæ, ejusque ac Sartulæ confluentes, in diœcesi Sajensi, Alentionem inter ac Fraxinetum. Nomen habet ab Abbate quodam, qui ibi monasterium extruxit: Prioratu gaudet insigni, ac novo *S. Celerini* nomine, quàm veteri S. Cerenici insignior est. Ordericus Vit. *Hist. l.* 8. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ceres, Saturni & Opis filia, frugum inventrix, & cultûs terræ. Virg. 1. *Georg.*

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, cùm jam glandes, atq; arbuta sacræ
Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.

Ex quâ Jupiter Proserpinam suscepit: quam cùm postea Pluto rapuisset, Ceres, accensis in Ætna monte tædis, filiam toto orbe maximo labore perquisivit. Stat. *Theb.* 12.

Qualis ab Ætnæis accensâ lampade saxis
Orba Ceres, magnâ variabat imagine flammæ
Ausonium Siculumq; latus, vestigia nigri
Raptoris, vastosq; legens in pulvere sulcos:
Illius insanis ululatibus ipse remugit
Enceladus, ruptoq; vias illuminat igni.
Persephonen amnes, sylvæ, freta, nubila clamant,
Persephonen tantùm Stygii tacet aula Tyranni.

Quâ in peregrinatione, cùm ad Eleusium regem pervenisset, filium ejus Triptolemum alendum suscepit, cùmque alumnum immortalem reddere vellet, interdiu divino eum lacte alebat, noctu verò igne obruebat. Verùm cùm Eleusius insolitum fieri incrementum admiraretur, nutricem sibi observandam putavit, clàm se abscondens eâ in parte domûs, ubi illa puerum ad ignem fovere solebat. Cùm itaque illam intueretur puerum in ignem mittentem, subitò expavescens, clamore se suo prodidit. Quam rem ægrè ferens Ceres, nimiam hominis curiositatem morte punit. Puerum autem serendarum frugum rationem docuit; eundemque in alatorum draconum vehiculum imposuit, ut orbem peragrans frugum usum mortalibus communicaret. Postea Arethusæ nymphæ indicio certior facta, Proserpinam apud inferos esse, Jovem adiit, fratrisque injurias cum eo expostulavit, tandemque filiæ reditum eâ conditione impetravit, si nihil illa apud inferos gustasset; Verùm cùm, Ascalaphi indicio palam factum esset, eam in Plutonis pomario fortè obambulantem, malum Punicum decerpsisse, aliquotque inde grana degustasse, reditus ei in perpetuum fuit interclusus. Quam rem ægerrimè ferens Ceres, Ascalaphum in bubonem commutavit. Tandem tamen Jupiter, ut sororis dolorem mitigaret, Proserpinæ permisit, ut dimidiâ anni parte apud inferos cum viro, reliquâ apud superos esse posset. Fabulæ historiam de Cerere, Siciliæ regina, cujus filia ab Orco, Rege Molossorum rapta, occasionem dedisse sunt qui velint. Poëtæ aliquando *Cererem* accipiunt, pro Luna, sicut *Liberum* pro Sole. Virgil. 1. *Georg.*

—— Vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres. —— ——

Quanquam aliqui, per *Clarissima lumina*, intelligant Solem & Lunam, distinguantque à Baccho & Cerere. Nonnulli Cereris appellatione terram intelligi volunt. Unde & à Græcis Δημήτηρ dicitur, quasi Γῆ μήτηρ. Est enim Terra frugum omnium genitrix, unde Eurip. *in Phœniss.*

Δαμάτηρ θεὰ, πάντων
Ἄνασσα, ἁπάν-
των γᾶ τροφός.

Ceres Dea, omnium domina, omnium terra creatrix. Ita granum, quod in terram conjicitur, per Proserpinam, per Plutonem tellus, aër per Jovem intelligi poterit, &c. Eadem & *Thesmophorus* dicta est, h. e. *legum latrix*, quia, antequam illa agriculturæ usum docuisset, homines nullâ lege vivebant. Postea verò, Cereris beneficio, monstrato frugum usu, cœptum est de agrorum finibus (qui nulli erant antea) disceptari: quam primam volunt fuisse juris & legum originem. Ovid. *Met.* 5.

Prima

Prima Ceres unco terram dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris,
Prima dedit leges. ———

Notandum verò, quòd Ceres rebus omnibus rusticanis putabatur præesse. Docebit illud locus Pausaniæ *in Arcadicis*, ubi aræ cujusdam meminit, in quâ Cereri offerebantur fructus arborum favi, lana, alia item, ut serpentes, porca fœta, papaver inprimis, &c. Cum hoc facit, Cererem appellatam ab eodem Pausaniâ μαλλοφόρον, h. e. *laniferam*, quo cognomine culta est in Megaride, & Μηλοφόρον, h. e. *oviferam*. Dicitur autem *Ceres*, teste Varrone *de L. L. lib.* 4. *quòd gerat fruges*, qu. *Geres*. Sed Scaliger deducit à *cereo*, quod est *creo*. Si *Geres* prius dicta, à Græco γῆρυς. Hesychius, Ἀχερὼ κ Ὦπις κ Ἕλλη, κ Γῆρυς κ Γῆ, ἢ Δημήτηρ ἡ αὐτή. Sed sic neque Græca vox erit; sed potius Hebræa à גרש *geresh*, quod est *frumentum tritum*, à גרש *garash frangere, contundere*. Est & vicina vox Κόρη; sic vocata est Ceres apud Cnidios, quòd sit κυρία τῦ ζῆν, h. e. *vita domina*. Ponitur interdum *Ceres* pro *pane*. Terentius,

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Et apud Lucanum,

Satis est populis fluviusq; Ceresq;.

Ceressus, opp. Hisp. Tarracon. in Jaccetanis. Ptol. Ubi postea Celsona urbs, in Catalon. videtur fuisse, Brietio teste. Vid. *Celsona*.

Ceressus, Thespiensium castellum in Bœotiâ. Pausan.

Cereta, Cretæ populi. Polyb.

Ceretani, Umbriæ pop. Vide *Caretum*.

Ceretanum, castr. Siciliæ in colle, in valle Neætina, ad rad. montis Hiblæ, prope oppidulum *Montem Rubeum*. 25. mill. à Leontinis in Austr.

Cerete, opp. Italiæ, unde *Ceretani*.

Cereth, i. e. *concisio*, sive *transfossio*, vel *exterminatio*, populi qui & Philistim, ut Lyra ait, in libro Differentiarum, sive nomen legionum, aut bellatorum David. 1. Reg. 30.

Cerethi, i. e. *milites*, sive *cursores*, aut *arietes*, Hebr. *Cari*. 4. Reg. *cap.* 11. *v.* 19.

Cerevica, prov. Valliæ meridion. in Anglia, juxta oram maris Hibern. cum urbe cognom. *Cardigan*, ad ostia Tivii fluv. olim Tuerobius. 14. mill. à Mariduno, 17. à Menevia. Ibi olim Demetæ pop. *Kardiganshire* Angl.

Cererum, oppidul. satis amœnum in Ruscinonibus, in confin. Gall. Narb. prope Tecum fluv. 16. m. p. à Perpiniano. Hic habitum A. 1660. colloquium inter Galliæ & Hispaniæ Reg. Legatos de figendis regnorum limitibus, in ea Pyrenæorum montium parte.

Ceretus Daniel, Brixiensis, Medicus celebris, patriæ panegyricum, & virorum in illa illustrium elogia versu scripsit. sec. 15. *Voss. de hist. Lat. l.* 3. *c.* 10.

Cerevia, urbs Æmiliæ Galliæve Tog. Ferrar.

Ceriada, Κειριάδη, vicus Atticæ reg. in Hippothoontide tribu. Stephanus.

Cerialis Anicius, post Silium Nervam & Atticum Vestinum, consul designatus, retectâ Pisonianâ conjuratione pro sententiâ dixit, ut templum Divo Neroni quàm maturrimè publicâ pecuniâ poneretur. Tacit. 15. 74. Huic paulò pòst assimilatâ scripturâ, in codicillis Annæi Melæ causa exitii quæsita est, tanquàm ante finem Mela questus esset, se quidem mori nullis supplicii causis, Anicium vitâ frui infensum Principi. Quare haud multo pòst vim sibi attulit minore miseratione, quia proditam C. Cæsari conjurationem ab eo meminerant. Tacit. *l.* 16.

Ceri, pop. in Tusciâ sunt Diod. *lib.* 14. calce. Gentile à Cære fortè.

Cerilianus Fabius, Histor. sub Caro, Carino, & Numeriano, Vopisc. *in vita horum. cap.* 3.

Cerillum, mel. *Cerilli*, Lucaniæ locus in Italiâ. Strabo *lib.* 6. Κηρίλλυς vocat, πλησίον Λάυ, h. e. *prope* flumen *Laum* esse ait. Silius *Carillas* (forte metri causâ η mutato in α) *lib.* 8.

——— *Exhausto mox Pœno marte Carilla.*

Castr. Calabriæ cit. paucorum incolarum. Baudr.

Cerinthus, hæreticus cujus meminit Dionysius, cùm de Joannis Revelatione differeret, *Cerinthus*, inquit, *affirmabat futurum regnum Christi voluptarium, mores suos fassus, quòd gula luxuriaq; deditus esset.* Discipulus Simonis Magi, & Carpocratis, Apostolis molestus, Antiochiæ jam schisma meditabatur, ceremonias legales Evangelio miscendo. Jesum ex Josepho etiam genitum, Christum verò specie columbæ, in animam ejus, decidisse, &c. Jesu porro passo, Christum in cœlum subvolasse, &c. asserebat; auctor etiam Chiliasmi. Huic ut occurreret Johannes Apost. Epheso redux, post mortem Domitiani, Evangelium suum divinitus actus scripsit: nec eodem quidem cum illo balneo lavari dignatus, *Fugiamus*, inquiens, *ne balneum corruat, in quo Cerinthus est, veritatis hostis.* Iren. *l.* 3 *c.* 3. non sine omine, mox enim ruinâ ejus hæreticus oppressus est. Epiph. *hær.* 22. Theodoret. Baron. *A. C.* 35. 41. 51. 57. 74. 97. Irenæus etiam secretiora ipsius, in primo sui operis, manifestat. Euseb. *l.* 3.

Cerinthus, Græciæ urbs maritima Hom. *Iliad.* 2. Item Eubœæ ins. opp. Ptol. & Plin. 4. 12. Nunc vicus. Baudr.

Cerisola, vicus Pedemontii in colle, celebris victoriâ Gall. Duce Anghiano contra Hispanos, A. 1544. Sub Henric. II. 5. mill. ab Alba, 4. à Clarasco, Carmaniolam versus.

Cerites, populi, quos cùm vicissent Romani, statuerunt, ut nunquam leges conderent, vel haberent. Vide *Cære*.

Cerius Severus, Prætoriæ cohortis, Galbæ tempore, tribunus. Tacit. *Hist.* 1.

Cermalus, locus in urbe Româ sic nominatus. Festus.

Cermata, gens, quæ Agarenis hostis est. Cedren.

Cermorum, opp. Macedoniæ. Plin. 4. 10.

Cerna, vel *Cerne*, ins. Æthiopici maris. Plin. *lib.* 6. *cap.* 31. Ptolemæi Menuthias esse videtur, quæ hodie ab Hispanis *Insul. S. Laurentii* dicitur, quia detecta hoc die, 1504. ab incolis *Madagascar*. Persæpe ab Europæis lustrata, nunc inhabitata à Francis, præsertim versus oram Australem, in Carcanossia prov. ubi Arx Delphina, Insula est amplissima & cultissima. Vide *Delphina Ins.* & *Madagascaria*.

Cerne, Atlantici maris ins. contra Atlantem montem. Ptol. Hanc nonnulli *Maderam*, quæ etiam *Ombrio*, ad Bor. Fortunatarum, prope Aprositon Ins. nunc *Porto S.* in Occas. Sub Portugalliæ R. alii *Graciosam* esse putant. Est etiam *Cerne* Lycophroni ins. Oceani, Auroram versus, quam ejus Scholiastes Tzetzes olim Amphimetrium dictam subdit. Ratio nominis (ait Bochartus) non est obscura. *Cerne* Phœnicibus erat חרנאה *Cheraa, postremum habitationis*, id est, *ultima habitatio*, plene scriberetur אחרנאה *achernaa*, ab Arabico אחר *acher*, vel *achir*, quod respondet Ebræo אחרון *acharon*. Sed prima radicalis sæpe excidit. Nempe Phœnices, ultra Cernen, nullam deduxere Coloniam, ut vel ex Hannonis periplo constat. Qui & nonnulli ultra Cernen non crediderunt mare posse navigari. Scylax: Τῆς Κέρνης δὲ νήσυ τὰ ἐπέκεινα οὐκ ἔτι ἐςὶ πλωτὰ διὰ βραχύτητα θαλάσσης, κ πηλὸν, κ φῦκος. Inde est quòd πυμάτην, h. e. *ultimam* appellarunt. Dionysius,

Πυμάτης παρὰ τέρματα Κέρνης.

Ac si ad illam finis esset naturæ rerum, & Nautarum meta ultima, tunc saltem cognita Plin. 31. 6. *Contra sinum Persicum Cerne nominatur insula, adversa Æthiopiæ, cujus neq; magnitudo, neq; intervallum à continente constat.*

Cernetani, qui Mariani cognominabantur, Italiæ pop. prope Casinum, & Bovillas. Plin. 3. 5.

Cernetum, Italiæ oppidum. Plin. Aliàs *Cerata*, oppidum Latii, quod vide.

Ceron, est fons in Hestiæotide, cujus aqua bibentes oves facit nigras. Plin.

Ceropasdes, Strab. vel ut alii, *Cerospades*, à Patre Phraate, Persarum R. Augusto firmandæ amicitiæ obses, cum aliis tribus filiis, duabus nuribus, quatuor nepotibus datus.

Cerophai, Africæ propriæ gens. Ptol.

Ceros, nomen viri. 1. Esdr. id est, *uncinus*, vel *incurvatio*.

Cerossus, juxta Jonium pelagus locus aut insula videtur inter Meliten, & Macedoniam. Apollonius *lib.* 4.

Cerrenii, nisi codex est mendosus, pop. Thraciæ. Polyænus *libro* 7.

Cerretani, Hispaniæ pop. Plin. Quorum reg. *Cerretania*. Pars antea Cataloniæ; nunc media ejus pars subest Gallis. Estque intra montes Pyrenæos & fontes Sicoris fluv. Opp. Jugum Cerretanorum, vulgò *Puicerda* caput est prov.

Cerretania, Gall. *la Cerdagne*, prov. est inter Occitaniam & Catalon.

Cerretanum, quibusdam vicus *Torre de Cerdana*, in valle Carolina, versus Pyrenæos, 2. leuc. à Jugo Cerretanorum in Boream.

Cersobleptes, Thracum Rex, subactus à Philippo Macedoniæ Rege, Olymp. 109. anno secundo. Ejus meminit quoque Polyæn. *lib.* 7. 522.

Cersunum, Corsicæ mediterranea urbs. Ptol. *Nebbio* Pineto. Urbs ampla, nunc diruta, cujus ruinæ *Rosoli*. Baudr.

Certa, urbs supra Armenios. Hesych. Hebr. קרתא *Cartha* est πόλις, h. e. *civitas*.

Certera, gens circa Pont. Euxinum. Strabo.

Certima, Celtiberorum urbs in Hisp. Livius.

Certissa, Pannoniæ infer. opp. Ptol.

Certitius, vel *Cerditius*, Saxo, cum quinque navibus, in M. Britanniam appulsus, exscensionem facit, Britonibus frustra resistentibus. Post bellum annorum 24. in Occidua insulæ parte regni sedem fixit, primus WestSaxonum Rex. Du Chêne, *Histor. Angl. T.* 1.

Certonium, Asiæ min. opp. Xenophon.

Certus, vide *Quinctius*.

Cervaria, locus ad templum Veneris, Galliæ Aquitanicæ finis. Pomp. *lib.* 2. *Corbiere*, teste Joh. Poldo. Baudrando est oppidum Galliæ Narbon. nunc vicus *Cervera*, juxta Pyrenæos mont. in ora maris Mediterr. & Sinus Leonini, in Catalon. prov. in confin. Comit. Ruscinonensis. Oretanorum item urbs Hisp. Ptol. *Cervera* Moletio. Nunc castr. Castellæ Nov. intra montes, in tractu *la Sierra*, versus fontes Anæ fluv.

Cervarius Proculus, Eques Romanus, spe rerum novarum adjunxit se conjuratoribus, duce Pisone in Neronem. Tacit. 15. 50. Sed cùm indicium festinavisset, Nero eum impunitate remuneratus est. *cap.* 1.

Cervia, urbs maritima Romandiolæ, Episc. sub Archiep. Ravennæ, olim *Phycoles* vel *Ficode* dicta. Salinis suis celebris, sed ægrè habitata ob aëris inclementiam. Cerviani majori ex parte salarii sunt artifices, tanto quæstu, ut Pontifex annuatim inde habeat 60. mill. coronatorum. Subest Pontif. 12. mill. à Ravenna, 15. ab Arimino distat. Estque inter ostia Sapis & Rubiconis fluv. Vide *Cerevia* & *Ficode*.

Cervia, castrum in Hainoo, vulgò *Chievre*, dictum à cervis fortè, quibus ager ejus & silva proxima olim abundabat. Quibusdam *Curvia*, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Cervini, pop. & opp. *Corsicæ* mediterr. in medio illius; *Cerviani*.

Cervix Africæ, seu Caput bonæ spei, in Africæ parte meridion. in regione Cafreria, prom. in Austr. maximè extensum. Vide *Caput B. S.*

Cervula, turpe ludi genus, Augustino quàm maximè damnatum, *Serm. de temp.* 215. *Si adhuc agnoscatis aliquos illam sordidissimam turpitudinem de hinnula vel cervula exercere, ita durissimè castigate, ut eos pœniteat rem sacrilegam commisisse.*

Ceryces, apud Græcos dicebantur *caduceatores*, à *Ceryce*, Mercurii filio, quos nefas fuerat violare, quòd eorum genus divinum putaretur. Achilles apud Hom. eos Jovis ac hominum nuncios vocat, & in Odyssea Ulysses exploratoribus comitem Ceryca adjecit. Rhod. 21.16.

Cerycius, Bœotiæ, & Ephesi mons. Pausan. Hesych.

Cerynia, urbs Achajæ in Peloponneso, & mons Arcadiæ, ex quo Cernitis amnis profluit, qui urbem hanc præterlabitur. Pausan.

Cesata, vel *Cesada*, Hisp. urbs inter Emeritam, & Cæsar augustam. Ptol. Anton.

Cescus, Pamphyliæ, seu ut Suidas vult, Ciliciæ urbs, Plin. 31. 2. *In Cilicia apud opp. Crescum*, (leg. *Cescum*) *rivus fluit* Νοῦς, *ex quo bibentium sensus subtiles fieri M. Varro tradit.* Mirum est, quod hic legis νοῦν, h. e. *mentem*, hunc fluvium dici, quia sensus reddat subtiles, cùm Suidæ dicatur Ἄνυς, quia reddit hebetes. Sic enim ille, Κέσκος ἦν πόλις ἐν Κιλικίᾳ, καὶ παρ' αὐτὴν ποταμὸς Ἄνυς ὄνομα, Διόπερ οἱ ποιηταὶ παίζοντες, τοὺς νοῦν οὐκ ἔχοντας Κέσκον ἔχειν φασί. Metuo autem, ne sciolus aliqui locum corruperit: quia cùm videret dementes dici Κέσκον ἔχειν, planè sibi persuaserit, Cesco non fuisse nomen νοῦς sed Ἄνυς. At cogitare debuerat Suidam dicere, sic poëtas loqui ludentes, h.e. per ironiam; vel hoc si displicet, legendum Κέσκον οὐκ ἔχειν φασί. Quam Opinionem firmant ista Hesychii verba, Κέσκος· ποταμὸς Κιλικίας, ὅθεν καὶ παροιμία γέγονε Πόλις Κέσκον οὐκ ἔχουσα. Εἴρηται δ' ἐπὶ τῶν νοῦν μὴ ἐχόντων. Nec aliud flumen, quàm memoratum capio, cùm ait idem Hesych. Νοῦς, ψυχὴ, ποταμὸς καὶ ἡ μονάς, h. e. *Noys, anima, fluvius, unitas*. Etsi non ignorem, & *Nilum* ab Ægyptiis esse vocatum Νοῦν, atque hoc νέον significare, ut est apud Phil. Ori interpretem *l.* 1. quo loco agit de Nili accensu & exundatione. Verùm esto, ut Hesych. hîc Nilum respexerit, saltem fluvio isti Ciliciæ non fuisse nomen Ἄνυς, sed Νοῦς etiam indicant illa Eustathii, *in Odyss.* κ. Παυσανίας ἱστορεῖ Φηγεῖν ὅτι Κέσκος λιμὴν τις ὧ παράκειται ποταμὸς Νοῦς καλούμενος. Quæ tamen verba hodiè frustra in Pausaniâ quæras, ut videantur esse ex deperdito Asiaticorum opere. Vossius.

Ceseleth Thabor, Palæstinæ locus. Jos. 19.

Cesellius Bassus, Pœnus, mente turbidâ, qui per somnium oblatam speciem ingentium thesaurorum, in agro suo absconditorum, ad spem haud dubiam retraxit; Persuasoque Nerone Didonem Phœnissam ibi abdidisse magnam vim auri rudi pondere; dein effosso agro & inani reperto pudorem & metum morte voluntariâ effugit. Quidam vinctum ac mox dimissum tradidêre, ademptis bonis, in locum regiæ gazæ. Tacit. 16. 1. 2. 3.

Cesena, opp. in Octavâ reg. Italiæ. Vide *Casenna*.

Cesenius Pætus, à Parthis in Armeniâ obsessus, legionibus sub jugum missis, Armeniam turpiter reliquit, Orosius 7. 7.

Cesennas Michaël, doctor Valdensium, quibus Marcam Anconitanam & ipsam Florentiam referram fuisse; unde pulsi in Græcorum regiones sediffuderunt, circa A. C. 1321. scribit Antoninus Archiep Florentinus, *part.* 3. *tit.* 21. *c.* 5. §. 1. Vid. & Morn. *Myst. Iniq.*

Cesennius Priscus, Syriæ Prætor an. Dom. 47.

Cesil, i. e. *Arcturus*, sive *Orion*, nomen stellæ, Lat. *stultitia*, aut *ilia*. item civitas in tribu Juda, Jos. 15.

Cesion, civitas Levitarum in tribu Isaschar, Jos. 19. Lat. *durities*, *stipula*, *cucumerarium*.

Cesius mons, *Kalenberg*, in Austria longissimus, & à Danubio usque ad Savum fluv. excurrens per varios flexus. Aliis *Cetius* mons. Vide ibi.

Cesonius Pætus, Consul, Collega Petronii, an. U. C. 813.

Cessperia, eadem quæ *Caspperia*.

Cespius, mons in regione Exquiliâ.

Cessei, vide *Cissi*.

Cesse, nomen fluvii in Ducatu Luxemburgensi, qui non longè à Rupiforti pagum *Han sur Lessè* præterfluens, postmodum in profundum & visu horrendum antrum illabitur, in quo paulatim se ita abscondit, ut post medii germanici miliaris spatium, demum egrediens perspicuus evadat. Quia autem is locus adeò horrendus exstitit, nemo eum planè perscrutari ausus fuit: ab hinc tamen annis paucis homines quidam animosiores ejus rei periculum facere sunt aggressi, atque istius antri bonam partem pervaserunt: cum cymba & lumine eousque devecti, donec per terras rupes & aquarum concussiones horribiles ad locum Oceani instar vasti apparentem devenissent, ubi quia absque extremo vitæ periculo ulterius procedere nullus auderet, subsistere coacti fuerunt. Dum enim eo loci aliquid levis ac supernaturalis materiæ, in aquam projicitur, illud idem vix post unum aut alterum diem egredi animadvertitur. MS.

Cessero, *Castro* Anton. *Castres*, teste Joh Poldo, urbs Gall. Narbon. ad Araurium fluv. inter Tolosam ad Occ. 12. & Lutavam ad Ort. & Cæc. 14 leuc. à Vaurino 6. sive inter Carcasonem 7. & Albigam in Bor. 9. Episc. sub Archiepisc. Bituricensi. At Varrerio *S. Tubery*, vel *Tibery* opp. Occit. potius videtur inter mont. Pessulanum 8. & Narbonem 6. leuc. occurrens à Bliterris 3. quod magis probatur. In the Ling. Lat. ad Carpentoractem ponitur, quæ urbs longè à Cesserone abest.

Cessellius, JC. celebris, nullâ ratione adduci potuit, ut syllogæ legum, quam concinnaverat, Triumviralia statuta insereret. Insignis in Cæsarem parrhesiastes, monentibus amicis, ut sibi caveret, *Senium & orbitatem*, obtendit. Valer. M. *lib.* 6. *c.* 2. *ex.* 12. Vide etiam *Cesellius*.

Cestira, gens Mediæ in confinio Persidis. Plin.

Cestius Florus, Judææ Procurator An. Dom. 64.

Cestius Gallus, Syriæ legatus. Tacit. *Hist.* 5. 10. Jos. *de B. J.* *l.* 2. *c.* 37. *& seqq*

Cestius Proculus. Q. Volusio, P. Scipione Coss. absolutus repetundarum cedentibus accusatoribus. Tacit. 13. 30.

Cestius Severus, crebris apud Neronem delationibus famosus. Tacit *Hist.* 4. 41.

Cestius, pons urbis Romæ, quem hodie *S Bartholomæo* nominant. Martianus.

Cestria, urbs Angl. in Comit. Cestriensi, ad Beam fluv. qui ibi portum præbet commodum, in limite Walliæ. Vide *Deva*.

Cestria, *Sapoto*, teste Pinero opp. Epiri in Thesprotiâ reg. Pausan. *Cestrinia* Stephano apud Chimæram: quod tamen *Hecatompedum* Ptol. dici videtur aliis. Populi *Cestrini* Plinio. Propè Thyamim fluv. ad pedes montis Acrocerauniι. *Cammania* Stephano. Baudrand.

Cestrinus, Heleni, & Andromachæ filius, Heleno mortuo cum Epirotarum aliquot sponte sequentium turmâ regionem supra fluv. Thyamim occupavit, quam *Cestrinem* de nomine suo vocavit. Pausan. *Attic.*

Cestrus, Pamphyliæ fluv. Mela 1. 14 *Duo validissimi fluvii, Cestros, & Catarractes.* Ubi *Cestrum* vulgò dictum putant, quia se præcipitat: Movit hoc nonnullos, ut ibi *Oestrum*, pro *Cestro* reponerent, prorsus ineptè. Κέστρον plerique hunc amnem vocant! Fugit verò illos hoc vocabulum etiam *sagittam*, & *jaculum* significare. Potuissent hoc illos docere Grammatici, qui ἀκόντιον exponunt interpretantur. Hinc κεστροσφενδόνη apud Livium & Tacticos, & ξύλον κεστρωτὸν, pro sude præustâ, quam ἀξίκουστον aliter appellant. Hesychius κεστρωτὸν ξύλον ὀξὺ ἔχον τὸ κέντρον, οὐκ ἔχει δὲ σιδηρᾶν ἀκμήν. Εἰώθασι δὲ οἱ βοηθοῖς πυρῆν τὰ ἄκρα τῶν αὐτῶν ξύλων, ἵνεκα τοῦ πυκνωθῆναι, πυρακαυστόν. Ita legendus iste locus, quem perperam emendare conatur vir magnus, *in Solinianis*. At verò longè aliter accipiendus hic Pomponii locus, cùm enim dicit, *hic quia præcipitat, ita dictus*, id non de Cestro, sed Catarractè intelligi debet. Vossius. Baudrando fluvius Asiæ min. Oritur in Pisidia, versùs confin. Lauriæ, dein per Carbaliam in Pamphyliam labitur, ubi juxta Magedin opp. in mare Medit. & sinum Attalicum se exonerat. 25. mill. à Sida in Occas.

Cetaria, Siciliæ urbs. Ptol. Nunc vicus, *Scopello*, in valle Mazaræ, 4. mill. à Segestanorum emporio, 35. à Panormo in Austrum. 18. à Drepano.

Ceteus, Ægyptiorum rex à Græcis *Proteus* dictus.

Cethegus, Consul, Cicerone teste, cum Pub. Tuditano, bello Punico secundo; de quo sic scribit ipse *in Bruto*: *M. Corn. Cethegus, cujus eloquentia est author & idoneus, meâ quidem sententiâ Q. Ennius; præsertim cùm & ipse eum audierit, & scribit de mortuo: ex quo nulla suspicio est, amicitiæ causâ esse mentitum. Est igitur sic apud illum in nono (ut opinor) annali,*

Additur orator Corneliu' suaviloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega,
Marci filius, is dictus popularibus ollis
Qui tunc vivebant homines, atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadæque medulla.

Cethegus, alter, qui in Catilinæ conjuratione primas tulit: cujus etiam sæpe meminit Cicero, *Oratione in Catilinam tertiâ*; *Atque interea*, inquit, *statim admoniti Allobrogum C. Sulpitium fortem virum misi: qui ex ædibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret. ex quibus ille maximum sicarum numerum & gladiorum extulit.* Juven.

Clodius accusat mœchos, Catilina Cethegum.

Cethe-

Cethegis autem amicum erat expapillato brachio depugnare. Notum illud Lucani,

——— *Exertiq; manus vesana Cethegi.*

Silius *lib.* 8.

Ipse humero exertus gentili more parentum,
Difficili gaudebat equo.

Ut enim habilius, valentiusque telum evibrarent, substrictiores erant. Unde Horat.

Cinctutis non exaudita Cethegis.

Cethim, Hebr. כתים *Chittim*, Græci interpretes Κιτιῖοι reddunt, & Κιτιεῖς, & Κιτιαῖοι, i. e. *Cyprios*, si Josepho credimus; quia in Cypro insulâ *Citium* urbs est celeberrima, patria Zenonis Stoici, qui Κιτιεὺς inde appellatur. Addit idem, omnes insulas, & loca maritima pleraque Hebraicè vocari Χεθὶμ. Quo errore abductus *Antiq.* 9.2. *Regem insularum* habet τὸν βασιλέα τῶν νήσων, pro Ebræo את מלכי החתים 2. Reg. 7. v. 6. Ac si Chittim per *Cheth* iidem essent, qui Chittim per *Caph*. Josephum secuti Epiphanius, *in Hæresi Manichæorum*, & Hieronymus, *in Genesin*, & Eustathius *in Hexaëmero*, & Victor presbyter *in Jeremiam*, Cyprum itidem, vel Cyprios interpretnatur. Alii Χίους *Chios* malunt, alii Ἰνδῶν ἔθνη, *Indorum gentes* apud Olympiodorum Chrysostomum, in Catenâ Græcorum patrum, in Jeremiæ caput secundum. Multi Ciliciam præferunt, cujus pars non minima.

Cethlis, nomen civitatis in tribu Judæ. Jos. 13.

Cethron, quæ aliàs *Cetron*, *Citron*, & *Tethron* scribitur, munita urbs in tribu Zabulon, cujus pristinos habitatores Zabulonitæ in principio expellere non potuerunt.

Cethura, uxor Abrahami, jam Senis: è quâ numerosâ prole susceptâ, prodiere Madianitæ, Ephæi, Dardonæi, Sabæi. An & Magi, qui Christum adoratum venerant? Torniel. *A M.* 2179. Lloyd. *Cethura*, altera uxor Abrahæ, quæ *copulata* exponitur. Volunt autem Hebræi hanc fuisse Agar prius concubinam, quæ mortuâ Sarâ de non copulata in copulatam transiit.

Ceticus, magus fuit, cujus augurio Bocrehista rex Getarum Romanos vicit.

Cetii, pop. inter Cilices & Pelasgos. Strab. *lib* 13.

Cetirzis, promuntorium in litore Apolloniæ reg. locus munitissimè validus, quo aliquando Lysimachus ad opes suas recondendas usus est. Strab. *lib*. 7.

Cetis, regio apud Ptol. & Basilium Seleuciensem *lib*. 1. *de vita S. Theclæ*. Author primi libri Macchabæorum, haudquaquam contemnendus scriptor, putavit haud dubiè *Chittim* esse Macedones. Quippe statim initio *lib*. 1 narrat Alex. Macedonem egressum esse ἐκ τῆς γῆς χεττιείμ ex terra *Chethim*. Et *cap*.8. *vers*.5. Perseum illum Macedonem, de quo Romani triumpharunt, vocat Κιτιέων βασιλέα, *Citieorum regem*. Cui sententiæ videtur non parum accedere roboris, ex eo, quòd Esajas 23. 1. *Tyris excidium interminatus*, addit, fore *ut reveletur*, i. e. *erumpat in illos hoc malum*, מארץ כתים *à terra Chittim*, quod referunt ad Macedonas, qui Alex. duce Tyrum oppugnarunt, & devastarunt. Eodem facit, quòd ad *Cetthim* videtur alludere Macedoniæ vetus nomen *Macettia*, vel *Macetia*, unde pop. *Macetæ*. Hesych. Μακετία, ἡ Μακεδονία. Bochartus tamen כתים *Chittim* Italos potius esse opinatur, primò quia, cùm Daniel Alexandrum nominet regem *Javan*, si dicatur idem rex *Chittim*, confunderentur *Javan* & *Chittim*, quæ manifestè distinxit Moses. Secundò, quia in Bilaami vaticinio Num. 24.24. *Naves* ציים מיד כתים *à parte Chittim affligent Assyrios, & Ebræos*. Ubi Hieronymus reddit *De Italiâ*. Rursus Dan. 11.29.30. *De Chittais* ea dicuntur, quæ meritò ad Romanos referunt ferè quotquot sunt interpretes: *Constituto*, inquit, *tempore, Antiochus rursus invadet Austrum*, i. e. *Ægyptum, sed posterior primæ non erit similis: supervenient enim naves Chittim & invitus regredietur*. Ubi naves *Chittim* haud dubiè sunt naves Romanorum, Cajo Popilio duce, quorum metu Antiochus re infectâ discessit. Itaque in Vulgato interprete, pro Chittim, *Romanos* legas. Denique Ezech 27.6. Hebræa verba מאיי כתים *ex insulis Chittim*, Chaldæus reddit ממדינת אפוליא *è provinciâ Apulia*, & Vulgatus interpres *ex insulis Italiæ*. Tertiò, quia vestigia hujus nominis reperiuntur in Italiâ, nam urbs Κετία *Cetia*, apud Halicarnassæum, una fuit è 7. urbibus à Cariolano captis, quas, *in ejus vitâ*. Plutarchus testatur fuisse μεγάλας, καὶ πολυανθρώπους *magnas & populosas*. Occurrit item Ἐχέτρα *Echetra*, Italiæ urbs, apud Steph. eadem, ut videtur cum *Echetra*, vel *Ecetra* in Volscis clarissimâ, & inter Æquos, ac Hernicos loco valdè commodo sitâ, cujus post Dionysium & Livium meminit idem Steph. Est item circa Cumas Κετὸς, *Cetus* fluv. in quo tradit Aristot. plantas λιθοῦσθαι. Unde *Cetum* colligas eum esse fluvium, quem alii *Silarum* vocant. Nam de *Silaro* Campaniæ amne id ipsum referunt Strabo, Plinius, Silius Italicus. Quartò, quia non desunt, qui Romanos & Latinos asserunt è *Citiis* vel *Cetiis* traxisse originem, atque hanc illis fuisse priscam appellationem. Eusebius Κίτιοι, ἐξ ὧν Λατῖνοι, οἱ καὶ Ῥωμαῖοι. Suidas in Λατῖνος, Τήλεφος υἱὸς Ἡρακλέους, ὁ ἐπικληθεὶς Λατῖνος μετωνόμασε τοὺς πάλαι Κητίους λεγομένους νῦν Λατίνους. Idem habent Cedrenus, & Chronicon Alexandrinum. 5. Denique, quia in ipsâ voce *Chittim* Latinorum nomen latet, saltem à *latendo* dici Latinum plerique consentiunt, nam Arabicâ dialecto, quæ Hebrææ linguæ ramus est כתם *Chetema* est *abscondere*, & כתים *Chetim occultus, latens*, qua voce nihil frequentius.

Cetis, Ciliciæ regio. Ptol.

Cetium, Norici oppidum. Anton. Baudrando pagus Austr. Infer. ad Danubium, ubi recipit *Anzespach* amnem. Ibi incipit Cetius mons. Vix 2. leuc. à Neoburgo in Occas. ut & à Vienna. Vulgò *Zeislmaur*.

Cetius, mons inter Noricum, & Pannoniam, hodie *Kalemberg* vulgò dicitur. Oritur in Austr. infer. & per Stiriam Carinthiamque protenditur. Vide *Cesius*.

Cetius, Plin. fluvius Mysiæ, ex Pindaso profluens, ac juxta Pergamum decurrens, ex urbe nomen habet.

Cetobrica, Anton. *Cetobrix*. Ptol. Lusitaniæ urbs. *Setuval* Varrerio Belgis *S. Ubes*, permunita, cum portu admodum frequenti & arce, in Extremadura prov. ad ostia *Cadaon* fluv. Ibi sunt salinæ magni proventus. 6. leuc. ab Ulyssipone in Austr. 6. à Barbario prom. in Ortum, 16. ab Ebora in Occas.

Cetriboni, Indiæ pop. Plin.

Cetronius, cui prænomen *Cajus*, legatus primæ legionis judicium & pœnas, de seditiosis inferioribus Germanicis militibus, exercuit. Tacit. *Ann*. 1. 44.

Cetronius Pisanus, in Africâ sub Valerio Festo legato, castrorum præfectus, vinciri jussus ob proprias Legati simultates, tanquam conscius molitionum C. Pisonis. Tacit. *Hist*. 4 50.

Ceruma, Æthiopiæ sub Ægypto opp. Plin.

Cevanum, opp. Pedemontii, cum castro & regiunc. cognom. ad Tanarum fluv. versus Apenninum mont. & Ducatum Montisferrati. Habuit olim Marchiones proprios magni nominis. Vulgò *Ceva*. Vide *Ceba*.

Ceuci, Hisp. pop. conventus Lucensis. Plin.

Ceus, vel *Caus*, Titanis & Terræ filius qui ob Latonam filiam à Jove stupratam, adversus eum arma movit, sed jure ab injuriâ victo, periit. Virg. *Æn*. 4.

Extremam ut perhibent Cœo Enceladoq; sororem
Progenuit. ———

Ceus, ins. in quâ lex olim lata, ut (quæ etiam Menandri suffragio comprobatur) qui rectè vivere nequeant, turpiter ne vivant. Significabatur autem sexagenario majores aconito vitam finire oportere, ne reliqui cibariis deficerent. Cœlius Rhod.

Ceus, Propontidis urbs eadem cum Bryllio. Steph.

Ceuthes, Magister Equitum apud Thraciæ R. Cersobleptem; de quo Polyæn. *l*.7. ubi tamen Interpres legit *Seuthes*.

Ceyla, vide *Ceila*, Palæstinæ locus. Jos. 15.

Ceylanum, insulam peramplam Asiæ, in India citer. Joannes Barrius Lusitanus Taprobanam olim fuisse contendit, ab ea obliquus in Auream Chersonesum, ex Chersoneso vicinam ingentem insulam Somatram cursus est. Ceilanum, ovali maximè figura ducentarum circiter & 40. leuc. ambitu, leucas in longitudinem 78. patet: in latitudinem 44. atque à Cori promontorio, avulsa freto vadoso Piscariæ, quam appellant, ora prætenditur, ea cœli clementia, soli ubertate, & copia fluminum aquarumque perennium, ut primorum parentum sedes olim perhibeatur fuisse. Hinc *Tenarisin* Indis, i. terra delitiarum. Sunt sylvosi montes, ad effigiem theatralem inflexi, qui vastam planiciem oblongo circuitu in caveæ formam includunt: quorum unus in arduam & subjectam altitudinem penè 7. leuc. exsurgit: habetque in summo æquatam agri planiciem, ex cujus medio bicubitale saxum eminens ad instar mensæ, vestigium demonstrat impressum inclyti sanctitate viri, quem ex Indiæ regno Deli, quondam in ea loca venisse tradunt, ut gentem superstitionibus deditam fabulosis, ad unius Dei cultum religionemque traduceret: Et tantæ est venerationis locus, ut à leucis amplius mille omnium ordinum peregrini, ac præsertim Jogues, illuc pietatis causâ contendant, ingenti labore: siquidem præter cæteras itineris difficultates atque pericula, in ejus etiam montis cacumen nonnisi per adactos clavos ferreas que catenas ascensus est. Hæc universa insula in septem Satrapias vel regna dividitur: estque ad omne commercium, vel frequentiâ portuum, vel ipsâ loci regione inprimis accommodata. Natal. Metel. Vix 60. leuc. à Comorini prom. Regna sunt Candeæ, præcipuum, Columbi, Chilai, Ceivavacæ, Jalæ, Batticalæ & Jafanapatani. Sed Columbi arx & aliquot aliæ in littore subsunt Batavis, à paucis annis. Vide *Taprobana*. Baudr. Cluver. *l*.5. Maffæus *lib*.3. Davity *descr. Asiæ. p*.860.

Ceyx, Rex Trachiniæ, Luciferi fil. & Alcyones maritus, qui cùm ob fratris causam, in accipitrem mutati, ad Clarium oraculum consulendum ire vellet, diu ab uxore sufflaminatus est. Cùm verò illi promisisset, se intra duos menses rediturum, abire permissus est; sed in Ægæo mari tempestate deprehensus naufragium fecit, ibique amissâ navi submersus, promissis stare non potuit. Uxor autem, cùm quotidie Diis pro viri salute vota solveret, noctu per somnium monita est, maritum periisse. Manè igitur experrecta, ad litus, unde maritus solverat, accessit, & dum infortunia sua quereretur, cadaver in mari longius aspexit. Quod cùm mariti esse cognovisset, ac per undas ad illud exilire vellet, deorum commiseratione in Halcyonem conversa ad os mariti advolavit,

advolavit, qui oscula uxoris sentiens, in avem ejus nominis commutatus est. Ovid. *Met.* 11. *fab.* 8. 9. 10. Patruus Chiones, cui Diana linguam sagittâ trajecerat, unde pater Dædalion de rupe in præceps iit. Ipse autem ad Oraculum, &c. Morer.

CH.

Chaa, inquit Strabo *lib.* 8. Peloponnesi urbs Leprio vicina, ubi Ephesius campus jacet. Hujus Chaæ causâ bellum inter Arcades & Pylios conflatum plerique ajunt.

Chabaca, Sidenes Cappadociæ reg. urbs. Strabo.

Chabareni, pop. περὶ Καλύβην οἰκοῦντες, qui peregrinorum, quibus potiti fuerint, mamillas crudas edunt, & pueros devorant. Steph. *ex Eudoxo.*

Chabas, filius Attilæ, dum de successione cum fratribus Ellaco & Dincione contendit, ab Ostrogothis junctis Ardarico Gepidarum Regi, victi omnes è Pannonia in Barbariam repulsi sunt, A. C. 455. Jornandes *de rebus Goth.*

Chaberis, urbs & fluv. Indiæ intra Gangem. Ptol. *Mabra* Nigro, *Calapate* Castaldo. Uterque videtur divinare.

Chabes, Senis Comici nomen, è tribu seu municipio Phlyia, Schol. in Aristoph. *Vesp.* Alii scribunt *Chades*, Χάδης.

Chabinus, Arab. Fel. mons. Diodorus.

Chablasii, Arab. pop. Nabathæis proximi. Dionysius. De nomine Bochartus *Phaleg.* 4. 10. Sabthæ succedit *Chavila* Ptolemæo prorsus ignota, cæteris non item; quamvis nomine tam deformato, ut penè fugiat perspicacissimos. Nam pro *Chavilæis* Eratosthenes habet *Chaulothæos*, Dionysius *Chablasios*, Festus Avienus *Chaulasios*: Priscianus *Chalbasios*. Plinius omnium optimè *Chaveleos* scripserat, quod scribarum imperitia mutavit in *Chancleos*. Nimirum deducit ab Ebræo חוילאי *Chavila*. De situ, Eratosthenes apud Strabonem dicit Fel. Arabiæ ab Heroum urbe Babylonem usque adjacere Nabathæos, *Chaulotæos* & Agræos. In Dionysio iidem pop. à Libano ad mare Persicum eodem ordine proponuntur, Nabatæi nimirum, & Chablasii, & Agrees.

Chabor, vel *Chabora*, fluvius & mons Asiæ, quorum hic *Giulap*, ille *Cupusco*, hodie Castaldo & Ortelio. Ptolemæo ὁ χαβώρας τὸ ὄρος, quem ponit inter Mediam, & Assyriam, ubi tabulæ perperam habent *Choatras*. Hic fluv. oritur in confin. Armeniæ maj. ex monte Masio, & per Mesopotam. labitur, ubi auctus aliquot fluviis in Euphratem se exonerat, infra Tapsacum urb. prope Circesium opp. è regione Arab. desert. 30. mill. infra Nicophorium. Baudr.

Chabria, vicus Ægypti prope Arabiam. Strabo *lib.* 17.

Chabrias, Atheniensis Philosophus & Imperator inclytus. Hic dicere solebat, *Terribiliorem esse exercitum cervorum duce leone, quàm leonem duce cervo.* Insigni stratagemate, Bœotiis auxilio missus, contra Agesilaum, in prælio prope Thebas, victor. In Europa & Ægypto, rebus sæpissimè præclarè gestis, Nectanebum restituit, Evagoræ suppetias tulit. Obiit, anno ante bellum sociale, in portu Chii Insf. quam obsidebant Athenienses, Corn. Nepos, *in ejus vita.* Diodor. *l.* 16. Ejus quoque Demosthenes, cùm sæpe in orationibus meminit, tum in oratione adversus Leptinem plurimus res gestas persequitur, & in ejus laudes digreditur.

Chabris, unus è senatoribus Bethuliæ urbis, Judith. 8.

Chabrius, Macedoniæ fluv. Ptol. Oritur in Bisaltia regione, dein rigatis Amphaxiti & Paraxia regiunc. auctusque fluviis aliquot, in sinum Thermaicum se exonerat, ex adverso Pydnæ. *Chabria* Brietio.

Chabuata, Arab. Fel. urbs. Ptol.

Chabul, nomen civitatum earum, quas Solomon dedit Hiramo regi Tyri in terrâ Galilææ. 3. Reg. 9. h. e. *displicentes*, vel *lutea*. Lege *Cabul.*

Chadaca, Albaniæ opp. Ptol.

Chadæi, Arab. Fel. pop. Plin.

Chadeni, Scandinaviæ, sive Scandiæ pop. quos Ortelius *Norwegger*, sive *Finmarcher* esse putat. *Cadeni* Brietio, in parte Bor. Norvegiæ, ubi nunc præfectura Vardhusiana, prope prom. Boreale.

Chadisia, urbs Leucosyrorum. Stephanus, quem vide. Cives *Chadisii*. *Chadissa* quibusdam, opp. Paphlagoniæ, in confin. Cappadociæ, in ora Ponti Euxini, & sinus Amaseni, inter Amasum ad Occas. & ostia Iridis fluv. ad Ortum, 50. mill. à Themiscyra in Occas. P. à Vico.

Chadramotita, pop. juxta Indicum sinum. Steph.

Chaanita, pop. ad Caucasi montis radices septentrionem versus. Strabo 11.

Chama, Germaniæ pop. Ptol.

Chanides, Sarm. Asiaticæ pop. Ptol.

Chareas, nomen viri, 2. Macch. 19.

Chareas, historicus, vel potius nugator fuit, uti & Sosilus, quorum utriusque meminit Polybius *lib.* 3. *Mihi quidem*, inquit, *non pro historiis scripta eorum videntur haberi debere, sed pro fabulis ex officinâ alicujus tonsoris aut vulgi face profectis.* Item Dux militum, Ptolemæo deserto, ad Antiochum se contulit. Idem *l.* 5.

Chareas, Comica videtur fuisse persona, apud Aristoph. *Vesp.* 480. Eupolis in Βάπταις Chæream ut inquilinum exagitat, cujus filius in Aristoph. Vesp. perstringitur, non solùm ut illegitimus civis, sed ut meritorius puer & cinædus.

Chæreas, nomen centurionis, qui C. Caligulam Imper. occidit. Vide ibi.

Charecla, Pentapoleos in Africâ reg. urbs. Ptol. & Amm. Marcell.

Charedemus, frater Epicuri, in cujus honorem hic tractatum de Diis, titulo *Charedemi*, composuit. Diog. Laërt. *in Epicuro*, *l.* 10. Gassend. *in vita ejusdem*, *l.* 1. *c.* 1. 8. & 11.

Charedemus, qui Equum durateum Athenis in arce posuit. Vide Scholia in Aristophanis *Aves* 595. *F.*

Charemon, poëta Comicus, Socratis discipulus. Aristoteles, *in Rhetoricis*, ejus Pentheum celebrat. In fabula Hippocentauro, omne metrorum genus miscuit. Meminit Athenæus, uti etiam Urei, & Alphesibœæ, pluresque fabulas ejus recenset Suidas: atque addit, diversum ab eo esse Hieroglyphicorum scriptorem. Voss. *de P. G. c.* 6. *p.* 41.

Charemon, Ægyptius, sub Augusto, præceptor Dionysii Alexandrini. Ælii Galli in Ægypto sectator, Philosophiam & Astronomiam docuit, nimiâ superbiâ omnibus contemtui. Hieroglyphica scripsit, & memorabilia Ægypti: ubi, de Phœnicis avis vita, peculiarem fovet sententiam. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 1. *p.* 164. 165. ubi eum etiam de Cometis scripsisse asserit.

Charephon, Tragicus patriâ Atheniensis, Philippi Macedonis temporibus vixit, ut est apud Ulpianum Rhetorem, quod arguit, eum fuisse Socrati & Demostheni familiarem. Hic *Vespertilio* vocitatus fuit, quòd niger & exili voce præditus esset. Item Πύξινος *buxeus*, ob pallorem luridum, quem studiis immodicis contraxerat. Is de Heraclidarum descensu scripsit Tragœdiam. Mentio ejus fit apud Aristophanem *in Nubibus*, Athenæum, Philostratum *in Sophistarum vitis*. Ab hoc vel alio natum proverb. *Nihil à Charephonte differt*, in macilentos & pallentes. Erat enim pallidus, ut dictum, ut qui philosophiæ operam daret, & literis incumberet. Cujus etiam vel alterius, incredibilis iracundia abiit in proverb. *In Palladis vestigiis nihil Charephontis gubernabis.*

Charestrata, mater Epicuri, nobilissimo genere nata. Diog. Laërtius, *in Epicuro lib.* 10. Gassend. *in eod. l.* 1.

Charinthus, puer admodum insignis facie, & candore, sed qui seipsum prostituit. Horat. 1. *Sat.* 2.

Sit licet hoc Charinthe tuum.

Meminit & Chærinthi cujusdam Tibullus *lib.* 2. *el.* 2.

Charis videtur quoque Grammatici nomen, citati ab auctore Scholiorum in Aristophanis *Ranas Act.* 4. *sc.* 2. Vide *in Vesp.* 478. *F.* 1.

Charis, Citharœdus sive tibicen nihili, de quo Aristoph. *initio Acharnens.* ejusque Schol. *p.* 371. *B.* Fuit verò Thebanus, de quo plura *pag.* 413. *F.* 1. Item *pag.* 582. *A. in Aves*, ubi addit, quòd sponte conviviis se ingesserit.

Charonia, *Charonea*, seu *Cherronea*, Bœotiæ urbs, ad Cephissum fluv. Plutarchi patria. Prius *Arne* dicebatur, testibus Pausaniâ *lib.* 9. paulò ante finem, & qui amat non raro buculâ (quod ajunt) Pausaniæ arare, Stephano Byzantio *lib.* 22. περὶ πόλεων. Utriusque verba hæc sunt: Ἐκαλεῖτο δ' ἡ πόλις Ἄρνη τὸ ἀρχαῖον. Meminit ejus Homerus *in Catalogo*:

Οἵτε πολυστάφυλον Ἄρνην ἔχον.

Itemque Lycophron,

Ἄρνης παλαιᾶς γέννα, Τεμμίκων πρόμοι,
Arnæ veteris propago, Temmicum duces.

Postea verò suum in eam nomen Chæron transfudit, teste Stephano, Χαιρώνεια πόλις τὸ πρῶτον κέκληται ἀπὸ Χαίρωνος, quisnam ille Chæron fuerit, indicabit Pausan. *in Bœoticis*, Τὸ δὲ νῦν τῇ πόλει Χαιρώνειαν ὄνομα γεγενῆσθαι (λέγουσιν) ἀπὸ Χαίρωνος, ὃν Ἀπόλλωνος φασὶν εἶναι. Id ipsum tantùm non conceptis verbis declarat ipse Plutarchus, in Περὶ πολυπραγμ. ubi etiam causam immutati nominis indicat: Ὥσπερ τὴν ἐμὴν πατρίδα πρὸς ζέφυρον ἄνεμον κεκλιμένην, καὶ τὸν ἥλιον ἐξ ἑσπέρας δ' ἀλλης ἀπὸ τοῦ Παρνασοῦ δεχομένην, ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς τετράφθαι λέγουσιν ἀπὸ τοῦ Χαίρωνος, i. e. *Quomodo patriam meam vento, qui flat ab occasu, prius obversam, & Solis decumbentis radios vesperi ex Parnasso admittentem, in Ortum à Charone conversam ferunt.* Vult indubiè à Chærone, cui suam salubritatem debebat, postremò nomen obtinuisse. Fallus est igitur Apollodorus, dum scribit, *rerum Bœoticarum l.* 2. Chæronem hujus urbis conditorem extitisse: Λέγεται δ' οἰκιστὴν γενέσθαι τοῦ πολίσματος Χαίρωνα. Non fuit οἰκιστὴς Chæroneæ, sed potius ἀνοικιστὴς, ἢ διορθωτὴς, & quasi θεραπευτὴς, ut Apollinis filium decuit. Utut sit, certè Chæronea erat etiam ætate Plutarchi angusta, & civium paucitate ignobilis, quippe quæ vel unius absentiâ imminutionem sensibilem, neque contemnendam patiebatur. Id quod ipse *lib.* 5. βίων παραλλήλων clarè manifestat, ἡμεῖς δὲ μικρὰν οἰκοῦντες πόλιν, καὶ ἵνα μὴ μικροτέρα γένηται φιλοχωροῦντες. Neque actis retro seculis major, aut illustrior fuit. Plut. *in Cimone*: Ἅτε δὴ καὶ τῆς πατρίδος ἡμῶν λυπρᾶ παντάπασι, καὶ διὰ μικρότητα καὶ πενίαν παρορωμένης, i. e. *Quippe patria nostra tenues id temporis* (ætate Luculli) *res erant; & suâ cùm inopiâ tum exilitate despicatui habebatur.* Neque sub Augusto fortunâ meliore usam vel hinc disce, quòd Chæronenses, ceu vilissima mancipia, omnes præfinitum tritici modium humeris deferre ad mare, etiam flagellis, quò citius maturarent, vapulare jussit, sub Actiacam pugnam M. Antonius. Duo verò præcipuè Chæroneæ nomen apud posteros illustraverunt: unum par eximium philosophorum

phorum Plutarchus, & Sextus ejus nepos: alterum insigne prælium, quo Philippus Alex. pater, debellatis ad Chæroneam Atheniensibus, Bœotis, & Corinthiis Græciæ dominus evasit. Strabo *lib.* 9. Χαιρώνεια δ' ἐστὶν Ὀρχομενοῦ πλησίον, ὅπου Φίλιππος ὁ Ἀμύντου μεγάλῃ μάχῃ νικήσας, Ἀθηναίους τε καὶ Βοιωτοὺς καὶ Κορινθίους, κατέστη τῆς Ἑλλάδος κύριος. Sita fuit media ferè inter 2. sinus Maliacum & Corinthiacum, & ab utroque tricenis m. p. distabat, Heliconi & Parnasso quàm proxima, dextro margini adsita Cephissi amnis, in occiduis, & extremis Bœotiæ limitibus. Id quod etiam Thucydides expresſè testatur *l.* 4. Ἔστι δὲ ἡ Χαιρώνεια ἔσχατον τῆς Βοιωτίας, πρὸς τῇ Φανοτίδι τῆς Φωκίδος. Rualdus. Hîc & Mithridates à Sylla superatus. Nunc vix rudera supersunt. 12. mill. distabat à Coronea & Copiade lacu, in Occasum. Baudr.

Chata, Paraxiæ regionis in Macedoniâ urbs Ptolemæo, Scytharum extra Imaum gens quoque apud eundem. Inter Issedones & Massagetas, versus Auzacum montem & Chitacum lacum. Aliis sunt *Chita* & *Gita*, erantque in eo tractu, ubi nunc pars Borealis Turchestaniæ.

Chairus, Arabum linguâ Babylonem significat. Cæl. Rhodiginus 8. 11.

Chaganus, Rex Avarum vel Hunnorum, sub Mauritio Imper. Thraciâ vastatâ, à Prisco, pulsus, Theodori Medici suasu, pacem iniit. Mox violatis induciis reversus, dimidiam exercitus partem cum septem filiis eodem die peste amisit. Contra Heraclium Imp. iterum hostilia induens, Constantinopolim obsidere voluit, sed divinitus inhibitus est. Niceph. *l.* 18. & 19.

Chaganus Theodorus, à Carolo M. prope Carinthiam sedes petiit, contra Bohemos. Vid. etiam *Caganus.*

Chai, circa Phasim flu. gens. Diod. *l.* 14.

Chalæon, urbs Locrorum. Thucyd. *l.* 3. Steph.

Chalæon, Bœotiæ portus, à quo 7. m. p. introrsus liberum op. Delphi sub monte Parnasso. Plin. 4. 3.

Chalak, vel *Halak*, mons sine arboribus. Josue, 12. 17.

Chalal, id est, *consummatio*, vel *totalitas*, aut *quasi nox*, vel Syriacè *corona* nomen viri. 1. Esdr. 10.

Chalama, civitas Persidis, quæ & Ctesiphon.

Chalambrii, equi à loco Libyæ sic appellantur. Hesych.

Chalapetis, Susianæ regio. Ptol.

Chalastra, urbs Macedoniæ in Bottiæa regione, ad Thermeum sinum. Inde *Chalastricum vitrum*, Plin. 31. 10. Hecatæo urbs est Thraciæ. Quid nunc sit, non constat. Baudr.

Chalca, insula cum op. circa Rhodum. Plin. 5. 31.

Chalcæa, Cariæ urbs, Strabo. Alia Libyæ Polyhistori, quem valde reprehendit Polybius, non civitatem esse scribens, sed ærarias officinas. Alia Phœnicum, alia Larissææ. *Chalce* Thucydidi *lib.* 6. Theophrastus eam *Chalcion* vocat, Theopompus *Chalcas* pluraliter, Steph. Chalce urbs Libyæ. Vide Bochart. *De Phœn. colon. lib.* 1. *cap.* 24.

Chalcæa, festa alio nomine *Athenæa* dicta, Vulcano dicata, quæ à cerdonibus tantùm aut operariis & fabris præsertim celebrabantur. Rhod. 19. 9.

Chalcedon, *Chalcedonia* Livio, urbs antiqua, an. post Romam 148. condita, Archiepiscopalis, cujus Ecclesia Metropolis, Concilio ibi habito, de quo infra, dicta est: Bithyniæ in orâ ex adverso Byzantii, minus milliario distans: Bosporo intercedente, septemdecim annis condita ante Byzantium à Megarensibus. Oraculi ambage *Cæcorum urbs* Plin. dicta, quòd priores illuc advecti, parùm visâ locorum utilitate, pejora elegissent. Strabo *lib.* 7. Ammianus Marcellinus, *lib.* 26. Tacit. 12. 63. Vide infra. Turcis *Calcitiu*, Rimio teste. Marsius Niger tradit, interius reædificatam, & à Junioribus *Cacelina* nuncupari. *Scutari* ex eâ facit hodiè Alphon. Adrian. Sed Davity hanc, Turcis *Iscodar*, Chrysopolim vult esse: *in descr. Asiæ part.* 1. *p.* 13. Petrus Gyllius prodit hodiè exiguum vicum esse, sine mœnium vestigiis. Steph. Hanc, ut dictum, Megarenses condidere, *Cæci* appellati, quòd non potiùs oppositum litus elegere, in quo sita est Constantinopolis optimo loco. Hîc olim magna Synodus 630. episc. celebrata est, Anno 451. quæ quarto loco inter octo numeratur, quibus Romana Ecclesia præcipuum honorem impertitur. Huic Martianus, cum Pulcheria Augusta, præerat; ubi Eutyches & Dioscurus damnati, decretumque Mariam θεοτόκον appellandam. Porro Clericis prohibitum, ne secularibus negotiis se immiscerent, aut in duabus Ecclesiis ministrarent; Porro Sedes Urbis Antiochenæ & Alexandrinæ prælata, & ut secundas à Romana obtineret, statutum: cui decreto Leo Episc. R. restitit, orto inde infelici, *de Titulo Universalis*, certamine, &c. Evagr. *lib.* 2. *cap.* 18. Zonar. *tom.* 3. Niceph. *lib.* 15. *cap.* 2. Acta Concilii *tom.* 4. Liberatus, Prosper, &c. Claud. *de* 4. *Consul. Honorii*:

Bosporus adversam patitur Chalcedona cerni.

Idem *lib.* 2. *in Ruff.*

Et Chalcedonias contra despectat arenas.

Chalcedon, fluviolus, qui in Propontidem effluit, unde urbs nomen sumpsit, hodiè accolæ *Potamion* vocant, Thevetus scribit eum hodiè *Chalcedoni* vocari.

Chalcedonia, particularis quædam regio Bithyniæ. Natal. Metel.

Chalcenteros, Didymi Grammatici cognomen ob indefatigabile studium sic dicti. Rhod. 19. 9.

Chalceterium, Cretæ civitas. Steph.

Chalcia, insula una Cycladum. Plin. 4. 11. *Charci* Nigro.

Chalcidene, fertilissima Syriæ regio. Plin. 5. 23.

Chalcidenses vocat Strabo, qui Isthmum Joniæ incolunt; qui est inter Tejum & Erythras urbes. Populi sunt etiam, circa Phasim fluvium, Diodoro *lib.* 14.

Chalcides, novæ Academiæ Philosophus, Timæum Platonis commentario illustravit. Voss. *de Sectis Philos. c.* 16. *§.* 12.

Chalcidia, urbs teste Festo.

Chalcidica, regio Macedoniæ. Ptol. *Jamboli* Castaldo. Est & Syriæ regio, in quâ est Chalcis urbs, eidem Ptol. Thraciæ quoque Stephano: Chalcidensium etiam in Thracia meminit Thucyd. *lib.* 2.

Chalcidicus, mons Siciliæ. Steph. *S. Riti* Fazello.

Chalcidius, nomen Gentile, etiam nomen Philosophi. Vide *Jamblicus.*

Chalciœcus, Minerva dicta est, vel quia domum haberet æneam, vel quia ex Eubœâ Chalcidenses fanum construxerunt. Rhod. 19. 8. Vide Meursium *in Miscell. Laconic. l.* 1. *c.* 3.

Chalciope, Ææteæ regis Colchorum filia, soror Medeæ & Phryxi uxor. Ovid. *epist. Helenæ ad Paridem*:

Non erat Ææetes, ad quem despecta rediret,
Non Ipsea parens, Chalciopeq; soror.

Lege *Idyia*, & vide omnino doctissimum Nic. Heinsium ad locum. Val. Flac. *lib.* 6.

Cingitur arcanis Saturnia læta venenis,
Atq; hinc virgineæ venit ad penetralia sedis,
Chalciopen imitata sono, formâq; sororem.

Chalcis, cognomen heroinæ cujusdam, nomine *Combe*, quæ nupta viro centum pueros enixa est, unde Proverb.

Tanquam Chalcidica nobis peperit uxor.

Item locus profundus, & cavus ad montem Atho. Steph. Item urbs Scythiæ, unde *Chalcita*, & regio *Chalcitis*. Item urbs Arab. Felicis. Plin.

Chalcis, Opidum primarium Eubœæ, quæ & ipsa quondam sic appellata, *ære primùm ibi reperto*, ut Plin. observat. Avulsa est à Bœotiâ, modico interfluente Euripo, de quo postea. *Sævissimè eam æstate candere* Colum. *lib.* 1. *cap.* 4. scribit. De nomine Bochartus: Nec à fabulosâ Chalcide Asopi filia dicta videtur, nec à monte Chalcide, nec ab ære primùm ibi reperto, quæ fama est valdè incerta: Sed à Phœnicio חלקין *Chalakin*, quasi *divisiones* dixeris: Quia putatur Eubœa continenti quondam hæsisse, & maris irrumpentis impetu esse abscissa, inter Eubœæ Chalcidem, & Aulidem Bœotiæ, quæ tam angusto freto ab invicem divisæ sunt, ut intermedio ponte aliquando junctæ fuerint. Ephorus, ubi de Bœotiâ: Τὴν Εὔβοιαν τρόπον τινὰ μέρος αὐτῆς πεποίηκεν ὁ Εὔριπος, οὕτω στενὸς ὤν, καὶ γεφυρᾷ συνεζευγμένος πρὸς αὐτὴν δίπλεθρῳ, *Eubœam Bœotiæ partem aliquo modo facit Euripus, qui ita angustus est, ut duorum jugerum ponte jungatur.* Strabo *lib.* 10. de eodem Euripo: Ἔστι δ' ἐπ' αὐτῷ γέφυρα δίπλεθρος: πύργους δ' ἑκατέρωθεν ἐφέστηκεν ὁ μὲν ἐκ τῆς Χαλκίδος, ὁ δ' ἐκ τῆς Βοιωτίας, *Illi duorum jugerum pons instratus est: turris autem utrinq; extat, una à* Chalcide, *altera à Bœotiâ.* Plinius, *lib.* 4. *Eubœa & ipsa avulsa Bœotiæ, tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur.* Quibus Procopius ita concinit, *lib.* 4. *de ædificiis Justiniani*: *Eubœa in mari objecta est Græciæ, videtur autem olim abrupta esse; Quandoquidem prius una erat, quæ pòst freto est divulsa: Maris undoso fluxu hic circa Chalcidem urbem continentem perrumpente, & quod à terrâ dejectum est, in insulam redigente.* Ejus meminit Lucanus *lib.* 2.

Arctior Euboicâ quà Chalcida verberat undâ. Colonia Atheniensium fuit, hodieque una ex præcipuis Turcarum, in Archipelago, Vid. infra. Inde *Chalcidenses* incolæ, qui malè audiebant, quòd essent fœdi puerorum amantes. Unde *Chalcidissare* loco adagii habebatur. Hesychius χαλκιδίζειν, ἀπὸ τῶν κατ' Εὔβοιαν Χαλκιδέων. Τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν παιδεραστούντων. Inde etiam *Chalcidicus*; quod inde est, aut eò pertinet. Virgilius *Eclog.* 10.

Ibo & Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculâ modulabor avenâ.

Ubi *Chalcidico versu* designare videtur Euphorionis Chalcidensis carmen, quod inscripsit *Hesiodum*, ut Suidas auctor est. Idem *Æneid.* 6.

Chalcidicâq; levis tandem superadstitit arce.

Sed ibi *Cumæam arcem* intelligit, Quòd Cumas Campaniæ in Italiâ civitatem Chalcidenses condiderint, unde in principio libri dixit: *Euboicis Cumarum allabitur oris.* Ubi Servium, si lubet, vide. *Sævissimè eam æstate candere* Columella *lib.* 1. *c.* 4. scribit. Suidas Χαλκὶς ὄνομα πόλεως Εὐβοίας, καὶ εἶδος ὀρνέου. Quod habuit ex Homero, *Il.* ξ.

Ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος, ἥν τ' ἐν ὄρεσσι
Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.

Est urbs valde famosa & permunita, cum castro duplici ad Euripum, & *Negroponte* nunc dicitur; ex hac olim coloniæ aliquot deductæ sunt, quæ nunc etiam *Insulæ*, nomine *Negroponte* vocantur: sita autem est in plano, ubi mare in angustias arctatur & continenti ponte jungitur, quo in loco præter aquarum cursus, ut in *Niger*, variis invicem fluctibus venti quoque ab utriusque terræ præaltis montibus, subiti ac procellosi jaciuntur, quare nec die nec nocte quies navibus datur. Urbi huic adjacens territorium, admirabile æris & ferri commune metallum continebat, quod tamen evanuit. Fuit autem hæc urbs à Mahomete II. an. 1451. ingenti apparatu expugnata & Venetis erepta, Christianis fœdâ strage affectis, hodieque sub Turcis cum tota Insf. Quæ nunc *l'isle de Negropont*. Distat urbs ipsa 30. mill. à Thebis. Est & alia *Chalcis* agri Corinthii oppidum. Tertia Ætoliæ, Acheloo fluvio irrigata, prope fontes Eveni fluv. versus Athamanicam, quæ etiam *Hypochalcis* dicta fuit aliàs, Strab. Quid nunc sit, non constat. Baudr. Quarta Syriæ à Monico Arabe condita. Ad Belum amnem, media inter Chelibonem & Antiochiam, à qua 35. mill. distat. ad Occasf. Est & *Chalcis* in Messapiâ Italiæ urbs. Sunt & aliæ à Stephano commemoratæ, quem sis consule.

Chalcis, potens Syriæ urbs est, ad Septentrionem Libani montis sita, in tribu Nephthalim, à qua regnum *Chalcidis* sive *Chalcidica* regio nomen habet.

Chalcitis, insf. è regione Chalcedonis, ærifodinam habens, Gentile *Chalcites*. Steph. *Chalcitis* etiam Mesopotamiæ regiuncula. Ptol. & Indiæ intra Gangem regio, item Chalcitidis regionis promuntorium. Denique insf. contra fauces Rhyndaci amnis in Asiâ. Plin. *lib. 7. c. ult.*

Chalcocondylas, Atheniensis historicus, Græcè historiam Turcicam libris 10. condidit. Orditur ab *Ottomanno* Orthogulis filio, qui regnare cœpit circa annum 1300. Desinit in anno 1463. quo Mahometes secundus bellum à *Venetis*, & Matthiâ Ungariæ rege illatum fortissimè repulit. Sed ætatem ad annum usque 1490. vel ultra perduxit. Dicitur vulgò *Laonicus Chalcocondylas*. Hunc Conradus Clauserus, Tigurinus, Latinè vertit, Blasius Vigenarius Gallicè; Est insuper Commentariis illustratus, & duplici continuatione auctus.

Chalcodomus, mons est supra Pheras.

Chalcomedusa, uxor Arcesii, mater Laertæ, avia Ulyssis. Eust. *in* 16. *Iliados*.

Chalcol, id est, *nutriens*, sive *consummans omnia*, aut *sustinens omnia*, filius Maol. 3. Reg. 4. filius item Zaræ filii Judæ. Paral. 2.

Chalcus, Dux præsidii, ut videtur, Cyzicenis, ab Alexandro M. impositi Polyæn. *lib. 5.*

Chaldæa, Asiæ maj. regio, inter Euphratem, Tigrim, sinum Persicum, & montana Arabiæ desf. adeoque Arabiæ contermina, plana, fontium indiga, in qua Babylon civitas magna. Populi *Chaldæi*. Hebraicè *Chasdim*, id est, *quasi dæmones*, aut *quasi deprædatores*, vel *quasi mamillæ*, aut *quasi agri*. Glossæ Philonis: Χαλδαῖοι, ὡς δαιμόνιοι. Putabat componi, ex *Caph* notâ similitudinis & *Scheddim*, id est, *dæmones* à שדד *Schadad vastavit*. Hinc Hieron. *De Chaldæis*, inquit, *nullus ambiget, quin dæmones sonet*. Hos Arphaxad instituit (inquit Josephus) & à se *Arphaxadeos* nominavit. *Cephenes* (teste Stephano) prius dicti, à *Cepheo* Andromedes patre. Hellanicus scribit, hanc gentem, mortuo jam Cepheo, relictâ eâ regione, aliò in militiam abiisse: proinde regionem non amplius *Cepheniam* dictam, sed *Chaldaicam* à *Chaldæo* rege, qui (Dicæarcho teste) quartus decimus à Nino fuit; & Babylone juxta Euphratem conditâ omnes Chaldæos in eam collegit. De his ita Strabo *lib. 7. Constat nunquam diligentius severiusq; mathematica studia exculta fuisse, quam apud Chaldæos*. Præcipuè verò eam astrologiæ partem tractarunt, & invenerunt, an ab Abrahamo? cum Arithm. & Geometria, acceperunt, quæ ex stellarum positu, qui in nativitate fuit, de cujusque fortunâ pronunciat: unde & ipsa ars *Chaldaica*, & qui profiterentur, *Chaldæi* appellati sunt, licèt de gente illâ haud essent. Cic. *lib. 1. de Divin. Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemq; regionum, quas incolebant, cùm cœlum ex omni parte patens, atq; apertum intuerentur, trajectiones, motusq; stellarum observaverunt: quibus notatis, quid cuiq; significaretur, memoriæ prodiderunt. Quâ in natione Chaldæi, non ex artis, sed ex gentis vocabulo, nominati, diuturnâ observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuiq; eventurum, & quo quisq; fato natus esset*. Cùm dicit, *non ex artis, sed gentis vocabulo nominari*, non obscurè significat, *Chaldæorum* nomen dupliciter sumi, semel cùm gentem notat, propriè puta; deinde cùm artem per figuram designat: ut in genere omnes *Chaldæi* dicerentur, qui Chaldæorum rationes secuti ex natali cujusque die futura audent prædicere. Sic *Chaldæorum natalitia prædicta*, eodem libro; itemque *Chaldæorum promissa* dixit. *Multos*, inquit, *promissis suis fefellerunt Chaldæi*. Idem 2. *de Divin. Quàm multa huic ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini*. Aliquoties *Chaldæorum* vocabulum ita Tacitus quoque posuit: Et cùm Juvenalis *Sat.* 10. scribit:

Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo. —— ——

Genethliacos istos intelligit. Loquitur enim de Tiberio, qui Thrasyllum Mathematicum comitem habuit, eique multum attendit. Præterea mundum æternum statuentes hi Philosophi, jactabant Astrologiam à majoribus, per annos 43000. jam exercitam; Divisi in Orchenos & Borsippenos, Magos quoque inter se habuerunt, quorum quidam dæmones ciendi artem, longâ abstinentiâ & peculiaribus lustrationibus præparati, profitebantur: Reliquis, Principum gesta æternitati consecrandi curâ impositâ. Ab his Herodotus *lib. 2.* Ægyptios elevationem Poli, usum quadrantis, diei δωδεκαμέρεια &c. edoctos ait. Plura de *illorum* studiis, & ratione philosophandi lege apud Diod. *l. 2. & 3.* Strab. *lib.* 12 15. & 16. Curt. *lib.* 5. Jos. *c. App. lib.* 2. Aug. *de C. D.* Voss. *de Sectis Phil. cap.* 1. §. 3. *de Mathem. c.* 30. §. 5. & *cap.* 38. §. 10. Inde *Chaldaicus*, Cic. *de Divin. lib.* 2. *Scylax Halicarnassæus familiaris Panætii, excellens in astrologiâ, idemq; in regendâ suâ civitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiavit*. Idem ibidem, *Lucius quidam Tarutius Firmianus familiaris noster, inprimis Chaldaicis rationibus edoctus*. Ubi per *Chaldaicas rationes*, γενεθλιακὴν designat, quam & Χαλδαϊκὴν Periegenes appellavit. Ita enim apud Schol. Apollonii, qui libros ejus περὶ τῆς Χαλδαϊκῆς τῶν μαθηματικῶν laudat, legendum esse, Janus Rutgersius *libro quinto variarum Lectionum, cap.* 6. præclarè ac eruditè observavit. *Chaldæi* pop. & *Chaldæa* reg. nunc *Terack* & *Caldar* etiam dicitur, antè sub Persis, nunc ferè tota Turcis subest. Ibi Euphrates & Tigris conjunguntur. Urbes præcipuæ Bagdatum, Balsera, Cusa, & Vvasetum. Aliàs etiam Babylonia dicta. Baudrandus.

Chaldæi, pop. juxta Colchidem. Steph.

Chaldaici lacus, *Alarch* Pineto, Stagna Chaldææ reg. in quos Tigris se effundit. Plin.

Chaldia, regio Armeniæ. Steph. Item tractus circa Syriam Cedreno, eidem etiam est Calabriæ locus.

Chaldone, Arab. Fel. promuntorium. Plin.

Chaleos, Achaiæ reg. urbs ad sinum Corinthiacum. Ptol. *Chaleos* vulgò Græcis, *Aspropiti* teste Sophiano.

Chalestra, urbs Thessaliæ litoralis, juxta quam Axius fluv. in mare Ægæum descendit.

Chali, civitas, terminus Asser, Josue 19. id est, *infirmitas*, sive *deprecatio*, aut *expectatio*, vel *principium*, aut *gemma*, aut *monile*. Item *Chali* Armeniæ gens. Ptolemæo.

Chalia, urbs Bœotiæ. Steph.

Chalinitis, Minerva dicta est ἀπὸ τοῦ χαλινοῦ, id est, *à freno* quòd Bellerophonti Pegasum equum præbuerit, eumq; frænaverit.

Chalisia, urbs Libyæ, & alia juxta Pontum una Amazonum (fortè sic dicta ab Amazone aliquâ) cujus cives *Chalisii*. Steph.

Chalne, vel *Chalane*, civitas quam ædificavit Assur. Gen. 10. De quâ sic Boch. *Phaleg. l.* 8. Una, inquit, è 4. urbibus, quas in terra *Sinhar* condidit Nimrod, *Chalne* dicitur, vel *Chalane*. Gen. 10. 10. Id est, *Ctesiphon*, quæ ad Tigrim erat. Non satis autem scio, quibus machinis turrim Babylonicam eò transtulerint ex Babylone Græci interpretes, apud quos ita loquitur Es. 10. 9. οὐκ ἔλαβον τὴν χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος καὶ Χαλάνης, οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη; In quem locum Basilius: Πύργον μὲν οὖν ἐκεῖνον λέγει τὸν ἀρχαῖον, ὃν ἐν τῷ Σενναὰρ ᾠκοδόμησαν. Et Cyrillus, Χαλάνη οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη παρὰ τῶν ἀρχαιοτέρων, κεῖται μὲν ἐν ἐσχάτοις τρόπον τινὰ τῆς ἑῴας μέρεσι, ἐπέκεινα δὲ τῆς Βαβυλωνίων χώρας τε καὶ γῆς. Hinc Gregorius Nazianzenus *oratione* 26. ὁ ἐν Χαλάνῃ πύργος, ὃς καλῶς τὰς γλώσσας ἐμέρισε. Et Constantinus Manasses *in historicâ Synopsi*,

Οἰκοδομεῖν μὲν ἤρξαντο τὸν πύργον τῆς Χαλάνης.

Unde Eust. *in lib. 1. Iliad.* Οἱ μέντοι τῆς ἡμετέρας θείας αὐλῆς μέροπας τοὺς ἀνθρώπους ἐπικληθῆναι φασὶν ἀπὸ τοῦ μερισμοῦ ἤτοι διαμερισμοῦ τῆς ὀπὸς, ὃν ἔπαθον μετὰ τὸν τῆς Χαλάνης πύργον. Sed Hieronymus rectè monet, 70. interpretes *addentes de suo regionem trans Babylonem interpretatos sunt, & Chalanem, ubi ædificata est turris*. Mihi originem exquirenti tam depravatæ interpretationis, aliud nihil succurrit, quàm in illis verbis, *Annon Chalnon sicut Carchemis*? Græcos ex ככרכמיש *sicut Carchemis* fecisse בהכרכמיש *in eâ munitio fuit*; quod interpretati sunt de turri Babylonicâ. כרכם Græcum χαράκωμα est; hujus plurale כרכומין pro Ebræo מצור. legitur Deut. 10. 20. in Jonathanis paraphrasi. Alibi autem melius scribitur כרקום Hujus autem variè scribitur כלנה *Chalne* Gen. 10. & Amos 6. 2. כלנו *Chalno* Es. 10. 9. כנה *Channe* Ezech. 27. 23. Illam confert Amos Propheta cum magnis urbibus: *Transite*, inquit, *Chalnem & videte, & inde ite Hamath magnam, & descendite in Gath Palæstinorum, an sint meliores regnis istis*? Vide Virum magnum, *in Phaleg. l.* 4. *c.* 18.

Chalus, fluv. Syriæ, in quo visuntur pisces magnitudine insignes, ac miti mansuetoque ingenio. Eos, inquit Xenophon, deos arbitrabantur Syri, nec injuria affici patiebantur, sicut neque columbas. Rhod. 18. 24.

Chalu-

Chalusus, Germ. fluvius Ptol. *Dravenna* vulgò *Trave* nonnullis, circa Lubecam urbem, qui quidem in mare Balticum se exonerat. *Etder* Pirchaimero, Dithmarsiam ab Holsatia separat. Credit Ortelius esse Varnam fluv. qui ad Rostochium in mare Balticum se exonerat. Sed Dav. Chytræus Chalusum Dravennam esse non affirmat solùm, sed etiam esse circa ipsam tractum *Chluseroort*, & opp. *Chlus* asserit.

Chalybes, seu *Calibes*, pop. Asiæ min. Ponto vicini ad Thermodontem fluv. Homero *Alizones* appellati. Strabo *lib.* 12. Paphlagoniæ proximi, Straboni *Chaldæi* dicti. Baudrando in Cappadocia, versus confin. Armeniæ min. inter Polemonium & Trapezuntem. Hi optimo ferri genere olim celebrabantur, quod nudi effodiebant. Apollon. Argonaut. *l.* 2.

—— Μετὰ δὲ συνεχόντασι ἀνδρῶν
Τρηχείην Χάλυβες κ) ἀτειρέα γαῖαν ἔχουσιν
Ἐργατίναι, τοί δ' ἀμφὶ σιδήρεια ἔργα μέλονται.

Dionysius Perieg. *Vers.* 768.

Τοῖς δ' ἐπὶ κ) Χάλυβες στυφελὴν κ) ἀπηνέα γαῖαν
Ναίουσι, μογερῶ δεδαηκότες ἔργα σιδήρου,
Οἵ ῥα βαρυγδούποισιν ἐπ' ἄκμοσιν ἑστῶτες,
Οὔποτε παύονται καμάτου κ) οἰζύος αἰνῆς.

Nempe Chalybes creduntur primi tractasse ferrariam. Ammianus *lib.* 22. *Chalybes per quos erutum & domitum est primitus ferrum.* Arrianus, *in Alexandro*, Χάλυβες πρῶτοι ἀνθρώπων αἰτίαν ἔχουσι χαλκεύσασθ σίδηρον. Puto illum respexisse, cùm id scriberet, hos Callimachi versus,

—— Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος
Γειόθεν ἀντέλλον τι κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν.

Quos ita reddidit Catullus, *in de coma Berenices:*

—— *Chalybon omne genus pereat:*
Et qui principio sub terrâ quærere venas
Institit, & ferri frangere duritiem.

Virgil. I. *Georg.*

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum.

Val. Flaccus. *Argon.* 4.

Non ita sit metuenda tibi sævissima quanquam
Gens Chalybum, duris patiens cui cultus in arvis,
Et tonat adstrictâ semper domus ignea massâ.

Vide Bocharti *Phaleg. lib.* 3. *cap.* 12.

Chalybonitis, Syriæ regio. Ptol.

Chalybs, fluv. in Hispaniâ, in quo ferrum optimè temperatur, juxta quem Chalybas populos collocat Justinus *lib. ult.* hodiè *Cabe*, teste Clusio.

Chalybs, flu. ex radicibus Tauri montis scaturiens, qui Syros & Paphlagonas interluit, & in Euxinum mare evolvitur.

Cham, id est, *calidus*, vel *calor*, vel *niger*, filius Noe. Is patrem odio habuit, quia ab eo despiceretur. Idemque ob vitia, quibus quamplurimis, ac nefandissimis scatebat, patri infensus fuit. Itaque opportunitatem nactus, cùm Noa pater jaceret madidus, illius virilia comprehendens, taciteque submurmurans, magico carmine illusit patri, adeò ut mulierem nullam fœcundare potuerit. At verò cùm is publicè mortale genus corrumperet asserens, ac reipsâ exequens, congrediendum esse, ut ante inundationem, cum matribus, sororibus, masculis, brutis, quovis alio genere, à Jano piissimo & castissimo principe ejectus, sortitus est cognomentum *Chamesenus*, id est, *Cham infamis, impudicus, incubus*, & *propagator*, quem Ægyptii *Saturnum* appellarunt, illique civitatem posuerunt, quam χέμμιν vocarunt. Berosus *lib.* 3. Sed hæc fabulosa sunt; & (quod ajunt) sine libro loquitur prædictus author ὑποβολιμαῖος. Nos itaque rem paulo penitius intuentes, veritatem ejus ex Bocharto, *in Phalege*, sic exhibemus. Primò occasio anathematis, à Noacho, in Chamum contorti, hæc fuit, quòd vidisset את ערות אביו *patris sui verenda nuda*, atque oculos suos hoc spectaculo pavisset. Fuit id ex parte notum poetis, qui latam à Saturno legem esse fingunt, quâ sancitur, ne quis Deos nudos impunè contempletur. Proinde in Callimacho Minerva, cùm Tiresiam occæcasset, qui lavantem illam viderat, apud Tiresiæ matrem factum ita excusat:

—— Ἐγὼ δ' οὐ τοι τέκνον ἔθηκ' ἀλαόν.
Οὐ γὸ Ἀθηναίᾳ γλυκερὸν πέλει ὄμματα παίδων
Ἁρπάζειν. Κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι,
Ὅς κέ τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῶ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλω.
—— *Oculos non per me perdidit ille,*
Nec mihi luminibus pueros orbare voluptas,
Ast à falcigero lex sene lata jubet,
Ut pœnâ graviore luat, temeraria quisquis
Audet in invitos lumina ferre deos.

Secundò *Cham* vel *Ham*, vel quia fratrum minimus, Gen. 9. 24. vel propter anathema à patre in illius caput contortum, in Africæ steriles arenas ablegatus est, ubi per multa secula cultus est, sub nomine Jovis *Ham*, seu *Hammonis*. Ægyptii molliore sono densæ aspirationis Ἀμμῶν, vel Ἀμῶν dicebant. Herodotus *in Euterpe*, Ἀμμῶν γὸ Αἰγύπτιοι καλέουσι τ̃ Δία. Plutarchus *in Iside:* Ἔτι δὲ τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τ̃ Διὸς εἶναι τ̃ Ἀμοῦν ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν. Ab Aristotele scribitur Ἄμμους. Hesychius, Ἄμμους, ὁ Ζεύς, Ἀριστοτέλης. Et quidem, ut Noam esse Saturnum multis argumentis constat, sic tres Noe filios cum Saturni tribus filiis conferenti, *Hamum* vel *Chamum* esse Jovem, probabunt hæ rationes. Primò ex nomine חם *Ham* factum Ægyptium Ἀμοῦν, & Africanum *Ammon*, vel *Hammon*, quæ Jovis esse nomina nemo est qui nesciat. Secundò חם *Ham fervidum* sonat, à radice חמם *Hamam*, *fervere*, *incalescere*: Ita Jupiter Græcè Ζεὺς videtur à *fervendo* dici, quod author Etymologici Magni refert ad calorem aeris, quasi Jovis nomine poetæ aerem intellexerint. Ζεὺς, inquit, παρὰ τὴν ζέσιν, θερμότατος γὸ ὁ ἀὴρ, ἢ παρὰ τὸ ζέω, ὡς τρίω τρεὺς κ) Ἀτρεύς. Cyrillus Alexandrinus θερμασίαν exponit, *lib.* 2. *Glaphyrorum in Genesin.* Tertiò ut *Cham* filiorum Noe fuit הקטן natu minimus, Gen. 9. 24. Ita Jupiter Saturni. Callimachus *hymno in Jovem:*

Τῶ τοι κ) γνωτοί, προτερηγενέες περ ἐόντες
Οὐρανὸν οὐκ ἐμέγηραν ἔχειν, ἐπιδαίσιον οἶκον.

Quartò, *Cham* seu Jupiter fingitur esse cœli dominus, quia illi obtigit Africa, cujus magna pars, cùm sit inter Tropicos, solem habet & reliquos planetas supra verticem, unde est quòd putatur esse cœlo proxima. Lucanus *l.* 9.

Terrarum primam Libyem (nam proxima cælo est
Ut probat ipse calor) tetigit.

Quintò, quòd in Phornuto, & aliis legitur, Jupiter patrem Saturnum execuisse, sumptum videtur ex his; Gen. 9. 22. perperam intellectis: *Et vidit Cham pater Chanaan verenda patris sui, & nunciavit, &c.* Ibi enim *& nunciavit* Hebraicè est ויגד *Vaiagged*, quod à serie orationis divulsum, tum cùm vocalia puncta aberant, legi potuit *Veiaggod & abscidit*, tanquam à verbo גדד, quod *excidere* significat, maximè cùm de carne agitur. Deut. 14. 1. 1. Reg. 18. 28. Jerem. 16. 6. Ultimò notandum, Hebræum חם *Ham*, multi *Cham* scribunt, aspiratione densâ mutatâ in χ Græcorum. Inde est, quòd à priscis incolis Ægyptus vocabatur *Chamia* vel *Chemia*, id est, *terra Cham*, quomodo illam appellat Psaltes, Psal. 78. 51. Plutarchus, qui Ægyptios ignorabat à *Chamo* esse oriundos, à *terra nigredine* putavit ita nominari: Ἔτι, inquit, τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τ̃ ὀφθαλμ̃ Χημία καλοῦσιν. Et verò Gen. 30. ubi de coloribus pecudum Labanis & Jacobi agitur, חום *Cham* pro *nigro* quater occurrit. Tamen Χημία videtur potius ad Chamum pertinere, ut & apud Steph. Aliud Ægypti nomen compositum Ἑρμοχύμιος, & in Ægypto pagi, vel urbes χέμμις, ψώχεμμις, ψιτάχεμμις, &c. Cophtitæ etiam, qui vetusta nomina pertinacissimè retinent, Ægyptum hodie *Chemi* vocant. Vid. etiam Torniel. Salian. *in Annal.* Genebr. *lib.* 1. *Chron.* Vid. & *Chanaan.*

Cham, Principum Tartarorum quoque nomen est, & linguâ illorum Regem, vel etiam magnum Regem significat. Imperium horum Regna Catay, Tangut, & Tainfu: Item provincias Tenduc, Camul, Ciarchiam, &c. complectitur.

Chamaam, vide *Chimham.*

Chamæleon, commentarios libros in varios poetas edidit, nimirum eum ἐν τῷ περὶ Ἀνακρέοντος citat Athenæus *lib.* 12. Item *lib.* 13. περὶ Σαπφοῦς, & περὶ Σιμωνίδου. Ad hæc περὶ Θεσπίδος Michael Apostolius, proverbio, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Idem Scholiastæ Apollonii *in lib.* 2. citatur, ἐν πέμπτῳ περὶ Ἰλιάδος: quod nihil aliud est, *quàm in quinto* super Iliade, Variorum nempe poetarum argumentum expendit. Idem & alia edidit. Eaque inter de Diis librum. Clem. Alex. *lib.* 1. Χαμαιλέων δὲ ἐν τῷ περὶ θεῶν. Item scripsit de ebrietate. Idem Clemens *eodem lib.* Χαμαιλέων ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ μέθης. Quo ex loco patriam ejus discimus; Commentatus quoque est περὶ Σατύρων, cujus libri mentionem facit Mich. Apostolius, proverbio Ἀπόλλεσας τ̃ οἶνον, &c. meminit & *Chamæleontis* Laertius, *in Platone*; ubi ex eo prodit, *Lycurgum* quoque studiosum fuisse Platonis. Idem ex eo in Heraclide narrat, Heraclidem hunc suffuratum sua fuisse ex Homero & Hesiodo. Vide Jons. *de Script. Hist. Philosoph. lib.* 1. *c.* 17. Voss. *de H. Lat. l.* 3.

Chamapus, sponsa nuncupatur, quæ non curru, sed pedibus mariti domum petit. Cæl. *l.* 28. *c.* 24.

Chamani, vel *Chamavi*, pop. Germ. Tacito & Ammiano, quos Ptol. *Camanos* vocat. Sunt qui eos *Camino* Pomeraniæ opido nomen reliquisse suspicentur, inquit Althamerus. H. Junio autem est *Campen* urbs Transisalanæ ad ostium Rheni oriental. Chytræo autem est *Chamen*, urbs Westphaliæ. Baudrando erant versus Chaucos minores, qui Cluver. aliisque habitabant, ubi nunc pars Diœcesis Monasterienf. & Paderborn. aliique Comitatus in viciniis, prope Amisiam fluv. uti credit etiam Brietius.

Chamberiacum, metropolis Sabaudiæ, vulgò *Chambery* quod *Camerinum* antiquis appellatum fuisse notat in sua Sabaudia Paradinus: sita est hæc urbs in regione antiquorum Antuatum: in ea Principes Sabaudiæ ferè degunt moramque trahunt,

hunt, & in ea Parlamentum collocarunt. Merula. Metel. Vide *Cameriacum.*

Chambes, fl. regni Mogororum, fl. Tamona ingrediens. Iidem.

Chamen, urbs Westphaliæ, in Marchiæ Duc. V. *Chamavi.*

Chamierus, Vid. *Daniel Chamierus.*

Chamoan, vel *Chamaan*, villula juxta Bethlehem, in tribu Juda. Hier. *in L. H.*

Chamos, nomen idoli Moabitarum, cui Salomon, à peregrinis uxoribus seduci se passus, fanum, in excelso monte, prope Hierosolymam, extruxit, 3. Reg. 11. aliis *Chemosh.* B. Hieronymus *in Esajam* 15. 2. *In Nabo erat Chemosh idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beelphegor.* Nicetas *in Gregorium*, dicit fuisse Veneris statuam. Quidam putant, quòd כמוש fit Κῶμος Græcorum, *Deus Commessationis*, alii *Bacchum.* Vide Vossium *de Idol.* 2. 7. *Chanaan*, filius Cham. Gen. 10. Bochartus eundem esse vult cum Mercurio, Primò, quia uterque Jovis fuit filius, id est, Hami. Secundò, utrique à mercibus & mercaturâ nomen. Hebræis enim כנען *Chanaan mercatorem* sonat. Tertiò, quomodo fratrum servus indigitatur Chanaan, ita Mercurium in cœlo Ethnici servilibus ministeriis addixerunt, unde tam acerba illius apud matrem expostulatio in Luciani dialogis, in quo sunt collocutores Mercurius & Maja: *Quid non dicam ego, qui solus tot negotia sustineo, quibus delassor* περὶ τοσαύτας ὑπηρεσίας διασπώμενος, *in tam multa ministeria distractus; Me siquidem manè surgentem* σαίρειν τὸ συμπόσιον δεῖ, *verrere oportet convivii cœnaculum. Et curiam* τὴν Ἐκκλησίαν *ubi stravero, & singula composuero. Jovi est assistendum, ad perferenda illius mandata toto die sursum & deorsum cursitando.* Et paulo pòst, cum aliorum Jovis filiorum sorte suam conferens; *Hic quidem*, inquit, *Alcmenæ, ille Semeles filius, ambo miseris mulieribus prognati, securè epulantur, at ego Atlantide Majâ progenitus* διακονοῦμαι αὐτοῖς, *illis servio.* Denique se talem esse queritur, ὥσπερ οἱ ἐν τῇ γῇ κακῶς δουλεύοντες, *quales ii, qui duram in terris servitutem serviunt.* Huc facit, quòd à Pœnis שמש *Sumes*, id est, *minister*, & ab Etruscis *Camillus* dicitur, id est, *servus deorum*, aut *minister.*

Chamum, Urbs Germ. in Palatin. sup. ad amnem Nigrum, versus confinia Bohemiæ. Sed cum adjacente regiunc. peculiarem Comitatum constituit. 7. mill. Germ. à Ratisbona. Vulgò *Chamb.*

Chana Galilææ. Vid. *Cana.* Juvenco *l.* 2. *Chanan.*

Chanaan, filius Chami, cui Noahus tanquam indici, & primo auctori contumeliæ sibi ab hoc illatæ, maledixit, Genes. 9. reliquisque cum tota posteritate servum subjecit. Chrysostomus diras has in Gabaonitis impletas statuit. Genebrardus Chananæos plurimosque Africæ populos Regibus peregrinis Asiæ Europæque propterea obnoxios asserit, Persis nempe, Ptolomæis, Græcis, Romanis, Vandalis, Saracenis, Turcis, Arabibus. Alii credunt prophetico spiritu prævidisse & prædixisse Noahum abnormia crimina 7. populorum Chananææ, & eorum destructionem, factam à Mose, Josua, Judicibus, & *Regibus Israël. Hoc certum est, hodieque Chanaanis hujus Chamique posteros, in Oriente, pecudum more distrahi, & nudam, cum reliquo corpore, etiam illam partem ostendere, quam abscondi honestas jubet.* V. Chrys. *hom.* 8. *in Matth.* Genebr. *lib.* 1. *Chr.* Anno 1657. Torniel. *A. M.* 1666. &c.

Chananæa, vulgò *terra Sancta*, cujus limites sunt ad orientem Jordanes flu. ad occidentem Ægyptus, & mare magnum, quod Mediterraneum dicitur; ad meridiem desertum Arabiæ; ad aquilonem mons Libanus. Populi *Chananæi*, de quibus & eorum regione, vide Bochartum *in Phaleg. l.* 4. *c.* 34. cujus titulus est *Chanaan*, itemque *c.* 36. quod est, *De Chananæorum finibus.*

Chananeus, regulus Galiciæ, idem cum Theodomiro, Anno 560. Arianam sectam, cui prius addictus erat, è ditionibus suis exulare jussit. Greg. Tur.

Chanani, nomen viri. 2. Esdr. 9. Lat. *præparatio*, vel *basis mea.*

Chanao, Comes Britonum, tres fratres sustulit, ut bona illorum ad se raperet, tertium Macliavum persequutus. Qui apud Comitem quendam regni latitans aliquandiu, Episc. Venetus evasit, fratrique tandem successit. Greg. Tur. *hist. lib.* 4. *cap.* 3. & 4. & *lib.* 5. *cap.* 16.

Chandæus, Vid. *Antonius Chandæus.*

Chandanace, urbs Persica. Gentile *Chandanacenus.* Steph.

Chandane, urbs Apuliæ. Steph.

Chane, flu. inter Albaniam, & Armeniam, à Cyro amne exceptus, mox cùm est factus navigabilis, in mare Caspium erumpens. Strab. *lib.* 11.

Changius, Chamus, condidit regnum Cathainæ amplissimum, nomine Magnæ Tartariæ; post excussum Sinensium jugum. Suos jussit unum Deum colere. Circa A. C. 1203. Obiit Anno 1207. relictis duodecim filiis, quorum natu maximus Hogotius Chamus successit. Peucerus *in Chron.*

Chanoricum, Urbs Scotiæ Boreal. *Chanonry*, sedes Episcopi Rossensis, in Rossia prov. juxta æstuarium *Muray Firth*, in ora Orientali Scotiæ, ex adverso Moraviæ prov. 4. mill. Scoticis ab Innernio, 6. à Cromartio in Austr.

Chaones, Epiri pop. à quibus *Chaonia* regio dicta. Nunc *Canina*, à castro cognom. intra montes. Extenditur ab Oeneo sinu Buthrotum usque, versùs oram maris Jonii subestque dominio Turcarum. Baudr. *Chaoniam* autem Helenus Priami filius à *Chaone* fratre, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, nominavit, quasi ad solatium fratris extincti. Fuit propriè montana pars Epiri, licèt quandoque sumatur pro totâ. Virg.

Chaoniamq; omnem Trojano à Chaone dixit.

Ibi sylva *Chaonia* columbis abundans. Virgil. *Eclog.* 9.

—— Carmina tantum
Nostra valent Lycida tela inter martia, quantum
Chaonias dicunt aquilâ veniente columbas.

Prop. 1. *eleg.* 9.

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ.

Ovid. *De Arte.* 2.

Quasq; colat turres Chaonis ales habet.

Quòd autem in Epiri illo nemore columbæ dare responsa dicuntur, Servius ideo fingi putat, quia linguâ Thessalâ Peliades & Columbæ vaticinatrices vocantur. Hinc *victus Chaonius*, id est, glandium cibus. Ceres apud Claud. 3. *De Raptu:*

Chaonio statui gentes avertere victu.

Virg. *Georg.* 1.

Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ.

Et *lib.* 2. *Chaoniiq; patris glandes*, id est, Jovis Epirotici. Servius. Nam & Jupiter *Chaonius.* Val. Flac. *lib.* 1.

—— —— Dodonida quercum
Chaoniiq; vides famulam Jovis.

Chaonia, Comagenæ urbs in Syriâ. Ptol.

Chaonitis, Assyriæ regiuncula. Strabo.

Chaos, rudis & inordinatæ materiæ confusa congeries. Poetæ ajunt, Chaos in principio fuisse, id est, confusionem rerum, atque elementorum. Postea verò Deum diremisse illam congeriem, singulisque rebus ex confuso acervo separatis, in ordinemque descriptis instruxisse mundum pariter, & ordinasse. Vide Ovid. 1. *Metam. Virg. Georg.* 4.

Atq; Chao densos divûm narrabat amores.

Lact. *Institut.* 1. 5 *Hesiodus non à Deo conditore sumens exordium, sed à Chao, quod est rudis inordinatæq; materiæ confusa congeries.* Dictum autem putatur nonnullis à χάω *fundo.* Hesych. χάος χώρησις. Lucanus,

In Chaos antiquum confundimur.

Cui Etymo favere videtur illud Philonis, περὶ Ἀφθαρσίας κόσμου. Τῶν δὲ Στωικῶν ἔνιοι χάος τὸ ὕδωρ οἴονται εἶναι παρὰ τὴν χύσιν τοὔνομα πεποιῆσθαι νομίζοντες. Chaos autem procul dubio ab antiquo χάω, pro χαίνω *dehisco.* Ritterhusio autem, *notis in Guntherum*, placet esse à כהה id est, *caligavit.* Sanè Glossæ Cyrilli χάος *tenebræ.* Et Prudentius tenebras eâ voce designat *Hymno* 5. *Cathemerinôn:*

Merso sole Chaos ingruit horridum,
Lucem redde tuis Christe fidelibus.

Inde *atrum Chaos* Senecæ, *in Agamemnone* & *cæcum Chaos* eidem, *in Octaviâ, & Medeâ.* Denique *Cimmerium Chaos* Statio *Silv.* 3. 2. Apud Aristoph. verò *in Nubibus, & Avibus* ponitur pro aere, & sic exponit Scholiastes, allato quoque loco hoc Ibycio,

Ποτᾶται δ' ἐν ἀλλοτρίῳ χάει.

Vetus interpres Bibliorum Lucæ 16. 26. Spatium quod inter cœlos, inferoque est, & χάσμα Evangelista dixit, *Chaos* appellat, quem malè in eo reprehendi summus vir H. Grotius ad eum locum ostendit. Itaque hanc vocem etiam Faustus Rhegiensis usurpavit.

Chaphthis, in tribu Juda. Hieron. *in L. H.*

Charabe, Galilææ sup. vicus, prærupto situ, in tribu Nephthalim. Joseph.

Characa, Phrygiæ locus. Strabo.

Characena, Susianæ regio. Ptolem.

Characeni, Tauricæ regionis pop. ab op. *Charace* sic dicti, quod inter hujus regionis urbes commemorat Ptolemæus.

Characenus, vide *Isidorus Characenus.*

Characina, Ciliciæ regiuncula. Ptol.

Characmoba, vel *Molucharax*, urbs Palæstinæ Ptol. V. Steph.

Characometes, flu. Asiæ, Athenæus.

Charadnæ, Carmaniæ gens. Ptol.

Charadra, urbs Phocidis, non procul à Lilæâ, gentile *Charadræus.* Steph.

Charadrus, opp. fuit Asiæ min. in Cilicia aspera, in ord. littorali, 20. mill. ab Antiochia ad Tragum, in Ortum, 30. ab Anemurio prom. in Occas. ex adverso Ins. Cypri.

Charadrus, fluv. Phocidis, Charadram urbem Lilææ proximam alluens, & in Cephisum influens, brevis decursus. Pausan. cujus meminit Stat. *Theb.* 4.

Quaq; pavet longâ spumantem valle Charadrum
Neris. Idem eodem lib.

———— Ingens
Inachus, advolvensq; natantia saxa Charadrus.

Est &

Est & fluv. Ciliciæ cum lacu cognom. cujus aqua mares gignere facit. Ubi opp. ejusdem nominis.

Charaadas, Euphiletæ filius, cum Lachete dux missus est, cum imperio viginti navium, in Siciliam, ubi tamen occubuit. Vide Thucyd. *lib.* 3. *&* 4.

Charan, vide *Carrhæ*.

Charandæi, pop. juxta Pontum. Orpheus *in Argonaut.*

Charandes, Tyrius, apud Athenienses legislator, qui legem tulit, ne quis armatus veniret in concionem. V. *Charondas.*

Charandra, sinus maris Arabici ad Arsinoen urb. Plin.

Charauni, Scythiæ extra Imaum gens, & op. Ptol.

Charax Pergamenus, sacerdos, & philosophus, Suidâ teste, condidit historiarum Græcarum libros 40. in quorum secundo Augusti Cæsaris memoriam celebrat, ὡς πάλαι γενομένε, *tanquam antiqui.* Unde, eum multò post Augusti ævum vixisse colligitur. Secundum Ἑλληνικῶν adducit quoque Steph. in Ἀδριάσια & Τάναγρ@. Condidit & χρονικὰ, quorum secundum idem citat in Ἀγζίαι. Apud Eust. etiam *in* 1. *Il.* citatur ὁ Χάραξ ἐν Ἰταλικοῖς. *Lampsacenus* vocatur Lilio Gyraldo *Dialogo* 2. *de poetis.* Verùm Suidas in Χάραξ adducit epigramma antiquum, ubi *Pergamenus* dicatur. Incipit illud,

Εἰμὶ Χάραξ ἱερεὺς γεραρῆς ἀπὸ Περγάμε ἄκρης.

Fortasse Gyraldo obversabatur Charon Lampsacenus. Non de nihilo verò est, quòd Etymologus distinctè dicat, Χάρακι ἱστοριογράφῳ: Quomodo & Suidæ in ὅμηρ@ bis vocatur. Nam fuit præterea alter *Charax*, Grammaticus, cujus item in Εἰπον meminit.

Charax, Armeniæ min. op. & Parthiæ quoque Ptol. Item Cretæ promuntorium Europalatæ, & Susianæ urbs ad sinum Arabicum, Ptol. Primum *Alexandria*, ab Alexandro ejus conditore, dein *Antiochia* ab ejus restauratore: & tandem *Pasine* (*Spasine* legit Pintianus ex Stephano) dicta fuit, autore Plinio. *Pasine* habet hoc loco Arriani Periplus. *Topasine* legitur apud Xiphilinum, fortasse malè juncto Græco articulo. *Carmon* vocat Pinetus, *in suo Plinio Gallico.* Quibusd. *Camata*, *Vicus Pelleus* seu *Vallum Brasines* P. de Via. Hermolaus, *in Plinianis castigationibus*, citat Indicam quandam incerti autoris historiam, in quâ legitur *Diridotim*, quandoque dictam, sed hoc ita non esse, ex Arriano compertum est, qui *Diridotim* ad ostium Euphratis flu. describit, ubi Teredon Ptolemæi est, ejusdem ferè soni, & paucis literis mutatis opidum. Inter Teredonem & Moseum fluv. ex adverso Arabiæ sita est. Ab ipsa autem regio adjacens *Characene* dicta.

Charax, locus Alexandriæ juxta Celænas Phrygiæ, ubi Alex. magnus castrametatus est. Nicetas.

Charax, maximum emporium prope Nicodemiam, in ejus sinu. Est & alius locus Ponticæ regionis. Steph. & Ptol. *Cacagioni* Mercatori, *Giraconda* verò Nigro.

Charax, Cariæ urbs, quæ nunc *Trallis*. Steph.

Charaxes, sive *Charaxus*, Herodoto *lib.* 2. vir Mitylenæus, frater Sapphûs poetriæ, qui captus Rhodopes meretricis amore, ejus causâ opes suas omnes dilapidavit, & ad summam redactus inopiam piraticam exercuit. Ovid. *in Epist. Sapphûs*,

Gaudet, & è nostro crescit mœrore Charaxus
Frater, & ante oculos, itq; reditq; meos.

Et paulo antè,

Arsit inops frater, victus meretricis amore,
Mistaq; cum turpi damna pudore tulit;
Factus inops, agili peragit freta cærula remo,
Quasq; male amisit, nunc male quærit opes.

Charbanus, Medorum mons. Plin.

Charca, pop. Americæ merid. in parte Australi regni Peruviæ, versus mare Pacificum, & regnum Ciles, intra montes: sub dominio Hispanorum.

Charchamish, Es. 10. lege *Charchemish.* Aliis *Charcumis* & *Charmande*, opp. Arabiæ desertæ, in confin. Chaldeæ, prope montes Babylonios, multis mill. ab Euphrate. Baudr.

Charchas, nomen Eunuchi regis Ahasueri. Esther 1. lege *Charshena.*

Charenton, burgus cultissimus Galliæ, cum ponte, ad Matronam fluv. qui paulo infra in Sequanam se exonerat, apud Parisios, inde duobus ferè miliaribus distans, echo celebris, quæ ibi duodecies redditur. In agro Parisino. V. *Carentonum.*

Chares, Atheniensium dux, ad promittendum facilis, & promptus; Unde proverbium natum *Charetis pollicitationes.* Suidas, & Erasm. Adag. *tit. magnifica promissa.* Fuit & *Chares* Lydius statuarius, Lysippi discipulus, qui Rhodi Solis colossum fecit. Plin. 34. 7. Fuit & *Chares*, teste Plutarcho *in Artaxerxe*, qui in bello Cyrum vulneravit. Denique *Chares* Mitylenæus historicus fuit, qui & ipse de rebus ab Alexandro gestis opus condidit. Citatur ab Athenæo *lib.* 1. 3. 5. 10. 11. 12. *&* 13. Item Plutarcho *in vitâ Alexandri*; ubi Ἰσάγγελ@ vocatur, uti & Gellio *l.* 5. *c.* 2.

Chares, Atheniensis, militavit Dario ultimo Persarum Regi, ac Mitylenen duorum millium Persarum præsidio tenuit: obsessus ab Amphotero & Egilocho, pactus ut incolumi abire liceret, urbem tradidit. Curt. IV.

Chares, flu. Belgicæ, Fortunato *Carm. l.* 7. *carm.* 4. memoratus:

Isara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura,
Seu qui Mettin adit, de sale nomen habens.

Frodoardo *Chara* dicitur, *Historiæ Ecclesiæ Remensis libro* 4. *capite* 3. Sigeberto *Carus*, vulgò *le Chier.* Hic fluv. montem Maledictum *Montmedy*, Cavantiacum, *Chavanci*, Eposium pagi Vabrensis castrum alluit, ad 8. mill. à Monasterio Basilicaque S. Martini & Duciacum ad Prata, *Douzi les Prez*: ac demum Mosæ confunditur; paulo infra Duciacum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Charetes, Peloponnesi flu. circa Argiam. Plut. *in Arato.*

Chariander, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ primæ anno primo.

Chariata, op. Arab. Fel. Ptol.

Chariatum, urbs parva Calabriæ citer. in regno Neap. & ora Sinus Tarentini. Meliùs *Cariatum*, quod V.

Charibertus, *Cherebertus* vel *Aribertus*, Rex Parisiorum, successit Patri Clothario I. Anno 561. Uxorem suam Ingobergam vel Nigebridam repudiavit, ductâ Merofledâ, hujusque paulò pòst sorore Marcoefâ, jam Moniali, utraque Carminatoris cujusdam filiâ. Quibus superinduxit Theodegildam, vel Theudelichildam, pastoris filiam. Hinc ab Episc. Parisiensi sacris prohibitus, paulò pòst in Xantonia, obiit An. 570. reg. 9. Ex legitima uxore pater Berthæ, vel Edithergæ, quæ Ethelbertum, Cantii R. maritum ad fidem perduxit. Greg. Tur. *lib.* 4. Aimon. *lib.* 3. Sigebert. *in Chron.*

Charibertus, Aquitaniæ R. filius Clotharii II. ex Sichilde. Huic primogenitus Dagobertus, Xantoniam, Petrocorium, Aginnensem, & Tholosanum tractum, totam denique tertiam Aquitaniam, appenagii loco, concessit. Tholosæ itaque sedem fixit, sed ilico mortuus est, Anno 637. Chilperico fil. similiter in cunis extincto. Fredegar. *Chron. c.* 57. Aimon. *lib.* 4. *cap.* 17. Item, Comes Laudunensis, pater Berthæ vel Bertradæ, quæ Pipino nupta, Caroli M. mater extitit.

Charicles, ex triginta tyrannis Athenis, à Lacedæmoniis, impositis unus, qui ad ampliandam suam potentiam collegis reliquis promptissimè adulabatur. Aristot. 5. *Polit.* 6. Qui apud Rerum conditores palmam sævitiæ cum Critiâ possidet. Ejus quoque meminit Xenophon *l.* 1. *Memorabil.*

Charicles, medicus arte insignis, non quidem regere valetudinem Tiberii solitus, consilii tamen copiam præbere, Is Gn. Acerronio & C. Pontio Coss. velut propria ad negotia digrediens & per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit; ac labi spiritum, nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit. Tacit. VI. 50.

Charicles, Atheniensis factionis Cassandrinæ, absens à populo capitis damnatus.

Chariclides, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ quartæ anno secundo.

Chariclides, à Dionysio Juniore copiis præfectus militaribus; sed à Dione adsumptus ad dejiciendum tyrannum socius. Diod. *lib.* 16.

Chariclo, filia Apollinis, Chironis Centauri, vel Scironis, ut alii volunt, uxor. Ovid. *Met.*

Ecce venit rutilis humeros projecta capillis
Filia Centauri, quam quondam nympha Chariclo
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit
Ocyroen. ——— ———

Charidemum, promuntorium Hisp. Tarr. in Bæticæ conf. sic appellatum, ab achate lapide pretioso, qui ibi reperitur. *Cabo de Gates*, Clusio; portus quoque ejusdem nominis sequitur apud Florianum; qui eum hodie *Porto Carbonero* appellari ait. Vide Bochartum *de Phœn. col. l.* 1. *c.* 34.

Charidemus, ultimus Sacerdos Jovis Cranai, regnum Sicyoniorum, ab hisce administrari solitum, profugus deseruit, quòd impensis par non esset. Euseb. *in Chron.*

Charidemus, dux Chersobleptæ Thraciæ regis militum. Demosth. *contra Timocratem.* Polyæn. *l.* 3. Fuit quidam etiam Romanus feris objectus. Martialis *l.* 1.

Charidemus, Atheniensis, ab Alex. M. exulare jussus, ἐς τὴν Ἀσίαν παρὰ βασιλέα Δαρεῖον φυγή. Arrian. *Hist. lib.* 1. Qui magno usui Persis fuit, donec ob linguæ libertatem, jussu Darii interfectus est. Diodoro dicitur ἀνὴρ θαυμαζόμεν@ ἐπ' ἀνδρείᾳ κỳ δεινότητι ϛρατηγίας. & Curtio *lib.* 3. *belli peritus, & ob exilium infestus Alexandro, quippe Athenis jubente eo fuerat expulsus.*

Charides, vel *Charicles*, de Machinis scripsit, Voss. *de Mathem. cap.* 48. §. 9.

Charien, flu. Themiscyrenæ. Plin. 6. 4. χαρίεις Arriano.

Charilaus Spartanus, tyrannidem convertit in Aristocratiam. Vid. Aristot. *l.* 5. *Polit. c.* 12. Herod. *l.* 1.

Charilaus, Lacedæmonius nobilis; comæ nutriendæ studiosus, qui interrogatus, cur comam nutriret, respondit: *Quia ex omni ornatu hic foret pulchrior, venustiorq; ac sumptus minimi.* Idem interrogatus, cur admodum paucas leges sanxisset Lycurgus: *Quia*, inquit, *pauca dicentibus, paucitas legum sufficit.* Rhod. 18. 4. *ex Plut.*

Charilaus, fil. Polydectis, hoc mortuo, à patruo Lycurgo magna cum cura educatus est, postquam illum, raro fidei amorisque exemplo, cùm ei propria mater Regina necem pararet, in vita conservasset. Vid. Clem. I. *Strom.* Plut. *in Lycurgo.* Justin. *lib.* 3. Pausan. Euseb. &c. Item alius, qui apud Herod. *l.* 3. fratrem suum Mæandrum perduxit, ad arma contra Persas sumenda.

Charilus, dux Lacedæmoniorum, Tegeatas superavit, author Pausan. apud Volater. fortè *Charilaus*, cujus meminit Strabo *lib.* 12.

Charimata, pop. intra Pontum. Steph.

Charimenes, Milesius, cùm in Phaselidem confugisset, supervenientibus ei longis navibus Periclis Lycii, habitu alio assumpto, pedes per regionem Periclis evasit. Polyæn. *l.* 5.

Charinades, nomen Senis, apud Aristophan. *Vesp.* ob tarditatem incessus notabilis. *pag.* 445. B.

Charinda, Mediæ fluv. Ptol.

Charini, mel. *Carini*, pop. Germ. fuere, & pars Vindilorum. Plin. Ptolom. Habitabant inter Rugios, Sidinos & Guthones, ubi nunc pars Borealis Marchiæ Brandeburgicæ.

Chariopolis, Urbs Peloponn. in Laconia; *Cheropoli*. Leunclav.

Chariphron, unum ostiorum Indi fluv. Ptol.

Charis, Vulcani Lemnii uxor.

Charisia, urbs Arcadiæ. Stephano à *Charisio*, Lycaonis filio, dicta.

Charisius, Atticus orator. Cic. *in Bruto.* Itemque Grammaticus, cujus meminit Priscianus. Ejus Institutiones hodie habemus, quæ in Gram. veterum corpore Putschii primum locum obtinent.

Charisius, Philadelphicæ Ecclesiæ Presbyter, Symbolo fidei à Nestorianis conscripto subscribere nolens, eorumque proin ope depositus, querelam defert ad Concilium Ephesinum. Vid. *Sess.* 6. Item, Clericus quidam Constantinopolitanus, ob vitam scandalis plenam, divinitus punitus. Niceph. *lib.* 15. *cap.* 33. Theodor. *lib.* 2.

Charispa, urbs Asiæ & Bactrianæ regia, ad Oxum fluv. Vid. *Zariaspa*

Charistas, fluvius Colchorum in Euxinum influens. *Charus* Straboni, *Chariens* Plinio, *Tamasa* hodie Nigro. V. *Charistus*.

Charistia, festa erant apud Romanos, in quibus cognati, & consanguinei convenire solebant, & invicem mutua dona dare. Hæc autem fiebant II. Cal. Mart. Ovid. *Fast.* 2.

Proxima cognati dixere Charistia Chari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.

Val. Max. 2. 1. *Convivium etiam sollenne majores instituerunt: idq; Charistia appellaverunt: cui præter cognatos & affines nemo interponebatur.*

Charistus, Colchorum fluv. nunc Mingreliæ, in mare Euxin. se exonerans, inter Æapolim ad Bor. & Phasim ad merid. *Charion* Plin. dictus.

Charitas, opp. Gall. in Nivern. prov. cum ponte lapideo, ad Ligerim flu. & Prioratu ditissimo Ord. Cluniacensis, 6. leuc. infra Nivernum in Bor.

Charitas, ordo sacer in communione R. à Joh. de Dieu institutus, ad ægrotis inserviendum. Spond. Anno 1520. à Paulo V. confirmatus, Anno 1617. *Charitas Christiana*, Ordo, ab Henrico III. Franciæ & Pol. Rege institutus, in usum militum, in bellis mutilatorum: sed, Rege morte prævento, executione caruit. Favyn. *lib.* 3. Lemma hoc debebat esse, *Pour avoir fidellement servi.* Morer. *Charitas S. Virg.* Ordo, à Guidone, Domino Joinvillæ, institutus, à Bonif. VIII. & Clemente VI. confirmatus. Huic Parisiis locus obtigit, ubi ædes olim Judæi cujusdam, qui hostiam scalpello perfoderat, an. 1290. Spond.

Charites, seu *Gratias* quidam ex Venere & Jove genitas scripserunt; alii ex Venere, & Libero. Cicero ex Erebo & nocte ortas existimat. Statii Scholiastes, *in primum Thebaidos*, Jovis & Autonoes filias putat. Hesiodus Jovis & Eurynomes filias scribit. Tres sunt, *Aglaia* (quæ & *Pasithea*) *Thalia*, *Euphrosyne*. Tot autem ideo esse prodiderunt, quia & benefici esse in alios debemus, & aliorum beneficia suscipere, & iis, qui in nos fuerunt liberales, retribuere, quæ tres actiones sunt separatæ. Musæus,

——— Οἱ δὲ παλαιοὶ
Τρεῖς χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι, εἷς δέ τις Ἡρῶς
Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.

Aristænetus *lib.* I. *ep.* 10. Καὶ τοῖς ὄμμασι χάριτες οὐ τρεῖς καθ' Ἡσίοδον, ἀλλὰ δεκάδων περιχορεύει δέκας. Alii ideo dicunt tres Gratias esse, quia acceptum beneficium cum fœnore reddi debeat. Quapropter solebant veteres ita Gratias pingere, ut una earum adversam faciem teneret, quasi à nobis profecta: duæ verò nos adspicerent, ut duplex nobis beneficium rependi debere ostenderent. Nudæ etiam pingebantur, quia beneficia fuco debent carere, & nullo velamine obtegi: Juvenes, ne beneficii memoria senescat: Ridentes, quòd hilariter dandum sit, Item Connexæ, quia insolubiles esse Gratias decet, & unum beneficium aliud semper parere. Vide *Gratia*.

Charitni, Vid. *Caritni*.

Chariton, monachus Gr. Patriarcha Constantin. factus, Anno 1147. undecimo pòst mense Lucam Chrysobergum successorem habuit.

Charitonia, hoc est, inquiunt, *nihil non festivitatis, & gratia habens venale*: ὤνιον enim *venale* significat. Sed profectò hoc ineptum & putidum est, & à Grammaticis confictum, quibus corrupta lectio imposuit. Ita enim scripsit Lucretius, ut & Gifanius edidit,

Parvula, pumilio, Chariton mia, tota merum sal.

Ob venustatem puta, ac leporem. Quod non intelligentes correctores, bellum illud *Charitonia* commenti sunt.

Charitonius, Gr. Χαριτώνιος, quâ voce, ut quidam volunt, usus est Lucretius, in commendatione puellæ,

Parvula, pumilio, Charitonia tota, merum sal. V. supra.

Charitum mons in Afr. unde Cinyphus oritur. Herodot.

Charixena, poetria quædam apud *Aristoph.*

Charlerius Johannes, communiter *Johannes Gerson*, vel *Jarson*, Vid. *Johannes Gerson.*

Charma, gens Indica. Plin. 6. 20.

Charmai, op. Minæorum in Arabiâ, qui à rege Cretæ *Minoe* originem trahere existimantur. Plin. 6. 28.

Charmanda, urbs trans Euphratem, juxta portas Babylonias. Stephanus.

Charmi, fil. Ruben. Gen. 46. Filius Juda. I. Paral. 4. qui Gen. 46. dicitur Er. Præterea filius Zadi. Josue. 7.

Charmidas, vir quidam extitit in Græciâ, qui tantæ fuit memoriæ, ut quæ quis in bibliothecis exegerit volumina, legentis modo repræsentaret. Plin. 7. 24. Idem cum Carneade, Cic. I. *Tusc.* Quintil. *lib.* 11. *c. de mem.*

Charmides, Dux Lacedæmonius, à Rege Spart. Alcamene in Cyprum missus, insulam pacatum. Pausan. *Lacon.* Item alius, de quo Diog. Laërt. *in vita Socratis.* Thuc. *l.* I.

Charmides, pugil nobilis, apud Pausan. Item *Charmides*, Massiliensis scriptor, qui Lusciniam non modò musicæ studiosam, sed gloriam ambitiosius captantem scripsit.

Charmione, Cleopatræ ancilla, spontaneam Dominæ mortem imitata. Plut. *in Anton.*

Charmis, Massiliensis medicus, qui, spretâ Therapeuticâ consuetâ, solebat balneis frigidis, etiam hyeme frigidissimâ, ægrotos lavare. Plin. *lib.* 29. I.

Charmis, Sardiniæ urbs, à Carthaginensibus condita. Stephanus.

Charmonia, Hisp. urbs Ptol. *Carmon* Straboni dicta.

Charmotas, portus in Arabiâ, centum ferè stadiorum ambitu, ingressu angusto, ac periculoso. Strabo 16.

Charmus, Syracusius quidam poeta, qui, teste Athenæo, in singula, quæ apponerentur, versiculos ac paroemias promebat, uti est illud de piscibus:

Ἥκω λιπὼν Αἰγαῖον, ἁλμυρὸν βάθος, id est,
Venio linquens Ægeum salsam profunditatem.

Charon, Pythoclis filius, quem Strabo *lib.* 13. *historicum* appellat, atque inter illustres Lampsacenos reponit. Dionysius quoque, *epistolâ ad Pompeium*, eum ante Herodotum scripsisse historias testatur. Hic, Suidâ teste, libros 2. De Rebus Persicis consignavit. Eos Plut. citat, *in Themistocle.* Item Athenæus *lib.* 9. Idem Athen. eum ἐν τοῖς ὅροις laudat *lib.* II. & 12. Sed præterea multa alia consignavit, quæ ex Suidâ peti possunt. Ex quo etiam discimus floruisse eum circa Olymp. 75. vel juxta alios, paulò post Olymp. 79. Vid. Strab. *lib.* 12. Voss. *de Hist. Gr. lib.* I. *cap.* I.

Charon, junior (uti vocatur) vixit temp. Ptolemæi Evergetæ, ac familiaris sui Apollonii Argonautica explicuit; non universa quidem, sed quæ ab historia penderent. Docet hoc nos Apollonii Schol. *lib.* 2. Οὕτω δὲ αὐτοὺς ὀνομάζει καὶ Χάρων, αὐτοῦ Ἀπολλωνίου γνώριμος, ἐν τῷ περὶ ἱστοριῶν τοῦ Ἀπολλωνίου. Eundem citari arbitror, cùm antè diceret: Χάρων δέ φησι, καὶ τὴν Λαμψακηνῶν χώραν πρότερον Βεβρυκίαν καλεῖσθαι. Sed minimè hinc consequitur, scriptorem hunc fuisse Lampsacenum. Atque ut Lampsacenus esset, alius tamen sit à nobili illo rerum Persicarum scriptore, de quo supra, cùm inter eos intervallum sit amplius quàm 50. Olympiadum. Vid. infra.

Charon, potens & dives fuit Thebis, qui domum Pelopidæ & conjuratis ad opprimendos, qui rebus Lacedæmoniorum studebant, contulit & ad Platæas feliciter pugnaverat. Ad quem etiam Leuctricæ pugnæ laudem Meneclides orator invidiosè transferebat. Cæteroqui vir bonus & impavidus & in sententiâ suâ perseverans.

Charon, Carthaginensis historicus, descripsit tyrannos, quotquot in Europâ, & Asiâ fuerunt. Idem prodidit vitas illustrium virorum libris 4. & vitas illustrium fœminarum libris totidem. Suidas.

Charon, Naucratites historicus, ut idem Suidas auctor est, retulit Alexandrinos, & Ægyptios Sacerdotes, ac quæ sub eorum quoque accidissent. Ad hæc reges, qui in unaquaque fuissent gente. Præterea de Naucrate, & alia quædam De Ægypto, posteris reliquit. Lloyd. Sæpe confunditur cum Charonte Lampsaceno Jun. Vid.

Vid. ibi; & Voss. *de hist. Lat. lib.* 13. *p.* 342. *lib.* 4. *c.* 3. *pag.* 442. *& cap.* 12. *pag.* 468.

Charon, Erebi & Noctis fil. inferorum portitor, *Porthmeus* Juvenal. —— *Tetrumq; novitius horret Porthmea.* —— ——
Quem poetæ fabulantur defunctorum animas futili cymbâ per Stygiam paludem transvehere. Virg. *Æn.* 6.

Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribili squallore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet; Stant lumina flammâ:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,
Ipse ratem conto subigit, velisq; ministrat,
Et ferrugineâ subvectat corpora cymbâ,
Jam senior, sed cruda Deo, viridisq; senectus.

Quæ fabula inde orta Diodoro Sic. *Bibl. Hist. l.* 1. *cap.* 92. videtur, quòd Orpheus, observato, Ægyptios, certæ alicujus urbis, mortuos suos sepulchris inferre solitos, lacum quendam trajiciendo, hoc de Charonte figmentum, quod nomen Ægyptiis *navitam* denotat, in Græciam reversus Græcis obtruserit. Vid. præclara hanc in rem, apud αὐτόπτην P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. Per Antiphrasin sic dictus, quasi *Acharon*, hoc est, *tristis*, *austerus*, qualis à Virgilio supra descriptus. Unde Prop.

Scandenda est torvi publica cymba senis.

Sen. *in Hercul. Fur.*

Hunc servat amnem cultu & aspectu horridus,
Pavidosq; manes squallidus gestat senex,
Impexa pendet barba, deformem sinum
Nodus coercet, concavæ lucent genæ,
Pergit ipse conto portitor longo ratem.

Idem *in Oedipo:*

Quiq; capaci turbida cymbâ
Flumina servat, durus senior,
Navita crudus, vix assiduo
Brachia conto lassata refert.

Quin & Charon ipse apud Eurip. *in Alcestide*, vocat mores suos ἐχθρὺς γε θνητοῖς, ϗ θεοῖς στυγουμένους,
Invisos hominibus Diisq; odiosos.

Inde à Statio 2. *Silv. trux navita.* Denique Prop. 4. 12.

Vota movent superos; ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

Hinc per convicium, homines terribili squallore, & pravo ac corrupto animo, *Charontes* appellantur. Apul. *in Apol.* de Æmiliano: *Igitur agnomenta ei duo indita*, Charon, *ut jam dixi ob oris & animi duritatem: & alterum, quod libentius audit, ob Deorum contemptum*, Mezentius.

Charondas, Thurius (à *Catanâ* civitate, unde originem habuit, *Cataneus* appellatus) legem tulit, Ne quis armatus in concionem veniret: Cumque postea ipse rure rediens imprudens, ut erat gladio accinctus, in concionem veniret, admonitus legis, ab eo qui proximè sedebat, eodem gladio incubuit, cùm liceret culpam dissimulare, vel defendere. Val. Max. *lib.* 6. *cap.* 5. *ex.* 14. Meminit ejus Tullius *de legg. lib.* 3. & Diog. Laërtius, qui eum Pythagoræ discipulum facit, *in ejus Vita*, *l.* 3.

Charondas, Archon Athenis, Olymp. 110. an. 3.

Charonea, *orum*, locus, vel regio est Asiæ ad Mæandrum flu. vicina Hierapoli, Characi, Magnesiæ, & Myunti, terram habet cavernosam, putridam, & incendiis obnoxiam: Strabo. *lib* 12. Aves exhalatione excæcat. Alter hujusmodi locus apud Magnesiam reperitur, *Plutonia* Ciceroni dictus. Fert.

Charonea porta, appellabatur una ex portis Atheniensis nomophylacii, per quam damnati ad supplicium ducebantur.

Charonea scrobs, locus Italiæ, Plinio 2. 23. memoratus: *Spiritus*, inquit, *lethales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi: alibi volucribus tantùm, ut Soracte vicino urbi tractu: alibi præter hominem cæteris animantibus, non nunquam & homini, ut in Sinuessano agro, & Puteolano Spiracula vocant, alii Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes.*

Charonium, antrum inter Tralles & Nisam, ubi ægroti solemnibus quibusdam superstitionibus à morbis liberari credebantur. Strabo *lib.* 12.

Charops, Æschyli filius, princeps Atheniensium decimus quartus. Alcmæone Archonte perpetuo mortuo, placuit Atheniensibus, ut Archontes in decennium tantùm imperium obtinerent; primusque hic Charops creatus est, anno primo principatûs ejus incidente in an. 2. Olymp. septimæ, quo tempore Roma condita fuit. Sigonius. Vid. Eus. *Olymp.* 6. Circa Annum Mundi 3300.

Charops, vel *Charopes*, vir Trojanus, Hippasi fil. & Soci frater, quos ambos uno die Ulysses interemit. Hom. *Il.*

Charops, inter Epirotas primarius, qui T. Quinto Flaminio consuli Romano, contra Philippum bellum gerenti favit. Plut. *in vitâ Flaminii.*

Charpote, castr. Mesopotamiæ, Curopal.

Charrotium, vulgò Charroux, opp. in Duc. Bituricensi, inter Avaricum, & Issoudunum, Metell.

Charshena, nomen viri. Esth. 1.

Charta, Tyri urbs, ex qua, ut quidam volunt, Dido egressa est, & ab se conditam urbem *Chartagenem* appellavit.

Charta, apud Normannos, Angliæ dominos, scriptum obsignatum, quo prædiorum cessiones, contractus, conventiones, & hujusmodi rata fiunt, denotavit. Romanis *Symbolum*, *Tabula*. Inferioribus, *Epistola*, *Testamentum*, *Chirographum*, &c. Anglis hodie *Factum*. Inter Saxones vix reperta hæc vox *Charta*, nec sigillis firma, sed è subsignatis crucibus. Magna *Charta*, sacrum illud diploma, anno 9. Henrici III. quo regni Angliæ libertates (multo sanguine & bello funestissimo partæ) confirmantur. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Chartaia, urbs Hyrcaniæ, Orientem versus. Laonic.

Chartani, Marmaricæ nomi gens. Ptol.

Charteia, vel *Cartheia* op. ins. Ceæ. Plin.

Charterius Alanus, Secretarius Caroli VI. & VII. magni nominis, scripsit plurima, quorum Catalogum Verderius, *in Bibl. pag.* 17. recenset: quædam Du Chenius edidit. In suo *Somnio Viridario* auctoritatem Papæ non parum dejecit. Revius *in Hist. Pontif.* Lætus. Hunc cùm Margarita Scotica, Delphini, postmodum Lud. XI. uxor, in cubiculo quodam regiæ aulæ, dormientem deprehendisset, illac transiens, osculum ei posuit: quæsita respondit, non Virum se, hominem admodum deformem, sed facundum ejus os osculo dignatam esse. Ægidius Corrozetus.

Charterius Guil. Episc. Parisiensis, Anno 1448. Tempore *Ligæ Boni publici*, Principum animos ad obsequium reducturus, colloquium cum Duce Bituricensi habuit, hinc Regis offensa. Obiit Anno 1472. non sine suspicione insidiarum. P. Æmylius, *in Lud. XI. Franc Christ. t.* 1. *p.* 458.

Charterius Johannes, Monachus, auctor Chron. magn. S. Dionysii, &c.

Chartophylax & *Chartularius*. Qui publicas tabulas, epistolas & instrumenta curabant, *Scriniarii*, vulgò *Registratores*. Hic autem in palatio Principis minister fuit, ille in Ecclesia; ut perspicuè Codinus. Confunduntur tamen sæpissimè: Et Gregorius M. *Epist. ad Maxim Episc. Solonit Registr. lib.* 7. *cap.* 129. inquit, *Castorio cartulario nostro remanente.* In Eccl. Orientali *Chartophylax* Sigilli Patriarchalis (instar Cancellarii) custos erat, ipsumque is in pectore gestabat: Et ab Andronico jun. *Magnus Chartophylax* nominatus est, quod epitheton ad Successores transiit. V. Codinum, & fusiùs Meursium in χαρτοφύλαξ.

Chartuitus, Ep. Hungariæ, scripsit vitam S. Stephani, primi Regis, opere Colmanno R. dicato: ut & alia quædam. Baronius A. C. 989. & 10 1.

Charudes, Vid. *Harudes.*

Charus, *Carus* & *Caris*, fluv. Gall. *le Cher*, qui per Bituriges & Turones labitur, & in Ligerim se exonerat paulo infra Cæsarodunum. Vid. *Caris.*

Charybdis, gurges vorticosus in freto Siculo, versus Merid. juxta litus Tauromenitanum, *Scyllæ* oppositus, contrariis fluctuum concursibus in miram altitudinem assurgens, flatisque temporum vicibus obvia quæque absorbens, iterumque evomens. Virg. *Æn.* 3.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet: atq; imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusq; sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat undâ.

Habuit ex Homero *Odyss.* 12.

Τῷ δ' ὑπὸ δῖα χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ,
Τρὶς μὲν γδ ἀνιησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναῤῥοιβδεῖ.

Ovid. *Met.*

Quid quòd nescio qui mediis concurrere in undis
Dicuntur montes, ratibusq; inimica Charybdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere. cinctaq; sævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo.

Idem *Ponticorum* 4.

Nec potes infestis conferre Charybdin Achais,
Ter licet epotet, ter vomat illa fretum.

Hesychius, Χάρυβδις, χάσμα θαλάσσης, ἢ καταιγίς. *Charybdis* Bocharto est *Chor-obdan*, hoc est, *foramen perditionis*; nempe ut ait Seneca, *in Consol. ad Marciam*, *cap.* 17. *Hiatu magno profundoq; sorbet navigia.* Hinc Isidor. 13. 8. *Charybdis dicta, quod gurgitibus occultis naves absorbeat.* Inde laudandus Horatius, qui meretricem rapacissimam, & voracissimam atque avarissimam nominat *Charybdim*, *Od.* 27. *l.* 1.

—— *Ah miser*
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flammâ.

Poetæ fabulantur, Charybdim mulierem fuisse rapacissimam, à Jove, cùm Herculis boves surripuisset, fulminatam, & in voraginem hanc conversam. Cæterùm Charybdin hanc fusissimè juxta ac eruditissimè describentem vide Cluver. *Sicil. Ant. pag.* 64. *&c.* Hodie *Capo di Faro*, & *Capo Faro*, à Pharo illic excitata, juxta Pelorum prom. ex adverso Scyllæ, prope Messanam, in Boream. *Charybdim* definit Etymologus Πᾶν τὸ εἰς χάος ϗ ὄλεθρον κατάγον. Et præter hanc, quam diximus, aliam descri-

bit circa Gades. Et Strabo *lib. 6.* Charybdin vocat Syriæ locum inter Emessam & Apamæam, in quo Orontes absorptus post XL. stadia rursus emergit.

Chaselon, Villa prægrandis, in finibus Æliæ, in tribu Benjamin. Item, pater Eldad Principis tribûs Benjamin. Num. 34. Hebraicè *Chislon* dicitur.

Chasira, Armeniæ min. op. Ptol.

Chasluim, fil. Misraim, Gen. 19. Hebr. *Chasluhim* pop. nomen, qui & Philistini, sive corruptè Palæstini. Eos Colchos esse, multis argumentis probantem Vide sis Virum magnum *in Phalege, lib. 4. cap. 31.*

Chasphon, Palestinæ op. 1. Macch. 5. Jos. *Ant.* 12.

Chassusium, vel *Chassus*, urbs ditionis Lemovicensis. Metel.

Chasuari, *Casuarii*, Ptol. *Chatuarii* Strab. Germaniæ pop. pars Istævonum, *Thuringos* putat Althamerus. Cluverio, aliisque habitarunt inter Amasium & Visurgim fluv. ubi nunc Diœcesis Monaster. & Osnabrugensis ex parte. Erant clientes Cheruscorum, indeque eorum confin. longè à Thuringis. Baudr.

Chaszanemica, Ponti urbs. Lib. Notit.

Chat, Mercurii Trismegisti fil. floruit anno ante urb. conditam 737. Euseb.

Chateni, Arab. Fel. pop. ad sinum Capeum.

Chatigan, Urbs Asiæ, in India extra Gangem, metropolis in Bengala, cujus incolæ sunt naturâ versuti & malitiosi, unde inter nequissimos totius Indiæ Slavos connumerantur; mulieres lasciviâ & luxu diffluunt, quo vitio per Indiam nihil est familiarius. Mos est apud eos, ut in eâdem ollâ nullo modo bis coquant, sed quâque vice recentes usurpent. In adulterio deprehensis nares cultro detruncantur, fitque divortium, si ita velint conjuges; quæ constitutio strictè observatur. Habent quæcunque vitæ necessaria in magna copia, & abundè habere possunt tam vili pretio, ut scribenti hæc vix fides deberi videatur. Bos integer venit plerunque uno Laryn, quod in nostra moneta quatuor batzios facit: sic & oves, gallinæ, &c. suo quæque pretio prostant vilissimo. Ibi oriza in tanta est copia, ut unum Candel, quod tantundem capit, quantum apud nos 14. medimni, vendatur in Bengala dimidio Joachimico. Saccharum & alia aromata suum habent pretium admodum tolerabile. Crescunt in Bengala Rhinocerotes, quorum cornu, dentes, caro, sanguis, ungula, & cæteræ partes, toto genere resistunt venenis, qua de causa maximo in pretio sunt apud Indos. Est in Imperio magni Mogolis, ad Cosminum fluvium.

Chatracharta, Bactrianæ, & Assyriæ urbs. Ptol.

Chatrai, Indiæ intra Gangem pop. Ptol.

Chatramitis, regio juxta mare rubrum, Strabo *lib.* 15. Χατραμὶς Dionysio dicitur. Incolæ Artemidoro *Atramotitæ*. *Chatramotitæ* Stephano. *Chatramotæ* Uranio. *Chatrimmitæ* & *Chatrimmititæ* Ptolemæo. Nec ab his diversi *Atramitæ*, vel *Adramitæ*, quamvis distinguunt Uranius, Plinius ac Ptolemæus. *Chatramitis* autem Hebraicè est *Hatzermaveth*, sive *Hadramauth*, & est Arabiæ regio myrrhifera, & thurifera apud Ptol. à Climace monte pertingens usque ad Sachalitas. Porro Hebræis ad verbum sonat *atrium mortis*, ut & Arabibus *regionem mortis*. Rationem nominis innuit Arrianus, *in Periplo maris Erythræi, his verbis*: Μεταχειρίζεται δὲ ὁ λίβανος ὑπὸ δούλων βασιλικῶν, καὶ τῶν ἐπὶ τιμωρίᾳ πεμπομένων. Ἐπίνοσοι δὲ δεινῶς οἱ τόποι, καὶ τοῖς μὲν παραπλέουσι λοιμικοὶ, τοῖς δὲ ἐργαζομένοις πάντοτε θανατώδεις. Hæc Bochartus, qui & aliam Etymologiam profert de serpentibus ibidem letiferis, quem, sis, consule *Phaleg. p.* 116.

Chattenia, regio Gerrhæorum, aspera alioqui, sed vicis, & turribus instructa, prope mare Rubrum; Cives *Chatteni*.

Chatti, vide *Catti*.

Chattuarii, Germ. pop. Strabo.

Chaubi, Germ. pop. ad Oceanum spectantes. Strabo. 7. Apud Tacit. legitur *Aviones*, in Germ. *c.* 40. Fortè rectius *Chavones*, seu *Chabones*. Illustravere hos pop. postea Maximini & Diocletiani victoriæ, Mamertinus *Genethliaco*. Apud eund. aliâ oratione legitur, *Itidem hæc gens Chaibonum Erulorumq; deleta*. Vulgò *Cavionum*.

Chauci, Plinio, & Tacito, *Cauchi*, vel *Cauci*, Ptolemæo, & Straboni, Germ. pop. In majores & minores dividuntur. Minores sunt *Frisii Grœningenses*; Majores *Luneburgenses* & *Bremenses*, ad Hamburgum usque. Hos *Chaycos* poeticè appellavit Claudianus, *de laudibus Stiliconis, eo versu*:

Ut jam trans fluvium non indignante Chayco. Vid. *Cauchi & Cayci.*

Chaula, vicus Ægypti. Strabo. *l.* 16.

Chaum, Argiæ mons. Pausan. Et castellum in Tauricâ Chersonneso. Strabo.

Chaunaria, extrema Libyæ interioris urbs. Ptol. *Cabodenen* Castaldo. Promuntorium etiam ad mare Atlanticum, *Capo di Non* Maffæo, & Marianæ.

Chaundulerus, vel **Candelarius Johannes**, Anglus, aliquot operum historicorum auctor, seculo 15. Vid. Voss. *de hist. Lat. l.* 3. *c.* 9. *pag.* 633. 634.

Chauni, pop. Thesprotiæ. Steph.

Chauon, Mediæ regio, pop. *Chauones*, Steph.

Chaurana, Scythiæ extra Imaum urbs. Ptol.

Chaurina, Asiæ urbs. Ptol.

Chaxumum, Urbs Abyssiniæ, in regno *Tigre* inter Insf. Meroën & mare Erythræum, estque ex præcipuis totius tractus. A' multis creditur Auxuma antiquorum. Vid. Isaac. Vossium.

Chazaria, cum Media, recuperata à Basilio Imp. an. 1015. pulsis Saracenis. Zonar. *tom.* 3.

Chazbi, ubi geminos Judæ filios Thamar edidit: ostendebatur autem tempore Hieron. locus desertus juxta Odollam in finibus Eleutheropoleos, in tribu Juda. Hier. *in loc. hebr.*

Chazene, Satrapia juxta Euphratem Mesopotamiæ, Stephanus ex Ariani *Parthicôn lib.* 13.

Chazinzarii, hæretici Armeniæ, Staurolatræ, nam *Chazus* crucem notat. Nestorii sectatores, annuo jejunio mortem Artziburtzi canis, quo Sergius usus erat, ad ipsis adventum suum significandum, venerabantur. Nicephor. *lib.* 18. *c.* 54. Gautier *in Chron.* 7. *seculi.*

Chebbon, civitas in tribu Judâ. Jos. 15. Hebr. *Cabbon*.

Chebron Pharao, post Amosum Pharaonem, circa *A. M.* 2337. secundùm Euseb. *Chron.* aliter paulo juxta Calvis. *Chron. pag.* 176. 179. Ægypti rex; regnavit annis 23.

Chelæ, locus inter Apolloniam insulam, & Sangarium fluv. Arrianus. Est & locus circa Byzantium. *Scalas* teste Pet. Gyllio. Item duo Africæ circa Carthaginem promuntoria.

Cheleab, secundus fil. David de Abigail uxore Nabal Carmelitæ. 2. Reg. 3. Hebr. *Chileab*.

Cheleb, id est, *canistrum*, vel *caninus*, nomen viri, 1. Paral. 27.

Cheles, seu *Chesles*, Satrapes Seleuci, per Persiam, ut apparet ex Polyæni *lib.* 7.

Chelias, nomen viri. 1. Esdr. 10.

Chelidoni, pop. Illyriæ. Steph.

Chelidonia, Favonius ventus vocatur à die 6. ante Idus Febr. usque ad 7. Calend. Martias; eo quòd his diebus hirundines primùm conspici incipiant. Plin. 2. 47.

Chelidoniæ, insulæ parvæ contra Tauri promuntorium pestiferæ navigantibus, duæ sunt, quarum una *Corydela*, altera *Menalippea* dicitur. Steph. Dionysius trium meminit *vers.* 506.

Τὴν δὲ μετ' ἀντολίην δὲ Χελιδονίαι γεγάασι
Τρεῖς νῆσοι, μεγάλης Παταρηΐδος ἔνδοθεν ἄκρης.

Ptolemæus Χελιδονίας σκοπέλους, Stephanus Χελιδονίας πέτρας vocat, Strabo Χελιδονέας, quasi dicas *Hirundininas*. Herodianus Grammaticus Χελιδονιὰς ὀξυτόνως vocat, quæ vox *nidos hirundinios* notat. A Scopulis igitur sic appellantur hæ insulæ, quibus se condunt per hyemem hirundines, aut quibus in æstate nidos conficiunt. Ad hoc facit Ovidii hoc distichon:

Cùm glaciantur aquæ, scopulis se condit hirundo,
Verberat & gelidos garrula voce lacus.

De his Mela 2. 7. *Quæ contra Tauri promuntorium importunè navigantibus objacent, Chelidoniæ nominantur.* Vide, sis, Eust. *ad Dionys. locum*; & Strab. *lib.* 14. Sunt in mari Pamphylio Baudrando, prope Sacrum prom. partem Tauri, in fine sinus Attalici, in ora Libyæ exterioris, versus Crambusam Insf.

Chelidonium promuntorium Tauri montis, in mare Pamphylium prominens. Plin. 5. 27. Aliis *Sacrum* dicitur.

Chelidonius, Ep. Vesontionis, quòd viduam duxisset, contra Canones; à S. Hilario depositus, Romam venit, apud Leonem M. conquesturus, restitutusque est. Leo *ep.* 89. Baron. Anno Christi 445.

Chelion, vel *Chilion*, hoc est, *consummatus*, vel *perfectus*, aut *totus columbinus*, filius Elimelech. Ruth. 1.

Chelippus, mons in Chio insulâ. Germ. Cæsar *in Aratæis.*

Chelma, Urbs Russiæ nigræ, caput Palatinatus cognom. parvi circuitus, cum arce lignea. Miserè non pridem à Moschis Tartarisque vastata. 10. leuc. à Lublino, 12. à Belsa in Bor. 24. verò à Premislia.

Chelman, nomen urbis. Ezech. 27.

Chelmon, nomen loci inter Belma, & Bethuliam. Judith. 7.

Chelonates, sive *Chelonites*, Ptol. & Pausf. *Castel Tornese* teste Sophiano, promunt. cum op. Peloponnesi in orâ occiduâ Elidis, inter ostia Alphei & Penei flum. contra Cephalenem insf. Baudrando contra Zacynthum Insf. inde 15. mill. distantem, & 25. à Cephalenia. Est & sinus Ptolemæo inter promunt. prædictum, & Ichthym promunt. sequens ad austrum *Golfo di castel Tornese.*

Chelone, promuntorium Coi. Pausf.

Chelonides, paludes Libyæ interioris. Ptol.

Chelonis, fil. Leonidæ, Regis Spartani, uxor Cleombroti. Patrem à marito pulsum, hoc deserto secuta est, mox mariti à Patre deturbati comes, Plut. *in Agide & Cleomene.*

Chelonites, insula in Rubro mari. Steph. Item promunt. Elidis. Ptol.

Chelonophagi, pop. sunt in Carmaniæ angulo, non aliâ quàm testudinum carne vescentes, earumque testis casas suas tegentes. Vide Plin. 6. 25. Et Strab. *l.* 16.

Chelydonius, mons Arcadiæ, Cyllenio monti contiguus. Pausf.

Chelydoreus, Bœotiæ mons. Pausan.

Chelytis, Dianæ cognomen. Clemens *in Protreptico*, καὶ Χελύτιδα δὲ Ἄρτεμιν Σπαρτιᾶται σέβουσιν, ἐπεὶ τὸ βήττειν, χελύττειν καλοῦσιν. Tussire verò, etiam Χελύττειν dici, quanquam nullâ Spartanorum mentione, auctor quoque Hesychius, Χελύσσεται, βύσσει, lege βήσσει.

Chembis, ad Pyramidem novam exstruendam convocavit 360000. hominum & Pyramidem tamen illam viginti demum annis perfecit.

Chemmisia, urbs Misniæ.

Chemnicium, opp. Germ. in Misnia, ad amnem cognom. *Kemnitz*, in ditione Elect. Saxoniæ, 6. leuc. Germ. à Misna in Austr. 5. ab Altenburgo in Ortum. Arcem habet dictam *Augustoburgum*. Hîc Ferdinandus III. Imp. à Banirio Suecici exercitûs duce, magnâ clade affectus est, triginta signis equestrium, 20. pedestrium copiarum, omnibus præterea impedimentis captis. A. 1638.

Chemnis, Ægypti Insula. De quâ Pomponius 1.9. ubi de Ægypto: *Alia quoque in his terris mira sunt. In quodam lacu Chemnis insula lucos sylvasque & Apollinis grande sustinens templum, natat, & quocunque venti agunt, pellitur.* Sed ibi *Chemmis*, legendum monet doctiss. Is. Vossius. Ita quoque insulam istam appellat Herodotus *lib.* 2. ubi, magnam ibi esse palmarum aliarumque vim arborum, partim fructiferarum, partim umbriferarum saltem memorat. Hecatæus eam *Chembin* vocat, in loco Stephani ita legendo, Ἐν βουτοῖ περὶ τὸ ἱερὸν τῆς Λητοῦς ἐστι νῆσος Χέμβις ὄνομα, ἱρὴ τοῦ Ἀπόλλωνος. Ἔστι δ᾽ ἡ νῆσος μεταρσίη, καὶ περιπλεῖ ἐπὶ τοῦ ὕδατος καὶ κινέεται. Ὁ νησιώτης χεμμίτης, καὶ Χεμμιος. Alia est *Chemmis*, quæ in nomo Thebaico sita erat, quamque Πανὸς πόλιν interpretatur Diodorus Siculus, ubi templum Persei, quem incolæ modò è terra prodeuntem, modò è fano exeuntem se videre persuasi sunt. Meminerunt hujus tum alii, tum ipse quoque Herodotus. Plut. *in lib. de Iside & Osir.* perperam Χέννιν vocat. Stephanus ex authoritate Herodoti, & hanc quoque insulam esse inquit: Ἔστι καὶ Χέμμις πόλις μεγάλη νομοῦ τοῦ Θηβαϊκοῦ, ἐγγὺς τῆς Νέας πόλιος, φησὶ δ᾽ ὁ αὐτὸς, καὶ νῆσον εἶναι Χέμμιν ἐν αὐτῇ. Sed nusquam hoc Herodotus prodit. Itaque apud Stephanum legendum ἐν Βουτοῖ, non ἐν αὐτῇ.

Chemnitius Martinus, Germanus, patriâ Britzensis, in Veteri Marchia, Superintendens Brunsuicensis. Hic assiduo labore in studio Theologico tantum profecit, ut, post Philippi præceptoris obitum, Theologorum Aug. Confess. facilè princeps haberetur. Ejus *Harmonia Evang.* inchoata, & à Polycarpo Lysero continuata, prodiit in fol. Franc. 1622. & Genev. 1628. quarto, variis vicibus. Vide Joh. Gerardum. De ea sic Waltherus *in offic. Bibl. Ex Lutheranis satis commendari nequit* Harmonia à Chemnitio, *ad stuporem usque dexterrimè cœpta*. à Polyc. Lysero *fideliter continuata*, à Gerardo *dexteritate ac fidelitate pari consummata*; *ex Pontificiis* Jansenius, *ex Reformatis* Calvinus. Riveto cit. apud Leigh: dicitur *Vir eximius, atque acerrimus Pontificiarum partium oppugnator.* Obiit an. Chr. 1586. æt. 64. Melch. Adami *in Vitis Theol. Germ.* & Regenvolscius: Brunopoli in Saxonia, Verheiden.

Chemosh, Moabitarum numen. Jer. 48. 7. Χαμῶς 70. interpretes vocant; & nomine tantummodo à Phegorio Deo hunc distare sentit D. Hieronymus. Philo Judæus, *Allegor.* 2. Χαμὼς ἑρμηνεύεται ὡς ψηλάφημα, quod cæcorum ferè proprium. Sane מוש *mosch* est *contrectavit*, seu *palpavit*, & elementum *Caph* servile, ὡς interpretatur.

Chena, Laconicæ urbs, Mysonis patria. Steph. Χῆναι, πόλις Λακωνικῆς, ὁ πολίτης Χηνιεὺς. Vicum appellat Diodorus. Sic in Excerptis, Μύσων τις ἦν Μαλιεὺς ὃς ᾤκει ἐν κώμῃ Χηνὰς καλουμένῃ. Aristoxenus apud Laërtium *in Mysone*, μηδὲ πόλεως, ἀλλὰ κώμης, καὶ ταύτης ἀφανοῦς. Χλὼ dicitur in Pythiæ oraculo. Αἱ Χηναὶ Max. Tyrio, & Pausaniæ, cujus *in Phocicis* hæc sunt verba: Κῶμαι δὲ ἐν τῇ Οἴτῃ τῷ ὄρει ᾠκοῦντο αἱ Χῆναι. Vide Doct. Menagium *ad Laërtium pag.* 38. 39.

Cheneres, Ægypti rex, regnavit an. 16.

Chenius, mons circa mare, apud Macrones populos, haud procul à Colchide regione, uti describit Diod. *lib.* 14.

Chenne, i. e. *basis*, *rectitudo*, vel *præparatio*, urbs Ezech. 27.

Chenno, fluv. Regni Mogor. Natal. Metel.

Chenoboscia, *Chenoboscium* Anton. urbs Ægypti è regione Diospolis, quasi ab *anserum pascuis* dicta, à Copto 40. m. p. in Bor. distans.

Cheops, Ægypti rex, Herod. *lib.* 2. vide *Cheospes*.

Cheospes, post Rhampsinetum, Ægypti rex, qui fanis clausis sacrificiisque prohibitis, sibi soli gente laborare jussâ, celeberrimam illam Pyramidem struxit, in quâ tam multa hominum millia, opus tot annis fecerunt, ut pro apio, cæpâ, allio, expensa fuerint mille & sexaginta talenta. Vide Herodot. *lib.* 2. An hic Chemmis vel Chammos Diodori *l.* 2. Regn. an. 50.

Chephrem, frater hujus, ei successit, regnans an. 56. Pyramide substructâ fratris imitator. Sed uterque subditis adeò evasit invisus, ut ne nomina quidem eorum audire sustinerent, dictitantes, Pyramides has à pastore Philitione conditas, qui ibi locorum gregem pascebat, Herodot. Diodoro *Chephres* dicitur, aliis *Chabryis*, qui eum volunt filium non fratrem prioris fuisse. *l.* 1.

Chephri, in tribu Benjamin. Hier. *in L.H.*

Chepstovium, opp. Angliæ, in Wallia, & in Comit. Monumethensi, prope ostia Vagæ, & æstuarium Sabrinæ, 8. mill. Angl. à Monumetia in Austr. Vide *Strigulia*.

Chepta, Asiæ fluv. inter Orthospanam Drangianæ reg. urbem, & Peucolaitem. Plin.

Chereades, plur. numero, secundùm Hecatæum, Mosynœcorum urbs.

Cherebertus, filius Clotarii I. Galliarum Regis, patri successit: A. 565. primus Regum Francorum Latinè scivit: rejectâ uxore Ingobergâ, cùm Merofledæ ancillæ assuevisset, paulo pòst unà cum pellice obiit, uti refert insignis auctor Papirius Massonius *in Clotario*.

Cherebertus, vide *Charibertus*.

Cheremocrates, insignis quidam artifex fuit, cujus opus Ephesiæ Dianæ templum fuisse perhibetur. Strabo *lib.* 14. Idem Alexandro pollicebatur, sese montem Atho in ejus formam fabricaturum, ut tanquam ex gutto quodam aqua in phialam effunderetur. Strabo, *ubi supra*.

Chernos, castellum in Asia min. circa Isauriam. Suidas.

Cherias, Athletes quidam, quem Hercules condylo interfecit.

Cherias, medicus Atheniensis, qui apud Plin. testis est, radicem cardui ex aquâ decoctâ potatoribus sitim facere, stomachum corroborare, & vulvis aliquid conferre.

Cherilus, vide *Chœrilus*.

Cherisophus, octingentis Lacedæmoniis præpositus, tempore belli Cyri, contra Artaxerxem. Cui, Cyro victo & plerisque ducibus, in itinere, perfidè à Tissapherne comprehensis, summam imperii milites tribuere.

Cherium, *Cheri*, Gallis *Quiers*, opp. Pedemontii, hisce ultimis bellis notum. 6 milliar. à Taurino in Ortum; Fuit olim urbs potens, ampla & sui juris.

Chermula, Palæstinæ urbs. Lib. Notit.

Cherogypsis, Thraciæ fluv. circa Cherronesum. Niceph.

Cherophon, Tragicus Athen. sub Phillippo Macedone. Philostr. *in Vitis Sophist.* Athenæus.

Cherrasda, portus circa Teium Joniæ urbem Septentrioni obversus. Strabo *lib.* 14.

Cherres, Ægypti rex, regnavit an. 15.

Cherronesus, vel *Chersonesus*, oppid. Ilercaonum in Hispan. Tarrac. in orâ orientali regni Valentiæ, in Catalauniæ confinio, arx *Peniscla*, vel *Peniscola* hodie, Latinè etiam Peninsula dicta. In colle, prope Tenebrium promuntorium, ubi aliàs latibulum Petri à Luna, dicti Benedicti 13. Locus est munitus, 8. leuc. à Dertusa, & 13. à Valentia in Bor. Baudr. Secunda urbs Tauricæ, inter Parthenium, & Criumetopum. Ptol. *Cherso*, & *Kersoy* Nigro, & aliis. Ad ostia sinus Carcinitis. Nunc *Topetorkan*, Sanson. 50. m. p. à promunt. *Fronte Arietis*, in Bor. 70. à Carcine urbe in Austr. prope Parthenium prom. aliàs Heraclea, Baudr. Tertia, urbs Cretæ litoralis, hodiè *Chirroniso*. Nunc *Spinalonga*, arx probe munita, cum portu capacissimo, inter Matium & Cytæum. Baudr. Quarta, *Chersonesus magna*, urbs Marmaricæ, in ora littorali apud Cyrenaicæ fines. *Raxiltin*, teste Marmolio. Nunc vicus tantùm *Rasitin* & *Rasaotin*, cum promunt. cognom. in ora maris Libyci, vix 4. dier. itinere à Cyrene in Ortum. Baudr. Quinta, *Chersonesus parva*, urbs Ægypti maritima Alexandriæ finitima, quæ *Bosire* Jo. Leoni nominatur; sed hæc potius Busiris veteribus esse videtur: utcunque sit, Chersonesus parva ab Alexandriâ in Occid. recedit Marmaricam versus. Sexta, Syriæ civitas quæ aliàs *Apamea*. Vide Steph.

Cherronesus, vel *Chersonesus*, promuntorium Siciliæ geminum, unum inter Catanam, & Syracusas, ubi nunc Augusta oppidum, teste Fazello circa Megaram. Alterum apud Mylen opp. *Capo di Milazzo* hodie dictum.

Cherronesus, vel *Chersonesus*, Terra est in insulæ modum mari cincta, uno tantùm, eoque angusto spacio continenti adjuncta; Latini peninsulam vocant. Quinque autem insigniores memorantur *Cherronesi*, quarum celeberrima Achajæ adhærens, *Peloponnesia* dicitur. Secunda quæ à vicina continente *Thracica* dicitur; hodie *Brachium S. Georgii*, cujus Isthmus ab Occasu Melane sinu, ab ortu Propontide alluitur. Pars est Thraciæ, juxta Hellespontum, à Meridie in Bor. extensâ, ubi aliàs Crusæi & Scæi pop. & urbes Sestus, Elæus, Callipolis, Cardia, Cissa, & Chrythea. Suidæ *Hellespontiaca Chersonesus*. Baudr. In hanc Chersonesum, Justinianus Imper. naribus præcisis, proin *Rhinotmetus* dictus, à Leontio relegatus est, An. 694. sed hoc ab Absimaro successore similiter truncato, an. 697. Justinianus post exilium decennale, an. 705. custodiâ elapsus, & Trebellini, Bulgarorum Regis, auxilio restitutus, in Chersonesi incolas, quòd sibi in exilio insidias struxissent, crudeliter Principibus assatis, 87000. puerorum ac infantum submersis desæviit, An. 710. Hi verò classe ejus victâ, Philippico Bardane ad Imperium evecto, captâ urbe Justinianum cum Tiberio fil. trucidarunt. A. 611. P. Diac. *Long. l.* 6. Tertia Saxoniæ adhærens, à Cimbris, qui eam tenuerunt, *Cimbrica*, appellata est: *Jutland*, pars Daniæ regni. Vide *Cimbrica Chersonesus*. Quarta inter Pontum Euxinum, & Mæotidem paludem sita, nunc *Przekop*, Pineto, à Tauris Scythiæ Europææ populis *Taurica* fuit appellata. Quod vide. Quinta, quam *Auream* cognominant,

minant, in India sita extra Gangem, juxta sinum, quem magnum vocat Ptolemæus, qui duas alias Chersonesos, in sinu Arabico videlicet, & Persico constituit. Est hæc Aurea Chers. in modum penins. versus Austr. & Ins. Sindæ maximè extensa. Ubi nunc regn. Malaccæ, & pars Merid. regni Siami. Vide *Aurea Chersonesus*.

Cherrura, urbs Libyæ, quæ & *Chersonesus*. Steph.

Cherseus, Phœniciæ fluv. Ptol.

Chersias, Orchomenius, Periandro à Chilone reconciliatus. Ejus versus quosdam laudat Pausanius, *l.9*.

Chersidamas, vir Trojanus, quem Ulysses in bello interemit, teste seipso apud Ovid. *Met*. 11.

Exitioq; dedi cum Chersidamante Thoona.

Vide *Iliad*. 11.

Chersipho, Architectus quidam eximius, qui Dianæ Ephesiæ templum mirè extruxit, postea aliud fecit, majus illo. Strab. 14. Ubi tamen libri vett. habent Ἀρχίφρων. Sed nihil esse mutandum docet Plin. 36. 14. ubi de hoc templo loquens; *Operi*, ait, *præfuit Chersiphron architectus*.

Chersis, Africæ vicus. Ptol.

Chersius, nomen proprium viri.

Cherso, Ponti maritima urbs ad Mæotidem paludem. Procop. Cedren.

Chersobleptes, Thracum rex, an. U.C.410.

Chersonesus, seu *Corsunum*, urbs Tauricæ Chersonesi antiquissima, quam *Sari Germenum*, id est, *flavam arcem*, Turcæ vocarunt, nam solum quasi flavum ille tractus habet. Mercat.

Chersonesus, vide *Cherronesus*.

Chertobalus, *Charlburg* Lazio, opp. Pannoniæ super. in Austriâ apud Danubium, nunc pagus inter Viennam ad Occid. & Posonium urb. Hungariæ in Ort. ad 5. leuc.

Cherub, Hebr. כרוב est alata imago, similis juveni, dici volunt ex כ *sicut*, & רבי *rebe*, *puer*, *adolescens*. Chaldaicè enim רבא *reba* est *crescere*, *adolescere*. In Script. sanctâ vox legitur pro *angelo*, & *specie angeli*, qui, ut alatus juvenis pingitur, ad significandum robur, & velocitatem in expediendis Dei jussis. Plur. num. *Cherubim* dicuntur. De quibus Joh. Drusius *Comment. ad difficiliora loca Exodi cap*. 44. *De Cherubis*, inquit, *quatuor opiniones sunt. Una est veterum Hebræorum, qui scribunt, eos formam habuisse puerorum, aut juvenum, quod ex etymo colligunt, argumento admodum infirmo* כרובים *Cherubim, tanquam pueri & juvenes*. Altera est Hiscani, & aliorum quorundam, qui censent angelos fuisse avium formam referentes, unde eis alæ tribuantur. Tertia opinio est Josephi, scribentis animalia fuisse alata, nemini mortalium unquam visa. Origen. *lib*. 3. *cap*. 6. Quarta est Abenezræ, qui scribit, generale nomen esse ad omnes formas. Hi à nullo conspiciebantur, nisi à solo sacerdote, cùm intraret in Sanctum Sanctorum semel in anno.

Cherubinus, Ordo milit. in Suecia, aliter *Jesus*, à Magno IV. institutus, an. 1334. Ziegler. A Carolo IX. abrogatus. Favyn. *Theatro honor. & equit.*

Cherusci, pop. Germ. magna gens, & duce Arminio inclyta. Itaque multa ejus mentio apud Tacitum, aliosque est, qui bella ista, quæ Romani cum Germanis habuere, composuerunt. Coluere Cherusci ab Albi ultra Visurgin. Ad confluentes Albis, & Salæ conterminos habuere Hermunduros, inde meridiem versus Catos, qui Hassi hodie sunt, sub Occid. ad Septentriones Fosios, qui Saxones, sive Holsati hodiè, & Chaucos, in quibus nunc præcipuè Bremenses censentur. Vide Cluver. *Germ. Antiq. lib*. 3. *cap*. 19. Claudian.

—— *Ingentes Albin liquere Cherusci.*

Idem *de bello Getico*:

—— *Immansuetosq; Cheruscos.*

Baudrando erant versus Visurgim fluv. & Melibocum montem. Ubi nunc Ducatus Brunsuic. & Luneburg. Marchia antiqua, Diœcesis Halberstadiensis & Hildesheimensis, parsque Magdeburgensis, cum parte Thuringiæ.

Chesapealus sinus, sinus parvus Amer. Septentr. cum fluv. cognom. in Virginia reg. ubi plurimæ Anglorum coloniæ. Vulgò *Chesapeack-bay*.

Cheseleth-Thabor, civitas in tribu Zabulon. Jos. 19. Hæc ejusdem tribus terminus erat, sita in campestribus ad radicem montis Tabor, in octavo lapide sive milliario Diocæsareæ ad Orientem respiciens.

Chesinus, *Chessinus* & *Chersinus*, Sarmatiæ Europ. fluv. inter Aorsios & Veltas pop. Cluver. Sanson. Nunc *Lovvat* Russis, antequam lacum *Ilmen* intret, in magno Duc. Moscoviæ. Quanquam Ortelius credat eum in sinum Livonicum se exonerare, prope Narvam urbem.

Chesion, opp. Joniæ, unde incola *Chesioneus*. Orus in masc. gen. usurpat; nec civitatem, sed locum esse vult. Steph.

Chesius, fluv. in Samo. Plin.

Cheslon, in tribu Dan. priùs Judæ, in qua tamen tribu ponitur ab Hieronymo *in Loc*. & Bened.

Chessinus, Sarmatiæ Europææ fluvius. Ptol. Vide *Chesinus*.

Chesson, nomen villæ in Hierosolymorum finibus.

Chestochova, opp. Poloniæ maj. *Czenstokovv*, ad Wartam. Vide *Czenstochova*.

Chetaus, Ægypti locus circa Canobum. Procop.

Chetim, vide *Cethim*.

Chettaa, Marmaricæ in Africâ vicus. Ptolemæus. *Carto* Castaldo.

Chiaca, Armeniæ urbs. Anton. & Lib. Notit.

Chiamsia, una ex 15. provinciis regni Sinarum, versus Austrum.

Chiapa, provinc. Amer. Septentr. in nova Hispania, inter Guaxacam & Jucataniam provincias. Gaudet Episc. dignitate, sub Archiep. Mexicano. Urbs primaria est *Civitas regia*, *Ciudad Real*.

Chidnai, pop. juxta Pontum. Orpheus *in Argonaut*.

Chidon, id est, *jaculum*, vel *infortunium*, sive *quasi judicans*, nomen loci. 1. Paral. 13.

Chidorus, fluv. Macedoniæ. Herod. *lib*. 7. vide *Echedorus*.

Chiemium, urbec. Bavariæ super. 7. leuc. Germ. à Salisburgo in Occas. 10. à Monachio 5. à Burchusia. Vulgò *Chiempsée*.

Chietium, civitas Aprutii in edito colle: diruta à Pipino, Caroli M. patre fuisse legitur, quòd rebus Longobardicis perpetuò studuisset, restaurata verò paulò pòst, adeò Normannis ob loci amœnitatem placuit, ut præ cæteris omnibus Aprutii, sedem hîc potissimè collocarent.

Chii, pop. sunt, qui cùm mero calentes Spartam venissent, accessissentque ad curiam Ephororum, in curulibus magistratuum sellis ventris onera per summam fœditatem dejecerunt. Hinc natum proverb. *Chius omnia percacans.*

Childasus, mons Hiberniæ.

Childebertus I. Parisiorum princeps, anno 516. Secundogenitus Clodovei I. ex Clotilde, Regnum Parisiorum obtinuit à Patre. Huic cum fratribus primò non optimè convenit, à Matre tamen lis sopita, ut de Sigismundo & Gondemaro, Burg. Regibus, ob cædem avi vindictam sumerent. Rumore mortis Theodorici fratris audito, Arverniam ingressus, mox videns falsum illum, & fratrem victorem redire, retrocessit, ac in Alamarichum Gothorum regem, sororis suæ Clotildis maritum, bellum movit, victorque victum obtruncavit, quòd Clotildem ipsam virgis & verberibus, ob cultum Orthodoxæ fidei, quotidie incesseret, A. 531. Sui etiam fratris Clodomiri filios pupillos & clientes suos ad se venire jussos interfecit, ut eorum patrimonio potiretur. Mox & cum Clotario fratre, Rege Aurelianensi, in cujus gratiam in horum necem consenserat, aliquid litis habuit, ob successionem Theobaldi, fil. Theodeberti, fratris utriusque nothi. Sed rursus uniti Saragossam in Hisp. obsederunt. Inde redux obiit anno 558. regni 47. nullo filio relicto. Aimon. *lib*. 2. Volater. Greg. Tur. *lib*. 3. & 4. Procop. *l*. 1. *b Goth*.

Childebertus II. Austrasiæ R. fil. Sigeberti, immissis à Fregedonde sicariis, in obsidione Tornaci, interfecti, ex Brunehilde, quæ illum an. æt. 5. Metis coronari curavit, An. 575. An. æt. 14. exercitum contra Longobardos duxit, iterumque ac tertiò, à Mauricio Imper. rogatus, sed successu parum felici. Dein in regno Aurelian. vel Burgundiæ successit, mortuo Gontrano, prælio à Fregedonde præsente, stratagemate Landrici, mox victus. A Fregedonde creditur veneno sublatus, cum uxore Faileuba, relictis Theodorico & Theodeberto filiis, quorum ille Austrasiæ, hic Aurelian. & Burgundiæ R. evasit. Obiit an. 595. æt. 25. Greg. M. *lib*. 5. *ep*. 58. Greg. Tur. *lib*. 5. 6. *&c.* Aimon. *lib*. 3. P. Diac. *histor. Longobard. lib* 3.

Childebertus III. cognom. *Justus*, fil. Theodorici I. fratri Clodovæo II. in regno Franciæ, successit an. 695. Pipino Crasso, Mag. Palatii, rerum sub illo, potito. Obiit an. 711. Dagoberti II. pater. Fredegar. *l*. 101. *& seqq.* Aimon. *l*. 4. Dupleix *hist. Fr. t*. 1. Mezeray, *Abb. p*. 113. Gaguin. *l*. 1. Æmil. *l*. 1.

Childebertus, fil. Grimoaldi, qui Sigeberti Austrasiæ R. Major D. erat. Hic Grimoaldus, Rege mortuo, adoptatum ab eo se mentitus, thronum occupavit, Dagoberto Regis fil. tonso & in monasterium detruso. Hinc Austrasiis exosus, & pulso Childeberto, Parisiis à Clodovæo II. morte mulctatus est. Aimonius 4. 42.

Childebrandus, fil. Pipini Crassi, frater Caroli Martelli, cujus copias sæpe ductavit. Caput & stipes hodiernæ familiæ Regiæ. Pater fuit Nebelongi, cui natus Theodebertus; cui Robertus I. cui Rob. II. cui Rob. III. Galliæ R. An. 922. Hic genuit Hugonem M. qui Hugonem Capetum suscepit. Vide Morerium, & authores ab illo citatos.

Childericus I. Francorum Rex, patris Merovei successor, anno 458. propter nobilium matronarum stuprum in Thuringiam, Vidomaro regni curâ commissâ, fugit. Franci Ægidium Rom. in regem elegerunt, qui 8. an. imperavit, quem Childericus revocatus fudit, vicitque, recuperato regno, ope fidelis sui Gujemanni. postmodum magnâ cum moderationis laude præfuit, Odoacro Saxone victo. Alemannis cæsis & Andegaro capto felix. Ex Basina, quæ Basini, apud quem latitaverat, in Thuringia, uxor, eum in Galliam reversum secuta erat, pater Clodovæi I. Obiit A. 481. regni 24. Gregor. Tur. *lib*. 2. Aimon. *lib*. 1. *cap*. 7. Tilletus, Æmil. *lib*. 1.

Childericus II. Clodovei II. regis Francorum trium filiorum

medius, Austrasianis rex datus est, post fratrem Clotarium III. A. 674. Ebroino, qui Theodoricum in thronum evehere nisus est, cum hoc in Monasterium truso. Æmil. Sic Francorum rex electus, crudelis in suos, nobilem Bodillonem nomine, in quodam palo alligatum fustibus cædi jussit; Indignè hoc facinus ferentes Franci, conjurationem adversus regem inierunt, quâ factâ, cùm rex à venatione rediisset, à suis cum uxore prægnante est interfectus an. reg. sui 12. Æmil. *lib.* 1.

Childericus III. cognom. *Idiota*, fil. frater, an agnatus Theodorici II. ultimus primæ familiæ, Gall. R. Hunc Zacharias Papa, à Pipino rogatus, postquam Francos sacramento solvisset, tonderi, Pipino surrogato, jussit. A. 751. regni 9. uxor ejus Gisela similiter in monaster. detrusa est. Vide Guil. Barclaj. *de Papæ potest. c. Bellarm.* & Joh. Barclaji *Pietatem*.

Chile, regnum Amer. merid. *Chili*, vide *Cile*.

Chiliastæ, Hæretici quidam, quos *Millenarios* Augustinus interpretatur: propter illud ex sacrâ paginâ, *Una dies apud dominum, ut mille anni, & mille anni ut una dies*, Christum super terram mille annos regnaturum opinantur. Papias, Johann. Evangelistæ discip. auctor hujus sententiæ creditur, cujus authoritate etiam Irenæus, Justinus Martyr, Tertullianus abrepti. Postea Nepos, Episc. Ægypti obstinatè & facundè hunc errorem defendit, à Dionysio Alex. convictus & ad Palinodiam redactus, Coracione præcipuo defensore, aliisque cum eo plurimis conversis: Synodo dein Romæ à Damaso Episcop. institutâ contra Apollinaristas, damnatus Chiliasmus est. Epiph. *hær.* 77. Philastr. Euseb. *libr.* 7. *cap.* 9. Baron. *A. C.* 264. Sed hodie aliquibus in locis reviviscit.

Chiliocomus, Mediæ tractus, prope Corduenam. Ammianus.

Chilius, Arcas, qui Lacedæmone versatus eo tempore, quo Xerxes in Græciam descendit, Spartanos dehortatus est, ne se à Græcis reliquis separarent, seorsumque sibi Isthmum muniendo consilium caperent. Polyæn. 5. Ab Herodoto Calliope vocatur *Chileus*.

Chilmanense, opp. in Africâ propriâ.

Chilmoria, urbec. Hiberniæ, in Ultonia prov. & Comitatu Cavonensi, juxta Aquam Nigram fluv. sub Archiep. Armachano. 8. mill. Angl. à Canovio, prope confinia Connachtiæ.

Chilo, Lacedæmonius philosophus, unus ex septem Græciæ sapientibus, Ephorus Spart. 56. Olymp. Præ gaudio mortuus in amplexu filii Olympionicæ. Ejus tria dicta Delphis in Apollinis templo fuerunt, Plinio teste 7.32. *Nosce te ipsum*; *Nil nimium cupias Comes æris alieni, atque litis est miseria*. Cætera ejus apophthegmata sic exposuit Joannes Stobæus,

Πίνων μὴ πολλὰ λαλεῖν, ἁμαρτήσεις γάρ.
Inter pocula ne multum loquere, delinques enim.

Μὴ κακολόγει τοὺς πλησίους, εἰ δὲ μὴ ἀκούσῃ, ἐφ' οἷς λυπηθήσῃ, *Ne sis maledicus in proximos, sin minus audies, quæ tibi molesta erunt.* Ἐπὶ τὰ δεῖπνα τῶν φίλων βραδέως πορεύου, ἐπὶ ἀτυχίας ταχέως: *Ad convivia amicorum tardius eas, ad calamitates autem citò.*

Ἡ γλῶσσά σου μὴ προτρεχέτω τοῦ νοῦ,
Fac ne lingua tibi mentem præcurrat.
Ζημίαν αἱροῦ μᾶλλον, ἢ κέρδος αἰσχρόν,
Damnum potius elige, quàm turpe lucrum.

Ἐν ὁδῷ μὴ σπεῦδε προάγειν, μηδὲ τὴν χεῖρα κινεῖν, μανικὸν γάρ, *In via non acceleres pergendo, neque manum moveas, insanientis enim indicium est*. Tria ejus, quæ difficilia dixit esse, commemorat Laërtius, primum quidem ἀπόρρητα σιωπῆσαι, *arcana retinere*, alterum σχολὴν εὖ διαθέσθαι, *ocium rectè disponere*, tertium ἀδικούμενον δύνασθαι φέρειν, *injurias tolerare posse*. Nomen accepisse videtur ἀπὸ τῶν χειλέων, ut *Labiones*, & *Labieni*, apud Romanos; à labris, & labiis. Lucretius nominat *Labrosos*. Ita de Chilone Sosipater Charisius, Festus, & Velius Longus. Fuit etiam *Chilo* Catonis servus Grammaticus.

Chiloa, opp. Amer. merid. in regno Chiles, in ins. maris Pacifici, à quo sinus adjacens *Archipelagus Chilvensis*, seu *Chiloeusis*, seu *de Ancud*, à multitudine insular. Proprios incolas habet dominos.

Chilonis, Cleadæ filia, uxor Theopompi regis, quæ quo pacto virum ab Arcadibus captum liberarit, Vide Polyæn. 8.

Chilonium, urbs Duc. Holsatiæ, *Kiel*. Duci paret, portu gaudet satis commodo, in maris recessu, ad ostia fluv. Suentini, ex Plœnensi palude elabentis, cum emporio satis frequenti, arce in loco editiori, & Academiâ recens erectâ. Ibi Duc. Holsatiæ comitia singulis celebrantur annis. Media inter Lubecam & Flensburgum est. 4. leuc. à Rensburgo in Ortum.

Chilpericus I. nonus Francorum rex, fil. minor natu Clotharii I. ex Charegonde, primò Suessionum R. dein post mortem fratris Chereberti, totius Franciæ. Contra Sigebertum fratrem, aliquot præliis victor, ingenio & facundiâ pollens, aliqua quoque zeli, in conversione Judæorum ostensi, specie. Cætera Nero & Herodes sui temporis, naturæ monstrum, tres duxerat uxores, quarum Audoveram primam repudiavit, ac velatam in cœnobio conclusit, alteram Galsontam, Arthanagildis Visigothi fil. noctu strangulavit, ad hoc per Fredegundam concitatus, quam postea duxit uxorem, omnibus subditis ob facinora horrenda, obscœnasque libidines, quòd singulorum thoros fœdaret, ac turpiter conspurcaret, exosus. Hunc denique Fredegunda, ejus uxor impudica, ex venatione redeuntem sub vesperam, in gratiam Landrici, imo ab hoc ipso, an. 584. occidi curavit, regni, cum fratribus 23. cujus corpus in templo S. Germani de pratis, Parisiensi suburbio jacet, quod unà cum Fregedondes repertum, an. 1643. Ann. Franc. Greg. Tur. *l.* 5. & 6. Aim. *l.* 3. Fredegar. Sigeb. Venantius Fortun. &c.

Chilpericus II. in Francorum regem electus, prius Daniel Sacerdos vocatus, regnavit, post patrem Childericum II. Clothario enim IV. mortuo, Rainfredus Major D. æmulus Caroli Martelli, illum è Monasterio extractum in throno reposuit, ducemque exercitui præfecit. Sed victo huic à Carolo, Clotarius oppositus est, qui paulo pòst obiit. Ipse Chilpericus Novioduni anno 720. regni 5. vel sexto, obiit. Continuator Greg. Tur. *cap.* 106. 107. & *seqq.*

Chilum, Palæstinæ locus. Josue 15.

Chimara, urbs Epiri in Macedon. confin. intra montes Ceraunios, *la chimera*, vel *Chimera*, inter Aulonem ad Bor. & Corcyram ad Merid. 30. m. p. Item urbs Siciliæ. Stephanus.

Chimæra, mons Lyciæ ignivomus, in cujus cacumine leones habitant: in medio autem, ubi pascuis abundat, capræ; in radicibus autem serpentes. Hinc factus fabulæ locus, Chimæram monstrum esse, quod flammas evomat, caput & pectus leonis habens, ventrem capræ, & caudam draconis. Lucretius *lib.* 5.

Qui fieri potuit, triplici cùm corpore ut una
Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra,
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?

Idem *lib.* 2.

Tum flammam tetro spirantes ore Chimæras.

Ovid. *Met.* 9.

Quoque Chimæra jugo mediis in partibus hircum,
Pectus & ora leæ, caudam serpentis habebat.

Et quoniam Bellerophon Glauci fil. montem hunc habitabilem reddidit, Chimæram fingitur occidisse. Hæc ferè Servius in illud Virgilii *Æn.* 6.

Flammisque armata Chimæra.

Ignem ejus accendi aquâ, extingui verò terrâ aut fœno Ctesias tradit. Plin. 2.106. Finxerunt filiam fuisse Typhonis. Hesiodus ex Hydrâ natam affirmat *Theogon. Vers.* 319.

Ἡ δὲ χίμαιραν ἔτικτε πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ
Δεινήν τε μεγάλην τε, ποδώκεά τε κρατερήν τε,
Τῆς δ' αὖ τρεῖς κεφαλαί, μία μὲν χαροποῖο λέοντος,
Ἡ δὲ χιμαίρης, ἡ δ' ὄφιος κρατεροῖο δράκοντος,
Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Τρισώματος appellatur ab Euripide in Jone. Et ab Horat. *lib.* 2. *Triformis*:

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimæra.

Idem *lib. eodem*:

Chimæra spiritus igneæ.

Et *lib.* 4. *Cecidit tremenda*
Flamma Chimæra.

Propertius 3. 4.

Nam te nec vasti genuerunt æquora Ponti,
Nec flammam volvens ore Chimæra fero.

Hinc *Chimæreus* adj. Virgil. *in Cul.*

Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore.

Vide Bochartum *de Phœn. colon. lib.* 1. *cap.* 6. Et Cæsium *in Cœlo Astronomico Poët. pag.* 219.

Chimaum, opp. Belgii, cum castro, in Hannonia, Principatus tit. clarum, 2. leuc. à Mariæburgo, 4. à Rupe Regia versus Arduennam sylv. & confinia Campaniæ. Ad Album fluviol. 5. leuc. ab Avenna.

Chimarus, Argiæ regionis torrens. Pausan.

Chimerii, pop. Asiæ, Amazonibus proximi. Sic etiam dicuntur, quicunque occupatas frigoribus terras incolunt.

Chimerium, Phthiotidis mons in Thessaliâ. Plin. 4. 7. Stephano autem promuntorium Thesprotiæ est.

Chimmam, urbs juxta Bethlehem. Jerem. 41. Item nomen viri. 2. Reg. 19. Barzillai filii. lege *Chimham*.

Chimo, Ægypti pagus ad mare Mediterr. Ptol. *Cacobario*, teste Ortelio. Thevetus *turrim Arabum* ex ea facit. *Cynossema* fortè Strabonis est. Restituit hoc vici nomen Polyæno in Magâ *com.* 2. *l.* 2. Casaubonus.

China, vide *Sina*.

Chinnaphal, Maurit. Cæsariens. fluv. *Celefe*, & *Acafrau*, Marmoli teste.

Chinna, Dalmatiæ urbs. Ptol.

Chino, urbs agri Turonensis, cum castro, præfecto, & tribunali Regio. An *Vicus Cisomagensis*? de quo Greg. Tur. *lib.* 10. c. 31. Hîc Carolus VII. aliquandiu commoratus est, à Johanna d'Arcia ibi salutatus An. 1429. Ibidem Franc. I. Brit. Dux Regi fidelitatis sacramentum præstitit, an. 1443. Patria Franc. Rabelesii. Canonici Ecclesiæ colleg. S. Memmii immediatè Papæ subjecti sunt. De hac urbe dicitur vulgò: *Chinon petite ville, grand renom, assise sur pierre ancienne; au haut le bois, au pied la Vienne.* Chenius, *antiq. Urb. c.* 7. *de Turonibus*. Vide & *Chinonum*.

Chinonus castr. opp. Ducatus Nivernensis. Metell.

Chinonum, oppidum lepidum Turoniæ, in Gallia, arce præditum,

tum ad Vigennam fluv. Francorum regibus olim in deliciis, præsertim regi Carolo VII. fuit. Ab hoc oppido grandes initium faciunt verius Pictones leucæ. Merula. Vide *Caino* & *Chino*.

Chintilus, aut *Cinthilus*, Rex Visigothorum in Hispan. successit fratri Sisenando, an. 636. celebravit concilium 5. Tolet. eodem anno, obiitque an. 640. Mariana *l.* 6.

Chiomara, cùm à Romanis hostibus capta esset, Galatis à Scipione cæsis, cuidam Tribuno, qui suæ pudicitiæ vim intulerat, caput cautè obtruncavit, quod propriis vestibus involvens, unà cum suis domum remeavit, utque in viri Ortiagontis conspectum pervenit, laxato sinu, caput, quod gestabat, ante illius pedes effudit. Plut. *lib. de claris mulieribus*. Sardibus à Polybio visa.

Chion, Archon Athenis, Olymp. 103. an. 4.

Chion, vide *Theognis*.

Chione, filia Deucalionis, cujus nuptias cùm ob formæ elegantiam multi ambirent proci, tandem Pæonio Epidauriensi nupsit. Redeunte autem Mercurio à Cyllene monte, & Phœbo Delphis ab utroque conspecta est: qui statim amore ejus capti, separatim eam de stupro interpellarunt. Cumque Apollo concubitum in noctem distulisset, Mercurius moræ impatiens, caduceo eam tangens, altissimo sopore oppressit, dormientemque vitiavit. Sub noctem deinde Apollo, acceptâ anûs formâ ad eam ingressus, voti sui compos fuit. Ex utroque itaque gravida effecta, Mercurio Autolycum peperit, Apollini verò Philammona, qui carmine & lyrâ plurimum valuit. Postea verò, quòd Diis placuisset, superbiâ elata, non verita est se Dianæ pulchritudine præferre: quâ injuriâ commota Dea

(Καὶ γὰ ἐπ' ἀγλαΐῃ ζηλήμονές εἰσι θέαιναι.) sagittis eam interemit. Ovid. *Met.* 11. *f.* 8. Insulæ Chio nomen dedisse vult Plin. 5. 31.

Chione, nobile scortum fuit, dictum à *candore*, χιὼν enim Græcè *nivem* significat. Martial. *lib.* 5.

Digna tuo cur sis, indignaque nomine dicam:
Frigida es, & nigra es, non es, & es Chione.

Juvenalis,

Et dubitas altâ Chionen deducere sellâ.

Chionides, Atheniensis, circa 70. Olymp. 8. ann. ante pugnam Marathoniam. Veteris Comœdiæ primus poëta. Suid. Voss. *de Poët. Gr. c.* 4. *p.* 25.

Chionitæ gens Persis vicina, Ammian. Marcellinus.

Chios, insula maris Ægæi nobilissima, inter Samum & Lesbum est, quam sic vocatam volunt de nomine Nymphæ, quæ ob insignem candorem *Chione* nuncupabatur: olim *Æthalia*, *Æthale*, *Macris*, & *Pityusa* dicebatur: nunc autem vulgò *Chio* vel *Scio*, Turcicè *Saches*, vel *Saquezada*, à mastiche, Persicè dicitur *Sechex*, distat ab Jonia, minoris Asiæ regione, freto maris quod 10. mill. juxta antiquos complectitur, multis scopulis referto: at recentiores scribunt tantùm quatuor: circumnavigationem habet 124. mill. vel ut alii dicunt, 20. Est magis longa quàm lata, longitudoque à Meridie in Septentr. porrigitur: tota montibus & collibus attumulatur, ad Occasum præcipuè ac Septentrion. arboribus referta, multisque torrentibus irrigua. In duas autem partes divisam esse à modernis comperitur, in *Superiorem*, quæ *Apanomera* Græcâ voce dicitur, ea ad Occasum & Boream est; & in *Inferiorem*, *Catomorea* vocatam alteri oppositam. Apanomera montibus aspera est, & arboribus consita, vallibus umbrosis intermixtis, aquisque irrigatur: in hac permulti sunt pagi ac oppida, tum in ipsis montibus, tum etiam in vallibus. In Catomorea verò colles potiùs, quàm montes sunt, in quibus lentisci arbores mirâ industriâ ac diligentiâ coluntur, è quibus laudatissima mastix *gomma* colligitur, toti Europæ subministranda, ex qua incolæ proventum circiter 20. millium aureorum percipiunt. Hodie enim sola hæc insula mastichem mittit. Optimum illic vinum provenit, sed præcipuum Arvisium, quod in Arvisio prom. aspero ac importuoso loco, 300. stadior. spatio nascitur. A quo *Arvisia vina*. Lucan. 8.

Quas Asine cautes, & quas Chios asperat undas.

Hinc surculos translatos in Cretam insulam ferunt. Marmor Chium laudatur à Plin. quod in Pellenio præcelsissimo omnium monte nascitur. Sunt in hac insula 36. circiter oppida: item templum Apollinis, qui inde *Chius* appellatur. *Urbs* autem *Chia* primaria est, quæ olim in montis vertice erat, sed hodie juxta littus, ad montis radices translata, Orienti opposita est, Natoliam spectans. A Turcis & Judæis habitata, Latinis & Græcis suburbia incolentibus. Optimum habet portum, licèt angustum, majores naves anchoras in ipso canali jaciunt, sed portum non ingrediuntur. Navale hîc olim erat 80. navium: nam Chii antiquitus classem habuerunt, marisque imperium ac libertatem sibi vendicaverunt. Sunt qui quadrigeminam Chium esse putant, ut prima sit Chios insula, secunda Cariæ urbs, tertia in Eubœa, quarta in Chersoneso Rhodiorum juxta Triopium. Fuit hæc insula olim sub Atheniensibus, Macedonibus, Romanis, Græcis. Hodie Turcæ tributaria, ei in singulos annos duodena ducatorum millia pendit, cùm ejus dominium ante illos tenuissent Mahones, primarii nobiles ex Justiniana familia Patricia Genuensi, (Genuensibus enim donata fuit ab Andronico Palæologo Imperatore, A. 1346.) à qua gubernata fuit ad annum usque 1566. quo Solimannus, per Bassam Piali, eam sibi fraudulenter subjugavit. Ferunt in hac insula esse Homeri sepulchrum, in oppido pervetusto, in monte D. Heliæ, sito ad occiduam insulæ partem, sed alii id alio loco esse contendunt. Hîc orti sunt Tragicus, Theopompus Hist. Theocritus sophista; alii dicunt Homerum hîc in lucem editum, vestigiaque ejus sepulchri hic videri. Ab occidua insulæ Chios parte, est *Psyra* insula exigua, quæ hodie *Psara* vocatur. Metel. Benjamin *Hicha* insulam hanc nominat, ut ex mastici historiâ, quam describit, colligere licet. Porro *Vinum Chium* laudat Horatius 1. *Serm. Sat.* 10.

—— At sermo linguâ concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commista Falerni est,

Et *lib.* 2. *Sat.* 3.

Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis. ——

Ficubus etiam nobilis olim Chios. Mart. 7. 31.

Et flavas medio vapore Chias.

Et ejusdem *lib. epigr.* 25.

Infanti melimela dato, fatuasque mariscas,
Nam mihi quæ novit pungere, Chia sapit.

Pungere dixit, propter non ingratam aciditatem, quâ vini, salisque saporem quodammodo refert. Unde in *Xeniis epigr.* 20. sub lemmate *Chia Ficus*,

Chia seni similis Baccho, quem Setia mittit:
Ipsa merum secum portat & ipsa salem.

Calpurnius, *Ecl.* 2.

Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias,
Castaneasque nuces totidem.

De *terrâ Chiâ*, quæ Samiæ instar candet, inque medicaminibus locum habet, Dioscorides *l.* 5. *c.* 101. & Plin. 35. 16. De nomine Bochartus. A serpente (inquit) tota insula *Chia*, vel *Chios* dicta, (de serpente autem isto plura alibi; vide *Pelinnæus*) Syris חויא *Chevia* serpentem sonat, cujus (v) consonum à Græcis est necessariò omissum, ut in Ἰάω ex יהוה *Javo* Dei nomine tetragrammato. Serpentem autem à longævitate Syri sic vocant, quia senectutem quotannis exuere creditur. Hocque Apoll. *l.* 2. Καθ' ἕκαστον δ' ἐνιαυτὸν τὸ γῆρας ἀφεὶς ἀποδύεται. Virg. *Æneid.* 2. De serpente,

Nunc positis novus exuviis, nitidusque juventâ.

Stat. *Theb.* 4.

—— Liber senio & squallentibus annis
Exutus, lætusque minax interviret herbis.

Plin. 8. 27. *Anguis hyberno situ membrana corpori obducta, fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusque vernat.* Theophyl. *in cap.* 10. *Matth.* Ὁ ὄφις γενῇ τινὶ ὀπῇ περισφιγξόμενος καὶ διεξερχόμενος ἀποδύεται τὸ παλαιὸν δέρμα. Sed hæc obiter. Vide Bellon. *l.* 2. *obser. c.* 8. Ortelium, *Geogr.* Miræum, *Geogr. Eccl.* &c. ut & in *Chius*.

Chiovia, urbs Poloniæ in Volhinia, ad Borysthenem fluv. aliis *Amedica*. Pluries capta receptaque est hisce temporibus. Nunc Magno Moscoviæ Duci subest; *Kiow*.

Chiramus, ingeniosissimus in auro, argento & ære laborandi artifex, à Salomone in templo extruendo adhibitus. Vide Joseph. *l.* 8. *c.* 2.

Chirocrates, nomen architecti celebris, qui ab aliquibus *Dinocrates* dici solet. Plin. 34.

Chirogonia, Proserpina. Hesychius Χειρογονία, ἡ Περσεφόνη, quasi novè dixeris *manugeniam*; de causâ nominis silent quos vidi, sed censeo inde esse, quod Proserpina sive Diana, sive Juno sit partûs præses, ac obstetrix, quæ Afranio *Adsestrix*, assideat genibus parturientis, manus iis admovens, quibus parata sit fœtum excipere, Vossius.

Chirogylium, insula, Plin. 5. 3.

Chiron, Centaurus Saturni, & Phillyræ, vel, ut Lactantius inquit, Pelopeæ filius. Saturnus enim cùm amaret Phillyram, Oceani filiam, ejus concubitu usus est: sed interveniente Ope conjuge, confestim se vertit in equum, ne agnosci posset. Phillyra autem concepit, peperitque animal, cujus superior pars hominis, inferior verò equi formam referebat. Porro cùm excrevisset, in sylvas abiit, ibique herbarum naturam ac potentiam edoctus, in præstantissimum medicum evasit, à quo etiam *Centauria herba* nomen accepit, & *Chironium ulcus*, quod maxime fit in pedibus, & cruribus, sic dictum, quòd *Chironis* operam desideret. Postea à genero Nerei Peleo, & Thetide filia accersitus, propter peritiam, probitatem, & justitiam, quibus cæteris longè excellebat, Achillis pædagogus constitutus est, qui ab eo inter alia maximus citharœdus effectus est. Docuit præterea Æsculapium medicinam, & Herculem astrologiam. Postea cùm graviter vulneratus esset, Herculis sagittâ Lernæo veneno perlitâ casu decidente in ejus pedem, optavit mori; sed cùm immortalis à parentibus natus esset, ut Ocyroes vaticinium impleretur, quo prædixerat, eum optaturum esse mortem, gravi vexatus morbo mori cupiens, oravit superos, ut mori sibi liceret: Quo concesso, ab iisdem in cœlum translatus est, & in Zodiaco locatus, *Sagittarius* appellatur. De quo Cæsium vide *Cal. Astron. Poët. p.* 283. Thessaliæ medicus fuit. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Eust. *in Il.* Natal. Com. *l.* 4. *c.* 12. Suid. Hygin. &c. A matre *Philyreius heros* dictus Ovidio, *Met l.* 6. & *Phillyrides* Virgilio. Statius *longævum Chirona* vocat, & *doctum senem*. Hom. de Achille *Il.* λ.

Ὃν Χείρων ἐδίδαξε δικαιότατος Κενταύρων.

Hesiodus

Hesiodus de eodem, Theog.

— Τὸν ἤρεσιν ἔτρεφε Χείρων

Φιλλυρίδης. ———

Pindaro *in Pythiis*, σώφρων dicitur, id est, *prudens*, vel *temperans*. Eidem *in Nem.* βαθυμήτης *profundi consilii vir* dicitur.

Chisiotosagi, pop. Scythiæ. Plin.6.17.

Chitis, Arabiæ insula, in quâ Troglodytæ prædones, cùm diutius fame, ac tempestate pressi, herbas, radicesque effodissent, eruerunt topazium gemmam, ut ex Archelai sententiâ refert Plin. 37 8.

Chitone, vel *Chitonia*, Diana est apud Epicharmum, Steph.

Chitor, prov. Indiæ cis Gangem, in imperio magni Mogolis, in montanis, cum urbe primaria cognom. quæ itinere quatridui distat ab Amedebato, Agram versus. Aliàs regio fuit titulo clara.

Chitua, Mauritan. Cæsariens. gens. Ptol.

Chitus, Thraciæ pagus. Cedren.

Chius Ins. maris Ægei, Genuensibus, circa A.C.1571. à Selimo, Turcarum Imper. erepta, postquam paulo antè Cypro Venetos exuisset. Thuan. *lib.*39.&c. V. quoque in voce *Chios*.

Chlamydia, ins. inter Cycladas. Plin. 4. 12. Stephanus Delum olim Χλαμυδίαν dictam scribit.

Chloe, Cereris cognomen apud Pausan. Item Familia Corinthiorum. 1.Cor.1.

Chloreus, sacerdos Cybeles, divinandi peritus. Æn.11.

Forte sacer Cybeles Chloreus, olimq; sacerdos, &c.

Vide locum.

Chloris, florum dea, eadem cum eâ quæ à Romanis *Flora* dicta est: quæ cùm Zephyro nupsisset, à marito muneris loco impetravit, ut florum omnium haberet potestatem. Ovid. 5. *Fast.*

Chloris eram, quæ Flora vocor. Corrupta Latino

Nominis est nostri littera Græca sono.

Vide quæ sequuntur. Prop. 4. 7.

Si te non totum Chloridis herba tegit.

Fuit etiam *Chloris* quædam Amphionis, & Niobes filia, quæ Neleo nupsit, eique Nestorem aliosque filios peperit. Hæc postea, ob matris superbiam, quæ se Latonæ præferre non verebatur, unà cum fratribus & sororibus, Apollinis, & Dianæ telis fuit interfecta. Ovid. *Metam.l.*6.

Chlorus, fluv. Ciliciæ. Plin. 5 27.

Chmielnicum, opp Poloniæ, in Podolia super. in paludibus, ad Hypanim fluv *Bog*. 9. leuc. à Baro in Bor. & 14. à Barclavia etiam in Bor. Patria Martini Chmielecii, Med. Doctor. & in Academia Basil. Professoris primò Logicæ, pòst Physicæ clarissimi; demortui A.C.1632. æt. 74. Pater is fuit filii cognom. qui apud Mülhusinos Consulari dignitate, summâ integritatis & prudentiæ laude, defunctus est: quo natus itidem Martinus, in eadem Rep. Medicinam cum laude facit.

Chna, Phœnice dicebatur. Gentile *Chnaus*. Steph. Vide Bochartum *Geogr. p.*789. & 790.

Chnavis, Ægypti urbs. Ptol.

Choana, Mediæ civitas, item Parthiæ, & Bactrianæ. Ptol.

Choani, Arabiæ gens. Ptol.

Choar, decimus sextus Sicyoniorum rex. Regnavit an.30.

Choaraxes, limes inter Colchidem, & Armeniam. Strabo.

Choarina, regio ex omnibus, quæ sub Parthis sunt, Indiæ proxima, quam Craterus omnem permeavit, subigens eos, qui parere recusabant, ut cum Alexandro jungerentur. Strabo *lib.*15.

Choaspa, Arachosiæ urbs. Ptol.

Choaspes, Phasidis fluv. filius, venit quoque cum aliis Æetæ Colchorum Regi, contra Persen, auxilio. Valer. Flac.5. *Argonaut.*

Choaspes, Indiæ fluv. Curtius, & Strabo.

Choaspes, vel *Choaspis*, Medorum fluv. ad fines Persidis in Tigrim defluens: cuius aquæ tam sunt suaves, ut finitimi reges non aliâ aquâ ad potum utantur. Tibul. *l.* 4.

Nec quà vel Nilus, vel regia lympha Choaspis

Profluit. ———

Item Ausonius, *in claris urbibus*, de Burdigalâ:

Hunc cuperes Rex Mede tuis conjungere castris,

Flumina consumpto cùm defecere meatu,

Hujus fontis aquas, peregrinas ferre per urbes,

Unum per cunctas solitus portare Choaspem.

Herodotus *lib.*1. Καὶ δὴ καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, τοῦ μόνου πίνει βασιλεὺς, καὶ ἄλλου οὐδενὸς ποταμοῦ. Ideoque ea una ex omnibus aquis decocta, & in argenteos urceos, seu urnas condita, quacumque iter facerent, multis quadrigis vehebatur; quod ex Herodoto tradit Athenæus *lib.*2. Solinus, *Choaspes ita dulcis est, ut Persici reges, quamdiu intra ripas Persidis fluit, solis sibi ex eo pocula vendicarint: & cùm eundum foret peregrè, aquas ejus secum vectarint.* Ælianus *Var. Hist.*12. 40. Τά τε ἄλλα ἐφόδια εἵπετο τῷ Ξέρξῃ πολυτελείας, καὶ ἀλαζονείας πεπληρωμένα, καὶ οὖν καὶ ὕδωρ ἠκολούθει τὸ ἐκ τοῦ Χοάσπου. Max. Tyrius *Serm.* 43. de Diogene loquens: Ἥδετο ταῖς κρήναις πανταχοῦ ὡς ὁ Καμβύσης Χοάσπῃ μόνῳ. Idem *Serm.*44. Χορηγοῦσι δὲ καὶ οἱ ποταμοὶ ταῖς βασιλέως ἡδοναῖς, Πακτωλὸς χρυσὸν, Νεῖλος πυρὸν, Χοάσπης ὕδωρ. Aristides, *in Puteum Æsculapii*: Ἐγὼ μὲν οὔτε Κνίδιον, οὔτε Εὐρυμέδοντα, οὔτε Χοάσπην ὅθεν βασιλεὺς ἔπινε, &c. Clem. Alex. *lib.*2. *Pædagog.* κάλλιστον ὕδωρ εἰς πόσιν τὸ Χοάσπειον ait. Eustath. *in Dionysium*, καὶ ἦν βασιλικὸν ὕδωρ τὸ Χοάσπειον. Plut. *in lib. De exilio*: Εἶτα τῶν μὲν Περσῶν βασιλέων καταγελῶμεν εἰ γε δὴ ἀληθὲς τὸ τοῦ Χοάσπου μόνον ὕδωρ πίνοντες, ἄνυδρον αὑτοῖς τὴν ἄλλην ποιοῦσιν οἰκουμένην. Plin.31. 3. *Parthorum reges Choaspe & Eulao tantùm bibunt, & ea* (aquæ scil.) *quamvis in longinqua, comitantur illos.* Baudrando fluv. Susianæ, qui & *Eulæus*, nunc *Tiritiri*, aliquando etiam Zeymare, Susam Urbem, Susianæ caput & Assueri regiam, rigat; dein auctus aliis fluviis, post longum decursum, in Sinum Persicum se exonerat, 50. leuc. Hisp. à Balsera in Ortum.

Choastes, Dux Choatrarum, veneficii scientiâ celebris; Flacc. *l.*6. *Argonaut.*156.

Choatra, vide *Coatra*.

Choatras, mons Asiæ. Plin. *Cabusce* Castaldo.

Chobar, Maurit. Cæsariens. op. Ptol.

Chobar, vel *Chebar*, fluv. in terrâ Chaldæorum, ramus Euphratis, de quo Ptol. & Strabo, ubi Ezechiel visionem vidit. Ezech.1.

Chobara, Albaniæ urbs. Ptol.

Choburgum, opp. Franconiæ, excelsâ arce munitum. Vid. *Coburgum*.

Chobus, Colchidis reg. fluv. Arrian. *in Periplo.* Hic, teste Plinio, è Caucaso per Suanos fluit inter Characa, & Rhoam fluv. Vide Agathiam *Hist. lib.*5.

Choche, vicus juxta Tigridem fluv. Steph.

Chodda, Carmaniæ urbs. Ptol.

Chodorlahomor, vel *Chedorlaomer* Rex Ælamitarum, unde Persæ oriundi, victus ab Abrahamo A. M.2118. Vid. Gen.14.

Chœrades, urbs Mosynœcorum. Steph.

Chœrades, & Pharon insulas in Alexandria Ægypti appellatas, sciunt omnes, inquit Hermolaus *in Plin.* Sunt etiam *Chœrades*, insulæ Italicæ: Thucydidi *lib.*7. in mari Jonio, juxta Japygium promontorium. Item insulæ, sive petræ Ponti Euxini juxta Hellespontum, eædem cum Cyaneis, ut quidam volunt. Theocr. *Idyll* 13.

Ἀφ' οὗ τότε Χοιράδες ἔστων.

Theognis *Vers.*576.

Ὥστε κυβερνήτης Χοιράδας ἐκκλίνας.

Schol. Euripidis χοιράδα nominari dicit πᾶσαν πέτραν ἐξέχουσαν, καὶ περικλυζομένην θαλάσσῃ, συήλαιον ἔχουσαν.

Chœrades, nominari ab Apollonio *Baleares*, annotavit Gerbelius. Sunt & *Chœrades* scopuli ante Eubœam, juxta Caphareum promunt. apud quos Cassandrâ virgine violatâ Ajacem naufragium fecisse narrant fabulæ. *Chœrades* etiam sunt scopuli ad fretum Gaditanum, teste Strabone, qui nomen etiamnum retinere videntur, ab accolis enim *los Puercos* hodiè vocantur. Gall. *la Roche de la Truye.*

Chœrilus, historicus, patriâ Samius, juxta Hesychium Milesium; Jasensis ex mente Stephani; Halicarnassensis secundùm Suidam, natus circa 75. Olymp Samo profugisse aiunt, ac παιδικὸς h. e. *in deliciis* Herodoto fuisse, quod paulo juniorem fuisse arguit. Carmine victoriam descripsit, quam Græci de Xerxe retulerunt, atque ab Archelao Macedoniæ rege, pro quoque ejus poematis versu, aureum retulit staterem. Memoria autem fefellit Horatium, cùm scribit *Ep.*1. *lib.*2.

Gratus Alexandro regi Magno fuit ille

Chœrilus, incultis qui versibus & malè natis

Rettulit acceptos regale numisma Philippos.

Nec enim, qui honos ab Archelao habitus bono poetæ, is & apud Alexandrum contigit *Chœrilo* poetæ malo. Nimirum duos *Chœrilos* confudit, quos rectè Gyraldus in Poetarum historia distinguit. Posteriorem etiam signat Horat. *in Arte*,

—— *Sit Chœrilus ille,*

Quem bis terque bonum cum risu miror.

Sunt qui tradunt Alexandrum hâc lege cum hoc *Chœrilo* pepigisse, ut pro singulis bonis versibus, singulos acciperet Philippeos: pro singulis autem malis singulos colaphos: operè verò perfecto vix septem fuisse inventos, qui probari possent. Is demum inediâ periit apud Alex. captivus. Ovid. *in Ibin*:

Inclususq; necem caveâ patiaris, ut ille

Non profecturæ conditor historiæ.

At prioris *Chœrili* versus nobili poetâ dignos esse, non ex fragmentis modò liquet, quæ apud Aristotelem *in Rhetoricis*, Strabonem *lib.*7. Joseph. *lib.*1. *contra Apionem*, aliosque supersunt: sed etiam ex eo, quòd Lysander illum in comitatu habere solitus fuerit, ut res à se gestas celebraret, quemadmodum Plutarchus scribit; & imprimis quòd antiquitas statuit, teste Suidâ, ut versus ejus cum Homericis recitarentur. Vossius.

Chœrilus, Atheniensis Tragicus poeta, floruit Olymp.64. ac fabulas edidit 150. vicit 13. A quibusdam traditur *primus larvarum, ac vestitus scenici fuisse auctor.* Testis Suidas. Alius, Lysandro charus. Al. *Chœrillus.*

Choes, festum Athenis, in honorem Lenæi Dionysii, i. Bacchi, Anthesterione mense, celebrari solitum; dictum à χοῦς, id est, con-

congius vini hanc ob causam: Orestes ob matris cædem contulit se Athenas, ad Pandionem cognatum, tunc rerum potitum: & hunc deprehendit publicum convivium celebrantem. Pandion dimittere Orestem verens, convivio verò nondum à cæde expiatum adhibere religioni ducens, ne ex cratere biberet, unicuique vocatorum χοῦν, id est, congium anteponi jussit. Vid. Cæl. Rhodig.20.

Chærobacchi, locus Thraciæ, ad Melam fluv. *Chirobacchi*, Curopal.

Chot, Asiæ pop. juxta Bechiros. Steph.

Cholargos, vel *Cholargi*, vicus in Acamantide tribu, tribulis *Cholargeus*. Steph. Suid. Plut. *in Nicia*, & Schol. in Aristoph.

Cholbesina, Sogdianæ op. Ptol.

Chol-hoza, pater Sellum. 2. Esdr. 3. Lat. *omnis propheta*, vel *videns*, aut *omne pectus*.

Cholidæ, vicus in Leontide tribu; tribulis *Cholides*, apud Laertium *Cholæus*. Steph.

Cholimma, Armeniæ majoris urbs, Ptol.

Cholinus Petrus, πεντάγλωττος, Patritius Tugiensis, & bonarum literarum, in Eccl. Tigurina, Professor, libros Apocryphos, ex Græco Latinè, summâ fide, transtulit. Obiit Tiguri an.1542.

Cholle, Palmyrenæ op. Ptol.

Chollides, vicus gentis Ægeidos, Athenis. Vid. Schol. *Acharn.* 391. *D.*

Cholmadara, Syriæ ad Euphratem urbs. Ptol.

Cholobetene, pars Armeniæ, cui præfectus Tigranes. Steph.

Choloe, Ponti Galatici op. in Cappadociâ. Ptol.

Cholontichos, urbs Græciæ. Steph. incola *Colotichites*.

Cholua, Armeniæ maj. urbes duæ. Ptol. Idem *Choluata* habet in eâdem regione.

Choma, Lyciæ urbs. Ptol. *Com* recentioribus tabulis.

Chomari, pop. circa Margianam, vel Bactrianam. Plin. Ptol.

Chompso, ins. Nili inter Æthiopiam & Ægyptum. Herod. *lib.* 2. Gentile *Chompsotes*. Steph.

Chon, Hercules Ægyptiorum linguâ vocatus, qui cum Osiride Italiam liberavit à tyrannide, & ab hoc Chone Hercule Ægyptio Italiam antiquitus vocatam prodidit Antiochus. Steph.

Chona, Straboni *Colossæ*, vulgò *Cona*, urbs Phrygiæ magnæ, olim terræ motibus concussa. Vid. *Colossæ*.

Chone, urbs Oenotrorum. Strabo *lib.*7. regionem appellat *Chonen*: incolæ *Chones*, & *Chonii*, ita dicti ab Hercule in Italiam adventante, quem Ægyptii *Chonem*, vocant. Sanè *Chonen* Italiam olim dictam fuisse innuit Hesychius, Χώνην τὴν Ἰταλίαν, οὕτως πάλαι ἔλεγον. *Chonas* verò ab Oenotris alienos facit Geographus *lib.*6. Χῶνες, inquit, καὶ Οἰνωτροὶ τοὺς τόπους ἐνέμοντο. Aristot. verò *Polit.*7.10. eosdem facit, Ἦσαν δὲ οἱ χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος. Quin & Strabo ipse paulò pòst *Chonas* Οἰνωτρικὸν ἔθνος vocat.

Chonenia, frater Semei 2. Paral. 31. Ebr. *Cononiah*, id est, *præparatio*, aut *firmitas*, aut *rectitudo Domini*.

Chonia, Lycophroni, *Chonis* Straboni civitas est Calabriæ, ut vult Gabr. Barrius, quam hodie *Belcastro* nominant. Aliis Bellicastrum est Potelia antiquorum in Brutiis, aut ex ejus ruinis crevit. 12. mill. à Taberna in Ort. totidem ab Umbriatico, & 20. à Scyllacio.

Chonnabara, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Chonodomarius, Alemanorum rex, unus ex septem illis Regibus, qui sub Imper. Constantio Gallias invaserunt, à Juliano captus, & ad Imper. missus, in captivitate obiit. Eutrop. *lib.* 10. Zosimus *lib.*3. Am. Marcel. *lib.*16.

Chopes, opp. Arachosiæ, ad fl. cognom. Semir. opus, V. *Cophe*.

Chora, fl. Galliæ, *la Cure*, qui ortus in pago Nivernensi, Choram *Cure*, Petram pertusam *Pierrepertuis*, Viceliacum & Arciacum, Luciacumque alluit, ac 12. fere leucas emensus, ad Crabennum in Icaunam labitur. Item nomen vici, qui appellatione cum suo fluvio communi & monasterio veterrimo hodieque insignis est, Hadr. Vall. *Notit. Gall.*

Choragus, Gr. Χορηγός. Quod honestissimum nomen habebatur apud Græcos, iisque tribuebatur, qui sumptus de suo ad ludos sacros præbere solebant. Latinis *Choragus* dicitur, qui scenicis histrionibus ornamenta agendæ fabulæ necessaria, vel accepta ab Ædilibus, vel de suâ copiâ conductus præbet. Plautus *in Persa, Act.*1. *Sc.*4.

> TO. *Ornatum adduce lepidè in peregrinum modum.*
> SA. *Sed* πόθεν *ornamenta?* TO. *abs Chorago sumito.*
> *Dare debet: præbenda Ædiles locaverant.*

Idem *Trinummo, Act.*4. *Sc.*2.

> *Ipse ornamenta à Chorago hac sumpsit suo periculo.*

Vetus poeta apud Sueton. *in Augusto c.*70. de cœna δωδεκαθέῳ,

> *Cùm primum istorum conduxit mensa Choragum.*

Inde *Choragium*: ipse apparatus, seu instrumentum scenicum. Plin. 36.15. de Scauri Theatro loquens: *Sed & reliquus apparatus tantus Attalicâ veste cæteroq; Choragio fuit, &c.* Apul. *in Apol. Quid enim si Choragium Thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere, etiam uti me consuevisse Tragœdi syrmate histrionis, crotalove ad trieterica orgia, aut Mimi centunculo?* Elegantissimè autor Rhetor. *ad Herennium lib.*4. in Charactere ostentatoris: *Et dicit in aurem, aut ut domi lectuli sternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat, Asturconi locus ante ostium suum detur, aut aliquod fragile falsæ Choragium gloriæ comparetur.* Item *Choragium* dicebatur locus, in theatro ex ipsâ re, quòd ibi Choragium scenicum, id est, vestes, &c. quæ instruendæ scenæ inserviebant, custodiebantur. Vitruvius 4. 9. *Choragiaq; laxamentum habeant ad chorum parandum, &c.*

Choramnæi, Persidis pop. sylvestres, tantâ velocitate, ut cervos comprehendant. Steph.

Chorasanum, regio Persiæ perampla, versus Tartariam extensa, respondet veterum Ariæ: Et extenditur usque ad Oxum fl. & habet urbes præcipuas Mexatum & Heratum, in regionis meditullio, ubi aliàs Aria & Paropamisus regiones.

Chorasmi, pop. Asiæ ad utramque Oxi flu. ripam incolentes, in Sogdianæ & Bactrianæ conf. quorum regio hodiè *Corassan* in tab. recent. nominatur: *Chorasmii* Plinio, *Chorasmusini* Straboni *lib.*11. Dionys. *vers.*746.

> Τοῖς δ' ἐπὶ (Massagetis sc.) πρὸς βορέην Χοράσμιοι οἷς ἔπι γαῖα
> Σογδιὰς, ἧς διὰ μέσσον ἑλισσεται ἱερὸς Ὦξος.

Choraules, Gr. Χοραύλης, propriè qui cum choro tibiâ concinebat: cùm in conviviis tum in scenâ. Quo sensu Petronius,

> *Manu puer loquaci*
> *Ægyptius Choraules*

Vide Salmasium *ad Histor. Augustam.* Mart. *lib.*9.

> *Quod optimum est, quæritis, convivium?*
> *In quod Choraules non venit.*

Juv. *Sat.*6.

> *Accipis uxorem, de quâ Citharœdus Echion,*
> *Aut Glaphyrus fiet pater Ambrosiusq; Choraules.*

A *Chorea*, vel *Choro* dictus, quam vocem non invenustè Varro ad stellas transtulit, quæ certâ lege, atque ad numerum veluti decurrunt:

> *Repentè noctis circiter meridiem,*
> *Cùm pictus aer fervidis latè ignibus*
> *Cæli Choreas astricas ostenderet, &c.*

Itemque Manilius *lib.*1.

> *Et quinque adverso luctantia sidera mundo*
> *Exercent varias, naturæ lege, Choreas.*

Similiter & *Chorus* de iis dictus. Tibull. 2. 2.

> *Ludite, nam nox jungit equos, currumq; sequuntur*
> *Matris lascivo sidera fulva choro.*

Stat. 1. *Theb.*

> ——— *Risit Chorus omnis ab alto*
> *Astrorum.* ———

Chorax, decimus quintus Sicyoniorum rex, regn. an. 30.

Chorazin, Galilææ opp. nunc desertum in secundo lapide à *Capharnao*. Matt. 11. & Luc. 10. Hieronymus.

Chordiraxa, Mesopotamiæ urbs. Strab.

Chorepiscopus, qu. τοῦ χώρου i. ruris Episcopus. Reperitur sub nascenti Ecclesiâ, sed incertâ origine, licèt ab exemplo 70. Diaconorum, secundùm Damasum, deductâ. Ideo institutus, vel potius substitutus, ut dum Episcopus civitatem, hic rus & villas, ut vicarius ejus, curaret. Hincmarus apud Flodoardum, *lib.*3. *cap.*21. Torpescentibus verò per civitates Episcopis, (dum rus olim haberent minus quæstuosum) res ad *Chorepiscopos* sic delata est, ut non solùm ritus Episcopales, sed honorem etiam ad se pertraherent. Pertinaciam hanc cancellis circumscripsit Ancyranum Concilium, Ann. C. 314. sub Constantino Imp. *cap.* 13. arctiùs verò & potentiùs Concilium sub eodem Nicænum, *lib.*3. *capp.*54. & 55. *edit. Pisana*, ubi fusè, de ipsorum electione, munere & jurisdictione, de quibus V. quoque Damasi *Epist.*6. Item Concil. Antioch. *can.*10. & Capitular. Caroli & Ludov. locis pluribus, præsertim *lib.* 7. *Can.* 328. Munus *Chorepiscoporum* cum nomine sensim antiquatum, abolevit (nec pridem) Ecclesia: subinductis verò in eorum vicem, qui Episcopo liberiùs cedunt & humiliori jure contenti sunt, Archipresbyteris, aliàs Decanis ruralibus & Plebanis. Vid. Hen. Spelmannum *Gloss. Archæol.* & in voce *Corbanus*.

Choriensis petra, Indiæ, in Paratacarum regione, Arriano. Hanc Curtius *Dotinim* vocat.

Chorineus, viri nomen. Virg. *Æn.* 9.

> *Emathiona Liger, Chorineum sternit Asilas.*

Fit & alterius mentio 12. *Æneid.*

> *Obvius ambustum torrem Chorinæus ab arâ*
> *Corripit, & venienti Ebuso, plagamq; ferenti*
> *Occupat os flammis.* ———

Choroana, Parthiæ regiuncula. Ptol.

Chorocles, Pater Phrynichi, histrionis tragici. Schol. *in Aristoph. Aves*, 576.

Chorodna, Persidis urbs. Ptol.

Chorœbus Atheniensis, qui figulinam primus invenit. Plin. 7. 6. Hic primus currendi certamine victor. Cæl. Rhod.

Chorœbus Eliensis, primæ Olympiados victor.

Chorœbus, Juvenis apud Virg. *Æn.* 2.

> ——— *Juvenisq; Chorœbus*
> *Mygdonides, illis qui ad Trojam fortè diebus*
> *Venerat, insano Cassandræ incensus amore.*

Et po-

Est posteà,

Atque hic exultans successu, animisq; Chorœbus.

Ac paulò pòst,

Non tulit hanc speciem furiatâ mente Chorœbus.

Denique,

——Primusq; Chorœbus

Penelei dextrâ divæ armipotentis ad aram.

Chorœi, vel *Horræi*. Deut.2.dicuntur pop. gigantes, expulsi à filiis Edom ex monte Seir. Lat. *furores* aut *libertates*, sive *foramina*.

Choromandæ, pop. sine voce, horrendi stridoris, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis. Plin.

Chorsa, Armeniæ maj. urbs, Ptol. *Chars* Ortelio. versus fontes Euphratis, in Arsia regiunc. aliàs, nunc Turcomannia reg. sub Turcis, in confin. Georgiæ, cum arce permunita. Quibusdam dicitur *Chiseri*, ab urbe *Ercerum* 4. dieb. in Ortum.

Chorseus, Palæstinæ fluv. Ptol.

Chorsia, op. Bœotorum, Pausan. *lib*.9. πόλις Stephano. Gentile *Chorsicus*.

Chortacana, Asiæ urbs ab Alexandro expugnata. Diodorus *lib*.17.

Chortazo, urbs Ægypti, sic dicta, quòd Cleopatræ exercitus annonâ destitutus, illic satiatus sit. χορτάζειν enim est *satiare*.

Chorzena, Armen. maj. regio. Strabo.

Chorziani, Asiæ pop. circa Persidem. Procop.

Chosroes I. Persarum R. patri Cabadi successit, An.532. Post aliquem successum, pacem ἀπέραντον cum Romanis iniit, sed fide triennio pòst violatâ, vastavit Mesopotamiam, Syriamque, combussit Antiochiam, idem Apameæ facturus, ni Thomæ Ep. prudentia obstitisset. Quartâ vice Imperio ditiones subjectas ingressus, An.545. Edessam frustra obsedit, Justiniano induciis quinque annorum caro mox venditis. Sub hujus successore Justino non minus felix, eò insolentiæ processit, ut Legatos Imperatoris se contemtim Cappadociæ Cæsaream usque sequi juberet. Sed à Tiberii duce Justiniano aliquoties victus, & thesauris exutus, præ animi mœrore tandem obiit, an.581. regni 48. Evagr. *l*.4. & 5. Agathias *l*.4. Procop. *de bello Pers. lib*.1. & 2.

Chosroes II. Persarum rex, throno impositus, An.591. Hormisdam patrem, à subditis in vincula conjectum, benignè frustra tractare conatus, tandem fustibus occidi jussit. Hinc à subditis pulsus, cùm equo frænis temerè laxatis in aliquam urbem Romanorum delatus esset, à Mauritio Imp. per Narsetem, restitutus est: sed illo mortuo, contra Phocam parricidam armis sumtis, Palæstinam, Phœniciam, Armeniam, Cappadociamque occupavit, toto Oriente vastato. Ab Heraclio, post Phocam occisum, rogatus, ut pacem faceret, tributo annuo oblato, superbè renuit; Hierosolymâque occupatâ in Africam transgressus, Libyam Ægyptumque subegit, Carthagine captâ. Itaque secundò pacem frustra rogatus, victus & fugatus est ab Heraclio, mox à Siroe fil. cui minorem prætulerat, fame necatus, in vinculis.an.628. Evag. *l*.6. Theoph. *misc. l*.18. P. Diac. *lib*.4. Cedren. Chronic. Alex.&c. Literarum studiosissimus, ad summam Græcæ Philosophiæ pervenit notitiam, Græc. libris usus à quodam in linguam Pers. conversis. Atque adeò dicitur Aristotelem ipsum exactius tenuisse, quàm Demosthenes Thucydidem. Platonis etiam scriptis animum explevit, atque excoluit. Suid. Fuit verò *Chosroes* commune cognomen Regum Persarum, qui ab Artaxerxe duxerunt genus, ut & nonnullorum Parthorum antè, ut Casaubonus, *ad Capitolini Alexandrum*, observat. Vide Onuphrium Panvinium, quæ *Comment*. 3. *Reip. Romanæ*, de Parthico, Persicoque imperio, eorumque regibus digessit.

Chozala, Mauritan. Cæsariens. op. Ptol.

Chrabasa, Africæ propriæ urbs. Ptol.

Chramus, vel *Chramnus*, fil. Clotarii I. ex Chunsena, à patre in Aquitaniam missus, ita impotenter se gessit, ut à subditis coram Rege accusaretur. Citatus, arma sumsit, missisque contra se Chariberto & Gontrano fratribus imposuit, Patrem contra Saxonas periisse mentitus. Hinc illis recedentibus, Cabillonem cepit, & Parisiis, Childeberto patruo, tactis Evangeliis, juravit, nullam sibi unquam cum Patre pacem fore, quam tamen mox, Childeberto mortuo, iniit. Verùm, iterum rebellis, in Britanniam se ad Conoberum Principem recepit, cum quo à Patre victus, cum uxore Calta, filia Wilicheri, Ducis Aquitaniæ, & filiabus combustus est. An.560. Sævus inprimis in Dei Ministros. Greg. Tur. *l*.4. Aimon. *l*.2.

Chrembsa, Vid *Cremsa*.

Chremes, Archon Athenis, Olymp. 113.an.2.

Chremes, persona senilis apud Terentium, & rustica, à χρέμπτειν, quod est *excreare*. Horat. *in Arte*,

Iratusq; Chremes tumido delitigat ore.

Et Serm. 1.*Sat*.8.

Argutâ meretrice potes Davoq; Chremeta

Eludente senem.——

Chremetes, Libyæ fluv. maximus. Aristot. *in Meteor*. Hesych. Χρεμέτης ὄνομα ποταμοῦ. Nonnus Dionys. *l*.13. v.374. Ὅππη ῥόον Χρεμέταο, καὶ οἱ παρὰ Κίνυφος ὕδωρ. Fluvius *Chremetis* Punicè diceba-tur נהר חרמאת *naar Cheremat*, i.e. *fluvius vinearum*. Confirmatur id ex Scylace, qui eos ipsos Æthiopas, qui prope Cernen degunt, nempe ad amnem quem diximus, vinum asserit è vineis plurimum conficere. Verba sunt, Οἶνον δὲ ποιοῦσι πολὺν ἀπὸ ἀμπέλων. Bochart.

Chremon, Senex Comicus, Aristoph. *Vesp*.49.

Chremonides, Ptolomæi Navarchus, à Rhodio Agathostrato, circa Ephesum ad Veneris templum inopinatò, oppressus & victus. Polyæn. *lib*.5.

Chremylus, nomen comicum viri, ἀπὸ τοῦ χρέος debitum & αἱμύλλω τὸ ἀπατῶ decipio, quasi qui præ inopiâ cogatur suos creditores fallere, non solvendo quod debet.

Chrendi, Hyrcaniæ gens. Ptol.

Chrestodemus, ex Thebanarum rerum scriptoribus unus fuisse dicitur à Michaele Apostolio, *Cent*.18.*proverb*.42.

Chrestus, Atheniensis author probatissimus. Columella.

Chrestus, Byzantius sophista, Herodis Attici auditor, tempore Adriani, qui vino deditus, cæteris in rebus continenter vixit, ac in primis vigilanter. Nam cùm ad Galli cantum sæpe bibere solitus esset, non prius tamen somno se, quam studio dabat. Philostrat.

Chrestus, Vid. in voce *Christus*.

Chretina, Lusitaniæ urbs. Ptol.

Christiana, urbs Norvegiæ, al. Ansloga, post ejus incendium, à Christiano IV. Daniæ R. reparata & denominata. Juxta *Bedeff* fluv. V. *Ansloga*. Vulgò *Christianstadt*.

Christiani, nomen fidelibus Antiochiæ inditum, A.C.41. Act. c.11. cùm prius *Discipuli* dicerentur: unctionem denotat, cujus illos Christus participes reddit. Aliàs *Fratres, Sancti, Credentes, Fideles, Nazaræi*: Ab Ethnicis, nominibus, à suppliciorum generibus, quibus necabantur, petitis, insigniti; V. Tertull. *Ap.c*.5?.quorum calumniis denigrati, decem persecutionibus solennibus exerciti, & omni pœnarum genere affecti, nihilominus perstiterunt, *Sanguisq; eorum semen Ecclesiæ fuit*. Id. quæ perpetuum Christi regnum est.

Christiani munitio, arx Jutiæ, à Christiano IV. erecta. Ad maris Balt. æstuarium, quod se inter Slesvic. Duc. & Holsatiam ingerens, Chilonium urb. petit. 2. l. à Chilonio, *Christianpreiß*.

Christianissimus, titulus est Gall. Regum, sicuti Catholicus R. Hisp. & Defensor Fidei, Angliæ R. Primus *Christianissimi* elogio condecoratus est Ludov. Pius, à Synodo Aquisgrani habita. a.836. quâ de restauranda disciplina Ecclesf. leges latæ sunt, *Clericorum regulæ* dictæ: jussusque est ab Imperatore Saxo quidam, vir doctus, S.Script. Germ. carmine transferre, quò & idiotæ eam discere possent: quod is præstitit. Flacius *in Catal. test. Ver.* Platina *in vit. Pap.* Massonius, *in Lud. Pio.* Carolus dein Calvus, à Joh. IX. Pontif. Rom. ad imperium promotus, *Christianissimus* vocatus est, circa an.875. qui tit. tandem coronæ implexus, & hæreditarius factus est sub Lud.XI. V. Becm. *hist. Orb. terr. Geogr. & Civ. c.1. de Hisp. Reg.* Sed & Simonem Monfortium, sicut a Innoc. III. tropeo C.M. Albigensium interfectorum, ita à Sixto V. titulo *Christianissimi* donatum esse, refert Isaacus Vaake *in Rege Plat.p*.109. *ex descr. Vatic. Angeli Rochæ.*

Christianocategori, id est, Accusatores Christianorum, B. Virginis & Angelorum imagines adorabant. Joh. Damasc.

Christianopolis, opp. Sueciæ permunitum, in Blekingia prov. à Christ. IV. conditum, in limite Ostrogotthiæ & ora maris Balthici, cum portu sat tuto. Sub Suecis ab a.1659. 4. leuc. Dan. à Calmaria, 3. ab ora Oelandiæ Inf. in Occas.

Christianostadium, opp. Sueciæ, in Blekingia, à Christiano IV. structum, ex adverso Scaniæ, cum portu capaci, prope mare Balt. 1. leuca ab opp. Aahusio in Bor. Medium fere inter Hafniam & Christianopolim.

Christianus Bruthmarus, cognom. *Grammaticus*, Monachus Corbiacensis, circa an.840. scripsit commentarium, in S.Matth. & epitomen Lucæ ac Johannis. Trithem. Item Patr. Antiochiæ, hac urbe à Saracenis captâ, a.1268. martyr.

Christianus Buchæus, Arch. Moguntinus, Friderico Barb. à secretis, plurima scripsit, & cum paucis, 15000. hostium prope Romam vicit, Nicetas. Obiit an.1183. Voss. *de hist. lat. l*.3. *c*.53. San-Marth. *Gall. Chr. t*.1.*p*. 356.}

Christianus Herlinus, Mathematicus Argentin. plurimos vett. auctorum emendavit.

Christianus Massæus, Flander, auctor Chronici, à M. condito, usque ad a. 1540. quadruplicisque Calend. rii, Ægyptii, Hebræi, Macedonici & Romani. Obiit a. æt.77. Voss. *de Mathem.c*.41.§.4. *pag*.230.

Christianus Molitor, Clagefurtensis, Astrol. quædam & Prognostica scripsit. Gesner. *Bibl.t*.1. Obiit an.145.

Christianus de Troyes, seu Trecensis, vetus Poëta Gallus.

Christianus Urstisius, Math. Basil. scriptis editis tum Histor. Patriæ enim historiam laudatissimam scripsit, tum Mathematicis insignis. Obiit an.1586.

Christianus, Vid. *Christiernus*.

Christiernus I. Daniæ R. post Christoph. Bavarum. a.1448. prudentiâ, & humilitate inclytus. Ob.1481. Crantz. *h Dan.l*.8. & *S*.12.

Christiernus II. cogn. *Crudelis*, post Johannem patrem, Rex an.1513.

An.1513. Groenlandiam à prædecessoribus amissam, frustra repetit. Sueciæ regno inhians, obsidionem Stockholmiæ solvere coactus est, An.1518. Interim Stenone R. mortuo, ei successit. Sed sævus in præcipuos Procerum, cruento convivio adhibitos, in Daniam repulsus est: cùm sævire pergeret, etiam hac excidit, Friderico Holsatiæ D. patruo surrogato, Anno 1523. seque in Belgium, cum uxore Elisabetha, ad hujus fratrem Carolum V. recepit. Decennio pòst, Hollandorum ope, regnum recuperaturus, captus, in vinculis an. 27. consenuit, obiitque An. 1559. æt. 78. Joh. Magnus, *hist. Suec. l.24.* Chytræus Saxon. *lib.9. & 10. &c.*

Christiernus III. Friderici I. Patris successor An.1537. Episcopos pepulit, Lutheranæ religionis eximius cultor, moderatione & clementiâ illustris. Obiit an.1559. ante captivum suum Christiernum II. cum quo, post prolixum colloquium, reconciliatus dicitur, æt. 56. Friderico II. filio, successore relicto. Chytræus Saxon. *lib.14.15.&c.*

Christiernus IV. Friderico II. patri successit, An.1588. æt. 12. coronatus an.1596. Suecis bellum intulit, an.1610. caput fœderis, à Protestantibus, contra Cæsarem electus, anno 1625. pacem fecit, an.1629. Denuo bello contra Suecos implicitus, an.1646. Obiit a. 1648. æt.71. regni 60. Fortitudine inclytus. Ei successurus Christiernus V. fil. ante Patrem, in thermis quibusdam Saxoniæ fato functus est, secundogenito Friderico III. lampade traditâ: cujus filius

Christiernus V. *vel* VI. hodie feliciter regnat, bello contra Suecos inclytus.

Christina Francica, fil. Henrici IV. ex Maria Medicea nupsit Victori Amedeo, Sabaudiæ D. an.1619. quo viduata an.1637. ditiones, minorenni adhuc filio *Carolo Emanuele* II. temporibus difficilimis administravit; in Pedemontanarum vallium incolas, purioris religionis constantissimos cultores, severa. Obiit an.1663. æt.57.

Christina, Sueciæ R. filia Gustavi Adolphi, an. 1626. nata. Patri mortuo successit, sed a.1654. regno cessit; nomine communioni Romanæ dato, *Alexandra* dicta, ab Alexandro VII. Literas & Literatos amare dicitur.

Christina, virgo Italica, à patre Ethnico primùm carceri inclusa, postea tortoribus tradita est, qui eam nefandis cruciatibus vexarunt, cumque nec igne cremari, nec in aquâ suffocari posset, tandem jaculis confossa est, regnante Juliano.

Christina Pisana, erudita, Carolo VI. Galliæ R. dedicavit *Viam magni studii*, opus suum: scripsit quoque *Thesaurum civitatis mulierum.* Verdier *Biblioth.p.*165. Item, Ducissa Florentina. &c.

Christina, opp. novum Amierc. Sept. à Suecis recens extructum, in honorem Christinæ R. in nova Suecia; ad ostia fluv. Austrini cum portu sat capaci. Postea Suecis ereptum est à Batavis, hisque iterum ab Anglis, quibus etiamnum cum toto tractu paret.

Christoburgum, opp. amplum Prussiæ reg. in colle, ad Sirgunum amnem, prope Drausium lacum, 3. leuc. Germ. à Mariæburgo, 4. ab Elbinga in Austr.

Christodorus, è Copto Ægypti urbe poeta Anastasii Cæsaris tempore, scripsit Isaurica, libris sex. Alia ejusdem refert Suidas, quem vide.

Christolyti, errones, Jesum Christum ad Inferos descendisse, ibique corpore cum anima relicto, cum solâ divinitate inde in cœlum ascendisse delirarunt. Johann. Damascenus, *hær.* Gautierus, *Chron. Secul. sexti.*

Christophori Ins. una ex Antillis, ob amœnitatem, à Chr. Columbo, dicta, in 4. partes dividitur. Commercio saccari, tabaci, piperis, &c. insignis. Rochefort. *hist. Antill. Amer. p.1.c.4.*

Christophorus, fil. Romani, qui juventute & simplicitate Constantini VIII. generi sui, abusus, Imperium gubernabat, Augustum se fecit, an. 920. Obiit an. 934. Curopalat. Item, filius Constantini Copronymi, à Patre Cæsar declaratus, an. 769. postmodum linguâ privatus, an.792. Theophanes *miscell.*

Christophorus I. Daniæ R. post fratres Abelem & Erricum VII. an.1252. persecutor Clericorum, in bello contra Holsatiæ Comites captus, obiit an.1268. Crantz. *hist. Dan. l.7.* Pontanus, *lib.7.*

Christophorus II. Erico IX. fratri successit, Rugiam Ins. regno adjecit, Rostochio Ducibus Megapolitanis feudi nomine concesso. A Comitibus Holsatiæ pulsus bis restitutus est. Obiit an.1333. regni 13. Iidem.

Christophorus III. Comes Palatinus, Dux Bavariæ, nepos ex sorore Erici X. hoc spontè cedente, Sueciæ quoque Norvegiæque R. electus est, an.1439. clementiâ inclytus, sed suis minus acceptus, quòd Germanos præ indigenis promoveret. Maritus Dorotheæ Brandeburgicæ, decessit improlis, an.1448. Crantz. *hist. Dan. l.8. c.22. & seqq. Hist. Suec. l.5.c.* 38. Joh. Magnus, *l.22.c.17.* Pontan. *hist. Dan. &c.*

Christophorus, pulso à se Leone V. 118. Rom. Pontif. mensibus 7. à Sergio sede Pontificiâ dejicitur, & in carcerem detruditur, inde in monachum detondetur, & monasterio includitur, Anno Dom. 908. Sergio in ejus locum intruso. Volaterr. Sigeb. Genebr. Ciacconius, S. Antonin.

Christophorus, in Lyciâ Evangelium de Christo propagasse, & capite truncatus esse, sub Diocletiano Imp. scribitur.

Christophorus, puerum Christum per mare gestans, pictura est hominis Christiani, & præcipuè Doctoris Evangelii, eleganter his versibus expressa:

Tu quis es? Ingenuè Christum profitentis imago,
Cui nomen puer hic, quem fero, dulce dedit.
Quis puer hic? Christus. Quæ moles tanta Gigantis,
Exigui pueri quum leve portet onus?
Omnibus in speciem parvus puer iste videtur,
Quo tamen est toto majus in orbe nihil.
Hinc opus est animis ut sint & corpore fortes,
Qui Christum populi ferre per ora volunt.
Cur tamen ingrediens tumidi per marmora Ponti
Arborea infestas mole repellis aquas?
Per mare, quod calco, perversum intellige mundum,
Ille animis præbet sæva pericla piis.
Arbore nil aliud nisi sanctum intellige verbum,
Rebus in adversis quod pia corda regit.
Hoc etenim instructi ruimus per saxa, per ignes,
Qui Christi meritum grande docemus opus.
Dic tamen hoc etiam, quid pendens mantica tergo,
Quid sibi cum liquido pisce, placenta velit?
Certa piis nunquam desunt alimenta Ministris,
Quique Deo fidunt, servat, alitq; Deus.
Porro quis insignis canâ procul ille senectâ,
Prævius accensâ qui face monstrat iter?
Fax præmissa refert ventura Oracula Christi,
Significat vates qui cecinere, senex.
Huc ades ô hospes, tuq; ô puer optime Christe
Mecum habita, tecum vivere sola salus.

Christophorus Bathorius, Princeps Transylvaniæ, post fratrem Stephanum, Poloniæ R. pulsis Arianis, obiit. 1581. V. *Bathorius.*

Christophorus Bondelmontius, Florentinus, scripsit de Insulis Archipelagi, Vois. *de H.L.l.3.c.9. de Math.c.70.§.8.*

Christophorus Clavius, Bambergensis, Jesuita, insignis Mathematicus, scriptis editis celeberrimus, à Gregorio XIII. Calendario reformando adhibitus. An.1582.

Christophorus Columbus, Genuensis, edoctus à nauta quodam, ut & ipso Mundi situ, Antipodes dari, ægrè, à plurimis Principibus elusus, tres impetravit naves, à Ferdinando & Isabella, Arrag. & Castellæ Regibus, cum quibus, an.1492. portu *Palos* solvens, Insulas detexit, Martio sequentis anni cum immensis opibus ex India, quæ postmodum *America*, ab Americo Vesputio, dicta est, reversus. Hinc Thalassiarchus maris Indici, quater eò vela dedit. Postmodum in invidiam apud Principes suos ab æmulis adductus, rediit in eorum gratiam, obiitque an. 1506. Hispali sepultus. Joh. Barros, Oviedus, Marmol. *l.9.c.29.*

Christophorus Dibaudius, tractatus Arithmetici auctor. Idem.

Christophorus Garaton, Secretarius Eugenii IV. Constantinopolim missus, ad unionem Ecclesiarum promovendam. a.1435.

Christophorus Harlaus, Præses Parlamenti Paris. vir illustris. Obiit An.1572. S. Marth. *elog.l.2.*

Christophorus Helvicus, auctor Chronologiæ, quam Schoppius continuavit.

Christophorus Longolius, Flander, an Hollandus, fil. Antonii, Episc. & Eleemosynarii Ludov. XII. à Leone X. magni æstimatus, Latinæ linguæ elegantiâ clarus. Obiit Ann. 1522. æt. 34. S. Marth. *elog. lib.* 1.

Christophorus Longomontanus, discip. Tychonis Brahei, scripsit Astrologiam Danicam.

Christophorus Porsenna, in Oriente græcam L. addidicit, Agathiæ & Procopii interpres. Peste obiit Romæ, a.1486. Gesn. Bibl.

Christophorus Rhotamanus, insignis Mathem.

Christophorus Richerus, de origine Turcarum, scripsit, usque ad an.1540.

Christophorus Schaplerus, Anabaptista, rusticæ seditionis fuso. A.1525. Gautier *sec.16.*

Christophorus Thuanus, Præses Parlamenti, Paris. Lanienam his versibus deflevit:

Excidat illa dies ævo, nec postera credant
Secula, nos certè taceamus, & obruta multâ
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

Jac. Augusti Thuani filii historiam vide. Ipse Histor. Galliæ exorsus est, obiit an.1582. Pater 24. liberorum. San Marthan. *elog.l.3.*

Christopolis, urbs Maced. in Thraciæ confin. episc. olim sub Arch. Philippensi, nunc Metrop. eadem putatur cum Amphipoli.

CHRISTUS, Jesu mundi Redemptoris cognomentum. Ab Hebræo vel Syriaco משיח sic dictus, Joh.1. *vers.* 42. Ἑυρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὅ ἐςι μεθερμηνευόμενον, ὁ Χρισὸς. Ubi Nonnus,

Σύρξεινε Μεσσίαν σοφὸν ἐυρομεν, ὅς θεὸς ἀνὴρ
Χρισὸς Ἰουδαίοισιν ἀκέετω Ἑλλάδι φωνῇ.

Latini verò à Judæorum ritibus, ac doctrinâ Christi alieni, nomen hoc non rectè intellexere, Dominumque nostrum ac Servatorem *Chrestum*, à Gr. Χρηςὸς vocaverunt. Sueton. *in Claudio, cap. 25. Judæos, impulsore Chresto, assiduè tumultuantes Româ ex-*

mâ expulit. Inde etiam *Chrestianos* vocabant eos, qui *Christo* nomen suum dedere. Tertul. *adv. Gent. Sed & cùm perperam Christianus pronunciatur à vobis* (*nam nec nominis certa est notitia penes vos*) *de suavitate vel benignitate compositum est.* Lact. 4. 17. *Sed exponenda hujus nominis ratio est propter ignorantiam eorum, qui eum immutatâ literâ* Chrestum *solent dicere.* Quo errore, Justinus Martyr sui temporis Christianos culpâ absolvit: Ἐπεὶ ὅσον γε ἐκ τοῦ κατηγορουμένου ἡμῶν ὀνόματος χρηστότατοι ὑπάρχομεν, & rursum Χριστιανοὶ γὰρ εἶναι κατηγορούμεθα, τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον. Hæc ille *Apol.* 2. Verùm enimvero rectum nomen, uti diximus, est *Christus*, cujus etymon idem innuit Justinus, Χριστὸς μὲν κατὰ τὸ κεχρῖσθαι. Ab *unctione* sc. sic dictus est. Τὸ τοῦ Χριστοῦ ὄνομα πρῶτον Μωσῆς τοῖς χριομένοις ἐπιθεῖναι, ait Euseb. *Dem Evang.* 4. 15. Et Lact. *lib.* 4. *cap.* 7. *Quoniam Græci veteres* χρίεσθαι *dicebant ungi, quod nunc* ἀλείφεσθαι, *ob hanc rationem, nos eum Christum nuncupamus.* Prima tamen hujus vocis significatio satis comperta nondum videtur. Primus antiquorum, quem scio, qui hoc vocabulo usus est, fuit Æschylus in *Prometheo Vincto*:

Οὐκ ἦν ἀλέξημ' οὐδὲν, οὐδὲ βρώσιμον
Οὐ χριστὸν, οὐδὲ πιστὸν, ἀλλὰ φαρμάκων
Χρείᾳ κατεσκέλλοντο. ———

Ubi Scholiastes exponit, ὅτι δὲ δι' ἐπιχρίστως ἔξωθεν. Sic Schol. Aristoph. Τῶν φαρμάκων τὰ μὲν ἐστι καταπλαστὰ, τὰ δὲ χριστὰ, τὰ δὲ ποτά. Et sic τὸ χριστὸν, idem erit quod τὸ ἔγχριστον apud Theocritum, *Idyll.* 11.

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον (ἐμὶν δοκεῖ) οὔτ' ἐπίπαστον,
Ἢ ταὶ Πιερίδες. ———

Ubi Schol. Ἰστέον, ὅτι τῶν φαρμάκων τὰ μὲν εἰσι χριστὰ, ἤγουν ἅπερ χριόμεθα εἰς θεραπείαν, τὰ δὲ ποτὰ, ἅπερ πίνομεν, τὰ δὲ ἐπίπαστα, ἅπερ ἐπιπάττομεν. Sic Euripides *in Hippolyto*,

Πότερα δὲ χριστὸν, ἢ ποτὸν τὸ φάρμακον.

Quamvis autem prima significatio τοῦ Χριστοῦ actum, vel materiam unctionis denotat apud Græcos, non autem personam, qui ungitur, tamen 72. Interpretes voce τοῦ χρισθέντος, ἢ τοῦ κεχρισμένου utuntur. Unde Χριστὸς, ὁ κεχρισμένος τῷ ἐλαίῳ. Hunc dulcissimum Servatorem nostrum Tiberius Imp. cognitâ historiâ Resurrectionis ejus, ex epistola Pontii Pilati, Deum esse proclamandum censuit, ni Senatus obstitisset: sed qui indigebat suffragiis hominum, coæternus Patri Deus? Euseb. *lib.* 2. *cap.* 2. Alexander quoque Severus, in larario suo, inter Divos Principes, & animas sanctiores, juxta Abrahamum, Orpheum & Apollonium coluit, miserandâ potius quàm ridendâ superstitione. Oros. *l.* 7. *c.* 11. *&c.* Imo & à Turcis pro Propheta habetur, sed qui Mahomete minor: contra Moysis effatum, Deut. *cap.* 18. Solis *Christianis*, unde & illis nomen, salutaris CHRISTI hujus notitia cœlitus concessa est, quam in S. Scriptura scrutari indies unicas suas delitias judicant. Vid. *Jesus Christus.*

Christus, Ordo milit. in Lusitania, an. 1318. à Dionysio I. institutus, ad nobilitatem contra Mauros animandam. Pulla illis vestis cum cruce Patriarch. coccinea; Conjugii venia, ab Alex. VI. data. Postmodum coronæ inseperabiliter unitus est. Mariana *lib.* 15. Favin. *theatr. hon.* Vasconcellos, &c.

Chrobatæ, vel *Chorobatæ*, pop. circa Dalmatiam. Cedren. Curopalat.

Chrocus, Rex Alemanniæ, Matris instinctu, Gallias intravit, Treverim Metasque destruxit, omniaque in Xantoniam usque vastavit. Encolismâ captâ, Episc. loci Ausonium necavit, &c. Postmodum à Mariano, Narbonæ Præside, Arelati captus, & per devictas prius urbes ostentui circumductus, tandem capite plexus est. Greg. Tur. *lib.* 1. *cap.* 32. *hist.* Ado. A. circiter 312.

Chrodielda, filia notha Chariberti, Regis Parisiorum, monasterium S. Crucis Pictavii turbis implevit. Greg. Tur. *hist.* 9. 10.

Chromatius, Ep. Aquileiæ, post Nicæam, sub finem 4. sec. pietate & eruditione inclytus. Scripsit in Matthæum Comment. de quibus nihil, præter homilias, de 8. Beatitud. & pauca alia, Bibliothecæ P P. inserta, restant. Hieron. *in præf. Paral.* Chrysost. *ep.* 155. Ambrosius, Cassiodorus, qui illum martyrologium quodam quoque scripsisse refert. Contra Origenistas Concilium celebravit, Baron. An. 400. 404. 405.

Chromii, montes Peloponnesi, circa Arethyream, ex quibus Asopus fluv. oritur. Steph.

Chromios, filius Nelei & Chloridos, qui in eâ pugnâ, quam Pylii & Messenii adversus Herculem gesserunt, cum decem fratribus occisus est.

Chromios, Priami fil. in bello Troj. à Diomede interfectus.

Chromis, Herculis fil. Statius,

It Chromis, Hippodamusque, alter satus Hercule Magno.

Et paulo pòst,

Mox Chromis Hippodamum meta interioris ad orbem
Viribus Herculeis, & toto robore patris, &c.

Chromius, Argivus quidam, qui in eâ pugnâ, quæ ob Thyreorum agrum inter trecentos Lacedæmonios, totidemque Argivos commissa est, solus ex suis cum Alcenore incolumis evasit. Herod. *lib.* 1.

Chronea, insula. Steph.

Chronica, Vid. *Paralipomena.*

Chronium mare, pars Oceani Glacialis. Porrigitur à fluv. Paropamiso ad Rubeam prom. vulgò *Nortkin*, Plin. Dictum etiam Saturnium est, nunc *Mirmanskou More* Russis.

Chronum, urbs ab Archidamo capta, an. ab U. C. 307.

Chronus, Sarm. Europææ fluv. Ptol. In Lithuaniâ eum ponunt Pirchaimerus, & Cromerus, eumque Germanis *Memel*, & Slavis *Niemen* vocari dicunt; in sinum Veneticum influit. Erasmo Stellæ verò & Rithaymero fluv. est Prussiæ, *Pergel* dictus, in eundem sinum se exonerans. Fidlerus, qui Germ flumina elegiaco carmine descripsit, cum Cromero sentit. Baudrando fluv. aliàs Venetorum, in Sarmatiâ, nunc Polon. Oritur in Lithuania, versus *Slucko* Urb. dein auctus variis fluv. & rigatis Grodno & Kouno, opp. Lithuan. per Samogitiam labitur; postea per Prussiam Brandeb. ubi *Russe* ab opp. cognom. in ejus ostiis dictus, in Curonium lacum, & cum ipso in mare Balticum se exonerat, ad Memelium opp.

Chrudima, opp. amplum Bohemiæ, ad Chrudimcam amnem, 4. leuc. à Czaslaria in Ort. 1. ab Albi fluv. 6. à confin. Moraviæ, in Occas.

Chrysa, sive *Chryse*, Ciliciæ op. non procul à Thebis Ciliciis, Apollinis Sminthei delubro insigne. Strab. *lib.* 13. Ovid. *Met.* 13.

Chryseneque & Cillan Apollinis urbes.

Chrysa fanum, locus Siciliæ, inter Ennam & Assorum, Cic.

Chrysame Thessala, Triviæ Sacerdos, quæ taurum pulcerrimum veneno pavit, sicque ad hostes dimisit: ex cujus carnium esu furorem contraxerunt facileque à Græcis Erethrienses oppressi fuerunt. Polyæn. 8. 619. & 620.

Chrysantas, dux exercitûs Cyri, qui hostem interfecturus jam elatum gladium in cædem revocavit, quia ἀνακλητικὸν, id est, *receptui cani*, interim inaudisset, ac ideo à Cyro laudatus. Cæl. Rhod. *lib.* 18. *ex Xenoph.*

Chrysantus, Alexandrinus, Romæ, quò juvenis venerat; factus Christianus, sub Numeriano Imp. in fossam demissus, ac terrâ saxisque obrutus fuit; hic in conjugio mansit virgo unâ cum Dairâ uxore. Volaterr.

Chrysaor, pater Mylasi, fil. Glauci. Steph. in *Mylasa.*

Chrysaor, Medusæ fil. ex Neptuno, qui ex Callirrhoe Geryonem suscepit; ut placet Hygino *Fab. Poet.* 151. Hesiodus autem in Theog. *Chrysaorem* sine patre natum vult, quemadmodum & Pegasum ex solo Medusæ sanguine.

Chrysaoreus, Jupiter cognominatus, cujus templum fuit in agro Stratonicensium, Caribus omnibus commune; quò illi sacrificaturi & de communibus rebus deliberaturi conveniebant, qui conventus *Chrysaoreus* vocabatur, ex vicis constans, in quo qui plures vicos attulissent, ii in suffragiis antecellebant. Vid. Strab. *l.* 4.

Chrysaoris, urbs Cariæ. Epaphroditus verò totam Cariam *Chrysaoridem* vocat. Steph.

Chrysaorus, flu. per medium Maustauræ urbis in Libyâ fluens. Steph. in *Mastaura.*

Chrysaphius, Eunuchus, Theodosii Jun. gratiâ abusus, Flavianum Patr. pellere conatus est. Inter Eudoxiam & Pulcheriam litis auctor, Eutychi favit, in pseudoconcilio Ephesino Orientali Ecclesiæ exilium machinatus. Sed Pulcheriâ aulæ redditâ, An. 450. pulsus & occisus est. Marcellin. Cedrenus, &c.

Chrysas, flu. Siciliæ, qui per Assorinorum agros fluit; & apud illos habebatur Deus, religioneque maximâ cultus fuit. Fanum ejus fuit in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam. Cicero *Verrinâ* 4.

Chryse, Sinus Eoi maris, Ptol. Item *ins.* ejusdem sinûs ac ejusdem nominis, cujus Stephanus & Capella meminere. *Japan* sive *Giapan* esse putatur. Ins. perampla, in Oceano Sinico, ad Ortum regni Sinarum. Sansoni tamen Japonia est Jabadii Ins. Ptolom. M. Polo Ven. *Zipangri* dicta. Vid. *Japonia.* Steph. Ἔστι καὶ ἄλλη νῆσος Ὠκεανῖτις, ἣν οὕτω καλεῖ Διονύσιος, διὰ τὸ χρυσοῦ ἔχειν μέταλλα. Non autem hanc rationem istius nominis adfert Dionysius, sed quòd ibi sol purius luceat, *Vers.* 589.

———Ἔνθα καὶ αὐτῆς
Ἀντολίη καθαροῖο φαείνεται ἠελίοιο.

Plinius tamen cum Stephano consentit *lib.* 6. *cap.* 21. *Extra ostium Indi*, inquit, *Chryse & Argyre, fertiles metallis, ut credo.* Autor *Peripli*, insulam Chrysen in Oceano Orientali planè collocat, sub ipsum solis ortum, contra flu. Gangem, ultimamque esse ait orbis partium, quæ ad orientem sitæ sunt: Κατ' αὐτὸν δὲ τὸν ποταμὸν νῆσός ἐστιν Ὠκεανῖτις ἐσχάτη τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν τῆς οἰκουμένης ὑπ' αὐτὸν ἀνέχοντα τὸν ἥλιον καλουμένη Χρυσῆ, χελώνην ἔχουσα πάντων τῶν κατὰ τὴν Ἐρυθρὰν τόπων ἀρίστην: Sic cum locum repurgavit Claud. Salmasius *in Plinianis Exercit.* Et inde eruit hanc insulam, quæ, ut ipse ait, hactenus sub his verborum mendis delituit, scilicet, ὑπ' αὐτὸν ἀνέχοντι ἥλιον κλειομένη χρυσῆν ἔχουσα χελώνην; Ubi de aureâ testudine nugas esse affirmat. Sunt & plurimæ aliæ *Chrysæ*, de quibus vide Stephanum.

Chrysei, Indiæ gens. Ptol.

Chryseis, Chrysæ filia.

Chrysermus Corinthius, historicus, gemino in loco testis adhibetur à Plutarcho, semel in *Euphrate*, ubi quædam refert ex 13. ejus de fluminibus libro; ac iterum in *Inacho*, ubi primum advocat de rebus Peloponnesiacis, unde & tertium citat idem Plut. *Min.Par.cap.*3. Scripsit etiam Indica, grande opus; siquidem 80. eorum librum citat prædictus Author in *Hydaspe*. Videndum autem utrum Peloponnesiaca an Indica significentur, *cap.* 10. *Min. Par.* ubi meminit decimi historiarum Chrysermi. Imò Stobæus etiam adfert Chrysermi verba ex secundo Hist. Persicæ. Denique apud Plin. 22. 22. legas *Chrysermus parotidas in vino decoctâ radice, curavit.* Sed credit hunc alium esse à Corinthio Vossius. Vid. hunc, *de H.G. lib.*3.*p.*347.

Chryserus, vel *Chrysorus*, histor. Gr. nomina Consulum, & annos, à Regibus pulsis, annotavit. Theophilus Antioch. *l.*3. *sub fin.*

Chryses, Apollinis sacerdos, pater Astynomes, quæ à nomine ejus *Chryseis* dicta fuit: Quam cùm Græci, expugnatis Thebis Ciliciis, urbe Eetionis, abduxissent, & Agamemnoni in prædæ divisione tradidissent, Chryses Apollinis insignibus exornatus ad Græcorum castra accessit, filiamque sibi restitui petiit; Quod cùm impetrare non potuisset, Apollinis auxilium imploravit, qui tam gravem Græcis pestilentiam immisit, ut Agamemnon patri puellam restituere coactus fuerit, cujus loco Achilli Briseidem eripuit. Hom. *Iliad.*1.

Chrysippa, urbs Ciliciæ à *Chrysippo* conditore, Gentile *Chrysippanus*, aut *Crysippeus*, Steph.

Chrysippus, primò currui regendo operam dedit, dein animo studiis applicato, mox evasit philosophus Stoicorum princeps, Zenonis, LLoyd. vel Cleanthis, Morer. discipulus, acutus sanè, ut qui multis præceptoribus repugnaverit, statuam habuit Athenis in Ceramico positam. In Dialecticâ clarissimus fuit, ita ut non illepidè dicerent quidam; *Si apud Deos Dialectica haberetur, non aliam esse futuram, quàm Chrysippi,* Valer. M. *l.*8. *cap.*7. an. æt. 80. Dialecticæ opus absolvisse narrat, quam an. 40. inceperit. Scripsit volumina supra 75. LLoyd 311. tractatus de Dialecticâ exarasse refert, Diog. Laërt. Ferunt Carneadem Philosophum Cyrenum, perlectis Chrysippi libris, ita dixisse, *Nisi Chrysippus esset, ego non essem.* Apollonidæ filius fuisse dicitur, Solensis, aut secundùm alios Tarsensis. Horat. *Serm.*2. *Sat.*3.

Quem mala stultitia, & quemcunque inscitia veri
Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus & grex
Autumat.

Idem de Homero:

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

Quintil. *lib.*1. *Sapientes nutrices optabat Chrysippus.*
Idem, *Cadi discipulos non improbat Chrysippus.*
Persius, *Satyra ultimæ exitu:*

—— Depinge ubi sistam
Inventus, Chrysippe tui finitor acervi.

Quod proverbii specie de ἀλύτῳ elegantissimâ brevitate dicitur. Sensus enim est, tam difficile est avaritiæ tuæ modum statuere, quàm Chrysippo Soritis finem invenire, hoc est, ubi resistendum sit, definire. *Soritem* enim *acervum* vocat Poëta, cujus nullum finem Chrysippus invenire potuit. Vide Casaubonum *ad eum locum.* Idem & Historicus fuit, quippe qui *de antiquis Physicis* etiam opus scripsit, ut Laertius testatur. Chrysippi *de rebus Italicis* quoque libros Plut. citat *in Par. Min. cap.*24. quos cur Solensi (fuere enim & alii Chrysippi, ut ex Diogene constare potest) minus tribuamus, caussa non est. *Eum enim in omni Historiâ curiosum fuisse* Cicero testatur 1. *Tuscul. Qu.* Vixit an. 73. vitâ defunctus est, cùm merum bibisset, sacrificio cuidam interesse à discipulis rogatus. Alii præ risu, asino è patina comedere viso, crepuisse dicunt. Olymp. 143. U. C. anno 545. M. 3846. Diog. Laërt. *in ejus vita. l.*7.

Chrysippus, Pelopis fil. quem cùm pater valdè amaret, noverca ejus Hippodamia id indignè ferens, liberos suos Atreum & Thyesten impulit, ut illum interficerent; ob quam rem à Pelope pulsi, in exilio vitam egerunt, donec pater è vivis excederet. Idem.

Chrysippus Gnidius medicus, Erasistrati præceptor. Vid. Jonsium *de Script. Hist. Phil. lib.*2. *cap.*8. Alius, qui Georgica scripsit. Alii, quos V. apud Plin. *lib.*26. 2. Lil. Giraldum, *hist. de Poet. l.*3. Voss. *de H.G. l.*1. *c.*17. *p.*112. *de Poetis*, *pag.*87. *de sectis Phil. c.*19. *§.*11. *pag.*102. *de Phil. cap.*11. *§.*27. *pag.*87. *de Logica, cap.*8. *§.*16. *pag.*35. *&c.*

Chrysites, Livio locus est in Macedoniâ, qui hodie *Siderocapsa* dicitur, ut refert Bellonius.

Chrysius, *Keureuz* incolis, & *Kraiss* Germ. teste Sambuco, fluvius Daciæ per Transylvaniam fluens, ac in Tibiscum desinens. Baudrando fluv. Hungariæ duplex. Uterque oritur in Transylv. unus *Fekierkerez*, prope Abrucbaniam ortus, Juliam rigat, & per Lacum *Sarcad* lapsus se exonerat in alium *Sebeskeres* dictum, qui oritur ex monte Kalota, in agro Claudiopol. Varadinum magnum rigat, recipitque aliquot amnes, cum supradicto Fekierkerez & Berethonio; quibus auctus in Tibiscum se exonerat supra Zongradium, in Comit. Orodiensi in super. Hung.

Chrysius, fluv. Hisp. Tarraconensem pro parte à Bæticâ dividens. *Guadiaro* vulgo, al. *Guadalentin.* In sinum Virgitanum se exonerat, 7. leuc. à Carthag. nova in Occas.

Chrysoana, Indiæ extra Gangem urbs. Ptol.

Chrysobullum, locus circa Tarsum. Cedrenus.

Chrysoceras, promunt. Thraciæ ad Bosporum situm. Plin. *l.*4. *c.*11

Chrysoclavum, χρυσόκλαβον, aureis distinctum clavis: Unde *Chrysoclavus*, adject. Tritum apud vitarum Pontificum scriptores. Vita Leonis IV. *Obtulit vestem, aquilarum habentem historiam, cum cruce de chrysoclavo & gammadiis unam.* Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Chrysogonus, Syllæ libertus, Roscii Amerini sectator. Cicero *in Orat. pro Roscio Amer.*

Chrysogonus, nomen viri proprium apud Juvenal.

—— Sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent.

Chrysogonus, martyr, nobili genere ortus Romæ, qui quandò nec consulatûs, nec ullius honoris pollicitatione per Diocletianum à fide averti potuit, jugulatus est ad scalas Gemonias. Volater.

Chrysolanus, Arch. Mediol. an. 1116. à Paschali II. ad Alexium Comnenum missus, contra Græcos, de processione Spiritus S. disputavit. Trithem. *de Script. Eccl.* Eustathius Arch. Nicæensis, Blemides sapiens, &c. Scripserunt contra illum. Baron. *t.*12. *Annal. An.C.*1116.

Chrysolaus, Methymnæorum tyrannus, à Macedonibus in Chio, quam ignarus ab illis occupatam esse cum Aristonico piraticis lembis intravit, captus & popularibus deditus; quem illi ob injurias tortum necaverunt. Curt. 4. 74.

Chrysologus, Vid. *Petrus Chrysologus.*

Chrysoloras Emanuel, nobilis Constantinopolitanus, in Italiam venit, An. 1397. Græcam linguam ibi, à 700. an. neglectam docuit; excitato simul Latinæ linguæ studio, Venetiis, Florentiæ, Romæ, Papiæ. Obiit an. 1415. æt. 47. Constantiæ, tempore concilii. Ei Æneas Sylvius, postmodum Pius II. epitaphium scripsit. Auctor Grammaticæ Gr. &c. Gesner. Biblioth. P. Jov. *elog.*

Chrysondium, Daretidis regionis in Macedoniâ op. Polyb.

Chrysopolis, Stephano urbs prope Chalcedonem in Bithynia, per Bosporum naviganti ad dextram: dicta, quòd Persæ illic colligerent aurum ex tributo aliarum civitatum, vel à *Chryso*, Chryseidis & Agamemnonis filio. Plin. 5. *ult.*

Chrysopolis, Ciliciæ urbs. Steph.

Chrysopolis, Ptol. Xen. Suidæ, & Stephano, *Bos* Polybio, *Damalis* Arriano, promunt. Asiæ, positum è regione promuntorii Byzantiam continentis, ut illud ex Georg. Cedreno describit Petr. Gyllius, quod *Scutari* hâc tempestate appellatur. Polybio tamen *lib.*4. *Bos* & *Damalis* duo diversa sunt loca.

Chrysorrhoa, pop. dicti, quòd apud eos, ut inquit Strab. auriferi torrentes sint. Unde fabulis occasio de vellere apud Colchos aureo.

Chrysorrhoas, Syriæ fluv. per Damascum, & ejus agrum fluens, *Pharpar* Ebræis, *Adegele*, teste Bellonio. Sic & Pactolus à veteribus dictus ob arenas, quas defert, aureas. Sunt alii duo hujus nominis, unus in Bithyniâ, alter in Themiscyrâ regione.

Chrysostomus, Episcopus Constantinopolitanus, tempore Arcadii & Honorii impp. ob excellentem eloquentiam cognomen Χρυσόστομος, & Χρυσοῤῥήμων adeptus est. Patriâ Antiochenus fuit, natus ex nobilibus parentibus, Secundo, & Anthusâ, Rhetoricam à Libanio, Philosophiam ab Andragathio didicit. Theologiæ studio apud Diodorum & Basilium incubuit. Primùm in Ecclesiâ Antiochenâ lector fuit, Deinde Presbyter ordinatus, postea mortuo Nectario, ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ gubernationem evectus est, An. Dom. 401. Fuit naturâ iracundior, & liberioris linguæ. Ideo in multorum acerbissimas offensiones incidit, declamitans contra Eudoxiam Augustam, jussu Imp. in exilium actus est, sed populus, seditione motâ, obtinuit, ut quamprimum revocaretur. Postea rursum ejectus, & in Armeniam relegatus est, ubi diem suum obiit die 14. Septembris, An. Dom. 411. Vid. *Johannes Chrysostomus.*

Chrysothemis, filia Agamemnonis & Clytemnestræ. *Il.*9.

Chrysum, unum ostiorum Indi fluv. Ptol.

Chrysus, nomen pueri vel famuli, Aristoph. *Crabr.* 520.

Chrysus, Hisp. Bæticæ fluv. Sex. Avienus.

Chryxus, Dux Boiorum fuit nepos Brenni, quo duce olim Galli Romam ceperant. Hunc describit Silius *lib.*4.

Boiorum ante alias Chryxo duce mobilis ala
Arietat in primos, obiectique immania membra.
Ipse tumens, atavi Brenni se stirpe ferebat
Chryxus, & in titulos Capitolia capta trahebat,
Tarpeioque jugo demens, & vertice sacro
Pensantes aurum Celtas umbone ferebat.

Chthonia, Ceres dicta, qu. *terrestris*, seu *terrena*, quanquam Pausan. author est, eam cognomen hoc sortitam à *Chthoniâ* quadam puellâ Argivâ, quòd post ambustum patrem à Dea in Hermionem op. ducta, ibi templum ei consecraverit, *Chthoniamque* Deam à suo nomine appellaverit.

Chthonia insula, eadem quæ Creta. Steph.

Chthonium, festum erat, quod in honorem Cereris ab Hermionensibus eximiâ veneratione celebrabatur, in quo boves visendæ magnitudinis, & ferociæ, deæ sacerdotem, infirmam, & vetulam mulierculam sponte sequebantur, velut ultro se immolationi offerentes.

Chthonopyle, mulier quæ Baccho Phliuntem peperit. Steph. in *Phlius*.

Chub, id est, *extinguens*, nomen gentis. Ezech. 30.

Chuba, Asiæ urbs. Nicephorus *lib.* 18. *cap.* 30.

Chuduca, Babyloniæ urbs. Ptol.

Chullabi, Africæ propriæ urbs. D. Augustinus.

Chulmia, hodie *Zachlumia* & *Chelmum*, teste Joh. Lucio, est prov. Serviæ, nunc *Herzegovina*, cujus partem maritimam incoluerunt ol. Varalii, dein cum proximis Ins. Narentani, qui & Arentani & Pagani Porphyrogenetæ.

Chun, id est, *præparatio*, sive *placenta*, aut Syriacè *fenestra*, nomen urbis. 1. Paral. 8.

Chuni, Sarmatiæ pop. Ptol.

Chuquamia, una ex 15. prov. regni Sinarum, in mediterr. inter *Honam* & *Chiamsi* provincias.

Churita, Libyæ interioris gens. Ptol.

Chus, filius Cham. Gen. 10. de quo, uti etiam de Chusæis consulendus est Vir Magnus, *in Phalege. lib.* 4. *cap.* 2. Æthiopum pater. Unde niger? Joseph. *Ant. Jud. l.* 1. *c.* 6. Torniel. *A. M.* 1657. 1931. Morer.

Chusai, amicus David, Absolonis consilium, de persequendo Patre, ingeniosè avertit, primus ejus occisi postmodum nuntius. 2. Reg. 15. 16. 17. Jos. *Antiq. Jud. l.* 7. *c.* 8. 9. 10. Torniel *A. M.* 3005. *n.* 5. Salian. *A. M.* 3009.

Chusanrathaim, Rex Mesopotamiæ. Josepho *Antiq. l.* 5. *cap.* 4. dictus *Chusartes*, Rex Mesopotamiæ, vel Assyriæ, Israëlitas sub jugum misit, per an. 8. ab Othoniele, cùm resipuissent, postmodum liberatos. Jud. 3. Jos. *Ant. Jud. l.* 5. *c.* 4. Torniel. *A. M.* 2601. Salian. *A. M.* 2623. & seqq.

Chusaris, Libyæ interioris flu. Ptol.

Chusistania, prov. Persiæ, versus Austr. juxta sinum Persic. extensa, ubi al. Susiana reg. Ejus urbs præcipua *Soufter*, aliàs Susa, ubi regia Assveri, ad Eulæum seu Choaspem fluv.

Chuta, regio Persica, unde Salmanaser gentes traduxit ad Palæstinam inhabitandam. 4. Reg. 17. Unde *Chutai*, Vid. infra & *Cissii*.

Chutai, pop. Persiæ, missi, ut Samariam, à Salmanassare vastatam, incolerent, Samaritani postmodum dicti. Ob Idololatriam, leonum præda; hinc missis ex infima fæce Sacerdotibus, qui illos utcunque ad veri Dei cognitionem perducerent, miscellam quandam religionem amplexi sunt. Demum post Christi ascensionem veræ de Deo doctrinæ luce plenè illustrati, Act. c. 8. Josepho Antiq. *lib.* 9. *cap. ult.* sic dicti, à Persiæ prov. Chuta, fluvioque Chut. Vid. 4. Reg. *cap.* 17. *vers.* 25. *& seqq.* Torniel. *A. M.* 3314. *n.* 2. 3315. *n.* 2. Salian. *A. M.* 3315. Vid. & in voce *Cissii*.

Chuzica, casa fuit in tribu Benjamin, Monachi Johannis, sita ad torrentem in parte Septentrionali viæ publicæ, quæ Hierosolymis egressos Hierichuntem defert. Niceph. 17. *hist. Eccles. cap.* 4.

Chuzis, Africæ propriæ urbs. Ptol.

Chyda, Lyciæ maritimæ op. apud Ptol. ut Sophiano placet, ex Latinis fortasse mendosis exemplaribus, nam Græca *Lydæ* hoc loco habent: *Giva* hodiè eidem Sophiano.

Chyda, Siciliæ flu. Ptol. *Chrysa* Diodoro. *Rosmarino* teste Fazello, inter Aluntium, & Calactam.

Chydorus, Bœotiæ fluv. qui à tot millibus Persarum, quot Xerxes Græciam invasit, epotus non suffecit. Alex. ab Alex. 6. 25.

Chylemath, Maurit. Cæsariens. flu. Ptol.

Chyretiæ, Macedoniæ urbs. Ptol.

Chyton, regiuncula Epiri. Steph.

Chytos, Cyzici portus. Apollonii Scholiastes.

Chytræus David, Indelfingâ vel secundùm alios, Mentzingâ Suevus, Theologus & Historicus clarissimus, Scripsit Onomasticon Bibl. atque in S. Scripturæ maximam partem Enarrationes, Prælectiones, Commentarios, & Scholia. Præterea Chronicon Saxon. &c. quæ omnia 2. tom. fol. prodierunt Lipsiæ, an. 1599. De hoc Melch. Adami, *Scripta maluit edere*, inquit, διδακτικῶς, quàm πολεμικῶς aut ἐλεγκτικῶς, *unde occulta aspergebatur societatis cum Pontificiis* suspicione. Obiit Rostochii A. C. 1600. æt. 70. Idem, Thuanus *Hist. &c.*

Chytri, Cypri civitas. Vide Steph.

Chytri, festum fuit, apud Athenienses, percelebre, in quo omne seminum genus in ollâ coquere solebant, Dionysio, & Mercurio operantes, ut Theoph. scribit.

Chytrium, Joniæ locus, ubi quondam Clazomenæ fuerunt. Strabo.

Chytropolis, regiuncula Thraciæ. Steph.

Chytros, Plinio *Chytri*, urbs olim episc. nunc pagus Cypri medit. apud Famagustam. *Chitri* etiamnum.

Chytrum, urbis Clazomenarum pars, cum alterâ parte, quæ parva erat Insula, ponte commissa. Hæc autem urbs, teste Aristotele, ob istum situm variis seditionibus laboravit. *lib.* 5. *Polit. cap.* 3. Hermolaus Barbarus putat Stephani esse *Chytum*: verùm apud Stephanum sic mihi legendum videtur.

C I.

Cia, vulgò *Zea*, insula sub Eubœâ, non procul ab Atticâ, quæ à Plinio, & Strabone *Ceos*, & *Cea*, appellatur. pop. *Cii*, qui à lasciviis, & voluptatibus alieni fuisse perhibentur, cùm apud eos, nec meretrices, nec tibicines essent. Contra *Chii* malè tanquam effœminati audiebant. Unde adagium apud Athen. *lib.* 13. *Non Chius, sed Cius*, de rebus valdè discrepantibus.

Ciabrus, vel *Ciambrus*, Daciæ fluv. Ptol. *Morava* Mercatori. *Sucova* Ortelio, qui malè eum in Hungariâ reponit, inquit Ferrarius, cui Mysiæ sup. flu. est, eam ab inferiori dividens. Aliquando *Ciambus* dicitur.

Ciacis, Armen. min. urbs in Meletinâ regione. Ptol.

Ciana, Galatiæ urbs. Ptol.

Ciagesi, Daciæ gens. Ptol.

Ciampa, regn. Indiæ ulter. inter Cocinchinam, regnum Cambajæ & mare Sinicum.

Ciamum, prom. Cretæ, nunc *Capo Spada* Soph. In mare Ægæum maximè excurrit, versùs Cytheram Ins. & Peloponnesum, nunc in territorio Caneæ.

Cianica, Armeniæ op. Ptol.

Ciasa, Babyloniæ op. Ptol.

Cibalis, Pannoniæ infer. urbs, Ptol. quibusd. *Palyna*, Urbec. Hung. ad amnem Boznetham, prope Almum montem, in Valbonensi Comit. inter Mursam min. ad Bor. & Sirmium ad Austr. Aliis mel. est *Walma*, opp. seu vicus *Siabou*, in viciniis, ad amnem Bickium, in Rascia, vix 1. leuc. à Savo fl. in Bor. Inter Posegam ad Occas. & Sirmium ad Ortum. Laz. Baudr.

Cibarci, Hisp. pop. Plin. 4.

Cibaritis, Asiæ regio circa Mæandrum. Strabo.

Cibilitani, stipendiarii Bæticæ pop. Plin. 4. *cap. penult.*

Cibinium, Daciæ urbs mediterranea, quæ *Hermenstadt*, vulgò dicitur. Caput Transylv. urbs maxima & perelegans, egregiè munita, potens; illius incolæ Saxones sunt. Ad Cibinium amnem, qui paulo infra in Alutham fluv. cadit. 15. leuc. Germ. à Claudiopoli in Ort. Versus confin. walachiæ. In ea persæpe commoratur Princeps Transylv. Baudr.

Cibola, vel *Civola*, prov. novæ Mexicæ, hodie *nova Granada*, ab urbe cognom. Plana, & frigida, incolas habet candidiores, & ingeniosiores, ut & sinceritatis justitiæque majores cultores, quàm in reliqua America. Unicam quisque ducit uxorem, quâ solicitè custodiunt. Adorant aquam, & vetulam quandam; quæ Maga sine dubio, prope lacum quendam in abdito degit. Herrera *cap.* 11.

Ciborium, non unâ significatione Græcis & Rom. notum. Scriptoribus verò Eccles. pro arca, nec non pyxide, seu scriniolo, super altare, quo Sacramentum conservatur in Latina Ecclesia. Pluries in Ecclesiasticæ supellectilis catalogis. Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Cibotus, Asiæ civitas eadem, quæ *Apamia*. Plin. 5. 29.

Cibsaim, id est, *congregationes*, civitas ex tribu Ephraim data Levitis. Jos. 21.

Cibyra, urbs Phrygiæ maj. Ptol. aut Cariæ, Plin. in confin. Lyciæ. *Buruz* Leunclavio, intra montes media, inter Alabandam ad Occ. & Antiochiam Pisidiæ ad Ort. prope fontes Xanthi fluv. Hinc Plinio *Cibyritica juga* & *Cibyritica præfectura*: Tacito *Cibyritica civ. l.* 4. *Annal.* Steph.

Cibyra, urbec. Ciliciæ asperæ, ad Cragum montem, Antiochiæ urbi propinqua, ubi *juga Cibyritica* à Plinio memorata, Ferr. quam interiisse scribit Thevetus. Dicta *minor*, ad alterius differentiam.

Cicæ, Ins. in ora Gallæciæ, *Islas de Bayona* dicuntur, & mel. *Deorum Insula*. V. ibi.

Ciceres, Pagus in Rhætia, haud procul Curiâ Urbe, quem sub Plessura Rhenus tortuosior ingressus adit.

M. T. Cicero, natus est, 3. Jan. an. 648. U. C. 168. Olymp. Oratorum omnium Romanorum celeberrimus, idemque philosophus egregius, cujus libri extant plurimi Orationum, Epistolarum, & Philosophiæ, omnium, qui unquam Latinè scriptita sunt, tum doctrinâ, tum eloquentiâ primi. Equitis Romani, cui à Titio Tatio, Sabinorum R. origo, ex Helvia filius, in prima juventa, contra Sullæ amicos tantâ cum libertate causam egit, ut hujus offensam veritus, in Græciam transiret. Ubi Athenis, Antiocho Ascalonita, Philosopho Alex. usus, inde in Asiam profectus est, ut Xenoclem, Dionysium, Menippum audiret: hinc Rhodi, Apollonium Molonem, hominem eloquentiss. præceptorem habuit, dein per omnium honorum gradus, in Siciliâ nempe Quæstor, exin Ædilis, Verrem accusavit, Prætor, Ciliciam à prædonibus purgavit, tandem in Consulatum pervenit, in quo leges saluberrimas tulit; Legem Agrariam fregit, Catilinæ conjurationem Consul coërcuit; Postea verò à Publio Clodio Trib. pleb. per invidiam urbe

urbe pulsus, omnium pop. Rom. ordinum summo consensu, ipso Pompejo, cujus ope pulsus erat, satagente, revocatus est. Hujus partes, bello civili, sequutus, illo sublato, veniam impetravit à Cæsare, cui Ligarium, solâ suâ facundiâ, reconciliavit. Bruti amicus, non tamen conjurationis in Cæsarem conscius, hoc occiso, Augusti partes amplexus est, qui Consul cum illo esse voluit, mox tamen sententiâ mutatâ, cum Antonio Lepidoque Triumviratum instituit. Ita senex tandem à M. Antonio, qui occasionem vindictæ, Philippicis ejus offensus, diu quæsiverat, & C. Octavio tyrannis, quòd nimium amans Reip. esset, proscriptus, unà cum patriæ libertate periit, quam usque ad extremum spiritum constantissimè defenderat, à Popilio, quem olim contra hostes à quibus parricidii fuerat accusatus, erat tuitus, capite truncatus, cujus insuper linguam excisam Antonii uxor Fulvia aciculis pupugit, quòd olim dixisset, nullum iracundius animal fœminâ esse.

Opera ejus vulgò in quatuor partes tribuuntur, in quarum prima de arte Rhetoricâ agit, ut sunt 2. libri de Inventione, 3. de Oratore, de Illustribus oratoribus, seu Brutus. Ad secundam Orationes pertinent. Epistolæ ad tertiam. Quartæ verò opera ejus Philosophica adscribuntur, ut Quæstiones Academicæ, de finibus bonorum & malorum, Tusculanæ quæst. de natura Deorum, Amicitiâ, Senectute, &c.

Historiam quoque sibi scribere proposuerat. Versibus tres libros conscripsit, de rebus in Consulatu suo gestis. In quos digitum intendit, *l. . ep fam.* 9. Ejus vitam, vide apud Plutarchum, plurima etiam de eo habes apud Dionem Cassium Ciceroni paulo infensiorem, Appian. Sallust. Florum, Orosium, Dionys. Lambinum, in initio operum, &c. T. Tyro libertus Ciceronis illam quoque persecutus est. V. & infra. Epicharmi illud maximè fecit,

Νῆφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, ἀνέρα φρονῦντα ταῦτα:

Sobrius esto, & memineris virum, qui sic sapiat, non oportere esse credulum. Quod & alicubi sic extulit: *Nervi, atque artus sapientiæ sunt, non temerè credere.* Hunc verò Homeri versum παιδιόθεν à se adamatum fuisse, scripsit ad Qu. fratrem,

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Quod est, *semper agere optimè, & præstantem esse aliis*, vulgò celebratum, *maximam quamq; ejus orationem optimam esse*, Plinius auctor est, *lib.* .*Ep* 20. Juvenal. *Sat.* 10.

Eloquium ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, &c.
Eloquio sed uterque perit Orator, utrumque
Largus & exundans leto dedit ingenii fons,
Ingenio manus est & cervix cæsa;

Catul. *de eo:*

Disertissime Romuli nepotum,
Quod sunt quotq; fuere Marce Tulli.

Martialis,

Hoc quod secula posteriq; possent
Arpinis quoque comparare Chartis.

Hoc est, operibus Ciceronis, qui fuit Arpinas. Sil. *lib.* 8.

Tullius aratas raptabat in agmina turmas
Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto:
Indole proh quantâ juvenis, quantumq; daturus
Ausoniæ populis ventura in secula civem,
Ille super Gangem, super exauditus & Indos
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compescet linguâ, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Quintilianus *lib.* 10. *cap.* 1. *Oratores verò vel præcipuè Latinam eloquentiam parem facere Græcæ possunt. Nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter opposuerim. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.* Lactant. *lib.* 1. *Non tantùm perfectus Orator, sed etiam philosophus fuit, siquidem solus extitit Platonis imitator.* Liber ejus de officiis omnium primus typis excusus fuit, de quo rectè Ingens Grotius *Ep. ad Gallos, Liber non suo pretio habitus, ideo quòd omnium manibus teritur.* Nefas illa Plinii præterire *lib.* 7. *cap.* 30. *Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ literarum Latinarum parens: atque ut Dictator Cæsar, hostis quondam tuus, de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte majorem. Quanto plus est ingenii Romani terminos movisse, quam Imperii.* Tit. Livius, *naturâ candidissimus omnium magnorum ingeniorum censor*, ut Seneca Pater eum appellat, hoc epitaphium ei apud istum ipsum Senecam *Suasoriâ* 6. sive ut aliis placet, 7. reddidit: *Vixit*, inquit, *tres & sexaginta annos, ut si vis affuisset, ne immatura quidem mors videri possit: Ingenium & operibus & præmiis operum felix: Ipse fortunæ diu prosperæ, & in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruinâ partium, pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tam tristi, atque acerbo, omnium adversariorum nihil, ut viro dignum erat, tulit, præter mortem, quæ verè æstimanti minus indigna videri potuit, quòd a victore nil crudelius passurus erat, quàm quod ejusdem fortunæ compos ipse fecisset: Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cujus laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit.* Paterculus post narratam cædem ejus in hæc verba erumpit; *Nihil tamen egisti M. Antoni, mercedem cœlestissimi oris & clarissimi capitis abscissi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam Reip. tantique Consulis irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem solicitam & ætatem senilem, & vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem: famam verò, gloriamq; factorum, atque dictorum adeò non abstulisti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnem seculorum memoriam, dumque hoc vel sorte, vel providentiâ, vel utcunque constitutum rerum naturæ corpus, quod ille penè solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentiâ illuminavit, manebit incolume, comitem ævi sui laudem Ciceronis trahet: omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur: citiusque in mundo genus hominum, quam hujus nomen cadet.* Vide Ciceronis laudes amplissimas apud Senecam, *Suasoriarum lib.* 1. *Nemo tamen*, inquit, *ex tot disertissimis viris melius Ciceronis mortem deploravit, quam Cornelius Severus*, cujus versus hîc subjungam:

Oraq; magnanimûm spirantia penè virorum
In rostris jacuere suis: sed enim abstulit omnes
Tanquam sola fores rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia Consulis acta,
Jurataque manus, deprensaque federa noxæ.
Patritiumque nefas etiam tum, ut pœna Cethegi
Dejectusque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor, aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt, sacris & vita quid artibus acta?
Abstulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Unica sollicitis quondam tutela, salusque
Egregium semper patriæ caput: ille senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque togæque,
Publica vox sævis æternum obmutuit armis.
Informes vultus, sparsumque cruore nefando
Caniciem, sacrasque manus, operumque ministras
Tantorum, pedibus civis projecta superbis
Proculcavit ovans: nec lubrica fata Deosque
Respexit, nullo luet hoc Antonius ævo.
Hæc nec in Emathio mitis victoria Perse,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoste Philippo.
Inque triumphato ludibria cuncta Jugurthâ
Abfuerant: nostrâque cadens ferus Annibal irâ
Membra tamen Stygias tulit inviolata sub umbras.

Verùm de Cicerone nos alibi plura. LLoydius.

Q. Cicero, frater oratoris, Legatus in Gallia Cæsaris, dein proconsul in Asia, munere secundâ famâ administrato, inclytus: pòst in numero proscriptorum, cum filio suo interfectus est. Plut. & Appianus memorant, utrumque rogasse percussores, ut prius occideretur, tandem eodem momento ambos necatos. Idem etiam nomen Ciceronis filio secundùm quosdam fuit, qui Consul ab Augusto creatus, statuas Antonii dejici jussit, ut Plut. *in Cicerone*, & Appian. *de B.C. lib.* 4. referunt. Interim nec in Cassiodori Chronicis, nec in Consularibus Fastis ejus nomen apparet. V. inf.

M. Cicero, M. T. Ciceronis oratoris filius, *Bicongius* ob temulentiam dictus, nihil patre dignum gessit, nisi quòd interfectoribus Cæsaris pertinacissimè favit, antea cum patre proscriptus, pòst tamen ab Octaviano restitutus, & Prætor factus. Plut. Imò & Consul an. U.C. 723. C. Antistio suffectus est die 13. Septembr. usque ad Novembr. quo tempore Antonii statuas evertit. LLoyd.

Ciceronis aquæ, sive *fontes calidi*, *Bagni di Ciceroni*, & *Bagni di Britolino*, teste Pighio, locus Campaniæ. Plin. *lib.* 31. Baudrando *Bagni di Tritolino*, balnea Campaniæ, prope Bajas & lacum Avernum, in colle, ex adverso Puteoli. Vid. Itiner. Italiæ Schotti.

Ciceronis Castra, Cæsar. *in comment. Veltsick* hodiè, pagus nunc, à Gandavo plus minus tribus milliaribus distans, ubi multa antiquitatis monumenta eruuntur. Goropius.

Ciceronis Villa, hodiè *Ciceroniano*, locus Campaniæ apud Puteolos & Baias, ad lacum Avernum. Plin.

Cicestria, *Neomagus* Ptolemæo, urbs Angliæ in Australi Sussexiæ parte, vulgò *Chichester*. Baudrando illa distat 40. mill. Angl. à Londino in Austr. 15. à Vecti Ins. 18. à Vintonia Urbe. Juxta amnem *Lavant*, 4. mill. ab ora maris Britannici, totidem à confin. Hantoniæ prov. & 30. mill. à Neomago in Austr.

Cichesus, fluvius ponitur ab Homero *in Hymno Apol.*

Cichyrus, Thesprotiorum in Epiro op. Strabo.

Ciciantbi, Scythiæ Asiaticæ pop. Plin.

Ciciliana, Hispaniæ urbs inter Emeritam & Cordubam. Ant.

Cicimeni, pop. circa Mæotim. Plin. 6. 7.

Ciclas, mel. *Cyclas*, propriè vestis fæminea, quòd instar κύκλȣ seu circuli esset: longa, utpote terram verrens & sinuosa. Matth. Paris. in apparatu nuptiarum Henrici III. A.C. 1236. virilem facit: *Cives*, inquiens, *Londonienses sericis vestimentis ornati, cycladibus auro textis circumdati.* V. Henr. Spelman. *Glossar. Archaeol.*

Cicona, Asiæ pop. In India Aquilonari, Plin.

Cicones, pop. Thraciæ, juxta Hebrum, quos Ulysses post dirutam

Trojam

Trojam ventis eò adactus debellavit, eorumque urbem Ismarum diripuit, paucis ex sociis amissis. Ovidius *Met.* 15. mira quædam de fluvio eorum prodit:

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Apud eos Orpheus, obscœni concubitûs inventor, à Bacchis dicitur laceratus. Virg. 4. *Georg.*

——*Spretæ Ciconum quo munere matres*
Discerptum latè juvenem sparsere per agros.

Quòd autem ait Orpheum obscœni concubitûs autorem fuisse, παιδεραστίαν intelligit. Ovid. *Met.* 10.

Ille etiam Thracum populis fuit autor, amorem
In teneros transferre mares.

Ciconium, promont. juxta Bosphorum, Petro Gyllio, qui hodie *Cornio* hoc appellari ait.

Ciconius, nomen ejus qui Brixiam condidit.

Ciculi, populi Transylvaniæ, in 7. sedes seu regiones divisi, præcipuè versus montem Carpathum & confinia Poloniæ. Eorum sedes sunt Novomarchia, Maros, Girgium, Cziikum, Kisolium, Orbæum, & Aranias. Parent Principi Transylv.

Cicuta, nomen proprium fœneratoris cujusdam maximè avari. Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 3.

——*Adde Cicuta*
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas.

Cicynethus, Macedoniæ insula. Plin. hodie *Pontico*. De nomine Bochartus; Est in orâ Magnesiæ (inquit) *Pagasæus*, vel *Pagasicus* vel *Pagaseticus sinus* (Ptolemæo *Palasgicus*) in quo insula *Cicynethus*. Strabo *lib.* 9. ubi *de sinu Pegasetico*, ἐν δὲ τῷ κόλπῳ φησὶν εἶναι τὴν Κικύνηθον νῆσον, καὶ πολίχνην ὁμώνυμον. Scylax, Ἐν δὲ τῷ Παγασητικῷ κόλπῳ ἐστὶ νῆσος Κικύνηθος καὶ πόλις. Mela 2.7. *Pagasæus sinus Sciathon prospicit, Cicynethum amplectitur* Plin. 4.12. *Pagasicus sinus ante se habet Eutychiam, Cicynethum*, &c. Quia ex eo sinu Argonautæ profecti sunt urbem Pagasas, quæ nomen sinui dedit, plerique dici volunt ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεπῆχθαι τὴν Ἀργώ. Οἱ δὲ πιθανώτερον ἡγοῦνται τοὔνομα τῷ τόπῳ τεθῆναι τοῦτο ἀπὸ τῶν πηγῶν αἳ πολλαί τε καὶ δαψιλεῖς ῥέουσι. At (ex sententiâ Strabonis) *probabilius statuunt loco nomen esse à fontibus* (Dorice παγαῖς) qui frequentes ibi largique fluunt. Scepsius etiam apud Apollonii Scholiasten *lib.* 1. Pagasas dici asserit, ἀπὸ τῶν παγᾶν περιρρέεσθαι τοὺς τόπους. Hæc ideò notanda duxi, quia mihi videtur ex iis posse colligi, *Cicynethus* unde dicatur. Nempe quam urbem Græci *Pagasas* ab ubertate fontium, eandem suâ linguâ Phœnices עינות *ainoth*, aut *enoth*, i.e. *fontes* appellarunt, & sinum Pagasæum חיק־עינות *Chek ainoth*, i.e. *sinum fontium*, & insulam in medio sinu, insulam *Chek-ainoth*, quod Græci mutarunt in *Cicynethum*. Baudr. est Ins. parva maris Ægæi, in ora Macedon. in sinu Pelasgico, media inter Demetriadem, à qua 20. mill. distat & oram Boreal. Eubœæ.

Cicynna, tribus Acamantidos gens, Aristoph. *in Nub.*

Cidanus, vide *Elaa*.

Cidinola, castellum Apuliæ Dauniæ; circa quod planities ἄδενδρος, hordeum tamen, triticum, aliaque frumenti genera mirâ ubertate fundit.

Cierium, urbs Bœotiæ, aliàs *Arne* dicta. Steph.

Cilbianum, urbs Asiæ ad Caystrum fluv. in Lydiâ, quæ & *Valentinianopolis* in Lib. Concil. appellatur. Pop. *Cilbiani* Plinio, & *campus Cilbianus* apud Tmolum montem. *Cilbiani* quoque *agri* apud Ephesum.

Cilbicini, Hisp. pop. circa ostium Bætis fluv. Avienus.

Cilbus, Hisp. Bæticæ fluv. Idem.

Cile, seu *Chili*, Regnum Americæ merid. ultra tropicum Capricorni situm, juxta mare Pacificum in longum porrectum, versus Occas. inter Peruviam & Patagonum region. à Sept. Charchantes, & Collaones habitant, ab Occid. Platam respicit, reliquum Oceano & Pacifici maris undis pulsatur aut abluitur, propter intensum illis in partibus frigus à frigore nomen habet. Nam *Chili*, Barbarorum linguâ, *frigus* significat: tantum enim est frigus, ut equos cum sessoribus penè constringat, & marmoris instar induret. Prima adversus Chilienses expeditio fuit Didaci Almagri, cui cùm ex federis conditionibus cum Francisco Pizarro initi ea provincia obvenisset, an. 1534. magnis itinerum difficultatibus superatis ad Chilienses penetravit; sed cùm præter viros proceris corporibus metuendos, hispidisque marinorum luporum pellibus terribiles, sagittis à tergo lateribusque incursantes suosque assiduè lacessentes, nullum adhuc usquam auri indicium invenisset, dimissâ infructuosâ Chiliensium oppugnatione retro est reversus, occisusque post reditum à Pizarris, totius rei hujus gloriam tandem Petro Baldivio reliquit, qui ad Chilienses Proprætor missus, gentem diuturno bello domuit, occupatisque maritimis locis opportunam illis in partibus coloniam deduxit, quæ nunc Gentis metropolis est. Regio ingentibus sæpenumero terræ motibus infestatur, quibus præter hominum jumentorumque miseram stragem, integros quoque montes solo æquat aut subvertit, fluviorum naturales alveos transfert, aut in lacus stagnantes commutat, & maris æstum per aliquot passuum millia divertit, navesque in sicco procul à statione relinquit. In hujus etiam provinciæ montanis peculiaris ventus dominatur, cujus vis adeò noxia est, ut oppresso inter viscera vitali calore viatorem extemplo interimat, mortuorum tamen corpora non infestet, sed à corruptione & putrefactione conservet: non aliquâ tamen vehementiâ, sed nimiâ suâ subtilitate adeò noxius est. Merel. Baudrando, à Septentr. Peruviam, ab Oriente Andes montes, à Meridie Terram Magellanicam habet. Subest majori ex parte Hispanis, Boream versus. Herrera, c. 22. Linschotus à Costa, &c.

Urbes præcipuæ Ciles.

Araucum, *Arauco.*	*S. Juan de la Frontera.*
Chiloa, *Chiloë.*	Imperialis, *Imperial.*
Civitas conceptionis, *Ciudad de la Conception.*	Osornum, *Osorno.*
Fanum S. Jacobi, *S. Jago*, totius regionis primaria.	Serena seu Coquimba, *la Serena ò Coquimbo.*
Fanum S. Johannis de confinio,	Urbs dives, *Villa Ricca.*
	Valdivia.

Cileni, Hispan. Tarrac. pop. Plin. *Cilini* Ptol.

Cilia, urbs Stiriæ, ad Savi fluvii ripam, uti apparet ex vestigiis, antiqua, nam inscriptiones in ea plures nominum Rom. apparent. Mercat. *Cilia* Comes Ulricus celebris fuit seculo 15. Huic Ladislaus Hungar. R. Austriam gubernandam commisit, an. 1452. postquam Fridericum III. Imp. coëgisset, Regem adhuc vix tredecennem suæ tutelæ concredere. Sed quia Austriacæ nobilitati gravis visus, paulò pòst ex aula dimissus est, æmuli inprimis Eyzingeri machinationibus. Iterum tamen Regi reconciliatus, redit Viennam, A. C. 1455. Tandem, quòd lætatus esset Huniadis morte, ab hujus filio Ladislâo obtruncatus est, A. C. 1456. Vid. Æn. Sylvium *Bohem c.* 68. *& seqq.* Hermanni *Cilia* comitis filia Barbara, nupsit Sigismundo Imper. Vide *Barbara*.

Cilicene, Pannoniæ infer. urbs, Anton.

Cilicia, reg. Asiæ min. notissima, inter Pamphyliam ad Occ. Syriam ad Ort. ac inter Taurum mont. ad Bor. à Cappadociâ separantem, & pelagus Cilicium ad Merid. contenta. *Caramam & Caramania* propria vulgò, non *Turcomania*, ut scribit Ortelius. Aliàs Caramania latè sumta complectitur Ciliciam, Pamphyliam, Pisidiam & partem meridion. Cappadociæ. Baudr. Hic Hama seu Hamsa, quæ olim Tarsus, Pauli natalibus inclyta, Seleme, Pompejopolis, ad Issicum sinum *Golfo d' Ajaz.* 2.0. Vid. Ptol. *l.* 5. Mercat. *Atl.* Bellonium *l.* 2. Hæc Saracenis ferè tota erepta est, à Nicephoro Phoca, A. C. 966. Cilicia croco maximè abundat. Lucret. *l.* 2.

Et cùm scena croco Cilici perfusa recens est.

Ovid. *in Ibin*,

Nam neque quot flores Siculâ nascuntur in Hyblâ,
Quotve ferat dicam terra Cilissa crocos.

Propertius 4. 6.

Terque lavet nostras spica Cilissa comas.

Plin. 21. 6. *Prima nobilitas est in croco Cilicio in Coryco monte*, &c. Stat. 4. *Sylv.*

——*Tu largus Eoa*
Germina, tu messes Cilicumque Arabumque superbis
Merge rogis. ——

Hujus incolæ dicti sunt, *Cilices*, quos piraticam exercentes, Pompejus devicit, victosque in deditionem accepit, eorumque postea fideli operâ usus est in bellis navalibus adversus Cæsarem. Lucanus *lib.* 3.

Itaque Cilix justa non jam pirata carinâ.

Λόγος ἐστὶ παλαιὸς (inquit quidam) μὴ ῥᾳδίως ἀληθεύειν τοὺς Κίλικας. Hinc illud:

Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες τρία κάππα κάκιστα.

Chalab, Ciliciam ab Ebræis nominari auctor est Arias Montanus. Incolas ejus prius *Achæos* appellatos scribit ex Herodoto Stephanus. Strabo *lib.* 14. Ciliciam dividit in *Campestrem* & *Tracheam*, id est, *asperam*. Nomen ejus quod attinet, videtur id primo & præcipuè à Phœnicibus inditum Ciliciæ asperæ parti; neque enim à *fabuloso Cilice* nomen sumptum, sed à חלקים *Challekim* vel *Challukim*, i.e. *lapidibus*, quia lapidosa regio est. Sil. *lib.* 13.

Hinc Cilicis Tauri saxosa cacumina vitet.

Nonnus Dionys. *lib.* 34.

Αὐχένα πετρήεντα Κίλιξ δοχμώσατο Ταῦρος.

Fuit olim opulentissima Populi Romani provincia & Cicerone proconsule memorabilis. Solinus author est, adeò quondam potentem fuisse, ut ad Pelusium usque procurrerit, Lydis, Medis, Armeniis, Pamphyliâ & Cappadociâ sub imperio constitutis. Κιλίκιοι στρατηγοὶ dicebantur homines hirsuti, & pilis obsiti, unde Propertius 1. 7.

Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas.

Vide Hesychium. Hodie tota Cilicia sub Turcis est.

Urbes Ciliciæ, hodie extantes:

* Adana.	Celenderis.
Anazarba, & us.	Corycus.
Anemurium.	Diocæsarea.
Antiochia super Trago, vel Crago.	Domitiopolis.
Augusta.	Flavias & Flaviopolis.
* Cæsarea, penes Anazarbum, Sedes Satrapæ.	* Issus.
	Lamus.
	Mallus.

Mopsue-

Mopsuestia.	Sebaste.
Nicopolis.	Seleucia aspera.
Olbasa.	Selinus.
Philadelphia.	Tarsus.
Pompeiopolis seu Soli.	Thebe.

Cilicium, vestis genus ex hircorum sive caprarum pilis contextum, quæ tonsura quòd primùm in Ciliciâ instituta, facta inde appellatio est, ut Varro auctor est *lib. 2. de R.R. in fine.* Usus eorum potissimùm in castris, item in navibus. Quo illud Virgilii pertinet *Georg.* 3.

Nec minus interea barbas incanaq; menta
Cinyphii tondent hirci, setasq; comantes
Usum in castrorum & miseris velamina nautis.

Asconius *in* 3. *Verrin. Cilicia, texta* in *castrorum usum, atq; nautarum.* Porro lugentium & pœnitentium vestes apud Ebræos, quos 70. Interpp. σάκκους appellant, vetus Interpres Latinus sæpe *Cilicia* interpretatur: neque enim dubium est, hirtas & ex pilis contextas fuisse; talia autem *Cilicia*, vel *Cilicina* appellabantur: quare & δέῤῥεις τριχίνας Exodi 26. idem interpres *saga Cilicina*; & σάκκον τρίχινον Apocalyps. *cap.* 6. *Saccum Cilicium* vertit. Qui locus id quoque indicat, nigros fuisse hos saccos, sive *Cilicia*. Et verò hic color mœstos plangentesque maximè decet. Prudentius, *Hymno jejunantium*, de Ninevitico justitio agens:

Squalent recinctâ veste pullati patres,
Setasq; plangens turba sumit textiles,
Impexa villis virgo bestialibus.

Alcimus Avitus, cùm idem argumentum tractat, *lib.* 4.

Mollibus abjectis, Cilicum dant tegmina setæ.

Id est, *ciliciis* induuntur. Cæterùm *sacci* à formâ (angusti enim & minimè fluctuantes erant) *Cilicia* à materiâ, pilis viz. caprarum dicebantur. Quare *tunica saccea*, sive *saccinea*, & *tunica Cilicia*, de eâdem, B. Hieronymo dicitur, *in vitâ Hilarionis sub finem*; tali enim ille sanctus usus fuerat. Et ita fermè solebant vestiri, qui planè renunciassent seculo, propositumque severius sequerentur, qui & *Ascetæ* & *Monachi* appellati, quibus maximè conveniebat hæc vestis: *cùm monachus non doctoris, sed plangentis officium habeat; qui se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum*; ut idem Hieronymus alibi scribit. Paulinus Nolanus, *in obitum Celsi, vers.* 451.

Si modò lugentem gravis hirto tegmine saccus
Caprigenûm setis dum teget, & stimulet.

Ubi & *saccum* & *setas*, sive pilos caprinos habes, ex quibus Cilicia contexta erant. Quanquam Ciliciorum nomine omnes hirtas vestes comprehendi existimem, licèt de aliis etiam, quàm caprinis pilis contextæ essent, ut Camelorum, qualis Joannis Baptistæ fuit, item discipulorum B. Martini; de quibus Severus Sulpitius, *in vitâ ejus cap.* 7. *Plerisq; camelorum setis vestiebantur; mollior ibi habitus pro crimine erat.* Utebantur autem Ascetæ hirtis ejusmodi vestibus, atque in iis cubabant etiam, ut coërcerent carnem, & ad Orationes vigilantiores essent. Paulinus *de Joh. Baptistâ*,

Vestis erat curvi setis contexta cameli,
Contra luxuriam molles duraret ut artus,
Arceretq; graves compuncto corpore somnos.

Cilimbesii, Corsicæ insulæ pop. Ptol.

Cilisçus, vel *Philiscus*, Poëta Tragicus Græc. quem Protogenes coloribus expressit. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

Cilissa, Phrygiæ, aut vicinæ regionis urbs. Xenophon.

Cilium, Africæ propriæ urbs. Anton. Item civ. antiqua Apuliæ Peucetiæ.

Cilix, Phœnicis filius; item qui è *Ciliciâ* est.

Cilla, Africæ propriæ urbs, Appiano. Et Æolidis oppidum Herodoto. Item Troadis urbs, in regione Ciliciæ, Thebaica dicta, Sansone teste, ad amnem Cilleum, 5. mill. ab ora sinus Adramyteni, 12. ab Adramyttio in Boream, 9. à Thebe in Occas. Apol. sacra. Ovid. *Met.* 13.

Me Tenedon, Chrysenq; & Cillan Apollinis urbes.

Hom. *Iliad.* 1.

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,
Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις.

Hesychius: Κίλλα, πόλις ἔνθα ἱερὸν Ἀπόλλωνος, Est etiam *Cilla* montis nomen, apud Qu. Calabrum *lib.* 8.

Ὃν τέκεν Ἰφιάνασσα παρὰ ζάθεον πόδα Κίλλης.

Cillaba, Africæ urbs, circa Syrtim majorem. Plin.

Cillæ, Thraciæ urbs, Anton.

Cilleja, urbs Germ. in Stiria, ad Saanam fluv. qui paulo infra in Sanum fluit. Vide *Celia*.

Cillus, Pelopis auriga, quem cùm Pelops ad Oenomaum proficiscens in itinere amisisset, justa ei splendidè persolvit, & ut memoriam ejus ad posteritatem propagaret, eodem, quo mortuus est loco, urbem condidit, quam *Cillam* de nomine ejus appellavit. Strabo *lib.* 13.

Cilma, Africæ propriæ urbs. Ptol.

Cilmana, circa Gaditanum sinum urbs. Anton.

Cilnius, cognomen Mæcenatis. Erant antem *Cilnii* populo Etrusci; domo autem Arietini, maximæ apud concives dignitatis ac potentiæ, docet hoc Livius *lib.* 10. *Etruriam rebellare, ab Arretinorum seditionibus motu orto nunciabatur; ubi Cilnium genus præpotens divitiarum invidiâ pelli armis cœptum.* Et Silius Ital.

Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris
Clarum nomen erat.

Præfectus fuit Romæ Italiæque ab Augusto, per bellum Siculum, an. urbis 717. Vide Meibomii *Mæcenatem, p.* 18. 19.

Cilo Junius, præfuit Bithynis & Ponto, nequiter & avarè. Questi Bithyni apud Claudium poposcerunt pœnam. Cùm parùm intellexisset Claudius in turbâ strepituque adstantium, quid dixissent Bithyni, alios interrogat. Ibi Narcissus, pronus in *Cilonem*, audaci mendacio edidit, gratias eos agere *Ciloni*. Tum ille, Præsit ergò illis alterum biennium. Dio *l.* 60. Tacit. *l.* 12. *c.* 21. dicitur *Junius Colo*.

Cilurnum, Britanniæ opp. Ottadinorum in Northumbria, ubi nunc pag. *Collerton* nonnullis, sive *Collerford*. Cum ponte ad Tinam Boreal. fluv. Camdenus autem potius autumat vel *Walwick*, vel *Scilicester* esse ad Murum Severi.

Cimacum, locus in Duc. Luciliburgensi, olim Comitat. nunc Principatus tit. insignis, ad Crovios Areschoti Duces pertinens; ad caput amnis, qui Mariæburgum, & vicos aliquot præterlapsus, in Mosam defluit, inter Caroli Montem & Fumacum. Vulgò *Chimay*, aliàs *Cimay*. Ecclesia *Cimacensis* vetus S. Monegundis nomine censetur, Canonicosque habet. Valesius *Not. Gall.*

Cimaus, Asiæ mons circa Troadem. Ptol.

Cimana, ætate Hieronymi vicus erat in campo latissimo, in tribu Zabulon, sex millibus ab urbe Legione, ad Septentrion. plagam pergentibus Ptolemaidem. Hier. *de Loc. Hebr.*

Cimara, Indiæ extra Gangem urbs, Ptol.

Cimarus, mons & prom. Cretæ, prope Occid. Ins. in territorio Caneæ, nunc *Capo Cisamo*, quibusd. medium inter Cyamum prom. in Ort. & portum Grabusium in Occas. Sophiano verò est ipsum prom. Cyamum.

Cimbelinus, vel *Kimbelinus*, Rex M. Britanniæ, sub Augusto, negaturus tributa, à subditis huic pendi solita, audito, copias contra se mitti, per Legatos obsequium omne pollicitus est, seque Imperatoris protectioni commendavit. Regnavit diu & feliciter, relictis tribus filiis, qui mutuis dissidiis collisi. Plut. *in Aug.* Dio Cassius, Polyd. Virgilius, Chenæus *hist. Angl.*

Cimberius, Dux Suevorum, frater Nasuæ, qui centum Suevorum pagos, primo Gallici belli anno, ad Rheni ripas subsidio Sequanis adduxerat, Rhenumque transire conabatur. Cæsar 1. *Comm. c.* 37.

Cimbertillius, vide *Tillius*.

Cimbina, Mediæ urbs. Ptol.

Cimbri, pop. Germ. extremi ad Boream, quorum reg. & peninsula *Cimbrica Chersonesus* à Ptolemæo appellatur; in 4. partes divisa, Holsatiam ad Merid. Saxoniæ attiguam, *Ditmarsiam* ad Occ. in orâ *Albis circa ostia, & Oceani, Jutlandiam ad Sept. & Ducat. Slesvicensem in medio inter Holsatiam & Jutlandiam* in regno Danico contentas. *Hi an. U.C.* 640. parato maximo exercitu *Teutonibus*, Ambronibus & Tigurinis juncti, vastatâ Germaniâ, Istriâ, Dalmatiâ, Rhætiaq; per Delphinatum, Aquitaniam & Provinciam Romam contenderunt, sed C. Marius eos fugavit, castrisque exuit, prope Arelatum in campo *Camargue* hodie, i. campus Marii, eos aggressus, & inter Aquas Sext. & S. Maximinum plenâ victoriâ potitus. Cujus reliquiæ adhuc super inter pagos *de Pourrieres*, & *de Trets*, prope rivulum *de l'Arc*, ubi Pyramidis ibi erectæ rudera. Vide præter infra laudatos, Eutrop. *l.* 3. Flor. *l.* 3. *c.* 3. Vellej. *l.* 2. Liv. Plin. Melam, &c. A Cimbris & Holsatis, quos durius tractabat, oppugnatum legimus Valdemarum IV. Daniæ R. circa A. C. 1360. Erant homines ingenti corpore, horrendis oculis, Juven. *Sat.* 13.

Quâ nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam.

Idem *Sat.* 8.

Atq; ideo postquam ad Cimbros stragemq; volabant,
Qui nunquam attigerant majora cadavera corvi.

Lucan. *lib.* 1.

Nos primi Senonum motus, Cimbrumq; furentem
Vidimus.

Propertius 2. 1.

Cimbrorumq; minas & benefacta Mari.

Tympanorum inventores habentur. Vide Strabon. *l.* 7. Plutarchus, *in Mario, Cimbrorum* vocabulum Germanicum tradit, quo *latrones* significentur; ideoque Strabo *l.* 4. & 7. eos πλάνητας καὶ λῃστρικοὺς vocat. Et Festus; *Cimbri linguâ Gallicâ latrones dicuntur.* Sed hæc, ut & alia, quæ de Cimbris antiqui fabulati sunt, refutat Cluverius Germ. *Ant. l.* 3. *c.* 22. *Cimbriam* cum Duc. Slesvicensi, beneficii titulo Holsatiæ Ducibus contulit Christianus IV. Daniæ R. Chytr. *Sax.*

Cimbrianum, opp. Mysiæ inf. *Brunhida* Laz. quasi Brionum pons. Vide & *Cimbria*.

Cimbrica Chersonesus, peninsula perampla Germ. à Sept. in Mer. extensa, inter Cimbricum & Suevicum mare, seu Codanum sinum. Pars est regni Daniæ, nunc *Jutia* dicitur. Dividiturque in Jutiam Septent. sub qua 4. Diœceses seu provinc. Alburgensis, Arhusiensis, Wiburgensis & Ripensis; & in Jutiam Mer. ubi Ducat. Slesvic. & Holsatia, sub qua Ditmarsia, Stormaria, Holsatia

propria

propria & Vvagria. Habet à Merid. Saxoniam inferiorem, & freto *Middelfart Sund* dicto separatur à Fionia Inf. Alias *Cartris*, etiam, Plinio teste.

Cimbrorum promunt. *Scager Rif*, prope castr. *Scaun*, in parte Bor. Diœcesis Alburgensis, in Jutia Septent. 10. leuc. à prox. littore Norvegiæ in Occasum, 12. ab Alburgo in Bor. 40. à Bergis in Austrum.

Cimela, urbs excisa Italiæ, prope Alpes & Nicæam urb. in confinio Gall. Narbonensis. Vix 1. leuc. à mari Mediterraneo. Vide *Cemeneleum*.

Ciminus, lacus & mons Italiæ, *Montagna di Viterbo*: unde *Sylva Ciminia*, sive *saltus Ciminius* memoratur Livio, Plinio, Frontino. Straboni Κιμινία λίμνη, fortè pro Κιμίνα. Apud Sotionem Κίμινος λάκκος. Ejus meminit Virg. *Æn.* 7.

Hi Fescenninas acies, æquosq; Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaq; arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosq; Capenos.

Nec non Silius Italicus *lib.* 8. Virgilii imitator:

Hos juxta Nepesina cohors, æquiq; Falisci,
Quiq; tuos, Flavina, focos, Sabatia quiq;
Stagna tenent, Ciminiq; lacum, qui Sutria tecta
Haud procul & sacrum Phœbo Soracte frequentant.

Cimmerii, pop. in Italia, apud Bajas ad lacum Avernum, quorum opp. *Cimmerium* fuit, ubi antrum Sibyllæ olim fuisse dicitur. Hi in subterraneis domiciliis habitantes, & per cuniculos commeare soliti, toto in illis die delitescebant, noctu tantùm ad latrocinia egressi, cùm victum ex metallorum aliqui effossione, divinationum mercede, & proventibus à rege designatis quærerent, ut ex Ephoro scribit Strabo. Hinc *Cimmeriæ tenebræ* proverbio celebrantur pro densissimâ caligine. Hom. *Odyss.* 11.

Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.

De Italicis enim Cimmeriis hæc intelligenda clarum ex Geographis. Tibullus *Panegyrico ad Messalam*:

Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
Queis nunquam candente dies apparuit ortu,
Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra.

Juxta hos Ovidius Somni sedem collocat, *Met.* 11.

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu
Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni,
Quò nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve
Phœbus adire potest.

A *tenebris* itaque nomen habere Phœnices fabulati sunt, quia כמר *camar*, vel *cimmer*, est *nigrescere*. Penès hos ingens quondam superstitio increbuit, loci naturâ erroribus suffragante; ibi sacra nemora honorata, fluminibus etiam & fontibus suus honor fuit. Specus præterea famosi & ad Inferos crediti aditus, quò intrare fas non erat, nisi *Diis Manibus* sacrificio placatis. Unde Homero suæ fabulæ œconomia, quam in Odysseâ comminiscitur, desumpta est, & liber sextus Æneid. Virgilii.

Cimmerii, populi Asiæ gemini; Alii qui ex Scythia venerunt, habitantes circa Bosphorum, ab ipsis *Cimmerium* appellatum. In Taurica Chersoneso, quæ cum tractu adjacente olim *Cimmeria* dicta est; pòst Scythia Europæa, seu parva, nunc Tartaria min. seu Precopensis. Baudrand. Horum regio perpetuis nebulis involuta, unde *Tenebræ Cimmeriæ*, Prov. Strabo. *l.* 1. & 3. Erasmus *Adag. tit. Cæcutientia.* Alii inter Colchos & Iberos, quorum reg. *Havessen* Ant. Curchinio *in Georgianis* appellatur. Orpheus *in Argonauticis*:

——— Ἔνθα δὲ Κιμμερίοισι
Νῆα θοὴν ἐπάγοντες ἱκάνομεν, οἵ ῥά τε μοῦνοι
Αἴγλης ἄμμοροι εἰσὶ πυριβρόμου ἠελίοιο.

Cimmeris, Troadis urbs, *Edonis* prius vocata. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Item *Cimmeris*, mater Deorum apud Cimmerios. Hesych. Κιμμερὶς, μήτηρ Θεῶν.

Cimmerium, oppidum Tauricæ Chersonesi, in ora Ponti Euxini, ad Bosphori *Cimmerii* fauces, 25. mill. à Crocondama in Occas. totidem à Panticapæo in Austr. *Cimbricum* Straboni.

Cimmerium, promuntor. Asiæ, in tractu Bosphorano, juxta Bosphorum Cimmer. à parte Asiæ, prope paludem Mæotidem. Dictum etiam *Cerberion* Sansoni, vix 4. mill. à Parthenio in Ort. 15. à Panticapæo in Bor. *Capo di Croce* hodie.

Cimolis, *Cinolis* Arriano, *Quinoli* Mercatori, oppidum Paphlagoniæ in orâ maris Euxini, inter Carambim promuntorium ad Occas. & Sinopen urb. ad Ort. Nunc *Ginopoli*, parvi momenti, indies deficit. Baudr.

Cimolus, *Cimolis*, Ptol. *Cimolia* Obsequenti, *Polino*, teste Nigro, ins. maris Cretici, cujus meminit Ovid. *Met.* 7.

Hinc humilem Myconen, cretosaq; rura Cimoli.

Bocharto גומא־אהל *gum-ohal* dici videtur, id est, *fossa smegmatis*, propter terram saponariam, quæ ex eâ eruebatur. Sic in Hippocrate Galenus & Erotianus σμηκτίδα γῆν exponunt τὴν Κιμωλίαν. Dioscorides *lib.* 2. *de felle*: Σὺν νίτρῳ ἢ γῇ Κιμωλίᾳ σμήχματα κεφαλῶν. Idem habent Aristoph. *in Ranis*, & Jul. Pollux *lib.* 10. *cap.* 31.

Cimolus, à Schol. *in Aristoph. Ranas*, ponitur inter Cycladas, cujus terra ferax sit nitri. Vide supra.

Cimon, Atheniensis, Miltiadis & Egesiphiles filius, liberalitate, munificentiáque domi magis, quàm militiâ clarus, quapropter Lucullo comparatur. Nam cùm hostium spoliis locuples esset, ea civibus suis distribuit, deinde amotis undique agrorum suorum septis, vulgò poma, frugesque sumendas impunè dabat. Parabat quotidie ingens domi convivium, quo undique confluentes pauperes vescebantur. Plut. Primus Athenis Scholas instituit, ut Pythagoras in Italiâ. Vitam ejus pete ex Plut. & Corn. Nepote. Obiit rebus pace belloque gestis clarissimus, in Cypro, classis Græcæ Dux summus, post multas victorias, in urbe Citio morbo correptus. A. 302. U. C. Vide etiam Thucyd. *lib.* 1. Justin. *lib.* 2. *cap. ult.* Valer. M. *l.* 5. *c.* 4. *ex.* 9. Diod. Sic. *lib* 11. Item *Cimon*, pictor quidam apud Plinium. Fuit etiam *Cimon* historicus, qui Atheniensium & Amazonum pugnam descripsit. Arrian. *lib.* 7. Incertum autem est, utrum idem sit cum Cimone illo, de quo Suidas in Ἄψυχος.

Cin, Lat. *possessio*, vel *emptio*, sive *nidus*, aut *lamentatio*, nomen viri, à quo *Cinæi*, de quibus Num. 22.

Cina, civitas in tribu Juda. *Jos.* 15.

Cinadon, vide *Cinnadon*.

Cinædocolpitarum mons, hodie *Porta di Ferro*, ut videtur Ortelio, mons Arab. Fel. ad sinum Arabicum, ubi *Cinædocolpitæ* pop. incolebant.

Cinædopolis, ins. Doridis reg. in sinu Ceramico. *Plin.* 5. 31. paulo à Continente distans, versus Halicarnassum.

Cinæi, pop. circa Libanum & Amanum.

Cinæi, & *Ceni*, qui à Jethro socero Moysis duxerunt originem, habitarunt in medio regionis Amalec & Madian, quibus pepercit Saul in excidio Amalec. Gen. 15. Num. 24. Judic. 1. 1. Reg. 15. 1. Paral. 2. Joseph. *6. antiq.* 8.

Cinærius Halicarnassæo, *Onugnathos* Ptolemæo, i. e. *Maxilla asini*, promunt. Peloponnesi, *Xili* teste Nigro, aliis *capo di Malvasia*. In Laconia prov. ex adverso Cytheræ ins. medium inter Maleam prom. ad Ortum, & Cyparissam ad Occ. Baudr.

Cinambri, Illyrica gens. Appianus.

Cinaradas, ex familia Cinaræ, ceremoniis Paphiæ Veneris præsidens. Tacit. *hist. l.* 2.

Cincenses, Hisp. Tarrac. pop. Plin.

L. Q. Cincinnatus, Romanus fuit, cui aranti Viator attulit Dictaturam. Cic. *l.* 2. *de Finibus*: *Majores nostri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut Dictator esset.* Persius *Sat.* 1.

Unde Remus, sulcoq; terens dentalia, Quincti,
Quum trepida ante boves Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit.

Filium sæpiculè à Censoribus reprehensum abdicavit. Exercitum Cos. M. Minucii ab Æquis & Volscis obsessum liberavit: Sexto decimo, post triumphum, die ad aratrum reversus. Liv. *l.* 3. Flor. *l.* 1. *c.* 11. Aur. Victor, *de Viris Illustribus c.* 17. *&c.* *A cincinnis* proculdubio nomen illi, qui ea in gente id primus accepit, unde & pro insigni posteri ejus cincinnis usi sunt. Suetonius *in Caligula*: *Vetera familiarum insignia nobilissimo cuiq; ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem.*

Cincius, senator Rom. scripsit de re militari. Idem in suasione legis Fanniæ objecit seculo suo, quòd porcum Trojanum mensis inferrent, quem illi sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut equus Trojanus gravidus armatis fuit. Macrob. 5. 1.

L. Cincius Alimentius, Prætor, Siciliam 2. belli Punici tempore administravit; sub hujus finem captus. Scripsit Græcè Annales, Dion. Halicarn. *Antiquit. lib.* 1. Livius *lib.* 7. 16. 17. 21. *&c.* De arte militari opus ejus laudat, A. Gell. *l.* 16. *c.* 4. Fastos, Macrobius, Saturn. *l.* 1. *c.* 21. Porro de vocibus antiquis, potestate Consulum, officio JC. &c. Vid. Voss. *de H. L. l.* 1. *c.* 4. *de H. G. l.* 4. *c.* 3.

Cincius, cui prænomen *Lucius*, vir Senatorii ordinis, scripsit de antiquitatibus Romanis, ejus meminit Solinus, *cap.* 2.

Cincius, prænomine *Marcus*, Tribunus plebis, anno U. C. 549. Legem de donis & muneribus tulit, quâ inter alia cavetur, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. Retulit iterum Augustus evanescentem vetustate, & firmavit novo consulto. Dio 54.

Cincius, prænomine *Sextus*, provinciæ Syriæ additus administrandæ, cùm copiæ militares Corbuloni permissæ essent ad bellum Parthicum. Tacit. 15. 25.

Cincomagus, ad Alpes vicus. Plin. seu Sincomagus, *Sezane*, opp. olim, nunc pagus in Delphinatu. 2. leuc. à Brigantio in Ortum, prope Matronam montem, Vide *Sincomagus*. Baudr.

Cincum, castrum Castellæ nov. 6. leuc. à Compluto, Concham versus, prope amnem Tajuniam, in Algarria tractu; Vulgò *Chinchon*.

Cindia, Indiæ intra Gangem opp. Ptol.

Cindra, gens Thraciæ.

Cineas, vir Thessalus, Pyrrhi regis amicissimus. Plut. *in Pyrrho*. Hic legatus Romam missus, ut de pace ageret, obsistente sibi Appio Claudio Cæco, re infectâ ad Pyrrhum reversus est. Interrogatus

rogatus deinde de statu urbis & senatu, dixit; *Senatum Deorum consessum sibi visum esse; populi autem tantam turbam esse, ut vereretur ne regi cum Hydra quâdam Lernæâ res esset.* Huic tam fidelis fertur fuisse memoria, ut postridie cùm Romam advenisset, sine ulla nomenclatoris ope, senatui, equestrique ordini sua nomina ediderit. Plin. 7.24. Ælianus *in Tacticis* author est, hunc Cineam Æneæ (cujus librum *de obsidione tolerandâ* edidit Casaubonus) antiquissimi scriptoris, Commentarios στρατηγικὰς in compendium redegisse, de quo Ciceronis locus accipiendus est, *Epist. ad Papyrium.*

Cineas, Atheniensis, Mantinensibus contra Thebanos auxilio missus. Vide Polyæn. *l.1.*

Cinesias, Thebanus, Dithyramborum scriptor. Composuit Pyrrhichiam, ut est in proverbio Πυῤῥίχην ἔμαθε Κινησίας, quòd hic in Choris multo motu uteretur, contra Comicos agens, qui in hâc parte deficiunt. Erat autem hic Cinesias corpore pigro & fracto crure, vulgoque malè audiebat impietatis & improbitatis nomine. Suidas. Vide Schol. in Aristoph. *Ranas, Act.1. sc.2.* Item *Act.5. sc.4. In Aves* 605.

Cinesium, pars Alpium Cottiarum, inter Sabaudiam & Pedemontium, in via Segusio Maurianam versus, in ipsa Sabaudia, sed in confin. Pedemontii. Vide *Cenisius mons.*

Cinestarium, opp. Cataloniæ, A. C.1617. horrendo diluvio inundatæ, dimidiæ horæ spatio, unâ cum omnibus incolis submersum est. Thuani supplem. *ad A.C.* 1617.

Cinga, flu. Hisp. in Arragonia ex Pyrenæis montibus in Iberum, in limite Catalauniæ, influens, ubi & nomen amittit. Lucan. *l.4.*

—— Camposq; coërcet
Cinga rapax, vetitus fluctus, & litora cursu
Oceani pepulisse suo: nam gurgite misto
Qui præstat terris aufert tibi nomen Iberus. Vulg. *Cinca.*

Cingali, Italis dicuntur homines pessimo instituto viventes, qui Ægyptios se mentiuntur. Alii *Cyngaros* vel *Zygaros* vocant: Becanus *Cingalos* dici ait ob vitam vagabundam. Vide Κίγκλος.

Cingetorix, de Trevirorum Principatu contendebat, cum Induciomaro, *lib.5. cap.3.* cujus erat gener, mansitque in fide Cæsaris *lib.5. Comm.* Alter fuit Britannus, rex in eâ parte, quæ est ad Cantium, qui Cassivellauni imperio castra Cæsaris improviso adortus est, *lib.5. Com. cap.22.*

Cingonius Varro, cujus meminit Tacitus 14. 45. Consul designatus, tanquam Nymphidii socius, à Galbâ, ex Hispaniâ in urbem ad capessendum Imperium reduce, interfectus. Idem *Hist.1.6.*

Cingulum, civitas inter Picentes, inter Æsim ad Bor. & Septempedam ad Austr. 12. mill. ab Auximo in Occ. juxta Musonem amnem. Populi *Cingulani*. Plin. 3.13. Cic. *ad Att.7.12. Cingulum nos tenemus, Anconem amisimus.* Originem atque conditorem ejus ostendit Cæsar, *Civilium lib.1. Auximo*, inquit, *Cæsar progressus omnem agrum Picenum percurrit. Cunctæ earum regionum præfecturæ libentissimis animis eum recipiunt, exercitumq; ejus omnibus rebus juvant. Etiam Cingulo (quod oppidum Labienus constituerat, suâq; pecuniâ exædificaverat) ad eum legati veniunt.* Hinc Silius Italicus *lib.10.*

—— Labienus & Ocris
Sternuntur letho atq; Opiter, quos Setia colle
Vitifero: celsis Labienum Cingula saxa
Miserunt muris. ——

In ditione Pontificis.

Cinista, castellum munitissimum in Cinisthenâ Galatiæ reg. à Mithridate conditum. Strabo *lib.12.*

Cinisphii, vide *Cinyphii*, in Cinyps.

Cinithii, Africæ pop. apud Tac. *lib.2.* quem vocat *manum haud spernendam.*

Cinium, Balearidis maj. oppidum, Plin. *Cala longa* Pineto. *Cineu*, vicus Majoricæ Inf. cum portu tantisper capaci, 5. leuc. à Majorica urbe, in Ort. Baudr.

Cinna L. Cornelius, nomen viri Romani, qui summâ crudelitate Remp. vastavit. Primo Consulatu, servis ad pileum vocatis, adversarios vicit, Octavium Collegam interfecit; Janiculum occupavit; Iterum ac tertiò se Consulem fecit. Quarto verò consulatu cùm bellum contra Syllam pararet, Anconæ, ob nimiam crudelitatem, lapidibus ab exercitu occisus est. Lucan. *lib.4.*

Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense
Sylla potens, Mariusq; ferox, & Cinna cruentus.

Vide Appianum *l.1.* Florum 3.21. Livii *Epit. l.77.79.* Eutrop. *l.5.* Vellej. *l.2.* Plut. *in Pompejo, Mario, Sulla.* Oros. *l.5.* Aur. Victor. *de Viris Ill. cap.69.* & infra.

Cinna, Tribunus plebis, qui, cùm leges perniciosas de revocandis exulibus ferret, pulsus à Cn. Octavio Collegâ, magistratu exutus, ex urbe profugit, & bellum urbi intulit, accersito C. Mario, aliisque exsulibus ex Africâ, qui in urbem recepti, cædibus omnia complevere, inter quos Cn. Octavium consulem, Marcum Antonium Oratorem & Lucium Cæsarem jugularunt. Vide Appianum *in Civilibus*, & Plutarchum *in Mario.* Verùm de hoc supra. Item *Cinna* alius, per errorem necatus à pop. Rom. fuit, foro medio in funere Cæsaris, cùm unus ex interfectoribus ejus crederetur. Plut. *in Cæsare.* Item *L. Cinna*, fil. neptis Pompeji, Octavii temporibus, ab eo, contra quem conjuraverat, vitâ donatus est, res novas adfectans. Seneca *lib. de Clementiâ.* Quo ingenti beneficio mactus, fidelissimus in posterum Augusto extitit, eumque moriturus hæredem scripsit. Dio.

Cinna, poëta doctissimus, Virgilii æqualis, cujus mem. Virgil. *in Eclogis*:

Nam neq; adhuc Vario videor, neq; dicere Cinnâ
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Martialis, 10. 21.

Judice te major Cinna Marone fuit.

C. Helvius *Cinna*, Smyrnam, poëma obscurum ac difficile scripsit, quem libellum 10. annis elimavit, authore Servio. Catullus,

Smyrna mei Cinna, nonam post deniq; messem
Quàm cœpta est, nonamq; edita post hyemem.

Cinna, Italiæ urbs, quam Romani Samnitibus eripuerunt, Diodorus. Macedoniæ oppidum. Anton. Jaccetanorum urbs in Hispan. Tarracon. Ptolemæo; est & Persidis oppidum, eidem. Denique, Thessaliæ civitas à *Cinno* gigante Cœi fratre dicta.

Cinna, urbs Galatiæ merid. prope Ascanium lacum, in limite Phrygiæ, longè ab Ancyra in Austr. Synnadæ propior, in Asia min.

Cinnadon Lacedæmonius, qui cùm insidias Ephoris struxisset; hac re per indicem illi cognitâ Cinnadonem, per præmissos duos equites, Aulone comprehendendum curarunt. A quibus ibidem tortus conscios edidit, & sine tumultu conjuratio oppressa est. Apud Aristotelem *lib.5. Polit. cap.7.* scribitur *Cinadon.* Xenophon *lib.3. Hellen.* rem ita describit: Agesilao pro publicâ salute rem divinam facienti, ex primâ victimâ aruspex periculum indicat: ex secundâ majus; ex tertiâ talia, inquit, signa video, quasi inter hostes ipsos versemur. Itaque Diis averruncatoribus sacra facta & vix litatum fuit. Cis dies quasi quinque defert quidam ad Ephoros insidiarum consilium, & auctorem *Cinadonem*, hominem juvenili formâ & animi robore spectatum; sed non ex eorum numero, qui pares in Rep. Spartanâ dicebantur. *Is quæstioni subjectus rem ordine omnem fassus est*, rogatusque cur id facere decrevisset; quòd nemine, respondit, Lacedæmone voluisset esse inferior.

Cinnamus, historicus, seu Regius, ut se ipse vocat, Grammaticus, memoriâ sanè & posteritate dignissimus. Vitam Joannis Comneni Imperatoris Constantinop. brevi compendio tradidit; sed imperium, ac res gestas filii ejus ac successoris Manuelis, cui per Asiam, atque Europam bellanti adolescens admodum, comes fuit, cujusque facta pleraque oculis suis vidit, longâ serie prosecutus est. Dictio ejus pura, ac tersa satis, Herodoti, Xenophontis, aliorumque veteris Græciæ in historiâ principum æmula, ut vel hâc solùm virtute immensò post se spatio relinquat Michaëlem Glycam, Constantinum Manassem, Tzetzem, Choniatem Nicetam, & eos qui ejus ævo, aut paulò pòst scripsere, tumidi homines & salebrosi. Fidem profitetur incorruptam, sine amore cujusquam, sine odio, quanquam indulgentior visus est quibusdam in laudando Manuële, deprædicandoque magnis ausis, sæpe etiam temerariis promptum ejus animum. Corn. Tollius *in præfat. editionis Authoris prædicti.*

Cinnamus, tonsor quidam Rom. in quem ludit Mart. *lib.7. epigr.* 63.

Qui tonsor fueras totâ notissimus urbe,
Et posthac Dominæ munere factus eques;
Sicanias urbes, Ætneaq; regna petisti
Cinname, cùm fugeres tristia jura fori.
Quâ nunc arte graves tolerabis inutilis annos?
Quid facit infelix & fugitiva quies?
Non Rhetor, non Grammaticus, Ludive Magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes.
Vendere nec vocem Siculis, plausumq; theatris;
Quod superest, iterum Cinname tonsor eris.

Idem *lib.6. ep.7.*

Cinnam, Cinname te jubes vocari;
Non est hic, rogo, Cinna, barbarismus?
Tu si Furius antè dictus esses,
Fur istâ ratione diceceris.

Cinnarus, vir quidam Selinusius, qui arte lenoniâ ad summas opes pervenit. Is, quoad vivebat, pollicebatur se omnes facultates Veneri consecraturum. Moriens autem populo diripiendas exposuit; Unde natum proverbium: *Rapina rerum Cinnari.*

Cinniana, Hispaniæ urbs ad radices Pyrenæi montis. Anton. Est & Lusitaniæ urbs, civium suorum fortitudine celebris. Val. Max. 6.4.

Cinolis, vide *Cimolis.*

Cinotus, Doridis urbs ad Bubessum sinum. Ptol.

Cinsterna, Africæ propriæ urbs. Ptol. Aliis *Cisterna*, nunc vicus tenuis regni Tripolitani, in ora maris Mediterr. contra promunt. Mezratam & Syrtim min.

Cinthus, vide *Cynthus.*

Cinthylia, oppidul. Hisp. Tarr. intra montes; *Chinchilla*, 5. leuc. à Sucrone fl. paulò minus à confin. regni Murciæ. In Castella nova.

Cinxia, quòd nuptiis præesset, Juno dicebatur. Inito enim conju-

conjugio, solutio cinguli fiebat, quo nova nupta erat præcincta. Festus.

Cinyps, Cinyphus, Ptolemæo, Africæ fluv. prope Garamantas. Hircis olim plurimis abundavit. Virg. *Georg. l.* 3.

Nec minus interea barbas, incanaq; menta
Cinyphii tondent hirci. ——

Silius *lib.* 3.

Tum primùm castris Phœnicum tendere ritu
Cinyphii didicere Macæ, squallentia barbâ
Ora viris, humerosq; tegunt velamina capri.

Fertilitate etiam celebrabatur. Scylax, Ἔξω τῆς Σύρτιδος ἐστὶ χωρίον καλόν, καὶ πόλις, ἣ ὄνομα Κίνυψ, Mela. *Ultra est Oea opidum & Cinyps fluvius per uberrima arva decidens.* Ovidius *Ponticor. lib.* 2. *eleg.* 7.

Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas.

Claudianus *lib.* 1. *in Eutrop.*

Cinyphiisq; ferax Araris succedit aristis.

Herodotus, *in Melpomene*, de terrâ circa Cinypem: Αὕτη δὲ ὁμοίη τῇ ἀρίστῃ γαιῶν Δήμητρος καρπὸν ἐκφέρειν. Idem de Cinype ipsâ, Ἀγαθὴ δὲ γῆ, καὶ τὴν Εὐεσπερίται νέμονται, ἐπὶ ἑκατοστὰ γὰρ, ἐπεὰν αὐτὴ ἑωυτῆς ἀρίστα, ἐκφέρει, ἡ δὲ ἐν τῇ Κίνυπι, ἐπὶ τριηκόσια. De nominis origine vide Boch. *de Phœn. col. lib.* 1. *cap.* 24. Nunc *Macer*; Oritur in reg. Biledulgerid, in Fezzano deserto, & in mare Mediterr. se exonerat, in regno Tripolitano & prov. Ezzaba, inter Tripolim novam & prom. Mezratam, prope Leptim. Baudr.

Cinyras, vir quidam ditissimus, cujus opes abiere in proverbium; *Cinyræ opes*. V. infra. Item Phœniciæ rex, cujus regia *Byblos* civitas fuit, teste Strab. *lib.* 16. Tertius rex Cypri, Cilicis filius, qui cum Myrrhâ filiâ suâ, nutricis astutiâ, ignarus concubuit, à quo illa *Cynareia* dicta. Ovid. *Met.* 10. *f.* 9 & 10.

—— *At virgo Cynareia pervigil igne*
Carpitur indomito. ——

Fabulam fusissimè tractat ingeniosus poeta, ubi supra. Fuit autem adeò potens & opulentus, ut *Cinyræ opes*, in proverb. abierint, Erasm. *Adag. tit. Divitiæ.* Hesychius: Κινύρας, Ἀπόλλωνος καὶ Φαρνακῆς παῖς, βασιλεὺς Κύπρου. Suidas: Κινύρας ἐκλήθη παρωνύμως τῇ κινύρᾳ, ab instrumento musico scilicet.

Cinyria, Cypri op. olim, nunc pagus, *Gendinar* Lusignano.

Cinyrus, mons in Piceno. Vib. Sequester.

Cioifa, urbs Armeniæ, in collimitio Turciæ, ad fluv. *Arassé*, vastata à Rege Persarum Abbas vel Habas, à rebus gestis Magni cognomen adepto. Item unum ex tribus suburbiis Aspahani, regiæ in Persia sedis, quò ex priore transtulerat victor Armenios: qui soli ferè mercaturam in regno exercentes, opulentissimi sunt, idemque Regi suo, quod Genuenses Regi Hispaniæ præstant. De horum more sepeliendi mortuos, Choreis, Festis, qualia sunt Festum *Caccicicuran* seu Baptismi crucis, Trium Regum, &c. Jejuniis triduanis, persecutione gravissima sub præfato Rege, aliisque Vid. prolixè & accuratè disserentem P. de Valle αὐτόπτην *Itiner. tom.* 2. & 3. Dioscuri errores sequuntur, & ab iis, qui in Arabia degunt, multum diversi habent. Idem.

Cios, emporium Phrygiæ, à *Cio*, Herculis comite. Item fluv. ejusdem nominis, de quo Dionysius *vers.* 806.

Ἠχί τε ἱμερόεντα Κίον παρὰ Κίον ἔδεθρον.

Plin. 5. 32. *Cios cum opido ejusdem nominis, Phrygiæ emporium, à Milesiis quondam conditum.* Item Bithyniæ civitas, *Prusias* postea vocata.

Ciperanum, vel *Ceperanum*, locus Calabriæ ad Lirim, ubi Concilium, tempore Paschalis II. Anno 1114. quo Arch. *de Cozence*, qui à Rogerio Siciliæ Comite pulsus fuerat, restitutus: Guilielmus Dux Apuliæ & Calabriæ creatus, Landulphus autem condemnatus est. P. Diac. *Chron. Cass. lib.* 4. *cap.* 51. Falco *Chron. Benevent.*

Cippidum, municipiolum Galliæ, vulgò *la Cheppe*, ad rivulum in Vidulam effluentem. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Cippus, nobilis Romanus, qui fusis hostibus ad urbem rediens, cùm cornua subitò animadvertisset, responsumque accepisset ab aruspicibus, fore ut Romæ regnaret, si urbis mœnia ingrederetur, Senatum Populumque extra urbem convocavit; quos cùm rem omnem edocuisset, sponte se exilio multavit, unico terræ jugero contentus, in quo reliquam vitæ partem peregit. Ovid. *Met.* 15.

Aut sua fluminea cùm vidit Cippus in undâ.

Ubi vetusti codices magnâ ex parte *Cypus*, vel *Cipus*. *Genucius Cipus* est Val. Maximo 5. 6. Ita enim membranæ nomen illud exhibent, ut & apud Plinium 11. 37. Extant apud me denarii argentei, cum hac inscriptione M. CIPI. M. F. unde Cipiam gentem Fulvius Ursinus, vir de literis inter primos optimè meritus, conflavit, perperam, ut puto, cùm ejus nulla apud antiquos extet mentio. Nic. Heinsius.

Ciranus, corruptè pro Cœranus, de quo suo loco.

Circai, Urbs fuit Volscorum, in Latio, inter Asturam & Terracinam, in ora littor. maris Tyrrheni. Nunc diruta jacet propter paludes Pomptinas. In ejus ruderibus est pagus *S. Felicita*, cum turri, ad radices Circæi montis, 10. mill. à Terracina in Occ.

Circæum, promunt. ol. Latinorum in Italia. Ptol. nunc Campaniæ R. hodie *monte Circello* Leandro, in mare Tyrrhenum excurrit, prope Circæi rudera, cum uno aut altero vico tantùm; propter cœli gravitatem & paludes Pomptinas, quibus circumcingitur versus Bor. ita ut eminus Insula videatur. Procopius *Gothicorum lib* 1. *Circeium haud modico tractu in mare porrectum, insulæ speciem fert, adeoq; videtur insula tam prpraternavigantibus, quàm terrestri itinere prætereuntibus.* Quin Strabonis *libro quinto*, describitur Κιρκαῖον ὄρος νησίζον θαλάττῃ τε καὶ ἕλεσι. Nec multo aliter Servius *in* 3. *Æn. Qui nunc Circeius mons, à Circe dicitur, aliquando, ut Varro dicit, insula fuit, nondum siccatis paludibus, quæ eum dividebant à continente.* Sed & multò antè Theophrastus *Hist. Plant. lib.* 5. *cap.* 8. postquam in Latino agro Circeium promunt. descripsit robore, myrto, ac lauro consitum, addit, Λέγειν τοὺς ἐγχωρίους, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει καὶ πρότερον μὲν ἦν νῆσον εἶναι τὸ Κιρκαῖον, νῦν δὲ ὑπὸ ποταμῶν τινῶν προσκεχῶσθαι, καὶ εἶναι ἠϊόνα, τῆς δὲ νήσου τὸ μέγεθος περὶ ὀγδοήκοντα σταδίους. Virg. *Æn.* 4.

Proxima Circææ raduntur litora terræ,
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu.

Circassi, pop. Tartariæ, in Asiâ, juxta mare Caspium. Persæpe in sylvis degunt, & prædas agunt. Inter mare Caspium & flu. Rham & Tanaim ex parte. Proprios habent Principes: Subsunt tamen M. Moscoviæ Duci. Eorum Urbs præcipua *Terki*. Ibi aliàs Albania quibusdam. V. Olear. Herbertum, &c.

Circe, Solis & Perses nymphæ, Orpheo Apollinis & Asteropes, filia, veneficiorum peritissima, quæ Sarmatarum rege, cui nupserat, veneno sublato, regnoque per scelus parto, cùm crudelius imperaret, ab incolis pulsa in Italiam profugit: Apollonius eam ab Apolline patre raptam & in Italiam curru vectam canit: & in Circæo monte (qui antiqui olim Latii terminus erat, & efficacissimis herbis abundabat) sedem sibi delegit, ubi cùm Glaucum marinum Deum adamaret, Scyllam puellam, quam ille deperibat, infectis fontibus, in monstrum marinum commutavit: Ulyssem item vi tempestatis ad se delatum hospitio suscepit; sociis coram illo de cœlo deductis, sociosque ejus, quos ob intemperantiam in porcos commutaverat, ei, cui ob prophylacticum quoddam, à Mercurio communicatum, nocere non poterat, restituit, cui & Telegonum filium peperit. Virgilius *in Damone*:

Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis.

Idem *Æneid.* 4.

Quos, hominum ex facie, Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Horatius *lib.* 1. *ep.* 2. ubi de Ulysse:

Sirenum voces, & Circes pocula nôsti,
Quæ si cum sociis stultus cupidusq; bibisset,
Sub dominâ meretrice fuisset turpis & excors;
Vixisset canis immundus vel amica luto sus.

Postremò & Picum Latinorum regem, quòd uxorem suam nomine *Canentem* sibi præferret, in avem sui nominis commutavit. Quam fabulam prolixius ab Ovid. *Met.* 14. relatam Virgilius in 3. versus contraxit, *Æn.* 7.

Picus equûm domitor, quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virgâ, versumq; venenis
Fecit avem Circe, sparsitq; coloribus alas.

Cicero *in Verr. Repentè ex homine, tanquam aliquo Circes pôculo factus est Verres.* Significatur autem per Circen voluptas, quâ in belluas & sues immundas homines mutantur, quemadmodum Socratem docuisse, Xenophon tradit. *lib. de dictis & factis Socratis.* Horat. *lib.* 1. *ep.* 2. *meretricem* interpretatur. Stellæ de cœlo cadentes, etiam præclaros viros voluptatum illecebris nonnunquam abripi, nisi supernaturalis quædam vis, velut herba à Mercurio porrecta, impediat, significare videntur. Cur autem sparsa sit hæc fama in Græciam, Circen fuisse veneficam, adeoque vicinas terras, Latium puta, & Tyrrheniam scatere herbis veneficis, rationem reddit vir magnus, *de Phœn. Col. l.* 1. Siquidem hoc veteres constanter docent. Æschylus *capite* 33. *in Elegiis*,

Τυρρηνὸν γενεὰν φαρμακοποιὸν ἔθνος.
Gens Tyrrhena suis clara veneficiis.

Theoph. *Hist. Plant. lib.* 9. *cap.* 15. Φαρμακώδεις δὲ δοκοῦσιν εἶναι τόποι μάλιστα μὲν ἔξω τῆς Ἑλλάδος οἱ περὶ Τυρρηνίαν καὶ τὴν Λατίνην. Aristot. *in Mirabil.* Λέγεται δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν, ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει φάρμακόν τι φύεσθαι θανάσιμον. Schol. Apollonii *ad lib.* 3. *Argon.* Περὶ τὴν Ἰταλίαν ᾤκησεν ἡ Κίρκη, ὅθεν ὄρος Κιρκαῖον, ἀπ' αὐτῆς πολυφάρμακον. Strabo *lib.* 5. Φασὶ δὲ καὶ πολύρριζον εἶναι τὸ Κιρκαῖον ὄρος. Iis nempe radicibus abundat, quarum in veneficiis usus est: id enim tradidisse veteres suspicatur, τοῖς μύθοις περὶ τῆς Κίρκης συνοικειοῦντες, *ut fabulæ de Circe accommodarent.* At verò tam Circes fabula, quæ suis incantamentis fertur immutasse rerum species, quàm quòd φαρμακώδεις volunt fuisse Lat. solum, confictum videtur à Phœnicibus, qui *Latium*, & *Latinos* dici putaverint ἀπὸ τῶν φαρμακέων, *ab incantationibus.* Quia Phœnicio sermone לט *Lat*, cujus plurale לטים *Latim*, vel לטין *Latin*

Latin est *incantatio.* Simile Græcorum commentum, de Circe sepultâ, in unâ de Pharmacusis Atticæ insulis, non procul à Salamine Strab. *l.* 9. Ἐνταῦθα δὲ ϰαὶ αἱ Φαρμαϰοῦσαι, δύο νησία, ὧν ἐν τῷ μείζονι Κίρϰης τάφος δείϰνυται. Nempe aliud non succurrebat, cur *Pharmacusæ* dicerentur. Bochartus.

Circenses ludi, certaminis curulis genus erat, in honorem *Consi*, consiliorum Dei institutum, ita dictum, quòd in *Circo* perageretur. Horum 7. erant, ut ex Varrone Gellius 3. 10. notat. Cæterùm de Circo, de pompâ, ludisque Circensibus videndus est, Dionys. Halicarn. *lib.* 7. & Solinus *cap.* 45. ubi plura notavit Salmasius, quæ ad eorum explicandam historiam pertinent. Scripsit de Circensibus ludis & peculiarem librum Casaubonus, cujus ad Suetonium & Athenæum meminit, sed hactenus editus non est.

Circesium, etiam *Constantina*, opp. Mesopotam. ad confluentes Chaboræ in Euphr. 20. circiter mill. infra Thapsacum, è regione Arabiæ desertæ, quibusdam nunc *Alchabur.* Baudr. Hic Gordiani Imp. tumulus est. Eutropius. Osrhoenæ reg. op. Lib. Notit.

Circestria, opp. Angliæ, in Comitatu Glocestriæ, 10. mill. à Glocestrio in Ort. juxta amnem Corinum.

Circi urbis Romæ. *Maximus*, in valle inter Palatin. & Avent. colles, apud Velabrum. *Flaminius*, ubi nunc palatium Mathæorum, & monast. S. Catherinæ, Capitolio proximus, sic dictus, quòd esset in Campo Flaminio. *Agonalis*, ubi nunc *Piazza Navona*, platea pulcherrima & oblonga in meditullio urbis. *Neronis*, ad radices montis Vaticani, ubi nunc platea S. Petri. Hic obeliscus *la Guglia*, ut & in aliis Urbis locis.

Circidius, Corsicæ inf. fluv. Ptol. *Pianello* & *Bavaro* hodiè Leandro. Baudrando *le Ripe.* Oritur prope Cruzanum vicum, & in mare Mediterr. se exonerat juxta Sipeum, inter Calvium ad Bor. & Sagonæ rudera ad Austr. versus Casalum sinum.

Circius, Tauri montis pars. Plin. Item insula Mysiæ. Sed legendum *Cyzicus*, teste Ferrario.

Circius, ventus Gall. Narbon. peculiaris, reliquis cœli partibus ignotus, inter Corum & Aparctiam spirans, nulli ventorum violentiâ inferior, quippe qui & onusta percellat plaustra, & ædium tecta secum rapiat. *Circius* verò *à vertigine* dictus putatur, eò quòd in orbem circumagatur. Lucan. *l.* 1.

——— Solus sua litora turbat
Circius, & tutâ prohibet statione Monaci.

Circumcelliones, aliàs *Scotopiti*, Donatistarum propago. Dicti sunt ab eo, quòd domos, vicos, urbesque obeuntes, se vindices publicos jactabant, datâ libertate servis, impunitate debitoribus alienis, &c. Primi illorum auctores fuere Maxidas & Faser; & ab initio quidem baculos gestabant, quos *baculos Israëlis* dixere: dein omni armorum genere usi sunt, contra Orthodoxos: Donatus capita Sanctorum illos appellavit, eorum ministerio contra Christianos usus. PseudoMartyrii acre desiderium illos ad αὐτοχειρίαν adegit. Unde modò è rupibus in præceps ibant, modò se flammis immittebant, modò jugulum proprium petebant: eousque insaniæ provecti, ut ab illorum Episcopis ad hanc sævitiam compescendam Magistratuum auctoritas fuerit implorata. Idem furor uxores illorum agitavit. August. *hær.* 69. Baron. A.C. 331. Philastrius, &c.

Cir-hareseth, id est, *murus lateris*, urbs Moab.

Ciriada, vicus Atticæ.

Cirilum, opp. Calabriæ infer.

Ciris, dicitur Scylla, Nisi regis filia, in avem Cirim transformata. Ovid. *Met.* 8.

—— In avem mutata vocatur
Ciris, & à tonso est hoc nomen adepta capillo.

Ἀπὸ τοῦ ϰείρειν à *tondendo* scilicet. *Cirin* autem *alaudam* interpretes exponunt, *Ciphium* Gesnerus. Duo verò Scaligeri eam avem faciunt, quæ vulgò *Egretta* vocatur, Gallis Taurinis *Garzeta.* Vide sis ipsos, Patrem quidem *Exoter. Exercit.* 232. & ad Aristot. *de Hist. Animal. lib.* 2. *Sect.* 29. Filium verò ad Carm. Virgilianum, quod *Ciris* vocatur, nisi Catullus ejus poematii sit author.

Ciris, mel. *Siris*, Lucaniæ fluv. trans Apenninum. Nunc *Sino*, in prov. Capitanatæ. Oritur ex Apennino, & paulo infra Tursiam urb. in sinum Tarentinum se exonerat. Ad ejus ostia fuit etiam antiquitus opp. *Siris*, ubi nunc turris S. Basilii.

Cirna, Africæ propriæ mons. Ptol.

Cirni, vide *Cyrni.*

Cirola, Episc. Arrianus, in Africa, Hunderici favore nixus, Orthodoxos crudelissimè persecutus est. Titulum Patriarchæ sibi ab hisce negatum verberibus, ademtione bonorum, sævitiaque incredibili ultus: aliquem pecuniâ subornavit, ut cæcitatem mentitus, tactu ejus, visum recepisse se diceret, sed miser non fictâ cæcitate divinitus punitus est. Victor Utic. *lib.* 2. *&* 3. *de pers. Van.* Greg. Tur. *hist. lib.* 2. *c.* 3. Æn. Gazæus, *de immort. animæ.* Marcellin. *in Chron.* Procopius, *de bello Vandal. l.* 1. Gregor. *dial.* 22. *l.* 2. Isidor. *hist. Vand.* Baronius *A. C.* 484.

Cirphis, urbs Phocidis. Strabo. Lege *mons*; sic enim vocabatur ὄρος Parnasso adjacens, teste Pindari Scholiaste.

Cirpi, mansio in Pannoniâ.

Cirpis, Valeriæ Ripensis urbs. Lib. Notit.

Cirrha, vel *Cyrrha*, opp. Phocidis ad radicem Parnassi, in quo Apollo religiosissimè colebatur. Lucan. *l.* 3.

Phocaicas Amphissa manus, scopulosaque Cyrrha.

Mart. ad Val. Flaccum *lib. ep.* 77.

Quid tibi cum Cyrrhâ, quid cum Permessidos undâ?

Juvenal. *Sat.* 7.

Quis locus ingenio, nisi cùm se carmine solo
Vexant, & dominis Cyrrhæ Nysæque feruntur.

Id est Apollini & Baccho. Situm est in ora sinus Corinthiaci, qui hinc *Sinus Cirrhæus*, nunc *Golfo di Lepante.* 30. mill. ab ora propiori Peloponnesi in Bor. Baudr.

Cirrhadia, Indiæ extra Gangem regio. Ptol.

Cirrhai, gentes olim prope Athenas habitantes, unde *campus Cirrhæus*, Æschines *contra Ctesiphontem.*

Cirrhum, Vid. *Cyrrhus.*

Cirtha, vel *Cirta*, Numidiæ urbs. Plin. *lib.* 5. Ptol. Strabo *lib.* 7. munitissimam fuisse ait, & optimè structam, Micipsæ potissimum operâ, qui Græcos in eam habitatum deduxit, ac tantum effecit, ut decem equitum millia, & peditum viginti emitteret. Hodiè *Constantina.* In Algeriæ regno, juxta Ampsagam fluv. 6. mill. ab ora maris Mediterr. 70. à Cullu in Austr. Totius illius tractus nunc regia & Principis sedes. Baudr. Hic Adherbal, Micipsæ fil. à Jugurtha occisus, Sallust. Sedes fuit sub Christianis episc. Ibi concilium, Anno 303. contra illos, qui Gentilibus libros sacros comburendos tradiderunt. Vid. Aug. *lib.* 3. *contra Cresc. cap.* 26. Optat. *lib.* 1. *contra Parm.* Dein, Anno 412. Vid. Aug. *epist.* 152.

Cirtisa seu *Certissa* Brietio, aliisque est castr. *Czernick*, in colle, juxta amnem cognom. inter Gradischiam & Posegam, Urbes recentes in Sclavonia, 7. mill. à Savo flu. in Bor. Aliis est vicus *Ezech*, inter Posegam & Savum. Sub Turcis.

Cis, filius Abel, pater Sauli regis. 1 Reg. 9. 1. Lat. *durus*, aut *stipula*, vel *cucumerarium.* Ἀνὴρ ἐν γενναῖος, ϰαὶ ἀγαθὸς τὸ ἦθος dicitur Josepho 6. 5.

Cisalpina Gallia, quæ & *citerior*, & *Gallia Togata* dicitur, fluvio Rubicone finitur, cujus basin Alpes efficiunt.

Cisamus, urbs Cretæ. Ptol. *Chisamo*, vel *Chisamopoli.* Nunc castr. in ora Bor. Inf. versus Occasum, prope Cimarum prom. quod *Capo Chisamo* dicitur. 10. mill. in Occ. à Ciamo prom. & totidem à Celio prom. *Capo Baso* dicto.

Cisapennina, ea Italiæ pars, quæ cis Apenninum montem est.

Cisara, urbs sic dicta, à *Cisâ* Deâ in *Norici* finibus, ubi duo rapidissimi amnes confluunt, Colonia Romanorum. An legendum *Cisæ Ara?*

Ciserussa, Insula non longè à Cnido distans, cujus mem. Plinius in descriptione insularum ante Asiam.

Cisia, mater Memnonis, à quâ Susorum cives *Cisii* dicti. Stephanus.

Cisianthi, pop. Scythis vicini. Plinius 6. 13. Scribitur & *Cicianthi.*

Cisipades, Africæ propriæ pop. Plin.

Cisomagus, locus Galliæ, ad Carum flum. vulgò *Chisseau*: ejus meminit Greg. Tur. *Hist. Franc. l.* 10. *c. ult.*

Cison, vel *Kishon*, torrens Galilææ juxta montem Thabor; ab antiquitate laudatus. Judic. 5.

Cisori, populi, de quibus Plin. 6. 30.

Cisii, Æthiopiæ populi. Plin.

Cispius, mons Romæ in regione Exquilinâ, de nomine *Cispii* hominis dictus, teste Festo. Varro *lib.* 1. *de L. L. Exquilinus est Cispius mons sexticeps apud ædem Junonis Lucinæ.*

Cissa, flu. Ponti Cappadocici. Ptol. vulgò *Quisa.* Item insula juxta Istiorum agrum. Plin. Item urbs Thraciæ Chersonesi.

Cissanus Cous, gregibus pecuariis supra modum dives, unde Proverb. *Cissanus Cous.*

Cisse, Mauritan. Cæsariensis urbs. Ptol.

Cissene, Thraciæ mons. Suidas.

Cisseus, Thraciæ rex, pater Hecubæ, quæ inde *Cisseis* dicta. Virg. *Æn.* 7.

—— Nec face tantùm
Cisseïs prægnans ignes enixa jugales.

Cissi, pop. circa Trapezuntem Cappadociæ. Ptol. Supra Babylonem Dionysio Afro, ubi tamen ejus interpr. Avienus *Cossi* legit, fortè rectius. Sunt forsan *Cessai* apud Val. Flacc. *l.* 6.

Cissides, alter Dionysii dux, in 9. triremibus Lacedæmoniis subsidio missis, ab Iphicrate & Timotheo interceptus. Diodor. *lib.* 15.

Cissii, vel *Cisii*, vide *Susa.*

Cissius, adolescens erat, & Bacchi saltator, qui, quum coram Deo tripudiaret, ad terram prolapsus est & interiit. Terra autem in honorem Bacchi hederam produxit juveni cognominem, quæ, ubi ex terrâ progressa est, vitem amplecti solet. Autor *Geoponicôn lib.* 11. *cap.* 30.

Cissus, mons Macedoniæ, & urbs Thraciæ. Lycophron, Hesychius.

Cissusa, fons ubi Bacchus infans lavabatur. Plut. *in Lysandro*.

Cistena, urbs Æolidis. Mela *lib*. 1. *Cisthene* Plinio 5. 30. Insula item & op. Lyciæ. Strabo.

Cisterna Bethlehem, fons circa portam Bethlehem aquæ perennis, in tribu Juda.

Cistero, Urbs Episc. Gall. Narbonensis, antiqua admodum, Lat. *Sistero, Sistaricum, Sequestero, Segustero* & *Segestero*. Itiner. Anton. Tab. Peuting. Olim Comitatus, hodie una ex Provinciæ præcipuis, cum fortalitio & sede Senefschalli, ab Anno 1635. Duchenius, *rech. des antiq. des villes*. Bouch. *hist. Prov*. Columbi, *in Ep. Sist*. Vid. *Segesterorum urbs*.

Cistertium, seu *Cistercium*, in territorio Divionensi, 5. leuc. à Divione in Austrum, totidem à Belna. 2. ab Arari fluv. & à Fano S. Joannis de Ladona. Baudr. In finibus Æduorum, seu in Diœcesi Cabillonensi pagoque Belnensi, loco nemoroso ac silvestri: lacubusque ac fontibus abundante. Nomen Lat. est *Cistella*, Hadr. Valesius. Hic Abbatia regularis celeberrima, cujus Abbas est Præpositus Generalis totius Ordinis Cistertiensis, qui institutus est, Anno 1098. à Roberto Abbate Molismensi, in diœcesi Lingonensi, eoque auctoritatis excrevit, ut intra seculum in spiritualibus & secularibus fermè toti Europæ leges daret. Sigeb. *in Chron*. Gall. Chr. *tom*. 4. *pag*. 974. Miræus, *de Rel. libro* 5. Vulgò *Cisteaux*, vel *Citeaux*. Ejus propagines sunt Firmitas, Pontiniacum in pago Autissiodor. quod Anno 1114. statutum est, Clara Vallis, Morimundus in finibus Lingonum.

Cistoboci, Daciæ pop. Ptol.

Citadella, opp. agri Patavini, occupatum à Solimanno, irruptione in Italiam factâ, A. C. 1552. Hujus civis erat miser ille Franciscus Spiera, qui ob religionem delatus apud Johannem Casum, Arch. Beneventanum, Legatum Pontificium Venetiis tum agentem, Anno 1548. cùm periculum sibi imminere cerneret, ejuravit Evangelicum, quod amplexus fuerat, dogma: sed mox cum horrenda desperatione conflictari cœpit. Ex consilio igitur amicorum Citadellâ Patavium delatus, ut & Medicorum operâ, & doctorum hominum consolatione frui posset, quum omnia frustra essent, in natalem relatus locum, paulo pòst ibi obiit. Hujus tentationum Patavii spectator fuit, inter alios, Petrus Paulus Vergerius, Episc. Justinopolitanus, qui postea & ipse, an Spieræ exemplo permotus? ad Evangelicos transiit. Vid. Sleidan. *Comm. lib*. 21. Bucholcer. *in Ind. Chron*. & in voce *Spiera*.

Citamum, Armen. maj. op. Ptol.

Citanos, insula, una Cycladum, olim clarissima.

Citarii, pop. Siciliæ. Plin. 3. 8.

Citarius, Macedoniæ mons. Ptol.

Citharon, *M. di Stives*, mons Bœotiæ clarissimus, cujus radicem Asopus amnis alluit. Servius credidit alterum esse ex jugis Parnassi, quod omnium Geographorum judicio secus se habet. Est enim à Parnasso discretus, & ab eo plus quàm 30. m. p. dissitus, clade Penthei, & Actæonis, Cadmi nepotum, nobilissimus, quorum illum Bacchæ, hunc canes ibi discerpsisse narrantur. Nomen ei fecere קתר *Kethare* petræ sc. ut & *Cytheris* insula Laconica, de qua deinceps, quia Cithæron est vel maximè saxosus & confragosus; unde est quòd in eo Nonnus passim describit σκοπέλους, πέτρας, ἐλίκωνας Dionysiac. *libb*. 5. & 45. Et apud Aristoph. *in Bacchi orgiis*,

> Κιθαιρώνιος ἠχὼ
> Μελαμφύλλά τ' ὄρη δάσκια, ἡ νάπαι
> Πετρώδεις βρέμονται.

Id est, *Echo Citharonia, & nigris foliis opaci montes & petrosi Citharonis clivi fremunt*. Et *in Bacchis* Euripidis *vers*. 38. Bacchæ per Cithæronem oberrantes ἀνορόφοις ἧνται πέτραις, *sedent in excelsis petris*. Et *vers*. 703. non sine allusione ad miraculum Mosis. Num. 20. 11.

> Θύρσον δέ τις λαβοῦσ' ἔπαισεν εἰς πέτραν,
> Ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς.
> *Thyrsumque sumens una percussit petram,*
> *Et inde aquarum roscidus fluxit latex:*

Et *vers*. 589. Pentheum deprehendunt in insidiis λεῖος ἀπὸ πέτρας, *à lævi petrâ*. Et *vers*. 1095. eum impetunt lapidibus, ἀντίπυργον ἐπιβᾶσαι πέτραν, *conscensâ rupe oppositâ*. Et *vers*. 1135. discerptus jacet Pentheus, ὑπὸ τυφλαῖς πέτραις, *sub cacis saxis*. Sic apud Theocritum *Idyll*. 26.

> Πενθεὺς ἀλίβατω πέτρας ὑπὸ πάνθ' ἑώρη.
> *Cuncta videt celsa rupis de vertice Pentheus.*

Et Ovid. *Met*. 3. canes in Cithærone sequuntur Actæonem,

> *Per rupes, scopulosque, aditûque carentia saxa.*

Et apud Sen. Oedipus ita loquitur, *Thebaid. penè initio*:

> *Ibo, ibo quà prarupta pratendis juga*
> *Meus Citharon, quà peragrati celer*
> *Per saxa montis jacuit Actaon suis*
> *Nova prada canibus.*

Prop. *lib*. 3.

> *Saxa Citharonis Thebas agitata per artem*
> *Sponte suâ ad muri membra coisse ferunt.*

Fuit Bacchi sacrificiis hic mons notissimus, Virg. *Æn*. 4.

> —— *Qualis commotis excita sacris*
> *Thyas ubi audito stimulant trieterica Baccho*
> *Orgia, nocturnusque vocat clamore Citharon.*

Ovid. *Met*. 3.

> —— *Festus facienda ad sacra Citharon.*
> *Cantibus & clarâ bacchantum voce sonabat.*

Juno *Citheronia* quoque dicta est, à Citherone quodam, qui suasit Jovi, ut alias simularet nuptias, quò Junonem Zelotypam ad sui amorem revocaret. Plut. *in Arist*. Ausonius secundam corripuit, & per *e* scribit:

> *Sed Citheron toties ternas ex are sacravit.*

Vide Scal. *Auson. Lect. lib*. 1. *cap*. 17. Nunc etiam *Citherone*, Brietio teste, inter lacum Copaidem, Megaram & Thebas, versus confin. Atticæ. Baudr.

Citharista, vel *Citharistes*, Plin. *lib*. 3. *cap* 4. Mela, *lib*. 2. *c*. 5. Gall. Narbon. promunt. teste Moletio & Antonino. Alii scribunt *Citarista*. Hodiè *Cap de S. Sigo* nonnullis dicitur, Belleforestio autem *Cap de Garcel* vocatur. Baudrando urbec. fuit Gall. Narbon. in Prov. media inter Massiliam & Telonem, 18. mill. ab utraque, *Cesarista* Ptol. Anton. Merulæ. Nunc pagus *Ceireste*, prope Aranum amnem, 1. leuc. ab ora maris Mediterr. & ab urbe dicta Civitate, *la Cioutat*, quæ ex ejus ruinis crevit. Prom. autem *Citharistes* in eo tractu est *Cap de Laigle*, prope Civitatem. Valesio Ceiresta inter Taurentum & Carsicos posita est, qui situs *Citharista* non convenit, magis Taurento & Carsicis, vulgò *Carsis* aut *Cassis* ad Massiliam accedenti: inter Carsicos & portum Mines, *Portmiou*, nomine nunc obscuro. *Notit. Gall.*

Citbrum, Straboni *Citron*, *Chitro* Soph. sed Leuncl. *Zotriphat*. opp. Thessaliæ. Item, opp. Macedoniæ. Ferrar.

Citium, Cypri inf. op. Plin. 5. 31. adhuc *Chite* dict. nunc pagus: *Cetium* Straboni. Item urbs Misniæ, *Ceiz* vulgò dicta.

Citizum, vulgò *Zeitz*, urbs Misniæ in Sax. super. olim sede episc. clara, quæ pòst Naumburgum est translata. Sub dominio Episcopi Naumburg. 5. leuc. Germ. à Lipsia in Austr.

Citron, civitas in tribu Zebulun. Jud. 1. 30.

Cittadella, Urbec. Minoricæ præcipua. Vid. *Jamna*.

Cituorum, insula in Danubio perampla. Ptol. in Hung. Inter Polonium ad Boream, & Arrabonem ad Austr. Gemina est, Major & præcipua, quæ versus Boream & Ortum, *l'isle de Schutt*, Circuitus est 20. leuc. circiter, longa 9. leuc. lata 4. Ibi arx Komara permunita, cum valido præsidio contra Turcas. & Sumaria, opp. Minor autem inf. *le petit Schut*, est versus Austr. è regione Altemburgi & Arrabonis urbium, ubi Danubius recipit Arrabonem: Oblonga, lata autem vix 2. leuc. Aliter *Schutia Ins*. Baudrandus.

Civaro, vel *Civaron*, urbs Allobrogum, Sabaudiæ caput, *Chambery*, teste Cœnali. In planitie, ad amnem *Laise*, inter montem Melianum, ad 3. leuc. in Austr. & lacum Burgetium in Bor. ad 2. leuc. 3. leuc. à confin. Franciæ versus arcem Barranam, 18. à Lugd. in Ortum, 9. à Gratianop. in Bor. 14. à Fano S. Joh. in Mauriana valle.

Civica Pompejanus, Cos. collega L. Ceionii Commodi an. U. C. 888. Item Africæ Proconsul, à Domitiano sublatus. Tacitus *Agr*.

Civilis, nomine *Julius*, præpotens inter Batavos, ab inferiore Germanico Exercitu periculum vitæ adiit, sed exemptus, ne supplicio ejus ferox gens alienaretur. Tacit. *Hist. I*. 59. *Claudius* vocatur *lib*. 4. *cap*. 13. Ingenio solers, & Sertorium se aut Annibalem ferens simili oris dehonestamento.

Civilius, sive *Clivius*, Volscorum Imp. à Geganio victus an. U. C. 312.

Civilius Tullus, Trib. Mil. an. U. C. 348.

Civilonium, opp. agri Tarvisini.

Civitas, apud vett. Scriptores Romanos, totum agrum vel totos fines alicujus Gentis, nec non urbem, Gentis caput, designavit. *Civitas* Æduorum, apud Cæs. sunt omnes Ædui: *Civitas* Helvetica, omnes Helvetii, &c. Sic apud Plin. Vocontiorum *Civitas* Fœderata, sunt Vocontii: Autrigonum decem *Civitates* sunt decem populi. Sed & iidem scriptores nihilominus non rarò pro Urbe vel Oppido *Civitatem* dixerunt. Cicero *Philipp*. 9. Massiliam modò Urbem, modò *Civitatem* fidelissimam sæpius vocavit: quam & Valer. Max. *lib*. 2. *cap*. 1. nunc *Civitatem* Massiliensium, nunc oppidum, nunc urbem, & absolutè *Civitatem* nuncupat: & quam modò Urbem & Oppidum, modò *Civitatem*, *in lib*. 1. & 2. *de bello civ*. appellari reperias. Apud Plin. sec. in Thracia, Abdera *Civitas*, est oppidum Abdera, &c. Hodie, cùm in pluribus Galliæ regionibus, tum maximè in Burgundia, urbs non quælibet, sed Episcopalis modò ac Caput Gentis propriè dicitur *Civitas*, vulgò *la Cité*, qualis est Lutetia in Civitatem, Universitatem Urbemque divisa. Adeò ubicunque *Civitas* est, sine dubitatione affirmare licet, ibi majorem Ecclesiam, ibi veram Episcopatus sedem, eam denique unam & solam veterem urbem esse, cui postea cœteræ partes accreverint. Apud Ptolom. Urbes in tres ordines dividuntur, in ἐπισήμους, δευτέρας & τρίτας, Hadr. Val. *Præf. in Not. Gall.*

Civitas,

Civitas, vulgò *la Ciotat*, Urbec. Gall. in Prov. Cujus vina celebrantur. Gaudet portu commodo & capaci, in ora maris mediterr. Unde multi periti nautæ. Media inter Massiliam & Telonem. Commerciis celebris & opulenta. Hic inter alia, Fons, in monasterio P.P. Servitarum, qui æstum maris imitatur. Vid. *Citharista.*

Civitas, Vid. *Septa.*

Civitas Castellana. Vide *Fescennium.*

Civitas Castelli, Vide *Tifernum.*

Civitas Ducalis, urbs est Aprutii ulterioris, juxta Velinum fluvium, nunc vulgò *Civita Ducale*, episcopalis sub Archiepiscopo Theatino, in regno Neapolitano, 7. milliaribus à Reate in ortum, & 15. ab Aquila; estque parvi circuitus, in confinio ditionis Pontificiæ.

Civitas Legionum Ant. in Albione duplex est; una, quæ & Deva seu Cestria, Legio 20. victrix, *Chester.* Vid. *Deva.* Alia, quæ Isca Silurum, Legio 2. Augusta, *Caerleon.* Vide *Isca Silurum.*

Civitas nova, Prov. Rom. *Neustat*, urbs Germaniæ, in Austria, episcopalis sub Archiepiscopo Salisburgensi ab anno 1468. Sedet ad amnem *Bischaw*, 6. leucis à Vienna in meridiem, & 12. ab Arrabone in occasum. Vide *Neostadium.*

Civitas nova, *Civita nova*, oppidum amplum Italiæ, in Marchia Anconitana, in monte, non procul à mari Adriatico; estque Ducatus titulo insignitum Cæsarinorum. 6. milliaribus distat à Laureto Firmum versùs, à quo 9. milliaribus tantùm abest.

Civitas Plebis, *Città della Pieve*, urbs Italiæ, in ditione Pontificia, & in agro Perusino, 5. milliaribus à Clusio in ortum, 6. à lacu Trasimeno, & 16. à Perusia. Paucis constat incolis; estque parvi circuitus.

Civitas Regalis, *Città Reale*, urbs regni Neapolitani, in Aprutio ulteriori, prope fontes Velini fluvii, quatuor milliaribus à confinio ditionis Pontificiæ, 15. autem ab Aquila urbe, ad radices Apennini montis.

Civitas Regia, *Ciudad Reale*, urbs ampla Hispaniæ, in Castella nova, prope Anam fluvium, in Campo Calatravæ dicto. Deficit tamen in dies. Distat à Calatrava 3. leucis in Austr.

Civitas Regum, *los Reyes*, alio nomine *Lima*, urbs Americæ meridionalis, caput Peruviæ, archiepiscopalis facta anno 1547. Condita autem fuit à Francisco Pizarro anno 1535. in Limana Valle, vix uno milliari ab ora maris Pacifici, ubi portum habet munitum, *Callao* dictum. In ea degit Prorex Peruviæ nomine Regis Hispaniæ; distatque centum circiter leucis Hispanicis à Cusco urbe in occasum. V. *Lima.*

Civitas Roderici, *Ciudad Rodrigo*, urbs Hispaniæ. Vide *Mirobriga.*

Civitas Solis, *Città di Sole*, urbs Italiæ munita, in ea parte Romandiolæ, quæ magno Duci Hetruriæ paret, ad amnem *Fagnone*, in ipso limite Romandiolæ Pontificiæ, 4. milliaribus à Foro-Livio, & 8. à Britinorio in occasum, 40. autem à Florentia versùs Boream & Ravennam, à qua distat tantùm 16. milliaribus.

Civitas vetus, *Civita vecchia*, oppidum Italiæ, in ditione Pontificia, 40. milliaribus à Roma, in ora maris Mediterranei. Vide *Centumcellæ.*

Civitas vetus, *Città vecchia*, seu *Medina* incolis, urbs Africæ, Melitæ insulæ aliàs præcipua, & in meditullio insulæ, in colle, probè munita ab equitibus Melitensibus, & aliàs obsessa à Turcis irrito conatu.

Cius, al. *Cio*, fluv. Bulgariæ. Oritur ex Rhodope monte, & in Danubium influit, prope Durostorum opp.

Cizara, Paphlagoniæ castellum apud Amisum urb. Strabo *lib.* 12.

Cizya, Thraciæ urbs. Sozomen. 6. 13.

Cizycenus, Atheniensis, insignis Geometra. Voss. *de Mathem. cap.* 13. §. 4. *pag.* 49.

Cizycum, urbs Asiæ, ad Propontidem. Olim Metropolitæ sedes, sub Patriarcha Constantinop. Hodie clara ob insulam rudcribus suis oppositam, unde marmor Cyzicenum eruitur. Olim pomum Eridos Græcis, Thuc. *lib.* 8. Pinet. Cosmogr. Ptol. Plin.

C L.

Cladeus, Elidis fluv. in Peloponneso. Strabo.

Cladinus, Sultanus Iconiensis, ob Tartaros, è regno fugiens, Otrugarelem primò Carmaniæ præfecit, dein filium ejus Ottomannum Regem Carmaniæ creavit, sicque Turcicæ potentiæ fundamenta jecit. an. 1296. Calvisius, *in Chron.*

Claon, Fons Phrygiæ apud Celænas, saxa egerens. Plin. 31. 2. Dictus à *fletu*, ut fons illi vicinus *Gelon à ridendo* appellatur.

Clagefurtium, quibusdam *Claudia*, Carinthiæ, sive potius Carnithiæ reg. Sclavonicæ urbs ampla, cujus cives furibus sunt inexorabiles. Levis enim suspicio gravissimè nocet huic, qui rem furto parare putatur, nam inauditus rapitur ad crucis supplicium, nec defensioni, aut purgationi locus datur. Post diem tertium supplicii de mortuo judicant, quem si insontem fuisse cognoverint, splendidè sepeliunt, sin verò sontem & reum, pendere sinunt. 2. mill. distat urbs à Savo fluv. Sedes olim Carinthiæ Ducum. Cluv. Merc.

Clamecìacum, opp. Gall. in Nivernensi prov. ad Icaunam flu. 9. leuc. ab Altissiodoro in Austr. totidem circiter à Charitate in Ortum. Ibi residet Episcopus dictus Bethlehemensis. Vulgò *Clamecy.*

Clamoventa, Angliæ op. Anton.

Clampetia, locus Italiæ in Brutiis. Plin. 3. 5. Mela *lib.* 2. *cap.* 4. à freto Siculo versus Galliam & Varum flumen progrediens; *Hinc*, inquit, *in Thuscum mare est flexus*, *& ejusdem terræ latus alterum Medama, Hippo, nunc Vibon, Temesa, Clampetia, Blanda, Buxentum*, &c. Apud Livium *lib.* 40. corruptè *Dampetia* legitur. Latini omnes hanc *Clampetiam* vocant, additâ literâ tertiâ initiali, ut in multis aliis vocabulis, cùm Græci Λαμπτήν illam appellarint. Sic Stephanus ex Polybio. Lycophroni verò est Λάμπτης Poëticè pro Λαμπτεία. Malè vulgò Λαμπίτης. In situ ejus quoque omnes ferè conveniunt, ut sit *Mantia* sive *Amantia* hodierna.

Clancularii, ex Anabaptistis illi dicuntur, qui fidei confessionem minimè necessariam judicant. Iidem quod in hortis convenire soliti, *Hortularii* dicti, Florimond. Raimondus, *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 3. *&c.*

Clanes, fluv. à Vindelicis ortum habens, à quibus per valles excurrit, & Istri alveum intrat. Strabo *libro* 4. Lazio *Glan* dicitur.

Clanis, vulgò *le Clain*, fluv. Gall. in Pictaviensi reg. Pictavium rigat, & in Vigennam postea se exonerat paulo supra castrum Heraldi. *Clanius* aliis.

Clanius, qui & *Clanis*, fluv. Campaniæ prope Neapolin juxta Acerras urbem, *L'agno*, teste Ambrosio Leone. Virgilius *Georg.* 2.

—— *Et vacuis Clanius non æquus Acerris.*

Sil. Ital. *lib.* 8.

Clanio contempta semper Acerra.

Clanos, maris Ægæi insula.

Clanum, urbs Gall. Narbon. inter Agendicum, & Augustobonam. Anton.

Clanus vel *Clanis*, Etruriæ fluv. *La Chiana* hodie. Silius *libro* 8.

Et Clanis & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Baudrando est palus oblonga, & per aliquot milliaria extensa, inter dit. Pontif. & Hetruriam; Cujus pars Austr. versus Clusium & Civ. Plebis efficit amnem *Clanim*, qui in Peliam fluv. se exonerat paulo supra Herbanum, in dit. Pontif. Pars autem Borealis, quæ & major, versus montem Politianum & Aretium in Arnum fluv. labitur, in dit. Magni Hetruriæ D.

Clara, opp. Angl. in Suffolcia Comit. prope Sturam fluv. & Comitatum Essexiæ, 13. mill. à Cantabrigia. Aliis *Clarentia*; Duc. tit. insignitum.

Clara, Urbs Hiberniæ ep. Comitatus cognom. caput, in Connacia reg. in recessu Sinei fluv. 18. mill. à Limerico in Occas. situ commodissimo.

S. Clara, ordo sacer Virginum, in Comm. Rom. S. à Francisco institutus, Anno 1212. dictus à nomine primæ Præstitæ. Dividuntur autem hæ moniales in Damianitas & Urbanistas. Luc. Vuadingus, *Annal. S. Franc.*

Claranus, Grammaticus, cujus mem. Martialis *l.* 10.

Scribere te quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, juvat?

Ausonius Ep. *ad Ursulam Grammat.*

Harmenio, quem Claranus, quem Scaurus & Asper,
Quem sibi conferret Varro; priorq; Crates.

Clarascum, opp. Pedemontii, notum pace ibi confectâ, Anno 1631. Ad Tanarum fluv. ubi Sturam recipit. Aliis est Carrea. Vide ibi. Vulgò *Chierasco.*

Claravallis, Gall. *Clairvaux*, monaster. celeberr. Ord. Cisterciensis, S. Bernardi pietate clarum, Anno 1115. in Campania Gall. ad Albulam fluv. 3. leuc. à confin. Burg. medium inter Calvomontium ad Ortum, & Barium ad Sequanam in Occas. In Valle, quæ antea *Vallis Absinthii* dicta, vel ob absinthii ibi crescentis copiam, vel quia olim spelunca latronum. Dicitur filia Cistertiensium, caput ordinis in provincia, in Diœcesi Lingonensi, fundatum à Bernardo, precibus Comitis Camp. Theobaldi impulso. Habuit ultra 800. monasteria, sub se: 700. monachos hic Bernardus reliquit. Pet. de Celles, *Epist.* 12. *lib.* 3. Vinc. Bellovacensis, *lib.* 26. *cap.* 24. Chron. Claravallense. Adde his Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Clarenna, opp. Vindeliciæ, nunc *Rain*, prope confluentes Lici in Danubium, in Bavaria, inter Donaverdam & Novoburgum. A' Suecis malè habitum.

Clarentia, vulgò *Clarence*, Angliæ op. in Suffolcia reg. juxta Essexiæ confinia. Camdeno & aliis idem cum *Clare* op. ad Sturam fluv.

Clarentia, urbs Peloponnesi, Duc. tit. aliàs clara, nunc regiunc. caput, ad mare Jonium, aliàs *Dyme.* V. ibi. *Stratos* Nigro.

Claria.

Clariacum, vulgò *Clery*, opp. Gall. in prov. Aurelianensi, inter Aurelias ad Ortum & Balgentiacum ad Occ. Hic sepultus Lud. XI. Francorum R. Duchenius, *ant. urb. c.* 5. *de Ballivatu Aurelian.*

Clariacum, *Clerac*, urbs Gall. olim munita, in Aquitania & Aginnensi tractu, ad Oldum fluv. qui paulo infra in Garumnam cadit, 4. leuc. ab Aginno. 3. à Neraco. Ibi Abbatia celebris.

Clariæ, Thraciæ pop. Plin. *lib.* 4.

Clarius, Cypri fluv. Plut. *in Solone*.

Claromons, opp. Siciliæ sat lautum, intra montes, in Valle Neætina, olim *Gulphis*.

Claromontium, Urbs Gall. Arverniæ prim. episc. sub Arch. Bituricensi, ampla & bene culta. In colle, ad radices montium, in tractu *Limania*, ad amnem *Arcier*, qui pòst in Elaverim* cadit. Ex ruinis Gergoviæ crevit: primò *Gergovia*, dein *Augustonemetum*: tandem *Arvernum*, *Arverna civitas*, & *Clarus Mons* dicta, an ab arce editissima? Hanc frustra obsedit Cæsar, *Comm. lib.* 7. Turrim hîc, è larice, incombustibilem tum fuisse, refert Cælius Rhodiginus. Sub Gothis, Alanis, Wandalis, aliis, plurima passa; S. Austremonium, primum habuisse Episcopum, sub Decio & Grato Coss. dicitur. Inter cujus successores Sidonius Apollinaris eminet. Hic à Carolo V. an. 1374. Comitia regni habita. Monasterium S. Illidii magnificum est, quod irrigat rivulus, olim *Scateon*, nunc Tiretaine dictus, super quem pons ex aqua petrificata. Vid. Ptol. *l.* 2. *cap.* 7. Sidon. Apoll. *lib.* 4. *ep.* 21. Greg. Tur. *lib.* 3. *cap.* 9. Joh. Savaronem, *de origine hujus urbis*, Duchenium, Sansonem, *de Gallia antiqua*, ut & in voce *Clarus Mons*.

Hic Concil. an. 555. sub Theodoberto, Austrasiæ R. Porro Anno 549. 586. 1075. 1095. cùm Urbanus II. Henrici IV. Imp. iram fugiens, in Gallia exularet: quo Philippus I. excommunicatus, donec, Bertradâ omissâ, legitimam reciperet uxorem: & Godofredus Bullionæus Dux belli sacri electus. Item an. 1124. 1130. ab Innocentio II. exule, eodemque seculo ab Alexandro III. itidem exule, &c. Morer.

Claromontium, opp. Gall. in Bellovacensi agro, Comit. tit. clarum, 5. leuc. à Bellovaco, in ort. à Sylvanecto in Bor. 7. à Compendio.

Claromontium Lutevense, Urbec. Occitaniæ Infer. cum castro ad amnem *Lergue*, inter Piscenas & Lutevam.

Claromontium, urbec. Gall. aliàs munita, in Duc. Barensi, Comit. cognom. caput, in colle. Vulg. *Clermont en Argonne* Mœnia nunc disjecta. ad amnem *Ayr.* 6. leuc. à Virduno in Occ. 3. à Fano D. Menehildis. Nunc ejus ditio regno Franciæ annexa est.

Clarus, vulgò *Calamo*, Joniæ civitas, Apollinis oraculo nobilis, juxta Colophonem. Hanc Manto Tiresiæ filia condidit, fugiens Thebanorum victores Epigonos. Quæ cùm patriæ cladem lugeret & suam, manantibus ubertim lacrymis fontem fecit, unde *Claros*, ἀπὸ τοῦ κλαίειν, lacus appellatus, cujus haustus vaticiniorum, sed & lethalium morborum causa. Strab. *lib.* 14. Pausan. Plin. Nearchus verò autor est, inde huic urbi nomen factum, quòd Apollini per sortem Claros obtigit. Nam sortem Græci κλῆρον, Dorici Κλᾶρον vocant. Hinc Apollo *Clarius* dictus est, qui illic & fanum habuit, in quo responsa epotâ aquâ edebantur. Est & *Clarus* insula montosa, in mari Myrtoo, & ipsa Apollini sacra, hodie *Calamo*. Plin. 5. 31. Davity *descr. Asiæ. p.* 52. de quâ nonnulli intelligunt illud Ovidii Met.

—— Mihi Delphica tellus
Et Claros & Tenedos, Pataræaq; regia servit.

Idem 2. *de Arte*.

Et Paros & Clario Delos amata Deo.

Clarus fons, *Shirburn* seu *Sherborne*, opp. Angl. in Comit. Dorcestriæ, ad fontes amnis *Il*, in confin. Somersetensis prov. 12. mill. Angl. à Dorcestria in Bor. 24. à Bathonia in Austr.

Clarus mons, metrop. Arvernorum; primò *Augustonemetum* dicta, nomine ex duobus vocabulis, Latino, & Gallico, composito: qualia Augustodunum, Cæsaromagus, &c. an ab Augusto sic dicta? cùm, teste Strabone, *Nemetum* à Gallis vocaretur. Postea depositâ *Augustonemeti* appellatione, Gentis, cujus caput erat, nomine designari & *Arverni* dici cœpit, Plin. *l.* 34. *c.* 7. Demum, quòd arte naturaque munita, & in celso, idoneoque monte posita esset, *Castrum Clarum montem* appellavere rec. Historici, ante an. 1000. circiter. Nisi quis malit *castrum*, i. arcem urbis Arvernæ, fuisse *Clarummontem*, à situ ita dictum, unde postea urbi toti nomen: sicuti Forum Cornelii, urbs Æmiliæ, ab arce sua, vel, ut tum loquebantur, *Castro*, Imolæ nomen accepit. Aliam esse à Gergovia Arvernorum, Jos. Scaliger, Massonus & Savaro asserunt, & aliquot stadiis ab urbe Arvernis distare: certè mons vicinus altissimus, in quo antiquitatis quædam vestigia, etiamnum *Gergoye* vocatur, & Strabo Metropolim Arvernorum Nemossum seu Nemetum, à Gergovia Arvernorum urbe in celso monte posita, apertè distinguit. Hodie *Clermont*, & à castro MonteFerrandi proximo, *Clermont-Ferrand* dicitur. Ibi hodieque est Moneta, *la tour de la Monoye*, in qua olim moneta percutiebatur: Ibi & Capitolium, qualia Treviris, Tolosæ & Narbone, ut etiam Remis fuere. Libri censuales Urbis Arvernorum Capitolium memorant, quam domum publicam alii vocant, ubi pondera & mensuræ reponebantur. Inter Episcopos Bituricensi Metropolitano suffragantes *Claromontensem* primo loco constituunt, Gervasius Tisleberiensis & quædam eo recentiores Notitiæ. Vide Valesium *Not. Gall.* in voce *Claromontium*.

Classicianus, Vid. *Julius*.

Classicus, nobilitate opibusque ante alios, alæ Treverorum præfectus, cui genus regium & pace belloque clara origo: ipse è majoribus suis hostis populi Rom. quàm socius esse jactabat. Tacitus *Hist. IV* 55.

Classis, op. prope Ravennam, cujus meminit Æl. Spart. *in Didii Juliani vitâ*; hodiè ejus nihil extare, præter monasterium D. Apollinari dicatum, Hieron. Rubeus, & Leander autores sunt. Ibi *Candiano* amnis in mare Adriat. se exonerat. Nunc etiam *Classe*. Baudrandus.

Classita, Assyriæ pop. Ptol.

Classius, Gall. Narbon. amnis. Sext. Avienus.

Clastidium, Italiæ op. *Chiastegio* Leandro. Strabo *l.* 5. Ὑπὲρ δὲ Πλακεντίας, ἐπὶ μὲν τοῖς ὄρεσι τῆς Κοττίου γῆς Τίκινόν ἐστι πόλις, καὶ Κλαστίδιον καὶ Δέρθων, καὶ Ἀκουαι Στατιέλλαι. Κώμην vocat Plut. *in Marcello*, id est, *vicum*, ita Livius quoque adpellat *l.* 21. At Polybius horum temporum æqualis, in eadem historiâ, *l.* 3. πόλιν, id est, *urbem* vocat.

Claston, forsan Castulo antiquorum. Vid. ibi.

Clastris, munimentum olim Galliæ, in pago Veromanduo, vulgò *Clary*, ad flum. Suminam, prope Parronam. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Claterna, seu *Cliterna* Plin. hodiè *Quaderna*, op. fuit Æmiliæ medium ferè inter Bononiam, & Forum Cornelii, ubi adhuc fluviolus, & locus nomen retinet. Mela *Claternam* in Piceno describit. Altera *Claterna* op. fuit Apuliæ Dauniæ, nunc *Campo marino* locus appellatur, teste Nigro. Baudrando vicus Apul. ad ostia Fortoris fluv. in prov. Capitanata, in confin. Aprutii citer. Mel. *Cliternia*. 2. mill. ab ora maris Adriatici. Cæterùm de *Claternâ* vide Cluver. Ital. *Ant. p.* 289.

Clatos, urbs Cretæ Mediterranea. Plin.

Clatovia, opp. Bohemiæ, ubi in Hussitas sævitum, circa A. C. 1461. Lætus *Comp.*

Clavasium, *Chivaso*, opp. Pedemontii sat munitum, juxta Padum, ubi Orcum recipit, 12. mill. infra Taurinum, 13. ab Eporedia in Austr.

Clauda, ins. spectans Cretam inter meridiem, & occidentem. Act. 27.

Claudi, Numidiæ locus. Anton.

Claudia, gens Romana patricia à Sabinis venit, cognomina sibi Neronis ac Drusi usurpavit, quòd Nero linguâ Sabinâ vir strenuus & fortis dicatur; Drusi verò à Claudio Druso, qui hostium duce Gallorum Druso cominus trucidato, sibi ac posteris nomen indidit. Tranquillus. Fuit & altera plebeia. Vid. *Claudii*.

Claudia, virgo Vestalis, quæ cùm in suspicionem stupri venisset, & simulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam, fertur cingulo duxisse navem, quam multa hominum millia trahere nequiverunt. Alio tempore Tribuno P. patrem de triumphali curru detracturo, generosè obstitit. Valer. Max. *l.* 5. *c.* 4. Plut. Aurel. Victor. *de Viris Ill. c.* 46.

Claudia, privigna Antonii, Fulviæ ex Pelodio filia, vixdum nubilis, uxor fuit Augusti, quam dimisit intactam adhuc, & virginem, exortâ simultate cum Fulvia socru: moxque Scriboniam accepit. Sueton. *in Aug.*

Claudia, filia Ludov. XII. ex Anna Britannica, an. 1499. matre invitâ, Francisco I. nupsit, an. 1506. 1514. Formæ defectum prudentiâ sarciit, mater Henr. II. Magdalenæ Jacobo V. in Scotia nuptæ, Margaretæ Em. Philiberti Sabaudiæ D. uxoris, &c. Bouchet. S. Marth. *Geneal. Gall.* Mezeray, *hist. Franciæ tom.* 2. *p.* 597. Item filia Henr. II. quæ Carolo III. Lotharingiæ D. nupsit.

Claudia Bectozia, dicta *Scholastica*, ex Delphinatu, ob eruditionem, à Francisco I. magni habita. Latinè Gallicéque plurima versu scripsit, Academicorum opiniones secuta, Obiit Anno 1547. Lud. Dominicus, *de nobilitate fœm.* Fr. Augustin, *Theatro fœmin. ill.* Hilario Costus, *elogio fœm. Ill. t.* 2. *p.* 8. *pag.* 755. Cl. Juvenalis de Ursinis, *&c.*

Claudia Quinta, Appii Cœci filia, cujus statua in vestibulo templi matris Deûm posita, bis eâ æde incendio consumptâ, prius P. Nasicâ Scipione, L. Bestiâ: item M. Servilio & L. Lamiâ Coss. in sua basi flammis intacta stetit, Tacit. 4. 64. Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 8.

Claudia Pulchra, sobrina Agrippinæ, à Domitio Afro accusata, crimine impudicitiæ, adulterii cum Furnio & veneficiorum in Principem Tiberium, ac devotionum; licèt multùm renitente & fremente Agrippinâ, cum Furnio damnata est, Tac. *l.* 4.

Claudia Sacrata, mulier Ubia, cum qua Petilius Cerealis creditus est consuetudinem stupri habuisse. Tacit. *hist l.* 5.

Claudia, urbs Norici, Plin. 4. 14. *Claudinium* Ptol. *Clagenfurt*, teste Lazio. Vid. ibi.

Claudia, & *Claudia castra* urbs Angliæ ad Sabrinam fluv. vulgò *Glocester*. aliis *Glevum*. V. ibi.

Clau-

Claudia, est *Clausen*, vicus Bavar. prope *Marquartstein*, in lacu *Chiemsée*, forsan *Claudium* Ptol. Cluverius.

Claudia Via, quæ à Milvio ponte inchoata Flaminiæ jungebatur. Ovid. *Pont.* I. 9. *Spectat Flaminiæ Claudia juncta via.*

Claudia aqua, fontes duo Romæ, *Cæruleus*, & *Curtius*.

Claudiana tonitrua dicebantur, quæ Claudius Pulcher instituit, ut ludis factis post scenam conjectus lapidum ita fieret in circumactum pelvim, ut veri tonitrui speciem repræsentaret.

Claudianista, secta Donatistarum, à Claudio auctore, Pseudosynodum habuerunt in Caverna Susis. V. Augustin. *in Psalm.* 36.

Claudianus, poeta insignis, Theodosii & Honorii temporibus floruit, à quibus statuam meruit in foro Romano cum hac inscriptione: TRIBUNUS: NOTARIUS: INTER CÆTERAS INGENTES ARTES PRÆGLORIOSISSIMUS POETARUM. Quidam Florentinum faciunt, sed falsò; nam Alexandrinum fuisse, ex eo rectè colligebat Crinitus, quòd ipse epigrammate ad Gennadium Proconsulem scribat:

Graiorum populis, & nostro cognite Nilo.

Gentilis fuit, & quidem pervicax, ut ex Augustino, *de C. D. lib.* 1. *cap.* 26. & Orosio *lib.* 7. *c.* 35. constat. Nec obstat Carmen de Christo, quod Claudiani nomen præfert; nam Damaso Papæ adscribitur. Sed, ut Claudiani esset, non hujus fuerit, sed Claudiani Mamerci, qui sub Zenone vixit. Suidas, Κλαυδιανὸς Ἀλεξανδρεὺς ἐποποιὸς νεώτερος γέγονεν ἐπὶ τῶν χρόνων Ἀρκαδίου καὶ Ὁνωρίου τῶν βασιλέων. *Maximus poeta* (inquit. Jul. Scal. *Poet. lib.* 6.) *Claudianus, solo argumento ignobiliore oppressus, addit de ingenio quantum deest materiæ. Felix in eo calor, cultus non invisus, temperatum judicium, dictio candida, numeri non affectati, acutè dicta multa sine ambitione.* Raptus Proserpinæ. Item c. Rufinum & Eutropium, flos carminum ejus. Prosper *Chron.* &c. Fuit alter *Claudianus* Mamercus Viennensis, ex Galliâ, Anno 460. quem miris laudibus effert Sidonius Apollinaris, *lib.* 4. *epist.* 3. 11. Eum enim excelluisse ait, cùm in omni poeticâ, tum etiam in omni Philosophiâ & Theologiâ. Vide notas Sirmondi, Gennad. *cap.* 83. Trithem. *in Cat. T.* 4. *Bibl. PP. edit.* 1624. &c. & de utroque Lil. Gyrald. *de Lat. Poet. Dial.* 4. Voss. &c.

Claudias, Laviniensis præfecturæ urbs in Asiâ min. Ptol.

Claudii post reges exactos anno sexto Romam venerunt, quorum gentis Princeps fuit Actius Clausus, post Ap. Claudius vocatus. Is ex Regillo Sabinorum oppido Romam cùm commigrasset, à populo inter patricios allectus est, à quo gens Claudia Romæ nobilissima manavit, Sabini, Regillensis, Crassini, Cæci, Pulchri, Caudicis, Centhonis, Neronis, Hortatoris & Rufi cognominibus distincta. Fuit & alia *Claudia* gens plebeia, à quodam Claudiæ gentis Patriciæ cliente procreata, nec potentiâ nec dignitate minor, quæ Marcelli, Glitiæ, Æsernini, Flaminini & Aselli cognomina tulit.

Claudiomerium, Artabrorum urbs in Hispan. Ptol.

Claudiopolis, Cappadociæ urbs. Plin. 5. 24. Item Daciæ perampla & celebris civitas cum arce Sambuco, hodie incolis *Closu Var*, & Germanis *Clausburg* dicta. 14. mill. à Varadino in Austr. ad amnem *Klein Samos*. Caput Comit. Colocensis. Ibi omnes Transylvaniæ Conventus & judicia provincialia à Principe exercentur. 9. leuc. ab Alba Julia Bor. versus, totidem à Bistricia.

Claudiopolis, urbs fuit Ponti ad Elatem fluv. Etiam *Bithynium*, *Castomena* nunc Castaldo.

Claudiopolis, urbs Ciliciæ, ad radices Tauri, inter Comanam urb. & Cydnum fluv. Nunc quid sit, ignoratur.

Claudiopolis, Vid. *Clodia Fossa*.

Claudius I. Tiberius Drusus Nero, filius Drusi secundogeniti Liviæ, *Cæsar*, interfecto Caligulâ successit in imperio, Anno C. 41. vir inauditæ credulitatis. Lugduni natus est eo ipso die, quo à 60. nationibus ara Augusto sacrata. A' matre Antonia pro monstro habitus est, unde reprehensura quemquam, illum filio suo Claudio similem dixit. Sub Caligula Consul, omnibus ludibrio fuit. Hoc occiso Imperator, prioris memoriam omni modo abolere constituit, honores ingestos recusavit, urbis præcipuâ curâ, quam aquæductibus, &c. ornavit. De M. Britannia triumphavit, postmodum libertis rerum summâ permissâ, qui stupris, exiliis, cædibus omnia miscuere, uxorem Plautiam Urgulanillam repudiavit, ut & Æliam Petinam. Messalinam, libidinis monstrum, occidi jussit, &c. Tandem ab Agrippina, peremtus, successorem habuit Neronem. A. C. 54. æt. 63. Imp. 13. Vide Dion. *l.* 60. Tac. Ann. 11. 12. Aur. Victor. Suetonium *in Claudio*, qui addit, eum adhuc juvenem historiam exorsum esse, à cæde J. Cæsaris: Durante Imperio 8. libris vitam suam, alio Ciceronis apologiam c. Asin. Gallum scripsisse, tres tandem literas excogitasse. Boleto obiit. Juvenal. *Sat* 5.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino, sed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nihil amplius edit.

Idem *Sat.* 6. — *Minus ergo nocens erit Agrippinæ*
Boletus, siquidem unius præcordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere jussit
In cælum & longam manantia labra salivam.

Martialis, *Boletum, qualem Claudius edit, edas.* Boleti quidem per se non occidunt: Ὑπὸ τῶν βολητῶν μόνον (inquit Galenus) οὐδεὶς ἰσόρηται τεθνεώς. At Claudio boletus venenatus fuit. Sueton. *de Agrippinâ*, *Quæ boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat.* Ptolemæus Hephæstionis filius: Ὡς Κλαύδιον κύουσα ἡ μήτηρ βολητῶν τοὺς μύκητας ἐπιθυμήσασα φάγοι, καὶ Κλαύδιος πεφαρμακευμένους φαγὼν ἀπεβίω. Vide Senecam *in Apocolocynthosi*, ubi ait *Claudium in cælum ascendisse, sed decreto deorum ad inferos fuisse detrusum.*

Claudius II. Dalmata, M. Aurelius, vel Flavius Valerius, dux Romanus, Imperator Papiæ proclamatus est, A. C. 268. Galieno & Valeriano occisis. Gothos, Scythas, Herulos, &c. terrâ marique vicit, prius Aurelio, postmodum Germanis superatis. Princeps laudatissimus, nisi in Christianos sæviisset. Peste hinc in Pannonia correptus, postquam in imperio biennium non implevisset. Ipsi Clypeus aureus, ut & statua ex consimili metallo à S. P. Q. R. in Palatio & Capitolio dicata: eo inter Deos relato. Eutrop. *l.* 9. Trebellius Poll. *in Claudio.* Oros. *l.* 7. *c.* 20. Eus. *Hist. & Chron. l.* 7.

Claudius, seu *Asnasaghetus*, Rex Æthiopiæ, post patrem Davidem. Lusitanorum opem contra Turcas imploravit, occisus in prælio, an. 1559. Maffæus, *hist. Ind. l.* 11. *&* 15. Hist. Æthiop. &c.

Claudius, primus Guisiæ D. filius minor natu Renati II. Lotharingiæ D. In prælio Mariniano, gravissimè vulneratus, à Francisco I. fortitudinis elogium reportavit. Fontarabiæ capiendæ inter primos auctores, an. 1521. quam solo æquari suasit, obnitente Admirali Bonniveto, qui sententiâ victor, in plusquam tricennale bellum Gall. conjecit. Obiit an. 1550. ex Anton. Borbonia numerosæ prolis parens. Avila *l.* 1. Bellaj. *l.* 1. 3. 8. Godofr. *Gen. Loth.* &c.

Claudius, Arch. Viennensis, pietate & doctrinâ inclytus, sec. 4.

Claudius, cognom. *Scotus*, Benedictinus, discipulus Bedæ, Alcuini commilito, sec. 9. *Plurima prosâ versuque scripsit*, variorum comment. S. Script. auctor. Trithem. *Catal.* Th. Dempster.

Claudius, Hispanus, Episc. Taurinensis, Concilio Francofurtano Nestorianismi, quem ex Felice Episc. Urgellensi hauserat, convictus, si verum est, quod quidam scribunt. Cœtera Vir insignis, aulicus etiam prius Ludovici Pii concionator. Subalpinas gentes imaginum cultui deditas videns, cunctas Basilicas suæ diœceseos picturis atque imaginibus nudavit. Reprehensus à Theodomiro, Monachorum præfecto, Apologeticum conscripsit, cui Jonas Aurel. Ep. respondit, Circa An. 820. Valafr. Strab. *de Off. Eccl. c.* 8. Thom. Valdens. *tit.* 20. *c.* 160. P. Martyr. *in* 1 *Reg.* 7.

Claudius, mons Pannoniæ. Plin.

Claudius Agathernus, Medicus Lacedæmonius, cujus convictu apud Cornutum usus est Persius poëta.

Claudius d'Angennes, frater Cardinalis Rambouilleti, Episc. primò Noviodunensis, dein Cœnomanensis, ab Henr. III. Romam missus est, veniam Card. Guisii occisi rogatum. Obiit Anno 1601. SanMarth. *Gall. Chr. t.* 2. *p.* 519. 520. *& T.* 3.

Claudius Apollinaris, Vid. *Apollinaris*.

Claudius Ballamo seu *de La Baume*, Arch. Vesontionis, Anno 1543. Concilium Tridentinum in diœcesin introduxit, literatorum fautor. Purpuram à Greg. XIII. nactus, an. 1578. mortuus est, an. 1584. cùm ViceRegis Neapolitani dignitatem obiturus esset. Ciacconius, & Auber. *hist. Cardin.* Friso, *Gall. Purpur.* Chiffletius, *de Ep. Vesontinis.* Guicheno. &c.

Claudius, cognomento *Caudex*, Carthaginenses Messanâ expulit; Hieronem prælio victum ad Syracusas in deditionem accepit.

Claudius Centianus, quem nonnulli *Centumalum*, alii *Centimanum* minus rectè scribunt. Is librum in Jure Civili tertium à P. Papyrio scripsit, & *r* literam introduxit, ut qui prius *Fusii*, deinde *Furii* dicerentur. Valerius.

Claudius Cossus, Helvetiorum ad Vitellium legatus, notæ facundiæ, sed dicendi artem aptâ trepidatione occultans. Tac. *hist.* 1.

Claudius Demianus, ob flagitia, à Vetere Asiæ Proc. vinctus; quem Nero exsolvit in præmium accusationis Proconsul. Tac. *l.* 16.

Claudius Domitius, Romanorum Imp. nequissimus. V. *Nero*.

Claudius Espencæus, Dr. Theol. Paris. Theologus eruditus præteriti seculi, natus Catalauni, paterno genere, ex clarissima Espencæorum in Campania; materno illustri Ursinorum in Latio & regno Neapol. familia, ortus; sed pietate, candore & omnigenâ eruditione illustrior. Thuan. *Hist.* Interfuit colloquio Possiaceno, postquam Bononiæ, in Italia, Gallici nominis gloriam facundè tuitus esset. Quo tempore purpura ipsi interversa ab æmulis, quòd cum Beza commercium fovere diceretur, Vid. hujus epistolam 43. In Juventute insignis concionator, provectiorem ætatem scriptis impendit, æternam famam promerentibus. Ejus inter alia extant, *Comm. in Ps.* 130. *in utramque ad Tim. in ad Titum*: inter opera fol. Lut. Paris. & alibi. De auctoritate Conciliorum & inprimis de Tridentino, quid sentiat, *in Comm. ad Titum* aperuit, dicens: *Meritò in Concilio Basil. Ludovicum Arelatensem questum esse, in Conciliis id demum fieri, quod nationi placeat Italicæ: & hac illa est Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit.* Obiit Lutetiæ, an. 1571. æt. 60. *Theologorum sui seculi facilè Princeps*, Gerardo. Ejus statua ex marmore, cum elogio hodieque visitur. SanMarth. *in elog. lib.* 2. Verderius, *Biblioth. Gall. pag.* 170. Thuan. Hist. &c.

Claudius Eusthenius, Diocletiano à secretis, ejus, ut & Maximinia-

miniani Gallieni & Constantii vitam scripsit, Vopisc. *in Carin.*

Claudius Faber, Dom. de Vaugelas, Baro. Vertit Curtium, labori 30. annis impensis. Obiit an. 1649. Idem varia edidit.

Claudius Fabius, Dictator Rom. an. U. C. 419.

Claudius Falco, Aquitanus, consiliarius Henr. III. de bellis in Gallia civilibus, poëma composuit. Obiit an. 1601.

Claudius Fauchetus, scripsit de antiquitatibus Galliæ, traduxit Tacitum & Regum Gall. historiam, usque ad Hug. Capetum, composuit.

Claudius Faventius, Centurio, per ignominiam à Galba dimissus, classem Misenensem ad defectionem traxit, fictis Vespasiani epistolis, pretium proditionis ostentans. Tac. *hist.* 3.

Claudius Gasp. Bachetus, Sebusianus, stirpe nobili. Linguarum, Græcæ inprimis, peritus, in Algebra aliisque artibus curiosis egregiè versatus. Sentiens destinari se præceptorem Lud. XIII. Parisiis Avaricum se recepit. Scripsit Poëmata, &c. Obiit an. 1638. Guicheno *hist. de Bresse*. Pelisson. *Hist. d'Acad. Fr.*

Claudius Guichardus, Historiographus Ducis Sabaudiæ, Poëta excellens. Livium Gallicè reddidit. Mortuus an. 1607.

Claudius Herminianus, Cappadociæ Præses, infensissimus Christianorum hostis, cùm à vermibus corroderetur, occultans judicium Dei, *Nemo sciat*, inquiebat, *ne gaudeant Christiani*, A. C. 208. Tertull. *in l. ad Scapulam.*

Claudius Julianus, Vid. *Julianus.*

Claudius Julius, de rebus Phœniciis librum concinnavit, è quorum primo testimonium usurpat Stephanus in Ἄκη. Nisi verum nomen sit *Jolaus*, prout nominatur eidem in Ἰολαία. Vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 3. *pag.* 343.

Claudius Labeo, Vid. *Labeo.*

Claudius Marius Victor, vel Victorinus, Rhetor Massiliensis; Poëta celeberrimus. Habemus ejus 3. libros hexametrorum ad Ætherium fil. quibus historiam Geneseos exponit usque ad Sodomæ destructionem: dein epistolam ad Salmonium, de moribus seculi sui corruptis. Circa sec. 5. Obiit sub Theodosio & Valentiniano, *c.* 60. *T. VIII. Bibl. PP. edit.* 2. V. *Appius.*

Claudius Nero, Cons. Livii Salinatoris collega, qui advenientem ex Hisp. cum auxilio Aidrubalem interfecit. Horatius *in Odis:*

Quid debeas, ô Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, & Asdrubal
Devictus. —— ——

Claudius Nero, Tiberii Principis pater, Quæstor C. Cæsaris in bello Alexandrino, ac deinde Pontifex Max. in Scipionis locum suffectus.

Claudius Paradinus, genealogias Gall. &c. pertexuit.

Claudius Petilius, Dictator an. U. C. 442.

Claudius Phirricus, trierarchus Liburnicarum in Corsica navium à Decimo Pacario Procuratore, quòd contradicere ipsi ausus esset, nolletque Vitellii partes sequi, interfectus. Tacit. *hist.* 2.

Claudius Pollio, historicus, Plin. *ep.* 31. *l.* 6.

Claudius Pompejanus Cons. Coll. Severi, an. U. C. 976. gener M. Aurelii Antonini Phil. Capitolin. Lamprid. *in M. Antonino, Vero, Commodo.*

Claudius Pontius, Samnitum Imp. Romanos ad Furcas Caudinas sub jugum misit. Livius.

Claudius Puteanus, Turnebi, Lambini, Cujacii discipulus. Peregrinatione, commercio doctorum, filiis inprimis egregiis inclytus. Obiit an. 1594.

Claudius Quadrigarius, Historicus veteribus sæpius laudatus. Voss. *de H. L. l.* 1. *c* 10. *pag.* 44.

Claudius Rubeus, historiæ Lugd. conditor.

Claudius Sanctius, Ep. Ebroicensis, concionator egregius, Theologus eruditus: nomine Academiæ Parisiensis, interfuit Concilio Tridentino, de quo quid senserit, hinc patet, quòd quoties solenne carmen, in Concilii primi Apostolorum clausula usurpatum, *Visum est Spiritui S. & nobis*, repeteret, dicere solitus sit, *in Tridentina Synodo plus nobis, quam Spiritui S. tributum.* Ex authent. Thuani incastr. Interfuit porro Colloquio Possiaceno, conventui Ordinum Blesis indicto, & Concilio Rotomagensi, an. 1581. quod publicè edidit. Obiit an. 1591. Genebr. *in Chron.* Turrian. Verderius, *in Bibl.* San Marth. *Gall. Chr. t.* 2. *p.* 577.

Claudius Sanctus, Gallorum Dux, effosso oculo, dirus ore, ingenio debilior. Tac. *hist.* 4.

Claudius Severus, ab Helvetiis, de cæde Galbæ ignaris, & Vitellii imperium abnuentibus, contra Cæcinæ vim, Dux lectus. Tacit. *Hist. l.* 67. & 68.

Claudius Seyselius, Sabaudus, à consiliis Ludov. XII. cujus historiam condidit, ab an. 1498. usque ad an. 1515. Legatus ad Concilium Lateranense, dein Episc. Massiliæ, tandem Arch. Taurinensis, ubi prius Jus docuerat. Obiit an. 1520. Scripsit contra Valdenses, de Providentia, de Monarchia Galliæ, de dignitate Regis, de 3. statibus viatoris, commentarios in Lucam Evang. & Jus Civile. Gallicè transtulit Eusebium, Thucydidem, Appianum, Trogum, Diodorum, Xenoph. Senecam, &c. Chassanæus. *P.* 10. *Catal. de gloria Mundi.* Ughel. *de Arch. Taurinensibus*, &c.

Claudius Sulpicius Longus, Cons. Coll. Qu. Ælii Cæritani. an. U. C. 431.

Claudius Theon, historicus Gr. Hier. *in Dan. præf.*

Claudius Tiberius Nero Cæsar, 3. Rom. Imp. Octavii Cæsaris privignus, gener, & adoptione filius. Vitam ejus pete ex Tranquillo. Vid. *Nero.*

Claudius Timarchus, vide *Timarchus.*

Claudius Venatus, vir doctissimus, Alexandro Imp. à consiliis, an. U. C. 976.

Claudius Verderius, fil. Antonii, Prosopographi, scripsit censuram de Anna Viterbiensi, aliaque versu & prosâ, &c.

Ap. *Claudius*, Orator. Cic. *in Bruto.*

Ap. *Claudius* Cæcus, extremâ senectute in Curiam delatus Senatum jam jam inclinatum, à Pyrrhi pace revocavit. Ab hoc *Appia via* dicta, quam Brundusium usque lapidibus stravit. Ab eo quoque *Appia aqua* in urbem ducta. Livius *l.* 19. Filios habuit Claudium Neronem, & Claudium Pulchrum.

Ap. *Claudius* Regillanus, Decemvir, legibus scribendis summâ inter collegas authoritate, postremo ob Virginiæ judicium in carcerem conjectus, sibi manus intulit. Livius.

Claudus, & *Claudos* Cretici maris insula. Ptol. *Gozo* Mercatori. Contra *Criumetopon*, prom. Cretæ in Austr. parvi circuitus.

Clavenna, Helv. opp. non incelebre, sub Rhætis. *Cleven* incolis, *Chiavenna* Italis dicitur. Caput Comit. cognom. ad amnem Mairam: Ab ea etiam dicitur, vix 5. milliar. distans lacus Clavennæ, 18. mill. à Rheno fluv. 38. à Curia. 46. à Como. A' *Clave* dictum, ob transitum in Italiam. Ejus Præfectum *Commissarium* vocant Rhæti, cujus post Sondriensem summa est auctoritas. Meminere hujus loci P. Diaconus *Longob lib.* 6. Antoninus, qui illud supra caput Larii 10. m. p. à lacu distare docet, Simlerus *de Rep. Helvet.* Joh. Bapt. *Helv. Nov. Ant.* &c.

Claverinum seu *Clavarum*, opp. satis cultum in ora Genuensi Orient. parum à mari dissitum, ad ostia fluv. Anthellæ, vulgò *Lavagna*, in planitie, 25. mill. à Genua; *Chiavari.* Antea *Burgus longus.* Civem habuit Innocentium III.

Clavetinatii, Vindeliciæ pop. Strab. Eosdem esse cum Catenatibus Plinii scribit Simlerus, qui utrinque ad Ænum habitant supra eum locum, ubi Danubium ingreditur.

Clausa, seu *Coveliacum*, Tirolensis Comit. castrum, in alta rupe excisum, ad Eysocum amnem, inter Bolsanum & Brixinonem; *Clausen.*

Clausa vallis, Petrarchæ non semel memorata, locus collibus circumclusus, atque abditus, fonte admirabili, & capite Sulgæ flum. nobilis. Vulgò *Vaucluse*, aliàs *Valcluse* Provincialibus. Paschalis II. meminit *Vallis Clusa* monast. in Episc. Vesontiensi. Est & *Vallis Clausa*, in Cavaribus provinciæ Viennensis, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Clausentum, Angliæ op. littor. Anton. *Southampton* Camdeno, ad Trisantonis flu. ostia; cum portu percelebri & capacissimo, in ora maris Britann. Medium inter Ventam Belg. ad Boream & Vectim ins. in Antonia prov.

Clausus, rex Sabinorum, Turno adversus Æneam suppetias tulit. Ab hoc Appius ille Claudius originem traxit, qui paucis post exactos reges annis cum 5. millibus clientum se Romam contulit, urbisque partem habitandam accepit, Claudiamque familiam propagavit. Virgil. *Æn.* 7.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens.

Clautomon, locus flentium, Jud. 2. à planctu nomen accepit. Hieron. *in loc.* est in tribu Benjamin.

Clazomena, urbs Joniæ, in ora maris Ægæi & sinus Smyrnæi, media inter Smyrnam ad Ortum, & Chium ad Occasum. quam Paralus condidit, an. 98. U. C. 31. Olymp. patria Anaxagoræ, *Gryna* postea dicta, Colophoni vicina. Strab. *l.* 14. Plin. 5. 29. Horat. *lib.* 1. *Sat.* 7.

Persius hic permulta negotia dives habebat
Clazomenis. ——

Apud Melam *Clazomena* sing. num. legitur, *l.* 1. *c.* 17.

Clazomenia, ins. à quâ *Clazomenii*, quos in Mæoniâ sitos esse constat. Inde *vina Clazomenia*, quæ olim apud Romanos in pretio fuere. Vide *Marathusa.*

Cleadas, Pater Chilonidis. Polyæn. 8.

Cleanetus, qui sua luxu prodegit. Alii dicunt, eum decretum composuisse, ne Ducibus publica cibaria præstarentur. Schol. Aristoph. 322.

Cleander, unus ex Alexandri Magni ducibus, per quem Parmenionem interfecit: ipse tandem ob avaritiam & libidinem, quâ nobilem virginem constupratam servo suo pellicem dederat, ab Alexandro supplicio affectus. Curtius. *l.* 10.

Cleander, primus Gelæ tyrannus, qui commutatâ Oligarchiâ, sibi dominatum ac singulare imperium stabilivit. Aristot. 5. *Polit.* 12.

Cleander, Cubicularius Commodi Imp. Perenni occiso, Principi gratus. Quo favore impotenter abusus, è mancipio Præt. Præf. munera Imperii venum exposuit, Libertos in Senatum allegit, unoque Anno 26. Consules designavit. Exules revocatos promovit, legitimos Magistratus depulit, apud Imperatorem, quos

vellet, reddens suspectos. Sic Byrrhus, Commodi affinis, periit, plurimique alii in extremum discrimen adducti. Tandem à Commodo occisus est, in gratiam plebis ad seditionem spectantis. Lampridius *in Commodo*.

Cleander, vates Arcadicus, apud Herodotum.

Cleandria, Troadis locus, unde Rhodius amnis fluit. Strabo.

Cleandridas, dux Laconum. Vide Polyænum *lib.* 1 1. ubi Thuriorum est. Paulò pòst ab eodem vocatur *Cyrenæus* vitio librariorum, ut rectè censet Casaubonus, qui persuasum habet, hunc Callicratidem esse eum, qui Lysandro successit in præfectura Asiæ.

Cleandrides. Pericles, Ephoris Lacedæmoniorum Cleandridæ & Plistianacti multum pecuniæ largitus est ob proditionem. Cùm ab eodem rationem exigeret civitas, nolens se ipsum & Lacedæmonios rubore confundere, respondit se in necessaria expendisse. Quo audito Lacedæmonii Cleandridem morte, Plistianactem quindecim talentis multarunt, existimantes ipsos corruptos, ut parcerent reliquæ Atticæ regioni, ex hostico excessisse.

Cleanthes, Stoicus philosophus, Cratetis primus discipulus, Zenonis Cittiensis successor. Hic Phoniæ Assii filius, egregius pugil, cùm Athenas venisset, Zenoni adhærens generosè philosophatus est, & in iisdem dogmatibus permansit. Tanta fuit in tolerandis laboribus alacritate, ut *alter Hercules* dictus sit. Nam cùm non haberet, unde se alere posset, noctu quidem in hortis aquam hauriebat, per diem verò in sermonibus exercebatur; unde *Phreantes* appellatus est, quasi *puteos hauriens*. Tradunt illum, quæ à Zenone audierat, ossibus boum, testisque fictilibus perscribere solitum, cùm pecunia non suppeteret ad chartas emendas. Patria ei Assus fuit, ubi & statua ei dicata est, magnificentiæ Romani Senatûs specimen, ut Simplicius refert, qui & vidit. Antigonum R. ut & Chrysippum successorem suum discipulos habuit. Recitat ejus versus quosdam non inelegantes Clem. Alex. *Strom.* 5.

Μὴ πρὸς δόξαν ὅρα ἐθέλων σοφὸς αἶψα γενέσθαι,
Μηδὲ φοβοῦ πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα δόξαν.
Οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὸν κρίσιν, οὔτε δικαίαν,
Οὔτε καλήν, ὀλίγοις δὲ παρ' ἀνδράσι τοῦτό κεν εὕροις.

Alios ejus versiculos à se Latinè versos producit Seneca *Ep.* 107. quos disertissimos vocat. Sunt autem isti:

Duc me Pater, summiq; moderator poli,
Quocunq; placuit, nulla parendi mora est:
Assum impiger: fac nolle, comitabor gemens,
Malusq; patiar quæ pati licuit bono.

Laudat eos quoque, sed Senecæ quasi auctori tribuens Augustinus *de C. Dei* 5. 7. Græcos ipsius Cleanthis habes Epicteti Enchiridio, *cap.* 77. quos licèt sine auctore alleget, Cleanthis tamen esse, cui & Seneca tribuit, Simplicius quoque, *in commentario ad eum locum*, notat. Vide Laertium, *lib.* 7. Hic cùm morbo laborans biduum integrum cibo abstinuisset, adeò convaluit, ut medici ipsi omnes consueta promitterent: quod ille contemnens, inediaque mori cupiens, extinctus est. Inde adjectivum *Cleanthius*. Persius *Sat.* 5.

Cultor enim es juvenum, purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. ——

Cleanthes, Historicus quidam laudatus à Schol. in Aristoph. *Equites*.

Cleanthis, mulieris nomen. Suidas. Lactant. div. Inst. *libro* 3. *cap.* 18. Stob. eclog. phys. Cic. *de N. D. l.* 3. & *Acad. quæst. lib.* 4. Senec. *ep.* 64. *&c.*

Clearchus, Heracleæ Ponticæ tyrannus, festo Dionysiorum die ad spectaculum progressus, à Chione & Leonida, Platonis auditoribus, sublatus est, cùm tyrannidem annos duodecim tenuisset, Olymp. centesimæ sextæ anno quarto. Justin. *lib.* 16. Diodor. *lib.* 18. *&* 20. *&c.*

Clearchus, dux Lacedæmoniorum, dictabat Imperatorem plus quàm hostem metui oportere: significans eos qui in prælio mortem expavescerent, certum sibi, si deseruissent, expectare debere supplicium. Frontin. Missus ad Byzantinos pacandos, illorum tyrannidem invasit; à Lacedæmoniis revocatus non paruit, victus ad Cyrum Jun. confugit, plurimisque præliis interfuit. Diod. Sic. *l.* 14. Xenoph. *Hellen. l.* 1.

Fl. Clearchus, Consul, collega Richomeri, an. U. C. 1137.

Clearchus Solensis, Senior, Aristotelis discipulus, ut scribit Josephus *lib.* 1. *contra Apionem*: ubi & eum *Peripateticum* vocat nulli secundum. Adfert quoque egregium fragmentum ex libro ejus de somno. Vide Voss. *de Hist. Gr.* l. 1. *c.* 9.

Clearchus junior, Ponticus, Athenas profectus, ut operam daret Platoni, in somniis admonitus à studiis literarum recessit. Suidas.

Cleartus, Marmaricæ palus. Ptol.

Cleempus, medicus fuit, cui Pythagoræ liber de magicis herbis à nonnullis adscribitur.

Clemens I. Romanorum 3. Episcopus, auditor Divi Petri, ut quidam volunt. D. Dionysium Areopag. misisse Parisios, dicitur Niceph. *lib.* 2. successit Anacleto, A. C. 91. quo tempore Domitianus 2. persecutionem excitavit. Constituit, ne Sacerdotes religionis prætextu uxores dimitterent, neve Clerici secularibus curis impedirentur. Sub Trajano tertiam persecutionem movente, in Chersonesum Tauricam deportatus, & alligata ad collum anchorâ mari mersus est, Anno 100. Polyd. *lib.* 5. *cap.* 3. Platina. Extat ejus ad Corinthios Epistola prima, quam omnes ferè pro genuinâ agnoscunt. Edidit eam Doctiss. Vir Patricius Junius Oxon. 1633. Anglicè reddidit, notisque non ineruditis illustravit Gul. Burton. Lond. 1647.

Clemens II. cognom. *Singer* vel *Schuidger*, Saxo, Episc. Bambergensis, Papa ab Henr. III. Imper. electus est, Gregorio VI. deposito, an. 1046. *Ecclesia quippe Dei graviter jam prope per* 200. *an. ægrotans & multa, & ea valida remedia requisivit, usq; adeò ut ne ignem atq; ferrum repudiaret.* Sigon. *lib.* 8. *ad an.* 1047. Contra Simoniacos concilium Romæ instituit, Henricum Imper. cum uxore à se coronatum, in Germaniam secutus est. Volaterran. Sigebert. Onuphr. Genebr. Ciacconius, &c.

Clemens III. Romanus, prius *Paulinus*, Gregorio VIII. successit, Anno 1188. Bellum contra Saracenos decrevit, cum Philippo Augusto Galliæ R. hinc tributa, seu *decimas Saladinas* exigens. Siciliæ turbas post Guilielmi R. obitum sedare conatus est. Cœlibatum in Polonia ursit, Cromer. *l.* 7. *hist. Pol.* Obiit an. 1191.

Clemens IV. Gallus, excepit Urbanum IV. Anno 1265. prius *Guido Grossus* vocatus, arma tractaverat, dein Juri operam dedit: Uxore mortuâ, Cardinalis, in Angliam missus, absens Papa electus, & Viterbii coronatus est. Carolum in Siciliæ regno confirmavit, Conradino macello exposito, cùm Viterbium eum prætervehi videret, *Hæc opima victima ad aras aguntur*, dicens, & quæsitus, *Vita Conradini mors Caroli &c.* respondens, & à Carolo vicissim XL. aureorum M. quotannis stipulatus. Platina & Ciacconius *in Clemente IV.* Obiit an. 1268.

Clemens V. Vasco, prius *Bertrandus Agoutius*, Arch. Burdigalensis, successit Benedicto XI. post undecim mensium dissensionem, Anno 1305. coronatus Lugduni, ubi muri ruinâ Johannes Dux Britanniæ, Galliardus Papæ frater, &c. oppressi, Philippus Pulcher & Carolus Valesius, læsi: diadema Pontifici excussum est, ingentis pretii gemmâ amissâ. Hic sedem Papalem Româ Avenionem transtulit, ubi per 72. postmodum an. mansit. Franciscum Dandulum, Venetorum D. qui excommunicationem deprecaturus venerat, ad pedes suos provolutum, canis instar, ferreâ catenâ revinctum, subter mensam suam jacere est passus. Mox Viennæ Concilio indicto excidium Templariorum decretum, crux in Valdenses assumta, Reformatio Ecclesiæ, sed frustra, tentata. Tandem, à Jacobo Burgundione, Ordinis Templ. principe, Lutetiæ cremando, ad Dei tribunal citatus, dictâ die 40. decessit, cùm paulo antè nepotem suum, quem multum diligebat sensualiter, Mago quodam sacris operante, in locis inferni cruciari vidisset. Libri Clementinarum congestor, Joh. Balæus, *Clem. V.* P. Æmylius *l.* 8. Drexelius *in trib. l.* 2. *c.* 2. &c. V. & Morn. *myst. iniq. pag.* 965.

Clemens VI. prius *Petrus Rogerius*, Benedicti XIII. successor, literatus, memoriæque planè invictæ. Petrarcha *rer. fam. l.* 8. *& l.* 2. *rerum memor. c.* 1. Jubilæum ad 50. annum reduxit, liberalis Indulgentiarum promus condus. Sed notatum, vix 10. ex millenis, qui Romam confluxerant, ob ingentem pestem, rediisse. Has dein indulgentias publico scripto Academia Parisiensis refutavit. Ludovicum Bavarum persequutus, post Andreæ R. mortem Legatum Neapolim misit, Græcos cum Armeniis conciliare sategit. Idem Galliæ Regibus *sub utraq;* communicare permisit. Obiit Avenione A. C. 1352. sedis 10. an. Ejus cadaver cum Clementis V. bello civili erutum. Lemovix fuit. Abr. Golnitzius *in Avenione.* Platina *in vita ejus*. Mornæus, &c.

Clemens VII. Antipapa, prius *Robertus*, fil. Amadei, Comitis Genev. à Cardinalibus CisMontanis, vim sibi illatam à populo R. questis, Urbano VI. oppositus est, an. 1378. Gallis, Hispanis & Apulis ipsi adhærentibus. Quod schisma 50. an. duravit; utroque se verum Petri successorem venditante, & alterum diris devovente, plurimis Principibus, ut Rege Arragoniæ, Duce Britanniæ, Comite Hannoniæ, Rep. Leodiensi neutrum agnoscentibus; ipsâ quoque Gallia per 3. annos Papæ eclipsin facilè ferente. Obiit Avenione, an. 1394. sedis 16. Ciacconius, *in vita ejus*. Onuphr. Genebr. *Chron.* Platina, &c. successorem habuit Benedictum II.

Clemens VIII. Antipapa, prius *Ægidius*, Arrago, à solo Arragoniæ R. agnitus, an. 1429. paulo post spontè cessit.

Clemens VII. fil. Juliani Medicei, Adriano VI. successit, an. 1523. ab Æthiopum Rege, per legatum salutatus est. Carolum V. Imper. literis paulò durioribus irritavit, à Pompejo Columna Card. ad Concilium Spiræ indicendum, citatus. Hinc Castro S. Angeli se inclusit. Mox bella ciens, per Borbonium D. oppugnatus, imo Roma miraculo expugnatâ & direptâ, in eadem arce, ad incitas redactus est, inde ingenti lytro liberatus clam aufugit. Postmodum pacem petiit, nuptiisque Alexandri Medicei, cum Margareta Caroli fil. Catharinæ item cum Henrico Francisci R. fil. sedem firmavit. Nimium largus fulminum evibrator, Henr. VIII. repudiatâ Catharinâ Austriacâ, excommunicavit, qui exinde Papæ auctoritate in suo regno abolitâ, se Caput Ecclesiæ dixit. Obiit, Paulo III. successore. an. 1534. Sedis 11. vitæ 56. P. Jovius, *in elog. & histor.* Ciacconius, Masson. Onuphr. *in vita ejus*. Genebr. *in Chron.* &c.

Clemens VIII. Florentinus, prius *Hippolitus Aldobrandinus*, successit Innocentio IX. an. 1592. Henricum IV. Galliæ R. regno primò excussurus, mox cùm eum prævalere, & consilia de Patriarcha in Gallia creando vigere animadverteret, anathemate exolvit. Fœdus sanctum inter Monarchas & Principes, ad exstirpandos Evangelicos instituit, cui omnes, Galliæ Rege, & M. Duce Hetruriæ exceptis, nomen dederunt. Ducatum Ferrariæ, Alphonso mortuo, vindicavit. Jesuitis, edito scripto, *Clementem VIII. credere legitimum esse Petri successorem*, non esse articulum fidei, asserentibus, succensuit: illis nihilominus veniâ in Galliam redeundi impetratâ. Controversiam *de Auxiliis*, inter Jesuitas, auctore Molinâ, & Dominicanos, Augustini sententiam contra Pelagianos defendentes, non decidit. Obiit tandem an. 1605. æt. 69. sed. s 13. experientiâ rerum inclytus, sed fastu & perfidiâ infamis: ut qui Henricum IV. contra Elisabetham incitaturus, non veritus sit dicere: *Posse Principes à fœderibus resilire, sine famæ periculo posse mentiri, prodere, &c.* Thuan. *l. hist.* 113. 131. 132. Speculum Consil. Hisp. Rivetus, *in Jesuita vapul. c.* 4.

Clemens IX. prius *Julius Rospigliosus*, Pistoriensis, post Alexandrum VII. Papa, an. 1667. commercio cum omnibus Europæ literatis inclytus, Lusitaniam Episcopis instruxit, Candiæ auxilia summisit, &c. Obiit an. *1669.* successit ei

Clemens X. prius *Æmilius Altieri*, Romanus.

Clemens, natus Athenis, sed dictus Alexandrinus, quòd ibi Lectorem S. Scripturæ ageret, Pantheni discipulus, Origenis Præceptor, floruit sub Severo: Scriptis editis inclytus. De quibus restant nobis 8. libri Stromatum, 3. de Pædagog. &c. Cassiodor. *Instit. div. l.* 1. Phot. *in Bibl. tmem.* 109. Hier. *de scr. Eccl. c.* 38. Euseb. *hist. l.* 5. *c.* 11. *&* 13. *& in Chron.* An. 197. Tom. 1. Bibl. PP. *Col.* 561. *edit.* 1624. Hieron. & Euseb. *Inexhaustæ doctrinæ virum* vocat Casaubonus, *Exercit.* 1. *ad Baron. apparat. Feruntur ejus insignia volumina, plenaq; eruditionis, & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quàm de secularis literaturæ instrumento*, Hieron. *de Script. Eccles.*

Clemens Consul, collega Tertulli, an. U.C. 947.

Clemens historicus, scripsit de Regibus & Impp. Romanis: & ad Hieronymum de figuris Isocratis. Suidas.

Clemens, Posthumi Agrippæ servus, qui comperto fine Augusti Agrippam ferre ad exercitus Germanos concupivit: sed, cæde ejus patratâ, furatus cineres, se ignotis locis abdidit, donec crinem barbamque promitteret. Tum ipse se Agrippam, quia ætate & formâ haut dissimili in dominum erat, mentitus est. Verùm astu Crispi Sallustii, per duos sive milites, sive clientes, comprehensus, ac in secreta palatii parte, Tiberii jussu, est interfectus.

Clemens, scriptor versu vitæ Alexandri. Item Anglus presbyter, an. 1170. sub Henr. II. commentariis in S. Biblia & scriptis Astronomicis clarus. Voss. *de Mathem. c.* 25 §. 23.

Clemens Jacobus, Monachus Dominicanus, admissus ad Regem Gall. Henricum III. sub specie arcanorum, Regem literas ab eo acceptas legentem, cultro interfecit, in castris: Nihilominus tantum adhuc virium sauciato Regi erat, ut sicam extractam parricidæ infligeret, quem aulici accurrentes illico trucidarunt. A.C. 1589. Vide Thuan. *lib. hist.* 96. Lud. Lucium *Hist. Jesuit. lib.* 4. *c.* 3.

Clemens Marotus, Francisco I. à cubiculo, homo facetus, & naturâ ad Poësin factus. Partem Psalmorum Davidis metro reddidit, aliaque satis ingeniosè scripsit. Obiit Taurini. SanMarth. *in elog. lib.* 1. Strada *de bello B. lib.* 3. Verderius, *Bibl. p.* 220.

Clemens Scotus, sec. 8. S. Canones rejecit, fratris demortui viduam duci posse cum Judæis credidit, J. Christum descensu suo ad Inferos damnatos liberasse asseruit, &c. Baron. An. Christ. 742. 745.

Clementia, tanquam numen ab antiquis colebatur, unde Plutarchus scribit *in Cæsare*, ejus *Clementiæ* templum non ab ejus moribus abhorrens decretum fuisse.

Clementia Andegavensis, uxor Lud. Hutini Galliæ R. filia Caroli Martelli Hungariæ R. ex Clementia Habspurgicâ: marito mortuo filii posthumi Johannis mater. Budæ orphanotrophio erecto, &c. obiit, an. 1328.

Clementia Bourgesia, Lugdunensis, Poëseos & Musices perita. Audito sponsum in primo bello civili interemptum, dolore confecta, diem obiit.

Clementia Isava, Tholosana, instituit ludos dictos *Floreaux*, liberalitate & doctrinâ inclyta. Verderius *Bibl. Gall. p.* 218. 219.

Clementinus, Consul, collega Probi, an. U.C. 1267.

Clenus, fluv. oritur in confin. provinciæ Marchiæ Lemovicensis, vide *Clanis*. Baudrandus. Vulgò *le Clain*. Hunc Vigenna recipit, paulò pòst Crosam *la Creuse*, minore Crosâ & Vartimpâ *Gartempe* auctum accepturus, ac tum demum in Ligerim lapsurus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Cleo, Siculus, inter comites Alex. M. adulator, qui Alexando cœlum aperiebat, Herculemque & Patrem Liberum & cum Polluce Castorem novo Numini cessuros esse jactabat. Curt. *l.* 8.

Cleobis, Argiæ Sacerdotis filius. Herod. *l.* 1. Valer. M. *l.* 5. *c.* 4. *ex.* 11. Plut. *in Solone*. Cic. *Tuscul. Qu. lib.* 1. *Argiæ sacerdotis Cleobis & Biton prædicantur. Nota fabula est. Quum enim illam ad solenne & statum sacrificium curru vehi jus esset satis longè ab oppido ad fanum, morarenturq; jumenta, tunc juvenes ii, quos modò nominavi, veste positâ, corpora oleo perunxerunt, ac jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cùm currus esset ductus à filiis, precata à deâ dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset à Deo. Post epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse, mane inventos esse mortuos.*

Cleobula, Amyntoris uxor, Phœnicis mater. Tzetzes *in Lycophron.*

Cleobulina, Cleobuli filia, ingenio, judicio, animi magnitudine inclyta, hexametris ænigmatica quædam perscripsit, quorum unum adhuc extare fertur:

> Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα, τῶν δὲ ἑκάστῳ
> Παῖδες τριήκοντα, δίανδιχα εἶδος ἔχουσαι,
> Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι,
> Ἀθάνατοι δέ τ' ἐοῦσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Ita habet Laërtius, in *Cleobulo*. Atqui Stobæus, Κοῦραι ἑξήκοντα. Et certè ut taceam primam in τριήκοντα esse brevem, dici non potest ex 30. diebus mensis, alios esse albos, alios nigros; Sunt enim omnes albi simul, ac nigri, aut nigri simul & albi, sed ex 60. mensis filiabus aliæ sunt albæ sc. 30. dies, aliæ nigræ videlicet 30. noctes. leg. itaque:

> Παῖδες δὶς τριάκοντα.

Vide Plut. *in Convivio 7. Sap. cap.* 4. Diog. *in Cleobulo*. Athen. *l.* 10. *c.* 15.

Cleobulus, Evagoræ fil. Lindius, unus è 7. Græciæ sapientibus robore, & pulchritudine corporis eximius. E Lindo Ægyptum, philosophandi gratiâ, petiisse fertur, extat ejus ad Solonem epistola. Ænigmatum conditor, infidelitatem & ingratum animum sanguine viperino cautius vitavit. Et amicis, ut conserventur, & inimicis, ut concilientur, bene faciendum dixit, &c. Obiit 70. Olymp. 70. æt. Diogenes *in ejus vita*. Plut. *in convivio 7. Sapient.*

Cleobulus, historicus apophthegmata collegit, ut Stobæus indicat *Serm.* 3. *& alibi*. Plin. 5. 31. tradit ex Cleobulo, ut Chios prius dicta sit Chia à Chione nymphâ, quam alii à nive hoc nomen habere arbitrantur.

Cleochares, ab Alexandro M. missus, postulatum à Poro deditionem. Curt. *l.* 8.

Cleocritus, apud Comicos taxatur, ut mulierosus, & cinædus, & obscurus, Cybeles filius. Nam in mysteriis Rheæ molles tantum intersunt. Suidas. Vide Erasm. *in Adag.* & Schol. *in Ran.* Item *Aves*, ubi traducitur tanquam στρυθόπους i. μεγαλόπους.

Cleodæus, Hylli fil. Herculis nepos, Herodot. *l.* 7.

Clerdamas Thasius, Philosophus, Platonis temp. in Geometriâ floruit.

Cleodamas, Achenus (Ache autem civitas Thessaliæ est) scripsit de curâ equorum. *Stephanus.*

Cleodamus Malchus, historiam fecit ad imitationem Mosaicæ, quâ de re apud Joseph. loquitur Alexand. Polyhistor *Antiquit.* 1. 16.

Cleodora, nympha, mater Parnassi, à quo Parnassus mons nomen accepit. Rhodigin. 16. 19. quæ duos habuit patres. Pausan. *libr.* 10.

Cleogenes, Sileni filius, eques insignis. Pausan.

Cleomachus, Magnesius pugil, qui cinædi cujusdam, & ancillæ amore captus, quæ à Cinædo alebatur, Cinædorum & orationes, & mores est imitatus. Strabo.

Cleomantis Clitorius, vicit stadium, Olymp. 41 1.

Cleombrotus I. Rex vel Dux Spartan. fil. Anaxandridæ, murum in Isthmo Corinthiaco, contra Persarum in Peloponnesum incursiones, extructurus, Eclipsi solis absterritus est, Olymp. 75. Obiit, Plistarcho Leonidæ fil. successore, quo minorenni Pausanias regnum administravit. Herodot. *l.* 9. Duxerat filiam Leonidæ, de qua vide Plut. *in Agide & Cleomene*. Item supra in voce *Chelonis*.

Cleombrotus II. Pausaniæ fil. Lacedæmoniorum Rex, fratri Agesipoli ad Olynthum morbo extincto, suffectus est. Olymp. 100. a. 1. Hic timens, ne videretur cum Epaminondâ hoste sentire, temerè cum eo, jam duplici expeditione contra Thebanos, infelix, pugnavit, seque & patriam in præceps dedit, nam ex vulnere occubuit, & exercitus deletus est. Regni an. 9. Successit ei Agesipolis II. Prælium hoc ad Leuctra commissum est an. 2. Olymp. 102. M. 3683. U.C. 382. Xenoph. *l.* 5. *&* 6. Polyb. *l.* 1. Diodor. *l.* 15. Pausan. *l.* 3.

Cleombrotus, adolescens Ambraciota, qui cùm ei nihil accidisset adversi, è muro se præcipitavit, lecto Platonis libro de immortalitate. Quod Callimachus epigrammate celebravit. V. Cic. *in Tuscul. l.* 1. Ovid. *in Ibin.*

> *Vel de præcipiti venias in Tartara saxo,*
> *Ut qui Socraticum de nece legit opus.*

Plut. *de def. Orac.* meminit Philosophi cognominis.

Cleomedes Astypalæensis, de quo portentosa quædam memorantur. Hic robore ac magnitudine eximiâ, quum Ciccum Epidaurium

daurium pugil interfecisset, victoriæ præmio fraudatus, præ dolore in furorem incidit, atque Astypalæam reversus, cùm ibi multa temerè ac violenter fecisset, postremò ludum puerorum ingressus, apprehensam manu columnam, quæ tectum sustentabat, concutiens mediam fregisse, ac tectum dejecisse dicitur. Interfectis autem pueris, quum quæreretur ad supplicium, in sepulchrum magnum se conjecisse, & clausum intus injectum operculum tantâ vi tenuisse, ut ne à multis quidem simul adnitentibus, ullo modo evelli posset; Conciso igitur circa loco, neque vivum hominem, neque mortuum esse compertum ferunt. Qua de re missis Delphos legatis respondisse Pythium,

Ultimus heroum Cleomedes Astypalæus.

Suid. & Plut. *in Romulo*, ubi hanc fabulam comparat credulitati Romanorum, de Rege hoc in cœlum rapto.

Cleomenes I. Rex Spartæ, post patrem Anaxandridam, vicit Argivos, Athenis à Pisistratidarum tyrannide liberatis. Demaratum, alterius familiæ Regem, quòd impediisset, quò minus Æginetarum, qui ad Darium se applicuerant, perfidiam ulcisceretur, illegitimum pronuntiavit, Leutychide surrogato, & ipsâ Pythiâ corruptâ. Sic Æginetas ultus, mox ex insaniâ propria viscera dissecuit. Herodot. *Musâ* 5. *&* 6.

Cleomenes II. successit Agesipoli II. fratri,, qui post Cleombrotum annum regnaverat. Præfuit diu & feliciter, Acroati & Cleonymi pater. Successorem habuit Areum, Acroati demortui filium. Unde diuturnum bellum. Diodor. *lib.* 15. Pausan. *l.* 3. *Lacon.*

Cleomenes III. Lacedæmoniorum Dux, tyrannicè cùm præfuisset, Spartanis exosus evasit: hinc turbæ, at ille victor Ephororum 4. necavit, agros divisit, æs alienum abrogavit, peregrinos civitate donavit, pristinamque Laconum disciplinam reduxit. Dein Achæos acie vicit, unde ab Arato contra ipsum Antigonus suscitatus est, à quo prælio victus, ad Ptolemæum Ev. se recepit, benigneque primùm exceptus, mox Nicagoræ cujusdam calumniâ apud regem Ptol. Philopatorem suspectus, custodiæ cum aliis quibusdam traditus, cum illis mutuis vulneribus periit. Mortuus autem pelle nudatus cruci adfixus est, Matre, uxoribus & sobole ejus extinctâ, Anno M. 3835. Olymp. 140. Polybius *lib.* 2. Justinus *libr.* 28. Plutarchus *in Agide & Cleomene.*

Cleomenes, vectigalibus Ægypti & Africæ, quæ Ægypto juncta est, ab Alexandro Magno post deditam Ægyptum præpositus. Curt. 4. 72.

Cleomenes, historicus; librum fecit de Hesiodo, teste Clem. Alexand. *libr.* 1. *Strom.* quem Vossius *de histor. Græc. libr.* 3. commentarium esse in Hesiod. credit. An idem cum illo, qui tractatus Empedoclis de sacrificiis in unum collegit, apud Diog. Laërt. *in Empedocle lib.* 8? Alius ab hoc videtur *Cleomenes* Rhegius, dithyramborum poëta, de quo Athen. *lib.* 9.

Cleomenes Siculus, C. Verris nequitiæ administer. Cic.

Cleon, Dux Atheniensium, in Reip. administratione adversari solitus Niciæ Nicerati filio; Philosophus insuper insignis, quem contra Plutarchum plures egregii scriptores tuentur. Cepit Thoronem in Thracia, Amphipolim obsessurus, sed à Brasida, Lacedæmon. Duce impeditus, cum illo acie conflixit, utroque Duce occiso. Olymp. 89. *an.* 3. *M.* 3632. Thucyd. *lib.* 4. *&* 5. Diodorus *lib.* 12. Plut. *in Nicia*, &c. Eum insectatur Aristoph. *in Equitibus.* Vide *Cleonymus.*

Cleon, Messeniorum Dux, cui cum Aristodemo lis, de regno. Pausan. *lib.* 4. Item Statuarius nobilis, & alius Thetidis sacerdos eidem.

Cleon, poëta Argonautica scripsit, à quo argumentum Apollonius Rhodius mutuatus est, ut ejus Enarrator scribit.

Cleon, Halicarnassæus orator, Lysandro Lacedæmonio orationem composuit. Suid. Plut.

Cleon, Magnesius, commentarios fecit, quibus res portentosas explicuit, citaturâ Pausaniâ *lib.* 10. Alius ab hoc est *Cleon* Syracusius, qui librum scripsit de portubus, Stephano memoratum, in voce *Aspis.* Alius quoque est *Cleon* Curiensis, ex quo Apollonii *Schol. in lib.* 1. refert, unde nomen acceperit Sicinus insula. Vossius, *de H. G. lib.* 3. *p.* 344.

Cleon, Siculus, Alexandrum M. adorari suasit. Curt. *lib.* 8.

Cleona, *Cleonæ* Melæ, *Cleone* Plinio, hodie *SanVasili*, teste Nigro, oppidum olim, nunc pagus Argiæ reg. in Peloponneso, inter Corinthum 10. & Argos 15. m. p. Mantineæ urbi finitimus. Ovid. *Met.* 6.

Messeneq; ferax, Patraq; humilesq; Cleonæ.

Ibi versabatur Leo miræ magnitudinis, quem Hercules interfecit. Claud. 1. *in Rufinum*:

Una Cleonæum pascebat sylva leonem.

Lucanus *lib.* 5.

Ille Cleonæi projecit terga leonis.

Seneca *in Hercule Oetæo*,

Flete Argolica, flete Cleonæ,
Hic terrentem mœnia quondam
Vestra leonem fregit nostri
Dextera nati. ——

Silius *lib.* 3.

In foribus labor Alcidis Lernæa recisis
Anguibus Hydra jacet, nexuq; elisa leonis
Ora Cleonæi patulo celantur hiatu.

Valerius Flaccus *lib.* 1.

—— Cleonæo jam tempora clausit hiatu
Alcides —— — —

Apud Statium *lib.* 4. *Sylvarum*: *sydus Cleonæum* est sydus Leonis;

Sed tu, dum nimio possessa Hyperione flagrat
TorVa Cleonæi juba syderis, exue curis
Pectus. —— ——

Fuit & *Cleone* opp. Macedoniæ, inter Athon & Pallenen.

Cleonidas, vir Thebanus.

Cleonicus, nomen liberti Senecæ, qui patrono suo à Nerone venenum parare jussus, id ipsum prodidit. Tacitus *libro* 15. *cap.* 45.

Cleonymus, Rex Spartanorum, qui Trœzenem, præsidio Crateri occupatam arte, excitatis intus discordiis, invasit & liberavit. Polyæn. 2.

Cleonymus, fil. Cleomenis II. nepotem ex fratre Aræum, sibi in regno prælatum, ægrè ferens, Pyrrhum accivit, vindicaturus simul contumeliam uxori suæ ab illius filio illatam. Plut. *in Pyrrho.* Pausan. *l.* 3.

Cleonymus, ῥίψασπις, id est, *desertor ordinis*, & *qui abjecto clypeo* fugit, dictus est. Unde proverb. *Cleonymo timidior.* Hunc insectatur Aristophanes *in Nubibus*, ut timidum, mollem, parasitum. Suidas. Item unus ex Imperatoribus extraneis, quos sibi accersierunt Tarentini. Strabo *lib.* 6. Ab Æmilio Cos. victus. Diod. *l.* 20. Liv. *dec.* 1. *l.* 10.

Cleonymus, sumptuosus, luxuriosus ac rapax in comœdiis traductus. Vide Schol. 345. *F. in Equit. Aristoph.*

Cleonymus, habuit Athenis officinam servorum coriariorum, pater Cleonis: sed hunc Thucydides *lib.* 3. *Cleænetum* vocat.

Cleopatra, neptis Attali, Philippo Macedoni, repudiatâ ob factum Olympiade, desponsata: mox sponso à Pausaniâ occiso, ab Olympiade ad suspendium adacta est. Diodorus *lib.* 17. Justinus *lib.* 10. Plutarchus *in Philippo.* Freinshemius *supplem. in Curt. l.* 1.

Cleopatra, soror germana Alex. Magni ex utroque parente. Uxor fuit Alex. Molossi, seu Epirotæ avunculi, & post ejus mortem, Ægis enim, in ingressu theatri, à Pausania obtruncatus est, Diod. *l.* 16. à Perdiccâ ambita, qui illam priori uxori Nicææ superinduxit, ad propitios suis destinatis reddendos Macedonas. Idem *l.* 18. deinde & à Ptolemæo. Tandem verò ab Antigono necata, dum Sardibus ad Ptolemæum in Ægyptum ire tentat. Vide Diod. *libb.* 17. 18. & 20. & Justin. *lib.* 10. & 13. Ad eam Ctesiphon Atheniensis missus est legatus, ut eam super mortem Alexandri Molossi mariti sui solaretur, ut ait Æschines, *in oratione contra Ctesiphontem.*

Cleopatra, fil. Ptolomæi Philometoris, nupsit Alexandro Belæ, Syriæ R. dein Nicanori, consobrino. Sed audito, hunc in Persia captivum Rhodogynen duxisse, Antiochum Nicanorem maritum ascivit. Quo occiso, Seleucum filium, quòd se invitâ thronum conscendisset, sagittâ transfixit: Substituto Antiocho VIII. Grypo, qui, cùm sensisset, sibi à Cleopatra venenum parari, ipsam virus haurire coëgit. Joseph. *Antiq. lib.* 13. Appian. *de B. S.* Justin. &c.

Cleopatra, uxor sororque Ptolomæi Physconis seu Evergetæ, cùm optionem haberet, quemcunque vellet ex liberis, ad regnum evehendi, Alexandro minimo regnum destinavit: sed Ptolomæus Lathurus grandior natu à populo prælatus est. Assentire se simulans mater, cogit eum repudiatâ uxore & sorore Cleopatrâ, Seleucam vel Selenam, juniorem natu ducere. Mox Alexandrum evehit, qui à matre indignè tractatus, postquam aufugisset, revocatur, & novas insidias sibi paratas matricidio exit, Joseph. *Antiquit. lib.* 13. *cap.* 20. 21. Justin. *lib.* 39. Cleopatra autem, Ptol. Lathuri uxor, nupsit Antiocho Cyziceno, occisa in templo, à sorore Gryphina seu Tryphæna, quæ Antiocho Grypho, matris suæ uterino fratri nupserat. Justin. &c.

Cleopatra, Ægypti regina, Ptol. Auletæ filia, soror & uxor Ptol. Dionysii ultimi, mulier impudicissima, à Jul. Cæsare primùm adamata, cui filium Cæsarionem peperisse dicitur; deinde ab Antonio justæ uxoris loco habita est. Quod cùm ægrè ferret Augustus, cujus sororem Antonius duxerat uxorem, bello Antonium superatum insecutus, ad necem spontaneam compulit: ejus exemplum imitata Cleopatra, ne viva in hostis potestatem veniret, & per ludibrium in triumpho circumduceretur, aspidibus corpori admotis, extremum vitæ diem clausit, anno U. C. 723. Mund. 4024. Salian. regni 24. Pulchritudine, plurium linguarum peritiâ, magnificentiâ, & luxu, supra omnes sui ævi, Appian. *lib.* 5. *bell. civ.* Plut. *in Pompejo & Antonio.* Florus *l.* 4. *c.* 11. *&c.* Horatius *Carm.* 1. *Od.* 37.

Fatale monstrum, quæ generosius
Perire quærens, nec muliebriter
ExpaVit ensem, nec latentes
Classe citâ reparaVit oras.

Ausa

Ausa & jacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberent venenum.
Deliberata morte ferocior,
Saevis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

De eâ Virgil. *Æn.*8.

——— *Sequiturq; (nefas) Ægyptia conjux.*

Stat. *lib.* 3. *Sylv.*

Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Juvenalis,

Quod nec in Assyria pharetrata Semiramis urbe,
Mœsta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.

Cleopatra, altera pellicum, cujus corpori Claudius Cæsar maximè insueverat; quæ à Narcisso inducta est indicare, quòd Messallina Silio nupsisset. Tacit. II. 30.

Cleopatris, quæ & *Arsinoe*, *Suas* teste Gyllio, urbs munita Ægypti in intimo sinûs Arabici recessu, à Pelusio 125. m. p. in Ort. distans. Strabo *lib.* 16. Gaudet portu percommodo. *Barraarn.* Aliis visum est, Arsinoën nunc *Azirut* dici, & distare 70. mill. à *Suez*. in Austr. Baudr.

Cleopatrus, præfectus quidam apud Corinthios. Plutarchus *in Arato.*

Cleophanes, orator quidam ex Myrleâ. Strabo *lib.*12.

Cleophantus, Themistoclis fil. quem pater in equestri facultate tam strenuum effecit, ut equis rectus insisteret. Plato *in Menone.* Et Cæl. Rhodig. 14. 12. Item medicus, qui vini rationem illustravit, primusque semen pastinacæ erraticæ dysentericis prodesse expertus est. Plin. 24. 16. Item pictor Corinthius. Plinius 35. 3.

Cleophas, Christi discipulus, qui proficiscens in Emmaunta, Christum alloquebatur in itinere. Luc. 24.

Cleophes, Assacani mater, in India gentis Assacenæ regina; quæ triginta millibus peditum tuita est urbem non situ solùm; sed etiam opere munitam. Sed de Spertâ urbis tutelâ legatos ad Alexandrum misit veniam petituros. Quâ impetratâ regina cum magno nobilium fœminarum grege aureis pateris vina libantium processit. Ipsa genibus advoluta pristinæ fortunæ impetravit decus. Creditur quoque puerum nomine Alexandrum, ex eo Macedone peperisse. Curt. 8. 53. 55.

Cleophon, poëta Tragicus Atheniensis, cujus fabulæ fuerunt *Actaeon*, *Achilles*, *Telephus*, & aliæ, quas Suidas recensuit.

Cleophon, caseorum opifex, matre Thressâ natus, Dux Atheniensium; in quem Plato Drama composuit, adeoque *Cleophonta* denominavit. Traducitur à Comicis, ut peregrinus, indoctus, nugax, ignobilis, qui tamen Principatum Athenis affectavit. Vide Schol. in Ranas Aristoph. *Act.*2. *sc.* 6.

Cleopidiana, Sarmatiæ Europææ urbs. Ptol.

Cleopompus, Atheniensis, Thronium cepit, Locros vicit, Æginetas è sedibus suis ejecit. Thucyd. & Plut. *in Pericle.*

Cleostratus, ephebus ille fuit, cui sors obtigit, ut Draconi apud Thespienses sævienti immolaretur: cujus vicem dolens Menestratus, thorace æneo indutus cum dracone dimicaturus, prodiit in medium, ac belluam interfecit, atque ita Cleostratum & civitatem liberavit. Item Philosophus antiquissimus, Tenedius, qui primus de signis cœlestibus scripsit, Olymp. 61. atque imprimis de Ariete & Sagittario. Plin. 2. 8. 12. annorum apud Gr. erroribus correctis. Hygin. & Voss. *de Mathem. c.*33. §. 11.

Cleotimus, Chalcidensium colonis inductis & corruptis tyrannidem molitus est. Videatur Aristot. 5. *Polit.*6.

Cleoxenus, & *Demeoclitus*, de rebus Persicis historiam condidere, quam Polybius, ut ipse refert, exornavit. Suidas. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 4.

Clephis, Longobardorum R. post Alboinum, anno pòst, à servo occisus. Secutum interregnum est decem annorum. Triginta enim ex præcipuis, urbes Italiæ captas inter se diviserunt, impotenti imperio usi. Quo tempore Christiani non minus, quàm sub Ethnicis imperatoribus afflicti sunt. V. S. Gregor. *Dialog. l.*3. *cap.* 26. 27. *& seqq.* Paul. Diaconum, *hist. Longob. lib.* 2. Baron. *A. C.* 571. 573.

Clepidava, opp. Bastarnarum, *Kaminiec* Cluver. urbs Poloniæ munitissima, in edito saxo, in regno Poloniæ. Vide *Camenecia.*

Clepsydra, scortum Eubuli Comici, quæ proprio nomine *Metiche.*

Clepsydra, in Argivis fons, etiam ita dicitur fons in arce Athenarum, cujus Istrus *lib.* 12. meminit, & ex historicis omnia de hoc fonte collegit. Sic verò est dictus, quòd Etesiis flare incipientibus abundet, iis desinentibus siccetur, quemadmodum & Nilus & fons quidam in Delo. In hunc dicunt injectam phialam iterum conspectam in Phalarico, viginti stadia distante: præterea immensæ esse profunditatis & aquam salsam mittere. Vide Scholia *in Aristophanis Aves* 617. Rhod. 18. 39.

Clepsydra, fons in arce Messeniorum in Arsinoem influens.

Clers, Atticæ populi. Diodor. *lib.* 13. at Cizycorum terræ, Polyæn, *l.* 1. *in Alcib. Com.* 9.

Clerius Johannes, Meldensis Gallus, mechanicus, Ecclesiæ Metensis initia sanguine suo jecit. Hic cùm, propter deturbata idola, crudeliter excarnificaretur, sui securus, ex Davide, *Idola gentium sunt aurum & argentum, opus manuum*, sæpe repetiit. A. C. 1523. Beza *in Icon.*

Clesides, pictor nobilis, qui reginæ Stratonices injuriam, à quâ nullo honore fuerat exceptus, depinxit, voluptatemque ejus cum piscatore, quem amare credebatur.

Clesis, vulgò *Chiese*, fluv. Italiæ. Vide *Clusius.*

Cleta, Choniæ reg. Italiæ locus. Lycophron. *Petramala* hodie, Gabr. Barrio.

Cletabeni, Arab. Fel. pop. Dionysius Perieg. Vide *Catabeni.* Locus enim est corruptus, uti olim ostendimus. Lloyd.

Cletharro, Arabiæ Petrææ opp. Ptol.

Clethus, uxorem habuit Pallenem Sithonis filiam, quæ Thraciæ urbi nomen dedit. Steph.

Clevum, Angliæ urbs, Anton. Dobunorum fuit. *Gloucester* Camdeno. Duc. tit. clara, & caput reg. cognom. *Claudia* olim quoque. Episc. facta est sub Henr. 8. *Caer Glovi* Brit. 18. mill. à Vigornia in Austr. 26. à Bathonia in Bor. urbs ampla & elegans. Baudr. Aliis potius excisum opp. est apud Gloverniam, vel Glocestriam, & locus adhuc *Cleve* dicitur.

Clezus, locus, mons, & fluv. Lydiæ. Nicander.

Clibanus, mons in extremis Italiæ finibus, non procul à Lacinio promuntorio. Plin. 3. 10. Item oppidum Isauriæ. Idem *lib.* 5. *capite* 27.

Clidemides, secundùm Callistratum, Sophoclis fil. at secundùm Apollonium, actor Scenicus. Vide Schol. *in Ranas, Act.* 3. *scen.* 1.

Clidemus, scriptor antiquissimus fuit, cujus opus de Plantis sæpe citatur à Theophrasto. Scripsit & *Protogoniam*, quæ citatur ab Athenæo. Vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 3. *p.* 344.

Clides, promuntorium Cypri in orâ orientali, *Capo di S. Andrea*, ubi 4. Insf. parvæ, ejusdem nominis sunt, teste Theveto.

Clidichus, Æsimedæ fil. 16. Atheniensium princeps, an. 10. Sigon.

Cligenes, in Rep. Atheniensium turbator, partes divitum sectatus in opprimendis tenuioribus, cæteroqui peregrinus & barbarus, & perpusillo corpore. Civitati exosus ambulavit scipionem gestans, quo se adversus irruentes vindicaret. Vide Schol. *in Arist. Ranas, Act.* 2. *sc.* 6.

Clilipenus sinus, maris Balt. inter Livoniam & Curlandiam excurrens ad Rigam. Unde *Golfo di Riga*, recipitque fluv. Duinam.

Climachus Thurius, ante alios scripsit de decem elementis, & pronunciatis (Κατηγορίαι, & ἀξιώματα à Græcis dicuntur) cæterisque ejusmodi.

Climax, mons Phœnicis apud Byblum urbem à Tyro 100. stad. distans, *Pallo di Cane* incolis dictus, teste Nigro. *Climax* quoque, apud Strabonem, angustia est Mont. Tauri, apud Selgam urbem Pisidiæ. Mons quoque Pamphyliæ eidem *lib.* 4. Item Galatiæ vicus maritimus, & Arab. Fel. mons. Ptol. mons etiam, qui Ægypto inferiori à meridie est, Orosius. Apud Ptol. etiam est Libyæ nomi vicus.

Climbertum, Galliæ urbs inter Aginum & Lugdunum, Anton.

Climenus, Arcadis fil. ab Hercule Idæo oriundus, qui ex Creta in Græciam venit, & certamen renovavit, statuitque aram Herculi avo. Pausan.

Climiton, Anglus, sub Eduardo III. circa annum 1350. Astrologicum quoddam opus scripsit. Gesner. Voss. *de Mathemat. cap.* 35. §. 39.

Clinas, Musicus & Philosophus sectæ Pythagoreæ, si quando ad iram provocaretur, sumptâ statim citharâ, motus animi leniebat, exclamans, *jam lenior.* Ælian. Var. *Hist.* 13. 23. Athen. *l.* 14. *c.* 10. lege *Clinias.*

Clinias, fueritne historicus, haud tam apertum est, quàm historicos ejus sententiam sequi in causâ nominis, quod Persiæ, & maris Rubro impositum est. Eum commemorat Agatharchides initio libri de mari Erythræo. Vossius, *de H. G. l.* 4.

Clinius Cous, 7000. Græcorum, mercede Nectanebo, Ægyptiorum R. militantium, Dux, cum omnibus copiis ferè, à Nicostrato & Argivis, in primo Nili transitu, occisus. Diod. *l.* 16.

Clio, una, & prima Musarum apud Hesiodum, *in Theog.* à κλέος, id est, *Gloria*, quòd poëtis gloria ex carmine nascitur. Alii ἀπὸ τοῦ κλείειν, hoc est, à *celebrando* dictam putant, propterea quòd historiæ inventrix esse putatur, cujus proprium est virorum fortium laudes celebrare, eorumque gesta ad posteritatem transmittere. Ovid. 1. *Art. Am.*

Non mihi sunt visæ Clio, Cliûsq; sorores.

Pingitur coronata lauru, dextrâ tubam, sinistrâ librum tenens, cui inscriptum *Thucydides.*

Clipiacum, Gall. *Clichy*, exiguus vicus, prope Lutetiam, primis Gall. Regibus in delitiis. Hic Dagobertus I. jussu Clotarii II. patris, duxit Commentruden vel Gomatruden, quam postea ob sterilitatem repudiavit. Johannes R. Ordinem Eq. Stellæ ibidem instituit: ibi quoque Synodus, sub Clodovæo II. an. 659. Tilletus, Haillan. *Conc. Fr. t.* I. Chenæus, *de antiq. urb. c.* 6.

Clissa, arx Dalmatiæ in monte, valde munita, olim *Andetrium*, Johan. Lucius. 10. mill. à Spalato in Bor. totidem ab ora maris Adriat. Ante aliquot annos à Venetis capta.

Clisthenes, ultimus Sicyonis tyrannus, quam tyrannidem diutius tenuit, siquidem bellicosus erat & valde popularis. Nam quendam, qui in judicio victoriam, quam alii ipsi tribuerant, & ademerat, & sibi rescripserat, ultrò ipse ut victorem coronavit. Vide Aristot. 5. *Polit. cap.* 12.

Clisthenes, ex Alcmæonidum familia, civis Atheniensis, cum Isagorâ de principatu contendit an. 1. Olymp. 66. populo in 10. tribus diviso, & institutâ rep. Isagoram urbe expulit. Ab eodem Demarchi, Phylarchi, Apodectæ, & Ostracismus est institutus, primusque eo exilii genere (ut quidam volunt) ipse multatus est. Isagoras inde à Cleomene Spartæ rege reducitur, Clisthene, & reliquis sociis urbe ejectis. Pòst autem Cleomene ex arce, quam cum Isagorâ occupavit, ab Atheniensibus dejecto, Clisthenes restituitur. Plut. *in Aristide & Pericle.* Cælius Rhodigin. *lib.*21. *c.*44. Herodot. *l.* 5. ubi avi ejus materni, Clisthenis, Principis Sicyoniæ meminit, postea tyranni Corinthii, Pauſ. *l.*2.

Clisthenes, tanquam mollis, effæminatus ac Cinædus, ab Aristoph. & Cratino traducitur. Symburtii fil. lævis mentum, & Eunucho similis Pathicus. Schol. in Aristoph. *Ranas & Crabr.*

Clisthenes, Orator apud Cicer. *in Bruto.*

Clisthenes, Polyæn. *l.* 3.

Clita, Bithyniæ urbs Mediterranea. Ptol. Cilicum natio. Tacit. *Annal.* 12. Et locus, circa Athon montem. Livius.

Clitagora, mulier Thessala Poëtria, de qua Schol. in Aristoph. *Vesp.* 519. & 520.

Clitarchus, Eretriensium tyrannidem, opibus Philippi Macedonis adeptus, à Phocione Atheniensi, Olympiadis centesimæ nonæ anno quarto ejectus. Diod. 16. vide an is sit, cujus meminit Polyænus *lib.* 5.

Clitarchus, historicus & Alexandri comes in expeditionibus fuit, ejusque res gestas scripsit, Curt. *lib.* 9. Plutarchus *in Alex* Diodor. *lib.*2. A. Gell. *lib.* 4. *cap.* 11. Voss. *de Hist. Græc. lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 55. 56. Hujus in historiâ ingenium probatur, fides infamatur, ut scribit Quintil.

Clite, uxor Cyzici, Meropis Percosii Pityeæ regis filia, ut narrant Deilochus & Ephorus, quæ cùm virum extinctum videret, doloris impatientiâ suspendio vitam finivit, ut & Apollonius *l.*1. & Orpheus *in Argonauticis* & Evanthes & Deilochus scribunt.

Cliterium, Arcadiæ urbs. Phavorin.

Cliternia, Italiæ opp. ad montem Garganum. Pomp. *lib.*2. *Cliternum* Ptolemæo, vulgò *Celano*. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 1207. pop. *Cliternini*. Fuit opp. Marsorum, prope Apenninum. Sansoni opp. Æquorum, versus Anienem. Quid nunc sit, incertum. Baudr.

Clitis, fluv. Galliæ Sidonio, *Clenus* à Greg. Turonensi dictus. Est in Pictavis, & vulgò *Le Clain* dicitur. Vide *Clanis*.

Clito, apud scriptores Lat. medii ævi, filius Regis vel Imperatoris, à Gr. κλυτὸς, i. inclytus. Etiam qui in regnum successurus est, ut in Imperium Cæsar. Anglo-Saxonibus *Adelingus*, Gallis *Domicellus*, Britannis *Urchrichiad*. Sed & Regni magnates *Adelingi* dicti Saxonibus præfatis. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Clito, κλειτὼ appellatur Euripidis mater, ab Auctore Scholiorum *in Aristophanis Acharn. p.*384. *A.*

Clitodemus, antiquissimus eorum est, qui res Atticas consignavit, teste *in Phocicis* Pausaniâ. Perperam pro eo Κλητόδημος est apud Hesych. *in Aldinâ*. Quædam ex eo quoq; refert Etymologus in ἐπὶ Παλλαδίῳ. Meminit etiam Michaël Apostolius *cent.*8. *prov.* 42.

Clitomachus, linguâ Punicâ *Asdrubal*, Carthaginensis Philosophus, Athenas concessit ad capiendum ingenii cultum 40. annos natus, audivitque Carneadem: brevi quoque tempore adeò profecit, ut 40. volumina scripserit, successeritque Carneadis Scholæ. Suidas. Dicitur perfectam habuisse Academicæ, Peripateticæ & Stoicæ sectæ peritiam. Diogenes *in ejus vita*. Alius erat Thurius, discipulus Euclidis.

Clitomachus Athleta, Pancratiastes nobilis. Suid. Pudicitiâ tantâ fuisse dicitur, ut canes si fortè coëuntes vidisset, statim vultum averteret: In convivio si quis sermo lascivus incideret, statim surgens abiret. Ælianus *Var.* 3. 30.

Cliton, Arcadiæ fluv. Hesychius.

Clitonymus, Italica prodidit, quæ Plut. citat *Par. Min. cap.* 10. Idem Sybaritica edidit, ut constat ex ejusdem *c.* 21. Item tragica, quorum tertium advocat idem Plut. *de fluminib.* Voss. *de H. G. l.*4.

Clitophon, Atheniensis, qui modò à Comicis & ignavus, modò ut iners versutus ac versipellis Theramenique similis traducitur. Vide Scholia in Ranas *Aristophanis Act.*4. *sc.* 1.

Clitophon, Rhodius, Indica consignavit, quorum decimum citat Plut. *lib. de flum. cap. ult.* Gallicas etiam res conscripsit, nec non Italicas. Ad hæc libros etiam τῶν κτίσεων, sive *Originum*. Vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 3. *p.* 345. 346. & *l.*4.

Clitor, oppidum Arcadiæ Mediterraneum, à quo vicinus fons *Clitorius* appellatur, ei, qui gustaverit, vini fastidium inducens. Ovid. *Met.* 15.

Clitorio quicunq; sitim de fonte levavit
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius undis.

Clitoria, uxor Cimonis Atheniensis, quæ cùm uno partu geminos edidisset; Cimon alterum, amore in Lacedæmonios, nuncupavit *Lacedæmonium*.

Clitumnus, agri Falisci fluvius, *Le Vene* hodie, cujus aquæ potæ candidos faciunt boves. Testantur id abundè Poëtæ. Horum agmen ducat Virgil. *Georg.* 2.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Propert. 2. 11.

Quà formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit & niveos abluit unda boves.

Statius 1. *Sylvarum.*

Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros.

Silius *lib.* 4.

—— Patulis Clitumnus in arvis
Candentes gelido perfundit flumine tauros.

Idem *lib.* 8.

—— Perfundens flumine sacro
Clitumnus taurum. ——

Juvenal. *Sat.* 12.

Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret & à grandi cervix ferienda ministro.

Claudianus *lib. in* 4. *Consul. Honorii:*

Quin & Clitumni sacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit.

Idem *in Epigram.*

Non tales Clitumne lavas in gurgite tauros,
Tarpejo referunt quos pia vota Jovi.

Hactenus Poëtæ, quibus addo Plinium. Sic enim ille *lib.*2. *cap.*103. *In Falisco Clitumni amnis aqua pota candidos boves facit.* Cæterum *Clitumnus* quoque Jupiter dictus fuit. Vibius, *Clitumnus Umbriæ, ubi Jupiter eodem nomine est*, Plin. Jun. *Ep.* 8. 8. *Adjacet templum priscum & religiosum. Stat Clitumnus ipse, amictus, ornatusq; prætextâ præsens Numen, atq; etiam fatidicum; Indicant sortes; Sparsa sunt circa sacella complura, totidemq; Dei Simulachra: sua cuiq; veneratio, suum nomen, quibusdam verò etiam fontes.* *Clitunno* etiam nunc. Oritur in loco *Vene*, ex tribus fontibus in clivo, infra vicum *Campello*, 2. mill. à Trebia, Spoletum versus. Menaviam rigat & in Tineam fluvium seu Topinum se exonerat, cumque ipso pòst in Tiberim labitur. Baudrandus.

Clitus, inter præcipuos Alex. M. familiares fuit, eidemque charissimus, tum quòd filius esset nutricis ipsius, tum quòd ab illo in vitæ discrimine fuisset servatus, reciso Rosacis lacerto, quem jam ad ictum Alexandro infligendum, in prælio ad Granicum, sustulerat Barbarus. Hunc tamen in convivio quodam liberius in Persicos mores invectum, Rex jam temulentus spiculo trajecit, cujus facti eum postridie tanta cœpit pœnitentia, discussâ jam ebrietate, ut totum triduum cibo abstinuerit, decreveritque omnino inediâ sibi necem consciscere, ac amicum optimè de se meritum ad inferos persequi. Tandem ægrè admissâ amicorum consolatione, sumptuosissimo eum funere sepelivit. Plut. *in Alex.* Curt. *l.*4. & 8.

Clitus, 240. navium imperio, ab Antipatro, contra Athenienses præfectus, insigni victoriâ hostes fregit, ad Echinades Insf. Olymp. 114. an. 2. Diod. *l.*8. Ejus quoque mem. Polyæn. *l.*4. *in Antig. com.*8.

Clitus, Milesius, discipulus Aristotelis, historicum quoddam opus conscripsit. Voss. *de H. G. l.* 1. *c.* 10. & *l.* 4. *c.* 10.

Clitus, prolixioris comæ nomine traductus in Comœdia. Aristoph. *Nub.*

Clitus, vide *Clethus*.

Clivensis Duc. à Clivis dictus, ut creditur, Germ. regio à Rheno bipartita, à Rhenoberca ad Mosam & Vahalim usque extenditur. Subest Electori Brandeb. Ibi urbes præcipuæ, Clivia, caput prov. Vesalia, Calcaria, Emmericum, Geneppum, & Duisburgum. V. infr.

Clivia, urbs princeps ducatus Clivensis, in Gall. Belgicæ finibus, non procul à Rheni ripa, & ab ejus divortio, ubi expandere suos ramos, & Batavos in insulam incipit redigere: Cujus amplitudo magna fuit quondam, sicut ex ruderibus in agro vicino passim apparentibus colligitur. Nomen antiquum *Clivia* ei est, quòd in tribus clivosis collibus, in quibus à Cæsare condita dicitur, pendula versus Rheni ripam panderetur. Quapropter à nonnullis etiam *Clivi* nuncupatur, Latino prorsus nomine. Discrepat unius duntaxat vocalis mutatione lingua popularis, quâ *Cleve* nunc oppidum, ut & clivus omnis appellatur. Metel. Reliquæ urbes sunt *Santen, Calcar, Grefhusen*, cis: *Duisburg, Emmerich* trans Rhenum. Mortuo Joh. Guilielmo, ultimo Duce litium bellorumq; materies fuit hic Ducatus, ab an. 1609. Elect. Brandeb. non exiguam partem occupat, quædam Princeps Neoburg. tenet, &c. Cluver. Munster. *l.*3. Hujus Dux penultimus Wilhelmus (cujus familiæ origo, secundùm vulgares traditiones, refertur ad Theodorici, qui circa A. C. 700. ultimus castri Clivii & adjacentis regionis comes fuit, uxorem Beatricem, Comitis Teisterbandæ filiam & hæredem: Quæ priori marito defuncto, nupta Ælio Gracili Caroli Martelli fido socio, in ejus familiam jura titulosque Comitis Cliviæ & Teisterbandæ intulit:

tulit: unde Duces Cliviæ, Montium, Juliaci & Comites Marcæ, Limnæus Enucl. *l.* 3. *c.* 14.) cùm ante tanto fervore Reformationem in ditionibus suis incepisset, ut Georgio Cassandro, difficultates objicienti, *non esse consilia contra Dominum*, responderit: tamen in Comitiis, Augustæ celebratis an. 1566. Maximiliano II. Imper. quem Legatus Pontificius Commendonus contra Evangelicos incitabat, obsistere non ausus, Missam frequentavit: Mox, in eodem conventu, ipsi mens ademta, & 26. anni ad mortem in furore transacti, quo adhuc violentius filius Joh. Wilhelmus correptus est, ut includi necesse habuerit, ne in suos sæviret, Ever. Reid. *Annal. Holl. l.* 3. *p.* 232. Hinc inter Principis senectutem, & empta potentium studia, Cliviæ urbibus insidiatus est Parmensis, A.C. 1589. Obiit Princeps an. 1592. Rapta dein subitâ morte insani ducis uxore, An. Ch. 1596. novis suspicionibus omnia turbata. Mendoza postmodum in Cliviacos & Juliacenses exercitum duxit, A.C. 1598. contra quem à Sibylla, quæ Ducis soror erat, prudentiæ virilis fœmina, undique auxilia concita sunt. Nihilominus is varia Clivici juris oppida præsidiis occupavit, Buricum, Alpam, Mursam, &c. Tandem extinctâ familiâ, an. 1609. ut dictum, inter Joh. Sigismundum Elect. Brandeb. cujus uxor filia erat Alb. Friderici Borussiæ D. & Mariæ Eleonoræ Ducissæ Juliac. ac Phil. Ludov. Com. Neoburg. cui uxor Anna Juliacensis, lis orta: & Clivia à Mauritio Pr. expugnata est. V. supr.

Cloacina, Dea quæ cloacis præerat, eam in cloaca repertam Tatius Rom. Rex consecravit.

Clocheria, seu *Clogeria*, urbs Hib. in Com. Monaghano, in colle, juxta amn. *BlakWater*, 20. m. Angl. ab Armacho. Pauc. nunc incolar.

Clodia, Romana copiosa & locuples fœmina. Cicer. *ad Att. l.* 13.

Clodia fossa, vel *Claudiopolis*, vett. Venetorum hodie ditionis opp. in Adriatici maris littore, quod *Chioggia* & *Chioza*, Blondo & Leandro dicitur. In Ins. parva maris Adriat. cum portu, 25. mill. à Venetis Loredum versus, prope Brendulum Ins. Crevit ex ruinis Metamauci. Salis fodinis celebre, & victoria Genuensium, an. 1380. Volaterr. 4. Sabell. 3. Leand. *descr. Ins. Ital.*

Clodia Via, inter Lucam & Romam. Anton.

Clodiana, Macedoniæ opp. circa Dyrrhacium inter Apolloniam & Scampin. Anton.

Clodianus, Hisp. Tarraconensis fluv. Ptol. & Mela. *Fluvian* hodie Varrerio. Baudrando *Llobregat*, amnis Cataloniæ. Oritur ex Pirenæis montibus prope Juncariam opp. & in mare Mediterr. se exonerat, prope Rhodam arcem. Briet. Sans.

Clodii forum, Italiæ opp. in octavâ reg. Plin. 3. 15.

Clodio, cognom. *Comatus*, seu *le Chevelu*, secundus Galliæ R. Pharamundo successit, an. 428. *Chlogius*, Greg. Tur. *Cloio*, Sidon. Apoll. Legem de Coma regali sanxit. Rheno trajecto, an. 431. ut in Gallias irrumperet, ab Ælio repulsus est. *Nihilominus iterum fortunam tentans*, Hannoniam, Cameracum, Tornacum, &c. *occupavit. In Artesia ab Ætio rursus victus, illam tamen, mox viribus resumtis, sub jugum misit*, Ambiano quoque capto, *ubi sedem regni fixit. Nobilis & strenuus.* Greg. Tur. *l.* 2. Aimon. *l.* 1. Prosper *in Chron.* Regnavit an. 20. successore relicto Merovæo, quem quidam filium, quidam ejus filiorum Clodebaldi & Clodomiri tutorem dicunt. Mezeray.

Clodiorum familia, à *Clodio* Æneæ socio dicta. Festus. Verius tamen est *Clodios*, qui & *Claudii* dicuntur, à Sabinis ortum traxisse, nominisque originem cepisse ab Appio illo Claudio, qui primus ex eâ familiâ, cum 5. clientum millibus, se Romam contulit.

Clodius, claris parentibus ortus, juvenis quidam audax, incestuosus ac seditiosus, cùm amore Pompejæ Cæsaris conjugis flagraret, clam ejus domum ingreditur, vestem ac habitum Psaltriæ indutus: speque latendi mulieres abductus ob adolescentiæ formam, genasque nondum pubentes turbæ earum, quæ tum in æde Cæsaris sacrum inaccessum viris agebant, immistus, ad Pompejam ingreditur: deprehensus ac agnitus, etiam Cicerone teste, accusatur. Verùm judices tum metu, tum largitione, tum favore eum absolvunt. Fit deinde Tribunus plebis & factione suâ Ciceronem in exilium agit, quod ut facere posset, plebeio homini se adoptandum dederat, A.M.C. 3906. ante Ch. nat. 56. Ejus dein domum ac villas incendit, reliqua bona hastæ subjicit, attamen nemo emit. Tandem à Milone Clodius occiditur, accusatur Milo, patronumq; habet Ciceronem, jam ante ab exilio revocatum. Vid. Plut. *in Cic.* Cæs. Appian. *de civ. Rom. bell. l.* 2. Cicer. *Orat. pro domo, pro Milone.* Dion. &c. Hinc Proverb. *Clodius accusat Mœchos.* Juvenal. *Sat.* 6.

Sed nunc ad quas non Clodius aras? Seneca, *Omne ævum Clodios fert, sed non omne tempus Catones producit.*

Clodius, vir quidam, cujus meminit Plut. *in Numâ*, qui temporum argumentum scripsit.

Clodius Albinus, dux exercitus in Galliâ, post mortem Pertinacis principis, ab exercitu Imperator salutatus, perditæ gulæ fuisse traditur. Herodian. Item Consul, collega Æmiliani, an. U.C. 917.

Clodius Licinius, scripsit historiam Rom. Liv. *lib.* 29. *&c.*

Clodius Macer, turbans post exitum Neronis in Africa, à Trebonio Garuliano Procuratore, jussu Galbæ, occisus est. Tac. *hist. l.* 1.

Clodius Pulcher, Romæ orator, inter patronos simul cum Cicerone, in causâ Scauri. Ascon. Pædianus.

Clodius Quirinalis, Arelat. Rhetor, Romæ docuit circa Neronis tempora, Præf. remigum, qui Ravennæ habebantur, quòd Italiâ luxuriâ sævitiâq; afflictavisset, veneno damnationē antevertit, Tac. *l.* 13.

Clodius Sextus, de Diis opus composuit. Vide Voss. *de Hist. Gr. l.* 4. *p.* 510. 511. *de Hist. Lat lib.* 1. *p.* 35.

Sextus *Clodius*, Rhetor è Siciliâ, Latinæ Græcæque eloquentiæ professor, malè oculatus, familiaris ac præceptor M. Antonii Triumviri, cujus meminit Cicero *in Philip.* & Tranquillus.

Clodoaldus, vulgò *S. Clou*, fil. Clodomiri, Regis Aurelian. Post cujus obitum, apud Clotildem aviam Parisiis educatus, cum fratribus, his perfidiâ Clotarii patrui occisis, militum ope incolumis evasit; Hinc Monasticam vitam amplexus. Ejus Epitaphium & tumba hodieque visitur, in vico *S. Clou*, prius *Nogent* dicto. Greg. Tur. *l.* 3. *c.* 18. Aimon. *l.* 2. 12. Saussæus, &c.

Clodomirus, secundogenitus Clodovæi, ex Clotilde, Aureliani, Biturigum &c. Princeps. Quâ hæreditate non contentus, Sigilmundo fil. Gondebaldi bellum movit, Burgundiamque invasit, junctus Theodorico, Childeberto & Clotario fratribus, eo successu, ut fratre Gondemaro, qui Burgundo favebat devicto, ipsum cum uxore liberisque vivum caperet. Quos Aurelianum missos, paulò pòst, in puteum præcipitari jussit. Dein cum Theodorico fratre Gondemarum prope Viennam denuo vicit, sed dum nimis fervidè victoriam prosequitur, ab hostium globo occisus & capite truncatus est, an. 524. æt. 30. relictis ex Gondiocha, Theodebaldo, Gontario, & Clodoaldo. Viduam mox frater Clotarius duxit, duobus filiis occisis, tertio fugâ elapso. Greg. Tur. *l.* 3. Aimon. *l.* 2. &c.

Clodomirus I. ex vett. Galliæ ante Pharamundum ducibus, 8. Basami fil. regn. an. 18.

Clodomirus II. fil. Antenoris II. regn. an. 20. tempore obsessæ à Scipione Numantiæ.

Clodomirus III. fil. Marcomiri III. regn. an. 12. bello contra Rom. & Gallos celebris.

Clodomirus IV. fil. Marcomiri IV. regn. an. 7.

Clodomirus V. fil. Clodii II. Ducatum Franconiæ instituit, cujus frater Genebaldus Romanis fortiter restitit. Regn. an. 18. Monstrelet. *Cosmogr. l.* 3. Duplex *præf. in hist. Gall. cap.* 6.

Clodoveus I. Luduvinus, vel Ludovicus, successit an. 481. patri Childerico, an. æt. 15. Bellum intulit Siagrio, fil. Ægidii, in patris locum surrogato, quem victum occidit. Clotildi, quam conjugem duxit, fidem Christ. amplecti pollicitus, cum Germanis, prope Tolbiacum, acie confl. xit: ubi copiis ejus jam ad fugam spectantibus, promissi memor, Deo votum fecit, baptismo se abluturum, si victor evasisset. Quo facto, à S. Remigio, Episc. Remensi in fide institutus, & cum omnibus Francis baptizatus est, an. 496. *Hic Sanctum* oleum, per columbam allatum, clypeus liliis insignis & Auriflamma cœlitus demissa dicitur, *scrofulas sanandi dono insuper concesso. Quidquid horum sit*, Gundebaldum Burg. R. quòd fratrem Chilpericum, patrem Clotildis, necasset, punit: in Armorica res præclarè gessit, Alaricum Visigothorum R. Arianum, prope Pictavium propriâ manu, in pugna occidit, An. 507. audito prius boni ominis loco, à Legatis ejus Ps. 18. V. 43. & capreâ vadum monstrante in loco, qui hodieque *Le Pas de la Biche* dicitur. Ob res tam præclarè gestas, ab Anastasio Imper. coronâ aureâ pallioque purpureo donatus, Consul & Patritius appellatus est: Sed coronam Romam misit, quam in hæc usque tempora *Regnum* vocant. Tandem, contra Theodoricum, Ostrogothorum R. non usquequaque felix, Obiit an. 511. regni 30. vitæ 45. Relictis filiis, Theodorico ex concubina, Clodomiro, Childeberto & Clotario, ex Clotilde conjuge. Greg. Tur. *l.* 2. Aimon. *l.* 1. Hincmar. *in Vita S. Dionysii.*

Clodoveus II. fil. Dagoberti, ex Nantilde, sub tutela Magistrorum palatii, qui tum rerum summam ad se trahere incipiebant, successit, an. æt. 11. Non fine prudentiæ laude præfuit, pacis & Justitiæ cultor. Fame pressos subditos, argenteis laminis, quibus pater Templum S. Dionysii intexerat, venditis solatus est. Ex Batilde Angla, pater Clotarii III. Childerici II. & Theodorici I. Obiit an. 660. æt. 27. Aimon. *l.* 4. *Hist. Gall.*

Clodoveus III. fil. Theodorici I. sub Pipini Heristelli Majoris D. tutela, regnavit an. 4. *An.* 694. *obiit æt.* 14. Eo vivente Suevi & Saxones rebelles, à Pipino domiti. Aimon. *l.* 4. *c.* 48. Fredegarius &c.

Clodoveus, fil. Chilperici I. ex Audovera, videns fratres suos ex Fregedonde mortuos, seque successorem auguratus, imprudens hancce, quòd matem Audoveram indignè tractasset, verbis paulo asperioribus irritavit. Proin à novercâ apud Patrem accusatus fratricidii, mox credulitate ejus Fregedondi permissus est, quæ miserum strangulari & in torrentem projici curavit: Cadavere ex cæsarie prolixa à piscatore quodam agnito. Greg. Tur. *l.* 5. *c.* 39.

Clœlia, gens Patricia à *Clœlio*. Æneæ comite sic dicta. Festus & Dionys. *l.* 2. Fuit cum magistratibus annis plus minus 63. Albana fuit. Hinc fossæ Clœliæ, à Clœlio Albanorum Duce dictæ. Patritia quoque, sed minorum Gentium; Siculi cognomen tulit.

Clœlia, nobilis virgo Rom. quæ cum aliis virginibus Porsenæ Hetruscor. Regi obses data, deceptis custodibus, incolumis ad suos per Tiberim tranavit. Quamobrem Romani novam in fœmina virtutem, novo honoris genere ornandam rati, statuam ei equestrem in summâ Sacrâ viâ posuerunt, Livius *l.* 2. Virg. *Æn.* 8.

—— Pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluvium vinclis tranaret Clœlia ruptis.

Juven. *Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ*
Imperii fines Tyberinum virgo natavit.

La Mothe le Vayer in judicio *de Historicis Græcis*, inprimis de Dionysio Halicarn. fabulosam judicat hanc narrationem. Certè non uno modo ab omnibus recitatur. Vide Dionys. *lib.* 5. Aur. Victor *de Viris ill. c.* 13. Flor. *l.* 1. *c.* 10. Plut. *in Publicola* & *factis illustr. Fœm.*

Clœlius Gracchus, Volscorum & Sabinorum, adversus Rom. Dux; contra quem L. Quinctius Cincinnatus, Dictator creatus est: à quo, victis hostibus, in deditionem acceptus, & triumphi die ante currum est actus.

Clogio, vel *Clodio*, Franci fil. Francorum rex. an. 451. Vid. supra.

Clona, urbec. Hiberniæ, in Momonia prov. & Comit. Corcagiensi, 4. mill. à littore maris Vergivii, 15. à Lismora in Austr. totidem à Corcagia in Ortum.

Clonas, Elegiacus poëta fuit, & Epicus, qui tibicinas, regulas, & concentus constituisse primus memoratur, sicuti Terpander citharœdicas leges primus omnium pervestigasse narratur. Rhod. 9. 3.

Clonfertia, urbs Hibern. Episc. sub Arch. Thuamensi. In Connacia prov. & Comit. Gallivensi, ad Sineum fluv. qui paulo supra Sukiam recipit. 28. mill. Angl. à Galliva in Ortum, & 9. ab Atlona.

Clonia, Libyæ inter. lacus. Ptol.

Clonius, unus ex quinque ducibus Bœotorum, qui cum 50. navibus ad Trojam navigaverunt. Hom. *Iliad.* 2.

Closter, fusos in lanificio reperit, vide *Arachne*.

Clostra, Latii opp. in orâ apud Circeios, & Nymphæum fluv.

Clota, *Glota* Tacito, postea *Cluda* Scotiæ merid. fluv. ex Grampio monte in Occid. per Glasquum urb. fluens, *Cluid*, & *Clyd* teste Hect. Boëtio. Baudrando oritur in *Cludesdalia* prov. quam bifariam secat, Glasgoviâ rigatâ, dein inter Lenoxiam & Cuninghamiam prov. labitur, & in mare Hibern. se exonerat, ad Clotæ seu Glottæ æstuarium.

Clotarius I. filius minor natu Clodovei I. Suessionum primò, dein post fratres & nepotes mortuos, *totius Franciæ Rex. Bis in* Burgundia bellum gessit, Clodomiri fratris filios perfidè occidit. Theodorico fratri Thuringiam invadenti præstò fuit, prædâ & captivis contentus. Dein cum Childeberto, altero fratre acie conflicturus, tempestate prohibitus est: Hinc pax, & utriusq; in Hispaniam expeditio felix. Post obitum Theodorici & Theobaldi ejus filii, jam etiam Austrasiæ Rex, ad Visurgim Saxones & Thuringos rebelles cæcidit, an. 555. Quam felicitatem limis aspiciens oculis Childebertus, Saxones denuo ad turbas excitavit, filiumque ejus Chramnum corrupit, paulo pòst mortuus. Hinc Clotarius, totius Galliæ Monarcha, Chramno ignovit, mox eum ad ingenium redeuntem, cum uxore combussit. Anno pòst, in venatione febre lethali correptus, an. 561. æt. 61. regni 50. Strenuus, largus & prudens, sed sævus ac superbus: Hujus ultima vox: *Helas, quel pansez vous que soit le Roy du Ciel, qui fait ainsi mourir de si grans Rois sur la terre!* Maritus fuit plurium uxorum, binarum unâ vice sororum, Ingondes & Charegondes: pater Chereberti, Gontrani, Sigeberti, Chilperici Regum. &c. Hic Gualtero d'Yvetot occiso, ab Agapeto I. excommunicatus, regiunculam ejus in regnum erexisse dicitur, Gaguin. Haillanus, &c.

Clotarius II. cognom. Magnus, successit Chilperico I. mense æt. 4. Huic mater Fregedonde, timens Brunechildis artes, Gontrami Burgundiæ R. fidei commisit, à quo baptizatus est an. 591. Mox, Tutore mortuo ipsa contra Childebertum Austriaci R. tuita est, hoc in Suessionibus ingenti prælio devicto, cùm filium in ulnis militibus ostendisset. Mortuâ matre an. 596. filios Childeberti, Theodebertum & Theodoricum infestos habuit, quibus dein inter se collisis, totam Gallicam monarchiam nactus est. Domuit postea Saxones, Duce illorum propriâ manu occiso, punivit Brunehildem, & porro regno suo exornando incubuit, insignis justitiæ cultor. Obiit tandem an. 628. æt. 45. ex Bertrude, pater Dagoberti III. ex Sichilde verò Chariberti. Greg. Tur. *l.* 7. 8. &c. Aimon. *l.* 3. & 4. Fredegarius, P. Æmilius, &c.

Clotarius III. fil. Clodovei II. regnavit sub tutela matris Batildes: quæ ab Ebroino Majore D. pulsa est, hoc rerum potito. Obiit an. 674. an. regni 14. Vide Fredegar. Greg. Turon. *c.* 93. Continuat. Aimonii *l.* 4. *c.* 44. &c.

Clotarius fil. Theodorici III. vel, ut alii Dagoberti II. à Carolo Martello Rex proclamatus & Childerico, quem Reinfredus evexerat, oppositus est. Obiit anno pòst. A. C. 719. Mezeray, *hist. Gall. t.* 1.

Clotho, una Parcarum, quas Hesiodus *in Theogon.* Jovis, & Themidos filias facit, humanæ vitæ stamina dispensantes; dicta *Clotho* ἀπὸ τοῦ κλώθειν, quod *nere* significat. Fingunt enim poëtæ hanc colum gestare, & nendo humanæ vitæ terminum præscribere. Stat.

Quid bonus ille Deûm statuit, quid ferrea Clotho.

Seneca, *Utinam, antè manu grandæva suâ*
Mea rupisset stamina Clotho.

Ὑψίθρονος, *altum thronum habens* dicitur Pindaro, *in Isthm.*

Clotildis, vel *Chrotildis* Burgundica, fil. Chilperici, neptis Gondebaldi, Godegisili & Gondemari, Burg. Regum. Horum primus Gundebaldus cum secundo fœdus iniit, ad reliquos pellendos. Sic Gondemarus in turri ustulatus, Chilpericus cum filiis occisus, uxor ejus in Rhodanum præcipitatâ; sed filiabus venia data. Quarum junior Clotildis, apud Gundebaldum educata, nupsit Clodoveo I. eumque ad fidem perduxit. Quo mortuo, filios dissensione distractos doluit, quos tamen tempestate miraculosè obortâ mox conjunxit. Obiit an. 553. æt. 70. Clotarii II. Childeberti & Theodeberti, &c. mater. Sigebert. *in Chron.* Greg. Tur. *l.* 3. 4. & 10.

Clotildis, fil. Clodovei, ex Clotilde, nupsit Almerico, Visigothorum R. Ariano, à quo ob religionem crudeliter tractata, Childebertum fratrem vindicem invocavit, qui marito ejus devicto, sororem in Galliam reduxit. Vide Greg. Tur. *libr.* 3. *cap.* 10. 21. & 29. Aimon. *l.* 2. *c.* 8. & 9. Aliter paulo rem narrant Jornandes Gothus, & Isidorus Hisp.

Clotildis, *Clota*, vel *Crotildis*, uxor Theodorici I. Gall. R. An illa *Doda*, ob pinguedinem? Mezeray *epit. hist. Fr. tom.* 1. *p.* 111.

Clovesho via, urbs Angliæ: Ibi concilium an. 742. & 747. sub Ethelbado, Merciorum R. libertatis Ecclesiar. causâ. Item an. 800. & 803. sub Chenulfo. Porro a. 812. & 824. Vulg. *Clisfe* vel *Closvesho*.

Cluaca, Mediæ urbs. Ptol.

Cluacina, Venus sic dicta est à *cluendo*, i. e. *pugnando*, cujus simulacrum positum fuit eo loco, ubi pax inter Sabinos & Romanos, cùm propter raptas virgines pugnarent, facta est.

Cluana, urbs in orâ Piceni. Plin. 3. 13. V. sis Cluv. *Ital. Ant. p.* 733.

Cluda, vide *Clota*.

Cludesdalia, al. *Glottiana*, prov. Scotiæ meridion. in mediterr. Ibi urbs præcipua Glascovium, Archiep. ad Cludam fluv. qui eam medium secat.

Cluentii, gens plebeja Romæ, nullisque clara honoribus, à *Cloantho*, Æneæ comite dicti.

Cluentius, civis Romanus, ex municipio Latino, accusatus à matre Sassiâ, quòd Oppianicum vitricum interfecisset, defensus fuit à Cicerone, cujus adhuc extat longè optima oratio pro Cluentio. *Cluentiorum* familiam à *Cloantho* dictam affirmat Virg. *Æn.* 5.

Sergestusq; (domus tenet à quo Sergia nomen)
Centauro invehitur magnâ Scyllâq; Cloanthus
Cæruleâ, genus unde tibi Romane Cluenti.

Clundera, opp. Belgii permunitum, in Brabantia, sub Hollandis. Vix 1. leuc. à mari & à Guillelmistadio, 2. à Breda in Occas. In ins. Rugenllensi.

Clunia, urbs olim præcipua, ac conventus juridicus Hisp. Tarrac. in Arevacis, nunc pagus apud Durium Arandæ opp. finitimus. *Corunna del Conde* Clusio & Floriano. Populi *Clunienses*.

Cluniacum, Abbatia Gall. percelebris, caput Ordinis Cluniac. in Matisconensi agro, ad amnem *Grosne*, 4. leuc. à Matiscone in Occas. 6. à Caroliis, 13. ab Augustoduno in Austr. Fuit autem hic ordo institutus an. 910. à Bernone Abbate Guilielmi I. Ducis Aquitaniæ & Com. Alverniæ favore nixo, deditque Gregor. VII. Urban. II. Paschalem II. &c. Hic Innocentius IV. hospitatus est cum 2. Patriarchis, 12. Cardinalibus, 3. Archiep. 15. Episc. &c. ut & eodem tempore Ludov. IX. cum Duce Artesiæ, Balduino Imper. &c. an. 1245. unde amplitudo loci colligenda. Rod. Glaber, *hist. l.* 3. *c.* 5. aliique apud Morerium.

Clunium, Corsicæ urbs. Ptol.

Clupea, sive *Clypea*, civitas Africæ propriæ, à figura *Clypei* dicta. Lucan. *lib.* 4.

Inter semirutas magnæ Carthaginis arces
Et Clupeam, tenuit stationis litora notæ.

Hanc Solinus Græco nomine *Aspidem* vocatam tradit. Quod & ipsum non obscurè affirmat Sil. Italicus *lib.* 3.

In Clypei speciem curvatis turribus Aspis.

Ptol. verò duas urbes propinquas collocat in Africâ, quarum unam *Clypeam*, alteram *Aspidem* vocat.

Clusæ, vocantur Gallis & Germanis, angustiæ per Sequanos, in quibus perquam munitum propugnaculum in præruptis & altis Rhodano imminentibus saxis positum Bernates solo æquaverunt anno Domini 1536. quando Sabaudorum perfidiâ & jurisjurandi religione, quod Genevensibus civibus suis dederant, coacti sunt imperatore & auspice prudentissimo ac fortissimo Viro Francisco Negelino expeditionem in Allobroges facere. In quâ quicquid cis Rhodanum est & paulò ultra *Clusam*, in suam ditionem Dei virtute redegerunt; idque mense Januario cœptum & Februarii exitu finitum est. Vide *Clausulæ*.

Clusia, Tusci regis filia pudicissima, quam cùm Val. Torquatus Imper. Rom. vidisset, uxorem à Tusco petiit, eamque minimè consecutus, ejus opp. diruit. Clusia verò sese è turri dejiciens, tumefactis vento vestibus sospes ad terram delata est. Plut. *in Paral.*

Clusini, pop. Hetruriæ. Plin. 3, 5.

Clusini fontes, Tusciæ balnea in territorio Clusino, *Bagni di S. Cassiano*, teste Andreâ Bacio. Horat. *Ep. ad Valam*,

Qui caput & stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosq; petunt, & frigida rura.

Clusinus, dictus est Janus, quia in pace templi ejus portæ claudi solebant.

Clusiolum, opp. Umbriæ quod interiit, Plin. 3. 15.

Clusium, olim *Commersol*, Leandr. *descr. Ital.* opp. Tusciæ Mediterraneum, olim caput Hetruriæ, sub quo sepultus est Porsenna. *Chiusi* Leandro. Prope Clanim paludem, in domin. M. Ducis Hetruriæ; in confin. ditionis Pontif. & agro Perusin. 5. mill. à civ. Plebis, 20. à Perusia in Occ. 10. à lacu Trasimeno, in regiunc. *Val de Chiana*, à Clani palude ei adjacente. Baudr.

Clusium nov. castr. Hetruriæ, ad radices Apennini, prope fontes Tiberis fluv. 4. mill. tantùm ab Arno, in colle.

Clusius, fl. Gall. Cisalpinæ. Polyb. *lib.* 2. hodie *Chiese*. Ortus in Tridentina reg. per Edrinum lacum & Brixianum agrum fluit. ubi rigatis aliquot minoris notæ locis, in Ollium. fluv. labitur, juxta Canetum, opp. dit. Mantuanæ, quod aliàs Bedriacum dictum.]

Cluverius Philippus, Gedanensis, edidit an. 1616. Germaniæ libb. 3. ad hæc Vindeliciam & Noricum; exinde lustratâ Italiâ & Siciliâ veterem utriusque descriptionem emisit. Post obitum ejus, prodiit Introductio in universam Geogr. tam vet. quàm novam, quæ omnibus penè linguis loquitur. Geographorum suâ ætate facilè Princeps. Obiit Lugdun. Bat. an. 1623. æt. 43. Vide Dan. Heinsium. *Orat. fun.*

Cluvia, locus in Samnio, Liv.

Cluvidienus Quietus, post conjurationem Pisonianam, incertum ob quam causam, in insulas Ægæi maris permissus. Tacit. *l.* 15.

Cluvius, municeps Tarracinus, ordinem primipili duxit, pater Helvidii Prisci. Tacit. *Hist.* 4. 5.

L. Cluvius, eques Rom. cujus filia fulmine tacta, obscœnum in modum nudè jacuit, linguâ paululum exerta, equo etiam cui insidebat exanimato, quæ res equestri ordini & virginibus infamiam, quæ mox secuta est, portendit. Vestales enim nobilissimæ cum aliquot equitibus Romanis incesti pœnas subierunt. Jul. Obsequens *Helvium* vocat, Orosius *Ælium*.

Cluvius Ruffus, Consul, vir facundus & pacis artibus egregius, belli inexpertus, Hispaniæ tempore Galbæ præses. Tacit. *Hist.* 1. *c.* 8. Postquam ex Hispaniâ allatum, jurasse in Othonem provinciam, laudatus est per edictum. Ibid. *c.* 76. Scripsit res, sub imperio Neronis, gestas, Tacit. *l.* 1. & 14. Plin. *l.* 9. *ep.* 19. Suet *in Nerone c.* 21.

Cluvius Rufus, Quæstor, an. 693. sub Pisone Calpurniano & Val. Messala Nigro Coss. Cic. *epist. fam. l.* 13. *ep.* 56. ad Atticum, *epist. l.* 6. *ep.* 2. Vide quoque Voss. *de Hist Lat. lib.* 1. *c.* 27. *p.* 144. 145.

Clydesdalia, prov. Scotiæ, Merid. à Clyda fluv. quasi bifariam secta. Vide *Cludesdalia*.

Clylipenus sinus. Vide *Clilipenus*.

Clymene, Oceani ac Tethyos filia, Japeti uxor. Hesiod. *in Theog.* Virg. *Georg.* 4.

Inter quas Clymene curam narrabat inanem
Vulcani, Martisq; dolos, & dulcia furta.

Clymene, quæ Apollini Phaëthontem peperit, ejusque sorores Heliadas, quæ & *Clymeneides* vocantur: Auctor filio, ut paterni currus moderamen sibi peteret. Ovid. *lib.* 2. *Met.* De illa idem *ad Liviam*,

Sic flevit Clymene, sic & Clymeneides altæ,
Quum juvenis patriis excidit ictus equis.

Inde *Clymeneus*, ut *germina Clymenea*, i. e. *populorum germina.* Stat. 1. *Sylvarum*:

—— Queritur jam Seras avaros
Augustum spoliare nemus, Clymeneaq; deesse
Germina, nec virides satis illacrymare sorores.

Item *Clymeneius* aliud adjectivum. Ovid. *Met.* 2.

—— Proles Clymeneia, pro Phaëthonte.

Clymene, ministra Helenes, particeps consiliorum dominæ, furtorumque ejus internuncia, quæ etiam Trojam illam est secuta. Hom. *Il.* 3. Ovid. *Ep.*

Cætera per socias Clymenen Æthramq; loquemur,
Quæ mihi sunt comites, consiliumq; duæ.

Clymenus Pluto dicitur, quam ob causam Etymologi Auctor docet. *Clymenus*, inquit, *proprium nomen Herois* παρὰ τὸ κλύω, τὸ δοξάζω. Subdit, Ἔστι καὶ ἐπίθετον Ἅδου, τουτέστιν ὁ πάντας καλῶν εἰς ἑαυτὸν, ἢ ὁ ὑπὲρ πάντων ἀκουόμενος. Antholog. *lib.* 3.

—— Εἰς Ὀρφέα.

Ὃς καὶ ἀμειλίκτοιο βαρὺ κλυμένοιο νόημα,
Καὶ τὸν ἀκήλητον θυμὸν ἔθελγε λύρῃ.

Clypea, vide *Clupea*.

Clypenus, maris Germanici sinus Plinio, qui *Venedicus* Ptol. dicitur, Germanis *Frischaff*, teste Ortelio, aliàs *Pantzervvick*.

Clysma, præsidium in Ægypto, ad sinum Arabicum. Ptol.

Clystrus, Ciliciæ opp. Ptol.

Clytæ, Macedoniæ pop. Plin.

Clytemnestra, Tyndari & Ledæ filia, uxor Agamemnonis, quæ belli Trojani tempore, mutuo Ægisthi amore capta, turpissimis cum eo voluptatibus sese implicuit, virumque captâ jam Trojâ, in patriam redeuntem, ab adultero adjuta per insidias interfecit, idem Oresti filio factura, nisi eum Electra soror certissimæ neci eripuisset, & ad Strophium regem clam misisset educandum, qui postea adultus Argos rediit; ubi unà cum hospitibus Phocensibus (quos Strophius ad Ægisthum miserat, tanquam Orestis mortem nunciaturos) ad Clytemnestram intromissus, unà cum adultero eam necavit. Vellej. Patercul. *l.* 1. Euseb. *in Chron.* Soph. *in Electra.* Eurip. *in Oreste.* Ovidius,

Et vindex in matre patris malus ultor Orestes,
Ausus in arcanas poscere tela deas.

Propert. 3. 19.

Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piavit amor?
Quidve Clytemnestra, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopæa domus.

Horat. *Serm.* 1. *Sat.* 1.

—— At hunc liberta securi
Divisit medium fortissima Tyndaridarum.

Juvenalis,

Manè Clytæmnestram nullus non vicus habebit.

Idem, *—— Tyndaris ille bipennem*
Insulsam & fatuam dextrâ lævâq; tenebat.

Clytia, sive *Clytie*, una ex Oceani nymphis aliquandiu ab Apolline adamata, donec illa Apollinis cum Leucothoë concubitum Orchamo patri ejus indicavit. Quare iratus Apollo gravissimo odio eam prosecutus est. Illa verò amoris impatientiâ, cibo & potu abstinens, Solem quacunque iter faciebat, oculis sequebatur, tandem fame, & dolore consumpta, mutata est in Heliotropium. Ovid. *Met.* 4. *fab.* 5. & 6. Fuerunt & duæ aliæ *Clytiæ*. altera Amphidamantis filia, uxor Tantali, mater Pelopis, cujus meminit Eurip. Schol. Altera verò Amyntoris concubina, cujus calumniis Amyntor filium Phœnicem excæcavit, qui postea à Chirone cæcitate levatus rex Dolopum factus est.

Clytius, filius Laomedontis, Priami frater. Hom. 10. *Iliad.* Item juvenis quidam à Cydone adamatus. Virg. *Æneid.* 10.

Tu quoq;, flaventem primâ lanugine malas
Dum sequeris Clytium, infelix nova gaudia Cydon.

Clytus, in censu Centaurorum, nuptias Pirithoi turbantium. Ovid. 6 *Metam.* Flacc. *Argon.* 1. *vers.* 146.

Clyzæi, nomen pop. qui medii ponuntur, inter Ænianas, & Dolopas, à Diod. *l.* 18. Alii legunt *Cyzæi*.

Clyzomene, opp. Bithyniæ, *Tegiur Zair*, Leuncl. inter Nicæam & Nicomediam.

CN.

Cnacadium, mons in Laconicâ reg. Pauf. Aliis *Cnacalous*.

Cnacalus, mons Arcadiæ. Pauf. Inde *Cnacalysia* Diana.

Cnæus, ab aliquâ insigni re, quasi γενναῖος, vel à γενεᾶς, generatione futurâ dictus, teste Festo. Valerius à nævo tractum putat, quòd eo prænomine præcipuè nominarentur, qui nævum aliquem nascentes habuissent. *Næum* autem antiqui, præposito C. Cnæum dicebant, atque lit. G. sono pronunciabant, tradente Diomede. A Cnæo seu *Næo Næviorum* gentis nomen deductum *Cnæjorum* quoque familiam ab hoc prænomine oriri quidam existimant. Ea porro Domitiorum familia, cui Ahenobarbi fuit cognomen, ex quâ Nero originem duxit, nulla alia prænomina præterquam *Cnæi* & *Lucii* usurpavit, eaque ipsa notabili varietat : Nempe continuantes unum quandoque per ternas personas, modò alternantes per singulas: Primum enim, secundum ac tertium Ahenobarborum Lucios, rursus sequentes tres ex ordine Cnæos, reliquos nonnisi vicissim tum Lucios tum Cnæos, auctore Suetonio *in Nerone*.

Cnagia, Diana dicta est à *Cnagio* Spartano, qui in bello à Castore & Polluce in Aphidnam gesto captus est, & à Cretensibus venditus, cum Deæ simulachro in patriam aufugit. Paulo aliter rem narrat Pausan. *Lacon. l.* 3.

Cneceius, Laconiæ fluv. Lycophr.

Cnemis, Cnemides Melæ & Ptol. opp. Bœotiæ cum monte cognomine in orâ, Opunti finitimum, ex quo Locri *Epicnemides* dicuntur. *Eretia* hodiè nonnullis est,

Cnemus, Dux Lacedæmonius, contra Acarnanas nauticâ expeditione infelix. Thucyd. *lib.* 2.

Cneph, Ægyptiorum Deus, quem unicum mundi opificem putaverunt. Quod ex Plut. cognoscere est, *de Iside & Osir.* Sed apud eum in Aldinâ, Stephanicâ, & postremâ Parisinâ Κνηφαγένητον legas. Sic enim locus iste emendandus ex sententia Vossii patris: Θηβαΐδος κατοικοῦντες ὡς θνητὸν οὐδένα θεὸν νομίζουσι· ἀλλὰ ὃν καλοῦσιν αὐτοὶ Κνὴφ ἀγέννητον ὄντα, καὶ ἀθάνατον. Testis quoque Porphyrius apud Euseb. *in* 3. *Præp. Evang. cap.* 12. ubi similiter traditur, Ægyptios unum statuisse Deum, puta τὸν δημιουργὸν, sive *opificem mundi*, atque eum vocitasse Κνὴφ, ejusque simulachrum ex ore ovum effudisse, ut mundi esse opificem significetur, nam ovum Mundi symbolum Ægyptiis fuit. Videtur autem *Cneph*, idem ac *Cnuphis*, de quo Strabo *lib.* 17. cujus templum ait esse in Syene; ea autem Thebaidos pars.

Cneus, cognomen apud Romanos, quod idem à *nævo* deducitur, præpositâ *C.* literâ. Cùm autem id proferebant antiqui, inquit Priscianus, *G* pro *C.* efferebant. Vide *Cnæus*.

Cneus Aquilius, Comicus insignis. Varr. *de LL. l.* 5. A. Gell. *l.* 3. *c.* 3.

Cneus Aufidius Orestes, Cos. Coll. P. Corn. Lentuli, an. *U. C.* 683.

Cneus Bæbius Pamphilius, Cos. cum L. Æmylio Paulo, an. *U. C.* 615.

Cneus Calphurnius Piso, Cos. cum M. Popilio Lænate, an. *U. C.* 572.

Cneus Calphurnius Piso, Cos. cum C. Cæsare Octaviano, an. *U. C.* 731. Secundò cum Cl. Tiberio Nerone, an. 747.

Cneus Cinna Magnus, Cos. cum L. Valerio Messala, an. *U. C.* 757.

Cneus Cornelius Asina, Consul cum C. Genutio Clepsinâ, anno *U. C.* 483.

Cneus Cornel. Blæsus, Cos. cum M. Attilio Regulo, an. *U. C.* 406.

Cneus Cornelius Cethegus, Cos. cum Cl. Minutio Rufo, an. *U. C.* 557.

Cneus Cornelius Cossus, Trib. Militum, an. *U. C.* 342.

Cneus Cornelius Cossus, Consul cum L. Furio Medullino, an. *U.C.* 34·.

Cneus Cornelius Cossus, Cos. cum M. Tullio Decola, anno *U.C* 673.

Cneus Cornelius Gallus, poëta. Virgilio amicissimus, vide *Gallus.*

Cneus Cornelius Lentulus, Consul cum P. Ælio Pæto, anno *U.C.* 533.

Cneus Cornelius Lentulus, Cos. cum P. Cornelio Lentulo, an. *U. C.* 736.

Cneus Cornelius Lentulus Clodianus, Cos. cum P. Licinio Crasso, an. *U. C.* 657.

Cneus Cornelius Scipio Asina, Cos. cum C. Duilio, anno *U. C.* 93.

Cneus Cornelius Scipio Calvus, Cos. cum M. Claudio Marcello, an. *U. C.* 532.

Cneus Cornelius Scipio Hispalus, Cos. cum Q. Petilio Spurino, anno *U. C.* 578.

Cneus Domitius Ænobarbus, Cos. cum C. Quintio Flaminio, an. *U. C* 562.

Cneus Domitius Ænobarbus, Cos. cum Lucio Fannio, anno *U. C.* 639. & cum C. Cassio Longino, an. *U.C.* 658.

Cneus Domitius Ænobarbus, Cos. cum Cajo Sossio, an. *U.C.* 722.

Cneus Domitius Ænobarbus, Cos. cum Fur. Camillo Aruncino Scriboniano, an. *U. C.* 784.

Cneus Domitius Calvinus, Cos. cum L. Corn. Scipione, anno *U. C.* 423.

Cneus Domitius Calvinus, Cos. cum M. Valerio Messala, anno *U C.* 701. & cum C. Asinio Pollione, an. 714.

Cneus Domitius Calvus, Cos. cum P. Corn. Dolabella, an. *U. C.* 470.

Cneus Fabius Vibulanus, Consul cum L. Quinto Capitolino, an. *U C.* 335.

Cneus Fulvius Centumalus, Consul cum P. Sulpitio, anno *U C.* 543.

Cneus Fulv. Centumalus, Cos. cum L. Cornelio Scipione, an. *U. C* 455.

Cneus Fulv. Centumalus, Cos. cum L. Posthumio Albino, an. *U. C.* 525.

Cneus Gellius, hist. Lat. Annalium conditor. A. Gellio & Dion. Halicarnass. sæpe laudatus. Vide etiam Plin. *lib. 7. cap.* 56. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 16.

Cneus Genutius Pansa, Trib. Mil. an. *U.C.* 357.

Cneus Julius Mento, Cos. cum Q. Cincinnato Pœno, anno *U. C.* 315.

Cneus Lentulus Augur, Cos. cum M. Licinio Crasso, anno *U C.* 740.

Cneus Lentulus Gætulicus, Cos. cum C. Calvisio Sabino, anno *U C.* 778.

Cneus Lentulus Marcellinus, Cos. cum L. Mario Philippo, an. *U.C.* 498.

Cneus Manlius Capitolinus, Cos. cum M. Popilio Lænate, an. *U.C.* 397. & cum C. Mario Rutilio, an. 399.

Cneus Manlius Cincinnatus, Cos. cum M. Fabio Vibulano, anno *U. C.* 274. missus, ut Scipioni Asiatico succederet, triumphi desiderio actus, Galatis bellum intulit, quòd Antiocho adstitissent: Quo Ortiagontis devicti Regis uxor, contumeliam sibi à Centurione illatam egregiè ulta est. Aurelius Victor *capite* 55. Vide *Chiomara.*

Cneus Manlius Vulso, Consul cum M. Fulvio Nobiliore, anno *U C.* 565.

Cneus Octavius, Consul cum T. Manlio Torquato, anno *U. C* 589.

Cneus Octavius, Cos. cum T. Annio Ruffo, an. *U.C.* 626.

Cneus Octavius, Cos. cum L. Corn. Cinnâ, an. *U C.* 667. & cum Scribonio Curione, an. 678.

Cneus Papyrius Carbo, Cos. cum L. Corn. Cinnâ, an. *U.C.* 669. Secundò Consul cum eodem, an. *U. C.* 770. Denique cum C. Mario C. Filio, an. 972.

Cneus Pompejus Magnus, vide *Pompejus.*

Cneus Pompeius Strabo, Cos. cum C. Sempronio Blæso, anno *U. C.* 560.

Cneus Pomponius Strabo, Cos. cum Lucio Porcio Catone, an. *U. C.* 765. Picentes Marsosque in potestatem redegit.

Cneus Servilius Cæpio, Cos. cum Cn. Servilio Gemino, anno *U C.* 551.

Cneus Servilius Cæpio, Cos. cum Cn. Pompeio Nepote, anno *U. C.* 613.

Cneus Servilius Fidenas, Trib. Mil. an. *U C.* 370.

Cneus Servilius Geminus, Consul cum C. Quintio Flaminio, an. *U. C.* 537.

Cneus Servilius Geminus, Cos. cum C. Servilio Cæpione, an. *U. C.* 551.

Cneus Vetusius Geminus, Cos. cum T. Ebutio Helva, anno *U. C* 255.

Cnidinium, nomina munimenti circa Ephesum. Diodor. *l.* 14.

Cnidus, vel *Gnidus*, Plinio & aliis, *Stadia*, *Capo Crio* teste Sophiano, *Chio* aliis, Doridis in Caria urbs, & promunt. quod inter oram australem & occiduam in mare velut peninsula excurrit contra Nisyrum insulam. Baudr. inter Ceramicum sinum & mare Carpathium, 70. mill. ab Halicarnasso in Occas. Hic erat Veneris imago, opus Praxitelis inæstimabile, ubi & ipsa Venus colebatur. Horat. 1 *Carm.* 30.

O Venus regina Cnidi Paphiq;.

Ovid. 10. *Met.*

Piscosamq; Cnidon, gravidamq; Amathunta metallis.

Hodie miser vicus est *Cap. Chio* vel *Crio* Coloniam olim Lacedæmoniorum fuisse, & incolas Isthmum perfodere conatos Oraculo destitisse, refert Herod. *l.* 1. Vide *Gnidus.*

Cnopupolis, urbs Jonum, à *Cnopo* quodam. Steph. in *Erythra.*

Cnopus, ex Codri posteris; Dux Coloniæ Jonicæ deducendæ. De quo Polyæn. *lib* 8.

Cnopus, flumen, idem qui *Ismenus.*

Cnossus, in primo γεωγραφικῶν τ̃ Ἀσίας citatur ab Apollonii Scholiaste *in lib.* 4. ubi ait, Ægyptios esse omnium antiquissimos. Vossiu *de H G. l.* 3. *p.* 346.

Cnossus, vide *Gnossus.*

Cnoxus Johannes, Scotus, cùm, domi hæreseos damnatus, in Angliam se recepisset, & Eduardo mortuo Genevam se contulisset, in patriam reversus, anno 1559. Evangelium ibi annuntiavit. Obiit anno 1572. ætat. 57. postquam in Ecclesia Edinburgensi Evangelium docuisset annos 13. Scripsit res Patriæ.

CO.

Co, Ægypti urbs, Ptol.

Co, *Coos*, vel *Cos*, insula in mari Ægæo, seu, ut quidam ajunt, in Icario, Rhodo proxima, & Cariæ opposita, quæ olim magna fuit, & optime habitata, & aspectu jucundissima iis, qui eò navigabant. Ambitus ejus quingentis & quinquaginta stadiis clauditur, tota fertilis, & vino optimo abundans, proinde olim opulenta. Patria Hippocratis, Apellis, &c. Notum in illâ vestes sericas, seu bombycinas ex bombyce vermiculo à mulieribus texi solitas. Id quidem de *Ceâ*, vel *Ciâ* insulâ Atticâ prope Eubœam, post Varronem, nonnulli tradunt. In his Plinius, qui *l.* 4. *c.* 12. hæc habet in *Cei* descriptione: *Ex hâc profectam delicatiorem fœminis vestem, author est Varro.* Et rursus *lib.* 11. *cap.* 22. de bombycibus: *Telas aranearum modo texunt, ad vestem luxumq; fœminarum, quæ bombycina appellarunt. Prima eas redordiri rursumq; texere invenit in Ceo, mulier Pamphila, Latoi filia, non fraudanda gloriâ excogitatæ rationis ut denudet fœminas vestis.* Et Plinii simia Solinus, *Ceos, quâ Varro testis est, subtilioris vestis amicula arte lanificæ scientia prima in ornatum fœminarum dedit.* Sed docti pridem observarunt, Pamphilam Latoi filiam, quæ invenisse dicitur id genus texturæ subtilioris, *Coam* fuisse, non *Ceam* Ita habet Aristot. *de Hist. Anim.* 5. 19. Πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν Κῷ Παμφίλη Λατώου θυγάτηρ: Nimirum τὰ βομβύκια *bombycina*, de quibus eo loco res est. Et verò bombyces, unde texuntur, in Cô insulâ nasci vel ex Plinio constat, qui id refert pluribus *lib.* 11. *cap.* 23. Unde est, quòd *Coa vestes*, passim celebrantur apud poëtas, *Cea* nusquam, quod quidem sciam, verba sunt Viri Magni *de Phœn. Col. l.* 1. *c.* 7. Tibullus 2. 4.

—— *Coa puellis*
Vestis, & è rubro lucida concha mari.

Et *Eleg.* 6.

Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texuit. ——

Propert. 1. ad Cynthiam:

Et tenues Coâ veste movere sinus.

Et *lib.* 1. ad Mæcenatem:

Sive togis illam fulgentem incedere Cois,
Hoc totum è Coâ veste volumen erit.

Et *lib.* 4. in fabulâ Vertumni:

Indue me Cois, fiam non dura puella.

Et ad Lenam,

—— *Coa textura Minerva.*

Item, —— *Coa dederit nec munera vestis.*

Ovid. *lib.* 2. *de Arte*:

Sive erit in Cois, Coa placere puta.

Horat. *Sat.* 2.

—— *Cois tibi pane videre est*
Ut nudam. ——

Ubi Acron, *Perlucida utitur veste, ut ita nuda conspici possit. Hæc enim vestis in Co insulâ conficitur, per cujus nimiam subtilitatem, quæ sunt interiora translucent.* Ex utrâque sententiâ conflata sunt hæc Isidori *l.* 14. *c.* 6. *Coos insula adjacens provincia Atticæ, in quâ Hippocrates medicus natus est, quæ, ut Varro testis est, arte lanifici prima in ornamentum fœminarum inclaruit.* Plinium enim & Solinum sequi videtur, cùm eam insfacit vicinam Atticæ, quasi de *Ceo* agatur. Sed ad inf. Caricam planè pertinet, quòd ibi natus traditur Hippocrates. Is enim *Cous* fuit, non *Ceus*. His ita observatis facile erit eruere *Cos* etymon. Hebræis קו *cau tenue filum* est,

est, vel *funiculus*, LXX. σπαρτίον exponunt, & Symmachus σχοινίον, Job. 38. 5. Rursus ex קו *cau* est מקוה *netum*, vel *opus subtilissimum* ex Ægypto advectum, 1. Reg. 10. 28. & 2. Paral. 1. 16. ubi vulgatus *de Coa*, quasi sit loci nomen: Nec multò aliter Græci interpretes. Denique huc pertinet, quòd קו *Co*, vel קוה *Coa* vocata est à Phœnicibus ins. texturæ delicatioris artificio nobilissima. Phœnices enim, Coam aliquando tenuisse, vel inde apparet, quòd urbs insulæ cognominis olim dicta est Astypalæa. Strab. *lib.* 14. Ἡ δὲ τῶν Κώων πόλις ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν Ἀστυπάλαια. Nempe ab illâ ipsâ Astypalæâ Phœniciis filiâ. Hinc Stephanus, Ἀστυπάλαια νῆσος μία τῶν Κυκλάδων, &c. Δευτέρα πόλις ἐν Κῷ. In hac insula porro templum Æsculapii famosum, & pulcherrima Veneris statua, quâ Augusti tempore Romam allatâ, Imperator Insulanis 100. talenta annui reditus remisit. Strabo *lib.* 14. Aristot. *hist. anim. l.* 5. *cap.* 19. Plin. Ptolom. Hodie Turcis *Stanco* vel *StanKou*, Niger.

Coa, oppidum in Arab. Fel. Ptol.

Coama, Vulg *Coame*, & *Cuame*, fluv. Africæ merid. in regno Monomotapæ. Oritur ex lacu *Zachaf*, & in Oceanum Æthiop. se exonerat, prope Zofalam Urb. in Cafreria regione.

Coamani, Asiæ pop. Mela.

Coanca, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Coanza, fluv. Afr. meridion. in parte meridionali regni Congi, versus regnum Angolæ. Exit ex lacu *Zaire*, & in Ocean. Æthiop. se exonerat, prope urbem S. Pauli de Loanda.

Coatra, seu *Coactra*, pop. Coatram montem, inter Assyriam, & Mediam incolentes. Lucan. *l.* 3.

Æthera tangentes silvas liquere Coatrâ.

Coba, Æthiopiæ emporium in Avalite sinu. Ptol.

Cobali, dæmones erant in comitatu Bacchi. Aristoph. Schol. *in Plut.* Κόβαλοι δαίμονές εἰσί τινες σκληροὶ περὶ τὸν Διόνυσον ἀπατεῶνες. Atque hinc Κοβαλεία est *versutia*, & *astus*. Origo vocis est חבל *Chebel.* Hebræi, Syri, ac Arabes, *funes, laqueos*, & *pedicas* sic vocant. Unde secundariâ significatione est *techna, machinatio*; sic Psal. 19. 61. *Funes impiorum circumplexi sunt me*, id est, *doli.*

Cobandi, Germaniæ gens, Ptol.

Cobatas, Medus, magus celebris, quo tempore Alex. bellum movebat in Bactrianos. Curtius *l.* 6.

Cobilus, Bithyniæ fluv. videtur, apud Flaccum *lib.* 5. *Argon.* Hunc Hermolaus putat ab Apollonio *Crobialum* appellari. An idem à Livio *Cobulatus*, dubium est.

Cobiomagum, nunc *Cabaignac*, locus prope fontes amnis *Girou*, in Occitania, inter Tolosam & Carcassonem, in Auraciensi tractu, 3. leuc. à Pontiopoli in Occas.

Coblius, vicus in Libyæ nomo. Ptol.

Coboris, Arabici Sinus Ins. Plin.

Cobrys, urbs Thraciæ. Steph.

Cobuela, Maurit. Tingitanæ locus. Steph.

Cobum, vel *Cobus*, Colchidis flu. è Caucaso erumpens, & aureis arenis abundans, unde velleris aurei fabula à poetis tantopere celebrata originem duxit.

Coburgum, opp. Franconiæ, Duc. tit. clarum, in dominio Princip. ex Saxon. familia. Habitavit hîc Joh. Ernestus, qui divisâ cum Fratre Joh. Friderico Electore A. C. 1542. hæreditate paternâ partem Franconicam nactus, bello Smalcaldico Cæsari Wittebergam tradidit, ut fratris vitæ consuleretur. Dein Johanni Wilhelmo, Joh. Friderici II. fratri, fil. Joh. Friderici El. juniori cessit: à quo Aldenburgica, & Vinariensis hodierna, familiæ ortæ sunt. V. Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor.* Distat 6. leuc. à Bamberga in Bor. eratque olim pars Comitatus Hennebergensis. Vid. *Melocabus.*

Cocaba, Basanitidis regnum, vicus circa Palæstinam. Epiphan.

Cocala, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. Item locus Carmaniæ regionis in litore maris. Arrian.

Cocalia, Ponti Cappadocici urbs. Ptol.

Cocalus, Siciliæ rex, qui Dædalum Minois iram fugientem hospitio suscepit, quem cùm Minos illuc usque prosequeretur, à Cocali filiabus fuit interfectus. Ovid. *Met.* 8. Stephanus *Cocalum*, Dædali filium, in Camico imperasse scribit. Euseb. verò *an.* 726. *Abrahami*, & Diod. Sic. *lib.* 4 Dædalum in balneo Cocali jussu suffocatum referunt, metu Minois.

Cocanicus, Siciliæ lacus, ex quo *salem Cocanicum* nominamus. Plin. 31. 7.

Coccejus, viri nomen. Horat. *lib.* 1. *Sat.* 5.

Interea Mæcenas advenit, atque
Coccejus. Ibidem,
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa.

Coccejus Johannes, Bremensis, in Academia Lugduno Batavâ, Theologiæ Professor celeberrimus. Scripsit *in Jobum, Psalmos*, τὸ Δωδεκαπρόφητον, *in ultima Mosis, in Epist. ad Romanos*, aliaque quamplurima, quæ omnia aliquot Volum. in fol. junctim nunc prodeunt Lugduni Batav. Obiit haud pridem. *Excitatus divinitus est, ad provehenda altiùs Lingg. Orient. studia, & reseranda nobis Judæorum sacraria. Nullus enim Christianorum tantum in Thalmudicis unquam præstitit quantum ille eruditissimo, & de quo non nisi eruditissimi judicabunt, scripto.* Amama *in epist. ad Martinium.*

Coccejus Nerva, Imp. Vid. *Nerva.*

Coccejus Nerva, Jurisperitus, Consulatu functus, Tiberio in secessu Campaniæ comes. Tacit. *l.* 4. Sergio Galba, L. Sullâ Coss. integro statu, corpore illæso moriendi consilium cepit: Ac frustra à Tiberio revocatus, abstinentiam cibi conjunxit, *l.* 6.

Coccejus Nerva, cui, post conjurationem Pisonianam detectam, Prætori designato, Nero triumphale decus tribuit; de quo Tacit. XV. 72.

Coccejus Proculus speculator, cui de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum, suâ pecuniâ emptum dono dedit Otho jamjam spes imperii agitans. Tacit. *Hist.*

Coccius Thomas, Medicinæ D. & Ethices in Acad. Basil. Professor, Obiit an. 1610. Academiæ tantùm non fatali.

Cocconaga, Indiæ intra Gangem pop. Ptol.

Cocconagora, urbs Indiæ extra Gangem, ubi nunc forsan *Achem*, urbs Ins. Sumatræ præcipua, in ora Boreali. Sanson.

Cocconogata, urbs Sinarum, *Ciangenor* Mercatori. Item urbs Indiæ extra Gangem. Ptol.

Coccygius, Peloponnesi mons ad Inachum fluv. unde *Coccyxus* dictus. Plut. de Flum. *Coccyx* à Pausaniâ dicitur; unde *Coccygius* Jupiter.

Coccynum, promuntorium circa Siciliam. Appian.

Coccyum, oppidum Angliæ in agro Lancastrensi. *Cockley* Camdeno.

Cocermutium, opp. Angliæ in Cumbria, ad Coceram amnem, 5. mill. Angl. ab ora maris Hibern.

Coche, Arab. desertæ op. Ptol.

Cochebas, Vid. *Barcochebas.*

Cochinum, Urbs Indiæ episc. sub Ar. Goano. Etiam *Colchi* & *Cottiara*. Vid. ibi. Hic ingens vis Christianorum S. Thomæ, quorum Præsul Chaldæâ linguâ sacra facit. Caput est regni in ora Malabarica; Lusitanis recens erepta à Batavis. Duplex est, Superior & Inferior quæ ad Mare. Osor. *lib.* 3. Linschot. Jarric. Miræus *histor. Ecclesiast.*

Cochlearia, Sardiniæ locus. Anton.

Cochleari, Vid. *Geneva.*

Cochlusa, ins. juxta Lyciam à *cochleis*, quæ ibi inveniuntur. Stephanus.

Cochrynna, Thraciæ fluv. quem ab ovibus potum, nigros facere fœtus scribit Antigonus *in Mirabil.*

Cocillum, Mysiæ op. Plin.

Cocinchina, regn. Asiæ, in Indiâ ulter. ubi aliàs Sindi pop. juxta sinum magnum, nunc Cocinchinæ sinum. Hunc habet ab Oriente, à Mer. regnum Ciampæ, ab Occ. Cambojam & Laos pop. à Septentr. regnum Tunchini. Dividitur in provincias sex; & aliquando Cocinchina cum Tunchino unâ voce, *regnum Annanum* seu *Annamiticum* dicitur. Incolis *Cachu* vel *Kachochin* vocatur. Sedes regia *Kehue*, aulâ Principis magnificâ & numero Nobilium celebris est; commercium hîc ingens, auri, argenti, serici, Sinicorum fictilium seu vasorum porcellaniorum, &c. Alex. Rhodius *Itiner.* Mendoza *p.* 2. *l.* 3. *&c.*

Cocintos, vel *Cocintum*, inter Leucopetram, & Lacinium promontorium. Vide Plin. 3. 5. De nomine Bochartus, *Phaleg.* 3. 5. Eòdem refero, inquit, quòd Cocinthum quasi חק כתים *Choque Citthim, terminum Cittæorum*, veteres appellarunt extremum Italiæ promuntorium, de quo Polybius *lib.* 2. Τὸ καλούμενον ἀκρωτήριον τῆς Ἰταλίας εἰς τὴν μεσημβρίαν ὃ προσαγορεύεται μὲν Κόκινθος. Videtur esse, quod vocant hodie *Capo di Stilo.* Plin. 3. 10. *Cocinthum esse longissimum Italiæ promuntorium aliqui existimant.* Et in Antonino Cocinthum op. XXII. M. pass. distat à Scylace, vel Scylacio hodie *Shilaci.*

Cocles, vir Rom. qui, Porsennâ rege per Sublicium pontem transire conante, solus hostium impetum sustinuit, donec à tergo pons à sociis frangeretur; quo facto, se cum armis præcipitavit in Tyberim; Et licèt vulnus acceperit in coxa, fluvium tamen tranando ad suos pervenit, unde est illud ab eo dictum, cùm ei in comitiis coxæ vitium objiceretur, *Per singulos gradus admoneor triumphi mei.* Val. Max. 3. 2. Virg. *Æn.* 8.

Illum indignanti similem similemque minanti
Aspiceres, pontem auderet quòd vellere Cocles.

Juvenal. *Sat.* 8.

Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ
Imperii fines Tiberinum virgo natavit.

Est autem *Cocles*, idem quod *unoculus.* Originem ponit Varro *lib.* 6. *Ab oculo*, inquit, *cocles, quasi ocles dictus*, qui unum haberet oculum. Verùm omnino corruptum ex Græco κύκλωψ, quod notat μονόφθαλμον: *Cocles* verò *unoculum* notare, præter Varronem docet Plaut. *Curculionis act.* 3. *sc.* 1.

Ly. *Unocule salve.* Cu. *Quæso deridesne me?*
Ly. *De Coclitum prosapiâ te d'esse arbitror.*

Ubi per Coclites non Romanorum familiam intelligit, sed Arimaspos,

maſpos, ut notat Turnebus *Adverſ.* 23. 26. Idem judicium eſto de illo Ennii apud Varron. *lib.* 6.

Decem coclites, quos montibus ſummis
Ripeis fodere. —— ——

Nam Arimaſpos in Ripheis montibus ponunt Herodotus & alii. Addam & Plinii locum 2. 37. *Qui altero lumine orbi naſcerentur, coclites vocabantur.* Vide *Cyclops*.

Cocluzabala, Vid. *Coduzabala*.

Cocoſſates, Aquitaniæ populi.

Cocoſſii, Maurit. Tingitanæ gens. Ptol.

Coctia, ſeu *Cottia*, dictæ ſunt Alpes à *Coctio* rege Gallorum domitore, qui in amicitiam Octavii receptus eſt. Incipiunt à Seguſiâ op. & Tacito *Coctianæ* appellantur. V. *Alpes* & *Cottia*.

Cocunda, Indiæ pop. Plin.

Cocynthum, vide *Cocinthum*.

Cocytus, fluv. Epiri. Pauſan *in Atticis*.

Cocytus, fluv. Campaniæ exiguus, in Lucrinum lacum influens: Poëtis eſt unus ex quatuor inferorum fluv. à Stygε profluens, nomen habet ἀπὸ τοῦ κωκύειν, hoc eſt, à *gemendo*, & *lamentando*. Virg. *Æn.* 6.

Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamq; paludem.

Claud. *de Raptu lib.* 2. Non ſine nominis alluſione:

—— Preſſo lacrymarum fonte reſedit
Cocytus, tacitis Acheron obmutuit undis.

Horatius,

Viſendus ater flumine languido
Cocytus errans. De eo paſſim poetæ.

Codane, Gedroſiæ inſula. Ptol.

Codania, Daniæ metropolis, *Hafnia* Latinè, vulgò *Coppenhaghen*. Vid. *Haphnia*.

Codanonia, inſ. maris Baltici in regno Daniæ, teſte Ortelio, quæ & *Selandia* dicitur in ſinu Codano, à quo nomen accepit. Totius Daniæ præcipua, inter Scaniam ad Ortum, & Fioniam Inſ. ad Occaſ. ubi Haphnia totius Daniæ primaria, juxta Sundicum Fretum. Vid. *Selandia* & *Zelandia*. Baudr.

Codanus ſinus, mare quod ex Oceano Germanico terras ingreditur, longè lateque inter Cimbricam Cherſoneſum & Scandinaviam, rigatque oram littoral. Germ & Poloniæ, & appellatur ab aliis *mare Balticum*, vulg. *Buelth*. Alii *de Sundt* indigitant. Lloyd. Item *Ooſtzée*: Cujus partes ſunt Botnicus ſinus Finnicusque; Aliis eſt illa tantùm maris Baltici pars, quæ eſt inter Jutiam, Scaniam & Norvegiam, ubi Inſ. Codanonia. Baudr.

Codate, Vid. *Codute*.

Codovalladius, ultimus Britonum Rex; cùm bellum appararet, ſomnio abſterritus, deſertâ patriâ Romam conceſſit, Anno Chr. 600. Vid. Polydor. Virgil. *l.* 3.

Coddura, Indiæ intra Gangem urbs, Ptolomæo. *Gandavari* Caſtaldo.

Codorlahomor, Vid. *Chodorlahomor*.

Codrava, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Codropolis, Illyriæ op. Appianus. Joh. Lucio locus in Carnis, nunc *Codroipo*, in Foro Julii, juxta amnem Stellam, 18. mill. à Palma nov. in Occaſ. 12. ab Utina. Baudr.

Codrus, ultimus rex Athenienſium fuit, Melanthi filius; qui cùm Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent, reſpondiſſetque Pythius, *Quorum dux ab hoſte eſſet occiſus, eos futuros ſuperiores*, depoſitâ veſte Regiâ, paſtoralem cultum induit, immiſſusque caſtris hoſtium de induſtriâ rixam ciens, interemptus eſt, an. regni 21. Davidis 5. Mundi 2985. ante C. N. 1068. Secuti ſunt *Archontes*: ut narrat Paterculus. Horat. 3. *Od.* 9.

Codrus pro patriâ non timidus mori.

Ab hoc proverbium, *Codro generoſior*, Vide Juſt. *lib.* 2. Val. Max. 5. 6. Cic. *Tuſcul.* 1. Apud Virg. *Ecl.* 5. *Codrus* paſtoris nomen eſt, perinde ut *Alcon*:

—— Si quos aut Phyllidis ignes;
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Ubi malè Servius ad Codrum Athenienſem refert, quem eo nomine Scaliger notavit *animadverſionibus Euſeb.*

Codrus, Echeanactis fil. qui, ope fratrum Anaxagoræ & Diodori, Hegeſiam Epheſi tyrannum interemit, Vid. Diodor. & Polyæn. *lib.* 6.

Codrus, Poëta Lat. cujus Virg. meminit, in Bucolicis. *Ecl.* 7.

Nymphæ, noſter amor, Libethrides aut mihi carmen,
Quale meo Codro concedite.

Codrus, poeta quidam pauperrimus, ſub Domitiano, cujus paupertas proverbio locum fecit, ut dicamus *Codro pauperior.* Juvenalis,

Lectus erat Codro Proculâ minor ——

Martialis,

Plus credit nemo, quam totâ Codrus in urbe,
Cùm ſit tam pauper, quomodo cæcus amat?

Malum poetam fuiſſe Codrum è Juvenale diſcimus, *Sat.* 1.

Vexatus toties rauci Theſeide Codri.

Vid. Eraſm. *Adag. Tit. Paupertas.*

Codute, pop. Indiæ extra Gangem. Ptol.

Coduzabala, Armeniæ min. urbs. Anton.

Cæcile, Tardulorum urbs in Bæticâ. Ptol.

Cæcilius, prænom. *Titus*, Primi pili centurio, cecidit ex Afranianis ad Ilerdam. Cæſar *l.* 1. *de Bello Civ. c.* 46.

Cæcinum, op. in ſinu Scyllaceo Pompon.

Cæculus, cognomento Saturnus Junior, regnavit apud Aborigines anno ante U. C. 807.

Cædamuſii, Mauritan. Cæſarienſis gens. Ptol.]

Cæl, Rex M. Britanniæ, patruo Aſclepiodoto occiſo. Pater Helenæ, avus Conſtantini M. Item, filius & ſucceſſor Marii. Item, alius à Freguſio Scoto devictus. Polydor. Virg. Duchenius *hiſt. Angl.*

Cæla, Atticæ regiuncula, Miltiadis & Thucydidis ſepulcris nobilitata, Marcel. *in vitâ Thucyd.*

Cæla, ſinus Euboici locus. Livius. Apud Val. Max. 1. 8. tractus quidam hoc nomine deſcribitur inter Rhamnunta, nobilem Attici ſoli partem, Caryſtamque, prope Chalcidicum fretum. Strabo *lib.* 10.

Cælaletæ, Thraciæ pop. Tacit. *l.* 3. Plinio *Celetæ*; Livio *lib.* 38. *Cæletæ*; Dioni *lib.* 54. corruptè *Staletæ*, ut annotat Lipſius. Plinius autem *Celetas* diſtinctos habet. Majores Hæmo; Minores Rhodopæ ſubditos.

Cæle, fauces montium Theſſal. & Epiri, circa Pindum & Oeten. Liv.

Cælemba, Ptol. Gedroſiæ Urbs, hodie videtur Cambaja, regni caput Legitur *Cælambe, Cæambe, Bæambe.*

Cælerini, Hiſp. Tarracon. pop. Ptol.

Cæleſyria, vel *Cæloſyria*, tota eſt regio ultra Seleucidem in Ægyptum & Arabiam recedens. Sed propriè quæ Libano, & Antilibano terminatur. Nomen ſortita eſt à *concavitate*, quam Græci κοιλότητα vocant: Inter Libanum namque & Antilib. tanquam in valle ſita eſt, ubi originem habet Orontes fluv. hodiè *Pharpharo* dictus. Nat. Met l. populi Κοιλόσυροι. Dionyſ. Perieg.

Ἣν Κοίλην ἐνέπουσιν ὁμώνυμον, οὕνεκ' ἄρ' αὐτὴν
Μέσσην καὶ χθαμαλὴν ὀρέων δύο πρῶνες ἔχουσι.

Sunt & quibus Syrophœnices iidem ſunt cum Cœleſyris. Res patet ex his Eunapii, *de Libanio*, Ὁ πάντες οἱ Συροφοίνικες ἔχουσι καὶ τὴν κοινὴν ἔντευξιν ἡδὺ καὶ κεχαρισμένον τοῦτο παρ' ἐκείνου λαβεῖν μετὰ παιδείας ἔξεστιν. *Quod ſuave & jucundum habent in vulgari colloquio omnes Syrophœnices, hoc ab illo cum eruditione petere licet.* Idem Eunapius, Λιβάνιον δὲ Ἀντιόχεια μὲν ἤνεγκεν, ἡ τῆς Κοίλης καλουμένης Συρίας πρώτη πόλεων, *Libanium quidem produxit Antiochia, Cæleſyriæ quam vocant metropolis.* Baudrando pars eſt Syriæ, inter Syriam propr. Phœniciam & Palæſtinam. In hac parte Syriæ Damaſcus, Cæſarea Phil. & Heliopolis Urb. ſunt. Antiochia in Syria propria eſt. Nunc ſimul cum Syria *Souriſtan* dicitur.

Cælibatus Lex, Apoſtolorum ævo prorſus ignota, quippe *cujus propugnatores inhabitatorem Draconem illum apoſtatam habere*, aſſerit Ignatius *epiſt. ad Philadelph.* occaſione loci 1. Tim. *cap.* 4. *verſ.* 1. 2. 3. à Syricio Epiſc. R. primùm inter ſuos introducta legitur, circa A. C. 393. malè intellecto dicto Pauli: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Poſtquam jam ante Concil. 2. Conſtantinopolitanum, Euſtathius, Monachatu in Armeniam introducto, inter cætera ipſos *prohibuiſſet contrahere matrimonium*, Socr. *lib.* 3. *c.* 14. & Sozomen. ac poſt Concilium in Oriente Epiphanius dictuaſſet, *Sanctam Dei Eccleſiam non ſuſcipere ad Sacerdotium adhuc liberos gignentem.* In Occidente Ambroſius & Hieronymus c. Jovinianum, eandem promoverunt: quibus adjutoribus ſuffultus præfatus Syricius legem promulgavit, an. 395. quæ nihilominus per annos 200. in Hiſpania, Gallia, &c. locum non invenit, Mart. Chemnitius *exam. de Cælib. part.* 3. Salvianus *lib.* 5. *de Provid.* Gregorius M. poſtea, circa A. C. 590. *Cælibatus* decretum cùm plusquam 6000. infantum capita extracta ex piſcinula vidiſſet, minimè ſalutare eſſe agnovit. Chemnitius ibid. In Synodo etiam Toletana 4. circa A. C. 638. Clericis legitimum conjugium, damnato ancillarum conſortio, conceſſum eſt. Imo in Hibernia uſque ad Bernardi ætatem 7. Epiſcopi, in ſede Armachana, uxorati præſedere, qui ne ad hanc legem adſtringerentur, ordinationem à Pontificibus Rom. petere noluerunt, Idem, Baron. *in Annal.* Græca quoque Eccleſia, à Leone IX. per Legatos, revocata, an. 1054. conjugia Sacerdotum nihilominus tuita eſt. Gregorius poſt hæc VII. in Germania Cœlibatum vehementer urſit, à Clericis propterea maledictis inceſſitus: Epiſcopus quoque Moguntinus, Erphordiæ ob id Synodo coactâ, deſiſtere tamen neceſſe habuit: Moguntiæ dein cùm id ipſum ſuis impoſitum iret, in vitæ diſcrimine rurſus fuit. An. 1074. 1076. 1078. Sigon. *lib.* 9. Joh. Naucl. *Gen.* 36. Contrarium ſuadente ſuis Guidone Arch. Mediolanenſi, qui celebrato Epiſcoporum conventu, *Clericis uxores habere*, permiſit, circa A. C. 1062. Sigon. *lib. eod. ad an.* 58. quo victo tamen Pontifex illos quoque ſub hoc jugum redegit. Anſelmus exin Cantuarienſis, Synodo Londini vocatâ, An. 11 3. *Sacerdotes uxores habere* prohibuit, etſi multa teſtarentur, loco conjugii prohibiti, totâ Angliâ Sodomiam graſſari, Polydor. *lib.* 9. In Lateranenſi Concilio à Calixto roborata lex, & in Germaniam Magiſtratus brachio introducta eſt, an. 1120. 1122. Johannes quoque Cremo-

nensis Legatus Pontificius, Synodo Londini celebratâ, an. 1125. conjugium ibi Sacerdotum iterum damnavit: ipse tamen, in meretricio paulo pòst interceptus, confusione plenus domum rediit. Idem *lib.* 11. *Hist.* Primus in Hiberniam Episc. Malachias Legem Cœlibatus invexit, circa idem fere tempus, S. Bern. *in Vitâ Mal.* In Polonia Clemens III cum per Petrum Capuanum Cardinalem promotum ivit, Anno 1190. quod cùm in Bohemia similiter tentaret, parum abfuit, quin à Sacerdotibus occideretur. 1196. Sic & Dani tum suos Sacerdotes uxores habere jusserunt, idcirco à Papa excommunicati. M. Cromer. *l.* 7. *Hist. Pol.* Ipse Pius II. crebro in ore habuisse legitur: *Sacerdotibus magnâ ratione sublatas nuptias, majori restituendas videri.* Joh. Baleus *in Vit.* Drexelius *in Niceta, libro* 1. *cap.* 5. Imo & jam antè, Concilio Basiliensi, Anno 1439. definitum, *Non solùm uxorem qui habuit, sed & qui habeat, in Pontificem assumi posse:* electusque tum Felix V. qui uxoratus erat. Morn. *in Myster. pag.* 1248. Toleratum tamen utcunque hoc jugum est, usque ad tempora Reformationis, ubi Lex Pauli Hebr. 13. 4. qua *Honorabile esse conjugium apud quosvis* pronuntiavit, humanæ Cœlibatus traditioni opposita, & cum prius laudato Concilio statutum est: *Consultius fore, si plures Sacerdotes uxorati essent; quoniam multi salvarentur in conjugato Sacerdotio, qui sterili in Presbyterio damnantur.* Plura hanc in rem vid. apud Auctores retro memoratos.

Cœlii, à Vibenna Cœle Etrusco, qui se Romam, regnante Romulo, contulit. Hæc gens postea plebeja & Consularis fuit, *Caldi* cognomine insignita.

Cœlimontana, porta urbis Romæ. Junioribus *Asinaria* vocatur. Hodiè *S. Joannis* nonnullis dicitur. Marlianus *in suâ Româ.*

Cœliobriga Celerinorum, *Barcelos*, urbs Hisp. Tarr. aliàs Callaicorum Braccar. nunc opp. Portugalliæ, Duc. tit. clarùm, ad Cavadum fluv. medium inter Braccaram Aug. & Oceanum Occident

Cœliomons seu *Cœlius mons*, urbs Vindeliciæ ol. nunc vicus *Kelmuntz*, prope fluv. Clarum, & opp. Munchrot, in Suevia, Cluv. 3. leuc. à Memminga in Bor. Ulmam versus.

Cœlis, gens Attica. Hesychius, Κοιλὶς, δῆμος Ἀττικῆς, ubi nonnulli Κοίλη legendum volunt.

Cœlius, à Cicerone defensus. Item duo fratres Terracini, qui accusati patrem Titum noctu in contiguo cubiculo sopitum necasse, absoluti sunt propterea, quòd ambo tum profundo sopore obruti deprehensi sint. Valer. M.

Cœlius Cursor, Eques Romanus, quòd, fictis Majestatis criminibus, Magium Cœcilianum prætorem socio Considio Æquo petivisset, auctore Tiberio ac decreto Senatûs punitus est. Tacitus III. 37.

Cœlius Pollio, castello Gorneas in Armenia præfectus. Tacit. XII. 45. avarus ac flagitiosus.

Cœlius Rhodiginus Ludovic. ob eruditionem insignem, à Ludovico XII. Mediolanum vocatus, ibi docuit Græcam Latinamque literaturam. Idem postea Patavii fecit. Libris editis, inprimis Lectionum antiq. egregio opere, inclytus. Vid. Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 10. Vixit seculo 15.

Cœlius Sabinus, cum Flavio Sabino consul. Tacit *Hist.* 1. 77.

Cœlius Secundus Curio, Cyriaci Subalpinæ gentis apud Italos oppido natus, & in Taurinensi Gymnasio, egregiis artibus imbutus, cùm ob sinceram Christi doctrinam, quam ab ineunte juventa amplexus fuerat, varias persecutiones, carceres & vincula passus esset: semper tamen post tot Eporediæ, Taurini Lucæque intentatas mortes atque flammas, præsentissimâ Numinis ope ereptus, evasit. Tandem, licèt in aliquot Italiæ oppidis eruditionis suæ famâ sparsâ, multorum sibi gratiam conciliasset, majoris securitatis ergò, trans Alpes sese Lausannam primùm, pòst An. 1547. Basileam recepit, ubi Oratoriam nactus professionem, talem se præstitit, ut è remotissimis regionibus illius audiendi gratiâ innumeri convolarint. Cum liberis à Magistratu Bas. jure civitatis donatus. Obiit Anno 1569. ætat. 67. Pater Augustini, Saracenicæ histor. Scriptoris, & Rhetor. Profess. in eadem Acad. cujus paulò antè mortui memoriam alabastro vivens inscripsit: Horatii, Imperatorum gratiâ inclyti, &c.

Quid mihi divitiæ, quid honos, patriiq; penates?
His potior cunctis me tibi Christe rapis.

Vid. quoque in voce *Curio*.

Cœlius, mons unus è septem urbis Romæ, quem Tiberius Imp. teste Suetonio *Augustum* appellari jussit. Tacitus ait eum primo *Querquetulanum* vocatum. Eundem *Tuscum Vicum* postea dictum scribit Varro *de L. L. lib.* 4. *Mastarna* olim appellatum à Tuscis, ex vetustâ quâdam inscriptione patet. Hunc à *Cœle* Vibennâ Hetruscorum duce, qui Tarquinio Superbo suppetias tulit, denominatum volunt.

Cœlos Thraciæ portus, sive urbs, Chersonesi Thracicæ, ubi postea opp. Alopeconnesus, prope Ins. cognom. in ora maris Ægæi. Baudr. vide *Cœla*.

Cœlossa, mons non procul à Phliunte op. Strab. *l.* 8.

Cœmeteria urbis Romæ, Strab. Martyrol. Rom. plura fuere: in quibus 1. Calepodii, via Aurelia, apud S. Pancratii templum. 2. Commodillæ, via Ostiensi, apud Basilicam S. Pauli. 3. Domitillæ, via Ardeatina, apud Ecclesiam sanctæ Petronillæ. 4. Priscillæ, in eadem via, ubi etiam cœmeterium Basilii. 5 Balbinæ quoque in eademmet via. 6. Prætexti, in via Appia, apud S. Januarium. 7. Callisti, extra portam Capenam, ad Basilicam S. Sebastiani. 8. Cyriacæ, via Tiburtina, apud Basilicam S. Laurentii extra muros. 9. Praxedis, via Salaria, apud sacram ædem S. Sylvestri. 10. Inter duas lauros, via Lavicana, apud ædem sanctæ Balbinæ, cœmeterium ad Ursum pileatum dicebatur. 11. Ad Insalatas quoque via Portuensi, apud Ecclesiam S. Felicis. Vide *Catacumba*.

Cœna pura, sexta dies quæ est in Parasceve, Iren. *lib.* 1. *c.* 9. & *lib.* 5. *cap.* 23. Dicta, quòd juxta legis præscriptum, puros vestimentis, cibis, corporibus & animis Judæos esse decebat, qui sacrum Pascha essent celebraturi, unde proditores Christi non intraverunt Prætorium Pilati, ne contaminarentur. Joh. 18. 28. V. Fevardentium *notis in Iren. locum priorem, num.* 13. Augustin. *tract.* 120. *in Joh.* Bedam *in c.* 19. *Joh.* &c.

Cœneum, Eubœæ promunt. Mela *l.* 2. lege *Cenæum*.

Cœnica, regio Thraciæ cis Rhodopen, à Cœnis pop. dicta. Aliis est *Canica*.

Cœnœnum, Germ. urbs. Ptol. ad Albim, Ducatus caput. Vulgò *Lawenburg*, teste Villanovano. Est autem in Saxonia infer. 8. leuc. ab Hamburgo in Ort. Brietio teste, olim *Laciburgium* Angilorum, sub Vindilis fuit.

Cœnomani vel *Cenomani* Aulerci, pop. Galliæ, memorati Cæsari *Commentar. lib.* 7. quibus à Gallis ad Alesiam liberandam imperata scribit hominum V. M. Eosdem *Aulercos* simpliciter eodem libro vocat: Turonibus & Andibus proximos. Sic *Cœnomanos* Livius, Aulercos *lib.* 5. vocat, qui partem Italiæ cum Lingonibus & Boiis occupavere. Vulgò *les Manceaux*, quasi Manicelli. Horum caput *Subdinnum* vel Suindinum Ptolomæo, vulgò *le Mans* dicitur. Ager finesque *Cœnomanicum* absolutè, vel pagus Cenomanicus, vulgò *le Maine* appellatur. Olim quoque Ducatus Cenomanicus, qui jam inde à Chlodovæi M. filiis insignis habebatur. Unde Eginhardus scribit, Grifonem, more Ducum 12. Comitatibus à Pipino fratre donatum esse, in partibus Neustriæ, vel ut Chronicon S. Arnulfi habet, ei Cinomannicam urbem cum 12. Comitatibus dedit. Turris *Cenomanica* memoratur Orderico Vitali, quam & *regiam*, id est, præcipuam appellat. In eadem urbe mons Barbatus, & mons Barbatulus munimenta erant, ab Anglorum Regibus Normanniæ ducibus condita: è quibus Richardus Henrici Andevagensis fil. Cœnomanos ac Turones, auxilio Galliæ Regis sibi subjecit, patris mox in regno successor, circa A. C. 1181. Præter hos Cœnomanos Aulercos, sunt quoque Aulerci Diablintes & Eburovices, de quibus suo loco. Vid. Hadrianum Valesium *Notit. Gall.* & in voce *Cenomani*.

Cœnredus, Rex Merciorum, post Edilredum patrem, Anno 704. sexto post anno sponte regno cessit, Romæ mortuus. Alius, Anno 716. Beda *hist. Angl. l.* 5.

Cœnus, secundus Macedoniæ rex, regnavit an. 12. an. ante U. C. 385.

Cœnus, Prætor Alexandri M. Parmenionis gener, in regressu ex India, ad Acesinem flu. morbo extinctus. Curt. *l.* 9.

Cœquosa, Gall. Aquitan. op. Anton. *in Itiner.* Sansoni Tasta, seu Datii, ad Aturum fluv. vulgò *Acqs* unde pop. Cocosates.

Cœranus, Philosophus Stoicorum placitorum, ut videtur apud Tacit. XIV. 59. Plinius Indice *lib.* 2. inter auctores, quos delibavit, recenset *Ceranum*.

Cœranus, fluvii nomen. Steph. in *Adana*. Item viri nomen ab Ulysse interfecti. *Met.* 13.

Cœranon, Iphiditen, & Alastoraq; Chromiumq;.

Item *Cœranus* naufragus à Delphino servatus; vide Hist. apud Plutarch. *in lib. Utrum terrestria, an aquatilia plus sapiant?*

Cœstoboci, Sarm. Europ. pop. Ptol.

Cœsyra, fœmina Eretriensis, nobilis & dives, sed luxu mollitieque diffluens, nimiumque compta. Inde κοισυρῶσθαι apud Com. pro luxuriosè ornari. Nupsit Pisistrato. Vid. Schol. *in Aristoph. Acharn.*

Cœsyropolis, meminit Schol. *in Nubes*.

Cœti, Asiæ pop. ad Pont. Euxinum circa Tibarenos. Xenoph.

Cœus, gigas, Cœli & Terræ fil. Virgil. *Georg.* 1.

Cœumq; Japetumq; creat, sævumq; Typhœa.

Cœus, Messeniæ fluv. Electram urb. præterfluens. Pauf.

Cogamus, Lydiæ flu. Plin. 5. 29.

Cogedus, vide *Congedus*.

Cogidunus, Rex Britanniæ, fidissimus Romanis. Tacitus *in Agricol.*

Cogienses, pop. Marchiæ Tarvisinæ, quorum opp. *Comelianum*, juxta amnem Muttecam, 6. mill. à Ceneta. Sub Venetis.

Cogitosus, scripsit de miraculis S. Brigittæ in Scotia. Vid. Voss. *de H. L. lib.* 3.

Cognabanda, & *Cognabara*, Indiæ intra Gangem urbes. Ptolomæus.

Cognacum, opp. regale Duc. Inculismensis. Metel. Vide *Conacum*.

Cogni, Germ. pop.

Coguretum, vicus Ital. in ora Occ. Genuensi, C. Columbi patria, qui Anno 1492. primus Europæorum Americam detexit. 10. mill. à Savona.

Cohibus fluv. Asiæ, circa Pontum, Tacit. *lib.* 3. *hist.* fortè Plinii *Cobus*, seu *Chobus* Agathiæ. Quod mel. videtur, cùm & Arrianus in Descriptione Ponti Euxini χώβον appellet.

Cohortanus, Rhoxanis Pater, Curt. *lib.* 8. *c.* 25. quem tamen *l.* 10. *c.* 13. Oxatrem Persam vocat.

Cojanca, vulgò *Valentia*, teste Marianâ, opp. olim nunc pagus Hisp. Tarr. in finibus Asturum, apud Ovetum urbem, in ejus agro.

Cointa, nobilis mulier sub Decio apud Alexandriam martyrio coronata, Anno Dom. 251. Euseb. *libro* 6. *capite* 40. lege *Quinta*.

Cointus, sive *Quintus Smyrnæus*. Vide *Calaber*.

Cola, seu *Colena*, Ins. parva & oblonga maris Scotici, inter Æbudas, prope Mulam Ins.

Cola, Urbs & Empor. Russiæ, ad mare Septentr. Fluvium habet cognom. & lacum, in Lappia Moscovitica, inter Wardhusium & mare Album.

Colaca, Æthiopiæ promuntorium ad sinum Arabicum. Mela.

Colada, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Colaëne, Diana cognomento Sardibus culta, cujus templum magnæ religionis esse Strabo ait. Vide Scholiast. *in Aristoph. Aves*.

Colanus, Mercurii ex posteris unus. Schol. *in Aves*.

Colaja, viri nomen. 2. Esdr. id est, *vox*, aut *elevatio Domini*.

Colaicum, Taprobanæ inf. promuntorium. Plin. 6. 12. Quibusdam est Malacca, urbs aureæ Chersonesi, versus Sindas ins. Aliàs quid sit, non constat. Baudr.

Colana, Armeniæ maj. op. Ptol.

Colancorum, Longobardorum Suevorum, sub Vindilis, in Germ. urbs. Ptol. *Fridwalde* Villanovano. Aliis forsan *Berlinum*. Baudr.

Colania, & *Coldana*, posterioribus, op. Albionis Damniorum. *Coldingham* Camdeno. Nunc in meridion. parte Scotiæ, inter Tinnæ & Tuvæ fluviorum ostia, in Merchia provincia. Baudrandus..

Colapiani, Pannoniæ pop. Plin. 4. 25. juxta quos Colapis fluv. in Saum influit, unde & nomen acceperunt. Plin. 3. 19.

Colapis, & *Calapis*, Strab. *Culp* & *Krup*, Lazio, fluv. Liburniæ, in Saum, ad Segesticam, ubi Siscia urbs antiq. & Zagabria, quæ illi in Episc. successit, influens. Plin. Dionys. &c.

Colarbasus, discipulus Valentini, an idem cum Basso? Religionem in Alphabeto Græco constituit, &c. Iren. *lib.* 1. *cap.* 10. Tertull. *de præscr. cap.* 50. August. *hær. cap.* 14. 15. Epiphan. *hæresi* 35. Philastrius, Theodoret. Joh. Damascenus, Baron. Anno Chr. 175.

Colarni, Lusitaniæ pop. Plin.

Colassis, Lysippi discipulus, qui Colossum fecit.

Colatio, locus fuit in Norico, ad Sanam fluv. prope Celejam, inter *Altenburg* & *Presberg* vicos, Cluv. Insuper. Carniola. Vix rudera supersunt.

Colaxes, Jovis & Oræ filius. Val. Flac. 6. *Argon*.

——— Ductorque Colaxes
Sanguis & ipse deûm. ———

Ubi tamen Lamp. Alardus *Coraxes* legere maluit.

Colberga, Urbs Pomer. ult. in ora maris Balt. cum arce munita, sub Elect. Brandeb. antea sub Episc. Caminensi. In Cassubia, ad ostia fluv. Persanti. Salis cocturâ celebris. 6. leuc. à Coslino in Occ. 3. à Treptavia in Ort.

Colbi, Æthiopiæ sub Ægypto gens. Ptol.

Colcestria, Urbs Trinobantum, in Angl. in Essexia, ad amnem *Colne*. Urbs ampla, D. Helenæ natalibus cladeque suâ nobilis. 6. mill. Angl. ab ora maris Germ. Antea *Colonia* dicta.

Colchi, incolæ Colchidis, al. *Lazi*; horum Rex Zathus, cùm religionem veram amplexus esset, Constantinopoli baptizatus, conjugioque nobilissimæ virginis, à Justino Imp. ornatus est. A. C. 522. Cedrenus *in Hist.* V. *Colchis*.

Colchi, Careorum Emporium in Indiâ intra Gangem. Ptol. vide Boch. *de Anim. Bibl. lib.* 2. *pag.* 489. *Cochin* hodiè. 25. leuc. Hisp. à Calecuto in Austr. 44. à prom. Comorino in Bor. Vide *Cochinum*.

Colchinium, Dalmatiæ op. à Colchis conditum, quod postea *Olchinium* dictum est. Plin.

Colchis, *idis*, regio Asiæ juxta Pontum, regnum Æetæ regis, & Medeæ patria, Corace monte (qui est Tauri pars) à septentrione, ab ortu Iberiâ, à meridie Phaside, ab occid. Euxino Ponto clausa. Huc ferunt Jasonem cum Argonautis navigasse, Medeæque artibus adjutum, aureum vellus inde retulisse. Est autem hæc regio venenorum feracissima, quæ res videtur locum fecisse fabulæ, quam de Medeæ veneficiis comminiscuntur poetæ. Horat. *Carm.* 2.

Ille & venena Colchica
Et quicquid usquam concipitur nefas,
Tractavit.

Idem *in Epodis*:

Herbasque quas & Colchis atque Iberia
Mittit venenorum ferax.

Colchos autem Ægyptiæ originis esse, constans fama est apud vett. Dionys. *vers.* 689.

Πὰρ δὲ μυχὸν πόντοιο μετὰ χθόνα Τυνδαρειδάων
Κόλχοι ναιετάουσι, μετήλυδες Αἰγύπτοιο.

Herod. *lib.* 2. Φαίνονται μὲν γὰρ ἐόντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι. Diodorus *lib.* 1. Φασὶ τῶν Αἰγυπτίων τινὰς καταλειφθέντας περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην συστήσασθαι τὸ τῶν Κόλχων γένος. Strabo etiam *lib.* 1. meminit Ægyptiorum in Colchos μεταστάσεως. Et Amm. *lib.* 22. Colchos appellat *Ægyptiorum antiquam sobolem*. Boch. Incolas hujus vett. Læzios & Manralios, ex Ptolom. *lib.* 5. vocat Morerius. Urbes præcipuas *Sebastopolin* & *Fazzo*: Montes Caucasum & Coracem, fluvios Phasin & Cyanum habet, ex Nigro, *descr. Asiæ*. Ortel. Cluver. Davity, *t.* 1. *Asia*. Inde *Colchis* ponitur pro Medeâ. Horat. *in Epod.*

Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem.

Juvenal. *Sat.* 6.

Credamus tragicis quicquid de Colchide torvâ
Dicitur. ——— ———

Propert. *lib.* 2.

Seu mihi Circæo pereundum est gramine, sive
Colchis Colchiacis urat ahena focis.

Martialis *lib.* 4.

Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros. Nunc *Mengrelia* dicitur; estque pars Georgiæ. Ibi incolæ maj. ex parte Christiani, sub proprio Principe, sed aliàs sub clientela Turcarum. Baudr. Vid. inprimis P. de Valle, *Itiner. t.* 2. & 3.

Coldinga, Urbs Jutiæ merid. cum arce *Arnsburg* & portu, in recessu maris. Vix 2. leuc. Germ. à Fionia Ins. 4. ab Haderslebia. Ibi vectigal regium, propter equos bovesque, qui maximo numero per pontem, in Holsatiam & ad Albim aguntur.

Colduli, Germ. pop. quorum op. *Holetal* dicitur, teste Lazio, in Bohemiâ. Κόλδουοι in vett. libris legi annotavit Casaub.

Colenda, Hisp. urbs in Celtiberis. Appian.

Colenis, Diana nominata est, à *Coleno*, qui ante Cecropem regnavit.

Colentium, Illyrici insula, *Scardona* Ptolemæo, aliàs *Cellentum* legitur, pop. *Colentini*. Plin. 3. 21.

Coletiani, Pannoniæ super. gens. Ptol. Aliis *Coletani*, medii inter Vindobonam, ad Bor. & Pætovionem, ad Austr. ad pedes montium, versus fontes Arrabonis fluv. ubi nunc Austriæ Stiriæque confin. Baudr.

Coli, pop. juxta Caucasum. Inferiores autem Caucasi partes *Colici montes* vocantur; Regio *Colica* Stephano.

Coliados Veneris Templum sic vocatur in Atticâ, ab Adolescente quodam Attico, à piratis Tyrrhenis capto: qui cùm vinctus esset, κῶλα, id est, manus ac pedes & à Principis piratarum filiâ amatus ac liberatus; reversus Athenas Veneri templum vovit ac dedicavit διὰ τὸ τὰ κῶλα λελύσθαι, quòd membra sua vinculis essent soluta. Scholia Aristophanis *in Nubes* & Suid.

Colias, promuntorium vel litus Atticæ in vico Phalereo, ubi & Venus Colias. Vid. supra. Dionysius Perieg. Taprobanem *Coliada* vocat:

Αἶψά γε Κωλιάδος μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἵκοιο,
Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.

Vide sis illic Scholiasten.

Colicantii, Vid. *Colycantii*.

Colicaria, locus inter Bononiam & Veronam. Anton.

Colinius Casparus, Amiralis Franciæ, quem cum Ludov. Principe Condæo, vocat *les deux premieres intelligences du Siecle*, Silon. in libro, cui tit. *Ministre d'estat*, post fortitudinis egregia specimina in præliis *de Cerisoles*, Cariniano, S. Quintino, &c. edita, Reformatæ religionis acerrimus vindex, postquam virtute non posset, perfidiâ victus est, prima & princeps Lanienæ Par. victima, cùm paulo antè sclopeto vulneratus ad Maurum, concionatorem Joh. Albretanæ Reginæ Nav. matris Henrici IV. dixisset, *Hem mi frater, nunc sentio me à Deo diligi, quando propter sanctissimum ipsius nomen, has plagas acceperim*. Vide Thuanum, *histor.* & *Memoires de Colligny*.

Colinius Franc. Andelotus, dictus Imperterritus, Gall. *le Chevalier sans peur*, Præfectus Lugdun. Primus, ex nobilitate Gallicana, puriorem doctrinam publicè professus, eam ad ultimum vitæ halitum strenuè tuitus est. Admiralis Frater.

Colinius Odetus, Cardin. Castellionæus, Episc. Bellovacensis, cum fratribus prædictis, Evangelii egregius assertor, Legatione apud Elisabetam Angliæ Reginam, de Ecclesia Galliæ Reformata optimè meritus. Vide modò laudatum Jacobum Augustum Thuanum.

Colippo, Lusitaniæ op. Plin.

Coliverium, opp. agri Tarvisini.

Collatia.

Collatia, op. in prima Italiæ regione, ad Anienem flu. in via Tiburtina, ab Albanis, ut creditur, conditum, prope confin. Sabinæ, & à Tarquinio Superbo instauratum, collatâ eum in usum à Pop. Romano pecuniâ; unde & nomen putatur accepisse, ut refert Servius, enarrans illud Virg. *Æn.* 6.

Hi tibi Nomentum & Gabios, urbemq; Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Laude pudicitiæ celebres.

Ex hâc enim urbe ortum traxit Tarquinius Collatinus, Lucretiæ maritus. Sil. *lib.* 8.

Quos Castrum, Phrygibusq; gravis quondam Ardea misit,
Quos celso devexa jugo Junonia sedes
Lanuvium, ac altrix casti Collatia Bruti. Vid. *Egerius.*

Livius hoc op. interius in agro Sabinorum collocare videtur *l.* 1. ubi pugnam Tarquinii Sabinorumque ad sinistram Anienis ripam recenset. Verùm aliter alii tradiderunt authores, quorum sententiâ in Latio cis Anienem fuerit. Plin. 3. 5. Et Servius, *ad præscriptum Virgilii locum.* Ciceronis tempore adhuc extitisse *Collatiam* ipse testis est, *in Orat. prima contra Rullum.* Sed & Strabo post eum *lib.* 5. testatur, suo ævo extitisse etiam, verùm κώμην tantùm, id est, *vicum.* Nunc vix rudera apparent. Erat forsan, ubi nunc Casale dictum *Cervaro.* Baudr.

Collatina, Romæ porta. Item dea, quæ collibus præsidebat.

Collatinus L. Tarquinius, nepos ex sorore Superbi, maritus Lucretiæ, à Sexto Superbi fil. violatæ, hâc occisâ, pulsisque Tarquiniis, cum Bruto Consul designatus, sed paulò pòst, quòd ex familia Regum tantopere populo exosâ esset, depositus est. Vid. Liv. *lib.* 1. & 2. Flor. *lib.* 1. *cap.* 3. & 9. Aurel. Victor. *de Viris Ill.* Item, in voce *Collatia.*

Collatinus, unus ex 7. Romæ collibus.

Collaum, provinciæ de Lima regio, in Peruviæ regno, inter montes Cordilleros. Fertilis & exigua, Herrera, Linschot. Acosta, &c. *descr. Amer.*

Collega, vel *Conlega* consul. an. U. C. 845.

Collentum, urbs Dalmatiæ, versus oram maris Adriat. nunc *Varcevo.* Media ferè inter Jaderam, ad Occas. & Scardonam ad Ort. Sub Venetis.

Collenutius Pandulphus, Pisauro oriundus, JC. celebris, à Duce Ferrariæ, ad Maximilianum I. Imper. missus. Scriptis prosâ versuque, Latinè & Italicè editis, inclytus. Vid. Angel. Polit. *lib* 7. *ep.* Lil. Girald. *dial.* 2. Leand. In vinculis strangulatus, jussu Joh. Sforzæ, tyranni Pisaur. Pier. Valerian. *l.* 2. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. *c.* 12. Scripsit inter alia, de inventione ignivomorum tuborum, & historiam Neap.

Collina, Romæ porta in colle Quirinali sita (unde & nomen accepit) non procul à Veneris Erycinæ templo. Ovid. *Fast.* 4.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet; à Siculo nomina rege tenent.

Eadem & *Salaria* vocata, propterea quòd per eam *salem* ferebant Sabini. Tacit. *Annal.* 3.

Collis, urbs Thusciæ, 15. mill. à Sena, à Poggio Bonitii, in colle, prope fontes Elsæ flu. in agro Florentino, sub magno Duce. Estque parvi circuitus.

Collis Aquæ ductus, ex adverso vallis Giah juxta Gabaon, ubi Asael frater Joab confossus fuit ab Abner. Est in tribu Benjamin.

Collis Musoni, oppidulum agri Tarvisini.

Collistrigium, pegma infamiæ, ad supplicium falsariorum jam olim inventum, quasi *collum stringens* vel comprehendens. Angl. *Haelsfange.* Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.*

Collodes, ins. Sardiniæ adjacens. Plin. 5. 7.

Collonsa, quibusd. *Coluansa*, Ins. maris Scotici, inter Æbudas prope Ylam Ins.

Collops geminus, magnus, & parvus, urbs Africæ litor. in Mauritan. confin. Magnus, idem cum *Cullu*: Parvus, op. est orientalius, nunc *Larobo*, teste Moletio.

Colluthus, Presbyter Alexandrinus, schismatis auctor, Arrii tempore, Deum malos creasse negavit, &c. Damnatus concilio Alexandrino, an. 319. ab Osio habito. Athanas. *Apol.* 2. Epiph. *hær.* 69. August. *hær. c.* 65. Philastr. *hær. c.* 8.

Collyridiani, à græca voce Κολλυρίδες, quæ libi quoddam genus notat, dicti, qui B. Virgini, tanquam Deæ, istiusmodi liba offerebant, cultu à fœminis peracto, in Arabia. Epiph. *hær.* 78. 79. Baron. A. C. 373. *n.* 30.

Colma, Flandriæ fluv. Pars Agnionis fluv. per Vinocibergam opp. labitur, dein in Ocean. Germ. se exonerat.

Colmannus, cognom. *Sapiens*, scripsit Chronologiam, Catalogum Angliæ R. Dialogum de bellis Danicis, &c. Anglus, vixit sec. 13. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 56.

Colmaria, urbs Alsatiæ, vulgò *Colmar*, ad Hellelum fluv. Civ. Imp. cui originem dedit excidium Coloniæ Argentoariæ urbis *Arburg*, sub Valentiniano III. Hanc postea vallo cinxit Wolfelmus, Præfectus Hagenoæ Cæsareus, cùm antea mediocris esset vicus, sub Friderico II. Imp. Ab hostibus vicinis, Rodolfo I. & Adolfo Impp. multùm vexata, obsessaque est, quòd auctore Prætore urbico, contra fidem datam, ab ipso recesserat, cujus pœnam exhibet Cuspinianus. Est una ex 10. civitatibus Alsatiæ ad Præfecturam Hagenoënsem pertinentibus. Augustanæ Confessioni adhæret. V. *Columbaria.*

Colmarsium, opp. Gall. in Provincia, satis munitum, ad Verdonem fluv. versus Alpes, & confin. Comit. Niciensis. 6. leuc. à Dinia in Ort. *Colmars.*

Colo, integro nomine *Junius Colo*, Procurator Ponti, per quem Mithridates victus Romam ad Claudium vectus est; idcoque consularia insignia est adeptus. Tacit. XII. 21.

Coloa, Æthiopiæ urbs, & ibidem palus. Ptol.

Colobasus, hæreticus, qui vitam omnium hominum in 7. sideribus consistere affirmabat. Euseb. Tertull.

Colobium, tunica demissior, sine manicis, cui Græci τὸ ἱμάτιον, i. superius vestimentum, induebant. Gall. *Tabarre.* A' Gr. κολοβὸν, *mutilatum, decurtatum*, quòd instar Rom. tunicæ juxta humeros desinebat. Sub vett. Romanis non in usu fuit, mox tamen sub Impp. innotuit: etiam sanctionibus eorum honestatum. Servis interdictum, Servio *in Æn.* 1. teste, nec militibus usitatum. Eo jubentur in urbe uti Senatores, Cod. Theodos. *lib.* 4. *Titul.* 10. *lib.* 1. In Episcoporum dein irrepsit vestitus, tantique aliquando factum est, ut Eutychianus Papa, circa A. C. 275. neminem martyrum sine dalmatica aut *colobio* purpurato sepeliendum esse, sanxerit: quod tamen Gregorius M. uti superstitiosum, abrogavit, *Regist. lib.* 4. *Epist.* 48. Demum in promiscuum usum venit, monachis, eremitis, militibus, colonis. Militibus verò inter sanctiora vestimenta, dum huic virtutis insignia appingebant, ut videre est in ipsorum tumulis antiquis, & Heraldorum veste, quam *Cottam armorum* vocat Budæus. Plura de hac voce V. apud Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Colobon sinus, Æthiopiæ promunt. sub Ægypto. Ptol.

Colobona, Hispalensis conventûs in Bæticâ urbs. Plin.

Colobrossus, Ciliciæ Asperæ in Pamphyliâ op. Ptol.

Coloca, Africæ promuntorium ad Arabicum sinum, Mela.

Colocasia, Minervæ templum fuit in Sicyone. Rhod. 9. 12.

Colocasiris, ins. in Azanio mari. Plin.

Colocaurum, Germ. urbs. Ptol.

Colocia, seu *Colozia*, antea *ad Statuas Colossas*, Urbs Archiep. Hung. cui 8. subsunt Episcopi. Ad Danubium, infra Uriam Ins. Sub Turcis. Deficit indies. 6. leuc. à Quinque Ecclesiis. Vide *ad Satuas Colossas.*

Coloe, Æthiopiæ palus Ptol. *Barcena* Mercatori. Hujus nominis 3. urbes in Æthiopiâ, Ptol. & Arrian. enumerant. Item locus Lydiæ 40. stadiis à Sardibus distans; juxta quem & Dianæ templum fuit cognomento *Colœnæ.* Strabo 13.

Colæphryx, Bœotiæ mons. Hesychius, Κολοίφρυξ Ταναγραῖος ἀλεκτρυὼν, καὶ ὄρος Βοιωτίας. In Etymologo Magno scribitur Κολόφρυξ, sed in Phavorino Κολοίφρυξ. Et in Stephano Κολοίφρυγες, pro loco Bœotiæ, qui aliis Ἀντικονδυλεῖς. Ita Steph. ex Aristotelis libro, de Bœotiæ limitibus. Nomen ex Phœniciâ linguâ desumptum tradit Bochartus. Galli siquidem Tanagrici *Colæphryges* dicebantur ab hoc monte, in quo alebantur, qui ideo dictus est propter כלוא אפרוחים *Kelo ephrochim*, hoc est, *claustrum pullorum*, id est, nobile ὀρνιθοβοσκεῖον in eo constitutum.

Coloma, urbs Russiæ nigr. in Pocutia regiunc. ad amnem *Prat*, versus confin. Moldaviæ. 9. leuc. ab Halicia in Austr. ad pedes montium. Vulgo *Colomey.* A' Cosaccis malè haud pridem habita.

Colomannus, rex Ungariæ, fratrem ac nepotem occæcavit, ut regiæ dignitatis redderet impotes; itemque nepoti, cùm adhuc infans esset, testes eximi mandavit, ne qua hinc proveniret propago, sed divina non defuit ultio. Nam Colomannus morbo repentino correptus est, adhibitoque cataplasmate ejus temporibus, eductum est cerebrum, certum lethi signum. Munster. *lib.* 4. *Cosmogr.*

Colomeria, opp. Galliæ in Bria, ad Morinum amnem, cum palatio Ducis Longovillani. 6. leuc. à Meldis in Austr. Provinum versus.

Colonæ, Troadis locus est, non procul à Lampsaco, Milesiorum colonia; sunt & aliæ *Colonæ* ad exteriorem partem Hellesponti, stadiis 140. ab Ilio distantes. Strab. *l.* 14.

Colone, urbs in Phocide, in Erythræâ, in Thessaliâ, in Messeniâ. Strabo, Ptol.

Colone, scopulus Asiæ ad Bospori Thracici litus è regione Cyanearum, teste Apollonio *in Argonaut.* nunc *Cromnion* vocant teste Gyllio.

Colonia, oppidum fuit, in quod Romani Magistratus ex urbe cives traduxere, vel quod sine traductione coloniarum jure donatum erat. Coloniarum autem hujusmodi ratio erat: Quum in urbe Româ multos ex veteribus, novisque incolis paupertate premi intellectum erat, ut censui solvendo non sufficerent, Triumviri à Senatu creabantur, qui locis primùm confœderatis, in quibus Reipub. expediret propugnaculum constitui, nova edicta proponebant, danda esse nomina ab iis, qui

novam coloniam deduci vellent. Sicque & urbs pauperibus exonerabatur, & rei fa niliaris pondere gravati, ad novas quibus indigerent divitias gratis datas, cum familiâ accedebant. Accipiebant enim duo, quatuor, aut 6. aut 7. agri jugera, & quandoque plura. Duo item genera coloniarum fuere Romanæ, & Latinæ. Omnes constabant à Civibus Romanis in colonias exeuntibus. Romanæ dicebantur eæ, quæ jura civitatis Romanæ possiderent. Itaque Cives Rom. semper erant, & ferendi suffragii potestatem habebant, cujus generis erant Coloniæ multæ in Gall. Togata. Cic. *ep. ad. Att. Videtur in suffragiis multum posse Gallia.* Latinæ coloniæ dicebantur eæ, quæ jus Latii haberent, quod intra jus Rom. civitatis erat. L Loydius. In his Romani porro, sicut Græci in suis *Coloniis*, Diis patriis templa moliri, opera publica, ac præcipua ibi loca earum urbium, ex quibus orti essent, structurâ exprimere, patriisque nominibus unà cum fluviis & montibus appellare; nonnunquam etiam novam urbem veteris urbis & matris suæ appellatione honorare, ne patriæ desiderio torquerentur, consueverant. Hinc apud Virgilium Helenus in Epiro *Pergama Juliacamq; arcem ad undam falsi Simoëntis*, dicitur condidisse, *Æneid. lib.* 3. Ejus moris tenaces fuere Romani, proin Colonia Agrippina Ubiorum Capitolium; Arelate Circum, Amphitheatrum, Palatium, Monetam: Augusta Trevirorum Circum Maximum, Amphitheatrum, Capitolium ad ripam Mosellæ, Horrea publica, Basilicas, Monetam, Campum Martium: item Palatium duplex, Palatium vetus & Horreum vel Palatium Dagoberti: Nemausus Amphitheatrum & Basilicam Plotinæ, cum aquæ ductu: Lugdunum Amphitheatrum, Theatrum, Forum Vetus, Monetam, Palatium, &c. Vienna Amphitheatium, Palatium intramuranum, Montem Quirinalem: Tolosa, præter cœtera, Capitolium altissimum, Jovi, Junoni ac Minervæ sacrum, ut de aliis taceam, ad morem veteris Romæ, habuerunt. Hadr. Valesius *Notit. Gall. in præf.* Quid Colonia à municipio differat, Gellius 15. 13. tractat: *Municipia, inquit, quid & quo jure sint, quantumq; à Coloniâ differant, ignoramus, existimamusq; meliore conditione esse colonias, quam municipia.* Cæterùm de *Coloniis* vide S. Julium Frontinum.

Colonia, urbs aliàs Allobrogum, nunc vicus Gall. ad Rhodanum, in Bressia, & regiunc. Gessia, ad radices Jurassi, prope Clausulas, è reg. Sabaudiæ. 5. leuc. infra Genevam; Vulgò *Coulogne*.

Colonia, Angliæ op. apud Antoninum, quæ etsi ex distantiâ videatur esse *Sudbury*, nomen tamen *Colne* illi magis convenire scribit Talbotus. Vid. *Colcestria*.

Colonia, urbs Cappadociæ in Armen. min. confin. *Taxata* hodiè. Item op. parvum Hetruriæ, *Colona* dicta. Est etiam op. amplum Venetiæ in agro Veronensi, hodiè *Cologna*.

Colonia, vulgò *Couleine*, villa Galliæ, prope urbem Cenomanorum, ubi conventus A. C. 844.

Colonia Agrippinensis, Vibiorum civitas præstantissima, Imperialis, Anzeatica, sui Juris, totius Germ. maxima, proin altera Germaniæ *Roma* dicta: cis Rhenum fluv. sita, ita dicta ab *Agrippinâ* Neronis matre, quæ ut sociis quoque nationibus potentiam suam ostentaret, in hoc oppidum, ubi genita erat, Coloniam ex veteranis militibus deduci imperavit, Tac. 4. *Annal.* Alii ab Agrippa sic dictam, à quo Ubii, qui illam condiderunt, unde *Ubiopolis* priùs appellata fuerat, in protectionem Rom. recepti, putant. Una est ex quatuor Hanseaticis præcipuis, nec ingens solùm, sed & populosa ac munita. Formam præ se fert dividuæ Lunæ, Academiâ ab Urbano VI. an. 1388. II. Kal. Junii fundatâ inclyta. Inter quatuor Imperii rusticos recensetur, unde in medio nigræ crucis colonus cum flagello depictus est. Post Romanos, à tempore Childerici, sub Francis, usque ad Otton. I. Quo tempore Archiepiscopos habere cœpit; quum primus Maternus Evangelium hîc, ut & Argentorati, annuntiasset, circa An. C. 69. ex cujus successoribus Hermannus Mœrsensis & Gebhardus Truchsessius, præt. sec. Evangelium iterum amplexi sunt. In militaribus suis signis acies triangulares initio habuit, ubi verò Magorum corpora accepit, acies mutatæ sunt in tres coronas, servato Francorum colore, albo & rubro. Exercuerunt hîc olim Comites Arnsbergii potestatem gladii, quæ postmodum in Archiepiscopum, qui Elector est & Cancellarius Imperii per Italiam, translata est: inter quem & Civitatem, cùm ingens olim lis vigeret, permissu Rodolfi I. Imp. conflictus de dominio clavium portarum urbis institutus est, in quo victrix civitas libertatem in posterum obtinuit. Benthemios Comites Advocatos habet hæreditarios, quibus proin semper in urbe vicarius est, *Erbvogt*: Regimen civitatis democraticum est. Valdensium olim propagine urbs referta fuit, quibus inde Mediolanum usque proficiscentibus omni nocte apud suos hospitium erat, Munster. *Geogr. l.* 3. circa A. C. 1230. Etiam circa A. C. 1313. magnus ibi eorum numerus, Abbas Hirsaug. *in Chron.* Hic de pace frustra actum, inter Batavos & Hispanos, A. C. 1579. ut & inter Batavos & Gallos, An. C. 1673. In Archiepiscopatu sub Gebhardo, de quo supra, reformavit Zach. Ursinus præt. sec. Vid. Ptol. *lib.* 2. *cap.* 9. Plin. *lib.* 4. *cap.* 17. Ammian. Marcellin. *l.* 15. 16. Zosim. *l.* 1. Tacit. *Annal. l.* 14. *histor l* 1. & 4. Thuan. *de moribus Germ.* Ibi Sigebertus, fil. Clotarii I. Austrasiæ Rex sedem habuit. Greg. Tur. *l.* 2. Adde Steph. Broelmann. *de antiq. Colonia.* Jac. Middendorp. *in tr. de Academiis.* Georg. Bravv. *in descr. Colonia.* Ægid. Gillenium, *hist. Col.* P. Cratepolium, *de Elector. Eccl.* De juribus & officiis mutuis Archiepiscopi & Civitatis, Limn. Enucl. *l.* 4. *c.* 10. Hîc Concilium Anno 782. à Carolo M. habitum. Anno 870. 887. 1056. ubi Balduinus & Godofridus, Flandriæ Comites, cum Henrico IV. Germ. R. reconciliati. 1118. contra Imper. Henr. IV. Anno 1225. 1260. 1310. contra Templarios. 1452. 1470. 1536. 1549. &c. Vulgò Germ. *Cölln am Rein.* Gall. *Cologne sur le Rhin.* 8. leuc. Germ. ab Aquisgrano, in Ort. 18. à Magontia, 16. à Treveri in Bor. 5. à Juliaco in Ortum. Habuit aliàs pontem ad Rhenum. Regio adjacens cis Rhenum, cujus caput est Bonna, subest aliquatenus Archiepiscopo. Vid. *Agrippina Colonia.*

Colonia Allobrogum, Vid. *Geneva.*

Colonia Brandeburgica, opp. in media Marchia Brand. ad Spreham fluv. ex adverso Berlini, cujus veriùs pars est, seu suburbium amplum ad Austrum. Vulgò *Cölln an der Spree.*

Colonia Flavia, Vid. *Cæsarea Palæstina.*

Colonia Trajana, & *Colonia Ulp. Traj.* in nummo Ulpii Trajani Aug. ab Auctore suo dicta, aliàs quoque *Ulpia castra.* Hîc legio Tricesima Ulpia Victrix, Dioni & vett. inscriptionibus ac Ptolemæo etiam nota hyemavit, sub Constantino M. quæ antea in castris Veteribus fuerat: unde & ipsa hæc urbs *Tricesima* appel ata est, & *Obtricesima* Ammiano Marcellino *l.* 18. & 20. Vid. Hadr. Val. *Notit. Gall.* Nunc vicus Clivensis est Duc. *Kellen*, m. p. ab opp. Clivio, Emmericum versus, 1. mill. à Rheno, 10. leuc. infra opp. *Keysersvvert* in Bor. Cluver.

Coloniæ Romanæ, in Italia, quo tempore deductæ sunt. Excisis præponitur *.

* Antennæ in Sabinis.
* Cænina in Latio.
* Crustumerium in Sabinis.

Deductæ sub Romulo anno urbis conditæ 4.

* Medullia in Latio.
Colonia.
* Cameria prope Albam in Latio.

Deductæ an. 5.

* Fidenæ in Latiò *an.* 13.
* Ostia in Latio.
* Circæi in Latio.
Signia in Latio.

Deductæ sub Anco Marcio an. 259.

Veliteræ in Latio *an.* 260.
* Norba in Latio *an.* 262.
* Antium in Latio *an.* 268.
* Vitellia in Latio *an.* 295.
* Ardea in Latio *an.* 312.
Lavicum vel Labici in Latio *an.* 336.
* Satricum in Latio *an.* 370.
Sutrium in Tuscia *an.* 371.
Nepeta in Tuscia *an.* 381.
Cales in Campania *an.* 420,
Tarracina vel Anxur in Latio *an.* 425.
Fregellæ in Latio *an.* 426.
Luceria in Apulia *an.* 440.
Suessa in Campania.
* Saticula in Samnio.
Pontia in insula cogn. Latii.

Deductæ anno 441.

Interamna in Latio vel Samnio.
* Casinum in Samnio.

Deductæ an. 442.

Sora in Latio.
Alba in Latio.

Deductæ an. 451.

* Carseoli in Latio *an.* 452.
Narnia in Umbria *an.* 455.
* Sinuessa in Campania.
* Minturnæ in Latio novo.

Deductæ an. 458.

Venusia in Apulia *an.* 463.
Sena in Semnonibus in Umbria.
Hadria in Piceno.
Firmum in Piceno.

Deductæ an. 465.

* Cossa in Tuscia.
* Pæstum seu Posidonium in Lucania.
Ariminum in Æmilia.
Beneventum in Hirpinis, vel Samnio.

Deductæ an. 481.

* Castrum novum in Tuscia. *an.* 489.
Esernia in Samnio *anno* 491.
Alsium in Tuscia.
* Æsulum in Latio.

Deductæ an. 507.

* Fregenæ in Tuscia *an.* 508.
Brundisium in Salentinis *anno* 510.
Spoletium in Umbria *an.* 513.
* Valentia in Brutiis *anno* 515.
Placentia in Gallia togata.
Cremona in Cenomanis.

Deductæ an. 536.

Puteoli in Campania.
Salernum in Picentibus.
* Buxentum in Lucania.
Vulturnum in Campania.
* Linternum in Campania.
* Sipontum in Apulia.
* Tempsa in Brutiis.
Croton in magna Græcia.
* Pyrgi in Tuscia.

Deductæ an. 560.

Bononia in Æmilia *an.* 565.
Pisaurum in Semnonibus, vel Umbria.
* Potentia in Piceno.

Deductæ an. 570.

Mutina in Gallia Togata.
Parma in Æmilia.

Deductæ an. 571.

* Saturnia in Hetruria.
* Aquileia in Carnis.

Deductæ

Deducta an. 573.

* Gravisca in Tuscia.
Pisæ in Hetruria.

Deducta an. 574.

Luca in Tuscia.
Auximum in Piceno.

Deducta an. 577.

* Fabrateria in Latio.
Tarentum in magna Græcia.
Scyllacium in magna Græcia.
* Neptunia in magna Græcia.
Dertona in Liguria.

Deducta an. 630.

Nola in Campania *an.* 631.
Aricia in Latio.
Lavinium in Latio.
Abellinum in Hirpinis.
Ferentinum in Hernicis.
* Tarquinii in Tuscia excis. in bello Marsico.
Eporedia in Salassis.

Deducta an. 636.

Alba Pompeja in Liguria *anno* 664.
Verona in Cenomanis.
Areste in Venetia.
Brixia in Cenomanis.
Comum in Insubria.
Laus Pompeja in Insubria.

Deducta sub Pompejo Strabone.

Aretium in Hetruria.
* Fesulæ in Hetruria.
Bovillæ in Latio.
* Suessula in Campania.
* Pompeii in Campania.

Deducta sub Sylla.

Capua in Campania *anno* 69. ⁵.
Bovianum in Samnio.
* Veii in Tuscia.
Aufidena in Aprutio.
Casilinum in Campania.
* Calatia in Campania.
* Lanuvium in Latio.
Forum Julii in Carnis.
Hispellum in Umbria.

Deducta sub Cæsare Dictatore.

Pola in Istria.
* Aquinum in Latio.
Falisca in Hetruria.
Florentia in Hetruria.
* Formiæ in Latio.
* Telesia in Samnio.
Tuder in Umbria.
Venafrum in Samnio.
* Aquaviva in Samnio, vel Campania.
Volaterræ in Tuscia.
* Vlubræ in Latio.

Deducta sub Triumviris.

Rhegium in Brutiis.
Acerræ in Campania.
* Alatrium in Latio.
* Atella in Campania.
Augusta Taurinorum in Gallia sub-Alpina.
* Thurii in magna Græcia.
Fanum Fortunæ in Umbria.
Nuceria in Piceno.
Privernum in Latio.
Ravenna in Æmilia.
* Tergeste in Carnis.
Teanum Sidicinum in Campania.

Deducta ab Augusto.

Atina in Latio, *à Nerone Claudio.*
Anagnia in Latio, *à Druso.*
Abella in Campania.
Æsis in Piceno.
Ancona in Piceno.
Asculum in Piceno.

Deducta à Vespasiano.

* Capitulum in Latio.
Asta Pompeja in Liguria.

Deducta à Tito.

Brixellum in Gallia Togata.
* Concordia in Carnis.
* Gabii in Latio.
Histonium in Frentanis.
* Lucis Feroniæ in Hetruria.
* Lupiæ in Salentinis.
Neapolis in Campania.
Prænestе in Latio.

Deducta sub Hadriano.

Regium Lepidi in Æmilia, *à Lepido.*
* Rusellæ in Thuscia.
* Cassentinum in Hetruria.
Sæpinum in Samnio.

Deducta sub Claudio Nerone.

* Salpis in Hetruria.
Sena in Tuscia.
Tolentinum in Piceno.
Verulæ in Latio.

Deducta sub Nerva.

Coloniæ Romanæ extra Italiam ordine regionum.

In Britannia.

Camalodunum.
Devana.
Eboracum.
Londinum.

In Lusitanica.

Augusta Emerita.
Metallinum.
Pax gemina, Julia, & Augusta.
Norba Cæsarea.
Scalabis.
Vlyssipo.

In Bætica.

Acci.
* Asta Regia.
Astigi.
* Atubi.
Corduba.
Hispalis.
* Italica.
* Ituci.
Marcia.
Tucci.
Vrso.

In Tarraconensi.

Asturica.
Barcino.
Cæsaraugusta.
Carthago nova.
Celsa
* Clunia.
Emporiæ.
Gracchuris.
* Juliobrica.
Salaria.
Tarraco.
Valentia.

In Aquitania.

Lugdunum.
* Lutarburgium.

In Belgica.

* Augusta Rauricorum.
Augusta Trevirorum.
Equestris.
Iuhonum.
Trajana colonia.

In Narbonensi.

Acusio.
Aquæ Sextiæ.
Arausio.
Arelate.
Avenio.
Biteræ.
Cabellio.
Forum Julii.
Maritima.
Narbo.
Nemausum.
* Ruscino.
Tolosa.
Valentia.
Vienna.

In Celtica.

Cabilonum.
Lugdunum.

In Corsica.

* Aleria.
* Mariana.

In Sardinia.

* Turris Libyssonis.

In Sicilia.

Catina.
Syracusæ.
Tauromenium.
Thermæ.
* Tyndaris.

In Rhætia & Vindel.

* Augusta Quintanor.
Augusta Rhætorum, quæ & Augusta Vindelicorum.
Augusta Tiberii.
Augusta Vindelicorum.
* Constantia.
* Curia.

In Norico.

Æmonia, *Iapodum.*
* Aurelianum.
Celeia.
* Laureacensis.
Ovilabis.
* Solva.

In Pannonia.

* Aquavia.
* Carnutum.
Mursia.
Pœtovio.
Sabatia.
* Sirmium.
* Siscia.

In Dacia.

Apulum.
* Perendanesii.
Vlpia Trajana.
* Zarmisegethusa.

In Illyrico & Dalmatia.

Æquum.
Epidaurus.
Iadera.
Narona.
* Salonæ.

In Macedonia.

* Bullis prope Aulonem.
Cassandrea.
Dyrrachium.
* Orestias.
Pella.
* Philippi.

In Epiro.

Buthrotum.
Nicopolis.

In Græcia.

Corinthus.
* Dyme.
Megara.
Patræ.

In Thracia.

Apros.
Develtus.
Flaviopolis.

In Asia minore.

Adramyttium.
Alexandria Troas.
Ancyra.
Antigonia Troas.
Antiochia Pisidiæ.
Apamea.
Archelais.
Cremna.
Germa.
Melitene.
Parium.
* Selinus, quæ Trojanop.
* Sinis.
Sinope.
Troas, quæ Alexandria & Antigonia.

In Syria & Palæstina.

Ælia Capitolina.
Antiochia.
Berytus.
* Cæsarea, quæ Turris Stratonis.
Damascus.
Emisa.
* Germanicia.
Heliopolis.
Laodicea.
Palmyra.
* Ptolemais.
* Sebaste.
* Sidon.
* Turris Stratonis, quæ Cæsarea.
* Tyrus.

In Mesopotamia.

Nisibis.

In Arabia.

Bostra.

In Ægypto.

Heliopolis.
Pharos.

In Mauritania Tingitana.

Abyle.
Babba.
Banasa.
Lixos.
Rusardir.
* Silda.
Tingi.
Zilis.

In Mauritania Cæsariensi.

* Aquæ Calidæ.
Arsenaria.
* Bida.
Cartennæ.
Gilva.
Gunugi.
Icosium.
Igilgili.
Iol, quæ Julia Cæsarea.
Oppidum novum.
Quiza.
Rusazus.
Rusconia.
Rusuccoræ.
Saldæ.
Siga.
* Sitifi.
* Succubar.
Tipasa.

In Africa propriè dicta.

Admedera, vel Ammædara.
Adrumetum.
Aphrodisium.
* Carthago.
Cirtha.
Cuina.
Culcua.
Cullu.
Giti.

Hippon regius.
* Lares.
* Leptis magna.
Maxula.
Neapolis.
* Ocea sive Oia.
Pontezita.
Rusicada.
Sabrata.
* Sicca.
* Simittu.
Tabraca.
Tacape.
Tebesta.
* Thænæ.
* Thysdrus.
* Tiba.
* Tuburbis.
Tuburnica.
Tynudrumum.
* Vthina.
Zama.

Coloniæ Romanæ in Italia ordine Alphabetico, (signo * non exstantibus præfixo) ex Livio, Paterculo, Frontino, & aliis. De quibus vide Lexicon hoc nostrum Universale, ut & Epitomen Geographicam Ferrarii, si situm & uberiorem explicationem desideras.

Abella in Campania.
Abellinum in Hirpinis.
Acerræ in Campania.
Æsernia in Samnio.
Æsis in Piceno.
* Æsulum in Latio.
* Alatrium in Latio, Dicitur & Aletrium.
Alba in Latio, quando Sora.
Alba Marsorum.
Alba Pompeja in Liguria.
Albingaunum Liguriæ.
Albintemelium Liguriæ.
Alsium in Hetruria.
Anagnia in Latio à Druso.
Ancona in Piceno.
* Antennæ in Sabinis.
* Antium in Latio.
Anxur in Latio.
* Apulesium.
* Aquaviva in Samnio.
* Aquileia in Carnis.
* Aquinum in Latio.
Ardea in Latio.
Aretium in Hetruria.
Aricia in Latio.
Ariminum in Æmilia.
Arunca. Vide Suessa.
Asculum in Piceno.
Asta in Liguria.
* Atella in Campania.
Ateste in Venetia, quando Verona.
Atina in Latio.
Atria. Vide *Hadria*.
Aufidena in Samnio, vel Caracenis.
Augusta Prætoria in Gall. Subalpina.
Augusta Taurinorum in Gall. Subalpina.
Auximum in Piceno.
Beneventum in Samnio.
Bononia in Æmilia.
Bovianum in Samnio.
Bovillæ in Latio.
Brixellum in Gall. Togata.
Brixia in Cenomanis, quando Ateste.
Brundisium in Salentinis, cum Fregenis.
* Buxentum in Lucania, cum Puteolis.
* Cæditia in Latio, cum Sinuessa.
* Cænina in Latio.
* Calatia in Camp.
Cales in Camp.
* Cameria in Latio.
* Capis in Latio.
* Capitulum in Latio.
Capua in Camp.
Carseoli in Latio.
Casilinum in Camp.
* Casinum in Samnio, quando Interamna.
* Cassentinum in Hetruria.
* Castrum novum in Hetruria.
* Celena in Sabinis.
* Circæi in Latio.
Colonia.
Compsa in Lucania.
Comum in Insubria.
* Concordia in Carnis.
Cortona in Hetruria.
Cosa in Lucania.
* Cossa in Hetruria.
Cremona in Cenomanis, cum Placentia.
Croton in magna Græcia, cum Siponto & Tempsa.
* Crustumerium in *Sabinis*.
* Cumæ in Camp.
Dertona in Liguria.
* Ecetræ in Latio.
Eporedia in Gall. Subalpina.
Esernia. Vide *Æsernia*.
* Fabrateria in Latio.
* Fæsulæ in Hetruria.
Falisca in Hetruria.
Fanum Fortunæ in Umbria, quæ Colon. Fanestris.
Ferentinum in Latio.
* Ferentium in Hetruria.
* Fidenæ in Latio.
Fidentia in Æmilia à Tiberio, quæ Col. Jul. Fidentia scribitur.
Firmum in Piceno, quæ Col. Aug. Firmanorum scribitur.
Florentia in Hetruria.
* Fœdatura, quando Florentia.
* Formiæ in Latio.
Forum Julium in Carnis.
Fregellæ in Latio.
* Fregenæ in Hetruria, quando Ostia.
* Gabii in Latio.
* Graviscæ in Hetruria.
Hadria in Piceno, quando Sena.
* Helvia Ricina in Piceno.
Hispella in Umbria.
Interamna in Samnio, seu in Latio.
Istonium in Frentanis.
Julia Fidentia. Vide *Fidentia*.
* Lanuvium in Latio.
Lavicum vel Labici in Latio.
Lavinium in Latio.
* Laurovinium in Latio.
Laus Pompeja in Insubria.
* Linternum in Camp. quando Vulturnum.
Luca in Hetruria.
Luceria in Apulia.
* Lucus Feroniæ in Hetruria.
* Lupia in Salentinis.
* Medullia in Latio.
* Minervium, quando Scyllacium in mag. Græcia.
* Minturnæ in Latio novo, quando Sinuessa.
Mutina in Gall. Togat. quando Parma.
Narnia in Umbria.
Neapolis in Camp.
Nepeta in Hetruria.
* Neptunia in magna Græcia.
Nola in Camp.
* Norba in Latio, cum Setia & Priverno.
Novocomum in Insubria.
Nuceria Picentinorum.
Nuceria in Umbria.
* Orientium.
* Ostia in Latio, à Martio Rege, cum Fregenis, Castro novo, Pyrgis, Antio, Tarracina, Minturnis, & Sinuessa.
* Pæstum, seu Posidonia, in Lucania, quando Cossa.
* Pampia in Latio.
Parma in Æmilia, quando Mutina.
Pisæ in Hetruria.
Pisaurum in Umbria.
Placentia in Gallia Togata.
Pola in Istria, quæ & Pietas Julia.
* Pompeii in Campania.
Pontia in Latio, cum Suessa.
* Potentia in Piceno, cum Pisauro.
Præneste in Latio.
Privernum in Latio.
Puteoli in Camp.
* Pyrgi in Hetruria, quando Antium & Castrum novum.
Ravenna in Æmilia.
Regium Lepidi in Æmilia.
Rhegium Julium in Brutiis.
* Rusellana in Tuscia.
Sæpinum in Samnio.
Salernum in Picentibus.
* Salpis in Hetruria.
* Saticula in Samnio, cum Suessa.
* Satricum in Catio.
* Saturnia in Hetruria.
Scyllacium in mag. Græcia.
Sena in Hetruria.
Sena in Umbria, apud Senones.
* Senuissa in Latio.
Setia in Latio.
Sidicinum. Vide *Teanum*.
Signia in Latio, à Tarquinio, cum Circæis.
* Sinuessa in Campania.
* Sipontum in Apulia, cum Buxento.
Sora in Latio.
Spoletium in Umbria, post Brundusium.
Suessa in Campania, cum Pontia.
* Suessula in Camp.
Sutrium in Hetruria.
Tarentum in magna Græcia, quando Capua.
* Tarquinii in Tuscia.
Tarracina. Vide *Anxur*.
Teanum Sidicinum in Camp.
* Telesia in Samnio.
* Temesa in Brutiis, quando Sipontum.
* Tergeste in Carnis.
Thurii in magna Græcia.
Tuder in Umbria.
* Veii in Tuscia.
Velitræ in Latio.
Venafrum in Samnio.
Venusia in Apulia.
Verona in Cenomanis.
Verulæ in Latio.
* Vibo Valentia in Brutiis.
* Vitellia, in Æquis Latii.
* Vlubræ in Latio.
Volaterræ in Tuscia.
Vulturnum in Camp.

Coloniæ Rom. extra Italiam ordine Alphabetico.

Abyle & Abyla, postea Septa, Maurit. Tingitanæ.
Acci, Hisp. Bæticæ.
Acusio, Gall. Narbonensis.
Admedera, & Ammædara, Africæ.
Adramyttium, Phrygiæ.
Adrumetum & Hadrumetum, Africæ.
Ælia Capitolina Palæstinæ, quę Hierosolyma.
Æmonia, Iapodum.
Æquum Dalmatiæ.
Agrippina Ubiorum, in Germ. inf.
Ala Flaviana Norici, in conf. Pannoniæ.
* Aleria, Corsicæ.
Alexandria, quæ & Troas & Antigonia, Phrygiæ.
Ammædara. Vide Admedera.
Ancyra, Galatiæ.
Antigonia. Vide Alexandria.
Antiochia, Pisidiæ.
Antiochia, Syriæ ad Orontem.
Antipolis, Gall. Narbonensis.
Apamea, Bithyniæ.
Aphrodisium, in Africa apud Hipponem.
Apollonia, Macedoniæ.
Apros, Thraciæ.
Apulum, Daciæ.
* Aquaviva, in Pannonia.
* Aquæ Calidæ, in Maurit. Cæsariensi.
* Aquæ Regiæ, Africæ.
Aquæ Sextiæ, in Gall. Narbon.
Arausio, Galliæ Narbonensis.
Archelais Cappad.
Arelate, Gall. Narbonensis.
Arsenaria, Maurit. Cæsar.
* Asta Regia, Hisp. Bæticæ.
Astigi & Astigis, Hisp. Bæticæ.
Asturica, Hisp. Tarraconensis.
* Atubi, quæ & Claritas Julia, *Hisp. Bæticæ.*
Avenio, Gall. Narbonensis.
Aventicum, Gall. Belg.
Augusta Asturica. V. *Asturica.*
Augusta Bracarum. Vide *Bracara.*
Augusta Emerita, Hispaniæ Lusitanicæ.
Augusta Firma. Vide *Astigi.*
Augusta Gemella. Vide *Tucci.*
* Augusta Quintanorum, Vindeliciæ.
* Augusta Rauricorum, Germ. super.
Augusta Rhætorum. Vide *Vindelicorum.*
Augusta Tiberii, Vindeliciæ.
Augusta Trevirorum, Germ. super.
Augusta Vindelicorum, Rhætiæ.
* Aurelianum Norici, apud Lentiam.
Babba, quæ & Julia Campestris, Mauritaniæ Cæsariensis.
Banasa, quæ & Valentia, Maurit. Tingitanæ.
Barcino, Hisp. Tarraconensis.
Berytus Phœnicis.
* Bida, Maurit. Cæsar.
Biteræ, Gall. Narbonensis.
Bostra, Arabiæ petrææ.
Bracara, Lusitaniæ.
* Bullis, Maced.
Buthrotum, Epiri.
Cabellio, Gall. Narbon.
Cabilonum, Gall. Celtic.
Cæsaraugusta, Hisp. Tarraconensis.

* Cæsarea,

* Cæſarea, quæ turris Stratonis, Palæſtinæ.
Cæſarea Philippi, quæ & Paneas.
Camalodunum, Britanniæ.
* Capitulum, in Syria.
* Carnutum, Pann. ſuper.
Cartennæ, Maurit. Cæſ.
* Carthago magna, Africæ.
Carthago nova, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Caſſandrea, Maced.
Catina, Siciliæ.
Celeia, Norici.
Celſa, Hiſp. Tarraconenſis.
Cirtha, Africæ.
* Clunia, Hiſp. Tarraconenſis.
Conſtantia, Meſopotamiæ.
Conſtantia, Rhætiæ.
Conſtantia, Zili, Vide *Zilis*.
Corduba, Hiſpaniæ Bæticæ.
Corinthus, Peloponneſi.
Cremma, Pamphyliæ.
Cuina, Africæ.
Culcua, Africæ.
Cullu, Africæ.
* Curia, Rhætiæ.
Cyrene, Cyrenaicæ.
Damaſcus Cœleſyriæ.
Devana Britanniæ.
Develtus Thraciæ.
* Dyma ſeu Dyme Achajæ in Peloponneſo.
Dyrrachium, Macedoniæ.
Eboracum, Britanniæ.
Emerita. Vide *Aug. Emerita.*
Emeſa & Emiſa, Syriæ.
Emporiæ, Hiſp. Tarraconenſis.
Epidamnus. Vide *Dyrrachium.*
Epidaurus, Dalmatiæ.
Equeſtris, Gall. Belg. in Sequanis.
Felicitas Julia. Vide *Olyſipo.*
Flavia. Vide *Cæſarea Philippi.*
Flaviopolis, Thraciæ.
Forum Julii, Galliæ Narbon.
Genua Urbanorum. Vide *Urſo.*
Germa, Galatiæ.
* Germanicia Syriæ ex nummo, quæ & Auguſta.
Gilva, Maurit. Cæſ.
Giti, Africæ.
Gracchuris, Hiſp. Tarracon.
Gunugi, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Hadrumetum, Africæ.
Heliopolis, Ægypti.
Heliopolis altera, Syriæ ex num. argenteo.
Hippon Regius, Africæ.
Hiſpalis, quæ & Romulenſis, Hiſp. Bæt.
Jadera, Liburniæ.
Icoſium, Maurit. Cæſ.
Igilgili, Maurit. Cæſ.
Illici, Hiſp. Tarracon.
* Indicia, Cyrenes.
Jol, & Julia Cæſarea, Maurit. Cæſ.
* Italica, Hiſp. Bæt.
* Ituci, quæ & Virtus Julia, Hiſp. Bæt.
Juhonum, Gall. Belgicæ.
* Juliobrica Flavia, Hiſp. Tarracon.
Julium præſidium, Hiſp. Luſit.
Laodicea, Syriæ.
* Lares, Africæ.
* Laureacum, in Norico.
* Leptis magna, Africæ.
Lixos, Maurit. Tingitanæ.
Londinium, Britanniæ.
Lugdunum, Aquitaniæ.
Lugdunum, Gall. Celt.
Lutarburgium, Tarbellorum.
Marcia, Hiſp. Bæt.
* Mariana, Corſicæ.
Maritima, Gall. Narbonenſis.
Maxula, Africæ.
Megara, Atticæ.
Melitene, Arm. min.
Metallinenſis, Hiſp. Luſit.
* Miſenum, in Syria.
Murſia, Pannoniæ.
* Naconenſis, in Syria.
Narbo Martius, Gall. Narbon.
Narona, Illyrici.
Neapolis, in Africa.
Nemauſus, Galliæ Narbon.
Nicopolis, Epiri.
Niſibis, Meſopot.
Norba Cæſarea. Hiſp. Luſit.
* Ocea, Africæ.
Olyſſipo, Hiſp. Luſit.
Oppidum novum, Maurit. Cæſ.
* Oreſtias, Macedoniæ.
Ovilabis, quæ & Aurelia Antoniniana, Norici.
Pacenſis, ſeu Pax Auguſta, Hiſp. Luſit.
Palmyra, Syriæ.
Parium, Helleſponti.
Patræ, Achajæ Peloponneſi.
Pella, Maced.
* Perendaneſii, in Dacia.
Petovio, ſeu Pœtovio, Pann.
Pharos, Ægypti.
* Philippi, Macedoniæ.
Pontezita, Africæ.
* Ptolemais, Phœniciæ.
Quiza, Maurit. Cæſ.
Ruſardir, & Ryſſadirum, Maurit. Tingit.
Ruſazus, Maurit. Cæſ.
* Ruſcino, Gall. Narbonenſis.
Ruſconia, Maurit. Cæſ.
Ruſicada, Africæ.
Ruſuccoræ, Maurit. Cæſ.
Ryſſadirum. Vide Ruſardir.
Sabaria, Pann.
Sabrata, Africæ.
Salaria, Hiſp. Tarracon.
Saldæ, Maurit. Cæſarienſis.
* Salonæ, Illyrici.
Calabis, Hiſp. Luſit.
* Sebaſte, quæ & Samaria, Palæſtinæ.
* Selinus, quæ & Trajanopolis, Ciliciæ.
* Sicca, in Numidia.
* Sidon, Phœniciæ.
Siga, Maurit. Cæſ.
* Silda, Maurit. Cæſ.
* Simittu, Maurit. Cæſ.
* Sinis, Armeniæ min.
Sinope, Paphlagoniæ.
* Sirmium, Pann.
* Siſcia, Pannon.
* Sitifi, Maurit. Cæſ.
* Sittici ſeu Sittianorum col. Maurit. Cæſ.
* Solva, & Solvenſis colon. Norici.
* Succubar, Maurit. Cæſ.
Syracuſæ, Siciliæ.
Tabraca, Africæ.
Tacape, Africæ.
Tarraco, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Tauromenium, Siciliæ.
Tebeſſa, Africæ.
* Thænæ, Africæ.
* Thermæ, Siciliæ.
* Thyſdrus, Africæ.
* Tiba, Africæ.
Tingi, Maurit. Tingitanæ.
Tipaſa, Maurit. Cæſ.
Toletum, Hiſp. Tarracon.
Toloſa, Gall. Narbonenſis.
Trajana colonia, Belgii.
Troas. Vide *Alexandria.*
* Tuburbis, Africæ.
Tuburnica, Africæ.
Tucci, quæ Aug. Gemella, Hiſp. Bæticæ.
* Turris Libyſſonis, Sardiniæ.
* Tyndaris, Siciliæ.
Tynudrumum, Africæ.
* Tyrus, Phœniciæ.
Valentia, Gall. Narbonenſis.
Valentia, Hiſp. Tarracon.
Vienna, Gall. Narbonenſis.
Ulpia Trajana, in Dacia.
Ulyſſipo. Vide *Olyſsipo.*
Volubilis, Maurit. Tingitanæ.
Urſo, Hiſp. Bæt.
Uſellis, Sardiniæ.
* Uthina, Africæ.
Utica, Africæ.
Zama, Africæ.
* Zarmiſegethuſa, Daciæ.
Zilis, quæ & Aug. Conſtantia, Maurit. Tingitanæ.

Si quæ in his Catalogis minùs vel inter ſe, vel ipſi Lexico, Coloniarum præſertim deductionis aut exciſionis nomine, videantur convenire; nulli Auctoris hujus incogitantiæ imputandum hoc erit, verùm ſcriptorum variorum diſſonantiæ, quos in hoc opere variè, dum præ oculis poſuit, ſecutus eſt.

Colonis, inſula in ſinu Argolico contra Hermicum agrum. Plin. *l.*4.*c.*11. Et Rhod. 21.21.

Colonium, ſeu *Harleium*, oppid. Angl. in Vallia reg. & Mervinia prov. ad æſtuarium majus, *Thuvit Maur*, in ora maris Hibernici, ubi aliàs Ordovices pop. Brietio. Vide *Harlecum.*

Colonos, agger, ſive locus editus, non procul ab Athenis, in quem Oedipus Thebis exulans dicitur commigraſſe: Unde Sophocles Tragœdiam, de Oedipi calamitatibus conſcriptam, *Oedipum Coloneum* appellavit. Erat autem hic locus Neptuno ſacer, ubi etiam equeſtris ejus ſtatua fuit, quemadmodum Theſei, & Pirithoi, & Oedipodis. In hoc aggere fuit & Timonis turris, qui à ſolitudine, hominumque odio μισάνθρωπος cognominatus eſt. Pauſan. *in Att.* Pollux verò *lib.*7. author eſt, duo hujus nominis loca in Atticâ fuiſſe, alterum ἵππειον appellatum, in quem confugit Oedipus; alterum in foro juxta Euryſacium, ἀγοραῖον cognominatum. Rhod. *lib.*21.

Colopena, Cappadociæ pars. Plin. 6.3. Eſt etiam urbs Æolidis in Aſiâ min. Ptol. *Altoboſco* Alex. Zardo.

Colophon, urbs Joniæ, nobilis oraculo Apollinis. Patria Homeri quibuſdam. Hodie *Belvedere*. Vide *Colophonii*.

Colophonii, navales opes ſatis amplas habuere, & in equeſtribus certaminibus tantum excelluere, ut victoriam ſibi certam pollicerentur, quibus Colophonius acceſſiſſet equitatus. Unde Proverb. *Colophonem addere*, cùm ſumma manus operi imponitur. Ex hac urbe nonnulli Homerum ortum volunt. Unde & *Colophoniacus* vocatur à Virg. *in Ciri*,

Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero.

Cic. *pro Archia poëta, Homerum Colophonii civem ſuum eſſe dicunt.* Fuit & Nicandri poëtæ patria, ut patet ex *epigram. lib.* 1. *Anthologiæ*:

Καὶ Κολοφὼν, ἀείδηλος ἐνὶ πτολίεσσι τέτυκται,
Δοιὰς θρεψαμένη παῖδας ἀειζονόους.
Πρωτίστην μὲν Ὅμηρον, ἀτὰρ Νίκανδρον ἔπειτα,
Ἀμφοτέρους Μούσαις οὐρανίῃ γε φίλους.

Colophone, in Apollinis Clarii ſpecu lacuna eſt, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vita. Plin. 2.103.

Colopiani, Pannoniæ pop. Plin. 25.4.

Colops magnus. Ptol. Zeugitaniæ provinciæ urbs, hodie *Giger* regia civitas.

Colorina, Arab. Deſertæ urbs. Ptol. Item, vicus Lombardiæ Tranſpad.

Coloſſe, ſive *Coloſsis* Strab. *lib.* 12. opp. Phrygiæ prope Laodiceam, in confin. Cariæ, medium inter Sardes & Cabyram, 60. mill. ab Apamea in Occ. Baudr. Hîc Eccleſia, quam Paulus Apoſt. inſigni epiſtolâ dignatus eſt. Hanc commentariis ſuis illuſtrarunt, Althoferus *Obſervat.* Brentius, *Commentar.* Calixtus, Dalæus, cujus proſtant *conciones*, Volum. 3. in octav. Genevæ Gallicè. Davenantius, *in Coloſſ. expoſitio*, fol. Cantabrigiæ, 1627. 1639. Amſtelodami 1646. Crocius, Gerhardus, *Annotationes*. Gomarus *Explic. Locorum ſelectorum*, inter opera. Grynæus, *Explanatio Aphoriſtica*, *octav. Baſil.* 1586. Martinus Meelführerus, Muſculus, Origenes, Polanus, *ad Coloſſ.* octav. Baſileæ, 1607. Quiſtorpius, Rollocus, *Comment.* octav. Genevæ, an. 1602. Scultetus *Idea Concionum in ep. ad Coloſſ.* quarto Witeb. 1624. Wigandus, *Explicationes in ep. ad Coloſſ.* Witeb. 1586. Zanchius *Commentar. in ad Coloſſ.* inter opera ejus, &c. Plures vide apud Guiliel. Crowæum, *Elencho Scriptorum in S. Scripturam.* Hoc opp. teſte Oroſio, temporibus Neronis cum Laodiceâ, & Hierapoli urb. Aſiæ terræ motu cecidit. Incolæ *Coloſſenſes*: πόλιν μεγάλην vocat Herodotus.

Coloſſus Lyſippi, ut quidam ajunt, diſcipulus, *coloſsi* Rhodii author, quem tamen à *Caleto*, vel *Coleto* artifice ſic dictum fuiſſe tradit Feſtus. Sed hæc ſunt mera ſomnia. Author enim ejus fuit vel Chares, vel Laches. Plin. 34.7. *Ante omnes autem in admiratione fuit Solis Coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lyſippi diſcipulus.* Simonides in hunc Coloſſum, *lib.*4. *Anthol.*

Τὸν ἐν Ῥόδῳ Κολοσσὸν ὀκτάκις δέκα
Λάχης ἐποίει πηχέων ὁ Λύνδιος.

Niſi & hîc pro Λάχης legere malis Χάρης, ut cum Plin. Euſtathioque conveniat. Sed hoc pacto & pro ὀκτάκις, ſubſtituere poſſis ἑπτάκις, ut in hoc quoque conſentiat cum Plin. Straboneque qui 70. faciunt cubitorum. Verùm hoc utut eſt, de *Coloſſo*, vel *Coleto*,

 altum

altum apud veteres silentium est. Quare rectiùs Etymologus, qui *colossum* sic dici scribit, quia, ob nimiam altitudinem, oculorum frustraretur aciem, Κολοσσὸς, inquit, παρὰ τὸ κολούειν (ὅ ἐστιν ἐλαττοῦν) τὰ ὄσσε, διὰ τὸ μέγεθος. Cujus sententiam confirmat Papinius Sylv. *lib. carm.* 1.

—— Vix lumine fesso
Explores, quam longus in hunc despectus ab illo

Loquitur de equo Domitiani, qui colosso impositus erat, unde initio carminis *molem* vocat *geminatam*:

Quæ super imposito moles geminata Colosso,
Stat Latium complexa forum?

Fuit autem hic Colossus Rhodius statua ex ære, virum repræsentans, in Solis honorem, à Rhodiis erecta. Inter septem mundi vett. miracula. Post 56. annos, terræ motu corruit. Anno C. 677. à Saracenis Rhodo occupatâ & direptâ 900. camelorum onus: Pollex amplexu humano amplior, per crura mare transmissum, &c. Magnitudinem Colossorum innuit Plin. ubi supra: *Moles excogitatas videmus statuarum, quas Colossos vocant, turribus pares.* Ac proinde Etymologus κυρίως Κολοσσοὶ λέγονται οἱ ὑπερμεγέθεις ἀνδριάντες. Stat. 1. *Carm.* 3.

—— Enormes manus est experta Colossos.

Romæ Colossum Nero, capite suo ei imposito, erexit, cujus loco Solis caput substituit Vespasianus: Commodo iterum suum surrogante. Lamprid.

Colotes, vir Tejus, pictor. Quintil. *lib.* 2.

Colotes, Epicteti discipulus primarius, cujus dogmata Plut. libro edito solidè refutat.

Colotes, sculptor fuit eximius, cujus opus Æsculapii simulacrum ex ebore factum, aspectu sanè mirandum, in quodam Bœotiæ vico asservari tradit Strabo *lib.* 8.

Colpe, Joniæ civitas.

Colpite, vide *Phœnicia*.

Colranum, castrum Hibern. in Ultonia, *Colraine*, Comitatus cognom. caput, ad fluv. Bannum, 24. mill. Angl. ab Altrimo in Bor. 40. à mari. Paucis constat incolis.

Colsa, Armeniæ maj. urbs. Ptol.

Colta, Carmaniæ locus ad mare Rubrum. Arrian.

Colthena, Arm. maj. urbs. Ptol.

Coluba, populi Indiæ. Plin. *6.* 19.

Colubraria, maris Mediterranei inf. Hisp. serpentibus scatens. Pomp. *lib.* 2. Plin. 3. 5. Græci *Ophiusam* dixêre, vulgò *Dragonera*. Baudrando *Mont Colibre*, velut scopulus sita, inter Majoricam & oram Cataloniæ, 7. leuc. Hisp. ab ostio Iberi fluv. in Austrum.

Columba, ordo milit. à Johanne I. Castellæ R. institutus, A. 1379. Segoviæ. Alii hoc filio ejus Henrico III. an. 1399. tribuunt. Columba ordinis insigne, qui minimè diuturnus fuit. Favinus, *lib.* 6. *pag.* 1229.

Columba, vulgò *Coulons*, locus Carnutinæ diœceseos, ubi Monaster. Benedictinorum. Item pagus agri Parisini ad Sequanam sinistrum, *Coulombes*.

Columbanus, ex opp. Hiberniæ Columba ortus, adjunctis sibi 12. comitibus in Galliam propagandi Evangelii, & disciplinæ Ecclesiasticæ instaurandæ causâ profectus est, & à Sigisberto rege clementer exceptus, monasterium Luxoniense in Burgundia condidit. Præceptor S. Galli & S. Leodegarii fuit. Pulsus in exilium à Theodorico rege Galliæ, Sigisberti nepote, cujus libidines vagas taxaverat, ad fratrem Theobertum fugit; Is ei prope lacum Brigantinum, ubi nunc urbs S. Galli est, hospitium præbuit. Capto autem Theoberto ad Theodelindam in Italiam discessit, relicto in Sueviâ S. Gallo. Obiit in monasterio Bobiensi ad Trebiam fluv. an. Dom. 598. die 23. Novembris.

Columbaria, inf. in mari Tusco. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *p.* 505.

Columbaria, vulgò *Colmar*, urbs Imperialis & libera Alsatiæ, aliàs *Argentuaria*, media ferme inter Argentoratum & Basileam. 3. leuc. à Brisiaco in Occas. an. 1673. à Gallis capta, & mœnibus nudata est. Vide *Colmaria* & *Argentaria*.

Columbaria, vicus quondam Galliæ, in saltu pagoque Brigensi, ad Mucram fluv. nunc municipium, vulgò *Coulomsiers*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Columbarium, vel *us*, locus Galliæ in Arvernis, ubi Præjectus Episc. Arvernorum xenodochium extruxit, ubi 20. perpetuò ægroti curarentur. Idem.

Columbum, urbs Indiæ cit. cum arce probè munita, in inf. Ceylan, à Lusitanis extructa, nunc sub Hollandis, à paucis annis. In Occ. Inf. parte, 28. leuc. à Candea urbe, in Africum. 43. à Commaria promunt. in Ort.

Columella L. Junius Moderatus, Gaditanus genere, scripsit absolutissimos libros de Re Rusticâ, temporibus Claudii Principis.

Columna, urbs Moscoviæ Episc. sub Archiep. Moscoviensi. Ad confluentes Moscuæ fluv. in Occam. 38. m. p. à Moscovia urbe in Ortum; *Kolom*.

Columna, vicus in Carnutibus, ubi sec. quosdam jussu Chlodomeris Francorum R. Sigismundus Burgund. R. cum conjuge & duobus filiis jugulatus ac in puteum dejectus est, A. C. 524. hodie forsan *Coloumelle*, in pagi Aurelianensis Belsiæque confinio: vel *Coulmiers*, Ecclesia cum vico huic proxima. Sed prior sententia potior. Valesius *puteum S. Sigismundi*, hodie *S. Simond*, in quem hic præcipitatus est, diversum à Columna vico pagi Aurelianensis esse ostendit, in hujus tamen vicinia: *Notit. Gall.*

Columna regia, civitas in Brutio. Mela *lib.* 2. Græci Στηλίδα vocant, id est, *Columellam*, hodie *la Cothona*, aliis *Stylurion*, unde solvitur in Siciliam. Vide Cluverium *Ital. Antiq. libr.* 4. *pag.* 1295.

Columnæ, parvæ insulæ Rubri maris. Plin. 6. 11.

Columnæ Herculis duæ esse perhibentur, in Occidente; quia ex Oceano mare nostrum intrantibus duo montes occurrunt, quorum alterum in Mauritania *Abylam* vocant, alterum in Hispan. Bætica *Calpen*. Hos quondam junctos perpetuo jugo fuisse finxerunt, sed ab Hercule diremptos; inter quos nunc Fretum Gaditanum: cujus latit. 4. leuc. Hisp. longitudo ab Or. in Occ. 12. leuc. ab Abyla ad Cotem prom. Aliqui tamen hos montes procul spectantibus geminas columnas videri dicunt. Alii asserunt, Columnas Herculis in Gaditanâ insulâ fuisse ex ære octo cubitorum, ad quas proficisci solebant, qui navigationem absolvissent, tanquam Herculi sacra facientes. Hic etiamnum ostenduntur turres 2. dictæ *Torres di Ercole*, prope Gades.

Coluri, duo sunt circuli in Sphæra se mutuo ad angulos rectos sphærales secantes, ad polos mundi, & Zodiacum ita transeuntes, ut alter per principia Arietis & Libræ feratur, alter per principia Cancri, & Capricorni; ita dicti ab imperfecta sui conversione, à κολοὸς *mutilo* & οὐρὰ *cauda*, quòd imperfecti omnibus qui sub Æquinoctiali non sunt, & tanquam cauda præcisa apparent. Vide Scalig. *in Manil.*

Coluri, etiam Salamis dicta est, Vide ibi.

Coluthus Thebanus, Scriptor sec. 5. Coccius *tom.* 1.

Colycantii, Asiæ propriæ gens, quæ interiit. Plin.

Colymbarium, Sardiniæ promuntorium. Ptol.

Colyttus, δῆμος est Atheniensium τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. Strabo *l.* 1.

Comacina, Inf. lacus Comaceni. Vide *Larius*.

Comacula, seu *Comaclum*, *Comacchio*, urbs Duc. Ferrar. in dit. Pontif. intra paludes *Valli di Comacchio*. 3. mill. ab ora littor. maris Adriat. 20. à Ravenna in Bor. 12. à Volana in Austr. Parva, & ob cœli gravitatem à paucis, iisque maj. ex parte piscatoribus, inhabitata.

Comagena, Syriæ pars, supra Ciliciam in Ortum sita, trans Amanum montem excurrens usque in Mesopotamiam, à quâ Euphrate fluv. dirimitur. A Romanis in provinciam redacta. Cujus metrop. Samosata, ad Euphr. patria Luciani Athei, & Pauli Patr. Antiocheni, hæretici. Vide Strab. *l.* 11. & 17. Nigr. *descr. Asiæ*. Populi *Comageni* haruspicinæ olim peritiâ præ cæteris nobilitati. Juven. *Sat.* 6.

Spondet amatorem tenerum vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Comagenus Aruspex.

Comagena, locus Norici, nunc vicus *Langenhaber*, ad confluentes amniculi *Anzespach* in Danub. in Austria. Cluver.

Comagenum, vulgò *Haynburg*, oppidul. Austriæ inf. ad Danubium, in confin. Hung. 3. leuc. a Posonio, 6. à Vienna in Ortum, & è regione Morava fluv. in Danub. labitur. Vide Trebell. Poll. *in Claudio* II. Gruter. Salm.

Comana, *orum*, nunc *Com*, & *Tabachzan* incolis, civitas est in convallibus Antitauri montis, insigni Bellonæ fano celebris. Inde *Comani* dicuntur sacri servi Bellonæ, quorum Strabo *l.* 12. sua ætate supra sex millia fuisse tradit, qui omnes sacerdotis imperio parebant, & statis quibusdam Bellonæ festis sese mutuis vulneribus laniabant. Val. Flacc. *lib.* 7.

—— Exectos lacerat Bellona Comanos.

Comana, civitas in Armen. min. Procop. Cappadociæ, Baudr. ad fontes Sari fluv. aliter Comana Crusa, versus montem Taurum Cilicium. *Arminacha* vulgò, & *Cappadociæ*, ut distinguatur ab altera *Pontica* dicta, sitâ ad Satum, ubi in Irim labitur. P. à Via.

Comana, Taprobanæ inf. opp. Ptol. Alia item in Phrygiâ, & Pisidiâ eidem.

Comania, Asiæ regio circa Hyrcaniam. Xenoph. Inter Georgiam & Tanaim fluv. ubi etiam Circassi pop. sui penè juris, quidam tamen sub clientela Turcarum; & alii sub Moscis.

Comani, pop. à Ladislao Ungariæ rege apud lacum *Hood* victi, an. Dom. 1279. pop. circa Margianam, Plin.

Comara, urbs munit. Hungar. in extrema parte Inf. *Schutt*, cum arce triangulari, quæ aliàs Brigæcio dicta, in Pannonia sup. Caput est comit. cognom. *Komora*; 4. leuc. Germ. à Javarino in Ort. 2. à Neuheselio in Austr. 5. supra Strigonium.

Comari, Asiæ pop. super Scytharum deserta ad Caspium sinum, Mela. 1. 2. Vide sis illic Vossium.

Comarus, portus est ad sinum Ambracianum juxta Nicopolim, Isthmum stadiorum 60. efficiens. Strabo *lib.* 17.

Comastus, locus Persidis, ubi vicorum insignis frequentia. Polyæn. *lib.* 7.

Comata Gallia, vide *Gallia*. Lucan. *lib.* 1.

Crinibus effusis toti prælate Comata.

Comazon, Consul cum Antonino Aug. an. U. C. 982.

Comba,

Comba, urbs Lyciæ Mediterranea. Ptol. *Comba* adhuc.

Combana, Carmaniæ urbs. Ptol.

Combe, Asopi filia, quæ prima æneam armaturam dicitur invenisse, unde & *Chalcis* est cognominata. De hâc nonnulli intelligunt hoc Ovid. *lib. 7. Met.*

Adjacet his Pleuron, in quâ trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe.

Polyzolus & Aristus asserunt hanc marito quondam plures filios peperisse. Unde videtur Proverb. natum esse ὥσπερ Χαλκιδικὴ τέτοκεν ἡμῖν γυνή: Velut Chalcidica peperit nobis uxor: de muliere plurimùm fecundâ dici consuetum.

Combi, Ombi Antonino, urbs Ægypti super. ad Nilum fluv. pop.

Combitæ, qui, ut Steph. scribit, crocodilum adorabant, sicut Lycopolitæ lupum. Juven. *Sat.* 15.

Inter finitimos, vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus;
Ardet adhuc Combos & Tentyra, summus utrinque
Inde furor vulgo, quòd numina vicinorum
Odit uterque locus, cùm solos credit habendos
Esse Deos, quos ipse colit.

Combralia, vulgò *Combraille*, pagus Galliæ, in convallibus montium circumcirca positus. Ibi mons acutus *Montegu*, castrum nobile, ad caput Bubulæ fluv. qui Cantiliam villam & castellum alluit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Combrea, urbs circa Pallenem. Herodot.

Combretonium, Angliæ urbs. Anton. Icenorum olim, nunc pagus *Bretenham* in agro Suffolciensi, Camden. 15. mill. Angl. à Sitomago in Austrum, 50. circiter à Londino in Cæciam, Baudrandus.

Combusta, urbs Gall. Narbonensis, circa Pyrenæos montes, Anton.

Comeda, Sacarum gens. Ptol.

Comedia & *Tragœdia* villæ duæ, Plin. ad lacum Larium, apud Bellasium pag. & promuntorium, à ludis, qui ibi recitabantur, dictæ. Ferrar.

Comenii, Illyridis populi. Ptol.

Comenses, vide *Comum.*

Comensis lacus, vide *Larius*,

Comerium, opp. agri Tarvisini.

Comerus Gallus, duxit colonias in Italiam, nomen regioni à suo nomine imposuit, legem ac justitiam docuit. Berosus *lib.* 3.

Comerus, Scytha, more Scythico, unde venerat, docuit Italos urbem curribus componere, hinc *Veji* appellati sunt, vocabulo Sago, quo *Vejas* Plaustrum vocant an. ante U.C. 1360.

Comes, vide *Comites.*

Comes stabuli, apud Gallos idem, quod olim equitum Magister, apud Rom. Transiit dignitas ab ultimis Imperatoribus, ad Galliæ Reges primos: quæ postmodum adeò aucta est, ut, Regibus minorennibus, Principes sanguinis hi statim sequerentur. Hisce, pòst Regem, omnes obedire tenebantur, his ensis regii commissa custodia, his in bello omnia ordinandi, delicta puniendi, prædam dividendi, aliaque ad rem militarem pertinentia obeundi summa potestas. A Ludovico XIII. Galliæ R. an. 1627. suppressa, postquam Franciscus Diguierius D. rei bellicæ sub Henrico IV. gloriâ insignis, eâ ultimo functus esset. Tillet. Haillan. Pasquier. in libro: *Recherches de la France, lib.* 2. *cap.* 11. & 12. Vignierius, Feronius, SanMarth Godofredus, Morerius, *Diction. Hist.* &c. Vide quoque in voce *Constabularius.*

Comestor, vide *Petrus Comestor.*

Cometes, pater Asterionis, unus ex Argonautis, Val. Flaccus *libr.* 1.

—— Celer Asterion, quem matre carentem
Cristatus gemino fovit pater amne Cometes,
Segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus.

Ubi ad verbum ferè, ut solet, expressit Apollonium *l.* 1. Sic enim ille:

Ἤλυθε δ᾽ Ἀστερίων αὐτοσχεδὸν, ὅν ῥα Κομήτης
Γείνατο δινήεντος ἐφ᾽ ὕδασιν Ἀπιδανοῖο.

Quòd autem *cristatum* vocat *Cometem* Flaccus, adlusum est ad nomen *Cometæ*. Nam (ut ait Plin.) *Cometas Græci vocant, nostri crinitas, hoc est, horrentes crine sanguineo.* Haud abs re forsan fuerit hîc notare, quæ de Cometarum præsagiis antiqui tradidere, adeò ut in Proverb. abierit Senarius iste,

Οὐδεὶς Κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

Nil enim Poëtis præcipuè magis persuasum est, quàm cometas denunciare magna mala. Virg. *Georg.* 1.

Non aliàs cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ.

Tibullus *lib.* 2.

Hæc fore dixerunt belli mala signa Cometæ.

Lucan. *lib.* 1.

—— Terris mutantem regna Cometem.

Stat. 1. *Theb.*

Mutant quæ sceptra Cometæ.

Silius *libr* 1.

Crine ut flammifero terret fera regna Cometes
Sanguineum spargens ignem, vomit atra rubentes
Fax cœlo radios, & sævâ luce coruscum
Scintillat sidus, terrisque extrema minatur.

Et *libro* 8.

—— Non unus crine corusco
Regnorum eversor rubuit lethale Cometes.

Val. Flaccus *lib.* 6.

—— Iratoque vocati
Ab Jove fatales ad regna injusta Cometæ.

Claud. 1. *de bello Getico,*

Et nunquam cœlo spectatum impune Cometem.

Et *in Epigr. de Magnete,*

Non frustra visi ferali crine Cometæ.

Ac *de Raptu Proserp. lib.* 1.

—— Augurium, qualis laturus iniquum
Præpes sanguineo dilabitur igne Cometes,
Prodigiale rubens, non illum navita tutò,
Non impune vident populi, sed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hostes.

Comi, Bactrianæ pop. Ptol.

Comias, Senis nomen, Aristoph. *Vespis*, quod factum à κώμη: Vide Schol.

Comidava, Daciæ opp. Ptol. *Dees* Lazio.

Comini, pop. ex Æquicolis, qui interiere. Plin.

Cominium, Samnitum urbs.

Cominius, prænomine Quintus, eques Romanus, probrosi in Tiberium carminis convictus; quem postea Cæsar precibus fratris, qui Senator erat, concessit. Tacit. 4. 31.

Cominsena, Parthiæ regio. Ptol.

Comisena, Armen. majoris provincia.

Comites, dicti sunt, qui florente Rep. Rom. publici negotii causâ, Proconsules & Præsides, in provincias euntes, comitabantur. Cicer. *Act.* 4. *in Verr.* In Imperio *Comites* olim vocabant, quotquot è *Comitatu* Principis erant: *Comitatum* verò ipsam Aulam & familiam Principis, Tacit. *Hist. l.* 2. Amm. Marcellinus, *lib.* 17. *sect.* 10. Herodian. *in Commodo.* Item Senatum Imper. domesticum, & judicium, quo lites ad palatium ductas decernebat: recentioribus *Baronagium.* Cassiod. *lib.* 4. *cap.* 46. & 5. 15. Distinguebantur autem *Comites* tum ratione ordinum & dignitatum, tum ratione munerum & generum. De prioribus, quos instituisse fertur Constantinus M. Eusebius *in hujus Vita*: *Comitum verò*, inquit, *alios in primo ordine collocavit, alios in secundo, alios in tertio.* Horum primi in *Illustrium* classem constituti: Secundi inter *Clarissimos* numerati; qui & *Spectabiles* postea dicti sunt: Tertii ordinis *Perfectissimorum* titulo honestabantur. E quibus duobus solùm prioribus Ordinibus Senatus constabat. Perfectissimi Senatum quidem non ingrediebantur, interim variis cum prioribus gaudebant privilegiis. *Egregii* quartâ & ultima Magistratuum, sub adulto Imperio, erat classis. Genera *Comitum* quod attinet, plurima habentur: qui omnes partim super terra, partim super mari merebant. Horum præcipuus πρωτοκόμης in inferiori Imperio nuncupatus est. Hæc è Notitia Imp. Cassiodoro, Codino, Juris scriptoribus, aliis concinnata prolixè habes apud Spelmannum *Glossar. Arch.* Indicant autem, nomen *Comes*, non semper honorarium fuisse, sed de Magistratu sæpe inferiori, sæpe de Ministerii infimi præfecto, dictum: Præfectum passim significare. Hesychius Κόμης, ἄρχων, ἡγεμών. Suid. ὁ λαοῦ ἄρχων, dictum sine dubio de Provinciarum *Comitibus*, qui populum & justitiariâ potestate gubernabant, & armatâ manu tuebantur; sic à Præsidibus provinciarum differentes, quòd hi tantùm civiles essent Magistratus. A *Comitibus* his, inferiorum ætatum *Comites* orti sunt, qui in suis item provinciis, civilem justitiam armorum terrore administrabant. Sæpe tamen *Comes* pro Judice simpliciter dicitur, in legg. Ripuar. *Tit.* 55. §. 1. pro Judice Fiscali: Papiniano verò pro Assessore judicis, quod ad Consularia secula referendum: nec malè ad priscos Germanorum *Comites*, de quibus Tacitus. Hinc *Comitiva*, dignitas & munus *Comitis*, inferioribus *Comitatus*: vox Cassiodoro frequens. *Comitatenses*, qui in *Comitatu* Imperatoris, seu Aula degebant: Legiones *Comitatenses*, quæ à Comitatu erant, Satellitium crebro in Notit. Imp. Vide *Palatinus.* Descendo ad Inferiorum ætatum Comites. Ex more Imperii, *Comitem* appellabant Galli, Itali, Hispani, quem ad regendam urbem aliquam, vel territorium, Reges è Comitatu suo miserunt judicem, ipsumque inde territorium ac munus, *Comitatum.* Vide Greg. Tur. mox post 5. sec. Et *Hist. l.* 4. *cap.* 13. *ac* 36. Apud Germanos *Comites* dicti, qui Principibus jura per pagos & vicos reddentibus à comitatu erant, & tanquam Assessores. Tacit. hos, patrii magistratus appellationem admirati, quos alii *Comites*, ipsi *Greven*, recentiùs *Graffen* appellarunt. Hujusmodi verò Judicem singulæ urbes & regiones ab Imperatore vel Regibus datum, accepere. Vide Seb. Munster. *Cosmogr. lib.* 3. *cap.* 20. Speculum Saxoniæ *Artic.* 52. Quos autem Tacitus *Comites*, eos inferiores *Pares* dixere. Vide quoque originem & officium *Comitis* è Spartiano, *in Adriano.* Munus igitur *Comitis* justitiarium fuit: Vim & injuriam prohibere, latrocinia compescere, pacem regiam, non solùm legum tramite, sed etiam armis promovere: jura regia & vectigalia curare, colligere, fisco inferre. Et qui-

quidem de causis Magnatum & potentiorum non cognovit *Comes*, nam hæ ad Aulam regiam pertinebant. Pauperum tantùm & minus potentum judicabat. Hieron. Bignonius *ad Marculfi lib.* 1. *cap.* 8. Apud Bedam, cùm in Britannia Inf. tum in Hibernia, reperiuntur *Comites*, ante an. C. 700. sed an titulo solùm, ex Danorum more; vel urbe aliqua & diœcesi insignes, non liquet. Dani videntur *Comites* vocasse, qui in consortio Regis militabant ductores. Ideo an. 871. Asser Menevensis, Auctor coætaneus, nunc eosdem *Comites*, nunc *Duces belli* appellavit. Certum autem est Anglo-Saxones illo ævo *Comitis* titulum cum præfectura urbis alicujus, aut regionis conjunxisse, etiam nondum distributo in Comitatus, quod Alvredo attribuitur, regno. Sed fluctuans adhuc appellatio, nec recepta passim ab Anglicis Auctoribus. Fluxit Angliæ *Comitum* origo à Saxonum *Grevis* & *Aldermannis*: quibus Latini interpretes, ob muneris & eminentiæ similitudinem, nunc Principis & Ducis, nunc *Comitis* appellationem usitatius (ut Dani postea Eortæ,) indidere: Sed hi ipsi *Heretochium*, i. Ducem & præfectum Exercitus, Comitem etiam sæpe vertebant. Erant sub his seculis, summi prorsus sui Comitatus justiciarii, & legum ideo scientiâ imbuti: nec perpetui tum quidem magistratus, sed vel ad certum tempus (ut Romani illi apud Cassiodorum, *per indictionem*) vel ad placitum Regis, locum possidentes. Greg. Turon. *lib.* 4. *cap.* 24. *lib.* 5. *cap.* 36. & *lib* 8. *cap.* 18. Hinc *Ex-Comes* apud eundem. Apud Germanos verò Feudales cœperunt fieri Comitiva & illustria munera, sub Othonibus, i. sub fine decimi seculi: ut apud Gallos, sub excessu Merovinæ stirpis. Torpente enim jam splendore regio, potentiores quidam hæc invadebant hæreditariò: & licèt à Carolinis postea Principibus ejecti plerique essent, nonnulli tamen longè in confiniis dissiti, impune retinebant. Loyseau *de Seign. cap.* 5. *pag.* 107. Demum Hugo Capetus, cùm novum regnum novis beneficiis stabilire satageret: Ducatus & Comitatus, maximaque regni officia in feudo retinenda Magnatibus permisit, homagio ab iisdem suscepto. Quod exemplum sequutus Guilielmus primus, idem in Anglia fecit. Accipiebat olim *Comes*, cùm inter Saxones, tum inter Anglo-Normannos, tertium Comitatus denarium, hoc est, mulctarum & emolumentorum Regi ex placitis accrescentium. Idem in usu fuit apud Gallos, Caroli Magni ævo. Obtinuere quoque tum castrum Comitatus, quod cùm Regibus & Reip. infestissimum deprehenderetur esse, castra, ubi capita Comitatuum, Coronæ Regiæ inseparabiliter unita sunt. Comitis creandi mos ævo Constantini Magni hodieque in Angliâ codicillis & arbitrio Principis: item traditione vexilli, quod Germanicam sapit originem: vel cincturâ gladii, ex more vett. Imperatorum. Hodie *Comitiva* candidatus paludamento coccineo induitur à Rege ipso, gladio ab humero suspenso, & pileo coroneolâ aureâ radiato insigni, porrectumque regiâ manu creationis suæ diploma genu nixus accipit. Antiquiorem constituendi Comitis formulam Marculfus recenset: Antiquissimam verò Cassiodorus habet *Var. lib.* 7. *form.* 1. Quæ omnia prolixè enarrat Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Comites Palatini, al. *Comites Palatii*, Germ. *Pfaltzgraven*. Vide B. Rhenan. *lib.* 3. *pag.* 235. qui Palatinum, à Palas regione ducit. Dicti olim, qui officia in palatio Principis administrabant, inprimis κατ' ἐξοχὴν *Comes Palatinus* dictus est, quem sub Carolo Magno luculenter describit Hincmar. Rem. Arch. *Epist.* 3. *cap.* 16. *& seqq.* Ubi inter alia: *Post eos* (Apocrisiarium & Cancellarium) *sacrum Palatium per hos ministros disponebatur: per Camerarium videlicet, & Comitem Palatii, Seneschallum, Buticularium, Comitem Stabuli &c.* Item *Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii custos, de omnibus negotiis Eccles. vel ministris Ecclesiæ; & Comes Palatii de omnibus secularibus causis & judiciis suscipiendi curam instanter habebant, ut nec seculares priùs dominum Regem absq; eorum consultu inquietare necesse haberent.* Porro: *Comitis autem Palatii, inter cætera penè innumerabilia, in hoc maximè solicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis judicium, Palatium aggrediebantur, justè ac rationabiliter determinaret, &c.* Transiit hoc officium dein in Capitalis justitiarii, Cancellarii & aliorum. Spelmannus *Glossar. Archæol.* Sed in oculis omnium illustrior est *Comes Palatinus*, non tam personali munere, quàm hæreditariâ dignitate insignis. Utpote, qui in territorio suo, plenitudine jurium regalium fretus, omnem justitiam sui ipsius nomine, suis ipsius Officialibus administrat. Et indicat Speculum Saxon. *Art.* 53. Seb. item Munster. *Cosm. l.* 3. *c.* 20. Palatinos Principes fuisse aliquando in Germania Reges: devictosque eosdem à Romanis, administrationem pristinam, sed mutato titulo, obtinuisse. Sic apud Anglos Guilielmus I. Hugonem ex sorore nepotem, Comitem Palatinum Cestriæ creavit: Eduardus III. Lancastriæ Comitatum in Palatinatum erexit, &c. Plura vide apud Spelmannum *Gloss. Archæol.* & in voce *Palatinus*. Distinctiones *Comitatuum* in Britannia Inf. sub Alvredo, circa annum Chr. 871. apud exteros, sub Berengariis & Othonibus, vel sub Carolo M. factæ videntur. Idem Spelmannus.

Comitia, orum, pl. num. conventus populi ad creandos magistratus, leges ferendas, & alia cum populo agenda, à *comeundo* appellata, ita enim veteres loquebantur, vel à *coeundo*. Leguntur autem Comitia *Consularia, Prætoria, Quæstoria, Tribunitia, Ædilitia*; quibus sc. Consules, Prætores, Quæstores, Tribuni, Ædiles creabantur. Tria ferunt Comitiorum genera; *Curiata, Centuriata, Tributa*, nam quæ *calata* Comitia legimus, ea sunt vel curiata, vel centuriata; ex eo, quòd primis temporibus *calandi* verbum pro *vocandi* usitatum erat. Curiata Comitia erant, quum curiatim κατὰ φυλὰς pop. Romanus suffragia ferebat. Centuriata quum centuriatim, sive per centurias; Tributa, quum tributim sive per Tribus. Dionys. *lib.* 7. scribit, in comitiis Curiatis omnem potestatem creandi magistratus fuisse penes populum; in Centuriatis autem penes divites. Inde *Comitium*, id est, *locus comitiorum*. Cæterùm de Comitiis plura vide apud Manutium *libro de Legg. Romanis.*

Comius, Atrebas, quem Cæsar Atrebatibus Regem constituerat. Cæs. *lib.* 4. *Comm. c.* 21.

Commani, pop. circa Margianam. Plin.

Commenases, Indiæ fluv. in Indum fluens. Arrian.

Commendonus Joh. Franciscus, Cardin. à Pio IV. ad Protestantes Germaniæ Principes missus, laudatur, quòd Pontifice suo moderatior fuerit. Ejus curâ Concilium Tridentinum in Germania publicatum, & Evangelicis in Austria concionandi libertas ademta. In Polonia coronationi Henrici III. interfuit. Spond. *Annal. Eccles.*

Commentiolus, ex ducibus Mauritii Imper. cujus operâ contra Hormisdam Persarum Regem feliciter semel atque iterum usus est. Circa A. C. 585. Vide Niceph. *lib.* 18. *c.* 8. 11.

Commercium, vulgò *Commerci*, ex vico castrum, dein urbec. Gall. in Barensi Duc. ad Mosam fluv. vix 3. leuc. supra Fanum D. Michaëlis, & 5. à Tullo in Ortum: in finibus Leucorum. Vide Valesium *Notit. Gall.*

Commodus L. Aur. Antonius, M. Antonini filius, patri dissimillimus, cui etiam in imperio successit. Sub Onesicrito, Atteio & Antistio, humaniores artes didicit. Sub Philosophis, morum magistris, nihil profecit, naturâ in omne scelus pronâ; Alter Nero, Hercules vocari voluit, clavâ & leoninâ insignis. Imo aras & delubria sibi poposcit, Senatu turpiter adblandiente. In Christianos, in proceres sævus. Moribus perditissimis, nonnisi consimiles evexit: Cum gladiatoribus & feris in arena colluctatus. Tandem Martiæ, Læto & Electo mortem parans, ab illis præventus, venenum primò hausit, mox ab athleta quodam strangulatus est. An. 192. æt. 31. Imperii 13. Vid. Lamprid. *in ejus vita.* Eutrop. *Hist. Rom. lib.* 8. Onuphr. *in Chron.* inprimis Herodianum *libr.* 1. De hoc Ausonius,

Commodus insequitur pugnis maculosus arena,
Thrœcidico princeps bella movens gladio.
Eliso tandem persolvens gutture pœnas,
Criminibus fassus matris adulterium.

Commodus, Cos. cum Prisco an. U. C. 831. Item alius Cos. cum Cereali an. U. C. 858.

Commone, insula Epheso urbi adjacens. Plin. *lib.* 15.

Commoni, Galliæ Narbon. pop. Ptol. In Provincia juxta littus maris Mediterr. olim pars Salyorum, ubi urbes Massilia, Telo Martius, Olbia, & Forum Julii, Baudr.

Commosicus, Getarum Rex & Pontifex, an. ab U. C. 719.

Communicantes, Anabaptistarum secta, qui vett. Nicolaitas imitantur, communia omnia habentes. Gautier. *Sec.* 16.

Comopolis, Assyriæ opp. Ptol.

Compactata, sic dicti quatuor Articuli Hussitarum, quos Sigismundus Imper. pace factâ Bohemiaque receptâ, unà cum Concilio Basiliensi, admisit, & Latinè, Germanicè ac Bohemicè promulgari, insuperque marmori aureis literis insculpi curavit: *Bohemos communicantes sub duplici specie, panis & vini, legitimos & germanos Catholicæ Ecclesiæ filios esse.* A. C. 1433. 1434. Hist. Bohem. Lætus *Comp. Hist. Univ.* Vide quoque in voce *Iglava.*

Compendium, à Romanis, aut certè à Gallis, qui & ipsi Romani dicti, conditum, vel quòd erat ad Axonæ & Isaræ confluentem & q. compendium positum; vel quòd per compendium, urbes & castra ripæ Suminæ petentibus occurrebat, sic dictum: Sub Chlodovæi M. liberis villa fuit Regia, venationis gratiâ delecta. Sub Pipino Synodus ibi habita. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Hodie vulgò *Compiegne*, satis ampla & culta urbs Gall. Belg. in Picardia provinciâ, aliàs *Carolopolis*, quòd ipsam Carolus Calvus Francorum Rex anno 876. repararit, auxerit, præsidiisque munierit, Annales Franciæ. Idem Monasterium in B. Mariæ honorem ibidem condidit, quod *Regium* dici voluit, centumque Clericis attribuit. Hodie Mon. S. Cornelii. Capta est à Carolo IV. bello contra Burgundiæ ducem, qui eam an. 15. postea, per Johannem Lucemburgicum iterum tentavit. Hîc Puella Aurelianensis infelici eruptione factâ in Anglorum venit potestatem. Flodoard. Glaber, Nangius, Albericus, &c. Duchenius, *antiq. Urb. part.* 1. *c.* 7. *de Ducatu Valesio.* Concilium ibidem celebratum, an. 757. 833. quo Ludovicus Pius R. depositus. 1085. 1201. 1277. &c. Baudr. in prov. Insul. Franciæ est, ad Oesiam fluvium, ubi recipit Axonam, in reg. Valesia. 8. leuc. à Sylvanecto, 18. à Lutetia in Bor. 5. à Novioduno in Austr. gaudetque aliquando Regis secessu.

Compita,

Compita, castr. Æmiliæ, in Romandiola; *S. Archangelo*, vel *Savignano*.

Compitalia, festa quæ in compitis Larium honori peragebantur, & *Compitalitius* dies, in quo celebrantur. Gellius. Nullum certum diem præfinitum fuisse his sacris, ex loco Varronis ad Suetonium, rectè observavit Casaubonus, confirmatque Ausonius *Edyll.* 25. *in his,*

Et nunquam certis redeuntia festa diebus,
Cùm sua per vicos compita quisq; colit.

Non longè tamen à Saturnalibus celebrata persuadet Dionys. *l.*4. Institutio eorum à Servio Tullo est, ut idem Dionys. itemque Plin. *lib. 36. extremo*, docet: Augustum bis ea celebrare per annum, quæ semel antea tantùm peragerentur, ejus vita significat apud Sueton. *cap.* 31.

Compitum, pag. excisus Latii, nunc Caupona, sub Anagnia: *Osteria d'Anagni.*

Complutica, Ptol. olim opp. nunc vicus Hisp. Tarrac. in finibus Callaicorum, hodie *Compludo*, teste Mor.

Complutum, Carpetanorum urbs, & nobilis Academia à Franc. Ximenio Cardinali erecta, cujus curâ Biblia Complutensia edita sunt, A.C. 1515. ubi textui Hebræo, Chald. Latina, & Gr. versio additæ, in Hisp. Tarrac. seu Castella nova, vulgò *Alcala de Henares*. In planitie sita. Onuphr. Gomez. *l.*2. Biblioth. Hisp. *t.*1. *c.*2. Hic Synodus prov. an. 1326.

Compostella, urbs Archiep. primaria Gallæciæ, in Hisp. Tarrac. crevit ex ruinis Iriæ Flaviæ. Hic Basilica, illatis reliquiis Apostoli Jacobi S. Jacobo dedicata est, Anno Christ. 816. Baron. Annal. capta & direpta ab Almansore, campanisque asportatis incensa est anno Christ. 993. peste sacrilegos subsequente. Mariana *de rebus Hispan.* Vide *Iria Flavia*. De nomine sic Vossius *ad Melam, Postquam*, inquit, *Hispani sibi persuaserunt illa quæ de S. Jacobo narrantur, cœpit istud oppidum appellari Ad Jacobum Apostolum. Posterioris ævi Hispani dixere Giacomo Postolo*, unde contractum *Compostella*. Vide eundem *de Hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 7. de quodam Bernardo, qui Bullas Papales & vett. Regum Hispaniæ statuta collegit. Distat 9. leuc. à Corunia in Austrum, 13. à promuntorio *Finis Terræ* in Ortum, prope amnem Sarelam. Hic Concilium an. 1056. & Universitas.

Compostella, urbs nova Americæ Septentrion. in nova Hisp. & prov. Xalisci, non longè à mari Austrino, 100. circiter mill. ab urbe Guadalaxara in Occas.

Compsani, Hirpinorum pop. in Italiâ. Plin. *lib.* 3. *cap.* 11. Eorum opp. *Compsa*; Ptolemæus, cui Græcè scribitur Κόμψα, perperam Lucanis illud attribuit. Velleius *libro altero*, *Molo Compsam in Hirpinis oppugnans*, ubi Cluver. *Cassanum* legere maluit, Vide Authorem longè doctissimum, & laboriosissimum, *de Ital. Antiq. libr.* 4. *cap.* 8. Nunc urbs est regni Neap. in Principatu ult. prope fontes Aufidi fluv. ad radices montis Apennini, in confinio Princip. citer. 18. mill. à Melphi in Occas. parva est, sensimque deficit. Baudr.

Compsatus, Thraciæ fluv. in Bistonidem lacum influens. Herodot. *lib.* 7.

Compusa, Bithyniæ oppidum, ad Thraciæ Bosphori angustias situm, non procul à Chalcedone. Plin. *l.* 5. *c. ult.*

Comum, Colonia, & urbs episc. Insubriæ ad Lacum Larium, quod instauratum *Novocomum* dictum est, vulgò *Como*. Patria Plinii Jun. Pauli Jovii, & Cæcilii poëtæ, de quo Catullus *carm.* 36.

Poëtæ tenero, meo sodali
Velim Cæcilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumq; litus.

Antiquitatem ejus ostendit Justinus *lib.* 20. *Gallis in Italiam causa veniendi, assiduæ domi dissensiones fuere, quarum tædio, cùm in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulere, & Mediolanum, Comum &c. condiderunt.* Paulo aliter Plinius. Strabo *l.* 5. Κῶμον δὲ ἦν κατοικία μετρία. Πομπήϊος δὲ Στράβων ὁ Μάγνου πατὴρ κακωθεῖσαν ὑπὸ τῶν ὑπερκειμένων Ῥαιτῶν συνῴκισεν, &c. Vide eundem quoque *l.* 4. Deinde C. Scipio ad 3. colonorum millia adjecit, quibus iterum D. Cæsar 5000. addidit, de quibus 500. fuerunt Græcorum nobilissimi. His & jus civitatis dedit, & inter colonos eorum nomina retulit, qui tamen ibi sedes non tenuerunt, sed Coloniæ nomen reliquerunt. Νεοκωμῖται γὰρ ἐκλήθησαν ἅπαντες, τούτων δὲ μεθερμηνευθὲν Νόβουμ Κώμουμ λέγεται. Vide Ammian. Marcellin. *l.* 15. Liv. Ptolom. Leandrum Alberti, *in descr. Ital.* Cluver. *Ital. Ant.* 248. Hinc Lacui nomen, vulgò.

Comus, Deus apud Ethnicos habitus commessationum, nocturnarumque saltationum præses: In cujus militiâ authorabantur juvenes, qui coronati noctu cum facibus, Musicisque instrumentis, ad amicarum fores saltandi, canendique gratia concurrebant, procaciterque lasciviebant, ut fores nonnunquam effringerent, quod optimè describit Philosophus περὶ εἰκόνων, *Imagine tertiâ*. Hinc *Crepalocomus*, vinolentorum hymnus, apud Aristoph. *in Ranis*.

Conacum, urbs Aquitaniæ in provincia Inculismensi, ad Carentonum fluvium Francisci I. natalibus clara. Quibusdam *Campinacum*.

Conadipsas, Scythiæ intra Imaum regio. Ptol.

Conadium, urbs episc. Hung. *Chonad*.

Conanus, M. Britanniæ Rex, Constantino patruo occiso, thronum conscendit, vitiis infamis. Obiit paulò pòst, Polydor. Virg. Beda, Chenius *hist. Angl.*

Conanus I. Armoricæ Dux, post Drogonem, Hoëlo & Guereco, filiis ejus nothis, necatis: prius Comes Redonensis, è Salomonis posteris. In prælio, an. 992. contra Fulconem, Comitem Andeg. occisus. Godofridus fil. successit.

Conanus II. obiit improlis, an. 1066. marito sororis Hoëlo successore, cujus filius

Conanus III. cognom. Crassus, obiit an. 1148. Ei successit Odo gener, Comes Pontiniacensis.

Conanus IV. cognom. Parvus, contra patrem Odonem insurrexit, Ducatum sibi, ob jus maternum, vindicans. Obiit an. 1166.

Conapseni, Sarmatiæ Asiaticæ gens. Ptol.

Conarus, Scotorum rex 20. necis Mogaldo patri illatæ conscius, & omnium primus, qui à Scotis tributum, & vectigal exegit, ob id in carcerem trusus, miserrimè vitam cum morte commutavit. Hist. Scot.

✠ *Concana*, Hisp. urbs in Asturiâ. Ptol. Pop. *Concani*. Horatius *Carm.* 3. *Od.* 4.

Et latum equino sanguine Concanum.

Silius *lib.* 3.

Nec qui Massagetem monstrans feritate parentem
Cornipedis fusâ satiaris, Concane, venâ.

Concangium, Britanniæ opp. Lib. Notit. *The Barony of Kendal* Camdeno. Cujus verba sunt, *Concangios olim* (de Candaliâ in Westmariâ loquens) *stationem fuisse opinatus sum*, sed jam rectiùs docuit. Alibi autem de *Haulton*, vel *Holton*, opp. in confin. Cestrens. & Lancastrens. Comitat. verba habens, ait, *Nec ego alibi quærere ausus sum, quàm in hoc tractu stationem illam Congangios, ubi Numerus vigilum, &c.*

Concani, pop. fuere pars Cantabrorum; quorum opp. Concana nunc forte *Santillana*, urbs Asturiæ versus oram littor. ex primis regionis. 15. mill. à confin. Biscajæ. Brietius, Sanson.

Concarneum, opp. Britanniæ min. cum arce, in Cornubiæ tractu, 4. leuc. à Corisopito in Austr.

Conceptio, ordo sacer Virginum, in communione R. à Beatrice de Sylva, Lusitana, institutus. Ab Innocentio VIII. approbatus, an. 1489. Miræus, *orig. relig. l.* 5. *c.* 13. Spond. *A.C.* 1484. Item ordo militaris, à Ferdinando Mant. D. Carolo Gonzaga Nivern. & Adolfo Comite Allano, &c. fundatus, A. 1619.

Conceptio, civ. Americæ meridion. in ora maris Pacifici, cum portu capaci, ipsa totius Ciles ex primis. Sedes Præfecti. Probè munita, sub Hispanis.

Conceptio, opp. Amer. in Paraguaja, ubi amnis Urvaigus in Argenteum fluv. se exonerat. In dit. Hisp.

Conceptio de la Vega, urbs Episc. Hispaniolæ.

Concha, vulgò *Cuenca*, urbs Hisp. in Montana reg. vulgò *la Sierra*, cujus caput est ad Sucronem fl. vix 10. leuc. à confin. Aragon. in Occ. 9. à Tago fluv. in colle, inter duo flumina & montes. Capta est ab Alphonso Rege, A.C. 1166.

Concha, urbs fuit Romandiolæ, in ora maris Adriatici, jam dudum aquis obruta.

Conchæ, aliàs *Castellio*, cœnobium Benedictinorum Galliæ, à Rogerio de Toënio conditum, vulgò *Conches* & *Chastillon*, non procul à Mediolano Aulercorum Eburovicum. Item monaster. antiquissimum, seu Abbatia Galliæ in Rutenis, *Conches* quoque, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Conchus, oppidum Normanniæ. 4. leuc. ab Ebroicis, in tractu *Ouche*. Ejus suburbium vulgò *Castellionum* etiamnum, ubi Abbatia celebris. Vide supra.

Concia, vulgò *Miranda*, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in finibus Vectonum, ad Durium fluvium *in* Portugallia, Ferrarius.

Concinus Florentinus, Marchio Ancræus, incantamentis acquisitâ Mariæ reginæ gratiâ, Marescallus Franciæ creatus, regnum totum in potestate habuit; dedit id ansam Henrico Condæo & aliis Principibus, indignè potentiam ejus ferentibus, civilis belli; sed quod terminatum captivitate Condæi & exitio Ancræi. Hic, turbante plebe, ob carcerem illius, tot turbarum auctor, jussu regis in custodiam ducendus, cùm resistere vellet, à Vitrio Prætorii Præf. occisus est. Mors approbata, atque tanto gaudio plebis excepta, ut cadaver exhumatum per plateas raptaret, laceraret, & exureret. Uxor Leonora veneficiorum rea, capite plexa, & igne combusta est. A.C. 1614. 1615. 1616. 1617.

Concordia, Dea apud Romanos, cui ædem Cn. Flavius consecravit in areâ Vulcani, summâ invidiâ nobilium, teste Livio *l.* 9. Ovid. *Fast.* 6.

Te quoq; magnificâ Concordia dedicat æde.

Juvenal. *Sat.* 1.

Quæq; salutato crepitat Concordia nido. Ubi vetus Commentator, *Templum Concordiæ vetus in quo ciconia multa est.* Item, Cęsar & Tiberius. Deam *Concordiam* effingebant antiqui, juvenculam, dextrâ craterem tenentem lævâ nunc Cornu copiæ, nunc sceptrum, ex quo fructus exire videntur, sed & imaginibus

duabus dextram dextræ jungentibus, in nuptiis. Etiam olim veteres post Hymenæum Cornicem invocare soliti erant, hocque solebant Concordiæ signum dare iis, qui liberûm quærendorum gratiâ conveniſſent. Etiam pingebatur, floribus cincta, dextra patinam cum corde, lævâ fasciculum virgarum, tenens. Nerva in nummo expressit, dextrâ lanceam, lævâ clypeum gestantem. Item proram, cum duabus manibus junctis, & lemmate, *Concordia exercituum*, *S. C.* Angelon. *in historia Cæsarum p.* 101. In aliis numis duo cornua copiæ juncta unâ manu tenet, alterâ vas ignibus plenum. Item poma granata, ut in Faustinæ & Corneliæ nummis. Invicta per Geryonem repræsentatur. Liv. *l.* 9. Plutarch. *in Cornelio Graccho.* Sueton. *in Tiberio.* Balduin. *Iconologia.*

Concordia, Colonia, Fori Julii quondam urbs, cujus hodie nihil extat præter pauciſſima tuguria. Sabellicus. Inter Altinum & Aquilejam in 10. reg. Italiæ Venetia, urbem & Coloniam cogn. ponit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Concordia, Germ. urbs inter Argentoratum & Bingium. Anton. *Kochesberg*, Rhenano & Simlero. Cluverio *Drusenheim*, oppid. ad confluentes Moterni in Rhenum, in Alsatia inf. 2. leuc. ab Hagenoa in Ort. 3. infra Argentinam. Baudr.

Concordia, Hisp. Bæt. civitas, Ptol. pop. *Concordienses*. Plin 4. 22.

Concordia, urbs Episcop. inter flumina Liquentiam & Tilavemptum propius mare accedens, eodem nomine & Episcopatûs titulo, hodieque clara. Ptolemæus perperam Carnis eam attribuit, & Mela longè imperitius inter Tergeste, & Aquileiam, oppida Carnorum, eandem posuit. Nomen ejus apud Strab. *l.* 5. scribendum per *Omega* censet Cluverius in primâ syllabâ, non verò per *Omicron*, ut est apud Ptol. & Zosimum. Vide eum *de Ital. Ant. p.* 167. Blond. *l.* 2. *&* 3. Melam *lib.* 2. Leand. Ptol. &c. Attilæ furorem experta est.

Concordia, oppidul. Longobardiæ, Comitatus sub Duce Mirandul. prope Secium amnem. 6. mill. in Occas. à Mirandula. Vastata ab Attila, A. C. 452. Item opp. Germ. ad Rhenum inter Brocomagum & Noviomagum Nemetum, vulgò *Kochersperg*, q. *Concordia montana*. Simlerus & Cluverius. Vide supra.

Concordia, nomen libri, quo Evangelicorum illi, qui à Luthero appellari gaudent, mentem suam, circa Religionis Articulos, disertius expresserunt. De quo ita Lætus: In Germania, mortuo Melanchthone, Joh. Brentius, Jac. Andreæ, Matthias Flaccius, Alii, dogma *de Ubiquitate corporis Christi*, introduxere A. C. 1560. quod cùm inter alia ab Academia Wittebergensi & Lipsiensi oppugnaretur, primò colloquium est institutum Aldeburgi, A. C. 1568. præsidente Joh. Wilhelmo Saxone. Dein Dresdæ, sed frustra. Conventum ergo Torgæ & ex opinione Flaccianorum, *Formula Concordiæ* conscripta, Theologis ad eam approbandam carceris, exiliique metu adactis: Scriptaque Melanchthonis iterato ibidem conventu, condemnata sunt, A. C. 1576. Tandem moderamine adhibito, in Bergensi Monasterio, à Smidelino, Musculo, Selneccero, Chemnitio, Chytræo & Cernero, an. 1577. promulgata Formula est, Ecclesiæque Protestantes, quæ contrarium sentirent, damnatæ sunt: Casimiro Palatino Francofurti, cum Legatis variorum regnorum, de censura conquerente, Friderico quoque Daniæ R. sub pœna exilii subscriptionem suis interdicente. Ex Hospin *in præf. ad lib. Conc.* Item *c.* 2. 3. &c. qui addit, *eâ nocte, quâ Theologi præfati Bergam venerunt, bis terram intremuisse, templumq; ruinæ proximum fuisse visum.* Postea Flaccius, ob hæresin, quâ docebat *Originale peccatum substantiam esse*, ab Ecclesiis ejectus, vagam vitam diu duxit. Ab eo tempore in Formulam hanc à Lutheranis sic dici volentibus juratum. Vide Lætum *in Compend. Hist. Univ.*

Concordia reg. pars terræ Austr. in ultima parte Oceani Indici, à Batavis inventoribus an. 1618. sic dicta. Qui tamen in regionem ipsam non penetrarunt, orâ tantùm littor. lustratâ.

Concordia saltus, Burgus in Ducat. Bituricensi, arce munitus. Vulgò *Concressault*. Metel.

Concubienses, Umbriæ pop. Plin. 3. 14.

Concurcallum, vulgò *Concressaut*, vel *Concresau*, vetus castrum Galliæ. Vide Valesium *Notit. Gall.* & in voce *Concordiæ saltus.*

Condabora, Celtiberorum in Hispania oppidum.

Condaum, opp. Normann. in Bajocensi tractu, ad Norallum amnem, inter Falæsam & Viram.

Condalus, Mausoli Cariæ regis in Lyciâ præfectus, mirus pecuniæ emungendæ artifex, de quo tradit Aristot. *in Politicis*, quòd cùm Lycios maximo comæ nutriendæ studio teneri animadverteret, occasionem sibi eam oblatam ratus, quâ auri plurimum & sibi posset congerere, & ad regem mittere, literas sibi à Mausolo allatas simularit, quibus illi juberentur comam tondere & ad regem mittere, si tamen mallent aliquantulæ pecuniæ jacturam facere, se daturum operam, ut in Græciâ comæ coëmerentur & pro Lyciis ad Regem mitterentur. Quam conditionem Lyciis avidè accipientibus, mirum dictu, quantam eo commento pecuniæ vim extorserit.

Condapolis, urbs Indiæ, in regno Golcondæ, cum arce permunita, in summo monte, 20. leuc. ab urbe Golconda in Ort. 60. à sinu Bengalæ in Occas.

Condasce, alterum cacumen montis in Indiâ tricipitis, quem Bacchus ob torridum regionis aërem cepit, inque eo exercitum suum pestilentiâ laborantem refecit. Ortelius nescio quo auctore legit *Condasbe*.

Condata, Angliæ urbs. Anton. Cornaviorum, nunc vulgò *Congleton*, opp. in Cestriæ Comit. ad amnem Danum, in limite Comitatus Stafford. 16. mill. Angl. ab urbe Stafford.

Condate, opp. Galliæ ad Ligeris & Nojani, amnis ignobilis, confluentes, in diœc. Antiſſiodorensi, in finibus Senonum, vulgò *Cosne sur Loire*. Est autem *Condate*, vetus nomen Gallicum, confluentes designans, quod nunc *Condé*, *Coude*, *Cosne*, *Condac*, *Cuniac* ac *Cognat* Galli dicunt. Aliud *Condate* memorat Æthicus, inter Mecletum & Agedincum, vulgò Montereau *Fautyonne*: item inter Noviomagum Lexovicum, ac Durocasim, quod est *Condé*, ad Itonem fl. prope Britolium. Item Vicus in Turonibus, *Cande*, ad Vingennam flu. proximus Montisorelli; nisi quòd rivus aut amniculus è Fonte-Ebraldi veniens, inter hæc duo loca medius decurrit: unde de utroque vico dicitur:

Entre Cande & Montsoreau
Ne repaist brebis ne veau.

Morte Martini illustris est. Item aliud in Andicavis, ad Mandiaci rivi & Erdræ confluentes non procul à Monte Renelli, Ligere interfluente, quoque *Cande* dictum. Item Rhedonum caput, Ptol. vulgò *Rennes en Bretaigne*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Condate, Belgii civitas in Hannoniâ ad Scaldim fl. hodie *Condé*. Cum tit. Princ. Transiit in familiam Borboniam, per nuptias Franc. Vindocini, cum Maria Lucemburgica, quæ obiit an. 1547. Hujus fil. Carolus, primus Dux Vindocinus, pater fuit Antonii, Navarræi postmodum R. & Ludovici, Condæi Princ. qui *pro patria & religione dulce periculum*, ratus, obiit in prælio Jarnaceno, an. 1569. Huic natus Henricus I. Princeps Condæus, qui obiit an. 1588. pater Henrici II. qui obiit an. 1646. ex Carlota Margareta Montmorantia relicto filio, Ludovico Principe Condæo, &c. Expugnata à Ludovico XIV. Gall. R. A. C. 1676.

Condatescense Monasterium, Jurensium Monasteriorum nobiliſſ. & vetustiſſimum: cui postea Lupicinus frater Romani Lauconnense monasterium & Balmense Monacharum cœnobium in eremo Jurensi adjunxit. Dein à S. Augendo Abbate nomen accepit, dictumque est S. Augendi, *S. Oyen*, vel *S. Oyan de Joux*. Postremò à Claudio Vesontionensi, Episc. Monasterium S. Claudii appellari cœpit, hodieque *le Monastere de S. Claude* appellatur. Est in diœcesi quidem Lugdunensi, sed in Comitatu Burgundiæ positum. Alterum quoque in Jura monte cœnobium est, cum Abbatiæ tit. & nomen Montis servans, *Joux* vel *Jou*. Est & vicus ad Dubim fluv. & ad Juram montem similiter *Joux*, id est, Jura dictus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Condercum, opp. Albionis, aliàs Brigantum, nunc diœcesis Dunelmensis in Angl. & Scotiæ confin apud Vallum, sive potius apud Vedram fluv. *Chester upon the street*, i. urbecula ad viam publicam, teste Camdeno.

Condigrammus, Carmaniæ opp. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

Condivincum, vulgò *Nantes*, Urbs Episc. Britanniæ min. Ptol. & Cæsar. Ad Ligerim fluv. versus ostia, ampla, munita, cum castro. Vide *Nannetæ*.

Condochates, Indiæ fluv. in Gangem erumpens. Arrian.

Condomum, urbs Aquit. Episc. ampla, sed nequaquam populosa, unde *Condomumq; inhospitum*, Scalig. Bellis civilibus vastata. Dupleix, Chenæus, &c. ad Baisam fluv. Caput agri Condomensis, inter Vasatensem tractum & Comitatum Armeniacum.

Condora, prov. Moscoviæ, in Or. extensa, versus Petzoram & Tartariam desertam. Ibi regio tota sylvis obsita.

Condormientes, hæretici, sec. 13. in Germania. A Toletano quodam seducti, Luciferi imaginem adorabant, in loco prope Coloniam, responsa accipientes. Sine discrimine sexus ætatisq; somnum capiebant, &c. Seductor in Angliam transiens profundo mersus est. Item secta Anabaptistarum, Gautier. *in Chron.*

Condoundus, Alemanorum Rex, fines Gallorum cum Videmaro vastavit. Ammian. *l.* 14.

Condriacum, seu *Condrievium*, opp. lepid. Gall. ad radices collis, in prov. Lugd. ad Rhodan. 2. leuc infra Viennam. Vino suo celebre.

Condrusi, pop. Belgii circa Mosam, incolentes. Trevirorum clientes dicuntur Cæsari, *l.* 4. quos cum Eburonibus, Ceresis & Pemanis ad bell. Rom. pollicitos esse armata millia XL. scribit *lib.* 2. Silvæ Arduennæ proximi erant, circa Urtam fl. Horum regio *Condrotz* dicitur, in ditione Leodicensi, & urbs *Hoye*, *Huy* & *Hoey*, prope quam hodieque locus *Condreux* vulgò vocatur; quemadmodum & pagus circa Urtam *Condruy*, Aubertus Miræus.

Condyba, Lyciæ urbs. Ptol.

Condylea, Arcadiæ urbs, Pausan.

Cone, ins. exigua, non procul ab ostiis Istri fluv. Lucan. *l.* 3.

—— Et barbara Cone
Sarmaticas ubi perdit aquas. ——

Coneria, urbs Hibern. Episc. sub Arch. Armachano, in Ultonia & Comitatu Dunensi, ad lacum *Cone*, nunc in vicum redacta.

Conetodunus & *Cotuatus*, Carnutes desperati homines, quibus ducibus Carnutes, anno 7. arma sumpserunt. Cæs. 7. *Comment. c.* 3.

Consalo,

Confalo, Archifraternitas Pœnitentium in Communione Rom. à quibusdam Romanis civibus instituta. An. 1264. Hi liberandi Christianos, qui inter Barbaros captivi detinentur, curam gerunt. Huic fraternitati accessit societas Lugdunensis; cui Henricus tertius nomen dedit, ut Thuan. *in hist.* 6. memorat. Vide Spond. *A. C.* 1274. *n.* 11. 1576. *n.* 17. 1583. *n.* 10.

Confessionis ritus, à Nectario, cum Presbytero Pœnitentiæ Præfecto sublatus est, A. C. 390. Constantinopoli, eo quòd matrona quædam nobilis, hac occasione, in templo à Diacono polluta esset: cujus exemplum mox totus Oriens secutus est. Mansit nihilominus in Occidente, & tandem in *Confessionem Auricularem* abiit. Vide Socrat. *l.* 5. *c.* 8. *&* 19. Sozomen. *l.* 7. *c.* 16. *&c.*

Confluentes, tractus Comit. Ruscinonensis, versus montes Pyrenæos & Ceretaniam, nunc Galliæ, ubi oppidum præcip. Villafranca, ad amnem Tethim, decem leucis à Perpiniano in Occas. Item locus in Lemovicibus, *Confolans*, ad Vigennæ & Baranæ concursum, Item ad Isaræ & Rhodani, *Confulens*: ad Sequanæ & Matronæ &c. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Inter Forum quoque Tiberii *Keiserstuel*, & Augustam Raurac. ubi Arola multis fluviis auctus in Rhenum decurrit, vulgò *Coblentz*, vel *Conbolentz*, Lat. *Confluentes* habemus: è quarum regione *Waldshut* oppid. Vide Guillimannum *p.* 97.

Confluentia, urbs sita in eo loco, ubi Mosella Rheno miscetur, munita, & splendida, vulgò *Coblentz*. Sub Archiep. Trevirensi: Ibi Concilium anno 860. ad Carolum Calvum, cum Ludovico Germanico, & Lothario Lotharingiæ Rege conciliandum. A 922. ab Henrico Auc. & Carolo Simplici habitum. *Tom.* 8. *&* 9 *Conc.*

Confluentia, sive *Confluentes*, vicul. Helvetiæ, haud procul opp. *Clingnow*, ditionis Episc. Constantiensis, ad quem tria Helvetior. flumina Limagus, Ursa atque Arola in Rhenum exonerantur.

Confutius, dictus *Socrates Sinensis*, tum quia huic σύγχρονος, tum quia morum imprimis Doctrinam excoluit. Sententias vett. Philosophorum 4. voluminibus collegit, quinto ipsemet de Moribus sententiam suam exposuit, tantâ cum nominis famâ, ut quicunque postmodum Doctor crearetur, Practicam eruditionem imprimis probare teneretur. Hujus secta, ex tribus, præcipua est, omnesque illi Magnates Imperii dant nomen: Neque ulli alii, quàm Mandarini, Loytiæ, vel Literati ejus Philosophiâ imbuti, ad summas sub Rege dignitates evehuntur. Agnovit unum Deum aliaque multa lumini naturæ sanæque rationi convenientia docuit. Trigalt. *relat. Sinensi l.* 1. Mota Vayerius *de Virtut. Ethnicorum pag.* 2. Kircherius *Sinâ illustratâ, &c.*

Conga, Indiæ intra Gangem opp. Ptol.

Conganus, Abbas Hibernus, S. Bernardi coævus. S. Malachiæ vitam conscripsit. Simler. *auct. Biblioth. Gesner.*

Congavata, Rose-castle, teste Camdeno, opp. vel castrum Albionis in finibus Brigantium apud *Candebec*, juxta Carleolum, in Cumbriâ regione.

Congedus, aliquibus *Cogedus*, Hisp. fl. circa Bilbilim. Martial. 1. 50.

Tepidi natabis lene Congedi vadum.

Congum, seu *Congo*, Regnum quod & *Manicongo* dicitur, situm in Africa, in Æthiopia infer. Cujus circuitus dimetiendus est linea rectâ à fluvio *Goanza*, versus Septentrionem, usque ad fluvium *Rubrum*, qui scopulos rubros alluens talem habet colorem: Ea continet 375. mill. hinc alia ducenda est linea obliqua versus Orientem, per confinia regni Anzicani, quæ ad 450. mill. extenditur, à cujus extremitate linea rursus recta, versus Meridiem per montes Crystalli, non Angolanos, qui ab his longè versus Meridiem, sunt remoti, & Nitri & Argenti per Verbelam fluvium usque ad confinia Malembe ducenda, quæ 500. continet mill. ab hujus rursum extremitate, ducta alia per lacum Aquelondam, versus Occidentem, usque ad ostium fluvii Goanzæ, qui ex hoc lacu effluit in mare 360. est milliarium; atque ita totus regni Congiani circuitus continet 1685. milliaria. Latitudo ejus cognoscetur, linea obliqua ab Occidente versus Orientem ductâ, ab ostio Zairi fluvii, quod adjacet promontorio Patraon à Lusitanis dicto, per montes Solis & Crystalli, usque ad 105. milliaria à Nilo, 600. mill. continens, quæ regni totius latitudo. Multò quidem olim fuit amplius, cùm circumjacentes regiones pleræque sub uno regno comprehenderentur, sed per Vasallorum perfidiam, in terminos hos angustos, comparatione præteritorum est conclusum. Divisum est hoc regnum in sex provincias, nempe *Bambam, Sognum, Cundam, Pangum, Battam, Pembam*: Banza, nunc San-Salvador, sedes regia, situ opportuno. Id Mercator sic limitat, ut à promontorio S. Catharinæ, quod secundo gradu abest, ab Æquinoctiali, Austrum versus protendatur usque ad prom. Ledo: habeatque ad Occas. Oceanum Æthiopicum, ad Meridiem montes Lunæ, & Caferes populos, ad Ort. montem, à quo fluvii emanant, qui in Nili fontes prolabuntur: & ad Septentr. territorium regni Benin. Natal. Metel. Detectum à Jac. Cano, Lusitano, an. 1484. sub auspiciis Johannis Regis sui. Hujus aliquot urbes subsunt Lusitanis, ut Loanda seu Civ. S. Pauli, Benguela & Embaca, juxta Coanzam fl. Joh. Barro. *l.* 3. *c.* 3. Maffæus *in hist. Ind. l.* 1. Marmol. *l.* 9. *c.* 24. 25.

Congus, urbs regni Congiani, ejusque metropolis & regionis sedes, olim ab incolis *Banza*, i. *Aula* dicta fuit, hodierno die à Lusitanis mutato nomine *S. Salvatoris* nominatur. Sita est 150. mill. à mari in monte altissimo. Natal. Metel. Hic Rex Christianus habitat. Baudr.

Congustus, Galatiæ urbs. Ptol.

Coniaci, Hisp. pop. circa Cantabros.

Coniades, Græcus scriptor, cujus opus de vini apparatu citat Plinius 14. 19.

Conica, Paphlagoniæ urbs. Ptol.

Conii, Hisp. pop. ad Herculis columnas. Polyb. *Cunei* Appiano *in Ibericis.*

Conimbrica, Gall. *Coimbre*, urbs Lusitaniæ episcopalis & Academiâ insignis, à Johanne III. Lusitaniæ R. institutâ, ad Mundam fluv. inter Ulyssiponem ad Merid. & Bracaram ad Boream, 27. leuc. cum tit. Duc. Antonin. Plin. *l.* 7. *c.* 21. Est autem gemina, Vetus & Nova, illa *Condexala Vieia*, oppid. olim Lusitanorum, nunc vicus, in prov. inter Durium & Tagum, ex cujus ruinis Ista, 3. leuc. ab ea crevit.

Conisaltus, deus apud Athenienses, qui simili ferè ritu colebatur, quo apud Lampsacenos Priapus. Strab. *lib.* 3.

Conisci, Hisp. pop. in Cantabria. Strabo.

Conisium, Tetrania, opp. non procul à Caico fluv. Plin. 5. 30.

Conissa, Umbriæ opp. montoso situ, admodum frequens.

Conistorsis, urbs Hisp. citer. in tractu Celtico. Strabo *lib.* 3.

Conisum, Mysiæ Asiaticæ opp. Plin.

Conitia, urbs Prussiæ reg. ad amnem *Bro*, prope desertum *Waldow*, in confin. Pomeraniæ, 8. leuc. à Culmia in Occas. Dicitur & *Chognicze*.

Conium, opp. lepidum Gall. in Nivern. prov. prope Ligerim fluv. 12. leuc. infra Nivernum, 6. infra Charitatem.

Conna Phrygiæ majoris urbs. Ptol.

Connacia, vel *Connactia*, ubi *Gangani* & *Concani* Ptol. *Coniaci* & *Conisci*, Strab. Hiberniæ pars ad Occasum vergens, in 6. regiunc. seu Comitatus divisa, Seno flumine, Bannâ, & Oceano inclusa: hanc antiquitus, Ptolemæi ætate, Auteri & Nagnatæ totam insederunt: Anglis, ad quos sub Henr. II. pervenit, dicitur *Connagh*, & Hibernis *Connaghti*. Mercat. Metel. Ibi urbs præcipua Galliva. Baudrandus. Solum fertile, sed incolæ ignavi adeò, ut mendicare, quàm laborare malint. Camdenus *Britann.*

Connas, tibicen & temulentus, qui compotationes serto redimitus frequentabat. Exstitit verò Olympiæ victor & aliquoties coronatus; pauper præterea & nihil præter oleastrum habens, Aristoph. *Equitibus.* Cicero ad Pætum, nobilissimum vocat tibicinem, quique Socratem docuerit fidibus. Scholia in Aristoph. *Vesp.* 478. *E.* 2. *Connium* quendam notant dilapidato patrimonio pauperem evasisse adeoque contemptibilem, ut proverbio dederit locum, Κόννυ ψῆφος.

Conniacum, vulgò *Congnac*, opp. Galliæ, ad Carantoni & alterius flum. Confluentes, inter Encolismam & Mediolanum Santonum: prius *Condate* dictum. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Conober, Armoricæ Dux, Chramni fautor, in prælio contra hujus patrem, Clotarium I. occisus.

Conon, vel *Cuno*, Thrax, post Johannem V. Papa, an. 683. Schismati, quo Petrus à Clero, Theodorus à militibus, electi, finem imposuit. Vix annum præfuit. Anastas. Baron. *A. C.* 686. 687.

Conon, Dux Justiniani Imper. Neapolim primò, dein Romam, contra Totilam defendit. Item Legatus Paschalis II. plurima contra Henricum V. Imper. concilia celebravit, hìc & ibi: Episc. Prænestinus & Cardinalis. Aliàs *Cuno*. Circa an. 1119. Item frater Zenonis Imper. &c.

Conon, historicus, ἐν Ἡρακλείᾳ citatur ab Apollonio Scholiaste *in lib.* 1. Etiam Josephus *lib.* 1. *contra Apionem*, Judæorum à Conone mentionem factam ait; *Cononis* quoque, qui Italiæ res literis persecutus est, meminit Servius *in illud Maronis* 7. *Æn. Sarrastes populos, &c.* Vide Voss. *de H. G. l.* 1. *c.* 24. Item *l.* 3. *p.* 346.

Conon, insignis Mathematicus, patriâ Samius, qui 7. de Astrologia libros edidit. Olymp. 120. Comam Berenices inter sidera retulit. Catull. Virg. *Eclog.* 3.

In medio duo signa; Conon, & quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?

Propert. 4. 1.

Me creat Archytæ soboles Babylonius Orops
Oron, & a proavo ducta Conone domus.

Voss. *de Mathemat. c.* 33. §. 21. *cap.* 54. §. 5. Item Atheniensium Dux, quem Resp. sua omnibus insulis præfecit. Pòst prælio victus à Lysandro Lacedæmoniorum duce, sponte abiit in exilium ad Evagoram Cyprium, dein ad Artaxerxem Persarum regem, cujus auxilio patriam, cui servitutem attulerat, restituit in libertatem. Isocr. *in Evagora.* Plut. *in Lysandro.* Xen. *lib.* 1. 2. 3. 4. *Hellen.* C. Nepos, *in Conone.* Justin. Diod.

Conon Johannes, Norimberg. monachus eruditus, rarâ linguarum cognitione suo tempore celebris. Hic Marci Musuri Cretensis & Scipionis Carteromachi Pistoriensis, dum Græcas literas Patavii profiterentur, auditor; Basileam postmodum veniens, à Joh. Amerbachio Typogr. Hieronymi opera tum excudente, receptus est, & Brunonis, Basilii ac Bonifacii filiorum ejus, Beati item Rhenani, Amerbachiis conjunctissimi, præceptor fuit, ab hoc Epitaphio insigni ornatus. Obiit Basileæ, an. D. 1513. æt. 50. Urstis. *Hist. Basil.*

Cononienses, pop. provinciæ Narbonensis. Plin. 3.

Cononis ara, in Æthiopiâ ad sinum Arabicum. Steph.

Cononitæ, secta erronum, sec. 6. Cononis cujusdam Alexandrini, qui Severianorum, Theodosianorum & Tritheitarum deliria conflavit, sectatores.

Conopas, minimæ staturæ nanus 2. pedum & palmi altitudine, quem Julia Augusti neptis in deliciis habuit. Plin. 17. 14.

Conope, urbis nomen. Suidas. Stephano Acarnaniæ urbs est, civis *Conopæus*, *Conopites*, & *Conopeus*.

Conopion, quidam è fæce Atheniensi, curandis funeribus quæstum facere solitus: hic Phocionis cadaver sepeliri prohibitum, mercede acceptâ in Eleusinam deportavit, ibique igne ex agro Megarico sumpto concremavit.

Conopium, locus in Mæotide palude, ubi ajunt lupos (nimirum pisces) cibo à piscatoribus accepto capturam iis custodire; si quam verò injuriam sibi fieri suspicentur, retia, & pisces populari. Gentile, *Conopius* & *Conopicus*. Antigonus *in Mirabilibus*. Item palus Paphlagoniæ juxta Halys fluv. ostium.

Conopon, quod & *Diabasis*, ins. parva Mysiæ infer. ad ostium Istri Pseudostomum, apud Peucen insulam.

Conovium, Walliæ opp. inter Asaphopolim, & Bangorium, cum fluv. cognomine, *Conway*, & *Aber-Conway*. Baudrando opp. fuit Ordovicum, in Angl. nunc prostratum, ubi tenuis nunc viculus *Caerhean*, i. urbs antiqua, ad Conovium fluv. in Arvonia Comit. Ex ejus ruinis crevit opp. vicinum, 4. mill. infra, *Aber Conwey*, i. Conovii ostium.

Conquestor, dicitur Guilielmus I. Angliæ R. Normanniæ prius Dux, quòd Angliam *conquisiverit*, h. e. acquisiverit. *Conquestus* enim & *Conquisitum*, voces medii ævi, id significant, quod à parentibus non acceptum, sed labore, pretio vel parsimoniâ comparatum possidemus. Goldast. *ad Chart.* 27. Vide Spelmannum *Gloss. Archæol.* & in voce *Questus*.

Conquestus, portus Gall. in Britann. min. cum urbec. sat culta, prope Fanum S. Matthæi, in Finibus terræ dictum, 5. leuc. à Bresto in Occas. *le Conquest*.

Conradinus, seu *Conradus jun.* fil. Conradi, nepos Friderici II. mortuo patre vix trimus, à tutore Manfredo Friderici notho, cui Siciliæ administratio à fratre commissa, veneno petitus. Postea illo ad Beneventum, à Carolo Andegavensi, acie superato & occiso, anno 1266. comitatus Friderico, Austriæ Duc. agnato, cùm vix 16. annos implevisset, matre frustra dissuadente, cum exercitu in Italiam venit. Veronæ postquam hibernasset, Genuam pervenit, inde in Tusciam transgressus, dum interea Conradus Antiochenus, ferme totam Siciliam, Messinâ & Palermo exceptis, contra Carolum excitavit. Hoc Fortunæ risu illectus pugnæ aleam experiri statuit, & primò quidem Carolum ad Aretium profligavit, dein verò ad lacum Fucinum, an. 1268. prælio victus, fugit, sed ex annulo & liberali formâ agnitus, cum agnato, & è fuga retractus, unà cum illo, & aliis 11. Sueviæ Italiæque Proceribus, Neapoli, vix expleto an. æt. 18. publicè securi percussus est, Clemente IV. inclementem sententiam ferente: *Vita Conradini mors Caroli, mors Conradini vita Caroli*, Anno 1229. die 27. Octobr. plexo simul carnifice, ne gloriari posset, tam nobilem sanguinem à se fusum esse. Moriturus chirothecam, proximo vindici, velut pignus investituræ Regni, obtulit, sublatum à nobili quodam, qui illam ad Jacobum Arragoniæ R. Manfredi generum detulit. Villan. *lib.* 7. Ricord. *cap.* 191. Collenutius *lib.* 4. *hist. Neap.* Summoneta *l.* 3. Fazell. *l.* 2. *dec.* 8. &c.

Conradinus, Imp. Conradi fil. cujus vita tam impudica fuit, ut uxorem Comitis Casertani deperierit, quâ ut potiretur, virum honoris specie ablegavit, L. Loydius.

Conradus I. Imp. fil. Conradi, Ducis Franconiæ. Factionem adversam, quæ Carolum Simplicem, Galliæ R. utpote hæredem Caroli Magni & Ludovici Pii, mortuo Ludovico III. Imper. qui ultimus ex stirpe Caroli M. sine prole mascula decesserat, ad Imperium vocabat, oppressit: ab Ottone Saxone, licèt hoste, Proceribus commendatus. Germaniam ab Hungaris liberavit. Ab Henrico Saxoniæ D. insidiosè *aureo monili Hattonis* offenso, ad Mersburgum, tantâ clade victus est, ut proverbio quæreretur, *An detur tantus infernus, qui tot capiat Francos?* Obiit ex vulnere quod in bello Bavarico acceperat, an. 918. Imperii an. 7. & dimidio. Morti proximus animo planè excelso Henrico Saxoni, à quo fusus fuerat, imperii insignia per fratrem Eberardum obtulit, Viri virtutem admiratus, sicque beneficium à Parente ejus Ottone acceptum generosè rependit. In Abbatia Fuld. sepultus. Marian. Scotus *in Chron.* Aretinus *l.* 4. Otto Frising. *l.* 6. *c.* 15. 16. 17. Ursperg. *in Chron.* Avent. *Annal. l.* 4.

Conradus II. cognom. *Salicus*, fil. Hermanni, Vormatiæ D. successit Henrico II. Imp. an. 1024. Saxones, hac electione non contentos, terruit. In Italiam transgressus, coronatus est Romæ, Anno 1027. Redux Hungariam, Stephano R. Bavariam sibi vindicante, & Poloniam pacavit. Regnum Burgundiæ Transjuranæ à Rudolpho sibi legatum, frustra resistente Ottone Campaniæ Com. Sororio Rudolphi, Imperio adjecit. Dein in Italiam regressus, Ticinenses rebelles domuit, Pandulphum, Capuæ Principem, in ordinem coëgit: Seditionum Italicarum sufflonem Heribertum, Episcop. Mediolan. qui *vexillo insolenti, in stupendo curru, erecto*, usus fuerat, Sigon. *l.* 8. *ad an.* 1038. exilio multavit. Obiit Ultrajecti an. 1039. Spiræ sepultus. Crantz. *l.* 4. *c.* 37. Frising. *l.* 6. *c.* 30. Bonfin. *dec.* 2. *l.* 1. Leo Ostiens. *l.* 2. *c.* 59. *& seqq.* Glaber *l.* 4. *&* 5. Hermannus Contr. *in Chron. &c.*

Conradus III. fil. Friderici Sueviæ D. ex Agnete, sorore Henrici V. electus Imper. post Lotharium II. an. 1139. Henricum Superbum, Saxon. & Bav. D. generum Lotharii, Imperium sibi vindicantem, proscripsit: Saxoniâ Alberto Urso, Marchioni Brandeb. Bavariâ Leopoldo Austr. donatâ. Fratrem ejus Velphum, Henrico animi mœrore mortuo, ad Vinsbergam victum occidit, Vinsbergensibus, *cùm uxores maritos humeris exportare vidisset*, pepercit. Expeditione sacrâ, ob perfidiam Græcorum calcem & gypsum farinæ immiscentium, ignaviam Orientalium, & sociorum discordiam, infelix: Obiit in Germania, an. 1153. 13. Imp. postquam in Italiam iter parasset, non sine veneni à Rogerio summissi suspicione. Bambergæ sepultus; Relicto successore fratris filio. Genuensibus hic Conradus jus monetæ cudendæ concessisse fertur. Otto Frising. *l.* 7. *c.* 23. Ursperg. & Spang. *in Chron.* Crantz. *lib.* 6. *cap.* 8. Helmol. *l.* 1. *c.* 57. 58. Naucl. Trithem. Sigon. &c.

Conradus, fil. Friderici II. à Patre Romanorum R. designatus, Landgravium vicit, adversus Patrem electum. Mortuo Friderico, Innocentium IV. infestum sensit, qui contra eum amplissimis Indulgentiis propositis, *ei qui contra eum signatus esset, ut & signati parentibus, omnium peccatorum veniam* pollicebatur, Matth. Paris. *in Henr. III.* Proin armis in Italiam versis, ipse Siciliæ Apuliæque Rex, Papam resistentem vicit, Neapolim recepit, &c. veneno, sive à Pontifice, sive à Manfredo, fratre notho peremptus. Verba morituri: *Ecclesia, quæ mater Patri & mihi esse debuit, potius novercatur.* Conradino fil. successore relicto, sub Manfredi tutela. Sigon. *l.* 19. Villan. *l.* 6. Blond. Nauclerus, Platina & Genebr. *in Innoc. IV. &c.*

Conradus, Henrici IV. Imper. filius, ab Urbano II. contra Patrem concitatus, in Italiam se recepit, paulò pòst mortuus.

Conradus, Burgundiæ Transjuranæ R. successit Patri Rodolpho, an. 937. Obiit an. 993. Ei successit Rudolphus fil. cognom. *Ignavus*. Item filius Friderici, nothi Friderici II. Imp. Princeps Antiochiæ, ex Oriente in Italiam Conradino suppetias venit, à Carolo Andeg. victis partibus, strangulatus. An. 1268. Item Abbas Benedictinus sub Henrico Aucupe, continuavit historiam Galliæ.

Conradus, Sueviæ D. cepit Iconium, Dux Spoletanus factus.

Conradus, Dux Glogoviensis, in patruum Henricum Lignitzensem, quem, corrupto ejus consiliario, nudum in balneo captum Glogoviam abduxerat, modo inaudito sevìit, A. C. 1293. M. Cromer. *l.* 10.

Conradus, filius Marchionis Montferr. post egregia fortitudinis in Oriente edita specimina, ad Regnum Hierosolymitanum aspirans, occisus est.

Conradus de Brawiler, Monachus, vitas quorundam SS. scripsit, Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 46.

Conradus Cantabrigiensis, Viclefi discipulus, disputavit publicè Pragæ, A. C. 1404. contra Transsubstantiationem, Confessionem Auricularem, Ordinationem: junctus Jacobo, ejusdem Doctoris discipulo: qui ambo insuper Papam esse Antichristum docuerunt. Lætus ex Joh. Lasicio *l.* 1. *de gestis Fr. Boh. ex MS.*

Conradus Celtes, Suinfurtensis, primus Germanorum Poëta coronari meruit. In Cosmographiâ, Historiâ, Poësi plurima scripsit. Lil. Girald. *Dialog.* 2. Obiit an. 1505. æt. 49.

Conradus Dasypodius, Mathematicus Argentinensis, explicuit Euclidem, scriptis Geometricis, Opticis & Astronomicis inclytus. Obiit an. 1600. Voss. *de Math c.* 16. §. 27. *c.* 26. §. 12. *c.* 36. §. 22.

Conradus Egina, Legatus in Galliam contra Albigenses.

Conradus Gesnerus, Medicus & Historiographus insignis, Tigurinus. Bibliothecæ auctor, aliorumq; operum. Obiit an. 1565. æt. 49.

Conradus Halberstadensis, Dominicanus, de regn. Rom. scripsit, primus Concordantiæ Bibl. auctor. Possevin. *Catal.* Leander Alberti, *l.* 4. *de Viris claris Ordinis Dominic. p.* 147.

Conradus Kollinus, contra Lutherum scripsit, obiit an. 1536. Simlerus, &c.

Conradus de Lichtenau, Abbas Ursperg. in Diœcesi Augustana, sec. 13. Chronicon, orsus à Belo Assyriorum R. usque ad Annum Chr. 1229. Imperii Frid. II. nonum, scripsit, *ex plurimis auctoribus* collectum, &c. Obiit an. 1240. in Pontifices liberior, quàm voluissent, imprimis Innocentium III. & Greg. IX. Vide Voss. *Hist. L. l.* 2. *c.* 57. Coccium *A. C.* 1225.

Conradus de Marbuch, S. Elisabethæ Thuringæ vitam scripsit.

Conradus de Marpurg, cum Roberto Bulgaro, rigidissimus in Germania inquisitor, A. C. 1230. Examen Orthodoxiæ candens erat ferrum, quo innumeri innocentes perierunt. Tandem unà cum socio ob sævitiam, interfectus est. An. 1238. Morn. *Myst. pag.* 869. Munster. *Geogr. l.* 3.

Conradus Moguntinus, Poëta tempore Caroli VII. Gall. R.

Conradus de Mur, primus Canonicus Tigurinus, scripsit de Sacramentis, vitas Paparum, &c. A. 1273. Voss. *de Hist. L. l.* 2. *c.* 16.

Conradus Peutingerus, Advocatus Augustanus, antiquitates Germaniæ, discursus convivales & tabulas Chronologicas cum laude scripsit. Obiit an. 1547.

Conradus de Scheurn, cognom. Philosophus Monachus, scripsit Chronica, sub Frider. II. & plus quàm 50. volumina, Aventino laudatus. Item Sacerdos Saxo, Auctor Chronici, &c. An idem cum Conrado Lauterberg? Voss. *H. L. l.* 3. *p.* 699.

Conradus de S. Uldarico, historiæ univ. conditor. an. 1334.

Conradus Vecerus, Maximiliano Imp. à secretis, scripsit vitam Henr. VII. & seditiones duas Siculorum, an. 1517.

Conradus Vorstius, Colonienfis Theologus, Steinfurto, de Socinismo à multis annis suspectus, ab Arminianis, Arminio Lugduni Bat. surrogandus, venit, sed Orthodoxis in contrarium nitentibus, Jacobo inprimis M. Britanniæ R. fœderi renuntiaturum se minante, ni hæreticum dimiserint, frustra fuit. Dixit inter alia, *Deum corpus, eundem mutabilem, minimè immensum, aut omnipotentem esse, Providentiam negavit, in Deo accidentia dari statuit.* Scripta ejus jussu Jacobi R. exusta, &c. Vid. Regis hujus opera.

Conradus Wellingus, cum fratre Ulrico, Benedictini ambo, continuarunt Chronicon Henrici Stero is, ab an. 1300. usque ad Annum 1335. Quibus addi possent 4. Magistri Ordinis Teuton. &c.

Consabrum, op. inter Liminium, & Toletum. Anton.

Consaburenses, pop. Hispan. citer. Plin. 3. 3. eorum op. *Consabrum*, vel *Consaburum*, *Consuegra* Morali. Opp. Castellæ nov. 7. leuc. ab Ana fluv. & à Xiguela amne. Caput Prioratus Ordinis S. Joannis Hier. sub quo 13. municipia.

Consedie, vel *Cosedia*, Belgii opidum, *Cussy* Simlero. *Bovillon* Ortelio, in ducatu Lucemburgensi. Sansoni & Brietio est Constantia, urbs Gall. Lugd. nunc *Coutances*, in Normannia. Vid. *Constantia castra.*

Consentes, dii dicti sunt, quasi in eo quod gerendum est, *Consentientes.* A Cicerone alio nomine *Dii majorum gentium* dicti. Cur autem Diis hisce à *Consentiendo* nomen inditum sit, docet hic locus Martiani Capellæ, *lib.* 1. *Ac mox Jovis scriba præcipitur pro suo ordine, ac ratis modis, cœlicolas advocare, præcipuéq; senatores Deorum; quorumq; nomina, quoniam publicari secretum cœleste non pertulit, ex eo quod omnia pariter repromittunt, nomen eis ex consentione perfecit.* Aliis magis placet, sic vocari, quasi *Consulentes*, quando eos Capella *Jovis senatores*, Arnobius verò *lib.* 3. *Consiliarios Jovis* vocat. Est & tertia Etymologia: Nam doctiss. Junius, ab antiquo verbo *Conso*, *consis* deducit, quod idem est ac συμβουλεύειν, Inde igitur *Consentes*, ut & Deus *Consus.*

Consentia, Brutiorum aliàs civitas, imò & caput. Nunc Calabriæ, in regno Neap. & ex præcipuis Regni. Cum castro munito, juxta Cratidem fluv. ubi Busentum recipit. Hic Alaricus, Visigothorum Rex, postquam in Siculo mari naufragium passus esset, obiit, in Barentino amne, superinductis rursus aquis sepultus, A. C. 411. Jornand. *cap.* 30. Græcis Κωνσεντία & Κωσεντία, memoratur Livio, Straboni, Plinio, Appiano, Ptolemæo, ac duobus Itinerariis, vulgò *Cosenza.* Distat 12. mill. ab ora maris Tyrrheni, 30. circ. à Rossana versus Austr. Penè circa declivitatem Apennini sita, 7. colles amplectitur, quibus maxima pars ædificiorum Urbis imposita est. Hinc & Collibus septenis pro insigni utitur. Oppidani *Consentini*, præter alios, etiam Varroni & Ciceroni dicuntur.

Consentia, sacra, quæ ex multorum consensu instituta. Festus. Ad quæ verba notat Scaliger, *Consentia sacra* Gentilium inter se fuisse, uti & *deos Consentes* e. g. Corneliorum, Valeriorum, &c.

Conseptum, locus quispiam munitus, ubi Potitii Herculi sacrificare consueverunt. Solin. *c.* 2.

Considius Æquus, Eques Romanus, quòd cum Cœlio Cursore itidem Equite Rom. fictis majestatis criminibus, Magium Cæcilianum Prætorem petivisset, auctore Tiberio ac decreto Senatus punitus. Tacit. 3. 37.

Considius Longus, prænomine *Cajus*, è partibus Pompejanis, qui Adrumetum, in Africa, unius legionis præsidio tuebatur. Cæs. *lib.* 2. *de B. C. cap.* 21.

Considius Nonianus, Consularis, cui Gallia citerior decreta, avocato Romam Cæsare. Hic *Considius* is est, qui in veteribus denariis, quos cudit notâ templi Veneris Erucinæ, descriptus est, additâ inscriptione *C. Considii Noniani. Eruc.*

Considius Proculus, nullo pavore Natalem diem celebrans, raptus in Curiam, pariterque damnatus interfectusque, postulante majestatis Q. Pomponio. Tacit. 6. 18.

Consilinum, Italiæ op. Tarento vicinum, Mela *l.* 2. ubi libri ferè omnes *Consentia*, in uno tamen *Consentinum* se reperisse ait Vossius, in nullo verò *Consilinum.* Hoc postremum tamen verum esse apparet, ex Plin. Meminere quoque hujus oppidi Auctores *de Coloniis*, & Cassiod. *Var.* 8. 33. qui aliquanto fusius de hoc loco agit.

Consoranni, pop. Gall. Aquitan. quorum primus omnium meminit Plin. *lib.* 4. Horum reg. *Conserans*, juxta Sallam fluv. in confin. Occitaniæ; extenditur ad montes Pyrenæos, prope Aragoniam & fontes Garumnæ *c.* 29. Baudr. Valesio ab ora Sardonum, marique Gallico non multùm absunt, inter Arejam ac Garumnam flu. siti, citra Garumnam tamen, quo prov. Narbonensis ab Aquitania dividitur. Eorum urbs inter prov. Novempopulanæ civitates 12. quinta, interdum sexta numeratur, in vett. Not. *Civitas Consorannorum*, aliquando, nomine Gentis, *Consoranni*; nonnullis etiam *Austria*, quòd Austro, ab Hispania flanti, exposita sit, dicta. Hodie ab Episcopo quondam suo & Patrono, Fanum S. Licerii, vulgò *S. Lezer* nuncupatur, ut & nomine Gentis *Conserans*, Vasconicè *Coserans*, & *Couserans*, parva admodum, ad Salatum flu. Pyrenaicum, qui in Garumnam, post Cristam & Nigellam, tertius effluit, vulgò *la Salle.* 12. leuc. à Tholosa, totidem ab Ausciis, 25. autem à Perpiniano. Episcopus ejus, quartus inter Auscitanæ Metropoli suffragantes, recensetur: Concilio Agathæ, sub Alarico R. & Messallâ Consule habito Glycerius seu Licerius, unde urbi nomen, interfuit: sicut à Theodoro Episc. missus Eleutherius Aurelianensi quinto. Primus Episcopus Valerius fuit, teste Gregorio. Pagi cognominis urbs caput est, qui ad radices Pyrenæorum, quà Hispaniam ab Aquitania & prov. Narbonensi dividunt, inter Oceanum Aquit. & mare Gallicum, sed huic propior, jacet. Hoc pago diœcesique continentur parœciæ vel vici 80. Oppida Castellio, S. Gerontii & Basida seu Bastita, *Notit. Gall.* Vid. *Fanum S. Licerii.*

Constabularius, Munstero *lib.* 2. *cap.* 15. *Conestablus*, Sigeberto *App. ad an.* 1165. *Conestalus*, Germanis Rheni accolis *Constafolarius*, Gallis *Connestable*, Italis *Conestabile* & *Contostabile*, &c. à Latino *Comitestabuli*, qui stabulo superiorum Imperatorum Præfectus, Amm. Marcell. *in Constantin. & Julian Sect.* 3. appellatur *Tribunus stabuli*: Græcis inferioribus Κονοσαῦλος, Κονοσαῦλος & Κοντοσαῦλος dictus, à *Conto*, pro Comite, & *Stalla*, Saxon. stabulo. Mutatum autem nomen *Tribuni stabuli* in nomen *Comitis stabuli*, mox ab ævo Constantini, & junctæ dein dictiones conjungi cœptæ videntur sæculo decimo. Rhegino enim, qui floruit A. C. 1000. *Burchardum Comitem stabuli sui*, inquit, *quem corrupè Constabulum appellamus, cum classe misit in Corsicam.* Sed reperitur dici *Constabularius* à Tertulliano, pro *Curatore stabuli*: & *Constabulare* apud Columellam, pro *diversa animalia eodem stabulo fovere.* Itali non solùm *Comitem stabuli* dixere de Præfecto stabuli Imperatoris, sed etiam de Præfecto Equitum; mox de omni turmæ equestris Præfecto, ipsoque tandem peditum Centurione, quos hodie Capitaneos appellamus: quod etiam apud Græcos inferiores, Gallos & Anglos obtinuit: Nisi quòd Græci exotico vocabulo, de exoticarum tantummodo copiarum ductoribus usi sunt: Et inde ὁ μέγας Κονοσαῦλος appellatus est, qui cæteris omnibus *Conestaulis*, i. ductoribus auxiliarium copiarum imperabat, Codinus *in Offic. Constant.* Saxonibus Anglis summus hic officialis Heretoch us dicebatur, sed auditâ voce transmarinâ ipsi quoque eundem *Stallarium* appellabant, *Con* pro Comite omisso. Anglo Normannis dein recepta passim vox *Constabularius*: & sub Guilielmo primo Walterus Glocestrensis Angliæ *Constabularius* designatus est: cujus quoque filium Milonem, Mathildis Imperatrix anno 6. regni Stephani, Comitem Herefordiæ & *Constabularium* Angliæ constituisse dicitur. Ei in paternum munus successere filii Rogerus, Walterus, Henricus, Guillelmus & Mahelus, quibus defunctis sine prole, Comitatus Herefordiæ & *Constabularia* Angliæ, nuptiis Margaretæ, sororis eorum, quæ obiit A. C. 1187. ad Humfredum de Bohun devoluta sunt. E qua familia numerantur decem *Constabularii*, Humfredi omnes dicti, præter Johannem unum, sub exitu Eduardi II. cujus filia Elianora hæres relicta Thomam de Woodestock, sextum filium Eduardi III. maritum suum, Angliæ *Constabularium* salutavit. Hoc verò extincto, cessavit hæreditariò dignitas transire, successereque deinceps pro arbitrio Regis, alii ad terminum vitæ, alii ad placitum, hoc ordine:

Eduardus Plantageneta Dux Albemarlæ	23. R. 2.
Hen. Persie Com. Northumbriæ,	1. H. 4.
Joh. Dux Bedford, fil. & frater Regum,	8. H. 4.
Humfred. Strafford Dux Buckingh.	8. H. 6.
Joh. Dom. Beaumont,	25. H. 6.
Joh. Tiptoft Com. Wigorn. ad placitum	1. Ed. 4.
Ric. Widuill. Com. Rivers ad vitam,	7. Ed. 4.
Antho. Widvvill Com. Rivers ad vitam	Ed. 4.
Joh. Tiptoft Com. Wigorn,	10. E. 4.
Georgius Plantageneta Dux Clarentiæ,	Ed. 4.
Ric. Plantageneta Dux Glocestr.	Ed. 4.
Henr. Stafford Buckingham.	
Tho. Stanley Dom. Stanley, 18. Nov.	1. H. 7.
Edouardus Stafford Dux Buckingh.	1. H. 7.

quo securi sublato anno 13. regni Henrici VII. apud Anglos deinceps diuturnus *Constabularius* non est constitutus. Fuit munus *Constabularii* arduum & amplissimum, nec bello solùm sed etiam pace: Populo autem grave aliquando, ideoque statuto anno 13. Richardi II. coërcitum, ubi ejus jurisdictio sic enarratur: Ad *Constabularium* pertinet de contractibus cognoscere, facta armorum tangentibus, & de bello extra regnum, etiam de rebus ad arma seu bellum pertinentibus intra Regnum, quæ nec terminari, nec discuti possunt, per Communem legem, &c. Subjungitur etiam coërcitionis formula, si vel

Constabularius vel Marescallus aliquid in contrarium attentaverit. Rem latius exhibet diploma hujus muneris anno 7. Eduardi IV. concessi, quod Vide apud Spelmannum *Glossar. Archaeol. ubi & de Constabulariis minoris notae*, *Castelli*, *Hundredi*, *Villae*, *Scaccarii*, &c. De Galliae Constabulario Vid. in voce *Connestabilis*. Hic saltem Catalogum eorum subtexam, ex Morerio, *Diction. hist.*

Connestabiles Galliae.

Ebroinus & Rocco, sub Theodorico R. Metensium.
Geillo, sub Carolo M.
Guilielmus, sub Lud. Pio.
Lendegisilus, sub Guntrano, Rege Aurelian.
Albericus Montmorantius, sub Henrico I. an. 1060.
Baldericus, A. C. 1067.
Gualterus, an. 1069.
Adelmus sub Philippo I.
Adamus an. 1079.
Theobaldus Mommorantius, A. C. 1083.
Walo, mortuus A. C. 1097. in obsidione Antiochiae.
Matthaeus.
Gasto, sub Philippo I.
Hugo de Chaumont, ab A. 1110. usque ad A. 1138.
Matthaeus I. Mommorantius, usque ad an. 1166.
Simon de Neauffle.
Rodolfus Com. Claromont.
Guilielmus Drocensis sub Philippo Aug. an. 1192.
Druis de Mello, ab an. 1204. usque ad an. 1218.
Matthaeus II. Mommorantius, hic dignitatem in fastigium evexit, Obiit an. 1230.
Almericus III. Com. Montis fortis, usque ad an. 1241.
Guichardus Bellovacens. sub Ludovico IX. ut &
Aegidius le Brun, &
Imbertus Bellijocensis.
Rodolfus Claromontanus occisus in praelio Curtracensi A. C. 1302.
Ludovicus de Bellojoco.
Scaevola Castellionaeus, quinque Regg. serviit, mortuus A. C. 1392.
Rodolfus Com. Eusius.
Rodolfus II. filius ejus, sub Joh. R. capite plexus A. C. 1351.
Carolus de la Cerda: occisus A. C. 1353.
Scaevola Briennensis, occisus in praelio Pictav. an. 1356.
Jacobus Borbonius, occisus in pugna *de Brignais*, an. 1362.
Robertus Fiennensis.
Bertrandus Guesclinus, ab anno 1368. usque ad an. 1380.
Olivier Clissonus, Obiit A. 1397.
Phil. Artesius, an. 1402.
Carolus Albretanus, occisus in praelio Azincourtio, an. 1415.
Valeran Luxemburgicus ei oppositus.
Bernardus Comes Armeniacus, occisus à seditiosis an. 1418.
Carolus II. Lothar. D.
Joh. Boucanus, in praelio ad Vernoilum peremtus Anno 1424.
Arturus Brito, usque ad an. 1458.
Ludovicus Lucemburgicus, anno 1465. capite plexus Anno 1475.
Johannes II. Borbonius D. usque ad A. C. 1488. post quem vacante dignitate an. 24.
Carolus II. Borbonius, à Francisco I. hoc munere exornatus est A. C. 1515.
Annas Montmorantius, occisus in praelio San Dionysiano, A. 1567. post quem 27. ann. vacavit haec dignitas.
Henricus Montmorantius fil. prioris sub Henrico IV. Connestabilis esse coepit, An. C. 1593. Obiit an. 1614. Post septem à morte ejus annos
Carolus Albretanus, Dux Luinaeus à Ludov. XIII. an. 1621. Connestabilis factus, obiit eodem anno. Successit
Franciscus Deguierius D. qui obiit A. C. 1622. post quem à Rege dignitas abolita est.

Constans I. tertius Constantini M. ex Fausta fil. Caesar à Patre factus est, Anno 333. quo mortuo, Italia, Africa & Illyricum cum Graecia illi obtigit. Gallis devictis fratrem Constantinum, cui Gallia, Hispania & Britannia cesserat, sibi Occidentem erepturum, ad Aquileiam praelio superavit, illique interfecto successit. Ab Orthodoxis, contra Arianos stetit, Sardicum concilium instituit, Constantio fratri, haereticorum contra Athanasium fautori, minatus est, Donatistarum in Africa schisma omni ope opprimere conatus. Post haec morbo morosior factus, evasit Reip. negligens, & crudelis, unde milites abalienati Magnentium Imper. salutarunt, Rhaetici limitis praesidem, qui per immissos percussores Dominum suum, in tentorio quiescentem, Elnae, in Comit. Ruscinonensi, interfecit, an. 350. aet. 30. Imp. 13. Athanasius eum velut martyrem laudat. Vid. Socrat. *l.* 2. Sozom. *l.* 4. Eutrop. *l.* 10. Aurel. Victor. *ep. hist.* Oros. *l.* 7. *c.* 19.

Constans II. fil. Constantini III. nepos Heraclii, Heracleoni patruo successit, an. 641. Monothelitarum fautor, Paulum Ecclesiae Constantinop. praefecit, ejus consilio edictum, cui *Typi* nomen, divulgans, quo utramque partem silere jussit. Hoc statim Theodorus Papa damnavit, Paulo excommunicato, quod cùm & successor ejus Martinus factitasset, captivus per Calliopam Exarchum Constantinopolim abductus, in Ponto exul obiit. Moxà Saracenis victus Imperator Africam, Cyprum, Rhodum, &c. amisit, quibus tamen paulo pòst pacem & tributum extorsit, Muhaviâ principe illorum, à quo magnâ quoque clade ad Lyciae portum affectus fuerat, domesticis turbis implicito. Contra Romoaldum Beneventanum, in Longobardia, quoque infelix. Theodosium fratrem primò Diaconum fecit, dein è medio sustulit, nocturnâ postmodum ejus voce, *Bibe mi Frater*, territus. Româ spoliatâ Syracusis residens, dum Siciliam, Africam & vicina loca exactionibus vexat, in balneo, ab Andrea Troilo, qui ipsi à cubiculo erat, situlâ interfectus est, an. 663. Imper. 26. Zonar. *tom.* 3. P. Diac. *l.* 5. & 19. Cedren. *hist.* Aimon. *lib.* 4. *c.* 32. Anastasius Bibliothec. *in Vitaliano.* Theophanes, &c. Pater Constantini Pogonati.

Constans, fil. Constantini tyranni, an. 407. à Patre Caesar factus, & in Hispaniam missus est. Primò felix, mox miserrimè periit, ex monacho Imperator. A' Gerontio Viennae occisus. Blond. *l.* 1. Oros. *l.* 7. *c.* 40. Sozom. *l.* 6. &c.

Constantia, filia Constantii Chlori, ex Theodoro, nupsit Licinio, contra Constantinum M. rebelli, ex illo Licinii mater. Marito ultimo praelio ab Imper. devicto, veniam nacta: ille verò, non cessans cum Barbaris commercium habere, strangulatus est. Ab Eusebio Nicomed. Ariano seducta, cùm morituram frater rogaret, ecquid gratiae peteret, hunc ei ultimis votis commendavit. *Hier. ep. ad Ctesiph.* Rufin. *l.* 1. Theodoret. *l.* 2. Socr. *l.* 1.

Constantia, quae & *Constantina*, nupta Gallicano, qui Scythis miraculosè superatis Christi fidem amplexus est. Filia fuit Constantini Imp. Ut & altera, quae Annibalini primò, dein Galli, qui Caesar factus, uxor, ob mores *Megara* dicta est. Amm. Marcellin. *l.* 21. Item, filia Posthuma Constantii Imper. Gratiano nupta.

Constantia, fil. Guilielmi V. Comitis Arelatensis, &c. ex Blanca, pulcherrima, sed ferox, tetrica, intolerabilis, quam Robertus R. Gall. maritus frustra corrigere annisus est. Eo mortuo, cum Odone Campano aliisque Proceribus, contra fil. suum Henr. I. pro juniore Roberto, primo postmodum Burgundiae D. foedus iniit. Mezeray. Item fil. Alphonsi VIII. Castell. R. aliàs *Elizabetha*, nupsit an. 1152. Ludov. VII. Gall. R. obiit an. 1159. mater Margaretae Franciae, quae primò Henrico Jun. filio Henrici II. Angliae R. dein Belae III. Hung. R. &c. nupsit.

Constantia, fil. Rogerii I. Siculi, jam provectâ aetate monialis, ut quidam volunt, nupsit Henr. VI. Imper. an. 1186. A' Salernitanis Tancredo prodita, aliquandiu in carcere detenta est; inde libera, in publico Panormi theatro, jam quinquagenaria filium peperit: Maritum, partim saevitiâ in Normannos, partim adulteriis ejus offensa, veneno necavit. Obiit an. 1198. Friderico fil. relicto. Blond. *l.* 6. Fazell. *hist. Sic. l.* 6. Aemil. *l.* 6. Cui à Coelestino III. Siciliae investituram conciliare frustra conata est.

Constantia d'Avalos, veteri stirpe, unde Ferrandus, Franciscus, & Alphonsus, sub Carolo V. exercituum dux fortissimus, prodiere. Hilario Costus, *de faem. Ill.*

Constantia de Carreto, Neapolitana, nobilissimo genere nata, virtute inclyta. Idem.

Constantia Francica, fil. Philippi I. Hugonis primò Comitis Trecensis uxor, dein Boëmundi I. Principis Antiocheni. Item, uxor Raymundi V. Comitis Tholos. fil. Ludov. VI. cùm prius Eustachio, Comiti Mortangiae, fil. Stephani Blesensis, Angliae R. nupsisset, hinc Reginae titulo servato.

Constantia Emanuelis, uxor Petri Justitiarii, Lusitaniae R. filia Infantis Castellae, Johannis Emanuelis, Penafieliae D. &c.

Constantia, urbs lib. Germ. sub clientela tamen domus Austr. probe munita, ad lac. Constant. ubi Rhenus ex eo effluit, versus Acronium lacum. A' Constantio Chloro dicta est. Obsessa fuit à Suecis, an. 1634. irrito conatu. 7. leuc. à Scaphusia. Aliàs sub dominio Episc. In ea celebratum Concilium an. 1094. dein Concilium Oec. Constantiense, an. 1414. operâ Sigismundi Imp. coactum, ubi post hymnum, *Veni S. Spiritus*, charta in templum projecta, in qua scriptum, *Aliis rebus occupati nunc, adesse non possumus*. Hic Johanns & Benedictus PP. depositi, Gregorius ultrò cessit Martino V. electo, Calicis usus frustra petitus, Johannes Hussus & Hieronymus Pragensis contra fidem datam, combusti, &c. Laetus. Blarrerus Evangelium docuit, an. 1522. Vide *Gannodurum*. & Guilliman. *Helvet. lib.* 3. *c.* 3. Georg. Brun. *tom.* 2. *de Urb.* Miraeum, Pistorium, San Marth. *in Fr. Chr. tom.* 2. *p.* 543. Joh. Baleum, *in Joh.* 24. P. Simson. *in hist. Angl. Cent.* 15. *Concilia Lupar. Binii*, *impressionis Rom.* &c. Episcopus primus Beatus fertur. Dominus est castrorum, vicorumque ultra centum, Princeps Imperii, obnoxius Arch. Moguntino. In Dioecesi hujus Ecclesiae, sub Sigismundo Imper. numerati sunt Sacerdotes 17000. Boterus *in Relat.*

Constantia, Cypri urbs, prius *Salamis* dicta & alia Britanniae, à *Constante* nominata. Gentile *Constantiates*. Alia item inter Helvetios & Rhenum. Vid. supra.

Constantia Castra, quae & *Cosedia*, Amm. Marcell. *Constance en Normandie* quibusdam, mel. *Coutance*. Urbs est Galliae, Oceano propinqua, quae muris & fossis & aquis (nam tenui rivulo assidet) carere dicitur. Condita est à Flavio Constantio A. Chloro & Paupere cognominato, patre Constantini M. si Orderico fides: Alii malunt arcu aliquo, aut alio opere magnifico exornatam urbem & ob id *Constantiam* dictam fuisse à Constantio Aug. fratre Constantis Aug. Constantii Chlori nepote: V. Amm. Marcellinum *l.* 21. Quidquid sit, vetus urbs est, caputque alicujus gentis nobis ignotae ac sedes Episcopatus. Et fortè *Unelli* illi vel *Venelli* fuere, *Constantiaque* in Peutingeriana tabula *Crouciaconnum* prius dicta est, vel *Crocitanonum Venelorum*, apud Ptolom. Ad amnem Bardum sita, 2. leucis ab ora maris Britannici, 8. ab Abrincis in Boream distat. Caput est regiun-

culæ *Constantin* vel *Coutantin*, quæ longè lateque diffusa à Sept. Oceanum, à Mer. fretum Sagium, ad Occ. Armoricam habet. Cum tit. Comit. Hanc ditionem Insulam Constantini Walsinghamius vocat, quia maxima ex parte Oceano cingitur, more peninsulæ, cujus angustiarum termini sunt hinc Carentonum, illinc Portus bassus. Quidam septum Constantiense, *le Closet du Coutentin*, aliàs *la Hague de Coutantin* appellare malunt, voce Germ. silvam denotante: & certè tota peninsula hujus ditionis silvis abundat, Hadr. Val. *Not. Gall.* Eam Robertus Normannus, cum Godofredo Bullionæo, in Orientem iturus, oppigneravit, fratri suo Guilielmo Russo. Quibusdam porrò urbs videtur *Augusta Roman-duorum* Polydori Virg à Constantino vel Constantio postmodum vocata, quæ *Castra Constantia*, ut dictum, Marcell. Aliis est *Brioneris* vett. Morerius. V. Chenæum *de Urb.* Rob. Cenalem, *hist. Fr. l.* 2. *periochâ* 5. SanMarth. *Gall. Christ. P.* 2. *pag.* 537. *& seqq.* & in voce *Consalia*.

Constantiensis Lacus, *Bodensee*, inter Suev. & Helvetiam, max. à Constantia, quam rigat, dictus. Per eum labitur Rhenus. Longitud. est 40. m. p. Antea Brigantinus, Venetus, Podamicus. Rigat Lindavium, Uberlingam, Buchorniam, Brigantium, & Mersoburgum.

Constantina, Marmol. *l.* 6. *c.* 28. Numidiæ metropolis, prius *Certa*. Et Phœniciæ urbs. Euseb. Est & op. parv. Hisp. in Vandalitia. Vide etiam *Nicephorium*. Prope montes Marianos, 12. leuc. ab Hispali, versus Calatravam, in Cæciam, totidem à Corduba in Occas. Baudr.

Constantinopolis, prius *Byzantium*, Thraciæ caput fuit; & cùm à Severo an. 197. direpta esset, à Constantino M. instaurata est, & Imperii sedes constituta, *Nova Roma* dicta. In finibus Thraciæ sita, tam commodo loco, ut nemo ultro, citroque trajectiones Asiæ Europæque facere possit, invitâ Constantinopoli, cùm sit, velut pons, & portus utriusque orbis. Nunc Imper. Turc. sedes, postquam à Mahumete II. Anno 1453. capta est. Unde opulentissima, frequentissima, Europæarum maxima & potentissima evasit. Ambitus urbis 14. mill. complectitur, & utriusque sexus 700000. numerantur. Portum habet commodissimum. Ipsa triangularis est, viæ angustæ & inæquales, 7. colles includit. Sita est juxta Propontidem & Bosphorum Thracium, ex adverso Asiæ min. Ei adjacet ex parte Asiæ *Scutaret*, aliàs Chrysopolis. Galata seu Pera suburbium est, quasi ultra æstuarium, ubi Latini ferè omnes commorantur. Vid. *Cornu*. Palatium Principis vulgò *le Serrail*. Turcæ *Stramboul* dicunt, id est, amplam, & regiam civitatem. Hujus descriptionem integram habes apud Petrum Gyllium, qui *rerum Constantinopolitarum libros* 4. conscripsit. & P. de Valle *Itiner. tom.* 1. Historia Urbis paucis sic habet: Constantinus, prope Ilium, novæ urbis fundamenta jacturus, tum somnio, tum omine aquilæ, monitus, Byzantium elegit. Zonar. quam omnibus modis exornatam, sedem Imperii esse jussit. Bibliothecâ inter alia insigni collectâ, quæ à successoribus ad 26000. voluminum aucta, sub Consulatu Basilisci, arsit. Dedicavit Martyrum Deo hanc novam Romam, A.C. 330. U.C. 1083. Sub Arcadio, fulmine peritura videbatur, an. 396. Peste & fame afflicta est, an. 446. quo tempore magna incolarum vis Nestorianismum fovebat. Anno pòst semestri terræmotu concussa, à Cyro reparata: Sub Leone & Cos. Basilisco, tantùm non incendio deleta, an. 465. Horribili terræ tremore denuo sub Justiniano territa, an. 557. qui Sophiæ templum, urbe reparatâ, inter alia extruxit, cujus descriptionem Procopius exhibet. Adversus septennalem obsidionem Saracenorum strenuè defensa est, à Constantino Pogonato, qui eorum classem igne Græco operâ Callinici incendit, A.C. 673. Capta est ac direpta, à Theodosio Quæstore, Augusto creato, post 6. mensium obsidionem, Artemio, qui ex Secretario Imperator evaserat, in Clericum tonso, & Thessalonicam deportato, A.C. 716. Zonar. *tom.* 3. Cedren *in Hist.* Sigonius, P. Diac. *l.* 20. Iterum à classe Solimanni obsessa graviter, Leonis Isaurii virtute defensa est, illâ incensâ ac dissipatâ, An. C. 718. Rursus obsessa, à Russis, an. 860. M. Cromer. *Hist. Pol. lib.* 2. à Mich. Palæologo, fugienti, Balduino erepta est, an. 1259. Denuo ab Amurathe obsessa An. 1424. sub Johanne Imp. Laonic. *l.* 4. 5. Georg. Phrantz. *l.* 1. *c.* 31. tandem post varias porro, & quasi seculares calamitates, in Mahometis II. potestatem venit, sub Constantino Palæologo, cogn. Dracose, fil. Helenæ, sicut à Constantino, fil. Helenæ condita fuerat. Triduum integrum ab immiti victore, omni crudelitatis genere, vastata: Ab eo tempore Ottomannici imperii & Mahometismi Metropolis. V. pluribus Euseb. *in Constantini Vita*, & *hist. Eccl.* Idatium, Prosper. & Marcellin. *in Chron.* Niceph. Cedrenum, Zonaram, Sozom. Zosimum, *in hist.* B. Egnatium, *de Cæsar. l.* 2. Chalcondylam, &c. P. Jovium, *in Mahom. II.* Cuspinian. *de orig. Turc.* Scal. *de E. T. l.* 5. Petav. Pancirol. *notit. dignit.* &c.

Porro Metropolitana, sub Christianis Imper. hæc urbs fuit, & Patriarchæ sedes, cui Episc. Rom. secundum locum, Concilio 2. Const. & Chalcedon. ipsi tributum, ut & Episc. Univ. titulum ambiguum fecit, donec à Phoca parricida decisa lis, in gratiam vet. Romæ, postquam Gregor. M. illum superbum, erroneum, schismaticum, imò blasphemum judicasset. Post varias dein dissensiones, Photius contra Ignatium insurgens, schisma orsus est, quod sec. 11. sub Patr. Michaële Cerulario, penitus est exclusum. Ab illo tempore tres reliqui Orientis Patriarchæ, Constantinopolitanum, pro Oecumenico Patr. agnoverunt. Ut nil dicam de calamitatibus, quæ Ecclesiæ huic à Nestorianis, Eutychianis, & Monothelitis, Iconolatris, &c. illatæ sunt. Aliquid de Conciliis adjiciam. Concilium Constantinop. I. quod II. Oecum. est, à Theodosio Imp. celebratum, quo Macedoniani, Spir. S. Deitatem negantes, & Apollinaristæ, humanam Christi naturam animâ rationali carere asserentes, damnati; fides Concilii Niceni stabilita, lege à Theodosio latâ, quam Vid. apud Sozom. *l.* 7. *c.* 9. Socr. *l.* 5. *c.* 8. *&* 10. Episcopo Constant. secundæ tributæ, &c. Paulo pòst Confessio sublata est. Concil. II. quod erat Oecum. V. à Justiniano Imp. convocatum, an. 553. Quo priorum Conciliorum fide confirmatâ, errores damnati: rejecta tria capitula Theodorus Mopsvestenus, Nestorii Præceptor, Theodoretus Nestorii auditor & Ibas, Maris Persæ hæretici fautor. Niceph. *l.* 17. *c.* 9. 26. 37. Vigilius Episc. Rom. cùm altiori throno collocari frustra petiisset, consessu abstinuit, jam tum arrogantiæ spiritu Rom. Præsules intumescere ostendens, &c. Concil. III. quod erat Oecum. VI. in palatio, quod Trullus dicebatur, à Constantino Pogonato, convocatum est, an. 681. quo Monothelitæ, secta ex Eutychianis orta, damnati, statutumque: *in Christo, ut duas naturas, ita & duas Voluntates esse*. Theophanes & Cedrenus *in Annalibus* P. Diac. *lib.* 6. *cap.* 4. &c. Iterum ibidem Synodo celebratâ, An. C. 692. inter alia decretum, Ne quis Presbyteros cogeret, à ductis legitimè uxoribus abstinere, quòd scriptum sit: *Honorabile in omnibus conjugium & torus immaculatus*. Quod cùm Sergius Papa approbare nollet, periclitatus est, & Justinianus Imp. usque adeò offensus, ut ab Ecclesia Rom. recesserit, Anastas. Bibl. *in Vita Sergii*. Sigon. *Hist. l.* 2. Concil. IV. quod Oecum. IX. est, à Basilio Macedone celebratum, quo Photius, qui, à Barda, Ignatio Patriarchæ substitutus, Imperat. excommunicaverat, depositus, Ignatius dignitati redditus, sed Imaginum cultus confirmatus est, Basilio illos, qui earum invocationem susceperant, mirum in modum laudante. De aliis Conciliis, Synodisque hic habitis V. Morerium, *in Diction. hist.* An. 1573. Colloquium institutum est inter Hieremiam Patriarcham Constantinop. & Jacobum Andreæ, ejusque communionis Theologos, qui Confessionem Augustanam græcè versam ei transmiserunt, quam humaniter acceptavit, impugnatis modestè nonnullis. Vices tum suscepit Luc. Osiander, an. 1575. Patriarchæque respondenti Wirtembergenses Theologi scriptum opposuerunt, ad quod ubi repositum, illi officiosâ gratiarum actione Disceptationem clauserunt, an. 1579. Thuan. *l.* 70. Cyrillus dein, Confessionem Fidei Ecclesiarum Orientalium, Reformatæ Religioni penè in omnibus consentaneam, excepto de Processione Spiritus S. dogmate, edidit, in Anglia excusam: propterea à Jesuitis mirè exagitatus: qui rem eò deduxerunt, ut deponeretur, an. 1628. Sed revocatus, novas iterum sensit insidias, martyrio tandem coronatus. V. Andr. Rivetum, *in Jesuita Vapul. c.* 11. *sec.* 11. 12. 13. ut & *Byzantium*, & Steph. *in Βυζάντιον*.

Constantinovia, opp. Poloniæ, in Volhinia sup. ad Sluczum flu. versus Podoliam, 5. leuc. à Zaslavia in Austr. Non ita pridem malè à Cosaccis habitum.

Constantinus I. Magnus, Constantii Chlori Cæsaris & Helenæ filius, Crispi & Minerviæ pater, dein Faustæ, fil. Maximiniani Herc. maritus. A' Galerio, Romæ in vinculis detentus, inde feliciter evasit in Britanniam, ubi Imperator proclamatus est, Cæsaris tantùm titulo sumto Maxentium Maximiniani Imp. filium, qui Romæ interea Imper. dictus est, consortem Imperii allecturus, cùm id recusaret, Maximiniano Massiliæ strangulato, aggressus, signo in nubibus ad id animante, prope Romam devicit, illo in Tiberi merso, an. 312. à S. P. Q. R. hinc arcu marmoreo ornatus, & *Liberator urbis & fundator quietis dictus*. Primus Romanorum Impp. Christi cultum sectatus; aliquot annis cum sororio Licinio, Christianorum hoste acerrimo, imperavit, per quem Maximino Afric. occiso, ipse Francos Galliâ depulit. Donatistis obviam iturus, Synodum Romæ primò, dein Concilium Arelatense convocavit, Mediolani tandem ipsis damnatis. Interim Licinius, in Christianos Orientis sævus, primò in Hungaria, dein in Thracia: mox pace violatâ, terra marique victus an. 325. & paulo pòst strangulatus est, Socrat. *l.* 1. Cedren. Hinc pax Ecclesiæ, quam legibus firmavit Imperator. Crispo filio injustè à noverca accusato & occiso, hacque dein in balneo suffocatâ infelix. Plurima extruxit templa, Anastas. Biblioth. *de magnificentiâ Constantini*. Concilium contra Arium Niceæ celebravit, an. 325. Sarmatas, Scythas, Persasque in ordinem coëgit, Imperium filiis Constantino & Constanti divisit, Athanasium revocavit, morbo Correptus baptizatus est. Obiit an. 337. Imper. 31. Sozomen. *l.* 2. Zonar. Eutrop. Rufin. &c. Multa hic Imper. præclara fecit, sed nihil memorabilius, quàm quòd Romani Imperii sedem Byzantium transtulit, quam urbem à suo nomine *Constantinopolin* appellavit. LLoyd. Vitam ejus porro ac res gestas fusè tradit Euseb.

Constantinus II. cognom. Jun. filius prioris, Cæsar an. 317. factus, patre mortuo, Gallias & Hispaniam, cum M. Britannia accepit,

cepit. Athanasium Patr. Alexandrinum, Treveri exulem, revocavit. Fratri Constanti ditiones erepturus, juxta Aquilejam, an 340. acie victus & occisus est, an. æt. 25. Imper. 3. Zosim. *l.* 2. Victor *in Annibalino.* Cassiodor. Eutrop. Orosius, &c.

Constantinus III. fil. Heraclii ex Eudoxia, Patri successit, Anno 641. tertio pòst mense à noverca Martina, Pyrrho Patr. conscio, veneno sublatus. Paul. Diaconus *libro* 5. Theophanes, &c.

Constantinus IV. cognom. *Heracleonas*, fil. Heraclii ex Martina, non diu Constantini III. cæde fruitus, Senatus consulto, naribus mutilatis, cum matre in exilium missus est, A. 641. lid.

Constantinus V. cognom. *Pogonatus*, fil. Constantis II. audito patrem à Miziza Armenio occisum Syracusis, illuc venit, eoque punito Imperator proclamatus est. Bello contra Saracenos septennali, terrâ marique felix, classe illorum, igne Græco operâ Callinici, incensâ. Concilium Oecum. 6. contra Monothe itas Constantinopoli, an. 680. celebravit, quod ne turbaretur, Bulgaris Mysiam concessit. In fratres Heraclium & Tiberium, quos naribus truncavit, virtutem eorum veritus, sævus, Obiit an. 685. Imper. 17. Justiniano fil. successore relicto.

Constantinus VI. fil. Leonis Isaurici, *Copronymus*, *Caballinus*, *Iconoclastes* ab æmulis dictus, coronatus est, an. 720. solus imperare, mortuo Patre, orsus, an. 742. Universali edicto invocationem Mariæ & Sanctorum, imaginumque cultum sustulit; an ulterius processerit, non liquet. Concilium Oecumenicum 7. convocavit, quo Monothelitæ iterum damnati, imaginum factura & cultus solemniter sublatus, superstitioni huic adhærentes Ecclesiâ ejecti. Contra Bulgaros bellum gesturus, ab Affini Artavasda pulsus est, sed biennio imperium recepit, captâ fame Constantinopoli, Artavasdâ cum filiis excæcato & Anastasio Pseudopatr. ignominiosè habito. Exarchatum amisit, Saracenos fugavit, Bulgaros coërcuit, in nova contra illos expeditione, excitus Telerichi perfidiâ, obiit. an. 775. Imper. 34. Cedren. Zonar. *tom.* 3. P. Diac. *l.* 22. Sigon. *l.* 3. ad an. 741. 766. Chemnitius, *in exam. de imagin.*

Constantinus VII. fil. Leonis IV. sub tutela matris Irenes, imperare cœpit, quæ Concilio Oecum. 8. Nicææ indicto, rebus ita instructis, ut nemo disputare auderet, substratisque fundamenti loco commentis nugacibus, Imaginum cultum restituit. Chemnit. *de Imag.* Imperium mox ipse remotâ matre administrare aggressus, patruum Nicephorum rebellem, cum 4. ejus fratribus oculis linguaque mutilavit. Idem Alexio Patritio, imperium affectanti, fecit. Telerichum Bulgarum pulsum in fidei communionem ac affinitatem assumsit, Saracenos Arabasque vicit, imaginibus deturbatis, à matre excæcatus, Cœlo per Eclipsin Solarem 17. dierum scelus detestante, Obiit an. 797. Theophanes, Cedrenus, Genebr. *in Chron.*

Constantinus VIII. fil. Basilii Macedonis, à Patre in societatem imperii ascitus. an. 868. Obiit ante Patrem, an. 878. Theoph.

Constantinus IX. Porphyrogennetus, fil. Leonis Imper. ex Zoë, quæ à Romano classis Præf. eò adacta fuit, ut filius pingendis imaginibus lucrum facere, vitamque inopem in purpura tolerare necesse haberet, sub matris tutela imperare cœpit, post Alexandrum patruum an. æt. 7. A. C. 912. Contra Bulgaros, Thraciam depopulantes, felix, ni milites spontaneâ fugâ victoriam prodidissent: ab iisdem post ductam Romani filiam, & socerum Augustum proclamatum, secundâ clade, ob ducum imprudentiam, affectus, mox obsessâ Constantinopoli, pacem magno redemit. Ascitus in consortium imperii Romanus Lecapenes, datâ Imperatori filiâ Helenâ, Zoen removit, ipse imperii negotia obiturus: Dein generi simplicitate abusus, Christophorum primò, an. 920. postea Stephanum & Constantinum, filios an. 928. Cæsares fecit. Sed à Stephano rasus & exilio multatus est, Anno 944. quem tamen paulo pòst, cum fratre contendentem, cepit Imp. ambobus relegatis, ipse iterum rerum Dominus. Hinc Tyrannis in Italia oppressis, Beneventum Longobardis eripuit, Turcas imperii limites de populatos largitione conciliavit, plurimis illorum ducibus ad fidem perductis. A' Romano fil. quem libro insigni de negotiis Imperii, fœderibus aliisque maximi momenti rebus fideliter instruxit, veneno peremtus, an. 959. [illegible] 54. Imper. 48.

Constantinus X. fil. Romani, ex Theophana, Johanni Zimisco successit, cum Basilio II. fratre jun. Anno 975. per annos 50. huic rerum curâ relictâ, ipse voluptatibus immersus. Fratre mortuo, Constantinus Diogenes, Smyrnæ præfectus vicit Bossinios, trans Istrum: Sami verò gubernator, classem Saracenorum, Cycladas infestantium, disjecit. Obiit an. 1028. æt. 70. Socer, per Zoen, Romani Argyropili Successoris. Curopalates, Cedren. *Annal.*

Constantinus XI. cognom. *Monomachus*, jussu Johannis, Fratris Michaëlis Paphlagonis, exul, hinc revocatus, Zoen, Constantini IX. fil. duxit, Imperator. Anno 1042. Ignavus, & Romani Scleri sorori nimium deditus. Georgium Maniacen, qui in Sicilia Imperator dici voluit, occidit; Leonem Tornitium rebellem cepit & excæcavit, Roxolanis quoque & Bossiniis in ordinem coactis. Sed an socordiâ, an inopiâ ejus, Turcis in Asia sediffundendi occasio. Obiit an. 1054. Imper. 12. Curopal. B. Egnatius, *Hist. Rom.*

Constantinus XII. cognom. *Ducas*, fil. Andronici, ab Isaco Comneno Imperio admotus est. an. 1059. Hic prudenter immani conjuratione dissipatâ, totum se Reip. dedit. Justitiæ, æquitatis, Orthodoxiæ amans, sed in avaritiam pronus. Ab Usiis, Scythiæ gente, incredibili numero Imperium inundantibus, victis Bulgaris Romanisque, infestatus, illos cœlitus adjutus, jam peste plurimùm imminutos, cæcidit. Græciâ postmodum à propriis incolis Turcisque vastatâ, & Constantinopolis aliarumque urbium tremore afflictus. Obiit Anno 1067. æt. 60. Eudoxiâ uxore, tutrice trium filiorum, frustrà ad viduitatem adactâ. Curopalat. Zonar. Glycas, *in Annal. Græc.*

Constantinus XIII. aliis, Cæsares quosdam numerantibus, XV. cognom. *Dragoses*, fil. Eman. Palæologi, Johanni fratri successit, Anno 1448. Turbatus à Demetrio & Thoma fratribus, illis ditiones quasdam in Peloponneso, alibique concessit. Unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, à fratre Palæologo, promissam irritam reddidit primò, dein, misso à Nicolao V. legato, admisit. Interim tardantibus auxiliis à Mahomete II. terrâ marique obsessus, captâ tandem Constantinopoli, post obsidionem 58. dierum, dum fortissimè pugnaret, in humero læsus, & populi multitudine oppressus obiit. Demortui caput recisum & in lanceâ circumlatum, uxor liberique, partim occisi, partim ludibrio victoris servati. Æneas Sylvius, *de Europâ, libro* 7. Phranzes, *libro* 3. Chalcondylas *libro* 8. Monstreletius *Volum.* 3.

Constantinus, miles gregarius, sub Honorio, Imperator in M. Britannia proclamatus. Galliam ingressus, aliquot provincias occupavit, Alarico nixus cùm in Italiam moturus esset, impeditus, Constante fil. in consortium ascito, Arelati sedem Imperii fixit. Sed à Constantio, jam aliquoties victore, obsessus, Presbyterum se fecit: filiis Constantino & Juliano occisis, an. 411. Cassiod. & Prosper, *in Chron.* Oros. *lib.* 7. *cap.* 40. Sozomen. *l.* 9. *cap.* 11. 12. *& seqq.*

Constantinus I. Scotiæ Rex, fratri Dungardo successit, Anno 465. Contra Pictos & Saxones diu belligeratus, à quodam Hebridum incola, cujus filiam contaminaverat, strangulatus est, an. 482. Dempster. *hist. Scot.*

Constantinus II. fil. Kenneti II. succedit Donaldo V. Anno 860. Legum egregiarum lator, Huben, Cadani Daniæ Regis fratrem, Pictos restituturum vicit: postea ab eodem captus & occisus, regni 2. 13. Buchan. *hist. Scot.*

Constantinus III. fil. Etheri, fratris Constantini II. successit Donaldo VI. Anno 803. Initio felix, mox Northumbriâ & Cumbriâ amissis, acie insuper victus, in monasterium se recepit. An. regni 40.

Constantinus IV. cognom. *Calvus*, fil. Culenii, successit Kennето III. ab hujus filio notho victus, & in duello occisus, Anno 1002. regni 2. vel 3. Dempster. *hist. Scot.*

Constantinus Papa, Syrus, Sisinno Syro, successit Anno 708. Felicem Arch. Ravennatem, sibi adversantem, in Pontum relegavit & excæcavit, ope Justiniani Rhinotmeti, ab hoc in Græciam vocatus. Inde redux Philippicum Imper. imaginum hostem, excommunicavit, primus Pontificum, hæreseos aspectu, summæ in terris potestati, obedire renuens. Patres 6. primorum Conciliorum, tabellâ à Philippico abolitâ, Romæ in S. Petri Basilica, denuo pingi curavit, &c. Obiit an. 714. Sedis 6. Anastas. & Platina, *in ejus vita.* Sigonius *l.* 3. Cedren. Theophan. &c. *in Annal.*

Constantinus Antipapa, post Paulum I. Anno 767. à fratre Totone, Duce Nepæ, in Tuscia, cum exercitu Romam ingresso, intrusus, occiso Anno 768. fratre, Româ profugus, electo Stephano III. excæcatus est. Baronius Anno Christ. 767. *& sequentibus.*

Constantinus I. Patr. Constantinop. post Johannem V. Anno 664. Obiit Anno 666. Successore Theodoro, hæretico. Nicephorus.

Constantinus II. Patr. Const. Anno 754. post Anastasium, imaginum cultum damnavit, Nestoriasmi promulgationem inhibuit, &c. Ab Imperatore Constantino Copronymo in exilium pulsus, hinc revocatus, rasus; pòst & ignominiosè in asino circumductus, tandem capite truncatus est, ut Theophanes refert, & Baron.

Constantinus, cognom. *Licudex*, post Michaëlem Cerularium, Patr. Const. ab an. 1058. ad annum 1066. Item, alius, circa annum 1117. Idem.

Constantinus, cognom. *Africanus*, Carthagine natus, circa annum 1070. Babylonem venit, ibique Linguis, Medicinæ aliisque scientiis egregiè per 39. an. operatus, in patriam rediit. Ubi insidias popularium expertus, Salernum venit, à fratre Regis Babylonii, ibi Duci Roberto commendatus. Sed placuit ei solitudo, in quâ Medicinam operibus egregiis illustravit. Vide Leon. Ostiens. *Chron. libro* 3. *cap.* 34. Trithem. *de Scriptor. Ecclesiast.* & *capite* 70. de viris ill. Ordinis Benedicti. Genebr. *Chronic.*

Con-

Constantinus, Manichæus, Armeniorum seductor, seculo.7. jussu Constantis II. à Palatino quodam, nomine Simeone, qui se Titum, sicut prior Sylvanum ferebat, occisus, A. C. 653. Item ex Diacono Patr. Alexandrinus, in vincula conjectus. Baronius anno 686.

Constantinus Ancklitzen, pyrii pulveris inventor.

Constantinus Harmenopulus, Auctor sec. 12.

Constantinus Manasses, circa an. 1156. scriptor non aspernandus, præsertim in rebus Byzantinis; scripsit versibus politicis σύνοψιν ἱστορικὴν, quam Latinè vertit doctissimus Leunclavius. Chronicon est à condito mundo, usque ad Alexium Comnenum, an. 1081. vixit, sub Em. Comneno. Vide Vossium *de Hist. Græc. l.2. c.27. pag.340.*

Constantinus Pontius, Carolo V. à Confessionibus, purioris doctrinæ cultor, cum aliis, Hispali, postquam dirissimum carcerem tolerasset, ut exclamare cogeretur: *Mi Domine deerant-ne in mundo Scythæ, aut his immaniores Cannibali, in quorum manus, ne in istorum ungues inciderem, me conjecisses:* exustus est. Thuan. *hist.l.23.* Lib. *Inquis. Hisp.*

Constantius I. Chlorus, fil. Flavii Eutropii ex Claudia, fil. Fratris Claudii II. & Quintillæ, Princeps planè egregius. A Maximiano Hercule, in consortium imperii ascitus, eâ lege, ut dimissâ Helenâ, ex qua jam Constantinum M. susceperat, Theodoram filiam ejus duceret, sicut idem Galerio Armentario à Diocletiano obtigit, Gallias nactus est. Alemannos has infestantes, primò victus, quinque post horis, immensâ strage affecit, reliquiis in gratiam receptis. Maximiano dein & Diocletiano, sponte cedentibus, Constantius & Galerius soli imperare cœperunt, fidelibus ab illo, in Galliâ, Italiâ, Hispaniâ & Africâ benignè habitis. Obiit Eboraci, an.306. Imper. 2. Pater ex Theodora, Constantini, Dalmatii & Constantii, quem Zonaras *Annibalium* vocat, cum 3. filiabus. Socr. *lib.1. cap.1.* Euseb. *l.8.* Zonar. *lib.2.* Cassiod. Beda, Prosper *in Chron.*

Constantius II. fil. Constantini M. ex Fausta, Cæsar à Patre factus, A. 324. Eusebien, cœterà eruditam, sed Arianismo infectam, uxorem duxit. Mortuo Patre Orientis Dominus. In consanguineos, & Orthodoxos, uxoris instinctu, sævus, Athanasium pepulit, contra Saporem bello infelix; A' fratre Constantio rogatus, Concilio Sardicensi indicto, fraudes Arianorum subolfecit, Præsulesque exules restituit. Mox audito, Constantem, à Magnentio occisum, pœnitentiâ ductus, sed externo intestinoque bello implicitus, huc curam omnem convertit, Gallo agnato in consortium imperii ascito. Interea dum Vetranius in Pannonia Imperator proclamatur, Magnentio alibi satagente, Constantius in Italiam moturus, publico edicto, milites arcuit, qui non baptizati essent: sed Paulo Patr. Constantinop. pulso, egregium hoc contaminavit. Inde in Occidentem transgressus, Vetranio in partes suas pertracto, Magnentium, biennio pòst, tertiâ vice victum, sponte mortuum, audiit. *Sic Imperator solus*, ad ingenium rediit. Dominus mundi vocari voluit: quod dum totus facit, Julianus, pòst *Apostata* dictus, Imperator in Gallia proclamatur, an.360. quo appropinquante Constantius à Persis aversus, Antiochiæ hibernavit, ibique Eusebie mortuâ, Faustinam duxit, postmodum Gratiano nuptam. Hinc Tharsum, inde Mopsvestiam Ciliciæ perveniens, Obiit An.361. æt. 44. Imp. 25. Sozom. *l.5.* Ammian. Marc. *l.21.* Eutrop. &c.

Constantius, fil. Constantii Chlori, ex Theodora; Pater Galli, quem Constantius Imp. Cæsarem fecit, & Juliani Apostatæ. Cum Dalmatio, jussu Constantii, occisus, quasi seditionis auctor. Zosim *l.2.* Eutrop. *l.1.*

Constantius, Dacus, Dux Romanus, sub Honorio, Imperii contra Tyrannos vindex, Constantinum, Constantem, Gerontium, Jovinum, &c. devicit. Gothos Galliâ pepulit, Attalum rebellem, vinctum ad Imperatorem misit: qui ipsi sororem Gallam Placidiam, Ataulphi viduam, uxorem dedit, & in consortium Imperii ascivit, An.421. septimo pòst mense pleuritico dolore enectum. Pater fuit Valentiniani III. Sozom. *lib. 9.* Prosper & Marcellin. *Chron.*

Constantius, Presbyter Lugdun. insignis orator, S. Germani vitam scripsit, circa an. 488. postmodum ab Errico Monacho metrice redditam.

Consuanetes, pop. inter Alpinas gentes. Plin. 3.20. *Consuanta* Ptolemæo.

Consuarani, pop. in provinciâ Narbonensi. Plin. 3. 4.

Consul, tutor annuus erat Rom. Reip. publici consilii princeps, & exercitus Dux. Summum vero apud Rom. dignitatis fastigium fuit post exactos reges à Junio Bruto primum introductum, an. U. C.244. Consulem perpetuum se Vitellius creavit, Sueton. Dio. Tac. Dicti autem sunt *Consules*, à *consulendo*, h. e. *providendo* ac *judicando*, Quintiliano auctore *lib.1 cap. 10.* Hinc illud vetus apud Varronem; *Qui bene consulat, Consul cluat.* Diu autem hoc nomen Romæ sanctum, ac summi magistratus proprium fuit: Tandem tamen & ad Proconsules & municipiorum Magistratus translatum est, quod Casaubonus *Notis ad Apul. Apol.* observat & plures Inscriptiones apud Gruterum confirmant. A Justiniano Imp. Treboniani instinctu A.C.541. penitus sublatum. Novell.105. à Justino restitutum, qui A.566. Populi favorem aucupaturus se Consulem fecit. Coripp. *l.2.* De Consulum officio, vide plura apud Fenestellam *lib. de Rom. Magistratibus.* Apud Auctores medii ævi voces *Consul* & *Consulatus*, usurpatæ reperiuntur pro Comite & Comitatu. Apud Orientales *Consul* etiam dicitur, qui, in re mercatoria, legatione defungitur, Henr. Spelmanus *Glossar. Archaol.*

Consus, qui Neptunus quoque, Rex laticum & rerum conditarum, *consiliorum* Deus putabatur, qui ideo templum sub tecto in Circo habebat, ut ostenderetur tectum esse debere consilium. Hinc *Consualia* festa, quæ fiebant in honorem *Consi.* Livius *lib.1. Ludos ex industriâ parat Neptuno equestri solemnes, Consualia vocant.* Vide Plut. in *Romulo*, ubi docet Consualia 18. die mensis Augusti celebrari solita. Errat itaque Servius *in Æn.8.* ubi sic scribit: *Raptæ autem Sabinæ in Consualibus, hoc est, mense Martio.* Quod falsum esse, præter Plutarchum, Dionysius testatur his verbis: Ἡ ἁρπαγὴ περὶ τὴν ὀκτὼ καὶ δεκάτην ἡμέραν τοῦ Σεξτιλίου ἐγένετο ἐν ᾗ τὴν τῶν Κωνσουαλίων ἑορτὴν ἄγουσι. Vide Vossium in *Consualia.*

Consygne, Nicomedis Bithyniæ regis uxor, quæ ob lasciviorem cum viro jocum à cane lacerata est. Plin. 8. 40. Ubi *Consingis* alii legunt.

Contadesdus, Thraciæ fluv. Herodotus *lib.4.cap.90.*

Contarinus Franciscus, Venetus, Philosophiam Patavii docuit, Legatus ad Pium II. Senensibus contra Florentinos suppetias tulit, expeditionis hujus scriptor. Voss. *de H. L. lib.3. cap.7.* Ex eadem familia, *Ambrosius*, ad Usuncassanem Persam missus, itineris diarium confecit. *Gaspar*, Cardinalis, contra Pomponatium, cujus auditor fuerat, de immortalitate Animæ, scripsit. Ad Carolum V. missus, à Rep. dein in Germaniam, à Paulo III. Concilii Tridentini Præses futurus, obiit An. 1542. Bononiæ. Joh. Casa, *in vita ejus.* P. Jovius, *in elog.* Duces varii, ut *Dominicus*, An. 1044. qui reparatâ urbe Grado, receptâ Zarâ, &c. obiit an. 1060. *Jacobus*, Istrianorum victor, Ducatu sponte cessit, anno 1280. *Andreas*, prudentiæ laude inclytus, an. 1368. *Franciscus*, an. 1623. *Nicolaus*, 1630. *Carolus*, an. 1655. V. P. Justinianum, Balthas. Bonifacium, *elog. Contar. &c.*

Contestania, Hisp. citer. regio, in quâ sita est Carthago nova. Fortè hodie *Cocentayna.* Plin. 7.3. *Contestani* erant, ubi nunc maxima pars Valentiæ, inter Thuriam fl. & Illicitanum Sin. ubi Carthago nova, Illicis, Alona, Setabis, Valentia & Dianium Urb. versus oram littor. maris Mediterr. Baudr.

Conthyle, in Attica, municipium tribus Ptolemaidis vel Pandionidis. Hinc Κονθυλεὺς, Vid. Schol. *in Aristoph. Vesp.*

Contiacum, municip. Picardiæ, in agro Ambiano Princip. titclarum: Hinc Condæorum Princ. stirps dicta, 4. leuc. ab Ambiano in Austr.

Continusa, ins. Hispaniæ adjacens in freto Gaditano, aliis nominibus *Gadira* & *Tartessus* dicta. Plin. *lib.4.cap.22.* Lege *Cotinusa*, idque authoritate Dionysii Perieg. *vers.* 455. de hâc insulâ loquentis:

Καὶ τὴν μὲν ναετῆρες ἐπὶ προτέρων ἀνθρώπων,
Κληζομένην Κοτινοῦσαν ἐφημίξαντο Γάδειρα.

Ubi Scholiastes sic dictam ait, ὡς πολλοὺς ἔχουσαν κοτίνους οἳ ἀγρίας ἐλαίας εἶδός εἰσι, ut quæ agrestes oleas multas habuerit.

Contobabdita, hæretici sec.6. Theodosianorum sectatores. Niceph. *lib.18.cap.49.*

Contosolia, Hisp. urbs 12. m. p. ab Emeritâ. Anton.

Contraginnum, castellum ad Isaram, Noviomago proximum, vulgò *Chauni*: quod Galli etiam *Calniacum* olim nuncupavere: inter Faram & Noviomagum, cujus Episcopum agnoscit. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Contributa Julia, Beturiæ oppidum in tractu Celtico, inter Berum & Anam fluvios. Plin. *libr.3.cap.1.* *Contrebia* forsan Livio.

Contumeliosus, Episc. Rejensis, anno 534. depositus misso à Johanne II. Visitatore, qui Diœcesin ejus gubernaret, appellavit ad Agapetum Johannis Successorem. Vid. Concil. *tom.4.* Sim. Barthel. *histor. Episc. Reiensium*, San Marth. *Gall. Chron. tom.3.pag.936.*

Convallis illustris, quæ & *Vallis Save*, & *Vallis Regis*, Josepho *Campus Regius* dicta, propter sui fertilitatem & amœnitatem, est in tribu Manasse. Incipit à mari Galileæ à Bethsan, & extenditur per totum ascensum Jordanis usque ad mare mortuum, eratque illustrissima, priusquam Dominus subverteret Sodomam & Gomorrham, ut quæ medio Jordane irrigabatur sicut paradysus Domini, & sicut Ægyptus.

Convallis Mambre, quæ & Vallis Hebron, in tribu Juda, fertilis & amœna valde, in qua habitabat Abraham in tabernaculo, ubi & tres Angelos hospitio excepit, pedes eorum lavit, & sub ilice sive quercu Mambre ministravit ad mensam. Vid. Gen. 18.

Convenæ, vulgò *Commingeois*, qu. *Commanentes*, pop. Gall. Aquit. è saltu Pyrenæo, hoc est, Hispaniæ & Aquitaniæ confinio oriundi, teste Cæsare *lib.3. de Bello Civ.* qui fugitivos illos à saltu Pyrenæo & prædones vocat, quia veteri vitio gentium

Hispaniæ latrunculi erant, quales ibidem postea Bandularii extitere. Hi igitur à Pompejo victore, ex Hispania reverso, oppugnati, pacem hac lege impetrarunt, ut omnes de saltu in plana Aquitaniæ descenderent, & in oppidum contribuerentur: quia itaque ex jugis Pyrenæis undique eò convenerant, *Convenæ* appellati sunt, hoc est, ut interpretatur Strabo, συνήλυδες. Sic idem Ligures olim, & Augustus Cæsar partem Cantabrorum è montibus in plana deduxit. Sedent ad fontes Garumnæ, eorumque urbs præc. fuit Lugdunum Convenarum, à situ dicta: *dunum* enim Gallicâ linguâ montem significabat. In vertice erat montis, trans Garumnam, unde in circumjacentem planitiem despiciebatur, valle præcipiti undique cincta. Fons ingens ad radices montis prorumpebat, munitissimâ turre circumdatus; quò oppidani per cuniculos descendentes, sine periculo aquari consueverant. Postea, nomine gentis assumto, *Convena* dici coepit. In vett. Not. inter prov. Novempopulaniæ civitates duodecim, quarto, nonnunquam quinto loco posita: nunc *Fanum S. Bertrandi* dicitur, vide infra, 16. leuc. à Tholosa. 12. ab Ausciis in colle: Urbs episc. est totius tractus, quarto post Auscos metropolim, Aquas & Lactoram loco. Suavis ejus Episc. Agathensi, A. C. 506. Præsidius Aurelianensi 2 Amelius Aurelianensi 5. interfuere. long. 21. 37. lat. 42. 58. Titulum Comit. habet, qui est inter Languedociam, Pyrenæos, Comit. Fuxensem & Armaniacum: in Super. & Infer. divisus. Plin. *l. 4. c.* 19. Strabo *l.* 4. &c. Ptol. &c. Urbs destructa est an. 585. à Gontrano R. quòd PseudoGundebaldo perfugium fuerat, cùm à Pompeji M. ætate ad id tempus floruisset; & jacuit per an. 520. donec à S. Bertrando vel Berthramno Episc. unde ipsi nomen *S. Bertrand de Cominges*, in vertice collis ac in ipsis excisæ urbis vestigiis, priori tamen multò minor, reparata est, an. 1085. ubi & claustrum ædificavit, & Canonicos regulæ B. Augustini servantes instituit: patria fuit Vigilantii. Cæterùm Comitatus hic, à Parlamento Tolosano dependet, donatus à Johanna fil. Comitis Conven. & Bononiensis, Carolo VII. an. 1442. Aimon. *l. 3. c.* 69. Greg. Tur. *l.* 7. Oihenart. *Notit. utriusq; Vasconiæ*, Chenius *Ant. urb. p. 2. l. 2. c.* 15. SanMarth. *Franciæ Christ. T. 2. p.* 547. quibus adde, inter primos dicendum Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Urbes & oppida in diœcesi Convenica.

S. Amantii, *S. Amans.*	Gentiacum, *Gensac.*
S. Beati, *S. Beat.*	S. Gerontii, *S. Girons.*
S. Bertranni, *S. Bertrand de Comenge.*	Granata, *Granade.*
	Insula Dodonis, *l'Isle Dodon.*
Castellio, *Castillon.*	Mons Regalis, *Montreal*: Leomaniæ nunc accensus.
Castra, *Castres.*	
Frontiacum, *Fronsac.*	Riparia ad Garumnam regio.
S. Gaudentii, *S. Gaudens.*	Sammatanum, *Samatan.*

Ponit etiam in agro Convenarum, præter Lugdunum, Aquas Calidas *Aques* Strabo. Vide *Cuqueni.*

Convennos, Angliæ inf. Cantio adjacens apud Thamesis fluv. ostia, Ptol. vulgò *Shepey*. Vide *Connos.*

Conventria, vide *Coventria.*

Conversanum, urbs regn. Neap. in prov. Bariana, Episc. sub Archiep. Barensi; gaudet tit. Comit. Gentis Aquavivæ. 5. mill. ab ora maris Adr. 14. à Bario in Ort. parvi circuitus. Leand. Alb. *descr. Ital. p.* 245. Miræus *Geogr. Eccles.* Vide *Cupersanum.*

Convictolitanis Æduus, florens & illustris Adolescens, qui summum Magistratum, quem illi *Vergobretum* appellant, in sua civ. obtinuit. Cæs. *l.* 7. *Comment.*

Coon, primogenitus filiorum Antenoris, qui cùm Iphidamantis fratris mortem, ab Agamemnone illatam, vindicare vellet, mediam ejus manum subter cubitum lanceâ transfixit, atque ita ab eo interfectus est. Hom. *Iliad.*

Coos, sive *Cos*, vel *Cea*, vel *Co*, ins. parv. Asiæ min. in mari Ægæo, seu, ut quidam ajunt, Icario, 100. mill. à Rhodo, & Cariæ opposita, ab ea vix 20. mill. distans in Occas. oblonga, quæ olim magna fuit, & optimè habitata, aspectuque jucundissima eò navigantibus. Nunc *Lango*. Ambitus ejus 550. stadiis clauditur, tota fertilis ac optimo vino abundans. Aliàs sub dominio Equitum Rhod. nunc Turcarum. Solebant autem in hâc insulâ fieri vestes tenuissimæ ex bombyce ad fœminarum ornamentum, quæ *Coa* dicebantur. Propert. 1. 2.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coâ veste movere sinus?

Ovidius *lib. 2. de Art. Am.*

Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus,
Sive erit in Cois, Coa decere puta.

Propert. iterum 4. 2.

Indue me Cois, fiam non dura puella.

Horat. *lib.* 1. *Sat.* 2.

—— Cois tibi pene videre est,
Ut nudam.

Tibullus alicubi,

Ille gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas dispositasq; vias.

Fuit in hâc ins. Æsculapii templum augustissimum. De Junonis autem æde nemo ignorat, adeò clara, ut de ejus insignibus librum scripserit Theodorus, authore Vitruvio *in præfatione libri* 7. Est inibi pectunculus, piscis insigniter sapidus, Varroni celebratus, uti testatur Gellius 7. 16. Sed de Chio inf. ibi loquitur. Item *Coos*, urbs in *Coo* ejusdem ins. caput, quæ etiam *Lango*, versus Ortum. Hinc adject. *Cous*, unde Hippocrates medicus divinus & Apelles pictor egregius *Coi* dicti sunt.

Copa, vide *Mapeta.*

Copa, locus in Græciâ juxta Cephisum amnem, qui facit lacum Copaidem, aliàs Leuconidem dictum. Plin. 4. 7. Stephanus à *Copeo* Apatelii filio dictum scribit, Apatelea autem Onchesti, hunc Neptuni filium esse. Vide Schol. in Acharn. *act.* 1. Polyæn. *l.* 7.

Copar, Arab. Fel. vicus. Ptol.

Cophanta, Carmaniæ portus. Ptol.

Cophantis, mons Bactrianæ semper ardens. Plin. 2. 106.

Cophen, civitas eadem quæ Arachosia. Gentile *Cophenius.* Stephanus.

Cophes, Artabazi fil. ab Alexandro, ad Arimazen Sogdianum, de Aorno Petra tradenda, missus. Curt. *lib.* 7.

Cophes, Indiæ citer. fluv. in Indum influens. Dionys. Perieg. *vers.* 1140.

Τοῖς δ' ἐπὶ κ̀ Κώφης τρίτ☉- ἕπεται ἀργυροδίνης,
Tertius hos sequitur splendenti gurgite Cophes.

Ubi in errore procul dubio versatur, si Cophen ordine tertium, Ortum versus, inter fluvios in Indum se exonerantes, post Hydaspen & Acesinen hîc statuat; nam Strabo, Mela, aliique Geographi, inter primos ad Occidentem, ante Indum ipsum, eum numerant: statuendum igitur, Dionysium non ad ordinem situs hîc respicere, sed fluvios in Indum influentes confusè tantùm enumerare.

Cophta, seu *Cophita*, in Ægypto Eutychis & Dioscori sectatores, sub Patriarcha, qui se Patriarch. Alexandrinum vocat, cui sedes in Monasterio S. Macarii, 20. leuc. à Cairo. Ignorantiâ profundâ mersi, plerunque manuum operâ victum ægrè quærunt, solùm huic vacantes. His Abyssini subsunt; in Ægypto, Hierosolymis, &c. complura habent monasteria. A Pio IV. solicitati, an. 1561. per duos Jesuitas, cum Latinis conjungi renuerunt. Uxorum apud hos repudium frequens, diu post nativitatem baptizant, trinâ immersione, totuplicique verborum institut. repetitione usi. Fidem, jejunium, & preces, loco conjugii, confirmationis & extremæ unctionis urgent. De Gabriele Patr. misso ad Clem. VIII. ut & Matthæi Patr. literis ad Urban. VIII. Vide eruditos, Thuanum inprimis: & in voce *Coptos.*

Copia, Dea ubertatis ac abundantiæ apud antiquos, Fortunæ comes, de quâ Lactantius, vetus Statii Schol. *in* 4. *Theb.* Hæc fingebatur cornu gerere plenum uvis, malis, ac spicis, unde *Cornu Copia* proverbialiter; quasi de abundantiâ celebratur, de quo vide Chiliadas. Horat. *l.* 1. *Od.* 17.

—— Hinc tibi Copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Idem *in Carmine Seculari*,

—— Apparetq; beata pleno
Copia cornu.

Alii tamen hoc cornu ipsi Fortunæ tribuunt. Vide Plut. *de Fort. Rom.* ac Heinsium *ad Hesiod. cap.* 11.

Copia, vide *Thurini.*

Copiapum, opp. Amer. merid. ad ostia fl. cogn. in agro Chilensi, juxta confin. Peruviæ, cum portu utcunque capaci, sub Hisp.

Copias, Bœotiæ lacus, & fluv. quem Pausan. *Cephisidem* appellat, *lib.* 9. Item urbs in eodem tractu. Suidas.

Copinus & *Quintinus*, Libertinorum antesignani, in Brabantia & Hollandia. A. C. 1525.

Copon, civitas populosissimâ juxta Thebas in Ægypto, à Diocletiano capta & solo æquata, an. U. C. 1043.

Coponius, prænomine *Cajus*, Prætorius classi Rhodiæ Dyrrhachii præfectus in partibus Pompeji. Videatur Cicero *l.* 1. *de Divinatione*, *lib.* 8. *Epist.* 17. *ad Attic.* Cæs. *l.* 3. *de Bello civili, cap.* 5. Vellejus *lib.* 2. Appian. *in Parthico.* Vide quoque *Copponius.*

Coppenhagen, urbs in ins. Silandia, incolis *Copenhafen*, vel *Copinhafen*, regni Daniæ metropolis. Hic Regum sedes, Academia, à Christiano an. 1474. fundata, & insigne commercium. Cluverius *introd. Geograph.* A Suecis ante aliquot annos obsessa, magnanimitate Regis Friderici, fide civium, & fortitudine Hollandorum, hostium conatus elusit. Latinis *Hafnia* dicta. Vide ibi.

Copponius, jussu Augusti Quirini, Judææ præfecti, comes provinciæ curam gessit. Jos. *de Bell. J. l. 2. c.* 7. *Antiquit. l.* 18. *c.* 1. 3. Torniel. *A. M.* 4060. *n.* 1. Vide quoque *Coponius.*

Copranitza, urbs Sclavoniæ, cum arce munita, sub dominio Austriac. vix 2. leuc. à Savo fluv. & 5. à Canisia in Austr.

Copras, Monachus, divinum habuit donum sanitatem conferendi, depulsis morbis, ac dæmones expellendi. Sozomen. 8. 1.

Copriniacum, in diœcesi Burdigal. ubi Synodus an. 1255. & 1260. An Compiniacum est, Gall. *Cognac?*

Coptos, vel *Coptus*, *Cana*, teste Rhamnusio, oppidum Thebaidis, commune Ægyptiorum, & Arabum emporium, vergens ad mare Rubrum, ubi cautes sunt, ex quibus eruuntur smaragdi.

Cum

Cum Ptolemaide, ab Aurelio Probo Imp. barbaris ereptum, Anno Chr. 279. Vopiscus *in ejus Vita*, &c. Juvenal. *Sat.* 15.

Gesta super calidæ referemus mœnia Copti.

Meminit illius Statius *lib.* 1. *Theb.*

——— *Melius vobis Mareotica fumat*
Coptos, & arisoni lugentia flumina Nili.

Ubi sic vetus Schol. *Coptos civitas Mareoticæ Ægypti, in quâ Jo versa in Isidem colitur, cujus sacris sistro celebratis, Nilus exæstuat.* Hujus urbis vetustatem ex eo cognoscimus, quòd regina Isis istic nuncium acceperit de nece mariti sui Osiridis, præque dolore absciderit capillos, quo exemplo Isiaci erant calvi. Juvenal. *Sat.* 6.

Qui grege linigero circumdatus & grege calvo.

Hinc urbi Κόπτος vel Κοπτὼ nomen esse datum putarunt Græci, quia κόπτειν sign. διαίρεσιν καὶ τομὴν, ut ait Eustath. Sed alii ex eo hoc vocabulum urbi impositum existimant, quia, cùm in eâ degeret Isis, privata sit Osiride, nam *Coptus* linguâ Ægyptiacâ *privationem* notat. De utroque sic Plut. *lib. de Isid. & Osir.* Τὴν δὲ Ἶσιν πυθομένην κείρεσθαι μὲν ἐνταῦθα τῶν πλοκάμων ἕνα, καὶ πένθιμον στολὴν ἀναλαβεῖν, ὅπου τῇ πόλει μέχρι νῦν ὄνομα Κοπτώ. Ἕτεροι δὲ τοὔνομα σημαίνειν οἴονται στέρησιν, τὸ γὰρ ἀποστερεῖν, κόπτειν λέγουσι. Vossius autem planè iis assentit, quibus *Coptos* toti Ægypto creditur nomen dedisse, nempe ut Αἴγυπτος dicatur, quasi αἶα Γύπτος, sive Κόπτος, vel τῆς Κόπτου. Atque hanc opinionem admodum firmat Ignatius Patriarcha Antiochenus, vir reconditæ eruditionis *epistolâ eâ, quam Arabicè scripsit ad summum virum Jos. Scaligerum.* V. P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. Est & Armeniæ Zephyricæ vicinum opp. Cedrenus.

Coqueta, Ins. parva in ora Angl. & littore Northumbriæ, opposita Coqueto, *Coker*, fluv. qui auctus aliquot rivulis, ibi ex adverso in mare Germ. se exonerat, juxta *Warvoorth* opp.

Cora, Jovis & Cereris filia, quæ & *Libera* & *Proserpina*. V. *Core*.

Cora, filia Aidonei & Persephones; vide plura de dictione *Corâ* apud Cælium. 7. 15.

Cora, opp. Latii in finibus Volscorum antiquissimum, ante urbem Romam à Dardanis conditum, ac de *Corâ* Catilli & Tiburti fratris nomine dictum. Nunc in Campania Rom. ad pedes collis, sub dominio utili pop. Rom. 6. mill. à Velitris in Ort. versus Anagniam, Baudr. Pop. *Corani*. Lucan. *lib.* 7.

—— *Gabios Veiosque, Coramque*
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ.

Long. 36. 38. lat. 41. 37.

Coraca, Arab. Petrææ opp. Ptol.

Coraces, fuisse locum apud Æoles, Arnam incolentes perhibent, in quem maleficos relegabant; unde dictum ἐς κόρακας. Alii locum hujus nominis in Thessaliâ fuisse contendunt, in quem nocentes dabantur præcipites. *Sunt qui hoc referant ad volatum corvorum: quoniam enim in desertis volitare consueverunt, volunt ad corvos illi esse eundum, quem intelligunt in extremas solitudines publicitus deportandum.*

Coracesium, *Coracensium*, Ptol. *Scandeloro*, teste Nigro, urbs Pamphyliæ litoralis, quæ à Ptol. & Livio Ciliciæ asperæ tribuitur. Vide Strab. *lib.* 14.

Coracesius, pars Tauri montis. Plin.

Coracus, regio in Æthiopiâ sub Ægypto, ubi maxima Indicarum arundinum multitudo. Strabo.

Coracinsii, Sardiniæ pop. Ptol.

Coracium, mons juxta Colophonem in Joniâ. Item locus circa Byzantium.

Coracodes, Corsicæ ins. portus. Ptol.

Coraconasus, locus Arcadiæ, ubi Ladon fluv. in Alpheum excipitur. Paus.

Coraconnesus, insula Libyca. Steph.

Coracos petra, id est, *Corvi saxum*, locus in Ithacâ. Steph.

Coragus, vide *Horratas*.

Coraletæ, Scythiæ Eur. gens. Ita vet. lib. habet apud Val. Flacc. 6. *Argon. vers.* 82. Ubi vulgò legebatur *Cæalex*.

Coralius, Phrygiæ fl. qui alio nomine *Sangarius* dicitur. Plin. 6. 1.

Coralli, pop. Pontici immanitate insignes. Ovidius *Ponticorum lib.* 4. *Eleg.* 2.

Hic mea cui recitem flavis nisi scripta Corallis?

Idem *Eleg.* 8.

Litora pellitis nimium subjecta Corallis.

Corancali, Indiæ extra Gangem pop. Ptol.

Corani, Italiæ pop. vide *Cora*.

Coranitæ, Arab. Fel. pop. Plin.

Corarius Anton. Cardinalis, nepos Gregorii XII. Venetus. Fundator Congregationis S. Gregorii, castitate & in pauperes charitate inclytus. Auctor historiæ sui temporis manuscriptæ, in Bibliotheca congreg. modo laudatæ. Obiit an. 1445. Ciaccon. *in Gregor.* 12. *Eugen.* 4.

Coras, Catilli & Tiburtii frater, unde mons *Coras* & urbs *Cora* dicta. Virgil. *Æn.* 8.

Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus.

Coras, lacus Tartariæ veræ, versus partem Boreal. in reg. *Mongul.* Recipit Tartarum fluv. Estque valdè extensus, ut tradunt Geographiæ periti.

Coraseni, pop. Asiatici. Herod *lib.* 2.

Corasiæ, maris Ægæi ins. *Crussie*, teste Nigro.

Corasibie, vertex sic nominatur, unus montis in Indiâ tricipitis, quem Bacchus, ad vitandos intensos aëris vapores, cum suis expeditionis sociis occupavit. Polyæn. *lib.* 1. ubi interpres tamen legit *Corasibis*.

Corasius, mons imminens Antiochiæ, apud Xiphilinum *in Trajano*.

Corasphi, gens Scythiæ intra Imaum. Ptol.

Corax, Sicyoniorum Rex, post Echireum: Regnavit an. 30.

Corax, antiquissimus Rhetor Siculus, circa Olymp. 89. primus artem dicendi, & præcepta conscripsit. Cic. *in Bruto*. Primus etiam extitit, qui artem dicendi mercede professus est, Tisiamque eâ lege instituendum suscepit, ut mercedis partem præsentem numeraret, reliquam tum demum persolveret, quum in judicio, causâ peroratâ, victoriam reportasset. Quum itaque Tisias non parum in arte profecisset, causam tamen nullam susciperet, idque fraude facere videretur, ne reliquum mercedis præceptori persolveret: Corax hominem in jus vocat, causamque omnem in hoc dilemma confert: *Disce*, inquit, *stultissime adolescens, utroque modo futurum quod postulo, sive viceris, sive condemnatus fueris: Nam à victore merces mihi ex pacto debebitur, quum ita inter nos convenerit, ut quum primam ex judicio victoriam reportasses, reliquum mihi mercedis persolveretur. Sin ego vicero, nihilominus judicii laqueis teneberis, utpote sententiis judicum condemnatus.* Ad hæc Tisias, *Imo*, inquit, *tu potius disce, præceptor sapientissime, neutro modo futurum quod postulas. Nam si tu viceris, ex pacto nulla tibi debebitur merces, quandoquidem ita convenit, ut eam tum demum persolverim, quum causâ peroratâ victor discessissem. Sin ego vicero, quid quæso expectes à victore, judicum calculis absoluto?* Quibus auditis, Judices adolescentis ingenium admirati feruntur acclamasse, Κακοῦ Κόρακος κακὸν ᾠὸν, i. e. *mali corvi malum ovum*, alludentes nimirum ad Coracis nomen, quod Latinis *corvum* sig. Alii Protagoræ hoc adscribunt. Vide Aul. Gellium *in Noct. Atticis*. Docuerunt ambo, in Sicilia, post mortem Hieronis: & posterior quidem, cum Gorgia Legatus Athenas missus est, Voss. *de Rhetor. cap.* 9. *v.* 10.

Corax, interfector Archilochi poëtæ, in bello quodam. Hic cùm fortè sciscitatum Apollinis oraculum venisset Delphos, ab eo tanquam impius ac sceleratus ejectus est. Verùm cùm ille multis verbis sese excusare conatus, culpam omnem in fortunam & varios bellorum eventus rejecisset, veniamque à Deo implorasset, flexit numen, acceptoque ab Apolline responso, jussu ejus Tænarum profectus, manibus Archilochi parentavit, tanta erat eo tempore vatum, & poëtarum majestas. Perottus.

Corax, vulgò *Algiery*, urbs Sardiniæ, cujus portus olim *Caracodes*, seu *Caracodes*, peramplus in ora Occid. Ins. Parva est sed culta, in loco peramœno, Ep. sub Archiep. Turritano. 16. mill. à Sassari in Austr. totidem à Bosa in Bor. *Algara* hodiè.

Corax, mons in Ætolia, & Sarmatiâ Europ. Item urbs Tauricæ Chersonesi, & fluv. in Caucaseis montibus originem habens. Ptol.

Coraxis, mons, qui à Septentrione Colchidem claudit.

Coraxi, Colchidis reg. pop. Plin. 6. 5. Quorum lana à Strabone laudatur.

Coraxici, montes, Tauri pars.

Corbacum, opp. Hass. caput Comitatus Valdeccii, medium ferè inter Paderbornam & Marpurgum, 6. leuc. Germ. à Cassula in Occ. 3. ferè à Valdecco.

Corba, & Herenachi antiquè in Hibernica Ecclesia Ministrorum genera: quorum Illi, nempe *Herenachi*, terris, quas *Termonlandes* incolæ vocant, ad Ecclesiam pertinentes, atque ipsis colonis, ab Episcopo erant præpositi, qui & Archidiaconatus munus ac nomen obtinuerunt. Sunt autem *Termonlandes* terræ, non aliæ, quàm apud Juris Canonici scriptores, *Gleba* Ecclesiæ, *Termon* enim à voce Latina *Terminus*, quasi limitatum & distinctum, (putà à prædiis Laicorum) quo sensu & in LL. Baiwar. *Tit.* 1. §. 4. territorium Ecclesiæ *Terminus* appellatur; *Si quis servum Ecclesiæ, vel ancillam, ad fugiendum suaserit, & eos foras terminum duxerit, & exinde probatus fuerit, revocare eum celeriter, &c.* Cùm autem terræ Ecclesiæ multorum Canonum vigore, liberæ essent & immunes à secularium potestate, & sanctæ habitæ, dici etiam cœpit *Termon* pro loco sancto, atque inde *Tearmuim* pro sanctuario. *Sic Termon-Fechin*, villa Armachani Archiepiscopi, pro Sanctuario Fechini, patrii Divi: & Devoniensibus Anglisque Occidentalibus, gleba Ecclesiæ *Sanctuarium* vocatur. Sunt tamen, qui Termon juxta Gallicum *terre moine* sonare intelligunt, quasi dicas, Terram Monachorum. Horum erat, censum Episcopi, cœteraque Ecclesiæ debita colligere, & partem unam Episcopo, aliam templo reficiendo, tertiam fovendis pauperibus, excipiendisque hospitio peregrinis, disponere. In muneris stipendium, libera iis cessit ab omnibus præstationibus terræ portio, quam *Ho-*

 norem

norem Villa nuncuparunt. Postmodum crevere reditus, & munus ad hæredes transmissum est. Illi, vid. *Corba*, eminentioris fuere loci, atque iidem qui Decani rurales, Plebani, Archipresbyteri, seu Chorepiscopi, à quo & nomen fortè. Paruere Episcopo iisdem legibus, quibus *Erenachi* sc. visitationibus, procurationibus, subsidiis, refectionibus, &c. *Erenachis* tamen superiores, & qui multis in locis pluribus Erenachis imperabant. Munus itidem, ut prioribus, gentile, qui utrique ministeria & patrimonium Ecclesiæ hæreditariò ingrediebantur, suasque uxores habebant: nec mirum, cùm & ipsum Archiepiscopatum Armachanum, decursis quindecim generationibus hæreditariâ successione obtentum fuisse, tradat Bernardus *in Vita S. Malachiæ*: De *Corbanatu* sic Hibernus quidam Borealis, *Dignitas Corbanatus ad Papam pertinebat, postea eam Rex sibi vindicavit. In matrice Ecclesia debet necessariò esse initiatus sacris ordinibus, omnesq; decimas pertinentes ad hanc debet habere: & beneficia adjuncta huic, ipsius sunt, eorumq; conferentiam habet & præsentationem, &c.* apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Corbana, Persa à Christianis victus, fugatus, cæsusque ingenti prælio, in quo perierunt 100000. barbarorum. Blondus *lib.*4.*dec. an. Dom.*1099.

Corbaria Vallis, al. *Cervaria*, opp. Cataloniæ, ad radices Pyrenæorum, in ipso confin. Comitatus Ruscinonensis, in ora littor. maris Mediterr. 2. leuc. ab Illiberi in Austr. Rhodam versus. Vid. *Cervaria*.

Corbasa, Pamphyliæ urbs. Ptol.

Corbeia, cognom. *Vetus*, urbec. Picardiæ munita ad Somonam fluv. cum Abbatia celebri, à Batilde & fil. Clotario III. A. 662. instituta. 4. leuc. ab Ambiano, 8. à Perona. Baudr. Nomen habet non à Corbeo, Bellovacorum Duce fortissimo, quem Jul. Cæsar interfecit, sed ab amne Corbeja, ad cujus & Suminæ confluentes sedet in pago Ambianensi: Vulgò *Corbie*. Hîc Bathildis Chlodovei jun. R. uxor, mater Chlotarii, Childerici ac Theodorici, celebre extruxit Cœnobium Monachorum, in quo duæ Basilicæ, major S. Petri, minor B. Johannis Ev. fuere. Ager *Corbeiensis*, vulgò *le Corbiois* dicitur. Fluvius autem *Corbeja* alluit vicos Divionem, *Divion*, Hammulum *Hamel* viculum, Altogilum *Auteüil*, Incram castrum *Encre*, Helliacum: deinde in duos alveos divisus, majore apud Corbejam opp. minore apud Albiniacum in Suminam effluit. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Corbeia, vulgò *Corvey*, Urbec. Westphaliæ, ad Visurgim, cum Abbatia seu Monasterio celebri, jurisdictionem habet satis amplam. Hoc nobilissimum Monasterium, ab Adalhardo Abbate Corbeiensi extructum est, principatu & concessione Ludovici Aug. quod nomine Cœnobii sui appellavit: verùm ut id à Corbeja Gallicâ distingueretur, *Corbeiam novam* Saxones ac plerique Historici cognominavere. Est in pago vet. Auguensi. Hadr. Val. *Not. Gall.* 7. leuc. à Cassula in Bor. 9. à Paderborna in Ort.

Corbeuntus, Tectosagum urbs in Galatiâ reg. *Corbaus* Antonino vocatur, ut credit Simlerus.

Corbeus, Bellovacus, Dux suæ gentis, in bello adversus Rom. anno 8. unà cum Comio Atrebate. *Ei* Pop. Rom. nomen summo erat odio. Hirt. *l.*8. *de B. G. cap.*6.

Corbiana, Elymæorum provincia. Strabo.

Corbilo, Galliæ emporium super Ligerim. Strabo *lib.*4. *Nantes* hodiè forsan. Ferrar. Valesio est *Coiron* vel *Coëron*, locus ad Ligerim, Namnetas urbem inter, & S. Nazarium, à portu Namnetum seu Condivicino 3. leuc. Fuit olim una ex tribus opulentissimis Galliæ urbibus, cum Massilia & Narbone, Straboni prius laudato, cui Genabum Carnutum emporium, ferè ad medium Ligerim conditum pridem successerit, atque portus Namnetum seu Condivicinum. *Notit. Gall.*

Corbiniacum, castrum Galliæ, in pago Nivernensi, vulgò *Corbigny*, postea S. *Leonard* dictum: ad amniculum, qui in Icaunam defluit. Idem.

Corbio, op. Æquorum in Italia, supra Algidum, 15. mill. ab Urbe Roma, in Ort. dirutum à M. Horatio Pulvillo. Κορβίων Stephano.

Corbo, vulgò *Courbon*, pagi Corbonensis in Capitulis Caroli Calvi memorati, interque Turonicum & Sajensem in Gallia positi caput, hodieque vicus in majore Pertico, inter Moritoniam & Bellismum. In pago Corbonensi villæ Condati, super Odanam fluv. mentio fit in litteris Chlotarii, penultimi Carolorum. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Corbolium, vulgò *Corbeil*, opp. Ins. Franciæ, cum ponte ad Sequanam, à quo bisecatur, 7. leuc. supra Lutetiam. Cum tit. Comit. Quorum unus, Ecclesf. Spirensis fundamenta jecit, collegio Canonicorum ibi fundato. Aimon. Hugo Puisetus Ludovico Crasso jus suum concessit. A Duce Burg. frustra obsessum, An. 1418. Chenæus *de Urb.* Hadr. Valesius *Not. Gall. &c.* V. *Josedum.*

Corbonacum, villa olim Galliæ publica, ubi Carolus M. Rex salutatus ac unctus est A. C. 771. à Carolo postea R. patre Ludovici Transmarini, Monast. Remensi S. Remigii data: Fortè hodie *Cherbonne* vel *Charbonne*, ad ripam Axonæ. An potius Vicus *S. Marcou*, à Prioratu ibi S. Marculphi dictus, inter Durocortorum & Laudunum, in diœcef. Laudunensi. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Corbredus I. Rex Scotiæ, successit Eveno III. A. 47. regnavit, an. 18. Hunc Dardanus excepit. Cui

Corbredus II. successit. Regnavit A. 35. Dempster. & Buchan. *hist. Scot.*

Corbrena, Mediæ pop. Polyb. 5.

Corbulo, Belgii præfectus, dein Syriæ proconsul, sub Nerone Tiridatem Parthum fudit, fugavitque, Artaxata cepit, exussit, & solo adæquavit, Tigranem Armeniæ regem designavit. Disciplinæ mil. rigidus observator. Tacitus *lib.*11. & 13. *Corpore ingens, verbis magnificus, super experientiam, sapientiamq; etiam specie inanium validus.* Vid. *Domitius Corbulo.* Juven. *Sat.*3.

Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti.——

Ubi quidam athletam quendam eo nomine tunc temporis fuisse volunt.

Corbulo, opp. Hisp. Bæt. *Carpio* quibusdam in Vandalia.

Corbulonis Fossa, in Batavia, quæ à Lugduno Bat. Delphos defertur, atque inde ad vicum *Sluys* Mosæ jungitur. Vulgò *de Fliet*, Cluverio, aliisque.

Corcagia, urbs Hiberniæ episc. in Momoniâ sub Arch. Cassiliensi, vulgò *Corck*, Caput Comit. seu prov. cognom. ad Saverenum fluv. cum portu capaci & commodo. Parva sed munita. 18. mill. à Rossia. 10. à Kinsalia. Baudr.

Corce, Armeniæ min. urbs. Ptol. *Corne* videtur legendum.

Corcoba, Taprobanæ urbs. Ptol.

Corcoras, vulgò *Gurck*, fluv. Japodum, ubi Latobici pop. in Carniolæ, & Croatiæ conf. non longè ab Æmoniâ apud Nauportum oriens, & in Saum influens, ad Noviodunum.

Corcyra, inf. maris Jonii non procul ab Epiro, à cujus ora vix 6. mil. sicut 90. à Japygio prom. Ital. in Eurum, abest, Ulyssis naufr. & Alcioni hortis nobilis, Plin. *l.*4.12. olim *Sicheria* & *Phæacia* dicta, nunc est sub ditione Venetorum, ab an. 1382. ac vulgò *Corfu* vocatur. Cum urbe cognomine Archiepisc. & duabus fortissimis arcibus. Divisa est Ins. in quatuor Baronias, sub totidem Nobilibus. Aër hic salubris, solum vitium oleatumque ferax, citreæ arbores, &c. Incolas habuit olim, navigandi peritissimos. Cum Corinthiis gestum bellum, describit Thucyd. A Solimanno frustra tentata, vastata tamen, A. C. 1537. Thuan. *lib.*12. Ortel. Merc. Miræus, *pol. Eccl. l.*1. & *Geogr. Eccl.* Boterus, *de Ven. Rep. l.* 1. Meminit illius Lucan. *lib.*2.

——*Seu vela ferantur*
In portus Corcyra tuos, seu læva petatur
Illyris Jonias vergens Epidamnus in undas.

Unde dicatur, non satis constat. Græci ab ejusdem nominis nymphâ Asopi filia, quam Neptunus ibi compressit, vocatam volunt. Bochartus ab Arabico קרקרה *carcara* deducit, quod *terram* sig. in quâ tutò, ac pacatè vivitur. Proinde Judic. 8. 10. pro eo, quod in Ebræo est *Zeba, & Salmana erant* בקרקר *in Carcor*, Hieronymus habet *requiescebant*; Quod Corcyræ quomodo quadret, docet poeta Odyss. Z.

Οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ διερὸς βροτὸς, οὐδὲ γένηται,
Ὅς κεν Φαιήκων ἀνδρῶν ἐς γαῖαν ἵκηται
Δηϊοτῆτα φέρων.——
Οἰκέομεν δ' ἀπάνευθε πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
Ἔσχατοι, οὐδέ τις ἄμμι βροτῶν ἐπιμίσγεται ἄλλος.

Incolarum pars maxima Græci sunt, aut Græco more vivunt. Hujus Inf. long. Baud. est 45. mill. dividiturque in quatuor partes. Urbem habet permunitam, cum duplici arce in colle, armamentario & portu capacissimo, in Chersoneso; Archiep. dign. decoratam, etiam *Corfu* dictam. V. supra. Est & alia inf. ejusdem nominis *Melana*, i. e. nigra dicta, 20. p. m. à priori distans. Plin. 3. ult. *Curzola* Sophiano. *Karkar* Slavè Joh. Luc.

Corcyris, Ægypti urbs. Steph.

Corcyropolis, Corcyræ inf. op. Niger.

Corda, Albionis urbs Selgovarum, Ptol.

Cordeliere, Ordo equit. ab Anna Britannica, Caroli VIII. vidua institutus, cum lemmate: *J'ay le corps delié.* San Marth. Julianus, *miscell. hist.*

Cordes, flu. qui Daram Persarum urbem interfluit.

Cordilio, philosophus Stoicus Pergamenus, omnium principum ac regum amicitias spernebat. Hunc Cato Uticensis, in Macedoniam cum exercitu missus, precibus exoratum in castra secum duxit, magnam se putans adeptus palmam, quòd hominem severissimum è sententiâ dimovisset. Volaterr.

Cordilla, filia Leiri, M. Britanniæ R. nupsit cuidam Neustriæ Regi, dote fraudata à parente, qui filiabus majoribus natu, Albaniæ & Cornubiæ Ducum uxoribus, ditiones suas divisit. Patrem tamen à duobus hisce pulsum, ope mariti, omnis injuriæ oblita, restituit, eique mortuo successit. Sed ab Affinibus suis victa, in captivitate, obiit. Beda, Polydor. Virg. *hist. Angl.*

Cordiva, opp. Foro-Juliensium.

Corduba, Bæticæ Hisp. urbs clarissima, episc. utriusque Senecæ, Lucani, magni Capitanei Gonzales, Ivan Menæ, Poëtæ Hisp.

Ambro-

Ambrosii Moralis, historici patria, ad fluv. Quadalquivir. Martialis *ad Licinianum*:

Duosque Senecas, unicumq; Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Quanquam Tullius Cordubenses poetas irridet, in oratione *pro Archiâ*. Fertilitas ejus, & dives cultus scriptoribus laudatur. Silius *lib.* 3.

Nec decus aurifera cessavit Corduba terra.

Martialis,

Quà dives placidum Corduba Batin amat.

Hodiè *Cordova*. Hic Averroes & Avicenna docuerunt. Mariana, Boter. *relat. Hisp.* Plinius tradit, Coloniam Patriciam cognominatam, quod etiam Ambrosius Moralis ex ejus antiquis marmorum inscriptionibus ostendit. Sed & Augusti Imp. æreus nummus videtur, cum literis COLONIA PATRICIA. *Corduba*, inquit Bochartus, Arabicè dicitur קורטבה *Corteba*, inserto *R* (de quo vide in *Sardiniâ*) *Coteba*, autem Syris est *trapetum*, seu *mola olearia*. Jam verò Cordubæ, & in vicinis locis magna vis fuit trapetorum. Statius *in Lucani Genethliaco*:

Qua Tritonide fertiles Athenas
Unctis Batica provocas trapetis.

Bætica, id est, ea pars Bæticæ potissimùm, quæ est circa Cordubam. Agitur enim de Lucani patria, quæ Cordubensis erat. Nec aliò referenda hæc Martialis *lib.* 7. *ep.* 27.

Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat. ——

Idem enim de *Cordubâ* nominatim, 12. 64.

Uncto Corduba latior Venafro.

Ubi Cordubam cum Venafro confert, Campaniæ oppido, cujus ager est olei feracissimus, ut in *Venafro* postea videbimus. Erat hæc urbs, sub Romanis & Mauris, quibus ibi Moschéa, post Mechanam, celeberrima, magni nominis. Ex his Abderamen, plurimos ob Christi fidem suppliciis affecit, A. C. 857. paulo pòst subitâ extinctus morte, Roder. Tolet. Ibi Concilium ab Osio Episc. habitum, An. 348. Pseudosynodus sec. 9. contra illos, qui pro defensione Religionis Christianæ, à Mauris impetitæ, Martyrio se offerebant. Eulog. *memor. Sanct. l.* 2. *c.* 9. *& seqq.* Baron. *An.* 851. *n.* 5. *&c.* Item *Corduba* mons Lusitaniæ, qui *Corvan* vulgò dicitur, teste Andr. Resendio.

Cordueni, *Carduchi* Xenophonti, Asiæ pop. inter Armeniam, Mesopotamiam, & Mediam, *Curdi* hodiè.

Cordula, portus Themiscyrenæ reg. ad mare Euxinum. Plin. 6. 4. Ibi templum S. Phocæ primi Pontici Episcopi fuisse, Chalcocondylas *lib.* 9. testatur. Sic autem fortè hic portus appellatus est à cordylis piscibus, quorum ibi magna copia. Baudrando portus Colchidis, ad Mare Euxinum, circa Cerasum opp. Aliis est oppidul. Heniochorum, ad Pritanis fl. ostia, 10. mill. à prom. Athenarum, in ort. 25. ab Apsorri ostiis in Occas. Sansone teste. 100. ultra Trapezuntem.

Cordus, nomine *Julius*, Aquitaniæ Præses, à quo Provincia in verba Othonis adstricta non diu mansit. Tacit. *hist. lib.* 1.

Cordus, inter præceptores Alexandri Mammeæ nominatur.

Cordus Ælius, vel Junius, historicus, qui Imperatorum vitas conscripsit, cui vitio vertitur, quòd eorum, qui obscuriores essent, minima etiam prosequeretur. Vixit sub Maximinis & Gordianis. Laudatus Jul. Capitol. *in Clodio Albino*. Item, *in Maximinis*, *Macrino*, *&c.* Vid. Voss. *de H. L. lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 179. *Cordus* Cremutius, declamator nobilis. Sueton. *in Calig.* Vid. in voce *Cremutius*, *&c.*

Cordylus, urbs Pamphyliæ. Steph.

Cordylusa, ins. circa Rhodum. Plin.

Core, Cereris filia, à κόρος, id est, *satietas*, dicta; Festa ejus *Corea* dicebantur. Schol. Pindari *Olymp. Od.* 7. πολλοὶ δὲ ἄγονται ἀγῶνες ἐν Ἀρκαδίᾳ, Λύκαια, Κόρεια, Ἀλέαια. Hesychius Κόρεια, θεραπεία, καλλονή, ἡ θυσία τῇ Κόρῃ τελουμένη. Ejus quoque meminit Plut. *in Dione*. Ceres enim producit materiam, quâ nutrimur & satiamur.

Core, vel *Corah* fil. Izhar, filii Caath, ob seditionem contra Mosen excitatam, hiatu terræ cum tabernaculo absorptus est. Joseph. *l.* 4. Torniel. Salian. *in Annal.* circa A. M. 2548. Num. 16. Item fil. Hebron. 1. Paral. 2. Item filius Esau ex Oolibama uxore, Gen. 36. Latinè *calvus*, *canities*, *glacies*, vel *gelu*.

Core, fil. Jemma. 1. Paral. 1. 9. Latinè *volans*, *legens*, aut *perdux*.

Corea, reg. ampla, oblonga, cum regn. cognom. in Oceano Sinensi, inter oram Orient. Sinarum & Japoniam. De qua omnia nobis incerta. V. M. Martinium.

Coresa, Græciæ ins. Plin. 4. 12.

Coresia, Minerva ab Arcadibus nominata. Cic. *lib.* 3. *de Nat. Deorum.*

Coressus, mons altiss. ab Epheso 40. stad. Diod. 14. Aliis *Coresus*, quibusdam *Corissus*.

Coretas, pastor, qui omnium primus ex afflatu vaticinatus est. Rhodig. 8. 16.

Coretus, Mæotidis lacûs sinus, in quem alveo naturali per Nomadas, & Hylæos influit Hypanis. Plin. Prope Zenonis Chersonesum, in Taurica reg. & Bugem lac. in Sarm. Europ. Baudrandus.

Corsinianum, in Senensi territ. Tusciæ Urbec. *Pientia* à Pio II. dicta, qui ibi natus est, Patre exulante, & ab ipso Episc. facta sub Ar. Senensi. In colle, 9. mill. ab Ilcinio in ort. 3. à monte Politiano.

Corsinium, Pelignorum metropolis, vulgò *Pentinia*, *ò campi di Santo Pelino.* Strabo *lib.* 5. Κορφίνιον τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν vocat. Ptol. Πελιγνῶν, Κορφίνιον, Σουλμών. Lucan. *lib.* 2.

A te Corfini, validis circumdata muris
Tecta tenent pugnax Domiti. ——

Sil. *lib.* 8.

Corfini populos, magnumq; Teate trahebat.

Diodoro *lib.* 37. ἐπισημοτάτη dicitur, pop. *Corfinenses*. Aliis *Pentina*, vicus Aprutii cit. inter Sulmonem & Populeum, quod crevit ex ejus ruinis, prope Apenninum. Baudr.

Coria, Albionis op. in Damniis. Ptol.

Coribantes, vide *Corybantes.*

Corica, ins. duæ ante Peloponnesum. Plin. 4. 12.

Coricondame, prope Sinopem est, unde palus *Coricondamitis*. Steph.

Corilisus, pagus Galliæ, in Capit. Caroli Calvi, Bajocassino & Otlingæ Saxonicæ medius, à coryleto fortè aliquo, inter Bajocassinum & Oximensem pagos posito, nomen nactus est; ignotus nunc. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Corinaum, Mimantis montis promuntorium in Indiâ. Ptol.

Corindius, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Corinea, Armeniæ maj. regio. Ptol.

Corinium, *Caer-Cory* Britannicè, Anglicè *Cicestre* teste Lhuydo, urbs Albionis in Angliâ. Sed Camdeno scribitur *Cirencester*, opidum Dobunorum olim, nunc Glocestr. Comit. inter Oxonium & Bristoliam. Antonino *Durocornovium*, i. Cornovium aqua, ad 15. à Glocestria lap. in Ortum. Olim amplum, nunc ægrè inhabitatur. Alluitur fluv. Corino, nunc *Churne*, 22. mill. ab Oxonio in Occ. Aliter *Circestria*, quod Vid.

Corinium, op. Illyrici in Liburniâ, hodiè *Carino*. Nigro autem *Gliuba* dicitur. Joh. Lucio oppid. Dalmatiæ, sub Turcis, in monte, 4. mill. à Novigrado in Ort. 20. à Jadera, 6. à Nadino, inter hoc & Obrovacium.

Corinna, Corinnæ tres fuere, prima Thebana seu Tanagræa, Archelodori filia, Myrtidis discipula, quæ Lyricorum principem Pindarum quinquies vicisse, quod quidam, non tam ingenio, quàm formæ ejus adscribunt; aliis, hunc Doricâ linguâ loquentem minus intellectum fuisse, dicentibus, Pausan. *in Bœot.* & epigrammatum 50. libros edidisse fertur. Olymp. 76. An. 278. U.C. De quâ Prop. *lib.* 2. *&* 3.

Et sua cùm antiqua committit scripta Corinnæ.

Stat. 5. *Sylv.*

Sophronaq; implicitum, tenuisq; arcana Corinnæ.

Ælian. Suid. Plut. *de Musica*. Secunda fuit Thespia, veterum monumentis plurimùm quoque celebrata. Tertia floruit Ovidii temporibus, ipsi poetæ dilectissima. An Julia Augusti? De quâ Martialis,

Norat Nasonem sola Corinna suum.

Corinnus Iliensis, ante Homerum Iliada scripsit, belli Trojani tempore, ex quo Homerus putatur omnem hausisse sui operis materiam. Suidas, Voss. *de H. G. l.* 4. *c.* 1. *de Poët. p.* 88.

Corinthia, nobilis mulier, sub Decio, apud Alexandriam, martyrio coronata. An. sal. 251.

Corinthii, cœtus fidelium in urbe Corintho, de qua infra. Ad hos duas scripsit Epistolas Canonicas Paulus Apostolus, quarum prior 16. posterior verò 13. constat capp. In *Utramq; Ep.* scripserunt: Calixtus, *Expositio literalis* 4. Brunsuigæ, 1653. Erasmus, *Commentariorum Homilia*, Basileæ, 1522. Gomarus, inter opera ejus: Heshusius, Hunnius, Hussus, *Commentarii in Epistolas Canonicas*, inter opera ejus. Lightfoot *in prior. Horæ. Hebr.* Lat. 4. Cantabr. 1664. Lutherus *Explicatio cap.* 7. *prior Epist.* Martyr *in prior. epist.* fol. Tiguri, 1572. 1579. Mortonus *in prior. Commentar.* 8. Londini, 1596. Musculus in *Utramq; Comment.* fol. Basileæ, 1566. 1611. *Paraphrase sur les Epistres aux Cor.* 1644. Rungius, *in utramq; Disputt.* 15. in 4. 1606. Slaterus, *Explicatio Anal. cum Scholiis*, Oxonii an. 1633. in 4. Weinrichius 2. *Vol.* in 4. Lipsiæ 1609. 1610. 1618. *in utramq;*; Zuinglius, &c. Plures suppeditabit Guil. Crowæi *Elenchus Script. S. Scr.*

Corinthus, Jovis filius, Rex Corinthi: unde Proverbium natum, *Jovis Corinthus*, de iis qui acriter minantur & postea graviter mulctantur. Megara est colonia Corinthiorum, quæ ob potentiam urbi majori omnem honorem habuit & obedivit. Sed cùm Corinthii onera majora ac plura imponerent, & si quis Bacchiadarum vitâ functus esset, ipsis res civitatis suæ administrantibus, oporteret Megarensium viros & fœminas venire Corinthum, ad componendum mortuum Bacchiadarum; ut nihil contumeliæ relictum à Corinthiis, Megarenses suis rebus validis defecerunt, spe nihil gravius passuros, sed impunè habituros esse; ad quos legati missi à Corinthiis expostulatum Megaram.

Legati in concionem progressi multis incusarunt defectores, & in fine addiderunt, *Jure Jovis Corinthus* gemat, nisi de ipsis pœnas sumpserit. Hoc audito Megarenses irati saxa in Legatos jacere cœperunt: Et paulò pòst Corinthios, quamvis aliorum auxilio adjutos, prœlio vicerunt. Fugientes assecuti & cædentes inter alia *Jovis Corinthum* pulsare jusserunt.

Corinthus, à Sisypho, Æoli fil. circa A. M. 2616. condita, urbs Achaiæ ferè medio Isthmi Peloponnesiaci sita, ab ortu Saronicum, ab occasu Crissæum sinum habens, qui & *Corinthiacus* dicitur, duobus inclyta portubus, quorum Lechæus Jonio, Schœnus Ægæo imminet mari. Hinc *bimarem* Corinthum poetæ peculiari epitheto appellarunt. Hor. *Carm.*2.6.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi Mœnia.

Inde *mari cincta* dicitur, *Anthol.libr.*3.

Δαὶδ' ἔχω πολίητιν ἁλιζώνοιο Κορίνθου.

Et Nonno ἁλιστέφανος, & ἰσθμιος. Dicta autem putatur Corinthus, à *Corintho* Marathonis, sive (ut alii putant) Pelopis filio, qui illam eversam instauravit, cùm antea Ephyre diceretur. Hæc Græcarum omnium urbium clarissima fuit, atque, ob sitûs opportunitatem, in tantam excrevit potentiam, ut ne Romæ quidem cederet, tantumque in fastum evasit, ut Corinthii pop. Rom. legatos injuriosiùs appellare, &, si Straboni credimus, etiam sordibus perfundere non dubitarint. Quare commoti Patres, cùm etiam antea crescentem indies urbis potentiam suspectam haberent, bellum illi inferendum censuerunt. Missus itaque in Græciam L. Mummius, Corinthum obsedit, tandemque captam incendit, soloque æquavit, adeo ut vix ullum tantæ urbis reliquerit vestigium. Quo incendio confusis metallis, inventa est mistura æris pretiosissimi, quod ab urbis hujus nomine *Corinthium* appellarunt. Arcem habuit editam, quæ *Acrocorinthus* veteri nomine dicta fuit, cujus erat mira altitudo. Strab.*l.*8. ὄρος ὑψηλὸν vocat. Ideo Liv. ubi de Corintho: *Arx inter omnia in immanem altitudinem edita.* Papin.*Theb.l.*7.

Jam pronis Gradivus equis Ephyræa premebat
Litora; quà summus caput Acrocorinthus in auras
Tollit, & alternâ geminum mare protegit umbrâ.

Hinc proverbium, Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς. de rebus arduis, & aditu periculosis. Unde hoc natum docet Strabo *lib.*13. Horatius sic extulit *in Epistolis,*

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Cicero totius *Græciæ lumen* vocat, *in Orat. pro Pompejo.* & Florus *decus Græciæ, lib.* 2. *cap.*16. Strabo *lib.*8. Ὁ δὲ Κόρινθος ἀφνειὸς μὲν λέγεται διὰ τὸ ἐμπόριον, ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ κείμενον, καὶ δυοῖν λιμένων κύριος, ὧν ὁ μὲν τῆς Ἀσίας, ὁ δὲ τῆς Ἰταλίας ἐγγύς ἐστι. Homerus: Ἀφνειόν τε Κόρινθον. Thucydides, ubi de Corinthiis: χρήμασί τε δυνατοὶ ἦσαν, ὡς καὶ τοῖς παλαιοῖς ποιηταῖς δεδήλωται· ἀφνειὸν γὰρ ἐπωνόμασαν τὸ χωρίον. Thucydidis autem locum respiciebat Aristides, hæc scribens: καὶ τοῦτ' εἶναι ὑφ' οὗ καὶ ἐκ παλαιοτάτου ἀφνειόν τε ὑμνεῖται χωρίον ὑπὸ τῶν ποιητῶν. Ἰσθμ. Εἰς Ποσειδ. Apollodorus author est, fuisse & alias hujus nominis civitates, quarum una fuit in Thessalia, altera Epiro, tertia in Elide. Stephano hæc quondam nuncupata fuit Epope, Pagos, Ephyra, Heliopolis & Acrocorinthus; hodiè adhuc *Corintho*, ut Sophianus, vel *Coranto*, ut Moletius tradit, appellatur. Celebris olim insuper Isthmiis ludis, sub Sisypho, & posteris ejus, donec Heraclidis, ducibus Temeno, Ctesphonte & Aristodemo, Peloponneso potitis, 80.an. post captam Trojam, Alethes, pulsis Dorida & Hyanthida, ibi rerum summam adeptus est. An.2951. Huic, post 35. a. successit Ixion, cujus posteri 12. Reges per 324. a. præfuerunt, usque ad Automenem, quo sublato, A. M. 3275. annuus Magistratus, Prytanis dictus, subrogatus est. Cypselus postea & fil. Periander tyranni, per annos 44. Cic. *de L. Agr.* Destructa, ut dictum, à Mummio, an.3. Olymp. 158. M.3908. U. C. 607. ante C. N. 146. A J. Julio Cæsare reparata, à Paulo, Evangelii luce collustrata, & duabus divinis epistolis beata est. V. supra. Postmodum Metropolitæ facta sedes, sub Patr. Constantinop. Vid. Strab *lib.*8. Pausan. *in Corinth.* Plin. *lib.*4.*cap.*5. & *lib.* 34.*cap.*2. Flor. *lib.*2.*cap.*11. Plut. Eutrop. Oros. Zonaram, Eus. *libro* 5.*c.*9. Palmerium, *in Chron* Chalcondyl.*l.*9. aliosq; innumeros. Hodierna urbs Corinthus, & nunc satis ampla, at sine muris est. Paruit antea Venetis, ex concessione Despotarum, sed iis erepta à Mahumete II. An. 1458. etiamnum Turcis subest, cum totò tractu, nunc *Duché de Clarence.* Baudr. Hinc *Corinthius*, & *Corinthiensis* adjectiva, quæ id habent inter se discriminis, ut *Corinthii* sint, qui Corinthum inhabitant, aut qui ex Corintho nati sunt; *Corinthienses* autem, qui alibi nati sunt, sed Corinthi negotiantur. Inde etiam *Corinthiacus.* Ovid.

Illa Corinthiacis primùm mihi cognita Cenchreis.

Denique *Corinthiarius* à Suetonio positus est, pro amatore nimio Corinthiorum vasorum. Rhod. 21.25.

Coriolanum, vulgò *Corigliano*, oppid. præclarum Calabriæ cit. apud oram sinus Tarentini, 6. mill.pass. à Rosciano, 8. verò à Thurio.

Coriolanus C. Martius, vir illustris Romanus, quem Cicero multis in locis cum Themistocle confert. Siquidem uterque, cùm civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus injuriâ, se ad hostes contulit, conatumque iracundiæ suæ morte sedavit. Patriæ, à Volumnia matre motus, pepercit: propterea à Volscis, velut proditor, occisus: condito in loco, sanguine ejus tincto, templo Fortunæ fœmineæ. Vitam ejus habes *in Plutarcho.* Vid.& Liv. *l.*22. Dion. Ital.*l.*7. & 8. Aurel. Vict.*de Vir.Ill. c.*19. Flor. *l.*1.*c.*22.

Corioli, vel *Coriolla* opp. in Latio, in finibus Volscorum. Pop. *Coriolani.* Plin.3.4.

Corios, circa Carmaniam flu. Mela. lege *Coros*, *l.*3.*c.*8. *Sabis per Carmanos, sub Pasargadis Coros effluunt*, V. Vossium *ad locum.*

Coriovallum, opp. Germ. infer. in Belgio inter Juliacum ac Trajectum. Anton. *Valckenburg* Simlero. Vid. infra.

Coriovallum, opp. Eburonum in Duc. Limburgensi, *Falckenburg* vulgò, sub Batavis, Simlerus & Cluver. At Gottefridus Wendelinus *in legg. Salicis illustratis*, pro *Drelenborg*: Aubertus Miræus, pro Aquisgrani habet. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Corippus, Grammaticus Poëta Afer, sub Justino II. de quo scripsit Poëma historicum, 4. lib. à Mich. Ruizio primùm editum. Adulatorium ejus stylum carpit Nic. Alemannus, *in præf. hist. Procop. lib.* 9. Vide Voss. *de Hist. L. lib.* 3. *c.*3. & *de Poët.cap.*5.

Coris, mons Thessaliæ, serpentes producens, Dipsades dictos.

Corisopitum, Cæsari *Corisopitum Curiosolitarum*, Gall. *Quimper*, urbs Cornubiæ, quæ pars Occid. Britanniæ min. Ad Oderam amnem, 3.leuc. ab Oceano, inter Brestum ad Boream 11.leuc. & Venetos ad ortum 23. à Rhedonibus 40. in Occ. Dicitur etiam *Cornoüaille*, aliquando *Quimpercorentin*, à Kemper, op. & S. Corentino Episc. Baudrand. olim Comites habuit.

Corisinius Petrus, Episcop. Florentin. & Cardinalis, quorum Paparum vitas condidit. Sec.14. tempore Boccatii & Petrarchæ.

Corissus, urbs Joniæ. Strabo *lib.*14.

Corissia, & *Corissus*, op. ac navale Coi ins. Steph. N. L.

Coritani, Albionis insulæ pop. Lincolnienses Lhuydo. Fuere inter Brigantes, ad Bor. Cornavios ad Occ. Caticuchlanos & Icenos ad Austr. Oceanumque Germ. ad Ortum: Ubi nunc Northantonia, Licestria, Rutlandia, Lincolnia, Nottinghamia & Darbia. Horum præcipua Lindum. Baudr.

Coritus, mons Umbriæ. Item Hetruriæ à Corito rege Electræ viro, & Dardani patre, unà cum opido in eo existente denominatus. Lege *Corithus*, ac vide Cluver. *Ital. Ant.*2.3.

Corium, locus Cretæ ἀπὸ κόρης τινὸς, id est, à quâdam puellâ dictus. Civis *Coresius.* Vid. Steph.

Coriundi, pop. Hiberniæ, ubi nunc pars Comitat. *Caterlog*, & agri Kikenniensis pars non minima, atque etiam, ubi tractus Ossiriæ sup. & Ormondia, in Lagenia prov. Camden.

Corius, Bernardinus, Mediolan. Chronicon Patriæ, vitas Imperatorum, usque ad Fridericum Barbarossam, aliaque Latinè & Italicè scripsit: Quibusdam non usquequaque fidelis historicus. Obiit an. 1499. æt. 40. *Voss.de H.L. l.*3.*c.*8. Gesner. Simlerus, &c.

Corlinum, urbs Pomeraniæ ulter. cum arce, olim sub Episc. Caminensi, nunc Electore Brandeb. Ad Persantam amnem, 3. mill. à Coslino in Occas. paulo minus à Colberga in Austr.

Corma, fl. circa Assyriam aut Armeniam. Tac. *lib.*12.

Cormalos, flu. Troadis in conventu Adramytteno. Plin. 5.

Cormanum, Jazygum Metanastarum urbs. Ptol.

Cormasa, urbs Pamphyliæ. Livius.

Cormiliæ, vel *Cormeliæ*, à sorbo arbore Gall. *un Cormier*, dictæ, vici in Gallia complures, in Veliocassibus, non procul à Briva Isaræ, *Cormeilles*: in confinio Parisiorum & Silvanectum; Item prope Augustam Suessonum, *Cormeille*: Porro in Pertico, in agro Parisiensi, &c. Vid. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Cormium, urbs Britann. al. *Claudiana Castra*, nunc *Clocestria.*

Corna, Cappadociæ urbs. Ptol.

Cornabui, seu *Cornabii*, pop. Albionis in Scotiâ, quorum regio *Cathnes*, & *Sutherland*, teste Lhyido. Illorum vestigium *Cernico*, vel *Gernico* arx est, teste Buchanano. In parte Septentrionaliori reg. versus Tarvedrum prom. & Orcades Ins. Ubi nunc pars Boreal. Comitatuum *Strathnaueren* & *Cathnes*, ex Camdeno Baud.

Cornacum, Pannoniæ infer. op. Ant. *Zara* Simlero, *Karosca* Lazio, *Batha* Nigro, ad Danubium, ubi recipit Valponem amnem, paulo infra Confluentes Dravi in Danub. 5.l. German. ab Esekio in Ortum; vulgò *Zatha*, sub Turcis. Baudr. long.43.16. lat.46.30.

Cornavii, Angliæ pop. In meditullio ferme Angliæ, inter Brigantes ad Bor. Coritanos ad Ort. Dobunos ad Austr. & Ordovices ad Occas. Ptolom. Ubi nunc Comitatus Warvicensis, Vigorniensis, Staffordiensis, Stalopiensis & Cestriensis, Camden. Longè à Cornubia in Bor. Baudr.

Corne, collis suburbanus agri Tusculani, qui olim lucum habuit faginum, antiquâ religione Dianæ consecratum. Plin. *lib.*3. *cap. ult.* Item Armeniæ min. urbs. Ptol.

Corneates, Pannoniæ populi. Plin. 3.25.

Cornelia, matrona nobilissima, eademque eloquentissima, Sempronii Gracchi uxor & Tiberii & Caii Gracchorum mater, & majoris Africani filia. A Val. Maximo laudatur, quòd matronæ cuidam Campanæ, ornamenta sua pulcherrima ostentanti, non aurum, non gemmas, non denique vestes opposuerit, sed liberos, qui maxima sunt matronarum ornamenta. Juven. *Sat.*6.

Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Annibalem, victumq; Syphacem
E castris & cum tota Carthagine migra.

Epistolas ejus Cicero laudat, *in Bruto*. Quintilianus, *lib.1.cap.1.* Fuit & *Cornelia* alia P. Sestii uxor. Cic.5. *Fam. Epist.* Plura vide in Francisci Nannii, *libello peculiari, de claris Corneliis Romæ.*

Cornelia, omnium Romanarum gentium maxima & summis honoribus gestis nobilissima, cognomina culit Cossus, Maluginensis, Scipio, Asina, Arvina, Nasica, Rutilus, Lentulus, Caudinus, Rufinus, Dolabella, Sulla, Cinna, Lupus, Africanus, Asiaticus, Calvus, Cethegus, Serapio, Corculum, Hispallus, Aemilianus, Felix, Maximus, Blasio, Scapula, Merenda, Barbatus, Clodianus, Augur, Getulicus, Isauricus, Magnus, Sura, Merula, Fronto, Numantinus, Spinther, Salutio, Sisenna, Mammula, Mamercus, Scaurus & Marcellinus. Hanc verò gentem inter patricias L. Tarquinii Superbi saltim fuisse ex eo liquet, quòd Cornelii cujusdam sacerdotis, sub rege Ser. Tullio, apud Dionysium mentio est. Hæc una gens omnes reliquas Romanas omnium bonorum multitudine superavit.

Cornelia, Cinnæ fil. Julii Cæsaris uxor, ex illo Juliæ Pompeii uxoris mater. Huic Cæsar ipse parentavit, fratre ejus Cinnâ ab exilio revocato. Item, Vestalis, ex Cossorum familia, in Læliæ locum, surrogata, sub Nerone. Tacit. *l.15. Annal.*

Cornelia, Urbs Sueviæ libera, ad Nicrum, inter Hallam & Heidelbergam media 5. leuc. à Spira 6. in Ort.proxima Helprunnæ; vulgò *Wimpfen.*

Cornelia, vulgò *Imola*, urbs Æmiliæ. Vid. *Forum Cornelii.*

Cornelia Lex, de Sicariis. Item contra falsos testes, Sueton. *in Augusto.cap.33.*

Cornelianus, Consul, Collega Perpetui an. U. C.989.

Cornelius, fil. Castini, Romanus, Episc. Rom. An.251. post Fabianum, sede ultra annum vacante. Eruditione, virtute, humilitate inclytus. Hujus electio à Novatiano turbata, qui schisma hæresi cumulans, Cornelium, Cypriano junctum, acrem vindicem sensit. A Gallo & Volusiano Centumcellas relegatus, paulò post, cùm revocatus idolis sacrificare nollet, martyrium subiit. An. 253. Plurium scriptorum auctor, laudatur Hieronymo, *cap.66. de Auct. Eccles.* Cyprian. *ep.* 52.55.57.*&c.*

Cornelius, 4. Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus. A.D. 124. Euseb. *Chron.*

Cornelius, Centurio Romanus, qui à D. Petro Apostolo sacrosancto lavacro Cæsareæ tinctus fuit. *Act.* 10. Et ibi primus Episcopus, omniumque gentium, qui crediderint, meritò extitit primitiæ, quòd primus Spiritu sancto repletus fuerit. Origen. *super Numeros.* Hieron. *ep.*27. Baron. *A. C.*42.

Cornelius Asina, cùm fundum emisset, sponsorque pretii ab eo expeteretur, postero die Asinam sacculis pecuniâ plenis onustam in forum adduxit pro sponsore, unde cogn. accepit. Macrobius.

Cornelius Aurelius, Goudâ Batavus, Præceptor Erasmi, scripsit de situ & laudibus Bataviæ. Poëta non indoctus. Voss. *de Hist. Lat.l.3.*

Cornelius Balbus, genere Gaditanus C. Cæsaris familiaris, & præfectus fabrûm, quem, cùm de civitate in periculum vocaretur, Cicero & Pompeius defenderunt. Item Lesbius, cogn. Theophanes. Sueton. *in Cæsare.* A. Gell. *l.17.c.9.* Voss. *H.G.*1.23.

Cornelius Benignus, Viterbiensis, cum tribus amicis, Ptolomæi Geographiam correxit, An.1507.

Cornelius Blaeu, Amstelodamensis, Tychonis Brahæi discipulus insignis. Voss. *de Mathem. cap.*44. §. 40.

Cornelius Bocchus, Auctor Latinus, Plin. *lib.*16.*cap.*40. *lib.*37. *cap.*7.9. Solin. *cap.*6.8.

Cornelius Centimalus Consul, Collega Sulpitii Galbæ.

Cornelius Cossus, Tribun. Mil. Volumnium Lartem Veientium regem occidit, secundaque opima spolia Jovi Feretrio retulit. *Cossos* autem eos, qui rugosi sunt, & asperâ facie, à similitudine vermium, qui in ligno nutriuntur, Festus vocari tradit. Item Consul, apud Tacit.

Cornelius Epitadius, L. Corn. Syllæ Dictatoris libertus, librum, quem Sylla de suis rebus gestis imperfectum reliquit, supplevit. Tranquillus.

Cornelius Flaccus, legatus in Armenia Corbulonis. Tacit.13.

Cornelius Fuscus, vigens ætate, claris natalibus, primâ juventâ, quietis cupidine Senatorium ordinem exuerat. Idem pro Galba, dux Coloniæ suæ, eaque operâ procurationem Dalmatiæ adeptus, susceptis Vespasiani partibus, acerrimam facem prætulit. *Tacit. Hist.* 2. 86.

Cornelius Gallus, poeta Elegiographus, Forojuliensis, primùm summus Octavii amicus, ab eo Ægypto præpositus est, sed postea suspicione conjurationis, cùm in ejus odium impegisset, sibi ipsi mortem conscivit, anno ætatis 44. Ovidius,

Sanguinis atq; animæ prodige, Galle, tuæ.

Euphorionem Græcum transtulit in Latinum sermonem, & amorum suorum *de Cytheride* libros 4. conscripsit. Fuit autem amicus Virgilii, adeò ut quartus liber Georgicorum, à medio usque ad finem, ejus laudem teneret, quas postea, jubente Augusto, in Aristæi fabulam commutavit. Amavit, uti diximus, Cytheridem meretricem, libertam Volumnii, quæ, eo spreto, Antonium euntem in Gallias est secuta; propter quod amorem Galli videtur consolari Virgilius, *in Bucolicis Eclog.*10. Cytheridem autem, quam deperibat, mutato nomine, Lycorim vocavit. Ovid. *Amor.*1.15.

Gallus & Hesperiis & Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erat.

Parthenius ei sua ἐρωτικὰ dedicavit V. Euseb. *Chron. an.2.Olymp.* 188. Crinit. *de Poëtis* Voss. *de Poët. Lat.*

Cornelius Gallus, in bello Perusino mortuus, necessarius Propertii, *l.1. el.* 22. Vid. Plin. *lib.7.c.53.*

Cornelius Gemma, Lovaniensis, scripsit de Cometa, an.1574.

Cornelius Jansenius, primus Episc. Gandavensis, à Philippo II. ad Concilium Tridentinum missus, plurima scripsit, inprimis Harmoniam Evangeliorum. Obiit An.1576. Valerius Andreas *Bibl. Belg.* Raissius *Belg. Christ.* Sanderus, *de Illustr. Gand &c.*

Cornelius Jansenius, Episc. Yprensis, natus 585. in obscuro Belgii loco, *Leerden.* Ultrajecti primò, dein Lovanii literis incubuit, hinc Doctor, & S.Scripturæ Professor, ter in Hisp. Academiæ nomine legatus. Episcopus, die natali, An. 1625. factus, post insignem in reformanda Dioecesi curam, & egregia scripta, peste obiit, An.1638. Scripsit commentarios in Pentateuchum, Ecclesiastem, Evangelia, &c. S. Augustini strenuus sectator, de Gratia libro edito, Jesuitas adversarios habuit. Unde ingentes turbæ, quas quo pacto compescere conatus sit Innocentius X. à Thoma Anglo, *de censura 5. propos. Jansenii*, accipe: *Laborabat Ecclesia dissidiis: Pars altera veritate, & SS. auctoritate subnixa stabat: alterâ multitudine Principum, plebisq; tinnitu blandientium humanâ imbecillitati vocum circumventorum stipata, ingentes tollebat animos. Quid faceret Ecclesia Pater? Turbulentiorem partem, concedendò illi voces suas, compescuit: Obsequentiorem blandè solatus est, sensa suâ illis commendando. Prior dicti pars publico instrumento firmata est. Posterior, (si qua fides teneræ conscientiæ viris) coram Oratore Christianissimi R. peracta est. Sectione* 9. Quid sub Clemente IX. & Ludovico XIV. porro actum, apud alios quære. Sander. *Flandr. Illustr.* SanMarth. *Gall. Chr. tomo* 2.

Cornelius à Lapide, Jesuita, scripsit in SScripturam commentarios. Obiit Romæ, an.1637. æt. 71.

Cornelius Lentulus Cethegus, Consul, Collega M. Bœbii Pamphili an. U. C.573.

Cornelius Marcellus, in Hispaniâ à Galbâ interfectus. Tacit. *Histor.*1.37. Ejus quoque meminit Tacitus *lib.*16. *Annal. cap.*8.

Cornelius Merula, Consul, contra Bojos in Galliam missus 12000. hostium cæcidit. Livius.

Cornelius Merula, superioris nepos, Flamen Dialis partium Syllanarum, ingresso urbem Mario, in Jovis æde, venis succisis se necando, mortis contumeliosæ damnationem effugit. Val. Max. *de Morte.*

Cornelius Mussus, Placentinus, Episc. Bitunti, insignis Concionator, plurimas homilias edidit, Gallicè versas, an.1584.

Cornelius Nepos, vir disertus, Ciceronis tempore, & Julii Cæsaris, usque ad 6. annum imperii Augusti, vixit. Hieron *in Chr.* in Padi vicinia natus, an Veronensis? Leand. Alb. Romam ubi venit, Ciceronis & Attici favorem mox sensit. Vitas illustrium virorum scripsit, quarum tantum *Pomponius Atticus* extat. Libris illis non modò de excellentibus Imperatoribus, sed etiam de Scriptoribus claris egit, Catone scilicet, Cicerone, Terentio, aliisque. Vide Vossium *de Hist. Lat. lib.1. cap.*14. *De Homero* locum, ex primo Chronicorum ejus, adfert Gellius 17.21. *De Cicerone* quoque seorsim eum egisse, innuit idem Gellius 15.28. *Cornelius Nepos & rerum memoria non indiligens & M. Ciceronis, ut qui maximus, amicus familiaris fuit, atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur.* Ipse autem Cicero inter Philosophos numerari vult: Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται, inquit Cicero ipse *lib.*2. *ad* Att. *epist.*8. Et Philosophis ab aliis accensetur. Macrob. *lib.1. Saturn.cap.*24. *Tullius, qui non minus professus est philosophandi studium, quàm loquendi.* Lactantius 1.15. *M. Tullius, qui non tantùm perfectus Orator, sed etiam Philosophus fuit.* Vid. quæ ipse, *in Dione*, de Philisto, ait, unde patet, illum vitas quoque Historicorum Græcorum: & *in Catone & Annibale*, unde Ducum & Historicorum Latin. insuper historiam consignasse, colligitur. Sed hæc omnia, ævi ludibrium: Solæ Imperatorum Græcorum Romanorumque superstites manserunt vitæ, quas Æmilius quidam probus, nomine suo, edidit, Theodosio se commendaturus. Postmodum tamen, detecto plagio, verus auctor ab eruditis erutus. Huic Valerius Catullus Veronensis opus suum dedicat, ut indicat epigramma totius operis Catulliani primum,

Cui dono lepidum novum libellum?
Corneli tibi ————

Vide Lambin. *Præfat. ad notas suas in Æmilium Probum*, & infra in voce *Nepos.*

Corne-

Cornelius Orphites, Consul. Tacitus.

Cornelius Pansa, Consul cum Aciolo Aciola, anno ab Urbe 874.

Cornelius Secularis, Consul, collega Jun. Donati an. U.C. 1012.

Cornelius Severus, sub Augusto, inter Poetas epicos ab antiquis authoribus relatus est. Ingenio fuit magno, & in scribendis versibus facili. Constat eundem fuisse in declamationibus versatum, quâ in re ingenium suum, atque eruditionem maximè probavit. Quintiliano *versificator, quam poeta melior* habitus est. Scripsit inter alia multa, de Ætna, quod Virgilio tributum, Item *de bello Siculo*, an *Civili*? V. Jos. Scalig. *animadversiones in Euseb.* quod opus ab eo absolutum non est, propter immaturam mortem. Quod si absolvere potuisset, meritò sibi secundum locum vendicasset, ut ait Fabius. Extat ejus carmen, quo eleganter deflevit Ciceronis mortem. Vide *Cicero.* Item, Senec. *Suas. 6.* An & Ovid. *de Ponto, l. 4. & ult.*

Cornelius Tacitus, historicus eximius. Vid. *Tacitus.*

Cornelius Thuscus, delatione Mamerci Scauri, in quo Scaurorum extincta familia est, famosus, homo quàm improbi animi, tam infelicis ingenii, Seneca Pater *Suasoriâ* 2. Idem, quia pecuniam à Vario Ligure omittendæ delationis ceperat, in Inf. interdicto igni atque aquâ, demotus est. Tac. *l. 6.*

Cornelius, tandem de Jod, Kempi & Valerius, Mathematici insignes, &c. Voss. *de Mathem.*

Cornensii, Sardiniæ pop. Ptol.

Cornetum, Vid. *Cornvetum.*

Cornetus, campus in agro Falisco viâ Campanâ. Vitruvius *lib. 9. cap. 3.*

Corni, Italiæ pop. Halicarnass.

Cornasa, Galatiæ urbs. Anton.

Cornicularius, ut Sigonius existimat, fuit minister Tribuni Mil. qui vigilias ejus loco circumibat, atque ejus imperia Corniculo edebat. Val. Max. cap. *de Pudicitiâ. M. Lætorio Tribuno Militum Cominius Tribunus plebis diem ad populum dixit, quòd Cornicularium suum stupri causâ appellasset.* Frontinus *Stratagem. lib. 3. Tanquam tribuni Cornicularius vigilias excitavit.*

Corniculum, Latii oppidum. Halicarnass. *libr.* 1. Stephanus: Κόρνικλον, πόλις Λατίνων. Et *Corniculi Montes* inter Ficuleam & Tibur.

Cornificia, Vid. *Cornificius.*

Cornificius, Poëta & Dux, Augusto charus, iisdem temporibus in poeticâ floruit, quibus in scribendâ historiâ Sallustius, Lucceius, & Corn. Nepos. Ingenio eleganti ac lepido fuit, atque in scribendis epigrammatis versatus. Reprehensor Virgilii. Donat. *in vita hujus.* An idem, cui Herennius Rhetoricam inscripsit: Cujus Catullus meminit, *Ep. 39.* & Macrob. *l. 1. Saturn. c. 11. & l. 6. c. 5.* Sororem habuit *Cornificiam*, ut scribit Euseb. a. 1976. cujus carmen in magno pretio habebatur. *Cornificina* Vincentio Bellov. *de mir. nat. l. 32. c. 51.* Voss. *de Phil. cap. 2. §. 3.* Solam scientiam supra Fortunæ ictum esse, dixit. Fuit etiam *Cornificius* amicus Ciceronis paternus & collega, ad quem extant multæ Ciceronis ipsius *Epp. lib. 1. Fam. Ep.*

Cornificius ager Samnii reg. Lib. Coloniarum.

Corniger, Bacchus dictus est, quòd nimio vini potu truces homines reddantur, & tunc, ut ait Ovidius *lib. 1. Art.*

—— *Sumit cornua pauper.*

Eodem sensu Horat. *in Odis:*

Viresque & addis cornua pauperi.

Alii, quia Bacchus idem cum Sole esse censetur. Radii autem solares instar cornuum ab antiquitate expressi sunt. Vide & Macrob. *in Saturnal.* Imo & apud Ebræos radii cornua vocantur.

Cornu Byzantii, seu Byzantiorum, quod & *Chrysoceras* Plinio & Solino. *Pera* nostratibus, *Galata* Turcis, suburbium Constantinopoleos, ab eâ, portu, sive sinu maris angusto divisum. Gyllius verò in suo *Bosporo Sycas*, & *Sycodas* appellatum ait. Baudrando est sinus parvus maris, seu potius pars Bosphori Thracii, inter Constantinop. & Galatam se extendens, ubi regium navale Turc. à parte Galatæ. In eum se exonerat Barbyses & Cydaris fluvii.

Cornubia, reg. Angliæ occidentalissima, vulgò *Cornwall*, olim cum tit. Regni. Solum habet fertile, stanni inprimis fodinis, auro, argento, plumbo, ære, adamantum copiâ, &c. inclyta. Incolæ rudes, idioma priscum retinent. Primus ejus comes fuit Robertus, frater Guil. Conquestoris. Richardus Comes A. C. 1257. Rom. Imp. electus & Aquisgrani coronatus est, A. 1258. Periculosam Cornubiensium rebellionem, primò ob tributorum exactionem excitatam, duce Josepho fabro; dein à Perkino fotam, A. C. 1498. sedavit Henricus VII. cujus Hist. scripsit Verulamius, quem vide. Sita est regio inter Oceanum Britann. & Virginium, versus Antivestæum prom. ubi olim pars maj. Damnoniorum pop. Habet ad Ort. Devoniam prov. Ibi aliquot opp. parvi momenti, Pastovia, Bodmania, Fanum S. Stephani, Uxella, & portus Volemuthum. Baudr.

Cornubia, reg. Britanniæ min. versus Occ. cujus Caput Corisopitum, quod Vid.

Cornvetum, urbs episc. in parte Hetrur. quæ dicitur prov. Patrim. D. Petri, ad Martam fl. inter rudera Tarquinii, & Graviscæ, Urbium vicinarum, prope limites Duc. Castrensis. Sub Pontif. Aër hic insalubris, &c.

Cornus, Sardiniæ urbs Mediter. Ptol. quæ *Carnosa* dicitur Antonino, ut annotat Simlerus. *Corneto* hodiè Ortelio.

Cornutius vicus, Greg. Tur. memoratus, cùm ait, Britannos pagum Redovicum vastantes usque ad *Cornutium* vicum pervenisse: Fortè hodie est *S. Aubin le Cormier*, vel *du Cormier.* Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Cornutus, Leptites genere (est autem Leptis Africæ civitas) Stoicus Philosophus, quem à Nerone, propter liberiorem de ejus carminibus vocem, multatum exilio referunt, Dio & Eusebius *in Chronico.* Multa de eo falsa & inepta Suidas, cui fidem habere caveant tirones. Persii præceptor fuit, ut non obscurè *in penult. Sat.* ipse testatur:

Cùm primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit,
Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu.

Multa eum in philosophicis scripsisse, conjicimus ex Hieronymi *ad Magnum oratorem epistolâ*: putamus enim, hunc esse Cornutum illum, de quo multa Origenes in Stromateas suos transtulisse dicitur. Fuisse verò non solùm philosophiæ cognitione clarum, sed & aliis studiis, historia arguit, quam Dio narrat, de adhibito illo à Nerone in consilium, super instituto carmine de rebus gestis Romanorum. Nam Neronem ab omni philosophiâ fuisse alienum constat, neque verò causæ quicquam erat, cur de pangendis versibus Stoicus consuleretur; nisi etiam eruditionis laude, & disciplinis humanioribus excultus fuisset Cornutus. Quare Dio illum ait, ἐπὶ παιδείᾳ δοκιμώτατος τότε, (*eruditionis opinione claruisse*) non autem, ἐπὶ φιλοσοφίᾳ. V. A. Gell. *lib. 2. c. 6. & l. 9. c. 10.* Euseb. *in Chron.* Cùm igitur in utroque genere excelluerit Cornutus, quæstionis est, idemne hic, an alius ab hoc diversus fuerit Annæus ille Cornutus Grammaticus, quem in Virgilium & alios poetas commentarios edidisse constat, & paulo ante Gellii memoriam Romæ grammaticam esse professum, ex Macrobio, *Saturn. lib. 5. c. 19.* De hoc igitur studiosi quærant amplius: nobis quidem non videtur. Multa quoque Porphyrius, *in* Εἰσαγωγῇ *in Categorias*, de Cornuto quodam: ubi inter alia eum scripsisse τὰς Ῥητορικὰς τέχνας & γραφὴν πρὸς Ἀθηνόδωρον Stoicum, auctor est. De hoc quoque quis ille fuerit cogitemus, Casaubonus. Fuit & coævus æmulusque Livii, quem præceptoris Persii patrem fuisse, probabile est. Suid. Voss. *de H. L. l. 1. c. 26.*

Cornutus, Prætor urbanus Romæ, Ciceronis temp. de quo sic ipse scribit Epist. *lib. 10. Placuit nobis, ut statim ad Cornutum Prætorem urbis literas deferremus, qui, quòd Consules aberant, Consulare munus sustinebat more majorum.*

Cornutus, Vid. *Cæcilius.*

Corocondame, Sarm. Asiaticæ op. ad fauces Bospori Cimmerii prope Hermonassam. *Colotacorca* Moletio. In ora Ponti Euxini. Hinc Lacus adjacens *Corocondamus*, effluit ibi in Eux. 50. stad. à Phanagoria in Austr. Sansone teste.

Corodamum, Arab. Fel. promunt. Ptol. vulgò *Capo Raz. algate.* 150. leuc. Hisp. à Syagro prom. Baudr.

Corœbus, Archon Atheniensis.

Corœbus, Mygdonis fil. qui Cassandræ amore incensus, quam Priamus ei desponderat, postremis belli Trojani temporibus ad Trojam venit, socero & Phrygibus auxilium laturus, frustra ei suadente sponsâ, ut in patriam reverteretur, certissimoque exitio, quod toti urbi imminebat, sese eriperet, cujus verbis cùm fidem non adhiberet, postremâ illâ nocte, quâ Ilium cecidit, à Peneleo Græco quodam fuit interfectus. Virg. *Æn. 2.*

——*Juvenisque Corœbus*
Mygdonides, illis qui ad Trojam fortè diebus
Venerat insano Cassandræ accensus amore.

Hinc proverbium: *Stultior Corœbo.* Item Corœbus cursor optimus Elidensis, qui primus in Olympicis ludis coronatus, A. M. 3278. ante C. N. 776. coquinariam aliàs artem professus, Athenæo, & à Neoptolemo interfectus est. Pausanias.

Corolamus, Boiorum regulus, Marcelli copias fudit, an. U. C. 558.

Corolta, Arab. Fel. op. in Rubro litore. Plin.

Coromandela, regio Indiæ cit. in regno Bisnagaris, juxta sinum Gangeticum, versus Narsingam, & Negapatanum, è reg. Taprobanæ, ubi quædam Coloniæ & fortalitia Anglorum & Batavorum, in ora littorali.

Coromane, vel *Coromanis*, urbs ad sinum Persicum. Steph. *Carmon*, vel *Carman* Moletio.

Corona, Urbs Daciæ mediterr. forsan *Palmissa* antiq. Nunc urbs Transylv. ad Burciam amnem, *Stephanopolis* & *Brassovia* etiam: munita in regiunc. *Burcza*; ubi 3. suburbia, quorum unum Bulgari, 2. Hungari, 3. Saxones incolunt. 12. leuc. Germ. à Cibinio in ortum. Germ. *Kronstatt.*

Corona, portus Gallæciæ capacissimus. V. *Caronium.*

Corona, signum cœleste supra humerum Arctophylacis est, novem stellis constitutum in orbem dispositis, cum Scorpione exoriens, occidens autem exoriente Cancro, Virg. *Georg. 1.*

Antè tibi Eoa Atlantides abscondantur,
Gnosiaq; ardentis decedat stella Coronæ.

Manilius *Astron. lib.* I.

At parte ex aliâ claro volat orbe Corona,
Luce micans variâ, nam stellâ vincitur unâ
Circulus in medio radians, quâ proxima frontem
Gnossia deserta fulgent monumenta puellæ,
Candidaq; ardenti distinguit lumina flammâ.

Vide *Ariadna.*

Corona regia, ordo Eq. à Carolo M. institutus, cujus insigne *Corona*, cum lemmate, *Coronabitur legitimè certans.* Favin. *theatr. Eq. l. 3. p. 528.* Mart. Anconius.

Coronaburgum, arx permunita Daniæ, in Zeelandia Insf. juxta Helsingoram, in angustiis Sundici Freti, ex adverso Helsinburgi Scaniæ; cum palatio superbissimo. Illic vectigal in singulos malos. Extructa à Frider. II. A. 1577. capta est à Suecis an. 1659. sed reddita Danis.

Coronator, apud Anglos, officialis Coronæ pervetustus, ad tuendam pacem & dignitatem regiam, in quovis Comitatu, populi suffragiis constitutus. Olim non minor Equite aurato, sed diminutâ hodie potestate, quatuor plerunque eliguntur, qui in exquirendis homicidis operam præsertim navant. Universis præest Capitalis Justiciarius Banci Regis, qui hinc *Summus Angliæ Coronator* habitus est. Henr. Spelmannus *Glossar. Archaeol.*

Corone, hodie vocatur, urbs Transylvaniæ, quæ olim *Samozagetusa.* Vide *Corona.*

Corone, olim Colonia Thebanor. Urbs Peloponnesi Messeniorum, Plin. 4. 55. Sita sub monte Thermatio. Opp. Achajæ, à quo *sinus Coroneus.* Strabo *lib.* 8. *Corone urbs est mari vicina, & hanc nonnulli Pedasum à Poëta nominatam esse inquiunt.* In Prov. *Belvedere*; egregiè munita cum portu capaci: Venetis erepta est à Bajazete II. Baudr.

Corone, pars Salaminis in Cypro. Item urbs Bithyniæ. Steph.

Coronea, urbs Bœotiæ à *Corono*, Therfandri filio. Steph. Byzant. In hâc talpa nulla apparet, cùm alioqui per totam Bœotiam talpæ sint. Et si quis aliunde in Coroneam reg. inferat, vivere non possunt. Sita est loco edito, prope lac. Copaidem, ubi Cephissum fluv. recipit, inter Cherroneas ad Occas. & Copas ad Ort. 20. mill. à Thespiis in Bor. 10. ab Orchomeno in Austr. Nunc parvi momenti; Sub Turcis. Altera civitas est Peloponnesi, Sicyonis & Corinthi, alia Phthiotidis; est etiam Ambraciæ castellum, & Cypri civitas. Plin. *l.* 4. *c.* 7. Strab. *l.* 9.

Coronia, vulgò *Landskron*, urbs Scaniæ prov. in ora littor. Freti Sundici, cum portu, è reg. Huenæ Inf. Nunc Suecis paret.

Coronis, Dea fuit, quæ in Sicyone colebatur, cujus tamen simulachrum peculiare templum nullum habuit, sed, cùm sacrificii tempus accessit, id in Palladis sacraria transferebant, honoreque prosequebantur.

Coronis, quæ & Arsinoë, Phlegyæ, vel, ut alii tradunt, Leucippi filia; quæ, cùm formâ esset non ineleganti, Apollini placuit, à quo & vitiata & gravida facta est. Verùm cùm postea Ischidi cuidam Thessalo, mutuo ejus amore capta, sui copiam faceret, à Corvo, cui ob nuntium candor pennarum in atrorem transiit, deprehensus est, ex quo cùm Apollo amicæ perfidiam cognovisset, telis eam confodit, puerumque (qui postea Æsculapius dictus est) ex utero ejus exemptum Chironi Centauro tradidit educandum. Alia, Coronæi, Phocidis Regis filia, vim Neptuni fugiens, in cornicem à Minerva transmutata, garrulitate suâ paulò pôst, gratiâ excidit. Ovid. *Met. l.* 2. *f.* 7. 8. & 9.

Pulchrior in totâ quàm Larissæa Coronis
Non fuit Æmoniâ. ———

Coronta, urbs Acarnaniæ. Thucyd. *lib.* 2.

Coronus, filius Lapithæ. Alius Therfandri filius. Item Asiæ mons. Ptol. *Basarasi* Castaldo.

Coropa, prov. Amer. meridion. in Guajana reg. inter lac. Parymæum, & Amazonum fluv. prope Coropatubani fluv.

Coropassus, Lycaoniæ pagus in Asiâ min. Strabo.

Corope, urbs Thessaliæ, ubi *Coropæi* Apollinis oraculum, cujus meminit Nicander, sed videtur legendum *Oropæus.* Orope enim Eubœæ civitas est Apollinis templo clarissima. Steph.

Corozaim, inclyta Galilææ civitas est in tribu Manasse, quæ inter 10. celebriores urbes decapoleos numeratur. Sita est è regione Capharnai ad mare Galilææ, in ulteriori, h. e. in Orientali Jordanis ripa, atque contra Meridiem à civitate Sueta, & contra Occid. ab urbe Cedar, à singulis 4. mill. distat, versus Orient. verò à Capharnao in secundo lapide abest. Luc. 10. Matth. 11.

Corpicensis, Sardiniæ pop. Ptol.

Corpilli, pop. Thraciæ. Plin. 4. 11.

Corregium, opp. Longobardiæ sat amplum & cultum, cum arce munita. Aliàs Principes habuit proprios, nunc subest Mutinæ D. cum ditione ejus, inserta agro Regiensi. 10. mill. à Regio Carpium versus, 13. à Mutina in Occ.

Corrha, Armen. majoris opp. & urbs Persidis. Ptol.

Corrhagium, Macedoniæ urbs. Livius.

Cors vel *Chors*, sæpe pro villa, cujus membrum erat, ac dein etiam pro toto vico, qui villæ alicui magnificæ accesserat, apud Historicos vett. inprimis Gallos reperitur. Unde Bettonis Cortis *Betancourt*, Alemannorum Curtis *Aumencour*, Harecortis *Harcour*, Curtis Nova *la Cour Neuve*, &c. Galli enim priscum vocabulum corrumpentes, nominativo è Genitivo facto *Chortis* vel etiam *Curtis* id dixere. Erat autem Cohors vel Chors pars villæ, quam hodie inferiorem Chortem appellant *la basse Court*, in qua aves domesticæ & pecora aluntur; Unde pro villa, ut dictum. Hinc *Curtes Dominicæ* non rarò apud Gallos Hist. appellantur villæ publicæ seu Regiæ. Quinetiam sicut villam pro vico, sic & *Curtim* sæpe dixere. *Curtem* quoque appellavere Regiam, propterea quòd Reges prisci in villis Regalibus aut publicis hyemare, & ibi palatia magnifica habere consueverant. Iidem pro *Curtis*, Curiam etiam quandoque dicunt. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Pro *Aula* quoque vox sumitur, à corte seu cohorte Principis, Gregor. Turon. *Hist. lib.* 10. *sect.* 16. Hinc *Cortinarii* & *Cortalini*, pro Aulicis, *Courtisans*, qui Curiæ seu *Corti* Principis sunt addicti. Henr. Spelm. *Gloss. Arch.* Vide quoque in voce *Curtis.*

Corsa, locus Ciliciæ, unde *Corsacus hircus.* Hesychius.

Corsea, inf. Joniæ è regione Sami. Apud Herodianum *Corsia* scribitur. Steph.

Corsi, Sardiniæ pop. ex *Corsicâ* oriundi. Pausanias. *Corsii* Ptolemæo dicuntur.

Corsia, Bœotiæ opp. Pausanias. Diod. *lib.* 16. κοϱσιὰς vocat, & recenset inter 3. urbes, quas Phocenses occuparunt, atque ex illis vicinas populati sunt.

Corsica, inf. in mari Ligustico, inter Sardiniam & Italiam sita. A *Cyrno*, patre Batti, Herculis filio dicta fuit Κύϱνος, ut placet Fabio Pictori, cùm antea *Therapne* vocaretur. A *Corsica* verò muliere, forsan ἀπὸ κόϱσης, δούλης βουκόλου dicta, cujus taurus ex continenti in eam insulam tranaverat, nomen quod habet, retulit. Strabo scribit, Corsicam malignè coli, asperam, & plurimis in partibus inaccessibilem, adeò ut, qui ejus montes habitant, ex latrociniis vitam degant, immanitateque feras superent. Athenæus tradit, Corsicæ incolas ideo longævos esse, quòd mellis cibo, quo plurimum abundant, assiduè utantur. Mart. 9. 26.

Hyblæis apibus Corsica mella dabit.

Quod tamen alicui mirum videri potest, cùm ejus insulæ mel, ob taxi copiam, venenatum sit. Unde Ovidius 1. *Amorum,*

Melle sub infami Corsica mittit apis.

Martialis *lib.* 11. *ep.* 43.

Mella jubes Hyblæa tibi vel Hymettia nasci,
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api.

Quasi noxia thyma apponerentur api bonæ. Vide Commentatores, *in illud Virgilii Eclog.* 9.

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.

Dicitur & *Corsis* Stephano. Utrumque verò nomen, *Cyrnus* & *Corsica*, inquit Bochartus, est Phœnicium. Primum Κύϱνος ab Ebræo קרן *Keren, cornutum* sonat, quia *multis promuntoriis angulosa* sit hæc insula, teste Isidoro 14. 6. Posterius insulæ nomen *Corsica*, seu *Corsis* Punicè diceretur חורשי *Chorsi*, quasi *sylvestrem locum* dixeris, quia ex omnibus insulis non alia est eâ sylvosior, dicente Dionysio, Ὕλη δ' ἀμφιλαφὴς ὅπης τόσον ὅσσον ἐκείνη. Item Diodoro *lib.* 5. Ἡ δὲ ὅλη νῆσος εὐμεγέθης οὖσα πολλὴν τῆς χώρας ὀρεινὴν ἔχει πεπυκασμένην δρυμοῖς συνεχέσι. Et apud Polybium *lib.* 12. pastores pascentia sequi pecora nequeunt διὰ τὸ σύνδενδρον, καὶ κρημνώδη, καὶ τραχεῖαν εἶναι τὴν νῆσον. Buxus utique nullibi crassior, quàm in Corsicâ. Plin. 16. 6. *Buxus Pyrenæis ac Cytoriis montibus & Berecynthio tractu, crassissimâ in Corsica.* Et apud Theophrastum *Hist. Plant.* 3. 15. Ἐν Κύϱνῳ μέγιστοι καὶ κάλλιστοι buxi arbores dicuntur. Denique Diodor. *l.* 5. Φύεται δὲ κατὰ τὴν νῆσον ταύτην καὶ πύξος πλείστη, καὶ διάφορος. Hæc Insula primùm à Tyrrhenis occupata, deindeà Carthaginensibus, his eam eripuerunt Romani, qui eâ potiti sunt usque dum Saraceni sec. 8. eos expulerunt, quos ex ea profligarunt Genuenses: tandem capta à Pisanis, Pontificibus Romanis cessit. Ultimò ad Genuensium jura redit, quibus nunc obedit, atque in eam singulo biennio Gubernatorem generalem mittunt. Plinius in hac insula 33. civitates fuisse testatur. (Strabo verò non civitates fuisse, sed castella potius putat: nam suo ævo 4. tantùm civitates enumerat) inter quas duæ coloniæ Romanorum fuerunt, Mariana nempe, à Mario missa, & Aleria à Sylla Dictatore, quæ nunc Episcopali dignitate decoratæ sunt, licèt Aleria deformis penè jaceat. Cætera Barbari tenuere: sed cùm Romani in eos irruerunt, magnum servorum gregem captum Romam abduxerunt, ubi cum admiratione observatum fuisse tradit Strabo, eos multum feritatis ac indolis planè belluinæ habere, nam aut vitam fugiebant, aut impatientia ac stupiditate dominos obtundebant ita, ut impensæ quantumvis exiguæ pœniteret, si quis emisset. Nunc bifariam in duas partes eam distinguunt. Plagam quæ orientem solem respicit, *Latus interius*: partem huic obversam, Occid. *Latus exterius* vocant. Pars Borealis quæ Italiæ propior est, *Cismontana*, & Meridionalis, quæ versus Sardiniam excurrit, *Ultramontana* dicitur. Sunt in hac insula hi Episcopatus, Marianæ, Nebii, Ajacensis, Mariensis, Sagonensis, & Civitatensis, qui sunt Suffraganei Archiepiscopi Pisani in Tuscia. Metel. Separatur hæc Insula à Sardinia Freto Taphros, 6. mill. pass. A Genua 100. circiter milliaria in Austrum. 50. à Liburno. Longa

ga est 106. m. p. lata 50. Ejus ambitus est 300. mill. Baudr. Corsi boni milites, sed sævi, vindictæ cupidi, rudes: unde Crequii Ducis Legati Gall. ministris durius habitis Romæ, turbæ haud pridem, nonnisi missâ ad Ludovicum XIV. solenni legatione, pyramide in rei memoriam erectâ, & Corsorum ab aula Pontificia exilio perpetuo, sopitæ. In lae hujus pleramque partem, auspiciis Henrici II. Galliæ Regis, Sampetrus Ornanus occupavit, quibus locis redditis an. 1559. pace initâ, ipse à Vitellio proditoriè interemptus est: fil. ejus Alphonsus Galliæ Mareschallus ab Henr. IV. creatus est. Plin. *lib.* 3. *cap.* 6. Strabo *lib.* 2. & 5. Mela, *lib.* 2. Davity, *Europa tom.* 3. *pag.* 43. &c. Hic sacrum promuntorium *Capo Corso*, vel *Punta di Marono*: & Promuntorium Graniacum, seu Capo di Manza.

Corsicæ urbes præcipuæ:

Adiacium, *Ajazzo.*	Calvium, *Calvi.*
Bastia, caput ins.	Curia, *Corte.*
Bonifacium, *Bonifacio.*	Fanum S. Florentii, *S. Fiorenzo.*

Corsinianum, aliis *Corsinianum*, quod vide.

Corsoa, urbec. Daniæ, in ora Occ. Zeelandiæ. Juxta fretum *die Belt*, ex adverso Fioniæ Inf. & Neoburgi urb. Gaudet arce satis munita. Huc primum cum classe appulit Carolus Gustavus Sueciæ Rex, anno 1658.

Corsote, urbs magna Armeniæ, à Mascâ fluvio circumdata, Xenophon.

Corstopitum, Angliæ opp. Anton. Ottadinorum olim. *Morpet* Camdeno, Castr. Northumbriæ, ad amnem *Wansbeck*; *Cordbridge* autem Talboto, super Tinam fluv. in Northumbriâ.

Corsunum, urbs Tauricæ Chersonesi. Vide *Chersonesus*.

Corsura, ins. in medio sinu Carthaginensi. Strabo.

Cortenaum, urbec. ins. Franciæ, in tractu Vastiniensi, inter Senones & Montargium. Hinc dicti Principes noti in histor. Gall. ex quibus etiam Imperatores extitere Constantinop. V. & *Curtinetum*.

Corterate, obscurus Galliæ olim in Petrocoriis locus, victoriâ Henrici Magni de Anna Duce Gaudiosæ, Regiarum copiarum ductore, obtentâ, emersit. Vulgò *Courtras*, vel *Coutras*, ad Drunam fluvium, qui in Ellam decurrit. Vide Jac. Aug. Thuan. *Hist.*

Cortercalis ora, vide *Estotilandia* & *nov. Britannia*.

Corteriacum, urbs Belgii in Flandriâ ad Legiam fluv. vulgò *Cortryck*. Inter insulas, Tornacum, Ypram, & Oudenardam, sub Nerviis & Tornacensibus, Cæs. Ibi arcem extruxit Phil. Audax, Galli victi, anno 1302. urbs direpta & exusta, anno 1382. reparata postmodum, mercimoniis florentissima. Guicc. *Belg.* Capta à Gallis, an. 1667. pop. *Corteriacenses*. Baudr. & Hadriano Valesio *Corteriacum*, aliàs *Cortoriacum*, urbs vetus, nobilis & permunita Flandriæ est, ad flum. Letiam, Turnacensis Diœceseos, Legioni in Gallia olim militanti nomen dedit; Intra Gallias enim cum V.I. Magistro equitum Galliarum *Cortoriacenses* memorat Not. Imper. Rom. ante annos 1250. cum arce. Hic Nortmanni castrum ad hiemandum construxisse leguntur, anno Christ. 890. Gall. *Coutray*, Germ. *Cortrick*. Incolæ *Courtresiens*. Distat 5. leuc. ab Insulis. Sub Gallis, ab anno 1667. Territorium habet satis amplum, & Gandavum versus extensum, vulgò *le Courtresis*. Hujus urbis *Custos* i. Episcopus, Eligius dicitur, apud Audoenum *libro* 7. *de vita Eligii*. In capitulis Caroli Calvi pagus Curtricisus, i. Cortriacensis à Flandria distinguitur, unde patet olim non tam amplos Flandriæ fines fuisse. Vide prædictum Valesium *Notit. Gall.*

Corthaca, vel *Corgatha*, Indiæ extra Gangem urbs. Ptolom. Est autem ad sinum magnum, ut Mercator habet, qui eam *Tartaho* vocat.

Corticata, Hispaniæ insula circa Artabrum promuntorium. Plinius. Est etiam Turditanorum in Bæticâ urbs: Ptol. In Andalusia versus montes. Nunc *Cortegana*, in confin. Extremaduræ, versus fontes *Odier* fluvii, 6. leuc. à confin. Portugalliæ. Baudrandus.

Cortina, vel *Cortyna*, vide *Gortyna*. Aliàs *Cortina* est *lebes*, sive *vas*, in quo tingitur lana, aut decoquitur, sive recipitur aliquid. Cato *de R. R. cap.* 66. *Cortinam plumbeam in lacu ponito, quò oleum fluat.* Virgilius autem *in* 3. & 4. *Æn.* tripodem illum, in quo Phœbades sedentes oracula reddebant, *Cortinam* vocat. Val. Flac. *lib.* 1.

Phœbe mone, si Cumaa mihi conscia vatis
Stat castâ cortina domo.

Namque & tripus vas rotundum erat. Vet. Glos. *Cortina*, Δελφικὸς τρίπους Ἀπόλλωνος. Prudentius tamen Cortinam à tripode distinguit. Ita enim *Apotheosi vers.* 506. scribit,

Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Non tripodas Cortina tegit.

Vide Vossium in *Cortina*.

Cortiza, urbs Russiæ magnæ, seu Moscoviæ.

Corton, urbs Thessaliæ à Cranone 100. stadiis distans. Steph.

Cortona, à Miscello condita, urbs Hetruriæ antiquissima, sub magno Duce in confin. dit. Pont. f. & agri Perusini, satis munita, Episc. olim *Corton.* Liv. *lib.* 4. & 6. *Itaq. à Perusâ & Cortone, & Aretio, quæ fermè capita Hetruria populorum erant, &c.* Silius *libr.* 8.

Lectos Care viros, lectos Cortona superbi
Tarchontis domus, & veteres misêre Gravisca.

Cyrtonium Polybio, à Pelasgis Umbris erepta. 22. mill. à Perusia in Occas. 8. à Clani palude, 4. à lacu Trasimeno. Baudr.

Cortonenses, Hisp. Tarracon. pop. Plin.

Cortracum, vide *Corteriacum*.

Cortuosa, Tuscorum urbs. Livius.

Cortusius Guil. absolvit Ticini, patriæ suæ, historiam, sub Henrico VII. & Ludov. IV. Impp. Bernard. Scardonius, *hist. Ticin. l.* 2.

Cortyra, parva regio Laconica. Steph.

Corvinus Clemens, vel Celer, amicus Apuleji, sub Antonino Phil. Historicus & Poëta. Cuspinian. *in Comment. de consulatu Caßiodori. A.U.C.* 1345. Crinit. Lilius Giraldus.

Corvinus Laurentius, Novoforensis, Cracoviæ floruit, an. 1495. Condidit Geographiam inhabitati orbis, excusam Basileæ, an. 1557.

Corvinus M. Valerius, dictus à corvo, victoriæ omine, in duello contra Gallum quendam: Militum, qui Capuam obsederant, æs alienum dissolvit. Aur. Victor *de viris Illustr.* A. Gell. *noct. Attic. l.* 9. *c.* 11.

Corvinus Matthias, R. Hungariæ. Vide *Matthias*.

Corula, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. *Coloram* Castaldo.

Corum, urbs Amer. merid. primaria prov. Venezuelæ. Ad oram littoralem Oceani Bor. Sub Hispanis; *Coro*.

Coruncala, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Coruncanii, gens quanquam plebeja, nobilis tamen & Reip. utilis. Camerio, ut Claudius Imp. apud Tacit. *lib.* 11. *cap.* 24. vel ut Cicero tradit, Tusculo oriunda.

Coruncanus, prænom. Tiberius, primus de plebe Pontif. Max. factus, teste Livio. Cicero in Orat. *pro domo suâ* ad Pontifices, sapientissimum & peritissimum fuisse dicit. *Is, cùm legatus ad* Teucrum Illyricorum regem missus esset, *in reditu contra jus Gentium interfectus est. Statuam meruit.* Plin. *lib.* 34. *cap.* 6. Livius, &c. *Coruncanus* alter, adversus Amilcarem Barcham, in Siciliam missus est. Polybius.

Corvo, exigua insula in Atlantico mari, à Lusitanis habitata, à Flores exiguo milliari distat, in circuitu tria aut duo milliaria continet. Circa hanc & insulam Flores, aut circa eas, Anglorum naves ferè continuò versantur, expectantes classes Indiæ Occidentalis, nam illis hæ ex Flandricis insulis primùm apparent. Incolæ parum inde feliciter vivunt, objecti prædationibus ac bonis sæpe exuti. Metel.

Corvorum antrum, montis nomen in Ciliciâ. Nicetas.

Corvorum insula, in Arcadiâ, quâ Ladon in Alpheum erumpit. Pausan.

Corus, Arabiæ fl. magnus in mare Rubrum influens. Herodot.

Corus, ventus spirans ab Occ. solstitiali. Plin. Seneca *in Thyeste:*

Brutium Coro feriente pontum.

Lucano dicitur *lib.* 1.

—— *Cœli fuscator Eoi.*

Idem *lib.* 7.

—— *Victus violento navita Coro*
Dat regimen ventis. ——

Stat. *lib.* 7.

Non aliter Caco nocturni turbine Cori
Stat peritura ratis, cùm jam damnata sororis
Igne Therapnai fugerunt carbasa fratres.

Silius *lib.* 1.

Qualis ubi Ægao surgente ad sidera ponto,
Per longum vasto Cori cùm murmure fluctus
Suspensum in terras portat mare, frigida nautis
Corda tremunt, sonat ille procul, flatuq. tumescens
Curvatis pavidas transmittit Cycladas undas.

Aliàs *Caurus* dicitur. Virg. *Georg.* 3.

Semper hyems, semper spirantes frigora Cauri.

Ideo Martinius sic dici putat ab Ebræo קר *car*, i. e. *frigus*. Certè Virgilio *lib.* 5. *Hyberni Cori* vocantur.

Corusia, Sarm. Asiaticæ urbs. Ptol.

Cory, maris Eoi insula in sinu Argarico. Ptol. *Nivocat* Mercatori. Item promuntorium Ind. cit. Australissimum. Ptol.

Corybantes, Cybeles sacerdotes, qui sacro furore correpti, cymbala pulsabant, capitaque inter saltandum jactantes alios in similem rabiem agebant. Homerus βητάρμονας vocat. Hi primùm Idam Phrygiæ montem tenuisse dicuntur, postea autem in Cretam navigâsse, & montem quendam incoluisse, quem à nomine relictæ sedis etiam Idam appellarunt; ubi & Jovem infantem aluerunt, tympana jugiter pulsantes, ne Saturnus (qui cum Titane fratre convenerat, ut sobolem omnem masculam interficeret) puerum vagientem audiret. Sunt qui *Curetas* & *Corybantas*, & *Cabiros*, ac *Idaos Dactylos* eosdem putent. Diodorus Sic. Corybantem scribit Jasonis & Cybeles filium fuisse, ac simul cum Dardano sacra Matris Deûm in Phrygiam detulisse, eosque qui in sacrificia ejus Deæ incumbere voluerunt, de suo nomine *Corybantes* appellasse. Sing. numeri nominativus est *Corybas*, quo usus est Claudianus *de Rapt. Prof. lib.* 2.

Non te progenitum Cybeleius ære canoro
Lustravit Corybas. ——

Hesy-

Hesychius: Κορύβας, Ῥέας ἱερεύς.
Horat. *Carm.* 1. *Od.* 16.

—— Non acuta
Sic geminant Corybantes æra.

Virgil. *Æn.* 10.

—— Corybantiaq; æra.

Hinc κορυβαντιᾷν est *insanire*, & *mente captum esse*. Hesych. Κορυβαντιῶσης, μαινομένης, ἢ ἐνθεαστικῶς δαιμονιζομένης. Strabo *lib.* 10. sic dictos ait, ἀπὸ τοῦ κορύπτοντας βαίνειν ὀρχηστικῶς, *quia cum saltatione incederent*. Ait idem Corybantes vocari τοὺς μανικῶς κινουμένους, *furiosè se moventes*; cùm autem non sit ulla corporis motio μανικωτέρα, quàm quæ ordine naturæ inverso capite incedit, putat Palmerius ab eo dictos Κορύβαντας, nam κόρυ vox antiqua *caput* significabat. Ergo ἀπὸ τοῦ ἐπὶ τὸ κόρυ βαίνειν dicti Κορύβαντες.

Corybas, Nicomachi discipulus, pictor. Plin. 35. 11.

Corybissa, civitas in agro Scepsio ad fluv. Eurientem. Strabo *libro* 10.

Corybus, Cretæ promuntorium. Strabo *lib.* 8.

Corybutus, Jagielonis Poloniæ R. patruelis, hujus in Poloniam ex Bohemia Ecclesiastas evocantis, qui vulgari linguâ Sclavonicâ Cracoviæ in templo S. Crucis sacra administrarent, zelum, cum magna nobilitatis parte imitatus, armatâ quoque manu Bohemos propugnavit: circa A.C.1431. Lasicius *l.* 1. *de gestis Fr.* Sym. Turnovius *in spec. Ver.* Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Corycia, nympha fuit, quæ filium habuit Lycorum. Rhod. 16. 19. Item promunt. Cretæ, & portus Æthiopiæ. Steph.

Corycus, luctator nobilis, qui cùm neminem reperiret priorem, aut parem, cujusque viribus succumberet, proverbio fecit locum, *Luctari cum Coryco*, de his, qui supra vires aliquid moliuntur.

Corycus, mons Ciliciæ altissimus, cum oppido ejusdem nominis, optimi croci ferax, quod ab eo *Corycium* dicebatur: Strabo *lib.* 14. Ὑπὲρ Κωρύκου ἄκρας ἐν εἴκοσι σταδίοις ἐστὶ τὸ Κωρύκιον ἄντρον, ἐν ᾧ ἡ ἀρίστη κρόκος φύεται. Dioscorides: Κρόκος ἐστὶ κράτιστος ὁ Κωρύκιος. Meminere quoque Plinius, Solinus, & poëtæ passim. Horat. 2. *Serm. Sat.* 4.

Corycioq; croco sparsum stetit.

Martialis *lib.* 11.

Ultima Corycio quæ cadit aura croco.

Ad montis hujus radices, antrum erat Corycium Musis sacrum, unde etiam illæ passim à poëtis *Corycides* nymphæ appellantur. Ovid. 1. *Met.*

Corycidas nymphas & numina montis adorant.

Corycus, mons Joniæ latrociniis olim infestissimus fuit, unde locus proverbio, *Corycæus auscultavit*; in eum, qui rem dissimulat, & occultat deprehensam tamen. Lege Strabonem *lib.* 13. Cic. *ad Att. lib.* 10. *epist. ult. Posthac non scribam ad te, quid facturus sim, sed quid fecerim. Omnes* Κωρυκαῖοι *videntur auscultare quæ loquor.* Hodie *Cambrussia* Nigro dicitur. Baudrando Mons & promuntorium Cretæ, in parte Occident. in territ. Caneæ. Quibusdam *Cornico*, ut & oppidulum vicinum, cum portu ei adjacente. Aliis est portus *delle Garabuse*, prope Cisamopolim, in ora Bor. ubi & Corycæ ins. Brietio teste, aliquot mill. ab ora, cum arce munita. Sub Turcis, à paucis annis. Est etiam Æthiopiæ portus Stephano, & Lyciæ litus Straboni.

Corycus, seu *Corycium*, urbs Ciliciæ, nunc *Churco*, in Caramania, prope prom. cognom. 50. mill. à Tarso, 25. à Pompejopoli in Occas. ex adverso Cypri. Sub Turcis, cum portu capaci.

Corydalla, urbs Rhodiorum. Steph. Pagus etiam circa Athenas. Athenæus.

Corydallus, vicus Atticæ in tribu Hippothoontide. Steph. Est etiam Lyciæ opp. Ptol.

Corydeus, Hesychius: Κορυδεύς, ὄνομα κύνεος, οὗτος ἐκωμῳδεῖτο ἐπὶ δυσμορφίᾳ καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ. Vide Diogen. *p.* 224. & Barth. *Advers. p.* 251.

Corydon, pastoris nomen à Theocrito & Virgilio celebrati. Vide de la Cerda *ad Virg. Ecl.* 2.

Coryla, vel *Coryleum*, Paphlagoniæ pagus insignis. Xenophon.

Corylon, urbs Æcanorum in Italiâ. Steph.

Corymbifer, Bacchi epitheton à *corymbo*, id est, *hederâ*, quâ Deus iste ebrius delectabatur, quâque sacerdotes ejus in Orgiis coronabantur. Ovidius:

Festa corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.

Coryna. Joniæ urbs. Mela.

Coryne, Elidis urbs. Ptol. Niger *Antibodum* vocat.

Coryneta, vel *Corynetes*, latro famosissimus, Vulcani filius, cùm juxta Epidaurum hospites clavâ quâdam, quæ Græcis κορύνη dicitur, trucidaret (unde & hoc nominis sibi sumpsit, cum priùs Periphatus vocaretur) à Theseo fuit interfectus. Suid. Plut. Item *Areithoi* cognomen. Hom. *Iliad.* 9.

Τεύχε' ἔχων ὤμοισιν Ἀρηϊθόοιο ἄνακτος,
Δίου Ἀρηϊθόου, τὸν ἐπίκλησιν Κορυνήτην
Ἄνδρες κίκλησκον, καλλίζωνοί τε γυναῖκες.
Οὕνεκ' ἄρ' οὐ τόξοισι μαχέσκετο, δουρί τε μακρῷ,
Ἀλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.

Coryphæum, mons in Epidauro, ubi colitur Diana *Coryphæa*. Stephanus.

Coryphantis, pagus in littore Adramytteno. Strabo.

Coryphas, Troadis oppidum. Plin. 5. 29.

Coryphasium, prom. Peloponnesi, in ora sinus Cyparissii prope Pylum Messeniacam, è reg. Sphateriæ ins. medium inter Electram fluv. & Methonem. Plinio est quoque urbs Argiæ reg. aliàs *Inachia*.

Coryphe, mons Gangi finitimus. Plut. Item alius Syriæ inter Antiochiam & Berrhœam. Theodoret.

Coryphenses, Tegeatarum curia in Arcadiâ. Paus.

Corythus, oppid. Tusciæ. Vide *Corithus*.

Cos, i. e. *spina*, aut *æstus*, sive *tædium*, pater Anab & Soboba. 1. Paral. 4.

Cos, insula in mari Ægæo, una Cycladum, vide *Coos*. Item urbs Ægypti. Vide Stephanum.

Cosa, urbs Hetruriæ, in sublimi colle, ad mare cum subjecto sinu, vicina portui Herculis, quæ *Cossa* Straboni, & Plinio, *Cossa* verò Ptolemæo. Videtur tamen cum simplici *c.* scribendum, poëtæ enim primam corripiunt. Rutilius *in Itinerario*:

Cernimus antiquas nullo custode ruinas,
Et desolata mœnia fœda Cosæ.

Virgilius *Cosas* dixit, *Æn.* 10.

Quiq; urbem liquere Cosas.

Cossa, cujus Stephanus meminit, alia esse videtur. Vide *Cossa*.

Cosa, est *Cassano*, urbs Calabriæ, in reg. aspera, sub dit. Princ. Bisiniani. 6. mill. ab ora sinus Tarentini, in Occas. totidem à confin. Basilicatæ. G. Barrius. Dicitur & *Cassanum*.

Cosa, urbs Iglio & Dianio ins. objecta.

Cosa, in tab. Peuting. Galliæ Aquit. locus. An *Cassium* Ausonii & *Cosa* Ptol. M. Velserus.

Cosaci, populi Poloniæ, qui primùm exiisse dicuntur ex ins. Borysthenis, in cujus etiamnum ostiis vivunt. Turcis terribiles, sub nomine Russorum: Ducem habent proprium sub dominio Poloniæ Regis. Classe ad Pontum Euxinum excurrentes, Constantinopolim obsederunt, A. C. 860. sub Michaële Imper. sed re infectâ inde discedentes, ex captivis religionem Christ. didicerunt, M. Cromer. *Hist. Pol. l.* 2. Ab iisdem Achmetes Imper. Turc. mirè vexatus est, an. 1616. Thraciâ, Bithyniâ, Paphlagoniâ, Trapezunte, Sinope, &c. devastatis. Contra Uladislaum IV. rebelles, ab illo fortiter, repressi sunt, an. 1629. Habitant in Volhinia inf. al. *Ucrania*: Eorumq; pars nunc sub clientela Mosc. Ritus græcos servant, dicti à voce Ruthenica *Cosac*, i. miles vagus. V. P. de Valle *Itin. tom.* 2. & 3.

Cosa, vide *Cosa*.

Cosam, pater Addi, patris Melchi, Luc. 3.

Cosamba, Indiæ intra Gangem urbs. Ptolemæus. *Satignam* Castaldo.

Cosanum, *Cassano*, vide *Cosa*.

Cosas, Latii fluv. juxta Frusionem urbem prælerlabens. Strabo *lib.* 5.

Coscinus, opp. Apamiæ in conventu Alebandico. Plin. *l.* 3. *c.* 29.

Cosconius, Auctor Lat. Solino *cap.* 7. Historicus, & Grammaticus, Varro *de L. L. l.* 5. Item infelix Epigrammatistes, Martial. *Epigr.* 77. *l.* 2. *Cosconi qui longa putas, &c.*

Coscynthus, fluv. Italiæ. Lycophron.

Cosentia, civitas Italiæ, archiep. Brutiorum metropolis. Græcis Κωνσεντία, & Κωσεντία, vulgò *Consenza*. Oppidani *Consentini* Tullio & Varroni.

Cosenus, Mauritaniæ fluv. Plin. 5. 1.

Cosfeldia, urbec. agri Monaster. munita, ad fontes Borchelii fluv. ubi Episc. sæpe moratur. 6. leuc. à Monaster. totidem à Belgii confin.

Cosiana, castellum Palæstinæ in maritimâ Syriæ parte. Steph.

Cosingas, Scæboarum & Cerrheniorum in Thraciâ dux, simulque ex more gentium istarum Junonis Sacerdos. Qui ut refractarios sibi populos ad obedientiam redigeret, talem intendit dolum: scalas plurimas ingentesque è ligno excitavit, aliasque aliis junxit: dein in populum famam sparsit, se in cœlum ad Junonem ascensum moliri, accusatum immodestiam atque inobedientiam Thracum. Thraces utpote stupidi & rationis impotes, metuentes Ducis ad Junonem in cœlum ascensum, juramento se obstrinxerunt, quòd promptè imperata facturi essent. Polyæn.

Cosliacum, opp. Istriæ sub Austriac. Germ. *Kartschon*, ad lacum cogn. qui Arsiam fl. effundit, 2. leuc. à Petina in Bor. 3. à Vitopoli.

Coslinum, urbs Cassubiæ, in Pomer. Ulter. sub Electore Brandeburg. Sedes antea Episc. Caminensis. 2. leuc. à mari Balt. 4. à Belgardia in Ortum.

Coslovia, Emporium Chersonesi Tauricæ.

Cosmanates, Liguriæ pop. Plin. 3. 5

Cosme, Κόσμη Ægyptiaca prodendo memoriam sui extendit. Eorum ex primo Schol. Apollonii *in lib.* 4. variorum adfert sententias de quæstione eâ, *Quanam gens sit antiquissima?*

Cosmeta, ornator, servus in familiâ, cui domini, dominæve exornandi cura incumbit. Juvenal. *Sat.* 1.

Ponunt Cosmetæ tunicas.

Id est, ancillæ, quæ mundum, & vestes dominæ curant, & ornatum ejus custodiunt & purgant, deponunt tunicas, & vestes exuunt, ut nudæ virgis cædantur. Ita enim *ponere* sumitur, pro *deponere*, ut apud Catullum:

——*Quas pastor viderat olim*
Idæis tunicam ponere verticibus.

Cosmos, Judææ oppidum, Ptol.

Cosmopolis, vide *Argous Portus*.

Cosmus de Medicis, cognom. *Magnus*, frater Laurentii, & fil. Johannis, Rempublicam Florentinam feliciter gubernavit, opibus immensis congestis. Hinc invidia, & exilium. Sed revocatus, *Patris populi & Patriæ liberatoris* elogium meruit. Literarum, literatorumque Fautor, liberalitate suâ undique viros doctos allexit, insigni Bibliothecâ comparatâ, cujus partem in Galliam Catharina Medicæa secum attulit, ob Græca Manuscripta magni pretii. Obiit an. 1464. æt. 75. Relicto Petro fil. patre Laurentii II. ex quo Leo X. & Juliano, ex quo Clemens VII. nati. Ex Laurentio III. secundi filio Catharina Medicæa, & Alexander Dux Flor. an. 1537. occisus, prodierunt. In quo stirps Cosmi hujus desiit.

Cosmus I. fil. Johannis II. nepos Joh. I. abnepos Petri Francisci, cui Laurentius, prioris Cosmi frater, genitor contigit, Dux Florentiæ, Alexandro successit. Ordinem S. Stephani instituit, an. 1554. Ad Regium titulum frustra aspirans, Magnus Dux creatus est, an. 1569. à Pio V. hoc increpito à Maximiliano II. Imper. minante: *Si Pontifex ulterius Imperii jura invaderet*. Bodinus *de Rep. l. 1. c. 9.* Universitatis Pisanæ fundator, obiit an. 1574. æt. 55. princip. 38. Ex Eleonora Toletana, Francisco, & Ferdinando, magnis Ducibus, relictis. Nothus ejus fil. Johannes, in Hungariâ, re bene gestâ, Princeps Imperii dictus est. Joh. Baptista Adrianus, *lib.* 19. 20. 21. &c. Spond. *Annal.*

Cosmus II. successit Patri Ferdinando, anno 1609. ex Magdalena Austriaca, Ferdinandi II. parens, &c. Obiit anno 1621.

Cosmus III. hodie regnans, duxit an. 1661. Aurelianensis Ducis filiam.

Cosmus I. Patriarch. Constantinop. Hierosolymis oriundus, successit Xiphilino, an. 1080. usque ad an. 1086.

Cosmus II. an. 1147. Michaëli successit, paulò pòst mortuus, Curopalat. Nicet. Baron. *Annal.*

Cosmus Hierosolymit. cognom. Hagiopolita, Episc. in Palæstina, Johannis Damasceni socius, sec. x. Hymnos composuit, tomo 8. *Bibl. PP. 2. edit.* Alius, Chrysostomi vitam scripsit. Cognom. *Vestitor*, &c.

Cosmus, historicus Gr. res Ægyptiacas composuit, Voss. *Hist. Gr. lib.* 3.

Cosmus Italus, homo literatus, sed arte Magicâ, cujus ope futura prædicebat, instructus, prorsus Atheus, obiit in Armorica, A.C. 1615. Supplem. Thuan.

Cosmus, unguentarius nobilis, Mart. 11. 9.

Quod Cosmi redolent alabastra focisq; Deorum.

Juvenal. *Sat.* 8.

——*Cænet licèt ostrea centum*
Gaurana, & toto Cosmi mergatur aheno.

Ubi vetus Schol. *Cosmus luxuriosus fuit, qui solium, in quod descendebat, multis diversorum unguentorum odoribus miscebat.* Hinc *unguentum Cosmianum.* Mart. 12. 55.

Aut libram petit illa Cosmiani.

Petronius: *Affert vobis alabastrum Cosmiani.* Vide Rader. *ad Mart. lib.* 14. *ep.* 100.

Cosmus Laurus, Brixiacensis, Præsulum & familiarum suæ urbis historiam condidit.

Cosna, opp. Duc. Nivernensis: cujus pars una Regem, altera Ducem agnoscit Dominum. Metel.

Cosoagas, fluv. navigabilis in Gangem influens. Plin. 6. 18.

Cosobus, qui & *Cassovius*, & *Campus Merula*, latissimus Hung. ad Savum campus.

Cosroes, Persarum Rex, an. Dom. 534. Agathias *lib.* 4. Hic tyrannus nonaginta millia Christianorum interfecit, ac partem crucis Dominicæ secum asportavit. Æn. Sylv. Vide *Chosroes*.

Cossa, urbs Tusciæ in sublimi colle post Populoniam. Strabo. Item Umbriæ opp. Plin. 3. 5. hodie *Orbitello*. Item urbs Oenotriorum. Steph. *Consano* est hodie, Calabriæ regionis, uti docet Barrius.

Cossa & *Cosa*, urbs fuit Hetrur. ex cujus ruinis crevit Ansedonia, à Carolo Magno eversa, quæ nunc vicus est, in agro Senensi, sub Magno Duce Hetrur. in maritimo tractu, in colle, ad oram littor. & ostia Pesciæ fluv. 6. mill. ab Urbatello in Ort. paulo minus à Portu Herculis, 28. à Tarquiniis in Occ. 70. à Roma. In confin. dit. Pontif. Baudr.

Cosse de Genesse, ordo equit. à Ludovico IX. in nuptiis cum Margareta Provinciali, institutus. Cum lemmate: *Exaltat humiles.* Guil. Nangius, *in vita S. Ludovici*. Favin. *theat. Hon. & Eq. l. 3. p.* 581.

Cossea, pars Persidis, Stephano. *Cossæi* populi, Mediæ montem inhabitantes Polybio & Diodoro. Ptolomæo in Susiana sunt, finitimâ regione. Hi sunt Uxiis vicini, teste Arriano *in Indicis*. Horum quoque excidio parentavit Alexander Magnus Hephæstioni. Vide Diod. 17. Polyæn. *l.* 4 *in Alex. com.* 31.

Cossea, Thraciæ opp. Steph.

Cossetania, Hisp. Tarrac. regio apud Plin.

Cossi, antiquis dicebantur, naturâ rugosi corporis homines à similitudine vermium, quos in ligno editos Phryges & Pontici maris accolæ pro delicatissimis cibis sumunt. Plin. *l.* 17. *c.* 6. *l.* 11. 3.

Cossus antiquitus cognomen tantùm *Corneliorum* fuit.

Cossini, vide *Hostiones*.

Cossinitus, Thraciæ fluv. Ælian. *de Animal.* 15. 25.

Cossium, Vasatum in Gall. Aquitan. opp. prim. Ptol & Auson. Unde *Bazas* Vineto est, inter Burdigalam, & Aquas Augustas. Juxta amnem *Lavasane*, 3. leuc à Garumna fl. in Austr. 12. à Neraco. Hinc regio adjacens, *le Bazadois*, Vasatensis tractus, in Vasconia prov. Baudrand.

Cossoanus, Indiæ amnis in Gangem influens. Arrian.

Cossus Corn. Lentulus, consul cum M. Asinio Agrippa, an. U.C. 777. Alius collega L. Calphurnii Pisonis, an. U.C. 753. Tertius consul cum Claudio Cæsare Nerone an. ab U. C. 812. Denique *Cossus* Trib. Mil. de quo Virg. *Æn.* 6.

Quis te magne Cato tacitum, aut te Cosse relinquat?

Est & hoc nomine hæredipeta celebratus Juven. *Sat.* 10.

Ut captatori moveat fastidia Cosso.

Cossus, Bithyniæ mons. Steph.

Cossutianus, accusatoris nomen sub Claudio, Tacit. 11. 6. à Cilicibus accusatus, maculosus fœdusque & idem jus audaciæ in provinciâ ratus, quod in urbe exercuerat. Sed pervicaci accusatione conflictatus postremò defensionem omisit ac lege repetundarum damnatus est Nerone secundùm, L. Piso Coss. Totum nomen est *Cossutianus Capito*. Ibid. 13. 33. P. Mario L. Asinio Coss. Senatorium ordinem precibus Tigellini Soceri sui recepit. Tacit. 14. 48. Eundem cum Tigellino grandi pecuniâ Annæus Mela in codicillis donavit, quò cætera manerent. *l.* 16. 17.

Cossutiorum familia, apud Rom. ex quâ *Cossutia* uxor Cæsaris. Sueton. Sic *Cossuvii*, & *Cossuviani*.

Costa, Roderici frater, Hisp. Rex, an. ab U.C. 1452.

Costaballene, Liguriæ locus, Anton.

Costa-rica, prov. novæ Hisp. Cujus præc. urbs Carthago, præter hanc Aranivesia, mercimoniis florentes. Herrera *l* 13.

Costoboca, sunt Ammiano Scythæ, circa Daciam, ad Pontum Euxinum. *Castoboci* Ptolomæi sunt.

Costoboci, Sarm. Europææ pop. Capitolinus.

Cosyra, insula sterilis in mari Libyco, non procul à Melite, cujus incolæ *Cosyrai* dicuntur. De quâ sic Bochartus: *Non debet hîc Cosyra omitti, ins. cum oppid. media inter Siciliæ Lilybaum, & Clypeam Africæ, a Melite distans stadiis* 500. Nomen a *brevitate* sumptum, si Punicè fuerit קוצרה *Kosera*, quomodo apud Arabes. Breve autem hîc idem quod parvum, ut cùm poëta dicit:

—— *Brevibus Gyaris, & carcere dignum.*

Verum hoc, sive de urbe acceperis, quam Polyb. *lib.* 3. Πολισμάτιον *oppidulum* vocat, sive etiam de totâ insulâ, cujus ambitus, teste Strabone, non patet ultra stadia 150. i. e. sex aut septem leucas nostrates. Hinc Sil. *lib.* 4.

Et bellare Tabas docilis Cosyraq; parva.

Aliter *Cosyra* nomen ab Ebræo חוסר *Choser*, i.e. *inopiâ* deducatur, unde Ovid. 3. *Fastorum*:

Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyræ
Insula, quam Libyci verberat unda freti.

Sen. *de Consol. ad Helviam capite* 6. *Deserta loca, & asperrimas insulas, Sciathum, & Seriphum, Gyarum & Cosyram pete.* Ideo tamen habitatur, quia aquis est irrigua, & portum habet commodum, olivisque scatet, & capris, ut Arabs Geographus testatur *Clim.* 4. *part.* 2. Baudrando Insula est Africæ, in mari Mediterraneo, versus Hermææ promuntorium, à quo 45. mill. in Ortum abest, à Melita 90. circiter in Occ. à Clupea 50. in Ortum, à Sicilia 90. in Austrum. Urbeculam habet & castrum, cum portu sat tuto. Olim sub Tunetano R. nunc à *Sicilia* pendet. Circuitus est 25. m. p.

Cosyri, Indiæ pop. Plin.

Cosyrus, insula juxta Selinuntem, Item Siciliæ fluv. & urbs ejusdem nominis. Steph. Tres ibi hodie sunt insulæ, *Tresontane* dictæ.

Cosyte, Umbriæ urbs. Steph.

Corace, Ariæ oppidum.

Cotaa, Armeniæ min. regio. Ptol.

Cotana, Armen. min. urbs. Ptol.

Cotamba, Persiæ opp. Ptol.

Cotarellus, vide *Coterellus*.

Cotbusium, oppidum Lusatiæ inf. ad Spreham fluv. sub Elect. Brandeb. Aliter *Corvvitz*. Medium ferè inter Dresdam & Francofurtum ad Oderam.

Cotensis, Daciæ pop. Ptol.

Coterellus, idem cum *Cotario*, habitator *Cota*, quæ vox apud medii ævi scriptores casam viliorem notat, ex Græco κοίτη, tugurium, latibulum. Unde *Coterelli* videntur dicti homines viliores, Gall. *Cotereaux*, vel *Costereaux*, qui sub Anglo militantes Gallis admodum erant infesti. De his Rigordus, *de gestis Philippi Aug. Quodam die*, inquit, *Ricardus Comes Pictaviensis multitudinem Cotarellorum ad Castellum Radulphi pro succursu miserat.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Cotes, aliis *Cottes*, Africæ promuntorium in Mauritania Tingit.

Tingit. in extremo freto situm, ut constat ex his Strabonis, postquam de freto actum: Ἐντεῦθεν δὲ προῦπτος ἔγκειταί τις ὑψηλὸς πρὸς δύσιν τῆς Μαυρουσίας, αἱ Κώτεις λεγόμεναι, id est, *Inde processus quidam objacet, Mauritaniæ pars ad occasum extrema, Cotes vocant.* Proinde Ptolemæus ibidem habet, Κώτης ἄκρον, *Cotes promuntorium.* Putat Bochartus Pœnos scripsisse קוטף *Cotef*, id est, τοῦ τρυγῶντος, *vindemiantis*, quia Mela *Ampelusiam* exponit. Verba sunt; *Caput atque exordium (Africæ) est promuntorium, quod Græci Ampelusiam, Afri aliter, sed idem significante vocabulo appellant.* Plinio quoque id promuntorium *Ampelusia* dicitur; sed Cotes est vicinum opidum. *Promuntorium*, ait, *Oceani extimum Ampelusia nominatur à Græcis. Opida fuere Lixa, Cotes ultra columnas Herculis*, &c. At in Scylace *Cotes* est sinus in ipso freto inter Columnas & Ἑρμαίαν ἄκραν. Nunc *Capo Spartel*: Hispaniæ obversum, prope Oceanum Atlantic. ubi major est Herculei Freti latitudo. 5. leuc. Hisp. à Tingi, in Occ. Baudr.

Cöthena, opp. Anhaltinatus, in Germ. sup. sub proprio Principe, è familia Ascania. Orsus est olim *Cöthensem* ramum Albertus III. Claudus, fil. Johannis, sicut frater ejus Sigismundus Servestanum inchoavit: qui ambo pro Marchia Brandeburg. quam Sigismundus Imp. Norimbergensi Burggravio concesserat, accepere 60000. aureos. Reliquit Albertus filios Woldemarum, Albertum & Adolfum, patrem Wilhelmi, qui dein, cùm se Minoritarum ordini addixisset, Ludovici nomen assumpsit: & Adolfi, Episc. Mersburgensis, cui Lutherus theses suas de Indulgentiis dedicavit. Iterum incepit hunc ramum Ludovicus, minimus natu filius Joachimi Ernesti, qui unus post plura secula totius Principatus fuerat possessor, mortuus A. C. 1586. Fuit autem Ludovicus Oeconomicâ laude & literis, Societate inprimis, quam *Frugiferam* vocant, fundatâ clarus, Obiit A. C. 1650. relicto ex Sophia Lippiensi filio Wilhelmo Ludovico, nato An. C. 1638. Vid. Phil. Jacobum Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Cothon, Carthaginis tres erant partes, Κώθων, Μέγαρα, & Βύρσα. *Cothon* variè definitur. A Strab. *lib.* 17. νησίον περιφερὲς Εὐρίπῳ περιεχόμενον ἔχοντι νεωσοίκους ἑκατέρωθεν κύκλῳ, *Insula parva, rotunda, Euripo circumdata, utrinque habente in orbem navalia.* Portum fuisse muro cinctum, cujus pars una rotunda fuit, altera quadrangula, colligere est ex Appiano, cujus verba sunt: Ἐπεχείρει τῷ λιμένων τῷ καλουμένῳ Κώθωνι; *portum Cothonem nomine est aggressus.* Item ὁ δὲ Ἀσδρούβας νυκτὸς ἐνεπίμπρη μέρος τοῦ Κώθωνος τὸ τετράγωνον *Asdrubal noctu incendit partem Cothonis quadrangulam.* Item ἐπὶ θάτερα τοῦ Κώθωνος ἐς τὸ περιφερὲς αὐτοῦ μέρος ἀνελθὼν, *Ad alterum Cothonis latus, nempe ad partem ejus rotundam ascendens.* Et rursus, Ληφθέντος δὲ τοῦ περὶ τὸν Κώθωνα τείχους, *occupato muro qui Cothonem cingebat.* Diod. *lib.* 3. De portu Charmuthâ, in Arabum Thamudenis: Ἐμφερέστατός ἐστι τῷ κατὰ τὴν Καρχηδόνα λιμένι, προσαγορευομένῳ δὲ Κώθωνι, *Simillimus est portui Carthaginis Cothoni nomine.* In margine ex libris scriptum Κάθωνι. Hirtii *libro quinto*, nominatur aliquoties Cothon, non Carthaginis, sed Adrumeti urbis Africæ in hoc eodem litore notissimæ: *Varus* (inquit) *Adrumeto ex Cothone egressus.* Festus scribit, *Cothones appellari portus in mari interiores arte, & manu factos.* Et Servius *in illud Poetæ, Hic portus alii effodiunt, id est, Cothona faciunt. Cothona sunt portus in mari non naturales, sed arte, & manufacti. Est autem & masculini, & neutrius generis.* Vocem Africanam, aut Punicam esse oportet, cùm neque apud Græcos, neque apud Romanos scriptores uspiam pro portu occurrat, nisi quibus locis agitur de urbibus Africanis. Radix קטם *Katam*, vel Phœnicio more *Katham* apud Talmudicos est *incidere*, unde קטום *Kathum incisus*. Græcis, qui nullam habent desinentem in *M.* pro *Kathum* dictus est *Kathon* vel *Kothon*, & leviculâ hâc mutatione factum, ut barbara vox Græcâ civitate donaretur. Bochartus.

Cothurnus, discipulus Prodici; ex triginta tyrannis, à Lacedæmoniis, devictis Athenis, impositis. Quare ita dictus sit, vide Scholia, *in Aristophanis Nubes.*

Cotia Sylva Gall. inter Crespiacum Valesium, & Suessiones, versus Firmitatem Milonis. Aliis est in eo tractu, ubi nunc vicus *Soise*, ad Axonam fluv. ubi influit in Oesiam, prope Compendium. Gall. *La Forest de Villers Costerez*, à superbo illic Villerio castro excitato. Baudr. Hadriano Valesio silva hæc vico seu villæ *Cotia* nomen dedit, quod ipsa à cotibus accepisse videtur; *Cuise* aut *la forest de Cuise*. A' quibusdam silva Compendiensis, *la forest de Compiegne*, quia Compendio villæ olim publicæ seu Palatio Regio proxima, dicitur. In illa *Cotia*, ut dictum, villa hodieque veteris Palatii in silva reliquias ostentans, vulgò *Cuise*: vici S. Petri *S. Pierre en Chaste*, Exartum *l'Essart*, S. Nicolai *S. Nicolas de Course*, S. Johannis ad silvam *S. Jean au Bois*, Bruerjæ *Brujeres*, à myricarum copia, sic enim illas Galli vocant: Brolium tandem *Breu*, quæ vox silvam cæduam septamque Gallis significat, & Casnum *Chesne*, al. *Chene Herbelot*, prope Cotiam villam. Posita est silva inter Axonam, Isaram & Ottenetam amnem, qui apud Verinbream aut Vermariam palatium in Isaram effluit. *Quisa* Brittoni *Philipp. lib.* 2. pro *Cuisia* silva: *Notit. Gall.*

Cotilia, insula, sive lacus apud Festum, vide *Cutilia*.

Cotina, locus circa Bætim, in quo æs aurumque nascitur. Strabo.

Cotinusa, quæ post *Gades*, ob multitudinem oleastrorum, V. Schol. *in Aristoph. Plut.* & in voce *Continusa*.

Cotiso, Dacorum rex, cujus exercitus, cùm Pannonias invasisset, à Cornelio Lentulo, duce Augusti Cæsaris victus est. Horat. *in Odis*,

Occidit Daci Cotisonis agmen.

Abrahamus Mylius *lib. de linguâ Belgicâ, cap.* 26. *Cotison*, quasi *Gotes son*, id est, linguâ Belg. *Dei filius.* Sic nempe Dux ille dictus est, quia Optimates se, suosque liberos pro Deorum progenie ab aliis haberi volunt.

Cotomana, Armeniæ maj. op. Ptol.

Cotoneum, vulgò *Codogno*, opp. Duc. Mediolanensis, in limite agri Placentini; Gaudet titulo Comitatus Trivultiorum.

Cotonis, ins. circa Echinadas. Plin.

Cotrades, Isauriæ urbs. Steph.

Cotriguri, Hunnorum gens. Agathias.

Cotta, Orator, qui cum Sulpitio æquali disserit, apud Ciceronem *in dialogis de oratore.* Legem tulit, ut liceret Tribunis plebis alios recipere magistratus, quod lege Syllæ iis erat ademptum. Singularem ejus dicendi facultatem ac dexteritatem multis nominibus laudat Tullius, *lib. de Oratore ac in Bruto.* Alter *Cotta*, contra Mithridatem infeliciter pugnavit, Syllam Cæsari conciliavit. Tertius, Legatus Cæsaris in Galliâ, insidiis circumventus, ab Ambiorigis Ducis exercitu interficitur. Ascon. Pædianus. Totum nomen est *T. Aurunculejus Cotta.* Cæs. 5. *Com.* Cottæ cuidam Ovidius dedicavit, *ep.* 8. *lib.* 1. *& ep.* 2. *lib.* 3. *de Ponto.* Cottæ Poëtæ meminit idem *ep. ult. lib.* 4. An idem hic cum eo, cujus 5. *eleg. lib.* 3. mentio? Plurium aliorum Fasti Consulares, &c. meminerunt.

Cotta Aurelius, per luxum avitas opes dissipavit: huic tamen Nero annuam pecuniam statuit. Tacit. 13. 34.

Cotta Messallinus, imperante Tiberio, Senator, adulandi fœdissimâ arte famosus Messallæ Oratoris, Patris optimi, degener proles. Tac. *l.* 2. Promptissimus cum atroci sententiâ, de quibus Cæsar ad Senatum retulerat. Ibid. *l.* 5.

Cottæobriga, Vettonum in Lusitaniâ urbs.

Cottiæ, locus Gall. Cisalpinæ inter Ticinum, & Taurinos. Antonius.

Cottiæ Alpes, *Moncenis* Leandro, *Mon Genebre* Jovio, montes excelsi inter Galliam & Italiam divortia facientes, ac Taurinos ab Allobrogibus, seu à Delphinatu potius separantes. Has P. Diaconus Dertonam, & Bobium usque extendit, sed malè, partemque illas Apennini facit; Extenduntur à monte Vesulo ad montem Cenisium. Harum præc. montes, *Genebra, Cenisius, Vesulus*; habentque ad Austrum Alpes marit. ad Boream, Grajas. Baudr. Valles Lucernam & Perusiam, ex parte Italiæ, continentes. Morer. Plin. *lib.* 3. *cap.* 20. Strab. *lib.* 4. Tacit. Ammianus Marcell. Aur. Victor, Leander Alberti, &c. Hæ Alpes 12. civitates continebant olim, regnum componentes. Hinc Cottii Regis mentio, apud Sueton. *in Tiberio cap.* 37. qui etiam *in Nerone capite* 18. memorat, hunc Regnum Ponti Polemone R. consentiente, & Alpium, post Cottium mortuum, in provincias redegisse. Has dein Alpes Aripertus Italiæ R. ut scelera elueret, Pontifici donavit A. C. 704. P. Diac. *lib.* 6. *cap.* 28. quam donationem renovavit Luitprandus, A. C. 725. Sigon. *l.* 3. &c.

Cottiæ, vel *Cotiæ*, *Cozzo*, pag. Duc. Mediol. in agro Vigevanensi, 2. mill. à Sessia fluv. & à confin. Montisferrati. *Cutia* quibusdam.

Cottiara, Indiæ intra Gangem urbs, in ora, Ptol. *Cochin* Castaldo, *Calecut* nonnullis. Forsan *Travancor*, 28. leuc. Hisp. à Cocino in Austr. 10. à prom. Comorino in Bor. Baudr.

Cottiaris, Sinarum flu. Ptol.

Cottis, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Cottium, Straboni Gall. Narbonensis locus, circa Alpes Cottias.

Cottobara, Gedrosiæ op. & Indiæ intra Gangem.

Cotton, urbs Asiæ Propriæ. Livius.

Cottona, Indiæ reg. unde piper monoxylis lintribus Becarem convehitur. Plin.

Cottona, portus Æthiopiæ, ad sinum Arabicum Solin.

Cottonus Petrus, Jesuita, vir aliàs doctus, ex dæmone obsessæ puellæ Hadrianæ, inter alia, de salute Regis Henrici M. & compositione animorum inter Reges & Magnates: Item de evidentissimo Scripturæ Sacræ loco, pro Purgatorio & Invocatione SS. probando, sciscitatus dicitur, Thuan. *Hist. cap.* 132. Lætus *Compend. Hist. Univ.*

Cottus, Gigas centimanus, Hesiod. *in Theogon.*

Ἄλλοι δ' αὖ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο,
Τρεῖς παῖδες μεγάλοι καὶ ὄβριμοι, οὐκ ὀνομαστοί,
Κόττος τε Βριάρεώς τε, Γύγης θ', ὑπερήφανα τέκνα,

Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο
Ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα
Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσι.

Vide Palæphatum.

Cottula, urbs circa Ticinum. Strabo.

Cotuantis, Rhætorum gens. Strabo.

Cotuatus, vide *Conetodunus*: Quod nomen corrupit Cæsar. Gallicè *Gutwad*, qui est egregiis furis, Εὐκνήμις.

Cotus, Æduus, antiquissimâ familiâ natus, homo summæ potentiæ & magnæ cognationis. *Vergobretus* in sua civitate renunciatus. *Cæs.* 7. *Comment. c.* 32.

Cotyæum, Galatiæ op. Ptol. & Plin.

Cotyæum, Phrygiæ magnæ urbs. Strab. In Bithyniæ confin. Nunc ex primis totius Regionis, Præfecti Turcarum sedes. 65. m ll. à Prusa in Ortum, 70. ab Adramyto. Dicitur *Cutaige* seu *Chiutaje*.

Corylæum, Eubœæ mons. Steph.

Corylaus, Æsculapius apud Eurotam Laconiæ flu. cultus, cujus templum ab Hercule positum est, cùm ex vulnere in *cotyle*, id est, in manus concavitate sanatus esset. Pausan.

Corylius, Arcadiæ mons. Pausan.

Cotylum, collis in Idâ monte 120. m. p. à Scepsi distans, in quo Scamandri, Granici, & Æsepi fluv. origo, ἀπὸ τῆς κοτύλης, à *cavitate* vel *receptaculo* dictus.

Cotyora, vide *Cytorum*.

Cotyrga, Siciliæ Mediterraneæ urbs. Ptol.

Cotys, Latinâ terminatione *Cotus*, Thraciæ regum nomen. Nepos *in Iphicrate*, *Mnesthea filium reliquit, ex Thressâ natum, Coti regis filia.* Idem *in Timotheo*, *Cotyn* Græcâ ratione vocat. Cotyn Thraciæ regem in Pompejanâ militiâ, commemorat Cæsar *l.* 3. *de bello Civili*, *c.* 4. ubi vide Ciacconium. Pompejanas partes fovit. Lucan. *l.* 5.

—— Fortemq; Cotyn, fidumq; per arma
Deiotarum. —— ——

Hic, cùm naturâ esset iracundior, & asper eorum, qui in ministeriis deliquissent, castigator, vasa fictilia, tenuia quidem & fragilia, sed cælaturis quibusdam & sculpturis eleganter elaborata, sibi ab hospite allata, simul omnia confregit, ne in eos, qui illa fregissent, asperius animadverteret. Plut. *in Apophth.* Alius regis Thraciæ hoc nomine, qui regnum cum patruo suo Rescupori divisit, ab hoc dein per proditionem occisus, mentio est apud Tacitum 2. *Annal. cap.* 64. *&c.* Hic ille Cotys est, literis, & Poësi excultus, an alius Getarum Rex? ad quem Ovid. *Eleg.* 9. *l.* 2. *de Ponto* scripsit, exul sc. in ejus regno,

Regia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi pervenit usq; Coty.

Coti Odrysarum regis meminit Livius; Alius Coti Ædui Cæsar, *de bello Gallico.* Vide *Cotus*

Cotys, Armeniæ min. Rex, sub Claudio, Mithridati bellum movit, Tacit. *l. Ann.* 11. *&* 12.

Cotytto, *ûs*, Dea impudicitiæ, cui Athenis à Baptis (eo nomine vocabantur ejus sacerdotes) nocturna sacra fiebant, quæ ab illa vocantur *Cotyttia*. Hanc Probus saltatricem fuisse existimat, unde etiam sacerdotes ejus lascivis saltationibus mores ejus referebant. Juvenal. *Sat.* 2.

Talia secretâ coluerunt orgia tedâ,
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.

Horat. *Epod. ult.*

Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis.

Vide Politian. *Miscellan. cap.* 10.

Cotzianum, Phrygiæ civitas. Jornandes.

Covalia, vulg. *Kile*, prov. Scotiæ merid. inter Carrictam, Cuninghamiam & Cludesdaliam prov. ubi Aërea, urbs primaria, mercibus affluens, cum portu satis commodo.

Coubela, Arx Indiæ Or. in Amboina, una ex Moluccis, in dit. Hollandorum.

Couchin, unum ex maximis Indiæ prom. Garzias ab Ort. *lib.* 1. *histor. aromat. cap.* 17.

Coucum, regnum parv. Barbariæ, in Afr. cum urbe cognom. in mediterr. intra montes, inter regna Algerii & Bugiæ. 60. mill. ab ora maris Afr.

Coveliaca, vulg. *Kochel*, locus Bavariæ sup. non longè ab Isaro fluv. Cluver. 8. leuc. Germ. à Monachio in mer. 6. à Schonga in Ort.

Coventria, urbs Angliæ media inter Herefordiam, & Lincolniam ad 50. mill. à Vigornia 20. Londinum versus. Baudrando sita in Comit. Varvicensi, 20. mill. à Lichfeldia, 6. à Vvarvico in Bor. Vid. *Conventria*.

Covetus Jacobus, Parisiensis, acris judicii Theologus, Obiit Basileæ, an. 1608.

Cougium, Hisp. Tarracon. urbs in Vaccæis. Ptol.

Covinus, vehiculi genus, quo Britanni & Galli in præliis utebantur. Lucan. *lib.* 1.

Et docilis rector rostrati Belga Covini.

Silius *lib. ult.*

Cærulus haud aliter cùm dimicat incola Thules,
Agmina falcifero circumvenit arcta Covino.

Inde *Covinarius eques*, apud Tacitum *in Agricola*. Mela 3. 6. *Dimicant non equitatu modò, aut pedite, verùm & bigis, & curribus, Gallicè armati: Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* De Britannis.

Coulanum, urbs cum regno cognom. in Malabariæ ora, ubi aliàs forsan Elancorum, in duas partes divisa. Sub Rege proprio, cui subest & regnum Travancoris in illo tractu. Ibi arx & empor. celebre cum portu, nec exigua vis Christianorum, 18. leuc. Hisp. infra Cocinum, in Mer. 24. à Camorino prom. in Bor. Maff. *l.* 2. Jarric. *l.* 6. *c.* 17. Barbosa, &c. Hic 2. arces Lusitanis. Morerius.

Counos, Angliæ insula, *Canuey*, teste Camdeno, in Essexia, ad Tamesis æstuar. in Bor. ubi pars Trinobantum al. Vix 10. mill. Angl. à Londino, in Ort. 7. a Roffa in Bor. licèt aliis *Shepei*.

Covordia, opp. permunitum Belgii in prov. Transisal. caput Drentiæ tractus, sub Batavis. Quibus id An. 1592. Mauritius Princeps Hisp. ereptum, subjecit. Difficili situ, ac priscâ nobilitate, postremò ab Hispanis firmatum. Tarantiorum & Groningæ propugnaculum simulque iter in Germaniam. A boum transitu in Benthemium Germaniæ agrum, per unicum inter humida & tenuem limitem, nomen adeptum. Hugo Grotius *Histor. lib.* 2. Prope paludes, in confin. Westphaliæ & ditionis Monaster. 13. leuc. à Groninga in Austr. An. 1672. ab Episc. Monasteriensi, Gallicis viribus subnixo, per proditionem captum, sed sub initium Anni 1673. per Præf. Groninganum, Rabenhaupt, fortissimè receptum est:

Cous, vide *Coos*.

Couuna, vulg. *Kouuno*, urbs Lithuaniæ, ad Chronum fluv. ubi Viliam recipit, in confin. Samogitiæ & in Palatinatu Trocensi. 8. leuc. à Troca, 13. à Vilna in Occ.

Coyacum, locus in diœcesi Ovied. in Hisp. ubi concilium, Anno 1050. à Ferdinando I. Castellæ R. marito Sanctiæ, Alfonsi Legion. R. filiæ celebratum, ad regnum Ecclesiamque bonis legibus instruendam. Baron. A. C. 1050.

Coylus, fil. Marii, nepos Arviragi, Britanniæ Regum, patri successit, per annos 45. Circa A. C. 93. Polydor. Virgil. *lib.* 2. *&* 3. Eum excepit filius Lucius, qui impetratis ab Eleutherio Episc. R. Evangelii præconibus, cum tota domo, & universo populo baptizatus est, A. C. 181. Idem *ibid.*

Coymaseni, Corsicæ pop. Ptol.

Cozala, Armeniæ maj. op. Ptol.

Cozbi, Lat. *mendax*, aut *cessans*, sive *quasi fluens*, aut *quasi fluxus*, Madianitis filia Suri, quæ cum Zimbri deprehensa, à Phinees filio Eleazari Sacerdotis occisa est. Num. 25. Torniel. *A. M.* 2583. *n.* 19.

Cozistra, Ciliciæ præfecturæ in Cappadociâ urbs. Ptol.

Cozminga, oppidum Poloniæ min. ubi Synodo indictâ, An. C. 1554. *ex utraque Polonia, & Prussia, Ministri Evangelii convocati, & unio cum maj. Poloniæ Ecclesiis inita est: Mox tamen fraude Arianizantium turbæ obortæ.* Joh. Bielscius *in Chron. Pol. l.* 5. *p.* 600. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

C R.

Crabasia, urbs Iberorum. Ptol.

Crabra, vulgò *la Maranna*, fluviol. oritur in Latio, ex agro Tuscul. paulo supra Cryptam Ferratam, postea in 2. brachia partitur. Pars maj. in Anienem se exonerat, vix 2. mill. à Roma: minor per urbem labitur, ibique in Tiberim fluit.

Cracea, Maga quædam apud Saxones, quæ appositas dapes in aliarum rerum formam commutabat, ludificatisque Idiotarum mentibus divinitatis fastigium sibi arrogabat.

Cracovia, qu. *Gracchopolis*, Poloniæ caput, in Polonia maj. amplissima, ad Vistulam fluv. tribus urbibus constans, à Craco condita, de quo infra. Episc. sub Arch. Gnesnensi. olim sedes Regum, qui nunc plerumque Varsaviæ degunt. Hic Academia, fundata à Casimiro I. an. 1364. *filia Sorbonæ*, sicut ipsa urbs Roma Poloniæ, dicta. Institutus Episcopatus est, à Mieczislao D. qui cum Daumbrouca fidem Christianam est amplexus A.C. 965. Cromer. *lib.* 3. Incensa est à Tartaris, sub Boleslao Pudico, An. C. 1241. Idem *lib.* 9. Ejus regimen Teutonibus, ob fidem servatam, collatum est, à Lesco Nigro, A. C. 1288. Idem *lib.* 10. Disputatione hîc à Iagielone R. cum Hussitis institutâ, A. C. 1431. Rex paulo pòst è Bohemia ministros evocavit, qui in templo S. Crucis Sclavonicâ linguâ concionati diu sunt, uxorque Hedvigis Biblia S. Polonicè verti curavit. Lasicius *de gestis Fr. l.* 1. Legato Pontificis Anno 1448. advenienti Academia nihil honoris exhibuit, Concilio Basiliensi adhærens. Postea verò A.C. 1591. Protestantium templum à studiosis destructum est, quod iterum A. C. 1635. factum. Academiæ gravissimam litem moverunt Jesuitæ, urbsque sanguine innocentium plurimo repleta est, ut infremuerit tota Polonia, quæ verba sunt Academicorum *in epist. ad Lovanienses*: qui inter alia librum emiserunt, cum tit. *Gratis*: quo jussu Regis combusto, decretum in Comitiis An. C. 1626. Jesuitæ Scholam suam in urbe claudant, & Academiæ

in po-

in posterum molesti esse desinant. Capta urbs bello Suecico & recepta est. An *Corrodunum* Ptol. Cromer. *de situ Polon.* Cluver. *Inv. Geogr.* Payen. *itiner. Polon. p.* 118. *& seqq.* vulgò *Cracow.* Cum arce permunita. 9. leuc. à confin. Siles. in Ort. 11. à confin. Hung. in Bor. 40. à Varsavia in Austr. 23. à Sandomir. in Occasum.

Cracus, Deus Ægyptiorum, cui salsamentis sacra facere solitum erat. Rhodigin. *lib.* 12. Item Poloniæ Dux, postquam XII. Palatini, quos extinctâ Lechi stirpe Poloni elegerant, ad tyrannidem essent prolapsi, creatus est, A. C. 700. Hic in Vistulæ ripa Cracoviam condidit. Crom. *l.* 1. V. infra.

Cracus I. primus Poloniæ princeps, à Palatinis electus, an. 700. Vid. supra. Ei filius

Cracus II. successit, à fratre Lecho, paulo post in venatione occisus. Cellar. *nova descr. Pol.* Crom. *l.* 1. Michov. *l.* 1.

Crade, Cariæ urbs. Steph.

Cragus, mons Ciliciæ, Tauri pars. Plin. 5. 27. ex opposito habens montem Anticragum. Aliis est mons Lyciæ. Sic dictus à *Crago* Tremiletis (aliàs Trenedeti) & Praxidicæ nymphæ filio. Ovid. *lib.* 9. *Met.*

Jam Cragon, & Lymiren, Xanthiq; reliquerat undas.

Horat. *Carm.* 1.

—— Nigris aut Erymanthi
Sylvis, aut viridis Cragi.

Dionysius *vers.* 849.

Ἔνθα βαθυκρήμνοιο φαείνεται οὔρεα Ταύρε
Παμφύλων καὶ μέχει. Κράγον δὲ ἐ φημίζεσι.

Hîc ferunt esse Deorum agrestium antra, & incolas Cragi immortales fieri. Gentile *Cragius*. Steph.

Crambusa, insula Ciliciæ apud Corycum promunt. & Calycadni flu. ostia. Steph. Item urbs Lyciæ. Strabo.

Crambutis, urbs Ægypti. Steph. Κράμβοτις Herodiano.

Cranae, ins. Laconica, quæ nunc *Helena*, ante *Getheum*: sic etiam vocatur Attica à *Cranao* rege. Gentile, si de Insulâ Laconicâ accipiatur, est *Cranaates*, si de Atticâ, *Cranaus*, Steph. Sunt qui Cranaen insulam esse velint adjacentem Sunio Atticæ promontorio.

Cranaus, Athenarum rex, qui Cecropi in regno per annos 9. successit, à quo inquilini *Cranai* dicti. Successit Amphictyon. Euseb. *Chr.* Jul. Afric.

Cranaus, Cariæ op. Plin.

Cranda, Æthiopiæ sub Ægypto op. Plin.

Crane, teste Ovid. *Fast.* 6. nympha fuit Helerni luco oriunda, venationi addicta, quæ cùm à multis procis nequicquam sæpe petita fuisset, omnesque delusisset, tandem à Jano occupata, & compressa fuit, cui pro virginitate ereptâ dedit, cardinibus præesse, & striges ab infantum cunis abigere. Unde postea *Carna* dicta est. Vide *Carna*, & *Cardinea*.

Crane, Arcadiæ urbs, ubi abietes plurimùm nascuntur. Theophrastus.

Cranea, parva regio Ambraciotarum. Steph.

Craneum, gymnasium apud Corinthum. Cicero.

Craneus, primus Macedonum rex, cujus successores usque ad Alexandrum, annis fere quingentis regnarunt. Volat.

Cranganora, urbs Indiæ cit. regionis cognom. caput, cum portu in ora Malabarica, 25. mill. à Cochino, antea sub Lusitanis, nunc sub Hollandis. Ibi persæpe moratur Archiep. Angamalæ, incolæ plerunque Christiani. Jarric. *lib.* 6. *c.* 14. Govea, *de progr. Eccl. lib.* 2. *cap.* 19.

Crania, Tarsus Ciliciæ sic olim vocabatur. Steph.

Cranide, urbs à Thasiis habitata, quæ postea *Philippi* dicta est.

Cranides, vicus juxta Pontum. Steph.

Cranion, Cephalleniæ civitas. Thucyd. *lib.* 5. pluralis numeri eam facit.

Cranionius Crauxidas, eques insignis. Pauf. *in Eliac. prioribus.*

Cranon, Crannon Livio, *Ceres*, teste Bellonio, urbs Thessaliæ in Macedoniæ confin. Plin. Valer. & al. vide Steph.

Cranostavia, urbs Pol. parva, sed munita in Russia nigra, ad amnem *Wieprz*, ubi stagnum efficit. Sedes nunc Episc. Chelmensis, à Chelma 5. leucis, ut & à Lublino.

Crantor, Solensis, Academicus Philosophus, Platonis auditor, & Xenocratis condiscipulus ac Palæmonis, qui novis opinionibus Academiam Platonicam repleverunt, LLoyd. Discipulus Xenocratis, Cratetis Philemonisque condiscipulus, Morer. Commentarios scripsit ad 30000. versuum, plurimaque poëmata, quæ, sigillo suo obsignata, in fano Minervæ reposuit. Vocum inventor admirabilis. Inprimis concinnavit librum de Consolatione, quem Cicero æmulatus est, & de quo hoc reliquit elogium: *Est ille quidem non magnus, sed verè aureolus, & ad verbum ediscendus libellus.* Periit aquæ intercutis morbo. Taxavit Stoicorum indolentiam, quæ esse nullo modo potest, nisi planè hominem saxeum esse velimus, & omni sensu planè carentem. Diog. Laërt. *de vit. Phil. lib.* 4. Cum Chrysippo eum conjungit Horatius, ubi de Homero, *ad Lollium*,

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius, ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

Item *Crantor* Pelei armiger, à Demoleonte Centauro interfectus. Ovid. *Met.* 12.

Crantzius Albertus, Decanus & Prof. Theol. Hamburgensis, Obiit Anno 1517. Scripsit Historiam Eccl. à tempore Caroli M. Historiam Saxon. 13. libris, Vandalicam 14. cum Chronico Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ: ab eodem Imper. orsus, usque ad annum 1504. Georg. Fabric. *hist. Sax. lib.* 1. Simler. *epit. Bibl. Gesner.* Voss. *de H. L. c.* 10.

Craserium, Siciliæ regio. Steph.

Crasnostavensis arx, in Poloniæ regno, in qua Maximilianus Austriæ Archid. postquam à Joh. Zamoiscio victus esset, Anno Chr. 1588. per biennium detentus est. Vide Thuan. *l.* 96. *Histor.*

Craspedites, Phrygiæ sinus. Plin. 5. *ult.*

Crassa, locus Galliæ, in diœcesi Narbonensi, Monasterio vet. clarus, vulgò *la Grace*, pro *la Grasse*. Ejus meminit Petrus Histor. *Albig. cap.* 34.

Crassitius Lucius Surrentinus, aliàs Tarentinus, ordinis Libertini, cognomento *Pansides*, Romæ ludum Grammaticæ aperuit, docuitque inter alios Jul. Antonium, M. Antonii Triumviri filium, totus postmodum Philosophiæ se dedit. Sueton. *de ill. Grammaticis.*

Crassus, Crassi divitis avus, nunquam risisse fertur: ob id *Agelastus* est vocatus. Plin. 7. 19.

L. Crassus, an. fil. P. Lic. Crassi, qui Consul & Pontifex, de quo infra? Orator, qui cum Antonio à Cicerone introducitur, *in libris de Oratore*, accusavit C. Carbonem eloquentissimum hominem admodum adolescens. Summam ingenii non laudem modò, sed etiam admirationem est consecutus; Defendit postea Liciniam virginem, cùm annos 27. natus esset. *In Bruto* Ciceronis, est elegantissima ipsius Crassi cum Antonio, & Scævolâ comparatio. Deploratur multis verbis ejus mors à Tullio in exordio, *l.* 3. *de Oratore.* Vixit an. 90. ante C. N.

P. Crassus, Oratoris frater, Juris peritissimus, in dominatione L. Cinnæ Marianarum partium, ne incideret in manus inimicorum, seipsum interemit. Cæterùm de morte ejus, & patris sui variant authores. Lucan. *l.* 2.

—— Truncos laceravit Fimbria Crassos.

Vide Appianum & Florum *lib.* 3. *cap.* 21. itemque Livii Epitomatorem.

M. Crassus, P. Crassi Censoris filius, Romanorum omnium ditissimus: Negavit quempiam divitem habendum, qui annuo reditu exercitum alere non posset. Hic sub Cinna Marioque, in Hispaniam se recepit, ubi apud Vibium octo menses latuit, hinc in Africa, sub Sulla, meruit. Ad bellum Servile missus, adversus Spartacum gladiatorem, qui fugitivorum ingenti contractâ manu, Vatinium, Gellium, ac Lentulum Roman. Imperatores fugaverat, 12. millibus hostium unà cum eorum duce cæsis, apud Rhegium, *juxta Leucadis paludem*, victoriâ potitus est, urbemque ovans intravit, lauro, novo exemplo coronatus, cùm cæteri ante eum non nisi myrteam coronam accepissent. Dein Consul & Censor, cum Pompejo & Cæsare, Triumvirum egit. Postremò cùm ei Syria sorte obtigisset, templum Hierof. diripuit, totâ Judæâ emunctâ: Hinc profectus ad bellum Parthicum, ibi cum filio Publio à Surenâ regis Præfecto captus, atque interfectus est. Et quoniam auri cupiditate expeditionem suscepisse credebatur, Barbari liquefactum aurum in os ejus infuderunt, jubentes, ut saltem mortuus sese auro satiaret, cujus famem vivus nunquam sedare potuisset. Plut. *in ejus vita.* Flor. *l.* 3. *c.* 11. Jos. *Antiq. l.* 14. Lucan. *lib.* 1.

—— Postquam crudeli funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carras.

Crassus, M. Crassi divitis fil. Cæsaris legatus fuit in bello Gallico: in Cæsarianis tandem partibus adolescens occubuit. Fuit autem discipulus Ciceronis, de quo ille *in Oratore*. Fratrem habuit *P. Crassum*, qui & ipse bello Gall. militavit sub Cæsare, immaturâ quoque morte raptus. Patrem enim in Parthos secutus interiit, V. supra.

Crassus Frugi, prænomine *Marcus*, Consul fuit cum C. Lecanio Basso, DCCCXVI. sub Nerone, qui ipse è Calpurniis Frugi, in Liciniam gentem, adoptione transiit. Pater Pisonis Liciniani, à Galba adoptati.

Crassus P. Licinius, ante ætatem Pont. Max. factus, quod nunquam antea contigit. Consul profectus est contra Aristonicum Eumenis filium, in quo prælio, profligato exercitu, ipse, ne in manus hostium veniret, baculo Barbarum quendam in acie oculo converberato, in sui necem provocavit. Doctissimi, nobilissimi, eloquentissimi, Juris peritissimique elogium meritus. Liv. *lib.* 59. Strabo *lib.* 13. Justin. *lib.* 36. Vellejus, *lib.* 2. Flor. Val. Max. &c.

Crastinus, Dux Rom. adversus Vandalos missus. Anno Dom. 424.

Crastinus, Evocatus in exercitu Cæsaris, in Pharsalicis campis occubuit, gladio in os adversum conjecto. Cæsar *lib.* 3. *Civil.* 99. Videatur Plutarchus & Lucanus.

Craſtus, urbs Sicanorum in Siciliâ, Epicharmi Comici patria & Laidis meretricis. Gentile *Craſtinus*. Herodotus *Craſtin* vocat.

Crataïs, mater Scyllæ, ut quidam volunt.

Crataus ſive *Cratævus*, quem Diod. *l*. 14. *Craterum* vocat, ab Archelao ſtupratus & nuptiis promiſſæ in matrimonium alterutrius filiæ fruſtratus, in necem ejus conjuravit. Ariſtoteles 5. *Pol*. 10.

Cratander Andreas, Typographus Baſilienſis celebris, ſec. præt. Johannem Oecolampadium, an. 1522. Auguſtâ Baſileam reverſum hoſpitio excepit: apud quem ille Chryſoſtomi nonnulla Latinè vertit. Urſtis. *Epit. Hiſt. Baſil. c*. 9.

Crateas Macedo, Pater Pithonis.

Crateïs, fluv. Brutiorum in Calabriâ ulteriore, *Fiumara le Moro* hodiè.

Crater, ſinus Campaniæ inter Miſenum, & promunt. Minervæ, qui & *ſinus Puteolanus* dicitur. Strabo *lib*. 5. Hodiè *Golfo di Napoli*.

Craterus, Macedo è comitibus Alexandri, qui etiam ejus res geſtas conſcripſit. Rei militaris & literatæ gloriâ florentiſſimus. Ejus ad Ariſtopatram matrem epiſtol. de admirandis, quæ vidiſſet, citat Strabo *lib*. 15. V. Plut. *in Alexandro*. Curt. Arian. Voſſ. *de H. G. l*. 3. *p*. 347. *& l*. 4. *c*. 9. *p*. 462.

Craterus Macedo, Hiſtoricus, quem laudant Schol. *in Ariſtoph. Aves*. Stephanus citat tertium & nonum, è Crateri libris, περὶ ψηφισμάτων.

Craterus, Medicus inſignis, quo T. Pomponius Atticus uſus, Cic. *lib*. 12. *ad Atticum, ep*. 13. 14. Hujus ſervum ſcribit Porphyrius Tyrius morbo inuſitato affectum, quum medicamenta non prodeſſent, viperâ piſcis in formam figuratâ & ab eo devoratâ ſanum factum. *Crateri* meminit etiam Horatius *libro* 2. *Serm. Sat*. 3.

Non eſt Cardiacus (*Craterum dixiſſe putato*)

Itemque Perſius, *Sat*. 3.

Et quid opus Cratero magnos promittere montes?

Craterus Pictor, qui Comœdos Athenis in Pompejo pinxit. Plin. 35. 11.

Craterus, Statuarius nobilis, quem probatiſſimis ſignis Palatinas domos Cæſarum repleviſſe, author eſt Plin. 36. *c*. 5.

Crates, Athenienſis, poeta Comicus, antiquæ Comœdiæ, auditor Polemonis philoſophi. Suidas.

Crates, fil. Aſcondi, circa 113. Olymp. Thebanus, Philoſophus Cynicus, Diogenis diſcipulus, Hipparchiæ maritus, qui, Suidâ ac Diogene Laertio teſtibus, in pecuniam omnem ſubſtantiam redigens, apud Trapezitam depoſuit, hâc lege, ut, ſi filii philoſophi eſſent, eam indigentibus civibus diſtribueret, nihilo philoſophos indigere exiſtimans, Si autem idiotæ, eis redderet, ut, vacuis virtute, ſaltem opes opitularentur. Philoſtratus autem *in Vitâ Apollonii*, & Diocles, eum ſubſtantiam ſuam ajunt in mare projeciſſe, ut liberius philoſopharetur, atque dixiſſe, *Abite peſſum malæ cupiditates, Ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis*. Neque enim putavit ſe poſſe, & virtutes, & divitias ſimul poſſidere. A' Nicodromo citharœdo, alapâ acceptâ, iſtâ Epigraphe, *Hoc Nicodromus fecit*, illum notavit. Emicuit autem Demetrii Poliorcetæ temporibus, ad quem Thebas obſidentem miſſus legatus, ſuâ authoritate, eum ab obſidione patriæ removit. Plut. Diogen. Laërt. *l*. 6.

Crates, cognom. *Mallotes*, fil. Timocratis, Stoicus & Grammaticus ſub Ptol. Philometore, æqualis Ariſtophanis Grammatici, cognominabatur *Criticus*, ſive *Homericus*. Scripſit in Iliaden & Odyſſeam *lib*. 59. Comment. Suidas. Studium Grammaticæ Romam primus intulit, teſte Suetonio: miſſus enim ad Senatum ab Attalo rege, ſub ipſam Ennii mortem plurimas acroaſes fecit, aſſiduoque per omne tempus legationis diſſeruit. Plin. *lib*. 4. *cap*. 12. Varro *lib*. 8. *de L. L*. Strab. *lib*. 1. 3. 13. *&* 14. Voſſ. *de H. G. l*. 3. *p*. 347. *de Poët. c*. 8.

Crates, Pergamenus, res mirandas de variis gentibus literis prodidit. De quo Plin. 7. 2. & Ælianus *de Animalibus* 17. 9. Item Orator, ex familia Iſocratis.

Crates, ſub Alex. M. machinariæ rei artifex. Item Philoſophus Peripat. Item Philoſ. Academicus, Tarſenſis. Item Epigrammatiſta. Geometra tandem, &c. Diog. Laërt. *in Cratete Academico, libro* 4.

Crateſipolis, mulier factioſa, quæ Acrocorinthum Ptolomæo aſtutè tradidit. Polyæn. *l*. 8.

Cratevas, Medicus Plinio aliquoties memoratus, thapſi inventor apud Cæl. Rhod. *lib*. 18.

Crathis, paſtor, qui capræ amore deprehenſus, infantem ſuſtulit, qui cruribus matrem, facie verò patrem referebat, deorum numero mox aſcitus, & Hylæum numen Napeumque nominatus. Cæl. Rhod. 25. 32.

Crathis, nomen duorum fluviorum, quorum alter eſt in Achajâ propriè dictâ, prope Ægas, in ſinum Corinthiacum influens. Strabo *lib*. 8. Alter in Magnâ Græciâ juxta Sybarim op. cujus aqua barbis, comiſque flavum colorem inducere traditur. Ovid. *Met*. 15.

Crathis & hinc Sybaris veſtris conterminus oris,
Electro ſimiles faciunt, auroq; capillos.

Schol. Theocriti *Idyl*. 5. ex Nymphodoro, & Theophraſto, ait Κρᾶθις ὕδωρ ξανθίζει. Euripides *in Troadibus*, ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσαίνων Κρᾶθις, non ut pe peram legitur Κρᾶθις. Vibio Sequeſtri *auream comam facit*. Denique Strab. *l*. 6. ξανθοτριχεῖν, καὶ πολλὰ πάθη ἰᾶσθαι tradit. Vid. infra.

Crathis, ſeu *Cratis*, fluv. Calabriæ citer. Conſentiam rigat, & prope Biſinianum labitur. Hinc auctus Buſento, Turbido, Cotili aliiſque minor. fluv. in ſin. Tarentinum influit. Baudr. Vulgò *Crate*.

Cratia, Urbs Bithyniæ. Vid. *Flaviopolis*.

Cratinus, poeta Comicus, clarus apud Athenienſes, qui primus in Dionyſiis Athenis Satyricam fabulam induxit. Horat. *lib*. 1. *Serm. Sat*. 4.

Eupolis atq; Cratinus, Ariſtophanesq; poeta.

Perſius *Sat*. 1.

—— *Audaci quicunq; afflate Cratino.*

Scholiaſt. Ariſtoph. Κρατῖνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητὴς αὐστηρὸς τοῖς λοιδορίαις ἐστίν. Οὐ γὰρ ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐπισύρειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ, τὸ φορτικὸν τῆς ἐπιτιμήσεως διὰ ταύτης ἀναιρῶν, ἀλλ' ἁπλῶς κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων. Hinc nec Pericles ab ejus cenſura immunis, Plut. *in Pericle*. Scripſit 21. comœdias, novies victor. Obiit ſub initium belli Peloponneſiaci, circa 87. Olymp. Vixit an. 95. Ariſtoph. Fuit ſupra modum gulæ ac omni voluptatum generi deditus, & præcipuè ebrietati, ad quod alludit Horatius *in Epiſt*. 19. *l*. 1.

Priſco ſi credis Mæcenas Docte Cratino,
Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aqua potoribus.

Cratinus, inſignis luctator. Pauſan. Item ſtatuarius, omniumque formoſiſſimus, cui, poſtquam alios in luctâ ſuperaſſet, exercendorum puerorum officium demandatum eſt. Pauſan.

Cratinus, oſtentator quidam atque audax Athenis, quem utpote furioſum & ebrioſum Ariſtoph. *Acharn*. traducit. Vide *Antiſtrophen Act. IV. ſc*. 7.

Cratinus, Aſiæ flu. à lacu Sicyone in Oceanum fluens, juxta quem nonnulli fabulati ſunt electrum naſci. Plin.

Cratippus, Mitylenæus, quem Athenis docentem audivit Marcus filius Ciceronis, ut eſt *in proœmio librorum de Officiis*. Hic Pompejum poſt Pharſalicam pugnam fugientem, apud Mitylenem, conveniens ultro ſolatus eſt verbis philoſophicis, ad ſpemque hortatus, cùm quædam de Providentiâ diſſeruiſſet, reſque Romanas tandem labi eſſe neceſſe affirmaret. Plut. *in Pompejo*.

Cratippus, Hiſtoricus, Thucydidi σύγχρονος, hujus omiſſa ſolicitè annotavit. Dion. Halicarn. Marcellinus, *in Thucydidis Vita*.

Crator, libertus Aurelii Veri Imper. Conſulum reliquorumque Magiſtratuum, per 453. an. nomina tempuſque accuratè notavit. Theophil. Antioch. *lib*. 3. *ad Autolycum*. Voſſ. *de H. G. l*. 2. *c*. 14. *& l*. 4. *c*. 17.

Cratylus, philoſophus, Platonis Præceptor, poſt Socratem, cui Plato, *librum de ſignificatione nominum*, inſcripſit. Diog. Laërt. *in Platone, lib*. 3.

Cravalida, vel *Cravagalsida*, Phocidis regio prope Cirrham. Suidas.

Craugia, Peloponneſi inſulæ duæ, Spiræo promuntorio objacentes. Plin.

Crauſius, nomen viri proprium, qui Britanniam an. octo obtinuit. Eutrop. Oroſ. Inſidiis Allecti ſocii ſui occiſus eſt, an. U. C. 1046.

Crauxidas Cranonius, Olymp. 31. equo celete victoriam adeptus eſt, quanquam ſint qui velint equos celetes Olymp. demum 85. introductos eſſe. Verùm aliter cenſet Pauſan. *in Eliacis, & Arcadicis*.

Crazacum, caſtrum Galliæ, in Bituricenſi agro, à Philippo Auguſto R. captum A. C. 1196. Vulgò *Gracay*, nunc locus obſcurus, non procul ab Exolduno. Hadr. Valeſius *Notit. Gall*.

Crebenia, vide *Cebrenia*.

Crebennum Senonum, vulgò *Crevan*, opp. Galliæ ad Icaunam fluv. non procul ab ejus & Choræ confluentibus, in finibus Autiſſiodorenſium. Nonnulli *Crevennum Carpentum*, *Creſpans*, *Creſpantum*, &c. V. Hadr. Val. *Not. Gall*.

Creciacum Ambianorum, villa olim Regalis Galliæ, ſub Merovei poſteris in pago Pontivo, ad Altejam fluv. *Creci en Pontieu*, ſilvâ cognomine inſignis, quam Ebroinus olim armatus invaſit, Theodoricum R. ac Leudeſium Majorem domûs perſequens. Ibidem Philippus Valeſius R. ab Anglis fuſus acie, maximam accepit cladem. Dicitur vulgò ſilva *la foreſt de Crecy*. Aliud *Creciacum* vel *Criſciacum* eſt in pago Briegio *Creci en Brie*, non procul ab urbe Meldis, ad Mucram flum. in Matronam decurrens: à quo ſilva proxima nomen quoque habet. Vid. Eundem & infra in voce *Creſſiacum*.

Creciacum Remorum, ad Saram, *Crecy ſur Sere*, villa quondam

dam Regia Galliæ, in agro Laudunensi, postea è villa dominica castrum facta est. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Credentes, in Lombardia dicti, qui *Valdenses* in Gallia & Germania vocati sunt. Circa Annum Chr. 1260. Mornæus *in Myster. pag.* 891.

Credilium, castrum Galliæ in Bellovacis ad Isaram, vulgò *Creil.* Vid. *Creolium.*

Credo, vulgò *Craon*, amnis Galliæ, in finibus Andium, nomen oppido vel castro cognom. dedisse videtur Massono: sed nullus est ejus nominis fluv. in Andibus, & *Credo* ad ripam Oldæ jacet, qui *Oudon* vulgò dicitur, & aliquot fluviolis auctus, in Meduanam delabitur, ad Novam Villam *Neuville.* Caput agri Credonensis, *le Craonois.* Ejus meminit Wilelmus Britto, de Amalrico Guillelmi de Rupibus genero ac hærede unico, sic canens *Philipp. lib.* 10.

Ejusdem lateri gener illius unicus hæres
Hæret Amalricus, qui de Credone trahebat
Et genus & nomen, & erat dominator eidem.

Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Cresenna, Scandiæ pop. Jornandes. *Scritifinni* Procopio, hodiè *Scritfinner* Ortelio.

Crejus, Argiæ mons. Schol. Callimachi.

Crellius Nicolaus, Christiani Saxoniæ El. Cancellarius, post decennii carcerem, dato ei criminis, quòd Calvinismum, ut vocant, in Saxoniam introducere voluerit, capite plexus est, An. C. 1592. Fuit alius Johannes, Francus gente, fide Socinianus; qui obiit Anno 1642. Pluribus scriptis orbi gravis. Vid. Bibliothecam Unitariorum, ubi Socini, Crellii, Schlichtingii, Volzogenii opera simul edita prodierunt Irenopoli 1656. &c.

Crema, oppidum Lombardiæ Transpadanæ, caput Cremensis agri, sub *Venetis*, olim ViceComit. Placentin. & Cremon. dein Mediolan. Duc. eo loci situm quo forum Diuguntinorum à Ptolemæo memoratum extitit. Inter Cremonenses & Mediolanenses belli occasio, A. C. 1140. Sunt qui existiment Parasinos cives eam extruxisse, quum Mediolanensium Episcopus Parasium, urbem hæreticam, destruxisset anno 1151. Addunt *Cremam* appellatam, quòd eo loco Parasium esset crematum. Excisa à Friderico Barb. An. 1160. Alluitur Serio fluv. à Cremona 24. mill. in Occ. totidem circiter à Brescia. Episc. est, sub Arch. Bononiensi. Merula, *de Vicecomit. Cremonensibus, lib.* 4. 6. 7. 8. Blond. *lib.* 14. Leand. Alb. *descr. Longobardiæ.* Miræus *Geogr. Eccl.* Olim villa seu castellum simplex, sed inter tria Italiæ præcipua, & urbium æmula, numeratum: *Barletta in Puglia, Prato in Toscana, Crema in Lombardia.* Jam palatio insigni, arce & munitionibus inclytum oppidum.

Crema, Austriæ opp. ubi plurimi *Valdensium* cremati, circa A. C. 1312. Ad 80000. enim, illis in locis excreverant, hinc in Bohemiam effusi. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Crema, al. *Creme*, urbs Ponti. Gentile *Cremesius.* Steph.

Cremeneca, Urbs Polon. in Volhinia sup. in colle, ad amnem Ikuam, 8. leuc. à Leuceoria in Austr. versus Russiam nigr. Haud pridem malè à Tartaris habita.

Cremera, fluv. parv. Tusciæ 300. Fabiorum clade nobilitatus, qui Vejentum insidiis circumventi, ad fluvii ejus ripas ad unum omnes trucidati sunt: unde & dies ille inter atros annumeratus est, & porta, quâ egressi sunt, scelerata dicta. Ovid. *lib.* 1. *Fast.*

Ut celeri passu Cremeram tenuere rapacem,
Turbidus hybernis ille fluebat aquis.

Juvenal. *Sat.* 2.

Quid Cremera legio, & Cannis consumpta juventus.

Vide sis Cluver. *Ital. Antiq. lib.* 2. *cap.* 3. Nunc *la Varca* seu *la Valca*: in Tiberim fluv. se exonerat, 5. mill. supra Romam, prope vicum *la Valca* ex adverso castri Jubilei. Quibusd. etiam *Baccano* Baudr.

Cremma, Lyciæ urbs apud Strab. *lib.* 12. Pisidiæ verò colonia est Ptolemæo.

Cremmia, urbs Cretæ ins. quæ *Gortyn* postea dicta est, apud Stephanum.

Cremmyon, sive *Crommyon*, op. non procul à Corintho, juxta quod Theseus incredibilis magnitudinis suem occidit. Ovid. *lib.* 7. *Met.*

Quodq; suis securus arat Cromyona colonus
Munus, opusq; tuum est.

Vide Strab. *lib.* 8. cui sus ista *Cromyonia* dicitur.

Cremni, vel *Cremnos*, emporium paludis Mæotidis circa Tanain fluv. Herodot. Ptol.

Cremniscus, opidum circa Istrum in Sarmatiâ. Plin.

Cremona, ad Padum, episc. urbs Galliæ Cisalpinæ, non procul à Mantuâ, quæ etiam hodiè nomen retinet: Illustris colonia Romanorum, caput agri Cremonensis. Liv. 20. & 27. Tacit. *hist. lib.* 3. & 4. Plin. *lib.* 3. *cap.* 18. Strab. *lib.* 5. Annibalis primò in Italiam transitu plurima passa. Dein ejus cives cùm contra Augustum cum Antonio consensissent, Cæsar victor veteranis suis eorum agros assignavit, qui cùm non sufficeissent, adjecit etiam Mantuanorum agros, nullam aliam ob culpam, nisi quòd Cremonensibus vicini essent. Hinc Virgil. *Ecl.* 9.

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Martialis *de Virgilio:*

Jugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ. Postea sub Vitellio, sub Gothis, miserè afflicta, ab Agilulpho subacta, Anno 593. à Dalmatis & Longobardis destructa, Anno 630. Sabell. *lib.* 3. *Enn.* 7. Paul. Diac. *lib.* 4. Blondus *lib* 9. Cori. *pag.* 1. Reparata Anno 1284. à Friderico Barb. cum turre totius Europæ celsissimâ: Hinc sub Vicecomitibus propriis, Gallis, Venetis, Ducibus Mediolanensibus fuit. Leand. Alb. *descr. Italiæ. pag.* 405. Græcis autoribus ejus formatio variatur. Polybio siquidem Κρεμώνη dicitur, Ptolemæo Latinâ terminatione Κρεμῶνα. Reliquis, Appiano viz. & Dioni Cassio. Κρεμών. Πόλιν ἐπιφανῆ appellat Strabo *l.* 5. long. 31. 50. lat. 44. 20.

Cremonis jugum, Alpium pars, quâ nonnulli putant transgressum Annibalem. Livius.

Crempa, urbec. munita Holsatiæ, in Stormaria reg. prope Storam fluv. vix 1. mill. Germ. ab Albi fluv. paulo amplius à Gluckstadio, sub Daniæ R.

Cremsa, urbs Austr. ad Danub. ubi ponte trajicitur. Al. Moraviæ. Hic Hussitarum, ubi primum initium congregationis factum est, alii ejecti, alii in carcerem compacti, alii dissecti, alii ustulati sunt: inter quos Benedictus Tlumacensis pastor, cujus mors tanto dolori fuit, ut ad 8. milliaria homines confluerent, ad tumulum ejus: Jodoco Episcopo, *non esse tales cremandos, rem non confici assâ carne*, dictitante. Circa A. C. 1460. Camer. *Hist. Fr. Bohem.* Lasicius *de gest. Fr. lib.* 2. Lætus.

Cremum, civitas Tauricæ Chersonesi, seu Tartareæ min. muro antiquissimo, maximo ac præalto, magnitudine ac celebritate reliquis civitatibus Tauricæ Chersonesi Mediterraneæ præstans: ea est quæ Ptolemæo *Tapkros*, Plinio verò *Taphræ* dicitur. Metel. Aliis est *Crimaa*, vulgò *Krim.*

Cremutius Cordus, accusatus est à Satrio Secundo & Pinario Natta Sejani clientibus, quòd editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium *Romanorum ultimum* dixisset. Quod Cæsar Tiberius pro crimine statim admisit ac truci vultu Cordi defensionem accepit. Verùm hic tali modo vitam reliquit: Usus est balneo, & quò plus imponeret, in cubiculum se quasi gustaturus contulit: & dimissis pueris, quædam per fenestram, ut videretur edisse, projecit. A cœnâ, quasi jam satis in cubiculo edisset, abstinuit: alteroque die & tertio idem fecit. Quarto ipsâ infirmitate corporis faciebat indicium. Cognito consilio ejus accusatores, Sejano auctore, adeunt Consulum tribunalia: queruntur mori Cordum, ut interpellarent quod coegerant. Dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat. Libros per Ædiles cremandos censuêre Patres. Tacit. *Annal.* L. V. 34. 35. Sueton *in Augusto, cap.* 35. *In Tiberio, cap.* 60. *in Caligula. c.* 16. &c. Sed hic curiositatis ergò colligi legique permisit, T. Labieni, Cremutii Cordi, & Cassii severi scripta, licet Senatus consulto damnata. V. porro Senecam, *in Consol. ad Martiam filiam ejus*, & elogium, à Cicerone ipsi tributum, *Controv. suas.* 6. Plin. *l.* 10. *c.* 26. Solin. *c.* 43.

Cremyon Vid. *Cromnyon.*

Creneus Cyzicenus, ab Argonautis, in acerrimo conflictu, interemptus.

Crenides, urbs Siciliæ, quam Philippus postea *Philippos* nominavit. Steph. Item Bithyniæ locus ad Pont. Eux. Arrian. *in Periplo*, & locus circa Heracleam Ponti. Steph. V. *Philippi.*

Crenis, nympha. Ovid. *Met.*

Creolium, mel. *Credilium*, vulgò *Creil*, urbec. Gall. in Valesia, ad Oesiam flu. cum ponte, vix 2. leuc. à Sylvanecto, 3. à Claromontio in Austr. prope tractum Bellovacensem.

Creon, ônis, mons Lesbi. Plin. 5. 31.

Creon, ontis, Corinthiorum rex, prædonis Sisyphi filius, qui Jasoni post Medeam repudiatam filiam suam natu minorem, nomine *Creusam*, uxorem despondit; quam rem iniquo animo ferens Medea, coronam naphthâ illitam sponsæ dono misit, quæ sub noctem, luminibus accensis, concepto igne, non modò illam, verùm etiam sponsum, & socerum cum totâ regiâ concremavit.

Creon, Thebanorum rex, Menotii fil. & Jocastæ frater, qui Laio, ab Oedipo filio occiso, regni administrationem arripuit. Verùm cùm Sphinx, Typhonis & Echidnæ filia, Thebanum agrum crudelissimè vastaret, neque aliud tantæ calamitatis remedium ostenderetur, quàm si quis ænigma ab illo propositum dissolvisset, Creon, proposito per universam Græciam edicto, si quis id præstare posset, Jocastam, Oedipi matrem viduam, illi se uxorem daturum pollicitus est, regnoq; Thebanorum ultro cessurum. Quibus præmiis illecti non pauci cùm propositum ænigma dissolvere non possent, à Sphinge occisi, temeritatis suæ pœnas dederunt, donec ad rei famam excitus Oedipus, Laii & Jocastæ filius, ænigma explanavit. Quam rem tam ægre tulit fera, ut protinus sese ex prærupto monte dederit præcipitem. Hâc itaque viâ Thebanorum regnum adeptus Oedipus, matrem imprudens

uxorem duxit, cùm paulo antè etiam patrem occidisset. Quibus flagitiis postea cognitis, tantum ex iis animo dolorem concepit, ut lucis pertæsus, utrumque sibi oculum eruerit, Antigonesque filiæ ductu, Athenis sese in exilium contulerit, regno Eteocli & Polynici filiis suis, eâ conditione, relicto, ut alternis annis imperarent. Cùm autem Eteocles (cui, quòd major natu esset, priores vices Polynices concesserat) exacto jam anno fratrem non reciperet, gravissimum eâ occasione inter Argivos & Thebanos bellum est exortum: In quo cùm fratres ambo mutuis vulneribus cecidissent, Creon denuo regni gubernacula recepit. Verùm, cùm præter alia complura inclementiæ suæ exempla, Antigonam & Agriam interficiendas curasset, quòd illa fratres, hæc virum supremo sepulturæ honore essent prosequutæ, cumque occisorum Thebanorum propinquos funeris officio prohiberet, Theseus Thebanarum matrum querelis commotus, Creonti bellum indixit, prælioque victum vitâ exuit. Statius *in Thebaide.*

Creon, primus Archon annuus Atheniensium. Vellejus *lib.* 1. *Ex annuis (archontibus) primus Creon.* Eusebius *in Chronic.* Ἔδοξεν αἱρεῖσθαι ἄρχοντα κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ πρῶτος ἡγήσατο ἐνιαύσιος ἄρχων Κρέων, ἐπὶ τῆς εἰκοστῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος.

Creonium, oppid. Macedon. fuit, apud Lychnidum lac. & urbem.

Creontiades, Herculis fil. ex Megarâ Creontidis Thebanorum regis filiâ, quem pater cum Theriomacho fratre ab inferis rediens, & in furorem versus, à Junone, quòd Lycum interfecisset, interemit.

Creophagi, Æthiopiæ sub Ægypto pop. Strabo.

Creophilus, Samius, quem aliquando tradunt, suscepto hospite Homero, accepisse ab eo donum, inscriptionem poematis, quod *Oechaliæ captivitatem* vocant. Sed Callimachus, per epigramma quoddam, contrarium statuit, quòd, quanquam Creophilus opus composuerit, Homeri tamen dicatur propter dictum hospitium. Quidam hunc Homeri magistrum tradunt, alii verò non hunc, sed Aristeam Proconnesium. Vide Strab. *lib.* 14. Suid. Voss. *Hist. Gr. lib.* 3. *pag.* 347. *& de Poët. cap.* 2. Item Historicus, Athen. *l.* 8.

Crepacorium, oppidul. Ital. sat munitum, in agro Vercellensi, sub Princ. Masserano, cum arce.

Creperejus Gallus, familiaris Agrippinæ, tecto navis solutilis pressus ac statim exanimatus est. Tacit. 14.

Crephagenetus, corruptè pro *Knephagenetus*, illud etiam corruptè pro Κνὴφ ἀγένητος. Vide *Cneph.*

Crepi, Luperci dicti sunt à crepitu pellicularum, quem verberantes faciunt. Mos enim erat Romanis nudos discurrere in Lupercalibus, & obvias quasque fœminas flagris ex pellibus confectis ferire. Festus.

Crepiacum, vulgò *Cressy*, opp. Gall. Valesiæ primar. in prov. Inf. Francicæ, 13. leuc. à Lutetia in Cæc. 7. à Meldis in Bor. 5. à Compendio in Mer.

Crepsa, Inf. maris Adriat. una Absyrtidum. Liburniæ proxima. Vid. *Crespa.*

Cres, primus Cretensium rex. Gnossum condidit, Cybelæ templo dedicato. Euseb. *in Chron.* Item Cretæ incola.

Cresa, vel *Cressa*, Plinio, Cariæ op. Ptol. *Porto Malfetan* Sophiano.

Crescens, patricius Romanus, qui cùm Romæ principatum sibi vendicaret, ab Othone est interfectus. Euseb. An *Crescentius*? V. ibi. Item viri nomen à D. Paulo memorati. 2. Tim. 4. Baron. Anno 110.

Crescens, libertus Neronis, qui Africam in partes Othonis traduxit. Tacit. *hist.* 1.

Crescens, Cynicus, vitiis infamis, cujus calumnias contra Christianos S. Justinus secundâ Apologiâ egregiè retudit, hinc Martyr. Euseb. *in Chron.* An *Crescentius*? V. infra.

Crescens, Philosophus Cynicus, cum aliis ejusdem farinæ, Ecclesiæ Dei, apud Antoninum Phil. & Lucium Verum Impp. ingens odium, & 4. persecutionem conflarunt: Deorum contemtores, Reip. turbones, familiarum, sub castitatis specie, scissores esse, Christianos calumniati. Vid. Petr. Hailoxum *in Vita Justini.* Idem cum priore.

Crescens, Ordo Eq. Anno 1464. institutus, à Renato Andegav. Rege Siciliæ, & Provinciæ Com. Symbolum erat ex auro Crescens Luna, cum logogripho *Loz*, quo indigitabatur, Laudem acquiri virtute crescentibus. Constabat ex equitibus 36. ut alii volunt, ex 50. sub Duce capite. Vid. Favin. *theat. hon.* Boucheum, *hist. Prov. lib.* 9.

Crescentinum, oppidul. Pedemontii, aliàs munitum, prope Padum, è regione Venucæ; 20. mill. infra Taurinum.

Crescentius Numentanus, Consul Rom. occupatâ mole Adriani, tyrannidem intolerabilem Romæ exercuit, Anno 985. pulso Johanne XV. cum quo tamen mox revocato ipsi satis benè convenit. Hoc mortuo, Gregorio V. Johannem Calabrum opposuit: sed Otto III. Imper. Antipapâ occiso, Crescentium, asino aversâ facie vinctum, unà cum 12. aliis, contra datam fidem, suspendio necavit, ab hujus viduâ, per venenatum chirothecarum munus, sublatus, Glaber Rodolphus, P. Dammianus, Leo Ostiens. *lib.* 2. *cap.* 18. *hist. Montis Cassini.* Sigon. *libro* 7. *anno* 996. Blond. *decad.* 2. *libro.* 3. Fabric. *in Chron. Ditmari libr.* 4.

Crescentius, Philosophus quidam Cynicus, Justino Martyri infensus. Tatianus *contra Gentes.* Aliis *Crescens.*

Cresconius, Ep. Afer, sub Leontio Imper. Auctor *Collectionis Cresconianæ*, & historiæ, de progressu Johannis Patricii, contra Saracenos in Africa. Circa annum 696. Collectio canonum impressa Parisiis est, Anno 1609. cum epitome Fulgentii Ferrandi.

Cresconius, Episc. Todiensis, cum Germano, legatus ab Anastasio P. ad Anastasium Imp. Anno 497. ab Eutychiano ad Eutychianum, quem Papam, ut Arium, viscera effudisse quidam scribunt. Theodor. *Lect. l.* 2. Niceph. *l.* 16. *c.* 35.

Cresium, urbs Cypri. Steph.

Cresius, collis in Arcadiâ. Pausanias.

Crespa, Liburniæ urbs. Ptol. *Crexa* Plinio. An *Crepsa*, quod Vide.

Cresphontes, Messeniorum rex, qui populari seditione interfectus est. Pausan.

Cressa, vide *Cresa.* Item urbs Paphlagoniæ quam condidit Meriones. Steph. Item mulier ex Cretâ.

Cressea, regio Pallenæ vicina. Herodot. *l.* 7.

Cressiacum, mel. *Creciacum*, Gall. *Crecy*, vel *Cressy*, opp. Picardiæ, in Tirascia reg. ad Serram amnem, 2. leuc. à Lauduno in Bor. 3. à Fara in Ort. Item, vicus in Pontivio, tractu Picard. medius inter Abbavillam & Hedinum, ubi Franci ab Anglis memorabili clade victi, sub Phil. Valesio, Anno 1346. d. 26. August. Cecidere tum duo *Reges, Johannes Bohemiæ & Rex Balearium.* Item Carolus Alenconius, *frater Philippi, Dux Lotharingus,* Lud. Comes Flandriæ, alii. Verbo II. Principes, 80. Barones, 1200. Equites, militum 30000. Rexque postquam fugâ sibi consuluisset, vix in arcem intromissus est, vigili eum inclamanti, quis adesset, respondens, *La Fortune de France.* Froissardus *libr.* 1. Duchenius *de urb. Comit. Pontiniacensis*, Mezeray. Hic Concilium Anno 849. sub Carolo Calvo, contra Godescalcum Monachum, *Tom.* 8. *Concil.* Usser. & Cellot. *hist. Godescalci.* Paradin. *hist. Lugdun. lib.* 2. *cap.* 24. Morer. Vid. *Godescalcus.* Item *Hincmarus*, & supra in voce *Creciacum.*

Cressiacum, opp. Gall. in Bria, ad Morinum amnem, 3. leuc. à Medis, 4. à Latiniaco.

Cresta Segalaunorum, castrum Galliæ, in agro Valentino, inter Drunam fluv. & montem, fortè à *Crista* Lat. quòd instar cristæ emineret. Vulgò *le Crest.* Obsessum est à Comite Montis fortis, bello Albigensi, Vide Petrum Mon. *Histor. Albig. capite* 84.

Crestidium & Crestum, urbs Delphinatus, in agro Valentino, ad amnem cognom. Al. *Crista Araldi.* 5. leuc. à Valentia. 6. à Dia in Occas. Vid. supra.

Creston, Thraciæ op. quod Stephanus *Crestonen* vocari putat ab Herodoto. Lycophron,

Ὀρχωμεθῆσαι τόν τε Κρηστώνης θεόν.

Cives *Crestonaos* vocat Pindarus, *Crestonios* Rhianus, *Crestones* verò Hecatæus. Possessivum *Crestonicus.* Steph. Item nomen regis Bithyniæ.

Crestones, populi sunt, qui singuli plures habent uxores: cùm autem vir aliquis moritur, tunc oritur magna disceptatio inter fœminas, quænam illum charius adamarit viventem. Id ubi compertum est, quæ benevolentiæ & amoris palmam meruit, ad mortui tumulum ducitur exornata, ibique à propinquis mactatur, & cum viro humatur.

Creta, inf. maris Mediterr. maxima, vulgò *Candie*, à rege Crete quibusdam dicta. Aliàs, *Aëria, Curetis, Hecatompolis, Macaros, & Macaronesos.* Solin. Longa 270. m. p. lata 50. à Sicilia 562. in Ort. à Malea prom. Peloponnesi 80. à Phycunte prom. Cyrenes 265. in Bor. Caret cervis, apris, & erinaceis, sicut Africa cervis & ursis, Arabia suibus, &c. Urbes olim claræ, Gnossus, & Gortyna: inde Cydon, Lyctos, Lycastos, Phæstos, Dictynna, &c. Quarum 12. fuere episcopales, nunc 9. tantùm, sub Arch. Primus Episcopus ejus Titus fuit, Pauli Apost. discipulus, circa An. Chr. 94. Olim sub Romanis: Occupata dein à Saracenis, An. 823. duce Achapso. Cedren. *in Hist.* qui victi, an. 879. Hinc rediit ad Imperatores Constantinopolit. ex quibus Constantinus eam infeliciter tentavit: Romanus per Nicephorum Phocam expugnavit, Anno Christ. 960. 961. Balduinus verò Flandriæ Com. dedit Marchioni Montisferrati. Ab isto vendita est Venetis, sub Dandulo Duce, Anno 1194. magno auri pretio. Sed ab Anno 1645. à Turcis bello tentata, iis, postquam fortissimè per annos viginti & plures restitum esset, Anno 1670. unà cum Metropoli Candia, quæ diuturnæ gravissimæque obsidionis mala constantissimè pertulerat, tandem cessit. Exceptis paucis quibusdam locis, quæ pace factâ in Venetorum dit. manserunt. Vide infra. Hom. *Odyss.* 9.

Κρήτη

Κρήτη τις γαῖ' ἔστι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ
Καλὴ, καὶ πίειρα, περίῤῥυτος. ——

Virgilius,

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto,
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ,
Centum urbes habitant magnas uberrima regna.

Inde ἑκατόμπολις dicebatur. Seneca Tragœdus,

Urbibus centum spaciosa Creta.

Has *urbes* Horatius *opida* vocat. Sic enim ille,

Quæ simul centum tetigit potentem
Opidis Cretam. —— ——

Ac proinde D. Paulus Titum monet, ut Presbyteros in eâ constituat κατὰ πόλιν, id est, *per civitates*, vel, ut Erasmus, *opidatim*. *Nobilem insulam* vocat Florus, quòd ibi Jupiter natus credebatur. Fertilitatem ejus quod attinet, Virgilius *uberrima regna* vocat. Homero πίειρα dicitur. Dionysius *vers.* 500.

—— Ἐγγύθι δ' αὐτῆς (Carpathi sc.)
Κρήτη τιμήεσσα Διὸς μεγάλοιο τιθήνη,
Πολλή τε λιπαρή τε καὶ εὔβοτος.

Solinus *cap.* 17. *Larga vitis, mira soli indulgentia.* Plin. 25. 8. ubi de dictamno: *Procedente persuasione illâ, quicquid in Cretâ nascitur, infinito præstare cæteris ejusdem generis alibi genitis.* Magnitudinem ejus innuit Hom. *Il. N.*

Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ.

Idem alibi,

—— Κρητάων γένος εὐχόμενοι ἑδράων.

Seneca,

O magna vasti Creta dominatrix freti.

De nomine Bochartus. Ut apud Phœnices, inquit, כרתי *Crethi* vel *Creti* dicebatur Sagittarius è Palæstinâ: ita ab iisdem כרתים *Crethim*, id est, *Cretes*, dicti sunt ii Græcorum, qui eandem artem maximè calluerunt. Porro nemo est, qui nesciat, hæc eadem fuisse Cretensium arma perpetua, hoc est, arcum, & sagittas. Lucanus *l.* 3.

Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnossasque agitare sagittas
Docta, nec Eois peior Gortyna sagittis.

Idem *lib.* 7.

—— *Creta Cydonos*
Misit, Ituræis cursus fuit inde sagittis.

Virgilius, sive Catullus *in Ciri*:

Attica Cretæâ sternebat rura sagittâ.

Max. Tyrius *Serm.* 7. Παιδεύματα Κρητικὰ θῆραι, ὀρειβασίαι, τοξεῖαι. Inde est, quòd Isacius, *in Lycophronem*, Herculem scribit didicisse τοξευτικὴν à Cretensi Rhadamantho. Quin & Pindarus *Pyth.* 4. Cretenses τοξοφόρους vocat, & in bellorum historiis nihil tam frequens, quàm τοξόται Κρῆτες. Hinc Proverbium apud antiquos: *Cretenses semper mendaces.* Epimenides, citante B. Paulo *c.* 1. *Ep. ad Titum*, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, &c. Ovidius,

Cretes erunt testes, nec fingunt omnia Cretes.

Idem, —— *Non hoc quæ centum sustinet urbes,*
Quamvis sit mendax Creta negare potest.

Lucanus,

Tam mendax magni tumulo quàm Creta Tonantis.

Habuit ex Callimacho, cujus hæc sunt,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Nec solùm falsitate famosi Cretenses, sed etiam turpi amori dediti. Servius in illud *Æn.* 10.

Dum sequeris Clytium infelix nova gaudia Cydon.

De Cretensibus, inquit, *accepimus, quòd in amore puerorum intemperantes fuerunt. Quod postea in Laconas ac in totam Græciam translatum est.* Athenæus 13. 27. Κρῆτες γοῦν, ὡς ἔφην, καὶ οἱ ἐν Εὐβοίᾳ Χαλκιδεῖς περὶ τὰ παιδικὰ δαιμονίως ἐπτόηνται. Ἐχεμένης γοῦν ἐν τοῖς Κρητικοῖς, οὐ τὸν Δία φησὶν, ἁρπάσαι τὸν Γανυμήδην, ἀλλὰ Μίνωα. Primi mari potentes, classe sua vicinos subjugarunt; equorum formandorum artem tradiderunt, Leges scriptis mandarunt, Musicam, secundùm quosdam, invenerunt, &c. Apud illos Labyrinthus Minois, ex Dædali arte. Priscis temporibus Reges, dein Duces habuerunt: à Q. Metello, Romanis subjecti. Dein sub Imper. Romanis fuerunt, usque ad annum 823. quo Cretâ à Saracenis occupatâ, Candia ab his condita est, à qua in posterum Insulæ nomen. His ereptâ à Nicephoro Phoca, Anno 926. fides Christiana denuo inter Cretenses stabilita est. Vid. supra. Hodie Veneti nobiles, & prisci incolæ Latinam Ecclesiam sequuntur, reliqui omnes Græcæ religioni adhærent. V. præter auctores prædictos Plin. *lib.* 4. *cap.* 12. Strab. *lib.* 10. Pompon. Melam *l.* 2. Cedrenum, Zonaram, *Annal. Gr.* Justinianum *Hist. Ven. l.* 2. 3. 4. *& seqq.* Sabellicum *l. p.* &c.

Urbes Cretæ hujus temporis:

Agium, cujus sedes Cydonienſi juncta.
Arcadia.
Camara, *Camera*.
Castrum vetus, *Paleocastro*.
Chersonesus, *Spinalonga*.
Cisamus, *Cisamopoli*.
* Cydon, *la Canea*.
Cytæum, *Sitia*.
Hierapetra, *Gierapetra*.
Lappa.
Ledrensis urbs, Vide Matium.
* Matium, *Candia*.
Milopotamos, olim Pantomatrium, *Milopotamo*.
* Rhitymna, *Retimo*.
Subrita.
Suda arx, *la Suda*.

Sed pagi potiùs, exceptis tribus asterismo signatis, reliquæ.

Creta, nomen luci, apud Pausan. Item op. Scythiæ, cujus mem. Val. Flaccus *lib.* 1.

—— *Scythia metuens, Pontumque, Cretamque.*

Cretæ, insulæ quædam appellantur in Mœsia contra Liburnos populos. Plin. 4. *ult.*

Cretæus, poeta quidam apud Propertium, *libro* 2. *Eleg. ult.*

Aut quid Cretæi prosunt tibi carmina lecta?

Ubi alii *Tyrtæi*, alii *Lucreti*.

Cretea, reg. Arcadiæ circa Lyceum mont. in quâ incolæ Jovem educatum ferunt, non autem in Cretâ insulâ. Pausan.

Cretenia, locus Rhodi, ubi Althemenes habitabat; qui, cùm ex oraculo patrem se occisurum accepisset, dum fugit, ne hoc perpetret, noctu in navigium incidit, in quo piratas esse ratus patrem occidit. Steph.

Cretheus, Æoli filius, qui ex Tyro Salmonei fratris filiâ Æsonem genuit. Inde *Crethea virgo*, apud Val. Flaccum *lib.* 1. pro Helle, Crethei nepte.

Crethon, Dioclis fil. qui cum fratre Orsilocho ad bellum Trojanum profectus est, Græcis auxilium laturus. Verùm cùm duo hi fratres nimiùm suis viribus freti cum Æneâ congredi non dubitarent, ab eodem interfecti temeritatis suæ pœnas dederunt, vixque eorum cadavera à Menelao & Antilocho ex hostium manibus eripi potuerunt. Hom. *Iliad.* 5.

Creticus, Oratoris nomen, ponitur autem pro quovis judice. Juvenal. *Sat.* 2.

—— —— *Sed quid*
Non facient alii cùm tu multitia sumis
Cretice?

Idem Ibidem,

Acer & indomitus, libertatisque magister
Cretice pelluces. —— ——

Creticus Silanus, è Junia fam. sed adoptione in Cæciliam transierat. Itaque nomina illi C. *Cæcilius Metellus Creticus Silanus*. Consul fuit Anno urbis DCIX. cum Nerva Silano; postea Syriæ Proconsul: sed quia Germanico per affinitatem connexus erat, provinciâ demotus, eique Gn. Piso subrogatus est à Tiberio.

Cretineorum regio est juxta Ephesios. Parthenius, *Eroticor. capite* 5.

Cretinus Magnesius, bello Mithridatico adversus ipsum Mithridatem delegit Imperatorem Hermiam, quocum tamen privatas gerebat inimicitias, professus se interim iturum in exilium, ne quis tumultus ob illam factionem suboriretur. Quòd si patria mallet Cretinum Imp. quàm Hermiam, oravit, ut interim exularet Hermias. Adversarii modestiâ permotus Hermias, sponte exulavit.

Cretopolis, Pamphyliæ urbs, Diodor. *l.* 18.

Crevantium, opp. lepidum Duc. Burg. in tractu Antissiodorensi, ad Icaunam flu. 4. leuc. supra Antissiodorum. Ibi an. 1423. acris pugna inter Gallos & Anglos.

Creuga, pugil insignis. Pausan.

Creusa, Creontis Corinthiorum regis filia, quam Jason, repudiatâ Medeâ, uxorem accepit: Quamobrem Medea indignata, carminibus suis ignem inextinguibilem scriniolo inclusum per filios suos illi misit. Eos verò præmonuit, ut statim oblato munere discederent. Creusa igitur videndi cupida, nihilque mali suspicans, scriniolum aperuit, & continuo evolavit ignis, Creusamque & totam Creontis regiam exussit. Vid. Ovid. *l.* 7. *Metam. f.* 20. & 1. *de Art. Am.*

Cui non defleta est Ephyrææ nata Creüsæ.

Creusa, Erechthei filia, uxor Xuthi, ex eo Achæi & Jonis mater. Euseb. *in Chron.* Alia Cecropis filia. De quibus vide Meursium *de Reg. Athen. l.* 2. *capp.* 13. *&* 14.

Creusa, Priami & Hecubæ filia, Æneæ conjux, cui Ascanium filium peperit. Hanc in excidio Ilii ab Ænea, qui fugiens patrem humeris gestabat, filiumque manu ducebat, perditam fuisse in itinere, dum vias notas excessisset, tradit Virgilius *Æneid.* 2. Sed nonnulli eam ab ipso Æneâ, ex pactione cum Græcis factâ, occisam volunt, ne quis ex semine Priami superesset. Alii rursus non occisam, sed desertam tradunt, idque eo consilio, ne novas sedes, novaque fœdera (quæ ferè nuptiis solent coalescere) longinquis in regionibus quæsituro uxor obesset.

Creusa, Bœotiæ op. Ptol. Thespiensium navale, ut Strabo ait. *Creusia* Straboni, *Creusis* Stephano dicitur. *Livadia* hodiè, teste Nigro. In ora littor. Sinus Corinthiaci, in confin. Megaridis, 20. mill. à Thespiis in Austrum 30. à Megara in Occ. Baudrandus.

Crexa, vide *Cressa*.

Criasus, Argivorum Rex quintus, Argeo successit, ei verò post regnum annorum 54. successit Phorbas. Julius Africanus *Chronic.*

Crientio, fluviolus, in loco humili & paludibus obsito, urbi Atrebatis proximo. Ejus meminit Alcuinus *in Vita S. Medardi.* Vulgò *le Crinchon.*

Crimaa, quæ Tartaria min. ab urbe *Krim*, in Taurica Chers. continet totam hanc Chersonesum. Urbes p æc. Theodosia, Chersonesus, Crimæa, Precopia, unde etiam Tartaria Precopensis dicitur & Baciasaraium. Sub Turcis partim versus Merid. partim ipsis tributaria.

Crimaa urbs. Vid. *Cremum.*

Crimisa, Lucanorum urbs Κρίμισσα, Lycophroni. Nunc vicus *Lo Ciro*, teste Gabr. Barrio. In ora Calabriæ cit. 10. mill. à Cariathi in Austr. 6. à Strongylo in Bor. Ei adjacet ad 2. mill. prom. Crimissa, *Capo dell' Alice*, in sinum Tarent. excurrens, 4. mill. à Japygio prom. in Occas. Baudr. Ibi etiam *Crimissa* fluv. juxta op. decurrens, in sin. Tarentinum, vulgò *Fiumica.*

Crinas, Charmidis contemporaneus, Massiliensis medicus, qui ad syderum motus ex ephemeride Mathematica cibos dabat, horasque observabat. Sub Nerone. Plinius scribit hunc 100. sestertia reliquisse, muris patriæ non minore summâ extruendis, *lib.* 29. *cap.* 1.

Crinippus, alter Dionysii majoris Dux, in novem triremibus Lacedæmoniis subsidio missis, ab Iphicrate & Timotheo interceptus. Diod. *XV.* 482. *p.* de quo vide quoque Polyænum, *lib.* 3. *in Iphicrate com.* 55.

Crinis, Sacerdos Apollinis, qui cùm sacra Dei neglexisset, atque ob hoc nihil penitus fructuum eo anno collegisset, omnibus rebus à muribus corrosis, tanto detrimento commotus, sacra Deo peregit, quo facto Deus illico mures omnes sagittis suis perdidit, atque ex eâ re *Smintheus* Apollo dictus est. Cretenses enim mures *Sminthas* vocant.

Crinis, Philosophus quidam Stoicus, cujus mem. Diog. Laert. *in Zenone*, & Arrian. *in Epictet. l.* 3. *c.* 2.

Crinisus, mel. *Crimisus*, Siciliæ fluv. in parte occid. Ins. Segestæ urbi vicinus, in valle Mazaræ, nunc *Belici destro*, Cluver. de quo Servius fabulam hujusmodi refert: Cùm Laomedon Neptuno & Apollini mercedem, pro ædificatione murorum Ilii, denegaret, Neptunus iratus, Trojæ cetum immisit, ut eam vastaret. Quâ de re consultus Apollo, hoc unum tantæ calamitatis remedium fore ostendit, si virgines Trojanæ belluæ objicerentur. Hippotes itaque nobilis Trojanus, metuens ne & Hegesta filia sua in eandem calamitatem incideret, navi eam impositam ventis fluctibusque commisit, tolerabilius nimirum ratus, si illa se absente mergeretur, quàm coram à teterrimâ belluâ crudelissimè dilaniaretur. Verùm ita Diis visum est, ut illa salva in Siciliam deferretur, ubi amore ejus captus Crinisus, in canis, seu, ut alii malunt, in ursi effigiem conversus eam compressit, suscepitque ex eo concubitu Acestem Siciliæ regem. Virg. *Æn.* 5. *de Aceste,*

Troja Criniso conceptum flumine mater
Quem genuit. —— ——

Cæterùm sciendum, variè à variis hoc flumen vocari. Apud Virg. nunc *Crimisus*; nunc *Crimnisus* dicitur, aliquando autem *Crinisus*. Servius, *Hesiona ad Siciliam delata à Crimiso fluvio, quem Crinisum Virgilius poeticâ licentiâ vocat, compressa, edidit Egestum.* Apud Vibium *Crunisos*; apud Probum *in vitâ Timoleontis*, *Crinissus*, quod apud Plut. *in eodem Timol.* Κρίμησος, & apud Diod. Sic. Κρημισσὸς, apud Lycophronem denique Κριμισσὸς dicitur. Oritur 25. circiter mill. à Panormo in Merid. aliquotque fluviis auctus, in mare Afr. se exonerat, in ora littor. Ins. inter Mazaram & Saccam. Vulg. *Freddo*. Ferrar. Baudr. Videtor Cluver. *de Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 2.

Criniti, semper erant olim Francorum Reges, & Regiâ stirpe oriundi, reliqui verò tonsi, Agathias *lib.* 1. *pag.* 9. *Solenne est Francorum Regibus, nunquam tonderi, sed à pueris intonsi manent. Cæsaries tota decenter eis in humeros propendet, anterior coma è fronte discriminata in utrumq; latus deflexa. Neq; verò, quemadmodum Turcis & Barbaris, impexa iis & squalida sordidaq; est coma, vel complicatione indecenter cirrata, sed smigmata varia adhibent, diligenterq; curant: idq; velut insigne quoddam, eximiaq; honoris prærogativa Regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neq; iis prolixiorem comam alere facilè permittitur.* Meminit quoque hujus moris Gregor. Turon. *lib.* 2. *cap.* 9. Ado Viennensis *pag.* 149. Otto Frising. *lib.* 4. *cap.* 32. &c. Sed & Saxones *Criniti* erant. Witikind. *de gestis Saxonum lib.* 1. *pag.* 5. *Illis* (Saxonibus) *hæc loquentibus, mirati sunt Franci præstantes corpore & animo viros, mirati sunt & novum habitum, arma quoq; & diffusam scapulis cæsariem.* Quæ eadem in Abbate Ursperg. leguntur. Vid. quoque in vocibus *Capillati* & *Clodio.*

Crinitus Petrus, Florentinus, de honesta disciplina, & Latinorum Poëtarum vitis scripsit: Promisso etiam de Grammaticis opere. Memorabilis ejus mors. P. Jov. *elog.* Ugolin. Verinus, præceptor ejus, *lib.* 1. *ill. Fl.* Lil. Girald. *de Poet.* Gesner. *tom.* 2. *Bibl. tit.* 7. *p.* 6. Voss. *de H. L. l.* 3. *c.* 12.

Crioa, vicus in tribu Antiochide. Steph.

Crios, Latinè *aries* dicitur, quo nomine dictus est Ægineta quidam luctator decantatissimus, apud Græcos.

Crisa, vide *Crissa.*

Crisæ, urbs Troadis.

Crisciacum, Vid. *Cressiacum.*

Crison, Himeræus stadio vicit, Philisco Archonte an. 1. Olymp. 83. testibus Dionys. Halicarnassæo *lib.* 11. Diod. Siculo *lib.* 12. Pausaniâ *Eliacis prioribus*, itemque Eusebio, apud quem Κρίσσων scribitur, quemadmodum etiam apud Platonem *de Legg. lib.* 8. Καὶ δὴ καὶ Κρίσωνα καὶ Ἄστυλον, καὶ ἄλλους παμπόλλους, ὁ αὐτός που λόγος ἔχει. Clemens *Strom.* 3. Φασὶ δὲ καὶ ἀθλητὰς οὐκ ὀλίγους ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, δι' ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους, καθάπερ τὸν Κροτωνιάτην Ἄστυλον, καὶ Κρίσωνα τὸν Ἱμεραῖον. Apud Aristophanem, in quâdam fabulâ, corruptè Γρίσων scriptum fuerat, unde est Hesychii Glossis, Γρίσων ὗς. Ἀριστοφάνης δὲ ὄνομα δρομέως νενικηκότος ἐν Ὀλυμπίᾳ στάδιον.

Crispejum, vetus Galliæ, in Silvanectibus, castrum, sede Comitum & Prioratu S. Arnulfi veteri insigne. Vulgò *Crespi en Valois.* Ejus Comites modò Comites Vadenses, ab agro, modo *Crispiacenses*, à capite agri seu pagi, apud Histor. appellantur. Solidi *Crispiacensis* monetæ memorantur in veteribus tabulis. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Crispina, T. Vinii cum Galbâ consulis filia, patrem in conspiratione Othonianâ occisum quæsito redemptoque capite, quod venale interfectores servaverant, composuit ac sepelivit. Tacitus *Hist. l.* 47.

Crispina, Pannoniæ urbs. Anton.

Crispinium, vetus Monasterium in Hannonia, Benedictinorum, cum tit. Abbatiæ, à B. Landelino extructum. Vulgò *Crespin.* Hugo ex ejus Abbatibus, interfuit A. C. 1059. consecrationi Philippi Gall. R. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Crispinus, centurio in inferiore Germanico exercitu, quòd se sanguine Capitonis cruentasset, à militibus, sub Vitellii imperii initium, occisus. Tacit. *Hist. l.* 58.

Crispinus, Præfectus Prætorii Domitiani Principis, celebratur à Statio *in sylvis*, qui patre illum Vectio Bolano, quem comitem habuit in Armenia Corbulo, prognatum scribit. At à Juvenale *Sat.* 1. proscinditur, tanquam

Pars Niliaca plebis & verna Canopi.

Et rursum *Sat.* 4. ut adulter & incestus notatur:

Ecce iterum Crispinus, & est mihi sæpe vocandus
Ad partes, monstrum nullâ virtute redemptum
A vitiis, &c.

Item *Crispinus* Consul Coll. Juventii Celsi, an. U. C. 865. Alius collega Æliani, an. U. C. 939. Tertius Cons. cum Juliano, an. U. C. 976. Item, auctor vitæ *S.* Parthenii, Ep. Lampsac. Latinè versæ à Simeone Metaphr.

Crispinus, vide *Rufus.*

Crispitia, Daciæ urbs. Lib. Notit.

Crispus F. Julius, Constantini M. fil. ex Minervina, à Patre Cæsar appellatus Anno 317. cum fratre Constantino Jun. ex Fausta, filio: cujus libidini cùm parere nollet, apud patrem incestus novercæ intentati delatus est. Qui egregium Juvenem & ipsi Juliano laudatum, veneno sustulit, Anno 326. negante factum Evagrio, & Eusebio prætereunte. Idatius. Alii mortem ejus concil. Nicenum præcessisse volunt. Orosius *lib.* 7. *cap.* 28. necis hujus causam in occultis ponit. Certum est, Faustam postmodum, Crispi innocentiâ cognitâ, à Marito neci datam. Ediderat hic Crispus egregia jam fortitudinis specimina, in bello contra Alemannos, Lactantio Firm. præceptore usus. Hieron. *catal.*

Crispus Passienus, quo nihil se cognovisse subtilius in omnibus rebus, maximè in distinguendis, curandisque vitiis, Seneca scribit, *Præf. in lib.* 4. *Nat. Qu.*

Crispus Sallustius, historicus Latinus, Thucydidi ex Græcis opponitur à Quintiliano, elegantiâ dicendi, Atticâ brevitate, sententiarum crebritate. Taxatur autem à Pollione, ut nimis antiquarius, & ex Catonis Originibus verba mutuatus; à Trogo autem, quòd orationibus nimis longis utatur, sicuti & Thucydides. Elogium ejus habes apud Martialem,

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romanâ Crispus in historiâ.

Ciceronis acerrimus inimicus fuit, ut ex utriusque invectivis orationibus (modò eorum sint) constat. M. autem Varro Crispum Sallustium, in adulterio deprehensum, ab Annio Milone loris benè cæsum dicit; & cùm dedisset pecuniam, dimissum. Gellius *lib.* 18. Horatius *de eo,*

Tutior at multò merx est in classe secundâ
Libertinarum dico; Sallustius in quas
Non minus insanit, quàm qui mœchatur.

Qui

Qui tamen Horatius alibi eum laudat, tanquam liberalem. *Carm.* 2. *lib.* 2. *Od.* 2.

Nullus argento color est avaris
Abdita terris inimice lamnæ,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

E contra Afotiam ejus Lenæus Cn. Pompeji M. libertus perstrinxit, *Lastaurum, lurconem, nebulonem, popinonem* adpellans. Sueton. *de Illustr. Garm. cap.* 18. Et clamator ille quasi Tullius, Sallustio respondens, decoctorem eum depingit & *patrimonium* ei objectat *non comesum sed devoratum.* Notavit & Acro *in Sat.* 1. *lib.* 1. *Quòd Cassii Nomentani coquum Damam centenis millibus æris conductum habuerit.* Blanditur tamen ei, ob amicitiam Cæsaris, de quâ rectè Acro & Porphyrio. Et L. Seneca *lib.* 1. *de Clem. c.* 10. ponit Sallustium in Augusti *cohorte primâ interioris admissionis.* Decessit ex hâc vitâ, quadriennio ante bellum Actiacum, compluribus Historiæ Romanæ libris perfectis & absolutis, sed quorum præter *Conjurationem Catilinæ*, & *Bellum Jugurthinum*, atque fragmenta quædam, temporum injuriâ nihil ad nos pervenit. Vide *Sallustius.*

Crispus Vibio, orator, ore compositus ac jucundus, privatis tamen causis quàm publicis melior. Quintil.

Crissa, vel *Crisa*, Phocidis opp. maritimum, à *Crisso* Phoci filio conditum, ad sinum Corinthiacum, qui ex eo ibi *Crissæus* nominatur, *Claveos*, ex tab. recent.

Crissa, opp. Brutiorum in Calabriâ ult. *Rocha d'Angitola*, teste Barrio.

Cristonei pop. Scythis vicini. Stobæus. Vide *Crestones.*

Cristalis, Cappadociæ opp. Herodot.

Critensi, Asiæ pop. à Memnonibus & Davellis dierum 20. intervallo discreti. Plin. 6. 30.

Crithea, vulgò *Critia*, opp. Chersonesi Thrac. in Mediterr. apud Madyton urb. Ferrar.

Critheis, ut ex Ephoro refert Plut. *in Vitâ Homeri*, filia Atellis, quam moriens in Mæonis fratris tutela reliquit. Hic autem cùm puellam vitiasset, gravidamque fecisset, atque ob id facti vereretur infamiam, Phemio eam Smyrnæo, Grammaticæ præceptori in matrimonium dedit. Illa verò non multò pòst Homerum peperit, qui *Melesigenes* prius dictus, & postea *cæcus* factus *Homeri* nomen cepit. Aristoteles autem *lib.* 3. *de poëtica* longè aliter hæc narrat, ut & Pausanias, ubi de Melete.

Critho, civis ex Oeantiis princeps, cujus filiam Themisto in matrimonium petitam cùm à patre non impetraret filio suo Philoni Phricodemus tyrannus, in conspectu ipsius filios trucidari jussit. Vide Polyæn. *l.* 8. *c.* 623.

Crithote, urbs Hellesponti, 80. stad. à Cardiâ distans. Est & promunt. Acarnaniæ. Stephano Κρηθώτη dicitur.

Critias, unus è 30. Tyrannis Atheniensibus, à Lacedæmoniis impositis. Cic. *lib.* 2. *de Orat.* Scripsit elegiam ad Alcibiadem, à Platone in Dialogis suis introducitur, ejusque egregium fragmentum citat Sextus Philosophus.

Critias, philosophus, dixit animam esse sanguinem.

Critias, ἐν ταῖς πολιτείαις citatur à Julio Polluce *l.* 7. *c.* 13. Egit eo opere, de variis rebus p. ac inter alias de rep. Lacedæmoniorum, cujus libri bis mem. Athen. *lib.* 11. Illustre hujus scriptoris testimonium adducit, Clemens *penè initio Sexti Stromateon.* Putat Vossius eundem esse, cujus Plut. meminit *in Lycurgo & Solone.* Alius fuit *Critias*, Callæschri fil. poëta, cujus versus recitat Plut. *in Alcibiade*, & Athenæus, *lib.* 1. 10. 13.

Crito, Acronis Agrigentini discip. Cosmeticæ primus Author, apud Reges fœminasque illustres Medicinam fecit. De eo, scriptisque ejus vide Galen. *l.* 1.

Crito, Atheniensis, Socratis familiaris, quem ex opibus juvit, & cum quo usque ad extremum vitæ philosophatus est. Ejus filii Critobulus, Hermogenes, Ctesippus & Epigenes, Socratis discipuli. Dialogos composuit 17. Vide Diog. Laërt. *l.* 2. Alius Pieriota, (Pieria autem est urbs Macedoniæ) historicus, scripsit res Persicas, Siculas & Macedonicas. Alius genere Naxius, historicus quoque. Suidas. Voss. *de H. G. l.* 3. *p.* 349.

Critobulus, medicus. Plinius 7. 37. *Magna & Critobulo fama est, extractâ Philippi regis oculo sagittâ, & citra deformitatem oris curatâ orbitate luminis.* Fortè is ipse est, qui apud Curt. *l.* 9. *c.* 29. Alexandrum, vulnere ingenti in Oxydracarum urbe accepto, feliciter curavit.

Critobulus, fil. Critonis, discipulus Socratis. Diog. Laërt. *in Critone.*

Critodemus, res veteres memoriæ prodidit. Plinius *lib.* 5. *c.* 76.

Critognatus, summo in Arvernis natus loco, & magnæ habitus auctoritatis, Alesiæ summam imperii tenuit. Suasit, ut qui ad bellum inutiles essent, eorum corporibus oppidani vitam tolerarent. Cæs. 7. *Comm.* 77.

Critolaus, Achæorum dux, qui Corinthum consiliis suis evertit. Cic. *lib.* 3. *de Nat. Deor.* Sororem interfecit, quòd sibi è victoriâ redeunti non gratularetur, quum tamen cæteri omnes ei applauderent. Postremò à Qu. Cæcilio Metello victus, apud Thermopylas, veneno sibi mortem conscivit. Livius.

Critolaus, Atheniensis, nobilis Peripateticus, Romam ab Atheniensibus missus legatus cum Carneade ac Diogene Stoico, ut scribit Cicero 2. *de Oratore*; de quo idem Cicero *in Tusc. Qu.* Quo loco, inquit, quæro quam vim habet libra illa Critolai, qui cùm in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis, & externa, tantùm propendere illam boni lancem putet, ut terram & maria deprimat. Macrob. *Saturn. lib.* 1. *cap.* 5. Aul. Gellius, *lib.* 9. *cap.* 5.

Critolaus, historicus, se libris extulit rerum Epiroticarum, quorum tertium citat Plutarchus *in Paral. c.* 4. Vulgavit & libros Φαινομένων, ex quorum quarto quædam adducit, *eodem libro* Plut. *cap.* 9. Vide eundem *in Pericle* & Aul. Gellium *l.* 11. *c.* 9. Inprimis Voss. *de Hist. Gr. p.* 349.

Criton, historicus, vide *Crito.* Reliquit Pallenica, Syracusarum originem, Persica, Sicula, &c. Suidas. Messenia ejus celebrat Jul. Pollux 10. 17. Getica etiam consignasse ex Stephano discimus, in Γετία.

Criu-metopon, id est, *Arietis frons*, promunt. geminum. Unum Cretæ in orâ Australi ad Occident. *Capo S. Jani* Nigro. *Capo Leone* Pineto. *Capo Crio*; prope vicus est *S. Giovanni de Capo Crio.* Baudr. Dionys. *Vers.* 87.

——Ἧτ' εἰς ἅλα πουλὺ νένευκε
Πὰρ δ' ἱερὴν Γόρτυνα καὶ ἠπειρώτιδα Φαιστὸν
Προπρηνής, κριοῖο παραυγάζουσα κάρηνον,
Τοὔνεκά μιν καὶ κριοῦ ἐφημίξαντο μέτωπον.

Alterum Tauricæ Chersonesi, in ora meridionali, Carambi Paphlagoniæ promuntorio oppositum; Nunc *Im Kermen*, in Pontum Euxinum excurrit. 100. ferè milliar. à Theodosia, 120. à Carcina urb. in Austrum. Baudrand. de quo idem Dionys. *Vers.* 150.

Μέσσαι δ' ἔνθα καὶ ἔνθα δύω ἀνέχουσι κολῶναι
Ἡ μὲν ὑπειρνοτίη, τὴν τε κλείουσι Κάραμβιν,
Ἡ δὲ βορειοτέρη γαίης ὕπερ Εὐρωπείης.
Τήν ῥα περικτίονες κριοῦ καλέουσι μέτωπον.

Crius, municipium Atticæ. Suidas. Tribus Antiochidis, à κριῷ, i. *Ariete* quodam dictum. Vide Schol. in Aristoph. *Aves.* Item Achajæ fluv. Pausanias.

Crixia, Liguriæ pagus. Anton. *Crosetta*, & *Crosera.* Baudrando *Cosseria*, nunc in Montisferr. prope fontes Bormiæ min. fluv. & ad radices Apennini, in confin. dit. Genuensis. 2. mill. à Millesino, 10. à Savona in Bor.

Croatia, Germ. *Krabaten*, Lat. *Corbavia*, prov. Europæ, à quibusdam in vet. Liburnia, à Cedreno, in regione Corb tum collocata. A Chrovatis, hic sibi sedem kegentibus, dicta, A. C. 886. Sigon. *l.* 5. Hic magnus fidelium numerus, circa A. C. 1230. sub Barthólomæo Superintendente. Vide Matth. Par. *in Henr. III.* à Carolo Hung. R. occupata est, an. 1310. Hodie dividitur in Imperialem & Turcicam, in quarum illa urbes, *S. Vit, Segna, Assangrad*, &c. In ista, *Wihitz, Castanovitz, Clissa, Corbavia*, &c. Incolæ regni hujus, egregii milites, & saltatores, inprimis Uscoki. Nobiles verò ebriosi, superbi, importuni. Soranz, *part.* 2. Marc. Fritsch. *de Croat.* Briet. *Geogr. part.* 2. *l.* 2. *Hungar. c.* 1. *§.* 2. Miræus, &c. Præfectus regionis *Bannus* vocatur. Unde legimus Bannum Croatiæ, ut Caroli Apuliæ R. ab Elisabetha in Hungariæ regnum acciti primùm, dein interfecti, necem ulcisceretur, Elisabetham in fluvio submersisse, Mariâ captivâ abductâ: postmodum verò à Sigismundo, hac liberatâ, supplicio affectum esse. A. C. 1386. apud Daubrav. *Hist. Bohem. l.* 23. Vide quoque in voce *Bannus*, & *Liburnia.*

Crobialus, opp. non longè à Sesamo in Paphlagoniâ, quod abluit Parthenius amnis, Dianæ virgini admodum gratus. Apollon. *l.* 2. *Val. Flac. l.* 5.

Crobylus, leno quidam omnium scelestissimus, qui duo scorta domi alebat, quorum lenociniis quamplurimos adolescentes in perniciem alliciebat, nec his contentus eosdem illectos furto compilabat, unde Proverbium *Crobyli jugum.* Item poëta Comicus.

Crobyzi, pop. juxta Istrum. Steph. Mysiæ infer. gens, Ptol. Thracum populi. Herodot.

Croca, pro *Cracovia*, à Polonis poëtis poni solet, ut *libr.* 7. *Itiner.*

Pandit & celsis ubi Croca tectis
Regia surgit.

Crocala, Inf. arenosa circa Indi flum. ostia, Plin.

Crocea, urbs Laconicæ, una ex centum. Pausaniæ vicus esse dicitur & pl. num. *Croceæ.*

Crociatonon, Unellorum fuit in Gall. Lugd. urbs. Ptol. Nunc forsan *Carentan*, opp. Normanniæ in Constantiensi territ. Vide *Carentonium:* à Bajocis 11. leuc. in Occ. Baudr.

Crociliacum, *le Croisil*, oppidul. Gall. in Britannia sup. cum portu capaci & tuto, prope Guerandam urb. & ostia Ligeris fluv. 6. leuc. à Venetiis. in Merid.

Crocilus, nomen pastoris apud Theocritum.

Crocius Johannes, Theologus celebris. Marpurgi docuit; scriptis *Antibecano*, *Antiweigelio*, *Commentar. in Jonam*, *in Epist. Pauli minores*, &c. inclytus. Obiit ante aliquot lustra.

Crocius, Thessaliæ campus prope Thebas Phthiotidis, per quem Amphrysus fluit.

Crococalana, *Crocolana*, vel *Corolana*, opp. Angliæ in agro Lincolniensi, *Ancaster* Camdeno.

Crocodilopolis, urbs Thebaidis in Ægypto ad Nilum. Steph. Item oppid. Phœnices in Palæstinæ confiniis, apud Carmelum mont. Plin. 5. 15.

Crocodilus, mons Ciliciæ. Plin. 5. 27.

Croconus, fluv. Brutiorum, in quem si quid conjiciatur, lapideo cortice durescit.

Crocorus, campus juxta Thessaliam ad Amphrysum fluvium. Steph.

Crocus, venator, precibusque Musarum in astra relatus, *Sagittaris* nomen accepit. Sidonius.

Crocus, puer formosissimus, qui cùm Smilacem puellam deperiret, amoris impatientiâ versus est in florem sui Nominis, illâ in taxum conversâ. Ovid. 4. *Met.*

Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores.

Crocus, vide *Chrocus*.

Crocyleum, seu *Crocylium*, Æoliæ urbs. Stephanus Itacæ insulæ eam adscribit, auctoremque laudat Thucydidem *lib.* 3. apud quem tamen eâ de re nec vola, nec vestigium. Vocatur & *Demos*, vide Stephanum in Δῆμος.

Crocylus, vir Atheniensis. Plutarchus.

Crodoldus, fluv. Gall. *le Crou*, quibusdam Gaunissensis fluvius dictus, *la riviere de Gonnesse*, ortus in finibus Parisiorum, attingit Luperas, *Louvres en Parisis*, Gunsanævillam, *Gousainville*, Tillidum aut Tellejum *Tillay*, Castellionem *Chastillon*, Gaunissam *Gonesse*, Bonogilum *Boneuil*, & Bigargium *Garges*: ibi fluviolum Rodonum recipit, vulgò dictum *Rone*, è Cersillâ *Cerselle*, atque Ermenovillâ *Arnouville* venientem. Tum alium amnem admittit, qui per Trimilidum vel Trembleium *Tremblay*, perque Villampictam *Villepeinte*, & Sabiniacum *Savigny* decurrit, auctusque rivo Ceuronum *Ceuran*, Fontanetum *Fontenay*, atque Alnetum *Aunay* alluente, per Albamdomum Blancum-Mansionile vulgò dictam, *Blanc-Mesnil*, & per Pontem-Iblonem in Crodoldum labitur. Non his contentus incrementis Crodoldus, infra vicum Duniacum vel *Dugni* duos rivos aut si mavis amniculos capit, alterum è Graulido vel Groolaio *Grôlay*, Darentiaco *Drancy*, & Burgulo *le Bourget*; alterum ex Balbiniaco *Bobigny*, Aquâ bonâ *Eaubonne*, & Curte-nova *la Court-neuve* descendentes. Demum postquàm Catolacum Regio Monasterio S. Dionysii nobilem olim vicum, nunc oppidum irrigavit, adjuncto sibi Mardreto Alberti-villaris rivulo, ac flexuosis recursibus pererravit, in Sequanam influit contra insulam S. Dionysii Martyris nomine illustrem, asperam rupibus, & piscatorum casulis infessam. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Crœsus, Rex Lydorum Alyattæ fil. omnium, quos hominum memoria celebrat, ditissimus. Unde etiam hodie, cùm immensas opes significare volumus, *Crœsi Divitias* dicimus. Ovid. 4. *De Ponto*:

Divitis audita est cui non opulentia Crœsi?

Unde pauperi Iro opponitur, à Propertio *l.* 3.

Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.

Martialis,

Ardua res hæc est opibus non tradere mores,
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.

Primus Græcos, ademtâ libertate, tributarios reddidit. Subjugavit Phrygas, Mysos, Paphlagones, Thracas, Cares &c. omnibus formidabilis, & nominis sui famâ, etiam remotissimas gentes implevit. Hinc, cùm se omnium Mortalium felicissimum crederet, monitus est à Solone, Neminem ante cineres beatum dicendum, quòd quoad vivimus, periculum sit, ne instabilis hujus mundi felicitas dolore aliquo contaminetur. Juvenal. *Sat.* 10.

Festino ad nostros, & regem transeo Ponti
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longa jussit spatia ultima vitæ.

Quam Solonis sententiam verissimam esse Crœsi calamitas posteà declaravit. Victus enim à Cyro, Sardibus, regni metropoli, captis, an. regni ejus 14. M. 3510. Olymp. 59 U. C. 209. ab Argonte, primo Lydorum R. 675. à Gyge 170. pyræque impositus, tandem salubre Solonis consilium agnovit, ejusque nomen sæpius inclamavit. Unde admiratus Cyrus, quisnam esset Deorum, hominumve, quem ille in extremo periculo solum invocaret, remque totam edoctus, humanæ vicissitudinis memor, Crœsum ab incendio liberavit, summoque semper apud se in honore habuit. Herodot. *libr.* 1. Plut. *in Solone.* Justin. *libr.* 1. *cap.* 7. Horat. *lib.* 1. *Ep.*

Quid Crœsi regia Sardis?

Croja, olim *Antigonia*, seu *Eribæa*, Albaniæ caput. Ad Lisanam fluv. Antea permunita, in qua, captâ prius, ab Amurathe Turcarum Imp. cum Johanne Principe Epirotarum & ejus filiis, an. 1434. horum unus, an. 1442. illâ receptâ, nomine Georg. Castriotus, *Scanderbeg* dictus, Turcarum potentiam diu retudit. Sed illo mortuo à Turcis rursus capta an. 1477. ipsis etiamnum subest, cum toto tractu. 35. mill. à Dyrrachio, 25. ab ora proxim. maris Adriat. in Ortum. Episc. olim sub Archiep. Dyrrhachino. *Crua* Chalcondylæ. Vide Leunclav. *Pand. Turc. cap.* 126. Miræum, *Geogr. Eccl.* Volaterr. &c.

Crois, Arabum urbs. Steph. in voce Κρῶς.

Cromitis, regio in Peloponneso supra Alpheum.

Crommyon, Cypri insf. promuntorium. 64. mill. in Austrum, ab Anemurio promuntorio Ciliciæ, 50. à proxim. littore ejusdem reg. Baudr. Item Libyæ urbs. Steph. Locus in Atticâ, Xenophon. Est & Corinthii agri vicus. Pausan. & Thucyd. Strabo verò Megaridi non Corinthiacæ regioni attribuendum putat. *Cromyon* Ovid. *Met.* 7.

Quodq; suum securus arat Cromyona colonus.

Crommyonesus, insf. ante Smyrnam. Plin.

Cromna, in confin. Paphlagoniæ opp. Bithyniæ. Strabo *lib.* 12. Val. Flacc. *lib.* 5.

Mox etiam Cromnam atq; jugopallente Cytorum.

Vide Steph. & Hesychium. Vix 10. mill. à Cytoro in Occasf. Sesamum versus. P. à Via.

Cromnyon, vide *Crommyon*.

Cromvvellus Oliverius, Anglus, bellicâ laude & prudentiâ politicâ clarus, sed perfidiâ in Regem infamis, cuncta discordiis civilibus fessa, *Protectoris* nomine sub imperium accepit, A.C. 1653. quod confirmatum A. 1657. statuto novo Parlamenti, quod ipse, priori abolito, ut morientis libertatis manerent vestigia, novum ex amicis obnoxiisque sibi conflaverat; additis etiam inaugurationis ceremoniis, & cusâ monetâ, in quâ scriptum: *Has nisi periturus mihi adimat nemo.* Id semper omni conatu egit, ut alius videretur, alius esset, religionem inter instrumenta dominationis numeravit, *Politicus sine exemplo* dictus: Subjugavit Hiberniam, adhuc pro Rege stantem, sub jura sua redegit Scotiam, ejecto Carolo II. cum Belgis bellum feliciter gessit, pactis cum Gallo initis, Dunkerkam Hispano ereptam Anglico Imperio adjecit: Obiit A.C. 1658. d. 3. Septembr. die Anglis fatali. Hac enim Scotos profligaverat, ad Dumbarum an. 1650. & Vigorniam an. C. 1651. Eadem Londinum conflagravit, A.C. 1666. Ei successit fil. Richardus, sed ad breve tempus, revocato in regnum Carolo II. R. an. 1660. Vide pro eo Vitam ejus Germ. editam Norimbergæ A. C. 1663. in 12. & Panegyric. Londini A.C. 1656. in fol. Contra eum, Elench. mortuor. Batæi *part.* 2. Not. Politic. *in vitam ejus*, &c. Adde Becmannum *de regno Angl. in hist. Orbis Terr.*

Cronciades, unus ex præstantioribus Herculis filiis ex Megara. Perottus.

Cronea, promunt. prope mare Caspium. Plin. 4. 5.

Cronenburgum, Lat. *Coronaburgum*, arx fortissima in Zeelandia, ad Fretum Sund. 5. leuc. Hafniâ distans, prope Elsenorum oppid. à Friderico II. egregiè munita, ut transitus, sive is ab Oceano, sive à mari Baltico illac tentetur, impediri possit. Ultimo bello à Suecis capta, sed reddita.

Cronia, *orum*, Saturni festa erant, quæ Romæ celebrabantur 14. Calend. Jan. Ita dicta ἀπὸ τ͂ Κρόνε, id est, *à Saturno*, Latinè *Saturnalia* vocantur. Horum Macrobius latè meminit, citatâ etiam antiqui poëtæ authoritate, apud quem legerat:

Maxima pars Grajum Saturno, & maxima Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia appellantur ab illis.

Cronium, mons Peloponnesi. Ptol. Urbs Elidis, Diodor. 15. Siciliæ opp. ab Amilcare captum. Polyæn.

Cronium, seu *Chronium* mare, nonnullis *Concretum*, vel *Congelatum* appellatur. Plin. 4. 16. Dionysius,

Πόντον μιν καλέουσι πεπηγότα τε Κρόνιόν τε.

Apollonius tamen, *in Argonauticis*, *Cronium mare* pro Adriatico posuit (si Interpreti ejus credemus) quòd Italiam alluat, quam olim Saturnum tenuisse volunt. Porro *Cronium* dicitur mare Septentrionale, teste Eustathio à Κρόνος *Saturnus*, qui ab Astrologis frigidum astrum, & frigidis præesse putatur, & cùm tardi sit motûs, pigris etiam rebus & tardis præesse judicatur. Orpheus *in Argonauticis*,

Ἔμπεσε δ' Ὠκεανῷ, Κρόνιον δὲ ἑ κικλήσκουσι
Πόντον, ὑπερβόρεον μέροπες νεκρήν τε θάλασσαν.

Tzetzes,

Ὁ πρὸς βορέαν δὲ Κρόνιον καὶ πεπηγὸς νεκρόν τε.

Baudrando est pars Oceani Sept. inter Rubeam promunt. & Scythiam veram, fluviumque Paropamisum, ex Plin. etiam pars Maris Concreti seu Glacial. supra Asiam. Nunc *Petzoricum* seu Tranquillum, vulgò *Nsaren more*.

Cronius, unus ex Centauris. Item Philosophus, de principiis Philosophiæ Platonicæ & Pythagoreæ scripsit. Voss. *de Phil. Sect.* *c.* 2. *§.* 19. Item mons Elidis.

Crono Arvernorum, locus Galliæ, ubi Monasterium *Crononense*, Gregorio Tur. *Hist. Fr. lib.* 4. memoratum, 6. mill. ab urbe Arvernorum: Vulgò *Cornon* vel *Cournon*. Ab hujus loci Abbate tonsus est Gallus, futurus Arvernorum Episc. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Cronus, vulgò *Niemen*, fluv. Lithuaniæ. Vide *Chronius fluv.*

Cropia, vicus in tribu Leontidis. Steph.

Cropida, municipium in Attica, Leontidis tribus. Vide Schol. in Aristoph. *Ran. Act.* 1. *Sc.* 1.

Cros, urbs Ægypti. Steph.

Crosa, flumen Gall. *la Creuse*, ab altitudine sua nomen videtur invenisse. Crosum enim Galli id quod altum ac profundum est dicunt, *creux*. Oritur in finibus Lemovicum, & Vartimpam accipit, *la Gartempe*. Utriusque fluminis, *in Vita Sabiniani & Cypriani Martyrum*, fit mentio. Et duo quidem sunt *Crosa*, major alter supradictus, qui Vingennam auget: minor alter cognominatus, qui in majorem influit. Crosa major attingit Albucionem *Aubusson*, Agedunum *Ahu*, Varactum *Gueret*, Glenicum, Cellam Dunensem à Duno proximo oppidulo cognominatam, *Celedunaise*. Mox Crosâ minore augetur: tum Argantomagum *Argenton*, & Oblincum Biturigum *le Blanc en Berry*, ac Iciodorum vicum Turonum, *Iseure*, vel *Iserre*, præterlapsus, Vartimpam admittit: inde Rupem Posesi *Roche de Pozay*, Liciniacum *Lesigny*, Guirciam *la Guerche*, Ripas *Rives*, Hagam Turonum, *la Haye en Touraine*, Portum Pilæ, *le Port de Pile*, memoratum *in Gestis Consulum Andegavensium*, alluit, ac demum Vingennâ recipitur, *Crosia* dictus, *in Gestis Episcoporum Turonicorum*. *Crosam* alium fluvium, & *Guettam*, vel *Guttam (la Guie)* ei proximum amnem in Burgundia, memorant priscæ tabulæ Patriciaci Monasterii. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Crosna, urbs Russiæ nigr. in Castellania Premisliensi, juxta Jasioldam & Vislocam fluv. versus Carpathos montes, in confin. Poloniæ maj.

Crossa, urbs Silesiæ, Duc. cognom. caput, sub Elect. Brandeb. juxta Oderam fluv. ubi Boberam recipit, 5. leuc. supra Francofurtum, in Austr. totidem infra Saganum in Bor. 3. à Guba. Arcem habet elegantem & forum amplis.

Crossa, urbs juxta Pontum. Steph.

Crossea, Græciæ regio. Herodotus.

Crotalus, seu *Corax*, *Corace*, Italiæ fluvius navigabilis. Plin. *l.3.c.* 10. In Sinum Scyllaceum se exonerat, 4. mill. à Scyllatio in Bor. Oriturque ex Apennino, in confin. Calabriæ citer. Baudr.

Croton, civitas Italiæ, olim Brutiorum, in ora maris Jonii, Democede, medico Polycratis & Darii, Herodot. *lib.* 3. Alcmæone, similiter medico, Pythagoræ discipulo, cujus Favorinus meminit, Orpheo Poëta, &c. ut & Milone athletâ memorabilis, qui Pythagoræ discipulus fuit; cui addere placet Ischomachum, Tisicratem, Astolum, aliosq; celeberrimos athletas. Peritissimus fuit rei bellicæ, nec parvam operam exercendis athletis dedit. Hinc in uno Olympico certamine victores omnes 7. Crotoniatæ fuerunt. Strab. *lib. 6.* Jure itaque dici visum est: *Qui Crotoniatarum postremus est, is reliquorum Græcorum primus est.* Vetus quoque adagium fuit, *Crotone salubrius*, quod inde ortum esse ajunt, quòd locus ipse ad salubritatem & bonam corporis habitudinem, propter athletarum multitudinem, plurimùm conferat. *Vide Plin. l.2.c.98.* Πόλιν εὔσημον appellat Stephanus. Unde Theocriti Schol. *in 4. Idyll.* *Excellebat Croton*, inquit, *omnes Italiæ urbes fortitudine, & omnium rerum affluentiâ*, ὅθεν καὶ εἰς παροιμίαν ἐλθεῖν,

Μάταια τ' ἄλλα πρὸς Κρότωνα τ' ἄστεα.

Non longè fuisse à Metapontiis, innuit Dionys. *Vers.* 368.

Τοὺς δὲ μεθ' ἑξείης Μεταπόντιοι, ἐγγύθι δὲ σφῶν
Ἱμερτὸν πτολίεθρον ἐϋστεφάνοιο Κρότωνος,
Ναιόμενον χαρίεντος ἐπ' Αἰσάρου προχοῇσι.

A *Crotone* quodam sic dicta. Ovid. *Met.* 15.

Invenit Æsarii fatalia fluminis ora,
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus, jussaq; ibi mœnia terrâ
Condidit, & nomen tumulati traxit in urbem.

Petronius *in Satyrico*: *Donec à villico quodam Crotona esse cognovimus, urbem antiquissimam, & aliquando Italiæ primam.* Silius *lib.* 11.

—— Patefecit amicas
Alta Croton portas. ——

Ab Achæis, & quidem à Diomede, vel Melisso, 3. an. 10. Olymp. Dionys. Halicarn. *hist. Rom. lib.* 2. condita dicitur. Vide Strab. *lib. 6.* Livium *lib.* 24. Thucyd. Melam, Ptolom. Leandrum Alberti, *descr. Ital. pag.* 220. *edit. Venet. an.* 1581. Fuit olim perampla, circuitus 12. mill. Liv. Nunc adhuc ampla est, cum arce valida, ad ostia Æsari fluv. 7. mill. à Neeto fluv. & à confin. Calabriæ citer. 12. à Strongilo in Merid. Baudr.

Crotopus, rex Argivorum 8. pater Psamathes, quæ ab Apolline compressa, Linum peperit, quem cùm inter vepres abscondisset, canes extractum dilacerarunt. Ovid. *in Ibin*:

Quiq; Crotopiaden diripuere Linum.

Successit Triopæ, per 21. an. Jul. Africanus.

Crotus, sive *Croton*, Euphemes, Musarum nutricis, filius.

Crovviacum & *Croiciacum* vicus Galliæ, hodie vulgò *Croüy*, prope Monaster. Suessionicum S. Medardi, ad quod pertinet: pars villæ Regalis fiscalisque olim *Croiciaci*, in qua, unà cum Basilica Monaster. S. Medardi extructum & Antistes hîc sepultus fuit. Valesius.

Crovvæus Guilielmus, Sudovolgiensis Anglus, Ludimagister Croydoniensis, scripsit: *Elenchus Scriptorum in S. Scripturam*, qui Londini prodiit, An. 1672. In hoc exhibentur eorum Gens, Patria, Professio, Religio: Librorum Tituli, Volumina, Editiones variæ: Quo tempore claruerint vel obierint, elogia item aliquot Virorum Clarissimorum: quibus omnibus præmissa sunt S. Biblia, partesque Bibliorum, variis linguis & vicibus editæ.

Cruciata, Gall. *la Croisade*, ex Romana consuetudine, expeditio vocatur, non solùm quæ in Turcas & Saracenos, sed etiam, quæ contra Hæreticos, ut eos vocant inprimis, qui Papæ subjectionem negant, paratur. Sic Innocentius III. postquam Albigenses colloquio Carmanii primùm, dein Apamcæ anno 1207. inter illos & missos ab eo Didacum Episcopum, Dominicum Mon. ac Abbatem Cistertiensem habito, de sententia cedere nollent, *crucem in eos sumi* jussit, pares indulgentias ac contra Turcas, largitus: A. C. 1208. Unde Dominico incentore, Simone verò Montfortio belli duce, ultra centum millia miserorum hominum neci data, usque ad an. C. 1218. Morn. *in Myster.* Papyr. Masson. *Hist. Gall. l.* 3. P. Æmil. *l.6.* Girardus de Haillan, &c. Simonque *Christianissimi* titulum à Sixto III. impetravit. Innocentius quoque IV. contra Conradum Friderici II. Imp. fil. indulgentiis amplissimis propositis, *si quis contra eum signaretur*, & ipsi, & ejus patri & matri omnium peccatorum veniam pollicitus est, Anno Chr. 1252. Matthæus Paris. *in Henr. III.* Iterum in Valdenses *crucem* assumi jussit Clemens V. qui proin miserè in Italia tractati, prærupta montium petiere: in quibus Eugenii IV. tempore centum pòst annis vixisse agnoscit Antoninus Florentinus, *par.* 3. *tit.* 22. *cap.* 20. In Austria etiam, quorum ibi numerus ad 80000. excreverat, quidam cremati sunt, reliquis in Bohemiam sese diffundentibus. Abbas Hirsaug. *in Chron.* Similiter cùm Bohemi, irritati inprimis Johannis Hussi & Hieronymi Pragensis vivicomburio, primitivæ potius Ecclesiæ, quàm qualis tum Romana erat, adhærere obfirmarent, missus est in Germaniam Legatus Julianus Cardinalis titulo S. Angeli, ut *Cruciatam* pararet in rebelles Bohemos: ratus, gentem hanc facilè à Germanis superatum iri: Sed sæpius victi hostes, tantusque terror vicinis incussus est, ut Germania pacem anhelare cogeretur: Hinc Concordiæ forma, quam *Compactata* vocant, Iglaviæ in Moravia inita est, An. 1438. &c. Vide quoque infra.

Cruciferi, *Crucigeri*, *Crucesignati* sunt, qui militiam Terræ Sanctæ profitentes, crucem professionis symbolum, vesti in humero dextro, appingebant. Sic olim noti, qui, prædicatâ cruce, se militaturos voverant Hierosolymis. Vide Rigord. *de gestis Philippi Aug. in an.* 1187. Matth. Paris. *in ann.* 1095. & 1096. Guil. Tyrium, *lib.* 1. *cap.* 6. &c. Est autem *Crucem prædicare*, periclitantem rem Christianam apud fideles conqueri, eosdemque adversus hostes Ecclesiæ concionando ciere: quod ab Urbano II. circa A. C. 1096. inchoatum est, qui non solùm humeros, sed & frontes jussit cruce signari: Propriè adversus Saracenos & infideles, sed quo Pontifices contra ipsosmet Christianos, non rarò usi sunt. Sic Alexander IV. contra Manfredum Siciliæ R. A. C. 1255. ut refert ibidem Matth. Paris. Vide Guill. de Nanges *de gestis Ludov. p.* 420. & supra in voce *Cruciata*. Imo ab ipso Constantino repetit *Crucigeram* militiam Spelmannus: Ille enim, inquit, *cœlitus monitus non solùm crucem pro labaro adhibuit, sed & militum armaturis eandem dedit insigni*, ex Nicephor. *lib.* 7. *cap.* 29. Hinc & Prudentius

—— Summisq; micat crux addita cristis.

Sub initio Regni Hierosolymit. exorti sunt quattuor speciales *Crucigerorum* ordines, sc. Canonicorum S. Sepulchri Dominici, Johannidarum, qui postea Rhodii, nunc Melitenses, Templariorum & Teutonicorum, de quibus postremis vide infra. Sed & Italis *Crucigeri* dicuntur, qui crucem manibus ferentes, querelam profitentur, apud Radericum *de gestis Friderici I. l.2.c.*5.

Crucigeri, in spec. Ordo Eq. Teuton. celebris. His, contra Prussos, Mazoviam infestantes, à Conrado hujus Principe evocatis, A. C. 1217. Culmensis tractus, & quidquid inter Vistulam ac Druencium fluv. cessit; qui mox ad ripam Vistulæ Thorunium condidere A. C. 1234. Naucl. *gen.* 41. Eorum dein potentiam veritus Przemislaus Rex, Dantiscum contra illos munivit, An. C. 1295. M. Cromer. *libr.* 11. Cujus arcem, proditâ postmodum Marchionibus Brandeb. à Petro Pomeraniæ Cancellario, Uladislao Loctico succensenti, urbe, volente rege occuparunt, an. 1310. quâ cùm cedere nollent, nisi immensâ pecuniæ vi acceptâ, ipsam urbem insuper, plurimo sanguine fuso, expugnarunt. Idem *ibid.* Ab eo tempore cùm immaniter in Polonos sævire pergerent, inprimis sub Sufrido Commendatore, neque à Pontifice etiam moniti mores mutarent, à Rege fœdere cum Gedemino Lithuano facto, victi sunt XXM. cæsis, A. C. 1333. Idem *l.* 11. & 12. Ad eos, sub Vladislao Jagellone, patruelis hujus Vitauldus defecit, Anno C. 1405. quo Rex, ut pacem provinciæ daret, Magno Lituaniæ Duce creato, M. Crom. *lib.* 15. & 16. mox illos cruentissimo prælio superavit, LM. trucidatis, XIVM. captis. A. C. 1411. Idem *l.*16. & 18. Sub Casimiro M. dein Prutenica nobilitas & urbes motæ crudelitate libidineve Equitum, jugum excusserunt, unoque die 70. circiter oppida & arces defecere, Casimiro se subjicientes, qui non parum Crucigeros attrivit. Anno 1454. 1466. Idem *libro* 22. Alexander postmodum, Magistrum Ordinis, in verba sua jurare nolentem, ejecit, A. C. 1506. Salomon Neigeb. *Hist. Pol. lib.* 7. Sigismundus tandem Albertum in angustias redactum, ex Ordinis

Ordinis Magistro Prussiæ Ducem creavit, Prussiâ cum eo divisâ, An.1525. Cromer. *in Orat. fun. Sigism. I.* Salomon Neigeb. qui Evangelicam postea religionem amplexus, Fratres quoque è Bohemia proscriptos ad se invitavit: in qua Pella ad annum usque 1574. vixerunt. Vide quoque *Borussia* & *Prussia.*

Cruciniacum, opp. Palatin. Rheni, ad Nabum, seu Nabam fluv. cum castro satis munito, ferè 8. leuc. à Wormatia in Occasum, *Creuzenach.*

Crucis judicium, ex generibus criminis olim explorandi purgandique: cujus formulam è Frisonum legibus Tit. 14. *de homine in turba occiso* hanc exhibet Spelmannus *Glossar. Archaol.* Reus primùm duodecimâ manu, hoc est, totidem compurgatoribus, objecti criminis se purificabat sacramento. Ad Ecclesiam deinde, vel distante longius Ecclesia, ad reliquias SS. deductus erat, præcisisque de virga particulis, duabus paribus, quas *talos* & *tenos* vocabant, unam crucis charactere insigniebant, alteram puram dimittebant. Lanâ dein mundâ, ne internosci possent, sortes istas seorsim obvolvebant, & in Ecclesia super altare, foras super reliquias ponebant. Exorato tunc solenniter Deo, ut signo evidenti ostenderet, utrum accusatus verè juraverit, nec ne, presbyter vel si abesset, puer aliquis innocens, sortium unam tollebat, quæ si cruce signata erat, insontem pronuntiabant accusatum: reum verò, si puram. Hanc ex decisæ virgæ particulis vaticinandi formulam, inter paganos, antiquissimam fuisse, infra patebit in voce *Tenus.* Capitul. Ludovic. Imperat. *ad L. Salic. cap.* 1. *In seculari causa hujuscemodi testium diversitas, Campo comprobetur: in Eccles. autem negotiis, Crucis judicio rei veritas inquiratur.* Hinc in Legg. Longob. *Campo vel Cruce contendere.* Vide quoque Testam. Caroli Magni *cap.* 8. Bignonii *Formul. vett. cap.* 12. *&c.* Interdicitur hoc judicium Canone, Lothario Imper. adscripto, *Longobard. lib.* 2. *Tit.* 55. *l.* 32. *Sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præsumat, ne Christi passio, qua glorificata est, cujuslibet temeritate contemptim habeatur.* Solennis etiam moris fuisse libatâ cruce jurare, testatur Beda *de remed. peccator. cap.*4. Vid Henr. Spelmannum, supra laudatum.

S. Crucis templum, Cracoviæ, à Jagielone Poloniæ Rege Ecclesiastis è Bohemia vocatis, ut vulgari Sclavonicâ linguâ in eo sacra administrarent, concessum est, Anno Chr. 1431. quod diu ibi obtinuit. Lasicius *lib.* 1. *de gestis Fr.* apud Lætum, *Compend. Hist. Univ.*

Crumavia, urbs Moraviæ, Ducat. titul. clara, cum arce splendida. 3. leuc. à Brina in Austrum, totidem à Znoimo, in Boream. Dicitur etiam *Crumlavv.* Intercepta à Buquojo, anno Chr. 1618.

Crumerum, Asaum, quod & *Legio prima adjutrix*, Panno niæ infer. oppid. *Comar* Simlero. Sed Comaria urbs Hung. sup. aliàs *Brigætio* dicta est. Baudr.

Crunos, Thraciæ portus, & urbs in Mysiæ inter. confin. Vide *Dionysiopolis.* Item opp. Peloponnesi cum fluv. cognomine inter Pylon & Chalcim. Vide Melam *lib.*2. Sic dict. *ab aquis salientibus*, quæ Græcè Κρȣ̃νοι dicuntur.

Crusa insula Asiæ adjacens in sinu Ceramico. Plin. 5.31.

Crusianus, Medicus Florentinus, discipulus Matthæi, seu Thadei illius, qui Bononiæ tantâ cum famâ docuit, ut quinquagenos aureos quotidie mercedis loco caperet. Carthusianus factus. Trithem. Volaterr. *Trusianus* Petrejo, *Bibl. Carthus. p.*49. *&* 294.

Crusis, pars Mygdoniæ. Steph.

Crustumerium, vel *Crustumeria*, opp. Sabinorum, Albanorum colonia. Plin. 3. 5. prope Tiberim, ubi Alliam recipit. Nunc vicus *Marviglianо Vecchio*, 9. mill. à Roma in Bor. Eretum versus, à quo vix 4. mill. abest. Baudr. Virgil. *lib.* 7. *Æn. Crustumeros* vocat:

Ardea, Crustumeriq; & turrigeræ Antemnæ.

Crustuminum, opp. Thusciæ juxta Veios, forsan ad ostia fuit Crustumii fluv. quod *Conca*, urbs aquis absorpta. Baudr. à quo incolæ *Crustumini* dicti, & *Crustumina tribus*, & *Crustuminum vinum* laudatissimum. Item *Crustumina pyra*, quæ Virg. *Georg.*2. *Crustumia* vocat,

—— *Nec surculus idem*

Crustumiis, Syriisq; pyris gravibusq; volemis.

Plin. 15. 15. *Cunctis autem Crustumina gratissima.* Et *lib.*23. *c.*7. *Decocta mire salubria, & gratè præcipuè Crustumina.* Et Columella 5.10. cùm multa genera constituat, primo loco ponit *Crustumina*, adhuc ante regia.

Crustumium, seu *Crustunus*, & *Crustumenius*, *Conca*, fluv. ex Apennino monte oriens, Ariminumque præterlabens. Lucan. *lib.*2.

In lævum cecidere latus, veloxq; Metaurus

Crustumiumq; rapax, & junctus Isapis Isauro.

Baudrando oritur in Duc. Urbini, prope Fanum S. Leonis, & auctus aliquot rivis, per Romandiolam, in mare Adr. fluit, 6. mill. ab Arimino in Ort. 4. à vico *Catolica.*

Cruswicia, urbs Poloniæ, sedes olim regum; in cujus arce Popielus II. cum conjuge & filiis devoratus legitur, A.C. 823. Cromer. *Hist. Pol. l.*2. Sedem dein Piastus, post interregnum satis diuturnum, Rex electus, Gnieznam transtulit, A.C. 861. Idem *lib.*2.

S. Crux, castrum est, quod Græci monachi inhabitant: in quo juxta majus altare, ait Salign. arbor quædam dicitur stetisse, de cujus ligno crux Christi facta fuerit. Est cœnobium munitissimum, propter incursus infestantium Arabum.

Crya, urbs Lyciæ. Vide Stephanum.

Cryassus, urbs Cariæ. Steph.

Crynis, Bithyniæ fluv. Plin.

Cryon, Asiæ min. fluvius, per Lydiam in Hermum defluens. Plinius.

Crypta Ferrata, cœnobium percelebre, in Latio, sub Pontif. 15. mill. à Roma, prope Tusculum. Antea *Villa Luculli*; juxta aquam Crabram.

Crypta Neapolitana, via manu facta sub monte Pausilypi, quà itur Cumâ Neapolim, mille pass. in long. protenditur, 12. pedes lata, ac totidem alta, uti eam describit Leander. *Grotta di Napoli* vulgò dicitur.

Cryptus, Arabiæ Fel. portus. Ptol. Item portus Æginæ insul. Pausan.

Cryssa, Troadis fluvius. Plinius.

CT.

Cteatus, pater Amphimachi, unus ex 4. ducibus Epeorum, qui cum 40. navibus ad expeditionem Trojanam profecti sunt. Hom. *in Catalogo.*

Ctemene, urbs Thessaliæ à Peleo Phœnici data, cujus cives Homerus *Dolopes* vocat.

Ctenos, aliis *Eupatorium*, Tauricæ Chersonesi portus. Strabo. in ora sinus Carcinitis, prope Cherronesum, 40. m.p. à Criumetopo prom. Baudr.

Ctesia, duo fuerunt: Unus Cnidius, alter Ephesius. Utriusque meminit Plut. *lib. de Flum.* Ac Cnidio quidem tribuit libros περὶ ὀρῶν, quorum è secundo testimonium promit in *Caico*, ut & Stobæus facit sermone περὶ νόσ. Estque hic nobilis ille Historicus, qui historiâ Assyriorum, Persarum, &c. ex ipsis Persicis Archivis conscriptâ, Artaxerxis tempore vixit, de quo Vossius *de H.G. l.*1. *c.*5. Captus enim in prælio, quo Cyrus junior à fratre Artaxerxe Mnemone victus erat, hunc à vulnere quod acceperat, sanavit: hinc per 17. an. Medicinam in Perside fecit, Diodoro *l.*2. *&* 14. Strab. *l.* 14. Phot. *cod.* 62. Trogo etiam Pompejo, laudatissimus historicus. Ephesio autem, cujus ætas nescitur, idem Plutarchus adscribit libros de Perseo illo, qui Medusam interemit: καθὼς ἱστορεῖ Κτησίας Ἐφέσιος ἐν α΄ Περσηΐδος. Meminit & eodem libello librorum Ctesiæ περὶ πόρων, unde secundum citat, sed utrius sint, non addit. Vide Voss. *de hist Gr. l.*3. *pag.*349.350.

Ctesias, Atheniensis, Sycophanta celeberr. de quo Aristoph. *Acharn.* 3. *sc.* 4.

Ctesibius, Historicus, ex quo Hermippus Smyrnæus quædam de Demosthene citavit, ut cognoscimus ex Plut. *in Demosthenis vitâ.* Demosthene igitur junior fuit, grandior verò Hermippo, qui sub Ptol. Evergete vixit. Apollodorus *in Chronicis* narrat, eum annos vixisse 104. teste Phlegonte Tralliano περὶ μακροβίων, *cap.* 2. Sed Lucianus, *in Longævis*, vixisse ait an. 124. nisi locus corruptus, & ex Phlegonte emendandus, quod censet Meursius. Vide Voss. *de H.Gr. l.*1. *c.*15. At junior hoc *Ctesibius* Alexandrinus, qui pneumaticam rationem, & hydraulica organa reperit. Suet. *in Nerone c.*41. Is enim vixit temp. Ptol. Evergetæ, secundi ejus cognominis, qui aliter Physcon. Vide de hoc Ctesibio Vitruvium 9. 9. Plin. 7.37. Athen. *l.*4. Possevin. *l.* 9. *c.*8. & Voss. *de Scientiis Mathematicis, c.*48. *§.*9. *& c.*28. *§.*7. *de Art. pop. c.*4. *§.*31.

Ctesibius, Atheniensis parasitus, qui aliquando interrogatus, quid illi ex philosophiâ superesset, respondit ἀσύμβολον δειπνεῖν, *sine symbolo cœnare*; nam cùm jocis scateret, sæpius vocabatur. Rhod. 27. 24.

Ctesicles, ab Atheniensibus dux Zacynthiorum exsulum constitutus. Diod. 15. 480. *f.* Deinde subsidio Corcyræis missus noctu clam hostibus quingentos milites ad obsessos introduxit, seditionem civium sedavit, felici eruptione hostes terruit, occiso Mnasippo Lacedæmonio: denique obsessores quasi obsidione clausit & tandem cœpta omittere coëgit. Ibid. 481. *f.*

Ctesicles, Archon Athenis, Olympiadis 110. an. 3.

Ctesidemus, nobilis pictor, Antiphili Magister. Plin. *l.*35. *c.* 10. 11.

Ctesilochus, pictor nobilis, qui Jovem Bacchum parturientem, & ingemiscentem muliebriter inter obstetrices, Dearumque clamorem depinxit. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

Ctesiphon, Atheniensis, decreto Atheniensibus persuasit, coronari oportere Demosthenem aureâ coronâ in theatro, probitatis, & virtutis omnis generis ergo. Ob id ab Æschine, Demosthenis inimico, tanquam perniciosi decreti author accusatus, defenditur à Demosthene præclarâ illâ, atque omnium optimâ oratione, quæ περὶ Στεφάνȣ inscribitur, Cicero.

Ctesiphon Gnosius, Architectus, aliàs *Chresiphеon*, *Chrisippon*, & *Ctesiphon*, qui templum Dianæ Ephesiæ traditur extruxisse, opus mirabile, ac toto orbe celebratum; quod postea ab Herostrato quodam incensum fuit, & hâc tantùm de causâ, ut ob aliquod facinus nominaretur. Vitruv. *in præf. l.*7. Plin. 7. *c.*37. *& l.*36. *c.* 14.

Ctesiphon,

Ctesiphon, quidam Atheniensis, quem tanquam crassum & ventriosum traducit Aristoph. *Acharn.* 4. *sc.* 4.

Ctesiphon, pagus Assyriæ amplissimus, in Tigridis alterâ ripâ, è regione Seleuciæ urbis, à Parthis extructus; Ibi Parthorum reges in hyeme propter aeris temperiem degere solebant, æstatem verò in Hyrcaniâ, & Ecbatanis agebant. Contra hos movens Trajanus Imp. Euphratem ponte junxit, ac Adjabenorum gente domitâ, Assyriaque occupatâ, Babylonem & Ctesiphontem intravit. A. C. 115. Quin & Ctesiphontem Babylonici regni caput fuisse Plinius scribit 6. 26. V. & Strab. *l.* 15.

Ctesippus, Chabriæ fil. quem Phocion, mortuo Chabriâ amico, diligenter ac perhumaniter collegit, quò impuros adolescentis mores componeret. Ejus tamen cùm duro, tum minimè liberali ingenio nusquam adduci potuit, ut curam, & laborem in illo instituendo dimitteret; cujus ineptias non modò pertulit patienter, verùm etiam studiosè tegebat. Quanquam semel aiunt, Phocionis constantiam importunitate levissimi hominis fuisse superatam. Nam cùm ille Imperatorum quoddam munus studio accuratiore obiret, Ctesippus, ut erat futilis, delirusque, gravissimum, peritumque Imperatorem cœpit fatuis quibusdam interrogatiunculis obtundere. Tum stomachatum Phocionem dixisse fama est, *O Chabria, Chabria, cumulatam tibi pro amore nostro gratiam nunc persolvo, qui nati tui deliramenta sustineo.* Plut. *in Phoc.*

Ctesippus, historicus, Res Scythicas composuit. Plut. *de Flum.*

Ctesius, Jupiter dictus apud Athenienses, in cujus dedicatione ambrosia ferebantur, i. e. omnis generis fruges cum oleo, & lacte. Rhodigin. *lib.* 28. *c.* 25. Hujus statuam in ærario ponebant. Suidas.

Cthonia, mel. *Chthonia*, Creta olim sic dicta. Steph.

Cthonophile, mel. *Chthonophile*, ex Baccho Phliuntem peperit. Steph.

Cylindrine, Indiæ intra Gangem locus. Ptol.

Ctypansa, castellum. Strab. *lib.* 8. Stephanus docet nos, legendum esse Τυπανία, sic enim scribit: Τυπανία, πόλις Τεφυλίας. Apud Polybium scribitur hodie Τυμπαναία, apud Ptol. Τυμπάναια, Casaub.

CU.

Cuama, fluv. nobilis Africæ, è lacu Zambre ortus, versus montes Lunæ tendit, & cum fluv. S. Spiritus vel Magnicii, Regis Monomotapæ ditiones comprehendit. Vincentius Blancus, *in Relat. sua*, se ad ipsum lacum, ubi scaturigo Nili collocatur, qui inde naves Alexandriam Ægypti defert, hoc adverso fluvio navigasse refert. Sic duo illa maria conjungerentur, hoc pacto, quod priscis ignotum; & quia Nilo, à scaturigine statim, descenditur, cataractæ ejus sa̧ltem in aliquibus ejus ramis contingerent, reliqui navigabiles essent. Sed Blancus se satis non explicat. V. Sanut. *l.* 12. Pigafettum, *lib.* 2. Magin. Linscot, &c.

Cuarius, flu. prope Coronæam, quem Alcæus *Coralium* vocat. Bochartus à Syro כוירי *Cavari* deducit, quod *pisciosum* sonat.

Cuba, Dea apud antiquos, quæ præerat *cubantibus*.

Cuba, insula, ex majoribus & præcipuis Americæ Septentr. insulis, sub dominio Hispan. ab 171. annis circiter; ab Oriente ad Occidentem vergit, in sinu Mexicano, in mari Boreali. Ab Oriente freto ab Hispaniola secernitur, à qua 14. leuc. distat; Occidens Jucatanas terras, Mexicanum & Gustacanum fretum despectat; Septentrio Cancri Tropicum attingit; Meridies Jamaicam terram, à qua 19. leuc. abest; Deinde firmam Indicam, quantumvis longo intervallo, respicit: Dicta fuit etiam *Ferdinanda* & *Joanna* ab Hispanis, postquam à Chr. Columbo detecta esset. Sunt etiam qui *A.* & *O.* vocatam dicunt; qui eam videre, salicis folio assimilant, eò quòd longior quàm lata sit. Ejus longitudo extenditur ad 200. leuc. Hisp. triginta habet in latitudine, ubi maxima hæc est. Regio montibus aspera & sylvis horrida: sed fluminibus irrigua, est auraria, nam & montes affatim auri præbent generosis securis, & flumina aureis passim arenis fluunt. Sex urbibus habitatur, quarum metropolis S. Jacobi Colonia in parte Austr. flumine portuque insignis. Havana in parte Septentr. è regione Floridæ, capacissimum habet portum. In insulæ circuitu multi passim scopuli navigantibus formidabiles cernuntur: nam à Septentrione ingens Charybdis urget, aquarum incertis vorticibus metuenda, & Australe latus, quâ Jamaicam aut Jucatanum littus spectat, Jardinorum scopulis infestatur. Miraculo est convallis quindecim passuum millibus à S. Jacobi fano distans, ingentibus saxeisque globis repleta, ita ludente naturâ, ac si mancipiorum operâ eò conversi essent. Ulteriùs Orientem versus progrediendo apud portum Principis fons bituminosus assiduè picem evomit. Metel. Baudr. Linschot. *cap.* 4. Herrera *cap.* 6. Oviedo *lib.* 17. *&c.* Populosissima fuit hæc insula ante Hispanorum adventum, sed unà cum aliis Inf. S. Johannis nempe, Jamaica, Lucajis, &c. per summam avaritiam & crudelitatem, ab illis tantùm non vacua habitatoribus reddita est: An. C. 1530. Et certè, Caycus hujus Inf. Dynastes, cùm audiret, appropinquare Hispanos, convocato populo, cum monuit, si evitare crudelitatem eorum vellent, Deum eorum colerent: moxque capsulâ auro refertâ, *Hic est*, inquit, *Hispanorum Deus: Celebremus in ejus honorem choreas & festivos dies.* Sed miser, ab hostibus postea ad vivicomburium condemnatus est: quam mortem subiturus, ex Monacho, se hortante, ut fidem Catholicam reciperet, quò vitam impetraret æternam, cùm audiisset, etiam Hispanis illam patere: negavit *se cœlum velle, ne sibi communis cum his hominibus mansio esset.* Thuan. *hist. lib.* 1. Bartholomæus Casaus *Ep. in Narr. crudel. Hisp. Ind. &c.*

Cuba, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Cubagua Inf. Americæ Meridionalis à Christophoro Columbo detecta, Orientali lateri Pariæ & Cumanæ adjacens, nullo frugum proventu beata, lignorum & aquæ dulcis cumprimis penuriâ premitur. Ligna ex Margarita insula, aquam ex Cumanæ regionis ostiis petunt. Metel.

Cubi, Gall. Celt. pop. qui *Bituriges* vocantur, vulgò *Ceux de Berry*. Plin. 4. 19.

Cubricus, puerulus septem annorum, à vidua Buddæ, (qui à Scyhiano Saraceno errores hauserat, ipse pejor Magistro) adoptatus ac in artibus institutus est, Buddæ fortunarum, scriptorumque hæres. Hinc adultus in Persidem abiit, & *Manetis* assumto nomine, libros Buddæ, de Manicheismo, sub suo nomine vulgavit, sectamque Manichæorum perniciosissimam orsus est. An. C. 275. Socr. *lib.* 1. *c.* 17. *&c.* Vid. *Manes & Manichæi.*

Cubulterini, Italiæ pop. Plin.

Cubus, vide *Cybus*.

Cubus Canopi, vicus fuit prope Constantinop. è reg. trans Chrysoceram sin. juxta amnem Cison; postea *S. Laurentii Fanum*, nunc *Agios Parasceve.*

Cucadma, Sarmatiæ Asiaticæ op. Ptol.

Cucæbiri, Thraciæ urbs. Procop.

Cucci, seu *Cuccium*, Pannoniæ infer. urbs. Anton. Scordiscorum pop. in Savia reg. prope Danubium, nunc *Keroska*, sub Turcis. Baudr.

Cuculli, vulgò *Kuchel*, opp. Norici, ad fluv. Jovauum, 14. m. p. supra opp. Jovauum; nunc vicus, in dit. Salisburg. inter Gollingam & Hellelum opp. Cluverius.

Cuculum, op. Marsorum in Latio, *Scutula*, teste Leandro.

Cuculus, Jupiter dictus est, quòd Junonis desiderio in hanc avem fuerit transformatus.

Cucussus, urbs Armen. min. D. J. Chrysostomi exilio clara. *Cocussa* Athanasio. Ferrar. Vid. Sozom. *lib.* 8. *c.* 21.

Cuda, vulgò *Coa*, Lusitaniæ fluv. Ferrar.

Cudum, Indiæ promuntorium, sive op. Mela. 3. 7. pop. *Κώδηνοι* Ptolemæo dicuntur, vicini Sinis, ultra Colum, vel Colicum promuntorium, Eoo adsiti litori.

Cuenca, Urbs episc. Castellæ novæ, in Serramontana. Vett. *Valeria* fortè, quæ à Mauris destructa, ab Alphonso IX. reparata est. Miræus *Geogr. Eccl.*

Cufa, Urbs Chaldææ, ad Euphr. nunc sub Turcis. In confin. Arabiæ des. 60. mill. à Bagdata in Occ. Aliàs ampla, & aliquando Califarum sedes.

Cugerni, Vid. *Gugerni.*

Cujacius Jacobus, Tholosanus, celeberrimus JC. sui temporis. Biturigibus inprimis docuit, ubi obiit An. 1590. Operibus editis immortale nomen adeptus. Pap. Masson. eum laudavit, prosâ & versu. SanMarth. *elog. lib.* 4.

Cujavia, prov. Poloniæ inter Prussiam ad Bor. & Polon. inf. ad merid. cum Mazovia à Lesco Rom. Conrado fratri concessa est. 1205. Hic Uladislavia & Brestia Urbes. Vid. ibi.

Cularo Allobrogum, urbs Galliæ, Cn. Planco *in epist.* 10. *ad M. T. Ciceronem*, memorata; fere ad Draci & Isaræ confluentes, seu ad Isaram, mox Draci aquis augendum. Hujus muris cum interioribus ædificiis perfectis, Diocletianus & Maximianus Impp. portam Romanam Joviam, portam verò Viennensem Herculiam appellari voluerunt. Postea à Gratiano Aug. *Gratianopolis* dicta: Episcopum habet, quartum inter Antistites Viennensi Burgundiæ Archiep. post Valentiam, Vivarium seu Albam, & Deam suffragantes. Prima *Gratianopolis* mentio, fit in Concilio Aquilejæ habito, anno 15. Imp. Gratiani, cui tum Dominus Episc. interfuit: quemadmodum Victurius Epaonensi, Ursulus Aurelianensi 3. Valesius Presbyter, missus à Syagrio, Lugdunensi 2. Hesychius vel Esicius Parisiensi 4. Matisconensi 1. & 2. & Lugdunensi 3. Clarus Cabillonensi, &c. Vulgò *Grenoble*. Caput est agri cognom. Vulgò *le Gresivodan*, vel *la Vallée de Grisivodan*. Ab urbe 2. leuc. fons est, Augustino *de C. D. lib.* 21. *c.* 7. memoratus, quo ignem ali, certò se scire asserit Franciscus Salesius Episc. Genev. Ab aliis ardere adhuc dicitur, ab aliis ante annos circiter 50. ardere desiisse, sed flamma è vicino fonti solo existere udo tantùm ac pluvio cœlo, quâ etiam ova coquantur. Eo fonte palea accenditur & comburitur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Fuere & aliæ Gratianopoles: In concilio siquidem Ephesino Episcopi Gratianopoleos mentio fit: & Thalassius Gratianopolitanus Episc. in Mauritania Cæs. à Rege Vandalorum & Alanorum Hunerico, cum cœteris, relegatus esse dicitur. Idem. Vid. quoque *Gratianopolis.*

Culcua, Numidiæ Colonia. Ptol. *Cucutina*, teste Marmolio.

Culdei, seu *Colidei*, Monachi & Sacerdotes, apud Scotos Hibernosque olim, de quibus Vid. Hect. Boëthium *Histor. lib. 6.* ubi ait, illos, quòd sedulò prædicationi vacarent, essentque in oratione frequentes, ab incolis *Cultores Dei* esse appellatos: invaluisseque id nomen apud vulgus in tantum, ut Sacerdotes omnes vulgò *Culdei*, i. *Cultores* Dei dicerentur. Idem addit, Pontificem inter se communi suffragio delegisse, penes quem divinarum rerum esset potestas, eumque multos deinceps annos *Scotorum Episcopum* esse vocatum. Sed & extra Albaniam hoc nomen auditum esse, refert Jac. Usserius Archiep. Armachanus, qui ait, in Entili sive Berdseya insf. Monachis, & in Hibernia presbyteris secularibus, id nominis esse attributum. Illam enim suo tempore à Monachis religiosissimis inhabitatam scripsit Geraldus Cambrensis, quos *Cœlibes* vel *Colideos* vocaverint, *Itiner. Cambr. lib. 2. cap.* 6. In majoribus quoque Ultoniensium Ecclesiis, presbyteros, qui Choro inservientes divina celebrabant officia, *Colideos*, eorumque Præsidem *Priorem Colideorum* appellatum esse, scribit Henr. Spelmannus *Gloss. Archaol.*

Culembachium, oppidum Franconiæ ad Mœnum fluv. qui suprà oritur. Emit hoc, cum Blassenburgo & aliis, ab Orlamundanis Johannes, *filius* Friderici II. Comitis Zollerensis, pater Friderici IV. apud Carolum IV. Imperator. non parum gratiosi. Arcem habet *Blassenburg*, & territor. satis amplum Marchionis, è familia Brandeburg. 6. leuc. à Bamberga in Ort. *Culmbacensem* lineam hodiernam orsus est Christianus, secundus filius Joh. Georgii Electoris, mortui Anno Christi 1598. & ex successione Georgii Friderici agnati, nactus est in Franconia tractum montanum & ad Ayssum, Anno Christi 1603. Obiit Anno 1655. relicto ex Filiorum majori Erdmanno Augusto, qui defunctus erat, Anno 1651. nepote Christiano Ernesto, & alio filio Georgio Alberto, qui natus Anno Christi 1619. adhuc cum nepote superest. Aliàs jam olim *Culmbacensis*, seu Beruthini rami auctor Casimirus fuit, fil. Friderici, nepos Alberti El. *Achillis Germanici* dicti. Hic Casimirus, auspiciis patris, Norimbergenses vicit; Anno 1506. rusticam seditionem oppressit, Anno Christi 1525. Generalis dein exercitus Dux in Ungaria Anno 1527. Obiit; Pater Alberti, qui *Alcibiades Germanicus* dictus, conjunctis studiis cum Mauritio Saxone, æquali suo, Cæsari militavit, Anno 1544. in bello Gallico, inde Smalcaldico: Dux postea fœderis contra Saxonem & Philippum Hassum initi: Missus Anno 1547. in subsidium Mauritii à Joh. Friderico pressi, captus est: Dimissus Magdeburgum, Anno Christi 1552. cum Mauritio obsedit, huic mox contra Cæsarem quoque socius. Exin variorum Episcoporum ditionibus miserè vastatis, Passaviensi tractatu comprehendi noluit. Tum Lucemburgensi Duc. & Lotharingia vexata, nomine Gallici Regis prætenso. Tandem cum Cæsare pactus, ad Mussipontem Aumalium profligavit & cepit: Mox iterum grassanti per Franconiam bellum à Ferdinando Rege Romanorum, & Mauritio denuntiatur, quo ad Sivershusam victus Anno 1553. nihilominus cum Brunsuicensi, Episcopis ac Norimbergensibus rem habuit. Demum prope Brunsuicum rursus profligatus, moli succubuit: Inde in Galliam profugus, cùm in Germaniam publicà fide acceptâ redisset, Pfortshemii decessit, Anno C. 1557. Vid. Thuan. *Histor. lib.* 19. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist. &c.* A Maria Ungariæ R. pecuniâ adjutus fuisse creditur.

Culemburgum, opp. amplum Geldriæ, cum arce, ad fin. Leccæ ripam, sub dominio utili Comitis sui; & in 3. partes divisum est, in dit. Hollandorum. Seculo proximè elapso, sub initium turbarum, *Culemburgicus* Comes, cum Ludovico Herenbergensi & Henrico Brederodio, caput fuit fœderatorum in Belgio, Anno 1566. cujus proin ædes Bruxellis, postmodum Albani jussu, dirutæ. V. Grot. *Annal. Belg.* Stradam, &c.

Culiacana, Regio Americæ Septentrionalis, in nova Hispania, versus mare Australe, & novum regnum Mexic. pertinens ad novam Galiciam, nomen habet ab urbe hujus nominis: jacet autem inter fluvium Piasila, & fluvium Sancti Sebastiani, qui antequam se in mare exoneret, à terra absorbetur; metropolis ejus est *Culiacanum*, ubi Hispani fundarunt coloniam Divi Michaelis. Metel. Mercat. Baudr.

Culiacanum, oppid. Amer. Septr. cum prov. cognom. in nova Hispania, versus mare Austr. & novum regn. Mexic. sub Hispanis.

Cullu, quæ & *Collops magnus*. Ptolom. urbs Africæ. Nunc in regno Bugiæ, Baudrand. purpurâ celebris, teste Solino. *Col* Marmolio, *Alcol* Castaldo, & *Collo* Nigro: in Numidia ad amnem cognom. in confin. Mauritaniæ Sifitensis, in ora littor. maris Mediterr. cum portu capaci. Baudr.

Culmia, Urbs episcop. Prussiæ reg. sub Arch. Gnesnensi, 5. leuc. Pol. à Turonia Urb. in Boream, paulo minus à Graudentio. Deficit in dies. Hinc tractus adjacens *Culmigeria*. Mir. *Geogr. Eccl.*

Culmisciacum, vulgò *Cermicy*, villa Episcopatus Remensis, in Gallia, non longè ab urbe Remis. Aliud est *Calmiciacum*, vulgò *Chermizy*, prope eandem Urbem. Hadr. Valesius, *Notit. Gall.*

Culmo subnixa Potestas, Charta, Actus, Pactum. In Marculfi formulis passim occurrit *stipulatione subnixa* & hoc ex jure Rom. petitum, ut notat Bignonius. Dicitur autem *Culmo subnixa*, quasi pacti vinculum & solennitas, traditione culmi sive stipulæ consummata aliquando fuisset, & Stipulatio à stipula descendisset. Vid. *Stipulatio*.

Cuma, urbs in Locrensi agro, qui est Joniæ minoris. Fuit autem hæc Æolicarum urbium maxima, & ferè metropolis cæterarum, quæ numero erant circiter 30. Ab eâ nominata est *Cumæa* Sibylla, quam aliqui à vicinitate loci *Erythræam* appellarunt, quæ profecta in Italiam, multa de Romanis vaticinata est. Patria fuit Ephori, viri doctrinâ clari, Isocratis discipuli. Sed & ante ipsum, Hesiodus quoque Cumæus fuit. *Cuma* Æolica ante Lesbum sita, nomen habet à *Cyme* Amazone, quare etiam *Amazonium* dicta; gentile Κυμαῖος (Κυμαῖς enim ab urbe Italiæ fit) Hæc & Lesbos stoliditatis notantur. Est & alia Phriconitis dicta. Quarta Elidis, Quinta Eubœæ, & Pamphyliæ. Item Insula prope Siciliam. Steph. Hujus op. incolæ *Cumæi* dicti sunt, qui stupiditatis nomine malè audierunt. Olim enim vulgatum erat in totâ Asiâ proverb. *Cumæi serò sapiunt*, ὀψὲ αἰσθάνονται Κυμαῖοι. De cujus origine duæ afferuntur sententiæ. Sunt enim, qui dicant, Cumæos cùm ad mare urbem opportunam haberent, & tamen nullum ex eâ reciperent proventum, vix demum trecentesimo ab U. C. anno intellexisse, ex portorio reditum non contemnendum posse confici. Alii, pecuniâ fœnori acceptâ, amplissimas eas porticus tradunt ædificasse: quam pecuniam cùm constituto die non exsolvissent, creditores in ipsarum porticuum possessionem fuisse missos, qui deinde cives à deambulatione arcebant. Verùm cùm ingens pluvia repentè ingruisset, creditores statim edictum promulgasse, ut Cumæi se in porticus reciperent. Præcone itaque identidem acclamante: *Subite portus viri Cumai*, qui tunc aderant hospites, rem in jocum verterunt, tanquam non intelligerent Cumæi, nisi jussi, pluviæ tempore porticus esse subeundas. Hæc Strabo *lib.* 13. Vid. Steph.

Cumacatum, Urbs Arab. fel. apud Syagrum prom. Vide *Metacum*.

Cuma, *Cume* Ptol. *Cyma* Livio, *Cyme* Melæ, civitas Episcop. Campaniæ ad mare juxta Puteolos, à Cumæis Asiæ populis & Chalcidensibus communiter condita, plurimis Antiquitatis vestigiis inclyta. *Castri* hodiè Sophiano. *Foia nova* Nigro. Virgil. *Æneid l.* 3.

Huc ubi delatus Cumaam accesseris urbem.

Silius Ital.

Linturnum, & quondam fatorum conscia Cume.

Vide Leandr. Alberti *descr. Italia pag.* 169. *edit. Ital. Venet. An.* 1581. Cluverium.

Cuma, seu *Cuma*, urbs Æolidis, in sinu maris Smyrnæi. Nunc *Foia nuova*, cum portu capaci & arce. 26. mill. à Pergamo. 34. à Smyrna in Bor. Ibi Turcæ à Venetis malè habiti, Duce Jac. Riva. An. 1650.

Cumaa Sibylla, dicta *Italica*, quia in Italia vaticinata, è Cimmeriis oriunda, loco prope Cumas Italiæ. Post Trojam captam vixit, si Virgilio fides, qui illam *Deiphoben* vocat, Æneid. *lib.* 6. Lactant. Firm. *div. Instit. lib.* 1. *cap.* 6. Onuph. *de Sibyllis Cumana*, aliàs *Demophile* & *Amalthæa*, Sibylla fuit, quæ Tarquinio sup. libros venum exposuit. Solin. *cap.* 7. Eusebius *Chron.*

Cumana, Regio Americæ meridionalis, à Christophoro Columbo detecta, unionum margaritarumque piscatione perquam celebris. Metel.

Cumanus, Judææ procurator, anno Salutis 51.

Cumba villa, vulgò *Con la Ville*, aliàs *Combs la Ville*, villa agri Parisini, ad flumen Ederam, in Briegio: ad Monasterium olim S. Germani pertinens. Nomen accepit à *Combellis*, quod diminutivum est ex *Combri*, quâ voce concædes significasse Gallos, docent Gesta Francorum *cap.* 25. Hinc in Sabaudia *Cumba*, vulgò *Combe* & *Alta Cumba*, Monaster. inter duos montes sive in convalle, non procul à Rhodano, *Haute Combe.* Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

Cumbria, Comitat. seu prov. Angliæ, vulgò *Cumberland*. In confin. Scotiæ, quæ ei insidet à Septentr. ab Or. habet Westmariam prov. Ab Occid. & Merid. alluitur mari Hibernico. Ibi primaria Urbs Carleolum. Baudrand. Erepta fuit Scotis ab Adelstano, cum Vestmaria, Anno Christi 929. Polydor. *Histor. libr.* 6. *&c.*

Cumerum, seu *Cymerium*, Piceni mons & promuntorium, *Monte d'Ancona* Leandro, Aliis *Monte Sancto*, propter frequentes Eremitarum habitationes: Nunc *monte S. Cyriaco.* Arcem habet satis munitam, à Pio V. extructam. Supra Anconam in mare Adriat. excurrit. Baudr.

Cumi, Æthiopiæ ſub Ægypto op. in Nili ripâ. Plin.

Cumillum magnum, Italiæ urbs, inter Parmam,& Dertonam. Anton. hodiè *Cigognola* Simlero. *Cumillomagum* conjunctim legit Sigonius.

Cuminiorum factio, in Scotia, ab Alexandro III. oppreſſa.A.C. 1249. Buchan. *Hiſt.lib.*7.

Cuminum, Inſ. parva maris Siculi, inter Melitam & Gaulum Inſ. ſub dominio Equit. Melit. ubi arx excitata à Vignacurtio Gallo, magno Magiſtro.

Cunaxa, locus Aſſyriæ, ubi inter Artaxerxem regem, & Cyrum ejus fratrem dimicatum eſt, à Babylone 500. ſtad. Plut.

Cunegundis, Palatina, Henrici II. Imper. uxor, ſemper virgo, quod aliquoties ignitis carbonibus, & ferro ardente marito probavit. Baron. An.1014. 1024. 1025.

Cunei, Hiſp. pop. quorum urbs ampla Cuniſtorgis dicitur. Appianus.

Cunetio, urbec. Belgarum in Anglia. Anton. *Marlborough* ſeu *Marlingesborow* Camdeno & Lhuydo: In Viltonia prov. in colle declivi, cum fluv. cognom. *Kennet* vulgò 20. mill. à Verluccione, 24. ab Oxonia in Auſtr. Speedus.

Cuneum, vulgò *Coni*, Urbs Ital. probè munita, in colle, in Pedemontio, ad confluentias Geſæ in Sturam fluv. An.1641. à Gallis, Harcurtio Duce, capta. Subeſt dominio Sabaudiæ D. 11. mill. à Foſſano in Auſtr. 11. à Salutiis.

Cuneus, ſive *Sphen*, Straboni regio eſt. Plinius promontorium vocat. Mela 3.1. agrum nominat, Luſitaniæ locus eſt inter Sacrum promontorium, & Anam fluvium. *El Faro* hodiè Cluſio. Baudrando in ea parte Luſitaniæ merid. ager hic erat, ubi nunc Algarbia: tractus exiguus, regio tit. inſignis; ſub Portugall. R. Inter Portugalliam & prov. inter Tagum & Anam dictam ad Bor. Anam fl. & Oceanum Atlanticum. Ubi nunc urbes Silvis, Pharus, Lagium & Tavira. *Cuneum* autem prom. eſt *Cabo de S. Maria*, in eadem Algarbia, prope Farum urb. Rationem nominis reddit Mela dicto loco: *Quia latâ ſede procurrens, paulatim ſe ac ſua latera faſtigiat, Cuneus ager dicitur.* Verùm in eo egregiè falli putat Iſ. Voſſius, quòd promont. hoc à cunei formâ dictum putat. Quod a. magis mirere, etiam Straboni perſuaſum hoc eſt à Romanis; ait enim ille: Καὶ δὴ καὶ τὴν προσεχῆ ταύτῃ χώραν τῇ Λατίνῃ φωνῇ καλοῦσι Κύνεον, σφῆνα σημαίνειν βουλόμενοι. Idem habet Ælianus. Atqui vox corrupta eſt ex Græco Κύνης, cujus accolæ dicuntur Herodoto Κυνήσιοι & Κύνητες. Vide etiam *Cyneſii.*

Cuni, Gedroſiæ op. Ptol.

Cunici, urbs Balearidis majoris, Plin.

Cunibertus, fil. Pertariti, Longob. R. ei conſors imperii, quo mortuo A. 693. regnavit uſque ad An. 705. P. Diac. *hiſt. Longob.* Sigonius *hiſt. Ital.*

Cunicularia Inſulæ, ſunt *Iſole del Pullo* Cluver. Brietioque, in ora Sardiniæ Or. verſus mare Tyrrhenum, in parte Auſtr. Sinus Calaritani. Ibi etiam *Cuniculariùm* prom. corruptè, *Cunsum* vulgò, *Capo del Pullo*, in parte Orient. Sardiniæ, 16. mill. à Calari in Auſtr.

Cunimundus, vel *Guimundus*, Rex Gepidarum, ab Alboino victus, An. 571. qui filiam ejus in uxorem ductam ex cranio occiſi patris bibere cogens, ab illa interfectus eſt. P. Diaconus, *de geſtis Longob. l.*2. Sigonius, *hiſt. Ital.*

Cunina, Dea, quam priſci coluerunt, quæ *cunis* infantium præſidere putabatur. Rhod.12.34.

Cuninghamia, prov. Scotiæ merid. inter Covaliam & Leviniam, in ora Glottæ æſtuarii, ubi *Reinfreum* & *Irvvinum* opp. præcipua.

Cunion Charion, Sardiniæ promunt. Ptol. *Cabo Ferrato*, teſte Nigro. Baudrando *Capo del Pullo*. Vid. *Cunicularia.*

Cuniſtorgis, Vid. *Cunei.*

Cunuſitani, Sardiniæ pop. Ptol.

Cuperium, Leuncl. *Cupri* vel *Tzupri*, locus Thraciæ, apud Byzantium.

Cuperſanum, vulgò *Converſano*, Urbs nunc agri Bariani, in regno Neap. dorſo montis affixa, 9. mill. à Monopoli in Occaſum, 5. ab ora maris Adr. Olim Apuliæ Peucetiæ. Vid. *Converſanum.*

Cuphe, Libyæ inter. urbs. Plin. Apud Cedrenum verò fluv. Sarmatiæ Europææ videtur.

Cupido, Amoris Deus, quem Heſiodus natum vult ex Chao & Terrâ, Simonides ex Marte & Venere, Arceſilaus ex nocte & Æthere, Alcæus ex Lite & Zephyro, Sappho ex Venere & Cœlo, Seneca ex Venere & Vulcano. Quidam ex ſolâ Venere prognatum tradunt, citantes illud Virgilii *lib.*1. *Æn.*

Nate mea vires, mea magna potentia ſolus.

Duplex autem eſt. Ovidius,

Alma fave, dixi, geminorum mater Amorum.

Seneca *in Hippolyto*,

Diva non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido.

Honeſtus videlicet & turpis; illumque ex Venere & Jove patre natum volunt, hunc autem Noctis ac Erebi filium eſſe, quod ipſum refert Cic. *lib.*3. *de Nat. D.* Fingitur à poetis flammis armatus, ac duobus diverſiſſimæ naturæ ſpiculis, altero videlicet aureo, altero plumbeo, quorum illud vim habet amorem conciliandi, hoc pellendi fugandique. Ovid. *Met.*1. *in Fab. Apol. ac Daphnes.* Ejus potentiam ſupra vidimus in *Amore*, quam hîc ulterius ex poetis Græcis oſtendemus. Anacreon, εἰς ἔρωτα, ſic canit,

Ὁ δὲ καὶ θεῶν δυνάστης,
Ὁ δὲ καὶ βροτοὺς δαμάζει.

Theocritus *in Pharmaceutria*:

——Ἔρως δ᾽ ἄρα καὶ Λιπαραίω
Πολλάκις Ἁφαίστοιο σέλας φλογερώτερον αἴθει.

Idem *Idyll.*3.

Νῦν ἔγνων τὸν ἔρωτα, βαρὺς θεὸς, ἦ ῥα λεαίνας
Μαζὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τέ μιν ἔτρεφε μάτηρ,
Ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὀστέον ἄχρις ἰάπτει.

Idem *Idyll.*11.

Αἰαῖ ἔρως ἀνιηρὲ τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας.

Heſiodus *de Cupidine*,

——Ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι
Λυσιμελὴς πάντων τε θεῶν πάντων τ᾽ ἀνθρώπων,
Δάμναται ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

Tyrannum virorum vocat Euripides *in Hippol.* Ἔρωτα δὲ τὸν τύραννον ἀνδρῶν τὸν τᾶς Ἀφροδίτας φιλτάτων θαλάμων κληδοῦχον οὐ σεβίζομεν. Moſchus,

Μίκκυλα μὲν τήνω τὰ χερύδρια, μακρὰ δὲ βάλλει,
Βάλλει κ᾽ εἰς Ἀχέροντα καὶ εἰς Ἀίδεω βασιλῆα.

Oppianus *Halieuticon*, *lib.*4.

Σχέτλι᾽ ἔρως, δολόμητα, θεῶν κάλλιστε μὲν ὄσσοις
Εἰσιδέειν, ἄλγιστε δ᾽ ὅτε κραδίαν ὀροθύνεις,
Ἐμπίπτων ἀδόκητος, ὑπὸ φρένα δ᾽ ὥστε θύελλα
Μίσγεαι, ἀθμαίνεις δὲ πυρὸς δριμεῖαν ὁμοκλὴν,
Παφλάζων ὀδύνῃσι καὶ ἀκλαύτοισι μανίαις.
Δάκρυ δέ σοι προβαλεῖν λαρὸν γάνος, ἠδ᾽ ἐσακοῦσαι
Βυσσόθεν οἰμωγὴν, σπλάγχνοις δ᾽ ὑπὸ θερμὸν ἔρευθος
Φοινίξαι, χρωτὸς δὲ παράτροπον ἄνθος ἀμέρσαι,
Ὄσσε τε κοιλῆναι, παρά τε φρένα πᾶσαν ἀεῖραι
Μαινομένην, πολλοὺς δὲ καὶ ἐς μόρον ἐξεκύλισσας,
Ὅσσοις χειμέριος τε καὶ ἄγριος ἀντιβόλησας,
Λύσσαν ἄγων, τοίαις γὰρ ἀγάλλεαι εἰλαπίνῃσιν.

Idem *Cynegeticon*, *lib.*2.

Ὄμβριμ᾽ ἔρως πόσος ἐσσὶ, πόση σέθεν ἄπλετος ἀλκὴ,
Πόσσα νοεῖς, πόσα κοιρανέεις, πόσα, δαῖμον, ἀθύρεις.
Γαῖα πέλει στερεή, βελέεσσι δὲ σοῖσι δονεῖται,
Ἄστατος ἔπλετο πόντος, ἀτὰρ σύγε καὶ τὸν ἔπηξας.
Ἤλυθες εἰς αἰθὴρ, οἶδεν δέ σε μακρὸς Ὄλυμπος.
Δειμαίνει δέ σε πάντα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε,
Γαίης ὅσσα τ᾽ ἔνερθε, καὶ ἔθνεα λυγρὰ καμόντων,
Οἱ Λήθης μὲν ἄφυσσαν ὑπὸ στόμα νηπαθὲς ὕδωρ,
Καὶ φύγον ἄλγεα πάντα, σὲ δ᾽ εἰσέτι πεφρίκασι
Σῷ δὲ μένει καὶ τῆλε πέρας ὅσον οὔποτε λεύσσει
Ἠέλιος φαέθων, σῷ δ᾽ αὖ πυρὶ καὶ φάος εἴκει
Δειμαῖνον, καὶ Ζηνὸς ὁμῶς εἴκουσι κεραυνοί.
Τοίους ἄγριε δαῖμον ἔχεις πυρόεντας ὀϊστοὺς,
Πολυκεδανοὺς, μαλεροὺς, φθισίφρονας, οἰστρήεντας
Τηκεδόνα πνείοντα, ἀναλθέας, οἷσι καὶ αὐτοὺς
Θῆρας ἀνεπτοίησας ἐπ᾽ ἀζυγέεσσι πόθοισι.

Cupra, op. Piceni in Mediterraneis. Ptol. Κοῦπρα Μοντάνα, *Cupra Montana*, unde Plinio opidani *Cuprenſes* vocantur cognomine *montani*; ad diſcrimen alterius, quod in litore *Cupra maritima* dicebatur, de quo Sil. *lib.*8.

Et queis litorea fumant altaria Cupræ.

Ubi Dauſqueius, *Junonis*, inquit, *cui id cognomentum*. Strab. *lib.*5. Ἐφεξῆς δὲ τὸ τῆς Κύπρας ἱερὸν Τυρρηνῶν ἵδρυμα καὶ κτίσμα, τὴν δὲ Ἥραν ἐκεῖνοι Κύπραν καλοῦσι. Hæc *le Grotte*, altera *Ripa Tranſona* hodiè dicitur, urbs recens Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Firmano.

Cuprimontium, vulgò *Kopersberg*, opp. Sueciæ, jure municipii donatum. Cupri fodinas habet præſtantiſſimas. Non longè à lacu, in Geſtricia prov. 50. mill. à Gevalia Urbe, in Occ. paulo amplius à mari Baltico.

Cuqueni, vel *Cucueni*, Aquitan. Gall. pop. Ptol. *Biernenſes* Villanovano. Aliis *Convena*, in Aquitania, verſus montes Pyrenæos & fontes Garumnæ. Vid. ibi.

Curalonenſes, vel *Cularonenſes*, pop. Allobroges, forſan *Gratianopolitani*, ob vet. inſcr. marm. ibi repertam. Vide ſupra in voce *Cularo.*

Curaporina, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Curaſſoa, Ins. Amer. merid. in ora littor. Venezuelæ, Hiſpanis erepta ab Hollandis An.1632.

Curatius, Vid. *Andron.*

Curbicus, nomen genuinum hæresiarchæ Manis, cùm servus esset. Vid. *Manes.*

Curbio, vel *Curbionense* Monaster. à S. Lauromaro Abbate extructum, circa A.C.495. ad Curbionem amniculum, in Gallia, Vid. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Curcarum, opp. Lucaniæ.

Curcum, Liburniæ mediterr. op. Ptol. vulgò *Cruck.* Vegiæ tamen in ora & Argyrunto finitimum, Ferr.

Curcura, maris Adriatici insula.

Curdi, pop. Asiæ, maj. ex parte sub Turcis, in confin. Persiæ. Eorum regio vulgò *Churdistan*; estque ampla admodum & fertilis. Vide de his egregiè disserentem Petr. de Valle *Itinerar. Tom.*1. & 2.

Curena, Mediæ urbs. Ptol.

Curenses, pop. in 4. regione Italiæ. Plin. 3. 13.

Cureotis, tertius dies Apaturiorum, sic dictus παρὰ τὸ κουρᾶς ἢ τῶν κούρων, *à tonsurâ, aut à pueris.* Nam à parentibus pueri ad Tribules adducebantur, ibique tondebantur, ac Sodalitatibus, sive tribubus adscribebantur. Quod respondet, opinor, Romanorum mori, quo virilem togam adolescentes sumebant, & primam barbam ponebant, de quo Suetonius *in Caligula cap.*10. & *Nerone cap.* 12. Igitur & apud Græcos, adolescentes ad annos pubertatis, in honorem alicujus Dei, capillum alebant, quem propterea θρεπτήριον vocabant. Eum deinde, ubi tondebantur, in ejus Dei templo consecrabant, in cujus honorem se gestasse professi fuerant. Quod quia Apollini frequenter accidebat, illum ideo κουροτρόφον appellarunt. Demosthenes *in provocat. contra Eubuliden*, Παιδίον ὄντα μὲ εὐθέως ἦγον εἰς τοὺς φράτερας, εἰς Ἀπόλλωνος πατρώας ἦγον, εἰς τ᾽ ἄλλα ἱερά. Nulla tamen Religio certo numini eos astringebat; nam puellæ Atticæ, teste Pausaniâ, primitias comarum ad sepulcrum Iphinoæ deponebant. Elææ virgines Opi, & Hecaergæ dicabant. Atheniensium vulgus Herculi. Hesychius: Ἀθήνῃσιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν, πρὶν ἀποκείρεσθαι τὸν μαλλὸν, εἰσέφερον Ἡρακλεῖ μέτρον οἴνε, καὶ σπείσαντες τοῖς συνελθοῦσιν ἐπεδίδεσαν πίνειν, ἡ δὲ σπονδὴ ἐκαλεῖτο οἰνιστήρια. Nobiliores autem & qui supra vulgus existimari volebant, antiquo instituto, cujus mem. Plut. *in Theseo*, comam suam Apollini Pythio vovebant, ac Delphos proficiscebantur, cùm deponendi tempus advenisset. At Κουρεῶτιδι die consecrasse Dianæ comam expressè docet Hesychius: Κουρεῶτις, μηνὸς Πυανεψιῶνος ἡμέρα, ἐν ᾗ τὰς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τῶν παίδων ἀποκείροντες τρίχας Ἀρτέμιδι θύουσι. Vide Castellanum *de Fest. Græc. in* Ἀπατούρια.

Cures, pl. num. Sabinorum op. cui imperabat Tit. Tatius, cujus cives *Quirites* dicebantur; conveneruntque Romulus & Tatius in hanc sententiam, ut à duobus populis unus efficeretur, & Sabini Romam migrarent, Romaque nomen retineret, sed *Romani* & *Sabini* Quirites appellarentur. Livius *lib.*1. Hinc etiam populi *Cures.* Virgil. *Æn.* 8.

—— *Tatioq; seni, Curibusq; severis.*

Item *lib.* 6. *parvi Cures*, i. e. *pauperes*; sequitur enim *paupere terrâ.* Fuit olim urbs illustris, teste Strabone. Numæ Pompilii patria. Caput gentis vocat Halicarnasseus. Κύρης Stephano est. *Turre* hodie dici scribit Leander. Aliis est *Vescovio*, urbs prim. Sabinæ antea, nunc opp. ubi etiam fuit Episcop. Sabinensis Manleanum translatus. Prope Himellam amnem, 3. mill. à Reate in Occas. 11. ab Interamnia in Austr. in dit. Pontif. Baudr. Populi *Curenses* Plinio.

Curetes, pop. Cretæ, qui & *Corybantes*, & *Idæi Dactyli* appellati sunt, ex Idâ Phrygiæ monte (ut quidam volunt) oriundi. Dicti Κούρητες Straboni *lib.*10. ἀπὸ τῆς κουρᾶς, hoc est, *à tonsurâ*, anteriorem enim capitis partem detonsam gestabant, ne hostes eos cæsarie apprehenderent. Eust. *in Iliad.*23. Κούρητες χλιδῶντα πλόκαμον τρέφοντες, ὥστε παρ᾽ἑνὸς ἁβρῶς, ὅτω ἐκλήθησαν κουρᾶς ἕνεκα. Alii sic dictos volunt ἀπὸ τῆς κουροτροφίας, eò quòd Jovem aluisse dicantur. Lucret. *lib.*2.

Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum in Cretâ quondam occultasse feruntur.

Virg. *Georg.* 4.

Nunc age naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediam, pro quâ mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiaque æra secutæ,
Dictæo cæli regem pavere sub antro.

Strabo, ubi supra, Curetas quoque in Græciam commigrasse refert, tandemque consedisse trans Acheloum flu. ibique cùm intonsa servarent capita, *Acarnanas* vocari cœpisse. Hos Ovidius ex imbre natos fabulatur, *Met.*4.

——*Largoq; satos Curetas ab imbre.*

Horum meminit Lucianus *in Nigrino*, Τηνικαῦτα χρῆσαι τὰ βέλη, ὅτε ἰῷ, καθάπερ οἱ Σκυθῶν, ὅτε ὅπλῳ καθάπερ τὰ Κουρήτων. Ubi Palmerius, Mirum est, inquit, Lucianum tribuere hoc loco Curetibus sagittandi artem, quam nullus alius antiquorum illis tribuit, licèt plures de illis plura dixerint. Omnes illis gravem armaturam, scutum, & hastas tribuerunt, & ἐνόπλιον ὄρχησιν. Orpheus, seu Onomacritus *Hymn.*1. & 2. *in Curetas*, mille illis epitheta dedit, nullum tamen, quod sagittandi peritiam significet. Imò contra eos ὁπλοφόρους φύλακας vocat, & χαλκοκρότους ἀρηΐα τεύχε᾽ ἔχοντας. Callimachus etiam *Hymno in Jovem*:

Οὖλα δὲ Κούρητές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο
Τεύχεα πεπλήγοντες. ——

Idem ait Apollodorus *lib.*1. Οἱ δὲ Κούρητες ἔνοπλοι ἐν τῷ ἄντρῳ τὸ βρέφος φυλάσσοντες τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον. Dionysius Halicarnasseus *lib.*7. Ὅτε τὸν Δία τηθηνούμενον θέλγειν ἐβούλοντο, κτύπῳ τε ὅπλων καὶ κινήσει μελῶν. Strabo *lib.*10. ubi de Cretâ: Τούτους δὲ ὠνόμασαν Κούρητας νέους τινὰς ἐνόπλιον κίνησιν μετ᾽ ὀρχήσεως ἀποδιδόντας, προσποιησάμενοι μῦθον τὸν περὶ τοῦ Διὸς γενέσεως. Plin. *lib.*7.*c.*56. *Saltationem armatam Curetes docuere, Pyrrichen Pyrrhus, utramq; in Creta.* Idem ait & Pindari *Schol.ad Pyth.* 2. &, ne te morer, lector, innumeris citationibus, quicumque de Curetibus scripserunt, iis tympana, & armorum strepitum & saltationem in armis tribuerunt, nullus sagittarum infectionem. Ætoli certè, qui prius Curetes, & à quibus ortos Cretenses Curetas volunt, fundâ, non sagittis gloriabantur, & eorum dux Pyræchmes Degmenum Elæum sagittarium fundâ prostravit. His ductus auctoritatibus apud Lucianum hoc loco, pro Κουρήτων, lego Κρητῶν minimâ mutatione. Nec mihi Diodori locus *libri* 5. ubi de novem illis Cretensibus Curetibus, scrupulum injicit, & ab eâ lectione inhibet, ubi inter plurium rerum & artium inventionem, quam Curetibus tribuit, addit: Τὰ περὶ τοξείαν καὶ τὰς κυνηγίας εἰσηγήσασθαι. Nam ultra quòd Diodori auctoritas contra omnium antiquorum turbam & consensum mihi parum valere videtur, recantat ipse Diodorus, & contra se ipsum pugnans ait, ex Cretensium traditione, Apollinem in Cretâ natum, εὑρετὴν τῆς τέχνης γενόμενον διδάξαι τοὺς ἐγχωρίους τὰ περὶ τὴν τοξείαν. At certè si Apollo primus fuit arcûs & sagittarum inventor, & ejus usum docuit Cretenses, non erat notus arcus Curetibus, qui ante Apollinem natum, & ipso Jove antiquiores in Cretâ habitabant. Hæc ille.

Curia, sic dictæ primò Romanis XXX. illæ portiones, in quas populum divisit Romulus: dein partium illarum ædes publicæ, quibus & convenire solebant singulæ Curiæ, & sacra peragere. Tertiò locus, in quo Senatus Remp. curabat: atque inde quartò, locus etiam, cui suam quisque domum Senator contulit. Athenis Κυρία dicebatur & ipsa concio & concionis locus, ubi convenire solitus est Magistratus & creari. Item dies rei alicui constituta, vadimonii sistendi, vel juris dicendi gratiâ: nec non sententia, quæ in suffragiis vincit, unde Prov. Αὕτη κυρία. Tandem potestas & dominium. Et certè Romana dictio à Græca profecta videtur, licèt Varro à *Cura*, Canonistæ à *Cruore* derivent. *Curia* pro foro juridico, apud Scriptores Eccl. & in Jure Civ. antiquè nonnunquam reperitur. Exin pro potestate & brachio, ut ajunt seculari: atque aliàs pro omni populo seculari: *Sic ut Curia & Ecclesia inter se distinguantur*, modo quo Ecclesia & Regnum. Vid. Jureti *Observationes in epist.* 53. *Ivonis ad Sanchonem Episc. Aurel.* Apud Germanos autem, Francos, Anglo-Saxones, & gentes Boreales, non venisse in usum, *Curiam* pro foro juridico, sed communiter *Mallum*, *Placitum*, *Gernotum*, &c. recepta fuisse vocabula, demum post accessum Normannorum, introductam esse, existimat Spelmannus *Glossar. Archæol.* Dicebatur autem *Curia* primò de Regia seu Palatio Principis, inde de familia & judiciis in ea habitis: Ritu veterrimo, ut ostendit Virgilius *Æneid. lib.* 7.

—— —— *Laurentis regia Pici:*
Hic sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat; hoc illis Curia templum.

Jam de omnibus foris judicariis effertur. Idem.

Curia, urbs primaria Rhætiæ, inter Mediolanum & Brigantium. *Chur* hodie Tschud. Gallis *Coire*, Italis *Coira.* Sita est hodie ad pedes trium montium, ad dextram fluv. obstreperi, *Plessura* nomine, qui ex valle Scanavina, in Rhenum, hic demum nomen suum merentem, infra Curiam 2. m. p. influit. Olim *Imberg* dicta, teste Guillimanno *pag.* 430. Alii Ptolomæum, qui sub Adriano & Marco Impp. vixit, ejus meminisse, & *Ebrodurum*, aut *Ebodurum* nominasse affirmant. Guillim. *Ibid.* Sprecherus *Pallad. Rhæt. lib.*8. Antoninus non amplius Ebodurum vocat, sed *Curiam Rhætorum*, quam à Brigantio 50. m. p. & à Tinnetione 20. m. p. distare ait. Onuphrius Colonias Rhætiæ recenset quinque, quæ sunt: Augusta Quintanorum, Augusta Tiberii, Augusta Rhætorum, Colonia Constantia, & *Curia.* Hujus originem ad Constantii Constantini fil. tempora refert Munster. *lib.* 3. circa Annum Christi 357. Nomen urbi à Corvantiis, populo Rhætiæ petulantissimo, teste Strabone *lib.*4. qui Celtarum primi hanc regionem incoluerunt. Hos feroces & in arcibus ac naturâ munitis locis degentes socios & cives assumserunt Rhæti, Tuscorum progenies, in hos montes ex Italia profugi. Sprech. *lib.* 1.2. &c. Cùm Hadriani temporibus Rhætia in primam & secundam divideretur; utrique Præsides dati à Romanis. Quorum secundæ quidem Augustæ Vindelicorum: primæ verò in duobus castris Marsoila hodie

die *der Hof*, & Spinoila, sedem habuit: ab his successivâ incrementa urbs cepit, tum etiam ab arce egregia Planterra, *Imburg*, quæ jam centrum civitatis, emporio ibidem extructo. Aucta dein fuit Curia, cùm in campis Caninis Constantinus Imper. Anno Christi 355. contra Alemannos hiberna sua haberet. Vid. fusiùs Munsterum, Sprecherum, Stumpfium, &c. In templo S. Lucii tria Epitaphia antiqua visuntur, quæ Vid. apud Plantinum *Helvet. nova antiq.* Episcopi Curienses adhuc sedes, sed Evangelicæ doctrinæ addicta: primus Episcopus Asimo fuit, circa Ann. Christi 452. cui Puritius successit, &c. quorum reditus post Comitum Curiensium familiam extinctam, magnopere aucti, & insignia quoque horum ab illis in posterum usurpata sunt. Fœdere cum Tigurinis inito An. Chr. 1419. in jus civitatis illius recepti sunt. Caput est autem hæc urbs, fœderis Rhætorum Cathedralis, eodemque ferè modo, quo Tigurina Resp. administratur, à duobus Consulibus, quorum annuum per vices imperium est. De quo plura Vid. apud eund. Simler. *de Rep. Helvet.* Incendium ingens Anno Christi 1674. passa, sensim in pristinum nitorem redit, &c. Inter Clavennam 4. leuc. Helv. ad Merid. Brigantium 6. ad Bor. & Constantiam 8. Similiter 8. leuc. à Tiguro distat in Eur. Baudrand.

Curia, vel *Corta*, Ottadinorum opp. Angliæ in Northumbriâ, *Corbridge*. Camdeno. Ad Tinam fluv. in ditione Diœcesis Dunelmensis, aliquot mill. supra novum Castrum, in Occasum.

Curia, vulgò *Corte*, urbs in meditullio Corsicæ, satis culta & saxo imposita, prope Golum fluv. ubi persæpe commoratur Episc. Aleriensis, 18. mill. ab Aleriæ ruinis, in Occas. 25. à Calvio in Ortum.

Curia picta, *Corbetta*, pag. Insubriæ. Alciat.

Curiandra, Bactrianæ opp. Ptol.

Curianum, Gall. Aquitan. promunt. Ptol. Brietio & Sansoni *Cap de Buch*, illa in Aquit. parte, quæ nunc Guienna propria, in ora Oceani Aquitan. 11. leuc. ab ostio Garumnæ in Austr. 12. à Burdegala in Occas. Aliis est *la pointe d' Arcachon*, ad ostium sinus Arcassonii, 4. leuc. à Buzio in Occ. in ora Oceani.

Curias, Cypri promuntorium. Plin. opp. verò Ptol.

Curiatii, gens antè Albana, pòst Romæ Patritia minorum gentium, Albâ excisâ à Tullo Hostilio, Romam cum aliis traducta. Romæ Consularis fuit & Tergemini cognomen, quemadmodum *Horatia*, tenuit. Curiatiorum gens à Curiâ fortasse manavit.

Curiatii, tergemini fratres Albani, in pugna, contra totidem Horatios, fratres Rom. occisi. Florus, *lib.* 1. *cap.* 3. Liv. *lib.* 1. Dionys. Halicarn, &c.

Curiatius Maternus, Poëta Latinus, sub Vespasiano. Ejus nihil restat, præter Medeam tragœdiam. Auctor *de causis corr. Eloq. dial.* 6. Voss. *de Poët. Lat. cap.* 3.

Curica, urbs vetus inter Bætim fluv. & Emeritam. Anton.

Curicta, ins. Illyriæ objacens. Plin. *Voga* hodiè Hermolao dicitur. Κυρικτικὴ Straboni *lib.* 7. & Κυρυκτικὴ, *lib.* 11. quod minus probat Casaubonus. Κύρικτα Ptolemæo. Baudrando *Vegia*, Ins. in intimo recessu sinus Flanatici, paucis mill. ab ora littor. Liburniæ. Circuitus est 55. mill. circiter, à Senia Urbe in Occ. 5. milliar. Habet Absyrtides Ins. in Occ. Arbam in Austr. Ejus primaria est *Curictum*, *Veglia*, in parte Occ. Ins. Alia loca sunt *Velka*, *Bescha* & *Verbenico*. Sub Venetis à multis annis. Meliùs *Veglia* dicitur.

Curicum, seu *Curictum*, Curictæ Ins. Urbs prim. Gaudet arce & portu; contra Absorum, ab ea 4. leuc. Germ. in Ort. Seniam versus, à qua totidem leuc. distat. Vid. *Curicta*.

Curifugia, nomen villæ Nicolai Perotti, quam in agro Sentinati habebat, inter 2. fluenta, Sentinum & Nevolam, ubi est saluberrima cæli temperies.

Curiga, opp. Hisp. Bæticæ. Vid. *Ucultiniacum*.

Qu. Curio, pater, Orator egregius, hinc opulentus, sed nullâ memoriâ fuit. Hic in quâdam oratione, Cæsarem *omnium mulierum virum*, *& omnium virorum mulierem vocavit*. Tacit. *l.* 11. *Annal.* Suet. *in Cæsare*, *cap.* 49. Cic. *in Bruto*.

C. Curio, filius. Trib. plebis, Cæsarianas partes secutus est, vir luxu & audaciâ singularis. Sexcentas enim H. S. debebat, uti Val. Max. *de luxu* scribit. Is itaque, ut se ære alieno liberaret, atque emergeret, Cæsarem ad bellum Civile impulit. De eo Lucan. *libr.* 1.

Hos jam mota ducis, vicinaq; signa petentes
Audax venali comitatur Curio linguâ:
Vox quondam populi: libertatemq; tueri
Ausus, & armatos plebi miscere potentes.

In Africam missus, contra Varum fortiter pugnans, eum in fugam conjecit: Sed à Juba subitò oppressus, sponte mortem sumsit. Plut. *in Pompejo*, *& Cæsare*. Florus, *&c.* Hic Theatra duo juxta fecit amplissima è ligno cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus utrisque, antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ, & repentè circumactis ut starent, postremo jam die descendentibus tabulis & cornibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis autoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quisque in hoc primum? inventorem, an inventum? Artificem, an authorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? parere, an jubere? super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infidâ, instabilique sede. En hic est ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & regna diribet, jura exteris mittit, Deorum quædam immortalium generi humano concessa portio, in machina pendens, & ad periculum suum plaudens. Quæ vilitas animarum ista, aut quæ querela de Cannis, quantum mali potuit accidere? Hauriri urbes terræ hiatibus, publicus mortalium dolor est. Ecce Pop. Rom. universus, velut duobus navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur, & seipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo, luxatis machinis, &c. Vide Plin. *Nat. Hist.* 36. 15. Integrum nomen ei fuit, *C. Scribonius C. F. Pop. Curio*. Nam *Curio* Scriboniæ familiæ cognomen est.

Curio Cælius Secundus, illustri in Taurinis loco natus, Philosophus doctissimus, ob purioris cultus amorem, mira passus, & è carcere squalido aliisque gravissimis periculis miraculosè liberatus, cum familiâ Basileam concessit: ibique Philosophiæ & Eloquentiæ studia propemodum an. 23. professus, Obiit anno 1569. æt. 67. Scripsit, *Dialogus Probus*, *Araneus* seu *de Providentia*, *Forum Romanum*, *&c.* Pater *Augustini*, Saracenicæ hist. Scriptoris, *Horatii*, qui anno æt. 20. Pisis Phil. & Medicinæ laureâ impetratâ, à Maximiliano II. Imp. ad Selimum Turcarum Imp. legatus, Sebenici obiit, jussu Cæsaris magnifico ibi epitaphio honoratus: *Leonis*, cujus filii Principibus grati, & filia Margareta, Johanni Buxtorfio, Hebrææ linguæ Doctori incomparabili, nupsit: *Angela*, virginis eruditæ, &c. Vide *Cælius Secundus Curio*.

Curiones, Germ. pop. Ptol.

Curiopolis, Urbs Cariæ. Steph.

Curiosolitæ, pop. inter Celtas ex maritimis civitatibus Oceanum attingentibus, quæ *Armoricæ* appellantur, proximi Andegavensibus. Hos *Corisopitenses* esse plerisque placet. Primò memorantur Jul. Cæsari *Comm. de bello Gall. lib.* 2. ubi illos, cum aliis Galliæ pop. à P. Crasso cum septima legione misso, in ditionem pop. Rom. redactos esse: & *lib.* 7. ubi illos 6000. armata in bellum contulisse scribit. Eorum, ut & Venetorum regiones à Britannis, Anglorum Saxonumque potentiam fugientibus occupatam esse, Anno C. 786. refert Eginhardus, in *Annal.* Hinc Cornubia à situ, & quasi *Cornu Galliæ*: *Cornavaille* civitas eorum dicitur, teste Marliano, in Britanniæ ducatu. Baudrando tractus horum, Cornubia recenti nomine, vulgò *Cornoüaille*, dicitur, urbs *Corisopitum*, vulgò *Kemper* Britann. Gallis *Quimper Corentin*, i. civitas Corentini, ab Episcopo quondam suo & patrono: Caput infer. Britanniæ, versus oram. Sedet inter Gobæum prom. ad Bor. & Venetos ad Ort. Episcopus ejus, inter Antistites Turonensi Archiep. Metropolit. suffragantes, quintum obtinet locum. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.* Vide *Corisopitum*.

Curitis, op. à terrâ absorptum. Plin. 2. 29.

Curium, urbs Cypri, à *Cureo* Cynaræ filio. In ora Occid. Ins. ubi in Austr. tendit, nunc *Audimo*, 9. mill. à prom. Albo in Austr. 16. à Curia prom. quod nunc *Capo delle Gatte*, maximè tendens in Austr. versus Ægyptum, Baudr. Est etiam urbs Ætoliæ, Steph.

Curius Dentatus Marcus, Romanus civis, exactissimæ frugalitatis, & perspectæ fortitudinis. Hic cùm, in scamno sedens, rapas in foro torreret, & Samnitum legati magnum auri pondus publicè missum attulissent, invitarentque, ut eo uti vellet, respondit, M. Curium malle imperare locupletibus, quàm locupletem fieri, & qui acie vinci non potuisset, eum pecuniâ corrumpi non posse. Hunc omnium primum de Sabinis triumphasse, author est Livius. Idem etiam Pyrrhum, Epirotarum regem, acie victum Italiâ expulit, populoque viritim quaterna agri jugera divisit, sibique nihilo plus servavit, docens, Neminem esse debere ducem, cui non tantum esset, quantum militi sufficeret. Postremò de Lucanis ovans urbem intravit. Vide Plut. *in Catone Censore*. Aurel. Victor. *de Viris Ill. cap.* 33. Liv. Florum, &c. Hor. *Carm.* 1. *Od.* 12.

Hunc, & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit.—— ——

Juv. Sat. 11.

——Curius parvo quæ legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat olufcula, &c.

Claudianus,

Pauper erat Curius, reges quum vinceret armis.

Curius, præfectus Equitatus Cæsaris, ad quem in viâ Numiciâ sex cohortes Pompejanæ transierunt. Cæs. *lib.* 1. *de Bello Civili cap.* 24. ubi *Bivius* appellatur mendosè, fortè pro *Vibius*. Vide Fabium *lib.* 6. *cap.* 4. Cicer. *lib.* 9. *Epist. ad Attic.* 6.

Curius, Alexandriæ Presbyter fuit, tantæ doctrinæ famâ, ut *Origenes Junior* appellaretur Hieron.

Curius Fortunatianus, Historicus, sub Gordiano & Philippo Arabe

Arabe. Jul. Capitolin. *in Maximo & Balbino.* Scripsit Maximi vel Pupieni vitam, quæ in Bibliotheca Imperatoris asservatur. Voss. *de H.L lib.2. cap.* 3.

Curlandia Duc. olim Livoniæ pars, nunc sui juris. Sub proprio Duce. Inter Livoniam ad Bor. & Samogitiam ad Mer. Ejus præcipuæ urbes, Goldinga. Mittavia, Ducum sedes, *Wenden,* seu *Kses.* Habet ab Occ. mare Balt. ad Septentr. Sinum Rigensem, ab Or. Semigalliam, quæ eidem Duci paret, & à Mer. Samogitiam prov. Poloniæ: in feudum tamen regni Poloniæ. Baudr. Vid. *Ensiferi.*

Curnonium, seu *Curnovium,* opp. Vasconum in Hisp. Brietio. Aliis est nunc *Estella,* Urbs Navarræ, ad Egam fluv. 5. leuc. ab Ibero fluv. & à confin. Castellæ, 12. à confin. Aragoniæ, 7. à Pompelone in Occ.

Curobis, urbs in ora Africæ, inter Clupeam & Hermæam prom. *Curubis* Plin. *Calibia* Marm.

Curonensis lacus, *Curisch Haff,* in Prussia Duc. in longum protensus, juxta Balt. mare, ubi se exonerat, prope Memeliam arcem, recipitque Rusnam & alios minores fluvis.

Curopalates Johannes, auctor Gr. scripsit epitomen historicam ab an. 811. ubi Theophanes desinit, usque ad an. 1078. Cedrenus, quæ usque ad Isacum Comnenum habet, hinc desumsisse videtur. Voss. *de H. G. lib.* 2. *cap.* 26. Nomen aulæ seu palatii ministrum denotat. Coripus African. *l.* 2.

Successor Soceri factus, mox cura palati *est.*

Putat idem, hunc fuisse Johannem Scylizzam Thracesium, quem Cedrenus se exscripsisse fatetur: qui apud Imper. primò armamentarii præfectus, dein Curopalates fuit. V. Baron. A.C. 811. *n.* 11. & 830. *n.* 4.

Curopolis, urbs Cariæ. Steph.

Curretia, vulgò *Coureze,* fluv. Lemovicum. Oritur 10. mill. ab urbe Tutelensi, & irrigato statim oppidul. Curretia; Tutelam prælabens, Privam quoque præterfluit, demum in Veseram fluv. se exonerat.

Cursolium, oppidul. Vivariensis prov. cum castro nunc disjecto, juxta Rhodanum, vix 1. leuc. infra Valentiam. Mel. forsan *Crussolium.*

Cursula, opp. Sabinorum, ad montem Coretum, nunc *Cassia* seu *Cassi* Leandro. Ferrar.

Curta, Pannoniæ infer. op. nunc pag. ad Danubium, medius inter Crumerum, ad Occ. & Strigonium ad Ort. 3. leuc. Ferrar.

Curtana, al. *Curtein,* Eduardi Confessoris gladius, qui in inauguratione Angliæ Regum cœteris præfertur, à Comite Cestriæ. Matth. Paris. *in Henrico III. sub Ann.* 1236. Sic Arthuri R. gladius *Calsburn* & *Ron* dictus fertur. Spelmannus.

Curti, Asiæ pop. Cedren.

Curticula vel *Curcella,* quasi parvæ villæ, seu exigui vici à *Curte*: multa sunt ejusdem nominis in Gallia, è quibus nunc notissimæ *Curcellæ* in Veliocassibus, ad Ittam fluv. Dangutum inter & Gisortium, Hadr. Val. *Not. Gall.*

Curtilius Mancias, superioris in Germania Exercitus Dux, Q. Volusio, & P. Scipione Coss.

Curtinetum Senonum, castellum in Senonum finibus, Prioratu SS. Petri & Pauli illustre, vulgò *Courtenay*: cujus castri hærede ductâ unus è Ludovici Crassi R. filiis Petrus Curtinacensium Principum familiæ originem dedit. Idem.

Curtis & *Curs,* apud mediastinos scriptores, idem quod *Cortis* & *Cors,* palatium, aula Principum, Nobilium, &c. A græco Κύρτης, fiscella, qualus, cavea, ad asservandas aves. Cui simile Lat. *Cors* vel *Cohors.* Unde Martialis,

Raucæ cortis aves.

Et Ovidius,

Abstulerat multas illa cohortis aves.

Dein *Cortem* dicebant, quod in domo rustica loco atrii fuit; etiam spatium intra maceriam: Hortum quoque, & casam: Villam postea, ubi habitaculum alicujus Nobilis: tandem Aulam, Palatium & familiam Principis: Vid. Jornand. *de rebus Get. cap.* 34. Asser. Menevens. *de gestis Alfredi,* Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* & supra in voce *Cors.*

Curtis Nova, *la Cour Neuve,* villa agri Parisini, proxima Monasterio S. Dionysii, Hadr. Val. *Not. Gall.*

Curtisius prænomine Titus, quondam prætoriæ cohortis miles, Tiberii Imperii anno decim. tumultûs servilis per Italiam auctor: qui primò cœtibus clandestinis apud Brundusium & circumjecta oppida; mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus & ferocia servitia: cùm fortè tres biremes adpulêre ad usus commeantium illo mari. Et erat iisdem regionibus Curtius Lupus quæstor, cui provincia vetere ex more Calles evenerat. Is dispositâ classiariorum copiâ, cœptantem tùm maximè conjurationem disjecit: Missusque à Cæsare properè Stajus tribunus cum validâ manu ducem ipsum & proximos audaciæ in urbem traxit. Tacit. 4. 27.

Curtius. Curtia gens Romæ consularis & patricia minorum gentium Romam cum T. Tatio commigravit sub Romulo.

Curtius, prænomine Marcus, adolescens Romanus nobilis, qui se pro salute patriæ Diis manibus devovit. Nam cùm terrâ in medio foro ingenti hiatu desedisset, responsumque esset, non coituram iterum, nisi quisquam ex primæ spei adolescentibus sese in hiatum dejecisset, Curtius acceptam à patriâ vitam eidem impendere non dubitavit, conscensoque equo, sine morâ se in specum præcipitavit. Unde etiam *Curtius lacus* nomen creditur servasse. Aristid. *apud Plut. in Paral.* Liv. *l.* 6. Val. Max. *l.* 5. *c.* 6. *ex.* 2.

Curtius, cujus meminit Cicero, *lib.* 3. *ep. fam. ad Quintum fratrem, ep.* 2.

Curtius, eques Rom. deliciis diffluens, quum apud Augustum cœnaret, turdum macrum è patinâ attollens, eumque manu tenens, interrogavit Cæsarem, num mittere liceret? Quumque is respondisset, quidni liceat? Ille protinus avem per fenestram misit. Princeps ambiguitate verbi delusus factum æquo animo tulit. Macrob. *Sat. lib.* 2.

Curtius Atticus, illustris Eques Romanus, Tiberio in secessum Campaniæ comes. Tacit. 4. 58. Subversus arte Sejani; ad quem Ovidii *Elegia IV.* & *VII. libri secundi de Ponto.*

Curtius Montanus, Orator & Poëta, sub Vespasiano: cujus versus non adeò laudati. Accusavit Regulum, Tacit. *lib.* 4. Plin. jun. ipsi epistolam inscripsit, *lib.* 7. Alius est à Julio Montano, morum elegantiâ, carminis suavitate, & conversationis amabilitate Tiberio grato, qui de ortu solis scriptum edidit. Senec. Ovid. *lib.* 4. *de Pont.* & 16.

Curtius Montanus, Senator, qui referente Domitiano, de restituendis Galbæ honoribus, censuit, ut Pisonis quoque memoria celebraretur, irritâ sententiâ. Tacit. *Hist.* IV. 40.

Curtius Nicias, Grammaticus, Pompeii & Memmii amicus intimus. Cicero. *ep. ad Dolabellam,* & alibi. Sueton. *de illustr. Gramm.*

Q. Curtius, temporibus Tiberii floruit, in quem est ejusdem Principis dictum, natalium ejus dedecus velantis: *Curtius mihi videtur ex se natus.* Orator insignis. Sueton. Ex sectatore Quæstoris in Africâ, consulare imperium, provinciam Africam, & triumphi insignia meruit. Tacit. *lib.* 11. De eodem Plin. *Epist. lib.* 7. *ad Suram.* An idem cum sequente? Grandis ejus ætas non refragatur.

Q. Curtius Rufus, nobilis historicus, de rebus gestis Alexandri Magni scripsit historiam. Ætas ejus colligitur ex loco ipsius *lib.* 10. ubi de *novo sydere* loquitur. Quod alii de Augusto Cæsare intelligunt, Lipsius de Claudio, Nonnemo quoq; de Trajano, Vossius autem optimè ad Vespasiani tempora eum refert, quem vide *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 28. Motha Vayerius, *jud. de historicis,* Raderus *Comm.* &c.

Curtius fons, insigni aquæ ductu memorabilis, ut qui à quadragesimo lapide in urbem fuerit perductus opere arcuato tantæ altitudinis, ut in omnes urbis montes facilè distribueretur. Plin. 36. 15.

Curva via, *Courbe Voye,* vicus agri Parisini, ad & trans Sequanam, prope Columbas. Sic *Curva* Villa, in Carnutibus, *Courville.*

Curubis, Vid. *Curobis.*

Curvenna, vicus Galliæ, in Briegio, non procul ab amne & Monasterio Edera; vulgò *Couvres* aut *Couve.*

Curzola, Insula in mari Adriatico, Ptol. & Plinio *Corcyra Melana* dicta. Longa est 40. mill. ampla 90. paucam mittit frumenti copiam: tamen vinum optimum fert. Incolæ navigationi student, multasque conficiunt naves. Ejusdem nominis oppido Episcopus præest. Oppidum muris probè instructum, multi mercatores inhabitant, qui navibus magnum quæstum faciunt. Metel. Vid. *Corcyra.*

Cusa, Vid. *Nicolaus Cusa.* Item urbs Nubiæ.

Cusa, Mauritaniæ Tingitanæ flu. Ptol. *Umarabea* Marmolio, *Omirabi* aliis.

Cusco, metropolis, & præcipua civitas, in eâ novi orbis parte, quæ meridiem magis respicit, quam Hispani Terram firmam appellant, & quæ Brasiliam, Peruviamque comprehendit. In planitie, prope colles, cum palatio superbiss. Olim totius Peruviæ prim. & regia Incarum sedes. Hæc civitas cum pulcherrimis Galliæ, & Hispaniæ urbibus, amplitudine, invicta arcis munitione, & hominum potissimum nobilium frequentiâ, ædificiorum serie, sitûsque amœnitate contendit. Delectantur incolæ rebus depictis; panno, plumbi, stannique fodinis abundant: Argenti apud eos vis magna non item. Sub Hispan. Rege. Inter fluv. Incayum & Apurimam. Nunc sensim deficit, terræ motibus, an. 1650. pessimè habita. V. Novi Orbis descriptores. Episc. est sub Arch. Limensi.

Cusculis, Thraciæ urbs. Procopius.

Cusi, Pannoniæ infer. urbs, Anton.

Cusis, filius Abdi, 1. Paral. 6. id est, *durus,* aut *cucumerarium.*

Cuspinianus Johannes, Suinfurto oriundus, Poëta & Medicus, Maximiliano Imp. gratus. Scripsit commentarium Consulum, Cæsarum & Imperatorum Rom. Historiam Austriæ, de origine Turcarum, &c. De eo conqueritur Spondus, quòd scripserit, Cunigondem fil. Friderici III. quæ Alberto Bavaro nupsit, prius desponsatam fuisse Mahometi. A. C. 1487. *n.* 7. Calvisius idem habet, *in Chronol. pag.* 890. Nicol. Gerbelius, *in vita Cuspiniani.* Voss. *de Histor. Lat. lib.* 3. *cap.* 10.

Cuspius Fadus, Procurator Judææ, A. C. 45. Theudam impostorem

ftorem ac Pſeudo Joſuam debellavit. Ei ſucceſſit Tiberius Alexander, An. C. 46. Joſ. *Ant. lib.2. cap. 2. & 3. &c.*

Cuſtodia, pagus Vicentini agri, ſexto à Vicentia lapide, jacet ad montis altiſſimi pedem, in ſolis exortum ſpectans, poſteriori ad occaſ. latere: Mons hic cavernas habet, inter alias unam memorabili vaſtitate, nam in circuitu ferè tria millia paſſuum continet, ovata forma.

Cuſtrinum, opp. novæ Marchiæ Brandeb. permunitum, cum arce, intra paludes, ad Oderam fluv. ubi recipit Vuartam. Vix 4. leuc. à Francofurto in Bor. paulo plus à Lanſperga in Occaſ.

Cuſuetani, Italiæ pop. Plin.

Cuſus, *Chryſius* Jornandi, Daciæ fl. *Kerez* teſte Lazio. Nunc Tranſylv. cujus fontes verſus Claudiop. rigatque Varadinum; dein auctus aliquot fl. in Tibiſcum labitur ad *Czongradum* opp. 4. leuc. ſupra Segedinum. Sanſoni *Sétes Keres*; Cluverio autem eſt *Wag* fl. in Danub. ſe exonerans, ſupra Comaram arcem.

Cureletos, inſ. circa Syrtim majorem. Mela.

Cutha, regio Perſidis, à flu. *Cuthâ*, ſicuti Joſephus *Antiq.9.15.* ſcriptum reliquit, vocata. Inde *Cuthai*, de quibus idem *lib.11.cap.2.* Vide Boch. *Phaleg.4.* 12.

Cuthbertus, Monachus Anglus, ſub Egberto, Northumbriæ R. Bedæ præceptoris vitam ſcripſit. Hic non à barba tonſa, ſed à ſcientiâ clarâ nomen accepit; unde verſus:

Quisque gerit certum Cuthbert de luce vocamen.

Cuth eſt ſcientia: ut *uncuth* ignotus, *Cuthwin*, peritus victor; *Cuthred*, ſciens dare conſilium. Camdenus, Voſſ. *de H.L.l.3.c.10.*

Cutilia, agri Reatini lacus eſt, in quo ſylvoſa inſula innatat, quæ nunquam die & nocte eodem loco permanet. Ejus aquæ ſtrumis medentur. Vitruvius 8. 3. *Eſt aqua frigida genus nitroſum, uti Pinna Veſtina, Cutiliis, aliiſq; locis ſimilibus, quod potionibus depurgat, per alvumq; tranſeundo etiam ſtrumarum minuit tumores.* Idem tradit Plin. 31. 3. Imò & Strab. *lib.5.* Sed is aquas eas eſſe dicit ἐν Κωτισκολίοις: Verùm certum eſt Κωτιλίαις reſcribi oportere: Nam & ſic Sotion vocat, *de mirandis aquarum*, ac Dio *lib.66.* E Latinis etiam *Cutilias* nominant Varro *de L. L. lib.4.* Sen. *Nat. Qu.* 3.25. Tranquillus *in Veſpaſiano c.24.* Macrob. 1. *Sat. cap.7.* quanquam non contenderim, ſi Κοτιλία malis, ut eſt apud Dion. Halicarn. *lib.1. Ant.* uti & ibidem Κοτύλην legas, imo Cotyle quoque eſt apud Feſtum Pomp. Voſſius.

Cutilium, opp. Sabinorum ad aquas Cutilias. Livius. Hodiè *Contigliano* dici ſcribit Leander.

Cutnenſes putei, in Bohemia, in quos 3000. Huſſitarum ab hoſtibus vivi præcipitati ſunt, An. C. 1418. Laſicius *l.1. de geſt. Fr. Boh.* Daubrav. *in Hiſt. Boh.* In Comitiis dein *Cutnobergenſibus* A. C. 1485. decretum: *Licere cuilibet, ſuam fidem, & uſurpationem Sacramentorum ſequi, ſecundùm conſcientiæ cujusq; judicium*; ſub Rege Vladislao. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.*

Cutracum, opp. Aquit. in agro Petrocorienſi, ad confluentes Ellæ & Dromæ fl. prælio ſuo inter Gallos A. 1587. quo Navarræ Rex, qui poſtea Henricus IV. Gall. R. dictus, ingenti ſtrage Ligiſtarum aciem fudit, memorabile. 4. leuc. à Liburnia in Arct. 9. à Burdigala in Cæc. V. Thuan. *Hiſt.*

Cuya, vulgò *Cuyo*, prov. Americ. mer. inter Chilem & Paraguayam reg. in longum extenſa, prope montes Andium, ſub Hiſp. Quibuſd. *Chuquito*. Hic opp. præcipuum Mendoſa.

C Y.

Cyalus, urbs Lydiæ à Jove condita. Steph.

Cyamon, Cretæ promuntorium. Ptol. *Capo Spada* Sophiano. *Cheſim* Mercatori. Vid. *Ciamum prom.*

Cyamoſorus, Siciliæ fl. circa Centoripam urbem. Polyb.

Cyane, virgo Syracuſana, violatam ab ebrio patre pudicitiam ægrè ferens, apprehenſum capillis ſtupratorem ad aram traxit, mactavitque ac ſe ſuper eum necandam injecit, ad ſedandam peſtem, quâ propter facinus iſtud laborabant. Plut. *in Parall.*

Cyane, nympha Sicula, quæ cùm Proſerpinę adverſus Plutonem opem ferre conaretur, ab illo commutata dicitur in fontem ſui nominis, *Piſma Sirini* vulgò, qui in agro Syracuſano oſtenditur, ubi Anapo miſtus, non procul ab Ortygiâ inſ. illabitur in mare, Ovid. *l. 5. Metam. fab. 6.*

Inter Sicelides Cyane pulcherrima nymphas.

Et alibi:

Quaque ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis.

Cyane, op. Lyciæ. Plin. 5. 27.

Cyanea, inſulæ duæ, ſive potius ſcopuli ad os Thracii Boſpori, propè pontum Euxinum, modico ſpatio inter ſe diſtantes. Una Europæ, in Thracia, juxta Panieum prom. Altera Aſiæ, in littore Bithyniæ, prope Ancyræum prom. Baudr. Unde factus eſt locus poetarum fabulis, qui Cyaneas inter ſe concurrere tradiderunt, quòd ex adverſo intrantibus geminæ cernebantur, nave verò paululum in alterum latus deflexâ, una tantùm videbatur. Apollonius *Argon. lib.2.*

Κυανέας ὄψεσθε δύω ἁλὸς ἐν ξυνοχῇσι,
Τάων ἔπιτα φημὶ διαμπερὲς ἐξαλέασθαι,
Οὐ γάρ τε ῥίζῃσιν ἐρήρεινται νεάτῃσιν.
Ἀλλὰ θαμὰ ξυνίασιν ἐναντίαι ἀλλήλῃσιν
Εἰς ἕν, ὕπερθε δὲ πολλὸν ἁλὸς κορθύεται ὕδωρ
Βρασσόμενον.

Dionyſius *Verſ.* 144.

Κυανέας ὅθι μῦθος ἀναιδέας εἰν ἁλὶ πέτρας
Πλαζομένας, κραναχηδὸν ἐπ' ἀλλήλῃσι φέρεσθαι.

Val. Flac. *lib.1.*

—— *Certus Scythico concurrere Ponto*
Cyaneas.

Idem *lib.6.*

—— *Errantesq; per altum*
Cyaneas.

Ovid. *Triſt.1. eleg.10.*

Hac precor evincat, propulſaq; fortibus auſtris
Tranſeat inſtabiles ſtrenua Cyaneas.

Vide *Symplegades.*

Cyanee, vel *Cyanea*, nympha quædam, Mæandri flu. filia, quæ ex Mileto, Phœbi filio, Byblidem & Caunum gemellos peperit. Ovid. *Met 9.*

Hic tibi dum ſequitur patria curvamina ripa,
Filia Mæandri toties redeuntis eodem,
Cognita Cyanee præſtanti corpore nympha,
Byblida cum Cauno prolem eſt enixa gemellam.

Cyaneus, Plin. *Cyanos*, qui & *Glaucus*, *Cicabo* Nigr. magnus Colchorum amnis, ex montibus Coraxicis in Phaſidem influens. Ferrarius.

Cyanippus, Syracuſanus, qui cùm Bacchi orgia contemneret, ab irato Deo tantâ perfuſus eſt ebrietate, ut filiæ Cyanæ in tenebris, quamvis reluctanti, vitium intulerit. Peſte mox obortâ, oraculum inceſtuoſi mortem petiit, quâ filia eò perductus, ſe ipſum ſacrificavit. Plut. *in Parall.* Vide *Cyana*.

Cyanippus, Theſſalus, cùm frequentiſſimè venatum ire conſueviſſet, nova ejus ſponſa, ob magnam viri in ſylvis conſuetudinem, alterius mulieris concubitum ſuſpicata, euntem Cyanippum pedetentim ſubſecuta eſt, cumque inter denſa delituiſſet arbuſta, rerum præſtolatur eventum. At ramis fortè commotis, feram adeſſe canes ſuſpicantes, impetu facto, amantiſſimam viri puellam, tanquam brutum animal dilacerarunt. Id verò inſperatum adeo facinus, cùm Cyanippus inſpexit, mortem ſibi conſcivit. Plut. *in Paral.*

Cyanus, Colchidis flu. qui juxta Acam opp. in Phaſim influit. Plin. 6. 4. Vid. *Cyaneus.*

Cyaraxes, vel *Cyaxares*, Phraortis regis Perſarum ac Medorum filius, ei ſucceſſit, A.M. 3419. Olymp. 36. quibusdam *Aſtybaras* dictus, qui ajunt, cùm Nineven obſediſſet, à Scythis ad regnum ſuum defendendum inde averſum, exercitumque ejus à Madia, duce eorum, victum: Poſtmodum verò illorum præcipuis ad convivium funeſtum invitatis ſublatiſque, reliquos facilè disjectos eſſe. Aſtyagis pater. Primus Aſiæ populos in provincias diſtinxit, primus in ſuum quoſque ordinem diſtribuit, haſtatos, ſagittarios, equites, cùm prius omnia promiſcua eſſent, atque implicata. Cum Lydis porro prælium fecit, apud quos perfugium Scythis, ac omnem trans Halym flu. Aſiam ſibi ſubjecit. Poſt res præclarè geſtas, & regnum inſigni acceſſione auctum, obiit anno regni 40. Diodorus Sic. *lib.2.* Euſeb. *Chron.* Herod. *lib.1.*

Cyarda, urbs Cariæ, à *Cyardo* rege Bargaſi filio. Steph.

Cyathus, Ætoliæ fluvius. Coel. Rhod. 28. 2.

Cyaxares, etiam nomen Darii Medi fuiſſe videtur. Vid. *ibi.*

Cybaizon, Mercurius apud Lacedæmonios: Heſychius, Κυβαίζοντα, Λάκωνες τὸν συνδιασώσαντα, ἢ τὸν Ἑρμῆν.

Cybale, ancilla pauperis cujuſdam Symili, cujus paupertatem deſcribit Virgilius, *in Moreto.*

Cybaſſus, quæ & *Cabaſſus*, urbs Cariæ. Steph.

Cybebe, mater, quam dicebant Magnam, ita dicta, quòd ageret homines in furorem, quod Græci κυβηβᾶν dicunt. Sic Feſtus. Nec eſt quòd quis *Cybelen* legendum putet, nam continuò ſubdit, *Cybele verò eadem dicta eſt à loco, qui eſt in Phrygia.* Etiam *Cybebe* agnoſcit Euſt. *in Odyſſ.* β cui ἡ Ῥεα dicitur. Heſych. Κυβήβη, μήτηρ Θεῶν, ubi perperam vulgò Κυβήκη, uti & apud eum legas κυβηβᾶται, θεοφορεῖται, κορυβαντιᾷ, ubi malim κυβηβᾶι. Sanè apud eundem eſt Κύβηβος Γάλλος, κίναιδος. Vide Voſſ. *de Theol. Gent. lib.2. cap.52.*

Cybele, Cœli ac Terræ filia, Saturni uxor, aliis nominibus *Ops*, *Rhea*, *Veſta*, *Magna mater*, *Dindymene*, & *Berecynthia* appellata. *Cybele* autem dicta putatur à *Cybelo* Phrygiæ monte, ubi ejus ſacra, quæ Tertullianus, *Apolog.* ridet, primò creduntur inſtituta. Heſychius, Κύβελα, ὄρη Φρυγίας; Κυβέλη μήτηρ θεῶν. Quanquam Feſtus ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν dictam malit, quod Græcis ſig. *in caput ſaltare*, quo genere ſaltationis Galli, Deæ hujus ſacerdotes, peculiariter in ſacris utebantur. Aliquando 2. ſyllaba corripitur. Martialis,

Et Cybeles picto ſtat Corybante tholus.

Claud. *lib.1. de Rapt. Proſerp.*

Turrigeramq; petit Cybelen. ——

Quandoque verò producitur. Propertius,

Vertice

Vertice turrigero juxta Dea Magna Cybele.

Lucanus,

Et lotam parvo revocant Almone Cybelen.

Buxus ei inter arbores sacra. Virg. *in Ciri,*

Sæpe, velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Ictave barbaricâ Cybeles antistita buxo,
Infelix virgo totâ bacchatur in urbe.

Claud. *lib.* 1. *de Rapt. Pros.*

Non buxus, non æra sonant, blandiq; leones
Submisere jubas: adytis gavisa Cybele
Exilit, & pronas intendit ad oscula turres.

Quanquam ea quoque Bacchi sacrificiis in usu. Papinius *Theb.* 9.

—— Cùm Bacchica mugit
Buxus, & insana maculant trieterida matres.

Mythologia paucis sic habet: Cybele, seu à monte seu à Cubo dicta, terra est: Corona ejus turrita, mœnibusque ornata, quid denotet, in aperto. Clavis in manu, indigitat, semina hyeme humo condita, sub vernum tempus, velut recluso sinu, prodire. Toga variegata floribus est: à quatuor Leonibus, i. anni tempestatibus, currus ejus vehitur. Saturnus, ejus maritus, tempus est. Diodor. *lib.* 3. ut & Euseb. *præpar. Evang.* Cybelen credit medicamenta infantibus salubria novisse, & hinc originem fuisse fabulæ. Vid. Natal. Com. Rossæum, *in Mystagogo Poëtico.*

Cybele & *Cybala* Apollod. Urbs Phrygiæ magnæ, apud Celænas, ubi Cybele colebatur.

Cybelea, urbs Joniæ. Alia Phœniciæ. Herodian.

Cybelus, mons Phrygiæ, in quo Cybele mater Deorum colebatur.

Cybernesia, festa à Theseo ex Cretâ redeunte instituta, in honorem Nausithoi gubernatoris. Rhod. 18. 17.

Cybiotates, rex Ægypti. Cæl. Rhod. qui & *Cybiosactes* dicebatur. Vide Strab. *lib.* 17. qui Syrum facit. Dio verò *lib.* 59. *Seleucum* appellat. Vide Cas. *ad Strab.*

Cybira, op. Lycaoniæ, vide *Cibyra*. Hinc *Cybiraticus*. Horat. *Epistol. lib.* 1.

Ne Cybiratica, ne Bithyna negotia perdas.

Pro *Cybiraticis tauris*, apud Jul. Capitol. *in Gordiano*, lege *Cypriaci.*

Cybistra, seu *Cibistra*, Armeniæ min. urbs. Ptol. vulgò *Arminacha*. Baudrando fuit urbs Cappadociæ, versus Armeniam min. aliquot mill. à Cæsarea Mezaca, in Austr.

Cybus, urbs Jonum in Libya Phœnicum. Steph.

Cycesium, Peloponnesi urbs circa Pisam. Strabo.

Cychreus, Neptuni & Salamines fil. qui ob morum asperitatem ὄφις, id est, *serpens* dictus est. Hunc Eurylochus, cùm insulam Salaminem vastaret, expulit; suscepit autem eum Ceres in Eleusine, suumque sacerdotem fecit. Ab hoc Salamis aliquando Cychrea dicta. Steph.

Cychri, Thraciæ pop. apud quos aquas esse lethales ex Theopompo refert Plinius *lib.* 31. *cap.* 2.

Cyclades, insulæ maris Ægæi à prom. Gerresto, ut Plin. notat, *lib.* 4. *cap.* 11. 12. circa Delum hodie *Sdille*, quò singulis annis, Juventus missa, ut festis interesset, in orbem sitæ, unde & nomen acceperunt, Strabo *lib.* 10. Zonar. *tom.* 3. Dionysius v. 525.

Δῆλον ἐκυκλώσαντο, κὶ ὄνομα Κυκλάδες εἰσί.

Mela 2. 7. *Quia in orbem jacent, Cyclades dictæ.* Solinus *cap.* 17. *Cycladas autumant inde dictas, quia licèt spatiis longioribus à Delo projectæ, in orbem tamen circa Delum sitæ sunt, & orbem Græci* κύκλον *vocant.* Idem habent Plinius & Ammianus. *Cyclas* (inquit Bochartus) Phœnicibus dicta est גיגלא *gigla* pro גלגלא *gilgla* ex Hebræo גלגלא *gilgal*, quod *circulum* sonat. Callimachus,

Κυκλάδες, αἱ νήσων ἱερώταται εἰν ἁλὶ κεῖνται
Ἔυυμνοι.

Idem, non sine allusione ad nomen,

Κυκλάδας ὀψομένη περιηγέας.

Virgilius, Æn. 3.

—— Sparsasq; per æquor
Cycladas.

Horatius,

—— Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

Idem alibi,

—— Quæ Cnidon,
Fulgentesq; tenet Cycladas & Paphon.

Ovid. *Met.* 2.

Exurgunt montes & sparsas Cycladas augent.

Idem *in Trist.*

Cycladas Ægæas obstupuisse puto.

Crebra Statio dicuntur. Sunt autem numero quinquaginta tres. Idem *in Achilleide.*

—— Juvat ire per altas
Cycladas.

Et alibi,

Interq; vadosas
Cycladas Ægæa frangunt ubi saxa procellæ.

Vulgò *Isole del Archipelago* Castaldo. Ad has à Constantino IX. Saraceni victi sunt, A. C. 1028.

Insulæ præcipuæ Cyclades.

Andros *Andro.*	Paros *Pario*, ubi candidissimum marmor.
Cia *Zea.*	
Delos *Sdille.*	Rhenia Delo conjuncta.
Micone *Micoli.*	Seriphus *Serphone.*
Naxus *Naxia.*	Siphnus *Siphano.*
Oliaros *Quiniminie.*	Siros *Siro.*
	Tinos *Tine.*

Hinc *Cyclas*, vestis muliebris genus, quam tenuissimam & sic pellucidam, eoque parum honestam Torrentius *ad Sueton. Calig. cap.* 52. interpretatur. Malè. Omnino enim matronarum vestis fuit seu tunica, eaque satis honesta per se. Juvenal. *Sat.* 6.

Hæ sunt, quæ tenui sudant in Cyclade.

Ex eo sic appellata, quòd limbum aureum aut purpureum ad oram extremam haberet adsutum. *Limbum* enim Græci κύκλον appellarunt. Imò, κυκλάδα, si Glossatori veteri fides: apud quem legimus: κυκλὰς, ἡ περὶ τὴν χλαῖναν πορφυρᾶ κύκλῳ, *Limbus.* Propert. *lib.* 4.

Quæ nunc auratâ Cyclade verrit humum.

Porro *Cyclas* apud Silium sing. num. legitur. Sic. n. ille *lib.* 4.

Ceu gelidus Boreas totum cùm sustulit imo
Icarium fundo victor mare, navita vasto
Jactatur sparsus, laceratâ classe profundo,
Cunctaq; canenti profunditur æquore Cyclas.

Cyclaminus, sinus Asiaticus Bospori Thracii. *Golfo di Soltania* Gyllio.

Cycloboros, amnis, sive torrens Atticæ. Steph. Adeò autem ob anfractus crebros strepitans est, ut *Cyclobori* vox in adagio contra clamosos & obstreperos esset. Quidam circulum quendam Athenis esse scribunt, à forma structuræ sic denominatum, ubi, exceptis carnibus, omnia habebantur venalia; præcipuè verò pisces. Vid. Schol. in Aristoph. *Eq. Act.* 1. *sc.* 1. Hinc Comicum verbum κυκλοβορεῖν, clamore magno obtundere, instar illius torrentis, qui magno sonore labitur: vel etiam in circulis differre. Vid. etiam Schol. *in Acharn.*

Cyclopes, Neptuni & Amphitrites filii, ministri autem Vulcani, sic dicti, quòd unicum haberent oculum, eumque orbicularem mediâ in fronte situm. Hi, teste Hesiodo *in Theog.*

—— Τὰ μὲν ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν,
Μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ.
Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
Κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις ἐνέκειτο μετώπῳ.

Ex his tres potissimum à poetis celebrantur, *Brontes, à tonitru* dictus; *Steropes à fulmine*; *Pyracmon* ab *igneâ incude*. Virgil. *lib.* 8.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro
Brontesq;, Steropesq;, & nudus membra Pyracmon.

Ovid. *Fast.* 4.

Hinc mare Trinacrium, candens ubi fingere ferrum
Brontes & Steropes, Acmonidesq; solent.

Stat. 1. *Sylv.*

—— Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropen, Brontemq; reliquit?

Claud. *de* 3. *Honorii Consulatu,*

—— Vobis jam Mulciber arma
Præparat, & Siculâ Cyclops incude laborat.
Brontes innumeris exasperat ægida signis:
Altum fulmineâ crispare in casside conum
Festinat Steropes, nectit thoraca Pyracmon,
Ignifluisq; gemit Lipare fumosa cavernis.

Fabulæ occasionem dedit, quòd primi Siciliæ incolæ gigantæâ staturâ horribiles, unde defunctorum ossa sæpe inusitatæ magnitudinis eruta, & sævi, circa Ætnam, habitarint. Vid. Hesiod. *in Theog.* Natal. Com. Thucyd. *l.* 1. Justin. *lib.* 4. Leand. *descript. Italia.*

Cyclopum Scopuli, tres sunt prope Siciliam, parvi admodum, auctore Plinio, *Faraglioni*, teste Fazello, in ora Or. Siciliæ & Vallis Demonæ, 12. mill. à Catana in Ort. Baudr. Cyclopes autem teste Diodoro Sic. primi Siciliæ habitatores fuere.

Cycnitis, regio, in quâ *Cycnus* regnavit.

Cycnus, Martis fil. quem Hercules equestri prælio superatum occidit, equo adjutus Arione, quem Neptunus in equum conversus genuerat. Hujus necem tam iniquo animo Martem tulisse ferunt, ut ejus ulciscendæ causâ adversus Herculem arma sumeret. Verùm antequam ad manus venirent, Jupiter jaculato fulmine eos diremit, ut refert Hyginus, *Fab. Poet. cap.* 31.

Cycnus, Neptuni fil. omni ex parte invulnerabilis, cum quo Achilles Trojani belli tempore congressus, cùm frustra eum jaculis appetiisset, tandem re intellectâ, humi eum prostravit, genibusque collo innixus, animam eripuit, cumque cadaver spoliare vellet, arma vacua invenit, Cycnumque in avem sui nominis vidit commutatum. Ovid. *Met.* 12.

Impul.

——Impulsum resupino pectore Cycnum,
Vi multâ vertit, terraq; adflixit Achilles.
Tum clypeo genibusq; premens pracordia duris,
Vincla trahit galea, qua presso subdita mento
Elidunt fauces, & respiramen, iterq;
Eripiunt anima; victum spoliare parabat:
Arma relicta videt, corpus Deus aquoris albam
Contulit in volucrem; cujus modo nomen habebat.

Cycnus, Hyries fil. in olorem commutatus, Ovid. *Met.* 4.
Inde lacus Hyries videt & Cycneia Tempe,
Qua subitus celebravit olor, nam Phyllius illic
Imperio pueri volucresq; ferumq; Leonem
Tradiderat domitos: taurum quoq; vincere jussus
Vicerat; & spreto toties iratus amore,
Pramia poscenti taurum suprema negabat.
Ille indignatus, Cupies dare, dixit: & alto
Desiluit saxo; cuncti cecidisse putabant:
Factus olor niveis pendebat in aëre pennis.

Cycnus, Ligurum rex, qui cùm Phaethontis propinqui sui necem insolabiliter defleret, in avem sui nominis commutatus est, Virg. *Æn.* 10.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime, bello
Transierim Cycne & paucis comitate Cupavo,
Cujus olorina surgunt de vertice penna,
Crimen amor vestrum, formaq; insigne paterna.
Namq; ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati
Populeas inter frondes, umbramq; sororum
Dum canit, & mastum musâ solatur amorem,
Canentem molli plumâ duxisse senectam,
Linquentem terras & sydera voce sequentem.

Ovid. *Met.* 12. *fab.* 4.
Adfuit huic monstro proles Stheneleia Cycnus,
Qui tibi materno quamvis à sanguine junctus,
Mente tamen, Phaethon, propiorfuit. Ille relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)
Imperio ripas virides amnemq; querelis
Eridanum implerat, silvamq; sororibus auctam.
Cùm vox est tenuata viro; canaq; capillos
Dissimulant pluma; collumq; à pectore longum
Porrigitur, digitosq; ligat junctura rubentes:
Penna latus vestit: tenet os sine acumine rostrum:
Fit nova Cycnus avis, nec se Cæloq; Joviq;
Credit, ut injustè missi memor ignis ab illo;
Stagna colit, patulosq; lacus; ignemq; perosus,
Qua colat elegit contraria flumina flammis.

Cycnus, ordo milit. Cliviacorum, Anno 711. post obitum Theodorici, Cliviæ D. institutus. Hujus enim, sine mascula prole decedentis, unica filia Beatrix, ditionum paternarum hæres, à vicinis exagitata, nobili viro, Eliæ, à quo fortiter fuerat defensa, nupsit, qui cùm in clypeo cycni gestaret imaginem, hinc Ordini occasio. Favynus *theatr. honor. & Eq. tom.* 2. *lib.* 7. *p.* 1373.

Cycnus, equi nomen, de quo legere est apud Statium, *Thebaid. lib.* 6.
Ascheton increpitat, meritumq; vocabula Cycnum.

Cycona, Asiæ pop. in Indiâ aquilonari. Plin.

Cyda, vir Cretensis, quem Antoninus Romæ inter judices legit, cùm esset vir perditissimus. Cic. *Philipp.* 2.

Cydaras, fluv. Taprobanæ. Plin. 6. 22.

Cydarus, seu *Cydaris*, fluv. Thraciæ, vulgò *Machlesua*. Hodie *Machlena*, inquit Baudr. qui simul cum Barbysso fl. in sinum Chrysocerum se exonerat, paulo supra Constantinopolim, teste P. Gyllio.

Cydatheneum, vicus in Pandionide tribu, Patria Demochari Comici. Steph.

Cyddesis, Bithyniæ pop. Ptol.

Cydias, pictor, Argonautas pinxit, quam tabulam 164. talentis Hortensius Orator mercatus est, eique ædem in Tusculano suo fecit. Floruit Olymp. 114. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

Cydides, Hermionei fil. Citharœdus Atheniensis.

Cydippe, puella ab Acontio adamata. Ovidius,
Littera Cydippen pomo perlata fefellit,
Insciaq; est verbis capta puella suis.
Vide *Acontius.*

Cydippus, Mantineus historicus, inter eos est, qui de rerum inventoribus tractarunt. Clem. Alex. 1. *Stromat.*

Cydna, urbs Macedoniæ, corrupto vocabulo *Pydna* dicta. Steph.

Cydnus, Ciliciæ fluv. Tarsum urbem præterfluens. Justin. *lib.* 11. *Cum Tarsum venisset, captus Cydni fluminis amænitate, per mediam urbem influentis, projectis armis, plenus pulveris ac sudoris in præfrigidam undam se projecit.* Q. Curtius *lib.* 3. *cap.* 4. de Ciliciâ loquens, *Pyramus, & Cydnus, inclyti amnes fluunt. Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis: quippe leni tractu è fontibus labens, puro solo excipitur; nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alveum turbent. Itaq; incorruptus, idemq; frigidissimus, multâ riparum amænitate inumbratus, ubiq; fontibus suis similis in mare evadit.* Hîc Alexander Magnus vitæ periculum, se lavans subiit: Apud eundem verò Fridericus Barbarossa, ex Oriente reversus, Anno 1190. similiter loturus obiisse creditur. Strabo *lib.* 14. ubi de Tarso: Cydnus mediam perfluit juxta Gymnasium Juniorum. Ejus ortus non procul est, alveus verò per profundam vallem illatus rectà in urbem ingreditur: ψυχρόν τε καὶ τραχὺ τὸ ῥεῦμά ἐστι, ὅθεν καὶ τοῖς παχυνευροῦσι, καὶ ποδαγριζομένοις κτήνεσι καὶ ἀνθρώποις ἐπικουρεῖ. Ubi alii ταχὺ legunt. Eustathius *in Dionys.* ψυχρὸν δέ φασι καὶ ταχὺ τὸ ῥεῦμα τοῦ Κύδνου. Vitruvius 8. 3. Cydnum podagræ mederi docet, cruribus eo mersis. Plut. *in Alex.* Ἦν δὲ ἡ ἀρρωστία διὰ νόσον, ἣν οἱ μὲν ἐκ κόπων, οἱ δὲ λουσαμένῳ ἐν τῷ τοῦ Κύδνου ῥεύματι καταψυγέντι προσπεσεῖν λέγουσι. Arrian *lib.* 2. Οἱ δὲ εἰς τὸν Κύδνον ποταμὸν λέγουσι ῥίψαντα νήξασθαι ἐπιθυμήσαντα τοῦ ὕδατος, ἱδρῶντα καὶ καύματι ἐχόμενον. Ὁ δὲ Κύδνος ῥεῖ διὰ μέσης τῆς πόλεως, οἷα δὲ ἐκ τοῦ Ταύρου ὄρους, τῶν πηγῶν οἱ ἀνισχουσῶν, καὶ διὰ χώρου καθαροῦ ῥέων, ψυχρός τέ ἐστι, καὶ τὸ ὕδωρ καθαρός. Solinus scribit eum, à candore, Syrorum linguâ nomen esse sortitum: *Quicquid candidum est* (inquit) *Cydnum gentili linguâ Syri dicunt.* De eo Dionysius *vers.* 868.
Κύδνου τε σκολιοῖο μέσην διὰ Ταρσὸν ἰόντος.
Tibullus *lib.* 1
At te Cydne canam, tacitis qui leniter undis
Caruleus placidis per vada serpis aquis,
Ovid. 3. *de Arte Am.*
Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.

Cydoessa, in superiori parte civitatis Giscalæ, mediterraneus & validissimus est Tyriorum vicus, Galilæis semper exosus. Jos. 4. *bel.* 4. Est in tribu Aser.

Cydon, vel *Cydonia* Straboni, *Cydonis* Ptolemæo. Olim *Apollonia*, Urbs quadrata, & ex 4. præcipuis Cretæ, quæ in Occas. tendit, licet ipsa sit in ora ejus Boreali, cum portu capaci, probè munita, Venetis à Turcis erepta, Anno 1645. Ab ipsa pars Occident. Cretæ dicta est territorium Caneæ. 80. mill. à Gortina, centum circiter à Gnosso. Baudrand. Hinc *Cydonius.* Ovid. *Met.*
—— Cydonio fundebat spicula cornu.
Virgil. *Eclog.* 10.
—— Libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula.
Hinc *mala Cydonia.* Plin. 15. 11. Mart. 13. 24.
Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle
Ponentur, dicas hæc melimela, licet.
Item *Cydoneus.* Ovid. *Met.* 8.
Armaq;, equosq;, habitusq;, Cydoneasq; pharetras
Noverat.——
Virgilius,
Parthus sive Cydon telum immedicabile torsit.
Item *Cydon*, viri nomen. Virg. *Æn.* 10.
Dum sequeris Clytium infelix nova gaudia Cydon.

Cydonia, ins. ante Lesbum, cum fonte calido, qui vere tantùm fluere perhibetur, apud Plin. *lib.* 2. *cap.* 103. Item Libyæ urbs, Steph.

Cydra, urbs Byrsorum. Steph. Κυδραία. Strab. *lib.* 17.

Cydrata, civitas juxta montes Phrygiæ. Stephan. *ex Herodot. lib.* 7.

Cydrine, urbs Armeniæ, non *Cydrus*, ut alii scribunt, juxta eund. Steph.

Cydrus, unus è Cyzicenis, in conflictu nocturno à Polluce cæsus. Flacc. *l.* 3.

Cygnus, vide *Cycnus.*

Cylabaris, Gymnasium apud Argos, à Stheneli filio sic dict. ubi visebatur Palladis simulacrum. Cæl. Rhod. 9. 22. ex Pausan. *in Corinth.* Lege tu *Cyllabaris.*

Cylandus, urbs Cariæ. Steph. ex Hecatæo.

Cylbiani, montes sunt in Phrygiâ maj. ex quibus profluit Cayster. Plin. 5. 28.

Cylices, pop. inter Illyrios, apud quos Cadmi, Harmoniæque monumentum conspicitur. Athenæus.

Cylistarnus, fluv. apud Lycophronem. *Racanello* hodie nominari, & in Casano agro Calabriæ cit. fluere scribit Gab. Barrius. Baudrando prope Cassanum labitur, & in sinum Tarentinum, versus Thurios, se exonerat.

Cyllabarus, Stheneli fil. cum quo Servius Ægialen Diomedis conjugem, vigente bello Trojano, concubuisse tradit, *Commentar. in Virgilium.*

Cyllarus, unus ex Centauris, qui amantem habuit Hylonomen Centauram: Hi ambo formâ præstantes eâdem horâ perierunt. Ovid. *Met.* 12.

Cyllarus, equus Pollucis. Virgil. *Georg.* 3.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.——
Ubi Servius Cyllarum non Pollucis, sed Castoris equum fuisse tradit, poetamque fratrem pro fratre posuisse. Papinius *de equo Domitiani,*

Et pavet aspiciens Ledaeus ab ade propinquâ
Cyllarus.

Seneca *in Hippolyto,*
Frenis Castoreâ nobilius manu
Spartanum poteris flectere Cyllarum.

Val. Flac. *lib.* 1. *Argon.*
Victorem pavidæ Castor dum quæreret Helles,
Passus Amyclæâ pinguescere Cyllaron herbâ.

Propertius 3. 21.
Potaq; Pollucis lympha salubris equo.

Claud. *de* 4. *Conf. Honor.*
Serviretq; tuis contempto Castore frenis
Cyllarus, & flavum Xanthus sprevisset Achillem.

Cyllene, filia Menephronis, cum qua pater, ut & cum matre sua Bliade incestu se polluit, in Arcadia; Unde *Cyllene* mons, secundùm quosdam, nomen habet. Alii tamen montem, à *Cyllene* Elati Arcadis filia, dictum malunt, teste Pausania: de quo V. infra. Ovid. *Metam. lib.* 7.
Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat, sævarum more ferarum.

Cyllene, Elidis reg. in Peloponneso, urbs & navale, Steph.

Cyllene, Urbs Elidis, *Antravida* Nigro. Cum portu satis capaci & commodo, unde Sinui nomen, Plin. Celebris apud Melam, Mercurii natalibus, quem tamen alii Cyllenio monti Arcad. tribuunt. Prope Selleim fluv. est, 9. mill. ab Araxo prom. in Austr. 120. stad. ab Elide Urbe, 200. stadiis à Chelonate prom. in Bor. Baudr. Pausan. *Arcad. l.* 8.

Cyllene, ab Elato, filio Afani, Arcadiæ R. nomine filiæ, pulchritudine ingenioque præcellentissimæ, dictus est mons Arcadiæ, in quo Maia à Jove compressa Mercurium peperit. Virgil. *Æn.* 8.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

Inde *Cyllenius* à poetis ponitur pro Mercurio. Ovid. *Met.* 13.
Est quoq; per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. ———

Lucanus *lib.* 1.
——— *Motuq; celer Cyllenius hæret.*

Mela tamen non à monte, sed à *Cyllene* portu, sive navalibus Eliensium, Mercurium *Cyllenium* cognominatum docet, ubi & natum illum arbitratur. Micyll. *notis in Ovid. Metamorph. lib.* 7.

Cylon, Olympionices Atheniensis; Instinctu Megaridis uxoris suæ, sororis Theagenis inhiavit Tyrannidi: consulto tamen prius oraculo responsum accepit, voto potiturum esse, si urbem magno Jovis festo adoriretur. Quod ille interpretatus de illo, quod Olympiæ celebrabatur, acceptis à Theagene copiis rem aggressus, dum arcem oppugnat, capitur, sed vinculis iterum elabitur. Tandem ad Minervæ aram supplex confugit, ubi à Megacle Alcmæonide, & collegis Archontibus interfectus est. Plin. V. Schol. *Equit. Aristoph.* Complices ejus, ad Eumenidum aram, profugi, similiter ibi neci dati sunt. Quod pro sacrilegio sacerrimo habitum, ipsique facinoris auctores, cum posteris, exilio mulctati sunt æterno. Thuc. *l.* 1. Plut. *in Solone.*

Cymbria, cum Duc. Slesvicensi, beneficii titulo, à Christiano IV. Daniæ R. Holsatiæ Ducibus collata est, A. C. 1587. Chytreus *in Saxon. lib.* 28. V. quoque *Cimbria*, & *Cumbria.*

Cyme, urbs Æolidis. Vide *Cuma.*

Cyminus, Etruriæ lacus. Vide *Ciminus.*

Cymodoce, nympha marina, Nerei & Doridis filia. Hesiod. *in Theog.* Virgil. *Georg.* 4.
Drymoq;, Xanthoq;, Thaliaq;, Cymodoceq;.

Idem Virgilius *Cymodoceam* vocat *Æn.* 10. ubi numerat eam inter nymphas marinas, in quas Æneæ naves commutatæ sunt:
Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea,
Pone sequens, dextrâ puppim tenet, ipsaq; dorso
Eminet, ac lævâ tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum alloquitur &c.

Cymolus, al. *Cimolus* Insula in Cretico mari, una ex Sporadibus, à qua *terra Cimolia*, quæ purgandis vestibus apta dicitur, nomen habet. Strab. Lact. Ovidius *Metam. lib.* 7.
Hinc humilem Myconon, cretosaq; rura Cymoli.

Ubi alii *Cimoli* legunt. V. supra in voce *Cimolus.*

Cymothoe, nympha marina, Nerei itidem & Doridis filia. Hesiod. *in Theog.* Virg. *Æn* 1.
Cymothoe simul & Triton adnixus acuto
Detrudunt naves scopulo.

In quæ verba Scholiastes: *Cymothoe*, inquit, *fluxu celeri undarum κυμάτων nomen nacta est, quemadmodum & reliquorum marinorum Deorum nomina, suam è re appellationem sortiuntur.* Item fons Achaiæ, authore Plinio.

Cynægirus, Atheniensis, bello Persico magnâ pertinaciâ in infestandis hostibus usus est. Nam & navem onustam dextrâ manu tenuit, quâ amputatâ, sinistram injecit, quam & ipsam cùm amisisset, navem mordicus arripuit, morsuque retinuit furenti similis. Herodot. Valer. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 25. Justin. *l.* 2. *c.* 9.

Cynatha, urbs Thraciæ. Steph.

Cynathium, urbs Arcadiæ, ab Æneæ socio ibi defuncto. Dionys. Halicarn. pop. *Cynathenses*, quos tamen alii à *Cynatho* Lycaonis filio putant appellatos. Strabo. Plin. Stephanus.

Cynathus, poeta illustris, patriâ Chius, qui Syracusis omnium primus Homeri carmen concinuit, illi quoque de suo insertis plerisque. Cæl. Rhod. 7. 29.

Cynamolgi, Æthiopiæ pop. monstrosi. Strabo. Plin. Solinus.

Cynane, filia Philippi, Soror Alexandri M. nupta Amyntæ, Perdiccæ filio, ex qua filiam Eurydicen genuit, magni animi & singularis fortitudinis fœmina, ab Alceta sublata, V. Polyæn. *l.* 8.

Cynapes, flumen saxosum in Euxinum mare se exonerans. Ovid. *Pont.* 4. *Eleg.* 10.
Parthenusq; rapax, & volvens saxa Cynapes.

Cynara, Ægæi maris insula. Plin. *Zenara* Nigro. Hinc *Cynareus*, Statius *Sylv.* 5. 1.
Coryciæq; comæ, Cynareaq; germina.——

Cyndon, fluv. Hellesponti, vel Chersonesi. Malim *Peloponnesi.* Hesychius, Κύνδων, ποταμὸς ἐν Ἑλλησπόντῳ, οἱ δὲ ἐν Πελοποννήσῳ.

Cyne, urbs Libyæ. Steph.

Cyneas, Thessalus, Pyrrhi regis legatus, longè disertissimus est habitus: ut qui Demosthenis auditor fuerit, adeò ut plures Pyrrho civitates facundâ oratione subegerit, quàm ille armis expugnaverit. Eidem expeditionem in Italiam magnopere dissuasit. Præterea missus ad Romanos legatus de pace, quam tamen, suasu Appii Claudii senis, non impetravit, uno die omnium Senatorum nomina edidicit, quorum consessum totidem regum sibi videri Pyrrho retulit. Plut. *in Pyrrho.* Plin. *l.* 7. *c.* 24. Hujus memoriam commendat Cic. *Tusc. Qu. lib.* 1. V. porro Plin. *l.* 14. *c.* 1. Cum Pyrrho, de arte militari, tractatum edidit, Cicer. *Ep.* 25. *l.* 9. Cyneas Strabonis, *l.* 7. historiæ fabulosæ auctor non videtur hic fuisse. Voss. *de H. G. l.* 4. *c.* 11. *p.* 466.

Cynegius, Consul cum Theodosio Augusto an. U. C. 1141.

Cynesii, vel *Cynetæ*, pop. omnium ferè Europæ ultimi, versus Oceanum. Herod. Quorum Stephanus meminit, in Γλῆτες. Vide Vossium *ad Melam.*

Cynethium, vide *Cynathium.*

Cynethon, Lacedæmonius poeta Telegoniam scripsit. Circa ann. 3. Olymp. 5. V. Euseb. *Chron.*

Cynethus, Poëta Gr. Chio oriundus, primus Homeri versus, Syracusis, in ordinem digestos, publicè recitavit. Auctor Anonymus *desc. Olympiadum*, Pindari *Schol. Od.* 2. Meursius, *de Archont l.* 2. *c.* 1.

Cynethussa, maris Ægæi insula. Plin.

Cynetia, urbs Argolica, Steph.

Cyneticum, locus Iberiæ prope Oceanum, pop. *Cynetes*, & *Cynesii.* Steph.

Cynia, lacus est Oeniadarum maximus. Strabo *lib.* 10. *in descript. Acarnaniæ.*

Cynici, Philosophi quidam sectatores Antisthenis, qui primus novum hoc Philosophiæ genus introduxit: Ita dicti sive à *Cynosarge* gymnasio, in quo Antisthenes profitebatur; sive à *caninâ mordacitate*, quâ in hominum vitas nullo discrimine invehebantur: aut (ut alii volunt) ab eo quòd canum more in propatulo coire non dubitarent, quemadmodum de Cratete, & Hipparchiâ tradit Laertius. Juvenalis,
———*Et Stoica dogmata legit*
A Cynicis tunicis distantia.———

Diogenes, Monimus Syrac. Menippus &c. illustres hujus Sectæ viri. Unicam Moralem Philosophiam excolebant, quæ tamen nævis suis non caruit: cùm omnia sapientibus communia esse vellent, & pudorem exuisse, virtutis summam crederent. Ob frugalitatem tamen & opum contemtum, Patribus Eccl. laudati. Julianus eos pyxidas esse dixit egregiè depictas, sed quæ nihil pretiosi intus reconderent. Plura de Cynicis, apud Diogen. Laert. *in vitis l.* 6. Arrian. *in enchir. Epicteti, l.* 3. *c.* 22. Hesych. Suid. Vossium, *de Sectis Phil. c.* 18. Mothevayerium, *de virtutibus Gentilium, p.* 2. *de Diog. & Secta Cynica.*

Cyniphes, fluv. Scythiæ Eur. in Euxinum mare labitur.

Cynips, sive *Cyniphis*, vel *Cyniphos*, vide *Cinyps.*

Cynna, vel *Cyna*, nobile scortum Athenis, de quo Aristoph. *Equit. Act.* 2. *sc.* 3. Item, *Crabr.*

Cynna, op. prope Heracleam, ab unâ Amazonum, vel à *Cynno* fratre Cæi. Steph.

Cynocephala, montes Thessaliæ. Steph. Urbs Locridis, Melæ. Thebanorum castellum, Xenophonti.

Cynocephali, pop. Indiæ in montibus degentes, quos capita canina habere fabulatur Plin. 7. 2. Vide Gell. 9. 4.

Cynocephalus, Deus apud Ægyptios, alio nomine *Anubis* dictus. Plut. Item apud hodiernos Zonæ torridæ incolas. V. P. de Valle *tom.* 4.

Cynonnesus, i. e. *canum insula*, Libyæ insf. Steph.

Cynopolis, i. e. *canum civitas*, in Ægypto, ubi Anubis colitur. Steph.

Cynos, civitas in Locride. Livius. Stephanus Opuntis navale esse scribit. Item Thessaliæ civitas, Deucalionis sedes, ubi Pyrrha uxor ejus sepulta fuit. Strab. *lib.* 9.

Cynos cephale, collis Thessaliæ, & parva regio Thebarum, Pindari patria. Steph. Vel ubi mortuus, Steph. Byzant. *de urbibus.* Item Thessaliæ urbs, ubi Proconsul Quintus Philippum acie vicit, Liv. *l.* 33. Polyb. Justin. &c. Cynoscephalos homines in Æthiopia locat, Plin. *l.* 6. *c.* 30. *&* 7. *c.* 2. sed fabulam sapit.

Cynosarge, gymnasium in Atticâ, ubi Antisthenes profiteri solitus est, unde proin quidam *Cynicorum* nomen deducunt, & vicus sic dictus à *cane albo*, qui sacrificante Diomo (à quo & tribus Diomea dicitur) & Herculi paratam victimam ostendente, rapta femora in hunc locum detulit. Steph. *de Diomo.* Vide Erasm. in Proverb. *Ad Cynosarges.*

Cynossema, promunt. Chersonesi Thraciæ, Hecubæ sepulchro nobilitatum. Latinè *Canis tumulus.* Fabulantur enim poetæ, Hecubam cùm in Græciam abduceretur captiva post exilium patriæ, ac suorum, ibi doloris impatientiâ in canem esse conversam, ac deinde sepultam. Ovid. *Met.* 13.

—— Locus extat, & ex re
Nomen habet.

Cynosura, id est, *canis cauda.* Sidus septentrionale, ex 7. constans stellis, quod & *ursam minorem* vocant. Hanc poetæ fabulantur Nympham fuisse Idæam, unam ex Jovis nutricibus, postea ab illo rerum potito in hoc sidus translatam, ut ex Aglaosthenis sententiâ refert Hyginus *in Astron. Poet.* Ovid.

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notat.

Val. Flac. *lib.* 1.

——Neq; enim in Tyrias Cynosura carinas
Certior, aut Graiis Helice servanda magistris.

Vide etiam *Helice.*

Cynosura, promunt. Arcadiæ, Steph. Item alterum Achaiæ. Ptol. & Marathonis versus Euboeam. Hesychius, & Arcadiæ op. Lactantius.

Cynosurei, tribus una Megarensium. Alex. ab Alex. 1.17.

Cynthia, formosissima quædam fœmina, cujus formam commendat Propertius, eamque propterea *Cynthiam* quasi *Dianam* vocat, quum prius *Hostilia* vocaretur.

Cynthus, Deli inf. mons, tantæ altitudinis, ut totam insulam dicatur inumbrare. Ejus meminit Ovidius *Metam. lib.* 2.

Parnassusq; biceps, & Eryx, & Cynthus, & Othrys.

Et *lib.* 6.

Indignata Dea est, summoq; in vertice Cynthi
Talibus est dictis geminâ cum prole locuta.

Virg. *Æn.* 2.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros.——

In hoc monte Latona Apollinem & Dianam peperisse dicitur, unde ille *Cynthius*, hæc *Cynthia* passim à Poetis appellantur. Virgil.

——Troja Cynthius author.

Item

—— Cynthius aurem
Vellit.——

Lucanus *lib.* 1.

Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu.

Val. 2. *Argon.*

Puraq; nec gravido surrexit Cynthia cornu.

Stat. 10. *Theb.*

Arcana moderatrix Cynthia noctis.

Cynura, urbs in Argo, vel Argolicâ. Steph.

Cynurai, Arcadiæ pop. Pausan.

Cynus, Locrorum Epicnemidiorum op. sive, ut quibusdam placet, Navale. Plin. 4. 7. Baudrando fuit Locrorum Opuntiorum Urbs, cum prom. cognom. juxta Euripum, inter Cnemides & Atalantam Inf. Illic Deucalion habitavit. Item Arab. Fel. fluv. ad sinum Persicum in latere septentrionali.

Cyon, urbs Cariæ, *Canebium* antè dictum, civis *Cuites.* Steph.

Cyonesus, Nili inf. non procul à majori Deltâ è regione op. quod *Cynopolis* dicitur. Ptol.

Cypara, Thessaliæ urbs. Ptol.

Cypatha, urbs Libyæ. Steph.

Cyparissa, urbs Triphyliæ, quæ vocabatur *Eranna.* Inde Minerva *Cyparissaa* Stephano, qui *Cyparissum* quoque Phocidis urbem vocat.

Cyparissi, *Cyparissia* Straboni, *Cyparissos* Homero, Peloponnesi urbs in orâ Messeniæ litorea ad ostia Cyparisseidis amnis, probè munita. *Arcadia* teste Sophiano, 35. mill. à Messene, in Occas. Inter ostia Electræ & Nedæ fluv. Baudr. Hodie *Philatra*, vel *S. Elia*, Morerio. Aliis est *Bicorna.* Hinc *Cyparissius sinus* Melæ. *Golfo di Arcadia.*

Cyparissium, promunt. non longè ab urbe Cyparissiâ, *Capo Conello* Sophiano, *Capo S. Elia* Nigro. *Cyparissi* meminit Statius *Theb.* 7.

——Veteremq; revolvat
Phocida? quis Panopen? quis ve Aulida? quis Cyparisson?

Cyparissus, Telephi fil. puer formosissimus ex Ceâ inf. ab Apolline in deliciis habitus, qui cùm cervum mansuetum, sibique inprimis charum imprudens occidisset, doloris impatientiâ contabuit, Deique amatoris commiseratione in cupressum arborem commutatus est. De hoc Ovid. *lib.* 10. *Met.* inter alia sic canit:

Sed tamen ante alios Cea pulcherrime gentis
Gratus erat, Cyparisse, tibi: tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam:
Tu modò texebas varios per cornua flores:
Nunc eques in tergo residens, huc latus & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capistris, &c.

Et paulo pòst:

Hunc puer imprudens, jaculo Cyparissus acuto
Fixit: & ut sævo morientem vulnere vidit;
Velle mori statuit.——

Servius tamen author est, puerum hunc à Sylvano potius adamatum fuisse. Unde Virg. *Georg.* 1.

Et tenerum ab radice ferens Sylvane cupressum.

Pierius verò *lib.* 2. *Hieroglyph.* Asclepiade authore, nomen arbori Cupresso inditum dicit, à Cyparissa, filia Boreæ, Celtarum Regis: Imo Didymus Cyparissos Eteoclis filias fuisse refert, quæ choreas ducentes in puteum devolutæ, à Tellure, vicem earum miserata, in arbores versæ sint. V. Farnabium *Notis in Ovid. Metam. lib.* 10.

Cyparissus, civitas circa Delphos, ab ejus arboris frequentiâ, Mela 2. Steph. Phocidis civitatem esse scribit, quæ postea *Apollonia* dicta est. Nonnullis *Cyparissus, untis.*

Cypasis, urbs circa Hellespontum. Steph.

Cype, Siciliæ castellum. Steph.

Cyphanta, portus Peloponnesi, in ora Argolici sinus, nunc *Stilo*, Sophian. in Laconia, cis Eurotam fluv. Ptol. V. Jo. Meursium *Miscell. Lacon. pag.* 265. Item oppidum in illo tractu, sed in mediterr. nunc *Eriches*, ut creditur, 28. mill. à Sparta in Ort. Baudr.

Cyphata, castellum Thessaliæ. Livius.

Cyphon, volunt esse nomen pauperis, apud Aristoph. *Pluto, act.* 2. *sc.* 5. Alii præcipitium interpretantur.

Cyphus, urbs Perrhæbiæ. Alia Thessaliæ. Item fluvii nomen apud Steph.

Cypria, tres insulæ steriles juxta Cyprum. Plin.

Cyprianus, Carthaginensis, post Donatum, vel secundùm alios, Agrippinum, Anno 250. Illustri loco natus, ante sui conversionem Rhetoricam docuit, à Cælio amico ad fidem perductus. Sub Decio, gregis admirabili zelo defensor, etiam postquam se in tutum recepisset, inde salutariter ipsi prospexit. Contra Libellaticos scripsit, defectūrientes dehortatus est, Confessores confirmavit. A' Felicissimo, schismate formato, malè habitus, Carthagine Synodum celebravit. Novato Novatianisque acriter restitit, Aquariis non minus fortiter se opposuit. Interim consuetudinem rebaptizandi hæreticos ursit, quemadmodum hi Orthodoxis seductis facere soliti erant: à Stephano Episc. Rom. *PseudoChristus*, *Pseudo Apostolus* & *dolosus operarius*, propterea dictus: increpito ab Episcopis Orient. quòd humilitatem & lenitatem Apostolicam non servasset. Videtur tamen Augustino sententiam mutasse. Sub Valeriano tandem & Galieno, martyrii coronam accepit. Et primò quidem palinodiam canere, & deliberare, quid faceret, jussus, *in re tam sancta*, respondit, *non opus est deliberatione.* Exilium dein minitantibus, *exul*, regessit, *non erit, qui Deum in mente habebit.* Tandem capite plexus est, cùm prius carnifici 20. aureos numerari jussisset, pacemque Ecclesiæ prædixisset. Anno 258. August. Maximus, P. Chrysologus, Gregorius Naz. *in ejus elogiis.* Hieron. Sixtus Sen. &c. Pontius Diaconus ejus vitam descripsit. Prudent. *hymno* 13. Ennodius, Agobardus Arch. Lugd. Ruffinus *in apol. pro Origene.* Baron. ab Anno 250. usque ad Ann. 261. Ejus opera solicitè collecta sunt. V. Ald. Manutii, Pamelii, Rigaltii &c. judicia, de scriptis ejus. *Inter Latinos ad Apostolici pectoris vigorem propius accedit, ubiq; censeas loqui pastorem, ac Martyrio destinatum,* Erasmus *Lib.* 1. *Epist.* 186. Quanto in honore fuerit apud suos Carthaginenses, docet Procopius *Gothicorum libro* 3. Κυπριανὸν ἅγιον ἄνδρα μάλιστα πάντων οἱ Καρχηδόνιοι σέβονται. Καὶ αὐτῷ νεών τινα λόγου πολλοῦ ἄξιον πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυσάμενοι παρὰ τὴν τῆς θαλάσσης ἠϊόνα, τά τε ἄλλα ἐξοσιοῦνται, καὶ ἄγουσιν ἐνιαύσιον ἑορτὴν, ἣν δὲ Κυπριανὰ καλοῦσι. Καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὸν χειμῶνα, οἱ ναῦται, ὅπερ ἐγὼ ἀρτίως ἐμνήσθην, ὁμωνύμως τῇ πανηγύρει προσαγορεύειν εἰώθασιν, ἐπεὶ εἰς τὸν καιρὸν ἐπισκήπτειν φιλεῖ, ἐφ' οὗ ταύτην οἱ Λίβυες ἄγειν ἀεὶ τὴν ἑορτὴν νενομίκασι. Libellatici autem, quorum supra mentio facta, dicti fuerunt iis temporibus, qui, postquam metu supplicii fidem abnegarunt, pœnitentiâ postea ducti, ad Confessores Martyresque se conferebant, ut eorum intercessione, rigor censuræ mitigaretur. Ab his itaq; impetrato libello, cujus tenor erat, *Talis iterum cum suis communicet*, in Ecclesiæ sinum recipi solebant, V. Cyprianum hunc ipsum *Epist.* 15. 18. *&c.* Tertullianum, Alios.

Cyprianus, Episc. Burdigal. interfuit concilio Agathensi, Anno 506. Synodo Aurelianensi, Anno 511. Item, Episc. Tolonensis, ex illustri familia Massiliensi, *de Montolseu*, scripsit vitam S. Cæsarii, præceptoris sui. Interfuit concilio Arelatensi 4. Anno 541. Vinc. Barralius, *Chronol.SS.pag.*229.

Cyprianus Benetus, de prima sede, Concilio, potestate Eccl. & Papali, totidem tractatus scripsit. Bell. *de Scr. Eccl. An. Christi* 1490.

Cyprianus Leovitii, Bohemus, Mathematicus Ottonis Henrici, El. Pal. scripsit Ephemerides, de Eclipsibus, &c. Obiit, Anno 1574. Voss. *de Mathem.cap.* 65.§.31.

Cyprus, filia Antonii & Cleopatræ, elocata Agrippæ; ex quibus prognata Drusilla, Antonii Felicis, Claudii liberti, Judææ Procuratoris, Uxor.

Cyprus, ins. ex maximis maris Mediterranei, notissima in sinu Issico inter mare Cilicium & Syriacum, ab Ortu in Occasum extensa, vix 60. mill. ab ora Syriæ, & circuitus 550. m. p. circiter fertilitatis tam eximiæ, & metallorum adeò ferax, ut *Macaria* olim, h. e. *Beata* dicta sit. Unde Virgil. *lib. Æn.*

--- Genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum.--- ---

Et propius ad etymon Horat. *Carm.lib.* 3.

O quæ beatam Diva tenes Cyprum.

Am. Marcellinus *lib.* 14. *Cyprum insulam procul à continente discretam & portuosam, inter municipia crebra urbes duæ faciunt claram Salamis & Paphos, altera Jovis delubris, altera Veneris templo insignis. Tantâ autem, tamq; multiplici fertilitate abundat rerum omnium, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus à fundamento ipso carinæ ad supremos usque carbasos ædificet onerariam navem, omnibusq; ornamentis instructam mari committat.* Mirum de hac Ins. referunt Historiæ, nullum ibi tam accuratè unquam sepeliri potuisse, quin altero die indignabunda quasi terra spontè rejiceret cadaver; durasseque id, donec Ericus II. Daniæ Rex, cùm Hierosolymam peteret, morbo ibi prius, mox morte interceptus voluit ibidem sepeliri, Zevecotius *Notis in Florum lib.* 3. *cap.* 9. Christianam fidem hîc primus D. Paulus docuit, cum Barnaba, cujus hîc tandem occisi corpus Anno 385. sub Zenone, repertum. Concilium ibi An. 399. contra Origenistas, Socr. *lib.6.cap.*9. Sozom. *lib.*8. *cap.*14. Anno 643. contra Monotheletas. Baron. Multis nominibus olim appellabatur, teste Plinio, *Acamantis, Cerastis, Amathusa, Aspelia, Cryptos*, & *Colinia*; qui illam insuper in 9. Regna divisam refert, V. infra. Item *Sphecia*, ut Eust. docet *ex Lycophrone.* Festus *Ærosam* dici scribit, quòd in eâ plurimum æris nascatur. Ital. *Cipro.* Turc. *Cupron* hodie. In eâ Venus colebatur, unde *Cypria, Cypris*, & *Cyprigena* dicta. Horat. *ad Venerem,*

Sic te Diva potens Cypri.

Factum autem id propterea monet Camers, quòd mos esset Cypriis, virgines ante nuptias prostituere, ut dotalem pecuniam quærerent, Justin. *Hist.lib.*18.*cap.*5. quem ab ipsa Venere institutum asserit Lactantius *lib.*1.*cap.*17. *A Cypro* Cinyræ filiâ nominari volunt, Steph. Κύπρος νῆσος μεγάλη ἐν τῷ Παμφυλίῳ κόλπῳ ἀπὸ Κύπρου τῆς θυγατρὸς Κινύρου. Ita etiam Constantinus ex Philo Stephano περὶ νήσων, & Ister ἐν ἀποικίαις Αἰγυπτίων. Melius quàm Eust. *in Dionys.* cui Cyprus est filius Cinyræ. Nam muliebre nomen est Κύπρος, quod in usu fuit apud Phœnices, uti docet Scal. *ad Euseb.pag.*149. Lucan. *lib.*8.

Quæstor ab Icario Cinyrææ litore Cypri.

Tamen, quia Cyprus Cinyræ filia, neque in fabulis, neque in historiâ celebratur; quod sequitur apud Stephanum & Eustathium, arridet magis, dici Cyprum insulam ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ φυομένου ἄνθους κύπρου, *à Cypri flore*, qui ibi nascitur. Cyprus est Arabum אלחנא *Albenna*, non ligustrum, ut multi volunt. Ebræis dicitur כפר *copher*. Cant. 1. 14. & 4. 13. Neque verò est absimile, inde vocari *Cyprum* insulam, cùm rara alioqui planta, & eximia, ibi plurima proveniat. Plin. 12. 24. ubi de Cypri generibus: *Optimum habetur è Canopicâ in ripis Nili nata: secundum Ascalone Judææ: tertium Cypro insulâ odoris suavitate. Inde fragrans* Homero *in Hymnis*:

Σάλατ' ἐπὶ Τροίην, προλιποῦσ' εὐώδεα Κύπρον.

Divisa fuit aliâs in quatuor partes: *Salaminiam* ad Ortum. *Paphiam* ad Occ. *Lapethiam* in Bor. & *Amathusiam*, ad Austr. hodie in duodecim partes dividitur, quarum nomina sunt, *Nicosia, Famagusta*, olim *Tamassus, Paphia, Andima, Limissum, Masetum, Salinæ, Messaria*, seu *Sivori, Crusocus, Pentalia, Cerinæ*, & *Carpassus.* Pagi in universum sunt, 850. Primò sub propriis Regibus, quorum ultimus Ptolomæus, sentiens Catonem contra se venire, mortem sponte sumsit. Sic cum immensis opibus in Romanorum potestatem Insula venit, quibus hæc unica belli causa erat, quamvis excusent alii & in Ptolomæum Clodiumque rejiciant, ut Strabo. *lib.* 14. Vellejus *lib.*2. *cap.*45. Dio *lib.* 38. Neminem enim latet Romanorum eo tempore avaritia, quam exprimit Galgacus, apud Tacitum *Agric.* 30. 10. *Romani, si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi.* Et improbant factum hoc summopere Cicero *pro Domo cap.*8. Marcellinus *lib.*14.*cap.*27. Ruffus *cap.*13. Sic ergo, mandatâ Publii Clodio Tribuno duce, socii vivique Regis confiscatione, Canisium familiarem suum in Cyprum præmisit Cato, qui Ptolomæo, ut sponte legi Clodiæ cederet, persuaderet: daturum ipsi Populum Romanum Veneris Paphiæ sacerdotium, quod ut opulentissimum, ita præcipuæ dignitatis apud Cyprios, habebatur. Sed Rex, hausto veneno, ab ea contumelia sese liberavit. Confectam pecuniam septem millium talentorum scribit Plutarchus: quam prædam dignam judicarunt Romani, propter quam unius Insulæ Rex regno expelleretur. Vid. Florum *lib.*3.*cap.*9. Postea Cyprus à Julio Cæsare Cleopatræ Ægypti Reginæ concessa est, sed post mortem ejus ad Romanos rediit. Post divisum Imper. R. Græcis paruit, quibus illa erepta est, à Muhavia Saracenorum ductore, cum Arado & Rhodo, Anno Christi 656. Guil. Tyrius *lib.*19.*cap.*20. Aaron postea Saracenus, hîc templis destructis, Christianos expulit, Anno Christi 807. seqq. temporibus sub imperium Græcorum rediit. Verùm post hæc Richardus Angliæ R. cùm contra Saracenos ducens, Anno 1191. tempestate ad Insulam dejectus, ab Insulanis non admitteretur, vi eam occupavit, Isaco devicto, & cuidam Gallo Guidoni de Lusignano in regn. dedit. Huic Reges successerunt continuâ serie, (è quibus Hugo ab Hospitalariis depositus est, Anno Christi 1306.) donec in Genuensium clientelam pervenit. Dein Venetis, ex dono Catharinæ Corneliæ, uxoris Jacobi usurpatoris, Carlotâ exclusâ, paruit ab Anno 1472. ad Ann. 1560. quo Turca Selimus bello Venetos aggressus, Cyprum ipsis eripuit sequenti anno. A quibus in 11. partes dividitur. Caput regni *Nicosia*, in medio Ins. ferè rotunda; secunda *Famagusta*, urbs permunita, in ora Or. cum portu capaci; tertia Ceraunia, *Cerines*; Quarta Paphos, *Baffo*, in Ora Occ. Reliquæ sunt parvi momenti. Baudr. Olim 9. Reges Ins. præfuerunt, qui tamen omnes in Regis Pers. clientela erant, Diod. *lib.* 16. In Cyprium exilium missi à Constantino Copronymo Monachi Iconolatræ. Prope Cyprum Hugo ultimus Hierosol. R. Sultani victoris arma fugiens naufragio periit, Anno Christi 1291.

Urbes Cypri Episcopales olim.

Amathus.	Leuca.
Arzus.	*Leucosia metrop. Latin.
Carpasium.	Paphos vetus & nova.
*Ceraunia.	Salamis Græc. metrop.
Curium.	Soli, nunc pagus ut cœteræ asterismo carentes, &c. V. Ferrar.
Fama Augusta, olim Hamacostos, & Ammochostus.	

Cyprus, castellum natura tutum, ab Herode conditum & egregiè communitum. Jos. 1. *bel.* 16. & 2. *belli* 20. est in tribu Benjamin.

Cypsela, vel *Cypsella*, à Cypselo, Ixionis fil. Thraciæ urbs. In reg. quæ Sapacia olim, dein Europa dicta, 14. mill. supra Apros, in Bor. versus montes, prope Melam flu. Item castellum in Arcadiâ à *Mantinensibus muris cinctum.* Steph. *Chipsala* Sophiano, *Ipsala* Leunclavio, *Chapsilar* Bellonio.

Cypselus, Rex Arcadiæ, potentiam Heraclidarum veritus, generum sibi Cresphontem ascivit, filium Aristomachi. Pausan. *lib.* 4. & 8. Item, filius Periandri ex Melissa, insanus. Diog. Laërt. *in ejus vita.*

Cypselus, tyrannus apud Corinthum, à *cistulâ* nomen accepit, quam Græci *Cypselon* vocant, in quâ delituit occultatus à matre, cùm ad mortem quæreretur. Cic. *Tusc.* 5. & *lib. de Fato.* Filius erat Eccionis, Pater Periandri, qui oppressis Bacchiadis, Tyrannidem invasit. Eundem fortè Eusebius Byzantium condidisse ait, Olymp. 30. anno 4. ab V.C. 96. Tyrannidem tenuit, 30. ann. Herodot. *lib.*5. Aristot. *Polit. lib.*5.*cap.* 12. Vid. Euseb. Pauf. *lib.* 2. & 5. Ejus colloquium cum 7. sapientibus, Vide apud Diog. Laërt. *lib.* 1. *in Thalete, sub fin.*

Cytasia, Galatiæ urbs. Ptol. vulgò *Carosa.* Baudrando opp. est Paphlagoniæ, in ora littor. Ponti Euxini, prope ostia Zalisci fluv. 20. mill. à Sinope in Eur.

Cyra, sinus Persici insula. Steph. & mons Afr. Cyrenæ urbi imminens, Trog. Nunc *Monte di Cairoan*, Castaldo, aliisque.

Cyranis, Africæ ins. à Stephano Κυραυνὶς dicitur, νῆσος κατὰ Γύζαντας τοὺς ἐν Λιβύῃ, ubi alii Gygantas pro Gyzantas legunt. Κυραυνὶς mavult Bochartus, ab Ebræo כרמין *Ceramin*, i. e. *à vitibus*, quæ ibi copiosè proveniunt, ac proinde ἐλαιῶν τε μεστὴν καὶ ἀμπέλων, *oleis refertam ac vitibus* eam describit Herodotus *Musâ quartâ.*

Cyrbiana, Elymæorum provincia est. Strab. *lib.* 16.

Cyre, Ceres apud Cnidios. Cæl. Rhod. *lib.* 17.

Cyre, fons in Cyrenaica. Steph. Κυρή Callimacho *Hymn. in Apoll.*

Οἱ δ' οὔπω πηγῆς Κυρῆς ἐδύναντο πελάσσαι.

Ubi Schol. Κρήνη ἐν Κυρήνῃ. Nicodemus verò Frischlinus Κυρῆς legit & per synæresin pro Κυρήνης dici autumat.

Cyrechara, vide *Cyropolis.*

Cyrenaica, regio Lybiæ exterioris, ubi Basiliscus serpens generatur. Solin. inter reg. Tripolitanam, ad Occ. & Marmaricam ad Ortum, nunc in parte Barbariæ, quæ *regnum Barca* dicitur. In ea est Pentapolis prov. nunc *Mesrata*: Ubi Cyrene, totius tractus prim. vulgò *Cairoan.*

Urbes

Urbes Cyrenaicæ & Marmaricæ.

Apollonia *Bonandrea*, portus.	Marmaricæ, *CanZaron di Mahoma*.
Aptuchum *Langisaria*, portus.	
Arsinoe, V. *Teuchira*.	Oasis magna *Gademez*.
Berenice *Bernicho*.	Oasis parva *Azagar*.
Cyrene *Cairoan*.	Paraetonium Marmaricæ, *Alberton*, portus.
Darnis *Doëra*.	
Hammon seu Ammon, ubi Jovis Ammonis Oraculum	Ptolemais, quæ & Barce. *Barca*.
	Teuchare, quæ & Arsinoe *Trochara*.

Cyrenaici, Philosophi ab Aristippo, omne bonum in voluptate posuerunt, virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quòd efficiens esset voluptatis. Vide omnino Laert. *in Aristippo*. Cic. Hes. Suid. Voss. *de Sect. Philos. c.* 9. *p.* 58. 59. *& seqq.* V. etiam *Hegesias*, *Panicerus*, *Theodorus*.

Cyrene, Penei flu. filia, cujus amore flagrans Apollo in Pelio Thessaliæ monte eam rapuit, & in eam Africæ partem transtulit, quæ ab eâ postea *Cyrenaica* dicta est, ubi & Aristæum ex ea suscepit.

Cyrene, nobilis meretrix δωδεκαμήχανος (duodecim gnara machinarum) dicta, quòd totidem figuras in coitu ederet. Vide Scholia *in Aristophanis Ranas*.

Cyrene, sive *Cyrena*, plur. num. insigne Libyæ op. inter Syrtim majorem, & Marcotidem situm, unum ex iis quæ Pentapolim efficiunt, à Batto Thereo (quem Callimachus progenitorem suum fuisse tradit) conditum, à *Cyrene*, Penei amnis filiâ sic dicta. Hodie *Coreno* Villanovano; cujus incolæ olim equitatu plurimum valebant. Max. Tyr. *Serm.* 7. Τὰ Κυρηναικὰ (παιδεύματα) δίφρεια, *instituta Cyrenaica sunt aurigationes*. Dionysius Periegetes,

Κυρήνη τ' εὔιππος Ἀμυκλαίων γένος ἀνδρῶν.

Quod sumptum videtur ex his Pindari *in Pythiis, Od.* 4. *statim initio:*

Σάμερον μὲν χρή σε παρ' ἀνδρὶ φίλῳ
Στᾶμεν εὐίππου βασιλῆι Κυράνας
Hodie quidem oportet te apud virum amicum
Sistere equestris Regem Cyrenes.

Idem Pindarus *Cyrenes* appellat εὐάρματον πόλιν. Hinc Ephorus, Κυρηναῖοι περὶ τὴν διφρευτικὴν ἐπιστήμην ἠσχόλησαν, *Cyrenæi ad curulem artem se applicant*. Strabo: Λέγεται ἡ Κυρήνη κτίσμα Βάττου, ἱπποτρόφος ἐστιν ἀρίστη. Condita à Græcis, qui ex Ins. Platera in Africam trajicientes, dein sub Pœnorum ductu, urbem Zoam, prope Solis fontem extruxerunt, Batto ibi Rege constituto. Cui Arcesilas successit, propriè Cyrenes conditor. Destructam postmodum Romani repararunt, sed à Catone post mortem Pompeii prima oppugnata: Postea ab Arabibus iterum vastata est. Patria Aristippi, filiæ ejus Aretæ, Callimachi, Eratosthenis, Carneadis, &c. Strab. *l.* 17. *sub finem*. Mela, *l.* 1. *c.* 8. Plin. *l.* 5. *c.* 5. Ptol. *l.* 4. Marmol. *l.* 8. *c.* 10. Cyrenensis Ecclesiæ fundamenta jacta sunt, à Cypriis quibusdam. A. C. 39. *Hic laserpitium herba provenit.* Catullus *epigr.* 7.

Quàm magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis jacet Cyrenis.

(ubi corripuit primam syllabam, quæ aliis producitur, nec tamen id sine exemplo. Callimachus,

——— Τέλλοντι γε μὲν ἄστυ Κυρήνης.

Hermesianax: Ἄνδρες Κυρηναῖοι) Cur autem laserpiciferas Cyrenas dixerit Catullus, intelligi potest ex iis, quæ scribit Suidas in voce Σίλφιον. Plin. 19. 3. *Ab his proximum dicetur authoritate clarissimum laserpitium, quod Græci σίλφιον vocant, in Cyrenaicâ provincia repertum.* Nunc urbs hæc *Cairoan*, in Regno Barcæ, versus Syrtim magn. ad Doerum fluv. 10. leuc. ab ora Maris Mediterranei, in Austr. 25. leuc. Gall. à Barce in Ort. 375. m. p. ab Ammonis templo, in Occas. 90. mill. à Phycunte prom. in Austrum. In colle est; deficit indies. Adjacens reg. *Mesrata* quibusdam, Baudr. Cæterùm de Cyrenaicâ vide Voss. *ad Melam l.* 1. *c.* 6.

Cyrenius, totius Syriæ præses, ab Aug. Cæsare constitutus, per quem censum, universamque descriptionem Cæsari fieri jussit. Luc. *cap.* 2.

Cyres, urbs. Steph.

Cyriacus, Patr. Constantinopolitanus, post Johannem Jejunatorem, Ann. 596. Episcopus Universalis dici voluit. Sed, quia generosè Phocæ in Ecclesia varia miscenti obstitit, illo privatus est titulo, qui jussu Imper. in Episc. Rom. translatus est. Obiit Ann. 606. Niceph. *l.* 18. Theophanes, Cedrenus.

Cyriacus, ex Judæo Christianus, Helenæ Imper. crucis locum indicasse dicitur. Greg. Tur. *l.* 1. *c.* 36. Crucigerorum auctor. Item Episc. Adenæ, in Cilicia, ad Damasum Ep. R. missus, Anno 382. Item Anconitanus, *Antiquarius* dictus, ob studium antiquitatis. Seculo 15. scripsit Itinerarium Europæ, Asiæ, & Africæ, ut & alia egregia. Leander Albert. *descr. Ital. p.* 285. Voss. *de H. L. l.* 3. *c.* 10.

Cyriades Marcus, primus è 30. tyrannorum numero fuit: eorum nempe, qui temporibus Valeriani & Gallieni Imperatorum imperarunt. Hic dum luxuriosus & moribus perditis sanctum senem ejusdem nominis patrem gravaret, direpta magnâ parte auri & argenti, Persas adiit: atque Sapori regi conjunctus, hortator belli Romanis inferendi fuit. Antiochiâ raptâ & Cæsareâ, Cæsarianum nomen accepit: atque inde vocatus *Augustus*, cùm omnem Orientem vel virium audacia, vel terrore quateret, patrem etiam interemit: Sed mox ipse per insidias suorum, cùm Valerianus jam ad bellum Persicum iret, interemtus est Anno 259. Consulito Trebellium Pollionem, *in horum* 30. *Tyrannorum vitis. c.* 1.

Cyrilla, Decii Cæsaris fil. cum Triphonia matre, & 46. militibus à Dionysio Episc. R. conversa, martyrii suscepit palmam, A. C. 269. Balæus *in Dionys.*

Cyrillus, Vir *ingenii vehementis & imperatorii*, Alexandrinus Præsul, post Theophilum avunculum, Anno 412. Episcopatum magnâ auctoritate gessit. Nestorio errores suos disseminanti magno cum zelo restitit. Ægyptios scripto edito contra hæreticum, ut & Imperat. Theodosium Jun. cum Eudoxia & Pulcheriâ duplici tractatu, muniens: Nestorium ab errore frustra revocare conatus. Hinc Ephesino Concilio Oecumenico 3. Patrum ducentorum, ille damnatus, B. Virgo Deipara dici jussa est. Sed à Johanne Patr. Antiocheno, Nestorii fautore, Synodo indictâ, ipse Cyrillus depositus, & in carcerem conjectus est. Inde liber Patriarcham eò perduxit, ut Ephesino Concilio subscriberet. Dein à criminibus sibi à Nestorii factione impactis se purgans, scripsit contra Theodorum Mopsvestium, Diodorum Tarsensem & Julianum Apostatam. Mysterii Incarnationis acerrimus hyperaspistes. Obiit an. 444. Evagr. Niceph. Socrates *in hist. Eccl.* Gennad. *de Viris ill. c.* 57. Photius *in Bibl.* Sigebert. *de Scr. Eccl. c.* 24. Sixtus Sen. *Bibl. l.* 4. *A. C.* 432. Godeau, *hist. Eccl. t. III. l.* 1. *&* 2. Edidit variarum hypotheseôn tractatus, & commentaria in varios Veteris & Novi Testamenti libros, Homilias plurimas, &c. Scripsit etiam contra Julianum, cujus temporibus vixit. V. supra. Habentur Scripta ejus 6. tomis. Ann. 1638.

Cyrillus, Dalmatiæ Præsul.

Cyrillus, Patr. Alexandrinus, Eutychianus. Anno 1618. Gautier. *Chron.* 17. *sec. p.* 846. *Col.* 4.

Cyrillus, Patr. Antiochenus, doctrinâ & sanctitate illustris, successit Timæo, Anno 283. Obiit an. 299. Eus. *in Chron. & hist. l.* 7. *c.* 26. Alius, successit, An. 1619. fratri suo Athanasio: ab Ignatio successore occisus. Anno 1628. Gautier. *Chron.* 17. *sec. p.* 850. *Col.* 4.

Cyrillus, Præsul Hierosolymitanus, Ann. 350. post Maximum, sæpe ab Ecclesiâ pulsus, & receptus ad extremum sub Theodosio Imp. octo annos in suâ sede perseveravit; Saraceni eum Martyrio affecerunt. Extant ejus Catecheses. Obiit An. 386. postquam interfuisset Concilio Constantinop. 2. Theodoret. *l.* 3. *c.* 6. 7. Epiph. *hær.* 66. *&* 73. Ruffin. *l.* 1. *c.* 23. Joh. Damasc. *or.* 3. *de Imag.* Hieron. *in Chron. & Cat. c.* 112.

Cyrillus, Patr. Constantinop. confessione fidei Ecclesiarum Orientalium editâ, Reformatæ Religioni penè in omnibus consentaneâ, nisi quòd Spiritum S. à Patre per Filium procedere assereret, Jesuitas infestos sensit. Qui An. 1628. & seqq. viro optimo in capitis periculum bis terve adducto, tandem exauctorationem ejus & exilium, magno pretio à Barbaris redemerunt: Anastasio Patelario Cretensi, bipedum nequissimo surrogato. Quo tamen paulo pôst dejecto, Cyrillus revocatus est. Nec hic turbonum quies. Sed denuo ab his vexatus, martyrii tandem subiit coronam. An. 1638. Confessio hæc in Anglia impressa est. Discipuli ejus in Belgium missi, ut ad pedes illustrium ibi Theologorum eruditionem sacram haurirent, Rivetus *in Jesuita Vap. c.* 11. *sect.* 11. 12. 13.

Cyrillus, monachus Palæstinæ, Euthymi discipulus, sec. 5. scripsit vitam Euthymi, Sabæ & Joh. Silentiarii, &c. V. Voss. *de hist. Gr. l.* 2. *c.* 21.

Cyrillus, Statius vel Tatius, hist. Vitas Imperatorum Latinè transtulit, sub Constantino. Jul. Capitolinus, *in Maximinis*, Vossius *de hist. Lat. c.* 7. *p.* 193.

Cyrillus, unus ex Ducibus Vitaliani, qui sub prætextu defensionis Orthodoxorum arma rapuerat, ab Anastasio Imp. captus. A. C. 514. Evagr. *lib.* 3. *cap.* 38.

Cyrillus, Moravorum Præsul, cùm à Formoso Pontif. postulasset, permitteret ipsis sacra linguâ vernaculâ celebrari: hac de re autem Patres dubitarent, vox de cœlo audita est: *Omnis Spiritus laudet dominum, & omnis lingua confiteatur ei.* Quâ moti, concessum est, quod petebatur. Æn. Sylvius *Hist. Bohem. lib.* 13. Polydor. *lib.* 5. *&c.* Circa A. C. 894.

Cyrillus, Diaconus Heliopolitanus (est autem Heliopolis civitas insignis ad Libanum sita) imperante Constantino, plurima Ethnicorum idola contrivit, cujus rei illi memores sub Juliano Imp. vivo ventrem exsecuerunt, jecurque inde exemptum degustarunt, sed divinitus puniti. Suidas, Theodor. *c.* 6. 7.

Cyrini Castra, Cappadociæ locus. Strab.

Cyrinus, Romanus, cum Basilide & Nabore sub Diocletiano passus, ac sepultus tertio ab urbe lapide. Volater.

Cyris, Solis filius (unde eum fortassè *Titanium* appellat Val. Flacc. *Argonaut. VI. vers.* 80.) Hyrcanorum rex, qui cum copiis venit auxilio Persæ, contra Æëten,) Colchorum R.

Cyris, metropolis Sabinorum, Inde Juno *Cyretia*. Steph. vide *Cures*.

Cyris, fluv. Calabriæ, V. *Ciris*.

Cyrizoborca, Indiæ op. Plin. 6. 19.

Cyrmiana, Thraciæ gentes. Herodot.

Cyrnaba, Scythiæ flu. non procul à Chryse sinu. Plin. 6. 17.

Cyrnus, filius Aquitis, quem, dum immixtum aciei Colchicæ perquirit Pater, à Gesandro occisus est, ut habet Flaccus *lib. 6. Vers. 298.*

Cyrnus, insula in mari Ligustico, à *Cyrno* Herculis filio sic dicta, cùm prius Therapne diceretur. Pop. *Cyrnii* qui longissimo ævo utuntur, propter mellis usum, quod apud eos copiosum nascitur. Hinc *Cyrnæus*. Virg. *Ecl. 9.*

Sic tua Cyrnæos fugiant examina taxos.

Vide *Corsica*. *Cyrnum* etiam insulam Japygiæ, versus Bor. habet Stephanus. Item, maris Ægæi Inf. inter Sporades, 80. m. p. à Gyaro in Austr. Plin. *Sirna* ex tab. Geogr. recent.

Cyropolis, ampla Asiæ civitas, quæ etiam *Cyrechata* vocatur. Steph. *Sammachi* vel *Summachi*, Persis *Circombare*, Arab. *Chyseleth* V. *Portas Caucasias*. Ferr.

Cyrræi, pop Æthiop. circa Nilum. Claud.

Hunc bibit effrænus Garamas, domitorq; ferarum.

Cyrræus, in Epigr. de Nilo

Cyrrha, urbs Phocidis, vide *Cirrha*.

Cyrrhada, Indiæ intra Gangem gentes agrestes, Arrian. *in Periplo.*

Cyrrhes, Macedoniæ pop. non procul à Pellâ. Plin. 4. 10.

Cyrrhestica, Syriæ regio.

Cyrrhus, urbs Syriæ, in Cyrrhesticâ reg. Ptol. *Quars* hodie, & aliis *Carin*

Cyrrhus, mel. *Cyrus*, *Korr* vulgò, Asiæ in Iberia fl. Oritur in confin. Armeniæ maj. ex Moschicis mont. & per Iberiam, ubi recipit Iberum & Aragum fluv. dein per Albaniam; ubi auctus Alazoni fl. in mare Casp. se exonerat, 50. mill. ab Albana in Austr. V. *Cyrus.*

Cyrsilus, Atheniensis, lapidibus obrutus, quòd inhonesta suaderet. Cic. 3. *de Off. Athenienses, cùm Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentq; ut urbe relictâ, conjugibus ac liberis Troezene depositis, naves conscenderent, libertatemq; Græciæ classe defenderent, Cyrsilum quendam suadentem, ut in urbe manerent, Xerxemq; reciperent, lapidibus obruerunt.*

Cyrta, vel *Cirta*, Syphacis sedes in Africâ.

Cyrtæsis, Africæ Propriæ pop. Ptol.

Cyrtea, urbs ad Rubrum mare, in quam Artaxerxes Megabyzum relegavit. Steph.

Cyrtones, urbs Bæotiæ. Steph.

Cyrtus, urbs Ægypti in Mediterraneis, patria Dionysii medici. Steph.

Cyrus, *I.* Cambysis fil. ex Mandanâ Astyagis regis filiâ, Persarum ac Medorum rex, qui primus (ut Justinus *lib.* 1. scribit) devicto Astyage, qui ipsum occidi jusserat per Harpagum, ultimo Medorum rege, Medorum imperium transtulit in Persas, Olymp. 55. U. C. 193. Tulli Hostilii 18. M. 3494. & subactâ Asiâ totum Orientem in potestatem redegit. Post Crœsum enim devictum, Chaldæos subegit, & Babylone, per Euphratem in exiguos rivos diductum, expugnatâ, jam Monarcha Persarum, an. regni 21. Judæos è captivitate, ad Hierosolymam, templumque reædificandum, dimisit: Hinc *Dei servus* apud Esaiam prophetam vocatus. Postremò cùm bellum Scythis intulisset, eosque clade magnâ affecisset, Tomyris eo tempore Scytharum regina, compositis insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit, ita ut ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit; Caput Cyri amputatum, in utrem humano sanguine repletum conjectum fuit cum hâc exprobratione; *Satia te sanguine quem sitisti.* Anno regni 30. Imperii 9. Herodot. *l.* 1. Justin *l.* 1. Diodor. Sic. *l.* 2. Xenophontis enim Cyropædia, non ad historiæ fidem exigenda, Jos. *Antiq l.* 11. Euseb. *Chron. l.* 10 *Præp. Evang.* Scaliger *de E. T. l.* 5. Petavius *Chronol. l.* 10. *c.* 17. *Cyrum* Persico sermone *Solem* significare, author est Ctesias, qui Parysatidem Dario præter Artaxerxem alium filium genuisse narrans, addit: Καὶ τίθεσθαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἡλίου Κῦρον. Plut. *in Artax.* Ὁ μὲν οὖν Κῦρος ἀπὸ Κύρου τοῦ παλαιοῦ τοὔνομα ἔσχεν, ἐκείνῳ δ᾽ ἀπὸ τοῦ ἡλίου γενέσθαι φασί. Κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν ἥλιον. Unde apparet, toto quod aiunt cœlo Suidam in vocis hujus etymo errare; Sic enim ille, Κῦρος ὁ Περσῶν βασιλεὺς οὕτως ἐκλήθη διὰ τὸ ἐν τῇ βασιλίνδα λεγομένῃ παιδιᾷ κυρεύσαι τῶν ἡλίκων.

Cyrus, *II.* minor; Artaxerxis III. frater, apud quem cùm falsò delatus esset, ægrèque matris precibus servatus, bellum adversus eundem suscepit, tanquam Patri jam regi natus: in quo cùm jam Græcorum operâ penè victor evasisset, fortiter quidem sed incautè dimicans, est interemtus A. M. 3653. Olymp. 94 Xenoph. Justin. *l* 5. Plut. *in Artax.*

Cyrus, Episc. Orientis, Monotheleta, ab Heraclio Imper. seducto, Patr. Alexandrinus factus. Sed ficta ejus pietas, & Orthodoxiæ ementitus cultus, quo plurimis imposuerat, in apricum productus, ipseque 6. Synod. Gen. condemnatus est. Obiit Ann. 640. Sedis 10. Synodi 6. *Act.* 13. Consilium temerarium graviter luit apud Niceph. Cùm enim Heraclio Imp. suasisset, ut, vexæ redimendæ causâ, Omaro Saraceno Eudociam filiam desponderet, Præfecto urbis excruciandus traditus est.

Cyrus, Patr. Constantinopolitanus, postquam Justino Jun. restitutionem in thronum prædixisset. Sede pulsus, à Philippico Bardane, Anno 712.

Cyrus, Panopolita fuit poeta, ob ingenium nobile, apud Theodosium Jun. Imp. & Eudoxiam plurimum valuit. Romanorum in Africa Dux, cùm Carthaginem caperent. Evagr. *l.* 1. *c.* 19. Dein Consul Anno 441. Præfectus Urbis, quam ingenti terræmotu collapsam Anno 446. reparans, meruit vocem vulgi: *Constantinus struxit, Cyrus reparavit.* Hinc Zelotypiâ Constantini, bonis & dignitate exutus, Episc. Smyrnæ tandem evasit. Niceph. *l.* 14. *c.* 46. Suidas apud Volater.

Cyrus, continuator vitæ Leontii & Sociorum. Item Episcop. Aphrodisiensis in Caria, Ephesino Concilio interfuit.

Cyrus, seu *Cyropolis*, Syriæ civitas à Judæis extructa, in memoriam Cyri, qui eos ex captivitate dimiserat. Procop. Episc. sub Patr. Antiochno, Theodoretus huic olim præfuit. An *Quars* hodie? Ibi Synodus, contra P. Fullonem, Anno 476. Albertus Miræus, *Geogr. Eccl.* Chalcidensium item urbs, in Eubœâ. Polyæn. 3. Aliter *Cyrrhus* & *Cyrros*, juxta Marsiam fl. 45. mill. à Zeugma, totidem ab Euphrate in Oc. 25. infra Berroeam seu Alepum, in Austr. Baudr. Est & Mediæ fluv. Ptol. Item alius ejusdem nominis Scythiæ fluv. De quo Mela 3. 5. *Cyrus & Cambyses ex radicibus Coraxici montis vicinis fontibus editi & in diversa abeunt, perq; Iberos, & Hyrcanos diu & multum distantibus alveis defluunt; post non longè a mari eodem lacu accepti, in Hyrcanum sinum uno ore perveniunt.* Vide sis illic Vossium. *Corus* olim dicebatur, teste Strabone. *Cyrech* Pineto est, *Cori* Castaldo, *Cur* Nigro, & *Elcur* Ramusio. Videtur eum Matthæus Michoviensis *Tirk* appellare. Thevetus scribit eum ab incolis *Lada* vocari. Perperam Κῦρος apud Plut. & Dion.

Cyrus, Persidis fl. Strab. *Bagradas* seu *Agradatus* etiam, nunc *Tisindon*, Sanson. alluit Urbes Zirgiam, Larium & Darabegertum, seu Pasagardam antiquorum; & post longum cursum, in Persicum mare & Sinum Armuzianum se exonerat, 20. circiter leuc. ab Armuzio in Ort.

Cysa, Carmaniæ pagus. Arrian.

Cysenis, filia Diomedis Thraciæ regis, vivos homines dissecabat medios & parentibus comedendos liberos apponebat. Volater.

Cyssum seu *Cissa*, opp. Lacetanorum, in Hisp. Tarr. nunc *Camarasa* videtur, opp. Cataloniæ, ad Secorim fl. 2. leuc. Hisp. supra Bergusiam, 6. supra Ilerdam, in Ort.

Cysten, Æthiopiæ sub Ægypto op. Plin.

Cyta, urbs Colchidis, Medeæ patria, Steph. Herbis veneficis imprimis famosa fuit. Hinc *terra Cytæa*, Valerius Flaccius *lib. 6. Vers. 693.*

Tum juvenem terris Parcæ tenuere Cytæis.

Item *Cytais*, *idis*, pro Medea. Propertius 2. 4.

Non hic herba valet, non hic nocturna Cytais.

Idem *Cyteina carmina* posuit pro *Magica*, *Lib.* 1. *eleg.* 1.

Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
Posse Cyteinis ducere carminibus.

Ubi vide Scaligerum.

Cytæum, Cretæ inf. urbs. Ptol. *Candia* Jovio, Nigro & aliis, in ora Boreali, optimè contra Turcas munita, sub Venetis. Aliis est *Sitia*, urbs ibi Episc. 60. circiter mill. a Matio in Ort. ex præcipuis Insulæ. Unde tractus adjacens *territorio di Sitia*. Nunc sub Turcis, Baud. Cum tota Inf. Item Tauricæ Chersonesi eidem.

Cytais, Carmaniæ regio. Arrian.

Cyteorum, Ptol. *Cotyorum* Plin. Cappadociæ op. hodie *Cecino.*

Cyterium, urbs Oenotrorum Mediterranea. Steph.

Cythera, *orum*, insula in ora Peloponnesi contra Cretam, ut scribit Strabo, quinque m. p. à Maleæ promuntorio, 15. m ill. ar. ab Ægialia, 45. ab ora proximiori Cretæ distans, hodie *Cerigo* Sophiano, A Sinane Cigala Archipelagi Pharos & specula Turcarum vocata. Olim Spartanorum propugnaculum & receptaculum navium, quæ ex Ægypto & Libya redibant. Veneri tum dedicata, Virg. *Æn.* 10.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atq; Cythera.

Ovid. *Fast.* 4.

Deserit, & Veneri sacra Cythera petit.

Inde Venus ipsa *Cytherea*. Virg. *Æn.* 1.

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi.

Sic dicta

—— Ὅτι προσέκυρσε Κυθήροις,

teste Hesiodo, id est, quia è mari emergens ad Cythera primùm appulit. Hîc Venus, ut in Cypro, *Armata* fuit. Pausan. *in Laconicis*, Αὐτὴ δὲ ἡ θεὸς ξόανον ὡπλισμένον. *Cythera* dici vult Stephanus ἀπὸ Κυθήρου τοῦ Φοίνικος. Sed *Cytherus* ille Phœnix, cùm aliunde non sit notus, tam Cytheram insulam, quàm Cithæronem Bœotiæ montem celebrem. Phœnices appellasse putat Bochartus ὁ μέγας à קתרי *cethera*, id est, à *petris*. Chaldæus Interpres, ubi *de cuniculis*, Prov. 30. 26. *Faciunt sibi domicilium* בקתרי *in petris.*

Nam ut Bœotiæ Cithæron (de quo supra) ita Cythera insula scopulis scatet. Mercator in *Cytheris*: *Opidum habet ejusdem nominis* (in colle) *ac multos portus, sed parum tutos, atq; circa ipsam*

ipsam insulam sparsi sunt plures scopuli. Proinde apud Eust. *in* 3. *Iliad. Cythera*, inquit, *quidam eandem esse insulam volunt cum Cranae*, quia Κραναὸς *asperum* sonat & *confragosum*. Quin & purpuræ, quæ petrosis & calculosis locis maximè gaudent, circa hanc insulam multæ fuerunt, unde & *Porphyris* & *Porphyrusa* dicta est. Plin. 14. 15. *Cythera cum opido antea Porphyris appellata.* Aristoteles apud Stephanum, Ἐκαλεῖτο δὲ Πορφυροῦσα διὰ τὸ κάλλος τὸ παρὰ τῶν πορφυρῶν, id est, Eust. interprete διὰ τὸ χαλικώδεις ἔχειν πορφύρας; quas purpuras, quòd scopulis aut calculis plurimum gaudere diximus, Plinius idem testatur his verbis *lib.* 5. *c.* 1. *Ebori, citroq; sylvæ exquiruntur, omnes scopuli Gætuli muricibus ac purpuris.* Et *lib.* 9. *cap.* 37. *Purpuræ calculosæ appellantur à calculo maris mirè apto conchyliis.* Oppianus *lib.* 1. *Halieut. vers.* 314.

Πολλὰ μὲν ἐν πέτρῃσι, τὰ δ' ἐν ψαμάθοισι νέμονται,
Multa quidem in petris, quædam nascuntur arenis.

Est prima Archipelagi Insf. versus Occasum, sub Venetis. Circuitus est 60. mill. circiter, Tomaſ. Porcaccio. Portum habet *Delphinum*, in parte Austr.

Cythera, ol. opp. nunc pagus Cypri, *Conucha*.

Cythera, num. pl. etiam, urbs Cypri Ep. sub Ar. Constantiæ, in Ora Boreali, vulgò *Cithira*, nunc pagus. Ferrar.

Cytheris, nobilissima meretrix, liberta cujusdam Volumnii, quam Corn. Gallus poeta supra modum adamavit, eamque *Lycoridem* vocat Virgilius, Vide *Corn. Gallus.*

Cytherus, Elidis fluv. Heracleam alluens. Pausan. Item Atticæ urbs. Strabo. Et vicus in Pandionide tribu. Steph.

Cythina, urbs Thessaliæ. Steph.

Cythnos, Inf. una ex Cycladibus, in mari Ægæo, versus oram Atticæ, inter Ciam & Seriphum Inf. Tota montuosa est, nunc sub Turcis, & raros habet incolas. Baudr. Olim *Ophiusa*, ac *Dryopis* dicta. Ovid. *Met.* 5.

——— *Inde cavâ circumdata nave Seriphon*
Deserit, à dextrâ Cythno, Gyaroq; relictis.

Idem *lib.* 7.

Florentemq; Syron, Cythnon, planamq; Seriphon.

A *Cythno* primo habitatore dictam volunt. Bochartus autem, *Cythno*, inquit, videri potest nomen fecisse קטנות *Katnuth*, id est, *parvitas*, nam exigua est insula. Tamen aliud succurrit, quod licet minus obvium, fortasse multo est verius. Κύθνιος τυρὸς *Cythnius caseus*, fuit olim valdè celebris. Ita observant Steph. & Eust. ubi de Cythno. Et à Polluce 6. 10. Τυρὸς Κύθνιός τε καὶ Σικελικὸς *caseus Cythnius & Siculus* censentur inter τὰ παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὐδοκιμοῦντα ὄψα, *cibos apud veteres maximè probatos.* Quin & *Cythnius* dicebatur, à vicinâ *Ceâ*, vel *Cio* caseus, quam ex Æschylidis libris de R. R. multis describit Ælianus *de Anim.* 16. 32. Itaque propter casei dotes *Cythnus*, ut suspicamur, dicta est insula גבנא *gubna*, vel *guphno*, quomodo Syri hanc vocem efferunt, id est, *insula casei*. Sed Græci pro Γύφνο Κύθνον scripserunt, id est, κ pro γ ut Κάμηλος ex גמל *gamal*, & θ pro φ, ut θύλλα, & φύλλα. θῆρες & φῆρες, θλίβω & φλίβω. θλᾶν & φλᾶν. Hinc *inebriari* Græcè σκυθίζειν dici volunt pro σκυφίζειν, συγγενὲς γὰρ εἶναι τῷ φ τὸ θ. Ita Hieronymus Rhodius apud Athen. *lib.* 12. Eodem exemplo *Cythnus*, pro *Cyphnus*, dicta. Insulam hanc olim fuisse cultam, docet historia vetus de Cythniis ab Amphitryone malè multatis, quod cessit in proverb. Hinc enim Κυθνώδεις συμφοραὶ, *Cythniæ calamitates*, dicuntur de gravissimis; cujus adagii Suidas ac Zenodotus, tanquam ex Aristotele meminerunt. Helladius verò apud Photium scribi vult per *L.* non per *D.* τὸ Κυθνώλης, inquit, διὰ τοῦ λ. γράφουσιν, ἀλλ' οὐ διὰ τοῦ δ. Et in Hesychio Κυθνώλης est ἐξώλης, qui perditus est funditus, quomodo Cythnus ab Amphitryone planè excisa est ac devastata. Addit enim πεποίηται τὴν λέξιν ἀπὸ Κύθνου τῆς νήσου, ἀπολέσθαι γὰρ αὐτὴν ὑπὸ Ἀμφιτρύωνος. Ita legendus est ille locus.

Cytineum, una est ex tribus Noricis civitatibus. Steph.

Cytis, inf. Arabiæ, ubi topazius lapis. Plin. 6. 27.

Cytisorus, Phryxi filius.

Cytni, Pannonica gens. Ptol.

Cytonium, urbs inter Mysiam & Lydiam. Steph.

Cytorum, urbs Paphlagoniæ ad Pont. Eux. Ptol. *Castelle* hodie Nigro.

Cytorus, à Cytoro, Phryxi fil. conditore, *Cotyora* Xenoph. *Cyteorum* Ptol. Urbs & mons Galatiæ, in quo buxus plurima nascebatur. Strabo *lib.* 11. Πλείστη δὲ καὶ ἀρίστη πύξος φύεται κατὰ τὴν Ἀμαστριανὴν, καὶ μάλιστα περὶ τὸν Κύτωρον. Catullus,

Amastri Pontica & Cytore buxifer.

Virg. *Georg.* 2.

Et juvat undantem buxo spectare Cytorum.

Ovidius,

Sæpe Cytoriaco deducit pectine crines.

Idem *Metam. lib.* 6.

Utq; Cytoriaco radium de monte tenebat.

Id est, *buxeo*. Eust. *in Iliad. Hom.* β.

Οἵ ῥα Κύτωρον ἔχον καὶ Σήσαμον ἀμφενέμοντο:
Κύτωρος, inquit, πόλις Παφλαγονίας Σινωπέων ἐμπόριον, περὶ ἣν πλείστη, καὶ ἀρίστη πύξος φύεται, Plin. 6. 16. *Buxus Pyreneis ac Cytoriis montibus plurima & Berecynthio tractu.* Interpres Apollonii *in illud lib.* 2.

——— Ὑλήεντα Κύτωρον
διὰ τὸ πύξον ἐκεῖ πολὺν γίνεσθαι. Huc pertinet forma adagii, quam Eust. aperit: Πύξον εἰς Κύτωρον ἤγαγες; quod simile illi *Noctuas Athenas.* Sed ante hos omnes Theophrastus 3 *Hist. Plin. cap.* 15. loquens de buxo: Καὶ γὰρ τὰ Κυτωρικὰ τοιοῦτον, οὗ ἡ πλείστη γίνεται. Allusit huc Val. Flac. *lib.* 5. *Argonaut.*

——— *Atq; jugo pellente Cytorum.*

Nam hic pallor à buxo est. Ovid. *Met.* 4.

——— *Oraq; buxo pallidiora gerens.*

Credibile autem legendum, in loco Plinii nuper adducto *Cyrenæis*, aut *Cyrenis*, non *Pyrenæis*. Nam statim Theophrastus, à quo ille reliqua sumsit; μέγιστοι δὲ καὶ κάλλιστοι ἐν Κυρήνῃ. De la Cerda. Strabo *l.* 12. ex Ephori sententia, *Cytorum* Synopensium Empor. facit. A Cytoro prædicto conditum.

Cyzicum, Insula in Propontide, quæ duobus pontibus continenti adhæret, in qua urbs clarissima cognom. quam à Mithridate arctissimè obsessam, L. Licinius Lucullus Dux Rom. liberavit. De hac Florus *lib.* 3. *cap.* 5. *Cyzicum nobilis civitas, arce, mœnibus, portu, turribusq; marmoreis. Asiaticæ plagæ littora illustrat: hanc ille quasi alteram Romam toto invaserat bello*, & quæ sequuntur. V. quoque infra *Cyzicus*.

Cyzicus, à Thessalis oriundus. Fuit enim ex Æneo Apollinis & Stilbes filio natus, qui, relictâ Thessaliâ, ubi fuerat ortus, in Hellespontum se contulit atque ibi regnavit, & *Ænetem*, Eufori Thraciæ regis filiam, uxorem duxit, ex quâ Cyz. cum genuit, qui Dolionum tenuit imperium in Isthmo & Chersoneso, quæ est in Propontide, juxta quam mons est *Arctos* nomine. Cyzicus cùm adventantes Argonautas sibi cognatione conjunctos didicisset, eos benignissimè suscepit hospitio. Cumque à Cyzico digressi essent Argonautæ, proximâ nocte tempestate acti eodem reversi sunt, quos Cyziceni hostes cùm crederent, adversus eos egressi, penè internecione sublati sunt, inter quos ipse Cyzicus ab Jasone est interemptus, ut & Apollonius & Valerius scribunt. Orpheus ab Hercule, alii ab Dioscuris.

Cyzicus, urbs Mysiæ ad Propontidem, *Chizico* Sophiano, cui nomen indidit *Cyzicus* rex, quem Jason per imprudentiam interemit. Fuit hæc civitas & magnitudine, & pulchritudine cum primis Asiæ urbibus comparanda, paci & bello apta, tribus armamentariis inclyta, quorum aliud armorum, aliud instrumentorum, aliud frumenti erat receptaculum. Propert. 3. 22.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiacâ quà fluit Isthmos aquâ.

Ovid. *Trist.* 1. *Eleg.* 9.

Inde Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon Æmoniæ nobile gentis opus.

Ubi vir καλλιγραφώτατος Nic. Heinsius *surgentem* legere mavult, nam in edito colle sita hæc urbs. Val. Flac. *lib.* 2.

Nec procul ad tenuis surgit confinia Ponti
Urbs placidis demissa jugis, rex divitis agri
Cyzicus. ———

Sed & Apollonius Rhodius, in ejusdem descriptione,

Ἔστι δέ τις αἰπεῖα Προποντίδος ἔνδοθι νῆσος
Τυτθὸν ἀπὸ Φρυγίης πολυληΐου ἠπείροιο,
Εἰς ἅλα κεκλιμένη, &c.

Vide Casaub. *ad lib.* 12. *Strabonis. Cyziceni* apud veteres timiditatis ac mollitiei notantur, unde *tinctura Cyzicena*, proverb. apud Zenodotum & alios in eos, qui aliquid indecorum metu faciunt. *Cyziceni* quoque *stateres* apud Suidam in proverb. sunt, pro re sculpta diligenter, sicuti fuere *nummi Cyziceni.* long. 54. 50. lat 42. 15.

C Z.

Czar, in Ruthenico idiomate, Regem: *Czarstuo* verò Regnum significat: & hoc nomine Moscovitæ Principem suum Regem totius Russiæ appellant. Cæteri autem Sclavones, utpote Poloni, Bohemi, Lithuani aliique, qui ab idiomate Ruthenico recedunt, alio nomine Regem appellant, sc. *Krol*, alii *Korol* & *Kral*. Hoc verò nomine *Kzar* solum Imperatorem appellari existimant. Unde & Rutheni ipsi & Mosci, audientes ab externis nationibus Imperatorem hoc nomine designari, & ipsi Principem suum Russiæ Imperatorem appellare cœperunt, nomen *Czar* dignius esse, quàm Regis, licèt idem sonet, putantes. Verùm in omnibus Ruthenorum tam sacris quàm profanis literis, *Czar* Regis, *Kezar* verò Imperatoris nomen repræsentat. Sic quoque Rex Tauricæ Tartarus, Præcopensis *Czar* i. Rex nuncupatur, omnesque Tartarorum Reges non aliâ appellatione gaudent. Sed plurimi ignorantiâ nominis decepti, omnes Reges hoc nomine insignitos Cæsares, atque adeò Imperatores esse existimant. Alii quoque Principem Moscoviæ album Cæsarem, præcipuè verò subditi sui appellant, idest, Regem vel Imperatorem Russiæ Albæ; quemadmodum ea Russia, quæ Polonorum subest Regi, Nigræ nomine venit. Alii ideo Moscorum Principem Regem Album dici volunt, quòd incolæ omnium regionum, ipsius imperio subjectarum, vestibus & pileis albis ut plurimum utantur, Guaguinus

in descript. Moscovia. Becmannus tamen non dubitat, quin ad Cæsarei nominis imitationem vocem hanc Russiæ Principes affectaverint, qui & Aquilam, Imperii insigne, suis insignibus inseruerunt. Primus *Czaris* titulum assumsit Basilius, fil. Johannis Basilidis, qui universæ Russiæ Principem se primus appellavit, Magni nomen ob id sortitus, & Tartarorum jugum, à quibus Majores ipsius jus & inaugurationem totis 200. & amplius annis petierant, instinctu Sophiæ conjugis excussit, mortuus A. C. 1492. Horum filius, præfatus Basilius, ante Imperium Gabriel vocatus, post Smolenscensem Principatum & quicquid Siberiensis ditionis supererat, Imperio adjectum, *Czar* dici voluit. Ejus successor Johannes Basilides Casanensi & Astracanensi regnis imperio aucto, mortuus A. C. 1584. successorem habuit filium Theodorum, quem defunctum A.C. 1597. excepit Borislaus Gudenow, Johannis olim Marescallus. Hinc post varias Pseudo-Demetriorum turbas, electosque Basilium Zuskium, Vladislaum Poloniæ Principem & Carolum Philippum, Gustavi Adolphi Sueciæ Regis fratrem, sed rejectos, iterum A. C. 1613. Michael Federovvitz, è familia Johannis Basilidis *Czar* factus est, cui A. C. 1645. demortuo successit filius Alexius Michalovvitz, haud pridem mortuus. V. Scriptores *rerum Moscoviticarum, qui uno volum fol. prodierunt A.C.* 1600. Sigism. Bar. ab Herberstein, Olearium *Itiner.* Petr. Petrejum *Chron. rerum Moscov.* Matthiam Michovium; *Sarmatia P.* 2. Ægidium Fletcherum Anglum, *de rebus Russicis*, &c.

Czaslavia, urbs Bohem. satis ampla, ad Crucimeam amnem, in qua Joannes Zisca, Hussitarum Dux, sepultus est, 3. leuc. Germ. à Caurzima, 4. à Chrudima, Baudr. Hic, ut dictum, Zisca Hussitarum famosus dux, & Rokyzana, sepulti fuerunt: quorum prioris cineres quærentes inimici, A. C. 1623. frustra fuere, lapide solùm, cui Ziscæ effigies obtrita inerat, reperto: posterioris verò cadaver A. C. 1630. exhumatum est, ut Lucæ Jesuitæ locum faceret. Joh. Amos Comenius *in Annal. Fr.* apud Lætum.

Czenstochova, opp. Polon. super. ad Vvartam fluv. in colle, satis munitum, cum monasterio, haud pridem fortiter propugnatum, contra Suecos. In confin. Silesiæ, medium ferè inter Cracoviam & Siradiam.

Czerinum, opp. permunitum Ucraniæ, ad Tasminum amnem, vix 2. leuc. à Boristhene, 7 à Czyrcassia in Austr. A Tartaris malè habitum haud ita pridem.

Czernihovia, Urbs munita Lithuan. in Duc. Severiensi, nunc sub Moscis, quibus ab Uladislao IV. fuerat erepta Anno 1633. ad Desznam fluv. vix 2. leuc. à limite Volhiniæ, 5. à Boristhene. Ab ea tractus adjacens *Ducatus Czernihoviensis*.

Czernobela, opp. Ucraniæ, ad Uszam amnem, qui paulò infra in Pripetium labitur, 18. leuc. à Czernihovia in Occ. 12. à Rzeczica in Mer. 2. à Boristhene.

Czerschia, vulgò *Czersko*, urbec. Polon. ad Vistulam fluv. Palatinatus caput, in Mazovia prov. 10. leuc. supra Vuarsaviam in Austr. Hinc Masovia dicitur quandoq; Palatinatus Czerschiensis.

Cziernienśis dominatus, in Polonia, à Johanne Alberto R. Conrado fratri Janusii Mazoviæ Ducis traditus, pro tractu Polocensi & Mazovia, regno incorporatis. A. C. 1501. Cromer. *lib.* 30.

Czyrkassia, Urbs munita Ucraniæ, ad Boristh. nem. 7. leuc. à Czerino in Bor. 18. à Bialaceria in Ort. Varias tam à Moscis, quàm Cosaccis Tartarisque hoc tempore vices experta.



D

D Una ex mutis, olim per tres asteriscos in triangulo collocatos repræsentabatur, unde Græci majusculum suum D. ita formarunt Δ: ab Ægyptiis occasione sumtâ, apud quos litera hæc hieroglyphica erat, & Deum significabat, an quia obscura illis, per traditionem, Trinitatis notitia? In inscriptionibus antiquis varia signans, quingenta, seu Dimidium mille in numeris notat. Vide Pierium *Hierogl. l.* 47. *c.* 30. & *l.* 38. *c.* 46. Muret. *Var. Lect. l.* 15. *c.* 19. Martin. *in Etymol.*

DA.

Daæ, Dahæ Plinio, *Dai* Herodoto, pop. Scythiæ ex genere Nomadum, apud Caspium mare incolentes. Virg. *Æn.* 8.

Indomitiq; Daæ, & pontem indignatus Araxes.

Lucanus *lib.* 2.

O superi, motura Daas, ut clade Getasq;

Silius, *lib.* 13.

Cui pervia Bactra, Daæq;.

Δάοι etiam Stephano dicuntur.

Dabai, vide *Nubæ*, nisi legendum est *Nabai*, ut alibi docuimus.

Dabanegaris, regio Arabiæ. Plin.

Dabereth, civitas quæ de tribu Issachar data fuit Levitis. Jos. 19. Lat. *verba*, sive *res*, vel *apes*, aut *subjectio*, & Syriacè *ductrix*. Inclyta refugii urbs.

Dabir, vel *Debir*, rex Eglon, Jos. 10. Nomen urbis in tribu Judæ, & Simeonis, Jos. 11. & 21. quæ & *Cariath sepher*, i. urbs literarum: An quia ibi Chananæi characteres primum inventi, ut Liranus vult, an quia Chananæorum hic Academia, ut Saliano, &c. placet? dicitur Jos. 15. & *Cariathsenna*, Jos. 5. Capta à Josua, posteà à Calebo, Jos. *cap.* 11. Jud. *cap.* 1. In hanc confugiebant, qui homicidium perpetrarunt. 1. Par. 6. Est & altera in tribu Gad, Jos. 13. Lat. *oratorium*, sive *verbum*, &c. aut Syriacè *ductor*. Aliis *Debir*, est civ. Amorrhæorum.

Dabira, villula Judæorum in monte Tabor, regionis ad Diocæsaream pertinentis. In tribu Zabulon. Hieronym. *in Loc. Heb.*

Dabrona, & *Daurona*, Ptol. fluv. Hiberniæ in Momoniâ reg. *Broodvvater* nunc, olim *Avon-more*, id est, flumen magnum, dictus. Oritur in confin. Dasmoniæ Comit. & per Corcagiensem Comitat. fluens, Lismoniam rigat, dein in mare Verginium se exonerat, juxta Jogalliam, Sanson. Camdeno Dabrona nunc est *Saveren* fluv. & Corcagiam urbem alluit, quæ quibusdam Dabrona etiam dicitur.

Dabulam, urbs munita Indiæ citer. in regno Decani, ad ostia fluv. *Halevache*, in confin. regni Guzaratæ. Cum portu capaci, in ora Oceani Ind. sub Lusitanis. Media inter Damanum ad Bor. & Goam ad Austr.

Dacæ, vide *Daci*.

Dachareni, pop. Arabiæ, à Nabato *Nabatai* dicti. Vide Steph. Σημαίνει (inquit) τὸ Δαχαρηνοὶ ἀρσενικῶς, lege ἀρσενικὲς, ut in Eustathio habetur.

Dachem, Civitas insulæ Sumatræ, ad primum ejus punctum sub quarto cum dimidio gradu Boreali, cujus Rex, omnium regum illius insulæ potentissimus est, & Lusitanorum hostis implacabilis. Natal. Metel.

Dachinabades, regio Indiæ citerioris, ab ostio Indi fluv. in Austrum extensa. *Indostan*, teste Ortelio, seu *Malabar*, ut aliis videtur.

Daci, pop. erant *Transrhenani*, Danubio fluv. & Anartibus, sylvæque Hercyniæ finitimi, quos olim Hungariæ partem habitasse plerique tradunt, & pòst in maritima loca Norvegiæ proximè cessisse. Lucan. 2.

Hinc Dacus, premat inde Getes.

Stat. 4. *Sylv. Car.* 2.

Cùm modò Germanas acies, modò Daca sequentem
Prælia. —— ——

Virgilius,

—— *Conjurato descendens Dacus ab Istro.*

Idem Statius,

Hæc est, quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæq; suum Dacis donat clementia montem.

Cur *montem* disertè nominat? sicut in eâdem iste re,

Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem
Longo Marte domas.

Quiane montana Dacia? ita esse scio: tamen opinor, in re occultius aliquid designari, *ὄρος* enim & unum montem duntaxat appellitat. Aspectum igitur à poëtâ censeo ad ridendam & miri stuporis superstitionem Dacorum, quibus Sacerdos in monte quopiam Deus habebatur, & mons ipse sacer. Strab. *libr.* 7. Παρὰ δὲ τοῖς Γέταις ὁ ἱερεὺς ὠνομάζετο Θεὸς, καὶ τὸ ὄρος ὑπελήφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. Disce. Getarum populum Dacos esse, ex Dione ac Strabone. Etiam Appianus notat, Getas ultra Danubium à Romanis Dacos appellari. Addo etiam Cappadocibus montem pro Deo fuisse. Tyrius Maximus: Ὄρος Καππαδόκαις καὶ θεὸς καὶ ὅρκος καὶ ἄγαλμα. Lips. *ad Tac. hist. lib.* 1. Olim Straboni *Davi* appellari. Ex quo apud Athenienses *Davorum* nomina servilia. Hinc factum est, ut in Comœdiis servi introducantur *Davi* & *Getæ* dicti. Sub Regibus erant, usque ad Trajanum, qui victo Decebalo, quem Domitiani ignavia superbissimum reddiderat, provinciam ex Dacia fecit. An. 106. Postmodum superati à Constantino M. à Gothis, Sarmatis, Hunnis, &c. Saxones dein à Carolo Magno victi, maluerunt huc commigrare, quàm victoris imperio subesse. Sævi & crudeles. A. S. Niceta conversi dicuntur. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 12. Ptol. *l.* 3. *c.* 8. Dion. Cass. *l.* 68. Cluver. Eorum regio *Dacia*, quæ hodie divisa est in *Transylvaniam, Zypserlandiam, Rusciam, Serviam, Septemcastra*, & *Bulgariam*. I Loyd. Vide infra. Hinc *Dacicus* denominativum, quod cognomen trophæi loco usurparunt Romanorum aliquot Imperatores, victoriâ aliquâ ex Dacis reportatâ. Juvenal.

—— *Tunc lance beatâ*
Dacicus, & scripto radiat Germanicus auro.

Dacia antiqua, ultra Istrum fuit, à Trajano, ut dictum. Imper. redacta in prov. Aurelianus ejus incolas cis Istrum transtulit, & inter Mœsias collocavit. Hæcque Dacia Cis-Istriensis dividebatur in *Daciam Ripensem*, quæ & Pannodacia, Erdel, & *Mediterraneam*, quæ nunc Transylvania, *Sibenburgen*, quod disce, nisi observetur, summa sæpe oritur ambiguitas. *Dacia Alpestris* est ipsa *Valacchia*. Ferrar. Baudrand.

Urbes clariores Daciæ.

Acmonia.	Ramidava.
Alba Julia.	Tiriscum seu Taros.
Augustia.	Zarmisogetusa, olim metropolis Daciæ, à Trajano *Ulpia Trajana*, aliàs *Varheli* dicta.
Marcodava.	
Napuca.	
Nentidava.	Zeugma.
Patruissa.	Zurobara.
Phrateria.	Zuzidava.

Dacianus, Præfectus Hispaniæ, sub Diocletiano & Maximiano, Christianos crudeliter persequutus est. Prudent. *Peri Steph. Hymn.* 5. & 4. *in Laud.* 18. *Mart. Cæsar. Aug* &c.

Dacius, Episc. Mediolan. cives, ut strenuè contra Gothos defenderent, frustra cohortatus, expugnatâ direptaque crudeliter urbe, in Græciam se recepit. Obiit an. 555. Greg. *dialog. lib.* 4. *cap.* 4. Chronicon scripsit, Baron. *A. C.* 538. 539. 546. &c. Bellarm. *de scr. Eccles.* Vossius *de H. L. l.* 2. *cap.* 19. Procop. *de bello Goth. lib.* 2. Miræus, Ferdinandus Ughel. Historia Mediolan. &c.

Dacrianus, Abbas Benedict. circa sec. 8. Scripsit speculum Monachorum, & Documenta vitæ spiritualis, *Vol.* 5. *Bibl. PP.* Possevin *in Appar. sacr.*

Dactonium, opp. Callaicorum Lucensium, in Hisp. Tarracon. *Montforte de Lemos* hodie, opp. Gallæciæ, ad fluv. *Cabe*, Brietio, Sansoni. 10. leuc. à confin. Asturiarum in Occ. 10. à limite Portugall. in Boream, 16. à Ripavia in Austr. Baudr. long. 11. 50. lat. 42. 15.

Dactyli Idæi, iidem qui & *Curetes*, & *Corybantes*. De quibus suis locis.

Dactylis, sculptor insignis, cujus laudata opera in hortis Servilianis haberi refert Plin. 36. 5.

Dada, urbs Pisidiæ, *Adada* Ptol. *Adadata* Straboni.

Dadai, montes Indiæ, olim Cleopidis regiæ propinqui.

Dadan, vel *Dedan*, filius Jecsan. Gen. 25. & filius Regma, Gen. 10. id est, *mamilla, dilectio, patruus*, vel *judicans*.

Dadas, vide *Themissas*.

Dadastana, Bithyniæ urbs. Ptol.

Daddala, vide *Dadala*.

Dades, Cypri promuntorium. Ptol.

Dadica, pop. Scythiæ Asiaticæ. Herodot. *lib.* 4. Stephano sunt pop. Persiæ ex Herod. *l.* 7.

Dado, vel *Audoënus*, Arch. Rotomag. in aula Dagoberti I. magni habitus. Obiit an. 677. Vitam ejus versibus scripsit Frigedodes, Anglus. De scriptis illius, vide Vossium *de H. L. l.* 2. *c.* 26. *p.* 266. & *cap.* 40. *p.* 346.

Dadocerta, Castellum magnum Armeniæ. Steph.

Daducus, maximus Sacerdos Herculis apud Athenienses. Alex. ab Alex. 2. 8. Aliis Δᾳδοῦχοι sunt, qui in Eleusiniis Cereri faces ferebant.

Dædala, mons & urbs Lyciæ, *Urlie*, à *Dædalo* ibi sepulto cùm eum coluber aquaticus ex amne Nino in paludem, in quam Dædalus commeabat, egressus momordisset. Plin. 5. 27. Quanquam Diod. *l*. 5. eum in Siciliâ à Cocalo rege suffocatum tradit. Item Rhodi civitas, sive regio, alia Indiæ, & alia Cretæ. Ptol. Steph.

Dædali, montes Ind. citer. ad Indum fluv. *Amy* Boccatio, supra Nisam urb.

Dædalia, urbs Italiæ, à *Dædalo* condita. Steph.

Dædalide, tribûs Cecropidis in Atticâ vicus. Steph.

Dædalion, Luciferi fil. Ceycis frater, filiam Philonidem, seu Chionem habuit, cum quâ unâ nocte concubuerunt Apollo & Mercurius, & ex Apolline Philammonem, ex Mercurio Autolycum peperit. Hyginus. Hujus mortem, cui linguam Diana telo transfixerat, tam ægrè tulit, ut è Parnassi culmine se præcipitem dederit, ab Apolline in falconem commutatus. Ovid. Metam. *lib*. 11. *f*. 8.

Dædalus, faber Atheniensis, Micionis fil. artificum omnium suæ ætatis ingeniosissimus, ut qui primus serram, asciam, perpendiculum, terebram, glutinum, & lithocollam dicatur invenisse, primusque omnium vela, & antennas navi imposuisse: Unde fortè fabula *alarum Dædali*, nam Virgilius, *Velorum pandimus alas.* & alibi: *Remigio alarum.* Statuis quoque immobilibus oculos induxit, & abditis quibusdam nervis effecit, ut huc atque illuc moverentur, adeò scitè, ut spectantibus vivere viderentur. Hinc famam meritus, viso, ex fratre nepotem rotam figulinam invenisse, ne ab illo ingenio olim vinceretur, timens, de fenestrâ miserum præcipitavit, fugâque cum filio Icaro ad Minoëm se recepit, Cretæ R. Hic Labyrinthum construxit, multiplici, & intricatâ viarum perplexitate irremeabilem, in quâ ipse unà cum Icaro filio à Minoë fuit inclusus, eo quòd vaccam ligneam fecisset, cui inclusa Pasiphaë tauro se commiscuerat. Quare cùm terrâ marique effugium sibi negatum videret, fugam sibi per aërem tentandam duxit. Assimulans itaque se munus conficere velle, quò regis animum placare posset, pennas & ceram poposcit, quibus impetratis, sibi, & Icaro filio alas confecit, atque è Cretâ evolavit. Quod propterea confictum, quia tam ingeniosâ se fugâ liberavit, ut alis evolasse crederetur. Deinde & Cumas delatus est, ubi Apollini templum erexit. A Cocalo Siciliæ R. benignè exceptus, mox Minois iram verito, in balneo suffocatus est. Diod. Sic. *lib*. 4. Euseb. *An. Abrahami* 726. Pausan. *lib*. 7. Ovid. *Metam*. *l*. 8. Plin. *l*. 7. *c*. 56. *&* *l*. 36. *c*. 13. Hyginus, Apollodorus, &c. Vide *Icarus*. Lucianus *in lib. de Astrologiâ* scribit, Dædalum fuisse Mathematicum, & filium Icarum docuisse Astrologiam, sed eum juvenili ardore & persuasu Doctrinæ elatum aberrasse à vero, & decidisse in marerum immensæ profunditatis. Vide Diodorum *lib*. 5. Hinc adjectivum *Dædalus*, ut *Dædala tellus* apud Lucretium, pro terrâ floribus variegatâ. *Dædala tecta*, apud Virgil. pro domibus artificiosè elaboratis. Item *Dædalæus*, ut apud Horat.

Pindarum quisquis studet æmulari,
Jule, ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Idem,

Jam Dædaleo ocyor Icaro.

Item *Dædaleus*. Propert. 2. 15.

Dædaleum Lino cum duce rexit iter.

Dæmogorgon, Latinè dicitur *Deus terræ* (nam Dæmon, *Deus*, ut ait Lactantius, gorgon, *terra.*) seu potius *sapientia terræ*; quo nomine veteres intelligebant naturam, rerum omnium matrem & altricem.

Dæmon, à Græco Δαίμων, quasi Δαήμων, id est, *sciens*. Ita, Plato *in Cratylo*. Lactant. *lib*. 2. & Chalcidius *in Timæum Platonis*, *Dæmones* genii sunt, μυσταγωγοὶ τοῦ βίου, ut Menander inquit. *Domini Vitæ*; *Lares* Ciceroni, aliis etiam *Manes* ac *Lemures*. Genii boni, & mali, qui ἀλάστορες sunt ac Diaboli. Cæterùm de variâ hujus vocis significatione vide Dausqueium *in Basilium Seleuc. pag*. 62. *& seqq*. Porro Astrologis *Dæmon* appellatur undecimus ab Horoscopo locus, ἀγαθοδαίμων Græcè dictus. Julius Firmicus *lib*. 2. *cap*. 19.

Daes, Colonis oriundus, Historicus. Strab. Vossius *libr*. 4. *pag*. 511.

Daëta, Thyestis soror, cum quâ congressus Thyestes Enorchum Dæmonem sustulit. Rhod. 7. 13.

Datas, pater Macherei sacerdotis illius Delphici, qui Pyrrhum Achillis filium interfecit. Vide Pindari Schol.

Dætor, vir Trojanus apud Hom. *Iliad*. Θ.

Dagalessus, Armeniæ min. urbs. Anton.

Dagalaiphus, Consul cum Severino, an. U.C. 1214.

Dagasira, locus Carmaniæ ad mare. Arrian.

Dagel, vide *Gallius Tuscus*.

Daghestania, prov. Asiæ, prope mare Caspium, cujus incolæ Tartari proprios habent Principes, inter ditiones Regis Persiæ & magni D. Moscoviæ. Extenditur ad 40. leuc. Germ. estque pars Albaniæ antiquæ. Ejus urbs prim. *Tarku*, Oleario.

Daghoa, Ins. Livoniæ, in mari Balt. prope Osilam, cui ad Boream adjacet, ad ostium sin. Rigensis, ubi opp. *Paden* & *Dageroort*, in parte Austr. Sub Sueciæ R. Vulgò *Dago*.

Dagobertus I. fil. Clotarii II. ex Bertrude, IX. Rex Franciæ, anno 628. cùm vivo Patre, Rex Austrasiæ esset, ab anno 622. Ariberto fratri insigne apennagium concessit, quod, illo mortuo, brevi recepit. Thuringiâ à Dalmatis infestatâ, fil. Sigebertum Austrasiæ R. creavit, qui Barbaros fortiter repulit. Vicit dein Britones, & Vascones rebelles, pace Galliæ redditâ. Ultrajecti conditor, An. 642. Obiit anno 644. æt. 42. Primus Auriflammâ dicitur usus, sed vagis amoribus virtutes polluit. Repudiatâ, ob sterilitatem, Gomatrude, *Nantildam è Monasterio raptam sibi junxit*, Aimon. *lib*. 4. *cap*. 19. quamvis Chronicon manuscriptum Bezæ, in Biblioth. Regia habeat, *Ministerio*. Ex hac Clodovei II. parens, sicut ex Ragnetrude Sigeberti III. Austrasiæ R. &c. Fredegar. *Chron. lib*. 17. *& seqq*. Henschenius, *de 3. Dagobertis*.

Dagobertus II. cognom. *Junior*, fil. Childeberti Justi, an. 711. in nomen Regis, non regnum successit. Pipino Crasso an. 714. mortuo, nepos ejus Theobaldus Præfectum palatii se fecit, cujus avia Plectrudis, omnia gubernare volens, Carolum Martellum generum Coloniæ in vinculis tenuit. Ex alia parte Rainfredus, à quibusdam electus, cum Ratbodo Frisone fœdere inito, sub Dagoberti nomine, omnia miscuit. Obiit hic an. 716. ex Clotilde, Theodorici pater. Greg. Tur. *app. c*. 103. Aimon. *l*. 4. *c*. 49, 50, 51. *&c.*

Dagobertus, fil. Sigebertii III. Austrasiæ Rex, à perfido Grimoaldo rasus, ut hic filium suum in thronum eveheret. Vide *Childebertus*. Item, fil. Chilperici, ex Fregedonde. Obiit an. 580.

Dagon, idolum Philistinorum, cecidit coram arca, 1. Reg. 5. *Dagonem*, & *Atergatim* idem fuisse numen docti aliqui statuunt, adeoque *Atergatin* corruptè scribi pro אדיר דג *addir dag*, h. e. *magnifico pisce*, vel אדיר דגון *addir Dagon*, *magnifico Dagone*. Sed Bocharti judicio potior est veterum sententia, quâ Dagon & Atergatis vel Astarte planè diversa sunt numina. Quod planum ex Theologiâ Phœnicum, apud Philonem Byblium, ubi Dagon frater est, & Astarte Saturni uxor. Ibidem Dagon redditur Σίτων *Frumentarius*, quia דגון *Dagon* Ebræis est *frumentum*, & additur causa nominis; Ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς ἀρότριος.

Dagonia, Armeniæ min. opp. Ptol.

Dagra, Tyanitidis reg. in Cappadociâ opp. Ptol.

Dahippus, statuarius nobilis, cujus opera enumerat Plin. *l*. 34. *c*. 8.

Dai, Persarum pop. omnes pastores. Herod. 2.

Daibertus, vel *Theobertus*, primus ex Latinis Patr. Hierosolymitanus, an. 1099. postquàm Arnulphus inde pulsus esset. *Cum Balduino R. ipsi non bene convenit, hinc artibus Arnulphi remissus, in Italiam cum Boëmundo, Principe Antiocheno, qui Constantiam Philippi I. Gall. R. ducturus erat, venit & à Paschali II. in sedem suam redire jussus, in itinere obiit, in Sicilia.* An. 1107. Guil. Tyr. *l*. 8. 9. 11. &c.

Daicles, Messenius, vixit regnante Athenis Charope. Solinus *cap*. 2.

Daimachus, Equitum præfectus Syracusis, per quem Hermocrates Sosistratum, servorum ducem in potestatem redegit. Vide Polyæn. *lib*. 1. *in Hermocrate*.

Daimachus Platæensis, legatus ad Allitrochadem, Androcoti fil. de quo Justin. *l*. 15. Indiæ R. Scripsit historiam Indicam, sed ob imperitiam Mathematicæ, parum feliciter. Strabo *l*. 1. Voss. *de Hist. Gr. l*. 1. *c* 12.

Daimenes, Achæorum dux. Pausan.

Daimenes, à Dionysio cruci affixus, quòd, natione Græcus, Carthaginiensibus contra Siculos militasset, Olymp. 95. an. 4.

Daira, Oceani filia, ex Mercurio Eleusim, seu Eleusinum, qui postea urbi nomen dedit, peperit. Pausan. *in Att.*

Daiša, vel *Dahiud*, in tribu Juda. Hier. *in L. H.*

Dalacariza, urbs Ponti. Lib. Notit.

Dalanda, Armeniæ min. urbs. Ptol.

Dalasarba, Thraciæ opp. Procopius.

Dalasis, Ciliciæ regio. Ptol.

Daldis, Libyæ urbs. Suidas.

Dale, opp. in Teuthraniâ reg. Plin. 5. 30.

Daleburgum, opp. Sueciæ, in Vestrogothia, & in Dalia prov. juxta Vuenerum lacum, in ejus ora Occ. 11. leuc. Germ. à Bahusio in Boream.

Dalecarlia, prov. Sueciæ ampla. Habet ab Occ. & Sept. Norvegiam, ab Ortu Helsingiam, à Mer. Vermolandiam; versus montes extensa. In hac nulla sunt oppida magni mom.

Dalemum, opp. munitum Belgii, cum castro, in Duc. Limburgensi, ad Bervinam amnem, sub Holl. 2. leuc. à Leodio in Cæc. 3. à Falcomonte in Mer. 3. ab Aquisgrano.

Dalfinatus, Valesio primùm, quasi *Alpinatus*, cùm tota ferè provincia in montibus posita, urbesque ejus Vienna, Ebrodunum, Valentia, Dea, Gratianopolis, Augusta Tricastinorum, Vapincus ac Brigantio montibus cinctæ sint: & Crojerio quasi *Dealpinatus*,

natus dictus est. Postea mutavit prior sententiam, postquam di- dicit, Guigonen VII. filium Guigonis Crassi, *Dalfinum* cognominatum esse circa A. C. 1130. ab eoque Guigone Dalfino Viennensi, insequentes *Dalfinos*, qui se *Dalfinos Viennenses* & Albonis Comites vocavere, *Daufins de Viennois*, & *Comtes d'Albon*, nuncupatos & Comitatum Principatumve eorum *Dalfinatum* dictum, qui antea Viennæ & Albonis Comitatus, vel Albonis & Gratianopolis Comitatus vocatus est. Reperitur etiam *Dalfinus*, proprium viri nomen, apud Bedam & Guil. Malmesburiensem, qui Dalfini Episc. Lugdun. ante annos 1000. occisi meminere. Corruptè ergo pro *Dalfino* Dalphinus, postea Delphinus dici cœpit, maleque creditum, à marino pisce regionem mediterraneam, ejusque dominos nomen invenisse, unde utrisque Delphinus piscis pro insigni attributus. *Dalfinum* Alverniæ memorat Johannes Parisiensis. Mansit dein *Dalfini* cognomen primogenitis Galliæ Regum, postquam regio donationis titulo in horum jura transiit, ut videre est in voce *Delphinatus*, ita enim vulgò provincia hæc appellatur, Gall. *Dauphiné*. Constat illa ex quatuor provinciis non totis, nimirum ex Viennensis prov. urbibus Vienna Allobrogum, Valentia Segalaunorum, Dea Vocontiorum & Gratianopoli seu Cularone Allobrogum; ex Metropoli Alpium Maritimarum Ebroduno; ex Vapinco civ. provinciæ Aquensis seu Narbonensis 2. & ex prov. Arelatensis civitate Tricastina: Continebaturque olim partim Sabaudiæ, partim Provinciæ nomine: quæ paulo antequam Galliæ regno accederet, dominus ejus *Dalfinus agri Viennensis*, *Princeps Brigantionensis*, *Dux Campisauri*, *Marchio Cesanensis*, *Comes Palatinus Vienna*, *Albonis*, *pagi Gratianopolitani*, *Ebroduni & agri Vapincensis*, *Baro Turris Pinus*, *Medullionis* Meuillon, *& Montis Albani* appellitatus est; quibus titulis accessere postea Comitatus Valentinus & Deensis, Ludovico tum Dalfino Caroli VII. filio legati. In hac reg. supra Vocontios ad Ortum habitare Meminos vel Mimenos, ubi locus hodieque *Mens en Trieves* dictus nomen gentis servet; & eis vicinos esse Tricorios, in quorum finibus sint loca Corpum, Campus Sori & Digueriæ, ait Holstenius. Addunt alii Medullorum esse Medullionem opp. *Meuillon*; Sicoriorum locum *Sigoiers*; Ucenorum opp. *Oisans*. Garocelorum Goncelinum, 4. à Gratianopoli lapide; Caturigum Caturigas cum Ebroduno: ibidem Cassenaticum esse *Sassenage*, Veriacum, Clariacum, Altam Ripam, Montemferratum, Podiumcrassum, *Piégros*, Montem Canutum, *Montchenu*, Antonem, Castrum S. Georgii de Vandanis *S. Joire*, Castrum Crepulum *Crepol*, Castellum S. Eulaterii *S. Latier*, castrum Veterisvillæ *Vireville*, Ursolis *Rossillon* Comit. &c. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & infra in voce *Delphinatus*.

Dalia, prov. Sueciæ, in Vestrogothia, inter Bahus. præfecturam & Vuenerum lac. ubi oppid. præc. Daleburgum. Aliàs Norvegiæ contermina, nunc limites paulò remotiores.

Dalila, seu Delilah, mulier, quam amavit Sampson, cujusque operâ periit. Jud. 16. Lat. *paupertas*, aut *situla ejus*, aut *ramus ejus*, sive *exhauriens* aut *macilenta*. In Græcis est Δαλιδὰ. Josephus *Dalale* scribit. Fuit autem זונה *Zoneh*, id est, *meretrix*, quod Targum & Kimchi pro *cauponâ* accipiunt. Lyra quærit Judæane, an Palæstina fuerit? Et existimat Palæstinam fuisse, quæ in valle Sorek habitarit. Uxorem Sampsonis fuisse, præter Sulpicium Severum, etiam Chrysostomus, Cassianus, S. Ephræm & Pererius affirmant. Contrà meretricem, & quidem è pauperioribus fuisse, Josephus, Ambrosius, Hieronymus, Abulensis, Serarius, & alii volunt. Quomodo enim ausi fuissent Philistæi principes tam fidenter & primo aggressu, solâ spe lucelli, sollicitare uxorem ad prodendum maritum? quomodo toties & tam diu latuissent tot armati in domo propriâ Sampsoni, nec ipso, nec ullo familiarium conscio?

Dalion, sive Dallon, de gentibus prodidisse aliqua videtur. Plin. 6. 30. Sed ab eodem in Elencho auctorum libri 20. 21. 22. & 23. inter medicos reponitur, & *lib.* 20. *cap.* 27. *herbarius* vocatur. Voss. *de H. Gr. l.* 3. *p.* 350.

Dalisanda, vide *Lalisanda*.

Dallaus Johannes, Ecclesiæ Reformatæ Parisiensis, quæ Carentone suos cœtus habet, Pastor, Theologus pietate & eruditione nulli secundus. Scripsit *de Patrum usu*, *Fides ex Scripturis demonstrata*, *de Patrum fide circa Imagines*, *de Pœnis & Satisfactionibus humanis*, *Pseudepigrapha Apostolica*, *de Jejuniis & Quadragesima*, *de Confirmatione & Extrema Unctione*, *de Confessione Auriculari*, *de Cultus Religiosi objecto*, *de Cultibus Latinorum religiosis*, &c. Item *Conciones in Epp. ad Philippenses*, *Colossenses*, *Titum*, *in utramq. ad Timotheum*, *quæ* 10. *volum. in* 8. *partim Parisiis*, *partim Genevæ prodiere*: ut alia omittam. Obiit admodum senex, paucos ante annos: Pater filii cogn. ejusdem Eccl. Pastoris eximii. Vid. Elenchum Scriptorum ejus hactenus editorum, in fronte operis posthumi, cui titulus: *De Cultibus Rel. Latinorum*, *Genevæ*, *A. C.* 1671.

Dalluuntum, Dalmatiæ opp. Anton.

Dalmana, Dalmatiæ urbs. Cassiodorus.

Dalmanutha, reg. Jud. Lat. *pauperis hæreditas*, seu *portio*. Marc. I.

Dalmatia, Illyrici pars, Liburniæ contermina versus Occasum, cujus incolæ *Dalmatæ* vocantur, Augusti olim auspiciis Romano imperio subjecti. Dionys. *Vers.* 26.

Δεξιτερὴν καὶ χεῖρα φαείνεται Ἰλλυρὶς αἶα,
Δαλματίη δ᾽ ἐφύπερθεν, ἐνυαλίων πέδον ἀνδρῶν.

Populi Græcis Δαλμάται, καὶ Δαλματεῖς, qui, teste Floro, plerumque sub sylvis agunt, inde in latrocinia promptissimi, quique armis ac opibus potentes, confidentiores erant, sæpius Romanis rebelles, & eorum finibus graves. Strab. *l.* 7. Ἔστι δὲ τὸ πολὺν χρόνον πολεμησάντων πρὸς Ῥωμαίους τὸ ἔθνος τοῦτο. Tertul. *de Animâ*, *Tamen vulgata jam res est gentilium proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt, Sallustius feroces Dalmatas pulsat.* Aliqui, pro *Dalmatis*, apud Cæsarem *Delmatis* reponunt, & ita antiqui lapp. & Fasti Capitolini, in quibus est *Delmaticus*, non *Dalmaticus*. Velius item Longus, ex authoritate Varronis, ita præcipit scribendum, quoniam à Delminio maximâ civitate tractum nomen existimatur. Eustathius: Ἡ δὲ πόλις αὐτῶν Δάλμιον ἢ Δελμίνιον ἢ Δέλμινον. Idem ferè habet Appianus. Sic & Joh. Lucius, Vir doctiss. Dalmata: cùm ait: A Dalmio, vel *Delmatia*, à Delminio, civitat. Illyrica, sic dicta est, Dalmatia. Cùm enim, regnante Gentio, Illyricorum R. Dalmitani se in libertatem vindicassent, vigintique opp. in suâ dit. haberent, regionem *Dalmatiam* dixere. Dein aliis sexaginta sibi ascitis, cùm ad mare pervenissent, Traguri-nisque & Epetinis infesti evasissent, hinc ortum primum bellum Dalmaticum: Et tunc Dalmatia in prov. redacta est à Romanis. Postea verò, Dalmatæ Liburnis ab Occidente agrum ademerunt, Romanis verò Illyricum propr. ita ut à Titio fluv. usque ad Drilonem fines suos protulerint; & sic Liburnia etiam in Dalmatia inclusa fuit. Dein se extendit reg. post Imperii inclinationem, ab Ichia Dyrrachium usque. Postmodum à parte Or. restricta est ad flumen Bolianam, talesque fines nunc servat. Magna ex parte *Schiavonia* dicitur. Genuit hæc regio Diocletianum, virum crudeli & exitiali in Christianos animo, quippe qui præter tormenta, quibus carnificinam exercuit, in libros etiam & scripturas sævIit. Protulit & S. Hieronymum Stridone natum, quem Latinorum nemo lucubrando vicit. A Justiniano, Gothis subactis, recepta anno Chr. 540. Evagr. *lib.* 17. *cap.* 19. A Carolo Hungariæ Rege, unà cum Croatia, Servia, Russia & Bosnia, &c. Hungariæ adjecta est, anno 1310. Bonfin. *in Hist.* Iterum à Ludovico Rege, victis Venetis, recuperata, anno Chr. 1358. hodie possidetur partim à Venetis, quibus ibi *Zara*, *Sebenico*, *Spalatro* prope Salonam, quò Diocletianus se receperat, cùm Imperio se abdicasset, *Nona*, *Trau*, *&c.* Partim à Turcis, qui ibi habent *Scardone*, *Sasso*, *Clisso*, *Laurana*, *&c.* Ibidem Ragusia, vett. Epidaurum, Libera Resp. Incolæ bellicosi, sed in ludis ridiculi. Ptol. 2. *cap.* 17. Boter. *Rel. P.* 1. *lib.* 1. Niger, *Eur. Com.* 6. *&c.* Ad fidem conversi sunt, per Methodium, operâ Ludovici R. Cromer. *lib.* 3. anno Chr. 866. Regnum sub Demetrio duce facta hæc regio, anno 1076. Concilium ibi anno 1199. in urbe præcip. Antibari, quæ hodie sub Turcis. Plurimi hîc Albigensium seu Valdensium, ut & in Bulgaria, Bohemia, Croatia, Germania cœtus erant, quibus Bartholomæus quidam Superintendens præerat, anno Chr. 1230. Matth. Paris. *in Henr. III.* Hinc *Dalmatica vestis*, quæ est tunica sacerdotalis candida cum clavis ex purpura, quia hîc primùm texta. Vide infra. *Dalmaticus* dictus fuit L. Metellus à *Dalmatis subactis*, qui & Castori ædem vetustate collapsam refecit, teste Cic. 3. *in Verrem*, itemque *pro M. Scauro*.

Dalmatica, vestis longa & candida, sine manicis, purpureis clavis distincta. Primò in usu, apud Dalmatiæ sacerdotes: tanti fuit in primitiva Ecclesia, ut Eutychianus P. constituerit, *Martyrem nullum sine Dalmatica sepeliendum esse.* Quod cùm superstitionem olere sentiret Gregorius Magnus, non tantùm privatorum feretris, sed ipsorum quoque Pontificum *Dalmaticas* aut colobia insterni vetuit, ut in Edicto ejus habetur Regist. *lib.* 4. *cap.* 48. juxta Binnium & Baron. Concil. *Tom.* 1. *pag.* 216. *a.* Olim nec Archidiaconis licuit, nec ipsis Episcopis Dalmatica vestiri, sine Papæ licentia. Postea ejus usus ad Diaconos quoque transiit. Fuit autem vestis Regia; nec hodiernæ incognita solennitati. Fortè à Commodo Imp. primùm recepta, qui, teste Lampridio, *præter solitum, dalmaticatus in publico processit.* Pertinacem quoque, ejus successorem, insignem facit Capitolinus, *lacernis & chirodotis Dalmatarum.* Lacerna autem alia vestis fuit candida, quâ in spectaculis uti sunt; togæ superinduta. Vid. Martial. *l.* 4. *Epigr.* 2. *& l.* 14 *in distich.* Hinc apud Impp. Orientales permansisse *Dalmatica* videtur, atque inde à Carolo Calvo ad Francos, A. C. 986. traducta, Vid. Sigebert. *eo anno.* Apud Anglos quoque Eduardo Confessori, inter sacras vestes fuit, eaque ipsa, quæ ejus olim amplexa est corpus, per Successorum seriem deducta, hodiernum Regem in suæ consecrationis solennibus insignivit. Hujus *Dalmaticæ* meminit Thom. Walsinghamus in unctione Richardi II. an. C. 1377. V. Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.*

Dalmatius, vel *Delmetius*, fil. Constantii Chlori, ex Theodora, meruit purpuram, & Nobilissimi axioma. Zosim. *l.* 2. J. Cæs. Bulengerus, *Imp. R. l.* 2. *c.* 10. Filii ejus, Dalmatius, qui Cæsar dictus anno 336. sed Constantii, consobrini jussu, occisus est an. 338. & Annibalinus. Hieron. *in Chron.* Eutrop. *l.* 10. Oros. *l.* 7. *c.* 28. Victor. *epit.*

Dalminium, vide *Delminium*.

Dalmatius, vel *Dalmatianus*, Episcopus Cyzicenus, interfuit concilio Ephesino, scripsitque acta Concil. Niceni. Item, Eremita, qui cùm per 48. annos in cœnobio suo delituisset, prodiit, ut Nestorio se opponeret, condemnatione ejus auditâ vehementer lætatus. Anno Chr. 431.

Dalomena, Assyriæ regio. Strabo.

Dalterni, Galliæ Narbonensis populi ad Rhodanum. Sext. Avienus.

Dama, Pythagoræ filia, & ipsa philosophiæ sectatrix, quæ ingenium ac doctrinam in exponendis paternis sententiarum involucris exercuit. Cæl. Rhod. 4. 1. Vide & *Damo*.

Dama, Arab. Fel. vicus. Ptol.

Damai, pop. juxta Ichthyophagos. Steph.

Damathus, Cariæ rex.

Damania, Hedetanorum in Hispania urbs. Ptol.

Damanum, urbs munita Indiæ cit. in regno Guzaratæ, in ora littor. sinus Cambajæ, 20. leuc. Gall. circiter à Surata in Occasum, 25. à Basaino in Boream, cum portu commodo sub Lusitanis.

Damaris, mulier Attica, quæ ad prædicationem Pauli Christo credidit. Act. 17. 34. Ambros. *ep. ad Versol.* Augustin. *Serm.* Chrysost. *de Sacerd.* &c.

Damas, historicus, vitam Eudemi Rhodii scripsit, ut ait Simplicius *in Com. Phys.* pro quo perperam *Menodemus* legitur, apud Agellium 13. 5. Vide Voss. *de Hist. Gr. l.* 3. *p.* 350.

Damascene, Syriæ pars, quæ & *Cœle* sive *Cava* dicitur circa Libanum, à *Damasco* civit. dicta.

Damascenus Joannes, pater Ecclesiæ ac historicus, de quo vide Voss. *de Histor. Græc.* 2. 24. Floruit sub Leone Isaurico.

Damascenus Nicolaus, Philosophus Peripateticus, Augusto Cæsari familiaris, vir planè summus & undecunque doctissimus. Vide *Nicolaus*.

Damascius, Stoicus Philosophus, *Simplicii familiaris*, floruit sub Juliano. Scripsit comment. in Platonem, & alia quædam, quæ enumerantur à Suidâ. Vide infra.

Damascius, Damasco oriundus, vixit sec. 6. tempore Justiniani Imperat. Scripsit *Inopinatorum libb.* 4. Quorum primus agebat de fictionibus incredibilibus, Secundus de narrationibus Dæmonum incredib. Tertius de apparitionibus incredib. Ultimus de rebus naturæ captum superantibus. Photius *Bibl. codic.* 130. Vitam porro Isidori, *cod.* 180. & 242. Idem cum Philosopho Syro, de quo Suidas, Agathias, *libr.* 11. Vide supra. Scripsit quoque vitas & sententias Philosophorum, Voss. *de Hist. Gr. l.* 2. *cap.* 22. *pag.* 272. 273.

Damascus, Syriæ urbs antiquissima, ditissima & clarissima, olim Regum sedes, palmulorum fertilissima, & prunorum, quæ inde *Damascena* vocantur. Lucan. *lib.* 3.

Et felix (sic fama) Ninos, ventosa Damascus.

Hanc veram Jovis urbem, totiusque orientis oculum vocat, Julianus *in Epp.* Sic autem dicta est, uti volunt, ab *Asco* quodam gigante, qui Dionysium vinctum illic cum Lycurgo in fluvium injecit: vel quòd *Damascus*, Mercurii & Halimedæ nymphæ filius, ex Arcadiâ in Syriam profectus, urbem sui nominis condiderit, vel quòd Dionysius ibi persecutus sit & excoriaverit *Damascum* quendam, qui vineta secuti exciderat. *Syria nobilissima civitas* vocatur à Justino *lib.* 36. qui addit: *Nomen urbi à Damasco rege inditum.* Verùm hic *Damascenus*, ab aliis *Damas* vocatur. Etymologicum magnum: Δαμασκός, πόλις Συρίας παρὰ τὸν Ἀντίλιβανον. Εἴρηται ὅτι Δαμὰς στρατεύων μετὰ Διονύσου, ἐκεῖσε σκηνὴν πηξάμενος, ἱδρύσατο ἐκεῖ Συρίας Θεοῦ ξόανον. Ab Omaro, Abubecheris successore, anno 636. capta. Vilh. Tyr. *libr.* 1. *cap.* 2. Sedes unius ex tribus Saracenorum Amiris facta est, anno 813. altero Babylone, tertio in Africa residente. Frustra, ob sociorum lites, à Conrado III. Imperat. tentata, anno Christi 1147. Trithem. *in Chron.* Olim nona metropolis, sub Patr. Antiocheno erat. Ab Us, fil. Arami, conditam vult Joseph. *Antiquit. lib.* 1. *cap.* 6. Evangelii luce collustrata est à Paulo, qui ibi ab Anania baptizatus est: inde, cùm insidias sensisset, à Discipulis emissus, Act. *cap* 9. Miræus *Geograph. Ecclesi.* Bellon. *lib.* 2. *observ. cap.* 91. & *seqq.* Vide & Voss. *ad Just.* Nunc paucos habet incolas, quibus *Scham* vocatur; Sub Turcis, Bassæ sedes, ab 154. ann. cùm antea pareret Sultano Ægyptiaco. Alipi nsis hoc sec. Bassa rebellis, victo Achmetis Imper. Turcarum Duce Ali Bassa eam cum Tripoli & thesauris Vezirii occupavit, sed rediit postea urbs sub obsequium Imperatoris, quò cùm sub prætextu Imperatoriæ Mecham peregrinationis, sedem Imperii Osmannus transferre voluisset, à Janizeris in carcerem conjectus, & jussu Mustaphæ patrui strangulatus est, anno Chr. 1622. Media est inter Hierusalem ad Austrum, & Antiochiam ad Bor. 240. mill. ab Aleppo in Austrum, Baudr. *in Lex. Geogr.* Ferrar. Vide inprimis Petrum de Valle *itinerar. t.* 1. & 4.

Damascus, filius procuratoris domus Abraham. Genes. 15. Egregium σφάλμα. Dispensator siquidem Abrahami Eliezer fuit ex Damasco.

Damasia, opp. Rhætiæ in Vindelicorum finibus, *Diessen*, teste Lazio. Cluverio autem aliisque fuit arx Lycatiorum, in Vindel. ad Lycum fluv. ubi dein Augusta Vindel. *Diessen* autem opp. antea *Pontes Tessenii* dicebatur. Vide *Augusta Vindelicorum.*

Damasias, Athenis annuum magistratum gessit. Dionys. Halicarn. *lib.* 3.

Damasias, ob putrem & fasciis circumvolutam tibiam traducitur à Comicis. Vide Aristophan. *Aves* 614. *A.* 1.

Damasippus, Dux in exercitu Philippi Macedonis luxuriosus, & ideò ab eo finibus regni proscriptus. Vide *Æropus.*

Damasippus, alio nomine *Lucinius* Senator, Jubam regem victorem Uticam ingredientem comitatus. Cæs. 2. *de Bello civil. fine.* Postea in eadem Africâ cum Scipione periit.

Damasippus, vir ignobilis apud Rom. qui nobilissimos cives, qui partibus Syllanis faverant, inter victimas tanquam belluas enecavit, nec non Arvinæ Tribuni Plebis truncum in sublime elatum per ora vulgi deferri jussit, tandem à victore Syllâ obtruncatus.

Damasippus, histrio, cujus meminit Juven. *Sat.* 8.

Consumptis opibus vocem Damasippe locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.

Damasippus, signorum & vasorum antiquorum mercator, apud Hor. *Serm.* 2. *Sat.* 3.

Insanit veteres statuas Damasippus emendo.

Ubi Lambinus eundem esse suspicatur, de quo Cic. *epist. lib.* 7. *ad M. Fab. Gallum*, qui mandato Ciceronis quædam ei signa emerat, haud illi grata, *Bacchas* nempe, & *Martis* signum. Verba ejus apponam, *Sed tamen, si ista mihi sint habenda, certiorem velim me facias, ubi sint, quando arcessantur, quo genere vectura, si enim Damasippus in sententiâ non manebit, aliquem Pseudodamasippum, vel cum jacturâ reperiemus.*

Damasithynus, unus è ducibus Xerxis. Herodot. *l.* 7. Polyæno *Damasithymus*, præfectus classis Persicæ, mollis & ignavus, *libro* 8.

Damastes, Sigeensis, fil. Dioxippi, Hellanici antiqui (erat enim & Hellanicus junior Grammaticus, Ptolemæi Aristarchi Præceptor, teste Suidâ in Ἀνδοκίδης, & Πτολεμαῖος) discipulus tempore Herodoti, paulo ante bellum Peloponnesiacum Olymp. 87. an. 2. innotuit floruit, juxta Dionys. Halicarn. *lib. de Thucyd. charact.* & Suidam Δαμάστης. Ejus meminere Strabo *lib.* 14. Valer. Max. 8. 13. Plut. *in Camillo*, & Steph. in Ὑπερβόρειοι; Nec non Rufus Avienus in orâ maritimâ, *Quin & Damastes nobili natus Sige.* Scripsit genealogiam eorum, qui Trojam obsederunt, Catalogum urbium gentium, Poëtarum, Sophistarum, &c. Reliquitque inter alia, librum περὶ Ποιητῶν καὶ Σοφιστῶν, teste Suidâ; nisi juniori cuidam potius hic liber tribuendus erit. Diversus ab hoc est Democriti Philosophi, & Herodoti frater, apud Suid. in Δημόκριτος; qui *Damasus* dicitur Plinio 18. 35. Laërtio *libr.* 9. *in Democrito*, & Hesychio Milesio, *in eodem.* In quo latens mendum alii jamdudum observarunt. Vossius, *de Hist. Græc. l.* 1. *c.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *de Math. cap.* 69. §. 3.

Damasus I. Hispanus, post Liberium, cum Ursicino de sede certavit, *ut implerentur sanguine occisis* 130. *hominibus orationum loca.* Ammianus Marcell. *l.* 29. Causa quia *adepti*, ut idem inquit, *felicissimi sunt, eorumque convivia regales superant mensas.* Anno Chr. 367. Proin Prætextatus, urbis Præf. ludens Papæ huic dicere solitus est, *Facite me Rom. Episcopum, & ero protinus Christianus*, Hieron. *ad Pammach. ad Nepotian. ad Eustach. in cap.* 2. *Mich.* &c. A Valentiniano confirmatus, paulo pòst adulterii accusatus est; Sed absolutus, indixit Synodum contra Auxentium, ad quam Orientales Episcop. vocavit, *tanquam filios*, qui ipsi & cœteris ibi congregatis, *velut fratribus & collegis*, rescripsere, Anno 382. Platina *in vita ejus.* Aliam Synodum contra Apollinarium habuit. Obiit anno 384. Episc. 17. Opera ejus, Romæ impressa, an. 1639. cum notis Marci Milesii Saraceni. In Occidentem Psalmodias introduxit, primusque Hallelujah, etiam extra Pascha, cani jussit. Hier. *de Script. Ecclesi. cap.* 103. & *Chron.* Athanas. *ep. ad Afr.* Ambros. *epist.* 30. Optat. *lib.* 2. Ruffin. *l.* 2. *cap.* 10. Augustin. *epist.* 164. Sulpicius Sev. Socr. Sozom. Theodoret. Ciacconius *in Damaso*, Vossius *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 8. *p.* 200.

Damasus II. prius *Popo*, Episc. Aquileiensis, Romam missus, ab Henr. III. Imp. egregio jurium Imper. vindice, tempore quo Benedictus IX. in Papalem sedem se denuo intruserat, post Clementem II. huic successit, per 23. solùm dies. Obiit an. 1048. Benedicto adhuc impietate suâ sedi illudente. Leo Ostiens. *lib.* 2. *cap.* 82. Herman. *Chron.* Onuphr. Genebr. Ciacconius, &c.

Damasus, poëta Hispanus, qui floruit tempore Eutropii & Orosii: Hic complures hymnos scripsit. Vide Suidam, & paulo pòst.

Damatris, vide *Damia.*

Dambea, regn. Abyssiniæ, juxta lacum cognom. Isac. Vossio, versus fontes Nili & Agaos pop. Baudrand. Sedes magni Neguzi. Marmol. *l.* 9.

Dambea, lacus Abyssin. valde extensus & celebris, undiq; montibus cinctus, ex quibus innumeri rivi amnesque labuntur, qui lacum hunc efficiunt. Longus est 22. leuc. Germ. latus 15. Insulas continet 21. quarum præcipua *Dek*, justæ magnitudinis. Septem quo-

quoque sunt aliæ, magnificis Religiosorum Cœnobiis olim exornatæ. Per eum Nilus labitur, cujus fontes in vicinia sunt. Isaac. Vossius.

Dameas, nobilis statuarius. Plin. 34. 8.

Damfrons, castrum Galliæ, in Cenomanis, ad amniculum Varennam in Meduanam effluentem, vulgò *Domfront*, vel *Danfront en Passais*. Dictum est quasi *Dominifrons*: quòd esset in confinio Normanniæ & Cenomaniæ, à Comitibus Cenomanorum conditum & *Domino Regi* Anglorum ac Duci Normannorum oppositum, in limite, atque frontis instar adversæ objectum, Hadr. Val. *Not. Gall.*

Damia, cognomen Cybeles, & *Damatris* ejus sacerdos.

Damianistæ, Acephalorum sectatores. Niceph. *l.* 18. *c.* 49. Baron. an. 535.

Damianus, Ephesius, sophista nobilis circa M. Antonini Imp. tempora, divitiis ac potentiâ inter suos prædìtus, Remp. Dianæ templum, viros doctos liberalitate prosecutus est. Philostratus in Sophistis, *lib.* 2.

D. Damianus, frater D. Cosmi Medici, & ipse Medicus.

Damianus, cum Fugatio, ad preces Lucii Regis, ab Eleutherio Episc. Rom. in Britanniam missus est, ut ibi Evangelium annuntiaret. A. C. 177. 181. Hi eum cum tota domo, populoque universo, baptizarunt, sublatoque malorum dæmonum cultu, gentem modum veræ pietatis colendæ docuerunt. Polyd. *Hist. libr.* 2.

Damiata, urbs Archiepisc. Ægypti, in ora maris Mediterr. ad ostium rami orientalioris Nili; alias *Pelusium*, seu mel. *Thamiatis*, ex adverso Pelusii, è cujus ruinis crevit. Sub Saracenis, idem, cum reliquis Regni hujus, Fatum subiit. A' Christianis Anno 1218. obsessa, anno pòst in eorum potestatem, egregiâ Harlemensium immanes catenas, quibus portus claudebatur, nave subtus ferratâ perfringentium, operâ, venit. Reddita Sultano Anno 1221. postquam tantis aquis circumfusi essent, ut pereundum illis fuisset, nisi hanc & alia occupata destituissent: pace octenni initâ. Blondus *dec.* 2. *lib.* 7. A' Ludovico IX. recepta Anno 1249. qui eam captus Barbaris lytri loco restituit, ab his crematam, ut quidam dicunt, ne porro bellorum materia esset. Jac. Vitriac. *Hist. Or. lib.* 3. Antonin. *tit.* 19. *cap.* 3. Blond. *lib.* 2. *dec.* 7. P. Æmylius, Sanut. *lib.* 3. *par.* 12. *cap.* 4. Monachus Patav. *in Chron. lib.* 2. Miræus *Geogr. Eccl.* V. *Thamiatis*.

Damigella de S. Angelo. Lat. *Domnicella*, Sebusiana, sequentis avia, scientiâ & pietate illustris. Hilar. Costus, *Eleg. fœm. Ill. tom.* 1.

Damigella Trivultia, Johannis, ex Angela Martinenga, filia Græcè Latineque doctissima, nec minus Philosophiæ perita. Coram Papis & Præsulibus orationibus habitis inclyta. Joseph. Betuzzius, & Capracius, *in ejus elogio*.

Damippus, Spartiata, Syracusis enavigans à M. Marcello interceptus est. A quo hic didicit, turrem quandam negligentius custodiri, plurimorum virorum capacem, atque ab eâ murum non difficilem habere ascensum. Cujus verbis edoctus Marcellus scalas applicuit, urbemque cepit. Vide Polyæn. VIII.

Damis, Assyrius, familiaris Apollonii Thyanei, de disputationibus & prophetiis ejus librum composuit. Philostr. *lib.* 1. *de vita Apollonii*. Suid. Euseb. Item, Philosophus quidam.

Damium, sacrificium Damiæ Deæ minimè publicum.

Damna, civitas in tribu Judæ, Jos. 15. Alia in tribu Zabulon data Levitis.

Damnaba, villæ hujus nominis duæ, in tribu Gad, tempore Hieron. *in L. H.*

Damnæ, Serica gens, & *Damna* apud eosdem urbs. Ptol.

Damnanitani, Hisp. Tarracon. pop. Plin.

Damnia, Arabiæ Fel. reg. Plin.

Damnii, Albionis ins. pop. versus Boream. Ptol. quorum regio nunc *Westmorland* vocatur. Baudrando pop. Scotiæ Austr. ubi nunc prov. *Sterling, Menteith*, & *Cluydesdale*, ex Camd. longè à Westmaria in Bor.

Damnonii, pop. Albionis in Occid. vergentes. Ptol. quorum regio nunc *Devonshire*, & *Cornwall*. Inde *Damnonium* promuntorium. *S. Michael's mount*; Camdeno verò *The Lizards point*. Eorum urbes fuere *Isca, Voliba, Uxella*. Baudr.

Damnonium prom. quod & *Ocrinum*, nunc *Lezard-point*, est pars prom. in Occ. vergens; quæ enim in Or. tendit, *The Manacles point* dicitur; Est autem prom. Cornubiæ in Austr. extensum, 12. mill. Angl. à monte & arce D. Michaëlis in Austr. 17. à Bolerio prom. in Eurum. Baudr.

Damo, fil. Pythagoræ, cui pater non solùm omnia Philosophiæ arcana reclusit, verùm etiam scripta sua moriens commendavit, hac conditione, ne unquam vulgaret. Quod illa religiosè servavit, omnibus mundi bonis, etiam in summâ inopiâ, paternæ voluntati posthabitis. Diogen. Laërt. *in Pythagora, libr.* 8.

Damocles, unus ex assentatoribus Dionysii Siciliæ tyranni. De quo historiam sequentem narrat Cic. *Tuscul.* 5. *Cùm quidam ex Dionysii assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quenquam fuisse. Visne igitur*, inquit, *ô Damocles, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? cùm se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto: abacosque complures ornavit argento, auroque cælato. Tum ad mensam eximiâ formâ pueros delectos jussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronæ; incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari setâ equinâ appensum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos administratores adspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam: jam ipsæ diffluebant coronæ; denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quòd jam beatus nollet esse.* Horat. *Carm.* 3. *Od.* 1.

Districtus ensis cui super impiâ
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent.

Damocrita, matrona Romana, Alcippi civis clarissimi uxor, quæ cùm virum ab iis, qui contrarias in Rep. partes fovebant, in exilium actum sequi prohiberetur, filiæque jam viro maturæ edicto publico nubere vetarentur, ne ex iis quispiam Alcippi ultor nasceretur; concepit animo facinus supra omnem muliebrem audaciam. Nam cùm ex more fœminæ primariæ noctu sacrorum causâ convenissent, Damocrita à filiabus adjuta, magnam vim lignorum, quæ ad sacrificia parata erant, ad fores congessit, ignemque injecit, ut intus omnes exureret. Accurrentibus deinde auxilio viris, illa filias primùm, deinde seipsam interfecit. Plut. *in Paral. c.* 5. *de narrat. amator.*

Damocritus, historicus, geminum opus conscripsit, unum de instruendis aciebus, alterum de Judæis, in quo prodidit eos caput asini, adorare solitos fuisse, etiam septimo quoque anno peregrinorum aliquem, quem cepissent, sacrificasse, carne ejus minutatim dissectâ. Suidas. Voss. *de Hist. Gr. l.* 3. *p.* 350.

Damocritus, vel *Damocrates*, tractatum de Medicina versibus scripsit. Galen. Plin. *l.* 35.

Damœtas, nomen Pastoris apud Virgil. *in Bucol.*

Damon, Centuripinorum Princeps, cum quo Messenii societatem inierunt. Diodor. *l.* 14.

Damon, Atheniensis Psaltes, qui remissam harmoniam reperit. Cæl. Rhod. 9. 3. An idem cum illo, apud Platon. *de Rep.* 4. qui dixit, Musicam non posse immutari, nisi immutato Reip. statu?

Damon, Cyrenæus, de Philosophis monumentum ingenii sui consignavit, ut constat ex Laertio *in Thalete*. Athenæus *lib.* 10. illum Byzantinum facit. Plut. *in Theseo & Numa*, ejus meminit, ut & Plin. *lib.* 7. *c.* 2. V. Voss. *Hist. Gr.* 3. *p.* 351.

Damon, & *Pythias*, Pythagoræi, hoc animo (inquit Cicero) inter se fuerunt, ut cùm eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinasset, & is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causâ postulasset, vas factus sit alter sistendi ejus, ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi, qui cùm ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit ut se ad amicitiam tertium adscriberent. Vide Val. Max. *De Amicitiâ, l.* 4. *c.* 7. *ex.* 10. Athen. &c.

Damon, Thurius, stadii victor, Olymp. 101. & 102.

Damophila, Græca è Lesbo mulier, uxor Pamphili, socia Sapphûs poetriæ, poemata multa conscripsit, partim amatoria, partim in Dianæ laudes. Philostr. *in vitâ Apollonii*.

Damophilus, sophista, quem nutrivit Julianus Consul, sub M. Antonino, scripsit ad Lollium Maximum, de vitâ priscorum, & quædam alia. Suidas. Voss. *de H. G. l.* 2. *c.* 14. Item plastes quidam ac pictor. Plin. 35. 12.

Damostratus, Philosophus, scripsit de piscibus libros 20. Suidas. Halieuticôn quoque ejus meminit Ælianus *lib.* 13. *cap.* 21. Item *lib.* 15. 4. & 9. *adhuc cap.* 19. *ejusdem libri*, ubi de eo sic scribit: καὶ λέγει Δημόστρατος, ἀνὴρ ὃς καὶ τοῦτο λέγει τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης τῆς βουλῆς γενόμενος, καὶ ἔτι που διὰ τοῦτο ἤδη τεκμηριῶσαι ἱκανός. Δοκεῖ δέ μοι ἐπιστήμης τῆς ἁλιευτικῆς εἰς ἄκρον ἐλάσαι, καὶ ὅσα ἔγνω, εἰπεῖν κάλλιστα.

Damoxenus, Atheniensium Comicus, cujus fabulæ nonnullæ commemorantur ab Athenæo. *l.* 3. Ubi loci coquum Epicuri doctorem facit. Vixit sub Ptol. Philadelpho, Olympiade 127.

Dampetia, Brutiorum urbs in Calabria. *Torano* Barrio. Vid. *Clampetia*.

Dampolis, Thraciæ castellum. Cedrenus.

Damvillerium, opp. munitum Duc. Lucemburg. insertum Lotharingiæ, 5. leuc. à Virduno, in Arctos, Malmedium versus, à quo 4. leuc. abest. Captum à Francis an. 1637.

Damum, opp. permunitum Flandriæ, recens extructum ad tutelam Brugarum. 1. leuc. à Brugis *Clausulas* versùs, in confin. dit. Holland. sub Hisp.

Damum, opp. munitum Pomeraniæ, ad Oderam flu. è regione Stetini, à quo 1. leuc. abest. Sub Suecis.

Damutum, regnum Æthiopiæ super. aliàs sub Abyssinorum R. nunc ab ejus imperio avulsum, Vossius. Inter Gafates & regnum Naream. Baudr.

Damyndas, vir Macedo. Plut.

Damyrias, fluv. Siciliæ. Plut. *in Timoleonte*.

Damysus, Gigantum omnium suo tempore velocissimus, cujus effossi talum Chiron Centaurus Achillis pedi adaptavit, in locum tali illius, quem ignis absumpserat, cùm mater Thetis illum in ignem pro more conjecisset: adeò scitè, ut irrevulsus perpetuò hæserit, donec ab Apolline Achilles fugeret, quo tempore vinculis laxatis & revulso talo, Achilles cecidit & interfectus est. Ptolemæus Hephæstio apud Photium.

Dan, id est, *judicans*, vel *judicium*, Gen. 30. quintus Jacobi Patriarchæ ex Bala, ancilla Rachel, uxoris suæ, filius, ita progeniem suam ampliavit, ut de tribu ejus ad montem Sinai numerati sint viri bellatores 62. millia, septingenti, quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filii 64. millia quadrigenti terram promissam ingressi, Jos. 19. Judic. 16. pro hæreditate & possessione sua cis Jordanem de terra tribui Judæ prius assignata ad mare magnum possessionem consecuti sunt. Natus est A.M. 2286. A Patre benedicente serpenti & cerastæ comparatus est, an ob Simsonem, Christi figuram? Vid. Gen. 49. 17, 18. Obiit A. M. 2412. æt. 127. Item op. Palæstinæ in Cœlesyriâ ad fontem Jordanis flu. minorem, in agro conspicuo & fœcundo, ac omnibus generibus fructuum affluenti, à Ptolemaide 14. m. p. à Paneade quarta milliarii parte distans. Hodie *Belenas* Bridenbachio. Terminus terræ Israel ab Aquilone fuit, 2. Reg. 3. Hic Jeroboam rex Israel vitulum aureum adorandum erexit. 3. Reg. 12. Jos. *lib.* 8. *Ant.* ubi de Jeroboami vitulis: τὸν ἕτερον ἐν Δάνῃ, ἣ δή ἐστι πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ μικροῦ Ἰορδάνου. Baudrando Dan, quæ & *Laisa*, & *Paneas*, & *Cæsarea Phil.* erat in tribu Nephthalim; 35. mill. ab ora maris Med. & à Tyro in Ort. vix 8. à monte Libano.

Dan, Tribus Judææ, in ora littor. maris Mediterr. Habet ad Ortum Trib. Judam, ad Austr. Trib. Simeonis. Ejus præcipua urbs est Joppe, in ora littorali.

Dan, viculus est, in tribu Nephthalim, qui usque hodie, inquit Hieronymus, sic vocatur, in quarto ab urbe Paneade milliario, Panio antro, fontique Dan adjacens. Hieron. *de loc. hebr. lit. D. dict. Dan.*

Dan, mons super viam, quæ ducit Samariâ in Sichem. Est in tribu Ephraim.

Dana, Taprobanæ op. Lunæ sacrum. Ptol. Item Cappadociæ urbs, quam Xenophon *lib.* 1. *de Exped. Cyri* μεγάλην, καὶ εὐδαίμονα vocat.

Danaba, Palmyrenæ urbs. Ptol. Phœniciæ eam ascribit Lib. Notitiarum.

Danabe, Persarum opidum. Zosimus.

Danae, filia Acrisii, regis Argivorum, ex Eurydice, filia Lacedæmonis, qui cùm oraculo monitus esset, fore, ut à nepote occideretur, filiam munitissimæ turri inclusit: cujus amore captus Jupiter in imbrem aureum se convertit, & per tegulas in puellæ gremium se dimisit. Quo ex coitu illa gravida effecta Perseum peperit. Quamobrem indignatus Acrisius, filiam unà cum recens nato nepotulo arcæ includi jussit, atque in mare projici. Verùm id longè aliter cecidit. Nam arca ad Dauniæ litus delata à piscatore reperta est; in quâ cùm Danaen cum filio reperisset, utrumque Pilumno regi obtulit, qui cùm genus ac patriam ejus didicisset, Danaen quidem in uxorem duxit, Perseum verò Polydectæ Seriphi inf. regi educandum tradidit, qui postea adultus, cùm Argos venisset, Acrisium avum, ostenso Medusæ capite, in saxum convertit. Ovid. *Met.* 4.

—— Neq; enim Jovis esse putabat
Persea, quem pluvio Danae conceperat auro.

Fabulam explicat Horatius *lib.* 3. *Carminum*,

Inclusam Danaen turris ahenea,
Robustaq; fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium virginis abditæ
Custodem pavidum Jupiter & Venus
Risissent, fore enim tutum iter & patens
Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo. —— ——

Lepidum etiam extat epigramma Pauli Silentiarii *Antholog. libr.* 7.

Χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν ἅμμα κορείας
Ζεὺς, διαδὺς Δανάας χαλκελάτους θαλάμους.
Φημὶ λέγειν τὸν μῦθον ἐγὼ τάδε, χάλκεα νικᾷ
Δάπεδα καὶ δεσμοὺς, χρυσὸς ὁ πανδαμάτωρ.
Χρυσὸς ὅλους ῥυτῆρας, ὅλας κληῖδας ἐλέγχει,
Χρυσὸς ἐπιγνάμπτει τοὺς σοβαροβλεφάρους.
Καὶ Δανάας ἐλύγωσεν ὁ δὲ φρένα, μή τις ἐραστὴς
Διστάσθω Παφίην ἀργύρεον κατέχων.

Danæus Lambertus, Aurelianensis: Cùm præter Artium Encyclopædiam, variarum rerum atque scientiarum cognitionem adeptus esset, primò Juri operam sub Anna Burgio, postea Martyre, Aureliæ dedit: pòst sacris se tradens, summâ industriâ id obtinuit, ut inter exercitatissimos Theologos fuerit habitus. Genevæ, Lugduni Bat. Gandavi, in Navarræ denique Acad. Orthesiana docuit. Ejus extant: *Harmonia seu tabb. in Prov. & Eccl.* Item *Explicatio locorum aliquot Danielis difficilium: Comm. in Matthæum: Quæstiones & Scholia in Marc. Comm. in pr. ad Tim. In* 3. *Johannis, & Judæ: Ethica Christiana*, &c. Obiit Orthesii, Anno 1596. æt. 66. *In Patribus & Scholastica Theol. ita versatus, ut facilè omnibus palmam præripuerit.* Meurs. *Athen. Bat. Libello ejus de Antichristo nihil brevius simul & luculentius.* Zanch. *Vir apprime eruditus, & de instruendis aliis optimè meritus, Physicam suam Theol. ex utroq; Codice non inutili labore extruxit*, Tycho Brahe. Chr. Rothmannus. V. quoque Melch. Adami, Verheiden, &c.

Danai, pro Græcis, apud Poët. à Danao R. V. *Danaus*.

Danaides, Vid. *Pelides*.

Danala, unum ex tribus castellis Galatiæ. Strabo *l.* 12.

Danasum, opp. Pedemontii.

Danaus, Ægypti frater, Argivorum rex, Danaidum pater, qui, Sthenelo rege, vel hujus fil. Gelanore, expulso, Argos tenuit, ibique quinquaginta annos regnavit. Ab eo Græci *Danai* dicti, literas Græcas reperisse dicitur. Euseb. *in Chron.* Apollodorus, *Bibl. lib.* 11. Plin. *lib.* 7. *cap.* 56. Eust. *in Hom.* Dionys. Alex. *Geogr.* Hygin. *Mythol. fab.* 168. 177. Marmora Arundeliana, &c. Vide *Belides*.

Dancalum, vulgò *Dancali*, regnum Æthiopiæ sup. in ora maris Rubri, è regione Arabiæ, versus Fretum *Babelmandel*.

Dandace, Tauricæ Chersonesi urbs. Ptol.

Dandacena, Cappadociæ op. Anton.

Dandagula, Indiæ op. intra Gangem. Plin.

Dandari, Plin. qui *Dandaridæ* Tac. *l.* 12. 15. Circa Caucasum habitare videntur. Regionem eorum Dandaricam vocat, Tacit. ibid.

Dandarii, pop. Asiæ circa Caucasum. Steph. Sansoni Mæotarum pars, juxta paludem Mœotidem.

Dandaxina, Armeniæ min. urbs. Anton.

Dandolus, vel *Dandulus* Andreas, Dux Venetus, successit Barth. Grandonico, Anno 1342. Fœdere cum Clemente VI. inito, ingentem exercitum in Orientem misit. Succinctum Chronicon, de rebus Venetorum præclarè gestis, Petrarchæ, Blondo, Justiniano, Sabellico, Leandro & Cuspiniano laudatum scripsit. Vid. & Voss. *de H. L. lib.* 3. *cap.* 9. *pag.* 798. Obiit an. 1354. Petrus Marcell. *in vitis Princip. Venetorum*, Sansovin. *lib.* 2. *Chr.* Merula, *Part.* 2. *Ital.* Gasp. Contarenus, *de Rep. Ven.* Ex eadem familia Duces, *Henricus*, expugnatâ Constantinopoli, obiit Anno 1203. *Johannes*, rebellibus Istrianis bellum movit, & primus Ducatos cudit, Obiit Anno 1290. *Franciscus*, cogn. *Canis* ad Clementem V. excommunicationem patriæ deprecaturus, Avenionem venit, quem superbus Papa, ad pedes suos provolutum, canis instar, ferreaque catenâ revinctum, subter mensam, jacere passus est. Plurimas urbes Reip. adjunxit. Obiit an. 1339.

Dandon, Illyricus, vixit annos 500. Plin. 7. 48.

Danduti, Germaniæ pop. Ptol.

Daneberga, opp. Duc. Luneburg. Caput Comitatus cognom. ad Tetzam amnem, 1. leuc. ab Albi flu. ut & Domitio in Occ. Cum arce munita. Distat 5. leuc. ab Ultza in Ort. 7. à Luneburgo in Eur.

Daneon, portus ad sinum Arabicum, ex quo navigabilem alveum perducere ad Nilum Sesostris rex cogitavit. Plin.

Danesius Petrus, Ep. Vaurensis, Parisinus, discipulus Budæi, Lascaris, &c. Sub Franc. I. Hebr. L. Professor, sub Henrico II. Delphini institutioni admotus. Missus ad Concilium Tridentinum, cùm Guidoni Fabro, Legato Caroli IX. reformationem Ecclesiæ urgenti, & in mores Cleri acriter invecto, Itali Præsules illuderent, dicentes, *Gallus cantat*: graviter & seriò respondit, *Utinam hoc Gallicinio Petrus ad pœnitentiam & fletum excitetur.* Dedicavit huic Episc. Genebrardus librum suum de Trinitate, Anno 1575. eumque funebri oratione laudavit. Vide Turneb. Thuanum, Anno 1577. quo obiit, SanMarth. *Gall. Chr. tom.* 2. *pag.* 1143.

Dangara, Metropolis regni Nubiæ, incolis frequentissima, quorum domus, uti pleræque Nigritarum, cretaceæ, tectis stramineis. Natal. Metel.

Dangulæ, pop. circa Arachosiam. Plin.

Dangutum, castrum Galliæ, in Veliocassibus, olim clarum, prope Gisortium ad Ittam fluv. hodieque *Dangu*. Ejus meminit Guil. Britto *l.* 5. de Philippo Augusto loquens:

Dangutum multis legionibus obsidet.

Dani, pop. Germ. ad Septentriones, in Cimbricâ Chersoneso & propinquis insulis incolentes, qui & *Nortmanni* ab Eginartho vocantur: Horum regio *Dania*, vulgò *Denmark*, regnum in præ-

in prædicta Cherfonefo, & circumjacentibus infulis contentum nominatur. Cujus urbes *Haffnia*, primaria ad Sundicum fretum, vulgò *Coppenhagen*, Academ. & fede regiâ infignis, *Rofchildia* epifc. in Silandiâ, *Lundis* metropolis in Scaniâ, *Othonia* in Fionia, *Slesvicum*, *Ripa*, *Viborgia & Arhufia* in Cimbricâ, primariæ continentur. Ferrarius. Baudrando Dani fuerunt maximè extenfi, utpote qui Angliam & Scotiam pluries devaftarunt, ipfisque aliquandiu potiti funt. Eorum regnum *Dania*, Vide infra, olim divifum in tres partes: Nempe *Cimbricam Cherf.* ubi Jutia Sept. & Mer. Holfatiaque prov. fatis amplæ; *In Infulas*, ubi Zelanda, Fionia, Lalandia, Falftria, Langelandia, Boringia, aliæque min. notæ; & in *Scaniam*, ubi Scania propr. pulcherrima & ditiffima, Blekingia & Hallandia, prov. Nunc anguftius eft, cùm hæ tres ultimæ jam fub Suecis fint. Habet ad Auftr. Germaniam, verfus Holfatiam; in aliis partibus circumcingitur mari Germ. & Baltico. Sed & Regnum Norvegiæ, cum Islandia, Schetlandicis Inf. & ora littor. Grœnlandiæ Daniæ Regi fubeft.

Urbes Danici regni clariores:

Aelburgum Cimbricæ, *Aelburg.*
Arhufia Cimbricæ, *Arhufen.*
Calmaria Scaniæ, *Calmar, nunc Suecia.*
Coldinga Cimbricæ, *Koldingen.*
* Corona Scaniæ, *Landfcroon, nunc Suecia.*
* Elfenoria Silandiæ, *Elfeneur.*
* Elfingoburgum Scaniæ, *Elfinburg, nunc Suecia.*
Haderslebia Cimbricæ, *Haderfleben.*
* Haphnia Acad. & regia Silandiæ, *Copenhagen.*
* Lundis Scaniæ, *Lunden, Lund, nunc Suecia.*
Malmogia Scaniæ, *Elbogen, nunc Suecia.*
Nicopia Cimbricæ, *Nicoping.*
* Ottonium Fioniæ, *Odenfee.*
Ripæ Cimbricæ, *Ripen.*
Ricopinga Cimbricæ, *Rincoping.*
* Rofchildia Silandiæ, *Rofchilt.*
* Slefuicum, olim Heideba, Cimbricæ, *Schlesvvick.*
Varemburgum Silandiæ, *VVarburg.*
Venfisla Cimbricæ, *VVenfyffel.*
* Viborgia Cimbricæ, *VVlburg.*

Dania, vulgò *Dennemarck*, Septentrionalis Oceani peninfula, nomen habet à *Dano* quodam, filio Humblei Selandiæ, Falftriæ, Lalandiæ, & Monæ dynafta, potente athleta ac pugilum maximo: qui Rex creatus eft à Gothis, propter confufam plebis democratiam, regulorumque de fumma rerum inter fe concertantium oligarchiam. Is fœlici fortunæ aurâ ad poteftatem regiam evectus, de fuo ipfius nomine regno nomen in perpetua hæfurum memoria dedit, & ut imperium fua virtute conftabilitum, & in formam folido fundamento redactum pofteris cum nomine relinqueret, Danos, non Gothos, Daniamque non Gothiam, per omnem infequentem ætatem, in fui nominis fempiternam memoriam dici præcepit. Non defunt, qui Daniam quafi *prolificam parentem, plurimorum bonorum datricem* appellari autumant. Nonnullis fubtilior notatio vocabuli *Marchia* arridet, quafi *marisarchia*, quæ fanè etymologia, idem fonans, quafi maris principatum dicas, cum re non pugnat. *Danomarchia* quoque etymon ad Danicæ Linguæ proprietatem accommodatum tolerabile eft, & non malè quadrat. Compofitum enim revera videtur à *Dan* & *March*, idem patrio fermone fignificans, quafi *Dan regis ager*, vel *campus*. Aliqui eos ab aquis dictos volunt, quia *Aha* apud illos fluvium fignificat, & ipfi fe *Daneman* quafi viros aquaticos & fluviales vocant. Porro Daniæ regnum nulla penè fui parte continenti junctum, fed in creberrimas infulas disjunctiffimas difpertitum, hinc Oceano ad Occafum circumfufum, hincque ad Ortum mari Balthico interclufum eft; unde hæc regio à veteribus *Scandinavia* fuit appellata, quòd iter in ea ultrò citroque facturi naves frequenter confcendant. Plurimis in locis pafcuis abundans, & frugum ferax eft. Ejus limites Vid. in *Dani*. Contra hos Hamburgum muniit Carolus M. A. C. 809. Crantz. *lib.* 2. Angliâ fere tota, victo pulfoque Alvredo, potiti funt, Anno 876. mox ab eodem infidiis ftructis, fuperati. Polyd. *lib.* 5. Hujus fil. Eduardus poftea Danorum inftinctu & armis à fratre Adelvaldo oppugnatus, fratrem proftravit, totumque regnum, Northumbriâ exceptâ, quam Dani tenebant, recuperavit. A. C. 910. Idem ibid. Cujus quoque fucceffor Adelftanus eofdem Scotis junctos vicit, Northumbriâ ademtâ, A. C. 924. Idem *lib.* 6. Sub tributum ab Henrico Aucupe, duce tum Vormio funt fubacti, An. Chr. 932. ut & ab Ottone M. fub Haraldo Principe, Anno 949. Similiter Otto II. Danum terruit, A. C. 976. & cum ipfo Vifmariæ tranfegit, de pace & de finibus ac jure obligationis ad Imperium. Sueno poft hæc, ex exule Rex, miferè Angliam iterum vaftavit, An. C. 989. poft quem Canutus trium regnorum Dominus, filiis Suenoni Norvegiam, Canuto Daniam, Haraldo Angliam reliquit, A. C. 1035. quorum medius, poft Orchades & Islandiam devictas, vaftatamque Angliam, inde ejectus, ac à rufticis Danis ob gravitatem tributorum rebellibus, occifus eft, Anno 1070. Ericus VIII. quoque Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Rex proclamatus eft, A. C. 1396. &c. Sub hifce, è quibus Petro Duci axioma regium conceffiffe dicitur Fridericus I. Imp. eorumque fucceffforibus electivum cùm regnum effet, poft Hafniam, hoc feculo, integro biennio, contra Suecorum acerrimos infultus, Hollandorum ope, fortiffimè à Friderico III. defenfam, hæreditarium haud pridem factum eft. Ortus eft Rex hic, ex Comitum Oldenburgenfium familia, quorum primus Chriftiernus I. poft Chriftophorum III. Palatinum, electus eft, Anno 1448. Hujus filio Jun. Friderico, qui, poftmodum Rex fuit, Holfatiâ appennagii loco conceffâ. Mercat. *Atlas mundi*. Golnits. *Geogr. libr.* 2. *capite* 10. Jonas Koldinus, *Hift. Dania*. Familiæ hiftoria paulò altius repetita hæc eft. Prima origo ex Witikindi Saxonis pofteris deducitur, è quibus Ulricus, Comes Oldenburgicus, pater fuit Ottonis, cui à fpectro mirabile cornu, quod adhuc affervatur, oblatum narrant. Inter hujus pofteros Chriftianus, rami Dano-Holfatici, fraterque hujus Gerhardus Oldenburgici, qui in Antonio Gunthero haud pridem defiit, auctores fuere. Chriftianus, Rex Daniæ & Norvegiæ coronatus, Vid. fupra: etiam à Suecis receptus eft, Anno 1457. cui Slesvicenfis quoque Duc. cum Holfatia acceffit, Anno 1459. Obiit Anno 1482. pater Margaretæ, quæ Jacobo III. Scotiæ Regi nupta, Orcades dotis loco marito attulit; Johannis cujus pofteritas in Chriftierno II. fil. crudelitate & calamitate celebri, extincta eft, Anno 1559. & Friderici: qui, à Jutis, depofito Chriftierno, Rex electus, libertatis Danicæ, inprimis apud nobilitatem, auctor: per filios Chriftianum III. lineam Regiam Holfaticam, & Adolphum, Gottorpinam propagavit. Quorum ille, poft non exiguam difficultatem, Rex dictus: Hafniam, quæ fola adhuc renitebatur, fame domuit, A. 1536. Megapolitano, Oldemburgico, Lubecenfibus, qui pro Chriftierno captivo fatagebant, in ordinem coactis: à Bugenhagio dein coronatus Anno 1537. Evangelium in regno publicavit: nomine quoque fœderi Smalcaldico dato, Anno 1545. Mortuus an. 1558. pietatis laude infignis. Thuan. *lib.* 22. reliquit filios tres, Fridericum II. Magnum, qui Livoniæ Rex à Mofco creatus, obiit ἄτεκνος, A. C. 1583. & Johannem. E quibus hic Sonderburgicæ, Nordburgicæ, Glucfpurgiæ & Arnfpeckiæ familiarum fator eft. Fridericus verò, rebus contra Suecos variâ Fortunâ geftis, celebris Tychonem Braheum fovit, Formulæ Concordiæ non fubfcripfit, Obiit An. 1588. Princeps magni animi & finceri judicii, infignis inprimis literatorum Fautor. Ejus fil. Chriftianus IV. cum Carolo Sueciæ R. & Guftavo Adolpho, hujus fil. Cæfare item & Hollandis rem habuit. Mortuus A. C. 1648. Cujus fil. Fridericus III. bello difficili cum Suecis implicitus, obfidionem biennalem fortiter feliciterque fuftinuit. Mortuus haud pridem. Ei fucceffit fil. Chriftianus V. qui ex conjuge Haffo Caffellana egregiæ fobolis parens, contra Suecos rem gerit. Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal.* Ad fidem Chrifti, an. 826. ope Anfcarii conversa Dania. Haraldo cum Proceribus Moguntiæ baptizato, mox ad vomitum rediit, & Diis fuis 99. homines, 99. equos, 99. canes, 99. gallos, pro more, facrificare perrexit. Saxo Gramm. *lib.* 9. Tandem Anno 950. ab Ottone M. armis adacta, & à Papo Monacho, ferrum candens fine damno diu geftante, miraculosè convicta, ferio Chrifto nomen dedit. Crantz. *lib.* 3. *cap.* 25. Lotharius dein Imp. operâ Canuti Wandalorum Regis, hic Epifcopos inftituit, A. C. 1133. Sed quòd Sacerdotes uxoratos effe voluerunt, excommunicati à Papa Dani, an. 1196. Sub Friderico I. tandem, de quo fupra, Chriftierni I. fil. Lutheri doctrinam amplexa, illam etiamnum tenet. Fridericus II. tamen, fub pœna exilii, formulæ Concordiæ fubfcriptione fuis interdixit, præt. fec.

Dania nov. regio Americæ recens detecta, verfus terras Arcticas, à Munkio Dano. V. *Nova Dania*.

Danica Sylva, nemus Angliæ inter Gloceftriam & *Briftolium* urbes, *AndresVValdt* Anglicè. *Coad Andres* Britannicè. Aliis *The foreft of Dean* dicitur, antiquum nomen retinens. Ante aliquot annos malè habita & vaftata, nunc indies deficit. Baudrandus.

Daniel, propheta, quem Præpofitus Eunuchorum Nabuchodonofor, vocavit *Baltafar*. Dan. *cap.* 1. *&c.* Obiit centenarius, An. M. 3535. Regum fepulchris illatus. De vitâ rebusque geftis ejus fcripferunt ex antiquis, Jofephus *lib.* 10. *cap.* 14. Epiphanius *de vitâ & interitu Prophetarum cap.* 10. Dorotheus *in Synopfi cap.* 17. Ifidorus *de vita & obitu Sanctorum cap.* 40. Hieron. *Praf. Comm. in Daniel.* Pererius *Comm. in eund.* Petavius, *de Doctr. temp. l.* 12. *cap.* 32. Vid. etiam Ezech. *cap.* 14. aliosque & Sanctium *Prolegom.* in *Danielem*. In *Prophetiam* ejus, 12. capp. conftantem, vel partes, extant: Alcafar. Alftedii *Trifolium*. Quart. Angelocratoris *Concion.* Germ. Quart. Caffell. 1639. Aquinas. Auguftini *in cap.* 3. Binderi *Exercitationes in caput* 9. Tubingæ 1614. Brightmannus. Broughtonus. Bullingeri *Expofitio*, fol. Tig. 1576. Calvinus. Coccejus. Danæus. Draconites. Dreſſeri *Tractatus, de Monarchiis*, Lipf. 1581. Eglinus. L'Empereur *Verfio cum Annotat.* Ephrem. Fabri *Comm.* Geieri *Prælectiones* Quart. Lipfiæ 1668. Gernleri *Lectiones*, propediem edendæ, Bafil. Gefneri *Difputationes*. Octav. Witeb. 1609. Graferi *Comm. in Apoc. & Dan.* Quart. Tiguri 1614. Grynæi *Explanatio, in capita* 5. *pr.* Octav. Bafileæ 1587. Haymo. Heilbrunnerus. Helvici.

Helvici *Epidromus c. Angelocr.* Octav. Giessæ 1624. Hieronymi *Comm.* Joachimi itidem. Ven. 1519. R. Jehuda Valerius. Don Joseph. aben Jechija. Don Isaac Abarbenel. Junii *Expositio* Quart. de Lapide. Lechem Sethaim, Hebr. Lutheri *Comment.* Lyserus Maldonatus. Marcellinus. Medi *Hebdomada*, &c. Melanchthon. Montanus. R. Moses alschicch. Nigrini *Comm. & Homiliæ*, Quart. Franc. fol. Ursellis 1574. Oecolampadius. Pappus. Paulutius. Pembelii *Explicatio*, Angl. Londini 1658. Pererius. Pintus. Piscatoris *Com.* Octav. Polani *Comm.* Octav. Rhumelii *Paraphrasis*, Norib. 1616. Rollocus. Sanctius. Schröderi *Comm.* Germ. Giessæ 1673. Quart. Selneccerus. Strigelius. Suaningii *Comm.* 3. tom. fol. Hafniæ. Tossarius. Varenii *Collegium.* Veldius. Wigandus Joh. Waldh, Willetus, &c. V. Crowæi *Elenchum.*

Daniel, Sacerdos in regem Francorum est electus, mutatoque nomine Chilpericus vocatus. Regn. annos 3. Vide *Chilpericus II.*

Daniel, Monachus Raïthensis, prope mare rubrum, scripsit vitam Johannis Climachi. Item Monachus imitator Simeonis Stylitæ. Baron. A. C. 446. *n.* 19. 460. *n.* 20. 489. *n.* 4.

Daniel Angelocrator, Chronologiæ, quam Autopticam vocat, auctor; sub initium seculi hujus. Voss. *de Math. c.* 68. §. 18. *p.* 402. & *c.* 71. §. 24. *p.* 425.

Daniel Barbarus, Venetus, Mathematicus insignis, obiit Anno 1569. æt. 49. scripsit *La Prattica della Perspettiva*, & commentarios in Vitruvium. Idem *c.* 26. §. 12. *p.* 111. *c.* 61. §. 7. *p.* 355. *c.* 71. §. 24. *p.* 425.

Daniel Ceretus, Medicus. Vid. *Ceretus.*

Daniel Chamierus, insignis Theologus, Pastor Montalbanensis, Panstratiâ contra Pontificios editâ, inclytus. Obiit, cùm in vallo obambularet, globo ictus, postquam amico interroganti, an postridie concionaturus esset, respondisset, *An nescis, crastinum diem quietis meæ esse?*

Daniel Daugaus, Professor regius linguæ Gr. plurimos tractatus Patrum vertit. Verderius *Biblioth. p.* 248.

Daniel Santbechius, Mathematicus Neomagensis, curavit Basileæ imprimi, Anno 1561. Problemata Astronomica & Geometrica, in 7. sectiones divisa. Item 5. libros demonstrationum triangul. Regiomontani. Vossius *de Mathem. capite* 65. §. 38. *pag.* 382.

Daniel Tilenus, Silesius, Theologus Sedanensis, in Arminii partes propensior, veritatis acrem hyperaspistem P. Molinæum sensit. Circa an. 1613.

Daniel Vincestriensis, Ep. hujus urbis in Anglia, Bedæ σύγχρονος, quædam historica scripsit. Voss. *de H. L. lib.* 2. *c.* 28. *p.* 278. 279. Obiit Anno 746. Episc. 42. Epistolam ejus ad S. Bonifacium, pro instructione infidelium, laudat Baron. *tom.* 9. *Anno Chr.* 724.

Danigeldum, vox Saxonica, tributum Anglis indictum, aliàs ob pacandos Danos, alias ob arcendos: *Tributum Danicum.* Sævientibus enim per Angliam Danis, Edelredus Rex in extremas redactus angustias, quinis vicibus 113000. libras dependit, concessitque præterea tributum annuum 48000. librarum, ab omni populo tradendum, *Danegeldum* propterea nuncupatum, teste Florent. Wigorniensi. Alii non Danis hoc tributum, sed Angliæ Regibus, ad conducendum militem contra illorum irruptiones, concessum, illudque postea, etiam cessante periculo, ab iis exactum esse, probant ex LL. Eduardi Confessoris *cap.* 12. Qui cùm, teste Ingulpho, dæmonem se vidisse, super acervo *Danigeldi* exultantem, protestatus esset, aspectumque exhorruisset, collectum ilico restitui jussit, & retenta ne jota uno, feram exactionem in perpetuum relaxavit, *anno sc.* 38. *ex quo tempore Regis Ethelredi patris sui, Suanus Rex Danorum suo exercitus illud solvi singulis annis imperavit.* Sed revixit tributum, & sub Guilielmo jun. in quadruplum excrevit: quod Stephanus R. regnum iniens, in æternum se condonaturum vovit, Hoveden. Post quod seculum *Danegeldi* nulla amplius mentio, non tamen penitus desiit, sed mutato nomine Tallagium, juxta vulgare Normannicum, appellari cœpit, Anglis aliter *the Taxe*: quod tamen annuò solutum non est, ut sub Regibus Anglo-Saxonicis, sed ut instituit Guilielmus Sen. cùm ab exteris gentibus bella timebantur: consultis etiam Magnatibus Regni & Parlamentariâ demum auctoritate. Vide Henric. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Danna, id est, *judicium*, vel *judicans*, civitas in tribu Juda, Jos. 15.

Danneberga, urbs & Comit. in inf. Saxonia; Luneburgensium Duc.

Dantes, Poeta & Philosophus insignis Florentinus, Regum & Principum amicitiâ clarus, cujus vitam scribit Volater. *libr.* 12. Fuit unus ex Præfectis Florentiæ, vigentibus factionibus Nigrorum seu Guelphorum & Alborum seu Gibellinorum plerunque. Carolus Valesius à Bonifacio VIII. An. 1301. missus, ut has turbas sedaret, impedire non potuit, ut Albi à Nigris non proscriberentur, ædesque illorum subverterentur. Sic Dantes, licet Guelphus aliàs, cùm de factione Alborum esset, inter proscriptos, in Carolum Valesium, invectus est. Cum Marsilio Patavino acerrimè vitia cleri insectatus, Pontificiæ sedis odium in se concitavit, Ravennæ tandem mortuus, cùm frustra reditum in Patriam tentasset. an. 1321. æt. 56. Villanius *l.* 9. *c.* 135. Petrarcha, *rerum memorab. l.* 2. *c.* 4. P. Jov. *elog.* Rubeus, *hist. Raven. lib.* 6. Bartol. *l.* 1. *de inquir. reis.* &c.

Danthelitica, Thraciæ præfectura. Ptol. Hujus populos *Denselitas* vocat Plinius, teste Villanovano: *Dantheleta* sunt, apud Stephanum.

Dantiscum, Poloniæ urbs. ad Vistulam fluv. munitissima, advectis mercibus clarissima, & opulentissima, vulgò *Danzig.* Malè, inquit Ferrarius, à Stephano in Poloniâ collocatur, cùm sit urbs ac emporium Russiæ, una ex 4. præc. Hanseaticis. Vocatur & *Gedanum*: Unde cives *Gedanenses* & *Dantiscani.* Hanc adversus Crucigeros munivit Primislaus Polon. R. A. C. 1295. Cromer. *lib.* 11. Prodita est Marchionibus Brandeburg. à Petro Cancellario Pomeraniæ Regi Uladislao Loctico irato: mox arx à Crucigeris occupata, quorum ope Rex illam tuiturus erat. Qui cùm postulatam immensam pecuniæ vim solvere recusaret, illi urbem insuper, summâ cum sanguinis effusione, expugnando rapuerunt, A. C. 1310. Cives Sigismundus Augustus, ob non admissos Legatos suos, qui plebem cum Optimatibus conciliarent, portorii dimidiâ parte multavit; causasque majoris momenti, non obstante Casimiri privilegio, ad Senatum regni transtulit, A. C. 1569. Proscripsit urbem Stephanus R. quòd subjectione sibi denegatâ, Austriacis adhæreret, urbemque obsedit, mutuâ clade: donec Principum interventu, urbi pax & religionis libertas concessa est, an. 1597. Cum urbe quoque de vectigalibus controvertit Vladislaus IV. Cœtera, Religio Protestantium in urbe viget, in Senatum nemo nisi qui Augustanæ Confess. est, legitur, Reformatorum hîc ingens numerus, Pastores semper eximios habent: Jesuitis templum Marianum & Cœnobium S. Brigittæ adjudicatum quidem an. 1596. sed inde Senatus Urbis edicto intra triduum discedere coacti sunt. Chytræus *Chr. Saxon. par.* 5. longitud. 41. 30. lat. 54. 20.

Danubium, apud Stephanum corruptè legas pro *Lanuvium.*

Danubius, fluvius, si quis alius, veterum atque recentiorum Græcorum, Latinorumque literis, monumentisque valde celebratus, ita ut Eratosthenes & Apollodorus *l.* 2. *de navibus* meritò poetarum Philosophorumque principem Homerum reprehendisse videantur, quòd, cùm plurimos fluvios, qui Oceano immerguntur, commemoret, hunc silentio prætermiserit. Meminit verò illius Hesiodus *in Theog.*

Στρύμονα, Μαίανδρόν τε κ̀ Ἴστρον καλλιρέεθρον.

Duo illius præcipua sunt nomina, unde Ovid. *l.* 1 *Pont.* eum *binominem* vocat,

Stat vetus urbs ripæ vicina binominis Istri.

Ea autem sunt *Danubius* & *Ister*, quæ, licet ambo nomina universo fluvio à capite usque ad finem ab authoribus tribuantur, tamen quibusdam in locis magis versùs fontes *Danubius*, in aliis magis versus ostia vergentibus *Ister* nominatur. Hinc Mela, *Alio, quàm desinit, nomine exoritur. Nam per immania* (loca sc.) *magnarum gentium diu Danubius est, deinde aliter appellantibus incolis, Ister fit.* Strabo etiam *l.* 7. superiores illius partes versùs fontes, usque ad præcipites ejus decursus, quos catarractas vocant, *Danubium* scribit vocari, quæ maximè per Dacorum agrum delabuntur; alias verò inferiores usque in Pontum per Getas, *Istrum.* Huic suffragatur Ptolemæus, qui ad Axium usque Mysiæ infer. civitatem, ubi ejus sunt catarractæ, *Danubium*, inde verò ad illius usque ostia, *Istrum* scribit appellari. Plinius: *Primò Danubius, ubi primum Illyricum allust, Ister dicitur.* Quin & Appianus *in Illyricis*, iis in locis, ubi Savus Istrum influit, Danubium, nec multis deinde inferius elapsum uberioribus aquis, pro Danubio *Istri* nomen assumere testatur. Antiquitus, teste Stephano, hunc fluvium *Matoam* Scythæ appellarunt, quæ vox Græcè reddita ἄσιον, hoc est, *innoxium* sig. propterea quòd creberrimè illum licèt trajicerent, nihil tamen quicquam damni acciperent. At verò cùm semel in ejus trajectu, damnum quoddam fecissent, mutato nomine Δάνουβιν, sive Δάνουιν vocabant, quod nomen *calamitatis authorem* significat. Hæc Stephanus. Quæ opidò quàm fabulosa, atque falsa. Cato in *Originibus*, à *Danis* ejus accolis sic dictum fuisse testatur. Nonnulli, teste Francisco Irenico, illum à sono hoc nomen (quasi dicas *Tonnaw*) sortitum esse volunt. Hinc forsan Mantuanus *sonantem*, & Bartholinus *undisonantem* appellant. Rhenanus ac Vadianus *Danubium* existimant dici, quasi *Abnobium*, seu *Abnovium*, à monte *Abnoba*, unde eum nonnulli oriri contendunt. Hanc conjecturam probabiliorem facit priscum vocabulum vernaculum *Abnaw*, cui Germani *D.* literâ articuli loco additâ, *Danaw* vulgò, quod nomen hodiè obtinet, nominarunt, pro *die Abnaw*, collisione literarum Germanis usitatâ. Denique Isidorus Danubium vocari dicit, à nivium copiâ, quibus maximè augetur, quasi dicas *Danivium.* Et certè Herodotus quoque *lib.* 4. crebriores apud Danubium nives, quàm pluvias esse dicit. Addi posset, hinc dici aliis, quòd sursum fluat, quasi *Danus.* Sic rectè in monumentis antiquis scriberetur *Danuvius.* Et cùm Venius Flaccus, apud Festum, *Danubium* dictum esse

Addu-

Addnanum scribit, an non in mente habuit *Adduam* fluv. Ortum ejus quod attinet, plurimæ de illo sunt authorum sententiæ. Eratosthenes ac Scymnus, in desertis locis, illius fontes esse tradiderunt, qui certè minimè à vero videntur aberrasse, quippe cùm loca illa, in quibus fontes illius à plerisque recentiorum demonstrantur, olim inculta, horrida, atque deserta fuerint. Apollonius *libr.* 4. ex Riphæis & Hyperboreis montibus illum vult promanare,

—— Πηγαὶ γὰρ ὑπὲρ πνοιῆς Βορέαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσιν ἀπόπροθι μορμύρουσιν.

Strabo *lib.* 7. illum ab extremis Germaniæ partibus, ab occasu, non procul à sinu Adriatico 1000. circiter stad. intervallo originem suam habere testatur. Hinc Mela illius fontes in Germaniâ aperiri, & Solinus illum Germanicis jugis oriri scripsit. Sen. 4. *Nat. Qu.* falsò nonnullos philosophos tradidisse dicit, Danubii ignotos fontes esse: Nam *caput ejus*, inquit, *in Germaniâ comperimus.* Idem tamen fluvius rectè & Germaniæ, ortûs nimirum sui ratione, itemque Scythiæ, finis atque exitûs respectu, adscribitur. Hinc Lucanus,

—— *Massagetas Scythicus non alligat Ister.*

Herodotus *libr.* 4. eum ex Celtarum urbe Pyrrhenâ Πυῤῥήνα, oriri scribit. Hos Celtas autem extra Columnas Herculis Cynesiis finitimos, omnem in Europâ ad occasum habitantium post Cynetas postremos esse dicit. Aristoteles illum ferè secutus *lib.* 1. *Meteor. cap.* 13. (ubi ostendit maximos fluvios è maximis oriri montibus) Istrum ἐκ τῆς Πυρήνης, id est, Pyrenæo monte, originem suam trahere testatur. Hic obiter notat quidam Eruditus, Loritum putare *Prygnis* & *Pregen* esse duos Danubii fontes, unde sciolus aliquis apud Aristot. illud commutaverit, in *Pyrenen.* Nicephorus Gregoras ex iisdem Alpibus, ex quibus Rhenus, illum erumpere tradit. Ælianus *de Animal.* 14. 23. sub radices Alpinorum montium versus Boream, sub Ursâ Europæorum Istrum fluvium maximum ortum suum habere testatur, ubi gens rei equestris perita habitet. Quorum sententias expendentem vide Guil. Stukium, *ad Arriani Periplum. pag.* 164. *&c.* Atque hactenus de Danubii fontibus in genere. Ad specialiores jam deveniamus. Aristoteles *in lib. Admirabilium*, Istrum ἐκ τῶν Ἑρκυνίων καλουμένων δρυμῶν fluere testatur. Strabo *libr.* 4. Istri fontes juxta Suevos & Hercyniam sylvam esse tradit. Idem habet *l.* 7. Elegans extat Ausonii epigramma gratulatorium, de fonte Danubii per Valentinianum & Gratianum reperto, occasione victoriæ cujusdam de Alemannis:

Danubius, penitus caput occultatus in oris,
Totus sub vestrâ jam ditione fluo.
Quà gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidas quà seco Pannonias.
Et quà dives aquis Scythico solvo ostia Ponto,
Omnia sub vestrum flumina mitto jugum.

Claudianus,

—— *Sublimis in Arcton*
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia silvæ,
Quæ se Danubii jactat, Rhenique parentem,
Utraque Romuleo prætendens flumina regno.

Ammianus Marcellinus *libr.* 22. *Amnis verò Danubius oriens prope Rauracos montes, confines limitibus Rhæticis per latiorem orbem protensus, ac sexaginta navigabiles penè recipiens fluvios*, &c. Plin. 4. 12. *Ortus in Germaniæ jugis montis Abnobæ ex adverso Raurici Galliæ opidi, multis ultra Alpes millibus*, &c. Tacitus quoque *ex molli & clementer edito montis Arbonæ jugo* Danubium ortum suum habere testatur. Hinc Dionysius quoque Halicarn. *Arbonam* montem, *Istri patrem*, appellat secundùm interpretes Latinos. In Græco enim nil tale legitur. Martianus Capella: *Hister*, inquit, *fluvius ortus in Germaniâ de cacumine montis, ad novem sexaginta amnes assumens etiam Danubius vocatur.* Ubi Rhenanus pro *ad novem*, *Abnovam* legendum esse acutè, rectèque tradit. Progressum ejus quod spectat, incredibile dictu est, quàm longinquum per innumeras gentes, regionesque cursum conficiat. Herodotus *libr.* 4. Post ortum suum, inquit, totam emensus Europam, ex adverso Scythiam ingreditur. Hinc Tacitus illum *plures populos adire*, Marcellinus *per latiorem orbem protendi*, Mela *per immania gentium delabi* testantur, antequam in Euxinum perrumpat. Val. Flaccus *l.* 8.

Torvus ubi & ripâ semper metuendus utrâque,
In freta per sævos Ister descendit alumnos.

Arrianus *lib.* 1. *de Gestis Alexandri Magni*: Ἀπὸ δὲ τῆς μάχης τριταῖος ἀφικνεῖται ἐπὶ τὸν ποταμὸν Ἴστρον, ποταμῶν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον ὄντα, καὶ πλείστην γῆν ἐπεξερχόμενον, καὶ ἔθνη μαχιμώτατα ἀπείργοντα, τὰ μὲν πολλὰ Κελτικὰ, ὅθεν γε καὶ αἱ πηγαὶ αὐτοῦ ἀνίσχουσι. Vide Eust. *in Dionys.* ubi omnium diligentissimè nationes, per quas Ister labitur, commemorat. Baudrando, ortus ex monte Abnoba, in Sylva nigra, in Comit. *Bar*, prope Villingam opp. Sueviæ, rigat Dutlingam, Fridingam, Ehingam, Ulmam, ubi recipit Ileram fluv. ab Austro, ut & Mindelam, paulo supra Dilingam, & Bernicum, ad Donavertam; postea relictâ Sueviâ, per Bavariam labitur, ubi primum Licus fluv. se in eum exonerat, ad locum *Lechmund.* Inde juxta Neoburgum & Ingolstadium fluit; auctusque fluviis Almono, juxta vicum *Kelheim*, Nabo & Regno, ad Ratisbonam, rigat Straubingam, & recipit Isaram, fluv. rapidum ad *Deckendorf*, ut & Oenum, fluv. magnum ad Patavium. Ibi, relictâ Bavariâ, & rigato Lintio, Austr. urbe, auctus fluviis Ilza, Trauna, Enezo, aliisque minor. juxta Viennam labitur. Dein, recepto Moravo, in Hungariam tendit; ubi auctus Leitha, Wago, Arrabone & Granâ, rigat urbes Posonium, Arrabonem, Komariam, Strigonium; & mutato cursu à Septentr. in Meridiem fluit. Hinc juxta Vacciam, Budam & Coloczam labens, Dravum flumen recipit, ut & Tibiscum & Savum, qui juxta Taurunum seu Albam Gr. Danubio miscetur. Dein, relictâ Hungariâ, jam *Ister* & in Ortum tendens, recipit fluv. Moschum, Alutam, Ciabrum & Hierassum: quibus auctus aliisque plurimis inter Valachiam, Moldaviam & Bulgariam labitur; & demum, versus Bessarabiam se in Pontum Euxinum exonerat per 6. ostia, tantâ cum rapiditate, ut dulcedinem suam, ad 20. leucas, in mari servet. Ortel. Cluver. Fuit hic fluv. secundùm communem omnium ferè scriptorum sententiam, Imperii Romani limes atque terminus. Ejus rei testes sunt Appianus Alexandrinus, Dio Cassius, Varro ac Sallustius. Seneca *libr.* 4. *Nat Qu. Medius inter pacata & hostilia fluit Danubius & Rhenus, alter Sarmaticos impetus cohibens, alter Germanos, avidam gentem belli repellens.* Idem testatur Gellius *lib.* 10. *cap.* 7. Quò alludit Ovidius *lib.* 2. *Trist.*

Ne timeam gentes, quas non bene summovet Ister,
Danubii mediis ne prohibentur aquis.

Idem *ibidem*,

Hactenus Euxini pars est Romana sinistri,
Proxima Bastarnæ Sauromatæque tenent.
Hæc est Ausonio sub jure novissima.

Sidonius Apollinaris *Paneg. ad Majoranum Aug.*

Illic aggrederis, quod nullus tempore nostro
Augustus potuit, rigidum Septemplicis Istri
Agmen in arma rapis. —— ——

Egimus huc usque de Danubii nomine, ortu ac progressu; proximo in loco de quantitate ejus agendum est: Ab initio ortûs sui perquam est exiguus, ita, ut quemadmodum Cuspinianus inquit, & Stuckius ipse vidit, vix sit anseribus navigabilis. Hinc Arrianus quoque *libr.* 8. duobus in locis, nec non Ælianus verissimè *fontem* illius *parvum* dixerunt esse, & Ausonius hunc pariter atque Rhenum *fontes breves* appellat. At verò paulatim aliis, atque aliis allabentibus auctus fluminibus, mox in immensam magnitudinem excrescit. Herodotus *lib.* 4. Omnium, quos ipse quidem norit, maximum illum sibi videri ait. Unde Arrianus ποταμῶν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον vocat. Et Ælian. *libr.* 14. *de Anim.* Εὐρωπαίων ποταμῶν μέγιστος Ἴστρος. Idem plures alii testantur. Cùm verò 3. sint quantitatis dimensiones, longitudo sc. latitudo & profunditas, secundùm illas omnes Danubium cæteris Europæ fluviis antecellere plerique scriptores tradunt. Quoad *latitudinem* εὐρὺς ab Apollonio, *latus* ab Ovidio, quasi κατ' ἐξοχὴν appellatur. Sic enim ille *Trist. libr.* 5.

Latus ubi æquoreis Ister aditur aquis.

Quin & Oppianus Κυνηγ. γ.

Ἴστρῳ ἐπ' εὐρὺ ῥέοντι κυλινδομένῳ πεδίον δέ.

Illius præterea *longitudinem*, à fontibus usque ad ostia, Jornandes mille ducentorum millium passuum esse colligit. Denique ejusdem *profunditatem* idem Jornandes pluribus in locis 200. pedum esse ait. Unde non immeritò ab Apollonio προβαθὴς, & ab Horatio *lib.* 4. *Carm.* καθ' ὑπεροχὴν *profundus* dictus est,

Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia.

Hinc Pindarus *in Olymp. Od.* 3. Ἴστρου ἀπὸ σκιερᾶν παγᾶν, ubi Smidtius commentator *fontes Istri umbrosos* à poëtâ appellari putat, propter profunditatem. Quamvis melius hoc dici poterit respectu olearum, vel oleastrorum copiosè ibi nascentium, ut etiam ipse ibidem rectè annotavit, unde Lycophroni *niger* dicitur: Τῆς κελαινὸν Ἴστρον. Herodot. *lib.* 2. illum dicit Nilo comparari, & Mela soli Nilo Danubium cedere testatur. Idem senserunt Jornandes & Claudianus, cui *ingens* vocatur. Quibus astipulatur Ausonius,

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
Danubius latum profero fonte caput.

Alii tamen Istrum Nilo magnitudine haudquaquam cedere existimarunt. Ovidius *de Trist.*

Ipse papyrifero qui non angustior amne,
Miscetur vasto multa per ora freto.

Idem *in Ponticis*,

Innumerique alii, quos inter maximus, amnes
Cedere Danubius se tibi, Nile, negat.

Scaliger *de re Poeticâ*: *Lucanus verò*, inquit, *insanit in alia collatione* (*Danubium sc. comparans cum Pado.*)

Nec minor hic Istro, nisi quòd, dum permeat orbem
Ister, casuros in qualibet æquora fontes
Accipit, & Scythicus solus non exit in undas.

Jam de *Qualitate* aquæ Danubii pauca dicemus. Eum verò lactis diluti sive seri colore esse, etiam quâ parte Vindeliciam & Noricum à Germaniâ dividit, testis est Agricola *lib.* 1. *de naturâ eorum, quæ effluunt è terrâ.* Virgilius *Georg.* 3. *turbidum* vocat:

Turbidus & torquens flaventes Ister arenas.

Seneca *torrentem,*

—— *Properatq; torrens*
Ister, & junctos vetat esse pontes.

Aquam illius ad potandum pariter, atque balneandum suavem, utilem ac salubrem esse inter omnes ferè constat. Pisces quoque optimos ac plurimos alit. Ælian. *de Anim.* 14. 23. Γίνονται δ' ἐνταῦθα ἰχθύων γένη διαφορα: Eorum autem quosdam esse mortiferos author est Plinius *lib.* 31. *cap.* 2. Præterea Danubius congelationibus vehementer obnoxius est, ac proinde Ovid. 2. *Pont.* *gelidum* vocat,

Accipe colloquium gelido Nasonis ab Istro.

Idem *lib.* 3.

Et coit astrictis Barbarus Ister aquis.

Idem *in Ibin,*

Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit.

Idem *alibi,*

Quaq; aliæ gentes, ubi frigore constitit Ister,
Dura meant celeri terga perennis equo.

Plinius *in Panegyrico, Cùm Danubius ripas gelu jungit, auratusq; glacie ingentia tergo bella transportat.* Unde à Nonno *in Bassaricis* ὑγροπαγὴς, *ex humido compactus* dicitur. Martialis:

Et ungularum pulsibus calens Ister.

Jam postremò de Danubii exitu ac ostiis paucula sunt dicenda. Et hic, inquit Stuckius, duæ sunt opiniones. Alii enim illum in duo maria Ægæum & Ponticum, alii verò in Ponticum tantùm exire voluerunt. Plures prioris sententiæ authores enumerat Stuckius. Duos tantùm hic in medium proferam, Lucanum sc. & Val. Flaccum. Prior *l.* 2.

—— *Scythicas exit non solus in undas.*

Atqui τὸ *non solus* ibi referri debet ad fluvios istos, quos secum in Pontum defert Ister, non ad Pontum ipsum. Posterior *l.* 8.

—— *Inde sequemur*
Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo
Perferat, inq; aliud reddat mare.

Verùm hanc sententiam Plinius ceu falsam rejicit *lib.* 3. *cap.* 23. *Nullus ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur.* Plerique itaque Istrum in solum Ponticum mare sentiunt evolvi. De numero autem, nominibus, atque etiam situ ac ordine ostiorum non minus quàm de illius fontibus variæ admodum sunt ac discrepantes authorum sententiæ. Nam quoad numerum, alii quinque illius ostia tradunt. Arrian. *lib.* 1. Ἔς τε ἐκβολὰς ἵνα ἐκδιδοῖ κατὰ πέντε στόματα εἰς τὸν Εὔξεινον Πόντον. Incertus author, Οὗτος Ἴστρος ποταμὸς ὁ καὶ Δανοῦβις καλούμενος, κατέχεται ἀπὸ τῶν Ἑσπερίων τόπων τὴν ἐκβολὴν πέντε στόμασι ποιούμενος. Dionysius *vers.* 398.

Ῥηνῷ δ' ἑξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς Ἴστρος,
Ἴστρος ἐς ἀντολίην τετραμμένος ἄγχι θαλάσσης
Εὐξείνου, τόθι πᾶσαν ἐρεύγεται ὕδατος ἄχνην
Πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενος περὶ Πεύκην.

Claudianus *in Stilicone,*

Thracia quinq; vadis Istrum vocat.

Alii verò 6. verbi gratiâ Plinius, Tacitus ac Ptolemæus. Reliqui autem ac plerique septem, ut Strabo qui ἑπτάστομον vocat. Ovidius 2. *Trist.*

Solus ad ingressus missus septemplicis Istri,
Parrhasiæ gelido Virginis axe premor.

Val. Flac. *lib.* 4.

Non septemgemini memorem quas exitus Istri,
Quas Tanais, flavusq; Lyces, Hypanisq; Melasq;
Addat opes.

Idem *lib.* 8.

Haud procul hinc ingens Scythci ruit exitus Istri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus, septem exit aquis, septem ostia pandit.

Lucanus *multifidum* appellat *l.* 2.

—— *Et barbara Cone,*
Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamq; profundo
Multifidi Peucen unum caput abluit Istri.

Et hanc ob causam Nilo comparatur. Hinc Mela: *Danubius eorum fluminum, quæ in nostrum mare desinunt, tantùm Nilo minor, totidem quot ille ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis navigabilis effluit.* Hæc diversitas autem opinionum inde evenit, quòd quintum & sextum ostiorum Danubii languidiora sint cæteris, septimum verò, ut Solinus, Isidorus, & plerique alii tradunt, pigrum est ac palustre, non dignum, ut amni comparetur. Plinius tamen sex vastis fluminibus illum in Pontum fluere testatur. Verùm de horum ostiorum situ ac nominibus vide Guil. Stuckium, *ad Arriani periplum pag.* 185 *&c.* Baudrando per 6. ostia, ut dictum, in Euxinum Pont. se exonerat; quorum nomina, apud antiq. *Thiagela, Borea, Falsum, Pulchrum, Narecum* & *Sacrum.* Sed ex his ostiis duo tantùm sunt navigabilia, aliis sensim oblimatis aut arenâ oppletis. Hunc fluvium Trajanus Imp. contra Decebalum movens sumtuosissimo ponte junxit, A. C. 103. Sigismundus Hungar. R. in ejus ripa à Turcis ingenti strage fusus, vix ipse Danubium tranavit, An. C. 1401. Joachimus quoque Neuhusius Bohemiæ Cancellarius, Viennam properans, ut diplomata de *Fratribus* omni persecutionis genere infestandis ab Imp. subscriberentur, ponte hic rupto, undis haustus est, an. 1565. Lasic. *l.* 7.

Danuibus, in num. Trajani, pro *Danubius.*

Danum, Angliæ op. Anton. Brigantum olim, *Doncaster* Camdeno. Ad Danum fluv. in Eborac. prov. 19. mill. Angl. ab Eboraco in Austr. 22. à Lindo in Circium. Paucis incolis constat. *Doncastel* Scotis.

Danum, portus Flandriæ, Rigordo memoratus, ad Annum Chr. 1213. olim magni nominis, 2 mill. Brugis distans. Guil. Britto *Philipp. lib* 9.

Portum lata subit à damno nomen habentem;
Qui tam latus erat, tantaq; quietus, ut omnes
In se sufficeret nostras concludere naves.
Quo valde speciosus erat Dan nomine dictus,
Lenifluus jucundus aquis, &c.

Hodieque locus *Dam* dicitur. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Danus, Dun. Eboracensis prov. fluv. Danum opp. rigat, pòst in Humbrum se exonerat.

Daona, Indiæ extra Gangem urbs. Steph. Vid. infra.

Daona, forsan *Keccio,* urbs regni Tunchini, & *Daona* pop. ubi hoc regnum, juxta sinum magnum, inter sinus & Congusinam.

Daonium, Thraciæ op. maritimum. Nicetas.

Daorizi, pop. Illyrici, in Dalmatia, inter Ceraunios & Vardiæos, Meminit Plin. 3.22.

Dapalis Jupiter, à Latinis vocatus. Dictus videtur, quòd ei sacra dapali epulo fierent. Sicuti enim dicimus cœnam dapalem, Marcello teste, quæ amplis dapibus plena est: ita & *Dapalem Jovem* appellatum existimamus. Εἰλαπιναστὴς etiam Ζεὺς colebatur à Græcis, hoc est, *convivalis*, vel *Dapalis Jupiter.* Εἰλαπίνη enim magnificum convivii apparatum significat.

Dapha, Arabiæ desertæ urbs. Ptol.

Daphidas, Sophista quidam, Oraculum Delphicum lusurus quæsivit, an equum impetrare posset? Respondit illud, utique posse, sed ab illo excussum iri. Hinc irriso Oraculo, in Attalum R. de quo sæpe maledixerat, incidit, qui ipsum de rupe, cui Equi nomen, præcipitem dari jussit. An idem cum posteriori? V. Voss. *de Poët. Gr. pag.* 88.

Daphitas, Grammaticus, qui in Thorace monte cruci affixus est, quòd reges maledicis carminibus incesseret.

Daphnæus, Syracusanorum & Italorum, adversus Carthaginenses, Dux. De quo Vid. Polyæn. *libr.* 5. Fortasse is ipse est, quem Dionysius, calumniis insectatus, in tantam produxit invidiam, ut imperium ei abrogatum in Dionysium transferretur. Aristoteles 5. *Polit.* 5.

Daphne, Penei sive Ladonis fluv. filia, quæ cùm Apollinis vim effugere non posset, implorato paterni numinis auxilio in laurum commutata est. Ovid. 1. *Met. Laurum* Daphne sig. ac fingitur Penei fluv. filia, eò quod ripæ ejus lauro abundant; tum amata ab Apolline, quia hæc arbor præbet medicinæ magnum usum; estque spectatissima apud Delphos, ubi Apollo colebatur. Ipsius verò Daphnes in arborem semper virentem commutatio, docet immortalem gloriam esse paratam virginibus pudicitiam conservantibus.

Daphne, Tiresiæ filia, apud Delphos carmine usque adeò excellenti vaticinata esse dicitur, ut Homerus ipse multa ex illius carminibus in suum poëma transtulerit. Diod. *Sic. Bibl. Hist. lib.* 4. *cap.* 68.

Daphne, Straboni, nemus apud Antiochenses. Capitolinus *in M. Antonino, In deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit.* Quod autem in Italiâ Bajæ, ad Alexandriam Canopus, id erat in Syriâ suburbium Antiochiæ Daphne. Locus ita infamis voluptatibus, ut modestioribus ac frugi propè inaccessum scribat Chrysostomus *Serm. in Babylam martyrem,* Εἶδεν, inquit, τὸ χωρίον ὑπὸ τῆς τῶν νέων ἀσελγείας τυραννούμενον καὶ κινδυνεῦον ἄβατον εἶναι τοῖς σεμνοτέροις, καὶ ἐπιεικῶς βουλομένοις βιῶν. Quem locum imitans Sozomenus: Τῷ προαστείῳ τῇ Δάφνῃ ἐπιβαίνειν τοῖς ἐπιεικέσιν αἰσχρὸν ἐνομίζετο. Natum ex eo proverbium, *Daphnicis moribus vivere,* quod de luxuriâ diffluentibus usurpabant: ut Marcus Antoninus *in Epistolâ,* quam rescripsit Vulcatius, qui etiam narrat edictum aliquando à Cassio, *ut si quis cinctus apud Daphnen inveniretur, discinctus rediret.* Erant sanè omnia ibi ad amœnitatem comparata: cœli aërisque temperamentum maximum; solum & naturâ & arte deliciis hominum τρυφῶσιν accommodum. Sed duo fuere imprimis, quæ in admirationem & amorem Daphnes cunctos

cunctos

cunctos raperent, arborum umbriferarum, & optimarum aquarum copia. Procopius *Persicorum lib. secundo*, Τότε μὲν οὖν εἰς Δάφνην ἀνέβη, τὸ Ἀντιοχείας προάστειον· Ἔνθα δὲ τό τε ἄλσος ἐν θαύματι μεγάλῳ ἐποιήσατο, καὶ τὰς τῶν ὑδάτων πηγὰς, ἄμφω γὰρ ἀξιοθέατα ἐπιεικῶς ἐστί. Hic famosum Apollinis idolum, cui quo pacto Gallus Cæsar silentium imposuerit, Vid. apud Sozomenum, *lib.* 5. *cap.* 18. Hujus reliquias cùm aliò transferre postmodum Julianus conaretur, misso cœlitus igne arsisse, refert Chrysost. *tem. in Gent.* Baronius A. C. 351, 362.

Daphnidis insula, apud Troglodytas. Plin. *6. 29.*

Daphnis, juvenis Siculus, Mercurii fil. Bucolici carminis inventor. Hic cùm formosissimus esset, cum nympha quâdam, quæ mutuo ejus amore tenebatur, ita pepigit, ut qui prior fidem violasset, utroque lumine orbaretur. Cujus sponsionis immemor Daphnis, cùm novis sese amoribus implicuisset, irati Dii, quos stipulationis suæ testes illi adhibuerunt, Daphnin excæcarunt. Suid. Versuum Bucolicorum auctor habetur. Diodor. Sic. *Bibl. H. l.* 4. *c.* 86.

Daphnis, & Idæus, filii Paridis ex Oenone.

Daphnis, cubicularius Nicocratis, Cyrenensis Tyranni, à fratre hujus Leandro, in cædem heri corruptus. Polyæn. *l.* 8.

Daphnis, Lyciæ regio & op. Ægypti ad Pelusium Herodot. Item, regiunc. Thessaliæ, quam Peneus fluv. perluit, ubi Daphne à Phœbo amata. Fuit etiam suburbanum in orâ Ponti ad sinistram, quod *Sergium* vocant, & in ipsis Ponti faucibus ad dextram navigantibus portus. Steph.

Daphnis, vel *Daphne*, fons qui in tribu Nephthalim aquis abundantissimis Reblatam urbem irrigat, atque, instar celeberrimi ac deliciosi illius Daphnes, Antiochiæ suburbani, ac tuti asyli, frequentissimis lauris & amœnitate inclytus est.

Daphnus, Medicus, cœnam prandio præferre solitus est, eò quòd Luna concoctionem juvaret. Athen. *l.* 7.

Daphnus, urbs Phocica. Item fluvius ac tribus Ceæ vicina. Stephanus.

Daphnusa, Ins. parva maris Ægæi, inter Samum & Lesbum. Quæ & *Thalusa*.

Daphnusi, pop. prope Olympum Bithynum. Steph.

Daphnusium, prope Rhegium est, Thracibus vicinum. Est & Ægypti vicus. Steph.

Dapifer, summus Officialis fuit, cùm in aulis Principum, tum in privatorum hospitiis: hoc tamen nomine haud minus antiquioribus incognitus, quàm recentioribus munere. In palatio Caroli M. ejus non meminit Hincmarus: sub Ottonibus verò celebris extat, & jam inter Electores. Nomen à ferendis dapibus quod manifestum in Palatino Comite, Dapifero vel Archidapifero Imperii, cujus est, solemni Imperatoris inauguratione prima fercula, equo elatum, Imperatoriæ inferre mensæ. Tribuitur verò hujusmodi Ministro multiplex nomen, ex multiplici munere: *Eleater* olim, Gr. εἰλεάτρος, quòd ministros παρὰ τὸν ἐλεὸν, i. ad mensam coquinariam, cibos inde ad mensam Regis delaturos, convocabat. Sed mox toti hic cibario ministerio præfectus est, Athenæo demum *lib* 4. ὅλης διακονίας ἐπιστάτης: Sic Ptolomæus Soter Alexandri M. *Eleater* fuit. *Dipnocletor* & *Convocator*, à convocando ministros & convivas: *Trapezopœus* & *Architriclinus*, à curanda mensa: à prægustando, *Progeusta*, *Protogeusta* & *Prægustator*: qualis Britannico fuit apud Tac. & Claudio Cæs. apud Suetton. *in Claudio c.* 44. Apud inferiores in Oriente: *Domesticus*, *Megadomesticus*, *Oeconomus*. In Occ. *Major Domus*, *Senescallus*, *Scalcus*, *Gastaldus*, *Assessor*. Interdum *Præfectus mensæ*, *Princeps Coquorum*, *Magyrus*: qui omnes aliquatenus inter se differunt, sed ab Auctoribus per transennam inspecti, confunduntur sæpissimè. Vid. Codinum *de Offic. Constantinop.* In aula Caroli M. Andulphus quidam, qui ab Imp. missus Britones Armoricanos domuit, A. C. 786. Caroli *Senescalcus* vocatur, Sigeberto: *Regiæ mensæ præpositus* Aimoini continuat. *lib.* 4. *cap.* 78. Reginoni *Princeps coquorum*: quo ipso officio functos, sub tertia Regum familia, ex vetustissimis carminibus vernaculis observat Falcetus *Orig. lib.* 1. *cap.* 10. etiam plures tunc extitisse, majorem verò *Dapiferum* appellatum, regium vexillum in acie detulisse: Post Caroli enim tempora nomen *Dapiferi* clarè emicuit, quem primas in regno obtinuisse, notat Hier. Bignonius. *Dapifer*, etiam infimi Baronis & cujusvis Nobilis, cognovit olim de litibus ad jurisdictionem Domini sui pertinentibus, præcratque ejusdem subditis instar Justiciarii seu Judicis capitalis: Mutato verò demum nomine, minutaque in pluribus auctoritate, *Senescallus Curiæ Baronis*, & *Senescallus Manerii* appellatus est. Hinc Robertus de Novo Burgo, apud Sigebert. A. C. 1160. *Dapifer & Justitiarius totius Normanniæ* dicitur. Et non dedignatus est olim Dux Sueviæ, Monasterii S. Galli *Dapifer* dici, ejusdemque Abbati, dum in Aula Imp. Princeps creatur, ministrare, ut refert Conradus de Faburria *Rer. Alamann. Tom.* 1. *part.* 1. In officio quoque *Dapifero*, ut dictum, fuit, Vexillum Domini sui gestare: fortè quòd ad evocandos ducendosque familiares & subditos Domini sui aptior visus est: quod apud Gallos de summo solùm Dapifero intelligendum. In palatio Regum Anglo-Normannico-rum, non adeò illustres fuisse videntur *Dapiferi*, ac in exterorum, cùm in Historiis ejus regni rarioris sint nominis, & in Chartarum subscriptionibus, locum submissiorem teneant. Fortè secundi ordinis, non primi; Domestici & hospitii Regis Seneschalli, non Megadomestici, fuere, V. Henr. Spelman. *Glossar. Archæol.* & infra in voce, *Senescallus*.

Dapsa, sacrificii genus, quod fiebat hyeme sæviente.

Dara, fil. Zaræ. 1. Par. 2. Item civitas ab Arsace condita. Justin. *lib.* 41. Et Carmaniæ fluv. Ptol.

Daraba, civitas Arab. non procul à Sabæis. Strabo.

Darabes, pop. Bactrianæ Gangaridis vicini, quorum urbs *Darapsa*. Eorum mem. Val. Flac. *lib.* 6.

Misit in arma Darabs, acies quem Martia circum
Gangaridum, &c.

Daradi, pop. Libyæ inter. circa Darat fluv. Plinio *Daratita*, Ferrar.

Daradus, Libyæ fluv. Ptol. hodie *Daras*. Vide *Daras*.

Daranissa, Armeniæ maj. opp. Ptol.

Daraps, Gangaridarum Rex, gravi Persarum bello implicitus ac periculosè in eo vulneratus, misit tamen cum copiis Præfectum suum Datin, auxilio Persæ contra Æeten & Argonautas. Val. Flac. 6. 67. Paulò pòst tamen *Vers.* 573. illum prælio interfuisse ejusque dextrâ Laragum cecidisse canit, Zeten verò fugatum.

Darapsa, urbs in Bactris. Steph.

Daras, Parthorum vicus. *Thara* corruptè apud Justinum *libro* 11. Etymol. magnum, Δάρας παρὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ συλληφθῆναι, Δαρεῖον ὑπὸ Ἀλεξάνδρου. *Daricum* Plinio ac aliis appellatur.

Daras, seu *Daradus* fluv. nunc *Senega*; pars est Nigri fluv. magis in Boream extensa. Exonerat se in Oceanum Atlant. 60. mill. à promuntorio Hesperio in Sept. Hinc regio adjacens inter Gambeam fluv. & ipsum *regnum Senega*, ubi *Jalofes* pop. in Nigritia.

Darbia, Comit. seu prov. Angliæ, in tractu, ubi Coritani pop. aliàs ex parte, inter prov. Nottingamiam ad Ort. Staffordiam ad Occasum, Licestriam ad Mer. & Eboracensem, ad Sept. Hujus caput

Darbia, urbs, ad Derventionem fluv. satis parva, 40. mill. Angl. à Nottingamia, in Occ. 17. à Licestria in Bor. 22. à Staffordia in Ortum.

Darcan, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *generationis* vel *habitationis possessio*, vel *emptio*, aut Syriacè *draco*.

Darda, Indiæ pop. qui sub Deriade contra Dionysium pugnarunt. Steph.

Dardanarii, qui omnia præemunt, ut carius vendant; à *Dardano*, quodam contaminatissimo, & profligatissimo mago dicti. Vide Turneb. *Advers.* 2. 4. & 9. 17.

Dardanellæ, arces firmissimæ Turcarum, juxta Hellespontum, olim Sestos & Abydos, nunc *Sesto* & *Avido*, 1000. p. à se invicem discretæ. Hìc tormenta inusitatæ magnitudinis, quamcunque navem, invitis custodibus transituram eversura. Cum valido Turcarum præsidio.

Dardanellæ aliæ, arces duæ probè munitæ, ad fauces sin. Corinthiaci, prope Patras, sic dictæ à situ, quia sunt ab utraque parte freti, sub Turcis. Vulgò *les Dardanelles* vel *les Chateaux de Lepante*, ab urbe in viciniis. Suntque ubi aliàs Rhium promunt. & Anti-Rhium.

Dardani, vulgò *Dardanii*, Strab. quorum regio *Dardania*, pars Mœsiæ super. ubi dein Dacia Mediterr. & nunc Servia, versus Austrum & Herzegovina. Ejus urbes præcipuæ fuere Nessus & Scupia.

Dardania, vetus nomen Samothraciæ. Steph. Item oppidum Troadis. Plin. Unde Trojani apud Virgilium *Dardani* & *Dardanidæ*.

Dardania, regiunc. Asiæ in Trojano regn. ad Bor. Troadis, inter Hellesp. & fontes Granici fluv. ubi aliàs *Dardania* vetus, opp. ad fontes Simois, 12. mill. à Troja in Bor. & *Dardanium* promunt. medium inter Trojam & Abydum. Baudr.

Dardaniæ artes, apud Columellam pro magicis, *l.* 10.

At si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniant artes. ——

A Dardano quodam Mago.

Dardanium, genus ornamenti, de quo sic Plinius *libro* 33. *capite* 3. *Cujus sceleris nos arguimus illum primum, qui auro dignitatem per annulos fecit, ut habeant in lacertis jam quiddam & viri, quod è Dardanis venit, itaq; & Dardanium vocabatur.*

Dardanum, Indiæ promunt. Strabo.

Dardanus, qui & *Polisarches*, Jovis fil. ex Electrâ, Atlantis filiâ. Ovid. *Fast.*

Dardanon Electrâ quis nescit Atlantide natum?
Scilicet Electram concubuisse Jovi.

Hic cùm Jasium fratrem interemisset, ex Creta, vel ut alii, ex Italia, in Samothraciam fugit, postea verò in Asiam venit, locaque tenuit Hellesponto proxima, urbemque de nomine suo dictam condidit, regionemque totam *Dardaniam* nominavit, quam

postea

postea *Tros* Erichthonii filius *Trojam* appellavit. Ab hoc Dardano originem duxit Priamus, Virg. *Æn.* 3.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & autor.

Regnavit annos 31. ab an. M. 2574. Duravitque regnum hoc, annos 296. Euseb.

Dardanus, Scotiæ R. initio regni laudatissimus, postea in vitia, crudelitatem inprimis, sic degeneravit, ut à subditis, tanto onere levari anhelantibus, occisus sit. Dempster. Buchan. *histor. Scotiæ.*

Dardanus Claudius Posthumus, præfectus Prætorii in Gallia. Ejus operâ tyrannus Jovinus, ab Ataulphi amicitiâ abstractus, necique datus est. Prosper *in Chron. Extr. Olympiodori.* Codex Theodos. *l.* 117. Honorii *de Decurion.* Prope Cisteronem, in Provincia, Inscriptio ejus. Sirmond. *Notis in Sidon. Apoll.* Boucheus, *hist. Prov. l.* 2. *Sect.* 3. *p.* 569. Augustinus & Hieronymus scripserunt ad hunc Dardanum, Sidonius Apoll. ejus meminit *l.* 5. *ep.* 9. non cum laudis præfatione.

Dardanus, Apuliæ urbs. Lycophr.

Dardarii, gens quædam apud Mœotidem paludem. Plut.

Dardi, Apuliæ Dauniæ populi.

Darema, Troglodytica gens in Æthiopiâ. Plin.

Dares, Phrygius, Sacerdos Trojanus, Homero celebratus, historicus, scripsit bellum Trojanum Græcè, in quo & ipse militavit, ut ait Isidorus. Captâ Trojâ cum Antenoris factione mansit, ut scribit Corn. Nepos, qui opus ejus è Græco in Latinum sermonem convertit, Sallustioque dicavit. Ita quidem vulgò creditum. Atqui scriptor est, in quo neque eruditionem, nec judicium, neque ullam elocutionis elegantiam invenias, ut nimis impudenter fecisse videatur, qui Corn. Nepotis nomen ementitus est, quasi inficetæ versionis authoris. In enarratione totius historiæ ferè ubique abit ab antiquitate, pauca similia vero de suo adstruit, absurda & inconsequentia plurima; ut vel id, quod de variis plurium annorum ac mensium induciis affingit, quò ad decennium perveniat. Nec quicquam in toto libello singulare, præter Theseidarum mentionem (quos unà cum Anio rem frumentariam curasse scribit) & ineptos illos Trojanorum, Græcorumque ducum ac mulierum formæ, morumque characteres, quibus similia deliramenta è Græcorum Neotericorum nugis ediderunt nuper viri docti. Genuinum itaque Daretis opus, quod adhuc tempore Æliani, *hist. Var. lib.* 11. *cap.* 2. Vid. & Photium, *Bibl. cod.* 190. superfuit, amissum est. Voss. *de H. G. lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 428. 429. *de Lat. lib.* 3. *pag.* 701. &. Lud. Vives, *de trad. discipl. l.* 5. Item *Dares*, pugil apud Virgilium, ignavus quidem, sed ostentator maximus: *Æn.* 3.

Daretis, regio in Macedoniâ. Polybius. Altera in Mediâ. Ptol. cui Δαρείτης dicitur. Manuscr. Seldeni Δαρεῖτης.

Dargidus, Bactrianæ flu. Ptol.

Dargomanes, fluv. Bactrianæ. V. *Dorgamanes.*

Darha, prov. reg. Biledulgerid, cum urbe primar. cognom. & fluv. *Darha*, inter Segelmessam reg. & regnum Maroci, sub Tafiletæ R.

Daria, Mesopotamiæ civitas, 98. stad. à Nisibi distans. Procop. *lib.* 1. *de bello Persico.* Dicta quoque *Anastasia*, utpote ab *Anastasio* Imperatore constructa.

Daria, vicus Cœlesyriæ, in tribu Manasse, ad meridiem Damasci in plano agro situs, quatuor aut vix quinque à Damasco miliaribus distans, unde tota Damascena civitas, atque adeò tota regio ex plano videri potest.

Daridæus, rex Persarum, Tiberii & Claudii Impp. temporibus. Philostr. *in Vitâ Apoll. Tyanei.*

Daridna, urbs Paphlagoniæ. Steph.

Dariene, urbs Amer. merid. in prov. Terræ Firmæ, juxta Sin. Urabæ & mare Bor. aliàs munita. Nunc paucorum incolarum. Sub Hisp.

Darini, seu *Darnii*, pop. Hiberniæ fuere, versus Scotiam extensi, inter Robogdios ad Bor. & Voluntios ad Austr. & Occ. in ora littorali maris Jvernici, ubi nunc Comit. Dunensis in Ultonia. Vid. & *Darinum.*

Darinum, vulgò *Estanford*, opp. Hib. in ora Bor. Ultoniæ, apud Rhobogdium prom. *Darnis* Ptol. & in cod. Pal. *Darini*, horum forsan opp. *Strangford* hodie, port. in Comit. Dunensi. Ferrar.

Dariorigum, seu *Veneti*, Galliæ urbs. Ptol. *Vannes* Cænali & Villanovano. Urbs Gall. Celt. in Britannia min. & ora Oceani Aquitan. ep. sub Arch. Turonensi. 24. leuc. à Nannetibus in Occ. & à Rhedonibus in Afr. 10. ab ostio Ligeris. Baudr.

Daristane, urbs Persica. Steph.

Darita, pop. Persiæ. Herodot.

Darium, Phrygiæ op. Steph.

Darius, cognom. *Medus*, occiso Balthasare, Babylone regnavit. Ab hoc creditur Daniel Proph. primò in foveam Leonum præcipitatus, dein ad summas dignitates evectus. Cyrum in Babylonio regno successorem habuit. Hunc Darium, quidam Nabonnidem faciunt, eique regnum tribuunt, ab Anno U. C. 198. usque ad an. 215. cùm Cyrus, Babylone captâ, Persicæ monarchiæ initium fecit. Joseph. Sulpicius Sev. Scaliger, Petavius, &c. Alii eum Astyagis fil. fuisse dicunt, avunculum Cyri, quem Cyaxarem appellant, & cum Cyro Chaldæis imperasse volunt; ad minimum sic explicant, quòd dicitur successisse Balthasaro, Anno æt. 62. Torniel. Salian. &c. Vid. Pererium, *Comm. in Dan. lib.* 7. Joseph. *antiq. lib.* 10. *cap.* 12. Hieron. *in Dan. cap.* 5. & 9. Langium, *de annis J. C. l.* 2. *c.* 12. Ricciol. *Chron. reform. t.* 1. *l.* 5. *cap.* 6. *p.* 233. & *seqq.*

Darius I. Satrapas inter Persas nobilissimus, qui, post mortem Cambysæ, à nobilibus aliquot Persis adjutus, occiso Pseudosmerdi, Persarum regnum è Magorum manibus vindicavit, equique sui hinnitu declaratus Rex est, A. M. 3532. Olymp. 64. U. C. 231. ante C. N. 521. Paulo pòst Oreten, Sardium præfectum, qui Polycratem, Samium tyrannum, cruci affixerat, neci dedit. Zorobabelem, in templo extruendo, plurimum juvit, Esr. *cap.* 5. & 6. Haggæus, *cap.* 1. & 2. Zachar. *c.* 1. Joseph. &c. Samum Sylosonti, à quo olim purpureo pallio donatus erat, reddidit. Babylonem, per Zopyrum, cepit. Scythas Bosphoro Thracio ponte juncto non adeo feliciter oppugnavit. Contra Jonas movit, ab Atheniensibus, Miltiade duce, Marathoniâ clade affectus, imperii an. 31. Ægyptios rebelles coërcuit; Xerxen, sibi jam regi natum, Artabazane primogenito excluso, successorem declaravit, Obiit A. M. 3567. Imper. 36. Josep. *Antiq. lib.* 3. *c.* 1. Herodot. *l.* 3. 4. 5. 6. Justin. *l.* 1. & 2. Oros. *l.* 2. *c.* 8. Thuc. *lib.* 1. Plut. *in Aristide & Camillo.* C. Nepos, *in Miltiade.* Dion. Halic. *l.* 5. A. Gell. *l.* 17. *c.* 21. Euseb. *in Chron.* Scal. *de E. T. lib.* 5. Beda *de* 6. *æt.* Torniel. Salian. Spond. A. M. 3532. Duas uxores, Cyri filias, habuit. Herodot. *l.* 3. Latinè *coercitor.* Herod. *l.* 6. Δύναται δὲ κατὰ Ἑλλάδα γλῶσσαν Δαρεῖος Ἑρξίης. Atqui apud Barn. Brissonium *coercitus* perperam redditur. Ctesiæ Δαρειαῖος dicitur, quæ forma propius accedit ad Persicam *Darjaves.* Origo nominis à *coercendo* vel *prohibendo.* Nam in linguâ Persarum דריוש est ἕρξις, ut Scaliger notat. Hesychius verò: Δαρεῖος ὑπὸ Περσῶν ὁ φρόνιμος, ὑπὸ δὲ Φρυγῶν Ἕκτωρ.

Darius II. cognom. *Nothus*, ex Cosmartidene Babylonia Artaxerxi Longimano natus, fratri Sogdiano successit, an. 3631. Ex Parysati, sorore patris, Arsacis, qui Artaxerxes Mnemon dein dictus est & Amestris, cùm adhuc privatus esset, parens; post Regnum occupatum, Cyri Jun. aliorumque 13. filiorum. Per Duces, Cyrumque fil. aliquot expeditionibus obitis, obiit an. regni 19. Salian. *Ann. A. M.* 3631. Photius, *p.* 135. Justin. *l.* 5. Diod. Sic. *l.* 13. Ado & Euseb. *Chron.* &c. Vide supra. Hunc Sulpic. Severus *hist. sacr. lib.* 2. & Scaliger. *de E. T. l.* 6. Zorobabelem juvisse, in templo extruendo, volunt, alii ut dictum, Dario I. id ascribunt.

Darius III. Arsamis fil. ex Sisygambe, Ostanis, qui frater erat Artaxerxis Ochi, nepos, ultimus Persarum rex, cogn. *Codomannus.* Coronam à Bagoa Eunucho accepit; qui Arsen, minimum Artaxerxis Ochi fil. neci dederat. Mox ab eodem veneno petitus, scelus in auctorem retorsit, & hanc regiæ familiæ strigem sustulit. A. M. 3718. U. C. 417. Olymp. 111. Dein Alexandri adolescentiam despectui habens, bello eum aggressus est, ab eoque, quamvis exiguis copiis, tribus ingentibus præliis ad Granicum, ad Taurum, ad Arbelam tandem, victus, d. 1. Octobr. 11. dieb. post Eclipsin Lunæ, Diod. *l.* 17. Plin. *lib.* 11. *cap.* 70. Ptol. *Cosmogr. c.* 4. memoratam, cùm se fugâ victori eripere conaretur, à suis comprehensus est, ac trucidatus, A. M. 3724. regni 16. postquam Monarchia Persica durasset an. 230. Euseb. *in Chron.* Justinus, Arianus, Curtius, Plut. Salian. Torniel. &c. Claudianus,

Darium manibus famulûm doluisse peremptum

Dicitur.

Templum Hierosolymitanum Judæis edicto suo restaurari permisit sumptibus propriis. Esdr. 1. 6. LLoyd.

Darius, Artabani fil. Vitelliano fœdere cum Artabano, obses missus Romam, Jos. *lib.* 18. *cap.* 4. Is est, quem nominat Sueton. *Calig. cap.* 19.

Darius Tibertus, Poëta & eques Cesenâ Italus, scripsit an. 1492. epitomen vitarum Plutarchi.

Darmascus, ponitur pro *Damascus.* 1. Par. 18. Hebræis enim *Darmesek* dicitur.

Darmille, fructifera vallis in Naxo Ins. ad montium pedes. Nat. Metell.

Darmstadium, opp. Palatinatus inf. in Strada montana, 2. leuc. à Rheno, 3. à Francofurto ad Mœnum in Austr. Sub Principe proprio, ex Famil. Hassiaca. Castrum habet satis munitum, estque Caput regiunc. adjacentis: Captum fuit, principatu Philippi Magnanimi, jussu Cæsaris, à Comite Burano, A. C. 1547. Hujus Philippi fil. minimus Georgius I. frater Wilhelmi Cassellani, *Darmstattinam* lineam orsus, pater fuit Ludovici I. Philippi & Friderici, è quibus hic Homburgios sevit, iste improlis obiit: ille patris successor *Fidelis* cognomen, ob fidem in Cæsarem, meritus, cum fratribus pactum Primogenituræ, in hanc lineam, introduxit, ob hæreditatem patrui cum Mauritio agnato litigavit, Giessensem Academiam instituit, fœdus Unionis dissolvit, translationem Electoratus in Bavarum improbavit, Obiit A. C. 1626. Eo, ex Magdalena Brandeburgica nati Johannes, qui Breubacum incoluit, Henricus, Fridericus Cardinalis, & major his Georgius II. qui de causa Marpurgensi cum Agnatis

A. C. 1627. transegit: repentinâ morte oppressus A. C. 1661. Ei successit ex Soph. Eleonora Saxonica, fil. Ludovicus II. cui aliqua contentio cum Electore Palatino An. 1662. ob jus Ecclesiasticum Umstadii orta est. Pater hic ex Elisabetha Holsatica Georgii & Ludovici; Frater autem ejus junior Georgius, Suecorum in bello Danico miles, Iteram à patre habitandam nactus est. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Histor.*

Darna, Assyriæ urbs. Ptol.

Darnii, Hiberniæ pop. Ptol.

Darnis, vide *Zephyrium*.

Daroca, opp. Arragoniæ, ad Xilocam fluv. 5. leuc. à Bilbili in Austr. 12. à Cæsaraugusta in Occ.

Darocana, Paropanisi urbs. Ptol.

Daroma interior & exter. in tribu Juda, utriusque sæpe meminit Hier. *in L. H.*

Daron, opp. Ægyptiorum in Arabico latere. Plin. 6.30.

Darrha, pop. juxta Rubrum mare. Steph.

Darsania, urbs Indica, ubi uno die mulieres vestem contexunt. Steph.

Darsii, Thraciæ pop. Steph.

Darvernum, seu mel. *Durovernum*, *Darvenum* Ptol. Angl. portus, unde in Galliam trajicitur, vulgò *Dover*. Aliis est *Cantuaria*, urbs Archiep. in Cantio, ad Stouram amnem, 6. mill. Angl. ab ora littor. 12. à Dubri portu, qui *Dover*. Vide *Durovernum*.

Darus, Pannoniæ sup. fluv. per Stiriam fluens, qui vulgò *Muer* dici putatur. Sed *Darus* potius *Dravus* est.

Dasæ, *Dai* dicuntur Stephano.

Dascæ, Arcadiæ urbs. Steph.

Dascon, Siciliæ regio. Vide Cluver. *de Sic. Ant. lib.* 1. *cap.* 13. & Boch. *de Phœn. col. pag.* 556. Sinus quoque prope Syracusas. Diod. *l.* 13. & 14.

Dascusa, & *Dasousa*, urbs Armeniæ min. in confin. maj. ad Euphratem, media inter Zimaram, & Melitenem, quæ nunc *Arsingan* dicitur. P. Gyllio, aliisque testibus.

Dascyleum, *Dascylium*, & *Dascylos*, Bithyniæ urbs ad Propontidem; *Diasquillo* Villanovano; *Diaschilo* autem Nigro.

Dascylium, urbs Cariæ in finibus Ephesiæ à *Dascylo* filio Periandri. Est & alia post bellum Trojanum condita. Tertia Joniæ, quæ μεγάλη nominatur, utpote major aliis. Quarta Æolidis, & Phrygiæ. Est & *Dascylites*, sive *Dascylia* palus. Steph.

Dascylos, Gygis regis pater.

Dasem, in Bibl. ubi alii legunt *Resem* seu *Resen*, Benjamino Tudelensis est *Getiagan*, urbs Babyloniæ, inter Niniven & Chale. Ferrar.

Dasis, unus è ducibus Darii, qui bello apud Marathonem victus est. Herod. *lib.* 6.

Dasius, medicus, cujus mem. Martialis,

Ostendunt digitum sed impudicum
Alconi, Dasioq; Symmachoq;.

Dassareta, *Dassarita*, *Dassarens*, ac *Dassaritii* Stephano; *Dassaretii* Ptolemæo, *Dassarenses* Livio, pop. Illyrici, sive Macedoniæ. Mela *lib.* 2. Horum urbs *Lychnidus*, & lacus eodem nomine, vulgò *Lago d'Ochrida*. Habitarunt circa lacum Lychnidem & Drilonum, fluenta, intra Scardi montis juga; ex Liv. Baudrandus.

Dastrachus, mons Armen. min. ad quem Pompejus castra Mithridatis obsidione conclusit. Orosius *l.* 6. *c.* 4.

Data, Assyriæ urbs. Ptol.

Datalaria & *Patalaria*, insf. maris Afr. inter Siciliam & Afr. Aliis *Cossyra*, aliis *Paconia*. Vide ibi.

Datames, fil. Camissaris, ex matre Scythissa, Cariæ præfuit. Postea Dux Exercituum sub Artaxerxe, rebus prudenter fortiterque gestis clarissimus evasit. Hinc æmulorum obtrectatio, & ejus ex aula fuga. In qua cùm diu egregiè se tueretur, à Mithridate tandem, simulatâ amicitiâ, perfidè interfectus est. C. Nepos, *in Datame.*

Datraphernes, unus ex præcipuis amicis Bessi, per quem & Catenem Spitamenes illum comprehendit & Alexandro tradidit. Curt. 7. 32. Pòst iterum defecit ab Alexandro; sed Dahæ, Spitamenis cæde compertâ, eum vinctum Alexandro dediderunt. *libr.* 8. 19.

Dathan, id est, *ritus* aut *lux*, filius Eliab, qui cùm insurrexisset in Mosen & Aaronem, hiatu terræ absorptus est. Num. 16. A. M. 2548. Torniel. Salian. Vide Joseph. *Ant. l.* 4. *c.* 3.

Dathema, nomen urbis. 1. Mach. 5.

Dathus Augustinus, Senensis, Orator, Philosophus & Historicus, tempore Pii II. plurima scripsit, inprimis historiam patriam, & Principum Plombinensium. Vitam ejus Nicolaus filius scripsit.

Dathus, seu *Datus*, urbs Thraciæ, juxta Strymonem fluv. Thasiorum colonia ditissima, ob venas auri. Hinc Prov. *Dathus bonorum*, i. ingens copia.

Daticha, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Datii, Gall. Aquitan. pop. Ptol quorum urbs Tasta, *Dax*, ad Aturum fluv. 25. leuc. Vascon. ab Ausciis in Occ. 10. à Bajona, in Ort. Quibusdam *Aqua Tarbellica*. Baudr.

Datinorum navale, Antisara est. Steph.

Datis, Legatus Darapis Gangaridarum regis, quem auxiliaribus copiis Persæ missis præfecit. Flacc. 6. 67.

Datismus, Datidis imitatio, dicitur de dictione pluribus verbis idem repetente & quidem σολοικῶς, proverbio sumto à *Datide* quodam Persa, qui cùm Satrapas esset in Græcia, Græceque loqui affectaret, dicebat: ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ χαίρομαι. *delector, gaudeo, lætor*, pluribus super eadem re coacervatis synonymis & Barbarè posito χαίρομαι, pro χαίρω, ingrato simul sono τῶν ὁμοιοπτώτων. Hunc *Datismum* Aristoph. *in Pace*, Δάτιδος μέλος vocat.

Dattha, Mediæ opp. Ptol.

Datus, Thraciæ urbs, quæ aurifodinas habet. Suid. Vid. *Dathus*.

Datylepti, pop. Thraciæ. Steph.

Datylus, vir Atheniensis, qui ad summos honores evectus est. Unde Proverb. *Datyli dies.*

Davara, nomen collis, in minori Asiâ, circa Taurum montem. Tacit. 6. 41.

Davares, Mauritaniæ pop. Amm. Marcell.

Daubrauca, fil. Boleslai Bohemi, nupsit Mieczislao, Zemomisli filio, Poloniæ Principi, eâ lege, ut religionem ille Christianam susciperet, A. C. 965. Ita *cæca Polonia*. quod in Ducis infantia præfiguratum erat, *visum salutiferum accepit*. M. Cromerus *Hist. Pol. lib.* 3.

Dauchila, Libyæ inter. gens.
Dauchis, Æthiopiæ inter. mons.
Dauciones, Scandiæ pop.
Daudiana, Armen. maj. opp.
} Ptol.

Dave, Arabiæ urbs. Steph.

Davelli, Æthiopiæ sub Ægypto pop. Plin.

Daventria, urbs, Transisalanæ reg. caput, intra Zutphaniam ad Austr. & Zuoliam ad Bor. 10. leuc. ab Ultrajecto in Ortum. Libera jam olim Anseatici fœderis civitas: Belgico fœderi accessit præt. sec. A Wilhelmo Stanleio Anglo, Hispanis accipientibus perfidiam & tamen aversantibus, prodita, A. C. 1587. postmodum, virtute Mauritii principis, recepta est: A. C. 1591. Ab illo tempore, sub Batavis: donec A. C. 1672. à Gallis capta est, quibus tamen inde vertente fortunâ & anno recedentibus ad Batavos rediit, A. C. 1674. Aquis est undique cincta, probeque munita, in confin. Gueldriæ infer.

Davernum, vide *Darvernum*.

David, id est, *dilectus*, filius Isai, minimus, ex tribu Juda, An. Mund. 2980. Rex Judææ potentissimus, idemque Propheta, insignis Jesu Christi typus. De quo vide 1. Reg. à *cap.* 6. *ad fin.* 2. & 3. Reg. *cap.* 1. & 2. 1. Paral. *cap.* 2. & 11. *usq. ad* 29. Joseph. *Ant.* 5. 7. 12. Suidam, qui sua hausit ex Josepho, ut & Sulpic. Sever. *hist. Sacra lib.* 1. Obiit, Salomone fil. successore declarato, A. M. 3020. æt. 70. regni 40. Euseb. & Genebr. *in Chron.* Spond. Torniel. Salian. *in Annal. Sacris* De quæstione, An omnium Psalmorum ipse auctor? Vide Athanas. *in Syn.* Hilar. *prol. in Psal.* Hieron. *ep.* 133. & 139. Isidor. *l.* 6. *Eth. cap.* 2. Liranum, &c. Contrà, August. *de Civ. D. lib.* 17. *cap.* 14. Ambros. *in Psalm.* 43. & 47. Basil. *in Psal.* 44. Nazianz. *Orat. in encæn.* & *or ad Naz.* Epiphan. *adv. Origen.* Chrysost. *in* 1. & 2. *prol. sup. Psalm.* Theodoretum, Cassiodor. Bedam, &c.

David Comnenus, ultimus Imperator Trapezuntius, post Johannem fratrem. Cum Usuncassane, Persarum R. fœdus iniit, elocatâ ipsi ex fratre nepte. A Mahomete II. de throno deturbatus, cùm Constantinopolim ab ipso pollicitatione aliarum ditionum, loco amissi Imperii, pellectus esset, & perfidè ejus jussu, cum filiis suis, peremtus est, An. Chr. 1461. Chalcondylas *lib.* 9. Crantz. *lib.* 3. *cap.* 27.

David I. Scotiæ R. fil. Malcolmi III. Alexandri I. fratri successit, an. 1125. Regnavit felicissimè, bello contra Stephanum, Angliæ R. finito, & fundatione 4. Episcopatuum, quos tam amplis reditibus donavit, ut ipse ad pauperiem deveniret, inclytus. Obiit an. 1153. Buchanan. & Dempster. *Hist. Scot.*

David II. fil. Roberti Brussii, Johanni Balliolo in regno antelati, an. C. 1229. æt. 8. rex coronatus est, res prudenter administrante duce Thomâ Ranulpho. Ab Eduardo Balliolo, fil. Johannis, jus paternum in Scotiam urgente, pulsus, cum uxore, in Galliam se recepit: pòst à subditis restitutus. Qui cùm eum contra Anglos, Eduardi fautores, concitassent, ab his captus, post decennium, grandi pecuniâ libertatem redemit. Obiit an. 1268. æt. 47. Justitiæ, clementiæ prudentiæque laude florentissimus, non æquè tamen felix. Major *lib.* 5. Buchan. *lib.* 8. *cap.* 9. Leslæus *lib.* 7.

David, fil. Roberti III. Scotiæ Regis, à fratre fame confectus, quod scelus Scotia magno luit. Boethius *libr.* 15. Spond. *An. Chr.* 1402. *n.* 4.

David, Æthiopum R. patri Nahu, successit An. 1507. sub tutelâ Helenæ matris. Bello contra hostes felix ad Emanuelem Lusitaniæ R. filiumque ejus Johannem, dein ad Clementem VII. legatos misit. Obiit post an. 36. regni. P. Jov. *hist. lib.* 8. Franc. Alvares, & Damian. Goëzius, *descr. Eth. tom.* 2. *rerum Hispan.* & 1. *navig. Ram.* Marmolius *lib.* 1. *cap.* 20. hos titulos ab ipso usurpatos refert: David, Deo dilectus, columna fidei, ex sanguine

& cognatione Juda, fil. Davidis, fil. Salomonis, fil. columnæ Sionis, fil. feminis Jacobi, fil. manus Mariæ, fil. Nahu secundùm carnem, Imperator magnæ & excelsæ Æthiopiæ, omniumque regnorum, inde dependentium, Rex &c.

David Beton, Scotus, eruditione insignis, à Jacobo V. ad Franciscum I. missus, an. 1534. Cardinalis à Paulo III. factus, anno 1538. hinc legatus in Scotiam, ubi Arch. Andreanus evasit, omni ope renascentis Evangelii primordia impedire conatus est. Cum Comite Lesle dissedit. Occisus an. 1546. corpore ejus, purpurâ induto, & de fenestra palatii suspenso. Lesl. *lib.* 9. & 10. *hist. Scot* P. Jovius, Buch n. &c.

David Chambræus, Scotus, epitomes histor. Regum Franciæ, Angliæ & Scotiæ auctor, &c.

David Chytræus, Theologus & Historicus, auctor Chronicorum Sax. & eruditi in Apocalypsin commentarii. Natus an. 1530. Menzingæ, Sueviæ oppido. Notanter observavit, an. 666. qui numerus Bestiæ est, donatione Pipini, auctas Papatus opes. Vide Voss. *de Mathem. cap.* 68. § 7. *p.* 399.

David Dinantius, Almarici discip. Deum esse primam materiam asseruit. Sub initium sec. 13.

David Fabricius, Mathematicus, prognostica scripsit, sub initium hujus seculi.

David Finarensis, Medicus: Auctor Epitomes Astrologicæ, &c.

David Georgius, Hæresiarcha, vitriarius, vel ut alii pictor, Gandavensis, nautæ fil. an. 1525. cœpit se verum Messiam venditare, missum qui cœlum vacuum dignis possessoribus impleat. Cum Sadduceis negavit Resurrectionem, cum Adamitis conjugium rejecit, cum Mane negavit, animam peccato coinquinari posse, abnegationem Jesu Christi pro ludo jocoque habens, Martyres risit, &c. Coactus in Frisiam transire, hinc Basileam concessit sub Johannis Bruckii nomine latens. Obiit ibi an. 1556. post triennium resurrectionem suis discipulis clandestinis pollicitus. Nec omni ex parte falsus vates, hoc enim tempore exacto, cùm innotuisset Ampliss. Magistratui, quid monstri aluerit, refossus, & cum sacerrimis suis scriptis, carnificis manu combustus est. Ejus hodieque in Holsatia, Fridericopoli inprimis, non exiguæ reliquiæ, inter Arminianos ibi habitantes. Vide Alex. Rossæum, *in ejus historia*. Gautier. *in Chron sec.* 16. *c.* 8.

David Haddjanus, Grammaticus Hebr. sec. 12.

David Kimchi, Grammaticus Rabbinus, sec. 13.

David Morganensis, circa annum 1480. Scripsit antiquitates Walliæ principatus, cum Geographica ejus descriptione.

David Origanus, Silesius, Ephemeridum volumina 3. scripsit.

David Ritzius, citharœdus Italus, Mariæ Scoticæ adeò placuit, ut præ illo Henricum Stuartum, Scotiæ R. maritum, sperneret, in diplomatibus ejus nomen substitueret, & cùm interfectus à Proceribus esset, necem ejus non solùm severè ulcisceretur, sed & cadaver in sepulchris Regum reconderet. Vide Thuan. *l.* 37. 40. Buchan *hist. Scot.*

David Scotus, Mariani Scoti familiaris, ludimagister primò Herbipolitanus, hinc in Henrici V. Imper. aulam translatus, vitam hujus scripsit. An idem cum Scoticarum rerum Scriptore? Voss. *de Hist. Lat lib.* 2. *cap.* 48. Conradus, Abbas Ursp. *in Chron.* Trithem. *in Cat.* Aventinus, &c.

Davius, sive *Davyus*.

Daulia, vulgò *Eladasagni*, teste Mol. urbs Maced. mediterr. Scampi finitima, ab ea in Austr. parum distans.

Daulis, nympha à quâ Daulidi urbi nomen, quæ *Daulia* Straboni ac Livio dicitur, & est urbs Phocidis in Achajâ, olim sub ditione Terei regis Thracum, unde Philomela ab Ovidio *Daulias* dicitur, quòd in hâc urbe in avem sui nominis fuerit conversa. Ovidius,

Deflet Threiciam Daulias ales Ityn.

Dauni, Italiæ pop. à *Dauno* duce Diomedis socero victi. Horum opp. est *Salapia*, Annibalis meretricio amore inclytum. Plinius *l.* 3. *c.* 11. Regio *Daunia*, provincia regni Neapolitani, *Daunium* Stephano, & *Apulia Daunia*, Incolis *Puglia piana*, nunc *Capitanata*. Ejus limites fuere ab Occ. Frento flu. quo à Frentanis dividebatur, & mons Apenninus, quo ab Hirpinis; à Mer. Aufidus fluv. quo à Peucetiis dividebatur. A Sept. verò & Or. mari Supero seu Adriatico alluebatur. Ejus urbes & loca nunc, *Apennesta*, dein *Vesta*, *Asculum*, *Bovinum*, *Larinum*, *Lesina*, *Manfredonia*, *Mons Corvinus & Garganus*, *Salapia*, *Severopolis*, *Sipontum*, nunc diruta, *Thermulæ*, *Troja*, olim Ecæ, *Vultura* seu *Vulturaria*. Interiere *Sipontum*, *Salpia*, *Argyripa*, *Tuanum*, *Herdonia*. Ferrar. Baudr.

Daunus, fil. Pilumni, & Danaes, Turni avus, qui in Apuliâ regnavit, à quo, ut quidam volunt, *Daunia* regio dicta. Alius ejusdem nominis, prioris fil. ex Veniliâ sorore Amatæ Latini regis uxoris, qui Turnum suscepit.

Daunus, fluv. Apuliæ. Horat. 3. *Od.* 33.

Et quâ pauper aquâ Daunus agrestium
Regnator populorum.——

Davosium, vicus Rhætiæ non obscurus, in Fœdere decem jurisdictionum, ubi curia est hujus Fœderis, & omnium jurisdictionum comitia habentur. Caput primæ Jurisdictionis, quod cum Prælongana jurisdictione plurimis immunitatibus, ac privilegiis fruitur. Non enim idem & par jus Austriæ duces in jurisdictiones octo priores habent, sed cuivis sua privilegia & consuetudines sunt, quorum omnium tabulæ in archivo Davosiano asservantur. Vide Simler. *de Rep. Helv.* & infra in voce *Jurisdictionum* 10. *Fœdus.*

Dauratum, castrum Galliæ, in Marchia Lemovicensi, vulgò *le Dorat*, non procul à fluv. Vartimpa *Gartempe*; Hujus Abbas Ramnulsus, in Lemovicensem cathedram intrusus, lapsu equi miserè periit. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Daurifer, vel *Daurises*, unus ex Darii ducibus fortissimis, qui per insidias à Cariis cæsus est. Herod. *lib.* 6.

Daus, Servi Comici nomen.

Dausara, urbs circa Edessam. Steph.

Dausdava, Mysiæ infer. opp. Ptol.

Dautona, seu *Audantonium*, Pannoniæ urbs. Anton. *Tiser* sive *Rhain* vulgò dicitur. Baudrando opp. Saviæ, in Pannon. inf. unde Andiantes pop. 10. mill. à Savo fluv. in Bor. in tractu, ubi nunc *Chasina* opp. versùs Colapis in Savum confluentias, in Sclavonia. Sed 9. leuc. Germ. abest ab opp. *Rain*, olim *Noviodunum*, Sansoni.

Davyus Jac. Perronius, Normannus, ex Reformato Pontificius, Henrico III. ab Henrico Desporteo, Abbate Tyronensi, commendatus, Reginæ Scotiæ parentavit, dein Ronsardo, pòst Joyeusio D. mortuo idem fecit. Occiso Rege ad Cardinal. Borbonium se recepit, fidelibus pervertendis omnem operam navans. Ab Henrico IV. postquam is *regnum Galliæ missâ dignum* judicasset, cum Ossato, ad Clementem VIII. missus, Episc. Ebroicensis fit. In Galliam reversus Mornæi insignem de Eucharistia librum frustra aggressus, castratis mutatisque editionibus cœtui imposuit, Mornæo edito scripto causam suam defendente. Hinc Cardinalis, an. 1604. & Archiep. Senonensis, Jacobo R. respondere paravit. Inde iterum Romam missus, ad pacem inter Paulum V. Venetosque conciliandam. Redux obiit, an. 1618. Plurimis scriptis editis, prosâ versuque, Thuan. *hist.* Ossatus, *lib.* 1. *ep.* 26. & 28. *l.* 2. *ep.* 41. & 43. &c.

Davyus Joh. Perronius, prioris frater, Arch. post eum Senonensis, obiit an. 1621.

Daxareni, Arabiæ gens. Steph.

Daxata, Serica urbs. Ptol.

Daza, vide *Maximinus Daza*.

DE

Dea vel *Dia*, V. ibi, urbs Gall. Narb. Anton. vulgò *Die*, Episc. sub Arch. Viennensi, cum Acad. ubi Vocontii aliàs Hinc *Dea Vocontiorum* Anton. & *Dea Augusta*. Imo in inscr. lapidis Arelatensis, *Colonia Dea Augusta Vocontiorum*. Urbs vetus est, & fortè Liviæ seu Juliæ, Augusti uxori, in Divas relatæ, consecrata: quemadmodum Lucus Augusti alterum Vocontiorum caput, municipium fuit Augusto dicatum. Hinc in prisco marmore, apud Galtherum legitur, *Livia Aug. Dea municipium.* In vett. Not. inter prov. Viennensis civitates 14. quinto ponitur loco, vocaturque *Civitas Deensium.* Fortè *Virdunum* olim Gallicè. Versus montes, ad amnem Drunam, vulgò *la Drome*, qui Rhodanum auget. 12. leuc. à Gratianop. in Austrum. Videtur successisse in locum Vasionis, quod opp. cum Luco Augusti, caput erat Vocontiorum civitatis fœderatæ, primasque tenebat olim. Valentinam *Deensemque* Diœceses, tametsi distinctas, diu unus rexit Episcopus: è quorum serie Manellus, vir miræ sanctitatis, memoratur Gregorio: Secularius subscripsit Concilio Epaonensi, Lucretius Aurelianensi quinto & Parisiensi 2. & 4. Paulus, per missum, Matisconensi 2. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Dea, Angliæ fluv. vide *Deuva.*

Deabolis, Macedoniæ castellum. Cedrenus.

Deabus, tyrannus apud Celtiberos. Berosus. Aliàs *Geryon* dicebatur.

Deba, Commagenæ in Syria urbs. Ptol. Alia Mesopotamiæ eidem.

Deba, Arab. Fel. pop. apud quos fluv. aureæ arenæ. Diodor. Propertius *Debatas* vocat 4. 5.

Si te Eoa juvat, Debatarumque aurea ripa.

Debba, *Dunstaburg*, à S. Dunstano Episc. opp. Albionis, mel. *Bebba*, Camd. in Northumbria, in ora, inter Bervicium ad Bor. & Tinemuthum ad Merid. Vide Ferrar.

Debbasheth, civitas in tribu Zabulon. Jos. 19.

Debera, nomen loci. Jos. 15.

Deblathaim, civitas in terrâ Moab. Jerem. 48.

Deboma, Macedoniæ opp. Ptol. *Dardassi* Moletio.

Debora, nutrix Rebeccæ, A. M. 2304. Gen. 35. 8.

Debora, uxor Lapidoth, Israëliticum populum judicavit anno à mundo condito 2659. ante Christum natum 1303. Aliis ab A. M. 2760. Hæc Baracum exercitui suo præfecit, atque unà cum eo adversus Sisaram, ducem exercitus Jabin, Regis Chananæorum, commigravit, fusa ac prostrata adversariorum acie: Sisara ipse præceps de curru delapsus, fugam arripuit, atque à muliere Jaël susceptus, & statim epoto lacte obdormiens, defixo per tempora clavo,

clavo, ab eadem caput consuitur, somnoque soporiferum lethum adjicitur. Vide librum Judicum, *cap.* 3. Sulpic. Sev. *hist. Sacræ lib.*1. Petav. *de D. T. l.* 9. Latinè *apis.* Nec tantùm judex erat, sed etiam prophetes. Lapidoth autem Ebræi putant fuisse Baracum, in quo significatio fulguris; nec alienum ab eo vox לפיד quæ sæpe de fulgore usurpatur. Sed obstat huic opinioni, quòd Baracum aliunde advocavit; nam si maritus ejus esset, simul habitassent. Ideo in Midrash exponitur *mulier lychnaria*, quòd lychnos, i.e. לפידים conficeret ad usum sanctuarii. R. Salomo, R. David, Lyra.

Debora palma, ubi Debora prophetissa judicabat Israëlem, & mittebat Barac ad pugnandum contra Sisaram in monte Tabor: est versus Rama, quæ & Silo, in tribu Ephraim.

Deborus, urbs Macedoniæ in Pæoniâ reg. Ptol.

Debris, Ptol. *Bedsron*, opp. Garamantum in Libya, ubi fons interdiu frigens, noctu fervens. Plin. Sol.

Decamnichus, Archelai Aulicus, qui aliquando Euripidi fœtorem oris vitio dedit, ac ab eodem, id permittente Archelao, plagis multis percussus est, quod indignè ferens, in Archelaum grassantibus ducem se præbuit, ac necis illius extitit causa gravissima. Rhod. 24. 10. Aristot. 5. *Pol.* 10.

Decanum, regnum satis amplum, in India cit. Habet ad Occ. Oceanum Ind. ad Bor. regnum Guzaratæ; ad Ort. regnum Golcondæ; ad Merid. regnum Bisnagaris; Ejus Rex *Idalcan* dicitur. Regni primaria antea fuit Goa, emporium celeberr. in ora littor. Urbs Arch. sub Lusitanis à 160. annis. Hodie Decanum sedes regum est: Urbes Hamedanager, &c. Texeira, *l.* 1. *c.* 22. Joh. Barrius, *lib.* 9. *cap.* 1. P. de Valle.

Decanus, Gr. Δέκανος, à δέκα, in militia dictus est, qui 10. militibus: in Monasteriis qui 10. monachis in Eccl. majori, 10. præbendis seu Canonicis, plerunque Presbyteris: ideoque & ipse Archipresbyter habetur: in Episcopatus divisione 10. Clericis seu parochiis: in Centuriæ distinctione, Decaniæ suæ sodalibus præfuit. De *Decano* militari, Vide Vegetium *lib.* 2. *cap.* 13. De Monastico, Augustin. *de morib. Eccl. Cathol. lib.* 1. *cap.* 31. è quo loco candorem illius ævi, & posterioris deliquium, Lector agnoscas. *Decanus* in maj. Ecclesia Capituli caput: quorum duo apud Anglos genera. Alterum, ex antiquo ritu, in quo Decanum eligit Capitulum, impetratâ Regis veniâ: Alterum, ab Henrico VIII. post eversa Monasteria, introductum, qui in Cathedralibus Ecclesiis, ubi Abbatem & Monachos deprehendit, eosdem in Decanum & Capitulum, variato nomine, mutavit, Decanumque Regum diplomatibus conferendum statuit. Præter hos dicti sunt in Eccles. Constantinopolitana, *Decani libitinarii*, qui in sepeliendis mortuis curam agebant: numero primùm incerto, sed à Constantino M. 950. *instituti*: postea 1100. è quibus, qui in maj. Ecclesia inserviebant, immunitate donati sunt. Episcoporum *Decani*, al. *Rurales*, sunt Decani temporales, ad aliquod Ministerium, sub Episcopo vel Archiepiscopo exercendum constituti: quo nomine etiam Chorepiscopus & Plebanus dictus est. Apud Gallos *Decani* appellati sunt, qui sub Magnatibus Regni, Abbatiarum curam gerebant. Erat autem *Abbatis* titulus secularium olim apud Gallos, æquè ac Ecclesiasticorum; etiam Baronibus, Comitibus, Ducibus, Principibus attributus. Hinc Carolus Calvus fratrem uxoris suæ Bosonem, mox Regem futurum, Abbatiâ S. Mauritii donasse: & Robertus Comes Parisiensis, sub excessu Caroli Simplicis an. Chr 921. Hugo M. dux Francorum, sub ingressu Rodulphi R. A. C. 923. ac Hugo Capetus, qui Rex Franciæ evasit, an. Chr. 987. avus nempe, pater & filius, Abbatum titulum assumsisse leguntur. Hi itaque occupatis Abbatiis, cui mori vehementer ab Ecclesiasticis reclamatum est, illas non deleverunt, sed cum Abbatis nomine, Monachis extorserunt Abbatiarum proventus, atque pinguedinem, prædiis inter milites suos dispartitis, *Decanisq;* aliquando substitutis, qui Abbatiarum curam satis frugaliter administrarunt. Vide Aimon. *libr.* 5. *capp.* 34. 43. 44. donec circa An. Chr. 999. sensim seculares hi Abbates abiere. In Scotia nihilominus prisci moris superesse vestigia, docet Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Decapolis, reg Palæstinæ, sic dicta à *decem urbibus* quibus constabat, ita verò ab Ebræis enumerantur: *Sepher, Tiberias, Nephthali, Azor, Cæsarea Philippi, Capernaum, Bethsaida, Chorazin, Bethsan*, & *Jotopata*. Ejus longitud. 30. mill. latitudo minor.

Decastidium, Calabriæ urbs. Anton. hodiè *S. Anna* Barrio.

Decatara, Dalmatiæ urbs. Cedrenus.

Deceates, pop. Gall. Narbon. quorum oppid. *Draguinien* in Provinciâ, teste Cænali. Alii horum oppid. seu pag. *le Bourg de Duysans* esse malunt. *Datiatii* quibusdam, versus oram erant maris Mediterr. ubi nunc Diœcesis Grassensis, in parte Or. Provinciæ. Eorum prim. fuit Antipolis. Distabant autem aliquantulum à Draguignano in Ort. longius autem à vico *le bourg d'Oysans*, in Delphinatu. Baudrand.

Decebalus, Rex Dacorum, fortis & prudens, qui non solùm uti victoriâ, sed & omnia adversa in suum usum convertere sciret. Domitiani duces Oppium Sabinum & Cornelium Fuscum devicit, à Trajano superatus an. 103. pacem impetravit. Quâ violatâ, cùm gravis ei Imperator, quem necare frustra quæsivit, immineret, mortem sibi ipsi conscivit. an. 106. Dio. *l.* 68. Sueton. *in Domitiano c.* 6.

Dececia, vel *Decetia*, opp. Galliæ, in inf. Ligeris. Saxea ac velut scrupea & in rupem elatâ, vulgò *Dezise*, vel potius *Desize*: 7. leuc. ab urbe Niverno. Hîc in Ecclesiola, ab Euphrasio & Auxilio eremitis, condita, asservatur corpus S. Aregii *S. Are*, Episcopi Nivernensis, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Decelia, una ex 12. urbibus, quas Cecrops digessit. Strabo. Item pars tribus Hippothoontidis. Steph.

Decelus, Castori & Polluci Helenam sororem, quam Theseus rapuerat, investigantibus Aphidnis servari indicavit, ut refert Herodotus, quanquam alii id ab Academo factum velint. Vide Plut. & Pausan.

Decempagi, Germ. urbec. inter Argentoratum ac Divodurum, Anton. Hodie *Dieuse*, in Lotharingia, Simlero. Ad Selnam fluv. ubi exit è lacu Duodeciaco, vulgò *le lac, où l'estang de Lindre.* Malè haud pridem habita. 10. leuc. à limite Alsatiæ in Occ. 2. à Marsalio in Ort. 10. à Metis in Eur. 7. autem à Nancejo in Ort. Baudrand. Valesio distat à civitate Mediomatricorum circiter 12. mill. pass. inter Tabernas & Divodurum, 20. mill. pass. utrinque, diciturque Germanis, *Duose in Lothringen.* Huc cùm pervenisset Attila, cum Hunnis suis, dicuntur miraculo facti mitiores, Auctorem Mediomatricorum Episcop. captivosque omnes Mettenses solvisse, P. Longobardus *de Episc. Mettensibus.*

Decemviri, magistratus Rom. custodes 12. tabb. Cùm enim Consulum Tribunorumque dissidiis urbs laboraret, Hermodorus Ephesius, consuluit Romanis, ut tres legatos in Græciam mitterent, illorum mores consuetudinesque addiscendi causâ. Quod factum, & ex farragine illa peregrinarum legum 12. tabulæ conflatæ sunt, an. 303. Sed triennio pòst, Decemviralis potestas, imprimis ob Appii Claudii lasciviam, sublata. Liv. *lib.* 3. Dionys. *ant. Rom. l.* 10. Florus *l.* 1. *cap.* 24. Cicero, *lib.* 2. *de fin.* Erant & Decemviri militares.

Decensium, & *Decia*, *Die* Cœnali. Vide *Dea.*

Decentii, Pannoniæ pop. à *Decentio* sic dicti. Steph.

Decentius Magnus, Cæsar à Magnentio fratre factus, an. U.C. 1105. Apud Senonas, audito fratris fato, laqueo vitam finivit, an. Chr. 373. Pomponius, Aurel. Victor, *epit. Cæs.* Hieron. Eus. Idathius, *in Chron.* Socr. *lib.* 2. *cap.* 7. Zosimus, *lib.* 2. *sub fin* Eutropius.

Decetia, Gall. Lugd. opp. Anton. vulgò *Decise.* Baudrando oppidum Vadicassium, in prov. Nivern. ubi *Airon* amnis se in Ligerim exonerat, 7. leuc. à Molino in Borcam 8. à Niverno in Eur. Ligeri fluv. maj. ex parte cingitur, cum ponte lapideo.

Deciana, Endigetorum in Hispania Tarraconensi urbs. Ptolemæus.

Deciani, Calabriæ pop. Plin.

Decianus, viri proprium ex Emeritâ Hisp. oppido.

Deciatium, reg. Gall. Narbon. Plinius.

Decidiana, vide *Domitia.*

Decidius Saxa, prænomine *Lucius*, ex ultimâ Celtiberiâ prognatus, Cæsaris castrorum metator fuit, cujus beneficio postea Tribunus plebeji factus est. Cæs. 1. *Civil.* Cicero *Philipp.* 10. 11. 13.

Decietum, urbs Italiæ. Steph.

Decii, Romani fortissimi, tanta patriam charitate complexi, ut pro ejus salute se Diis manibus devovere non dubitarint. Pater quidem *Decius Mus*, bello Latino; Filius autem bello Hetrusco; Nepos verò, eo bello, quod Pyrrhus pro Tarentinis gessit. Cic. 1. *Divinat.* Liv. *lib.* 7. 8. & 10. Val. Max. *lib.* 5. *cap.* 6 *ex.* 5. & 6. Polyb. *lib.* 2. Diodor. *lib.* 12. Aurel. Victor *de Viris Illustr. c.* 26. 27. Virg. *Æn.* 6. Juvenalis,

Pluris enim Decii quàm qui servantur ab illis.

Decii quoque Tacitus meminit, Annal. *lib.* 3. qui Tacfarinati, Africam populanti, strenuè se opposuit, in eo persequendo occisus.

Decii ara, locus paludosus Mœsiæ, prope Abrittum urb. ubi Decii Impp. se devovere, ut scribit ex Jornande Pomponius Lætus. Hunc locum videtur Cassiodor. *lib.* 2. *Var. Decennonias paludes* vocare.

Decimæ Saladinæ, al. *Saladinides* dicuntur, quæ in Concilio Basil. an. Chr. 1188. Philippo Francorum Regi in oppugnationem Saladini, Mahometani Principis, fuerunt concessæ. Hujusmodi etiam obtinuit Rex Angliæ Richardus I. teste Matthæo Paris. an. Chr. 1189. & ab exemplis istis posteri sæpe Reges. Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.*

Decimus Pacarius, Corsicæ Procurator, qui cùm odio Othonis Vitellium juvare Corsorum viribus statuisset & dilectum agens inconditos homines fatigare muneribus cœpisset, insidiis in balineis interfectus est. Tacit. *Hist.* 2. 16.

Decius, nomen pl. Tribuni, qui C. Marcio Coriolano diem ad populum dixit, quòd gravi annonâ advectum è Sicilia frumentum, magno precio dandum populo curasset.

Decius, Consul cum Longino. an. *U. C.* 1139.

Decius, Consul solus, an. *U. C.* 1280.

Decius Ausonius, vide *Ausonius.*

Decius Ausonius Gallus, Cos. cum Olybrio an. *U.C.* 1134.

Decius Brutus Julianus, Cos. cum M. Æmilio Mamerco, anno *U.C.* 677.

Decius Haterius Agrippa, Consul cum C. Sulpitio Galba, anno *U.C.* 774.

Decius Junius Brutus, Consul cum Pub. Scipione Nasica, an. *U.C.* 616. Lusitaniam domuit.

Decius Junius Brutus Scæva, Cos. cum L. Furio Camillo, an. *U.C.* 430.

Decius Junius Brutus Scæva, Consul cum Q. Fabio Maximo, an. *U.C.* 641.

Decius Junius Bubulcus, Magister equitum. Samnites vicit, an. *U.C.* 445.

Decius Junius Pera, Consul cum Marco Fabio Pictore, anno *U.C.* 487.

Decius Junius Syllanus, Cos. cum L. Muræna, an. *U.C.* 692.

Decius Junius Syllanus, Consul cum Q. Haterio Antonino, an. *U.C.* 805.

Decius Lælius Balbus, Cos. cum C. Antistio Vetere, anno *U.C.* 748.

Decius Messius Quintus Trajanus, Bubalo oriundus, in infer. Pannonia, missus à Philippo ad comprimendos motus Mœsiacos, ut primùm provinciam attigit, Imperator omnium consensu dicitur, anno mundi 4212. à Christo nato 250. U.C. 1003. Hic civiles in Gallia motus sedavit, prius quàm ad urbem rediret, adversus Scythas ad liberandas Thracias cum filio profectus, unà cum Decio Hetrusco filio, victo proditione Treboniani Galli, periit & loco, & fato adversantibus. Equo sedens ne in manus hostium veniret, in paludem insiliit, an. Chr. 251. nec cadaver usquam inventum est. Imperavit annis duobus, vixit quinquaginta, inter optimos annumeraretur, si à cruciatibus Christianorum, quibus septimam persecutionem crudelissimam movit, temperasset. Pompon. Lætus. Aur. Victor, *epit. Cæs.* Orosius *l.* 7. *c.* 21. Euseb. *l.* 1. 6. *c.* 29. 32. 34.

Decrius, castello, juxta Pagydam fluv. præpositus, impiger manu, exercitus militiâ: Qui cùm à Tacfarinate, unà cum sua cohorte, obsideri cœpisset, illam obsidionem flagitii ratus, aciem pro castris instruxit. Ubi, primo impetu pulsâ cohorte, inter tela occursans fugientibus, simul excepta vulnera, & quanquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit; neque prælium omisit, donec desertus suis caderet. Tacit. *Ann.* 3. 20.

Decrius Calpurnianus, Vigilum præfectus, à Claudio, tanquam adulteriorum Messalinæ conscius & particeps, occisus. Tacit. 2. 35.

Dectadas, historicus à Parthenio laudatus *Eroticôn cap.* 13. ubi de Harpalyce.

Decula, cognomen gentis Tulliæ plebejæ.

Deculani, pop. in 2. reg. Italiæ. Plin. 3. 11.

Decuma, Hisp. opp. in conventu Cordubensi.

Decumani, Galliæ pop. Plin. Mela.

Decumanus, fluctus ponitur pro ingenti, sive ab observatione, quòd *decimum* quoque magnitudine soleat superare, sive potius à Pythagoræorum superstitione, qui magnificè admodum de hoc numero sensere. Festus: *Decumana ova dicuntur, & fluctus decumani quia sunt magna: Nam & ovum decimum majus nascitur, & fluctus decimus fieri maximus dicitur.* Testantur id passim poëtæ Latini. Ovid. *Met.* 11.

Vastior insurgens decimæ ruit impetus undæ.

Idem *Trist.* 1. *Eleg.* 2.

Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes,
Posterior nono est, undecimoq; prior.

Lucanus, *lib.* 5.

Hac fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalidâ cum puppe levat.

Senecâ *in Agamemnone,*

Hæc onere sidit, illa convulsum latus
Summittit undis, fluctus hanc decimus tegit.

Val. Flaccus, *lib.* 2.

Incassum decimæ cecidit tumor arduus undæ.

Silius *lib.* 14.

Non aliter Rhodopes Boreas à vertice præceps
Cùm sese immisit, decimoq; volumine pontum
Expulit in terras. ——

Decumates, agri in Germ. sunt Tacito, ubi hodie Wirtembergensis ducatus est, Willichio teste. Iidem *Caritini* sunt Ptolemæo, ut Melanchthon & Peucerus existimant.

Decumi, Dalmatiæ populi.

Decuria seu *Decenna*, decemviralis erat societas in Anglia, in qua singuli reliquorum fidejussores extitere erga Regem, de se bene gerendo, ita sc. ut delinquentem quemlibet cœteri novem in judicio sisterent, fugientemque intra 31. dies redderent, vel ipsi lege tenerentur. Aliter *Friborgus*. Vide ibi. *Decuriæ* præfectus *Borsholder*, q. fidejussor primarius, dicebatur. Alvredus autem Rex, qui floruit circa annum Chr. 880. Angliam totam in Comitatus, hos in Centurias, istas denique in Decurias & Decennas, divisit. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Dedan, urbs, Jerem. 25. Vide Boch. *Phaleg.* 4. 6. In tribu Juda.

Dedanim, filii Dedan.

Deditamenes, ex amicis Alexandri M. cui ab eodem Babylonia, Mazæo mortuo, subjecta est. Curt. *l.* 8. *c.* 19.

Dedmasa, urbs Cariæ. Steph.

Deera, campus Susianæ reg. Ptol.

Dees, Arab. Fel. opp. Ptol.

Defensores, multiplices sunt & pluribus nominibus cogniti, tum in Ecclesia, tum in Rep. Dicti, quòd innoxiè tueantur, ut ait Cassiodor. *lib.* 9. *cap.* 25. Sub Cœlestino & Bonifacio, circa an. Chr. 423. initium sumsit *Defensor Ecclesiæ*, è Concilio Africano *Can.* 42. Hinc *Defensor Monasterii*, & ex eodem fonte *Defensores Patrimonii S. Petri*, qui à Pontificibus in provinciis constituuntur, ad tuendum curandumque patrimonium Ecclesiæ Rom. De quibus crebra apud Gregorium mentio, *in Epist.* unde officium liquet, & è Pelagii P. *Epistolis*. Hinc & *Defensores Ecclesiarum parochialium* deinceps instituti sunt, quos hodie *Gardianos* vocant. *Defensoris* civitatis meminit Cassiodorus *lib.* 7. cùm dicit: *Imples revera boni* Defensoris *officium, si cives tuos nec legibus patiaris opprimi, nec charitate consumi.* Hic, dum plebis rationem habet, *Defensor plebis* etiam dictus est. Cognovit hic de causis pecuniariis, usque ad aureos 300. nec non de criminibus levioribus: Testamentorum insuper & donationum insinuationes, coram ipso, factæ sunt, ut & testationes ac depositiones, suumque ideò scrinium habuit seu Archivum & exceptores. Vide Novell. 15. *Defensores Eccl.* de quibus supra, etiam *Advocati* dicti sunt: qui duplices, alii causarum Ecclesiæ, alii soli. Hi hæreditarii, illi dativi. Priores à Principe dabantur, ad respondendum in colloquiis judicialibus. Can. 99. Synod. Carthag. *Post Consulatum Stiliconis, inducta est Advocatorum defensio, pro causis Ecclesiæ.* Cujus institutionis exemplar & formulam veterem, exhibet è præcepto Chlotarii R. in Chron. Besuensi, Bignonius. Hi postea *Oeconomi* dicti sunt, & *Vicedomini*, nec causarum tantùm curam gerebant, sed eorum etiam, quæ ad vitæ alimoniam & censum Ecclesiæ pertinebant. Posteriores, sunt ipsi fundatores & hæredes ejus. Ecclesiarum Parochialium Advocatos, hodie *Patronos* dicimus. In genere autem Advocatum *Defensorem* denotare, elucet hinc, quòd & Romani Carolum Magnum *Advocatum S. Petri*, contra Reges Longobardorum, sibi elegerunt, apud Engolism. *in vita ejus*: & hodie in Inauguratione, Imperator *Advocatum Ecclesiæ* se profitetur: sicut Angliæ Rex *Fidei Defensorem* se dicit, qui titulus à Leone X. decretus, & per auream bullam Clementis VII. Henrico VIII. delatus, quòd is regio calamo partes Ecclesiæ Rom. contra Lutherum defendisset, potiori nunc jure successoribus ejus fortissimis veræ Fidei Vindicibus competit. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Arch.*

Degia, Assyriæ urbs. Ptol.

Dehenbartia, Cambriæ regio, Comitatus titulo insignita, ad Meridiem sita est, ac ab Oceano & Vaga fluvio clauditur: subque ea sunt septem alii Comitatus. *Metel.*

Dei gratiâ, titulus, quo olim usi sunt, non solùm Archiepiscopi, Episcopi, Duces: sed etiam Abbates, Priores, Comites, minimi interdum Magistratus & Legati. Comites præsertim, jura Regia obtinentes, & Abbates mitrati, vulgò *Abbots Souverains*, Angl. Indignantibus verò interea Regibus, ipsumque, uti Majestatis specimen, vendicantibus: vel omissum paulatim est omnino vel transmutatum. Ludovicus XI. Gall. R. hoc de suis rescriptis detrahere jussit Franciscum Ducem Armoricanum, ut refert Bodinus *de Rep. l.* 1. *cap.* 10. Quod cùm sæculo hoc iterum usurparet unus ex filiis nothis Henrici Magni, qui Mercurii ducis filiæ maritus, Armoricanum Ducatum nactus erat, Majestatis postulatus est, à Ludovico XIII. Duarenus *in Comm. ad Consuet. feud. cap.* 1. *n.* 5. *Igitur scribit*, inquit, *Gallorum R. in titulo suo*, Dei gratiâ, &c. *quasi nullius hominis, sed solius Dei gratiâ Rex sit.* Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Deianira, Oenei Ætoliæ regis filia, primùm Acheloo, mox Herculi desponsata; quâ de causâ exorto inter rivales dissidio, Achelous singulari certamine superatus Herculi concedere coactus est. Porro cùm Hercules transiturus esset Evenum, Ætoliæ fluvium, qui tunc temporis maximè excreverat, Nessus Centaurus seipsum ultro obtulit ad transvehendam Deianiram, quam cùm illi commisisset, ipse primus intrepidè tranavit fluvium: Sed cùm Nessus, qui in alterâ permanserat ripâ, novæ nuptæ vim inferre pararet, ægrè id ferens Hercules, sagittâ Hydræ sanguine infectâ Centaurum transfixit, qui se moriturum sentiens, ut hostem ulcisceretur, Deianiræ vestem proprio suo sanguine perfusam dono dedit: asserens ei vim amatoriam inesse, quâ si ejus maritus indueretur, ipsum ab aliarum mulierum amore avocatum iri. Mulier itaque nimis credula munus accepit, cùmque audisset maritum suum in Eubœâ amore Joles Euryli filiæ detineri, vestem Nessi sanguine imbutam Lichæ famulo tradidit Domino perferendam. Hercules igitur nihil mali suspicans cùm sacrificaturus eam induisset, tantis cruciatibus affectus est, ut in furorem versus Licham in mare dejecerit, qui in scopulum mutatus est. Ipse autem Philoctetæ arcu & sagittis commissis se in ardentem pyram in Oetâ monte constructam conjecit. Quod audiens Deianira, dolore percita, mariti clavâ se interfecit, ex

cujus sanguine postea nata est herba, quæ Nymphæa & Heracleon dicitur. Ovidius *Metam. lib.* 8. *fab.* 1. 2. 3. 4. Vide Diodor. *l.* 5. Et Sen. *in Hercule Oetao.*

Deidamia, filia Lycomedis regis Scyri insulæ, quam Achilles, cùm inter regis filias sub muliebri habitu lateret, gravidam fecit, & ex eâ Pyrrhum genuit. Prop. *lib.* 2.

Scyria nec viduo Deidamia viro.

Deidamia, filia Pyrrhi, ab Epirotis, per Milonem quendam occisa. Polyæn. *lib.* 8. 632.

Deileon, Comes Herculis in expeditione contra Amazonas; conjunxit se juxta Sinopen Argonautis, Val. Flacc. 5. 115.

Deilochus, Herculis fil. ex Megarâ Creontis Thebani regis filiâ. Hom. *in Odyss.*

Deilochus, ab Apollonii Scholiaste *lib.* 2. ἐν πρώτῳ περὶ Κυζίκου citatur. Vide Stephanum in Λαμψακός, ubi vulgò corruptè Δηίχος legitur.

Deinsa, oppidul. Flandriæ, in tractu Corteriacensi, ad Legiam fluv. 2. leuc. à Gandavo in Occ. sub Gallis ab an. 1667.

Deioces, quintus Medorum rex, fil. Arbianis, quem quidam Arphaxad esse volunt, prudenter Medorum dissidia composuit, Ecbatana condidit, Herod. *lib.* 1. Diod. Sic. *l.* 2. regn. an. 54.

Deïoces, constituit regnum Medorum primò justitiâ & æquitate popularium favorem promeritus, mox astu arce in Ecbatanis exædificatâ Dominum se fecit, teste Polyæno *lib.* 7. *pr.* Aliis *Deioces.* Vide Herod. *Clio &c.*

Deione, mater Mileti ex Apollinis concubitu, unde Miletum *Deionidem* vocat Ovidius *Met.* 9.

Deioneus, pater Cephali.

Deiopeia, una Junonis Nympharum, quam illa apud Virgil. *Æn.* 1. Æolo uxorem pollicetur,

Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ,
Quarum quæ formâ pulcherrima, Deiopeiam
Connubio jungam stabili propriamq́; dicabo.

Deiorates, Gallogræciæ tetrarcha, an. U. C. 680.

Deiotarus, Galatiæ rex, à senatu Rom. juvante Pompeio factus in bello Civili, ejus postea partes secutus est. Post pugnam Pharsalicam domum se recepit, deinde ad Cæsaris clementiam confugiens, bella gerenti subsidia ministravit; quare ab eo dimissus est, parte tamen regni multatus. Tandem accusatus à Philippo quodam, quòd Cæsari apud se divertenti insidias construxisset, à Cicerone defenditur. Alii accusatum illum cædis filiæ & generi Castoris, qui historici pater, dicunt. Strab. *l.* 12. Suid. Ejus mem. Lucanus *lib.* 5. *vers.* 55.

—— *Fidumq́; per arma*
Deiotarum. ——
—— *Jubet ire in devia mundi*
Deiotarum. ——

Deiotarus Adramyttenus, Ludi litterarii Magister apud Gargara Troadis. Steph. ubi tamen Græcè Διόφιλος dicitur. Item *Deiotarus* Castoris filius, cognomento Φιλάδελφος. Strabo *lib.* 12.

Deiphobe, Sibylla Cumana, Glauci filia, quæ Æneam ad inferos duxit. Virg. *Æn.* 6.

—— *Phœbi Triviæq́; sacerdos*
Deiphobe Glauci. ——

Deiphobus, Priami ex Hecubâ fil. qui interempto Paride, Helenam uxorem duxit, cujus tamen dolo ac proditione interfectus est à Græcis, quos illa in cubiculum dormientis intromisit.

Deiphontes, Dux Doriensium, qui appellens ad collem, ubi conspici non posset, submisso falso speculatore, nunciandum Argivis curavit, Dorienses esse prædatum egressos: Adversus quos Argivi desertis castris exeunt. Tunc Deiphontes cum sociis navibus egressus vacua defensoribus capit. Argivi parentibus, liberis & conjugibus captis, ut illos & regionem servarent, urbem Doriensibus tradiderunt. Vide Polyænum *lib.* 2.

Deipnias, Thessaliæ vicus apud Larissam. Steph.

Deipyle, Adrasti filia, Tydei uxor, ex quo Diomeden suscepit, qui in bello Trojano primus post Ajacem & Achillem ab Homero describitur. Diod. *lib.* 4.

Deipylus, Stheneli fil. Capanei in bello Trojano amicus fidissimus. Hom. *Il.* 5.

Deipyrus, unus ex principibus juventutis Græcorum. Hom. *Iliad.* 8.

Deirades, tribûs Leontidis vicus. Steph. Item promuntorium & urbs Æthiopiæ.

Deitania, Hispan. citer. regio circa Carthaginem novam. Plin. 3. 3.

Dela, Arab. Fel. urbs. Ptol.

Delas, & Tygris minor fluvii, qui Apameam Mesenorum civitatem circumdant. Steph.

Delcinus Novariensis, juxta Gerardum Sagarellum Parmensem, doctor Fratricellorum, qui summâ tum crudelitate in Italia exterminabantur, anno Chr. 1300. Blondus *dec.* 2. *lib.* 9. Pantal. *Chron.*

Delcos, seu *Delta*, urbs Thraciæ, in Urbana reg. versus oram littor. Ponti Euxini, 30. mill. à Byzantio in Circ. Hinc lacus *Delcos* adjacens, & fluv. cognom.

Deldon, Mysorum ac Basternarum rex, quos cùm M. Crassus præliis frequentibus edomuisset, illorum tandem regem Deldona suâ manu interemisse fertur. Dio & Cæl. Rhod. 18. 23.

Delean, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Delessa, maris Ægæi insula. Anton.

Delgovitia, Angliæ urbs. Anton. *Godmundingham* in ditione Eboracensi. Camdenus.

Delia, urbs Cariæ. Steph.

Delioli, horti sunt prope Neapolim. *Poggio Reale*, Fabricio.

Delium, opp. Bœotiæ in Tanagra. Steph. Juxta Euripum, medium inter Chalcidem ad Bor. & Tanagram ad Austr. versus ostia Asopi fluv. Nunc in ruinis. Baudr. Item Apollinis templum. Strabo.

Delius, unus ex ducibus Antonii, missus ad accersendam Cleopatram, mulieri persuadet, monetque Homerico versu, ut ad judicium proficiscatur quàm maximè ornata. Plut. *in Anton.* Idem cum historias descripsisse tradit. Messala Corvinus hunc *desertorem bellorum civilium* vocat, quia à Dolabellâ ad Cassium transiit, à Cassio ad Antonium, novissimè ab Antonio ad Cæsarem. Scripsit quoque lascivas Epistolas ad Cleopatram. Vid. *Adelphius.*

Delius, vide *Delos.*

Delli, lacus breviores non longè à Catanâ, miræ profunditatis, quos incolæ *crateras* vocant. Vide *Palici.*

Dellium, urbs ampla Indiæ Or. sub Magno Mogole, caput regni cognom. ad Geminum amnem, 100. mill. circiter ab Agra in Boream, Lahorium versus. Sedes Amazonum olim, quibusdam. Davity, *Asiæ p.* 1. *p.* 663.

Delmatia, vide *Dalmatia.*

Delmenhorstium, opp. & Comit. Germ. in dit. Comitis Oldenburgensis antea, nunc sub Daniæ R. Ad Delmam amnem, qui paulo infra in Visurgim cadit, 3. leuc. Bremâ in Occ. 4. ab Oldenburgo in Ort. Oppidi historia hæc: Arx primò fuit, ab Ottone II. Com. Oldenburgico, condita, an. 1247. ab hujus dein ex fratre Christiano nepote, Ottone III. urbs facta est. Huic nati Johannes Oldenburgicæ, & Christianus (doctissimus) *Delmenhorstana* lineæ, conditores fuere: quo cum fratre à Butjadis cæso, filius Otto simplex, Bremensibus Comitat. assignavit, si solvendo non esset, illique filium Archiep. crearent. Sic electus est Nicolaus filius, an. 1421. sed sororis ejus Adelheidis maritus Theodoricus Fortunatus Oldenburgicus, nihilo secius Comitat. si i vindicavit. Huic filii fuerunt Christianus, Mauritius, & Gerhardus: quorum medio *Delmenhorstum* assignatum est, sed liberis ejus impuberibus à Gerhardo ereptum. Christianus I. Dano-Holsaticæ familiæ auctor fuit. Gerhardus verò Bellicosus Oldenburgios continuavit: qui cùm vicinos vexare non desineret, Episcopi Monaster. & Brem. Delmenhorstum an. 1482. cum Comite ceperunt. Filius Johannes interea administrationi admotus Butjados & Statlandos an. 1499. devicit, arce Rodekercken cervicibus illorum impositâ, quâ destructâ an. 1513. iis denuo ope Brunsuicensium victis arx Ovelgun imposita est. Ejus filius minimus natu Antonius, an. 1529. ex resignatione fratris Johannis administrationem suscepit. Hic an. 1547. Delmenhorstium diu à Monasteriensibus detentum, vi cepit, & munivit, Pater Johannis, rursus Oldenburgensis rami, & Antonii, Delmenhorstani, auctorum, quorum hujus familiâ in liberis extinctâ, illi Comitatus accrevit. Hoc natus Antonius Guntherus prudentissimè ultra 60. an. provinciam rexit, in medio belli æstu semper neutrarum partium: Quo ultimo suæ gentis haud pridem extincto, agnatus Daniæ Rex Comit. qui familiæ proprii, vindicavit. Jeverensem Johannes princeps Anhaltinus Servestanus, ex sorore nepos, nactus est: Kniphusium dominium Antonius fil. naturalis, ex Ungnadia susceptus, obtinuit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Delminium, nunc *Dumno*, Joh. Lucio, non Almissa, Slavè *Omisc*, quod maritim. est opp. Baudr. V. *Peguntium*, & *Dalmatia.*

Delos, ins. maris Ægæi, Cycladum omnium clarissima, in quâ Latona Apollinem ac Dianam dicitur enixa, unde Diis illis sacrata putatur, tantumque religionis ei semper fuit, ut ne Persæ quidem, quum bellum toti Græciæ, Diis hominibusque indixissent, & mille numero navium classem ad Delum appulissent, quicquam conarentur aut violare, aut attingere. Virg. *Æn.* 3.

Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri & Neptuno Ægæo,
Quam pius Arcitenens oras & litora circum
Errantem Mycone celsâ Gyaroq́; revinxit.

Totius Græciæ emporium erat & ærarium Græcorum. Ibi opp. præcipuum *Delos*, postea *nova Athenæ Hadrianæ.* Nunc *Sdilles.* Dicta ἀπὸ τοῦ δῆλος, quod cùm antea mari tecta esset, Latonæ locum ad pariendum quærenti, repentè se ostenderit: Prius *Ortygia* dicebatur, *Asteria, Cynthia, Lagia, Chlamydia, Gynethus*, & *Pyrpile*, ab igne ibi primùm reperto. Virg. *Georg.* 3.

Cui non dictus Hylas puer & Latonia Delos?

Hæc insula olim per mare vagabatur. Ovid. *Met.* 6.

—— *Quam vix erratica Delos*
Errantem accepit, tunc cùm levis insula nabat.

Statius,

—— *Nec instabili famâ superabere Delo.*

Claudianus,

—— Motoq; in stamine Delos
Errat, & aurato trahitur circumflua Ponto.

Hinc à Callimacho Πλαγκτὴ dicitur, & à Virgilio *errans*. Aristides etiam oratione in Asclepiadas Δῆλον φερομένην dixit. Plin. 4.12. *Ipsaq; longè clarissima Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata Delos, quæ diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem.* Adi Strabonem, qui *lib.* 10. eadem narrat ex Pindaro. Edidisse hic Oracula Apollinem sex mensibus æstivis ferunt, Pataram Lyciæ urbem sex hybernis reliquis se contulisse: Hinc Virg. *Æn.* 4.

Qualis ubi hybernam Lyciam, &c.

Postea verò immota facta est, & à Virg. sic dicta. Hinc Herodotus in *Erato*, tale oraculum narrat:

Κινήσω καὶ Δῆλον ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν.

Proinde Callimachus *in Hymno ad Delum*, eam vocat ἄστονον *immutabilem*, i.e. ἀκίνητον καὶ ἄσειστον, inquit Scholiastes, qui addit: Καὶ Θουκυδίδης σεισμὸν γενόμενον μέγαν βεβαιῶν ἐξηγήσατο, φησὶν, ὅτι τοῦτον ἦν μέγας, ὥστε τὴν Δῆλον σεισθῆναι. In ea canem nullum alere, aut cadaver sepelire licuit, postquam Athenienses ea potiti, Thucyd. *l.* 3. Strab. *l.* 10. Plin. 4. 12. Ibi fons est Inopus nomine, qui eodem quo Nilus modo, ac pariter cum eo crescit. Plin. 2. 103. Hodie *Sdille* hæc Ins. dicitur, neque quidquam habet celebre, præter nomen. Videturq; nunc gemina, ob Rheniam, in qua olim cadavera sepulta, ei conjunctam; & Pars, quæ olim Rhenia erat, *Fermene* vocatur ab indigenis. Parvi circuitus est, sub Turcis, 60. mill. ab Eubœa Inf. in Ort. Ferè deserta, Baudr. Inde *Delius*, & *Delia*, Apollinis ac Dianæ epitheta. Item *Deliacus*, ut *Vasa Deliaca*, de quibus Plin. 34. 2. & Cic. pro Roscio Amerino. *Delius*, inquit Bochartus, factum ex דחל *daal*, quomodo *Belus* ex בעל *Baal*. Syris autem דחל *daal* est *timor*, deinde Deus qui timetur, juxta illud Poëtæ,

Primus in orbe Deos fecit timor.

Et hoc ob Apollinem ac Dianam, quorum natalibus erat celebris.

Delphacia, Propontidis Inf. Plin.

Delphi, urbs Phocidis in Achajâ ad Parnassum mont. oraculo Apollinis & templo ejus, post à Gallis, Brenno Duce, direpto, clarissima. Cujus historia paucis sic habet: Caprarum grex aliquando ad antrum hoc accedens ingentem clamorem sustulit. Id miratus Pastor Coretas, cùm illuc se conferret, vaporibus inde prodeuntibus impletus, vaticinari incepit. Hinc alii atque alii huc venerunt, sed, quia plurimi imprudenter in voraginem prolapsi perierunt, tripodem ibi statui placuit, cui imposterum vates insideret. Hic honor virginibus primò, in Dianæ honorem obtigit, donec raptâ ab Echecrate Thessalo Phœbade, quinquagenariæ adhibitæ. Et quia oraculum hoc toto orbe celebre fuit, templum divitiis scatens, sæpe præda cessit Eubœensibus, Phlegyiis, Pyrrho Achillis filio, Xerxi, Phocæensibus, Gallis, Neroni tandem, qui 500. inde statuas cupreas rapuisse dicitur, distributo militibus territorio Cyrrhææ, Apollinis domanio, & antro, unde Oracula prodibant, occisorum hominum cadaveribus obstructo, Strabo *l.* 9. Pausan. *l.* 10. Dio. *l.* 62. Diod. Plut. *Just.* Oraculum hoc, nato mundi Servatore obmutuisse, postquam Augusto, causam roganti, hæc respondisset:

Me Puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub Orcum, &c.

referunt Niceph. *l.* 1. *c.* 17. Cedren. *in Comp.* Suid. *in Aug.* Oros. *l.* 1. *c.* 18. *Delfo* etiamnum, *Castri* Sophiano & *Saona* Nigro, qui eandem frumenti feracem esse tradit. Magis rupibus, ac loci naturâ quàm humanâ arte munitur. *Umbilicus terræ* dicebatur à Græcis, referente Plutarcho *lib. de Oracul. defectu.* Strabo *l.* 9. Ἐκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλόν. Liv. *l.* 38. *Etiam Delphos, quondam commune humani generis oraculum, umbilicum orbis terrarum, Galli spoliaverunt.* Hinc est illud Claudiani,

Jupiter, ut perhibent, spatium cùm discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui,
Armigeros utrinq; duos æqualibus alis
Misit ab Eois, occiduisq; plagis:
Parnassus geminos fertur junxisse volatus:
Contulit alternas Pythius axis aves.

Ovidius *Met.* 10.

In medio positi caruerunt præside Delphi.

Nunc viculus in planitie est, 9. mill. ab ora Sinus Corinthiaci, in Bor. sub Turcis, Baudr. De *Delphica umbra*, adagium idem cum illo, *De Asini umbra*, i. e. de re nihili. Cùm enim, orante Demosthene, judices dormitarent, is fabulam, de eo, qui asinum Athenis Delphos onustum ducens, in maximo æstu, sub asini umbrâ æstum declinare volebat, agasone sibi obsistente, & dicente, se illi asinum, non umbram asini locasse, recitavit. Cui fabulæ cùm se judices attentos ostendissent, & Demosthenem rogarent, ut fabellam totam referret, is, *De umbra Asini*, inquit, seu, *De umbra Delphicâ audire cupitis, non causam, in quâ de vitâ hominis agitur?* *Delphicus* quoque *gladius* apud Eurip. & Arist. *Pol. l.* 1. in proverbio est, de re in diversos usus accommodabili, uti gladius apud Delphicos, quo victimas cædebant, ac noxios interficiebant. In hac civitate, nato Christo, siluit oraculum, V. in *Augustus* & supra. Hinc *Delphicus* Apollo dictus, licet Macrobius à priscâ Græcorum voce Δελφὸς derivare maluit, quæ *solum* sig. eò quòd interdiu stellis omnibus obscuratis, solus luceat, quâ ratione *Sol* à Latinis est appellatus.

Delphi, urbs Hollandiæ nitida, tertium tenens locum, à rivo *Delf*, quo interluitur, dicta, cerevisiâ & ædificiis inclyta, in quâ Guillelmi Arausf. Principis, ibi an. 1583. interfecti, ut & Admiralis Trompii, celeberrimum monumentum. Dicitur & *Delfium*, estque ex præcipuis Hollandiæ. Vix 1. leuc. ab Haga Comitis. 3. à Lugd. Batav. in Austrum, totidem à Roterodamo in Occ. Crescit indies. Hic Cornelius Honius, & Gnapheus Hagiensis, Evangelium annuntiarunt, A. C. 1521. qui junctâ cum Jac. Præposito, qui Antverpiæ: Joh. Rhodio, qui Trajecti: Martino Dorpio, qui Lovanii docuerunt, operâ, N. T. post Biblia in idioma Belgicum transtulere, &c. Seditionis à fœminis, ob novum in frumenta tributum, excitatæ ibidem, A. 1616. historiam habes, in Supplem. Thuan. Collatio Delphensis Orthodoxorum cum Arminianis, an. 1617. effectu carens, describitur in libro, cui tit. *Henoticum Belgis dissecti.* Guicciard, *Belg.*

Delphicum Templum, oppidul. Gall. Narb. fortè ubi nunc *les Trois Maries.*

Delphidius Atticus Tyro, Rhetor Burdigalensis, sec. 4. Ausonio *Carm.* 5. *de Profess. Burdigal.* celebratus. Vide Sidon. Apollinarem, *l.* 5. *ep.* 10. ubi *Delphidii abundantiam* laudat. Hieron. *in Chr. A.* 360.

Delphina, inf. maxima Afr. in Oceano Ind. aliter *Madagascaria.* Vide ibi.

Delphinatus, provincia Galliæ celeberrima, ad Meridiem adhæret Provinciæ, ad Septentrionem Sabaudiæ & territorio Bresfiæ, interfluente Rhodano: Ad Occidentem Rhodanus fluv. est, quo dividitur ab Occitania, & Lugdunensi prov. quâ Oriens, contregionalia jacent Pedemontium & Sabaudia: lat. 43. 46. long. 26. 29. nomen illi volunt ab Castello *Delphini.* Hic floruerunt olim præter Allobroges, Viennenses, Caturiges, Ebrodunenses, Segalauni, Valentini, Vocontii, Deenses, Gratianopolitani, Tricastini, Wapincenses, & Brannovii. Provincia hæc non armis Coronæ Franciæ parta, sed amicitiæ vinculo eidem annexa fuit, absque subjectione tamen & servitute, eaque conditione, ut nullo apanagii jure, ulli regis Franciæ filio, quàm primogenito, qui propterea *Delphini* nomen gestaret, dari possit: hoc ita sapienter cautum provisumque fuit ab Humberto Delphino Viennensi, ex ejus Consiliariorum authoritate, qui hanc pulchram provinciam, hæreditatis divisione in partes discerpi nolebant, vulgò *Dauphiné.* Metel. Merula. Ejus primaria urbs est Gratianopolis. Episc. & Parlamenti sedes, ad Isaram fluv. Historia paulò fusius sic habet: Provincia hæc ex pluribus statibus, post Regnum Burg. destructum, reunitis constat: Cum tit. Comit. primò: Sub Guidone, circa an. 889. cujus successores omnes idem habuere nomen, & Comites Albonenses ac Gratianopolitani antiquitus, exin Comites Viennenses, postquam Bertoldus Zeringhius jure suo in hanc urbem cessisset Guidoni VIII. dicti sunt. Guido VII. cogn. Senior, *Delphini* nomen assumsit, cujus posteri id primò familiæ, dein dignitatis, tandem totius Provinciæ nomen fecere. Beatrix Delphina, filia unica Guidonis VIII. Soror Guid. IX. sine prole defuncti, nupsit Hugoni III. Burg. D. ex Gallorum R. sanguine, an. 1194. quorum fil. Andreas II. Guidonis X. & Delphini nomine sumto, nomen insigniaque Burgundica omisit. Ex hujus fil. Guidone XI. nata Anna Delphina nupsit Humberto Turrio, quorum nepos Guido XII. cui improli frater Humbertus II. successit, qui, cùm filium infantem, cum quo ad fenestram luserat, infelici casu è manibus amisisset, hærede destitutus, Philippo Valesio, iis conditionibus, Principatum donavit, quæ dictæ supra, an. 1349. In hac provincia septem admiranda, aliaque recenset Chorerius, *in hist. hujus Provinciæ*, ut & Guil. Canonicus Gratianop. *in vita Margaretæ, fil. Stephani Comitis Burgundiæ, uxoris Guidonis Sen.* Sunt illa Turris sine veneno, Mons inaccessus, Fons ardens, Labra & gemmæ Sassenagenses, Manna Brigantina, Antrum Balmense, &c. Vide & Morerium *in Diction. Histor.* & supra in voce *Dalfinatus.*

Delphini Galliæ.

Carolus fil. Philippi Valesii, dein quintus nomine.	ut & duo, Ludovici XII.
Carolus prioris fil. dein sextus hujus nominis R.	Franciscus, fil. Francisci I. R.
Carolus, Carolus, Ludovicus, Johannes, & Carolus, filii Caroli VI. quorum prioribus mortuis ultimus Carol. VII. Gall. R. evasit.	Henricus, postea II. hujus nominis Galliæ R.
Ludovicus fil. Caroli VII. undecimus dein hujus nom.	Franciscus, fil. Henr. II. secundus postea nominis hujus R. qui duxit Mariâ Scotiæ Reginâ, dictus fuerat *Rex Delphinus.*
Joachimus & Carolus, postea VIII. R. filii Lud. XI.	Ludovicus fil. Henrici IV. dein XIII. hujus nominis R.
Caroli duo, filii Caroli VIII.	Ludovicus fil. Ludovici XIII. hodie feliciter regnans.
	Ludovicus: unicus Christianissimi Regis filius.

Delphinatus urbes, castella, & loca celebriora.

Alta Ripa, *Hauterive.*	Cassenaticum, *Sassenage.*
Anto, *Anton.*	Castellum S. Eulaterii, *S. Latier.*
Brigantium.	
Canutus mons, *Montchenu.*	Castrum Crepulum, *Crepol.*

Castrum

Castrum S. Georgii de Vandanis *S. Joire.*	Montilium Audomari, *Montelimar.*
Castrum vet. villæ, *Vireville.*	Monsferratus *le Chasteau de Montferra.*
Caturigæ.	Næomagus, *Nions.*
Clariacum *Clerieu.*	*Oisans* opp. Ucenorum.
Corpum *Cors.*	Romanum, *Romans.*
Crestidium.	Sicoriorum locus *Sigoiers.*
Dea *Die.*	Sori Campus.
Digueriæ.	Tricastina civ.
Ebrodunum urbs Archiep.	Valentia, *Valençe.*
Fanum S. Marcellini & S. Pauli, *S. Paul Troischasteaux.*	Vapincum *Gap.*
Goncelinum.	Vienna Archiep. *Vienne.*
Gratianopolis urbs Episc.	Viriacum aut Veriacum *Virieu.*
Medullio *Meüillon.*	Ursoli, *Roßillon* Comit.

Delphini portus, pagus oræ Or. Ligusticæ, à Genua 15. m. p. in ortum 4. milliar. à Rapallo in Occ. distans, *Portoffin*, vel *Fino* Leandro. Sub Rep. Genuensi. Cum portu tuto, & arce munita, in clivo. Ei adjacet prom. *Cap di Portofino.* Baudr.

Delphinium, qui & *Sacer portus*, in Bœotiâ est, è regione Eubœæ insf. Strabo.

Delphinius Apollo, sic dictus, quòd delphinum amiserit, quem consecuti sunt Cretenses. V. Cæl. Rhod. 8. 6. Δελφινίε Ἀπόλλωνος ἱερὸν memorat Strab. *lib.* 4. Vid. Plut. *in Thes.* Paus. *Att.* Pollucem, & alios.

Delphinum locus Athenis ab Ægeo rege Apollini Delphinio, ac Dianæ Delphiniæ, teste Polluce, consecratus, in quo causam dicebant, qui cædem se fecisse, sed jure fecisse faterentur. Itaque Theseum narrat Pausanias, cùm Pallanta ejusque filios res novas adversus se molientes interemisset, ibi esse absolutum, cùm ante Theseum interfector exilii causâ solum verteret, aut talionis pœnam subiret.

Delphinum, castellum Chiorum.

Delphinus, Gall. *Dauphin*, cognomen primogeniti filii Galliæ R. Vid. in voce *Delphinatus.*

Delphinus, syderis nomen. Varro *de R. R.* 2. 5. Stellas ejus Aratus 4. tantùm numerat, Ovidius verò novem. Atque hæ Romæ olim oriebantur heliacè 5. Iduum Januarii, teste Ovid. 1. *Fast.*

Interea Delphin clarum super æquora sidus
Tollitur & patriis exerit ora vadis.

Occidebant autem ibidem 3. Non. Feb. eodem teste *Fast. l.* 2.

Quem modò cælatum stellis Delphina videbas,
Is fugiet visus nocte sequente tuos.

Vide Cæsii *Cœlum Astron. Poet. cap.* 21.

Delphon, id est, *Stillicidium*, aut *pauperiem*, sive, *exhaustum*, aut, *macilentum respiciens*, fil. Aman. Esth. 9.

Delphusa, fons in Delphis. Steph.

Delphusia, urbs Arcadiæ. Steph.

Delta, à figura triangulari, pars Ægypti infer. inter Nili fossas extremas, hoc est, Canopicam, & Pelusiacam, versus oram maris Mediterr. inter Alexandriam, ad Occ. Damiatam ad Ort. Cariam ad Mer. V. Ptol. *Geogr. l.* 4. qui duplicem facit, Strab. *l.* 15. & 17. & Plin. *l.* 5. *c.* 9. Herodotus *l.* 2. de templo urbis Busiridis, in media hac regione, loquitur, inde probaturus, Ægyptios primos festa celebrasse. *Sahid* vulgò, *Mahelech*, teste G. Tyrio, dicitur. Baudrando ibi nunc pars est regionis *Errif* dictæ ab incolis, cùm *Sahid* sit Ægyptus superior. Item op. Ægypti Deltæ reg. *Menuti* teste Ortelio. Est etiam Indiæ cit. insula Arriano, apud Indum fluv. cum urbe munitissimâ, *Diu* dicta, sub Lusitanis: Eadem cum Patalâ apud Plin. & Ptolemæum. Baudrando quid sit, non constat. *Diu* enim ab aliis *Burace* dicitur.

Delthanii, Peloponnesi urbs, inter Laced. & Messenios. Steph.

Deltoton, sidus a figurâ triquetrâ τȣ̃ Δ. Cicero *in Arateis*,

Andromedæ signum Deltoton dicere Graii
Quod soliti, simili quia formâ litera claret.

Vide Hygin. *l.* 2. & 3. Commentatores quoque *in Aratum.*

Delus, vide *Delos.*

Dely, regnum Indiæ procul in continenti situm, Septentrionem versus, & Corasonem usque extenditur: Frigida admodum est regio, nivibus & gelu per hyemem divexata. Garcias ab Orta *lib.* 2. *histor. aromat. cap.* 28.

Demades, ex nauta orator Atheniensis, plurimùm potentiâ, & opibus valuit, quòd nihil præter Macedonum & Antipatri gratiam in Rep. quæreret. Philippum Macedonem, victis ad Cheroneam Atheniensibus superbum, mitigavit. Eidem, cùm regifico elatus luxu captivis insultaret, interrogavit, An Thersitem agere velit, cùm eum fortuna Agamemnonem fecerit. Ingentes divitias per luxum ac libidinem perdidit: Cùmque esset ætate confectus, & luxu simul ac avaritiâ perditus, in eum solebat Antipater cavillari, nihil ei, sicuti & cæsis victimis præter linguam & ventrem superesse. Plut. *in Phocione, in Demost. Apophth.* ac Suid. Cassandri jussu, cum filio, ob proditionis suspicionem, vel Antipatri patris, ob interceptas ad hostem literas, necatus. Vid. etiam Diodor. Sic. *l.* 17. 18. Cicer. *in Orat.* Photium *Bibl. cod.* 92. *ex Ariano, cod.* 245. *ex Phocione.* Athenæum, Stobæum, &c.

Demanetus, Æsculap. dictus, à *Demaneto* ejus templi conditore.

Demanetus, Rhetor ac Sycophanta Syracusanus, Timoleonti infestus: à Plutarcho vocatur Διμαίνετος. Sed rectiùs vocatur Δημαίνετος.

Demagoras, adulator, quem Athenienses 10. talentis multarunt, quòd Alexandrum Deum appellasset. Item Historicus, qui scripsit de fundatione Romæ, & laudatur Dion. Halicarn. *l.* 1. *Antiq. Rom.* Ubi & ille, & Agathyllus, de tempore conditæ Romæ, consensisse dicitur cum Cephalone Gergithio. V. Voss. *de Hist. Gr. pag.* 351.

Demaratus, Lacedæmoniorum dux, fil. Aristonis R. ei successit. Cleomenis fraudibus, cùm exularet apud Persas, bellicumque contra patriam cerneret apparatum, plus se debere patriæ, quàm Persis existimans, clam Lacedæmonios certiores fecit; Cepit enim tabulam ceræ expertem, cui literas inscripsit; dein cerâ obductam per custodes perferendam curavit. Vixit Philippi Maced. regis temporibus. Consiliis, rebus gestis, quadrigarum victoriâ, quod nulli Spartan. R. contigit, illustrissimus. Herodot. *l.* 6. Just. *lib.* 2. Pausan. *in Lacon. lib.* 3. Plut. *in Alex.* Item Corinthius quidam negotiator dives, qui ob seditiones domo profugus tyrannidem Cypselli fugiens, ut scribit Cic. 5. *Tuscul. Quæst.* in Hetruriam commigravit, comparatis opibus lucu-lentis, & à Tarquiniensibus Hetruriæ populis acceptus, Tarquinium Priscum. Pop. Rom. Imperatorem ex illustri Hetruscâ uxore genuit, iisque, ad quos confugerat, literas dedisse fertur. Dion. Halicarn. *antiq. Rom. lib.* 3. *cap.* 10. *Demaratus* etiam quidam libros in publicum edidit, cùm de Phrygiâ, tum de fluminibus, teste Plut. Vide Voss. *de Hist. Gr. p.* 352.

Demarchus, athleta nobilis Parrhasius, quem ferunt gustatis pueri, qui immolabatur, extis, in lupum commutatum, decimoque post anno formæ pristinæ restitutum.

Demarchus, Historicus, scripsit περὶ τῶν Διονυσιακῶν ἀγώνων. Vide Scholia *in Aristoph. Aves.*

Demariste, Uxor Timæneti Corinthii, mater Timoleontis.

Demas, viri nomen. Coloss. 4. 2. Tim. 4.

Demetæ, Albionis ins. pop. Ptol. qui & *Dimetæ*: *West-Wales* Anglicè, *Dyfed* Britannicè vocatur eorum regio, Lhuydo teste. Habebant Ordovices, ad Bor. Silures ad Ort. Ab Occ. & Mer. mari Hibernico cingebantur. Eorum urbs primaria erat Maridunum. Baudr.

Demeter, dicta est Ceres, qu. *Gemeter*, id est, *Terræ mater.* Δημήτερος ἀκτὴ Græcè *panis* dicitur.

Demetrianus, post Fabium, Antiochiæ episcopus, An. Dom. 254. Successit Paul. Samosatenus, Anno 263. Euseb. *histor. libr.* 6. *& Chron.*

Demetrias, filia Olybrii, ex illustri Aniciorum familia, cum matre Juliana, & avia Proba, in Africam, Gothorum furorem vitatura, abiit: ubi, audito Augustino, virginitatis propositum amplexa, Sponsum deserere constituit. Vid. Hieron. *ep.* 8. Augustin. *ep.* 143. 179. *&c.* Ambros. *ep.* 84. Hanc cùm Pelagius, sub verborum flosculis veneno abscondito, seducturus videretur, August. *epist. ad Julianam*, ei occurrit. Baron. Anno Chr. 410. 413.

Demetrias, Thessaliæ op. quod prius *Pagasa* Plin. dicebatur. Pagasæ proximum, Ferr. In regione. Magnesia, juxta Sinum Pelasgicum; Fuit aliquandiu Macedonum regia & navale. Vix 30. mill. à Thebis Phthiotidis in Cæc. Baudrando. Nomen autem accepit à Rege *Demetrio*, qui in eo regnavit, & urbes sub Pelio sitas evertit. Situm est inter Eubœam, & Phocidem. Secundum est Macedoniæ, Tertium Persidis juxta Arbelum. Item una Cycladum, quæ & *Paros* dicitur. Steph,

Demetrium, locus juxta Thessaliam, circa campum Crocotum, & Amphrysum flu. Est etiam Æolidis civitas. Steph. Item portus Samothraciæ, ad prom. ejusdem. Ferrar.

Demetrius I. Antigoni Macedoniæ regis fil. cognomento *Poliorcetes.* Prælio victus à Ptolemæo, prope Gazam, victorem mox superatum, Halicarnassi obsidionem solvere coëgit. Dein à Patre missus, Pyreæum occupavit, Munichiam solo æquavit, Demetrioque Phalereo pulso, cum Atheniensibus fœdus iniit, qui proin diem ingressus ejus in urbem σωτήριον, ipsum verò σωτῆρα appellarunt. Ab Antigono patre revocatus, Menelao, Ptolemæi duce, in Cypro, devicto, mox Ptolomæo ipso navali prælio superato, Cyprum recepit. In Rhodi obsidione, non adeò felix. Græciæ civitatibus quibusdam libertate datâ, occupavit Corinthum & Sicyonem, partemque insuper Peloponnesi, simulans se oppressis auxilio venire. Dein Græcorum Generalissimus Dux declaratus, superbiâ, sacrilegio & avaritiâ, præclarum nomen non parum maculavit. In cruento ad Ipsum in Phrygia prælio, patre occiso, ipse Ephesum, hinc in Græciam confugit, ab Atheniensibus non admissus. Quare biennio pòst urbem aggressus, eam expugnavit, in victos clemens. Rex Macedoniæ declarari voluit, A. M. 3760. U. C. 459. Olymp. 121. ante C. N. 293. tenuitque regnum, donec Ptolomæo Lagi, Lysimacho & Pyrrho contra Macedones moventibus à subditis pulsus, cùm in Græcia non satis tutus esset, in Seleuci Syriæ R. manus se ipsum tradidit. A' quo custodiæ triennali traditus est, promisso tamen regio sumptu, mollique victu, venationibus, omnibusque voluptatibus, quibus ille

usus, minimùm de salute anxius, in morbum ob incontinentiam incidit, ex quo periit. An. M. 3769. U.C. 468. Olymp. 123. Plut. *in Vita ejus*. Diodor. *lib.* 19. *&* 20. Justin. *lib.* 16. *& seqq.* Appian. Alex. *de bello Syr.* Regum sui ævi pulcherrimus. Cum M. Antonio à Plutarcho comparatur. Philam urbem in Macedoniâ à matris nomine condidit. Steph.

Demetrius II. fil. Antigoni, cognom. *Gonatas*, à loco natali in Thessalia, patri successit, an U. C. 512. Adhuc puer, comparato exercitu, Alexandrum Pyrrhi filium, absente Patre Macedoniâ potitum, pepulit: imò & Epiro exuit. Obiit, post regnum an. 12. Philippo filio relicto. Justin. *l.* 26. Polyb. *lib.* 2. Eusebius *in Chron.*

Demetrius, Philippi hujus fil. Romæ obses, Patrem coram Senatu accusatum, modestiâ suâ, absolvit. Post reditum in Macedoniam, tantis plausibus exceptus à populo est, ut invidiâ percitus frater ejus Perseus, per subornatos falsos testes, Patri eum suspectum reddiderit, qui nimium calumniæ credulus, veneno filium sustulit; cujus innocentiâ serò cognitâ, præ mœrore obiit, Perseo exhæredato. Liv. *lib.* 40. Polyb. *fragm.* Justin. *l.* 32.

Demetrius I. Soter, Syriæ R. fil. Seleuci Philopatoris, à quo Romanis obses erat datus. Quo tempore, Seleuco mortuo, hujus frater Antiochus Epiphanes, dein fil. ejus Antiochus Eupator, regno potiti sunt. Hoc ille cùm aliquandiu patienter tulisset, post mortem Epiphanis patrui, jam an. 25. natus, venationem simulans, Româ aufugit, A. M. 3893. U. C. 392. regnoque potitus, Antiochum Eupatorem, cum Lysia, neci dedit. Ab Alcimo qui ab Eupatore Pontificatum Judæorum magno emerat, persuasus, Nicanorem Bacchidemque in Judæam misit, qui, regione vastatâ, incolas graviter afflixerunt: Judâ Maccabæo, in prælio, contra Bacchidem interempto. Interea, cùm intolerabilis vicinis evasisset, ab Alexandro Bala, qui Epiphanis se filium ferebat, prælio victus & interemtus est, an. 11. regni. 1. Macc. 7. 9. 10. & 2. c. 14. 15. Joseph. *Antiq. l.* 13. *c.* 16. *l.* 13. *c.* 1. 2. 7. 8. Appian. *de B.S.* Justin. *l.* 34. & 35. Strabo *l.* 16. Polyb *fragm. &c.*

Demetrius II. Nicanor, Soteri patri successit, ope Ptolomæi Philometoris, qui, pulso suo genero Alexandro, filiam suam Cleopatram huic tradidit. Paulò pòst, Diodorus cognom. Tryphon, filii Alexandri Balæ auspiciis, Syriam occupavit, illo post annum sublato. Cui ut Demetrius occurreret, cum Judæis fœdus iniit, inde in Persiam profectus: Ubi captus, Phraatis Parthorum R. filiam Rhodogynem duxit, quo audito, Cleopatra Antiocho VII. Sideti, fratri Demetrii nupsit. Sed eo mortuo, in regnum reversus, nimio fastu odium subditorum in se concitavit, qui, impetrato à Ptolomæo Physcone Ægypti R. Alexandro Zebennâ, Demetrium pepulerunt. Occisus est in fuga ab inimicis, an Cleopatræ instinctu? A. M. 3929. U. C. 628. 1. Macc. 14. Joseph. *Antiq. l.* 13 *de B. J.* 1. Appianus, *de Bell. Sac.* Justin. *lib.* 36. 38. 39. Torniel. & Salian. *in Annal.*

Demetrius III. cognom. *Eucerus*, fil quartus Antiochi Gryphi Fratrem Philippum, qui partem Syriæ occupaverat, imitatus, Ptolomæi Lathuri suasu, Gnido egressus A. M. 3963. Damascum invasit. Junxit se Judæis, contra Alexandrum Janneum, dein ad Berœam fratrem vicit, postea captus à Parthis & ad Mithridatem, fratrem & successorem Phraatis deductus est, ubi morbo obiit. A. M. 3968. Joseph. *Ant. l.* 13. *c.* 21. 22. *l.* 1. *de B. J. c.* 3. Torniel. Salian.

Demetrius, Croatiæ & Dalmatiæ D. à Gregorio VII. Regis titulo ornatus. Gregor. 7. *ep.* 4. Baron. *A C.* 1076.

Demetrius I. Magnus Moscoviæ D. successit Georgio I. Georgii II. prædecessor. Circa an. 1230.

Demetrius II. fil. Johannis, Tartaros vicit, relicto Basilio fil. circa an. 1400. Sub initium seculi hujus 17. post Johannem Basilium, an. 1584. & fil. ejus Theodorum, an. 1598. mortuum, Borio Hodrino regnante, *Demetrius* quidam, quem alii Theodori filium, alii Monachum nomine Griskam vel Greg. Strepium vocant, res miscere cœpit, & Borio apoplexiâ, an. 1605. extincto, thronum invasit, sed anno pòst, quòd nimium Polonis faveret, & Lat. ritus introducere conaretur, à Moscis occisus est. Successit Suitskius, contra quem iterum aliquis *Pseudodemetrius* insurrexit. Spond. *Annal.*

Demetrius, Patr. Alexandrinus, post Julianum, an. 190. Euseb. Cæsar. *Chron.* Origenis evirationem reprehendit, inque ejus opera censurâ strictâ, quòd errores sequeretur, eum excommunicavit. Præfuit an. 43. Successit Heraclas, an. 234. Onuphr. *in Chron.* Euseb. *hist. l.* 5. *&* 6.

Demetrius, Cynicus, sub Caligula, Senecæ *de Benef. l.* 7. *c.* 8. *&* 11. summopere laudatus. Muneribus à Caligula tentatus, *Toto fui illi experiendus imperio*, respondit. Neroni mortem minitanti, *Minaris mihi mortem, at tibi Natura*, reposuit, Arrian. A Vespasiano pulsus, Corinthi diu egit. Discipulus Apollonii Thyanæi, Philostr. *lib.* 4. *cap.* 8. *Vita hujus*. Cum Thrasea, ad mortem condemnato, de animæ natura disseruit. Tacit. *l. Annal.* 16 *& Histor.* 4. Phavorin. *in Orat.*

Demetrius, inter corporis custodes Alexandri M. conjurationis in Regum particeps Dymno. Curt. 6. 43.

Demetrius, Cineæ frater, Atheniensis, qui in prælio Mantinensi contra Thebanos ceciderat. Polyæn. *lib.* 2.

Demetrius, Grammaticus aliquoties laudatus, à Scholiorum auctore, in Aristophanis fabulas. V. in *Vesp.* 446. *A. Aves* 614. *A.* 2.

Demetrius, de Regibus Judæorum, deque captivitate eorum, scripsit. Hieron. *Cat. c.* 38. Clem. 1. *Strom.*

Demetrius, Magus è Græcia, cui Hadrianus VI. Pontifex Rom. ad avertendam pestem, quæ gravissimè in urbe sæviebat, concessit, ut sylvestrem taurum Diis Gentilium, ad placandum eorum iram, mactaret: Quo facto lues cessavit, Jovius *tom.* 2. *l.* 21. Circa A. C. 1522.

Demetrius Chalchondylas, Constantinop. patriâ à Turcis captâ, in Italiam transiit. Florentiæ, post Chrysoloram, Præcept. Petri & Laurentii Medicæi, docuit. Inde à Politiano pulsus, Mediolanum se contulit, incitatus à Ludov. Sfortia. Quâ urbe occupatâ, à Ludov. XII. Rege Gall. unà cum Lascari, in Galliam pellectus est. Scripsit Grammaticam Gr. impressam Parisiis, An. 1525. & Basileæ, An. 1546.

Demetrius Cidonius, Thessalonic. Latinè Græceque doctissimus, Thomam Aquin. contra Nicol. Cabasilam, amicum suum, tuitus est, ejus Summâ in Gr. linguam conversâ. Idem quædam Augustini opera Græcè reddidit, &c. Obiit in Creta. Joh. Cantacuzenus, *hist. l.* 4. *c.* 16. *&c.* Gesner. *Bib.* Volaterr. *anthropol. l.* 15.

Demetrius Magnes, Ciceronis tempore, historica & Philologica plurima scripsit. Cic. *ep. ad Attic. l.* 8. *ep.* 11. Voss. *de H. G. l.* 1 *cap.* 33.

Demetrius Pepagomenus, Medicus Michaëlis Palæologi, An. 1261. scripsit, hujus jussu, de Podagra, qui liber Gr. Latineque Parisiis prodiit, operâ Guil. Morelli. V. Plin. *lib.* 28. *c.* 6.

Demetrius Phalereus, Theophrasti auditor, Philosophus Peripateticus, Phanostrati fil. ob eximias virtutes Atheniensibus præfuit annis 10. ac 360. statuis æreis honoratus est. Postea, invidiâ æmulorum, absens capitis damnatus, & statuæ ejus dejectæ sunt. Hinc ad Cassandrum, exin ad Ptolom. Lagum se contulit, cui cùm suasisset, ut Philadelpho ex Berenice præterito, priores ex Euridice filios regno admoveret, mortuo Lago, à Ptol. Philadelpho pulsus, aspidis morsu interiit. Prosâ versuque libris editis omnes suæ sectæ longè superavit. Diog. Laërt. *in Vita ejus & Thaletis.* Cic. *in Bruto, & de Offic. l.* 1. Joseph. *contra Appion. lib.* 1. *&* 2. Plut. *in Lyc Solone, Demosthene, &c.* Varro, &c. Hic, teste Plut. monebat Ptolemæum regem, ut de regno imperioque libros sibi compararet, atque perlegeret: Quæ enim amici non audent monere reges, hæc in libris scripta esse. Hic quoque Demetrius (ut quidam existimant, nonnulli alium Demetrium fuisse dicunt) Ptolem. Lago persuasit, ut sacra Biblia ex Hebræo in Græcum sermonem converterentur. Joseph. *Ant.* 12. 2. Sic dictus à *Phalero* est, Atticæ portu. Ejus scripta lege apud Gesnerum *in Biblioth.* ac vitam apud Suid. & Volat. Apud Phædrum Fabulatorem *fab.* 82. legitur,

Demetrius qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.

Confundit is Demetrium Phalerea, cum Demetrio Rege, eumque vocat tyrannum, sed neuter potuit Tyrannus esse. Phalereus quidem, quòd præfectus urbi fuit à Cassandro, non autem tyrannidem invasit. Alter autem, quòd Athenas à tyrannide Cassandri liberavit. Cæterùm de variis Demetriis, vide Diog. Laërt. qui 20. illorum numerat, Vossium, Plin. *l.* 34. *c.* 8. ac Jonsium. De Demetrio Phalereo, præter supra dictos, etiam Morer. *Dict. Hist.*

Demetrius Triclinius, Mathematicus, auctor Sphæræ, quod Empedocli alii tribuunt. Voss. *de Mathem. cap.* 33. *§.* 10. *p.* 150. Item, nomen Mathematici Alexandrini, sec. 5. Blancanus, *Chronol. Mathem. pag.* 53. Item Episcopi Philipp. qui A. 532. interfuit Concilio Constantinop. Ab Imper. Justiniano, inter 5. Præsules, numeratus, qui cum Severianistis congressi sunt, & ad Johannem II. cum Hypatio Ephesino missus est. Item Ducis Rom. qui Romæ à Totila obsessæ succurrere frustra conatus est. Procop. *de B. G. lib.* 3. Item Thessalonicensis quidam, cujus objectionibus contra Processionem Spir. S. Balaamus respondit. A.C. 1332.

Demetrius, nomen etiam argentarii cujusdam, Act. 19. Plurimi præterea *Demetrii* fuere, de quibus doctissimus Menagius, *ad Laertium p.* 132 ad quem studiosum lectorem remitto.

Demensii, Mysiæ infer. pop. Ptol.

Demiurgus, summus erat magistratus in quibusdam Græciæ civitatibus. Livius. Vide Martinii Etymologicon.

Democedes, Crotoniata, fil. Calliphontis, Polycratis Samii familiaris, medicus illustris, qui, cùm inter Darii captivos esset, & Darius ipse ob inversum pedem graviter ægrotaret, ita ut jam nunc septem noctes insomnis exegisset, nec à medicis suis vel parum juvaretur, ductus in medium, ut erat vinctus, Darium penitus liberavit, dein Atossæ carcinoma sanavit, ab hoc tempore maximo in honore apud regem, & Persas omnes habitus. Darii contra Græciam apparatus bellicos avertit, tandem è Persia in patriam profugus, Milonis gener evasit. Herod *l.* 3. *&* 4. V. Ælian. *Var.* 8. 18.

Demochares, orator Atheniensis, Demosthenis ex sorore vel ex filia, ut Plut. *de decem Orat.* ait, nepos, missus cum aliis ad Philippum regem legatus, expositis mandatis, petenti regi, quid gratum Atheniensibus facere posset, respondit, *Suspendere.* Indignantibus ob eam rem cæteris, rex dimisit incolumem. *Vos* (inquit)

rogate

rogate ab Atheniensibus, quos censeant superiores, qui talia dicant, an qui audiant patienter? Sen. *lib.* 3. *de Irâ.* Hic etiam historiam earum rerum, quæ gesta erant suâ ætate Athenis, non tam historico, quàm oratorio genere scripsit. Cic. *in Bruto* & 2. *de Orat.* Vide plura de illo apud Ælian. *Var.* 3. 7.8.12. Diog. *in Arcesilao & Zenone.* Timæum, Polyb. *lib.* 12. Athen. *lib.* 6. 11. & 13.

Demochares, Solensis, Comœdiam de Demetrio Poliorcete composuit. Plut. *in hujus Vita.* Voss. *de Gr. P. pag.* 88. Alius, statuarius, ex monte Atho admirandam statuam se fabricaturum Alexandro M. pollicitus. Vitruv. *in præf. l.* 2.

Democles, legationem obiens, cùm à reliquis legatis accusaretur, magis Dionysii rebus obstitisse, irascente tyranno: Mihi cum his, inquit, controversia fuit, quòd post cœnam Stesichori & Pindari Pæanas canerent: ego verò eos, quos tu composuisti; atque simul ejus carmina cecinit. Dionysius lætitiâ affectus, non amplius ob crimina ejus succensuit. Polyæn. *l.* 5.

Democles, vide *Damocles.* Item puer quidam ingenuus ac formosus, qui cùm à Demetrio Poliorceta ad stuprum traheretur, neque vim tyranni posset effugere, famæ, pudicitiæque studiosus in proximum aquæ ferventis lebetem seipsum conjecit, atque ibidem interiit. Plut. *in Demetrio*: Item, historicus Gr. diu ante Peloponnesiacum bellum.

Democlides, medicus, qui Polycratem Samiorum tyrannum talentis 2. curavit, scripsitque librum de Medicinâ. Suidas.

Democoon, Priami nothus, qui velocissimos patris equos apud Abydum custodiebat. Hunc Ulysses in bello interemit. Hom. *Iliad.* 4.

Democrates, architectus Alexandrinus. Item athletes, qui facto in stadio circulo consistens à nullo dimoveri poterat. Ælian. *Var.* 4. 15. Tertius Medicus, qui invenit herbam hyberidam. Plin. *lib.* 25.

Democrates, Atheniensis, ex iis, qui Dario militarunt, exceptus in Hyrcania, quòd maximè Macedonum opibus semper obstiterat, desperatâ veniâ, gladio se transfixit. Curt. 6. 24.

Democritus, Mileto oriundus, Leucippi discipulus, Philosophus Abderites, quia Abderæ degebat, acceptâ à fratribus natu majoribus paternæ hæreditatis portione, cognoscendarum rerum cupiditate accensus, bonam orbis partem Ægyptum nempe, Persidem, Chaldæam, Indiam, &c. peragravit. Postea in patriam reversus cum summâ inopiâ ostenso magno Diacosmo, librorum suorum excellentissimo, à rigore legis, eos qui nimias impensas fecissent, sepulturâ privantis, absolutus, & quingentis è publico talentis æneaque statuâ donatus, in hortulo juxta suæ urbis muros, se ad solas rerum naturas contemplandas contulit, à quibus, ne externis objectis avocaretur, æneæ pelvis fulgore seipsum occæcavit. Quod tamen Laberius Poeta ideo factum ait,

Malis benè esse ne videret civibus.

Ut ipse loquitur. Vide Gell. 10. 17. Sed dubitavit de eo Cic. 5. *de Finibus.* Plutarchus verò plenè falsitatis arguit, *lib. de Curiositate.* Civibus suis, ob secessionem ejus, pro phrenetico habitus fuit. Ad quem curandi causâ missus cùm esset Hippocrates, & cum eo collocutus fuisset, reversus sapientissimum ipsum dementesque illos pronunciavit, qui eum stultitiæ accusarent. Vide Ep. Hippocratis. Dario, uxoris obitum lugenti impensè, illam se resuscitaturum pollicitus est, nominibus trium hominum in regno Persico, quibus nihil unquam adversi contigisset, monumento ejus inscriptis. Sed cùm nemo talis reperiretur, Regem ad patienter suam sortem ferendam graviter hortatus est. Omnia fieri ex atomis dixit, ac plures esse mundos eosque corruptibiles. Fertur Theologiam, ac Astrologiam didicisse à Magis ac Chaldæis; cum Gymnosophistis quoque congressus est. Lac sibi, in congressu Hippocratis modò memorato, allatum, statim agnovit esse capræ nigræ & primiparæ: puellæque vitium solo aspectu deprehendit. De instituto autem ejus præter Laertium, Cic. *lib.* 5. *de Fin.* & Origenem 2. *contra Celsum*, perstringit quoque Horatius *lib.* 1. *Epist.* 12. Ælian. *hist. Var. lib.* 4. *cap.* 20. Valer. M. *lib.* 8. *cap.* 7. Plin. *lib.* 21. *cap.* 11. & *l.* 18. *c.* 35. Strab. *l.* 1. *cap.* 15. Celsus, *l.* 2. *c.* 5. Suidas, Euseb. *Chron.* Voss. *de Phil. c.* 11. *§.* 14. *de Philosophis, c.* 1. *§.* 10. & 21. & *c.* 7. §. 8. & *seqq. de Mathem. c.* 39. *§.* 9. &*c. de H. Gr. lib.* 4. *c.* 2. *pag.* 437. Idem Cic. 1. *Tusc.* & 1. *de Nat. Deorum*, *magnum virum* appellat. Plinius *virum sagacem*, & *vita utilissimum* fuisse refert. In risum pronum fuisse vulgò dicitur. Juv. *Sat.* 10.

Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus. —— ——

Horatius,

—— *Excludit sanos Helicone Poetas*
Democritus. —— ——

Patrem ejus opulentissimum fuisse ex eo patet, quòd Xerxis exercitui epulum aliquando dederit. Agebat autem 99. annos, cùm mortuus est. Diogeni 109. Aliis 104. Olymp. 104. U. C. 392. A. M. 3693. &c.

Democritus, Ephesius, libros edidit de templo Dianæ Ephesiæ, ex cujus operis *lib.* 1. quædam de Ephesiorum in vestitu mollitie ac luxuriâ narrat, Athenæus *l.* 12. Aliorum quinque Democritorum meminit Diog. Laërtius *l.* 9.

Demodocus, citharœdus, quem Hom. *Odyss.* 8. inducit in convivio Alcinoi regis Phæacum citharam pulsantem, & simul accinentem. Item Historicus, qui *libro* 1. de Heracleâ citatur à Plut. *lib. de Flum.* cæterùm solutâ ne oratione, an carmine sit usus, non satis liquet. Vossius.

Demogorgon, magus tam excellens, ut præesse larvis diceretur, ac illas pro nutu cogere, & si errarent, acerrimè plectere.

Demon, Grammaticus, quem laudat auctor Scholiorum, in Aristophanis Ranas, in explicatione proverbii, *Jovis Corinthus.*

Demona Vallis, pars Siciliæ; aliter, *Vallis Nemorensis*, in Bor. & Ort. maximè tendens, versus Calabriam. Ubi Urbes, Messana, Catania, Cephalæda, Pactæ & Tauromenium, cum monte Ætna.

Demonactes, Præfectus Armeniæ, fusus à Mithradate, sub Claudio. Tacit. *lib.* 12. 9.

Demonax, Adriani temp. Philosophus Cyprius, ex nobili & opulentâ familia, Agatobuli, Demetrii, Epicteti & Timocratis Heracleotæ familiaris, nulli sectæ nomen dedit, plurimum tamen Socrati tribuit. Hic non, ut plerique, solitudinem sectabatur, sed nihil potius habuit, aut putavit inter homines amicitiâ, omnemque hominem sibi familiarem existimabat. Nullum sibi unquam viaticum præparavit, sed cùm esuriret, quam proximam domum apertam videbat, in eam ingrediebatur, & victum sibi quæritabat. Centenarius decessit, postquam præsentium plausum, utpote fabulâ exactâ, petiisset, elatus publico sumptu. Lucianus.

Demonesus, Insula Propontidis ante Nicomediam, *Chalcis* Gyllio, qui *Chalcitem* Stephani esse putat. Ibi cyanus lapis, Chrysocolla, & aurum reperiuntur. Steph.

Demonica, mulier quæ auri aviditate urbem Ephesum Brenno duci prodidit. Plut. *in Paral.*

Demonicus, Domochi, Urbs Thessaliæ episc. olim sub Ar. Larissæo, nunc Metropolis. Ferr.

Demonidas, Pædotriba claudicans, qui cùm crepidas amisisset, imprecabatur furi ut pedibus ejus convenirent. Rhod. 7. 3.

Demophilus, Archon Athenis. Olymp. 99. an. 4.

Demophilus, Sophista, qui scripsit ad Lollium Maximum, de vitâ priscorum. Item, nomen pictoris, Plin. *l.* 35. *c.* 9. & 12.

Demophilus, Semi Arianus, obtulit confessionem Fidei Syrm. Liberio Papæ. Postea Patriarcha Constantinop. Athanasium persecutus, ei tamen cedere tandem coactus est. Interfuit quoque concilio Constantinop. Tandem Constantinopoli, ubi docebat, quòd doctrinam Concilii Niceni amplecti nollet, exturbatus est à Theodosio M. dicente: *Si pacem & concordiam fugis, te ab Ecclesiis fugere mando.* Substitutus ei ad tempus Gregorius Nazianzenus. Circa A. C. 380. Socr. *l.* 5. *c.* 3. *§.* 7. Epiphan. Sozomen. Baron. A. C. 357. 359. 370. 378. 383.

Demophilus, filius Ephori, Historici, scripsit, tempore Alexandri M. bellum sacrum, quod Pater ipsius prætermiserat, orsus ab occupatione & spoliatione templi Delphici, facta à Philomelo, A. U. C. 398. Diod. 16.

Demophon, Dux Atheniensibus auxiliorum, Bœotis Cadmeam oppugnantibus, missorum, constitutus.

Demophoon, Thesei ex Phædrâ fil. rex Athenarum, post Menestheum, per an. 33. qui ab expeditione Trojanâ rediens, adversis ventis pulsus in Thraciam, ibique à Phyllide Lycurgi regis filiâ hospitio, ac lecto susceptus est: apud quam cùm aliquandiu delituisset, Athenas abiit, ibique mortuo patre, imperium suscepit, oblitus Phyllidis, cui intra paucos menses se rediturum juraverat. Quapropter illa videns se derelictam, amoris impatientiâ de amygdalo se suspendit. Ovid. *epist.* 2. Vide *Phyllis.* Item Vates qui periculum Alexandro imminens prædixit. Curtius.

Demopolis, & Neocles, Themistoclis filii, cùm apud Athenienses mentionem fecissent legum, quæ adversus exules latæ erant, à paternis inimicis lapidibus obruti sunt. Rhod. 8. 12.

Demos, locus in Ithacâ, quem Stephanus quoque *Crocyleum* vocat. Hujus mentio est apud Hom. *in navium catalogo*, & Thucyd. *ad finem lib.* 3.

Demosthenes, civis Atheniensis, Græcorum omnium orator longè eloquentissimus, patre cultellario Demosthene, ex matre Cleobula natus, triennio post Aristotelem, uno anno ante 100. Olymp. Dionys. Halicarn. Dempoplito Archonte: Septennis autem ab eo relictus in hæreditate locupleti, Tutorum fraude ac negligentiâ, direptis bonis vix habuit, unde præceptoribus mercedem solveret. Verùm cùm multo studio ac labore in clarissimum Oratorem evasisset, præceptoribus usus Isocrate, Platone & Isæo, apud quem quadriennium hæsit, æt. an. 17. Tutores suos accusavit, quibus, ut 30. ei talenta redderent, condemnatis, ipse tamen nihil nactus est. Postea acerrimus extitit libertatis Græciæ defensor, gravibus concionibus Philippum, ut publicæ libertatis insidiatorem, identidem insectans. Prælio ad Chæroneam aufugiens, se hoc fecisse ideo dixit, ut aliâ vice rursus pugnare posset. Prius Oratione de Cor. sibi à populo decretâ,

cretâ, suasu Ctesiphontis defunctus. Post ejus mortem, quòd ab Harpalo corrumpi se passus esset, patriâ pulsus, tandem revocatus est. Sed jam mortuo Alexandro, & Antipatro rebus Græciæ præposito, cùm certam sibi necem imminentem videret, relictis Athenis, in Calauriam insulam, ubi (ut scribit Suidas,) asylum erat, Neptuno sacrum, concessit. Quò cùm venisset Archias mimus tragœdus, qui ab Antipatro missus erat, ut Demosthenem comprehenderet, primùm ei persuadere conatus est, ut unà secum ad Antipatrum se conferret, nihil molestiæ ab eo perpessurus. Cujus fraude intellectâ, Demosthenes, *Nihil est*, inquit, *Archia, quod coneris. Neq; enim in scenâ mihi unquam placuisti mimus, neq; nunc persuadebis legatus.* Cùm autem Archias se per vim eum detracturum minaretur, *Tandem*, inquit, *Macedonica oracula aperuisti, nam prius, tanquam histrio simulabas. Verùm age, parumper expecta, dum pauca domesticis scribo*; Hæc locutus, sumptis codicillis tanquam scripturus calamum ori admovit, haustoque, quod eum in usum servabat, veneno, necem sibi conscivit. d.16. Pyanepsionis, seu 10. Novembr. Olymp. 114. U. C. 432. Plut. *in Vita ejus.* 65. Orationes ab eo scriptas refert, quas Photius maxima ex parte se legisse fatetur, *Cod.* 265. *Bibl.* Vid. etiam Plut. *de* 10. *Orator. cap.* 8. Hic cùm ab ætatis initio esset balbus, neque literam *R.* pronuntiare posset, quibusdam calculis in os conjectis prope maris litus declamans, naturæ vitium emendavit, ut postea eloquentissimus evaserit: Præterea ad ingens speculum perorare solitus est, ut eò accuratius gestuum decorum tenere disceret. Plurimus passim Tullius est in laudando Demosthene. Tamen, *usq; adeò* (inquit *in Oratore*) *difficiles & morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes: qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas.* Orare cœpit annos natus 17. Juvenalis, *Sat.* 10.

Eloquio sed uterq; perit Orator, utrumq;
Largus, & exundans letho dedit ingenii fons.

Et postea de Demosthene.

——— *Sævus & illum*
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem & pleni moderantem fræna theatri.
Diis ille adversis genitus, fatoq; sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone & forcipibus, gladiosq; parante
Incude & luteo Vulcano, ad Rhetora misit.

Athenienses statuam ei æream posuerunt, cum inscriptione hâc,

Εἴπερ ἴσην γνώμῃ ῥώμην Δημόσθενες εἶχες,
Οὔ ποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.

Demosthenes, dux Atheniensium in bello Peloponnesiaco. Muniit Pylum, Patriæ insigni operâ præstitâ. Dein ingressus Siciliam, post Epidauriorum vastatos agros, successit Alcibiadi, domum revocato, ob Hermas in tota urbe dejectos. Sed Syracusis, à Nicia collega, frustra obsessis, copiis insuper amissis, ab hostibus cum illo interemptus est. Thucyd. *lib.* 4.5.6.7. Plut. *in Nicia.* Diodor. *lib.* 13.

Demosthenes, genere Thrax, grammaticus, Iliada Homeri, & Hesiodi Theogoniam in prosam Orationem convertit. Suid. Alius ab eo est *Demosthenes* Bithynus, qui rerum Bithyniacarum libros conscripsit, quorum 4. 9. 10. & 12. citat Stephanus. Κτίσεις quoque scripsit, hoc est, urbium, & locorum origines, quarum idem Steph. meminit in Ὀλίζων. Vid. Voss. *de Hist. Gr. l.* 3. *pag.* 354.

Demostratus, Olymp. 96. Anno 4. Archon Athenis. Iterum Olymp. 97. an. 3.

Demostratus, scriptor, qui de Scipione Africano, primam illum Sardoniam gemmam habuisse refert, Plin. 37. 6.

Demoteles, unus erat ex 12. illis, quos de pyramidibus Ægyptiis scripsisse Plinius docet, *l.* 36. *c.* 12.

Demotimus, ex parte Sicyoniorum missus, ad componendam inter Athenienses & Lacedæmonios controversiam, octavo belli Peloponnesiaci anno. Scholia *in Aristoph. Equites p.* 336. G. Fuit verò filius Naucrati.

Demus, de rebus Atticis commentatus est, si vera est lectio apud Athen. *lib.* 14. ubi Casaubonus jubet legere Κλείδημος. Sanè *Clidemus* Atthidem scripsit, ut ex eodem Athenæo apparet. Fortasse tamen & *Demetrius* quispiam hanc materiam tractavit, eoque ex nomine hoc nomen fuerit corruptum, uti factum apud Dion. Halic. in judicio de Dinarcho, ubi citatur Δῆμος ὁ Μάγνης, qui omnino est *Demetrius*. Vossius.

Demynum, opp. Pomeraniæ. Metel.

Denbiga, Urbs Angl. in Wallia Bor. unde regio adjacens *Denbigensis Comit.* 50. mill. à Fano S. Asaphi in Austr. 10. ab ora littor. maris Hibern. 15. à Cestria in Occ. Paucis constat incolis, ad amnem Cladam.

Denaba, urbs in Edom, in quâ regnavit Bela. lege *Dinhaba.*

Denarius, non unius apud omnes gentes valoris. Hodiernus Anglicus Scoticum solidum æquiparat: antiquus autem tribus potior fuit. Hujus enim pondus exhibet Spelmannus è statuto anni 51. Eduardi I. *Denarius Angliæ, qui nominatur Sterlingus, ponderabit* 32. *grana frumenti in medio spicæ &* 20. *denarii faciunt unciam &* 12. *unciæ libram.* Fuit autem *Denarius* alius ex ære, qui *niger*, alius ex argento, qui *albus* nuncupatus est. Græcis inferioribus Δηνάριον λευκὸν ἐκλεκτὸν καὶ ἄσπρον. Metel. Quirin. *Ecc.* 3. *argenti dedit albos.* Quod nomen quoque monetæ argenteæ fuit, in Britannia Armoricana, tempore Alani Ducis, A. C. 1087. valenti 6. denarios Turonenses. Erant & *Denarii* aurei. Didymus Claudius *de Analogia Rom.* Τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ. *Denarius S. Petri*, Vid. *Romescot*, infra. *Denarius tertius*, pars olim mulctarum forensiumque emolumentorum, quæ in Comitatu cedebat Comiti, Rege reliquas duas percipiente. Hinc *Denarialis*, dictus is, qui jactato coram Rege denario, lege Salicâ & aliarum gentium Borealium, manumittebatur. Vide in voce *Homo Denarialis*: & plura apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Denda, municipium Rom. in Macedoniâ. Plin. 3. 23.

Dendros, Ins. parva Peloponn. in sinu Saronico, apud Spiræum prom.

Denegontium, vulgò *port de Digoins* aut *Digoine*, cum Baronatus tit. in agro Galliæ Quadrillensi, ad Arotii *Arou* fluv. Augustodunensis & Ligeris confluentes. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Denghini regnum, in Nubia, versus Nilum, & confinia Abyssiniæ. Is. Vossius.

Denizes, Saracenorum rex, An. Dom. 777.

Denna, Æthiopiæ sub Ægypto op. Plin.

Dentatus, M. Curii cognomen, quòd cum *dentibus* natus est. Plin.

Denter Romulius, à Romulo urbis custodiæ impositus. Tacit. 6. 11. Rectius tamen fortasse *Dentrix Romulius* vocatur. Aliquot annis pòst Livii & Cæcilii cognominati *Dentrices* fuerunt.

Deo, Ceres à Græcis sic dicta, παρὰ τὸ δηΐν *ab inveniendo*, eò quòd frugum inventrix fuerit. Hinc *Deois* filia ejus Proserpina.

Deobriga, in Lusitaniâ Vettonum urbs, & alia municipium Autrigonum. Ptol. In Hisp. Tarr. Fortè nunc *Miranda de Ebro*, opp. Castellæ vet. ad Iberum fluv. in confin. Biscajæ, 2. leuc. à Pompeiopoli in Occas.

Deobrigula, Murbogorum op. in Hisp. Tarrac. Ptol.

Deodatum, vulgò *Tatta*, opp. Pannoniæ sup. inter Vesprinium & Taurunum.

Deodatus, vel *Deusdedit*, Romanus, fil. Stephani Subdiaconi, post Bonifacium IV. Papa, an. 614. Obiit an. 617. Anastas. decimus oct. *in Vitis Paparum.*

Deodatus Johannes, Italus, Pastor Genevensis celeberrimus. Ejus prodierunt *Biblia sacra, in linguam Italicam & Gall. eleganter versa, cum annotationibus, in fol. Anno* 1607. 1641. Has Vedelius *aureas* vocat. Ipsum auctorem, *Virum jampridem optimè de Ecclesia doctissimâ versione Gallicâ, & notis meritum*, prædicat Coccejus *Præfat. ad Job.*

Deogratias, Carthaginensis Episcopus, rogatu Valentiniani Imp. qui urbe hac Præsule, per an. 13. viduatâ, à Genserico obtinuit, ut hunc Ecclesiam ibi curare pateretur. Sanctimoniâ, ac pietate hic clarus, urgente summâ necessitate, ingruenteque persecutione, universa sacri ministerii vasa aurea, & argentea, in captivorum, Româ ab eodem Genserico expugnatâ, redemptionem vendidit. Vide Victorem *de Persecutione Vandalorum.* Obiit an. 456.

Deonantum, opp. ad dextrum Mosam, Monulfi Tungrorum Episc. donatione, ad Eccl. Leodicensem pertinens, *Dinant* vulgò, oppositum castello Bovinnæ *Bovingne*, sinistræ ripæ fluminis adsidenti. Bello hoc varia passum. Ab eo videntur dicti circumcelliones quidam, qui capite operto, barbâ tortâ, nigro birrotalari tecti ac nudipedes incedebant, & à Gallis *Deonandi* vulgò vocitabantur. Horum meminit Guibertus Abbas Novigenti *lib.* 2. *de Vita sua.* Et quia horum speciem sæpe induebant Dæmones, proin & hi *Deonanti* vocati sunt, hodieque *Diantres* cluunt. Hadr. Val. *Not. Gall.* V. *Dinantum.*

Deopale, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Deorum currus, Libyæ interioris mons. Plin. Mela, Ptol. Hodiè *sierra Laona*, ubi regis Lusitanici aurifodinæ sunt. Aliis *la punta di Lopez Gonzales.* Græcè Θεῶν ὄχημα. Nunc Sansoni prom. Palmarum, *Capo das Palmas* Lusitanis, in ora Occ. Guineæ, in Africa.

Deorum insula, Islas de Bajona Mor. Insulæ Hisp. in Gallæciæ ora 5. leuc. ab ostiis Minii fluvii. In Oceano Occ. ante Bajonam urbem.

Deorum portus, op. Mauritaniæ Cæsariensis, *Mazzagran* teste Marmolio.

Deppa, vulgò *Dieppe*, Urbs Gall. probè munita, in Normannia, cum portu capaci, in ora littor. maris Brit. ad Acri fluv. ostia, in Caletensi tractu. 10. leuc. à Rothomago in Bor. 18. à Portu Gratiæ in Ort. Emporium celebre. Capta fuit hæc urbs & direpta, ab Anglis, sub Philippo Aug. Reformatorum, bellis civilibus primùm, dein Henrici M. asylum, qui prope hanc urbem

Meduanium D. vicit. Florales ludos incolæ festo Nativ. Christi & Assumtionis B. Virginis, celebrant. Duchenius, *de urb. Gal. lia, lib. 7. cap.* 5.

Dera, Iberiæ urbs, sive regio. Steph.

Deradiotes, Apollo dictus à loco, ut ait Pausanias, cujus vaticinium etiam suâ tempestate durare asserit, eoque ritu fieri, ut à viro mulier secubaret, & singulis mensibus noctu, ut de agno rem sacram faceret, cujus agni sanguine epoto, numinis Apollinei instinctu responsa daret.

Deradræ, Indiæ intra Gangem pop. Ptol.

Derangæ, pop. Indum flu. accolentes, aliis *Drangæ*.

Deranobila, Carmaniæ op. Ptol.

Derasida, insulæ juxta Magnesiam. Plin. 5. 29.

Derbe, Lycaoniæ civitas. Act. 14. *Derwase* teste Leunclavio. In Pisidiæ & Cappadociæ confin. versus montes, 40. mill. ab Iconio, in Austr. 30. ab Isauria in Ort. uti 80. ab Antiochia Pisidiæ. Nunc quid sit, non constat. Baudr.

Derbices, pop. juxta Caucasum. Hi supra Stoicam severitatem minimum quodque delictum pœnâ capitis puniunt, Terram venerantur, fœmininum animal neque edunt, neque sacrificant, eos qui 70. annos excesserunt, jugulant: cognatorum carnes vorant, anus strangulant, obeuntes non edunt sed humant. Strabo. Dicuntur *Derbies* item seu *Derbia*, & *Derbii. Derbicii* Dionysio, ubi *Dercebii* maluit Salmasius *in Plinianis*, quem vide.

Derce, fons frigidissimus æstate, inter Bilbilin, & Segobrigam in ripâ ferè Salonis amnis, *Dercenna* Martiali *lib.* 1. *ad Licinianum*,

Avidam frigens Dercenna placabis sitim.

Dercetas Phelasius, nomen Comicum, Aristoph. 4. sc. 5. qui per Bœotos amiserat boves suos.

Derceto, vel *Dercetis*, fabulosa Dea, quæ apud Joppen, authore Plinio, aut, ut Diodoro *lib.* 1. placet, juxta Ascalonem colebatur, humanâ facie, reliquo corpore piscis. Hanc Syri *Atergatin* vocant. Ovid. *Met.* 4.

—— De te Babylonia narrat
Derceti, quam versâ squamis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt celebrasse figurâ.

Fabulam narrat Diodorus Siculus. Filiam habuit Semiramidem, quam à columbis educatam ferunt. Syris autem aves illæ sacræ. Tibullus,

Alba Palæstino sancta columba Syro.

Dercillus, trigesimus primus Assyriorum rex.

Derculus, Caupo seu ebriosus Athenis, de quo Schol. *in Aristoph. Vespas.*

Dercylus, unus ex præfectis Pyrrhi. Plut.

Dercyllidas, cognom. *Sisyphus*, Lacedæmoniorum D. Thimbroni, minus ex sententiâ res in Asia gerenti, suffectus, Troadis urbes plures Hamaxiton, Colonas, Arisben impetu cepit: postea Ilion & Cebreniam & omnes alias partim dolo, partim vi, in potestatem redegit: Inducias cum Pharnabazo, à quo cùm olim Atheniensibus militaret, clypei supra brachium elati infamiâ notatus fuerat, octimestres pactus, Thraces circa Bithyniam colentes populationibus vexavit. Chersonesum à Thracum incursionibus vindicavit, muro à mari in mare intersepiens. Scepséis libertatem restituit, Gergitem subegit; undecim Isthmi civitates muro cinxit, Atarneam occupavit. Vide Diod. *lib.* 14. & Xenoph. *Hist. Gr. lib.* 1. 3. & 4. Quomodo Scepséis libertatem restituerit, vide Polyænum *lib.* 2. Inter alia ejus memorabilia, octo diebus 9. urbes cepit, animo excelso præditus. A. U. C. 356. an. 2. Olymp. 95. è Chersoneso in Cariam profectus, cum Persis de pace egit, ejus articulis Spartam & ad Artaxerxem perlatis.

Dercyllidas, nomine Antipatri, Atticæ præfectus.

Dercyllus, historicus, de quo videndus Vossius *de Histor. Gr. pag.* 354.

Derdas, Puer quidam videtur aut adolescens obnoxius Amyntæ min. Quod cùm ipsum gloriaretur, sublatus est. Aristot. 5. *Pol.* 10.

Dere, Dire Straboni, Æthiopiæ emporium ad sinum Arabicum, *Zeila* Moletio.

Derea, urbs Arcadiæ. Steph.

Deremistæ, pop. Illyrici, quorum urbs *Drivasto* putatur.

Deremma, Mesopotamiæ op. Ptol.

Deretini, Dalmatiæ pop. Plin.

Deria, seu *Derria*, urbecc. Hibern. in Ultonia, in Inf. *Inis Owen*, in Comit. Tyrnocceliæ, Ep. sub Arch. Armachano.

Deriades, vide *Dardæ*.

Dermones, Libyæ interioris gens. Ptol.

Dernes, unus è 7. Persis, contra Magum conjuratis. Ctesias.

Derpatum, seu *Torpatum*, *Derpt*, urbs Livoniæ Ep. sub Arch. Rigensi, ad fluv. Beccum, *Embeck*, cum arce munita, in regiunc. *Oldenpoa*, inter lacus Werczerum & Perbum, versus Moscoviam. Munita est, paretque jam diu Suecis.

Derra, Laconiæ locus. Steph. urbs Macedoniæ, Plinio.

Derrha, Thraciæ pop. Steph. Herodotus *Derseos* vocat. Item Arabiæ Fel. gens. Ptol.

Derrhima, Chalybonitidis in Syriâ urbs. Ptol.

Derrhis, Marmaricæ promuntorium. Ptol. *Dertas* Mercatori.

Dersæi, sive *Derses*, vide *Derrha*.

Dertona, Gall. *Tortone*, civitas Lombardiæ Cispadanæ, probè munita, cum arce valida, in Apennini flectentis se jugi cubito, ita Plinio, qui coloniam nuncupat in Liguribus Cisapenninis, itemque Antonino Ptolemæoque dicta, sed Straboni, cui πόλις ἀξιόλογος dicitur, *Darthona*. Capta est à Gallis Anno 1642. sed sequente anno ab Hisp. recepta. Aliqui tradunt eam à Liguribus ortam: sed Hieronymus Albertutius quosdam velle à Gallis conditam, appellatamque primùm ab illis *Antiliam* scribit. Alii *Tertonam*, quòd in Apennini dorso seu tergo sita sit: Nonnulli priùs *Antiliam*, dein *Terdonam*, à tribus donis quæ habebat, quorum primum erat saxum in loco Pæna copiosè oleum emittens, alterum fons prope Garbanianum, quotannis festo natalis D. Joannis Baptistæ largissimè fluens, tertium, quòd paulò ante quàm nobiles aliqui viri mortem erant oppetituri, juxta Petram Bissariam panis sectus sanguinem stillaverat: quapropter & urbis sigillum hanc tenet inscriptionem, *Pro tribus donis similis Terdona leonis.* Sub Hisp. 18. mill. à confin. dit. Genuensis in Bor. 45. à Placentia in Occ. A Friderico Ænobarbo Imp. eversa, à Mediolan. instaurata est, nunquam tamen in magnitudinem pristinam rediit.

Dertosa, Hisp. Tarracon. op. Hodie *Tortosa*. Urbs aliàs Ilercaonum, nunc Cataloniæ, satis munita, juxta Iberum fluv. qui 4. leuc. Hisp. infra se in mare Medit. exonerat. 4. leuc. à confin. Valentiæ regni, 14. ab Ilerda in Austrum. Cum castro satis firmo, & ponte ad Iberum fluv. Deficit in dies. Capta est à Gallis, 1649. sed recepta ab Hisp.

Dervensis saltus, vulgò *Der*, silva excisa & culta, ubi *Dervum* Monaster. *Monstier en Der*, in diœcesi Catalaunica & pago Pertensi, non longè ab amne Vigera, *la Voire*. Conditum id à Berchario, & immunitatibus à Childerico R. donatum est: quibusdam *Montirandel*. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Derventio, op. & fluv. Angliæ; *Derwent*, *Derbii* civitatem præterfluit, teste Talboto. Camdeno autem *Derventio* est op. in orientali parte Eboracensi. Comitat. nunc *Auldby*, ad fluv. etiam Derventionem. Hic fluv. in Ousam fluv. effluit, & cum ipso postea in Album æstuar. cadit. Oppidum autem, nunc *Auldby* i. antiqua habitatio, Camd. est vicus tantùm; & 2. mill. infra, nempe ad locum *Stanfordbridge*, Haraldus Angliæ R. Haraldum Norvvegum, qui 200. navibus Angliam infestabat, magnâ Danorum strage occidit. Quod prælium vix 9. dies ante Guil. Normanni adventum accidit. Distat autem Derventio locus 50. mill. Angl. à Darbia in Bor. Baudr.

Derusici, pop. Persiæ; Stephanus. Oratores Persici Herodoto *lib.* 6.

Desarena, Indiæ intra Gangem regio. Arrian. *in Periplo.*

Desensanum, oppidul. Venetorum in Brixiano agro, in orâ lacus Benaci. 10. mill. à Piscaria in Occ. 18. à Brixia in Ort. Valde lepidum est & cultum, in planitie.

Deserta Bojorum, *WienerWald*, Lazio, tractus Norici, olim à Vindelicis per Noricos Pannoniam usque protensus, Straboni.

Desertum Bethlehem, solitudo erat in tribu Juda, vastissima, in qua leones erant, ursi, aliæque feræ: tempore Hieronymi plena erant omnia ferocium barbarorum, quos indicat poeta, quum dicit,

—— Lateq; vagantes Barcai,

ab oppido *Barcaa*, quod ibi situm est.

Desertum Engaddi, in tribu Juda: Hic David aliquando latuit, cùm à Saul hostili animo ad mortem inquireretur. 1. Reg. 24.

Desertum Hai, Jos. 9. Joseph. 5. *Antiq.* in tribu Benjamin.

Desiderii Fanum, opp. Campaniæ in Gall. Vulgò *S. Didier*. Metel. & Merula. Valesio *S. Desiderii* oppid. vulgò *S. Disier*, à Desiderio Lingonum Episc. à Vandalis, sub Honorio Galliam depopulantibus, jugulato, nomen accepit: ex Usuardo & Sigeberto *in Chron.* Ibi Matrona ponte jungitur.

Desiderata, una ex Antillis, sub Francis, parva sed fertilis & probè culta. 10. leuc. ab Insf. Guadalupia in Or. Sic dicta à C. Columbo, qui primus eam detexit, cùm rursus in Americam tenderet.

Desiderius, ultimus Longobardorum R. post Ataulphi, cujus Comes stabuli erat, obitum. Fautore usus est Stephano III. contra Bachin, monachum, præcedentium Regum fratrem, hac lege, ut Romana sedi ditionibus quibusd. cederet. Sed promissis minimè stans, Italiam sibi subjecturus, Adrianum Papam infestavit, plurimis Exarchatus urbibus captis, Romæque viciniâ vastatâ. Quare imploratus à Pontifice Carolus M. in Italiam properavit, captoque primùm Adalgiso fil. Desiderii, dein ipso Desiderio, in Galliam abducto & raso, An. 774. post regnum an. 18. Longobardorum regno finem imposuit, quod duraverat an. 206. Aimon. *l.* 4. *c.* 69. 70. Eginhart. & Acciajolus, *in Carolo M.* Sigebertus & Ado *in Chron.* P. Diaconus, *de gestis Longob.* Sigonius, *de Regno Italia lib.* 3. & 4.

Desiderius, Arch. Viennensis, à Brunehilde, in cujus vitia acriter invectus erat, in exilium pulsus, an. 603. & tandem ejus jussu,

justu, interfectus est. Ad illum Gregorius M. tres epistolas scripsit. Aimon. *lib.* 3. *cap.* 90. Fredegar. *addit. ad Gregor. Tur. cap.* 32. Sigebert. Ado *Chron.* Gregor. M. *l.* 7. *ep.* 117. *l.* 4. *ep.* 62. *& l.* 10. *ep.* 39. &c.

Desiderius, Ep. Cadurc. post Rusticum fratrem, educatus fuit, in aula Regis Dagoberti; præfuit Ecclesiæ ab Anno 635. usque ad an. 660. SanMarth. *Gall. Christ. & Catal. Episc. Cadurc. tom.* 2. *pag.* 460. Morerius.

Desiderius, Abbas Montis Cassini. Vid. *Victor III.*

Desiderius Erasmus Roterodamus, à solo natali: *Varro sui seculi & Cicero Germaniæ*, Jovio: *Alterum orbis jubar, maximumq; rei literariæ decus*, Gisanio: *Ingeniosus Vett. Scriptorum censor*, Lud. Vivi: *Vir ubiq; magnus*, Aliis dicitur. Contra *inter Latinos aliquando Germanus*, Giraldo *de Poët. sui temporis*, videtur Halesius verò *notis in Chrys. ad Hebr.* acumen & certitudinem ejus censuræ, quam in Latinis præstitit, in Græcis desiderat. In religionis negotio his *Desiderium*, illis *Erasmum* esse voluisse, queritur Jac. Verheiden. Imo Eduardus Leigh, *Res & Verba*, inquit, *Philippus, Res sine Verbis Lutherus, Verba sine re Erasmus*: In quo judiciorum æstu, quid de Viro, omnium suffragiis maximo, sentiendum, ut ipse noris, adi ipsiusmet Desiderii hujus scripta, & Vid. quæ infra addentur in voce *Erasmus*.

Desiderius Lombardus, paupertatis votum, tanquam inutile & illicitum, rejecit, Sec. 13. Genebr. *in Clemente* 4.

Desiderius Spretus, Ravennas, patriæ suæ historiam condidit. Contemporaneus Leandri Alberti. Vid. hunc *descr. Ital. pag.* 310. *edit. Ven. an.* 1581.

Desidiates, Liburniæ pop. in conventu Narbonensi, Plin. 3. 22. Δαισιτιᾶται Straboni *lib.* 7. Ubi ait, Batonem quendam Dæsitiadarum ducem fuisse. Fortè verò Batonem eum intelligit, de quo Dio *lib.* 55. multa narrat & appellat Dysidiatum, ἀνάγωγος, ait, αὐτὸς ὅτι μάλιστα Βάτωνός τινος Δυσιδιάτου.

Desili, Thraciæ pop. Steph.

Desitiates, pop. Illyrici fuere, in Dalm. Sansoni. Vide *Desidiates.*

Deslan, nomen Castelli, 2. Mach. 14. Aliis *Dessaro.*

Desmonia, vulgò *Desmound Countie*, prov. Hibern. in Momonia reg. in Austrum maximè extensa. Habet ab Occ. Oceanum, & à Mer. ab Ortu Corcagiensem Comit. à Sept. Kerriensem Com. Ibi aliàs *Iverni* pop.

Despauterius Johannes, celebris Grammaticus præteriti seculi, Linguam Lat. plurimis egregiis scriptis illustravit. Circa an. 1539. Trithem. 2. *add. Chron.*

Dessavia, opp. munitum, Anhaltini Princ. caput, ad Albim fluv. ubi recipit Multam, medium inter Vittebergam ad Ort. & Magdeburgum ad Bor. 4. leuc. à Bernaburgo in Ort. Arcem habet nobilem. Hìc Mansfeldius, ab Alberto Wallenstenio victus est, Anno 1625. &c. *Dessaviensem* lineam, divisione factâ, orsus est Joh. Georgius (filius Joachimi Ernesti, qui unus post plura secula totius principatus possessor fuerat, & mortuus est Anno Chr. 1586.) De lite ejus, cum Saxonibus Vid. Thuan. *lib.* 130. Ei successit Joh. Casimirus, pater ex Agnete Hassiaca Joh. Georgii, qui natus A. C. 1627. Brandeburgico Electori gratus, ejusque Vicarius, Henr. Catharinam Arausionensem conjugem habet, ditionesque post patrem regit. Reliqui quatuor Joachimi Ernesti filii, Bernburgicam, Plætzkensem, Servestanam & Cöthensem lineas orsi sunt. V. Philipp. Jac. Spener. *Syllog.*

Dessobrica, urbs inter Asturicam & Tarraconem. Anton.

Desticos, ins. exigua Thraciæ adjacens, non procul à Chersoneso. Plin. 4. 12.

Desudaba, Medicæ reg. urbs. Liv.

Desuviarii, Gall. Narbon. pop. Plin.

Detunda, Turdulorum in Bæticâ op. Ptol.

Deva, *Chester*, urbs ampla Cornaviorum, in Anglia. Emporium est celebre, ad æstuarium Devæ fluv. in limite Vualliæ Bor. Cum portu commodo. Urbs ipsa quadrata, castrum habet munitum; 14. mill. Angl. ab ora maris Hibern. in Austr.

Deva, fluv. Hisp. Tarr. per Vardulos in Ocean. Cantabr. ad opp. cognom. fluens.

Deva, flu. Albionis, per Walliam in Bor. fluens, *Dysy* Lhuydo, Britannicè: *Dea* vel *Dee* Angl. mari exceptus ad Cestriam Urbem.

Devada, ins. Arab. Fel. in Indico mari. Plin.

Devana, Ptol. urbs Angliæ, hodie *Chester*. V. *Deva.*

Devana, Incolis *Aberdeen*, urbs aliàs Verniconum pop. in Albione ulter. nunc Scotiæ, in Marria prov. ad ostia Divæ flu. Camdeno etiam *Divana*. V. *Aberdonia.*

Deucaledonius Ocean. mare Caledonium, Scotiam alluens. Δευκαληδόνιος m. Seldeni.

Deucaliones fuere quatuor. Unus, Minois fil. de quo Pherecydes. Alter, de quo Hellanicus. Tertius Abantis fil. de quo Aristippus *in Arcadicis.* Quartus, omnium antiquissimus ex Prometheo Japeti F. & Pandora natus, ut scribit Hesiod. qui primus, Apollonio teste, Urbes condidit, & ædes Deorum construxit, primusque omnium mortalium regnavit. Huic adulto Epimetheus patruus Pyrrham filiam conjugio junxit. Hic cùm apud Thessalos regnaret, ingens diluvium universum terrarum orbem inundavit, genusque humanum ad internecionem delevit, Deucalione tantùm & Pyrrhâ servatis, qui in Parnassum montem naviculâ delati, ubi primùm aquæ desedissent, Themidis oraculum consuluerunt, quanam ratione genus humanum posset reparari, acceptoque responso; ut magnæ matris ossa post terga projicerent, lectos humi lapides (eos enim magnæ matris, hoc est, terræ ossa interpretabantur) post terga jactabant: qui protinus naturali positâ duritie, in utriusque sexûs homines sunt commutati. Ovid. 1. *Met.* Virgil. 1. *Georg.*

—— Quo tempore primùm
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus.

Juvenal. *Sat.* 1.

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem ascendit, sortesq; poposcit,
Paulatimq; animâ caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.

Inde *Deucalionei imbres*, pro ingentibus. Lucan. 1.

Deucalioneos fudisset Aquarius imbres.

Porro reparatio hominum ascribitur Deucalioni, nempe quòd Gentes ab eo edoctæ retinuerint memoriam diluvii. At hæc fabula Poetica, sub verborum, & nominum involucris veram universalis diluvii à Mose Dei servo descriptam historiam proposuit; & artibus Satanæ factum est, ut quæcunque in sacrâ historiâ occurrerent, Ethnicorum figmentis in fabellas verterentur. Apud Lucianum *libello, de deâ Syriâ*, extat locus, ex quo manifestum est, per Diluvium Deucalionis, intelligi non inundationem illam, quâ olim Græcia absorpta est, sed diluvium universale, quod fuit Noæ temporibus. Quinetiam Plut. *de Animalium Industriâ* scribit, columbam in arcâ Deucalionis emissam attulisse indicium recedentis diluvii. Noë dictus Δευκαλίων, quòd ante diluvium prophetabat hominibus dicens, Δεῦτε, καλεῖ ὑμᾶς ὁ Θεὸς εἰς μετάνοιαν. Theophilus *lib.* 3. *ad Autolycum.* Cæterùm hoc diluvium, quod illustris est Epocha, auctor quidam vetus, apud Clem. 1. *Strom.* accidisse ait, Anno 330. ante captam Trojam, adeoque an. M. 2540. ante N. C. 1514. post diluvium Noachi 884. post Ogygium 248. 4. ante exitum Israëlitarum, ex Ægypto, Anno 77. Mosis, 44. regni Cecropis. Qui epochas Chronol. Eusebii sequuntur, adscribunt illud an. M. 2530. Hieron. *in Chron.* Cyrill. *l.* 1. *c. Jul.* Aug. *de C. D. lib.* 18. *cap.* 10. sub Cecrope contigisse asserunt. Varro in Cranai successoris tempora refert. Georg. Sincellus, Cedrenus, &c. similiter incerti hærent. Ubbo Emmius, *Vet. Gr. lib.* 1. ad 349. an. ante Trojam captam rejicit. Marmora Arundeliana, à Seldeno publicata, hanc Epocham an. 16. anticipant. P. Orosius, æquo recentius facit. Petav. *P.* 2. *l.* 2. *cap.* 9. *rat. Temp. & in Chron.* Ricciol. *Reform. Chr. tom.* 1. *lib.* 3. *n.* 6. *pag.* 125. Porrò de hoc diluvio Vid. Apollodor. *lib.* 1. Diod. *lib.* 4. Strab. *lib.* 9. Pausan. *Att.* & Cononem, apud Photium, *Cod.* 186. *narr.* 27.

Deucalion Pellæus, unus ex Argonautis, fratri Amphioni simillimus, ut dignosci non potuerit. Flacc. *lib.* 1. *vers.* 365. Hypsonis fil.

Deudorix, Bætoritis fil. magni apud Cheruscos nominis, ductus inter cæteros captivos Germanico juniori clarissimum triumphum præbuit. Strabo 7.

Develton, Ptolemæo Δεβελτὸς Κολώνια, op. Thraciæ Mediterraneum, lacum habens ejusdem nominis. Plin. 4. 11.

Deverra, Dea à antiquis putata est, quam venerabantur, ut scopis domum verrere possent.

Devia, vulgò *Bladnoch*, Albionis flu. in Scotia, ad Leucopibiam op. in mare labens, ad Occ. Ferr.

Deunana, Albionis urbs in Cornaviis. Ptol. vulgò *Doncaster*, teste Villanovano.

Devona, Germ. urbs. *Newmark* Pet. Apiano.

Devonia, reg. & Comitatus Angliæ, vulgò *Devonshire* inter Somersetensem agrum, & Cornubiam. Baudrando in parte mer. Angliæ, inter Cornubiam ad Occ. & Dorsetiam ad Ort. Ubi aliàs pars Occid. Damnoniorum. Ejus præcipua Urbs est Exonia, versus oram Oceani Brit.

Deuriopus, vel *Deuriopum*, reg. & op. Macedoniæ. Strab. Stephanus.

Deusdedit, 66. Rom. Pontifex, An. Dom. 616.

Deuteria, uxor Theodeberti I. Metensium R. ex eo mater Theobaldi, Austrasiæ R. &c. filiam, *ex priore marito susceptam*, ob formam ejus Zelotypa, currui à quatuor indomitis equis raptato impositam Mosâ mersit. Quare à populo commotus Rex, illâ repudiatâ, Wissigradam, Lachonis Longob. R. filiam, jam prius desponsatam, duxit. Greg. Turon. *l.* 3. *c.* 23. *&* 26. Aimon. *libr.* 2.

Deuterius, Ep. Arianus, Barbam quendam baptizaturus, In nomine patris, per Filium in Spir. S. aquam disparuisse vidit. Sigebert. A. C. 504.

Deuteronomium, quintus Mosis liber. Hebræis *Ellehaddebarim*, quasi recapitulatio Legis. Compositus A. M. 2583. & à Josua 12. lapidibus insculptus, qui ultimum caput adjecisse videtur.

Alii

Alii hoc Efræ aſcribunt. Auguſtin. *de mir. Scr. lib.* 1. *c.* 35. Sixtus Sen. *Bibl. lib.* 2. In S. hunc librum extant: Auguſtinus. Bugenhagii *Commentarii*, Octav. Baſileæ 1524. Ferus. Frantzii *Diſputationes*, Quart. Witeb. 1608. Gerardi *Comment.* Quart. Gregorius Nyſſ. *de Vita Moſis.* Janſenii *Commentaria*, Quart. Lovanii 1641. Janſſonii *in cap.* 32. Lorini *Com.* 2. Tom. fol. Lugd. 1622. Lutheri *Annotationes.* Macchabæi *Enarratio.* Octav. Lond. 1563. Mongeorgius. Paez *in cap.* 32. Pelargi *Comm.* Quart. Magdeb. 1609. 1622. Purmanni *Quæſtiones & Reſp.* Belgicè. de Quiros. Roverii *Harmonia cum Com.* Siphre Hebr. Titelmanni *Elucidationes cap.* 32. Wolfii *Sermones.* fol. Tig. 1585. Vid. Crovvæi *Elenchum.*

Dexamene, pars Ambraciæ. Steph. Item una ex nymphis marinis, à δέχομαι, id eſt, *recipiendo* dicta.

Dexari, pop. Chaonum, Encheleis proximi. Steph.

Dexicrates, Athenienſis, Poeta Comicus. Fragmentum ex ejus *Extravagantibus*, Athen. & Suidas habent.

Dexicreontis, Venus dicta, à *Dexicreonte* circulatore, qui Samias mulieres luxu, petulantiâque perditas, ſacris quibuſdam piacularibus expiavit; vel potius à *Dexicreonte* nauclero, qui, cùm Veneris juſſu aquam tantam in navim impoſuiſſet, ut ex eâ mercatoribus, nautiſque ſitientibus diſtractâ dives factus eſſet, Veneri ſtatuam grati animi indicem poſuit, quam à ſuo nomine *Dexicreontem* appellavit. Rhod. 29. 18.

Deximontani, Carmaniæ pop. dextram ripam Granii amnis accolentes. Plin. 6. 23.

Dexiphanes, pater Soſtrati architecti. Steph.

Dexippus, Herennius appellatus, orator Athenienſis, ſub Valeriano, uſque ad Aurelianum. LLoyd. Sub Galieno & Probo, Eunap. *in Vita Porphyrii.* Inſignis inſuper Philoſophus & Hiſtoricus. Scripſit 4. libb. de rebus poſt Alex. M. geſtis, epitomen uſque ad Claudium, de Scythis, &c. Lampr. *in Severo.* Capitolin. *in Maximo jun. Galienis, Maximo & Balbino.* Pollio, Suid. Photius *Bibl. cod.* 82. Item alius Medicus Cous, Hippocratis diſcipulus, ſcripſit de Medicinâ librum unum & de Prognoſticis duos. A rege quodam rogatus, ut filios ſuos ægros curaret, parere noluit prius quàm Rex promiſiſſet, ſe Dexippi patriam bello non infeſtaturum. Suid.

Dexitheus, Archon Athenis, Olympiadis 98. an. 4.

Dexitheus, Citharœdus optimus & victor in Pythiis, cujus meminit Ariſtoph. *Acharnenſ. initio.* Scholia ibidem *p.* 371. *B.* notant ab aliis citharœdum frigidum haberi.

Dexter, Conſul, collega Fuſci, an. U. C. 977.

Dexter Flavius, Barcinonenſis hiſtoricus, qui omnimodam hiſtoriam ſcripſit, à Sophronio græcè verſam. Fil. Paciani, Ep. Barcinonenſis, præfectus Prætorii, contemporaneus Prudentii, ſub Theodoſio M. Ei Hieronymus opus *de Scr. Eccl.* dedicavit. Vid. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 10.

Devva, vulgò *Dea*, & *Dee*, fluv. Scotiæ merid. in Gallovidia prov. In mare Hibern. labitur, 16. mill. Angl. à Monæda Inſ. in Bor. totidem à Carbantorigo in Occ. 12. à Leucopibia in Ort.

D I.

Dia, Deæ nomen, quæ apud Sicyonios & Phliaſios colebatur, eadem fuiſſe creditur cum Hebe Juventutis Deâ.

Dia, inſ. maris Ægæi, una Cycladum à Delo 17. m. p. diſtans. Plin. 4. 12. In hâc Liber pater Ariadnem à Theſeo deſtitutam uxorem duxit, quâ de causâ etiam Baccho ſacram eſſe volunt. Ovid. *Met.*

Protinus Ægides raptâ Minoide, Diam
Vela dedit. —— ——

Idem *de Triſt.*

Quâ brevis æquoreis Dia feritur aquis.

Stephano quatuor ſunt hujus nominis inſulæ, quarum prima *Naxus* dicitur, 2. prope Miletum eſt, tertia vicina Sarmoſſo, 4. prope Gnoſſum Cretæ. Theocriti Interpres Diam inſulam eſſe prodit circa Melum, & aliam circa Amorgum & Cherſoneſum in Co, & in Peloponneſo ſimiliter nominari.

Dia, urbs Theſſaliæ ab Æaco condita. 2. Thraciæ juxta mont. Athon. 3. Eubœæ. 4. Peloponneſi. 5. Luſitaniæ ad Oceanum. 6. Italiæ juxta Alpes. 7. Scythiæ juxta Phaſin. 8 Cariæ. 9 Bithyniæ juxta Pontum.

Dia, urbs epiſc. Delphinatus: olim una ex præcipuis, inter 19. Vocontiorum urbes, dein Colonia Rom. Hinc ſub Longobardis, an. 574. poſtea caput regiunculæ Dienſis, tandem, Regno Arelat. vel Burgundiæ deſtructo, Comitatus. Ludovicus Pictav. Comes Valent. & Dienſis, Carolo Delphino, poſtea 7. R. ditionibus ſuis ceſſit, quæ ab eo tempore Delphinatui innexæ. In bello civili plurima paſſa. Primum Epiſc. Martium habuiſſe creditur. Nomen urbis quod attinet, Sicyonii Diam, Vid. ſupra, adorarunt olim, unde dubium non eſt, quin nomen hoc urbis græcum, ipſaque à Græcis, ſicut Maſſilia, condita ſit. Columbus, de *Epiſc. Dienſ.* Chorerius, *hiſt. Delphin. lib.* 1. 4. 9. *&c.* Chenius *de Urb. antiq.* Gaſſendus, *l.* 2. *de Vita Peireſcii.* V. *Dea.*

Diabate, inſula parva admodum juxta Sardiniam. Ptol. Prope Hermæum prom. Nunc *Faluga*, Brietio aliiſque 20. mill. à Tilio in Auſtr. 25. à Gorditano prom. etiam in Auſtr. 28. ab Herculis Inſ. quæ nunc *Zanara.* Baudr.

Diabatina, Sacrificia apud Græcos, quæ in tranſitu fiebant. Plut. *in Lucullo.*

Diabeta, inſulæ circa Symen. Steph.

Diabete, inſula occidentalior, quàm Sardinia, & Corſica. Stephanus.

Diablintres, *Diablindi*, Plin. *Diaulita* Ptol. pop. Gall. Celticæ in Armoricis ſeu in Britanniâ minori, prope Dolam Urb. quorum tractus hodiè *Diableres* nominatur. Cæſar. *lib.* 3. Ibi & familiæ *les Diables.* Inter Curioſolites & Redones. Alii pop. fuere Galliæ Lugd qui & *Aulerci Diablintes*, quorum tractus nunc *le Perche*, inter Belſiam ad Ort & Cenomanenſem prov. Eorum caput eſt Noviodunum, vulgò *Nogent le Rotrou.* Baudr. Sed prior ſententia potior Hadr. Valeſio videtur.

Diacharenti, pop. Arabiæ, à Nabaro Nabaræi. Steph.

Diacherſis, Ptol. *Carcora*, teſte Marmolio, opp. Cyrenaicæ reg. in ora littor. ad Boream, apud Boreum prom. & Berenicen urbem. Ferrar.

Diaconia & *ium*, hoſpitium excipiendis pauperibus & infirmis conſtitutum; dictum à præfecto ejuſdem *Diacono*: Xenodochium, Hoſpitale. Bibliothecar. *in Greg.* 2. *A. D.* 714.

Diaconicon, Locus in circuitu Eccleſiæ, conſervandis vaſis dominicis & ornamentis Eccleſiæ deputatus. Aliàs *Secretarium*, item *Sacrarium.* Concil. Laodicen. circa A. C. 368. *Can.* 21. V. Spelmannum *Gloſſar. Archæol.*

Diaconiſſa, in Eccleſia celebris fuit, ſub ipſis Apoſtolis, ut ex *cap.* 16. Rom. patet, ubi Phœben commendat Paulus, ἔσαν διάκονον τ̃ ἐκκλησίας τ̃ῆς ἐν κεγχρεαῖς. Has Græci πρεσβυτίδας ἤτοι προκαθημένας etiam vocabant; Latini *Presbyteras, Viduas, Univiras, Matricurias, Monachas.* Gregorius III. in Synodo Rom. Anno 733. *Diacona, Presbytera, Monacha* meminit. Sed à veteribus *Diaconiſſis* plurimùm differre videmus Monachas ſeu Moniales hodiernas: ſucceviſſe tamen ex iſtarum inſtitutione probabile eſt. Vid. Epiphanium ſui ſeculi, i. quarti *Diaconiſſam* deſcribentem, *lib.* 3. *tom.* 2. *hær.* 79. Has tanquam Ordinatas, non recipit Concil. Laodic. Ordinem tamen in Eccleſia vocat Epiphanius. Accepiſſe illas manuum impoſitionem & nuptiis arceri, clarum eſt è Concil. Wormatienſi *cap.* 45. ubi & tempus ordinationis an. 40. æt. definitur. Juſtinianus autem vetuit *Diaconiſſas* ordinari minoris ætatis, quàm 50. annorum. Sed & ſumitur hæc vox, pro uxore *Diaconi*: de qua, quinto Apoſtolorum canone, conſtitutum eſt, ut *Epiſcopus aut presbyter, aut diaconus, ſuam uxorem non ejiciat causâ religionis*: quod & ſexta Synodo confirmatum eſt, & in Orientali Eccleſia ſuo ævo obſervatum eſſe tradit Stephanus Papa. V. Spelmannum *Gloſſar. Archæol.*

Diaconus, quid ſub Apoſtolis deſignarit, notum. Refert Chryſoſtomus *epiſt. ad Philipp. cap.* 1. *V.* 1. *Diaconos*, Presbyteros & Epiſcopos, primò communicaſſe invicem ſua nomina, ex 2. Tim. *c.* 4. *V.* 5. Hinc fortè, & quòd menſurnas ſub Epiſcopo Presbyteris dividebat aliquis è Diaconis, elatius ſe erga Presbyteros Diaconi gerebant: atque inde enatus Concilii Niceni *canon* 20. quo Presbyteris ſubjiciuntur. Numerum & miniſterium primitivum diu retinuit *Diaconus*; illum in ſeptenario: iſtud in curandis menſis, pecuniâ publicâ, viduis & pauperibus. Sed operam interea navat, extra parietes Eccleſiæ: ingreſſus prædicantem Epiſcopum cuſtodit, parteſque obtinet in celebratione divinorum. Et quia ſeptem Romæ urbis regiones, hinc & ibidem totidem *Diaconi*, cum æquali SubDiaconorum numero. Conſtantinopoli duo erant *Diaconorum* ordines: Unus majorum, qui ἀρχοντικοὶ Διάκονοι, numero 6. de quorum officio Vid. Meurſium: Alter minorum, quorum in magna Eccl. erant 100. *Juſtinian. Novell.* 3. quos Heraclius ad 150. extendit, qui Subdiaconorum 60. tantùm eſſe voluit, cùm priùs 90. eſſent. In Blanchernarum verò Eccleſia *Diaconi* tantùm erant 12. *Diaconiſſæ* 6. (cùm in M. Eccleſia harum eſſent 40.) & *Subdiaconi* 8. atque occupabantur circa ambonem lectionemque ſacram Evangelii. Solùm ab Epiſcopo ordinandus eſt *Diaconus*, at juxta Concil. Carthag. *can.* 16. non ante 25. ætatis annum. Exinde ſecundùm Concil. Conſtantinop. 8. *Can.* 5. εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην, ad Archipresbyteratum vel Epiſcopatum aſcenderet, ſed exactis jam prius in *Diaconatu* annis 3. in *Subdiaconatu* 2. & in officio lectoris uno. Cæterum de officio *Diaconi*, Vid. Rabanum Maurum *de Inſtitut. Cleric. lib.* 1. *cap.* 7. & *epiſt. ad Reginbald.* Durandum *de div. off. lib.* 2. *cap.* 2. Hieronym. *lib. de* 7. *Ordinibus Eccleſ. cap. de quinto gradu.* Iſidorum Jun. &c. Reperitur quoque in Eccleſia prima *Archidiaconus*, qui & *Archilevita* dicitur: Sic Laurentium, qui A. C. 260. paſſus eſt, Archidiaconum fuiſſe, refert Anaſtaſius *in Sixto*; cui fidem facit multo antiquior Prudentius, ejus munus ita deſcribens, *in Coronis*:

Hic primus è ſeptem viris,
Qui ſtant ad aram proximi,

Levita sublimis gradu,
Et ceteris praestantior:
Claustris sacrorum praerat,
Coelestis arcanum domus,
Fidis gubernans clavibus,
Votaque dispensans opes.

De hujus institutione, Hieron. *epist. ad Evagr.* ait, *Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Inferiori seculo evocabatur ad hoc munus, prae ceteris antiquior. Constantinopoli eligebatur ab Imperatore, ex 6. Catacoelorum ordine, i. à Rectoribus sex Principalium Ecclesiarum. Sed hic *Archidiaconus* Palatinus fuit, non Ecclesiasticus; clerumque palatii tantùm regebat, non Ecclesiae, quae suo tum caruit Archidiacono, ut refert Codinus *in Offic. Constantinop.* Pari elatione reperitur *Archipater*, pro Archiepiscopo Rhemensi: *Archiprior* pro militiae templi praefecto, &c. Vid. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Diacopene, regio Cappadociae ad Halym flu. Strab. 12.

Diacrea, tribus Atticae, Pallantis sedes. Steph.

Diacrii, Athenis erant, qui montana incolebant loca, Oligarchici, discordes Pediacis: His secundùm Solonis leges praeerat Pisistratus. Fertur tamen Pandion regionem Diacriam distribuisse filiis suis & Lyco principatum dedisse. Aegeo regionem quae circa opidum & arcem; Pallanti Paraliam, & Niso Megaricam. Scholia *in Aristophanis Crabron. p.* 518.

Diactor, quasi *internuntius*, Mercurii cognomen.

Diacuista, insignis urbs inter Placentiam, & Genuam. Strabo *lib.* 5.

Diacum, Mysiae infer. op. Ptol.

Diada, Athenae sic dictae, à Cecrope conditore, quam urbem Euboici *Orchomenon* appellarunt.

Diadematus L. Metelli cognomen, quòd diu circumligatâ fronte, cùm in eâ ulcus haberet, deambulasset. Plutarchus *de cognominibus Graecorum & Romanorum.* Fuit verò Q. Metelli filius, ac Consularis, summae auctoritatis.

Diades, nomen dedit *Diadi* urbi in Lyciâ, quam condidit. Stephanus.

Diadochum, Persiae urbs non procul à Ctesiphonte. Steph.

Diadochus, Episc. Potic. in Illyria, sec. 4. scripsit de Perfectione. Bibl. PP. Photius, *cod.* 201. 231.

Diadumenus, juvenis speciosus, fil. Macrini Imp. qui patre ab Heliogabalo victo, unà cum eo est interfectus. Anno 218. Diademate cinctus in mundum venerat Jul. Capitolin. *in vita Macrini*. Lamprid. *in Diadumeni*. Item nomen amasi, Martialis,

Basia da nobis Diadumene &c.

Diagon, vel *Diagum*, Peloponnesi fluv. à meridie in Alpheum influens, & Pisam ab Arcadiâ terminans. Pausan.

Diagoras, quia repulsam, ut videtur, alii aliam injuriam in uxore passus fuerat; Oligarchiam Eretriensem dissolvit. Aristot. 5. *Polit.* 6.

Diagoras, philosophus Atheniensis, Teleclyti fil. Genus Melius, qui *Atheos* cognominatus est, id est, *negans Deos*; poeta Melicus post Pindarum, & Bacchylidem, quem Democritus, ob physiognomiam, cùm servus esset, emit 1000. drachmis, ut disciplinis erudiret. Sic mysteria contempsit, ut etiam ea sectantes averteret. Quare ab Atheniensibus pulsus est, qui talentum polliciti sunt, qui eum interfecissent: Duo, qui vivum adduxissent. Hocque ut caeteri Peloponnesii facerent, auctores extiterunt. Vixit Olymp. 74. Euseb. Vossio *de H. G. lib.* 4. *cap.* 2. idem videtur cum eo, qui ab Atheniensibus, ob detecta mysteria, punitus est. Tatian. *c. Graecos.* & qui de Cybeles sacris scripsit. Vid. Cicer. *de N. D. lib.* 1. Valer. M. *lib.* 1. *cap.* 2. *ex.* 7. Lactant. *Inst. l.* 1. *cap.* 2. *de Ira Dei*, *l.* 1. *c.* 9. Theodoret. *Therap. c.* 6. Suid.

Diagoras Rhodius, 3. filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum Pancratiasten, tertium luctatorem, eosque omnes vidit vincere coronarique eodem Olympiae die, cujus rei causâ gaudio nimio effusus animam efflavit. Cic. 1. *Tusc. Qu.* Gell. 3. 15. Plut. *in Pelopida.* Paus. *Eliac.*

Dialis, *diale*, qui vel quod Jovis est. Unde flamen *Dialis* Jovis ministerio assignatus est à Numâ. Liv. *l.* 1.

Diallus, Atheniensis, Histor. Gr. circa Olymp. 120. U. C. an. 454. libris 26. memorabilia sui temporis executus est. Diodor. Sic. *fragm. cap.* 5.

Diamastigosis, sacri genus apud Lacedaemonios, in quo ante aram nobiles adolescentes sese mutuis verberibus afficiebant, adstantibus propinquis. Philost. *in vitâ Apol.*

Diamuna, Indiae fluv. in Gangem influens. Ptol.

Diana, Jovis filia ex Latonâ, eodem cum Apolline partu edita. Haec, ob virginitatis amorem, fertur hominum consortia fugisse, & ut à se libidinis pruritum amoveret, venando sylvas incoluisse, paucarum virginum comitatu contenta. In inferis Hecate, in sylvis Diana, in Coelo Luna, Phoebe, Delia, Cynthia, dicta. Sub Lucinae nomine, à parturientibus invocata est. Horat.

Montium Custos, nemorumque virgo.

Et alibi,

Phoebe, sylvarumque potens Diana.

Catullus:

Montium Domina, ut foret
Sylvarumque virentium.
Saltuumque reconditorum
Amniumque sonantium.

Inde *turba Diania*, apud Ovid. pro canibus, & *Arma Diania* pro instrumentis venatoriis Gratio dicuntur. *Integra Tentator Orion Dianae*, id est, Castae. Laudatissimum templum habuit apud Ephesios; 127. columnis, à totidem Regibus substructis innixum, quod die Alexandri M. natali arsit: Cultu ejus, usque ad A. post. Pauli tempora perdurante. Vid. Actor. *cap.* 19. aliud item in Tauricâ reg. ubi carne tantùm humanâ litabatur. Lucan. *l.* 1.

Et Taranis Scythiae non mitior ara Dianae.

Sic dictam volunt, quasi *Jovianam*, ἀπὸ τοῦ Διὸς à *Jove* sc. Producit primam syllabam. Virgil.

Exercet Diana Choros.

Itemque Horatius,

Dianam tenerae dicite virgines.

Vide *Dictynna*, *Hecata*, *Lucina*, *Luna*, *Noctiluca*, *Proserpina*, *Trivia*. Item, Ovid. *Metam. lib.* 3. Hesiod. *Theog.* Plin. *l.* 7. *c.* 38. *& lib.* 16. *cap.* 40. Diod. Sic. *l.* 16. A. Gell. *l.* 2. *c.* 6. Solin. Euseb. Plut. Paus. Strab. Natal. Com.

Diana, legitimata Filia Henrici II. Gall. R. Horatii Farnesii, Ducis Castr. dein Franc. Ducis Montmorantii, Mareschalli Franciae, uxor. Obiit An. 1619. aet. 82.

Diana Pictav. Henrico II. grata, in cujus gratiam, pro symbolo usus est, Lunae bicornis icone, cum lemmate, *Donec totum impleat orbem.* Mezeray.

Diana, fluv. Hisp. Tarraconensis. Ptol.

Dianae fanum, Bithyniae promuntorium. Ptol. Baudrando opp. Bithyniae, postea *Chrysopolis*, è reg. Constantinop. ex altera parte Bosphori Thracii. *Scutari* Sophiano.

Dianae fons, pagus Siciliae ad Camarinam urbem. Hujus fontis aqua vino non miscetur. Solinus.

Dianae oraculum, urbs Arab. Fel. Ptol. *Curiale*, teste Moletio.

Dianae portus, locus Corsicae in orâ orientali. Ptol. *Stagno di Diano* incolis lacus est, prope Aleriae urbis rudera, in ora Or. ibi in mare Thuscum se exonerans. Caret nunc portu, estque aëris gravioris. Baudr.

Dianenses, Hisp. citer. pop. in conventu Carthaginensi. Plin.

Dianes, pop. Galatiae. Steph.

Dianium, Hisp. Tarracon. op. in orâ maris Balearici: Ptolemaeus inter Edetanorum oppida enumerat. *Denia* vulgò. Baudrando est opp. Contestanorum in ora maris Medit. & Sinus Sucronensis, cum portu cognom. Medium inter ostia Sucronis flu. & Artemisium promunt. hinc *Dianium* dictum, quod 4. leuc. in Austrum ab oppido distat. Oppidum verò 8. leuc. à Saetabi in Ort. 9. ab Alone, 4. à Gaudia, sub dominio utili Ducis Gandiae, è gente Borgia. Item ins. maris Tyrrheni juxta Corsicam. Plin. *Gianuti*, teste Nigro. Satis montuosa, ditionis Senensis, sub magno Duce. 9. circiter mill. ab Aegilio in Ort. 6. à monte Argentario in Austr. Baudr. Item opp. Liguriae vino abundans. Item, opp. Pedemontii, in laeva Borbi torrentis.

Dianium, oppidum Lucaniae, introitum in vallem Dianiam offert: ea naviculae formam convenientissimam habet puppi proraque diductiore, ventre verò capaci, panditur enim in longum 20. M. P. in latum quatuor. Ad dexteram aditus stagnum illud apparet, seu palus, ut accolae vocant, unde aquae proficiscuntur, quae per specum erumpentes Nigro fluvio principium dant.

Dianium, prom. quod & *Ferraria*, & *Artemisium*. nunc *Cabo Martin*, & *Punta del Emperador*, in mare Mediterr. excurrit, inter sinus Succronensem & Illicitanum, 9. leuc. ab Alone in Ort. Contra Ebusum Ins. à qua distat 10. leuc. in Occ. In regno Valentiae. Vid. *Dianium* opp.

Diaphanes, Ciliciae fluv. ab aquae perspicuitate sic dictus. Plinius 5. 27.

Diaphenum, Arabiae urbs. Lib. Notit.

Diapolitus, Aegyptiorum rex, cui & nomen *Amasis*, sub quo fuit fames magna. Oros. 3. 31.

Diarbechia, prov. Asiae, inter Euphratem & Tigrim, ubi aliàs Mesopotamia, quod Vid. Sub Turcis.

Diarreusa, ins. Chio finitima. Plin. 5. 31.

Diarrhoea, Cyrenaicae reg. portus, Ptolemaeo: *Zanara* Marmolio.

Dias, Sophista Ephesius, Philippi Regis temp. Philost.

Dias, urbs Lyciae, quam Diades condidit. Steph.

Diasia, Jovis festa apud Athenienses, teste Suidâ, & Luciano *in Charidemo*, meminit eorum & Aristoph. Agebantur autem, ut Hesychius scribit, cum peculiari quâdam tristitia.

Diaula, una ex 4. porticibus Romae, quae ad meridianas regiones spectabat.

Diaulia, Vid. *Daulis*.

Diaulita, Vid. *Diablintres*.

Diaulus, de quo Martialis,

Nuper erat medicus, nunc est Vespillo Diaulus.

Dibictus,

Dibictus, frater Artabazi. Polyæn. *l.* 7.

Dibon, urbs magna & munita, quæ cùm priùs fuisset filiorum Moab, & pòst eam Seon rex Amorrhæorum belli jure tenuisset, eo pulso à filiis Israel capta, & tribui Gad attributa est. Vid. Jos. 13. 9. Es. 15. 2.

Dibon Gad, locus in quo Israelitæ fixere tentoria profecti de Oboth. Num. 33.

Dibra, Epiri opp. à Turcis, in unicum urbis puteum cadavere canis injecto, captum: cùm, Petro Perlato præf. coram civibus aquam inde haustam bibente, hi tamen illam aversati, libertatem mallent amittere. Circa A. C. 1442. Martin. Bariletus *in Hist. Scanderbegi lib.* 2. & 3.

Dibutades, Sicyonius, primus figulus Corinthi, qui ex creta docuit pingere, primusque personas tegularum extremis imbricibus imposuit. Plin. 35. 12.

Dicaa, urbs Thraciæ.

Dicaa, quæ & *Dicaarchea*, nunc *Puteoli*, quòd ea civitas quondam *justissimè regebatur*. Sil. *lib.* 13.

Forte Dicarcheâ juvenis consedit in urbe
Scipio. ——

Dicaarchus, Discip. Aristotelis, Mathematicus, Historicus, & Philosophus Messenius, qui opinatus est hominum exordium nullum extitisse. Scripsit de Rep. Spartana, de gentibus & antiquit. Græciæ urbium. Hieron. *lib.* 2. *c. Jovin.* Ei etiam de montibus liber attribuitur, & Strabo inter Geographos refert. Composuit 3. libros, in quibus scripsit animam nihil aliud esse, quàm vim quandam, atque potentiam æquabiliter fusam, tam in corporibus brutorum, quàm hominum, quæ à corpore foret inseparabilis, ut à morte nullus sensus supersit, sed omnia cum animâ moriantur. Vide Cic. *l.* 13. *ep.* 32. *ad Att.* Tertull. *de Anima, c.* 15. *n.* 178. *edit. Pamel.* Athen. *lib.* 11. 13. &c. Diog. Laërt. *in Platone & Thalete.* Plut. *in Theseo, Agesilao*, &c. Gell. 4. 11. Vossium *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 9. *de Mathem. c.* 43. 59. & 69. &c. Censorin. *de die nat. cap.* 4. Strab. *lib.* 1. Steph. Byzant. &c. Alius Lacedæmonius Grammaticus Aristarchi auditor. Suidas. Vide Jonsium *de Script. Hist. Philos. l.* 1. *c.* 16.

Dicaarchus, laudatur περὶ μυσικῶν ἀγώνων, ab Auctore Scholiorum in Aristophanis *Ranas Act. V. sc.* 2. 273. *D.* Item *in Crabron. pag.* 519. *E.*

Dicaogenes, poeta, scripsit Tragœdias, & Dithyrambos. Suidas, Harpocration.

Dicasmuta, locus Flandriæ, nunc *Dixmude.*

Dicdica, Africæ propriæ urbs. Anton.

Dice, Dea & præses judiciorum apud antiquos credebatur, cujus ministri dicebantur Δικασαὶ, id est, *litium diremptores.* Virgo dicebatur, quia judices puri, integrique esse debent. Jovis verò filia, quia Jupiter est Nomothetes, princeps ac Imp. universorum. Rhod. 23. 16.

Dicelicta, apud Spartanos sic dicebantur, qui lusus comicos leves, & tenues obibant. Rhod. 6. 17.

Diceneus Boroista, vir doctissimus, Gotthorum consiliarius, omnem eos edocuit philosophiam, & Theologiam, sacella fieri jussit, sacerdotes instituit. Jornandes.

Dicon Syracusanus, vicit stadium Olymp. 99.

Dicta, sive *Dictaus mons.* Plin. mons Cretæ, *Lasthi* seu *Lassiti* nunc; in parte Orient. inter Gnossum ad Occ. & Samonium prom. ad Ortum; nunc sub Turcis, cum toto illo tractu. Habet duo brachia, quorum alterum procurrit ad prom. Samonium, alterum ad prom. Siderum in Bor. Baudr. hinc *Dictaus* pro *Cretensis.* Virgil. 6. *Eclog.*

Dictaa nympha nemorum jam claudite saltus.

Ovid. *Met.* 3.

Se confessus erat, Dictaaq; rura tenebat.

Dictaus, Jupiter vocatus, à *Dicto* vel *Dicte*, monte Cretæ. Utroque enim modo dicitur. Fuit & *Dictaum spelaum*, dicti montis. Alii δίκτυω insulam esse ajunt à piscatoribus derivatam, δικτύων, ubi imberbe Jovis simulachrum fuit, quod *Dictaum* dicebatur.

Dictamnum, & *Dictynna*, Cretæ op. Ptol. Nunc *Dictamo*: in territ. Cydoniæ, sub Turcis. Baudr. Inde *dictamnus* herba. Virgil. *Æn.* 12.

Dictamnum genetrix Cretaâ carpit ab Idâ,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo; non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergo volucres hasere sagitta.

Aristot. *lib. de Mirabil. auscult.* Αἱ ἐν Κρήτῃ αἶγες, ὅταν τοξευθῶσι, ζητοῦσι τὸ δίκταμνον, τὸ ἐκεῖ φυόμενον; ὅταν γὰρ φάγωσιν, εὐθὺς ἐκβάλλουσι τὰ τοξεύματα. Tertul. *de Pœnit. cap.* 11. *Cervus sagittis transfixus, ut ferrum & immedicabiles moras citus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum.* Idem habent Cic. 2. *de Nat. Deorum* & Plinius *l.* 8. Stat. 1. *Sylv.* 4.

—— *Idaâ profert quam Creta sub Idâ,*
Dictamni florentis opem.

Dictator, summus Magistratus, apud Rom. A' Consulibus, periclitante Rep. nominatus. Primus F. Lartius Flavus Consul, an. 256. qui seditionem sedaverat: Adjunxit sibi Spurium Cassium, Equitum Magistrum, qui jussa exequeretur. Dignitas semestris tantùm, sed à Sulla & Cæsare perpetua facta est. Securibus 24. Dictator usus, absolutè imperabat, cessantibus reliquis omnibus Magistratibus, Tribunis Pl. exceptis. Polyb. *l.* 3. Vid. & Pompon. Læt. *de Magistr. Rom. c.* 16.

Dictidium, Græciæ op. Thucyd. 5.

Dictis, urbs Galatiæ. Ptol.

Dictum, Britanniæ op. Lib. Notit. *Diganwway* Camdeno. Opp. fuit Comit. Denbighensis, in ora Walliæ littorali, apud *Conovium* op. inter Asaphopolin, & Bangoriam. Ante aliquot secula fulmine deflagravit, nunc vix rudera supersunt. Speedus.

Dictynna, nympha Cretensis, quæ casses venatorios prima creditur invenisse; unde *Dictynna* dicta, cùm antea *Britomartis* appellaretur. Ferunt autem, hanc in Cretâ Dianæ consuetudine familiarissimè usam fuisse, quæ ipsa ob id à Poetis nonnunquam *Dictynna* dicitur. Sunt qui Dictynnam à Minoe adamatam ferunt, ejusque vim cùm alioqui effugere non posset, ex editâ rupe se in mare præcipitasse, retibusque piscatoriis exceptam fuisse, indeque nomen accepisse. Item Cretæ urbs, à qua mons *Dictynnaus* & promunt. *Dictynnaum.* Strabo. Vide *Dictamnum.*

Dictys Cretensis, historicus, qui cum Idomeneo Trojam profectus totum illud bellum Phœnicum literis descripsit, *l.* 9. quem Homerum secutum Tzetzes, *Chil.* 5. *hist.* 30. memorat. Quod sub nomine Q. Septimii hodie venditatur, ὑποβολιμαῖον est. Lud. Viv. *de trad. discipl. lib.* 5. Voss. *de H. Gr. lib.* 4. *cap.* 1. *de Lat. lib.* 3. *cap.* 2. Item Centaurûm unus, Pirithoi manu, in Hippodamiæ nuptiis interfectus. Ovid. *Met.* 12. Denique piscator quidam, qui Perseum educavit. Statius,

Fluctivagus volucrem comebat Persea Dictys.

Dida, Pæoniæ præfectus, Demetrium Philippi filium veneno sustulit. Liv. *l.* 10. Item pugil nobilis. Pausan.

Didaci Roi Ins. in mari Æthiop. versus Mauritiam Ins. ad Ortum Madagascariæ, à *Didaco Roiz* Lusitano, inventore sic dicta.

Didacus, Ep. Osmæ, in Castella nova, eruditione & virtute clarus. Ab Alphonso IX. ad Innocentium III. missus est, an. 1206. qui eum, inter Infideles concionaturum, abdicato Episc. prohibuit. Albigensibus se opposuit, junctus quibusd. Abbatibus, Ordinis Clarævall. Vid. *infra.*

Didacus, Episc. Oxoniensis, potiùs Osmensis; ab Innocentio III. cum Dominico Monacho & Abbate Cisterciensi, contra Valdenses, quorum florentissima jam Ecclesia erat, in Galliam missus, an. 1205. Inter hos colloquium institutum Carmanii primò, dein Apameæ. Tandem crux in eos sumta. Morn. *in Myster.* Sigon, *lib.* 16. &c.

Didacus Covarruvias, discip. Navarri, Episc. Segoviæ. Obiit an. 1577. postquam interfuisset concilio Trid. *Did. Baza*, S. Scripturam interpretatus est. *Did. Hurt. de Mendoza*, Historicus. *Did.* monachus Francisc. obiit 1463. sanctis annumeratus, à Sixto V. Vitam ejus P. Galesinus composuit.

Didasca, Æthiopiæ sub Ægypto pop. Ptol.

Didattium, Sequanorum in Belgiâ urbs: *Tachsfelden* Rhenano. *Talenberg* Lazio, *Hasenburg* Villanovano. Baudrando quid sit non constat. Nec *Tachsfelden* vel *Talenberg*, aut *Hasenburg* in toto est Burg. Comit. ubi Ferrar. locat.

Didaucana, Bithyniæ op. Ptol.

Didia lex, à *Didio* lata, post Fanniam 18. annos secuta est, cujus ferendæ duplex ratio fuit. Primò, ut non solùm urbs Romana, sed universa Italia lege sumptuariâ teneretur. Secunda, ut non modò, qui convivia majore sumptu fecisset, sed etiam qui ad ea vocati essent, atque omnino interfuissent, pœnâ legis tenerentur. Macrob. 3. 57.

Didius, dux Romanus sub Claudio, Tacit. 12. 15. fortè Britanniæ præfuit. Agricol. 14. vocaturque *Didius Gallus.*

Didius, prænomine *Aulus*, à Claudio in locum Ostorii in Britanniâ defuncti subrogatus. Tacit. 12. 40.

Didius Scava, Tribunus, à Vitellianis, in Capitolium irrumpentibus, obtruncatus. Tacit. *Histor. III.* 73.

Didius Julianus qui & M. *Salvius Severus Commodus* dictus est, Mediol. 20. Rom. Imp. an. U.C. 945. fil. Petronii Didii Severi, ex Clara Æmilia, nepos Salvii Juliani. In domo Domitiæ Lucillæ, matris M. Aurelii educatus, egregia munia obivit. Pertinace mortuo, à militibus imperium emit, cumque non esset solvendo, illorum in se odium concitavit. Usque adeò parcus, ut porcellum, atque lepusculum ad se dono missum in triduanas partiretur cœnas; pranderetque interim paucis oleribus, ac herbulis contentus. Ejus hic fuit vitæ exitus, ut à Septimio Severo successore suo, in abditas Palatii balneas ductus, extentâ damnatorum more cervice ultimum diem obierit. A.C. 193. Sext. Aurel. Sic Imperium, quod per scelus, necis Imper. conscius, & primus licitator nactus est, intra tertium mensem, à nece Pertinacis, cum vita simul amisit. Aliis aliter. Spartian. Dio *in Julian.*

Dido, sive *Eliza*, Beli vel Metræ Tyriorum regis filia, quæ primis nuptiis Sichæo Herculis sacerdoti juncta fuit; quem cùm Pygmalion, Elizæ frater, thesauris ejus inhians ante aram obtruncasset, illa in somniis monita, cum iis, quibus Pygmalionem invi-

invisum esse sciebat, effossis clam thesauris, navem conscendit, & in eam Africæ partem, quæ Zeugitana dicta est, delata tantum sibi soli emit, quantum taurino corio posset circumdare. Virg. *Æn.* 1.

Mercatiq; solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum potuit circumdare tergo.

Sil. *lib.* 1.

Tum pretio mercata solum nova mœnia ponit,
Cingere quà secto permissum litora tauro.

Appianus *in Libycis*, Ἐδέοντο δὲ χωρίον εἰς συνοικισμὸν λαβεῖν ὅσον ἂν βύρσα ταύρου περιλάβῃ. Dionysius,

Καρχηδὼν, ἥν μῦθος ὑπαὶ βοὶ μετρηθῆναι.

Quo in loco cùm corium in tenuissimas partes dissecuisset, locumque satis amplum complexa esset, urbem condidit, quam Carthaginem appellavit, vel ad minimum arcem in medio urbis, quam à Coriobubulo *Byrsam* vocavit. Anno 20. post adventum suum A. M. 3166. post Trojam, 296. ante U. C. 135. si verè Josephus, id accidisse, scribat, an. 144. post fundamenta templi à Salomone jacta. Deinde cùm Jarbas Gætuliæ rex nuptias ejus ambiret, recusantemque vi, armisque cogeret, sibi ipsi manus intulit, præferens nimirum morte occumbere, quàm prioris lecti jura secundis nuptiis polluere. Virgilius *lib.* 1. & 4. *Æn.* fabulatur Æneam, captâ Trojâ, à patriâ profugum, vi tempestatis Carthaginem fuisse delatum, Elizamque amore ejus captam, & cùm præter spem ab eo desereretur, mortem sibi consciviisse. Quod tamen gravissimorum historicorum fide facilè refellitur, qui Carthaginem tradunt septuagesimo demum anno post Romam Conditam; ab Elisâ condi cœpisse. Ab Æneæ verò in Italiam adventu, usque ad U. C. numerantur anni amplius, quàm 330. quibus Albæ regnatum est. Hâc de re extat elegans apud Ausonium Epigramma. Vid. Menandr. *hist. Regum Tyr.* apud Joseph. *Antiq. lib.* 8. *cap.* 13. & *l.* 1. *c. Appion.* Justin. *lib.* 18. Solin. *cap.* 30. Macrob. *Saturn. lib.* 5. *cap.* 17. & *lib.* 1. *cap.* 24. Hieron. *epist. ad Gerontiam.* & *lib.* 1. *adv. Jovin.* Petav. *Rat. temp. P.* 1. *L.* 2. *c.* 4. Ricciolum *t.* 1. *Chron. Reform. lib.* 5. *c.* 8. *p.* 239. *Dido* Hebræis דידה *dilectulam* notat. Est enim diminutivum à דוד hoc est, *dilectus*. De quo tamen aliter veteres suo more; Eustathius siquidem in Dion. Perieg. Διδὼ exponit Ἀνδροφόνον. Servius *in* 1. *Æn.* ait linguâ Punicâ notare *viraginem*. At Etymologus & Varrinus Διδὼ interpretantur πλανῆτιν, hoc est, *vagam*, seu *erraticam*, quomodo dictam arbitrantur, quia Tyro profuga variè esset vagata.

Didugua, Babyloniæ urbs. Ptol.

Diduri, pop. in confinio Albaniæ prope Labienos, quorum meminit Plin. 6. 10.

Didyma, locus Thebaidis in Ægypto. Anton.

Didyma, locus, & oraculum Mileti, Jovi & Apollini sacrum, sunt etiam fontes Thessaliæ, Item duæ parvæ insulæ juxta Scyrum. Et montes prope Laodiceam. Steph.

Didyma, insula Siculi maris, Æolidum una. Est & urbs Libyæ, Steph. Siciliæ item op. vide *Didyme*.

Didymæus, Apollo dictus est, quòd geminam speciem sui nominis præferat, illuminando, formandoque Lunam. Ex uno enim fonte lucis gemino sidere spatia diei, ac noctis illustrat. Macrob. Hic Licinio, de rerum suarum successu, sciscitanti, his Homeri versibus respondisse legitur:

Te Juvenes, grandæve pater, vexare feroces
Certum est: Te infirmum manet ærumnosa senectus.

Victus est autem Licinius, à Constantino M. post excitatam dirissimam contra Christianos persecutionem, in Bithynia, ad Hadrianopolim, A. C. 320. Vid. Euseb. *de vita Constantin.* & in *Histor.*

Didymaon, armorum artifex eximius. Virgil. 5. *Æn.*

Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.

Didymarchus, libro 3. Transformationum citatur ab Antonio Liberali *narratione* 23. quæ est de Batto. Sed ab interprete scriptores, ex quibus ea hausta est narratio, prætereuntur. Vossius.

Didyme, una Cycladum. Ovid. *Met.* 7.

At non Oliaros, Didymeq; & Tenos, & Andros.

Item urbs Siciliæ, vel insula, *Salinæ* Leandro. Ovid. *Fast.* 4.

Himeraq; & Didymen, Acragantaq; Tauromenonq;.

Denique ins. Gaditanæ op. Strabo.

Didymeum, templum Apollini dicatum apud Miletum. Plin. Strabo.

Didymi, mons Asiæ min. Ptol. Strabo *Dindymum* vocat.

Didymoticos, Thraciæ op. in promunt. situm, sub quo lapidicinæ. Gregoras. Item Cariæ locus. Suid. Et in Asiâ minori circa Æoliam. Polybius.

Didymus, libertus Tiberii, observator dictorum factorumque Drusi, Germanici filii, à Tiberio constitutus. Tacit. 6. 24.

Didymus, sic vocabatur Thomas Apostolus. Jo. 11.

Didymus, vir Alexandrinus, qui licèt à puero oculis captus foret, divinas tamen literas optimè callebat, & inter Ecclesiasticos scriptores illustris fuit. Vixit sec. 4. in humanis quoque scientiis, Mathematicis inprimis, versatissimus. Plurima composuit, quorum præter tractatum de Spiritu S. & quasdam enarrationes, in Epistolas nonnullas Canonicas, in Volum. 9. Bibl. PP. *col.* 23. & 53. *edit. an.* 1624. item librum c. Manichæos, ab Henr. Canisio, *t.* 5. *antiq. Lect.* evulgatum, nihil restat. Hieronymi præceptor, Obiit an. æt. 83. Sed, quòd Origenis errores amplexus, condemnari Synodo. 5. gener. meruit, Niceph. *hist. l.* 17. *cap.* 27. Cedren. *Ann.* & à Martino Pont. Concilio Later. *Sect.* 5. *can.* 18. Vid. Hier. *de Scr. Eccl. c.* 109. *in Chron. an.* 376. *ep.* 33. 51. 65. &c. Ruffin. *hist. lib.* 2. *cap.* 7. Socr. *lib.* 1. *cap.* 5. Theodoret. *lib.* 4. *cap.* 27. Sozom. *l.* 7. *c.* 14. &c.

Didymus, Alexandrinus alius, salsamentarii filius, quo nemo, ut Quintilianus inquit, plura scripsit. Grammaticus fuit, & ad Augusti tempora pervenit, atque ob assiduam circa libros moram Χαλκέντερος & πονηρὸς est appellatus: nam ad tria millia librorum, & quingentos scripsisse dicitur. Hinc & Βιβλιολάθας Athenæo dictus, quòd numerum librorum suorum ignoraret. Grammaticorum doctissimus, Macrob. *Saturn. l.* 5. *c.* 12. Vide Amm. Marcell. *lib.* 22. Senec *ep.* 88. Athen. *lib.* 4. Photium, *cod.* 279. ubi 10. proverbiorum libros ejus cita, t Euseb. *Chron. ad an.* 661. Hieron. *ep. ad Marcellinum*, Lactant. *lib.* 1. *cap.* 22. Suidam, Vossium, Gesnerum, &c. *Didymus* alius, Monachus, maximus contemplationum doctor cognominatus. De quo vide Hist. Tripart. *l.* 8. *c.* 1. *Didymus*, poeta, Georgica scripsit. Alius etiam Philosophus Academicus. Alius, fil. Heraclidæ, Musicus, Neroni gratus.

Didymus Alexandrinus, alius, Grammaticus, de orthographia & verisimilibus scripsit. Alius, Grammaticus, cognom. *Claudius*, de erroribus Thucydidis, epitomen Heraclionis, &c. scripsit. Item Mathematicus Gnidius, in Aratum commentatus. Item agnatus Honorii, quem Constantinus tyr. fil. Constantini tyr. cum Veriniano & utriusque uxoribus necavit. Cassiodor. Prosper, *Chron.* Oros. *l.* 7. *c.* 40. Sozom. 9. 11.

Didymus, Argiæ vicus. Pausan.

Diedus Franciscus, Venetus, Philosophus, Orator & Juris utriusque peritissimus. Scripsit epistolas, Orationes, & vitam S. Rochi. Obiit an. 1483. Pajarinus, *lib.* 2. *hist. Vincent.* Trithem. *Catal.*

Diemeni regio, pars terræ Austr. recens detecta, ab *Antonio Diemene* Batavo. Utrum autem Ins. sit, an continens, nondum constat.

Dienses, Macedoniæ pop. Plin. 4. 10.

Diepholtia, opp. Westphaliæ, Comitatus cognom. caput, sub Duce Brunsuicensi, ad Huntium amnem, cùm exit ex Dummera lacu. Medium inter Bremam & Osnabrugum. Malè habitum fuit ultimo bello Germanico.

Dieppa, Vid. *Deppa*.

Dierna, Daciæ urbs. Ptol. *Torrenburg* Germanis. Niger *Chelo* malè interpretatur, Steph. Nunc Transylvaniæ Baudrando, *Torda* incolis, *Thur* Germ. oppidul. ad amnem *Aranyos*, 3. leuc. Germ. à Claudiopoli in Ort. 6. ab Alba Julia in Boream.

Diespiter, Jupiter, quasi *diei*, id est, *lucis pater*, uti Macrobius interpretatur. Horat. 1. *Carm.*

—— — Namq; Diespiter
Igni corusco nubila dividens.

Et alibi,

—— Sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum.

Diessenhovium, opp. ad Rhenum, inter Scaphusiam & Steynam in Turgovia reg. Hic præter VII. Pagos veteres, penes quos Turgoviæ dominium est, Berna quoque & Scaphusium juris aliquid habent: sed tamen *Diessenhovani* octo tantùm Pagis juramento adstringuntur. Interim privilegiis satis amplis fruuntur, habentque peculiarem Senatum & Scultetum, ut vocant; quinetiam jurisdictio aliquot pagorum in vincula ad ipsos pertinet; verùm omnes in præfectura Turgeæ seu Turgoviæ censentur, & unà cum reliquis, sub oppidi tamen sui signo, Helvetiis militant. Simler. *de Rep. Helvet.*

Diesta, opp. Brabantiæ, ad Demeram fluv. in confin. dit. Leodiensis; 4. leuc. à Lovanio in Ort. 2. ab Arscotio, sub dominio utili Principis Auriaci, in ditione tamen Hisp. aliàs munitum.

Diethmarus, fil. Sigifredi, Comitis Sax. Episcopus Mersburgensis. Scripsit Chronicon 7. libris, de Henr. I. & II. Ottone I. II. & III. Imperr. an. 1017. orsus. Præclaræ fidei historicus. Obiit Anno æt. 41. Episc. 11. à N. C. 1018. Paul. Lang. *Chron. Citi.* Georg. Fabric. *hist. Saxon.*

Diethusa, ins. Thraciæ adjacens, non procul à Chersoneso. Plin. 4. 12.

Dieuches, Medici nomen. Plin. 20. 5.

Dieuchidas, historiam Megaricam conscripsit, ut ex Harpocratione & Clem. 1. & 6. *Strom.* constat, apud quem corruptè interdum Δολιχίδας legas. At fœdius etiam corruptum id nomen apud Schol. Apollonii 1. *Argon.* ubi Διερχίδας legitur.

Diffidatio, & *Diffidentia*, pro Clarigatione, id est, belli denuntiatione. Erat autem Romanis in more positum, cùm bellum suscepturi essent, Fæcialem seu Patrem patratum ad hostem mittere: qui, injecto in ejus solum telo, solenni formulâ hoc indiceret,

ceret causamque simul denuntiaret: Formulam apud Aul. Gellium habes *lib.* 16. *cap.* 4. Dicebatur *Clarigatio*, quòd clarâ voce fiebat. Priscum morem imitatæ cæteræ gentes, ignavi pusillanimique esse duxerunt, quempiam vi opprimere, cui inimicitias prius non denuntiassent. Proin Stephano Angliæ R. ignominiæ versum, quòd Cestriæ Comitem fratremque ejus, omisso hoc ritu, obsidione cinxerat Lincolniæ, apud Malmesber. *Hist. novell. lib.* 2. Nec suffecit *diffidasse* quempiam, ni cavendi pariter idoneum tempus *diffidato* concederetur, etiam in privatis inimicitiis: unde constitutio Friderici I. Morem hunc à Saxonibus manasse, docet Theodorus de Nihem, *in de Juribus Imperii.* Vide Spelmannum *Glossar. Arch.*

Digena, Arab. Felicis urbs. Ptol.

Digentia, Italiæ fluv. Horat. 1. 18.

Me quoties reficit gelidus Digentia rivus.

Rivo del Sole Leandro.

Digeri, Thraciæ pop. Steph.

Diglitto, appellatur Tigris fluv. ubi tardior fluit, h. e. usque ad Medorum fines.

Digma, dicta pars olim Piræei, cujus præter Grammaticos meminerunt, Xenophon. Ἑλλην. *lib.* 5. & Polyæn. *lib.* 6. *in Alexandro Pheræo.*

Dii, Thraciæ pop. Rhodopen incolentes. Thucydides *lib.* 2. Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν πολλοὺς, οἳ Δῖοι καλοῦνται, τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες. Tacit. *An.* 3. ubi inter Thraciæ gentes enumerantur Cælaletæ, Odrysæque & alii; Lipsius legit *Astii*, *in Epistolic.* Nam Strabo *lib.* 7. inter Thracas nominat *Astos*; Sed *in Comment. ad Tacitum* mavult *Dii.* Αὐτονόμους eos vocat Thucyd. ubi supra.

Diitrephes, homo ex humili loco ad magnas opes, rapinâ aliisque malis artibus, provectus Athenis, quem Plato Comicus ut peregrinum, insanum & Cretensem sugillat. Vide Aristophanem *Avibus & Scholia*, *p.* 578. *Item p.* 608. *F.* 1.

Dila, seu *Dilis*, portus Gall. Narbon. 12. mill. p. à Fossis Marianis. Anton. In Provincia, in ora littor. maris Mediterr. Nunc *Port de Verdon*; ubi aliàs Desuviates pop. Baudr.

Dilaiah, vel *Delaiah*, nomen viri, 1. Paral. 24.

Dilinga, urbs Sueviæ, ad Danub. fluvium, in dit. Episcopi Augustani, 4. leuc. supra Donavertiam in Occ. Ulmam versus, 3. à Burgovia in Bor. cum Universf. à Cardin. Ottone Truccio, Episc. Aug. sub Julio III. an. 1549. fundata. Parva & malè culta.

Dillemburgum, opp. Weteraviæ reg. in Franconia, ad Dillam fluv. cum castro munito. Hinc Comites Dillenburgici, è gente Nassovia, de qua vide in voce *Herborna*. 5. leuc. à Marpurgo in Occ. 4. à Vetzlaria, in Sept.

Dillius Apontanus, Tertiæ legionis Tribunus, in partibus Vespasiani. Tacit. *Hist.* 3. 9.

Dillius Vocula, duodevicesimæ legionis, in Germanico exercitu inferiore, legatus. Tacit. *Hist.* 4. 24. Militibus consensu eum ducem poscentibus, Hordeonius Flaccus, summam rerum ei permisit *cap.* 26. Mox à militibus interfectus. *cap.* 59.

Dimales, Illyriæ civitas ab Æmilio capta, an. U. C. 535.

Dimas, cursor nobilis. Stat. 6. *Theb.*

——— *Alipedumque fugam prægressus equorum*

Ante Dimas. ———

Dimassus, insf. circa Rhodum. Plin. Item mons in insulâ Mycono, maris Ægæi, cujus incolæ omnes calvescunt. Plin.

Dimona, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Dimum, Mœsiæ infer. urbs, Anton.

Dimuri, Indiæ pop. circa Indum fluv. Plin.

Dinah, id est, *judicium*, vel *judicans*: Jacobi A. M. 2289. ex Leâ uxore filia. Vide Gen. 30. 34. Hanc Sichem stupro subdidit, quod malum Jacobo immissum putant Rabbini, quòd in occursu Esavi fratris filiam occultaret, ne eam in uxorem peteret. Josephus *Antiq. lib.* 19. Παρῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, ὀψομένη τὸν κόσμον τῶν ἐπιχωρίων γυναικῶν.

Dinannum, locus Britanniæ min. à tribus sedibus Episcopalibus, Macloviensi vel Aletensi, cui attribuitur, Dolensi ac Redonensi non multùm dissitus. Prioratus S. Maclovii de Dinanno, memoratur in Poliptycho Monaster. Fr. Ager vulgò *le Dinannois*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Dinantium, opp. Britanniæ min. ad Rinctum fluv. aliàs munitum; 5. leuc. à Maclovíopoli in Ortum, quondam in delitiis Britanniæ Ducibus. Metel.

Dinantium, opp. Leodiensis dit. ad Mosam fluv. cum ponte, pluries captum & dirutum, nunc reparatum; in confin. Namurcensis Com. 12. leuc. à Leodio, 2. à Carolomontio in Bor. 4. ferè à Namurco in Austr. Vide quoque *Deonantum*.

Dinarchus, Corinthius, unus è legatis Gr. ad Polyperch. missis, in itinere morbo correptus, diuque Elateæ moratus, jussu Polyperchontis jugulatus est. Plut.

Dinarchus, fil. Sostrati, Atheniensis, vel, ut aliis, Corinthius, Orator, Auditor fuit Theophrasti, cùm Alexander M. in Asiam iret. Plurimas opes arte suâ comparavit, accusatus collusionis cum hostibus Reip. in Chalcidem se contulit, an. 15. pòst revocatus. Plut. *de* 10. *Orat.* Orationum ejus 64. numerat, quas à se lectas Photius testatur, *Cod.* 267. Vide Ammian. Marcellinum, *hist. lib.* 30. Dionys. *in Dinarcho.*

Dinarchus, Delius, Cretenses fabulas collegit, ut cognoscimus ex Dion. Halic. *in Dinarcho oratore*, ubi ex Demi, vel potius Demetrii libro de ejusdem nominis viris, quatuor *Dinarchos* enumerat. Videtur idem signari ab Euseb *lib.* 1. *Chron.* ubi de Bacchi gestis loquens ait, *Ut Dinarchus loquitur, non ille orator sed poëta.* Vossius.

Dinaretum, Cypri promuntorium maximè Orientale. Plin.

Dinchespila, seu *Dinkespila*, urbs Sueviæ, juxta Vernitium amnem, Imperialis est & libera, sed parva. 4. leuc. Germ. à Nerolinga in Bor. Capta pluries ultimo bello à Suecis & Gallis, sed reddita.

Dindari, Dalmatiæ pop. Plin.

Dindlochus, Syracusanus, vel Agrigentinus, Comicus, circa 72. Olymp. 14. comœdias composuit. Filius, an discipulus, an antagonista Epicharmi? Ælian. *de animal. lib.* 6. *cap.* 51. Suid.

Dindryme, urbs Macedoniæ. Steph.

Dindyma, montes Troadis. Steph. Thessaliæ item, & Phrygiæ magnæ; Ferr. Unde *Dindymene* Cybele dicitur. Emendandus Hesychius Δινδύμην, μήτηρ θεῶν ἀπὸ Δινδύμων ὀρῶν τῆς Φρυγίας. Rescribe Δινδύμη, vel Δινδυμήνη, μήτηρ, &c. Horat.

Non Dindymene, non adytis quatit

Mentem sacerdotum incola Pythius, &c.

Virgil. *Æn.* 9.

O verè Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta

Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum:

Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia matris

Idææ. ——— ———

Propertius *lib.* 3.

Dindymus, & sacra fabricata inventa Cybele.

Ovid. *Fast.* 4.

Dindymon & Cybelen & amœnam frondibus Idam.

Dine, Arcadiæ locus, aquæ dulcis, juxta mare. Pausan.

Dingelfingum, opp. Bavariæ Infer. Metel.

Dingla, urbs Hiberniæ, in Momonia & Comit. Kerryensi, cum portu; unde & sinus *Bay of Dingle*, in quem cadit Mangus fluv. 7. mill. à Corcagia in Occ. 25. ab Ardato in Austr.

Dinia, Item, *Digna*, *Dina*, *Civitas Diniensium*, *Dienensium*, Gall. Narbon. urbs, primùm memorata Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. hodie *Digne sur la Bleone*, urbs Sontionum, Baudr. Valesio Bodiontiorum olim vel Sentiorum: & priorum nomen videtur hodieque servare vicus *Bajons*, seu Bodiontium, 5. à Dinia leucis provincialibus. In vett. Not. inter octo provinciæ Alpium Maritim. civitates secundo loco ponitur, in Not. recentioribus sub Ebrodunensi Metrop. primus Coepiscopus Diniensis collocatur. In Provincia ad amnem Bledonam, vulgò *Bleone*, quì in Druentiam delabitur, sita est: divisa quondam in Civitatem & Burgum, è quibus illa ad radicem montis, tres portas habet, tria suburbia, ac mœnia quadratis ornata turribus: hic in convalle situs, quam Mardaricus fluviolus præterlabitur, non procul à civitate Bledonam aucturus, vix 200. passibus civitate fuit minor, muris quoque suis, portisque tribus instructus. Et nunc quoque in Burgo est major Ecclesia B. Virgini sacra. Solebant etiam ibidem quotannis binæ vetustissimæ nundinæ celebrari, quas Renatus R. anno Chr. 1437. in civitatem transtulit. Nunc Burgus desertus vix tres vicos reliquos habet. Urbs *Dinia* peste an. 1629. adeò est exhausta, ut ex incolarum millibus X. vix 1500. superessent, Burgus autem bello civili quater direptus est, inprimis an. Chr. 1562. & 1591. Distat 7. leuc. à Segusterone in Ort. & à confin. Delphinatus, 9. à Regio in Boream, 3. à Sanitio, versus montes, Ep. sub Arch. Ebrodunensi. Ex ejus Episcopis Pentadius Concilio Agathensi, Hilarius Aurelianensi ac Arelatensi 5. Heraclius Parisiensi 4. & Matisconensi 1. ac 2. regnante Guntchramno, nepote Chlodovei M. interfuere. Continet Episcopatus Ecclesias, quas vulgò *Curas* vocant, non amplius 27. Cellas seu Prioratus 12. hinc Glannatevâ & Sanitio, inde Segusterone & Ebroduno Diœceseos ejus fines prementibus. Ad urbem Diniam quatuor Monasteria sunt, virorum duo, puellarum totidem. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* Thermis celebris est. Gasp. Allemannus, *de hac urbe.* Seb. Richardus, & D. Loteret, *de eadem.* Ptol. *lib.* 2. *c.* 10. Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Gassend. *notit. Eccl. Dinien.* Columb. Papyrius Masson. *notit. Episc. Gall.* Bouchæus, *hist. Prov. lib.* 4. *cap.* 3. §. 2. &c.

Dinia, Phrygiæ locus. Livius.

Dinias, historicus res Argolicas consignavit. Citatur ab Apollonii Scholiaste *lib.* 2. Ἐν πρώτῳ Ἀργολικῶν. Mentionem quoque Diniæ facit Plut. *in Arato*, & Eurip. Schol. *in Oreste*, & Sophoclis Interpres *in Electrâ*, qui septimum Argolicorum citat.

Dinias Pheræus, Thelesippi fil. qui Cranone, in paludibus & fluviis, aviculas captando vitam toleravit; Deinde vigiliarum curam civibus locando, tandem astu summo tyrannidem Cranonis invasit, de quo vide Polyæn. *lib.* 2.

Dinis, unus Thracum montanorum, contra Tiberium rebellium, Dux; qui à Poppæo Sabino cum sociis, in monte, acri obsidione ac siti pressus, provectus senectâ & longo usu vim atque clementiam Romanam edoctus, ponenda arma, unum adflictis

id remedium differebat: Primusque se cum conjuge & liberis victori permisit,quem secuti ætate aut sexu imbecilli, & quibus major vitæ quàm gloriæ cupido. Tacit. 4.50.

Dinocrates, primus à Phocensibus,in locum Phalæci, Dux constitutus. Olymp.108. A.2.

Dinocrates, Dux Agathoclis, apud Polyæn. *lib.5. comm.2.*

Dinocrates, Messenius, Romæ in convivio temulentus muliebri saltavit habitu, postero die cùm ab Achæorum imperio Messanam ad defectionem sollicitare vellet,peteretque proprerea præsidium à Tito Flaminio, de his respondit Flaminius, Videbimus; Te verò miror vina tractare, ac saltare, & fœminam mentiri posse, quum res ejusmodi moliri audeas. Plut.

Dinocratus, Alex. Magni architectus, Alexandriam opp. Ægypti ædificavit. Plut. *in Alex.*

Dinogetia, Mœsiæ seu Scythiæ infer. urbs, Ptol. Nigro *Drimago* dicitur.Nunc in Bulgaria,ad Istrum fluv. 25. mill. à Succidava in Ort. 90. ab ostiis Istri in Occas. Baudr.

Dinolochus, cursor velocissimus. Pausan.

Dinomenes, Syracusanorum tyrannus. Pausan. Item Statuarius nobilis. Idem.

Dinomenes Syracusanus, Pater Gelonis Tyranni.

Dinon, Prætor Ptolomæi, præsidens Damasco, quam amisit, remissis vigiliis,superante Antiocho. Polyæn.*l.4.*

Dinon, pater Clitarchi, celebris auctor historiæ Persicæ, tempore Alex. M. Laërt. *in Prolegom. & Protag.* Athen. *lib.2.* Plut. *in Alexandro.* Ælian.*de Animal. l.17. c.10. & Var. Histor.l.7.c.1.* Plin. *l. 10. cap. 49.*

Dinosthenes, Olympionica statuam sibi fecit. Pausan.

Dinostratus, Mathematicus, Tetragoni quandam speciem invenit, & Geometriam insigniter excoluit. Post Pythagoram vixit. Plin. *l. 10.c.49.*

Dinus, portus & locus in Lyciâ. Plin. 32. 2.

Dinus de Garba, Florentinus, medicus præstantissimus. Sub finem sec.13. fil. Bruni, Chirurgi famosi. Scripsit in Hippocratem, Galenum & Avicennam. Item,de ponderibus & mensuris. Volaterr.*anthrop.* Trithem.*Catal.*Gesner. *Bibl.*Leand.*descr. Ital.* Petrarcha, *lib. 2. Viror. ill. cap. 3. de facetiis, & 4. de Iron.* Euseb. Chronici continuator.

Dinus Mugillanus, Jurisconsultus Bononiensis. An. D.1300. celeberrimus sui seculi, scripsit Comment. in 6. librum Decretalium, syllogen Conciliorum,&c.Cardinalatum meritis quæsitum, quòd obtinere non posset, præ mœrore obiit an.1303. Trithem. *Catal.* Leand. *descr. Ital. in Hetr. medit.*

Dio,Consul Romanus,Euseb. *Dio* Cassius, Historicus,& Consul Romanus, de quo vide Vossium, *de Hist. Gr.* 2. 15. & *Dion.*

Diobesi, Thraciæ pop. quos Nestus amnis præterfluit. Plin. *lib.4. cap.* 11.

Diobulium, opp. prope Pontum. Steph.

Diocæsarea, Cappadociæ urbs. Plin. in Asia min. versus Lycaoniam, 50. mill. ab Iconio, 65. à Cæsarea in Occ. Nunc sub Turcis,paucis inhabitata,in Caramania reg. Baudr.

Diocæsarea, urbs Ciliciæ Asperæ, inter Philadelphiam & Aphrodisiam, 20. mill. ab ora maris Mediterr. in Boream, 10. à Seleucia,in Occas.

Diocæsarea, urbs Asiæ min. in Phrygia combusta, 20. mill. ab Apamea in Bor.

Diochares, Cæsaris libertus. Meminit Cic.*ad Atticum.*

Diochites, vicus Ægypti,in quo sepultus est Osiris. Steph.

Dioclea, vide *Doclea.*

Diocles, primus rex Medorum. Euseb.

Diocles, Heros,cultus apud Megarenses, in cujus honorem institutus agon *Dioclea* vocata, quem primus huic *Diocli* instituit Alcathus, Pelopis filius.Vide Schol. in Aristoph. *Acharn.*429.B.1.

Diocles, Atheniensium dux, in hostili solo militibus nullo ordine dispersis, tesseram datam sæpe commutavit.Milites arbitrati non longè hostes abesse, receptis armis, instructâ acie profectionem faciebant. Polyæn. 5.

Diocles, amicus & insidiator Agathoclis.Vide *Anthropinus.*

Diocles, Atheniensis comicus,poëta antiquus, cujus fabulas nonnullas commemorat Athenæus.

Diocles, Historicus, primus Græcorum, de origine urbis Romæ scripsit,Plut. *in Romulo.* Item,Eleeus Musicus.

Diocles, Medicus Carystius, Darii Histaspis temp. Reliquit & ipse commentarios. Suidas. Cæterùm de variis hujus nominis hominibus videatur Vossius *de Mathem.Poëtis & hist. Gr.pag.* 355.

Diocles Olympionices, delicium Philolai Corinthii, amatorem relictâ patriâ Thebas secutus,ibique mortuus est, de quo vide Aristotel.*lib.2. Polit.cap. ult.*

Diocles, unus ex quatuor fratribus Syris, qui sub Persæo Philosopho & Archelao duce, inter præsidiarios Acrocorinthi ab Antigono impositi erant. Vide Polyæn. *lib.6. in Arato.*

Diocletianopolis, urbs Thessaliæ inter Edissam & Thessalonicam. Polyb. Anton. Item urbs Palæstinæ, quæ & *Baschat*, inter Hierosolymam ad Bor. & Hebron ad Austr. Nunc in ruinis.

Diocletianus Jovius, 38. Rom. Imper. Erat oriundus Diocleâ, Dalmatiæ urbe, libertus Senatoris Annulini, fortitudine & bellicæ rei gloriâ insignis. Transeunti in Galliam, fatidica quædam anus imperium prædixit, si Aprum interfecisset. Hinc Imperator, Apro, Numeriani socero,occiso, successit, an. U. C. 284. statimque Maximianum, successorem designatum, Cæsarem fecit. Exin Galliâ à prædonibus liberatâ, sed majore rerum mole mox ingruente,in eadem,in Magna Britannia,Africa,Ægypto,Oriente, consortem Imperii Maximianum, Constantinum verò Chlorum, & Galerium Armentarium, isti Valeriâ, illi Theodorâ, Maximiani privignâ, in matrimonium elocatâ, Cæsares fecit. Sic rebelles domiti, & pax Imperio data. Ipsemet in Ægyptum profectus, Achileum vicit, neque unquam major armorum, apud Romanos, gloria. Cultus sic à Maximiano, ab utroque Cæsare, parentis loco, honoratus, in superbiam incidit, pro Deo adorari volens, pedibus ad osculum porrectis. Inde in sævitiam, quâ Christianos, quos ab initio jam Imperii se non amare testatus erat, an. Imperii 19. crudelissimâ persecutione afflixit, de extincto Christianismo, per tropæorum vanissimas inscriptiones, quæ hodieque in duabus Hispaniæ civitatibus videntur, sibi gratulatus. Sed crescens sub malis Christianorum copia, unà cum senectutis infirmitatibus, in causa fuerunt, ut Imperio se Nicomediæ abdicaret, exemplum imitato Maximiano, cui prior ætas simile non habuit. 1. April. an. 304. Sic cùm 22. annis, quibus in Imperio fuit, res magnas gessisset, deposito Imperio, Salonicæ ruri vitæ reliquum egit, non minori libertate, quàm rei familiaris tenuitate. Obiit in hac solitudine,an.316. postquam irritos suos in Ecclesiam conatus deplorasset, quam, è fuso tam ubertim sanguine, lætius effloruisse, vidit. Ut & hoc addatur, sub initium Imperii, prisco per Coss. numerandi more abolito, ab annis Imperii sui Epocham duci voluit, quæ *Diocletiana* dicta, scriptoribus Ecclesiasticis, usque ad Justinianum Imp. usurpata, sub quo Dionysius parvus, à Christi nativitate, annos numerare cœpit. Cæterùm Princeps erat ingenio excelso,moderatione animi, si odium Christianorum excipias, consiliorum sublimitate,modestiâ,inter paucos. Euseb. *lib.8.* Niceph. *lib. 6. & 7.* Vopisc. *in Caro & Carino.* Cassiodor. *in Fastis.* Evagr. *lib.3.* Procop. *lib.7.* Amm. Marcellinus, A. Victor,Orosius, Panvinius, Theodoretus,Onuphr. *in Fastis.* Mulerus, *in tab. Fric.pag.* 494. Christmann. *de Conn. ann. p.* 422.430. Kepler. *in tab. Rodolph.* Crucius, *de æra Diocl.* Langius, *de annis Christi,lib.1. cap.* 1. Petav. *de D.T. lib.* 11. *cap.* 29. 30. *&* 33. Ricciol. *Chron. Ref. t.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 17. Godeau, *Hist.Eccl. lib.3. &* 4. Coeffetau, *Hist. Rom. lib.* 10. *&c.*

Diocleus, Orsilochi filius, Hom.

Dioclia, vel *Docela*, urbs Phrygiæ magnæ Episc. sub Archiep. Laodiceno, urbi Laodicæ proxima. Midajo & Armorio.

Diodori insula, *Babelmandel*, teste Rhamusio,in ore sinus Arabici, *Primera* Belloforestio. Ptol. Plin. Arr. *in Perıplo.*

Diodorus, qui & Tryphon,14. Syriæ rex. Liv.*lib.*55.

Diodorus, è Ducibus Demetrii, per quem recepit Sicyonem. Postea, Ephesò præsidere jussus, agitavit de urbe Lysimacho prodendâ, consilia; Sed præventus à Nicanore & ipso Demetrio pœnas dedit perfidiæ. Polyæn. *lib.4. in Demetrio, com.* 4.

Diodorus, Antiochenus,Tarsensis Præsul.Hieronym. Post mortem accusatus est, quòd Nestorii præceptor fuerit. Cyrillo proin *in epist.* ad Joh. Antiochenum, & Acasium Melitenum, *hostis gloria Christi* dictus. Contrà Athanasius, Basilius & Chrysostomus, ejus discipuli, tanquam sanctissimum Episc. & fortissimum Fidei defensorem, summis evehunt laudibus. Talis certè, dum viveret, habitus, at scripta ejus post obitum iis referta erroribus deprehensa sunt, qui damnationem merebantur. Theodoret. *hist.l.4. c.*23.24.25. *l.5.c.ult. & in Philos.cap.2. &* 8. Socr. *l. 6. c.3.* Sozomen. *l.8.c.2.* Baron. *an.* 370.392. 428. 435. Vide & Phot. *Bibl. cod.*18.85. 102. 223.

Diodorus, Episcopus sapientissimus, velut quidam fluvius perspicuus atque torrens, oves quidem proprias irrigabat, luporum verò blasphemias penitus abluebat; ac generis sui nobilitatem spernens, libenter sustinebat quamlibet pro Fide calamitatem.Sozom. *lib. 8. cap. 3. Trip. Hist.* An idem cum Tarsensi Præsule, de quo prius?

Diodorus, Alexandrinus,fil. Pollionis philosophi ejus,qui composuit Dictionarium Atticum, floruit Adriani temp. Suid. *Diodoros* præterea duos è Lydiâ Tiberii temp. Strabo commemorat, ambos oratores.

Diodorus, Grammaticus, bella Attica scripsit. Item discipulus Aristophanis. Alius Erythræus, Athen.*lib.*10. Item Medicus, cognom. *Petronius*, Plin. 20. 8. Item Epicureus αὐτόχειρ. Sen. *de V.B.*

Diodorus, cognomento *Chronus*, fil. Amenii, Dialecticus ex Jasso Asiæ civitate fuit, Platonis temp. Euclidemque audivit. Dictus *Chronus*, ab Apollonio *Chrono*, ejus præceptore, cujus ut famam obscuravit, ita & cognomen usurpavit. *Dialecticus* autem, quia, teste Laërtio, primus involutum disserendi genus invenerit. Apud Ptol. Soterem commorans, cùm, inter epulas, à Stilpone sermones quosdam dialecticos propositos ex templo nequivisset exsolvere, ob id à rege per jurgium *Chronus*, i. cunctator, ut alii, duabus prioribus literis omissis, ὄνος appellatus, convivium deseruit,accedito per otium super eâ propositione libro, ex animi mœrore extinctus est.Plin.7.53. Diog.Laërt.*in Vita ejus.*

Diodo-

Diodorus, Comicus poëta, cujus fabulas enumerat Athenæus.

Diodorus, Echeanactis filius, cum fratribus Anaxagorâ & Codro Hegesiam Ephesi tyrannum obtruncavit. Qui tres fratres à Philoxeno, Alexandri Magni præfecto, ob istud facinus in carcerem tracti sunt, vinctique in arce Sardianâ catenis retenti. Ubi diu multumque cruciati seipsos expediverunt carcere; acceptâ ab amico limâ, cujus adjutorio vincula disruperunt, & servili habitu fallentes per noctem, ac quasi servi è carcere egressi, fune & vestimentis in longitudinem dissectis ea connexuerunt, seque de mœnibus demiserunt. *Diodorus* subitò ex alto delapsus claudusque factus, in eo loco deprensus à Lydis & ad Alexandrum missus est, ut supplicium lueret. Alexandro verò Babylone mortuo, Ephesum ad Perdiccam missus est, ut legum judicium subiret. Anaxagoras verò & Codrus Athenas digressi, post mortem Alexandri Ephesum reversi, etiam fratrem suum *Diodorum* liberarunt. Polyæn. *l.6.*

Diodorus, Ephesius, Anaximandri vitam scripsit. Diog. Laërt. *in hujus vita.* Item Sardibus oriundus, orator, tempore belli Mithridatici. Pater Diodori, Oratoris, Poëtæ & Historici. Strabo *libro* 13.

Diodorus, Periegetes, terras descripsit, ut ex cognomine colligi potest. Idem de monumentis tractavit Plut. *in Themistocle.* Meminit & idem hujus scriptoris *in Theseo, ac Cimone.*

Diodorus, Philosophus Socraticus, Hieronymus. Quinque filias dialecticas insignis pudicitiæ habuisse narratur. De quibus & Philo Carneadis magister plenissimam scribit historiam.

Diodorus Siculus. Res interim (inquit Vossius) apertior est de ætate Diodori Sic. Antiquiorem paulo esse aliquis dicat, quia, tempore Jul. Cæsaris vixisse Euseb. *in Chron.* tradat: atque adeò ipse Diodorus non uno hoc loco de sese testetur. Sed non malè propterea Suidas, qui sub Augusto vixisse dicit. Natale ei solum Argyrium, sive Angyrium, Siciliæ oppidum, ut quidem vulgò legitur apud ipsum Diodorum, vel potiùs Agyrium, quod verum esse oppidi nomen probat Cluverius, qui illud hodie *San Filippo d'Agyrone* dici ait. Scripsit βιβλιοθήκην ἱστορικὴν, in quâ agit de Ægyptiis, Assyriis, Medicis, Persicis, Græcis, Romanis, Punicis, atque aliis. Constabat verò opus hoc libris 40. quorum argumentum ipse in Præfatione recenset. Multa ejus sphalmata sunt in Olympiadum annis & Romanis magistratibus, ut planè verisimile sit corruptis ac mutilis fastis usum esse. Cætera si spectes, magna ejus φιλοπονία fuit, ut qui 30. annorum operam in hanc se historiam impendisse scribat in præfatione suâ. Ubi & quanto veritatis studio laborarit, ostendit peregrinatione suâ in Asiâ atque Europâ; nempe periculis vel ærumnis nullis territus fuit, quò minus loca ipsa lustraret, de quibus scripturus esset. Romæ inprimis commoratus, ut inde variarum rerum notitiam eò certiùs hauriret. At egregium hoc Diodori opus non τοῖς ἔξωθεν modò, sed etiam Justino Martyri ac Eusebio laudatum, non caruit seculo nostro reprehensoribus suis, seu rem seu dictionem spectes; Rem ipsam culpat Lud. Vives, qui, *in quinto de tradendis disciplinis*, refert *nihil Diodoro esse nugacius*: Contra profectò quàm Plinius judicarat, qui *in Præfatione* scripserat, cùm Græcorum alii magnificis titulis superbiant, Diodorum, qui ἁπλῶς βιβλιοθήκην vocat, *primum Græcorum desiisse nugari.* Quemadmodum verò ipsam rem Vives, ita dictionem Diodori arrodit Bodinus *in Methodo Historiæ*: Quanto melius de eo censuit Photius patriarcha μυριοβίβλου suæ *cap.* 70. ubi ipsum ait φράσει σαφεῖ τε καὶ ἀκόμψῳ, καὶ ἱστορίᾳ μάλιστα πρεπούσῃ. Addit, non affectare nimis dictionem Atticam, sed neque devolvi ad vulgarem ac tritam dicendi formam, verùm mediocri genere gaudere. Quæ sanè majoris, quàm Bodini judicium fieri debere, nobiscum fatebitur, qui vel de stylo judicare per se posit; vel, quàm exquisito in talibus judicio Photius fuerit, intelligat. Gesner. *Biblioth.* Vossius *de Hist. Gr. l.2.c.2.*

Diodorus, Stoicus, Ciceronis Præceptor in Dialecticis, ut *in Bruto* scribit ipse, *Eram*, inquit, *cum Stoico Diodoro: qui cùm habitavisset apud me, mecum vixisset, nuper est domi meæ mortuus*: à quo cùm in aliis rebus tum studiosissimè in dialecticâ exercebatur.

Diodotus, unus ex Politicis Atheniensium, qui crudele decretum, de exscindenda ob defectionem Mitylene, mitigavit. Vide Schol. *in Aristoph. Equit.*

Diætas, Achæorum Dux, qui Heræeam civibus recuperavit, dubbus argutis & scitis stratagemati. De quo vide Polyæn. *l.2.*

Diogenes, Apolloniates, Anaximenis auditor, fil. Apollothemidis. Physicarum rerum notitiâ celebris, Rhetor & Philosophus insignis. Tempore Anaxagoræ viguit, ab invidis, in periculum mortis, Athenis adductus. Demetr. *in Apol. Socr.* Aërem elementum esse, quo condensato vel rarefacto mundi infiniti fiant, vacuum esse infinitum, ex nihilo nihil fieri, nihil in nihilum resolvi, terram in medio mundi consistere, immobilitatem suam à calore circumfuso, spissitudinem verò & soliditatem à frigore habere, asseruit. Diog. Laërt. *in ejus vita l.9. in Cynic.l.6.* Clemens 1. *pædag.* & 1. *Strom.* Suid.

Diogenes, Babylonius, quia haud procul degebat, Stoicus Philosophus, Chrysippi discip. præceptor Antipatri. Cicero *in de Officiis.* Seleuciâ oriundus, P. Scipione & M. Marcello Coss. tempore Punici belli sec. cum Carneade Academico & Critolao Peripatetico, ab Atheniensibus Romam missus. De Nobilitate scripsit, Athen. *lib.4.* Porro Cicero, *in Lucul. lib. 6. de fin. lib. 4. Tusc. & lib.* 1. *de N.D.* A. Gellius, *lib. 7. cap.* 14. Macrob. Sat. *lib.* 1. *cap.* 5. Seneca, *de Ira*, *lib.3. cap.* 38. Diog. Laërtius, *in Diogene Cyn.* Quintilian. *l.1.c.1.*

Diogenes, Cyzicenus, vel *Diogenianus*, Grammaticus. Vide ibi. Reliquit 7. libros de patriæ suæ insulis, teste Stephano in Βέσβικος. Vide Vossium *de Hist. Gr. lib 2.cap.13. pag.* 221. & *lib.* 3. *pag.*356. ubi hunc cum Diogeneto vel Diogene Suidæ, qui librum de Patria sua composuit, eundem facit. Item alius Tragicus poeta.

Diogenes, vel *Diognetus*, Erythræus, Hygin. *in poët. Astron. in Pisc.* Alius Smyrnâ oriundus, Philosophus, discipulus Metrodori Chii, Præceptor Anaxarchi. Clem. 1. *Strom.* Voss. *de H. Gr. lib.3. p.* 356. 357. Item, pictor, Plin. *lib.* 35. *cap.* 11. Vide quoque *Romanus IV.*

Diogenes Laërtius, sive, ut Tzetzes vocat, *Diogenianus*, Epicureus, cujus decem libros habemus de vitis Philosophorum. Parum idoneè de eo judicat Bartholomæus Keckermannus, vir cæteroquin eruditus, sed novellorum scriptorum, quàm antiquitatis studiosior, uti notat Vossius. Ait ille *libro suo de Historiâ*, scripsisse Laërtium *languidè & frigidè, sæpe tamen non inutiliter.* Quæ profectò frigida laus est operis utilissimi, & auro contra non cari. Quippe ex quo discere sit, cùm alia tam multa ad historiam temporum pertinentia, tum præclara tot veterum apophthegmata, quorum Keckermannus, malo sanè exemplo, Erasmum laudare mavult authorem, quàm Plutarchum, Laërtium & similes. Quin, quod caput est, discrepantes ex eodem Laërtio sectarum sententias discimus. Multa ex hoc opere suis doctrinæ variæ eclogis inseruerat Sopater, teste Photio *Tmem.*161. Atque hinc liquet vixisse Diogenem ante tempora Constantini M. à quo Sopater iste Apamensis, sive potius Alexandrinus, interfectus fuit, ut Suidas narrat in Ἀλέξανδρος. At junior omnino est Trajano. Siquidem *in Speusippi*, atque item *Anaxagoræ vitâ*, Plutarchi meminit, qui Trajani, atque etiam Hadriani tempore floruit. Præterea *in Timone*, mentionem facit decem librorum Sexti Empirici, item Saturnini, qui Sextum audivit. Nempe vixit sub Antonino Pio, vel paulo pòst, quemadmodum ostendit Vossius *de Nat. & Const. Rhetorices cap.* 9. Hoc opus à Laertio scriptum fuisse ad fœminam, rectè tradit Lud. Vives *lib.* 5. *de trad. disciplinis*, quæ Arria fortè, Imperatoribus grata, cujus meminit Gal. *de Theriac.* Antiquissimus eorum, qui hujus scriptoris meminerunt, est Stephanus in Χολλίδαι, Ἐνετοὶ & Δρυΐδαι. Reliquit quoque epigrammata omni genere metrorum: Unde hoc opus πάμμετρον inscripsit; multaque de Philosophis epigrammata inde adducit, & Ἐπιγραμματογράφον ex eo vocat Tzetzes *Chil.3.cap.61.* Vossius, *de Gr.H. l.2. c.13.*

Diogenes Sicyonius, qui Peloponnesiaca scripsit. Vide Vossium *de Hist. Gr. pag.*356.

Diogenes, Sinopensis, Icesii fil. philosophus Cynicus celeberrimus, Antisthenis Discipulus, ἡμερόβιος, hoc est, *in diem vivens*, vulgò appellatus, quòd, omni adjectâ sollicitudine, cibum suum in singulos dies emendicaret. Habitavit in portarum vestibulis, & porticibus civitatum, cumque se contorqueret in dolio, volubilem se habere domum jocabatur, & se cum temporibus immutantem. Hyeme enim os dolii vertebat in Meridiem, æstate ad Septentrionem, & ubicunque sol se inclinaret, Diogenis prætorium vertebatur. Obiit fermè nonagenarius, mortique vicinus jussit cadaver suum inhumatum abjici; quærentibusque amicis, volucribusne & feris corpus suum dilaniandum vellet relinqui? *Minimè*, inquit, *sed bacillum apud me, quo illas abigam, ponitote.* Irridens nimirum amicorum præposteram curam, qui tantopere de humatione cadaveris, omnis sensûs expertis erant solliciti: quasi magnum quiddam interesset, à ferisne, an à vermibus absumeretur. Cùm in patria adhuc esset, Pythiam consuluit, quonam modo posset excellere, respondet: *Si nummos adulteraret.* Quo ille facto patriâ pulsus, Athenas venit: jam senex à Scytalo piratâ captus, venundatusque Xeniali Corinthio est, qui eum manu misit, eique liberos suos ad erudiendum tradidit; apud quem Diogenes vivere voluit, cùm posset ab amicis redimi. De eo scribitur, quòd cùm Antisthenes nullum discipulorum reciperet & perseverantem Diogenem removere non posset, novissimè clavâ minatus sit, nisi abiret; cui ille subjecisse dicitur caput, atque dixisse, *Nullus tam durus baculus erit, qui me à tuo possit obsequio separare.* Ferunt cùm in suburbio quodam Corinthi degeret, accedentem Alexandrum rogasse, ne sibi apricanti à Sole obstaret. Plut. *in Apophth.* Juven. *Sat.* 10.

Sensit Alexander, testâ cum vidit in illâ
Magnum habitatorem, quantò felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem.

Patriâ Sinopensis fuit, ut dictum, teste Suidâ. Ovid. *de Ponto*,

Non doluit patriâ Cynicus procul esse Sinopeus.

Morali Philosophiæ unicè deditus, risit Grammaticos, Musicos, Oratores, Avaros. De ingeniosè dictis ejus videatur Diog. Laert.

in ejus Vita l.6. Obiit, vel bilis exundatione, quam bovini pedis crudi esu sibi contraxerat, vel morsu canis. Alii sponte retento spiritu exanimatum dicunt. Æt. an. 80. Vide Plut. *in Alex. l.8. Simp. qu.* 1. &c. Basil. *lib. de leg. Gentil. libr.* Hieron. *lib.2. c. Jovin. cap.9.* Valer. M. *l.4. cap.3. ex. 19. &c.*

Diogenianus, ex Heracleâ, Grammaticus sub Adriano principe, scripsit Dictionarium per ordinem literarum, multaque alia in arte Grammaticâ. Item de fluviis, lacubus, montibus, & tabulam urbium. Diligens, elegans, ingeniosus, Suid. Parœmias ejus A. Schottus primus edidit. Erasm. *præf. adag.* Vide & *Diogenes Cyzicenus.*

Diogenis, Æthiopiæ promunt. ad sinum Arabicum. Ptol.

Diogenus, conspirationis contra Alexandrum M. in Ariis factæ particeps Dymno. Curt. 6. 43.

Diognetus, 7. Atheniensium Judex. Alius itinerum Alexandri Regis mensor, quem Plin. *lib.* 6. *cap.*17. se sequi testatur. Tertius, Pictor egregius Antonini Imper. temp. Julius Capitolinus: A quo Imper. Graphicen discere voluit. Antoninus *in sua Vita.* Quartus Clitomachi pater illius Pœni, qui successit Carneadi, vocatus antè Asdrubal.

Diognetus, Megarensium Princeps, quem Gelon astu, imposito gravi tributo, evertit. Vide Polyænum *lib.1.* Fortè is ipse est, quem commemorat miro astu quandam urbem cepisse. *lib.5.* 407.

Diognetus quoque Erythæorum dux, quem captiva Polycreta ab exitio servavit. Polyæn. *lib.8.*608.

Diolcos, Hesychius: Δίολκος ὁ ἀπὸ Λεχαίου ἕως Κεγχρεῶν τόπος. Vide Voss. *ad Melam l.2. c.3.*

Diomea, Ægeidis tribus municipium. Schol. *in Aristoph. Acharn.*

Diomeda, Phorbantis filia, quam Lesbo abduxerat Achilles: & cum qua post raptam Briseida dormire consueverat. Homer. *Iliad.* 9.

Diomedea, urbs Dauniorum à *Diomede* condita. Est & *Diomedea* prope Argyripam. Steph.

Diomedeæ, insulæ 2. Plinio, è regione Gargani, quarum altera habitatores habet, altera deserta est, ubi disparuisse ajunt Diomedem, & socios ejus ob dolorem in aves conversos, quæ ob id Diomedeæ vocitatæ sunt. Has aves Jaba Catarractas vocat: Dentes eis esse dicuntur, oculi igneo colore, cætero corpore candidæ sunt, quæ in solâ Diomedeâ ins. visuntur. Ferrarius quinque ejus nominis insulas enumerat, quarum nomina sunt 1. *S. Maria de Tremiti*, 2. *S. Domino*, 3. *Gatizzo*, 4. *Caprara*, 5. *Credazzi.* Vide Eustath. ad illud Dionysii *Vers.* 483.

Δήεις ἰφθίμου Διομήδεος αὐτίκα νῆσον.

Baudrando hæ Ins. *Isole di Tremiti*, tres sunt præcipuæ, nempe *S. Nicola de Tremiti*, cum arce probè munita, & cœnobio Canonic. 2. *San Domino*, oblonga, cum aliquot villis 3. *la Caprara*, absque incolis *Il Credascio*, potius scopulus est parvus, inter Tremitum & S. Domino, ut & scopulus *Vecchia* dictus. Pendent hæ Ins. à regno Neapol. Vide Ortelium, ex vett. insuper Plin. *lib.* 3. *cap.*8.11.21. *l.*10.*c.*44. Strab. *l.4. &* 6. *&c.*

Diomedei campi vocati sunt in Apuliâ, qui in divisione regni, quam cum Dauno fecisse dicitur, Diomedi cesserunt.

Diomedes, rex Ætoliæ, Tydei & Deipylæ filius, qui cum reliquis Græcis ad Trojam profectus adeò strenuè se gessit, ut post Achillem & Ajacem Telamonem fortissimus haberetur. Nam præter occisos à se reges, & singulares pugnas adversus Hectorem & Æneam aliosque insignes Trojanorum Principes, & captos Rhesi equos, Palladiumque Trojanis subtractum, Martem quoque in bello vulneravit, Veneremque dextrâ manu, dum Æneam protegere vellet. Id quod ipse testatur 11. *Æn.*

—— Cùm ferro cœlestia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.

Quamobrem Dea indignata Ægialem uxorem ejus tantâ libidinum turpitudine involvit, ut ejus causâ patriam exosus Diomedes, domum reverti noluerit, sed in Apuliam profectus, regni partem à Dauno acceperit, ibique Arpos condiderit. Quidam ferunt, Diomeden ab Æneâ dolo occisum, ejusque socios doloris impatientiâ in aves Diomedeas esse commutatos. Juvenal.

Aut reditum Diomedis ab interitu Meleagri.

Horat. 1. *Serm.* 5 *ubi de Canusio,*

Qui locus a forti Diomede est conditus olim.

Idem 1. *Carm. Od.* 6.

Ope Palladis
Tydidem superis parem.

Virg. *Æn.* 1.

—— O Danaum fortissime gentis
Tydide —— ——

Ovidio *libr.* 13. & 14. *Ætolius heros* dicitur, *Calydonius heros* Statio, item *Ætolus dux.* Conon. *narr.* 4. apud Photium *Cod* 186.

Diomedes, Thraciæ Rex, qui cùm equos suos humanâ carne aleret, ab Hercule, cui hic laborum nonus, victus, equis suis in pabulum est objectus. Ovidius *in Ibin,*

Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis,
Impius humano viscere pavit equos.

Idem *ibidem,*

Ut qui Threicii quondam præsepia regis
Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.

Idem *Met.* 2.

Quid? quòd Thracas equos humano sanguine pingues
Plenaque corporibus laceris præsepia vidi,
Visaque dejeci, dominumque ipsosque peremi.

Idem *alibi,*

Non tibi succurrit crudi Diomedis imago.

Lucan. *libr.* 2.

Non Thracia tantùm
Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni.

Seneca,

Si quis Ismarios greges Thracis cruenti vindicat.

Claudianus,

Diraque sanguinei vertit præsepia regis.

Idem,

Et Diomedeos gramine pavit equos.

Et *alibi,*

O mites Diomedis equi, Busiridos aræ
Clementes. ——

Diomedes, Grammaticus, multi ingenii vir.

Diomedis templum, *S. Giovanni*, pag. Carnorum, apud ortum Timavi fluv. ab Aquileja 7. m. p. Tergeste in Ort. versus.

Diomedis promuntorium, vel *Syrtis*, nunc *Planca*, prope prom. penins. Hyllidis, in Illyrico. Baudr. Vide *Hierastamma.*

Diomedon, unus ex iis Prætoribus, quos Atheniensis pop. re apud Arginusas malè gestâ, supplicio subjecit. Vide Schol. in Aristoph. *Ranas. Act.* 5. *sc.*1.

Diomia, pars tribus Ægeidis, vide Stephanum.

Dion, Alexandrinus Philosophus præstantissimus, qui cùm à quodam probris ac conviciis gravissimè fuisset lacessitus, ne verbo quidem maledictis respondit, sed hoc tantùm, Ne gry quidem. Unde Proverb. *Dionis gry.*

Dion, Syracusanus, fil. Hipparini, apud cives suos potentiâ & facultatibus præditus, Platonem primò Syracusis audivit, dum illic apud Dionysium ageret, apud quem ipse quoque in honore fuit. Sed postea (quòd esset ei propinquus & familiaris) cùm eum sæpè ad liberandas Syracusas, tum per se, tum Platonem hortaretur, in suspicionem tyranno venit; quare in exilium actus, Athenas navigavit: quo tempore Platoni, ludorum præfecto, impensas de suo suppeditavit. Postea à Platone, ut creditur, inductus, patriam tyrannide liberavit, exacto Dionysio. Plut. *in Dione.* Tandem à quodam Callippo, proditoriè interfectus. Diod. Sic. *l.*16. Corn. Nepos, *in Dione.*

Dion, urbs Eubœæ ad Cynnæum. Rhod. 15.24.

Dion, Ptolomæo *Dium*, oppidum Syrorum juxta Pellam, quod Judæorum Rex Alexander Jamneus vi subegit, atque in Judæorum ditionem redegit.

Dion, Cretæ ins. promuntorium. Ptol. Nunc *Capo Sassoso*, maximè in Bor. excurrit, inter Matinum ad Ort. Rythimnam ad Occas. 5. mill. in Circium distans à prom. *della Fraschia.* Baudr. Urbs ibidem in mediterraneis. Plin. Epiri urbs, Strab. Thessaliæ opp. Steph. Item Italiæ, Pisidiæ, Thraciæ, & Cœlesyriæ.

Dion Cassius, cognom. *Coccejus* & *Coccejanus*, Nicææ Bithyniæ oriundus, fil. Aproniani, Consularis, præfecti Dalmatiæ, Proconsulis Ciliciæ: Bis Cos. cum Alexandro Imper. Mammææ fil. Præfectus Pergami & Smyrnæ, in Africa item & Pannonia cum imperio fuit: Historiam Rom. scripsit an. 22. indefesso labore, libris 80. in 8. decadas divisis, è quibus 34. priores amissi, à lib. 35. ad 60. vix quidquam deest, ultima ex Xiphilini epitome petenda. Ab Ænea orsus in Severo finit, Cæsari contra Pompejum, Antonio c. Ciceronem, nimium favit, Senecam malè tractavit. Clarior Thucydide, Phot. quem in Orationibus imitatus est, è quibus Agrippæ & Mæcenatis ad Aug. de retinendo vel deponendo Imperio, admirationem merentur. Suidas eidem vitam Arriani Phil. gesta Trajani & quædam itineraria tribuit. Raph. Volaterranus *lib.*15. *col.* 451. insuper, 3. libb. de Principe, & quosdam tractatus morales. Sub finem vitæ in patriam se recepit. Photius *Bibl. cod.* 71. Voss. *de H. Gr. lib.2. c.*14. Gesner. *Biblioth. tom.* 1. &c. Vide *Dio.*

Dion Prusiaus, Sophista, & Philosophus, cognomento *Chrysostomus*, ex suavi, vividaque ejus oratione. Fil. Pasicratis. Prodibat majoris gravitatis ergò, in publicum, amictus pelle leonis. Apud Trajanum plerunque vixit, cujus familiaris fuit, eodemque curru dignatus est. Orationes 80. conscripsit. Alia quoque eidem tribuuntur. Synesius *in Dione*, cum Aquilam simul ac Cygnum, i. Philosophum & Oratorem, vocat. Vide Photium *Bibl. cod.* 219. Volaterr. *anthrop. l.*15. *col.* 451. Suidam. *&c.*

Dione, nympha Oceani ac Tethyos filia, Veneris autem mater ex Jove. Inde *Dionæa* Venus. Virg. 3. *Æn.*

Sacra Dionææ matri, divisque ferebam
Auspiciis cœptorum operum, &c.

Idem *in Eclog.*

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Id est, Leonis signum, quod in Julio oritur, qui mensis à Cæsare

nomen accepit, cùm antea Quintilis diceretur; Cæsaris autem origo ad Venerem refertur. Ovid. *Fast.* 5.

Hippolyte infelix velles coluisse Dionen,
Cùm consternatis diriperes equis.

Dionia, urbs Cypri. Steph.

Dionysia, martyrio apud Alexandriam sub Decio coronata, An. Dom. 251.

Dionysia, matrona Christiana, persecutione Hunerici Vandalorum R. unà cum filio Majorico, ad necem quæsita, hunc ad mortem raptum sic consolata est, *Memento Fili, te baptizatum esse, in nomine Patris, Filii & Spiritûs S.* Greg. Turon. *Hist. lib.* 2. *A.C.* 483.

Dionysia, urbs Italiæ, Steph. Item Ægypti, Ptolem. Insula Naxus quoque sic dicta est, ob vinearum fertilitatem.

Dionysia, quæ & *Bacchanalia,* apud veteres varia fuere; *Antiquissima, Recentiora, Majora, Minora, Astica, Ruralia, Lenæa, Verna, Autumnalia, Omophagia, Nocturna, Brauronia, Theœnia. Antiquissima* die duodecimo mensis Anthesterionis acta, in Limnis, Atticæ loco, ubi templum Bacchi fuisse docet Aristophanis Scholiastes in *Ranis*: Λίμναι, χωρίον τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾧ Διονύσου ἱερόν. De hoc festo agit Thucydides *l.* 2. Τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ Ἀκροπόλει, καὶ ἄλλων θεῶν ἐστι, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος τῆς πόλεως μᾶλλον ἵδρυται, τό τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον, καὶ τὸ τῆς γῆς, καὶ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι. Hæc autem in Limnis sacra peragebant mulieres, quæ Γεραιραὶ vocabantur. Harpocration: Γεραιραὶ, αἱ τῷ Διονύσῳ ἱερώμεναι γυναῖκες. Hæ numero fuere quatuordecim. Hesychius: Γεραιραὶ ἱέρειαι κοινῶς· ἰδίως δὲ αἱ τῷ Διονύσῳ τῷ ἐν Λίμναις τὰ ἱερὰ ἐπιτελοῦσαι, τὸν ἀριθμὸν δεκατέσσαρες. Quas à Rege designari Pollux author est, *lib.* 8. Αὗται ἄρρητα Διονύσῳ ἔθυον μετ' ἄλλης θεωρίας, καθίστη δὲ αὐτὰς Βασιλεὺς οὔσας τεσσαρεσκαίδεκα. Quippe Regi ceremoniarum cura, & sacrificiorum incumbebat, ejusque uxor, quæ Regina dicebatur, occulta, & maribus non invisa solùm, sed etiam inaudita procurabat. Demosth. *Orat. contra Neæram*: Τὰς δὲ θυσίας ἁπάσας ὁ Βασιλεὺς ἔθυε, καὶ τὰς σεμνοτάτας καὶ ἀρρήτους ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐποίει, εἰκότως βασίλισσα οὖσα. Hinc non nisi spectatæ probitatis virum sacræ dignitati præficiebant: uxoris etiam indubitata castitas requirebatur; nam quæ alterius viri thorum experta fuisset, à Regis connubio leges arcebant: Τὸν μὲν Βασιλέα οὐδὲν ἧττον ὁ Δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ' ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν. Τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθετο ἀστὴν εἶναι, καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρί, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν, ἵνα κατὰ τὰ πάτρια θύηται τὰ ἄρρητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ τὰ νομιζόμενα γίγνηται τοῖς θεοῖς εὐσεβῶς, καὶ μηδὲν καταλύηται, μηδὲ καινοτομῆται. Legem verò columnæ lapideæ inscriptam, in vetustissimo Bacchi templo ad Limnas collocarunt: Καὶ διὰ ταῦτα, inquit Demosthenes, ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ ἱερῷ τοῦ Διονύσου ἐν Λίμναις ἔστησαν, ἵνα μὴ πολλοὶ εἰδῶσι τὰ γεγραμμένα. Ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀνοίγεται, τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός. Ipsi etiam Regis uxori, ante aram & canistra Γεραιραὶ jurejurando suam fidem astringere debebant, antequam sacra attrectare possent. Cujus ritus administer erat, quem Ἱεροκήρυκα nuncupabant. Sacramenti verò formula hæc est apud Demosthenem: Ἁγιστεύω, καὶ εἰμὶ καθαρά, καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας, καὶ τὰ Θεοίνια, καὶ Ἰοβάκχεια γεραίρω τῷ Διονύσῳ, κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. Bacchanalia *Recentiora* nobis indicant Scholia Thucydidis, ad locum antea productum: Ἀρχαιότερα εἶπε, διότι ἐστὶ καὶ νεώτερα ἄλλα. Sed an ab aliis, de quibus mox dicturi sumus, hæc distinguantur, asserere nolim, nisi quando celebritatis variare tempora deprehenduntur. *Majora* sunt eadem cum Antiquissimis, nam Ulpian. *in Orat. Demosthenis contra Leptinem*, eodem tempore celebrari notat: Τοῖς μεγάλοις Διονυσίοις Ἀνθεστηριῶνος μηνός; πλείονος γινομένης δαπάνης, εἷς χορηγὸς ἑκάστης φυλῆς καθίστατο. Veris autem initio celebrabantur. Interpres Aristoph. *in Aves*: Λήγοντος τοῦ χειμῶνος, ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος γίνεται τὰ Διονύσια. Nam quoties Attici scriptores *Dionysia* solùm dicunt, sine alterius particulæ adjectione, de *Majoribus* & *Antiquioribus* accipiendi sunt. Per hæc festa socii tributum Atheniensibus ferebant. Scholia Aristoph. *in Acharn.* Διονυσίων ἑορτὴ ἐν τῷ ἔαρι ἐπιτελεῖται, ἐν ᾧ ἔφερον τοὺς φόρους οἱ σύμμαχοι. *Minora* sunt, tanquam præparatio ad altera Liberalia Majora; nec differunt à *Ruralibus*, & in mensem Poseideona incidunt. Theophrastus *in descriptione hominis garruli*: Ποσειδεῶνος τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια. Hesychius: Τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς μηνὸς Ποσειδεῶνος. Eadem quoque Λήναια sunt. Aristophanes *in Acharnan.*

Ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια.

Ubi Schol. Διονύσια, τὰ Λήναια λεγόμενα, ἔνθεν τὰ Λήναια, καὶ ὁ Ἐπιλήναιος ἀγὼν τελεῖται, τῷ Διονύσῳ. Λήναιον γάρ ἐστιν ἐν ἀγροῖς ἱερὸν τοῦ Διονύσου διὰ τὸ πλείστους ἐνταῦθα γεγονέναι, ἢ διὰ τὸ πρῶτον ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ληνὸν τεθῆναι. Steph. Λήναιος ἀγὼν Διονύσου ἐν ἀγροῖς ἀπὸ τοῦ ληνοῦ. Sed alii mense Gamelione celebrari solita tradunt. Hesychius autem cùm dixisset Ruralia Liberalia mense Poseideone agi, deinceps addit: Τὰ δὲ Λήναια μηνὸς Ληναιῶνος. At Proclus *ad Hesiodum*, à Bæotiis ait Lenæona vocari, quando Sol Capricornum ingreditur, incipiente jam post vindemiam hyeme. Cæterùm Lenæa in Autumno curabantur, atque ab iis peregrini arcebantur. Scholia *in Acharn.* Τὰ δὲ Λήναια ἐν τῷ μετοπώρῳ ἤγετο, ἐν οἷς οὐ παρῆσαν οἱ ξένοι. Ideoque Demosthenes, *in oratione contra Neæram*, graviter exaggerat, quòd peregrina Regi nupta sacrorum arcana lustrasset, & obivisset: Καὶ αὕτη ἡ γυνὴ ὑμῖν ἔθυε τὰ ἄρρητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ εἶδεν ἃ οὐ προσῆκεν αὐτὴν ὁρᾶν ξένην οὖσαν. Καὶ τοιαύτη οὖσα εἰσῆλθεν οἷ οὐδεὶς ἄλλος Ἀθηναίων τοσούτων ὄντων εἰσέρχεται, ἀλλ' ἡ τοῦ Βασιλέως γυνή. Verùm ab his diversa fuere Liberalia Ἀστικὰ sive *Urbana*, quæ vere quidem acta. Aristoph. Interp. *in Avibus*: Τῷ ἔαρι ἐν ἄστει τελοῦσι τὰ Διονύσια. Sed mense Elaphebolione. Hesychius: Τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. Erantque non annua, sed trieterica. Virg *Æn.* 4.

—— *Qualis, commotis excita sacris*
Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia. ——

Ubi Servius: *Liberi sacra tertio quoque anno invocabantur.* Lucanus,

—— *Referunt trieterica Bacchæ.*

Atque hæc Bacchus instituisse traditur ad Callirhoën, ut essent monumentum expeditionis Indicæ, in quâ triennii spatium absumpsit. Cic. *lib.* 3. *de N.D.* quinque Dionysios enumerat, quintumque Nyso natum, & Thyone, *à quo Trieterides constitutæ putantur.* Alia etiam fuere quinquennalia, de quibus Schol. Aristoph. *in Pacem.* Διὰ πενταετηρίδος χρόνου ἤγοντο αἱ θεωρίαι τῶν Διονυσίων. *Brauronia,* à *Braurone*, opp. Atticæ, in quo Liberalia libidinis scenam exhibebant. Schol. Aristoph. ubi supra. Βραυρὼν, πόλις τῆς Ἀττικῆς ἐν ᾗ τὰ Διονύσια ἤγετο, καὶ μεθύοντες πολλὰς πόρνας ἥρπασαν. Idem habet Suidas in Βραυρῶν. Liberalium arcana noctu peragebantur. Euripides *in Bacchis*:

Τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς;
Νύκτωρ τὰ πολλὰ· σεμνότητ' ἔχει σκότος.

Unde, ut notat Servius *in Æn.* 4. *Ipsa sacra Nyctelia dicebantur.* Ipsaque adeò maximâ silentii religione continebantur. Pausan. *in Atticis*, sacra Bacchi ad Alcyoniam paludem commemorans: Τὰ δὲ ἐς αὐτὴν Διονύσου δρώμενα, ἐν νυκτὶ κατὰ ἔτος ἕκαστον οὐχ ὅσιον ἐς ἅπαντας ἦν μοι γράψαι. Θεοίνια dicebantur à Bacchi nomine Θεοίνου. Hesychius: Θεοίνια, θυσία Διονύσου Ἀθήνησι, καὶ Θεὸς Θεοίνιος, Διόνυσος. Ea per vicos sive populos actitabantur, & tum Γεννῆται sacrificabantur: Τὰ κατὰ δήμους Διονύσια, Θεοίνια ἐλέγετο, ἐν οἷς οἱ Γεννῆται ἐπέθυον, τὸν γὰρ Διόνυσον Θέοινον ἔλεγον. Γεννῆται verò apud Athenienses vocabantur, οἱ τοῦ αὐτοῦ γένους κοινωνοῦντες. *Omophagia* Dionysia, Latinè *crudivora*, sic appellabantur, quòd Mystæ furentes, & pleni Deo; quoque præsentius Numen ostentarent, anguibus redimiti, crudas carnes ore dilaniarent. Catullus *in Argonaut.*

Pars è divulso jactabant membra juvenco:
Pars sese tortis serpentibus incingebant.

Clem. Alex. in Προτρεπτ. Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχαι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμέναι τοῖς ὄφεσιν, &c. Arnobius *lib* 5. *Bacchanalia etiam prætermittimus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum est. In quibus furore mentito, & sequestratâ pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis.* Bacchanalia in Ægypto nata Melampus in Græciam transtulit, teste Herodoto *l.* 2. Porro Dionysia apud Athenienses inprimis celebria fuerunt, ut sic eorum intervallis tempora distinguerent, quæ postea per Olympiadas numerari cœperunt. Suidas: Ἔθος ἦν Ἀττικοῖς λέγειν τὰ ἔτη, καὶ τὸν ὑποπίπτοντα ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν Διονυσίων. Præterea Bacchi sacerdos in spectaculis principem locum obtinebat. Commentator Aristoph. *in Ranas*: Παρὰ τοῖς θεαῖς προεδρίᾳ ἐπετίμητο ὁ ἱερεὺς τοῦ Διονύσου. His adde, quòd summus in Rep. magistratus illorum curator esset. Pollux *l.* 8. Ὁ Ἄρχων διατίθησι Διονύσια. Pompa Dionysiorum antiquitùs simplex, & sumptuum expers erat, donec opum affluentia sacris etiam, mores suos, luxumque immisit. Plut. *lib.* Περὶ φιλοπλουτίας. Ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς, καὶ ἱλαρῶς, ἀμφορεὺς οἴνου, καὶ κληματίς, εἶτα τράγον τις εἷλκεν, ἄλλος ἰσχάδων ἄρριχον ἠκολούθει κομίζων, ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ φαλλός. Ἀλλὰ νῦν ταῦτα πάντα παρορᾶται, καὶ ἠφάνισται, χρυσωμάτων περιφερομένων, καὶ ἱματίων πολυτελῶν, καὶ ζευγῶν ἐλαυνομένων καὶ προσωπείων. Et quantum prima rudis ævi simplicitas mutarit, ex Athenæi *lib.* 5. manifestum est, ubi Choragium Bacchi describit, quod magnifico prorsus apparatu Antiochus instruxit. Apparatus pompæ constabat Mystis & ferculis. Mystæ autem sunt Bacchantes, & sacris initiati. Eorum ornatus Nebrides, Sindones, Mitræ, Thyrsi, Ferulæ, Pampini, Hedera, Tympana, Tibiæ, Fistulæ, Tintinnabula; de quibus passim Poëtæ, eaque diligentissimè tractarunt Lilius Gyraldus, Natalis Comes, & novissimè in unum non pauca congessit Dempsterus *ad Rosinum lib.* 2. *cap.* 11. Porro Bacchantum alii Silenorum, alii Satyrorum, atque Panum habitu procedebant. Sic Plutarchus Antonium Liberi Patris æmulum nonnullas civitates obivisse prodidit, atque Ephesum accessisse Bacchicâ pompâ, Εἰς γοῦν Ἔφεσον εἰσιόντος αὐτοῦ γυναῖκες μὲν εἰς Βάκχας, ἄνδρες δὲ καὶ παῖδες εἰς Σατύρους καὶ Πᾶνας ἤγοντο διεσκευασμένοι, κιττοῦ δὲ καὶ θύρσων καὶ ψαλτηρίων, καὶ συρίγγων, καὶ αὐλῶν ἡ πόλις πλέα. Rursus alii asinis insidebant, alii hircos ducebant, quos immolarent, quorumque pellibus ad Ascolia uterentur.

Hoc ornatu instructi utriusque sexus homines, lymphato cursu ferri, vario motu (ut videre est in Θεσμοφοριαζούσαις Aristophanis) Choreas sive Thiasos ductare, tremulis ululatibus æthera complere, caput jactare; quod huic sacro fuisse velut proprium animadvertas, unde Euripides bacchantis gestum ait κάρα σείειν· & Pindarus tales ῥιψαύχενας vocat. In ista capitis jactatione crines effundebantur, quos Baccho alere solebant. Euripides,

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω.

Virgilius, *Æn.* 7.

Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.

Et apud Val. Flaccum *lib.* 2. Hypsiphile patrem suum Bacchi cultu exornans, ut Lemniadum furori eripiat,

Serta patri, juvenisq; comas, Vestesq; Lyæi Induit. ——

Porro conciti furore, Deoque pleni acclamabant, Εὐοῖ, Σαβοῖ, Εὐοῖ Βάκχε, ut ex Demosthene, Plutarcho, & poëtis eruditi possunt observare. Dionysius,

Καὶ μὴν Ληναίων ἱερὸν χορὸν ἐστήσαντο
Ζώμασι καὶ νεβρίδας ἐπὶ στήθεσι λαβόντες
Εὐοῖ Βάκχε λέγοντες. ——

Atque hinc Εὐάζειν, & Evare. Fuit & illa acclamandi formula ὦ Ἴακχε, quam Athenæus *lib.* 5. ἱερὰν τοῦ Βάκχου φωνὴν appellat. Proclus *in Chrestomathia*: Ἰόβακχος ἐν ἑορταῖς, καὶ θυσίαις Διονύσου βεβακχευμένος πολλῷ φρυάγματι. Agmen Bacchantium fercula sequuntur. Vas aquarum primo loco ferebatur. Plut. *lib. de Is. & Os.* Καὶ τὴν ἱερὰν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. Deinde Virgines procedebant Κανηφόροι. i. e. *cistarum gestatrices*, in quibus omnium fructuum primitiæ, Deo sacratæ, claudebantur. Aristophanes *in Acharnanensibus*,

Κατάθου τὸ κανοῦν ὦ θύγατερ ἵν' ἀπαρξώμεθα.

Ubi Schol. Κατὰ τὴν Διονύσου ἑορτὴν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις αἱ εὐγενεῖς παρθένοι ἐκανηφόρουν, ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων ἐτίθεσαν. Sed non solis fructuum primitiis cistas illas refertas fuisse putandum est, quas tanto horrore venerati sunt, ut his omnes Ceremoniæ contineri videantur. Catullus,

Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis;
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.

Valerius Flaccus,

—— *Tacitâ plenas formidine cistas.*

Non potuere tamen Orgiorum arcana latere SS. Patres, qui superstitionem, tenebrarum fide ac silentii se defendentem, protulerunt in lucem, ut ejus partim vanitas, partim fœditas à pertinaciâ stolidi erroris animos hominum averteret. Clemens *in Protreptico*, Οἷαι δὲ καὶ κίσται αἱ μυστικαί; δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἄρρητα ἐξειπεῖν. Οὐ σησαμαῖ ταῦτα, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροι τε ἁλῶν, δράκοντες, ὄργιον Διονύσου Βασσάρου; οὐχὶ δὲ ῥοιαί; πρὸς τοῖς δὲ κραδίαι, νάρθηκές τε καὶ κιττός· πρὸς δὲ καὶ φθοῖς, καὶ μήκωνες; ταῦτ' ἐστὶν αὐτῶν τὰ ἅγια. Apud Plut. *in Alex.* Olympias Bacchi ὀργιασμὸς repræsentans, ὄφεις μεγάλους ἐκ τοῦ κιττοῦ καὶ τῶν μυστικῶν λίκνων παραγαδυομένους, ad augendam venerationem ostentabat. Post Κανηφόρους ibant Φαλλοφόροι. Aristophanes,

ὦ Ξανθία σφῷν δ' ἐστὶν ὀρθὸς ἐκτέος·
Ὁ φαλλὸς ἐξόπισθε τῆς κανηφόρου.

Φαλλὸς autem est ξύλον ἐπιμήκης ἔχον ἐν τῷ ἄκρῳ σκύτινον αἰδοῖον. Unde ipsam solennitatem Theodoretus *lib.* 3. *Græc. Affectionum*, Φαλλαγωγίαν appellat. Vocarunt etiam Πεδαφαλλίαν. Hesychius: Πεδαφαλλία, πομπὴ Διονύσῳ τελουμένη τῶν φαλλῶν. Sequebatur deinde chorus cantantium φαλλικὰ ἄσματα, i. e. ut notat Aristophanis enarrator, τὰ ἐπὶ τῷ φαλλῷ ᾀδόμενα μέλη. Aristophanes *in Acharn.*

Ἐγὼ δ' ἀκολουθῶν ᾄσομαι τὸ φαλλικόν.

Phallophororum ornatum describit Athenæus *lib.* 14. *hoc modo*, Οἱ δὲ φαλλοφόροι προσωπεῖον μὲν οὐ λαμβάνουσι, προπόλιον δὲ ἐξ ἑρπύλλου περιτεθειμένοι, καὶ παιδέρωτος ἐπάνω τούτου ἐπιτίθενται, στέφανόν τε δασὺν ἴων, καὶ κιττοῦ, χυνακας τε περιβεβλημένοι παρέρχονται. Et paulo pòst: Ὁ δὲ φαλλοφόρος εὐθὺ βαδίζων, κατασπιλωθεὶς αἰθάλῳ. Phalli pompa, ut & aliæ Religionum, doctrinarumque perversitates ab Ægyptiis fluxerunt. Qui tamen in eo differunt à Græcis, quòd vice pudendorum ex ligno dependentium homunciones circumducerent eximiè peculiatos, quorum muto tantum moveretur. Herodotus *lib.* 2. Ἀντὶ δὲ φαλλῶν ἄλλα σφι ἐστὶν ἐξευρημένα, ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες, νεῦον τὸ αἰδοῖον οὐ πολλῷ τεῳ ἔλασσον ἐὸν τοῦ ἄλλου σώματος, προηγέεται δὲ αὐλός, αἱ δὲ ἕπονται ἀείδουσαι τὸν Διόνυσον. Διότι δὲ μέζον τε ἔχει τὸ αἰδοῖον, καὶ κινέει μόνον τοῦ σώματος, ἔστι λόγος περὶ αὐτοῦ ἱερὸς λεγόμενος. Eadem habet Lucianus *de Deâ Syriâ*, & Schol. Arist. *in Nebulis.* Igitur Melampus, qui Græcos Liberalia docuit, statuas omisit, & Phallos retinuit. Herodot. Ἕλλησι γὰρ Μελάμπους ἐστὶν ὁ ἐξηγησάμενος τοῦ Διονύσου τό τε οὔνομα, καὶ τὴν θυσίαν, καὶ τὴν πομπὴν τοῦ φαλλοῦ. Causam φαλλοφορίας, ut ostendit Herodotus, arcanam Mystæ jactabant, cujus majestatem augere silentio volebant. Atque hinc plerumque authores, cùm ritus sacrorum enarrant, ipsa mysteriorum penetralia non aperiunt, à quibus se religionis metu prohiberi profitentur. Diodorus Siculus Osiridem eundem cum Baccho statuens, hanc refert originem. Osiridem, duce Typhone, conjurati fratres dilacerarunt, membra partiti, quo fidem inter se firmarent, & mors occultior foret. Virile membrum omnes aspernati in Nilum abjecerunt. Postea Isis mariti necem ulta, partes omnes recuperavit, excepto pudendo: quod ubi deesse vidit, imaginem ejus formavit, & in solatium doloris, tanto honore prosecuta est, ut illi sacra cæremoniasque institueret, in quibus Phallus appellaretur. Plutarchus hujus fabulæ turpitudinem quodam interpretationis velo tegere conatur, Osiridis aut Bacchi nomine rerum intelligi principium, quod vi generandi multiplicat ea, quæ ex illo producuntur. Atque eam ob causam, non modò Phallos, sed etiam Bacchi imaginem circumferri, cujus triplex est pudendum. Addit præterea: Καὶ γὰρ ὁ προϊστορούμενος τῷ μύθῳ λόγος, ὡς τὸ Ὀσίριδος ὁ Τύφων τὸ αἰδοῖον ἔρριψεν εἰς τὸν ποταμὸν ἡ δὲ Ἶσις οὐχ εὗρεν, ἀλλ' ἐμφερὲς ἄγαλμα θεμένη, καὶ κατασκευάσασα, τιμᾶν καὶ φαλλοφορεῖν ἔταξε, ἐνταῦθα περιχωρεῖ, διδάσκων ὅτι τὸ γόνιμον καὶ τὸ σπερματικὸν τοῦ θεοῦ πρῶτον ἔσχεν ὕλην τὴν ὑγρότητα, καὶ δι' ὑγρότητος ἐνεκράθη τοῖς πεφυκόσι μετίσχειν γενέσεως. Par est ratio, cur in pompâ præferretur aqua & ficus folio Regem depingerent, quòd illam videlicet omnium rerum materiam existimant, hujus autem forma partem generationi dicatam repræsentaret. Cæterùm Diodori narrationem respexit Clemens Alexandrinus *in Protreptico*, & Arnobius *lib.* 5. cujus hæc sunt verba, *Sed & illa desistimus Bacchanalia altera prædicare, in quibus arcana ac tacenda res proditur, insinuaturq; sacratis, ut occupatus puerilibus ludicris, distractus a Titanibus Liber sit, ut ab iisdem membratim sectus, atq; in ollulas conjectus coqueretur, quemadmodum Jupiter suavitate odoris illectus, invocatus advolarit ad prandium, compertaq; re gravi grassatores obruerit fulmine, atq; in imas Tartari præcipitaverit sedes*, &c. Verùm Aristophanis Scholiastes aliam narrat φαλλοφορίας occasionem: Ἰστέον δὲ φαλλὸς τῷ Διονύσῳ κατά τι μυστήριον, περὶ δὲ αὐτοῦ τοῦ φαλλοῦ τοιαῦτα λέγεται. Πήγασος ἐκ τῶν Ἐλευθερῶν (Ἐλευθεραὶ δὲ πόλις εἰσὶ Βοιωτίας) λαβὼν τοῦ Διονύσου τὰ ἀγάλματα ἧκεν εἰς τὴν Ἀττικήν. Οἱ δὲ Ἀττικοὶ οὐκ ἐδέξαντο καὶ τιμῆς τὸν θεόν. Ἀλλ' οὐκ ἀμισθί γε αὐτοῖς ταῦτα βουλευσαμένοις ἀπέβη· μηνίσαντος γὰρ τοῦ θεοῦ νόσος κατέσκηψεν εἰς τὰ αἰδοῖα τῶν ἀνδρῶν, καὶ τὸ δεινὸν ἀνήκεστον ἦν, οἱ δὲ ἀπεῖπον πρὸς τὴν νόσον κρεῖττον γινομένην πάσης μαγγανείας καὶ τέχνης, ἀπεστάλησαν εἰς Θεωροὶ μετὰ σπουδῆς. Οἱ δὲ ἐπανελθόντες, ἔφασαν ἴασιν εἶναι μόνην ταύτην, εἰ διὰ πάσης τιμῆς ἄγοιεν τὸν θεόν, πεισθέντες οὖν τοῖς ἠγγελμένοις οἱ Ἀθηναῖοι, φαλλοὺς ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ κατεσκεύασαν, καὶ τούτοις ἐγέραιρον τὸν θεόν, ὑπόμνημα ποιούμενοι τοῦ πάθους. Sed Christiani Doctores altius arcana rimati, propudiosam fœdissimi ritus originem invenerunt, utque detestandæ superstitionis fundamenta subruerent, ex occulto in aperta protulerunt. Theodor. *lib.* 7. *Græcanicarum affectionum, sive Serm. de Martyribus:* Ἀλλ' ὅμως καὶ οὗτος θείας ἠξιώθη τιμῆς, γύνις ὢν καὶ θηλυδρίας, καὶ ἀνδρόγυνος. Καὶ γὰρ τοῖς ἐπιχειροῦσι μισθὸν ὑπέσχετο δώσειν, ἢ χρυσόν, ἢ ἄργυρον, ἀλλὰ τὴν ὕβριν τοῦ σώματος, καὶ οὕτως περὶ τὴν βδελυρὰν ἐκείνην ὑπόσχεσιν ἐγένετο φιλαληθής, ὡς τὸν βεβοηθηκότων τετελευτηκότων πρὶν ἢ δέξασθαι τὸν πολυθρύλητον ἐκεῖνον μισθόν, ἑτέρως ἐπινοῆσαι τὴν τῆς ἐπαγγελίας ἐκπλήρωσιν. Καὶ σιωπῶ τὸ σύκινον ξύλον, καὶ τὰ ἐπὶ τούτου τελούμενα αἰσχύνομαι λέγειν, ἐφ' οἷς ἐπανηγύριζον οἱ Ἕλληνες. Arnobius *lib.* 5. *Ithyphallorum illa, fascinorumq; subrectio, quos ritibus annuis adorat & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris similitudinem refert, quo se à debito Liberavit?* Phallorum pompam excipiebant Ithyphalli muliebrem vestem induti. Hesych. Ἰθύφαλλοι, ἐπίορκοι, καὶ ἀκολουθοῦντες τῷ φαλλῷ γυναικείαν ἔχοντες στολήν. Hos Athenæus describit *lib.* 14. Οἱ δὲ ἰθύφαλλοι καλούμενοι προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσι, καὶ ἐστεφάνωνται, χειρίδας ἀνθινὰς ἔχοντες, χιτῶσι δὲ χρῶνται μεσολεύκοις, καὶ περιέζωνται Ταραντῖνον καλυπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν. Quo ordine vannus gestaretur haud liquet; sed absque eâ Bacchi sacra non fuisse celebrata, constat, unde Virgilius *Georg. lib.* 1.

—— *Mystica Vannus Jacchi.*

Ubi Servius: *Mystica Jacchi ideo ait, quòd Liberi patris sacra ad purgationem animæ pertinebant; & sic homines ejus mysteriis purgabantur, sicut Vannis frumenta purgantur. Hinc est, quòd dicitur, Osiridis membra à Typhone dilaniata Isis cribro superposuisse: nam idem est Liber pater, in cujus mysteriis Vannus est, quia, ut diximus, animas purgat; unde* Liber, *abeo quòd liberet dictus, quem Orpheus à Gigantibus dicit esse discriptum. Nonnulli Liberum patrem* Λικνίτην *appellant. Vannus antem apud eos* λίκνος *nuncupatur, ubi de more positus esse dicitur, postquam est utero matris editus.* Hactenus Servius. Et certè Bacchus à Plut. Λικνίτης nominatur *lib. de Is. & Os.* Athenæus quoque *lib.* 5. in pompa Bacchi describendâ mentionem palàm facit τῶν λίκνων. Hæc autem qui ferebant, λικνοφόροι dicebantur. Harpocration: Τὸ λίκνον πρὸς πᾶσαν τελετὴν καὶ θυσίαν ἐπιτήδειόν ἐστιν, ὁ τοῦτο οὖν φέρων λικνοφόρος λέγοιτ' ἄν. Multa dicta, visuque fœda ad animos populi diffundendos in pompâ Mystæ perpetrabant. Quos propterea D. Gregorius Naz. *Orat.* Εἰς τὰ ἅγια φῶτα, esse dicit αἰσχροὺς καὶ τοῖς σώμασι, καὶ τοῖς πράγμασιν. Augustinus quoque *de Civ. Dei lib.* 6. *cap.* 21. turpitudinis licentiam, & exultantem in propatulo nequitiam gentibus exprobrat, matronam facere in publico, quod nec meretrici, si matronæ spectarent, permitti debuit in theatro.

tro. Et gravissimè Theodoretus: Ἐν δὲ τούτοις ταῖς ὁμηγύρεσι πᾶν εἶδος ἀσελγείας ἀδεῶς ἐτολμᾶτο. Καὶ γὰρ αἱ τελεταὶ, καὶ τὰ ὄργια, τὰ τούτων εἶχεν αἰνίγματα. Τὸν κτένα μὲν Ἐλεύσις, ἡ φαλλαγωγία δὲ τὸν φαλλόν. Ἀτὰρ δὲ καὶ δίχα τῶν αἰνιγμάτων, τὰ παρὰ τῶν ὀργιαστῶν δρώμενα, εἰς πᾶν εἶδος ἀσελγείας τοὺς ὁρῶντας ἠρέθιζε. Τίς γὰρ ἄγαν λαγνιστάτων, ἔνδον ἐν τῷ θαλάμῳ τετόλμηκε τοιαῦτα, ὁποῖα τῶν Σατύρων ὁ χορὸς ἠσέλγησε δημοσίᾳ πομπεύων: Nam & Satyri arrecto veretro in hanc pompam producebantur, quod tamen ipsi rei divinæ signum autumabant, ut author est Aretæus *libr.* 2. *acutorum cap.* 12. Quàm fœda porro civitatis facies, ubi tanta lasciviæ irritamenta, quæ pravis religionibus captas hominum mentes, velut furialibus stimulis ad omne scelus, omnemque libidinem agerent. His adde ludos voluptatum illices, & nova comœdiarum spectacula, in quibus etiam flagitiosa jocorum libertas, plausum merebatur. Jam commessationes adeò insanæ, ut sobrius pro tetrico, nimiumque severo haberetur. Certè Plato *libro* 1. *de Legg.* dicere non erubescit: Πᾶσαν ἐθεασάμην τὴν πόλιν περὶ τὰ Διονύσια μεθύουσαν. Hic in publico furor: quid igitur corruptelæ defuisse putemus, ubi licentia tenebrarum accesserat. Facundissimè Livius *lib.* 9. *Decad.* 4. *Ex quo promiscua sacra sint, & permisti viri fœminis, & noctis licentia accesserit, nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermissum, plura virorum inter sese, quàm fœminarum esse stupra. Si qui minus patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari nihil nefas ducere: hanc summam inter eos religionem esse. Viros velut mente captos cum jactatione fanaticâ corporis vaticinari; Matronas Baccharum habitu, crinibus passis, cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, &c.* Quamobrem jure merito Romana gravitas illam scelerum officinam S.C. sustulit, & curavit, ut omnia Bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam diruerentur. Castell.

Dionysia, urbs Italiæ, apud Stephanum. Item Ægypti, apud Ptolemæum.

Dionysiades Insulæ 2. circa Cretam, Diodorus. Baudrando 3. Insulæ parvæ, inter partem Oriental. Cretæ & Carpathum Insul. Dicuntur *Dionissades*, *Cazucai*, & *Paxumadochea*. Sub Turcis, paucorum incolarum propter piratarum frequentes excursiones.

Dionysiades, Africæ urbs. D. Augustinus. *Josiana* aliis, & *Conisiana* Victori Uticensi.

Dionysias, insula, quam aliter Napum vocant, à vinearum fertilitate sic dicta. Est & gemma quædam. Plinius *libro* 27. *capite* 10.

Dionysides, Poëta Tragicus ex Tarso civitate, cujus mem. Strab. *libro* 14.

Dionysii columnæ, locus Asiæ, ad Edmodum montem, terminus peregrinationis Bacchi. Eust.

Dionysii Fanum, Gallicè *S. Denis*, urbs Insul. Franciæ, olim *Catulliacum*, à Catulla quadam fœmina. Nundinis & Abbatiâ, à Dagoberto I. fundatâ, ubi Regum monumenta, memorabilis. Aimon. *Histor. Gall. lib.* 4. *cap.* 33. Merula, Doublettius, *histor. hujus Abbatiæ*, Duchenius, *de urb. Gall. cap.* 9. Hic Concilium anno 834. quo Ludovicus Pius, qui à liberis suis throno deturbatus fuerat, populi Galliæ consensu restitutus est. Nithard. *Annal.* Regino, &c. Anno 995. Anno 1053. ab Henrico I. Rege, celebratum, ubi de S. Dionysii cadavere actum, &c. Prope urbem hanc, conflixit Annas Mommorantius, regiarum copiarum Dux, cum Protestantibus, quorum antesignani erant Princeps Condæus & Colinii fratres: Sed victus ex vulnere accepto obiit, ex Condæi parte plusquam 50. de præcipua nobilitate interemtis. An. Chr. 1567. Vide Thuanum *Histor. lib.* 44.

Dionysiodorus, Geometra nobilis, in cujus mortui sepulcro, affines reperisse dicuntur epistolam, ejus nomine ad superos scriptam, pervenisse eum à sepulcro ad infimam terram, esseque eò stadiorum 43. millia. Plin. *lib.* 2. *cap.* 109. Item tibicen nobilis; Idem Plinius.

Dionysiodorus, Bœotus, Historicus, scripsit an. 4. Olymp. 104. in Philippo Mac. finiens. Diodor. *lib.* 15. *sub fin.*

Dionysiodorus, Tarentinus, stadii victor, Olymp. 100.

Dionysiopolis, vulgò *S. Denis*, urbec. Gall. prope Lutetiam. Vide *Fanum S. Dionysii.*

Dionysiopolis, quæ & Nagara, & Nyssa Justino, urbs Indiæ citer. apud Indum fluv. inter illum & Cophen. Ptol. & Arrian. *Nerus* hodie ex tab. recent. Item alia urbs Mysiæ infer. Anton. vulgò *Varna*. Urbs Bulgariæ Baudrando, ad amnem Zyram, vulgò *Varne*, versus oram littor. Ponti Euxini, celebris infelici Hungarorum pugnâ, ubi & cæsus Hungariæ R. an. 1444. Paucis leuc. à confin. Thraciæ in Bor. *Crunos* olim, testibus Plinio, ac Stephano. Pop. *Dionysiopolitæ*. Cic. I. *Ad Quintum fratrem.* Item Phrygiæ, Plin. Lybiæ quoque urbs, Steph.

Dionysius, qui & *Bacchus* dicitur, vites & vini usum, atque cæterarum arborum fructus invenisse fertur. Vide *Bacchus*, *Lenæus*, *Liber*, *Lyæus*, &c. nomen quod attinet, Nonnus Panopolitanus à Νῦσος derivare videtur, quod est claudus, rationemque vocis istius reddit *Bassaricôn lib.* 8.

—— Λοχευομένῳ δὲ Λυαίῳ
Πατρῴην ἐπέθηκεν ἐπωνυμίην τοκετοῖο
Κικλήσκων Διόνυσον, ἐπεὶ ποδὶ φόρτον ἀείρων
Ἤιε χωλαίνων Κρονίδης βεβαρηότι μηρῷ,
Νῦσος ὅτι γλώσσῃ Συρακοσίδι χωλὸς ἀκούει.

Optima autem proculdubio Etymologia est *Du*, vel *Dy*, *Dominus*, & *Nysa* per Metathesin pro *Sina*, ut sit *Dominus Sinæ*. Δεῦνος certè apud Indos Regem significat. Δεῦνον δὲ τὸν βασιλέα λέγουσιν οἱ Ἰνδοί, inquit Juba apud Etymologum. Et Tzetzes, Κατὰ Ἰνδοὺς δὲ Διόνυσος. Δεῦνος καὶ ἄναξ Νύσσης. Cæterùm de variis Dionysiis antiquis vide virum clarissimum D. Langbainium *Not. in Dionys. Longinum.*

Dionysius I. Siciliæ tyrannus, fil. Hermocratis, civis Syracusani, qui, quòd nudo ense urbem ingressus esset, occisus est, primò Syracusanorum Dux, contra Carthaginenses, dein his pulsis, occupatoque totius Insulæ imperio, copias in Italiam trajecit adversus Græcos, qui proxima Italiæ litora tenebant. Itaque Locros prius expugnat, deinde Crotoniatas aggreditur, qui Locris auxilium tulerant. In Rhegium, post 11. menses expugnatum, sævissimus. Is deinde Dionysius, quem paulo antè non Italia, non Sicilia capiebat, assiduis belli certaminibus à Carthaginensibus victus, insidiis suorum interficitur. Justinus ex Trogo. Anno U. C. 385. ætat. 63. Olymp. 103. Sed de mortis genere variant auctores. Vide Diodor. Siculum *libr.* 13. 14. 15. Plutarch. *in vita ejus.* Justin. *lib.* 20. Xenoph. *histor. libr.* 2. *& seqq.* Euseb. *in Chron.* C. Nepotem, *in Dione.* Poëseos famam frustra affectavit, Græcis publicè irrisus, quod cùm ulcisci aliter non posset, in subditos acrius desævijt. Sacrilegiis infamis, Jovem pallio, Æsculapium barbâ exuit, malæ conscientiæ Furiis eousque exagitatus, ut ne uxori quidem, nec filiabus suis fideret. Aliquot Comœdiarum & historici cujusdam operis auctor, Suidæ dicitur.

Dionysius II. superioris fil. natu maximus inter fratres, Patri militum favore successit, qui initio tyrannidis populum sibi libertate concilians, tria millia captivorum è vinculis exire permittit. Tributa insuper populo per triennium remittit, sublatisque fratribus ac propinquis, quos metuebat, paulatim in cæteros grassatur. Itaque ob crudelitatem invisus Syracusanis, bello expugnari cœptus, in arcem se recepit. Legatos dein Syracusanos de pace, contra jus gentium, retinuit. Tandem vi pulsus ex arce profugus clam in Italiam, Locros concessit, qui sub ejus erant potestate. A Locrensibus verò ignaris, quòd exul esset, exceptus, solitam quoque in eos exercuit sævitiam sex annis, rapinis, stuprisque omnia complendo. Deinde Locrensium conspiratione civitate ejectus, in Siciliam rediit, ibique Syracusas, securis omnibus, post longum pacis intervallum, per proditionem recepit. Cumque gravior esset, iteratâ conspiratione duce Dione Syracusano, cùm Corinthiorum auxilio obsideretur, deposito imperio, arcem Syracusanis tradidit, atque in exilium Corinthum profectus est, ibique ludimagistrum agens pueros in triviis docuit. Erat enim eruditus, utpote olim Platonis auditor. Interrogatus jam exul, quid ei Philosophia profuisset: Respondit, ut æquo animo ferrem talem Fortunæ mutabilitatem. Regnavit annis 38. Plutarchus regiam ejus pulverulentam fuisse ait, propter eorum multitudinem, qui Geometricas in pulvere figuras describebant. Hujus Dionysii cùm omnes Syracusani interitum optarent, quædam anus sola quotidiè Deum orabat, ut ipse diu incolumis ac superstes esset, quod quidem audiens tyrannus admirabatur, & causam quærit. Ait illa, cùm Puella essem, & gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam, ac successit illi gravior; & cùm illo iterum carere cupiebam, tertium Te importuniorem excepimus; Timens ergo deteriorem succedere tibi, caput meum pro tuâ salute devoveo. Tam facetam mulieris audaciam tyrannus erubuit. Hic Dionysius, acceptâ Tragœdiarum victoriâ, indeque nimio gaudio perfusus expiravit. Plin. *l.* 6. *c.* 53. Diodor. Sicul. *libr.* 16. Justin. *l.* 21.

Dionysius, Lusitaniæ Rex, filius Alphonsi III. ex Beatrice, filia notha Alphonsi X. Castellæ & Legionis Regis, successit Patri, anno 1279. præterito Roberto fratre, ex Mathilde priori conjuge, qui Comes dein Bononiæ fuit. Duxit Elizabetham, filiam Petri III. Arragoniæ Regis, ex ea pater Alphonsi IV. Successoris, & Constantiæ, quæ Ferrando IV. Castellæ Regi nupsit. Initio regni neque cum Clero, neque postmodum cum filio ipsi bene convenit, sed turbæ prudentiâ uxoris sopitæ. Condidit vel reparavit 44. in Lusitania urbes, instituit ordinem militarem Jesu Christi, obiit felicissimus sui seculi Principum, anno 1325. æt. 63. regni 46. Mariana *l.* 14. *&* 15. Duardus *Geneal. Regum Portugalliæ.*

Dionysius, Græcus, Papa, anno Dom. 261. Synodo convocatâ, Dionysium Alexandrinum defendit, scripsit contra Sabellium, & P. Samosatenum. Tam Presbyteris urbis Romæ, quàm aliarum gentium, templa, cœmeteria, ac parochias divisit. Præterea Episcopis Diœceses distribuit, mandavitque ut unusquisque suis finibus, limitibusque contentus esset. Platina. Obiit anno 272. Athen. *c. Arian.* & *de sent. Dion. c. Arian.*

Dionysius, Clearchi fil. Timothei frater, tyrannidem suscepit, defuncto fratre, Olymp. 110. an. 3. Heracleæ in Ponto.

Dionysius, Heracleonis filius, tyrannus apud Heracleam regnavit. Strabo *lib.* 16.

Dionysius, Hammonis regis Libyæ & Amaltheæ filius. Berosus.

Dionysius, Lysimachiâ oriundus, Dux Antiochi Hieracis, qui à fratre Seleuco defecerat. Polyæn. *lib.* 4.

Dionysius, Phocensium dux, an. U.C. 251.

Dionysius, Consul cum Florentio, an. U.C. 1182.

Dionysius, Patriarch. Constantinop. Peloponneso oriundus, Marci Ephesii discipulus. Ab æmulis accusatus, quòd abnegatione Christianismi libertatem redemerit, innocentiam suam egregiè probavit. Bzovius anno 1489. Malaxus *Histor. Patr. l.* 2. *Turcogr.*

Dionysius, Præsul Alexandrinus, post Heraclam, Origenis discipulus, in deserta Libyæ relegatus, à Valerio Præside. Scripsit c. Origenem, Novatum, Sabellium, quem dum oppugnat, Ario favisse visus, accusatur & absolvitur. Sub Galieno, in exilium pulsus, revocatur, Chiliastas convertit, multa passus, &c. Ejus operum meminit Hieronymus, *Cat. c.* 69. *Præf. l.* 18. *Comm. in Esaj. l.* 2. *c. Rufsin.* & *ep. ad Pammachum.* Eus. *l.* 6. & 7. *Histor.* Athan. *de Sent. Dion.* & *in Comm. de Syn. Nic. Decr.* Basil. *cap.* 29. *L. de Spirit. S. epist. ad Amphil.* & *epist.* 41. Obiit anno 265. Alius ab eo, qui in Dion. Areopagitæ scripta commentarios edidisse dicitur, Sixt. Senens. *l.* 4. *Bibl.* Successorem Maximum prior habuit.

Dionysius, Corinthiorum Præsul sub M. & L. Antoninis, vir doctrinâ & sanctitate clarus, scripsit epistolas quasdam valdè laudatas. Hieron. Pinytum graviter monuit, *ne grave servandæ castitatis onus fratribus imponeret.* Euseb. *l.* 4. *c.* 22. A Tatiano enim seducti plurimi tum cœlibatum urgebant. Vixit an. *D.* 166.

Dionysius, Episc. Mediol. Athanasii condemnationi, ab Arianis circumventus, subscripsit. Cujus pœnitentiâ cùm eum seriò duci videret Euseb. Vercellensis, dolo ingenioso, Arianis scriptum hoc extorsit. A Constantino Imp. in exilium missus, ibi obiit. Ambros. *ep.* 82. *ad Vercel.* Athanas. *ad Solit.* Ruffin. *l.* 1. *c.* 20. Sulp. Severus *hist. S. l.* 2. Socr. *l.* 2. *c.* 29. Sozom. *l.* 4. *c.* 8. Baron. *A. C.* 355. 356.

Dionysius, Persica consignavit. Tull. 1. *de Divin.*

Dionysius, cogn. *parvus Abbas*, Scytha, vixit Romæ, sec. 6. sub finem regni Theodorici. & nepotis ejus Athalarici. Ingentes animos in parvo pectore versans, Græcè Latineque doctissimus, Canones collegit, transtulit, correxit. Cyclum Victoris renovavit, non per Olympiades, vel Consulatus, neque etiam per Epocham Diocletiani, sed Jesu Christi nativitatem, annis numeratis. Obiit an. 540. Cassiodor. *div. Inst. c.* 23. Beda, *hist. Eccl. lib.* 5. *c.* 22. & *de R. T. c.* 45. Sigebert. *de Viris Ill.* Marianus Scotus, *A. C.* 532. Genebr. *in Bonif. II.* Ciacc. *in Felice IV.* Blancanus, Petavius, Calvisius, Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 19. & *de Mathem. c.* 34. §. 12. & *c.* 40. §. 11. &c.

Dionysius, fil. Glauci, discipulus Chæremonis, cui successit, Alexandrinus Grammaticus, pervenit ad Trajani tempora, cujus bibliothecæ & epistolis præfuit. Suid. Præceptor Parthenii fuit. Vide Athen. *l.* 11. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *c.* 1. & 3. *de Poët. c.* 9. *p.* 72. 73. Vide infra.

Dionysius Areopagita, præsul Atheniensis, D. Pauli discipulus, ut scribitur in Actis App. Solus Paulo concionanti, è philosophis qui aderant, credidit. Hic cùm esset in Ægypto, Heliopoli, quò se disciplinæ causâ contulerat, videretque eclipsim nullâ ratione, cùm Christus passus est, unà cum Apollophane Sophistâ præceptore suo dixisse fertur: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Scripsit (ut quidam existimant) ad Timotheum Ephesi Præsulem, de Divinis nominibus libros 12. De Hierarchia cœlesti, de cœlestibus ordinibus, præterea alia complura opuscula, teste Suidâ. Vide Nicephorum 2. 20. & Metrodorum *in ejus vitâ.* De scriptis ejus ita Morerius: Ante an. 532. nullus scriptorum horum meminit, Severianistæ primi produxerunt. Dein Gregor. M. Martinus I. Sophronius, Maximus, &c. illa citarunt, huicque Dionysio adscripserunt. Plurimi credunt, ante finem sec. 4. vel ante condemnationem Eutychis, in Concil. Chalced. an. 451. non fuisse composita. Vide etiam Phot. *c.* 1. Sigeb. &c.

Dionysius, Argivus, quid de Illi capti tempore prodiderit, legere potes apud Clem. Alex. *lib.* 1. *Strom.*

Dionysius, Byzantius ἀνάπλῳ Βοσπόρου citatur à Stephano in *Chrysopolis.* Omnino alius est à Dionysio Periegetâ. Ejus mem. Suidas, ac dicti operis, prætereaque panxisse ait Threnos, poëma epicediis refertum. Vide Plin. *hist. nat. l.* 6. *c.* 27. Voss. *de H. Gr. l.* 2. *c.* 3. & *l.* 3. *p.* 357. & *de Mathem. c.* 69. §. 10. Gesner. Suid. &c.

Dionysius Carthusianus, vulgò *de Rickel*, Leodiensis, doctrinâ & pietate illustris. Innumera scripsit, ob assiduam meditationem *Doctor Extaticus* dictus. Obiit an. 1471. æt. 69. Trithem. & Bellarm. *de Scr. Eccles.* Possevinus, *Appar. S.* Petreius *Biblioth. Carthus. p.* 49. & *seqq.* Dorlandus, *l.* 7. *Chron. Carthus.* Simlerus, Loërus *in vita ejus*, &c.

Dionysius, Chalcidensis, Κτίσεις, sive *Origines civitatum* complexus est libris quinque, teste Marciano Heracleotâ in περιηγήσει. Benè antiquum esse authorem, illud indicio esse potest, quòd eo teste utatur Dion. Halicarn. *l.* 1. *Ant.* Suid. Voss. *de H. Gr. l.* 3. *p.* 358.

Dionysius, Corinthius, terram versu descripsit. An. fil. Diogenis?

Dionysius, Dialecticus è Bithyniâ. Strabo *lib.* 11.

Dionysius, Glauci filius, discipulus Chæremonis philosophi, cui etiam Alexandriæ successit, præceptor verò Parthenii Grammatici. Vixit Neronis temporibus usque ad Trajanum: præfuit bibliothecis, fuit ab epistolis, & à responsis, & legationes varias obiit. Suidas. Vide supra.

Dionysius Gorgyensis, in Gorgyâ Sami loco colitur. Steph.

Dionysius, Halicarnassensis historicus, laudatur à Strabone *l.* 14. ubi de Halicarnasso Cariæ civitate sic scribit: Ἄνδρες δ᾽ ἐγένοντο ἐξ αὐτῆς, Ἡρόδοτος ὁ συγγραφεὺς, καὶ Ἡράκλειτος ὁ ποιητὴς, ὁ Καλλιμάχου ἑταῖρος, καὶ καθ᾽ ἡμᾶς Διονύσιος ὁ συγγραφεύς. Vixit sub Epiphane & Philometore Ptolomæis, Polyb. *l.* 14.

Dionysius Halicarnassensis, Augusti temporibus floruit, quod satis indicat Strabo, ejusdem temporis scriptor. Sic enim ille *l.* 14. Καὶ καθ᾽ ἡμᾶς Διονύσιος ὁ συγγραφεύς. At ne alium hunc Dionysium putes, ipse in præfatione scribit, in Italiam se venisse, simul ac Cæsar Augustus finem imposuit bello civili; ubi per an. 22. addiscendæ linguæ Lat. & evolvendis ad suum scopum facientibus libris, incubuit. Ut omnino aliud egerit vir eruditus Barth. Keckermannus, cùm in sup de historiâ opere tres esse scribit, qui acrius in Plutarchum censuram exerceant, eosque inter esse principem Dionysium Halicarnasseum. Subjungit postea Dionysius noster, ex eo tempore, quo Romam venit, usque ad illud, quo istud scriberet, exactos esse annos viginti duos, quibus Romæ egerit, Urbisque didicerit sermonem, ac partim eruditorum hominum consuetudine, partim lectione Porcii Catonis, Fabii Maximi, Valerii Antiatis & aliorum historiam istam scripserit. Ac primùm, ut, unde Romani genus sumpserint, liqueat, ea refert, quæ de Aboriginum populo, & priscis Italiæ incolis, ferebantur. Pertexuisse verò se historiam dicit usque ad primum bellum Punicum, sive annum Urbis 488. vel, juxta alios 490. unde Polybium incipere ait. Opus hoc ipse vocat Ἀρχαιολογίαν Ῥωμαϊκὴν, nisi is titulus proprius sit priorum librorum, quos ante cæteros, ut totius operis gustum haberent Romani, editos fuisse, rectè observavit Hen. Stephanus. Hodie ex 20. libris (quot à Dionysio scriptos fuisse etiam Photius dicit, illos omnes se legisse testatus,) tantùm extant undecim; quibus pervenit usque ad sublatum Decemviratum, plebeios ad tribunatum militarem admissos, eamque potestatem abrogatam, & Consules ex ordine patritio iterum electos, quod factum est anno U. C. 312. Ex posterioribus libris qui perierunt, Stephanus περὶ πόλεων citat aliquos, ut decimum sextum in Ἀκίλαον, & undevigesimum in Καυσάντεια. Quare ut tacuisset Dionysius, quousque historiam suam perduxisset: tamen ex Ἐθνικῶν scriptore satis constaret, Gelenium falli, qui putabat, Dionysium operi isti immortuum esse, nec plura scripsisse, quàm hodie habemus. Euseb. *Præp. Evangel.* 4. 16. vocat Διονύσιον τὸν Ἁλικαρνασσέα, ἄνδρα τῆς Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας ἀκριβῶς τὴν γραφὴν ἅπασαν ἐκθέμενον. Et sanè Dionysio huic laudem eam tribuit Scaliger, *in Animadversionibus Eusebianis*, quòd curatius ea tempora nemo observarit. Hac quoque parte Livio præfertur, quòd & plura & accuratius, multa tradat, quæ ad Romanas Antiquitates pertinent. Quâ de re H. Stephanum vide, *opera prima in Dionysium capite* 10. Stylus quoque, ut Photius loquitur, est καινοπρεπὴς, atque, ut idem ait, τὸ κομψὸν τοῦ λόγου, τήν τε τοῦ μέρους ἀφηγήσει, καὶ τῇ παρεκβάσει κεκαλλωπισμένον, τὴν ἐπὶ τὸ τραχύτερον ῥέπουσαν θεραπεύει συνήθειαν. Horum 20. librorum σύνοψιν scripsit ipse auctor, eodem Photio *Bibl. cod.* 83. 84. teste: addit autem in ea solùm necessaria exposuisse, eoque utilem magis fuisse operam quàm suavem. Nec bonus tantùm Historicus fuit, sed etiam Rhetor & Criticus nobilissimus, quod ostendunt Rhetorica & Critica ejus opuscula quæ supersunt: præter quæ alia ejus generis elaborasse, cognoscimus inde, quòd in istis multa è suis hujus argumenti citet, quæ hodie non habemus. Vossius, *de Histor. Græc. lib.* 2. *c.* 3. Motha Vayerius, *jud. de Histor.*

Dionysius, cogn. *Musicus*, Halicarnassensis junior, sub Adriano claruit. Edidit Historiæ Musicæ libros 36. in quorum uno omnia Reip. Platonis loca explicuit, aliaque, de quibus Suidam sis adi. An idem cum Atticista, dictionum Atticarum Lexicographo: qui Ælius Photio dicitur, *cod.* 152.

Dionysius, Heracleotes, Philosophus cogn. *Methatemenes*, discipulus Heraclidæ, dein Menedemi & Alexini, tandem Zenonis Stoici auditor, qui cùm renum, vel, ut alii, oculorum morbo laboraret, cruciareturque dolore intolerabili, succumbens dolori clamabat, Falsa esse quæ à Zenone didicerat. Zeno enim & Stoici omnes hoc habent dogma: Dolorem non esse malum, sed indifferens. Poësin amavit, Zenonis scholâ relictâ ad Cyrenaicos transiit, & voluptatem summi boni loco habuit. Obiit an. 70. fame voluntariâ enectus. Opera ejus recenset Diog. Laërt. *in ejus vita, l.* 7. Athen. *l.* 7. & 10.

Dionysius Lambrinus, Monstroliensis, Græcè Latineque doctissimus, cum Cardin. Fr. Turnonio diu in Italia versatus, post reditum in Galliam, Humaniorum artium Professor Regius, in Plautum & Horatium commentarios scripsit. Post Rami, amici sui, obitum, mœrore extinctus. Ex Ursina pater filii, qui posthuma quædam ejus opera edidit. SanMarth *elog. Vir. Ill. l.* 2.

Diony-

Dionysius Longinus Cassius, celebris Criticus, hæres Frontonis Emiseni, Porphyrii Præceptor, à quo, in Plotini vita, miris modis laudatur. Philosophus Suidæ, viva Bibliotheca Eunapio dictus. Plurima scripsit, de quibus nihil restat, nisi de sublimi dictione, & fragmentum quoddam, in Plotini vita, & apud Euseb. *lib.* 15. Zenobiæ reginæ quoque Præceptor cùm esset, ab Aureliano occisus est, quòd crederetur auctor epistolæ, quam Syriacâ linguâ ad Imper. Zenobia scripserat, Vopiscus *in Aurel.* magno animo mortem sustinuit, Zosimus.

Dionysius Magnus, Episc. Sylvanect. Johannis Galliæ R. Confessionarius. Poëta non vulgaris, de Accipitrum venatione librum edidit. Obiit An. 1354. Gasto Vinius, SanMarth. *Franc. Christ. tom.* 2. *pag.* 1021.

Dionysius Milesius, historicus, scripsit res Persicas, & ea quæ post Darium secuta sunt. Suidas. Philostratus eum scribit, Adriano Principi ob ingenium acceptum fuisse, à quo satrapes factus sit, adscriptusque inter equites. Vid. Volaterranum *Anthrop. lib.* 1. *cap.* 454. Sed hic alius à priore, qui ante Herodotum vixit. Vid. Voss. *de H. G. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 12. *lib.* 2. *cap.* 3. *p.* 174. *lib.* 4. *c.* 3. *pag.* 441. *de Mathem. c.* 69. §. 4.

Dionysius, Mitylenæus, poëta epicus, qui σκυτοβραχίων & σκυτεὺς vocatus est, præter Bacchi & Minervæ expeditionem, etiam Argonautica 6. libris ad Parmenonem scripsit oratione solutâ. Diodorus Sic. *lib.* 2. Auctor quibusdam historiæ Lydorum, quæ Xantho attribuitur. Suid.

Dionysius, Musonii filius, sacerdos templi Solis, qui insigniter hic cultus, Vid. Solin. *c.* 27. nonnullis Samius, aliis Rhodius fuisse existimatur, teste Suidâ, qui autor est composuisse historias τοπικὰς libris 6. orbis descriptionem, & historicæ institutionis libros decem. Tertull. *de Anima, cap.* 46. *n.* 526. *edit. Pamel.*

Dionysius, natione Pergamenus, cognomento Atticus, discipulus Apollodori Pergameni, Rhetoris ejus, qui Augusto Cæsari familiaris adeò fuit, & à quo condita est secta Apollodorea, quæ Theodoreæ opponitur, authore Strab. *lib.* 13. ubi & Dionysius hic vocatur σοφιστὴς ἱκανός, συγγραφεὺς, καὶ λογογράφος. Meminit hujus Dionysii etiam Suidas, Strabo, *lib.* 13. Gesner. Vossius, *de H. Gr. l.* 2. *c.* 3. *&* 12. *de Math. c.* 59. §. 15.

Dionysius Periegetes, temporibus Augusti, scripsit Geographiam versibus hexametris Græcis, quæ hodiè extat: quod opus ἰσοβαρὲς κάλλιστον οἱ παλαιοὶ: ut ait Eust. Schol. Idem vixisse eum ait οὐχ ὑπὸ τῶν ὑπάτων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἀνάκτων, *non sub Consulibus sed sub Imperatoribus*, atque hoc ipsum de se scribere dicit, signat vero locum istum:

Ἐκ Διὸς Αὐσονίης ἀεὶ μέγα κοιρανέοντες.

Et imprimis versus istos,

Ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,
Μητέρα πασάων πόλεων, ἀφνειὸν ἔδεθλον.

Ubi Eust. monet, cùm dicit ἐμῶν ἀνάκτων, satis ostendere, non sub Consulibus se ista scribere, sed sub Imp. Quod verum est. Sed quo sub Imperatore, minus liquet. Antoninorum temporibus vixisse, censet C. Barthius *Advers.* 58. 5. atque eos per ἄνακτας intelligendos putat. Severi temporibus claruisse dicit Cl. Salmasius *in Solinum pag.* 628. Imò & Scaliger *Eusebianis Animadversionibus ad an.* 2215. ubi per suos ἄνακτας intelligere ait Severum cum filiis Getâ & Caracallâ, quos ipsos per *triplicem imperii virtutem* signat Tertull. *lib. de Pallio.* Sed si, quia ἄνακτας dicit, plures designantur, quid prohibet, ut Divos fratres M. Aurelium & L. Verum intelligamus? At multo antè vixisse putat Eust. nempe sub Nerone, imò Augusto, juxta quosdam: cujus etiam mentionem eidem facere videtur, cùm, postquam de Parthorum ferociâ dixisset, addit,

Αὐσονίῳ βασιλῆϊ ἐπεγνάμψαν αὐχένα.

Sanè Consules nunquam ἄνακτας vocasset. Quòd verò Parthos Ausonii domini hastâ coactos ferociam deposuisse ait, id optimè convenire Augusto, ostendit Tranquillus *in Augusto cap.* 21. Quod si quis, quia Eustath. dubitare videtur, Num sub Nerone, an Augusto floruerit, eo & ipse ambigat, sub utro vixerit: at omnem scrupulum tollit illis temporibus proximus Plinius Secundus, ex quo etiam patriam dicimus fuisse Alexandriam, non illam Ægypti aut Syriæ, sed op. Susianæ ad sinum Arab. inter Tigrim & Eulæum fin. quod ut sæpe nomen mutarit, idem Plinius refert. Adscribam ea solùm verba, quibus sub Augusto claruisse, atque Alexandriæ Susianæ natum esse cognoscimus. Locus est *Nat. Hist.* 6. 27. ubi cùm de eo Susianæ oppido egisset, subjungit ista: *Hoc in loco genitum esse Dionysium, terrarum orbis recentissimum auctorem, constat; quem ad commentanda omnia in Orientem præmisit Divus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas, Arabicasq. res, majore filio.* Quare omnino inanis est conjectura Suidæ, cùm Dionysium, si vulgata lectio vera est, Byzantium fuisse arbitratur, propter ea quæ de fluv. Rheba canit. Sunt verò hæc,

Ἀγχι δὲ Βιθυνοὶ λιπαρὴν χθόνα ναιετάουσι,
Ῥήβας ἔνθ' ἐρατεινὸν ἐπιπροΐησι ῥέεθρον,
Ῥήβας, ὃς Πόντοιο παρὰ στόμα τοῖσιν ὁδεύει,
Ῥήβας, οὗ κάλλιστον ἐπὶ χθονὶ σύρεται ὕδωρ.

Nimirum putavit Suidas, nisi Rhebas patrium solum interluisset, nunquam illustri adeò elogio fuisse dignaturum. Porro ex Eust. discimus, alia etiam huic Dionysio tribui solere, ut Λιθικὰ, Ὀρνιθιακὰ, Βασσαρικά. Ac idem Λιθιακὰ quidem Dionysii hujus esse agnoscit, propter similem stylum. Ὀρνιθιακὰ verò à doctioribus tribui dicit Dionysio Philadelphensi. Βασσαρικὰ verò, quia stylum habeant incultum, eo indigna esse visa ait, quæ Dionysii hujus crederentur, sed potius adscribenda esse Dionysio Samio. Cæterùm, præter hunc Dionysium περιηγητὴν, quem habemus, fuere etiam alii ejus nominis, qui similiter περιηγήσεις scripserunt. Unus Milesius fuit, qui Herodotô ipso antiquior est, de quo Vossius *de Hist. Gr.* 1. 2. V. supra. Alter, utrum Samius, an Rhodius fuerit, non satis constat. Rhodium vocat Tertull. *lib. de Animâ, cap.* 46. At Samium disertè appellat Eustathius. Vide infra.

Dionysius, Philadelphiâ oriundus, Dionysiaca seu res gestas Bacchi, scripsit, &c. Voss. *de H. G. l.* 2. *c.* 3. *p.* 174.

Dionysius Sylvestris, Campanus, Historiographus Henrici II. Galliæ R. Annales Nicolai Ægidii & historiam Froissardi correxit. P. Jovium Gall. transtulit, &c. Verderius *Biblioth. p.* 255.

Dionysius Simon Marquemontius, Parisinus Cardinalis. Arch. Lugdunensis, comes Perronii, in legatione Rom. Dein Sullerii, in Florentina, ubi Maria Medicæa Henrico IV. uxor conciliata, à Ludov. XIII. ad Urbanum VIII. missus, &c. Inter alia congregationem Doctorum instituit, singulis hebdomadibus, ubi de Diœceseos negotiis actum. Obiit Romæ Anno 1626. Morerius.

Dionysius Sulechatus, de renuntiatione bonorum, charitate, & perfectione amoris diversum ab aliis sentiens, condemnatus est, à Theologis Parif. an. 1369. Alios *Dionysios*, V. apud Suid. Gesner. Vignier. Simlerum, Vossium, &c. Addatur unus

Dionysius Thrax, patriâ Alexandrinus, sed *Rhodius* vulgò dictus, quia Rhodi habitaret. Strabo *lib.* 14. Aristarchi, qui Romæ, tempore Pompeii, docuit, discipulus fuit, variaque grammatica, & commentaria scripsit, teste Suidâ: inter ea historicum opus erat περὶ Ῥόδου, cujus meminit Steph. in Ταρσός. Vid. Clem. 1. *Strom.* Voss. *de Histor. Gr. libr.* 1. *cap.* 23. *& libr.* 2. *capite* 3. Gesner.

Diope, urbs Arcadiæ. Steph.

Diophanes, Mitylenæus Rhetor, Gracchi præceptor. Cic. *in Bruto.* Al. *Diophantus*, V. ibi.

Diophanes, Bithynicus, Uticensem Dionysium, Pœni Magonis librorum de Agriculturâ interpretem, per multa diffusum volumina, sex epitomis circumscripsit.

Diophantus, Archon Athenis, Olymp. 96. an. 2.

Diophantus Atheniensis, mercenariorum Nectanebo, Ægypti R. militantium è Græcia, Dux. Diod. *l.* 16.

Diophantus, Lacedæmonius, condidit libros Antiquitatum 14. teste Fulgentio *Mythol. lib.* 1. Agatharchides *de Rubro mari cap.* 31. auctor est, descripsisse eum terras Septentrioni subjectas. Ast alius est *Diophantus* Syracusanus, Philosophus Pythagoricus, cujus de mundi ortu sententiam adfert Theodoretus *Therapeut. lib.* 4. *qui est de Materiâ & Mundo*, Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. Alius est etiam *Diophantus* Alexandrinus, qui de Arithmetica scripsit, libros 13. Algebræ inventor. Horum, qui in Bibl. Vatic. Xylander 6. Latinè vertit, & notis illustravit. A' Johanne Patr. Hier. Pythagoræ comparatur, in vita Johannis Damasceni. Sub Antonino eum vixisse, Raph. Bombelius, & P. Billius in præf. Algebræ, asserentur. Vid. Blancan. *Chronol. Math. XI. sec.* 2. *J. C. pag.* 51. Regiomont. *præf. in Alg.* Voss. *de Scient. Mathemat. c.* 10. §. 3. *p.* 37. *& add. p.* 432.

Diophantus, Mitylenæus, Orator Gr. circa 156. Olymp. disertissimus sui temporis habitus. Præceptor Tiberii Gracchi, Cic. *in Bruto*, memoratus.

Diopithes, manibus ac pedibus captus, qui ab Aristophane *Equitibus* furti traducitur: Sodalis fuit Niciæ. Vide Schol. *p.* 351. C. At in Vesparum Fabulâ indigitatur furiosus Rhetor, qui fortasse is est, quem Phrynichus in scenam induxit. Amipsias in κόννῳ (barbâ) eum ut furentem & χρησμολόγον describit. Symmachus ipsum Rhetorem facit verè μανιώδη, ut in Amphictyonis ostendit Teleclides. De hoc *Diopithe* tradit Suidas, eum olim legem tulisse, ut damnas esset mortis, qui urbe egressus in Piræeo mansisset. Postea ipse Legislator, cùm serius adveniens coactus fuisset ibidem consistere, vocatus est in jus ab adversariis. Vide Aristophanis *Scholia in Aves p.* 589. *A.*

Diopœnus, nobilis sculptor Cretensis. Plin.

Diopolis, Armeniæ min. urbs à Pompejo Magno sic nominata, cùm prius *Cabira* vocaretur, postea verò Σεβαστὴ, sive *Augusta* dicta est. Strabo *lib.* 12.

Diorduli, Taprobanæ inf. pop. Ptol.

Diores, vir quem Turnus interfecit. Virg. *Æn.* 12.

Dioryctiços, nomen insulæ, i. e. continenti abscissa.

Dioryctus, locus Acarnaniæ 3. stadiorum longitudine, ubi Leucadia insula olim opere accolarum, à continenti fuit abscissa, eidemque reddita, ventorum flatu congeriem arenæ accumulantium. Plin. 4. 1.

Dios hieron, id est, *Jovis templum*, op. Joniæ inter Lebedum & Colophonem. Steph.

Dioscorides, Historicus, de Rep. Lacedæmoniorum scripsit, cujus secundum librum laudat Athen. *lib.* 4. Dubium verò, idemne, an alius sit, cujus epigrammata in Anthologiâ habentur: Item is, cujus mem. Apollonii Schol. *in lib.* 1. Is denique cujus νόμιμα citat Aristophanis Schol. *ad Aves*, nec non Suidas voce Σκυτάλη. Meminit quoque ejus Plut. *Lycurgo & Agesilao*. Vide & Voss. *de H. Gr. lib.* 3. *pag.* 359. *Dioscoridis* cujusdam ἀπομνημονεύματα advocat ad Solonis vitam tradendam Laertius *l.* 1.

Dioscorides, Antigoni ex fratre nepos. Vid. Diodorum Siculum *libr.* 19.

Dioscorides, Atheniensis, filius Dionysii, curator testamenti Theophrasti. Laert. *l.* 5.

Dioscorides Cyprius, unoculus, discipulus Timonis Pyrrhonii, vixit sub Ptol. Philadelpho. Laert. *l.* 9.

Dioscorides, Isocratis discipulus, versus quosdam aliter legendos esse censet apud Athen. *lib.* 1. Idem fortè, qui de Amphionis lyrâ egit, teste Apollonii Schol. *lib.* 1. Alius Astrologus, de quo Censorinus *cap.* 17. Alius, cum Serapione Ægyptio ad Achillem missus, interficitur, Cæsar *lib.* 3. *de bello Civili*. Alius sculptor Augusti coætaneus. Plin. 37. 1. Alius Apollonii Neapolitani pater, de quo Gruter. *Inscript. fol.* 86.

Dioscorides, Medicus Herophileus, cognomento *Phacas* vel *Lentinus*, à lente in facie, dictus fuit, mem. Galenus *præfat. Glossarum Hippocratis*. Idem fortè quem Alexandrinum appellat, *in Glossis ipsis ivδικῶν*. Vixit tempore Antonii & Cleopatræ, teste Suidâ. Scripsit de nominibus medicinarum, sicut & Mnesitheus, Andreas, Chrysaris, & Xenocrates, teste Galeno, *præf. gloss. Hippocr.* Voss. *de Phil. c.* 11. *§.* 40.

Dioscorides Pedacius, Anazarbeus, ab Alexandrino distinctus, teste Galeno *locis citt.* Scripsit de materiâ medicâ, & Alexipharmacis, quæ etiamnum supersunt. Vixit ætate Neronis, quod ipse indicat, dum *præfatione librorum de re medicâ*, Licinii Bassi se æqualem esse dicit. Atqui Licinius ille Bassus consul fuit, cum Crasso Frugi sub Nerone A. U. C. 816. teste Frontino de Aquæductibus. Vide Galen. *præf. lib.* 6. *simpl. medicam. & lib.* 4. *de Comp. med.* Photium *Bibl. Cod.* 178. P. Castellanum, *de Medicis Ill.* Jonsium *de Script. Hist. Phil. pag.* 146. Morerius *diction. hist.* Dioscoridem Olymp. 186. vixisse, Antonii Cleopatræque Medicum, refert. Sed id priori convenit.

Dioscoridis Ins. *Zocotora*, in Afr. in mari Azanio, ubi desinit Erythræum. 100. circiter mill. à prom. Aromatum in Ort. Longa est 80. mill. Lata 60. Sub proprio Principe. Hic aloës ingens copia. Ei adjacet altera Ins. minor, dicta *Abbadal Curia* ab incolis, sed parvi momenti. Vid. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

Dioscoron, ins. in finibus Italiæ, è regione Lacinii promontorii. Plin.

Dioscorum, vicus in Libyâ, ubi Dioscuri Paridem consecuti sororem Helenam rapuerunt. Steph.

Dioscorus, I. Patr. Alexandrinus, Eutychianos errores secutus, Ephesi synodo *Lystrica* dictâ, *Anno* 449. condemnavit Flavianum, Episc. Constantinopol. *ibi calcibus occisum: Alexandriam* reversus, excommunicavit, Leonem Episc. R. à Synodo Chalcedonensi 600. Episcoporum damnatus, A. D. 453. & in Paphlagoniam relegatus, ibi miserè obiit. Theodoret. *ep.* 86. *ad Flavian.* Niceph. *lib.* 14. *cap.* 47. &c. Morerius.

Dioscorus II. cognom. *Junior*, post Johannem Machiotam, Patr. Alexandrinus, Anno 517. hæreticus hæretico successit. Excitatâ à populo seditione, in quâ multi occisi, quòd electio non esset pro more, ab Episcopis, Clero & Populo peracta, nihilominus sedem tenuit, usque ad annum 519. Liberatus *Brev. c.* 19.

Dioscorus, Antipapa, Bonifacio II. oppositus, Anno 530. Athenaricum defensorem habuit, sed paulò pòst mortuus, à Bonifacio excommunicatus, ob Simoniam, hujus verò successore Agapeto, absolutus est. Eum ab Hormisda P. ad Justinianum missum autumat Baronius A. C. 530. Anastas. *in Agapeto*. Justinian. *edict. Johann. I.*

Dioscorus consul, coll. Eudoxii an. U. C. 1195. Item martyr, sub Decio apud Alexandriam A. D. 251. Denique nomen mensis. 3. Mach. 11.

Dioscuri, à Græcis dicuntur *Castor & Pollux*, quos antiquitas credidit salutares esse navigantibus, si Gemini apparerent (apparent autem ignis specie antennæ aut malo insidentes) contrà tristes, si singuli. Dioscuri apud Græcos, inquit Cic. 3. *de Nat. D.* multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex rege Jove antiquissimo & Proserpinâ nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysius. Secundi Jove tertio nati ex Ledâ, Castor & Pollux. Tertii dicuntur à nonnullis Aleo, Melampus & Emolus, Arei filii, qui Pelope natus fuit.

Dioscurias, quæ & Σεβαστόπολις Ptolemæo ac Arriano, Colchidis ad ostia Coraxi urbs, ubi Ponti Euxini intimus recessus, inter Phasianum mare & Caucaseum, prope pop. Abascios, 9. mill. ab ostiis Phasidis flu. in Bor. sed ante paucos annos aquis absorpta est. Erat autem Episc. Baudrand. quondam *Æa* dicta, Steph. Plinio tamen hæ diversæ sunt. Habet & Stephanus quoque eodem tractu *Æam* aliam à Dioscuriade: *Savoropoli* Castaldo, *Sevastopoli* Jos. Barbato. Item una ex Leucis insulis in Africa. Est etiam insula in mari Rubro. Steph. Et Italiæ promontorium. Diod. Sic.

Diospage, Mesopotamiæ op. in campestribus situm. Plin. 6. 26.

Diospolis, Ægypti civitas, quæ olim Hecatompylos. Plin. *l.* 5. *cap.* 9. Strab. *lib.* 17. Steph. Sunt & aliæ quatuor in Ægypto præter hanc pusillæ civitates, item in Lydiâ & Palæstinâ. Apud Stephanum Arabiæ civitas est, postea *Berytus* dicta. Item Bithyniæ urbs ad Pontum. Ptol. *Chio* Nigro dicitur. *Port de Hassio* Theveto. Baudrando, prope Heracleam Ponti, juxta Sinum Meriandinum. 30. mill. ab ostiis Sangari fluv. in Bor.

Diospolis, quibusdam Lydda, vel S. Georg. aliis Rama, urbs episc. Palæstinæ, sub Patr. Hierosolymitano, *Miræus*, *Geogr. Eccl.* Hic Concilium, an. 415. contra Pelagium, qui ibi præsulibus tam ingeniosè imposuit, ut absolutus discesserit. Adde, quòd nec accusatores ejus comparuerint, nec Patres, qui Latinæ linguæ rudes erant, propositiones ex illius libris extractas, satis dextrè intellexerint. Hinc infelix hic cœtus dictus, Hieron. *ep.* 74. *ad Aug. & Alip.* Vid. August. *l. Retract.* 2. *cap.* 47. *lib.* 1. *c. Julian. cap.* 5. *&c.*

Diostecnosia, fons in Andro ins. qui quotannis Nonis Jan. vini sapore fluit. Plin. 2. 103.

Diotime, mulier philosophiæ sectatrix, cujus lectionibus interesse non erubescebat Socrates. Plato *in Sympos.*

Diotimus, Archon Athenis, Olymp. 106. an. 3.

Diotimus, Atheniensis, qui cognominabatur *Chone*. Cæl. Rhodig. *l.* 29. *c.* 1.

Diotimus, Navarchus Atheniensis, rei nauticæ peritiâ celeber, utpote ingenio plurimas de Lacedæmoniis victorias in mari consecutus: de quo Vide Polyæn. *lib.* 5.

Diotrephes, vir pessimus, φιλοπρωτεύων, uti testatur B. Joannes epistolâ tertiâ, *versu* 9. & 10.

Dioxippus, Athen. poeta Comicus, cujus fabulas commemorat Suidas. Vide Voss. *de Hist. Gr. pag.* 359. Item nobilis Athleta. Plin. Item Alex. Magni miles, mirâ fortitudine, provocatus à Corrago (quem Horratum vocat Curtius) milite item Macedonico, clavâ cum occidit. Ælianus & Curt. *lib.* 8. Item Medicus, A Gell. *l.* 17. *c.* 11. laudatus.

Dipæa, urbs Arcadiæ. Steph.

Diphilas, tertius ex iis, quos Lacedæmonii Rhodum, ad extinguendos eos, qui factionis erant Atheniensium, miserunt. Diodor. *lib.* 14.

Diphilus, Atheniensis Imp. An. U. C. 311. Item architectus in perducendis ad finem operibus tardissimus, adeò ut locum fecerit proverbio, *Diphilo tardior*. Cic. *ad Qu. fratrem l.* 3.

Diphilus Sinopensis, Comicus paulo junior Menandro. Vide Voss. *de Poet. Gr. cap.* 8. *pag.* 60. 61. nec non *de historicis Græcis l.* 3. *pag.* 360.

Diphri, urbs Phœnicum. Steph.

Dipnias, urbs Thessaliæ circa Larissam, ubi ajunt Apollinem primùm esse pransum, cùm ex Tempe purgatus rediit. Steph.

Dipœna, Arcadiæ op. Pausan.

Dipœnus, & *Scyllis*, marmore sculpendo primi omnium inclaruerunt. Hi Sicyonem se contulere, quæ diu fuit officinarum omnium metallorum patria. Plin. 36. 4.

Dipolis, Lemnos vocatur, habet enim in se Hephæstiam & Myrinam. Item civitas Emporiensibus vicina, quam murus divìdit, quosdam ex Indigetibus inquilinis prope se habens, qui etsi per se suam agerent Remp. communia tamen habere mœnia cum Græcis tutelæ gratiâ voluerunt, Strabo *lib.* 3. cujus verba ab hujus Lexici compilatore malè sunt concepta. Nihil enim aliud sibi voluit Strabo, quum de Emporio dixit, Δίπολις δ' ἐςί, quàm quod Livius dicit, Emporias duo fuisse opida muro divisa. Vide Casaub. *ad locum*.

Dipotamum, vulgò *Mesanacta*, Turcicè *Dipnanos*, Leuncl. castrum Phrygiæ. Cedren.

Dippo, Hisp. urbs inter Cordubam & Emeritam. Ant.

Dipsas, *adis*, lena, quam Ovidius insectatur, quòd puellam suam meretriciâ arte instrueret. Locus est, *libro* 1. *Amorum Eleg.* 8.

Est quadam (quicunq; velit cognoscere lenam,
Audiat) est quadam nomine Dipsas anus.
Ex re nomen habet; nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

Item *Dipsas* serpentis genus; Lucan. *lib.* 9.

—— In mediis sitiebant Dipsades undis.

Dipsas, *santis*, fluv. Ciliciæ ex Tauro profluens. Lucanus *l.* 8.

—— Taurosq; videt Dipsanta cadentem.

Dipson, Arabiæ locus montibus asper, & aquarum inops, unde hoc nomen traxit. Plin. 6. 29.

Dira, Æthiopiæ sub Ægypto urbs in Nili ripâ. Plin.

Dirades, pars tribûs Leontidis à *Dirade* quodam dicta. Stephanus.

Diradiotes, Apollo dictus est, à *Dirâ* loco, ubi vaticinabatur. Dabat ibi mulier oraculum, sed prius eam viri concubitu abstinuisse oportuit. Singulis autem mensibus agnum noctu immolabat, cujus sanguinem cùm epotaret, repentè Dei numine afflari credebatur. Pausan.

Dira,

Diræ, quasi *Deorum iræ*, Acherontis & Noctis filiæ, animorum sibi malè consciorum exagitatrices. Virgilius,

—— *Ultricesq; sedent in limine Diræ.*

Servius *in illud Æn.* 12.

Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ,
Quas & Tartaream Nox intempesta Megæram
Uno eodemq; tulit partu, paribusq; revinxit
Serpentum spiris. —— ——

Diras easdem facit cum Furiis, & in cœlo Diras quidem vocari ait, in terris Furias, & Eumenides, apud inferos autem Stygias canes.

Dirba, locus Scythiæ, in quo Teos civitas est, si rectè legitur apud Stephanum *Τέως*.

Dirce, Lyci Thebarum regis uxor, quam ille, repudiatâ Antiope, duxerat, quæ cùm Antiopen gravidam esse animadverteret (nam post repudium, à Jove compressa fuerat) suspicata virum suum clam cùm illâ consuescere, in vincula eam conjecit. Verùm instante jam partûs tempore, Jovis miseratione vinculis soluta, in Cithæronem montem confugit, ubi Amphionem & Zethum gemellos peperit, qui postea Lycum interfecerunt, Dircen verò caudæ indomiti tauri alligarunt, quæ diu ita per terram raptata tandem Deorum commiseratione in sui nominis fontem conversa est, non procul à Thebis. Prop. *l.* 3.

Tu reddis pueris matrem, puerìq; trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.

Cadmæa Dirce, Lucano dicitur *lib.* 3. Cujus nomen (inquit Bochartus) palam factum est ex Arabico זרקא *zirca* vel *zarca*, permutatione literarum *z.* & *d.* quod *cærulum* sonat, quod ipsissimum Dirces epitheton est apud Statium *l.* 1. *Theb.*

Cærula cùm rubuit Lernæo sanguine Dirce.

Hinc Ælianus Varro *lib.* 12. 57. Δίρκη καθαρῷ καὶ ἡδεῖ ῥέουσα ὕδατι, *Dirce purâ ac dulci aquâ fluens*; Et *in Euripidis Phœnissis*, eidem tribuitur καλλιπόταμος νοτίς, id est, *pulchriflum humor.* Hinc *Amphion Dircæus* pro Thebano apud Virg. & *Cygnus Dircæus* pro Pindaro *apud Horat.* Lucan. *lib.* 4.

—— *Sic semine Cadmi*
Emicuit Dircæa cohors, ceciditq; suorum
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen.

Claudianus *lib.* 1. *de Raptu Pros.*

—— *Dircæis qualis in arvis*
Messis cùm proprio mox bellatura colono
Cognatos strinxit gladios, cùm semine jacto
Terrigenæ galeâ matrem nascente ferirent,
Armiger & viridi floreret milite sulcus.

Dirce, de forma cum Pallade contendens, in piscem mutata est. Ovid. *Metamorph. lib.* 4.

Dircenna, fons Hispaniæ gelidissimus non procul à Bilbili. Mart. *lib.* 1.

Avidam rigens Dircenna placabit sitim.

Dirchovia, vulgò *Dirschovv*, opp. Poloniæ, in Prussia reg. ad Vistulam fluv. 3. leuc. Pol. à Mariæburgo in Occ. 6. à Gedano in Mer. Polonicè etiam *Tscozovv*; Aliàs munitum. Quibusdam est Dirsavia.

Dire, promunt. & urbs ejusdem nominis juxta Æthiopiam. Steph. Item civitas Atheniensium socia. Idem.

Dirgus, vulgò *Lough Dirgh*, lacus Hiberniæ, in Ultonia & Comitatu Dungalensi. In ejus Ins. est locus dictus *S. Patricii Purgatorium*: de quo mira indigenæ narrant.

Dirini, pop. in 2. reg. Italiæ. Plin. 3. 11.

Diris, mons Mauritaniæ, quem propter altitudinem *cœli columnam* vocaverunt. Ex eventu ab Atlante rege in eum mutato *Atlas* nunc vocatur.

Dirphys, mons Eubœæ, ubi *Dirphya* Juno colitur, ut apud Steph. videre est.

Dis, Jovis & Neptuni frater, Inferorum Deus, qui & Pluto, utroque nomine à *divitiis* deducto, quæ ab *inferis*, hoc est, ex intimis terræ visceribus eruuntur. Vid. Vossii *Theolog. Gentil.* Item *Dis*, qui & Samothes, Noe filius primus omnium Celticas colonias fundavit. Cæs. *de B. G. lib.* 6. Tacit. *de mor. Germ.*

Disan, vel *Dishan*, fil. Seir Horræi, Gen. 36. id est, *trituratio* sive *pinguedo*, vel *cinis, dens*, vel *ebur abundans*.

Discera, natio in Cyrene, quam Corn. Balbus cum plerisque aliis duxit in triumpho. Plin. 5. 5.

Discordia, à pagana antiquitate Dea existimata fuit, eamque formavit in formam Furiæ. Describitur à Virgilio & Petronio Arbitro *in Satyrico*, ubi de bellis civ. Cæsaris & Pompeii:

Intremuère tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput, hujus in ore
Concretus sanguis, confusaq; lumina flebant:
Stabant irati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atq; inter toto laceratam pectora vestem
Sanguineâ tremulam quatiebat lampada dextrâ.

Disora, pop. Thraciæ. Steph.

Dispargum, seu *Disporum*, Urbs Tencterorum, ad Rhenum. Quibusdam est *Duysbourg*: Aliis *Dusseldorp*, urbs Ducatus Bergensis prim. in Germ.

Dispersæ Ins. à Johanne Lusitaniæ R. occupatæ, A. C. 1415. Mariana *de rebus Hisp.*

Dista, Ariæ reg. op. Ptol.

Districtus, est quidquid loci, in quo *distringendi* quis potestatem habet: ut Comitatus Comitis; territorium, Civitatis; Mancrium, domini feodalis, &c. Dicitur autem *distringere* dominus in feudo, Magistratus in territorio, cùm bona, ceu pignus & vadem, alicujus prendit, ut sic eum ad debitum quidpiam præstandum coërceat: puta ad apparendum in Curia; mulctam solvendum, servitium exhibendum, & ejusmodi. Vid. Henric. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Dithmarsia, sive *Dietmarsia*, provincia Daniæ, nomen habens à paludibus, quæ in ea frequentes sunt: sita est in ipso Cimbricæ Chersonesi introitu, ad Albis fluvii ostia, separaturque à Dania flumine Eydero. Inferiori Saxoniæ adcensetur, etiamsi nunc Daniæ regum Imperio subsit, quorum Filius primogenitus hîc ex lege habitat. Bertius. Hujus incolas, qui Holsatorum imperio se eximebant, debellaturus Johannes Rex maximâ ab iis clade affectus est: periit enim Holsaticæ nobilitatis flos, Rexque ipse vix evasit, à paucis agrestibus victus. A. C. 1500. Chytræus *par.* 1. *Sax.* Postea verò, auspiciis Friderici II. duce Adolpho Holsato, triplici prœlio superatis Ditmarsis ademta est barbara libertas, quam 400. annis tuiti sunt, illique sub jugum redacti, Anno Chr. 1559. Idem.

Dithyrambus, Bacchi apud Græcos cognomen, quod ei datum volunt, vel quòd in antro διθύρῳ seu bifori nutritus fuerit, vel quòd bis natus binas fores transierit, alvum matris videlicet, & femur Jovis, ut in fabulis est; cui originationi tamen quantitas syllabæ repugnat; nam vocula δι, binarium numerum, seu reiterationem denotans, primam semper corripit, quæ contrà in *Dithyrambus* producitur. Hinc *Dithyrambus*, hymni genus dicebatur, quod Baccho cani solebat. Nam quòd à quodam Thebano, qui item Dithyrambus dictus fuerit, idque invenerit, dictum volunt nonnulli, approbari satis non potest. Nam si ita se habuisset res, Pindarus certè inter cæteras laudes patriæ suæ hoc inventum non tacuisset, quin vel magnificè extulisset. Nunc verò tantùm abest, ut unquam meminerit, ut laudem & inventionem Dithyramborum potius Corinthiis disertè ascribat. Erat autem hoc carminis genus ita compositum, ut inventione, dictione, & numeris à castigatâ ratione abiret longius, & miram licentiam, audaciamque cum tumore quodam referret, ut non tam à sanis & sobriis, quàm furore Bacchico concitatis scriptum videretur, naturamque Dei, cujus honori dedicatum erat, imitaretur. Inde Horat. 4. 2.

Seu per audaces nova Dithyrambos
Verba devolvit. —— ——

Bene *audaces*, propter τὸ ὕψος. Galenus mem. *l.* 1. *Therapeuticæ methodi* τινὸς μελοποιοῦ κατὰ Πίνδαρον ἄσαντος ὑψηλῶς ἐν διθυράμβοις πάλαι τὸν Διόνυσον. Ὕψος verò illud in licentiâ & audaciâ rerum ac verborum. Rerum, qui Dithyrambici περὶ μετεώρων καὶ τῶν νεφελῶν λέγουσι πολλὰ, teste Suida in Διθυραμβοδιδάσκαλοι. Verborum autem, quia σύνθετοι eorum καὶ πολυπλόκοι λέξεις, *juncta & contortuplicata verba.* Interpres Aristoph. *in Nebul.* Quemadmodum & Demetrius Phalereus *lib. de Interpr.* juncturam verbi audacem vocavit διθυραμβώδη διπλωσιν. Et ille apud Suidam in Διθύραμβος: λόγου ἰδέα διθυραμβώδης καὶ φλεγμαίνουσα ποιητικοῖς ὀνόμασι. Hinc & Cicer. 3. *de Orat. Licentior, & divitior Dithyrambus.* Huc facit Epicharmi versus in Philoctete apud Athenæum *lib.* 14.

Οὐκ ἔστι Διθύραμβος, ἂν ὕδωρ πίνῃ.

Vide Scal. *Poet.* 1. 44. Schottum *ad Chrestomathiam Procli*, virumque eruditiss. Erasmum Schmidhium *peculiari diatribe de Dithyrambis*, quam Pindari commentario subjunxit.

Ditiones, Dalmatiæ populi. Plin.

Ditmarus, Vid. *Diethmarus.*

Dittani, pop. Hisp. Celtiberis ab Austro proximi. Strab.

Ditylas, nomen servile. Aristoph. *Ranis, Act.* 2. *sc.* 6.

Diu, vel *Diva*, Ins. Indiæ, post Ormuzium celeberrima, prope sinum Cambajæ, ubi in Oceanum se Indus exonerat. Vix leucæ longitudine, latitudine adhuc minor. Osor. *lib.* 9. Maffæus *lib.* 11. & 15. Frustra obsessa à Turcis, Anno 1538. & 1546. Goez. *tom.* 2. *rerum Hisp.* V. *Dium.*

Diva, olim *Deva*, vulgò *Dive*, fluv. Galliæ, in Neustria, memoratus Orderico Vitali *Hist. lib.* 5. Lexovios à Bajocassibus dividens, alluit Cambovium *Chamboy*, & Thronum *Trun*, Burgum Divæ *S. Pierre sur Dive*, municipium S. Barbaræ *S. Barbe en Auge*, Pontem Divæ, & habet ad ostium locum sui nominis, Monasterio vet. illustrem, in Algia, *S.* Salvatoris ad Divam, vulgò *S. Sauveur de Dive*, portum exiguum ad mare. Reperiuntur & Devæ vett. urbes in ins. Britannia, Gallicis coloniis plenâ. Est etiam in Vardulia regione Hisp. Tarrac. fluv. *Deva* Mellæ & Ptolomæo notus: qui Tritium Toboricum i. Nageram attingit & non procul à Deva opp. in eundem, cum Diva hac Normannica, Oceanum effluit. Item fluv. in Toëdum effluens, in confinio

confinio Pictonum & Andicavorum, postquam Moncontorium alluit. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Diva, Albionis inf. fluv. in Scotiâ, per oram ad ortum fluens, & in mare ad Aberdoniam urbem desinens, vulgò *Dee.*

Divana leg. XX. victrix. Vid. *Devana.*

Diudurum, urbs 15. m. p. à Lutetiâ distans. Anton.

Divico Helvetius, Princeps legationis ad Cæsarem missus. Cæs. I. *Comment. cap.* 13.

Divio, urbs celeberrima & metropolis Burgundiæ ducatus, qu. *Diviopolis*, ut quidam volunt, id est, *Divorum*, seu *Deorum civitas.* Hanc olim Hedui, seu Sequani occupabant, vulgò *Dijon.* long. 26. 02. lat. 46. 50. Baudr. urbs aliàs Lingonum, nunc Burg. caput, & Parlamenti à Lud. XII instituti sedes, ad fluv. Oscaram *Ouche*, qui postea in Ararim se exonerat. Ampla cum castro munito, 14. leuc. ab Augustoduno in Cæc. totidem à Lingonibus in Austr. Hanc Aurelianus, destructâ arce *Burgus Deorum* dictâ, Deorum iram veritus, matris fatidicæ consilio, condidisse dicitur. Morer. Valesio non extructa quidem, novis tamen mœnibus turritis, ab Aureliano Imp. cincta templisque ornata est. Vid. Vopisc. Gregor. Tur. qui urbis situm graphicè describit *Histor. lib.* 3. *cap.* 19. Aimonium *lib.* 2. *cap.* 24. Aucta dein & amplius exornata est, ab Hugonis Capeti liberis, qui priscis ducibus Burg. succedentes, hic sedem fixerunt, ob id *Duces Divionenses* sæpe tum dicti. Plurimis Principibus in locum sepulturæ placuit, uti inter alios cuidam Poloniæ R. Abbatiis compluribus, egregiisque tum sacris tum prophanis ædificiis, inclyta. In marmore Rom. haud pridem effosso memorantur fabrii ferrarii DIBIONE CONSISTENTES. Olim sub Comitibus, etiam Ducum Burg. tempore: à Ludov. XI. arcem accepit, ut urbem Provinciamque in obsequio teneret, quæ ultimo Duce mortuo in ejus tutelam, operâ Johannis Cabill. Principiis Orangii, &c. se credidit. Præterito seculo Evangelii lux ei affulgere cœpit, sed Anno 1562. regio edicto, Reform. religionis exercitium inhibitum est, cultoribus exarmatis, & ex parte pulsis. Pagi cognominis vulgò *le Dijonnois* caput est, videturque à fontibus istis pretiosis, quos circa se habebat, potiùs nomen accepisse. *Diu* enim Gallis fontem fuisse, indicant nomina, Divodurum, Divio & Divona, Cadurcorum caput, ac Divona fons Burdigalensis, de quo Ausonius:

Divona Celtarum linguâ fons addite Divis.

Certè est Divione fons, qui oppidum irrigat, & in Oscaram defluit, vulgò *la fontaine des Raines*, i. fons Ranarum dictus. Oscara autem pago Oscarensi seu Comitatui Uscariensi, priscis sæpe memorato, nomen dedit & augetur Susione rivo vel amniculo, *Notit. Gall.* Prope urbem duo montes sunt parvi, celebres, alter munimento *de Talan*, alter arce & vico Fontium, loco natali S. Bernardi. Belleforest. Pasquier. Guaguin. *hist. Fr.* Merula *Geogr.* P. de S. Juliano, *Ant. Burg.* Chenius, *de Urb. l.* 6. *cap.* 2. *& Hist. Burg.* Chassanæus, Jod. Sincerus, &c. Hic Concilium, Anno 1075. contra Simoniacos, Labbæus *tom.* 1. *Bibl. Mscr. pag.* 196. Anno 1196. ob Isemburgen Danicam, uxorem Philippi Augusti, quam, Mariâ Agnete, Berchtoldi Meraniæ D. filiâ ductâ, repudiaverat, &c. Vid. Rigord. & Guil. Britonem, *in Phil. Aug.* Belleforest. *lib.* 3. *cap.* 69. Innocent. III. *lib.* 1. *ep.* 4. 171. 346. 347. *& lib.* 2. *ep.* 186. Roger. Morerium, &c.

Divipotes, Dei, quos, ut Varro scribit, Augurum libri scriptos habent, sunt pro his, quos Samothraces vocabant, Θεοὶ δυνατοὶ, vel ut Latini codices habent, *Theadinatæ* hæc duo, cœlum & Terra, anima & corpus, humidum & frigidum.

Divitenses & *Divitense* monim. *Tuitium* Ruperto Abbati loci, *Deutsch*, pag. Germ. inf. cum cœnobio ad Rhenum, ex adverso Coloniæ Agrippinæ. Ferrar.

Divitiacus, Æduus, hospes & laudator Ciceronis & Cottæ, Principatum in civitate suâ obtinuit, cui Cæsar ex aliis Gallis maximam fidem habebat, Romanorum adventu, in antiquum locum gratiæ atque honoris restitutus est. Ejus summum erat in Populum Romanum studium. Itaque ipsius suasu Cæsar de Galliâ occupandâ consilium sumpsit. Meminit ejus Cic. I. *de Divinat.* Naturæ rationem is sibi notam esse profitebatur, & partim auguriis, partim conjecturâ, quæ essent futura, dicebat, Idem.

Dium, vel *Diu*, Insula parva, distat à flumine Indo 70. milliaribus ac Terræ firmæ adjacet, olim Regi Cambaiæ paruit: in regno enim illius jacet: Cum Urbe cognom. permunita & marit. Portus huic urbi est commodissimus, ac frequentiâ mercatorum nobilis. Pauci fructus. Urbs opportunitate situs inter Cambajam & Sindam, ditissimas regiones, celebratur. Optimum hîc & lucrosissimum Regi Portugalliæ vectigal solvitur. Civitas à Lusitanis habitatur, admixtis incolis. Insula plena est & fœcunda rerum necessariarum. Incolæ carnem fumo indurant, quæ viatoribus ad sustentationem est commodissima, Natal. Metel. 60. leuc. distat urbs à Surata in Occ. ad fauces sinus Cambaiæ, sub Lusitan. à 152. annis circiter. Baudr. V. *Diu.*

Dium, urbs Maced. ad ostia Milis amnis, in ora littor. sinus Thermaici, 15. mill. à Pydna in Austr. Aliàs probè munita. Incolæ *Dienses* dicti. Est & prom. Cretæ, apud Cyteum urb. *Capo Fraschea* vulgò, in ora Bor. Vid. *Dion.*

Divodorum, Ptol. à Gallis dictum, quasi *Aqua fontis*, Gallicâ enim linguâ *Dur* vel *Durum* aquam olim sonuit: vel à Belgis, quasi *Divina aqua*, vel *Sacrum ostium*, ad os quippe Saliæ positum, fluvii sale & salinis suis, quæ olim inter summa Deorum beneficia Galli Germanique numerabant, inclyti. Urbs quondam clarissima & maxima Austrasiæ, nunc Lotharingiæ metropolis, alio nomine *Mediomatrici* à gente, cujus caput fuerat. Item *Mettis*, quo nomine ante A. C. 400. dici cœpit, in Not. vett. in prov. Belgica prima secundo loco numerata. Huc Augustoduno translati Gynecæi, in Not. Imp. & inter legiones Pseudo Comitatenses, intra Gallias, *prima Flaviæ Metis*, mentio fit. Habuit olim stante Imperio Amphitheatrum extramuranum, & Palatium, fuit enim sedes Regum Austrasiorum undecim, quos vulgò *Mettenses* vocant, à morte Chlodovei M. ad obitum Dagoberti jun. per annos circiter 170. Vid. Greg. Turon. *Hist. Fr. lib.* 8. *cap.* 36. Walafridum Strabonem *in vita S. Galli*, &c. Eadem fuit & Lotharii & Zuventibaldi Regum, qui regnum Lotharii obtinuere, regia. Episcopalis est, fueruntque olim quidam Præsules ejus Archiepiscopi vocati, quòd more Archiepiscoporum seu Metropolitanorum Antistitum Pallium tulerint, ab Urbicio 15. Antistite, non jure sedis suæ, sed merito ac dignatione personatum. Vulgò *Mets en Lorraine.* Baudrando Urbs ampla & dives, intra fines Lotharingiæ comprehensa, sita ad Mosellam fluv. ubi recipit Selnam vel Saliam, 10. leuc. à Viroduno in Ort. 11. à Tullo in Bor. 5. à Theodonis villa in Austr. sub Galliæ R. ab Anno 1552. cùm antea libera esset civitas. Artem habet validam, habuitque, ut dictum, Reges proprios, sub prima stirpe Franciæ Regum. Nunc Parlamenti sedes est in hoc tractu. Regio adjacens, Metensis tractus, *le païs Messin*, Germ. *Metingovv*, non Ornam modò fluv. sed etiam Alsuntiam, quem Ausonius Alisontiam *Alsitz* vocat, olim attigit, cùm Lucilliburgum castrum in eo collocet Sigifridus Comes *in litt. A. C.* 963. Ejus pars inter Mosellam & Saliam, à situ appellatur Insula, *Lisle de Mets*: pars trans & ad Mosellam, Vallis Mettensis *le Val de Mets*: pars denique inter amnes Saliam & Nitam *le Nied*, Salinensis ager *le Saunois.* Brouverius *Metingouvam* Arduennensi pago ac Luciliburgensi Ducatu, atque valle Alsontiensi, quam Alsontia Luciliburgensis fluviolus irrigat, terminari ait. In Numidia etiam civitas *Meta* fuit, sedes Episcopatûs. Vide Vict. Uticensem *de persec. Afric. lib.* 4 & Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Alii *Divodorum* Theonis villam, vulgò *Theonville* esse putant.

Divona, aliis *Duiona*, fons Burdigalæ Urb.

Diur, Maurit. Tingit. fluv. Ptol. vulgò *Teculet.*

Dius, historicus, de rebus Phœnicum conscripsit. Eâ ex historiâ fragmentum, de Solomone & Hiramo, conservavit nobis Flavius Josephus *lib.* 1. *contra Ap.* Item 27. Hierosolymorum Episcopus A. D. 205. cui Germanion successit. Euseb. *Chron.*

Dixmuda, opp. munitum Flandriæ, in regiunc. *Franconatu* ad Iperlam fluv. medium fermè inter Ipras & Ostendam, sub Hisp. 3. leuc. à Novoportu in Austr. Ipras versus, in ipso limite dit. Francicæ.

Diyllus Atheniensis, historicus, libris 27. complexus est, post bellum sacrum, illustres per Græciam ac Siciliam res. V. infra.

Diyllus, histor. Atheniensis, orsus, unde Ephorus finiit, usque ad finem regni Philippi Macedonis. Diodor. *l.* 16. Athen. *l.* 13. &c. Vide sis Voss. *de Hist. Gr. pag.* 360. Item statuarius, cujus opera commemorat Pausanias *in Phocicis.*

Dizerus, urbs Illyriæ, ἀπὸ τοῦ δίζεσθαι τὴν Μήδειαν, quòd illic quæsita sit Medea. Steph.

Dizoatra, Armeniæ min. op. Ptol.

D O.

Doanus, Indiæ flu. extra Gangem. Ptol. *Doani* populi ibidem.

Dobera, Thraciæ pop. Herodotus.

Doberus, urbs Pæoniæ Steph. Ferrario urbs Maced. intra montes, in Pannon. seu Mysiæ confinio, quæ *Deborus* Ptolemæo dici videtur.

Dobrinum, vulgò *Dobricinum* & *Dobrizinum*, opp. Pol. maj. Dobriniensis terræ caput, in Palatinatu Plocensi, in scopulo, ad Vistulam fluv. medium inter Plociam & Vladislaviam.

Dobuni, Angliæ pop. versus Sabrinam fluv. & fontes Tamesis. Baudr. quorum urbs Ptolemæo *Corinium* dicitur. Regio eorum nunc est *Gloucestershhire*, & pars Comit. *Oxfordshire.*

Doch, arx supra Jericho, in edito monte, in tribu Ephraim.

Dochi, Æthiopiæ sub Ægypto pop. Plin. Habebant ad Or. Catieuchlanos, ad Bor. Cornavios, ad Occ. Siluros, ad Austr. Belgas & Atrebates. Baudr.

Docimaeum, urbs Phrygiæ magnæ. Steph. ad fontes Hermi & Sangarii flu. 40. mill. à Sinnada in Circ. 30. ab Eucarpia. Baudrandus.

Docimus, videtur nomen fuisse illius Tarentini, quem Philippus Amyntæ fil. militari dignitate exutum castris exegit, quòd calidis lavacris usus fuerat. Polyænus *lib.* 4. Ejus quoque mentio *in Antigono.*

Docirava,

Docirava, Lazio *Rana*, opp. Hung. super. propè fontes Tibisci, versùs montes Carpathos. Aliis est *Zatmarbania*, opp. Transylv. ad fluvium *Zeusch*, versùs montes, in ipso limite Hung. vix 5. leuc. Germ. à *Rena* in Austr. 13. à Claudiop. in Bor.

Doclea, Dalmatiæ urbs, hodie *Antivari*. Pop. *Docleata*. Plin. *l.3.c.22.* *Medon* Nigro, opp. ejusdem tractus dicitur. Sansoni est *Cataro*, ad Rhyzonicum sin.

Docreus Johannes, scripsit an. 319. de S. Dionysio, Possevin. *appar. sacr.*

Doctor, pro eo, qui hoc gradu in Academia insignitur, vide *Magister*, & B. Rhenan. *in suis ad Tertull. in præfat.* qui dicit, quòd cum liber sententiarum Petri Lombardi Episcop. Parisiens. primùm ederetur, circa annum Chr. 1140. hi qui eum publicè legebant, *Doctores* primùm appellati sint. S. Bedam primum Cantabrigiæ, & S. Joh. Beverlacensem, qui obiit an. Chr. 721. Oxonii primum *Doctorem* quidam suggerunt, sed Spelmannus illos rejicit; qui insuper affert ex libro Stat. Universitatis Oxoniensis, Statutum an. Chr. 1384. promulgatum, quo *Doctores* Medicinalis sententiæ Juris Civilis Doctoribus præferuntur, regnante Richardo. *Doctores* à Magistris distingui cœperunt, tempore Lotharii Imp. Apud Anglos *Doctoris* nomen & gradus, sub ævo Johannis R. innotuisse circa an. Chr. 1207. videtur. Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.*

Doctrina Christiana, congregatio religiosa, in Commun. Rom. cujus scopus, Catechizare populum. Vide Morerium, *in Diction. histor.*

Dodan, i. e. *dilectio*, aut *mamilla* ejus, vel *patruus ejus*, nomen viri. 1. Par. 20.

Dodanim, filius Javan. Gen. 10. Aliis *Rhodanim*, à quo *Rhodii*. Vide Bochart. *Phaleg.* 3.6.

Dodechinus, vel *Dudechinus*, Germ. Abbas, circa 12. sec. Scripsit Itinerarium Terræ S. & continuationem Chronici Mariani Scoti, ab anno 1084. ad annum 1200. Trithem. Cat. an. Chr. 1140. Bellarm. *de scr. Eccl. in Mar. Scoto.*

Dodo, frater Alpaidæ, quam Theodoricus Francorum R. Plectrudi conjugi suæ, superinduxit. Lamberto Trajectensi Episcopo, qui censurâ id Theodorici factum notaverat, occiso, paulò pòst à vermibus corrosus, ob fœtorem seipsum in Mosam dedit præcipitem. A.C. 698. Pap. Massonius, *in Histor.*

Dodona, civitas Epiri, in regione Molossia, juxta quam propinquum erat nemus Jovi sacrum, querneum totum, ubi Jovis Dodonei templum fuisse dicitur, & in eo oraculum omnium, quæ apud Græcos fuerunt, vetustissimum. Quod autem columbas in eâ sylvâ vaticinantes fingunt, hanc habet rationem, quòd mulieres fatidicas, seu divinatrices linguâ suâ Thessali vocarunt *Πελειάδες*, h. e. columbas, ita Herodotus. Alii arbores ipsas vocales fuisse volunt, & consulentibus oracula edere solitas. Ovid. *Tr.* 4.8.

Hæc mihi si Delphos, Dodonaque diceret ipsa,
Esse videretur vanus uterque locus.

Prop. *lib.* 2.

Sed tibi jam videor Dodonâ verior augur.

Hinc *Dodonæum æs*, tintinnabuli quoddam genus, die noctuque continuò crepitans; unde ad homines justo loquaciores proverbiali metaphorâ transferri solet. Virgil. *Æn.* 3.

—— Dodonæosque lebetas.

Ausonius:

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni.

Hinc *Dodonius*, Claudianus,

Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

Item *Dodonis*. Val. Flaccus.

—— Dodonida quercum
Ingredior. ——

Fuit hæc urbs juxta flu. Dodonen, qui postea cadit in Acheloum, 20. mill. ab Ambracio sinu in Ort. Nunc quid sit, non constat. Baudr. Vide infra, *in Dodone.*

Dodone, Jovis & Europæ filia. Item fons, qui cùm sit gelidus, immersas faces extinguit, si extinctæ admoveantur, accendit. Idem meridie semper deficit, quâ de causâ Anapauomenos dicitur Plin. *l. 2. c. 103. l. 4. in præf. l.* 36. 13. Strab. *l. 7.* Lucr. *lib. 7.* Claud. *l. 1. de R. P.* &c.

Dodonides, nymphæ, Liberi patris nutrices, quæ & *Atlantides* dicuntur.

Dœantes, campus & urbs Phrygiæ. Steph.

Doeg, i. e. *sollicitus*, sive *piscator*, homo calumniator, & sanguinarius, unus ex pastoribus Saulis. Vide 1. Reg. *c.* 22. & 31. Contra hunc David composuit, Psalm. 52. 109. 140. Vide porro Jos. *Antiq. l. 6. c.* 14. Torniel. *A.M.* 2974. *n.* 8.

Dœsburgus, oppidum munitum Zutphaniæ Comit. ad Isalam fluv. vix 3. leuc. ab Arenaco in Ortum, totidem à Zutphania in Austr. Sub Batavis.

Doji, Arab. Fel. gens in Panchæâ reg. Diodorus.

Dola, vulgò *Dole*, ad fluvium Dubim, qui ibi Insulam efficit, posita est, ubi Fridericus I. Imp. palatium miræ amplitudinis sibi extruxit. Vide *Dolensis.*

Dolabella, familiæ Romanæ nomen. Lentulorum gentis fuisse dicuntur. Legimus namque apud Asconium Pædianum, & Macrobium, Pub. Lentulum generum Ciceronis fuisse, exiguæ staturæ hominem, quem longo accinctum gladio Cicero videns, jocosè, quis illum alligasset gladio, quæsivit. At hunc Dolabellam dictum, apud quem Tullia ex partu decessit, constat *ex epp. Ciceronis*, & Plutarcho *in Ciceronis vitâ*. Ex hac familiâ *Dolabelliana pyra*, de quibus Plin. 15. 15. Corneliorum quoque gentis hoc nomen fuisse Morerius ostendit.

Dolabella, ab Othone, in Coloniam Aquitanam sepositus, neque artâ custodiâ neque obscurâ, nullum ob crimen, sed vetusto nomine & propinquitate Galbæ monstratus. Tacitus, *Hist.* 1. 87. Postea ab Vitellio occisus, quòd occiso Othone urbem introiit, tanquam ruptâ custodiâ Ducem se victis partibus ostentasset, accusante Plautio Varo. Ibid. 2.63.

Dolabella P. Cornelius, Tuscos Boiis, Gallicæ genti, junctos devicit, an. U.C. 471. Item, Consul cum Antonio, Præfectus dein Syriæ, hostis Patriæ judicatus, quòd Smyrnæ C. Trebonium, unum ex Cæsaris percussoribus, occidi jussisset. A Cassio Laodiceæ obsessus, sibi ipsi mortem conscivit. Item, Proconsul Africæ, Tacfarinatem provinciam vastantem exiguâ manu aggressus, occidit: sed negatus ei triumphus, Liv. *l.* 12. Polyb. *l.* 2. Apian. *l.* 4. *de B.C.* Tacit. *l.* 4. *Annal.*

Dolates, Umbriæ pop. qui *Salentini* cognominantur. Plin.

Dolba, urbs Adjabenæ. Steph.

Dolensis, urbs quæ & *Dola*, vulgò *Doll*, urbs Gall. Celt. in Britanniâ minore, *Neadunum* veteribus, teste Cænali, dicta. Vide Argentræum, *hist. Brit. l. 3. c.* 69. Aug. Pas. *hist. Brit.* &c. long. 18.30. lat. 49. 03. Baudrando, urbs aliàs Rhedonum, nunc Episcopal. sub Archiep. Turonensi; sed non exempta. 2. leuc. à littore Oceani Brit. In locis paludosis, parvi circuitus, cum castro, 4. leuc. à Macloviopoli in Ort. 10. à Rhedonibus in Boream. Est & *Dola*, vulgò *Dole*, urbs Sequanorum primaria, ubi conventus juridicus & Academia, à Philippo Bono fundata, an. 1426. florentissima anno 1484. sub Margareta fil. Maximiliani I. long. 26.40. lat. 46. 44. A Divione 9. leuc. in Ortum, 10. à Vesuntione in Occasum abest. Quibusdam est *Didattion*. Ptol. *lib. 2. cap.* 9. Alduasdubis fluv. in duo brachia divisus, inferiorem ejus partem quasi ulnis complectitur. Metel. Merula. A Carolo V. muris cincta. Hinc an. 1636. à Gallis frustra obsessa, ante aliquot annos tamen in illorum potestatem venit, reddita pace Aquisgrani initâ. Ab iisdem an. 1674. rursus occupata.

Dolensis vicus, Galliæ, in Biturigibus, memoratus Gregorio Turon. *lib. 2. c.* 8. Riothimi Brittonum Reguli clade & Monasterio, nobilis est: Vulgò *Deols* vel *Bourg de Deols*. Inchoavit hoc Cœnobium in honorem B. Virginis Ebo Bituricensis, perfecit fil. ejus Radulphus: proximum Castro Radulfi, Andriâ interfluente. Est in Vicaria Brivensi, vulgò *Brivez*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Dolica, insulæ Arab. Felicis in Indico mari. Plinius.

Dolichæus, Jupiter sic cognominatus, à Dolichena urbe, unde inquilini *Dolicheni* dicuntur.

Doliche, Ptol. Pelagoniæ præcip. in Macedoniâ opp. *Alchria* hodie Villanovano, *Tecbala* Mercatori. Sensim deficit, 10. mill. ab Azoro in Bor. & sita est versùs montes Cambuvios. Baudr. Hanc cum Pithio, & Azoro, tria in orbem sita oppida Livius *l.* 42. *Tripolim* vocari scribit. Item Insula Maris Ægæi, quæ & *Macris* & Ichthyoessa dicebatur. Item urbs Syriæ in Commagenâ reg. quæ Δολιχὴ Stephano dicitur: Ad Marsyam fluv. qui pòst in Euphratem cadit. 20. mill. à Deugma in Occ. Antiochiam versus, totidemque à Germanicia in Or. Baudr. *Doliche* quoque Straboni *Dulichium* dicitur. Vide ibi.

Dolichiste, insula è regione Chimæræ Lycii montis. Plinius *lib.* 5. *cap.* 31.

Dolienus, decimus Hierosolymorum Episcopus. A. D. 174.

Doliolum, Romæ tumulus in reg. Aventinâ. P. Victor.

Doliones, incolæ Cyzici, aliàs *Dolici*, vel *Dolionis*. Steph.

Dolionia, Dolionum regio. Strabo.

Dollartius sinus, pars Oceani Germ. inter dominium Groningæ, & Frisiam Or. extensa, ad ostia Amasis fluv. prope Embdam urb. ubi an. 1277. maris inundatione 33. pagi periere.

Dolomena, Assyriæ regio. Strabo *lib.* 16.

Dolon, vir Trojanus, egregiâ pedum pernicitate præditus, qui, cùm in castra Græcorum speculator missus esset, à Diomede & Ulysse deprehensus, consilia Trojanorum spe conservandæ vitæ illis aperuit: quem tamen, ut proditorem falsâ spe delusum, occiderunt. Ulysses ipse apud Ovid. *Met.* 13.

Ausum eadem quæ nos Phrygiâ de gente Dolonem
Interimo, non antè tamen quàm cuncta coëgi
Prodere, & edidici, quid perfida Troja pararet.

Dolonci, pop. Thraciæ, à *Dolonco* fratre Bithyni. Steph.

Dolopes, Thessaliæ pop. in extremis finibus Phthiotidis, quibus Peleus (cujus imperio parebant) Trojani belli tempore Phœnicem præposuit, ut ex Hom. refert Strabo *lib.* 9. Plinius eos Ætoliæ annumerat, Epiro verò Ptolemæus. Regio eorum *Dolopia* Straboni & Thucydidi. Eorum meminit Virg. *Æn.* 2.

—— Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve aut duri miles Ulyssei
Temperet à lacrymis?

Idem ibidem,

Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Aspiciam, &c. ——

Hinc *Dolopeius*. Val. Flac. *lib.* 2.

—— *Vidisse putant Dolopeia busta.*

Dolus Mendesius, Ægyptiæ gentis author memorabilis dicitur Columellæ *lib.* 7. Citatur etiam ab eodem iterum *lib.* 11.

Dolus, locus Britanniæ min. ex Monasterio evasit Episcopi sedes, faciente Nomenojo Principe, qui ibi Episcopis suis congregatis Regem se inungi curavit. Posita est urbs inter Abrincatuorum & Aletensium seu Maclovienſium fines, vastata à Normannis An. Chr. 944. vulgò *Dol.* Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* & supra in voce *Dola*.

Doma, vulgò *Dome*, castrum Galliæ, olim nobile & fortissimum, teste Petro *Hist. Albig. cap.* 80. Locus est ad Duranium, à Sarla o flumine interfluente divisus. Idem.

Domacia, Thessaliæ urbs. Laonicus.

Domada, opp. Arabiæ. Plin. 6. 8.

Domana, Armeniæ min. urbs, Antonino. Et Arabiæ Felicis. Ptolom.

Domanetica, Ponticæ provinciæ regio satis ferax, per quam Amnias fluv. illabitur. Strabo *lib.* 12.

Domazanes, Arabiæ pop. Plin. 6. 29.

Dombensis tractus, fertilis regiunc. Gall. inter Bressiam prov. & Ararim fluv. seu inter Matisconem & Lugdunum, Principat. tit. gaudens, & proprio Domino parens è Borbonia fam. Historia paucis sic habet. Olim familiæ Bellijoc. Gall. *de Beaujeu*, hoc dominium erat, ob affinitates cum familia Sabaudica, Sebusiana & Baugiacensi. Humbertus IV. dominus Bellijoci, ejus partem nactus est, ex matrimonio Margaretæ, fil. Guidonis Baug. Eduardus II. dein Ludov. Borbonio Princ. hunc dono dedit, transiitque per Susannam Borboniam Carolo D. Borb. Connestabili nuptam, in familiam Montpenseriam. Maria Henrici D ultimi filia fuit, ex Gastone Aurelian. D. filio Henrici IV. Annæ Mariæ, hodie Dombensis Principis, mater. Guich. *hist. de Bresse*. Morer. Caput ejus Trivoltium, 5. leuc. supra Lugdunum in Bor.

Domesdei, liber censualis apud Anglos, *Rotulus Regis* etiam dictus, monumentum totius Britanniæ augustissimum: duobus voluminibus magnis, Angliæ descriptionem continet, inchoatam anno 14. regni Guilielmi Sen. & finitam anno ejus 20. hoc est, ultimo, & Domini nostri 1087. A similitudine antiquioris ab Alvredo confecti, *Rotulus* vel *Liber* Wintoniæ interdum, item *Liber Judiciarius* nuncupatur. In hoc per singulos Comitatus, Rapas, Lathas & Centurias, civitates, burgos, oppida, castra, villas, &c. descriptum est, quid in prædiis, & domibus; quid in terris dominicalibus & tenementalibus, quid in campis arabilibus, pratis, pascuis, silvis, saltibus, piscariis, paludibus, communiis, &c. continebatur. Quot homines & ejus conditionis, milites, colonos, mancipia, operarios, villa quælibet aleret; quid in tributo, censu, reditibus, servitiis & consuetudinibus, de præsenti valebat reddebatque; quid in ævo sub Eduardo Confessore elapso. Series operis juxta Comitatus distinguitur, in quorum unoquoque, ab initio, catalogus exhibetur omnium capitalium dominorum, qui in eodem Comitatu quidquam possident, primò Rex, dein Proceres, secundùm classes suas, & dignitates: Usus est ad id Wilhelmus quinque Justitiariis suis, quos misit per universam Angliam, ad descriptionem istam, per provincialium jurajuranda conficiendam. Nomen ei *Domesday*, i. Dies judicii, per metaph. sicut enim distincti & terribilis examinis illius novissimi sententia, nullâ tergiversationis arte valet eludi, sic ortâ in regno contentione, libri hujus sententia declinari non potest. Hinc non dissimilis hujus libri reverentia, Sibyllini Romæ, quindecimvirali olim curæ demandati: seu Pandectarum apud Florentinos, qui à Wernhero repertus sub Lothario II. in palatio Ducis hodie custoditur, nisi accenso cereo indictaque ceremonia non producendus, de quo vide Cassiodorum *Var. form. l.* 3. *c.* 52. Est item ad similitudinem libri censualis Remensis, & conservatur in thesauro Regii Scaccarii, sub tertia clave sc. Thesaurarii & duorum Camerariorum, inspecturis tamen satis præstò, sed denumerantibus priùs 6. solidos & 8. denarios, pro sola inspectione: transcriptio verò uniuscujusque lineæ drachmâ præterea penditur. V. Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Domesticus, aliàs *Seneschallus, Dapifer, Major Domus*. Vox Latina, sed novatâ significatione Græcis etiam inferioribus usitatior: Δομεστικους enim ministros & officiales dixere, quos Romani Comites: verùm hoc præsertim, cùm nomen dignitatis factum esset Comes, potiùs quàm Ministerii. In Jure igitur Civ. *Domestici* propriè appellantur omnes adjutores, sive administri legitimè instituti à justis functionum principibus, cùm in Palatio, tum in Foro, & Ecclesia. In Palatio erant seqq. *Magnus Domesticus*, qui & *Megadomesticus*, & per eminentiam ὁ *Domesticus*: Hic circa mensam Imperatoris ministrabat, vide supra in *Dapifer*, & exercitum educebat, militiamque curabat: Ita in Imperii administratione terrestri præfuit militiæ, castris & stativis, quæ ipsi *fossatum* appellabant, sicut magnus Dux mari præerat, Codinus seu Curopalat. *de Off. Constantinop. p.* 50. Luitprandus *Hist. l.* 6. *c.* 5. Joh. Meursius, &c. In Occidente Magnus Seneschallus, & Major Domus dictus. Dein *Domesticus Mensæ*, & *Domesticus rei Domesticæ*, qui Senescalli etiam & Dapiferi munere circa mensam Imper. fungebantur: Ille Magno Domestico propior, hic remotior. Utriusque munus continebatur olim in officio & appellatione Comitis Castrensis. Item *Domesticus Scholarum*, qui præfuit Scholis Palatinis, i. Ordinibus militaribus, ad capessenda Imperatoris jussa vacantibus, quarum 8. in Oriente, 6. in Occidente erant: priùs merentes sub alterutro Magistro officiorum. Eam administrationem postea Megadomesticus habuit. Porro *Domesticus Legionum*, idem cum priore. *Domesticus murorum*, qui curavit, ut oppida, castra, munitiones instaurarentur. *Domesticus* tandem *regionum*, sc. Oriental. vel Occid. qui curabat negotia, ad publicum pertinentia. In foro Domestici erant Judicum Administri seu Assessores: Item qui cum ipsis Judicibus habitabant, qui vulgò Graphiarii, Cancellarii vocantur, Drosæus *in method. Jur.* In Ecclesia denique erant, *Domesticus Chori*, qui locum secundum tenebat in septimo quinario Officialium Eccl. Constantinopolitanæ. Hujus munus non explicavit Curopalates, &c. *Domesticus januarum*, noni seu ultimi quinarii primus; Hic custos & Ostiarii administer ac adjutor fuit, Æditius. Extra Imperium reperiuntur quoque *Domestici*, quinto seculo, & seqq. qui videntur fuisse à Concilio Principis. *Domesticus Villæ* & *Domesticus regionis*, omnia sub Rege curabant, hic in regione, ille in villa fiscali, sub Comite. Tum enim ipsi Reges villas & prædia sua colebant, suorum ipsorum colonis, mancipiis, animalibus, sæpe quoque & utensilibus. Unus autem *Domesticus* super pluribus villis fuit constitutus, ut Seneschalli potius, quàm Ballivi locum tenuisse videatur. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Dometiopolis, Isauriæ urbs. Steph. *Domezopoli* vulgò.

Domicellus, appellatio, quâ olim Galli filios quosvis Regis, sed Optimatum Primogenitos tantùm salutabant: sicut Angli Regni successorem Æthelingum vocabant & Clitonem: quo tamen posteriore nomine omnes Regis filios aliàs insigniebant. Marculfi ævo, nec *Dominus* nec *Domicellus* dicebatur, sed *Domnus*, quod vide, & *Domnicellus*: etiam hoc de filio Regis, *lib.* 2. *form. ult.* Hodie quoque Galli *Damoisel* dicunt, pro nobili juvene gladio militari nondum accincto. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.*

Domiduca, Juno dicta est, quia veteri ritu sponsas ad sponsos ducere primâ nocte consuerunt, nuptiis a. Juno præesse credebatur.

Domina, Duenas, opp. amplum Hisp. Tarrac. in Vaccæis, ad Pisoracam fluv. Ferrar.

Dominica, uxor Valentis Imperat. quæ Gotthos ad evertendam Constantinopolim irruentes pacavit. Cæterùm Ariana cùm esset, permovit maritum, ut Orthodoxos acerrimè persequeretur: Hinc Galatæ filii jactura, & visionibus horrendis turbata quies. Vide Theodoret. *l.* 4. *c.* 12.

Dominica, una ex Antillis Ins. sub Caribis, sic dicta, quia detecta est ab Hisp. die Dominicâ. Circuitus est 20. circiter leuc. Inter Guadalupiam ad Bor. & Martinicam ad Austr. à qua vix distat 8. leuc. Fertilis est & rigua.

Dominicalia Evangelica, aliàs *textus & lectiones Dominicales*, *Postillæ, Homiliæ, &c.* dicuntur, suntque periochæ excerptæ ex libris Evangeliorum, singulis Dominicis proponi, prælegi & explicari solitæ. Et primò quidem in Ecclesia libri sacri integri lecti & ordine explicati sunt, Justinus Martyr, Orig. *Homil.* 15. *in Josuam*. Socr. *lib.* 5. *Histor. Eccles. cap.* 21. Isidor. *de Off. Eccles.* quod etiam diu duravit sub Papatu, ut colligere est ex Dist. 15. Gratiani, Can. *Sancta Romana Ecclesia*. Interim textus peculiares proponebantur in Feriis Natalitiis, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, textu ordinario ad tempus seposito, quod patet ex Augustino *in* 1. *epist. Joh. sub initium*. Paulatim verò selecti & alii textus in Festis SS. Præterea cœperunt pro tempore etiam distingui, nim. ut ex integris Evangelistarum scriptis selectæ quædam lectiones excerperentur, ac certis anni temporibus accommodarentur: ut videre est apud Augustinum *de Temp. Serm.* 256. Gregorium M. *libr. ad Secundinum Laurim. Episcop.* & Bedam. Is verò ordo *lectionum Dominicalium*, qui hodie conspicitur, ab aliis ad Alcuinum Caroli Magni Præceptorem, ab aliis ad Paulum Diaconum refertur, sed non alio argumento, quàm quòd homilias certas Patrum particulis illis Evangeliorum accommodavit ac subjecit: unde distributio illa textuum antiquior apparet. Vide Henr. Altingum *Theolog. Problem. loc.* 2. *problem.* 29. *ubi de abusu harum lectionum in Ecclesia Latina aliisq. egregiè disserit.*

Dominicani, seu *Prædicatores*, ordo relig. in Comm. Romana, fundatus à Dominico Calarogensi, Hispan. qui Tolosæ 12. an. contra Albigenses voce & ferro pugnavit. Ab Innocentio III. non admissus, Honorio constitutionem sui debet, circa an. 1216. Joh. Baleus, *l.* 7. postquam se Augustini regulâ contentum fore pollicitus esset. Hujus institutum & *Dominicanæ*, seu Catharinæ Sen. sectatrices adoptarunt. In Gallia *Jacobini* dicuntur à vico S. Jacobi. A Joh. Michaelis reformatus est ordo initio hujus seculi, Ferdin. Castellanus, Anton. Flaminius, *hist. hujus Ordinis*. Hi B. Virginem ab originali peccato non immunem,

contra Franciscanos, cum S. Scriptura tenent, prærogativam miraculosæ conceptionis soli Agno Immaculato vindicantes. Vide & *Dominicus*.

Dominicopolis, vulgò *S. Domingo*, urbs Arch. Hispaniolæ, in parte ejus Austr. cum portu commodo & arce munita. Extructa fuit à Christ. Columbo, an. 1494. ad ostium fl. *Ozama*, captaque ab Anglis, Duce Francisco Drako, an. 1586. sed mox derelicta. Sub Hisp. Hinc Hispaniola à Francis & Anglis sæpe dicitur S. Dominici Inf. P. Martyr, *de O. N. l. 8. Dec. 2.* Miræus *Geogr. Eccl.*

Dominicum, vox Ecclesf. pro Cœna Domini, apud Cyprian. *Serm. 1. de Eleemosyna.* Item pro Templo, Ecclesia, Basilica & loco, in quem ad sacros conventus celebrandos fideles convenire sunt soliti. Græc. Κυριακὸν, apud Eusebium *in Orat. de laud. Constantini*: ubi B. Rhenanus annotavit, apud primos Christianos *Domini* vocabulum paulo frequentius fuisse, quàm Christi, juxta morem Apostolicum & modum historiæ Evang. proin loca sacra *Dominica* appellata esse. Hinc Germanis Episcopalia templa hodieque *Dom*, Belgis *Kyrik*, per syncopen *Kyrk*, à Græco κυριακὸν: Anglis *Church*. Scotis juxta primitivum quoque *Kyrk* dicuntur: quod innuere videtur, hos prima religionis semina à Græcis, illos à Romanis auspicatos. Antiochiæ nobilissimum templum, à Constantino Magno inceptum, & à Constantio absolutum *Dominicum aureum* dictum est, apud Hieron. *in Chron.* Sed & vox forensis *Dominicum* est, Gallis *Domanium*, & patrimonium Domini significat. Etiam in legg. & chartis antiquis occurrit *Dominicus*, aliàs pro *Imperatorius*, aliàs pro *Regius*, appellanturque *res Dominica*, quæ ad Imperatorem spectant. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Dominicus, Cardin. à Clemente VII. Antipapa, in Hisp. missus, ut dissidia inter Clerum & Henr. III. R. orta componeret, Mariana, *lib. 7. c. 18. & lib. 19. c. 1.* Item, Cardinalis Ragusinus, Gregorii XII. depositi defensor. Spond. *A. C.* 1409. *n.* 19.

Dominicus, Carthus. Trevirensis, scripsit varia. Possevin. *A. S.* Theod. Petræus, *Bibl. Carth. p.* 85. Dorland. *Chron. Carthus. lib. 7. cap.* 2. 3. 4. Obiit an. 1461. æt. 73.

S. Dominicus, Ordo mil. ab eodem, contra Albigenses, institutus. Insigne eorum crux candida & nigra, liliis distincta.

Dominicus Bannes, Dominicanus, plurima scripsit.

Dominicus Baudius, Belga, insignis Poeta.

Dominicus Capranica, Rom. Card. cujus merita Martin. V. agnovit, Eugenius IV. timuit, Nicol. V. amavit, ab hoc ad Alphonsum V. Castell. missus. Obiit an. 1458 Ciaccon. *in addit.* Victorel. & Onuphr. *in Mart. V.* Platina, *in Calixto III. &c.*

Dominicus Catalusius, Lesbi Princeps, Lesbo à Mahomete occupatâ, cæsus, an. 1462. Leuncl. Cuspin.

Dominicus Floccus Andreas, Florentinus, discip. Chrysoloræ, scripsit de Magistratibus Rom. quod L. Fenestellæ attribuitur. Inter præcipuos sui seculi, quod erat 15. Volaterr. *l.* 21 *Comm. urb.* Blondus, *in Hetrur.* Lil. Girald, *de Poet. dial.* 4. Vossius, *de H. L. l. 1. c. 19. & 3. c. 7.* Leander, *descr. Ital.*

Dominicus de S. Geminiano, vico Tusciæ oriundus, JC. floruit, an. 1440. Idem.

Dominicus Gimnasius, Cardin. in Psalmos Commentarium scripsit, an. 1572.

Dominicus Grenerius, Tolosanus, Episc. Apamiensis, postillarum in Pentateuchum, librosque historicos auctor. Circa an. 1326. J. Michael Pius, *de Vir. Ill. Ord. Prædicat. P. 2. l. 2.* Nic. Bertrandus, *Comm. de gestis Tolos. &c.*

Dominicus Grimanus, Venetus, Cardinalis, & Patr. Aquilejensis, amore erga Patrem Antonium, ob rem contra Turcas male gestam, à Senatu in vinculis detentum, memorabilis. P. Jovius, *elog. l.* 5. Justinian. *H. Ven. l.* 12. Ciacconius *in addit. Alex.* VI.

Dominicus Gusmannus, Calarogensis, Hisp. Tholosæ, 12. an. contra Albigenses, docuit & certavit, Inquisitoris in Languedocia munere fungens, ibi prima Ordinis Dominicani seu Prædicatorum fundamenta jecit: eodem ferè tempore, quo Franciscus Assisius Ordini minorum initia dedit. His duobus mira ascripsere, qui Scenæ tum ministrabant, ut *quòd B. Virgo, volente Christo Orbem plectere, hos duos ei obtulerit, quibus mundum convertere posset.* Item, *quòd Dominicus Diaboli manus ambusserit, lucernam, usq; ad consumtionem, ei detinere imperans, &c.* In *hist. Lomb.* Ant. Flor. *p. 3. lib. 23. cap. 1. §.* 38. Matt. Par. *in Henr. III.* Melch. Canus *lib.* 11. *Theol.* Confirmationem Ordinis apud Innocentium III. frustra quæsitam, ab Honorio obtinuit, an. 1216. Id. Cui persuasit, ut Magistrum S. Palatii crearet, in quem S. Scripturam interpretandi, & libros sub censuram vocandi onus devolveret. Ipse primus id muneris obiit, à Paulinarum epistol. explicatione orsus, decessit Bononiæ, an. 1221. Sanctis Commun. Rom. annumeratus à Gregorio IX. an. 1234. Theod. Podius, *in vita ejus.* Gerson & Leand. *de Vir. Ill. Ord. Dom.* Ferdin. Castell. *Chr. Dominic.* &c.

Dominicus Jacobatius, Rom. Cardinalis à Leone X. creatus an. 1517 scripsit de Conciliis. Ciacconius *in Leone X.*

Dominicus Jesu Maria, Franciscanus Hisp. tuba Pragensis prælii, Ludovicum XIII. quoque in Reformatos concitavit. A. C. 1625. &c.

Dominicus Malatesta, Italus, vir clarus, nullis relictis liberis obiit.

Dominicus Maria, Bonon. Mathematicus insignis, præceptor Copernici, sec. 15.

Dominicus Marius Niger, Venetus, circa an. 1490. Geographiæ auctor, in qua Americæ nondum meminit. Impressa est Basileæ, an. 1557. à W. Weissenburgo correcta.

Dominicus Maurocenus, Venetorum Dux, An. Dom. 1149.

Dominicus Michaël, Venetorum dux præclarissimus, de quo vide Blondum *Dec. 2. lib.* 5.

Dominicus de Pisis, Dominicanus, cum Hier. Savanarola, & Sylvestro Flor. ob veritatis amorem, crematus, die 23. Mai. an. 1498.

Dominicus Roverius, Cardin. Sixto IV. gratus. Obiit an. 1501. Ciaccon. *addit. in Sixt. IV.* Ughel. *de Arch. Taur.*

Dominicus Sotus, Segov. Caroli V. Confessionarius, interfuit Conc. Tridentino, scripsit complura, Obiit an. 1560. Sixtus Sen. *Biblioth. lib.* 4. Possevinus, Simlerus, Alfonsus Fernandus, Bibliotheca Hisp.

Dominicus Spazzarinus Johannes, Patavinus, auctor historiæ Venetæ, imitator Sallustii. Obiit an. 1519. æt. 90. Scardeonius, *rerum Patavin. lib. 3. &c.*

Dominium Martini, aliis *castrum Domni Martini*, vulgò *Dommartin*, in diœcesi Meldensi Galliæ. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Domitia Decidiana, splendidis orta natalibus, Agricolæ uxor, C. Cornelii Taciti socrus.

Domitia Lepida, minore Antoniâ genita avunculo Augusto, Agrippinæ sobrina prior ac Gnei Domitii mariti ejus soror; ab Agrippina muliebri æmulatione, paulò ante finem Claudii, perdita. Enimverò certamen acerrimum exstiterat, amita potius an mater apud Neronem prævaleret. Nam *Lepida* blandimentis & largitionibus juvenilem animum devinciebat; truci contra ac minaci Agrippinâ, quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat. Cæterum objecta sunt, quòd conjugem Principis devotionibus petivisset, quodque parùm coërcitis per Calabriam servorum agminibus, pacem Italiæ turbaret. Ob hæc mors indicta. Tacit. 12. 64.

Domitiana via, in Camp. à Via Appia, apud Casilinum incipiens, inter Vulturnum & Puteolos, per Linternum 20. mill. pass. extensa. Cittadinus.

Domitianus, Grammatici nomen apud Romanos, ita dictus, quòd esset intractabilis, & valdè morosus.

Flavius Domitianus, Vespasiani fil. post fratrem Titum veneno sublatum, Rom. Imperator, anno Mundi 4044. à Christo nato 82. nec quicquam amplius quàm muscas captabat, ac stylo præacuto configebat, ut non absurdè responderit Vibius Crispus, *Ne muscam quidem cum Cæsare esse.* Varium se præstitit aliquandiu, mixturâ quadam inæquabili virtutum ac vitiorum: Bonas quasdam leges sanxit, Bibliothecas auxit: donec virtutes quoque in vitia deflexit. Philosophos toto imperio pepulit, super ingenii naturam, inopiâ rapax, metu sævus. *Flavium Clementem* patruelem suum, (cujus filios etiam parvulos successores palam destinaverat) interfecit, discipulum Pantomimi puberem occidit, nullam aliam ob causam, quàm quòd magistro formâ similis esset. Metium Pomposianum, quòd habere imperatoriam genesin ferebatur, & alias quasdam ob causas leviculas necuit. Christianos passim secundus à Nerone crudeliter persecutus est. In exilium D. Joh. Evangelistam pepulit. De Cattis, Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit: de Sarmatis Lauream Capitolino Jovi retulit. Superbus hic tandem dominum & Deum se appellari coëgit: nullam sibi nisi auream & argenteam statuam poni passus est, crudelis etiam consobrinos, item nobiliss. ex Senatu interfecit. Per hæc terribilis cunctis & invisus, multis vulneribus, non sine miris præsagiis, confoditur, suorum, uxoris quoque conjuratione an. C. 96. æt. 45. imperii 15. Funus ejus per vespillones cum ingenti dedecore exportatur, & ignobiliter sepelitur: radendum ejus nomen Senatus decernit, omniaque ejus acta rescindit. Suet. *in Domit.* Eutr. *l.* 7. Aur. Vict. *de Cæsarib.* Philostr. *in vita Apollon. l.* 8. Xiphilin. Petav. Ricciolus, &c.

Domitium, opp. permunitum Germ. in Ducatu Megapolitano, ad Albim fluv. ubi Eldam amnem recipit. 1. leuc. à Danneberga, 8. supra Lauenburgum.

Domitius, nomen illustris apud Rom. familiæ, quæ in Calvinos & Ænobarbos divisa. Vide infra.

Domitius, de adventu Æneæ in Italiam scripsit, Auctor *de orig. gentis Rom.* Item Grammaticus cogn. *Insanus*, apud A. Gell. *l. 18. c. 7.*

L. Domitius Ænobarbus, rure rediens, obvios habuit duos insigni formâ juvenes, qui ipsi jussò victoriam Romanis annuntiare barbam permulserunt, colore nigro in rufum mutato: unde ipsi posterisque agnomen, & ferme barbæ color. Consul septies, bis triumphavit: Bis Censor fuit, Patritiis insertus.

Cneus vel *Gneus Domitius Ænobarbus*, cujus Pater cogn. classi præfuit, pro Cassio & Bruto, dein Antonium secutus, tandem ad Augustum se applicuit. Ædilis, Consul, Prætor, Neronis pater, L. Domitio ex Antonia majore filia Octaviæ, sororis Augusti & M. Antonii natus, omni parte vitæ detestabilis, primùm occidit libertum, quòd portare quantum jubebatur, recusarat: deinde in viæ

Appiæ vico, repentè puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivit: & Romæ medio foro cuidam equiti Rom. liberius jurganti oculum eruit. Perfidiæ atque avaritiæ maximæ fuit: argentarios pretiis rerum coëmptarum, aurigarios mercede palmarum fraudavit. Majestatis quoque & adulteriorum, incestique cum sorore Lepida sub excessu Tiberii reus, mutatione temporum evasit. Huic Tiberius Germanici filiam Agrippinam Junio Silano, Silio Nervâ Coss. in secessu Campaniæ coram tradidit atque in urbe nuptias celebrare jussit. Fuit Pater Neronis Principis. Decessit morbo aquæ intercutis, suscepto, ex Agrippina Germanico genita, Nerone, malo ovo ex malo corvo. Suet. *in Nerone.* Bello Germanico triumphum meruit, quod unicum in ipso laudis argumentum. Tacit. *Annal.* 4. Dio, Eutrop. Liv. Cassiod.

C. Domitius Ænobarbus, Trib. P. Pontificibus offensus, jus sacerdotes surrogandi ad pop. transtulit. Consul Avennates & Allobroges vicit. De illo Licinius Crassus, habuisse *os ferreum, cor plumbeum.* Filius ejus Prætor & Consul, in pugna Pharsalica, pro Pompejo occubuit.

Domitius Afer, qui summis honoribus & multâ eloquentiâ viguit, moritur C. Vipsanio, Fontejo Coss.

Domitius Afer Nemausensis, Tiberio Cæsare regnante cœpit inclarescere. Sub Cajo reus præter spem absolutus est, quòd illi accusanti nihil respondisset, dicens se Cajum oratorem magis, quàm Cæsarem expavescere. Unde non modò judicio liberatus, sed & Consul renuntiatus est. Auctor Dio. Scripsit de Testibus libros 2. Fabius 4. 7. Sunt & urbanè dictorum ab eodem editi libri. Fabius 6. 4. Mortuus est in cœnâ, ex cibi redundantiâ, sub Nerone, teste Eusebio. Quintil. *lib.* 5. confitetur, senem Domitium sibi adolescentulo cultum, sed priore authoritate multùm imminutâ, Sueton. & Dion. *in Calig.* Hieron. *in Chron.* Eus. *A.C.* 46. Tacit. *Annal.* Vignerius, *Chr. An.* 44.

Domitius Balbus, Prætorius, longâ senectute, simul orbitate ac pecuniâ illexit Valerium Fabianum ad subdendum testamentum. Tacit. 14. 40.

Domitius Cæcilianus, ex intimis Thraseæ amicis, qui ei quid Senatus censuisset exposuit. Tac. 16. 34.

Domitius Callistratus, Historiæ Heracleoticæ auctor.

C. Domitius Calvinus, primus Cos. cum C. Cosso Arvina, an. U. C. 422. sub quo Romani, cum Alexandro Epiri R. pacem iniere. Liv. *l.* 8. Cassiodor. *in Chron.* Item, Cos. cum P. Corn. Dolabella, an. 471. U. C. cùm Tusci Bojis juncti cæsi sunt. Item, Cos. cum Val. Messalla, an. 701. U. C. & cum Asinio Poll. an. 714.

Domitius Corbulo, literis armisque inclytus, sub Caligula, à quo, licet epigrammate ejus offenso, Consul factus est: Claudio, à quo in Belgium missus, ne otio torperet miles, *Fossam Corbulonis* duxit, inter Mosam & Rhenum, nunc loca Witek & Crimpen, & Nerone, sub quo contra Parthos pugnavit, Armeniæ Proconsul, hujus invidiâ sublatus. Scripta ejus amissa. Tac. *l.* 3. 11. 13. 14. 15. *Ann.* & 3. *Hist.* Plin. *l.* 2. *c.* 70. *l.* 5. *in ind.* & *cap.* 24. *l.* 6. *in ind.* & *cap.* 8. *l.* 7. *c.* 5. Dio. *l.* 60. Xiphilinus, &c. Vide *Corbulo.*

Domitius Deus, apud antiquos colebatur, ut esset in domo nova nupta.

Domitius Dexter, Cos. cum Messala Prisco, an. C. 196. Præfectus Romæ, sub Severo Imp. Spartian. *in hujus vita, c.* 8.

Domitius Labeo, JC. famosus, sub Hadriano. Rutilius, *in vita celebr. Jurisconss. p.* 60.

Domitius, prænomine *Lucius*, cujus Pater bello civili maris potens erat, donec Antonii partibus; mox Cæsaris misceretur. Avus Pharsalicâ acie pro optimatibus ceciderat. Ipse electus, cui major Antonia Octaviâ genita in matrimonium daretur. Pòst exercitu flumen Albim transcendit, longius penetratâ Germaniâ, quàm quisquam priorum; easque ob res insignia triumphi adeptus est. Mortuus est Cornelio Cosso, Asinio Agrippâ Coss.

Domitius Marsus, Poëta Lat. Horatii σύγχρονος. Scripsit de Amazonibus, & narrationes fabulosas. Ejus 4. in mortem Tibulli versus supersunt,

Tu quoque Virgilio comitem non æqua Tibullo, &c.

Vid. Ovid. *de Ponto, el. ult.* A Martiali, Persio postpositus. Vid. infra.

Domitius Marsus poeta, scriptor Epigrammatum. Idem composuit bellum Herculis contra Amazones, Et de urbanitate. Vide supra, & Vossium *de hist. Lat. l.* 1. *c.* 16.

Domitius Nero, Imp. Romanus, Vide *Nero.*

Domitius Sabinus, Primipilaris è cohortibus Prætoriis. Tac. 1. 31.

Domitius Ulpianus, Jurisperitus, Alexandro Imp. à consiliis, an. U. C. 976. Papiniani discip. fuit. Vide *Ulpianus.*

Domna, Severi Imp. uxor Martia, sic dicta ab Oppiano *Cyneg.* 1. Vide illic Rittershusium.

Domnim, quæ & *Phesdommin* & *Aphesdommin*, in tribu Juda, 1. Reg. 17. 1. Paral. 11. Hieron. *in Loc. Hebr. literâ A.*

Domnizus, scripsit Comitissæ Mathildis vitam versibus. Sub Henr. IV. & Henr. V. Imperatoribus.

Domnulus, Afer, scriptis clarus. Auctor *vita S. Hilarii Arelat.* Sidonius Apoll. *l.* 9. *ep.* 13. 15. *&c.* & *l.* 4. *ep. ult.*

Domnus, seu *Dominus*, appellatio sacra, Deo & Christo propria, Tertull. *in Apolog. c.* 34. qui proin Augustum laudat, quòd *ne Dominum quidem se dici volebat*, quem & alii Impp. pagani sequuti sunt. Sed eò insolentiæ processit Domitianus, ut *non Dominus solùm, verùm & Deus appellari* vellet. Suet. *in vita ejus c.* 13. More dein per vicissitudines fluctuante, à Christianis etiam Impp. admissus & inter titulos, *Dominus*, sed mediâ vocali *i* exemptâ, cujus prisci usus hodieque manent vestigia, in semivocabulis *Cyr*, vulgò *Syr*, à Gr. Κύριος, pro Κύριος, apud Gallos & Anglos: *Don* & *Dom*, à Lat. *Dominus*, apud Italos & Hispanos. Vide Spelmannum.

Domnus I. fil. Mauritii, Papa, post Adeodatum, an. 676. Sub illo trimestris Cometa, triennalis siccitatis, ut & pestis horribilis, nuntius, Obiit an. 678. Anastas. *in Domno.* Beda *hist. l.* 4. *c.* 12. Platina & Onuphr. *in ejus vita, &c.*

Domnus II. post Joh. XIII. an. 972. Iidem, ut & Volaterr. *anthr. l.* 22. Naucl. *t.* 2. *Chr. gen.* 31. Obiit 3. mense, post electionem.

Domnus I. Demetriani Episcopi filius, damnato, ejecto, & excommunicato Paulo Samosateno, Antiochiæ ecclesiæ præfectus est. Euseb. 7. 23. & 26. Obiit an. 275. quinto sedis anno.

Domnus II. post avunculum Johannem, an. 436. Depositus, surrogato Maximo. Cyrill. *in vita Euthymi.* Liberatus, *Brev. c.* 12. Evagr. *l.* 1. *c.* 10. Acta Conc. Chalc. *Sess.* 1. 2. & 9. *&c.*

Domnus III. post Ephremum, an. 546. Interfuit Synodo Constantinop. 3. Sedit an. 14. Baronius.

Domocus & *Demônicus*, *Domochi*, urbs Thessaliæ, Lormiæ urbi finitima & Pharsalo.

Domodoscella, opp. Lombardiæ Transpad.

Don, fluvius à quo *Dodonam* aliqui dictam volunt. Steph.

Donacesa, Phthioridis mons. Plin.

Donaldus I. Rex Scotiæ, post fratrem Satraëlem, sec. 3 Primus Christianam fidem Scotiæ R. amplexus, Obiit an. 216. Dempster.

Donaldus II. successit fratri Findocho, occiso ab Hebridum Domino, ab eodem victus.

Donaldus III. usurpator regni sævus, paulo pòst, à Cratintho, Findochi fil. sublatus, an. 277.

Donaldus IV. post pacificum an. 15. regnum, dum piscaretur, mersus, an. 647. Successit ei Ferguhardus, fil. prædecessoris sui.

Donaldus V. fratrem Kennetum excepit, ignavus & mollis, bello contra Britones Saxonesque infelix. Hinc à subditis in vincula conjectus, sibi necem attulit, an. 860. regni 5.

Donaldus VI. fil. Constantini II. seditionibus pacatis, obiit anno 903. regni 12.

Donaldus VII. post Malcolmum fratrem, pulsus, receptusque, obiit in vinculis, an. 1103. Leslæus, Boëthius, Dempster. Buchan. Belleforestus, *Hist. Scot. Epit.* & *Geneal. Regum Scot.*

Donatista, Donati sectatores, ex schismaticis hæretici. Vide *Donatus.* Præterea, negabant in Ecclesia bonos reperiri, seductos rebaptizabant, Sacramenta conculcabant, in clerum & vasa sacra crudeles. Divisi in Circumcelliones, Montanos, &c. Vandalis juncti, fideles affligebant: Ab Augustino, postquam publicis Synodis non semel damnati essent, convicti, egregiis ejus scriptis, Aug. *hær.* 69. *ep.* 48. *ad Vinc. Rogat. l. de Bapt. c. Donat. l. c. litt. Petil. epist.* 118. Optat. *lib.* 1. 2. & *seqq.* Hieronym. *de scr. Eccl.* & *Chron. An. Chr.* 331. 360.

Donatius Valens, Centurio duodevicesimæ legionis, in inferiore Germaniâ. cùm protegeret Galbæ imagines, impetu militum abreptus vinctusque est. Tacit. *Hist.* 1. 56. & à militibus, initio Imperii Vitellii, occisus. *cap.* 59.

Donatus, Episcopus in Beroeâ, multa edidit miracula, inter quæ istud, quod sequitur, hujusmodi fuit. Draco circa pontem in viâ publicâ jacens, cibum habebat oves, capras, equos, boves: Homines etiam abripiens devorabat. Ad quam bestiam Donatus, sine gladio, sive aliquo jaculo veniens, cùm illa levasset caput, quasi voratura virum, tunc ille vexillum crucis ante faciem ejus digito designans in aëre, in os ejus expuit. Bestia verò sputum mox ore suo suscipiens, expiravit, quam 8. paria boum in vicinum campum traxerunt, ubi igne combusta est, ne aërem fœtore corrumperet. Euseb. *Hist. Eccl.* 9. 46.

Donatus, Episc. Numidiæ, schismatis Africani auctor, cujus amici Cæciliano Episc. Carthaginensi electo, Majorinum, Lucillæ domesticum surrogarunt. A Donatistis non agnoscitur. Augus. *de hær. cap.* 69. & *br. coll. di.* 3. *cap.* 12. 13. 18. 20. *ep.* 162. *ad Episcop. Don.* Theodoret. *de Rer. fab. libr.* 3. Baron. *Anno Chr.* 306. 313.

Donatus, hæreticus, natione Afer, Episc. Carthag. post Majorinum. Donatistarum sectæ Auctor, eloquens at superbus adeò, ut pro Deo à suis haberi, & per nomen suum jurari voluerit. Pro immuni ab omni peccato à sectatoribus habitus est, cùm tamen vita ejus criminum perpetua esset series. Hic dicebat Filium esse minorem Patre, & Spiritum sanctum Filio. Obiit anno 368. Augustin. *de hær. cap.* 69. Optat. *lib.* 1. & 2. *c. Parm.* Hieronym. *Catal.*

Donatus Acciajolus, vel *Acciëvolus*, fil. Nerii, Florentinus. Scripsit in Ethicam Aristot. Ex Plutarcho vitas quasdam Latinè vertit, Caroli Magni à se additâ. Missus in Galliam, obiit Mediolani, an. 1471. Ab A. Politiano Epitaphio honoratus: *Donatus nomen, Patria est Florentia, &c.* Erasm. *in Cicer.* Volaterran. Verin. *lib.* 2. *Flor. illustr.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 8. Leander Alb. P. Jovius, &c.

Donatus Ælius, Grammaticus doctissimus, sec. 4. Romæ vixit, D. Hieronymi præceptor, Hieron. *in Chron. An.*360. Dubitatur à nonnullis, utrum is Donatus Hieronymi Præceptor fuerit, qui in Terentium commentarios scripsit. Quod omnino tamen verisimile videtur, siquidem *in Comment. in Ecclesiasten* Hieronymus testatur, se audivisse Donatum Terentii fabulas exponentem. Scripsit de octo partibus Orationis, quem librum emendatum operi suo Grammatico Diomedes adjunxit. Vide *Ælius Donatus*, & Voss. *Orat. Instit. lib.*6.*c.*2. *de Hist. Lat. lib.*1. *c.*31. & *lib.*3. *c.*2. &c.

Donatus Bassius, Mediolanensis, Auctor Chronici, à condito mundo. Scripsit quoque de Præsulibus Mediol. An. 1489. Trithem. *addit.* 2.

Donatus Leonardus, Venetorum Dux, excommunicationem Reipub. à Paulo V. factam, *brutum fulmen* vocavit: Imitatus Nicolaum Pontanum, suum Antecessorem, qui censuram Pontificiam gladium vaginâ tectum dixit, & temerè distringi non debere, ne discerent homines ejusmodi telum contemnere: minatus insuper Gregorio XIII. verendum esse, ne qui Græci olim fuissent, è Latio in Græciam remigrarent.

Donatus Mon. Monachalem vitam in Hispaniam infert. Anno Chr. 567.

DonaVertia, urbs Sueviæ, cum ponte ad Danub. ubi Vernitium recipit. Dicta à Danubio & Wernico fluv. qui urbem interluit, vel à Danubio *DonaW* & *Werd*, i. insula, quòd Danubius terram, in qua civitas condita, in formam insulæ, vel peninsulæ cingat. Ex casis piscatoriis in vicum, ex vico in oppidi formam redacta, quondam ad Dillingæ, vel Kyburgii Dominos pertinuit: his extinctis ad Sueviæ Ducatum pervenit, imperante Henrico VI. qui ex horum Ducum familia. Oppignorata Ducibus Bavariæ, an. 1266. Dein unita Imperio: A Carolo IV. iisdem Ducibus pignori data redditaque. A Ludovico Bavaro anno 1458. capta, sed reddita. Imperialis est, & libera aliàs, ut visum, nunc Electori Bavariæ subest, ab anno 1607. postquam libertate, quam, à Cæsarianis Germanico bello capta, pace Passaviensi recuperaverat, petulantius usa esset. Turbas has, ex religionis odio erga cives & Magistratum, qui Protestantium doctrinæ addictus erat, ortas, narrat Thuanus *l.*138. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.*13. Munster. &c.

Doncanenium, castrum Hiberniæ in Lagenia prov. & Comitat. Vexfordiensi, infra Suirii & Byrgi confluentes, vix 6. mill. à Waterfordia in Ort.

Doncheriacum, oppidum munitum Gall. in Campania, & tractu Retelensi, ad Mosam fluvium, in confin. Ducatus Luxemburgici.

Donettini, Gens Molossorum, Steph.

Dongalus, Scotiæ R. Salvatii fil. Congalo successit, an. 824. per an. 6. Mersus, an. 830. cùm *Alpino Pictorum R.* iret suppetias. Dempster. & Buch. *hist. Scot.*

Dongardus, Scotiæ Rex, post Eugenium II. fratrem. Obiit in prælio c. Britones, an. 465. regni 4. Buchananus.

Dongum, oppid. Japoniæ, in ora littor. partis *Xicoco*, in Occ. Brietio teste.

Donilaus, Dynasta Gallogræciæ, qui cum Tarcundario Castore 300. Equites, auxilio contra Cæsarem Pompejo adduxit. Cæsar *lib.*3. *de bell. Civ. c.*4.

Donincum Ambianorum, castellum vel municipium Galliæ, à Rodolfo R. captum ac dirutum, anno Chr. 931. Hodie *Doulens* Picardis, aliàs, sed corruptè *Dourlens*, ad fluv. Albejam. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Donlusa, vulgò *Dunluce*, castrum probè munitum Hiberniæ, in parte Boreal. Ultoniæ, in Antrimensi Comitat. in rupe, ad oram littoral. & fossâ à Continente separatum, ad ostia amnis *Boyes*.

Donenium, vulgò *Denain*, locus Hannoniæ, non longè ab oppido Valentianis. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Donotaurus, vide *Caburus*.

Donum Dei, Dundee, urbs Scotiæ Bor. in Angusia prov. ad Tavi æstuarium, 6. mill. ab Andreapoli in Bor. 12. à Perthia in Ort. satis munita.

Donus, 66. Romanorum Episcopus, an. Dom. 334. Item alius 134. Pontifex Rom. an. Dom. 634. LLoyd.

Donus, Molossiæ fluv. Steph.

Donusia, ins. parva Rhodi, in quam Dionysius Ariadnen ex Naxo transtulit, cùm Minos pater eam persequeretur. Unde corruptum vocabulum videtur pro *Dionysia*. Steph.

Donussa, Achajæ castellum inter Ægyram & Pallenem. Stephanus.

Donysa, ins. in mari Ægæo, Cycladum una, in qua virides marmor nascitur. Virg. 3. *Æn.*

Bacchatamq; jugis Naxon, Viridemq; Donysam.

Donziacum, vulgò *Donzi*, castrum Galliæ, ad amnem, qui, apud Condate *Cosne*, in Ligerim defluit: caput pagi cognom. pago Nivernensi conjungi soliti, *Donziois*. Ab illo 10. vel 12. mill. p. distat *Domitiacum*, vulgò *Dommecy*, vicus proximus Choræ *Cure* vico, cognomini flum. insidenti. Ambo hi vici in Duc. Nivernensis sunt finibus, quâ Antissiodorensem agrum attingunt. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Dor, id est, *generatio* vel *habitatio*, civitas Palæstinæ maritima, *Dora* Ptolemæo. In tribu Manasse, in ora littor. 5. mill. à Cæsarea in Bor. Nunc diruta. Baudr.

Dora, insula in sinu Persico. Steph. Item Fons Arabiæ. *Plin.*6.28.

Dorachius, Sacerdos Gallus, scripsit Hist. Galliæ, sub Duce Marcomiro II. Texeira, *in Odemaro.* Genebr. *in Sixto I.*

Doracte, ins. in sinu Persico, cui Mazena quidam præfuit, à quo Mistropastes Satrapa, Darium fugiens, hospitio acceptus est, navigationis ducem postea sese illi præbens, quò in patriam, quod quærebat, remearet. Strabo 16.

Dorana, Galatiæ urbs. Anton.

Dorath, Mauritaniæ opp. Ptol.

Dorcades, insulæ maris Atlantici. Vide *Gorgones*.

Dorcas, i. e. *caprea*, vel *damula*, nomen mulieris, quæ & *Tabitha* Syriacè dicebatur, à D. Petro Apostolo à mortuis excitata, Joppe civitate, Act. 9.

Dorcatius, Poëta Latinus, Isidorus *in Voce Pileus. libr.* 18. *orig. cap.* 69.

Dorcestria, vulgò *Dorchester*, oppidum geminum in Angliâ, unum apud oram australem, inter Wintoniam ad Ort. & Exoniam ad Occ. Comitatus, qui *Dorsetshire* vocatur, caput. Ad fluv. Varum, *Frome*. Aliàs *DunoVaria*, & *DurnoVaria*, & *Durnum*, urbs Durotrigum, antiq. monumentis clara. 4. mill. Angl. ab ora maris Brit. 40. à Vintonia in Occ. & 30. à Vecti Ins. similiter in Occas. Baudrand. Vide *Dorsetia* & *Dunum*. Alterum *Dorchester*, prope Oxonium, inde 7. mill. pass. in Ortum Londinum versus, ad Isis & Tamæ amnium confluentiam, olim sedes Episcopalis, quæ postea ad Lincolniam transferebatur. Guil. Malmesbur. *l.*4. *de gestis Episc. Angl.* Baudrando, nunc vicus, in Oxon. Comit. 9. mill. ab Oxonio in Austr. totidem à Readingo in Bor. 2. mill. supra Callevam Atrebatum.

Dorceus, Musicus Regis Cyzici, à Polluce, in conflictu nocturno interemptus.

Dorceus, inter canes Actæonis ab Ovidio numeratur. *Met.*3.

Dorda, id est, *habitaculum* vel *generatio scientiæ*, filius Maol. 3. Reg. 4.

Dorderacum, urbs Hollandiæ præcipua & magnifica, cum jure monetæ cudendæ, quod illi soli tributum, Olim sedes Comitum, hodie emporium mercium in peregrina loca mittendarum, prima ex 6. urb. in Conventu Stat. Holl. & insula nunc, aquarum inundatione An. Chr. 1421. à reliqua Ins. separata Synodo contra Remonstrantes à Reformatis A. C. 1618. 1619. celebrata insignis. 7. leuc. à Lugduno Bat. in Austr. 3. à Roterodamo in Eur. 5. à Breda in Bor.

Dordingum ad Urbiam, *Dourdan sur Orge*, municipium olim in Gallia regium, ubi Hugonem M. Ducem & Principem Francorum Rotberti PseudoRegis fil. patrem Hugonis R. decessisse tradunt, A. C. 956. Vid. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Dordomana, urbs Parthiæ. *Deizer* A. Theveto.

Dordonia, Vid. *Duranus*.

Dordracum, Vid. *Dorderacum*.

Dores, Herodoto *libr.* 1. populi Cariæ, in Asiâ, quos Crœsus subegit.

Dores, populi Doritæ juxta Ætoliam. Pop. Achaiæ in Græcia, Baudrandus.

Dorgomanes, fluv. ingens Bactrianorum. *Obengir* ex tab. recent. Ferrar.

Doria, & *Dorica*, nomina partis Achaiæ, quæ propinqua est Athenis. Plato *de Legg. lib.*3. *AchiVi Trojâ redeuntes, suasq; domos, urbesq; repetentes, à popularibus malè excepti mulctatiq; fuere.* Οἱ πάλιν ἐκπεσόντες κατῆλθον, μεταβαλόντες ὄνομα, Δωριεῖς ἀντ' Ἀχαιῶν κληθέντες, διὰ τὸ τὸν συλλέξαντα εἶναι τῆς τότε φυγάδας Δωριέα, id est, *unde patriâ profugi, mutato AchiVorum nomine, Dores dicti sunt, à Dore, qui maximam fugitiVorum illorum partem collegerat.* Servius verò *in* 2. *Æn. Dorica*, inquit, *à Doro Neptuni filio dicitur.*

Dorias, Indiæ extra Gangem fluv. Ptol.

Dorienses, Cretæ insulæ, & Cyrenaicæ reg. populi. Callimachus.

Dorieum, Phrygiæ civitas. Steph.

Dorion, op. Peloponnesi in tractu Messeniaco, juxta quod Thamyras citharœdus Musas ad certamen provocavit. Plin. 4. 5. Lucan. *lib.* 6.

—— Pteleos, & Dorion ira
Flebile Pieridum. —— ——

Doris, nympha marina, Oceani & Tethyos filia, quæ Nereo fratri nupta immensam vim nympharum marinarum peperit, quæ à nomine patris, *Nereides* appellatæ sunt. Prop. 1. 17.

At Vos æquoreæ formosâ Doride natæ,
Candida felici solVite Vela Noto.

Ponitur nonnunquam pro ipso mari. Virg. *in Gallo*,

Sic tibi cùm fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

Doris, Locrensis Xeneti splendidissimi inter suos civis filia, quam

quam Dionysius superior, Rheginis ejus conditionem aspernantibus, Olympiadis 95. anno tertio, cum Aristomache Hipparini filiâ, eodem die uxorem duxit. Cic. *Tusc.* 5.

Doris, Græciæ regio, juxta sinum Maleacum, à tergo habens Oetam montem, à *Doro* Neptuni & Alopes filio dicta. Baudrando inter Phocidem ad Ort. Epirumque ad Occ. versus montes & fontes Cephisi fluv. Dicta etiam *Terrapolis*, Briet. à quatuor Urbibus, nempe Pindo, Eripeo, Cytinio & Bojo, quibus adjectæ fuerunt Lilæa & Sperchium. An hodie *Val de Livadia*? Ex hac regione qui originem traxerunt, quacunque terrarum in parte consederint, *Dores* appellati sunt. Unde Dorica, min. Asiæ regio. Hinc *Doricus*, quod pro Græcanico poetæ nonnunquam usurpant. Virg. *Æn.* 2.

—— Juvat ire & Dorica castra
Desertosq; videre locos, litusq; relictum.

Dorica musa Proverb. apud Aristoph. *in Cleonem*, qui non aliud genus harmoniæ didicerat, præter Doricæ, alludens ad Δῶρον, quod *munus* significat, cum munerum avidum denotans. Aliud adagium est *Doricè concinere*, apud Plutarchum *in Lachete*, in eos qui aliud verbis, aliud verò factis faciunt. *Dores* etiam, præsertim virgines, discincti, & sine tunica quandoque interdiu incedere solebant. Unde Proverb. *Doricè incedere*, in eos, qui depositis vestibus magnâ ex parte nudi incedunt. Sic apud Pausan. & Ælium Dionysium. Nescio an huc alludat Juvenalis, quando ait, *Sat.* 3.

Uxorem Comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo. —— ——

Iidem *Dores* erant naturâ loquaces. Unde apud Theocr. *Doribus Doricè loqui*, adagium est in eos, quorum oratio moribus & ingenio respondet, vel in loquaces naturâ. Vid. Strab. *lib.* 10. Ptol. *lib.* 3. *cap.* 15.

Dorisci, gens circa fontes Indi fluv. Plin.

Doriscum, *Dorisca*, Ptol. locus, vel Præfectura Thraciæ in orâ apud Hebrum fluv. ubi Xerxes Persarum Rex exercitum, qui 170. myriadibus constabat, hoc est, decies septies centenis millibus militum, recensuit. Vid. Plin. *lib.* 4. *cap.* 11. Est & promontorium Atticæ à Piræo 42. m. p. recedens.

Doristus, quintus Lacedæmoniorum rex.

Dorium, in Peloponneso, Eubœâ, à Thraciâ opidum. Strabo. Messeniæ urbs Pausaniæ, & mons circa Cnidum; Pyli etiam op. Hesychius.

Dorius, Lusitaniæ fl. Ptol. Et alius Indiæ extra Gangem. Id.

Dorlandus Petrus, Prior Carthus. in Diœcesi Leod. prope Diestam, in monaster. Zeelhem. Scripsit Chronicon sui ordinis, &c. Vid. Petr jum, *Biblioth. Carthus. pag.* 252. & *seqq.* Possev. *in App. sacro.* Voss. *de H. Lat. lib.* 3. *cap.* 6. Obiit Anno 1507.

Dormanum, locus Galliæ, ad Matronam, inter Sparnacum & Castrum Theodorici, vulgò *Dormans*. Hinc nobili familiæ nomen. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Dornacum, vel *Dorneggum*, vulgò *Dorneck*, arx agri Raurici, haud procul Basileâ, secundùm Bissam, quam à Bernardo de Efringen, cive Basil. anno 1484. Solodurenses sibi compararunt; Austriacorum strage anno pòst decimo quinto ab Helvetiis factâ, memorabilis. Urstis. *Epit. Hist. Basil.* Hoc postremo prælio fractis Austriorum animis Suevico fœderi, belloque, cujus Fridericus III. Imp. jecit, Maximilianus verò I fil. ejus gessit, finis factus, ac operâ ac intercessione Ludovici Sfortiæ Mediolani Ducis, misso ad id Galeacio Vicecomite, pax inita est, quâ Helvetiis libertas sua intacta, illique in possessione omnium locorum, quæ antehac Austriis ademerant, confirmati sunt; præfectura quoque Criminalium in Turgea, quæ hactenus penes Constantienses fuerat, his addita est. Ita hoc (excepto Rhætorum bello eum Joh. Jac. Medicæo Mussii domino) ultimum bellum fuit, quod Helvetii pro libertate gesserunt. Simler. *de Rep. Helvet.*

Dorobitza, Illyris fluv. & urbs. Laonicus.

Dorocottoros, urbs Galatarum Aquilonarium. Steph.

Doron, Ciliciæ urbs. Plin.

Doros, Phœniciæ, & Cariæ urbs. Steph.

Dorostorus, Vide *Durostolon*.

Dorothea, puella Alexandrina, nobili orta familiâ, ingentibus divitiis, & propinquis nobilibus pollens; sed in eâ ingenii, atque industriæ bonum, cæterarumque honestarum artium studia magis, quàm hæc vigebant. Formæ verò ac decoris gloria tanta ei fuit, ut mirum ac speciale in eâ Dei figmentum crederetur. Sed illa, quæ religione animi, & honestate vitæ pulchrior, quàm vultu corporis esse studeret, æquissimo mentis judicio, quod pulchrum, ac decorum inter homines videbatur, id potius Deo consecrare, quàm usui humano indulgere statuit, ut virgo Deo sacra persisteret. At tyrannus ad contemerandam virginem, ac polluendam ejus castitatem animum intendit. Comperto verò, quòd Christiana esset, quæ secundùm sua edicta pœnæ magis, quàm libidini subjicienda videretur, in ambiguo positus, æstuare cœpit, & in quam se partem verteret, ignorare; Sed ubi dubios animos libido, quæ ei latiùs dominabatur, obtinuit, & expectantem virginem pro martyrio ad supplicium rapi, per occultos nuncios de stupro interpellavit: Illa æquè sibi nefas esse respondit templum sui corporis, quod semel Deo consecraverat, idolorum cultu, ac libidinis contagione polluere; Proinde se quidem ad mortem paratam esse. Ad quæ responsa Tyrannus libidine accensus, cùm acrius incalesceret, & nisi verbis acquievisset, vi agere decerneret, omnibus, virgo pudicissima, facultatibus suis, domoque ac familiâ derelictâ, noctu clam cum paucis fidelissimis famulis, & cum amicissimâ comite castitate discessit, atque illusum tyrannum reliquit. Euseb. *Hist. Eccles. lib.* 8. *cap.* 17.

Dorotheus, Armeniæ Prætor, An. Dom. 29.

Dorotheus Ascalonita, sexto historiarum de rebus gestis Alexandri citatur ab Athenæo *initio lib.* 7. Idem, seu alius in primo rerum Sicularum adducitur à Stobæo, loco de vituperio tyrannidis. Vide Voss. *de Hist. Gr. l.* 3. *pag.* 361.

Dorotheus Leucadius quidam gubernator. De quo Polyæn. *lib.* 5. Item, cognom. *Sidonius*, Medicus Ascalonita. Item auctor Lexici, Photius, *cod.* 156. Item, JC. sec. 5. Rutilius, *in Vita Jurecons.* Item, Abbas, Eutychianismi accusatus, *in Conc. Chalced. Sess.* 4. Item, præfectus Palæstinæ, turbas ab Eutychianis & Pseudoep. Theodosio datas composuit, Anno 452. Evagr. *lib.* 2. *cap.* 5. Niceph. *l.* 15. *c.* 9.

Dorotheus Tyrius, qui sub Diocletiano vixit, & sub Juliano multa perpessus fuit, creditur à multis author esse libelli de vitâ & morte Prophetarum, Apostolorum, & discipulorum Christi: Sed non pauca in eo sunt tanto viro indigna. Vide Voss. *de Hist. Gr.* 2. 18. Proin alii id cuidam Sacerdoti Antiocheno, Diocletiani amico, Eusebii Præceptori, ascriptum eunt. Vid. Blondel. *app. pro S. Hieron.* Euseb. *hist. lib.* 7. *cap.* 26. Niceph. Callixtum *lib.* 6. *cap.* 37. &c.

Dorovernum, Vid. *Darvernum*.

Dorpia, vide *Apaturia*.

Dorsanes, Hercules apud Indos sic dictus. Hesychius Δορσάνης ὁ Ἡρακλῆς παρ' Ἰνδοῖς. Difficile est Indicæ hujus appellationis causam adducere. Cæteroquin vicinum est Chaldaicum דרס *daras*, hoc est, *calcare*, *premere*. Et in præcipuâ Herculis laude ponebatur, quòd Tyrannos calcarit, & oppresserit.

Dorsennus Fabius, poeta Comicus, cujus testimonio ac versibus utitur Plinius 14. 13.

Dorsetia, prov. seu Comit. Angliæ Austr. versus oram maris Brit. inter Devoniam ad Occ. & Hantoniam ad Or. à Bor. Somersetiam habet. Ibi aliàs *Durotriges* pop. Provinciæ primaria nunc est Dorcestria.

Dorsta, urbs Westphaliæ, ad Luppiam fluv. in dit. Archiop. Coloniensis, satis munita, in confin. Diœcesis Monaster. & Ducatus Clivii. 5. leuc. Germ à Vesalia in Ort. Pluries capta ab Hassis Suecisque bello Germ.

Dorsticum, Mysiæ sup. civitas juxta Danubium. Ptol.

Dortmunda, Lat. *Tremonium*, civ. Imperii, cives habet in toto Imperio à vectigalibus immunes; tenetque in feudum ab Imperio Comitatum Dormundanum, cum omni jure & libertate, quibus olim usi Comites Dormundani. Vid. Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 15.

Dorventani, pop. Albionis, Lhuydo *Derbienses*, quasi Derventani: tametsi diversi videntur; hi à Derventione, illi à Dorvento deducti.

Dorus, filius Epaphi, filium habuit Pygmæum, à quo *Pygmæi* dicti. Steph. Item Neptuni fil. qui regnavit in parte Græciæ, à quo *Dores* dicti. Servius *in* 2. *Æn.* Urbs etiam Phœniciæ, incolæ *Dorita* & *Dorienses* Pausaniæ. Est itidem Cariæ urbs. Steph.

Doryagus Lacedæmonius, Heraclides, filius Leobotis, pater Agesilai, avus Archelai. Herod. 7.

Doryclus, fil. Priami nothus, ab Ajace in bello Trojano interfectus. Hom. *Iliad.* 11.

Doryclus, frater Phinei regis Thraciæ. Virg. *Æn.* 5.

Fit Beroe Ismarii conjux longæva Dorycli.

Doryclus, primus cæsti victor in Olympicis. Cælius.

Dorycteta, Asiæ min. regio ad Ægæum pelagus. Diodor.

Dorylaium & *Dorylaus*, magnæ Phrygiæ civitas Ptol. Plinius 5. 29. eandem *Dorylaum* vocat, juxta quam oritur Hermus amnis. Δορυλάειον Stephano dicitur. In confin. Bithyniæ inter Agrillium & Midajum, prope fontes Ascanii. Baudr.

Dorylas, Nasamon quidam potentissimus, unus ex iis, qui Perseo in aulâ Cephei vim inferre conati ab illo sunt interfecti. Ovid. 5. *Fast.*

Et Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri,
Dives agri Dorylas, quo non possederat alter
Latius, aut totidem tollebat farris acervos.

Dorylas, Centaurus. Ovid. *Met.* 12. Sipont.

Dorylaus, rei militaris peritissimus, magnâ familiaritate Mithridati Evergetæ devinctus. Strabo *l.* 10.

Doryleum, fluvius in Phrygiâ, & urbs, *Tzadurile* Leuncl.

Dorylius, legatus Deiotari regis ad Cæsarem.

Doryphorus, libertorum unus Neronis è præcipuis, quem, quasi adversatum nuptiis Poppææ, veneno interfecit P. Mario, L. Asinio Coss.

Dos,

Dos, illud propriè, quod maritus cum uxore accipit. *Doarium* verò *Dotarium*, *Dotalitium*, &c. quod, in remunerationem dotis, reportat uxor. Prius Græci φερνὴν & προῖκα, posterius ἀντίφερναν & ἕδνον, item ὑπόβολον nuncupant, quod Romani, uxoribus dotes non retribuere soliti, proprio nomine non insigniunt. Hinc de Germanorum moribus mirabundus Tacitus, *Dotem*, inquit, *non uxor marito, sed uxori maritus affert*, *boves* nempe, *& frænatum equum & scutum cum framea gladioq;*: quibus Hiberni, Germanorum tradux, citharam addunt. Angli quoque contra morem Reip. Rom. uxores munificentissimè dotant, Germanos etiam, imò Græcos antiquissimos & Hebræos imitati. Exod. 20. 16. Sic Gen. 34. 12. Sichem Dinæ dotem offert: Vulcanus apud Homerum *Od.* 8. Venerem, Pluto apud Claudian. *de Raptu* 1. Proserpinam dotasse leguntur. De Gallis Vid. Cæs. *lib.* 2. de Cantabris Strabon. *Geogr. lib.* 3. de Gothis, Alamanis, Saxonibus, Longobardis, Neapolitanis & Siculis, Auctores Spelmanno laudatos. In arbitrio autem id viri erat, variis in locis, tantum date, quantum vellet. Angli verò & Scoti, more Siculorum, tertiam statuunt: Cantiani tamen & Burgi quidam, medietatem conferunt, quod etiam Gallica quædam faciunt municipia, *Glossar. Archæol.*

Dosa, Assyriæ urbs, & Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Dosareni, Arabiæ Felicis gens. Ptol.

Dosaron, Indiæ intra Gangem fluv. Ptol.

Dosci, Asiæ ad Pontum Euxinum pop. Strabo.

Dosiadas, condidit è versibus Βωμὸν, sive Aram, à figura sic dictam. Meminit ejus Lucianus *in Lexiphane*. Patriâ Rhodium fuisse, liquet ex Græcis Scholiis *ad Ovum Simmiæ*. Primus edidit Salmasius, ac eruditis Scholiis emendavit. At altera ara, quæ Theocrito solet subjungi, nec Theocriti, nec Dosiadæ est, ut eidem Salmasio ostensum.

Dosiades, de rebus Creticis libros edidit. Plin. 4. 12. Fortasse idem est ac *Dosidas*, ex quo à Clemente *in Protrept.* quiddam de Lesbiorum sacrificiis adfertur.

Dosithei, unus ex quatuor ramis Sectæ Samaritanæ, inter Judæos, cujus auctor Dositheus, qui longo jejunio enectus ridiculè & impiè periit. Epiphan. *in panar. l.* 1. *c.* 13. Origen. *periar. lib.* 4. Ab esu animatorum abstinentes, Sabbathum immoti colebant. Monogamiæ, & cœlibatus cultores. Item, Discipuli Simonis Magi. Theodoret. *hær. fab. in Sim.*

Dositheus historicus, quem testem sæpe adhibet Plut. *in Paral. Min.* Alius est *Dositheus* Astrologus, cujus meminit Plin. 18. 31. Item nomen Ducis. 2. Macch. 11.

Dositheus, cognom. *Studites* Monachus, Isacio Angelo persuadens, Fridericum I. in Orientem movisse, ut Constantinopolim caperet, Patr. Hierosolymitanus factus est: ad Constantinop. cùm aspirasset, utroque excidit. Nicetas, *in Isacio Ang.* 1193.

Doso, cognomen populare Antigoni Demetrii nepotis, inde tractum, quòd benignè omnibus promitteret, nec promissa præstaret. Ille enim quidvis petentibus respondere solebat Δώσω, id est, *Dabo*, unde natum proverbium, *Dosones*.

Dothaim, opp. tribus Zabulon, 5. mill. à Bethulia in Bor. 12. à mari Tiberiadis in Occ. 30. autem à Samaria in Bor. Agrum habuit fontibus irriguum, pascendisque pecoribus aptissimum.

Dothan, i.e. *ritus*, aut *lex*, locus in Judæâ, ubi Joseph reperiit fratres suos pecora pascentes. Gen. 37. qui etiam Hieronymi temporibus supererat, in duodecimo à Sebaste miliario contra Aquilonis plagam, 4. Reg. 6.

Dotium, urbs Thessaliæ. Vide Steph.

Doto, Nympha marina, Nerei ac Doridis fil. Virg. 9. *Qualis Nereia Doto.* Meminit ejus Flaccus *Argon.* 1. *versu* 134.

Douæum, opp. Andegavensis prov. trans Ligerim, ubi amphitheatrum penè integrum, 3. leuc. à Salmurio in Austr. 7. ab Andegavo in Eur. prope amnem *Layon*.

Dovarnena, opp. Galliæ munitum, in Britannia inf. in Cornubia tractu versus Occ. Unde sinus adjacens *Baye de Douarnenes*, cum portu capaci. 4. leuc. à Corisopito in Circ. versùs Gobæum prom. à quo 9. leuc. distat in Eur.

Doveona, seu *Deveona* & *Diolindum*, Cadurcorum in Galliâ urbs, Ptol. *Cahors*. *Dove*, vel *Douve* pagus Lipsio in Amphitheatro: Vineto *Donvelle*, 1. leuc. infra ad Occ.

Douglassius Galvinus, vel Gavinus, Ep. Dunkeldiensis, ex illustrissima apud Scotos familia, carmina Scoticâ linguâ scripta dedicavit Jacobo IV. scripsit etiam historiam Scot. &c. Polydori Virgilii amicus, hujus *hist. Angl. lib.* 3. Obiit Londini Anno 1521. Nomen familia habet, à castro cognom. in Com. Clidesdalia. Vid. *Duglasium*.

Dousa Janus, Nordvicus, urbis Lugduni Batavorum præfectus, in memorabili illa Hispanorum obsidione, A. C. 1575. operâ strenuè navatâ, condendæ ibi Academiæ Guilielmo Arausionensium Principi celeberrimo auctor, primus ejus Rector & per annos 29. Curator extitit, sicque Musis cum Marte optimè convenire suo exemplo docuit. Vir tantâ doctrinâ, ut *Bataviæ Varro & Academiæ commune Oraculum* haberetur. Pater Jani, excellenti ingenio & doctrinâ inclyti, qui Anno 24. æt. à nato Christo 1596. Lugduni Bat. obiit, redux ex peregrinatione, cum Philippo Mornæo fil. & Petro Perillæo, per aliquot regna & regiones obitâ. De utroque sic Grotius, *in Histor. lib.* 5. *Douzæ genus gestiq; honores, & toleratum Lugduni obsidium, apud posteros, gloriâ carminum prementur: in queis tamen ejusdem nominis filius præcellit, idem patri Annalibus Hollandiæ condendis socius, & par majoribus meditamentis, ni mors immatura juvenem summa eruditorum expectationi abstulisset.* Alius Jano filius Georgius fuit, itinere Constantinopolitano celebris: peste, in expeditione Batavorum ad Canarias, extinctus, an. 1599. Quem sequutus est Pater an. 1604.

Doxander, ob non obtentas filiis suis in matrimonium Timophanis locupletissimi Mitylenensium relictas filias, Seditionem excitavit, Patriamque bello, advocatis Atheniensibus, involvit. Vide Aristot. 5. *Polit.* 4.

D R.

Drabescus, Thraciæ regiuncula. Steph.

Drabus, fluv. Norici. Vid. *Dravus*.

Draca, Asiæ pop. circa Caucasum. Trogus.

Dracanus, mons, ubi Jupiter Bacchum è femore natum edidit. Theocritus in Lenis, sive Bacchis *Idyll.* 26.

Χαίροι μὲν Διόνυσος ὃν ἐν Δρακάνῳ νιφόεντι
Ζεὺς ὕπατος μεγάλαν ἐπιγουνίδα θήκατο λύσας.

Vide Nat. Com. *pag.* 513. & Palmerium *p.* 813.

Drachina, Ariæ gens. Ptol.

Drachonus, seu *Draconus*, quod Vid. fluv. Gall. Belg. per Austrasiam, sive Lotharingiam in Mosellam influens, Auson. *Idyll.* 10.

Prætereo exilem Lesurâ, tenuemq; Drachonum.

Hodiè *Draun*, vel *die Draon*, dicitur. *Draphonus* legit Scal. Item fluv. Austriæ, cum opp. cognom. *Draun*. Vid. *Deras*.

Drackius Franciscus, Anglus, circumnavigato, sub Elizabethâ, orbe inclytus: itinerarii ipse auctor. Camden.

Draco, antiquissimus Atheniensium legislator ante Solonem, cujus leges Solon ipse, præterquam quæ de cæde erant constitutæ, abrogandas curavit, propter severitatem. Nam una omnibus pœna constituta erat, ut etiam qui desidiæ damnati essent, aut qui olera surripuissent, capite plecterentur. Ob quam caussam Demades dicere solebat, *Draconem non atramento, sed sanguine leges scripsisse*. Gellius. 11. 18. Et Herodicus, non hominis, sed Draconis leges ajebat esse. Cujus rei caussam cùm ab eo quidam quæsisset, respondisse fertur, parvas quidem se culpas eâ pœnâ dignas existimasse, magnis verò quam majorem constitueret, non habuisse. Plut. Obitus hujus felicitate pariter ac miseriâ admirabilis fuit. Cùm enim in Æginæ theatro, propter latas leges, lætis acclamationibus celebraretur, pluribus petasis, tunicis & vestibus lætitiæ signis, capiti senis injectis suffocatus interiit, & in ipso theatro sepultus est. Scripsit 3000. vers. Tatian. *c. Gentes*. Clem. 1. *Strom.* Diog. *in Solone*. A. Gell. *l.* 11. *c.* 18.

Draco, fil. Hippocratis, Medicus in signis. Item, homo quidam sceleratissimus. Vide *Pythia*.

Draco, Asiæ minoris mons in Tmolo desinens. Plin.

Draco subversus, Ordo Eq. institutus, à Sigismundo Imper. an. 1418. post concilium Constantiense: quasi insignum debellatæ in Joh. Husso & Hier. Pragensi, veræ fidei defensoribus strenuis, perfidè necatis, hæreseos. Bonfin. *Hist. Hung.* Favin. *theatro hon. & Eq.*

Dracon, fluv. ad radices Vesuvii montis. Procop. Juxta Nuceriam labitur. *Dragone* vulgò.

Draconigena, à poetis dicebatur urbs Bœotiæ, à Cadmo, cum quinque viris ex Dracone ab ipso interfecto natis, constructa, dicitur & *Thebæ*.

Draconis, insula in Libyâ. Steph.

Draconon, vel *Draconum*, op. & mons Icariæ, ins. Steph. Sed Plinio est insula maris Ægæi deserta.

Draconides, Athenis quidam scelestus, & multis damnationibus obnoxius, ut Plato *in Sophistis*. Callistratus unum putat esse è 30. tyrannis vel ejusdem nominis. Scripsit enim scitum de Oligarchia illorum triginta, ut Aristot. autumat *in Polit.* V. Schol. *in Aristoph. Vesp.*

Dracontius, Hisp. Sacerdos, incertæ ætatis Poeta, hexaemeron, sive de opere 6. Dierum, scripsit carmine heroico. Primi è Bibliothecâ S. Victoris edidere Parisienses, posteaque mendis aliquot sublatis Georgius Fabricius: hinc Bibliothecæ SS. Patrum à se editæ *editione secundâ, Tom.* 8. inseruit Margarinus de La-Bigne. Notas in eum scripsit Joannes Weitzius. L. Loydius ex Voss. Eugenius II. Episc. Tolet. correxit & auxit, rogatu Chindasindi R. Vixit sub Theodosio Jun. Morerius, ex Ildefonso, *de Viris Ill. cap.* 14. Isid. *cap.* 24.

Draconus, nunc *Traen* Cluver. amnis parvus agri Trevirensis, qui post aliquot mill. in Mosellam se exonerat, juxta Noviomagum vicum 3. leuc. infra Treviros. Ad hujus & Mosellæ confluentes. Mediolanum est, vulgò *Bergcastel*, à Nicetio Episc. Trev. muro, 30. turribus, aulaque marmoreis columnis fulta cinctum & ornatum.

Dracuina, Rhætiæ in Sueviâ Cisdanubiana, *Trauburg* Lazio. Baudrando in Vindelicia, nunc *Ehingen*, seu locus in suburbiis, ex altera parte Danubii. Oppidul. nullius momenti. 3. leuc. supra Ulmam in Occ. In Suevia.

Dracunteus, sive *Dracuntius*, *Dracontius* Ptolemæo, Africæ propriæ adjacens insula. *Chelbi* Nigro dicitur, in mari Mediterr. nunc *Galata*, Baudrando. 30. mill. ab ora regni Tunetani in Bor. paulo amplius à Tabraca insf. *Chelbi* autem seu *Chirbi* sunt 4. scopuli exigui, longius in Bor. versus Bonum Caput, à quo 45. mill. distant in Circium.

Dracus, Achæorum dux, à L. Mummio Romanorum duce victus. Liv. *lib.* 52.

Dracyllus, nomen Comicum, apud Aristoph. Acharnan.

Dragamutina, Slavorum urbs, in Germ. nunc *Travemund*, seu Travæ ostium, ubi in mare Balt. se exonerat. Arx Holsatiæ est, in Vagria regiunc. in confinio Ducatus Megalopolitani. 2. leuc. à Lubeca in Ort. Dicitur etiam *Treva*.

Dragmus, urbs Cretæ. Steph.

Dragogi, Asiæ pop. quos Arrianus *lib.* 3. *de gestis Alexandri*, cum Drangis numerat.

Draguinianum, urbs Provinciæ, in Gall. versus montes. 5. leuc. ab ora littor. maris Mediterr. in Bor. totidemque à Foro Julio in Occ. 7. à Fano S. Eutropii in Bor. Optimè sita, solo fertilissimo, sed bellis deformata. Ejus insigne, Draco, cum lemmate, *Alios nutrio, meos devoro*. Bouch. *histor. Prov. lib.* 4. *cap.* 2. *§.* 6. *&* *lib.* 10. Morerius.

Drama, urbs Thraciæ, in Macedoniæ confin. Curopal.

Drances, unus ex Latini Regis proceribus, eloquens quidem, sed imbecillis, Turno Rutulorum regi infensissimus. Virgilius *Æneid.* 11.

Dranga, pop. Persici, unde fœmininum *Drangæis*, & regio *Drangiana* Steph. Quæ Carmaniâ def. ab Occasu, à Septentrione Ariâ, & Bagoa monte, ab Oriente Arachosiâ, à Meridie Gedrosiâ terminatur. Natal. Metel *Sigistan*, Mercatori, & Castaldo. Maximè Orientalis est totius Persiæ. In ea Urbes olim claræ Prophthasia & Ariaspe. Vid. *Prophthasia*, à qua hodie regioni nomen. Ferr. & *Sigestania*.

Dransi, Thraciæ pop. Herodot. *lib.* 5. ad editum puerorum sedentes plorant, & quæcunque necesse sit illi, qui vitam ingressus est, perpeti humanas calamitates, recensent. Fato functos magnâ lætitiâ sepeliunt. In exemplaribus emendatioribus legitur *Τραυσοὶ Trausi*.

Drapes Seno, ut primùm Gallia defecit, collectis undique perditis hominibus, impedimenta & commeatus Romanorum intercepit. Hirtius *lib.* 8. *de B. G. c.* 30. Captus à Caninio paucis diebus sese cibo abstinuit atque ita interiit. Ibid. *cap.* 44.

Drapsaca, Bactrianæ urbs. Arrian. *Hist. l.* 3.

Drasoca, Paropanisi, & Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Dratygenia, Asiæ regio. Polyb.

Drauca, Cretæ civitas. Isacius *in Lycophr.*

Draudacum, castellum Penestiæ regionis. Livius.

Drausi, Vid. *Dransi*.

Dravus, Pannoniæ fluv. quem Danubius excipit. *Darus* dicitur Ptolemæo. *Drabus* Straboni, vulgò *Dra*. L.Loyd. Germ. fluv. Oritur ex Alpibus, in confin. Tirolis & Diœcesis Salisburgensis, juxta vicum *Innichen*. Dein in Carinthia, auctus Geyla, Lavanto & Mura fluv. inter Stiriam & Hungariam fluit; ubi Sala aliisque min. receptis, in Danubium labitur, paulo infra Esechium, ad opp. *Erdwdy*, aliàs *Teutoburgium*. *Trab*, Hungaris, Baudr. Hunc fluv. junxit Solimannus Imp. Turcarum ponte admirandi operis, ultra milliare porrecto XXV. M. hominum ad id operâ usus, A. C. 1565. secundâ suâ in Hungariam expeditione, in qua tamen paulo pòst, Sigetho capto, Obiit Anno 1566. Vide Thuan. *Hist. lib.* 39.

Draxum, Siciliæ locus sacer, ubi agricolæ dona offerebant. Hesychius.

Drecanum, locus Coæ insf. versus occidentem, & pagus. Strabo.

Drelincurtius Carolus, Pastor Ecclesiæ Reformatæ Parisiensis, quæ Carentone suos cœtus habet, pietate, eruditione & scriptis celebris: Inter quæ eminent: *les Consolations de l'ame fidele, contre les frayeurs de la mort*: plurimæ, *in varios N. T. libros*, *Homiliæ*: *Catechismus*, Assertio veritatis contra Ernestum Hassiæ Landgravium, &c. Obiit haud pridem.

Drentia, regiunc. Belgii, in parte Septentr. Transisalanæ prov. sub Hollandis, inter Frisiam Occ. & inferiorem partem Diœcesis Monasteriensis, ubi Concordia, Urbs in limite Germ.

Drepana, urbs Lyciæ.

Drepana, pl. num. vel *Drepanum*, promuntorium, & urbs Siciliæ, trans Lilybæum, non procul ab Eryce monte, ita dicta quòd δρεπανοειδὴς sit, hoc est, *in modum falcis incurvata*; vel ab eo quòd Saturnus, amputatis virilibus paternis, illuc falcem projecerit. Ovid. *Fast.* 3.

Quiq; locus curvæ nomina falcis habet.

At verò in portu Drepanitano terra non curvatur in falcis modum, sed in acumen desinit. Ac proinde *Drepano* videtur nomen fecisse Punicum דרבן *Darban*, id est, *aculeus*, quod extat in Ebræo Scripturæ textu, 1. Sam. 13. 21. Bochartus. Baudrando urbs est in valle Mazarana, ad radices montis S. Juliani, permunita, cum arce valida, *la Columbara*, & portu capacissimo, cùm aliàs esset in monte Eryce, ubi nunc rudera, *Trapano del monte o vechio* dicta; 12. mill. distat à Lilybæo prom. 60. à Panormo in Austr. 22. à Mazara in Bor.

Drepanius Florus Franciscus, sub Clodovæo II. Psalmos, hymnos, &c. composuit, Bibl. *PP. t.* 8. *edit.* 2.

Drepanius Latinus Pacatus, Auctor Panegyrici Theodosii, Aquitanus. Sidon. Apoll. *lib.* 8. *ep.* 11. *ad Lupum*. Auson *Idyll.* 12.

Drepanum, urbs in Bithyniâ ad sinum Astacenum, postea *Helenopolis*, in honorem Helenæ Constantini M. matris appellata, media fere inter Nicomediam ad Bor. & Nicæam ad Meridiem. Nicephorus Callistus.

Drepanum, promuntorium tergeminum. Unum in Cyrenaicâ regione, in illius & Africæ confinio ad Syrtim magnam, apud Automalam op. *Punta Sabia*, teste Marmolio. Alterum Cretæ, in orâ Boreali, inter Cydonem & sinum Amphimalum, *Capo Melechia* Moletio. Tertium in orâ Cypri occiduâ apud Paphum urbem, *Capo di Baffo*.

Drepsa, Ptol. Sogdianæ regionis metropolis. *Darapsa* Strabonis esse vult Villanovanus, à Strabone tamen hæc Bactrianæ attribuitur.

Dresa vel *Dresda*, vulgò *Dresen*, vel *Dresden*, Misniæ in sup. Saxonia caput, opp. situ aspectuque amœnissimum, valido murorum circuitu, foveis, ac propugnaculis à Carolo M. contra Bohemos, A. C. 800. & postea à Principibus suis, probè munitum; publicorum, privatorumque ædificiorum nitore cum præcipuis Misniæ urbibus decertat. Ab Albi fluv. qui eam in duas partes secat, irrigatur, cujus margines pons, stupendâ ad longitudinem serie, ex saxo durissimo fornicatus conjungit, habens in citeriore latere Dresam antiquam, frequenti habitatione celebrem. Duces Electores Saxoniæ hic sedem, & Armamentarium amplum posuerunt, cum arce munitissima. 3. leuc. supra Misnam in Ort. 5. à confin. Bohemiæ. Hic, ortâ, post mortem Melanchthonis, inter Flaccianos & Wittembergenses Theologos, contentione, cui colloquium Aldenburgense A. C. 1568. habitum mederi non potuit, Augustus Elector A. C. 1571. conventum indixit, ubi *Consensus Dresdensis* conscriptus est, sed & hunc Jenenses Theologi carpebant. Conventum ergò Torgæ, & ex Flaccianorum opinione, Anno 1574. formula Concordiæ conscripta est, ad quam approbandam omnes Theologi adacti, Wittembergensibus Professoribus, quòd eam recusarent, primò sub custodiam, dein in exilium missis. Hospinian. *lib. Con. cap.* 2. 3. *&c.* Ibidem Fratribus è Bohemia ejectis, à Ferdinando II. Imp. tutum hospitium, ut & Pirnæ, Electoris Johannis Georgii benignitate patuit: A. C. 1628. reliquis in Polonia, apud Raphaelem Com. item Lesnensem, Palatinum Belzensem, Lesnæ inprimis ac Vlodaviæ, effugio concesso. Apol. Fratr. *contra Sam. Martin.* Lætus *Comp. Hist. Univers.*

Dresia, urbs Phrygiæ. Steph.

Dricca, Scythiæ fluv. Jornandes.

Driencuria, nunc *Drancourt*, nobile quondam in Gallia castrum Comitum Augensium, ad fluv. Earam, 5. ab Auga leucis. Ejus meminit Wilh. Britto Armoricus *Philipp. l.* 6.

Drilla, pop. Cappadociæ in orâ maris Euxini, inter Trapezuntios & Colchos, Macronibus finitimi, teste Arriano *in Peripl.* Sed apud Xenophontem inter Cerasuntem, & Trapezuntem urbes.

Drilo, fluv. Illyrici, *Drinax* Nigro, nunc *Drino*, duplex. Alter ex Scardo monte ortus, *Albus* dicitur; Alter verò, qui ex Lichnide palude, *Niger*: qui simul coëuntes, antequam ad mare perveniant, & iterum se dividentes, Insf. efficiunt, & duobus ostiis prope Lissum urb. *Alessio*, in Mare Adriat. exeunt. J. Lucius. Hinc sinus Illyricus modernis *Sinus Drilonis*, *Golfo dello Drino*, unde imperiti finxerunt *Golfo di Lodrino*. Baudr. Ejus meminit Nicander,

——— Δρίλων, καὶ Νάρων@ ὄχθη.

Vide Bochartum *de Col. Phœn. pag.* 503.

Drilonius, urbs maxima Celticarum. Steph.

Drilophyllitæ, Indiæ intra Gangem populi. Ptol.

Drimachus, dux fugitivorum à Chiis ut Deus cultus, hic senex puero se jugulandum dedit, sepultus à Chiis, sacello erecto.

Drimaa, Græciæ regio juxta Parnassum montem, Plinio *Daulis* appellata. In eâ Daulis urbs est apud Ptolemæum.

Drimati, pop. Arabiæ Felicis. Plin.

Drinius, vel *Drinus*, fluv. geminus, ut videtur; unus Macedoniæ, ex Lychnido lacu manans, & obliquè fluens in mare, ad Lissum urbem labens, *Boliana* Dalmatis dictus, teste Nigro, ac idem est cum Drilone, ut aliquibus placet. Alter ex monte Scardo inter Illyricum, & Mysiam superiorem, in Saum fluv. delatus, *Drino, la Drina*, & *Caradrina* dictus. Baudrando Drinus fluv. Illyrici, *Drino*, ex Scardo monte ortus, auctusque aliquot fluminibus, Drinopolim rigat, & Bosnam à Servia disterminat, dein in Savum fluv. se exonerat. 15. leuc. Germ. supra Taurunum.

Drinopolis, quæ fortè & *Sidrena*, urbs aliàs Illyrici, nunc Serviæ.

Serviæ, ad Drinum fluv. in confin. Bosniæ, 20. mill. à Savo fluv. in Austr. 26. à Sarajo in Ort. sub Turcis; *Drina War.*

Drinus seu *Drinajus*, *Kiri* vulgò, rivulus est, ex Or. parte Civit. Scodræ fluens; estque Clausula Livii, teste J. Lucio.

Driodones, Dii Lacedæmoniis sic dicti. Hesychius, Δηλοδόνες, θεοὶ παρὰ Λακεδαιμονίοις.

Driopides, unus ex Athen. legatis, quos illi societatis (cum Alexandro initæ) fide violatâ, ad Darium miserunt, captus ante Damascum à Parmenione. Curt. 3. 60.

Drios, Arcadiæ mons. Diodor.

Drista, urbs Mysiæ inf. in Bulgaria. V. *Tirista*.

Drivastum, seu *Trivastum*, urbs Albaniæ Episc. sub Ar. Antibarensi. Turcis paret, raroque habitatur. Juxta Labeatis palud. 15. mill. à Scodra.

Drius, quartus Rex vett. Gallorum, cui Samosathen filius Japheti originem dedisse dicunt. Literatus, & Druidum, juxta quosdam, auctor. Beros. *l.* 5. Dupleix *mem. Gall. l.* 2. *c.* 5.

Drobeta, Daciæ urbs. Lib. Notit.

Drocum, vulgò *Dreux*, urbs Gall. in Belsia, & tractu Carnutensi, ad amnem *Blaise*, qui paulo infra cadit in Eburam. Cum castro munito antea in colle, nunc semidiruto: Prælio, inter Reformatos & Pontificios, an. 1562. ut & Henr. IV. contra Ligistas, famosa. Antiquissima totius Galliæ, à Drio IV. Rege, condita. Ibi aliàs Druidæ & Druides, V. ibi, quibusd. etiam Durocasses.

Drogheda, urbs Hibern. in Ultonia, in Comit. Lugensi, ad Buvindam flu. versus ejus ostia, cum portu satis capaci: non procul à mari Hibernico; *Droghdagh*, seu *Tredagh*.

Drogo, Dux Britanniæ, Alano Patri, adhuc infans successit. Anno 959. servidâ aquâ à Matre, Fulconis Andeg. postmodum uxore, interemtus. Mezeray, *ep. hist. Gall. p.* 287. Item Ep. Metensis, fil. nothus Caroli M. Obiit 855. Sirmond. *t.* 3. *Conc. Gall.* Chenius, *t.* 2. *hist. Fr. Script.* &c. Item, Arch. Lugdun. sec. 12. Item, Præsul Ostiensis, Gautier, *in Chron.* Bibl. *PP. tom.* 2. *col.* 656. *edit.* 1624. Item, fil. Pepini Crassi, obiit ante Patrem, an. 708. ex Austrude, fil. Waratonis, pater Hugonis Arch. Rotomag. &c. SanMarth. *Geneal. fam. Gall.*

Drogo, Flander, Episc. Theruan. post Balduinum, an. 1036. Scripsit vitam S. Godolenæ, S. Osvaldi, Northumbriæ R. &c. an. 1078. obiit. Mejer. *Fland. Annal. lib.* 3. Siml. *append. Gesneri.* Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 45. Vincent. *l.* 29. *c.* 13. *&c.*

Droge, Apuliæ comes.

Dromæus, Apollo Cretens. & Laced. dictus. Plut. *Symp.* 6. 4. Πύκτη μὲν Ἀπόλλωνι Δελφοὺς, Δρομαίῳ δὲ Κρῆτας ἱςορεῖ, καὶ Λακεδαιμονίους.

Dromeus, Parasitus quidam, interrogatus, An apud Chalcidem lautum pararetur convivium; respondit, jucundius sibi videri Chalcidensis cœnæ procemium, ostreorum numero, & varietate.

Dromichætes, Dux Thracum in partibus Antiochi, Cypsela oppugnantis, quos aureis torquibus & argenteis armis ornatos ante aciem duxit, & sic spe paris felicitatis in partes suas traduxit. Polyæn. 4. *in Antiocho. L.* 7. vocatur Rex, qui astu Acthæ ducis sui, Lysimachum cum omnibus suis copiis, (erant autem 100000.) internecioni dedit. *pag.* 514. *&* 515.

Dromiscos, insula Mileto conjuncta. Plin. 2. 89.

Dromochetis, Getarum rex, qui Lysimachum hostem bello captum mirâ clementiâ illæsum remisit. Aliis *Dromocheres*.

Dromoria, urbs ep. Ultoniæ, in Comit. Dunensi, ad Laganum flu. 25. mill. ab Armaco in Ort. 18. ab Antrimo in Austr. sub Arch. Armachano.

Dromos Achillis, insf. maris Euxini, aut potius peninf. Sarmatiæ. *Fidonisi* Nigro, & Castaldo; sic dicta, quia Achilles illuc usque Iphigeniam à Dianâ raptam, ne immolaretur, est amanter persequutus. Cæl. Rhod. 14. 4. Vide *Achillea*.

Drongilum, regiuncula Thessaliæ. Steph.

Dropici, Persici populi. Herodot.

Dropides, frater Solonis, Poeta, non tamen par fratri. Ex hoc mater Platonis orta. Voss. *de G. P. c.* 3.

Drosache, Serica urbs. Ptol.

Drosica, Thraciæ præfectura. Ptol.

Druentius, mel. *Druentia* Livio, Plinio ac aliis, qui longè omnium Galliæ fluminum difficilimum transitu commemorant. Italis *Durance* ac *Durenza*, fluv. rapidissimus Gall. Narbon. ex Alpibus ex adverso Padi oriens, ac per Delphinatum & Provinciam in Rhodanum labens, Strabo *l.* 4. Livius & Silius navium patientem esse negant: cùm tamen in vet. marmore *Naviculariorum Druentiorum* fiat mentio, unde Romanorum industriâ navigabilem factum apparet. Ejus meminit Sil. *l.* 3.

Turbidus hic truncis, saxisq; Druentia latum
Ductoris vastavit iter. Baudr. oritur in Delphinatu, Valesio è colle Crucis *col la Croix* monti Vesulo proximo defluens, Villam veterem, Montem Bardonis, vicos S. Clementis & S. Andreæ, Ebrodunumque rigat & versus Vapincum labitur. Dein per Provinciam, rigatis, post Talartium & Ventavonem, Sisterone, Castello Arnolphi, Monteforti, Manosca, Caprariis, ubi Virdonem recipit, Pertuso, Villa laurei, Roccâ, Laureto, Mirandulo, labens, hic in duos alveos scinditur, quorum major, cui Orgo adsidet *la Durance*, minor *Durensole* accolis: in mediâ hac insf. monti insidet Cabellio Cavarum. Postquam rursus coiit, Calvum montem, Bonum passum & Novas præterlabitur, & apud Barbantanam castrum monti impositum, 1. leuc. infra Avenionem in Austr. Rhodanum subit. Huc Massiliâ usque habere sedes *Salyos* scribit Strabo. *Notit. Gall.* Incertum hunc fluv. vocat Ausonius, quòd nullis coërceatur ripis, & pluribus simul alveis fluat. Annibali obstitit olim, hodie navigabilis non est, & pontibus caret.

Drugeri, Thraciæ populi, Hebrum accolentes, ut vult Plin. 4. 11.

Druida, castellum Umbriæ, ad Tiberim.

Druidæ, sive *Druides*, Cæsari, & Ciceroni *de Divinat.* ii erant apud Gallos, & Britannos, qui Græcis Philosophi, Persis Magi, Indis Gymnosophistæ, Assyriis Chaldæi: uti scribit *in Proœm.* Diogenes Laertius. An *Eubages* Amm. Marcell. *l.* 15. & *Saronida* Diod. *l.* 6. *c.* 9. 12. Originem nominis à Græcis petit, Plinius 16. 44. ubi sic scribit: *Nihil habent Druidæ (ita suos appellant Magos) visco, & arbore in quâ gignatur (si modo sit robur) sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos: nec ulla sacra sine eâ fronde conficiunt, ut inde appellati quoq; interpretatione Græcâ possint Druidæ videri.* Nimirum sensit esse à Græco Δρῦς, id est, *quercus*: quia, ut inquit, *roborum eligunt lucos*, quod ipsum confirmat Lucanus *l.* 1. —— *Nemora alta remotis Incolitis lucis.* Itemque hoc Cæs. *l.* 6. *bell. Gall. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in luco consecrato.* Sic eum locum rectè corrigit Casaubonus *notis ad Laertium*. In vulgatis enim pro *luco*, est *loco*. Ex hac arbore viscum unus ex Sacerdotibus falce aureâ colligere solitus, illud candido panno excepit; duobus albo colore tauris mactatis, qui nunquam sub jugo fuissent, tandem convivio toti pompæ finis factus est. Potu sumtum videbatur omne animalium genus fœcundare, & venena pellere. Quidam ab Hebræo *Derussim*, *Drussim* vel *Drissim*, i. contemplatores dictos, volunt. Diodor. inter Theologos esse dixit. Pherecydes, Pythagoræ præc. primus publicavit Druidarum argumenta, pro Animæ immortalitate, qui proin faciles pecuniam mutuò dabant, modò in altero mundo redderetur. Astrologiæ, Geographiæ, Geometriæ, Politicæ inprimis periti, hinc rerum Arbitri omnium. Ex illis *Eubages* dicti, contemplationi, *Semnothei* sacris vacabant, sub uno Capite. Cæs. *de B. G. l.* 6. Libris non usi, sola memoria docti evasere, Mela *l.* 3. *c.* 2. 24000. millibus versuum, insignium virorum gesta, posteris tradentes. Ova serpentium, ad animos Principum conciliandos, & felicem rerum successum rati efficacissima. Plin. *lib.* 16. *c.* 44. *l.* 24. *c.* 11. *l.* 29. *c.* 3. *l.* 30. *cap.* 1. Vid. infra. Sed quod ad etymon (quod Becmanus quoque sequitur, ac Fungerus) placet sapiens Strabonis consilium, qui negat in appellationibus gentium barbararum quærendas esse Etymologias Græcas. Mirum verò, doctiss. Camd. *in Brit. suâ* subscribere Plinio, cùm idem auctor sit, Alfricum prodere, *Magum* Saxonibus *Dry* vocari. Nam verisimile magis ab hoc esse *Druida*, quàm hoc à *Dryidis*. Adde quòd *Druidarum* nomen inde est, unde disciplina, at Cæs. *l.* 6. ac Tac. 14. *Annal.* auctores sunt, Druidarum disciplinam esse è Britanniâ, ubi nullam unquam Græcorum coloniam deductam constat. Non igitur à Græcis ea vox, sed Britannis, quibus Germ. lingua in usu fuit, test. Tac. ac Cæs. Ille enim habitantibus Caledon. quæ Scotia hodiè, Germ. originem tribuit: Hic in Britan. colonos transisse ait ex Belgicâ, in quâ eodem auctore, Germani CisRhenani. Quare ingeniosè Gorop. Becanus *l.* 1. *Gallic. Druis* Germ. esse putat, quasi *trovVis* & Britannicè *truvVis*, i. *Veritatis ac fidei doctor. Wis* enim, seu *Wys*, si verbum est, notat *ostendere*, (Belgis *Wysen*) sin nomen, significat *sapiens*, *intelligens*: Prior *tru*, sive *trou* signat *fidem*, unde & Deus priscis Germ. *Drutin*, vel *Trutin*, quasi *fidelis* vocatur. Voss. *Druidæ* autem extincti sunt sub Tiberio Cæs. Plin. 30. 1. *Tiberii principatus Druidas Gallorum sustulit.* Dicuntur etiam *Druydæ*, *Druydes*, & *Dryidæ*; secundùm quosd. à Druyde, Sarronis fil. quarto Celtarum R. sic dicti, quòd is Philosophus fuerit peritissimus. Vid. *Druys*. Humanis hostiis sacrificare Mercurio soliti fuerunt, quam religionis immanitatem improbavit Augustus, puniit graviter Tiberius, sustulit Claud. teste Suet. *in ejus vitâ*. Amm. tamen Marcell. Tac. *l.* 13. Lamprid. *in Alex.* ejus adhuc meminerunt. Cæterùm non virorum solùm hoc nomen, verùm & fatidicarum fœminarum. Vopiscus, *in Aurel. Dicebat quodam tempore Aurel. Gallicanas consuluisse Dryadas.* Monuit quoq; una ex his Alex. Severum Imper. ad Germ. proficiscentem bellum, *ne victoriam speraret, neq; militi suo crederet*: qui quoque his neglectis jubente Maximino mox Moguntiæ interfectus est. A. C. 237. Et Diocletianus Druidas magni habuit, ex quarum prædictione Imperium assecutus legitur, apud Vopisc. *in ejus vita*. Aur. Victorem, Eutrop. *l.* 9. *&c.* V. Eliam Vinetum *ad Professores Ausonii*, Cluver. *l.* 1. *de Germ. Ant. c.* 30. Merul. *Cosmogr. sua parte* 2. *l.* 3. *cap.* 11. Diod. Sic. *libr.* 6. *cap.* 9. 12. Steph. *de Urb.* Strab. *libr.* 4. Vopisc. *in Numeriano.* Cœl. Rhod. *lib.* 18. *cap.* 21. Rouillard. *hist. Carnut. c.* 1. *n.* 5. *&c.* Lucan. *l.* 1.

Et vos barbaricos ritus, moremq; sinistrum
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos, & cœli numina vobis,
Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis, vobis auctoribus, umbræ

Non tacitas Erebi sedes, Ditisq; profundi
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ
Mors media est. —— Et Conradum Celten, in descr. Nurembergæ.

Druides, seu *æ*, pop. Galliæ, pars Carnutum, ubi nunc Comit. Drocensis in Belsia, quorum opp. prim. Drocum, 7. leuc. à Carnuto. Fuere & Magi, qui in roboribus sacris, ubi nunc vicus *Rouures*, sacrificabant, ad Vegram amnem, dimidiâ leuc. ab Ebura fluv. 3. à Droco in Bor. 14. à Lutetia in Occ. Robertus, fil. Ludovici Crassi, hunc Comitatum obtinuit, caput Comitum: Unde & Duces Britanniæ orti. Petronella & Margareta, hæredes Simonis Thuartii, hunc Comit. Carolo V. cesserunt. Morerius.

Druna, mel. *Druma*, fluvius Gall. in Delphinatu, qui tribus à Valentiâ leucis in Austr. Rhodanum ingreditur, & hodiè *la Drome* vocatur, primùm Ausonio *in Mosella*, memoratus. Oritur 7. leuc. à Vapinco in Occ. rigatque Diam & Crestidium, Baudrando: Valesio oritur in Alpibus Vocontiis ex ingenti fonte vel potiùs lacu, alluitque Bellummontem, & vicum S. Desiderii *S. Disier*, nec procul à Bellagarda & à monte, in quo Lucus municipium Vocontiorum fuit, lapsus, mox Aquas *Aix*, tum Deam Vocontiorum attingit, (*Die*) Salientes *Saillans*, Cristam *Crest*, Laureolum *Lauriol*, Vallem Drunæ *Vau-Drome*, ac demum in Rhodanum defluit inter Valentiam Segalaunorum & Montilium Ademari, tribus leucis ab urbe Valentia, ut dictum. Laureolum porro quidam *Aureolum*, alii *Aureolos* vocant, & *Prioratum S. Johannis de Oreolis* in Polyptychis reperio: quibus si accedimus, *l'Aurol* aut *l'Oriol* scribi convenit. Est alter ejusdem nominis fluvius in Aquitania, *Druna* & *Drona* Latinis scriptoribus dictus, accolis *Dronne*: qui Corterate alluit *Coutras*, & ab Ella *l'Ile* in Duranium defertur. Est & Drumâ *Drome*; quem Aura *Aure*, in tabulario Ecclesiæ Baiocassinæ Aurea nuncupatus accipit, *Not. Gall.*

Drungarius, præfectus *Drungi*. *Drungus* autem Græcobarb. Δροῦγγος, globus militum, vel pars quædam exercitus est, sub adulto Imperio vox nota Romanis, quâ tamen primitus non de suis, sed de gentium militibus usi sunt, V. Vopisc. *in Probo*, Vegetium *de re mil. l. 3. c. 16.* &c. dein in ipsius Orient. Imperii militiam irrepsit, ut ex Codino & Leonis Imp. Tacticis patet: ubi constat, *Drungum* etiam fuisse numerum aliquot Comitum i. Cohortibus præfectorum, sub *Drungario* merentium. Leunclavio *Drungus*, non pauciores quàm mille, nec plures quàm 4000. milites continebat. Græcis olim χιλιαρχία, Italis, Gallis, Germanis *Regimentum*. Fuit autem in exercitu *Drungarius*, i. Tribunus seu Chiliarcha, tertius: Hoc enim ordine à Leone militiæ gradus numerantur, Imperator, Merarchæ, Drungarii, Comites, Centuriones, Decani, Quintani & Quartani. Δροῦγγος Leunclavio, apud Græcos recentiores, uti *Agla*, apud Turcos, baculum vel sceptrum officii ac dignitatis significat, an à Lat. *trunco*? Spelmanno verò Saxonica videtur vox, & confertam multitudinem, hodieque Anglis *throng* denotare. In infer. Imperio Constantinopoli clarus fuit *Magnus Drungarius*, qui duplex, Biglæ & Classis. Prior vigiliæ & excubiarum erat Præfectus, meruitque in Castrensi militia sub Magno Domestico: Gerebat hic sceptrum judiciale, post superiorem condylum, qui in omnibus inauratus erat, aureum & coccineum, ad imum usque accuratè ornatum; V. de jurisdictione ejus Manuelem Comnenum *Novellâ* 2. de Præfecto verò Vigilum ab Augusto constituto, *ff. l. 1. tit. de off. præf. vigil.* Posterior in re marina, magno Duci fuit subjectus. Præerat hic Amiralio, Protocomiti, Drungariis & Comitibus i. Cohortium præfectis, habebatque sceptrum è ligno lævi, aliquando absque judiciali sceptro erat. Notat Meursius à Leone Naumach. navalem hanc præfecturam primitus fuisse, & postea ad militiam terrestrem esse translatam. Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Druphegis, Daciæ urbs. Ptol.

Drusi, populi quidam habitantes ad fines Joppes & Damasci, qui hîc remanserunt post expeditionem à Francis in terram sanctam susceptam. Ducunt vitam prorsus Barbaram, circuncidunturtanquam Mahumetani, bibunt vinum tanquam Christiani, quales haberi volunt, commiscenturque propriis filiabus tanquam belluæ: vivunt inter Turcas, hos tamen & Judæos maximè aversantes, sub Principibus sui generis, bello assueti, audaces & obstinati sunt. Pugnant sclopeto gladioque incurvo, aliqui etiam lanceis & sagittis. Natal. Metel. Hoc seculo celebres illos reddidit Emir Fechreddin, Princeps eorum. Eugen. Rogerius, *descr. T. S. tr. 2. cap. 2.*

Drusi monum. *Eychelstein*, moles testacea, in suburbio Moguntiæ Urb.

Drusiana, à Johanne Apostolo, ad decretum Nervæ Imp. è Pathmico exilio revocato, in ingressu Ephesi, à mortuis excitata. A. C. 96. Joach. Camerar. *in vita Job.*

Drusiana fossa, pars Rheni, post ejus scissionem, in Germ. inferiori dextra, *Ysel* nunc dicta, incipiens apud *arcem Drusianam*, vulgò *Doesburg*.

Drusiana Vallis, in Rhætiâ, vulgò *Walgöw*, per quam fluvius *Langarus*, ex Rhæticone ortus, labitur.

Drusianus, Medicus sec. 14. celebris.

Drusias, Judææ urbs. Ptol.

Drusilla, Agrippæ Jun. soror, primò desponsata filio Antiochi Epiphani, dein Aziazi Emesorum sive Amazorum regis data est. Hanc cùm pulchritudine cæteris præstaret, Felix concupivit: quare misso nuntio, qui erat Judæus Magus, Simon, Cypro oriundus, eam in suam partem flexit: nam hæc sponte relicto priore marito, & religione suâ, hujus nuptias secuta est. Vid. Joseph. *Antiq. l. 20. cap. 9.* Hujus mentio fit Actor. 24.

Drusilla etiam dicta est Livia uxor Augusti.

Drusilla, fil. Germanici, ex Agrippina, nepte Augusti, nupsit L. Cassio primùm, dein M. Lepidio. Tacit. *Ann. l. 5. &c.*

Drusillanus, nomine Rotundus, servus Claudii Imp. Dispensatorque Hispaniæ citerioris. Plin. 33. 11.

Drusipara, Thraciæ urbs. Ptol.

Druso, imperitus historicus, sub Augusto, debitores suos historias à se scriptas audire coëgit, spretas reliquis. Horat. *libr. 1. satyr. 3.*

Odisti & fugis, ut Drusonem debitor æris, &c.

Drusomagus, urbs Rhætiæ. Ptol. hodiè Campidonæ: alii *Kempten*, alii *Memmingen* esse hodiè dicunt.

Drusorum familia, ramus Claudianæ erat, & licet plebeja, 8. tamen Consulatibus, 2. Censuris, 3. triumphis, Dictaturâ, Equitum Magisterio, &c. insignis. Clarissimi Salinator & Drusus, cui nomen ab interfecto Drauso, hostium duce.

Drusus, vir Romanus, genere, & eloquentiâ magnus, sed ambitiosus, & superbus, Catonis avus. Cic. 4. *de Fin.* Interfectus est domi suæ. Idem *pro Milone*.

Drusus, cognom. *Germanicus*, Liviæ Augustæ ex Tiberio Nerone fil. in Germaniâ periit, an. æt. 30. de cujus morte extat Ovidii carmen consolatorium ad Liviam matrem. Frater Tiberii, ex Antonia jun. Germanici, Liviæ & Claudii pater fuit. Vid. Dion. *l. 55.* Liv. *l. 138. & seqq.* Vellei. Suet. Tac.

Drusus, Tiberii ex Vipsania Agrippæ fil. quam, ut Juliam duceret, repudiavit. In Illyrico, & Germania militavit, inde redux Tribunus P. factus est, ob superbiam populo exosus, à Sejano veneno sublatus. Pater duorum filiorum, quorum alter obiit in pueritiâ, alter jussu Caligulæ occisus est & Juliæ Drusillæ, quæ primò Neroni, dein Rub. Blando nupsit.

Drusus Claudii, qui post Caligulam imperavit, filius, impubes Pompeiis obiit, pyro per lusum in sublime jacto & hiatu oris excepto; cùm ei Pater ante paucos dies Sejani filiam despondisset.

Drusus, Germanici & Agrippinæ filius, à Sejano rerum novarum contra avum Tiberium delatus, & custodiâ in Palatio attentus, exstinguitur Ser. Galbâ, L. Sullâ coss. cùm se miserandis alimentis, mandendo è cubili tomento nonum ad diem detinuisset. Tacit. 6. 23. Mox Pseudo-Drusus ortus, de quo Vid. *Annal. l. 405.* Suet. *in Tiber.* Dion. *lib. 57.*

Jul. Drusus Publicola, haud immeritò claruit, quòd domus ejus pluribus partibus vicinis conspicua cùm pateret, & quinque eam talentorum omnino sumptu faber quidam evertendam, atque commodius dirigendam suscipere vellet; *Decem*, inquit, *dabo, si totam eam ita exponas conspicuam, ut universi cives, nedum vicini perspicere queant, quâ domi meæ ratione vivatur.* Nempe vir erat modestus, ac frugi, nec ei fortè ejusmodi domûs perspicuitate opus erat, qui virtutis egregiæ specimen, & præclaræ vitæ documenta eruditissima quotidie foris dabat. Plut.

M. Livius Drusus Salinator, unà cum Claudio Nerone collegâ suo in consulatu Aldrubalem vicit. Virg. *Æn. 6.* Victoriam istam celebrat Horat. *Carm. l. 4. Od. 4.*

C. Drusus, historicus, cùm infans esset, è cunis amissus, postridie demum in celsissimo ædium loco, facie Soli obversâ, repertus est. Sueton. *in Aug.*

Drusus, pulcherrima turris in honorem Drusi Cæsaris privigni immaturo fato defuncti, in portu Cæsareæ ab Herode exædificata. In tribu Manassè. Joseph. 15. *ant.* 12. & 1. *bell.* 16.

Druys Sarronius, Sarronis filius, quartus Celtarum rex. Ab eo sapientum atque augurorum doctore, philosophi illi, quos *Druydas* vocamus, & originem & nomen primum sumpserunt. Regnum cum vita reliquisse fertur anno mundi 2069. & ante Servatorem natum 1901. cùm duodecim annis gubernasset.

Druzon, Phrygiæ maj. op. Ptol.

Dryades, nymphæ silvarum præsides, ita dictæ à Græco nomine Δρῦς. Virg. *Georg.* 1.

Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ.

Calpurnius *Ecl.* 2.

Adfuerant sicco Dryades pede, Naiades udo.

Claudianus, *Faunorum, Dryadumque, dolor.*

Ovid. *in Ep. Semideæ Dryades, Faunique bicornes.*

Dryana, urbs Ciliciæ à *Dryano* condita, *Chrysopolis* postea dicta. Steph.

Dryantiades, Lycurgus Thraciæ Rex, sic dictus, q. Dryantis filius, qui cùm vites excindere vellet, ne Baccho in posterum libaretur, tibias sibi succidit. Ovidius *in Ibin*,

Utque Dryantiada Rhodopeia regna tenenti,
In gemino dispar cui pede cultus erat.

Dryas,

Dryas, antis, fil. Hippolochi, & pater Lycurgi, qui in bello Thebano Eteoclis partes secutus, quum in pugnâ Parthenopæum lethali ictu vulneraſſet, à Dianâ sagittis occiſus eſt. Stat. *Theb.* 8.

Dryas, adis, Fauni filia, aſpectum virorum uſque adeò exoſa, ut in publicum prodire nuſquam viſa ſit. Quo factum eſt, ut ſit vetitum, ne ejus ſacris intereſſent mares. Plut.

Dryas, Theſſaliæ fluv. apud Anticyram, in mare influens, apud Sperchium flu. Gyrald.

Drybacta, Sogdianæ gens. Ptol.

Drylæ, vicus non procul à Ponticâ Trapezunte. Ptol.

Dryma, urbs Lybiæ. Steph.

Drymaa, oppidul. Achajæ, in Phocide mediterr. in tumulo, verſus montes, 20. mill. à Daulide in Bor. 6. à Cephiſſo flu. Nunc quid ſit, ignotum.

Drymia, urbs Phocidis. Steph.

Drymodis, prius dicebatur, quæ nunc *Arcadia*, ſed deinde *Pelaſgis*.

Drymus, urbs inter Atticam, & Bœotiam. Suidas, Δρυμὸς, ἐν τῇ παραπρεσβείας Δημοσθένους, πόλις ἐστὶ μεταξὺ Βοιωτίας καὶ τῆς Ἀττικῆς, hoc eſt, *Drymus in oratione Demoſthenis de Falſa Legatione, urbs eſt inter Bœotiam & Atticam.* Panacto vicinam fuiſſe docent hæc Demoſthenis, Περὶ Δρυμοῦ, καὶ τῆς πρὸς Πανάκτῳ χώρας μεθ' ὅπλων ἐξερχόμεθα, *Circa Drymum & Panacti regionem cum armis prodiimus.* Græcè δρυμὸς eſt *Silva*; An ideo dicta eſt *Drymus*, aut à Phœnicio דרום *durom*, quod *meridiem* ſonat, quia *auſtrale* erat opidum? Bochartus. Alia fuit urbs Eubœæ inſulæ. Strabo.

Drymuſa, inſula Joniæ. Steph.

Drynametum, Galatiæ locus. Strabo.

Drynopolis, Vide *Drinopolis*.

Dryope, nomen cujuſdam, qui Hylam rapuit.

Dryope, præcipua mulier Lemnia, cujus formâ aſſumptâ, Venus perhibetur verba ad congregatas Lemnias habuiſſe & conſilium ſopitos occidendi dediſſe. Flacc. II. 176.

Dryope, Oechaliæ virgo ab Apolline compreſſa, poſt Andræmonis uxor, tandem in lotum arborem converſa eſt. Ovid. *Met.* 9. Nomen à *quercu* & *voce* factum eſt. Fingitur autem in lotum mutata, hanc fortè ob cauſam, quòd inter quercum, & lotum aliqua ſit convenientia, voluitque Ovidius varias naturæ, rerumque vices eleganti admodum veteris philoſophiæ penicillo adumbrare, ut jucundior rerum ex elementis creatarum compoſitio, & conſideratio lectoribus appareret.

Dryope, urbs circa Hermionem. Steph.

Dryopes, pop. Epirotici. Strab. *lib.* 8. & 15. Sunt etiam *Dryopes* pop. juxta Parnaſſum, teſte Servio. *Item pop. circa Oetam, à Dryope Euripyli filiâ dicti.* Steph. regio eorum *Dryopia*. Virg. *Æneid.* 4.

Creteſq; Dryopeſq; fremunt, pictiq; Agathyrſi.

Dryopis, regio Tetrapolis dicta.

Drypetis, minor filiarum Darii ultimi, ab Alexandro M. elocata Hephæſtioni. Diod. *l.* 17.

Drys, urbs Thraciæ, & Oenotrorum, & vicus Lyciæ circa Arum fluv. Steph. Epiri urbs, Suid. Emporium è regione Nicomediæ ſitum, Socrat. *lib.* 6. *Hiſt. Eccl. cap.* 14. Cedreno Suburbium Chalcedonenſe eſt, quem locum nunc *Ruffiniana* dici addit, cui ſuffragatur Calliſtus, *lib.* 13. *cap.* 15. qui ait, Ruffini Conſularis appellationem ad hunc uſque diem obtinere. *Drys* quoque locus juxta Byzantium.

Dryuſa, Samos olim ſic dicta. Steph.

D U.

Duacum, vulgò *Douay*, olim caput Cattuagarum, nunc urbs permunita Flandriæ, ad Scarpam flu. Academiâ an. 1562. à Phil. II. inſtitutâ celebris. 5. leuc. à Cameraco, & Lendio. Sub Gallis ab an. 1667. Guicciard. *deſcr. Belg.* Vid. *Duagium*.

Duæ columnæ, opp. Inſubriæ, in agro Ticinenſi; *Gambulo* vel *Gambalo*.

Duaum, vide *Douaum*.

Duagium Atrebatum, recentioribus *Duacum*, hodie *Douay*, opp. eſt diœceſeos Atrebatenſis, ad Scarpam fluv. qui Albiniacum, Atrebatas, Duagium & Marcianas Monaſterio S. Rictrudis illuſtres alluens, ad vicum Confluentem, *Conſlan*, Scaldi recipitur. Captum eſt à Lotharienſibus A. C. 930. quod Hugo Rotgario conceſſit, A. C. 931. à quo Arnoldo redditum eſt, A. C. 941. juſſu Ludovici R. qui hac lege Rotgarium dimiſerat. Iterum occupatum à Gallis eſt, A. C. 1667. Vide *Duacum*.

Duarenus Franciſcus, Brioceníis, JC. celeberrimus, Biturigibus docuit, ſcriptis inclytus, ſed memoriâ infelix. Obiit an. 1559. æt. 50. Genebr. *in Chron. in Paulo* V. San Marth. *elog. lib.* 1.

Duarus, ſinus Arabiæ Felicis. Plin.

Dubis, Gall. Belg. fluv. Ptol. vulgò *Le Doux*. Malè, ut judicat Valeſius, qui illum *le Dou* vult dici. *Alduaſdubis* Cæſari, & *Alduabis*. Hic Veſontionem Sequanorum opidum penè totum cingit, Cæſar *lib.* 2. *de bello Gallico*. Oritur in limite Helvetiorum ex Jura monte; dein rigatis Franciomonte *Franchimont*, opp. S. Hippoliti, Claro monte, Epomanduoro *Mandeure*, non procul à monte Piligardæ, Caſtello *Chaſteles*, Inſula *l'Ile* & Claravalle *Clervaux*, caſtellis non obſcuris, Balmâ Nonnarum, Caſtellione, tum Veſuntionem interfluit; Rupemfortem dein & Dolam præterlapſus, non longè ab urbe Cabillone & Latona caſtro, apud Viredunum caſtrum, in Ararim ſe exonerat, auctus præ cœteris, infra Dolam Lupâ *la Louve*. Baudr. Hadr. Val. *Notit. Gall.* &c.

Dubitapes, fictor egregius vaſa ex rubra creta primus effinxit.

Dubium, Perſidis regio, tum cœteris, tum cœli & aquarum ſalubritate præſtans. Procop.

Dubius Avitus, Vid. *Vibius Avitus*.

Dublinenſis Comit. prov. Hibern. in Lagenia reg. juxta oram littor. maris Hibern. Ejus prim. urbs Dublinum, in ora, totius Inſ. caput.

Dublinum, Urbs Hibern. Arch. totius Lageniæ prim. imo Hiberniæ, Regum olim, nunc ViceR. ſedes, Academiâ celebris, ab an. 1320. Vid. *Eblana*.

Dublinum, vulgò *Doblin*, urbs Curlandiæ ſeu Semigalliæ Duc. in Polonia, in confin. Samogitiæ. Aliàs *Dobelen*, 6. leuc. Germ. à Mittavia in Auſtr.

Dubris, Vide *Darvernum*.

Duca, Mauritaniæ Cæſarienſis pop. Ptol.

Ducaledonii, pop. Vid. *Caledonii*.

Ducaledonius, & *Duecaledonius* Oc. V. *Deucaledonius*.

Duccala, prov. regni Marocci, in ora littor. Oceani Atlantici, inter oſtia Ommirabihi & Tenſiſti fluv. verſus caput Cantinum. Urbes præcip. Azafia & Azamurium.

Ducennius Geminus, vectigalibus à Nerone publicis præpoſitus, cum duobus itidem Conſularibus L. Piſone & Pompejo Paulino. Poſtea ſub Galba Præfectus Urbis. Tacit. 1. *hiſt.* 14.

Ducona, Cadurcorum in Gallia urbs, vulgò *Cahors eu Querci*.

Duderſtadium, opp. Germ. ad amnem *Wipper*, caput regiunc. Eiſchfeldiæ, inter Thuring. & Duc. Brunſuic. ſub El. Moguntino.

Dudia, nomen viri. 2. Paral. 27.

Dudinckhuſa, opp. Comit. Waldeccenſis. Metel.

Dudini, pop. Illyrici, quorum oppidum *Nadin* Pineto videtur, in Liburnia.

Dudithius Andreas, Epiſcopus Quinqueccleſienſis, vir in Concilio Tridentino clarus, ad Maximilianum Cæſarem, cui gratiſſimus erat, *epiſt.* 2. de Patribus ejus Concilii, inter alia ſcribit: *Erant utres, ruſticorum Muſicum Inſtrumentum, quos, ut vocem mittant, inflare neceſſe eſt. Româ reſponſa, tanquam Delphis aut Dodonâ expectabantur*, &c. Poſtea, uxore mirabili modo in aulâ Polonicâ ductâ, Proteſtantium doctrinam primò amplexus, dein inter eam & Sociniſticam diu fluctuavit: hinc neutris acceptus, Libertiniſmum ſtrenuè propagavit, V. hac de re ejus & Th. Bezæ *Epiſtolas*. Tandem A. C. 1589. Vratiſlaviæ, cùm ſibi mortem ex ſcientia aſtrorum, cujus peritiſſimus erat, prædixiſſet, placidâ morte, *Chriſtum ſalutis noſtræ propitiatorem jugiter invocans*, deceſſit. Vid. Thuan. *Hiſtor. l.* 96.

Dudo, ex Neuſtria, ſcripſit Normannorum, in Gallia, progreſſus, Poëta magis quàm hiſtoricus, ſec. 10. Saxo Gramm. *l.* 1. Voſſ. *de H. L. lib.* 2. *cap.* 41.

Dudua, Galatiæ urbs. Ptol.

Dudum, Libyæ interioris op. Ptol.

Duel, pater Eliaſaph, principis tribus Gad. Num. 1. Lat. *agnoſcite Deum*, aut *ſcientia Dei*.

Duellium, Germ. *Hohenwiel*, arx Sueviæ probè munita, in arduo monte, in dit. Ducis Wirtemberg. pluries, ſed fruſtra, ab Auſtriacis obſeſſa.

Duellonam, antiqui *Bellonam* appellabant. Var. 4. *de L. L.*

Duellum, Vide *Campus*.

Duenna, Vid. *Dovena*.

Duglaſium, caſtrum Scotiæ, in Lothiana prov. in confin. Marchiæ, verſus oram littor. maris Germ.

Duglaſſium, caſtrum Monædæ Inſ. Angliæ, in mari Hibern. in parte Or. Inſulæ, verſus Umbriam. Vid. quoque *Douglaſſius*.

Duglaſſius, Vid. *Douglaſſius*.

Dugloſſus Johannes Longinus, Polonus, Arch. Louv. A' Caſimiro III. filiorum educationi admotus, ſæpius Legatus. Scripſit Vitam S. Stanislai 3. libb. an. 1465. & Hiſtoriam Polon. uſque ad annum mortis 1480. quæ manuſcr. Romæ aſſervatur. Æn. Sylvius, *ep. ad Sbign. Card.* Cromer. *l.* 29. Herb. Folſtinus, *præf. comp. hiſt. Pol.* Michovius, *lib.* 4. *cap.* 7.

Duillius, Romanus, qui primus Romæ ex navali victoria triumphavit. Olymp. 130. U. C. 494. Liv. *l.* 17. *Brev.* Cic. *dial. de Sen.* Tacit. *Annal. l.* 1. *c.* 12. Hic jam ſenex & trementi corpore in quodam jurgio, audivit exprobrari ſibi os fœtidum, triſtiſque ſe domum contulit: Quumque apud uxorem queſtus eſſet, quare nunquam ſe monuiſſet, ut huic vitio mederetur; *Feciſſem* (inquit illa) *niſi putaſſem omnibus viris ſic os olere*. Idem de Hieronis uxore narrat Plutarch.

Duina, vulgò *Dwina*, prov. Moſcoviæ Sept. verſus oſtia fluv. *Duina*, ubi urbs præc. Archangelopolis, emporium celebre prope mare Album.

Duina, vulgò *Duna*, fluv. Poloniæ, al. *Dzvvina*: Oritur in Moscovia, prope Volgam; dein per Lithuaniam fluit, ubi auctus fluviis aliis, Vitebsciam & Polotzam Urb. rigat, postea Duneburgum alluit in Livonia, & Rigam, infra quam in mare Balt. & sinum Rigensem se exonerat, ad arcem Dunemundam. Quibusdam est *Rubo* flu. antiquorum.

Duina, vulgò *Dvvina* fluv. ex præcipuis Moscoviæ. Oritur in Vuologda prov. supra Urb. Wologdam, quam rigat, & post longum cursum, auctus plurimis flum. duplici ostio in mare Album se exonerat, paulo infra Archangelopolim.

Duinum, castellum Fori Julii.

Duiona, Vid. *Divona*.

Duisburgum, urbs Duc. Clivensis, ad Rœram fluv. qui paulo infra in Rhenum cadit, antea libera & Imper. nunc sub El. Brandeb. 4. leuc. à Vesalia in Austr. 4. à Duseldorpio in Bor. Celebris Academiâ haud pridem institutâ. Hic concilium an. 927. Flodoard. *Chr.* Rhegino.

Dulcinium, urbs Illyrici, in ora maris Adriat. sub Turcis. V. *Olcinium*.

Dulcinus, sec. 14. se regnum Spiritus S. prædicare jactans, sceleratam vitam sub prætextu impio abscondit: In Alpibus. Cum uxore Margaretâ, sub Clemente V. exustus. Genebr. *in Clem.* V. Gautier. *Chron.* 14. *sec. c.* 2.

Dulcis, fil, Gilberti, Com. Provinciæ, nupsit Raimundo Berengario I. an. 1102. Item *Dulcis Stephana*, uxor Godofredi, Com. Prov. Item fil. Raimundi Berengarii, promissa Raimundo V. Comiti Tholos. Nostradamus, Saxy, Claperius, Pisanus, &c. apud Morer.

Dulcitius, Tribunus & Notarius Imperatoris, executor Imperialium jussionum in Africa contra Donatistas. August. *Retractationum lib.* 2.

Dulcumensis pagus Galliæ, in diœc. Remensi, memoratus Frodoardo *Hist. Eccl. Rem. lib.* 1. vulgò *le pays de Dormois* dicitur: Promittebatur olim à Cernaco ad Mosam fluv. Baroniæ tit. illustri, ubi unus è 17. Decanatibus Eccl. Rem. castellumque Dunum ad Mosam, & villulam *Dulcon*, pagi olim caput, cum vico Sinduno ad Axonam, *Senuc* vulgò, Prioratu S. Oriculi nobili continebat. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Dulendium, vulgò *Doulens*, urbs Picardiæ, in limite Artesiæ, ad Altiliam fluv. probè munita, 6. leuc. ab Ambiano in Bor. 7. ab Atrebato in Occ.

Dulgibini, Germ. pop. Tacito sunt, quos Althamerus Ptolemæi *Dulgumnios* esse putat, quorum urbs *Gottingen* hodiè dici eidem videtur, in Hassiæ, & Saxoniæ confin. Baudrando erant inter Viadrum & Amasiam fluv. ubi nunc Comit. Oldenburgensis, Hoyensis, Lingensis, & pars Diœcesis Monaster. & Mindensis, in Westphalia; ex Cluverio.

Dulichium, ins. maris Jonii, una Echinadum, contra ostia Acheloi fluv. non procul ab Ithacâ, una ex iis, quibus Ulysses imperabat. Ovid. 1. *Tr Eleg.* 4.

Nec mihi Dulichium domus est, Ithaceve Sameve.

Hinc adject. *Dulichius*. Virg. *Ecl.* 3.

Dulichias vexasse rates, hoc est, *Ithacenses*, ita Servius.

Dulopolis, id est, *servorum civitas*, in Libya est, in quam si servus, quamvis peregrinus, lapidem intulerit, liber fit. Alia Hierodulorum est, in qua unicus liber est, cœteri omnes servi. Ajunt & in Creta *Dulopolim* esse mille virorum. Est etiam *Dulopolis* Asiæ min. op. prope Rhodum ins. Plin. Est etiam parva regio in Ægypto huius nominis. Steph.

Duma, Hebræis per aphæresin dicitur *Idumaa*, vel à *Duma* Ismaelis filio, Gen. 25. Item civitas in tribu Juda. Jos. 15. ubi Interpres scripsit *Ruma* secutus LXX. qui Ῥουμα scripserunt. Lat. *silentium*, vel *similitudo*.

Dumana, Asiæ op. ab Arabiæ latere. Plin. 6. 29.

Dumatha, urbs Arabiæ. Steph.

Dumbarum, (quasi *Castrum Bara*, seu *Vara*, quę æstuarium est) op. Scotiæ in orâ Orientali ad ostia Loxæ fluv. inter Bervicum ad merid. & Andræopolim ad Bor. In Lothiana prov. Baudrando, in ora maris Germ. ubi Scoti grandi clade affecti ab Anglis, an. 1650. d. 23. Septembr.

Dumblanum, urbs Scotiæ merid. episc. sub Archiep. Andræopolitano, inde 25. mill. in occ. Glasquum versus 15. In Taighia prov. *Menteith*, ad Taichum fluv. qui paulò infra in Fortham cadit. 20. mill. ab Edimburgo in Occas. vulgò *Dumblain* Baudr.

Dumium, pag. cum cœnobio, apud Bracaram, urbem Arch. Hispaniæ.

Dummera, lacus Westphaliæ 4. ditiones attingit, Monaster. Osnabruc. Mindens. & Diepholtensem. Hic lacus opp. Diepholtiam rigat, & per ipsum labitur Hunta fluv. Vulgò *Dummer-Zée*.

Dumna, insula Scotiæ Bor. ferè adjacens, Norvegiam versus, *Hoy* nunc, una Orcadum, juxta Picticum fretum ad Austr. Pemoniæ ins.

Dumnacus, Dux Andium, anno 8. belli Gall. Lemovicum oppugnat. Hirt. *lib.* 8. *c.* 4.

Dumnissus, locus Austrasiæ, sive in Lotharingiâ apud Mosellam, ab Ausonio *in suâ Mosellanâ* memoratus,

Prætereo ardentem sitientibus undiq; terris

Dumnissum. — Vulgo *Dommissa*. Baudrando est *Densen*, vicus infra opp. *Kirchberg*, 7. m. p. supra arcem Dumnum, in dit. El. Palatini Rheni, in Bor. paulo amplius à Mosella in Orr. in confin. dit. Trevirensis; ex Cluv.

Dumnitonus, locus Aquitaniæ. Ferrar.

Dumnonii, pop. Angliæ ad Occid. Vide *Damnonii*, quorum regio *Devonia* Lelando dicitur. Ferrarius verò *Cornubiam* esse suspicatur.

Dumnorix Æduus, frater Divitiaci, Æduorum Principis, gratiâ & largitione apud Sequanos plurimum poterat *lib.* 1. *Comment. cap.* 9. Equitatui Æduorum præerat. In Cæsarem perfidus c.18. ob rebellionem interfectus *l.* 5. *c.* 7. Germanicè *Thumrich*.

Dumnotirum, Castr. permunitum Scotiæ Bor. in Marnia prov. & ora Oc. Germ. 10. mill. Scot. infra Alberdoniam in Austr.

Dumnus, vulgò *Thaun*, arx Germ. ad Navæ Simeræque confluentes, in Palat. Rheni. 16. m. p. à Bingio in Occ. Cluver.

Dunaanus, Judæus, Rex Homeritarum, populi Arabiæ fel. sub Elesbaano, Æthiop. R. Victus ingenti prælio, iram in Christianos suæ ditionis effudit: Sed à Rege Elesbaano, rogatu Patr. Alexandrini, occisus. Zonar. Cedren. Niceph. Anastas. Theophanes, &c. an. 522.

Dunax, Thraciæ mons, Strabo. *Donuca* Livio dicitur.

Dunbritonium, castr. permunitum Scotiæ, in Levinia, ad confluentes Levinii & Glottæ. 7. mill. à Glasco in Occas. Alias *Dunbarte*.

Duncheldinum, quasi *castrum Caledonium*, vulgò *Dunkelden*, urbs Scotiæ ab Andræapoli 22. m. p. plus minus distans, ad Taum fluv. Pertho finitima, ad 6 mill. distans.

Dunckelsbula, Germ. *Dinckelspül*, à Germ. *dinckel*, triticum, quod affatim in urbis hujus agro nascitur, & *bühel*, collis quòd ad colles inprimis huic urbi vicinos, copia ingens hujus generis tritici nascatur. Opp. est antiquum Imperii, in Suevia ad amnem Wernicium. Primò villa fuit, dein vicus parvus, tandem oppidum factum est; quod tot stagna ac piscinas, quot annos dies, habere dicitur. Insignia sunt, Imperii Aquila & colles, in quorum quolibet inaurata Zeæ spica. Plura Vid. apud Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 14. & de Religione ac regiminis forma, Instr. Pacis, *art.* 5. *§. Deinde.* cujus executionem refert Knipschild *l.* 3. *cap.* 11. *n.* 30.

Duneburgum, arx permunita Livoniæ, ad Duinam fluv. Nunc sub Suecis. In limite Semigalliæ, vix 6. leuc. Pol. à confin. Lithuaniæ in Bor.

Dunelmum, urbs Angliæ Sept. episcopalis sub Archiep. Eboracensi, vulgò *Durham*, vel *Duresm*. Ad Vedriam fluv. 6. mill. Angl. ab Oceano Germ. in Occ. Hic David Scotiæ R. captus est à Philippa, conjuge Eduardi III. d. 20. Oct. an. 1346.

Dunemunda, arx permunita Livoniæ, ad ostia Duinæ, juxta sinum Rigensem, sub Suecis.

Dunensis Comit. in Gallia, prope Belsiam, cujus caput Castrodunum, *Vid. ibi.* Guido fil. Ludovici Com. Blesensis illud vendidit Ludovico D. Aurel. fratri Caroli V. R. Dein Apennagium fuit Joh. Com. Dunensis, Bastardi Aurel. cui tantum Gallia debet, sub Carolo VII. A' quo Duces Longavillani.

Dunensis Comit. prov. Ultoniæ, in Hibern. versus oram Or. ex adverso Scotiæ. Urbs prim. *Dunum*.

Dunfreia, vulgò *Dunfreis*, urbs Scotiæ merid. in Nithia prov. ad Niddam fluv. 3. mill. Angl. ab ora Oceani Hibern. & æstuarii Itunæ.

Dunga, Indiæ intra Gangem op. Ptol. *Dabul* Castaldo sub Lusitanis.

Dunga, urbs Indiæ cit. juxta Barigazenum sin. est *Goga*, Urbec. Guzaratæ regni, sub Mogole, 60. leuc. Hisp. à Dabulo in Bor. Baudrandus.

Dungalia, urbs Hibern. in Ultonia, in ora littor. versus Occ. cum portu percapaci. Hinc regio adjacens *Comit. Dungalensis* seu *Tyrconensis*.

Dungalus, Diaconus, sub Carolo M. ad quem de Solari eclipsi scripsit. Dein Lothario Imp. librum de imaginum cultu, contra Claudium Taur. dedicavit. Versus quoque composuit. Possevin. *A. S.* Bibl. *PP. p.* 2. *col.* 145. *edit.* 1624.

Dungarvanum, opp. Hibern. permunitum, cum portu, in Vaterfordiensi Comit. Lageniæ, in ora littor. 18. m. p. à Vaterfordia in Occ.

Dunium, oppidum Angliæ, Durotrigum, apud oram Australem. Vulgò *Dorchester*. Camdenus *Durnium* legit. In Dorsetiæ Comit. Sansoni etiam *Durnovaria* dicitur V. quoque *Thunum*.

Dunkeranum, vulgò *Dundalk*, urbs Ultoniæ, in Hibern. in Comit. Lugensi, cum portu capaci, in ora maris Hibern. ubi recipit Ressanum amnem.

Dunkerka, ab Eccl. in Dunoi. monte posita. V. *Dunquerca*.

Dunnallo Molmutius, Clotenis Cornub. Ducis filius, devictis Loegriæ, Cambriæ, & Albaniæ tyrannis, solus apud Britannos tertius & vicesimus rex imperavit. Prius hic omnium in Britannia fuit, qui aureo diademate caput insignivit regium. Multa pulchra statuta edidit, quæ *Molmutina* dicebantur à Britannis. Obiit

nis. Obiit anno mundi 3540. & ante Servatorem natum 430. fuitque sepultus Trenovanti, in templo Concordiæ quod condiderat.

Dunovertium, castrum probè munitum Scotiæ merid. in Cantieræ peninf. Australi recessu, ex adverso Hiberniæ, à qua 24. mill. abest in Cæc.

Dunquerca, urbs permunita Flandriæ, cum portu capaci, in ora littor. maris Germ. 3. leuc. à Gravelina in Ort. 6. à Caleto. 12. à Brugis in Occ. Hîc Parmensis à Batavis obsessus est, A. C. 1588. ut classi Hisp. se jungere non posset, quæ tum Angliæ inhiabat. Condita à Com. Balduino, Arnolphi fil. Anno 966. Capta à Termæo, an. 1558. à Duce Parm. recepta, an. 1583. Iterum capta à Gallis, an. 1646. Recepta, an. 1658. & Anglis concessa, qui illam Gallis vendiderunt, an. 1662. qui ibi nunc arcem insignem exstruxere. Nomen fortè à templo *Kerke*, quod primum à nautis eminus conspicitur. Plateæ hîc pulchræ, incolæ milites navales. Guicc. *Belg.* Strada *de Bell. Belg. dec.* 2. *lib.* 5. Sarracinus, *rel. obsid. Dunkerkana.*

Dunrodunum, Dornok, urbs Scotiæ Septentrion. in Suterlandia prov. in ora Or. Oceani Scotici. Cum portu capaci. Episc. sub Archiep. Sant Andræano. 8. mill. à Cromartio.

Dunstaburgum seu *Bebba*, castr. Angl. Sept. in ora Oc. Germ. in Northumbria, 18. mill. Angl. à Bervico in Austrum 22. à Novocastro in Arctos.

Dunstanus, Anglus, Glasconensis Præsul doctissimus, junctus Ottoni Arch. Cantuariensi Cœlibatum sacerdotum vehementer ursit: & Dunstani quidem inprimis sanctitatis specie motus Edgarus R. permisit ex Collegio Vintoniensi & Vigorniensi Presbyteros uxoratos pelli: Sic eos brachio Regis exturbavit, cùm fabula ficta non valuisset. Finxerat enim antea Gabrielem Angelum 12. articulos contra conjugium Sacerdotum attulisse. Polydor. *lib.* 6. *p.* 297. *edit. Grand.* Vide quoque in voce *Vintonia*.

Dunum, Hibern. urbs episc. Ptol. vulgò *Dovvn*. Du Val, in Ultonia Scotiæ locat. Incolis *Dovv-Phadrick*. Plurima oppida hoc vocabulo terminantur, ut *Noviodunum*, *Camalodunum*, &c. de quibus suis locis. Vide tamen pro omnibus reliquis *Lugdunum. Dunum* item aliud opp. Gall. Celt. in finibus Carnutum, *Chasteaudun*. Denique sinus Angliæ in Comitatu Eboracensi *The Creek at Dunesbay*, teste Camdeno, ad ostia fluv. Tees, juxta castr. *Whitby*, & viculum *Dunesley*.

Dunum, Castellum Galliæ, in Carnutibus, ad fluv. Lidericum, à situ dictum, utpote in edito eminens loco. Vulgò *Chasteau Dun*. Caput agri cognom. *le Dunois*, inter Durocassinum & Eboicinum siti. De Promoto Ep. Dunensi, quid factum sit, Vide apud Gregor. Tur. & Hadr. Valesium, *in Not. Gall.*

Dunum Regis, *Dun le Roy*, opp. Galliæ in finibus Biturigum Cuborum, ad fluv. Utrionem *Orron*, qui apud Avaricum in Ararim labitur. Sedes olim regia, Metell. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Duodeciacum, *Dieuze*, oppid. Lotharingiæ, aliàs munitum. 7. leuc. à confin. Alsatiæ in Occ. Aliis est *Delme*, in Lothar. Aliis *Duzeacum*, vicus Campaniæ. Vide ibi.

Duplavonenses, locus nativus Venantii Fortunati, in Venetia, apud Cenetam urb. Ferrar.

Dur, Hiberniæ fluv. Ptol. *Ledunus* nonnullis. Anonymum esse ait Camdenus.

Dura, vallis provinciæ Babylonis. Dan. 3. Lat. *generatio*, vel *habitatio*. Item urbs Mesopotamiæ. Gentile *Durenus*. Steph.

Duraba, Babyloniæ urbs. Ptol. *Der*, teste Moletio.

Duracii, al. *Duracium*, est *Duras*, castr. Aquitan. in Agenensi prov. cis Garumnam, ad Drotium amnem, Duc. dign. nuper insignitum.

Duracium, vulgò *Thoars*, urbs Pictavensis prov. ad amnem *Toue*, Duc. tit. clara, cum recenti castro superbiss. Tremolliæ Ducis. 6. leuc. à Salmurio in Austrum, in confin. Andegavensis provinciæ.

Duracius Picto, qui perpetuo in amicitia Pop. R. mansit, Hirt. *lib.* 8. *de bel. Gall. cap.* 26. Marlianus censuit oppidi, Ciacconius vici nomen. Quod ridet Glareanus.

Duraus Johannes, Scotus, Theologus doctissimus, & pacis Ecclesiæ amantissimus, à multis retro annis Evangelicorum unioni intentus, vivit hoc tempore in Aula Cassellana.

Durandus, Ep. Claromontanus, in Arvernia, eruditus: à Baldrico Abbate, ingeniosis epitaphiis honoratus, Chenius, *tom.* 4. *Script. hist. Gall.* Anselmus, *t.* 4. *edit. Col.* 1612. &c. Obiit paulo ante Concil. Claromontanum, Hug. Flavinius *Chron.*

Durandus, Ep. Leodiensis, pauperrimis natalibus, Cancellarius Henrici II. fuerat. Quibusdam auctor epistolæ contra Euseb. Burnonium Andeg. & Berengarium creditur. Sed Morerius illam vel Deoduino, Episc. Leod. vel Durando Abbati Truartii ascribit. Vixit circa an. 1025.

Durandus, Doctor Paris. scripsit contra libellum de potestate Eccles. & Seculari, condemnatum in Concilio Senonensi & Aquensi.

Durandus Guilielmus, cognom. *Speculator*, Provincialis JC. celeberrimus sui seculi 13. edidit *Speculum juris*, Rationale divinorum officiorum, repertorium Juris, & Comment. in Concilium Lugdun. Episc. Mimatensis, sub Martino IV. qui eum ad Ducem Spoletanum legaverat. Obiit Romæ Anno 1296. Majolus, *in vita ejus*. Gesner. & Simler. *in Bibl.* Hottoman. *Comm. de Verbis Juris.* Fichard. *in vitis Jurecons.* Boucheus, *hist. Prov. l.* 9 *sect.* 3. *§.* 10. Morerius.

Durandus de S. Purcano, Arvernas, Jacobinus, Episc. Metensis, scripsit in 4. libros sententiarum, & de origine jurisdictionum. Obiit an. 1333. Trithem. *Cat.* Sixtus Sen. *Bibl. sacr.* &c.

Durandus Waldachius, hæreticus, conjugium velut impurum rejecit, &c. an. 1117. Exustus cum socio. Gautier *Chron.* 14. *sec. c.* 1.

Durangum, opp. Biscajæ satis cultum, 4. leuc. à Bilbajo in Ort. Placentiam versus, à qua 6. leuc. distat, ut & 3. ab ora Oceani Aquitanici.

Durangum, urbs novæ Biscajæ, in nova Hispan. versus Zacatecas, ad radices montium.

Duranius, vel *Duranus*, fluv. Gall. Aquitanicæ, primùm Ausonio *in Mosella*, memoratus, ex montibus Arvernorum, & quidem Cebennico *Duranio* à fluv. dicto, vulgò *Montber* oriens. Alluit Balnea *Bains*, Muratum *Murat*, Bortum Lemovicum, Valetam *la Valette*, Auriacum, Argentadum *Argentat*, Bellumlocum, *Bellevе* incolis, Gallis *Beaulieu* dictum, veteri Monasterio illustrem, Podium nigrum *Pecbrun* ad Saræ *Sere*, & Bavæ confluentes, Carennacum Cadurcorum, Variacum *Vayrac*, Solliacum Petrocoriorum *Souillac*, Montemfortem, Castellum novum *Castelnau*, castrum Limolium *Limeel* aut *Limeüil*, ubi Viserâ augetur *Vesere*, de quo fluvio aliàs. Tum Brageracum vel Bragaracum in Petrocoriis attingit, *Bergerac*, oppidum S. Fidis, *Sainte Foy*, in Nitiobrigibus, Gentiacum *Gensac*, Castellionem *Castellon*, castrum S. Æmiliani *S. Emilien*, Liburniam *Libourne*, olim Condate dictam ad Ellæ & Duranii confluentes, vicum S. Pardulfi *S. Perdoul*, vel *Pardoul*, Cavernas, Cusacum, & Burgum Pontii Paulini, castrum Sidonio memoratum ac descriptum, *Bourg*: infra quem locum Garumnâ recipitur, jam antea ob æstus Oceani, quibus augetur, Maris nomine honoratus: unde agrum inter Garumnam & Duranium vocitant pagum inter duo Maria, *le pays d'entre deux Mers*, & Burgum ad Mare multi cognominant, *Bourg sur mer*, cùm sit positus ad Duranium. Duranius ad Limolium recepto Viserâ navigabilis redditur, Hadr. Valesius *Not. Gall. La Dordonne* Vineto. Auson. *Idyll.* 10.

Concedes gelido Duranide monte volutus Amnis.

Fontes habet in Alvernia, *Dor* & *Dagne*, utrumque in monte Dorio: Excipitque post aliquot leuc. ex eadem Alvernia amnem *Serre*, qui rigat Orilliacum. Inde per Lemovices & Petrocorios, ubi recipit Vezeram & Coserim, rigatque Martellum, Limolium & Bergeracum, deinde Liburniam opp. & Franciacum, inter quæ recipit Illam fluv. prope Burgum ad mare, in Gujenna propria, in Garumnam labitur, è regione *rostri Amborum*, & cum ipsa Girundam æstuar. efficit, usque ad ejus ostia in Ocean. Aquit. ubi *Corduenna* turris, aliàs *Andros* Insf. Baudr.

Duras, vulgò *Draun*, fluv. Norici, ex lacu, in tractu Salisburgensi effluens, qui per Austriam in Bor. fluit, inque Danubium labitur, inter Lentiam & Anisum.

Duras, vide *Durus*.

Durateus equus, ponitur pro equo Trojano.

Durbeta, urbs Mesopotamiæ juxta Tigrim. Ptolom. *Dedu* videtur.

Durdanum, oppidum Insf. Franciæ, in Hurepœsio tractu, ad amnem *Orge*. 13. leuc. à Lutetia, Aurelias versus, 3. à Stampis in Occasum.

Durdum, Mauritaniæ mons. Ptol.

Duremum, oppidum Duc. Juliacensis, ad Rœram amnem, celebre obsidione Caroli V. Vix 2. leuc. à Juliaco. Olim *Marcodurum* Brietio.

Durerus Albertus, pictor excellentissimus, Cardan. Natus est A. C. 1471. Decessit Norimbergæ, A. C. 1527. pietatis insuper & sapientiæ laude illustris.

Durestallum, vulgò *Duretail*, opp. Andegavensis prov. ad Lædum fluv. 4. leuc. à Flexia in Ort. 7. ab Andegavo in Cæc.

Durga, Africæ Propriæ urbs. Ptol.

Durgaa, vide *Turgea*.

Duria, Germ. *Duren* seu *Doren*, urbs Juliacensis Duc. in Diœcesi Col. Ibi Concilium operâ Pipini, & Caroli Magni an. 771. 775. & 779. habitum.

Duria, villa olim Regia, in pago Ripuariensi: hodie *Duren*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Duria, *Dorіa* Ptol. fluv. Gall. Subalpinæ in Pedemontana reg. geminus: unus per Salassos in Padum influens, alter per Segusium & Taurinos decurrens in eundem Padum labitur. Uterque vulgò *Doria*, & *Doira* nominatur, prior ex Grajis, alter ex Cottiis Alpibus profluens. Baudrando Major, *Doria Baltea*, oritur ex Alpibus Penninis, dein Augustam Præt. rigat & Eporediam; pauloque infra vicum *Rivarotta*, in Padum se exonerat, inter Clavasium ad Occ. & Crescentinum ad Or. Duria verò Minor, ex Alpibus Cottiis ortus Segusium rigat & Avilianam, vixque dimidio mill. infra Taurinum in Padum cadit.

Duria, Angliæ comitatus, vulgò *Dorsetia, Dorsetshire*. Baudrando quid sit, non constat.

Durias, Turia Sallustio, & Vibio Sequestri. *Guadalaviar*, teste Clusio, fluv. Hisp. Tarracon. per regnum Valentiæ, in sinum Sucronensem fluens. *Turulis* Ptolemæo. Claud.

Floribus & roseis formosus Turia ripis.

Durii, Dorno, pagus agri Ticinensis. Ferr.

Durion, seu *Durium*, pagus Gall. Narbon. apud Rhodanum fluv. & Valentiam urbem in Delphinatu, ubi Isara Rhodano miscetur. *Doyre*, teste Joh. Poldo. Aliis *Donzere* castrum Episcopi Vivariensis. Aliis *Sisteron*, urbs Prov. ad Druentiam fluv. Vide *Segustero*.

Durine, Susianæ opp. Plin.

Duriopus, urbs & regio Macedoniæ, Steph.

Duris, Samius, Historicus exactus Ciceroni, *ad Att. ep.* 1. *l.* 6. scripsit de Tragœdia, historiam Macedonicam, de Agathocle Syrac. &c. Plin. *lib.*8. *c.* 40. *lib.* 34. *c.* 8. *&* 36. *cap.* 12. Strabo *lib.* 1. Clemens 1. *Strom.* Voss. *de Hist. Gr. l.* 1. *c.* 15. qui etiam Pictoris cognom. meminit. *p.* 98.

Durius, Doria Ptolemæo, *Dorius* Appiano, vulgò *Duero*, fluv. Hispaniæ maximus, in Pelendonibus apud Numantiam urbem excisam oriens. & Callaicos à Lusitanis disjungens in Oceanum occidentalem ad Portum urbem delatus. Sil. *lib.* 1.

Hîc certant Pactole tibi Duriusq; Tagusq;.

Duero vulgò. Baudrando oritur in Castella vet. versus confinia Aragoniæ, ex monte Idobeda. Alluit urb. Oxonam & Araisdam in Castella; Septimancas, Taurum & Senticam, in regno Legionis; Mirandam, Lamecam & Portum in Lusit. auctusque Pisoracâ, Eslâ, Aguadâ & Tormi, cum aliq. minor. in Oceanum Atl. labitur, paulo infra Portum urb.

Durlacum, urbs culta Germ. ad radices montium, ubi palatium nobile: Caput est Marchionatus Baden-Durlacensis. Attulit eam dotis loco, cum Pfortzhemio ac Ettlinga, marito Hermanno IV. qui mortuus est an. Chr. 1242. Irmengardis, fil. Henrici Brunsuicensis C. Pal. Rheni. Ex ejus posteris Hesso, ibidem habitavit. Ramum dein Durlacensem orsus est Ernestus, filius minor natu Christophori; demortui A. C. 1527. frater Bernardi, qui Badensis lineæ sator fuit. Ernestus is enim cum Hochbergensi Marchionatu ac Rœtelana ditione inferiorem principatum, in quo *Durlacum*, tenuit, Evangelicæ religionis cultor. Ejus fil. Carolus, defunctus A. C. 1577. pater fuit Jacobi, qui ad Pontificios transiit, brevi mortui: Ernesti Friderici, qui ad Reformatam relig. animum applicuit, defunctusque est an. Chr. 1604. & Georgii Friderici, qui nomine Unioni dato, infelici ad Wimpenam prælio à Tillio superatus, obiit an. Chr. 1638. Pater Friderici, qui Pace Monaster. in sua restitutus, decessit An. Chr. 1659. Ex Barbara Wirtembergica ei natus Fridericus, Lohram asseruit, affini Sueciæ Regi contra Polonos militavit, Turcico bello, juxta cum Episcopo Monaster. Imperiali exercitui præfuit, hodieque ingens Confœderatorum contra Galliæ R. exercitus pars est. Pater ex *Christina Magdalena Sueco-Palatina Friderici Magni & Caroli Gustavi. Alter Friderici Sen. filius Carolus M. res plurimas bello, Suecicis auspiciis, egregiè gessit*, &c. defunctus est A. C. 1658. relicto ex Maria Juliana Hohenloica fil. Carolo Friderico. Tertius Gustavus Adolphus Cardinalis est & Abbas Fuldensis. Vide Spener. *Syll. Geneal. Hist.* Distat autem urbs 2. leuc. à Rheno in Ort. 4. à Bada in Bor. 4. à Philippoburgo in Austr.

Durnomagum, mel. forte *Drusomagum*, à Druso, quem constat 50. amplius castella per Rheni ripam erexisse, Flor. *lib.* 4. *c.* 12. Germ. infer. urbs, ubi Legio VII. Anton. hodie *Durnmagen*, infra Coloniam.

Durnovaria, vulgò *Dorchester*, etiam *Dunium*, olim Durotrigum urbs prim. nunc Dorsetiæ Com. caput, versus oram littor. maris Britann. ad Variam fluv. Vide *Dorcestria*.

Duroa, mons Mauritaniæ Tingitanæ. Ptol.

Durobriva Catyeuchlanorum, opp. ad Avernam fluv. nunc dirutum. Locus ejus ostenditur inter vicos *Caster* Nortantoniæ, & *Chesterton*, Huntingdoniensis Comit. 3. mill. à Petriburgo, in Occ. 12. mill. Angl. à Duroliponte in Bor. Lindum versus. Baudr.

Durobriva, & *Durocobriva* Trinobantum vel *Durobrova*, nunc *Hartford*, teste Camdeno, opp. Angliæ inter Durolipontem 35. & Lindum 56. m. p. ad Leam fluv. in Comit. Harfordiensi, 15. mill. à Londino in Bor. Baudr. vel, teste eodem Camdeno *Dornford*, Talboto verò est *Stanford* opp. ejusdem tractus. Apud Scriptores hæc loca confunduntur *Durocobriva, Durobriva, Durobrus*, & *Durobrova*. Sed *Durobriva*, vel *Durocobriva* idem sunt *Dornford*. *Durobrova, Dorncester*, vel *Caster*, teste Lhuydo apud *Wandlesford*. *Durobrus* verò teste Camdeno, *Rochester*, h. e. *Roffa*. Licet Talbotus *Maydston* esse contendat. Camdeno *Durobriva, Dornford*, & *Caster* duo viculi non procul à *VVandtesford*, vel *VVansford* in confin. comitat. Northampton. & Huntington. *Durocobriva* juxta *Flamstead*, & *Redburn* in comit. Hertfordiensi. *Durobrus* verò & *Durobrova*. *Rochester* urbs ampla ep. Cantii. Ad Medweagum fluv. 5. mill. Angl. ab æstuario Tamesis in Austr. media ferè inter Cantuariam ad Ort. & Londinum ad Occ. Vide *Roffa*. Baudr.

Durocasis, Gall. Lugdun. opp. Anton.

Durocasses, videtur *Dreux*: Hinc pagus Durocassinus, vulgò *le Dreugesin*. Vide *Drocum* & *Druides*.

Durocotalaunum, Belgicæ urbs. Anton. cui legio 12. attribuitur.

Durocornovium, seu *Corinium*, Angliæ opp. Anton. vulgò *Cirencester*. Vide *Corinium*.

Durocottorum, Galliæ urbs in Belgica. Ptol. & Cæsar *libr.* 6. ubi primus hujus urbis meminit, docens Concilio Galliæ eò loci indicto, de conjuratione Senonum & Carnutum quæstionem habitam, deque Accone supplicium more majorum sumtum esse. Metropolis jam ætate Strabonis, postea prov. Belgicæ 2. caput & metropolis fuit, mater 11. civitatum, ad Vidulam fluv. sita est. Frontoni Oratori, circa Trajani Adrianique tempora *Athenarum* elogio condecorata, ob literarum, quæ ibi vigebant, studia: postea nomen gentis accepit, Remique dicta est. Hîc Valentinianus Major Aug. præter cæteros, aliquandiu moratus, Palatium suum habuit. Læti Gentiles dicti, sub Honorio, cum suo Præfecto, ibidem ut & Silvanectis, in præsidio fuerunt; Sarmatæ item Gentiles inter Remos & Ambianos. In vett. Notit. in prov. Belgica sec. primas tenet, sedes Austrasiorum quoque Regum, Theodorici, Theodeberti, Theodebaldi ac Sigeberti. Fabricæ *Remensis* Spathariæ, unius ex Gallicanis Fabricis, sub dispositione V. I. Magistri Officiorum, meminit Not. Imp. quemadmodum Procuratorem Gynæcei *Remensis*, tertium inter 6. locum, sub dispositione V. I. Comitis sacrarum largitionum; & Præpositum Barbaricariorum sive Argentariorum *Remensium* inter tres medium eadem memorat. Portæ Remis celebriores fuere, ad Ortum, Trevirica, eadem Cereris & Regalis & porta Carceris, *Porte-Chartre* vulgò: ad Occ. porta Suessonica, eadem & Valesia, Veneris & Vidulæ, hodie *porte aux Ferrons*: ad Austrum Collaticia, quæ & Basilicaris, ad quam arcus triumphalis ex parte superest. Ad Occ. tandem porta Martis, quod nomen hodieque servat; ad hanc alter arcus cernitur triumphalis: *extra illam autem Arenæ sunt, Amphitheatri seu duplici hemicycli figurâ. Monetæ cudendæ* jus Archiep. Artaldo concessit Ludovicus Transmarinus, A. C. 840. cumq; Comitem fecit: & totum hunc Comitatum Ecclesiæ S. Mariæ metropol. donavit. Postea Archiepiscopi Duces & Pares evaserunt, interque Ecclesiasticos primas tenere cœperunt. Gallicè *Rheims en Champagne*. Aliis *Durocortorum*. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* & in voce *Rhemi*.

Duroicoregum, in tab. Theodos. inter vicos Ausavam 12. & Marcomagum 28 leuc. distans, hodie *Rue*, locus est ad oram Galliæ Belg. non incelebris, Cluver. Vide Hadrianum Valesium *Notit. Gall.*

Durolevum, Angliæ opp. in agro Cantiano, *Leneham* teste Camdeno. *Charing* verò Talboto.

Durolipons, mel. *Durosipons*, Angliæ opp. Catyeuchlanorum vulgò *Huntington* Talboto. Camdeno verò *Gormoncester*, pagus vicinus, qui & *Godmonchester* scribitur, ad Usam fluv. *ex adverso urbis Huntingdoniæ, in Comit. cognom. Medius ferme inter Camboricum & Durobrivam.*

Durolitum, pagus Angliæ inter Londinum, & Cæsaromagum 15. mill. pass. *Leiton* Camdeno. Sed aliis est *Oldford* oppid. Essexiæ reg.

Durolorum, Rhemorum in Gallia urbs. Anton.

Duronia, Samnitum opp. Livius.

Duronum, Gall. Belg. urbs. Anton.

Durostadium opp Germ. infer. in Geldriæ Ducatu, vulgò *Duerstede*, vide *Batavodurum*.

Durostallum, vulgò *Durtal* vel *Durestall*, quasi aquæ mansio, vel aquatica mansio: *Durum* enim aquam, *stallum* mansionem Francis olim Germanisque significabat. Castellum est Galliæ, in Andibus, ad Lidericum fluv. à Fulcone Nerra, Comite Andecavorum extructum. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Durostena Jornandi, urbs Mysiæ infer. Ptol. vulgò *Dora*, teste Lazio.

Durostolum, seu *Durostorus*, Ammiano. Urbs Mœsiæ inf. ad Istrum fluv. *Dorostorum* Lib. Concord. Nunc *Durosto*.

Durotriges, pop. Albionis versus Ocean. Brit. in ora Angliæ merid. vulgò *Dorsetia*, *Dorsetshire men*. Habebant ad Or. & Bor. Belgas, ad Occ. Damnonios. Eorum prim. Dunum seu Durnovaria, nunc Dorcestria. Baudr.

Durovernum, Darvernum, vel *Dorobernium*, Angliæ urbs in agro Cantiano, vulgò *Caer-grant*, vel ut Camden. *Caer Kent*, & *CanteVVarberi*, & *Canterbury*. Vide *Cantuaria*.

Durraccium, vide *Dyrrachium*.

Durus, seu *Duras*, fluv. Helvetiæ, Germ. *Thur*, vel *Dur*. Oritur in finibus diœcesis Curiensis, valle S. Johannis, fluensque per Toggios & populum, quem denominat *DurgöVV*, in Rhenum exit, circiter 2000. pass. supra opp. *EglisoVV*, ditionis Tigurinæ. Paulo aliter Plantinus: Ortus, inquit, in montibus Werdembergensibus, seu Toggiis, supra pagum, qui Sylvestris Domus nominatur & Zuinglii patria fuit: à fonte Septentrionem versus decurrit, Turgoviam irrigat: à Finibus dein *Pfin*, in Occ. curvatur, inde multis interea minoribus fluviis auctior, ad Schellenbergam in Rhenum effluit. De eo sic Glareanus *Panegyr. Helv.*

Duras,

—— *Duras, pleraq; in parte vadosus,*
Durus agris, pinosq; & summo littore fagos
Evertens, caulasq; trahens & ovilia secum,
Terribilis lapsu, campos grassatur in omnes.

Dusare, scopulus, & vertex altissimus Arabiæ, sic dictus à *Dusaro* Deo, qui apud Arabas, & Dacharenos colitur. Gentile *Dusareni*. Steph.

Dusiacum, vulgò *Douzi les Prez*, locus Galliæ, ad fluv. Charem, à Chlodoualdo Chlodomeris Regis fil. Remensi Ecclesiæ legatus. Ibi duæ Synodi, an. Chr. 871. & 874. habitæ sunt. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Dusmensis pagus, *le Duesmois*, memoratur in Capitulis Caroli Calvi, in quo villa Ampeliacum *Ampilly le sec*, quæ ab Odone Vicecomite Belnensi, unà cum Belnensi Eccl. S. Stephani Divionensi Ecclesiæ S. Benigni donata est. Ibidem sunt Vilennæ *Vilennes*, ubi Hugo IV. Burgundiæ D. testamentum fecit, an. Chr. 1262. Item Alesia Mandubiorum, secundùm Sansonem: sic pagus Alesiensis *l'Auxois* hujus portio fuisset. Certè quidam castellum *Dusiacum*, unde pago nomen, vocant *le Chasteau de Duesme en Auxois*, inquit Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Dusseldorpium, urbs prim. Duc. Montensis, & Ducis Neoburg. ex familiâ Palatina, sedes, ad Rhenum, 5. leuc. Germ. infra Coloniam Agr. in Boream, totidem à Juliaco, in Cæc. Munita & culta.

Duvina, urbs Moscoviæ septentrion. cum prov. & fluvio cogn. Ursinarum pellium emporium. Maginus & Ortel. *in Geogr.* Merc. *Atlas Mundi.*

Duum-viri, Magistratus Romani, varii. Quidam sacris ædibus reparandis præerant. Alii nauticæ rei curam gerebant, nonnnulli Judicum inferiorum loco erant. Tit. Livius, *lib.* 5. *& seqq.*

Dux, olim nomen officiale, deinde honorarium, mox feudale & hæreditarium. Consularibus seculis *Imperator* dictus est, sed arrogato hoc titulo primùm triumphantibus, dein Cæsaribus; exercituum Præfecti rariùs Imperatores, *Duces* communiter appellati sunt. Post adultum imperium, vox aliàs pro exercitus Præfecto, qui Græcis στρατηγὸς; aliàs pro *Ductore* non cujusvis, at insignis alicujus partis exercitus, qualis eisdem Μεράρχης; aliàs pro rectore provinciæ ἡγεμών; aliàs pro Satrapa, honorario hoc titulo illustri, Græco-Latinè Δοὺκας, apud Auctores occurrit. *Duces* exercituum absoluti, erant Septentrionalium & Barbaricarum gentium Duces, qui, relictis patriis sedibus, novas quæsituri, invadebant exteras: hos *Duces, Regulos, Subregulos, Regales, Reges*, promiscuè Scriptores appellant. Sic antiquos Suprarbiensium Reges, ante Inacum Aristum, nil nisi signiferos ductores, i. Duces militares seu exercituum fuisse, asserit Hieron. Blancas. Sic Jornandes, *rerum Goth. lib.* 1. *cap.* 4. Berig, primi Gothici exercitus Ducem, Regem vocat, &c. *Dux* exercitus delegatus, vel militiæ solummodò præerat, vel alicui pariter Provinciæ: & distinguuntur sæpius, hic Provinciæ, ille Regis vel populi, cui militabat, nomine. Vide in voce *Heretochius*. *Dux* Legionis, pro Merarcha, seu insignis exercitus partis ductore, Imperatori militiæ proximo: quales Romanis Tribuni legionum, inferioribus *Capitanei*, Græcis Κεφαλάδες sunt dicti. Centurionibus enim & minoribus ductoribus, *Ducum Capitaneorumq;* nomina, sub mediis seculis non competebant. *Dux Provinciæ*, unus ex duobus primariis magistratibus, (alter Comes erat) à priscis Impp. ad regendas Provincias limitaneas missus, qui rem prorsus militarem tractaret, hostemque armis frangeret, Comite civilia curante, populumque tam legibus fovente, quàm provinciam milite defendente: ob quam geminam potestatem in Not. Imp. Comes Duci præponitur: interdum verò & *Duci* Præsidis provinciæ collatum est officium, & hoc nomine, instar civilis Magistratus, populo jus dicebat: provocabaturque jam ab eo ad Præfecturam, non ad Magistrum Officiorum & Quæstorem Palatii, ut in simplici Duce observatum. Comites nihilominus secundi generis omnes sequitur. Sed cognata adeo erant munera Comitis Provinciæ & *Ducis* provinciæ, ut eadem penè gestarent insignia, & in alterius locum alter sæpe induceretur.

Ducum Nomina in Imperio Or. XIII.

Dux:
- Libyæ, Thebaidis, } per Ægyptum
- Phœnices, Euphratensis & Syriæ, Palæstinæ, Osrhoenæ, Mesopotamiæ, Arabiæ, } per Orientem.
- Armeniæ: per Ponticam.
- Mœsiæ secundæ, Scythiæ, } per Thracias.
- Daciæ Ripensis, Mœsiæ primæ, } per Illyricum.

In Occidentali XII.

Dux:
- Mauritaniæ.
- Tripolitanæ.
- Pannoniæ sec.
- Valeriæ.
- Pannoniæ primæ.
- Rhætiæ.
- Sequanici.
- tractus Armoricani.
- Belgicæ sec.
- Germaniæ primæ.
- Britanniarum.

Duces Provinciarum sub Imperio apud Germanos, antea Reges fuisse, tradit Speculum Saxon. *lib.* 3. *Art.* 53. & Munsterus Cosmogr. *lib.* 3. *cap.* 20. ubi videtur illis integram regiam potestatem à Rom. ipsis Impp. collatam asserere, quod antiquè præter exemplum fuit. *Provinciarum* enim *Duces*, ad limitaneos populos milite coërcendos emittebant. Regna autem ab aliis quoque Principibus in *Ducatus* redacta sunt, potestasque Regia Ducibus concessa. Sic à Francorum Regg. Clodovæo Alemannia, Clothario Burgundia humiliata, &c. Munus *Ducum Provinciarum* descripsit Hincmarus, *ep. ad Episc. Franciæ cap.* 14. quales nomine ἡγεμόνων videtur intelligere Petrus 1. *ep. c.* 2. *v.* 14. Formulam confer. *Ducatus*, vide apud Marculfum & Cassiodorum *lib.* 7. *Variar. cap.* 4. Eligebantur interdum hi *Provinciarum Duces* ab ipso populo. Videtur & apud Visegothos in singulis provinciis singulos *Duces* constitui, qui cum Episcopis & Comitibus judicia exercerent: è quibus Episcopum *Dux* adjunctum, Comitem verò subjunctum habuit: illumque quidem in foro solùm & civilibus, hunc præterea in exercitu & militaribus: de numero autem Comitatuum sub uno Duce, nil certi statui potest, licèt recentiores Ducatum metiantur 12. Comitatibus. *Duci* exercitus apud Germanos 12. Comites ex Tacito assignat Choppinus: de quo tamen alii ambigunt. Apud priscos rerum Anglo-Saxonum scriptores, *Dux* pro Magnate & Magistratu, vix reperitur: apud inferiores crebro, sed promiscuè confundunt voces *Dux, Consul, Comes, Princeps, Regulus, SubRegulus*. Ab ingressu dein Normannorum, cùm usque ad Eduardum III. sopitus latuisset iste titulus, tunc illustrior cœpit reviviscere. Antea munus solùm & arbitrio Regis adimendum, jam post Principis, dignitatum culmen, honos fixus & hæreditarius. Sic idem Rex, Eduardum fil. Walliæ Principem anno Chr. 1336. Cornubiæ *Ducem* creavit, hujus in Anglia Classis primicerium: deinceps quartum filium suum *Ducem* Lancastriæ, Cornubiamque & Lancastriam *in Ducatus* erigens, regalibus plurimis utramque exornavit: Lancastriam insuper Palatinatus amplitudine. Postmodum multi Proceres adscenderunt fastigium hoc regiis evecti codicillis, &c. *Ducis, Comitis*, &c. appellationes, cùm ad officia diu pertinuissent, honorariæ factæ sunt in Germania ab Ottone M. Sigon. *de Regn. Ital. lib* 7. *A.C.* 970. Inter Longobardos, Autharis, factus Rex, triginta urbium Ducibus, qui regiam usurparant potestatem, detractâ solùm parte vectigalium, usum urbium, dominio & jure sibi retento, reliquit, an. 585. neque successores tradidit, nisi aut virili stirpe extinctâ, aut conflatâ defectione, Idem. In Gallia sub Hugone Capeto res præcipuè invaluit, & feudalis evenit. Habentur porro *Ducum* tres ordines: Summus, qui planè regius, ut Dux Lotharingiæ, Sabaudiæ, &c. Secundus, qui in Ducatus sui feudo, jura obtinet Regalia, feudali tamen Domino subjicitur, ut in Germania multi. Tertius honoratus ille, qui illustri solo titulo dignoscitur, quales complures in Gallia & Hispania, olimque in Anglia. Expiravit autem hic dignitas A.C. 1572. nec revixit hactenus, nisi in sobole regia Henrico & Carolo. *Dux Magnus* in Or. Imperio, princeps & caput erat ad universum mare, cui magnus Drungarius classis, Ameralius, Protocomes, Drungarii & Comites subjecti. Hicconto prætulit imaginem Imperatoris equo elati: anteriùs in palla, stantis: ponè in throno sedentis. *Dux Francorum* seu *Franciæ*, inter *magnos Duces* meritò numeretur, qui totius militiæ Gallicæ Præfectus summus, regiam potestatem, velut pupillarem coërcuit. Magni tamen cognomen non obtinuit: sed idem cum Majore Domus censetur. Vide Flodoard. *in Chron. sub An.* 943. ubi Hugonis *Ducis Franciæ*, & Aimon. *lib.* 5. *cap.* 44. ubi ejusdem mentio fit. Idem fortè cum Marchione Francorum, apud eund. *cap.* 34. & Consule Anglorum, apud Huntington. in *Cnuto Rege*. Conferebatur *Ducatus* feudalis, aliàs vexillo simpliciter, aliàs vexillo & ense. Eduardus III. supra laudatus serto in capite, annulo in digito, & virgâ aureâ usus est. Pileo item, qui unà cum serto, in *Ducali* Austriæ habitu, sub prima ejusdem institutione claruit. In Muscovia, ubi à regio nomine abstinetur, Dux summus, elatiori solùm pileo ab inferioribus discriminatur. Primi *Duces* recentioris ordinis fuere, in Anglia, Eduardus Dux Cornubiæ: apud Gallos Johannes Dux Britanniæ Armoric. constitutus à Philippo Pulchro, An. 1297. Apud Scotos, David, Dux Rothsaiæ, à Roberto III. Patre creatus, an. 1398. Apud Hispanos Castiliæ, Fridericus Dux Beneventanæ creatus ab Henrico II. In regno Neapol. Dux Beneventanus, institutus A. C. 573. *Archiducis* tandem titulus, quo sola splendet Austriaca familia, ei ob insignem potentiam, (nam in regnum aliquando elatus erat à Friderico II.) delatus est. Primum Archiducem quidam Fridericum, Caroli V. proavum, alii Albertum, qui claruit an. 1430. faciunt: Wolfgangus Lazius, Albertum fil. Rodolfi Austriaci, circa A.C. 1298. Archiducem statuit: contra Hieron. Hemingen, qui Rodolfum Ingenio-

geniosum, à Carolo IV. factum esse Archiducem, an. Chr. 1360. contendit. Vide Spelmannum *Gloss. Arch.*

Duziacum, seu *Duodeciacum*, castrum in Diœcesi Remensi, ubi Concilium an. 871. quo Hincmarus Laodunensis, quòd ad Papam appellasset, accusatus, condemnatus, excæcatus est. Item an. 874. Tom. 8. Concil. Morerius.

DY.

Dya, Ins. vide *Naxos*.

Dyardenes ultimæ Indiæ fluv. minus celeber. Q. Curtio *l.* 8. 45. qui crocodilos & delphinas, item ignotas aliis gentibus belluas alit.

Dyke Daniel & Jeremias, Theologi Angli, scriptis, aureo inprimis illo libro, cui titulus *Nosce te ipsum*, notissimi.

Dyman, tribus Doriensium. Steph.

Dymas, nomen viri. Virgil. 3. *Æn.*

—— *Pereunt Hypanisq; Dymasq;*.

Dyme, Hesychius Δύμη, ἐν Σπάρτῃ φυλὴ καὶ τόπος.

Dyme, urbs Achajæ ultima ad Occasum. Vide Steph. Baudrando urbs Peloponn. nunc *Clarenza*, prope ostia Acheloi, versus mare Jonium. Antea magni nominis & reg. caput, *Ducatus Clarentia*, cùm Peloponnesus Principes haberet proprios. Nunc sub Turcis, deficit sensim, rarosque habet incolas. Cum castro satis munito & commodo portu. Item Thraciæ urbs, *Dime* Antonino.

Dyme, vide *Thymbra*.

Dymethus, Siciliæ mediterranea urbs. Ptolom. hodie *Torre de l'Oliveto*.

Dymnus, inter comites expeditionis Alexandri Magni, contra eum cum pluribus, in Ariis, conjuravit. Curt. 6. 41. Ob id cùm ad regem arcesseretur, gladio se graviter vulnerans merita supplicia voluntariâ morte effugit. Ibid. 46.

Dymus, Sogdianæ fluv. Ptol.

Dynamene, nympha marina, Nerei & Doridis filia, ita dicta ab eo, quòd in mari plurimum polleat. Hesiod. *in Theog.*

Dynamius, Consul cum Sifidio, an. U.C. 1241. Patritius, præfectus Massiliæ, sub Guntrano R. sub finem sec. 6. cum Theodoro Episc. aliquid litis habuit. Composuit vitam Marii Episc. Item Maximi, unius ex prædecessoribus, fundavit ibidem monasterium virginum, à Gregorio M. literis sæpe salutatus, *l.* 2. *ep* 33. *l.* 6. *ep.* 12. Barralis *Chron. Lir. in P.* 2. *n.* 120. Greg. Tur. *hist. l.* 6. *c.* 11. Barthius Adversf. *l.* 59. *c.* 12. Morerius, &c.

Dyndasum, urbs Cariæ, Steph.

Dyndima, vide *Dindyma*.

Dyos, Mauritaniæ Tingitanæ fluv. Ptol.

Dyptica, duæ tabulæ, in antiqua Ecclesia, quarum una viventium, altera mortuorum nomina continebat, quæ in Missa recitabantur. Græc. Δίπτυχα, unde rectiùs *Diptyca*, V. Meurs. Ekkehardus Jun. Cas. S. Gall. *c.* 5. & ejus temporis auctores, sic vocant libros Anniversarios, quibus eorum inseruntur nomina, qui pro remedio animæ suæ, monachis & clericis quippiam legassent: horumque *Dypticorum* custodiæ capsæ designatæ sunt. Vide ibid Goldast. Recentius verò occurrit, pro tabella manuali. Spelmannus *Gloss. Archæol.*

Dyras, Trachiniæ fluv. Strabo.

Dyraspes, Scythiæ fluv. Ovid. *Pont.* 4. 10.

Cumq; Borysthenis liquidissimus amne Dyraspes.

Dyrbæi, pop. ad Bactros & Indiam pertinentes. Steph.

Dyrrachium, urbs ampla in eâ parte Macedoniæ, quæ mari Adriatico incumbit, distans à Brundusio 220. m. p. trajectu. Dictam ita volunt à nomine ejus, qui ibi portum capacem adjecit: nam antea *Epidamnus* vocabatur. Plin. 3. 23. vulgò *Durazzo*. Condita à Corcyræis, an. U.C. 130. Afflicta ab exulibus an. 315. Corinthiorum opem imploravit, qui à Corcyræis devicti. Hinc Atheniensibus hisce assistentibus bellum Corinthiacum conflatum, fomes Peloponnesiaci. Sub Christianis Metropolitana fuit, à Mahomete Venetis erepta sec. 15. Hanc urbem Cicero exilii sui tempore amicissimam expertus est, & officiosissimam, in qua & commoratus est, donec Senatusconsulto revocaretur. Lucan. *l.* 6.

Dyrrachii præceps rapiendas tendit ad arces.

Ἠπείρου μητρόπολιν, vocat Eustath. qui addit, sic dictam esse, ἀπὸ τοῦ τόπου τῆς τραχύτητος. Δυσράχιον γάρ ἐστιν, ὅ ἐστι δυσέξοχον. Ob intemperiem aëris parum habitatur. Thuc. *l.* 1. *& seqq.* Str. *l.* 5. Diod. Sic. Euseb. *Chron.* Magin. *Geogr.* &c. Baudrando urbs hæc pulcherrima olim Albaniæ marit. ad ostia fluv. *Argentaro*, in mare Adriat. Hinc Principes Dyrrachini dicti *Carlovicii*, ex sanguine Franciæ Regum. Distat 45. mill. à Lisso in Austr. 70. à Aulone in Bor. Item *Dyrrhachium* Laconiæ urbs Stephano, una ex centum. Vide Voss. *ad Melam pag.* 158.

Dyrrachus, Epidamni ex filiâ nepos Neptuno genitus, qui portum urbi adjecit, quæ *Dyrrachium* appellatur. Deinde cùm fratres adversus illum bellum gererent, Hercules Erythiâ rediens, pro telluris parte, in eos depugnavit. Quamobrem Dyrrachii Herculem veluti telluris eorum ex parte incolam fuisse autumant: Dyrrachum non utique inficiantes, verùm ad Herculem tanquam ad Deum inclinantes. Appian.

Dyrrodoris, amnis ad Caucaseas portas. Plin.

Dyrsela, Pamphyliæ opp. Ptol.

Dyrta, Assacanorum urbs Indiæ. Arrian. *in Indicis*.

Dysares, Arabum Deus, idem cum Dionysio, sive Sole. Vox uti suspicatur Vossius ex דוץ *duts* & ארץ *arets*, quorum prius *gaudium*, alterum notat *terram*. *Disares* Tertulliano dicitur *Apolog. cap.* 24. *Unicuiq; etiam provinciæ & civitati suus Deus est, ut Syria Astarte, Arabia Disares.* Ubi perperam in Aldinâ *Diasares*. Etiam apud Steph. est Δουσάρη σκόπελος καὶ κορυφὴ ὑψηλοτάτη Ἀραβίας, εἴρηται δ' ἀπὸ τοῦ Δουσάρου, θεὸς δὲ οὗτος παρὰ Ἄραψι καὶ Δαχαρηνοῖς τιμώμενος. *Dachareni* autem Arabiæ Felicis pop. qui aliter *Nabatai*. Unde corruptus Hesychius, ubi vulgò legitur Δουσάρην, τὸν Διόνυσον Μαβαταῖοι ὡς φησὶν Ἰσίδωρος. Ubi Ναβαταῖοι legendum liquet. Aliud etymon hujus vocis petat, si velit lector ex Bocharti *Phalege lib.* 2. *cap.* 19.

Dysis, locus in Piceno, non procul ab Ancora. Procop.

Dysnicetus, Archon Athenis, Olymp. 102. an. 2.

Dysorum, Thraciæ mons in Pæoniâ reg. Herodot.

Dysspontium, urbs Pisææ, à *Dysspontio* Pelopis filio. Steph.

Dyssorum, vulgò *Duisburg*, quod vide, ut & *Dispargum*.

Dysrachium, vide *Dyrrachium*.

Dystus, urbs Eubœæ. Stephanus ex Theopompo.







Adiga, Mahometi uxor vetula, cum qua ne ætatem conterere cogeretur, polygamiam inter suos sancivit.

Eadmundus, Rex Anglorum, cujus caput amputatum, lupus alioqui sævissimus, intactum servavit & illæsum. Hist. Angl.

Eanes, quem Patroclum interemisse ferunt, ob idque domo profugum ad Peleum in Thessaliâ ventitasse, à quo & sacellum, *Eanium*, & *Eaniden* fontem ostendunt nominatum. Strabo *lib*.9.

Eantes, historicus Cyzicenus, ætate quâ Pygmalion in Oriente regnabat.

Eanus, ab antiquis *Janus* dictus est, qui sæpe *e* pro *i* usurpant, quod docet Quintil. 5. 6.

Eares, populi Indiæ, qui cum Deriade contra Dionysium pugnarunt. Steph.

Earinus, nomen formosi pueri apud Mart. *l*.9. *Epigr*. 12.13.14. à Vere sic dictum. Fuit autem Eunuchus Domitiani, quem ideo Cæsareum puerum vocat Papin. *Sylv*.3. *eleg*.4. quæ est *de comâ Earini*.

Easis, Gedrosiæ metropolis. Ptol.

Easium, Achajæ in Peloponneso urbs. Pausan.

Easo, civitas Hisp. Tarraconensis, Ptol. vulgò *S. Sebastian*.

East-Anglia, illa pars Angliæ, quam Angli Orientales incolebant, à Germ. *East*, seu *Ost*, Oriens. Hi puerulos suos super tecto ædium stramineo collocare soliti, eos qui timidè illis hærebant, vel ut casuri ejulabant, pusillanimes fore pronuntiabant: qui verò comprehenso stramine, alacriter prorepere & se fortiter sustinere deprehendebant, plausu magno *Stout-heres*, i. magnanimos dominos futuros acclamabant, Henr. Spelmannus *Glossar. Arch*. Vide *East-Saxones*.

East-Saxones, seu *Saxones Orientales*, à voce German. *East* seu *Ost*, pop. Angliæ, quorum, ut & Merciorum regibus peremtis, regna cum magna Northumbriæ parte, Dani occuparunt, anno Chr. 827. victi postea ab Egberto, qui ad pellendos Barbaros subditis tributum *Dangieltum* imposuit. An. 836 Ericus postmodum EastSaxonum Rex ab Eduardo R. cæsus est, A.C.904. Polydor. *l*5. Vide *Saxones*.

EB

Eba, Tuscorum urbs. Ptol. *Pitigliano* nonnullis. Aliis *Monte Merano*, castrum Thusciæ, in agro Senensi, versus Albaniam fluv.

Ebal, filius Sobal filii Seir. Gen.36. Lat. *acervus vetustatis*, vel *acervus defluens*.

Ebdomum, Byzantii suburb. à numero. Cedren.

Ebellanum, oppidum Vasconum, nunc *Biel*, oppidul. Aragoniæ, ad amnem cognom. versus montes, in Diœcesi Pampilonensi, 6. leuc. à Jacca in Occ. 9. ab Osca, 12. à Cæsar Aug. in Austr. Quibusd. dicitur *Ebellinum*.

Ebennozophim, vel *Azoph*, Arabs, stellarum fixarum cognitioni intentus, an.1061. Voss. *de Mathem*. c.35. §.7. Genebr. *in Chron*.

Eberhardus, fil. Ulrici, ex Irmengarde Burgovia, Comes Wirtenbergensis, uxorem habuit Agnetem, filiam Bertholdi Zeringiæ Ducis, viduam Egonis Comitis Auracensis. Pater fuit Ulrici, cui Uracum arx ab Henrico Comite Fürstenbergico vendita est. Hoc genitus est *Eberhardus* γαστρίμαργος cogn. Illustris vel Rixosus. Qui Adolpho Imp. primùm, dein Henrico VII. obsequium negans, universâ ferè ditione suâ exutus est; Mortuus A. C. 1325. Ejus filius Ulricus, pater fuit *Eberhardi* cognom. Contentiosi: qui multa memorabilia fecit & passus est, pater Ulrici: quo natus *Eberhardus* Dux, cognom. Mitis, An. Chr. 1395. Nobilitatis seditionem expertus est, & à conjuge Beatrice fil. ultimi Teccensium Ducis, hunc Ducatum obtinuit, An. Chr. 1417. Habuit is in Aula sua 6. Principes, 8. Comites, 5. Barones & 70. Nobiles. *Eberhardus* Jun. filius ejus, Comit. Montispelicardi, uxorio nomine, domui intulit: Pater Ludovici, qui Uracensem & Ulrici, qui Stutgardianam lineam sevit.

Eberhardus, cognom. Barbatus, fil. Ludovici, de quo supra, Tubingensem Academiam fundavit, A. C.1477. in cujusvis subditorum sinu placidè dormire se posse gloriatus. Illius sepulchro astans Maximilianus I. Imp. mortuus autem est A.C.1496. *Latere*, dixit, *in illo tumulo talem Principem, cui sapientia multisq; aliis virtutibus parem in Imperio nullum noverit*. Obiit nullo hærede relicto.

Eberhardus jun. Ulrici, de quo antè, filius, patrueli Eberhardo Barbato successit: ob multa protervè designata, pulsus à Maximiliano Imp. A.C.1498. Obiit A. C.1504. Heidelbergæ sepultus. Ejus frater Henricus vitam finivit captivus Uraci, A.C. 1519. Pater communis duarum linearum à totidem filiis Ulrico & Georgio: quorum prioris posteritas extincta est A.C.1593. in Ludovico Pio.

Eberhardus, Dux Wirtenbergicus, fil. Joh. Friderici, mortui An. Chr. 1628. natus est An. C. 1614. Post Nerolingense prælium, A.C.1634. ducatu à Cæsareanis occupato, ipse A.C.1635. in Pace Pragensi ab amnistia est exclusus: restitutus tamen maximæ ditionum parti A. C. 1638. quæ nihilominus subinde gravia passæ, donec pace Monasteriensi A. C. 1648. quies toti Ducatui obtigit. A quo tempore summo cum prudentiæ, justitiæ, & magnificentiæ elogio, ditiones rexit: Pater numerosæ polis. Mortuus A. C.1675. Successorem reliquit Wilhelmum Ludovicum, ex primo conjugio Annæ Catharinæ Com. Rhenanæ, susceptum. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in Famil. VVirtenberg*.

Eberhardus Altahenus, Archidiac. Ratisbonensis sub Rodolpho I. Imper. Annales Ducum Austriæ, Bavariæ & Sueviæ scripsit. Ab an.1273. usque ad 1305. Henrici Steronis compilator, Vid. Voss. *de H.L.l*.2. *c*.62. Item discip. S. Harvici, Episc. Saltzburgens. an. 1024. hujus vitam scripsit. Idem *l*.2. *c*.43.

Ebezinthia, in tribu Juda. Hier. *in L.H*.

Ebibas, filius Aphri, seu Ophri, Abrahæ filii ex Ketura. Joseph. *Ant. Jud*. 1.1.

Ebion, Hæresiarcha, circa A.C.72. divinitate Christi negatâ, scelera perpetravit, quæ Carpocratianis exprobrantur. A carnis esu abstinebat, Legem Evangelio præferens. Samaritanorum & Nazareorum dogmata, cum suis, Carpocratis & Cerinthi deliriis miscuit. Polygamiam suis permisit, Pseudo-Apostolica Acta composuit, Canone, inprimis N.T. calcato, solo Matthæi Evangelio, sed depravato, usus. Hunc contra Apost. Johannes divinum Evangelium suum scripsit, ut & Cerinthum, qui saltem in eo differebant, quòd hic mundum ab Angelis, Ebion verò à Deo conditum statuerit. Ignat. *ep. ad Philad*. Tertull. *de Præscr. c*.48. Irenæum, *l*.1. *c*.26. Epiph *hær*.19. & 30. Aug. *de hær*. Euseb. *hist.l*.3. *c*.31. Theodoret. *hær. fab.l*.2. Philastrius, *de hær. c*.38. &c.

Ebionitæ, hæretici, purum hominem ex communi nativitate è viro & muliere Christum natum asserentes, legemque Mosaicam necessariò observandam. Euseb. *Hist.l*.3. *A.D*.81. Vid. *Ebion*.

Ebisma, Arabiæ Fel. urbs. Ptol. *Ebisama* legunt Interpp.

Eblaa, Albaniæ urbs. Ptol.

Eblana, Hiberniæ opp. Ptol. hodie *Dublin*, Stanihurstus. Urbs prim. Hibern. in Comit. cognom. ad ostia Lifnii fluv. cum portu commodo, & castro permunito. Emporium celebre 25. mill. à Drogheda in Austr. Hinc *Eblanii* pop.

Ebles, vel *Eblon*, fil. Ranulphi I. Com. Pictav. Abbas S. Germani, minister status sub Odone Com. Parisino, Parisios contra Normannorum conatus strenuè defendit, Monachi Abbonis elogio. Interfuit prælio, quo iidem victi, in obsidione castri Billaci, in Pictonibus occisus. An.892. Rhegino *in Chron*. Morerius. Item, Comes Pictav. & Dux Aquitaniæ, fil. Ranulphi. Cujus filius cogn. Episc. Lemovic. fuit, qui obiit an. 975. Item Baro Roucius, dux famosus, sed latrociniis potius, quàm rebus contra hostes gestis, memorabilis. A Ludovico Crasso, fil. Philippi I. in ordinem coactus. An.1103. Mezeray, *in Philippo I*.

Eblitæ, montes in Arabia Felici. Plin.

Ebode, opp. Arab. Fel. Plin. Item Arabiæ Petrææ urbs. Ptol.

Ebodia, vulgò *Ornay*, Ins. parva maris Brit. versus oram Normanniæ, tractumque Constant. vix 2. leuc. à prom. Haguæ in Occ. Longa circiter 2. leuc. Quibusdam *Aldernay* dicitur, aliis *Riduna*. 5. leuc. à Sarnia ins. in Bor. 30. ab ostio Sequanæ in Occ. Fretum inter ipsam & Gall. *le ras de Blanquert*.

Ebodurum, Rhætiæ urbs. Ptol.

Ebolum, al. *Eburi*, opp. Principatus cit. in regn. Neap. cum Princip. tit. 6. mill. ab ora litt. sinus Salernitani in Ort. 15. à Salerno.

Ebon, vel *Ebes*, obscurissimo genere natus, collactaneus & condiscipulus Ludov. I. Pii, Imper. Hinc, jussu Paschalis I. Normannorum Danorumque præco, postea Arch. Remensis, an. 822. Dissidiis Ludovici & Lotharii filii implicitus, huic contra patrem favit, effecitque ut Ludovicus, an. 833. deponeretur. Quo restituto, ipse depositus, apud Lotharium effecit, mortuo patre, ut redderetur sedi suæ. Mox iterum pulsus in Germaniam se recepit, à Ludovico Germ. Abbas Hildeshemensis factus. Obiit an. 851. Burchard. *l*.6. *c*.5. Annal. Fuld. *A.C.* 822. Flodoard. *l*.2. *c*.20. Hincmar. *c. Gothos*, *c*.36. *T*. 7. & 8. *Concil*. &c.

Ebonia, vide *Ebuda*.

Ebora, Lusit. urbs, ampla & Archiep. in quam dignitatem, rogatu Johannis III. evecta est à Paulo III. *Ebura* Ptol. quæ & *Liberalitas*

Julia Plinio nominatur. *Evora* hodie, provinciæ inter Tagum & Anam caput, intra colles. Academiâ à Cardin. Henrico primo Archiepiscopo, postea Rege, institutâ celebris. 16. leuc. à Pace-Augusta in Occ. 20. ab Ulyssipone in Ort. 8. ab Ana fluv. Andreas Resendius *Episcoporum catalogum* edidit. Provincia, cujus caput Ebora, fertilitate soli, incolarum genio, victoriâ primi Portugalliæ R. Alfonsi de 5. Maurorum Regulis A. C. 1139. partâ, & prom. sacro, unde emissis classibus Henricus Infans plurimos Principes Lusitaniæ regno subjecit, celeberrima est: Hisp. *Alentejo.* Vide Sansonem, Du Val, Oliverium, Marianam, &c. Item Bæticæ urbs ad sinum Gaditanum. Strabo. Steph. Ad ostia Bætis fluv. Nunc *S. Lucar de Barameda*, opp. celebre Vandalitiæ, cum portu capaci. 3. leuc. à Xera in Occas. 6. à Gadibus in Bor. 15. ab Hispali in Afric. Baudr. Alia denique Turdulorum urbs in eâdem Bæticâ, sed interius versus Mediterranea. Ptol.

Ebora alta, castr. Lusitaniæ, in prov. inter Tagum & Anam, in colle, 5. leuc. ab urbe Ebora in Ort. 2. ab Extremis. Ibi Hispani grandi clade affecti à Lusitanis an. 1663.

Eboracensis prov. Angliæ Septentrionalis, inter mare Germ. ad Ort. Lancastriam, ad Occas. Darbiam & Lincolniensem prov. ad Mer. & Diœcesim Dunelmensem ad Bor. Dividitur in 3. partes, *Westriding*, *Eastriding*, & *Northriding*. Ibi olim Brigantes pop. maj. ex parte & Parisii. Camden.

Eboracum, ampla Septentr. Angliæ civitas, caput Brigantium, secunda totius Regni, *Caerfrock*, vel *Caer-effroc* Camdeno Britannicè. Vulgò *Yorck*, prov. Eboracensis caput, ad Urum amnem, *Ouse*, ubi aliàs Legio 6. Victrix, cum Duc. tit. Hinc Eboracenses Duces, è domo Regia, inter quos & Lancastrenses, sub nomine *Rosæ Albæ & Rubræ*, de regno contendentes, Anglia diu exercita est: donec Henricus VII. victo & interfecto Richardo III. Elisabetham superstitem ex Eboracensi familia filiam, in uxorem duxit, & fratre ejus Eduardo Plantagenetâ, Eboracensium ultimo, in vinculis Londini detento, finem intestinis his turbis imposuit. Vide Camden. *Hist.* &c. Hic colloquium, inter Jabum V. & Henricum VIII. illum Scotiæ, istum Angliæ R. de finibus regni, institutum an. 1524. sed sine successu, mox enim Scotus ab Anglo ingenti prælio victus est. Buchanan. *Hist. Scot. l.* 14. 15. 16. Abest 27. mill. Angl. ab ora litt. Oceani Germ. 35. à Lincolnia in Bor. 40. à Dunelmo in Austr. 120. à Londino, pauloque minus ab Edinburgo. J. Speedus.

Ebores, vide *Eburovices*.

Ebosus, vide *Ebusus*.

Ebrancus, fil. Mempricii, V. Angliæ R. egregius, & bello contra Gallos inclytus. Eboraci conditor fertur, eique post regnum an. 40. Brutus II. successisse dicitur. Chenius, *Hist. Angl. lib.* 2. *cap.* 11. *p.* 61.

Ebremarus, Patr. Hierosolymitanus, Daiberto à Rege Balduino oppositus. Alberic. *in Chron.* Guil. Tyrius *hist.* 5. *cap.* 4. Baronius *A C.* 1107.

Ebrimirus, Theodati gener, ad Belisarium defecit, anno U. C. 1289.

Ebroduntii, Inalpini pop. à Galbâ Imp. Narbonensi provinciæ adjuncti. Plin. 3. 4. Hodiè *Le pays d'autour d'Ambrun.*

Ebrodunum, & *Eborodunum*, urbs Galliæ Narbonensis in Delphinatu ad Druentiam fluv. probè munita, in colle, in finibus Caturigum. Vett. est *Ebrodunum Caturigum*, vel *Alpium maritimarum*, caput regiunculæ cognom. Ballivi & Præfecti sedes est. Ecclesia, cujus primus Præsul S. Marcellinus fuit, Capitulo 24. Canonicorum, inter quos Rex quoque sedem habet: & reliquiis gaudet variis, inter quas trabea Regalis est à Rege quodam Angliæ huc dono data, in qua omnes ejus Antecessores videre est. Morer. *Diction. histor.* Vulgò *Embrum* vel *Ambrun.*

Ebrodunum, opp. clarum Helvetiorum, olim Verbigeni pagi, nunc in finibus Bernensium, vulgò *Yverdon.* Ad lacum Novicastri, ubi recipit Orbam fluv. 3. leuc. à confin. Comit. Burg. in Ortum. In Notit. Imp. Rom. inter castra ponitur, teste Guillim. qui id unum ex 12. Cæsaris oppidis fuisse credit, Romanosque hîc habuisse præfectum, per quem curarint abietes ex monte Jura, ad navigationem parari, dicit. Sed tempore Cæsaris fuisse hoc opp. mera conjectura est, nulli enim veterum, ante Antoninum & libr. Notit. ejus meminerunt. Prope Ebrodunum, in pagulo *Treycovagne*, inscriptio in rotundo albi marmoris lapide reperta, sic habet,

IMP. CÆS.
L. SEPT. SEVERO.
PERT. AUG. ARAB.
PAR. H. G. MAX. P. P.
IMP. CÆS. M. AUR.
--- NON NO. POTE----
COS. - - - - - - -
- - - - - - - - - -

Cùm quoque canalis inter Albonam & Ebrodunum, per mediam paludem, mercibus, præcipuè vino, huc usque transvehendis opportunus, haud pridem conficeretur, inter rupes præscissas Serratæ, reperta est hæc in lapide inscriptio, An. 1640.

IMP.
CÆS. TR. P. AILIO.
HADRIANO.
AUG. P. M. TRIB.
POT. COS. III. P. P.
AVENTICUM
M. P. XXXXI.

Vide Joh. Baptist. Plantinum, *descript. antiquorum Helvet. locorum.* Olim erat, sub Sabaudiæ Princip. quibus ereptum est ab Helvetiis, fidemque cives Bernensibus, Friburgensibus & Soloduriis jurare coacti sunt, an. 1475. quam paulò pòst fefellerunt, intro receptis Caroli Burgund. D. amicis, verùm nullo successu. Post prælium Muratense, reddita urbs à Friburgensibus Sabaudis, an. Chr. 1476. Sed an. 1536. cum tota vicina regione, in Bernensium manus pervenit: postquam à Barone de Laserra Sabaudiæ Ducis præfecto, qui, amissis reliquis Vaudi oppidis, huc tanquam in ultimum Asylum se receperat, fuisset deserta. Vide Stumpf. *de Pago Aventic. cap.* 13. &c.

Ebrodunum, *Eburodunum*, seu *Robodunum*, quod vide, urbs celebris & munita Moraviæ, *Brin* vulgò, ad *Suartzahe* flu. Cluv.

Ebroica, vide *Eburovica.*

Ebroinus, vir quondam apud Galliæ reges potentissimus, idemque nequissimus. Annal. Franciæ. Præfectus palatii, sub Clotario III. &c. Germanus, decem annos summæ rerum præfuit, magna cum laude. Postea, ut solus esset, Batilden Reg. removit, mox vitiis laxato fræno, & Proceribus primariis calcatis. Clotario mortuo Theodoricum suffecit, cui à Magnatibus, quibus domo egredi prohibuerat, Childericus II. oppositus est, Ebroino raso, cum Theodorico: qui tamen Childerico mortuo, mox restitutus est, dato ei Leudesio, Palatii præfecto. Sed Ebroinus, hoc occiso, cùm non reciperetur à Rege, Clodovæum quendam supposuit, qui se filium Clotarii III. ferret. Hinc horribiles turbæ, ipse victor, Pseudo-Clodovæum à se amolitur, denuoque Præfectum palatii agit, ambitione sævitiaque omnia miscens. Tandem ab Hermenfrido quodam, quem contra fas bonis exuerat, occisus. An. 688. Greg. Tur. *append. c.* 94. *& seqq.* Ado & Sigeb. *in Chron.* Aimon. *l.* 4. *c.* 44. 45. *& seqq.*

Ebromagum, vide *Hebromagum*.

Ebron, vibe *Hebron*.

Ebrus, vide *Hebrus*.

Ebudæ, *Æbudæ* Steph. *Hebudes* Plin. *Hebrides* & *Eboniæ* aliis, insulæ 5. Scotiæ ad Occ. adjacentes, quarum 2. *Ebuda* propriè nominantur. Orientalis scilicet, *Skye* Camdeno, & Occidentalis *Levves.* 3. *Recina* vulgò *Racline*, 4. *Epidium*, *Ila*, 5. *Maleos*, *Mula* eidem Camdeno. Vulgus numerat 44. ex quibus 10. præcipuæ. Suntque Ricina, vulgò *Raglins*, versus Hibern. Epidum *Yle.* Jona, *Jura.* Maleos, *Mul.* Ebuda Or. *Skye.* Ebuda Occ. *Levvis.* Dein, *Eust*, *Turif*, *Col*, *Colonsa*, &c. Has à Norvegis coëmerunt Scoti olim. Baudr.

Ebura, urbs Hisp. Tarraconensis ad Tagum fluv. in Castellâ novâ à Toleto 12. leuc. in Occid. Ulyssiponem versus, teste Mariana, vulgò *Talavera la Reyna.* Vide *Libora.*

Ebura, vulgò *Eure*, fluv. Galliæ. Oritur in Perticensi prov. è sylvâ Logniaca. Dein per Belsiam labens, variis urbibus rigatis, in Sequanam se exonerat, supra pontem Arcuensem.

Eburacum, vide *Eboracum*.

Eburiaci, sive *Eburaici*, sive *Ebroica*, vel *Ebroici* & *Eburovices* Cæs. & Plin. pop. Gall. Celt. quorum urbs *Eureux* in Normandiâ, à Rothomago, & Lexoviis 8. leuc.

Eburicus, Galiciæ R. post Mironem, An. 583. anno pòst ab Anduca pulsus & rasus: qui, viduæ Mironis maritus, idem postea à Leuuigildo Gothorum R. passus est. Greg. Tur. *l.* 6. *c.* 43. Joh. Gironus, *Chron.*

Eburobrica, locus Galliæ, prope Augustobonam Tricassium, vulgò *Brinon* vel *Bernon*, ad fluv. Hormentionem. Dicta quasi *Eburovicum pons.* Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Eburobritium, opp. Lusitaniæ. *Evora de Alcobaca*, test. Varrerio, & Vascone. Aliis *Alcobaça*, vicus nunc cum cœnobio celeberr. Ord. S. Benedicti, 4. leuc. à Leyria.

Eburodunum, vide *Ebrodunum*.

Eburones, pop. Belgii, Trevirorum clientes olim, qui nunc *Leodienses* sunt, quorum urbs hodiè *Leodium* sive *Legia*, vulgò *Leige*, & Germanicè *Lyick*, sive *Luttich*, ad Mosam, inter Coloniam Agrippinam, & Bruxellas ad Occ. 16. leuc. sita. Dicti postea *Tungri*, quos Vide. Fuere inter Ubios & Menapios, ad Mosam fluv. Baudr. Morer.

Eburonia, urbs Germ. infer. Ortelio, Cluverio universa Eburonum regio.

Eburovica, sive *Aulerci Eburovices*, inter Celtas pop. Aulercis, Cæsar, Plin. Eutrop. Lexoviis, Unellis, & Curiosolitis proximi, ex maritimis civitatibus Oceanum attingentibus. Vulgò *Ceux d'Eureux en Normandie.* Habebant ad Bor. Velocasses, ad Occ. Lexovios, ad Austrum Aulercos Diablintes, ad Ortum Carnutes. Baudr. Eorum urbs & caput *Mediolanum* in Gallia Lugdunensi. Ptolemæus. *Mediolanum Aulercorum* Æthico, aliàs *Civ. Ebroicorum* Gall. *Evreux* dicitur: quæ diu sub Comitibus è familia Normannorum, è quibus Rodolphus, erat, cujus uxor Hesselina, Itonæ fluv. cui urbs assidet, nomen dedit, teste Gaguino: postea

stea in manus Philippi Aug. pervenit, à quo tempore Comitatus hic in Apanagium cessit Regum filiis, uti Ludovico fil. Philippi Audacis R. qui ex Margareta, Philippi Atrebatum Comitis filia, Philippum suscepit, Navarræ Regem, maritum Johannæ, filiæ Ludovici Hutini. Post Carolum cognom. Nobilem, sine prole decedentem, rediit ad coronam A. Chr. 1425. Primus Ebroicensium Episcopus Taurinus fertur, circa A. C. 260. Inter cujus successores eminuere Claudius Sanctius & Perronius Cardin. Vid. Duchen. *ant. & recher. des Villes de France*, Tilletum. *hist de France*. Sammartan. *Gall. Christ. T. 2. p. 571. & Geneal. de la Maison de France*, Camulogenus Aulercus, dux Senonum, Parisiorum, & finitimarum civ. contra Labienum, cujus Cæsar *l. 7.* meminit, haud dubiè fuit Aulercus Eburovix, Aulercorum enim nomine sæpe Aulercos Eburovices vett. designavere. Pagus *Ebroicinus*; cujus pars, à silva locoque Utico *Ouche* vulgò dictis, vocatur Gallis *le Pays d'Ouche*, pagus Uticensis. Hadr. Valesius *Notit. Gall. in voce Aulerci*.

Eburum, Ptol. urbs Germaniæ, vulgò *Olmutz*, Pyramio. Moraviæ metropolis. Ad Moravum fluv. permunita, 6. leuc. à Bruna in Austr. 20. à Vienna in Bor. Baudr. Lazio verò est opp. Bohem. *Borovva* nomine.

Ebusus, ins. in mari Baleárico, nullum animal noxium gignens. Plin. 3. 5. *Ebusi terra fugat serpentes*. Habet hæc insula opp. ejusdem nominis, à Phoenicibus, ut putatur, conditum, aut certè à Pœnis, qui à Phoenicibus originem duxerunt. Sil. *lib. 3.*

Jamq; Ebusus Phœnissa movet, movet Artabrus arma.

Statio *Ebosea* dicitur, *in Saturnalibus*,

Et quos percoquit Ebosea caunas.

Dionysio Βῦσος.

Νῆσοι δ' ἑξείης Γυμνήσιαι, ἄγχι δὲ Βῦσος.

Sed legendum ibi ἄγχι δ' Ἔβυσος, ut in Festo, Melâ, Plinio, &c. Vide Boch. *de Phœn. col. p. 705.* Livio *Pityusa* dicitur. Plin. 3. 5. *Insula per hac maria prima omnium Pityusa à Græcis dicta à frutice pineo*. Baudrando est una ex Pityusis, in mari Mediterr. versùs oram regni Valentiæ & Dianium promunt. à quo 10. leuc. Hisp. distat in Ort. Majoricam versus, à qua pari spatio in Occ. abest. Castrum habet *Yvico* in parte Austr. Ins. Cum aliquot villis. Sub Hispan.

Ebutius, prænomine *Titus T. F. Elva*, Magister Equitum Dictatore A. Postumio: qui cùm, victoriâ nutante, ad Regilli lacum equis frenos detrahi jussisset, irrevocabili impetu in hostem latus aciem Latinorum fudit & castra cepit. an. U. C. 320.

Ebutius, veterator quidam Romæ, adversus quem Cicero *pro Cæcinnâ* peroravit.

E C.

Eca, seu *Ecana*, quibusd. est *Troja*, urbs Capitanatæ prov. ad Chilonium fluv. ad radices Apennini, 25. mill. à Benevento in Ort. 8. à Luceria in Austr. 18. ab Asculo in Circ.

Ecalidus, scribunt Annius, & Leander fluvium Thusciæ ab antiquis vocatum, quem hodie vulgò *Caddano* appellant.

Ecameda, vide *Hecamede*.

Ecbadus, vide *Parrhasia*.

Ecbatana, plur. num. metropolis Mediæ, vel ut quidam existimant, regia quædam magna à Dejoce rege Medorum. Strabo *libr. 11.* Cæterùm *Ecbatana* Polybio *lib. 10.* videntur πλούτῳ καὶ τῇ τῆς κατασκευῆς πολυτελείᾳ μέγα τι παρὰ τὰς ἄλλας διενηνοχέναι πόλεις, *urbes omnes alias opibus & operum magnificentiâ longo superasse intervallo*. Diod. *lib. 17.* ambitum constare dicit stadiis 150. & in eâ haberi θησαυρὸς πολλῶν χρημάτων. Ecbatanis sc. fuit θησαυροφυλάκιον, ut author est Isidorus Characenus. Sed sepulcra regum, & templum Anaitidis eandem urbem non parum nobilitarunt. Muri ejus describuntur Judith. c. 1. Tamen si Polybio credimus, urbs ipsa erat ἀτείχιστος, *sine mœnibus*. Sed arcem habuit manufactam θαυμασίως πρὸς ὀχυρότητα κατεσκευασμένην, Herodoto teste, *ad firmitatem ad miraculum usq; munitam*. Illam sc. ambibant muri 7. sic constituti, ut extimus esset humillimus, & supra illum secundus, & supra secundum tertius totis pinnis promineret, atque ita gradatim relíqui usque ad septimum: Adjuvante ipso loci situ, ut qui collis esset sensim assurgens: Horum murorum amplissimus, teste Herodoto, æquabat Athenarum ambitum, quem Thucydides definit 178. Dio Chrys. stadiis 200. Aristides diei itinere; Dion. Halic. cum Româ confert amplitudine, & Plut. cum Syracusis, quarum mœnia stadiis 180. patuisse testatur Strabo. Pinnæ murorum, quas describimus gradatim prominentes, coloribus distinguebantur. In extimo sc. pinnarum color erat albus, in secundo niger, in tertio purpureus, in quarto cæsius, in quinto sandaracinus, qui rubor est intensissimus: Sandaracha enim illa maximè probatur, quæ est κατακορὴς πυῤῥὰ καὶ κινναβαρίζουσα τὴν χρόαν, *rubra ad satietatem, & colore Cinnabaris*. Dioscorides *lib. 5.* Sextus denique argento, & septimus auro fulgebant. Ab hac colorem varietate putat Bochartus *Ecbatana* dicta, quia Arabibus hodieque אעבתנה *agbatha* id ipsum significat. Huc facit, quòd *Ecbatana* dicebantur ipsa mœnia tot coloribus interstincta. Herodotus ubi de conditore Dejoce, οἰκοδόμεε τείχεα μεγάλα τε καὶ καρτερὰ ταῦτα τὰ νῦν Ἐκβάτανα κέκληται.

Quid quòd Steph. ex Herod. pro *Ecbatanis* legit *Agbatana*, voce quæ merè est Arabica, quomodo & multi veteres. Idem Steph. Δημήτριος δέ φησιν Ἀγβάτανα λέγεσθαι, τῶν μὲν τῆς Μηδείας, τὸ δὲ τῆς Συρίας. Scaliger compositam vocem esse asserit ex ignoto אג *ac* vel אג *ag* & Chaldaico בית *bithan*, quod *palatium* exponit, cum *interius* sonet potius, ut plerique reddunt Ester. c. 1. v. 5. Alii *Ecbatana* volunt à Chaldæis dici אחמתא *achmatha*, pro quo Hieronymus habet *Ecbatanis* Esdr. c. 6. v. 2. Et Græci Ἐκβατάνοις *lib. 3.* Esdræ. Taceo Fungeri somnium in Etymologico trilingui, *Ecbatana* deduci ab עגן *coxit* & בית *domo* & חנן *gratioso*. Ecbatanorum regiæ conditor fertur esse Daniel Propheta. Joseph. *Ant.* 10. 12. Ὠκοδόμησεν ἐν Ἐκβατάνοις τῆς Μηδικῆς βάριν, ἔργον περικαλλέστατόν τι καὶ θαυμασίως πεποιημένον, ὃ μέχρι δεῦρο μένει ἔστι καὶ σώζεται. Tamen ædificii splendor & amplitudo videtur superasse opes privati hominis. Nec virum tantum credibile est, in tam insanæ molis structuram pecunias suas temerè profudisse. Addo Danielem Susis, non Ecbatanis fuisse sepultum, ut ex Benjamine constat. Interim hanc de Daniele famam non esse planè futilem suadet, quòd ad suam usque ætatem in more fuisse scribit Josephus, ut regiæ illius custodia Judæo sacerdoti concrederetur: Ταύτην πιστεύομενος Ἰουδαῖος ἐστὶν ἱερεὺς, καὶ τοῦτο γίνεται μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας. Itaque Darium Medum, cui idem opus alii tribuunt, in operis œconomiâ, & architecturâ crediderim Danielis operâ & consilio usum. Quo munere cùm vir magnus egregiè functus esset, Regem in gratitudinis monimentum hoc sanxisse, ut Judæorum fidei regia deinceps committeretur. Alii *Ecbatana* recentiora faciunt. Nam juxta Plinium *Ecbatana caput Mediæ, Seleucus rex condidit, lib. 6. cap. 14.* Vicissim alii vetustiora. Sic in libro Judith Arphaxad Medorum rex Nabuchodonozori æqualis Ecbatana condidisse narratur. In Chronico Eusebii Δηιόκης ὁ Μήδων βασιλεὺς ἔκτισεν Ἐκβάτανα τὴν μεγάλην καὶ περιβόητον, quod habetur ex Herodoto. Quin si Diodoro credimus, qui Ctesiam se sequi profitetur, Ecbatana jam extabant ævo Semiramidis, quam Oronte monte perfosso, stadiis 12. ab urbe dissito, aquas ex magno lacu eò derivasse tradit. Superest de situ dicamus. Plin. 6. 26. Ecbatana oppidum translatum fuisse ait à Dario Rege ad montes. Alii tamen in planis locant. Ammianus *sub Jasonio monte* in terris Syromedorum. Polybius, Ὑπὸ τὴν παρώρειαν τὴν παρὰ τὸν Ὄρον, *sub montana regione quæ est ad Orum*. Pro Oro Orontem ibi habet Ptolemæus. Et Diodorus ex Ctesiâ, postquam descripsit Ἐκβάτανα πόλιν ἐν πεδίῳ κειμένην, subjungit aliquanto pòst: Τῶν γὰρ Ἐκβατάνων δώδεκα σταδίους ἀπέχον ἐστὶν ὄρος ὃ καλεῖται μὲν Ὀρόντης. Hæc sunt apud Strabonem τὰ ὑπερκείμενα τῶν Ἐκβατάνων ὄρη. Itaque Ecbatana erant in plano fere ad radices montium, non in ipsis montibus. In hac urbe Cambyses lethaliter vulneratus, Parmenio, jussu Alexandri, occisus, Hephæstio mortuus est, & magnificè sepultus. Vide Strab. *lib. 11.* Plin. *l. 5. c. 19. l. 6. c. 14.* Curt. *l. 7.* Hodie Ecbatana quibusdam est *Esphahan*, regia Persarum. Aliis *Casbin*, urbs ampla in prov. *Ayrach*, & anteà Persiæ regia, post captum à Turcis Taurisium, à quo distat 250. mill. in Austr. 320. à Susis, 450. à Seleucia M. in Cæc. Sed multum deficit à paucis annis. Baudrandus.

Ecbatana, urbs Phœniciæ in Carmelo. Morerius.

Ecbolima, Vide *Embolima*.

Eccetan, nomen viri. 1. Esdr. *cap. 8.* id est, *parvus*, sive *minimus*.

Eccion, Pater Cypseli.

Eccius, vide *Eckius*.

Ecclesia, Græc. Ἐκκλησία, occurrit apud Græcos veteres, ut Curia & Senatus, apud Romanos; non solùm pro cœtu & congregatione, sed etiam pro loco in quem conveniunt. Lucianus, Καὶ ἀγοράσαντες τὴν Ἐκκλησίαν, i. ubi Ecclesiam sc. Curiam in qua consultant, undique stravero. Synodus Laodic. Ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ τῆς ἁγιωτάτης μάρτυρος Εὐφημίας. Tertullianus *lib. de fug. in persecut. sect. 3. Convenerunt in Ecclesiam, confugiunt in Ecclesiam*. Hieronymus *in Esajam capite 60. Videmus Cæsares ædificare Ecclesias expensis publicis*. Plura apud Bernhardum Decretorum *l. 3.* qui *de Ecclesiis* inscribitur, & Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Ecclesiastes, Liber Canonicus S. Scripturæ, Hebr. *Coheleth*: A Salomone in senio scriptus, Hieron. *in cap. 1. Eccl.* August. *in Psalm.* 126. & Philastrius, *cap.* 132. &c. In *Ecclesiasten* extant: Abini *Comm.* Basil. 1521. Agathius. Alcuinus. Arboreus. Beda. Bezæ *Paraphrasis*. octav. Bonaventura. Brentius. Borrhai *Comm.* fol. Basil. 1564. Buceri item. 1532. Argentinæ & Broughtoni. Calovii *Annotationes*. Campensis. Cartvvrighti *Comm.* Coch. Cope. Corranus. Costus, Danæus. Duporti Σολομῶν ἔμμετρος. Egardi *Theologia Pr.* 1622. Fabri *Comment.* Fayus, Genev. 1608. Ferdinandus. Ferus. Geieri *Comment.* in quart. Lipsiæ, 1653. Gregorius Nazianzenus. Neocæs. & Nyssenus. Guilielmus. Hieronymus. Honorius. Jansenius. Jermini *Comment.* Angl. fol. Londini 1639. Don Joseph aben Jechija. R. Isaac ben Arama. de Lapide. Lavateri *Comment.* Lechem Setharim. Leigh *Annotationes*, Angl. Londini 1657. Lorinus. Lutherus, Maldonatus. Malvenda. Mansus. Matthiæ *Comment.*

Basileæ 1589. Melanchthonis *Explicatio*. Mercerus. Moringus. Oecumenius. Olaus. Olympiodorus. Osorius. Pembelii *Expositio Anal.* Pinedæ, Antverpiæ 1620. Piscatoris *Comm.* 8°. de Pomis. Porrus. Remus. Rupertus. Salonius. Sanchez. Sanctius. Scultetus, in 8°. Heidelb. 1619. Serranus. Sidonius. Sixtus Sen. Strigelius. Titelmannus. Tollenarius. Tusa. Varenii *Gemma*. de S. Victore. Viviani *Paraphrasis metrica*. Cantabr. 1662. Werenfelsii *Conciones*, 4to Basileæ. Wolberonis *Commentar.* 4to Coloniæ &c. Vide Crovvæi *Elenchum*.

Ecclesiasticus, liber apocryphus; qui licet varia salubria monita complectatur, proin πανάρετ☉ Græcis dictus, errorem tamen Judaicum errat, Cap. 48. 10. de Eliæ Thisbitæ reditu; contradicit iis, quæ de Sapientia personali & æterna, in Proverbiis dicuntur, *cap.* 1. *Vers.* 4. 10. Sapientiam creatam fuisse docens: Verum Samuelem à Pythonissa fuisse evocatum, asserit *cap.* 46. *Vers.* 20. &c. A Jesu Siracho collectus. Vide Frider. Spanhemium *Syntagm. Disput.*

Ecdamna, Galatiæ urbs. Ptol.

Ecdicius, fil. Aviti Imp. frater Papianillæ, quæ Sidonii Apoll. uxor fuit. Sub Anthemio Comes & Dux equitum, sub Nepote Patritius. Claromontem in Alvernia contra Gothos strenuè tuitus, illo, initâ pace, reddito, ad Burgundos primùm, dein Romam se recepit. Sidonius Apoll. *l.* 2. *ep.* 1. *l.* 3. *ep.* 3. *ad Ecdic. l.* 15. *ep.* 16. *ad Papin.* & Carm. 20. *Natalis noster Nonas, &c.* Liberalitas ejus erga fame pressos, laudatur Greg. Tur. *lib.* 2. *c.* 24. Marcellin. Cassiodor. *in Chron.*

Ecdippa, seu *Ecdippos*, urbs Phœniciæ, olim *Ace*. Plin. 5. 19. Opp. tribu Aser, vix 10. mill. à Ptolemaide in Bor. Etiam *Achasib* & *Achziba* dictum est, nunc *Castel Lamberto*, Baudr.

Ecebolius, sophista Constantinopolitanus, propter frequentem apostasiam à fide Orthodoxâ infamis. An. 362. Eccl. Hist. Post mortem Juliani Ap. à quo seduci se passus est, vel potius, quem ipse cum Libanio Sophista & Maximo Philosopho ad Gentilismum seduxit, Theodor. 3. 3. ad fores Ecclesiæ, *Me quasi salem infatuatum pedibus conculcate, &c.* exclamavit, recipi petens. Hier. *in Chr.* Socrat. *lib.* 3. *cap.* 11.

Ecelesta, inquit Clusius, est in Inscriptionibus antiquis marmoreis, ubi hodie *Medina Celi* urbs est. Hanc Medinam Mediolum Celtiberorum Ptolemæi esse nonnulli putant. Opp. est Castellæ vet. versus fontes Salonis fluv. 4. leuc. à confin. Aragon. ut & Castellæ novæ, ad radices montium. Baudr.

Ecelinus, Pontificis exercitum cepit; Ei Brixiani sese commiserunt. LLoyd Vide infra.

Ecelinus, tyrannus fuit, qui post infinita propè flagitia, & crudelitatis exempla, tandem in bello (quod contra Martinum Turianum, Mediolani principem susceperat) vulneratus more frendentis belluæ vulnus discerpsit, eoque miseram evomuit vitam. Hic cùm viveret, circa Tarnisium exercebat tyrannidem, pueros castrabat, stuprabat Virgines, matronis adimebat mammas, prægnantium secabat uteros, partus exemtos in ignem mittebat. Volaterranus.

Ecestienses, Siciliæ pop. Plin. 3. 8.

Echaja, nomen viri. 2. Esdr. 10. i. e. *frater Domini.*

Echeanax Ephesius, Pater Anaxagoræ, Codri & Diodori. Polyæn. *lib.* 6.

Echecrates, Thessalus, qui cùm formosam Phœbadem Delphis rapuisset violassetque, lege latâ ex eo sancitum est, ut holmo præesset tantùm quæ quinquagenaria esset: quoniam mulieribus id ætatis oblatum vitium facilè celatur. Vide Diodor. Sicul. *l.* 16. 524.

Echeda, Atticæ vicus. Steph.

Echedamia, Phocidis urbs. Pausan.

Echedorus, Macedoniæ fluv propè Thessalonicam in mare Ægæum influens. Ptol. Hujus aqua non suffecit Xerxis exercitui, Herodoto teste, cui *Chidorus* dicitur. *Calico* Sophiano, *Granea* Nigro, *Veratasier* Castald.

Echela, villa in 7. ab Eleutheropoli mill. ubi absconditus fuit David, juxta quam & sepulchrum Abacuc ostenditur. Hier. *in Loc. Hebr.* Est in tribu Juda.

Echelida, vicus in Atticâ ab *Echelo* heroe, cui hoc nomen fecit ἕλ☉, locus inter Piræeum ac Tetracomum Heracleum, ubi Gymnici ludi in Panathenæis fiebant. Steph.

Echemenes, historicus, in Creticis adducitur ab Athenæo *l.* 13. Fortè idem nomen restituendum Fulgentio 1. *Mytholog.* ubi *Euxemenes* in primo θεολογεμένων testis adhibetur. Vossius.

Echemon, Priami fil. à Diomede occisus. Hom. *Iliad.* 5.

Echemus, fil. Eropis, post Lycurgum, Arcadiæ R. Propè Isthmum Dores, reditum in Peloponnesum parantes, sub Hyllo, Herculis fil devicit, duce occiso. Item Arcad. R. post fratrem, Polymestorem, junctus Aristomeni & Messeniis contra Spartanos. Pausan. in *Arc.*

Echeneus, omnium Phæacum generosissimus. Hom. *Odys.* 7.

Echestratus Hegesis fil. Pater Leobatis, ex Herculis posteris, Spartanus. Herod. *l.* 7. Regnavit post patrem an. 35. Plut. *in Lyc.* Diod

Echetia, urbs Italiæ, Steph.

Echetimides, unus ex iis Legatis, quos Lacedæmonii, octavo Peloponnesiaci belli anno ad Athenienses rei componendæ miserunt.

Echetla, Siciliæ urbs olim munitissima circa fontes Achatis flu. quæ primi belli Punici tempore sita erat, in confinio Syracusanorum & Carthaginiensium, hodie *Ochula*, vel *Aquila* vocatur. De eâ præter Stephanum vide Polyb. *l.* . *Echetla* autem literis trajectis factum videtur ex אחתלה *Etchela*, quasi *munitam* dixeris. Diodorus de Agrigentinorum, duce Xenodocho: Τὴν δ᾽ Ἐχέτλαν χωρίον ὀχυρὸν ἐκπολιορκήσας, τοὺς μὲν πολίτας τὴν δημοκρατίαν ἀποκατέστησε, τοὺς δὲ Συρακουσίους κατεπολέμησε. Bochartus. Vide sis Cluver. *Sicil. Ant. lib.* 2. *cap.* 10.

Echetra, urbs Italiæ. Steph. Olim caput Volscorum. Nunc ne vestigia quidem supersunt.

Echeverenses, Tegeatarum municipium in Arcadiâ. Pausan.

Echi, fil. Benjamin. Gen. 46. qui 1. Par. 8. *Rapha* dicitur. Lat. *frater meus.*

Echidne, Scytharum regina, ex quâ Hercules tres suscepit liberos, Agathyrsum, Gelonum & Scytham, uno partu editos, quos cùm esset enixa, ex Hercule quæsivit, quid de iis fieri vellet? Qui respondens ait, Cùm primùm in id ætatis, quâ arma ferre possent, pervenissent, is qui arcum, quem ei reliquisset, cum baltheo, cui ex auro vasculum appendebat, tendere posset, in regnum Scythiæ post eam succederet. Horum itaque liberorum unus, nomine Scytha, qui solus arcum intendere potuit, regnum hâc sorte consecutus Scythiæ nomen dedit. Herod. *lib.* 4

Echinades, exiguæ 5. insulæ Acarnaniæ adjacentes ex adverso ostii Acheloi fluv. natæ ex arena & limo impetu Acheloi convecto. Plin. 2. 85. Stat. 2. *Theb.*

Turbidus objectas Achelous Echinadas exit.

Lucan. *lib.* 6.

——— Et tuus Oeneu

Penè gener crassis oblimat Echinadas undis.

Senecæ *Echina* dictæ,

Quolibet Vento faciles Echinæ.

Ovid. *Met.* 8. fingit Najadas nymphas ab Acheloo & Neptuno in insulas Echinadas fuisse mutatas, quia vi aquarum vel interrumpente, vel aggerente terram insulæ nascantur. Insulæ hæ vulgò *le Curzolari* vel *Cozzulari* vocantur Sophiano. Hic Turcæ à Christianis victi ingentique clade, classe amissâ, afflicti sunt an. 1571. Non. Oct. Duce Joh. Austriaco, Caroli V. fil. nat. V. Thuan. *hist. l.* 38. & 50.

Echineus, 15. Sicyoniorum rex, regn. an. 55.

Echinon, Thraciæ urbs. Mel. *lib.* 2.

Echinus, *ni*, vel *nuntis*, civitas vel insula in mari Ægæo. Cicero *in Arateis*;

——— Excelsis errans in collibus amens

Quos tenet Ægæo defixa in gurgite Echinus.

Item Acarnaniæ opp. Plin. & Phthiotidis urbs. Strabo. Etiam in Pentapoli Africæ regione civitas. Ptol.

Echinussa, ins. Eubœæ vicina, quæ postea *Cimolus* dicta est. Plin. 4. 12.

Echion, unus eorum, quorum operâ adjutus Cadmus Thebas ædificavit, unde & Thebani *Echionidæ*, & Thebæ *Echioniæ*. Ovid. *Trist.* 5. 3.

Victor Echionias si vir penetrasset ad arces.

Item cursor nobilis. Idem *Met.* 8.

Impiger Eurytion, cursuque invictus Echion.

Echion, Mercurii fil. Argonautarum præco. Flacc. 1. *Argon.*

Echo, nympha Cephissi amnis accola, quæ Narcissi amore capta, cùm ab illo sperneretur, doloris impatientiâ contabuit, & corpore in saxum converso, nihil præter vocem retinuit. Ovid. *Met.* 3. Allegoricè sig. *jactantiam*, hæc spreta mutatur in sonum, h. e. in rem inanem. Significat etiam Echo *Vocis repercussionem*; inde *resonabilis* Ovidio & *reparabilis* Persio dicitur. Fit præcipuè in convallibus & locis concameratis, ubi scinditur resultans aër, & acceptæ voces numerosiore repercussu multiplicantur, nomenque *Echo* ejusmodi voci Græcis datum est, ut scribit Plinius, quoniam non est vagandi liberrimus campus, sed objecta reflectitur. Quæ res etiam multas voces multis in locis reciprocas facit, sicut in urbe Cyzico turres septem acceptas voces multiplicant. Et Olympiæ porticus fuit, quam *Heptaphonon* appellabant, quoniam septies eadem vox ibi reddebatur. Lucretius,

Sex etiam aut septem loca Vidi reddere Voces,

Unam cùm faceres, ita colles collibus ipsi

Verba repulsantes iterabant Verba referre.

Eadem à Latinis dicitur *Imago*. Horatius;

Quem Deum; cujus recinit jocosa

Nomen Imago.

Val. Flacc. *lib.* 3.

Rursus Hylan, & rursus Hylan per longa reclamat

Avia; responsant silvæ & Vaga certat Imago.

Eckardus, primus Abbas Vrangelianus, in Diœc. Herbipolit. sub Conrado III. Chronicon, Epistolas & Sermones scripsit, ut & Facem monachorum. Circa an. 1130. Trithem. *Cat.* Possevinus.

Eckerardus, Decanus Sangall auctor vitæ S. Notkeri, Canis. *t.* 6. *antiq. Lect.* Latinè vertit vitam S. Galli, à Ratperto Germ. scriptam. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 57.

Eckius seu *Eccius* Johannes, Theologus Ingolstadiensis, obeliscis notat Lutheri propositiones de Indulgentiis, Anno 1518. Disputat Lipsiæ cum eo de primatu Papæ, de Pœnitentia, de Pur-

gatorio & de Indulgentiis, 4. Jul. Anno 1519. coram Georgio D. Sax. victus, exclamante Duce, *sive sit jure humano, sive divino Papa, ipse est Papa.* Cum Carolostadio, de libero Arbitrio, d. 27. Jun. ejusdem anni: Cum Melanchthone aliisque Theologis, Wormatiæ, per triduum, de peccato originis, post Baptismum remanente, colloquitur, An. 1541. sed Cæsareo mandato interrumpitur confabulatio & Ratisbonam rejicitur, &c. Obiit Anno 1543. æt. 57. Auctor enchiridii. Vid. Bucholceri *Chron.* Lætum, Simler. &c.

Eckleston, seu *Ecleson*, Minorita Angl. sui ordinis Chron. scripsit. Item de persecutione Jacobinorum contra Franciscanos. Gesner. *Bibl.* Possevin. *App. sacro.* Voss. *de H. Lat. l. 2. cap. ult.*

Ecnippa, Vid. *Ecdippa.*

Ecnomus, mons Siciliæ, in ora maris Afr. ad ostia fluv. Himeræ, ad quem Dædalium Phalaridis castellum, ubi bos æneus servabatur. Hodie *Monte d'Alicata*, in valle Neætina & limite vallis Mazaræ, Fazello. Medius inter Gelam ad Or. & Agrigentum ad Occ. 15. mill. ab utraque. Baudr.

Ecnomus, propugnaculum in ora Siciliæ in Aust. apud Gelam urb. ubi & Phalarium alterum propugnaculum. *Poggio Muciacco* Tho. Fazello. Vid. supra.

Ecobrogis, Galatiæ urbs. Anton.

Econia, civitas Græciæ. Plin. 4. 7.

Ecphantes, Proavus Musæi Poëtæ. Suid.

Ecphantida cujusdam meminit Aristotel. VIII. Polit. *cap.* 6. Et ita corrigit auctorem Scholiorum in Aristophanis Crabron. Florens Christianus, eumque ait Satyros scripsisse. Vulgò legitur *Phantides, pag.* 516. *A.*

Ecphantus, Equitatus Syracusani Magister, cujus Equites muricibus induit, & per peltastas cecidit Nicias Atheniensis. Polyæn. *libr.* 1.

Ecphantus, Syracusanus, philosophiam professus, qui Deum mentem & animum esse existimavit, ut Origenes scribit.

Ectena, vel *Ecteni*, Græciæ pop. qui primùm Thebas incoluere in Bœotiâ. Pausan. Lycophr.

Ecthesis, libri nomen. Cùm enim Sergius Constantinopolitanæ Eccl. præfuisset, Antiochenam verò Athanasius, hæresis Monothelitarum faber, regeret: errorem hunc iste Heraclio Imper. propinavit, qui à Sergio & Cyro Alexandrino Patr. seductus, ipse opinionem imbibit: mox Synodo coactâ à Sergio hæresis publicata & *Ecthesis* in eam rem edita est, quam brevi tamen Italiæ & Africæ Episcopi refutarunt. Circa A. C. 639. Eutrop. *lib.* 18. Cedren. *in Histor. &c.* Hinc disputationes acerrimæ, quas Constans, nepos Heraclii, ex consilio Pauli Episc. urbis, edicto *Typo*, sopivit, A. C. 648. Trullanâ postmodum Synodo, sub Constantino Pogonato, hæresis damnata est, A. C. 680. 681. Vide Sigon. *Histor. lib.* 2.

Ectivi, Alpini pop. ab Augusto devicti. Plin.

Ectodurum Sansoni est *Leutkirch*, urbs Imper. & libera Germ. in Suevia, ad amnem *Eschach*, qui paulo infra cadit in Ilarum fluv. 3. leuc. à Memminga in Austr. 6. à lacu Brigantino in Ort.

Ecur, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

E D.

Eda, Messeniæ fluv. Suidas.

Edana, urbs juxta Euphratem, quam Phœnices habitarunt, ab *Edano* duce dicta. Steph.

Edbaldus, Rex Cantii, post Ethelbertum Patrem, novercæ maritus, Paganismum, spretâ Christi fide, amplexus, in omnia vitia præceps ruit. Hinc phrenesi afflictus, postquam ad se rediit, vitiorum callem pœnitentiâ remensus est. Obiit A. C. 640. regni 25. Beda, *Histor. libr.* 2. *cap.* 4. 5. &c. Polydorus Virg. *Histor. Angl. lib.* 3.

Edbertus, 12. Cantii, post Withredum, Rex, per an. 23. Idem *libr.* 4.

Eddara, Arab. Desertæ urbs. Ptol.

Eddo, nomen viri. 1. Esdr. 8. Lat. *vapor*, vel *nubes*, aut *interitus ejus.*

Edelfridus, fil. Edelrici, Rex Anglorum Septentr. Britones sæpius vicit, pulsus ab Edvino, cui Edelricus regnum rapuerat. Obiit sub initium sec. 7. Beda *l.* 1. *c. ult.*

Edema, civitas in tribu Nephthali. Jos. 19. Lege *Adamah.*

Eden, i. e. locus delitiarum, ubi Paradisus olim. Prope Mesopotamiam fuisse, asserit Torniel. *M. D.* 3. *n.* 22. 23. 24. Item orientalis regio. Isa. 37. Ins. Tigridis, infra Seleuciam M. 12. m. p. distans, circuitu 10. *Gezerta* Masio. Est & nomen viri. 2. Par. 29. Lat. *voluptas* vel *delicia.*

Edenburgum, regni Scotiæ Urbs regia, Senatusque sedes. Vid. *Alata castra*, & *Edingburgum.*

Eder, fil. Musi fil. Merari. 1. Par. 23. Lat. *grex, defectio*, vel *privatio.* Item urbs in tribu Juda. Jos. 15. & 19.

Eder, turris, ubi filii Jacob tabernaculum fixerunt. Gen. 35.

Edera fluvius Galliæ, *Ierre* vulgò, nonnullis contractiori nomine *Ter* dictus, nomen videtur ab edera invenisse, cujus more modoque serpit flexuosè potius quàm decurrit. Hic ortus in saltu Briegio, & quatuor rivis aut fluviolis auctior factus, vicos attingit Ebulum *Ieble*, lavat Solurram (*Soulare*) Ciconiolas, nonnullis corrupto Latino nomine Ceognolas dictas, *Sognolles*, præterlabitur Nucetum *Noisy*, Cons, aliàs Combisvillam (*Con-la-Ville*) Quintiacum majus *Quincy le Grand*, Quintiacum *Quinsy*, Bouci vicum; priscum nomen totum & integrum hodieque retinentem, quibusdam tamen *Bossy* nuncupatum. Tum amnem recipit ex Capriaco *Chevry*, Attiliaco *Atilly*, Ferolis *Ferolles* aut *Fareilles*, Liciniaco *Lesigny*, & Ambacila *Emboille* venientem: postea Ederam vicum Monasterio Virginum sacrarum insignem, *Ierre*, cui nomen suum dedit, Bronacum vel Bronai, *Brunoy* vulgò, *villam Braunadum* in Gestis Dagoberti dictum, & Cronam *Crone* alluit, atque apud Villam novam, Sancti Georgii Patroni sui cognomine nunc insignem (*Villeneuve S. George*) in Sequanam evolvitur. Est & *Edera* fluvius, *Terre*, in pago Dunensi, qui alluit Fontanas *Fontaines*, & vicum S. Hilarii, ac in Lidericum defluit. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Ederus, decimus quintus Rex Scotiæ, fil. Dothani. Bredium, principem Insularem, qui exscensione factâ, Scotiam vastabat, devicit, navibus exustis. Boëthius, & Buchan. *hist. Scot.*

Edessa, *Edesa* Straboni, olim Antiochia Osrhoenorum, & Callirrhoe à fonte dicta, teste Procopio, & postea *Justinopolis*, urbs ampla & Archiepiscopalis Syriæ ad lævam Euphratis ripam (ex quo etiam Mesopotamiæ tribuitur,) *Rhoas*, & *Rhoasse*, ac etiam *Rhoa* Nigro, *Orfa* P. Gyllio, & plerisque aliis dicta (variè enim nominatur) proxima Samosatis, à quibus 12. m. p. recedit. Antiquissima urbs, utpote à Nembroth, teste Isidoro, condita. Abagari sedes, Ephremi patria. In cœtum Ecclesiæ hìc convenientem, Valens Imp. cùm sævire sibi proposuisset, Modestus Præt. Præf. motus constantiâ mulierculæ, quæ gnara futuræ cædis, ad locum filiolum etiam raptabat, cædem dissuasit, A. C. 368. Rufin. *l.* 2. *cap.* 5. A. C. 525. Terræ motu tantùm non corruit. Hinc à Justino reparatore *Justinopolis* dicta. Vide supra. Frustra à Chosroë obsessa. Capta est ab Haido, Abubecheris duce, A. C. 637. Wilh. Tyr. *lib.* 1. *cap.* 2. Iterum expugnavit eam Sanguinus, ingenti Christianorum strage, A. C. 1142. Paulus Æmil. *lib.* 5. An *Rages* olim? Vid. quoque Evagr. *lib.* 4. *cap.* 8. & 26. Procop. *de B. P. lib.* 2. Euseb. *in Chron.* J. de Vitriaco *hist Or. lib.* 1. *c.* 31. &c. Baudrando Urbs Mesopot. ad Chaboram fluv. nunc *Orfa*; & *Rohai Orrhoaiq*, Arab. media inter Aleppum ad Occ. & Amidam ad Or. longè ab Euphrate in Or. 40. mill. à Samosatha in Or. 45. ab Hieropoli. Etiamnum ampla & elegans, è præcipuis Diarbechiæ, sub Turcis.

Edetana, Hisp. Tar. regio. Plin. Hinc

Edetani, pop. circa sinum Sucronensem, ubi nunc pars Septentrionalior regni Valentiæ.

Edgarus Etheling, regni Anglorum hæres legitimus, cernens res patriæ undique perturbari, ascensâ navi cum Agathâ matre suâ & sororibus Margaretâ & Christinâ, in Hungariam, ubi natus fuerat, reverti conabatur, sed ortâ tempestate compulsus est in Scotiam applicare. Hâc occasione factum est, ut Margareta regi Malcolmo nupta traderetur, ex quâ nati sunt 6. filii & 2. filiæ, quorum tres sc. *Edgarus*, *Alexander*, ac *David* juxta generis sui nobilitatem reges fuere. Hæc ex Mat. Parisiensi. Est autem *Edgar* Saxonicè pro *Edig-ar*, id est, *felix potestas. Eadig* legitur, Mat. 6. in Saxonico Testamento. *Ear*, sive *Ar* est *honor*, unde *Arlic* & *Earlic Honoratus*, atque hinc factum est, ut Comites, qui cum Danis in Angliam venerunt, *Earles* vocarentur Camdenus.

Edgarus, fil. Edmundi, Rex Angliæ, post fratrem Eduinum, *Pacificus* cognom. postquam Scotos vicit, *Wallis* tributum annuum lupinorum capitum imperavit, & Hiberniæ partem sub jugum misit. Exin regno exornando incubuit. Obiit post regnum an. 16. Vide Baron. A. C. 957. 959. Chenium *hist. Angl.*

Edhilingi, nobilium classis, apud Saxones vett. Nithardus *Hist. lib.* 4. *Saxonica gens omnis, in tribus ordinibus divisa consistit, quorum nomina Edhilingi, Frilingi & Lazzi*, i. Nobiles, Ingenui & Servi. Aliàs *Adelingi*, &c. Pro regia sobole iisdem peculiariter usurpata vox & Regio successore: quem apud Marculfum Galli *Domicellum*, Scriptores Latini ejusdem ætatis *Clitonem*, Britanni *Urchrichtad* vocarunt. Sed & *Adelings* inter Saxones Anglos, dicebantur Regni Magnates: præsertim Comites & illustriores. Item Nobiles in genere, ut ex Nithardo ostensum. Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.* Vide quoque infra in voce *Seniores.*

Edi, Scythiæ pop. Ἦδοι Steph. ex Hecatæo.

Edingburgum, Scotiæ urbium primaria est, in Luthiana prov. & regia sedes, ubi castellum est *Puellarum* à filiabus Regum ibi educari solitis, cognominatum, multoties authorum testimoniis celebratum, vulgò *Edingburg*. Ampla & magnifica, haud procul à mari sita, Vid. Lesl. *descr. Scot.* Camden. *Britann.* Buchan. *lib.* 1. *rerum Scot.* Aurigat. *spec.* Ortelium, &c. Capta est ab Henrico VIII. Angl. R. imminente nuptiis Mariæ, A. C. 1544. quæ postea Francisco Delphino elocata est. Thuan. *lib.* 1. 3. 26. longitud. 17. 12. lat. 57. 10. Vid. *Alata castra.*

Edissa, id est, *myrtus*, aut Syriacè *lætitia*, nomen mulieris, quæ & Esther. Lege *Hadassa*.

Edmerus, vel *Jadmerus*, Anglus, Episc. S. Andreæ, in Scotia, sub Henrico I. circa an. C. 1120. Scripsit de libertate Ecclesiæ, historiam sui temporis, ab Anno 1066. ad an. 1122. &c. Gesner. *in Biblioth.* Edidit historiam ejus Seldenus, Anno 1623. Vid. Voss. *de H. L. lib.* 2. *cap.* 48. Trithem. Catal.

Edmundus, Rex Anglorum Oriental. pietate illustris, sec. 9. regni an. 16. à Danis occisus. Item Comes Richemontius, pater Henrici VII. Angliæ R.

Edmundus I. Rex Angliæ, fil. Eduardi I. post fratrem nothum Adelstanum. Northumbros domuit, Cumbriam Malcolmo Scoto, feudi nomine, concessit, regnum exornavit. A' Leofo exule occisus, A. C. 946. regni 6. Relictis, Edvino & Edgaro, filiis, qui, post fratris Eldredi mortem, successerunt. Frater erat Oginæ, matris Ludovici Ultramarini, in quo restituendo sedulò laboravit. Polyd. Virg. Chenius, *hist. Angl.*

Edmundus, II. cognom. *Lorica ferrea*, Angliæ rex, fil. Ethelredi R. mortuâ matre à Londinensibus Rex salutatur. Pars Canutum Danum regem elegerunt: quem sæpius victum victoremque demum singulari certamine Edmundus prostratum consortem imperii fecit. Tandem ab Edrico quodam, ignito ferro in anum adacto, occisus, Anno 1017. caputque ejus ad Canutum delatum est. *Eadmundus* Saxonicè dicitur, id est, *felix pax*, nam *Ead*, vel *Eadig* est *felix*: *Mund* autem *pacem* significasse ostendit leguleiorum vocabulum *Mundbrech*; id est, *pacis violatio*. Sic *Ælmund tota pax*, *Ethelmund nobilis pax*, &c. Quidam verò *Mund* ajunt esse *Mouth*, ut *Pharamund*, *true mouth*. Camden.

Edmundus, cognom. *Virgo*, Arch. Cantuariensis, Henrici III. R. offensi iram veritus, in Galliam se recepit. Auctor *Speculi Ecclesiæ*, in Bibl. PP. Item, operis Gall. de Agnitione Dei. Obiit Anno 1240. Vincent. *lib.* 31. *cap.* 67. *& seqq.* Polyd. Virg. Paris, T. V. Bibl. PP. *col.* 705. Simler. *in Bibl. Gesneri*, Baleus.

Edmundus Campianus, Londin. Jesuita, turbarum causâ, ad mortem damnatus, Anno 158 . Auctor Chronol. Universalis & libri de Academiis Angliæ. Gautier. & Ricciol. *in Chron.*

Edmundus Grimus, scripsit vitam Thomæ Cantuariensis, Voss. *de H. L. lib.* 2. *cap* 52.

Edmundus Richerus, Syndicus Univ. Paris. sub initium seculi hujus, scripsit librum de potestate Eccl. & Seculari, censurâ notatum Synodo Senonensi, & Aquensi, an. 1612.

Edna, id est, *voluptas*, aut Syriacè *tempus*, nomen viri. 1. Esdr. 1. 10. Item uxor Raguelis. Tobit. 7. 16. Item princeps militum in Manasse. 1. Par. 12.

Edobola silva Galliæ, in Petrocoriis, memorata in rebus gestis Pippini Franc. R. hodie *la forest de Ver.* Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Edota, Arabiæ Fel. urbs dicitur. Diodorus.

Edom, sic cognominatus fuit Esau ob coctionem rufæ lentis, cujus edulio primogenituram perdidit. Gen. 35. Josephus à collusoribus adolescentulis per ludibrium sic dictum tradit, *lib.* 2. Ἔνθεν διὰ τὴν ξανθότητα τοῦ βρώματος ὑπὸ τῶν ἡλικιωτῶν Ἀδωμὸς καλεῖται, καὶ παιδιὰν ἐπικληθεὶς, Ἄδωμα γὰρ Ἑβραῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσι.

Edom, regio in tribu Juda, quæ & *Idumæa*, ab *Edom*, hoc est, *Esau* dicta. Joseph. *Ant.* 2. Τὴν δὲ χώραν οὕτως προσηγόρευσεν. Ἕλληνες δ' ἐπὶ τὸ σεμνότερον Ἰδουμαίαν ὠνόμασαν. Undiquaque munita fastigiis montium & in scissuris petrarum sita. Ex 11. Judææ Toparchiis octava. Hæc in Syriâ ad merid. Judææ sita habet Arabiam ad Aust. Phœniciam ad Bor. Aliàs porro *Gabalene*, & *Amalechitis* vocabatur, teste Jos. *Ant.* 2. 1. qui tamen 5. 3. duplicem Idumæam ponit, Superiorem & Inferiorem. Superiorem elegit tribus Judæ, quæ in longum quidem extenditur usque ad Hierosolymam, latitudine verò usque ad paludem Sodomæ constituta est. In hâc autem sorte civitates erant Askalon & Gaza. Istam Palæstinam aliàs dicunt. Inferior Idumæa sorte cessit Simeonis tribui. Hæc circa Ægyptum est, & Arabiæ montem. Hæc ille.

Edomia, in tribu Benjamin. Hier. *in L. H.*

Edon, Servio mons est Thraciæ, aut certè in eâ parte Macedoniæ, quæ Thraciæ proxima est, qui à Plinio 4. 11. appellatur *Edonus*. Virg. *Æn.* 12.

Ac velut Edoni Borea cùm spiritus alto
Insonat Ægæo. —— ——

Statius, *Tristius Edonas hyemes, Hebrumque nivalem*, &c. Hinc *Edonides* dicuntur *Mænades*, sive *Bacchi sacerdotes*, quæ furore divino agitatæ mysteria Bacchi celebrabant, passis capillis more furentium huc illuc cursitantes. Prop. *l.* 1.

Nec minus assiduis Edonis fessa choreis.

Ovid. *Met.* 11.

Protinus in sylvis matres Edonidas omnes,
Quæ videre nefas, tortâ radice ligavit.

Lucanus tamen corripuit *lib.* 1.

—— *Nam qualis vertice Pindi*
Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.

Ubi tamen aliqui *Odonis*. Sanè Stephano Ὠδῶνες ἔθνος Θρᾴκης vocantur.

Edonis, civitas Phrygiæ, Cimmeriorum olim sedes, *Antandrus* postea dicta. Steph.

Edosa, ubs in sinu maris Troglodytici ex Africæ latere. Plinius 9. 29.

Edrei, urbs regis Og in reg. Amorrhæorum, ubi ipse contra Israel pugnavit, & cæsus est. Est & alia in tribu Nephthali. Jos. 19.

Edri, insula juxta orientalem plagam Hiberniæ. Ptol. Plinio *Andros* dicta *lib.* 4. *cap.* 16.

Edron, portus ad Padum fluv. Plin. 3. 16.

Edros, seu *Edri*, parva Ins. Hiberniæ, Ferrar. ex Ptol. V. *Hedrus*. Nunc *Bardesey* i. Avium Ins. Angliæ adjacet, in ora littorali Valliæ Bor. & Arvoniæ Comit. vix 3. mill. Angl. à Gargano prom. 40. ab ora Hiberniæ in Ort. Baudr.

Edsardus I. Comes Frisiæ Or. fil. Ulrici, qui primus an. C. 1454. clam à Friderico III. Imp. in eum tractum, qui ab Amasio ad Visurgim mari prætenditur, acceperat nomen Comitis & jus, quantum libertas Frisia pateretur: decem pòst annis, publicatis tabulis. Huic succedens fil. Edsardus, benignus in suos, mutuâ in se subditorum fide potens, horum spe Groningæ & annexi agri principatum speravit, tenuitque, donec eum Saxonica arma, fides mala Geldri, ac postremò cuncta invadens vis Austriaca trans Amasium rejiceret. Huic fil. Enno I. impar patri, & sic regens, ut ab aliis ipse regeretur, haud longus vitæ atque imperii fuit: Quo tempore Emda Evangelium amplexa est. Anna tum Oldenburgica alterius filii *Edsardi II.* nomine præfuit, civiliter usa principatu jam increscente. Secuta mox florentium populorum mala, superbia apud ipsos & luxus, invidia apud dominantes. Nec tamen ad vim ventum, dum Edsardum asperiorem frater minor consiliis aut metu retinebat. At Johanne mortuo, Edsardus religionis discors, nam ipse Augustanam, Reformatam Emdani profitebantur, magis ac magis suspectam habuit horum felicitatem. Uxor instigatrix aderat regiâ Sueonum stirpe, regioque ingenio. Unde inter Comitem & Emdanos turbæ; de quibus Vid. Hug. Grotium *Hist. lib.* 4. Origo Comitum è Grethana domo est; quæ per connubia & hæreditates aucta, Emdæ, ab aliis malè habitæ, tutelam prisco tempore susceperat. Idem, Vide quoque in voce *Emda*.

Reges Angliæ, ante Normannorum imperium.

Edvardus I. Ejus nominis Angliæ reges plures fuere. Ante Normannorum Imperium; Primus Alfredi fil. *Senior* cognominatus, Patri successit, Anno 900. Scotorum R. Constantinum primò, dein Britones, postea concitatos in se, à fratre Ethelvardo, Danos vicit, Orientalium Anglorum regnum suo adjecit; Edricio rege à suis interfecto, Merciam quoque sibi comparavit. Episcopatibus 5. constitutis, obiit an. 924. Ei successit Adelstanus fil. Guil. Malmesburius *hist. Angl.* Polyd. Virg. Chenius.

Eduardus II. Edgari fil. *Martyr* nuncupatus, post quadriennium à matre nothi fratris Ethelredi Alfreda crudeliter necatus An. Dom. 979. Matth. Westmonaster. *in Chron.* Addit. hist. Bedæ, *lib.* 2. *cap.* 12. Rogerus Hovedenus, Polydor. Virgilius, &c.

Eduardus III. Confessor dictus, Ethelredi fil. ex Emma, Vid. ibi. ob castitatem erga uxorem, & munificentiam erga Ecclesiam mirificè celebratus. Hic, cùm prius in Anglia Dani, juxta Danicam consuetudinem, Angli juxta Anglicam, & Mercii juxta Mercianam judicarentur: in uno regno triplicem Justitiæ lancem non ferens, denuo illas omnes leges recensuit, suamque dedit parem omnibus ac communem, quæ à re *Lex Communis*; ab Auctore *Lex S. Eduardi* nuncupatur. Unde *Anglicanarum legum Restitutor* appellatus est, quamvis secundùm alios non ipsemet ejus inventor fuit, interim à diebus Avi sui Edgari, qui illam instituisse dicitur, oblivioni datam in usum revocavit, Vid. Ranulphum Cestr. *lib.* 1. *cap.* 50. Gemiticensem *lib.* 6. *cap.* 9. aliosque laudatos Henr. Spelmanno *Glossar. Archaol.* Obiit Anno 1066. Iidem. Vid. *Godvvinus*.

Reges Angliæ, post Conquestorem.

Edvardus I. Henrici Tertii Regis fil. quem pater Walliæ principem fecit, & Aquitaniæ præfecit. Hinc consuetudo, ut Rex Angliæ filium natu majorem Principem Walliæ dicat. LLoyd. Ante regnum cum Ludovico IX. expeditione sacrâ defunctus est. Postmodum coronatus Anno 1279. ingenti cum pompa, Leolinum Walliæ Principem, sæpe victum, sustulit: Hinc rebus suis in Gallia compositis, rursus in Orientem profectus, in Sicilia Arragoniæ & Andegavensis familiis liti se interposuit. Ortâ dein Anno 1293. inter duos nautas, Anglum Gallumque, contentione, ingens bellum conflatum, quo Normanniam vastavit, classem Gallicam vicit, Aquitaniam amisit. Pax dein mutuis conjugiis firmata. Post Alexandrum III. Scotiæ R. cùm Johan. Balliolus & R. Brussius de regno contenderent, ipse superveniens illo potitus est, priore grandi prælio victo & capto. Obiit Anno 1307. æt. 68. regni 34. Hic etiam Judæos regno expulit, & Lutetiæ, clientem se Francorum, ratione ditionum, quas in Gallia possidebat, professus est. Massonius *l.* 3. Polyd. Virg. *lib.* 17. Chenius *hist. Angl. lib.* 14.

Edvardus II.

Edvardus II. Primi Edvardi fil. *Carnarvan* dictus, ob tyrannidem primò regnum amisit, deinde vitam perdidit. Sub initium enim regni Gavestonem quendam, à Patre ejectum, revocavit, cujus consiliis in Proceres sævus, unde Gavestonis mors. Interea Scoti jugum excussere. Mox Hugo Spenserus, cum fil. cognomine animo Regis occupato, eum ita in transversum egerunt, ut & Edmundum fratrem, & uxorem Izabellam pelleret: quæ in Galliam se ad Carolum Pulchrum, fratrem suum recepit. Inde, ope Hannoniæ Comitis Procerumque Anglorum id effecit, ut Spenseri capite plecterentur, Eduardus autem in vincula conjiceretur, filio surrogato. Paulo pòst, ignito ferro per corneam fistulam in anum immisso, occisus est, Anno 1327. regni 20. Thomas Morus, *in vita ejus.* Froissard. *lib.* 1. Thom. Walsinghamus, *in Eduardo II. &c.* Ex Isabella, pater Eduardi III. &c. Lascivus, ignavus, infelix.

Edvardus III. Edvardi Secundi fil. regnavit annis 50. Aureæ Periscelidis Equitum Author, & Fundator fuit, Regum reliquorum omnium fortissimus, bonis tam animi quàm corporis egregiè ornatus. Statim ab initio regni, Robertum Brussium, Scotiæ R. vicit, Philippi Valesii, ob præreptam sibi Galliæ successionem, mortuo Carolo Pulchro avunculo, sine prole mascula, primò 300. navium classem superavit, mox eum in Normannia ad Cressiacum, clade in omne ævum memorabili, affecit: ubi præter alios, duo Reges occisi, & Philippus *Fortuna Franciæ* factus est. Anno 1346. Dein Caletum cepit, & per uxorem, Davidem Scotiæ R. vicit cepitque. Buchan. *hist. Scot. lib.* 9. Wiclefo non adversatus est: Per fil. Eduardum, invicti animi principem, Johannem Galliæ R. ad Pictavium, vicit & in Angliam abduxit. Contra Carolum V. non æquè felix. Obiit Anno 1377. æt. 65. Successit ei nepos ex Eduardo Valliæ Principe, de quo antè, Richardus. Walsingham. *in Eduardo* 3. Froissard. *lib.* 1. Polydorus Virg. *lib.* 19. Chenius, *lib.* 15. Judicia Anglico in posterum, non Gall. sermone agi voluit. De Jubilæo ab ipso instituto, Vid. in voce *Jubileus.*

Edvardus IV. Comes de *Marsh* plenis omnium suffragiis Rex electus, Anno Dom. 1461. Fil. erat Richardi, Ducis Eboracensis, qui Henricum II. victum in vincula compegit, sed ab ejus uxore acie victus & occisus est. Hujus mortem filius ultus, pulso Henrico, thronum conscendit, Anno 1461. quæ prima dissidii inter Rosas scena. Dein, à Comite Warvicensi, victus captusque est, sed postquam evasisset, hostem in Galliam compulit. A' quo reverso & opibus Ludovici XI. suffulto, in Hollandiam se recipere est coactus. Hinc redux, binis præliis victor, Comite occiso, & Henrico R. in carcere strangulato, regnum obtinuit, recuperatum intra 20. dies, cùm intra 11. à Warvicensi occupatum fuisset. Fratrem Georgium, Ducem Clarentiæ, *vino Malvatico sic volentem suffocavit*, quòd à fratre, cui nomen à G. inciperet, sibi cavere jussus esset. Obiit Anno 1483. Eo mortuo, Richardus, Glocestriæ D. nepotes ex fratre, trucidavit, ipse à genero Eduardi Henrico Richemontio, occisus. Polyd. Virg. *lib.* 24. Phil. Comineus, *libr.* 6. *cap.* 9. Th. Morus, *Hist. Rich.* Chenius, *histor. Angl. lib.* 19. &c. Vixit annis 50. regn. annis 23.

Edvardus V. Edvardi Quarti fil. patri successit, An. Dom. 1483. A Richardo Tertio vitâ privatus, postquam 2. menses, & 18. dies regnasset. Iidem.

Edvardus VI. Henrici Octavi Regis fil. ex Johanna Seimera, patri successit, An. Dom. 1547. Sub hoc Eduardus Seimerus, avunculus ejus, Protector, cum Thoma Cramero, puram religionem in regnum introduxit, Petro Martyre Argentinâ Oxonium, P. Fagio & M. Bucero Cantabrigiam indidem, Emdâ verò Joh. à Lasco Londinum vocatis. Obiit florentissimæ spei Princeps, Anno 1513. æt. 16. Joh. Utenhovius, *in narr. Angl.* Thuan. *lib.* 13. Chenius, *hist. Angl. lib.* 21. Regnavit sexennio, quinque mensibus, & novendecim diebus.

Alii Reges & Principes.

Eduardus, Lusitaniæ R. post patrem Johannem II. an. 1433. Judæum Medicum, Astrologiæ peritum, consulens de rebus suis, inaugurationem manè cœptam, jussus in meridiem differre, non paruit. Contra Mauros, in Africâ, infelix. Obiit an. 1438. æt. 47. ex Eleonora, fil. Ferdinandi I. Arrag. R. pater Alphonsi V. successoris. Literatus, & fautor Literatorum: Scripsit de Arte regnandi, de Justitia, de re equestri, &c. Mariana, *lib.* 21. *cap.* 6. & 13. Garibajus, *lib.* 35. *cap.* 11. Duard. *Geneal. Regum Portugalliæ.*

Eduardus, Sabaudiæ Comes, Amedeo V. patri successit, Anno 1323. prius à Philippo Pulchro, cui auxilio venerat, eques factus. Postea à Delphino Guidone, prælio victus. Affuit Philippo Longo in Flandria, in prælio Moncassellano. Redux cum Delphino reconciliatus, ope Clementiæ Hungaricæ, paulo pòst obiit, Anno 1329. æt. 45. princip. 6. Guicheno, *Hist. Sab. l.* 2. *c.* 21. Paradinus *hist. Sabaud. lib.* 2.

Eduardus, Dux Parmensis, à Ludovico XIII. contra Hispanos adjutus. Anno 1635. Item, filius Joh. Ballioli, Rege Davide pulso, Scotiæ R. mox ipse pulsus, jure suo Anglis cessit. Walsinghamus *in Eduardo* 2. & 3. Polyd. *l.* 18. & 19. Boëth. *hist. Scot. lib.* 15. Chenius, *hist. Angl. l.* 14. 15. *&c.* Item, Frater Roberti Brussii, Scotiæ R. subjugatâ sibi maximâ Hiberniæ parte, Regem ejus se fecit, sed postea ab Episc. Armachano oppressus, & capite plexus est, an. 1317.

Eduardus Cantuariensis, Benedictinus, scripsit vitam Thomæ Cantuar. cujus tempore vixit.

Edvinus, Edmundi filius, Anglorum rex, post Edredum, successorem Edmundi fratris. Vitiis infamis. Obiit, animi mœrore, cùm videret Eddarum, Principem prudentem, à subditis, sibi surrogari. Osbert. *in vita Dunstani. cap.* 92. Gulielm. Malmesburius, Chenius, *hist. Angl. l.* 8. *c.* 14. regn. an. 4.

Eduinus, Northumbriæ R. Britones Saxonesque omnibus in M. Britannia terris exuit, Pictis Scotisque fortiter obnixus. Baptizatus suasu Edelburgis uxoris, quæ Cantii R. soror erat, Anno 626. septimo pòst anno in prælio occisus, contra Cadvvalum, Walliæ Principem, à Rege Merciorum Pendo adjutum. Beda *de gest. Angl. l.* 2. *c.* 8. 9. 17. *&c.*

Edulius, Hisp. Tarraconensis mons. Ptol. hodie *Moncayo*. Aliis *Medulius* dicitur. Baudrando, Durio fluv. imminet, *Mandursa* accolis. Sed longè à *Moncajo*, qui Lat. *Caunus mons*. Aliis tamen Edulius est *Montferrat*, in Catalonia, prope Rubricatum fluv.

Eduma, villa in Acrabatena, in tribu Ephr. Hier. *in L. H.*

Edumai, populi Arabici. Steph.

Edus, Sadodela, fluviol. Liguriæ, in fin. Genuensium, in Portiferam fluv. influens, apud Pontemdecimum. Ferrar.

Edusa, ita ab *edendo* dixerunt veteres Deam, quæ esui præerat, quemadmodum Potinam, quæ *potui*.

Edya, Nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* Lege *Idyia.*

Edylius, mons à quo egreditur fluv. Assus, quem occupavit Sylla, ut Chæronenses populos illi monti vicinos facilius invaderet. Plut. *in Syllâ.*

Edyme, urbs Cariæ. Steph.

E E.

Eetion, pater Andromaches, & socer Hectoris, qui apud Thebas Ciliciæ imperabat. Hom. *Il.* 12. Hinc *Eetioneus* adject. Ovid. *Met.* 13.

Eetioneas implevit sanguine Thebas.

Eetion, Atheniensis classis, quæ constabat centum septuaginta navibus, præfectus, à Clito, Macedonicæ classis præfecto, ad Echinadas insulas victus, Olympiadis centesimæ decimæ quartæ anno secundo. Vide Diodor. *l.* 18. *p.* 636.

Eetionea, alterum Piræi promuntorium ab *Eetione*. Steph.

E F.

Eferem, vel *Efrem*, 13. Hierosolymorum Episcopus, Anno Salutis 126.

Eflia, aliis *Eiflia* pagus, inter Trevirenses & Agrippinenses, sed Agrippinæ propior, cui Tolbiacum, castrum ab Agrippina civ. leuc. 16. distans attribuitur. Tabulæ illum collocant circa Monasteria Prumiam, Malmundarium & Stabulaus, non longè à Prumiæ & Celbis fluvii fontibus, Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Efflui, Germaniæ Septentrionalis pop. Tacito, Livones hodiè quibusdam. Vulgò *Liflandt.*

Effrontes, hæretici, circa annum 1534. qui frontem scalpello radentes, sanguinem eliciebant, dein oleo vulneri illito, quod loco Baptismi illis fuit. Spiritûs S. divinitatem insuper negabant. Erasm. *ep. ad Luther.* Florimundus, *lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 5. Gautier. *in Chron. sec.* 16. *cap.* 16.

E G.

Ega, Hisp. fluv. Oritur in Alava prov. dein per Navarram, Estellâ rigata, in Iberum fluv. se exonerat, è regione Calaguris.

Egabro vel *Ægabro*, *Cabro*, opp. Hisp. aliàs urbs ep. Sub Ar. Hispalensi.

Egara, urbs aliàs Laletanorum, nunc opp. Cataloniæ, *Terrassa*, versus montes 6. leuc. à Barcinone in Bor. totidem à Minorissa in Eur. 3. à Rubricato fl. in Ortum.

Egates, Vid. *Ægathes.*

Egbertus, Rex Cantii, in agnatos sævus, Obiit Anno 675. regni 9. Item, Rex Northumbriæ, qui Pictis se opposuit, amicus Alcuini, Polydor. *lib.* 4. Vide quoque *Egebertus.*

Egbertus, Marchio Saxon. à Gregorio VII. Victore III. & Urbano II. contra Henricum IV. Imp. suscitatus. Idem Hermanni, Princ. Lucemburgici, contra Henricum, electi partes tuitus, eo occiso, se Imperatorem fecit, Anno 1088. paulò pòst prope Brunsuicum, in molendino, ab Henrici militibus occisus. Berthold. *Histor. sui temporis.* Sigebert. *in Chron.*

Egbertus, vel *Echebertus*, Abbas S. Florini, in diœcesi Trevirensi. Sub Conrado III. & Friderico Barb. scripsit vitam sororis suæ S. Elizabethæ, & 13. Sermones c. Catharos. Bibl. PP. *t.* 4. Phil. Bergamus, Anno 1157. Vossius *de Histor. Lat. l.* 2. *c.* 53.

Egebertus, Rex Saxonum Occid. post Britricum, à quo pulsus, ad Carolum M. se recepit, inde, Britrico mortuo, à subditis receptus. Domitis Insulæ Regulis primus Anglorum Rex Wallos domuit, Bertulphum Merciorum, Ethelvolfum Cantianorum, Suthredum Saxonum reges, & Northumbros vicit, quorum regna suo imperio adjecit. Primus omnium nomen Angliæ insulæ imposuit, sub regni finem à Danis impetitus, Obiit A. C. 837. regni 37. Guil. Malmesburius, *libr.* 2. Polyd. Verg. *libr.* 4. & 5. Duchenius *lib.* 6.

Egelaste, op. Hisp. citer. pop. *Egelastani* Plinio & Straboni: hodiè *Yniesta* Castellæ regni opp. Clusio.

Egelidus, hunc Tusciæ amnem esse, & hodiè *Freddano* dici fabulatur Leander ex Annio. Hunc enim *Egelidum* uterque citat ex Virgilio *Æn.* 8.

Ut procul Egelido secretum flumine vidit.

Sed ibi legendum *egelido* appellativè alii jampridem observarunt.

Egelochus, unus ex Ducibus Alex. M.

Egemmon, nonus Corinthiorum rex.

Egemon, poeta, qui scripsit bellum Leuctricum Thebanorum & Lacedæmoniorum. Vide *Hegemon*.

Egeria, nympha, cui sacrificabant prægnantes, quòd eam putabant facilè fœtum alvo *egerere*. Festus. Numa Pompilius, referente Plutarcho, quò majore in veneratione esset apud populum, simulabat sibi esse nocturnos congressus cum Egeriâ nymphâ, velut cum conjuge. Florus *ubi de Numâ*; *Hæc omnia quasi monitu deæ Egeriæ, quò magis barbari acciperent.* Juven. *Sat.* 3.

In vallem Egeriæ descendimus.

—— Madidamq; Capenam

Hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.

Hinc fingit Ovid. *Met.* 15. Egeriam luctu, ob Numæ discessum, conversam esse in fontem. Græci nunc Ἠγιερὴν, nunc Ἐγεϱίαν appellant. D. Augustinus *lib.* 7. *cap.* 35. *de C. D.* fontem ait fuisse ac spumam hydromantiæ. Erat autem Egeriæ lucus & fons Romæ extra portam Capenam. Vide Liv. *libr.* 1. Florum *libr.* 1. *capite* 3.

Egeria vallis, sive Aquæ regiæ, unus ex tribus conventibus Tuginorum Reip. Germ. *Egry*. Vid. Stumpf. *libr.* 6. *de Turgaa cap.* 10. Simler *de Rep. Helv.* Item lacus cognom. ibidem. Hic Leopoldus Archidux A. C. 1315. d. 16. Nov. victus à Suitiis est; qui cùm lacus ab una parte, ab altera editissimi montes viam militarem cingerent, primùm ingentia saxa & vastas trabes è summo monte in exercitum Ducis devolvere lapidesque in hunc usum congestos, in Equitatum spargere cœperunt. Mox copias hostium turbatas ex edito conspicati, instructâ acie eos à fronte adorti sunt, ingentique strage affecerunt, Iidem.

Egerius Aruntis, Tarquinii Prisci Regis fratris, filius, Damarati Nepos, qui natus post Patris mortem, cùm testamento ab avo præteritus esset, omniaque bona Tarquinio Prisco cessissent, ab inopiâ *Egerii* prænomen habuit: de quo vide apud Dionys. & Livium plura. Is Collatiâ à Prisco Rege captâ, ibique in præsidio relictus, *Collatini* cognomen primus invenit, quòd diu *Collatiæ* præfuisset. Hujus filius secundùm Livium, vel Nepos secundùm Dionysium fuit *Luc. Tarquinius Collatinus*, Lucretiæ maritus.

Egesaretus Larissæus, nobilissimus Thessaliæ, tempore belli Civilis à partibus Pompeii contra Cæsarem, *lib.* 3. *Civil.* 35. Ciceroni ad Serv. Sulpitium *Epist. lib.* 13. vocatur *Hagesaretus*.

Egesidemus, utrum historiam an aliud scripserit, incertum est; historicum quidem est illud, cujus causâ laudatur Plinio 9. 8. & Solino *cap.* 18.

Egesinus, Philosophus, Evandri auditor. Cic. *Academ. Qu. libr.* 4.

Egesippus, vide *Hegesippus*.

Egesta, filia Hippotis Trojani, quam, ne marinæ belluæ ob perjuria Laomedontis secundùm Apollinis responsa traderetur, pater impositam naviculæ misit, quò sors tulisset; quæ tandem in Siciliam delata, à Crimiso fluvio in canem converso compressa, Acesten edidit. Vide *Crinisus*.

Egesta, civitas in Siciliâ, quam Æneas condidit, & ab Acestis matre *Egestam* nominavit, quæ postea *Segesta* dicta est. Stephanus ab *Egesto* Troe sic nominatam scribit, & calidas aquas ibi scaturire. Diodorus *lib.* 20. scribit, hanc ab Agathocle excisam, & transfugis ad habitandum concessam, ac Dicæopolin ab eo appellatam.

Egestus, Numitoris fil. Frater Rheæ Sylviæ, ab Amulio cædi sororis adjectus, ne quis stirpis virilis superesset.

Egeus, vel *Hegai*, Eunuchus Persarum Regis. Esth. 1. id est, *mediatio*, sive *loquela*, vel *gemitus*, aut *ablatio*.

Eggyna, urbs Siciliæ. Vid. *Engyna*.

Egica, in Hisp. Gothorum rex, duxit Cixilonem, filiam Ervingi, cui successit: mox illam, ob Bembam, vel patrem, vel patruum ab Ervingo occisum, repudiavit, filio ex illo Vitize in Gallicia educato. Judæis à Christianismo iterum deficientibus & regno noxiis se opposuit, bonis illorum fisco addictis, illisque in servitutem redactis. Obiit Anno 701. filio successore relicto. *Concil. Tolet. lib.* 16. *cap.* 8. Tudensis, &c. Hic Egica Fafilam ducem Tudensem, (ut ejus uxore potiretur) necavit. Vide quoque Vasæum *in Chron.*

D. *Egidius*, natione Lemovicus, religionis ac pietatis fulgor, Noviodunensis Episcopus, Flandros, & Picardos ad Christi fidem convertit, martyrumque sanctorum plurima construxit monumenta. B. Rhen. *l.* 1.

Egidius, Hispanus Cardinalis, vir acerrimus, Anno Dom. 1457. Vid. *Ægidius*.

Egidona, Vid. *Eidera*.

Egidus, Atheniensis, solitudinis studio genus, patriam, & opes reliquit.

Egilium seu *Ægilium*, Ins. parva maris Tyrrh. aliàs sub Senensibus, nunc sub magno Hetruriæ D. vulgò *Il Giglio*. Castrum habet cognom. satis munitum, contra piratas, cum oppidulo. Vix 10. mill. à monte Argentario & ab ora Hetruriæ. Tota montuosa est, circuitu circiter 18. mill.

Egilvardus, Germanus, Buchardi Ep. Herbipol. vitam scripsit. Baronius A. C. 748. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 62.

Eginhardus, Secretarius Caroli M. & gener, Monasterium Selinstadiense fundavit, cujus ipse primus Abbas. Scripsit vitam Caroli, Annales Franciæ, ab Anno 741. ad an. 829. &c. Epistolæ ejus à Chenio editæ, Psalterii epitomen addidit Trithemius. Obiit Anno 848. Lupus Ferr. *ep.* 1. Frotarius Tul. *ep.* 16. Sigebert. *de Viris Ill. cap.* 16. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 33.

Egion, urbs inter Ætolos & Peloponnesum. Pomp. Mela.

Egipsa, Hisp. Rex. an. ab U. C. 1436.

Egira seu *Hegira*, Epocha Mahometanorum: Mahomet enim scelerum & seductionis pœnam timens, ex Arabia Mecham confugit, à qua fuga sectatores ejus annos, qui merè Lunares sunt, numerare solent. Fixa est hæc Epocha die Veneris, 16. Jul. A. C. 622. sub Clotario II. Heraclio Imper. & Honorio P. Vid. Petav. *de D. T. c.* 50. & *lib.* 7. *cap.* 12. *Ration. temp.* 2. *P. lib.* 4. *c.* 15. Scaligerum *de E. T.* Ricciol. *Chron. refor. t.* 1. *l.* 2. *c.* 24. Christmann. Mercatorem, &c. Significat vox Lunam.

Egirtius, *Egirsius*, & *Gersius*, fluv. Aquitaniæ influens in Garumnam, *Gers* Vineto. Oritur in sup. Armeniaco tractu, dein Ausci os rigat & Lactorium, pauloque infra in Gar. labitur, è regione Agenni. Baudr.

Egita, & *Ægita*, quæ aliis eadem cum *Igadita*, Marianæ *Guimaranes*, opp. Portugall. Damasi Papæ patria. Ferrar.

Egla, uxor David. 2. Reg. 3. id est, *vitula*, sive *currus*, vel *rotunda*.

Eglon, nomen urbis in tribu Judæ, cujus regem Dabir cùm evocasset in auxilium contra Josue & Israelitas Adonisedec, rex Jerusalem, & profligati essent magno prælio, stante ad vocem Josuæ Sole, ipsi verò reges se abscondissent in spelunca urbis Maceda, jussit eos ibi custodiri, postea cæsis omnibus, eduxit quinque reges & suspendit super quinque stipites, & fuerunt suspensi usque ad vesperum, *Jos.* 10. 12. 15. *Est autem nunc villa prægrandis in* 12. *lapide Eleutheropoleos, Hieron. in loc. Hebr.* Item Rex Moab, à cujus tyrannide Israëlitæ per Aodum liberati. Jud. 3. Jos. *lib.* 5. *cap.* 5. A. M. 2641.

Egnatia Maximilla, Galli Glicii uxor, quæ virum indicio Quintiani in Pisonianâ conjuratione & ob amicitiam Senecæ infamatum magis, quàm convictum, in exsilium comitata est magnis primùm & integris opibus, mox ademptis, Tacit. 15. 71.

Egnatia, seu *Gnatia*, *Ignatia* Straboni. Peucetiæ in Italiâ op. in ora maris Hadr. est, hodiè collapsum quidem, sed ejus bustum *Nazzo* vocari testatur Niger. Baudrando nunc vicus est regni Neap. in prov. Bariana, *Torre d'Anasso* vulgò. 5. mill. à Monopoli in Ort.

Egnatius, prænomine *Publius*, habitu & ore auctoritatem Stoicæ Sectæ prætulit; animo perfidiosus & subdolus avaritiam ac libidinem occultans, Bareæ Sorani cliens, vendidit pecuniâ falsum testimonium, ad opprimendum Patronum. Idem filiam Bareæ Sorani Serviliam, cùm ipsius hortatu ad magicam descendisset, Neroni detulit. Initio Imperii Vespasiani à Musonio Rufo in Senatu accusatus. Tacit. *Hist.* 4. 10.

M. Egnatius Rufus, ædilis, sub conjurationis crimine in Augustum oppressus.

Egolisma, Vid. *Engolisma* & *Inculisma*.

Egonum, pagus agri Ferrariensis. Polyb. *Vicovenza* hodiè.

Egorigium, Legio XII. nunc vicus *Rut*, ad fluv. Gelbim, in ditione Trevir. versus confin. Duc. Juliacensis, Cluver. 8. leuc. à Treviris in Bor. 8. à Colonia Agr. in Austr.

Egosa, op. Castellanorum olim Hisp. citer. in Catalauniâ, nunc pagus *Gaudena*, teste Moletio. Baudrando nunc *Castell follit*, oppidul. munitum Cataloniæ in colle, juxta Fluvianum amnem, 6. leuc. Hisp. à Vico in Bor. paulo amplius à Gerunda in Circ.

Egra, urbs permunita, à fluvio, cui adjacet, dicta: olim Imperio Romano, hodie Bohemiæ regno subjecta. Ptol. *Menosgada* vocatur. In ejus arce occisus est Fridlandiæ D. 20. leuc. à Praga, in Occ. 12. à Pilsena. Item urbs Arabiæ juxta sinum Ælanitem. Stephanus.

Egritia, Vide *Ægritia*.

Egurri, *Evogarri* Plinio, Hisp. Tarrac. pop. Asturibus vicini, quorum

quorum op. *Forum Egurrorum*, *Medina de Rio secco*, teste Vasæo. Vide *Forum.* Aliis est *Montefurado*, opp. Gallæciæ, ad Burniam flu. longè à Methimna sicca, in Occ. Baudr.

Egusa, Vide *Ægusa.*

Egyptiani, meliùs *Ægyptiani*, Erronum impostorumque genus nequissimum. Italis *Ciani* & *Cingari*, Germ. *Zigeuner*, vulgò *Tartari* & *Gentiles*, quibusdam *Saraceni*, Angl. *Ægyptii* & *Gypties*, Apparuere primùm in Germania, A. C. 1417. Munstero teste, nigredine deformes, excocti sole, immundi veste, & usu rerum omnium fœdi. Furtis inprimis dediti, præsertim fœminæ, quæ viris inde victum perhibent. Ducem, Comites, Milites inter se honorant, veste præstantes. Venaticos canes more Nobilium habent, equos sæpe mutant, major tamen pars graditur pedibus. Fœminæ cum stratis & parvulis, jumento invehuntur. Literas circumferunt Sigismundi Regis, & aliorum Principum, ut innoxius ipsis permittatur transitus: Ferunt ipsi, ex injunctâ sibi pœnitentia, mundum se peragrantes circumire, atque è minori Ægypto primùm migrasse. Sed fabula hæc, ut notat prædictus Munsterus *Geogr. libr.* 3. *cap.* 5. Oriuntur quippe in omni regione, & sui similes in gymnasium sceleris adsciscentes, vultum, cultum, moresque supra memoratos sibi inducunt: Linguam, quò exotici magis videantur, fictitiam blaterant, quam Germ. *RotVVelsch*, qu. Rubrum Wallicum, i. Barbarismum, Angli *Canting* vocant; provinciasque vicatim pererrantes, auguriis & furtis, imposturis & technarum millibus plebeculam rodunt & illudunt, Spelm.

E H.

Ebud, Israelitarum judex, filius Gera, liberavit Hebræos à tyrannide Eglonis regis Moabitarum. Jud. 3.

E I.

Eiceta, hæretici, monasticam vitam fœminis etiam allectis, professi, saltando & choreas agendo Deum se laudare dicebant, ad modum Israëlitarum, postquam Ægyptii mari Rubro mersi periere. Johann. Damascenus *l. de hæres.* Gautier. *in Chron. sec.* 7. *capite* 1.

Eichfeldia, tractus Germ. Brunsuicensi ditioni ad Merid. Electoris Moguntini. Vallius *Geogr.* V. *Eischfeldia.*

Eichstadium, urbs Bavariæ, cujus Episc. cum Herbipolensi, institutus est, A. C. 746. vulgò *Eichstat*, quasi *Quercopolis.* Vide *Eistadum.*

Eidera, flu. Daniæ, *Epidora* Reginoni. Oritur supra Rensburgum, & Holsatiam Dithmarsiamque dividit à Slesvicensi Duc. Dein, infra Tonningam, in mare Germ. se exonerat. Hinc regiunc. inter Tonningam & Huisemum, *Ederstede* dicitur, sub Slesvic. Duce.

Eidomene, Macedoniæ urbs. Steph.

Eilesium, nomen loci. Steph. ex Homero.

Eileithyia, urbs Ægyptiaca. Steph.

Eilhusa, arx situ spectabilis Comit. Waldecc. Metel.

Eiminatium, Dalmatiæ urbs. Ptol.

Einatus, Cretæ urbs, alii fluv. & montem esse dicunt. Steph.

Eion, emporium ad ostia Strymonis fluvii. Thucyd. 25. stadiis ab Amphipoli in Austr. Chersonesi etiam urbs, & circa Pieriam. Steph. Vid. Polyæn. *l.* 7. in Borge.

Eione, Corocondæ promuntorium inter Pontum & Mæotim excurrens. Plin. *Punta di Matriga*, & Pineto *Capo di Croce.*

Eiones, Argiæ pagus fuit, postea navale Mycenarum. Strabo.

Eioneus, unus è Græcorum Principibus, qui ad Trojam profecti sunt, ab Hectore interfectus. Hom. *Il.* 8. Item alius Thrax, Rhesi Pater, qui noctu à Diomede, & Ulysse interfectus est. Hom. *Iliad.* 10.

Eiras, mons in Messeniâ, in quo se Messenii 11. annis contra Lacedæmonios defenderunt. Pausan.

Eiresia petra, In Inf. Salamine, Schol. *in Eq. Arist.*

Eireside, Tribus Acamantidis vicus. Steph.

Eiscadia, Lusitaniæ urbs sub Viriathi imperio à Serviliano capta. Appian.

Eischfeldia, tractus Thuringiæ, sub El. Mogunt. juxta Ducatum Brunsuic. Ibi opp. præc. Duderstadium.

Eisenacum, & *Isenacum*, opp. Germ. in Thuringia, ad Nessam amnem, cum Duc. tit. sub Ducibus Saxo-Weimar. Arcem habet. 4. leuc. à Mulhusia in Austr. 7. ab Erphordia in Occ. Regiunc. adjacens ei paret.

Eisenburgum, Arx Comit. Waldecc. Metel.

Eislebia, vel *Islebia*, urbs parva Comitatus Mansfeldiæ in Saxonia sup. metropolis, antiquitate & situ commendata: appellationem ab Iside Ægyptiaca consequuta putatur, quæ, Tacit. teste, oras Suevicas vicinaque loca post mortem mariti Osyridis peragraverit, & Eislebiæ domicilium foverit. Situ est salubri & optimo, solum habens tam in superficie quàm in fundo fertile. Metel. Lutheri patria, qui ibidem obiit. 1. leuc. à Mansfeldia opp. in Eur. 4. ab Halla in Occ. Baudr.

Eistadum, urbs Bavariæ sup. ad Alemannum fluv. sub proprio Episc. 4. leuc. à Donaverta in Ort. 2. à Neoburgo in Bor. 8. à Norimberga in Austr.

Eizelos, Siciliæ castellum. Steph.

E K.

Ekelenfordia, urbs Duc. Slevic. Surrexit ex ruderibus vet. arcis *Ekerenborg*, ad brachium maris Balt. cum portu capaci. Mari cingitur maj. ex parte. Media ferè inter Slesvicum & Chilonium.

Ekesium, urbs Smalandiæ in Suec. versus Ostrogothiam. 5. leuc. Suec. à Vetero lacu in Ort.

E L.

Ela, id est, *ilex*, vel *quercus*, aut Syriacè *Deus*, civitas Idumæorum. Gen. 36. Item filius Caleb. 1 Par. 4. Pater Semi præfecti in Benjamin. 3. Reg. 4. Filius Ozi. 1. Par. 9. Filius Baasa regis Israel. 3. Reg. 16. Jos. *Antiq. l.* 7. *c.* 6. A. M. 3105. Item quartus rex Israel. Denique Asiæ regio. Steph.

Elabacare, locus Indiæ intra Gangem ad maris litus. Arrian. *in Periplo.*

Elabontas fluv. per Antiochiæ campum, qui Pagris subjacet, fluens Strab. *l.* 16. Exemplaria emendata legunt ὁ Λαβώτας, *Labotas.*

Elacataum, mons Thessaliæ, in quo Jovis *Elacatæi* templum. Stephanus.

Elad, id est, *Dei æternitas*, aut *testimonium*, vel *præda Dei*, fil. Suthalæ. 1. Par. 7.

Eladus Argivus, Magister Phidiæ, cujus opus est simulachrum Herculis in Melite. V. Schol. in Aristoph. *Ran. Act.* 1. *sc.* 1.

Elæa, urbs Asiæ in Æolicâ, Pergamenorum navale, quæ *Cidanis* nominabatur, à Mnestheo condita. Steph. Item insl. Propontidis. Plin. Et Phœniciæ urbs inter Tyrum & Sidonem. Steph. Item promuntorium Cypri in orâ ad Ort. *Riso Carpasso* Lusignano. Urbs etiam prope Mysiam, navale Bithyniæ. Steph V. infra. Denique urbs, & portus Æthiopiæ, & insulæ tres. Strabo.

Elæa & *Elea*, urbs Mysiæ m. p. 25. mill. à Pergamo in Occ. Hinc mare inter ipsam & Lesbum, *sinus Elaiticus*, 20. mill. à Mitylene in Ort. in confinio Æolidis. Baudr.

Elæa, Thraciæ urbs. Procop.

Elæon, mons Judææ Hierosolymis imminens, qui & *mons Olivarum* & *Olivetum.*

Elæus Jupiter, qui & *Olympius* vocabatur, oraculo prius, mox ludis publicis celebratissimus fuit, in agro Pisano, apud Elin, unde illi nomen, cujus templum refertissimum donariis fuit: ibi enim solidum ex auro ipsius Jovis simulacrum, & Phidiæ eburnea statua incredibilis magnitudinis.

Elæus, Epiri portus. Ptol. prope ostia Acherontis in Austrum. Nunc quid sit, ignoratur. Baudr. Item vicus in tribu Hippothoontide. Steph. Item urbs in Doridis sinu. Plin. Epiri item, Ptol. *Docena* Molet. & Calydoniæ. Polyb. & Hellesponti. Steph.

Elæussa, insula Ciliciæ. Vide Steph. in Ἐλαιοῦσσα.

Elaira, vide *Leucippides.*

Elais, Vide *Anius.*

Elaites, nemus Ægypti ad dextram fossæ Canopicæ. Strabo.

Elam, fil. Semi. Vid *Elamitæ.*

Elamitæ, Persarum principes, ab *Elam* filio Sem, profanis scriptoribus Elymæi. Inter Persiam & Babylonem habitabant, imo ex illis Persas oriundos existimat Josephus. V. Dan. 8. Horum Rex erat Codorlahomor, ab Abrahamo cæsus, Gen. 14. bellicosi, Esaj. 11. 21. 22. Jer. 25. 29. Act. Apost. c. 2. Caput Elymais, ubi templum celebre Dianæ, quod Ant. Epiphanes diripere voluit. Jos. *Antiq. l.* 1. *c.* 7. & 12. *c.* 13. Torniel. *A. M.* 1657. *n.* 19. 1931. *n.* 50. 2105. *n.* 1. &c. Item Arabiæ pop. Plin. 6. 28.

Elana, mel. *Ælana*, Arabiæ Petrææ urbs, cum portu, ad sinum Arabicum. Ptol. *Aila* Nigro. *Eylan* quibusdam. Sub Turcis. 30. mill. ab urbe *Eltor* in Bor. Villanovano est urbs *Eltor* in Austrum. Baudrandus.

Elancorum Emporium Indiæ intra Gangem. Ptol.

Elaphebolia, festa apud Græcos, quæ fiebant mense Februario, in quibus cervi Dianæ *Elaphebolia* sacrificabantur, unde & mensis ille *Elaphebolion* dictus est.

Elaphiæa, Diana dicta est ab *Elaphiâ* nutrice.

Elaphites, Adriatici maris insula 12. m. p. à Melitâ. Plin.

Elaphonnesos, una Sporadum insularum cum urbe ejusdem nominis. Steph.

Elaphus, mons Asiæ, & Arcadiæ. Pausan.

Elaphusa, insula in Adriatico mari. Plin.

Elaptonius, è puerorum nobilium Alex. M. cohorte, conjurationis in Regem particeps Hermolao. Curt. *l.* 8. *c.* 33.

Elasa, id est, *Dei factura*, filius Saphan. Jer. 29. Item fil. Rapha, filii Baana. 1. Par. 8.

Elatas, Bithyniæ flu. in Pontum decurrens. Ptol.

Elatea, urbs maxima Phocidis ab *Elato* quodam. Item alia Thessaliæ, & alia Thesprotiæ, quam etiam vocant *Elatriam.* Stephanus.

Elath, urbs regni Edom, in littore maris rubri sita, unde & ex Ægypto in Indiam, & inde in Ægyptum, navigatur, quam transierunt filii Israel, de Hesiongeber. Deut. 2. Lat. *cerva*, sive *fortitudo*, aut *ilex*, vel *quercus*.

Elatium, urbs Decapolis, inter Jordanem fluv. ad Occas. & Philadelphiam ad Ort. versus confin. Arabiæ des. 15. mill. à Philad. 90. à Damasco in Austr. 90. à Petra in Bor.

Elatria, opp. Epiri in Thesprotia. Ferrar.

Elatus, Perræbus quidam, pater Cænei. Ovid. *Met.* 11.

—— Manet imperfossus ab omni
Inq; cruentatus Caneus Elateius ictu.

Elatus, mons Asiæ. V. *Elaphus*. Zacynthi, Plinio.

Elaver, Galliæ fluv. apud Cæsarem. *Allier* hodiè. Hunc non transiri solere vado, ante auctumnum, scribit Cæsar *Bell. Gall. lib.* 7. Oritur in Diœcesi Mimatensi, seu in Occitania, è vico Condresio, in radicibus Loseræ, altissimi montis Gabalorum, dein inter Gabalos & Velaunos labens, Alverniam bifariam secat, ut & pòst Borbonienses prov. ubi juxta Molinum labitur, tandem paulò infra Nivernas, in Nivern. prov. ad locum *Bec d'Allier*, in Ligerim cadit. Baudr. Valesio surgit in Cebennis, in confinio Gabalorum & Vellavorum: & attingit Casas Monasterium, *les Chazes*, Langiacum, (*Lanjeac*) Petrociam *Peyrusse*, Volutam *la Volte*, Brivatem veterem *Brieude Vieille*, Brivatem, *Brioude*, Iciodorum, *Issoire*, Pontem Castelli, *Pont du Chasteau*, Viciacum *Vichi*, opidum S. Germani de Fossis, *S. Germain des Fossez*, Varennas, *Varennes*, & Molinas *Moulins* alluit, & infra Nivernum in Ligerim influit. Ostium ejus vulgò *os Elaveris*, seu Bucca Elaveris dicitur, *le Bec d'Alier*. Accipit præter cæteros Alanionem *Alamion*; Dorium *Duore* vel *Dore*; Cicaulam, aliàs Seulum, *Siole* vel *Sioulle*, qui Bubulâ augetur *Bouble*. Apud Mabringas, *Mabringues*; qui locus est inter Pontem Castelli atque Viciacum, incipit navigari; Ligerimque auget ad 3. lapidem à Niverno, postquam pagum Nivernensem à Burbonensi divisit per leucas 10. *Notit. Gall.*

Elavia, castellum Siciliæ. Steph.

Elbestii, Libyæ pop. Steph.

Elbii vicus, *Vico*, vicus parv. apud lacum Ciminium, inter Viterbium & Roncilonem opp. in via, quæ Romam ducit, occurrens.

Elbinga, urbs munita Prussiæ reg. Hockerlandæ tractus caput, emporium celebre, non longè à mari Balt. in Hanseatico fœdere, propè lacum Drausenum, ubi in Sin. *Frisch haff* se exonerat, ad Elbingam fluv. in situ amœno. Pulchra & elegans, duplexque, nempe nova & vetus, Anno 1239. condita. Anno 1454. cum Gedano, Ordini Teuton. dejectâ arce, se subduxit, Polonorumque se tutelæ permisit. Ibi Academia erecta Anno 1542. ab Alberto Brandeb. Prussiæ Duce. Capta an. 1629. & 1655. à Suecis, sed reddita.

Elbo, insula quædam. Steph.

Elbodus, Brito, Episc. Vincestriensis, sec. 7. scripsit de celebratione Paschatis, & historiam sui temporis. Balæus, & Lelandus, apud Voss. *de H. L. lib.* 2. *c.* 24.

Elbonthis, urbs inter Ægyptum, & Cyrenen. Steph.

Elbora, urbs Hisp. Tar. ad Tagum flu. vulgò *Talavera*.

Elbotum, hodie *Elbeuf*, ab altitudine Sequanæ, qui infra Elbotum nullius præterquam Riselæ fluv. aquas accipit, memoratu dignas. *Bot* autem & *Bod*, vet. Gallicâ & Lingusticâ linguâ altitudinem significat: hodieque Germani *Bodem*, Angl. *Bottom* fundum appellant. Municipium Galliæ est, in diœcesi Rotomagensi, in Ducale fastigium evectum. Sub Principe, ex familia Lotharingica. Juxta id Prioratus S. Ægidii est, in Polyptycho Monaster. Franciæ memoratus, V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Elbovium, mel. *Elbotum*, oppidul. Normanniæ, cum Duc. tit. ad Sequanam. 3. leuc. supra Rothomagum in Austr. V. *Elbotum*.

Elburgum, Geldriæ opp. in littore Sinus Germ.

Elcana, filius Core. Exod. 6. Lat. *Deus zelotes*, aut *Dei professio*, vel *Dei calamus*, sive *Deus nidus ejus*. Item filius Jeroham, maritus Hannæ & Peninnæ. Pater Samuelis. Vid. 1. Sam. 1. Item fil. Asir. 2. Par. 6.

Elcebus, seu *Helellus*, urbs Germ. Super. opp. Tribocorum, in Alsatiâ apud Rhenum, vulgò *Schlestat*. Baudrando nunc vicus *Elle*, in Alsatia inf. ad fluv. cognom. 1. mill. à Benfelda, 7. leuc. Germ. à Selestadio, 3. ab Argentina in Austrum 4. à Brisiaco in Boream.

Elcesaitæ, & *Sampsæi*, hæretici, tempore Origenis, sectatores cujusdam Ἠλξαΐ, Eusebio *hist. lib.* 6. *cap.* 31. dicti. Epistolis Pauli rejectis, Judaizabant, singulari veneratione librum venerati, quem sibi cœlitus missum dicebant, &c. Fidem ore posse abnegari, duos Christos esse docebant, cœlestem & terrestrem, de quo posteriore mira somniabant. Aquam venerati, nudipedes incedebant, ab animatorum esu abstinebant, magiæ dediti, &c. Secta hæc mox evanuit, nihilominus Martham & Marthanam, de hæreseos hujus auctorum stirpe, ab his adoratas suo tempore refert Epiphanius, *hær.* 19. 53. *&c.* Aug. *de hær. cap.* 32. Euseb. *histor. lib.* 6. *cap* 31. Niceph. *lib.* 5. *cap.* 24. Baronius A. C. 105. &c. Vide etiam *Elxai*.

Elcethium, Siciliæ urbs. Ptol.

Elchosum, provincia regni Fessani, continet tertiam ipsius ferè partem: namque in longitudinem centum nonaginta milliaria patet, nempe à fluvio Zha ad Ortum; ad fluvium Gurguigara ad Occasum, in latitudinem verò milliaria centum septuaginta. Merc.

Elcoboris, Lusitaniæ op. Ptol.

Elcosh, viculus in Galilæâ, unde Nahum propheta. Lat. *Dei durities*, vel *serotinus*.

Eldaa, fil. Madian filii Abrahæ. Gen. 25. Lat. *Dei scientia*, aut *cognitio*.

Eldad, nomen viri, super quem requievit spiritus domini in castris. Num. 11. Hieron. *in* 1. *Paral.* Torniel. *A. M.* 2545.

Eldadus Danus, Rabbinus, sec. 13. Genebr. *Chr.*

Eldamarii, Arabes circa Mesopotamiam. Plin.

Eldana, Hisp. urbs. Ptol. *Duennas*, teste Goropio. Sunt quibus & Latinè *Donea* dicatur; Item Indiæ urbs extra Gangem.

Eldredus, Anglorum rex, Anno Dom. 940. Polydor. Verg. *libr.* 6.

Elea, civitas Lucaniæ, quam quidam Helam à fonte nominaverunt. Alii à palude dictam opinantur, quæ Græcis τὸ ἕλος dicitur. Stephano Βελία. Item *Elea* Æolidis urbs. Mela *l.* 2. In eâ natus est Zeno Philosophus, qui *Eleates* dicebatur.

Eleale, civitas Amorrhæorum in Galaitide reg. tribui Judæ ascripta. Isaiæ 15. quam ædificaverunt filii Reuben. Num. 32. Lat. *Dei ascensio*, vel *holocaustum*.

Eleale, urbs validissima, sita in terra fertili vinearum, in tribu Ruben: usque ad Hieronymi ætatem villa ostendebatur grandis, in primo miliario ab Esbus. Eadem cum præc.

Eleazar, id est, *Dei adjutorium*, sive *atrium*, filius Aaron. Exod. 16. Patri successit A. M. 2583. per 12. an. Ei fil. Phinees successit. Num. 31. 32. 34. Deut. 10. Jos. 14. 17. 19. 21. 24. Jud. &c.

Eleazarus, patri Oniæ, cognominato *justo*, successit in Pontificatu Judæorum, anno mundi 3766. ante Christum natum 271. ad hunc scripsit Ptolemæus Philadelphus, hic quoque ad illum: extant utriusque Epistolæ apud Josephum *libr. Antiq.* 12. *cap.* 2. Misit hic ad Ptolemæum libros Mosaicæ legis, atque ex unaquaque tribu senos viros interpretes, Hebraicè Græceque peritissimos. Consulito D. August. *lib. civit. Dei.* 18. *cap.* 42. Item Annæ filius, Pontifex constitutus an. Dom. 20.

Eleazarus, frater Simonis, ei successit in Pontificatu. A Ptolemæo Philadelpho, remissis 10000. Judæis, rogatus enixè est, ut legis divinæ interpretes sibi mitteret, quod factum. Joseph. *Antiq. lib.* 12. *cap.* 2. Sedit annos 32. Salian. *Anno Mundi* 3766. *& seqq.* V. supra.

Eleazarus, cognom. *Auranus*, quintus & ultimus fil. Mathatiæ, suffosso Elephanto insigni, in prælio Judæ fratris, contra Antiochum Eupatorem, belluâ corruente oppressus est. Macc. *l.* 1. *c.* 6. Jos. *Antiq. l.* 12. *cap.* 8. 14.

Eleazarus, fil. Eliud, in Genealogia Christi, Matth. *c.* 1. *v.* 15. Alius, an. æt. 90. prætulit mortem violationi legis, 2. Macc. 6. Item Gigas 16. cubitorum, Jos. *Antiq. l.* 18. *c.* 6. *&c.*

Eleazarus, quidam de gente Judæâ, quonam pacto, Romanorum exercitu præsente, dæmones fugarit, vide in dictione *Solomon*.

Eleazarus Dinæi, princeps seditionis inter Judæos & Samaritas, ex quâ latrocinia oborta sunt. Quadratus seditionis principes cruci affixit. Jos. *Ant.* 12. 11.

Electa, mulier, ad quam scribit Joannes Epistolam suam secundam. Alii tamen interpretes *Electam* ibi non pro nomine proprio habent, sed adjectivo, nec mulieris nomen esse volunt, sed Ecclesiæ alicujus particularis, innominatæ tamen.

Electa, vulgò *Alet*, civ. Galliæ non vetus ad fluv. Atacem quarto loco in prov. Narbonensi, post Narbonem, Tolosam & Agatham, in Not. prov. sedes Episcopatus à Johanne XXII. P. facta est, cùm illi Limosium castrum prius destinatum esset. Habet hodieque cum Tomeriis civ. quoque Episcopali, sita ad fontem magnum, qui vicos aliquot præterlapsus in Obrim influit, Narbonensem primam pro provincia, Narbonemque Martium pro Metropoli. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Electores, Principes in Imp. Rom. eminentissimæ dignitatis, quibus eligendi Imperatorem cùm nullus est: degradandi & removendi, cùm justæ adsunt causæ: durante interregno, imperium administrandi; vivo etiam Imperatore, varia obeundi, ad Imperii salutem spectantia, jus est. Horum tanta dignitas, ut Regibus æquiparentur, atque in ipsos Majestatis læsæ crimen committatur; illique jura Archivi habeant. Horum olim indefinitus erat numerus, namque Imperatores etiam Ottonem III. secutos, ab universis Imperii Principibus, quos 54. fuisse scribit Bodinus, nec non à populis quibusdam, Saxonibus, Suevis & Bavaris electos legimus, apud Ottonem Frising. Abbatem Ursperg. & Sigebertum. Et Johannes Parisiensis *in Memor. Histor.* inquit, *Eligitur autem Imperator à duodecim Proceribus Alemanniæ, qui vulgariter Pares* (hoc tum iis nomen) *appellantur.* In quæ verba Hadr. Valesius *Notit. Gall.* ait, numerum illum duodenarium ad imitationem Parium Franciæ effictum esse, cùm o-

mnium tum Franciæ Orientalis ac Germaniæ Episcoporum ac Procerum suffragatione Reges Germaniæ eligi consueverint. Alii tamen contendunt, jam Ottonis III. temporibus cognitum fuisse hodiernum VII. *Electorum* ordinem, quòd in privilegio ejus præfixo Juri municipali Saxonico aperta fiat mentio *Electorum Ecclesiasticorum & Secularium*. Auctoremque Ottoni præceptorem ejus Villigisium, primum Arch. Moguntinum fuisse, addunt. Plurimi tamen priscam & notam sanctionem *de Collegio Electorali* nullam extare, inde probabiliter colligunt, quòd Carolus IV. *in aurea Bulla*, nullam ejus faciat mentionem, sed usum duntaxat longævum & consuetudinem laudet. Interim certum est, jam Friderici II. tempore Anno 1212. notas fuisse septem familias suffragantes, &c. Horum *quatuor Seculares* sunt: Rex Bohemiæ, Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgicus: *Tres Ecclesiastici*, Archiepiscopus Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis: quibus, bello Germanico, accessit octavus, Bavariæ Dux, ab Anno 1628. Ex his Comes Palatinus & Dux Saxoniæ, vacante Imperio, Vicarii sunt, hic quidem in locis jure Saxonico utentibus, ille verò in reliquis circulis: qui quoque vivo Imperatore, judex est, coram quo Cæsar conveniri potest. Cæterum, Archiepiscopi Electores Archicancellarii Imperii sunt, per Germaniam Moguntinus, per Galliam Trevirensis, per Italiam Coloniensis: Comes Palatinus Archithesaurarius, Dux Saxoniæ ArchiMareschallus, Brandeburgicus ArchiCamerarius, Bavarus Archidapifer Imperii est. Plura Vid. apud Limnæum *de Imper. Rom.*

Electra, Atlantis & Plejones filia, quæ Corithi Italiæ regis uxor fuit; inde in Samothraciam profecta ibi habitavit appellataque est ab indigenis *Strategis* atque *Electrione*, ut testatur Hellanicus.

Electra, Nympha, Oceani & Tethyos filia, Atlantis uxor, cujus filia etiam *Electra* dicta fuit, quæ Jovi Dardanum peperit. Ovid. *in Fastis*,

Dardanon Electrâ quis nescit Atlantide natum?

Electra, Orestis, quem ad paternæ cædis ultionem impulit, soror, filia Agamemnonis, quæ cælibem multum ætatis vitam egit, unde etiam ab Helenâ apud Eurip. Πολυχρόνιος παρθένος, hoc est, *annosa virgo* per contumeliam vocatur. Inde aliqui *Electram* dictam volunt, quasi ἀλέκτρων, hoc est, *sine thalamo*; quanquam aliis magis placet à flavo colore, electrumque referente ita fuisse appellatam. Vellej. Euseb. Hyginus, Eurip. Ovidius. Item, soror Antigonæ, filiæ Oedipi.

Electra, Messeniæ op. & flu. in Peloponn. Pausan. Ad amnem cognom 15. mill. ab ora sinus Cyparissii, totidem à confin. Elidis & Arcadiæ, 30. ferme à Laconia in Occ. Baudr.

Electrides, insulæ, *in quibus Dædali & Icari statuæ sunt.* Ajunt has insulas juxta Eridani ostia esse. Est etiam stagnum prope fluvium aquæ calidæ, unde tam gravis odor redditur, ut nullum animal inde bibat, & aves supervolitantes mortuæ decidant. Ambitus est stadiorum 200. Fabulantur autem Phaethontem fulminatum ibi decidisse, & plurimos ibidem populos provenire, ex quibus electrum manat, gummi simile, lapidis instar durescens. Incolæ loci, *Electritæ*, vel *Electrini*, Steph. Dicuntur etiam *Glessariæ*, Plinio teste, insulæ, quæ ex adverso Britanniæ & Hiberniæ in Germanico mari sparsæ sunt, quæ nunc fortasse *Hetland, Schetland*, & *Fare* dicuntur, teste Ortelio. Meminit & Mela *Electridum* insularum in Adriatico mari, prope Absyrtides insulas. Vide Luc. *in Dialogo de Electro, seu Cycnis*.

Electris, Ins. sinus Tarentini, in regno Neap. nunc *Monte Sardo*; parva & montuosa, cum turri tantùm, & aliquot ædibus. 30. mill. à Tarento in Austr.

Electryon, Amphitryonis pater, fil. Alcæi. Hesiod. *in Asp.*

Elees, seu *Elea*, Italiæ fluv. prope Eleam in Lucaniâ. Strabo. *Evols* Nigro. Cis Apenninum. Nunc *Pisciota*, ad Veliam urbem, cui & nomen postea dedit. In mare Tyrrh. se exonerat, prope prom. Palinurum, in Principatu cit. Hinc *Eleates Sin.* & portus, qui & *Velinus*. Baudr.

Elegarda, Armeniæ majoris urbs. Ptol.

Elegea, regiuncula trans Euphratem.

Elegia, Armeniæ civitas, quam præterfluit Euphrates, occurrente illi apud eam Tauro monte, nec resistente. Plin. 5. 24.

Elei, pop. in Peloponneso, clarissimi propter delubrum Jovis Olympii, ludosque Olympicos, quorum præfecturam Elei habuerunt, unde *Elei equi*, & *Eleus carcer* sæpe leguntur. Virg. 1. *Georg.*

Eleadum palmas Epiros equarum.

Horatius, *ubi de Pindaro:*

Sive quos Elea domum reducit
Palma. —— ——

Propertius, 3. 7.

Sunt quibus Elea concurrit palma quadrigæ.

Lucanus,

Quantum clamore juvatur
Eleus sonipes.

Eleleus, unum ex Bacchi cognominibus, ab ἐλελίζω quod sig. *vociferari*, quemadmodum prælio congressuri consueverunt. Ovid. *Met.* 4.

Nyctileusq; Eleleusq; parens.

Hinc Bacchæ *Eleleides*. Ovid. 4. *Ep.*

Nunc feror ut Bacchi furiis Eleleides acta.

Item Sol dictus est *Eleleus* ἀπὸ τοῦ ἐλίσσεσθαι περὶ τὴν γῆν, hoc est, quòd æterno circa terram meatu volvi videatur.

Elena, civitas olim prov. Narbonensis 1. vel Septimaniæ, in Comitatu hodie Ruscinonensi, Hisp. *Elna*, Gall. *Elne*, ac nonnunquam *Eaune*, ad rivum seu amniculum, qui in mare effluit, prope Pyrenæos. Hîc Constans Aug. Constantini M. filius minimus à Gaisone interfectus est, anno æt. 27. Imp. 13. qui paulo antè visus erat in somnis, in gremio aviæ suæ, cui *Helena* nomen erat, confodi: & ab hac civitati nomen, quod tamen plerunque sine aspiratione scribitur. Facta est sedes Episcopatus, eodem quo Carcasso tempore, post Visigothos à Chlodovæo Aquitaniæ finibus expulsos & Tolosâ Ucetiaque spoliatos: tum enim, ut Septimaniæ suum constaret nomen, à numero civitatum Narboni metrop. attributarum, Tolosæ & Ucetiæ, Septimaniæ urbibus, Carcasso & Elena substitutæ videntur. Hanc A. Elenensis Episcopus *in epist. ad Ludovicum VII.* à Francorum Regibus, pulsis Saracenis Hispaniensibus, in integrum restitutam & prædiis, villisque fiscalibus auctam fuisse, scribit. Postea verò sedes Episcopatus Perpiniacum translata est. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Elena, vicus in primis Atrebatum finibus, quà Camaracenses attingunt, Sidonio Apoll. *in Paneg. Majoriani* memoratus, forsitan Lensium est ad Deulam, vulgò *Lens:* quod eo ipso nomine in Capitul. Caroli Calvi inter villas regias, silvis proximas memoratur. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Eleonora, hæres Guil. X. ultimi Guiennæ D. ex Eleonora, filia Ludovici VII. Jun. Galliæ R. Comes mariti in expeditione sacra, paulo liberius egit, proin hic redux divortium ursit, & obtinuit. Illa verò Henrico II. Angliæ R. nupta, quòd filiis ejus rebellibus faveret, 16. annos in vinculis fuit. Marito mortuo libera, in monasterio obiit, Anno 1204. Chenius *histor. Angl. lib.* 11. & 12. Matthæus Parif. & Balæus. De literis ejus ad Henricum VI. Imper. Cælestinum III. ad filios, Vid. P. Blesensem. P. Æmilium, *lib.* 5. &c.

Eleonora Austriaca, fil. Philippi I. ex Johanna Castellana, nupsit primò Emanueli, Lusitaniæ R. Dein Francisco I. Galliæ R. pacis conciliatrix: quo mortuo à Fratre Carolo V. Anno 1555. in Hisp. ducta, obiit an. æt. 60. Mezeray, *in vita ejus.*

Eleonora, fil. Raimondi Berengarii V. Com. Prov. uxor Henr. III. Angli, ex illo mater Eduardi I. &c. Obiit an. 1292. Item, filia Alphonsi IV. Lusit. R. uxor Petri IV. Arragonii. Item, filia Mart. Alphonsi Tellesii, uxor Ferd. Lusit. R. Item, *Eleonora* Arragonia, soror Petri V. uxor quinta Raimundi VI. Comitis Tolos. Item, fil. Johannis Arragonii, ex Blanca Navarræa, uxor Gastonis IV. Com. Fuxensis, qui ex Magdalena Francica genuit Franc. Phœbum, Navarræ R.

Eleph, urbs in tribu Benjamin. Jos. 18. Lat. *mille* sive *doctrina, author* vel *dux.*

Elephantina, urbs quæ distat à Thebis Ægyptiis viginti & octingentis stadiis. Herod. Nili item insula, Ptol.

Elephantini, vel *Elephantia*, pop. Apuliæ.

Elephantis, poetriæ nomen, quæ libellos scripsit, quibus varia genera concubitus, variosque coeundi modos complexa est. Martial. 12. 12.

Nec molles Elephantidis libelli.

Memoratur *in Priapeiis*, nec non Tatiano Assyrio *adversus Gentes*. Spissus est autem error Jul. Cæsaris Capacii *l.* 2. *hist. Neapolitana*, ubi non poetriam, sed poetam fuisse existimat.

Elephantis, Nili insula. Plin. 5. infra novissimum catarracten, navigationis Ægyptiæ finis. Ibi Æthiopiæ conveniunt naves: namque eas plicatiles humeris transferunt, quoties ad catarractas ventum est.

Elephantophagi, Æthiopes sub Ægypto. Strabo.

Elephantus, ordo Eq. Daniæ, à Christierno I. institutus, Anno 1474. in nuptiis fil. Johannis. Cujus insigne Elephas, de torque pendulus. Solo inaugurationis die conferri solet. Crantz. & Joh. Magnus, *hist.* Favin. *theatr. hon.* & *Equ.*

Elephas, mons Æthiopiæ sub Ægypto apud sinum Avalin. Arrian. *Felles* Castaldo.

Elephus, mons Asiæ, contra Lesbum; al. *Elatus*. Hîc Alcibiades obiit, & cervæ aurem habent scissam.

Elepla, vulgò *Niebla* Marianæ, opp. Hisp. Bæt. apud oram Vandalitiæ, ab Hispali 9. leuc. in Occas. & Africum, ol. sub Gothis, urbs Episc. Vid. *Ilipa.*

Eleporus, M. Græciæ flu. inter Cauloniam & Crotonem. Polyæn. *l.* 5. *in Agathocle. com.* 2. Idem qui *Helorus*.

Elerius Cambrius, S. Wenefridi vitæ scriptor, à Monacho Roberto compilatus. Circa an. 660. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 26.

Elesbaanus, Rex Æthiopiæ, sapiens & egregius, Dunaanum Judæum Homeritis præfecit, an. 522. qui in Principem rebellis, victus est, mox irâ in Christianos sibi subjectos effusâ. Quare Justinus Imp. per Asterium, Alexandrinum Episc. Elesbaanum movit, ut sævitiæ hujus tyranni frænum imponeret. Ita hic terrâ marique victus ac occisus est. V. Zonar. Cedren. Theophan. &c.

Elete, Cœlesyriæ urbs. Ptol.

Eleus,untis, Thraciæ urbs. Thucyd. 8. In intimo recessu Thraciæ Chersonesi, in Austr. prope Eolium prom. nunc *Critea*, versus ostium Hellesponti. Dicitur & *Elæus*. Baudr. pop. *Eleuntii*. Item *Eleus* fluvius, qui Mediæ magnam partem irrigat. Item, Inf. parva Joniæ, ad Miletum urb.

Eleusa, Ciliciæ op. mediterraneum. Plin. Niger insulam facit, & dicit hodie *Corcu* vocari. Item insula ex opposito Cypri. Item Inf. Asiæ min. in mari Lycio, in ora, inter Rhodum ad Austr. & Lyciam ad Bor. eadem quæ *Syme*.

Eleusin, Theræ inf. urbs. Ptol.

Eleusina, pag. Ægypti, in ora, apud Alexandriam; Livio *Leusina*.

Eleusinia. Inter omnia Græcorum sacra, tanta semper fuit *Eleusiniorum* religio, ut commune mysteriorum nomen illis veluti proprium ab Authoribus tribuatur, ideoque de iis paulo fusius agendum. *Eleusinia* verò sic dicta sunt, ab *Eleusi* Atticæ op. cujus appellationem, ab *Eleusinio* Mercurii filio, deducunt. Harpocration: Ὠνομάσθη δὲ ἡ πόλις Ἐλευσὶς ἀπὸ Ἐλευσίνιȣ τȣ̃ Ἑρμȣ̃. Eadem habet Suidas, idque totidem verbis. Pausan. *in Att.* memorat Ἐλευσῖνα ἥρωα, ἀφ' ȣ̃ τὴν πόλιν ὀνομάζȣσιν, ὃν μὲν Ἑρμȣ̃ παῖδα εἶναι, καὶ Δαείρας Ὠκεανȣ̃ θυγατρὸς λέγȣσι. Alii ἀπὸ τῆς ἐλεύσεως, id est, *ab adventu* dici voluerunt, quòd Ceres post longos errores eò tandem allapsa filiam invenerit. Etymologicum, Ἐλευσὶν, δῆμος Ἀττικὸς, διὰ τὴν τῆς Δημήτρος ἔλευσιν, ὅτι ἐκεῖ ἐλθȣ̃σα εὗρε τὴν κόρην. Aristides in *Eleusinia*: Ἃ δ' εἰς τὸ μέσον ποιηταὶ καὶ λογοποιοὶ, καὶ συγγραφεῖς πάντες ὑμνȣ̃σι, κόρην τὴν Δήμητρος ἀφανῆ γενέσθαι χρόνον τινά. Δήμητραν δ' ἐπελθεῖν γῆν πᾶσαν, καὶ θάλατταν ζητȣ̃σαν τὴν θυγατέρα, τέως μὲν ȣ̓χ οἵαν τε εἶναι εὑρεῖν. Ἐλθȣ̃σαν δὲ εἰς Ἐλευσῖνα, τήν τε ἐπωνυμίαν ποιῆσαι τῷ τόπῳ, καὶ τὴν κόρην εὑρȣ̃σαν ποιῆσαι τὰ μυστήρια. Diod. Sic *lib.* 5. nomen loco positum ait, ut esset monumentum advecti aliunde frumenti: Τὸν γὰρ τόπον τὸν ἐξ ἀρχῆς δεξάμενον τὴν δωρεὰν ταύτην Ἐλευσῖνα προσαγορεύειν, ἀπὸ τȣ̃ παρ' ἑτέρων τὸν σῖτον κομισθῆναι. Primùm instituta volunt à Cerere, quæ ut benignitatem hospitii, quâ fuerat ab Atheniensibus excepta, pariaret, usum frumenti, & tacenda sacra demonstravit. Isocrates *in Panegyrico*: Δημήτρος ἀφικνȣμένης εἰς τὴν χώραν ἡμῶν, ὅτε ἐπλανήθη, τῆς κόρης ἁρπασθείσης, καὶ πρὸς τȣ̀ς προγόνȣς τȣ̀ς ἡμετέρȣς εὐμενῶς διατεθείσης, ἐκ τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς ȣ̓χ οἷόντε ἄλλοις, ἢ τοῖς μεμυημένοις ἀκȣ́ειν, καὶ δȣ́σης δωρεὰς διττὰς, αἵπερ μέγισται τυγχάνȣσιν ȣ̓̃σαι, τȣ́ς τε καρπȣ̀ς, οἳ τȣ̃ μὴ θηριωδῶς ζῆν ἡμᾶς αἴτιοι γεγόνασι, καὶ τὴν τελετήν. At contra Diod. Sic. *lib.* 6. Cererem hoc sacrorum honore ab Atheniensibus affectam fuisse tradit, ut acceptam ab ea cultioris vitæ rationem gratâ recordatione testarentur. Idem tamen *lib.* 1. narrat, inopinâ siccitate ad injuriam sterilitatis sola terrarum exaruisse; Ægyptum autem proprio semper amne perfusam, nec alio genere aquarum solitam pinguescere, squallentis cœli non sensisse damna: sed tantis segetibus indutam stetisse, ut Atheniensibus ob cognationem messes suas ultrò communicaret. *Sublevatam, duce Erechtheo, annonæ penuriam: hunc verò tanti beneficii causâ Regem creatum*, ceremonias docuisse, & mysteria Cereris ritu quo apud Ægyptios agebantur. Idque non videtur alienum ab eo, quod Herodotus *lib.* 2. & ex eo Pausanias asserit, Græcos ab Ægyptiis & Deos, & Deorum nomina sumpsisse: Græcorumque Apollinem, esse Ægyptiis Horum, Dianam Bubastin, Isida Cererem, quod etiam à Plutarcho demonstratur. Quocirca Lact. *lib.* 1. & Phornutus, sacra Cereris Eleusinæ non esse dissimilia sacris Isidos ostendunt. At Theodoretus *l.* 1. *Græcanicarum Affectionum* ex Plut. ac Diod. Sic. non ab Erechtheo, sed ab Orpheo ceremonias Isidos in Cereris sacra commutatas refert: Ὀρφεὺς εἰς Αἴγυπτον ἀφικόμενος τὰ τῆς Ἴσιδος, καὶ τὰ Ὀσίριδος εἰς τὰ τῆς Δηȣ̃ς καὶ Διονύσȣ μεταπέθεικεν ὄργια. Huc etiam facit Eurip. Schol. *in Alcest.* Πρῶτος Ὀρφεὺς μυστήρια θεῶν παραδέδωκεν, ὅθεν καὶ θρησκείας τὸ μυστήριον καλεῖται, ἀπὸ τȣ̃ Θρᾳκὸς Ὀρφέως. Aliter etiam Servius *ad Georg. lib.* 1. quem falli puto, dum Eleusinia cum Thesmophoriis conjungit. Primùm celebrari coepta ad puteum Callichorum. Pausanias: Φρέαρ καλȣ́μενον Καλλίχορον, ἔνθα πρῶτον Ἐλευσινίων αἱ γυναῖκες χορὸν ἔστησαν, καὶ ᾖσαν εἰς τὴν θεόν. Callimachus,

Τρὶς δ' ἐπὶ Καλλιχόρῳ χαμάδις ἐκαθίσσαο φρητί.

Clemens: Καὶ φρέατι ἐπικαθίζει λυπȣμένη: Eodem loco Deam excepit Metanira, ut author est Nicander *in Theriacis*,

Καλλίχορον περὶ φρεῖαρ, ὅτ' ἐν Κελεοῖο θεράπναις
Ἀρχαίη Μετάνειρα θεὴν δέδεκτο περίφρων.

Ipsum verò saxum, cui insidens quievit, ἀγέλαστον appellarunt. Schol. Aristoph. *ad Equites*: Ἀγέλαστος πέτρα, ὅπȣ ἐκαθέσθη ἡ Δημήτηρ κλαίȣσα, ὅτε ἐζήτει τὴν κόρην. Ἁρπαγείσης γὰρ Περσεφόνης ὁ Πλȣ́των, ἥρπασεν αὐτὴν κρύφα. Δημήτηρ δὲ μετὰ λαμπάδων, νυκτός τε καὶ ἡμέρας, κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητȣ̃σα περιῄρχετο, μαθȣ̃σα δὲ παρὰ Ἑρμιονέων, ὅτι Πλȣ́των αὐτὴν ἥρπασεν, ὀργιζομένη θεοῖς κατέλιπε ȣ̓ρανὸν, καὶ εἰκασθεῖσα γυναικὶ ἧκεν εἰς Ἐλευσῖνα, ἔνθα ἐπὶ πέτρᾳ ἐκάθισεν τὴν ἀπ' ἐκείνης κληθεῖσαν ἀγέλαστον. Hinc, ut author est Zenobius, adagium usurpatur de rebus, quæ dolorem conciliant. Hinc igitur sedes mysteriorum Eleusis, quæ tantâ fide coluit, ut ab Atheniensibus in summas angustias redacta, hostium arbitratu deditionem fecerit, nisi quòd sacra sibi retinuerit. Pausanias: Γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης πρὸς Ἀθηναίȣς, ἀπέθανεν μὲν Ἐρεχθεὺς, ἀπέθανε δὲ Ἰμμάραδος ὁ Εὐμόλπȣ. Καταλύονται δὲ ἐπὶ τοῖς δὲ τὸν πόλεμον, ὡς Ἐλευσινίȣς ἐς τὰ ἄλλα Ἀθηναίων κατηκόȣς ὄντας, ἰδίᾳ τελεῖν τὴν τελετήν. Quamobrem meritò eam Aristophanes *in Nebulis* Μυστοδόκον δόμον appellat. Imò tanta Eleusiniorum dignitas, ut iis alia omnia posthabuerint. Idem Pausan. *in Phocicis*: Ὅσῳ γὰρ ἀρχαιότεροι τῆς Ἑλλήνων τελετὴν τὴν Ἐλευσινίων πάντων ὁπόσα ἐς εὐσέβειαν ἥκει, τοσȣ́τῳ ἦγον ἐν τιμῇ μείζονι, ὅσῳ καὶ θεȣ̀ς ἐπίπροσθεν ἡρώων. Quippe non ceu privata illius civit. sed quasi communia omnium gentium sacra observarunt. Arist. Κοινόν τι τῆς γῆς τέμενος, καὶ πάντων ὅσα θεῖα ἀνθρώποις, τȣτὸν φρικωδέστατον, καὶ φαιδρότατον. Et hanc ob causam ea templi magnitudo, ut ingentis turbæ capax esset. Strab. *lib.* 9. Εἶτα Ἐλευσὶν πόλις, ἐν ᾗ τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν Ἐλευσινίας, καὶ ὁ μυστικὸς σηκὸς, ὃν κατεσκεύασεν Ἰκτῖνος ὄχλον θεάτρȣ δέξασθαι δυνάμενον. Ritus sacri consistebant in imitatione eorum, quæ de Cereris erroribus fabulæ vulgarunt. Nam, ut inquit Lactantius, *refertur in sacris imago rei, qua vere gesta est*. Quod antea præceptor ejus Arnobius specia- tim de *Eleusiniis* dixerat: *Eleusinia*, inquit, *illa mysteria, & sacrorum reconditi ritus, cujus memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filia conquisitione Ceres fessa, oras ut venit in Atticas, triticeas attulit fruges?* Ac ceremonias potissimum ad inventionem frugum fuisse relatas, author est etiam D. Augustinus *lib.* 7. *de Civ. Dei cap.* 20. *In Cereris autem sacris* (inquit) *prædicantur illa Eleusinia, quæ apud Athenienses nobilissima fuerunt; de quibus nihil iste interpretatur, nisi quod attinet ad frumentum, quod Ceres invenit, & ad Proserpinam, quam rapiente Orco perdidit*. Eleusinia verò duplicia fuerunt, Magna, ac Parva. Magnorum origo est ea, quam supra diximus. Parva hanc ob causam instituta. Cùm Hercules initiari cuperet, ac lex obstaret, quæ peregrinis id concedi vetaret; nec tamen integrum Atheniensibus videretur, ejusmodi Heroem voto suo frustrare, Parva Eleusinia instituerunt, ut & Herculi satisfacerent, & authoritatem tamen sacrificii, legisque vigorem conservarent. Aristophanis Enarrator *ad Plutum*: Μεγάλα καὶ μικρὰ μυστήρια ἐτελεῖτο ἐν Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς. Μὴ ὄντων δὲ πρότερον μικρῶν, ἐλθόντος Ἡρακλέȣς, καὶ θέλοντος μυηθῆναι, ἐπειδὴ νόμος ἦν Ἀθηναίοις, μηδένα ξένον μυεῖν, αἰδεσθέντες τὴν αὐτȣ̃ ἀρετήν. Καὶ ὅτι φίλος τε ἦν τῆς πόλεως, καὶ υἱὸς τȣ̃ Διὸς, ἐποίησαν μικρὰ μυστήρια, ἐν οἷς αὐτὸν ἐμύησαν. Ἦσαν δὲ τὰ μὲν μεγάλα τῆς Δήμητρος, τὰ δὲ μικρὰ Περσεφόνης τῆς αὐτῆς θυγατρός. Idem habet *ad Nebulas*, & Tzetzes *ad Lycophronem pag.* 195. Porro hæc minora Eleusinia in Ἄγραις agebantur. Stephanus: Ἄγρα, καὶ Ἄγραι, χωρίον, ἑνικῶς καὶ πληθυντικῶς. Ἔστι καὶ τῆς Ἀττικῆς πρὸ τῆς πόλεως, ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυστήρια ἐπιτελεῖται μίμημα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον, ἐν ᾧ λέγȣσι καὶ τὸν Ἡρακλέα μεμυῆσθαι. Diversum quoque celebrandi tempus. Majora siquidem Boëdromione celebrantur. Plut. *in Demetr.* Ἐτελȣ̃ντο τὰ μεγάλα μυστήρια Βοηδρομιῶνος. Minora verò Anthesterione. Plut. *ubi supra*: Τὰ μικρὰ μυστήρια τȣ̃ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελεῖτο. Erant autem quasi quidam gradus, in participatione mysteriorum observandi. Primum erat Purificatio; deinde sequebantur mysteria parva, quibus instituebantur, & ad majora præparabantur. Ultimæ majorum ceremoniæ erant Ἐποπτικὰ, ad quæ tandem per tot ambages admittebantur. Clemens 5. *Stromat.* Οὐκ ἀπεικότως ἄρα, καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν, ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λȣτρόν. Μετὰ ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ μικρὰ μυστήρια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα, καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων. Τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων ȣ̓ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ καὶ περινοεῖν τήν φύσιν, καὶ τὰ πράγματα. Et qui parvis initiati erant, Mystæ: ad magna recepti *Epoptæ* nominabantur. Harpocration: Οἱ μυηθέντες ἐν Ἐλευσῖνι τῷ δευτέρῳ μηνὶ, ἐποπτεύειν λέγονται. Suidas: Διαφέρει μύστης καὶ ἐπόπτης. Ac differentiam ex Symmacho, vetusto admodum Grammatico, adsignat Schol. Aristoph. *ad Ranas*: Οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες μύσται καλȣ̃νται. Οἱ δὲ παραλαμβάνοντες αὐτὰ τῷ αὖθις ἐνιαυτῷ ἔφοροι ὡς τὰ μυστήρια, καὶ ἐποπτεύσειν. Igitur Epoptæ, aut Ephori erant inspectores, hoc est, quibus anno postquam initiati primum fuerant, inspicere occultiores sacrorum ritus & ceremonias concedebatur. Neque enim à parvis initiis illico patebat aditus ad majora, sed annus experimenti causâ interponendus erat. Quamobrem in Demetrio notata exempli raritas, qui sine ullâ temporis intercapedine minora majoraque mysteria percipere voluit. Philochorus: Δημητρίῳ ἴδιόν τι ἐγένετο παρὰ τȣ̀ς ἄλλȣς τὸ μόνον ἅμα μυηθῆναι, καὶ ἐποπτεῦσαι. Plutarchus *de eodem*: Τότε δ' ȣ̓̃ν ἀναζευγνύων εἰς τὰς Ἀθήνας, ἔγραψεν ὅτι βȣ́λεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν, ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. Τȣ̃το δὲ ȣ̓ θεμιτὸν ἦν ȣ̓δὲ γεγονὸς πρότερον. Ἐπώπτευον δὲ τελάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλιπόντες. Ubi non temerè τελάχιστον ponitur, nam revera minimum spatium, quod interponi solebat, annus erat: nam quinto anno post parva, ut plurimum illa majora suscipiebantur. Tertullianus *initio libri adversus Valentinianos*: *Nam & illa Eleusina hæresis, & ipsa Attica superstitionis, quod tacent, pudor est. Idcirco aditum prius cruciant; diutius initiant, quàm consignant. Cùm Epoptas non ante*

ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis ædificent, &c. Initiati myrto coronabantur. Isac. Tzetzes: Οἱ μύσθμοι μυρσίνῃ ἐστέφοντο. Cumque initiarentur, vestem novam ac puram induebant, quam deinde nunquam exuebant, quoad tandem lacera gestari non amplius posset. Schol. Aristoph. *ad Plutum*, Ὁ δὲ μυούμενος τὸ ἱμάτιον ὃ ἐφόρει ἐν τῇ μυήσει, οὐδέποτε ἀπεδύετο μέχρις ἂν τελέως ἀφανισθῇ διαῤῥυέν. Sed & à quibusdam ad fascias infantum fuisse reservatas ait: Ἔνιοι δὲ τὰς τοιαύτας στολὰς εἰς τέκνων σπάργανα φυλάττουσι. At Melanthius libro quem *de Mysteriis* conscripsit, memoriæ prodidit, in more positum fuisse, ut vestem, in quâ fuerant initiati, Cereri & Proserpinæ consecrarent: Πάτριόν ἐστι ταῖς θεαῖς ἀνιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις, ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες. Quòd verò tanti esset, participem fieri mysteriorum, persuasio faciebat, quâ existimabant initiatos, non tantùm in summâ tranquillitate vitam ducere, sed & eam optato exitu esse terminaturos, ac post obitum quoque spem restare melioris. Isocrates *in Panegyrico*: Τελετῆς οἱ μετέχοντες, περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσι. Aristides *in Panathenaicâ*: Ἀλλὰ μὲν τότε κέρδος τῆς πανηγύρεως, οὐχ ὅσον ἡ παροῦσα εὐθυμία, οὐδ' αἱ τοῦ προτέρου χρόνου δυσκολιῶν λύσεις, καὶ ἀπαλλαγαί, ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς ἡδίους ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ὡς ἄμεινον διατάξοντας, καὶ οὐκ ἐν σκότῳ τε καὶ βορβόρῳ κεισομένους, ἃ δὴ τοὺς ἀμυήτους ἀναμένει. Procurabat mysteria Rex; author est Pollux, & Harpocration: Ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων παρ' Ἀθηναίοις ὁ λεγόμενος Βασιλεύς. Regi adjungebantur 4. alii, quorum duo ex universo populo Atheniensium, ex Eumolpidarum gente unus, & ex Cerycibus alter eligebatur. Aristoteles *de Republ. Athen.* Ὁ δὲ Βασιλεὺς πρῶτον μὲν τῶν μυστηρίων ἐπιμελεῖται μετὰ τῶν ἄλλων ἐπιμελητῶν, οὓς ὁ Δῆμος ἐχειροτόνει, τέσσαρες ἦσαν, δύο μὲν ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, εἷς δὲ ἐξ Εὐμολπιδῶν, καὶ εἷς ἐκ Κηρύκων. In his erant Hierophanta, Daduchus, Præco. Aristides: Εὐμολπίδαι δὲ καὶ Κήρυκες, εἰς Ποσειδῶ τε καὶ Ἑρμῆν ἀναφέροντες Ἱεροφάντας, οἱ δὲ Δᾳδούχους παρέχονται. Clemens: Τὸ Εὐμολπιδῶν καὶ Κηρύκων τὸ Ἱεροφαντικὸν τοῦτο γένος ἤνθηκεν. Arnobius *lib.* 5. *Ex quibus & gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui postea floruerunt Caduceatores, Hierophantæ, atque Præcones.* Una enim eademque gens erat Cerycum, & Eumolpidarum, ut ex Androtione Sophoclis Interpres ostendit ad Oedipum Coloneum. Et Æschines, *in Oratione contra Ctesiphontem*, Eumolpidas & Cerycas ubique conjungit. Atque hinc obtinuit, ut mysteria penes Eumolpidas esse dicerentur; Licèt præter hos ipsamet Dea alios etiam sua initia docuisse crederetur. Homerus:

> Δεῖξεν Τριπτολέμῳ τε Διοκλεῖ τε πληξίππῳ,
> Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ' ἡγήτορι λαῶν
> Δρησμοσύνην ἱερῶν καὶ ἐπέφραδεν ὄργια πᾶσι.

Cæterum Hierophanta, *ab ostendendis sacris* dictus, & ipse sacrorum Antistes, atque ut ait Hesychius, Μυσταγωγὸς, Ἱερεὺς, τὰ μυστήρια δεικνύων. Cujus erat munus initiare, & mysteria, quantum fas, etiam profanis enunciare. Hinc inter captiosas Chrysippi argutias exemplum ponitur:

> Ὁ λέγων τοῖς ἀμυήτοις τὰ μυστήρια ἀσεβεῖ,
> Ὁ Ἱεροφάντης τοῖς ἀμυήτοις λέγει,
> Ἀσεβεῖ ἄρ' ὁ Ἱεροφάντης.

Daduchus facem ferebat. Nam ut Lactant. ait *lib.* 1. quia Proserpinam, *facibus in Ætnæ vertice accensis, quæsisse in Siciliâ Ceres dicitur; idcirco sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Atque in hujus rei memoriam non solùm Daduchus, sed reliqui etiam mystæ faces inter currendum agitabant. Statius *Sylv. lib.* 4.

> *Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo*
> *Votivam taciti quassamus lampada Mystæ.*

Seneca *in Hippolyto*,

> *Jactare tacitis conscias sacris faces.*

Claudianus,

> *Sanctasque faces attollit Eleusis.*

Daduchus utebatur pellibus hostiarum, quæ Jovi fuerant immolatæ, vocabanturque Διὸς κώδια. Suidas: Διὸς κώδιον, οὗ τὸ ἱερεῖον Διὶ τέθυται, θύουσι τε τῷ Μειλιχίῳ, καὶ τῷ Κτησίῳ Διΐ. Τὰ δὲ κώδια τούτων φυλάσσουσι Διὸς προσαγορεύοντες, χρῶνται δ' αὐτοῖς, οἵτε Σκιροφορίων τὴν πομπὴν στέλλοντες, καὶ ὁ Δᾳδοῦχος ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ ἄλλοι τινὲς πρὸς τοὺς καθαρμοὺς, ὑποστρωννύοντες αὐτὰ τοῖς ποσὶ τῶν ἐναγῶν. Ex quibus intelligimus profanos, & aliquo scelere contaminatos, non potuisse loca sacra calcare. Et cùm nihilominus in sacro peragenda esset expiatio, ne profanorum vestigiis Religio templi violaretur, substratæ pelles, quibus insistebant sinistro pede, quoad purgati, lustratique piaculari nexu exsolverentur. Hesychius: Διὸς κώδιον, οὕτως ἔλεγον, οὗ τὸ ἱερεῖον ἐτέθη, ἐφ' οὗ καθαιρόμενοι ἑστήκεσαν ἀριστερῷ ποδί. Præco jubebat profanos absistere, proclamans,

> ——— Ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός.

Aut ——— Ἑκὰς, ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι.

Quod causæ fuit, cur ab iis sibi abstinendum Nero putavit. Sueton. *cap.* 4. *Peregrinationi quidem Græciæ, quorum initiatione impii & scelerati, voce præconis submoverentur, interesse non ausus.* Lysis Pythagoræus: Βεβάλοις ταῖς τῆς Ἐλευσινίαι Θεαῖν μυστήρια οὐ δηγητέα. Et ad hunc morem respexit Orpheus,

> Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι.

Cæteros, i. e. initiatos, jubebat Εὐφημεῖν, i. e. *linguis favere*, uti interpretatur Horatius. Cæterùm Hierophanta in speciem Creatoris; Facifer, Solis; Minister ad Aram, Lunæ; Præco sacrorum, Mercurii ornabatur. Eusebius *lib.* 3. *de Præp. Evang.* Ἐν δὲ τοῖς κατ' Ἐλευσῖνα μυστηρίοις, ὁ μὲν Ἱεροφάντης εἰς εἰκόνα τοῦ Δημιουργοῦ ἐνσκευάζεται, Δᾳδοῦχος εἰς τὴν Ἡλίου, καὶ ὁ μὲν ἐπὶ βωμῷ εἰς τὴν Σελήνης, ὁ δὲ Ἱεροκῆρυξ Ἑρμοῦ. Festi solennitatem ad dies plures durasse certum est. Numerum tamen definire nondum queo: Duos hactenus inveni suis nominibus insignitos, quorum prior Ἴακχος appellabatur. Hesychius: Ἴακχον, τὸν Διόνυσον, ἢ μίαν ἡμέραν τῶν μυστηρίων, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξάγουσι. Qui verò pompam hanc comitabantur, Ἴακχον, Ἴακχον ingenti clamore personabant. Meminit Herodotus *lib.* 8. & ex eo verbum Ἰακχάζειν formavit Plutarchus *in Themistocle.* Via autem, quâ pompa deducebatur, sacra vocabatur. Pausanias; Ἰοῦσι δ' ἐπ' Ἐλευσῖνα ἐξ Ἀθηνῶν ἣν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ὁδὸν ἱεράν. Dies ultimus mysteriorum Πλημοχόαι, à quodam vasis genere vocabatur. Duas enim Plemochoas vino repletas eo situ collocabant, ut ortum altera spectaret, altera occasum, quas deinde recitato carmine precationum evertebant. Athenæus *lib.* 11. Πλημοχόη σκεῦος κεραμεοῦν, βεμβικῶδες ἑδραῖον ἡσυχῇ, ὃ κοτυλίσκον ἔνιοι προσαγορεύουσι; Χρῶνται δὲ αὐτῷ ἐν Ἐλευσῖνι τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ, ἣν καὶ ἀπ' αὐτοῦ προσαγορεύουσι Πλημοχόας, ἐν ᾗ δύο Πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολὰς, τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνιστάμενοι, ἀνατρέπουσι τε ἐπιλέγοντες ῥῆσιν μυστικήν. Ipsa verò pompa non uno tractu Eleusinem ducebatur, nam aliquoties in itinere subsistebat: In quibus pausis, & hymnos cantasse, & sacrificasse cognoscimus ex Plut. *in Alcibiade.* Nam cùm impeditâ viâ per mare pompa deferretur, aliquas ceremonias in viâ curari non potuisse refert. Et quidem in ponte, qui Cephisso insternitur, subsistere solebant. In quâ morâ, quoscunque passim contumeliis incessebant. Hinc à γεφύρα, id est, *pons*, γεφυρίζειν *subsannare*; & γεφυρεὺς *conviciator*. Hesychius: Γεφυρεῖς, οἱ σκῶπται ἐπεὶ ἐν Ἐλευσῖνι ἐπὶ τῆς γεφύρας τοῖς μυστηρίοις καθεζόμενοι ἔσκωπτον τοὺς παριόντας. Sed & cùm sacra reducerentur Athenas, pari modo pausæ interponebantur. Ita subsistebant in suburbii loco, cui nomen ἱερὰ συκῆ, *sacraficus*. Hesychius: Ἱερὰ συκῆ, ἐν τῇ εἰς Ἐλευσῖνα ἀγούσῃ ὁδῷ. In his sacris mira silentii fides: nam in eum, qui arcana divulgasset, pœnâ capitis animadvertebatur; ut liquet ex Andocyde περὶ μυστηρίων. Pausanias non uno in loco de mysteriis agens, somnio se monitum ait, ne secreta proderet. Verba ejus sunt *in Atticis*: Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ τείχους τοῦ ἱεροῦ τότε ὄνειρον ἀπεῖπε γράφειν· καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν, ὅπως ἂν θέας εἴργονται, δῆλα δή που μηδὲ πυθέσθαι μετεῖναί σφισιν. Pausaniæ somnio respondet somnium Numenii Philosophi, qui Pyrrhonis Heliensis discipulus fuit, de quo Macrob. *lib.* 1. *de Somn. Sc. cap.* 2. *Numenio denique inter Philosophos occultiorum curiosiori, offensam numinum, quòd Eleusinia sacra interpretando vulgaverit, somnia prodiderunt. Viso sibi ipsas Eleusinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar videre prostantes: admirantique & causas non convenientis numinibus turpitudinis consulenti, respondisse iratas; ab ipso se adyto pudicitiæ suæ vi abstractas, & passim adeuntibus prostitutas.* Et proscriptus ab Atheniensibus Diagoras, quòd hâc in parte religionem violasset. Hinc etiam Horat. *lib.* 3. *Od.* 2.

> *Est & fideli tuta silentio*
> *Merces; vetabo qui Cereris sacrum*
> *Vulgarit arcanæ, sub iisdem*
> *Sit trabibus, fragilemque mecum*
> *Solvat phaselum.* ———

At Augustus, teste Suetonio *cap.* 93. *Athenis initiatus, cùm postea Romæ pro tribunali de privilegio Sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, & quædam secretiora proponerentur, dimisso concilio, & coronâ circumstantium, solus audiit disceptantes:* Ne sc. ad profanos quidquam emanaret. Excessit autem adyta superstitionis sagacitas Christianorum, qui, qualia hæc secreta fuerint, verbis minimè ambiguis exposuerunt. Tertullianus *lib. adversus Valentinianos*, nihil aliud, præter membrum virile, fuisse tradit, quod tam anxiè tegeretur; & ad quod videndum, nemo, nisi interpositis tot ceremoniarum observationibus admitteretur: *Sequitur jam*, inquit, *silentii officium; attentè custoditur, quod tardè invenitur. Cæterùm tota in adytis divinitas, tot suspiria Epoptarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis revelatur.* Theodoretus verò naturæ muliebris imaginem arcanis Orgiis celari prodidit, idque magis convenit fabulæ, quam Clemens refert, & ex eo Arnobius, quos qui velit consulat. Litabant fœtâ sue. Rationem reddit Phurnutus: Θύουσι δὲ ὗς ἐγκύμονας Δημήτρᾳ, πάνυ οἰκείως, τὸ πολύγονον καὶ εὐσύλληπτον, καὶ τελεσφόρον παριστάντες. Immolatorum autem nefas erat quidquam efferri. Schol. Aristoph. *ad Equites*, Οὐκ ἐξῆν τὰ θυόμενα Δημήτρᾳ, καὶ Περσεφόνῃ ἔξω ἀφιέναι. Postero Mysteriorum die, Senatus ex lege Solonis Eleusinem conveniebat. Andocydes: Ἡ γὰρ βουλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελλε κατὰ τὸν Σόλωνος νόμον, ὃς κελεύει τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. Forsitan ut cognosceret, an sacra ritè peracta, num in ea commissum foret, nam quædam capitali supplicio sancita fuisse, idem Andocydes in Orat. Περὶ μυστηρίων testatur, quod sæpius repetit, quia talis culpæ velut affinis apud Senatum accusaretur. Ex Castellano. Vide Pausan. *in Att.* Plut. *in Demetrio*, Ari-

Ariſtoph *in Pluto.* Senec. *nat. q. lib.* 7. *cap.* 31. Lact. *div. Inſt. l.* 1. *c.* 21. Servius *in Æneid.* 4. *hunc verſum*:

Nocturniſq; Hecate triviis ululata per urbem.

Eleuſis, Cic. & Straboni *Eleuſin*, vulgò *Lepſina* Soph. oppid. Atticæ marit. inter Megaram, ſeu Nyſſæam urb. & Piræum portum. Unde *ſinus Eleuſinius*, qui & *Saronicus*. Ovid. *l.* 4. *Faſt.*

Fors ſua cuiq; loco eſt: qui nunc Cerealis Eleuſis.

Apulejo *Attica ſacrarium* dicitur, ob religioſiſſimum Cereris fanum, ubi plurima ſacrorum ornamenta, quæ non niſi diviſim temporibusque diverſis oſtendebantur. Unde apud Senecam Prov. *Eleuſina ſervat, quod oſtendat*, contra eos, qui unâ epiſtolâ vel oratione, quidquid ſciunt, effutiunt. Et quia in ſacris hiſce, de quibus vide ſupra, matronæ in curribus per jocum ſibi mutuò & liberè convitiari ſolebant, inde *de plauſtro loqui*, aliud Prov. pro liberè in quemvis invehi: quod alii tamen ad Comicos referunt, qui de plauſtro perſonati, non in alios ſolùm Comicos, ſed etiam in potentiores, ipſoſque adeò Deos dicebant, quæ vellent, Vide de oppido hoc etiam Xenoph. Ptol. &c.

Eleuſius, nomen viri, quem Ceres docuit omnem agriculturam, à quo *Eleuſis* civitas cognominata eſt. Item *Eleuſius*, Cyzici Epiſcopus, qui à fide Catholicâ ad Macedoniam hæreſin deſcivit: qui tamen poſtquam reſipuiſſet, & Epiſcopatu ſeipſum abdicaſſet, reliquo vitæ curſu ſolitarius vixit. Niceph. 11. 5. Aliter Socrat. *l.* 5. *c.* 8. Baron. *An. Chr.* 381. qui Eleuſium, Semi-Arrianorum caput, à Theodoſio Imper. rogatum, ut Conſubſtantialitatem admitteret, malle ſe Arrianis quàm Orthodoxis jungere, reſpondiſſe dicunt, ſicque Conſtantinopoli ſe ſubduxiſſe.

Eleuthera, civitas Cretæ mediterranea, Gortynæ proxima.

Eleuthera, urbs ſeu pag. Bœotiæ, apud Plateas, ubi Mardonius Perſ. Dux à Græcis victus eſt, 300000. militum cæſis. Al. *Eleuthra.* Alia in Ponto juxta Iſtrum fluv. ſic dicta, quòd Jaſon Æetam fugiens timore illic liberatus ſit. Eſt etiam Lyciæ urbs à nymphâ quâdam ſic dicta. Steph. Urbs item Cretæ mediterr. proxima Gortynæ *Eleutherna.* Plin.

Eleutheria, feſta quaſi *liberatoria*, id eſt, libertatis ſolennia. Plautus *in Perſa*, *Baſilicè agito Eleutheria.* In his certamen armatorum currentium quinto quoque anno celebrabatur; quæ feſta nomen acceperunt à Jove *Eleutherio*, qui templum habebat ad Plateas Bœotiæ civitatem.

Eleutherina, urbs Cretæ. Steph.

Eleutheris, urbs Bœotiæ. Steph.

Eleutheriſcus, urbs Macedoniæ Steph.

Eleutherium, opp. Myſiæ. Steph.

Eleutherius, Jupiter dictus eſt, quaſi *liberator*, quòd apud Aſopum Platearum amnem, Græcorum copiæ Mardonium, cum trecentis Perſarum millibus ad internecionem deleviſſent.

Eleutherius, Conſul cum Evagrio, an. U.C. 1134.

Eleutherius, Exarchus, Italiæ regem ſe dixit, quem militiæ duces apud opp. Luceolum interfecerunt: caputq; tyranni Conſtantinopolin miſerunt. Blondus 9. 1.

Eleutherius, D. Dionyſii Areopagitæ & vitæ, & mortis ſocius.

Eleutherocilices, Aſiæ pop. Cic. 5. *ad Atticum*, *Eleutherocilices populi in Amano, ne regibus quidem unquam paruerant.*

Eleutheropolis, urbs Palæſtinæ, in tribu Juda, 8. mill. ab Hebrone in Occ. 20. ab Hieroſolymis Gazam verſus. Ab hac, tanquam celebri loco, multorum locorum diſtantias metitur Hier. *in L.H.*

Eleutherus, duodecimus Romanorum Epiſcopus, Græcus natione, fil. Abundii, qui Diaconus Aniceti fuerat, Soteri ſucceſſit, an. 177. Irenæo, à Chriſtianis, qui Lugduni Evangelii causâ captivi detinebantur, miſſo, ob Prophetiam quandam Montani, contra uſum carnis, reſpondit. Ad preces filii Coyli, Lucii R. Britannorum, Fugatium & Damianum, evangelizatores, in Britanniam miſit. Sic Rex cum gente baptizatus, loco 3. Archiflaminum 3. Archiepiſcopi, 28. Flaminum totidem Epiſcopi creati, Idololatria ſublata, &c. An. 183. Obiit an. 192. Epiſc. 15. Irenæus, *l.* 3. *cap.* 3. Auguſt. *ep.* 165. Ciacconius *in Eleuth.* 1. Tom. Concil. Euſeb. *hiſt. l.* 4. *c.* 21. *lib.* 5. *& in Chron. An. Chr.* 179. Polyd. Verg. *Hiſt. lib.* 2.

Eleutherus, fluv. Phœniciæ, juxta Ortheſiam urbem, in radice montis Libani. *Valania* Poſtello & Pineto. Aliis *Eleutherus*, fluv. eſt Syriæ, qui ex Libano monte in Ituræa prorumpit, & per regionem Emath & Roob atque Galilæam gentium fluens, Velanam urbem ac caſtrum Belcifort alluit: tandemque juxta civitatem Gorma, tribus ferè à Tyro Aquilonem verſus, duobus autem à Sarepta contra Auſtrum miliaribus mari magno miſcetur. Abundat hic fluvius teſtudinibus, eſt in monte Aſer. Item Siciliæ fluv. *Admirati* Fazello. Panormi urbis mœnia lambens. *Ponterotte* Leandro. Cluverio aliiſque nunc *Bajaria*, in mare Tyrrh. ſe exonerat, 8. mill. in Ort. à Panormo. Baudr.

Eleutho, Dea parturientibus aſſiſtere ſolita, ut ex Pindaro patet *in Olymp.* ubi eam & Parcas Apollo jubet adeſſe Evadnæ parturienti.

Eleuthra, vide *Eleuthera.*

Eleutii, Apuliæ gens, quam Parthenius *Elephantidem* vocat.

Elfwardus, vel *Etelwerdus*, ſub Guil. II. circa an. 1090. ex regia familia, ſcripſit ad Mathildem cognatam epiſtolas, & hiſtoriam 4. libb. à M. C. uſque ad finem regni Edgari. Guil. Malmeſburius, *in prol. Hiſt. de reg.* Simler. Voſſ. &c.

Elgis ſeu *Elgia*, *Elgin*, urbec. Epiſc. Scotiæ Septentrion. verſus oram maris Germ. 3. mill. à littore, ad Loxiam fluv. *Loſſye.* 6. mill. Scot. ab oſtio Speæ fluv. in Occ. 35. à Taxalo prom. 42. à Beruvio in Auſtr. Moraviæ reg. caput.

Elgos, opp. Lyciæ. Steph.

Elgova, aliis *Selgova*, pop. Scotiæ mer. ubi nunc prov. Nidisdalia, Eskia & Anandia, verſus confin. regni Angliæ. Vid. *Selgova.*

Elhabetum, ſeu *Habat*, provincia regni Feſſæ, clauditur à Septentrione mari Mediterraneo, ab Occaſu Algaræ paludibus, à Meridie Suarga fluvio, ab Ortu verò montibus Herculeo freto vicinis. Merc.

Eli, vide *Heli.*

Elia, urbs Epiſc. Angl. ſub Arch. Cantuar. in Comit. Cantabrigiæ, & Inſ. cognom. ad Uſam fluv. vide *Elys.*

Eliab, urbs Phallu, filii Ruben. Num. 16. Primogenitus filiorum Iſai patris David. 1. Reg. 17. Filius etiam Helon, princeps tribus Zebulun. Num. 1. Lat. *Deus meus pater*, ſeu *Deus patris.*

Eliacim, qui & *Joacim*, filius Joſiæ, cùm imperaſſet frater nomine Joachaz annos tres poſt Joſiam, ſucceſſit fratri in regno Judæ, anno mundi 3326. ante Chriſtum natum 636. Nam Pharao Necao cùm veniſſet Jeruſalem, vinxit Joachas, ac captivum duxit in Ægyptum, conſtituit in locum ejus Regem hunc Eliacim fratrem ejus ſuper Judam & Jeruſalem: & vertit nomen ejus, vocavitque eum Joacim: & condemnavit terram centum talentis argenti; & talento auri. Impiè egit Eliacim, ideò contra eum aſcendit Nabuchodonoſor, Rex Chaldæorum, & vinctum catenis, ut captivum traduceret Babylonem, interfici juſſit. Ad quam & vaſa Domini tranſtulit, & poſuit ea in templo ſuo. Imperavit annos 2. Conſulito *lib.* 4. Reg. 23. & 24. *cap.* 12. & *lib.* 2. Paral. 36. *cap.* & Joſeph. *lib. Antiq.* 10. *cap.* 8.

Eliacim, fil. Helciæ 2. Reg. 18. præpoſitus domui regis Ezechiæ. Pater Jona. Luc. 3. Lat. *Dei reſurrectio*, vel *Deus reſurrectionis.* Item ſummus Sac. auctor quibuſdam libri Judith. Vide *Joachim.*

Eliada, pater Razon. 3. Reg. 11. Filius David. 2. Reg. 3. Lat. *Dei ſcientia*, vel *cognitio.*

Eliam, filius Achitophel. 2. Reg. 3. id eſt, *Dei populus.*

Elias Thesbites, propheta fuit clariſſimus, floruit temporibus Achab & Ochoſiæ, regum Iſraël. Vir fuit piloſus, zonaque pelliceâ accinctus renes, zelo maximo erga Dei cultum affectus, varia edidit miracula. In ſolitudine paſtus eſt à corvis, deinde ab Angelis: pluviam à Domino impetravit, Pſeudoprophetas increpavit ac interfecit. Quinquagenarii duo cum ſuis militibus, ad comprehendendum eum ab Rege Ochoſia filio Achab miſſi, igne cœlitus emiſſo, ſubitò conſumti fuerunt. Aquas fluvii Jordanis pallio ſuo percuſſus diviſit: denique per turbinem in cœlum raptus fuit curru & equis igneis. Vide *lib.* 3. *Regum cap.* 17. 18. *& ſeqq. lib.* 4. *cap.* 2. 2. *Par. cap.* 21. Auguſtin. *de Civ. D. l.* 20. *c.* 19. Torniel. *A.M.* 3139. Lat. *deus*, aut *fortis dominus.*

Elias, Arabs, poſt Saluſtium, Epiſc. Hieroſolym. an. 492. pulſus ab Anaſtaſio Imper. ſuaſu Severi hær. An. 513. ſurrogato Sahane, quem Sabas ad fidem perduxit. Obiit in ſolitudine, 10. die poſt mortem Anaſtaſii, quam prædixerat. Concil. 2. Nic. *act.* 1. Evagr. *lib.* 3. *cap.* 32. Niceph. *l.* 16. *c.* 34. Cyrillus *in vita Sabæ*, &c. Item Patriarch. Hieroſolym. ſub Saracenis gravia paſſus, miſſo legato, ad Patres Concilii Nic. 2. abſentiam excuſavit. Baron. *A.C.* 787.

Elias, Patriarch. Antiochenus, Gallos populares ſuos in Orientem ſecutus, primus eorum hoc munus obiit an. 1247. Genebrard. *in Chron. in Innocent. IV.* Bartel. *de Ep. Regienſ. in Guilelmo II. pag.* 207. Item, Chriſtianus Jacobinus, etiam Patr. Antiochenus. Genebr.

Elias, Patr. Babylonius, an. 1616. ad quem Paul. V. legationem miſit, à Petro Strozza deſcriptam, unà cum l. de fide Chaldæorum.

Elias, Monachus, non procul ab Antinoo civitate degebat in eremo, agens annum ætatis circiter centeſimum decimum, ad quam ætatem jejunando, & viriliter converſando pervenit. Sozomen. 8. 1.

Elias Barjoſius, nobilis Provincialis, Auctor Poëmatis, de bello Comitum, Raimondi Berengarii I. & II. contra Stephanum. Vide Morerium, Noſtradamum, *in vit. Poët. provinc. p.* 33.

Elias Capreolus, JC. & Hiſtoricus.

Elias Eveshamius, Anglus, Benedictinus, auctor Chronici.

Elias Levita, Grammaticus Hebr. ſeculo præt. Genebr.

Elias Ovientalus, de Geometria Hebræorum ſcripſit, Simler.

Elias Rabinus, Hebraicè Arithmeticam ſcripſit, à quodam Munſteri diſcipulo, Eraſmo Oſwaldo Latinè redditam.

Elias Reunerus, Genealogiarum auctor, ſec. præt.

Elias Trickinghamus, Benedictinus, Anglus, ſcripſit Angliæ Annales, ab an. 616. uſque ad 1270.

Elias vel *Elion* Villanovanus, Gallus, M. Magiſter Melit. *Felicis* nomen meritus. Vide Boſſium, *Hiſt. Melit. lib.* 1. Gaſſend. *de Epiſc. Dinienſ.*

Elias Vinetus, Gallus, edidit Melam, ſcripſit antiquitates Burdigal. & Santon. vertit Procli Sphæram, &c. Vide Verdier. *Biblioth. p.* 274.

Eli-

Eliasaph, filius Duel, Princeps tribus Gad. Num. 1. Lat. *Deus augens*, vel *finiens*.

Eliasib, filius Elionai, filii Naariæ. 1. Paral. 3. 1. Esdr. *c.* 10. *&c.* Lat. *Deus conversionis*. Sacerdos S. per an 21. post Joachimum patrem. Ejus tempore Nehemias veniam obtinuit in patriam redeundi. Jos. *Antiq.* 11. 7.

Eliatba, nomen viri. 1. Par. 25. Lat. *Deus meus tu*, vel *Deus meus venit*.

Eliberri, Illiberis Plinio. *Iliberis* Livio, Hispan. citer. opp. in orâ littorali Catalauniæ, vulgò *Colibre*. Item Gall. Narbonensis vicus. Ptol. Baudrando *Eliberis*, urbs Turdulorum in Hisp. Bæt. ad Singilim fluv. Nunc vicus est *Elvire*, in regno Granat. prope Granatum Urb. quæ ex ejus ruinis crevit. Ibi *Eliberitanum* Concil. an. 305. celebratum. Item *Eliberis*, mel. *Illiberis*, quæ & *Caucoliberis*, urbs Gall. Narbon. in ora littor. maris Medit. & sinus Leonini, vulgò *Colliure*, parva, sed munita, cum portu capaci, in Comit. Ruscinonensi & confin. Cataloniæ. Antea Hispaniæ annexa, nunc sub Gallis ab anno 1641. Hic Concilium anno 305. Morerius.

Elibyrge, urbs Tartessi. Steph.

Elica, nomen viri. 2. Reg. 23. Lat. *Dei pelicanus*, aut *fortis vomitus*.

Elice, vide *Helice*.

Elicius, Jovis cognomentum, qui in Aventino colebatur, ab *eliciendis*, h. e. evocandis fulminibus impositum. Ovid. *Fast.* 3.

Eliciunt cælo te Jupiter: unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Elicoci, Gall. Narb. pop. Ptol.

Elicranum, Illyridis urbs. Polyb.

Elidad, fil. Chaselon, Princeps tribûs Benjamin. Num. 34. Lat. *Dei dilectus*, vel *Dei dilectio*.

Elidurus, cognom. *Pius*, fratri Archigallo, ab Anglis pulso, surrogatus, regnum ei reddidit, decennio pòst illius successor. A Vigeno & Periduro, fratribus jun. ipse quoque pulsus & in carcerem conjectus est, sed post septennium à Britannis liberatus, pacificè porrò præfuit. Polydor. Virg. *hist. Angl. l.* 4. Chenius *hist. A. t.* 1. *l.* 2. *c.* 14. *p.* 68.

Eliel, filius Thohu, 1. Par. 6. & Hammachavim, 1. Par. 11.

Eliesér, Ismaëlis frater uterinus, & alter Abrahæ ex Agar Ægyptiâ filius. Comestor *in cap.* 16. *Gen.*

Eliezer Damascenus, domûs Abrahami Procurator. Gen. 15. Et filius Mosis. Exod. 18. Et filius Bechor filii Benjamin. 1. Par. 7. Item filius Joram, Luc. 3.

Eligius, Noviodunensis Episcopus, cùm antea aurifex celebris, hinc Dagoberti Thesaurarius esset, quicquid in eâ arte lucri consequutus erat, dabat pauperibus, an. Dom. 650. Obiit Calend. Decemb. anno 663. vitæ 80. Bucelinus *in Annal. Flandricis*, Morerius.

Eligius Hucarus, Gandav. composuit vitam Levini, Martyris, Bertulphique Confessoris, versibus Elegiacis, &c. An. 1504. Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *cap.* 10.

Elihoreph, i. e. *Dei hyems*, vel *forte opprobrium*, filius Sisa, Princeps exercitûs Salomonis. 3. Reg. 4.

Elii, pop. sunt circa Astaboram & Astapam fluvios incolentes, qui etiam *Rhizophagi* dicuntur, propterea quòd ex adjacente palude evulsis radicibus massulas conficiunt, quibus ad Solem coctis vescuntur. Strab. *lib.* 16.

Elim, id est, *arietes*, vel *fortes*, vel *cervi*, sive *valles*, civitas Moabitarum, non procul à limite: ad quam pervenerunt filii Israël profecti de Mara. Exod. 16.

Elimandus, vel *Elinandus*, Monachus Cistertiensis, in diœcesi Bellovac. vixit sub finem sec. 12. sub Henr. VI. Imp. & Phil. Augusto. Auctor Chronici, à M. C. ad sua tempora, 48. libb. Vide Philip. Bergam. *Chron. suppl. lib.* 2. *An. Chr.* 1199. Simler. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 34. &c.

Elimelech, nomen Bethechemitæ cujusdam, maritus Naomi. Ruth. 1. Lat. *Deus meus rex*.

Elimia, urbs Macedoniæ, pop. *Elimiotæ*. Steph. Mel. *Elimea*, Vide Aristot. 5. *Pol.* 10.

Elini, Thesprotica gens, Item *Elinia* regio. Est & Siciliæ urbs. Stephanus.

Eliocrota, quæ & *Ilorcis*, Hisp. Tarracon. urbs. Anton. à Carthagine novâ. 25. m. p. *Lorca* Clusio, & Marianæ. Ad Guadalentium fluv. in confin. regni Granat. 10. leuc. Hisp. ab ora maris Mediterr. & Sinus Vergetani in Bor. 10. à Basti in Ort. Satis parva. Baudrand.

Elioënai, fil. Naariæ. 1. Par. 3. Filius item Bechor, filii Benjamin. 1. Par. 7. Lat. *ad ipsum oculi mei*, vel *fontes mei*, aut *ad ipsum afflictio*, vel *paupertas*.

Eliones, Africæ propriæ gens. Ptol.

Elionora, Angliæ regis filia, Alphonsi, cognomento Boni, Hispaniæ regis uxor. An. Dom. 850. Vide *Eleonora*.

Elipa, vide *Elepla*.

Elipandus, Archiepisc. Toletanus, Felici Orgellorum Episcop. junctus, Nestorii errores incrustare conatus est. Damnatus Synodo Forojul. Anno 791. Ratisbonensi, an. 792. Francofurtano Concil. An. 794. & refutatus à Carolo M. epistolâ ad Episcopos Hisp. Eginhartus, *in hujus vitâ*.

Eliphalet, filius David. 2. Reg. 5. Filius Esec. 1. Par. 8.

Eliphalu, Nomen sacerdotis. 1. Par. 15.

Eliphaz, filius Esau ex Adâ uxore. Gen. 36. Lat. *Dei nisus*, vel *conatus*.

Elis, regio Peloponnesi, inter Arcadiam, & Achajam, mareque Jonium ad Occid. *Elea* Polybio, cum urbe ejusdem nominis, *Belvedere* Nardo, & Pineto. Ovid. *Met.* 5.

Pisa mihi patria est, & ab Elide ducimus ortus.

Patria fuit Phædonis philosophi, Platonis amicissimi, teste Gellio 2. 18. Prop. 1. 8.

Et quas Elis opes ante pararat equis.

Vide Steph. Baudrando *Elis* reg. latius patet, nam continet Elidem & Messeniam. Sub Turcis à 200. annis. *Elis* autem urbs, ad Peneum fluv. ampla, probè culta & in loco peramœno sita, nunc etiam *Belvedere*, Græcis *Calloscopium*, 15. mill. abest ab ora maris Jon. in Ort. 24. à Dyme seu Clarentia in Austr.

Elis seu *Helis*, nunc *Bebbu* Postello, locus Palæstinæ, ubi Moses 12. fontes invenit.

Elisa, filius Javan. Gen. 10. Chaldæis est אלם *Hellas*, Josepho *Æoles*, Villalpando *Elysii campi* in Fortunatis insulis, Arabi Interpreti *Almesisa*, id est, *Mopsuestia* in Ciliciâ, Bocharto Peloponnesus, quem consule, *Phaleg.* 3. 4.

Elisa, vide *Eliseus*

Elisabetha, vide *Elizabetha*

Elisama, fil. Ammihud, Princeps tribûs Ephraim. Num. 1. Filius item David 1. Par. 3. qui 2. Reg. 5. dicitur *Elisua*. Sic nominabatur filius Camia 1. Par. 2. Lat. *Deus exauditionis*, vel *Dei exauditio*.

Elisari, Arabiæ Felicis gens, Ptol.

Eliseus, vel *Elizeus*, propheta, Eliæ discipulus, filii Saphat, duodecim miraculis inclytus, 1. Reg. 19. *Dei salus*, vel *Deus salvans*, Eliæ in prophetico munere successit; filium hospitæ suæ suscitavit: Naaman Syrum à lepra curavit. Etiam, ossibus ejus jam defuncti tactis, quidam revixit. 4. Reg. *cap.* 13. &c. De illo Joseph. *lib* 8 *&* 9. Ἀνὴρ ἐπὶ δικαιοσύνῃ περιβόητος, καὶ φανερῶς σπουδασθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ, θαυμαστὰ γὰρ καὶ παράδοξα διὰ τῆς προφητείας ἐπιδείξατο ἔργα καὶ μνήμης λαμπρᾶς παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ἀξιωθέντα. Ἔτυχε δὲ καὶ ταφῆς μεγαλοπρεποῦς καὶ οἵας εἰκὸς ἦν τὸν οὕτω θεοφιλῆ μεταλαβεῖν. Isidor. *in vita Elizei*. Torniel. Salian. Spond. *A. M.* 3124. *& seq.* 3198.

Elisphasii, Peloponnesi pop. Polyb. *lib.* 11.

Elissus, Arcadiæ urbs. Pausan. Item Sycioniæ, & Elidis fluv. Strabo. Pausan. Item Atticæ fluv. Aliis *Ilissus*, quod vide.

Elisua, vide *Elisama*.

Elisur, fil. Sedeur. Princeps tribûs Ruben. Num. 1. Lat. *Dei fortitudo*, sive *petra*, vel *plasmatio*, aut *colligatio*.

Eliu, filius Jeroham, patris Elcana 1. Reg. 1. Nomen Principis militiæ. 1. Par. 12. Lat. *Deus meus ipse*, aut *fortitudo ipsius*.

Eliud, filius Achim, inter progenitores Christi, *cap.* 1. *vers.* 14. Matthæi. Natus A. M. 3809. Torniel. Lat. *Deus laudis*, vel *confessionis*, aut *Dei laus*, vel *confessio*.

Elius libertus, magnâ apud Neronem gratiâ, quique abeunte eo in Græciam cantillatum, præfectus mansit urbi Romæ. Dioni vocatur Ἥλιος.

Elixoia, insula Hyperboreorum minor quàm Sicilia, juxta fluv. Cerambicum. Steph.

Elixus, fluvius Cei insulæ. Strabo.

Eliza, vel *Elisa*, vide *Dido*.

Elizabeth, uxor Aaron, filia Aminadab. Exod. 6. mater Nadabi, Abihu, Eleazari & Ithamari. A. M. 2545. Torniel. Uxor item Zachariæ, mater S. Johannis Baptistæ, Luc. 1. Lat. *Deus juramenti*, vel *Saturitatis*. Fuit etiam Ungariæ Regina, mulier sanctissima inter divos relata. Vide infra.

Elizabetha, seu *Isabella*, fil. Jacobi I. Arrag. R. uxor Philippi III. Galliæ R. comes mariti in expeditione sacra, Ludov. IX. auspiciis susceptâ. Quo mortuo, cùm Philippus regnum adiret, in Calabria equi lapsu læsa, obiit an. 1271. Mater Philippi IV. & Caroli, cujus fil. Philippus V. fuit. Mezerajus *Hist. Gall.*

Elizabetha, fil. Stephani Jun. Bavariæ D. ex Thadæa fil. Barnabæ, Vicecomitis Mediol. uxor Galliarum R. Caroli VI. regiæ familiæ regnique Furia. Regias opes partim in patriam misit, partim inutiliter prodegit, hinc à Connestabili Armeniaco in ordinem coacta, & Turonibus in vinculis habita aliquandiu, postea Burgundiæ D. ope subnixa, Lutetiâ captâ, Armeniacos lanienæ exposuit. Infirmitate mariti abusa fil. Carolum Delphinum, à successione regni exclusit, coronam in Henricum V. Angliæ R. generum suum, transferre annisa. Marito mortuo, an. 1422. in miserrimum redacta statum, invisa Gallis, ab Anglis neglecta est. Obiit præ animi dolore, cruentis Anglorum dicteriis excruciata, qui Carolum VII. non ex Rege susceptum ei in faciem exprobrarunt. Numerosæ prolis mater. Joh. Juvenalis de Ursinis, Froissard. Monstrelet. & Laborator *hist. Car.* VI. Joh. de Serres *hist. Gall. in eodem*, *&c.*

Elizabetha, fil. Maximiliani II. Imper. ex Maria Austriaca, uxor Caroli IX. Gall. R. virtute inclyta, mariti ferociam sæpe miti-

mitigavit, & de genibus imminentem Henrico Navarræo & Condæo necem deprecata est. Marito mortuo, Viennam rediit, secundas tum Philippi II. tum Sebastiani Lusit. nuptias aversata. Obiit anno 1592. Hilario Costus, *de fœmin. illustrib.* De Serres, Mezeray.

Elizabetha Lusitanica, fil. Emanuelis R. ex Maria Castellana, nupsit Carolo V. pulchra, fœcunda, dilecta. Obiit in nixu, Toleti, an. 1538. Mariana *hist. Hisp.* Vide *Franciscus Borgia.*

Elizabetha Francica, filia Henrici II. ex Catharina Medicea, Eduardo VI. primò promissa, nupsit dein Philippo II. à filio ejus Carolo frustra ambita. Hinc in Patrem indignatio & mox filii cædes. *Irene* dicta est, quòd matrimonio ejus pax Cameracensis coaluit. Mater ex Rege Isabellæ Claræ Eugeniæ, & Catharinæ, uxoris Caroli Em. Ducis Sabaudiæ. Obiit an. 1568. Hispali, prægnans, non sine veneni suspicione. Brantomus, *de fœm. illust.* Thuanus, &c.

Elizabetha Francica, fil. Henrici IV. ex Maria Medicea, nupsit Philippo IV. Hisp. R. an. 1615. Obiit an. 1644. Mater Mariæ Theresæ, uxoris Ludovici XIV. Gall. R.

Elizabetha Castellana, fil. Johannis II. ex Elizabetha Lusit. uxor Ferdinandi Arragonii, post Patris mortem Castellam Arragoniæ uniit, hinc ambo Reges Hispaniæ dicti. Inquisitionem instituit, post Johannis filii unici mortem, quatuor filiarum educationi solicitè intentà. Quarum maxima natu Elizabetha, ut & Maria tertia Emanueli Lusit. R. nupserunt. Johanna sec. Philippo Austriæ Archiduci. Catharina ultima Henrico VIII. Anglo. Obiit an. 1504. Consiliis ipsa semper interfuisse dicitur, in belli pacisque negotiis prudenter & animosè versata. Mariana *hist. Hisp. l.* 24. Lipsius *Monit. Polit.*

Elizabetha Francica, fil. Philippi IV. ex Johanna, hærede Henr. I. Navarr. nupsit Eduardo II. Angliæ R. an. 1308. A marito, quem Hug. Spenserus, cum cognom. filio, in potestate habuit, pulsa, in Galliam se recepit. Unde cùm se subduxisset, ope Hannoniæ Comitis in Angliam reversa maritum vicit, cepit, necavit, Eduardo III. fil. substituto. Post quæ liberioris vitæ & commercii cum Rogero Mortemerio Reginâ indigni, accusata, hoc capite plexo, filii jussu arci inclusa est, in quâ morte acceleratâ obiit justissimè, nisi hoc filius fecisset. Froissard. *hist. Angl* &c.

Elizabetha, fil. Henrici VIII. ex Anna Bolenia, post Mariam sororem, Angliæ regina, è vinculis thronum conscendit, frustra Mariâ Scoticâ, Henrico II. Gall. & Philippo II. Hisp. Regibus obnitentibus. Hæc decreta Mariæ rescidit, idola templis ejecit, decrevitque, ne in posterum Pontifici R. obtemperaretur. Philippi Hisp. & Ferdinandi Ferdin. filii, ut & Regis Sueciæ nuptias recusavit, juramento se obstrictam prætendens, externo Principi non nupturam. Catharinæ Mediceæ fraudibus, spe contrahendi cum Henr. Andio matrimonii, à nuptiis Navarræi Principis abstracta: Leges Majestatis gravissimas promulgavit. Hibernicos motus per Johannem Perotum & Henricum Sidneium compressit. A Pio V. excommunicata est, *An.* 1569. *hinc Pontificiorum in* ejus vitam & regnum, *Jesuitarum inprimis*, *perpetuæ insidiæ:* quibus superior, in *Jesuitam Edm. Campianum*, *Comitem* Northumbriæ, *Norfolcii Ducem*, *aliosque idonea severitate usa est.* Cum Albano inimicitias exercuit, Belgium fœderatum in patrocinium suscepit. Novam seditionem Hibernicam per Arturum Grajum oppressit. Hispanis in America, per Franciscum Dracum, plurima ademit, classem eorum in portu Ulyssiponæ diripuit ac incendit: Mariam Scoticam, Ordinum jussu securi percussam, indoluit, lugubribus sumtis. Classem stupendam Hispanorum an. 1588. vicit, incendit, dissipavit, dum Parmensis D. Dunkerkæ à Belgis, ne se Hispanis jungeret, impediretur: Hinc triumphus, prisco more, Londini celebratus. Draco in Americam rursus misso, Virginiæ nomen dedit. Antonium Lusitan. in regnum reductura, ob militum aviditatem, capto jam Olyssiponæ suburbio, frustra fuit. Henrico IV. fidelissimè opem tulit, sumtibus militibusque summissis. Robertum Essexium, caput conjurationis, supplicio affecit. Obiit anno 1603. ætat. 70. regni 45. scripto hærede Jacobo VI. Scoto. Fœmina supra sexum prudens, erudita, religiosa ac felix: Semper Virgo. Thuanus, Joh. de Serres, Chenius *Hist. Angl.*

Elizabetha Polonica, fil. Sigismundi, ex Bonna Sfortia, nupsit Johanni Zapolio Vaivodæ Transylvaniæ, & post Ludovicum à Solimanno victum, Poloniæ Regi. Hinc bellum Ferdinandus Austriacus movit, qui sororem Ludovici duxerat, sed pace coalitâ, Elizabetha Johannem fil. peperit, marito mox amisso. Hinc Regens, rebus à Gregorio Martinusio Cardin. malè administratis, Turcarum opem, contra Ferdinandum, imploravit, à quibus ipsa regno exuta est. Vide Thuan. Istuan. *rer Hung. lib.* 13. 14. Neugebauer, *rerum Polon. lib.* 7. *&c.* Literarum non rudis.

Elizabetha Austriaca, fil. Philippi Archid. & Regis Hispan. ex Johanna Castellana. Nupsit Christierno II. Principi crudeli & luxurioso, cui duobus regnis exuto & in diuturno carcere squalenti, fidelissimè ministravit. Obiit Gandavi, an. 1525. Vide Thuani *Hist.* Hilar. Costum, *in ejus elogio, tom.* 1.

Elizabetha, fil. Andreæ, Hungariæ R. ex Gertrude, filia Bertoldi, Moraviæ D. nupsit Ludovico, Thuringiæ Landgr. Quo mortuo propinquorum injurias admirabili constantia pertulit. Obiit an. 1231. à Gregorio IX. inter Sanctas relata, an. 1235. Joh. Montanus & Theodoricus Thuring. *in ejus Vita.* Vide Canisium *tom.* 5. *antiq. Lect.*

Elizabetha, fil. Petri III. Arragoniæ R. ex Constantia Manfredi fil. nupsit Dionysio Lusitan. R. ex eo mater Alphonsi IV. &c. Obiit an. 1336. ætat. 65. Ab Urbano VIII. sanctis annumerata, an. 1625.

Elizabetha Francica, fil. Ludovici VIII. ex Blanca Castellana, Monialis. Obiit an. 1270. Sebast. Rouillardus, *in Vita ejus.* Item, fil. Philippi Longi R. ex Johanna Burgundica, uxor Guidonis VI. Delphini Viennensis, &c. Item, fil. Johannis R. ex Bonna Lucemburgica, ex Johanne Galeatio, primo Mediol D. mater Valentinæ. Obiit an. 1409. Item fil. Caroli VI. uxor Richardi II. R. Angliæ, dein Caroli Aurelian. Obiit an. 1409. Item fil. Ludovici Bavari, mater Henrici Jun. Siciliæ R. Item, fil. Ottonis Bavar. Uxor Conradi IV. mater Conradini, Vide ibi. Item, fil. unica Mainardi, Com. Tirol. ex Alberto I. Imper. numerosæ prolis mater. Item filia Sigismundi Imper. uxor Alberti V. Archid. qui postmodum imperavit. Item fil. Ferdinandi I. uxor Sigismundi Aug. Poloniæ R. virtute inclyta. Item fil. Petri Cosimbric. D. ex Alphonso V. Lusit. R. mater Johannis II. Item, fil. Ladislai Loctici, Polon. R. uxor Charoberti, seu Caroli II. Roberti. Item, fil. Stephani, Bosniæ R. ex Ludovico, Hungariæ & Pol. R. mater Catharinæ, Mariæ & Hedvigis. Cum filia Maria, uxore Sigismundi Imper. à Carolo Dyrrachino, regni usurpatore, in vinculis detenta: dein hoc, à Nicolao Garo, occiso, libera, paulo pòst ab Horvato, Croatiæ præfecto, Caroli amico, interfecta est, cadavere in profluentem conjecto. An. 1386. Bonfin. Thurosius, Collenutius, &c. Item fil. unica Com. Encolismensis, uxor primò Johannis Angliæ R. dein Hugonis Comitis Marchiæ, magnarum calamitatum causa. Item, fil. Ludvici IX. nupsit Theobaldo II. Navarr. R.

Elizabetha Estensis, Marchionissa Mantuana. Hilario Costus *de fœm. Illust.*

Elizabetha Gonzaga, Dux Urbin.

Elizabetha Schönaugia, Abbatissa Ord. Benedictini, in diœcesi Trevirensi, scripsit de origine, nomine, & inventione 11000. virginum. Obiit anno 1165. Vitam ejus frater Egbertus scripsit, an. 1628. Coloniæ impressam. Trithem. Catal. Voss. *de Hist. L. lib* 2 *cap* 50. *&* 53.

Elizabetha Losa, Cordub. Latinè, Græcè & Hebr. docta, in Academia locum tenuit. Post mortem mariti, vixit usque ad annum 1564. æt. 73.

Elizabetha Rosera, Hisp. erudita admodum: sub Paulo III. Franc, Aug. Chiesa.

Elizabetha Tanfeldia, Angla, Hebræè, Græcè, Latinè, Gallicè locuta, Perronii Cardin. ad Jacobum R. responsum Anglicè vertit. Obiit Londini an. 1639. æt. 60. Hilario Costus, *elog. fœm. Ill. tom.* 2. *p.* 728. 729. 730. *edit.* 1647.

Elizaphan, filius Oxiel. Exod. 6. Filius item Pharnac, Num. 34. Lat. *Deus Aquilonis*, *sive Deus absconditus*, vel *speculator.*

Ella, Scaligero & Vineto *Lila*, in tabb. *Lille*, vulgò *l'Ile*, fluv. Galliæ, alluit Macerias *Mazeres*, ubi ponte jungitur, deinde superiorem Viseram vel altum Viseram accipit, *Haute-Vezere*, vel à situ vel ab altitudine aquarum suarum ita cognominatum. Tum Vesunnam Petrocoriorum attingit, castrum S. Carterii, Petrocoricæ urbis quondam Episcopi, *S. Chastier*, Mulcedonum *Mucidan*, Beneventum, Vallem Claram *Vauclere*; inde Drunam accipit, *Drone* aut *Droune*, *fluvium Dronam* in veteribus Galliæ Annalibus dictum, qui Monasterium Brantosmense in Petrocoriis, & Corterate *Courtras*, in tabula Peutingeriana memoratum, Henrici Magni victoriâ nobilem locum irrigat. Ella demum infra Frontiacum castrum, *Fronsac*, in Duranium labitur ad Liburniam vel Condate, *la Ille* Vasconibus nuncupatus. Liburniam *Libourne*, ait Massonus dici nonnunquam *Ella limitem* sive *bonnam*, quod ab Eduardo Rege Anglorum ad confluentes Ellæ & Duranii sit condita: nuncupatam esse *Libourne* aut *Liborne*, quasi *la bourne* aut *la borne*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Ellel, pater Abdon judicis Israël. lege *Hillel.*

Elli, vide *Ellopia* & *Selli.*

Ellopia, regio Eubœæ, & ipsa insula, ab *Ellope* Jovis filio. Sic etiam dicebatur regio juxta Dodonam, cujus incolæ *Elli*, & *Selli*. Est etiam urbs circa Dolopiam, & regio circa Thespias, teste Stephano.

Ellopium, urbs Ætoliæ. Steph.

Ellius, 5. Consul, & solus an. U.C. 1231. Item fluvius omnium maximus qui se in Hermum exonerant. Herodot. Vide infra.

Ellus, mel *Hellus*, vulgò *Ill.* Oritur in Suntgovia, prope Ferretam opp. dein per Alsatiam fluens, Mylhusiâ, Ensisheimio, Colmariâ, Selestadio, & Benofeldâ, tandemque Argentinâ rigatis, paulo infra in Rhenum se exonerat. Hinc Alsatia regio, nomen *Elsas*, accepisse quibusdam videtur.

Ellus, fluv. Lydiæ. Aliis *Hyllus*; quod vide, paulo infra Tyatum seu Tyathiram in Hermum labitur. Baudr.

Elmantica, urbs Iberiæ, intra Iberum fluvium. Steph. Vide an sit Salmantica Ptolemæi.

Elmelech, civitas in tribu Aser, Lat. *Deus rex* vel *rex Deus*. Jos. 19. Hieronymo *Almelec*. Aliàs *Elmeleth*.

Elmodad, filius Jectan. Gen. 10. Lat. *Dei mensura*, vel *artium dilecti*.

Elna, fluviol. Gall. Belg. al. *Liana*, oritur in confin. Artesiæ, & juxta Bononiam in mare Britann. se exonerat.

Elnaem, pater Isaja, & Jeribai. 1. Par. 11. Lat. *Dei pulchritudo*, sive *Deus muniens eos*.

Elnathan, filius Achbor. Jerem. 26. id est, *Deus dedit*, vel *Dei donum*.

Elno, vulgò *S. Amand*, ab Amando Episc. Trajectensi, qui ibi Cœnobium extruxit, prope Turnacum, opp. est Flandriæ, ad Scarpam fluv. qui paulo infra in Scaldim cadit. In confin. Hannoniæ, sub Gallis ab An. 1667. Aliàs munitum.

Elolath, in tribu Juda. Hier. *in L. H.*

Elon, filius Zebulun. Gen. 46. Judex Israëlis, Judic. 12. Civitas in tribu Nephthali Jos. 19. Tale fuit nomen Basemath & Adæ uxorum Esau. Gen. 26. Lat. *ilex*, vel *quercus*.

Elone, urbs Perrhœbiæ, quæ & *Limona* dicitur. Steph.

Elongosine, locus Armeniæ major. in monte, ad Ort. Tigridis.

Elophal, filius Ur. 1. Par. 11. id est, *Dei miraculum*, vel *Dei judicium*.

Elops, Centauri proprium.

Elorini, pop. Siciliæ. Cic. 5. *Verr. Eloronensium* civitatem habet Libellus Provinciarum, in Novempopulana Provincia Aquitaniæ. *Iluro* Antonini est, & *Olorenensis* civitas Sidonio, & *Olorino* hodie Scaligero. Vide infra.

Elorona, seu *Iluro*, urbs Tarbellorum, in Aquitan. ad Gabarum fluv. in Benearnia prov. ad radices Pyrenæorum. 4. leuc. à Palo in Occ. 6. à confin. regni Navarræ, 20. ab Ausciis in Afr. 11. à Tarba in Occ. Baudr.

Elorum, *Elorus* Vib. Sequ. *Helorus* Silio. Fluv. Siciliæ per oram ad Ort. inter Syracusas, & Pachynum promuntorium fluens, qui intus *Atellari*, & circa ostium *Abyso*, teste Fazello, nominatur. Nunc *Acellaro*, in valle Neætina. Modicam rigat, & prope Neætum labitur, pauloque post in mare Jonium se exonerat, juxta rudera Elori urb. 10. mill. à promontorio Pachyno in Bor. 30. à Syracusis in Austr. Baudrandus. Item oppid. ad ostium amnis nunc excisum. Sil. 14.

Undâ clamosus Helorus.

Hinc *Elorius* adjectivum. Ovid. *Fast.* 4.

Hinc Camarinam adiit, Thapsonq; & Heloria Tempe.

Virgil. *Æn.* 3.

Exupero præpingue solum stagnantis Helori.

Et *Elorinus*. Unde *Elorina stagna*, ubi pisces mansuescunt, ut etiam cibos capiant de manibus hominum, Solin. inter Elorum & Pachynum, apud Macharam urb. eversam, duo sunt, *Lago di Lupo*, & *Ravetti*, Fazello. Ferrar.

Elos, ancilla Athamantis, à cujus nomine dicta est urbs Achajæ, *Elos*, vide *Helos*.

Elotæ, ita sua publica mancipia appellabant Lacedæmonii, id est, ministros publicos, ut sunt apparitores, lictores, qui apud Thessalos dicuntur *Penestæ*.

Elpenor, unus ex comitibus Ulyssis, qui à Circe cum aliis sociis in porcum conversus fuit, & deinde pristinæ formæ restitutus delapsus de scalis cervicem fregit. Hom. *Od.* 10. Ovid. *Met.* 14.

—— Sors me fidumq; Politen
Eurilochumq; simul, nimiiq; Elpenora vini
Bisq; novem socios Circea ad mœnia misit.

Juvenal. *Sat.* 15.

Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.

Ovidius *Trist.* 3. 4.

At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit regi flebilis umbra suo.

Elpenoris tumulus, in Latio, apud Circæjos, in monte, ubi nunc vicus & ædes S. Felici sacra.

Elphaal, fil. Metrusim. 1. Par. 8. Lat. *Dei opus*.

Elphinstonus Guil. Scotus, Episc. Aberdinensis, Cancellarius regni, circa an. 1480. Sub Jacobo III. scripsit statuta Conciliorum, Chronicon Scotiæ, &c. Boëthius *in præf. hist. Scot.*

Elphinum, urbs Hiberniæ, in Com. Roscomensi, in Connacia. Cum Episc.

Elpia, urbs in Dauniis, à Rhodiis condita. Steph.

Elpidius, Episc. Laodicensis, Chrysostomi partes invicto animo tuitus. Item, hæreticus Priscillianista. Item Comes quidam Apostata. Baron. *Annal sec.* 4. *&* 5.

Elpidius Cappadox, solitudinis amator, qui annis 25. in spelunca quâdam vixit, ibique bis tantùm in hebdomade vescebatur.

Elpinus, Archon Athenis, Olymp 106. an. 1.

Elpis, uxor Boetii, de quâ hoc extat Epitaphium,

Elpis dicta fui, Siculæ regionis alumna,
Quam procul à patriâ conjugis egit amor.
Quo sine mæsta dies, nox anxia, flebilis hora,
Cumq; viro, solum spiritu unus erat.
Lux mea non clausa est, tali remanente marito,
Majorisq; animæ parte superstes ero.
Porticibusq; sacris jam nunc peregrina quiesco,
Judicis æterni testificata thronum.
Neve manus bustum violet, ne fortè jugalis
Hæc iterum cupiat jungere membra cinis.

Elseburgum, vide *Elzeburgum*.

Elsenora, urbs Zelandiæ Ins. in Dania, prope Sundicum fretum, & arcem Coronæburgum cum portu capaci, è regione Scaniæ, & urbis Helsingoburgi.

Elteri, seu *Abelteris*, & *Turres Albæ*, oppid. aliàs Lusitan. in Scalabitano conventu, nunc *Alter*, seu *a Aerra*: vicus Extremaduræ Lusit. ad amnem *Zaras*, medius inter Ulyssiponem, & Portum alacrem.

Elthece, civitas in tribu Dan. Jos. 19.

Elthecon, civitas in tribu Juda. Jos. 15.

Elthet, in tribu Juda. Hier. *in L. H.*

Eltholad, civitas in tribu Juda. Jos. 15. Et in tribu Simeon. Jos. 19. Lat. *Dei generatio*.

Eltor, civitas Asiæ Petrææ, olim *Hermopolis* dicta, eo ferè loco, quo exitus fuit Israëli è mari Rubro: Emporium est earum mercium, quæ ex India ac Oriente apportantur, & inde in Ægyptum & finitimas provincias distrahuntur. Natal. Metel. Vide *Elana*.

Elvanga, urbs Sueviæ, ad Jaxtum fluv. ubi Præpositura nobilis, cujus dominus Imperii Princeps. 5. mill. Germ. à Nerolinga in Bor. 2. à Dinchelspila in Occ.

Elus, populi Aquitaniæ inter Garumnam, & Ligerim. Strabo *lib.* 4.

Eluia, Paphlagoniæ urbs. Ptol.

Eluidius, Auxentii discipulus, fatebatur virginem peperisse, sed postea cum viro congressam alios suscepisse liberos fratres Domini. Insanam ejus opinionem confutat Hieronymus.

Eluina, dicta est Ceres ab *Eluia* opp. vel ab *Eluide* fluv. ubi colebatur. Juvenal. *Sat.* 3.

Me quoq; ad Eluinam Cererem, vestramq; Dianam
Convelle a Cumis. ——

Elul, id est, *ululatio*, seu *pernoctatio*, nomen sextæ lunationis apud Ebræos, partim Augusto, partim Septembri respondentis, 1. Macchab. 14. Sigonius & Genebrard. *de Kalendis Hebræorum*. Torniel. *A. M.* 2545.

Elul, in tribu Juda, fortè *Alul*. Hier. *in L. H.*

Elvodugus Probus, Monachus Anglus, primus suæ gentis historiam à fabulis repurgare aggressus. Vossius *de Hist. L.* l. 2. c. 23.

Eluri, populi Scythici. Steph.

Elusa, Gall. Narbon. urbs, Ammianus. Direpta ab Evarico, Gothorum R. sub finem sec. 5. non tamen vastata est, aut si hoc factum, Episcopi sedes aliò tum est translata. Clarus certè subscripsit Concilio Agathensi, A. C. 506. ante Episc. Auscitanum, quem quidam Metropolitanum jam eo tempore fuisse contendunt, &c. Ab Abderamo demum, vel Normannis in Aquitaniam irrumpentibus desolata, Auscitanæ sedi cessit, reditusque Episcopatus ejus huc juncti sunt: quod fortè factum A. C. 879. sub Johanne IX. Tenax olim orthodoxiæ civitas, nullâ ratione potuit, à Priscillianistis Hispaniæ, infici veneno hæreticæ illorum pravitatis, uti testatur Sulpitius Severus *l.* 2. Hodie Burgus, prope veteris urbis rudera, conditus est, vulgò *la Ciutat*. Vide Sidonium Apollin. *libr.* 7. *epist.* 6. Gregor. Tur. *lib.* 8. *cap.* 22. Melam *libr.* 3. *cap.* 2. Ammian. Marcellinum *libr.* 15. ubi hanc urbem Galliæ Narbonensis Metropolim per errorem vocat, cùm Novempopulanæ provinciæ dicere debuisset, Flodoard. *Histor. Eccles. Rem. lib.* 2. *cap.* 5. Oihenart. *Notit. Vasconia*. Sirmond. *Notis in Sidon.* Bajol. *Histor. Sacr. Aquitan. lib.* 2. *cap.* 4. J. Filisau *de Episc. auctor. c.* 10. *num.* 4. Dupleix *Mem. de France lib.* 1. *cap.* 6. & *Hist. en Child.* Jos. Scaligerum *Notit. Gall. & in Lect. Auson. l.* 2. *c.* 7. &c. ut & in voce *Eluza*. Item urbs Palæstinæ, olim verò Arabiæ. Steph.

Elusabetris, civitas præcipua Auscorum. Mela 3. 2. vulgò dicitur *Aux*.

Elusates, Aquitaniæ pop. Plin. 4. 19.

Elusii, Mauritaniæ Cæsariensis gens. Ptol.

Elut, sive *Elus*, cujus in sacris memoria est. *Elusa*, à Ptol. vocari docet Goropius, Idumææ urbs est.

Elvva, seu *Asaphopolis*, urbs Valliæ Bor. in Comitatu Flintensi, ubi Elvus fluviol. in Cluidam se exonerat. 16. mill. Angl. à Cestria in Occ. 20. à Bangorio in Ort. V. *Asaphopolis* & *Fanum S. Asaphi*.

Eluza, vulgò *Eause*, urbs Aquitaniæ, in Arminiaco tractu & confin. tractus Condomensis ad Gelisam amnem, aliàs ampla & Episcopal. imo Metropolis provinciæ Novempopulanæ, inter 11. civitates sibi subjectas, civitatem Ausciorum novissimam habens: è cujus Præsulibus Mamertinus Concilio Arelatensi, jussu Constantini Magni habito, Clarus Agathensi, Leontius Aurelianensi 1. Aspasius Aurelianensi 4. & 5. ut & Arvernensi 2. Laban Synodo Parisiensi quartæ, Senocus Concilio Remensi, &c. subscripsere: Sed postea jure suo Metropolitano in Episcop. Auscorum translato, paret nunc civitati, cui antè imperavit,

vit, uno ex duobus veteribus Episcopatibus facto; estque parva & obscura, antiquitate solâ celebris; inter Vazates ad Boream & Auscios (quorum Archiep. in urbe hac domum hodieque habet, quæ instar arcis est, ad fluv. Gelisam) ad Eur. 5. leuc. à Condomio in Occ. Hinc populi adjac. *Elusates*, quorum caput fuit. Patria Rufini, qui Magister officiorum & Consul, dein Patricius & Præfectus Prætorio, imperium affectavisse dicitur, ut Claudianus *lib.* 1. *in Ruffinum* scribit:

Invadit muros Elusæ.

Est & *Elusio*, mansio inter civ. Tolosam & Carcassonem, quibusdam nunc vulgò *Alzonne*: Valesio verò hodie vicus *Luz* est; *Notit. Gall.* Vide quoque supra in voce *Elusa*.

Eluzai, nomen viri. 1. Par. 12. Lat. *Dei fortitudo*.

Elxai, Pseudopropheta Judæus, cum fratre suo Joxæo, sub Adriano Imper. errores suos disseminavit. Ejus sectatores Elcesaïtæ. Vide ibi, & Epiphan. *hær.* 19. Baron. *A.C.* 105.

Elydna, Indiæ extra Gangem urbs. Ptol.

Elyma, Macedoniæ urbs. Ptol. Elymiotarum caput, ad Celydnum fluv. in Albania Meridionali. Aliàs *Ellyma* & *Elymæa*, Baudr. Siciliæ item Thucydidi. Illa *Caninna* hodiè Sophiano nuncupatur, ista ab Æneâ condita, ut Halicarnasseus tradit, hodiè *Palymite* Fazello.

Elyma, regio Assyriorum juxta Persidem. Steph.

Elymais, regio Persidi vicina. Plin. 33. 6. Item civitas in Perside. 1. Macchab. 6.

Elymas, seu potius *Bar-Jesu*, nomen Pseudoprophetæ & magi, de quo vide Act. 13. Originis est Arabicæ, ut benè recentiores observarunt, & *Magum* significat. Baron. An. 46.

Elymi, Pœnorum socii, de quibus Thucydides: Μοτύλω καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον ἐγγὺς τῶν Ἐλύμων συνοικίσαντες ἐνέμοντο ξυμμαχίᾳ τε πίσυνοι τῇ Ἐλύμων. Hinc in Pausaniæ *Phocicis*, qui Pachynum pro Lilybæo jam semel usurpavit, Antiochus Syracusanus inter cætera de Cnidiis refert, ὡς ἐπὶ Παχύνῳ τῇ ἄκρᾳ τῇ ἐν Σικελίᾳ κλίσαντες πόλιν αὐτοὶ μὲν ἐκπίπτουσιν ὑπὸ Ἐλύμων καὶ Φοινίκων πιεσθέντες. Hos Elymos plerique volunt Trojanæ fuisse originis, & patrem habuisse Elymum Ægesti, vel Acestæ socium, de quo Poëta passim. Thucydid. Ἰλίου δὲ ἁλισκομένου τῶν Τρώων τινὲς διαφυγόντες Ἀχαιοὺς, πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν Σικελίαν, καὶ ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς οἰκήσαντες, ξύμπαντες μὲν Ἔλυμοι ἐκλήθησαν. Dionysius Halicarn. de Æneâ & sociis: Κατάγονται τῆς νήσου τὰ κατὰ λῦμα Δρέπανα, ἔνθα περιτυγχάνουσι τοῖς σὺν Ἐλύμῳ καὶ Αἰγέσῳ προεξελθοῦσιν ἐκ τῆς Τροίας, οἳ ᾤκησαν περὶ ποταμὸν λεγόμενον Κριμισόν. Addit aliquanto post ab *Elymo* dictos *Elymos*, potius quàm Ægestos ab Ægesto, quia propter regium genus Elymi major erat dignatio. Silius *lib.* 14.

Miscuerant Phrygiam prolem Trojanus Acestes,
Trojanusque Elymus. ——

De Elymo Trojano, quem Anchisæ nonnulli volunt nothum fuisse filium, plura vide apud Strabonem, Servium, Isacium & alios. Tamen Elymos in Siciliâ Scylax à Trojanis distinguit. Et apud Dionys. Halicarn. eosdem Elymos Hellanicus ex Italiâ deducit, tertiâ ætate ante Trojanum bellum. Et Stephanus in Αἰνεία Elymi cujusdam regis Tyrrhenorum meminit, cujus fil. Ænam urb. in Macedonia condidit. Summo denique poëtæ Elymus, licèt Trojani Acestæ comes & socius, Siculus tamen, non Trojanus est:

Tum duo Trinacrii juvenes Elymus, Panopesque
Assueti sylvis, comites senioris Acestæ.

Elymos itaque putamus Sicanorum fuisse partem, quæ cum Pœnis iniit fœdus. Et Elymorum nomen sumptum ex Phœnicio עלים *alim* vel *elim* ἀρχαϊκῶς, quo vel excelsa loca vel ii homines significantur, qui in excelsis locis degunt. Ea enim est verbi vis. Et Elymi nullas urbes alibi habuerunt quàm in montibus, v. g. Erycem, Ægestam & Entellam. Bochartus.

Elymiotæ, Macedoniæ populi. Ptol. *Placani* hodie eorum regio vocatur, Castaldo. Versus Occ. & mare Adr. prope Taulantios. Ibi nunc pars Australis Albaniæ propriæ. Eorum prim. erat *Elyma*, de qua vide.

Elymnium, insula Eubœæ cum civitate. Steph.

Elymus, heros, *Elymæ* Macedoniæ civitati nomen dedit. Steph.

Elyrus, Cretæ urbs. Steph.

Elys, vulgò *Elis*, urbecula Angl. in loco parùm salubri, 14. mill. Angl. ab Huntingdonia in Or. 14. à Cantabr. in Bor. Hinc regio adjacens inter Avonam & Usam fluv. ac inter paludes *Wittlesey Mere* & *Ramseu Mere*, partemque Occ. Germ. aliàs Metaris æstuarium, dicitur *Eliensis* Inf. Ubi Girvii pop. ol. Vide *Elia*.

Elysii, Germaniæ populi. Mutius legit *Helisios*. Bartolinus *Lysios*, in *Elysios* docti viri consentiunt faciuntque *Silesios*. Sed hoc vocabulum recenter fictum, nec satis ad primogeniam illius gentis appellationem exprimendam idoneum. In Annalibus Fuldensibus *Sorabos* & *Siuslos* conjunctos invenias. Alibi etiam *Linones* & *Siuslos*. Quæ posterior vox, si corrupta si integra sit, Taciti *Elysios* significat. Quòd si aliquis *Slusios* potius fuisse, quàm *Siuslos* velit, non repugnem. Nam ex *Sluisiis*, vel *Sluisis* postea molliori vocabulo procudere nobis *Silesios*. Si horum aliqua per Thuringiam migratio contigisset, possemus ab iis aptè oppidi Franconici *Sluisinga* appellationem repetere. Baudrando *Elysii*, qui & *Lugii Elysii*, pop. Germ. versus Sarmaticos montes: Ubi nunc pars Austr. parvæ Poloniæ, versus Vistulæ fontes. Eorum caput erat Carrodunum, nunc Cracovia, Poloniæ prim. Longè à Lusatia in Ortum protensi, quam aliqui Elysiorum reg. crediderunt.

Elysium, locus ubi piorum animæ habitant, ἀπὸ τῆς λύσεως, à *solutione*. Nam animæ post solutionem vinculi corporei deveniunt ad Elysios campos. Quos fabulam esse Phœniciam patet ex ipso nomine, quod ex Phœnicum linguâ desumptum. Ebraicè enim עלז *alaz*, עלץ *alats*, & עלס *alis* est *lætari*, & *exultare*. Et עליז *aliz*, *lætus*, & עליזות *alizuth*, *exultatio*. Inde *Elysium* ἀρχαϊκῶς A & E permutatis, ut *Enakim* pro *Anakim*, &c. Itaque *campus Elysius* est lætitiæ locus, & voluptatis, quod divinasse dixeris vatem eximium, qui Elysios campos *læta arva*, & *locos lætos* interpretatur: *Æn.* 6.

—— *Exinde per amplum*
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus.

Item,

Devenere locos lætos, & amœna vireta,
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.

Vide Doctissimum D. Jacobum Windet *de vitâ functorum statu. Sect.* 7. Fuere etiam *Elysii campi* in Bœotiâ. Virgil. *Georg.* 1.

Quamvis Elysios miretur Græcia campos.

Eos autem ita describit Tibullus 1. 4.

Sed me ——
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreæ, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulcè sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

Cui succinit Prop. 4. 7.

Mulcet ubi Elysias aura beata rosas.

Sed hi & reliqui, quicquid habent, ex Homero habuere. Sic enim ille *Odyss.* 4. Ἠλύσιον πεδίον describit:

Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος,
Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Vide Plut. *in Sertorio*, & *in Consolatione ad Appllonium* ex Pindaro, ubi rosarum, & florum mentio.

Elzabad, nomen Principis. 1. Paral. 26. Lat. *Dei dotatio*.

Elzeburgum, urbs Scaniæ, Suecis à Christiano III. ademta, A.C. 1563. Thuan. *lib.* 32. 36. Vide *Helsingoburgum*.

EM.

Emalchuel, nomen viri. 1. Macch. 11. Lat. *rex Deus*, aut *regnum Dei*, vel *nuncius Dei*.

Eman, filius Zara. 1. Par. 2. Lat. *multus*, aut *tumultuans*, vel Syriacè *fidelis*.

Emanna, seu *Emma* minor, fluv. Helvetiæ, in Ursam infra Lucernam influens, non minùs ac hocce flumen, aurum arenis trahit: magno argumento, in montibus Entlibuchianis, unde oritur, aurum nasci. Dicitur *minor* ad discrimen majoris, qui in sup. valle Emmæ *Emmenthal* ortus, supra Tschangnaviam, in montibus lacui Brientzensi vicinis, Habcheram versus, per medium Argoviæ super. fluit, & infra Solodorum Arolâ recipitur. Aurei sabuli & hic ferax est, idque maximè, ubi rivus aurifer, vulgò *Goldbach*, ei se miscet, supra oppidum Burgdorf, annotante Gaudardo. Vide Jos. Simlerum *l. de Alp. & Rep. Helv.* ut & Joh. Bapt. Plantinum *Helv. nov. ant.*

Imperatores Græci.

Emanuel I. Comnenus, Græcus Imper. filius Joh. Comneni, ab eo, Isaco primogenito, cui ingenium ferox & in iram præceps, in imperio prælatus. Maritus Gertrudis, sororis germanæ Conradi Imper. Occid. qui ut Affinem ab Infidelium vicinia liberaret, in Orientem cum exercitu profectus est, Ludovico Jun. Galliæ R. junctus. Sed perfidus Græcus omnem movit lapidem, ut utriusque vires attereret: imo gypso calceque farinæ immixtis, falsis dein viæ ducibus in errorem & Turcarum manus, seductas Conradi copias eousque imminuit, ut vix 10. pars superesset. Redeuntibus insidias struxit, quod Rogerius videns, Græcos Constantinopolim usque persecutus est. Dein à Venetis, Legato illorum violato, ad pacem petendam est compulsus. Bello contra Turcas Hungarosque infelix, Astrologiæ judiciariæ impensè deditus. An postmodum in melius mutatus sit, non ita liquidum est. Obiit an. 1180. imper. 37. Nicetas *Chron. lib.* 2. Otto Frising. *de rebus gestis Frid. lib.* 1. *cap.* 23. 24. *&c. & lib.* 7. *Chron.* Guil. Tyrius, *lib.* 15. *&* 16. Baptista Egnatius, *in vita Cæsar. &c.*

Emanuel II. Palæologus, Patri successit, an. 1384. paulo pòst, Constantinopoli à Turcis obsessâ, cùm Pera ejus suburbium Genuensium esset, Bucicaldus Gall. Mareschallus ipsi suppetias venit. Ipse omnes Europæ aulas obiens, Parisiis biennium vixit, Bajazete à Tamerlane victo, in Græciam reversus. Sed non

non felicior. Anno 1419. imperium filio Johanni tradidit. Obiit in monasterio, quod, Matthaei nomine assumto, ingressus erat, an.1425. Theologus Philosophusque non vulgaris. Scripsit 20. dialogos, de Religione, & 100.praecepta, ad filium, quae in Biblioth. regia Parisiis asservantur. Bessarion ei parentavit. Vide Bzov. *Annal. An.Chr.*1471.*n.6.* Phrantz.*l.*11. Juvenalem de Ursinis, *in Carolo VI.* Verdier. *Bibl. Gall. p.*839.

Reges & Principes.

Emanuel, Lusitaniae, post Johannem II. Rex, filius Ducis Visei Johannis, nepos Eduardi. An. 1495. Principis felicissimi elogium meritus. Judaeos ad baptismum adegit, Mauros pepulit. In Africa plurimas cepit urbes; per Vascodum Gamam, Americum Vesputium, Alvarum Cabralum plurimas regiones, hactenus incognitas, detexit, & in Aethiopiae, Regni Congi &c. oris, progressus habuit optatos. Quapropter regnum ejus an. 26. vocabant Lusitani *Aetatem auream.* Obiit anno 1521. aet. 52. Isabellae & Mariae, sororum maritus, ex hac numerosae prolis parens. Successit ei Johannes III. primogenitus ejus. Literatorum fautor, ipse scripsisse dicitur Commentarios Indiae. Hier. Osorius, *in Vita ejus*, Vasconcelles *in epit. hujus.*

Emanuel Philibertus, Sabaudiae Dux, cognom. *Caput ferreum*, fil. Caroli III. ex Beatrice Lusitana. Primum sacris destinatus, postea praemortuis fratribus, à Patre, in arte regnandi erudiri coepit. Annos 20. natus, in Germaniam transiit, ubi à Carolo V. Eques aurei velleris creatus est. Plurima passim fortitudinis specimina edidit, in obsidione Metensi & praelio S. Quintiniano, Gallis funesto, Imperialium copiarum Dux. Pace dein coalitâ, Margaretam, Francisci I. fil. duxit, hoc conjugio, recuperatis ditionibus, quas Pater amiserat. Prudens, felix, fortis, pietate insuper, & in literatos favore illustris. Obiit anno 1580. fil. Carolo Emanuele successore relicto. Guichen. *Hist. Sabaud. lib.*2.*cap.*22.

Viri illustres.

Emanuel Calecas Graecus, Dominicanus, interfuit Concilio 2. Lugdun. unà cum Michaële Palaeologo Imperat. & Josepho Patriarch. Constantinop. Scripsit 4. libros, contra Graecorum errorem, de processione Spir. S. ab Ambrosio quodam latinè versos, an. 1431. Sed editos demum, an. 1616. Ingolstadii, &c. Spond. *An.Chr.* 1397. *n.* 6. Possevinus *Bibl. Sacr.* Petav. *tom.* 2. *Theol. dogm.*

Emanuel Chrysoloras, Byzantius, Graecas literas in Italiam reduxit, An. Dom. 1378. Platina. Vide *Chrysoloras.*

Emath, id est, *ira*, vel *indignatio*, aut *calor*, sive *murus*, aut *uter*, sive *lagena*, urbs Syriae Damasci. Jer. 49. ubi hostes Israëlis remanserunt, Jud. 3. Haec Eusebio *Epiphania*, aliis *Antiochia* dicitur. Munitissima urbs est in tribu Nephthalim, Jos. 13. antiquitate & claritate memorabilis: *sita est juxta montem Libanum in confiniis regionis Damasci, à qua & circumjacens territorium Terra Emath* vel *Amath* nominatur. Est verò urbs haec Israëliticae terrae ad Aquilonem terminus. Condidit & à suo nomine appellavit, atque inhabitavit hanc urbem Amathaeus, undecimus filius Chanaan.

Emathia, seu *Aemathia*, Europae nobilis regio, Thraciae finitima, postea *Macedonia* propr. dicta: nomen habet (ut quidam existimant) ab *Emathione* Rege, fratre Memnonis Tithoni & Aurorae filii. Plin. *l.* 4. *c.*11. Habet ab Austro Thessaliam; ab Ortu Pieriam, & sin. Thermaicum, à Septentr. Pelagoniam & Mygdoniam. Ejus primaria est Aedessa. Baudr. Poëtae aliquando Emathiam usurpant pro Thessaliâ, suo quodam jure vicinorum locorum appellationes confundentes. Virg. *Georg.* 1.

Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
Emathiam & latos Aemi pinguescere campos.

Lucan. *lib.* 1.

Bella per Emathios plusquam civilia campos.

Pharsalicos campos intelligit, qui sunt in Thessaliâ.

Emathius, Noae nepos *Emathiam* tenuit, ac de suo nomine vocavit. Berosus *lib.* 4.

Embarus, insanus olim, ac delirus vir in Piraeeo qui solus in eâdem regione repertus est, qui filiam ad Numen placandum, ob famem ibi grassantem sacrificaret: unde natum proverbium *Embarus sum*; dictum de insano deliroque. Erasmus *in Chil.*

Embatum, locus Erythraeae in Asiâ, non procul à Chio. Steph. Thuc. Polyaen. *l.* 3.

Embda, seu *Emda*, urbs Germ. munita, emporiumque celebre, ad fluv. Amisiae ostia, Frisiae Occid. caput, aliàs sub proprio Comite, nunc in ditione Batavorum, 6. mill. Germ. à Groninga in Ort. 15. à Brema in Occas. cum portu commodissimo. Historia urbis paucis haec est: Vicus primùm fuit, dein oppidum tenue, cujus durius ab aliis habiti tutelam suscepit Grethana domus, è qua Ulricus, an. Chr. 1454. clam primùm nobiles alios, clam populum, à Friderico III. Imper. in eum tractum, qui ab Amasio ad Visurgim mari praetenditur, accepit nomen Comitis & jus, quantum libertas Frisia pateretur. Temperavit hic benignitate imperium, multa populo Emdano, multa Magistratibus relinquens, aut largiens, magisque etiam filius ejus Edsardus I. Huic fil. Enno I. impar patri, & sic regens, ut ab aliis ipse regeretur, brevi obiit. Quo tempore, cùm Orbis Christianus religionum dissidio concuti coepisset, Emda eam professionem secuta, quae alias per terras ferro atque igni petebatur, Belgas, Gallos, Anglos, vim magnam convenarum, opportunitate fluminis invitavit, aluitque. Idem pietatis studium Annae tum Oldenburgicae, quae filii Edsardi II. nomine praeerat, cujus comitate & perfugio gentium, incredibile quantum urbs adoleverit, aucta non minus sex hominum millibus. Secuta hinc florentium populorum mala, superbia apud illos & luxus, invidia apud dominantes. Nec tamen ad vim ventum, dum Edsardum II. asperiorem frater minor Johannes mitior consiliis aut metu retinebat. At, Johanne mortuo, Edsardus religionis discors, nam ipse Augustanam, Emdani Reformatam profitentur, magis ac magis suspectam habere coepit civium felicitatem: instigatus inprimis ab uxore Suecica: Hinc turbae satis acres, compositae tandem à Batavis, A.C. 1595. quorum praesidium hodieque urbem tuetur. Vide Hug. Grotium *Histor. lib.* 4. Reformationis historiam alii sic referunt: In Orientali Frisia Edsardus I. Comes, Evangelii doctrinâ ex libris haustâ eam Auricae, Leerae, Nordae, Emdae proponi curavit: prae aliis doctoribus Georgii Aportani operâ usus. Sub ejus autem successore Ennone I. vicini Lutherani abusi bonitate Comitis, perturbant Ecclesias, iis Sacramentariâ lite motâ. Hinc Confessio Ecclesiarum 33. articulis constans, evulgata, ex qua pateret, Eos nec Verbum Dei, nec Sacramenta contemnere. Has lites anno vitae ultimo, 1540. nempe, compositurus Comes, statumque Ecclesiae ex consilio Joh. à Lasco ordinaturus, morte praeventus est. Demum ergo triennio pôst, Lasconi omnium votis delata est Ephoria Ecclesiarum: qui guarus, quantum in Disciplina Ecclesiastica situm sit, ut & in eruditione Pastorum, *Collegium Pastorum*, in quo in mores singulorum inquisitio & de Articulis disquisitio haberetur, instituit: quò singulis hebdomadibus, Vere & Aestate, feriâ 2. sub multa gravi eosdem confluere jussit; qui ordo in hunc usque diem observatur. Abr. Scultetus *Annal. Eccl.* Ubbo Emmius *Hist. Fris. l.*50.53. Hinc ab Eduardo VI. Angliae R. à Comitissâ impetratus ibi Reformationis quoque opus aggressus est, Ecclesiisque Belgicâ & Gallicâ Londini ordinatis, Superintendentis munus, auctoritate Regis obiit. In Comitatu dein Emdano ejectis ex Anglia Reformatis, sub Maria Reg. perfugium fuit, A.C. 1556. Inter urbis Theologos celebris inprimis Menso Altingus, obiit A. C. 1612. aet. 72. Synodo Dordracenae A.C. 1618.1619. habitae Theologi quoque hinc missi interfuerunt. Sub initia verò Reformationis statim, Melchior Hofmannus, stupenda de novo quodam regno somnians urbe ejectus est. Idem Ubbo Emmius. Vide quoque in voce *Edsardus & Frisia Or.*

Embisarus, vide *Abisares.*

Embolima, Indiae urbs, Q. Curtio 8.61. Vetustior codex legebat *Echolima.* Modius l. *Ecbolima.* Sed *Embolima* novit etiam Ptolemaeus & Arrianus 4. *Alex.* In Indiâ haud procul ab Aorno petra.

Emelia, urbs Hiberniae, in Comit. Triperariensi, ad amnem *BroodWater*, 15. mill. à Cassilia in Occ. Paucos habet incolas, sensimque deficit.

Emer, nomen loci. 1. Esdr. 2. i.e. *dicens*, aut *exaltatio*, vel Syriacè *agnus.*

Emericus, Ungariae rex. An. Dom. 1193.

Emerita, Lucii Angliae regis soror, quae pro Christianâ pietate flammis extincta est.

Emerita Augusta, urbs Hispan. ad Lusitaniam spectans, Strabo. Est haec urbs cocco celebris, quod est rubrum granum, cujus succo vellera tinguntur, Tyrio splendori neutiquam cedentia. Plin. 9. 41. Nunc urbec. tenuis, tantisper haud pridem munita, propter metum Lusitanorum. Sub Equit. S. Jacobi *de Spatha*, Baudr. Archiep. ejus Compostellam, in Gallaecia, translatus est, à Callisto II. A. C. 1124. Hic Concil. sub Recesuinto R. A.C. 866. in templo *Hierusalem* dicto. Morer. long. 13.31. lat. 39.38.

Emerita, vulgò *Merida*, urbs nova Amer. Sept. in nova Hisp. versus Bor. & sin. Mexicanum, Ep. sub Arch. Mexicano.

Emeum, locus Aethiopiae sub Aegypto. Plin.

Emisa, urbs Phoeniciae. Steph. Al. *Emessa*, nunc *Hems*, urbs Syriae, ad Orontem fluv. inter Laodiceam ad Austr. & Arethusam ad Bor. 43. mill. à Damasco in Bor. totidem ab Apamea in Austr. sicuti 80. ab Antiochia, & 60. à Palmyra in Occ. Baudr.

Emissarii Dei, ἀποπομπαῖοι θεοὶ, quidam à Graecis appellati, qui & *Pompai* dicti sunt, unde dies, in quibus eis sacra fiebant, ἀποπομπαὶ sunt nuncupati: appellabantur etiam ἀλεξίκακοι, ἀποτρόπαιοι, λύσιοι, φύξιοι, hoc est, *depulsores malorum*, *avertentes*, *fugantes mala.*

Emlia, urbs Episcopal. Hiberniae, sub Arch. Casheliano, in Com. Triperariensi.

Emma, vel *Emina*, fil. Lotharii, Italiae R. ex Adelaide Burgundica, nupsit Lothario, Galliae R. mater ex eo Ludovici V. & ultimi ex Carolovingis. Item fil. Roberti, usurpatoris Galliae, Hugonis Capeti amita, Rodolpho Burgundo, Regenti, vel, ut alii volunt, regi Gall. nupta. San Marth. *Geneal famil. Gall.* Mezerayus, *in Rodolpho & Lothario.*

Emma, vide *Emanua.*

Emmaus, castellum & civit. insignis, una ex 11. toparchiis, ordine

 sexta,

sexta, in tribu Juda: hanc aliqui collocant in tribu Dan. Distat ab Hierosolymis, itinere sesqui horæ. Nobilitatus fuit hic locus miraculo Christi, quem in castello hoc discipuli duo cognoverunt post resurrectionem in fractione panis. Luc. 24. Episcop. olim. Alio nomine *Nicopolis*, Josephus *de Bell. Jud.* 7. 26. Χωρίον ἔδωκεν εἰς κατοίκησιν, ὃ καλεῖται μὲν Ἀμμαοῦς, ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα. Miser hodie pagus, Plin. *l.*5.*c.*14. Jul. Africanus, &c. Item locus prope Tiberiadem, in quo sunt thermæ. Josephus *Ant.*18. 3. ubi de Tiberiade prope lacum Genesareth ab Herode condita: θερμὰ δὲ σὺν ἄπωθεν ἔνεστιν ἐν κώμῃ, Ἀμμαοῦς ὄνομα αὐτῇ. *Ammaus*, id est, ,אמה nomen ex המי deflexum, quod *aquas calidas* sonat. Josep. *de B. Jud.*4.1. Μεθερμηνευομένη δὲ Ἀμμαοῦς, θερμὰ λέγοιτ᾽ ἄν, ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πηγὴ θερμῶν ὑδάτων πρὸς ἄκεσιν ἐπιτήδειος.

Emmer, vel *Immer*, pater Pashur sacerdotis. Jer. 20. Pater item Mosollamith. 1. Par. 6.

Emmericum, urbs munita Germ. in Duc. Clivensi, ampla & dives, ad Rhenum, 1. leuc. à Schenkia arce in Ort. paulo amplius à Clivia. Juris est Brandeb. sed præsidium habet Batavorum.

Emni, Taprobanæ gens, Ptolemæo.

Emoda, apud Val. Flacc. *l.*6.*v.*144. quibusdam urbs est. Diodor. *l.* 3. *Emodam* montem esse ait, Sacas ab India disterminantem. Strabo & Plin. *Emodos* montes recensent, qui nunc *Dalanguer*. Vide *Emodus* & *Taurus*.

Emodus, *Hemodus* Ptolemæo, *Emodi* plur. num. Plinio, mons ingens Asiæ, Tauri pars, Indiam à Scythiâ disterminans. *Moghali* Castaldo, *Jethra* Judæis, & *Bereseth* Mengreliis, teste Theveto.

Emon, sive *Ermon*, oppidum bene munitum, in tribu Ephraim, amœno loco situm, & abundans optimis terræ nascentibus: distat à Sichem Jordanem versus 4. leucis.

Emona, vide *Emonia*.

Emonia, Scotia Orientalis inf. Mercator. *Maid*, teste Ortelio.

Empanda, Paganorum Dea, quæ rebus patentibus præerat. Varro apud Nonium: *Hanc Deam Ælius putat esse Cererem: sed quod in Asylum qui confugerent, panis daretur, esse nomen fictum à pane dando pandere, hoc est aperire.*

Empedo, Fons in Attica, qui & *Clepsydra*. Vide Schol. *ad Crabr. Aristoph.*

Empedocles, Philosophus, Histor. & Poëta Agrigentinus, circa Olymp. 84. qui de rerum naturâ versibus scripsit, ut apud Romanos Lucretius, qui de eo *lib.* 1.

Quorum Agrigentinus cum primis Empedocles est.

Discipulus Telaugis, cujus præc. Pythagoras erat. Hic, teste Hieronymo, omne quod vivit & movetur, non putavit edendum, sicut & Pythagoras; & ex lite & amicitiâ inter se dissentientibus cuncta constare dixit. Animam non in capite, nec in pectore, sed in sanguine disseminatam esse: ac illis partibus homines magis sentire, quibus plus mentis inest, asseruit. Creditus est ab Aristotele Rhetoricam, Dominam rerum, primum novisse; quod etiam aliis ab aliis adscribitur, ut Parmenidi, Cadmo Milesio, Pherecydi Syro, & Hecatæo, qui primi solutâ oratione usi sunt. Egregiè cultus, & aureâ cinctus coronâ incedebat, præcipuum seculi sui ornamentum; Lucretio, *l.* 1. *divinus* dictus. Scripsit hymnos, de natura rerum, ut dictum supra. Tribuuntur etiam ipsi tragœdiæ quædam, quæ tamen nepotis ejus ex sorore esse videntur: ut & Poëma, de Xerxis in Græciam transitu, quod tamen nunquam absolutum, imò Hieronymus à quadam Empedoclis cognata illud combustum dicit: ejus fragmentum tamen Aristoteles citat. Liber de Sphæra, qui ejus esse creditus est, Demetrio ab eruditis vindicatur. Ferunt eum, cùm lacum Ætnæ montis investigari contenderet, decidisse in foveam igneam, & incendio consumptum. Vel, ut alii, noctu à sociis clam discedentem in ardentem caminum montis Ætnæ se demisisse, ut pro Deo haberetur; Sed ferreas ejus crepidas ex camino per flammam rejectas rem patefecisse. Horatius *ad Pisones*:

—— Deus immortalis haberi
Dum putat Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit.

Claudianus,

Alter in Ætnææ casurus sponte favillas
Dispergit, revocatq; Deum.

Aliter de morte ejus Diog. Laërtius sentit, *lib.* 8. *in ejus vita*, qui eum jam decrepitum, in mari, periisse opinatur. Aristot. *in problem. sect.* 21. Cic. *in Lælio*. Plut. Voss. *de H. Gr. l.*4. *c.*2. *de Mathem. c.* 33. *§.* 10. *de sectis Philos. c.* 6. §. 33. *de Poët. Gr. cap.* 6. Faber, *de Poët. Gr. p.* 74.

Empelathra, urbs Indiæ intra Gangem. Ptol.

Emphyletus, nomen viri amici Phocionis. Sed interpretes arguunt eo loci Nepotem oscitantiæ. Nam cùm Græcè scriptum esset, duobus vocabulis Ἐμφύλιός τις, id est, *tribulis quidam*, vel *civis quidam*, legit uno nomine Ἐμφύλετος, quasi proprium esset alicujus viri nomen. Fortasse etiam scriptum erat τῶν φίλων τις, id est, quidam ex amicis: vel potius φυλέτης τις, id est, tribulis quidam. Nepos aliud agens, quod interdum magnis viris accidit, putavit scriptum esse φύλετος seu ἐμφύλετος, idque existimavit esse nomen proprium, fortasse etiam codice mendoso usus est. Lambin. *ad Nepot. Photion. num.* 54.

Emplocia, festa apud Athenienses, in quibus mulieres plexis capillis procedere solebant. Hesychius. Vide Meurs. *Græc. Fer. pag.* 108.

Empoclus, historicus, ut videtur, Athen. *lib.* 9. Ubi Casaubonus malit *Posidonius*.

Empona, quod nomen Gallis Heroinam sonat, uxor Julii Sabini Lingonis. Tacito vocatur *Epponina*. De fide ejus in maritum vide Eroticon Plutarchi extremo.

Emporia Punica, loca Syrtibus propinqua. Polyb. Liv.

Emporiæ, urbs Hisp. Tarracon. Ptol. Indigetanorum olim. Nunc opp. Cataloniæ, in ora littor. maris Mediterr. Paucis constat incolis, 3. leuc. à Rhoda in Austr. 6. à Gerunda in Ort. 20. à Barcinone in Cæc. Hinc regiunc. adjacens *l'Ampurdan*. Baudr.

Emporia, al. *Tibula*, nunc *Castel Arragonese*, urbs munita Episc. Sardiniæ, & prima, ab Aragoniis occupata, prope ostia Termi flu. qui *Aragonese* etiam. 30. mill. in Austr. ab ora Corsicæ Inf. 18. à Sassari in Bor. 34. ab Algario, cum arce & portu capaci. Ejus Episc. nunc unitus dicitur Episcopatui alterius urbis ejusdem inf. *Terra nova* dictæ.

Emporicus sinus, *Golfo di Sala*, in regno Fezzano, ubi Sala urbs & emporium.

Emporium, urbs Celtica, à Massiliensibus condita; altera Macedoniæ, tertia Siciliæ, quarta Campaniæ. Steph. Item castellum prope Placentiam magno opere munitum. Liv. Denique oppid. juxta Tanais fluv. ostia, Steph.

Emporium, seu *Empolia*, nunc *Empoli*, opp. agri Florentini, ad Arnum fluv. 20. mill. à Florentia in Occas. 30. à Pisis in Ort. sub magno Duce.

Emporium, vulgò *Ponte Nura*, pag. Æmiliæ, apud Placentiam, ad *Nuram* flu. Baudr. Item urbs quævis mercimoniis florens.

Emporia hujus temporis clara.

Agra Indiæ citerioris, *Agra*.
Alba Græca Hungar. *Belgrade*.
Aleppum Syriæ, *Alep*.
Alexandria Ægypti, *Alexandrie*.
Amsterodamum Holland. *Amsterdam*.
Antuerpiæ Brabantiæ, *Anvers*.
Arabia Arab. Felicis, *Laght*.
Archangelopolis Moscoviæ, *l'Arcangel*.
Argentina Germ. *Strasburg*.
Armuzia Carmaniæ, *Ormuz*.
Aspahamum Persiæ, *Hispaham*.
Astracanum Moscov. *Astracan*.
Augusta Vindelicorum Germaniæ, *Augspurg*.
Bantanum Indiæ, *Bantam*.
Barcino Hispaniæ, *Barcelone*.
Bardum Pomeraniæ, *Bardt*.
Basilea Germaniæ, *Basel*.
Batavia Indiæ, *Batavia*.
Bergæ Norvegiæ, *Bergues*.
Bocenum Com. Tirol. *Bolzan*.
Brema Germaniæ, *Bremen*.
Bristolium Angliæ, *Bristol*.
Brugæ Belgii, *Bruges*.
Burdegala Galliæ, *Bordeaux*.
Calecutum Indiæ citer. *Calecut*.
Caletum Galliæ, *Calais*.
Calmaria Sueciæ, *Calmar*.
Camboja Indiæ citer. *Cambaja*.
Cantanum, olim Cattigara, Sinarum, *Cantan*.
Carmana Carmaniæ, *Cherman*.
Cartagena nova, Hispaniæ novæ, *Cartagena nueva*.
Cartago nova Hisp. *Cartagena*.
Catiganum Indiæ cit. *Chatigan*.
Cestria Angliæ, *Chester*.
Colonia Germ. *Cologne*.
Constantinopolis Thraciæ, *Constantinople*.
Damascus Cœlesyriæ, *Damas*.
Dantiscum Prussiæ, *Dantzick*.
Deppa Galliæ, *Dieppe*.
Dominicopolis Americæ, *S. Domingo*.
Dublinium Hiberniæ, *Dublin*.
Dunquerca Galliæ, *Dunquerque*.
Edimburgum Scot. *Edimbourg*.
Elbinga Prussiæ, *Elbing*.
Embda Germaniæ, *Embden*.
Epidaurus Dalmatiæ, *Raguse*.
Essedon Scythiæ, *Chialis*.
Francphordia Franconiæ, *Francfort sur le Main*.
Gades H[illegible]paniæ *Cadis*.
Gedanum Poloniæ. Vide *Dantiscum*.
Genua Liguriæ, *Genes*
Glucstadium Holsat. *Gluckstadt*
Goa Indiæ cit. *Goa*.
Gripsvvaldum [illegible]omeraniæ, *Gripsualdt*.
Hafnia Daniæ, *Coppenhagen*.
Havana Americæ Septentrionalis, *la Havana*.
Hamburgum Sax. *Hamburg*.
Hadrianopolis Thraciæ, *Adrinople*.
Holmia Sueciæ, *Stockholm*.
Hierapolis Syriæ. Vid *Aleppum*.
Hispalis Hisp. Bæticæ. *Seville*.
Iconium Lycaoniæ, *Cogni*.
Insula Belgii, *l'Isle*.
Issedon. Vide *Essedon*.
Julia Cæsarea, seu Rusucurum, Africæ, *Alger*.
Leodium Germaniæ, *Liege*.
Liburnus Italiæ, *Livourne*.
Lima seu Civitas Regum Peruviæ, *Lima ò los Reyes*.
Lipsia Misniæ, *Leipsik*.
Leopolis Ruthenor. *Lemburg*.
Loanda Afr. *S. Paul de Loanda*.
Londinum Angliæ, *Londres*.
Lubecum Saxoniæ, *Lubeck*.
Lugdunum Galliæ, *Lyon*.
Lutetia Galliæ, *Paris*.
Macassaria in insulis Moluccis, *Macassar*.
Macaum Sinarum, *Macao*.
Macloviopolis Galliæ, *S. Malo*.
Malacca Indiæ ult. *Malacca*.
Manilla in insulis Philippinis, *Manilla*.
Marochium Africæ, *Maroc*.
Massilia Galliæ, *Marseille*.
Meacum Japoniæ, *Meaco*.
Messana Siciliæ, *Messine*.
Mediolanum Insubriæ, *Milan*.
Metelburgum Zelandiæ, *Midelburg*.
Methymna Campestris Hispan. *Medina del Campo*.

Mexi-

Mexicum Americæ septentrionalis, *Mexico.*
Moscua Moscoviæ, *Moscou.*
Mozambicum Africæ, *Mozambique.*
Nangazachium Iaponiæ, *Nangazachi.*
Nannetæ Galliæ, *Nantes.*
Nanquinum Sinarum, *Nanquin.*
Neapolis Campaniæ, *Naples.*
Nidrosia Norvegiæ, *Drontheim.*
Noriberga Germ. *Nuremberg.*
Olysippo Lusit. *Lisbone.*
Panama Americæ, *Panama.*
Panormus Siciliæ, *Palerme.*
Portus Portugalliæ, *Porto.*
Prusa Mysiæ Asiaticæ, *Bursia.*
Quebecum novæ Franciæ, *Quebec.*
Regiomons Prussiæ, *Konigsberg.*
Revalia Livoniæ, *Revel.*
Rhodus Asiæ minoris, *Rhodes.*
Riga Livoniæ, *Riga.*
Rostochium Ducat. Magnopolitani, *Rostock.*
Roterodamum Hollandiæ, *Roterdam.*
Rothomagum Galliæ, *Rouen.*
Rupella Galliæ, *la Rochelle.*
Sala Mauritaniæ Tingitanæ, *Salé.*
Sancti Salvatoris Fanum, seu sinus omnium Sanctorum Brasiliæ, *la Bahya de todos os Sanctos.*
Satiganum Indiæ citer. *Chatigan.*
Siamum, Indiæ ulterioris, *Siam.*
Smirna Asiæ minoris, *Smirne.*
Sundis Pomeraniæ, *Stralsund.*
Surata Indiæ citerioris, *Surate.*
Tanais Sarmatiæ, *Asac.*
Teredon Babyloniæ, *Bassora.*
Theodosia Tauricæ, *Caffa.*
Thessalonica Macedon. *Salonichi.*
Tolosa Galliæ, *Toulouse.*
Trapezus, Asiæ minoris, *Trebizonde.*
Tripolis Syriæ, *Tripoli de Sourie.*
Valentia Hispaniæ, *Valence.*
Venetia Italiæ, *Venise.*
Vlma Sueviæ, *Vlme.*
Vlissinga Belgii, *Flessingue.*
Wismaria Duc. Magnopolit. *Vismar.*

Empulum, vulgò *S. Lupedio* vel *S. Elpidio*, opp. amplum Piceni, apud oram, à Firmo urbe 6. m. p. in Occ. Lauretum versus. Aliis est *Clavello*, castrum ejusdem oræ.

Empusa, genus larvæ ac terriculamenti, Hecatæ dicatum, & ab illa infortunatis immissum & visum; quod in omnes se vertere figuras amat, q. ἑνίπους. Meridiano tempore etiam videtur conspici, cùm mortuis inferias dant. Quibusdam eadem est cum Hecate. Alii attribuunt ei crus asininum, Alterum verò pedem æneum. Hesych. Ἔμπουσα, φάσμα δαιμονιῶδες ὑπὸ Ἑκάτης ἐπιπεμπόμενον, καὶ ὥς τινες, ἑνὶ ποδὶ χρώμενον. Ἀριστοφάνης δὲ τὴν Ἑκάτην ἔφη Ἔμπουσαν. Eust. *in Odyss.* λ.

Οἵτινες μὲν ὀνοκώλιν λέγουσιν, οἱ δὲ ὀνόσκελιν.

Dionysius *Vers.* 724.

Φύει δὲ χρύσειόν τ᾽ ἴδ᾽ ἠερόεσσαν Ἴασπιν,
Ἐχθρὴν Ἐμπούσῃσι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι. Ubi nos plura, L. Lloyd.

Empylus, Rhetor, M. Bruto familiaris, auctor libelli, de morte Cæsaris, cui *Bruti* titulus. Plut. *in Bruto.*

Emundus, Vid. *Edmerus.*

Emundus Dinterus, Secretarius quatuor Ducum Brabantiæ, dein Canonicus Lovan. scripsit historiam Ducum Brab. & opera quædam genealogica.

Emundus Augerus, Jesuita, Confessionarius Henr. III. varia scripsit.

Emundus Bulajus, Ducum Lotharingorum genealogiam scripsit, &c. Verderius *Biblioth. pag.* 275. 276. Vide etiam *Edmundus.*

E N.

Enacim, Gigantes quidam. Num. 13. quos expulerant Chananæi. Deut. 2. Lat. *torques*, vel *monilia*. Lege *Anakim*. Inde Græci suos Ἄνακας habuerunt.

Enadda villa, in tribu Juda usque hodie ostenditur in 10. miliario pergentibus Aeleam, ut Hieron. author est *in loc. Hebr.*

En-agallim, nomen vici in principio maris mortui. Ezech. 47. Lat. *fons*, sive *oculus vitulorum*, vel *curruum*, aut *rotunditatum.*

Enagora, insula in Asiâ. Plin. 5. 31.

Enaim, villa in tribu Judâ. Jos. 15. Ebræis *Enam*, id est, *fons*, sive *oculus eorum.*

Enam, nomen villæ. Num. 34. Ezech. 48. Vid. *Enan*. Item pater Achira principis tribûs Nephthali.

Enan vel *Enam*, villa sive vicus est in terminis regionis Damasci sita, in tribu Nephthalim, quæ à Septentrione terræ promissionis terminus est..

Enarginum, seu *Urgonium*, *Orgon*, opp. Gall. in prov. cum castro aliàs munito, in colle 2. leuc. à Cabellione versus Aquas Sext. in Ort. 6. à Tarascone etiam in Ort. uti 7. ab Arelate.

Enaulus, fluv. Thraciæ, in Euxinum mare, apud Anchialum Urb. fluens.

Encania, festa erant dedicationis apud Græcos, de quibus Lil. Gyraldus *libr.* 17. *Hist. Deorum*. Item apud Judæos, celebrata d. 25. noni mensis, *Casleu* dicti: idque in memoriam templi à Juda Maccabæo repurgati, triennio postquàm ab Antiocho Epiphane pollutum erat. Joseph. *libr.* 12. *cap.* 15. Vid. Joh. *cap.* 10. *vers.* 22. Cyrill. *in Joh. lib.* 7. *cap.* 9. Augustin. *tract.* 48. *in eundem*, Bezam *in notis major.*

Enceladus, Titanis ac Terræ filius, Gigantum omnium, qui adversus Jovem conjuraverunt, longè maximus; quem Jupiter fulmine ictum Ætnæ monti supposuit. Virg. *Æn.* 3.

Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgeri mole hâc, ingentemq; insuper Ætnam
Impositam ruptis flammam expirare caminis.

Quintus Smyrnæus *lib.* 5.

Οἷος τοῦ ποτέροιτε Διὸς φονέντι κεραυνῷ
Ἐγκέλαδος δέδμηται, καὶ ἀκαμάτοιο θαλάσσης
Τρινακρίης ὑπένερθεν, ὅλη δ᾽ ὑπετύφετο νῆσος.

Idem *lib. ult.*

Εὖτε πυρὸς μεγάλοιο καὶ Ἐγκελάδοιο δαΐφρων
Παλλὰς ἀειραμένη Σικελὴν ἐπικάββαλε νῆσον,
Ἣ ἔτι καίεται αἰὲν ὑπ᾽ ἀκαμάτοιο γίγαντος
Αἰθαλόεν πνείοντος ἔσω χθονός.

Corn. Severus *in Ætnâ,*

Gurgite Trinacrio morientem Jupiter Ætnâ
Obruit Enceladum, vasti qui pondere montis
Æstuat & patulis expirat faucibus ignes.

Stat. *lib.* 3. *Theb.*

——*Aut ubi tentat*
Enceladus mutare latus, procul igneus antris
Mons tonat. —— ——

Claudianus 1. *de Raptu,*

In medio scopulis se porrigit Ætna perustis,
Enceladi bustum, qui saucia membra revinctus
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur.

Enchelea, opp. Illyridis, juxta quod Cadmus & Harmonia uxor ejus in serpentes versi dicuntur. Lucan. *l.* 3.

—— *Nomine prisco*
Encheleæ versi testantes funera Cadmi. Hinc *Encheleæ* & *Enchelii*, pop. quorum opp. & regio Pineto *Eresia.*

Encolpius, historicus, sub Al. Severo, cujus vitam scripsit. Lamprid. *cap.* 17. & 48.

Encratitæ, Hæretici à Saturnino, Marcione & Tatiano orti, vituperarunt conjugium & præceperunt suis continentiam ab uxoribus, & esu carnium, unde etiam nomen habent. Vid. *Tatianus*. Tertullian. *de præscr. cap.* 52. Theodoret. *hær. fab. libr.* 1. Epiph. *hær.* 46. Augustinus *hær.* 25. Iren. 1. 31. Euseb. 4. 28. Anno Christi 174.

Endeleichus, vel Severus Sanctus, Rhetor, Poëta Christianus, Eclogæ *de mortibus boum* auctor. Edidit illam Pithœus, an. 1590. In hac introducit Ethnicum deplorantem jumentorum mortalitatem, & Christianum, Providentiâ Dei propositâ, eum erigentem. T. 8. Bibl. PP. *edit.* 2.

Endera, Æthiopiæ sub Ægypto locus. Strabo *l.* 16.

Enderum, Illyrici op. Ptol. *Endero* nunc, opp. Dalmatiæ, in mediterr. versùs Scardum mont. 50. mill. à Lisso in Bor. Brietius, Sanson.

Endideium, Rhætiæ urbs. Anton. seu *Endida*, quibusdam est *Neumarck*, ad Athesim fluv. in Comit. Tirolensi. Aliis *Bolzanum*, ad flu. Eisocum, qui mox in Athesim cadit. Baudr.

Endigeti, Hisp. Tar. pop. Ptol. Vid. *Indigetes.*

Endor, urbs tribûs Manassè, juxta Naim urb. sita. Psalm. 83. 1. Reg. 28. Lat. *fons*, sive *oculus generationis*, vel *habitationis*. Item, urbs in tribu Isaschar; in monte Hermonio sita.

Endymion, pastor quidam, Athlii fil. quem Jupiter ex Athlio nepotem in cœlum assumptum, cùm Junonem amaret, atque etiam cum Nube pro Junone concumberet, iratus rursum dejecit, & perpetuo somno damnavit; unde proverb. *Endymionis somnum dormire*. Cic. 1. *Tuscul.* *Endymion verò, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormivit, qui mons est Cariæ, nondum opinor experrectus. Num igitur eum curare censes, cùm Luna laboraret, à quâ consopitus putatur, ut eum dormientem osculetur?* Idem ferè habes apud Lucianum, *in Dialogo Veneris, & Lunæ.* Et Theocritus *Idyllio* 3. felicem existimare videtur Endymionem, quòd semper dormiret, nec ullas sentiret molestias,

Ζαλωτὸς μὲν ἐμὶν ὁ τὸν ἄτροπον ὕπνον ἰαύων
Ἐνδυμίων. —— ——

Hujus postea amore capta Luna eum in Latmi Cariæ montis specu occultavit, atque ibidem cum eo conversata est. Hic primus Lunæ cursum invenit, & Astronomiæ studiosus eleganter à Poetis fingitur Lunæ amasius. Juvenalis pro pulchro posuit, *Sat.* 10.

Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ. —— ——

Ovid. *Trist.* 2.

In Venerem Anchises, in Lunam Latmius heros.

Val. Flac. *lib.* 8.

Latmius æstivâ residens venator in umbrâ.

Martialis:

Quid tibi dormitor proderit Endymion?

Propertius 2. 15.

Ipse Paris nudâ fertur periisse Lacænâ,
Cùm Menelaeo surgeret è thalamo.

Nudus & Endymion Phœbi cepisse sororem,
Dicitur & nuda concubuisse Dea.

Ovid. 3. *de Art. Am.*

Latmius Endymion non est tibi, Luna, pudori.

Idem *in Ep. Leandri,*

Non sinit Endymion te pectoris esse severi,
Fac subeant animo Latmia saxa tuo.

Catullus *in de Comâ Berenices*:

Ut Triviam furtim, sub Latmia saxa relegans,
Sævus amor gyro devocet aerio. Hygin. *in Poët. Astronom.* Fulgentius *lib.* II. *Myth. c. ult.* Plin. *lib.* 2. *cap.* 9. Apollon. *Argon. lib.* 4.

Enecopia, *Enkoping*, opp. Sueciæ, in Uplandia prov. prope lacum Melerum, 4. leuc. Suec. ab Upsalia in Austr. 7. ab Holmia in Occ. Arosiam versus.

Enenth-sesr, ut Græci & Latini efferunt, *Enenthius* Deus, vel Dæmon fuit Phœnicum.

Eneti, populi qui olim juxta Paphlagoniam habitabant, unde Homerus silvestres mulos educi scribit, sic enim ille,

Ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.

Dicuntur & equæ *Enetides*. *Enetus* etiam possessivum est, & civitas Myrmecis Dialectici patria. Steph. Vide *Heneti*.

Engaddi, *fons* seu *oculus hœdi*, vel *felicitatis*, est urbs, sita in montibus, quorum horrida sanè & admiranda dispositio est: nam cùm altissimi sint, & ipsæ rupes præruptæ promineant, & quasi ruinam minentur, mirè transeuntes perturbant, dum sibi quisque timet, ne in se & subjectas valles concidant. Ager olim egregius, gratissimum spirans odorem, multitudine arbustorum, & aliarum odoriferarum herbarum, maximè balsami, (Reginæ Sabæ donum) quæ eo loci ubertim nascuntur. Fuit Engaddi una ex præcipuis Judææ urbibus, una scilicet toparchiarum ordine nona, distans ab Hierosolyma stadiis trecentis, ut Josephus author est. Atque etiamnum secundùm quosdam ostenditur vicus prægrandis Judæorum Engaddi, id est, *fons*, vel *oculus hœdi*, ut supra, juxta mare mortuum, unde opobalsamum venit. Vineas Engaddi memorat Solomon *in Canticis. cap.* I. *vers.* 13. In hujus vicinia David occasionem habuit interficiendi Saulem. I. Reg. 24. Vid. Jos. *Antiq. lib.* 8. *cap.* 2. Brocard. *de terra S.* Torniel. *A. M.* 2976. *n.* I. Hodie vix rudera supersunt. Morerius. Ἐγγάδδα Stephano in fœm. vel neut. genere.

Engalim, Palæstinæ locus. Ezech. 47. In principio maris mortui, in tribu Juda.

Engannim, locus tribûs Judæ. Jos. 15. Item civitas sacerdotum in tribu Issachar. Jos. 19. Lat. *fons hortorum*, sive *oculus protectionum*. Item civ. in tribu Manasse, trans Jordanem, circa Gerasam. Hier. *de L. H.*

Engelanes, pop. Illyrici, iidem qui *Enchelea*. Steph.

Engelberga, fil. Ducis Spoletani, aliis Ethiconis, Sueviæ D. nupsit Ludovico II. Imp. Continuator Aimonii, San Marth. *Geneal. Gallia R.*

Engelbertus, Abbas monast. cujusdam in Sina, electionem Rodolphi I. Imper. versibus prosecutus est. Scripsit de initio & fine Imperii Romani, aliaque. Simlerus & Voss. *de Hist. L. lib.* 2. *cap.* 62. Item Abbas Cistertiensis, scripsit vitam S. Hiduvigis, Anno 1250. Possevinus *App. Sacr.*

Engeriacum, opp. Santoniæ, ad Voltumnum fluv. *la Boutonne*, aliàs munitum. 2. leuc. à confin. Pictavensis prov. Vulgò *S. Jean d'Angely*, à Monast. Regio, quod Pipinus, Aquitaniæ R. filius Ludovici Pii extruxit, in honorem S. Johannis Baptistæ, cujus reliquiæ ibi asservari dicuntur. Valesius *Not. Gall.*

Engilinhemium, vulgò *Ingelheim*, villa olim fuit Regia, vel publica, Mogontiaco proxima, notissima Caroli M. posteris. Hîc Palatium fuit centum columnis innixum & amplissimum; habens æreos postes & aurea ostia, teste Helmoldo Nigello, qui ex milite Clericus, Ludovicii Pii æqualis, hujus de vita 4. libros versibus composuit. Id à Karolo M. inchoatum, à Ludovico verò Pio fil. absolutum esse scribit Eginhardus.

Engistus, Dux Saxonum novas sedes quærentium in Britanniam applicuit; qui, quanquam minimè Christianus, à Vortigerno, in regni partem exceptus, auxilio ei contra Pictos & Scotos fuit. Didonis dicitur usus astutiâ, & agrum mercatus, quantum pellis bubula operiret: Hac in tenues postea divisâ partes, urbem cinxit in gyrum, quam suâ linguâ à pellis nomine *Thonca stel* nominavit, quasi Latinè dicas corrigiam castelli. Al. *Hengistus*, Vid. ibi.

Englecheria, al. *Engleceria*; fictitium substantivum, q. *Anglietas*, vel nativitas Anglica, appellatio priscæ apud Anglos legis. Cùm enim omnes, per universum Angliæ regnum, Dani, sub prætextu inspiciendorum armorum, uno eodemque die ab Æthelredo essent occisi; Canutus dein Danorum R. regni solium adeptus, quò sibi suisque in posterum meliùs caveret, exercitum retinere statuit. Quod cùm populo grave esset, Barones Angliæ, erga Regem fidejussores extitere, Danos in posterum securos fore. Itaque aliquo occiso, nisi constaret de ejus *Englescheria*, gravis pœna lege sancita exigebatur: minus autem puniebatur reus, si Anglum fuisse, qui occisus erat, constitisset. Sic lex hæc lata fuit, in præsidium extraneorum, vid. Danorum primò, & deinde, cùm ingressi essent Normanni, Francigenarum; quorum cædes multò gravius, quàm Anglorum plectebatur, sed sustulit legem Eduardus III. an. regni 14. V. Henr. Spelm. *Glossar. Archaol.*

Engolisma seu *Inculisma*, urbs Ep. Aquitaniæ, al. *Ratiastum* quibusd. 12. leuc. à Mediolano Sant. in Ort. 16. à Lemovico in Occ. Cum castro munito & Duc. tit. Primus eam occupavit Chlodoveus I. victo Alarico, & muris sponte corruentibus. Gregor. Tur. *Hist. lib.* 2. *c.* 37. Postea, sub Carolo Simplice, Præfecti quidam rerum hîc potiti sunt, donec post mortem Com. Guidonis, ad Philippum Pulchrum urbs rediit. Data dein Johannæ filiæ Lud. Hutini, uxori Philippi Ebroicensis, Anglis cessit, pace Bretiniacensi. Sed ditionem recuperavit Carolus V. eamque fratri Johanni Duci Bituricensi concessit, moxq; ab eodem certâ pecuniæ summâ recepit. Fuit exin sub Ludovico D. Aurel. fratre Caroli VI. & filio ejus Johanne, cujus nepos Franciscus, postea Rex, Comit. in Ducatum erexit, an. 1515. Vulgò *Angouleme*. Capta bello civili, Anno Chr. 1562. & 1568. Primaria est *Engolismensis agri*, vulgò *Angoumois*, prov. quæ prope Carentonium flu. inter Marchiam Lemovic. ad Ort. & Santoniam ad Occ. sita est. V. quoque *Iculisna*.

Engonasis, signum cœleste, quod Latinè *Ingeniculus* dicitur, & est Hercules, qui dextro genu nixus, sinistro pede capitis Draconis dextram partem opprimere nititur. Cicero. *lib.* 2. *de Nat. Deorum*,

—— *Id caput autem*
Attingens defessa velut mœrentis imago.

Quam quidam Græci

Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur.

Engubium, urbs ep. Ducatus Urbinensis.

Enguerrandus Marinius, Minister status, sub Philippo Pulchro; Cui cùm successisset Lud. X. Hutinus, huncque Carolus Valesius excepisset, hic pecuniam ad Inaugurationem deesse sentiens, quæstoriæ rei administros, & inprimis caput eorum, Enguerrandum, ad rationes reddendas vocavit. Respondit impudens, Carolum meliorem regiæ pecuniæ partem ipsum accepisse, eum mendacii arguere non veritus. Hinc in vincula conjectus, &, postquam uxor ejus magicâ icunculâ Regis vitæ insidias struere convicta esset, suspensus est, plurium criminum reus, an. 1315. de patibulo, quod ipsemet erigi curaverat. Haillan. Guaguinus, Mezeraius, Duplex, *in Phil. Pulchro & Lud. Hutino.* Chronic. *magnum S. Dionysii*, &c.

Enguerrandus Monstreletus, Nobilis, Cameraci degens, duobus libb. descripsit bella inter Domum Aurelianensem & Burgundicam, Anglorum in Gallia progressus; & reliqua memorabilia sui temporis. Orsus ab an. 1400. ubi Joh. Froissardus desiit, usque ad an. 1467. Verder. *Bibl. p.* 276. 277.

Engyum, Siciliæ urbs. Steph. Per Timoleontem, tyrannide à Leptinis liberata, Olymp. 109. an. 3. Ejus meminit Silius Ital. *l.* 14.

—— *Romana petivit*
Fœdera Callipolis, Lapidosiq; Engyon artus.

Ubi alii *Eugion Gange* Aretio, *Lognina* Fazello. Vide Cluver. *Sic. Ant. lib.* 2. *cap.* II.

En-hadda, civitas in tribu Issachar. Jos. 19. Lat. *oculus acutus*, sive *latus*, aut *fons acuminis*, vel *latitia*.

En-hasor, civitas tribûs Nephthali. Jos. 19. Lat. *fons*, vel *oculus atrii*, aut *fontis fœnum*, vel *herba*.

Enheimum, urbs Alsatiæ inf. parva, sed libera & Imper. ad amnem *Ergel*, 3. leuc. ab Argentina in Afr. sub client. Franciæ R. pace Monaster.

Enhippus, fortè *Euhippus*, rex Argivorum miræ felicitatis, cujus clypeum, qui apud Græcos rem præclaram gessissent, per urbem incedentes ferebant honestamenti causâ.

Enienses, Græciæ pop. Herodotus.

Eningia, reg. Europæ septentrionalior. Plin. *Finland* Ziglero. Mel. *Feningia*, *Finnigia* & *Finnia*, quæ V.

Enioche, Nutrix Medeæ, apud Val. Flacc. *l.* 5. *Argon.* 357.

Eniochi, Vid. *Heniochi*.

Eniochidas, Atheniensium Imp. an. U. C. 141.

Eniopeus, Hectoris auriga à Diomede lanceâ confixus. Hom. *Iliad.* 8.

Enipeus, fluv. Thessaliæ, campos Pharsalicos irrigans, juxta quem Cæsar vicit Pompejum, lentus primò, sed mixtus Apidano velocissimus. Lucan. *lib.* 2.

Apidanus, nunquamq; celer nisi mixtus Enipeus.

Idem *lib.* 7.

Sanguine Romano jam turbidus ibit Enipeus.

Val. Flac. *lib.* I.

Segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus.

Ovid. *Met.* I.

—— *Et irrequietus Enipeus.*

Item Elidis fluv. recentiore nomine *Barnichius* dictus. Hom. 7. *Odyss.* narrat, ut Tyro, Salmonei filia Enipeum flu. amarit, utque ejus fluvii assumptâ formâ Neptunus amore puellæ potitus sit, ex quâ suscepit liberos Peliam, & Neleum. Ovid. *Amor.* 3. 5.

Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,
Cedere jussit aquam, jussa recedit aqua.

Proper-

Propertius 1. 13.

Non sic, Æmonio Salmonida mistus Enipeo,
Tanarius facili pressit amore Deus.

Idem 3. 19.

Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota subire Deo.

Enisipia, Mercatori *Isola de Colombi*. Inf. maris Afr. Ægypto seu Marmaricæ adjacens, *Ænesippa* Ptolom. *Ænesipasta*, Straboni.

Enisis, Siciliæ parvus fluv. Fazello, quem hodiè *Nisi* appellari scribit. In valle Demonæ. Cadit in fretum Siculum ex adverso prom. Leucopetræ, Idem. Græcis *Chrysorrhoas*, quòd aurum deferat. Ibi opp. *Nisa*, ol. naturâ sic munitum, ut ab Atheniensibus expugnari nequiverit. Thucyd.

Enispe, urbs Arcadiæ, quæ non amplius extat. Stephanus, apud quem vetus poeta,

—— Ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην.

Idem Statius *lib. 4. Theb.*

—— *Ventosaque donat Enispe.*

Enna, civitas insignis in ipso Siciliæ umbilico, augustissimo Cereris templo olim nobilitata (unde Ceres *Ennea* dicta) nemoreque sacro, ex quo Proserpinam raptam fuisse incolæ asserunt. Ovidius *Fastorum lib. 4.*

Grata domus Cereri, multas ea possidet urbes,
In quibus est culto fertilis Enna solo.

Nobis indicare sufficiet (inquit Bochartus) *Ennam* Punicè dici עין נעם *En-naam*, vel *Ennam*, hoc est, *fontem amœnitatis*, idque jure meritissimo; cùm fontibus irriguus fuerit locus, & insulæ totius cætera amœnissimus. Diod. *libr. 5. Raptam fabulantur Proserpinam*, ait, ἐν τοῖς λειμῶσι τοῖς κατὰ τὴν Ἔνναν. Et paulo pòst, Ἔστι δὲ ὁ προειρημένος λειμὼν ἄνωθεν μὲν ὁμαλὸς, καὶ παντελῶς ἔνυδρος. Cicero etiam *Verrinâ quartâ, aquas* ei tribuit *perennes*. Quin & Claud. *lib. 2. de R. Pros.*

—— *Curvata tumore*
Parvo planities, & mollibus edita clivis
Creverat in collem, vivo de pumice fontes
Roscida mobilibus lambebant gramina rivis.

Baudrandus, in valle Neætina locat. Ejus arx etiamnum extat, in qua diu hæsit Frider. II. Ei adjacet lacus cognom.

Enneacrunus, fons apud Athenas à Pisistrato conditus, à numero fistularum, quas Græci κρουνὲς vocant, sic dictus. Qui etiam *Callirrhoe* à Papinio vocari videtur hoc versu,

—— *Callirhoe novies errantibus undis.*

Ennia, Macronis uxor, quam Cajo Caligulæ, post mortem Claudiæ, maritus immisit impulitque amore juvenem illicere, pactoque matrimonii vincire. Tacit. 6. 45.

Q. Ennius, poeta antiquissimus, Rudiis Calabriæ opido natus, circa A.U.C. 515. Qu. Valerio, & C. Manlio Conss. Ovidius:

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

A Catone Quæstore discipulo, è Sardinia, in urb. adductus, in Aventino habitavit, ancillæ unius ministerio contentus. Scripsit Annalium libros, Satyras, Comœdias ac Tragœdias, ex quibus ad nos nihil pervenit, exceptis aliquot versibus à scriptoribus veteribus passim citatis. Scipionem Africanum maximè coluit, itaque vicissim ab eo est adamatus, ut alter ab altero ne sepultura quidem divelli voluerit. Cic. *pro Archiâ poetâ: In sepulcro Scipionum putatur esse constitutus è marmore.* Liv. *lib. 38. Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt, quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetæ Q. Ennii.* Vide Val. Max. 8. 15. A. Gell. *lib. 17. cap. 21.* Cicer. *de Sen. & in Bruto.* Victor. *de Vir. Ill. cap. 47.* Hier. *Chron.* & Solin. *cap. 7.* Periit A.U.C. 585. Q. Martio Philippo, & Cneio Servilio Cæpione, Coss. morbo articulari, quem immodico vini usu contraxerat. Unde Horatius *lib. 2. Ep.* obiter cum tangit, tanquam vino plus satis deditum,

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. —— ——

Ejus mem. Lucretius *lib. 1.*

Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

In Scipionum monumento conditus. Ennii perstudiosus fuit Virgilius, nam plura ex eo sumpsit, & in carmina sua transtulit, quorum partem notavit Macrob. *lib. 6. Saturn. cap. 1.* Idem quum aliquando deprehenderetur Ennii poesin legere, interrogatus quid ageret, respondit, *Aurum se ex Ennii stercore colligere.* De Ennio quoque Ovidius scripsit *in Tristibus*,

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Sicut & rudem Ennii *Musam* dixit Statius *lib. 1. Sylv.* ad nomen patriæ *Rudiæ* nimirum alludens uterque. Vide Voss. *de Hist. Lat. libr. 1. cap. 2.* Alius *Ennius* de augurandi disciplinâ scripsit. Vide Sueton. *de Illustr. Grammat. c. 1.*

Ennius, prænom. *Lucius*, Eques Rom. Majestatis ab Atejo Capitone postulatus, quòd effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset: Sed à Tiberio Cæs. inter reos recipi vetitus. Vide Tacit. 3. 70.

Ennodius Marcus Felix, ex familia Consulari; Episcopus Ticinensis, post Epiphanium, Anno 490. Apologiam mox pro Synodo Rom. Anno 503. habitâ & Symmacho Ep. contra Schismaticos scripsit. Ab Hormisda, ad Anastasium Imper. bis missus, Obiit A. C. 521. Valerio Cons. Scripsit præterea 9. libros epistolarum, 10. tractatus de variis rebus, ut Panegyricum Theodorici, &c. 28. declamationes, librum Poëmatum, duos libb. Epigrammatum, quæ omnia edita, cum notis Sirmondi, Anno 1611. Vid. Trithem. *Cat.* Bernardin. Saccium, *hist. Tic. lib. 8.* Voss. *de Hist. Lat. lib. 2. cap. 18.* & *de Poët. cap. 5.*

Ennon, corruptè pro *Hinnom*. Jer. 7.

Ennosigæus, Neptuni cognomen, ab eo, quòd *terram concutiat*, impositum, unde etiam *Enosichthon* dicitur. Juvenal. *Sat. 10.*

Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.

Enoch, filius Cain, Gen. 4. natus A. M. 131. Joseph. *Antiq. lib. 1. cap. 3.* Prima quoque mundi civitas ab ipso Cain ædificata, & filii nomine appellata: In Tribu Aser. Fuit alius fil. Jaredi, pater Mathusalæ, natus A. M. 623. vir justissimus, qui cum Deo ambulavit, & sublatus A. M. 987. evanuit. Hic quasdam invenit literas, quosdamque libros conscripsit, qui perierunt, Sixt. Sen. *Biblioth. sancta lib. 2.* Perer. *in Gen. lib. 7.* (Prophetiæ illius D. Judas v. 14. meminit) Sub eo Adam mortuus est. Comestor *in cap. 3. Gen.* Luculentum testimonium de illo profert Apostolus epistolæ ad Hebr. *cap. 11.* Πίστει Ἐνὼχ μετετέθη, τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός. Πρὸ γὰρ τῆς μεταθέσεως αὐτοῦ μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ. Sed & ante illum Siracides eum non uno elogio exornavit Ecclesiastici *c. 44.* Ἐνὼχ εὐηρέστησε Κυρίῳ Θεῷ, καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς. Item *cap. 49.* Οὐδεὶς ἐκτίσθη τοιοῦτος ἐπὶ τῆς γῆς οἷος Ἐνὼχ, καὶ γὰρ ἀνελήφθη ἀπὸ τῆς γῆς. Vide Drusii *Hanochum*, Augustin. *de C. D. l. 15. c. 23 & l. 18. c. 38.*

Enodia, Hecate, quòd in viâ inventa sit ab Inacho. Steph. Hesychius: Ἐνοδία, Ἄρτεμις.

Enomides, scripsisse videtur de Deorum nominibus, naturâ & gestis, teste Etymologi Magni authore.

Enon, terminus Damasci. Ezech. 47. Item op. juxta Salim, haud longè à Jordane, ubi Joannes baptizabat. Joan. 3. Lege *Ænon*.

Enona, mel. *Ænona* urbs Daciæ. Ptol. Aliàs Liburnorum, nunc Dalmatiæ, in ora littor. probè munita, & mari undique cincta, sub Venetis. 4. mill. à Gissa Ins. V. *Ænona*. Baudr.

Enope, urbs Peloponnesi juxta Pylum, sub dit. Agamemnonis, Hom. *Iliad. 9.* Pausanias putat *Geraniam* Homero *Enopen* vocatam. De *Enope* Strabo *lib. 8. Enopen* putant alii *Pelanam*: alii locum quendam Cardamylæ vicinum; alii *Gereniam*.

Enos, Sethi filius. Gen. 5. natus A. M. 236. obiit an. 1140. Cainani pater: ab אנוש *miser fuit*.

Enosis, ins. juxta Sardiniam. Plin. 3. 7. quæ Pineto *S. Pierre* dicitur. Parva & oblonga, in ora Austral. quæ etiam *Sulcitana* dicta: nunc *S. Antiochi* Ins. Cluv. Habet in ambitu 25. m. p. sed cum una alterave tantùm villula, propter piratas. 4. mill. ab ora Sardiniæ prox. 12. in Ort. ab Ins. Petri, quæ aliàs *Hieracum*, seu *Accipitrum* Ins. Baudr.

Enotocætæ, pop. sunt, qui aures ad talos usque dependentes habent, ut semper iis indormiant, adeò fortes, ut arbores evellant, & nervum frangant. Strabo *lib. 15.*

Ensemes, nomen loci. Jos. 18. id est, *fons* sive *oculus Solis*. In tribu Benjamin.

Ensiferi, ordo milit. Livoniæ. Ferunt enim Engilbertum, & Theodorum de Tyssench, assumtis in consortium quibusdam è Germania mercatoribus opulentis, ut infidelibus in Livonia sese opponerent, primitus coiisse, atque apud Albertum Bremensem, Ord. Cistert. Episcopum tum Rigensem, solenni voto sese ad id muneris obstrinxisse: Primus illorum M. Magister Vinno dictus est: confirmatus mox ordo ab Innocentio III. & Teutonico junctus est, A. C. 1237. cùm per se hostibus imparem se esse sentiret. Cùm verò Albertus Magnus Mag. Ordinis Teuton. seu Crucigerorum, Evangelicam doctrinam amplexus esset, an. 1525. Ensiferi rursus segregem habere societatem cœperunt; electo in M. Magistrum Gualtero Plettembergio, cui Guilielmus Furstenbergius successit A. C. 1535. qui à Moscis postea, Livoniam vastantibus, captus est. Desiit sub Gothardo Ketlero, qui similiter nomine Evangelio dato, in præsentia Principis Nicolai Radzivilii, Palatini Vilnensis, & Commissarii Sigismundi Augusti Poloniæ R. solenniter ordini renuntiavit: tum huic jura & privilegia Ordinis, cum urbe Ripa, Gothardo verò Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, sub fide Regum Poloniæ, cessit. Insignia erant, toga candida, & trabea nigra, in quâ ad sinistrum humerum ensis ruber nigro inductus: in pectore verò duo gladii similes decussatim commissi erant, deorsum versus cuspides tenentes. Hinc illi *Fratres Ensiferi* dicti sunt. Cromer. Michov. & Neugeb. *Hist. Polon.* Alexander Guaguinus *descr. magn. Sarm.* Chytræus *Saxon. lib. 20.* Bzovius & Spondus *in Annal. &c.*

Ensis, Ordo eq. in Cypro, à Guidone Lusiniano, qui à Richardo I. Angliæ Rege insulam emerat, Anno 1192. institutus Cujus insigne, Ensis argenteus, cum lemmate, *Securitas regni.*

Primum

Primum equitem creavit Almericum fratrem, & 300. regni Barones, Anno 1195. Steph. Lusin. *hist. Cypr.* Favinus *Theat. hon. & eq.* Morerius. V. *S. Jacobus de Ense.*

Ensishemum, urbs Alsatiæ, ad Hellelum fluv. Vix 2. leuc. à Neoburgo in Occ. 2. à Mülhusio in Bor. 3. à Brisiaco in Austrum, sub Gallis, pace Monaster. Olim caput Landgraviatus Alsatiæ sup. ubi camera & sedes juridica Brisigaviæ & Suntgaviæ.

Entella, urbs Siciliæ, quam Campani genere habitabant, socii Carthaginensibus. Steph. Silius *l.* 14.

—— *Largoque virens Entella Lyæo.*

Vide Cluver. *Ant. Sic.* 2. 12. Populi *Entellini*. Plin. 38. Item *Entella* Liguriæ fluv. Ptol. *Lavagna* Leandro. Oritur ex Apennino, vix 10. mill. à Genua; recipitque amnem *Graveglia*, dein in mare Mediterr. cadit inter Clavaram & Lavaniam, in ora Or. Genuensi. Et nunc persæpe *Entella* dicitur. Baudr.

Enthusiastæ, nomen Massalianorum hæreticorum, quibus Dæmon mirum in modum illusit, quod illi pro divino raptu accipientes, ad saltandum prosilierunt, Diabolo rati se insultare. Epiph. *hær.* 8. Augustin. *hær.* 57. Baronius A. C. 361.

Entriba, pop. Thraciæ. Steph.

Entychitæ, Sectatores quidam Simonis Magi, detestanda sacrificia offerentes, &c. Vid. Epiph. *hær.* 21.

Enulus, à Delphino servatus. Vide Historiam apud Plut. *circa finem libelli*, *Utra animalia plus sapiant*, & *in convivio 7. Sapientum.*

Enyalius, Bellonæ fil. Ἐνυοῦς υἱός, Martis quoque est epitheton, ac interdum pro bello ponitur.

Enydra, Casiotidis in Syriâ urbs. Strabo.

Enyo, soror Martis, Latinis *Bellona*. Ponitur etiam pro *bello*. Martialis,

Nec te decipiat ratibus navalis Enyo.

Id est, *ναυμαχία*. Hesychius Ἐνυώ, πολεμικὴ θεά, ἢ μάχη.

E O.

Eoa, Africæ propriæ urbs. Ptol. Mela habet *Oea*.

Eobanus Helius, Hassus, Poëta celebris. Obiit Marpurgi, An. Chr. 1540. æt. 53. Ejus Psalterium extat in Octav. Lipsiæ.

Eodanda, ins. Arab. Felicis. Plin.

Eordæa, urbs fuit Maced. in Mygdonia, unde regiunc. nomen prope Axium fluv. Cum Thracica non confundenda.

Eordæa, duæ regg. Mygdoniæ. Item aliæ duæ, una Iberiæ, altera Thraciæ, ab *Eordo* quodam. Gentilia *Eordæus*, *Eordus*, *Eordista*. Stephanus.

Eordæi, pop. fuere Macedoniæ Occ. qui & *Eordeatæ*. Horum urbes Scampis, Lycus & Daulia, versus Aoum fluv. Ubi nunc pars Albaniæ Medit. *Tamorizza* dicta. Baudr.

Eordi, pop. Thessaliæ. Steph. in *Amyro*.

Eorita, Arachosiæ gens. Ptol.

Eorla, Consul, Comes, vox Danica, & ab illis, quibus olim *ear*, & *ar* honorem designabat, ad Anglos delata: apud quos supremi ordinis Aldermannum, & ab ingressu Normannorum, solum Comitem significare cœpit. Postquam autem Duces à Comitibus distingui cœpere, priùs enim Consules, Comites, Duces promiscuè dicebantur, *Eorla* vel *Erle*, Ducem potius notavit, quàm Comitem. Sed nomen solum à Danis, non gradum accepere Angli, cùm priores ne hodie quidem aut *Eorlas*, aut Comites, aut Barones noverint. Nihil autem vox propriè significat, quàm Saxonibus Anglis *Aldermann*, seniorem nempe, & per translationem, honoratum, quia honorandi Seniores: ex quo & ipsi Reges hoc solo nomine sub illis seculis dignoscebantur, Vide Aimoin. *l.* 5. *c.* 24. & Henr. Spelm. *Glossar. Archæol.*

Eos, à Græcis dicitur, quam Latini *Auroram* vocant. Mons item Ægypti. Plin.

Eous, unus equorum Solis. Ovid. *Met.* 2.

Interea volucres Pyroeis, Eous, & Æthon
Solis equi, quartusque Phlegon.

Eous Oceanus, seu Or. pars est Oceani, versus ortum Asiæ, prope Sinas, Japoniam, & Philippinas Ins.

E P.

Epacria, urbs Atticæ, quam cum aliis duodecim sic digessit Cecrops. Steph.

Epaa, civitas Græciæ. *Epæi* cives, contra quos bella gessit Nestor.

Epænetus, amicus B. Pauli, Rom. 16.

Epagris, ins. una Cycladum, ab Aristotele propter aquarum abundantiam *Hydrussa* appellata.

Epamanduodorum, Gall. Belg. op. Anton.

Epaminondas Thebanus, fil. Polymni, honesto genere natus, Musicam & Philosophiam sub Lyside, Philosopho Pythagorico, doctus, modestus, prudens, gravis, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeò veritatis amans, ut ne joco quidem mentiretur. Hic quindecennis luctando se exercuit, temperantiæ laude inprimis inclytus. Dein Lacedæmoniis, qui Thebanorum tum fœderati erant, militans, Pelopidæ in prælio 7. vulneribus onerato præstò fuit, eique postea persuasit, ut patriam, occupatâ Cadmeâ, à Lacedæmoniorum jugo liberaret. Quod factum; inde exorto gravissimo bello, cùm apud Leuctra Lacedæmonios plagâ pestiferâ adeò afflixisset, ut ex eo tempore Lacedæmoniorum opes corruerint, & principatum Græciæ amissum ultra reparare nequiverint, dicere solebat: Orbum se, non tamen sine liberis, & ex se natam relinquere pugnam Leuctricam. Hic, post plurima alia ingentia facinora edita, extremo tempore apud Mantineam cùm acie instructâ, & ducis optimi, & militis fortissimi officio fungitur, sparo percussus, relatusque in castra semianimis, requisivit à circumstantibus, Salvusne esset clypeus? cùm salvum esse flentes sui respondissent, allatum, veluti socium laborum gloriæque, osculatus est. Iterum quæsivit, essentne fusi hostes? cùm id quoque, ut cupiebat, audisset, evelli tum denique spiculum jussit; ita multo sanguine profuso in lætitiâ & victoriâ mortuus est. Ejus morte Thebanorum vires hebetatæ sunt, ut non tam illum amisisse, quàm cum illo interiisse omnes viderentur. Nam ante Epaminondam Thebani alieno imperio paruerunt, & post interitum ejusdem, in servitutem pristinam revoluti sunt, ut manifestum sit, gloriam Thebanam cum illo natam & extinctam fuisse. Stesimbrotum filium suum, quòd contra mandatum cum Lacedæmoniis conflixisset, tametsi victor feliciter evasisset, interfecit. Plut. *Paral.* Huic Thebani statuam ferream dicarunt, ne erga tantum principem ingrati viderentur. Inter optimos Græcorum sed pauperrimos ab Æliano numeratur. Sic enim ille: Πενέστατοι ἐγένοντο οἱ ἄριστοι τῶν Ἑλλήνων, Ἀριστείδης, καὶ Φωκίων, καὶ Ἐπαμεινώνδας, &c. Vide plura apud Xen. *Hellen. l.* 6. & 7. Corn. Nepotem, *in ejus vita*, Diodor. *l.* 15. Polyb. *l.* 1.

Epantetii, Italiæ pop. cum quibus bellum gessisse Ligures, scribit Livius.

Epao, Galliæ locus, qui *Epaonensi* Concilio locum dedit. Huic Avitus Viennensis Episc. inter alios, subscripsit 17. *Kal. Octobr. Agapeto V. C. Consule Epaone, Anno Chr.* 517. An *Evian* ad lacum Lemanum? sed locus hic ignobilis ac minimè antiquus est. Aliàs quoque *Ebao* videtur dictus, cujus vici ante annos 800. mentio fit in litt. Bernvini Viennensis Episc. quibus villam Sancti Mauritii seu maj. templi civitatis suæ, nomine *Ebaonem* sive Tortilianum, Teutberto Comiti concedit jure hæreditario possidendam. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall. in voce Vienna Allobrogum.*

Epaphras, viri fidelis nomen. Coloss. 4.

Epaphroditus, Libertus & à libellis Neroni Imp. à Domitiano capitis damnatus, quòd Neronem in consciscendâ sibi nece suâ manu adjuvisset. Vid. Suet. *Ner. cap.* 49. & *Domit. cap.* 14. Est ille ipse, cui nobilis servus Epictetus fuit. Suid. & Arr. Item Grammaticus, patriâ Chæroneus, qui 30. millia optimorum librorum habuisse perhibetur. Vide Suidam & Aristoph. Schol. Item vir fidelis, de quo D. Paulus passim *in Epistolis.*

Epaphus, Jovis ac Ius fil. qui Memphin in Ægypto condidit. Vide Ovid. *Met.* 1. Euseb. *Chron.* Item historicus, qui de templo Delphico quædam tradidit, citatur à Servio *in Æn.* 3. & Macrobio *Sat.* 3. 6. V. Voss. *de Hist. Gr. l.* 3.

Epardus, fluv. qui per Mardorum reg. fluit. Arrian.

Eparitæ, pop. Arcadiæ. Steph.

Epasnactus Arvernus, amicissimus Pop. R. qui Lucterium Cadurcum cepit, & vinctum ad Cæsarem adduxit. Hirt. *libr.* 8. *cap.* 44.

Epaunum, urbs Aquitaniæ ad montis Pyrenæi radices. Vulgò *Pau*. Sed falsò. Quibusdam est Apamia, *Pamiers*, in Occit. Labbæo est *Jenne*, vicus Sabaudiæ, ad Rhodanum fluv. 2. leuc. à Bellico in Austrum, Baudrandus. Hic Concilium, à Sigismundo Burg. R. habitum, Anno 517. *Collectio regia Conc. tom.* 8. & 10. Sirmondus *in Ennod. l.* 1. *ep.* 13. V. Morerium.

Epei, pop. in occidentali orâ Peloponnesi, alio nomine *Elei* dicti. Plinius 4. 1. Cujus sententiæ etiam Stephanus subscribit. Hom. tamen, *in Catalogo*, Epeorum urbem diversam facit ab Elide, quam videtur Epeorum juri subjicere. Vide Strabon. *libr.* 9.

Eperia, urbs munita Hungar. ad Tarizam fluv. versùs montem Carpathum & confin. Poloniæ, sub Imper. tanquam Hung. Rege, in Sariensi Comitat. 6. leuc. Germanicis à Cassovia in Boream.

Epetini, Liburniæ pop. Plin. 3. 22.

Epetium, Illyridis op. Ptol. *Spezza* Sophiano. Sed Joh. Lucio *Zarnounizza*, ad ostia fluv. cognom. Fuit civ. prope Spalatum, cujus rudera adhuc cernuntur. Tabb. Peutingerianæ.

Epeus, Endymionis fil. & Pæonis frater, qui primus in muralibus machinis equum reperiit, qui & aries dicitur. Plin. *l.* 56. quæ res locum fecit fabulæ, Epeum fabricatorem fuisse equi lignei, quo Troja prodita est. Virg. *Æn.* 2.

—— *Et ipse doli fabricator Epeus.* Metapontini interim, in templo Minervæ, instrumenta quædam asservant, quibus illum in equo Durio fabricando usum fuisse dicunt, Justin. *l.* 20. *c.* 2. Plin. *lib.* 7. *cap.* 56. Item *Epeus*, vir quidam timidissimus, de quo

de quo natum est proverb. *Epeo timidior.* Datum est hoc nomen Cratino Comico per allusionem fortassis, quòd cùm Oeneidis tribus Princeps esset, in eo munere timidius se gereret. Erasmus *in Chil.*

Epha, fil. Madian. Gen. 25. Item nomen loci. Es. 60. Fuit & nomen concubinæ filii Caleb. 1. Par. 2. Lat. *lassus*, vel *volans*, aut Syriacè *complicatus*.

Epher, fil. Madian. Gen. 25. Filius Ezar. 1. Paral. 4.

Ephestiades, vide *Hephæstiades*.

Ephestria, Thebis festa fuerunt ob Tiresiam instituta, in quibus ipsius simulacrum, virilibus vestimentis exuebatur, & muliebribus induebatur, moxque illis ademptis, iterum virilia imponebantur, alludentes ad ipsius Tiresiæ fabulam.

Ephesus, urbs Joniæ, Emporium totius Asiæ citer. celeberrimum, Amazonum opus, quemadmodum & Justinus scribit *l.* 2. & Plin. retulit, 5.29. Hæc civitas loco cavo olim habitata diluvium passa est, quo cùm plurimi extincti essent, Lysimachus civitatem in eum locum, ubi nunc est, transtulit, & ab uxoris nomine Arsinoen vocavit, sed eo mortuo, pristinum nomen receptum est. Porro *Ephesum* inde dictam, quòd eam terram Amazonibus Hercules permiserit (Ἔφεσιν enim Græci permissionem dicunt) scribit Heraclides *de Politiis.* Dianæ templo imprimis nobilitata fuit hæc urbs. Strab. *l.* 14. Pausan. *l.* 4. Pomp. Mela *l.* 1. Plin. *l.* 36. *c.* 14. Solin. *c.* 53. Dionys. Perieg.

——Βορειοτέρην ἐσίδοιο
Παῤῥαλίην Ἔφεσον μεγάλην πόλιν Ἰοχεαίρης,
Ἔνθα θεῇ ποτὲ νηὸν Ἀμαζονίδες τετύχοντο,
Πρέμνῳ ἐπὶ πτελέης περιώσιον ἀνδράσι θαῦμα.

Callimachus *Hymno in Dianam*,

Σοὶ γὰρ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι.
Ἔν ποτε παῤῥαλίῳ Ἐφέσῳ βρέτας ἱδρύσαντο
Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ.

Et mox,

——Τῶν ἔπ θεώτερον ὄψεται ἠώς,
Οὐδ' ἀφνειότερον.——

Ac proinde Plin. *admirationem Græcæ magnificentiæ* vocat, ac inter mundi miracula numerat, *lib.* 36. Hoc anno ab urbe condita 385. incensum est. quo die Alexander M. est natus, ab Herostrato, ut hoc facinore famam sibi compararet: Cùm Xerxes, templis Deorum in Asia olim destructis, huic tamen pepercisset. Porro Urbem hanc Nero ornamentis suis privavit, Scythæ vel Gothi, sub Galieno, illam planè desolarunt. Apost. Paulus bis huc veniens per triennium hìc Evangelium prædicavit & cùm in vinculis esset, epistolam ad Ephesios scripsit: V. infra. Ibidem & Johannes Apost. aliquandiu degit. Act. 19. Baron. A. C. 56. 57. Inter Episcopos urbs Polycratem habuit A. C. 190. octo ex progenitoribus Episcopis prognatum. Euseb. *lib.* 5. *cap.* 9. Ibidem Theodosius Quæstor Augustus creatus, cùm inaudiisset Leonem Isaurium electum esse, Principatu sponte deposito, nomen inter clericos, cum filio, dedit, A. C. 717. Hinc Ἐφέσια γράμματα, notulæ quædam, & voces magicæ. De quibus vide Hesychium & Clementem Alexandrinum, *Strom.* 1. 16. Hodieque Urbs est Asiæ, min. in Jonia *Figena* Turcis, in ora littor. maris Ægæi & Sinus Jonii, versus ostia Caystri fl. cum portu commodo & arce munita. 25. mill. à Samo Ins. in Ort. 20. à Colophone in Mer. 40. à Smyrna in Austr. Sub Turcis. Ibi celebratum est Concil. gener. tertium, A. 431. Sub Theodosio juniore, contra Nestorium. Ubi non χριστοτόκος solùm, sed & θεοτόκος B. Virgo pronunciata, Nestorius depositus, Pelagii hæresis aliique errores de novo condemnati sunt. Acta Concilii, *t.* 2. Cyrill. *ep. ap. ad Theod.* Socr. *l.* 7. *c.* 33. & Niceph. *l.* 14. *c.* 33. Aliàs variæ ibi Synodi particulares: A. 198. quâ constitutum, ut pro more prisco, 14. Lunæ Pascha celebraretur. Euseb. *hist.* 5. *c.* 23. 24. A. 400. ad Asiæ res componendas. Pallad. *dial. de vita S. Chrys.* Socr. *l.* 6. *c.* 10. Sozom. *l.* 8. *c.* 6. A. 449. Lystrica Synodus hìc à Dioscoro Patr. celebrata est, quâ Eutychianismus stabilitus, & Flavianus, Ep. Constantinopol. ad necem percussus est. Niceph. *l.* 14. Liberatus *c.* 12. Evagr. *l.* 1. *c.* 10. Acta Concilii Chalced. act. 1. 3. 4. &c. In *Epistolam ad Ephesios* prostant: Althoferi *Animadversiones*: Amyraldi *Considerationes* octav. Salmurii. Batti *Commentarius*, quart. Gryphisvvaldiæ, 1619. Witeb. 1620. Bodii *Prælectiones*, fol. Londini, 1650. fol. Edinburgi, 1652. Buceri *Prælect.* fol. Basil. 1562. Calixtus, Coccei *Commentar. in principium Ep.* Crocii, & Lagi *Comment.* in octav. Meelfuhreri similiter, octav. & quart. Norimb. 1628. Musculus, Nahumi *Explicatio Analyt.* oct. Hanoviæ, 1608. Rageri *Exegesis.* Rollocus, in octav. Genevæ, 1593. 1606. Sculteti *Idea Concionum*, quart. Weinrichii *Explicatio*, quart. Lipsiæ, 1613. 1618. Welleri *Enarrationes*, octav. Norimb. 1559. Wigandi *Annotationes*, octav. Erfordiæ, 1581. Zanchii *Commentar. absolutissimus*, Zuinglii *Annotationes*, inter opera ejus. Consule Guil. Crovvæi *Elenchum Scriptorum in S. S. Ephesus* etiam Nili insula. Steph.

Epheta, magistratus apud Athenienses. Hi à Demophonte rege instituti, 50. ex Atheniensibus, totidemque ex Argivis, ut in Palladio foro de inconsultâ cæde cognoscerent, majore deinde auctoritate, jureq; ampliore à Dracone instructi sunt, sic enim instituti, ut 51. ex optimis eligerentur, qui de causis capitalibus judicarent. Non nisi 50. ann. nati, moribusque probatissimis eligebantur. Pollux, Suidas.

Ephialtes, Neptuni fil. Gigas incredibili corporis robore, qui cùm singulis mensibus novem digitos cresceret, in tantam altitudinem evasit, ut staturâ suâ fretus, unà cum fratre Ocho superis bellum inferret, quapropter à Jove fulmine ictus ad inferos est detrusus.

Ephialtes, Atheniensis, robore corporis & audaciâ præstans, in commilitio Persarum, contra Alexandrum M. cecidit in prælio, ad Halicarnassum. Diod. *l.* 17.

Ephialtes, Trachinius, nomen erat illi, qui ad Thermopylas Xerxi viam aliquam angustam monstravit, per quam viginti millia hominum supra capita Græcorum mitteret. Polyæn. *lib.* 7.

Ephialtium, Carpathi ins. promuntorium. Ptol.

Ephippus Cumæus, auditor Isocratis, qui scripsit historiam ab excidio Trojæ usque ad sua tempora, libris 30.

Ephod, pater Hamiel. Num. 34. Lat. *superhumerale*, aut *ornamentum*.

Ephori, apud Lacedæmonios tales erant magistratus, quales apud Romanos Tribuni plebis, qui à Theopompo occasione ruinæ status Ariorum & Messeniorum, apud quos absoluta Principum potestas, sic oppositi sunt Regibus, ut apud Rom. Consulibus Tribuni. Ut enim à Consulibus ad Tribunos, ita à Regibus ad Ephoros provocare quisque poterat. Olim pro ministris Regum fuerunt, tandem eò potentiæ pervenerunt, ut sensim à Rege proprium Magistratum constituerent, nomine *Ephoriam.* Plut. *in Lycurgo, Arist. Agide, Agesilao.* Diog. L. *in Chilone*, *l.* 1. C. Nepos, *in Pausania.* Dicti ἀπὸ τοῦ ἐφορᾷν, quod est *intueri*, quòd ad civitatis salutem intentos haberent oculos.

Ephorus, historicus Cumanus, Isocratis auditor, & condiscipulus Theopompi. Scripsit libb. 30. res inter Græcos & Barbaros, per 750. an. gestas. Inter Geographos quoque refertur. Suidas. Item alius recentior. Scripsit hist. Galieni, Corinthiaca, &c. Voss. *Hist. Gr. l.* . *c.* 7. *pag.* 37. *de Mathem. c.* 43. §. 1. *de Philol. c.* 11. §. 7. Strabo *l.* 1. 3. 13. Jos. *c. App.* Photius, &c.

Ephra, civitas Gideonis. Jud. 6.

Ephraem, poeta Historicus. Vide Vossium *de Hist. Gr. l.* 2. Sec. 14. Jambis scripsit Chronicon Imperatorum Constantinop. Allatius *l. de Psellis p.* 113.

Ephraim, secundus Josephi filius, Gen. 41. adoptatus in numerum filiorum Jacob, ita semen Abrahæ multiplicavit, ut de tribu ejus ad montem Sinai inventi sint, virorum qui gestandis armis essent idonei, 40. millia, quingenti, quibus omnibus, excepto Josua, in deserto mortuis, eorum filii, 32. millia quingenti terram promissionis ingressi, pro patre Josepho citra Jordanem possessionem sortiti sunt. Erat tribus hæc valde montosa, & propter divitiarum magnitudinem & terræ fertilitatem affluebat, atque ætate etiam Hieronymi quasi luxuriabat. Et quia maxima erat & instar lapidis durioris invicta, aliquoties decem tribus Israel dictæ sunt Ephraim, & sumitur pro decem tribubus, sive regno Israel. Inter alia Oseæ 5. Est hæc tribus inter Tribum Benjamin ad Austrum, & Tribum Manasses ad Bor. Ad Occ. terminatur mari Syriaco, ad Ort. Jordane fl. Baudr. Benedictionem accepit Ephraim, à Patre, præ Manasse seniore, an ut ostenderet Spiritu Prophetico actus, Gentiles, per gratiam Evangelicam, Judæis olim præferendos? Jeroboamus & Nadabus Reges Israëlitarum ex hac tribu fuerunt. Samaria & Sichem præcipuæ urbes. Gen. 41. & 48. Torniel. *A. M.* 2345. *n.* 3. 3058. *n.* 1. Genebr. *l.* 1. *Chron.* V. Jos. *Antiqu.* 5. 3. Lat. *frugifer*, aut *crescens.* Item mons, sive montes & montana, quæ inter Herichuntem & Hierosolyma extenduntur: Frequentiâ habitationibus. Longitud. 9. mill.

Ephraimius, Præfectus Orientis, Euphrasio terræ motu, quo Antiochia intremuit, A.C. 526. oppresso, in sede Antiochena ei successit. Prudentiâ inclytus, cujus specimen insigne, quòd, Cosroë vastante Syriam, A.C. 544. ut Ecclesiam ac vicina loca ab igne conservaret, undique eam exornavit sacris monumentis, quò ea lytri loco essent, & sic ab hostium violentia redimerentur: quod etiam factum est. Contra eundem tyrannum quomodo Thomas Ep. Apameam eodem tempore conservaverit, V. Evagrium *lib.* 4. *c.* 24. 25. & plura in vocibus *Ephremius* ac *Thomas.*

Ephrata, i. e. *ubertas*, vel *incineratio*, uxor Caleb filii Hesron, 1. Par. 4. Ab hac urbs nomenclaturam accepit, quæ est in tribu Judæ. Gen. 33. Aliàs *Bethlehem* dicta.

Ephrem Syrus, vel *Ephram*, *Magister mundi* dictus. Obiit Anno 478. Opera ejus Basilius mirè commendat, Hieronymus publicè prælecta dicit. Ex Syriaca lingua græcè sunt versa. Homilias 49. Photius vidit, millenarium numerum superasse dicentibus Syris. Gerard. Voss. plurima ejus Latinè transtulit, vitamque ejus à græco Auctore consignatam edidit. Impressa sunt ejus opera, inter alia, Antverpiæ, Anno 1619. Hier. *Cat. c.* 115. Amphilochius *comp. Basil. & Ephrem.* Basil. 2. *in Hexaem.* Greg. Nyss. *in ejus vita.* Photius, *c.* 196. Gennad. *de Viris Ill. c.* 3. Sozomenus &c. Morerius. Vide & Voss. *De Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 18.

Ephrem, municipium in tribu Ephraim erat tempore Josephi, subactum à Vespasiano, tempore Hieronymi vicus erat in quinto miliario Bethelis, respiciens ad Orientem. Joan. 11. lege *Ephraim.*

Ephremus, præfectus Orientis, Patriarcha Antiochenus factus, urbem horrendo illo terræmotu An. 525. miserandum in modum deformatam, reparavit. Obiit An. 546. Item, Patriarcha Hierosol. sec. 2. post Levi, ei Justus successit. *Eus. Chron.*

Ephron, Zohari fil. Gen. 23. à quo civitas in tribu Juda, 2. Paral. 13. Item, Mons, in quo erant Urbes & vici. Jos. 15.

Ephron, alias *Hephron*, *Effron*, & *Enfron*, urbs magna est & munita valde, in tribu Manasse, ac multis bellicis machinis, telorumque apparatu instructa, sita in via publica, non procul à Jordane, & penè è regione civitatis Bethsan sive Scythopolis, quam montes utrinque ita circumvallant, ut non nisi per civitatem iter pateat.

Ephron, civitas in tribu Ephraim, quam Israeli bello eripuit Abia rex Juda: postea vicus magnus contra Septentrionem in vicesimo ab Ælia miliario.

Ephudion, Mænalius nobilis, in ludis Olympiacis. V. Schol. *in Aristoph. Crabr.*

Ephyra, insula sinûs Argolici, cum opido cognomine. Steph. quem consule, plures enim hujus nominis urbes recenset.

Ephyra, alio nomine *Corinthus* dicta, ab *Ephyrâ* nymphâ sic dicta. Ovid. *Met.* 2.

—— Quærit Bœotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas.

Hinc *Ephyreus*, adjectivum 4. syllabarum. Lucan. *lib.* 6.

Insedit castris, Ephyreaq; mœnia servat.

Item *Ephyreius*, adjectivum 5. syllabarum. Virg. *Georg.* 2.

Illusasq; auro vestes, Ephyreiaq; æra.

Hinc etiam *Ephyreias*. Claud. *de bello Getico*,

Scilicet Argolicas, Ephyreiadasq; puellas
Cœperat, & pulchras jam fastidire Lacænas.

Ephyris, op. Laconiæ. Herod.

Epiacum, op. Angliæ, aliàs Brigantum, nunc in Cumbriâ reg. Ptol. *Papcastle* Camdeno. Ad Derventionem fluv. 3. mill. ab ora maris Hibern. 16. à Carleolo in Occ. totidem ferè à prox. Scotiæ littore, in Austr.

Epialtes, prodidit Xerxi transitum per Thermopylas. V. Schol. *in Aristoph. Eq.*

Epibaterius, Apollinis cognomentum, cui templum in Trœzene dicavit Diomedes, quòd in reditu ab Ilio evasisset tempestatem, quâ Græcorum afflictæ sunt opes. Cæl. Rhod. 11. 24.

Epicadius Cornelius, libertus Syllæ, annales ab hero cœptos absolvit. Scripsit de Poësi, cognominibus, &c. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 11. Suet. *de Gramm.* Voss. *de H. L. l.* 1. *c.* 9.

Epicaria, Dalmatiæ urbs. Ptol. *Papadaros* Galesio. Aliis est opp. Albaniæ, medium inter Lissum, ad Bor. & Dyrrachium, ad Austr. Baudr.

Epicaste, uxor Agamedis, quæ ex Apolline, secundùm quosdam, Trophonium peperit.

Epicerdes, Cyrenensis, ob singularem suam erga Athenienses liberalitatem, amplissimis vicissim ab illis honoribus est affectus. Demosthenes *adversus Leptinem.*

Epicharis, mulier quædam vilis, quæ incertum quonam modo conjurationem in Neronem sciscitata accendit conscios & Chiliarchum in Misenensi classe Volusium Proculum labefacere conata est. Hic verò audita ad Neronem detulit: ob id Epicharis accita & tormentis subjecta, nomina reorum reticuit. Et cùm dilacerata repetitos cruciatus perferre se non posse crederet, in gestamine sellæ fauces elisit. Polyæn. *lib.* 8. Tacit. *XV.* 51. 57.

Epicharmus, Tityri (ut Suidas scribit) vel Chimari filius, Siculus, Olymp. 84. poeta Comicus, & philosophus, cui nonnulli inventum Comœdiæ tribuunt, Pythagoræ auditor. Horat. *ad Pisones*,

Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi.

Ὃς παισὶν χρήσιμα εἶπε, *qui pueris utilia præcepit*, quemadmodum de eo Theocritus dixit. Eum sæpe commemorat Marcus Tullius, ejusque versus non rarò producit, ut *lib.* 1. *ad Attic. Ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam*, Νῆφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν. Quæ verba sic Latinè reddidit Qu. Frater *de petit. Consul. ad Marcum*, *Quamobrem* Ἐπιχάρμειον *illud teneto, nervos, atq; artus esse sapientiæ non temerè credere.* Et *primo Tusculanarum*: *Sed tu mihi videris Epicharmi, non insulsi hominis, ut Siculi, sententiam sequi. Quam? non enim novi. Dicam si potero Latinè*, &c. *Emori nolo, sed me esse mortuum nihil æstimo.* Plures comœdias scripsit, quas Platonem suum in usum convertisse dicunt. Illum porro de natura rerum, sententias, & de Medicina scripsisse refert, Diog. *in ejus vita.* Obiit Ann. æt. 97. inventor literarum Θ. & Χ. Aristot. Plin. V. Henr. Steph. *de Poët. Phil. fragm.*

Epicles, citharœdus nobilis Atheniensis.

Epicnemidii, pars Locrorum. Vide *Ozolæ.*

Epicrates, Milesius, & servus Julii Cæsaris, de quo Polyæn. *l.* 6. Item, Ambraciota, Poëta mediæ Comœdiæ. Platonem & Speusippum reprehendit, ob nimiam in investiganda animalium plantarumque natura curiositatem. Ælian. *hist. Anim.* Argumentum duarum ejus Comœdiarum, recenset Suidas.

Epictetus, Philosophus Stoicus, ex Hierapoli Phrygiæ urbe, Romæ Epaphrodito cuidam Neronis familiari servivit, atque ad Marci usque Antonini tempora pervenit, Domitiano autem imperante, ejus dominatu offensus, Româ Hierapolin migravit, ratus verum esse, quod est Tragicum, Patriam esse cujusque, ubi quis rectè ageret. Eo mortuo rediisse fertur. Tanta verò apud omnes homines ejus vitæ admiratio extitit, ut Lucianus Syrus lucernam ejus fictilem tribus drachmarum millibus, ob ejus authoritatem, vænisse tradat. Enchiridion Græcè scripsit, in quod commentati sunt Simplicius, & Arrianus. Hoc de illo extat distichon, tanquam à seipso factum,

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρός,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Philosophiam totam duobus verbis complexus est: Ἀνέχου, καὶ Ἀπέχου, *Sustine*, & *Abstine.* V. A. Gell. *noct. Att. l.* 15. *c.* 11. *l.* 17. *c.* 19. Simplic. *in ejus vita*, & *Comm.* &c.

Epicurus, Atheniensis, fil. Neoclis ex Cherecrata, Gargetto oriundus, ex familia Philaidarum, ejus sectæ author, quæ ab eo *Epicurea*, nominata est, Olympiadis 109. anno tertio, septennio post Platonis excessum. Obiit autem ex urinæ retentione, anno secundo 127. Olymp. sub Archonte Pitharato, cùm vixisset an. 72. Nemini plus debuit quàm Democrito, cujus libris pellectis, cùm antea Grammaticam docuisset, ad Philosophiam se applicuit, tribus fratribus suis ad idem vitæ genus perductis. Hinc Cic. 1. *de N. Deorum*: *Democritus vir magnus imprimis, cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit.* Antea quoque dixerat; *In Democritum ipsum, quem secutus est, fuit ingratus.* Rhetoricen contempsit, ut qui omnem sermonis laudem in solâ perspicuitate collocaret. Laertius *in Epicuro*: Κέχρηται λέξει κυρίᾳ κατὰ τῶν πραγμάτων, ἣν ὅτι ἰδιωτάτη ἐστὶν, Ἀριστοφάνης ὁ Γραμματικὸς αἰτιᾶται. Imò Epicurus *orationis ornamenta neglexit*, ut ait Cic. *lib.* 8. *de Finibus*: *Neq; literas didicerat*, ut ait B. Hieronymus *Epist. ad Magnum.* Dictionem autem hauserat, ut Cleomedes ait *lib.* 1. *Meteorolog.* ἐκ χαμαιτυπείων, καὶ ἀπὸ μέσης τῆς προσευχῆς, *ex prostibulis & mendicabulis.* Dialecticen etiam parvo habuisse loco dicitur. Laertius ubi supra, Τὴν διαλεκτικὴν, ὡς παρέλκουσαν, ἀποδοκιμάζουσιν, ἀρκεῖν γὰρ τοὺς φυσικοὺς χωρεῖν κατὰ τοὺς τῶν πραγμάτων φθόγγους: *Dialecticam, tanquam pervertentem, repudiant. Aiunt enim sufficere Physicis simplicia vocabula.* Etiam B. Hieronymus, *adversus Rufinum*, ait: *Quoniam Stoici Logicam sibi vendicant, & tu hujus scientiæ deliramenta contemnis, in hâc parte Epicureus es.* Et hujus stuporis argumentum esto, quòd negaret, contradictoriarum alterutram esse veram. Unde Cic. *libr.* 1. *de N. D. Totum hoc, aut etiam, aut non, negavit esse necessarium: quo quid dici potest obtusius?* In Physicis maximè amplectebatur dogmata Anaxagoræ; sic tamen, ut in quibusdam dissentiret. Atomos verò suas accepit à Leucippo ac Democrito, teste Lactantio *lib. de Irâ DEI.* Interim sic Dialecticam contemnebat, ut in ejus locum substitueret Canonicam; de hâc erat Epicuri liber, qui Κανὼν inscribebatur. Is fuit, ut Laertius ait, περὶ κριτηρίου, καὶ ἀρχῆς, καὶ στοιχειωτικὸν, *de judicii normâ, & principio, & opus prima tradens elementa.* Eo docebat normam omnis judicii non rationem esse sed sensum. Mathesin quoque insuper habuit, teste Plutarcho, *lib. contra Epicurum.* In Physicis verò & Ethicis magnus omnino suis visus est, præcipuè Lucretio, qui universam Epicuream Naturæ scientiam 6. libris complexus est, quam tradiderat Epicurus ipse libris triginta octo. Sic enim ille *lib.* 3.

Tu pater, & rerum inventor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuisq; ex, inclyte, chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetuâ semper dignissima vitâ.

Ejusdem sunt ista de Epicuro,

Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Restinxit stellas, exortus uti æthereus Sol.

Quos versus cùm attulisset Lactantius *lib.* 3. *Instit.* subjungit deinde: *Hos equidem versus nunquam sine risu legere possum. Non enim de Socrate & Platone hoc saltem dicebat, qui velut reges habentur philosophorum: sed de homine, quo sano & vigente nullus æger ineptiùs deliravit. Itaq; poeta inanissimus leonis laudibus murem non ornavit, sed obruit & obtrivit.* Imò sectatores admiratione illius, quolibet mense, natali ejus sacrificabant, idque die vigesimo: unde ferias hasce vocabant εἰκάδας. Tantus quoque Epicureis amor magistri fuit, ut ejus imaginem annulo insculptam, boni ominis causâ, quocunque circumferrent. Auctor Plin. *l.* 35. *c.* 2. Quod ad moralem philosophiam attinet, Epicurus summum bonum posuit in voluptate, non tamen in eâ, quæ ad corpus pertinet, quemadmodum Aristippus, sed in voluptate animi, h. e. in absentiâ omnium dolorum. Continentissimæ siquidem vitæ fuisse dicitur. Cibi tenuitatem non uno loco indicat Juven. *Sat.* 13.

——— Non Epicurum
Suspicit exigui latum plantaribus horti.

Et *Sat.* 14.

Quantum Epicure tibi parvis suffecit in hortis.

Horto siquidem delectabatur. Prop. *lib.* 3.

——— Aut hortis, docte Epicure, tuis.

Statius:

Statius:

Mallet deserto senior Gargettius horto.

Martialis *Cecropium* vocat,

Cecropium superas qui bonitate senem.

Huc pertinet, quod de eo scripsit Ælianus *lib.* 4. ποικιλ. exclamare eum solitum: Ὦ ὀλίγον οὐχ ἱκανόν, τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν. Ἔλεγε δὲ ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι, μάζαν ἔχων καὶ ὕδωρ. Loco prisci ὑγιαίνειν, in Epistolarum epigraphe, τὸ εὖ πράττειν adhibuit. Non desunt tamen, qui alia ac diversa planè de Epicuro ac libidinibus ejus tradiderunt; sed falsò, quod & Diogenes agnoscit. Atque, quòd ipse juxta & Philosophia ejus malè audiit, discipuli ejus degeneres & intemperantes, ac eorum imprimis Metrodorus, fecere, qui pravè detorserunt ejus dogmata, & quæ de purâ illâ, atque constante, & sanctâ animorum voluptate tradiderat, ad istam impuram, fugitivam ac pecuinam transtulerunt. Itaque Seneca, *Non dico*, inquit, *quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse. Sed illud dico, malè audit, infamis est; & immeritò.* Significat nempe infamem esse Epicurum, & ejus sectam propter voluptatis nomen infame. Vide ipsum *de beatâ Vitâ cap.* 13. Hinc *Sancta Epicuri, & rectè præcipere Epicurum* ibidem scribit homo Stoicus, & voluptatis hostis professus; ejusque dicta passim laudat, commendat, inculcat. Epicureæ doctrinæ, atque auctoris ipsius laudem habes apud Lucianum *in Pseudomant.* Nec repugnant, quæ in Βίων πράσει scribit, ea enim ad degeneres discipulos pertinent, ut sequens dialogus docet, quem *Piscatorem* inscripsit. Utcunque hoc sit, fœdus ille & pestilens error est Epicuri, quòd negaret Deum curare mortalia, animasque simul cum corporibus interire putaret. Plura scripsit, quàm ullus alius Philosophorum, & Chrysippum, parasitum suum cognominatum, compilatorem habuit. Plura qui scire velit, Laertium adeat, *l.* 10. *Lucret.* & Gassendum, *in Vita Epicuri*, & *Philosophia ejus.*

Epidamnus, vel *Epidamnum*, vulgò *Durazzo*, op. in eâ parte Macedoniæ, quæ Adriatico mari incumbit, tristissimo è Græciâ in Italiam trajectu nulli non cognitum. Romani coloniam eò deducentes *Dyrrhachium* dicere maluerunt, propter inauspicatum nomen *Epidamni*, tanquam à *damno* duceretur. Ad quod allusit Plautus *in Menæchmis*, cùm ait:

Ne mihi damnum in Epidamno duas.

Tanquam nomen inditum sit *Epidamno*, quòd illuc nemo sine *damno* divertat. Vide *Dyrrhachium.*

Epidaphne, urbs in Seleucide Syriæ, quæ & *Antiochia* dicta, à *Daphne* vicino suburbano, quod locum habebat amœnissimum 89. stadiorum, & fanum Apollinis cum delubro Dianæ. Jul. Capitol. Vitam finiit hîc Germanicus Drusi filius. Tacit. *Annal. l.* 2. 38.

Epidarum, opp. Cypri medit. nunc *PitareVil* pagus.

Epidaurus, urbs Peloponnesi, Æsculapii templo celeberrima. Unde etiam Romani cùm gravi pestilentiâ laborarent, consultoque oraculo juberentur Æsculapium Romam advehere, triremem cum legatis eâ de causâ Epidaurum misere. Verùm cùm Epidaurii Deum opiferum à se inviti dimitterent, ferunt illis cunctantibus ingentem anguem ad Romanorum triremem adnavigasse, seseque in puppi in gyrum complicuisse; quem illi Æsculapium arbitrati magnâ cum veneratione Romam advexerunt. Vide Ovid. *Met.* 15. Ad horum preces, Hilarion Monachus, mare, ingenti terræmotu post mortem Juliani exorto, terminos suos egressum, coërcuisse legitur. A. C. 368. ut & piratas, verbo, *Hucusque venisse sufficiat*: apud Hieron. *in ejus Vita.* Cæterùm V. Scalig. *de triplici Epidauro*, *in Chron. Euseb.* Miræum *Geogr. Eccl.* &c. Est etiam urbs Arch. Dalmatiæ ad mare Adriat. emporium celebre, vulgò *Ragusa*, vel *Ragusi.* Urbs sui juris, & Reipub. caput, ritus Latini, cum portu capaci. Probè munita, cum arce validâ S. Laurentii; Turcis tributaria. Anno 1667. d. 6. Aprilis mirè conquassata fuit & desolata, horrendo terræ motu, quo maxima pars civitatis periit. Huic Reipubl. subsunt Urbes Stagnum, Stabium, Tribinium & Mercæ, in viciniis, cum Inf. Melita, Augusta, aliisque parvi momenti in mari Adr. 50. mill. à. Narone in Austr. 200. à Jadera in Ort. ut 450. à Venetiis. 700. à Byzantio circiter in Occ.

Epidaurus Limera, nunc *Malvasia*, Urbs Arch. Laconiæ, ad initium Sinus Argolici, ubi nobile vinum crescit, cum portu capaci & munito. Sub Turcis. 50. mill. à Sparta, 65. à Scyllæo prom. in Austr. Cum Inf. cognom. Strab. *l.* 8.

Epidelius, Apollo sic dictus ab *Epideliâ* vico, qui est juxta Maleam Laconiæ promuntorium, ubi templum habebat. Nam post Delum eversam, cùm barbarus quidam Apollinis simulacrum per contumeliam in mare projecisset, posteaque id ad Peloponnesi litus pervenisset, à Laconibus magnâ veneratione susceptum est, vocatusque Apollo *Epidelius*, quasi ex *Delo* advectus.

Epidii, pop. fuere Albionis, in Scotia mer. versus Hibern. ubi nunc *Cantyr* prov. prope Clotæ æstuarium.

Epidium, Inf. Albionis, in ora Occ. Scotiæ, una Ebudarum, vulgò *Yle.* Habet duo castra & decem vicos: ambitus 24. mill. Scot. 20. mill. à littore Hiberniæ in Bor. 13. à prox. littore Scotiæ in Occ.

Epidium, promunt. Albionis in orâ Scotiæ occiduâ, ante quod *Epidium* Inf. Ptol. in *Cantira* prov. Baudrando, Australissimum Scotiæ, 10. mill. Scot. ab ora prox. Hibern. in Occ. vulgò *The mul of Cantyr.*

Epidius, scripsit de prodigiis inusitatis, ut de arboribus loquentibus, &c. Plin. *lib.* 16. *cap.* 25. Malè cum C. Epicadio confunditur. Fuit hoc nomen illustris familiæ, apud Romanos, unde Epidius Marullus, Tr. P. Suet. *in Cæs.* Alius, Consul, A. C. 211. V. insuper Appian. *B. C. l.* 2. D. Cassium, *l.* 44.

Epidotas, Hesychius. Ἐπιδώτας, Ζεὺς ἐν Λακεδαίμονι. Apud Pausan. *in Laconicis* est Ἐπιδώτης, & *Genius quidam incertus* dicitur.

Epies, maximus deorum apud Ægyptios interpres, cui attribuebant accipitris caput, aliaque permulta superstitiosa.

Epigenes, astrologus, & historicus, cum Beroso & Critodemo conjungitur Plinio 7. 56. Alius est *Epigenes* Sicyonius Poeta, non quidem Comicus, ut Suidas putavit, sed Tragicus, ut rectè est apud Michaelem Apostolium *Chil.* 15. *prov.* 13. Varia ejus citat Athenæus, & ex eo Suidas.

Epiginus, Archon Athenis. V. Schol. *in Aristoph. Acharn.*

Epigoni, dicti sunt authores secundi belli Thebani, quasi fœtus illorum, qui primum confecerant bellum. Græcè ἡ γονὴ *fœtus* appellatur, & qui pôst gignitur, Ἐπίγονος. Inde Euripides Tragœdiam hoc argumento compositam *Epigonos* scripsit. Sunt qui existimant, Epigonos apud Strabonem esse populos, à quibus fabulæ nomen inditum sit: cùm Epigoni dicti sint generali vocabulo omnes illi, qui ex diversis populis conflati secundum bellum Thebanum, duce Alcmæone, confecerunt. Nam ex Statii lectione notum est, bellum Thebanum primum, & nomina Ducum, qui in eo loco occubuerunt; quorum filii ut mortem parentum ulciscerentur, decennio pôst communi consilio contra Thebanos iterum arma moverunt, qui acceperunt responsum ab Apolline, eam se civitatem expugnaturos, si Alcmæonem Amphiarai filium Imperatorem fecissent. Igitur Alcmæon exercitu ex Græciâ collecto contra Thebas duxit copias, acerrimâque commissâ pugnâ victoria potitus est, & Thebæ captæ, ac dirutæ sunt, Tiresiâ cœco abducto, & filiâ ejus Manto Delphos missâ, ut Sacerdos Phœbi esset. Euseb. *in Ann.* 817. *Abrahami*, Pausan. Diodorus, Hygin. &c. *Epigoni* etiam dicti sunt successores Macedonum veteranorum, qui sub Alexandro M. ex Asiaticis fœminis sobolem susceperunt.

Epigonus, auctor hæreseos Patripassianorum. Theodoret. *de hær. fab. l.* 3. Bar. *A. C.* 260.

Epigonus, Mathematicus, Ambraciota, Sycione habitavit, inventor *Epigonii*, quod Musici instrumenti genus quoddam fuit. Ejus Sectatores *Ambraciota* dicti. Athen. *l.* 4. & 14. Jul. Pollux, *Onomast. l.* 4. *c.* 9. Aristoxenus *Element. harmon. l.* 1. Idem Historicus fuit. Alius hujus nominis Poeta, V. Voss. *de hist. Gr. l.* 3.

Epigranea, fons in Bœotiâ non procul à Dirce. Plin. 4. 7.

Epii, Ætoliæ & Elidis pop. Plin. Halicarn.

Epicida, vicus in tribu Cecropide. Steph.

Epileucadii, urbs post Acarnaniam. Steph.

Epimachus, sub Decio apud Alexandriam Martyr. A. Dom. 151.

Epimaranita, Arab. Fel. pop. Plin.

Epimenes, è Puerorum nobilium Alexandri Magni cohorte, conjurationis in regem particeps Hermolao. Curtius 8. 33. Sed pœnitentiâ mutatus, per fratrem suum Eurylochum indicium conjurationis fecit. *cap.* 36.

Epimenides, poeta Epicus, Solonis σύγχρονος, circa Olymp. 46. Patriâ Cretensis, qui à patre Agiasarcho in agrum ad custodiendum pecus missus in quodam antro obdormivit annos 75. Unde emanavit Proverbium, *Epimenidis somnum dormire.* Tandem expergefactus, cùm videret omnia mutata, domum reversus, à fratre omnia didicit. Quamobrem pro Deo est habitus. Quod de somno commentum videtur à peregrinatione ejus diuturna originem traxisse. Idem Atheniensibus pestilentiâ laborantibus dixit, Civitatem purgari, expiarique oportere. Itaque cùm rogatus eò venisset, jussit oves albas, atque nigras apud Areopagum immolari; Rediens deinde domum, oblatam ab iis pecuniam respuit, Plato *in* 1. & 2. *De legg.* Epiphanius Mithræ sacerdotem fuisse tradit, ἀρχαῖον ὄντα φιλόσοφον, καὶ Μίθρας τοῦ παρὰ Κρησὶν εἰδώλου ἱερέα, Climas apud Plut. ἀνέρα θεῖον vocat. Diod. Sic. θεολόγον *l.* 5. Strabo de eo *lib.* 10. καθαρμοὺς τῶν ἐπῶν ἐποιήσατο, idem habet & Suidas. Plutarcho *in Solone* θεοφιλὴς καὶ σοφὸς περὶ τὰ θεῖα dicitur. Laertius γνωστικώτατον appellat. Apuleius *Florid.* 2. *Fatidicum*, Max. Tyrius δεινὸν τὰ θεῖα. Denique Divus Paulus προφήτην Tit. 1. Tribuitur ei opus de Curetum & Corybantum origine, Item Theogonia, &c. Vide pluribus Diog. Laërtium *in ejus Vita.* Platon. *de leg.* 1. Maximum Tyr. *serm.* 22. & 28. Pausan. *in Corinth.* Valer. Maxim. *lib.* 8. *cap.* 14. Plinium *lib.* 7. *cap.* 48. Girald. *dial. histor. de Poëtis.* Præter hunc 3. fuerunt alii *Epimenides*, duo quidam, qui Genealogias scripsere, tertius, qui Doricè Rhodi historiam condidit, uti ex Laertio discimus. Denique *Epimenidis*, Gnossii cujusdam, meminit Plinius, cujus

anima ex ore, corvi effigie visa est evolare. Plin. 7. 52. Sed is idem est cum superiore.

Epimetheus, Japeti fil. frater Promethei, qui cùm ingenio plurimum valeret, hominis statuam primus ex luto finxit. Quamobrem indignatus Jupiter, eum vertit in simiam, atque in insulas Pithecusas relegavit.

Epimethis, Pyrrha Epimethii filia, Deucalionis uxor.

Epinicia, Græcis *primò* celebritates pro partâ victoriâ; ut sunt ignes nocturni, pyræque, quæ ad primum statim victoriæ nuntium, in testimonium publicæ lætitiæ, accenduntur: Solennes præterea supplicationes, & aliæ id genus solennitates, quibus partæ victoriæ gaudium solemus testari: *Secundò* Epulæ post victorias usurpari solitæ, Epinicia dictæ sunt, quasi *postvictorialia*, quorum passim exempla plurima apud historicos reperiuntur; cujusmodi fuit Cononis, qui cùm apud Cnidum Lacedæmonios bello navali superâsset, Pyræumque mœnibus muniisset, centum boves mactavit, atque omnes Athenienses ad convivium vocavit: & Alcibiadis, qui cùm in Olympicis primus, secundus & quartus, curru vicisset (quarum victoriarum Epinicium scripsit Euripides) Jovi Olympio sacris factis, universo populo congregato, convivium magnificentissimum exhibuit. Idem fecit Leophron, Empedocles, Antiochus Epiphanes, & alii. Vid. Athenæum *lib.* 1. & 12. *Dipnosoph.* Quale fuerit Nabuchodonosoris post devictum Arphaxadum Medum, describit Judit. 1. *cap. Tertiò* Epinicia vocantur carmina, in laudem victoris composita ad immortalitatem, quo ipsius res gestæ magnificæ illustri præconio canebantur. Sic enim Sueton. ait *in Nerone: Sequenti*, inquit, *die latum inter latos cantaturum Epinicia, quæ jam nunc sibi componi oporteret.* Tale est canticum Mosis Pharaone submerso Exodi 15. & Deboræ & Baraci devicto Siserâ Jud. 5. Simileque fuit illud, quo, Goliath cæso, Israeliticæ mulieres Davidem celebrabant, in quo illud (quod intercalare fuisse carmen videtur) *percussit Saul mille, & David decem millia*, 1. Sam. 18. His annumero, quæ in laudem præstantium virorum, eorum inprimis, qui pro patriâ occubuissent, in conviviis cani solebant, de quibus vid. Plutarch. *in Sympos.* Athen. *l.* 15. *c.* 21. Hunc ritum decantandi laudes & Heroum fortia facta, etiam populo Dei inter honestas ingenii exercitationes, atque in lætitiâ & conviviis usitatum fuisse, colligere est ex Psalmo 137. v. 3. & 4. Eph. 5. v. 18. & 19. Syrac. 32. v. 7. 8. 9. modò non à bene potis, & magis oscitantibus ac eructantibus, quàm cantantibus carmen instituatur. Gravissimus quoque author Cato in originibus, morum apud majores hoc Exemplar fuisse dicit, ut qui accubarent ad tibiam, canerent majorum laudes. Cicer. 4. *Tusc. quæst.* Hunc morem quoque observârunt Sueo Gothi, qui Majorum suorum res gestas decantare solebant, de quo ritu sic Loccen. *in Antiq. Sueo-Goth. c.* 21. *fol.* 115. *Ille mos egregius, & qui à posteritate retineatur meritò dignus est, quòd præclara majorum facinora à scaldis & cantoribus in conviviis & aulicis conventibus, vel assâ voce, vel ad tibias aut lyram, decantabantur: ut sic vivâ voce, velut naturali classico, ad majorum exempla incitarentur posteri, & mores animi hâc virtutis cote acuerentur: Inde etiam Huskarlahvot, i. e. Hoffmanns Hvvasheed, aulicorum acumen, hujusmodi carmen incentivum veteres Scandi appellabant.* Pulcherrimum in hanc rem exemplum affert Priscus *in historiâ Gothicâ*: *Adveniente*, inquit, *vespere, sublatis epulis, duo viri Schytæ coram Attila prodiêre, & versus à se factos, quibus ejus victorias & virtutes bellicas canebant, recitârunt; in quos convivæ, oculos vultusq́ defixerunt, & alii quidem versibus delectabantur, aliis bellorum recordatio animos exsuscitabat, aliis manabant lachrymæ, quorum ætas affecta reddiderat corpus effœtum & imbecillum: ex quo illorum pugnandi ardor & cupiditas quiescere cogebatur*, Simon Batterius, J.U.D. & Phil. Pract. in Acad. Basil. Prof. *Disput. de Præmiis.*

Epiochus, Lycurgi & Antinoës fil. Ancæi frater, Heroicis honoribus apud Arcades cultus.

Epiphanes, hoc est, *Illustris*, cognomen Antiochi Regis Syriæ, V. ibi: urbem condidit, quæ ab eo *Epiphania* dicebatur. Alius ejus nominis Rex Tacito memoratur, *Hist.* 2. 26.

Epiphanes, Rex, in partibus Othonis, ad locum Castorum, à Vitellianis vulneratur, impigrè pugnam ciens. Tacit. *Hist.* 2. 25. Item fil. Carpocratis, à Cephalenis, adoratus. Clem. 1. *Strom:* Epiph. *hær.* 32.

Epiphania, urbs Syriæ ad Orontem fluv. *Mapia* Cuspiniano. *Aman* verò Nigro. Media, inter Antiochiam ad Bor. & Damascum ad Austr. 80. mill. utrinque, uti 18. à Larissa in Austr. 70. à Seleucia ad Belum. Baudr. Altera Ciliciæ. Tertia Bithyniæ. Quarta juxta Tigrim. Steph.

Epiphanius, Patr. Constantinop. post Johannem II. An. 520. Strenuus veritatis defensor, inprimis contra Eutychem. Obiit A. 535. Successit Anthimus. Hormisdas *ep.* 72. 73. &c. Baron.

Epiphanius, Salaminis in Cypro Episcopus, qui sub Valente, & Gratiano, imprimis verò sub Theodosio Magno floruit. Eleutheropoli Palæstinæ oriundus, primò Judæus religione, à Cleobio quodam Christiano, qui eum à vulnere, ex equi ferocia accepto, sanaverat, conversus est. Romæ sub Damaso fuit, à Paula hospitio exceptus, Antiochiæ fidem Christianam ab hostibus vindicavit, Constantinopoli contra Origenistas acriter pugnavit, senex Hierosolymis concionatus est. Invalescentem, sub finem sec. 4. Imaginum usum historicum, cum Basilio, Cyrillo, Augustino, Chrysostomo cordatè rejecit, velo etiam, in quo Christi imago esse dicebatur, discerpto. Mart. Chemnitius, *de Imagin.* Arnobius *l.* 8. Quinque lingg. peritus, miraculis etiam clarus, Morerio. Obiit A. C. 403. Opus de 80. hæresibus reliquit, quod non historicum minus, quàm Theologicum est. Gesnerus meminit libri de vitâ Mariæ, qui temporibus ejus Epiphanio tribuebatur. Eum verò Epiphanii alterius esse putat Vossius. Vitam quoque S. Hilarionis exposuisse dicitur. Sed ea non extat. Eidem tribuitur vulgò historia de Prophetarum vitis. Attamen ejus libelli veteres non meminerunt, nec satis Epiphanio dignus videtur. Vide plura de insigni hoc Patre, apud Hieron. *Apol.* 2. *ad Ruff. c.* 114. *de Script. Eccl. in Ep.* Augustin. *de hær. ad Quod vult Deus.* Johann. Damasc. *Orat.* 1. *de Imag.* Photium *cod.* 122. 123. 124. Suid. Socr. Sozomenum, Theodoretum, Niceph. Sixtum Sen. *in Bibliothec.* &c. Item *Epiphanius* Petreus Sophista, qui scripsit puer exercitationes, & declamationes in genere demonstrativo.

Epiphanius, Episc. Ticinensis, in Anthemio Imp. & Ricimero genero ejus reconciliandis laboravit. Dein legatus ad Theodoricum, hinc ad Gundebaldum, Burg. R. missus est, ad captivos redimendos, felici successu. Ennodius, *in vita ejus.*

Epiphanius, Scholasticus, amicus Cassiodori, cujus suasu historiam Eccl. Theodoreti, Socratis & Sozomeni latinè vertit: unde *Tripartitam* suam collegit. Cassiodor. *præf. in hist. Tripart.* & *de divin. lect. c.* 17. Sigeb. *Catal. c.* 12.

Epipolæ, regiuncula prærupta juxta Syracusas. Steph.

Epirus, regio Græciæ finitima ad Ort. Acheloo fluv. discreta: ad Occasum Acrocerauniis montibus, quà mari Adriatico incumbunt: Ad Septentrionem Macedoniæ parte terminata: Ad Meridiem Jonio mari abluta. Primùm *Molossia* dicta, deinde *Chaonia*, à *Chaone* Heleni fratre. Quondam urbibus, populisque, quorum Molossi, apud quos Dodona, clarissimi, fuit frequentissima, sed à Romanis subacta cùm sæpius deficeret, penè in solitudinem redacta est. Hic concilium Anno 516. ob Johannem Episcop. Nicopolit. V. infra. Aluit hæc regio equas præstantissimas. Virg. *Georg.* 1.

Eliadum palmas Epirus equarum.

Et posteà *lib.* 3.

Et patriam Epirum referat ——

Tauros item. Ovid. *Met.* 8.

——*Oeneos ultorem spreta per agros*
Misit aprum, quanto majores herbida tauros
Non habet Epirus.

Item juvencos, Hom. *in Hymn.*

Ἡ μὲν ἀν' Ἤπειρον πολυτρόφον.

Frumenti quoque ferax fuit. Hom. *Od.* 1.

Κεῖθ' ἀλὶ κεκλιμένη ἐριβώλακος Ἠπείροιο.

Idem *Od.* ξ.

——Οὔτ' Ἠπείροιο μελαίνης,
Οὔτ' αὐτῆς Ἰθάκης.——

Hinc *Epirota* & *Epiroticus*. Insulas circa Epirum olim tenuisse Phœnices docet Bochartus. Ab iisdem fortasse dicta fuit *Epirus*, non quia ἤπειρος *terra continens*, nihil enim hîc singulare, sed quia terra אבירים *abirim*, i. e. *equorum* & *boum*. De equis notum illud Poetæ *Georg.* 1.

——*Eliadum palmas Epiros equarum.*

Et *lib.* 3. *Georg.*

Et patriam Epirum referat.

Et Gratiis ferè *in fine Cynegetici*:

——*Quis Chaonias contendere contra*
Ausit, vix meritâ quas signat Achaia palmâ?

Chaonias (equas) id est, *Epiroticas*; Chaonia enim est pars Epiri. Vegetius *lib.* 3. *Epirotas ac Siculos* (equos) *non despexeris, si mores pulchritudo non deserit.* Jam de Epiri bobus quis non meminit? Ubi teste Pindaro,

Βουβόται πρῶνες ἔξοχοι κατάκεινται;
Δωδωνάθεν ἀρχόμενοι πρὸς Ἰόνιον πόρον.

Sed observanda inprimis hæc Philosophi *Hist. An.* 3. 21. Αἱ δὲ Ἠπειρωτικαὶ βόες αἱ μεγάλαι βδάλλεται ἑκάστη ἀμφορέα, καὶ τούτου τὸ ἥμισυ κατὰ τοὺς δύο μαστούς. Ὁ δὲ βδάλλων ὀρθὸς ἕστηκεν, ἢ μικρὸν ἐπικύπτων διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἂν ἐφικέσθαι καθήμενος. Proinde Hecatæus apud Arrianum *lib.* 2. *Anabaseos*, asserit circa Epiri Ambraciam, & Amphilocum regnasse Geryonem, & inde Herculem boves abegisse. Quò pertinet, quòd in Epiro boves prægrandes Λαρινοὶ dicti, credebantur ex illorum esse genere, quos abegerat Hercules, & à bubulco *Larino*, Herculis abigeo, traxisse nomen. De his vide Athenæum *lib.* 9. & Suidam in Λαρινοὶ βόες, ubi citatur Poeta vetus Lycus Rheginus, Lycophronis pater. Vide item Aristophanis Scholiasten in *Aves*, Tzetzem *Chil.* 8. *Hist.* 186. Apostolium, &c. Hæc Regio, ol. Reges habuit proprios, inter quos Pyrrhus & Alexander, celeberrimi, postea Macedoniæ annexa est. Dein sub Romanis fuit, post quos Regulos iterum proprios habere cœpit, usque ad Johannem Castriotum, quem Croja

urbe

urbe & filiis privavit Amurathes, Turc.Imper. A. C. 1434. sed hic ab unico illorum, quem in vivis reliquerat, Georgio, à Turcis *Scanderbego* dicto, illâ rursus exutus, A. C. 1442. Successor quoque ejus Mahometes sæpius victus est. Georgio verò hoc A. C. 1468. defuncto, successit quidem fil. Johannes, sed mox sub jugum Epirus rediit. Ejus partes fuere Chaonia, Thesprotia, Cassiopæa, Acarnania, Amphilochia, Athamania, Dolopia & Molossia, Briet. Nunc *Chimera* & *Larta*. Tota dicitur sæpe Albania inf. ad differ. super. quæ propria est. Subest Turcis, Corcyrâ Inf. & Pargâ opp. in continenti *Torone* aliàs dicto exceptis, quæ Venetis jam pridem parent. Ferrar. Baudr. Porro de Epiro in genere, V. Plin. *l.* 4. Strab. *l.* 7. Ptolom. *l.* 5. Justin. *l.* 17. 18. Belon. *l.* 1. *obs. c.* 64. *Tom.* 4. *concil.*

Urbes Epiri hac tempestate.

Acheloum.	Chimæra, *Chimera.*
Actium, olim colon. *Capo Figalo.*	*Corcyra insula & urbs, *Corfu.*
*Ambracia, *Larta.*	Dodona.
Anactoria, *Vodiza.*	Evoria, *S. Donato.*
Antigonia, *Argiro castro.*	*Joanna, & Joannina, metropolis & caput regionis *Joannina.*
Argos, *periit.*	*Leucas insula & urbs metropolis, *S. Maura.*
Buthrotum, *Butrinto.*	*Nicopolis, *Preveza.*
Cassiope. Vide Joannina, seu Joanna.	

Episcopicella, V. *Cella Episcopi.*

Episcopissa, vox medii ævi, uxor Episcopi, aliàs *Antistita.* V. quæ S. Bernardus, *in Vita Malachiæ*, refert de XV. uxoratis Episcopis, prædecessoribus suis, in Hiberniâ: etiam supra in voce *Corba.* Quòd autem Antistita, quæ nonnunquam occurrit, pro Archimandritissâ, vel Abbatissâ, olim quoque pro uxore Episcopi sumta fuerit, patet ex Hieron. Heminge *Geneal. Tabell. part.* 1. *p.* 302. *in Geneal. Rhetiæ Curiensis Principus &c.* Ubi inter alia ait: *Paschalis, qui & Zacco Senior, Comes Brigantinus, Præses Rhetiæ, & Episcopus Curiensis* 14. *cum filio Victore, Monialium cœnobium Cazes vel Zacces in Tumiliasca, super Rhetiam situm fundavit, mortuus A. C. . . Uxor Esopeia al. Episcopa, Comitissa de Rhetia, quæ in fundatoris literis monasterii Zacces se nominat* Antistitam *Churiensem* Seculum quo Paschalis ille vixerit, ex eo conjicias, quòd Tello ejus ex filio pronepos, obiisse ille dicitur, A. C. 784. Spelmannus, *Glossar. Archæol.*

Episcopius Nicolaus, Sebusianus, Typographus clarissimus. Ob religionem, patriâ relictâ, Basileam commigravit, ibique ductâ Justinâ Frobeniâ, filiâ Johannis, Chalcographi celeberrimi, filiâ, sedem fortunarum fixit: plurimis egregiis voluminibus sacris, profanis, Græcis, Latinis, nitidissimè excusis, de re literariâ præclare meritus: Cum Hieronymo Frobenio, Erasmi nuncupatus supremæ voluntatis vindex. Obiit ex atrophiâ A. C. 1564. sepulchrali marmore & insigni epigraphe honoratus. Pater fuit filii cognominis, itidem Typographi eximii, in flore ætatis extincti, A. C. 1566.

Quærere quis fuerim noli, quòd magnus Erasmus
Me coluit, nonne est, jam tibi nosse satis?

Episcopus, quid in S. Scriptura, quid apud Latinos significet, nemini ignotum. *Archiepiscopus*, ut & *Archisacerdos*, *Archidiaconus*, &c. tituli sunt, qui primùm videntur insignioribus in suo ordine viris, non per Canonem, sed ex placito delati, postea verò ab Ecclesia suscepti, & in certos gradus constituti. Sic fortè Sozomenus *lib.* 2. *c.* 8. Symionem, qui floruit tempore Constantini, Seleuciæ & Ctesiphontis *Archiepiscopum* vocat, quòd primariarum in Perside urbium esset Episcopus. B. Jacobus Hierosolymorum primus Archiepiscopus dicitur, V. Baron. *Anno.* 508. *sect.* 29. quem Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 36. & Sozomenus simpliciter *Episcopum* vocavere. Zephyrinus, Romanus Antistes, A. C 203. *in pr. suæ epist. decretali*, si tamen germana sit, primus omnium *Archiepiscopi* titulum adoptavit. Sed Metropolitanos fuisse, tempore Niceni Concilii, i. A. C. 320. liquidò constat ex ejusdem Canonibus. *Archiepiscopum* verò præsidere tam Metropolitanis, quàm Episcopis cæteris, Isidorus docet *Orig. lib.* 7. *cap.* 12. & *Distinct.* 21. *cap. Cleros.* Invaluit autem *Archiepiscopi* appellatio diu in Oriente, ante quàm in Occidentem penetraret. Primus in Anglia *Archiepiscopus* fuit Theodorus Græcus, sextus Augustini Monachi successor, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consensit. Beda *lib.* 4. *cap.* 2. V. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Epistola, pro eo quod forenses *Chartam* vocant, i. instrumentum, quo prædia conceduntur, pactionesque firmantur: Tabellæ publicæ fidei. Superiores enim ætates ab inclinato Imperio, sub *Epistolarum* specie, hæc omnia peragebant, ut è Marculfi, veterumque formulis constat. Cœptaque res videtur ab ipsis Impp. & Longobardorum Regibus, stilo turgido, & sæpe Majestate minus digno. Cassiodorum vide: ut & Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Epistolæ, pars Novi Testamenti, à Paulo, Petro, Johanne, Jacobo, & Juda, Apostolis, Scriptoribus Θεοπνεύστοις, literis consignatæ, generali vocabulo *Apostolicæ*, dicuntur: in quas omnes commentati sunt, Bucerus, Dicksonus, Estius, Hemmingius, Hyperius, Lupinus, Musculus. In specie autem *Canonicæ* dicuntur ab Auctoribus, reliquæ omnes, præter Paulinas: Item *Catholicæ*, quia non ad peculiares cœtus, seu personas, sed ad omnes fideles quorumcunque locorum directæ sunt. In has extant: Alstedius, Aretii *Isagoge.* octav. Losannæ, 1569. Calvini *Comm.* Genevæ. Capitonis *Explicatio.* octav. Venetiis, 1561. Catharini *Commentar.* fol. Parisiis & Romæ. Champerii *Theoremata Propositionum mirab.* Didymus. Dicksonus, quart. Glascuæ, 1645. Estii *Commentar.* tom. 2. fol. Coloniæ, 1631. Felicianus, Ferus. Gomari *Explic. locor. difficil.* Hemingius. Heshusius. Hesselii *Commentar.* Ingolstadii 1608. Horneii item, 4to. Brunsuigæ 1654. & Hussi. inter opera ejus. Imlerus. Justinianus. Lorini *in Epist. Canon. Joann. & Petri.* fol. Lugd. 1619. Lubini *Exercitationes Theolog.* Franc. 1612. Oecumenius. Prateolus. Pricæi *Annotata.* Primaticii *Ecphrases.* quart. Senis, 1573. Sarcerius. Serarius. Titelmannus. Turnemainus *in Jac. Petr. & Judæ*, quart. Francof. 1628. Vorstii hær. *Commentarii*, quart. Amstelod. 1631. In Paulinas autem *Epistolas* in universum prodierunt: Ambrosii *Commentarius*: Anselmi *Enarrationes*, Paris. 1544. Amyraldi *Paraphrasis*, 1645. Arborei, Paris. & Balduini *Comment.* 2. Vol. fol. Francof. 1655. Bencii *Manuale*, duodec. & octav. Lugd. 1626. Bugenhagii *Annotationes. in II. Epist. poster.* Basileæ, 1525. Calvini *Comment.* octav. Genevæ, 1565. Catharini *Clavis*, fol. Parisiis, 1567. Champerii *Theoremata propositionum mirabilium*, quart. Lugd. 1517. Chrysostomi *Homiliæ.* Crocius. Dicksonus, quart. Glascuæ, 1645. Erasmus, Basileæ, 1522. Estius, tom. 2. fol. Duaci, 1616. Paris. 1653. Euthalii *Collectanea Gr.* Londini, 1635. Guillebertus, octav. 1631. Guilliaudi *Collationes*, Lugduni, quart. 1555. Halesii *lib.* 14. Hemingii *Comment.* fol. Argentorati, 1586. Heshusii similiter, Lipsiæ, 1605. Hunnii *Expositio, Commentar. Exegesis*, inter opera, 5. Vol. Fol. Francof. 1606. Witeb. 1608. Jansenii *Comm.* fol. Antverpiæ, 1614 Laurentii *Paulus δόγνωσ@*, quart. Amstelr. 1642. Lombardi *Collectanea*, fol. Parisiis, 1555. Lubini *Exercitationes Theol.* Francof. 1612. Oecumenius. Osiandri *Comment.* fol. Tubingæ, 1591. Rabani *Allegoriæ*, inter opera ejus. Sasboldi *Explicatio.* Selnecceri *Comment. plenissimus*, fol. Lipsiæ, 1599. Serrarii *Comment.* fol. Moguntiæ, 1612. Spangenbergii *Interpretationes.* Theodoreti *Comment.* Theophylacti *Enarrationes.* Titelmanni *Collationes.* octav. Antv. 1529. Victorini *Declaratio difficultatum S. Scripturæ*, inter opera Vorstii hæretici, *Comm.* quart. Amstelodami, 1631. Weintrichius &c. Reliquos V. apud Guil. Crowæum, *in Elencho.* Et de qualibet Paulinarum Epistolarum in specie, V. *suo loco.*

Epistrophus, Phocidis Rex, unus ex Græcorum ducibus, qui venerunt ad Trojam. Hom. *Iliad.*

Epitades, qui Legem, quâ Lycurgus testamenta fieri prohibuerat, primus violavit. Hinc magna secuta bonorum inæqualitas. Plut. *Agide.*

Epitalium, urbs Triphyliæ. Steph. *Thryon* Homero & *Thryoëssa* Straboni, hodie *Zunchio*, teste Nigro.

Epitausa, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Epiteon, Nelei fil. Apollonii Scholiastes.

Epithadas, Lacedæmonius, qui filio iratus & implacabilis legem tulit, quâ liberam potestatem fecit donandi vel legandi suam partem agri, cui vellet.

Epitheria, civitas ad sinum Arabicum, aliàs *Arsinoe* dicta.

Epitragia, Venus dicta, quòd in formam capræ seipsam commutaverit. Nam cùm Theseus in Cretam, ad Minotaurum interficiendum, navigaturus, Veneri ac Apollini Delphico pro suâ suorumque salute sacra faceret, responsum à Deo accepit, ut Venerem sibi itineris ducem assumeret, tum autem ei apparuit Venus in capram mutata. Rhod. 29. 18.

Epitymbia, Venus dicta, ad cujus statuam, quæ Delphis erat, in parentationibus, & libationibus manes elicere, ac evocare moris erat. Rhod. ubi suprà.

Epium, Arcadiæ urbs. Plin.

Epizephyrii, Locrenses populi, apud quos si quis salutis causâ vinum hausisset largius, medico non imperante, morte expiabatur libera illa compotatio, perinde ac grande aliquod scelus.

Epla, Ins. parva Sin. Nacon. *Lovo* Nigro.

Epocha, ab ἐπέχω, temporis periodus, seu statio. Dividitur in *Sacram*, quæ ex sacris desumitur, à creatione, diluvio, nativitate Abrahami, exitu Israel. ex Ægypto, templo Salomonis, reditu Israelitarum ex Babylone. Aut ab aliis, à turri Babel destructa, migratione Jacobi in Ægyptum, vel alio quodam eventu memorabili: Et *Prophanam*, ab Ogygio diluvio, ab Olympicis ludis restauratis, ab U. C. à Consulibus, ab imperio Jul. Cæsaris. Imo quælibet gens peculiares habet Epochas, ab origine sui regiminis, à mutatione insigni familiarum &c. Petav. *de D. T.* Scaliger *de E. T.* Calvisius *Chron.* Ricciolus *Chron. Ref.*

Epoissum, *Eposium* Greg. Turonensi: *Epusum*, Lib. Notit. seu *Ivodium*, op. Belgii in ducatu Lucemburgensi. *Juoix*, teste Ortelio. In ipso confin. Campaniæ. Aliàs permunitum. Subest Gallis, ab Anno 1640. pace ad Pyr. 1. leuc. à Mosomio in Ort. 3. ferè à Stenæo in Bor. 3. à Malmedio in Occ. 8. à Macriis in Ort. Ducatus Cariniani Gall. tit. nuper insignitum. Baudr.

Epomeus, collis in medio quondam insulæ Isclæ in Tyrrheno mari, terræ motibus primùm vehementer concussus, mox incen-

dia maxima aperto hiatu evomuit. Quibus conterriti Siculi, & oppidum & insulam deseruerunt. Sed & Lucio Martio & Sexto Julio Coss. & deinde Cæsare Augusto, Tito Antonino quarto, atque Diocletiano imperantibus, plurimum arsit. Alberti præterea primi anno tertio, adeò vehemens ibidem profluvium ad menses duos prorupit, ut in suum quodammodo exitium conspirasse crederetur, cùm plurima bruta atque homines consumserit, & cæteri fuga dilapsi in proximam Pandatariam vel Capreas vel Bajas se contulerint. Metel. *Epomeus*, Jul. Jazzolino *Monte di S. Nicola*, Plinio *Epopos*, mons Pithecusæ Insf. Sinus Puteolani, in Camp. Ferrar.

Epona, puella formosissima, ex homine & equâ concepta hoc modo. Fulvius Stellus genus muliebre perosus, cuidam se immiscuit equæ, quæ suo deinde tempore formosam admodum peperit puellam, quam tempestivè quidam *Eponam* appellarunt. Plut. *Paral.* Dea equorum credita & invocata: quod ingeniosè ridet Tertull. *apol. cap.* 16. Justin. Martyr *apol.* 2. Minut. Felix in *Octavio*. Apul. *de Asino aur. l.* 3. Juven. *sat.* 8. An hinc Epaunum urbs, quia ibi culta? V. *Epaunum*, *Equestris*, &c.

Epona, jumentorum, & mulionum Dea. Vide supra, & in *Hippona*. Ferrario nomen Deæ, & loci, in Bavaria apud Novam Civit. *Pinburg* Aventino, *Epenburg* aliis seu *Biburg*.

Epope, dicebatur Acrocorinthus, quòd Sisyphus illic Æginam à Jove rapi viderit. Steph.

Epopeus, decimus septimus Sicyoniorum rex.

Epopeus, vel *Epopus*, mons in Arimis sub quo Typhoeus jacere fingitur, & flammas ore eructare. Pind. Schol. Συμβαίνουσι γὰρ αὐτόθι, &c. Πυρὸς κατακλύξεις, καὶ μυθολογεῖται ὑποκεῖσθαι τὸν Τυφῶνα: *Ibi accidunt ignis deflagrationes, & Typhon subjectus esse fingitur.* Strabo scribit, Eretrienses terræ motibus, ignisque & aquarum eruptione inde fuisse exturbatos: & id ipsum aliis accidisse, quos eò miserat Hiero tyrannus Syracusarum. Et apud Strab. Timæus paulò ante suam ætatem, τὸν Ἐπωπέα λόφον ἐν μέσῃ τῇ νήσῳ τιναχθέντα ὑπὸ σεισμῶν ἀναβαλεῖν πῦρ, καὶ τὸ μεταξὺ αὐτοῦ καὶ τῆς θαλάσσης ἐξῶσαι πάλιν ἐπὶ τὸ πέλαγος: *Mediâ in insulâ Epopeum collem motu terræ concussum, ignes evomuisse, & quicquid erat medium inter ipsum & mare, rursus ad mare perpulisse.* Quod de ipso colle perperam accepit Plinius, qui sic habet: *Montem Epopon* (fuerunt) *cùm repente flamma ex eo emicuisset, campestri æquatum planitie.* Docti videant, utrum huic monti Græcum sit nomen ἀπὸ τῆς ἐπόψεως, quia speculæ sunt in montibus, aut Phœnicium ab הבוב *bibhub* vel *ibub*, id est, *assatione* & *exustione* propter flammarum eructationes, quibus flagrat, atque exardescit. Bochartus.

Epora, vulgò *Montoro*, opp. Hisp. Bæt. 10. leuc. à Corduba, apud Lucenam: quibusdam *Aldea del Rio*, oppidul. Vandalitiæ, ad fluv. Bætim. 8. leuc. à Corduba in Ort. Baudr.

Eporedia, Salassiorum urbs. Ptol. Hæc olim ex Sibyllinorum librorum oraculo à Romanis condita, & ab *Eporedicis*, quos eo nomine Galli præstantes *equorum domitores* suâ linguâ appellabant, nominata; ut non obscurè innuit Plin. 3. 17. *Jurea* Leandro.

Eporedorix, Æduus, summo loco natus adolescens & summæ domi potentiæ: qui de Principatu cum Viridomaro contendebat, Cæs. VII. *Comment. cap.* 39. quo duce ante adventum Cæsaris Aedui cum Sequanis bello contenderunt. *lib. VII. cap.* 67.

Eprius Marcellus, à Lyciis repetundarum postulatus, pro quo eo usque ambitus prævaluit, ut quidam accusatorum ejus exsilio multarentur, tanquam insonti periculum facessissent, Nerone secundùm, L. Pisone Coss. Tacit. XIII. 33.

Eptingensis vallis, in Sisgoviensi tractu, agri Basiliensis parte: arces habuit *Rencken*, *Eschentz*, *Ruch Eptingen*, &c. unde amplissima *Eptingerorum* familia nomen habet, quorum stirps in triginta circiter ramos dilatata fuit, solo cassidum ornatu discrepantes: cujus specimen sepulturæ eorum supra viginti, in vicino Vestalium cœnobio *Olsberg*, exhibent. Plurima hi apud Rauricos loca tenuerunt, è quibus etiam Bischoffsteinium fuit, cujus rudera supra Sissacum rotundo promontorio imposita patent, in quod nunc Offenburgii juris aliquid feudi loco possident. Vulgò *Eptingerthal*, ad modò dicti pagi principis in Sisgovia dextram. V. Christian. Urstisium *Epit. Hist. Basil. cap.* 4.

Epuia, urbs quæ nunc *Ambracia* dicitur, olim *Paralia*. Steph.

Epulo, viri proprium. Virg. *Æn.* 12.

Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates.

Epusum, Germ. *Ipsch*, Gallis *Ivoy*, castrum veterrimum, in finibus Trevirorum: ad Charem fluv. *le Chier*, qui apud Duodeciacum Duciacumque *Douzi* Mosæ confunditur. Ad 8. hinc lapidem in vertice montis Monasterium & templum B. Martini nomine & reliquiis illustre, Vulfilaicus Diaconus Longobardus extruxisse scribit, Gregor. Turon.

Epy, V. *Æpy*.

Epytus, Albæ rex. Ovid. *Fast.* 4.

Proximus est titulis Epytus, Alba, tuis.

Lege *Epitus*.

E Q.

Equabona, aliis *Æquabona*, oppid. fuit Lusitan. nunc vicus *Couna*, vix 3. leuc. Hispan. ab Ulyssipone in Austr. Cætobrigam versus, à qua pari spatio distat.

Equajusta, dicta fuit Pharsali Thessaliæ urbs, quòd admissariis equis simillimos ederet pullos, acceptumque fideliter redderet. Aristoteles *lib.* 11. *Polit. cap.* 3. δικαία ἵππος.

Equestris, Venus ita à filio Ænea dicta, qui longâ diuturnâque navigatione fessus, tandem equum conscendit, matremque hujusmodi effigie coluit.

Equestris, Sequanorum civitas in Gall. vulgò *Neufchastel*. Multæ aliæ circa montem Juram civitates, ut Geneva, Lausanna, & aliæ eodem nomine apud veteres scriptores appellantur. Ægidius Tschudus, *in descriptione Rhætiæ*, *Equestres Colonias* vocat totum illum tractum, qui hodiè dicitur *Le pays de Chablais*, q. d. *Castellorum* seu *Equitum habitatio*, & extenditur à capite lacus Lemani usque ad ejus angustias ad Orientem. Harum limes est Geneva, antiquissima civitas, quæ *Equestris* etiam dicta est Plinio, & aliarum caput fuisse videtur. Cluverio & Brietio est *Nyon*, opp. ad Lemanum lac. in Romana dit. Bernensis pagi, à Geneva 4. leuc. in Ort. Lausannam versus, quod *Nevidunum* dicitur, in Gallia Lugd. Aliis est *Coulonges*, burgus Bressiæ, in Gessia regione, ad Rhodanum fluv. prope Clausulas, ex adverso Sabaudiæ, 4. leuc. à Geneva in Occ. Lugdunum versus, 5. ab Orgeleto seu Orgetio in Austr. quod magis probatur Baudr. Cluverii tamen sententiæ adstipulatur Hadr. Valesius, qui ex tab. Theodos. inter Genevam & Lausannæ lacum *Equestrem Coloniam* sitam esse docet; quæ prius Noiodunus vel Nividunum dicta, postea ab emeritis forsan equitibus Sequanis ibi, jam ante Plinium ad Allobroges & Helvetios in officio continendos, collocatis, nomen *Equestris* accepit: in vett. Not. *Civ. Equestrium Nojodunus* dicta, secundo inter provinc. Maximæ Sequanorum civitates loco; Unde ager & conventus Nojodunensis, *le Balliage de Nion*. De Sequanis certè Lucanus:

Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis.

Et *Epomanduodurum* in Sequanis, sicut *Eporediam* in Italia Transpadana ab equis cognominasse Gallos notum est, *Not. Gall.* Joh. Bapt. Plantinus, Cæsarem credit pacatis Allobrogibus, & imminente Helvetiorum bello, Genevæ, ob loci opportunitatem, Coloniam Equestrem collocasse, quæ ab ipso *Julia* denominata fuerit, ut testantur Genevenses Inscriptiones, quæque postea Nevidunum usque ob commodam alendis equis regionem se extenderit. Et extant adhuc Neviduni Romanæ inscriptiones, fuitque in oppido Fabrorum Præfectus, qui ex jura per Rhodanum in mare, abietes ad navigationem deducendas curabat. Inscriptiones utrobique tum Genevæ, ubi Colonia suos Tribunos, Ædiles, Præfectos Fabrûm, &c. habuisse apparet, tum Neviduni, ad propositum facientes, V. apud hunc Plantinum, *Helvet. nov. antiq.* ubi addit Nevidunum antiquis temporibus amplum & illustre fuisse oppidum, nunc verò *ex ruderibus ejus ædificatum Coppetum* esse: quod cum tit. Baroniæ possidet hodie Illustr. Comes de Dona, Arausionis haud pridem Præfectus.

Equicolus, nomen proprium. Virg. *Æn.* 9.

Continuo Quercens, & pulcher Equicolus armis.

Equilium, Venetorum insula ad ostia Padi fluv.

Equilium, seu *Æquilium*, opp. Venetorum, nunc viculus Marchiæ Tarvisinæ, *Jesol distrutto*, ubi tantùm rudera visuntur, ad ostia Planis fluv. inter paludes, 4. mill. à vico *Civitate nova* in Austr. 30. ab ostiis Anassi fluv. in Occ.

Equiria, Equitum erant festa, in quibus equorum cursu certabatur, de quibus Varro & Ovid. Aliàs *Ludi curules*, qui in campo Martio celebrabantur tertio Calend. Mart. Locus Ovidii est *in Fastor. lib.* 2.

Jamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque citos junctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen.

Equitius, cognomen familiæ Romanæ ab *equo* deductum.

Equitius, Consul cum Gratiano Aug. an. U. C. 1127.

Equotuticum, seu *Equus Tuticus* opp. non obscurum Apuliæ Dauniæ, *Foggia* Celso Cittadino. Ejus meminit Horat. *libr.* 1. *Serm Sat.* 5.

Mansuri oppidulo quod versu dicere non est.

Baudrando Opp. fuit Hirpinorum, nunc *Arianum*: Urbs regni Neap. in Princ. ulter. in colle, ad radices Apennini montis, 12. mill. à Benevento in Ort. ex Sansone & Brietio.

E R.

Era, seu *Æra*, juxta Astrologos, est insigne temporis initium, à quo supputationes ducunt: quo sensu celebris apud Hispanos Epocha, seu annorum calculus, *Era* dicitur; cujus originem Julio Cæsari attribuunt, non quòd ab illo instituta, sed quòd anni ejus, quem Julianum vocant, formam induit. Primus enim Eræ Hispanicæ annus, Julianæ ordinationis septimus habetur, à cæde ipsius Cæsaris sextus. Itaque sub Augusto inchoata fuit, divisis post bellum Perusinum Rom. Imperii Provinciis inter triumviros, è quibus Hispania Augusto cessit. Tum enim Hispani Epocham suam ab initio Augusti regiminis instituerunt, eandemque

Eram Domini, & *Eram Cæsaris* nuncuparunt. Cœpit autem Augusti regimen, anno ante N. C. 38. post U. C. 714. Christusque natus videtur in Era Cæsaris 39. Lidyattus tamen Anglus, Nativitatem D. N. ad 4. ferè annos, post vulgi calculos, reducit, Eræque originem ad ann. 41. natalitia ejus præcedentem, Urbisque condit. 750. attribuit. Hic *Æram* dictam vult, quòd nova quædam & graviora æra, vectigalia seu tributa annua à Triumviris instituta fuerint, neque in Hispania solùm, sed & Gallia ac Africa illam viguisse refert. Abolita est à Valentinis & Aragonibus, A.C. 1358. Castellanis Anno 1383. & Lusitanis demum Anno 1415. Dionysianum computum amplexis. Usurpata quoque vulgariter vox *Era* est, ab Hispanis, Gallis Narbonensibus & Gothis, pro anno, ut in Conciliis, Cippis antiquis & Isidori Chronico liquet: unde forsan Anglorum *year*, Belg. *iaer*. Modum reducendæ Eræ Hispanicæ ad an. Christi, & è contra sc. vel adimendo 38. vel huic totidem adjiciendo, exhibet in tabella Henr. Spelmannus, cui ad antiquæ Historiæ elucidationem, initia regni Principum aliquot Gothicorum, in Hispania præsertim dominantium, Alarici nempe cum Radagatho, Athaniphi, Segerici, Walliæ, Theuderedi, Turismundi, Eurici, Alarici, Gesalrici, Theuderici, Amalarici, Theudis, Thedisculi, Agilæ, Aranagildi, Liubæ I. Leovigildi, Reccaredi, Livubæ II. Witterici, Gundemari, Sisebuti, Suintilæ &c. usque ad Rudericum inseruit, juxta Isidori Chronicon à P. Pithoeo castigatum, *Glossar. Archæol.*

Eracon, è Prætoribus Alexandri, post reditum ex India, ob avaritiam & sævitiam in Provinciales, vinciri à Rege jussus. Curt. 10.

Eraconium Flavium, opp. Hisp. Tarr. in Callaicis fuit, ab Asturia 30. m. p.

Eractum seu *Heractum*, opp. Bastarnarum, in Germano-Sarmatia, Ptol. nunc *RoVV*, opp. Polon. in Podolia, ad amnem *MoraVVen* in Tyrum delabentem. Cluver.

Erea, civitas Græciæ, quam jam suo tempore concidisse, aut vix ullum ipsius apparuisse vestigium, scribit Strabo *lib*. 3.

Eranusa, insula in Locris Italiæ fronte. Plin. 4. 10.

Eraphiotes, vel *Eiraphiotes*, Bacchus dictus est, ab inducendâ contentione, quoniam vinum iram, atque certamen inducit. Ἔρις enim *contentio* est, φαίνειν *ostendere* significat. Ita Ἐξυμολογεῖ apud Dionysium Eusttath. additque postea sic dici propterea, quod Ἐῤῥάπτετο ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διός. Utramque Etymologiam refutantem vide Doctiss. Tanaquillum Fabrum *Epist. Crit. part.* 1. *pag.* 59. Probat enim Bacchum ab Hesychio Ἐ- ελφιον vocari, ab ἔλαφος ὁ μικρὸς αἴξ. Vide sis Bochart. *Col. Phœn.* 1. 18.

Erasia, filia Phineæ regis Pæoniæ.

Erasinades, dux quidam fuit, qui, quia infeliciter pugnasset, apud Arginusas Ins. cum militibus suis omnibus ad internecionem extinctus est. Hinc factus est proverbio locus *MilitaVit cum Erasinide*, de his, quibus res undiquaque malè processerunt. Demetrius verò Grammat. hunc rapinarum & interceptarum in Hellesponto pecuniarum, reum factum ait, Vide Schol. *in Aristoph. Ranas, Act. V. Sc.* 1.

Erasinii, Thraciæ pop. Plin.

Erasinorix, tetrarcha in Gallia, exardescens in amorem Cammæ, uxoris Sinati. V. *Sinorix*.

Erasinus, hodiè *Rasino*, fluv. Peloponnesi à Poetis memoratus in Argiâ reg. per quam ex Stymphalide palude in sinum Argolicum decurrens, alicubi sub terram conditus, rursus, Plinio teste, emergit. Ovid. *Met.* 15.

Sic modò combibitur, tecto modò gurgite labens
Redditur Argolicis ingens Erasinus in agris.

Statius *Theb.* 4.

——*Dryopumq; trahens Erasinus aristas.*

Baudrando versus fontes *Stymphalus* dicitur, postquam è cuniculo redit, *Erasinus*; dein in Inachium fluv. cadit, & cum ipso in Argolicum sinum. Est & alter hujus nominis fluv. teste Strab. in Arcadiâ oriens, ac in sinum Corinthiacum apud Baram opp. influens. Alius item in Euboea apud Eretriam fluens.

Erasistratus, medicus eximius ex Aristotelis familiâ, ejus ex filia nepos, cujus multis in locis meminit Plinius. Inter alia ostendit, famem fieri, propter inanes ac patentes intestinorum & ventriculi fibras. Gell. *l.* 16. *c.* 3. Floruit autem sub Ptol. Philadelpho, teste Eusebio *in Chronicis*. Vel, ut alii malunt, sub Seleuco Nicanore. Cujus filium Antiochum Soterem, Stratonices novercæ amore captum, subtiliter animadvertit. Plin. *l.* 14. *c.* 7. *l.* 20. *c.* 9. *l.* 26. *c.* 2. *l.* 29. *c.* 1. Plut. *in Demetrio.* Appian. *in Syr.* Valer. M. *l.* 5. *c.* 7. *ex.* 4.

Erasmus, Campanus Episcopus, qui Diocletiano imperante floruit; huic inter vastas nemorum solitudines corvus pastum attulit.

Erasmus, Carthus. Friburgensis, plurima scripsit. Pretrejus *Bibl. Carthus.*

Erasmus Desiderius, Roterodamus, eruditione & scriptis celeberrimus. Natus est ann. 1467. patre Gerardo, Goudano, ex Margareta, Medici cujusdam filia. Studia sub Alexand. Hegio, Daventriæ, feliciter ursit, memoriâ tam invictâ, ut Terentium Horatiumque totum brevi edidicerit. Exin bis corvus, bis pica fuit, ter cannabe vinctus. Apud Henr. Bergensem, Episcopum Cameracensem aliquandiu versatus, Parisios venit: inde à duobus nobilibus in Angliam pertractus, ibi in Regis regnique laudes librum edidit. In Italiam dein cum Medici regii filiis delatus, Taurini anno æt. 40. Doctor Theolog. creatus est: Bononiæ Adagia absolvit, quæ Venetiis imprimenda Aldo Manutio commisit. Alexandrum postmodum Scotiæ R. filium, Archiepiscopatui S. Andræano destinatum, Patavii Rhetoricam docuit, ibique Græcos Latinosque auctores admirabili facilitate evolvit. Inde Romam transiens à Cardinalibus cultus est, sed inde rediit ad suum Alexandrum. A Paulo III. Clemente VII. Henrico VIII. Francisco I. Carolo V. Sigismundo Pol. Ferdinando Hungar. R. vocatus, nulli se addixit. Commercio eruditorum totius Europæ honoratus, anno æt. 60. Basileam venit, Johannis Frobenii, typographi celeberrimi, hospitio usus: ubi Adagia primum, dein Colloquia edidit, quæ brevi distracta, secundò impressit Colinetus Parisiis, Anno 1527. exemplaribus 24000. feliciter divenditis. Porro Augustini, Hieronymi, Arnobii, S. Hilarii, Plinii, Senecæ, &c. editiones accuravit. Novum Testament. Latinè vertit. A. 1529. cùm Evangelii lux inclytæ huic urbi divinitus affulgere cœpisset, Friburgum abiit, sed septennio pòst reversus, ibi obiit, die 11. Jul. Anno 1536. æt. 70. Academicorum humeris elatus. In summo templo cubat, à Bonifacio Amerbachio hærede, marmoreo monumento honoratus, cum inscriptione, & Symbolo Erasmi. *Nemini cedo*, sub Termini icone. Nec omiserunt totius Christiani orbis eruditi certatim demortui præconia decantare. Placuit plurimis Lud. Masii distichon:

Fatalis series nobis invidit Erasmum,
Sed Desiderium tollere non potuit.

Bibliotheca & Cimelia ejus, illustre Basiliensis Bibliothecæ ornamentum sunt. In religione, Pontificiorum errores sic pervidit, ut vulgò diceretur: *Aut Lutherus Erasmizat, aut Erasmus Lutherizat.* Interim à se impetrare non potuit, ut ad Evangelicos apertè se applicaret, conciliationi utrorumque perpetuò intentus. De Luthero quid judicaverit, V. Epist. ejus *l.* 2. *ep.* 1. *l.* 11. *ep.* 23. *& 31. l.* 6. *ep.* 4. *lib.* 14. *ep.* 1. Item *epist. ad Fridericum Sax. tom.* 1. *Lat. Opp. Lutheri*, &c. Opera ejus, impressionis Frobenianæ, 9. tomis continentur. &c. V. *Desiderius.*

Erasmus Horicus, Germanus, Musicum opus composuit.

Erasmus OsVValdus, Mathematicus celebris, de quo Voss. de *Mathem. c.* 36. *§.* 18.

Erasmus Reinholdus, Mathematicam Vitembergæ docuit, editis quibusdam scriptis. Moriturus, *Vixi*, inquit, *& quem dederas cursum mihi, Christe, peregi*, Anno 1553. Voss. *de Mathem. c.* 36. *§.* 14.

Erasmus Stella, scripsit de gemmis, & antiquitatibus Prussiæ. Simler. *Bibl.* Voss. *de H. L.*

Erasmus Vitellius, Sigismundi Pol. victoriam scripto celebravit: *Maximiliano I. Imper. dedicato. Iidem.*

Erastus, Oeconomus, seu Quæstor civitatis Romæ, Rom. 16. Conversus à Paulo, aliquandiu comes fuit peregrinationum ejus, à quo ex urbe Epheso præmissus fuit in Macedoniam, Act. 19. Sed Paulo Romæ captivo Corinthi remansit. 2. Tim. 4.

Erate, nympha marina Oceani, ac Tethyos filia.

Erato, una Musarum, ab *amore* nomen sortita, quòd (ut nonnulli putant) præsit his, qui Heroum inclyta gesta, aut amores canunt. Virg. *Æn.* 7.

Nunc age, qui reges, Erato, &c.

V. Balduini *Iconol.*

Erato, Ariobarzane morte fortuitâ absumto ab Armeniis in Regnum adscita, iterumque brevi pulsa. Tacit. *Ann.* 2. 4.

Eratoclides, Corinthius, Phalii Pater.

Eratosthenes, Cyrenæus, Aristonis Chii & Callimachi poetæ discipulus, Olymp. 126. *Plato minor* à quibusdam ob doctrinam vocatus, præfuit Bibliothecæ Regiæ, Cosmographus insignis. Primus universum totius Orbis circulum ducentorum quinquaginta duorum millium stadiorum esse prodidit; unde & *orbis terrarum mensor* appellatus est. Scripsit præter Philosophiam, poemata, historias, Astronomica, de Sectis Dialogos. Suid. Item, de Comœdiis, ut notant Scholia in Aristoph. *Ranas Act.* 4. *sc.* 2. Vixit annos 81. qui annus octogesimus primus maximus climacter, & humanæ vitæ periculosissimus à veteribus est creditus. Est enim numerus quadratus, constans ex novem novenariis. Obiit præ animi mœrore. Eodem ætatis anno decessit Plato, Diogenes Cynicus, & Xenocrates Platonicus. Hic Philologi nomen primus sumpsit variâ & multiplici disciplinâ præditus: Sed in nulla excellens; hinc *Beta* dictus. Suid. Plutarch. *in Lyc. Alexandro, Demosthene.* Cæs. *de Bell. Gall. l.* 6. *cap.* 24. Meurs. *in not. ad Hesych. & Nicomnum.* Voss. *de H. G. l.* 1. *c.* 17. Laudatur sæpius à Schol. in Aristoph.

Eratostratus, Ephesius, templo incenso, eodem die, quo Alexander M. natus est, famam aucupatus, æternâ oblivione, ab Ephesiis, est mulctatus. Plut. *in Alexandro.* Solin. *c.* 53. Valer. M. *l.* 8. *c.* 15. *ex.* 13. Diod. Cic. Eus. &c.

Erbessus, Diod. Sic. *Erbissus* & eidem *lib.* 14. Ἐρβησσηνοί. Silio Ital. *Herbessus*: Polybio *Erbesum* Ἔρβησσον. Pausaniæ Ἐρβησσός:

Plinius

Plinius habet *Herbessenses.* Siciliæ Mediterraneum oppidum. Vide *Herbessus.*

Erbita, vide *Herbita.* Nunc *Nicosia*, oppidul. Siciliæ in colle; in Valle Demonæ, prope Simethum fluv. & Heræos montes.

Erchempertus, Monachus, Montiscassini monasterii destructionem, à Saracenis, & reparationem, descripsit. Possevin. *appar. sacro.* An idem cum Eremperto vel Heremberto, histor. Longobardicæ auctore. Voss. *de H. Lat.*

Erchenbaldus, vel *Erchinoaldus*, fil. Gerbertæ, Richomere Patricio & Gertrude Hamaticensi, natæ: patrem forte habuit *Egam* Majorem Domus. Ipse Dagoberti R. de genetrice ejus consanguineus & Chlodovei II. Magnus Magister palatii fuit. Defunctus 661. Indubitatus auctor Augustæ Austriacorum familiæ. Filius enim ejus Leudesius, ab Ebroino circa A. C. 680. cæsus, ex uxore Sigismundi Burgundiæ R. consanguinea, genuit Ethiconem seu Athicum, cognom. Adelricum, Alsatiæ Ducem à Theodorico factum: qui quo pacto familiam propagaverit, V. apud Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.*

Erchereum, villa olim Regia, quò ad Theodoricum Francorum R. Ebroinumque Majorem Domûs, Martinus Austrasiorum D. perjurio duorum Episcoporum ab Ebroini deceptus venit, ibique mox cum omnibus suis interfectus est. Vulgò *Acheri:* nunc vicus inter Ribodimontem & Faram, ad Isaram. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Erchia, municipium Atticæ tribûs. Suid. Hujusmodi municipia plurima in unâ Atticâ fuere, nempe 170. Quidam quatuor addunt, Strabone teste, Græci δήμους vocant, Latini *municipium, curia, vicus*, &c. interpretantur, quod semel dicere placuit, quia sæpius horum in hoc opere fit mentio.

Erchuai, pop. I. Esdr. 4. Lat. *longi*, aut *sanantes*, sive *maledictio combustionis.*

Ercinia, vide *Hercynia.*

Ercius, Jupiter, ab *arcendo* sic dictus, qui intra consceptum cujusque domus colebatur, quem etiam *Penetralem* vocabant.

Ercombertus, Rex Cantii, post patrem Edbadldum, quinquennio regni sui, idolis destructis, Christianam fidem ubique introduxit. Guil. Malmesbur. *l.* 1. Beda *l.* 2. Chenius *tom.* 1. *libr.* 6. *hist. Angl. c.* 12. *p.* 203.

Erdfordia, priscis *Erphesfurt*, à quodam molitore *Erph*, & transitu, *furt* Germ. dicta, memorabilis & magna Germaniæ urbs, Thuringiæ metropolis. Eam Gera fluv. illabitur, & mediam ferme præterfluit, cujus commoditate tota purgatur. Agrum optimum, & feracissimum habet, pecorumque pascuis abundat. Academiâ etiam celebris existit, quam Dagobertus, Francorum Rex fundavit, 1391. Bonifac. & Pius II. variis privilegiis ornarunt. Munster. Metel. A paucis annis Electori Mogunt. paret. V. *Erphordia.*

Erdini, pop. fuere Hiberniæ, in parte Bor. ubi nunc Comitatus Cavonensis & Fermanagensis, in Ultonia; ubi etiam Erdinus lacus, *Loug Erno*, ex regione feraci factus.

Erdonia, seu *Ardonea*, opp. aliàs Apuliæ Dauniæ, nunc vicus prov. Capitanatæ ad Cerbalum fluv. 10. mill. à Bovino in Ort. 8. ab Asculo in Bor. 15. à Cidiniola in Occ. V. *Herdonia.*

Ereb, in tribu Juda. Hier. *de L. H.*

Erebida, pars Lothophagorum. Steph.

Erebinthus, Bacchus ab *erebintho* sic dictus, i. e. *cicere.* Nam Bacchus non modo vini, sed & fructuum propè omnium inventor creditur.

Erebus, inferorum fluv. & Deus. Pater Noctis ex Chao & Caligine progenitus, ut refert Hyginus *Fab. Poet. cap.* 1. Cic. tamen de *Nat. Deor.* Noctem Erebi uxorem facit. Id quicquid est, Poetæ frequenter *Erebum* pro ipsâ inferorum sede collocant. Sic Virg. *Æn.* 4.

Pallentes umbras Erebi tranavimus amnem.

Et Proserpina *Regina Erebi* Ovidio dicitur *Met.* 5. Ac *Dux Erebi* Pluto est Claudiano 1. *De Raptu Prof.* Inde adject. *Erebeus.* Ovid. *in Ibin,*

Pectoraq; unxerunt Erebeæ felle colubræ.

Ereccon, terminus Judæ Dan, juxta Joppen. Hier. *in L. H.*

Erechtheus, rex Atheniensis decimus sextus, uxorem duxit Praxitheam Phrasimi, & Drogeniæ Cephisi filiæ filiam, ex quâ filios suscepit Cecropem, Pandorum, & Metionem, filias verò quatuor Procrin, Creusam, Chthoniam, Orithyiam, quæ, cùm virgines essent, mortem pro patriâ contemsisse dicuntur. Cic. *in Orat. pro Sextio*, Aristides *in Panathenaico*, Lycurgus Κατὰ Λεωκράτους, Hygin. *Fab.* 46. & 238. Regnavit an. 40. Pandionis successor. Hujus filiam Orithyiam à Borea, fil. Astræi raptam esse an. 3. ante instituta ab Eumolpo Eleusinia sacra, memorat Euseb. *in Chron.* Hinc *Erechthei coloni* pro populis Atheniensibus. Manilius *lib.* 1. *ex emendatione Tan. Fabri,*

Qualis Erechtheos olim populata colonos
Extulit antiquas per funera pestis Athenas.

Erechthia, vicus Atticæ in Ægeide tribu, ab *Erechtheo*, qui Cererem hospitio suscepit.

Erembi, Arabiæ pop. Dionysius *de situ orbis,*

Αὐτὸν ὀρεσινόμων παραφαίνεται ἔθνος Ἐρεμβῶν.

Sic autem dicuntur, non ἀπὸ τοῦ εἰς ἔραν βαίνειν, uti volunt Grammaticorum filii, sed ab Ebræo ערב *ereb*, i. e. *Arabia.* Strabo *l.* 1. Ἐρεμβοὺς, οὓς εἰκὸς λέγειν Τρωγλοδύτας Ἄραβας. Quanquam nec desunt, qui Arabas ab Homero Ἐρεμβοὺς dici volunt, quasi Ἐρεμνοὺς vel Ἐρεβεννοὺς, id est, *nigros.* Non itaq; de nihilo est, quòd ערבי *arabi*, *Arabs* ערב *ereb vespera*, & עורב *oreb*, *corvus* sint ab eâdem radice. Bochart.

ad Eremitas, V. *Eremus.*

Eremmon, vicus Judæorum prægrandis, in 16. ab Eleutheropoli miliario, contra Meridiem in Daroma, in tribu Simeonis. Hier. *in loc. Hebr.*

Eremportus, vel *Rembertus*, sub Lud. II. Imper. composuit historiam Longobardicam: cujus frequens apud Baronium mentio. Simler. *Bibl.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 8. Popeliniere, *de histor. l.* 8.

Eremus, insula circa Lemnum, ubi Philoctetis Ara cum æneo serpente. Steph. Item regio Æthiopiæ ad lacum Arthatam. Ælian. *Hist. An.* 17. 40.

Eremus Helvetiorum, in Germaniâ tractus. Ptol. & Tac. *Kleckgovv* à Tschudo vocatur. Urstisius tractum ultra Rhenanum, Rauricis oppositum, ad lacum usque Acronium Alpesque i. Hercyniæ sylvæ caput, cum adjacentibus regionibus, à Ptolomæo hoc nomine intellectum vult. Helvetii enim, inquit, Cæsare teste, Rhodano lacuque Lemanno, Jurâ monte, Rhenoque olim continebantur: quæ cùm gens minimè obscura esset, ideo nemorosus & incultus ille Germanici soli secundùm Rhenum tractus, ad Helveticum limitem pertinens, eamque gentem prospectans, *Helvetica Eremus* dictus est. Imperavit huic, ut & aliis terris, tempore Constantii & Juliani Imp. Vadomarius Alemannorum Rex. *Epitom. Hist. Basil. cap.* 18.

Eremus, seu ad *Eremitas*, Germ. *Einsidlen*, Abbatia & Monast. celebre D. Virginis, in Helvetia, cum tit. Princip. cujus historia hæc est. Sub Carolo M. vel Ludovico Pio Imp. Berchtoldus Comes Sulgoviæ, ad Danubium, Meinradum filium unicum, in Monasterium Benedictin. Richenoviense misit, ut ibi monasticæ vitæ vacaret: qui solitudinis amore fervens, inde mox in Helvetiam abiit, in Adulis ad lacum Tigurinum, *Etzel* vulgò, sede sibi electâ: Exin penitius solitudinem ingressus, post Lacum, ad lævam Limagi ripam, locum tum senticetis tristique umbrâ horridum, *tenebrosa Sylva* dictum, colere cœpit, casulâ ibi extructâ, occisus A. 863. Hinc cùm per annos 60. nullus loco incola esset, corruit casa, donec Eberhardus Decanus Capituli Argentinensis, A. C. 923. eodem se contulit, & eremiticam professus, Mainradi domunculâ reparatâ, sacellum quoque ibidem extruxit. Hunc Gregorius Angliæ R. filius excepit, ab Ottone M. affine suo Princeps & Abbas creatus, reditibusque maximis auctus. Accesserunt mox indulgentiæ & favor Pontificum, quibus Abbatum opes non parum creverunt. A quo tempore usque ad Ludovicum Plaurerum, qui obiit A. C. 1544. nemo Barone minor ad Prælaturam loci, neque in Capitulum alii, quàm nobiles admissi sunt. Stumpf. *Chron. Helvet. l.* 6. *c.* 21. His diuturnum cum Suitiis bellum fuit, ob limites ab Ottone retro laudato Suitiis, & fratribus Monasterii constitutos: à quibus illi A. 1044. apud Henricum III. Imp. accusati, confirmante licèt hoc Ottonis decretum, invitis Abbatibus, in possessione veteri permanserunt. Rursus itaque A. 1144. à Rodolfo Abb. coram Conrado II. accusati, & condemnati, cùm nihilominus parere recusarent, bellum ortum est, quod tandem annitente Rodolfo Rapersuilæ Comite, in pacem desiit, A. 1217. Sed post annos 50. novis litibus, belloque, quod ann. 44. duravit, denuo exorto, captum à Suitiis cœnobium est, A. 1313. Accessit nova dissensionum occasio, quòd Suitii Ludovico Bavaro Imp. A. C. 1314. electo contra Fridericum Austrium adhærerent, unde hujus operâ accusante ipsos Abbate, ab Episc. Constant. excommunicati, & à Curia Rotvvilensi proscripti: sed à Ludovico Imp. exempti proscriptioni, & Communioni Ecclesiæ restituti sunt. Mox Leopoldus Austriacus contra Pagos incitatus, suo damno, cum illis rem gessit, prælio victus A. C. 1315. initio fugæ ab Abbate Eremitano facto: tum prima fœderis Helvetii fundamenta jacta sunt. Post hæc induciæ fuerunt, quæ tandem pace terminatæ sunt. A. 1350. sub Abbate Henrico Brandisio. Advocatia Cœnobii postmodum Suitiis concessa est, à Sigismundo Imp. A. C. 1433. incendio tantùm non penitus absumti, cum villa cognom. & Basilicâ, A. 1509. Sub Abbate Conrado Rechbergio postmodum, cùm Diepholtus Geroltseckius, Abbatiæ Advocatus, gustatâ Evangelii dulcedine, Lutherum & Zuinglium magni faceret, insidiis impetitus, hinc discessit, &c. Idem *l.* 13. *c.* 2. Simler. *de Repub. Helvet.* Abbas hic Eremitanus, etiam Eschenzi, in Turgea, dominus est. Idem.

Erene, inf. ante Taprobanam. Ptol.

Erenia, Megarensium vicus. Pausan.

Eresii, pop. in Æolide. Plin. 5. 30.

Eressa, Æolidis urbs. Mela. 1. 18.

Eresus, vel *Eressus*, urbs in Lesbo, Theophrasti patria. Steph.

Eretria, Eubœæ urbs clarissima. Mela. 1. Hom. *Il.* 2. Ab *Eretrio* Phaethontis filio dicta, quem ex Titanum numero fuisse tradunt. Steph. Est etiam Thessaliæ urbs. Ptol. vulgò *Vatia.*

Eretum, op. Sabinorum non procul à Tyberi in colle situm. *Monte Ritondo* Volaterrano. Ejus meminit Virgil. *Æn.* 7.

Ereti manus omnis olivíferaq; Mutusca.

Dictum hoc opp. ἀπὸ τῆς Ἥρας à *Junone*, quæ ibi culta, Servius scribit. Et Solinus *cap.* 8. *Heretum à Græcis, in honorem Heræ, sic enim Græci Junonem vocant.* Strabo in Sabinis constituit: verba ejus Ἤρετον τὸ Σαβίνης κώμην. Nunc vicus parvus. Græci jam Ἔρετον vocant. Vicum hunc celebrem esse figlinis jam alii scripserunt; Inde *Eretinas mentes*, pro stupidis, quasi argillaceas & cretaceas dictas Fulgentius observavit ex vetere scriptore, & ab illo Turneb. 10. 16. Verba antiqui scriptoris sunt *Averruncassit Diva tam Eretinas hominum mentes.* Baudrando castrum, in dit. Pontif. 2. mill. à Tiberi, 12. à Roma in Bor. Palatium habet splendidum, cum tit. Ducatus Maphæi Barberini Principis Prænestes.

Erevatis, urbs Lyciæ. Steph.

Ereuthalion, vir quem Nestor interfecit, cùm fortitudine corporis, tum excellentiâ armorum præcipuus in bello Pyliorum & Arcadum. Hom. *Iliad.*

Τοῖσι δ' Ἐρευθαλίων πρόμος ἵστατο ἰσόθεος φώς.

Erfordia, vide *Erdfordia* & *Erphordia*. Hic Henricus Auceps, Synodo coactâ, dies Apostolorum celebrandos esse, sanxit. an. Chr. 932. Aliâ Synodo Episcopus Moguntinus, anno 1074. ibidem habitâ, cœlibatum ursit, sed nullo successu, imò suo damno. Joh. Naucl. *Gen.* 36. Stumpf. *lib.* 2. *de Germ. cap.* 23. Erfurtensem seditionem compescuit Rodolfus I. Imp. an. Chr. 1289. Ibidem in Bibliotheca Monasterii, cùm Lutherus in Hussi scripta incideret, an. Chr. 1514. illa proba esse agnovit. Lutherus *in præf. ad opera Hussi, &c.*

Erga, Ilergetum in Hisp. opp. Ptol.

Ergane, fluv. cujus aqua inebriat homines, ac si vinum bibissent. Athen.

Erganes, Rex Æthiopiæ, qui cùm in Meroe Jovis sacerdotes adeò superstitione implevissent animos hominum, ut nonnunquam, misso nuncio, necem regi demandarent, nullo detrectante, aut mandatum jussionemve abnegante, re auditâ & nuncio, sacerdotes omnes occidit, & sacerdotium sustulit. Alex. ab Alex. 2. 8. Lege *Ergamenes* ex Diodoro Siculo.

Erganica, Hisp. urbs. Ptol. *Erganicum* hodiè.

Ergasion, nomen Rustici, Aristoph. *Vesp.*

Ergasteria, vicus insignis inter Pergamum & Cyzicum quadringentis, & quadraginta stadiis à Pergamo distans, metallorum fodinis nobilis, à quibus & nomen accepit. Celebratur hic vicus à Galeno *lib.* 9. *Simpl.*

Ergasyllus, viri proprium Tortellio.

Ergavia, Vasconum in Hisp. Tarracon. urbs. *Igualada* Marineo Siculo. Oppidum Cataloniæ, aliis *Anabis*, 12. leuc. à Barcinone Ilerdam versus, Lacetanorum olim. *Aliis est Ergavica.* Baudrandus.

Ergavica, Hispan. Tarracon. opp. in tractu Vasconum. Ptol. pop. *Ergavicenses* Plinio. *Alcaniz* Moletio. *Santaver* Morali.

Ergetium, Siciliæ urbs apud Stephanum ex Philisto, ut ait. Hujus oppidani *Ergetini* sunt Plinio *lib.* 3. *cap.* 8. *Ergetinorum* urbem Siciliæ maritimam ab *Hippocrate* dolo expugnatam, scribit Polyænus *lib.* 5. an fortè *Hergentum* Silii? non est *Sergentum* Ptolemæi. Silii locus est *lib.* 14.

Hadranum, Hergentumq; simul, telâq; superba
Lanigera Melite. ——

Ergias, Rhodius, historicus, librum de Rhodo reliquit. Athen. *libro* 8.

Erginnus, cui, defuncto Tiphy, Argûs gubernandæ provinciam ab Argonautis demandatam vult Herodot.

Erginus, rex Orchomeni, quem Hercules ex Minyis Orchomeni urbe extractum interfecit, eò quòd tributa quotannis à Thebis exigeret, ipsamque urbem incensâ regiâ evertit. Item Thraciæ fluv. Plin. & Mela *lib.* 2.

Erginus, unus ex quatuor fratribus Syris, militibus Acrocorinthum tueri ab Antigono jussis. Hic præcipuus fuit, qui arcem Antigono prodidit. Vide Polyæn. *lib.* 6. *in Arato.*

Ergitia, Simlero *Ergentz*, vulgò *Egrez*, fluviolus agri Raurici, à quo pagum *Arragove*, in litt. Arnulphi Imper. memoratum, nomen accepisse quidam volunt. Vide *Ærgitia.*

Eribertus, vide *Heripertus.*

Eribœa, dicta est ab Hom. *Iliad.* 5. Juno, quasi *bucula molestia*, quòd Io in bovem versam, multis affecit molestiis. Nam ἔρις *contentionem*, & βοῦς *bovem* significat. Item Macedoniæ urbs. Ptol. *Croja* Moletio, aliis *Presba.*

Eribotes, Thebonis fil. fuit, medicinæ peritissimus, ut qui Oilei vulnus à Stymphalidibus illatum sanaverit. Testis Orpheus *in Argonauticis.*

Ericates, viri cujusdam Lycaonii nomen à Messapo Æneæ comite interfecti. Virg. *Æn.* 10.

Cadicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspem
Messapus, Cloniumq; Lycaoniumq; Ericaten.

Ericea, vicus Athenis in tribu Ægeide. Steph.

Erichtheus, vide *Erechtheus.*

Erichtho, mulier Thessala, multitudine veneficiorum famosa. Lucan. *lib.* 6.

Hos scelerum ritus, hæc dira carmina gentis
Effera damnarat nimiæ pietatis Erichtho.

Quo nomine etiam usus est Ovidius *in epist. Sapphûs*, pro Furiæ cujusdam infernalis nomine, his verbis:

—— *Ut quam furialis Erichtho*
Impulit. ——

Erichthonius, quartus Atheniensium rex, post Amphictyonem, ex semine Vulcani in terram projecto editus, unde & nomen habet ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονὸς, *ex certamine*, atque *humo.* Nam cùm Vulcanus Diis arma fecisset, cique Jupiter optionem præmii dedisset, quod vellet postulandi, jurassetque per infernam paludem se nihil negaturum; tum ille Minervæ nuptias postulavit; quas cùm Jupiter juramento astrictus ei negare non posset; Minervam tamen monuit, ut repugnaret, pudicitiamque defenderet. Tum in illâ colluctatione Vulcanum in terram profudisse ajunt semen, atque inde editum esse puerum, draconem pedibus, nomine *Erichthonium*, qui cùm adolevisset, ut pedum deformitatem tegeret, primus currûs usum adinvenit. Serv. *in illud Georg.* 3.

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos, rapidisq; rotis insistere victor.

Idem fuit argenti inventor, secundùm Plinium, & auctor ludorum Panathenaicorum. Circa A. M. 2565. regnare cœpit, per an. 50. Vide Seldeni *Comm. in marmora Arundeliana. p.* 7. 75. Alius fuit Dardani fil. ex Candaviâ conjuge, ut quibusdam placet. Patri successit, A. M. 2605. per 65. an Eus. *Chron.*

Ericinum, Sardiniæ opp. Ptol. Macedoniæ urbs. Liv.

Ericis portus, *Lerice*, castrum est cum portu in ora Or. sinus Speziæ, in ora Orient. Genuensi, 4. mill. ab arce S. Mariæ in Ort. 45. à portu Delphino.

Sueciæ Reges.

Ericus, vel *Henricus I.* Sueciæ R. egregiis legibus regnum instruxit, auxit ditiones, colonias in insulas, quæ nunc Daniam componunt, deduxit.

Ericus II. populi copiam regno gravem videns, bella suscepit, Rugiam vastavit.

Ericus III. fil. Algothi, patri in Suecia, Dania & Norvegia successit, bello felix.

Ericus IV. cogn. Sapiens, circa. Nat. Christi, ingenio & fortitudine inclytus.

Ericus V. nepos Hinardi occisi, ei successit, avitæ cædis ultor, sed & ipse postmodum per insidias sublatus.

Ericus VI. fil. Birgeri.

Ericus VII. fil. Ingi. Ei natus

Ericus VIII. cognom. Victoriosus.

Ericus IX. fil. prioris, à subditis occisus, quòd ipse baptizatus, illos quoque baptizari vellet.

Ericus X. cognom. Sanctus, Finnis subjugatis, fidem Christianam annunciari curavit. Ejus nepos

Ericus XI. cui genitus est

Ericus XII. cogn. Balbus, prudentiâ & pietate illustris: qui obiit an. 1250. regni 28.

Ericus XIII. etiam Rex Daniæ fuit. Vide ibi.

Ericus XIV. fil. Gustavi I. ex Catharina Saxonica, regnare incepit, an. 1560. Astrologiæ & Mathematum peritissimus, contra Polonos Danosque bellum gessit, sed ob sævitiam, surrogato ei fratre Johanne, Finlandiæ D. per quadriennium in vinculis detento, ipse an. 1568. in eundem carcerem conjectus, ibi obiit. Olaus M. *hist. Goth.* Saxo *hist. Dan.* Chytræus, *Saxon. l.* 20. *&c.*

Daniæ Reges.

Ericus I. Daniæ R. cum *II.* & *III.* non memorabilis.

Ericus IV. in Cypro obiit, itinere in terram S. suscepto. An. 1103.

Ericus V. occisus est, quadriennio post thronum conscensum, an. 1139. Hujus ex sorore nepos

Ericus VI. cogn. Agnus, decennio post regnum ab avunculo traditum, in Cœnobio obiit.

Ericus VII. ab Abele fratre occisus est, cadavere in mare projecto, sed hic paulo pòst fratricidium morte luit. Utriusque fratre Christophoro successore, cujus filius

Ericus VIII. Cleri hostis, subditis invisus, 56. vulneribus, per seditionem, occisus est. An. 1286. Ejus fil.

Ericus IX. cognom. Bonus, regno suo plurimas ditiones adjecit, Obiit anno 1319.

Ericus X. Dux Pomeraniæ, an. æt. 14. Sueciæ, Daniæ Norvegiæque R. creatus est, an. 1396. annitente amitâ Margareth, constitutumque, ut horum regnorum vinculum insolubile esset. Regnare incepit, an. 1412. sed ob crudelitatem suis ingratus, diuturnis ac difficilibus bellis, cum Slesuicensibus D. cum Hanseaticis urb. & Suecis rebellantibus, gestis, pertæsus molestiarum, relictis regnis in Pomeraniam secessit, an. 1438. ubi etiam obiit an. 1459. æt. 77. Iter in terram sanctam susceperat, an. 1424. Auctor hist. Dan. sic incipientis: *Dani, ut testantur veteres historiographi, &c.* Usque ad an. 1288. Vide Joh. Galterii *Chron.* Saxon. Gramm. Ericum, Magnum, Crantzium, Pontanum *Hist. Dan.*

Viri Illustres.

Ericus, aliis *Hericus*, *Liricus*, *Firicus*, vel *Henricus*, Monachus Antissiodorensis, circa annum 880. sub Carolo Crasso scripsit

psit S. Germani vitam, libb. 6. Sigebert. *de Vir. ill. cap.* 105. *&c.* Item Rex Angliæ. Item, Dux Forojul. à subditis occisus, an. 799. Item D. Saxoniæ, qui in Concil. Basiliensi Sigismundum Imp. accusavit, quòd Marchionem Misniæ Electorem Imperii fecisset, &c.

Ericus Puteanus, Venloâ Geldrus, scriptis egregiis clarus. Valer. Andreæ, *Bibl. Belg.*

Ericussa, una insularum Æoliarum. Steph. *Alicur* Leandro. Habet tantùm aliquot tuguria. Ins. est maris Tyrrh. versus Siciliam, 20. mill. à Lipara, 7. à Phœnicusa in Occ. 30. ab Ustica in Ort. Baudr. Item insula parva maris Jonii apud Paxas, Corcyræ proxima. Plin. Nunc *Pachsu*, seu *Paxa maj.* ad Austrum Corcyræ, 12. mill. ab ora littoral. Epiri in Occas. sub Venetis, qui eam concesserunt Pargensibus Epirotis, ut ibi armenta pascerent. Baudrandus.

Eridanus, Italiæ fluv. in Vesulo monte nascens, & per agrum Gallicum in mare Adriaticum influens. Hodie notiore nomine *Padus* appellatur. Non longè à Venetiis distare innuit Propertius. Sic enim ille,

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Itemque Lucanus *lib.* 4.

Sic Venetus stagnante Pado, &c.

Fluviorum regem vocat Virgil. *Georg.* 1.

Proluit insano contorquens vortice sylvas
Fluviorum rex Eridanus.

Sidon. *Paneg. ad Avitum,*

—— *Tibi maxime fluctu*
Eridane. ——

Nulli omnium claritate inferior. Ita de eo Plin. *lib.* 3. *cap.* 16. Lucan *lib.* 2.

Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem
Eridanus, fractasque evolvit in aquora sylvas.

Καλλίῤῥοον eum vocat Dionys. *Vers.* 289. Hoc fluvio mersum esse è curru Solari decidentem poëtæ ferunt Phaëthontem. Ovid. *Met.* 2.

Quem procul à patriâ diverso maximus orbe
Excipit Eridanus.

Claudianus.

Et Phaethonteâ percussus damna ruinâ
Eridanus ——

Vide *Phaethon*, & *Padus*. Item *Eridanus* cœleste signum Arieti proximum. Cicero *in Aratais:*

Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cœli, funestum magnis cum viribus amnem, &c.

Claudianus,

Stellifer Eridanus sinuatis fluctibus errans
Clara Noti convexa rigat, gladioque tremendum
Gurgite sydereo subterluit Oriona.

Eridanus, vulgò *Rodaun*, amnis Poloniæ, in Prussia reg. ex lacu exoriens, 25. m.p supra Dantiscum. Ibi in Vistulam fluv. cadit, dein paulo pòst cum ipso in mare Balt. labitur. Cluver.

Erigone, Icari filia. Ea morte patris auditâ, quam rusticici intulerant, eò quod vinum dedisset, quo haustò gravissimo somno oppressi fuerunt, & datum sibi venenum existimarunt: manus sibi intulit, seque ipsam suspendit. Postea verò morbo pestilenti Athenis grassante oraculum acceperunt, ut Icarum & Erigonem annuo honore venerarentur, atque ita in astrorum numerum cum patre relata est, & nomen Virginis retinuit. Virgil. *Georg.* 1.

Quà locus Erigonen inter Chelasque sequentes
Panditur. ——

Stat. *lib.* 11.

—— *Qualis Marathonide sylvâ*
Flebilis Erigone, casi prope funera patris,
Quæstibus absumptis tristem jam solvere nodum
Caperat & fortes ramos moritura legebat.

A Baccho compressam fuisse in uvam mutato docet Ovid. *Met.* 6.

Liber ut Erigonen falsâ deceperit uvâ.

Inde *Erigoneius* adject. Ovid. *Fast.* 5.

Nocte sequente diem canis Erigoneius exit

Hoc est, oritur Canis, sydus cœleste.

Erigonus, vel *Erigon* Straboni, Thraciæ flu. *Vistrizza* Sophiano. Oritur in Pœonia, supra Deborum, dein per Dessaretios, Deuriopes & Emathiam fluens, auctus Rhœdia aliisq. multis fluviol. infra Ædessam in Axium cadit. Item Pictor insignis. Plin. 35. 11.

Erigyius Mitylenensis, è ducibus Alexandri, de quo plurima Diod. Arrian. Curtius.

Erimanthus, vide *Erymanthus*.

Erimum, urbs Oenotrorum in Mediterraneis. Steph. *Regina* Gabr. Barrio.

Erinæ, Sarmatiæ Asiaticæ gens. Ptol.

Erindes, fluv. Asiæ, circa Parthiam. Tacitus.

Erineos, locus asper fuit, sub Ilii montibus, à caprificorum (quos Græci appellant ἐρινεοὺς) multitudine dictus. Meminit hujus loci Andromache apud Hom. *Iliad.* 6.

Erineses, Indiæ fluv. cum Gange se conjungens. Arrian.

Erineus, urbs in Doride à caprifico dicta. Strabo. Est & alia Italiæ, & alia Achajæ. Steph. Item Siciliæ parv. fluv. Thucyd. hodie *Noti*, & ejus ostium *Miranda*, Fazello, & Aretio dicitur. Baudrando *Miranda*, in valle Neætina. In mare Jonium se exonerat, 12. mill. à Neæto in Bor.

Eriniates, Megaridis vicus. Steph.

Erinna, poetria, floruit Olymp. 106. an. 4. ut est *in Chronicis* Eusebii: sed perperam, Sapphûs enim fuit amica, uti constat ex Tatiano, & Suidâ, quam etiam ingenio superasse, tradit Eus. *Chron.*

Erinnys, una Furiarum infernalium. Virg. *Æn.* 2.

—— *Quò tristis Erinnys,*
Quò fremitus vocat. ——

Ovidius *Met.* 1.

Quà terra patet fera regnat Erinnys.

Helena *Trojæ & patriæ communis Erinnys*, dicitur Virgilio *Æn.* 2. Itemque Cleopatra Lucano *lib.* 10.

Dedecus Ægypti, Latii feralis Erinnys.

Inde *Erinnyes* num. pl. Ovid. *in Epist. Canac.*

Ferte faces in me, quas fertis Erinnyes atra.

Propertius *lib.* 2.

Tunc me vel Tragicæ vexetis Erinnyes.

De quibus Græci poëtæ passim, præsertim Tragici.

Erioch, rex Elymæorum. Judith. 1. lege *Arioch.*

Erionia, regio circa Sardes, quæ & *Asia.* Steph.

Eriphrysa, insula una ex Æoliis. *Eriphysa* Strab. *lib.* 6.

Eriphyle, uxor Amphiarai, Adrasti soror, quæ accepto à Polynice aureo monili, maritum latentem, ne ad bellum Thebanum, ubi se moriturum sciebat, proficisci cogeretur, Adrasto prodidit. Quam uxoris perfidiam ægrè ferens filio Alcmæoni in mandatis reliquit, ut accepto primo mortis suæ nuncio, matrem interficeret, quod & ille in patris ultionem adimplevit. Juvenal. *Sat.* 6.

Occurrent multæ tibi Belides, atque Eriphylæ.

Virgil. *Æneid* 6.

His Phædram, Procrinque locis, mæstamque Eriphylen.

Cic. *contra Verrem: Eriphylam accepimus in fabulis eâ fuisse cupiditate, ut cùm vidisset monile ex auro, ut opinor, & gemmis, pulchritudine ejus incensa salutem viri prodiderit.* Idem 1. *de Juvent. Mulierum genus avarum est, nam Eriphyle auro viri vitam perdidit.* Prop. 3. 13.

Tu quoque ut auratos gereres Eriphyla lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

Idem 2. 16.

Aspice quid donis Eriphyle invenit amaris.

Hinc *Eriphylæus* adject. Stat. *Theb.* 4.

Sic Eriphylæos aurum fatale penates
Irrupit, scelerumque ingentia semina movit.

Eripia, venefica fuit, & fascinatrix, quæ si quod animal aspexisset, illi protinus aliquid mali accidebat. Erasm. *in Chil.*

Erippidas, Lacedæmonius, ad componendam Heracleensium seditionem à suis missus, populum ad concionem vocatum armatis circumdedit atque auctores quasi quingentos ad unum trucidavit omnes. *Diod. l.* 14. in. an. 2. Olymp. 95. Apud eundem *l* 15. in an 4. Olymp. 100. Θηραπτίδαν ἀπίςλων perperam legitur pro Ηεριππίδαν Vide quoque Polyæn. *lib.* 11.

Eris, fluvius. Strabo *lib.* 5.

Erisichthon, Thessalus, qui Cererem spernens, & ejus lucum succidens tam famelicus factus est, ut propria membra præ fame comedere coactus sit. Ovid. *Met.* 8. Vide *Metra.*

Eristhenes, à matre Mediâ interfectus est, quòd malè in bello pugnasset.

Erithini, sive *Erithyni* scopuli Pont. Eux. apud oram Bithyniæ, *Farnasu* Burdonio. Horum meminit Arrianus *in Periplo*; Apollonius etiam post Sesamum (quæ Plinio, ac aliis eadem quæ Amastris) subjungit αἰπεινοὺς Ἐρυθίνους, quos Hom. itidem ὑψηλοὺς vocat *in Catalogo.* Ptolemæus in situ Ponti, & Bithyniæ, Thyniada, & Erithynos scopulos dicit adjacere regioni Cyaneorum. Stephanus dicit urbem esse Paphlagoniæ sic à *rubedine* dictam.

Erixo, Eques Romanus, quia filium suum flagellis occiderat, à populo in foro graphiis est confossus. Senec. *l.* 1. *de Clement. c.* 14.

Erizeli, Phrygiæ gens. Ptol.

Ermæa, mel. *Hermæa*, ins. prope Sardiniam. Ptol. Etiam *Mercurii* ins. dicitur, nunc *la Tavolara*, in ora Or. ubi incipit Borealis, prope prom. Columbarium. Satis est fertilis, sed incolis caret, propter frequentes piratarum excursiones. Baudr.

Ermanaricus, Ostrogothorum rex ex vulnere mortem obiit, an. U.C. 1127. Jornandes.

Ermanricus, vel *Ermenoldus*, Abbas, scripsit vitam S. Soli, Abbatis Angli, Canis. *antiq. lect. tom.* 4. An idem cum Ermoldo auctore Panegyrici Ludov. Pii? Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *cap.* 4.

Ermantia, & Maria, Stiliconis filiæ, ambæ ab Honorio ductæ quidem, sed ante consummationem conjugii extinctæ. an. C. 398. P. Orosius *l.* 7. *cap* 24. &c.

Ermericus, vel *Irmaricus*, Cantii R. filius Esci, frater Othi, huic successit, an. 532. usque ad an. 561. Beda *l.* 1. Chenius *l.* 6. Item, Suevorum in Hisp. R. qui obiit an. 440. post regnum an. 32. Clinicus septennis. Idac. *in Chron.*

Ermericus, dux Suevorum, cujus auspiciis Hispaniam invaserunt, an. Chr. 408. ibique annos 176. regnarunt. Vide infra.

Ermio-

Ermione, (lege *Hermione*) urbs ad Argolicum sinum. Ptol. *Castri* Sophiano.

Ermon, hoc est, *fons*, oppidum erat in tribu Manasse, in octavo lapide Scythopoleos ad Meridiem, non longè à Jordane contra Salim, ubi baptizabat Johannes, quòd ibi aquæ multæ essent.

Ernaginum, vulgò *Eragnac*, locus Galliæ, inter Cabellionem Cavarum & Tarasconem Salyorum. *Utriculariorum corporatorum Ernaginensium* mentio fit in marmore Arelatensi. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Ernestus, Elector Saxoniæ, à quo *linea Ernestina*, sicut à fratre ejus Alberto *Albertina*, quæ hodie Electoralis est, origo. Filius is Friderici I. Placidi, nepos Friderici II. Bellicosi, sub quo Ducatus Sax. Electoratu auctus rediit ad Witikindeos, cùm hactenus in variis familiis hæsisset: Princeps fuit prudentiâ, & compositis inter tres Reges Casimirum Poloniæ, Uladislaum Bohemiæ, ac Matthiam Hungariæ rebus inclytus. Moriens sola Servatoris sui opera sibi sufficere est testatus. Ejus fil. Fridericus III. Sapiens, Wittebergensem arcem condidit, Academiam ibi A.C. 1501. erexit, Luthero favit, Imperium sibi oblatum recusavit, Obiit cœlebs, sub tumultus rustici initia. Ei successit frater Johannes, cognom. Constans, seu Bonus, qui in adolescentia in Hungaria Maximiliano militans, A. C. 1490. primus Albæ Græcæ mœnia conscenderat. Fratris successor, visitatione Ecclesiasticâ institutâ, Ecclesiis Ministros præfecit, & Wittebergæ 20. Dom. Trin. vernaculâ linguâ primùm curavit Missam, ut vocant, celebrari; hinc nunquam ei à Cæsare collata sunt Principatus insignia. Ejus dein auspiciis rustici rebelles cæsi: Episcopique A.C. 1528. coërciti sunt: quo ipso adversùs decretum Spirense cum aliis protestatus est. In comitiis Augustanis A. C. 1530. Cæsari Confessionem obtulit, decessit A.C. 1532. Pater Johannis Friderici Electoris, & Joh. Ernesti: quorum illo bello Smalcaldico ab Imperatore victo captoque, Electoratus in *Albertinam lineam* translatus, & Mauritius agnatus dignitate hac insignitus est. Auctor fuit Joh. Fridericus linearum Gothanæ & Vimariensis, de quibus *suo loco*. Vid. de his omnibus accuratè disserentem Phil. Jacob. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist.*

Erno, Loug Earne lacus Hibern. in Ultonia & Comit. Fermanagensi, ol. *Erdinus*; estque duplex, & in confin. Connaciæ reg.

Ernodorum, quasi *Ernonis aqua* Gall. Lugdunensis opp. Anton. Quibusd. *Issoudun*, in prov. Bituricensi. *Exelodunum* Lat. Baudr. Valesio, ad flu. Ernonem, vulgò *Arnon*, qui Linerias, Condate, Cellam, Casale Benedicti, Marogilum, vicum S. Ambrosii, Carrocium, Rulliacum alluens, non longè à Virsione in Carim labitur, sita, hodie à S. Ambrosio *S. Ambrois sur Arnon* dicitur, *Not. Gall.*

Ernolatia, opp. Norici, ubi nunc vicus *Hall*, in Austr. sup. ad fluv. *Krems*, Cluver. 6. leuc. Germ. à Lentia in Austr.

Ero, vide *Hero*.

Erocade, Hippothoontidis tribus pars. Steph.

Erochus, urbs Phocidis. Pausan.

Eroga, locus Judææ, ubi mons, terræ motu scissus, & ad 4. stadia loco motus. Josephus *Ant.* 9. 11.

Eropai, Africæ propriæ gens. Ptol.

Eropia, insula una ex Cycladibus, aliter *Acis*, postea verò *Siphnus* appellata.

Eropolistides, nomen fictitium apud Plautum, quo significatur *ob amorem vendita*.

Eropus, Rex Macedonum, in cunis successit Patri Philippo I. Illyrios semel victores, prolatus in campum infans, devicit. Regnavit an. 27. Justin. *l.* 7.

Eros, servus Antonii, à quo cùm Antonius ab Augusto superatus, rerum desperatione gladium petiisset, ad inferendam sibi mortem, ille quidem gladium accepit, quasi dominum percussurus, at converso gladio seipsum confodit. Plut. Item Comœdus quidam, cujus meminit Cic. *in Orat. pro Roscio Comœdo.*

Erostratus, nebulo quidam sceleratissimus, qui cùm nomen suum posteritati consecrare omnibus modis cuperet, atque hoc virtute consequi non posset, templum Dianæ Ephesiæ manu propriâ incendit, ratus propter hoc saltem facinus nomen suum ab historicis propagatum iri. Ephesii autem, ne speratum ex scelere fructum consequeretur, severissimis edictis caverunt, ne quis eum unquam nominaret; non tamen efficere potuerunt, ut nomen illius ad nos non perveniret, ut scribit Strabo *l.* 14. Lege *Herostratus*.

Erpachium, castr. Franconiæ, in tractu *Othonis Sylva*; hinc regiunc. Comitatus Erpachiensis, sub proprio Comite, media ferè inter Rhenum, Mœnum & Neccarum fluv.

Erphordia, urbs ampla & munita Germ. ad *Jeram* fluv. regiunculæ instar, antea *Mergisburgum*, à Merovæo Francorum R. Cum arce S. Cyriaci. Incendio deformata, an. 1417. Antea sui penè juris, sed ab Elect. Moguntino vindicata an. 1664. Vix 3. leuc. à Vimaria in Occ. 5. à Jena. 3. à Gotha in Ort. 14. à Lipsia in Occ. Hîc Concilium an. 932. 1073. 1074. contra Sacerdotes Concubinarios, Vide *tom.* 9. *Concil.* Lambert. *in Chron.* & supra *Erfordia*.

Erpis, seu *Herpis*, Mauritan. Tingitanæ urbs. Ptol. oppidul. nunc regni Fezzæ, in Errifis prov. juxta fluv. *Nocor*, ad pedes montium. Quibusd. *Mernisa*.

Erquicum, vulgò *Erquico* seu *Ercoco*, urbs munita Abissiniæ, in ora littor. maris Erythræi, cum portu capacissimo, & admodum frequenti, 100. circiter leuc. Gall. à Suacheno in Austr. Totius illius oræ emporium. Aliis *Arquicum*. Ol. *Adulis*.

Erranoboa, Indiæ fluv. in Gangem deficiens. Plin.

Errifis, prov. regni Fezzæ, versus oram maris Mediterr. inter Hasbatam prov. ad Occ. & Garetam ad Ort. Ibi urbes Gomera, Velitiaa, & Mezemma, in ora maris Mediterr.

Erroris Inf. *Alboran* Europæis, parva & oblonga, in ora Fezzæ & prov. Garetæ, ex adverso prom. *trium Furcarum*, à quo vix distat 4. leuc. in Bor. Habet tantùm vicos aliquot, cum castro, contra piratas.

Erruca, Volscorum in Italiâ urbs. Diodorus Sic.

Ersenius, nobilis gladiator. Lege *Esernius*.

Ertha, urbs Parthiæ ad Euphratem. Steph.

Ertzbergius Severinus, aliàs *Ærimontanus*, Ecclesiastes & Professor Basiliensis, disciplinæ severitate, in adolescentia moderanda clarus; Christo domi forisque per an. 26. prædicato, Obiit anno Chr. 1566. Vide Urstis. *Epit. Hist. Basil. cap.* 15. Huic filius fuit

Ertzbergius Henricus, Theologus eruditus & constans, qui postquam in patria sacro ministerio cum fructu functus esset, ut exteras Ecclesias inviseret, in Galliam profectus, lanienam Parisiensem an. 1572. ægrè effugit: inde Genevam, hinc Tigurum delatus, nervosum hîc, *de genuino sensu Verborum S. Cœnæ*, scriptum, vernaculo sermone edidit: mox Mülhusium vocatus, brevi pòst in flore ætatis ibi obiit.

> *Me Domini Zelus, pietasq; invicta, locavit*
> *Post vix exacta hîc bis tria lustra polo.*

Ertzica, Armeniorum regio Laonicus.

Erubrus, fluv. se cum Mosellâ committens. Auson. *Rober* Ortel.

Ervigius, Gothorum R. in Hisp. Græci Ardabasti exulis fil. Bambæ, veneno necato, successit per an. 7. Roderic. *hist. l.* 2. Mariana *lib.* 6. Canon 8. Concil. Toletani, ejus eligendi causâ convocati, Bambam sponte cessisse refert.

Erupa, Arabiæ desertæ urbs.

Erutius Clarus, 2. Consul cum Cethego, an. U.C. 922.

Erxias, scripsit historiam Colophoniam, Athen. *l.* 13. An idem cum Ergia Rhodio, qui de Patria sua opus condidit? Athen. *libr.* 8. Gesner. *Bibl.*

Eryannos, Troadis fluv. ex Idâ monte manans. Plin.

Erybium, Doriensium urbs sub Parnasso monte, Diod. Siculus.

Eryce, urbs Siciliæ. Steph. Vide *Eryx*

Erycina, Veneris cognomentum ab *Eryce* Siciliæ monte, in quo colebatur. Hor. *Car.* 1. *Od.* 2.

> *Sive tu mavis Erycina ridens.*

Hinc *Templa Erycina*. Stat. 1. *Sylv.* 2.

> *Non secus alma Venus, quàm si Paphon æquore ab alto*
> *Idaliasq; domos, Erycinaq; templa subiret.*

Erymanthus, mons Arcadiæ, in quo aprum agrorum vastatorem Hercules domuit, vivumq; super humeros ad Eurystheum retulit, quo conspecto Eurystheus in æreo vase se abscondit. Stat. *Theb.* 4.

> *Monstriferumq; Erymanthon, & aërisonum Stymphalon.*

Densa juga Erymanthi, apud Sen. *in Herc. Fur.*

Nigra sylva Erymanthi. Apud Hor. *Carm.* 1. *Od.* 21. Ovidius *Ep.* 9.

> *Tegeæus aper cupressifero Erymantho.*

Hinc *Erymanthius*. Cic. *in Ver. Ajebant in labores Herculis non minus hunc humanissimum Verrem, quam illum aprum Erymanthium referri oportere.* Inde *pestis Erymanthia*, Silio *lib.* 3. id est, Aper quem Hercules interemit. Hinc etiam *Erymanthis* Patronymicum, pro Arcadiâ. Ovid. *Met.* 2.

> *Nexilibusq; plagis sylvas Erymanthidos ambit.*

Etiam Callisto Lycaonis filia, quæ versa fuit in ursam, dicebatur *Erymanthis*. Ovid. *Trist.* 1. 3.

> —— *Custos Erymanthidos ursæ.*

Denique *Erymanthæus*. Val. Flacc. 1. *Argon.*

> *Quiq; Erymanthæi sudantem pondere monstri*
> *Amphitryoniadem, &c.*

Est & fluv. hoc nomine in Alpheum defluens. Plin. Item urbs Arcadiæ Pausan. de fluv. Callim. *Hymn.* 1.

> —— Οὐδ' Ἐρύμανθος
> Λευκότατος ποταμῶν. ——

Cujus fontes Pausanias in Lampea monte ponit, qui sacer Panos esse dicitur.

Erymna, urbs Lyciæ, *Tralles* postea dicta. Steph. Thessaliæ item oppid. Strab. Et Magnesiæ. Plin.

Erymus, venator Cyzicenus. Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 194.

Erysice, urbs Acarnaniæ, quæ postea *Oeneadæ* nominata est. Aliqui totam Oeneadarum regionem *Erysicen* nominarunt ab *Erysice* Acheloi filiâ. Steph.

Erythea, urbs Cypri, in quâ Apollo Hylates colitur. Steph.

Erysthenes, vide *Eristhenes*.

Erythea, vel *Erythia*, insula inter Gades & Hispaniam, quam sic describit Plinius: *Ab eo latere quo Hispaniam spectat* (Gadis insula) *passibus ferè centum, altera insula est longa 3. mill. pass. m. lata, in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro & Philistide Erythia, a Timæo & Sileno Aphrodisias, ab indigenis Junonis. Erythia dicta est, quoniam Tyrii*

ab origine eorum orti ab Erythræo mari ferebantur. Acutè ut solet, corrigit Salmasius *Tyrii aborigines earum*, i. e. conditores Gadium & Erythiæ. Aborigines enim Halicarnasseus exponit γενάρχας ἢ πρωτογόνους. Phœnicia igitur fuit insula, non Punica, quæ conditores habuit è Tyro, non è Carthagine, ut perperam Avienus,

—— Hinc Erythia est insula
Diffusa glebam, & juris olim Punici;
Habuere primò quippe eam Carthaginis
Prisci coloni. ——

De eâdem Stephanus in Ἀφροδισιάς, quod nomen est, ad multa loca ambiguum: Τρίτη, νῆσος ἡ πρότερον Ἐρυθεία μεταξὺ Ἰβηρίας, καὶ Γαδείρων. Et Strabo, Ἐρύθειαν δὲ τὰ Γάδειρα ἔοικε λέγειν ὁ Φερεκύδης, &c. Ἄλλοι δὲ τὴν παραβεβλημένην ταύτην τῇ πόλει νῆσον, πορθμῷ σταδιαίῳ διειργομένην h. e. *Videtur Gadibus Erythiæ nomen tribuisse Pherecydes:* Alii autem hoc nomine intelligunt *insulam urbi adsitam, unius stadii freto divisam.* Ex quo facilè colligitur, quis Erythiæ fuerit situs, quæ hodie nusquam comparet. Fuit nempe media inter Gades & continentem, urbi, quæ ad Occasum erat insulæ, ita vicina, ut fretum interjectum unius solùm esset stadii, ut refert Strabo, vel centum passuum, ut Plinius. Hæc est illa Erythia apud Poëtas tam celebris, in qua regnasse volunt tricorporum illum Geryonem, cujus boves Hercules abegerit. Fabulæ princeps in Theogoniâ Hesiodus, poëta omnium qui extant, uno Homero excepto, longè vetustissimus: Τρικέφαλον inquit Γηρυονῆα *tricipitem Geryonem* exarmavit Hercules

—— Περιρρύτῳ εἰν Ἐρυθείῃ
Ἤματι τῷ, ὅτε περ βοῦς ἤλασεν εὐρυμετώπους
Τίρυνθ' εἰς ἱερὴν, διαβὰς πόρον Ὠκεανοῖο.

Dionysius *de situ Orbis* *Vers.* 558.

Ἤτοι μὲν νήσοισι βοοτρόφον ἀμφ' Ἐρύθειαν,
Ἀτλαντος περὶ χεῦμα θεουδέες Αἰθιοπῆες
Μακροβίων υἱῆες ἀμύμονες, οἵ ποτ' ἐκεῖνο
Γηρυόνος μετὰ πότμον ἀγήνορος.

Et in Poëtarum gratiam, Erythiæ boves fingit Marcianus Ægyptiis & Epiroticis non cedere. Verba sic habent ex magni Salmasii emendatione,

Εἶτ' ἐχομένη 'στὶ νῆσος ἡ καλουμένη
Ἐρύθεια, μεγέθει μὲν βραχεῖα παντελῶς,
Βοῶν ἀγέλας ἔχουσα καὶ βοσκημάτων,
Προσεμφερεῖς ταύροις τε τοῖς Αἰγυπτίοις,
Καὶ τοῖς κατὰ τὴν Ἤπειρον ἐπὶ Θεσπρωτίοις.

Propertius 4. 10.

Amphitryoniades quâ tempestate juvencos
Egerat a stabulis, ô Erythea, tuis.

Ovidius *Fast.* 1.

Ecce boves illuc Erytheidas applicat Heros,
Emensus longi claviger orbis iter.

Idem *Fast.* 5.

Victor abit, secumq́ boves Erytheida prædam
Abstrahit ——

Et Eurip. *in Herc. Fur.* vocat Geryonem τὸν τρισώματον βοτῆρ' Ἐρυθείας. Tamen in Iberia non regnavit Geryon, nec circa Gades, sed Ambraciâ in Epiro. Ita pronuntiat Arrianus post Hecatæum Historicum antiquissimum *lib.* 2. Ἀναβάσ. *Geryonem*, ait, *adversus quem Hercules Argivus ab Eurystheo missus est, ut boves Geryonis abigeret, & Mycenas duceret*, οὐδὲν τι προσήκειν τῇ γῇ τῇ Ἰβήρων Ἑκαταῖος ὁ λογοποιὸς λέγει. *Nihil ad Iberorum regionem pertinere dicit Hecatæus historicus, neq́ insulam ullam Erythiam in Oceano sitam missum fuisse: Sed continentis, quæ circa Ambraciam & Amphilochum est, regem fuisse Geryonem, & ex illa continente Herculem boves abegisse.* Quod ipsum habet Eust. *in Dionys.* Atque eodem pertinet, quòd in Epiro boves prægrandes Λαρινοὶ *Larini* credebantur ex illorum esse genere, quos abegerat Hercules, & nomen habere à *bubulco Larino* Herculis abigeo. Hæc partim ex Athenæi *lib.* 9. partim ex Aristoph. *Schol. in Aves*, partim ex Suidâ, qui veterem scriptorem citat Lycum Rheginum, Lycophronis parentem. Et ex Herodoto colligere est Græcorum neminem navigasse Tartessum ante Colæum Samium, qui vi ventorum ingruentium invitus eò abreptus est, illo ipso anno, quo Cyrenas condidit Battus, id est, annis circiter 600. post Herculis apotheosin. Præterea in Erythiâ gramen erat siccius, quàm ut bobus saginandis esset. Itaque nullos boves in eâ memorat Strabo, sed oves solùm, quæ mirum in modum pinguescebant: Τῶν νεμομένων (inquit) αὐτόθι προβάτων τὸ γάλα ὀρὸν οὐ ποιεῖ, τυροποιοῦσί τε πολλῷ ὕδατι μίξαντες διὰ τὴν πιότητα. Ἐν τριάκοντά τε ἡμέραις πνίγεται τὸ ζῶον, εἰ μή τις ἀποσχάζει τι τοῦ αἵματος: ξηρὰ δέ ἐστιν ἣν νέμονται βοτάνη, ἀλλὰ πιαίνει σφόδρα: *Ibi pascentium ovium lac sero caret, nec nisi aquâ multâ infusâ in caseum cogunt, propter pinguedinem, ac trigesimo die pecus suffocatur, nisi aliquid mittatur sanguinis: nam quo pascuntur gramine, licet sicco, valdè pinguescunt.* Hæc Strabo de ovibus in Erythiâ, dicturus etiam de bobus illis præpinguibus, si qui fuissent, maximè, cùm ad Poëtarum illustrationem hoc pertineat, in quâ ubique multus est. Proinde Mela in Bætica natus, non putavit propè Gades esse Geryonis Erythiam, sed contra Lusitaniam, in quâ eâdem sententiâ etiam alios fuisse ex Plinio, & Solino constat. Ac mihi persuasissimum est (inquit Bochartus) Hispaniam & Gades Græco Herculi ne famâ quidem fuisse notas, & poëtas ideo suum Herculem in Oceanum deduxisse, ne Phœnicio Hercule videretur inferior, quem ex longinquis itineribus non vulgarem sibi gloriam comparasse noverant. Nomen ejus quod attinet, ab ovium frequentiâ Phœnices videntur *Erythiam* appellasse עשתרות *astaroth*, id est, *ovium*, deinde etiam עשתורת *astoreth*, vel עשתרתא *astarta* propter allusionem, tanquam ab *Astarte* deâ; quod ab iis redditum Ἀφροδισιάς, seu *Veneria*, ab aliis Ἥρας νῆσος *Junonis insula*: Quia Astarte modò pro Junone sumitur. Et Græcorum antiquissimi, cùm quid essent *Astaroth*, vel *Astoreth*, planè nescirent, videntur divulsis vocibus inde fecisse ἄσυ Ἐρύθης, quasi sic diceretur oppidum in insula Ἐρύθη. Nam Ἐρύθην pro Ἐρύθεια occurrere docet Stephanus, quod dici putat κατὰ συναλοιφήν. Ut *Calliope, Penelope* pro Καλλιόπεια & Πηνελόπεια. Vide Voss. *ad Melam p.* 250.

Erythini, urbs Paphlagoniæ. Steph. Quæ ex Homeri sententia juxta Cromnam & Gobialum à Strab. statuitur. Idem: *Erythinos* eos dici putant, qui nunc *Erythui*, à colore dicti.

Erythra, urbs Jonum, quæ & *Cnopupolis*, alia Libyæ, tertia Locridis, quarta Bœotiæ, quinta Cypri, quæ & *Paphos*. Steph.

Erythrabolos, promunt. Libyæ. Steph. quasi dicas *glebam rubram*.

Erythræ, civitas Asiæ, non longè à Chio, ex quâ Sibylla fuit, quam à patriâ *Erythræam* vocant. De qua vide Euseb. *lib.* 5. Lactant. *Div. Inst. lib.* 1. *cap.* 6. *& de Ira Dei*, *cap.* 22. August *de Civ. D. lib.* 18. *cap.* 23. Casaub. *Exercit. in Baron.* ut & Servium in illud *Æn.* 6. *Deiphobe Glauci.* Item Joniæ opp. maritimum. Ptol. Apollodori patria.

Erythræum mare, pars Oceani, Arabiam à Meridie alluens, ad Occidentem Arabico, ad Ortum Persico sinu terminata. Ratio nominis variè traditur à scriptoribus. Proximè tamen ad veritatem videntur accessisse, qui ab *Erythrâ* rege Persei, & Andromedes fil. in illo merso, dictum putant, cui etiam opinioni subscribit Arrianus *Gestorum Alexandri, lib.* 8. Reliquas opiniones lector poterit videre apud Strab. *lib.* 16. Plin. *lib.* 6. *cap.* 23. Agatarchidem apud Phot. *num.* 250. Sanson. *Geogr.* A Latinis autem per errorem videtur appellatum *Mare rubrum.* Nam cùm audirent, à Græcis *Erythræum* vocari, existimantes à *rubedine aquarum* ita dictum, ipsi quoque *mare rubrum* appellarunt. Vide Eust. *in Dionys.* Agatarchidem, Fullerum *in Miscellaneis*, ac præsertim Mart. Lipenium *de Navig. Salomon. cap.* 4. *sect.* 1. Baudrando hoc mare, al. *Arabicus* sinus, Asiam ab Africa separat, & extenditur inter Arabiam ad Ort. & Troglodyticam ac Ægyptum ad Occ. *mare Rosso* Ital. *Mer de la Mecque* & *Rouge* Gall. *Bahar Corzum*, Arab. Aliis est pars Oceani, inter oram Carmaniæ & Aromata prom. inter sin. Persicum & Arabic. Nunc Oceanus Arabicus. Vide quoque P. de Valle, *itinerar.* Item *Erythræum*, Cretæ promunterium. Ptol. *Cabo Rosso* Pineto.

Erythras, fil. Persei, ac Andromedes, qui in confinio Rubri maris regnum habuit, unde *mare Erythræum.*

Erythron, Cyrenaicorum locus in Pentapoleos regione Africæ, Ptol. *Furcelli*, teste Marmolio.

Erythros, locus apud Tybur, in Latio; qui & *Rubra Saxa.* Strab.

Eryx, Butæ & Veneris fil. qui cùm viribus plurimum polleret, hospites ad cæstuum certamen solebat provocare: qua ratione cùm non paucos trucidasset, ab Hercule ex Hispania redeunte superatus occubuit: atque in monte, quo Veneri matri templum condiderat, sepultus est. Virg. *Æn.* 5.

—— Quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroq́ intendere brachia tergo.

Eryx, Indus quidam, qui procedente Alexandro Embolima, angustias itineris viginti millibus armatorum obsedit, quem Indi, sive odio, sive gratiam victoris inituri, fugientem adorti interemerunt, caputq; ejus atq; arma ad Alexandrum detulerunt. Curt. 8. 61.

Eryx, mons Siciliæ, in orâ Boreali, & Occid. apud Drepanum urbem, ab eâ 2. mill. p. distans introrsum. Ovid. *Fast.* 4.

—— Zephyro semper apertus Eryx.

Erat autem mons altissimus & solo Ætnâ minor. Polyb. *lib.* 1. Μεγέθει δὲ παρὰ πολὺ διαφέρει τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν ὀρῶν, πλὴν τῆς Αἴτνης. Solinus, *Eminet Sicilia montibus Ætnâ, & Eryce.* Diod. *lib.* 4. ascensum ad Erycem tradit esse triginta stadiorum. Τῆς ἀναβάσεως οὔσης σταδίων λ. Inde Poeta *lib.* 2. *Æn.*

Quantus Athos, aut quantus Eryx.

Et *Æn. lib.* 5.

At procul excelso miratus vertice montis.

De Eryce loquitur Theocr. *Idyl.* 15.

Αἴπεινόν τ' Ἔρυκα. ——

Ovid. *Am.* 2.

Colle sub umbroso quæ tenet altus Eryx.

Et Sil. *lib.* 14.

Nec non altus Eryx.

Lucanus *lib.* 2.

Ut maris Ægæi medias si celsus in undas
Depellatur Eryx. ——

In

In ſummo vertice hujus montis templum fuit Veneris Erycinæ. Polyb. *lib.* 1. Τούτου δὲ ἐπ' αὐτῆς τῆς κορυφῆς, οὔσης ἐπιπέδου, κεῖται τὸ τῆς Ἀφροδίτης τῆς Ἐρυκίνης ἱερὸν, ὅπερ ὁμολογουμένως ἐπιφανέστατόν ἐστι τῷ τε πλούτῳ καὶ τῇ λοιπῇ προστασίᾳ τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν ἱερῶν. Mela, *Montium* (Siciliæ) *Eryx maximè memoratur, ob delubrum Veneris ab Æneâ conditum*. Virg. *Æn*. 5.

Tum vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Hanc impensè coluiſſe Pœnos teſtatur Diodorus *lib*. 4. Καρχηδόνιοι μέρους τῆς Σικελίας κυριεύσαντες, οὐ διέλιπον τιμῶντες τὴν θεὸν διαφερόντως. Nempe Venus eſt Phœnicum Aſtarte, cujus cultum ab illis Græci edidicerant. Notum enim eſt ex Pauſaniâ, nullum in Græciâ fuiſſe Veneris templum antiquius templo Cythereæ Veneris, quod in Cytheris Phœnices condiderant; proinde etiam ædes Erycinæ Veneris videtur eoſdem habuiſſe conditores, quicquid Græci de Æneâ ac Trojanis garriant, aut verò à Dædalo, quem ferunt ſaxum Erycis antea confragoſum complanaſſe, muro per præcipitia ducto, ut latior eſſet area. Vide Diodor. *libr*. 4. & Pomp. Sabinum *in libr. Æn*. 5. Sed & in Erycis vertice fuit urbs ejuſdem cum monte nominis, de quâ Polyb. ubi ſupra: Ἡ δὲ πόλις ὑπ' αὐτὴν τὴν κορυφὴν τέτακται, πάνυ μακρὰν ἔχουσα καὶ προσάντη πανταχόθεν τὴν ἀνάβασιν. Fuit etiam *Eryces* fluvius naſcens ex *Eryce* monte & urbe, de quâ Callias apud Macrob. 5. 18. Ἡ δὲ Ἐρύκη τῆς μὲν Γελώας ὅσον ἐννενήκοντα στάδια διέστηκεν. Ἐπιεικῶς δὲ χέῤῥος ἐστὶν τό τε ὄρος καὶ τὸ παλαιὸν γεγενημένη πόλις, ὑφ' ᾗ καὶ τοὺς Δέλλους καλουμένους εἶναι συμβέβηκε: *Eryce à Gelenſium finibus 90. circiter ſtadia diſtat. Valdè autem deſerta, atque inculta ſunt cùm mons, tùm quod in eo quondam fuit Siculorum opidum, ſub quo & Delli ſiti ſunt.* Mons hodiè vocatur *Catalfano, ubi* (inquit Fazellus) *ingentis urbis vetuſtæ, dirutæ, ac magna quoque arcis miræ ſpectantur ex quadratis lapidibus ruinæ.* Hæ ſunt ruinæ opidi Eryces, cui, ſi Stephano credimus in voce Ἀκράγας, nomen dedit amnis *Eryces*. Sed utrique nomen à monte, qui Punicè dictus eſt חרוכס *Harucas* vel חרכס *Hareces*, & Græcè Ἐρύκης vel Ἔρυξ, ut mons prior prope Drepanum: Hîc enim, de quo jam agimus, non longè aberat à Palicis. Opp. Eryces nunc vicus vallis Mazaræ, *Trapano del monte* dictus, ob incolas, Drepanum translatos, à quo vix 3. mill. diſtat in Ort. Mons autem, cui inſidet, *monte di S. Giuliano*. Baudr.

Eryxias, 20. Athenienſium princeps, regnavit annis 10. Olymp. 13. quâ vixiſſe Homerum nonnulli contendunt.

Eryxis, Philoxeni filius, qui, ut deformis & incommodus, materiam Comœdis riſûs præbuit. Vid. Ariſtoph. *Ran*. 4. *Sc*. 1.

Eryxo, mater pueri Batti, quæ tyrannum Laarchum nuptias ſuas ambientem, noctu ad colloquium vocatum, per fratrem Polyarchum obtruncavit.

Erzerum, urbs & regio Aſiæ, ſub Turca. An *Cæſarea Cappadociæ*? Vid. ibi.

E S.

Eſaan, civitas in tribu Juda Joſ. 15.

Eſacus, Priami fil. qui quòd cauſa fuiſſet necis Heſperiæ nymphæ, quam deperibat, ſeſe aquis obruit. Lege *Æſacus*.

Eſaias, id eſt, *ſalus Domini*, primus ex IV. Prophetis majoribus, vide *Iſaias*. In *Eſajam*, vel partes, prodierunt: Adriani *Fragmenta*, Gr. Alvarez *Comm*. 2. tom. Quart. Rom. 1619. & *Expoſitio*, fol. Lugduni 1623. de Ancones *Elucidatio*. 2. tom. fol. Ibidem 1642. Arcularius, Octav. de Aquino. Auguſtinus. Baſilii *Expoſitio in c*. 16. *pr*. Beda. Bohlii *Commentat. Rabbinicæ*, Quart. Borrhai *in Eſaj. & Apoc*. fol. 1562. Baſileæ. Brentius. Bullingeri *Homiliæ*, fol. Tiguri 1575. Calvinus. Carpentejus. à Caſtro. Cheſche R. Schelomo, Hebr. Chytræi *Comm*. Clopenburgi *Enarratio in c*. 53. Octav. Cyrilli *Explanatio*. Draconites. Durantius, *in cap*. 53. Gall. l'Empereur *Paraphraſis in Com. Abarbanelis*. Octav. Lugduni Bat. 1631. Euſebius. Forerius. Forſterus, Quart. Genebrardus. Geſneri *Prælectiones in cap*. 14. *pr*. & 53. Witeb. 1609. Graminæus. Gualterus. de Haſſelio. Haymo. Heilbrunneri *Vaticinia*. Quart. Lavingæ 1584. Heſychius. Heshuſius. Hieronymus. Hyperius Janſenii, *Comm. in cap*. 12. & 38. fol. Lugduni 1577. Janſonius. Joachimus. Don Iſaac Abarbenel. Kirchneri *Enarratio in cap*. 53. Octav. Mülhuſ. 1579. de Lapide. Lauretus. Lucas. Lutherus. Maldonatus. Malvenda. Marlorati *Expoſitio Eccl*. Genevæ 1620. Maucorſius. R. Meir Armaah. Melanchthonis *in cap*. 4. *pr. Argumenta*. Mentzeri *Meditatio*. 8. Franc. 1607. Mollerus. Montanus. R. Moſche Alſchich. Munſteri *Editio Hebr*. Muſculi *Comment*. fol. 1570. Oecolampadii *Comment*. 1525. ab Oleaſtro. Origenis *Homiliæ*. Oſiander. Oſorius Paez. de Palatio. Pappi *Enarratio*, fol. Francof. 1593. Parez. Paulutius. Pelargus. Pintus. Pitiſci *Conciones*, Quart. 1619. Francof. Procopius. de Quiros. Rennecherus. Sanctius. Sasboldus. Schilteri *Enarratio cap*. 53. Lipſ. 1595. Schnepfius. Scultetus *in Iſaj*. Quart. Franc. 1619. Schvvan. Strackius. Streicherus. Strigelius. Thaddæus. Titelmannus. Thoſſarius fol. Baſileæ, 1558. Weirtibier *in cap*. 53. Quart. Franc. 1607. Wigandi *Annotationes*. Oct. Erphord. 1581. Urſinus *in c*. 21. *pr*. Zuinglii Explicatio, &c. Vide Crovvæi *Elenchum*.

Eſapus, Vide *Æſapus*.

Eſar, Ægyptiorum op. in Æthiopiâ, quod Bion *Sapin* vocat. Plin. 6. 30.

Eſau, fil. Iſaac, ex Rebecca, natus A. M. 2199. cum fratre Jacobo. Obiit A. M. 2325. Ejus poſteri Idumæi. Vid. Gen. 25. & 26. Idem *Edom* dictus eſt, Gen. 36. Lat. *factus*, ſive *perfectus*. Vide Sulp. Sever. *pag*. 42.

Eſau, in tribu Juda, Hier. *in L. H.*

Esbaal, filius Saul. 1. Par. 8. Lat. *ignis idoli*.

Esbon, fil. Bale fil. Benjamin. 1. Par. 7.

Esbonitæ, Arabiæ Petreæ gens. Plin.

Esbus, Judææ urbs. Ptol.

Eſcamus, *Iſchar*, Moeſiæ flu. ex Rhodope oriens. Plin.

Eſchol, frater Mamre. Gen. 14. Eſt & vallis, & torrens terræ Chanaan in viciniâ Hebronis. Lat. *botrus*, ſive *orbatio*, aut *ignis omnis*.

Eſco Sconga, opp. Vindeliciæ, ad Lichum fluv. 24. m. p. à Camboduno; nunc in Bavar. 9. leuc. Germ. ab Auguſta in Auſtr. totidem à Monachio in Afric.

Eſcua, mel. *Oſca*, opp. aliàs Hiſp. Tarr. in Baſtitanis, in confin. Bæticæ, nunc *Hueſca*, in regno Granat. in confin. Caſtellæ novæ & Murciæ, inter Baſtim in Afric. & Carcam, ſeu Caravacam in Cæciam. Paucis conſtat incolis, ad pedes montis Oroſpedæ.

Eſcuina, vulgò *Eſcoüen*, vicus agri Pariſini frequens, & arce ſuâ nobilis. *Iſcuina* in Geſtis Fr. c. 37. ubi Chlotarius min. in pago Senonico ad fluv. Aroannam, non procul à Doromello victo acie victus eſſe dicitur à Theodorico Burg. R. & Melodunum caſtrum Senonum, urbem Pariſios, ſilvamque inde Aurelianenſem fugâ petiviſſe: Theodorico inſecuto, & poſt vaſtatam igne ferroque regionem ad *Iſcuinam* uſque cum ingenti præda domum reverſo. Vid. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Eſcuriale, vicus Caſtellæ nov. 7. leuc. à Madrito, ubi Philipp. II. magnificentiſſimum Monaſterium excitavit, cum inſigni Eccleſia *S. Laurentii*, quòd hoc die Anno 1557. Gallos ad Fanum S. Quintini ingenti prælio viciſſet. Uſus eſt operâ Lud. de Fuxio, Pariſienſis, Architecti peritiſſimi, & in eo nihil ad divitias ſplendoremque deeſt. Ibi etiam eſt Regum Hiſp. recentiorum Mauſolæum, in ſumptuoſa capella *Pantheon* dicta. Inter Orbis miracula recenſetur, ſed Anno 1671. incendio mirè deformatum eſt, cum jacturâ inſignis Bibliothecæ.

Eſcus, ſecundus Cantii R. pacificus, poſt regnum an. 24. filio Otho regnum reliquit, Anno 512. Bedæ *Otrichus*, cognom. *Oiſcus*, dicitur. Unde Cantii Reges *Oiſcingii* vocati. *l*. 1. Duchenius, *hiſt. Angl. tom*. 1. *l*. 6. *c*. 9.

Eſdras, & *Eſras*, Vid. ibi, nomen ſacerdotis, 1. Eſdr. 7. Joſ. *Antiq. lib*. 11. de quo ſic D. Hieronymus *in Præfat. in libr. Reg. Certumque eſt*, inquit, *Eſdram ſcribam, legisque doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel alias reperiſſe litteras, quibus nunc utimur, cùm ad illud uſque tempus, iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint*, &c. V. Celeberr. Buxtorf. *Anticriticam*. Totam ipſe Bibliothecam à Babyloniis combuſtam, reparavit: Moſis totum opus ab ipſo ſine librorum diſtinctione ſcriptum, in quinque partitus eſt libros. Comeſt. *in cap*. 1. *Levit*. Lat. *adjutor*, ſive *atrium*. Vide quoque Salian. Torniel. A. M. 3556. 3569. 3610. 3640. In *Eſdram*, extant: Bedæ *Expoſitio Alleg*. Bibliander. Brentius. Crommius. Ferus. de Lapide. Lavateri *Homiliæ*. fol. Tiguri 1586. Lombardus. Loviſinus. Malvenda. Nezenius. Paulutius. Pembelii *Explicatio*. Angl. Londini 1658. Sanctii *Comm*. fol. Antv. 1627. Strigelius. de S. Victore. Wolfii *Comment*. fol. Tigur. 1584. &c. Vid. Crovvæi *El*.

Eſdrelon, civ. & campus Palæſtinæ, Judith. 1. *Campo di faba*, teſte Bocharto. In tribu Iſſachar, unde urbi nomen.

Eſdrin, nomen viri. 2. Mach. 12.

Eſeban, filius Diſon. Gen. 36.

Eſebon, filius Gad. Gen. 46. Item fil. Bela filii Benjamin. 1. Paral. 7. Item, fluv. Moabitarum, in Palæſtin. & Arab. Pet. confinio.

Eſebon, urbs Amorrhæorum glorioſa, inſignis & munita valde, in tribu Ruben, ſita in montibus, cincta muris coctis lateris, cui tanquam dominæ maximus pagorum numerus ſerviebat, vocabatur *Esbus*, diſtans à Jordane viginti miliaribus.

Eſec, frater Aſer, filii Elaſa. 1. Paral. 8. Lat. *violentia*, ſeu *calumnia*.

Eſelias, propter Saphan. 1. Par. 14. qui 4. Reg. 22. dicitur *Aſalias*, Lat. *liberans Dominus*.

Eſem, civitas in tribu Juda. Joſ. 15. Lat. *os*, ſive *fortitudo*, aut *lignum eorum*, vel *conſilium eorum*, aut *clauſura*, ſcilicet oculorum.

Eſens, Comitatus Friſiæ Orientalis, ad littus Oceani: Ortum verſus contiguus eſt Jeveriæ, ab Occaſu Bremenſi & Auricenſi tractu, à Borea mari terminatur: nomen habet à primario ejus oppido ſic vocato. Metel.

Eser, fil. Seir Horræi. Gen. 36. Lat. *cellarium*, sive *thesaurus*, aut *angustians*.

Esernia, vide *Æsernia*.

Esernius, gladiator nobilis, cui æqualis, & par alter gladiator extitit, nomine Pacidianus; de quibus natum proverbium: *Esernius cum Pacidiano*. Cic. *lib. de opt. oratorum genere: A me*, inquit, *quò maximis minima conferam, gladiatorum par nobilissimum inducitur, Æschines tanquam Esernius; ut ait Lucilius:*

—— Non spurcus homo, sed doctus & acer
Cum Pacidiano hoc componitur, optumu' longè
Post homines natos. —— ——

Esguillonium, opp. Aquitaniæ, in Aginnensi prov. Cum tit. Ducatus, ad confluentes Oldi in Garumnam, 4. leuc. infra Aginnum. Mel. forsan *Aguillonium*, quod V.

Esia, vel *Æsia*, Galliæ fluv. in Sequanam fluens. Vibius. Is est quem hodiè *Isaram* vocant, Gallicè *Oise*.

Esionenses, vel *Esionea*, pop. Asiæ. Strabo.

Esion-geber, & ἀρχαϊκῶς *Asion-gaber*, & *Gasiongaber* Eusebio Ἀσία, & Hieronymo *Essia*, portus Idumææ prope Ælam ad mare Rubrum. 1. Reg. 9. 26. Vide Boch. *de Ph. Colon. p.* 764.

Esis, Italiæ flu. Plin. 3. 13. Vid. *Æsis*.

Eskia, regiunc. Scotiæ, in confin. Angliæ, à fluv. *Eska* dicta, prope Cumbriam, inter Anandiam ad Occas. & Lidesdaliam ad Ortum.

Eslinga, urbs in Duc. Wirtemberg. Imperialis & libera; ad Neccarum flu. 1. leuc. à Stutgardia in Ort. Aliter *Ezelinga*, parvi circuitus, & malè habita in bello Germ. Dicta à sono & clangore æris, quod ibi dies noctesque à fabris cuditur, quasi *Eisenklingen*, i. vallis ærariа, aut sonitus æris: Jus civitatis accepit, muroque & fossis munita à Friderico II. Imp. multisque privilegiis ornata est, Anno 1285. Conventus quoque hìc Imperii habitus legitur ab Henrico IV. Imp. A. C. 1077. In territorio urbis jus venandi Duci Wirtemberg. competit. Libera Curia, *der Freyhoff*, monasterii Adelbergensis, jus Asyli habet, &c. Ornavit inprimis hanc Remp. Syndicus Knipschildius, egregii tractatus, de Jure & privil. Civ. Imp. auctor, à paucis annis editi, Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 16. alios.

Esmunus, Sadyci filius. Damascius apud Photium: *Æsculapius qui Beryti colitur, non est Ægyptius, sed Phœnix aliquis indigena. Sadyco enim filii fuere, quos Dioscuros & Cabiros interpretantur:* Ὄγδοος δὲ ἐγένετο ἐπὶ τούτοις ὁ Ἔσμουνος: Ubi ad nominis rationem alludere videtur. Hebraice enim השמיני *octavus* dicitur.

Esna, Hier. *Asna*, nomen civitatis, in tribu Juda, Jos. 15. Lat. *mutatio, dormitatio*, aut *iteratio*, vel *secundatio*.

Esopis, civitas in Locris in quodam montis supercilio sita. Strabo *lib.* 6.

Esphata, filius Aman. Esther. 9. Lat. *congregatio*, sive *collectio*, aut *consummans* vel *finiens*.

Esquilia, & *Esquilinus* mons, unus ex 7. urbis Romæ collibus, *M. di S. Maria Maggiore* hodiè dictus. Item *porta Esquilina*, quam Procopius *Prænestinam* vocat, ut scribit Marlianus, qui eam hodie *S. Lorenzo* dici ait. Scribitur & *Exquilia*. Nunc clausa est, Fam. Nardinus; eratque inter portam S. Laurentii & Portam majorem in Exquiliis. Baudr.

Esras, de quo vide sis, in toto libro Esdræ, qui in Canone S. Scripturæ extat: Reliqui enim, qui illi attribuuntur, Apocryphi sunt, Vid. Bellarm. *de V. D. lib.* 1. *cap.* 10. & 20. utpote, qui, præter alias Apocryphorum notas, falsa, contradictoria, & superstitiosa plurima contineant. Vid. Spanhem. *disput. de auctoritate libb. Apoc.* Cœtera in *Esdras*.

Esriel, filius Galaad, filii Machir. Jos. 17. qui Num. 26. dicitur *Asriel*. Lat. *beatitudo Dei*, aut *intuitus fortis*, vel *gressus Dei*.

Esron, filius Ruben. Gen. 46. Filius Juda. 1. Par. 7. qui Gen. 46. *Zara* dicitur. Filius Pharez filii Juda. Gen. 46. Nomen loci. in tribu Juda, al. *Asor*, Civ. juxta Eremum, item *Esrom* & *Hesron*, Jos. 15. Lat. *sagitta exultationis*, sive *divisio cantici*, aut *atrium*, vel *fænum*.

Essa, aliàs *Essemon*, opidum, in quo Zenonis, Philadelphensium tyranni, res pretiosæ servabantur: quod Alexander, Judæorum rex expugnavit, & triplici muro circumdedit. Jos. 13. *Antiq. cap.* 21.

Essæi, vel *Esseni*, Judæorum secta, de quâ & institutis ejus Solinus *cap.* 28. & 36. Item Porphyrius *lib.* 4. Περὶ ἀποχῆς. Copiosè de iis Philo *lib.* περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον ἐλεύθερον. Item περὶ βίου θεωρητικοῦ. Vide Joseph. *Ant. lib.* 18. *cap.* 2. & *lib.* 2. *de B. J. c.* 12. Unde dicti ex Epiphanio *hær.* 29. ostendere conatur Petitus *lib.* 4. *Var. Lect. cap.* 9. Vide etiam de his Scaligeri trihæresii elenchum. Hos *Bathosæos* appellatos fuisse Fullerus observat *Miscell. Sacr. lib.* 2. *cap.* 3. Vide eum & *lib.* 1. *cap.* 3. Aliis una ex quatuor Samaritanorum sectis fuit, cui Judas quidam, ex Josepho, auctor. Hi communia habebant bona, contemtores voluptatum, etiam matrimonia respuebant, Sabbathum adeò superstitiosè colentes, ut ne vas quidem ullum loco moverent, nec naturæ necessitati satisfacerent; in 4. Classes divisi. Horum juniores tantâ natu grandiores veneratione prosequebantur, ut & tactum eorum refugerent. Alia species Esseniorum, conjugium admittebat, sed sponsæ sanitate prius triennio exploratâ, &c. Qui autem sub S. Marco Alexandriæ vivebant Essenii, Christiani fuere: etiam Jessæi Epiphanio dicti, à Jesse, Patre Davidis, diversi ab Esseniis Judæis, ut dictum, de quibus idem. Quòd horum nulla in Nov. Test. mentio, sententiam hanc probare videtur, quòd Samaritæ fuerint, qui à Judæis pro hæreticis habiti, nihil cum eis commercii habebant. Hieron. *de Scr. Eccl. in Marco & Philone*. Cyrillus Alex. *lib.* 6. *c. Jul.* Chrys. *hom.* 44. *in Acta*. Euseb. *lib.* 2. *histor. cap.* 15. & 16. Sozomen. *lib.* 1. *cap.* 12. Nicephor. *l.* 2 *c.* 15. Philo *libr.* 1. *de Vita contem.* Plin. *libr.* 5. *cap.* 17. Baron. *Anno Chr.* 64. &c.

Essedones, Asiæ pop. super Mæotim habitantes, Plin. 4. 12. Quibus (teste Herodoto *libr.* 4.) mos est parentum funera cantu prosequi, & congregatis proximis cadavera ipsa, pecudum carnibus admistis, comedere. Capite excepto, quod auro inclusum, idoli loco habent & anniversario sacrificio colunt. Vide Herodot. *lib.* 4. Pomp. Melam. *l.* 2. *c.* 1. Stephanum.

Essendia, Imperiale ol. sub Montensis Ducis tutela, oppidum, Collegiato Virginum & Canonicorum sodalitio præstans: quod Alfridus IV. Hildesheymensium præsul, ex paternis facultatibus fundavit. Metel.

Essequebia, vulgò *Essekebe*, fluv. Americæ merid. ex præcipuis Guajanæ. Oritur versus lacum Parimæum; auctusque pluribus fluminibus, in mare Boreale se exonerat, in Caribana reg. ad Ortum Orenoci fluv. *Esquib* Hollandis, qui aliquot colonias in eo tractu habent.

Essexia, Comit. in parte Angliæ Or. cujus urbs præc. Glocestria, à Coilo R. condita. Solum fertile. Primus Comes Godofredus Mandevillanus fuit, cujus familiâ extinctâ, Johannes R. dein Henr. VIII. porro Elisabetha, tandem Jacobus eum concesserunt, cui volebant. Camden. *descr. Brit.* Roberti *Essexiæ* Comitis, qui sub Elisabetha R. floruit, digna lectu historia est. Vide Thuani & Grotii *Histor.* ut & infra.

Essexius Robertus, Comes, *Achilles Anglicus* quibusdam dictus, cùm regiâ arceretur, & ille quondam gratiosus, suffultus clientelis, armatus legionibus, nunc sine decore, sine imperio vitam aulamve pati non posset, varia versans consilia, inimicis cuncta rimantibus, ab Elisabetha Regina, cujus animum super veteres offensas forma quoque ipsius spreta in iram accenderat, dicendam ad causam vocatur. Intellecto periculo, domi suæ detentis, quos Regina miserat, ipse cum modica manu Londinum properans, dum amicos illic plebemque solicitat, à feciali publico præventus, in vincula compingitur. Datis judicibus auditus publicè, multa in inimicos dixit, hos ultum se esse, nunquam mutatâ in Reginam fide. Suspensâ diu omnium expectatione, ecquid Reginæ clementia & veteres affectus possent, an facinoris magnitudo & suspecta dudum popularitas, validique inimici veniam præcluderent? Damnatus tandem securi feritur, magnis circa suprema & pietatis & pœnitentiæ indiciis: capite prostrato, sectatores supplicio affecti sunt. A. C. 1601. Hujus exemplo Bironus Galliæ Marescallus, paulò pòst ab Henrico IV. ad Elisabetam missus, reginâ caput occisi monstrante, monitus, non tamen sapere didicit, haud diu post, ob idem crimen, eâdem pœnâ Parisiis affectus. V. Hug. Grotium & Thuan. *in Histor.*

Essui, mel. *Sessui*, Celtarum pop. Cæsar *in Com.* fortè *Hesui*, Plin. *lib.* 4. *cap.* 18. quos Marlianus *Retelois* vocat; Alii *La Comté d'Eu*. Alii *Trierarche*, & *Teresse*, q. d. *terram Essuorum*. Bovillus eos in Belgicâ ponit. Baudrando fuere, ubi Vagoritum, nunc Sagium, *Seez*, in Ducatu Normanniæ. V. *Sessui*.

Essus, urbs Locridis. Steph.

Estella, urbs Navarræ cum castrò, ad Egam fluv. ubi recipit Vrederum amnem. Hinc regiunc. *Merindada de Estella*, 7. leuc. à Calaguri in Bor. 6. à Pompeiopoli in Occas. Etiam *Stella*, Vid. ibi.

Esthamo, nomen civitatis. 1. Sam. 30. Lat. *exauditio*, vel *mulieris uterus*.

Esthaol, urbs tribui Judæ prius assignata, dein data tribui Dan, inter Azotum & Ascalonem in Palæstinâ. Jos. 15. juxta quam sepultus erat Sampson Jud. 16. Lat. *postulans*, aut *mulier fortis*, vel *mulier stulta*, sive *ignis laboris*. In campestribus sita erat.

Esthemo, sive *Eshtemoa*, civitas quæ Aaronis nepotibus è tribu Judæ est assignata, Jos. 21. Nunc vicus prægrandis, in Daroma. Hier. *in L. H.*

Esther, quæ & *Hadassah*, Mardochæi neptis, Ahasueri uxor. Lat. *occulta*, sive *abscondita*, vel *demoliens*: aut ex Ebræo & Syro, *medicina exploratio*, vel *contemplatio*, aut *medicina turturis*. Vid. totum librum Estheræ, qui in Canone conscriptus secundùm quosdam, à Mardochæo. Additiones autem, quæ ei assuuntur, Apocryphæ sunt, quod fabulosus earum character, contradictiones, quæ iis partim cum Canonico, partim inter se intercedunt, aliaque affatim arguunt. Plura de Esthera, apud Joseph. *Antiq. lib.* 11. *cap.* 6. & in voce *Assuerus*, quem quidam

Artaxer-

Artaxerxem Memnonem, alii Xerxen, &c. faciunt. In *Estheram*, vel *partes*, extant: Assum, in Octav. Germ. Norib. 1672. Bonartii *Comm.* fol. Coloniæ, 1647. Brentius. Celada. Crommerus. Cuperi *Comm.* Drusii *Annotat. cum Scholiis*. Quart. Amstel. 1632. Ferus. Fevardentius. Gualtherus. R. Isaac ben Arama. Don Joseph aben Jechiia. de Lapide. Lavateri *Homiliæ*, fol. Tig. 1586. Lechem Setharim Hebr. Malvenda. Merlinus. R. Moses Iserle. Paulutius. Rabanus. Rabboth Hebr. Sanctius. Serarius. Strigelius. Taylori *Targum prius & poster.* Quart. Wolfius, &c. Vide Crovvæi *Elenchum*.

Esthonia, Livoniæ pars Sept. Ejus partes sunt *Esthonia* propria, *Vicheslandia*, *Alentakia*, *Viria*, *Haria*, *Jervia* & *Oldempoa*. Urbes præc. *Fellinum*, *Revalia*, *Pirnavia*, *Torpatum*, *Hapselia* & *Lehalium*. Ei adjacent Insulæ, *Osilia*, 14. mill. patens: *Dageden* 9. mill. longa, 4. lata. *Mona*, *Wormse*, *Wrangen* & *Kien*, in quibus partim Esthica, partim Suecica lingua in usu. Sub Suecis, à multis annis. Baudr. Metel.

Estiones, Helvetii pop. Strabo *lib.* 4. quos Ægidius Tschudus *Estneiberger* vocat. Baudrando pop. Vindeliciæ, in valle Ilari fluv. inter Brigantios & Licatios, nunc ubi pars Sueviæ, versus Lacum Brigantinum.

Estola, fluv. Hisp. Tarrac. Oritur in confin. Asturiæ, dein rigatâ Legione & Benevento, aliquot pòst auctus rivulis, in Durium se exonerat, inter Senticam & Mirandam. Baudrand. Vulgò *Esla*.

Estotilandia, regio perampla Americæ Septentrionalis, versus terras Arcticas, & fretum Hudsonium, ad Boream novæ Franciæ. Aliter *Terra Laboratoris*, seu *nova Britannia* Anglis. Primùm à piscatoribus Frislandicis tempestate huc & in vicinas terras ejectis, detecta, duobus penè seculis ante Lusitanorum & Castellanorum navigationes, & postmodum circa annum 1390. auspiciis Zichini, Frislandiæ Regis, à Nicolao & Antonio Zenis, fratribus patriciis Venetis perlustrata est: Deinde verò à Johanne Scoluo, Polono, qui anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, 86. annis à prima ejus lustratione navigans ultra Norvegiam, Grœnlandiam Frislandiamque, Boreale fretum ingressus sub ipso Arctico Circulo ad hanc Estotilandi terram delatus est. Mari mersus, ut & Michael Cortereal is. Tota regio montibus aspera & sylvis horrida, ingenti omnis generis ferarum multitudine abundat. Fama est Gryphos istis quoque in montibus reperiri. Metel. Tantùm detecta versus oram littoralem. Baudrandus. Solum ferax, auri inprimis, incolæ ingeniosi, DuVal. *Geogr.* Davity *descr. Amer. p.* 48.

Estremadura, Vide *Extremadura*.

Esubiani, pop. inter Alpinos. Plin. 3. 20.

Esubopes, rex Colchorum, qui terram virginem nactus plurimum auri & argenti eruisse dicitur. Plin. 33. 3.

Esuris, Hisp. op. Anton. vulgò *Xeres*. Quibusdam est *Faro*, Urbs munita Algarviæ, cum portu, prope Cuneum prom. 9. leuc. Hisp. ab ostio Anæ, in Occ.

Esus, Rhodi fons. Vibius Sequester.

Esus & *Teutates*, humano cruore à Gallis placati. Lactant.

E T.

Etaëis, Laconica urbs. Steph.

Etalus, Corinthiorum rex, regn. an. 30.

Etam, nomen viri. 1. Par. 4. Item petra munita in tribu Judæ. Jud. 15. In qua postea civitas Judæ ædificata est, & à Roboamo ædificiis munita. 2. Par. 11. Lat. *avis eorum*, sive *involutio eorum*, vel *calamus eorum*: aut Syriacè *consilium eorum*.

Etaxalos, Ins. Arab. Fel. versus Orient. Plin.

Etburga, filia Edvardi Senioris regis Angliæ, quæ relictâ paternâ domo sese in solitudinem contulit, in quâ reliquum vitæ peregit.

Etearchus, Oaxi, civitatis Creticæ rex, qui amissâ uxore filiæ suæ Phronimæ novercam superinduxit, quæ domum ingressa ut erat, sese reipsâ novercam præstitit, cùm lædendo, atque omne injuriarum genus excogitando, tum ad extremum impudicitiam ei impingendo. Etearchus criminationibus uxoris fidem habens, Themisonem quendam Thereum jurejurando astrinxit, ut acceptam Phronimam in mari demergeret. Qui cùm neque Etearchi crudelitatis ministrum se præbere vellet, neque rursum jusjurandum violare, revinctam funibus puellam dimisit in pelagus, eâque subitò retractâ Theram pervenit, ubi Polymnestus vir inter Thereos spectatus, in concubinatum Phronimam accepit, qui ex eâ Battum genuit, Cyrenarum conditorem. Herod. *lib.* 4.

Etelesta, Carpitanorum in Hisp. urbs. Ptol.

Eteoclea, Andreidis tribus in Bœotiâ. Pausan.

Eteocles, Oedipi, Thebanorum regis fil. ex nefando Jocastæ matris concubitu editus, cum fratre Polynice ita convenerat, ut alternis annis regnarent. Exacto deinde primo anno, cùm Eteocles, qui, quòd major natu esset, primo anno regnarat, renueret fratri regno cedere, Polynices adjutus à Tydeo & Adrasto socero fratri bellum intulit, in quo ambo mutuis vulneribus ceciderunt. Impositis deinde cadaveribus eidem rogo, flammam se divisisse tradunt, quasi odium illud, quod inter vivos fuerat, ne morte quidem finiri potuerit. Euseb. Apollodor. Statius *Theb.* 12.

> *Ecce iterum fratris primos ut contigit artus*
> *Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena bustis*
> *Pellitur, exundant diviso vertice flammæ,*
> *Alternosq; apices abruptâ luce coruscant.*
> *Pallidus Eumenidum veluti commiserit ignes*
> *Orcus, uterq; minax globus, & conatur uterq;*
> *Longius, ipsè etiam commoto pondere paulum*
> *Secessere trabes.* —— ——

Ovidius,

> *Scinditur in partes atra favilla duas.*

Eteocreta, Cretæ pop. antiquissimi. Diodorus.

Eteones, urbs Eubœæ ab *Eteoneo* quodam, nunc *Scarphe* vocatur in colle sita. Steph. *Eteonos* Ferrario, op. Bœotiæ, ad Asopi fluv. ostia. Stat. 7. *Theb.*

> *Qui Scolon, densamq; jugis Eteonon iniquis.*

Eteonicus, Dux Lacedæmoniorum, qui, nuncio victi ad Arginusas Callicratidæ allato, jussit auctores ejus famæ coronis ornatos & Pæana canentes Mitylenem ingredi & victoriam nunciare; & ipse Evangelio sacrificavit, quasi ob rem feliciter gestam. Conon Atheniensis tunc Mitylenen oppugnans hoc facto consternatus, cum exercitu quietum se tenuit. Vide plura apud Diodorum Siculum *l.* 13. & Polyænum *l.* 1.

Etesiæ, venti quotannis statis temporibus flantes, biduo incipientes post Caniculæ exortum, & ad dies ferè 40. continuantes. Plin. 2. 47. Sic dicti quasi *annui*. Ἔτος enim Græcis est *annus* — *Etesia flabra Aquilonum* Lucretio dicuntur *libb.* 5. & 6. Seneca *veliferas* vocat, *in Thyeste*, *Æstas veliferis solvit Etesiis*. Unde Varro etiam *Navales* appellat. Stati enim sunt & constantes. Æstivos esse ventos constat ex Arist. *libr. de mundo*. Plut. *in Dione*, A. Gellio *l.* 2. *c.* 22.

Eteta, Mœsiæ superioris urbs. Ptol. *Recana* Nigro.

Etgarus, vel potius *Edgarus*, Angliæ rex, qui tot monasteria erexit, quot annos regnavit.

Eth, sive *Heth*, locus in regione Hebronis, in tribu Juda, quem *Ethæi* sive *Hethæi* populi, ab Ethæo sive Hethæo filio Chanaan orti incoluerunt: à quibus Abraham speluncam duplicem emit.

Ethagari, Sericæ reg. pop. Ptol.

Ethai, איתי, nomen viri. 2. Reg. 15. qui & *Ithai*. 2. Reg. 23. Lat. *robustus*, sive *signum meum*, aut *vomer*, sive *adventus*.

Ethai, עתי, filius Roboam ex Maacha. 2. Par. 11. Lat. *hora*, *tempus*, vel *paratus*.

Ethalia, vel *Æthalia*, ins. Ligustici maris, Populoniæ urbi opposita, ab *Ethalio*, qui ei præfuit, sic dicta.

Ethalion, unus ex Tyrrhenis nautis, quos in Delphinos mutatos fingit Ovidius *Met.* 3.

Etham, desertum magnum & arenosum, ad quod venerunt filii Israel profecti de Socoth. Ex. 13. Num. 33. Lat. *fortitudo eorum*, aut *vomer*, vel *adventus eorum*, sive *signum eorum*. Hoc transiverunt Israelitæ, ante ingressum maris.

Ethan, vir quidam sapiens, filius Maol. 3. Reg. 4. Filius Zaræ filii Judæ. 1. Par. 2. Filius Gazaiæ. 1. Par. 15. Filius Samma, filii Semei. 1. Par. 6. Filius Chusi, filii Abdi. 1. Par. 6. Item civitas deserta in capite solitudinis, tempore Mosis, Lycus Josepho, ubi Babylonem postea factam ait, dum Cambyses Ægyptum vastaret. Comest. *in cap.* 13. *Exod.* Lat. *fortitudo*, sive *vomer earum*, aut *insula donum*.

Ethanim, nomen mensis 7. apud Ebræos, qui nostro Septembri respondet. 3. Reg. 8.

Ethbaal, id est, *ad idolum*, sive *ad dominantem*, vel *ad subjicientem*, sive *ad possidentem*, aut *signum idoli*, vel *dominantis*, *subjicientis*, aut *possidentis*. Nomen regis Sidoniorum. 2. Reg. 16.

Ethecusa, ins. in orâ Cariæ. Plin. 5. 31. In aliis exemplaribus est *Hierussa*.

Etheel, nomen viri. 1. Esdr. 12. Lat. *mecum Deus*, sive *signum Dei*, aut *adventus* vel *vomer Dei*.

Etheg, Moesiæ op. Anton.

Ethelbaldus, significat *nobiliter audax*. Fil. Ethelvulphi, Anglorum Regis, diviso cum fratre Angliæ regno, Westsexiæ R. Patris viduam Juditam duxisse dicitur, quam postea Balduinus Flander rapuit. Biennium regnavit, vitiis infamis. Obiit an. 859. Chenius *hist. Angl. l.* 7. *c.* 6.

Ethelbaldus, Merciorum Rex, ab Alcuino fratre Pendi oriundus, pacificus Princeps, per an. 41. tandem ob scelera, à suis occisus. an. 756. Guil. Malmesbur. *hist. Angl.*

Ethelbertus, significat *nobiliter clarus*: Rex Cantii, post Ermericum, seu Irmericum Patrem, prudens clemensque. A Bertha uxore, è Galliæ R. sanguine, ad Christianismum conversus: baptizatusque ab Augustino, cum tota gente. Obiit an. 617. regni 53. Christianismi 21. Hic ad Christianismum neminem cogebat, ut qui à doctoribus didicerat, *Servitium Christi voluntarium, non coactitium esse debere*, Beda *hist. Angl. l.* 1. & 2.

Ethelbertus, frater Ethelbaldi, regno potitus, dignum se Patre filium præstitit. Danis fortiter restitit. Obiit an. 863. regni 5.

Ethelbredus, Rex Saxonum Occ. post Ethelbertum fratrem. Sub regni initium Danos pepulit, contra eosdem Merciorum Regi suppetias misit victrices, ipse tandem in prælio occisus. Anno 872. regni 6. Duchenius *Hist. Angl. l.* 7. *c.* 8 9. *& seqq.*

Etheldredus, fil. Edgari, post fratrem Eduardum II. Angliæ R. Edicto crudeli omnes Danos occidi, uxoribus eorum umbilicotenus defossis, ut à molossis parte extante, discerperentur, jussit. Ob avaritiam luxuriamque suis exosus, à quibus rebellione excitatâ, Suno Danorum R. regno potitus, ipse autem ad Richardum Normanniæ D. se recipere coactus est. Interim Sunoni mortuo Canutus fil. successit, & Ethelbredus in Angliam revocatus, ibi obiit. Anno 1016. regni 37. Idem *l.* 9. *p.* 282. *& seqq.*

Etheleum, Straboni *Æthaleis*, fluv. Asiæ, terminus Mysiæ & Troadis.

Ethelredus, 5. Anglorum rex. Itemque decimustertius, cujus temporibus Anglia Danis tributaria facta est. Polyd. *lib.* 7. Significat *nobile consilium.*

Ethelredus, seu *Ealred, Elred*, vel *Aëlredus*, Abbas Cistertiensis, in diœc. Eboracensi, an. 1145. Scripsit Chronicon, à condito Mundo, usque ad Henric I. Item vitam Davidis, Scotiæ R. &c. V. Simler. Voss. *de Histor. Lat. l.* 2. Possevinum, &c.

Ethelus, Cyzicenus, ingentis staturæ, in conflictu nocturno ab Ancæo interfectus. Flacc. 3. 138.

Ethelwerdus, vel *Elfwardus*, nobilis Anglus, nepos Ethelredi R. Scripsit historiam libb. 4. à condito M. usque ad Edgarum, varias item epistolas, ad Mathildem reginam. Guil. Malmesbur. *in præf. Hist.* Vossius *de H. L. l.* 2. *c.* 47.

Etelwlphus, *Edelphus* vel *Ethelphus*, aliàs *Athulphus*, Angliæ R. post Egbertum patrem, An. 838. Otii amans, regno Westsexiæ prisco sibi reservato, reliquas ditiones Ethelstano fratri, an filio? tradidit. Danos, Londino potitos, vicit. Dein decimâ regni parte Deo dicatâ, regna sua Romanæ sedi tributaria reddidit, librâ sterlingâ in quamque familiam promissâ. Quod ab Henrico VIII. sublatum. Vocabatur hoc tributum *Denarius S. Petri.* Româ reversus, Juditam, Caroli Calvi fil. duxit, turbas à primogenito excitatas, composuit. Obiit an. 858. diviso inter filios regno. Asser *in vita ejus.* Guil. Malmesbur. Polydorus Virg. Chenius, *lib.* 6.

Ethelwolphus, undecimus Anglorum rex. Significat *nobilis adjutor.* LLoyd.

Ethelwolphus Bernicius, Anglus, sec. 8. Insigne de Monasterii S. Petri, Ord. Bened. fundatione, poëma composuit. Vossius *de H. L. lib.* 2. *c.* 29.

Ethelwolphus de lapide, nobilis Suevus, sub Maximiliano Imp. in Aula Brandeburgica plurimum valuit. Scripsit de Heroibus & Viris Ill. Trithem. *Catal.*

Ethelwolphus Wentanus, Ep. discipulus Dunstani, de Regibus, regnis & diœcesibus Angl. &c. scripsit. Vincentius Bellov. Vossius, Possevinus, &c.

Ethemon, nomen viri, Virgil. *Æn.* 10.

Et clarus Ethemon Lycia comitantur ab altâ

Sed leg. *Et Clarus atq; Hæmon*, &c.

Ethemon, nomen viri. Ovid. *Met.* 5.

—— Instabat parte sinistrâ

Chaonius Molpeus dextrâ Nabatæus Ethemon.

Ether, civitas in tribu Judæ. Josuæ 15. Lat. *oratio*, sive *deprecatio.*

Etherius, Episc. Osmæ, in Castella nova, sec. 8. à regina Adosinda, Silonis vidua monitus, Elipandum Toletanum Nestorianismum ex orco revocare, ei se, cum Beato, sed frustra, opposuit. Opus ejus, *in Bibl. PP. t.* 4. *ed.* 2. *col.* 462.

Ethfinus, Rex Scotiæ, post Eugenium II. Post laudabile 30. an. regimen, 4. Vicarios constituit, qui jus redderent. Obiit an. 762.

Ethi, nomen viri. 1. Par. 12. id est, *Hora*, vel *tempus meum.*

Ethim, vicus aquationi opportunus, in tribu Zabulon, ubi Saladinus anno 1187. Christianorum exercitum contrivit. Vitr. *cap.* 94.

Ethini, Africæ propriæ pop. Plin.

Ethnan, fil. Ashur ex uxore Halaa. 1. Par. 4. Lat. *donum, merces*, vel *signum filii*, aut *adventus filii.*

Ethnesta, pop. Thessaliæ, ab *Ethnesto* Neoptolemi filio. Stephanus.

Ethnophrones, seu *Paganizantes*, hæretici, sec. 7. Joh. Damascenus.

Ethodus I. Scotiæ R. nepos Mogali R. ex sorore, Conaro successit. Argadum, qui sub priore Rege rerum summæ præfuerat, à Proceribus ob luxum in vincula conjecto, Justitiæ constituit administratorem. Quo occiso in ipsa functione, iratus Rex trecentos, facti participes, è medio sustulit. Occisus à tibicine Hiberno, cui in cubiculo suo locum concesserat, an. 194. regni 33. Buchan. *hist. Scot.*

Ethodus II. fil. prioris, post Sattraëlem & Donaldum I. patruos Rex. Ignavus & stupidus, post an. 30. ab excubiis suis occisus. Anno 231. Chenius, *l.* 4. *p.* 16.

Ethus, Scotiæ R. post fratrem Constantinum II. Dongali filio Gregorio, biennio pòst, regno cedere, ob vitia, coactus, Obiit an. 875. Buchan. *hist. Scot.* Chenius, *hist. Angl. l.* 8. *c.* 2.

Etia, vicus Laconiæ, aut Cretæ civitas.

Etini, Siciliæ populi. Plin.

Etna, in tribu Juda Hier. *in L. H.*

Etocetum, Angliæ op. Anton. *Uttokcester* nonnullis. Camdeno autem locus est, juxta Lichfeildiam, quem *the Wall* vulgariter vocant, à *murium reliquiis* ibi repertis.

Etriculum, Barrio *Lataraco*, op. Brutiorum, in Calabria cit. Vid. *Hetriculum.*

Etruria, Vid. *Hetruria.*

Ettan, locus Palæstinæ, Hierosolymis proximus. Jos.

E V.

Eva, id est, *Viva*, seu *Vivens*, omnium mulierum prima, quam Deus ex Adæ protoplasti costâ formavit: quam intuitus Adam, ait, *Hoc nunc est os ex ossibus meis, & caro de carne meâ. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Gen. *cap.* 2. A' serpente seducta, edit de fructu vetito, maritoque ut idem faceret, persuasit. Difficultati pariendi, & rigidæ subjectioni, peculiariter à Deo Judice addicta. Obiit A. M. 940. decennio post Adamum. Genes. 3. 4. Salian. Genebr. *in Chron.*

Eva, urbs Arcadiæ, Gentile *Evæus.* Steph. Pagus Peloponn. maximus in Argia, in confin. Arcadiæ. Ferr. Item, mons, ad Pamisum fluv.

Evadne, Martis filia, ex Thebe uxore Asopi, & conjux Capanei, quem incredibili amore dilexit. Itaque cùm audivisset illum apud Thebas fulmine periisse, ferè in stuporem diriguit, deinde cùm celebraretur funus, se in rogum projecit. Ovid. *de Evadne*,

Ausa maritales viva subire rogos.

Claudianus,

Casta maritali successit Thessala busto.

Mart. 4. 31.

Arserit Evadne flammis injecta mariti.

Propert. 1. 15.

Conjugis Evadne miseros elata per ignes,

Occidit Argivæ fama pudicitiæ.

Idem 3. 13.

Nec fida Evadne, nec pia Penelope.

Stat. *in fine Thebaidos*,

Turbine quo sese caris instraverit audax

Ignibus Evadne, fulmenq; in corpore magno

Quæsierit.

Albinovanus *ad Liviam*,

Hoc fuit Evadne, tunc cùm ferienda coruscis

Fulminibus Capaneus impavida ora dedit.

Ovid. *Eleg.* 3. *lib.* 4. *Trist.*

Cum cecidit Capaneus subito temerarius ictu,

Non legis Evadnen erubuisse viro.

Iphidis filiam fuisse facit interpres Pindari. Hyginus Phylaci. Apollodorus *lib.* 3. Ἐυάδνη ἡ Καπανέως, καιομένης πυρᾶς, θυγάτηρ δὲ Ἴφιδος, ἑαυτὴν βαλοῦσα, συγκατεκαίετο. Vide Eurip. *in Supplic.* ubi Iphis pater frustra dehortari conatur filiam Evadnen, à præclaro illo facinore. Ovid. 3. *de arte Amandi*:

Fata, Pheretiadæ conjux Pagasæa redemit,

Proq; viri est uxor funere lata suis.

Accipe me Capaneu, cineres miscebimus, inquit

Iphias, in medios desiluitq; rogos.

Evai, pop. habitantes ad Meridiem, quos expulerunt Israelis filii, Jos. 13.

Evæmon, pater Eurypyli, cum Græcis ad Trojam profectus 40. navibus præfuit. Hom. *in Catal.* Item urbs Orchomeniorum. Stephanus.

Evænetus, rex Lacedæmoniorum, qui ad custodiendum introitum Thessaliæ contra Xerxem, unà cum Themistocle Atheniensium duce à Græcis constitutus fuit.

Evænetus, Archon Athenis, Olymp. 111. an. 2.

Evages, Poëta, ingenio pollens, eruditione non æquè, Dionys. *in hist. Musica.*

Evagoras, Salaminius, rex Cypriorum, ad quem Isocrates scripsit. Excidit regno Salaminis, Protagorâ illud obtinente, sed cùm in eo recuperato iniquè se gerere ad Artaxerxem Ochum deferretur; iterum rejectus aliam præfecturam & ampliorem, post defensionem acceptam, adeptus est. At cùm in ea quoque priora continuaret, proturbatus, & Salamina profugus, jussu regis, supplicio affectus est. Diod. *lib.* 14. 15. 16. Ut alii habent, ab Eunucho Nicocle, qui successit, occisus. Conon, post cladem navalem acceptam, apud illum perfugium habuit. De filio ejus, Nicocle, cui Isocrates orationem, egregia pro Principibus monita continentem, inscripsit, V. Xenoph. *Hell. l.* 2. *& seqq.* Aristot. *Polit. libr.* 5. *cap.* 10. Item *Evagoras* Lindius historicus, de quo Suidam adi. Scripsit de regnis Ægyptiorum, vitam Timagenis, &c. Diversus ab illo est *Evagoras* Thasius; qui inter eos fuit, ex quibus Plinius librum Hist. Nat. contexuit, *l.* 10.

Evagrius

Evagrius, Patr. Antiochenus, post Paulinum, amicus Hieronymi; oppositus Flaviano Meletii successori, hinc schisma. Ambrosius *ep.* 78. illum Canonicè electum negat, defensus tamen est, à Syricio Episc. R. Obiit an. 394. Vitam S. Antonii ab Athanasio scriptam, Latinè vertit. Hieron. *in Cat. cap.* 125. & *ep.* 6. Theodoret. *lib.* 5. *cap.* 23. Socrates, *lib.* 5. *cap.* 15. Sozom. *lib.* 7. *cap.* 15. Item, alius Eudoxio Ariano surrogatus: ab Imper. Valente verò pulsus. Gregor. Naz. *Or. ad Cl. Ep.* Socrat. *lib.* 6. *cap.* 13. 14. Baron. A. C. 370.

Evagrius, Presbyter, annis 14. mansit in solitudine, contentus pane, & oleo. Si quando Veneris titillaretur illecebris, demergebat se in puteum, ut aquæ frigiditas libidinis fervorem compesceret.

Evagrius, cognomento *Ponticus*, quia natus fuit circa Pont. Eux. unde & Hyperboritam Hieronymus, ad Ctesiphontem scribens, vocat. A S. Basilio Lector fuit ordinatus: A Gregorio Nazianzeno cooptatus est, inter Constantinopolitanos Diaconos. Post illa Hierosolymam profectus fuit: atque ibi ex Clerico factus est Monachus. Inde venit in Ægyptum, ubi in Nitriæ monte vixit an. 16. Valde eum laudat Gennadius *in scriptoribus Ecclesiasticis*. Etiam commendat eum, utpote ei familiaris, Palladius Galata *in Lausiacis*. Item Socrates *Hist. Eccl.* 4. 18. & Sozomenus 6. 30. A' quibusdam creditur auctor vitarum P P. deserti, sed illæ Ruffini sunt. Sixtus Senensis & Trithemius tamen eas Evagrio Antiocheno tribuunt. Rosueid. *prolog.* 4. *ad vitas PP.* Sed ex Hieronymo, Epiphan. Theophilo Alex. constat, illum Origenis errores sequutum, Pelagiani dogmatis semina jecisse. Imo & inter hæreticos reponitur ab Antiocho Monacho, qui vixit sub Heraclio Imper. Hieron. *ep. ad Ctesiph. praef. adv. Pelag. ep.* 60. Gennad. *de Vir. Ill. cap.* 11. Socr. *lib.* 4. *cap* 18. Sozomen. *l.* 6. *c.* 30. 40. Baron. *A. C.* 388. *n.* 103. Joh. Climachus eum carpit, quòd è Christiano Stoicum facere hominemque nimis properè ad perfectionis metam perducere voluerit.

Evagrius Scholasticus, scriptor Eccles. Historiæ, quæ libris sex constat; Eam inchoat, ab an. 431. ubi Socrates ac Theodoretus desiere; perducit verò usque ad annum Mauricii duodecimum, ut quidem ipse testatur in fine operis, atque ex eo Photius *Tmem.* 29. Vide Vossium *de Hist. Gr.* 2. 23. Epiphaniâ, Syriæ urbe, oriundus, vixit sec. 6. Vulgavit quoque librum, relationes, epistolas, orationes, disputationes varias continentem: A' Tiberio & Mauritio ad dignitates evectus. Perspicuus est & accuratus, Photius *Bibl. cod.* 29. Nicephorus Calixtus, *praf.* &c. Interim in plurimis exscriptor Zachariæ Historici, qui hæreticus cùm esset, in his Evagrius fidem minimè meretur. Morer. *in Martyrio.*

Evalces, Historicus, Ἐφεσιακά prodidit, ut cognoscimus ex Athenæi *libro.* 13.

Evalens, populi, Glaucus *l.* 2. *de Arabia.* Steph.

Evan, unum est ex Bacchi cognominibus, ab *Evantium* mulierum clamore impositum. Ovid. *Met.* 4. à quo etiam *Semeleius Evan* dicitur. Unde *Evantes* vocantur mulieres ejusdem sacra celebrantes. Propert.

Egit ut Evantes dux Ariadna choros.

Stat. *in Sylvis*,

Bassaridum jactator Evan.

Et *Theb.* 5.

A summis auditus montibus Evan.

Evander, Carmentis fil. Arcadiæ rex, ob eloquentiam Mercurii filius ex Nicostratâ habitus est. Hic, relictâ Arcadiâ, cùm patrem casu interfecisset, avito regno pulsus, suadente matre, quæ vates erat, conscensâ navi in Italiam venit, & pulsis Aboriginibus tenuit illa loca, ubi postea Roma condita est, parvumque opidum in Palatino monte extruxit, Pallanteum, à *Pallante* proavo dictum. Virg. *Æneid.* 8. *Romanæ conditorem arcis* appellat. Latinis primus usum literarum, & artem colendi agri tradidisse dicitur. Aur. Victor *de orig. gentis Rom.* Justin *l.* 43. Dionys. Halicarn. Voss. *in Aristarcho.* Vid. etiam Liv. *lib.* 1. *Cum Evandri matre loqui* apud Gellium, est obsoletè loqui. Ita *catillum Evandri manibus tritum* pro antiquissimo, Hor. dixit *l.* 1. *Sat.* 3. Ubi tamen Acron & Porphyrion vett. Scholiastes alium *Evandrum* intelligere videntur, nempe cœlatorem nobilem Atheniensem à M. Antonio Alexandriam perductum, eoque victo inter captivos Romam advectum. Hinc *Evandrius* possessivum, ut *Evandria regna*, & *Evandrius ensis*, apud Sil. & Virg.

Evandria, Lusitaniæ op. Ptol. *Evandriana* Antonino. Vulgò *Olivenza.* Aliis *Talaveruela*, opp. nunc Extremaduræ Castellanæ, ad Anam fluv. 8. leuc. ab Emerita in Occ. versus Eboram & Pacem Aug.

Evandrius, mons urbis Romæ, idem cum Palatino, Claudian. Ferrar.

Evangelium, Græca vox, *latum nuntium* signat in genere, in specie doctrinam de remissione peccatorum, & vita æterna, per fidem in JESU CHRISTI mortem meritumque, impetranda, divinitus nobis in Verbo patefactam. Unde & Historiam vitæ Servatoris nostri *Evangelium* vocare, in Ecclesia solemne est: Hanc à quatuor *Evangelistis* divino jussu consignatam habemus. E' quibus S. Matthæus Hebraicè primò vel Syriacè scripsisse videtur, Irenæo, Athanasio, Augustino, Eusebio, Epiphanio, &c. idque An. C. 39. dein quoque Græcè: quâ linguâ & reliqui usi, utpote tum maximè diffusâ, & gentibus erudiendis aptissimâ: Marcus quidem, quem Romæ, Evangelium suum adornasse vult, anno tertio Claudii Imp. seu A. C. 43. Eusebius: Lucas dein, qui idem præstitit, A. C. 56. Johannes tandem, qui postquam è Pathmo Ephesum redux, tria priora approbasset, indicto Ecclesiis, quas Ebion & Cerinthus turbatum ibant, jejunio, suum quoque conscripsit, quo Deitatem Filii, contra hos hæreticos, in limine statim, insigniter asserit: Circa A. C. 97. Hier. *praf. in Matth.* Irenæus *l.* 3. *cap.* 1. & 11. &c. Euseb. *lib.* 3. *cap* 20. Augustinus *de Concord. Evangel.* &c. In *Evangelia* prostant,

Primò *Harmonia*, Alesii. Althoferi in quart. Jenæ 1653. Ammonii, fol. Basileæ 1550. Augustini. Barradii. fol. 2. Volum. Lugd. 1608. fol. 3. Vol. Antverpiæ 1622. Beauport, Paris. an. 1560. Gall. Beauxamis, tom. 2. fol. Parisiis 1650. Bruchii, fol. Coloniæ, 1550. Parisiis 1554. Octav. Buisonii, Duodecim. Coloniis 1604. Bullingeri. Calixti, Quart. Goslariæ. 1638. Calvini. Cartvvrighti, Quart. Lugduni Batav. 1647. Chemnitii, fol. Francof. 1622. Genevæ 1628. Quart. Copii, Octav. Lipsiæ 1615. Crellii Luther. Octav. Witebergæ, 1571. Crommii, Lovanii 1633. Dieterici. Gerardi, fol. Gersonis, inter opera. Goletti, Octav. Haræi, Octav. Antverpiæ, 1615. de la Haye, 2. tom. fol. Duaci, 1609. & 1617. Herborni, Quart. Coloniæ 1546. Jansenii, 2. fol. Lugduni, Moguntiæ, Antverpiæ, Coloniæ. Quart. Lovanii 1639. & Parisiis 1643. Lightfooti, fol. Londini, 1655. & Quart. Lombardi, Lubini, 3. linguis, Græc. Lat. Germ. Quart. Rostochii 1609. Franc. 1616. Lubomlii, fol. Cracoviæ & Lugd. 1607. Lutzii, fol. Basileæ, 1561. 1563. & Octav. Mercatoris, Quart. 2. volum. Duisburgi 1603. Meschini, Spiræ Nemetum. Meuschii Quart. Hannoviæ, 1604. Molinæi, Quart. Hanoviæ 1565. Nicetæ. Oenopolæ, fol. Francof. Osiandri, Gr. & Lat. cum annotat. Basileæ, 1537. Francof. 1541. Parisiis 1564. Perpiniani, fol. Coloniæ, 1631. Regii, tom. 3. fol. Coloniæ, 1615. Roberti Gr. & Lat. fol. Moguntiæ, 1615. Rubi. Ruperti, 6. tom. Quart. Magdeburgi, 1604. Sculteti Amstelod. 1624. Seelmatteri, Quart. Bremæ 1611. Basileæ 1613. cum notis analyt. Selnecceri, Octav. Lipsiæ, 1604. R. Stephani, fol. per ipsum Rob. 1553. Tatiani. Veterati, inter opera 6. tom. Venetiis edita. 1571. Villalobi, 1555. Pinitiæ. Vossii. Zachariæ, fol. Coloniæ 1535. tomo 12. Bibl. Colon. Guil. Crovvæus, *in Elencho* 5.

Secundò *Commentarii*. Videl. S. Anselmi, Arborei, fol. Parisiis, 1551. Avenarii, Duodec. 1583. Augustini. Auzolii, Paris. 1610. Backmeisteri, Wittebergæ, 1577. Octav. Lubecæ, 1604. Baezæ, 4. Vol. fol. Parisiis, 1628. Bedæ *Annotationes*, fol. Paris. 1526. Benedicti, fol. Parisiis, 1552. Blocii *Historia Triglosso-metrica*, Octav. Lipsiæ, 1612. Boisii *Collatio vet. Interpretis cum Beza*, &c. Octav. Londini, 1655. Bonfrerii. Boudini, Octav. Antverpiæ. Bourghesii, *Expos. mysteriorum Vita Christi*, Octav. Antverpiæ, 1622. Brugensis. Brunselsii *Annotat.* fol. Argentorati, 1535. Buceri *Explanatio*, fol. Basil. 1536. & fol. per Rob. Stephanum, 1553. Bullioudi *Nota*, à Castro, in 8. Antverp. 1593. Chrysostomi *Commentar.* Lat. Octav. Paris. 1576. Gr. Lat. Octav. Genevæ, 1602. Contzen, Tom. 2. fol. Coloniæ Ag. 1626. Eusebii *Homilia* Lat. Octav. Parisiis 1554. cum *Praparatione & Demonstr. Evang.* Euthymius, Gr. fol. Ver. 1530. Lat. fol. Lovanii, 1544. Octav. Paris. 1602. Fabri *Commentarii initiatorii*, fol. Basileæ, 1523. Gerardus. Gregorii M. *Homilia*. Grynæi *Demonstrationes*, Quart. Basileæ, 1588. Hemingii *Demonstratio indubitata verit.* Octav. Hafniæ, 1571. Hilarionis *Animadversiones*, Quart. Brixiæ, 1578. Hussi *Collectio gestorum Christi, cum Scholiis*: Inter opera ejus. Kirstenii *Vita* 4. *Evangel.* fol. Franc. 1609. Lightfoot. Maldonatus, fol. Mussiponti 1596. Matthesii *Vita Christi*, Germ. fol. Norimbergæ. Megandri *Annotationes*. Tiguri 1581. Natalis *Meditationes & Annot.* fol. Antverpiæ, 1593. Nardi *Tabula Legis Evang.* Octav. Basileæ 1553. Nicetæ *Catena*. le Noir, *Paraphrasis metrica*, Gall. Octav. 1663. Pavoni *Comment. Dogm.* fol. Neapoli, 1636. Perezii *Fides authentica* 4. *Evang.* Quart. Lugduni 1626. Radmanni *Vita Jesu Christi*. Francof. ad Oder. 1600. Ringmanni *Hist. Passionis Christi*, Argentinæ. Ruperti *Volumen in* 4. *Evang.* Sà *Scholia*. Quart. Coloniæ 1612. Sarcerii *Justa Scholia*, Basileæ 1541. Scomeri *Concion. Decades*, Octav. Lemgoviæ, 1585. Sculteti *Exercitationes* Quart. Amstelod. 1624. Selnecceri *Homilia*. Octav. Lipsiæ, 1604. Spanhemii *Dubia*, 3. part. Quart. Genevæ, 1651. Taylori *Exemplar Magnum*, Anglicè, Londini 1657. fol. Theophylactus. Zuinglii *Expositio*, &c. Plures dabit Guilielmi Crovvæi *Elenchus*.

Evangelorum portus, ad sinum Arabicum in Æthiopiâ. Ptolemæus.

Evangelus, historicus Græcus, qui de re militari scripsit. Plut. Poeta Comicus, Athen. *lib.* 14. Suid. Casaub. *in animadversion. pag.* 648.

Evanoridas, Eleus, scripsit de iis, qui Olympiis ludis vicerant, Pausan. *lib.* 6.

Evanthes, vet. author, quem *inter authores Gracia non spretum*

 vocat

vocat Plinius 8.21.22. *Evanthis* ὑμνῳ hymnum in Glaucum citat Athen. *l.* 7. Sed fuere 3 *Evanthes*, Unus Milesius, cujus meminit Diog. Laertius *in Thalete*. Alter Samius, de quo Plut. *in Solone*, Tertius à Cyzico, quem celebrat D. Hieronymus 2. *contra Jovinianum*. Vossius.

Evarchus, fluv. Asiæ in Pont. Eux. fluens, & Cappadociam à Paphlagoniâ dirimens; Stephanus Scythiæ fluv. vocat. Ejus meminit Val. Flac. *lib.* 6.

Niveumq; ferax Evarchus olorum.

Evaristus, 4. Romanorum Episcopus. Græcus natione, fil. Judæi, sedit post Anacletum, A. C. 110. Novennio pòst, sub Adriano Imp. martyrii coronâ ornatus. Epiphan. *hær.* 27. Irenæus, *l.* 3. *c.* 3. Augustin. *ep.* 65. Optat. *lib.* 2. *c. Parm.*

Evarix, Evaricus, Ericus, vel *Euricus*, rex Gothorum, successor fratris Theodorici occisi. Lusitaniam vastavit, ut & Hispaniam sup. cum Navarra. Dein Arelato & Massiliâ captis, Claromontem obsedit: Anthemium Imper. à Britonum R. Reothimo adjutum, vicit. Obiit an. 485. successore Alarico fil. relicto. Isid. & Idat. *in Chron.* Sidon. *Apoll. l.* 7. *ep.* 6. *l.* 8. *ep.* 9. Greg. Tur. *lib.* 2. *cap.* 25. Hic templorum aditus spinis obserare, & sepire solitus est, ut introeundi raritas oblivionem religionis induceret; clericos verò carceribus inclusit, nullumque omisit tormenti genus, in quo suam severitatem non exerceret.

Evathlus, Rhetor Athenis ignobilis ortu, traducitur ob latas crassasque nates & garrulitatem. Vide Scholia in Aristoph. *Acharnens. p.* 405. *D.* 2. Improbus quoque Sycophanta, qui & à Platone Comico in Pisandro & à Cratino in Threissis sugillatur, Vide Schol. *in Vesp.*

Evax, rex Indiæ seu Arabiæ, qui de virtutibus gemmarum scripsit ad Tiberium: de simplicibus, ad Neronem. Plin. *l.* 25. *cap.* 1. Voss. *de Philos. cap.* 12. *§.* 9.

Evazæ, Sarmatarum populi, à Medis orti, ac Tanaim flu. incolentes. Plin. 6. 7.

Eubages, Gallorum, vel, ut alii, Britannorum gentilium vates erant, qui sacra, ceremonias, auguria, divinationes, naturæ etiam scientiam profitebantur, cujusmodi erant *Aquila* & *Perdix*. Lucii regis tempore per Evangelii prædicationem in Britannia finem habuerunt anno Christi 179. V. Amm. *l.* 15. Strab. *l.* 4. *Geogr.*

Eubius, scriptor quidam fuit, cujus mem. Ovid. *Trist.* 2.

Nec qui descripsit corrumpi semina matrum,
Eubius impuræ conditor historiæ.

Eubœa, maxima Ægæi maris insula, inter Sunium Atticæ promuntorium, & Thessaliam in longitudine extensa, & à Bœotiâ Euripo admodum angusto dirempta. Ita dicta ab *Eubœa* Heroicæ indolis matronâ, cùm antea *Macris*, & *Abantis*, *Chalcis*, & *Asopis* nuncuparetur, ut Plin. tradit. *Oche* etiam & *Ellopia*, quondam dicta, Strabone *l.* 10. teste. Ælian. *De An.* 12. 3. prodit eam à poetis ἀργιβόϊον appellari, hodie Europæis *Negroponte* dicitur. Baudrando Insf. est Græciæ, Achaiæ ad Bor. adjacens, ab ea Euripo divisa. Longa 130. mill. circiter, ab Ortu in Occ. lata 30. Circuitus 300. Urbs prim. olim potens Chalcis, nunc quoque *Negropont*, ponte jungitur continenti Achaiæ. Diu Venetis paruit, qu bus assignata erat à Rabanio Carcerio ejus Duce; ne à Turcis occuparetur; ab his tamen an. 1470. subacta per Mahumetem II. qui in eam atrocissimè sævit. Habet arcem permunitam, ærariumque instructissimum. Urbes ejus adhuc extantes, *Carystus*, *Chalcis*, *Eretria*, *Oreum*, *Porthmos*. Incolæ ejus, qui olim partes Atheniensium amplexi, mox rebus tristibus illos deseruerunt, ut narrant Diodor. Sic. Thucydides, Xenoph. &c. ubique *Abantes* & nusquam *Eubœenses* nominantur ab Homero. Hinc tamen *Euboicus*. Virg. *Æn.* 9.

Qualis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit. Idem alibi,
Et tandem Euboicis Cumarum allabimur oris.

Ovid. *Quicunq; Argolicâ de classe Capharea fugit,*
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.

Euboicum mare, à Plauto *Persicum portum* vocari testatur Festus, quòd in eo classis Persarum fuisse dicitur. *Euboicum sinum* vocat Livius. Item *Eubœa*, Siciliæ urbs, in ora Austr. apud Pachynum prom. *Castellazo* quibusd. & urbis nomen in Eubœâ insulâ à mari absorptæ, Strabo. Item Arcadiæ mons, Pausan. Locus etiam in Corcyrâ & Lemno insulis. Strabo.

Eubonia, Insf. Gildæ, ab aliis Monœda seu Mona, insf. oblonga Angl. cum tit. reg. olim. V. *Monœda.*

Eubule, filia fuit cujusdam Orphei filii, quam cum Pasitheâ & Theope sororibus, civitati immolandas exhibuit, ut ingens annonæ caritas, quæ Atticam vehementer premebat, finem secundùm oracula caperet. Æl. *Hist. Var.* 12. 8. Suidas in Voce Λεωκόρειον, Cic. 3. de *Nat. D.*

Eubulides, Milesius, Philosophus sectæ Megarensium, discipulus & successor Euclidis. Varios interrogandi, in Dialectica, modos invenit, unde Comicorum invidia. Ejus discipulus Demosthenes fuit, qui cùm liquidam *R.* pronuntiare non posset, suasu Magistri, assiduâ ejus repetitione, naturæ vitium correxit. Aristotelem in plurimis acriter reprehendit, etiam scripto adversus illum edito. Athenæus. Porro Alexinum, Euphantum, Apollonium Cronium, auditores habuit. Diog. Laërtius, *in Euclide*. Athen. *lib.* 8. Photius, *Cod.* 265.

Eubulides, Archon Athenis, Olymp. 96. an. 3.

Eubulides, historicus, librum de Diogene & Socrate reliquit, ex quo de philosopho hoc quædam refert Laertius, in eorum vitâ.

Eubulus, Archon Athenis, Olymp. 108. an 4.

Eubulus, Atheniensis civis, Demostheni sæpè adversatus, ut ex ipsius *in Midiam oratione* notum est. Item *Eubulus* mediæ Comœdiæ poeta. Olymp. 101. Athenæo sæpe laudatus, Suid. Et alius historicus, qui historiam Mithræ multis voluminibus explicuit. B. Hieron. *l.* 2. *adv. Jovin.* Hoc ex opere sunt ea, quæ de Mithrâ commemorat Porphyrius *in Com. de Nympharum antro.* Item Viri sancti nomen, cujus meminit D. Paulus 2. ad Tim. *c.* 4.

Eubulus Philosophus, qui Autophradatæ Atarnam obsidere paranti suasisse dicitur; considera, inquiens, quanto tempore locum istum possis expugnare; & hujus temporis sumptus expende: equidem Atarnam minoris jam sim tibi traditurus & relicturus. Quâ oratione Autophradatem, cùm secum id reputasset, impulit, ut obsidionem solveret.

Eubulus Alexandrinus, Philosophus, discipulus Euphranoris, Ptolomæi Magister. Diog. Laërt. *in Timone l.* 9.

Euburiates, Ligustici pop. à Fulvio expugnati. Plin.

Eucarpia, vicus in min. Phrygiâ, in quâ, Metrophane teste, racemus tantus provenit, ut currus medius præ pondere aliquando rumpatur. Steph. Hanc regionem barbari Jovem Cereri & Baccho, fœcunditatis gratiâ donasse fabulantur. Baudrando urbs est Phrygiæ magnæ, ad Hermum flu. versus confin. Lydiæ, 50. mill. à Synnada in Occ. 30. à Docimæo in Austr. 40. à Lysiadc. Quid nunc sit, non constat. Est etiam *Eucarpia*, castellum Siciliæ inter Timæos. Vide Stephanum.

Eucerus, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus, reus subditus, tanquam se Octaviæ Claudii filiæ adulterio polluisset, unde eam repudiandi Nero prætextum haberet. Tacit. 14. 60.

Euchaita, plur. urbs Arch. Paphlagoniæ, in mediterr.

Euchania, urbs juxta Constantinopolim, posteà *Theodoropolis* dicta. Cedren.

Eucharides, olerum & alliorum Athenis venditor. Arist. *Vesp.*

Eucharistus, Archon Athenis, Ol. 105. an. 2.

Eucherius, Episc. Lugdun. an. 434. obiit an. 454. Sanctitate & eruditione illustris. Interfuit concilio primo Arausicano. Varia prosâ versuque scripsit, succincto stylo, & ubertate doctrinæ, insignia. Duos filios Episcopos habuit, ad quos epistolæ ejus extant. Vid. Gennad. *Scr. Eccl. c.* 63. Salvian. *ep. ad Salon.* Claudian Mamert. *l.* 2. *c.* 9. *de statu Animæ.* Sidon. Apollin. *lib.* 4. *ep.* 3. *& in Car. Euchar.* Voss. de hoc & sequente, *l. de hist. Lat.* 2. *c.* 17. Morer

Eucherius Jun. ordinis senatorii dignitate conspicuus, conjugatus, speluncam dumis horridam ac tutam nigro lacu habitavit, in agro Lugdunensi. Hinc Episc. Lugdunensis sec. 6. Cyprianus Tulon. *in Vita Cæsarii*, Theophil. Rainald. *de SS. Lugdun.* Morer.

Eucherius, fil. Stiliconis ex Serena. Ethnicus & Christianorum osor. Strangulatus Romæ, postquam innotuisset, Stiliconem, fœdere cum Barbaris inito, hunc, deturbato Honorio, ad Imper. evehere conatum esse. an. 408. Zosim. Marcell. *in Chron.*

Euchitæ, errones, sec. 4. solas preces, ad salutem sufficere credebant. In publico ædes struebant, *Adoratoria* ipsis dicta. Sacramenta porro rejicientes, Messalianorum omnes opiniones adoptabant. Condemnati Concil. Ephesino. Epiphan. *hær.* 80. Augustin. *hær. cap.* 57.

Euclides, Geometra insignis temp. primi Ptolemæi, antiquior Archimede, & Eratosthene. Multa scripsit quæ ad Geometriam, & Musicam pertinent. Inter opera verò ejus facilè palmam obtinent libri 13. elementorum, magno Reip. literariæ bono ad nostra usque tempora conservati. Duo enim postremi, Hypsidæ Alexandrini sunt, qui Comm. Geometriæ scripsit. Valer. M. *l.* 8. *c* 12. Gesner. *Biblioth.* Proclus Diadochus, *Comm. l.* 2. Cardan. *de Subtil.* Voss. *de Mathem. c.* 10. 15. 16. 22. 26. *&c.* Henr. Savilius *Lect.* 1. *in Euclid.*

Euclides, Megarensis Socraticus, belli inter Athenienses & Megarenses tempore, muliebri veste, noctu ad Socratem venire solitus. Ab hoc Philosophi *Megarici* dicti. Suid. Vide Voss. *de Sectis Philosophorum pag.* 62. Post Socratis obitum, Plato ipsius fuit auditor, cùm omnes Philosophi, tyrannorum metu, profugissent. Unicum admisit Bonum, quod modò Providentiam, modò Deum, modò Spiritum, &c. vocabat. Ejus 6. sunt Dialogi, Lamprias, Æschines, Phænis, Criton, Alcibiades, & Amans. Eubulides discipulus ei successit. Diog. Laërt. *in ejus vita lib.* 2. A. Gell. *lib.* 6. *cap.* 10. Strabo *lib.* 9. Porro duo inveniuntur *Euclida* inter Archontas, quorum nomina supersunt. Primus an. 2. Olymp. 88. quinto anno belli Peloponnesiaci. Alter an. 2. Olymp. 94. de quo Lucianus *in Hermotimo*: Καὶ λήθη τις ἔσω αὐτῶν ὥσπερ τῆ ἀπὸ τῦ Εὐκλείδυ ἄρχοντος. Eo enim Præturam obtinente facta est amnestia, teste Xenoph. *lib.* 2. Hellenicorum. Ideo sæpe apud auctores historiæ & rhetoras fit mentio τῆ ἀπὸ Ἐυκλείδυ, quorum non licebat meminisse, nec ea exprobrare, & eo anno Atheniensium resp. instaurata fuit, factâ inter cives pace.

Eucrates, fuit versutus quispiam, qui aliquo prætextu suffugiebat

giebat semper, si quando fides esset præstanda. Hinc natum Proverb. *Vias novit quibus effugit Eucrates.*

Eucrates, stupæ venditor Athenis, qui postea ad summum in eâ Rep. gradum pervenit; sed ob istud sordidum vitæ genus cognomen στύππαξ perpetuò ei adhæsit.

Eucratida, urbs Bactrorum. Steph. ex Strabone.

Eucritus, Vide *Euephenus*.

Euctemon, Mathematicus Alex. 86. Olymp. Metonis socius, in observationibus Solaribus, ejus Enneadecaterida secutus est. An. 1. Olymp. 87. Solstitium æstiv. ambo notarunt, 27. Jun. Æl. *Var. hist. lib.* 10. *cap.* 7. Ptol. *lib.* 3. *Alinag.* Suid. Voss. *de Mathem. cap.* 33. §. 11.

Euctemon, Cymæus, præcipuus ex iis Græcis, quorum alios naribus auribusq; truncatos, alios inustos barbararum literarum notis reservarunt. Curt. 5. 16.

Euctresii, pop. Peloponnesiaci. Xen.

Eudai, Palæstinæ gens. Jos. *Ant.* 1. 7.

Eudamon, in Alexandri M. exercitu, Thracum Dux: pòst Philippo Indiæ Satrapæ ex vulnere mortuo, à rege substitutus.

Eudamon, Pelusiota, poeta Græcus, Libanii Rhetoris æqualis; præter ea quæ ad artem Grammaticam, ac Rhetoricam pertinerent, varia poemata condidisse, ex Suidâ cognoscitur.

Eudæmon, Arabia Felix dicitur Pomponio *l.* 2.

Eudæmonidas, nomen viri proprium Tortellio.

Eudamidas, Archidami fil. & frater Agidis. Plut.

Eudamidas, frater Phœbidæ, à Lacedæmoniis in ejus locum subrogatus, ad bellum adversus Olynthios, Olympiados 99. an. 3.

Eudamidas, præsidii à Cratero Trœzeni impositi Dux. Polyæn.

Eudamus Philosophus, rerum naturalium peritissimus; in hoc genere adeò exercitatus, ut annulos conficeret adversus Dæmones, veneficia, ferarum morsus, præsertim contra serpentes, qui ejusmodi erant, ut non solùm homines à serpentibus jam morsos curarent; sed ne morderentur, impedirent: qui propter præsentem remedii præstantiam φαρμακῖται vocabantur.

Eudemia, maris Ægæi insula. Plin.

Eudemus, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ sextæ an. 3.

Eudemus, ex ducibus Macedonibus, qui Eumenem Antigono prodiderunt: sed ab hoc quoque diffidente ejus perfidiæ, occisus est.

Eudemus, amicus & Medicus Liviæ Drusi uxoris, adulterii inter illam & Sejanum internuncius ac proxeneta. Vide Plinium *lib.* 29. *cap.* 2. Tacit. 4. 3.

Eudemus, historicus, Naxius, quem eundem esse cum Eudemo Pario nonnulli putant. Scripsit Eudemus de Astrologia, rebus in hac scientia inventis & Astrologis. Vide Vossium *de Hist. Gr. l.* 3. *pag.* 365. *& de Mathem. c.* 32. Simler. *Bibl.*

Eudemus, orator Megalopolitanus, Philopœmenis ducis Præceptor. Plut. *in Philop.* Item 7. Corinthiorum rex.

Eudipne, insula Libyæ Phœnicum. Steph.

Eudipus, Ponti Polemoniaci in Cappadociâ urbs. Ptol.

Eudixata, Armeniæ maj. op. Ptol.

Eudo, seu *Eudes*, Roberti Andegav. ducis ex Adelaïde fil. Ludov. Pii Imp. fil. Francorum rex, regn. annos 9. Hic An. Dom. 885. in provinciis quibusdam cis Ligerim, administrator, biennio pòst, consensu Caroli Crassi Imper. Dux Gallorum, in locum uterini fratris Hugonis successit, Lutetiam contra Normannos fortiter tuitus. Mortuo Carolo Rex Gallorum electus est, licèt plurimis pro Carolo Simplice stantibus. Paulo pòst, Normannos Burgundiam vastantes ingenti clade affecit. Cum Carolo sæpe contendens, ei tandem regnum reliquit, in Picardia mortuus, an 898. Ex Theoderada pater Arnolphi, Aquitaniæ R. sed minimè diuturni, Aimon. *l.* 5. *c.* 42. Rhegino *Chron.* Abbo. *de obsid. Paris.* Otto Frising. *lib.* 6. *cap.* 10. *&c.*

Eudo, Vasconiæ dux, pacis fœdere rupto, quod cum Carolo Martello icerat, in subjectas ei regiones multa tentavit. Blond. *l.* 10. *Dec.* 1. Chilper. & Rainfredo, contra illum subsidio venit, priaremque restituit. Mox à Carolo victus, cum Saraceno Munuza fœdere inito, Lampagiam fil. ei uxorem dedit. Hinc Martellus Vasconiam Garumnâ tenus vastavit: & Abderamus, capto rebelli Munuzâ, cum sponsâ, in Aquitaniam quoque venit, Burdigalamque occupavit. Hic Eudo, Carolo junctus, restitit Barbaris, interfuitque prælio Turonensi. Nihilominus recruduerunt lites, quæ nisi Eudonis morte, an. 735. non sopitæ. Greg. Tur. *in append. c.* 106. 107. Otto Frising. *l.* 5. *c.* 16. *&c.*

Eudo, amnis Cariæ. Plin.

Comites Blesenses.

Eudo I. Comes Blesensis, Carnut. Turon. &c. dein Campaniæ, fil. Theobaldi, fortitudine & pietate inclytus. Obiit an. 995. maritus Mathildis, filiæ Richardi I. Normanniæ D. & dein Berthæ, fil. Conradi I. Burg. R. ex qua ei natus

Eudo II. quem vidua Roberti R. Constantia sibi contra filium Henricum I. junxit, sed nullo successu. Mortuo Rodolpho ignavo, Burgundiam sibi vindicans, contra Conradum Salicum, à Gozzelino M. occisus est, an. 1037. Ex Ermengarde Arverna, pater Theobaldi III. Henrici & Berthæ. Pithœus, San Marth. *Hist. Campania.*

Burgundiæ Duces.

Eudo I. Burgundiæ D. in Cilicia obiit, an. 1103. Maritus Mathildis, filiæ Guilielmi Audacis, Comitis Palatini Burg. & sororis Calisti II.

Eudo II. obiit, an. 1162. maritus Mariæ, fil. Theobaldi M. Comitis Campaniæ.

Eudo III. obiit Lugduni, an. 1218. à Mathilde Teresa, fil. Alphonsi Lusitani, ob consanguinitatem separatus, duxit Adelain, filiam Hugonis, Domini Vergiensis.

Eudo IV. fil. Roberti II. successit fratri Hugoni V. Obiit Anno 1349. Maritus Johannæ, fil. Philippi Longi. Pithœus, San-Marth. Bouchelius, &c. *Geneal. Gall.* Chenius, Paradinus, &c. *Hist. Burg.* V. *Odo* &c.

Eudocia, cum filiis Græcis imperavit, mensibus 7. An. D. 1070.

Eudocia, Theodosii filia, Valentiniani uxor. Trip. Hist. 12. 13.

Eudocimus, primus ex tribus Lacedæmoniis, ad compescendam factionem Rhodi, quæ Atheniensium rebus studebat, ab Ephoris missus, Olymp. 47. an. 2.

Eudocimus, videns milites inter se tumultum movere, cùm sedare discordiam nullo modo posset, jamque etiam armis se mutuò peterent, currentibus nunciis mandavit, ut proclamarent hostes adventare ac vallum discerpere velle. Qui metu hostium territi seditione destiterunt, inque suum locum quique recurrentes vallum tuebantur. Polyæn. *l.* 5.

Eudora, nympha marina, Oceani ac Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* Item una, ex Atlantidibus, quæ 7. numero esse perhibentur.

Eudorus, Mercurii fil. ex Polymela, qui Achillem ad bellum Trojanum secutus est. Hom. *Iliad.* 8.

Eudoses, Germaniæ pop. Tacito, *Misnenses* Althamero. Baudrando, ubi nunc pars Pomeraniæ cit. & urbes Sundis & Bardum, ex Cluver. Quid si *Endosos* legamus, q. finitimos *Osis* aut extremos *Osorum?*

Eudoxi specula, locus in Ægypto. Strabo.

Eudoxia, uxor Arcadii, Theophilo Alex. contra Chrysostomum favit, hoc pulso, fortè zelo ejus contra aulæ vitia offensa. Eum postea revocavit, & Porphyrium Episc. Gazensem, qui ei felicem partum prædixerat, benignè habuit, utque templum Idolis Gazæ consecratum destrueretur, annisa est. Interim statuâ ei publicè erectâ, cùm spectaculis allecta plebs, strepitu suo, sacra turbaret, Chrysostomus hac de re questus est, quod cùm ad Imperatricem esset delatum, illa denuo Theophilo contra hunc præstò fuit, effecitque, ut Chrysostomus indignissimè rursus pelleretur. Paulo post an. 414. grando χαλάζαια ita circa Urbem omnia vastavit, ut Eudoxia nuntio territa infelici nixu extingueretur. Pallad. *in Chrys.* Socr. Sozomen. Prosper, Marcellinus, Theoph. Cedren. Eunapius, Zonaras, Glycas, Petavius, *de D. T. l.* 11. *c.* 47.

Eudoxia, Theodosii Jun. uxor, Leontii Sophistæ Athen. filia, qui illam in Humanioribus, Philosophia & Mathematicis ita instruxerat, ut moriturus eam exhæredaret, tanquam sibi suffecturam. Unde de Fratribus conquesta apud Pulcheriam, huic ita placuit, ut illam *Filiæ* primò loco haberet, Athenaidis nomine in Eudoxiam mutato, dein fratri Theodosio Jun. desponderet. Diuturnam postmodum harum amicitiam, Chrysaphius Eunuchus, labefactavit, & Theodosio, occasione pomi Paulino oblati, Eudoxia suspecta reddita, in Palæstinam se recepit. Ubi Eutychianismo infecta, postea in gratiam cum Ecclesia rediit, à Simeone Stylita & Euthymio Abbate melius edocta. Obiit an. 460. æt. 67. Insigne Poëma, de bello Persico composuit, Socr. Evagrius, Nicephorus, Cyrillus, *in Vita Euthymii*, &c. Scripsit quoq; Centones Homericos de Christo, ut quidam putant, Vide Voss. *de Poetis Gr. p.* 78. ubi dicitur *Eudocia.*

Eudoxia, fil. Theodosii Jun. nupsit an. 437. Valentiniano II. quo à Maximo occiso, ab hoc per vim ducta est. A qua proin Gensericus in Italiam vocatus, Romam diripuit, illâ cum filiabus in Africam abductâ. Remissa tandem est, cum Placidia fil. rogatu Martiani & Leonis. Evagr. Theoph. Socr. Prosper, Idacius, Marcellinus, Cassiodor. Procopius, &c.

Eudoxia, fil. Valentiniani II. promissa Gaudentio, Ætii filio. A' Maximo dein, qui patrem ejus occidit, per vim Palladio fil. ejus nubere coacta est: Abducta cum matre & sorore in Africam à Genserico, Hunerici filii ejus uxor evasit. Sed Ariani Principis sævitiam fugiens, fil. Ulderico ei relicto, Hierosolymam se subduxit, ibi mortua. Niceph. *lib.* 15. *cap.* 12.

Eudoxiani, hæretici, ab Eudoxio Patr. orti, Aetianorum & Eunomianorum errores sequebantur, Filium voluntate Patri dissimilem, & ex nihilo factum delirantes. Epiph. *hær.* 76.

Eudoxiopolis, Urbs Arch. Thraciæ, eadem *Selymbria*, in Eudoxiæ Aug. honorem dicta.

Eudoxius, consul cum Dioscoro an. U. C. 1195.

Eudoxius, primus Episcopus Germaniciæ, quæ est urbs sita in finibus Syriæ, Ciliciæ, & Cappadociæ, mortuo Leontio sedem Antiochenam invasit, deinde remoto Macedonio, Constantinopolitanam. Favens Arianis simulatè subscripsit sententiæ Synodi, quumque apud Valentem Imp. in magnâ auctoritate esset, effecit, ut Gothis, qui pacem cum Valente certis conditionibus fecerant, Ariani doctores mitterentur. Trip. Hist. 7. 29.

Eudoxus, fil. Æschinis, Cnidius, celebris Astrologus, Medicus, Legislator ac Geometra. Primus apud Græcos annum constituit, unde Cæsar apud Lucanum *lib.* 10.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Vitam ejus habes apud Diog. Laert. Ab Archita Geometriam, à Philistione Siculo Medicinam edoctus, etiam Platonis auditor. In Ægyptum profectus, Sapientes illos adivit: inde redux legibus Patriam instruxit, plurimaque Astrologica, Geometrica & Historica scripsit. Cicer. *libr.* 2. *de Divin.* Censorin. *de die nat. cap.* 18. Strabo, *l.* 2. 9. 14. & 17. Suidas, Simler. Voss. *de H. G. l.* 6. *de Math. cap.* 33. Fuit autem præter hunc alius ejusdem nominis Rhodius, historicus, cujus meminit Apollonius *Histor. Commentitia cap.* 24. Item Etymologus in Ἀθεΐας, ubi cum citat ἐν ἐννάτῳ τῶν ἱστοριῶν; Sed iste quando vixerit, ignoratur. Celebratur quoque *Eudoxus* Cycizenus, qui Ptol. Lathyrum fugiens, è sinu Arabico usque ad Gades navigavit, ut ex Posidonio narrat Strabo *lib.* 2. ex Corn. Nepote, idem refert Plin. 2. 67.

Eudoxus, Siculus, fil. Agathoclis, Comicus, sæpius victor. Item Medicus. Diogen. Laërt. *in vita Eudoxi l.* 8.

Eudrapa, Mesopotamiæ op. Ptol.

Euelgia, urbs quædam. Steph.

Euelpis, Carystius, historicus, memoratur Porphyrio *lib.* 2. *de Abstinentia.*

Evelthon, Salaminis in Cypro Rex, de quo Polyæn. *l.* 8.

Euemeridas, Cnidius, historica aliqua videtur divulgasse, Plut. *lib. de Flum.*

Euemerus, vel *Euhemerus*, amicus Cassandri, filii Antipatri, historicus antiquus, è civitate Messanâ, teste Plut. *lib. de Iside & Osiride.* (Atqui Arnobius *lib.* 4. Agragantinum vocat) Lactantius *lib.* 1. *cap.* 9. 11. *Antiquus author Euhemerus, qui fuit ex civitate Messanâ res gestas Jovis, & caeterorum, qui Dii putantur, collegit, historiamq; contexuit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur; maximeq; in fano Jovis Triphylii, ubi auream columnam positam esse ab ipso Jove titulus indicabat, in quâ columnâ gesta sua perscripsit, ut monumentum posteris esset rerum suarum. Hanc historiam & interpretatus est Ennius, & secutus.* Cicero idem paucis dicit *l.* 1. *de Nat Deorum*, ubi cùm egisset de iis, qui in Deorum numerum relati essent, *Quæ ratio*, inquit, *maximè tractata est ab Euhemero, quem noster & interpretatus, & secutus est, præter cæteros Ennius.* Item Varro *l.* 1. *de R.R. cap.* 48. *Id apud Ennium solùm scriptum scio esse in Euhemeri libris versis.* Inter illos numeratus *Euhemerus* fuit, qui ἄθεοι dicebantur; teste, cùm Sexto Empirico, tum etiam Plutarcho *libr. de Placitis Philosophorum*, ubi & Callimachi versiculos citat, quibus eum propterea perstrinxit. Ex nostris quoque Theophilus Antiochenus *libr.* 3. Τὰ περὶ Εὐημέρου τοῦ ἀθεωτάτου περισσὸν ἡμῖν καὶ λέγειν. Πολλὰ γὰρ περὶ θεῶν τολμήσας φθέγξασθαι, ἔσχατον καὶ τὸ ἐξόλου μὴ εἶναι θεοὺς, ἀλλὰ τὰ πάντα αὐτοματισμῷ διοικεῖσθαι βούλεται. Etiam meminere *Euhemeri*, Columella semel, iterumque *l.* 9. *de R.R. c.* 2. & Minucius Felix *in Octavio.* Vide & Politianum *in Miscellaneis c.* 34. Ad hæc Hyginus *in Poet. Astronomico.* Plin. quoque 35. 22. inter eos numerat, qui scripserunt de Pyramidibus Ægypti. E Græcis itidem mentionem faciunt, Strabo *l.* 1. ubi eum cum Antiphane Bergæo conjungit, ac utrumque ut futilem, traducit. Flavius Jos. *l.* 1. *contra Ap.* ubi & Judæorum ait meminisse. Ælian. *Var. Hist.* 2. 31. ubi eum cum Dionysio Phryge, & ejus farinæ aliis, inter ἀθέους, divinamque negantes providentiam, reponit. Vossius. V. quoque Plut. *de Iside & Osir.* Arnob. *l.* 4.

Evena Turonum, vicus Galliæ, vulgò *Vegne*, ad Angerem flu. inter montem Basonis, & Cormaricum. Hic Medardi reliquiæ. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Evenum, Troadis fluv. Plin.

Evenus I. Scotiæ R. duodecimus, Dursto consobrino successit. Pictos adjuvit, & in diversas jurisdictiones diviso regno, quò justitia eò melius administraretur, feliciter regnavit. Buchan. *Histor. Scot.*

Evenus II. post Evenum I. Gallo R. successit, magnâ cum gloriâ regnans, 17. an. Idem.

Evenus III. Ederi patris, qui Evenum II. exceperat, successor. Polygamiam permisit, & pudicitiam sponsarum, injustis legibus, prædam fecit superioribus. Porro crudelis, & avarus, à Proceribus tandem in vincula compactus, ibique strangulatus est. Buchan. & Duchenius *hist. Scot.*

Evenus, Martis, & Steropæ fil. qui cùm stupratorem filiæ Marpessæ, Apharetum nomine, comprehendere non posset ad supplicium, se conjecit in Lycormam flu. animi dolore. Plut.

Evenus, Parius Poeta Elegiacus; Ætatem ejus inde cognoscimus, quòd fuerit præceptor Philisti Historici, qui floruit Olymp. 93. an. 3. Dixit, *Consuetudinem esse alteram naturam*, Aristot. Ejus duo epigrammata supersunt. Item Philosophus quidam, qui ignem optimum ciborum condimentum esse dicere solebat. Plut.

Evenus, flu. Ætoliæ in Callidromo monte nascens, & juxta Calydonem in mare Jonium influens, ita dictus ab *Eveno* Martis filio, de quo supra. Hodiè *Fidari* Nigro. Ejus meminit Ovid. *Met.* 9.

Namq; novâ repetens patrios cum conjuge muros;
Venerat Eveni rapidas Jove natus ad undas.

Lucanus,

Et Meleagream maculatus sanguine Nessi
Evenus Calydona secat.

Evephenus, Philosophus Pythagoreus, quòd Metapontios à fœdere & societate alienos reddidisset, à Dionysio majore in potestatem redactus & morte damnatus est. Ille nihil tunc perterritus, ad Dionysium; Decretis, inquit, pareo; verum quia sororem adhuc inelocatam habeo, eam prius in Paro alicui nuptum dare decrevi. Itaque in Patriam tendam brevique redux mortem oppetam. Omnibus ob hunc sermonem effusis in risum, Dionysius quoque admirabatur & interrogabat; Quisnam igitur pro te sponsurus est: Ille vadem, inquit, mortis dabo, *Eucritumq;* arcessitum vadem stitit. Qui admodum lubens hanc pro morte sponsionem recepit, transigens, ut ille digressus intra sex mensium spatium reverteretur: se verò ibidem permanentem interea temporis custodiri jussit. Admirandum quidem factum erat; verùm longè mirabilius aliud consecutum est. Etenim post sex menses, is qui eum vadem dederat, collocatâ sorore suâ reversus in Siciliam se ipsum Tyranno restituit, jussitque vadem dimitti. Dionysius utriusque virtutem supra modum complexus & admiratus ambos liberos dimisit; petiitque ut datâ fide Tertium ipsum in amicitiam suam adscriberent & apud se manerent, præsentibusque bonis unà fruerentur. Qui animum quidem Tyranni propositumque comprobaverunt: at petebant, si vitam sibi concedere vellet, reverti se ad consuetas cum adolescentibus exercitationes. Dionysius hoc facto multos Italos adduxit, ut majorem sibi fidem haberent. Polyæn. *l.* 5. *in Dionysio com.* 211.

Everardus, Carthusianus, plurima Ascetica scripsit. V. Petrejum *Bibl. Carthus.*

Evergetæ, pop. Scythici, qui & *Arimaspi*, quòd benefici fuerint in Argonautas, tempestate maris ad terram ipsorum appulsos. Steph. Vel secundùm Curt. *l.* 7. *c.* 16. sic dicti, ex quo frigore victusque penuriâ Cyri exercitum affectum tectis & commeatibus juverunt.

Evergetes, cognomen Ptolemæi, Ægyptiorum regis, qui Philadelpho successit, à maximis ejus in Græcas civitates meritis impositum. V. *Ptolemæus.*

Evergides, nomen Comici senis. Aristoph. *Vesp.*

Everhelmus, Abbas Gardavensis, sub Henrico III. Imper. vitam Papponis scripsit. Surius *d.* 25. *Jan.*

Everisdenus Johannes, Franciscanus Anglus, circa an. 1336. descriptionem Temporum, Regum & Episc. Anglorum, &c. edidit. Simler. *Bibl. Gesn.* Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 65.

Evervinus, Monachus Cluniac. Germanus, sub Conrado II. Imper. S. Simeonis vitam condidit. Trithem. *in Chron. Hirsaug. A. C.* 1020.

Euesperis, vel *Euesperides*, urbs Libyæ. Steph.

Euexippe, & Theano, filiæ Scedasi fuere, qui fortunâ pauper Leuctra (qui vicus erat prope Thespias in Bœotiâ) habitabat. Hæ cùm à juvenibus quibusdam Spartanis constupratæ essent, moxque interemptæ, in puteum quendam dejectæ sunt. Quâ re per patrem intellectâ, cùm Lacedæmone, quò se contulerat, conatu, judicatuque excidisset, Furiis advocatis, ad filiarum tumulos seipsum confecit. Cæl. Rhod. 5. 8. ex Plut. V. *Euxippe.*

Eugamon, Cyrenæus, historicus, librum de Thesprotis edidit. Clem. *Strom.* 6. Qui tamen Eusebio 10. *Præp. Evang. Eugrammon* dicitur.

Euganei, pop. ad intimum maris Adriatici sinum, Alpes versus, qui deinde à Trojanis, & Henetis, qui, Antenore duce, in eam Italiæ partem venerunt, sedibus suis pulsi, Alpes Grajas tenuerunt. Dicti autem sunt *Euganei* ἀπὸ τῆς εὐγενείας, hoc est, *à generis nobilitate*, ut quidam volunt. Plin. 5. 20. Silius *lib.* 8.

Tum Trojana manus tellure antiquitus orti
Euganeâ, profugiq; sacris Antenoris oris.

Sidon. Apollinaris, *in Carm.* 2. de Livii Patavini historiis loquens:

—— *Vel quicquid in ævum*
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.

Mart. 4. 25.

Quæq; Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit, ad Euganeos sola puella lacus.

Silius iterum *lib.* 12. *de Pediano,*

—— *Antenoreâ sese de stirpe ferebat*
Haud levior generis famâ, sacroq; Timavo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus, Venetaq; ex ordine gentes
Atq; Apono gaudens populus, seu bella cieret,
Seu Musas placidus doctaq; silentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores,
Non ullum dixere parem.

Lucan. *lib.* 7.

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atq; Antenorii despergitur unda Timavi.

Juvenal.

Juvenal. *Sat.* 8.

—— Euganeâ quantumvis mollior agnâ.

Hodie eorum regio *Marca Trevisana* dicitur. Vide Cluver. *Ital. Antiq. lib.* 1. *cap.* 15. *& l.* 3. *Introd. Geogr.* Baudrando pop. Galliæ Transpad. in Italia, ubi nunc agri Bergomensis & Brixiensis, inter lacus Larium & Benacum; ad Austrum Cenomanos habebant, ex Briet. Aliis tamen fuerunt versus Athesin flu. & Vicentiam.

Euganei colles, in agro Patavino, *Monti di Padoa*, apud Ateste.

Eugenia, filia Philippi nobilis Romani, Ægypti Præsidis, & Alexandriæ, sub Commodo, & Severo Impp. Primùm relictis parentibus fidem Christi amplexa est, ac pro viro se gerens, monasterio virorum in Ægypto præfecta est, deinde à parentibus agnita, Romam cum matre, ac fratribus rediit, & multis ad religionem Christi conversis, tandem die 25. Decemb. A.C. 208. cum Patre interfecta est. Historia ejus prolixè exponitur in vitis Patrum, ubi & hoc *Eugeniæ* dictum celebratur,

Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.

Vide Euseb. *lib.* 6. *cap.* 7.

Eugenium, Illyriorum urbs. Livius.

Reges Scotiæ.

Eugenius I. Scotiæ R. post Fetelmachum. Pepulit Maximum, M. Britanniæ præfectum, Scotiam invadentem: altero prælio occisus. Buchan. *hist. Scot.*

Eugenius II. Fergusio Patri successit. Junctus Pictis, Anglos feliciter oppugnavit. Ejus tempore Germanus & Lupus, à Gall. Ecclesiis in Angliam missi, Pelagio se opposuerunt. Beda *libro* 1. *capite* 7. 20.

Eugenius III. fil. Congali I. patruo Gorano, occiso, successit. Cujus necem vindicare rogatus, renuit. Præfuit cum laude, & successu, contra Britannos. Buchan. *Hist. Scot.*

Eugenius IV. fil. Aidani, pietate illustris. Obiit anno 620. regni 15.

Eugenius V. post Malduinum R. Ecfridum Northumbriæ R. ingenti prælio, occidit. Obiit an. Chr. 688. regni 4. Buchan. *lib.* 5.

Eugenius VI. Eugenio V. successit, fil. Ferchardi. Regnavit an. 10. Pictico bello perpetuò implicitus, Chenius *l.* 6.

Eugenius VII. prioris nepos, fratri Amberkeletho, in prælio occiso, successit. Cum Pictis pacem iniit, ductâ Regis illorum Gernardi filiâ, Spondanâ. In lecto à duobus fratribus Atholianis occisus. Buchan. *l.* 6.

Eugenius VIII. fil. Mordaci, Etfino successit, Donaldum rebellem devicit, severus in ejus complices. Dein Regno exornato, & fœderibus confirmatis, in ignaviam, hinc in crimina versus, à Proceribus occisus est. Duchen. *l.* 6.

Pontifices Romani.

Eugenius I. in Papatum intrusus, ab Exarcho Calliopo: tum cùm Martinus I. jussu Constantini in exilium missus esset, an. 654. Sedit 6. menses, usque ad an. 655. Ei successit Vitalianus. Anastas. *in ejus vita.* Baron. *Annal.*

Eugenius II. Romanus, post Paschalem I. Papa, cui oppositus Zinzimus; hinc turbæ, à Lothario fil. Ludovici Imp. sopitæ. Sedit ab an. 824. usque ad an. 827. Ei successit Valentinus. Platina & Ciacconius *in ejus vitâ.*

Eugenius III. dictus Bernardus, Pisanus, disc. S. Bernardi, successit Lucio II. Homo adeò ineptus, ut Bernardus, Cardinales objurgans, dixerit, *illos irruisse in hominem rusticanum, & eum excussâ è manibus securi, in Palatium traxisse*, &c. Sigon. *l.* 11. *ad an.* 1145. *&c.* Metu Romanorum in Galliam profugus, ibi resedit, Bernardi suasu, dicentis, *Ecclesiam, Româ etiam pereunte, in Gallia firmam fore, eoq; scelerum Pontificium regnum redactum esse, ut nil nisi Antichristus præ foribus expectari possit.* In Italiam reversus, obiit Tibure, an. 1153. sedis 8. Successit Anastasius IV. Bernard. & P. Cluniac. *in epist.* Otto Frising. *in Chron.* Ciacconius, &c.

Eugenius IV. Venetus, nomine Gabr. Gondelmerius, nepos ex sorore Gregorii XII. Martino V. successit, an. 1431. quo Basileæ Concilium, pro Reformatione, indictum erat, *in quo* liberius, quàm unquam aliàs inquisitum in auctoritatem potestatemque Pontificis. Constitutum *Concilium supra Papam esse*, &c. Succensente Papa Legato, quòd ad ea descendere Patres sivisset: Nihilominus idem confirmavit, sed Sigismundo Imp. mortuo, dissoluturus Concilium aliud Ferrariæ indixit: ubi cum Josepho Patriarch. Constantinop. consensus aliquis initus, sed mox rescissus. Interim Papa Basileæ accusatus, condemnatus, & depositus est, surrogato Felice V. Unde schisma acerrimum, cùm Eugenius etiam armis Gallorum Concilium oppugnaret: Obiit an. 1447. æt. 64. Contra Hussitas scripsisse dicitur, quamvis parum doctus. Joh. Baleus, *in Eugenio IV.* Æn. Sylv. *Eutrop. cap.* 58. Volaterr. *lib.* 22. Ciacconius, Onuphrius, &c.

Eugenius, Grammaticam primò docuit, dein post Valentiniani Jun. mortem Imperator salutatus est, ab Arbogasto, an. 392. Victus & occisus, an. 394. à Theodosio Imper. Marcellin. Prosper, Idacus *Chron.* Ruffinus, Zosimus, Orosius, &c. Item Imper. tempore Diocletiani, primo Imperii die occisus, cùm Seleuciæ palatium occupare niteretur.

Eugeon, vel *Eugaon*, ut est apud Suidam, antiquus historicus ante bellum Peloponnesiacum. Dion. Halic.

Eugia, regiuncula Arcadiæ. Steph.

Eugippus, Abbas, Afer, sec. 6. ad quem Fulgentius aliquas epistolas exaravit. Scripta ejus 2. libb. Basileæ primùm, an. 1542. dein Venetiis an. 1543. impressa, titulum habent, *Thesaurus seu Sylloge S. Augustini.* Vide Sigebert. *de Viris Illust. cap.* 39. Cassiodor. *divin. lect. cap.* 23. &c. Item Abbas, prope Neapolim, discip. Gelasii I. Condidit vitam S. Severini. Canis. *antiq. lect. t.* 6. Voss. *de H.L. l.* 3. *cap.* 18. Isidor. *de Viris Ill. c.* 13.

Eugoa, Æthiopiæ sub Ægypto oppidum. Plin.

Eugubium, vulgò *Gubio*, urbs Ducatus Urbini, in dit. Pontif. ad radices Apennini, prope fontes Chiascii fluv. 15. mill. à Perusia, paulo minus ab Assisio in Bor. In confin. Marchiæ Anconit. Malè dicitur *Eugubio* quibusd.

Euhydra, Phœniciæ urbs. Plin.

Euhydrum, Thessaliæ urbs. Liv.

Euhyus, sive *Euius*, unum ex Bacchi cognominibus à Jove illi inditum, eo in bello, quod Gigantes cum diis gesserunt. Fabulantur enim Poëtæ, cæteris diis perterritis, Liberum Patrem se in Leonem convertisse, unumque ex gigantibus interfecisse, & ob rem tam strenuè gestam, *Euhyon*, hoc est, *bonum filium*, à Jove fuisse salutatum. Sed nugas agunt qui tale etymon comminiscuntur. *Evius* enim, qui poëtis *Bacchus* sic dictus est, quasi Εὖ οἱ, vel εὖ σοί. Unde apud Dionys. *vers.* 704. Ἐυοῖ Βάκχε λέγοντες. *Evoe* autem quid sit, non latebit legentes hæc Solomonis Proverb. 23. 29, 30. *Cui væ, cui,* אבוי *Evoe? Iis qui vino immorantur.* Cui sententiæ subscribit etiam D. Heinsius *in Exercit. Crit. Quid autem Bacchus, inquit, idem qui Osiris, nisi verè lachrymosus Deus? Bacchus* enim non est dubitandum quin à בכה *bachá* quod est *ululare* aut *lamentari*, dictus sit. Confirmant id antiquissima quæ extant, Hebræorum scripta, sacræ literæ nimirum. Apud Ezechielem sanè fœminæ, quæ Thammuz sive Adonim (quem eundem cum Baccho volunt esse Græci) celebrant מבכות *Mebacoth*, id est, Βακχεύουσαι, dicuntur. Aliam verò nominis originem nobis non ita pridem exhibuit Edm. Dickinsonus M.D. Oxon. *Delph. Phœnic. cap.* 10. Unde Ἔυιος, inquit nisi ab Ἰάω? Græcos enim sic appellasse Hebræorum Deum, liquet ex Porphyrio, qui affirmat Sanchoniathonem, de Judæorum gente verissima tradidisse, ut qui rerum omnium summas accepisset παρὰ Ἱερομβάλε τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ Ἰάω. Quomodo autem factum sit Ἰάω ex *Jehova*, ostendit vir doctiss. Nic. Fullerus *l.* 2. *c.* 6. Ideoque solenne illud Bacchantium Epiphonema Ἐυοῖ Σαβοῖ nihil aliud esse decernas, quàm *Jehova Sabbaoth.* Est autem usitatissima ista vociferatio. Virgil.

Evohe Bacche fremens.

Q. Ennius *in Athamante,*

His erat in ore Bromius, his Bacchus Pater,
Illis Lyæus vitis inventor sacræ,
Tum pariter Evan, Euoe, Euoe, Evius
Ignotus juvenum cœtus, alternâ vice
Inibat alacris Bacchico insultans pede.

Catullus,

Euoe bacchantes, Evoe caput inflectentes.

Inde apud Plautum Menæchmus assimulans se furere, ita ait, *Euoe, Evie Bromie, quò me in sylvam venatum vocas?* Horat. *Carm.* 1. *Od.* 19.

Euoe recenti mens trepidat metu,
Plenoq; Bacchi pectore turbidum
Lætatur Evoe, parce Liber,
Parce gravi metuende thyrso.

Apud Euripidem, Sophoclem, & Apollonium εὐάζειν Bacchico furore correpti dicuntur. Pausanias etiam *in Messen.* Ἐυοῖ definit Βακχικὸν ἐπίφθεγμα· ac Eustathius ὑμνητικὸν λόγον τοῦ Διονύσου ἐπιφωνούμενον. Callistratus autem *in Statuis*, ait esse πικρᾶς πέρας μανίας σύμβολον.

Evia, Dassareticorum civitas in Macedon. Ptol.

Evii, Liguriæ pop. Steph.

Evila, vide *Havilah.* Baudrando quid sit, non constat.

Evilmerodach, rex Babylonis. 4. Reg. 25. post Nabuchodonosorem patrem A.M. 3472. Jechoniam Regem à vinculis liberatum mensæ suæ adhibuit. Regnavit an. 23. secundùm Torniel. 2. secundùm Petavium, *lib.* 10. *de D.T. c.* 7. Vide Joseph. *l.* 1. *c. App. & l.* 10. *Ant. c.* 12. Euseb. *de P.E. lib.* 9. *cap.* 4. Hieron. & Theodoret. *in Dan. c.* 5. Sulpic. Sev. *lib.* 2. Bedam, *de* 6. *Æt. M.* Salianum, &c.

Evin, in tribu Juda. Hier. *in Loc. Heb.*

Euippe, vicus Cariæ. Steph.

Evippus, unà cum Phocione capitis damnatus, cùm quiritaretur, attritâ cicutâ injustè se ad mortem adigi; Phocion ad eum, An mori, inquit, cum Phocione detrectas?

Eulacus, vulgò *Eulach*, rivus Helvetiæ, quem prope Vitodurum Tosa recipit, inde inter Rynsbergam & Eglisovium in Rhenum influens, Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. Antiq.*

Eulaus, Susianæ reg. fluv. Ptol. & Plin. *Ulai* dicitur. Dan. *c.* 8. *Tiritiri* hodie, Ortelio teste.

Eulalia, virgo castissima, à Deciano Prætore condemnata,

A. C. 304. sub Maximiniano, generosè mortem sustinuit: *En ego sum*, ajens, *Dæmonicis inimica sacris, idola protero pedibus, pectore & ore Deum fateor. Isis, Apollo, Venus nihil est. Maximinianus & ipse nihil. Age tortor, adure, seca, divide membra coacta luto.* Prudentius *in Hymn.*

Eulalius, Antipapa, oppositus Bonifacio I. an. 418. à Symmacho, urbis Præfecto, jussu Honorii, primò adjutus, dein cognitâ Ravennæ causâ, cùm uterque ab Imper. Romam redire prohiberetur, Eulalius autem, hoc non obstante, eò se conferret, seditione excitatâ, pulsus est. Anastas. *in Bonifacio.*

Eulalius, Patriarch. Antiochenus, Arianus, Eustathio deposito, successit, fidelium persecutor. Hieronym. *in Chron.* Baron. *An. Chr.* 340.

Eulalius, Arverniæ comes, matricidii accusatus, multiplici adulterio se implicuit. Hinc Tetradia uxor ejus, ablatis quæ poterat, ad Desiderium confugit, eique nupsit. Eulalius interea raptam ex monasterio sibi junxit, & Desiderio defuncto, à Tetradia ablata repetiit. Unde conventus an. 590. in finibus Ruthenorum Arvernorumque, ubi Tetradia in quadruplum condemnata, & liberi ejus ex Desiderio nothi pronuntiati sunt. Gregor. Turon. *lib.* 10. *cap* 8.

Eulepa, Cappadociæ urbs. Anton.

Eulogius, Patriarch. Alexandr. pius & eruditus, successit Johanni IV. an. 581. Scripsit contra Agnoitas, Novatianos, Severum & Timotheum, Theodosium & Severum, Acephalos, Caïnitas & Theodosianos, ut & 11. Homilias. Obiit an. 608. Gregor. *lib.* 7. *ep.* 30. *lib.* 8. *ep.* 42. Niceph. *Chron.* Evagr. *lib.* 5. *cap.* 16. Photius, *cod.* 208. 225. 226. 227. 230. 280. *&c.*

Eulogius, Cordubensis, Martyr, sec. 9. Sub Saracenis. Scripsit Memoriale Sanctorum, Apologiam Martyrum, Exhortationem ad Martyrium, Epistolas aliquot, &c. Morales, *not. ad Eulog.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 4 *IV. part.* ut & *Hisp. Illustratam.*

Eulogius, presbyter, fertur præscientiam habuisse cogitationum quorumlibet ad se venientium, eorumque delicta redarguisse, & quæcunque latenter cogitassent, sibi revelata manifestasse. Cùm verò aliquid mali gessissent, vel pravum consilium adhibuissent, ab altari suspendebat, manifestans iis peccatum, quod egerant, ac diligenter purgatos rursus suscipiebat. Sozomen. *libr.* 8. *cap.* 1. Hist. Trip.

Q. Eulogius, seu *Eclogius*, cognom. *Vitellius*, libertus Q. Vitellii, quæstor Augusti, genealogiam Heri sui scripsit. Majores ejus à Fauno R. Aboriginum arcessens. Suet. *in Vitellio c.* 1.

Eum, Brito, motus verbis solennibus Exorcismi, *per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos*, se Christum finxit, dementatâ ingenti multitudine, quam fictis, ope magiæ, epulis fascinavit. Discipulis nomina *Sapientiæ Scientiæ, Judicii*, &c. imposuit, jamq; Galliæ formidabilis cum innumerabili turba volitavit: Cùm ab Arch. Remensi captus, an. 1148. & in vincula conjectus est, ubi obiit. Discipulorum ejus plurimi, mori quàm corrigi maluerunt. Robert. *in suppl. Sigebert.* Otto Frising. *l.* 1. *c.* 55. Sigon. *l.* 11. Genebr. *in Eugenio III &c.*

Eumachius, Neapolitanus historicus, rerum Annibalicarum historias conscripsit, teste Athenæo.

Eumachius, orbis descriptionem consignavit, citatur à Phlegonte Tralliano *de rebus Mirabil. cap.* 18. Plin. *l.* 4. An idem cum priore? Voss. *de Hist. Gr. l.* 3. *p.* 366.

Eumæus, subulcus Ulyssis, qui dominum post longos errores domum redeuntem, quamvis incognitum, hospitio excepit & in urbem deduxit, eique in ulciscendis uxoris procis fidelem operam navavit. Hom. *Od.* 22.

Eumathius, auctor amorum Ismeni & Ismeniæ, qui aliàs Eustathio Arch. Thessal. tribuuntur. Voss. *de H G l.* 4. *c.* 19.

Eumeda, Dux auxiliaris, in partibus Persæ, contra Æeten. Val. Flacc. *lib.* 6. *vers.* 144.

Eumelis, augur nobilis. Stat. *Sylv.* 4. 8.

Tu ductor populi longè emigrantis Apollo,
Cujus adhuc volucrem, lævâ cervice sedentem,
Respiciens blandè felix Eumelis adorat.

Eumelus, Admeti regis Thessaliæ ex Alcestâ uxore filius. Boccat. 5. 43.

Eumelus, vir Trojanus. Virg. *Æn.* 5. Item Historicus Corinthius, de quo vide Voss. *de Hist. Gr.* 4. 1.

Nuncius Anchisæ ad tumulum, cuneosq; theatri
Incensas prafert naves Eumelus.

Eumelus, Corinthius, circa Olymp. 9. Patriæ scripsit historiam, &c. Vide Pausan. *in Corinth.* Athen. *lib.* 7. Varr. *de R. R. l.* 2. *c.* 5 Hier. *Chron.* Cyrill. *c. Jul.* Girald. *dial. hist. Poët.* 3. Voss. *de Hist. Gr. l.* 1. *c.* 1. *l.* 4. *cap.* 1. *de P. c.* 3. *&c.*

Reges Bithyniæ & Pergami.

Eumenes, Bithyniæ rex, Asiam invasit, an. U. C. 516.

Eumenes I. Pergami rex, *amicissimus Romanis*, ut eum Nepos *in Annibale* vocat, fil. cujusdam Eumenis, patruo Philetæro successit Strabo fratrem hujus & successorem Attalum primùm Regem Pergami dictum esse, post Galatas domitos, refert, *libr.* 3. Liv. *libr* 34. Φιλορωμαῖον eum Plutarch. dixit *in Catone.*

Eumenes II. Asiæ Pergamique R. Attalo Patri successit, an. 556. U. C. cum fratribus adeò bene ipsi convenit, ut hinc fraterni amoris exempla peti fuerint solita. Multum ipsi cum Rom. negotii fuit, regnavit an. 40. Famâ inclytus. Strabo *lib.* 13. Liv. Justin. Polyb.

Duces & Viri illustres.

Eumenes Cardianus, fil. Vectoris, ex scriba nobilissimus dux, ab Alexandro M. magni habitus, sororem Barsines, uxoris ejus, duxit. Illo mortuo, Craterum & Antipatrum, Perdiccæ auspiciis, devicit. Pulsus Asiâ ab Antigono in provinciis Orientalioribus hæsit, Argyraspidum dux, &, quia Seleucum in partes suas pertrahere non poterat, illius regionem invasit. Mox viribus auctus, contra Antigonum movit, an. U. C. 439. cui à militibus proditus, triduanâ fame obiit. Plut. *in Eumene*, Diodor. *l.* 19. Justin. Curt. Arianus. Vide & Nepotem inprimis *in ejus vitâ.*

Eumenes, 6. Alexandriæ Episcopus, an. Dom. 134. Euseb. *l.* 4. *c.* 5. Successit Justo. Obiit an. 144.

Eumenes Cardianus, Ephemerides Alexandri, cum Diodoro Erythræo, scripsit. Athen. *l.* 10. Ælian. *l.* 3. *c.* 23.

Eumeni lucus, ad sinum Arabicum in Æthiopiâ sub Ægypto. Strabo.

Eumenia, Phrygiæ urbs, quam Attalus ab *Eumene* Philadelpho sic vocavit, quòd benè in eâ mansisset. Alia est Thraciæ, circa Mœsiam inferiorem, Plin. alia item Cariæ, tertia in Hyrcaniâ.

Eumenides, vir quidam, cujus meminit Ovid. 3. *Trist.* 4.

Non foret Eumenides orbus, si filius ejus
Stultus Achilleos non adamasset equos.

Lege *Eumedes.*

Eumenides, Furiæ infernales κατ' ἀντίφρασιν καὶ εὐφημισμὸν, cùm minimè εὐμενεῖς, hoc est, benevolæ sint. Servius *in Æn.* 6. *Dictæ quòd minimè benè velint, per antiphrasin, ut Parca, Bellum.* Εὐμενίδες αἱ σεμναὶ θεαὶ dicuntur Plut. *in Theseo*, & Pausaniæ *in Atticis.* De illis multa Æschylus, & Orpheus hymno in *Eumenidas.* Has autem tres ferunt fuisse Acherontis, & Noctis filias, uno partu editas, & apud inferos *Canes Stygias* vocari, apud mortales *Furias*, apud superos verò *Diras.* Harum nomina Megæra, Alecto & Tisiphone. Virg. *Æn.* 4.

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus.

Idem *lib.* 6.

Tu Stygias inhumatus aquas, amnemq; severum
Eumenidum aspicies. ———

Propertius,

Eumenidum intento turba severa foro.

Stat. *Theb.* 4.

——— *Stygias lustrare severis*
Eumenidas perhibetur aquis.

Est etiam *Eumenis* sing. num. Idem Stat. *Theb.* 11.

——— *Scidit orsa novo terrore cruenta*
Eumenis.

Silius *lib* 3.

Eumenis in medios irrumpit turbida cœtus.

Idem Silius,

Dea concita sævam
Eumenidem incussit.

Porro Eumenides à Poëtis pinguntur vipereo crine incinctæ. Catullus *in Argonaut.*

Eumenides, quibus anguineo redimita capillo Frons.

His ara Athenis, ad quam Cilonis socii occisi, Thucyd. *l.* 1. Plut. *in Solone.* Inde Ὀφιοπλόκαμοι Orpheo dicuntur.

Eumolpus, Atheniensis, quem Suidas Musæi poëtæ filium fuisse scribit, versificator ante Homerum fuisse traditur, auctor 6000. versuum. Ovid. *Pont.* 2. 9.

Regia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi pervenit usq; Coty.

Ab hoc *Eumolpidas* sacrorum quorundam præsides dictos volunt. Æschines *contra Ctesiphontem.* Fuit & Pythionices quidam, hoc est, *victor in Pythiis ludis* Græciæ. Hic vitium, aliarumque arborum culturas docuisse fertur, teste Plinio.

Eumonides, nomen proprium viri Thebani. Plut.

Eumonius, Rhetor, à Constantio Imper. 6000. Imperiales, pensionis loco, accepit. Nazar. *in panegyr. Const.*

Euna, urbs Cariæ, in quâ fluvius est *Eunaus.* Est etiam urbs Argorum. Vide Steph.

Eunæus, Jasonis fil. ex Hypsipyle filiâ Thoantis regis Lemni. Hom. *Il.* 7.

Eunapius Sardianus, sub Valentiniano, Valente & Gratiano, sophista, medicus, ac historicus insignis, Proæresii discipulus, ac affinis Chrysanthii, quippe qui Eunapius impulsu hujus Chrysanthii scripsit de vitis Sophistarum, opus elegans ac venustum, sed in quo passim prodat, quam Christiano nomini fuerit infestus. Idem res gestas Cæsarum, exinde orsus, ubi desierat Dexippus, à Claudio videl. ad Arcadii & Honorii perduxit: Vel ut alii, à fine Herodiani, usque ad sua tempora. Sed nihil restat, præter vitas Sophist. & fragmenta quædam. Julianum Apostatam Constantino M. antetulit: Compilatorem nactus est Zosimum. Vide Photium, *Bibl. cod.* 77. 98. & Voss. *de Hist. Gr. l.* 2. *c.* 18.

Euneno, seu *Agmo*, *Aa*, fluv. Belgii. Oritur in agro Bononiensi

niensi, per Artesiam dein, ubi Audomaropolim rigat, postea ad Gravelingam in Ocean. Germanicum labitur.

Eunice, nympha, una ex his quæ Hylam Herculis puerum rapuerunt. Item Timothei mater. 2. Tim. 1.

Eunicus, statuarius fuit. Plin.34.8.

Eunoensium, regionis Græciæ meminit Pausan. *in Ach.*

Eunomianus, sub Justiniano Imper. Bellissarii Pater lustricus. An idem cum Poëta orthodoxo, cujus epigramma cum Philostorgi Ariani scriptis, Jac. Godofredus edidit? Suidas.

Eunomidas, vide *Phrynichus*.

Eunomius, discipulus & notarius Ætii. Trip. Hist. 5.13. Ordinatus est episcopus Cyzici, tanquam qui posset populum calliditate verborum ad suum circumvenire consensum, *cap.35. & lib.7. cap.* 18. Propugnavit hæresin Arianam, contendens per omnia, Filium dissimilem esse Patri, quia nullo modo creatura possit similis esse Creatori. Deum se æquè perfectè cognoscere, ac ipse se cognoscat, asseruit. Baptizatos in nomine SS.Trinitatis rebaptizavit: Cæterum sceleribus vitâ pollutâ. Primùm autem callidè dissimulavit virus, tandem se prodens Cyzico pulsus est. Quumque Samosatensibus à factione Ariana obtruderetur, & se in omnium odio esse animadverteret, illinc quoque discessit. Tandem à Valente Imper. Cyzicum reductus est. Inde à populo rursus ejectus, ad Eudoxium Constantinopolim venit, à quo ipse se tandem sejunxit. Ejus scripta, contra Ecclesiam, & 7. tomos, in epist. Pauli Socrates recenset, *lib.* 4. *cap.* 6.7. A Basilio, Cæsario, Didymo, utroque Gregorio refutatus est. Vide Epiph. hær. 75. Theodoret. *l.* 4. *hær. fab.* 5. Hier. *adverſ. Vigilant.* Ruffin. *lib.*2. *cap.* 25. Baron. *An. Ch.*356. Ab hoc dicti *Eunomiani* Troglodytæ. Extant contra Eunomium libri Basilii & Nazianzeni.

Eunonus, Aorsorum Rex, tempore Claudii, Tacit.12.15.

Eunosti, portus Ægypti circa Pharum. Strabo.

Eunostus, Tanagræorum Deus, cujus templum adeò mulieribus interdictum fuit, ut si quo infortunio, aut vastitate Tanagræi opprimerentur, diligentèr inquirerent, si qua mulier consultò, aut casu templo appropinquasset, Alex. ab Alex. *Gen. Dier.*6.2.

Eunuchi, hæretici, aliàs Valesiani, à Valesio Arabe quodam. Omnes sectæ suæ exsecabant, imò & in obvios quosque eadem crudelitate sæpe sæviebant. Epiphan. *hær.* 58. Baron. *An. Chr.*249. *n.* 9. 260. *n.*69. *&c.*

Euodia, mulieris nomen. Philip.4.

Euodius, primus post D. Petrum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, An. Salutis 68. martyrio coronatus, an. 71. Niceph. *lib.*7. *c.*3. Euseb. *Chron. & Hist. lib.*3. *cap.*16. Item alius Consul cum Honorio an. U.C. 1139.

Euodius, Episc. Augustino laudatus. Item Epicus Lat. cujus opera perierunt. Suid.

Euodus, custos & exactor, è libertis, cædi Messalinæ à Narcisso datus. Tacit. *lib.*11.*c.*17.

Euonium, castellum firmissimum in litore Scotiæ Occid. postea *Stephanodium, Dunstaphag* hodie Hectori Boetio. Baudrando urbs Scotiæ munita, in Lornia prov. Regum antiqua sedes, cum portu capaci, in ora Occ. versus Ebudas. Vix 5. mill. Scot. à Mula Inf. in Ortum, 55. à Dumblana in Occas. 14. à Chilmoria, in Boream.

Euonymia, Cariæ urbs, & Atheniensium vicus, tribûs Erechtheidis. Steph.

Euonymita, Ægypti gens juxta Æthiopiam.

Euonymos, insula parva ex Æoliis Plin. 5.19. Ita dicta, quòd è Liparâ in Siciliam navigantibus sinistra offeratur, nam εὐώνυμα Græci καὶ ἀφημισμένα vocant *sinistra*, author Strab. *lib.*6. *Stromboli* Nigro, *Vulcanetto* Ferrario. Quibusd. *Lisia Bianca*, forsan mel. aliis *Pare rotto*, ins. satis parva, inter Liparam ad Austr. & Strongylem ad Bor. in mari Tyrrh. cum paucis incolis. Baudr.

Euoras, Laconiæ saltus. Pausan.

Evoria, Epiri locus, Sozom. *lib.* 7. *cap.* 25. Eadem *Donatiana* videtur dicta, apud Callistum, à Donato ejus Episcop. Urbs olim Episc. nunc pagus.

Evoriaca Meldorum, ubi Burgundofara, vel Fara Franca, Chagnerici Regis Austrasiorum Theodeberti Convivæ & Consiliarii, ex Landegunda filia, Chagnoaldi Laudunensis Antistitis soror, clarissimum Monasterium virginum erexit, in pago Briegio, hodieque *Fre-moustier.* Inter fluvios Mucram maj. & Albam; quorum alterum *le Grand Morin* nominant, alterum, qui in ipsum defluit, diminutivo nomine *Aubetin*, aliàs *Aubete.* Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Evosium, vulgò *Yvoix*, vide *Epoissius.*

Eupagium, Peloponnesi opp. Diodorus. In Elide.

Eupales. 32. Assyriorum rex.

Eupalia, urbs in Locride. Steph. Alii *Eupalion*, alii *Eupolion* vocant.

Eupator, fil. Antiochi. 1. Macchab. 6.

Eupatoria, urbs Paphlagoniæ, & Mithridatis regia, ab eo condita, postea eo victo à Pompejo Magno *Pompeiopolis* dicta, teste Plinio.

Eupatria, urbs Lydorum. Steph.

Euphantus Olynthius, Historicus & Poëta, fil. Eubulidis, Præceptor Antigoni, Macedoniæ R. cui librum de Regia dignitate, inscripsit. Diog. Laërt. *in Euclide lib.* 2.

Eupheme, mulieris nomen, nutricis Musarum, Croci mater.

Euphemia, uxor Justini I. Imper. cum marito, post Anastasii mortem, coronata, an. 518. Obiit an.523. Orthodoxiæ tenax. Prius Lupicina dicta. Zonar.& Cedren. *in Justino I.* Theophanes, Theod. Lector, Marcellinus, &c.

Euphemius, Patr. Constantinopolitanus, post Flavitam, an.489. Ex sacris Dypticis, eraso nomine Petri Mongi, Acacii tamen & Flavitæ non delevit. Unde lis ei cum priore, ob post riores verò exilium: sub Anastasio Imper. an.495. Evagr. *lib.* 3. Niceph. *l.*16. Theodorus Lector, *Collect. libr.*2. &c.

Euphemius, incertum an Aphrodisius, auctor libri fuit, de patriâ suâ. Docent hoc verba illa Stephani in Ἀφροδισιάς: Ἀφροδισιεὺς ἦν Εὐφήμιος, ἐν τῷ περὶ πατρίδος. Fortasse est idem Εὐφήμιος, quem ἐν τοῖς στεφανωτικοῖς citat Pollux 10. 27. ac ejus meminit Ammonius *lib. de vocum differ. in* Ἴδη. Vossius

Euphemius Rhetor, habitus fuit inter maximos assentatores, adeoque obnoxius Judicibus, ut eorum baxeas detergeret. Vide Aristoph. *Vesp.*

Euphemus, Neptuni & Mecionices fil. cui, defuncto Tiphy, Argûs gubernandæ munus, secundùm Theotimum commissum fuit ab Argonautis.

Euphiletas, civis Atheniensis, pater Charæadæ ducis, qui in Sicilia occubuit.

Euphorbeni, Phrygiæ majoris populi. Plin.

Euphorbus, nobilis Trojanus Iliaco in bello à Menelao occisus, cujus animum Pythagoras in se immigrasse affirmabat. Ovidius *Met.* 15.

> *Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli*
> *Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam*
> *Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ,*
> *Cognovi clypeum nostræ gestamina lævæ, &c.*

Euphorbus, Medicus Jubæ, Mauritaniæ R. frater Artonii Musæ. Hinc Euphorbiæ nomen, auctore Jubâ. Plin. *lib.* 5. *c.*1.

Euphorides, nomen Comici, Aristoph. *Acharn. Act.*2.*sc.*6.

Euphorion, poëta Chalcidensis, quem transtulit Gallus. Habebat hic quosdam ita deditos sibi amatores, ut eum præferrent Ennio, & reliquis poëtis, ejusque poemata studiosè cantarent, posthabitis aliorum poematibus. *Obscurum* eum vocat Tullius *de N. D. lib.* 2. Elegos eum scripsisse, Diomedes *lib* 3. testis est, & ostendit quoque Casaubonus *ad Suetonii Tiberium.* Suidas etiam poematis cujusdam meminit, quod *Hesiodum* inscripserat: In quo procul dubio de agriculturâ præcepit. Quam fortè ob causam Varro & Columella eum, inter scriptores rusticos, celebrant: An hic alius? Vide Servium in illud Virg. *Eclog.* 10.

> *Ibo, & Chalcidico quæ sunt mihi condita versu*
> *Carmina.* ——

Historicus insuper fuit. Natus Olymp. 126. Gratus Nicææ, Alexandri Eubœæ R. uxori, à marito ingentibus donis excultus. Hinc in Syriam, ad Antiochum M. se contulit, ejus Bibliothecæ præfectus. Imitatus eum Tiberius Imper. quem cum Rhiano & Parthenio tanti habuit, ut scripta illorum & imagines, in Bibliothecis, inter antiquissimas reponeret. Suid. Strabo *lib.* 9. Sueton. *in Tiber. cap.* 70. Simler. *Biblioth. Gesn.* Voss. *de Hist. Gr. l.*1.*c.*6. Vide etiam sis Quintilianum *lib* 10.*cap.*1.

Euphorion, Tragicus, fil. Æschyli. Suid. Item, Grammaticus, Præceptor M. Antonii Philosophi, Jul. Capitolin. *in ejus vitâ.*

Euphorus, ἐν τοῖς Ἀρχαίοις citatur ab Athenæo *lib.* 4. Nec lectio ea in Ἔφορος mutanda, nam omnino diversus est ab nobili illo historico. Meminit ejus Clem. 1. *Strom.* & Laertius *in Thalete.*

Euphranor, statuarius laudatissimus, Isthmius, qui de symmetriâ, & coloribus aliquot volumina conscripsit. Floruit Olymp. 104. plurimaque signa nobilissima ex ære confecit, quæ numerantur à Plinio 34.8. Idem & pictor, & marmorarius fuit, in unoquoque genere excellens, sibique æqualis. Juvenal. *Sat.* 3.

> *Hic aliquid præclarum Euphranoris.* ——

Euphranta, urbs Libyca. Steph.

Euphrasius, Episc. Antiochenus, post Paulum. An. 521. ruinis urbis in horribili illo terræ motu, an. 525. oppressus. Evagr. *lib.*4. *cap.* 4.5. *&c.*

Euphrates, Philosophus Stoicus gravissimus, temporibus Adriani Imp. voluntariâ morte è vivis excessit, veniam ei dante Adriano, ut citra ignominiam & infamiam, cùm propter senectutem, tum etiam propter gravem morbum, cicutam bibere posset. Dio. A. 118. Xiphilin. *in Adriano.* Plin. Jun. *epist.* 10. *lib.* 1. Eusebius *Chron.*

Euphrates, caput Ophitarum, seu hæreticorum, quibus serpens pro Numine. Orig. *lib.*6. *c. Celsum.* Vide *Ophita.*

Euphrates, Mesopotamiæ fluvius celeberrimus & maximus. Magnitudinem ejus innuit Callimachus *Hymn.*2.

> Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος. ——

Itemque Dionysius,

> Φαιδρὸν ἀπείρεσιος ποταμὸς ῥόος Εὐφρήταο.

Major siquidem est Tigride, sicut refert Strabo *lib.* 2. Ἐπὶ πλάτος ὁ Εὐφράτης καὶ πλείω διέξεισι χώραν σκολιῷ τῷ ῥείθρῳ. Inde

vagus

Vagus Euphrates Strabo *Sylv.*2. & *flexuosus* Mart. Capellæ dicitur. De eodem Lucanus *lib.* 3.

Quaq; caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, &c.

Sic appellatur in lib. Jos. 1. 4. הנהר הגדול נהר פרת ubi Sept. Ἕως τοῦ ποταμοῦ τοῦ μεγάλου ποταμοῦ Εὐφράτου. Similiter in Apocalypsi 9. 14. Ἐπὶ τῷ ποταμῷ τῷ μεγάλῳ Εὐφράτῃ. Ob fertilitatem eum celebrat M. Tullius *de N. D.* 2. *Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quasi novos agros invehit.* Itemque Lucanus *lib.* 3.

—— Sparsus in agros
Fertilis Euphrates, Pharia vice fungitur unda.

Strabo *l.* 16. Πλημμυρεῖ γὰρ ὁ Εὐφράτης κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ θέρους, ἀπὸ τοῦ ἔαρος ἀρξάμενος. Plinius de Euphrate: *Increscit autem & ipse Nili modo statis diebus, paulum differens, ac Mesopotamiam inundat Sole obtinente vicesimam partem Cancri. Minui incipit in Virgine & Leone transgresso. In totum verò remeat in vigesimâ novâ parte Virginis.* Originem nominis sui, quod, postquam Taurum prætergressus est, demùm habet: Vide Cluver. *Introd. Geogr.* haud dubiè debet linguæ Arabum, quibus *Pharata inundare* denotat, unde *Iphraton inundatio*, ex quo postea corruptè *Euphraten* suum Græci finxerunt. Alii dictum volunt ab eo quod legitur, Gen. *c.*11. *v.*14. הוא פרת *Hu perath*, unde Εὐφράτης. Utrumque verum. Græci enim suo more ludunt, dum ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν petunt. Vide Boch. *Phaleg.* 1. *cap.*8. *pag.*38. & 39. Strabo ex Niphate Armeniæ monte nasci tradit. Si Boëtio credimus,

Tigris & Euphrates uno se fonte resolvunt.

Lucanus *libr.* 3.

—— Quos non diversis fontibus edit
Persis, & incertum, tellus si misceat amnes.

Oppian. Κυνηγ. δ.

Ἀντὰρ ἐϋρρείταο παρ' ὄχθαις Εὐφρήταο.

Orpheus *in Lithiacis*, Συνεπηχυμένος κελαδεινοῦ
Ὕδασιν Εὐφρήταο. ——

Baudrando ortus in Armenia maj. paulo pòst recipit Harpagum & Arsametem, dein à Sept. in Mer. tendens, Armeniamque maj. à min. separans, alluit urbes Azirim, Zimaram, Melitenem, & recipit Arsaniam & Melam fluv. postea Syriam & Arabiam à Mesopotamia dividens, & rigatis Samosatha, Zeugmate & aliis innumeris, auctus fluviis, Marsya & Chaborâ, aliisque infra Seleuciam, prope Ctesiphontem, in Tigrim cadit, & cum ipso paulò pòst in sin. Persicum se exonerat.

Euphratesia, quæ & Comagene, vide ibi.

Euphron, Sicyonius, audaciâ insignis, assumptis ejusdem temeritatis quibusdam Argivis, tyrannidem affectavit; Eaque potitus quadringentos locupletissimos Sicyoniorum exilio multavit, ac bona publicavit. Exinde magnâ pecuniæ vi coactâ milites conduxit ac civitatem in potestate tenuit. Diod. 15. *p.* 494.

Euphrone, Nox Poëtis dicitur; quia in ea multùm sapimus. Epicharm.

Euphronius, Grammatici nomen, quem laudat Scholiorum auctor *in Ranas* Aristophanis *Act.* 4. *sc.* 2. 264. *B.* Iterum *in Vesp.* 473. Et ubi non? Item Patriarch. Antiochenus Arianus, sec. 4. Hieron. *Chron.* Baron. *A.C.* 430.

Euphrosyne, una Gratiarum, soror Aglaiæ, & Thaliæ, ab *hilaritate* sic dicta.

Eupilis, lacus Cisalpinæ Galliæ, in quem progreditur Lambrus, in Padum defluens. *Lago di Pusiano* Leandro.

Euplæa, insula Tyrrheni maris juxta Neapolim. Statius *Sylv. lib.* 3.

Et placidus Limon, numenq; Euplæa carinis.

Idem, *Sylv.* 2. *Carm.* 2.

Inde vagis omen felix Euplœa carinis.

Gajola vulgò.

Eupolemus, Legatus Judæ Macchabæi ad pop. Rom. 1. Macchab. 8. Hujus pater Joannes adjuverat Jasonem in gentium ritibus Hierosolymæ instituendis. 2. Macch. 4.

Eupolemus, historicus, de Regibus Judæorum scripsit, citatur à Josepho *lib.* 1. *cont. App.* Clem. Alex. 1. *Str.* nec non Eusebio *libr.* 9. *P. E. Eupolemi* tactica celebrat Ælianus *lib.* περὶ τάξεων, *capite* 1.

Eupolis, priscæ comœdiæ scriptor, qui vitia populi magna cum libertate reprehendebat. Horat. *Serm.* 1. *Sat.* 4.

Eupolis atq; Cratinus, Aristophanesq; poetæ, &c.

Persius,

Iratum Eupoliden prægrandi cum sene palles.

Scripsit comœdias 17. ex quibus 9. victoriam meruere. Periit in prælio navali inter Lacedæmonios & Athenienses, juxta Hellespontum commisso, cujus mors usque adeò luctuosa civitati fuit, ut postea edicto publico cautum fuerit, ne poetæ in posterum militare liceret. Alii ab Alcibiade, libertate ejus offenso, sublatum dicunt. Suid.

Eupolis, Eleus, qui Olympiad. 96. vicit.

Eupompus, Macedo, Arithmeticæ, & Geometriæ peritissimus, sine quibus negabat artem posse perfici. Item præclarus pictor, qui docuit Pamphilum Apellis præceptorem. Plin. 35. 10.

Euporia, urbs Macedoniæ ab Alexandro victore condita, & à *fertilitate* sic dicta. Steph.

Euporus, servus Gracchi, qui dominum ex Aventino fugientem, quà potuit ratione tutatus est, ac super occisum, animam, evulsis proprio vulnere visceribus, effudit. Macrob.

Euprosopon, promuntorium Phœniciæ. Nomen habet ab *insigni aspectu*. Vadianus.

Eupsychiani, hæretici, ab Eupsychio Eunomiano, qui Eunomii sectatores, ob quæstionem, de cognitione Christi, deseruit. Sozom. *lib.* 7. *cap.* 17.

Eupyridæ, vicus de tribu Leontide. Vide Steph.

Eura, vulgò *Auron*, fluv. Galliæ Celt. per Bituriges, ac Bituricas urbem in Ligerim fluens.

Euranium, Cariæ oppidum. Plin.

Euria, S. Donato. Vide *Evoria*.

Eurianassa, urbs Chio finitima. Plin. Lege *Euryanassa*.

Euricus, Visigothorum rex, an. U.C. 1220.

Euripides, insignis poeta Tragicus, natus Salamine eo die, quo numerosus ille Xerxis exercitus ab Atheniensibus fusus est. Alii Phlyâ, Atticæ vico, oriundum, dicunt. Floruit tempore Archelai Macedonum regis, à quo etiam summo in honore est habitus, postquam Athenis discessisset, Comicis postlatus. Scripsit fabulas 75. ex quibus 5. tantùm victoriam reportarunt. Et 19. tantùm extant: Auditor fuit Anaxagoræ ac Socratis, à Prodico Rhetoricam didicit. Cum Platone, discendi causâ, in Ægyptum ad sapientes, & Sacerdotes profectus aliquando est, teste Laertio. Vidisse se speluncam terream ac horridam in Salamine, in quâ scriptitarit Euripides, Gellius affirmat, 15. 20. Μισογύνης à quibusdam ab *odio mulierum* dicitur, forsan ob infelix conjugium. Ejus enim uxor cuivis corpus substravit. Vide Aristoph. *Ran.* 4. 2 & Schol. in easdem. Φιλογύνης verò ab aliis. Mortuus est anno ætatis suæ 75. à canibus discerptus, veluti Gellius, & Val. Max. prodidere. Decamnichi cujusdam odio, qui fœtentem animam cùm aliquando Euripidi exprobrasset, permissu Regis, ab hoc malè habitus est. Unde postmodum & Archelaus ipse occisus. Alii tamen hoc casui adscribunt, nonnulli fœminarum manibus eum discerptum asserentibus. Olymp. 93. ante C. N. 406. Ossa ejus, Archelai regis jussu, Pellam sunt translata, repulsis Atheniensium precibus, qui sæpe per legatos tentaverant, ut civis sui reliquias sibi in patriam referre liceret. Τραγικώτατον eum vocat Aristoteles. Et quanti versus ejus fecerit Cicero, non obscurè testatus est, sic ad Tyronem scribens *l.*16. *Fam. Epist. Euripidis, cui quantum tu credis, nescio, ego certè singulos ejus versus singula testimonia puto.* Vide Diodor. Sic *lib.*13. Aul. Gell. *l.*11. *c.*4. *l.*15. *c.*20. *l.*17. *c.* 4. Thom. Magistr. *in vita ejus.*

Euripidius, numerus in talis quadragenarius, ab Euripide inventus, eo tempore, quo exactis 30. tyrannis, 40. principes Atheniensium Remp. administrabant. Vide Cæl. Rhod. 20. 27.

Euripylus, in Græcorum veteranos, qui ad Ilium depugnabant, fortissimus. Lege *Eurypylus*.

Euripus, auctor Græcus, scripsit de discipulis Socratis, Meurs. *in lect. Att.* post Harpocrationem.

Euripus, Euripi propriè dicuntur alvei magnifico opere, aquas in morem fluviorum deducentes, unde Hesychius interpretatur δοχὰς ὑδάτων. Differunt à *nilis*, quòd hi majusculi essent, *Euripi* exiliores. Sic *nili* voce utitur Tullius *Epist. ad Qu. fratrem. De arcano, Cæsaris opus est: vel mehercule etiam elegantioris alicujus: imagines enim istæ, & palæstra, & piscina, & nilus multorum philotimorum est, non diphilorum.* Nilum autem & euripum eâ, quâ diximus significatione, conjungit idem, *principio secundi de Legg. Ductus verò aquarum, quos isti nilos & euripos vocant, quis non cùm hæc videat, non irriserit? Euripos* quoque vocabant lacunas aquarum inertium in Circo, vel arenâ. De iis sic Plin. *l.*8. *c.*7. *Universi (elephanti) eruptionem tentavere, non sine vexatione populi, circundati clathris ferreis. Quâ de causâ Cæsar Dictator, postea simile spectaculum editurus, euripis arenam circumdedit.* Auctor est Spartianus, Heliogabalum *euripis* vino plenis navales Circenses exhibuisse. Dicti autem *euripi*, à Græco Εὔριπος significante *fretum*. Nam Suidas exponit πέλαγος στενόν, ac τόπος ὑδατώδης μεταξὺ δύο γαιῶν. Variis verò fretis hanc vocem tribuunt Græci, Latinique scriptores, maximè tamen nobilis *Euripus* inter Euboeam, & Bœotiam, qui *Chalcidicus* & *Euboicus*, & simpliciter *Euripus stretto di Negroponte* nunc dicitur. Euripus Taurominitanus sæpius reciprocans est, sed Euboicus, ut Pomp. Mela 2. 7. auctor est, *septies die, ac septies nocte, fluctibus invicem versis, adeò immodicè fluit, ut ventos etiam, ac plenis velis navigia frustretur.* Seneca *in Herc. Oetæo*,

Euripus undas flectit instabilis vagas,
Septemq; cursus flectit: & totidem refert,
Dum lassum Titan mergit Oceano jubar.

Ubi septies tantùm viginti quatuor horarum spatio reciprocare scribit. Idem tradunt Strabo *l.*9. Aristotelem in illum se præcipitasse, cùm non posset reciprocationis hujus causas investigare, referens: Plinius, Etymologus, aliique. Imò Antiphilus Byzantius *libr.* 1. *Anthol.* sexies solùm cursum mutare ait. Livius denique *libr.* 38. sic scribit, *Fretum ipsum Euripi, non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temerè in*

modum venti, nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur. Claudianus,

——*Euripi refluens incertibus undis.*

Qui Statii illa cogitabat,

——*Refluumq; meatu*
Euripum.——

Hinc castigandus idem Statius Sylv. *lib.* 1. *de Euripo*,

——*Sic Chalcida fluctus*
Dispescunt reflui, sic dissociata profundo
Brutia Sicanium circumspicit ora Pelorum.

Ubi perperam nunc scribitur *Expellunt fluvii.*

Sen. *in Hercule Insano*,

——*Vicibus alternis fugax*
Euripus.——

Exæstuantem Euripum dixit Boetius *de Consol. Phil. lib.* 2. *Met.* 1.

Euromus, urbs Cariæ. Steph.

Euronotus, alio nomine *Vulturnus*, ventus ab Oriente hyberno spirans, quod inter Notum & Eurum sit.

Europa, filia Agenoris regis Phœnicum, quam Jupiter, in bovis speciem transformatus, rapuit. Ovid. *Met.* 2. Hinc Europæ nomen, tertiæ parti Orbis veteris inditum. Alii tamen aliter. Vide infra. Sunt qui raptum hunc Asterio vel Minoi tribuant, bello contra Phœnices. Euseb. *in Chron.* Herodotus *lib.* 1. Item nympha marina, Oceani ac Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* Item una ex Sibyllis, ordine XI.

Europa, una ex tribus terræ partibus veteribus cognitis. Minima est omnium, sed præcipua, vel ob soli nobilitatem, vel ob frequentiam incolarum, vel ob præclara facinora eorum, qui eam hactenus tenuere. Addo, quòd vel primo loco dicendum erat, quia in illa Ecclesiæ inprimis domicilium. Ejus incolæ Europæi ab omnibus Asiaticis *Franki* dicuntur, seu & *Alfrangues*; & Europa, seu Christianorum regio, ab eis *Frankia* vocatur, propter præclara gesta à Francis in illis partibus. Quidam autem addunt, Europæos à Turcis *Giaour* dici, sed errant. Est enim injuriosum nomen apud illos, quod infidelem significat. Europa habet à Septentrione & ab Occidente Oceanum, à Meridie mare Mediterraneum, & ab Oriente Asiam. Quibus limitibus Europa ab Asia separetur, inter veteres scriptores non satis convenit. Sed hæc pauca à Cluverio accipe. Ut habeas, inquit, verum Europæ & Asiæ terminum, statue post mare Ægæum, Hellespontum, Propontidem, Bosphorum Thracium, Pontum Euxinum, Bosphorum Cimmerium, paludemque Mœotin, primùm Tanais fluenta, donec adverso amne ad flexum ejus oppidumque *Tuja* pervenias, quà Volgæ fluminis dextræ ripæ appropinquat, inde transversum jugum, quod inter utrumque flumen ex Septentrione in Meridiem protensum, vulgari vocabulo dicitur *Perovolock* à Volgæ læva ripa, *Rhymnicos* montes, ad oppida *Veliki Tumen* & *Leptin*, proximamque Obii fluminis ripam, hinc ipsum flumen Obium ad Oceanum usque Scythicum & promuntorium Lytarmin. Hæc ille. Europa à Gallis *l'Europe* dicitur, *Europa* ab Italis & Hispanis. Divisa fuit olim in varias gentes regionesque. Hodie dividitur in complura regna & Principatus. Figuram universæ Strabo dedit Draconis, cujus caput Hispania, collum Gallia, corpus Germania, alæ dextra lævaque Italia ac Cimbrica Peninsula. Nostro ævo quidam fœminæ sedentis speciem ei tribuerunt, cujus caput Hispania, collum extrema Gallia, quà Pyrenæis montibus subjacet: pectus ipsa Gallia, brachia Italia ac Britannia, venter Germania, umbilicus Bohemia, reliquum corpus sub vestibus latè circa sedem diffusis implent Norvegia, Dania, Suedia, Finnia, Livonia, Lituania, Prussia, Polonia, Hungaria, Sclavonia, Croatia, Dalmatia, Græcia, Thracia, Servia, Bulgaria, Transylvania, Valachia, Moldavia, Tartaria Precopensis & Moscovia. Cluver. *Introd. Geogr. lib.* 2. *cap.* 1. Tota habitatur, præterquam in exigua sui parte, quæ ob frigoris injuriam vix aut ægrè habitari potest. Japheto Noachi filio, & ejus proli, Europam cessisse, præter Theologos, etiam Josephus aliique meminerunt. Omnium populorum ejus virtutes recensere nimium foret: Vitia brevibus aliquot dictis circumferuntur, quæ attexere libuit: *Franci* simplices, rustici, vehementes: *Bavari* sumptuosi, comessatores, procaces. *Suevi* leves, loquaces, gloriosi. *Turingi* diffidentes, sordidi, contentiosi. *Saxones* dissimulatores, versuti, contumaces. *Belgæ* equestres, delicati, temeri. *Itali* superbi, vindictæ cupidi, ingeniosi. *Hispani* fastuosi, consulti, rapaces. *Galli* elegantes, intemperantes, temerarii. *Cimbri* magni, seditiosi, horribiles. *Sarmatæ* edaces, superbi, furaces. *Boëmi* inhumani, novatores, prædatores. *Illyrici* mobiles, maligni, tumultuatores. *Pannones* asperi, superstitiosi. *Græci* miseri. Est & aliud haud minus lepidum, Pons Polonicus, monachus Boëmicus, miles Australis, Suevica monialis, Italica devotio, Prutenorum religio, Teutonum jejunia, Gallorum constantia, nihil valent omnia. Merc. Bert. Metel. Vide quid de his, ut & reliquis præclaris Europæ gentibus, ambidexter asserat Lansius *in Consultation. de prærogat. Gent. Europ.* Tres porro hic præcipuæ vigent linguæ, Germanica, Sclavonica & Latina. Quarum hæc mater est Gallicæ, Hispanicæ & Italicæ: ista per Poloniam, Moscoviam, bonam Turciæ partem, Bohemiam, &c. se extendit: illa Germaniam utramque, Septentrionalia regna maxima ex parte, Britannicasque insulas implet. Præter has Græca, Epirotica, Hungarica & Tartarica, in partibus illius magis Orientalibus: Vasconica, Hibernica, Lapponica, in partibus quæ ad Occasum, & Septentrionem magis vergunt, sunt in usu. Solus Christianismus hîc dominatur, nisi quòd ditiones Europæ sub Turcico imperio gementes Mahometana abominatio funestet. Ex Christianis autem quidam Evangelicam doctrinam sectantur, alii Pontifici Romano addicti sunt, Latinorum rituum tenaces: Reliqui Græcæ sunt communionis, ferme, pro ratione trium præcipuarum Europæ linguarum, divisi. Videtur Phœnicibus debere nomen suum; de quâ re fatetur Herodotus *Musâ quartâ*, neque scire ὁκόθεν τὸ οὔνομα ἔλαβε τοῦτο, οὔτε ὅστις ἦν ὁ θέμενος. Nempe nesciebat à Pœnis *Europam* dici הור אפא *Ur-appa*, quasi terram λευκοπρόσωπον dixeris, quia Europæi Africanos candore faciei multum superant. Unde & *Europa* dicta est Cadmi soror, quasi albâ facie virgo, Bochartus. Scripserunt de Europa Strabo, Ptolemæus, Plinius, Pomponius Mela, Solinus, Merula, Maginus, Ortelius, Mercator, Clavius, Capella, Belleforestus, Davity, Cluverius, Sanson, du Val, Mothavayerius, Brietius, Bertius, Golnitzius, Sempilius, Æneas Sylvius, &c. Inprimis Strabo eam *lib.* 3. & 7. *seqq.* elegantissimè describit.

Europæ regiones ordine Alphabetico.

Achaja.	Helvetia.
Albion. Vide *Britannia.*	Hibernia.
Britannia I.	Hispania citerior.
Britannia II.	Hispania ulterior, seu Hispania Tarraconensis.
Cimbrica Chersonesus.	Hispania Bætica.
Corsica.	Hispania Lusitanica.
Creta.	Illyricum.
Dacia.	Jazyges.
Dalmatia.	Italia.
Dania.	Liburnia.
Epirus.	Macedonia.
Eubœa.	Mysia, seu Mœsia superior.
Frisia.	Mysia inferior.
Gallia Aquitanica.	Noricum.
Gallia Belgica.	Pannonia superior & inferior.
Gallia Celtica, seu Lugdunensis.	Peloponnesus.
Gallia Cispadana.	Rhætia I.
Gallia Narbonensis.	Rhætia II.
Gallia Transpadana.	Sarmatia Europæa.
Germania magna.	Scandinavia.
Germania superior.	Scythia Europæa.
Germania inferior.	Thracia.
Græcia. Vide *Achaja.*	Thule.
Hellas. Vide *Achaja.*	

Regiones Europæ alio ordine.

Extrema mareq; attingentes.	Epirus.
Hispania.	Macedonia ad mare Jonium.
Gallia.	Dalmatia.
Belgium.	Liburnia.
Germania.	Italia.
Scandinavia.	*Interiores.*
Sarmatia.	Rhætia.
Mysia inferior.	Vindelicia.
Thracia.	Noricum.
Macedonia ad Ægæum mare.	Pannonia superior.
Thessalia.	Pannonia inferior.
Achaja.	Jazyges.
Peloponnesus.	Dacia.
	Mysia superior.

Europæ regna præcipua.

Francia, *la France.*	Bulgaria, *la Bulgarie.*
Hispania, *l'Espagne.*	Regnum Neapolitanum, *le Royaume de Naples.*
Anglia, *l'Angleterre.*	Sicilia, *la Sicile.*
Scotia, *l'Escosse.*	Sardinia, *la Sardaigne.*
Hibernia, *l'Irlande.*	Russia, seu magnus Ducatus Moscoviæ, *la Russie, ou le grand Duché de Moscovie.*
Norvegia, *la Norvege.*	Turcarum imperium cis Hellespontum, *l'Empire des Turcs en Europe, ou deçà les Dardanelles.*
Dania, *le Danemark.*	Tartaria minor, *la petite Tartarie.*
Suecia, *la Suede.*	
Germania, *l'Allemagne.*	
Portugallia, *le Portugal.*	
Polonia, *la Pologne.*	
Hungaria, *la Hongrie.*	
Bohemia, *la Boheme.*	
Bosnia, *la Bosnie.*	

Europæ Respublicæ & Ins. præcipuæ.

Venetia, *la Republique de Venise.*	Insulæ sunt Corsica, *la Corse.*
Genua, *la Republique de Genes.*	Creta, *l'Isle de Candie.*
Status Belgii uniti, *les Provinces unies du Païs-Bas.*	Islandia, *l'Islande.*
Helvetii, *les Suisses.*	Eubœa, *le Negrepont.*
	Ditio Pontificia, *l'Estat de l'Eglise.*
	Ducatus Sabaudiæ, *les Estats du*

du Duc de Savoye.
Ducatus Mediolanensis, *le Duché du Milan.*
Ditio magni Ducis Hetruriæ, *l'Estat du grand Duc de Toscane.*

Aliique Principatus & Ducatus innumeri in aliis Europæ partibus, quos propriis in locis describemus. Vide etiam *Reges & Regna Europæ.*

Europæ urbes præcipuæ.

Adrianopolis, *Adrianople & Endrem*, in Turcica ditione.
Amsterodamum, *Amsterdam*, Hollandiæ.
Antverpia, *Anvers*, Brabantiæ.
Argentoratum, *Strasbourg*, Germaniæ.
Augusta Vindelicorum, *Augsbourg*, Germaniæ.
Barcino, *Barcelone*, Hispaniæ.
Basilea, *Basel*, Helvetiæ.
Belgradum, *Belgrade*, Hungar.
Berga, *Berghen*, Norvegiæ.
Bononia, *Bologna*, Italiæ.
Bristolium, *Bristol*, Angliæ.
Bruxellæ, *Bruxelles*, Brabantiæ.
Buda, *Bude* & *Offen*, Hungariæ.
Burdegala, *Bourdeaux*, Galliæ.
Calaris, *Cagliari*, Sardiniæ.
Cæsaraugusta, *Caragoza*, Hisp.
Colonia Arippina, *Cologne* & *Cöln*, Germaniæ.
Constantinopolis, *Stamboul* & *Constantinople*, in Turcica ditione.
Cracovia, *Cracovv*, Poloniæ.
Dublinum, *Dublin*, Hiberniæ.
Edimburgum, *Edimbourg*, Scotiæ.
Florentia, *Fiorenza*, Italiæ.
Gedanum, *Dantzick*, Poloniæ.
Geneva, *Geneve*, in finibus Allobrogum.
Genua, *Genoa* & *Genes*, Italiæ.
Hafnia, *Koppenhagen*, Daniæ.
Hamburgum, *Hambourg*, Germaniæ.
Hispalis, *Sevilla*, Hispaniæ.
Holmia, *Stockholm*, Sueciæ.
Londinum, *London* & *Londres*, Angliæ.
Lubeca, *Lubeck*, Germaniæ.
Lugdunum, *Lyon*, Galliæ.
Lutetia, *Paris*, Galliæ.
Madritum, *Madrid*, Hispaniæ.
Massilia, *Marseille*, Galliæ.
Mediolanum, *Milano*, Italiæ.
Messana, *Messina*, Siciliæ.
Moscovia, *Moscovv*, Moscoviæ.
Neapolis, *Napoli*, Italiæ.
Norimberga, *Nuremberg*, Germaniæ.
Novogardia magna, *Novogrod Velski*, Moscoviæ.
Olysippo, *Lisboa* & *Lisbone*, Portugalliæ.
Panormus, *Palermo*, Siciliæ.
Praga, *Prague* & *Prag*, Bohem.
Riga, *Rig* & *Rige*, Livoniæ.
Roma, *Roma*, Italiæ.
Rothomagus, *Roüen*, Galliæ.
Sophia, *Sofie*, Bulgariæ.
Taurinum, *Torino*, Italiæ.
Thessalonica, *Salonichi*, Turcicæ ditionis.
Tigurum, *Zürich*, Helvetiæ.
Toletum, *Toledo*, Hispaniæ.
Tolosa, *Toulouse*, Galliæ.
Varsovia, *Warsavv*, Poloniæ.
Vienna, *Wien* & *Vienne*, Germ.
Venetiæ, *Venetia*, Italiæ.
Vilna, *Vilna*, Poloniæ.
Vratislavia, *Breslavv*, Germaniæ.

Europa, provincia Illyrici Orientis, versùs Constantinopolim & Propontidem, ubi aliàs pars orientalis Thraciæ regionis, inter Pontum Euxinum ad Boream & Melanem sinum maris Ægæi ad Meridiem extensa. Ejus urbes erant Constantinopolis, Selymbria, Rhodostus, Callipolis, Apri, & Perynthus.

Europs, Sicyoniorum Rex secundus, fil. Ægialei. Regnavit ab A.M. 1942. usque ad 1987. Ab hoc quidam Europam à nobis habitatam, dictam volunt. Pausan. *in Corinth.* Apollod. *in Bibl.* Euseb. *in Chron.* Alius Macedoniæ.

Europum, Europus, Ptol. urbs Syriæ ad Euphratem, quæ & *Amphipolis*, & *Thapsacum*, teste Plinio, dicta fuit. Fuit & oppid. Macedoniæ ad Axium fluv. Item urbs Mediæ præclara, *Rhages* in lib. Tobiæ appellata, vulgò *Cassan*, teste Castaldo. Alia denique Cretæ. Steph.

Eurotas, fluvius Laconiæ, Spartam præterlabens, à quodam Eurota, Miletis fil. dictus est. Is enim stagnantes aquas, per eam regionem, deduxit in mare. *Ripas habet frequentibus lauris consitas*, uti loquitur Livius de bello Macedonico. Unde Virg. *Eclog.* 6.

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas, jussitq; ediscere laurus.

Olivis etiam abundare innuit Papinius *Theb.* 4.

Taygetiq; Phalanx, & olivifero Eurota.

Et myrtis Catullus,

Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos.

Frigiditatem ei tribuit Ovid.

Frigidus Eurotas, populiferq; Padus.

Asperitatem Statius *Theb.* 1.

Audiit & medius cœli Parnassus, & asper
Eurotas. ——

Fœcunditatem Coluthus Thebanus,

Μηδ' ἱερῶν γονόεντος ἐπ' Εὐρώταο ῥεέθρων.

Fuit hoc flumen Dianæ gratissimum. Unde Virg. *Æn.* 1.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros.

Juxta flumen hoc sese exercere solebant Dioscuri. Propertius *l.* 3. *c.* 14.

Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis, &c.

Nec non soror eorum Helena. (Iste enim virginibus Lacænis mos) Idem Prop. *ibid.*

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse Deos.

Papinius *Silv. lib.* 4.

Qualis maternis Helene jam digna palæstris,
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.

Unde abhinc rapta fertur. Ovid. *Amor.* 1.10.

Qualis ab Eurotâ Phrygiis avecta carinis,
Conjugibus belli causa duobus erat.

Denique Chorus virginum Spartanarum ita canit apud Theocr. *in Helenæ Epithalamio*,

Ἄμμες γὰρ πᾶσαι συνομάλικες, ἧς δρόμος ωὑτὸς
Χρισαμέναις ἀνδριστὶ παρ' Εὐρώταο λοετροῖς.

Oritur in Arcadia, non procul ab Alpheo, in vico Asca, prope Megalopolim. Dictusque est etiam *Hymerus*, *Marathon* & *Neris*, exoneratque se in sin. Laconicum. Baudr.

Eurotas, Thessaliæ fluvius, quem Peneus accipit, nec recipit, sed olei modo supernatantem brevi spatio portatum abdicat. Plin. 4. 8.

Eurus, ventus spirans ab Ortu brumali. Plin. 2.47. *Ab Oriente æquinoctiali Subsolanus, ab Oriente brumali Vulturnus: illum Apelioten, hunc Græci Eurum appellant.* Ovid. *Met.* 1.

Eurus ad Auroram Nabatæaq; regna recessit,
Persidaq; & radiis juga subdita matutinis.

Euryale, Amazonum regina; tulit Æetæ, Colchorum Regi, contra Persen auxilium. Vide Valer. Flacc. *lib.* 5. *vers.* 612.

Euryale, Minois filia, quæ Neptuno Orionem peperit. Alia fuit Prœti Argivorum regis filia. Tertia ex Gorgonibus una. Vide Servium in illud Virg. 6.

Gorgones, Harpyiæq; & forma tricorporis umbræ.

Euryalus, unus ex principibus Peloponnesiacis, qui Argos & propinquas urbes incolebant, & ad Trojam cum 80. navibus venerunt. Hom. *Catal.* Fuit etiam hoc nomine Trojanus quidam, arctissimo amicitiæ vinculo cum Niso conjunctus, qui noctu Rutulorum castra unà ingressi magnam hostium stragem ediderunt. Verùm cùm instante jam die sese recipere conarentur, in hostium equitatum inciderunt, à quo circumventum Euryalum cùm Nisus eripere non posset, certissimæ sese morti maluit objicere, quàm amicum deserere. Virgil. *Æn.* 2. Item *Euryalus* alius, qui cum fratre Hyperbio primus lateritias domos Athenis constituit. Est etiam histrionis cujusdam nomen, de quo Juvenalis,

Nobilis Euryalum, aut Mirmillonem exprimat.

Denique locus amœnus Siciliæ Livio prope Syracusas, quem & *Macropolim* dici tradit Stephanus. *Belvedere* Aretius.

Euryampus, urbs Magnesiæ, Steph.

Euryanassa, maris Ægæi insula ex regione Joniæ non procul ab Arginusâ. Plin. 5.31.

Eurybates, præco Ithacensis, ex Ulyssis comitatu, ab Agamemnone missus, ut ab Achille auferret Briseidem. Hom. *Iliad.* Ovid. *Ep.*

Eurybati data sum Talthybioq; comes.

Item latro quidam astutiâ singulari, quem deprehensum cùm custodes vellent cogere, ut ostenderet, quibusnam modis consuevisset domos conscendere: ille aptatis spongiis & stimulis ferreisque retinaculis irrepsit in parietem, & spectantibus illis, artificiique novitatem admirantibus prehenso laqueari per tegulas effugit, eoque modo periculum evasit.

Eurybia, nympha quæ stellas & Luciferum genuit. Hesiod.

Eurybiades, unus ex ducibus Xerxis. Hesiod. 7. Item Lacedæmonius quidam nobilis, Euryclidæ fil. universæ Græcorum classis dux adversus Xerxem. Herod. *lib.* 8.

Euriclea, Opis Pisenoridæ filia pulcherrima, quam Laërtes, in primâ existens pubertate, viginti boum pretio emit, nec minore, quàm uxorem, honore domi habuit, Ulyssemque nutriendum ei dedit, quæ & eum primò in patriam redeuntem agnovit. Hom. *Odyss.* 19.

Eurycles, pater fuit Athenis, semper aliquid de se suisque incommodis vaticinans, & qui dæmonium in ventre habere credebatur, propterea dictus ἐγγαστρίμυθος. Ab eo omnes Divini & Arioli dicti Εὐρυκλεῖς vel Εὐρυκλεῖδαι & ἐγγαστρῖται. Scholia in Aristoph. *Crabron.* Cæl. Rhodig. 5.10. De Eurycleo Engastrimytho vide Palmerium *p.* 464.

Eurycrates, Lacedæmonius, ex Herculis posteris, Polydori pater Anaxandri. Herod. 7.

Eurycratidas, Lacedæmonius, ex Herculis posteris, filius Anaxandri, pater Leontis. Herod. 7.

Eurydamas, vir Trojanus. Item Hectoris epitheton, quia cuncta domabat. Item pugil nobilis Cyrenæus, cui cùm inter certandum fortè adversarius, quem validum nactus fuerat, plagarum vi & frequentiâ dentes excussisset, ne tali spectaculo illi animum adderet, proindeque insuperabilis redderetur, omnes devorabat, quâ ratione ad illum ne minima quidem facti suspicio pervenit. Rhod. 21. 41.

Eurydame, Diactoridis filia, & Menii soror, quam Leotychides Spartiatarum Rex duxit in uxorem. Herodotus, *libro* 6.

Eurydice, uxor Ptolomæi, fil. Lagi, ex illo Ptolomæi Cerauni pater. Item, uxor Aridæi, jussu Olympiadis occisa. Diodor. Sicul. *lib.* 19.

Eurydice, uxor Orphei vatis, cujus amore captus Aristæus, cùm vim illi inferre pararet, illa per avia fugiens incidit in colubrum in herba delitescentem, cujus morsu interiit. Virg. *Georg.* 4.

Illa quidem dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas altâ non vidit in herbâ.

Orpheus verò uxoris mortem ægerrimè ferens, acceptâ citharâ, inferos adiit, ubi Plutonem Proserpinamque tam suavi carmine demulsit, ut ei uxorem ab inferis reducere permitterent, eâ tamen conditione, ne prius eam, quàm ad superos rediisset, intueretur. Quam legem cùm ille amoris impatientiâ esset prævaricatus, Eurydice denuo ad inferos est retracta. Unde Virgilius *ubi supra*,

Jamque pedem referens casus evaserat omnes,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Ponè sequens (namque hanc dederat Proserpina legem)
Cùm subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes:
Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsâ
Immemor heu victusque animi respexit, ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera. ——

Ovidius *Met.* 10.

Hanc simul & legem Rhodopeius accipit heros,
Ne flectat retrò sua lumina, donec Avernas
Exierint valles; aut irrita dona futura.
Carpitur acclivis per muta silentia trames,
Arduus, obscurus, caligine densus opacâ,
Nec procul abfuerant telluris margine summa.
Hic, ne deficeret, metuens, avidusque videndi,
Flexit amans oculos: & protinus illa relapsa est.

Seneca *in Hercule Oetao*,

Consumptas iterum Dea
Supplent Eurydices colos.
Sed dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditam
Orpheus Eurydicen sequi,
Cantûs præmia perdidit.

Ita quoque cæteri poetæ. Aliter tamen visum Platoni, qui *in Convivio suo* sic habet: Ὀρφέα δὲ τὸν Οἰάγρου ἀτελῆ ἀπέπεμψαν ἐξ ᾅδου, φάσμα δείξαντες τῆς γυναικὸς ἐφ' ἣν ἥκεν, αὐτὴν δ' οὐ δόντες. Item *Eurydice* Clymeni filia, uxor Nestoris, ex quâ 7. filios, & unam filiam suscepit. Hom. *Odyss.* 3.

Euryelus, opp. Syracusarum. Vide *Euryalus*.

Euryleon, Latinorum rex, qui & Ascanius. Dionys. Halicarnass. *libr.* 1. Dicebatur & *Julus* & *Ilus*. Auctor Etymologici Magni ait, Æneam ab Ascalo Ascalonis rege humaniter exceptum, ibi uxorem duxisse, & filium sustulisse, cui in hospitis sui honorem Ascalio nomen fecit, quod Romani in Ascanium immutarunt. Vide *Ascanius*.

Eurylochus, unus sociorum Ulyssis, qui solus Circes pocula non gustavit, ideoque nec in suis figuram est transmutatus. Ovid. *Met.* 14.

—— *Solumque suis caruisse figurâ*
Vidimus Eurylochum, solus data pocula fugit.

Item Phlegyarum rex, qui Pherecydi struxit Thebas, antequam Cadmus adveniret, qui eas postea reædificabat.

Eurylochus, secundùm Polyænum, *lib.* 6. ductum aquarum in oppidum Cyrrhæorum ferentem rupit: mox affectis siti restituit aquam helleboro corruptam; quâ usos profluvio ventris decipiens cepit. Frontinus hoc commentum Clistheni Sicyonio tribuit, *l.* 3. *c.* 7. *expl.* 6.

Eurylochus, frater Epimenis, qui acceptum à fratre conjurationis indicium, quam pueri nobiles principe Hermolao contra Alexandrum M. inierant, detulit. Curt. 8. 36.

Eurylyte, secundùm eum, qui Naupactica composuit, Æetæ uxor.

Eurymachus, Thebanorum potentissimus, qui cùm Platæas noctu per proditionem cepisset, rebellantibus deinde omnibus vivus in hostium potestatem venit, unaque cum suis omnibus supplicio affectus est. Thucydides. Item unus procorum Penelopes. Ovid. 1. *Ep. lib.* 1.

Eurymachique avidas, Antinoique manus.

Eurymedon, pater Peribœæ, ex quâ Neptunus Nausithoum suscepit, regem Phæacum, Alcinoi patrem. Hom. *Odyss. l.* 7. Item filius Fauni. Stat. *Theb.*

Proximus Eurymedon, cui pastoralia Fauni
Arma patris. ——

Item Atheniensium dux cum Demosthene.

Eurymedon, Pamphyliæ fluvius, qui ex Tauri jugis ortus mediam Pamphyliam secat. Mela. Juxta hunc fluv. Athenienses, Cymone duce, Medos profligarunt. Thucyd. *lib.* 1. Ejus meminit Dionysius,

Κάσσυδον ποταμοῖο παρὰ ῥόον Εὐρυμέδοντος.

Plin. 5. 27. *Amnis Eurymedon juxta Aspendum fluens.* Unde corrigendus Ptolemæus, & qui ejus tabulas confecerunt, qui Aspendum ad Cataracten fluv. longè ab Eurymedonte statuunt. Est etiam locus juxta Tarsum. Steph.

Eurymedusa, Gratiarum mater.

Eurymena, urbs Thessaliæ. Steph.

Euryminus, vir quidam, qui cùm per calumniam conaretur Castorem & Pollucem fidissimos amicos inter se committere, alterum apud alterum insimulans, pòst deprehensus utrique dedit gravissimas pœnas. Inde abiit in Proverb. *Euryminus*, de iis qui per calumniam conantur fidos amicos inter sese committere.

Eurynome, nympha Oceani ac Tethyos filia, mater Leucothoes. Item Apollinis filia, quæ Adrastum Argivorum regem, & Eriphylen Amphiarai conjugem peperit.

Eurynome, Mulier Lemnia, Doryeli fil. Codri uxor, cædis virorum in reliquas auctor. Flacc. 2. 136.

Euryone, Amyntæ Macedonum regis filia, quæ patrem à matris insidiis liberavit.

Euryphon, Milesius, Hippodami & Architecti & Legumlatoris pater. Hesychius in Onomastico, vocat *Euryboonta*.

Eurypon, filius Soi, nepos Proclis, ad tantam gloriam pervenit, ut hinc familia *Eurypontidarum* nomen ab eo consecuta sit, qui antea *Proclidæ* usque ad illum appellati fuerunt. Pausan.

Eurypylus, Telephi fil. bello Trojano, cui propter Cassandræ amorem intererat, extinctus est. Item Herculis fil. qui regnavit in Co insulâ, & omnium Græcorum augur peritissimus fuit. Virgil. *Æneid.* 2.

Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus. ——

Eurysthenes, Aristodemi fil. Pater Hegesis, Herculis atnepos, perpetuò cum fratre Procle dissensit.

Eurystheus, Stheneli filius, Mycenarum rex, qui Junonis odio obsequens, Herculem ad difficillima quæque pericula obeunda adegit, sperans futurum, ut ponderis magnitudine opprimeretur. Quâ in re mirum in modum deceptus est. Nam ille, rebus ex sententiâ confectis, semper victor rediit, clariorque ex periculis & major emersit. Virgil. *Georg.* 3.

—— *Quis aut Eurysthea durum,*
Aut illaudati nescit Busiridos aras.

Cruentus Eurystheus dicitur Senecæ *in Herc. Oetao*. Hesiod. *in Scuto Herculis*,

Ὦχετο τιμήσων ἀλιτήμενον Εὐρυσθῆα.

Res ita se habet: Eo die quo nasciturus erat Hercules, cùm esset à Jove vel (ut alii) à Themide prædictum; infantem nasciturum, qui cæteris mortalibus imperaret, Juno quæ partui præest, parienti assidendo (ut ait Plinius) veneficio antevertisse dicitur, atque *Eurystheum Stheneli* & *Archippes* filium in lucem edidisse. Quare postea factum putatur, ut in Herculem *Eurystheus* imperium habuerit: tametsi Græci, ut solertes sunt ad confingendas Historias, Herculem *Eurystheos* amore captum ejus jussu tot monstra confecisse dicant. Alia aliorum hac de re est opinio: ajunt enim Aten, Junonis causâ, Jovi mentem perturbasse; nam in concilio Deorum jurare coëgit fore, ut illo die ex suo genere nasceretur, qui finitimis imperaret, quod cùm jurejurando confirmasset, Juno in terram descendit, Argos petiit, Alcmenæ partum distulit, *Stheneli* uxorem septem tantùm mensium fœtum edere coëgit, *Eurystheo* Herculem servire jussit, cui Jupiter, ut promiserat, Argivorum regnum dedit, Junonem cœlo expulit.

Eurytanes, pop. Italiæ. Steph. vel potius Ætoliæ, ut emendat Casaubonus ex Strabone *lib.* 10. Αἰτωλικοὶ pro Ἰταλικοί.

Eurytheus, Italiæ Exarchus, an. U.C. 1479.

Eurytion, Rex Spartanorum, qui tractum belli cum Mantinensibus pertæsus, discordiam civibus arte injecit, & sic urbe potitus est. Polyæn. *lib.* 2.

Eurytion, unus Argonautarum. Ovid. *Met.* 8. Alter Lycaonis fil. Pandari frater. Virg. *Æn.* 5. Tertius, faber argentarius. Virgil. *Æn.* 10.

Qua bonus Eurytion multo calaverat auro.

Eurytion, Pastor armenti Iberi, ab Hercule cum cane interfectus. Vide *Orthus*.

Eurytion, Heracleensis, adulterii convictus; cùm de eo seditiosè pœnas inimici sumerent, causâ evertendæ ibidem Oligarchiæ extitit. Aristot. *l.* 5. *Polit. c.* 6.

Eurytus, Mercurii filius, comes Argonautarum. Flacc. *lib.* 1. *versu* 438. *Argon.* & *lib.* 3. *vers.* 471. Fugavit in conflictu Colchico Exomatas. *lib.* 6. *vers.* 570.

Eurytus, Oechaliæ rex, pater Joles, qui cùm ab Hercule victus, pactam ei certaminis lege filiam tradere recusaret, ab eo irato occisus est, & Jole abducta, hinc *Eurytis*. Ovid. *Met.* 9.

Eurytidos lacrymas admoto pollice siccat Alcmene.

Item unus ex Centauris, qui cùm Theseo Hippodamiam vi eripere vellet, ab eo est occisus.

Eusebia, uxor Constantii Imp. ingenio & eruditione excellens, sed Arianismo infecta, quem quovis modo annisa est promovere, per maritum, in cujus animo plurimum poterat. Sterilitatem suam ægrè ferens, Helenæ, Constantii sorori, uxori Juliani potionem obtulit, quæ ipsam similiter sterilem redderet: quod cùm non

procederet, obstetricem ejus corrupit; quæ filium ab ipsa in Galliis editum, simul ac natus erat, necavit. Obiit an. 36. Zosimus *lib.* 3. *& seq.* Ammian. Marcellinus, *l.* 16. *& seq.*

Eusebia, civitas Cappadociæ, *Cæsarea* postea dicta.

Eusebius, Græcus, fil. Medici, Episcop. Rom. An. Chr. 309. post Marcellum: martyrio sub Maxentio coronatus est, A.C. 311. Augusti. *Epist.* 165. Optat. *lib.* 2. *c. Parm.* Ei successit Melchiades.

Eusebius, cognomento Pamphili (quomodo vocabatur ob amicitiam cum Pamphilo martyre, teste Hieronymo) Cæsareæ Palæstinæ episcopus, An. 315. quem πολυμαθῆ, κ̀ πολυίστορα meritò appellat Geo. Cedreno Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 17. Arianus postmodum factus, Eusebio Nicomed. se junxit, Epiphan. *hær.* 68. *& in Ancor.* Athanas. *in Synod.* Antesignanus sectæ, Hieron. *Cat. c.* 8. &c. secundo Conc. Niceno anathematizatus. Constantino Magno charissimus: obiit an. 340. Præter hist. Eccl. l. 10. & de vita Constantini M. l. 4. composuit. 15. de P.E. Apologiam pro Origene, c. Hieroclem, de dissensione Philosophorum, 10. libb. in Esajam. 30. c. Porphyrium. Epitomen Histor. & Chronologiam, quam Hieronymus continuavit, usque ad 16. Consulatum Valentis & Valentiniani, plurimaque alia. Vide Basil. *c.* 29. *de Spir. S. c. Amphilochium*, Aug. *de Trin.* Photium &c. Josephum Scaligerum inprimis, *in Euseb.* & Morerium. Item *Eusebius* Scholasticus, de quo vide Voss. *de H. Gr.* 3. 18. Sub Arcadio & Honorio, bellum contra Gainam versu scripsit. Niceph. *l.* 13 *c.* 6. Socr. *l.* 6. *c.* 6. Item Patriarch. Antiochenus, Arianus, Eulalio successit. Hieronym. *Chron* Baron. A. 340.

Eusebius Emissenus, Episc. Emesæ, in Syria, sec. 4. itidem Arianus. Hieron. *in cat. cap.* 91. *& Chron.* Sixtus Senensis, *Bibl. S.* Homiliæ in Evangelia, ipsi ab Hieronymo tributæ, alterius esse videntur. Morerius.

Eusebius, Laodiceæ Episc. Alexandriâ oriundus. Eruditione insignis. Euseb. *Hist. Eccl. cap.* 10. *& Chron. An.* 276.

Eusebius, Episcopus Nicomediæ, Arianus, Constantino M. omnibus modis imponere annisus, Athanasium acriter persecutus est. Post Imperatoris mortem, Constantium totamque familiam Imperialem, hæresi imbuit, vi in Episcopatum Constantinop. intrusus. Ejus sectatores *Eusebiani* dicti. Obiit an. 342. Ecclesiæ pestis. Sozomen. Socr. Theodoret. &c.

Eusebius, Episcop. Thessalonicensis, 10. libb. scripsit contra Andream Monachum quendam Rom. à quo literis paulò durioribus erat offensus. Photius *Bibl. cod.* 162. Gregor. *l.* 9. *ep.* 69.

Eusebius, Episcop. Vercellensis, à Liberio P. cum Lucifero Calaritano, ad Constantium Imp. missus, Athanasii causâ. In Concilio dein Mediol. an. 355. non subscribere solùm hujus condemnationi renuit, sed & auctor fuit Dionysio Episc. ut nomen suum deleret. Hinc in exilium pulsus. Post mortem Constantii, in Synodo, ab Athanasio habita, fuit. Obiit an. 371. Eusebii Comm. in Psalmos Latinè vertit, &c. Sed nil ejus, nisi epistolæ quædam in exilio scriptæ, superest. Hieron. *Chron. & ep.* 75. Ambros. *ep.* 82. *ad Vercell.* Greg. Tur. *de gl. Confess. c.* 3.

Eusebius, ab Augusto, ad Carum Imp. historiam scripsit. Evagr. *l.* 5. *c. ult.* Item, Sophista, Phot. *Bibl. cod.* 124.

Eusebius Dorileensis, Eutycheti hæreseos accusavit, in Synodo Constantinop. dein ab hæreticis in Lystrica Syn. depositus. Interfuit Concilio Chalced. *Act.* 1. *& seq.*

Eusebius Samosatenus, ab Imp. Valente in exilium missus, militis habitu, exules solatus est. Dein jussu Concil. Antiocheni, post Valentis obitum, Syriæ & Mesopotamiæ Ecclesias invisit. Dolichæ, ab Ariana quadam, tegulæ ictu occisus. An. 378. Theodoret. *l.* 4. *c.* 13. 14. *l.* 5. *c.* 4. Greg. Naz. *ep.* 28. 30. Basilius, epistolas 13. ad eum in exilio misit, quæ non impressæ.

Eusemata, Armeniæ min. urbs. Ptol.

Eustathius, consul cum Agricola, an. U.C. 1174.

Eustathius I. Patr. Constantinop. post Sergium, usurpatorem, an. 1019. usque ad an. 1025.

Eustathius II. cogn. Garides, post Cosmum: Ab anno 1086. ad annum 1089.

Eustathius, Præsul Antiochenus, adversus Arianorum dogma multa composuit sub Constantino Principe. Interfuit Concil. Niceno I. in quo post Imperatorem primus verba fecit. Dein, ab effronte fœmina, instigatu Arianorum, scortationis accusatus, & pulsus est in exilium Trajanopolim, Thraciæ civitatem, ubi & sepultus est. Sunt quoque ipsius volumina de animâ, epistolæque plurimæ: Item de Pythonyssa, c. Origenem, Interpretatio Psalmorum, c. Arianos, &c. Vid. Theodoret. *hist. l.* 1. *c.* 21. Socr. *l.* 1. *c.* 18. Sozom. *l.* 2. *c.* 17. 18. Athanas. *ep. ad Solit.* Baron. *A.C.* 340. Hier. *de Scr. Eccl.*

Eustathius, Archiepiscopus Thessalonicensis, in Homerum, & Dionysium commentarios edidit. Auctor quoque creditur 6. librorum de Ismeniæ & Ismenes amoribus, verùm in libris nonnullis *Eumathius* dicitur. Vixit Manuelis Comneni temporibus, circa an. Dom. 750. Item sub Alexio Comneno, & improbo illo Andronico, ut constat ex Niceta Choniate, cui Eustathius hic vocatur nunc ὁ πολὺς κ̀ μέγας ἐν λόγοις, nunc autem ἀρετῇ διαβεβοημένος ψυχή, à prudentia item singulari, & doctrinâ multijugâ celebratur. Vide Voss. *de Hist. Gr.* 4. 19. Item alius fuit *Eustathius* Syrus, orator insignis, qui à Nicephoro Call. in procemio, inter eos refertur historicos, ex quibus suam consarcinarit historiam Euagrius Scholasticus.

Eustathius, Presbyter Constantinop. à Valente pulsus, quod divinitatem J. Christi eruditè defenderet. Item, Episc. Sebastes, in Armenia, successivè Arianus, SemiArianus, Macedonianus, miserè periit. Baron. *A.* 319. 358. 359.

Eustathius, martyr, inter aulicos Trajani Principis, Placidus antea vocatus. Volaterr. Item *Eustathius* Epiphaneus, scripsit temporum epitomen libb. 9. ab Æneâ usque ad Anastasium principem, sub quo fuit. Vide Suidam, Niceph. *Hist. Eccl. lib.* 14. *c.* 57.

Eustathius, Monachus hæresiarcha, conjugatos à salute exclusit, privatas preces inhibuit, nihil proprii possideri voluit, peculiari vestis genere suos uti jussit, jejunium in singulas Dominicas imperavit, uxores à maritis, servos à Dominis abstraxit. An idem cum Eutacto? de quo Epiph. *hær.* 40. Vide Socr. *l.* 2. *c.* 33. Sozomen. *l.* 3. *c.* 3. Basil. *ep.* 74. 82. Niceph. *l.* 9. *c.* 16. &c.

Eusthenes, vide *Claudius Eusthenes.*

Eustephius, Aprodisieus sophista, scripsit declamationes. Suidas.

Eustochium, Paulæ mulieris Romanæ filia, Latinarum, Græcarum, & Hebraicarum literarum perita, unde & suo tempore *novum orbis prodigium* vocata est: Ingenium sacris literis maximè devovit, atque adeò, ut Psalmos Hebraicè legeret cursim & mirâ celeritate. Quâ in re amorem B. Hieronymi, sub quo 35. an. in monasterio Bethlehemæ vixit, sibi maximè conciliavit. Vide *ejus ep.* 10. 19. 22. 26. *&c.* & *in vita S. Paulæ.*

Eustochius, Patr. Hierosolymit. in locum Macarii, qui suspectus Origenismi erat, suffectus. Baron. *A.C.* 548. *n.* 13. 14. 553. *n.* 32. 561. *n.* 1. Misit legatos ad Concil. 5. Oecum.

Eustochius, Cappadox Sophista, scripsit ad Constantem Principem, de Cappadociæ, aliarumque gentium antiquitate. Volaterr. Item, paraphrastes vitæ S. Pelagiæ Pœnitentis, à Jacobo Diac. Episcopi Nonni compositæ. Niceph. *lib.* 14. *cap.* 30.

Eustratius, philosophus, qui in Ethicam Aristotelis scripsit. In Bethlehem civitate sepultus est.

Eustratus, presbyter Hierosolym. de Animarum separatarum statu scripsit, libb. 3. Photius *cod.* 171. Leo Allatius, *notis in Eustr.*

Eutaa, urbs Arcadiæ. Steph.

Eutane, Cariæ oppidum. Plin. 5. 29.

Eutasum, Arcadiæ urbs. Pausan.

Euterpe, una Musarum, quæ Mathemata, vel, ut aliis placet, tibias invenit; à *concentus suavitate* nomen trahens. Est enim Ἐυ *bene*, τέρπειν *delectare.* Virgil.

Dulciloquis calamos Euterpe flatibus implet.

Vide Balduini *Iconol.*

Eutharichus, nepos Thorismundi, à Theodorico Amalasunthæ fil. maritus electus, Consul, & ex illa parens Athalarici. Procop. *de B. G.* Cassiodor. *in Chron.* & *Epistolis.*

Euthena, urbs Asiæ. Steph.

Euthericus, consul cum Boëthio, an. U. C. 1264. Item alius consul cum Justino Aug. an. U.C. 1272.

Euthycles, poeta Comicus.

Euthycrates, Lysippi fil. & discipulus, in picturâ excellens. Plin. 34. 8.

Euthycrates, Olynthi proditor, à Philippo Macedone corruptus. Diod. 16. 538.

Euthycrates, Onomarchi Pater, Phocensis. Vide Aristot. 5. *Polit.* 4.

Euthycritus, Archon Athenis, Olympiadis 113. an. 1.

Euthydemus, Rhetor, & Orator, qui quum ingentes opes à majoribus suis accepisset, ipse & dicendi facultatem, & gloriam addidit, & non solùm in patriâ magnus fuit, sed etiam in Asiâ primos honores adeptus est. Strab. *lib.* 14. Item alius Massilicus Philosophus, Apollonii Tyanæi præceptor.

Euthymanes, Massiliensis, Geographica conscripsit, uti constat ex epitome Artemidori Ephesii. Nisi fortè *Euthymenes* legendum. Sanè *Euthymenes* Chronographus, qui Homerum unà cum Hesiodo floruisse scripsit, à Clem. Alex. citatur.

Euthymedon, nomen cujusdam philosophi.

Euthymenes, Archon Athenis, à quo illud decretum, ne quis nominatim in Comœdiâ perstringeretur, tribus antè annis Morychido Archonte latum, est abrogatum. Vide Scholia *in Aristoph. Acharnens.* 374. *A.*

Euthymenes, Chronica condidit, Clem. Alex. Strom.

Patriarchæ Constantin.

Euthymius I. Patriarch. Constantinopolitanus, natione Isaurus, successit Nic. Mystico, pulso à Leone VI. sed hoc mortuo, ab Alexandro II. successore, in exilium missus. Ubi obiit an. 920. Lipomann. *tom.* 3. Curopalates, *in Leone VI.* Baron. *A. C.* 901. 911. 920. Pietate & patientiâ inclytus.

Euthymius II. successit Calixto II. an. 1416. Phrantz. *l.* 1. *c.* 36. qui tum Constantinopoli erat. Onuphr. &c.

Euthymius, Archimandrita in Palæstinâ. Defensor illustris Concilii Chalced. contra Eutychem, sec. 5. Eudoxiam, à Theodoro Mon. seductam, restituit. Obiit an. 472. æt. 99. Hujus vitam scripsit discipulus ejus Cyrillus Monachus.

Euthymius, Zygabenus historicus, Mon. Græc. Saracenica scripsit

ubi

ubi non satis semper veritati litat, eo quòd usus sit pravâ Alcorani tralatione. Non parum tamen laudis invenit commentando in Psalmos, & 4. Evangelia; eo quòd sit *in verborum proprietatibus observandis diligentissimus*, ut optimè censet Maldonatus *in Matt.* 17. 18. Vixit sec. 12. Auctor praeterea Panopliae c. haereses, *Bibl. PP. t.* 12. *Col.* 536. *edit. Paris.* Commentar. in 10. Cantica SScripturae, &c. Sixt. Sen. *Bibl. s. libr.* 4. Genebr. *in Chron.* Possevinus, &c.

Euthymus, pugil in Locris Italiae, qui *Epizephyrii* cognominantur. Hunc semel à Thasio Theagene victum tradit Pausanias, non justo quidem certamine, sed circumventum dolo, unde nec Theageni decretus honor, qui insuper damnatus, ut mulctae nomine talentum Euthymo solveret. V. Æl. *Var. Hist. l.* 8. & Plin. 7. 4, 7.

Eutocius, Ascalonita, commentaria fecit in Conica Apollonii: nec non in Archimedem de sphaerâ, & cylindro, deque circuli dimensione, item aequiponderantibus. Theone, & Pappo, esse antiquiorem, inde cognoscimus, quòd ab utroque celebretur. Blancanus *Chron. Mathem.*

Eutocus, Apollinis, & Cyrenes filius, Boccat. *l.* 5.

Eutrapelus, homo quidam callidissimus. Horatius,

—— Eutrapelus cuicunque nocere volebat
Vestimenta dabat pretiosa. ——

Item tonsor Mart. *lib.* 7.

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci.

Ubi à quibusdam exponitur, comis, facetus, dicax.

Eutresis, pagus inter Thespias & Plateas, quem Zethis & Amphion muris cinxerunt. Dictus quòd multis viis, seu vicis prius ussus, & quasi *perforatus* fuerit. Hinc Apollo *Eutresites*, cujus templum ibi, & oraculum celeberrimum fuit. Steph.

Eutresium, urbs Arcadiae. Steph.

Eutropia, fil. Constantii Chlori, soror Constantini M. mater Nepotiani, qui salutatus Imperator, 28. diebus pòst occisus est, à Magnentii amicis, unà cum matre, an. 350. Item, uxor Maximiniani Herculis: cui Victor Maxentium eam supposuisse dicit. Zosimus, Idacius, Eutropius, &c.

Eutropium, locus Bithyniae, apud Chalcedonem, ubi Mauritius Imper. à Phoca occisus est.

Eutropius, Eunuchus, tantum apud Arcadium valuit, ut consul designaretur. Superbiâ, crudelitate, impuritate infamis. Praesulibus malè habitis, non nisi pessimae notae homines evexit, Eudoxiae Imper. repudium minatus. Sed, petito ejus capite à Caina, in Cyprum exul abiit, mox Chalcedone capite plexus, Anno 399. Nomen ejus ex Fastis Consularibus expunctum. Socrat. *l.* 6. Sozomen. *l.* 8. Nicephor. *l.* 13. Prosper, Marcell.

Eutropius, sophista Italus, ut eum vocat Suidas; an Christianus, in incerto; cùm alia quaedam, eodem teste, tum breviarium scripsit Rerum Romanarum, ab U. C. usque ad Flavium Valentem Aug. cui opus suum dicavit. Opus illud Graecè versum postea fuisse à Capitone Lycio, testatur Suidas, & Simlerus affirmat, in Biblioth. Petri Pithoei, versionem Graecam Eutropii, à Paeanbo quodam compositam, haberi. Militasse se ait sub Juliano, atque expeditioni ejus in Persas interfuisse. Quò & pertinent verba Georgii Codini, *in Selectis, de originibus Constantinopolitanis*; ubi sic scribit, Εὐτρόπιος ὁ σοφιστὴς, ὁ τῷ παραβάτῃ Ἰουλιανῷ συμπαρὼν ἐν τῇ Περσίδι. Laudat verò eum testem in rebus Constantini M. quae oculis suis vidisse eum ait. Malè confunditur cum Presbytero Africano, discipulo S. Augustini, de quo Gennadius, *Catal. Vir. Ill.* quique sub Theodosio, Arcadio & Honorio vixit. Adde, 11. libros priores Hist. miscell. nil esse nisi 10. Eutropii, quibus P. Diaconus, plurima addidit. Unde à quibusdam Scr. Eccl. habetur. Vide Voss. *de Hist. Lat.* 2. 8. Item *Eutropius* consul cum Valentiniano Augusto, an. U. C. 1140. Et cum Theodoro an 1152. V. supra.

Eutyche, mulier Tralliana 30. partus enixa, & à 20. liberis rogo illata. Plin. 7. 3.

Eutyches, Constantinopolitanus Abbas, contra Nestorium pugnans, in novam haeresin impegit, & tertius post Manetem & Apollinarem, alium affirmavit esse Christum, aliud verbum Dei; Negavitque Christi carnem nostrae similem, nec duas in eodem supposito naturas esse, sed de caelo corpus descendisse dictitavit, ac in Virginis uterum tanquam solis radios penetrasse, ut visum sit sanè ex muliere generatum, quamvis verè generatum non sit. Hinc divinitatem Christi passam mortuamque esse deliravit, &c. Ab Eusebio Doril. qui ipsum frustra corrigere nitebatur, ad Flavianum Constantinop. delatus, & Synodo habitâ, condemnatus, provocavit ad Imperatorem. Dein junctus Dioscoro Alex. Crysaphiique favore fultus, in Lystricâ Synodo Ephesinâ, haeresi stabilitâ, in Orthodoxos, Flavianum inprimis saeviit. Sed Concilio 4. Oecum. Chalcedone habito, sub Martiano, cum Dioscori erroribus, Eutychianismus denuo condemnatus est, an. 451. Acta Conc. Chalced. Galterius *Chron.* 5. *sec. c.* 20. Theodoretus *dial.* 2. ait Eutychen statuisse, naturam humanam à divina absorptam esse, sicut gutta mellis ab Oceano, &c. Volater.

Eutychia, insula Thessaliae adjacens, ante sinum Pagasicum. Plin. 4. 12.

Eutychiani, Sectatores Eutychis, sub Martiano Imper. multum damni dedere, severis poenis coërciti: quae violentia sub Leone quoque & successoribus ejus duravit. In plures sectas divisi. Vide *Eutyches.*

Eutychianus, Lunâ oriundus, Tusciae urbe, 25. Romanorum Episcopus, successit Felici I. Obiit, An. Dom. 283. sedis 8. mens. 6. Fabas, poma, uvas, in altari, consecrari prius, quàm ederentur: Item, corpora Martyrum purpurae involvi, voluit: quod postmodum à Gregorio M. prohibitum. Euseb. *in Chr.* & *lib* 7. *c.* 26. Niceph. *lib.* 6. *cap.* 34. Gregor. *M lib* 4. *ep.* 44.

Eutychianus, Grammaticus, sub Constantino M. cui librum de Constantinopoli inscripsit. Georg. Codin. *in Select. de Orig. Constant.* Alius, apud Agathiam, *proœm. hist.* cognom. Junior.

Eutychias, Grammaticus quidam, laudatur Scholiis, *ad Aristoph. Crabrones.*

Eutychides, literatus T. Pomponii Attici servus, sed manumissus, de quo Cic. *l.* 15. *Ep.* 4.

Eutychides, statuarius. Floruit Olymp. 120. Plin. 34. 8. Hic ut idem author est, fecit Eurotam, in quo artem ipso amne liquidiorem plurimi dixere.

Eutychius, Patr. Constantinop. post Mennam. Hujus tempore Concilium 5. Oecum. habitum est. Imperatore Justiniano, ob novum errorem, reprehensò, depositus, surrogato Johanne: Post hujus mortem verò restitutus, scripsit de Resurrectione contra Gentiles, sed simul, in Origenis prolapsus errorem, corpora resuscitatorum palpabilia non fore, asseruit. Verùm à Gregorio M. tum Nuntio, apud Tiberium II. monitus, reliquit errorem, & moriturus, carne brachii prehensâ dixit, Resurgemus cum hac carne, an. 583. Gregor. *lib.* 14. *Mor. cap.* 29. Eustathius, *in ejus vita.* A' Graecis pro sancto habetur, in Menol.

Eutychius Proculus, Grammat. Siccâ, Africae urbe, oriundus, Praeceptor fuit M. Antonini Philosophi. Julius Capitol. *in Marco Antonino.*

Eutychus, nomen adolescentis, quem à morte suscitavit Paulus. Act. 20.

Euxenidas, Pictor suâ aetate celeberrimus, Aristidis praeclari artificis praeceptor. Plin. 35.

Euxenus, prisca ac fabulosa Italorum tempora carmine persequutus est. Dion. Halic. *l.* 1.

Euxinthus, Lebenius Leucocomae amator, de quo vide Strab. *lib.* 10. Et Plut. *in Erotico.*

Euxinus Pontus, *Mar Maggiore*, & *Mar Negro*, Ferr. sinus maris latissimus, Thracio & Cimmerio Bosporis interceptus, *Axenus* dictus priùs, i. *inhospitalis*, propter immanitatem eorum, qui ejus maris litora incolebant: ibi enim hospites immolare solebant, & carnibus peresis, ex calvis eorum sibi pocula conficere. Strabo *l.* 7. Postea verò, cùm in locis maritimis Iones aliquot opida condidissent, cohibito Scytharum assueto latrocinio, receptoque Graecorum commercio, pro *Axeno Euxinus*, hoc est, *hospitalis* appellatus est. Ovid. *Trist.* 3. 13.

Dum me terrarum pars panè novissima mundi
Euxinus, falsò nomine dictus, habet.

Idem 4. 4.

Frigida me cohibent Euxini litora Ponti,
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Et *lib.* 5. *Eleg.* 2.

Quem tenet Euxini mendax cognomine litus,
Et Scythici verè terra sinistra freti.

Strabo *lib.* 7. ἄπλουν γὰρ εἶναι τότε τὴν θάλασσαν ταύτην, καὶ καλεῖσθαι Ἄξενον, διὰ τὸ δυσχείμερον, καὶ τὴν ἀγριότητα τῶν περιοικούντων ἐθνῶν. Luc. *in Tox.* Sol. *cap.* 27. Mela 1. 19. Schol. Apoll. *lib.* 2. Diodor. Sic. *libr.* 4. Doctissimus Bochartus ab Ebraeo *Askenaz* deduci putat *in Phaleg. lib.* 3. *cap.* 9. Longit. est 5. m. stad. latit. 3. ambitus 25. Ferrar.

Euxippe, filia secundùm quosdam Scedasi pauperis, Leuctris habitantis; quae cùm à Lacedaemoniis sive hospitibus sive legatis cum sorore *Theano* (alii *Meletiam* & *Hippo* nominant) violata esset, doloris impatientiâ vim vitae intulit, prius urbi talium hominum matri diras imprecata gravissimas. Vid. quoque Diodor. 15. 486. & supra in *Evexippe.*

Euzoius, Diaconus Alexandrinus, cum Ario, ab Episcopo Alex. depositus. an. 335. simulatâ verae fidei professione Constantino oblatâ, in Ecclesiam receptus est: mox ab Arianis Meletio, in Antiochena sede, suffectus, sed praeter eorum spem, Orthodoxias assertor, Constantium Imper. baptizavit, an. 360. Athanas. Joviniano dein Imperatore, cùm Athanasio vellet Successorem dari, turbae in Eccl. Alexandrina exortae. Socr. Sozom. Theodoretus.

E X.

Exathres Parthus, qui amputatum Crassi caput cum dextra, ad magnum Regem Teridatem, detulit: secundùm Polyaenum *libr.* 7. *in Surena.* Plutarcho vocatur *Pomaxathres*, Appiano *Maxarthes.*

Exagonus, legatus Ophiogenum, qui sunt populi in Cypro. Is cùm Romam venisset, ibique de herbarum viribus multa differeret, volens, conjectus est à consulibus in dolium plenum serpen-

serpentibus, experimenti causâ, ubi serpentes ipsi non solùm eum non mordebant, sed etiam linguis demulcebant. Plinius *lib.* 28. *capite* 3.

Exagrius, urbs Siciliæ, vide *Hexagrius*.

Exampeus, vel *Exampus*, vel *Amaxampeus* locus, fons & flu. in Hypanim dulcissimum fluv. amaras suas aquas evomens, in Germano-Sarmatia, in Bastarnis.

Exarchus, præfectus Imper. Constantinopolitani, in Italia. Sedes seu provincia, Exarchatus: cui origo à Justino Jun. 567. pulsis à Bellisario & Narsete Italiâ maxima ex parte Barbaris. Ravenna caput, reliquæ urbes Bononia, Imola, Faenza, Forojulium, Cesenna, Bobia, Ferraria & Adria. Penes hos Papas quoque eligendi potestas. Eutychius, Exarcha ultimus, ab Aistulpho, Longobardorum R. pulsus est, an. 752. sed idem à Pipino Exarchatu exutus, qui Romanæ sedi illum donavit. Paul. Diaconus, Blondus.

Exaudo, villa Galliæ in Lemovicibus in literis Caroli Calvi memorata, unde vicinæ valli nomen, vulgò *Issandon*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Excalfurnium, vulgò *Eschaufour*, opp. Galliæ, in Lexoviis, Orderico Vitali *Hist. l.* 2. memoratum, apud Eund.

Excetra, dicta est Hydra serpens. Plaut. *in Persa*,

Nam cum leone, & cum Exetrâ, cum cervo, cum apro Ætolico, Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim.

Vide *Hydra*.

Excipinus Macedo, admodum juvenis, ætatis flore, conciliatus Alexandro: qui cùm specie corporis æquaret Hephæstionem, lepore haud sanè illi par erat. Curt. 7. 6 I.

Excisum, Gall. Lugd. urbs. Anton.

Execestides, peregrinus quidam & viarum peritissimus, de quo proverbium natum, *ne Execestides invenerit rectam viam*. Alii è Cariâ servum, perhibent: alii Citharœdum & qui Pythia & Καρνεῖα ἀγῶνα Lacedæmone & Panathenæa bis vicerit. Vide Scholia *in Aristoph.* Ὄρνιθας. 542.

Execestus, Phocensium tyrannus duos gestabat incantatos annulos, quorum sonitu, quem invicem inter se edebant, rerum gerendarum tempus sciebat, mortuus tamen est dolo interfectus, etiamsi id ei prius significasset sonitus. Arist. ubi *de Rep. Phocensium*, & Clem. Alex. *Strom.* I.

Exelodunum, seu *Exsoldunum*, vulgò *Issoudun*, urbs Galliæ, in prov. & diœc. Bituricensi, ad amnem *Thols*, 7. leuc. à Biturico in Occ. Quibusdam dicitur *Ernodurus*. Hîc Concil. an. 1081. habitum ab Hugone Diensi, Papæ legato. Vid. Jvonem Carnut. *epist.* 180. 204. 268. Robertum, &c.

Exilissa, seu *Lissa*, Africæ urbs ad fretum Herculeum. Ptolom. *Septa* hodiè. Hispani *Centa* vocant. In Mauritania Tingit. probè munita cum portu, sub Hisp. cùm aliàs pareret Portugalliæ Regib. à quibus expugnata fuerat. V. *Septa*.

Exitani, Hisp. Bæticæ pop. Strab. *Salobrena* Clusio. Quibusd. est Sexitanum, quod forsan mel. Ubi nunc *Adra*, urbec. regni Granatæ, in ora maris Mediterr. V. *Sexitani*.

Exiteria, festa apud Græcos, in quibus primitiæ frugum diis offerebantur, ut tradunt Grammatici.

Exjustitiarius, dictus est olim in Anglia Magistratus extraordinarius, Rege reverso, qui illo absente, vices Regis, uti Proconsul in provincia Romana, administraverat, *Vicarius Regis, Regis Locum-tenens, Pro-Rex, Custos regni* & *Regni Gardianus*, durante munere, dictus: *Capitalis alias Regni Justitiarius*. Sic Guilielmus Comes Herefordiæ, & deinceps Odo Bajocensis Episc. Comes Cantii, secedente in Normanniam Guilielmo Conquestore: Guilielmus de Longo-campo Episc. Eliensis & Hugo de Pusaz, Episc. Dunelmensis; proficiscente Hierosolymam Richardo I. Justitiarii Angliæ, & Regni pariter custodes Regisque Vicarii constituti sunt. V. infra quoque in voce *Justitiarius*.

Exobygita, Sarm. Europææ gens. Ptol.

Exodus, liber Canonicus S. Scripturæ, Pentateuchi secundus, Hebr. *Veelle Semoth*, ex primis vocibus, quæ Latinè sonant: *Hæc sunt nomina filiorum Israël*. Dicitur, ab exitu Israëlitarum ex Ægypto, cujus historiam unà cum Decalogo, legibusque aliis divinis, continet, capp. 40. Hieron. *prolog. gal. ep. ad Pauli. & ad Desid.* In *Exodum* extant: Ambrosii *in c.* 8. 16. 24. 30. 32. Antiochus. Augustini *Quæstiones*. Avitus. Barradii *Itinerarium fil. Israel*, fol. Antverpiæ 1621. Cantarellus. Capito. Cartvvrighti *Electa*. Octav. Londini 1658. Epiphanii *de* 12. *gemmis*. Ferus. Gallasius. Harphii *Speculum aureum*, Basil. 1496. de la Haye *Commentar.* 2. Vol. Parisiis 1648. Hussi *Explicatio Decalogi*. Jansenii *in c.* 15. *pr.* & 32. Jansonii *in c.* 15. R. Ismaelis *Mechilta*. Judæ *Annotationes*. Lippomannus, fol. Parisiis 1550. Loniceri *Theatrum histor.* Lorinus. Magalianus. Moncæus. Nodini *Victoria Hebræorum*, *in c.* 15. fol. Lugduni 1611. Origenis *Homiliæ*. Paez. Pelargi *Comm.* Pepinus. Pererius. Petrasancta. Phrygionis *Comm.* Octav. Basileæ 1596. Ravenspergerus. Reuteri *Comm.* Richardi *in c.* 15. *pr.* Riveti *Commentar.* Roverius. Rungii *Prælectiones*. Rushbroehius. Simleri *Comment.* fol. Tiguri, 1605. Shute, *in cap.* 8. ℣. 11. Quart. Londini 1645. Tersterus in Octav. Titelmannus. Trissinus. Varenius. Vstella. Walpurgerus. Zieglerus. Zuinglius, &c. Vide Crovvæi *Elenchum*; & in voce *Pentateuchus*. Item *Testamentum*.

Exolidunum, vulgò *Issoudon*, vetus opp. Biturigum Cuborum, à situ dictum. Hujus olim castelli dominus, vir ditissimus Gaufridus, memoratur Herm. Monacho *lib.* I. *de miraculis S. Mariæ Laudunensis*, apud Hadrianum Valesium *Notit. Gall.* Vid. *Exelodunum*.

Exomata, Plin. *l.* 6. *Iaxamatæ* Melæ, *Ixomatæ* Polyæno, *lib.* 8. pop. Sarm. Asiaticæ. Val. Flac. *Argon.* 6.

Exomata, Toriniq; & flavo crine Satharchæ.

Exona, vulgò *Essone*, vicus Galliæ, Historicis notissimus & vetustissimus, ad fluv. Junnam, in pago Parisiaco, Monasterio B. Dionysii legatus à Chlotario juniore, Dagoberti nepote. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Exonaba, fortè Ossonaba, urbs ol. episc. Lusitaniæ; quibusd. nunc *Stombar*, vicus in Algarbia. Aliis *Silves*, cui subest Ossonobensis Eccl.

Exonia, olim *Isca* Damnoniorum, urbs Angliæ Episcopalis, in agro Devon. vulgò *Excester*. Ad Iscam fluv. aliquot tantùm mill. ab ora maris Germ. Ab hujus obsidione fugatus est Perkinus Verbelius, Angliæ turbo, ab Henrico VII. A. C. 1490. V. *Isca*.

Exopolis. Sarm. Asiaticæ urbs ad Tanaim fluv. Ptol.

Exorcista, inter 7. gradus Ecclesiæ, ab Hieronymo recitatos, locum non habet; ab inferioribus tertius numeratur, hoc ordine: Ostiarius, Lector, *Exorcista*, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter. Exorcistarum tamen meminit Hieronymus, *Comm. in Matth.* 12. 27. ubi hoc nomine eos vocat, qui ad invocationem Dei ejiciebant Dæmones. Vid. Amalarium, Rabanum Maurum, Jvonem, Durandum, &c. *in libb. de divinis Eccl. Off.* & *Min.* Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Exoucontii, hæretici Ariani, qui conabantur docere filium Dei ex nullis substantiis factum esse, id est, ὀκ ἐξ ὄντων.

Expeditio, pro specie exercirus, non justi, & solemnis, at subiti velut & tumultuarii *in Vita Offæ Merciorum R. Mss.* Quorum i. Danorum adventus primus & tam temerarius postquam Regi innotuit, missâ *Expeditione*, non enim pro tali populo dignabatur exercitum publicum convocare, eorum potenter repressit arrogantiam & dissipatos, magnaque ex parte diminutos, ad naves suas turpiter revertere coëgit. Theodoricus autem, Gothorum R. apud Cassiodorum *lib.* I. *cap.* 17. ait: *Meritò Expeditionem nominavere Majores: quia mens devota præliis, non debet aliis cogitationibus occupari.* V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Exquiliæ, vel *Esquiliæ*, mons Romæ, dictus ab *excubiis* regis Tulli Hostilii, qui hunc collem urbi adjecit, teste Livio, & in eum, ut frequentiùs habitaretur, domicilium suum transtulit. Sunt qui ab *excolendo* sic dictas volunt, quòd ea pars urbis, cùm antea neglecta jacuisset, à Tullo rege fuerit exculta. Horat.

Nunc licet Exquiliis habitare salubribus.

Vide Passeratii *solennes lectiones in Propertium l.* 3. *eleg.* 23.

Extravagantes, libri nomen à Johanne XXII. Pont. R. publicati. Platina *in ejus Vita*.

Extrema, vulgò *Extremoz*, opp. munitum Portugall. inter Tagum & Anam, ad amnem Teram, 8. leuc. ab Ebora in Ort. totidem ab Helvis in Occ.

Extremadura, prov. Hisp. regni Legionis pars, cui adjacet versus Bor. A' meridie habet Andaluziam, ab Occ. Portugalliam, ab Ortu Castell. novam. Præc. urbes Pax Augusta, Placentia, Cauria, Emerita.

Extremadura Portugallica, versus ostia Tagi flu. primar. Urb. habet Ulyssiponem, regni caput.

Extricatus, consul cum Præsente, an. U. C. 969.

Extuca, prov. Marroci, in ora Oceani Atlantici, versus Atlantem & confinia Biledulgeridiæ. Pars est regionis *Sus*.

Exuperius, Episc. Tholosanus, sec. 3. calice vitreo & vimineo canistro sacram cœnam administrasse legitur, apud coævum ejus Hieron. *ad Rusticum Mon. ep.* 13. *l.* 2. V. infra.

Exuperius, Episc. Tholosanus, sec. 3. Fame grassante, vasa sacra conflavit, ut inopibus succurreretur, &c. viduæ Sareptanæ comparatus ab Hieronymo, qui ipsi inscripsit Comm. in Zachariam. Templum Minervæ, Tholosæ, B. Virgini dicavit, urbemque à Vandalis liberavit. Hieron. *Ep.* 4. *ad Rust. præfat. in Zach. l.* 3. *Comment. in Mos. & epist. ad Ageruc.* Greg. Tur. *hist. lib.* 2. *c.* 13. *T.* I. *Conc.*

Exuperius, Rhetor excellens, de quo Auson. *Epigr.* 17.

Exuperi memorande mihi facunde sine arte, &c.

Præceptor filiorum Dalmatii, fratris Constantini M. an. 336. V. Scalig. *not. ad Auson. l.* I. *c.* 12. Auteserr. *rer. Aquit. lib.* 5. *c.* I. An Episc. Cadurcensis, qui eodem seculo vixit?

E Z.

Ezates, Adjabenus. Tac. 12. 14. Vid. *Jazates*.

Ezechias, rex Judæ, filius Ahaz. 4. Reg. 18. Lat. *fortitudo Domini*. Successit patri in regno Judæ, anno mundi 3308. ante Christum natum 754. Hic pius vestigia David secutus est: diffi-

pavit excelsa, contrivit statuas, succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moses, siquidem usque ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum. Affuit illi Dominus. Nam rebellavit contra Regem Assyriorum, & non servivit ei, Philistæos persequutus est: anno sexto regni ejus capta est Samaria à Salmanasare. Posthæc Sennacherib Assyriorum Rex in Deum blasphemus, Judæam devastavit, Jerusalem obsedit, miraculo tamen hæc divinitus liberata est: siquidem Angelus Domini occidit unâ nocte 180000. hominum in castris Sennacherib, qui inde recessit. Deinde ægrotavit Ezechias, cui mortem prædixit Esajas: attamen oratione & fletu obtinuit à Deo adjici vitæ suæ annos 15. signumque sanitatis ab Esaja accepit in umbra decem linearum retrograda, in horologio suo. Merodac-Baladan Babyloniorum rex, cùm accepisset morbo laborare Ezechiam, misit ei literas & munera. Imperavit annos 29. successit ei filius Manasses A. M. 3337. Vide 4. lib. Reg. 18. 19. & 20. *cap.* & Joseph. *antiq. lib.* 9. & 10.

Ezechiel, nomen Prophetæ, tertii inter majores, Ezech. *cap.* 1. qui tempore Jeremiæ, & Danielis Prophetarum, extitit. Hic adhuc puer cum aliis in Babyloniam captivus abductus est, ubi prophetare incepit, anno mundi 3349. antè Christum natum 613. In Babylone judicavit tribum Dan & Gad: prædixitque capp. 48. culpâ earum, non reversurum populum Hierosolymam, quòd non resipiscerent: quare exacerbati distraxerunt eum equis, per crepidines saxorum, & excerebrarunt eum & sepelierunt in sepulchro Sem & Arphaxad. In *Prophetiam* ejus, extant: Augustini *in c.* 34. Brandmyllerus. Calvini *Comm.* de Cuilly *Interpretatio mor. in c. pr.* Gall. Parisiis 1611. Efforhen *Homiliæ in c.* 38. 39. Argentinæ 157. Gregorii M. *Homiliæ*. Greenhil *Expositio*. Angl. Quart. 1649. Hafenrefferi *in* 9. *postr. c.* fol. Tubingæ, 1613. Haymo. Heilbrunnerus. Hieronymi *Commentaria*. Hoyi *Comm. paraphrasi Poët. illustratus*, Quart. Duaci 1598. Don Isaac Abarbenel. Junii *Comm.* fol. de Lapide. Lauretus. Lavateri *Homiliæ*. fol, 1581. Genevæ. Leuchtius. Lutherus. Maldonatus. R. Mosche Alschich. Oecolampadius. Origenis *Hom.* Pappus. Paulutius. Pintus. Piscator. Polani *Comm. cum Log. Analysi & Theol. Ecthesi.* Quart Basil. 1601. Pradus. Roberti. Sanctius. Savanarolæ *Sermones*. Ital. Quart. 1516. Serranus. Strigelius. Szegedinus. Tossarius, Basileæ 1558. fol. Theodoretus. de S. Victore. Villalpandi *Commentarius*, &c. V. Crovvæi *Elenchum*.

Ezechiel, Poeta Judæus, Tragœdiam de Mose conscripsit. Antiquitatem ejus arguit, quòd meminere Clem. Alex. *Strom.* 1. & Euseb. *lib.* 9. *Præp. Evang.* Græcè & Latinè edidit Frid. Morellus, *edit. Paris.* 1609.

Ezel, nomen lapidis viatorii in agro urbis Saul, sub quo latuit David in supremo digressu à Jonathane. 1. Reg. 20. Lat. *ambulatio, vivificatio*, aut *stillatio*.

Ezelinga, Vid. *Eslinga*.

Ezelinus, *Ecelinus* vel *Icelinus*, natus in vico *Romano*, in Marca Trevisana, stirpe Germanus, sec. 13. Potitus Veronâ, Patavio, &c. tyrannidem inauditam exercuit. Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. fulmina spernens, unâ die Patavii rebellione auditâ, incolarum, quos secum habebat, 12000. millia, trucidavit: Tandem ab urbibus Principibusque Lombardiæ captus, cùm Mediolanum aggressurus esset: paulo pòst desperabundus interiit. an. 1259. tyrannidis 40. V. Monach. Patav. *Chron. l.* 1. & 2. Sigon. *de R. I. l.* 19. Corium, *hist. Mediol. part.* 2. P. Jovium, *l.* 1. *Elog. in Actio.*

Ezer, fil. Hur primogeniti Ephrata. 1. Par. 4. fil. item Suthalæ filii Zabad. 1. Par. 7. *adjutorium*, sive *atrium*.

Ezerus, Straboni *Bœbe*, quod V. Vulgò *Ezero*, urbs Græc. in Thessaliæ & Achajæ confin. Episc. sub Ar. Larissæ.

Eziel, id est, *fortitudo Dei*, sive *hircus Dei*, fil. Haraia. 2. Esdr. 3.

Ezra, Lat. *adjutorium*, sive *atrium*, nomen viri. 1. Par. 4.

Ezrel, nomen viri. 1. Esdr. 10.

Ezri, nomen viri. 1. Par. 27.

Ezricam, dux domûs Achaz. 2. Par. 28. Filius Naariæ. 1. Par. 3. Filius Hasel. 1. Par. 8.

Ezriel, pater Saraiæ. Jerem. 36. Lat. *auxilium* sive *atrium Dei*.





F



Litera hæc, quibusdam muta, aliis semivocalis, dicitur etiam Digamma Æolicum, quia est, velut geminum Γ. Ejus sonus cum *Ph.* sæpè confunditur, quamvis φ. Græcorum, neque F. neque Ph. Latinum propriè sonuerit. Digamma hoc, seu F. inversum, Claudius Imp. cum duabus aliis literis invenit, & reperitur in Inscriptionibus, sub hoc Imperatore, frequentissimè. A. Gellius, inventionis hujus rationem reddit, *lib.* 14. *cap.* 5. Vid. Sueton. *in Claudio*, *cap.* 41. Priscian. Methodum Græcorum, &c.

F A.

Fabaria, insula Frisiæ, Plin. 4. 14. à frugis similitudine sponte provenientis, aliàs *Burchana* dicta.

Fabaria thermæ, Germ. *Pfävers*, primi inter Rhæticas nominis; dictæ sunt à vicino Benedictinorum Cœnobio *Fabario* vel *ad Fabarias*, ut habet Munsterus *lib.* 3. qui illas accuratè descripsit. *Sunt in Racantiorum ambitu, intra montium fauces portentoso aspectu, aditu difficiles, infernali trucique situ; ac velut horrendo in barathro, strepitu præterlabentis per vicina saxa cautesque fluvii & continuo ruentis aquæ impluvio pulsantur*, Dan. Eremita *descr. Helv.* Sed locus celebris factus est, *propter saluberrimas thermas ibi, Friderici II. Imp. tempore, ab aucupe quodam, ex familia Alto Balconorum nato, dum corvorum sylvestrium nidos indagaret, repertas*, Fortun. Sprecherus *Pall. Rhæt. lib.* 3. In his nullus odor ingratus, sulphur aut nitrum redolens; ex venis siquidem auri cuprique procedentibus. Eas egregiè porro descripsit Theophr. Paracelsus, & postea carminibus illustrarunt Carolus Paschalis, Gall. R. apud Rhætos legatus, ac Joh. Gulerus à Weineck Eques Auratus. Abbas Cœnobii non hic solùm, sed & aliis quibusdam locis vicinis jurisdictionem habet: Jos. Simlerus *de Rep. Helv.* Joh. Baptista Plantinus *Helv. Nov. Antiq.* &c. Vide etiam in voce *Sarunetes*.

Fabaris, fluv. Sabinorum, alio nomine *Farfarus* appellatus. Virg. *Æn.* 7.

Qui Tiberim Fabarimque bibunt. Oritur prope Mompeum, in loco *Capo Carfa*, labiturque in Tiberim, inter Castra Felicianum & Fianum.

Fabatus, alio nomine *Calpurnius*, Prosocer Plinii Secundi, damnationem instantem sub Nerone, appellato Principe, evasit. Tacit. *lib.* 16. *cap.* 8. Fuit Patriâ Novocomensis, de quo vide Vetranium ad Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 8.

Fabia, mulier Romana, quæ Fabium Fabricianum interfecit, ut liberiùs posset lascivire cum Petronio Valentiano liberali formâ adolescentulo, quo cum adulterii consuetudinem habebat. Plut. *in Parallel.*

Fabianus Papyrius, naturæ rerum peritissimus fuit. Plin. 36. 15. Hujus quoque meminit Seneca *in Epistolis*. Item 19. Romanorum Episcopus martyrio coronatus, sub Decio. Euseb. *Hist. lib.* 6. 21. 22. Oros. *l.* 7. Anastas. *in ejus vita*. An. Dom. 251.

Fabianus, Vid. *Valerius*.

Fabienses, Italiæ pop. Plin. 3. 5.

Fabii, Romani nobilissimi, simul ac potentissimi (quibus à *fabâ* cognomen erat, utpote quorum primus fabam optimè serebat; sic Cicerones, Lentuli, Pisones.) qui bellum adversus Veientes soli cum suis clientibus & servis in se receperunt, cùmque ex levibus aliquot præliis sæpius victoriam reportassent, tandem ad Cremeram fluv. insidiis circumventi, ad unum omnes cæsi sunt. Dionys. *l.* 9. Liv. *l.* 1. & 2. Flor. *l.* 1. *c.* 12. Aur. Victor. *de Vir. Ill. c.* 14. Oros. *l.* 2. Plin. *l.* 18. 3. Macrob. *lib.* 1. *c.* 6. Ovid. *Fast.* 2.

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.

Ex tantâ Fabiorum clade unus tantùm superfuit, qui nondum armis per ætatem idoneus, in urbe relictus erat; ex cujus sanguine per longam nepotum seriem natus fuit Fabius ille Maximus, qui Dictator adversus Annibalem creatus, cunctabundâ quâdam prudentiâ rem Romanam, aliorum Imp. temeritate labefactam, primus restituit, adeò, ut verissimè de eo Ennius dixisse videatur,

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Ovidius,

Scilicet ut posses olim tu Maxime nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Manil. *lib.* 1.

Invictusque morâ Fabius. ——

Claud. *de bello Getico*,

—— *Lento lustramine Pœnum*
Compressit Fabius.

Silius *lib.* 7.

—— *Lento Poenum moderamine lusit.*

Idem *lib.* 16.

—— *Peperitque sedendo*
Omnia cunctator nobis.

Idem alibi,

Solers cunctandi Fabius.

Val. Max. *Fabius maximus, cujus non dimicare, vincere fuit.* Liv. *lib. Matura res erat, tergiversatur tamen Fabius.* Aliis Fabii, à *Fabio* Herculis fil. orti, Plut. teste Festo *Fovii* dicti, quòd Princeps gentis ex ea natus sit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii putant eum primum ostendisse, quemadmodum ursi & lupi foveis caperentur. Patricia hæc gens fuit majorum gentium, (Fabius enim Celer præfectus Celerum primus notus est) in has Familias & cognomina distincta: Celer, Vibulanus, Ambustus, Rullus vel Rullianus, Dorso, Maximus, Gurges, Buteo, Pictor, Licinius, Verrucosus, Ovicula, Cunctator, Labeo, Æmilianus, Servilianus, Allobrogicus, Eburnus, Africanus & Persicus. Hujus gentis usque ad Tiberium Cæs. mentio est. Pontificatu max. semel, Auguratu aliquoties defuncta est: Dictaturis septem: Magisteriis Equitum quinque: Consulatibus XLVIII. Decemviratu legum scribendarum: Censuris septem: Tribunatibus militum Consulari potestate decem: Senatus Principat. quinque: Triumvis tredecim: Ovationibusque duabus illustris. His honoribus functi sunt Viri XXXVI. intra spatium annorum 550.

Fabilius, Poëta Gr. Præceptor Maximini Jun. Epigrammatum variorum auctor, inprimis in iconem sui Discipuli, adhuc infantis. Jul. Capitolin. *in vita Maximini Jun. Cap.* 1.

Fabiola, Romana mulier, quæ cùm magno studio sacras literas amplecteretur, Evangelia, & psalmos frequentissimè revolvebat, ut iterata plerumque lectio amorem divinæ religionis (quâ deflagrabat) augeret magis, unde & D. Hieronymus librum de veste sacerdotali eidem nuncupavit. V. *hujus epist.* 30. *ad Ocean.*

Fabiraum, *Brema*, V. *Brema*, & *Phabiranum*.

Fabius, Remum occidit. A. U. C. 1. Dux militum.

Fabius, dux Galliarum, concionante Vitellio, ad supplicium postulatus, quòd pro Vindice bellasset. Tacit. *Hist.* 2. 94.

Fabius, Episc. Antiochenus, à Novatiano in hæreseos discrimen adductus, à Cornelio Ep. R. & Dionysio Alexandrino, in orthodoxia confirmatus est. Obiit an. 255. Successit ei Demetrianus. Eus. *in Chr.* & *hist. lib.* 6.

Fabius, Homo loquax apud Horat. *Serm.* 1. *Sat.* 1.

Cætera de genere hoc (adeò sunt multa) loquacem ut
Delassare valent Fabium.

Vide Veterem Schol. & Lævin. Torrentium *in loc.*

Fabius Africanus, consul cum Julio Antonio, an. U. C. 744.

Fabius, prænomine Cajus, legatus Cæsaris in Galliâ, cui unam legionem in Morinos ducendam hibernatum dedit Cæsar *lib.* 5. *Com.* 23.

Fabius Cerilianus, (ut Vopiscus *in Caro* ait) *tempora Cari. Carini, & Numeriani, solertissimè persecutus est.* Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 4.

Fabius Chilo, consul cum Libone, an. U. C. 965.

Fabius Dorsemnus, vel Dossenus, Poëta Attellanus. Plin. *l.* 14. *c.* 13. Horat. *l.* 2. *epist.* Seneca, *ep.* 89.

Fabius Fabricianus, captâ Tuscio (ea est primaria inter Samnites civitas) victoriosam Venerem, quæ in summo apud illos habebatur honore, Romam misit; Hujus uxor cum adolescentulo specioso adulterium committebat: quocirca redeuntem virum dolosè obtruncavit. Fabricianum verò adhuc infantem, ex urgenti liberatum periculo, clam emisit alendum. At ille cùm ad ætatis vigorem pervenit, matrem & adulterum interfecit. Senatus autem, ne res illa Fabriciano esset fraudi, decrevit. Plutarchus *Paral.*

Fabius Fabulus, quintæ legionis in Germanico exercitu, victo Cæcinâ, dux à militibus cum Cassio Longo delectus. Tacit. *Hist.* 3. 14.

Fabius Gurges, cum patre Fabio Max. Seniore, Samnites vicit, An. U. C. 463. Alius, ob luxum sic dictus, Macrob. *Saturnal. lib.* 3. *cap.* 13.

Fabius, prænomine Lucius, centurio legionis octavæ tres nactus manipulares suos atque ab iis sublevatus murum Gergoviæ ascendit: sed à Gallis circumventus atque interfectus cum suis de muro est præcipitatus. Cæsar. *l.* 7. *Com.* 48. 49. 50.

Fabius

Fabius Marcellinus, Historicus sub Severo, ante Diocletianum. Scripsit vitam Alexandri Mammææ, Lamprid. Vopiscum imitatorem habet, V. eum *in Probo*. Legitur nomen ejus in antiqua inscriptione, Tarracone, sed an Patris an filii sit, ignoratur. V. de eo Voss. *hist. Latin. lib.* 3. *pag.* 703.

Fabius Maximus, cognom. Rullianus, primus Fabiorum, hoc elogium meritus, victor contra Samnites, sine jussu Papyrii Dictatoris, parum à pœna abfuit. De Apulis, Luceriis, Samnitibus, Gallis, Umbris, Marsis & Tuscis triumphavit. Censor cùm esset, noluit libertos suos tribules esse. Censuram secundâ vice oblatam, quòd contra Leges esset, renuit. Primus instituit, ut die 15. Julii Romani Equites, candidis vecti equis, à templo Honoris ad Capitolium, solemni pompâ se conferrent. Aur. Victor, *de Viris. Ill. c.* 32. Livius, Florus, &c.

Fabius Maximus, Romani exercitus Imp. adversus Pœnos creatus, collatis manibus, cunctos ad unum amisit commilitones, ac ipse accepto mortifero vulnere in Annibalem cursu vehementi concitatus, juxta eum oppetiit. Plut. *Paral.*

Fabius Maximus, cognom. *Cunctator* seu *Verrucosus*, item *Agnellus*, quinquies Consul, post cladem Cannensem dictator, cunctando restituit rem, hinc Clypeus Reip. dictus. Tarento recepto, Herculis idolum in Capitolium transtulit, & de redemptione captivorum cum hoste pacto inito, cùm Senatus id rescinderet, propriis bonis divenditis fidem liberavit. Plut. *in ejus vita*. Aur. Victor, *de Viris Ill. c.* 43. Liv. Polyb. Eutrop. Orosius, &c.

Fabius Maximus, prænomine Quintus, cognomento *Allobrogicus*, à devictis Allobrogibus indito: Superavit ad Isaram Bituitum Arvernorum R. & ex Provincia, parte Aquitaniæ, Delphinatu & Sabaudia hodierna, Provinciam Narbonensem fecit. Filius Q. Fabii, Æmilii, qui Persen Macedonum regem vicit, nepos. Fuit autem hic Q. *Fabius* Maximus consul cum L. Opimio anno ab U. C. 632.

Fabius Maximus, consul cum C. Jul. Cæsare, an. U. C. 709. Hic in Hispaniâ Pompeianos vicit, Hispanias per deditionem accepit.

Fabius Maximus Servilianus, Pontifex M. Annales scripsit, laudatos Macrobio, Saturn. *l.* 1. *c.* 16. Cos. cum Metello, anno U. C. 611. in Hisp. contra Viriatum bellum gessit. Liv. Florus, Oros. Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 7.

Fabius Pelignus, ex infimis ordinibus ab Attianis solus ad Uticam occisus. Vide Cæsarem *lib.* 11. *de Bello Civil.* 35.

Fabius Pictor, primus Romanorum solutâ oratione historiam scripsit. Ideoque *Scriptorum antiquissimus* à Livio dicitur, *lib.* 1. & *longè antiquissimus auctor lib.* 2. Malè confunditur cum alio, quem Juris peritissimum Cicero vocat. *Pictoris* cognomen illis hæsit, à primo Familiæ hujus, qui templum Sanitatis olim pinxerat. *l.* 35. *c.* 4. Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *c.* 3. qui & alterius Fabii Maximi Serviliani *ibidem* meminit. V. *supra*.

Fabius Romanus, ex intimis amicis Lucani, qui mixtam inter patrem Melam filiumque conjurationem finxit, ac ita illum pervertit. Tacit. *lib.* 16. *cap.* 17.

Fabius Rusticus, historicus Latinus. Historias temporum Neronis composuit, floruit sub Claudio ac Nerone: Amicus intimus Senecæ, Tacit. *Annal. l.* 13. 14. & 15. qui stylum ejus, in Agricola, laudat. Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *p.* 129.

Fabius Sabinus, IC. insignis, discip. Papiniani, Consiliarius Alexandri fil. Mammææ. Cato sui temporis dictus. Rutil. *in Fabio Sab.* Vignerius, *A. C.* 224.

Fabius Tatianus, vel Titianus, Consul cum Neratio Cereali. An. U. C. 1111.

Fabius Valens, legatus legionis in Germaniâ, qui cum Cornelio Aquino Proconsulem Capitonem, res novas molientem, interfecit. Tacit. *Hist.* 1. 7. Postea infensus Galbæ, tanquam detectam à se Virginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingratè tulisset, Vitellium ad res novas impulit. *cap.* 52. eum primus Imperatorem salutavit. Victis ad Cremonam partibus profugus apud Stœchadas, missis à Paulino Liburnicis oppressus est. *Histor.* 3. 43. Nec multo pòst Urbini in custodia interfectus; capite ejus Vitellianis cohortibus ostentato, ne quam ultra spem foverent. *Cap.* 62.

Fabrateria, Colonia, & op. nunc pagus Volscorum, in Latio, inter Aquinum, & Fregellas. Populi *Fabraterni* Plin. Juven. *Sat.* 3.

Si potes avelli Circensibus, optima Sora
Aut Fabrateria domus, aut Frusinone paratur.

Silius *lib.* 8.

Hinc Fabrateria vulgus: nec monte nivoso
Descendens Atina aberat.

Baudrando nunc *Falvaterra*, prope Lirim fluv. in dit. Pontif. in ipso confin. regni Neap. 8. mill. ab Aquino in Occ.

Fabrianum, nobilitate ac ædificiorum magnificentiâ è 4. primis Italiæ totius castellis, vulgi dicto, collatum: quo Crema Lombardiæ, Pratum Tusciæ, Barulum Apuliæ, Fabrianum Marchiæ celebrantur. In dit. Pontif. in Marchia Anconitana, ad Apennini rad. in limite Ducatus Urbini, inter Sentini rudera ad Oc. & Matelicam ad Ort. 14. mill. à Camerino in Bor.

Fabricius, Rom. civis frugalissimus, qui in tenuissimo censu Samnitum munera forti animo sprevit. Patellam, & salinum ex argento tantùm, colendorum deorum causâ, domi habuit, ita tamen ut patella corneo pediculo sustineretur. Ejus filiæ ob paupertatem de publico dotibus ornatæ ad maritos ierant, portantes gloriam domesticam, pecuniam publicam. Hunc Pyrrhus Epirota nullo auro, nullis pollicitationibus expugnare potuit, ut secum esse vellet, ac proximum à se locum obtineret. Itaque dixit Pyrrho; Non hoc illi conducibile esse, *nam si Epirotæ*, inquit, *ambo nos norint, à me regi, quàm abs te mallent*. Cicero *l.* 3. *off.* Virg. *Æn.* 6.

—— Parvoq; potentem
Fabricium. ——

Vide Val. Max. 4. 3. Claud. *Paneg. in* 4. *Conf. Hon.*

Pauper erat Curius, Reges cùm vinceret armis,
Pauper Fabricius, Pyrrhi cùm sperneret aurum.

Idem *de bello Gildonico*,

Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi nudatâ fraude remisit.

Vide etiam Florum 1. 18. Gellium 3. Plut. *in Pyrrho*. Aur. Vict. *de Viris Ill. c.* 35. Liv. Eutrop. &c.

Fabricius, vel *Faricius* Thuscus, Abbas Cluniac. Anglus, An. 1110. vitam S. Anselmi, Scoti Abbatis, scripsit. Possevin. *app. sacr.* Simler, *Biblioth. Gesn.* Alius, apud Plinium, *l.* 3. 4. 6.

Fabricius Veiento, prænomine *Aulus*, Prætor sub Nerone, canes Circensibus ad currus adjunxit pro equis: Hic, ob multa & probrosa in Patres & Sacerdotes composita, iis libris, quibus nomen codicillorum dederat, item ob Principis favores venditos, accusante Talio Gemino Italiâ depulsus est, ejusque libri exusti sunt. Tacit. *lib.* 14. *Annal.*

Fabricius pons, unus ex pontibus urbis Romæ, à Fabricio Consule extructus. Horat. *lib.* 2. *Sat.* 3.

Atq; à Fabricio non tristem ponte reverti.

Hodiè *ponte di quatro Capi*, teste Andr. Fulvio, & Marliano.

Fabulinus, putabatur Deus, qui pueris primò fari incipientibus præesset. Huic Romani sacrificabant, cùm primùm eorum liberi fari incipiebant. Varro.

Faccius vel *Fatius de Ubertis*, Florentinus, Geographus & Poeta, *Ditamondam* scripsit. Sub Julio II. Annas Viterb. *antiq. Var.* 9. *l.* 17. Franc. Albertinus, *de laud. Florent.* Hugolinus Verinus, *l.* 2. *Flor. ill.* Leand. Alberti, *desc. Ital. p.* 47. Voss. *de H. L. P.* 2. *l.* 3.

Facidia, vicus Rhinocoruræ. Hier. *in vita Hilarion.*

Facundus, Consul, Nepotiani collega, an. U. C. 1088.

Facundus, Episc. Hermian. in Africa, Constantinopoli, cum Vigilio, Episc. R. fuit, A. 547. in Synodo Oecum. 5. ob tria Capitula celebratâ, quæ libb. 12. eruditè & ingeniosè scriptis, defensum ivit. Edidit Sirmondus, cum notis. Addidit Facundus Tractatum c. Morianum. Victor *Chron.* &c.

Fadus. V. *Cuspius*.

Faetalis, de quo V. Liv. *l.* 1. Plut. *in Numa*.

Fæsula, urbs olim Hetruriæ, non procul à Florentiâ, sedes augurum, una ex 12. præcipuis. Stiliconem contra Radagaisum juvit, dein à Florentinis vastata, nunc vicus est modicus, licet Episcopalem sedem retineat. Plerisque Græcis Φαισόλαι, *Fæsulæ*, à nonnullis Φαισόλα *Fæsula* dicitur. Diphthongum in primâ Græci semper habent, & in ea syllaba producitur à *Silio lib.* 8.

Adfuit & sacris interpres fulminis alis
Fæsula. ——

Apud Procopium tamen *Rerum Gothicarum lib.* 2. in vulgatis exemplaribus est Φισόλα, utrum auctoris scriptione, an librarii corruptione, incertum. Secunda verò syllaba, cùm foret brevis, Polybius *lib.* 2. rectè scripsit Græco more Φαισολαν. Hodiè vulgò *Fiesole*. Leand. Alb. *desc. It. p.* 48. & *seqq.*

Fæsuli, seu fratres mendicantes S. Hieronymi, Ordo S. in Comm. R. à Carolo, fil. Comitis Montgranelli fundatus, An. 1386. Vide Miræum, *hist. Relig. l.* 1. *c.* 22.

Fafila, Rex Oviedi, post patrem Pelagium, A. 737. biennio pòst, in venatione, ab urso interemptus. Vassæus, Rodericus, Mariana, &c.

Fagutal, locus fagis consitus, in monte Exquilino, in quo sacellum Jovis fuit. Unde etiam *Jovis Fagutalis*, quòd fagus ipsa arbor Jovi sit consecrata. Solino dicitur *Lucus Fagutalis*, *c.* 2.

Fajalis, Ins. maris Atlantici, una ex Azoribus seu Tertiariis, satis parva, fertilis tamen & bene culta, sub Portugalliæ R. cum aliquot pagis & castris. 30. leuc. Gall. à Tertiaria, in Occ.

Faida, al. *Feida*, Germ. *Fhede* & *Feide*, i. inimicitia, non quævis, verùm capitalis illa, apud Germanos olim cæterosque Septentrionales populos vigens: qui privatas inimicitias per totam cognationem diffundentes, gentiles illas fecerunt & hæreditarias. Tacit. *de mor. Germ. Suscipere*, inquit, *tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quàm amicitias necesse est*. Tum enim homicidia non judicis sententiâ, sed dextrâ & furore consanguineorum interfecti, pœnas pro arbitrio deposcentium, luebantur. Sublatus ægrè tandem barbarus mos, pluribus legibus coërcitus, quales crebro habentur inter Salicas, Longobardicas, Francicas aliasq; exoticas antiquas, etiam in Capitulis Caroli & Ludovici. Morem gerendæ, ac componendæ *Faidæ*, V. apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Falacrinum, Vide *Phalacrina*.

Falacrium, Promunt. Siciliæ, Ptol. *Rasocolmo*, teste Fazel o

Falæsa, op. Normanniæ, ad Antam amnem 7. leuc. à Cadomo in Austr. 9. à Sagio, in Circ. Juxta est *Gibraum*, *la Guibray*, suburbium nundinis suis celebre.

Falanius, modicus eques Romanus, cui sub Tiberio crimen Majestatis intentatum, quòd inter cultores Augusti (qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur) Cassium quendam mimum corpore infamem adscivisset: quodque venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset. Tacit. *Ann.* 1. 73.

Falarienses, pop. Piceni. Ferrar.

Falcatium, opp. agri Tarvisini.

Falciana, seu *Locus felix*, opp. Norici, nunc *Walse*; estque vicus Austriæ ad Danub. 5. leuc. infra Lentium in Ort.

Falconis mons, oppidum Duc. Limburgensis munitum, in dit. Hollandorum, 4. leuc. ab Aquisgrano in Occ. juxta amnem *Geul.*

Falcopinga, opp. Sueciæ, in Westrogothia, 5. mill. Germ. à Scara in Austr. & 8. à Wenero lacu.

Falcuinus, auctor vitæ S. Faronis, Ep. Met. Hieronymus Rubeus, *Hist. Rav.* *l.* 2.

Falemannia, vulgò *Famenne*, vel *Faminne*, regio proxima provinciæ Arduennensi, ad Urtam *Ourt*, & Lesiam *Lesche*, fluv. In illa sunt Marca *Marche en Famenne*, castrum ad amniculum, quo Urta augetur & vicus *Hour en Famenne* cognominatus, Heidra quoque, vulgò *Haidre en Faminne*. Hinc *Falemannorum* nobili familiæ nomen, Hadr. Valesius. *Not. Gall.*

Falerii, op. Faliscorum in Tusciæ mediterraneis. Ptol. Vide Cluverium.

Falerina, tribus Romana. Liv. *lib.* 9. *dec.* 1.

Faleris, mel. *Falaris*, urbs Hetruriæ olim, ubi nunc *Civ. Castellana*. Postea 1. mill. cum dimidio ab eo loco, in planitie nova civ. condita est, cujus rudera hodieque *Falere*. Et fortè, destructâ vet. civitate, remansit templum Junonis Faliscæ cum luco; quò, destructis Falaris illis novis incolas iterum se recepisse credam, tanquam ad validum castellum; indeque Civ. Castellanæ nomen loco dedisse. Teste etiam Luca Holstenio.

Falernus, mons & ager Campaniæ, inter Calenum, & Sinuessam, maximæ fertilitatis; ager enim frumenti, mons vini generosissimi ferax est. Virg. *Georg.* 2.

—— Nec cellis ideo contende Falernis.

Mart. 13. 105.

Attica Nectareum turbatis mella Falernum.

Item alibi,

Candida nigrescant vetulo Cristalla Falerno.

Horat. *in Odis,*

—— Mea nec Falerna
Temperant vites, neq; Formiani
Pocula colles.

Tibul. *l.* 2. *el.* 1.

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, & Chio solvite vincla cado.

Idem *l.* 1. *eleg.* 10. *l.* 3. *el.* 6. Catull. *Epigr.* 27. *Indomitum Falernum* Persio dicitur, & *Forte Falernum*, Horat. Secundo loco, inter Italiæ vina. Plin. *l.* 4. *c.* 6.

Falesia, opp. nobile Normanniæ, 7. à Cadomio leuc. 10. à civ. Sajorum, cujus diœcesi attribuitur. Vulgò *Falaise*; nomen accepit à Francica seu Germ. voce *Fels*, arduâ enim rupe circumdatur, eique ex parte imposita est. Et certè Normanni hodieque maris editiores margines & rupes mare claudentes *Faleses* vocant, teste Turnebo *Adversar. lib.* 21. *cap.* 23. quod Pictones quoque & Santones facere, addit Valesius. Unde à similitudine canarum istarum rupium saxeorumve montium, Falesias etiam *des Falaises*, nuncupant tumulos nivium à ventis coacervatarum, iidem Nortmanni. Dedidit se fortissimum hoc castrum Phlippo Aug. A. C. 1203. Ejus Ecclesias, ut & Ecclesiam Wibreei cum decima donavit Cadomensi Monasterio SS. Trinitatis, quæ est Abbatia Virginum Benedictin. Stigaudus A. C. 1082. Est autem vicus Wibreeus Falesiæ proximus & nundinis annuis celebris, hodie *la Guibray*. Hadr. Valesius *Not. Gall.* V. infrà.

Falesia, urbs Normanniæ, an à rupibus? Cum arce, priscorum Normanniæ D. captâ ab Anglis, & à Talboto egregiis picturis & aulâ insigni exornata. Reddita est Carolo VII. Clara nundinis, mense Augusto, haberi solitis, à Guilielmo Conquestore, fil. notho Richardi III. D. ex puella Falesina, Chenius, *antiq. urb. Gallia.* Gall. *Falaise.*

Falisci, populi quondam Hetruriæ, è Macedonia, duce Valerio Argio: vel Aleso, ut Ovid. vult, huc profecti, uberrima pascua incolentes, unde *gramen Faliscum* à scriptoribus passim celebratur. Hi cùm à Camillo obsiderentur, Magister ludi cum nobilioribus discipulis, deambulandi prætextu urbe egressus, ad hostem eos deduxit. Quam perfidiam detestatus Camillus, hominem nudari jussit, & à pueris cæsum in urbem remitti. Quâ ex re id consecutus est Camillus, ut, quos armis subigere non potuerat, justitiæ administratione ad deditionem compulerit. V. Liv. 6. 19. Apud Faliscos farciminis præstantissimi genus fiebat, Lucanicis non dissimile, quod *ventrem Faliscum* appellabant. Martialis,

Et Lucanica ventre cum Falisco.

Horum urbes *Falisca*, *Faleria*, *Fescennia*, *Mons Phisco* seu *Montefiascone*, nunc præc. & *Horta*. Illos memorat Virg. *Æn.* 7.

Hi Fescenninas acies, aquosq; Faliscos.

In Faliscis fl. est, cujus aqua pota boves candidos efficit. Plin. 2. 103.

Faliscorum mons, quibusdam est *Soractes*, nunc *monte S. Oreste*. Ubi opp. *S. Oreste*, ad Tiberim, in prov. Patrimonii S. Petri, è regione Sabinæ prov. 8. mill. à Civ. Castellana in Austr. Romam versus. Aliis, forsan mel. Urbs *Mons Phisco*, ad lacum Vulsinium; *Montefiascone.*

Falmutum, portus Angliæ capacissimus, in ora Austr. Cornubiæ, prope arcem *Pendenis*. Quibusdam *Volemuthum*. 30. mill. Angl. à Plimutho in Occ.

Falstria, Ins. Daniæ, in mari Baltico, inter Lalandiam & Monam Ins. ad Austr. Zeelandiæ, à qua separatur angusto freto *Viridi*. Ibi opp. *Nikoping*, cum arce munita. Sub Daniæ R.

Fama, tanquam Dea ab Atheniensibus colebatur: ea describitur ab Hesiodo in ἔργοις καὶ ἡμέραις,

Est dea Fama quidem, sunt ipsi numina Famæ.

Scribit & Plutarchus *in Camillo*, templum Famæ constructum fuisse. Eam copiosè Virgilius describit *in* 4. *Aeneidos.*

Fama Augusta, Cypri civitas, permunita, regni secunda, cum portu totius Ins. unico, turribus, & propugnaculis benè munita, capta à Genuensibus, A. 1372. dein à Venetis post ann. 100. tandem Anno Dom. 1570. obsessa, & vi expugnata, cum totâ insulâ in truculentissimi Turcarum Imperatoris Selimi potestatem devenit. Steph. Lusinianus, *hist. Cypri*. Thuan. *hist.* Olim *Arsinoe*, V. *ibi.*

Famis pictura erat reposita, in templo Minervæ Chalciœci, apud Lacedæmonios tali modo: Fœmina pallida, attenuato corpore, ac manus post tergum revincta. Vide Polyænum *lib.* 2. *in Hippodamante.*

Famisulanus Vectonianus, legionis sub Cæsennio Pæto, in Armenia, tribunus. Tacit. 15. 7. Ubi tamen Codex Budensis, indice Rhenano, *Fimisulanus* habet.

Fana, virgo Gallica, clarissimis parentibus orta, Heraclio imperante, quæ cùm ad nuptias cogeretur, in tantas prorupit lacrymas, ut inde cæcitatem contraxerit.

Fanestria, vicus Romandiolæ, in dit. Pont. aliàs Urbs episcop. nunc ferè in ruinis.

Faneus, fluv. juxta Beneventum, qui & *Siris* dicitur Vib. Sequ.

Fania silva, pars silvæ Carbonariæ, in Hannonia, ac diœcesi Camaracensi, non procul à municipio Melbodio ac fluv. Sabi, vulgò *Faigne*. In illa Monaster. Waslare erat, ab Ursmaro Abbate Laubiensi ædificatum, quod à fluv. proximo nomen habuit, sed pridem intercidit: unde reliquiæ Dodonis, Rectoris quondam primi, in Cellam Laubiensi cœnobio subjectam, atque Faniæ finibus inclusam, vulgò *Moustier en Faigne*, translatæ sunt. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Fannia lex, lata est an. U. C. 508. quæ ludis Romanis, item ludis plebeis, Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus, in singulos dies centenos æris insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos: cæteris autem omnibus denos. Gell. 2. 14. & 24. Vide Macrob. *Sat.* 3. 17.

Fannii, oratores duo fuere, quorum Caius Fannius, qui consul cum Domitio fuit, unam orationem de sociis, & nomine Latino contra Gracchum reliquit. Alter autem Caius Fannius M. F. C. Lælii gener, & moribus & ipso dicendi genere clarior, de his plura apud Cic. *in Bruto*. Quæstor fuit, historiâque scriptâ celebris, Idem 1. *de Leg.* 2. *de Orat. ad Attic. l.* 12. *epist.* 5. *&c.* Alius, cujus obitum deplorat Plinius, *l.* 5. *epist.* 5. *&* 9.

Fannius, Poeta fuisse dicitur non admodum bonus, cujus tamen poemata in ædem Apollinis & Musarum aliamve bibliothecam cum imagine fuerunt delata. Horat. *lib.* 1. *Sat.* 4.

—— Beatus Fannius, ultro
Delatis capsis, & imagine: cùm mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis.

Eundem *Sat.* 10. *ineptum* vocat.

Fannius Cepio, deprehensus in conjuratione adversus Augustum, mortem sibi conscivit. Martialis,

Hostem cùm peteret, se Fannius ipse peremit,
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Fannius Strabo, cujus eloquentiam commendat, Vellej. *l.* 2. bis Cos. cum Val. Messala primùm, dein cum Domitio Ænobarbo. Sub priore ejus Consulatu Lex Fannia lata. V. supra.

Fansbera, fluv. Madagascariæ Ins. in tractu Carcanossia. Exonerat se in Ocean. in parte Austr. prope arcem Delphinam. Flacurtius. Ei adjacet vicus cognom. in mediterr.

Fantinum, regnum parv. Guineæ, in ora aurea, ubi Cormentinum, & aliquot arces Anglorum & Batavorum.

Fanum, urbs Umbriæ amœnissima in Adriatico litore, inter Pisaurum, & Senogalliam, haud longè à Metauro flumine, sic dicta, quòd in eâ pulcherrimum Fortunæ Fanum, i. e. templum, fuerit. Hinc *Fanenses*, seu *Fanestres* ejus incolæ, ob quos Ravennates cum Venetis bellum gesserunt, A. C. 1040. Sigon. *lib.* 11. Φάνα Stephano urbs est Italiæ.

Fanum Baal, Jud. 8. 9. In tribu Ephraim.

Fanum Canici, seu *Kilkennium*, urbs ampla Hiberniæ, in Lagenia provincia, ad Neorum fluvium, Comitatus cognominis caput, versus Momoniam. 50. ferè mill. pass. distat à Dublinio in Africum, estque ferè media inter Cassiliam & Caterlogum; Vide *Kilkennium.*

Fanum

Fanum Fortunæ, vulgò *Fano*, urbs episc. Duc. Urbinatis sub Pontif. ubi Fanum olim cœcæ huic Deæ. Ibi Arcus triumphalis marmoreus, 30. cubitorum, Italiæ totius magnificentissimus. Inter Pisaurum ad Occas. 5. Senogalliam ad Ort. 15. m. p. Leand. *descr. Ital.*

Fanum Jovis, *Fan Jaux*, castrum Galliæ, Diœcesi Mirapicensi in Volcis Tectosagibus attributum. Nomen ei à celebri Jovis fano. Sic *Fanum* Martis infra: *Fanum* Minervæ, 14. m. p. à Durocortoro Remorum, &c.

Fanum Luciferi, *S. Lucar de Barameda*, oppidum munitum Hispaniæ, cum portu, in Vandalitia provincia, ad ostia Bætis fluv. 6. leucis distat à Gadibus in Boream, & 15. ab Hispali in Africum. V. *Luciferi Fanum.*

Fanum Martis, *Mars*, vel *Marche en Famine*, oppidum olim, nunc pagus Belgii, in Lucemburgensi Ducatu & Leodiensis episcopatus confinio, inter Consediam 32. & Ad Fines 27. mill. pass. ex Antonini Itinerario. Aliis pagus *S. Salvii*, in Hannoniæ & Episcopatus Leodiensis confinio. Ferr. Baudrando, Oppidum fuit Nerviorum, in Belgio, ubi nunc vicus *Fan*, in Hannonia, II. mill. pass. à Valentinianis, Cluverio teste. Aliis autem est vicus *Famars*, una leuca à Valentinianis in austrum.

Fanum S. Ægidii, *S. Gilles*, oppidum Galliæ, in Occitania provincia, ubi S. Ægidius Eremiticam vitam duxit. Vix una leuca à Rhodano fluvio in occasum distat, & tribus ab Arelate; estque in dominio utili Equitum Melitensium.

Fanum S. Agathæ Gothorum, *S. Agata de Goti*, urbs est parva Italiæ, in regno Neapolitano, & in Principatu citeriori, episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, in confinio Terræ laboris, & media fere inter Beneventum ad ortum & Capuam ad occasum.

Fanum S. Albani, *S. Albans*, oppidum Angliæ in Comitatu Harfordiensi. Distat 6. milliaribus Anglicis ab Harfordia in occasum, & 15. à Londino in Boream; estque Verolamium antiquorum. Vide *ibi.*

Fanum S. Albini, *S. Aubin du Cormier*, oppidulum est Galliæ, in Britannia minori, prælio suo memorabile, prope fluvium *Covesnon* dictum. 5. leucis distat à Rhedonibus in Boream, & totidem à confinio Normanniæ in austrum.

Fanum S. Amandi, *S. Amand*, oppidum Belgii aliàs munitum, in Comitatu Flandriæ & in Tornacensi agro, cum Abbatia celebri, ad Scarpam fluvium. 2. leucis distat à Valentinianis in Boream, & 3. à Tornaco in austrum; subestque dominio Francorum ab anno 1667. Dicitur etiam *Elno* à quibusdam. Vide *ibi.*

Fanum S. Andreæ, *S. Andrevv*, urbs Scotiæ Archiepiscopalis, in Fifa provincia & in ora Oceani Germanici, cum arce aliàs permunita. Vide *Andreapolis.*

Fanum S. Andreæ, *S. Andero*, urbs ampla & munita Hispaniæ, in Biscaia provincia, cum arce & portu percapaci, in ora littorali Oceani Aquitanici. 15. leucis Hispanicis distat à Bilbao in occasum, & 7. à Santillana in Ortum. Aliàs Flavionavia dicta fuit. Vide *ibi.*

Fanum S. Angeli Longobardorum, *S. Angelo de Longobardi*, urbs est Italiæ, in regno Neapolitano & in provincia Principatus ulterioris, ad radices Apennini montis, episcopalis sub Archiepiscopo Compsano. 7. milliaribus distat à Compsa in Boream, & 20. à Benevento in Circium. Urbs est parva, & sensim deficit.

Fanum S. Angeli in Vado, *S. Angelo in Vado*, urbs Italiæ, & ditionis Pontificiæ, in Ducatu Urbinate, juxta Metaurum fluvium, ad radices Apennini montis, episcopalis sub Archiepiscopo Urbini, sed unita est cum Urbanea. Est in confinio ditionis Florentinæ, & 15. milliaribus distat ab Urbino in Occasum.

Fanum S. Antonii, locus Galliæ, ubi bello Albigensi magna fidelium strages facta est circa A. C. 1213. V. Lætum *Comp. Hist Univ.*

Fanum S. Asaphi, *S. Asaph*, urbs Angliæ, in Vallia Boreali & in Comitatu Flintensi, ad amnem *Cluyd*. Episcopalis est sub Archiepiscopo Cantuariensi. Distat 3. milliaribus Anglicis à Denbighia in Boream, 5. ab ora maris Hibernici in austrum, & 8. à Flinto in occasum.

Fanum S. Audomari, *S. Omer*, urbs Belgii, in Comitatu Artesiæ, probè munita, ad Agnionem fluvium. Episcopalis est sub Archiepiscopo Cameracensi. Vide *Audomaropolis.*

Fanum S. Bertrandi, *S. Bertrand*, urbs Galliæ, in Aquitania, ad Garumnam fluvium, Convenarum caput, & ad radices Pirenæorum montium, episcopalis sub Archiepiscopo Auxitano; & aliàs Lugdunum Convenarum dicta fuit. Vide *ibi.*

Fanum S. Brioci, *S. Brieu*, urbs Galliæ, in minori Britannia, episcopalis sub Archiepiscopo Turonensi, in ora Boreali, cum portu in sinu maris Britannici. 16. leucis distat à Macloviopoli in occasum, 10. à Trecorio in ortum, 20. autem à Rhedonibus; estque satis munita.

Fanum S. Christinæ, *S. Christina*, oppidulum Hispaniæ, in regno Aragoniæ & ad fontes Aragonii fluvii, ad pedes Pyrenæorum & in confinio Galliæ. 4. leucis distat à Jacca in Boream.

Fanum S. Christophori, *S. Christophle en Touraine*, oppidum Galliæ, in Turonensi provincia, ad pedes collis, in confinio Andegavensis & Cenomanensis provinciarum. 6. leucis distat à Turonibus in Boream.

Fanum S. Claudii, *S. Claude*, oppidum Sequanorum, in Comitatu Burgundiæ, in limite Bressiæ provinciæ & Gessiæ tractus, 5. leucis distat à Geneva in occasum, & 3. à Rhodano fluvio. Hinc mons Jura adjacens dicitur etiam mons S. Claudii.

Fanum S. Clodoaldi, *S. Clou*, burgus cultissimus Galliæ, cum ponte lapideo ad Sequanam fluvium, & peramœno secessu Ducis Aurelianensis, duabus leucis infra Lutetiam in occasum. Ibi obiit Henricus III. Francorum Rex.

Fanum S. Columbæ, *Sainte Colombe*, oppidulum Galliæ, in Lugdunensi provincia, ad Rhodanum fluvium, ex adverso Viennæ Delphinatus, cui ponte conjungitur. 5. leucis distat à Lugduno in austrum Condrievium versus; estque veriùs Viennæ suburbium.

Fanum S. Crucis, *Santa Crutz*, urbs munita Africæ, in regno Marochii & in regione *Sus* dicta, in ora Oceani Atlantici, cum portu capaci. Dicitur aliter *Cap d' Aguer*, & à Mauris *Darrumia*; Excitata fuerat à Lusitanis. Sed anno 1536. capta fuit à Rege Marochii, cui etiamnum subest.

Fanum S. Crucis de monte, *Santa Cruz de la Sierra*, urbs recens Americæ Meridionalis, in Peruvia regione, in provincia dicta *la Sierra*. Episcopalis est sub Archiepiscopo civitatis *de la Plata* dictæ. Maximè in Ortum tendit; estque ad radices collis, in confinio Paraguaiæ regionis. 80. leucis Hispanicis distat ab urbe Argentea seu *de la Plata* in Ortum, & 60. ab Argenteo fluvio in occasum, sub Hispanis.

Fanum S. Desiderii, *S. Dizier*, urbs Galliæ munita, in Campania provincia, ad Matronam fluvium, obsidione sua celebris. Sedet in limite Barrensis Ducatus. 6. leucis à Barro in occasum, & totidem à Victoriaco in ortum distat, 12. autem à Catalauno.

Fanum S. Dionysii, *S. Denys*, cognomento *en France*, urbs est parva Galliæ, in provincia Insulæ Franciæ, cum insigni Abbatia, in qua visuntur Regum Franciæ Mausolæa. Sedet ad amnem *la Crou*, qui paulò infra cadit in Sequanam fluvium; distatque duabus leucis à Lutetia in Boream.

Fanum S. Dominici, *S. Domingo*, urbs est ampla & Archiepiscopalis Americæ Septentrionalis, in parte australi Hispaniolæ insulæ, cum portu capaci. Vide *Dominicopolis.*

Fanum S. Eutropii, *S. Tropez*, urbs munita Galliæ, in Provincia, cum portu capaci, in ora littorali maris Mediterranei & sinus Grimaldini. 5. leucis distat à Foro-Julio versus austrum, & 12. à Telone in Ortum.

Fanum S. Fidei, *Santa Fé*, oppidum Americæ Septentrionalis, in novo regno Mexicano, ante paucos annos ab Hispanis exstructum, juxta fluvium Borealem *de Nort*. Paucis constat incolis.

Fanum S. Fidei, *Santa Fé*, urbs parva Americæ Septentrionalis & novæ Hispaniæ, in provincia Veragua, media inter utrumque mare Boreale & Austrinum, 12. leucis ab urbe Conceptionis, sub Hispanis.

Fanum S. Fidei de Bogota, *Santa Fé de Bogota*, urbs est Archiepiscopalis Americæ Meridionalis, in novo regno Granatensi, prope fluvium *Pati* & lacum *Guatavita*, longè à mari remota, sub dominio Hispanorum, & ad radices montis Bogotæ.

Fanum S. Florentii, *San Fiorenzo*, urbs Italiæ, in ora Boreali Corsicæ insulæ, satis munita, cum portu & sinu parvo, sub dominio Genuensium, *Canelata* antiquis dicta, ut quidam autumant. 20. milliaribus distat à Sacro promontorio in austrum.

Fanum S. Flori, *S. Flour*, urbs est episcopalis Galliæ, in Alvernia provincia. Vide *Floriopolis.*

Fanum S. Galli, *S. Gal*, oppidum Helvetiorum, cum Abbatia insigni, cujus Abbas Imperii Princeps est, in Turgea tractu, & ex præcipuis Sociis Helvetiorum. Una leuca tantùm distat à lacu Constantiensi & 4. à Lindavia in occasum. V. *Sangallum.*

Fanum S. Germani, *S. Germain*, oppidum Italiæ, in Pedemontio & in Vercellensi agro, aliàs munitum. 12. milliaribus distat à Vercellis in occasum, Taurinum versus.

Fanum S. Germani in Laya sylva, *S. Germain en Laye*, burgus amplus Galliæ, cum palatio superbissimo in colle, ad Sequanam fluvium, ubi regius secessus 4. leucis à Lutetia in occasum distat.

Fanum S. Ghisleni, *S. Ghislain*, oppidum munitum Belgii, in Hannonia provincia, cum Abbatia, ad Haynam fluvium. Una leuca cum dimidia distat à Montibus in occasum, & 3. à Condato in Ortum.

Fanum S. Huberti, *S. Hubert*, oppidum Belgii, in Ducatu Luxemburgico, sub dominio tamen proprii Abbatis, ad amnem *Homme* dictum. 4. leucis Belgicis distat à Bastonia in occasum.

Fanum S. Jacobi, *Sant Jago de Chile*, urbs Americæ Meridionalis, regni Chiles primaria, in mediterraneis, & ad radices Andium, ab Hispanis exstructa, juxta fluvium Maipum. Episcopalis est sub Archiepiscopo *de la Plata* dicto. 15. leucis à mari Pacifico in ortum distat.

Fanum S. Jacobi, *Sant Jago*, urbs Africæ, insulæ cognominis caput, in Oceano Atlantico, in insulis Capitis viridis; estque munita & episcopalis, sub dominio Regis Lusitaniæ. Capta fuerat & vastata à Francisco Draco Anglo, anno 1585.

Fanum S. Jacobi, *Sant Jago*, urbs Americæ Septentrionalis, in ora australi Cubæ insulæ, cum portu capacissimo, episcopalis sub Archiepiscopo S. Dominici, sub Hispanis; deficitque in dies.

Fanum S. Jacobi de Estero, *Sant Jago del Estero*, urbs est

Americæ meridionalis, & Tucumaniæ regionis caput, atq; episcopalis, sub Hispanis, juxta fluvium *Estero* dictum, 170. leucis Hispanicis à Potosio distans.

Fanum S. Jacobi de Guatimala, *Sant Jago de Guatimala*. urbs Americæ septentrionalis, in nova Hispania, & in provincia Guatimala, episcopalis sub Archiepiscopo Mexicano. Vide *Guatimala*.

Fanum S. Joannis ad Tavum, *S. Johnstoune*, urbs Scotiæ, aliàs Perthia dicta, à provincia cognomine, in qua sedet, ad Tavum fluvium. 20. milliaribus Scoticis distat ab Edimburgo in Boream.

Fanum S. Joannis Angeriaci, *S. Jean d' Angely*, oppidum Galliæ, in Santonia provincia, aliàs munitum; sed ejus munitiones disjectæ fuerunt à Reg. Ludovic. XIII. V. *Angeriacum*.

Fanum S. Joannis de Auro, *San Ivan del Oro*, oppidum Americæ Meridionalis, in Peruvia, intra montes, & in provincia Camata. 35. leuc. Hispanicis distat à lacu Titicaca in Ortum.

Fanum S. Joannis de Portu divite, *San Ivan de Puerto ricco*, urbs Americæ septentrionalis, insulæ Portus divitis in mari Boreali caput. Jacet ad Septentrionalem partem insulæ, cum portu capaci & arce Hispanorum; estque Episcopalis sub Archiepiscopo Dominicopolitano. Capta fuerat ab Anglis anno 1597. sed postea ab ipsis derelicta & vastata.

Fanum S. Joannis de Ulua, *S. Ivan de Ulva*, arx triangularis Americæ Septentrionalis, in ora littorali novæ Hispaniæ, in insula parva ei adjacente in mari Boreali, contra portum veræ Crucis, & ad ipsius tutelam, ab Hispanis exstructa. Distat 80. leucis Hispanicis ab urbe Mexico in Ortum.

Fanum S. Joannis Laudonensis, *S. Jean de Laune*, oppidum Galliæ, in Ducatu Burgundiæ, ad Ararim fluvium, parvum, sed munitum, & frustra obsessum ab Hispanis anno 1637. Distat 3. leucis ab Auxona in Austrum. Dicitur & Laudona.

Fanum S. Joannis Luisii, *S. Jean de Luz*, oppidum Galliæ, in Vascitania, in regiuncula *Terre de Labour* dicta, juxta ostium amnis *Urdacury*, ubi in Oceanum Aquitanicum se exonerat, 2. leucis à confinio Hispaniæ & ab arce Fonte rapido in Ortum. Ibi celebrata fuere anno 1660. sponsalia Ludovici XIV. Francorum Regis Christianissimi cum Maria Theresia Austriaca. Dicitur aliter Luisium. Vide ibi.

Fanum S. Joannis Maurianensis, *S. Jean de Maurienne*, seu, & meliùs, *S. Jean*, ut ipsi incolæ dicunt, urbs est satis culta Sabaudiæ, sine muris, in Mauriana valle, ad Arcum fluvium, episcopalis sub Archiepiscopo Viennensi. 3. leucis distat à confinio Delphinatus in Boream, 5. à Monasterio urbe Tarentasiæ in austrum, & decem à Gratianopoli in ortum.

Fanum S. Joannis Pedeportuensis, *S. Jean pied de port*, oppidum Galliæ permunitum, in Navarra inferiori, intra montes, ad amnem Nivum, vix una leuca à confinio Navarræ superioris & à montibus Pyrenæis, & 8. à Baiona in austrum.

Fanum S. Justæ, *S. Justa*, monasterium Hispaniæ, in Extremadura provincia, 7. leucis à Placentia, in valle fertilissima, ubi Carolus V. relicto Imperio, solitariam vitam duxit, ibique obiit anno 1558. die 21. Septembris.

Fanum S. Leonis, *S. Leo*, urbs est Italiæ, in ditione Pontificia & Ducatu Urbini, episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate. Ejus Episcopus dicitur etiam Monsferetranus à regiuncula adjacente. Urbs ipsa parva, sedet in colle, in limite Romandiolæ & Tusciæ, prope amnem Ariminum, 15. milliaribus à Sarsina in ortum, & 5. tantùm à Fano S. Marini in occasum.

Fanum S. Licerii, *S. Licer*, urbs Galliæ, in Aquitania. Vide *Conserrani*.

Fanum S. Maclovii, *S. Malo*, urbs Galliæ, in Britannia minori, parva, sed munita & dives, cum portu capaci, episcopalis sub Archiepiscopo Turonensi. Vide *Macloviopolis*.

Fanum Marcelli, locus Galliæ, ubi, fervente bello Albigensi, multi fidelium cæsi sunt, A. C. 1213. V. Joh. Lætum *Comp. Histor. Univ.*

Fanum S. Marci, *S. Marco*, urbecula Italiæ in regno Neapolitano & in Calabria citeriori, episcopalis sub Archiepiscopo Cosentino. Vix 10. milliaribus distat à mari Tyrrheno in ortum, & 7. à Bisiniano, 16. autem à Cosentia in Boream.

Fanum S. Marini, *S. Marino*, oppidulum Italiæ; in monte excelso situm, sui juris, caput Reipublicæ cognominis, cui subsunt tantùm duodecim pagi seu villæ. Est inter Ducatum Urbini & Romandiolam, versus Ariminum amnem. 5. milliaribus distat à Fano S. Leonis in ortum, & 10. ab Arimino in austrum. Dicitur à quibusdam Acer mons.

Fanum S. Marthæ, *Santa Marta*, urbs Americæ Meridionalis, regionis & gubernii cognominis caput, in ora littorali maris Borealis, cum portu & arce valida Hispanorum. Episcopalis est sub Archiepiscopo S. Fidei; fuitque aliàs ab Anglis & Batavis expugnata & vastata.

Fanum S. Matthæi, *S. Mahé*, in finibus terræ dictum oppidulum Galliæ, in Britannia minori, in intimo recessu ad occasum, cum promontorio cognomine. Vide *Gobæum*.

Fanum S. Maximini, *S. Maximin*, oppidum Galliæ, in Provincia, versus montes & ad fontes amnis Argentei, 6. leucis ab Aquis Sextiis in ortum, & 8. à Telone in Boream.

Fanum S. Menehildis, *Sainte Menehould*, oppidum munitum Galliæ, in Campania provincia, ad Axonam fluvium, 9. leucis à Catalauno in ortum, & totidem à Viruduno in occasum. Bis expugnatum fuit hisce ultimis temporibus.

Fanum S. Michaëlis Archangeli, *l'Arcangel*, urbs & emporium celeberrimum Moscoviæ, ad ostia fluvii Duinæ in mare Album. Vide *Arcangelopolis*.

Fanum S. Michaëlis, *S. Mihel*, urbs Lotharingiæ, ad Mosam fluvium, in Ducatu Barrensi, media inter Tullum ad Austrum & Virdunum ad Boream.

Fanum S. Michaëlis, *S. Miguel*, oppidum Americæ Septentrionalis, in nova Hispania & provincia Mechoacana, 40. leucis Hispanicis distat à Mexico in occasum.

Fanum S. Michaëlis, *S. Miguel*, oppidum novum Americæ Septentrionalis, in nova Hispania & in provincia Guatimala, in ora maris Austrini, & ad ostia fluvii Lempæ, sub Hispanis. 60. leucis Hispanicis distat à Guatimala in ortum.

Fanum S. Michaëlis, *S. Miguel*, oppidum Americæ Meridionalis, in novo regno Granatensi, versus montes, in ditione Hispanorum. Paucis constat incolis.

Fanum S. Michaëlis, *S. Miguel de Tucuman*, urbs Americæ Meridionalis, in Tucumania regione, ad radices montium. Subest Hispanis, & 28. leucis distat à Fano S. Jacobi de Estero.

Fanum S. Miniati Teutonis, *S. Miniato al Tedesco*, urbs longa Italiæ, in Hetruria & in agro Florentino, in colle, prope Arnum fluvium, media inter Pisam ad occasum & Florentiam ad ortum, recens in episcopalem sedem erecta sub Archiepiscopo Pisano.

Fanum S. Nicolai, *S. Nicolas*, burgus peramœnus Lotharingiæ, ad Murtam fluvium, duabus leucis supra Nanceium in austrum, devotione erga sanctum Nicolaum Mirensem Episcopum celebris.

Fanum S. Papuli, *S. Papoul*, urbs parva Galliæ, in Occitania provincia, episcopalis sub Archiepiscopo Tolosano. Dicitur & San Papulum. 5. leucis distat à Carcassone in Circium Tolosam versus, à qua 9. leucis distat.

Fanum S. Pauli Leonini, *S. Paul de Leon*, seu *Leon*, & *Leondoul*, urbs Galliæ, in Britannia minori & in ora littorali maris Britannici, episcopalis sub Archiepiscopo Turonensi. Vide *Leonium & Staliocanus portus*.

Fanum S. Pauli Tricastinensis, *S. Paul Troischasteaux*, urbs Galliæ, in provincia Delphinatus, episcopalis sub Archiepiscopo Arelatensi. Vide *Augusta Tricastinorum*.

Fanum S. Pontii Tomeriarum, *S. Pons de Tomieres*, urbs Galliæ, in Occitania, parva, sed episcopalis. Vide *Tomeria & Pontiopolis*.

Fanum S. Quintini, *S. Quentin*, urbs munita Galliæ, in Picardia, in Veromanduis, ad Somonam fluvium. V. *Quintinopolis*.

Fanum S. Quirici, *S. Quirico*, oppidulum Italiæ in colle, in Hetruria & agro Senensi, prope Orciam amnem. 3. milliaribus distat à Pientia in austrum, inter Radicofanum & Senam.

Fanum S. Remigii, *S. Remo*, oppidum Italiæ, in ora Occidentali Genuensi; estque lepidum & cultum, in valle feraci. 9. mill. distat ab Albintemelio in ortum; subestq; dominio Genuensium.

Fanum S. Salvatoris, *S. Salvador*, urbs ampla Americæ Meridionalis, & Brasiliæ regionis primaria, juxta sinum omnium Sanctorum, vulgò *Bahia de todos os santos*, à quo urbs ipsa dicitur etiam sæpe *la Bahia*. Portu gaudet percapaci & arce valida, in ora maris Brasilii; estque episcopalis sub Archiepiscopo Olisipponensi. Sedet in edito colle. Capta fuit à Batavis anno 1624. Sed postea recepta à Lusitanis anno sequenti, ipsis etiam subest.

Fanum S. Sebastiani, *S. Sebastian*, Gallis *S. Sebastien*, urbs est Hispaniæ probè munita, in Guipuscoa provincia, cum arce & portu capaci, in ora littorali Oceani, ad ostia fluvii Menlasci. Vix tribus leucis distat à confinio Galliæ in occasum, & 12. à Pompeiopoli in Boream.

Fanum S. Sebastiani, *S. Sebastian*, urbs Americæ Meridionalis, & Præfecturæ fluvii Januarii caput, in Brasilia, cum portu capaci & duplici arce, sub Lusitanis.

Fanum S. Stephani, *Kirkbysteven*, oppidulum Angliæ, in Westmaria provincia, ad Itunam fluvium, versus montes, & in limite Eboracensis provinciæ.

Fanum S. Stephani, *S. Estienne*, seu & *S. Estiende de Furans*, burgus amplissimus Galliæ, in Forensi provincia, ad radices collis, & juxta amnem Furanium. 2. leucis distat à Ligeri fluvio, & decem à Lugduno in Africum; estque carbonis terrestris fodinis celebris. Vide *Furanium*.

Fanum S. Venantii, *S. Venant*, oppidum Belgii, in Artesiæ Comitatu, ad Lisiam fluvium, satis munitum, duabus leucis ab Aria in ortum Armenteriam versus. Subest dominio Francorum ab aliquot annis, pace ad Pyrenæos confecta.

Fanum S. Vincentii, *S. Vincente*, oppidum Americæ Meridionalis, in Brasilia & in ora australi maris Brasilii, cum portu capaci. Regio adjacens dicitur *Capitania de S. Vincente*, Gubernium S. Vincentii; subestque Regi Portugalliæ.

Fanum

Fanum S. Viti, *S. Veit*, oppidum Germaniæ, in Carinthia superiori, ad confluentias amnium *Wilitz*, & *Glac.* 2. leucis distat à Clagenfurto Gurkium versus.

Fanum S. Viti ad flumen, *S. Veit am Flaum*, oppidum Germaniæ, in Carniola inferiori, in ora maris Adriatici & sinus Carnarii, ad ostia fluvii Carnarii, sub Austriacis.

Fanum S. Yvonis, *S. Yves*, antea *Slepe*, oppidum Angliæ, in Comitatu Huntingdonia, ad Usam fluvium, 2. milliaribus infra Huntingdoniam.

Fanum Saturni, Cronium, locus insulæ Gaditanæ, qui *Punta di S. Sebastiano*, teste Ortelio, nominatur.

Fanum Vacunæ, *Vocone*, vicus est Sabinæ provinciæ, in ditione Pontificia, intra montes, & in confino Umbriæ, 10. milliaribus ab Interamnia in austrum, Cures versus, 15. autem à Nerulo. Horat. *Epist. ad Fuscum Arist.*

Hac tibi dictabam post Fanum putre Vacunæ.

Fanum Voltumnæ, oppidum Hetruriæ; quod variè interpretantur: quidam nunc *Massa* urbem esse putant, inter Rosetum, & Populonium, cui successit, à Senis 40. mill. distans: alii ex eo, Longula, Vetulonio, & Turrena, oppidis vicinis, Viterbium urbem constructam tradunt.

Fara, vulgò *la Fere*, urbs Galliæ permunita, in Picardia provincia, & in Tirascia tractu, ad Oesiam fluvium, undique paludibus cincta, aliàs fortiter expugnata ab Henrico IV. Rege. 5. leucis distat à Fano S. Quintini in austrum Suessiones versus, & 4. à Lauduno in occasum.

Fara, vulgò *The Faire Yle*, insula parva maris Caledonii, inter Orcades & Schetlandicas insulas medio cursu interjecta, ubi tantùm castrum *Dumo* dictum.

Fara Campaniæ, *la Fere Champenoise*, urbecula Galliæ, in Campania provincia, media inter Sequanam fluvium ad austrum & Matronam ad arctos, 8. leucis à Catalauno in meridem.

Faramundus, vel *Pharamundus*, primus Francorum rex, An. Dom. 418. vel 420. Galliam nunquam ingressus est. Dictus, quasi *Wahrmund*, *i. e. Verax*. Primus creditur, per quatuor Seniores, Salicæ Legis, quæ & *Ripuaria*, quòd ad Rheni ripam statim longè lateque innotuerit, auctor. Greg. Tur. & Fredegarius, non loquuntur de illo. Sed Prosper *Chron. An. 26. Honor.* Rorico *l.* 1. Aimon. *l.* 1. *c.* 4. Ado, Hugo Fleuriac. Sigebertus *in Chron.* Obiit an. 427. vel 428. relicto fil. successore Clodio. Reliqua ejus ignorantur. Morer. De eo verò sic P. Æmylius *l.* 1. Franci Trevirim, accersiti à Senatore, cujus uxorem Lucius Præses rapuerat, occuparunt, inde progressi in Celticam & Belgicam, tandem in ipsam Galliam, regnum Francicum, ex Gallico, præposito sibi Rege Varamundo, constituerunt. Apud Lætum *Compend. hist. Univ. in Honorio.*

Farenses, vulgò *Isles de Fero* seu *de Farre*, insulæ Oceani Caledonii, supra Scotiam & Orcadas versus Circium, quindecim numero, quarum præcipuæ sunt, *Stromo, Sudro, Ostro, Bordo*, & *Sando*; ibique loca, *Lonen*, *Wage*, *Swino*, & *Calforigrewe* dicta, sub dominio Regis Daniæ.

Farfa, vulgò *Farfa*, castrum Italiæ, cum Abbatia percelebri, in ditione Pontificia, & in Sabina, ad Farfarum amnem. 20. mill. distat à Roma in Septentrionem.

Farfar, vide *Pharpar*.

Farfarus, fluv. Sabinorum, Ovid. *Met.* 15.

—— Et amœna Farfarus undâ.

Farilia, Vide *Apuleia*.

Farima, Urbs Japoniæ, in tractu *Niphon*, 18. leuc. Hisp. à Meaco in Occ. cum prov. cognom. Antea habuit Reges proprios.

Farnesius Alexander, potente domo magis quàm antiquâ oriundus, quippe quæ à Paulo III. Pontif. originem & magnitudinem traxit. Olim adolescens maternis sub imperiis per Belgicam inhonorus egerat, atque adeo contemtus, ut non satis animo competere diceretur. Solita mentiri judicia vix quisquam apertiùs convicit. Primum belli decus peperit expugnato Javarino. Belgicis armis impositus, quantus esset, ostendit; studio laudis indefessus, accessu comis, clemens in hostem, quantumque in magna simulatione nosci potuit, fidus Regi, & adversus suam gloriam ac populi studia incorruptus. Parebat consiliis, nisi quòd initæ semel sententiæ contumacior, ac infestus diffidentibus: tum rerum successu, nimia concupiscebat, idque illi initium adversorum, quæ mollius tulit, cùm secunda fortiter toleraret. Caspari Roblesii monitis diu obsecutus, eo mortuo, cùm nemo prævaleret, inter diversa suadentes fluctuavit, atque ex eo cessim iit & fortuna: Majestas illi oris ita venerabilis, ut & amari posset: statura & cætera corporis mediocria, acres oculi, pervigilis animi notæ. Inopiâ & discordiis hostium prudenter usus, diversas in exercitu nationes, & prope insociabiles, jure æquo rexit, compressis odiis, quæ statim post mortem & deinceps acriùs eruperunt. Obiit A. 1592. viridi adhuc ætate, annorum 47. cùm annos 14. in Belgici belli arbitrio egisset: postremos quidem quinque deterioris fortunæ, neque diligentiæ ejusdem: seu post Antverpiam gloriæ satur voluptatibus se dedit, seu cognitis Philippi Regis suspicionibus adversus magnam Famam remedium ex segnitie concupivit. Res ejus gestas enarrant Thuanus, Strada, H. Grotius, Alii *in Histor. Belgici belli.* Disciplinam cum illo concidisse, prudentes annotarunt.

Farnia, Insula parva Angliæ, in Oceano Germ. in ora littor. Northumbriæ, 3. mill. Angl. à Bamburgo castro, 6. ab Ins. Sacra in Austr. 12. à Bervico.

Farnspergium, V. *Varnspergium*.

Farnus, vel *Pharnus*, Medorum rex. Diodorus.

Farrarum Insulæ, in Oceano boreali sitæ, ab ovium multitudine sic appellatæ, duodeviginti numero sunt, frugiferæ & graminosæ, boum pinguium & ovium proventu, copia lactis, casei, & butyri, celebres: tum etiam piscatura admodum felices: omnes habitabiles, una excepta, quæ in asperrimos & clivosos montes assurgit. Civitatem unam habent. Metel. V. *Farenses*.

Fartachium, Urbs Arabiæ fel. aliis *Hadramut*, caput regni cognom. 40. m. p. ab ora Oceani Indici, 300. circiter à prom. Aromatum in Bor.

Farvelum, caput prom. Groenlandiæ Australiss. versùs novam Franciam maximè porrectum. Gallis *Cap d'Adieu*. 100. leuc. Gall. à Freto Forbisherii in Merid.

Farum, vel *Pharum*, *Fanum Regis* in codd. quibusdam locus Belgii, in ora maris Britann. in Picardia, apud Bononiam, à Carolo M. instauratus. *Tour d'Ordre* Gallis. *Oudeman* Anglis. Ortel.

Farusbergum, arx agri Basiliensis, supra Rinfeldam, in edito monte sita, Comit. cognominis caput. Germ. *Farnsperg*. Vide in voce *Varnspergum*.

Fas, illud dignum notâ, & observatione, priscos Romanos Justitiam *Fas* appellitasse. Auson. *Idyll. de Diis*,

Sunt & cœlicolûm monosyllaba, prima Deûm Fas
Quæ Themis est Graiis. ——

Prima deûm, inquit, i. e. antiquissima, à quâ secundam facit Rheam, quæ alio & Latino nomine appellatur *Ops*. Festus, *Themin deam esse putabant, quæ præciperet hominibus id petere, quod fas esset, eamq; id esse existimabant quod & Fas est.* Cui astipulatur vetus Glossarium, Θέμις, *Fas*, *Justitia*.

Fascelis, Dianæ cognomentum, quæ apud Ariciam colebatur, à *fasce* lignorum impositum, in quo Orestes & Iphigenia ejus simulacrum absconderunt, cùm ex Tauricâ regione in Italiam illud adferrent.

Fascellina, Siciliæ op. in ora Occid. apud Panormum, de quo Silius *lib.* 14.

Mille Thoantææ sedes Fascellina Divæ.

Fascinus, Deus apud veteres. Plin. 28. 4.

Fasiana villa, vel *Phasiana*, fortè à multitudine Phasianorum dicta, ad Rhodanum, Lugdunum inter & Viennam, sed Lugduno propior, nunc *Feisin*. Hanc Desiderius Episc. Viennensis Ecclesiæ suæ matriculariis legavisse dicitur. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Fastrada, fil. Rodolphi, Com. Franconiæ, à Carolo M. post Hildegardis mortem, ducta. Ob superbiam Gallis invisa; qui hinc offensi, contra Maritum ejus conspiraverunt, unum ex filiis ejus nothis, Pipinum, formosum quidem facie, sed gibberum & malignum, suffecturi. Obiit anno 794. Moguntiæ. Eginhard. *in vita Caroli M.*

Fatigara, regn. Æthiopiæ, antea sub Abyssinorum R. nunc in ditione Galatum. Vossius.

Fatua, vide *Fauna*.

Fatura, villa in tribu Dan, juxta Eleutheropol. Gazam euntibus. Hier. *in l. H.*

Fauces Alpium, vox hæc non semper dicitur de ipsarum angustiis, quas *Clausas* vocant, sed pro ipsis radicibus seu pedibus quandoque sumi, docet Goldastus *in Gloss. ad Ekkehardi Jun. Cas. S. Gall. c.* 1. ubi agit de *Faucibus*, i. nobili monasterio, ad pedes Alpium Juliarum: *Fauces* inquit, vulgò *Fuessen*, *ad pedes Alpium Juliarum, unde & nomen invenit.* Apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Fauces Laterræ, locus Gall. Narb. ad Stagna Volcarum, Dalechampio *la Crau prés de Mauguesl.*

Faucheur Michaël, Theologus insignis, Pastor Reformati Parisiensium cœtus, qui Carentoni colligitur. Ejus extant linguâ Gall. *Conciones in* 10. *capp. pr. Actorum*, 4. *tom. in octav.* Item libellus eximius *de Actione Oratoris*, &c. Obiit haud pridem.

Fauci, turris quædam altissima in Insula Icaria, in cujus fastigio lumine nautis hic navigantibus signum datur, ut rupes, quæ circa Insulam sunt, vitent. Metel.

Faucia, tribus una Romanorum, quam pluribus cladibus insignem fuisse constat. Alex. ab Alex. 1. 7.

Faucula Cluvia, meretrix, quæ, Annibale Capuam tenente, alimenta captivis egentibus furtim suppeditavit. Liv. *lib.* 26.

Faventia, Hisp. opidum. Plin. 3. 3. Item civitas episc. Italiæ in octavâ reg. seu Romandiola, sub Metrop. Ravenna. Vasorum & lini genere celebris, Plin. *l.* 1. *c.* 19. V. Leandr. Alberti, *descr. It.* p. 315. edit. Venet. 1581. hodiè *Faenza*. Silius *lib.* 8.

———— Undiq; solers
Arva coronantem nutrire Faventia pinum.

Strabo *lib.* 5. Φαυεντία, καὶ Καισηνα ἤδη συνάπτουσι τῇ Αἰμιλίᾳ. Pop. *Faventini*, Plin. 3. 15.

Faventia, vulgò *Faience*, Urbec. Provinciæ in Gall. cujus figlina laudantur. Prope amnem Bensonem. 5. leuc. à Grassa in Occ. totidem à Foro-Julio in Bor.

Faventinus, Vide *Claudius*.

Faveria, Istriæ urbs. Livius.

Faviani, Juvenes, qui ex Romuli, Remique instituto, nudi, pellibus tantùm incincti, per ludum, & lasciviam currebant, cùm Fauno sacra facerent. Alex. ab Alex. 4. 12.

Faula, Herculis scortum, Verrius apud Lactantium.

Fauna, deæ cujusdam nomen erat, cui à Romanis matronis in operto sacra fiebant nocturno tempore, viri autem tantâ curâ ab ejus sacris arcebantur, ut vel in ædem ejus inspexisse capitale haberetur. Rationem hujus affert Macrobius *Sat.* 1. 12. Faunam, dum inter homines ageret, Fauni uxorem fuisse tantâ pudicitiâ, ut perpetuo gynæceo, hoc est, mulierum conclavi inclusa, nullum unquam virum præter maritum aspexerit. Varro eandem esse existimat, quæ & Telluris, & Terræ nomine à Romanis colebatur. Eadem & *Fatua* dicebatur, quod nomen à *fando* deductum volunt, quòd infantes non prius vocem edant, quàm terram attigerint: Eadem & *Bona Dea* vocata est, quòd omnia, quæ ad victum pertinent, bona suppeditet.

Faunalia, feriæ nonis Decemb. in honorem Fauni celebrantur, quarum meminit Alex. ab Alex. 3. 18.

Fauni, agrorum, & sylvarum putati sunt dii, qui post longum tempus moriuntur, quòd è terrâ geniti sint. Græci *Satyros* vocant. Virg. 1. *Georg.*

Et vos agrestum præsentia numina Fauni.

Ovid. *Met.* 1.

Sunt mihi semidei, sunt rustica numina Fauni.

Idem *Met.* 6.

—— *Ruricolæ sylvarum numina Fauni.*

Vide Plin. 12. 1.

Faunus, antiquissimus Aboriginum rex, filius Pici, pater Latini. A *Fando* dictus, quia vaticinia versibus, quos publicè recitabant, immiscere solitus est. Religionem variis ceremoniis instruxit, solitudinis amator. Unde Pan creditus, à quo rustica prædicta numina genita putantur, quos *Faunos*, vel *Sylvanos* poetæ appellant, cornutis capitibus, & caprinis pedibus insignes. Regnavit annos 44. Dionys. Halicarn. *Antiq Rom. libr.* 1. Aurel. Victor *de orig gentis Rom.* Lactantius Firm. *de F. R. l.* 1. *c.* 22. Cæterùm de *Fauno*, & *Faunis* vide N. Comitem *Mytholog.* 5. 9.

Favonius, ventus ab occasu æquinoctiali spirans contra Subsolanum. Plin. 2. 47. à *fovendo* dictus, quòd cuncta *foveat*. Lucret. *lib.* 1. *Genitabilis aura Favoni.* Græci *Zephyrum* vocant. Item *Favonius*, Catonis æmulus, Sueton. *in Octav.*

Favor, vel *Favo*, archimimus Rom. qui in funere Vespasiani Imp. personam ejus tulit, vivique, ut moris erat, dicta & gesta imitatus est. Sueton. *in Vespas.*

Favorinus, philosophus & orator, Arelate oriundus, Dionis auditor, præterea Eunuchus, & Adriano principi infensus. Ideo tria de se mira narrare solebat, *se Gallum Græcissare, Eunuchum mæchum putari*, & *inimicum Imperatori vivere.* Ob quam causam statua ejus disjecta Athenis, ubi vivebat. Docuit, cum laude, primò Athenis, dein Romæ. Auctor plurimorum operum, libri in primis, *Omnigena historica sylva*, Gr. scripti. Hunc Herodes Atticus patrem solebat appellare, hæresque librorum ab eo factus est Philostratus; Gellius hujus sæpè meminit. Ælian. *de Var. hist.* dicit, hunc quandoque in disputatione quâdam Adriano, qui eruditionis Famam affectabat, cessisse, admirantibusque proximis, *Nonne cedam*, inquit, *ei qui habet* 30. *legiones?* Philostr. *de V. S. l.* 1. Spartian. *in Adriano.* A. Gellius, *l.* 12. *c.* 1. *l.* 14. *c.* 1. *&c.*

Faurniacum villa, Monasterio illustris, in quâ Vulfus Patricius, jussu Theodorici, Burgundiæ R. occisus est, apud Fredegar. Locus est Comit. Burgundiæ ad Lantanam, *Lantaine*, amniculum, non procul à Confluentibus & Luxovio, vulgò *Faverney*, in diœcesi Vesontionensi. Primò Virginum, dein circa A. C. 1132. Monachorum Benedictinorum esse cœpit. Est & *Favernach*, non procul à Friburgo Helv. opp. Item vicus inter Oscaram & Ararim fluv. *Favernay* dictus, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Fausta, fil. Maximiani Herculis, Constantini uxor: mariti felicitatem Patris antetulit, qui illam non tam sociam, quàm ut ejus consilia expiscaretur, Constantino tradiderat. Mater Constantini, Constantii & Constantis, ut & Constantinæ & Helenæ. Crispi, ex Minervina, filii mariti sui, impuro amore incensa, cùm castissimum juvenem expugnare non posset, apud maritum, eum calumniata est. Hinc mors Crispi: sed, paulo pòst, fraude detectâ, mors Faustæ, in balneo suffocatæ. Zosim. *l.* 2. Hieron. *in Lactant.* Evagrius & Euseb. hic falsitatis, & silentii notam merentur. Ammian. Marcell. *l.* 14. anno U. C. 1082.

Fausta, proximè supremis D. Augusti annis, è plebe mulier, Hostiæ duos mares totidemque fæminas enixa, famem, quæ secuta est, haut dubiè portendit. Plin. *lib.* 7. *cap.* 3.

Faustianum, vinum dicitur, quod in mediis collibus Falerni montis gignitur.

Faustina, fil. Antonini Pii, uxor Aurelii Antonini Phil. impudica. Quam cur non repudiaret, Maritus interrogatus, respondit, *Quia cum dote remittenda esset.* Fassa illi amorem Gladiatoris cujusdam, hausto hujus sanguine, amoris quidem oblita est: Commodum tamen eâdem nocte concepit, gladiatorios planè spiritus gerentem. Nihilominus, velut Numen quoddam, Fana arasque meruit, ut & festa *Faustiniana* dicta. Jul. Capitolin. *in Anton. Phil.*

Faustina, mater Antonini Pii. Item, uxor Constantii, post Eusebien, mater filiæ cognom. quæ nupsit Gratiano Imper. &c.

Faustina, magni de sanguine Nervæ, cum Sisinnio marito, viro illustri, à Clemente Episc. R. conversa. Circa A. C. 100. Platina *in Clemente.*

Faustinæ, puellæ alimentariæ ab Antonino Cæsare, in honorem *Faustinæ* matris suæ, institutæ.

Faustinopolis, Cappadociæ urbs in Ciliciæ confinibus. Anton. Antea *Halale* vicus, in radicibus Tauri, qui Colonia effectus est à M. Antonino Imp. ac Faustinæ uxoris ejus, quæ ibi obiit, nomine dictus.

Faustinus, nomen 2. Romanorum Consulum.

Faustinus, Diaconus, sec. 6. primò Ursicinum c. Damasum, dein Luciferianos, sectatus. Flacillæ, uxori Theodosii M. inscripsit libb. 7. c. Arianos & Macedonianos. Gennad. *c.* 16. Sirmondus edidit, An. 1650. tractatum Faustini & Marcellini, pro Ursicino, ad Valentinianum & Valentem.

Faustulus, pastor, qui Romulum, & Remum ad Tyberim expositos invenit, Laurentiæque uxori suæ educandos tradidit. Livius *lib.* 1.

Faustus, Aremoricâ Brito, Episc. Reiensis, eruditione & virtute inclytus: Scripsit varia, Gennad. de *Scr. Ill. c.* 85. sed amissus liber de Spir. S. Item, de Gratia & libero Arbitrio, c. Arianos & Macedonianos. V. 2. 3. 4. Vol. Bibl. PP. Paris. Homiliæ, Eusebio Emisseno tribui solitæ, huic auctori debentur. A quibusdam errorum quorundam, de Gratiâ & Prædestinatione accusatus, defenditur ab aliis, inprimis à Simone Bertel. *hist. Chronol Episc. Reiensium p.* 120. *& seqq.* V. Sidon. Apollin. *l.* 9. *ep.* 3. *&* 9. *vers. Euchar. &c.* Honor. Augustod. *de Illustr. Eccl. lum.* Isidor. *de Viris Ill. c.* 14. Adon. Vienn. *Chron.* Baron. an. 490. Savaron. & Sirmond. *notis ad Sidon Apollin. T.* 1. *Conc. Gall.* Barral. *Chron. Lirin. p.* 52. *&c.* Gesner. *Bibl.* Voss. *Hist. Pelag. & de Hist. Lat.* Morerium.

Faustus, Episc. Reiensis, misit Diaconorum unum, ad 5. Concil. Aurel. anno 549. Bertel. *p.* 149. *Nomencl. præf. Reg.* &c Item Monachus Montis Cassini, discip. Benedicti, sub Phoca. Scripsit vitam Mauri Abbatis. Leo Ostiens. *Cass. Chron. l.* 1. *c.* 3. Sigeb. *Cat. c.* 32. Item Presbyter, auctor vitæ S. Severini.

Faustus Quintilianus, Senator tempore Juliani Principis.

Faustus Sylla, Cos. Sylvii Othonis collega, an. U. C. 804. Vide *Sylla.* Item *Faustus* Syllæ Dictatoris filius. Alius Consul cum Theodosio Aug. an. U. C. 1191.

Faustus, Afer, hæreticus Manichæus, qui scripsit libros contra Orthodoxam fidem, quibus abundè respondit Augustinus.

FE

Febiana castra, *Phabiana* vel *Phaniana*, Ptol. *Bebenhausen*, opp. Sueviæ, inter Ulmam & Cau-Bureniam, 3. leuc.

Febris, dea culta est à veteribus, ne noceret. Cic. *de nat.* 3. *de leg.* 2. Val. Max.

Februa, dea apud antiquos, quæ mulierum menstruis præerat, dicta à *Februis* i. e. *purgationibus*, quòd fœminas post partum secundis exeuntibus purgare putaretur.

Februa, Dea purgationum, & sacra erant, quæ Romani Diis Manibus placandis faciebant mense Februario. Ovid. 2. *Fast.* Hinc Pluto *Februus*, Macrob. *Saturn. l.* 1. V. paulo pòst.

Februata Juno, quæ & *Februalis*, & *Februa*, seu *Februla* nuncupatur: dicta est quòd illi mense Februario sacra fiebant, cujus feriæ Lupercalia sunt. Alex. ab Alex. 4. 12.

Federicus, *II.* Imper. Rom. filium suum Henricum peremit in carcere, quòd suspicaretur cum favere Gregorio Pontifici, quo cum bellum ipse susceperat. V. *Fridericus.*

Fefinus, Lacus in Helvetia.

Feldkirchia, Urbec. Tirolensis tractus, caput Comit. cognom. ad Illum fluv. qui paulò infra in Rhenum cadit, in confin. Helvetiorum, sub Austriacis. 2. leuc. ab Abbatiscella in Ort. media inter Curiam ad Austr. & lacum Brigantinum ad Bor.

Felginas Tuticanus Gallus, Eques Rom. à Pompeio ad Dyrrhachium cæsus. Cæs. *lib.* 3. *Civil.* 70.

Felicianus, Arianus, primò rationibus, dein demum Scripturæ testimoniis religionis controversias confirmari voluit. Refutatus, ab Augustino, *l. de Unitate in Trinitate*, *cap.* 18.

Felicis lacus, seu *Lacus felix*, pag. Austriæ sup. nunc *Walsée*, prope Danubium fluv. 5. mill. Germ. infra Lintium in Ort. Viennam versus. Forsan mel. *Locus Felix*, Baudr.

Felicis lacus, in Norico, lacus Austriæ, inter Salisburgum & Lentium, ex quo Drahonus fl. exit. Lazio *Gemundersee*, seu *Draunsée.* Simlero *Nidern Vaulsée.* Ferrar.

Felicissimus, Presbyter Carthag. contra Cyprianum schismatis, in Africa, auctor. Hujus enim electioni primò se opposuit, dein cùm persecutionis tempore in tutum hic se recepisset, cum quinque aliis suæ factionis, Ethnicis Magistratibus junctus, Orthodoxos persecutus est. Dein, frustra dissidium, inter Cyprianum, & Confessores, qui nimis faciles erant, in veniâ Libellaticis, & apertæ apostasias

ſtaſias reis danda, machinatus, ſeceſſit palam, in clivo quodam, extra urbem, ſuis congregatis, fulmine excommunicationis in reliquos vibrato. Hinc & Novatianis & Donatiſtis ſecedendi occaſio. Interea, Privatus, Synodo quadam Africæ non receptus, cum quinque aliis Epiſc. Apoſtaſiæ reis, Fortunatum Cypriano ſurrogavit. Feliciſſimus mox ad Cornelium, Epiſc. R. deputatus, fruſtra fuit. Docuit, omnes peccatores, citra ullam pœnitentiam, recipiendos eſſe. Cyprian. *ep.* 38. 39. 40. 55. Baron. *An. C.* 254.255. 258. Item, diſcipulus Priſcilliani, à Maximino Imper. occiſus. Sulpic. Sev. *hiſt. ſacr. l.* 2.

Felicitas, ab antiquis dea exiſtimata eſt. Plin. *libr.* 35. Videmus aliquando Felicitatis effigiem & præcipuè in Juliæ Mammææ Aug. numiſmatibus. In ejus tergo fæmina eſt, in ſolio ſedens, dexterâ caduceum, ſiniſtrâ grande cornucopiæ tenens cum hac inſcriptione, *Felicitas publica.* Huic Lucullus templum dicavit, & aliud à J. Cæſare inchoatum Lepidus abſolvit. V. Dion. *libr.* 44. Auguſt. de *C. D. l.* 4. *c.* 18. Balduin. *Iconol.* Girald. *Synt.* 1.

Felicitas, Romana mulier, quæ filios pro religione Chriſtianâ ſub Antonino mori læta conſpexit. Item dea, quam Romani venerabantur. Auguſt. *de Civitate Dei.* V. ſuprà.

Felicula, virgo ingenua, quæ cùm nullis tormentis aut pollicitationibus à Chriſtianâ religione diverti poſſet, juſſu Flacci Comitis in latrinas detruſa eſt, & ibidem mori coacta.

Feliginates, Umbriæ pop. Plin.

Felinum, Urbs Livoniæ, ad Felam fluvium in Eſtonia prov. cum caſtro, ubi proditus à ſuis Anno 1560. Guil. Furſtenbergius, Ord. Teut. Mag. Sub Rege nunc Sueciæ. 14. leucis à Revalia in Auſtr. 15. à Pernavia.

Felinus Sandeus vel *Sanderus*, JC. Ferrar. dein Epiſc. Lucenſis, ſub initium ſeculi præteriti. Scripſit epitomen hiſt. Alphonſi Arragoniæ R. ſeu ſyllogen ex Ottone Friſing. Antonino, Pio II. Blondo, Poggio, Platina &c. Marq. Freherus edidit. Voſſ. *de H. L.*

Pontifices Romani.

Felix I. Româ oriundus, Conſtantii fil. Epiſc. Romanus, poſt Dionyſium, A. 270. ſcripſit ad Maximum Alexandrinum, contra Sabellium & Paulum Samoſatenum. Obiit martyr, A. 275. Euſeb. *hiſt. l.* 7. *c.* 26. Anaſtaſ. *de Rom. Pont.* Succeſſit Eutychianus.

Felix II. in locum Liberii, in exilium miſſi, ab Arianis ſurrogatus, præparato ad inaugurationem ejus, juſſu Conſtantii, vice templi, Palatio, ubi tres Præſules hæretici manus ei impoſuerunt. De illo V. Socrat. *l.* 2. Sozom. *l.* 4. Theodoret. *l.* 2. Athanaſ. *ep. ad Sol.* Hieron. *de Script. in Acac.* Sedit a. 1. menſ. 3. In Commun. Romana, contra quam Auguſtinus & Optatus Milevitanus ſentiunt, ut Sanctus & Martyr, colitur. Baron. A. 335. 357. Morerius. Ejus ſucceſſor Damaſus fuit.

Felix III. Proavus Gregorii M. ſucceſſit Simplicio, A. 483. *filius Felicis Sacerdotis. Edictum Zenonis de Unione rejecit.* P. Fullonem, P. Mongum, & Acacium excommunicavit: qui proin nomen ejus è Dypticis Eccleſ. eraſit, & in Orthodoxos Præſules irritatus perſecutionem excitavit. Synodum, ad reconciliandos illos, qui tempore Vandalicæ perſecut. ab Arianis erant rebaptizati, habuit. Obiit, A. 492. ſedis 9. Gregor. *homil.* 38. *in Evang. & lib.* 4. *dial. c.* 16. Evagr. Niceph. Liberatus, Sigebertus, Ciacconius &c. Eum Gelaſius excepit.

Felix IV. è Samnitibus oriundus, fil. Caſtorii, ſucceſſit Johanni I. Theodorici auctoritate. Apud Athalaricum, de Gothorum perſecutione conqueſtus, libertatem Eccleſiæ impetravit. Obiit A. 530. ſedis 4. Ei ſucceſſit Bonifacius II.

Felix V. uxoratus, poſt Eugenium IV. definiente Concilio Baſil. *Non ſolùm uxorem qui habuit, ſed & qui habeat, aſſumi poſſe.* Seſſ. 34. Morn. *in Myſter. p.* 1248. Ceſſit Nicolao V. Vid. *Amadeus.*

Viri Illuſtres.

Felix Valeſius, ex Francica familia, cum Johanne de Matha, ſolitudinis ſocio, Eremita: Patriarchæ ord. Trinitatis & Redemptionis captivorum, ab Innocentio III. approbati. V. *Johannes de Matha, & Trinitatis ordo.*

Felix, nomen duorum Conſulum: Unius cum Tauro an. U. C. 1181. Alterius cum Secundino, an. U. C. 1265.

Felix, Judææ, Samariæ quoque, Galilææ, & reg. trans Jordanem dictæ, præfectus, Claudii Cæſaris libertus, Pallantis frater, uxorem duxit Druſillam, Antonii Triumviri neptem, quâ mortuâ duxit filiam regis Agrippæ, quæ & ipſa Druſilla vocabatur, cujus mentionem facit B. Lucas Act. 24. Denique aliam quandam Heroinam duxit, ut indicat Suetonius, *Trium reginarum maritum* illum appellans. Joſeph. *Ant.* 20. 14. Tacito *lib.* 12. vocatur *M. Antonius Felix.* De hujus avaritia, & factione cum Ventidio, qua, gliſcente pernicie, arſiſſet bello provincia, ni Quadratus Syriæ rector ſubveniſſet, Vide Cor. Tacit. *lib. annal.* 12. *c.* 14. item quatenus ad alia, vide Actor. 24. ubi, concione Pauli *de Caſtitate & ultimo judicio*, territus legitur. Euſeb. *l.* 2. *c.* 20. Joſ. *l. Antiq.* 20. *c.* 5. 6. 9.

Felix, Epiſc. Urgellenſis, Elipando junctus, ſub finem 8. ſec. incruſtavit errores Neſtorii, Jeſum Chriſtum non niſi per adoptionem DEI Filium eſſe aſſerens: Gallis & Germanis ſeducendis intentus, dum alter Aſtures & Gallæcos pervagaretur. Condemnatus Conc. Francofurtano, A. 794. Sigebert, *A. C.* 793. Fevardent. *app. ad Caſt. V. Chriſt. hær.* 3. Jonas, Ep. Aurel. *in opere c. Claudium Taur.* &c.

Felix Crolandus, Benedictinus Anglus, Rhetor & Poëta, ſec. 8. Vitam S. Guthlaci, aliaque ſcripſit. Morer.

Felix Fabri, Jacobinus, auctor Itinerarii, ſec. 15. Voſſ. *de H. L. lib.* 3. *cap.* 6.

Felix Malleolus, Cantor Eccleſiæ Tigurinæ, celebris, ſec. 15. Coccius, *Cat. A. C.* 1450.

Felix Manilius, auctor vitæ S. Gebhardi, primi Ep. Conſtant. Caniſ. *ant. lect. t.* 6.

Felix Petantius, ſec. 15. auctor Genealogiæ Turcicæ. Item, *quibus itineribus Turca aggrediendi?* Ad Vladiſlaum, Hung. & Bohem. R. Cuſpinian. *de Turc. Orig.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 607.

Felix Platerus, Thomæ fil. Medicus Baſilienſis celeberrimus. Item, Felicis, ex Thoma fratre, nepos, itidem Medicus inclytus: ſub finem ſeculi præteriti, uſque ad noſtram memoriam, floruerunt: Scriptis celebres. V. quoque in voce *Platerus.*

Felix Rullatus, auriga nobilis. Plin. *l.* 7.

Fellenius, Deus Aquileienſium tutelaris, ac præſes.

Felonia, quibusdam à Gr. φηλοῦν, *decipere, illudere*, quod à φήληξ, pro groſſo, quòd hæc ficus ſpecies maturitatem præ ſe fert, cùm nihil ſit minus: Aliis à Germ. *Fehlen*, vel *Fallen*, delinquere, errare, cadere: ut ſic *Felonia* idem ſit, quod delictum, vel error vaſalli: vel culpæ genus, ob quod feudum cadat in manus domini. Primùm enim audita vox eſt, inter dominum & vaſallum: certè de levibus interdum injuriis dicta: Angli verò non intelligunt, niſi inter Regem & ſubditum, in criminibus quidem graviſſimis, quæ vitæ diſpendio luuntur, adeoque apud illos poſt læſæ Majeſtatis crimen, graviſſimum eſt, pretio feudi, i. totius hæreditatis, fortunarum omnium, ipſiusq; vitæ plectendum. In quibusdam tamen *Feloniis*, ex peſſimo genere non exiſtentibus, mortis judicium effugiebant, olim rei literariæ periti, ſi legentes clericos ſe profiterentur. *Felonum* bona Rex ſolus percipit: etiam prædia, quæ pura tenentur hæreditate de ſemetipſo. Quæ de aliis, in annum ſolùm, & diem, redditque deinceps domino Feudi, ſed vaſtata, ut loquuntur, interea, i. exciſis domibus, ſilvis & arboribus: Quam prærogativam Forenſes *Annum, Diem & Vaſtum nuncupant.* Species *Feloniæ* complures ſunt, de quibus V. Spelmannum *Gloſſar. Archæol.* Ubi vocabulum hoc deducit à Saxonico *Fee*, quod eſt pecunia, per translationem ſtipendium, hæreditas, etiam beneficium vaſalli, inde Feudum nuncupatum: & Germ. *Lon*, pretium, ut *Felonia* ſit crimen, quod pretio Feudi, i. amiſſione beneficii & hæreditatis vindicatur.

Felſina, urbs Italiæ, poſteà *Bononia* appellata. Plin. 3. 15. Et Galliæ Togatæ urbs, quæ nunc *Bologna* dicitur, & nobili Academiâ celebris eſt.

Felſinus, Tuſcorum rex, regn. an. 33.

Feltria, Urbs al. Venetiæ, nunc Marchiæ Tarviſinæ, ad Aſonem amnem, qui paulo infra in Anaxum cadit. Venetis ſubeſt. 10. mill. à confin. dit. Tridentinæ in Ort. 50. à Venetiis in Circ. Epiſc. ſub Patriarcha Aquilejenſi.

Feltrina, Rhætiæ urbs. Anton.

Femella Amatriciana, mulier conſtantiſſima, quæ quum intellexiſſet, filium demiſſo nimis animo ad ſupplicium trahi, eidem occurrens juſſit, ut exuto periculi metu, cœlum & Solem ſuſpiceret, quod cùm feciſſet, *An*, inquit, *ignoras fili, te confeſtim in arces illas emigraturum?*

Femera, Inſula parva Daniæ, in mari Baltico, in ora littorali Holſatiæ & Wagriæ prov. à qua 4. mill. abeſt. *Fimeria* etiam, quod Vide.

Feneſtella Lucius, hiſtoricus Rom. ſæpe citatur à Plinio, Gell. Lact. Mortuus eſt Cumis, Auguſti tempore, Euſebius. Annalium auctor, ſub Tiberio obiit, Morerius. *Feneſtella* alter, cujus de ſacerdotiis & Magg. Rom. ſcriptum extat, eo multò eſt recentior. Dominici Flocci Florentini hos libellos eſſe, aſſerunt eruditi. Vide Voſſ. *de H. L. lib.* 1. *cap.* 19. Eſt & Portæ Romanæ nomen. Ovid. *Faſt.* 1.

Nocte domum parvâ ſolita eſt intrare feneſtrâ,
Unde Feneſtella nomina porta tenet.

Perperam apud Baſilium Fabrum, *Poeta Romani nomen.*

Fenius Ruffus, annonæ ſub Nerone præfectus. Tacit. 13. 22. Poſt mortem Burrhi P. Mario, L. Aſinio Coſſ. prætoriis cohortibus impoſitus, Ibid. 14. 51. Quem fama vitaque laudatum cum per ſævitiam impudicitiamque collega Tigellinus in animo principis anteiret fatigaretque criminationibus, quaſi adulterum Agrippinæ & deſiderio ejus ultioni intentum; ex metu cum aliis tribunis ac centurionibus in partes conjurationis capite Piſone contra Nerorem deſcendit. 15. 50. Sed, detectâ conjuratione, nondum ipſe nominatus, in conſcios inquiſitionem exercuit acerrimè: quare à Scevino indicatus & pavoris manifeſtus, juſſu Neronis, à Caſſio milite correptus vinctusque eſt. Ibid. 66. Volaterranus *in Anthropologia* legit *Ferinius*, admodum vitioſè.

Fenni, Phinni, Ptol. *Finni* Jornandi, pop. Scandinaviæ, quorum regio *Finlandia* in ortum vergens, ſub Suecis, in Moſchorum confinio. Vide Tacitum, & *Finnonia.*

Feralia, feriæ apud Romanos diis Manibus ſacratæ. Ovid. *Faſt.* 2.

Hanc quia justa ferat, dixere Feralia, lucem.

Ferdinandi Nerona Inf. in Americ. merid. versus oram Or. Brasiliæ, à Lusitanis detecta & munita. Parva est & malè culta, ab ora prox. Brasiliæ 70. leuc. abest. Ei adjacet altera Insula *Ignium Inf.* dicta.

Ferdinandi Pai Inf. in ora Guineæ, in sinu S. Thomæ, à Lusitanis detecta, iis subest.

Imperatores.

Ferdinandus I. Imp. frater minor Caroli V. fil. Philippi I. Archid. Austriæ, ex Johanna Castellana. In Juventute studiis intentus, dein Rex Bohemiæ & Hungariæ factus, prudentiæ & clementiæ elogium meruit. Imparibus votis Rex Romanorum electus, A. 1531. unanimi consensu, postquam Carolus Imperii onus in fratrem devolvit, Imperator A. 1558. Pontificem Paul. IV. se rejicientem ad assensum, Imperatoriâ auctoritate, coëgit. Fratris fil. Philippo, nec Imperio cedere, nec eum Imperii per Italiam & Belgium Vicarium habere sustinuit. Genuenses se proscripturum minatus, conjurationes varias dissipavit, inter agnatos Albert. Brandeburgici & Episcopos Franconiæ Senatumque Norimberg. judicium plenum æquitatis tulit. Religionis pacem, in Comitiis August. confirmavit. Sacram Cœnam sub utraque specie celebrandam, pro se & subditis suis, à Papa impetratam, Viennæ administrari curavit: eandem libertatem, pro aliis, cum Carolo IX. Gall. R. & Alberto Bavariæ D. in Concilio Tridentino, ut & Clericorum conjugium, frustra ursit. Cum Turcis inducias pepigit: Danum cum Sueco reconciliavit, &c. Obiit Anno 1564. Viennæ, ætat. 61. Pragæ sepultus. Ex Anna, filia Ladislai, Hung. R. quatuor filiorum, & 11. filiarum parens. Succeffit fil. Maximilianus II. V. Thuan. *hist.* Onuphr. Turselin. P. Suavem, *histor. C. T. lib.* 5. *&* 6.

Ferdinandus II. fil. Caroli Archid. nepos prioris, successit Matthiæ consobrino suo, *A. 1619.* Fridericum Palat. Bohemiæ R. per Maximilianum Bavarum & Buquoium devicit, Ann. 1619. Bohemiam & Austriam, illius, Moraviam hujus, Silesiam & Lusatiam, Johann. Georgii Elect. Sax. operâ subjugavit, Religionis purioris cultu ubique abolito, in Confessores sævus. Palatinum proscripsit, & per Spinolam & Tillium ditionibus exuit, Electoratu in Bavarum translato. Ungariæ regnum, à Betleemo, non parvis cladibus, repetiit. A Mansfeldio & Christiano Brunsuicensi vehementer vexatus, Christianum Daniæ Regem vicit. Bello in Italiam translato, Mantuam crudeliter diripuit: mox à Gustavo, Sueciæ R. prælio Lipsiaco cæsus, ut & aliquot sequentibus malè habitus; tandem A. 1636. Ferdinandum fil. Romanorum Regem eligi Ratisbonæ curavit, apoplexiâ ictus, A. 1637. æt. 61. Imper. 18. perpetuis bellis implicitus. Vide Vassemberg. *Flor. German.* B. Burgum, *de B. S.* Brusonium, &c.

Ferdinandus III. dictus *Ernestus*, Nordlingensi prælio, contra Suecos, victor, pacem Imperio impetravit, Anno 1648. quæ inter Germanos, Gallos, & Suecos Monasterii conclusa. Filius ejus,

Ferdinandus IV. Rom. R. electus, ante Patrem obiit, qui naturæ concessit, A. 1657. æt. 49. altero Fil. Leopoldo Ignatio Successore relicto.

Hispaniæ Reges.

Ferdinandus, vel *Fernandus I.* cognom. *Magnus*, Rex Castellæ & Legionis, secundus fil. Sanctii III. Regis Navarræ, ex Nunna Castellana. Cognatum Bermundum, Regem Legionis, cujus sororem Sanctiam duxerat, fil. Alphonsi V. prælio victum, occidit, A. 1307. Sic Legionis & Asturiæ R. Mauris Conimbricam, à Gallis adjutus, eripuit, aliaque fluvio tenus, qui *Mondego* dictus Hisp. Tandem, Garciam IV. Navarræ R. fratrem suum, ob injustè detentas aliquot urbes, & insidias vitæ suæ structas, acie superatum interemit. Obiit, A. 1065. regni 40. Garibajus, *lib.* 11. Mariana, *l.* 1. Turquet. &c.

Ferdinandus II. fil. Alphonsi VIII. minor natu, Legionis & Galliciæ regnum, in divisione, adeptus est, cùm Castellanum obtineret Sanctius, primogenitus. Qui anno pòst mortuus, fil. Alphonsum IX. reliquit, à Patruo regno exutum, sed potitum suo tempore, pulso Ferdinando. Felicior, bello contra Alphonsum Henr. Lusit. R. cujus filium Sanctium uno prælio, altero ipsum Regem, cepit: modestè victoriâ usus. Obiit A. 1188. Alphonsus fil. successit. Inventar. *hist. Hisp. l.* 8. *&* 9.

Ferdinandus III. fil. Alphonsi, Regis Legionis ex Berenguela, in regno Castellano successit Henrico patruo, improli: exclusâ Blancâ, uxore Lud. IX. sorore majore Berenguelæ. Huic pater regnum erepturus, frustra fuit, ipse Legionem Castellæ junxit. Mauris Cordubam, Murciam, Hispalim eripuit. Regnum Maroci occupaturus, moritur, Anno 1252. regn. 35. Sanctis annumeratur. Roderic. *P.* 4. Garibay. *libr.* 12. *&* 13. Mariana, *lib.* 12. *&c.*

Ferdinandus IV. fil. Sanctii III. cognom. *Strenuus*, item *Citatus*, quia à duobus nobilibus, ad mortem damnatis, ad tribunal Dei citatus, trigesimo pòst die, obiit, A. 1312. æt. 25. regni 17. Aliàs contra vicinos Principes felix, sed ob inducias, cum Rege Granatæ, violatas, reprehensionem meritus. Mariana *l.* 15. Surita *Indic. l.* 2. Roderic. *P.* 4.

Ferdinandus V. cognom. *Catholicus*, fil. Johannis II. Arragoniæ R. Ductâ Isabellâ Castellanâ, Henrici IV. à subditis depositi filiâ, Castellam excluso Alphonso Lusit. Arragoniæ junxit. A. 1492. Per Columbum Novum Orbem detexit, quædam loca in Africa, cum Neapolitano & Navarræo regno, occupavit; è quorum illo per Consalvum Gallos pepulit, hoc injustè Johannem Labretanum exuit, Papali bullâ nequicquam adjutus. Mauros omni Hispaniâ expulit, hinc *Catholicus.* Novum orbem, cum Johanne Lusitano, divisit, ubique felix & victor. Petr. Maffæus *libr.* 2. Obiit, Anno 1516. Ex Isabella, inter alios, Johannæ, parens, quæ Philippo Austriaco nupta Caroli V. & Ferdinandi Imperr. mater evasit. Ætatis 63. regni 42. Fidei datæ non usquequaque tenax. Guicciard. *lib.* 12. Mariana, *libr.* 30. Vide & *Elizabetha Castellana.*

Ferdinandus, Rex Lusitaniæ, successit Patri Petro, cogn. *Justus* seu *Crudelis.* Initio regni, cum Henrico II. Notho, Castellano, rem habuit, sed pax Papæ interventu conciliata. Recruduit bellum, sub Henrici filio Johanne, cui Beatricem filiam dare necesse habuit, eâ lege, ut proles ex hoc conjugio suscepta, Lusitaniæ regnum obtineret. Sed frater ejus nothus, Johannes, se Regem, illo mortuo, fecit. A. 1383. æt. 43. regni 17. Intemperantiæ notâ infamis. Mariana, *l.* 17. *c.* 9. *l.* 18. *c.* 6. *&* 7. Garibaius, *l.* 34. Duard. *geneal. Regum Lusitaniæ.*

Reges Neapolis, & Siciliæ.

Ferdinandus I. Rex Neapolis & Siciliæ, fil. nothus Alphonsi V. Arrag. R. bis pulsus, bis rediit. A Scanderbego quoque, qui Pii II. suasu in Siciliam venit, adjutus, contra Johannem Calabrum, fil. Renati R. Ab Innocentio VIII. excommunicatus, crudelis, avarus, impius, sed sapientiæ interim, politicaque laudem affectans. Sub adventum Caroli II. qui à Renato, hæres regni dictus, cum validis viribus imminebat, tædio, metu, apoplexiâ correptus obiit, A. 1494. æt. 71. regni 36. Alphonso fil. non degenere relicto. Guicciard. *l.* 2. Mariana *l.* 25. *c.* 7. *&c.*

Ferdinandus II. prioris ex Alphonso nepos, regno à Gallis pulsus, posteà Principum Italorum ope adjutus, illud denuo tenuit, mortuus A. 1496.

Ferdinandus III. Vide *Ferdinandus V. Castellæ R.*

Magni Duces Florentiæ.

Ferdinandus I. M. Dux Florentiæ, purpurâ depositâ A. æt. 52. fratri Francisco successit. Hispanis PseudoSebastianum, an verum Sebastianum, Lusitaniæ R. à Venetis liberum dimissum, dedidit. Obiit A. 1609. princip. 21.

Ferdinandus II. Patri Cosmo II. successit, A. 1621. ex Victoria Roveria, pater Cosmi III. qui Patris successor est.

Viri Illustres.

Ferdinandus d'Avalos, March. Piscariæ, Dux Caroli V. in prælio Ticinensi: Sagax. Obiit in arce Mediol. P. Jovius *in ejus vita.*

Ferdinandus Castellanus, auctor Chronic. ord. Dominicani.

Ferdinandus Cortesius, Medelino Estramaduræ oriundus, Mexicum occupavit, *A.* 1518. quo regno potitus, dein Novam Hispaniam fundavit. Obiit in patria, A. 1547. æt. 63. A Costa, *lib.* 7. Spond. *A. C.* 1521. *n.* 11. 1547. *n.* 29.

Ferdinandus Gonsalez, primus Castellæ comes, A. 930. quam equo & falcone, à Rege Legionensi, sibi emerat. Marian. *l.* 8. *c.* 7.

Ferdinandus Lopezius, de Castaneda, auctor hist. Indicæ, A. 1553. Gallicè versæ.

Ferdinandus Magellanus, Lusitanus, fretum Magellanicum, A. 1521 Caroli V. auspiciis, ad quem se receperat offensus suo Regi, qui dimidio thalero menstruam ejus pensionem augere renuerat, invenit, 5. navium præfectus. Hinc, per mare Austrinum, in Moluccas devectus, an veneno, an in prælio, in Insulis Philippinis, obiit. Oros. *l.* 11. Maffæus, *l.* 8. Mariana, *l.* 26. *c.* 3. *Collect. rer. Indicarum.*

Ferdinandus Nonius de Pinço, Hispan. ex Gusmannorum familia, cum Card. Ximenio, Bibliorum editioni intentus. Plurimorum Commentariorum auctor, Bibliothecam suam Universi. Salamanticensi donavit, & sepulchro inscribi voluit: *Maximum vitæ bonum Mors.* Obiit A. 1552. æt. 80.

Ferentanum, quod & *Frentanum*, op. Ferentanorum in Apulorum confin. quod plerique Francam Villam opidum Aprutii esse putant, cùm hoc in Maruccinorum orâ sit, inter Aternum & Ortonem ferè 6. m. p. longè à finibus Frentanorum. Strabo.

Ferentia, *Ferentium* Plinio, *Ferentinum* Tacito, ac Straboni, urbs Hetruriæ, vulgò *Ferento.* Hodiè destructa. V. Ant. Massam, *de orig. Faliscorum.* Pop. *Ferentini*, Suetonio.

Ferentinum, urbs parva episc. Latii in finibus Hernicorum, *in* colle, inter Anagniam, & Frusinonem. Lloyd. In colle. 3. mill. ab Anagnia in Or. Verulum versus, 6. à Frusinone in Bor. 4. ab Alatro in Occ. sub Pontif. 8. mill. à confin. regni Neapolitani. Baudr. Pop. *Ferentinates* Plinio. Aliis *Ferentini.* Silius *lib.* 8.

Sylla Ferentinos, Privernatumque maniplos
Ducebat. ——

Ferentum, op. Apuliæ in Lucaniæ confin. inter Venusiam, & Acherontiam, hodiè *Forenzo.* Horat. *Carm.* 3. *Od.* 4.

—— *Et arvum*
Pingue tenent humilis Ferenti.

Baudrando tantùm castrum est prov. Basilicatæ, in regno Neapol. ad radices Apennini, 4. mill. ab Acherontia in Bor. Venusiam versus, à qua 9. mill. distat in Eur.

Feretrius, dictus est Jupiter, non *à pace ferendâ*, (ut quibusdam placet) sed *à ferendis spoliis*. Nam Romulus, devictis Ceninensibus, hostium spolia, ferculo ad id facto, in Capitolium detulit, ibique ex quercu suspensa Jovi consecravit, eodemque in loco Jovi Feretrio templum condidit: authorque fuit posteris, ut eò capta ex hostibus spolia deferrent. Quanquam alii à *feriendo* sic appellatum malint. Vide Livium & Dionysium in Romuli historiâ. Itemque Plutarch. *in Romulo & Marcello*. Et ante omnes Propertium *libr.* 4. *Eleg. penultima*, cujus *initium* ita habet:

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri.

Scotiæ Reges.

Fergusius I. fil. Hiberniæ Regis, fundavit Scotiæ regnum Anno 420. U. C. 422. ante C. N. regnavit an. 22.

Fergusius II. Eugenio successit. Audito, Constantinum tyrannum, in Galliis sublatum, in Britanniam transiit, tantum negotii Romanis facessens, ut quasdam Ætii copias, sub Gallionis ductu, eò mittere necesse habuerint. Regnavit annos 16. sub initium sec. 5.

Fergusius III. fil. Ethuvini R. triennio pòst, ab uxore, ob luxum, veneno peremtus. Buchananus & Leslæus *hist. Scot.* Calvisius *Chron.*

Feria, pro diebus hebdomadis, primùm dicuntur institutæ à Silvestro P. circa An. Chr. 316. Qui nec Judæorum morem sequi, ut dies à Christianis nuncuparentur prima Sabbathi, secunda Sabbathi, &c. volens, nec probans Gentilium appellationes Solis, Lunæ, &c. primam septimanæ diem *Feriam primam* dici instituit, & sic deinceps. Ideo autem *Ferias*, non quòd à necessariis operibus, sed à vitiis feriarentur Christiani. V. Durand. *de Offic. divin. lib.* 7. *cap.* 1. Pro nundinis itidem *Feria*, à *Feriando*, quòd Romani in his feriabantur, Festus *lib.* 12. antiquè tamen hoc significatu non occurrit. Cùm autem Christiani ad insignes aliquot celebritates, præsertim Encænia & dedicationis Ecclesiarum festa annua peragenda convenirent: adesse utique mercatores solebant, sua mercimonia sub ipsis templis atque in cœmeteriis distracturi: quod cùm graviter S. Basilium angeret, Monachis suis ex opere manuum suarum viventibus accuratè prohibuit, ut quas facerent merces, nundinis illic non exponerent venales, ne templa divino cultui destinata denuo fierent speluncæ latronum, quam iniquitatem in ipso templo Domini reperit & punivit Dominus noster, *Joh.* 2. 14. Ad inferiora tamen secula morem transiisse, numerosis liquet exemplis. Ita enim Zosimus *l.* 2. *c.* 3. sub Constantini ævo, Judæos, Gentiles, Christianos ad quercum Mamre confluentes, sua quemque sacra obiisse, simulque festum cum nundinis miscuisse, refert. Invaluit usus hic nequam sequenti ævo, viresque maximè in Encæniis obtinuit, unde in his ipsis plurimæ antiquæ *Feriæ* institutæ deprehenduntur. Cùm verò è tanta hominum frequentiâ, periculosi sæpe tumultus imminerent, tenendarum *Feriarum* prærogativa, solius Principis diplomatibus indulgeri cœpit. Primò quidem urbibus & munitis locis, vel quibus Præsulis alicujus gravitas præpolleret: accesserunt deinceps varia privilegia, &c. Plura Vid. apud Henr. Spelmannum. *Glossar. Archæol.*

Feritor, vulgò *Bi* vel *Besagno*, fluv. parvus Liguriæ, ex Apennino per hortos, juxtaque Genuæ mœnia in mare perlabens.

Ferius Helpericus, versu scripsit, Colloquium Caroli M. cum Leone III. Papa. Barthius *Advers. lib.* 46. *cap.* 2. Voss. *de Histor. Lat. lib.* 2. *de Poët. cap.* 5.

Fermanagensis Comit. Hiberniæ, in Ultonia, versus Connaciam, ubi lacus Erno, ex præcipuis Inf. ad Slanam fluv. Distat 12. mill. Angl. à Vexfordia in Bor.

Ferna, urbs Hibern. Ep. sub Ar. Cassiliensi, in Lagenia prov. & Comitatu Vexfordiensi. Vulg. *Ferns*.

Feronia, nemorum dea, à *ferendis arboribus* dicta. Hæc lucum habuisse fertur sub monte Soracte, qui cùm fortuito aliquando arsisset incendio, & ob id transferre inde simulacrum accolæ vellent, subitò ajunt nemus revixisse; unde Virgilius *Æneid*. 7.

—— *Et viridi gaudens Feronia luco.*

Strabo author est, eos qui Feroniæ numine afflabantur, nudis pedibus ardentes prunas sine ullâ læsione perambulare solitos. Item *Feronia* civitas in radicibus Soractis montis sita. Horat. *Sat.* 5. *lib.* 1.

Ora manusq; tuâ lavimus Feronia lymphâ. Nunc *Castel di S. Silvestro* Ferr. Vide Cerdam in Virgilii locum supra productum.

Feronia, opp. Hetruriæ, in territ. Lucensi, nunc *Pietra Santa*, ubi templum Feroniæ erat. Item opp. Latii, in agro Pometino. Item, oppidum olim, nunc pag. Sardiniæ, in ora Australi.

Ferrandina, oppidum provinciæ Basilicatæ, ad fluvium Basentium, in regno Neapolit. cum tit. Ducatus. Crevit ex Vegiani ruderibus. 12. mill. à Mateola in Austr. 18. ab ora sinus Tarentini in Occ.

Ferrandus, Diaconus Carthagin. discipulus Fulgentii, sui ævi clarissimus. Epistolâ prolixâ, Anatolio, de quæstione, *an aliquis ex Trinitate passus sit?* respondit: de eadem materia, ad Severum Scholasticum, i. Advocatum vel Literatum Constantinop. scripsit. Aliaque, in Bibl. PP. à Chiffletio, Divione edita, Anno Christ. 1649. Facundus, *pro defens.* 3. *Capit. libr.* 4. *capite* 3. Victor. Tunon. *Chron.* Isidorus, *capite* 14. Cresconius, *præf. Brev. Cann.* Sigebert. *Scrip. Eccl. capite* 28. 29. Honoratus Augustodun. *libello* 2. Baronius *Anno Christi* 529. *num.* 8. 9. Morerius, &c.

Ferrandus Petrus, Jacobinus Hispan. auctor vitæ Dominici. Leand. Alberti, *de Vir. Ill. Ord. Prædic. lib.* 4. Gerard. *in Vit. Fr. Præd.* 4. 3.

Ferraria, seu Inf. Ferri, Canariarum maximè Occidua, ubi mirabilis illa arbor, quæ aquæ affatim Inf. cœtera arenti suppeditat. A Betencurio, nobili Normanno, detecta. An. Chr. 1402. Joh. Verrerius, & Pet. Boucherus, *cap.* 45. Th. Nicols, cognom. Modnal, Anglus, Thevetus, Sanutus, Vicentius Blancus, Bergero, Jacson Anglus, &c. V. *Canariæ.* & *Ferri insula.*

Ferraria, Urbs ampla, ad ramum Padi minimum, *Po morto*, à quo ductum est incile per 6. mill. Francolinum usque commercii causâ. Arcem habet permunitam. Non habuit urbis nomen, usque ad Vitalianum Papam, Leand. Alberti *descr. Ital. pag.* 345. *& seqq.* Olim sub Principibus, ex familia Atestina seu Estensi, donec Alphonso II. improli mortuo, à Clemente VIII. frustra renitente Cæsare Estensi, vindicata est, qui in arcem ibi extructam duos milliones impendisse dicitur, statuâ suâ in medio collocatâ, cum inscriptione: *Ne recedente Pado, Ferrariæ fortitudo recederet, Martem Neptuno substituit.* Episc. à Vitaliano facta. Ligam hic sacram c. Evangelicos, instituit Sixtus V. Anno Chr. 1586. d. 12. Jun. Patria Ludov. Ariosti, Felini Sandei, Hier. Savanarolæ, Prisciani, Calcagnini, Lilii Giraldi, Bentivolii Card. &c. Hic Concilium à Papa Eugenio IV. haberi cœptum, cui Johannes VII. Palæologus, & Patr. Constantinop. interfuit, dein Florentiam translatum est. Nunc deficit in dies, ex quo non Duces proprios habet. Sub Pont. enim est ab Anno Chr. 1598. 28. mill. à Bononia in Boream: Media inter Mirandulam ad Occas. & Comaclum ad Ortum. Academiam hic instituit Frid II. in Bononiensium contumeliam. Cœlum habet crassius, ob situm palustrem.

Ferraria, seu *Dianium*, Hispaniæ promunt. in Sucronensi sinu Carthaginem versus, sic ab accolis cognominatum, quòd ferrarias effusiones admodum feraces habeat. Mela *libr.* 2. Nunc *Cabo Martin*, excurrit in mare Medit. versus Baleares, inter sinus Sucronensem & Illicitanum, 3. leuc. à Dianio in Ort. totidem à *Sagra* vico, Baudr.

Ferraria, pag. Gall. cum cœnobio, in Vastiniensi tractu, in confin. Senonensis prov. 2. leuc. à Montargio in Bor. 25. à Lutetia in Austr. V. supra.

Ferraria prom. Sardiniæ, *Capo Ferrato*, à Calari 13. mill. pass. in Ort. recedens, ubi pag. *Carbone*.

Ferraria, vulgò *Ferrieres*, opp. Gall. in Provincia, ad os sinus Astromelæ, propè Maritima. 7. leuc. ab Arelate. Massiliam versus. Item locus in Senonibus, unde nomen nobili Monasterio, olim *Bethleem* dicto, in cujus curte Pipinus Caroli Magni pater occidit leonem. Abbatiam regalem esse *Ferrariam*, prodit Teulfus, *Chron. Mauriniac. lib.* 2. Item locus in diœcesi Gratianopolit. ferrifodinis celebris, unde & villa vicina vulgò *la Ferriere*, in finibus Allobrogum, trans Isaram in Alpibus, non procul à castro Bajardo. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Ferrarius portus, *Porto Ferrajo*, in Ilva Inf. in ora Tusciæ, sub magno Hetruriæ D. Vid. *Argous portus.*

Ferratæ aquæ, *Ferrati*, salubres in Hetruria.

Ferrea porta, Vid. *Caucasiæ portæ.*

Ferreta, urbs Alsatiæ, ad Helleli fontes, caput Comit. cognom. Sub Gallis, *Pfirt*. Germ.

Ferretus, Vicentinus, Poëta & Historicus, unus ex illis, qui sec. 14. de Gothica barbarie triumphare incepere, prosâ versuque, plurima scripsit, historiam inprimis libb. 5. à Friderici II. morte, ab anno Christi 1250. usque ad Ann. Christ. 1317. Voss. *de Hist. Lat. pag.* 794.

Ferri insula, in mari Atlantico, una ex Canariis, maximè in Occasum extensa. Aliàs *Pluvialia*. In ea res admiratione digna, superque orbis miranda notatur. In adusto & arido solo nullas aquæ venas habet, præterquàm circa littus maris, ubi aquæ aliquid reperitur, quod tamen remotum ac exiguum, parvo beneficio, ac penè nullo insulam adficit, sicque squallentes æstu homines destituit. Sed Dei omnipotentis singulari munere erga mortales ac pecora, arborem habet, cujus species ignota, folia longa, arcta & perpetuò virentia, nulla cum aliis cognitis arboribus similitudine: ex hac in folia assiduus humor cadit, qui limpidissimo deinceps liquore in cupas distillat, ab incolis circa arborem constitutas tanta copia, ut non tantùm homi-

nibus, verùm & armentis pecorique sufficiat. Nemo miraculi hujus aut fontem, aut caussam recensere potest. Quum primùm Hispani in hanc insulam delati essent, incolæ ipsos arcanum celaverunt, sperantes eos aquarum inopiâ adactos locum deserturos esse: sed à scortillo quodam prodita res est, atque ex eo Hispani sedes ibi firmiores fixerunt. In hujus Ins. parte Occid. Franci assignant primum Meridianum longitudinis ab Anno Chr. 1634. Jubente Ludovico XIII. cùm peritissimos hujus rei adhibuisset.

Ferrum candens, Vid. *Purgatio.*

Fertini, quorum urbs *Feltria.* V. ibi.

Ferula, muneris insigne, quod ferebant non Abbates solùm, sed & ipsi aliquando Pontifices Rom. *Camboca, pedum, baculus pastoralis.* Hinc Benedictus P. exauctoratus, ad pedes Leonis P. & Imperatoris concidens, *Pontificalem ferulam*, quam manu gestabat, Leoni tradidisse, quam hic fregerit, fractamque populo ostenderit, refert Luithprandus *Hist. libr. 6. cap. 11. & ult.* V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Fescennia, vel *Fescennium*, oppidul. Hetruriæ. Plin. 3. 5. Virgil. *Æneid.* 5.

Hi Fescenninas acies, aquosq; Faliscos,
Hi Soractis habent arces.

In hoc oppido carminis quoddam genus, omni obscœnitate opprobrioque plenum inventum putatur, quod à loco dictum est *Fescenninum.* Macrob. *Sat.* 24. *Pollio, cùm Fescenninos in eum Augustus scripsisset, ait, At ego taceo. Non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere.* Hinc *Fescennina locutio* apud Catullum. Horat. *lib.* 2. *Ep.* 1.

Fescennina per hunc inventa licentia morem.

Seneca *in Medea*,

Festa dicax fundat convicia Fescenninus. Baudrando est *Galese*, oppidul. Patrimonii S. Petri, ad Tiberim, cum Duc. tit. medium inter Hortam ad Bor. & Civ. Castellanam ad Austrum 25. mill. à Roma in Bor. Tudertum versus, 4. ab Ocriculo.

Feschius Remigius, JC. Basiliensis celeberrimus. Natus Anno Chr. 1595. ex familia Consulari, Patre Joh. Rodolpho, avo Remigio Consulibus, Pandectarum Professor, diu Academiam patriam illustravit: Musæum *Feschianum*, de quo infra, collegit. Obiit haud pridem. Frater Christophori J C. Logices primùm, nunc Historiarum ibidem Professoris meritissimi, nati A. C. 1611. quo genitus Sebastianus J. U. C. egregium *de Insignibus* tractatum edidit, in florente juventa Philologus & Antiquarius eximius. Continet Musæum *Feschianum*, præter Bibliothecam omnium artium libris, etiam manuscriptis variis instructam, rerum naturalium, fossilium, lapidum, gemmarum, *(inter quas poculum ex achate inusitatæ magnitudinis.)* exquisitam copiam, animalia quædam peregrina, præstantissimorum item artificum signa: cerâ, ære, gypso expressas imagines, picturas, toreumata, sculpturas, antiquæ ac recentis notæ; res plures ex Indiis advectas (*in usq; armarium tessellatum artis mirandæ*;) æri & ligno incisa peritissimorum cælatorum, *Dureri præsertim hujus artis principis*, opera; præclara denique antiquitatis monumenta: Nempe præter quasdam Romanæ supellectilis reliquias, sculptarumque gemmarum non pœnitendum numerum, nummorum veterum, Græcorum, Consularium, sed inprimis Imperatoriorum ex omni metallo copiam insignem: quibus & modernorum Principatuum & Civitatum numismata, à trecentis inde pluribusque annis percussa, nec precio nec numero multum concedunt.

Fessa, Vid. *Fezza.*

Festivus Aurelianus, auctor vitæ Tyranni Firmi. Vide *Aurelianus.*

Festuca, Vid. *Fistuca.*

Festus, Consul, Collega Theodosii Aug. an. U. C. 1192. Item alius Consul, Martiani collega, an. U. C. 1225.

Festus, Domitiani amicus, qui dum mentagrâ usque ad desperationem laboraret, gladio se trajecit, prius tamen amicos consolatus. Ejus mortem describit Martialis.

Festus, cohortis in Mauritania præfectus, per præmissos centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent, oppressus, Tacit. *Hist.* 2. 59.

Festus Avienus Rufus, Poëta, sub Gratiano & Theodosio, Aretam & Dionysium Geographos, Latino carmine reddidit: Aliaque à Pithæo edita. An idem cum illo, qui Jambis Livium expressit? Macrob. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 9. *de Poët. c.* 4 Item, *Festus*, Orator, Constantinopoli, an. 526. Item Pescenninus Festus, historicus, Lactant. *de Fals. Rel. l.* 1.

Festus Porcius, Proconsul, Felici in præfecturâ Judææ, successit. Hic Paulum Apost. coram se accusatum, præsente Agrippâ Rege audiit, atque ad Cæsarem eum appellantem, Romam misit. Actor. *c.* 25. 26. Joseph. *l.* 20. *c.* 7. & 8.

Festus, alio nomine *Valerius*, legatus Africæ primò studia provincialium in Vitellium cum fide juvit; mox nutavit palam epistolis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum fovens, & hæc & illa defensurus, prout invaluissent. Tacit. *Hist.* 2. 98. Vide *lib* 4. *cap.* 48.

Fesula, Vide *Fæsula.*

Fethelmachus, Scotiæ R. successit Romacho, an. 358. per quatuor annos. Buchan. *Hist. Scot.*

Fetum, seu *Fetu*, regnum parvum Guineæ, in *ora Aurea*, cum opp. cognom. versus prom. Corsum.

Feudum, al. *Feodum*, quibusdam à fide vel fidelitate, Spelmanno à Saxon. *Feah*, Angl. *Fee*, i. pecunia, stipendium, hæreditas, beneficium vasalli, unde Gallis antiquis *Fe*, dictum videtur. Propriè salarium, stipendium: per translationem prædium, quo ex beneficio domini, sed & stipendii loco vasallus gaudet, denotat. Definitur à Cujacio: *jus in prædio alieno, in perpetuum utendi, fruendi; quod pro beneficio dominus dat eâ lege, ut, qui accipit, sibi fidem & militiæ munus aliudve servitium exhibeat.* Origo *Feudorum* rei militaris necessitas fuit: & hoc quidem alii Francis tribuunt, alii Longobardis, Germanis nonnulli adscribunt. Et Longobardi quidem, præ cæteris, scita feudalia coluere, Gerardusque Niger, & Otbertus de Orto, qui leges hasce primi in scriptis sub Friderico I. Imp. redegere, Longobardicæ ditionis, Mediolanenses nempe erant. Imo maxime in Italia legum istarum splendor viguit, præsertim dum sopitum obmutuit jus civile, ab ævo Ottonis M. usque ad imperium Lotharii III. Nihilominus, cùm omnes hæ gentes è Germania ortæ, etiam hinc mores ritusque feudales originem traxisse certum est, quos longâ consuetudine deductos, neque scriptis, sed traditione propagatos, accepere, acceptos auxere & ornavere Longobardi. Neque abs re primævam Vasallorum conditionem à Comitibus Taciti, quos Principibus pagorum *consilium fuisse & auctoritatem* ait, repetant. Lex denique feudalis, temporis fuit filia, sensimque succrescens Principum aucta est indies & exculta edictis: Conradi inprimis Salici, dum coronam Imper. à Johanne XX. suscepturus, Romam perrexit A. C. 1026. Dein Henrici II. Lotharii III. Friderici I. & aliorum. Et primò quidem feuda, in arbitrio erant dominorum: hæreditaria dein facta sunt à Conrado prædicto, sic tamen, ut beneficium ad venientes è latere, ultra fratres patrueles non progrederetur, licèt moderato tempore, usque ad septimum gradum sit usurpatum. Quod in masculis descendentibus, hodie novo jure, in infinitum extenditur. Perhibet tamen Johannes Faber, *Feuda* non minus, quàm Ducatus, Comitatus, Baronias, &c. constituta esse perpetuas hæreditates apud Francos, sub Hugone Capeto, qui regnum iniit A. C. 988. i. 38. an. ante legem à Conrado latam, Nobilesque exinde cœpisse sibi cognomina asciscere, à præcipua Feudorum suorum denominatione. His gradibus irrepsere Vasalli in jus feudorum, sed & amisere illud, variis infidelitatis, (V. in voce *Felonia*,) generibus, gravibusque interea servitutibus erant obnoxii. Arctam quippe fidelitatem ritu quàm humilimo jurabant, domino, Vid. in vocibus *Fidelitas* & *Homagium.* Prodire etiam in militiam evocante domino, sequi ejus signa, tueri latus, nec periclitantem unquam destituere: Tributa subsidiaque impendere, &c. tenebantur. De more evocandi *Feudales* ad præstationem servitii apud Germanos, sic canit Ligurinus *libr.* 2.

Hic quoties claram Regnator tendit ad urbem
Teutonus, Ausoniam sumturus ritè coronam,
Ponere castra solet; ligno suspenditur altè
Erecto clypeus: tunc præco Regius omnes
Convocat à dominis feudalia jura tenentes,
Excubias primâ Regi celebrare fideles
Nocte, vetustorum debent ex more parentum.
At quicunq; domi, domino nolente, relictus
Defuerit, Fœdo privari Curia censet.
Tunc quoq; nonnulli censurâ vindice Regni
Amisere diu tali possessa reatu.
Quin & Pontifices, Halberstadensis, & ille,
Sub quo Brema fuit, tali regalia jura
Amisere notâ: persona scilicet ipsa,
Non tamen Ecclesia. Neq; enim quod Pastor iniquè
Gesserat, Ecclesiæ fas est in damna refundi.

In Angliam *Feudorum* servitutes primus invexit Guilielmus Conquestor, qui lege eâ è Normannia traductâ, Angliam totam suis divisit commilitibus. Scoti autem, jam sub Malcolmo II. qui regnum iniit A. C. 1004. i. an. 60. ante adventum Guilielmi, jugum id se suscepisse, referunt, &c. Mos in conferendis *Feudis* solennis fuit. Majora in Imperio cessit antiquitas, vexilli traditione: Galli verò, è prisca consuetudine, non solùm Episcopatus, sed omnia feuda, annuli & baculi, *per rain & baston*: Alii aliis in traditione symbolis usi sunt, Vid. *Traditio*: & plura de *Feudorum* in Anglia inprimis generibus, notis & privilegiis, aliisque huc spectantibus, apud Spelmannum *Glossar. Archaol.* & Jurisconsultos.

Feus Belchamus, vel *Belcharus*, Florentinus, Jesuatum Fundatoris, Johann. Columbani, vitam scripsit. Vossius *de Histor. Lat. pag.* 603.

Fezza, urbs Africæ clarissima & perampla, Civitas primaria regni Fezzæ, in Barbaria, sub Rege Marrochi, condita, ut ferunt, circa annum Domini septingentesimum octuagesimum sextum. Dividitur in duas partes, quæ à se invicem parum distant; earum una *Fezza Vetus*, altera *Fezza nova* appellatur. Vetus Fezza quoque fluviolo in duo corpora finditur, orientale dicitur *Beleida*, habet autem quatuor familiarum millia: occidentale dicitur propriè Fezza vetus, quæ facit octuaginta & amplius familiarum millia. Non longè distat à Fezza nova, quæ octo domuum millia habet: Fezza vetus est tota ferè in collibus & in vallibus, continet quinquaginta templa Mahumetana, insignis magnitudinis, ultra quæ sexcenta minora numerantur. Fezza nova duplici muro altissimo atque fortissimo cincta in planitie amœnissima, non procul à flumine sita est: à veteri unius ferè milliaris spatio, Morerius habet 1200. p. distat, idque ad occidentale, atque prope modum latus meridionale. Ejus territorium à fluvio Buragrago, versus ortum protenditur usque ad fluvium Gnavem, à Septentrione fluvio Suba, à meridie Atlantis radicibus clauditur. Merc. Deficit indies à multis annis. Est in prov. Fezza dicta. Quibusdam ol. *Volubilis*. Paucis ab hinc annis sub Tafiletæ Rege, cum regnis Fezzæ & Marochii. Baudr. Vid. Morerium, qui urbem hanc prolixè describit, *in Diction. Histor.* ex Sanuto, Johanne Leone, Marmolio, Mercatore, Magino, Sansone, Du Val &c. Habitatur à Mauris & Arabibus: quibus quatuor uxores ducere, illasque repudiare pro lubitu licet, restitutâ dote. In virgine terra mortuos recondunt, &c.

Fezzanum regn. amplum Barbariæ, ab Abdulaco constitutum, A. C. 1212. Marian. *de rebus Hisp.* Marrochii regno pridem unitum, inter ipsum ad Austr. & fretum Herculeum ad Bor. Ad Occ. habet Oceanum Atlant. ad Ortum regnum Algerii. Ejus provinciæ sunt, Hasbata, Errifis, Gareta, Asgara, Fezza, Temesna & Chaus. Primaria Urbs Fezza. Urbes tamen littorales regni ad Oceanum & mare Mediterr. maj. ex parte aliis sub dominis sunt. Vid. *Fezza*.

Fezzena, reg. & desertum Africæ, in tractu Biledulgeridiæ, cum opp. cognom. *Fezzen*, trans montes, prope Gademessam reg. Sanutus, aliique.

F I.

Fiarasum, Cappadociæ urbs. Anton.

Fibrenus, flu. Italiæ. Sil. 8.

Atqui Fibreno miscentem flumina Lirim.

Ficana, Latii urbs. Plin. Liv.

Ficaria, ins. juxta Sardiniam. Plut. Liv. *Serpentaria*, Leandro. Cluverio *Coltelazo*. Utraque parva admodum, 20. mill. à Calari in Ortum.

Ficelia, quæ & *Vosavia* priscis, nomen urbis ad Rhenum. *Obern Wesel* Althamero, & Percheimero, qui addunt, ibi Mammeam, Alex. Severi Imp. matrem sepultam.

Fichiena, prov. regni Sinarum, in parte Austr. versus Oceanum Indic. & Cantanum prov. urbs primaria *Fuceu Fu*, Martinio.

Fichola, vel *Phicola*, vicus Palæstinæ. Joseph. *Ant.* 12. 4.

Ficocle, vulgò *Cervia*, urbs in ora maris Adriat. inter ostia Savii flu. & Rubiconis, 18. mill. à Foro Livii in Or. sub Pontifice, in Romandiola.

Ficolenses, Italiæ pop. circa Samnitium. Plin.

Ficulnea, vetus Latii urbs.

Ficus, Mauritaniæ Cæsar. oppidum. Anton.

Fideles, in historiis primò & generaliter dicuntur, omnes qui fide Christianâ imbuti sunt; & hi quidem tripliciter *Fideles Dei*, *Fideles Christi*, *Fideles Ecclesiæ*: quod postremum magis etiam speciale fuit. Secundò omnes, qui in Principis alicujus ditione sunt, vulgò *subjecti*: Hi in Historiis *Fideles Regis* nuncupantur. Tertiò, qui in alicujus clientela sunt, ratione prædii, vel ministerii, & *Fideles Dominici*, vel etiam *Prædiales*, ut priores, appellari solent. Horum fidei, obsequii & servitii ligamen, quo generaliter subditus Regi, peculiariter vasallus Domino astringitur, *Fidelitas* dicitur, quæ licèt non jure positivo solùm, sed & Gentium, & quodammodo naturæ debeatur, ad hoc tamen præstandum, solenne exigitur juramentum, quod *Fidelitatis* appellatur, & aliquando simpliciter *Fidelitas*. Hujus formula sub Carolo M. fuit: *Promitto partibus Domini mei Caroli Regis, & filiorum ejus, quia fidelis sum, & ero diebus vitæ meæ, sine fraude & malo ingenio*, ut extat in L L. Franc. *lib.* 4. *cap.* 46. Sub Carolo Hludovici filio, Anno Christi 854. *Ego Karolo Hludovici filio, ab ista die in ante fidelis ero, secundùm meum savirum, sicut Francus homo per rectè esse debet suo Regi: Sic me Deus adjuvet & ista reliquiæ.* Cùm autem ista sacramenta plurimum egerent interpretatione, visum est deinceps illa explicatiora reddere, ut exemplis liquet à Petro Pithœo allatis in 12. Scriptoribus, ubi & notandum occurrit, Laicos solos sacramentum præstitisse: Episcopis ad professionem tantummodo adstrictis. Formulas Sacramenti Fidelitatis apud Anglos, prisco recentiorique ævo usitatas, Vide apud Spelmannum, *Glossar. Archæol.* Ubi addit ex Jureto *ad Ivonem*, & Bignonio *ad Marculfi libr.* 1. *cap.* 18. more Francico promissam olim *Fidelitatem* esse, datis manibus. Non tamen, ut Virgilius *Æneid.* 1. *Jungamus dextras*: sed jurantis manu vel ad Sanctorum reliquias, vel ad Evangelii codicem porrectâ. Jurabat aliquando & Rex ipse subditis suis *Fidelitatem*. Ita inter alia de Canuto Britanniæ R. Florentius Wigornensis in An. 1061. *Fidelitatem*, inquit, *illi juravere Magnates, quibus & ille juravit, quòd & secundùm Deum & secundùm seculum fidelis esse velit eis dominus.* Fidem quippe inter Dominum & vasallum reciprocam esse, ostendit Cujacius *ad* 2. *feud.* Idem.

Fidelitas, Vid. *Fideles*.

Fidemium, locus agri Camaracensis, in silva Fidemiensi, veteri Monasterio illustris, unde & Monasterio & silvæ circumsitæ nomen: Accolis *Femy*, vel *Fimy*. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Fidena, & *Fidenæ*, urbs Latinorum mediterranea. Virgilius *Æneid.* 6.

Hi tibi Nomentum, Gabios, urbemque Fidenam.

Juv. *Sat.* 6.

——— *Vivat Gabiis, ut vixit in agro,*
Vivat Fidenis. ——— ———

Et ante eum Horat. *l.* 1. *ep.* 11.

Scis Lebedus quam sit Gabiis desertior, atque
Fidenis vicus. Nunc *Castel Giubileo*, vicus tantùm Sabinæ prov. ad Tiberim, paucorum incol. 5. mill. à Româ Eretum versus. Baudr. pop. *Fidenates*.

Fidentia, op. Italiæ in octavâ regione, à quo incolæ *Fidentini*. Plin. 5. 15.

Fidentiacum, vulgò *Vic Fesensac*, i. Vicus Fidentiacensis, propterea, quòd bellis civilibus, ut pleraque Vasconiæ oppida atque castella, eversum est ac in vicum abiit. Caput fuit pagi veteris cognominis, in Vasconia, cui etiam civ. Auscorum metropolis, secundùm quosdam, olim attribuebatur. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Fidentia, Hisp. Bæticæ urbs, inter Bætim & Oceanum sita, alio nomine *Julia* appellata. Plin. 3. 1.

Fidentiola, vicus inter Placentiam, & Parmam, Italiæ urbes. Anton. hodiè *Fiorenzola*.

Fides, Dea à Romanis culta; testibus Cicer. Lactant. August. Primus omnium Numa, ei templum erexit, sacrificiaque statuit sumptu publico. Sine cæde & sanguine, ipsi velati Flamines, albo panno sacra faciebant. Quin illuc curru arcuato, manu ad digitos involutâ, deferebantur solenni pompa. Fingebatur duabus junctis manibus, interdum imagunculis duabus, dextram dextræ jungentibus. Dionys. Halicarn. *l.* 2. Livius.

S. Fides, vel *Sancta Fè de Bogota*, urbs novæ Granatæ, Arch. opulenta & mercimoniis florens, sedes Viceregis, &c. Item, urbs novi Mexici. Item urbs Guiennæ, ad Duranium.

Fidicula, Italiæ locus. Val. Max. 7. 6.

Fidiculanus Falcula, Senator Rom. vir levissimus, & sordidissimus. Cic. *pro Cæcinnâ, & Cluentio.*

Fidius Deus, Jovis fil. Sabinis ereptus, à *fide* dictus, cui præest, ut nonnullis placet. Plautus, *Per deum Fidium credis jurato mihi.* Fuit apud veteres Romanos in honore maximo adeò, ut templa cum sacrificiis meruerit. Cultus est in Quirinali jugo Nonis Junii. Ovid. *Fast.* 6. Dictus etiam Sanctus Sabus & Semipater.

Fidon, Argivus, mensuras & pondera reperit, cùm apud Hebræos Azarias in Judæâ, & Hierusalem regnaret. Eutrop. *libr.* 1. Lege *Phidon*. Item, *Fidon* & *Radalus* fratres, inter auxilia Æetæ. Val. Flacc. 6. v. 70.

Fielna, vulgò Picardis *Fiennes*, oppidulum vel municipiolum, in Comitatu Gisnensi, Gisnis proximum. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Fifa, prov. ampla Scotiæ merid. inter æstuaria Tavi, & Fortheam extensa, versus Ocean. Germ. Ibi urbs prim. *Andreapolis*. Pars est Otliniæ vet. olim *Rossia*. i. peninsula. Ab Occ. Ocellis montibus separatur à Laudonia prov. Circuitus est 84. mill. Vulgò *Fife*.

Figeacum, urbec. Aquit. in Cadurcensi prov. ad amnem *Sele*, 9. leuc. à Cadurco in Ort. in confin. Alverniæ.

Figlinæ, vicus Galliæ, in agro Viennensi, in quo vasa ac pocula fictilia elegantissima olim fiebant. Huic Antonius Triumvir nomen imposuit, unde hodieque *Anton* esse creditur, vicus agri Lugdunensis, 3. ab urbe leucis, vino suo nobilis. Apollin. Sidonius,

Pocula non hic sunt illustria nomine pagi,
Quod posuit nostris ipse Triumvir agris.

Vid. Hadr. Val. *Not. Gall. in voce, Tegna.*

Figuinensis porta, quæ & *Numetana*, nunc *Porta pia* seu *di S. Agnese*, in monte Quirinali, inter portam Salariam & Viminalem. Mel. *Ficulnensis. V. Numetana porta.*

Fila, Thebaidis in Ægypto locus. Anton.

Filiceria, vulgò *Fougeres*, castrum Galliæ, in Britanniæ, cui attribuitur, Normanniæque confinio: vastatum est à Johanne R. A. C. 1202. A' silvis & filictis, quas *Landas* Galli vocant, nomen accepit. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Fillecum, opp. munitum Hungar. Austr. in confin. dit. Turcicæ. 5. leuc. ab Agria in Bor. totidem à Cassovia in Occ. juxta Gajum amnem.

Fima, opp. Campaniæ, juxta Vidulam fluv. ubi Noram amnem recipit, in Rhemensi tractu, & confin. Insl. Francicæ, 5. leuc. à Rhemis in Ort. Dicitur & *Ad Fines*; vulgò *Fismes*.

Fimbria, Romanus, homo longè audacissimus, & insanissimus. Diem Scævolæ dixit, quòd non totum telum corpore accepisset. Cic. *pro Roscio Amerino*. Item efferus Marii miles, Crassorum percussor. Lucan. *lib.* 2.

Truncos lacerabit Fimbria Crassos.

Fimeria, vulgò *Femeren*, Insl. Holsatiæ.

Finalium seu *Finarium*, opp. Italiæ, in ora Occ. Genuensi, Marchionatus cognom. caput. Marchiones è gente Carretorum proprios habuit olim, nunc sub Hisp. à 72. annis. Arcem habet probè munitam, cum duobus fortalitiis. Medium inter Savonam ad Ortum & Albengam ad Occ.

Finalium, vulgò *Finale de Modena*, opp. in dit. Mutinæ Duc. ad Panarum fluv. in limite Ferrariensi, satis munitum. 18. mill. à Ferraria in Occ.

Finchala, vel *Fincenhala*, urbs Angl. in diœc. Durham. ubi Concil. an. 798.

Fines, & *ad Fines*, vulgò *Tuyn*, opp. dit. Leodiensis, ad Sabim fluv. Item, opp. Helvetiæ, *Pfin*, vel *Pfin an der Thur*, nunc penè jacens in Turgovia, apud Constantiam, ad Durium vel Taurum fluv. ab Arbore felice 20. à Vindonissa 30. m. p. fortè ita nominatum, quòd Rhæti eousque fines suos extenderint. Vel secundùm Valesium, quòd esset positum in confinio Rhætiæ & Galliæ Belgicæ, seu quòd esset finis Rhætiæ primæ, & initium provinciæ Maximæ Sequanorum in Gallia Belg. Item opp. Galliæ, hodie *Fimmes*, ad Vidulam, inter Augustam Suessionum, & Durocortorum Remorum medium: clarum martyrio S. Macræ, & duobus Conciliis A. C. 881. & 935. habitis. Sic dictum, quòd fines Remorum eousque pertinerent. Item locus Mediomatricos à Virodunensibus dividens, apud Æthicum. Item inter Aptam Juliam & Cabellionem, in confinio Vulgentium & Cavarum, apud eundem. Item, opp. Hungariæ, *Samaguar* Lazio, à Vesprino & Alba Jul. 6. leuc. in Merid. Comit. Coppano proximum. Ferr. Plura in Gallia loca hoc nomine insignita, Vid. apud Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Finis Ligurum, locus apud Tac. 16. 15.

Finius Adrianus, vel *Adrianus Finius*, scripsit flagellum Judæorum, 9. libb. Venetiis impressum, An. 1538. Vixit adhuc sub seculi præteriti initium. Simler. *Biblioth.*

Finmarchia, Provincia Europæ valde Septentrionalis, regni Norvegiæ pars. Nonnulli affirmant, olim hìc multos montes perpetuâ conflagratione corruisse. Metel. In duas divisa partes, non uni Domino subest. Australis, ubi Jetaburgum urbs, Daniæ R. Septentrionalis verò Suecis subest. Cluver. *Introduct. Geogr. l.* 3.

Finnanus, Scotiæ R. post Rosinam, per an. 30. Buchan. *Histor Scot.*

Finni, Jornand. populi Scandinaviæ, quorum regio Scrifinia, vel Scrifinnia, & Finlandia dicitur. Vide *Fenni.*

Finnicum mare, *Golfe de Finlande*; sive Finnicus sinus, à mari Baltico secedens, inter Finnoniam & Livoniam, per ducenta & quinquaginta millia passuum ad Orientem sese extendit.

Finnonia, seu *Finnia*, vulgò *Finlande*, regnum olim fuit, nunc regni tantùm Suecici pars, juxta mare Balticum & sinus Finnicum & Bothnicum. In plures provincias dividitur & partes, nempe in Finniam seu Finlandiam propriam, Caianiam, Tavasthiam, Nylandiam, Careliam, & Savolaxiam. Finnia propria, quæ & nobilior & australior, dividitur in Septentrionalem, cujus caput Biorneburgum, ad sinum Bothnicum, & in meridionalem, cujus primaria uti & totius regionis est Aboa, ad ostia fluvii *Aurojoki* in sinum Finnicum, & è regione Alandiæ insulæ. Fuerunt Finni subjugati, ab Erico Suecorum Rege, circa an. C. 1384. Crantz. *lib.* 6. *cap.* 28. Regio truculenter raptata est à Moscis, Anno 1571. inde Tartarorum in Moscoviam, duce Krembsechio, irruptione revocatis, & cæsis. Thuan. *Hist. lib.* 50.

Finnus, Episc. Lindisfarn. in Anglia, an. 660. ore scriptoque 14. Lunæ Pascha celebrandum esse contendit, veteres Eccl. Angl. traditiones secutus, Beda, *Hist. Angl. lib.* 2. & 3.

Fionia, vulgò *Fuinen*, à pulchritudine, insula Daniæ, in mari Baltico inter Iutiam ad occasum, à qua separatur exiguo freto, *Middelfart* seu *Cleyne Belt* dicto, & Selandiam ad ortum, à quo etiam separatur freto *die Belt*. Ibi Ottonia, *Odensée*, urbs primaria, & Neoburgum oppidum munitum, cum portu & arce 4. milliaribus Germanicis à Selandia distat. Ejus longitudo ab ortu in occasum est 10. milliarum Germanicorum, latitudo tantùm octo; subestque Regi Daniæ. Sed antea malè habita fuit à Suecis, qui inde ingenti clade accepta pulsi sunt, bello Danico. A figura & situs amœnitate & elegantia nomen mutuatur. In ea cernuntur quatuor arces regiæ, *Neuburg, Hagenschow, Hinsgagel*, & *Escheburg*, pagi 264. & cœnobia sex.

Firasi, populi Scandinaviæ, Ptolemæo. Eorum regio hodie dicitur *Fiering*, in regno Sueciæ, teste Brietio.

Firandum, oppidum Asiæ, in Iaponia insula, in ea parte, quæ *Ximo* dicitur, cum insula cognomine, in ora littorali in occasum & versùs Nangasacum, Brietio teste.

Firleiorum illustris in Polonia domus, tota, cum plurimis aliis è Nobilitate, Evangelium amplexa est, circa A. C. 1552. quo Comitiis Petricoviæ habitis, Episcopi causâ ceciderunt, Raphaële Leszczinio & Martino Sborovio, Reformatorum hyperaspistis apud Regem Sigismundum Augustum, Præsulum mores ad vivum gravi oratione depingentibus, Joachimus Bielscius *in Chron. Pol. lib.* 5. *p.* 594. Ex hac, Johannes Palatinus Cracoviensis, & Regni Marescallus, Vir plenus zeli, Henrico Galliæ Regis fratre qui Rex Poloniæ electus, hac inter alia conditione, ut in gratiam Protestantium Gallorum à fratre varia impetraret pacemque inter dissidentes in Polonia conservaret, post electionem verò, petita silentio voluit eludere, jamjam coronando, surrexit, arreptâ coronâ templo exiturus, ni Rex dicenti, *Si non jurabis, non regnabis*, teneri se videns, satisfecisset, A. C. 1574. Interfuit dein Synodo Cracoviensi, cum aliis Proceribus, pauloque pòst obiit. Vid. Thuan. *lib.* 57. ubi memorat, inter alia Regem electum, obstrinxisse se Johanni Firlejo, & cæteris Proceribus, se effecturum, ut Rex frater de grassatoribus lanienæ pœnas sumat, Protestantibus edicta antiqua servet, Religionis usum per totum regnum liberum relinquat, Protestantes ad honores evehat, hæcque Principum & omnium Magistratuum juramento confirmari curet, &c. Hujus filii Johannes & Andreas, Barones de Dambrovicza, post Heidelbergensem Academiam, Basiliensem illustrarunt, Anno Chr. 1604. Johannes quoque Johannem Cluentium Pastorem Bonczensem, à Pontificiis malè habitum, A. C. *1629.* conquestus de injuriâ apud Episcopum Chelmensem, acriter defendit, V. Lætum *Comp. Hist. Univ.*

Firma, reditus est, qui in elocandis prædiis, domino elocanti reservatur, Gall. *Ferme*. Angl. *Fearm*: Qui prædium hac lege suscipit, *Firmarius*, i. Conductor. Quidam à *Firmitate* vocem deducunt, ut sic differat à reditu mobili: Spelmannus Saxonicæ vult esse originis, & significare cibum, prandium, cœnam, alimentum. Prisci autem moris fuit, dum exiguè se habuit nummorum copia, profusiùs hospitalitas, annuos reditus in edulius collegisse: quod uberrimis testimoniis è Legibus, & Chartis antiq. Alamannicis, aliisque liquet: & Reges quoque Anglos sic victitasse, donec Henricus II. ex justa occasione morem immutavit, refert idem Spelmannus. Postea pro reditu pecuniario vox usurpari cœpit: metonymicè etiam pro ipso prædio elocato, villo, manso, colonico, &c. *Glossar. Archæol.*

Firmanorum Castellum, Plin. *Firmiano*, teste Francisco Pamphilo, castrum Piceni, Firmo urbi vicinum. *Est &* Firmanum, *Formiano* vel *Formignano*, oppidum Umbriæ apud Metaurum fluvium; à Foro Sempronii 8. mill. pass. in Ducatu Urbinate.

Firmilianus, Cappadocum gentis, urbis Cæsareæ Episcopus, An. Dom. 251. Origenis discipulus. Vide Euseb. *lib.* 7. *cap.* 4. Morerium, &c.

Firmitas, idem quod munitio, ac locus firmus, parvi instar castelli, Gallis *la Ferté*, quo nomine plurima apud illos loca veniunt. Uti

Firmitas Adelaidis, *la Ferté Alais*, castrum Gall. inter Corbolium & Stampas, in finibus Senonum: dictum vel ab Adelaide Comitissa, quâ ductâ Guido Rubeus de Rupe forti, Hugonis Creciacensis pater, frater Odonis Comitis Corboilensis, uxorio jure possedit, apud Sugerium *in Vita Ludovici Crassi*, ubi *Firmitatem Balduini* castrum hoc vocat. Vel ab Adelaide Regina, Ludovici VII. conjuge, matre Philippi Aug. quos ibi sæpe sedisse certum est. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Firmitas S. Albini, *La Ferté S. Aubin*, non procul ab urbe Aurelianis, in Carnutibus, in Archidiaconatu Solliacensi. Idem.

Firmitas ad Albulam, *la Ferté sur Aube*, oppidum Galliæ, in Campania provincia, ad Albulam fluvium, vix 4. leucis supra Barium in austrum, in confinio Burgundiæ.

Firmitas Auculphi, seu subter Iotrum, *la Ferté sous Iovare*, oppidum Galliæ, in Bria regione, Campaniæ annexa, ad Matronam fluvium, medium inter Meldas ad occasum & Castrum Theodorici ad ortum.

Firmitas Bernardi, *la Ferté Bernard*, oppidum Galliæ amplum, in Cenomanensi provincia, ad Huinam fluvium, versùs Perticensem tractum, 12. leucis à Cenomano in ortum.

Firmitas in Brajo, *la Ferté en Bray*, castrum Galliæ in monte positum, in medio saltu pagoque Brajo *la forest & pays de Bray*, inter Gornacum & Gosleni fontem, in finibus diœcesis Rotomagensis, Hadr. Val. *Not. Gall.*

Firmitas Milonis, *la Ferté Milon*, urbs Galliæ, in provincia insulæ Franciæ, inter Suessiones ad Boream & Meldas ad Austrum ferè media.

Firmitas Narberti, *la Ferté Narbert*, cum Firmitate Albini, Aureni & Hucberti, finibus Carnutum & diœcesi Aurelian. continetur.

tinetur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* qui plurimum hujus nominis locorum meminit.

Firmium, Ptol. Procop. *Firmum* Ciceroni, Straboni *Fermo*, colonia & urbs episcopalis Piceni, post Anconam in Marchia Anconitana urbs primaria, apud oram maris Hadriatici, media ferè inter Lauretum & Asculum ad 25. mill. pass. ab Ancona, 40. in Ortum & Eurum. Populi *Firmani* Plinio, *Firmiani* Livio. Aliis idem est Firmum cum Firmanorum Castello, Ferrar. Baudrando *Firmium*, urbs est Italiæ, in ditione Pontificia, & in Marchia Anconitana. 18. milliaribus distat à Laureto in Austrum, & 25. ab Asculo in Boream, uti à Macerata in Ortum. Olim Romanis contra Hannibalem suppetias misit. Sed priscæ urbis rudera a recenti hodierna aliquantum distant. De hac Itali: *Quando Ferma vuol fermare*, tutta la Marca *fa tremare*. Morer. Vide quoque præter auctores laudatos, Plinium, Melam, Appianum Alexandrinum, &c. Præterito seculo quæ fuerit passa, suppeditat Leander Albertus *descr. Ital. p.*279. *& seqq. edit Ven.* 1581. & Fragmenta Francisci Adami, edit. Rom. 1592.

Firmius Catus, Senator, Scribonium Libonem Drusum, cujus intimâ amicitia usus fuerat, sceleratè apud Tiberium rerum novarum detulit ac pervertit. Vide Tacit. 2. 27. Postea sententiâ Senatûs in insulam amovetur, tanquam falsis majestatis criminibus sororem petivisset. Verùm Tiberius ejus operæ, quâ Libonem illexerat insidiis, dein indicio perculerat, memor, sed alia prætendens, exilium deprecatus est. Quo minus Senatu pelleretur, non obstitit. Idem *lib.* 4. 31.

Firmus, Imperator (quem Aurelius *Latronem Ægyptiacum* vocabat) staturâ fuit ingenti, oculis prominentibus, crispo capillo, fronte caperatâ, fusco vultu, piloso corpore, & hispido, ita ut *Cyclops* vulgò diceretur. Robore autem adeò insignis, ut Triarium vinceret. Nam & incudem pectori superpositam tundentibus fabris constanter perferebat. Crinitus. Vide infra.

Firmus, Maurus, in Africa contra Valentinianum, I. insurrexit: à Theodosio, patre Theod. M. ad suspendium adactus. Amm. Marcellinus, *lib.* 29. Oros. *lib.* 7. Item, Seleuciâ oriundus, Imperium contra Aurelianum arripuit, ut terras Zenobiæ adhuc residuas tueretur. Victus à Carino, Carris reduce. Vopisc. *in Firmo.* Item, *in Aureliano.* Ejus historiam Festivus composuit.

Fiscamnum, in Caletibus, locus Galliæ, ubi Waningus Consiliarius Chlotarii III. hortatu Audoëni, Episcopi Rotomagensis, Monasterium puellarum condidit, illudque SS. Trinitati dicavit. Ad mare est, vulgò *Fescam en Caux*; ubi vallis, saltus, Monasterium & opp. cognom. Monasterium autem pridem à Monachis occupatum est. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Fiscellus, montis Apennini ramentum in Umbriâ, juxta Piceni, & Sabinorum confinia, unde Nar fluvius oritur. *Sil. lib.* 8.

Quæ Fiscelle tuas arces, Pinnamq; virentem.

Fiscetus Guilielmus, Rector Univ. Parisinæ, Ludovico XI. studiosos in militiam lecturo contra ligam Boni Publici restitit. A Sixto IV. magni habitus. Scripsit Rhetoricæ libros, Orationes & Epistolas. Guagin. *Hist. Fran. l.* 10. Dupleix. *in Ludov. XI.* Spond. *A. C.* 1465 *n.* 5.

Fisci Campus, opp. Normanniæ, in tractu Caletensi, cum Abbatia & portu, in ora littor. maris Brit. inter Portum Gratiæ & Deppam.

Fiscus, propriè Principis est, Ærarium Reip. Plin. *in Panegyr. Traj.* Ad illum obventiones seu res extraordinariæ, ad Ærarium reditus annuus, vectigalia, tributa &c. spectant. Damnatorum verò bona, cùm confiscantur, ad Principem pertinent: cùm publicantur, i. publicæ venditioni proscribuntur, Ærario cedunt: Sed de his Jurecons. Originem rei nomen prodit. *Fiscus* enim sporta, qualus, clitella; quibus, dum non sufficeret marsupiorum angustia, ad capiendos Principis nummos usi sunt vett. & itinerantes secum deferebant; Ærario loco stabili permanente. *Fiscus* tamen legitur quandoque pro Ærario publico, & vicissim. Aliquando etiam omnes Principis facultates respicit, nullâ habitâ pecuniæ publicæ & privatæ distinctione. Plura vide apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Fisera, Corsicæ urbs. Ptol.

Fishausium, in Borussia, ubi Adelbertus Episc. primò Pragensis, dein Arch. Gnieznensis in Polonia, cùm Episcopatu Gaudentio commisso, ipse ad infideles curandos, in Borussiam abivisset, ab his martyrio affectus est, An. Chr. 1000. Cromer. *lib.* 3.

Fisida, vicus Africæ, circa Tripolitanam regionem. Anton.

Fissenia, oppid. ad Regium amnem, circa Babyloniam.

Fistuca, ut & *Festuca*, baculus, virga, fustis dicitur, cujus traditione transferri solent prædia, vel rei alicujus dominium. Virga enim omni ætate, omni populo, etiam antiquissimis Auctorum testimoniis, Homeri, Herodoti, ipsiusque S. Scripturæ potestatis & dominii symbolum fuit: Ipsa Principum sceptra nihil aliud olim fuere, quàm virgæ & scipiones, quod ipsa vox σκῆπτρον indicat. Unde Hom. *Odyss.* ν. mendicorum utique scipiones, σκῆπτρα, ἀπὸ τοῦ σκήπτειν, ab innitendo vocat, & regium Achillis sceptrum ligneam virgam fuisse apertè indicat, *Iliad.* α. Quod Homerus Græcis illustrioribus, id Persis postea Herodotus, Codinus denuò Orientalis Imperii Magistratibus tribuit. Aliis autem lignea, pura & sine ornatu: *aliis, pro ritu dignitatis & Magistratus,* aurea, argentea, multo symbolo, multo artificio decorata; quibus omissis omnibus, *Fistuca* ceremoniæ immorabimur. Erat illa virga simplex, quam, ut Prætor apud Romanos, indicium potestati gerebat olim Comes, hodie Vicecomes, minorumque jurisdictionum Domini & ministri: hujus tanta, propter latoris reverentiam, auctoritas, ut quod ratum esse voluere, eâ interpositâ confirmarent. Hinc jurare & fidem facere, & potestatem cedere per *Festucam* Comitis & per virgam Domini prædia conferre, in morem venit: non secus ac apud Romanos, per *Festucam* Prætoris servi capiti impositam, manumittere: unde Plaut. *in Mil. glor. Quid ea? ingenua an festuca facta? serva an libera est?* Sed elucente fide Christianâ, mos iste Ethnicus jurandi per *Festucam* Comitis, in tenebras abiit. Alius verò, sc. conferendorum prædiorum, per virgam domini, etiam hodie, apud Anglos in usu est, in Curiis Baronum, ubi hujusmodi possessores, *Tenentes per virgam* appellantur. Sed neque semper de virga intelligenda *Festuca* venit: aliquando enim de stipula quoque & culmo dicitur, pari sensu in antiqq. chartis, unde *Culmo subnixa.* Interim in traditionibus, hastas olim ad res majores transferendas: virgas ad mediocres: stipulas tantùm ad minores adhibebant. Virgæ demum & stipulæ, juxta diversos populorum ritus & arbitria confundi cœpere. Modum transferendi prædia, in Curiis Baronum Angliæ, Spelmannus hujusmodi esse ait: Mævius cùm terras vendidit Sempronio: veniunt ambo in Curiam Manerii & Mævius virgæ seu *Festucæ* finem unum manu suâ assumens, alterum in manum Senescalli Curiæ, qui domini vicem sustinet, tradit, inquiens: *Sursum reddo in manus domini illa prædia, seu terras illas ad opus & usum Sempronii & hæredum suorum, &c.* Prodit deinceps Sempronius, cui Senescallus simili modo virgam porrigens, ait: *Dominus istius Manerii, per manum mei Senescalli sui, concedit tibi illa prædia, tenendum tibi & hæredibus tuis per virgam ad voluntatem Domini, secundùm consuetudinem Manerii, &c.* dominique nomine fidelitatem accipit a Sempronio, *Glossar. Archæol.* Vide quoque in vocibus *Fustis* & *Traditio.*

FL.

Flaccilla, nomine *Antonia*, conjux Novii Prisci, maritum tempore Neronis in exilium comitata est. Tac. 15. 71.

Flaccus, Consul cum Gallo, an. U.C. 916.

Flacillus, Patr. Antiochenus, Arianus, post Euphronium itidem Arianum. Hieron. *in Chron.*

Fladertinga, pervetus Hollandiæ, infra Roterodamum opp. ad ostium Mosæ in Oceanum influentis, Comitum olim sedes: à qua Theodoricus IV. Hollandorum Comes, vocatur *Marchio Fladertingæ*, apud Hermannum Contractum *in Chron.* Vulgò *Vlaerdingen.* Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Flagellantes, secta, ab Eremita quodam Rainero, Perusiæ inchoata, an. 1260. cùm jam an. 1056. ritus Flagellantium incepisset, tanto fervore, ut in uno cœnobio 3000. scoparum absumerentur, Baron. extrinsecus pietatem præ se ferens, intrinsecus plena sceleribus grassabatur. An. 1349. in Hungaria renata, inde in Poloniam se diffudit, ut & Germaniam, Galliam, Italiam & Angliam. Crucem manu, & caputium capite gerentes, usque ad zonam nudi, de die bis, semel noctu, scuticis se cædebant, & in terram decussatim prolapsi, Misericordiam inclamabant. Sanguinem suum, fuso Jesu sanguini æquiparantes, post dies 30. plenariam peccatorum remissionem conciliare dictitabant, &c. Vide Sigon. *de R. I. lib.* 19. *& lib.* 3. *de Episc. Bonon.* Gautier. *Chron. sec.* 13. *cap.* 6.

Flaicus Ins. mediis è paludibus in Santonibus enata, unâ cum Ecclesia B. Mariæ de Surgeriis, *Sugeres*, ad Monaster. Vindocinense pertinet. Vulgò *l'Isle de Flaiz*, Idem.

Flamen, Sacerdotem significat. Tres autem erant *Flamines* apud Rom. qui cognomina ab eo Deo, cui sacra faciebant, sumebant. Dialis à Jove, Quirinalis à Quirino, Martialis à Marte. Dicti quasi *Filamines* à *filo*, quo cingebant caput. Ita Festus, & Priscianus. Varro etiam *lib.* 4. *de L. L. Flamines*, inquit, *quòd caput velatum habebant filo.* Plutarchus à *Pileo*, quasi *Pileamines* dictos arbitratur. Mihi nec à filo, nec à pileo id nomen accepisse videntur, inquit Vossius. Longius enim vocabula hæc abeunt. Sed est *Flamen*, à *Flameo*, hoc est *albo galero*, seu *velamento capitis*, quo utebantur. Id autem flameum vocatum à *flameo colore*, hujus verò coloris erat, quia erant sacerdotes Jovis Tonantis, cui is color convenit. Ita Festus, *Flameo vestimento Flaminica utebatur*, id est, *Dialis uxor, & Jovis Sacerdos, cui telum fulminis eodem erat colore.*

Flamingi, pop. Gall. Belg. qui à Saxonibus originem duxerunt. Æmil. *lib.* 3. qui & *Flandrenses.* Horum prædecessores ab Amando conversi, an. Chr. 678. ipsi verò, ut & Brabantini, ex Saxonibus, à Carolo M. in Franciam translatis orti, an. Chr. 806. plurimum damni ab inundante Oceano acceperunt, an. Chr. 1176. Comes eorum Vido, quòd Angli partes tueretur, à Philippo Pulchro Gall. R. captus, & Flandria vastata, an. Chr. 1296. sed pòst à Vi-

Vidonis filiis Rex tantâ clade victus est, ut 700. aurea calcaria suspensa sint in tropæum, an. 1302. Exin Hollandiam & Zeelandiam vastantes Flandri, à Joh. Com. 1000. navibus captis & 10000. hominum cæsis victi sunt, an. Chr. 1304. Iterum à Philippo Valesio Gall. R. superati 6000. cæsis, A. C. 1328. Rursus à Carolo VI. regioque Philippo Burgundo Caroli patruo, uxoris nomine accessit, an. Chr. 1385. Hanc verò Franciscus I. victus & captus Carolo V. Imper. cum Artesia & Tornaco cessit, A.C. 1525. Præterito seculo Fœderi Belgarum pro libertate nomen dedere, sed à Parmensi subacti, A.C. 1585. hodie inter Galliæ Hispaniæque Reges in diversum raptantur. Vide in vocibus *Flandrenses* & *Flandria*.

Flaminia, Italiæ regio, hodie *Romandiola*, *Romagna* Leandro. 10. Cujus metropolis Ravenna & Bononia, recens metropolis prim. Ferrar.

Flaminia Via, ab urbe Româ Ariminum usque perducta per Ocriculum, Narniam, Spoletium, Forum Flaminii, Helvillum, Callem, Forum Sempronii, Fanum Fortunæ, & Pisaurum, Anton. *in Itin.* A Flaminio Consule, qui ad lacum Thrasymenum ab Annibale cæsus est, strata. Ovid. *Pont.* I. 9.

Spectat Flaminia Claudia juncta via.

Juvenal. *Sat.* I.

—— Experiar quid concedatur in illos,
Quorum Flaminiâ tegitur cinis atq; Latinâ.

Flaminii prata, nunc *Circum Flaminium* voant, locus urbis Romæ. Liv. *lib.* 3.

Flaminius, civis Rom. à quo *Via Flaminia*, *arcus Flaminius*, & *forum Flaminium*, Consul cum Annibale pugnans ad Thrasymenum lacum interfectus est: cujus cadaver inter mortuos ab Annibale quæsitum nec inventum. Liv. *lib.* 22. Polyb. Flor. *lib.* 2. Eutr. *l.* 7. Oros. *l.* 4. *c.* 15. Valer. M. *l.* 1. *c.* 6.

Flaminius, prænomine Quintus, superioris filius, qui Philippum Macedoniæ regem vicit, filiumque Demetrium obsidem dare coëgit, &c. Inclytus bello. Plutarchus *in Flaminio*. Aurel. Victor, *de Vir. Illust. cap.* 51. Liv. *dec.* 4. *l.* 2. Flor. *l.* 2. *c.* 7. Eutr. *lib.* 4. Oros. *lib* 4. *cap.* 20.

L. Flaminius, quem Cato Censorius ignominiosè à senatu expulit, quòd Gallum quendam, in gratiam pueri quem deperisset, tum cùm Galliæ præerat, interfecisset. Livius.

Flaminius Joh. Antonius, d'Imola, prosâ & versu plurima scripsit, inprimis hist. Imperatorum Rom. 3. libros Sylvarum. 2. Epigrammatum. Leand. Alberti, *in descr. Ital. & in Illust. Vir. Ord. Prædic.* Possevin. Vossius. &c. Floruit seculo proximè elapso.

Flaminius M. Antonius, fil. prioris Joh. Antonii.

Flaminius Nobilius, Lucensis, Philosophus & Theologus inter suos magni nominis, editioni Bibl. Sixti V. adhibitus. Obiit an. 1590. æt. 58.

Flaminius Sebastianus, scripsit vitam Ambrosii Sen. Leand. Albert.

Flamma, vide *Antonius*.

Flamma Clausus, Tiberii libertus ac Prægustator; à quo nomen etiam sumpsit, *Ti. Claudius Flamma Clausus*.

Flamonienses, cognomine Vannienses, & Culici, circa Venetos populi. Plin.

Flanaticus sinus, *Flanonicus* Stephano, *Polaticus* Melæ, *Liburnicus* Orosio, sinus maris Adriatici, inter Istriam & Liburnicam, hodie *Il Quarnero*: Populi *Flanates* Plinio dicuntur.

Flandrenses, propriè dicti sunt primùm *Flandrensis* municipii vel oppidi, cujus primus meminit Audoënus *lib.* 2. *de Vita S. Eligii*, incolæ; quod recentiores *Bruzzios*, *Brudgas* ac *Bruggas*: nunc *Brugas* vocant. Postea *Flandri* dici cœperunt, quorum multos ad fidem Ursmarus perduxit. A Niceta Choniate *Flamiones*: à recentioribus, ut à Marliano aliisque nunc *Flamingi*, nunc *Flamenci*, à Gallis *Flamans* nuncupantur: cujus nominis originem penitus sibi ignotam esse ait Valesius, cùm ut à Flandria Galli *Flandre* aut *Flandres* dicitur, sic Flandrensis *Flandrois* potius, quàm *Flaman* vocari debere videatur. Vide *Flamingi*.

Flandria, Gall. Belg. regio, ad littora Oceani Septentrionalis. Tractum siquidem Europæ extremum, Britannicæ insulæ oppositum, inter Galliam, Germaniam, & Oceanum, incolæ *Germaniam inferiorem* appellant, Galli, exterique ferè omnes, uno nomine *Flandriam* vocant. Verùm Flandria non tam latè patet, nam quæ nunc Flandria est, ea Brabantiâ, Hannoniâ, Artesiâ, & Oceano terminatur. Hanc in tres partes dividunt, in Teutonicam seu propr. quæ ad Occ. Gallicam ad Mer. & Imperatoriam, quam & Proprietariam (quòd nunquam Superiorem, aut Dominum præter Flandriæ Principem agnorit) nominant, quæ ad Or. extenditur. Teutonica Flandria 18. habet urbes celebres, quarum præcipuæ sunt Gandavum, Brugæ, Ypra, &c. Gallica tres, Insulas videlicet, Duacum & Orchianum. Imperatoria quatuor, Alostum, Teneramundam, Gerardimontium, & Ninivam. Flumina ejus celebriora sunt, Scaldis, Liza, & Tenera. Regio maxima Belgii, cultissima & maximè compascua, imprimis Occidentem versus. Boves, equosque præstantissimos, belloque aptos gignit. Caseo, butyroque abundat. Tritici admodum fœcunda, & nobilis. Comit. tit. insignis. Populus ferè mercaturam exercet, atque ex lino (cujus hìc maxima fertilitas, & excellentia est) lanâque pannos lineos, laneosque magnâ copiâ conficit, latissimeque distrahit. Habet 1245. pagos, præter Arces, Castella, & Nobilium ædes. Lud. Guicciardinus, & Jac. Marchantius Flandriam descripserunt. Antea tota sub Hispanis, sed à multo tempore pars Zeelandiæ propinqua, paret Hollandis, & media ferme pars totius Prov. sub Gallis est à paucis annis, cum Flandria Gallic. Historia paucis hæc: Dicta hæc regio, à Flamdeberto, nepote Claudii Regis Gall. qui Blesindâ, Goldueri Ruthenorum R. filiâ ductâ, Romanos Galliâ Belg. pepulit. Alii à Flandrina, fil. Liderici II. sub Carolo M. & Lud. Pio dictam volunt. Habebat VI. magnos saltuum Præfectos continuè se subsequentes, quorum primus erat Lidericus I. fil. Salvarti, Principis Divionensis, à Clotario II. ad hanc dignitatem evectus: Si vera historici referunt. Vide Morerium. Comitatus facta est, à Carolo Calvo, in Balduini Odoacri gratiam. Ludovicus, cognom. Mechliniensis, per uxorem Margaretam, filiam Joh. III. Brabantiæ D. Brabantiam obtinuit, cujus filia Philippo Audaci nupsit. Hujus pronepos Carolus Audax Mariam hæredem reliquit, an. 1477. Nanceji occisus, quæ in Austriacam familiam, Maximiliano I. ditiones has intulit. Ad Fidem conversi Flandri creduntur, ab Eligio Episc. Noviodunensi, & S. Amando. Mayer. *Hist. Flandr.* Guicciard. *descr. Belgii.* Locrius, Garetus, Grotius, Strada, Bentivolus, &c. Totius hujus regionis caput est Gandavum.

Flandriæ urbes præcipuæ.

Aldenarda, *Oudenarde*, in ditione Francorum.
Alostum, *Aelst*, Gallis *Alost*, in ditione Hispanorum.
Armentariæ, *Armentiers*, Francorum.
Axella, *Axel*, Hollandorum.
Bassea, *la Bassée*, Francorum.
Brugæ, *Bruges*, Hispanorum.
Burburgus, *Bourbourg*, Francorum.
Clausulæ, *Sluys*, Gallis *l'Ecluse*, Hollandorum.
Cortracum, *Cortricht*, Gallis *Courtray*, Francorum.
Dammum, *Dam*, Hispanorum.
Dixmuda, *Dixmude*, Hispanorum.
Duacum, *Douay*, Francorum.
Dunquerca, *Duynkerke*, Gallis *Dunquerque*, Francorum.
Furnæ, *Veurnes*, Gallis *Furnes*, Francorum.
Gandavum, *Ghendt*, Gallis *Gand*, Hispanorum.
Gerardimontium, *Geertsberg*, Gallis *Grandmont*, Hispanorum.
Gravelinga, *Grevelinghen*, Gallis *Gravelines*, Francorum.
Hulstum, *Hulst*, Hollandorum.
Insulæ, *Rissel*, Gallis *Lille*, Francorum.
Ipræ, *Iperen*, Gallis *Ipre*, Hispanorum.
Menina, *Menin*, Francorum.
Neoportus, *Nieuport*, Hispanorum.
Ostenda, *Ostende*, Hispanorum.
Teneramunda, *Dermonde*, Hispanorum.
Tornacum, *Dornick*, Gallis *Tournay*, Francorum.
Vinociberga, *Vinoxberg*, Gallis *Bergues S. Vinoc*, Francorum.

Flanona, seu *Flavona*, opp. olim Liburniæ, nunc Istriæ, in ora maris Adriat. & sinus Flanatici, sub Venetis, cum portu satis capaci 12. mill. ab ostio Arsiæ fluv. in Sept.

Flavia Domicella, uxor Flavii Clementis, ob fidem Christianam, in Ins. Pandatariam relegata, jussu Domitiani, longum ibi martyrium in cellulis duxit: verba sunt Hieron. Vide *Flavius Clemens*.

Flavia, Palæstinæ urbs, primùm ab Herode condita, & in gratiam Tiberii *Cæsarea* appellata, postea deductâ eò à Flavio Vespasiano Coloniâ, *Flavia* dicta. Plin. 5. 3. Patria Justini Phil. & Martyris. Item Æduorum Sequanorum urbs, hodiè *Flavigny*, ut quidam existimant. Sed ex panegyrico Const. M. est ipsa Æduorum urbs Augustodunum, *Flavigny* verò Flaviniacum est, inter Divionem & Semurium. Ferrar. Item *Flavia* Lambris Bædiorum, Hisp. Tarrac. urbs. Ptol. Baudrando oppid. Callaicorum, quibusdam *Fuenfria*, castr. versus limites Asturiæ. Aliis *Rivadavia*, opp. ad Minium fluv. versus confinia Portugalliæ, 8. leuc. supra Tyde in Ort.

Flavia Gallica, opp. Illergetum, nunc *Fraga*, opp. munitum Arragoniæ, ad Cincam fluv. in limite Cataloniæ. 3. leuc. ab Ilerda in Occ. 18. à Cæsaraugusta in Ort.

Flaviacum, locus Galliæ, in Bellovacis, ubi Geremarus, permissu Chlodovei, Cœnobium extruxit, primus ejus Abbas. Vulgò *S. Germain*, nonnunquam *l'Abbaye de S. Germer de Flay*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Flaviana, Scythiæ urbs. Lib. Notit. Mœsiæ prima alio in loco eidem. *Vienna* Lazio. Vide *Juliobona* & *Vindobona*.

Flavianum, quod & *Flavinianum* legitur, hodiè *Fojano*, oppidum Hetruriæ ad Tiberim in finibus Faliscorum. *Flavinium*, Virgilio, *lib.* 7.

Hi Fescenninas acies, æquosq; Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaq; arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosq; Capenos.

Silius *lib.* 8. *Flavinam* vocat:

Hos juxta Nepesina cohors, æquiq; Falisci,
Quiq; tuos, Flavina focos, Sabatia quiq;
Stagna tenent, Ciminiq; lacum, qui Sutria tecta
Haud procul, & sacrum Phœbo Soracte frequentant.

Patriar-

Patriarchæ Antiocheni & Constantinop.

Flavianus I. Patr. Antiochenus, Massalianos pepulit & civibus turbarum reis, à Theodosio Imper. veniam impetravit. Cùm enim illos ob dejectas suas & uxoris Placillæ statuas, malè mulctaturus esset Imperator, suasit Episcopus, ut Missici Imperatoris lugubres Antiochensium cantiones, sub finem cœnæ, canerent: quo adeò is permotus est, ut miseris delictorum gratiam faceret: A. C. 382. Obiit an. 404. sedis 23. Theodoret. *l.* 5. Sozom. *l.* 7. & 8. *c.* 23. Baronius A. 370. 379. 381. &c.

Flavianus II. Palladio successit, an. 496. acer Concilii Chalcedon. defensor, Anastasium Imp. infestum sensit, ab eo in exilium pulsus, an. 512. Vide Evagr. *l.* 3. *c.* 31. 32. Joh. Mosch. *Prat. Spir. c.* 35.

Flavianus, Patr. Constantinopolitanus, post Proclum. Chrysaphium, Theodosii Jun. gratiâ præpotentem inimicum habuit. Eo tempore Eutyches hæresin sparsit, quam Flavianus, synodo habitâ, condemnavit, in Lystrica dein Synodo, Ephesi habitâ, anno 449. depositus, & calcibus ad necem percussus est: Cadavere, anno pòst, jussu Martiani, Constantinopolim translato, magnificeque sepulto. Leo, *ep.* 8. 9. Niceph. *lib.* 14. *cap.* 47. Evagr. *l.* 1. *c.* 10. Concil. Chalced. *Act.* 3. & 4.

Flavianus, auctor libri, *de vestigiis Philosophorum*, Saresburi. *l.* 2. *de nugis Curial. cap.* 26. &c.

Flavias, & *Flaviopolis*, nunc *Flipoli*, urbs Ciliciæ medit. olim episc. sub Archiep. Seleuciensi, nunc vicus.

Flavii, à *flavo* deduci dicuntur, ob crinium candorem. Erat autem apud Romanos familia amplissima, ex quâ erant Vespasianus, & filii ejus Titus ac Domitianus.

Flaviniacum, à *Flavino*, locus est diœcesf. Augustodunensis, vet. monasterio ejusdem nominis clarus, vulgò *Flavigny*. Vide *Flavia Æduorum*.

Flaviobriga, opp. Autrigonum in Hispan. citeriori. Plin. 4. 20. In Cantabris, antea *Portus Amanus*, nunc *Bilbao*, urbs Biscajæ prim. ad Nervam fluv. qui 2. leuc. infra in Oc. Cantabr. se exonerat; estque ampla & elegans, emporiumque celebre, 14. leuc. à Fano S. Andreæ in Ort. Baudr.

Flavionavia, Pesicorum in Hisp. Tarrac. opp. quod hodie *Bilbano* appellatur, ut nonnulli sentiunt.

Flaviopolis, Bithyniæ civitas. Ptol. Item urbs mediterranea Ciliciæ eidem. Fuit & Thraciæ opp. eo loco conditum, ubi antea Zelia fuerat. Plin. 4. 21.

Flavitas, hoc dolo usus est, ut post mortem Acacii, sede Constantinopolitanâ potiretur. Imp. Zeno jejunio 40. dierum indicto, chartam albam obsignatam in altari recondidit, Deum rogans, ut per Angelum nomen Præsulis inscriberet. Hic Eunucho, cui templi cura incumbebat, corrupto, nomen suum ibi scripsit Flavitas, sicque electus est. Sed paulo pòst detectâ fraude, ut & alterâ, quâ Felici Episc. Rom. impositum ibat, obiit. Niceph. *lib.* 16. *cap.* 18. & 19. Evagr. *l.* 3. *c.* 23. Baron. *A. C.* 48.

Flavium Arvense, Morali *Alcolea*, opp. Hisp. Bæt. in Vandal. 8. leuc. ab Hispali.

Flavium Axalitanum, nunc *Lora*, opp. apud Bætim fl. inter Hispalim 9. & Cordubam 13. leuc. ol. municipium. Dicitur & *Axalita*

Flavium Brigantium Ptol. Callaicorum urbs in Portu magno, hodie *Compostella*. Item *Flavium* Norici opp. Plinio. hodie *S. Andres*, teste Lazio. urbs Carinthiæ; sub Arch. tamen Salisb. ad Lavantum fl. qui 2. leuc. infra in Dravum se exonerat. 9. mill. Germ. à Labaco in Bor. Media inter Claudiam ad Occ. & Græciam ad Ort.

Flavius, nomen familiæ Romanæ, non admodum illustris. Sueton. in *Vespasiano*.

Flavius, Arminii frater, sed eidem discors. Nam in exercitu Rom. sub Tiberio, contra populares Germ. militavit, & in conflictu oculum amisit alterum, insigni erga Rom. fide, Tac. 2. 9.

Flavius, prænom. *Cajus*, Marci Bruti, Cæsaris percussoris, legatus pro Prætore.

Flavius Avienus, Consul cum Pompejo, an. U. C. 1254.

Flavius Antiochianus, Consul cum L. Orphito, an. U. C. 1022.

Flavius Basilicus, Consul cum Herminericho, an. U. C. 1218.

Flavius Claudius, 32. Romanorum Imp. an. U. C. 1021. hic Aureolum vicit, ac imperio exuit, Gothos fudit cæciditq; ad 320000.

Flavius Clemens, Consul cum Domitiano Cæsare, an. U. C, 847.

Flavius Nepos, Tribunus militum, post patefactam conjurationem Pisonianam, tribunatu à Nerone exutus, ob suspicionem.

Flavius Promotus, Consul cum Flavio Timasio, an. U. C. 1141.

Flavius Sabinus, à Nerone præf. urbis constitutus, dein ab Othone confirmatus. Tac. *Hist.* 1. 46.

Flavius Scevinus, Senatorii ordinis, luxu dissolutus, ac somno languidus, particeps conjurationis cum Pisone in Neronem. Tacit. 15. 49. In eam rem pugionem templo salutis in Etruriâ, sive ut alii tradidêre, Fortunæ Ferentano in oppido detraxit gestavitque velut magni operis sacrum. *cap.* 53.

Flavius Stilico, Consul cum Aureliano Cæsare, an. U. C. 1151.

Flavius Val. Valentinianus, 42. Roman. Imper. cum Valente, an. U. C. 1118.

Flavius Varro, Consul cum Tertullo, an. U. C. 1163.

Flavius Vejanus Niger, Tribunus Militum, qui Subrium, jussu Neronis, confecit. Tacit. 15. 67.

Flavius Vespasianus, vide *Vespasianus*.

Flavona, opp. Illyrici extremum, Ptol. & Plin. 3. 21. ubi tamen quidam *Flammona* legunt. In monte, ubi fons viginti duo molendina per declive trudit, antequam in planum deveniatur, Leand. Albertus, *descr. Ital.*

Flecchia, recentioribus *Flexia*, vulgò *la Fléche*; opp. est Gall. non ignobile in finibus Andicavorum, ad Lidericum fluv. An à sagitta, quæ Gall. *une fleche*, an à turri aliqua, structurâ sagittæ erectâ. Hîc Jesuitarum celebre Collegium. Hadr. Valesf. *Not. Gall.*

Flensburgum, urbs Daniæ, in Jutia, & Duc. Slesvic. ad Sinum parvum cognom. cum portu capaci & castro. 4. leuc. Germ. ab Alsena Inf. in Occ. totidem à Slesvico in Bor. 9. ab Ottonia ad Austr. sub Daniæ Rege.

Flessinga, urbs Zeelandiæ, in Valachria Inf. permunita, cum portu commodo, in dit. Batavorum, & sub dominio utili Principis Arausf. Olim planities modò & transitus in Flandriam, *Clavis maris* dicta. A Slusanis direpta, an. 14 5 Elisabethæ Reginæ cum Briela oppignorata est, ab Albæ & Parmæ Ducibus, frustra obsessa. Guicc. *descr. Belg.* Grotius *Annal. Belg* Strada. Eam Belgis pecuniâ acceptâ reddidit, Jacobus I. Magnæ Brit. R. A. C. 1616. Vix 1. leuc. à Middelburgo in Occ. 3. à Clausulis in Ort. 7. à Gandavo in Bor.

Fletio, vulgò *Flueten*, vicus 5. m. p. ab opp. *Woerden* in dominio Ultraject. Sub Batavis, medius ferè inter Woerden & Ultrajectum. Cluver.

Flevo, quibusdam *Fletio*, Inf. Frisiorum in Flevo lacu, ubi nunc inf. *Ens* & *Urck*, in sinu *de Zuiderſee*, Ortel. Cluverio autem absorpta est, ubi nunc Brevia *het Bredesant*, inter Frisiam Occ. & Vieringam Inf. quod forsan mel. Baudrand.

Flevum, *Flevi lacus*, Tacito, sinus maris Germanici inter Batavos, & Frisios, in quem Rheni alveus Orientalis cum Isala apud Campenam urbem influit; vulgò *Suyderſee*. Sed *Flevum* Plinio est, ipsius Rheni ostium Orientale. *Yssel* Ortelio, *Vlie* autem Verrutio, apud Hollandiam. Valesio inter Insulas Schelling & Vlielant; intusque in ipso sinu *Het oude Vlie*, inter duo brevia.

Flevum, Castellum Tacito, opp. Frisiæ Occidentalis ad lacum Flevum. *Vollenhove*, teste Cyro Spangenbergio. Sed Becano est *Fledorp*. opp. ejusdem Frisiæ in orâ littoreâ ad Bor. apud Groningam urbem. Aliis fuit, ubi nunc vicus *Oosteynde*, in parte Bor. Inf. *Vlielant*, ad ostium Flevi lacus seu maris Austrini, prope Rheni ostium Or. Flevum, *het Vlie*, vix. 3. leuc. in Occ. ab ora Frisiæ Occid. Sanson. *Vliet* autem, *Fliet* & *Flee* Belgis, maritimos dici campos, æstibus modò inundari, modò nudari solitos, & oppida ac loca, quò Oceanus accedere consuevit, notat Cluver.

Flexum, Pannoniæ urbs Anton. *Wien* Spigelio. Lazius *Presburg* putat Hungariæ urbem. Aliis *Ovvar*, Germ. *Altenburg*, ad ramum infer. Danubii, ubi Leitam recipit, prope Schutiam Inf. 2. leuc. à Posonio.

Flintum, castr. Angliæ in wallia, ad Deam æstuarium. Hinc *Comitatus Flintensis*. Est autem 9. mill. Angl. a Cestria, in Occ. Ibi Richardus II. perfidiâ Henrici Percii, Northumbriæ Comit. traditus, in manus Henrici Lancastriæ D. devenit; inde captivus Londinum deductus, & è regali solio depulsus est.

Flissinga, vide *Flessinga*.

Flodoardus, Abbas S. Remigii Remensis, sec. 10. Chronicon orsus, ab an. 917. ad an. 966. perduxit. Alii eum ab an. 877. i. à Caroli Calvi morte incepisse ajunt. Scripsit quoque libb. 4. historiam Ecclesiæ Remensis, à Sirmondo editam, an. 1611. Alia quædam versu script ei attribuuntur. Vide Sigebert. *de Vir. Ill. c.* 131. Simlerum, Vossium, &c.

Flora, Dea Romanorum, quam floribus præesse volebant. Hanc meretricem fuisse ajunt, quæ cùm magnas opes corporis quæstu quæsivisset, pop. Rom. scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant *Floralia*, sive ludos *Florales*. Quod quia Senatui flagitiosum tractu temporis videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus & vitibus bene prospereque florescerent. Celebrabantur illi ludi omni cum lasciviâ, convenienter in memoriam meretricis, nam præter verborum licentiam nudabantur, flagitante populo, meretrices, quæ spectatores impudicis moribus detinerent. Lactant. *de F. R. l.* 1. *c.* 20. Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 5. Juven. *Sat.* 6. Hæc à Græcis χλωεὶς dicebatur. Ovid. *Fast.* 4.

Chloris eram, quæ Flora vocor.

Florentia, urbs in Etruriâ in umbil. ferè Italiæ, hodie clarissima, ex maximis Italiæ, Tusciæ primaria, aliquando *Fluentia*, quòd ad Arni *fluenta*, à quo in duas partes inæquales, quadruplici ponte lapideo junctas, dispescitur, extructa sit, dicta; unde pop. *Fluentini* Catoni & Plinio, qui nunc *Florentini* nomine magis auspicato vocantur, olim libera. Libertatem enim à Rodolfo Imper. 6000. aureis nummis redemerat, Platina, ac maximæ partis Etruriæ Domina, nunc verò Reip. formam adhuc, sub magno tamen Duce, ex Medicæâ familiâ, ab an. 1530. auctoritate Caroli V. qui Alexandrum Medicæum, generum suum, primum Florentiæ Ducem creavit, Vide infra, servans. Archiepisc. ab an. 1421. Patria

Leonis X. Clementis VII. Pii V. Leon. XI. &c. Italicæ linguæ metropolis, nisi quòd paulò asperior pronuntiatio incolis. Unde proverbium: *Lingua Toscana in bocca Romana*. Equus Trojanus virorum literis illustrium. Vide Hugolin. Verrinum *Florent. illust.* Poggium, Leon. Aretinum, Macchiavel. *hist. Florentina*, Ammiratum, Villanum, Volaterranum, Leandrum Alberti, *descr. Ital. p.* 42. *& seq. edit. Venet.* 1581. *&c.* Obsessi cives ab Henrico VII. Imp. hunc per Bernardum Monachum Dominicanum, veneno sub specie sacramenti propinato, peremerunt, an. 1313. Naucler. *gen.* 13. quod adeò ægrè Pisani tulerunt, ut Florentinos tribus præliis vicerint, Johanne fratre Roberti Apuliæ Regis trucidato, P. Æmil. *lib.* 8. Valdensibus referta urbs fuit, circa an. Chr. 1320. quorum doctor tum inter alios Michaël Cesennas: unde pulsi in Græcorum se diffudere regiones. Anton. *par.* 3. *tit.* 21. *c.* 5. *§.* 1. A Gregorio XI. excommunicati, ejus fulmina adeò non curarunt, ut illum pœnituerit translatæ Avenione Romam sedis. A.C. 1376. Sabellic. *Hist.* Cosmo Medicæo, viro opulento, qui splendoris Mediceæ familiæ fundamenta jecit, frustra restiterunt cives. A.C. 1472. Puteanus *in Hist. Medic.* Hieronymus Savanarola, vir pius & divini zeli, quòd acriter in abusus Papales inveheretur, hîc combustus est, an. Chr. 1494. Deditione capta urbs à Carolo V. est, an. 1529. & Alexander Medices, Laurentii Urbini filius nothus, Dux Florentiæ creatus est, naturali ei filiâ Margaretâ elocatâ: quo septimo pòst anno à Laurentio agnato proximo occiso, successit Cosmus, remotior agnatus, cujus posteri hodieque feliciter imperant. Vide Thuan. *lib.* 1. *&* 18. *Hist.* Frid. Guicciard *comment. lib.* 1. Hic Concilium, ab Eugenio IV. in Basil. concilio deposito, habitum, postquam Ferrariâ, ubi illud orsus erat, peste pulsus esset, an. 1439. Quo, præsente Johanne Palæologo, Imper. qui in Italiam venerat suppetias contra Turcam rogaturus, inter Græcos & Latinos, de Processione Spiritus S. à Patre & Filio conventum, Bessarione duplici oratione defuncto, subscriptumque ab omnibus, Ephesino Episcopo excepto. De Transsubstantiatione lis indecisa mansit, nec mortuo ibi Patr. Josepho, alium à Pontifice eligi, permissum à Græcis. Imo ipse consensus, ab Eccl. Græca, reverso Imperatore, mox rescissus, Bulling. *de Conc. lib.* 2. *cap.* 10. Laonicus *in histor.* Duravit usque ad annum 1442. Vide plura in Actis Concil. Trident. &c. Antea ibidem Concil. celebratum fuit, anno 1055. à Victore II. contra Berengarium, præsente Henrico III. Imp. Villanus, *hist. Flor. lib.* 4. *cap.* 15. Item an. 1105. contra Episc. Fluentium, qui Antichristum jam natum esse asseruit, &c. Vulgò *Fiorenza*. Vide Morerium & Leandrum *in Descript. Ital.*

S. Florentii opp. in Senonibus, ad fluv. Ormentionem, quo Icauna augetur, vulgò *S. Florentin*. In Gallia. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Florentinus, Consul cum Anthemio, an. U.C. 1270. Alius Consul cum Dionysio, an. U.C. 1182. Tertius, cum Tauro, an. U.C. 1114.

Florentinus, Jurisperitus, Alexandro Cæsari à consiliis.

Florentiola, opp. geminum, unum in Thusciâ, apud Vatrenum fluv. Alterum in Gall. Togatâ, inter Parmam & Placentiam.

Hollandiæ Comites.

Florentius I. Comes Hollandiæ 6. post fratrem Theodoricum IV. 1048. Ex Gertrude pater Theodorici Successoris, & Berthæ, quæ Philippo I. Gall. R. nupsit, &c. Archiepisc. Coloniensem, cum plurimis aliis Principibus, sibi bellum inferentem devicit, sed post prælium, sub salice recubans, oppressus est, An. 1062.

Florentius II. cogn. *Crassus*, fil. Theodorici V. ab an. 1091. usque ad an. 1123. præfuit. Ex Petronella, sorore Lotharii Imper. pater 3. filiorum, &c. Frisones rebelles coërcuit.

Florentius III. ab an. 1163. ad an. 1190. Comes Friderici Imper. in expeditione sacra, obsessâ Damiatâ, insignibus fortitudinis speciminibus editis, obiit, Antiochiæ sepultus. Ex Ada, numerosæ prolis parens.

Florentius IV. Guilielmo patri successit, an. 1223. in ludo equestri, à Comite Claræmontano, occisus, An. 1235. Ex Michaëlide Lotharinga, pater Wilhelmi, Florentii, Adelaidis & Margaretæ, quæ Comiti Hennenbergico nupta, 365. liberos edidisse fertur.

Florentius V. sub Tutoribus relictus: unde turbæ. Adultus, Frisones rebelles aggressus est, à Girardo nobili, cujus uxorem polluerat, interfectus. An. 1296. princip. 40. Ex Beatrice, fil. Guidonis Flandriæ Comitis, pater 7. filiorum, 4. filiarum. *Chron. Flandr.* Rainerius *ver. Batavic.* Douza, Meyerus, Emundus, Gerardus, *Batav. hist. &c.*

Viri illustres.

Florentius Bravonius, Monachus Wercestriensis, in Anglia, composuit Chronicon Chronicorum, à Mundo condito, usque ad an. 1118. ab alio continuatum, usque ad an. 1163. Idem continuationi Mariani Scoti incubuit, scripsit de regia apud Anglos familia, aliisque egregiis operibus Famam est meritus. Simler. *Bibl.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 48.

Florentius, Carthus. virtute & eruditione clarus, scripsit Belgicè Institutionem Christianam, à Nic. Zegero Latinè versam auctamque. Petrejus *Bibl. Carthus.* Item Abbas, auctor vitæ S. Josis, fil. cujusdam Britonum R.

Florentius Christianus, Aurelian. prosâ versuque plurima scripsit, Oppianum vertit. Verder. *Bibl. Fr. p.* 342. *& seqq.*

Florentius Jacobus, Baccalaureus Sorbon. defensor Thesium, quibus Papam asseruit jus in secularibus Galliæ Regum, cum Præside suo Th. Blanzio, condemnatus est. Spond. *A.C.* 1595. *n.* 13.

Floriacum, vulgò *Floroy*, oppidul. Duc. Burg. ad Uschum vel Oscaram amnem, 3. leuc. à Divione in Occ. *Floriacum* alt. pagus est ad Ligerim in Carnutibus Diœcesique Aurelianensi, 7. leuc. in Ort. ab Aureliis. 25. leuc. à Blesis in Ort. Ubi celebris Abbatia S. Benedicti, vulgò *Fleury sur Loire*, vel *S. Benoist sur Loire*, extructa à Leodebodo, Abbate Monasterii S. Anniani extra muros Aurelianorum, tempore Chlodovei jun. Prius autem *Vallem Auream* hunc vicum dictum esse, refert Aimonius *de mirac. S. Benedicti*. De Conciliis hîc celebratis, Vide Morerium *Dict. Hist.*

Floriana, opp. Pannoniæ inf. nunc pagus, *S. Paul*, Lazio, apud Danub. & Budam.

Florianus, Imperator, qui Tacito fratri successit, dolens Probum, militiæ peritum, à magnâ exercitus parte esse electum, sibi ipsi venas incidit, effusoque sanguine consumptus est. Aurelius Victor, *in vita ejus*. Vopisc. similiter, An. 276.

Florianus de S. Petro, Bononiensis, circa an. 1440. eruditione & scriptis celebris.

Florida, Regio perampla Americæ Septentrion. ita appellata, quòd ipsâ dominicâ Palmarum reperta sit, quam Hispani suo idiomate *Parcua de flores* vocant. Ei hoc nomen indidit Joannes Pontius Legionensis, ab incolis *Jaquasa* dictæ. Fines ejus sunt ab Ortu Bahama & Leucaja insulæ, ad Occ. Mexicanus sinus, à Meridie respicit Cubam & Jucatanas terras, excurrens in modum Isthmi ad 100. mill. pass. quaque angustissima est, 30. mill. latitud. occupat: In Septentrione supra Floridam, sunt Canada, Virginia, Avanares & nova Francia. In hac Provinciæ celebriores ab Hispanis repertæ, sunt Panuca regio, in finibus Hispaniæ novæ sita, Avanares & Albardaocia, Jaguazia, Apalchia, Authia, Somovia, &c. Regio plana est & multis fluminibus septa, eam ob causam humidior & arenosa in maritimis. Hîc Hisp. possident arces S. Matthæi & S. Augustini, versus oram littor. cum aliquot aliis parvi momenti. Angli verò, à paucis annis occuparunt partem Or. versus montes Apalatæos & fluv. Maji; Habentque multas colonias in illo tractu, teste Bristochio. Historia Regionis ex Morerio hæc est: Primùm detecta est an. Chr. 1496. à Sebastiano Gaboto, quem Henricus VII. Angliæ R. emiserat quæsitum per Occidentem, viam in Orientem navigandi. Verùm huic Floridam vidisse satis fuit. Postea Joh. Pontius Legionensis, auspiciis Castellæ Regis eò vela dedit A.C. 1512. qui coloniam ibi fundaturus ab incolis pulsus est. Tandem A.C. 1520. & 1524. Lucas Vasquezius, aliique Hispani eò venerunt, illinc abrepturi homines, ut in Hispaniolæ fodinis laborarent. Pamphilus post hos Narvaëzius illam peragravit A.C. 1528. Ferdinandus Soto ibidem fuit, post Peruviam occupatam, A.C. 1534. cum 300. equitibus & 900. peditibus, sed intra spem auriferam regionem cernens inde abiit: nomine *Florida* regioni imposito, quia vel festo Palmarum die illuc advenerat, vel quia campos floribus refertos ibi deprehendit. Anno post hæc 1549. à Carolo V. Sacerdotes illuc missi, qui Barbaros ad fidem perducerent, ab iis enecati sunt: sub Carolo dein IX. Gall. R. an. 1562. Franciscus Ribaldus, huc delatus, amicitiâ cum Floridensibus initâ, fortalitium Carolinum ibi extruxit, Gallorum coloniâ eò deductâ. Eodem rediit A.C. 1564. Renatus Laudonerius; qui similiter benignè ab incolis exceptus est. Quod ægrè ferentes Hispani impetu non prævisо Gallos obruerunt, nobilibusque quàm plurimis infami suspendio necatis, Ribaldum excoriarunt, sed an. 1567. Dominicus Gurgesius Vasco, propriis sumtibus navigio instructo illuc devectus, fortalitio Carolino recuperato, Hispanis par pari retulit: Annoque pòst redux ægrè æmulorum insidias, Hispanis multùm tum in Gallia valentibus, exiit. Cæterùm solum Floridæ fertile, & metalliferum est, sed nullâ incolarum curâ: qui arcu uti soliti, exuviis ferarum induuntur, Solemque & Lunam nonnullâ veneratione colunt. Vide Ortel. *Theatr. Orb.* Urban. Calvetum *de Nov. Mund. l.* 2. *c.* 1. Theodor. de Brey *Hist. Amer.* Marc. l'Escarbotum *Hist. du nouveau Monde.* Thuan. *lib.* 44. *&c.*

Florinus, discip. Valentini, cum Blasto, ab Eleutherio Episc. R. depositus: Deum auctorem mali impiè asseruit, B. Virginem in partu intemeratam mansisse negavit, Resurrectionem insuper inficiatus: A S. Irenæo, cum quo olim Polycarpi fuerat auditor, refutatus. Euseb. Cæs. *hist. l.* 5. *c.* 14. *&* 19. Iren. *l.* 3. *c.* 3. Theodoret. *hær. fab. l.* 1. Augu. *de hær. c.* 69. Philastr. *c.* 58.

Floriopolis, seu *Fanum S. Flori*, *S. Flour*, urbs Alverniæ, in Gall. in monte edito, ep. sub Arch. Bituricensi, ab an. 1317. Ad radices montis *le Cantal*, ad amnem *Larder*, versus Gabalos. 15. leuc. à Claromonte in Austr. 13. ab Anicio in Occ. Quibusdam est *Indiciacus* antiq.

Florius, fluv. Hisp. in Callaicis apud Nerium promunt. in Oceanum labens; qui *Vir* Ptolemæo dicitur. *Ars* hodie Moletio.

Florum Inf. ampla in mari Indico, ab Ortu in Occ. extensa, inter Javam & Timoris inf. 40. leuc. Hisp. à Macassaria Inf. in Austr. sui juris Europæisque nomine tantùm nota, versus oram Bor.

Florus Gessius, Clazomenius, Præfectus Judææ, post Albinum. Ob avaritiam, cum crudelitate conjunctam, belli Judaici

daici contra Romanos auctor. Joseph. *Antiq. lib.* 20. *cap.* 9. *de B.J.l.*2. *c.*1*B.*13. 15.

Florum Ins. maris Atlantici, una ex Assoribus seu Tertiariis, parva, 80. leuc. Gall. à Tertiaria in Occ. sub Portugalliæ Rege. Nihil commercio dignum, præter glastum gerit pecudesque copiosè nutrit. Baudr. Metel.

Florus, prænomine *Julius*, nobilissimus Trevirorum, qui civitatem suam, ob magnitudinem æris alieni, ad rebellionem exstimulavit. Sed postea, disjectis ab *Julio Indo* copiis, incertis latebris victores frustratus, postremò visis militibus, qui effugia insederant, suâ manu cecidit Imperante Tiberio. Tac.3.42.

J. Florus, à Portio Latrone in Arte dicendi instructus. Senec. *Controv.* 25. Princeps eloquentiæ, in Gallia, Quintil. *Instit. l.*1.*c.*3.

Florus L. Annæus, Historicus, Senecæ & Lucani agnatus. Vixit an. 200. post Augustum. An Poëta ille, cujus lepidos ad Adrianum, hujusque vicissim versus Spartianus recitat? An idem cum epitomatore Livii? Simler. *Bibl. Gesn.* Voss. *de H.L. l.*1.*c.*30.

Florus, dictus *Magister*, Scriptor Ecclesiasticus, sec. 9. Scripsit expositionem Missæ, *Bibl. PP. tomo* 6. *col.* 163. Et contra Erigenem Scotum. Item Diaconus Lugdun. auctor comment. in epistolas Paulinas. Sigeb. *Cat. cap.* 94. Item, Martyrologii scriptor, circa annum Chr. 770. Item, ex ducibus Marciani Imperatoris, Nobades Blemyesque, Æthiopiâ prolapsos, repressit, an. Chr. 450. Jornandes *cap.* 49.

Florus, alio nomine *Sulpitius*, è Britannicis cohortibus, nuper à Galbâ civitate donatus, qui, cum Statio Marco, Pisonem æde Vestæ protractum in foribus templi trucidavit. Tacit. *Hist.* 1.43.

Fluentia, vide *Florentia*.

Fluido, locus, ubi Jacobus Scotiæ Rex, à Gallo excitatus, cæsis 15000. fusus ac trucidatus est, postquam *Limnuchi in æde sacra à quodam divinitus misso*, frustra esset monitus. An. 1513.

Flumen Jazer, è rupibus juxta Jazer erumpens, à Jordane suscipitur. Est in tribu Gad.

Flumentana, porta Romæ, quam Tyberis urbem intrans in sinistrâ ripæ parte relinquit; dicta quòd Tyberis quandoque in eam influxerit, hodiè *Porto del Populo*.

Fluonia, Juno, quam mulieres colebant, quòd sanguinis fluorem, in conceptu retinere putabatur. Boccat. vel quòd menstrua fœminarum singulis mensibus sistere crederetur. Vide Vossium *de Idololatria lib.*2.*cap.*26.

Flustates, Gall. Belg. opp. apud Cæsarem, quos Cænalis in comitatu *de Foix* apud Aquitanos locat. Volaterrano *Flussates*, cui *de Flusso* Comites, adhuc suo tempore, ibi fuere. Ursinus autem ex Plin. & Claudiano legit *Elusates*: Ac sanè hoc tractu Elusatium civitatis fit mentio in Provinc. libello, Lloyd. Melius *Elusates*, prope Elusam urbem, *Eause*. Vide *Elusates*, Baudrandus.

FO.

Focaria, mons & promuntorium Umbriæ, hodie *M. di Pesaro* Blondo dicitur.

Focas, Grammaticus Romæ, auctor vitæ Virgilii, versu scriptæ. Voss. *de H. L. p.* 817.

Foce, Ægæi maris insula. Anton.

Focunates, pop. in Alpibus. Plin. 3.30. An *Bechuni* Ptol. *Fossigni* hodie Pingonio. Sed Simlero est vallis *Suls*, inter Tridentinos & Venetos: partim sub Venetis, partim sub Episc. Tridentino. Serianam vallem illos colere notat Leander. Baudrando horum tractus est *Fossiniacum*, nunc *le Faussigny*, in Sabaudia, ad rad. Alpium, in confin. Valesiæ. Cujus prim. Clusæ.

Fœlicinum, opp. Lombardiæ Cispadan. in Marchionatu Montisferrati.

Fœlicissimus, Fisci Procur. sub Valerio Aureliano Imp. Monetariorum turbas movit, quæ prudentiâ Imperatoris brevi compositæ, A.C. 276. Vopiscus. Victor. Eutr.

Foggia, oppidul. lepidum regni Neap. in prov. Capitanata, prope Cerbalum fluv. tributo, *la Dogana di Foggia*, celebre. Vix 8. mill. ab ora maris Adr. 10. à Manfredonia in Ort.

Folcardus, Clericus Beneventanus, auctor Chronici hujus urbis, ab an. 1113. usque ad an. 1140. ob sinceritatem laudatus. Item Monachus, auctor vitarum S. Audomari & S. Bertini. Item, Cantuariensis, circa an. 1060. Johann. Beverlaci unius ex Archiepiscopus Cantuar. Mon. vitam scripsit. Voss. *de H. L.*

Folia, mulier Ariminensis, veneficiis & masculâ libidine insignis. Horat. *Epod.* 5.

Non defuisse mascula libidinis
Ariminensem Foliam.

Folkerus Simonis, Friso, Consul urbis Sneecanæ, composuit Frisiæ Annales. Suffridus Petri, *de scr. Fris. sect.* 8.

Folmarus, præpositus Ecclesiæ, in Franconia, an. 1180. eruditione inclytus.

Fondura, Regio Americæ Septentrionalis, media inter Jucatanam, & Nicaraguam: Trugillum coloniam huc deduxit Franciscus Casanus anno 1505. nomine ductuque Ferdinandi Cortesi, sed Columbus anno 1502. prius hoc totum Fonduræ latus quartâ suâ navigatione ad nominis usque Dei Portum detexerat quærens pervii alicujus freti angustias, per quas ad ultimum Orientem navigari posset, sed irrito conatu. Metel.

Fons Æthiopis, erat in via quâ ab Jerusalem Gazam itur, nec longè ab Azoto, teste Sansone: & is est ad cujus aquas Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum baptizavit Philippus Diaconus, ut fidem faciunt sacræ paginæ Act. *cap.* 8.

Fons Bellaqueus, seu Fons aquæ pulchræ, *Fontainebleau*, burgus cultissimus Galliæ, in provincia Insulæ Franciæ, & in Hurepœsio tractu, cum palatio superbissimo, à Francisco I. qui insigni Bibliothecâ locum ornavit, & Henrico IV. Regibus exstructo: ubi peramœnus Regis secessus, in medio sylvæ cognominis. Hunc locum secessum & eremum suam appellare solitus est, jam olim Ludovicus IX. *Sancti* cognomen meritus. Vix una leuca distat à fluvio Sequana, 4. à Meloduno, & 14. à Parisiis in Austrum. Vide Duchenium *rech. des ant. de France*. Hîc colloquium inter Philippum Mornæum, & Cardin. Perronium de aliquot controversis Religionis capitibus, coram Henrico IV. Rege, in conventu illustrium utrinque virorum habitum est, A. 1600.

Fons Bliaudi, *Fontainebleau*, villa regia Galliæ nobilissima atque cultissima, in sylva Bieria, quæ vulgò *la forest de Biere*, & à palatio hocce magnificentissimo *la forest de Fontainebleau*, pagoque Wastinensi: à nomine vici & fonte ibi oriente dicta. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* & supra.

Fons Ebraldi, *Fontevrault*, oppidulum Galliæ, in Andegavensi provincia, Baudr. in Pictonibus habet Valesius, agroque Pictavensi, cum Abbatia percelebri Virginum, an. 1106. à Roberto de Arbrisello, in confinio Andium, Turonum & Pictonum condita, quarum Abbatissa etiam viris hujus Ordinis præest. Inter Abbatissas 15. numerantur Principes fœminæ, è quibus quinque è familia Borbonia: crevitque tam brevi cœtus, ut 50. ann. ab ordine fundato 5. vel 6. millia virginum ei nomen dederint. Vide Morerium *Diction. Histor.* Est in confinio Turonensis provinciæ. Vix unâ leucâ distat à Ligeri fluvio, 3. à Salmurio in Eurum, & 5 à Chinonio in Occasum.

Fons Elisæi, scaturiens è pede montis Quarentanæ, fluvium generat uberrimum ac saluberrimum: Prope hunc fontem arbores crescunt prunorum instar, spinosæ tamen, in quibus flores nascuntur, quos rosas Hiericuntinas vulgus appellat, mirandi effectus. Nocte enim natalitiâ nostri Salvatoris paulatim hiant, atque inde se recludunt, licèt siccæ sint & aridæ, in testimonium virginei partus. Saligniac. 10. 9. *cap.* 6. Est in tribu Benjamin.

Fons & piscina Gabaon. Hic duodecim pueri ex parte David & totidem ex parte Isboseth pugnaverunt, & mutuis ictibus ad unum se confecerunt, unde loco nomen inditum *Ager robustorum*. 2. Reg. 2. Est in tribu Benjamin.

Fons Hortorum, Lib. Cantic. fluvius Adonis, qui *Canis* nominatur, teste Postello, qui per Phœniciam ex monte Libano, seu Antilibano, in mare Syrium apud Berytum decurrit. Ferrar. Baudrando puteus est aquarum viventium, quæ fluunt impetu de monte Libano.

Fons Jacob, in tribu Ephraim: Ad hunc puteum Jesus fatigatus sedens, cum muliere Samaritana locutus est de aqua viva & adorando Deo in spiritu & veritate.

Fons Jovis, Plin. apud Dodonem in Epiro mirus, faces extinctas accendens, & accensas exstinguens.

Fons Rapidus, Script. Hisp. *Fuente rabia*, *Fonterabia*, oppidum cum arce firmissima adversùs Gallos Hispaniæ Tarraconensis, in ora Vardulorum, apud Olarsonem oppidum excisum, à Gothis anno Salutis 625. conditum, inter Bajonam urbem Aquitaniæ & Sebastianopolim oppidum 5. leucis dissitum. Ferrar. Baudrando *Fontarabie* Gallis, oppidum est munitum Guipuscoæ provinciæ, in ora maris Aquitanici, ad ostia Bidassoæ fluvii, in ipso limite Galliæ, 3. leucis à Sebastianopoli in Ortum; eratque antiquitus in Aquitania, ut multi opinantur.

Fons Rogi, vulgò *Fontrouge*, Monast. à Romano quodam Monacho ædificatum in pago Antissiodorensi. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Fons Samariæ, qui dicitur alternis coloribus quater in anno variari, viridi scilicet, sanguineo, turbido & limpido. Est in tribu Ephraim.

Fons Samson: Hic sitienti Samsoni produxit Deus fontem aquæ è dente molari maxillæ asini, unde locus nomen retinuit, & ostendebatur. Est in tribu Dan.

Fons Solis, in Cyrenaicâ, sic dictus, quòd Solis per cardines motu, calore & algore variatur. Ejus meminere Herodotus, Diodorus & Arrianus. Ovid. *Met.* 15.

—— Medio tua corniger Ammon,
Unda die gelida est, ortuq; obituq; calescit.

Silius *libro* 3.

Stat fano vicina, novum, & memorabile, lympha,
Qua nascente die, qua deficiente tepescit,
Quaq; riget medium cùm sol ascendit Olympum,
Atq; eadem rursus nocturnis fervet in umbris.

Nomina fontium aliquot apud veteres.

Acidalia, Bœotiæ apud Orchomenon.
Aganippe, Bœotiæ, ad Heliconem montem.
Albuneus, in Latio, apud Tybur.

Arethusa, apud Syracusas, in Sicilia.
Callirhoe, apud Athenas, in Attica.
Castalius, Phocidis, ad Parnassi montis radices.
Clitorius, apud Clitorium urbem Arcadiæ.
Cruno, Atticæ.
Cyane apud Syracusas, in Sicilia.
Dirce, apud Thebas, Bœotiæ.
Dircenna, apud Bilbilim, Hispaniæ.
Gargaphie, apud Plateas, in Bœotia.
Hippocrene, ad Heliconem montem.
Libethros, Magnesiæ, in Thessalia.
Liriope, apud Thespias, in Bœotia; ubi Narcissus puer suffocatus.
Magæa, apud Syracusas in Sicilia.
Salmacis, Cariæ, apud Halicarnassum, qui & Salmax.
Virbius, Laconiæ, in Peloponneso.

Fontana, opp. olim Burgundiæ, S. Bernardi, cui pater erat Tecelinus Miles, natalibus celebre, vicus nunc est ad Albæ ripam, inter Claram vallem & Barrum Albense, sed huic propior. Item opp. in finibus Tungrorum, seu Leodiensium, patria Philippi, qui scripsit de miraculis S. Bernardi. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Fontanella, pag. Gall. Celt. ad Sequanam fluv. in territ. Rhotomagensi, cum cœnobio celeberr. à Wandregisilo, cognom. Wandone, tempore Chlodovei jun. in eremo Gemeticensi, cum 4. basilicis extructo 12. m. p. à Rhotomago. Vulgò *Fontanelle*, à fonte uberrimo præfluente; sed cœnobium à conditore & Abbate primo, modò *Fontenelle*, modò *S. Vandrille* dicitur. Habet à Sept. Occ. & Mer. montes vitiferos, ac densas silvas; ab Or. fontem uberrimum, qui passus 1300. emensus in Sequanam decurrit; fluvium item mirabilem, qui in Aquilonari plaga cœnobii ortus, ad Mer. in Sequanam similiter influit: inter hæc autem duo flumina prata Monachorum amœna & irrigua. Est & *Fontanella*, in Hannonia, Monasterio puellarum celebris, *l'Abbaye de Fontenelle en Hainaut*, ubi Johanna soror Philippi VI. socrus Ludovici Bav. & Eduardi III. Angl. R. amisso marito Wilhelmo Bono, sepulta est. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Fontanetum, locus agri Antissiodorensis, in quo Lotharius, à fratribus Carolo & Ludovico, acie victus est, an. Chr. 841. Vulgò *Fontenay*. Item castrum in Pictonibus, Malliaco proximum, similiter *Fontenay*: cùm aliud non procul à Niortio *Fontenay* dicatur, nunc vici magis, quàm castri nomine dignum, postquam à Ludovico IX. funditus eversum est, A.C. 1242. Idem.

Fontania, sacra fontium, quæ fiebant coronatis puteis, & fontibus. Varro & Festus.

Fontarabia, frustra à Condæo Principe obsessa, qui non parvâ clade ibidem affectus est, A.C. 1640. Vide *Fons Rapidus*.

Fontecli, vulgò *la Fondazza*, pag. olim Æmiliæ, nunc rus, cum castro parvo diruto, inter Placentiam & Parmam.

Fonteja, Virgo Vestalis, M. Fonteji soror. Cicero *pro Fontejo*.

Fontejus Agrippa, Asiæ Proconsul, Mœsiæ præpositus. Tacit. *Hist.* 3. *c.* 46.

Fontejus Capito. Horat. *in Hodœporico*,

—— Capitoq; simul Fontejus, ad unguem
Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.

Fontejus Capito, in Germania, post cædem Neronis, turbare cœptavit: ideò à Cornelio Aquino & Fabio Valente, legatis legionum, interfectus est, antequam à Galbâ juberentur. Fuêre, qui crederent *Capitonem*, ut avaritiâ & libidine fœdum ac maculosum; ita cogitatione rerum novarum abstinuisse: sed à legatis bellum suadentibus, postquam impellere nequiverint, crimen ac dolum compositum. Tacit. *hist. lib.* 1. *cap.* 7.

Fontenaum, Burgus prope Antissiodorum, celebris memorabili ab omni ævo prælio, inter Ludovici Pii Imp. filios, Carolum Calvum & Ludovicum Germ. ab una parte, & Lotharium Imperat. cum Pipino fratris filio ab altera: quo priores victores evaserunt. An. 841. Vide *Fontanetum*.

Fontenaum, urbs lepida Pictavensis prov. infer. ad radices collis, ad amnem Vendeam, nundinis dives effecta. 5. leuc. à Marano in Boream, 3. à Malleaco, 7. ab ora Oceani Aquitanici. *Fontenay le Comte*.

Fontes, pagus Insubriæ, apud Aronam, nunc *Fontanetum*, à multis fontibus. Hìc plures extant inscriptiones antiquæ marm.

Fontes Aponi, Thermæ sunt à vett. celebratæ in agro Patavino, Venetorum ditionis; hodie *Bagni d'Abano*, ut Leander scribit.

Fontinalis, Porta urbis Romæ ob propinquitatem scaturientium fontium, eadem *Capena* vocatur.

Forbisheri fretum, vide *Fretum Forbisherii*.

Forchena, opp. Franconiæ, ad confluentes Wisenti & Regnitii fluviorum, ubi castrum permunitum, sub Episc. Bamberg. 4. mill. Germ. à Bamberga in Merid. Quibusd. est *Trutavia*.

Fordicidia, ut inquit Varro, festa erant apud Romanos, dicta à *fordis*, i. e. bobus cædendis, quæ celebrabantur ad 17. Cal. Mart.

Fordunum, opp. Scotiæ amplum, Merciæ reg. primarium, 15. mill. ab Aberdonia, in Afr.

Foresta, Anglis est ampla ruris portio, deserta plerunque & nemorosa, alendis feris regiis exposita: nullo sepimento, at certis terminis, certisque legibus, Magistratibus, Judicibus, Officialibus & Ministris valdè insignis & communita. Dicta à *foris* vel *ferâ*, quasi pars *forastica* seu exterior, i. foris culta & habitata. Eodem sensu *Desertum* dicitur, quasi id, quod deseritur & feris relinquitur. Vox à Normannis fortè introducta, Dani enim & Anglo-Saxones eam aliàs *Saltum cervinum*, aliàs *stabulum damarum* appellabant: juxta illud Virgilii *Æneid.*

Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum.

In agrorum dimensionibus *Forestæ* olim non veniebant; Perinde nec villas propriè accepere, nec parœcias; nec de corpore alicujus Comitatus vel Episcopatus habitæ sunt: sed velut extraneum quiddam & feris datum, ferino Jure, non civili, non municipali fruebantur: Regem in omnibus agnoscentes dominum unicum & ex arbitrio disponentem. Novam *Forestam* instituturus Guilielmus I. in pago Hantoniensi, villas fertur 26. totidemque Ecclesias parochiales delevisse: sed in eodem saltu Richardus fil. ejus secundogenitus funestâ aurâ correptus: alter Guilielmus R. cognom. Rufus à Gualtero Tyrello sagittâ confixus, Henricus etiam nepos è Roberto, filio maximo, inter ramusculos comprehensus & Absolomi pœnâ divinitus affectus est. Sequentes Reges *Forestas* instituturi non quidem tantopere sævierunt, trucem tamen illam legem, quâ delinquentibus in feras, oculos & testiculos eruebant, potentius ingessere: donec à Johanne, Henrico I. Eduardo I. &c. mitiores leges introductæ sunt. Vide de his prolixè agentem Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.*

Forestium, Comitatus in territorio Borbonio inferiore, nomen habens non à sylvis saltibusque, ut quidem vox videtur sonare, sed à *Fori* nomine, ac si diceres *Forenses* & *Foresios*. Forenses versus Septentrionem Borbonensibus Germanis suis objacent: ad Occidentem Arvernis: Ad Meridiem Lugdunensibus: ad Orientem Bello-Jolesiis. Vulgò *Pays de fores*, vel *forests*. Metel. Merula.

Foretani, & *Foretii*, Italiæ Transpadani populi. Plin.

Foriculus, Deus putabatur, qui Foribus præerat, sicut Cardinea Dea, quæ Cardinibus, & Limentinus Deus, qui Limini, ridiculâ Ethnicorum superstitione.

Formentera Ins. Vide *Ophiusa*.

Formiæ, urbs Campaniæ maritima, juxta Cajetam, Læstrygonum olim sedes, à Lamo quodam Lacone, ut creditur, condita. Horat. *lib.* 3. *Carm. Od.* 17.

Æli, vetusto nobilis ab Lamo, &c.
Autore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Litoribus tenuisse Lirim.

Hæ primum *Hormiæ* dictæ sunt, sive à frequentiâ, bonitateque τῶν ὁρμῶν, h. e. *stationum*, ut Festo placet, sive ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, h. e. ab *impetu* Læstrygonum, qui *Anthropophagi* fuisse dicuntur. Martialis *Formiam* dixisse videtur 10. 30.

O temperata dulce Formiæ litus.

Horat. 1. *Od.* 20.

—— Mea nec Falernæ
Temperant vites, neq; Formiani
Pocula colles.

Diodoro, Straboni, ac Æliano Φορμίαι, unde mendosè apud Ptol. Φαῦρμιαι videtur, quod tamen antiquum puto fuisse mendum, cùm apud Steph. legitur Φορμιανοὶ πόλις Ἰταλίας, ἐθνικὸν, τὸ αὐτό. Strabo *lib.* 5. Φορμίαι. Λακωνικὸν κτίσμα ἐστὶν Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον διὰ τὸ εὔορμον.

Formianum, villa Ciceronis, in agro Formiano, cujus locus adhuc *Ciceron*, teste Smetio.

Formio, Istriæ fluv. parvus. Ptolem. hodiè *Risano*. In mare Adr. & Sinum Tergestinum cadens, 2. mill. à Justinopoli in Bor. 6. à Tergeste in Austr. Baudr.

Formisela, locus fuit in Morinis, seu diœcesi Tarvennensi, Collegio Canonicorum insignis. Vulgò *Vormeseele*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Formosa, Ins. Asiæ probè culta & fertilis, in Oceano Or. Sinico, inter Sinas & Lusoniam Ins. Cujus opp. præc. *Tayoan*, in ora. Nuper tota Hollandis paruit, sed ex ipsa ejecti sunt à Sinis.

Formosus, 109. Romanorum Episcopus. An. Dom. 890. quo monstra horrenda in sedem Angelis reverendam, ut Baron. *in Annal.* inquit, intrusa, cum Sergio de Papatu contendit: Guidonem & Arnolphum coronavit, Obiit an. 896. Ejus cadaver à Stephano VI. refossum, qui illud publicè Pontificalibus vestibus exui, dein in Tiberim conjici jussit, &c. Luitprand. *hist. l.* 1. *c.* 7. 8. Sigebertus, Sigonius *lib.* 6. *an.* 896. 897. Ciacconius, &c.

Fornicalia, feriæ à Romanis farris torrendi gratiâ institutæ; quibus ad fornacem in pistrinis sacrificium fieri solebat; dicta à *Fornace* Deâ, in cujus honorem hæc erant instituta, & celebrabantur 12. Calend. Mart. Miratur vir doctissimus *in Lex. Philologico*, in lexico veteri Fornacem statui Deam; nempe non veniebat ei in mentem Ovidii illud, *in erudito de Fastis opere, l.* 6.

Et Fornicali sunt sua sacra Deæ.

Item hoc ejusdem *in lib.* 2.

Facta Dea est Fornax, læti Fornace coloni
Orant, ut vires temperet ipsa suas.

Forōappius

Foroappii, Italiæ pop. in Falerno agro. Plin. 3. 3. Oppidum eorum *Forum Appii* Horatio dicitur, *Serm.* 1. 5.

—— *Inde forum Appi*
Differtum nautis, cauponibus atq; malignis.

Tullius *ad Atticum lib.* 2. *ep.* 10. *Ab Appii foro horâ quartâ, dederam aliam paulo antè à Tribus Tabernis*: ubi Leander tradit, hodie hospitium tantùm *Maruti* dictum extare.

Foroaugustana, Hisp. citer. civitas, alio nomine *Libisosonna* dicta. Plin. 3. 3.

Forobremitani, Umbriæ pop. Plin.

Foro-Juliensis ager, seu *Forojulium*, *Friuli*, prov. Ital. sub Venetis. Vide *Forum-Julium*.

Forteventura, Insula Africæ, in mari Atlantico, una ex Canariis, versus Ortum & oram Afr. Oppidum habet cognom. in ora Australi, aliàs *Casperia*. Sub Hispanis. 26. leuc. Hispan. ab ora Africæ.

Forthea, fluv. Scotiæ meridion. Oritur in confinio Lennoxiæ prov. dein Strivelinum urbem rigat & paulo infra multis auctus fluviis, in æstuar. Bodotriam se exonerat, quod ab eo etiam *Forthea* dicitur; extenditurque inter Fifam & Laudoniam provincias. Vulgò *Forth*.

Fortia Castra, in Tirolensi Comitatu habet Lazius ex Lib. Notit. quod *Stertzingen* interpretatur.

Fortuna, Dea antiquis credita. Calva, cœca & rotæ insistens fingebatur. Apud Rom. *Bona* dicta, in nummo Antonini Getæ, dextrâ rotæ innixa, lævâ cornu copiæ tenens: *Aurea*, in nummo Adriani, cum alis, clavo incumbens: *Pacifica*, in nummo Antonini Pii, innixa clavo, & cornu copiæ tenens, cum lemmate, *Fortuna obsequens & S. C.* Item, lauri ramum gestans, &c. repræsentata est. *Barbata*, *Conservatrix*, *Equestris*, *Privata*, *&c.* porro dicta Augustl. *de C. D. c.* 18. Spartian. *in Severo.* Plut. *de Fort. Rom.* Suet. *in Domit.* Angelonus *histor. August.* Balduinus *Iconol.* Morerius. Juvenal.

Te facimus Fortuna Deam, cœloq; locamus.

De Fortunâ prolixè disserit N. Comes *Mythol.* 49.

Fortuna divinæ insula Americæ Septentrional. versus terras Arct. ad ostium Orient. Freti Hudsonis, haud pridem ab Anglis detecta.

Fortuna templum in Campania inter Cales & Teanum urbes erat.

Fortunatæ insulæ, à *fructuum ubertate*, vel *aëris bonitate* dictæ, contra Mauritaniæ finem ad Occidentem sitæ sunt. Strab. *lib.* 3. & Plin. *lib.* 4. Fuerunt autem sex numero, nunc omnes *Canariæ* dictæ. Vide ibi. Has insulas Horatius innuere videtur, *Od.* 8. *lib.* 4.

—— *Divitibus consecrat insulis.*

Nec non *Epod.* 16.

Nos manet Oceanus circumvagus, arva, beata
Petamus arva, divites & insulas, &c.

Detectæ à Joh. Betencurtio Gallo; donatæ sunt à Pontifice Alphonso Castellano, an. 1346. 20. aut 30. leuc. distant ab ora littor. Africæ & reg. Biledulgerid. Earum Orientalior est *Forteventura*; *Ins. Ferri* Occidentalior. Vide *Canaria Ins.*

Fortunatus, Præsul Pictaviensis, qui gesta Sanctorum patrum partim pedestri, partim solutâ oratione conscripsit. Item sanctus quidam, cujus adventu se lætum fuisse scribit Apostolus Paulus.

Fortunatus, L. Veteris, Asiæ Proconsulis libertus, ejusdemque sub Nerone eversor. Tac. 16. 10.

Foruli, opp. Sabinorum, saxoso in loco situm, unde fit, ut Strabo *libr.* 5. petram vocet ad rebellandum, quàm ad habitandum aptiorem. Virgil. *Æn.* 7.

Casperiasq; colunt, Forulosq; & flumen Himella.

Forum Adriani, nunc est *Woorburg*, vicus in Hollandia, Cluverio teste.

Forum Alieni, Tac. oppidum Æmiliæ, apud Padum fluvium, ubi nunc Ferraria urbs, *Ferrara*, teste Joanne Boccatio, cum aliis, inter Bononiam 32. & Patavium in Itor. 48. ac inter Mantuam & Ravennam 50. à Verona verò 60. mill. pass.

Forum Appii, Cic. Hor. Ant. Ptol. & al. urbs Latii, olim Episcopalis in finibus Volscorum, apud Pontinam Paludem, inter Ariciam & Feroniam, ac inter tres Tabernas & Tarracinam, à qua 12. mill. pass. recedit, Romam versùs 48. prorsùs excisa. Locus *Cale nuove*, seu *Case nove* Celso Cittadino, aliis *li Maruti* diversorium: aliis vero ubi *Fossa nuova*, monasterium & Abbatia, quæ loca omnia sunt proxima. Populi *Foroappii* Plinio. Meminit Horatius *lib.* 1. *serm. Sat.* 5.

—— *Inde Forum Appi*
Differtum nautis, cauponibus atq; malignis.

Cluverio, Brietio & aliis, est locus nunc *S. Donato* dictus, aliquot tantùm ædibus constans, intra paludes Pontinas, prope Asturam amnem, & 5. milliaribus ab ora maris Mediterranei: quanquam aliqui credant fuisse ubi nunc *le Case nuove*, diversorium inter Privernum & Setiam, juxta Pontinas paludes.

Forum Augustum, sive Forum Augusti, in urbe Roma, ab Ovidio *lib.* 5. *Fast.* memoratum:

Templaq; in Augusto conspicienda Foro.

Vide infra, ubi fora urbis Romæ describuntur.

Forum Aurelii, Ant. oppidum erat Hetruriæ, medium inter Centum Cellas & Cosam, 25. mill. pass. utrinque distans, in ora apud Graviscas, prorsùs exstinctum.

Forum Bibalorum, Ptol. *Fomillam*, teste Moletio, oppidum fuit Hispaniæ Tarraconensis, apud Aquiflavienses, nunc vicus in agro Aquarum Flaviarum, in regno Portugallico.

Forum Calvisii, Vet. Inscr. *Calvisano*, oppidum Cenomanorum, in agro Brixiano, inter Brixiam 15. & Asulam 10. m. p. dissitum.

Forum Cassii, Anton. *S. Maria Forcassi*, urbs olim episcopalis Hetruriæ, apud Vetrallam oppidum, quod nonnulli ipsum Forum Cassii esse contendunt, inter Sutrium & Viterbium ad 7. mill. pass. Nunc vicus est parvus prope Vetrallam oppidum, in provincia Patrimonii S. Petri, in Hetruria, Romano Pontifici subdita. 7. milliaribus distat à Viterbo in Austrum.

Forum Claudii, Ant. Ptolem. *Clodii* Plinio, *Tolfa nova*, oppidum Thusciæ mediterraneum, apud oram australem, inter Bracenum & Cornuetum, ab urbe Roma 38. mill. pass. in Occasum, ubi aluminis minera. Ferrar. Baudrando nunc in ejus vestigiis conspicitur *Oriolo*, castrum provinciæ Patrimonii S. Petri, teste Luca Holstenio. 4. milliaribus distat à lacu Sabatino in Occasum, & 5. à Braciano in Circium; estque in Ducatu Braciani.

Forum Claudii alterum, Ptolem. *Tarantaise* teste Cœnali, urbs Archiepiscopalis apud Alpes Grajas, in finibus Allobrogum, seu in Sabaudia. Aliis est *Novalesa*, oppidum cum cœnobio apud Alpes Cottias, à Segusio 4. mill. pass. interiùs distans: quod magis probatur: hoc enim in Italia est, non in Gallia; & à Ptolemæo in Italia describitur, Ferrar. Baudrando urbs fuit Centronum, in Gallia Narbonensi, quæ nunc *Moutiers en Tarantaise*, urbs Archiepiscopalis & Tarentasiæ caput, in Ducatu Sabaudiæ, ad Isaram fluvium, 4. leucis distat à Fano S. Joannis Maurianensis in Boream, & à Camberiaco in Ortum, Sansone, Brietio, & aliis testibus.

Forum Clodii. Plin. Vide *Claudii*.

Forum Cornelii, Plin. Anton. Ptolem. & al. *Cornelium* Ciceroni, quod & Syllæ Forum appellatur, *Imola*, urbs Æmiliæ seu Galliæ Togatæ, in Romandiola, apud Vatrenum fluvium, inter Bononiam 20. & Faventiam in Ortum 10. mill. pass. [illegible]scopalis sub Archiepiscopo Ravennate, inde 24. mill. Bono[illegible]am versùs. Populi *Forocornelienses* Plinio, & *Cornelienses* aliis. Ferrar. Baudrando urbs fuit Lingonum, in Gallia Cispadana, *Imola*, nunc in Romandiola, in limite agri Bononiensis & Ducatus Ferrariensis, sub dominio Romani Pontificis; estque culta & elegans, 16. milliaribus à confinio ditionis Florentinæ in Boream.

Forum Decii, Plin. fuit oppidum Sabinorum, cujus hodie nullum prorsùs exstat vestigium.

Forum Diguntorum, Ptolem. sive, ut habet textus Græcus, *Jutuntorum*, oppidum fuit Galliæ Transpadanæ: quod aliis est *Crema* urbs, aliis *Picighiton*, oppidum cum arce firmissima, in finibus Cenomanorum, ad Adduam fluvium, à Cremona 12. mill. pass. in Occasum Ticinum versùs. Ferrar. Cluverio, Sansoni, & aliis, est *Crema*, urbs permunita Galliæ Transpadanæ, antea Ducatus Mediolanensis, nunc sub dominio Reipublicæ Venetæ, ad amnem Serium, episcopalis sub Archiepiscopo Bononiensi. Habet ab Oriente Cremonensem agrum, uti ab Occidente Laudensem. Vide *Crema*.

Forum Domitii, à Cn. Domitio Ahenobarbo, abavo Domitii Neronis Aug. qui in Consulatu, Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per provinciam vectus est, fortè dictum. *Fabregas*, teste Varrerio, oppidum Galliæ Narbonensis, in Occitana regione, inter Nemausum 45. & Biteras 30. mill. pass. ex Itinerario Antonini, à Cæserone 12. in Ortum. Ferrar. Baudrando *Forum* Domitii quibusdam est *Fabregues*, oppidum ad Caulazonem amnem, in Occitania inferiori, 2. leucis à Monte Pessulano in Occasum, & una tantùm à stagno Magalonensi in Boream, à Nemauso 30. mill. pass. in Occasum. Aliis autem, & meliùs, est *Frontignan*, oppidum ejusdem tractus, ad stagnum Magalonense seu Lattaram, inter Biterras 30. mill. pass. & Nemausum 45. à Cæserone 20. in Ortum, teste Sansone. Dicitur aliter Frontinianum; estque vino suo celebre.

Forum Egurrorum, Ptol. *Medina de Rio Seco* Villanovano & aliis, oppidum præclarum Hispaniæ Tarraconensis, in regno Legionensi, à Legione 15. leucis in Austrum, à Vallisoleto 8. in Africum, Asturicam versùs 14. vel certè non longè, Ferrar. Sansone teste, erat oppidum Asturum, ubi nunc castrum *Monte Furado*, in Gallæcia, ad fluvium Burviam, 12. leucis à Luco Augusti in Austrum Brigætium versùs.

Forum Flaminii, Plin. Ptol. *Forflamme*, urbs Umbriæ episcopalis, à Longobardis eversa: locus adhuc nomen antiquum retinet, à Fulginio, quod illi in episcopali honore successit, 3. mill. pass. Nuceriam versùs. Sunt qui Forum Flaminii nunc Fulginium dici putent, cùm ex Plinio & libro Conciliorum urbes diversas esse constet, quæ eodem tempore episcopalem sedem habuerunt. In manuscripto Seldeni Φόρ⊛ Φλαβινίε.

Forum Fulvii, Plin. quod & Valentinum, *Valenza*, opp. amplum

Liguriæ, impositum Pado fluvio, in Gallia Cispadana, ab Alexandria 7. mill. pass. in Boream Ticinum versùs, unde 27. abest, Ferrar. Baudr. oppidum est munitum Ducatus Mediolani, in colle, ad Padum fluvium. Captum fuit à Gallis anno 1656. sed postea redditum pace ad Pyrenæos confecta; estque medium inter Casalem ad Occasum & Dertonam ad Ortum.

Forum Gallorum, Cic. App. Frontin *Castel Franco*, oppidulum Æmiliæ, seu Galliæ Togatæ, in via Æmilia, inter Bononiam (in cujus agro est) 14. & Mutinam 6. mill. pass. occurrens, Ferrar. Baudrando oppidulum est agri Bononiensis, in ditione Pontificia, vix 2. milliaribus à confinio Mutinensi & à Scultenna fluvio, 8. autem à Mutina in Ortum. Ei adjacet arx probè munita ab Urbano VIII. Barberino Pontifice Romano exstructa in tutelam illius tractus, & de ipsius nomine dicta arx Urbana, *Forte Urbano* vulgò, in ruderibus castri Leonis.

Forum Gallorum alterum, Ant. *Gurrea*, teste Hieronymo Zurita, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in Aragonia, inter Cæsaraugustam 5. & Jaccam in Boream 14. mill. Hispanicis distans. Quibusdam est *Zuera*, oppidulum ad Gallegum fluvium, 5. leucis à Cæsaraugusta in Boream. Aliis autem est Luna, castrum ad amnem Bielum, 8. leucis à Cæsaraugusta versùs Boream & confinia Navarræ, 6. à Jacca in Africum.

Forum Julium, Plin. Strab. Ptol. & Julii, *Frejus*. Plinio *Colonia Octavianorum*, in nummo Augusti *Col. Julia Octavianorum*: in nummo Domitiani *Col. For. Jul.* in nummo Neronis *Col. Pacens. Class.* à pace nempe *Pacensis*, & classe Augusti Cæs. cujus navale fuerat, *Classica*: Huc enim, ad Gallicum littus tuendum, rostratas naves cum remige valido miserat, Tacit. *Annal. lib.* 3. Urbs est Galliæ Narbonensis, episcopalis sub Archiepiscopo Aquensi, unde & à Massilia 600. stadiis, teste Strabone, abest in Ortum, in ora Provinciæ littorali, inter Nicæam & Telonem 10. & 12. leucis. *Forum* item Julium Tacito & Ptolemæo *Cividal d'Austria* aliàs, nunc *Cividal del Friuli*, teste Leandro, & Lazio, ac aliis, colonia & urbs Carnorum, ab Utino 8. mill. pass. in Boream, ab Aquileia 22. in Circium, quod & Castrum Juliense Diacono dicitur. *Forum* præterea Julium Plinio, qui populos Forojulienses memorat, *Friuli* & *Patria* à Venetis, quibus paret, *Friaul* Germanis, quæ & Carnia veteribus, regio est Italiæ, Venetiæ pars, inter Marchiam Tarvisinam, & Histriam ac Noricum contenta. Cujus Utinum caput est, & conventus juridicus. Vide Leandr. *descript. Ital.* Blondum & J. Candidum *in Aquilegiensium hist.* Ejus meminit Fortunatus *in Vita S. Martini lib.* 4.

Inde Foro Juli de nomine Principis exi. Ferrar.

Baudrando *Forum* Julii, *Frejus*, urbs est Provinciæ in valle, Patria Cnæi Julii Agricolæ, viri consularis, qui Tacito socer fuit, ac Valerii Paulini, Vespasiani Aug. Procuratoris & Ducis. Sita est intra paludes, dimidia leuca ab ora maris Mediterranei, 13. leuc. à Telone in Ortum, & 4. à Fano S. Eutropii in Boream, ad ostia fluvii Argentei, qui vulgò *Argence*, aliàs *Argens*, à colore aquarum nomen habet. Hunc Lepidus *epist. ad Ciceronem* nuncupat *flumen Argenteum*, datâ ex *Ponte-Argenteo*: qui locus sic appellatus est, à ponte amni imposito. Arenæ hujus Argentei fluv. Forojuliensium portum illum tam eximium olim, implevere ac obstruxere: ut arenæ Rhodani oram Gothiæ importuosam reddidere: ac post Ludovici IX. regnum, ab Aquis Mortuis, portu antè celeberrimo, recessit mare 3. aut 4. m. p. Videtur autem fuisse *Forum Julii* caput olim *Suelterorum*, vel *Selterorum*. Hic Amphitheatrum, opus Rom. Hadr. Valesius *Not. Gall.* Episc. est sub Arch. Aquensi, cui etiam Parlamento subest. Colonia fuit illustris Romanorum, Julii Cæs. nomine insignita, an quia ibi armorum officina, an quia commercii aut Præfecti sedes. Bis terque à Gothis & Saracenis vastata, nihilominus hodieque illustria servat antiquitatis monumenta: Amphitheatrum ferme integrum, aquæductum admirandum 10 leucarum, statuas, tripodem è quo Oracula olim fundebantur, inscriptiones innumeras. Sedes Episcopi esse cœpit sec. 2. sed primus, cujus apud Auctores mentio, Acceptus est, qui Concilio Valentiæ habito A. Chr. 374. interfuit, quo seipsum criminis arguit scriptoribus ignoti, ut à functione Episcopali liberaretur: Secundus, cujus meminere Auctores, est Kilianus, cui Leontius Martyr, Theodorus, Victorinus, &c. successere. Inter Episcopos ejus porro fuere Johannes XXIII. Pont. Rom. Wilelmus Amicius Patriarch. Hierosolymit. tresque alii, Cardinalitio murice tincti. Vide Morerium *Dict. Hist* & præter illum, Strab. *l.* 4. Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Tacit. *lib.* 3. *&* *in Vita Agric.* Melam *lib.* 2. *cap.* 5. Baron. *in Annal.* Robert. *Gall. Christ.* Sammartan. *tom.* 2. 568. *& seqq.* Saussæum *Mart. Gall.* Savaronem *in Sidon. Apollin.* Baralim *Chron. Lirin.* Nostradamum & Bouch. *hist. Prov.* du Tour *vitâ S. Leontii*, Guesnæum *part.* 1. *c.* 42. *Cassiani ill. &c.* *Forum Julii* item, urbs Carnorum, nunc *Cividad di Friuli* dicitur, ad Natisonem fluv. sub dominio Reipublicæ Venetæ, & in agro Forojuliensi ab ea dicto, 15. mill. à Goritia in Occasum, & ad radices Alpium. Prodita fuit an. Chr. 612. à Gisolphi Ducis victi cæsique vidua Romilda, Caggano victori, cujus nuptiis inhiabat, sed hic datâ libidini promissâ nocte prostitutam militibus palo transfixit: Filiæ verò dissimiles matri, ascititio fœtore mammas inficientes pudicitiam conservarunt, Aimon. *lib.* 4. *cap.* 5. &c.

Acceptos aliis Panchaïa mittat odores,
Nobis, virginitas quo mage tuta, placet.

Forum Julium autem, seu *Forojuliensis provincia*, pars est Italiæ, ubi alias Carni populi, nunc *Friuli*, & aliquando *Patria del Friuli*, Gallis *le Frioul*; totaque subest dominio Venetorum, exceptis Aquileia & Goritia, quæ parent Austriaco. Nomen hæc regio quibusdam nacta videtur à Julio Cæsare, cujus ibi legiones stativa habebant, aliis aliud sentientibus. Utinum caput est, reliquæ urbes Tergeste, Gradisca, Aquileia, Goritia caput Comitat. cognom. Palma, à Venetis ante aliquod tempus condita, &c. Vide Leandr. Albertum *descr. Ital p.* 484. *& seqq. edit. Veneta* 1581. Cluver. *Introduct. Geogr. lib.* 3. *cap.* 35. *&c.* Rogaudi Ducis Forojulii rebellionem, illo capite truncato, sedavit Carolus Magnus An. Chr. 776. Berengarium dein Ducem creavit Carolus Calvus Imp. A. C. 876. &c.

Forum Lebuorum, Polyb. Plin. Ptol. seu Lebevorum, aut Libycorum, & Lebetiorum, (variè enim, Leandro & Ortelio testibus, legitur, qui Plinium & Ptolemæum citant, apud quos neque Lebui, neque Lebetii leguntur) *Borgo Lavizaro*, teste Merula, & Leandro, oppid. Insubriæ, in agro Novariensi, à Novaria 5. mill. pass. distans, Casalensem urbem versùs. Forte Forum Libicorum, quorum meminit Ptolemæus, vel Lebuorum, quos memor. Polybius, Ferrar. Baudrando vicus est Ducatus Mediolanensis, in agro Novariensi, & 5. milliaribus à Novaria in Austrum Mortariam versùs distat.

Forum Lepidi, urbs Italiæ, in Gallia Cisalpina, *Regio* nunc, sub dominio Ducis Mutinæ. Vide *Regium Lepidi*.

Forum Licinii, seu Liciniforum apud Plinium, vulgò *la Pieve d'Incino*, teste Leandro, oppidum olim Insubriæ, nunc pagus agri Mediolanensis, à Mediolano 30. mill. pass. in Bor. distans.

Forum Limicorum, *Puente de Lima*, teste Floriano, & *Ponte di Lima*, oppidum Hispaniæ, in finibus Bracarum, in regno Portugallico, ad Limium fluvium, à Bracara urbe 4. leucis in Boream distans.

Forum Livii, Plin. Ant. *Forli*, urbs Galliæ Togatæ, episcopalis sub Archiepiscopo Ravennate, unde 16. mill. pass. abest, in via Æmilia, media inter Faventiam & Cesenam urbes Romandiolæ, utrinque 10. mill. pass. distans. Populi *Forolivienses*. Ferrar. Baudrando, urbs est lepida, ditionis Pontificiæ, in Romandiola provincia 12. milliaribus à Ravenna in Austrum, 4. autem à Civitate Solis & à confinio Etruriæ in Boream. Aliàs Principes habuit proprios. Episcopalis sub Archiepiscopo Ravenn. Patria Blondi, Raineri, qui Bartoli præceptor, &c. Leand. *descr. Ital. &c.*

Forum Narbasorum, Ptol. oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in finibus Asturum, excisum: locus *Arvas* hodie, teste Morali, nominatur, inter Legionem & Ovetum. Ferrar. Baudrando est oppidum Callaicorum, in confinio Lusitaniæ, ad Durium fluvium, nunc fortè *Torro de Moncorvo*, in Portugallia, ut dignoscitur ex situ, Sansone & Brietio testibus, 9. leucis supra Lamecam in Ort. Sed longè ab Asturiis distat.

Forum Neronis, Ptol. urbs Galliæ Narbonensis, in Occitania, cujus populi *Foroneronienses*, & *Lutevani* Plinio dicuntur. Vide *Luteva*. Aliis est oppidum Provinciæ, cis Druentiam fluvium: quod quibusdam est *Forcalquier*, Comitatus cognominis caput, in colle, medium inter Segusteronem ad Cæciam & Aptam Juliam ad Africum, 2. leucis à Druentia fluvio, juxta rivum *Laye* dictum. Olim fuit cum tit. Comit. Anno 900. in divisione filiorum Bosonis II. Inter titulos Galliæ R. Nostradamus & Bouch. *histor. Provinc.* Sed aliis hoc est *Alaunium* Antonini & tabb. Peuting.

Forum Novum, Plin. urbs fuit Sabinorum, apud Oretum oppidum excisa, in eodem loco ubi nunc, urbe deleta, Ecclesia Episcopalis superest, vulgò *Vescovio* dicta, teste Luca Holstenio, & ut colligitur ex veteri inscriptione illius Ecclesiæ. Est & Forum novum ex veteri inscriptione oppidum Galliæ Togatæ, seu in Gallia Cispadana & in territorio Parmensi, ad Tarum fluvium, à Parma 10. mill. pass. *Fornovo* pagus, Ferrario. Baudrando verò hoc *Forum* Novum, castrum est, 10. milliar. à Parma in Africum. Dicitur vulgò à Gallis *Fornove*. Hic inter Carolum VIII. Galliæ R. Neapoli reversum & Confœderatos Italiæ Principes acris pugna, quâ ille victus & impedimentis exutus est, Paul. Jov. *libr.* 4. An. 1495. Aliter Mezeray, *in Carolo VII.* Vix uno milliari distat à Taro fluvio. Aliàs *Foronovanum* dictum fuit.

Forum Popilii, Plin. vel *Pompilii*, vulgò *Forlimpopoli*, urbs olim episcopalis sub Archiepiscopo Ravennate, nunc oppidum (sede episcopali Britinorium proximam urbem translata) Æmiliæ, in Romandiola, inter Forum Livii 4. & Cesenam in Ortum 6. mill. pass. occurrens. Populi *Foropopilienses* Plinio. Urbs à Grimoaldo Longobardorum Rege anno salutis 700. primùm, deinde ab Ægidio Cardinale Legato in Italia an. 1270. eversa est, sedesque Episcopalis Britinorium recepta.

Forum Segusianorum, Ptol. *Feurs*, teste Dalechampio, oppidum Gall. Celticæ, Forestiæ regionis oppidum primarium, à Lugduno

8. leu-

8. leucis in Occasum Arvernos versùs. Sunt qui etiam Forum Sebusianorum legunt, quod *Bourg en Bresse* esse dicunt, oppidum Galliæ Celticæ, inter Lugdunum, & Matisconam, cui propius est, regionis Brixiæ, inter Sabaudiam & Burgundiam, Comitatus caput. Sed apud Ptolemæum Forum Segusianorum duntaxat legitur. * Τετεσιανῶν in manuscripto Seldeni. Ferr. Baudrando est oppidum, Forensis superioris caput, ad Ligerim fluvium, 6. leucis à Rodumna in Austrum, & totidem à Fano S. Stephani in Boream. Errant autem qui illud *Bourg en Bresse* esse dicunt, cùm ab eo 15. leucis distet in Africum. Ita autem à Romanis videtur dictum, quoniam eò Segusiani convenirent, ibique disceptarent. Vetus lapis fabrorum lignariorum Forosegus. consistentium meminit: *Fabri Tignuar. Qui For. Segus. consistunt.* Caput est pagi *Forensis*, Comitibus quondam suis inclyti, hodie *le Forest*: qui dividitur in Superiorem, *le haud Fores*, qui inter Arvernam Lemanem & Ligerim, & Inferiorem, vulgò *le Fores* absolutè, qui trans Ligerim jacet.

Oppida & castella agri Forensis.

Anemundi vel Chanemundi castrum, *S. Chaumont* in Infer.	Mons Maurillonis *Mont Morillon*, in Super.
S. Bonniti, in super.	S. Ragneberti ad Ligerim *S. Rambert*, in Sup.
Casulæ vel Casella, *Chaselles* in Infer.	Rodumna *Rouane*, ibid.
Forum Segusianorum, in Infer.	S. Stephani opp. in Inf.
Mons Brusonis, in Sup. cap. reg.	S. Valdomeris opp. *S. Galmier*, ibid.

Forum Sempronii, Strab. Plin. & al. *Fossumbron, Fossombrone, Fossombruno*, urbs Umbriæ episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, inde 10. mill. pass. distans, ad Metaurum fluvium, in Ducatu Urbinate, inter Fanum 15. & Callium in austr 10. mill. occurrens, Ferr. Baudrandus locat 10. milliaribus ab Urbino in ortum. Brietius tamen credit *Forum* Sempronii 5. inde distasse milliaribus, & ex ejus ruinis excitatum Fossumbrunum Episc. & metropolis Duc. Urbini. Destructa à Gothis & Longobardis, dein commodiore loco de novo condita est, aliquo à ruderibus veteris intervallo. Hîc Malatesti & Galeazi diu domini, Friderico Com. Urbinati illam reddiderunt, Anno 1440. Leand. Alb. *descr. Ital. p.* 288. *edit. Ven. an.* 1581. Vulgò *Fossombrone*.

Forum Statiellorum, P. Diac. *Villa de Fo*, oppidum olim, nunc pagus agri Alexandrini, in Liguria, inter Alexandriam 4. & Ovilias, patriam nostram, 2. mill. pass. distans, haud procul à Tanaro fluvio, Ferr.

Forum Tiberii, Ptol. *Keyserstul*, teste Rhenano, oppidum Germaniæ superioris, ad Rhenum fluvium, in Helvetia, inter Scaphusam 2. & Thermas superiores 1. leuca dissitum, à Basilea 10. in austrum, Constantiam versùs, haud obscurum, Ferr. Baudrando oppidulum est Helvetiorum & Episcopi Constantiensis, medium inter Basileam ad occasum & Constantiam ad ortum, 5. leucis Helveticis utrinque distans, ad Rhenum fluvium. Aliis est *Zurzach*, Vid. *Zurzacum*.

Forum Truentinorum, Plin. oppidum Æmiliæ excisum, apud Britinorium & Forum Popilii, ab eo 3. mill. pass. distans, à Britinorio 1. Cujus locus adhuc *Tro* incolis nominatur.

Forum Valentinum, Plin. Vide *Forum Fulvii*.

Forum Vibii, oppidum Galliæ Subalpinæ, seu, ut scribit Plinius, Galliæ Transpadanæ, in cujus agro Padus fluvius conditus, rursus emergit, teste Plinio. Quod oppidum Leander non sine errore apertissimo *Villach* interpretatur, quæ urbs est Norici, in Carinthia. Est autem *Bibiena* nunc, oppidum Pedemontanæ regionis, à Taurinis ad 22. mill. pass. in occasum. Populi *Forovibienses* Plinio, Ferr. Baudrando oppidum erat Taurinorum ad radices Alpium, nunc in Pedemontio. Quibusdam nunc est *Bubiena*, vicus in valle Lusernæ, juxta Pelcum amnem. Brietio est *Castel Fiori*, aliis autem *Paisana*, vicus in eo tractu, ad Padum fluvium.

Forum Voconii, Plin. Ant. oppidum Galliæ Narbonensis, quod variè indigitant. Nam Pinetus illud *Chambery* urbem, caput Allobrogum, seu Sabaudiæ, interpretatur (quod potiùs est Civaro.) Alii *Frejus* urbem Provinciæ maritimam esse volunt. Sed ex Antonini Itinerario & ipso Plinio, neque *Chambery*, neque *Frejus*, esse potest, cùm à Foro Julio 12. sive, ut alii codices habent, 22. mill. pass. ex Antonini Itinerario distet. Consulendi sunt in hac re regionis periti. Ferrar. Baudrando in Provincia, nunc est *Draguignan*, urbs culta, intra montes, 4. leucis à Foro-Julio in occasum, & 6. à Fano S. Eutropii in Boream, Sansone teste. Hon. Bov. tamen existimat fuisse ubi nunc oppidum *le Luc*, in Provincia, 6. leucis à Fano S. Eutropii & à Foro-Julio in Occasum, 4. autem à Draguignano in Africum.

Forum Vulcani, Strab. *Campi Phlegræi* Plinio & Solino, *la Solfatara*, locus est Campaniæ, apud Puteolos, inde 2. mill. pass. Neapolim versùs distans, in morem ingentis theatri ignes perpetuos emittens, & sulphur gignens.

Fora urbis Romæ ex P. Victore.

Forum Archimonii, ubi ædes S. Nicolai Archimonii.

Forum Augusti, ubi nunc templum S. Adriani, Romano vicinum.

Forum Boarium, ubi templum S. Georgii, inter Romanum & Tiberim.

Forum Cæsaris, ubi porticus est Faustinæ Augusti uxoris, Romano proximum; cujus meminit Ovid. *lib.* 3. *trist. elegia* 1.

—— *Hæc sunt fora Cæsaris, inquit.*

Forum Nervæ, apud Capitolium, inter ædes S. Hadriani & S. Basilii.

Forum Olitorium, nunc *Piazza Montanara*, ad theatrum Marcelli, inter Capitolium & Tiberim.

Forum Palladium, apud Romanum, ubi ædes S. Andreæ in Pallata; cujus meminit Martialis *lib.* 1. *epist.* 2.

Limina quos pacis, Palladiumque Forum.

Hoc Panvino & Famiano Nardino testibus, idem est atque Forum Nervæ.

Forum Piscarium, apud Tiberim fluvium & theatrum Marcelli, inter Boarium & Olitorium.

Forum Romanum, apud porticum Faustinæ, inter Capitolium & Palatinum, in quo Vestæ templum erat.

Forum Sallustianum, apud hortos Sallustianos, inter ædem S. Susannæ & Salariam portam.

Forum Suarium, apud vetus Columnensium palatium, & montem Quirinalem.

Forum Trajani, proximum Foro Nervæ, inter Capitolium & montem Quirinalem.

Fosi, pop. Germaniæ, Cheruscis finitimi. *Dietmerscher* teste Althamero. Sed aliis *FosseWerde*, tractus Frisiæ occidentalis, ubi non longè Fosete insula, vulgò *Amelandt*, teste Hier. Verrutio. Baudr. Saxones, ubi nunc Ditmarsia, Holsatiæ pars. Soli Tacito memorati.

Fossa, una est quatuor viarum, totius Angliæ celeberrima. V. *Icenorum stratum*. Item tumulus, sepulcrum. Unde *Fossarius* Hieronymo *l.* 7. *de Ord. Eccl.* qui mortuos curat sepeliendos, primus in Clericis ordo. V. Henr. Spelm. *Glossar. Archæol.*

Fossa Canopica; quâ navigatur Alexandriâ Canopum. Strabo, & Stephanus.

Fossa Cimbrica, quam nullam volucrem supervolare posse, scribit Antigonus *in Mirabilibus*.

Fossa Clodia, vulgò *Chioza*, urbs Venet. ep. sub Patriarcha Veneto, in ora, inter Hadriam & Venetias, 25. m. p. Vid. *Clodia Fossa*; pòst *Clugia*.

Fossa Clœlia, Dionysius Κλοιλίας τάφρους vocat. Livius etiam pl. num. *Fossas* habet *lib.* 2. ubi de C. Martio Coriolano, *Postremum ad urbem à Pedo ducit, & ad Fossas Cluilias 5. ab urbe m. p castris positis populatur inde agrum Romanum.* Plut. de *eadem re in Vitâ Marcii*, Περὶ τὰς λεγομένας Κλειλίας τάφρους καταστρατοπεδεύσας τεσσαράκοντα τῆς πόλεως σταδίους ἀφεστώς.

Fossa Corbulonis, Leck, teste Ortelio, fluv. Batavorum in Hollandia, à *Corbulone* ex Rheno derivatus, spatio 23. m. p. Mosæ congrediens ad Crimpam pagum.

Fossa Drusiana, flu. Germ. infer. in ducatu Geldriæ, à *Druso* ex Rheno derivatus, vulgò *Ysel*, vel *Yssel* Ortelio. Verius pars Rheni, in Isalam fossâ deducta, ad Drusoburgum, vulg. *Dœsburg* Ferr.

Fossa Mariana, Ptol. Gall. Narbon. urbs, ad alterum ex Rhodani ostiis sita, ita dicta à *Fossa propinquâ*, quam Marius ex Rhodano duxit in viciniam. Strabo *l.* 4. Gallicè *Aigues mortes* Baudrando nunc vicus *Fos*, in Prov. in ora maris Mediter. 1. leuc à Maritima, & sinu Astromela, in Occ. versus ostia Rhodani, à quibus 3. leuc. distat in Ort. prope Campos lapideos.

Fossa Messanicia, nunc *Canal di S. Alberto*, locus, quo naves ex Pado in mare Ravennam usque, per Padusam paludem deducuntur.

Fossa Neronis, Licola, teste Sanfelicio, fossa, quam Nero ex sinu Bajano Hostiam usque perducere tentavit.

Fossa nova, monaster. Ord. Cisterciensis, in Latio, 50. m. p. Româ. Hîc obiit Thomas Aquinas. In planitie, ad pedes montium. Vix 2. mill. à Priverno, totidem à Paludibus Pontinis, in via Româ Neapolim versus.

Fossa Papyriana, Tuscorum civitas. Ptol. *Fosdinovo* nunc, sub proprio March. 3. mill. à Macra fluv. 4. à Sarzana in Cæc. inter Apuam & Massam.

Fossa Philistina, unum ex Padi ostiis, *Fossone*. Tacito *Tartarus* flu. nunc etiam interius *Tartaro*, qui unà cum Athesi exit in mare.

Fossanum, urbs Pedemontii, ad Sturam amn. media inter Salutium ad Occ. & Mont. Regalem ad Eur. 9. mill. utrinque distans.

Fossatum, oppidul. dit. Pont. in Marchia Anconitana, in Apennino, & confin. Duc. Urbini, 12. mill. ab Eugubio in Eur. 14. à Saxoferrato in Austr.

Fossatum, vulgari significatione *fossam*, nobiliore castrensem, atque illam maximè, quâ castra Imperatoria circumcluduntur, denotat. Hinc & pro ipsis castris sumitur. Duplex autem Imperatori statio erat, Domestica & Extera: illa Palatium, hæc *Fossatum*, utraque Imperatoris comitatum, prior aulicum, posterior castrensem continebat. Utrique præfuit Magnus Domesticus, quem Galli postea *Majorem Domus*, Angli *Magnum Seneschallum* appellarunt. *Fossati* constitutio è Curopalate talis erat: Præfectus, inquit, exercitus castrorum sedem, sed dijudicante Mega-

 domesti-

domestico, lustrat & eligit. Cooptato deinceps Imperatori loco, decernit Megadomesticus, quinam à fronte, quinam à tergo, quinam à lateribus debeant consistere: & ubinam singulorum Principum vexilla statuenda fuerint. Manent autem hæc omnia contis & thecis suis involuta, donec explicentur Imperatoria, Megadomestico tamen sua etiam prius explicare licet. Priusquàm verò considet Exercitus: excubiarum præfectus seu Drungarius biglæ, mandato Megadomestici, vigilias disponit: Diurno tempori sagittarios, nocturno equites, quibus certas stationes attribuit. Vigilias omnes obeunt, etiam ipsi Imperatoris filii, quia partes sunt *Fossati*: non tamen Megadomesticus, quia ipse universi Princeps est & caput, teneturque ubique, prout fert occasio, protinus adesse, ne hoste subitò irruente, exercitus sine Duce deprehendatur. Pro ipsis nonnunquam militibus & toto exercitu quoque vox *Fossati* sumitur. Inde *Fossatum* leve, manus militum levi armaturâ instructa, &c. V. Henr. Spelm. *Glossar. Archæol.*

Fossiniacensis tractus, Vid. *Focunates*.

Fosta & Jovis statuæ, à Vigberto Anglo eversæ, ipseque à Radbodo Frisonum R. propterea occisus est. Ubbo Emmius *Hist. Fris.*

Foxium, urbs Galliæ in Occitania, & diœc. Apamiensi, Comitatus cognom. caput. Familiæ origo fuit ex Comitibus Barcinonensibus, teste Froissardo, primusque Comitis titulum Bernardus gessit, A. C. 1062. Postea Rogerius Bernardus, ductâ Margaretâ hærede Benearnensis familiæ, Comitatum nactus est, A. C. 1286. Matthæus Foxius, Gaston Foxius, belli fulmen, sub Lud. XII. inclytum, aliique illustres viri inde prodierunt. Accessit splendori veritatis agnitio, & fidelium, bello Albigensi, defensorum decus: unde Concilio hîc opus A. C. 1226. quo Cardinalis S. Angeli, ab Honorio III. missus Comitem cum sede Pontificia conciliare annisus est. Vid. Duchenium *rech. des antiq. de France*, Perrerium *Ann. de Foix*, Olhagaray *Hist. de Foix*, Oihenartum, de Marca, &c. & infra in voce *Fuxium*.

F R.

Fracastorius, Medicus celebris, monuit Tridentini Conc. Patres, ut, ob imminentem pestem, Bononiam illud transferrent. Quod factum, & Sessio 9. ibi, d. 21. April. An. 1547. habita est. Thuan. *Hist. l. 4.*

Fracta vallis, vulgò *Freteval*, municipium Galliæ non obscurum, in Carnutibus, inter Castrum Duni & Vindocinum, ad ripas Liderici vel Ledi flu. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Fraga, opp. Aragoniæ, ad Cincam fluv. in limite Cataloniæ, 4. leuc. ab Ilerda in Occ. cum castro satis munito. Vid. *Gallica Flavia*, seu *Flavia Gall.*

Francfordia, vide *Francofurtum*.

Franci, pop. Germ. quorum reg. *Franconia*, ampla, quæ & Francia Orientalis, ad Gallicæ Franciæ discrimen, nominatur; qui in Galliam trajecerant, illi nomen Franciæ indiderunt, fueruntque propterea Galli deinceps *Francesi* dicti apud Italos, & alios. Fuerunt & *Franci* in Germ. inferiori, priùs Sicambri, Orosio teste; quorum oppidum adhuc *Francken* in ducatu Bergensi durat, seu in Comitatu Marchensi, teste H. Junio. In Frisiâ quoque habitasse Francos testatur Procopius, ubi *Franeker* urbs. Horum meminit Claud. *de Laud. Stil. lib. 2.*

Qui mihi Germanos solus Francosque subegit. Baudrando *Franci* comprehendebant Bructeros, Chaucos, Chamavos, Cheruscos, Chattos, Ansivarios, Dulgibinos, Chasuarios, Angrivarios, Salios, Tencteros, & Usipios seu Usipetes, ex Cluver. occuparuntque totum tractum, à mari ad Rhenum, Imperio R. jam præcipitante. Hadr. Valer. *Franci*, omnium Germ. gentium clarissimi, primas trans Rhenum sedes habuerunt: quorum regio *Francia* appellata, nonnunquam communi vocabulo *Germania*, *Sicambria* quoque, atque à Romanis *Barbaria*; habebat ab Or. Toringiam & Saxoniam, ab Occ. Rhenum & Oceanum, à Sept. ibidem Oceanum German. vel Septentrionalem, à Mer. Alamanniam & Sueviam, sive amnem Lonam. Ex his Rhenum accolebant Attuarii, Bructeri & Chamavi, cum Saliis: Oceani littora tenebant Frisii & Cauci. Interiora terrarum habitabant Amsivarii, Catti, aliique, omnes in unum *Franci* vocati, & nonnunquam *Sicambri*, quòd veterum Sicambrorum agros possiderent. Hujus *Franciæ* meminerunt Eumenius *in Panegyr.* Ausonius *in Mosella*, Amm. Marcellinus, Claudianus, Hieronymus, Alii. Prosper item *in Chron.* quum Faramundum, Clodium & Meroveum regnasse in Francia tradit. Postmodum cùm Franci tres Galliarum Provincias, Belgicam, Lugdunensem & Aquitaniam occupavissent, bifariam eas divisere, & partem quæ ad orientem Solem spectat, & Rheno ac Mosa atque Scalde continetur, *Austriam*; partem quæ ad occasum Solis vergit, & à Mosa ad Ligerim pertinet, *Neustriam* appellaverunt. *Burgundia* & *Aquitania* sua nomina servata. *Septimania* quoque vel *Gothia*, atque *Provincia*, postquam utraque regio Regno Francorum accessit, vetera vocabula sunt relicta: ut Aimoinus *in Præfatione Historiæ Francicæ cap. 4.* ante annos 650. Hugo Floriacensis Monachus *in lib. 3. Hist. Ecclesiasticæ*, Sigebertus *in Vita Sigiberti junioris Austrasiorum Regis*, aliique scribunt. Sed licet Austrasii & Neustrasii ex æquo *Franci* essent atque vocarentur, Austria & Neustria ex æquo *Francia* esset atque vocari soleret; tamen in Gestis Regum Francorum & in Appendice Chronici Fredegarii Neustrasii sæpissimè *Franci* appellari, & ab *Austrasiis* eo nomine distingui solent: quasi Francorum appellatio Neustrasiis magis quàm Austrasiis conveniret. Circa principatum Caroli Magni, cùm Neustria, quæ à Mosa ad Ligerim hactenus pertinuerat, imminuta, & Sequanâ ac Ligeri clausa esset; regio inter Sequanam & Mosam jacens, quæ Neustriæ portio exstiterat, *Francia* dici occœpit. Eandem Ludov. Pius Aug. ejus filius, in divisione Regni inter filios, *mediam Franciam* videtur vocavisse, quòd media jaceret inter veteris ac propriè dictæ Franciæ ambas provincias, Neustriam jam imminutam, & Austriam: ubi hodieque est *Insula Franciæ*, *l'Isle de France*, & regiuncula circa Monasterium S. Dionysii & Argentoilum *Francia* nuncupata, *la France*, veteris totius provinciæ nominis certissimum argumentum. Post mortem Ludovici Pii Aug. an. 843. tres ejus filii, Lotharius, Ludovicus & Carolus Regnum paternum inter se divisere. Et Carolo quidem Occidentalia Regna cesserunt, hoc est vetus Neustria seu Occidentalis *Francia*, à Mosa ad Ligerim & Oceanum Britannicum, cum Aquitania tota, Septimania, & parte Burgundiæ; Ludovicus Orientalia Regna obtinuit, nimirum totam usque ad Rhenum Germaniam, Norico seu Bajoariæ suæ adjungendam, & citra Rhenum Nemetas, Vangionas, ac Mogontiacum urbes cum suo quamque pago: vini copia nobiles: Lotharius, qui major natu ac Imperator erat, & Regnum Langobardorum atque Romam jam tenebat, medium inter utrosque Regnum sortitus est, partem Burgundiæ, atque Provinciam. Provinciæ quas accepit, ab Oriente Rheno & Alpibus, ab Occidente Scaldi & Mosa, Arari & Rhodano, à Meridie mari Gallico terminabantur. Tum Austriæ & Neustriæ nomina paulatim aboleri cœpere, & in usu esse desiere. Carolus cognomine Calvus ejusque successores *Reges Francorum Occidentalium* dicti; eorum Regnum, *Francia Occidentalis*; eorum ditioni subjecti, *Franci Occidentales*: Ludovicus ejusque successores, etiam post occupatum Lotharii regnum, *Reges Francorum Orientalium* nuncupati; eorum regio, *Francia Orientalis*; incolæ, *Franci Orientales*, multo latiùs *Francia Orientalis* quàm veteris *Austria*; & *Francia Occidentalis* quàm priscæ *Neustria* appellatione diffusâ. Luitprandus *in l. 1. c. 6.* Franciam Occidentalem semel atque iterum vocat *Franciam Romanam*, & absolutè *Franciam*; Wippo *in Vita Chunradi Aug. Franciam Latinam*, de Ernesto ad Odonem Comitem confugiente loquens. Bruno quoque *de bello Saxonico*, Philippum ejus nominis primum, Francorum Occidentalium Regem, *Latinæ Franciæ* Regem appellavit, id est Franciæ Romanæ seu Gallicæ, linguâ Romanâ seu Latinâ corruptâ vulgarive, nimirum Gallicâ utentis. *Linguam* autem *Romanam* Nithardus opponit *Linguæ Teudiscæ*, vel ut Frodoardus loquitur, *Teotiscæ linguæ*: & *linguam Romanam* Francis Galliam incolentibus tribuit; *linguam Teudiscam*, id est *Teutonicam* Germanicamve Transrhenanis: & *in Vita S. Bernardi* Franci Occidentales *populus linguæ Romanæ* appellantur. *In Chronico Laureshamensi* eadem ratione *Gallicana Francia* dicitur nostra, & *Rutpertus Rex Gallicanæ Franciæ*, Henrico Saxone apud Ortivos Francos Germanosque regnante, hoc est, Rotbertus Regis Caroli æmulus, pater Hugonis Magni, avus Hugonis Regis. Appendix Reginonis Regnum Occidentalium Francorum in anno 921. *Franciam superiorem*, in anno 939. *Galliam Romanam* vocat, id est Galuvaliam seu Galliam linguâ Romanâ seu Gallicâ corruptâ utentem; cùm Franci Ortivi intra Gallias plerique Germanicè loquerentur. Frodoardus more cæterorum scriptorum Gall. Franciam Occiduam seu nostram semper *Franciam* absolutè vocat, & in anno 954. *Burgundiam* & *Aquitaniam* partes ejus facit; Reges verò Orientalis Franciæ sive Germaniæ Henricum & Ottonem, *Reges Transrhenenses* appellat, licèt Regnum Lothariense amplum & nobile citra Rhenum obtinerent. Auctor etiam libri *de Vita Ludov. Pii Aug.* in an. 829. *Franciam Germaniæ*, & *Francos Germanis*; in an. 833. *Franciam* unà cum Burgundia & Aquitania Germaniæ opponit his verbis, *Populi tam Franciæ quam Burgundiæ, nec non Aquitaniæ, sed & Germaniæ coëuntes, de Imperatoris infortunio querebantur.* Ubi *Francia* dicitur Neustria & Austria; nomine *Germaniæ* omnes Transrhenanæ regiones ditionis Francicæ designantur. Vicissim & qui in Germania rerum potiti sunt, *Francorum Regum* nomen diu usurparunt, non solùm post divisa inter tres Ludov. Aug. filios Regna Francorum, sed etiam post Regiam Caroli M. progeniem in Germania exstinctam, sive post Regis Ludovici Arnulfi Aug. filii obitum: & scriptores Germani, ut Principes Gall. *Reges Francorum Occidentalium*; sic Dominos suos *Francorum Orientalium Reges*, sæpe & *Reges Francorum* absolutè appellaverunt. In Antiquitatum Fuldensium *lib. 1. Dominus Ludov. Francorum Orientalium Rex* passim vocatur Ludov. Pii filius, Rex Germaniæ, Lotharii Aug. & Caroli Calvi frater Otfrido *in Odario*, *Ludov. Orientalium Regnorum Rex*; in Annalibus Bertinianis passim *Ludov. Rex Germaniæ*. Regino in anno 880. & Annales Mettenses *Arnulfum*, Ludovici hujus ex Carolomanno filio nepotem, *Imperii Francorum sceptra suscepisse* scribunt, id est, Franciam Orientalem, seu Regnum Germaniæ Regnumque Lotharii. Witichindus *in libro 1. ultimum Carolorum apud Orientales*

Francos

Francos imperantium Lothovvicum Arnulfi filium fuisse ait. Henr. Ottonis pater, cognomine Auceps, *Magnificentissimus Rex Francorum Orientalium* nuncupatur. Otto ipse in Chronico Laureshamensi *Dei Gratiâ Regem Francorum & Longobardorum, & Patricium Romanorum*, sicut olim ante Imperium Carolus M. sese appellat: *Otto Francorum Rex*, Ὦτος ὁ τῶν Φράγγων Βασιλεὺς, à Cedreno dictus *in Constantino Porphyrogenneto*; à Constantino ipso Aug. *Otto Magnus, Rex Franciæ*, Saxoniam complexæ: quum ait, partem Chrobatorum sedes cepisse prope Franciam, & Ottoni Magno, Regi Franciæ parere: ὑπόκειται δὲ Ὤτῳ τῷ μεγάλῳ Ρηγὶ Φραγγίας καὶ τῆς Σαξίας. Apud Witichindum *in l.* 1. dicitur Henr. moriens *Oddonem filium fratribus & omni Francorum Imperio præfecisse*: quod & *l.* 11. *initio*, *Imperium Francorum* appellat, id est, Regnum Franciæ Orientalis vel Germaniæ, unà cum Regno Lotharii in Gallia. Idem de Ottone isto Rege electo, ab Antistite ungendo coronandoque sic loquitur, *Procedit Pontifex cum Rege, tunicâ strictâ more Francorum induto.* Nimirum Regem Francorum Orientalium, cùm coronaretur, Francicâ veste uti oportebat. Angusta autem vestis veterum Francorum erat, & singulos artus exprimebat, ut Sidonius docet,

Strictius adsutæ vestes procera coërcent
Membra virûm. &c.

Imò scriptores Galli atque Græci non solùm totum Francorum Regnum, quale sub Carolo M. erat, qui utramque Franciam tenebat, sed etiam singulas ejus partes ac provincias *Franciam*; & earum incolas *Francos*, earum Tetrarchas *Francorum Reges* passim appellavere. Hoc & priscorum edictorum & legum, hoc & veterum epistolarum atque nummorum inscriptiones docent: Constantinus Porphyrogennetus *in lib. de administrando Imperio cap.* 28. *Franciam & Francos* circa *Aquileiam* & alia loca provinciæ Venetiæ ponit, & quasi vivo Attila Rege Hunnorum, hæc Italiæ regio à Francis obtineretur, eam *Francias* velut per anticipationem vocat, & *Attilâ totam Franciam vastante*, (πάσης τῆς Φραγγίας) *Francos ex Aquileia & aliis Franciæ castris fugisse* prodit. Idem *in c.* 29. Lud. Aug. Lotharii Aug. filium, Imp. Ludov. Pii nepotem, Caroli M. Aug. pronepotem, qui Regnum Langobardorum & Prov. partemq; Burgundiæ cum urbe Roma obtinebat, *Ludoicum & Doloicum Ducem Franciæ* appellat; Λοδόηχον τὸν Δοῦκα Φραγγίας, nec non *Regem Franciæ*, Δολόηχον τὸν Ρῆγα Φραγγίας. Ex quo apparet, Longobardiam in Italia, Provinciam & Burgundiam in Gallia *Franciæ* nomine ab eo designari: *Longobardiam* tamen à *Francia* distinxit Carolus M. quum *Regem Francorum & Longobardorum* se ipse suis in epistolis appellavit, atque ita ab Episcopis urbis Romæ in litteris est nuncupatus; & quum apud Eginhardum thesauros suos, vestes & suppellectilem divisisse dicitur *an. D.* 811. *regni sui in Francia* 43. *in Italia* 36. *Imperii* 11. *in Italia*, id est, in Langobardia, quam Carolus à *Francia*, id est, à Gallia Germaniaque distinguit. Idem autem Imperator Constantinus, quum *in c.* 26. scribit, *Carolum M. regnasse in Magna Francia*, Κάρουλος ὁ μέγας ἐβασίλευσε εἰς τὴν μεγάλην Φραγγίαν: quum ait Ludov. Regem Prov. ac partis Burgundiæ, Regis Bosonis filium, *ex magna Francia profectum, Papiam obtinuisse*, Longobardiam Francicæ ditionis Regnum, cujus caput & sedes Regia Ticinum vel Papia erat: quum *in cap.* 29. tradit, Ludov. Aug. Imper. Lotharii filium, quem *Lodoechum Regem* vocat, quosdam *in Magnam Franciam relegare voluisse*, quam & *Franciam* nuncupavit: nomine *Magnæ Franciæ* Galliam præcipuam ac nobilissimam Regni Francorum partem, Regumque sedem, ac Galliæ provincias Burgundiam & Provinciam haud dubiè designat. *Franci* ergo absolutè, & *Franci Orientales* dicti sunt, post divisum inter Caroli M. nepotes Regnum, per annos circiter 400. Lotharienses, & Germani Transrhenani cum finitimis populis: & qui apud eos regnabant, nunc *Reges Francorum*, nunc *Francorum Orientalium Reges* nuncupati usque ad Frider. Ahenobarbum Aug qui anno 1190. periit. Quo mortuo, *Francorum & Franciæ* appellatio paulatim apud Germanos, deficiente Imperio exolevit, ut solis Principibus Franciæ Occ. quorum semper jam inde à Clodoveo fuerat, nobilissimus Regum Francorum titulus constanter inhæreret. Sed & regionem Germ. *Franconiam*, quæ pars vet. Alamanniæ fuit, circa ripas Nicri & Mæni jacens, olim *Franciam Or.* quoque, & sæpe absolutè *Franciam*, ac nominibus Germ. *Austriam* & *Ostrofranciam*, nec non *Franciam Teutonicam*, quòd in Germ. posita esset, nuncupatam fuisse, constat. Cujus prov. Ducatusque Gesta B. Kiliani Scoti, Theodorici R. æqualis, primùm meminere, in quibus *Gozbertus nobilissimus Dux Or. Francorum*, ibidem & *Australium* vocatorum, apud quos castellum erat Wirtziburgum, fuisse dicitur. Hanc Saxoniâ, Danubiô, Rheno & Salâ terminari prodit Eginhardus *in Vita Caroli M.* ita ut ei non Francones modò, sed etiam Cattos & Toringos, finitimosque populos attribuere videatur. Veteris autem Alamanniæ partem Franci Orientales vel Francones obtinebant. Hic notandum, Francorum Or. seu Austrasiorum Franconumve unum ab origine prima Ducatum fuisse, eumque Transrhenanum: sed postea divisis inter Lud. Pii tres filios regnis, cùm Ludovico R. Germ. Nemetæ, Vangionæ, ac Mogontiacum in Gallia propter vini copiam unà cum totâ Germ. cessissent, Franciam Or. Franconiamve in duos Ducatus esse divisam, Transrhenanum unum, alterum Cisrhenanum, utrumque *Ducatum Francorum* dictum. Qui nobilitate inter Francos cum Or. tum Occid. excellebant, lege Salicâ Francicâve utebantur, eamque jampridem exoletam, ac ferè ubique abolitam, ambitiosè servabant, tamquam certum originis suæ & vetustatis familiæ argumentum, & eam ob rem *Salici* cognominabantur; *Nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, hodieq; lege Salicâ utuntur*, ut Otto Frisingensis *in lib.* 4. *ante an.* 500. tradidit. Franci olim in commune vocabantur à Germanis *thi Frankon*, qui nunc *die Franken*. A *Frankon Francones* dicti pro *Franci*. Inde *Franco* Tungrorum Episcopus nomen accepit, qui Caroli Calvi æqualis fuit. Inde etiam ad Mænum fluvium villa Regia vel publica *Franconofurt*, aliàs *Franchonofurth, Franconoford, Francnofort, Franconifort, Franckenevurt*, & *Frankenoford*, alibi aliter in veteribus Annalibus ac Chronicis nuncupata est, tanquam *Franconum furtum* vel *fordum*, id est *Francorum vadum*. A Francis quoque derivata nomina propria, *Francio, Francilio, Francolus*, ac demum *Franciscus*, corruptè pro *Franeicus*: sicuti *Francisca* dicta est securis vel bipennis pro *Francica*, *equi Hunnisci* pro Hunnici; *Dacisci* pro Dacici, *Threcisci* pro Thracibus. Regio Germ. ad Mænum & Nicrum jacens, dicta est ante annos ferè mille *Francia Or.* aut etiam absolutè *Francia*, cùm pars fuerit veteris Alamanniæ; non autem prisca sedes Francorum, fortè propter colonias Francicas eò deductas. In quibus eminuit *Franconofurtum*, aut Francofordia, de qua vid. infrà. Ad Francos Occidentales revertor. *Franci* hi, post subactam Galliam, exemplum cæterarum Gentium, quæ in prov. Imp. Rom. similiter consederant, secuti, divisione terrarum cum Gallis factâ, suam quisque agri partem accepere, liberis suis hæredibusque cessuram. Hi omnes simul ac jussi convocatique erant, ad bellum proficisci consueverant, nec ullus militiæ vacationem habebat. Qui sine legitima causa à bello abfuerant, pecuniâ multabantur. Hinc in vet. Chronicis Annalibusque Rerum Francicarum, *Exercitûs Francorum* sæpe fit mentio: Propterea, quòd Regum horum exercitus ex Francis præcipuè constabat; penès Francos regni vires & copiarum erant; Franci bellantum pars melior & major habebantur: ita ut etiamsi omnes Francicæ ditionis populi sæpe unà militarent, & ad militares ac civiles Palatinasque dignitates nullo discrimine promoverentur; Galli, Burgundiones, Alamanni, cæterique, non ab aliis tamen quàm à victrice & rerum domina ac semper ad bellum parata natione *Francorum exercitus* diceretur. Ob id igitur Franci tributorum ac vectigalium habebant immunitatem: Nimirum quotquot ingenui & liberi erant, immunes erant; servi non item, quorum in singula capita tributum imponebatur. Quare Audonem, qui R. Chilperico persuaserat, ut ipsos pro servis haberet, & ab ipsis, tanquam à mancipiis tributa exigeret, spoliavere fortunis, & interficere conati sunt. Sic Franci antea Parthenium, qui Theodeberto Austrasiorum R. auctor fuerat, ut ipsis tributa quæ pendere non solebant imponeret, R. mortuo saxis obruerant. At Galli quos Romanos vocabant, quales stante Imp. Rom. fuerant, qualesque à Sidonio, à Salviano, aliisque describuntur, dominantibus in Gallia Francis tributarii permansere: eorumque, sicut antea, sub Francis agri censebantur. Hinc Francum alodem (*Franc-aleu*) vocavere fundum omnem, quem homo Francus à majoribus sibi transmissum, optimo jure & summa immunitate possidebat: ex quibus aliquot etiamnum supersunt, eo nomine atque eâ immunitate gaudentes, cùm majores, qualis Vicecomitatus Torinnæ est, tum minores. Hinc libertum *Adfrancitum* dixere, *Affranchi*; in libertatem asserere, *Adfrancire, Affranchir*: cuniculorum fossores, & sagittarios, ob magnas immunitates quibus fruebantur, alteros *Francos Talparios, Francs Taupins*; alteros *Francos Sagittarios, Francs Archers*; & eandem ob causam ut Francos vel Francicos alodes, *les Francs aleus*, sic Franca feuda, *les Francs fiefs* nuncupavere. Qui creditam pecuniam solvit, *Francus & quietus* esse dicitur, *Franc & quitte*, id est, liber ac securus. Ipsi Reges Pompelon. & Aragon. in litteris datis an. 1090. & an. 1129. aliisque *Francos*, nec non *Francs* pro liberis hominibus immunibusque accipiunt. *Francitates* Hispani pro immunitatibus hodieque habent, & cum privilegiis libertatibusque conjungunt, quas ipsi *Franquezas*, Angli *Franchisez* & *Fraunchises*, Gall. *Franchises* vocitant. Francicè loqui, *parler Franchement*, idem etiamnum Gallis est, quod liberè loqui: & Francitas vel Francicia, *Franchise* dignam ingenuo viro libertatem simplicitatemque apud illos significat. Hodieque Germani vulgò dictitant, *die freye Franken*, id est Franci liberi, ut Cluver. *in l.* 3. *de ant. Germ. c.* 20. scribit. Franci ergo, hoc est liberi dicti sunt, quòd præ cæteris Germanis libertatis suæ & immunitatis patriæ essent amantissimi ac tenacissimi. A Francis deductum verbum Francire, *Franchir*, pro transsilire: ut *Franchir le pas*, hoc est, difficilem locum saltu superare; *Franchir le fossé*, id est fossam transsilire; *Franchir le saut*; quod est, saltum periculosum atque arduum non tentare modò, sed exsequi Francicâ alacritate. Nimirum Gens Francorum, ut fortis, audax & aspera; ita velox inprimis; pernix atque agilis erat, quemadmodum Præfatio legis Salicæ docet. Apollinaris Sidonius *in Pa-*

in Panegyr. Imp. Majoriano dicto scribit, *ludum* esse Francis, in hostem intortam hastam saltu prævenire,

Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plaga præscisse locum, clypeosq; rotare
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas,
Inq; hostem venisse prius.

Apud Cassiod. *Variar lib.*11. *epist.* 1. dicuntur *Franci præcipitatis saltibus prælia semper Gentibus intulisse.* Omitto Salios, qui Francorum populis ab Amm. Marcell. aliisque scriptoribus adnumerantur, à saltu & agilitate artuum, exemplo Saliorum apud Rom. nomen invenisse, quos Salios nostros *pede* valere, hoc est cursu & saltu ait Sid. In *l.*7. Chronogr. MS. qui falsò 11. inscribitur, hæc habentur: *O quantus dolor & planctus Christi cultoribus, quòd jugo Gentilium subjiciantur colla Fidelium; tyrannis Turcorum virtus olim victoriosa Francorum. Dicuntur enim Franci quarumcunq; Gentium ibi degentium Chistiani.* Loquitur auctor de captis à Salahadino Hierosol. cum R. Guidone de Liciniaco. Nimirum & Saraceni, & Turci, & Or. ferè omnes, Christianos Occiduos, qui in Syria sedem ceperant, cujuscunque Gentis essent, promiscuè *Francos* appellitabant, quòd horum maximè viribus Regnum Hierosol. subactum ac Turcis ereptum fuerat. Hinc Pirrus, qui Europæis Antiochiam tradidit, cùm paucos se ad rem exsequendam habere quereretur, dixit: Μικρὺς Φράγκυς ἔχομεν, paucos Francos habemus, id est, paucos milites ex Occidentalium exercitu, paucos adjutores. *Not. Gall.* V. & infra.

Francia occid. (orientalis enim est Prov. Germ. & *Franconia* dicitur) pars Galliæ inter Ligerim, & Sequanam, quæ propriè *La France* à Gallis nominatur, licèt apud Italos, nomen Franciæ toti Galliæ, exceptâ magnâ Belgicæ parte, tribuatur. Claud. *de laude Stilic. lib.* I. —— *Provincia missos*

Expellet citius fasces, quam Francia reges
Quos dederis. —— ——

Lib. *in Basilico*, ἐςὶ γένος Κελτικὸν ὑπὲρ Ῥῆνον ποταμὸν, ἐπ᾽ αὐτὸν Ὠκεανὸν καθῆκον, ὅυτως εὖ πεφραγμένον πρὸς τὰ τῶν πολέμων ἔργα, ὥςε τὴν προσηγορίαν ἀπ᾽ αὐτῶν ευράμενοι τῶν πράξεων, ὀνομάζονται Φράκτοί. Οἱ δὲ ὑπὸ τῶν πολλῶν κέκληνται Φράγκοι: ubi MS. οἱ Φέργγοι. Baudrando Francia, olim Gallia, regnum est Euro- Europæ potentissimum, vulgò *la France*, Hispanis & Italis *Francia*, Germanis *Frankreich* dicta: cujus incolæ *François* dicuntur, Hispanis *Franceses*, Germanis *Frantzman*, & Italis *Francesi*. Franciæ longitudo est leucarum Francicarum 250. ab occidente in orientem. Latitudo autem est 237. leucarum similium à septentrione in meridiem, teste Brietio. Terminatur ab occidente Oceano Aquitanico, à meridie mari Mediterraneo & montibus Pyrenæis, quibus ab Hispania separatur. A septentrione habet mare Britannicum & partem Belgii Hispano subditam; & ab oriente separatur à Germania Rheno fluvio, & ab Italia Alpibus. Francia aliàs plura complexa est regna, nempe Lutetiæ Parisiorum, Suessionum, Aurelianense, & Metense seu Austrasiæ; item regna Burgundiæ, Arelatense, Aquitaniæ, & Britanniæ minoris. Sed à pluribus seculis omnia in unum coaluerunt. Dividitur nunc in 40. prov. quæ ad duodecim Præfecturas generales reducuntur. Caput regni est Lutetia, *Paris*, totius Europæ, & forsan orbis populosissima & amplissima. Subsunt etiam Regi Franciæ Nova Francia, regio perampla Americæ septentrionalis, & plurimæ insulæ ex Antillis in mari Boreali, cum aliquot locis in Africa & in Madagascaria insula, atque à paucis annis magna pars Flandriæ & Hannoniæ provinciarum Belgii Francico regno accessit, uti etiam pars meridionalis Luxemburgensis Ducatus.

Francici regni divisio per præfecturas generales:

Prima Præfectura, Francica seu Insulæ Franciæ, *l'Isle de France*, sub qua provincia Insulæ Franciæ & agri Bellovacensis, *le Beauvoisis*, Laudunensis *le Laonois*, & Suessionensis, *le Soissonois*.

Secunda, Burgundica, continet Ducatum Burgundiæ, *la Bourgogne*, & Bressiam, *le Bresse*.

Tertia, Normannica, continet Normanniam, *la Normandie*.

Quarta, Aquitanica, continet Guiennam, *la Guienne*, Vasconiam, *la Gascogne*, provincias, Santoniam, *la Saintonge*, Petrocoricensem, *le Perigort*, Lemovicensem, *le Limosin*, Cadurcensem, *le Quercy*, & Rutenensem, *la Rovergue*.

Quinta, Britannica, Aremoricam totam seu Britanniam minorem complectitur, *la Bretagne*.

Sexta, Campanica, continet Camp. *la Champagne*, & Briam, *la Brie*.

Septima, Occitana, continet Occitaniam, *le Languedoc*, & provincias Vivariensem, *le Vivarais*, Gabalensem, *le Givaudan*, Velaunos, *le Velay*, & Comit. Ruscinonensem, *le Roussillon*.

Octava, Picardica, sub qua Picardia, *la Picardie*, & Artesia, *l'Artois*.

Nona, Delphinatus, sub qua Delphinatus, *le Dauphiné*.

Decima, Provinciæ, sub qua Provincia, *la Provence*.

Undecima, Lugdunensis, continet provincias Lugdunensem, *le Lyonnois*, Baujoviensem, *le Beaujolois*, Forensem, *le Forez*, Borboniensem, *le Bourbonnois*, Alverniam, *l'Auvergne*, & Marchiam, *la Marche*.

Duodecima, Aurelianensis, complectitur provincias Aurelianensem, *l'Orleanois*, Blesensem, *le Blaisois*, Perticensem, *le Perche*, Belsiam, *la Beausse*, Cenomanensem, *le Maine*, Andegavensem, *l'Anjou*, Turonensem, *la Touraine*, Pictaviensem, *le Poictou*, Inculismensem, *l'Angoumois*, Bituricensem, *le Berry*, & Nivernensem, *le Nivernois*.

Quibus addenda est decima tertia, quæ continet Lotharingiam Francicam, *la Lorraine Françoise*, & Alsatiam, *l'Alsace*.

De urbibus Franciæ videbis in voce *Gallia*.

Francia nova, *Nouvelle France*, regio perampla Americæ septentrionalis, à Francis detecta, juxta fluvium & sinum S. Laurentii. Vide *Nova Francia*.

Francia propria, seu Insula Franciæ, *l'Isle de France*, prov. est regni Franciæ. Habet à Sept. Picardiam, ab Or. Campaniam, ab Occid. Normanniam, & à Mer. Belsiam & Aurelianensem prov. continetque Franciam regiunculam inter Lutetiam & Sylvanectum, agros Bellovacensem, Suessionensem, & Laudunens. Valesiam, Vexinum Francicum & Hurepesium. Totius provinciæ facilè primaria est Lutetia, *Paris*, quæ & regni caput existit.

Francia, vulgò *la France*, regiuncula est regni Franciæ sic dicta, in prov. Insulæ Franciæ, inter Lutetiam ad Austr. & Sylvanectum ad Bor. versùs Fanum S. Dionysii, Monmorancium, & Gonessam; & extenditur tantùm ad aliquot leucas in illo tractu. Sed ejus periere limites.

Urbes Franciæ propriæ seu Insulæ Franciæ clariores:

Bellovacum, *Beauvais*.	Medunta, *Mante*.
Compendium, *Compiegne*.	Melodunum, *Melun*.
Crepiacum, *Crepy en Valois*.	Nemosinum, *Nemours*.
	Noviodunum, *Noyon*.
Fanum S. Dionysii, *S. Denys*.	Pisciacum, *Poissy*.
Latiniacum, *Lagny*.	Pontisara, *Pontoise*.
Laudunum, *Laon*.	Sylvanectum, *Senlis*.
Lutetia Parisiorum, *Paris*.	Suessiones, *Soissons*.

Francia parva, *Franza curta*, regiunc. Italiæ, in ditione Veneta & in agro Brixiano, dicta à Francis, qui illic consederant post victum à Carolo M. Desiderium Longobardorum Regem.

Franchendalia, vulg. *Franckendal*, olim cœnobium fuit, ubi colloquium, auctoritate Frid. III. Elect. cognom. Pii habitum est, inter Orthodox. & Anabaptistas, A. C. 1571. Belgis postea exulibus, circa A. C. 1574. asylum, nunc urbs est recens Germ. probè munita, in Palat. inf. Vix una leuca distat à Rheno, & 4. ab Heidelberga in Occas. uti & à Spira in Bor. Aliàs capta fuit ab Hispanis, sed postea reddita Electori Palatino pace Monaster.

Franciacum, vulgò *Fronsac*, castrum Galliæ, in agro Burdegalensi, à Carolo M. fundatum, & nunc Duc. tit. insignitum, ad Duranium flu. paulò infra Liburnam, vix 5. leuc. à Burdegala in Ort.

Francicus sinus seu Gallicus, *Baye de France*, sinus est parvus Africæ, in ora Guineæ, prope prom. Leænæ, vulgò *Sierra Liona*; sic dictus à Gallis, qui primi illas oras lustrarunt & inhabitarunt, anno nempe 1384.

Francisca Alenconia, fil. Renati D. Alenconii, ex Margareta Lotharingica. Nupsit primò Francisco I. D. Longavill. dein Card. Borbonio, I. Duci Vindocin. ex eo mater Antonii, hinc avia Henr. IV. Francisci, Com. Anghiani, ad Cerisolam victoris, Caroli Card. Joh. in prælio S. Quintini, occisi, an. 1557. & Lud. Princ. Condæi, &c.

Francisca Odeau, Meditationes & Sermones Bernardi Gall. vertit. Hilario Costus, *elog fœm. ill t.* 2. edit. 1647. *p.* 731.

Reges Galliæ, & Navarræ.

Franciscus I. Gall. R. cognom. *Magnus*, & *Restaurator literarum*, successit an. 1515. socero Ludov. XII. Natus Carolo Aurelian. Com. Engolism. ex Ludov. Sabauda, an. 1494. maritus Claudiæ Francicæ, quæ Carolo Austr. jam erat desponsata. Ducem Mediolani se dixit, ob Valentinam proaviam suam, & validis nixus copiis, Imper. Arragoniæ R. Papâ, Helvetiis licet renitentibus, hæreditatem adivit, prælio ad Marinianum biduano victor. Hinc Eques à Bayardo creatus, Mediolanum cum tota Lombardia obnoxiam habuit. Cum Helv. postmodum, virtute illorum motus, fœdus iniit; à Leone X. rogatus Pragmatic. sanctionem ex parte sustulit, &c. Carolo V. in Imper. lecto, novæ turbæ ortæ. Hic enim cùm Navarram, juxta pacta Noviodunensia, Henr. Albretano non restitueret, Franciscus eam armis occupavit, moxque iterum perdidit. Carolum Anglis junctum Italiâ pepulit, sed Borbonio Connestabili, Carolo, ad Imp. deficiente, Mediol. amisit, & ad Bicoquam victus est; sicut vicissim Imp. Massiliâ est depulsus. Hinc in Italiam: Mediol. recuperavit, verùm prælio Ticinensi victus & in Hisp. abductus, libertatem Flandriâ, Artesia & Tornaco redemit. Sic iterum in Ital. translato bello, Neapolim frustra obsedit, Lucemburgum amisit, &c. Pace tandem Cameracensi, an. 1529. Eleonoram, sororem Caroli Austriaci, duxit, an. 1533. Massiliæ, cum Papa, conjugium Henrici fil. & Catharinæ Mediceæ conclusit. Post hæc, Sabaudiâ occupatâ, Carolum Galliam ingressum, iterum pepulit, Nicæensi pace, & colloquio cum hoste, bello rursus composito, a. 1538. Quod mox iterum recrudiut, cùm Carolus per Gall. contra Gandavenses rebelles properans, & liberaliter à Francisco habitus, Mediol. Duc. restituturum se promisit, neque præstitit. Hîc insigni victoriâ ad Cerisolam Galli, sub Francisco Borbonio, potiti, an. 1544. tandem iterum pax coalita. Obiit non diu pòst, an. 1547. regni 32. æt. 53. Professorum, in quacunq; scientia, collegii fundator, Princeps planè egregius. Huic cùm Petrus Castell. Matiscon. Ep. parentans,

tans, dixisset, credere se, *Domini sui animam, simul atq; è corpore excessisset protinus cœlo receptam esse*; periclitatus de vita fuit, nisi eum tuitus fuisset Johannes Mendoza, accusatoribus respondens, *Franciscum ad Purgatorium non moræ faciendæ causâ divertisse, sed tantùm, ut vinum illac transeundo à pocillatore, pro more degustandum acciperet*. V. Thuan. *l.1. & 3.* Liberalitate porro, clementiâ, & magnificentiâ nulli secundus, nisi quòd in sequiorem sexum pronior, & nimis arctum cum Turca, in Christianorum perniciem, fœdus coluit. V. ulterius Guilielmum Paradinum, Martin. & Guil. Bellajum, &c. Successit fil. Henricus II.

Franciscus II. fil. Henrici II. duxit Mariam Stuartam Scotam, adhuc Delphinus, unde *Rex Delphinus* vocatus est. A.1559. coronatus, à Duce Guisio & Cardinali, fratre ejus, qui posthabitis Regii sanguinis Principibus, rerum summam ad se trahebant, regnum turbari vidit. Sed & purior eo regnante Religio Galliæ affulsit, sub Condæo hyperaspista: Colloquium Possiacenum habitum. Dein ad Fanum Germani, contra imagines, inprimis SS. Trinitatis, conclusum, opponente se executioni Nic. Mallardo, Thuan. *l.28. & 29.* Contrà strage Vassiacenâ polluta templa, & bellum intestinum exortum, Princeps Condæus, per fraudem, in nassam pellectus, supplicioque destinatus; verùm mox præmaturâ Francisci morte An. 1560 æt.17. alia Galliæ facies inducta est. Habuit successorem Carolum IX. Fratrem.

Franciscus, Delphinus Franciæ, Britanniæ D. fil. Francisci I. ex Claudia, veneno Lugduni, cùm pilâ luderet, à Seb. Montecuculi Ferrariensi, sublatus. An.1536. qui à quatuor equis discerptus est. Bellaj *l.6. 7. & 8.*

Franciscus Alenconius Dux, fil. Henrici II. Gall. R. ex Catharina Medicæa, natu minimus, quem ut ad regnum eveheret mater, à Nostradamo monita, omnes suos quatuor filios regio apice fulsuros, ei Algerii in Africa regnum, ab Ottomanno petiisse dicitur. Jam ante pacem Gandavensem & postea sæpe ambitus, Belgarum primoribus, haud contemnendo ingenio, sed animi inquies, belli se ducem dederat, quod ad restituendam contra aulæ injurias Galliæ libertatem, & pro quiete religionum sumi tum dicebatur: hinc fama ipsi popularis & pace factâ amplissimæ possessiones. Sed famam brevi fœdavit in socios versis armis, alienæ sævitiæ minister. Commendatus hoc tempore à Margareta sorore Belgis, decreto Ordinum vindex libertatis nominatur, addicunturque illi in præmium societatis oppida, quæcunque trans Mosam hostis possidebat. Advolat ergo A. 1578. cum exiguis copiis, Gallorum tumultuum ejectamentis, quos post violata passim hospitia, apud Binckium opp. deponit, hoc mox capto. Dein cum Casimiro rixatus, ultro ad hostes militem suum dilabi passus, brevi post in Galliam revertitur. Hoc absente plures diffidentium Belgarum nationes, sub imperium iterum ab Hispano redactæ, cæteræ Trajecti Batavorum arctiori fœdere coierunt, atq; suadente Auriaco, Francisco Principatum detulerunt, A.1581. qui Cameraco mox obsidione liberato urbis princeps salutatur. Inde in Angliam transvectus nuptiis Elisabetæ frustra inhiavit: in Belgium redux solenni ritu, in Brabantia Ducis, in Flandria Comitis titulo imperium suscepit, indignante Belgarum nobilitate. Post hæc Alosto occupato, dum fraterna auxilia frustra expectat, atroci consilio & desperationis pleno, quos defensurus venerat, opprimere statuit, Vilvordâ, Tenerimundâ, Dicasmundâ & Dunkerckâ, ubi Gallorum præsidia prævalebant, subitò raptis. Brugis, egregiâ Magistratuum arte elusus, Antverpiam infelicissimè tentavit, A.1583. cum suis fugâ captâ. Exin retentatis Dunkercæ colloquiis, superstes fuit honoris & dedecoris sui menses non amplius septendecim, confectusque aliis per libidines, aliis veneno, plerisque animi ægrimoniâ creditur, communi ferè omnium exitu, quibus infelicium populorum malis abuti libido est. V. Hug. Grotium *Annal. Belg. l.4.*

Franciscus, cognom. *Phœbus*, ob pulchritudinem, fil. Gastonis V. Com. Fuxii, ex Magdalena, filia Caroli VII. Navarræ Rex, aviæ Eleonoræ successit, A. 1479. post dissidia Bellimontiorum & Gramontiorum, Pompeiopoli coronatus, A.1482. inde in Bearniam reversus, paulo pòst obiit, non sine veneni suspicione. Mariana *l. 24. c. 19. & 22. l. 25. c.3 &c.* Belleforest. *l.5.c.149.*

Duces Britanniæ.

Franciscus I. cognom. *Dilectus*, Dux Britanniæ, fil. Johannis VI. ex Johanna, filia Caroli VI. A. 1442. Auctor Ordinis Spicæ, Anglis varia loca eripuit, A. 1448. & 49. Obiit A.1450. æt. 37. Petro fratre successore relicto.

Franciscus II. fil. Richardi Britanni, Comitis Stampensis, ex Margareta Aurelian. successit Arturo III. A. 1458. Apud hunc quum Petrus Landæus quidam, fil. tonsoris, plurimum valeret per an. 15. hinc non parva procerum indignatio. Gallicis negotiis, sub Ludov. XI. & Carolo VIII. cùm se, sed nullo successu, immisceret, cum hoc pacem iniit. Obiit equi lapsu, A. 1488. princ. 30. æt. 53. Parens, ex Margareta, Gastonis IV. filia, Annæ, quæ Carolo VIII. & post eum Ludovico XII. nupsit. Bouchard. *Chron. & Ann. Brit.* Argentræus, *Hist. Brit.*

Viri clari.

Franciscus Accursius, Jurisconsultus, Florentiæ natus, Jus civile Bononiæ, A. Dom. 1225. cum ingenii, atque industriæ laude professus est. Vide plura de eo apud Hotomannum.

Franciscus de Acolithis, Aretinus, Jurecons. Princeps dictus. Jason. *in l.2. ff. de Jurisdict. Omn.*

Franciscus Albertinus, Florentin. scripsit veterem novamque Romam: Item Epitaphia vett. Onuphr. *præf. Comment. de Rep.* Simler. Voss &c.

Franciscus Alvares, Hisp. auctor Relationis de Presbytero Joh.

Franciscus Aquilonius, Jesuita Brux. l. Opticæ 6. libb. composuit. Algamb. Vossius, *de Mathem. c.26. §. 18.*

Franciscus Arsillus, Medicus & Poëta, scriptis inclytus.

Franciscus Assisius, ex Assisia, Umbriæ opp. Franciscanorum familiæ auctor, A. 1208. ordine ab Innocentio III. A. 1215. approbato. Hi primò *Pauperes minores* dicti, subitò emergentes terram repleverunt, postea *Fratres minores* dici maluerunt. Divisus Ordo in plures ramos, ubi tamen annotatum, primum qui peculiari habitu à reliquis hujus ordinis distingui voluit, licet unus ex 8. primis Francisci sociis fuerit, leprâ correptum, ex desperatione suspendio seipsum necasse. Obiit A. 1226. à Gregorio, Sanctis Commun. Rom. adscriptus, A. 1228. Hunc corvis, milvis, picis, &c. attentè auscultantibus concionatum esse, cum statua nivea concumbendo libidinem domuisse, pediculos semel excussos rursus vestibus immisisse, ne homicidio se pollueret, &c. narrant, Matth. Paris. *in Henr.* III. & Melch. Canus, *l.11. Theol.* Opera ejus, an. 1541. Parisiis edita. Vide Bonavent. *in vita ejus*, Trithem. *Catal.* Luc. Vading. *T.1. Annal. Min.* &c.

Franciscus Balduinus, Atrebas, IC. Historicus & Theologus, inter suos celebris, Calvini amicus, Antonio Borbonio, Navarræ R. gratus, ejus Oratorem egit in Conc. Tridentino. Obiit A.1573. æt. 53. quo tempore ab Henrico R. ad Academiam Cracoviensem restaurandam vocatus, eò sese accinxit. Scriptis suis celebris. SanMarth. *l. 2. elog. Gall. doct. illust.*

Franciscus de Beaucaire, Episc. Metensis, in Conc. Tridentino, de prælio ad Druidum urbem commisso, orationem habuit. Scripsit de embryonibus, varia poëtica, & histor. Obiit A. 1591. Iidem.

Franciscus Belleforestus. V. ibi.

Franciscus Borbonius, Montpenserii D. Normanniæ præfectus, fortitudine prudentiaque, sub 4. Regg. inclytus. Obiit, An. 1592. Parens Henrici, ult. Montpenserii Ducis.

Franciscus Bourgoinus, hist. Eccles. 2. tomis scripsit.

Franciscus Brasserus, Batorius, Bordinus, insignes Mathematici. Voss. *de Mathem. c. 49. 53. 65.*

Franciscus Cajetanus, Cardin. Bonifacii VIII. memoriam vindicare annisus est, apud Clem. V. A. 1301.

Franciscus Caligarius, vel *Pelecanus*, Florent. Scripsit de Algebra, & libb. 13. Arithmeticam edidit. Rocciantius, *de scr. Florent.*

Franciscus Cassardus, Arch. Turonensis, & Cardin. vixit sec. 13. Obiit A. 1237. Hilar. Costus, *de Delphin.* Frizo, *Gall. Purp.*

Franciscus Castilionius, Canonicus Florentinus, scripsit varia, sec. 15. V. Leandr. Alberti, Possevin. Voss.

Franciscus Catellusius, vir fortissimus, cujus opera Carolus Johannes Constantinop. Imp. in patriam rediit, cuiq; Imperator ipse Lesbum insulam dono dedit. Blond.

Franciscus de Condelmeriis, Cardin. Venetus, ab Eugenio IV. avunculo, variis Legationibus adhibitus. Obiit A. 1453. Chifflet. *descr. Vesunt.*

Franciscus Connanus, IC. libros 4. Comment. in jus Civile scripsit, &c. Obiit an. æt. 43. seculo præterito. SanMarth. *l.1. elog.*

Franciscus de Cruce, auctor Bibl. Gallicæ insignis, sub Henr. III.

Franciscus Delbenus, IC. Veronensis, auctor Chronici familiarum hujus urbis. Circa an. 1508.

Franciscus Diedus, Sen. Venetus, eruditione insignis. Obiit Veronæ A. 1483. V. *Diedus.*

Franciscus Drack, V. ibi.

Franciscus Duarenus, V. ibi.

Franciscus Espinæus, Broagii præfectus, fortitudine, ingenio, magnanimitate, literis inclytus, in Ambiani obsidione, obiit. Scævola SanMarth. *elog. l. 4.*

Franciscus Ferrariensis, Dominic. In summam Thomæ commentatus, &c. obiit, A.1528. Leand. Alberti *de Vir. Ill. Ord. Dom l.4.*

Franciscus Feuardentius, Franciscanus, varia scripsit, contra Reformatos. Irenæum, cum notis, edidit. A. 1575.

Franciscus Foxius, de Candala, Episc. Ariensis, literarum, Mathematicarum inprimis, gloriâ florens. Vertit Pimandrum Merc. Trismegisti, illustravit commentariis Euclidem, &c. Obiit A. 1594. Thuan. *hist.* SanMarth. Pater, *elog. l.4.* & filii *Gall. Chr. t.2. p.22. &c.*

Franciscus Foscarius, Dux Venetorum, depositus, ob ætatem & nimium in liberos rigorem, A. 1457.

Franciscus Gomarus, vide *Gomarus.*

Franciscus Guilielmus de Clermont, Cardin. Vicelegatus Avenion. Ibi obiit. A.1540. Legatus à Ludov. XII. ad Jul. II. missus A. 1507. Frizo *Gall. Purp. &c.*

Franciscus Habertus, Biturix, prosâ versuque plurima edidit, sec. præterito. Verdier. *Bibl. Gall.*

Franciscus Hotomannus, V. *Hotomannus*.

Franciscus Hubocionius, Italus, Arch. Burdigalensis, juris peritissimus. A Bonifacio IX. in Vasconiam, Navarram, Castellam, &c. legatus. Obiit A.1412. Enguerrand. Monstrelet, *l.1.c.46.* Ciaccon.

Franciscus Joyesius, Cardin. A. 1583. ab Henrico III. Romam missus, jura Regis sui animosè defendit, &c. A. 1600. excepit Mariam Medicæam Massiliæ, ab Henrico IV. negotio pacis inter Paulum V. & Venetos conciliandæ, adhibitus, Mariam coronavit, A. 1610. ut & Ludovic. XIII. Remis &c. Thuan. *hist. l.* 137. Frizo, Petramellarius, Ciacconius, *in Contin. &c.*

Franciscus Junctinus, Florentinus, plurima Mathematica scripsit.

Franciscus Lichetus, Brixianus, scripsit in Magistrum Sentent. A. 1518. Wading. *Ann. Min.*

Franciscus Maironius, Franciscanus, cognom. Doctor illuminatus, Scoti discip. primus magnæ Sorbonicæ auctor, Respondentem à 5. vel 6. matutina, usque ad 6. vel 7. vespertinam disputando fatigare solitus. In Theol. & Philos. varia scripsit. E Provinciâ oriundus. Spond. *A. C.* 1315. *n.* 7. Morerius.

Franciscus Maresmius, Valentiæ Hisp. natus, Gen. Carthus. successit Guil. Mothæo, A. 1437. In electione Amadei Sabaudi, 10. suffragia, à PP. Conc. Basil. obtinuit. Petrejus, *notis ad Dorland. l.* 4. *c.* 26.

Franciscus Maria Grapaldus, Florentinus, à civibus suis ad Julium II. missus. P. Jov. *elog. doct. Vir. c.* 62.

Franciscus Maria Tarugius, nepos Joh. M. Magistri Melitensis, qui Jul. III. ex fratre nepos erat, à Clem. VIII. Cardinalis creatus est, A. 1596. in Baronii sepulchro tumulari voluit. Obiit An. 1608. æt. 84. Italicè vertit priora volumina Annalium Bar. Victorel. *add. ad Ciaccon.* Morerius.

Franciscus Martinius, Carmelita eruditus, Catalaunus: Obiit A. 1390. Scripsit de Conceptione Immaculata.

Franciscus Mataracius, Perusinus, literis clarus. A. 1470.

Franciscus Maurolicus, Abbas Siculus, Mathemat. insignis, Cosmographiam, Geometriam & Arithmeticam scripsit. Blancan. *Chron. Mathem. sec.* 16.

Franciscus Montholonus, Præses Parlamenti, & Cancellarius Galliæ, sub Francisco I. contra hunc Carolum Borbonium defendit. Filius ejus cognom. sub Henrico III. idem dignitatis obtinuit, Aristides Gall. dictus. V. Morerium.

Franciscus Niger, Presbyter Venetus, floruit A. 1494.

Franciscus la Nove, seu *Lanovius*, Dux Reformatorum, in Gallia, prudentiâ, fortitudine & probitate ipsis Pontificiis admirationi fuit: Insuper omni literarum genere non leviter tinctus. Aurelianum cepit, postremam aciem in prælio Bassaceno duxit, alibiq; innumera admirandæ prudentiæ & excelsi animi specimina edidit: A Rupellanis summæ rerum admotus, Belgis, Ducis Andegav. auspiciis suppetias adduxit, Henrico IV. gratissimus, Obiit in obsidione Lambalii, A. 1591. Scævola San Marth. *Elog. libr.* 4. Thuan. *Hist.* Amyraldus *in Vita ejus.* Dictus est *Bras de fer*, quia sinistrum brachium fortiter pugnando cùm amisisset, postmodum ferreo usus est.

Franciscus Oliverius, fil. Jacobi, primus Parlamenti Præses, Cancell. Galliæ, sub Francisco I. & Henrico II. Obiit A. 1560. San-Marth. *Elog. l.* 2.

Franciscus Ordelaffius, in Italia, tyrannidem inauditam exercuit: ab Innocentio IV. frustra Avenionem citatus, A. 1354. armis oppressus est. Villan. *l.* 6. & 7.

Franciscus Panigarola, Franciscanus, Episc. Astensis, libris Sermonibusque editis celebris, sec. præterito.

Franciscus Patavinus, coram Friderico III. Imp. & Innocentio VIII. de S. Leopoldo peroravit, A. 1484.

Franciscus de Paula, Fundator Ordinis Minimorum, à Sixto IV. approbati, A. 1473. Obiit, 1507. Sanctis annumeratus est, An. 1519. à Leone X. Cadaver ejus, bello civili, exustum. Phil. Commineus, *l.* 6. *c.* 9. Morerius.

Franciscus Petrarcha. V. ibi.

Franciscus Philelphus, Tolentinus, vel Anconitatus, Poëta & Orator. Constantinopolim profectus, Græcæ L. studio, ibi Em. Chrysoloræ filiam Theodoram duxit. A Palæologo ad Eugenium IV. legatus, docuit in omnibus Italiæ Academiis, Orationibus, Epistolis, Dialogis, Carminibus, &c. editis, Famam adeptus immortalem. Obiit A. 1471. æt. 80. P. Jov. *elog. c.* 17. Jacobus Bergam. *l.* 15. Volaterran. *l.* 21. Vossius, &c.

Franciscus Pisanius, Cardin. Venetus, pro Clem. VII. mortis periculo se exposuit. Marcello II. & Paulo IV. inauguratis, obiit Cardinalium Decanus, an. 1564. Victorel. *addit. ad Ciaccon.*

Franciscus Pizarrus, Hisp. primus Peruviam detexit, an. 1525. Mariana, *l.* 26. *c.* 3.

Franciscus Puteanus, Gen. Carthus. omni literarum genere excultus. Petro Ruffo successit, an. 1503. Scripsit *Catenam auream super Psalmos*; vitam S. Brunonis, &c. Obiit, an. 1521. Sutor *l.* 2. *de Vita Carthus.* Petrejus *Bibl. Carthus. p.* 91.

Franciscus Quelenius, Carthus. scripsit de Morte. Idem *p.* 95.

Franciscus Quinnonesius, Cardin. sub Clem. VII.

Franciscus Rabelæsius. V. *Rabelæsius.*

Franciscus Rabutinus, scripsit Commentarios bellorum Galliæ Belg. inter Henricum II. Gall. R. & Carolum V. Imp. Verdier. *Bibl. Gall. p.* 409.

Franciscus Roaldensis, IC. celebris, Tholosæ docuit. San Marth. *elog. l.* 4.

Franciscus de Rosieres, scripsit *Stemmata Ducum Lotharingiæ*, qui liber in Galliâ censurâ notatus, &c. an. 1583.

Franciscus Rupifulcaudius, Cardin. operam dedit omnem, ut Concil. Trident. in Gallia reciperetur. Obiit an. 1645. æt. 88. Morer.

Franciscus de Sales, Episc. & Principis Genevensis titulo notus. Auctor Ordinis Visitationis, obiit Lugduni, an. 1622. Ab Alexandro VII. Sanctis Rom. Commun. adjectus, an. 1665. Morerius.

Franciscus Sfortia I. Dux Mediol. fil. nothus Jacobi Attenduli de Cotignola, Dux sui seculi celeberrimus: Principatum Mediol. obtinuit, an. 1450. excluso Carolo Aurelianensi, fil. Valentinæ. Ope Ludovici XI. Genuâ potitus, an. 1464. duxit Blancam Mariam, ex illa Galeacii Mariæ successoris &c. parens. Obiit an. 1466. æt. 70. princip. 16.

Franc. Sf. II. Maximiliano fr. successit. Sæpius pulsus restitutusq; obiit an. 1536. ex fil. Christ. II. Daniæ R. nullâ prole susceptâ.

Franciscus Sonnius, Episc. Antverpianus, literarum gloriâ florens, inter suos: Contra Reformatos varia scripsit. Strada *de B. B. l.* 1. San Marth. *Gall. Christ. tom.* 2. *p.* 155.

Franciscus de Sourdis, Archiep. Burdigal. & Cardin. Obiit, an. 1628. Idem, *t.* 1. *p.* 227.

Franciscus Stancarus, Mantuanus, à Maccejovio Episc. Cracoviensi vocatus, ut linguam S. Cracoviæ doceret, dogmata Evangelica docere deprehensus, aliquandiu in vinculis fuit. Liber, Pinczoviæ scholam celebrem aperuit, Ecclesias à Papatu reformavit; 50. canones instaurandarum Eccles. conscripsit, sed quòd doceret; *Christum Mediatorem esse tantùm, quoad humanitatem*, rejectus. Lasicius *de gestis Fr. l.* 5. *è msc.* Onuphr. an. 1551.

Franciscus Tarapha, Canon. Barcinonensis, historiam Regum Hispaniæ condidit, an. 1580.

Franciscus Titelmannus, Leodiensis, Capucinus, obiit Romæ an. 1553. Scripsit apologiam pro versione vulgata, collationem super ep. ad Romanos, c. Erasmum & Jac. Fabrum, Commentar. in Psalmos, Cantica Canticorum, &c. V. Morerium.

Franciscus Toletus, Cardinalis Hisp. scripsit in diversos S. Scripturæ libb. Summam, &c. Obiit an. 1596. æt. 74. Morerius.

Franciscus Turnonius, Cardin. Ostiensis, Consiliarius Francisci I. hoc captivo, in Hispaniam missus. Sub Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. maximis semper rebus adhibitus. Franciscum I. ne Melanchthonem, ut Navarræ regina optabat, ad colloquium cum Gallis Præsulibus vocaret, inhibuit. Possiaceno invitus interfuit. Cætera literatus, & literatorum Fautor, semper Lambinum aliquem vel Muretum secum habens, Obiit an. 1562. æt. 73. Thuan. *Hist. l.* 34. & *seqq.* Sadolet. *ep.* 6. & 14. Morerius.

Franciscus Vatablus, in Collegio trilingui, à Francisco I. instituto, Parisiis, an. 1530. Hebraicam linguam professus est, aliarum quoque lingg. peritissimus. Obiit an. 1547.

Franciscus de Vico, urbis Præfectus, Viterbium Pontifici proditione abstulit, An. Dom. 1392. Blond. Platina.

Franciscus Victorinus, Dominicanus, Victoriâ Navarræ urbe oriundus, Parisiis & Salamancæ docuit. Scripsit de potestate Eccl. Seculari, Conciliorum &c. Obiit an. 1546.

Franciscus Vieta, Mathematicus insignis Harmonicon Cœleste, Chronologiam, Geometriam &c. sec. præterito scripsit. Blancanus *Chron. Math.*

Franciscus Xaverius, Indorum Apostolus, albo Sanctorum accessit, sub Greg. XV.

Franciscus Ximenius, Arch. Toletanus: & Cardin. ab Elizabetha Castellana conscientiæ, à Ferdinando ejus marito, summæ rerum admotus. Immensis sumtibus Bibliorum Alcal. editionem procuravit, dux copiarum in Africa Oranum occupavit. Post administrationem regni, sub Philippo quoque & Carolo, venenatâ epistolâ è Belgio missâ, sublatus est. A. 1517. æt. 80. Mariana *Hist. lib.* 26. *c.* 7. & *seq.* Alvarus Gomezius & Mich. Gauderius, *in ejus Vita.*

Franciscus Zabarella, Cardin. Florentinus, quia ibi Arch. dictus, Patavio oriundus, obiit Constantiæ, an. 1417. æt. 78. scripsit Comment. in Decretales & Clementinas, item Philosophiam satis celebrem, de Schismate quoq;, qui liber censurâ notatus est, Morer.

Franco, sceleratus, Benedicto VI. strangulato, ipse Pontificatum invasit. V. *Bonifacius VII.*

Francofordia, civitas ampla & elegans in extremitate Franciæ Orient. sita, nomen eam antè *Helenopolis*, ex vet. Inscriptione, ad Francorum usque in eam adventum, obtinuit, à quibus postmodum *Francofurtum* sive *Francofordia*, i. *Francorum trajectus*, vel ab ejus instauratore Franco, Regis Marcomiri filio appellata fuit. Ab antiquis temporibus Imperialis civitas extitit, electioni novi Imperatoris consecrata. Primus ibi Arnolphus Imperator est designatus. Intersecat hanc urbem Mœnus fluvius magnus & navigabilis, qui in monte Vichtelbergio scaturiens, per Francorum terram delabitur, ac multos recipiens amnes nobile hoc emporium alluit, & ex Moguntiæ opposito Rheno commiscetur. Hunc trajectum ac vadum Mœni Franci olim, sub Carolo Magno possidebant, à quo civitati Francofordianæ per eam occasionem natæ datum esse nomen plerique existimant: cùm tamen constet hanc urbem etiam ante Caroli M. tempora, jam olim Francofurti nomen obtinuisse. Altera civitatis pars, & ea quidem major atque splendidior, Francofurtum; altera autem, quæ & ipsa muris ac

foveis

foveis cingitur, *Saxenhausen* h. e. *Saxonum domus* vocatur. Utraque autem præstantissimi & arcuati operis ponte, longa serie constructi, jungitur, ejusdemque Amplissimi Senatus gubernaculis regitur. Civitas hæc nundinaria, & clarissimum non modò Germaniæ, sed totius Europæ Emporium est. Metel. Distat 2. leuc. ab Hanovia, 4. ab Asciburgo, Baudrandus. V. *Francofurtum*.

Francofordia, urbs Mediæ Marchiæ Brandeburgensis, sita ad Viadrum fluvium, quem *Oderam* vocant: sic appellata quòd sit immunis ab omni tributo: extructa putatur à Simone secundo ejus nominis, filio Cleodomiri, nepote Simonis primi, Ducis Francorum, sub Antonino Pio Imperatore: quidam tamen eam primò extructam fuisse ajunt anno 1253. à Gedino ab Hertzberg, auspiciis & jussu Johannis I. Marchionis Brandeburgici. Hæc civitas Universali studio celebris est, quo eam ornavit Joachimus, primus, ejus nominis, Marchio, circa annum Domini 1506. Maximilianus verò primus variis privilegiis confirmavit. Emporio quoque celebri gaudet, in quo bis in anno Nundinæ celebrantur. Metel. Ortel. Hodie vulgò appellatur *Francofurtum ad Oderam*, ad differentiam alterius hujus nominis oppidi, quod ad Mœnum fluvium jacet. In limite Silesiæ est, 4. leuc. à Crossa in Bor. totidem à confin. Poloniæ in Occ. Baudr.

Francofurtum ad Mœnum, Gallis *Francfort sur le Mein*, quasi vadum seu trajectus Francorum:

—— quia Carolus illic
Saxonas indomitâ nimium feritate rebelles
Oppugnans, rapidi latissima flumina Mogi
Ignoto fregisse vado, medsumq; per amnem
Transmisisse suas neglecto ponte cohortes
Creditur:

Gunther. *Ligurin. l.* 1. Germanis autem *Furt* vadum denotat. Alii tamen jam ante Carolum M. *Francofurti* nomen habuisse contendunt, illamque volunt à Franconibus conditam, atque, postquam collapsa esset, à Franco Marcomiri IV. filio Duce Francorum fuisse reparatam. Urbs est ampla & elegans, princeps olim Orientalis regni Francici sedes, Rhegino *Chronic. l.* 2. Joh. Faust de Aschaffenburg *Chron. Francof.* Nunc ibi Dietæ Imperiales celebrantur pro electione Imperatorum Romanorum. Præterea Nundinis suis, per annum binis, celeberrima est, unde quis meritò cum Paulo Melisso,

Ut Gallia nunc Gallia
Dici potest Lutetia;
Sic Francofurtum, nundinas
Propter frequentes, nominet
Germaniam Germania.

Ejus suburbium ex adverso fluvii situm, vulgò dicitur *Saxenhausen*, quasi Saxonum domus, ubi Fanum S. Bartholomæi est, à Pipino olim Francorum R. Salvatori dicatum: ac demum ab hujus filio Carolo M. splendidè dotatum. Urbi non parvus splendor accessit, à privilegiis, quæ amplissima, electionem Imperatoris, sedem Cameræ Imper. jus in arte gladiatoria Magistros creandi, à Friderico III. non alienationem, à Wilhelmo & Carolo IV. immunitatem à fortalitio, à Richardo: aliasque res concernentia à Ludovico Bav. Sigismundo, Wenceslao, aliis Impp. accepit. Nundinas, quæ primùm Moguntiæ fuerunt, transtulit huc Fridericus II. abstulit Carolus IV. cùm Francofurtenses Gunthero AntiCæsari adhærerent, reddiditque, hoc cedente, acceptis 20000. marcarum, quas Judæi persolverunt: qui hodieque partem urbis possident, sed certo signo notati, ut facilè possint dignosci. Cives divisi in Patritios, Patritiis proximos, & plebejos: quorum Tribus & Tribunitia potestas (ex solis enim prioribus duobus civium generibus Scabini & Consules legi solent) propter rebellionem A. 1616. abrogatæ. Augustanæ Confessioni maximam partem addicta urbs est, aliqui tamen & Latinorum ibi conventus: in proximo pago *Bockenheim* Reformatis civibus sacris locus est. Concilium Francofurti, A. 797. à Carolo M. habitum ob frequentiam Episcoporum 300. præter Abbates, *Concilium Occidentis* dictum est: in quo Imaginum usus historicus approbatus, adoratio damnata, Græcorum Nicena Synodus, A. 788. celebrata, destructa, acta rescissa, decretumque, ut Pseudosynodus diceretur: imo & refutatio ejus nomine Caroli M. contexta est. Aliud ibidem habitum est A. 1006. cùm de Ecclesia Bambergensi in Cathedralem evehenda ageretur. Item A. 1024. Ditmar. *lib.* 6. Tom. V. Concil. Venit & huc Bernardus, belli sacri tuba A. C. 1147. ad quem visendum tanta hominum confluxit turba, ut Conradus III. Imp. depositâ chlamyde ipsum in ulnas suscipere & de Basilica asportare coactus sit. Disputavit hîc pro indulgentiis Tecelius A. C. 1517. Belgicam Ecclesiam excitavit, ex Anglia redux Johannes à Lasco, dato ei Pastore Petro Datheno, Anno Chr. 1556. Casimirus quoque Palatinus cum Legatis variorum regnorum, ab Ecclesiis missis, de iniqua libri *Concordiæ* censura ibidem conquestus est, A. C. 1577. &c. V. Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 17. Lætum *Compend. Hist. Univ.* &c. Joh. Ludovicus Gansius, sic de urbe:

Gallia Lugdunum miratur: at Itala tellus
Rem Venetam, Hispanos operosa Sevillia jactat,
Londinum Tamesis, spatiosa Antverpia Scaldem,
Ast ego Teutonicas intercaput altius urbes
Effero.

Et paulo pòst:

Sola ego Cæsaribus quondam delecta creandis
Glorior, & celebris mercatu duplice nomen
Usq; ad Amaxobios peregrinâ merce propago:
Est facundus ager, populus cum divite censu,
Cæsaribus servata fides, prudensq; Senatus;
Hæc mihi cùm constent, quis me neget esse beatam?

2. leucis distat ab Hanovia in Occasum, & 4. ab Asciburgo.

Francofurtum ad Oderam, *Francfurt an der Oder*, urbs est mediæ Marchiæ Brandeburgicæ, in limite Silesiæ & Lusatiæ, 4. leuc. à Crossa in Boream, & totidem à confinio Poloniæ in occasum distans. Hîc celebris Academia. V. *Francofordia.*

Francones, qui aliis, præsertim Claudiano, Franci dicuntur, populi Germaniæ magnæ: quorum regio Francia Orientalis, & Franconia, & incolis *Franckenland* appellatur.

Franconia, sive *Francia Orientalis*, Germaniæ pars ampla, & ferè meditullium circa Mœnum fluv. extensa. A Sicambris, qui ius Valentiniani Cæsaris tempore, ob Alanos devictos, Francorum nomen contigit, appellata: hujus nominis originem quidam ad Francum, quem alii Francionem nominant, fabulosum atq; ementitum Hectoris filium, generis auctorem referunt. Quanquam alii malint dictos Francos, si minutiùs sit exigendum vocis etymon, quasi *fry on cy* nimirum à censu, quod *cy* sonat & vectigalibus immunes; alioqui videri possunt appellati veluti, *fry ansi, Fransi,* vocabulum autem *Ansi*, Gothici idiomatis proprium, denotat eos, qui cæteros mortales fortunâ & opibus antecellunt, unde corrupta vox vernacula, *Ansos*, & addita aspiratione *Hansos* nominat Proceres communi fortunâ majores: Hunc populum è Scythia alii profectum tradunt, ubi locorum diu multisque annis ante natum Redemptorem nostrum morabatur: tandem autem assiduis Gothorum incursionibus fatigati offensiq;, novas sedes quærere in animum induxerunt: quare Marcomiro Rege aut Duce, circiter annum ante natum Salvatorem 433. loca Rheno, Frisiis Chaucisque proxima occuparunt, ibique considentes in provincia, quam nos Geldriam hodie nuncupamus, regioni à suo vocabulo Sicambriæ nomen fecere: tum enim nondum cuiquam Francorum nomen auditum erat. Franconia autem Sueviam & Bajoariæ partem à Meridie habet, Palatinatus Rheni illi occiduus est, ab Ortu Palatinatus superior, Hassi & Thuringi Saxoniæ populi à Septentrione. Cùm in quatuor partes divisa sit Franconia, quatuor etiam Magistratibus sunt audientes Franci, quamvis Episcopum Herbipolensem ducem Franconiæ dicant. Moguntina Ecclesia & Bambergensis plurima obtinent loca. Palatinus quoque Comes haud parvam occupat partem. Quædam Franconiæ portio ad Saxonum Principem spectat, velut Coburgum oppidum, excelsa arce munitum: Franconiæ primus Princeps fuit Genebaldus, qui 30. annos ei præfuit. Dux ultimus Heranus, qui sine hærede mortuus, Witunino, Francorum Regi, qui & *Pipinus* dicitur, Ducatum ex commisso reliquit, quem deinceps filius ejus *Carolus Magnus* & primus, B. Burchardo primo infulato Episcopo Wirceburgensi, ejusque successoribus & Ecclesiæ proprium donavit, seculo 8. Terra plana partim, partim montosa est, montes ipsi haud difficiles sunt, ager non admodum pinguis, nam plerumque arenosus. Multis in locis consiti colles vineis gratum producunt vinum, maximè verò ad Herbipolim, quæ primaria est totius Reg. ad Mœnum, vulgò *Wurtzburg*. Metel. Merc. & Boëm. Aubanus. Ex Franconiæ Ducibus poster. Imperio potiti sunt Conradus I. A. C. 912. Conr. II. A. C. 1026. Henricus III. A. C. 1309. Henricus IV. A. C 1056. Henr. V. A. C. 1108. &c. Franconia autem est primus Imperii circulus, sub quo sunt Episcopatus Herbipolitanus, Bambergensis, & Eichstatensis, Principatus Hennebergensis, Comitatus Holachiensis, Erbachius, Onoldinus, & Verthemius, urbsque Norimberga cum aliis.

Urbes clariores Franconiæ.

Bamberga, *Bamberg*, episcopalis sub Archiepiscopo Moguntino.
Cocabus, *Coburg*, sedes Ducis, aliàs, nunc Altenburgensis Ducis.
Culmbachium, *Culmbach.*
Francfordia ad Mœnum, Helenopolis, *Franckford*, libera, & emporium.
Herbipolis, *Wirtzburg*, episcopalis & Academia sub Archiepiscopo Moguntino, caput regionis.
Moguntia, veteribus Mocontiacum, *Mentz*, Archiepiscopalis.
Noriberga, *Nurnberg*, in Nortgoiæ confinio, libera & emporium.
Onolsbachium, *Anspach.*
Rotenburgum, à fluvio Tuberum etiam dictum, *Rotenburg an der Tauber*, libera.
Suemphordia, *Schweinfurdt*, quasi Suevorum trajectus, libera.
Trutavia, *Forckheim*, libera.
Winshemium, *Winsheim*, libera.
Sunt præter has, Karolostadium, Cronachum, Mergerhum, Mons Regius, Aschenburgum & aliæ.

Francorum nomen, primò innotuit, circa A. C. 260. quorum 30000. paulo pòst trucidavit Valerius Aurelianus, A. C. 271. Trevirim accersiti à Senatore, cujus uxorem Lucius Præses rapuerat, occuparunt, A. C. 414. inde progressi in Celticam & Belgiam, tan-

demque in ipsius Galliæ interiora, regnum Francicum ex Gallico, præposito sibi Rege Pharamundo, constituere, A. C. 419. cujus ex filio Clodione, nepos Merovæus, terram occupatam à se & à Majoribus *Franciam* vocavit, A. C. 451. quæ in medio Zonæ temperatæ sita, ad Occ. Oceano, à Merid. mari Mediterraneo alluitur: extenta à 42. gradu latitud. usque ad 51. & à 15. longitud. usq; ad 29. per 200. vel 225. circiter leucas, & à Sept. Belgio, Germaniæ Italiaque ab Or. à Meridie Hispaniæ contermina; ac à Germania variorum Principum terris, ab Italia Alpibus, Pyrenæis ab Hispania separata. Divisa est antiquitus in 12. Præfecturas, quarum deputati in Comitiis regni jus sedendi habent. Ex his Picardia, Normannia, Insula Franciæ & Campania ad dextrum Ligerim Sept. versus: Aquitania, Languedocia, Delphinatus & Provincia, ad sinistrum, versùs Meridiem sitæ sunt. Burgundia tandem, Arvernia cum agro Lugdun. Armorica cum territorio Aurelianensi, cursum Ligeris ab Ortu ad Occasum sequuntur. Aliàs in 15. Metropoles, quibus 115. subsunt Episcopatus: Vel etiam in decem regiones, pro numero Parlamentorum, dispescitur. Solum adeo omnium rerum ferax, ut Maximilianus I. Imp. Franciæ regnum improbo voto suo secundogenito destinaverit, si Deus fieri potuisset: Auri quoque & argenti dives, ut Strabo ac Athenæus jam olim annotarunt, & reperta ante quinquaginta circiter annos in Provinciæ montanis auraria vena, cujus historiam de Rochas exhibet, supra Peruvianas nobilis, luculenter testatur. Incolæ industrii, ingeniosi, Minervæ Bellonæque celebres alumni, sed impatientes, leves, temerarii quandoque magis, quàm fortes, & acquirere quàm conservare parta promtiores. Tres apud illos regnatrices fuere familiæ, Merovingorum à Merovæo: Carolovingorum à Carolo M. & Capevingorum ab Hugone Capeto: quarum prima per annos 333. ab A. C. 418. usque ad 751. viginti & unum Reges, vel si Austrasiæ quoque & Neustriæ Principes comprehendas, *36.* Reges dedit. Secunda rerum potita est, per an. *236.* à Carolo Martello usque ad Ludovicum Simplicem, & *A.C. 986.* sub undecim Regibus: Tertia, cujus Hugo Capetus auctor, ad hæc usque tempora genti præest, in tres divisa ramos; quorum primus 14. Reges continens duravit usque ad ann. 1328. quo Carolus IV. cognom. Pulcher mortuus est: Secundus, à Philippo IV. *Valesio*, nomen sumens, in Henrico III. demum desiit, A. C. 1589. Tertius *Borboniorum* in Henrico IV. incepit, cujus ex filio Ludovico XIII. nepos Ludovicus XIV. feliciter regnat. Sed non idem in omnibus familiis regiæ Majestati splendor fuit. Merovingi enim & Carolovingi paulo adductius imperarunt, partitioque regni in plures filios, & nothorum in idem prætensio, non parum caliginis sæpe offudit: qui autem à Capeto descendunt, liberius dominantur, & primogenitos successores habentes reliquis filiis appanagia concedunt, lege insuper Salicâ sequiorem sexum in æternum throno arcent. Magni semper inter Christianos nominis Francorum Reges, unde *Christianissimi* & *Primogeniti Eccl. Filii* dicti. Hinc Gregorius M. *Registr. 5 ep 6* regnum hoc omnibus aliis præfert. Gregorius IX. per ejus Reges Deum judicia sua exercere ait: Bonifacius Vitalinus, post Suidam, per excellentiam eosdem Reges dici asserit: Baldus gloriam Regum vocat, &c. Primi certè in Occidente Imperatores esse meruerunt, & quamvis totus olim mundus se Arianum factum stupuit, Francorum tamen Reges ab hac hæresi immunes mansere. Primùm in Gallia, quam Franci postmodum occuparunt, fidem Christi annuntiarunt Apostolorum discipuli, & secundo statim seculo celebres hîc extitere Ecclesiæ: quas cruentis persecutionibus Ethnicorum Imperatorum graviter perculsas, recreavit Constantinus M. Iterum postea Barbarorum incursionibus & Arrianorum fraudibus labefactas pristino splendori restituit Chlodovæus, qui ab uxore primò Clothilde Burgundica femina Christianismi hausit, postmodum miraculosâ de Alemannis victoriâ obtentâ, à Vedasto in Religionis capitibus uberius institutus, & cum gente à Remigio baptizatus est, circa A. C. 500. Cujus successores quàm fortiter sese sequentibus seculis potentiæ, nomen etiam Regibus majus affectanti, opposuerint, testantur exempla Philippi Pulchri, Ludovici IX. Caroli VII. Caroli VIII. Ludovici XII. aliorumque: Præterito seculo Evangelii doctrina toto regno prædicari cœpta, hodieque Regum benignitate plurimis in locis viget. Vid. de Regibus primæ & secundæ Familiæ, Greg. Turon. Fredegarium, Aimoinum, Sigebertum in *Sigeberto*, Ven. Fortunatum *in Vita S. Radegondes*, Marculfum, Annales Fuldenses, Odorannum, Eginhartum *in Vita Caroli M.* Nithardum, Annales Floriacenses, Abonem, Paulum Diaconum, Adonem, Flavinium, &c. De tertiæ familiæ Regibus Helgaldum *in Vita Roberti*, Sugerum *in Ludovico Crasso* & Rigordum *in Philippo Augusto.* Ludovico VIII. suus Historicus fuit, cujus nomen ignoratur. Ludovici IX. vitam & res gestas enarrarunt Godfr. de Beaulieu, Guil. Carnutensis, Joinvillæus, P. Matthæus &c. Item Annales Sigeberti, Guil. Nangius, Froissardus, Enguerrandus Monstreletius. Joh. Juvenalis de Ursinis scripsit historiam regni sub Carolo VI. aliique. Berrius res gestas Caroli VII. exequutus est: Philippus Comineus de Ludovico XI. scripsit: Guil. Jalignius de Carolo VIII. Ludovici XII. res gestas exposuere Johannes Augustodunensis, Joh. de S. Gelasio, & Claudius Seissellius. Henrici IV. regnum enarravit Perefixius &c. quibus addi poterunt P. Jovius, Guicciardinus, Paradinus, Martin. & Guil. Bellajii, P. Matthæus, Duchenius, Freherus, plurimique alii laudati Morerio *Dict. Hist.* & Becmanno in *Hist. Orb. terr Geogr. & Civili.* V. quoque supra in *Franci*, & *Francia*, ac infra in *Gallia.*

Francorum lex, præter Salicam, de qua V. suo loco, à Theodorico I. filio Chlodovei I. promulgata est, V. quoque in voce *Lex Bajuuariorum.* Quo autem canone, non constat, nec quidquam de aliis Francorum legibus, ante Carolum M. Caroli autem sobolisque ejus, sub *Capitulorum* nomine, latè dederunt Ansegisus Abbas Lobiensis, qui vixit A. C. 840. & Benedictus Levita, hoc ordine: Abbas libros 4 anteriores: quorum primus ea exhibet, quæ Carolus M. statuit in re Ecclesiæ. Secundus ea, quæ à Ludovico Pio & Lothario filio ejus de eadem lata sunt. Tertius, scita Caroli M. in re politica. Quartus ea, quæ Ludovicus & Lotharius ejusdem ediderunt argumenti. Levita verò in 3. posterioribus libb. prætermissa congerit & similia, Henr. Spelmannus *Gloss. Archaeol.*

Francorum rivulus, *Refrancore* vel *Rifianco*, pag. Liguriæ, inter Alex. & Astam, a qua *6.* m. p. abest, Catalem versus in agro Alexandrino.

Francus, Hectoris fil. Celtis imperasse dicitur, post dirutam Trojam. Hinc *Francorum Franciaq;* nomen. Cujus fabulæ, post Hunibaldum, meminit Trithemius &c. Dupleix. *lib. 2. memor. Gall.*

Francus, Sicambrorum Rex, ingenti exercitu cinctus, ulturus necem parentis, Gothos Saxoniæ raptores compescuit, A. M. 3915. Trithemius *in Chron.*

Franequera, Urbs Frisiæ Occidentalis. Aliis *Franicheria*, 2. leuc. à Leovardia in Occ. totidem ab Harlinga in Ort. & ab ora maris Germ. Sub Hollandis: cum Academia, erectâ A. C. 1585.

Frascata, Urbs Latii episc. Sub Pontif. 12. mill. à Roma in Ort. Ubi aliquot palatia Princ. Aliter *Tusculum.* Hinc ejus Episcopus, qui semper est unus ex 6. antiquioribus Cardinalibus, dicitur Episcopus Tusculanus. Leand. *descr. Italia. V. Tusculum.*

Frascata, olim Luculli villa, in Latio.

Fraterculi, nomen in Italia Valdensium, quibus Marcam Anconitanam, ipsamque Florentiam refertam fuisse, refert Anton. *par. 3. tit. 21 c. 5. §. 1.* circa A. C. 1320. Eorum tum inter alios doctor Michael Cesennas, pulsi inde in Græcorum regiones se diffuderunt: Johanne Castilonæo & Franc. de Harcatara combustis. Hi *purpuram, opes, dominatum a Sacerdotio aliena esse*, prædicabant: Quo tempore contra Papam scripsere Marsilius Patavinus, Wilhelmus Occamus, alii. V. Morn. *in Myst. Iniquit.*

Frateria, vel *Phratersa*, Daciæ urbs. Ptol. *Brossa* teste Lazio, & Hungaricè *Zarzuara.*

Fraticelli, vel *Bisochi*, Monachi apostatæ, sub Duce Hermanno Pongilupo, an. 1294. in Marchia Anconitana, errores orsi, fœminas secum, sub religionis prætextu, circumducebant, communia habentes omnia, & Superiorum excusso jugo. Sit fides penes auctores. Cadaver Hermanni anno 20. post mortem refossum, exustumque est, Morer.

Fratina, castellum agri Tarvisini.

Fratres, celebre inter Bohemos nomen, à piis Hussi reliquiis, post Calixtinorum secessionem, Ordine atque Consistorio Lhotæ prope Richnoviam erecto, congregationi inditum, A. C. 1457. quæ ab illo tempore *Fratrum Unitas* dicta est, inter cujus primos fundatores recensetur Gregorius Rzehorzius, sororis Rokyzanæ nepos, genere nobilis, in cœnobio antea Pragensi sanctitatis opinione celebris. His qui præfuerunt, *Seniores* appellati, sorte tres primitus electi sunt, ut munera Ecclesiastica & jus Ordinationis obirent: Fuerunt autem Matthias Convallensis, Thomas Przelaucius & Elias Chrzenovicius, quibus Michael, qui antea illos docebat, & Stephanus Valdensium Episcopus, manus imposuerunt. Hoc novo Ordine excitato Rokyzana, quasi spretus esset, ægerrimè rem tulit, & Podiebradio Rege in suas partes pertracto, acriter illos persecutus est, unde *Jamnici*, quòd in speluncis latitare cogerentur, dicti: Etiam Calixtini cum Monachis in eorum cædem conjurarunt, nullo hostilitatis genere omisso. Nihilominus circa A. C. 1500. in Bohemia Moraviaque jam prope 200. *Fratrum* Ecclesiæ numeratæ sunt, sed cum augmento crevere persecutiones: Hinc non urbibus modò, sed & aditu ad honores ab Vladislao Rege exclusi sunt, A. C. 502. nec Confessio & Apologia Regi dedicata eos juvit. Proscripti igitur A. C. 1508. Varadiensi Episcopo decretum extorquente, quod tamen ob judicia Dei persecutoribus immissa, ut prov. inde ortum: *si quem vivere piget, aggrediatur Picardos*, effectu caruit. Paulo pòst increbrescente Erasmi famâ, ejus testimonio Confessionem suam gratiorem reddere cùm vellent, ab eo id, ne de Fama periclitaretur, negatum: Lutherus quoque, tum adhuc Papæ addictus, in concionibus suis acerrimè in *Fratres* invectus est Wittebergæ. Primis Senioribus mortuis Eliâ A. C. 1503. Matthiâ A. C. 15 5. Thomæ A. C. 1518. successit huic Lucas Pragensis, unus ex peregrinatorum numero, vir eximius, quo tempore etiam reliquæ Christiani orbis partes Ecclesiam puriorem parturiebant. Crevere interim in Bohemia Moraviaq; *Fratrum* Ecclesiæ, quamvis domesticis externisque hostibus indies obnoxiæ. Quorum quidam cùm conjunctionem cum Pontificiis urgerent, Lutherus illos dehortatus est, A. C. 1525. Hinc templa illis erepta, sed Ludovico R. in prælio occiso, mox iterum patuere:

im-

impetratâ præcipuè per Confessionem Ferdinando oblatam, sacrorum veniâ, A. C. 1534. Sequenti anno Lucas Archipresbyter, de quo supra, obiit, volumine canticorum è S. Bibliis in usum Ecclesiæ, linguâ patriâ, accurato labore composito, aliisque scriptis clarus; postquam Ecclesiæ Fratrum *non ab hostium persecutionibus, sed à neglecta disciplina periculum imminere* prædixisset. Ipsum in officio excepit Fr. Benedictus, cui Johannes Augusta adjunctus est. Hi Unionem cum Luthero, A. C. 1536. per legatos, nomine suorum, inivere: quam an. 1540. & biennio pòst renovarunt: eodem fine & Argentinam misso ad Bucerum Matthiâ Czervenckâ. Iterum occlusa post hæc *Fratribus* templa, an. 1547. & in illos sævitum: quorum 500. simul ad Albertum Ducem Prussiæ se contulere, libertate religionis exercendæ ab illo, per Paulum Speratum, solenniter obtentâ: in qua Pella, ad an. usque 1574. sub patrocinio Brandeburgici vixerunt: in Poloniam quoque majorem & min. fide interim propagatâ. Sic in Bohemia tum publici cœtus Evangelici nulli, at in Moravia congregatio *Fratrum* adhuc non spernenda erat. In Polonia, post confessionem fidei per Jacobum Ostrorogium regi an. 1564. oblatam, illis quies. In Bohemia quoque, post Ferdinandi obitum, à Rege Maximiliano liberum religionis exercitium obtentum, & templa iis restituta sunt: an. 1564. sed ecce novas machinationes, autore Joachimo Neuhusio, regni Cancellario, quæ tamen, illo Danubii vorticibus hausto, frustra fuere. E Prussia quoque *Fratres*, cùm Polonicis ministris August. Confessionis uti juberentur, in Bohemiam remearut: erantque tum numerosi eorum in Bohemia, Moraviaque cœtus, sed magni nominis Theologorum obitu funestati. Johanni itaque Augustæ, Joh. Blahoslavio, & Matthiæ Czervenckæ demortuis, substituti Andreas Stephanus & Joh. Calephus, syncretismum cum Augustanæ confessionis sociis inituri, confessionem ex scriptis Hussi, & confessionibus Fratrum collectam, atque ab Academia Wittenbergensi, quò Lobkovicius Baro missus erat, approbatam Maximiliano ann. Chr. 1575. rursus obtulerunt, quâ ab illo confirmatâ, iterum Ecclesiæ halcyonia esse cœpere: cùm jam ante, anno Chr. 1570. in Polonia Confessionis Bohemicæ, Augustanæ & Helveticæ consensus Sendomiriæ fuisset initus. Pace hâc inter diversos adversariorum insultus fruiti *Fratres*, verterunt an. 1578. in linguam Bohemicam S. Biblia, sumtus Joh. Zerotinio Barone suppeditante, notasque addiderunt; quod opus cùm Episcopus quidam Pontif. videret, ut refert Regevolscius, *in System. Historico-Chronologico Eccl. Sclavonic. Certè*, dixit, *hic labor nec idiotarum est, nec parvarum virium humanarum.* Post annum 1600. pax aliquandiu nutare cœpit, Jesuitarum fraude decreto publicato, quo *Fratrum* templa iterum claudi jussa: quâ ipsâ die nuntio accepto de Alba capta, dixisse fertur Imperator, *Expectabam tale quid, postquam hodie Dei regimen, quod est conscientiarum, usurpare cœpi.* Mox, ejecto ex aula Rumpio, Fratribus infesto, jus sacrorum restitutum, literæque Majestatis, quibus libertas Religionis Christianis sub Utraque (ita illos vocare libuit) permittebatur, concessæ sunt anno Chr. 1609. quæ pax ut firma conservaretur, Consistorium Evangelicis atque Fratribus commune, cui Administrator & Senior præsideret, erectum, atque Consensus solemniter initus est, parariis præcipuis Andreâ Comite Schlickio & Venceslao Barone de Budovva. Verùm dum pacem habent Ecclesiæ, segnescere in zelo pietatis ac sic charitatem illam primam omittere cœperunt. Hinc licèt Pragæ templo magnis sumtibus Salvatori ædificato, an. C. 1614. securitas, ambitio, litigandi pruritus, odia mutua eandem calamitatem Bohemicis, quam Germanicis Ecclesiis attraxerunt; juxta vaticinium Archidecani Gorenrensis, in concione an. 1609. sub tempus Unionis habita, & Lutheri, de quo *tom. 2. Jen.* Excitata mox infelix controversia, an ex literis Majestatis liceat Evangelicis templa in territorio Ecclesiastico erigere, inde tumultus, & dulce inexpertis bellum, quo regnum universum & Ecclesiæ Protestantium pessundatæ. Interim celeberrimâ Zeravitcii in Moravia synodo celebratâ, anno 1616. Ordo Ecclesiæ conscriptus ac publicatus est. Sed Friderico Rege an. 1620. victo, Ecclesiâ velut Cimmeriis tenebris involutâ, ultra 20. Pastores rabie militari occubuerunt, sævitumque in Proceres, & in Moravia æquè ac Bohemia Religio inhibita, ac generali exilio Pastoribus an. 1624. *Fratribusq;* omnibus an. 1627. imposito, etiam Ziscæ & Rokyzanæ cineres refossi sunt. Quare ad 12000. hominum in Germaniam, Poloniam, Hungariam, Belgium, Angliam concesserunt, sicque *Unitas Fratrum*, quæ per 180. annos à 52. in Bohemia & Moravia Senioribus gubernata fuit, tertium pro Religione exilium subiit. Reliquiæ in Polonia confiniisque adhuc non exiguæ, verùm afflictæ admodum, hoc tempore liberalitate Fratrum Helvetiorum non parum levantur. V. Lætum *Comp. Histor. Univ.* &c.

Fratricelli, nomen Valdensibus in Italia aspersum, quorum an. 1304. quo summâ crudelitate exterminabantur, doctores erant Gerardus Sagarellus Parmensis, & Delcinus Novariensis. Præter hos Dantes Aligerius Poëta & Marsilius Patavinus acerrimè vitia cleri tum insectari cœpere, V. Blond. *dec. 2. l. 9.* & supra *in Fraterculi.*

Fratuertium, op. Apuliæ Peucetiæ, vulgò *la Terza.* Baudrando vicus regni Neapol. in prov. Hydruntina, medius inter Mateolam, & sinum Tarentinum.

Fratuolum, opp. Hirpin. *Palo*, Ortelio.

Frauenburgum, opp. Prussiæ reg. in littore Habi Sinus, *Frisch Haf*, ubi recipit amnem *Schon* cum portu capaci. Ibi obiit Nic. Copernicus, an. 1543. Vix 4. mill. Germ. ab Elbinga in Cæc. Pilaviam versus totidem.

Frauenfeldum, quasi *Mulierum campus*, caput Turgeæ. Situm est opp. paulò supra ostium flu. Muræ, *Murck*, cum arce, nomenque accepit à Comite quadam Kyburgica, contra æmulos hoc pacto se munitura. Olim itaque sub propriis Comitibus; postmodum extinctâ Comitum familiâ, cùm Sueviæ seu Alemanniæ Ducatus, morte Conradini, Imperio accrevisset, ad Austrios pervenit, qui huc Præfectum miserunt. Sub horum imperio, ab Abbatiscellanis, frustra obsessum an. Chr. 1407. egregiis proin privilegiis ornatum est. Dein tempore Concilii Constantiensis, proscripto Friderico Archiduce, Sigismundus Imper. opp. Imperio asseruit: an. Chr. 1415. postea verò ei in gratiam recepto reddidit. Cives uxori Sigismundi Archiducis è regio Scotorum sanguine, cui à marito Comitatus hic concessus erat, jurarunt an. C. 1458. sed paulo pòst, an. nempe 1460. à 7. Helvetiorum pagis, bello contra Sigismundum, cum tota Turgea oppidum occupatum est: qui eò Præfectos mittunt, salvis tamen loci juribus veteribusque privilegiis: Habet etiam Cœnobium Augiæ divitis quædam hîc jura. Signum urbs à Pontif. Romano quondam, imaginibus quibusdam ornatum, nempe Christi crucifixi imagine & duabus clavibus decussatim positis, accepit, quod in bello universa Turgea quondam secuta est, nunc huic proprii duces & peculiaria signa obtigere, urbi priscis suis hodieque relictis. V. Stumpf. *de Turgea, cap. 27.* Jos. Simlerum *descr. Helvet.* &c.

Frauenthalium, Monasterium Tuginorum, Fr. Guillimannus *de Rep. Helv.*

Fraus, Dea Gentil. à veteribus, ita efficta fuit. Faciem illius justi hominis aiunt videri, corpus reliquum serpentinum, variis & maculis & coloribus distinctum, ejus caudam terminari in scorpionis aculeum. Fraudem porrò per Cocyti undas innare nec ejus nisi faciem apparere.

Fraxinetum, opp. in Italiæ Provinciæque confinio, mari ex uno latere, ex altero densissima silvâ munitum, Luitpr *lib.* 1. Hæc fuit statio, hoc receptaculum Saracenorum, oram Galliæ Italiæque depopulantium, ab Arnulfi regno, usque ad Ottonem M. unde à Græcis dejecti sunt A. C. 931. Flodoardus *in Chron.* castro à Robaldo Comite Provinciæ, ope Arduini & Aimonis transfugæ, expugnato. Hodie *Fraseneto*, unde Valli nomen. Hadr. Valesius *Not. Gall.* Morerius *la garde du Fraînet* dici ait, q. *Garda Fraxineti*: propeque ait fuisse locum *Favas* vel *Favars*, 9. seculo à Saracenis vastatum, quod ex inscriptionibus, monumentis, nummisque & vasis Saracenicis ibi repertis, probat: In diœc. Forojuliensi, in sinu *Grimaldi* dicto. In eadem diœc. *Bargemon* vel *Barjamon* est, oppidul. 5. leuc. à mari, in Vicaria Draguinienis, olim apanagii loco minoribus natu filiis Comitum Provinciæ dari solitum. Patria Guilielmi, Poëseos laude in aula Berengarii Com. florentissimi: qui obiit A. C. 1285. V. Buchæum *descr. Prov.* & Auctores, laudatos Morerio *Diction. Hist.*

Fraxinetum, op. Liguriæ, ad Padum fluv. vulgò *Frassimel.*

Fraxinum, vulgò *Fresno*, op. Hisp. geminum. Unum in Bæticâ, & Vandaliâ, alterum in Tarracon. apud Bilb lim. Est & opp. Hisp. in Castella vet. & alterum in eadem Castella apud Carpium. *Fraxinum* præterea, apud Anton. op. olim, nunc pagus Lusitaniæ in regno Portugallico, *Alpalhano*, seu *Gaviano*, teste Vasconc.

Freculphus, Episc. Lexoviensis, in Normannia, Chronicon condidit, in duas partes divisum. Quarum prior à Mundo condito, usque ad C. N. continet libb. 7. Posterior, à C. N. usque ad adventum Francorum & Longobardorum, continet 5. libb. Huic Rabanus Maurus Comment. suos in Genesin inscripsit. Sigebert. *in Cat. c. 91.* Lupus Ferrerius, *ep. 84.* Trithem. *de Scr. & in Chron. Hirsgau.* Simlerus, Vossius &c. Floruit anno 830.

Fredegarius, Scholasticus, sec. 8. Imperio Childebrandi, fratris Caroli Martelli, orsus est Chronicon, ubi definit Greg. Turonensis, usque ad Pipinum. Editum à Frehero. Vossius *de Histor. L.*

Fredegonde, uxor Chilperici, Suessionum R. Familiæ regalis Furia, impudicitiæ, crudelitatis & proditoriæ perfidiæ infamiâ supra omnes. Chilpericum, cujus ancilla prius fuerat, impulit, ut Audoveram, jam 3. filiorum matrem, repudiaret, subditos exactionibus vexaret, fratres bello aggrederetur. Quod cùm is quaternâ vice fecisset, ultimò infelix, Tornaci à Sigeberto obsessus est: Sed hunc per duos, venenatis cultris instructos, sustulit Fregedonde. Dein Merovæum, Chilperici fil. Brunechildis maritum, Clodoveum ejus fratrem, Prætextatum Episc. Rotomag. Maritum denique proprium, ob detectos cum Landrico adulterinos congressus, occidit. Postea Parisios profecta, Guntrani protectione imploratâ, perrexit Brunchildem & Childebertum fil. ejus persequi. Cùm fraus & venenum nil proficerent, Childebertum, patris necem & insidias suas vindicaturum, militaris fœmina, acie vicit, 30000. hostium cæsis, vastavit Campaniam, recepit Parisios, ubique victrix: & quod mireris Lector, suo occumbens Fato, an. 596 æt. 55. fil. Clotarium, infantem reliquit, rebus regni optimè constitutis. Greg. Tur. *l. 5. & 6.* Aimoin. *l. 3. &c.*

Fredericus, Vide *Fridericus*.

Fregella, urbs Italiæ. Steph. quæ olim Opicorum erat, deinde Volscorum facta est, olim clarissima, inter Formias, & Sinuessam sita, non procul à Liri amne; Cujus etiam hodiè non obscura extant vestigia, ex quibus facilè potest æstimari, quanta olim fuerit ejus amplitudo. Hæc cùm à Romanis defecisset, diruta fuit, & ad vicum jam usque à Strabonis tempore reducta. Eadem dicitur & *Fregellæ* multitudinis numero. Silius *lib*. 5.

—— *Hunc tristes luxere Fregellæ.*

Et *lib*. 8.

Obsessæ campo squalente Fregellæ.

Ubi tamen Cluverius *Fregena* legit. Populi *Fregellani*. Plin. 3. 5. & *Fregellana vitis*, apud Columellam 3. 2.

Fregellanus, V. *Pontius*.

Fregena, op. Hetruriæ excisum, inter Alsium, & ostia Tiberina. Vide Cluver. *Ital. Ant. lib*. 2. *cap*. 2. In ora maris Tirrh. ubi nunc *la Macarese*, villa Ducis Matthæi, cum stagno cognom.

Freginates, Italiæ pop. Plin. 3. 5.

Fremincuria, castrum aliàs amplum Carnutum, cum palatio Regum primæ stirpis, nunc dirutum, ad Eburam fl. hodie vicus Belsiæ 1. leuc. à Droco in Ort. Hic sacrificia habebant Druidæ.

Frentani, & *Ferentani*, Italiæ pop. inter Marrucinos ad Occid. & Apulos ad Ort. Eorum meminit Sil. *lib*. 8.

Marrucina simul Frentanis æmula pubes.

Frento, fluv. Frentanorum, illos ab Apulis Dauniis disterminans, Larinumque alluens; *Fortore*.

Frequentum, V. *Fricentum*.

Fretellus, Archidiac. Antiochenus, scripsit Principum Christ. expeditionem in Terram S. Quo opere Christianus Adrichomius usus est, in Theatro T. S. concinnando.

Fretulphus, priscus Bavariæ historiographus, Aventino laudatus. Voss. *de H. L. p*. 704.

Fretum Aniani, *Estrecho de Anian* Hispanis, *Destroit d' Anian* Gallis, fretum amplissimum Americæ Septentrionalis, aliàs inter Tartariam & fictitiam illam novam Albionem creditum à multis; sed re diligenter excussâ, compertum est, Fretum Anianum esse inter terram Esonis & partem Septentrionalem Californiæ insulæ; estque valde latum.

Fretum Babelmandelum, *Destroit de Babelmandel*. est ad fauces maris Rubri, inter Africam & Arabiam felicem. Nomen habet à fluvio cognomine à parte regni *Adel*. Dicitur etiam à quibusdam Fretum Meccæ; estque satis angustum.

Fretum Balambuanum, *Destroit de Balambuan*, est in Oceano Indico, in Asia, inter insulam *Baly* & partem Orientalem Javæ insulæ, prope Balambuanum urbem.

Fretum Britannicum, Strab. Gallicum Solino, Morinorum Gratio, Oceani Tacito, Fretalis Oceanus Amm. mare inter Morinos & Britannos interfusum, 21. mill. pass. patens, *Pas de Calais* Gallis, Belgis *De Hoofden*, teste Ortelio, Anglis *the streight of Callis*.

Fretum maris Caspii, Mel. maris angustia ad ortum, in quam Oxus fluv. influit.

Fretum Cimmerium, *Stretto di Caffa*, teste Castaldo, angustia maris ad Bosporum Cimmerium.

Fretum Constantinopolitanum, *les bouches de Constantinople*. Vide *Bosphorus Thracius*.

Fretum Davisii, *Straet of Davis* Anglis, *Destroit de Davis* Gallis, fretum in terra Arctica, in ea parte Gronelandiæ, quæ detecta fuit à Joanne Davisio Anglo an. 1585. à quo etiam nomen accepit.

Fretum Esonis, *Destroit de Jesso*, fretum amplum inter Tartariam & terram Esonis interfusum, supra Sinarum regionem, & in littore Asiæ, recens detectum à Batavis.

Fretum Euripi. Vide *Euripus Chalcidicus*.

Fretum Forbisherii, *Straet of Forbishers* Anglis, *Destroit de Forbisher* Gallis, fretum terræ Arcticæ, versus Gronelandiam, recens detectum, nempe anno 1577. à Martino Forbishero Anglo, & ab eo nomen sortitum.

Fretum Gallicum, *Pas de Calais*, fretum inter Galliam & Angliam, 6. leuc. patens, inter Dubrim & Iccium portum, nunc *Wissan*, & 7. inter Dubrim & Caletum. Dicitur etiam à quibusdam Fretum Britannicum.

Fretum Gallipolitanum, *Destroit de Gallipoli*. V. *Hellespontus*.

Fretum Herculeum & Gaditanum, *Porthmos* Græcis, teste Plinio, & *Limen maris interni*, *Fretum Columnarum* Straboni, *Fretum Oceani* Livio, *Ostium Oceani* Floro, *Fretum Iberum* Ausonio, *Fretum Hispanum* Claudiano, *Trajectum* Au. Hirtio, *Estrecho de Gibraltar*, & *Stretto di Gibraltar*, maris angustia, inter Hispaniam & Mauritaniam Tingitanam 9. mill. pass. patens. *Destroit de Gibraltar* Gallis, *Stretto di Gibilterra* aliquando ab Italis dicitur; estque inter Andaluziam provinciam Hispaniæ australiorem & Mauritaniam Tingitanam, seu regnum Fezzanum. Ejus longitudo est 12. leucarum Hispanicarum, latitudo verò quinque circiter.

Fretum Hudsonis, *Destroit de Hudson*, fretum Americæ Septentrionalis, inter terras arcticas ad Boream & Estotilandiam ad Meridiem, ab Anglis detectum duce Henrico Hudsonio.

Fretum Maëreum, *Destroit de le Maire* Gallis, *Straet le Maire* Batavis, fretum Americæ Meridionalis, ad austrum terræ Ignium & freti Magellanici maximè extensum, à Jacobo *le Maire* Batavo detectum an. 1616. A quibusdam Hispanis dicitur *Fretum S. Vincentii*.

Fretum Magellanicum, *Estrecho de Magellanes* Hispanis, *Destroit de Magellan* Gallis, fretum oblongum Americæ Meridionalis, à Ferdinando Magellano Lusitano detectum anno 1520. inter terram ab ipso Magellanicam dictam & terram Ignium. Tres habet angustias, estque transitu difficilis. Illud Hispani claudere voluerunt Anglis & Batavis magnis impensis & arcibus in littore defixis, sed irrito conatu.

Fretum Malaccense, *Destroit de Malacca* Gallis, *Straet van Malacca* Batavis, fretum Oceani Indici interpositum inter urbem & regnum Malaccam, in parte australi peninsulæ Indicæ ultra Gangem & insulam Sumatram, oblongum & satis amplum, sic dictum ab urbe Malacca ei adjacente.

Fretum Mamertinum, Strab. Hadriaticum Orosio, Siculum, & Siciliæ Plinio, Ciceroni, Tacito, Rheginum etiam Straboni, Scyllæum Athenæo, Trajectum Ausonio, angustia maris inter Italiam & Siciliam, quæ *Faro di Messina* nominatur.

Fretum Manarium, *Destroit de Manar* seu & *de Chilao*, fretum maris Indici, inter Taprobanam seu Ceylanum insulam & oram Piscariæ, in parte australi peninsulæ Indiæ cis Gangem, satis latum, & à Manaria insula ei adjacente sic dictum, vel etiam à Chilao urbe Ceylani.

Fretum Manilhæ, *Estrecho de Manilha* Hispanis, fretum Oceani Orientalis seu Indici, in Philippinis insulis, inter partem australem Lusoniæ insulæ & Tendaiam insulam, ab urbe Manilha Lusoniæ primaria sic dictum.

Fretum Mindoræ, *Estrecho de Mindora* Hispanis, fretum Oceani Orientalis seu Indici, in insulis Philippinis, inter partem Occidentalem Lusoniæ insulæ & Mindoram insulam & urbem.

Fretum Mosandani, *Destroit de Mosandan*, fretum ad fauces sinus Persici, contra Armusiam urbem & insulam, sic dictum à promontorio cognomine ei adjacente, in littore Arabiæ; estque satis angustum.

Fretum Picticum, *Pichtland*, seu *Pentland Firth*, fretum inter Scotiam Septentrionalem & Orcades insulas. Navigantibus est formidabile & periculosum, neque nisi statis temporibus, positis quanquam ventis, trajectui opportunum.

Fretum Piecum, *Canal de Piecko*, fretum Asiæ, in Oceano Eoo, inter insulam terram Statuum dictam & partem terræ Esonis, ab Hollandis detectum hisce ultimis temporibus.

Fretum Ponticum: idem quod Bosporus Cimmerius.

Fretum Sangaarium, *Destroit de Sangaar*, fretum supra partem Borealem Japoniæ, versus terram Esonis, recèns detectum. Dicitur *Zungaar* à quibusdam, ab oppido adjacente, in Japonia.

Fretum Siculum, *il Faro di Messina*, Siciliam à Calabria ulteriori dirimens. Vide *Fretum Mamertinum*.

Fretum Sundæ, *Straet van Sunda* Batavis, *Destroit de la Sonde* Gallis, fretum est maris Indici, prope Bantamum, Javam insulam à Sumatra separans.

Fretum Sundicum, *le Sund* Gallis, *de Sund* seu *Oresund* Danis, angustiæ maris Baltici, in Dania, inter Scaniam provinciam Sueciæ ad Ortum & Zelandiam insulam Daniæ ad occasum, ubi Regi Daniæ vectigal solvitur in singulos malos.

Fretum Taphros, *le bocche di Bonifacio* Italis, *les bouches de Bonifacio* Gallis, fretum inter Corsicam & Sardiniam, prope Bonifacium oppidum Corsicæ. Dicitur etiam à Sardis & à Nautis illius tractus *le boche di Betxonnaire*. Vide *Taphros*.

Fretum Vegatium, *Destroit de Weigats*, quod etiam *Destroit de Nassau* dicitur ab Hollandis, est inter Novam Zemlam ad Boream & partem Septentrionalem Moscoviæ & provinciam Obdoram ad austrum, inter fluvios Petzoram & Obyum. Per illud diu quæsitus fuit transitus in Sinas & in Japoniam.

Fretum Uriæ, *Destroit d' Uries*, fretum est Asiæ, in Oceano Orientali, inter terram Esonis ad Ortum & terram Statuum ad Occ. recèns detectum à Batavis.

Friberga, Friberg, urbs Germaniæ, in Franconia & in tractu Veteravia, olim Imperialis, nunc sub dominio Electoris Moguntini. Deficit in dies; distatque 4. leucis à Francofurto in Boream Giessam versus. Vide *Fridberga*.

Friborga, Collegium sive Societas 10. primariorum hominum, in unaquaque Angliæ villa, qui singuli fidejussores invicem extitere erga Regem, de sistendis semetipsis, & de restaurando damno, ab eorum quolibet illato. Latinè *Decuria*, *Decenna*, *Decania*, &c. His præerat *Decurio* seu *Capitalis decemvir*. Sodalitii auctor Alvredus R. dicitur fuisse, armis, prudentiâ & pietate præstans: quâ occasione id factum, V. apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* & suprà in voce *Decanus*.

Friburgensis pagus, cujus antiqui limites, à Sensa fluv. ad rivum Maconensem: & à Villaria, prope Moratum, Plaseram usque 3. ferme horarum circum circa terrarum spatio, in præfecturas divisus est, quarum duo, ut & in aliis Helvetiæ Urbibus, genera: Unum suburbanum, quod administrant Senatores: Alterum, ubi

Præfecti cum imperio in Præfecturam mittuntur, illicque habitant. Prioris generis Friburgii quinque habent, posterioris quatuordecim, & præterea quatuor cum Bernatibus communes: nempe Muratum, Grandisonum, Eschalenium cum Urba, & Schvvartzenburgum: in qua postrema tamen, Superioritas, appellationes, jus criminale, constitutio legum, & alia Regalia in solidum ad Bernates spectant. Præterea, unà cum Bernensibus ac Soloduriis, supremam in criminalibus jurisdictionem, sicut VII. veteres pagi, in Turgea exercent. V. Simler. *de Rep. Helvet.* Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. nov. antiq.* &c.

Friburgum, vulgò *Friburg*, urbs est Helvetiorum, ad Sanam fl. in ultima penè Helvetia, Occidentem versus, in Aventicis: 4. leucis distat à Saloduro in Austrum, & totidem à Lausanna in Boream; A Berchtoldo IV. Zeringiæ Duce, 12. ante Bernam annis condita, A. 1179. eo situ, ut cùm omnia contra Merid. Orient. & Sept. prærupta sint altissimis montibus, latus Occid. profunda fossa tegeret, & ditione 3. circiter horarum, donata est: jure civitatis à Friderico Barbarossa impetrato. Bernæ dein conditor prioris filius Berchtoldus V. ambas urbes perpetuam amicitiam servare jussit. A morte hujus Berna A. 1218. Imperio obnoxia fuit, Friburgum verò in potestatem Comitum Kyburgiorum, qui Burgdorffium habitabant, pervenit: unde sequentibus annis, cum Gottefrido Comite contra Bernates militarunt; mox tamen fœdus renovatum est, cum exceptione, si domini Urbis à Berna dissideant. Postea à Kyburgio Friburgum minimo venditum fuit Rodolpho I. Rom. R. mansitque sub Austriacis annis ferè 200. quo tempore, horum auspiciis, ad Loupam, in monte Schonenbergio, alibique contra Bernates A. 1339. pugnarunt, ut & 1388. Etiam interea obsidioni Tiguri urbis, in gratiam Alberti Archiducis, Friburgii interfuerunt, A. C. 1351. Verùm denuo vetus amicitia & fœdus utrinque aliquoties est renovatum. Anno autem 1403. multis contumeliis nobilium vexati, perpetuum fœdus cum Bernatibus fecere; manentes nihilominus adhuc sub Austriacorum imperio. Post annos verò 45. orto inter Sabaudum & Friburgum bello, Bernates Sabaudi partes amplexi, Friburgiiq; ad Galteram A. 1449. victi sunt: altero demum anno Galliæ Regis, Ducis Burgundiæ & Helvetiorum ope pace conciliatâ. Sequente anno Albertus Austrius cives contra Bernates concitaturus, cùm videret id frustra esse, de urbe, quæ majorum privilegiis suffulta non per omnia ejus parebat imperiis, sæpe etiam Bernates ex fœdere sequebatur, & cum Helvetiis confœderatis pugnabat, ulterius retinenda desperare cœpit: civibusque per fraudem argenteâ aureaque supellectile spoliatis, ansam præbuit arctiori cum Bernatibus fœdere coeundi, qui proin & cum cæteris Confœderatis amicitiam certis conditionibus junxere. Itaq; bello Burgundico præsidium Helveticum accepere, contra communem hostem forti operâ præstitâ. Postmodum A. 1479. cum Tiguro, Bernâ, Lucernâ & Soloduro, privatum iniere fœdus, quòd existimarent, à sociis bello præfato iniquius secum actum esse: & res ad intestinas spectabat turbas, sed operâ Nicolai Eremitæ, cujus tum apud omnes Helvetios magna erat auctoritas, pax facta, fœdus Urbium sublatum, Friburgumque & Solodurum urbes in numerum Pagorum receptæ sunt, A. C. 1481. decimo Friburgensibus loco assignato: annis 125. post octo Pagorum, qui veteres appellantur, fœdus. In hac urbe postea Franciscus I. Galliæ R. cum Helvetiis, ob Ducatum Mediolanensem, fœdus feriit. Anno dein 1529. cùm quidam Pagi Evangelium essent amplexi, Friburgii, Latinorum rituum tenaces, peculiari fœdere cum Lucerna, Uria, Suitia, Undervvaldia, & Tugio coierunt. Utuntur idiomate partim Germanico, partim Gallico, sed pleraque priori linguâ publicè peraguntur. Urbs in partes quatuor, sicut & Berna, divisa est, quarum una à Burgo, altera ab Insula seu prato (*in der Ouvv*) tertia novæ civitatis, quarta à domo hospitali nomen habet: quibus quatuor Signiferi, primæ post Consulem dignitatis, per triennium præsunt, quo exacto, ab utroque urbis consilio alii eliguntur. V. Stumpfium *l. 8. de pago Aventic.* Simlerum *de Rep. Helv.* &c. Glareanus de Friburgo sic canit:

Gentis Aventinæ decus, & supremapotestas,
Gloriaq; illustris, prædonum virga, Friburgum,
Ausim num tenui laudes tibi fundere filo?
Sed jubar excellens, magnarum Curia rerum,
Parce humili plectro, belli memorabile fulmen,
Irascensq; aries muris, objectaq; moles
Ordinibus, volitansq; hosti catapulta furenti.
Sedula Berchtoldi ducis alti cura Zeringi
Te, velut Arctopolim, fatis felicibus urbes,
Ædificarat, ubi hos squallenti videratorâ
Colliculos, loca nascendis aptissima muris.

Friburgum alterum, *Friburg* cogn. *in Brisgauu*, urbs est Brisgaviæ primaria, in colle, 3. leuc. à Brisaco in Ort. distans, 8. ab Argentina in Austr. 7. à Basilea in Bor. & totidem à Rotvila in Occ. sub dominio Austriac. Ibi residet Capitulum Basileense, sed non Episc. In Misnia autem nullum est Friburgum, sed tantùm Fridberga.

Fricentum, vulgò *Fricento*, urbec. Italiæ, in regno Neapolitano & Principatu ulteriori, prope Tripaltum fluvium, episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, ad radices Apennini, & media ferè inter Beneventum & Compsam. Vide *Frequentum*.

Fridberga, in Wetteravia, urbs Imperii, condita non longè à nato Christo; postea circa annum 1211. amplissimis privilegiis, propter singularem hospitalitatem Cæsari exhibitam donata, nomen à Friderico II. quasi *Friderichs-berg* & contractè *Fridberg*, accepit. Contiguum huic castrum est, Castrum Cæsaris & Imperii dictum, inter quod & civitatem ingens controversia, an *Civitas Castri Burggravio & Condominis subjecta sit*? transactione sub Rudolpho I. Imp. finita est, A. C. 1285. Oppignorata dein est à Carolo IV. Comiti Guntero Schvvartzenburgico, sed salvis civitatis privilegiis, A. C. 1349. quæ amplissima accepit à Richardo, A. 1257. Rodolpho præfato, Adolpho, A. 1293. Ludovico, A. 1346. & postea à Wenceslao, A. C. 1385. Carolo V. A. D. 1541. Rudolpho II. A. 1582. &c. V. Limnæum Enucl. *lib. 4. cap. 18.*

Fridberga, vulgò *Fridberg*, oppidum Germaniæ, in Saxonia superiori & in Misnia provincia, ad Multam amnem, versus montes Bohemiæ, 4. leucis à Misna urbe in austrum. Frustra obsessum fuit à Suecis ultimo bello Germanico. Ibi sunt Mausolæa Ducum Electorum Saxoniæ.

Fridegodus, Anglus Benedictinus, sub Edgaro R. sec. 10. Græcæ l. exactè peritus: vitas SS. quorundam scripsit. Guil. Malmesburius, Simlerus, Vossius, *de H. L.*

Friderica, vulgò *Fridericks*, & *Fridericka*, urbs munita Americæ Meridionalis, in Brasilia regione, in ora Gubernii Paraibæ, vulgò *Capitania de Paraiba*, versus ostia fluvii Paraibæ, antea ab Hollandis exstructa, & postea expugnata à Lusitanis, quibus etiamnum subest cum toto tractu.

Fridericoburgum, vulgò *Friderichsburg*, castrum & palatium Regum Daniæ, in Zeelandia insula. Vix 3. leucis Danicis distat à Coronæburgo in occasum, & 5. ab Hafnia in Circium, colloquio inter Reges Sueciæ & Daniæ celebre hisce ultimis temporibus. Arx olim *Ebelholt* nomen gessit, monasteriumque S. Spiritus fuit, cujus Joannes Parisiensis anno 1201. mortuus, & in Sanctorum numerum relatus, Abbas fuisse perhibetur. Fridericus II. Rex Daniæ arcem exstruxit, quam Christianus IV. ejus filius statuis, picturis, similibusque artis operibus exornavit.

Fridericoburgum, vulgò *Friderichsburg*, oppidulum tenue, cum arce munita Danorum recens exstructa, in Guinea regione, & in ora Aurea, prope arcem Capitis Corsi. In colle sedet.

Fridericostadium, vulgò *Friderickstadt*, urbs nova regni Norvegiæ, in ora sinus Codani, in Præfectura Anslogana, & 30. leuc. Germanicis ab Ansloga in austrum, sub dominio Regis Daniæ.

Imperatores.

Fridericus I. Imper. cognom. *Ænobarbus* vel *Barbarossa*, filius Friderici Sueviæ D. successit Conrado III. Patruo. A. 1152. Imperio pacato, expeditionem in Italiam turbatam suscepit, A. 1155. Romanos verbis insolentes, cæsis aut Tiberi mersis ad mille, coërcuit. Spoletum direptum exussit. Cum Hadriano IV. quòd ipsi ex equo descendenti sinistram tenuisset stapiam, in litem incidit, coronationem extorsit. Domum redux, Hermannum Palatinum mulctavit, peractâ contra Polonos expeditione, acerbius cum Pontifice litigare cœpit, quòd is assereret, *Imperatores & Italiam & Imperium beneficio Pontificum habere*, mollitus tamen ab Hadriano explicatione vocis, pacem ei concessit. In Italiam reversus, Mediolanensibus, qui gladios de collo suspensos gerentes veniam rogabant, pepercit. Regalia regni Longobardici tam Episcopos, quàm Politicos, sibi deferre voluit, fodium ab omnibus civitatibus exegit. Quod cùm ægrè Adrianus ferret, respondit, rogaturum se, *quid Episcopo cum possessione?* Nomen suum Papæ præposuit, reprehensus scripsit, *Adriano Ecclesiæ Cath. Pontifici omnibus illis adhærere, quæ cœpit Jesus dicere & facere. Quidquid Papatus vester Regalis habere dignoscitur, largitione Principum obtinet. Unde cùm Rom. Pontifici scribimus, jure antiquo & nomen præponimus. Revolvite Annales, illic invenitur.* His irritatus Papa, Siciliæ Rege & Mediolanensibus frustra in Fridericum concitatis, robustissimum primò hominem, qui eum in Abduam præcipitaret, dein sicarios, tandem Magum adhibuit, sed nullo successu. Sigon. *l. 12. & l. 13.* Imperator Cremâ excisâ, Mediolano solo æquato, Alexandrum Papam, contra quem Victorem, post Paschalem & Callistum, tuebatur, Româ depulit, ad Tusculum magnâ clade vicit, fugientem Venetias classe persecutus est. Sed à Venetis, Duce Ciano superatus, unde Ascensionis die hodieque annulo sibi mare despondent, Ottoq; fil. ejus captus est. Tandem cùm Henricus Saxo Germaniam turbaret, pacis avidus, ad pedes Papæ Venetiis procubuit, à quo superbè conculcatus est, impiè verbis Psalm 91. *Super aspidem & Basiliscum ambulabis*, abuso. A. 1177. Naucler. *gen.* 40. Sabellic. *enn.* 9. *l.* 5. Dein, cum Wilhelmo Siculo quoque pace factâ, Constantiam Rogerii fil. Henrico fil. in uxorem dedit. Iterum cum Lucio III. Urbano III. Clemente III. collisus, expeditionem sacram obiit, multisque præclarè gestis, Philippopolim, Adrianopolim, Iconium, Turcis binâ acie victis, &c. [Iconi]o, Selephio fluvio mersus, vel Cydno, in Cilicia. A. 1190. Imper. 37. tanto omnium mœrore, ut vix ulli unquam Principum plus lachrymarum datum sit. Ursperg. Siffrid. Crantz *Sax. l. 7. c. 1.* Paul. Æmil. *l. 6.* Frising. *de Frid. l. 2. c. 1. 2.* Aventinus *l. 6.* Guntherus *in Frid.* Radevicus, Blondus, Egnatius, Æ. Sylvius, P. Blesensis *ep.* 17. in edit. 1667. Baronius &c.

Fridericus II. aliis *Roger-Fridericus*, filius Henrici VI. nepos prioris, Siciliæ Rex, Ottoni IV. à Papa excommunicato oppositus, eo victo, Imperium occupavit, A. 1210. Honorium III. repetendo juramentum ab Italis adeò offendit, ut excommunicationem ipsi minaretur, ni ductâ Jolantâ, Johannis Brennæ Regis Hierof. filiâ, Bellum sacrum susciperet. In cunctantem fulmen stringitur à Gregorio IX. sic tandem amoto illo in Orientem, Papa Socerum & Urbes Lombardicas adversus ipsum concitavit, imò cum Sultano prodidit, qui virtute Cæsaris motus, *detestatus Christianorum versutiam, invidiam & proditionem*, regnum Hierosolymitanum ipsi restituit. Redux è Syria, A. 1229. Socero perfido, in Sicilia victo, omnia recuperavit, Pontifici pro absolutione, duos milliones solvit, eo nihilominus irato, *quòd non pedem, sed genua, vix summis labris osculatus esset.* Unde Henricus fil. contra Patrem insurgere jussus, vincitur & carceri mancipatur: Mediolanenses dein profligati, Sardiniaq; sub potestatem redacta est, quam cùm Ecc. Rom. concedere nollet, iterum excommunicatus est, tanto Papæ odio, *ut omnibus sese ipsi opponentibus promitteret liberationem ex purgatorio & vitam æternam.* Crantz. *l.* 8. *c.* 5. 6. Verùm Imperator armatus terruit Pontificem, turbavit ejus Concilium, Lantgravium Thuringiæ contra se electum, per Conradum fil. Germaniæ R. devicit: Wilhelmum Holl. Comitem Anticæsarem pepulit, à Petro de Vineis Cancellario, corrupto à Pontifice, veneno petitus, exclamavit, *Væ mihi, Petrus dimidium animæ meæ capitales mihi insidias comparat!* Henricum fil. à Bononiensibus captum, nullo auro redimere potuit, tandem cùm Florentiam sibi fatalem semper vitasset, in castro Florentino Apuliæ, A. 1250. æt. 57. Imperii 38. decessit, vel, ut Sigonius *l.* 18. habet, venenò à Manfredo fil. peremtus, pulvinoque in os injecto suffocatus est. Princeps ingenii excelsi, sed si vera sunt, quæ traduntur, minus religiosus: Sex calluisse linguas dicitur, fortis, magnificus, sed sævus quoque & impudicus. Matth. Paris. *in Johann.* Blondus *dec.* 2. *l.* 6. & 7. Platina *in Gregorio IX.* Sabellicus, Villanius, &c. Hujus cum Pontificibus dissidia, occasionem præbuerunt Guelphorum Gibellinorumque contentionibus, quibus tota Italia turbata.

Fridericus, cognom. *Pulcher*, filius Alberti Imp. ab Electoribus quibusdam Ludovico Bav. oppositus, 5. justis præliis cum eo dimicavit, ad opp. Muldorfium tandem A. 1322. insigni operâ Sigefridi Suepermanni victus, ac unà cum fratre Henrico captus, triennio in carcere fuit, ope Magi inde liberari renuens. Dimissus tandem, hâc lege, ut dum viveret, *titulum, non autem rem Imperii usurparet*, non diu supervixit, philtro sublatus, vel à vermibus corrosus. Onuphr. *in Chron.* Cuspinian. Villan. Trithemius &c. Uxor ejus Isabella Arragonia, mariti mortem tam copiosis deflevit lachrymis, ut vitam inde amitteret. A. 1329. Inter Imperatores non recensetur.

Fridericus III. cognom. *Pacificus*, fil. Ernesti Austriaci, successit Alberto II. consobrino, A. 1440. Coronâ argenteâ Aquisgrani Anno 1442. Aureâ, Romæ à Nicolao V. Anno 1452. insignitus, cum Eleonora Lusitana, uxore. Ab Alberto fratre, ob hæreditatem, ab Ulrico Ciliæ Comite, ob tutelam Ladislai posthumi vexatus. Italicis titulis delinitus, Longobardorum R. dictus, regnum occupante Sfortiâ, mox amisit. Bohemicum acceptare renuit; in rebelles mitis. Amadeum, à Concil. Bas. electum, ut Papatu cederet, rogavit. Matthiæ Hungar. R. Austriam vastanti & Viennâ potito non restitit, in Germania interim degens, ubi hospitiis inscribi jussit, *Rerum irrecuperabilium summa felicitas, oblivio.* Jus in regnum eidem 70000. aureis vendidit, cum Carolo Burgundo pacem fecit, filiâ hujus unicâ Mariâ Maximiliano filio suo desponsatâ. Obiit A. 1493. æt. 78. Imperii 53. Viennæ sepultus. Cuspinian. Nauclerus, Bonfinius &c.

Reges varii.

Fridericus, Rex Neapolis & Siciliæ, filius Ferdinandi I. frater Alphonsi, successit hujus filio Ferdinando II. A Ludovico XII. & Ferdinando Castellano pulsus est, quorum ille Ducatum ei Andegavensem donavit, Ann. 1501. filio ab Hispanis eluso. Item frater Jacobi, Arragoniæ R. Siciliæ regnum occupavit, bello contra Carolum II. Claudum implicitus, filiam ejus Eleonoram postea duxit: Trinacriæ Regis titulo contentus. Obiit A. 1337. æt. 65. regni 42. Villanius, Collenutius, &c.

Fridericus Arrago, Siciliæ rex, Calabriam subegit. Blondus *l.* 9. *Æmil. l.* 9.

Fridericus I. Daniæ Rex, ex Holsatiæ Duce, successit A. 1523. pulso Christierno nepoti. Lutheri doctrinam amplexus, cum toto regno, obiit A. 1532. detento in vinculis Christierno, per 27. an. Christiani III. successoris, Pater. Chytræus, *Saxon.*

Fridericus II. Christierno III. Patri successit, A. 1559. bello cum Suecis gesto, feliciter imperavit. A Pio IV. rogatus, ut ad Concil. Tridentinum quosdam mitteret, respondit, *sibi nullum cum Papis commercium esse.* Obiit A. 1588.

Fridericus III. Christiano V. fratre præmortuo, successit An. 1648. patri Christiano IV. cùm prius Arch. Bremensis fuisset. Difficili bello cum Suecis implicitus, & Hafniæ diu obsessus, Hollandorum virtute, emersit. Princeps pius & prudens, post egregia excelsi animi specimina, durante obsidione, edita, meruit, ut Regnum Daniæ, quod hactenus Electivum fuerat, Hæreditarium in ejus Familia regali in posterum esset. Obiit paucos ante annos: Successit fil. Christianus V.

Fridericus, Bohemiæ Rex, vide *Fridericus V. Elector Palatinus.*

Comites Palatini.

Fridericus I. cognomine *Victoriosus*, fil. Ludovici Barbati. Elector Palatinus, nepos Ruperti Imperatoris, Ludovico majore fratre mortuo, Electoralem administrationem nactus est, tutor nepotis Philippi: mox eo adoptato an. 1454. Elector. Bella multa feliciter gessit, inprimis cum Diethero Isemburgico, Electore Mogunt. quem an. 1462. felicissimè devicit, Badensi, Metensi & Wirtenbergico captis: quo tempore Strata Montana ad Palatinos devenit. Obiit, an. 1476. Lævvensteniorum Comitum sator, ex Clara à Tettingen.

Fridericus II. cognom. *Sapiens*, cujus varios casus descripsit Hub. Thomas Leodius *libb.* 7. successit fratri Ludovico Pacifico Electori, mortuo an. 1544. Egit juventutem in aula inprimis Philippi Austriaci, ob equestrem peritiam apud Hispanos & Belgas clarus: hoc defuncto educationi Caroli V. admotus, illi electionem Imperialem significavit, ann. Christ. 1519. caput Legationis: hinc Carolo intimus. Imperii nomine bis exercitus Christiani contra Turcam dux, adventus sui famâ Solimannum Viennâ depulit. Postquam successit fratri, tum globus aureus, Cæsaris dono, insignibus illatus est. Reformationem Heidelbergæ, Pauli Fagii Argentorato evocati operâ, publicè instituit, an. 1546. Obiit ἄπαις, an. 1556. Successit nepos Otto Henricus, florentissimæ postea Bibliothecæ primus institutor, qui ultimus è prosapia Ludovici Barbati, decessit an. C. 1559. quod ipse ultioni divinæ, ob sanguinem Hussi fusum scripsit. Hunc excepit,

Fridericus III. cognom. *Pius*, Johannis II. è Simmerensi linea, cui Stephanus, filius Ruperti Imperatoris originem dederat, fil. Hic Helveticæ Confessionis constantissimus assertor, Heshusium dimisit: & post colloquium Heidelbergæ ann. Chr. 1560. inter suos & Joh. Friderici Saxonis Theologos habitum, Reformatis arctius adhæsit, Neuhusii ac Ambergæ Gymnasiis erectis, nec minus Heidelbergæ Collegio Sapientiæ Theologiæ dicato. Catechesin dein Heidelbergensem publicavit anno Christ. 1563. Instituit postea Mulbrunni cum Lutheranis, & Franckenthalii cum Anabaptistis Colloquium. In Comitiis Ratisbonensibus, cùm Commendonus Legatus Pontif. eum à pace Religionis excludere satageret, venit in Senatum Fridericus, *Casimiro filio codicem Bibliorum portante*, è quo se rectè sentire demonstravit: unde Augusto VIIviro annitente pro membro Augustanæ Confessionis agnitus, & fraus Commendoni elusa est. Hugonotarum in Gallia causam strenuè defendit, primùm pro Anna Burgio deprecatus, anno 1559. Exulibus quoque Belgis Franckothalium, quod priùs cœnobium fuerat, asylum constituit. Lanienam Parisiensem detestatus est, eamque Henrico Andino ad Regnum Poloniæ capessendum Heidelbergâ transeunti, antiquæ severitatis tenax & ab omni fuco alienus, liberè exprobravit. Obiit anno Christ. 1576. æt. 60. Princeps integritate, liberalitate, humanitate nullo suorum temporum inferior. Vide Thuan. *Histor. lib.* 62. Ei successit Ludovicus fil. huncque demortuum, an. C. 1583. post administrationem Joh. Casimiri, excepit Ludovici filius

Fridericus IV. cognom. *Sincerus.* Hic Confessionem Helveticam tenere perrexit, Manhemium anno Christi 1606. ex pago urbem fecit, ac munire cœpit, exulibus è Belgis mox frequentatam: Ejus auspiciis Unione initâ anno 1610. ipse brevi pòst decessit, in Alsatia & Juliaco jam ardente bello. Obiit, è Luisa Juliana Guilielmi Principis Arausicani filia, pater Friderici V. & Ludovici Philippi Principis Simmerensis.

Fridericus V. cognom. *Patiens*, fil. prioris, sub tutela Bipontini adolevit, Electoratu dein potitus, Angliæ Regis Jacobi filiam Elizabetham uxorem duxit. Gallorum, Anglorum, Danorum, Venetorum, Hollandorum, Sabaudi, Brandeburgici & totius Unionis amicitiâ clarus, Bohemiæ regnum sibi delatum, ut regnum Christi amplificaret, accepit, anno 1619. Victus sequenti anno, in albo monte, à Cæsareis & Bavaris, in Batavis asylum reperit. Proscriptus, anno Christi 1621. ab Imperatore, contra tenorem Capitulationis, per Spinolam, parum obnitente Joach. Ernesto Brandeburgico, Unionis duce, ditiones amisit, solo Mansfeldio pro ipso satagente, cui dein Christianus Brunsuicensis accessit. Hinc Germaniâ bellis involutâ, & tantùm non à Cæsare oppressâ, postquam supervenit Gustavus Adolphus Suecorum R. ejus armis cœlitus benedicente Deo, maxima Electoratus pars recepta est, & post decennale exilium Fridericus an. 1632. ad eum Francofurtum delatus, magnificas spes post Religionem habuit. Defunctus eodem anno Moguntiæ: Ei in Electoratu successit fil. Carolus Ludovicus, natus anno Christi 1617. Friderico Henrico maximo natu in trajectu fluv. Teyæ, prope Amsterodamum, submerso, anno Christ. 1629. &c. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Histor.*

Principes alii, &c.

Fridericus, nomen 5. Marchion. Brandeburgicorum, quorum quartus à Sigismundo Imp. in Conc. Constantiensi, Electorali dignitate,

gnitate ornatus est, an. 1417. Obiit anno 1440. Ultimus cogn. *Ferreus dens*, Electoratu Alberto fratri cedens, obiit, 1469. Item, nomen 4. Saxoniæ Ducum, quorum

Fridericus I. cognom. Bellicosus, Elector, 1423. obiit, an. 1428.

Fridericus II. cognom. Pacificus, obiit an. 1464.

Fridericus III. cognom. Sapiens, Rex Rom. fieri renuit, Hierosolymam iter suscepit, an. 1493. Academiam Wittebergensem instituit, Lutheri Melanchthonisque Protectorem se professus est. Obiit an. 1525.

Joh. Fridericus IV. Evangelii acris defensor, victus à Carolo V. & Electoratu in alteram lineam translato, exutus, obiit an. 1554. Insigne constantiæ & patientiæ Christianæ exemplar.

Fridericus, Dux Bavariæ, obiit an. 1554.

Fridericus Borromæus, Cardin. nepos Caroli, in Collegio Ambrosiano insignem Bibliothecam collegit.

Fridericus Closderus, continuator Annalium Argentorat. usque ad annum 1362.

Fridericus Gonzaga, Mantuæ D. an. 1530. & Montferrati, anno 1531. noluit urbem Mantuam Concilii, ibi à Papa indicti, sedem esse. Item, Dux primus Urbini, &c.

Fridericus Risnerus, Mathematicus insignis, cujus 4. libb. Opticæ, Mauritius Hassiæ Landgr. ab ejus hæredibus redemptos, edidit.

Fridericus Spanhemius, Archipalatinus, Theologus insignis, in Genevensi & Lugduno-Batavâ Univers. Professor, scriptis editis inclytus, obiit an. 1649. æt. 49. Pater fil. cognominis, ibidem hoc tempore Professoris Theol. celeberrimi. Vide *Spanhemius*.

Fridgora & *Occidentana*, genera hymnorum. Vid. in *Hymni*.

Fridigernus, Gothorum rex, an. U. C. 1128. Græciam invasit, an. Chr. 380. Jornand. *cap.* 7. Vide & *Fritigernus*.

Frienhagen, urbs Comitat. Waldecc. Carolini Judicii sedes. Metell.

Frigidus, fluv. Japodum, inter Aquileam & Æmoniam, ubi Theodosius Imp. Eugenium tyrannum vicit. Item, Tusciæ fluv. in agro Aretino, hodie *Freddo*. Tibul. 4. 8.

Atq; Aretino Frigidus amnis agro.

Quidam *Eretino* legunt, & *frigidus* adjectivè sumunt.

Friniana, regiunc. Duc. Mutinensis, ad Apennini rad. ubi Sestola opp. præcipuum.

Frisia Occidentalis, seu Frisia propria, vulgò *la Frise Occidentale* Gallis, provincia est Belgii fœderati. A Septentrione habet mare Germanicum, ab Occidente separatur ab Hollandia mari Austrino, ab Oriente habet dominium Groningense, quo separatur à Frisia Orientali & à Meridie ei adjacet Drentia regiuncula, Transisalaniæ pars. Ejus primaria est Leovardia. Notandum est Groningam & Damum non esse in Frisia propria, sed in dominio seu provincia Groningensi. *Frisia* Orientalis, *l'Ost Frise*, seu *la Frise Orientale*, seu etiam *le Comté d'Embden*, provincia est Germaniæ, in Westphalia, sub dominio proprii Principis. Historia hæc est: Frisia ista Cauchos olim complexa interfusum Batavis Danisque littus implebat, unde nunc etiam *Orientalis* ei nomen, quia veteres cis Amasium Frisii ad Occ. ei objacent. Mores olim, qu les cæteris Frisii nominis; etiam libertas, relicta à Francis quoque Regibus & Germaniæ Impp. ubi dominari poterant, qualicunque obsequio contentis. Publica per conventus singulorum seorsim & communiter gentis totius curata: judicia per delectos in conventibus minoribus majoribusque exercita; par in his jus omnibus, qui prædia possiderent; plurima tenentibus maximus honos, eaque sola nobilitas. At hi cùm arces struxissent, non sibi modò, sed & aliis confugia internis externisque bellis, & domi manum haberent adversus vim paratam, moderatores conventuum & judicibus contra factiones præsidium, paulatim per dissidia aut injuriam plebis, quæ poterant, in se traxere, & huic redeunte interdum libertatis memoriâ, alii adversus alios vindices facti. Inter hos Grethana domus per connubia, per hæreditates valida, & multorum prædiorum domina, quæ jurisdictionem usu suam fecerat, etiam Emdæ tutelam suscepit. Hac origine Ulderícus A. C. 1454. à Friderico III. in eum tractum nomen Comitis accepit, de cujus posteris vide in voce *Edsardus*, item *Emda*. Habet à Septentrione Oceanum Germanicum, ab Oriente Comitatum Oldenburgensem, à Meridie Episcopatum Monasteriensem, & ab Occid. separatur à dominio Groningensi Dullartio sinu. Sedes Principis est Auricum, *Aurik*, cùm Emda regionis primaria sit in dominio Hollandorum. Sed notabis Javeriam, Oldemburgum, Rhydam, & Ovelgunam non esse amplius sub dominio Principis Frisiæ Orientalis, & Esenas, Ochtam, & Vitemundam esse tantùm oppidula. Vide *Lex Frisonum*.

Urbes Frisiæ Orientalis.

Auricum, *Aurick*.
Embda, *Embden*, emporium & caput regionis.
Esenæ, *Essens*.
Javeria, *Jever*.
Norda, *Norden*.
Ochta, *Oecht*.
Oldenburgum, *Oldenburg*, Comitatus.
Ovelguna, *Ovvelgun*.
Rhyda, *Rhyde*.
Stichusa, *Stichusen*.
Vitemunda, *VVitemundt*.

Urbes Frisiæ Occidentalis.

Bolsuardum, *BolsVVardt*.
Damum, *Dam*.
Docum, *Dockum*.
Franicheria, *Franeker*.
*Groninga, *Groeningen*, episcopalis olim sub Archiepiscopo Trajectino, primaria.
Harlinga, *Harlingen*.
* Leovardum seu Levardia, *LeeuVVarden*, episcopalis olim sub Archiepiscopo Trajectino, conventus juridicus.
Stauria, *StaVeren*.

Præter has, Hendilopia, Ilstum, Sneca, Slota & Vorcum oppidula.

Frisiabones, Plin. 4. 15. pop. Germ. inter Helium, & Flevum Rheni ostia, Hollandos Septentrionales quidam, alii Zeelandos esse putant.

Frisinga, urbs Vindeliciæ in Bavariâ sup. ad Mosacum fluvium, 4. leuc. à Monachio in Bor. 4. à Landshuto in Austr. sub proprio Episcopo, quorum primus Corbinianus, an. 710. à Greg. II missus. Patria fuit Ottonis, historici, G. Ederi JC. & trium Imper. Consiliarii, Martini Rulandi, Medici insignis, &c. Conradus Canonicus Frising. Episcoporum historiam orsus est, usque ad an. 1187. quo vixit: continuatam postea ad an. 1521. Hundius, *in Metrop. Salisburg. &c.* Vide *Fruxinum*.

Frislandia, Insula perampla in Oceano Boreali, versus Groenlandiam, minor quàm Hibernia, & antiquis ignota, inclemens habet cœlum, unde incolæ fruges non habent, sed piscibus vescuntur ut plurimum: nam in sinu, ubi civitas metropolis est hujus nominis, tantam trahunt piscium copiam incolæ, ut ex ea multæ naves oneratæ in Flandriam, Angliam, Scotiam, & Danemarchiam redeant, non sine ipsorum incolarum quæstu. Hæc verò insula, præt. seculo denuò Anglorum navigationibus frequentari cœpit, qui eam *Occidentalem Angliam* vocarunt. Hic fit maximus dies horarum circiter 19. cum dimidio. Metel. Baudrando melius videtur dicere, nullam esse Insf. Frislandiam dictam, adeò omnia incerta. Interim novi Orbis partem Boreal. versus Groenlandiam, Islandiam & *Frislandiam* casu à Piscatoribus inventam, & oblivioni traditam, coli rursus cœpisse circa A. C. 1380. refert Ortelius *in Theatro*.

Frislaria, urbs Hassiæ ad Ederam fluv. in ditione Elect. Mogunt. 4. mill. à Cassella in Austr. Marpurgum versus, 4. à Zigenhemo in Septentr. Vulgò *Fritzlar*. Hic Concilium anno 1118. Ursperg.

Fritigernus, Rex Gothorum, Arianus, dedidit se Valenti Imperat. & vicit Athanaricum, anno 376. Idac. *Chron.* Vide *Fridigernus*.

Fritigilda, Regina Marcomannorum, ab Ambrosio conversa, maritum permovit, ut Christianismum quoque amplexus, se Romanis jungeret. Paulin. *in Vita Ambrosii*.

Fro, & *Thor*, nomina sunt Deorum in historiâ Saxonis Grammatici.

Frobeleth, vicus in tribu Zabulon. Wil. Tyr.

Frobenius Johannes, Hamelburgo-Francus, civis Basiliensis & Chalcographus sui temporis illustris, cujus meminit Erasmus, ejus hospes, obiit an. Chr. 1527. trilingui Epitaphio honoratus. Huic gener contigit Nicolaus Episcopius, Sebusianus, civis itidem & Typographus Basil. celeberrimus: Filius verò fuit,

Frobenius Hieronymus, Typographus similiter clarissimus, patri inter initia fœderis Helvetici Basileæ natus: Optimis auctoribus emendatè atque eleganter editis, amicitiâ inprimis magni Erasmi, cujus testamenti cum Nicolao Episcopio nuncupatus vindex est, immortale nomen adeptus. Decessit an. Chr. 1563. æt. 62. Pater Ambrosii & Aurelii.

Nos Latii, Grajiq; patres ad sidera tollunt,
Nec minor his socios magnus Erasmus habet.

Reges Oveti.

Froila I. Rex Oveti, an. 757. regnum egregiis legibus instruxit, Maurisque restitit. Vimonari fratris virtutibus offensus illum interemit, ab Aurelio tertio fratre similiter sublatus, An. 768. Vasæus, Mariana.

Froila II. cogn. Crudelis, Princeps luxuriosus, haud diu regnavit.

Froissardus Johannes, Hannonius. Chronicon rerum in Gallia, Hisp. & Anglia gestarum composuit. Ab an. 1326. usque ad annum 1400. Principibus gratus. Vixit sec. 15.

Frons Africa, vulgò *Capo de bona Speranza*, incolis *Zanguebar*, teste Marmolio. Verùm cùm à Plinio & Melâ post Cornu Hesperium in orâ Occident. maris Atlantici describitur, ab aliis *Capo Verde*, incolis *Tagazza* esse putatur. Baudrando est *Caput bonæ spei*, in Cafreria reg. non Zanguebaria, quæ magis ad Ortum extenditur.

Frons Asia, ora Asiæ Orientalis, quæ Oceano Eoo alluitur.

Frons Gallia, quæ Oceano ad Occid. exposita est.

Frons Germania, ea pars quæ Danubio objacet.

Frons Hispania, quæ Oceano occiduo adjacet.

Frons Italia, ea pars, quæ inter 2. promuntoria Leucopetram, & Lacinium in mare porrigitur.

Frontiacum, castrum Galliæ erectum à Carolo Magno contra Hunoldum, qui post mortem Waifarii fil. Aquitaniam iterum occupare tentaverat, ad Lupum D. Novempopulanæ profugus, Aquitaniæ ingressu & Duranii transitu arcendum. Nunc castellum Ducale est, impositum monti, uti Blavia, Ellæ fluvio quàm Duranio Ellam jamjam accepturo propius. Vulgò

Fronsac, caput agri Frontiacensis *le Fronsaguez*: in finibus Biturigum Viciscorum, seu in diœcesi Burdigalensi. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Frontinianum, urbec. Gall. in Occitania, ad lacum Lattaram, inter Agatham & Montem Pessulanum, vino suo clara. Olim *Forum Domitii.* Vide ibi.

Frontinus, cognomento Sextus Julius, scripsit de sententia militar. Tacit. *l. hist.* 4. Veget. *l.* 2. *c.* 3. Volaterr. *&c.* Prætor Urbanus fuit, Vespasiano 2. ac Tito Coss. ut ait Tacitus *lib.* 4. *Histor.* quod fuit anno U. C. 823. Eo ejurante hanc dignitatem cepit Domitianus; *Consularem virum* eum appellat Ælianus *l. de instruendâ acie præfat. ad Adrianum Cæsarem cap.* 1. In Consulum tamen serie nulla ejus mentio, ut fuisse videatur ex consulibus in demortui locum suffectis. In pretio erat temp. Nervæ, & Trajani. Unde Ælian. *præfat. Tactic.* ait, Frontinum idem argumentum tractasse, atque eum suæ ætatis scriptorem vocat. Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. 737. 738.

Fronto, alio nomine *Julius*, vigiliarum tribunus, à Galbâ tanquam suspectus exauctoratus. Tacitus *histor. lib.* 1. *cap.* 20. In Partibus Othonis à militibus vinctus, tanquam fratri *Julio Grato*, apud Vitellium præfecto Castrorum, proditionem ageret. *Histor.* 2. *cap.* 26.

Fronto Cornelius, vel Priscus, philosophiæ simul & dicendi præceptor M. Antonini Imper. adeò ab illo dilectus, ut statuam ei à Senatu erigi peteret. Jul. Capitolinus. Euseb. *An Chr.* 165. Macrob. *Saturn. lib.* 5. *cap.* 1. Alterius *Frontonis* meminit Juvenalis *Sat. primâ*,

Frontonis Platani convulsaq; marmora clamant.

Et Martialis,

Clarum militia Fronto togaq; decus.

Frumentius, in Indiâ interiori Evangelium prædicavit, qui ab Athanasio ob id institutus fuit Episcopus. Totam hanc historiam lege apud Sozom. 2. 25. & Socratem, 1. 15.

Frusino, civitas parva Campaniæ Rom. Falerno agro vicina, cujus incolæ *Frusinates* dicuntur Plin. 3. 5. Inde *Frusinona colonia* Frontino. Juvenal. *Sat* 3.

—— —— *Optima Sora*

Aut Fabrateria domus, aut Frusinone paratur.

Silius *libr.* 8.

Suessa, atq; a duro Frusino haud imbellis aratro.

Ptolemæo *Frusinum* dicitur. Baudrando *Frusilone.* Inter Privernum ad Austr. & Alatrium ad Boream, 44. mill. à Roma, versus Neapolim.

Fruxinum, Frysingen, teste Rhenano, urbs Vindeliciæ ad Isaram fluv. in Bavaria sup. inter Augustam ad Occid. 8. & Landshutam ad Ortum 6. Ac inter Monachium ad Austr. 8. & Ratisbonam ad Bor. 11. leuc. in colle apud Mosaci fluv. cum Hisarâ confluentiam. Baudrando parva & culta. 9. leuc. à Ratisbona in Austr. Dicitur & *Frisinga.*

FU.

Fucechius, lacus parvus agri Florentini: cui nomen à castro Fucecchio. 5. mill. à Fano S. Miniati in Boream, 10. à lacu Bientina in Ortum.

Fucinus, lacus Italiæ in Marsorum regione. Niger scribit hodie *Lago di Mario* ab oppido illi vicino sic appellato vocari. Virgil. *Æn.* 7.

Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ.

Silius, *libro* 4.

—— *Vitreo quem Fucinus antro*

Nutrierat. ——

Fufidius, fœnerator improbissimus. Horat. *Ser.* 1. *Sat.* 2.

Fufidius vappa famam timet, ac nebulonis.

Fufius Geminus cum *Rubellio Gemino*, an. U. C. 782. Consul, Gratiâ Liviæ Augustæ promotus, dicax & Tiberium acerbis facetiis irridere solitus. Tacit. *l.* 5. *c.* 1. 2.

Fufius Kalenus, prænomine *Quintus*, legatus C. Cæsaris in Hispaniâ contra Petrejum & Afranium. Postea, Cæsaris ope, ad consulatum cum P. Vatinio pervenit, anno belli civilis tertio. Periit tempore belli Perusini, relicto ejusdem nominis filio. Hujus *Kaleni* denarius fortassis, qui cum imaginibus Italiæ & Romæ, & inscriptione *Cordi Kaleni* reperitur.

Fugalia, festa fuerunt Romæ in memoriam exactorum regum, vulgò *Regifugia*, dicta; solita celebrari mense Februario post Terminalia, Augustin. *de Civit Dei.*

Fugatius, vide *Damianus.*

Fulbertus, Episc. Autricensis, sub initium sec. 11. discipulus Gerberti, seu Sylvestri II. Opera ejus an. 1608. impressa: inveniuntur *in Bibl. PP. tom.* 11. *edit. Col.* Obiit anno 1028. Vossius, Morerius, &c. Item, Monachus Gimeciensis, *peccatoris* cognom. sibi ex humilitate, sumsit, sec. 8. Auctor vitæ S. Aichardi, Abbatis Gimeciensis.

Fulcheria Ins. *Ghiera d'Adda*, regiunc. Duc. Mediol. inter Adduam ad Occ. & confin. territ. Bergomensis, Seriumque fluv. ad Ort. seu inter Cassanum & Caravaggium opp. Hic Veneti insigni clade affecti à Lud. XII. Gallorum R. juxta *Agniadello* vicum. Vide *Addua Glarea.*

Fulcherus, Abbas, dein Patr. Hierosolymit. post Guilielmum, an. 1146. Obiit an. 1159. An idem cum scriptore historiæ Regis Balduini? Guil. Tyr. *hist. B. S. l.* 14. 19. *&c.* Voss. *de Hist. Lat. p.* 775. *&c.*

Fulcinius Trio, celeber sub Tiberio accusator. Qui tamen ipse ingruentes accusatores haut perpessus supremis tabulis multa & atrocia in Macronem ac præcipuos libertorum composuit; ipsi Cæsari fluxam senio mentem & continuo abscessum velut exsilium objectando. Tacit. 4. 37.

Reges Hierosolymitani & Principes Andegav.

Fulco, Andegavensium Princeps, quintus Rex Hierosolymorum, equo in caput everso occubuit. Fil. fuit Fulconis, cognom. *Rechini*, ex Bertrada Montfortia, per Melisendam, filiam Balduini, regno potitus, an. 1131. usque ad an. 1142. Guil. Tyrius, *libr.* 15. *cap.* 27. *p.* 888. Hic Saracenos castris ad Antiochiam exuit, Cæsaream Philippi oppugnavit, Turcas victores vicit. P. Æmyl. *l.* 5. Volaterr. &c.

Fulco I. cognom. *Russus*, Comes Andegav. Ingelgero Patri successit. Obiit an. 918.

Fulco II. fil. cognom. Bonus, obiit an. 949. Irrisus à Ludovico Ultramarino, Galliæ R. quòd sæpius in choro cantaret, scripsit illi saltem hæc verba: *Scias, Domine, Principem, literarum rudem, esse asinum coronatum: &c.*

Fulco III. ultimus Principes, obiit Metis, an. 1040. Cùm Hierosolymis esset, dicitur corpus suum ad sanguinem usque flagris cæcidisse, & exclamasse, *Domine miserere proditoris, & perjuri Fulconis.* Hunc sequitur

Fulco IV. dictus *Rechinus*, in fœmineo amore mirè varius, ex Bertrada, filia Simonis Montfortii. an. 1089. quæ eo postea defecto, Philippo I. adhæsit, parens Fulconis Regis. Obiit an. 1109. Haillan. *hist. Com. & Duc. Andegav.* Glaber & *Chron. Andegav.*

Viri Illustres.

Fulco, Arch. Remensis, natalibus, pietate, eruditione illustris, Caroli Simplicis partes amplexus, Nicolaitarum errori se opposuit, &c. à Winomacho, Domino Insularum, occisus, an 900. Rhegino, Molanus, Flodoardus, *hist Rem. l.* 4. *c.* 8. *&c. A.* 885.

Fulco, prædicator in Gallia insignis, an. 1200. Obiit an. 1202.

Fulco Johannes, Theologus Anglus, Pontificiorum terror, obiit An. Chr. 1605.

Fulda, urbs lepida Franconiæ, metropolis ejus in Germania regionis, quam olim Buchoviam appellarunt, quæ inter Thuringiam, Franconiam, Wetteraviam, & Hassiam sita est. A fluvio *Fuldâ* præterlabente nomen accepit. Vulgò *Fulden.* Abbatia totius Europæ præstantissima, à Bonifacio condita an. Chr. 784. Distat urbs 12. mill. Germ. à Coburgo in Occ. 10. à Cassella in Austr. Vide Petri Brovveri *libb.* 4. *Histor.*

Fulgentius, Episcop. Ruspensis, in Africa, natus anno 467. patre Senatore Carthag. qui Genserici tyrannidem fugiens, inde se receperat, mortuo, à Mariana matre educatus, Græcè Latineque doctissimus brevi evasit. Solitudinis amator, à sociis in Ducem lectus est. Romam cùm venisset, an. 500. magnificentiâ Theodorici R. perculsus, *Quantam*, inquit, *oportet esse cœlestis Hierosolyma gloriam, quam Deus electis suis pollicitus est?* Reversus in Africam, paulò pòst in Sardiniam, à Thrasimundo exulare jussus est, quòd paulo acrius Arianis se opposuisset. Ubi plurimis egregiis scriptis editis, postmodum revocatus, obiit, anno 533. *Augustinus* sui seculi dictus. Opera ejus plurimis in locis edita; inter quæ de Prædestinatione & Gratia liber effulget. Vide Ferrand. Diaconum, *in vita ejus.* Isidor. *c.* 14. &c.

Fulgentius & Marsilius, Monachi: ut & Paulus Servita, Theologus eximius, scripserunt nomine Venetorum, contra Excommunicationis fulmen, à Paulo V. in Rempub. An. Chr. 1606. evibratum.

Fulgentius Placiades, auctor Mythologiæ 3. libb. impressæ, an. 1599. cum Mythologia Hygini, Jul. Firmici Materni, & Albrici Philosophi. Eidem de Allegoria Virgil. opus attribuitur.

Fulgeria, seu *um*, *Fougeres*, urbs Britanniæ min. ad amnem *Cæsnon*, aliàs munita, versus confin. Normann. 8. leuc. ab Abrincis in Mer. 8. à Dola.

Fulginates, populi Umbriæ in Italiâ. Plin. 3. 14. *Fulgine* hodie Leandro. Quorum oppidum *Fullinium.* Conditutis ex Saccharo, quæ *Fulignata*, clari.

Fulginius, prænomine *Quintus*, ex primo hastato legionis 14. eximiæ virtutis vir cecidit ad Ilerdam, in partibus C. Cæsaris *lib. de Bell. Civ. c.* 46.

Fulium, cœnobium Galliæ religiosorum Fuliensium *des Feüillans*, 6. à Tolosa leuc. cujus Auctor & primus Abbas circa annum Chr. 1580. fuit Johannes Barrerius, sub Clemente VIII. mortuus. Dicitur aliàs ordo *S. Bernardi de Pœnitentia.* Accesserunt de sequiore sexu, quæ priorum regulam secutæ, primum conventum prope Tolosam, A. C. 1590. instituerunt; in ipsam postmodum urbem translatum. Vide Morerium *Diction. histor.* Hilar. Costum, *elog. fæm.* Ossatum *epist. ad Joh. Barrerium, &c.*

Fullinium, seu *Fulginium*, urbs parva Umbriæ, sed culta & Episc. in valle, ad rad. Apennini, in Duc. Spoletano. 20. m. à Perusia in

in Ortum, 10. ab Assisio, sub Pontif. Tinna fluv. divisa. Incolæ quibus acerrimus vindictæ sensus, antiquitatem non sine ratione crepant, cùm Strabo, Plinius & App. Alexandrinus urbis mentionem non semel faciant. Silius Ital. *de eadem sic canit,*

—— Patuloq; jacens sine mœnibus arvo
Fulginia.

Vastata est à Perusinis An. Chr. 1281. à Martino V. proin excommunicatis: reparata dein pristinum decus recepit, nundinis suis ac falgamis hodieque clara, Blondus *hist. l.* 18. Leand. *descr. Ital.* Miræus *Geogr. Eccl. &c.*

Fulquinus, Abbas, sec. 10. Vide Svvert. *in Athen. Belg.*

Fulsinates, pop. Illyrici. Plin. 4. 21.

Fulsinium Catoni, *Falcinium* Appiano, Umbriæ urbs, quam Leander *Fuligno* vocari tradit. Vide *Fullinium.*

Fulvia, uxor P. Clodii, quæ postea M. Antonio nupsit, non muliebres artes, non familiam regere curabat, nec privatum hominem superare contendebat, sed magistratus gerere, & imperantibus imperare, ut ipsi magnas gratias deberet Cleopatra, quòd institutum ab ea Antonium acceperit. Hæc clam nocte profecta, Ciceroni Catilinæ detexit insidias, eumque commonefecit, ut Cethegum, ejusque comites præcaveret. Plut. *in Cic. & Anton.* Maritum contra Cæsarem impulit, stricto ense sæpe militibus locuta est. Vide etiam Dion. & Cassium.

Fulvia Pia, mater Severi Imperatoris. Spartianus *in hujus vita.*

Fulvius, Senator Rom. Octavii Imper. intimus amicus ac familiaris, qui cùm Imperatoris arcanum suæ aperuisset uxori, ac illa cæteris patefecisset matronis, Imperator eum tam acriter reprehendit, & culpavit, ut ipse, & uxor violentas sibi attulerint manus. Plutarch. lege *Fabius.*

Fulvius Andreas, Prænestinus, scripsit icones virorum & fœminarum illustrium, ut & 5. libb. Antiquit. Rom. Onuphrius, *præf. in Comment. Reip. Rom.* Vossius, *de H. L. p.* 680.

Fulvius Asprianus, sub Caro, Diocletiano & Maximiano, Carini vitam sordesque persecutus est. Vopiscus.

Fulvius Aurelius, Legatus Leg. in Mœsia, Consularibus ornamentis ab Othone donatus. Tacit. *hist.* 1. 79.

Fulvius Flaccus Censor, tectum marmoreum Junonis Laciniæ spoliavit, ut ædem, quam dedicaverat Equestri Fortunæ, tegeret. Livius *lib.* 24.

Fulvius Nobilior, Consul Rom. sæpe victor, Ambraciam cepit, Musarum statuas dedicavit. Auctor libri Fastorum, Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 12. & 13. Voss. *de H. L. l.* 1. *c.* 5.

Fulvius Ursinus, Rom. Græcè Latineque doctissimus, veterum scriptorum editione & correctione laudem promeritus, sec. præterito, Thuan. *hist. l.* 123.

Funchala, urbs Episc. sub Arch. Olisippon. caput Maderæ Ins. in parte Or. sub Portugalliæ R. 140. leuc. Hispan. à Sacro prom. in Afr. 90. ab ora Africæ in Occ.

Fundanus lacus, satis imminutus ad 4. mill. extenditur versus Fundos, & in mare Mediterr. se exonerat, prope confin. regni Neap. & persæpe, non minus ac Pomptinæ paludes aquis restagnantibus palustribusque omnino repletur. Ejus mentio apud Tac. *lic.* 3. *hist.* 69. & in antiq. Inscr. in Quirinali reperta, quo Dei Fidii templum erat:

L. CORNELIO.
SULLÆ FELICI
DICTATORI
VICUS LACI FUND.

Fundi, opp. Italiæ prope Cajetam, ad viam Appiam. Strabo *l.* 5. Φοῦνδοι, πόλις ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ κειμένη. Silius *lib.* 8.

Fundiq; & regnata Lamo Cajeta, domusq;
Antiphatæ compressa freto.

Horat. *Serm.* 1. *Sat.* 5.

Fundos Aufidio Lusco Pratore libenter
Linquimus. ——

Inde generosa vina, scriptoribus commendata. Mart. 13. 15.

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis.

Fungeni, pop. Æthiopiæ inf. versus lacum Zaire, sub magno Macoco. Is. Vossio.

Fungia, regnum Nubiæ, aliter *Bugitia* regn. versus Nilum. Vossius.

Furanium, vulgò *S. Estienne de Furens,* burgus amplissimus, in Lugdun. Præfect. in tractu Forensi, ad Furanium amnem, ad radices collis, 2. leuc. à Ligeri, 10. à Lugduno in Afric. Illic maxima carbonis terrestris copia eruitur. *Fanum S. Stephani* etiam dicitur.

Furca, mons Valesiæ, olim *Juberus, Coatius,* ac *Ursellus*; ex eo Rhodanus oritur. Metel.

Furca, & Fossa, Angl. *Pytte & gallovves,* in antiquis privilegiis, significat jurisdictionem puniendi fures, sc. fœminas submersione, viros suspendio. His igitur supplicii insignibus olim cognoscibile erat ejusmodi jurisdictionis territorium: quod & in Scotia hodie observatur, ubi reorum in electione est, utrum mortis genus obire velint. Galli item lethiferam jurisdictionem erectis denuntiant *furcis.* Vide Henric. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Furconium, quasi *Forum Cona* & *Avia* Ptol. *Forcone,* urbs Vestinorum excisa, è cujus & Amiterni ruinis coaluit Aquila urbs, inde 8. m. p. distans.

Furiæ, Noctis, & Acherontis filiæ tres, *Alecto, Tisiphone* & *Megæra.* Quidam *Lyssam,* i. rabiem addunt. Fictum est à poëtis infera loca Furias habitare, sed tormenta sceleste mentis esse veteres voluerunt. Cic. *pro Roscio Amer.* Tres etiam hæ Furiæ significant 3. animi affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, quorum Ira ultionem desiderat, Cupiditas opes, Libido voluptates. Eurip. *in Oreste.* Vide *Diræ* & *Eumenides.*

Furii, sub Romulo, è Medullia Latinorum urbe, quæ tunc se Romanis dedidit, Romam migravit, atque inter minorum gentium Patricias lecta fuit. Nobilissima postea fuit, in multas familias, quarum hæc cognomina, distincta: Medullinus (ab urbe, unde orta, cognominis origo quoque) *Fusus,* Pacilus, Camillus, Purpureo, Crassipes, Philus. Clara admodum & illustris Dictaturis septem: Consulatibus viginti: Tribunatibus militum consulari potestate viginti tribus: Censuris quatuor: Triumfis septem.

Furina, Dea furum, secundùm Etruscos verò dea Sortium ad lites dirimendas. Sacra ejus *Furnalia,* vel *Furinalia.*

Furinæ lucus, ubi C. Gracchus interfectus est. Plut.

Furius Antias, poëta, Macrobio & Aul. Gellio laudatus: Q. Catulo charus, qui ei tractatum de rebus se Consule gestis misit. An auctor Annalium versu scriptorum? Lil. Girald. Furio hos certè Bibaculo adscribit, Voss. *de Hist. & Poët. Lat.*

Furius Bibaculus, Annalium metricè scriptorum auctor. Macrob. *Saturn. l.* 6. *c.* 1. A. Gell. *lib.* 18. *cap.* 10. Nugas sæpe parum honestas sectatus, Horat. non tamen contemnendus, cùm ipse Virgilius eum imitari voluerit. Voss. *de H. L. l.* 1. *c.* 14. *de P. cap.* 1. *Orat. Inst. l.* 4. *c.* 6. *sect.* 10.

Furius Camillus Aruntius Scribonius, Consul cum Cn. Domitio Ænobarbo an. U. C. 784.

Furius Scribonianus, sub Claudio in exilium actus, Fausto Sullâ, Salvio Othone Coss. quasi finem Principis per Chaldæos scrutatus esset. Adnexa est crimini Junia mater ejus, ut casûs prioris (nam relegata erat) impatiens. Paulò pòst morte fortuitâ extinctus est. Tacit. 12. 52.

Furna, urbec. culta & munita Flandriæ, vix 1. leuc. ab ora litt. maris Germ. amplam habens jurisdict. sub Gallis. Inter ipsam & Dunkercam, à qua 3. leuc. in Ortum abest, victi sunt Hispani à Gallis, an. 1658.

Furnius, à Domitio Afro postulatus adulterii, cum Claudiâ Pulcrâ & veneficiorum in Tiberium: quâ de causâ etiam damnatus est. Tacit. *lib.* 4.

Furnius, Horatii amicus. Serm. 1. *Sat. ult.*

—— Simul his te candide Furni.

Furnius, Consul cum Domitiano Aug. an. U. C. 873.

Furnus Episcopi, *le Four l'Evesque,* domus Parisiis, in vico S. Germani Antissiodorensis, ad Sequanam; ab eo dicta, quòd homines Episcopi ibi coquerent, quibus pecunia proin dari jubebatur: quales *Furnos Bannarios* appellabant. Talis erat alter *Furnus* Episcopi, in vico Arboris Siccæ, *rue de l'arbre sec*: Item *Furnus* S. Eligii, in vico de Aquila &c. Nunc furno diruto, domus modò carcerem, modo & Auditorium habet, in quo Judex vel Ballivus, nomine Archiepiscopi Parisiensis, jus reddit. Obiter proin Carolum Molinæum JC. aliosque, *Forum* pro *Furno* reponentes, corrigit Hadr. Valesius *præfat. in Notit. Gall.*

Furoni, recent. *Forum Comitis,* vulgò *Foron,* amplum Germaniæ inf. municipium, à Trajecto & Aquisgrano parum distans. Hic inter Ludovicum filium Caroli Imp. & Ludovicum filium Ludovici R. An. Chr. 879. conventum est. Supersunt in proximo colle *Op de Sale,* veteris Palatii reliquiæ, fossæ, aggeres & rudera fundamentorum, Idem.

Furor, ab antiquis fictus fuit vinctus catenis, qualem his verbis P. Maro *lib.* 1. *Æneid.* Jovem inducit loquentem,

—— Diræ ferro compagibus arctis
Claudentur Belli portæ, Furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Interdum fingebatur solutis vinculis & catenis, qualis describitur à Petronio Arbitro *in Satyrico,* ubi ita canit,

Quos inter Furor abruptis ceu liber habenis
Sanguineum latè tollit caput, oraq; mille
Vulneribus confossa, cruentâ casside velat.

Furstemberga, opp. Duc. Waldeccensis.

Furstius Waltherus, Uriâ Helvetius, vetus fidusque Werneri Stouffacheri Suitii amicus, huic ad excutiendum intolerabile Austriacorum præfectorum jugum, & patriam in libertatem asserendam, graviter se hortanti aures præbet: amboque re diu secum deliberatâ, & Arnoldo Melchthalio, ex Subsylvania in societatem consilii adhibito, juramento se invicem mutuò obstringunt, ad tantæ molis opus strenuè aggrediendum. Locus ad Uriensem lacum delectus est, vulgò *im Grütli* nominatus, ubi convenirent tres hi fœderis Principes, & Helveticæ Libertatis Triumviri, singulique tribus quatuorve sociis ascitis, communi consilio de rebus agendis statuerent: Factum

ctum id, neque plebs solùm, sed & Nobilitatis pars magna mox iis accessit. Sic Kal. Jan. A.C. 1308. in tribus Pagis arces eversæ, & via ad libertatem aperta patuit. Postridie tres memorati Pagi, legatis missis publicum fœdus in decennium inierunt, donec perpetuum factum est: Ratum esse jubeat omen Deus!

Waltherus, Princeps *patrio qui nomine dicor,*
Æterni princeps fœderis ecce fui.

Fuscianus, Consul cum Syllano, an. U.C. 940.

Fuscus, Adriani Imp. ex sorore nepos, cum patre Severiano, occidendus, imprecatus est Adriano, ut *cùm mori cupiat non possit*. Ælius Spartianus *in Adriano*.

Fuscus, Consul cum Dextro, an. U.C. 977.

Fusidius, Orator. Cic. *in Bruto*.

Fusina, vicus Lombardiæ Transpad.

Fusius, Orator. Cic. *lib. 2. de Oratore*.

Fusius Calenus, vide *Calenus*.

Fusius Cotta, prænomine *Cajus*, honestus Eques Rom. qui in Gallia rei frumentariæ præerat, à Carnutibus interfectus, Cæs. *l. 7. cap. 3.* Veteres Codd. *Citam* habent, quod Aureliæ familiæ nomen.

Fusniacum, hodie *Foigny*, vicus in silva Teoracia Laudunensique diœcesi, aquis & pascuis, sed multo magis vet. Monasterio illustris, ad amnem; paulò pòst Isaram aucturum. Hunc Claravallensibus Monachis dedit Bartholomæus Episcop. Laudunensis. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Fustis, pro festuca seu baculo traditorio: tradebantur enim prædia apud vett. per virgam, seu ut Bractonus loquitur, apud Spelmannum, *per fustim & baculum*. Vide in vocibus *Fistuca* & *Traditio*. Defendere se *fuste & scuto*, id est, duello, Longob. *l. 1. Tit. 25. l. 76. & l. 2. Tit. 55. l. 29.* apud eundem.

Fustius Johannes, civis Moguntinus, excudit *Officiale Durandi*, in fol. per Petrum de Gernsheim, an. Chr. 1459.

Fut, Phthut, Ptolem. Mauritaniæ fluv. non longè ab Atlante monte. Plin. 5. 1.

Fuxium, mel. *Fuxum*, urbs Occitan. aliàs munita ad *Lauriegue*, amnem, ad rad. Pyrenæorum. Hinc Comitat. Fuxiensis, in quo etiam Apamæa, Tarasco & Mirapincum, & domus celebris. Urbs ipsa 6. leuc. à confin. Galliæ est & montibus Pyr. in Bor. 3. ab Apamæa, 11. à Tholosa in Austr.

F Y.

Fyternus, Frentanorum fluvius apud Ptolemæum. *Tyfernus* aliis dicitur.



G GA

G Muta hæc à Latinis, in præterito, in *C.* nonnunquam in *S.* vel *X.* convertitur. *N.* sæpe pro *Gn* posuere prisci, cujus in lingua Hisp. indicia supersunt: Galli *V.* sæpe in *G.* mutant, ut *Gasco* pro Vasco, *Galles* in Anglia pro Wallia, *Gap* pro Vapincum, &c. Varro. *analog. lib.* 1. Scaurus *de Orthogr.* Voss. *in Aristarcho.*

G A

Gaal, filius Ebed. Jud. 9. Lat. *abjectio*, sive *abominatio.*

Gaana, Cavæ Syriæ urbs. Ptol. *Sinna* Straboni, ut Simlero placet.

Gaas, mons juxta Thamnathsare, in cujus septentrionali parte sepultus est Josue. Jos. 24. Lat. *tempestas*, vel *commotio.* Videtur pars tribus Ephraim, in tractu cognom. in Palæstina, cum torrente *Gaas*, Baudr.

Gaba, civitas, quæ & *Gabaa* videtur. Is. 10. Lat. *collis*, vel *calix.* In tribu Zabulon, penes Carmelum, prope fines Ptolemaidis. *Gabala* fortè Ptol. *Gamala* & *Gaba* Josephi, Sanson.

Gabaa, civitas tribûs Judæ. Jos. 15. 1. Reg. 11. quam ædificavit Asa rex Judæ. 3. Reg. 15. Eadem quæ *Gaba.* Nunc viculus, contra Or. plagam Daromæ. Hier.

Gabaa, civ. Levitarum, postea Saulis regia, in tribu Benjamin.

Gabaatha, villa in tribu Juda, in duodecimo milliari Eleutheropoleos, ubi etiamdum ætate Hieronymi sepulchrum Abacuc ostendebatur. Hieron. *in loc. hebr.*

Gabael, Gabriæ frater. Tobit. 1. 14.

Gabala, Syriæ Cavæ op. Ptol. *Gibel* Volaterrano, *Margad* Nigro dicitur. Item Phœniciæ, & Arabiæ urbs. Steph. Scribitur & *Gabal.* Item Mediterr. urbs Galilææ, in tribu Aser, quam Herodes Ascal. instauravit. Jos. 13. *Antiq.* 21. & 15. 10.

Gabalæca, Vardulorum in Hisp. urbs. Ptol.

Gabale, Mediæ urbs. Ptol.

Gabales, Gall. Aquitanicæ pop. Plin. 4. 19. Nunc in Occit. Velaunis & Arvernis finitimi, quorum regio *Givaudan*, teste Poldo. Sidon. Apollin. *Carm.* 24.

Tum terram Gabalûm satis nivosam.

Cæsari *Gabali* dicuntur. Intra montes Cemenios, inter Velaunos & Helvios ad Or. Ruthenos ad Occ. Arvernos ad Bor. Baudr. His Cæsar *lib.* 7. Nitiobriges, ut confines, jungit: & illos cum Cadurcis ac Vellavis, sub Arvernorum imperio esse consuevisse scribit: Unde hodieque Memmate, caput Gabalorum, *Mende en Auverne* dicitur. Argenti metalla Gabales apud se habere scribit. Gallis *les Gevaudans* appellitantur, quos cum Lemovicibus aliisque confinibus ac montanis Aquitaniæ populis, incolis Cebennarum, quotannis stato tempore Hispaniam petentes, ut ad vilia ibi ministeria artesque sordidas mercede conducantur, Hispani communiter *Gavachos* dicunt, etiam ad pusilli homines animi, væcordes ac malè vestitos appellatione translatâ. Eorum op. olim Anderitum, dein nomine gentis *Gabalum*, inter urbes egregias Aimoino: recentioribus Geographis hodie oppidulum *Javouls* videtur, 4. leucis à Mimate distans, de cujus situ ita Sidonius:

Tum terram Gabalûm satis nivosam,
Et quantum indigenæ volunt videri,
Sublimem in puteo videbis urbem.

Nunc ibi prim. urbs *Mimate*, vulgò *Mende*, ad Lotium amn. 8. leuc. à Fano S. Flori in Austr. adsita imo monti cognom. portioni Cebennarum. Huc ex urbe Gabalis Episcopatus translatus est, non multò ante A. C. 1000. quinto loco inter Bituricensi Metropoli subjectos. Non procul castrum Gredo *Greze* est, quò Gabalorum urbis incolæ, irruentibus in Gallias Alamannis, ductu Croci R. sub Valeriano Galienoque Impp. sese receperant, amisso tamen S. Privato Episc. quem Barbari fustibus occiderunt.

Diœcesi Memmatensi loca comprehensa.

Castellum Novum Randonense *Chasteau neuf de Randon.*	Gredonense castrum *Grese.*
	Lucus.
	Memmate *Mende.*
Fabia *la Fage.*	Salvia vel Salices *Sauges.*
Gabali *Javols.*	Thermæ, aliàs Termini, *Termes.*

Montes insignes agri Gabalici sunt Lesura *Losere*, portio Cebennarum, fluvii Tarmis fonte nobilis, & Margarida, itidem Cebennarum tradux, ubi Triobris flu. scaturit, vulgò *la Mariaride*, aliàs *Margerite.* Hadr. Val. *Not. Gall.*

Gabalicus, quibusdam est oppidul. *Bagnols*, ad amnem *Ceze*, 1. leuc. à Rhodano, 2. à Ponte Spir. S. in Austr. 8. à Nemauso in Boream. Aliis est provincia *Givaudan*, in Occitania, ubi Gabali populi.

Gabalus, Rom. Imp. qui se Solem dici voluit, quare *Heliogabalus* dictus est. Item, urbs Mimatum, V. in *Gabales.*

Gabaon, Metropolis Hevæorum, ab Hierosolymis 50. stadiis distans. Jos. 18. In colle, ampla, una ex civit. regalibus. Habuit antea sub se Caphiram, Berothet, & Cariathiarim Civ. Pòst attributa est Levitis. In secunda parte tribus Benjamin. Nunc (ut ait Hieronymus) ostenditur villa eodem nomine in quarto milliari à Bethele contra occidentalem plagam, juxta Rama, ubi Salomon, oblatis victimis, divinum meruit oraculum. Lat. *collis*, vel *calix*, aut *dorsum*, vel *elevatio iniquitatis.* Pop. *Gabaonitæ*, de quibus V. Jos. *c.* 9. & 10. 2. Reg. 21. Torniel.

Gabaopolis, opp. Galilææ. Steph. Joseph. *Antiq. lib.* 6.

Gabara, civ. in tribu Zabulon, in campo, 40. stadiis à Jotapa. Jos. *in Vita sua.* Item villa, tribus Zab. in finibus Diocæsareæ, juxta grandem campum Legionis. Hier. *in L. H.*

Gabaragana & *Gadare*, oppida juxta Giscalam, quorum populi Gabaraganæi & Gadareni dicti, suntque in tribu Aser.

Gabarus, vulgò *le Gave*, fluv. in Princ. Benearniæ. Duplex est, Gabarus Palensis, *le Gave de Pau*, oritur ex monte Pyren. in Comit. Bigerrensi; dein per Benearnum labens, Palum Ortesiumque rigat, inque Aturum se exonerat, 4. leuc. supra Bajonam. Gabarus autem Oleronensis, etiam ex Pyr. ortus, Oloronem & Navarresium rigat: dein in priorem cadit & cum ipso in Aturum.

Gabas, Vid. *Gabaza.*

Gabatha, oppidum juxta Bethlehem in Juda: est & viculus contra orientalem plagam Daromæ. Hier. *in locis Hebr.*

Gabathon, civitas Levit. in tribu Dan. Jos. 21. quæ & *Gebbethon.*

Gabaza, Asiatica reg. circa Sogdianos, Curt. 8. 20. An *Gabat*, Sogdianorum munitum opp. medium inter Massagetas & Sogdianos, Arrian. *l.* 4. *Alexand.* An *Gabaza* Curtii?

Gabba, urbs Syriæ, gentile *Gabbenus.* Steph.

Gabbatha, Græcè dicitur λιθόστρωτος, i. e. *lapidibus stratus.* Erat autem locus editior, vel Stratum lapideum eminens Hierosolymis, judicio accommodatum. Joan. 19. 13.

Gabe, seu *Gabala*, urbs Syriæ, in ora litt. maris Syriaci, prope montem Anticassium, 40. mill. ab Antiochia in Afric. 40 ab Antarado in Boream, Baudrand. In tribu Manasse, Hier. *in L. H.*

Gabee, civitas in tribu Benjamin. Jos. 18. quæ & *Gabae.*

Gabella, vectigal, portorium, tributum, census. Gallis peculiariter id vectigalis denotat, quod è sale redit. Hoc à Philippo Longo 2. denar. Turon. in quamlibet libram, institutum, circa A. C. 1316. à Philippo Valesio in duplum, à Carolo VII. in triplum, quod ipsum etiam à Ludovico XI. in duplum auctum, deinceps ad arbitrium Principum variè fluctuans, gravissimè tandem excrevit. Henr. Spelm. *Glossar. Archæol.*

Gabellus, Lombardiæ Cispadanæ flu. Plin. Vulgò *Secchia.* Oritur ex Apennino, dein Saxuolum rigat, & inter Mutinam ad Or. & Rubieram ad Occ. labens, aliquot leuc. infra in Padum se exonerat, prope cœnobium S. Bened. in dit. Mantuana.

Gabene, vel *Gabiene*, Diod. *lib.* 19. Persiæ reg. tractus. Gabenos habet Plut. circa Pasitigrim, in *Eum.* Gabiena urbs est apud Polyæn. *l.* 4. in Antigono.

Gaber, filius Uri. 3. Reg. 4. Lat. *vir*, seu *fortis.* Item, urbs vicina Mageddo in tribu Manasse.

Gaberius, eques Romanus proventu caprarum ditari volens, grave damnum sensit. Varro *de R. R.* 2. 3.

Gabiana & *Massabitica*, Elymæorum provinciæ circa Susianam reg.

Gabieni, pop. quorum opp. *Gabiano*, in colle, 3. mill. infra Verrucam in Ortum, Tridinum versus, à quo distat 7. mill. In confin. Pedemontii.

Gabienus, fortissimus Aug. Cæsaris classiarius, à Sext. Pompejo captus, cujus jussu incisâ cervice jacuit in litore toto die, deinde cùm advesperasset, petiit ut Pompejus ad se veniret, aut aliquem ex charis mitteret, se enim ab inferis remissum habere quod nunciaret. Misit plures Pompejus ex amicis, quibus Gabienus dixit, *Diis Inferis placere Pompeii causas, & partes pias*; proinde eventum futurum quem optaret, hoc se nunciare jussum, argumentum fore veritatis, quòd peractis mandatis, protinus expiraturus esset, idque ita evenit. Plin. 7. 1.

Gabii, Volscorum urbs, 70. m. p. ab urbe distans, à Galacto, & Bio fratribus Siculis condita. Solinus *cap.* 8. Fraude autem Sexti Tarqu. Superbi filii in Romanorum ditionem redacta. Livius *lib.* 1. Florus, Virgil. *lib.* 6. Urbis hujus originem refert ad Reges Albanorum, quibus enumeratis, sic subdit:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemq; Fidenam,
Hi Collatinas imponent mœnibus arces.

Sub Augusti Imperio desertam fuisse plurimâ sui parte testantur authores. Hor. *lib.* 1. *Ep.* 11.

Scis Lebedus quàm sit Gabiis desertior, atq;
Fidenis vicus.

Prop. *lib.* 4. *Eleg.* 1.

Quippe suburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ,
Et qui nunc nulli, maxima turba Gabii.

Dionysius Halic. *lib.* 4. *in historiâ Tarquinii*, Νῦν μὲν ὄυκ ἔτι συνοικυμένη πᾶσα, πλὴν ὅσα μέρη πανδοχεύεται κατὰ τὴν ὁδόν. Τότε δὴ πολυάνθρωπ☉, καὶ εἴ τις ἄλλη μεγάλη. Causam Lucanus bellis Civilibus attribuit, *lib.* 7.

—— *Gabios, Veiosq; Coramq;*
Pulvere vix tecta poterunt monstrare ruinæ.

Baudr. Urbs Latii, 12. mill. à Roma in Ort. in via Prænestina, ubi nunc locus *Campo Gabio*, cum aliquot ruinis, inter Columnam & montem Portium, castra Camp. Holstenio Gabii sunt prope diversorium paludis, circa Osam fluv. in iis collibus, ubi Castelli S. Juliani rudera, ad sinistram viæ Prænestinæ, Româ euntibus Præneste m.

Gabim, nomen civitatis, Is. 10.

Gabina, Juno à Gabinis religiosissimè culta. Virg. *Æn.* 7.

—— *Quiq; arva Gabinæ*
Junonis, gelidumq; Anienem & roscida rivis
Hernica saxa colunt. —— ——

Gabinium, Urbs Polon. inf. inter Vladislaviam & Vvarsoviam, ad amn. Bsuram, in Ravæ Palatinatu, 3. leuc. Pol. à Plosco.

A. Gabinius, Romanus vir Consularis, qui cùm Syriæ præesset, Hyrcano Pontificatum reddidit, & rebus Judææ compositis, Aristobulo se opposuit, eumque captum Romam misit. Ptolemæum Auletem Ægypti regem in regnum reduxit, quo nomine damnatus est. Vicit quoque Alexandrum, Judææ regnum invadentem, hac Marco Crasso, cum Syria relictâ. Joseph. *Antiq. l.* 13. *c.* 10.

Gabinius, nepos Diocletiani, presbyter conjugatus, cum Cajo Dalmata, Episc. Rom. fratre & filia Susanna martyrio affectus est. A. C. 283. Balæus *in vita Caji.* Lætus *Comp. Histor.* Morerius, &c.

Gabinius, historicus Romanus, citatur à Strabone *lib.* 17. In hæc verba, *Sed nec Gabinius Romanarum rerum scriptor in describenda Mauritania, fabulis prodigiosis abstinet.* Scribit enim, apud Lingen Antæi sepulturam esse, & compagem ossium cadaveris absumpti cubitorum sexaginta, namque à Sertorio detectam, & iterum humatam. Addit etiam de Elephantis fabulosa quædam, &c.

Gabinus cinctus. Virgil.

Ipse Quirinali trabeâ cinctuq; Gabino
Insignes, referat stridentia limina consul.

Ubi Servius, *Gabinus cinctus est togâ sic in tergum rejectâ, ut una ejus lacinia à tergo revocata hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere utebatur Consul bella indicturus, ideo quia cùm Gabii Campaniæ civitas sacris operaretur, bellum subito venit, tum cives accincti togis suis ab agris ad bella profecti sunt, & adepti victoriam.* Lucan. *lib.* 1.

Turba minor sequitur ritu succincta Gabino.

Liv. *lib.* 8. De Consule Decio, qui se devovebat, *Ipse incinctus cinctu Gabino armatus in equum insiluit.* Denique interpres Persii ita scribit, *Habitu Gabino Dii penates formabantur involuti togâ supra humerum sinistrum & sub dextro.*

Gabinus Presbyter, civis Rom. jussu Diocletiani Imp. in carcerem conjectus est, ibique extinctus. Volater. V. *Gabinius.*

Gabius Bassus, sub Trajano, auctor, sæpe laudatus, Plin. *epist.* Macrob. *Saturn. lib.* 1. *cap.* 9. & *lib.* 3. *cap.* 6. cui Gavius Bassus dicitur. A. Gell. *lib.* 2. *cap.* 4. *lib.* 3. *cap.* 19. *lib.* 5. *cap.* 7. &c. Voss. *de H. L lib.* 1. *c.* 22.

Gabiusa, quæ & *Gabina*, & *Metrodii* porta, urbis Romæ, nunc clausa, erat inter Portam Viminalem & Portam inter aggeres. Item aqua, apud portam hanc, nunc *Marana* Baccio *l. de thermis.*

Gabolus, Vid. *Licinius.*

Gabrantonicorum portus, vulgò *Suerby*, teste Camdeno, op. Albionis in orâ Angliæ orientali apud Ocellum promuntorium, in ostia Abi, & Vedræ flum. Ptol. sed in codice Græco *Gabrantuicorum* legitur.

Gabreta, Ptol. pars Sylvæ Bohemicæ ad occ. inter ipsam Bohemiam & Nortgoiam divortia faciens.

Gabri, Sarmatiæ Asiaticæ gens. Plin.

Gabriel, nomen Angeli, Luc. 1. id est, *vir Deus*, vel *Dei.* Apparuit Danieli, cap. 8. & 9. Zachariæ, quem de filio nasciturо certiorem reddidit, & B. Virgini, ipsi annuntians Incarnationis mysterium. Luc. *c.* 1. *v.* 19. & 26. Gregor. *hom.* 4. *in Evang.*

Gabriel, Brixiensis Cardinalis Presbyter, qui mirari solebat se annos 30. nulli mortalium succensuisse.

Gabriel Albaspinæus, Episc. Aurelian. præter alia, Optatum Milevitanum notis illustravit. Obiit an. 1630. Morerius.

Gabriel Altilius, præceptor Ferdinandi Jun. Regis Neapol. clarissimus sui ævi Poëta. P. Jov. *in elog. c.* 125.

Gabriel Barbeta, Jacobinus, varia edidit, an. 1471.

Gabriel Bathorius, Princeps Transylvaniæ, an. 1608. à subditis, cùm Bethlehem Gabor eum aggrederetur, an. 1613. desertus.

Gabriel Biel, Spirensis, Theologiam Tubingæ docuit, an. 1477. Commentatus est in Magistrum Sententiarum, item *de monetis*, &c. Obiit an. 1495. Quenstedius, *de Patr. Ill. Vir.*

Gabriel Chapusius, Turon. nepos Claudii, Bibliothecarii Franc. I. plurima scripsit. Verdier. *Bibl. p.* 430.

Gabriel Fallopius, Mutinensis, insignis Medicus, docuit Patavii, ubi obiit, Anno 1562. Opera ejus libb. 3. prostant. Thuan. *hist. lib.* 32.

Gabriel Flamma, vitas SS. scripsit, án. 1580.

Gabriel Mudæus, JC. celebris, Lovanii floruit, an. 1555. Forster. *hist. Jur. Civil. l.* 3. *c.* 41.

Gabriel Paleotus, Bononiensis, Cardinalis, plurima edidit, Spond. *A. C.* 1597. *n.* 16. Petramellarius *de Cardin.* Victorel. *addit. ad Ciaccon.* Ricciolus.

Gabriel Prateolus, Doctor Paris. historiam Eccl. scripsit, libb. 2. à N. C. usque ad an. 1580. Item, de auctoritate Conciliorum, de Sectis & Hæresibus. Morer.

Gabriel Saconaus, contra Calvinum scripsit, sec. præterito, Verdier. *Bibl. Gall. p.* 457.

Gabriel Simeonis, Florentinus scripsit de origine & Successione Ferrariæ D. de Symbolis, &c. Idem.

Gabrielis Borbonia, fil. Ludovici Montpensierii, nupsit Ludovico Tremollio, mortuo an. 1525. ex illo mater Caroli Talmontii, in prælio Marinianæo occisi, an. 1515. Ingenio inclyta, scripsit de Educatione puellarum, Templum Spir. S. Item pœnitentis, Contemplationes animæ devotæ super mysterium Incarnat. & Passionis D. N. Joh. Bouchetus, Vossius, &c.

Gabrielis Estræa, pellex Henrici IV. Gall. Reg. historiis celebrata.

Gabris, Mediæ duo diversa oppida. Ptol.

Gabro, locus Galliæ in Cenomanis, inter Meduanam & Sartam fluv. sed Meduanæ propior, vulgò *Jauron* In ejus agro Constantinus Arvernus cellulam sibi condidit, quæ nunc Prioratus est. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Gabrosentum, Camdeno *Gateshead*, opp. Angl. in agro Dunelmensi.

Gabrumagum, seu *Gabromagus*, opp. Norici, nunc vicus *Heylige Kreuz*, Cluver. circa caput fluv. *Krems*, in Austria infer. versus montes.

Gaces, vel *Gasto Vinius*, nobilis, qui sub *Philippo Valesio* floruit. Fabulosæ de Avibus historiæ auctor.

Gaces Brulesius, multum valuit, apud Theobaldum, Navarr. R. Eques & Poëta non vulgaris. Verder. *Bibl. Gall.*

Gad, septimus Jacobi ex Lea filius, Gen. 10. ex Zelpha ancilla Leæ uxoris suæ, A. M. 2287. sic familiam suam auxit, ut de tribu ejus juxta montem Sinai recensiti & inventi sint viri ad pugnam apti 45. millia & 650. quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filii 40. millia & 500. ultra Jordanem pro possessione acceperunt mediam uberemque terram regni Amorrhæorum, concedente Moyse. Hi tandem, cùm, relicto Deo patrum suorum, cum idolis fornicarentur, suscitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, & spiritum Theglathphalasar regis Assur, & abstulit & Gad & Ruben, & dimidiam tribum Manasse & abduxit eos in Assyriam. Tribus Gad nullam partem lacus Genezareth videtur possedisse: influit enim in Jordanem infra lacum Jaboc torrens, authore Josepho, qui limes est tribus Gad à Septentrione; ita tamen ut proxima sit lacui illa influxio, Weiss. In tribu hac Esavus dicitur Jacobo reconciliatus, asina Bileami locuta, Absolon in fuga de quercu suspensus. Torniel. A. M. 2287. *n.* 2. 2591. *n.* 4. Hodie non nisi ab Æthiopibus quibusdam hæc terra habitatur. Vid. infra.

Gad, Palæstinæ urbs, ut habet Benjamin, quam suo tempore *Niphas* dici scribit. Item tribus, una ex 12. Habebat hæc Tribus, ad Bor. dimidiam part. Tribus Manasse, ad Austrum Tribum Ruben. Nomen etiam Prophetæ. 1. Reg. 22. Hic Davidi, numerati populi crimen, Dei nomine, exprobravit, & scripsisse creditur Regis hujus gesta. 1. Paral. 21. & 29. A verbo גדד *gadad*, *turmatim convenire. Gad* primum ante alia Numina apud Syros culta, memoratur Gen. 30. com. 11. *Peperit itaq; Zilpah ancilla Leæ ipsi Jacobo filium, & ait Leah* בגד *Bagad*, *& vocavit nomen ejus Gad.* Ebræorum aliqui *Fortunam bonam* hîc intelligunt, Leamque loquutam, quasi partui bene esset ominata; unde vulgata editio, quæ D. Hieronymi dicta, *Feliciter* pro *Bagad* habet. Rabbini siquidem resolvunt בגד in בא גד id est, *venit Gad*, quod interpretantur per בא מזל טוב *Ba Mazal tob*, id est, *venit Fortuna Bona*, sive *sidus bonum, bonus Dæmon.* Et Mazorethis est hæc una ex quindecim dictionibus, quæ scribuntur ut una,

lina, & leguntur ut duæ. Certè גאד Arabibus *bonus*, seu *beneficus* est, adeoque *Jovis stellam* denotat. Ut Ebræi autem, ita Chaldæi locum illum Geneſos, de verbis Leæ interpretantur. Onkelos enim habet אתא גד *Atha Gad*, id est, *venit Fortuna*, seu *Gad*. Arabs quoque editionis Erpenianæ idem habet. Sed Paraphrastes ille Pentateuchi, qui sub Jonathanis Ben-Uzielis nomine circumfertur, אתא מזלא טבא *atha Mazala taba*, i.e. *venit Mazala* sive *Fortuna Bona*. Atq; Targum Hierosolymit. גדא אתא טבא id est, *venit Geda*, seu *Gad felix*, sive *bonus*. Verùm heic septuaginta καὶ εἶπε Λεία, ἐν τύχῃ, vertunt, quasi *Beth* servilis esset loco præpositionis. Atque ita habet exemplar vetustissimum Geneseos in Bibliotheca Cottoniana: Sed & in Græcorum versionibus nonnullis legebatur τετύχηκα, uti videri est apud B. Chrysostomum *in Gen. sermone* 56. Id interpretatur ille per ἐπέτυχον τοῦ σκοποῦ. Inde etiam Latinis olim, *Beata facta*, vel *Felix sum* ibi substitutum, uti advertit ibidem D. Augustinus. Vide Seld. *de Diis Syris Synt.* 1. *c.* 1.

Gadalaiphus, aliàs *Dagalaiphus*, Cos. cum Gratiano Anno U. C. 1119.

Gadamarta, Mediæ pars, apud Polyæn. *l.* 4. *in Antig. Com.* 11. Forsan, *Gamarga* Diod.

Gadanus, vir austerus, qui apud Jordanem magnâ consenuit abstinentiâ, sub Dio degens.

Gadara, quæ & Gadaris, urbs in tribu Manasse, trans Jordanem est, contra Tiberiadem & Scythopolim ad Orientalem plagam, in dimidia tribu Manasse, non procul à tribu Gad dissita. Sita autem est in monte, quem, ut scribit Plinius, Hieromiace vel Hieronis & Hippodion fluvius præterfluit, ad cujus etiam radices, teste Hieronymo, aquæ calidæ erumpunt balneis desuper ædificatis.

Gadara, urbs Palæstinæ in Cœle Syriâ. Steph. Nunc *Gaddi*, apud Gadaram amnem, ubi in lac. Genesareth se exonerat Paul. de Via.

Gadareus Sophista, qui prius more mendicorum peregrinabatur, tandem verò, Maximiniani beneficio, consulatum adeptus est.

Gadda, olim civitas in tribu Juda, ætate autem Hieronymi villa in extremis finibus Daromæ, contra Orientem imminens mari mortuo.

Gaddel, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Gadder, civitas in tribu Judæ. Jos. 22. quæ & *Gedera* dicitur, & à Stephano *Antiochia*. Habuit regem priusquam terram promissam Israëlitæ ingrederentur, quem Josue interfecit, ut author est Hieronymus. Fuit hæc patria Balanami, qui in diebus regis Davidis præpositus erat super oliveta & ficeta, quæ erant in campestribus.

Gaddera, in tribu Juda, nunc appellatur villa ad regionem civitatis Æliensis, nomine *Gadora* circa Terebinthum. Hieronym. *in loc. Hebr.*

Gaddi, filius Susi, princeps tribûs Joseph. Num. 13. Et nomen loci. 1. Par. 12. In tribu Gad. Item Montis, Eccles. 24. pro quo ibi *Cades*.

Gaddir, Vid. *Gades*.

Gaddis, fil. Mattathiæ. 1. Macchab. 2.

Gadelonitis, regiunc. occid. Cappadociæ juxta Halys flu. ostia.

Gademessa, reg. Afr. cum deserto cognom. in tractu Biledulgerid, inter Fezzenum desertum ad Ort. & Guargalam ad Occas. Habet & opp. *Gademes*, ad fontes Capsi flu.

Gaderes, civitas Syriæ, non longè ab Ascalone, ex quâ Theo Rhetoricæ præceptor, qui Strabonis ætate floruit. Al. *Gadetes*.

Gaderoth, urbs in tribu Judâ. 2. Par. 28. Lat. *muri*, *maceria*, aut *sepes*.

Gades, *Gadira* Græcis. Insula parva Hisp. Bæticæ, proxima continenti contra Cæsarianam, & portum Mnesthei, cum urbe episc. sub Archiepisc. Hispalensi, inde 19. leuc. à Tyriis condita, col. Rom. inter ostia Bætis, & Calpen. Inde *Gaditanus*, ut *mare Gaditanum*, & *Gaditana puella*, quæ agilitatis, lasciviæque nomine olim in pretio fuerunt. Mart. 6. 71.

Et Gaditanis ludere docta modis.

Juvenalis,

—— Ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro.

Græcis, uti dixi, *Gadira*. Suidas, Γάδειρα, τόπος κατὰ τὴν Ἑσπερίαν μεγίστη ἀποπλάνησις τῆς θαλάσσης, καὶ οἷον ἐκβολὴ ἀπὸ τῆς πρὸς ἡμᾶς εἰς τὴν Ἀτλαντίδα θάλασσαν καὶ τὸν Ὠκεανὸν ἣν διαπλεῦσαι οὐκ ἔστιν βραχώδη καὶ τεναγώδη τυγχάνουσαν. Deinde rationem nominis profert, Γάδειρα παρὰ τὴν γῆν, καὶ τὴν δειρὴν ὅ ἐστι τράχηλος. Solinus verò aliud etymon longè verisimilius reddit, *cap.* 6. *In capite Bæticæ, ubi extremus est noti orbis terminus, insula à continenti septingentis passibus separatur, quam Tyrii à Rubro mari profecti Erythræam, Pœni linguâ suâ Gadir, id est, sepem, nominarunt.* Unde Hesychio Γάδειρα τὰ περιφράγματα, & Rufus Avienus *in Descriptione Orbis*,

Pœnus quippe locum Gadir vocat undiq; septum.

Hebræis certè גדר *gadar* est *sepire*, unde גדר *geder*, *maceria*, *sepimentum*. Hic Geryonem victum bobusque privatum ab Hercule, fabula habet. V. Strab. Plin. Melam, Cluv. Est hæc Ins. in Oceano, in ora Andalusiæ, ab Or. in Occ. extensa, per 3. aut 4. leuc. Cum Urbe cognom. parva, sed munita, in parte Occ. Ins. direpta ab Anglis, sub Elizabetha Reg. arceque & portu capacissimo, ubi emporium celebre. 19. leuc. Hisp. ab Hispali in Austr. 7. ab ostio Bætis flu. 15. a Calpe in Circ. Insula jungitur Continenti ponte *la Puente de Suaço*. Baudr. Fretum Gibraltar dicitur, Hollandorum, duce Hemskerkio, navali victoriâ celeberrimum, sec. præt. Vid. Hug. Grot. *Annal. Belg.*

Gaditana Jul. Colonia, Gades urbs: Unde *Sinus Gadit*, qui vulgò *Golfo de las Vegas*, Ortel. & *Fretum*, idem cum Herculeo.

Gadiva, Camdeno *Aberfrauu*, opp. Monæ Ins. olim regia, in ora, contra Northvvalliam.

Gador, vel *Gedor*, locus 1. Paral. 4.

Gadullius Gallicanus, citatur Nonio in voce *canalis*.

Gaa, civitas Arabiæ Felicis, & insul. in Syrti majori. Ptol.

Gaon, à Josepho dicitur *Nilus*, rectius scripseris *Gion*.

Gasatæ, pop. ad Rhodanum habitantes, qui unà cum Senonibus Romam ceperunt. Plut. & Strabo. Hos Polybius ait profectos à locis Rhodano vicinis, ad ea quæ sunt circa Padum. Idem eos ait sic esse dictos διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν, Ἡ γὰρ λέξις, inquit, αὕτη τοῦτο σημαίνει κυρίως. V. quoque *Gessatæ*.

Gæsum, fluv. vel potius stagnum Joniæ, inter Prienen & Miletum, juxta Mæandrum flu. inter illum & Trogylium prom. *Gessus* Plinio & Melæ.

Gaetanus, vel *Caetanus Tienus*, Vincentinus, unus ex fundatoribus Ord. Clericorum Reg. Theatinorum, Anno 1524. Urbano VIII. in Beatis, an. 1629. à Clem. X. in Sanctis esse jussus. Maurolic. *in Mart. Ocear. Relig.* Morer.

Gætulia, regio Libyæ interioris, Garamantibus finitima, cujus incolæ *Gætuli*. Lucan. 4.

Autololes Numidæq; vagi, semperq; paratus
Inculto Gætulus equo.

Sil. *libr.* 3.

Vos quoq; desertis in castra mapalibus itis
Misceri gregibus Gætuli assueta ferarum,
Indomitisq; loqui, & sedare leonibus iras:
Nulla domus, plaustris habitant, migrare per arva
Mos, atq; errantes circumvectare penates.

Virgil. *Æn.* 4.

Hinc Gætulæ urbes, genus insuperabile bello.

Sallustius *in bello Jug. Africam initio habuere Gætuli & Libyes, asperi, incultiq;, queis cibus erat caro ferina atq; humi pabulum, uti pecoribus. Hi neq; moribus, neq; lege, aut imperio cujusquam regebantur: vagi, palantes, quas nox coegerat, sedes habebant.* Leonibus abundabat hæc regio, ubi hodie Biledulgerid, Regnum Terga, &c. Virg. *Æn.* 5.

—— Gætuli terga leonis.

Horatius,

Non vides quanto moveas periclo
Pyrrhe Gætulæ catulos leænæ.

In hanc usque regionem arma sua olim extenderunt Romani. Sallustius *de B. I.* Cluver. *Intr. Geogr. l.* 6. Sanson. &c.

Gætulicus, historicus, de quo Vossius *de Hist. Lat.* 1. 25.

Cn. Lentulus Gætulicus, Tiberii & C. Caligulæ temporibus vixit. Pater ejus fuit Cn. Lentulus Cossus Gætulicus, qui cum L. Calpurnio Pisone consulatum gessit an. U. C. 752. Hujus mortem Tacitus refert *libr.* 4. *Annalium.* Ibidem & filii meminit, quem consulatum gessisse ait cum C. Calvisio Sabino anno U. C. 778. Eo anno Tiberius Imp. Româ cum modico comitatu in Campaniam abiit: nec Romam postea reversus fuit, ut præter Tacitum auctor est Sueton. *in Tiberio cap.* 39. & Dio *lib.* 48. Anno autem proximo hic ipse Gætulicus, in Germania superiori, cum proconsulari fuit imperio, quintoq; imperii ejus anno occisus est Romæ Sejanus. Tum accusatus quoque Gætulicus, quòd Sejani filium sibi generum destinasset. Sed animosâ satis epistolâ se defendit, ac tantum effecit, ut delator urbe exigeretur: quâ de re vide Tacitum *lib.* 6. *Annalium.* Dum superioris Germaniæ legiones curat, ut ibidem legere est, *mirum amorem adsecutus est, effusæ clementiæ, modicus severitate, & proximo quoq; exercitui per Luc. Apronium socerum non ingratus.* Sed benevolentia ista militaris eum, post Tiberii obitum, Cajo suspectum reddidit. Nec aliâ de causâ ab eo occisus fuit. Docet hoc nos unus Dio Cassius *lib.* 59. Γαιτουλικὸν Λέντουλον, πάντα ἄλλα εὐδόκιμον ὄντα, καὶ τῆς Γερμανίας δέκα ἔτεσιν ἄρξαντα, ἀπέκτεινεν, ὅτι τοῖς στρατιώταις ᾠκείωτο. Historiam scripsit, cujus meminit Tranquillus *in Caligulâ cap.* 8. *Cn. Lentulus Gætulicus* (Caligulam) *Tiburi genitum scribit.* Poematis etiam claruit. Hinc Martialis *præfat. libr.* 1. *Sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gætulicus.* Meminit & Probus Grammaticus *in Virgilio Georgic.* 1. ubi tres ejus hexametros adfert. Adhæc Sidonius Apollinaris *libr.* 2. *epistolâ* 10. ubi nomen amicæ ejus Cæsenniæ fuisse ait. Et *Carmin.* 9.

Non Gætulicus hic tibi legitur.

Imò & ejus esse epigrammata videntur, quæ *libb.* 3. & 6. *Antholog.*

Antholog. leguntur sub nomine Γετυλλὶς, vel, quod malim, Γετυλλικὴ.

Gaganus, nomen Chunorum Regum, teste Gregorio Turon. *Hist. lib.* 4. *sect.* 29. qui & Chunos è Pannoniis egressos *libr.* 2. *sect.* 6. ex aliorum opinione refert; & videntur ii iidem esse, qui aliàs Uni, & Unini, aliàs Hunni, demum Hungari appellantur. Henr. Spelm. *Glossar. Archaol.* V. *Caganus.*

Gaganus, Rex Avarum; a Justino Imp. tributum poscens, belli minas accepit. V. *Caganus* & *Chaganus.*

Gagasmira, Indiæ intra Gangem urbs.

Gagates, fluv. Siciliæ, in quo lapides ejus nominis primùm reperti.

Gage, Lyciæ oppid. ab amne Gage, ubi & Gagates lapis. Dioscorides.

Gagecome, Leuncl. *Gaivo*, opp. Phrygiæ magnæ.

Gago, regnum Nigritiæ, inter Nigrum fluv. ad Bor. & Guineam ad Austr. urbem prim. habet cognom. sed malè cultam, ubi sedes Regis.

Gaguinus Robertus Callinâ, exiguo pago, in confinio Artesiæ, ad fluv. Lis m, oriundus, Gen. Ordinis Trinitatis. Caroli VIII. & Ludov. XII. Bibliothecarius, Legationibus plurimis functus. Scripsit inter alia, Galliæ historiam, libb. 12. Obiit Anno 1502. Chytræus, *in itin. delic.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 11. Quenstedt. *de patr. ill. Vir.*

Gaham, fil. Nachor ex Rumâ concubinâ. Gen. 22.

Gaher, nomen viri. Esdr. 2.

Gaia, fluviolus Hisp. Tarracon. Liv.

Gaianitæ, hæretici, ex Eutychianis, orti. Juliani Halicarnass. qui Incorruptibilium & Phantasticorum caput fuit, deliria secuti, à Gaiano dein nomen acceperunt: corpus Christi, post unionem personalem, infirmitatibus humanis obnoxium fuisse, inficiati. Baron. A. C. 535.

Gaianus, 21. Ep. Hierosolymitanus, sec. 2. Item, Ep. Alexandriæ, caput Gaianitarum, V. supra. In exilium pulsus. Leontius, Scholast. *de Sectis, Act.* 5.

Gainas, tyrannus. Arianâ labe fœdatus; Gothus, & Dux exercitus, sub Arcadio, proditorem Rufinum occidi curavit, cujus opibus potitus Eutropius maximâ ex parte, apud Imp. valuit plurimum. Quod ægrè ferens Gainas, advocatis ex Asia Barbaris, coëgit Principem & hunc, & Aurelianum, cum Johanne ac Saturnino, fidelissimis suis ministris, sibi ad necem tradere. Templum dein Arianis Constantinopoli exambiens, majora agitare cœpit. Palatium Imper. combusturus, miraculo cohibitus est. Hostis Reip. ab Arcadio declaratus, Thraciam vastavit, Chrysostomi precibus pace concessâ. Postea denuo ad ingenium revolutus, cum copiis suis occisus est. Theodoret. *l.* 5. Socrat. *l.* 6. Zosimus *l.* 5. Sozomen. *libr.* 8. item *libr.* 10. *cap.* 6. & Eusebius *Eccles. Hist.* 5. 32.

Gaitia, mel. *Jaitia*, urbs Bossiniæ inf. ad flu. Plenam, in monte, cum castro permunito, versùs confin. Croatiæ. 7. leuc. à Bagnaluca in Occ. 7. à Vihirza, in Ort. V. *Jaitia.*

Gaius, Sextus Hierosolymorum Episcopus, An. Dom. 155. Item 26. Rom. Episcopus, an. Sal. 215. post Eutychianum. Ei successit Marcellinus. Vid. *Cajus.*

Galaad, fil. Machir, filii Manasse. Num. 26. Item pater Jaræ, patris Hari. 1. Par. 5. Lat. *acervus testimonii* Item regio Galilææ ad orientem ultra Jordanem, ubi dimidia tribus Manassis accepit possessionem, cum Rubenitis, & Gaditis. Num 32. animalibus pascendis aptissima: Cùm priùs propriè montis solùm nomen esset, in quo Jacobus cum Labane fœdus pepigit. Galaaditæ Saulis & filiorum cadavera cum cura sepelierunt. Vid. Genes. 31. Jos. 13. 1. Reg. *c. ult.* 1. Paral. *c.* 10. Torniel. *A. M.* 2296. *n.* 3. & 9. 2979. *n.* 9. &c.

Galaad, urbs in tribu Manasse dimidiæ tribus Manasse, in monte Galaad condita est, à quo etiam, ut Hieron. testatur, nomen suum sortitur.

Galaad, mons montium omnium qui trans Jordanem sunt altissimus: in tribu Manasse: *Hic* 50. circiter milliaria longus, ab Austro juxta civitatem Jaer rupesque Arnon initium sumit, & versus Septentrionem, per duo regna, Amorrhæorum scilicet & Basan, ad Orientem verò per deserta loca, diversis cacuminibus usque ad Libanum montem porrigitur, & in diversis locis diversa sortitur omina: Nam quibusdam in locis vocatur *Seir*, in aliis *Hermon*, in aliis *Libanus*, & alibi *mons Galaad*, qui tamen omnes sunt unus mons continuus. Vbertate reliquis, qui ultra Jordanem visuntur, montibus præstat, atque arborum, aromatum, & graminis admodum ferax est, præsertim verò resinæ: à monte verò & civitas, quæ in eo condita est, & adjacens monti regio vocabulum *Galaad* etiam sortita sunt.

Galabrii, Dardanica gens circa Thraciam. Strabo.

Galactophagi, Scythiæ Asiaticæ pop. à *lacte* denominati. Γλακτοφάγοι Hom. *Il.* 3. quos justissimos appellat, quòd tenui victu contenti ab omni injuriâ se continerent.

Galactopotæ, Nomadum Getarumque populi, quòd frumenti expertes lacte vescantur.

Galacum, opp. Albionis. V. *Calatum.*

Galada, vel *Galadene*, vel *Galaditis*, regio Arabiæ. Steph.

Galadra, urbs Macedonum in Pieriâ. Steph.

Galadrus, mons quidam à *Galadro* Emathii filio dictus. Steph.

Gala, seu *Imbangala*, pop. Æthiopiæ, maj. partem Abassiniæ occuparunt, à 100. propè annis; suntque inter regnum Abassenum & regn. Monemugi extensi. Eis subsunt prov. *Angete, Bali, Bizamo, Cambate, Doaro, Fategar, Ogge, Oifate*, &c. quæ antè erant sub Abassinorum Imp. Is. Vossius. Habent Regem proprium *magnum Galam.* Regni Congi incolis & Lusitanis *Giaguas* dicuntur.

Galal, viri nomen. 1. Par. 9.

Galapha, Mauritaniæ Tingitanæ urbs. Ptol.

Galanthis, Alcmenæ ancilla, quæ cùm domina sua partûs doloribus laborans, à Junone ne pareret impediretur, mirâ astutiâ dicitur deam elusisse: venisse quippe ad eam risu, ac lætitiâ gestientem, & solutam jam partu reginam mentiendo confinxisse: quâ re intellectâ admiratione simul ac dolore concitam Deam solutis manibus surrexisse. Tunc subitò Alcmenam sine ullo cruciatu Herculem enixam: Lucinam verò indignatam, mox Galanthidem in animal sui nominis *galen*, id est, *mustelam* mutasse, hâc addi â pœnâ, ut ore, quo præcipuè peccaverat, pareret. Ovid. *Met.* 9.

Galardo, castrum Galliæ, in Belsiæ Carnutinique agri confinio, vulgò *Gallardon*: ad ripas amniculi, qui in Auturam defluit, inter Carnutas urbem ac Novigentum Regis. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Galarina, urbs Siciliæ à Morgo Siculo condita. Steph. Vide Cluver. *Sicil. Ant. lib.* 2. *cap.* 8.

Galata, filius Valentis Imp. à Dominica uxore Ariana in Orthodoxos, concitati: quo morbo correpto mater visionibus horrendis divexata est, pater verò Basilio Orthodoxiæ fidem datam non præstitit: Hinc Basilius, *de puero*, inquiebat, *fiat voluntas Domini.* Obiit An. Chr. 370. Theodoret. *lib.* 4. *cap.* 18. Socr. *lib.* 4. *cap.* 21. &c.

Galata, insula non procul à Melitâ. Mela. Syriæ urbs, Polybio; Siciliæ insula Plinio, urbs Siciliæ medit. Ciceroni. *Calata*, nunc *Galati*, Phocidis mons Plutarcho.

Galata seu *Pera*, urbs Thraciæ, veriùs suburbium Constantinop. ubi Latini ferè omnes morantur, in Bosphori ripa, primùm à Genuensibus culta.

Galatæ, populi qui Galatiam habitant, Tanium, Pessinuntem, Ancyras, in Asia, incolentes. E' Gallis, qui Româ exustâ, & Italiâ vastatâ, hîc sedes fixerunt, cùm olim Phryges hanc terram incolerent, parte ejus Paphlagoniâ vocatâ. Plurimis bellis gestis inclyti. Ad hos Paulus Ap. epistolam divinam scripsit. V. Paulan. Justin. Horum regionem, cum Cappadocia & Armenia, Alimbego, per Bassam Ferat occiso, eripuit Solimannus Turcarum Imper. A. C. 1537. Jovius *in Hist.* In divinam ad hos *Epistolam*, extant: Augustini *Expositio.* Batti *Com. cum Disput.* Quart. Gryphisvv. 1613. Bethulæi *Explicatio.* Octav. Halæ Sax. 1617. Brentii *Comment.* Calixtus, Chemnitius, Chytræi *Enarratio.* Oct v. Francof. 1569. ut & Claudii Taurin. Octav. Parisiis 1542. Cocceius. Cogeleri *Objectiones & Solution.* Octav. Witebergæ. 1564. Contzen *Comm.* Coloniæ 1631. ut & Corneti, Octav. Heidelb. 1583. Crellii Socin. *Prælectiones.* Crocius. Erasmi *Homiliæ.* Feurbornius. Galli *Annotationes.* Gomari *Expl. locorum difficil.* Godeau. Grimaneus, Quart. Venetiis 1542. Grynæi *Theses Analyticæ*, Quart. Basil. 1596. Heilbrunneri *Loci Comm.* Octav. Lavingæ, 1591. Hieronymus. Hoë *Comm.* Quart. Witebergæ 1616. Kromayeri *in cap.* 4. Kunadus. Lushintoni *Comm.* Angl. Quart. Londini 1650. Lutheri *Commentar.* Lyseri *Analysis Theol. & Schol.* Quart. Witeb. 1616. Megandri *Comm.* Tiguri 1559. Meyeri *Annotat.* Octav. Bernæ 1546. Musculus. Nahumi *Explicatio Anal.* Octav. Hanov. 1602. Oleviani *Notæ* Octav. Genevæ 1598. Paræus. Perkinsius *in c.* 5. *pr.* Rageri *Exegesis.* Rolloci *Analysis Log.* Octav. Genevæ 1603. Serepandus. Speii *Comm.* Stevartii *Exegesis.* Thummius. Titelmannus. Vasquez. Vorstius. Weinrichii *Expositio brevis.* Quart. Lipsiæ 1618. Wigandus. Winckelmanni *Notata* Octav. Giessæ. Zuinglii *Annotationes.* Steph.

Galathea, nympha marina, Nerei & Doridis filia, à Polyphemo adamata, quem cùm illa sperneret, Acimque ei præferret, indignatus Cyclops, rivalem saxo de rupe avulso interfecit, cujus causam miserati dii marini in fluvium sui nominis eum commutarunt. Ovid. *Met.* 13.

Candidior nivei folio Galathea ligustri.

Item Celtarum cujusdam regis filia, à quâ *Gallia*, & *Galli* literâ L. geminatâ. Herculis Libyci, Gall. R. uxor, Galati mater. Herodot. *l.* 2. Ammian. *lib.* 15. Ann. Viterb. *in Beros. lib.* 5. Diod. Sicul. Est & nomen rusticæ puellæ, Virgil. *in Bucolic.*

Malo me Galatea petit lasciva puella.

Item, urbs Thraciæ, 150. m. p. à Byzantio, Greg. Turon.

Galatia, Castaldo *Chiangare*, Turcis *Gelas*, regio min. Asiæ, Phrygiæ contermina, ita dicta à *Gallis*, qui relictâ patriâ ibi sedes fixerunt. Hujus incolæ *Galatæ* vocantur, & *Gallograci*, quòd ex *Gallis* simul ac *Gracis* coaluerint. Item *Tectosaga, Tolistobogi, Trocmi.* Ab Oriente habent Cappadociam, & Halym fluv. ab Occidente Bithyniam, & Asiam, à Meridie Phrygiam magnam,

gnam, à Septentr. Paphlagoniam, *Græcogalliam* & *Bucellariorum regionem* appellat Suidas. Urbes ol. claræ, Ancyra, etiam nunc præ cæteris florens, Satrapæ reg. sedes, Germa & Pessinus. Ferrar. V. *Galata*.

Galatus, Polyphemi seu Herculis ex Galathâ filius, Gall. R. 10. Diodor. *l. 6. c. 9.* Morerius, N. Comes. 9. 8.

GalaVa, Angliæ op. Anton. *Kellenton* vulgò. Camdeno autem *WalWick* in Northumbriâ.

Galaurus, Taulantiorum Rex, ab Argæo, astu victus, de quo Polyæn. *l. 4. Princip.* Alii libri habent *Talaurus*.

Galba, Sulpitiorum primus ab exilitate ita dictus. Est enim *galba* vermiculus miræ exilitatis, qui in esculentis nascitur. Alii è contrario, quòd præpinguis fuerit, nominatum scribunt. Talem enim Galli vocant *galbam* i. *Galb*, vitulum. Alii quòd opidum Hispaniæ frustra diu oppugnatum, illitis demum *galbano* fascibus succenderit. Nonnulli quòd in diuturnâ valetudine *galbâ*, h.e. remediis lanâ involutis, uteretur. Vitam ejus lege sis apud Suet. & Plut.

Galba, Rex Suessionum, 12. oppidor. dominus, ad quem Belgæ, anno belli Gallici secundo, propter justitiam prudentiamque, summam totius belli detulerant, ad quod bellum millia armatorum quinquaginta pollicebatur *lib. 2. Comment. cap. 4.* Ejus duo filii Novioduno capto, Cæsari obsides dati. Cæsar 2. *c.* 13.

Galba, quidam à Plinio nominatur inter eos authores, quibus in conscribendo libro 36. usus est.

Galba, prænomine *Cajus*, frater illius, qui postea imperavit, consularis, attritis facultatibus urbe cessit, prohibitusque à Tiberio sortiri anno suo Proconsulatum, voluntariâ morte obiit, Q. Plautio, Sext. Papinio Coss. Tacit. 6. 40. Suetonius.

Galba Sergius, *vir consularis temporum suorum eloquentissimus, quem Tranquillus scribit, ex præturâ Hispaniam obtinentem, 30. millibus Lusitanorum perfidiâ trucidatis, Viriarathini belli causam extitisse.* Valerius autem ait, eum trium Lusitaniæ civitatum convocato populo, tanquam de commodis ejus acturum, 9. millia hominum trucidasse. Pædianus dicit, eum ob direptos Lusitanos accusatum à Catone, duosque amplexum filios prætextatos, absolutum propterea misericordiâ fuisse. Cic. *in Bruto.* V. quoque *Sergius*.

Galba Sulpitius, avus Imper. literis clarus, Historiam variam scripsit. Hujus fil. Imperatoris Pater, causas in foro egit. Sueton. *in Galba c.* 4.

Galba Sergius Sulpitius, Imp. Neroni successit, A. 68. Mulæ parientis prodigio confirmatus, in proposito; remoto Nerone, thronum conscendendi. Quod cùm Nero sensisset, occidi Galbam imperavit, sed hic à militibus primus Imperator dictus voto potitus est. Disciplinæ militaris tenax, sed præparcus, & 7000. Prætorianorum occisis, decimatis reliquis, *cruentus*. Æmulos Romæ, *in Germania, in Africa* oppressit: *Neronis scelerum coadjutores ad mortem rapuit: Ipse omnium judicio capax Imperii, nisi imperasset,* T. Vinio, Corn. Laconi & Martiano liberto obnoxius, militem, negato donativo, & voce severiore, *Legi a se militem, non emi*, à se abalienavit; nec juvit Piso adoptatus, sed imperio in Ottonem translato uterque occisus est, Galbâ, cùm jugulum porrigeret, dicente, *ferirent si ita è Rep. Videretur.* Æt. 73. imperii mense 8. Sueton. & Plut. *in ejus Vita.* Tacit. *Hist.* l. 1. Aurel. Victor *de Cæsar.*

Galba Castra, vicus seu pagus Veragrorum, inter Agnunum, & Vicum S. Johannis in Sabaudiæ, & Valesiæ confin. *La motte des Sarasins* Gabr. Simeoni.

Galeagra, *Grela*, Turris est prope Trogillorum portum in Siciliâ, Liv. *l.* 25. *Scala Græca* vulgò dicitur.

Galeatius, Historicus, qui scripsit de bello Mediolanensi & rebus in Italiâ gestis, libros octo. Item Mantuanus quidam, qui Papiæ cùm hybernaret, puellâ (quam unicè amabat) per jocum imperante, se in fluvium dejecit: Autore Pontano.

Galeatius Maria, Dux Mediol. Francisco Sfortiæ I. Patri successit, Anno 1466. Ob luxum suis invisus, in templo S. Stephani occisus est. An. 1476. Ex Bonna, Ludovici Sabaudi fil. pater Johannis Galeatii, Successoris.

Galenus Claudius, medicus excellentissimus, ex Pergamo Asiæ urbe; Clarus esse cœpit temporibus Trajani. Natus patre architecto civitatis eruditissimo, adolescens in Dialecticis, & elementis Philosophiæ, quòd ingenio valeret, felicissimè profecit, & mox ad Medicinæ studium animum adjecit. Præceptores audivit medicos eâ ætate præstantes, Satyronem & Pelopem. Profectus deinde Alexandriam est, ubi tum hominum erat doctorum frequentia, quorum judicia & studia exploravit. Romam quoque venit, ibique multa scripsit, annos natus quatuor & triginta. Inde enim discedens anno 37. in Asiam rediit. Sed non multò post in Italiam literis Impp. Veri, & Antonini, revocatus est. Inde post interitum Antonini, qui in bello Marcomannico periit, in patriam rediit, ibique consenuit, ac cùm corpore & valetudine esset imbecilliori, quemadmodum de se ipse scripsit, diligentiâ tamen in victu, & temperantiâ, satur scilicet nunquam de mensâ surgens, vitam in extremam usque senectutem produxit. Româ aliquando, pestis tempore, fugit, arti diffisus; quæ tamen tanta erat, ut cùm gravissimos morbos facilimè curaret, magiæ suspectus, ex eâdem urbe, alio tempore, coactus fuerit se in tutum proripere. Methodi auctor, quæ hodieque in usu. Obiit an. 140. ætat. 70. Auctor 200. voluminum, ut ex 2. ejus Comment. in sua opera patet, quæ perierunt incendio templi Pacis, inter 12. ingenia subtilissima. Cardano collocatus, *Subtilit. lib.* 16. Judæorum & Christianorum hostis professus. Vide Volaterr. *Anthrop. libr.* 16.

Galeotæ, vates quidam in Siciliâ. Cicer. 1. *de DiVin. Hi interpretes portentorum, qui Galeotæ tum in Siciliâ nominabantur, responderunt*, &c. Vide Ælian. *lib.* 12. *cap.* 46 Γαλεοὶ Hesychio. Γαλεοὶ, *μάντεις ἔστι κατὰ τὴν Σικελίαν ᾤκησαν*. De quibus ita Archippus apud Athenæum,

Γαλεοί γε πάντων μάντεων σοφώτατοι.

Mythologi apud Stephanum à *Galeote* deducunt, filio Apollinis & Themistûs; nempe ad fabulas confugerunt, cùm nescirent Phœnicium גלה *gala*, unde *Galei* & *Galeotæ* dicti, propheticum esse vocabulum. Bochartus.

Galeothæ, Attica gens Steph.

Galeotus, Forolivii princeps, qui Adami Bentivoli filiam duxit in uxorem. A quo dum sperneretur puella, simulatâ ægritudine sicarios subornavit medicos, qui eum adorti in cubiculo confoderunt. Volaterr.

Galeotus, cognomine Martius, Naniensis, primùm Bononiæ docuit, dein à Matthia Corvino filii Johannis pueritiæ admotus, & Bibliothecæ regiæ, Budæ, præfectus est. *Scripsit inter alia*, syllogen jocorum Corvini. Ingens Philosophus & Orator, Leandro Alberti dictus. A Monachis, ob quædam liberius scripta, vexatus, Sixtum IV. qui discipulus ejus fuerat, vindicem nactus est. Rogatu Ludovici XI. cùm in Galliam venisset, Lugduni de equo descensurus, in Regis occursu, ut præpinguis erat, capite in terram illiso, obiit. P. Jov. *elog. cap.* 44. Pet. Valerianus, *l.* 1. *de liter. infelicit.* Voss. *de Hist. Lat. p.* 659. 660.

Galepsus, urbs Thraciæ, & Pæonum. Steph.

Galeria, Uxor Vitellii Cæs. Tac. *hist.* 2. 60.

Galeria, seu *Galarta*, Aretio *Gagliano*. opp. Siciliæ mediterr. *Galarina* Steph. *Galerina* Phavor.

Galerianus, Vide *Calpurnius*.

Galerius, Tuscorum rex.

Galerius, à Narse victus, ad Diocletianum fugit, principi occurrens in itinere, ad quem antea belli fama pervenerat, purpurâ indutus (Cæsar enim erat) mille passus ante carpentum indignati Principis, pedes cucurrit. Posteà in Armeniâ maj. Persas vicit, Ctesiphontem expugnavit, totam Assyriam cepit. Pomp. Lætus. Oros. Eutropius. Vid. infrà.

Galerius Armentarius Valerius Maximianus, oriundus Daciâ, prope Sardicum, priore uxore repudiatâ, Valeriam Diocletiani fil. duxit, in consortium Imperii adscitus. Infelix prælio contra Narsen Persarum Regem, à Diocletiano Antiochiæ parum humaniter exceptus est. Quâ contumeliâ irritatus, viribus reparatis, hostem vicit, eumque Mesopotamiâ & 5. provinciis trans Tigrim exuit. Cùm dein Diocletianus & Maximianus sponte Imperium deponerent, ille hujus divisione cum Constantio Chloro factâ, jam Imperator, in Christianos odium jam inveteratum acriùs exercuit. Interim Cæsarem creavit Flavium, Valerium Severum & Maximinum, ex sorore nepotem, Constantio imminens. Sed primo per Magnentium occiso, Licinium surrogavit. Contra Maxentium, Constantinum, & Ecclesiam spei irritus, cùm Christianos omnibus modis cruciasset, tandem in morbum incidit, cujus impatientiâ gladio sibi latus aperuit, edicto prius in Christianorum favorem edito, Deum mitigare frustra conatus, Ann. 7. post abdicationem Diocletiani, in patria, quam Romuliam, à matris nomine vocavit, sepultus. Eutrop. *libr.* 9. Amm. Marcell. *lib.* 16. Oros. *lib.* 7. Euseb. *lib.* 8. Zosim. *lib.* 2. Socrat. *lib.* 1. Theodoretus *libr.* 5. Bapt. Egnatius. A vermibus corrosum plerique scribunt.

Galerius Trachalus, cujus ingenio Othonem uti credebatur in rebus urbanis, Orator celeber. Tacit. *Hist* 1. 90. Victo Othone, à Galeriâ Vitellii uxore, protectus est. Ibid 2. 60. Ad Domitiani tempora pervenit vivendo; de quo Quintilianus *In eo Vocis*, inquit, *quam in nullo cognoVi & Pronunciatio Vel scenis suffectura & decora omnino.*

Galesus, ditissimus in agro Latino agricola, qui in eo tumultu, qui inter Ascanii comites & Tyrrhei armentarii regii liberos exortus est, cùm pacis componendæ studio medium sese inter pugnantes inferret, in medio ardore pugnæ est interfectus. Virgil. *Æneid. l.* 7.

Galesus, Calabriæ fluv. in sinum Tarentinum desinens. Vide Liv. *lib.* 25. Ejus meminit Virg. 4. *Georg.*

Qua piger humectat flaVentia culta Galesus.

Ubi alii *niger*, unde Sidonius Apollin.

Fuscabat picei latex Galesi.

Horat. *Car.* 2. 6.

Dulce pellitis oVibus Galesi Flumen.

Prop. *lib.* 2.

Tu canis umbrosi subter pineta Galesi.

Eundem Eurotam nonnulli vocant, teste Polyb. *l.* 8. Mart. 8. 28.

Quâ saturat Calabris culta Galesus aquis.

Idem 2. 42.

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso.

Et 12. 46.

Albi quæ superas oves Galesi.

Galetes, adolescens fuit formosissimus, ob formam regi Ptolemæo ita gratus, ut ipse Ptolemæus quibusdam, qui ad supplicium trahebantur, ejusdem patrocinio pepercerit. Cæl. Rhod. *7. 35.*

Galgacus, Dux Caledoniorum, genere & virtute præstans. Tac. *Agric.* 290.

Galgal, vel *Gilgal*, civitas ultra Jordanem, non procul ab Hierichunte, ubi parvulos suos circumciderunt Israelitæ. *Jos.* 4. & 5. & 15. Hic Pascha celebratum. Idololatriâ postmodum pollutus locus. Hieron. *in Hos. c.* 4. Torniel. A. M. 2584. *n.* 11. *&* 12.

Galgal, urbs regalis, in qua habitabant *Goim*, i. gigantes, in tribu Manasse, cujus regem occidit Josue, urbemque cepit. Tempore Hieronymi ostendebatur villula nomine *Galgalis*, ab Antipatride in sexto milliario contra Septentrionem.

Galgala, locus erat Palæstinæ, prope Jordanem, ubi post transitum Jordanis castra metatus est Josue, cum Israelitis, dum terram Canaan sibi vindicabant. Ibi lapides de Jordanis alveo translatos, memoriæ ergò reliquerunt Israelitæ. Postea in tribu Benjamin. Item, opp. tribus Nephthalim, 1. Macc. 9.

Galianum, opp. Salentinorum.

Galibi, populi Amer. mer. in Guajana reg. versus oram littor. maris Bor. inter Cajanam Inf. & fluv. Surinamum.

Galicia, vide *Gallæcia*.

Galilæa, Syriæ regio celeberrima, ad Septentrionem Judææ sita. Eam Geographi duplicem esse statuunt, Superiorem sc. & Inferiorem. Superior juxta Tyrum, Sidonem, & Cæsaream Philippi sita est, & vocatur *Galilæa gentium* *Is.* 9. *Matt.* 4. vel quia illic gentes usque ad Solomonis tempora habitarint, vel quòd Hiramo regi Tyriorum oblata sit. 3. Reg. 9. Hæc in tribu Aser & Nephthali sita fuit. Inferior Galilæa circa Tiberiadem, & stagnum Genesareth in tribu Issachar & Zabulon posita est, in quâ Christus frequenter est versatus. Joan. 4. Unde etiam *Galilæus* vocatus est. Mat. 26. Et Julianus ὁ παραβάτης Christianos per contemptum *Galilæos* nuncupare solitus est. Euseb. 10. 35. *Eccl. Hist.* V. *Jos. Antiq. l.* 3. *c.* 4. Totius fines sunt, à Sep. Syria seu Phœnicia, interjacente Libano; à Mer. Samaria & Carmelus mons; ab Or. Jordanes fl. ab Occ. mare Magnum seu Medit. Hic Servator noster conceptus, educatus, & ut plurimum conversatus innumera patravit miracula. Guidoni Regi Hierosf. cum toto regno erepta à Saladino, A. C. 1187. hodie sub Turcis gemit. Vocabatur etiam olim *Galilæa* tempus illud omne, à Resurrectione seu Pascha, usque ad Ascensionem, quod in Galilæa Servator noster exegit, Meursius, Baudrandus, &c. V. & Morer.

Galilæus Galilæi, insignis Mathematicus, Florentinus, scriptis inventisque inclytus. In Sole maculas, in Saturno figuræ varietatem, vicissitudines Veneris Lunaribus haud absimiles, Satellites Jovis, quos Astra Medicæa vocavit &c. observasse legitur. A Mich. Mœstlino Copernici sententiam edoctus, de motu terræ, rationes invenit, quibus illa redderetur confirmatior. Hinc Inquisitioni subjectus, in carcere per 5. vel 6. an. languit, coactus an. æt. 60. palinodiam canere. Obiit an. 1642. Fabius Longanissa, *epistol. ad Jansenium.* Voss. *de Mathem.* Morerius.

Galindia, provincia Prussiæ Ducalis, eam ab ortu Brumali ad Lithuaniæ, Podlassiæ & Mazoviæ fines terminans, perpetuis ferè sylvis & solitudinibus damnata. Metel. Hinc *Galinda* vel *Gallinda.* V. ibi.

Galla, fil. Valentiniani Imp. ex Justina, nupsit secundò Theodosio M. Zosim. *l.* 4. Item, uxor Julii Constantii, fratris Constantini M. Mater Galli, fratris Juliani Apost. Item, fil. Symmacuri, vidua, à Fulgentio & Gregorio M. *l.* 4. *dialog. c.* 13. insigniter laudata.

Gallardum, castrum olim Galliæ fortissimum à Ricardo Angliæ R. in rupe excelsa, ad Sequanam, juxta Insul. Andeliaci extructum, oppugnatum est à Philippo Augusto Gall. R. mensibus amplius quinque, captumque. Vulgò *Chasteau Gaillard* nunc, in vici formam redactum est, prope Andelejum. Had. Valesius *Not. Gall.*

Gallaci, vide *Callaicus*, & *Gallæcia*.

Gallæcia, citerioris Hispaniæ regio, maximè in Occ. extensa, aliàs cum tit. reg. à Teucro Telamonis filio condita, qui eo tempore, quo de Patris sui obitu factus est certior Salamine, in patriam se contulit, sed ejus ingressu eum prohibuit Erisatius cognatus, Ajacis filius, cui cùm Teucer resistere non posset, mari in Hispaniam venit navesque circa locum, ubi nunc Cartagena est, subduxit. Inde solvens, fretumque Herculis transgressus, Hispaniæ oras legit, usq; dum in provinciam, quæ nunc *Gallæcia* dicitur, appulit. In qua cum Græcis, qui eum sequebantur, pedem fixit, eamque tunc desertam nec antea cultam, vitæque ob id incommodam colere cœpit, fundavitq; in ea civitatem *Celtenes*, quod ejus linguâ Coloniam Græcorum significabat. Ibi Teucer, quandiu superfuit, vitam egit. Gothi postea aliam Gallæciæ partem colonis ampliarunt, cumq; se Græcis junxissent, nomina quoque jungentes se *Gallegos* Provinciamq; *Gallæciam* nominarunt. Ejus primus rex fuit Garcias, fil. Ferdinandi M. primi Castellæ regis. In hoc regno Gallæciæ 60. civitates oppidaque primaria reperiuntur. Metel. Habet ab Occ. & Sept. Oceanum Atlanticum; à Mer. Portugalliam; ab Or. Asturias & regnum Legionis. In finibus Gallæciæ, fudit Josephum, Saracenorum principem, Froila Alphonsi filius, A. C. 757. Vasæus *in Chr.* Ordonius dein, sede ex Asturiis Legionem translatâ, Saracenos regno expulit, A. C. 923. Mariana *in Hist.* Postea civili dissensione Hispanis inter se collisis, regnum Legionense & Gallæciam Saraceni tantùm non occuparunt totam, donec Almansor, LXXM. amissis victus est, A. C. 985. 993. 998. Idem. Ex hoc regno oriundi Antonius & Michael Galliciones, primùm apud Basilienses, chartaceam artem excitarunt, & exercuerunt: Unde occasio tot tamq; nobilibus Chalcographiis, quibus postmodum urbs illa præ pluri-mis aliis effloruit, Urstis. *Hist. Basil.* Incolæ *Gallæci* vel *Callaici*, vett. Morerio, comprehendentes Amphilochos Justino, Celticos Melæ & Ptolomæo, Celtos Straboni, Tamarices & Lucensios eidem Ptolomæo, Lucentes Plinio memoratos. Compostella peregrinationibus ad S. Jacobum susceptis frequens, Tude Elmi vel Telmi, nautarum Patroni, pro superstitione gentis patria est: Caronium, portum ex Hispaniæ optimis habet, præter quem 40. alii in Gallæcia numerantur: In qua & fl. Lethe, hodie *Lima*, fontes habet. Vid. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Ptolom. *l.* 2. Strabon. *l.* 3. Boterum *Rel. Hisp.* Cluver. Merulam, &c.

Urbes Gallæciæ.

Auria *Orense.*	Flavium Brigantium *Betanzos.*
Bajona *Bajone.*	Isia Flavia *Padron.*
Caronium *Corunna.*	Lucus *Lugo.*
Compostella & Compostellum	Mindon *Mondonnedo.*
S. Jago seu, & melius, *Compostella.*	Tude *Tuy.*

Gallæcia nova, regio novæ Hispaniæ, in Amer. Merid. versus mare Austrinum, prius ab Incolis *Xalisco* vocata, quam primus detexit & acquisivit Nunus Gusmannus, qui in ea urbes aliquot fundavit, nempe Compostellam, ubi sedes Episc. & Consilium Regium. *Sp.* sancti: Conceptionis: Michaelis & Guadalaxaram celeberrimam ac totius regni caput. Alii, & quidem rectius, inventionis gloriam Consalvo Sandovallio, à Cortesio huc misso, attribuunt. Vide Herreram *cap.* 11. Regio aspera est, & incolæ sunt feri ac crudeles, qui ab esu carnis humanæ non abstinent. Pertinet ad novam Galiciam regio illa, quæ *Culiacana* dicitur, ab urbe hujus nominis. Metel. Mercat. Sub ipsa sunt provinciæ Xaliscum & Guadalaxara. Baudr.

Gallera, seu *Gallora*, vicus Thusciæ, ad Galloram fluvium, ab Urbe Roma ad 14. m. p. Inter Urbem R. & Bracenum. Utrunque *Galera* dicitur.

Gallesium, vulgò *Galese*, urbec. prov. Patrimonii S. Petri, sub Pontif. cum tit. Duc. familiæ Altempsiorum.

Gallesium, urbs Ephesi. Steph.

Galleti, V. *Caleta* & *Caleti.*

Galleva Atrebatum, opp. Albionis. V. *Caleva.*

Galli, gens Europæ nobilis. Hos auctores quidam fabulosi *Gomeritas*, à Gomero Japeti filio, vocatos olim asseruerunt: Alii Aborigines fuisse, & à Galata Herculis fil. dictos, contendunt, inter quos, Diodorus est Siculus. Amm. Marcellinus illos *Celtas*, à Principe gentis, & *Gallos*, ab hujus matre cognominatos vult. Strabo nomen hoc à nobilitate & fama: Hieronymus & Isidorus à græcâ voce Γάλα, quòd lacteo candore niterent, illis impositum credit. Quidquid horum sit, certum est, jam Tarquinii Prisci tempore illud increbuisse, nec omittenda interim Cluverii conjectura, à Celtica voce *Galleno*, quod iter facere, migrare, proficisci denotat, gentem appellatam esse dicentis. Ad bellum promti, plus negotii reliquis gentibus Romanis facessebant, Cicerone Sallustioque testibus: unde ne Sacerdotibus quidem à militia contra hos immunitas: Quod item inter Gallos factum, ubi nec ætatis ulla erat excusatio. Interim impetu, quàm constantiâ laudatiores, cætera magnanimi erant, & ut Divico, Helvetiorum Caput, apud Cæsarem ait, præ fraudibus dolisque fortitudinem habebant. Ruinas ædium, ut Ælianus refert, minimè veriti, etiam per flammas hostem insequi pulchrum rebantur: In pugna ad Cannas nudi & inermes depræliati sunt, Livio & Polybio auctoribus. Nec ab humanitatis tamen studiis alieni, Eloquentiam mirè excoluerunt, V. in voce *Druida.* Venando belli simulachra ciere, otio damnato, soliti sunt. Interim in sævitiam proclives, hostes immolare non erubuerunt, arrogantes insuper, & novarum rerum plus æquo curiosi, aliorumque contemptores; In duo olim divisi genera Sacerdotes & Nobiles, plebem à Comitiis arcebant, potentiorum exactionibus mirum in modum afflictam. Fœminis virilis animus, in quas maritis jus vitæ & necis fuit, donec in dissensionibus quibusdam sopiendis egregiâ operâ navatâ, majoris æstimari cœperunt. Funerum pompa magnifica, quâ cum defunctorum cadaveribus, quidquid in jumentis mancipiisque charissimum, simul arsit. Quamvis autem Martem toti spirarent, non tamen cultum agrorum omnino despexerunt. Hinc lini Gallici laus & opulentum commercium, apud Plin. tanti etiam ex regione reditus, ut Julius Cæsar æs alienum, quod immensum conflaverat, ex facili dissolveret, Gallico ære contra Remp. militaturus. Porro ingens gentis fœcunditas, unde migrantium quasi diluvio Italia inundata, in qua Roma capta, Mediolanum, Genua, Aquileia, Vero-

na,

nâ, Senæ, Patavium, Cremona, Placentia, Bergamum, &c. conditæ, & parti Italiæ *Galliæ Cisalpinæ* nomen: Nec Germania, Hispania, Anglia, Sclavonia, imo & Græcia Macedoniaque, ubi Galatiam constituerunt, ab illis mansit intacta. Plurimis in locis Aristocraticè olim gubernati, Reges quoque habuerunt, sed consensu populi electos. Alii Democratiam inter illos viguisse, cujus summa tantùm non penes Druidas, asserere malunt, de quibus legi meretur Cæsar. A Julio Cæsare domiti per 5. secula Romanum venerati sunt apicem, per 17. provincias, quarum 6. Consulares erant, divisi. Constantinus Magnus Comites in Civitatibus, Ducesque in locis quibusdam limitaneis constituit: & jus Romano more dictum, servatis tamen & municipalibus quibusdam statutis: Idem Imperator cùm A. 330. munus prætorio Præfecti quatuor viris divideret, ex his unus Gallis præfuit, sub quo tres Vicarii, in Gallia unus, in Hispania alter, tertius in M. Britannia. Quod obtinuit. donec Franci, Germanica gens, in has oras profecti, in unam cum Gallis gentem coaluerunt. Dii illorum quondam Teutates. i. Mercurius, Heus vel Hesus i. Mars, Taramis qui idem cum Jove: sicut Apollinem sub Beleni, & Plutonem sub Serapionis coluere nominibus. Præcipuus tamen apud illos Mercurii cultus, & Martis, quem ex decreto Senatus reliquorum instituerunt hæredem. Erga Herculem quoque, tanquam politioris vitæ auctorem, non tepida illis religio, sed Saturnum metuebant, humano proin sanguine illum propitiaturi: quibus victimis uti iis solenne quoque, tum pro salute alicujus ex Magnatibus, tum quoties arduum quid aggressuri erant, ægrè à cruenta hac lege, Imperatoriis edictis absterriti. Seculo post Christum natum primo, ut quidam volunt, certè secundo, magna Gallorum pars ad fidem conversa est: Imo Apostolus Paulus, post primum Romanæ commorationis biennium, visitatis Ecclesiis Orientalium, Italiam, Galliam & Hispaniam illustrasse creditur, Anno Christi 60. *Sixtus* postea Episc. Rom. per Peregrinum, Gallos in Christianismo confirmasse legitur, anno Christi 130. in quos sævitum, sub Antonino Philosopho, tanquam Thyesteorum conviviorum & Oedipodeorum incestuum reos, anno Chr. 170. Unde Verius Epagathus nobilis, Sanctus Diaconus Viennensis, Maturus, Biblis & Blandina fœminæ, Photinus Episc. Lugdunen. cui Irenæus successit, Martyrio coronati. Attalus item, qui, ob delectum ciborum, Alcibiadem martyrem reprehendit. Postea à legione Melitina aliqua quies. Florentissimæ in Celtis Ecclesiæ, circa an. Chr. 180. ut & in reliquis Orbis partibus, quibus eadem cum hodiernis Protestantibus dogmata, Vide Irenæum *lib. 1. cap. 2. & 3.* Mox iterum sanguinis rivi, circa ann. Chr. 208. sub Helvio Pertinace, & Irenæus, cum innumera fidelium turba, martyrio sublatus. V. Gregor. Turon. *lib. 1.* Etiam in Gallia Ecclesiarum meminit, circa an. Chr. 312. Athanasius *Ep. Synodicâ*, apud Theodoret. *lib. 4. cap. 3.* quo tempore *Synodus Arelatensis*, c. *Arium habita est. Hilarius dein Pictav. Episc. conjugatus, circa ann. Chr.* 350. *Martinus autem Episcopus Turonensis*, an. Chr. 384. floruere: & quamvis circa an. C. 385. *Syricius* Episcopus R. cœlibatum promulgaverit, nihilominus non minus in Gallia, ubi plurimæ Synodi celebratæ, ac in Hispania, etiam post 200. annos Ecclesiastici uxorati mansere. Ithacius quoque Episcopus eodem tempore, à Maximo tyranno, Priscillianistarum excidium impetravit, in quos cùm nimis rigidè animadversum crederent Martinus & Ambrosius, 14. annorum schisma ortum est. Post hæc Vigilantius Gallus, Præsul Hispanus doctissimus, cœlibatu damnato, reliquias Martyrum non adorandas, nec cereos in templis clarâ luce accendendos esse &c. docuit, circa an. Chr. 406. *Jam in Francorum nomen*, sub Merovæo, transeuntes Galli, an. Chr. 451. Arianâ hæresi, quibus Gothi Tholosæ sede fixâ adhærebant, infestati sunt: Lupus autem Aurelianensis Episc. floruit. Sicut Mamertus Episcopus Viennensis, an. C. 466. Remigius Remensis, Gallorum Apostolus dictus, an. C. 469. & Isidorus Arvernorum Ep. an. C. 490. Sub Chlodovæo, tota Christianum nomen amplexa gens est, an. C. 449. paucissimis montium incolis exceptis. Celebres fuere an. 555. B. Medardus Noviomensis & Gildardus Rothomagensis, Episcopi, sanxitque Childebertus, ne Judæi domo prodirent, à Cœna Domini & sanctis diebus, usque ad proximum diem profestum. Chramnus verò in ministros Dei sævus, incendio periit, an. C. 564. Post hæc nox orbi incubuit, & Dagobertus Dionysii Parisiensis Clodovæus reliquiarum cultum, territus auxit: Sigibertus verò, ut prolem susciperet 12. Monasteria fundavit. Kilianus dein Franciam peragravit, an. 686. Vulfranus Episc. Senonensis floruit, an. C. 692. Crevit in Gallia Pontificum auctoritas, à quo Zacharias Pipinum Franciæ R. dedit, an. C. 751. & Carolomannus, Rachesis, Childericus cœnobia ingressi sunt. Interim Gallorum Episcopi cum Episcopis Germaniæ, Synodo Francofurti sub Carolo M. habitâ an. C. 797. Concilium Nicenum 2. quo imaginum cultus stabilitus fuerat, damnarunt: his tamen, pro liturgia Ambrosiana, Romana seu Gregoriana obtrusa est ab Imp. in Concilio Turonensi, an. C. 812. Cœlibatum per Galliam inprimis & Germaniam strenuè promovit Nicolaus I. an. C. 858. Bertramus verò Presbyter, jussu Caroli Calvi, Rabani sententiam, de figurata locutione verborum S. Cœnæ defendit, an. C. 876. secutus Berengarius Andegavensis Eccl. Archidiaconus, an. C. 1024. & seqq. qui eandem sententiam, ex mente Augustini, acriter propugnavit. Bruno Ordinem Carthusianorum instituit, an. C. 1087. quem secuti ex Benedictino Cistertienses, & Bernardinus, an. C. 1112. Rhemis in concilio Bernardus vitia Cleri & Pontificum libertimè reprehendit, A. C. 1131. idemque Ecclesiam, Romà pereunte, in Gallia salvam esse posse, & Antichristum præ foribus esse monuit, an. C. 1145. Interea Petrus Bruis, per annos 20. Tolosæ religionem puriorem docuit, exustus an. 1147. majori fervore Henrico Monacho, discipulo ejus, idem faciente, tanto successu, ut Galliam ferè totam suâ doctrinâ impleret. Auctore etiam Valdo, Valdenses seu Albigenses lacertos movere, an. C. 1152. Bibliaque Gallicè sunt ab illo versa: & cùm Philippum Augustum R. Clemens III. excommunicaturus esset, respondit is, se ejus sententiam non reformidare, edoctus ex Joachimo Abbate, Antichristum jam natum esse. Almericus an. 1200. imagines, altaria, Sanctorum invocationem, Transubstantiationem oppugnavit. In Albigenses dein sævitum, an. C. 1208. & 1218. Senserunt eodem tempore Galli gravem Honorium Pontif. qui Anglos Gallosq; exactionibus vexans, dictitabat: *Debent matris inopiam filii sublevare:* Proin Ludovicus IX. cognom. Divus, pragmaticâ sanctione has Romanæ Curiæ technas rescidit: infelix contra Albigenses, an. C. 1226. qui sub onere immensum crevere. Philippus Pulcher, à Bonifacio VIII. excommunicatus, generosè injuriam vindicavit, an. C. 1301. mox Clemens V. Papalem sedem Avenione fixit, an. C. 1305. sub quo, præsente Philippo, Concilio Viennensi an. C. 1311. inter alia, de Reformatione Ecclesiæ, actum est: Johannes dein XXII. quòd animarum negaret immortalitatem, flammis dignus à Rege judicatus est. Indulgentias à Clemente VI. concessas publico scripto refutavit Parisiensis Academia, A. C. 1350. Pontificem Antichristum esse docuit Nicolaus Oremus, qui etiam jussu Caroli V. Regis Biblia Gallicè vertit, an. C. 1370. Alanus quoque tum Charterius, in libro *Somnii Viridarii* authoritatem Papæ dejecit Circa an. C. 1395. sub Carolo VI. à Sorbona decretum, ut subditi ab utriusque Pontificis, qui tum erant, obsequio eximerentur, quod valuit, & totos tres annos Papæ eclipsin facilè tulit Gallia. Pragmaticam sanctionem publicavit Carolus VI. Anno Christi 1439. Annatasque regno efferri prohibuit. Quæ postmodum, sub Reformationis initia, religionis mutatio contigerit, quæque circa Concilii Tridentini decisiones admittendas, à Regibus acta, ex Meterano, Thuano, Læto, aliisque peti possunt: unicum hoc addo, quòd Meteranus, post clades ad S. Quintini Fanum & Gravelingam an. 1557. & 1558. acceptas, cùm pleraque Gallica Nobilitas in Flandriæ carceribus detineretur, plurimos illorum, dum captivitatis tædium Biblicâ lectione fallere ab amicis moniti conarentur, in veritatis agnitionem pervenisse, indeque liberatos, Latinos ejurasse ritus, observavit. Primus autem qui publicè in Gallia religionem è Nobilitate professus est, fuit Franciscus Andelotius Gasparis Colinii Admiralis Galliæ frater, &c. Præter antiquos de Gallorum gente scriptores, V. Maginum, Bonavent. Castellionium *de Gall. Insubr. ant. sed.* Joh. Picardum, Petrum Ramum, *de moribus vet. Gall.* Steph. Forcatulum *de Gall. Imp. & Phil.* Joh. Goropium Becanum, Barthol. Chassanæum, Fauchetum, Duchenium, Bellajum, Natalem Talepied. *Histor. des Druides, Eubag. &c.* Joh. le Maire, Dupleix, Mezeray, Pithœum, du Vallium, Sansonem, Morerium *in Dict. Historico*, Valesium *in Gallia Lugdunensi*, *&c.* Quære etiam in vocibus *Celtæ, Druides, Franci, Francia, Gallia, Parisii, &c.*

Galli, sacerdotes Cybeles in Phrygiâ, dicti à *Gallo* flumine, cujus aquas cùm bibissent, statim furere incipiebant, adeò ut seipsos castrarent, quod aliter citra perniciem facere non poterant, nisi Samiâ testâ. Hi sacra facientes furentium more capita rotabant. Lucan. *lib. 1.*

—— Crinemq; rotantes
Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.

S. Galli Abbas, potens olim, ac inter Principes Imperii, quem titulum Ulrico Abbati, ex Altosaxa familia, à Philippo Augusto Basileæ collatum, refert Conr. Fabariensis *in Annal.* hodieque satis latè imperat. Paret illi in Turgea oppidum Wila; dein in sup. Turgea, ager non contemnendus, cujus incolæ die *Gottshausleuth* dicti, in certas regionis *Gegningen* distribuuntur, quæ in suas divisæ sunt Præfecturas, Vide infra. Porro Comit. Toggenburgicus Abbatis quoque imperium agnoscit, salvis tamen subditorum privilegiis, quorum beneficio inter alia libertate religionis fruuntur, V. *Toggii.* In præfectura tandem Rheguscorum, ad Helvetios spectante, minor jurisdictio multis in locis ad Abbatem pertinet. Vide Simlerum *descr. Helvetia*, & infra in voce *Sangallensis* Abbas.

Loca in Turgea sub Abbatis ditione.

Berg.	*LumisWyl.*
Bergknecht.	*MorsWyl.*
Bernardscell.	*Mula.*
GeiserWald.	*Rodtmont.*
Gold.	*Romitzhorn.*
GottsouW.	*Roschach.*
HelfenschWyl.	*Strubencell.*
HettischWy.	*Summerey.*

Tablata. *Wiger.*
Thumbach. *Wittenbach.*
Underegg. *ZiberWangen.*
Waldkirch. *ZuzWil.*

S. Galli opp. V. *Sangallum.*

Gallia, maxima Europæ pars, quicquid enim terrarum à Rheno per Oceanum, Pyrenæos montes, mare Mediterraneum, & Appenninum montem, usque ad Anconam clauditur, communi appellatione *Gallia* Latinis appellatur. A *candore* populi sic dicta, Γάλα enim Græcis idem quod *lac* Latinis. Montes namq; & rigor cœli ab eâ parte Solis ardorem excludunt, ut eorum corpora non colorentur. Regionem hanc olim in Cisalpinam, & Transalpinam divisere. Cisalpinam dixerunt, quam hodie ferè communi vocabulo Lombardiam vocamus, quæ Italiæ pars est. Transalpinam, quæ his 5. metis, Rheno nempe, Oceano, Pyrenæis montibus, Mediterraneo mari, & Alpibus finitur. Hanc Transalpinam iterum, Cæsare teste, triplicem fecere. Belgicam, Celticam, & Aquitanicam. Belgicam, quæ Oceano, Rheno, Matronâ & Sequanâ fluminibus includitur, hodieque majori ex parte linguâ Teutonicâ utitur, & *Germania inferior* (cui Picardia conjuncta est) vocatur. Celticam verò seu Lugdunensem, quæ Garumnâ, Sequanâ & Rhodano fluminibus comprehenditur. Hæc nunc *Francia* dicitur. Aquitanicam denique, quæ à Garumnâ ad Oceanum & Pyrenæos montes extenditur. Septentrionem versus Oceanum habet, qui & sinus Aquitanicus, ab Occasu Hispaniam, à meridie Narbonensem provinciam. Corporibus hominum & linguâ à cæteris differt, hodieque major ejus pars Gasconia, vel Vasconia dicitur. Hic Gallorum antiquus terminus. Sed Gallorum regio, quæ hodie regni nomine gaudet, atque vernaculo vocabulo *Francia regnum* vocatur, non tam latè patet, sed tantum versus Septentrionem angustior est, quantum illi linea ab Argentorato ad Rhenum sito, Iccium portum (hodie Caletum) usque deducta adimit; comprehenditque omnem eum terrarum tractum, qui hâc lineâ, Oceano, Pyrenæis montibus, mari Mediterraneo, Alpibusque montibus continetur. Triplex etiam nomen habuit Gallia, *Togata* enim, *Comata*, & *Braccata* dicta est. *Togata* dicitur Cisalpina, quæ sc. inter Alpes est, & Rubiconem fluvium, antiquum Italiæ limitem: Ita dicta, quòd populi illi Romanorum more *togâ* uterentur. *Braccata* autem Gallia dicta est Narbonensis provincia; à *braccis* villosæ vestis genere appellata, quibus peculiariter ejus provinciæ homines utebantur. *Comata* denique cognominabatur omnis Transalpina Gallia, à *coma* nutriendæ studio. Baudrando Gallia est, *Cisalpina* & *Transalpina*. *Gallia Cisalpina*, quæ & *Togata* dicta, divisa fuit in *Cispadanam* & *Transpadanam*. *Gallia Cispadana* vulgò nunc dicitur *Lombardia di qua del Po* Italis, *Lombardie de deçà le Po* Gallis, & *Gallia Transpadana* vulgò *Lombardia di la del Po* Italis, *Lombardie de delà le Po* Gallis dicta. Dividuntur inter se flumine Pado. *Gallia Cispadana* populi fuere Ligures, Anamani, Boii, Lingones, & Senones; *Transpadana* autem fuere Cenomani, Euganei, Insubres, Orobii, Lepontii, Salassi, Libicii, Lævi, Taurini, & Segusini. Histri verò, Carni, & Veneti populi à quibusdam Galliæ Transpadanæ accensentur, & ab aliis omnino ab ea excluduntur, teste Brietio. Est & *Gallia Subalpina*, quæ nunc Pedemontium dicitur; estque pars Galliæ Cisalpinæ. *Gallia* verò *Transalpina*, quæ aliàs *Comata*, in *Aquitanicam*, *Celticam* & *Belgicam* subdivisa propriè & verè Gallia est, nunc *Francia* dicitur, vulgò *la France*, uti etiam ab Anglis dicitur, Hispanis, & Italis *Francia*, Germanis *Franckreich*; estque regnum Europæ potentissimum, de quo pluribus in voce *Francia*. *Gallia Aquitanica* continebat totum tractum, ubi nunc sunt Aquitania vera seu Guienna cis Garumnam, Vasconia, Benearnia, Pictavia, Santonia, Petrocorium, Ruthenensis provincia, Bituricensis, Lemovicensis, & Cadurcensis, cum Alvernia. A Juvenale *facunda* dicitur Gallia, *Sat.* 15.

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Idem *Sat.* 7.

—— *Accipiat te*
Gallia, vel potius nutricula causidicorum
Africa. —— ——

Hinc Adjectiva, *Gallicanus*, ut *res Gallicana*, apud Cic. *in orat. pro Quinctio.* Item *Gallicus*, ut *Gallica terebra*, Columel. *lib.* 5. Item *Gallius*, ut *Gallia mulieres* apud Sallust. *Hist. lib.* 4. Denique *Gallus*, unde *Galli* dicti sunt, qui ex Galliâ originem habent. Illi a. viliores, & crassiores vestes, vel pannos texebant, quippe quibus, teste Strabone, lana, unde saga conficiebantur, crassior, & asperior fuit. Juv. *Sat.* 9.

—— *Pingues aliquando lacernas,*
Et malè percussas textoris pectine Galli.

Mart. *lib.* 4.

Accipe Sequanicæ pinguem textricis alumnam.

Idem alibi,

—— *Me pinguis Gallia vestit.*

Urbes Galliæ Aquitanicæ clariores:

Aginnum, *Agen*, in Aginnensi provincia.
Albiga, *Alby*, in Occitania superiori.
Angeriacum, *S. Jean d' Angely*, in Santonia.
Anicium seu Podium, *le Puy.* Vide *Podium.*
Aquæ Tarbellicæ, *Dax*, in Vasconia.
Aturus, *Ayre*, in Vasconia.
Aureliacum, *Orilhac*, in Alvernia.
Auscii, *Auch*, in Arminiaco tractu.
Baiona, *Baione*, in Vascitania.
Bergeracum, *Bergerac*, in Petrocoricensi provincia.
Biturix, *Bourges*, in Bituricensi provincia.
Blabia, *Blaye*, in Guienna.
Briva Curretia, *Brive*, in Lemovicis.
Broagium, *Brouage*, in Santonia.
Burdegala, *Bordeaux*, in Aquitania propria seu Guienna.
Cadurcum, *Cahors*, in Cadurcensi provincia.
Castrum Heraldi, *Chastelleraut*, in Pictavia.
Claromons, *Clermont*, in Alvernia.
Condomum, *Condom*, in Condomensi tractu.
Consorani, *S. Licer de Conserans*, in tractu cognomine.
Elusa, *Eause*, in Arminiaco tractu.
Engulisma, *Angoulesme*, in Engolismensi provincia.
Exelodunum, *Issoudun*, in Bituricensi provincia.
Fanum S. Johannis Pedeportuensis, *S. Jean Piedeport*, in Navarra inferiori.
Figeacum, *Figeac*, in Cadurcensi provincia.
Floriopolis, *S. Flour*, in Alvernia.
Fontenæum, *Fontenay le Comte*, in Pictavia.
Fuxium, *Foix*, in Occitania.
Gueretum, *Gueret*, in Marchia.
Issuria, *Issoire*, in Alvernia.
Lactorium, *Lectoure*, in Arminiaco.
Lascura, *Lescar*, in Benearnia.
Lemovices, *Limoges*, in Lemovicensi provincia.
Liburnia, *Libourne*, in Guienna propria.
Lodunum, *Loudun*, in Pictavia.
Lumbarium, *Lombez*, in Convenis.
Lucionum, *Luçon*, in Pictavia.
Lugdunum Convenarum, *S. Bertrand de Comminges*, in Convenis.
Malleacum, *Maillezais*, in Pictavia.
Mimate, *Mende*, in Gabalis.
Mons Albanus, *Montauban*, in Cadurcensi provincia.
Mons Martiani, *Mont de Marsan*, in Vasconia propria.
Neracum, *Nerac*, in Vazatensi provincia.
Navarresium, *Navarrins*, in Benearnia.
Niortium, *Niort*, in Pictavia.
Olorona, *Oleron*, in Benearnia.
Palum, *Pau*, in Benearnia.
Pamiæ seu Apamia, *Pamiers*, in Occitania.
Petrocorium, *Perigueux*, in Petrocoricensi tractu.
Pictavium, *Poictiers*, in Pictavia.
Podium seu Anicium, *le Puy*, in Velaunis.
Portus Santonum. Vide *Rupella.*
Rigodunum, *Riom*, in Alvernia.
Rivi, *Rieux*, in Occitania.
Rupella, *la Rochelle*, in Alnetensi tractu.
Ruthena, *Rhodez*, in Ruthenensi provincia.
Santones, *Saintes*, in Santonia.
Sarlatum, *Sarlat*, in Petrocoricensi provincia.
Tarba, *Tarbes*, in Bigerrensi regione.
Tutela, *Tulle*, in Lemovicensi provincia.
Vabræ, *Vabres*, in Ruthenensi provincia.
Vasatum, *Bazas*, in Vazatensi provincia.
Vaurum, *Lavaur*, in Occitania.
Verdunum ad Garumnam, *Verdun*, in Gaurensi tractu.
Villafranca Ruthenensis, *Villefranche de Rovergne*, in Ruthenensi provincia.
Usarcha, *Userche*, in Lemovicensi provincia.

Gallia Celtica seu *Lugdunensis* Ligeri, Sequana, Matrona, & Rhodano fluviis, & Vogeso monte præter propter defintia Augusto. Tres enim primi fluvii transcenduntur pluribus in locis, & Caletæ, Meldæ, Parisii, Tricasses, Lingones, Sequani fuere in Celtica, uti & Helvetii. Ibi nunc sunt provinciæ Francia, Campania ex parte, Normannia, Britannia minor, Burgundia, Helvetii, Bressia, Lugdunensis, Nivernensis, Belsia, Andes, Cœnomani, & Turones, testibus Sansone & Brietio; quanquam Cluverius crediderit Helvetios fuisse in Gallia Belgica.

Urbes Galliæ Celticæ clariores:

Abrincæ, *Avranches*, in Normannia.
Alenconium, *Alençon*, in Normannia.
Ambasia, *Amboise*, in Turonia.
*Andegavi & Andes, *Angers*, in Andegavia.
Antisiodorum, *Auxerre*, in Burgundia.
Augustodunum, quod & Hedua, *Autun*, in Burgundia.
*Aureliæ, & Aureliani, *Orleans*, in Aurelianensi provincia.
Auxona, *Aussône*, in Burgundiæ Ducatu.
Baiocæ, olim Baiocasses, *Baieux*, in Normannia.
Bellica, *Belay*, in Bressia.
Belna, *Beaulne*, in Burgundia.

Blesæ, *Blois*, in Blesensi tractu.
Briocum, *S. Brieu*, in Britannia minori.
Brivates, *Brest*, in Britannia minori.
Burgus, *Bourg en Bresse*, in Bressia.
Cabillonum, *Chalon sur Saone*, in Burgundia.
Cadomus, quasi domus Caii, *Caën*, in Normannia.
Calidobeccum, *Caudebec*, in Normannia.
Calvomontium, *Chaumont en Bassigny*, in Campania.
Carnutes, *Chartres*, in Belsia.
Caroburgus, *Cherbourg*, in Normannia.
Castilio, *Chastillon sur Seyne*, in Burgundia.
Castrodunum, *Chasteau Dun*, in Belsia.
Cenomani, *le Mans*, in Cenomanis.
Constantia Castra, *Coustances*, in Normannia.
Corisopitum, *Quimper*, seu *Quimpercorentin*, in Britannia minori.
Deppa, *Dieppe*, in Normannia.
Dinanium, *Dinan*, in Britannia minori.
*Divio, *Dijon*, in Burgundia.
Dola, *Dole*, in Comitatu Burgundiæ.
Dolus seu Dolis, *Dol*, in Britannia minori.
Drocum, *Dreux*, in Belsia.
Ebroicæ, olim Eburovices, *Evreux*, in Normannia.
Fallesia, & Promontoriola, *Falaise*, in Normannia.
Flexia, *la Fleche*, in Andegavensi provincia.
Gisortium, *Gisors*, in Normannia.
Græum, *Gray*, in Comitatu Burgundiæ.
Juliobona, *l' Isle-bonne*, in Normannia.
Latiniacum, *Lagny*, in Bria.
Lausanna, *Lausanne*, in Helvetiis.
Leona, *S. Pol de Leon*, in Britannia minori.
Lexovii, *Lisieux*, in Normannia.
Lingonæ, veteribus Lingones, *Langres*, in Campania.
Lochia, *Loches*, in Turonensi provincia.
Lugdunum, *Lion*, in Lugdunensi provincia.
Lutetia, *Paris*, in provincia Insulæ Franciæ.
Maclovium, priùs Aletha, *S. Malo*, in Britannia minori.
Matiscona, *Mascon*, in Burgundia.
Mauritania, *Mortaigne*, in Perticensi provincia.
Meduana, *Mayenne*, in Cenomanis.
Medunta, *Mante*, in Insula Franciæ.
Meldæ, *Meaux*, in Bria.
Melodunum, *Melun*, in Insula Franciæ.
Molinum, *Molins*, in Borboniensi provincia.
Mons Argus, *Montargis*, in Vastinio tractu.
Mons Brisonis, *Monbrisson*, in Forensi provincia.
*Nannetes, *Nantes*, in Britannia minori.
Nivernæ, & Nivernum, *Nevers*, in Nivernensi provincia.
Nongentum, *Nogent le Retrou*, in Perticensi provincia.
Osismi sive Osismii. Vide *Trecorium*.
Oximum, *Hyesmes*, in Normannia.
Pons arcuensis, *Pont de l'arche*, in Normannia.
Pontisara, *Pontoise*, in provincia Insulæ Franciæ.
Portus Graciæ, *Havre de Grace*, in Normannia.
Quinpercorentinum, oppidum Britanniæ præcipuum Osismorum, Episcopi sedes, *Quimpercorentin*. Vide *Corisopitum*.
Remorentinum, *Remorentin*, in Solonia tractu Aurelianensis provinciæ.
*Rhedonæ, veteribus Rhedones, *Rennes*, in Britannia minori.
Rodumna, *Rouanne*, in Forensi provincia.
*Rothomagus, *Rouen*, in Normannia.
Sagium & Saium, seu Saii, olim Sesuvii, *Seez*, in Normannia.
Salinæ, *Salins*, in Comitatu Burgundiæ.
Salmurium, *Saumur*, in Andegavensi provincia.
Salodurum, *Soleurre*, in Helvetiis.
Senones, *Sens*, in Burgundia.
Tigurum, *Zurich*, in Helvetiis.
Trecæ, *Troyes*, in Campania provincia.
Trecorium, olim Osismi, *Treguier*, in Britannia minori.
*Turonæ, veteribus Turones, *Tours*, in Turonia.
Veneti, & Venetia, *Vannes*, in Britannia minori.
Vernolium, *Verneüil*, in Normannia.
Vernonium, *Vernon*, in Normannia.
Vesulum, *Vesoul*, in Comitatu Burgundiæ.
Vesuntio, *Besançon*, in Comitatu Burgundiæ.
Vindocinum, *Vendosme*, in Belsia.
Vira, *Vire*, in Normannia.

Gallia Narbonensis, seu Braccata, in 4. etiam dispescitur; Occitanam, in qua Tolosa, Provinciam, in qua Aquæ Sextiæ, Delphinatum, in quo Granopolis, & Sabaudiam, in qua Camberium.

Urbes Galliæ Narbonensis clariores:

Agatha & Agathopolis, *Agde*, in Occitania.
Alba Helviorum, quæ & Vivario, *Viviers*, in Vivariensi provincia.
Anneslíacum, *Annesi*, in Sabaudia.
Annonæum, *Annonay*, in Vivariensi tractu.
Antipolis, *Antibes*, in Provincia.
Apta, *Apte*, in Provincia.
Aquæ mortuæ, *Aigues mortes*, in Occitania.
*Aquæ Sextiæ, *Aix*, in Provincia.
Arausio, *Orange*, in Provincia.
Arelate & Arelatum, *Arles*, in Provincia.
*Avenio, *Avignon*, in Provincia.
Belloquadrum, *Beaucaire*, in Occitania.
Biteræ, *Besiers*, in Occitania inferiori.
Brigantium, *Briançon*, in Delphinatu.
Cabellio, *Cavaillon*, in Provincia.
Carcaso, *Carcassone*, in Occitania.
Carpentoracte, *Carpentras*, in Provincia.
Castra, *Castres*, in Occitania superiori.
Caucoliberis, *Collioure*, in Comitatu Ruscinonensi.
Civaro, *Chambery*, in Sabaudia.
Civitas, *la Ciotat*, in Provincia.
Crestidium, seu Crista Arnaldi, *le Crest*, in Delphinatu.
Dea & Dia, *Die*, in Delphinatu.
Dinia, *Digne*, in Provincia.
Draguignanum, *Draguignan*, in Provincia.
Ebredunum, *Ambrun*, in Delphinatu.
Electa, *Aleth*, in Occitania.
Fanum S. Eutropii, *S. Tropez*, in Provincia.
Forum Julium, *Frejus*, in Provincia.
Forum Neronis, *Forcalquier*, in Provincia.
*Geneva, *Geneve*, in Sabaudia.
Glandeva, *Glandeve*, in Provincia.
Granopolis & Gratianopolis, *Grenoble*, in Delphinatu.
Grassa, olim Griniacum, *Grasse*, in Provincia.
Helena, *Elne*, in Comitatu Ruscinonensi.
Helvii. Vide *Alba Helviorum*.
Limosium, *Limoux*, in Occitania.
Luteva, *Lodesve*, in Occitania.
Magalone, *Maguelone*, in Occitania.
Maritima, *Marregues*, in Provincia.
Massilia, *Marseille*, in Provincia.
Mauriana, *S. Jean de Maurienne*, in Sabaudia.
Monmelianum, *Monmelian*, in Sabaudia.
Mons Pessulanus, *Montpellier*, in Occitania inferiori.
Montilium Audemari, *Montelimart*, in Delphinatu.
*Narbo, *Narbonne*, in Occitania.
*Nemausus, *Nismes*, in Occitania.
Nicæa, *Nice en Provence*, aliàs in Provincia.
Papuli Fanum, *S. Papoul*, in Occitania superiori.
Perpinianum, *Perpignan*, in Comitatu Ruscinonensi.
Piscenæ, *Pezenas*, in Occitania inferiori.
Pons S. Spiritus, *Pont S. Esprit*, in Occitania inferiori.
Pontiopolis, olim Thermæ, *S. Pons de Tomiers*, in Occitania inferiori.
Regium, *Riez*, in Provincia.
Romanum, *Romans*, in Delphinatu.
Sanicium & Sanecia, *Senez*, in Provincia.
Sistarica, *Cisteron*, in Provincia.
Tarantasia, *Moustier en Tarentaise*, in Sabaudia.
Tarasco, *Tarascon*, in Provincia.
Telo & Telona, *Toulon*, in Provincia.
*Tolosa, *Tholouse*, in Occitania superiori.
Tricastra, *S. Paul de troix Chasteaux*, in Delphinatu.
Tunonium, *Tonon*, in Sabaudia.
Turnonium, *Tournon*, in Vivariensi tractu.
Valentia, *Valence*, in Delphinatu.
Vapincum, *Gap*, in Delphinatu.
Vasio, *Vaison*, in Provincia.
Vencia, *Vence*, in Provincia.
Vienna, *Vienne*, in Delphinatu.
Vivarium, seu Alba Helviorum, *Viviers*, in Vivariensi tractu.
Utica, *Usez*, in Occitania.

Gallia Belgica, terminatur ab Oriente Rheno fluvio, à Septentrione partim Rheno, partim Oceano Germanico, ab Occasu mari Britannico & Gallia Celtica, à qua etiam terminatur in Austrum. Nunc in plures provincias dividitur, nempe in Picardiam, Campaniam ex parte, Lotharingiam, Alsatiam, Germaniam cis Rhenum, & partem australem Belgii, quæ partim Regi Franciæ, partim Regi Hispaniæ subest. Belgium enim versus Boream fuit sub Germania comprehensum. Ex his partibus *Gallia Aquitanica* tota Regi Franciæ subest, uti & *Gallia Narbonensis*, excepta Sabaudia, & *Gallia Celtica* seu *Lugdunensis*, exceptis Helvetiis & Sequanis; & ex *Gallia Belgica*, major pars ipsius imperio subest, nempe Picardia, Campania, Alsatia, Artesia, pars Flandriæ & Hannoniæ, cum parte Lotharingiæ. Colonienses autem, Trevirenses, Clivenses, Juliacenses, & Leodienses sunt in Germania, & propriis parent Principibus: Altera verò pars Belgii australis Hispanum agnoscit dominium, dempta tantùm aliqua parte, quæ subest dominio Hollandorum.

Urbes Galliæ Belgicæ clariores nunc sunt:

Abbavilla, *Abbeville*, in Picardia.

Ambiani & Ambianum, *Amiens*, in Picardia.
Atrebatum, *Arras*, in Artesia.
Avenna, *Avesne*, in Hannonia.
Augusta Veromanduorum, olim episc. nunc Abbatia, *Vermand*, in Picardia.
Barrum Ducium, *Barle Duc*, in Barensi Ducatu.
*Bellovaci, *Beauvais*, in Insula Franciæ.
Bethunia, *Bethune*, in Hannonia.
*Bononia, *Bologne*, in Picardia.
Caletum, *Calais*, in Picardia.
Carolopolis, *Charleville*, in Campania.
Catalauni, *Chalons sur Marne*, in Campania.
Compendium, *Compiegne*, in Insula Franciæ.
Corbia, *Corbie*, in Picardia.
Cortracum, *Courtray*, in Flandria.
Duacum, *Douay*, in Flandria.
Dunquerca, *Dunquerque*, in Flandria.
Durocottorum. Vide *Rhemi*.
Fara, *la Fere*, in Picardia.
Furnæ, *Furnes*, in Flandria.
Gravelinga, *Gravelines*, in Flandria.
Guisia seu Gusia, *Guise*, in Picardia.
Hamum, *Ham*, in Picardia.
Hedinum, *Hedin*, in Artesia.
Janvilla, *Jonville*, in Campania.
Insulæ, *Lisle*, in Flandria.
Laudunum, *Laon*, in Insula Franciæ.
Maceriæ, *Maisieres*, in Campania.
Marsalium, *Marsal*, in Lotharingia.
*Metæ, olim Mediomatrices, *Metz*, in Lotharingia.
Mons S. Vinoci, *Vinoxbergue*, in Flandria.
Monstrolium, *Montreuil*, in Picardia.
Mosomium, *Mouson*, in Campania.
*Nancæium, *Nancy*, in Lotharingia.
Noviodunum & Noviomum, *Noyon*, in provincia Insulæ Franciæ.
Perona, *Perone*, in Picardia.
Quinctinopolis, *S. Quentin*, in Picardia.
Retelium, *Retel*, in Campania.
*Rhemi, quæ & Durocottorum, *Reims*, in Campania.
Sedanum, *Sedan*, in Campania.
Silvanecti & Silvanectum, *Senlis*, in Insula Franciæ.
Suessionæ, veteribus Suessiones, *Soissons*, in Insula Franciæ.
Theodonis villa, *Thionville*, in Ducatu Luxemburgico.
Tornacum, *Tournay*, in Flandria.
*Tullum, *Toul*, in Lotharingia.
Virodunum, *Verdun*, in Lotharingia.

Gallia Novempopulana Sex. Ruf. vel *Novempopulonia*, pars Aquitaniæ, inter Garumnam fluvium, montes Pyrenæos, & Oceanum contenta, sic à novem populis in illa præcipuis dicta, vulgò *la Guascogna, Gascoigne.*

Gallia Subalpina, Plin. pars Cisalpinæ Alpibus subjecta, quæ regio Pedemontana, & principatus Pedemontanus dicitur, vulgò *Piedmont*; in qua Augusta Taurinorum, conventus juridicus, & sedes Principis, qui Sabaudiæ Dux est, ibi residens, cùm principatus longè major, magisque Sabaudiâ excultus sit.

Urbes Galliæ Subalpinæ, id est, principatus Pedemontani:

*Asta, *Asti*.	Fossanum, *Fossano*.
*Augusta Taurinorum, *Turino*.	*Mons Vici, *Mondovi*.
Augusta Prætoria, *Aosta*.	Salutiæ, *Saluzzo*.
Eporedia, *Jurea*.	*Vercellæ, *Vercelli*.

Gallia Togata, pars *Galliæ Cisalpinæ*, à Placentia Anconam usque protensa, (licèt alii alios terminos faciant) in qua Æmilia & pars Umbriæ, in ora Senonum, Hadriatico mari exposita, inter Apenninum montem ad meridiem & Padum fluvium ad Boream perstricta.

Galliacum, castrum Galliæ, ad fluv. Tarnim, vulgò *Gaillac*. Ejus meminit Petrus *Hist. Albig. cap.* 54.

Galliani saltus, qui & *Aquinates*, teste Plinio, *Galeata*, pagus Æmiliæ, in agro Foroliviensi, Meldulæ oppido & Civitellæ oppidulo ad 2. mill. pass. vicinus.

Gallianum, opp. Lombardiæ Cispad. in Marchionatu Montisferrati.

Gallica Flavia, Hisp. urbs Ilergetum. Ptol. *Fraga* Varrer. Vide *Flavia Gallica*.

Gallicæ paludes, quæ & *Stagna Hadriatica*, Vitruv. *Lagune di Venetia*, intimus maris Hadriatici recessus, apud Venetam urbem, quæ intra illas condita, ab omni hostili invasione tuta est. V. Mar. Nigrum.

Gallicanum, opp. Latii, ubi fol. Gabiorum Urbs.

Gallicanus, Consul cum Atilio Titiano, an. U. C. 879. & cum Venustio, an. U. C. 902. & cum Symmacho, an. U. C. 1082.

Gallicanus, militum Dux celebris, ductâ Constantiâ, filiâ Constantini Magni in expeditione quadam contra Barbaros, se periculo inextricabili implicitum sentiens, à duobus amicis persuasus, votum Deo fecit, Christi fidem se amplexurum, si victor evasisset. Cujus damnas, fideliter quæ pollicitus erat, præstitit, Martyr sub Juliano Apostata tandem factus. Baron. Ann. C. 330. 362.

Gallicanus mons, Plutarch. *Gallicanus saltus* Ciceroni, mons Campaniæ, idem cum Massico & Gauro, teste Blondo cum aliis, (cum pago, qui *Cascano* dicitur) Suessæ urbi finitimus, *Garro* hodie, inter Suessam & Sinuessam urbes.

Gallicum, Ant. oppidum & fluvius Hispaniæ Tarraconensis, in Aragonia. Oppidum idem est cum Gallica Flavia: fluvius *Gallego* nominatur, in Iberum influens inter Cæsaraugustam & Oscerdam. Ferr. Baudrando *Gallicum* oppidum quid sit, non constat: Si idem cum Gallica Flavia; est *Fraga*, si Forum Gallorum, est *Zuera*, seu *Gurrea*, seu *Luna*. Vide *ibi*. Gallicus autem fluvius quibusdam est *Gallego*; qui ortus ex Pyrenæis montibus, in Iberum fluvium se exonerat juxta Cæsaraugustam.

Gallicum fretum, *pas de Calais* Gallis, *The streight of Calis* Anglis, *de Hoofden* Belgis, fretum est inter Galliam & Angliam, 6. leucis Gallicis latum; nempe inter Iccium portum, *Wissan*, & Dubrim. Dicitur etiam fretum Morinorum, & mare Germanicum separat à Britannico. Vide *Fretum Gallicum*.

Gallicum mare, quod prov. Narbonensem, h. e. Gotiam vel Septimaniam atque Provinciam, à Pyrenæo ad Varum fluvium alluit: *Gallicus Sinus* Livio *libr.* 26. qui illud ibi inter Tuscum mare & Pyrenen collocat: sicut *lib.* 34. inter Pyrenæum & Alpes Maritimas. Idem partem ejus, quà Provinciam pulsat, inter Ligures Italos & Massiliam, ac Rhodanum, *oram Salyum* nuncupat *lib.* 21. Straboni mare hoc *Narbonense* vocatur, ab urbe totius ejus oræ olim clarissima: Pomp. Mellæ *mare Mediterraneum* seu *Internum*: cujus tamen parva admodum portio est, vix m.p. 110. à summo Pyrenæo ad summam Alpen in longitud. patens. Idem nimis laxâ appellatione *Tyrrhenum* vel *Tuscum æquor* dicitur. Sed non sinui tantùm Gallico Narbonensem provinciam alluenti, verùm etiam Oceano Gallico, oram Aquitaniæ Galliæque Lugdunensis & Belgicæ pulsanti convenire videtur. Hoc, ob colonias Græcorum Massiliensium terrâ marique sparsas, *mare Græcum* Angli scriptores nuncupavere; Nunc mare Massiliense dicitur pars maris Gallici, circa Massiliam, & Stœchadas, totamque hanc oram Provinciæ. Galli mare suum vocant *Mer de Levant* i. Ortivum, cùm potius Meridianum dici posset, Gothiam quippe atque Provinciam à Mer. terminans. In illo varii sinus sunt. Primò *sinus Salsus* occurrit, ab Hispania Galliam Italiamque mari petentibus, Mellæ, eum ad Pyrenæi prom. seu Caput Crucis *Cap de Creus*, & in eo portum Veneris *Port Vendres* ponenti, memoratus. Tum alius est inter prom. Leucatam & Setium, in quo Insula Blasco, hodie *Briscou*, Agathæ urbi adversa, sita est. Hi duo sinus in unum à Strabone, qui eum minorem vocat, conjunguntur. Sequitur sinus *ad Gradus*, à 6. gradibus, quos Rhodanus effluens facit, cognominatus: Hic à Setio incipit & ostiis Rhodani finitur. Casaubonus illum terminat promontorio Citharistâ ultra Massiliam 30. mill. Hunc sinum excipit *Massiliensis*, in quo Massilia: post quem sinus *Sambracitanus*, qui habens ab Occ. portum S. Tropesii, ab Or. portum S. Maximi, à Mer. prom. Caput Caninum *Teste de Can*, cum insula cognomine, Grimaldum à Sept. modò *Golfe de Grimaut*, modò *le Golfe de S. Tropés* dicitur. Hunc attingit sinus *Forojuliensis*, in quo est prom. S. Vincentii, & duæ Insulæ *Leones* dictæ atque Forum Julii. In eundem amnis Argenteus devolvitur. Postremus à prom. Rubeo ad prom. Gallupe *Cap Garouppe* pertinet, & duo alia prom. ac Lerinum & Leronem insulas complectitur, duosque fluvios Benconem & Cyaneum *Stagne* recipit. Pars aliquam Provinciæ oræ partem allatrans, circa Areas, Pergantionem *Brigançon* & Bromum *Borme*, insulasque Areenses, ob tempestatum atrocitatem, mare Leonis *Golfe du Lion* etiam dicitur. Circa Telonem & 2. lap. à prom. dicto *Cerchiee*, corallium nasci affirmant Provinciales, quod olim laudatissimum in Gallico sinu, circa Stœchadas, fuisse, Plinius scripsit *lib.* 32. *cap.* 2. Oram æquoris Gallici illustrant Caucoliberi, *Colioure* vel *Colibre*; Helena civitas, *Elne*, Episcopatûs olim sedes; Cannetum *Cannet*; Perpiniacum *Perpignan*, nunc Cathedrâ Episcopali illustre, caput Comitatus Ruscinonensis, ruinis Ruscinonis Coloniæ proximum; Ripa alta *Ribehaute*; Salsusæ vel Salsulæ, *Saulses* Gallis, Hispanis *Salses* dictæ; Leucata *Locate*; Rupes fortis *Roquefort*; Palma *la Palme*; Narbo Martius, Decumanorum olim colonia, non procul ab ostio Atacis; Biterræ *Bezsers*, ad fluvium Obrim; Castellum novum *Castelnau*, ori ejus proximum; Villa nova *Villeneufve*, Agatha ad Araurim effluentem *Agde*; mons Setius *Mont de Sete*, Magalona *Maguelone*; ostium fluminis Ledi, *Lez*, cui Monspessulanus, à Sextatione loco olim illustri non multum distans, & Castellum Latara *Tour de Latte* adsident; Aquæ Mortuæ *Aiguesmortes*; ostia Rhodani; Maritima Avaticorum *Martegue*; Massilia Græcorum; Citharista portus & promuntorium; Civitas *la Ciotat*, vino suo nobilis; Carsici, Taurentum, Telo Martius *Toulon*; Areæ *Hieres*; Pergantio *Bregançon*, Bromum *Borme*; sinus Sambracitanus vel Grimaldensis suprà memoratus; Forum Juliense ad Argentei amnis ostium, *Freius*; Canoæ *Canes*; Antipolis *Antibe*; Villa nova *Villeneufve*; municipium S. Laurentii, *S. Laurens*; & Vari amnis ostium, quo

quo flumine Gallia ab Italia dividitur. Multi alii amnes ignobiles & obscuri in mare Gallicum decurrunt, memoratu indigni, cùm in Septimania, tum in Provincia. Multa sunt & in eadem ora promuntoria, sed si Leucatam & Setium Septimaniæ, & Citharistam Provinciæ excipias, cuncta veteribus indicta. In mari Gallico sunt insulæ plurimæ, sed pleræque parvæ admodum & incultæ ac desertæ. Quas inter eminent quædam majores, nobiliores, atque cultiores, suo quæque loco à nobis enarratæ. In primis Blasco contra Agatham, vulgò *Briscou*, Rogero Houedenio celebrata, aliàs *Briscon*, litteris a in i, & l in r conversis, ut in Lusciniola *Rossignol*, ululare *urler*, ulmo *orme*: Anguillaria *l'Anguillare*, *Anguillade* in quibusdam tabulis dicta, non longè ab ostiis Rhodani; forsitan *Metina* Plinii in Rhodani ostio. Tum Odur ad ejusdem amnis ostia, *insula quæ dicitur Odur, quæ est ad introitum Rhodani*, Rogero Houedenio nuncupata ante annos 450. vulgò *Odor*. Sequuntur tres Stœchades, *Prote*; *Mese* quæ & *Pomponiana*, Rogero Houedenio *Pumpone* appellata, inter Massiliam & insulam S. Stephani, vulgò *la Pomegue*; tertia Hypæa, *If*. Insulæ Areensium numero item tres, contra Areas oppidum, *les isles d'Hieres*, vel *les isles d'or*. Insulæ duæ, *Leones* dictæ Amelio in navigatione Gregorii XI. Papæ ante annos 300. vel insulæ Leonum, *les Lions*, Foro Julii adversæ, cujus Diœcesi contribuuntur: demum Lerinus & Lero, prior S. Honorati nomine ac Monasterio illustris, posterior S. Margaritæ. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Gallicus Oceanus, à Rheno ad Pyrenæum usque promittitur; Gallis *mer du Ponant*, id est, mare Occiduum: Plinio *lib.* 2. *cap.* 59. *Oceanus Septentrionalis*: Claudio Ptolomæo *Oceanus Germanicus*: quibusdam *Oceanus Barbaricus*. Inter ostia Rheni & os Sequanæ Oceanus est *Britannicus*, ut Plin. placet, ab Insula Britannia dictus, quam inter & Galliam Belgicam Lugdunensemque funditur: Hic prope ad os Ligeris usque pertinens, recentioribus *mare Anglicum* appellatur; Gallis nunc *Canalis*, nunc idque sæpius *la Manche*, est enim inter Gallias & Britanniam instar manicæ modo longus, erectus & angustus: & insula Britannia grandi angulo Rheni ora prospicit, atque uno latere Galliæ Belgicæ, ac provinciæ Lugdunensi 2. ac tertiæ adversa est: cujus lateris extrema extremæ Britanniæ minori, nimirum Uxanti insulæ, & promuntorio Gobæo vel S. Matthæi respondent. Oceanus igitur Britannicus, sive mare Anglicum hinc Britanniam insulam vel Angliam, inde Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, Picardiam, Nortmanniam, ac Britanniam minorem et cismarinam alluit: & ad Oceanum Britannicum sunt Gallorum populi, Batavi, Menapii, Morini, apud quos fretum Gallicum, *fretum Morinûm* Gratio dictum, Ambiani, Caleti, & trans Sequanam Lexovii, Bajocasses, Constantienses, Abrincatui, Dolenses, Aletenses, ac Osismii. Partes Oceani Britannici sunt *Fretum Gallicum*, vel *Fretum Morinûm*; *Fretum Britannicum* quibusdam nuncupatum: tum *mare Rotomagense*, quo Sequana, Rotomagum provinciæ Lugdunensis 2. metropolim, Butilam *la Bouille*, Gemeticum, Caldebeccum, Guellebotum *Quillebeuf*, Tancredi villam *Tancarville*, Rupemque Riselæ *Roque de Rille* præterlapsus, recipitur. Venantii Fortunati *in lib.* 6. *Carmine* 7. *de Gelesuintha Regina*, tale distichon est,

Pervenit, quà se piscoso Sequana fluctu
In mare fert juncto Rotomagense sinu.

Ubi *Mare Rotomagense* vocavit Fortunatus ab urbe nobilissima, partem Oceani Britannici circa ostium Sequanæ; & quâ Sequana paulo antè Rotomagum præterlapsus accipitur: Oceani Britannici portio inter ostia Sequanæ & Ligeris, *Armoricus Oceanus* ætate Ausonii vocabatur: cujus *in epist.* 13. hic est versus,

Sunt & Aremorici qui laudent ostrea ponti.

In Oceanum Britannicum influunt Rhenus, Mosa, Scaldis, Agnio, Quantia, Alteia, Sumina, Aucum, Eara, Deppa, Sequana, Diva, Olina, Viria, Seva & Senuna, Arduus, Rintius *Rance*, aliaque flumina. In eo Oceano sunt insulæ Walacria *Walcheren*, Vectis, *Guith* Britannis, Anglis *Wight* dicta, 20. millia passuum patens: Cæsarea *Gersey*, & Sarmia aut Sarma *Garnsey*: hæc 10. parœciis constans, illa 12. ambæ quondam Episcopatus Constantiensis portio, & olim Francorum, nunc Anglorum Regi subjectæ, à Nortmannis & Brittonibus Francicâ linguâ utentibus habitatæ, ambæ Æthico memoratæ: Ebodia *Alderney*, à Paulo Longobardo celebrata, Sarmiæ proxima, quæ vicum habet: Arme; & cautes eminentes veriùs quàm insulæ, Cascatæ vel certè Cacatæ, numero circiter 13. vulgò *Casquetes* aut *Quasquettes* dictæ: Liga, aliàs Iga apud Æthicum, *Ligon*: insula Brehalia, *L'isle de Brehal* aut *Brehat*; insula Viridis *l'isle Verte*; Septem insulæ *les sept Isles* Gallis nuncupatæ; Batha *isle de Bas* Gallis, Anglis *Basepole* vocata: Andium ab Æthico aliisque non omissum, vulgò *Andio*; Uxantis vel Axantos, *l'isle d'Oüessant*, & Sena oræ Osismicæ adversa. Sequitur Oceanus Aquitanicus, à Gobæo promuntorio ad Pyrenæos montes longè lateque diffusus, ut Ptolemæo placet: licèt ostio Ligeris & promuntorio Pyrenæi veteribus Aquitaniæ terminis propriè terminetur. Ad sinum Aquitanicum post Gobæum Osismiorum promuntorium claros olim portus Vindanam & Brivatem ponit Ptolemæus. Ad eum sinum sunt populi Curiosolites, Veneti, atque Namnetes: tum Aquitanicæ Gentes Pictones, Santones, Bituriges Vivisci, Meduli, Boii, atque Tarbelli. Partes sinûs Aquitanici sunt *Pictonicus Oceanus*; & *Oceanus Santonicus* à Tibullo, *in Carmine ad Messallam*, memoratus: *Santonici sali* & *Pictonici litoris* ostrea laudat Ausonius. A Medulis *Medulicus Oceanus* nomen accepit, Ausonio *in epist.* 7. *Medulorum Oceanus* dictus,

Sed mihi præ cunctis ditissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen, &c.

Extrema pars Aquitanici sinus est *Oceanus Tarbellicus*, Ausonio *in Parentalibus*, *Tarbellus Oceanus* appellatus,

Tarbellique furor perstrepit Oceani.

In hunc devolvuntur fluvii Blavitra vel Blavetum, Vicinonia, Liger, Separis, *Sevre Niortoise* vulgò dictus, Carantonus, Garumna, Leria, Atur aut Aturrus. In illo quoque sunt insulæ, Grana, *Grane*; Caput equi *Pen marck*; *insula complures Venetorum, quæ & Venetica appellantur*, ut ait Plinius, septem majoris soli quàm nominis, in quibus eminet Pulcra insula *Belle-isle*, à re cognominata; ostio Ligeris adversa; cæteræ incultæ ferè 200. Herius, à Nigro Monasterio dicta *l'Isle de Nermonstier*, aliàs *Heys*: Oia; Radis *Ré*; *Uliarus* in Aquitanico sinu, Plinio memorata insula, Sidonio *Olario* nuncupata; *Oleron*: & ei adversæ insula Aia, vel *Agia*, *Isle d'Ais*; Denepus *Denep*, Varenna *la Garanne*; Oria *l'Isle d'Oire*, & Insulæ Medulicæ, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Gallicus sinus, Strab. *Salsus* Melæ; mare inter Templum Veneris, sive Aphrodisium, Pyrenæi montis promontorium, in Hispaniæ Galliæque confinio & Narbonensis. V. *suprà*.

Gallienus Publius Licinius Ignatius, fil. Valer. à patre in consortium imperii adscitus, ab An. 2. Galli & Volusiani, A. 254. unà cum eo imperavit, A. 7. vel 8. donec Valeriano à Sapore capto, ipse solus mansit Imp. Sub hoc, Imperium præda Barbaris, & 30. Tyrannorum theatrum fuit. Accessere, terræ tremores, pestes, aliaque, quibus commotus Imp. edictorum contra Christianos acerbitatem mitigavit, ipse in scelerato flagitiorum calle pertinax. Interim tanta ei in acceptis cladibus patientia, vel potius stoliditas, ut in his etiam jocari non dubitaverit. Nam cùm accepisset, Ægyptum à Rom. Imperio descivisse, *Quid enim*, inquit, *sine lino Ægyptio esse non possumus?* Perditâ Galliâ, ridens, *Et non est*, inquit, *tuta Resp. sine trabeatis sagis?* Asiâ Alemannorum, & Scytharum incursationibus vastatâ, *Quid*, inquit, *sine Aphronitris esse non possumus?* Cælius Rhod. *lib.* 18. *cap.* 21. Accessit vitiis reliquis sævitia, quâ tandem factum, ut ipse à Claudio, Dacici exercitus Duce, prope Mediolanum, occideretur, cum fratre Valeriano jun. & filiis, quorum maximus ex Salonina Publius Corn. Saloninus Valerianus Coloniæ sublatus est. An. 268. Treb. Pollio *in ejus Vita*. Eutrop. *lib.* 9. Aur. Victor. *de Cæs.* Zon. Zos. Cassiodor. &c.

Gallim, vicus Accaronis, unde dicitur fuisse Phalti, qui Michol duxerat uxorem post fugam David. Civitas item non procul à limite Moabitarum. *Is.* 15. Sita in palustribus. In Tribu Ruben. Hebr. *Eglaim*.

Gallinaria, ins. parv. in mari Tusco, contra montes Ligusticos, ut inquit Varro. *l.* 2. *de R. R.* à *gallinis* rusticis appellata. V. Colum. 8. 2. seu verius scopulus, hodiè *l'Isolotto d'Albenga*. Sozomenus *l.* 3. *c.* 13. *de B. Martino*. Καὶ ἐπί τινα χρόνον ῥίζαις βοτανῶν ἀρκούμενος, νῆσον ᾤκησεν ἣν Γαλλινάριαν καλοῦσι. Μικρὰ δὲ αὕτη καὶ ἀοίκητος ἐν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει κειμένη. In ora Occ. Liguriæ, prope & ante Albingaunum, cum turri, Baudr.

Gallinaria sylva, Cumis vicina. Juven. *Sat.* 3.

Et Pomptina palus & Gallinaria pinus.

Gallindæ, pop. Germano-Sarmatiæ, & Venedorum pars, Sansoni, inter Venedos proprios & Agathirsos. Aliis *Galindæ*.

Gallinicus, 3. Italiæ exarchus, Romano successit, An. D. 598. per 4. annos. Huic Gregorius M. Istrianos commendavit, *lib.* 7. *ep.* 100. 101. Blondus.

Gallio, proconsul Achaiæ. *Act.* 18. Item unus ex Ducibus Valentiniani III. contra Bonifacium missus, A. C. 426.

Gallio Junius, cùm pro sententiâ censuisset, ut Prætoriani, actis stipendiis, jus adipiscerentur, in quatuordecim ordinibus sedendi; violenter increpitus est à Tiberio; ac statim curiâ, deinde Italiâ exactus, & quia incusabatur facilè toleraturus exsilium, delectâ Lesbo insulâ nobili & amœnâ, retractus est in urbem custoditusque domibus magistratuum. Hoc precium *Gallio* meditatæ adulationis tulit. Tacit. 6. 3. Cn. Domitio & Camillo Scriboniano Coss.

Gallio, al. nom. *Junius*, fr. Senecæ, à Nerone quoq; interfectus.

Gallio, seu *Gallion*, vulgò *Gaillon*, castr. Normanniæ, in Eburovicibus, versus Sequanam, ubi Cartusia nobilis *Borbonia*, & peramœnus Arch. Rhotomag. secessus, in castro splendido, à Gregorio Card. Ambosiano erecto, ad radices collis, 5. leuc. ab Ebroico in Ort. 7. supra Rhotomagum in Austr. V. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Gallipidæ, pop. Sarmatiæ, inter Hypanem & Borysthenem, in quibus Exampeus, quod V.

Gallipolis, civitas Salentinorum munitissima, in maris Jonii ora, ep. sub Ar. Hydruntino. Scopulo insidet seu modicæ insulæ, continenti adhæret ponte saxis ingentibus suffulto, qui nunquam tumidis undis ita prorsus occultatur, ut urbi plena tum insulæ forma

ma sit. Locus est instar fori, & negotiatoribus accessu tam mari, quàm terrâ peropportunus, 30. m. p. ab Hydrunto in Austro-Libycum, inter Tarentum 50. & Japygium prom. in Ortum 30.

Gallitæ, Alpina gens ab Augusto devicta. Plin.

Gallitalutæ, Indiæ pop. juxta Indum fluv. Plin.

Gallivia seu *Duaca*, Urbs Hibern. in Connacia Comit. Gallivensis caput: ad fl. Ausobæ æstuar. *Bay of Calway*, ubi lacus *Carble* in illud se exonerat, satis munita emporiumque celebre.

Gallius Vibius, vir eloquentissimus, insaniam mentiens reverâ insanus factus. Cæl. Rhod. 4. 13.

Gallogræcia, regio Asiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, & Pamphyliæ contermina, alio nomine *Galatia* dicta, quemadmodum & incolæ ipsi indifferenter *Galatæ* dicuntur, & *Gallogræci*. Nam cùm Galli multitudine domi abundantes sedes suas reliquissent, Italiamque ferro flammaque crudelissimè vexassent: Inde Camilli virtute depulsi, non parvâ manu in Græciam, Macedoniamque irruperunt: Indeque Leonorio duce, Græcis quibusdam permisti, in Asiam trajecerunt, acceptisque à rege Bithyniæ agris, sedes ibi fixerunt. Quo factum est, ut uno nomine *Gallogræci* dicerentur. Strabo *lib.* 12.

Galloligures, quorum regio *la Provence*, quamvis hæc magis pateat.

Gallonius, præn. *Cajus*, Eques R. familiaris Domitii, à quo Gades, procurandæ hæreditatis causâ, fuerat missus, à Varrone Gadibus præpositus, Cæs. 2. *B. G.* 18.

Gallonius, præn. *Publius*, vir luxu perditissimus, quem Lucilius ait, nunquam benè cœnasse, quòd nunquam esuriens cœnaret, Cic. *de Fin.*

Gallorum area, nunc *Gallera* & *Gallerato*, opp. amplum agri Mediol. sine mœnibus, à Mediolano 24. m. p.

Gallovidia seu *Galdia*, *Galloway*, prov. Scotiæ, in ora Occ. ubi incipit Merid. è regione Hiberniæ, & Monedæ Insf. à quibus 15. mill. Scot. abest. Hic urbs præcipua Casa Candida, *Withern*, & *Vuigtonium* opp. Ubi olim Novantæ. Habet à Mer. mare Hibern. ab Occ. Glottæ æstuar. à Sept. Carictam & Kilam, ab Or. Nithiam. Ab Ortu in Occ. extenditur ad 60. m. p. & ad Occ. angusto Isthmo continenti adnectitur Peninsf. *The mull of Galloway*, i. Rostrum Gallovidiæ, ol. Novantum Chersonesus.

Gallubri, populi, qui nunc *Romandioli* vocantur.

Gallus, Consul cum Flacco, an. U. C. 926. Item alius Consul cum Antonio Fausto, an. U. C. 1050.

Gallus, adolescens, Marti dilectus, quum à Marte deduceretur, ut custos esset ostii, quoties Mars ad Venerem, absente Vulcano ingrederetur, & adventantes nunciaret, observaretq; Solem precipuè, quem maximè omnium Mars metuebat, ne rem Vulcano deferret, propter singularem in illos amicitiam, fertur adolescens in somnium corruisse: quâ re nemine præsciente, Sol rem conspexit superveniens, Vulcanoq; indicavit. Quocirca tali supplicio à Marte affectus est, ut in avem nominis sui verteretur, quare nunc etiam Solis exortum insigni vociferatione indicat, quasi Marti significaturus, ut Solem caveat. Ovid. *Met.* Fabula hæc vim planetarum, Syzygiam Veneris & Martis ostendit; tum efficaciam Solis, antipathiam autem eorundem planetarum, & sympathiam Galli avis domesticæ cum Sole adventante, ut experientia locuples testis est.

Gallus Cæsar, fil. Julii Constantii, fratris Constantini M. ex Galla, frater Juliani Apost. cum cura educatus, & Sacræ Scripturæ lectioni inprimis adhibitus est, Lectoris etiam officio, unà cum fratre, in fidelium concione functus. A Constantio imperii Collega lectus, fil. ejus Constantinam uxorem accepit. Initio statim regiminis zelo ardens veræ fidei, celebre Oraculum Apollinis Daphnæi, quod Antiochiæ erat, sustulit, Judæos rebelles subjugavit &c. triennio pòst, an ex invidia, an quia insolenter varia patrasset, jussu Imper. capite plexus, in insf. Flanona, Idatius *in Chron.* vel Polæ, Istriæ urbe, ut alii. V. Socrat. *l.* 3. Theodoret. *l.* 3. Amm. Marcellin. *l.* 24. Gregor. Naz. *orat.* 1. *in Julian.* &c.

Gallus Cornelius poëta, Ægypti Præses: anno ætatis suæ quadragesimo propriâ manu se interfecit, unde illud:

Sanguinis, atq; animæ prodige Galle tuæ.

Vide *Cornelius*, & Voss. *de Poëtis L. p.* 25.

S. Gallus, Helvetiorum Evangelista. Hic claris in Scotia parentibus natus, Columbani Abbatis discipulus, cum eo in Galliam profectus est, & inde in Germaniam abiit, ubi ad Lindiniacum fluvium in loco, qui Tuconia dicitur, (hodie *Tuggen*, juxta Limagum fluvium, ad caput Tigurini lacus) contra diversi generis idololatras, Christi fidem ferventer populo annuntiavit: Ut & Brigantii ad caput Acronii, Arbore Felice, aliisque Helvetiæ locis per ann. 16. A Gomzone Duce Alemannorum ad Episcopatum Constantiensem vocatus, id muneris suscipere renuit: & A. C. 630. vel, ut alii habent, 617. in montana loca supra Acronium lacum secedens, in solitudine, eoque loco, ubi hodie Cœnobium & opp. S. Galli visitur, cellam extruxit, ibi cum aliquot discipulis, in studio meditationibusque sacris vitâ transactâ. Post ejus mortem, Fratrum, quos Francorum Reges & Alemanniæ Duces multis locupletarunt muneribus, numero crescente, cella in cœnobium versa, & anno 80. pòst Galli mortem Otthomarus Presbyter, à Pipino Caroli Martelli filio, primus S. Galli Abbas constitutus est: à quo tempore Benedicti regulam fratres profiteri cœperunt. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.* & in vocibus *Sangallensis Abbas*, Item *SanGallum.*

Gallus Hostilianus, al. *Vibius Trebonianus*; post Decium Imperator XXX. Rom. à militibus creatus est, anno mundi 4214. à Christo nato 252. ab urbe 1004. Hic cum Scythis fœdus pepigit, non sine Romani nominis ignominia, tributum eis annuum pendens, tunc primùm Respublica Romana jugum Scythicæ servitutis accepit. Hinc Barbari insolentiores facti, nec tributo contenti, ingenti exercitu comparato, terra marique sæpius irrumpunt. Interim perniciosa pestis orbem pervasit, quæ ex Æthiopia orta, per annos 15. terras propè omnes exhausit, provenisse ex infelicibus Galli auspiciis visa est, ut qui proditione Imperium arripuisset, Christiani etiam dogmatis hostis erat. Ita Imperium Galli infaustum, rerum gestarum monimentis obscurum, clade generis humani memoriæ traditum est. Hic cùm adversus Æmilianum, in Mœsia Imperatorem factum, proficiscitur, prælio victus, à suis militibus unà cum filio Volusiano Interamniæ, in Italia, occiditur, A. 254. annos natus 47. imperavit annos 2. Pom. Læt. Bap. Egnat. Eutrop. *l.* 9. Oros. *lib.* 7. *cap.* 21. Aur. Victor, *de Cæsar.* Zosimus, Eusebius, Cassiodorus.

Gallus Milo, Abbas, floruit A. 888. Poëmatis, de sobrietate, Carolo Calvo dedicati, auctor. Scripsit etiam vitam S. Amandi. Voss. *de P. L.*

Gallus, prænom. *Publius*, eques Rom. quòd Fenio Rufo intimus & L. Veteri Asiæ Proconsuli non alienus fuerat, aquâ & igni prohibitus est. Tacit. 6. 12.

Gallus Sulpitius, Romanorum primus, qui Solis & Lunæ defectus deprehendit. Vide *Sulpitius*.

Gallus, Phrygiæ fluv. imo & Bithyniæ ex Celænis montibus oriens, ac in Sangarium influens. *Garippo*, Ferr. Cujus tam admiranda est natura, ut parcè potus, & cerebrum purget, & insaniam tollat, contrà, largius haustus lymphaticos reddat. Plin. *l.* 32. *c.* 2. Ovid. *Fast.* 4.

Inter, ait, viridem Cybelen, altasq; Celænas,
Amnis it insana, nomine Gallus, aquâ.

Galmari Fanum, opp. Comit. Forestii, vulgò *St. Galmier*, in ejus suburbio videtur fons aluminosus, *Font foule* vulgò. Merula, Metel.

Galmodroesi, Asiatica gens, ultra Gangem. Ptol.

Galo, Cardin. A. 1208. ab Innoc. III. contra Albigenses missus, Item Episc. Parisiensis, obiit A. 1114. V. de utroq; Morerii *Dict. Hist.*

Galopes, Arabiæ Felicis pop. Plin.

Galorum, Galatiæ urbs. Ptol. *Garipo* Moletio, opp. Paphlagoniæ, in ora maris Euxini, apud Halys fluv. ostia.

Galsonta, vel *Galesvinta*, soror Brunehildis, fil. Athanagili, Gothorum R. in Hisp. Chilperici I. uxor, Ariana primò, dein mariti diligentiâ conversa est, conjugio satis felici usa, donec id impurus Fregedondes amor turbaret. De quo sæpe conquesta Galsonta, veniam redeundi in Patriam frustra rogavit, paulo pòst in lecto strangulata, Gregor. Turon. *l.* 4.

Galvanus Flama, Jacobinus, Mediolan. A. 1340. auctor Chronici Imperatorum, & urbis Mediol. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 64.

Galvia, V. *Calvia*.

Galvus Casleta, vel Salvus Casseta, Gen. Jacobinorum sec. 15. æstimatus inter suos. Obiit A. 1483. Leand. Alb. *de Vir. Ill. Ord. Prædic.*

Galyba, Africæ Propriæ urbs. Ptol.

Gamala vel *Gamela*, urbs & arx Palæstinæ in Gaulonitide reg. validissima fuit, in tribu Manasse, ac loci naturâ inexpugnabilis, sita in alto, petroso, & undique præcipiti monte. Joseph. *Antiq.* 4. ad lacum Semochonitidem, contra Tarichæas, à terra absorpta, teste Plin.

Gamala, in Cœlesyria. Forte *Gabala*.

Gamaliba, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Gamaliel, fil. Phadassur, princeps tribûs Manassis. Num. 1. Item Pharisæus quidam, Præceptor D. Pauli Act. 22. in Concil. Judæorum, Apostolorum causam tuitus, Act. 5. maximæ inter suos Famæ. Ad Christianismum accessisse eum quidam volunt, aliis contrarium probantibus. V. Marcellin. *in Chron.* Niceph. *l.* 14. Faucheur *Serm. in Act. cap.* 5. Lat. *retributio Dei.*

Gamanodurum, Norici urbs. Ptol. Quibusd. *Lamerding*, opp. dit. Salisburg. ad fontes fl. *Ens*, in confin. Austriæ. Aliis *Judenburg*, opp. Stiriæ super. ad Muram amnem. Baudrand.

Gamapium, vel *us*, vicus Galliæ, in Veliocassibus Normannis, trans Ittam fl. inter Dangutum ac Sterpiniacum, *Estrepigni*, vulgò *Gamache en Veuxin*. Item locus ad Aucum fl. inter Blangiacum & Aucum opp. in pago Vinemaco, diœcesique Ambianensi, cum tit. Marchiæ: *Gamache en Vimeu*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Gamapius vicus, *Genape*, castrum munitum Brabantiæ, ad fontes Dilæ fluv. 2. leuc. à Nivigella in Ort. 3. à Gemblaco in Occ. 5. à Bruxellis in Austrum. Sub Hisp.

Gamarga, Mediæ regiuncula. Diodorus.

Gamarias, fil. Helciæ, Jer. 29. Filius item Saphan scribæ. Jer. 36.

Gamaringa, *Gemar*, pagus Alsatiæ, apud Selestadium: cujus in diplom. Caroli M. mentio.

Gamarcus,

Gamaxus, exiguæ partis Indorum Rex, quia Barzaenti defectionis Arachosiis authori se conjunxerat, ad Alex. M. vinctus adductus est.

Gambaronium, opp. Italiæ, in Præfectura Locarnensi, ad Verbani littus merid. Habet Subpræfectum, quem *Potestatem* vocant, à quo civiles causæ judicantur. Simlerus *descr. Helv.*

Gambia, fluv. notissimus Nigritiæ, seu veriùs unus ex tribus ramis præc. Nigri fluv. versus prom. Viride, in Ocean. Atlanticum se exonerans. Ei adjacet regn. Gambea, longè ab ora in Ortum.

Gambrejum, Joniæ urbs. Steph.

Gambreves, Æthiopiæ sub Ægypto op. Plin.

Gambrivii, Germaniæ pop. Tacito, *Hamburgers* Peucero.

Gambua, Phrygiæ maj. urbs. Ptol.

Gamelia Juno, & *Gamelius* Jupiter, quòd nuptiis præessent. Plutarchus.

Gamelia, festa nuptiarum apud Græcos in mense Gamelione, in quo Juno *Gamelia* culta est.

Gammace, Arachosiæ regionis op. Ptol.

Gammadium, quòd ad speciem literæ Γ. formatum, Trigonus: vestimentum Ecclesiæ, fortè ut ex trigoni forma SS. Trinitatem innuerent: quam tamen Δ. Litera expressius redderet. Vid. Anastas. Biblioth. *in Leone III. IV. & Benedicto III.* Judiciale sceptrum τȣ̃ μεγάτȣ Μυςπάτȣ apud Codinum, supernè erat ex auro fuso, in speciem Γ. literæ, propterea γαμμαδίζον dictum. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Gamphasantes, Æthiopiæ pop. Mela *libr.* 1. nudi sunt, armorumque omnium ignari, nec vitare sciunt tela, nec jacere, ideoque obvios fugiunt: neque aliorum quàm quibus idem ingenium est, aut congressus, aut colloquia patiuntur.

Gamul, nomen viri. 1. Par. 24. id est, *retributio*, sive *ablactatio.*

Gamundium, q. *Gaudium mundi*, *Castellazzo*, opp. amplum Liguriæ, in agro Alexandr. ad Bormiam fluv. ab Alexandria 4. m. p. unus ex 4. locis, è quibus Alexandria coaluit.

Gamzo, nomen urbis. 2. Par. 28. Lat. *iste scirpus*, vel *juncus iste.*

Ganacia, opp. prov. Pictaviensis inf. in confin. Britanniæ min. 3. leuc ab ora littor. Oceani Aquit. in Ortum.

Ganda, primùm memorata Baudemundo, auctori *libri de Vita S. Amandi, Ep. Trajectensis*, ubi ait, Gandenses feroces ac barbaros arborum simulachrorumque cultores, partim volentes, partim invitos, ab illo, fano Mercurii destructo, baptizatos esse, Monast. Blandinio, in castro veteri *Ganda*, condito: urbs Flandriæ princeps est, ad Scaldis & Lætiæ confluentes, vulgò *Gent* incolis, Gallis *Gand*; sedes Episcopi ante an. 113. Postea *Gandavum* dici cœpit: Hinc Rigordo *oppidum opulentissimum Gandavum*, &c. Olim Brabantiæ attributa est, ut è literis Caroli M. & Ludovici Pii patet unde colligere est, Flandriam non tam latè olim ac nunc patuisse. Caput est pagi Gandavensis, Gall. *le Gantois*, vel *le Gandois*: cui contributæ atque subjectæ sunt cum tota *Wasia le pais de Waes*, quatuor villæ, oppidorum nomine dignæ, vulgò Quatuor Ministeria, *les Quatre Mestiers*, dicta: *Asneihe* vulgò dicta Ameda, Bocholtum *Bochout*, Axla *Axel*, & Hulsta *Hulst*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* & infra in voce *Gandavum.*

Gandara, gens Indorum, pop. *Gandarii* dicuntur & regio *Gandarica*. Steph. A *fortitudine* sic dicti videntur: Hesychius Γανδαρος ὁ Ταυροκεράτης παρ' Ἰνδοῖς. Nescio quare Gandaros cornutos faciat Salmasius, legendo Ταυροκέρατος. Gandaros an taurum olim Indis significaverit, viderint alii; nostro seculo *Ganda* illis est Rhinoceros. Et hoc vero similius, si ab animali ipsis nomen accesserit, à *Rhinocerotum multitudine* sic dictos. If. Voss. Vide *Candari.*

Gandavensis Agger, arx probè munita Flandriæ, sub Hollandis ab Anno 1644. cum portu capaci, 4. leuc. à Gandavo in Ortum. Frustra à Gallis tentata, Anno 1672. Vulgò *T' zas van Ghendt.*

Gandavum, vulg. *Gand*, Flandriæ metropolis, ac totius penè orbis inter urbes miraculum, in immensam magnitudinem suis viribus paulatim excrevit. Cum arce munita, & Hisp. præsidio. Coluere eam primùm *Gonduni*, sive *Gunduni*, veteres Neraciorum clientes; deinde Romani, quos Jul. Cæsarem hîc primùm collocasse, constanti Annalium fide traditur. His postremò accessere Germani, quorum pars maxima Saxones, quos ad 60. millia Carolus Magnus in hanc Belgicæ partem traduxit. Urbs est non amplitudine solùm & dignitate, sed amœnitate quâdam loci, conspicua. Tria milliaria Germanica in ambitu continet. Hîc celebris illa pacificatio, ab urbe *Gandavensis* dicta, inter Nassavianas Belgarum gentes, & Brabantos, Flandros, Atrebates, Hænovios, aliosque, exceptis Luxemburgicis, inita est, A. C. 1576. quâ cautum, obliteratâ offensionum memoriâ, ne quis super religione interrogaretur, neu rata essent judicia, quæ ejus rei ante facta essent, &c. Fœderi quoque Frisii mox accessere. Hinc dejectis passim arcibus servitus excussa, fœdusque pòst Bruxellæ initum, & belli societas contra Hispanos juramento firmata est. Gandavenses post hæc an. 1578. concitore Imbisio, Romanas Ceremonias cum sacerdotibus urbe exegerunt; hancque munire cœperunt: milite conscripto. Post Parmensis dein in Belgium adventum, cùm variæ gentes obsequium resumerent, Gandavenses fœderi Trajectino accedentes, Arausionensem intra urbem acceperunt, A. C. 1579. Cum Parmensi dein venere ad colloquia, per legatos, inducias, obsides, sed urbem servavit parum dissimulata Imbisii perfidia: qui proin capite plexus est. An. C. 1584. Arausionensi tandem per sicarium sublato, Gandavenses, quòd Hollandorum arma alibi occupabantur, nullâ spe auxilii, imminentem necessitatem festinâ pactione prævenientes, dediderunt se Parmensi, qui priorum gnarus, & in posterum providens, arcem reposuit: quam Carolus V. cervicibus incolarum imposuerat A. C. 1538. ob mobilem admodum illorum fidem. V. Hug. Grot. *Annal. Belg.* Sunt in hâc urbe 20. pontes, quorum multi 3. fulciuntur fornicibus, plurimi duobus, navesque maximas submittunt. Molæ ventis agitatæ plures, templa parœciarum habet 7. Abbatias 5. Canonicorum Collegiata Sodalitia 2. Monasteria 25. Publica peregrinorum xenodochia 7. Nosocomium unum amplissimum & ditissimum. Gerontotrophia utriusque sexûs 10. Pædotrophia, ubi etiam expositi infantes aluntur 2. Furiosorum ergastula 2. Xenodochium leprosorum unum. A Scaldi, Lisâ & Livâ fluv. alluitur, Eras. *Epist.* Guicciard. Episc. hîc institutus à Paulo IV. Anno Chr. 1559. rogatu Philippi II. & quidem primus Episc. Cornelius Jansenius fuit. Templum porro S. Bavonis ingens & opulentum, Aula Principis 365. cubiculorum, cunæ Caroli V. Belfortia turris celsissima, in cujus apice Draco ex cupro inauratus, à Com. Balduino Constantinopoli allatus, &c. supra dictis addi possunt. V. Sander. *Fland. Illustr.* Marchantium, Gramæum, Mayerum, Moreriumm, &c. Ut & supra in *Ganda*. Deficit indies. Baudr.

Gandericus, rex Vandalorum, dum captâ Hispali Bæticæ urbe, templum vellet profanare, mortuus repentè concidit. Volaterr.

Gandia, urbec. regni Valentini, cum Duc. antiquo Gentis Borgiæ & Acad. à Duce Francisco Borgia, Gen. postmodum Jesuitarum fundata, in ora maris Medit. & Sinus Valentini, 8. leuc. à Valentia in Austr. 6. à Sativa in Ort.

Gandri, pop. interioris Asiæ, quos Plinius trans Margianam in ortum ponit.

Ganelo, vide *Wenilo.*

Ganerbii, societas apud Germanos ampla, potens & antiqua, à nobilium conditione parum distat. Ejus origo à tempore, *da das Faustrecht im schwang gieng*, i. cùm vis pro jure esset. Tum enim, ante factam & promulgatam legem publicæ pacis, id est, *dem Landfriden*, cùm passim itinera essent minus secura, & latrones in arcibus, apud sui generis homines latitarent: alii Nobiles, quibus virtutis quàm rapinæ cura potior, arces sibi munitas construxerunt, quibus tuti essent; cumque suis soli viribus niti non possent, fraternitates & confœderationes quasdam, certis pactis legibusque contraxerunt, *den Burgfriden* i. pacem castrensem appellatas. Confœderatos autem hos *Ganerbios* vocarunt, quasi *gemeine Erben*, i. communes hæredes, & condominos: quorum unius familiâ extinctâ, ad reliquos confratres portio ejus, quam quisque, ad locupletandas reditibus arces illas communi securitati destinatas, contulerat, rediit. Sed hi ipsi postmodum in rapinas mutuasq; injurias versi, Imperiali Constitutione Maximiliani Imper. in Comitiis Augustanis Anno Chr. 1500. promulgatâ, sæpiusque dein confirmatâ coërceri habuerunt necesse. Arces & munitiones, *die Generbenheuser*, hæ recensentur: Arx Rotenburgensis, non procul Norimbergâ, Friburgum in Wetteravia, arx Salisburgum ad Salam, in Franconia: Quarum singulæ suos Burggravios judicis loco, suasque leges & Regalia: Rotenburgensis inprimis, quæ ab antiquis Dominis ad coronam Bohemiæ, inde ad El. Palatinum pervenit: reservato tamen recto domino, Condominos numerat plures quàm 70. Nobiles. Civitates quoque nonnullæ *Ganarbicæ* sunt: Crucenacum ad El. Palatinum & Marchion. Badensem, & Smalcaldia ad Principes olim Hennebergenses & Hassiæ Landgravios, pertinentes. Talis quoque Hebron in Sacris literis fuisse videtur, Vide Conr. Rittershusium *in partition. juris feud. libr.* 1. *cap.* 17. Et de bonis *Ganerbicis*, modo illa administrandi, renuntiatione, aliis, Limnæum *de J. P.* Spelmannum *Glossar. Archaeol.* &c.

Ganga, & *Gangita*, Thraciæ amniculus, App. 4. *Civilium.*

Ganga, urbs Lyciæ. Scholiastes Nicandri in illud Θηρ.

—— Ἀζαλίνν χαίων ἐγγαγίδα πέτρην.

Τὰς δὲ Γάγγας πόλιν εἶναι τῆς Λυκίας καὶ Γαγγίδα φασίν.

Gangama, circa Mæotidem locus. Strab. 7. ubi pisces ex glacie effodiuntur, ad Bosporum Cimmerium, ut volunt Xylander, & Bonacciolus. Casaubonus non loci, sed retis genus esse mavult.

Gangani, pop. Hibern. in parte Occ. ubi nunc Comit. Clarensis, in Connacia. Sanson. Aliis, ubi nunc Comit. Kerriensis, in parte Occ. Momoniæ, in confin. Connaciæ.

Ganganorum, promuntorium Albionis in orâ Walliæ occid. inter Meneviam urbem & *Aberconwey* op. Ptol. Quibusdam est *Lhesn.* Aliis *Braichypult point*, promunt. in parte Austr. Arvoniæ provinciæ, in ora Vvalliæ, 35. mill. Anglic. à Conovio in Africum. Baudrandus.

Gangara, regnum Nigritiæ, in parte Or. versus Nigrum fluv.

& Bornum lac. inter regn. Cassenam ad Occ. & Borni regn. ad Ortum. Urbem prim. habet cognom. J. Leo *P.7.* Auri dives, sub Rege satis absoluto, cujus equitatus in pretio est. Cœterùm arcus & acinaces militum arma, ut referunt Sanut. *libro* 7. Marmolius *libro* 9. & alii.

Gangara, Albaniæ op. Ptol.

Gangaridæ, pop. inter Assyrios & Indos. Aliis Indiæ pop. circa Gangis flu. ostia, ex Ptol. & Diod. Ultra Gangem Curtius ponit, 9. 7. & Vibius Sequester. Virg. 3. *Georg.*

In foribus pugnam. —— ——

Gangaridum faciam, victorisq; arma Quirini.

Val. Flac. *lib.* 6.

—— *Acies quem Martia circum*

Gangaridum, potáq; Gerus quos efferat undâ.

Gange, urbs Indiæ regia, *Bengala* Castaldo.

Ganges, fluvius maximus Indiæ ulterioris, illam à citeriori disterminans, ex Emodis montibus profluens, ac in meridiem in Oceanum Indicum exiens, cujus minima latitudo 2. mill. maxima 5. Plin. 33. 4. auriferum facit & cum Tago, Pado, Hebro, ac Pactolo conjungit, qui omnes auriferi. Eundem gemmiferum facit *lib. ult.* Virgil. *Georg.* 2.

Nec pulcher Ganges atq; auro turbidus Hermus.

Nonno χρυσαυγὴς dicitur. Dionysio μελανδίνης *nigros habens vortices*, & εὐῤῥείτης *pulchrifluus*. Ovid. *Trist.* 5.

—— *Lato spatiantem flumine Gangem.*

Claudianus,

Gurgitis immensum deducit in ostia Gangem.

Ostia illa septem facit Virgilius *Æn.* 9.

Ceu septem surgens sedatis amnibus altus

Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus.

Negat hoc Strabo *lib.* 15. ubi de Gange: Μίαν ἐκβολὴν ποιεῖται μέγιστος ὢν τῶν μετὰ τὴν Ἰνδικὴν ποταμῶν. Neque ab Strabone dissentit Plinius 2. 108. *A Gange amne, ostioq; ejus, quo se in Eoum Oceanum effundit*, dicturus *ostiis* si plura essent. Virgilio tamen assentiri videtur Propertius,

Et quà septenas temperat unda vias.

Ubi verbum *temperat* respondet illis verbis Virgilii, *sedatis amnibus. Tumidum gurgitem* dat ei Lucanus *libr.* 2. *vers.* 496. *rapiditatem, lib.* 8. *vers.* 227. Idem *lib.* 3.

Movet & Eoos bellorum fama recessus,
Quà colitur Ganges, toto qui Solus in orbe
Ostia nascenti contraria solvere Phœbo
Audet, & adversum fluctus impellit in Eurum.

Oppian. Κυνηγ. δ.

—— Οὐ τόσον Γάγγαο ῥόος περόωθ᾽ ἠελίοιο
Ἰνδὸν ὑπὲρ δάπεδον, Μαρυανδέα λαὸν ἀμείβων,
Μυκᾶται βρύχημα πελώριον, ὁππότε κρυμνῶν
Ἐκπροθόρων ἐκάλυψε μελῶν δέμας αἰγιαλοῖο.

Oritur ex monte Imao, seu juxta alios, *Dalanguer*, in confin. Tartariæ, in tractu *Kakakes*; dein per ditiones M. Mogolis labens, Prayam & Gourum, urbes celebres, rigat; & auctus fluv. Kandâ, Perselio, Semenâ & Tziotzâ, aliisque plurimis ejusdem dit. ibi in sinum Gangeticum se 5. ostiis exonerat. In eo anguillæ inusitatæ magnitud. 30. pedum repeiuntur, Plin. *l.* 9. *cap.* 3. Baudr. Ferrar. Malè à quibusdam cum Phisone, uno ex 4. Paradisi fluviis confunditur, ut ex supp. colligere est, cùm scaturigo ejus ab Euphrate, 1200. leuc. distet. Sanctitatis quiddam accolæ ei tribuunt, unde quotidie vis hominum, aquis ejus se abluentium, quæ etiam à procul dissitis ad 500. vel 600. leuc. petuntur. Vincent. Blancus, *P.* 1. *de Rel. c.* 22. Linschot. *cap.* 16. Texeira *lib.* 1. Torniel. & Salian. *in Annal.* Item *Ganges* Taprobanæ fluvius. Ptol. Berosus *lib.* 3 fabulatur, *Gangem* Gomeri filium extitisse, aitque tantæ corporis staturæ fuisse, ut 10. haberet altitudinis cubitos, quique pulchritudine animi, atque ingenii bonitate, ac morum integritate cùm præstaret, simulatque juris & æqui amantissimus esset, Indorum rex constitutus fuit. Nihilominus tamen à subditis iniquissimè peremptus est, ac non multo pòst impii parricidæ horrendo spectro in dies singulos usque adeò di vexabantur, ut ipsos in terram vivos opportuerit infodi, unde tota hæc regio miserrimâ clade protinus liberata fuit. Flumini Gangi hic nomenclaturam dedit. Hinc *Gangeticus sinus*, 600. leuc. Hisp. longus, 400. latus. *Golfo di Bengala* & *Gangetica tellus* Lucano.

Gangines, pop. quorum reg. nunc Guinea, Ortel.

Gangra, urbs Arch. Paphlagoniæ. Dicunt veteres τὰ Γάγγρα & ἡ Γάγγρα, ut Stephanus annotat. Volunt quidam dictam sic fuisse à caprâ quâdam, quæ *Gangra* vocaretur. Alii linguâ Henetorum & Paphlagonum γάγγραν tradunt quamvis capram appellari: unde putat Casaub. γάγγραιναν morbum proxima quæque subito depascentem esse dictum. Vide 2. Tim. 2. Gangram si nihil aliud, Synodus Gangrensis c. Eustathium Mon. qui, Cœlibatum ad salutem necessarium esse, docuerat, sec. 4. hodieque nobilitat. Huc Dioscorus, Eutychianismo Concilio Chalced. damnato, an. 451. & Timotheus Ælurus Monachus Eutychianus, quem populus Alexandriæ sedi præfecerat; missi sunt exulatum, ille Martiani, hic Leonis Impp. jussu A. C. 457. Alia in Arabiâ Fel. Steph. alia item Ponti. Nicetas.

Gangus sinus, magnus Oceani Eoi, per Sinas latè extensus, inter prov. Nanchinam, Pechinam & Xantunam ad Occ. & regnum Coream ad Ort. Lusitanis *Sinus Nanchinenses*, V. ibi.

Gannascus, natione Caninefas, auxiliaris Romanus & diu meritus, quo duce Chauci, nullâ dissensione domi, inferiorem Germaniam incursavêre. Sed statim adventante Corbulone & provinciam ingresso compositi & dux exturbatus est. Tacit. 11. 18. ac mox per immissos à Corbulone sublatus. *cap.* 19.

Gannatum, opp. prov. Borboniæ, ad amnem Anchalotum, in confin. Alverniæ, 1. leuc. à Mompenserio, medium inter Claromontium ad Austr. & Molinum ad Bor.

Gannodurum olim, quæ nunc Constantia dicitur. V. *Constantia.* Hujus cives, sub initia Reformationis, cùm jam antè quædam mutassent parumque honesta contubernia lege vetuissent, discesserunt ab iis, hi qui Canonici dicuntur: Ambrosio Blaurero doctore usi, an. 1523. post disputationem Bernensem, imagines & Missam aboleverunt. Cum plurimis aliis postea, A. C. 1529. contra decretum Spirense protestati sunt. Post quæ urbes hæ quatuor Argentoratum, Constantia, Memminga & Lindavium, peculiarem fidei suæ confessionem, Carolo V. per Casparum Hedionem, Ecclesiæ Argentin. doctorem exhibuerunt, A. C. 1530. quam Eccius & Faber cùm confutare conati essent, scriptum horum sub Comitiorum finem, quæ tum Augustæ habita, recitari jussit Imperator, cùm Confessio publicè audita non fuisset. Post victos Protestantes, Constantia ab Hispanis tentata est clam, an. 1548. quod cùm non procederet, proscripti cives, cùm salutis viam viderent nullam, Austriacis se dediderunt; à quibus Præfecto accepto, mox ministris Ecclesiæ exilium indictum est: Octobri mense præfati anni. V. Johannem Sleidanum *Comm. de statu Relig. & Reip. lib* 6. & 21. ut & in voce *Ganodurum.*

Gannum seu *Ganos*, urbs Thraciæ, in Corpialica prov. Nunc *Gonga*. Inter Redæstum ad Bor. 15. mill. & Bisanthe ad Austrum totidem.

Ganodurum, Helvetiorum civitas ad Rhenum. Ptol. vulgò hodiè *Constantia, Constance*. Aliis est *Laufenberga*, ad Rhenum, supra Basileam.

Gantum, oppidul. Benearni, 4. mill. à Palo, in Diœc. Lascurrensi. Ubi natus Petrus de Marcha, Arch. Parif.

Ganyctor, nomen viri Tortellio.

Ganymedes, Trois fil. puer formosissimus, quem cùm Jupiter deperiret, in Idæ monte venantem ab aquila rapi jussit, & in cœlum afferri, eumque poculis præfici, repudiato ministerio Hebes, filiæ Junonis, quæ ante illius raptum miscendo nectari præerat. Hyginus *in Astron. Poetico*, tradit, Ganymeden inter sidera translatum conficere signum illud, quod *Aquarium* vocamus, quòd ejus stellæ suo situ aquam fundentis imaginem referre videantur. *Nihil aliud autem per hanc fabulam demonstrare voluerunt sapientes ethnici*, teste Cicerone, *libr.* 2. *Tusc.* quàm prudentem virum à Deo amari, & illum solum proximè accedere ad divinam mentem. Est enim Ganymedes anima hominum, quam ob eximiam virtutem Deus ad se rapit. Pocula autem Jovi ministrare, nihil aliud est, quàm Deum mirificè delectari officiis sapientiæ, quæ ab animâ virorum sapientum procedunt. Porro Ganymedi insignem corporis pulchritudinem tribuerunt, non solùm, quia vir sapiens caret sordibus animi, verùm etiam, quia sapientiæ tanta est pulchritudo, ut, si oculis cerni posset, mirificos sui amores in animis hominum excitaret. Dicitur etiam ab aquilâ raptus in cœlum fuisse propter perspicacitatem, atque ab ipso Jove in aquilam versum, quòd adjutor sit Deus ad Sapientiam. Obscœna autem & turpia, quæ ab impuris quibusdam poetis & pictoribus de Ganymede ficta sunt, procul amovenda ab adolescentum oculis, & auribus, boni omnes necessarium esse judicant. Horat.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo.

Idem,

Qualis aut Nireus fuit, aut aquosâ
Raptus ab Idâ.

Ab Homero ἀντίθεος dicitur, hoc est, *par Deo*. Item ξανθὸς, *flavus*. Ἀγακλυτὸν eum vocat Qu. Calaber *lib.* 8. Χαροπὸν *gratum aspectu*, vel *fulvum* Theocritus *Idyl.* 12. & Οἰνοχόον, hoc est, *pincernam*, *Idyll.* 15. Nonno *in Bassaricis*, Τρώϊος, βουκόλος, δὐχαίτης, ἡβητὴρ, δρηστὴρ Διὸς κυπέλλων, & ἱμερόεις dicitur. *Regius puer* vocatur Virgilio *Æn.* 5. *Puer Idæus* Ovidio *Fast.* 2. *Phryx puer* eidem *Fast.* 4. ac *Iliacus puer, Trist.* 2. *Sangaricus puer* autem Statio *Sylv.* 3. Hinc pro pincerna quovis usurpatur, ut *Gætulus Ganymedes* apud Juvenalem, pro Afro pocillatore. Et Martialis,

Atq; mihi servit pro Ganymede manus.

Hoc est, ipse mihimet potum præbeo. Vide *Aquila.*

Gaoga, aliter *Kaugha*, urbs Africæ, juxta lacum, regni & deserti *Gaogæ* caput, in Nigritia, inter Nubiam ad Or. & regnum Bornoë

Borno ad Occ. Reges à quodam servo Æthiope descendunt, qui ante an. 200. heri sui jugo excusso, primò mancipiorum mercimonio aliquam equorum vim sibi comparavit, dein vicinis percursatis regionibus, tandem regnum hoc occupavit. Pars incolarum, Christiani sunt, sed omnium prope rerum ignari, & pastoritiâ plerunq; curâ vitam tolerantes. Joh. Leo, Sanut. Marmolius.

Garamantes, pop. interioris Libyæ, Psyllis finitimi, à *Garamante* Apollinis filio sic dicti. Hi matrimoniorum expertes passim cum fœminis degunt, nullas certas sedes habentes. Virgil.

—— Ultra Garamantas & Indos
Proferet imperium. —— ——

Idem *Eclog.* 8.

Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

Ad quos est *iter inexplicabile*, ut ait Plin. 5. 5. Vid. & *lib.* 6.*c.* 8. Tacit. 4.*Hist. Garamantes exciverat, gentem indomitam, & inter accolas latrociniis fæcundam.* Lucano *nudi*, *lib.* 4. ac *inculti lib.* 9. dicuntur. *Velox Garamas*, Claudiano, & *atrox*, Silio, *inops* autem Senecæ *in Hippolyto.* Hodie regnum *Borno* hi populi constituunt, partim candidi, partim nigri, comes, & ex parte mercaturæ dediti: sed uxorum communione, & religionis exiguâ curâ priscos æmulantur. Vid. ulterius Strab. *lib.* 17. Cluver. *l.* 6. *cap.* 4. &c. Hinc *Garamanticus*. Sil. *lib.* 1.

Dum fert Herculeis Garamantica signa columnis.

Garamas, Libyæ rex, cujus filiam Jupiter Ammon ad Bagradam fluvium compressit, ac Jarbam ex ea genuit. Virg. *Æn.* 4.

Hic Ammone satus raptâ Garamantide nymphâ.

Garamas, Asiæ mons, ex quo Phasis oritur. Vibius.

Garapha, portus Africæ propriæ. Ptol.

Garaphi, montes Mauritaniæ Cæsariensis. Ptol.

Garas, mons ibidem.

Garates, Peloponnesi amnis in Arcadiâ. Pausan.

Garazua, opp. Brasiliæ, in Præf. Paranambuci, 5. leuc. Germ. ab Olinda in Bor.

Garbata, Æthiopiæ sub Ægypto mons. Ptol.

Reges Oveti, Legionis & Castellæ.

Garcias, Rex Oveti & Legionis, fil. Alphonsi III. Suasu Chimenæ uxoris, contra Patrem arma sumsit, sed acie victus, in vinculis fuit. Quibus, à Fratribus & Socero, effractis, coëgit Patrem se abdicare regno, vix triennio superstes. Obiit an. 890. Mariana *hist. Hisp.*

Garcias I. dictus, Fernandus, fil. Fernandi Gonsales, ex Sanctia Navarræa, Comes Castellæ, patri successit, per annos 48. Contra Mauros, Filii sui Sanctii rebellione, excitatos, fortiter pugnans, in prælio cecidit, an. 986. Nepos

Garcias II. successit Patri, *in nuptiis occisus, cum Sanctia, sorore Weremundi III. Regis Legion. Ejus soror Sanctio III. M. Regi Navarræ nupta, Castellam Navarræ junxit.* Mariana, Turquet. *Hist. Hisp.*

Reges Navarræ.

Garcias I. Navarræ R. cognom. *Inigus*, Inigo Ximenio Patri successit, maritus Urracæ Arragoniæ. Obiit an. 870. regni 20. Vid. Oihenartum & Marcanum.

Garcias II. patri Sanctio successit anno 905. Obiit Anno 926. in consortium regni ascito fil. Sanctio, cognom. Abarcâ.

Garcias III. Sanctii Abarcæ fil. prælium initurus trepidare solitus est, unde *Trepidator* dictus, postmodum fortitudine conspicuus inter primos. Pater, ex Ximena, Sanctii M. Obiit sub initium sec. 11.

Garcias IV. Nageræ educatus, Fratri Ferdinando I. contra Bermundum, Legionis Regem, suppetias misit, postmodum, contentione obortâ, ab illo acie victus, Obiit An. 1054. Mariana, *l.* 3. &c.

Garcias V. fil. Raimiri, qui Sanctii IV. ex fratre nepos fuerat, Navarræ regnum recuperavit. Cum vicinis bella gessit, lapsu equi in venatione mortuus, an. 1150. regni 15.

Viri celebres.

Garcias, Hispalensis, JC. insignis, sec. 13. in Epistolas Decret. commentarios scripsit.

Garcias Lassus, Poëta, Odarum insignis scriptor, Paul. Jovius, *elog. doct. Vir.* Caroli V. in Provinciam comes, prope Aquas Sext. lapidis ictu à rustico interemtus est.

Garcias Loaisa, Arch. Toletanus, Concilia Hispaniæ edidit. A Philippo II. filii educationi admotus, obiit An. Chr. 1599. pœnitentiâ relictæ Aulæ enectus.

Garcias Toletanus, ViceRex Siciliæ, ob cunctationem, in suppetiis Melitæ Ins. summittendis, & intactam classem Algeriam, à Selimo Imper. per literas illusus.

Garcus, insula ante Taprobanem. Ptol.

Garda, urbs Gronelandiæ erat, in ora littor. & emporium celebre, in parte Or. sub Norvegiæ Regibus. Jam diu in ruinis. Ep. fuit sub Arch. Nidrosiensi.

Gardei, Sarmatiæ Asiatica gens. Plin.

Gardeleba, opp. Marchiæ Brandeb. super. ad amnem Meldam, 7. leuc. à Magdeburgo in Bor. in confin. Ducatus Brunsuic.

Gardianus, à Gall. *Gardien*, defensor, patronus, tutor, custos, is cujus fidei quid committitur: ut *Gardianus Ecclesiæ*, qui rem Ecclesiæ procurat, tuetur, ministrat: aliàs Defensor Ecclesiæ, quod vid. *Gardianus* seu custos *quinq; portuum*, magnus apud Angl. Officialis est: quinque præcipuis regni portubus, viciniori Galliæ oppositis, præfectus; omnem belli aleam expectaturus, portuumque ope strenuè subiturus, Angl. *Lord Warden of the cinque ports.* Vid. supra *Barones quinq; portuum*, & infra, *Quinq; portus.* Apud Hispanos *Gardingus* dignitatis classis fuit; vel saltem muneris, quam tamen ipsi Hispani hodie non satis explicant: In L. Wisigothorum crebra ejus mentio. Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Gareata, Arcadiæ pop. Pausan.

Gareathyra, Cappadociæ op. Strabo.

Gareb, nomen collis, juxta Hierusalem, ad Bor. siti, Jerem. 3. Nomen viri. 2. Reg. 23. Lat. *scabies*, aut Syriacè *hydria.*

Garelianus, mons Italiæ, quem Saraceni ex Africa venientes, post Apuliam & Calabriam vastatam, occuparunt & munierunt A. C. 910. Sigon. *lib.* 6. inde dejecti à Berengario Rege, Papæ & Græcorum auxiliis suffulto, qui tam celebri victoriâ tum potitus est, ut Petrum & Paulum Apostolos, in prælio conspectos, vulgaris admiratio, & hinc orta credulitas, tradiderit, A. C. 915. Idem.

Garetum, seu *Gareta*, provincia regni Fezzæ, in ora maris Mediterr. in confin. regni Algeriæ, ubi & Gareti montes versus Austr. Initium sumit ab Occasu à Medulo flumine, & ad fluvium Mulviam ad Ortum terminatur, à Meridie montes ipsam à desertis Numidiæ separant, à Septentrione ad mare mediterraneum protenditur. Merc. Dividitur in tres partes, nempe in planitiem, ubi urbes & opp. in montes & in Deserta. Ejus urbes præc. Tezzota, Meggea, Casaza & Melilla. Quæ duæ ultimæ sunt sub Hisp. Baudr.

Garganus, mons Apuliæ Dauniæ, vix 80. mill. in circuitu habens, cùm latè sumitur, i. cum illa parte Apuliæ Daun. quæ in Adr. mare excurrit, præcelsus valde & ascensu difficillimo; latere quo mare spectat, promontorium habet, spatio 300. stadiorum procurrens. Incipit ab Apennino, ex cujus radicibus jugum enascitur editissimum, latitudine P. M. duorum, longitudine 20. post quod ita paulatim, mons assurgit, ut in summam (fructifer tamen) altitudinem, vastitatem, amplitudinemque desinat. In mare tam longè protenditur, ut ambitu radicum, quas planities excipit, ad 200. P. M. contineat. In hoc monte lacus aliquot piscosi inveniuntur, inter cæteros *Varanus.* In fronte promuntorii, civitas est *Bestia*: post 10. millia Vesticæ castellum sequitur; flexuque illo promontorii toto emenso *Rode vel Rore* civitas. In montis Gargani vertice præcelsaque rupe, quæ ad mare spectat, oppidum est *D. Angeli*, ita nominatum à specu D. Michaëli Archangelo sacra, distatque 5. mill. ab ora maris Afr. totidem à Manfredonia in Bor. 15. ab Hyrio in Austr. Baudr. Hinc vertex hodie vocatur *mons S. Angeli.* Lucan. *lib.* 5.

Apulus Adriacas exit Garganus in undas.

Horatius *ad August.*

Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum.

Gargaphia, vallis & fons, ubi Actæon à canibus laceratus est. Ovid. *Met.* 3.

Vallis erat piceis, & acutâ densa cupresso,
Nomine Gargaphie. —— ——

Obiter emendabis Vibium *Garga Eubææ, ubi Actæon laceratus est à canibus*, repone, *Gargaphia Bœotiæ.* A Phœnicio גרף *garaph*, per primæ geminationem deducit vir magnus, illud autem de torrente dicitur, qui præceps lapsus omnia avehit.

Gargara, mons & op. Troadis in summitate montis Idæ, apud Ilii urbem, frugum copiâ maximè affluens. Virgil. *Georg.* 1.

—— Nullo tantum se Mœsia cultu
Jactat, & ipsa suas mirantur Gargara messes.

Ovid. 1. *de arte Am.*

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Claud. —— *Jam flavescentia centum*
Messibus æstivæ detondent Gargara falces.

גרגר *gargar* Ebræis *granum* significat. Dictus igitur hic mons à *copiâ frugum.* Vide Servium *in Georg.* 1. Item *Gargarus* lacus Phrygiæ juxta Idam montem, ex quo Scamander, & Simois decurrunt.

Gargarenses, gens mixta Amazonibus.

Gargaris, Curetum rex, mellis colligendi usum primus invenit. Huic cùm ex filiæ stupro nepos provenisset, omnibus modis eum perdere conatus est, sed frustra; tandem verò tot casuum periculorumque, quæ evaserat, admiratione, successorem illum in regnum designavit, nomenque illi Habidis impositum est. Justin. *lib.* 44.

Gargarum, Lampsaci op. & aliud Epiri, & aliud Italiæ à *Gargaro* Jovis filio. Steph.

Garge, urbs Lybiæ. Steph.

Gargettus, op. & pars tribûs Ægeidis. Plut. Patria Epicuri, qui inde *Gargettius*, Cic. Aliis. Item canis cujusdam generosi nomen, qui Geryonis boves custodiebat, & leonibus insultabat, quem tunc Hercules interfecit, cùm illius armenta abduxit, fuitque Cerberi Epirotici frater. Pollux *lib.* 5.

Gargilianus, cinædus quidam, de quo Martialis *lib.* 3.

Gargilius Martialis, historicus, qui vitam Alexandri Severi est diligenter persecutus. V. Lamprid. *in Severo*, Vopisc. *in Probo*, qui historiæ ejus veritatem laudat, elegantiam desiderat. An idem Palladio Servioque memoratus? Item venator nobilis, de quo Horatius,

——— ——— Venator ut olim
Gargilius, qui manè plagas, venabula, servos
Differtum transire forum populumq; jubebat, &c.

Gargogilum, vetus ac nobile castrum Galliæ, ad Ligerim, in finibus Carnutum, diœcesique Aurelianensi. Vulgò *Jargeau*. Monasterium S. Crucis *Gargogilensis* numeratur, inter Aurelianensis Ecclesiæ res, in literis Caroli Calvi, Hugonis & Leonis VI. Vid. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Gargus, unus ex collibus Tauri montis.

Gariannonum, opp. Angliæ ad ortum, ad Garieni flu. ostium, emporium Norvico urbi propinquum, olim *Burghcastle* Camdeno, ex cujus ruinis hodiè *Yarmouth* emersit.

Garieus, Vid. *Idrieus*.

Garites, Gall. Aquitanicæ pop. circa Garumnam incolentes, soli Cæsari memorati *lib. 3.* quos Elusatibus atque Auscis medios interponit. Horum urbs *Aginum*, & regio *Agenois*, teste Orontio, & Marliano. Baudrando, ubi nunc Comitatus Gaurensis *le pais de Gaure*, ad Egirsium amnem, inter Auscios & Lactorium, aliquot leucis ab Aginno in Austr. Comitatus hic inter Comit. Fidentiacensem & Vicecom. Leomaniensem ac agrum Condomiensem positus, oppida habet, Florentiam novum municipium, Simpodium *Sampui* & Salvitatem *la Sauvetat de Gaure*. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Garizim vel *Gerizim*, mons in finibus tribûs Ephraim & Manassé altissimus, in quo sita fuit urbs Sichem, prope quam habitavit, & altare condidit patriarcha Abraham, Gen. 12. & Jacob, Gen. 33. In hoc monte Pontifex Manasses, frater Gaddi, quum duxisset filiam Satrapæ Samaritani, ideoque à Judæis dignitate sacerdotii privaretur, confugiens ad socerum, templum simile Hierosolymitano ædificavit, & sacra similia Leviticis instituit eo tempore, quo Alexander Magnus Monarchiam Persicam occupavit. Josephus 11. 7. Id templum annis 200. pòst, unà cum Samariâ, evertit Johannes Hyrcanus fil. Simonis fratris Judæ Maccabæi. Joseph. 13. 16. Sed tamen nihilominus in ejusdem montis vertice Samaritani, quorum 11000. à Vespasiano ibi occisa, adorabant & acerrimè Christianos oderant, usque ad Justiniani Imp. tempora, qui plerosque ad fidem Christi perduxit, ac templum paulo antè, jussu Zenonis Imp. in eo monte in honorem Christi extructum, instauravit, & munitionem addidit, unde seditiosos Samaritanos posset compescere, ut Procopius *l. 5. de ædificiis Justiniani*, narrat. Cyrillus putat hunc eundem montem esse, supra quem Josuè ædificavit altare, & populus Israel audivit à sacerdotibus recitari benedictiones, legi obtemperantibus propositas. Scribunt enim montem hunc, ad dextram fontis Jacob, Parnassi instar bicipitem fuisse, cujus alterum caput *Gerizim*, alterum *Ebal* nominatum sit. Vid. quoque Deuter. *c. 11. & 27. Jos. 8. Jud. 9.*

Garlandus, Vid. *Stephanus Garlandus*.

Garmaa, Thraciæ op. Procop.

Garnerius, Episc. Lingonensis, Anno 1192. Principibus, inprimis Richardo I. gratus, homiliarum aliquot auctor. Bertrandus Tisserius, *Bibl. Claravall. tom. 2. p. 75.* Item, M. Magister Ordin. S. Johannis Hierosf. post Mogerium Molinum, interfuit prælio cruento, contra Saladinum, quo Rex Guido captus est, an. 1187. ibique pluribus vulneribus acceptis, obiit decimo pòst die mense Magisterii secundo. Bossius & Megisserus *Hist. Melit.*

R. Garnerius, poëta insignis, locum tenens Gener. Cœnomanensis agri. Verdier. *in Biblioth. Gall. p. 1098.* Non infelix Dramatum auctor.

Garneseja, Inf. maris Brit. versus oram litt. Duc. Normanniæ, sub Anglis. Vid. *Sarnia*.

Garnetus Henricus, æquivocationum peritissimus, Jesuitarum in Anglia Provincialis, Conjurationis pulverariæ architectus, post hanc detectam, captus est, cum Grenvello & Oldcorno sociis. Cùm se tueri non posset, unà cum reliquis ad supplicium ductus, blasphemè applicuit sibi Salvatoris illud, *Necesse est, ut unus moriatur pro populo*, A. C. 1605. Post quæ Jacobus Rex, arctiori juramento subditorum fidem adstrinxit: V. hujus *Opus regium*.

Garoceli, Alpium populi, Cæsar, *Mencenis*, aut *Val de Maurienne*, cum tit. Comit. ab an. 600. sub Duce Sabaudiæ hodiè. Sansoni fuere inter Alpes & Brigantium Segusiumque, ubi nunc mons Genebra, in ultimo limite Delphinatus, versus Italiam.

Garodes, insula Nili. Plin.

Garpheti, Arabiæ pop. Plin.

Garrha, Mauritaniæ Cæsariensis op. Ptol.

Garryenus, *Tare*, fluv. Icenorum, nunc Norfolciæ Com. in Angl. Norvicum urbem illius tractus prim. rigat; dein auctus flu. *Wauney*, in Oc. Germ. se exonerat, 14. mill. infra Norvicum, ad Gariannonum opp.

Garucianus, Vid. *Trebonius*.

Garsaura, opp. Cappadociæ fuit, inter Coropassum & Mazanam urbes.

Garsia, Navarræ rex. An. Dom. 1015.

Garsias, Alphonsi fil. Hisp. rex. An. Dom. 878. V. *Garcias*.

Gartia, opp. Pomeraniæ, ad Oderam fluv. 3. leuc. supra Stetinum in Austr. è regione Griffenhagæ, sub Suecis. Aliàs munitum, sed ab An. 1638. munitiones solo æquatæ sunt.

Garumna, fluv. Galliæ, in Pyrenæis montibus nascens, Celtasque dividens ab Aquitanis, & per Santonum fines occiduum influens Oceanum. Baudrando fluviorum, qui è Pyrenæo exeunt, maximus, oritur in montibus Auræ, in confin. Aragoniæ, non procul à Salarda; dein per Convenas fluit: Valesio oritur in Convenis, & ex Pyrenæo monte delapsus, alluit Castellum Leonis *Castel Lion*, Fanum S. Beati Baudrando dein Lugdunum Convenarum, Valentiam & S. Gaudentium rigat, ut & Rivos, Muretum, Tolosam. Valesio, post opp. S. Beati, Montem Regalem *Montreal*, ad Nigellæ *la Nesle* & Garumnæ confluentes positum, ac Rupem fortem alluit. Tum Salatum recipit *Sale*, amnem è Consarannis & ex oppido S. Licerii *S. Lezer* venientem. Pòst Longâ augetur *la Longe*, deinde etiam Arejâ *l'Ariege*, qui Tarasconem, Fuxum, Rivos, Apamiam, Savatdunum castrum, opp. S. Gavellæ, & Altam ripam præterlapsus, contra Rupes *Roqs* accedit Garumnæ: qui mox Tolosam, Granatam & Virdunum attingit, & Castellum Saracenum. Hinc auctus aliquot fluviis Tarnum recipit infra Mossiacum, seu Musciacum vet. Monasterio illustre, & paulo pòst Ægirsium, *Gers*, ex Augusta Auscorum & Florentia Lacturaque venientem. Inde Valentiam, Aginnum Nitiobrigum, Portumque]& Aquinonem *Aiguillon*, ubi recipit Lotium seu Olitem, fluvium navigabilem, & Baiiam ex adverso, præterlapsus, inde Tonino, Manso Aginnensium, Marmanda, Regula rigatis, Gerundam vicum *Gironde*, unde illi porro nomen, Vid. infra, præterfluit, Drosio *le Drot* ibi accepto. Tot auctus aquis Garumna alluit castrum *S. Macarii*, Alingonem, & Sirionem *Barsac*, ad Sirionis *le Siron* & Garumnæ confluentes situm. Cadillacum *Cadillac*, Potentiacum *Podinçac*, Reontium *Rions*, & prope Burdegalam labitur; infra quam Gala amniculus *la Jalle* in eum decurrit, paulò pòst recipit Duranium flu. omnium fluviorum, qui in eum devolvuntur, maximum, cum quo 15. leuc. infra in Ocean. Aquit. se exonerat, postquam Cantum Merulæ *Chantemerle*, Pauliacum, Castellionem in Medulis, Solliacum *Soulac* in sinistra ripa; in dextra Santonicaque Blaviam *Blaye*, Condate *Cosne*, Tamnum *Mortaigne*, aut potius Talmon, Noviorεgum *Royan*, quæ quatuor loca sunt Santonum, salutavit. Ejus ostium ut Baudr. habet æstuarium magnum efficit inter Solacium Medulum, & Rojanum Santonum, ubi Andros Inf. aliàs, nunc tantùm turris Corduenna, inter quam & Santoniam est exitus, dictus *Passus Asinarius*. Secundùm Valesium, in ejus ostio tres sunt passus gradusve, navigantibus noti, passus Arenosus *le pas de Grave*; passus Asinorum *le pas des Asnes*, & Foramen Malidumi *le Pertuis de Maubusson*. Medio in ostio, quod *la bouche de Garone* vocant, scopulo cuidam insidet turris admirandi operis à Ludovico XIV. magnificentissimè refecta & restituta, cum inscriptione Latina. Heic navigantibus noctu ignis accensus prælucet, ut olim in Inf. Pharo, in urbe Gallæciæ Brigantia, in Morinorum urbe Gesoriaco factum. Dicitur *la Tour de Cordan*, h.e. turris Cordubensis, quoniam inde olim Saracenorum Hispaniensium, quorum Cordubæ sedes fuit, conatus observati. Currit autem hic fluv. teste Æthico millia 207. Aquitanos primùm à Celtis: dein provincias Narbonensem 1. & Aquitaniam secundam à prov. Novempopulana seu Aquitania 3. dividens. A' fonte nomen integrum retinet, usque ad Gerundam vicum & ad Regulam, tum enim ad ostium usque *Gerundæ* nomen sumit. *Not. Gall.* *La Garonne* hodiè. Ejus meminit Tibul. 1. 7.

Testis Arar, Rhodanusq; celer, magnusq; Garumna.

quem versum sic legit Hadr. Valesius:

Testis Atur Doranusq; celer:

Additque meritò *Magnum* à Tibullo vocari, cùm Fortunatus *lib. 1. Carm. 15.* Pado eum ac Rheno Danubioque comparandum putarit; ipseque tribus, inter alios, navigabilibus fluviis Tarne, Olite, atque Duranio auctus, *æquoreus* ab Ausonio *in Mosella*, recentioribus quoque *Mare* appelletur. Claudianus *lib. 2 in Ruffinum,*

Quosq; rigat retro pernicior unda Garumna.

Quòd ait *retro*, revocat mihi in mentem Sidonii illud,

Oceanus refluum spargit per culta Garumnam.

Mela 3. 2. *Garumna ex Pyrenæo monte delapsus, nisi cùm hyberno imbre aut solutis nivibus intumuit, diu vadosus, & vix navigabilis fertur. At ubi obvius Oceani exæstuantibus accessibus adauctus est, iisdemq; retro remeantibus suas illiusq; aquas agit, aliquantum plenior, & quantò magis procedit, eò latior fit: ad postremum magni freti similis: nec majora tantùm navigia tolerat, verùm etiam more pelagi sævientis exurgens, jactat navigantes atrociter, utiq; si aliò ventus, aliò unda præcipitat.*

Garumni, populi Garumnam circum habitantes, ut Tolosates, Aginates, Burdegalenses &c. Baudrand. Valesius *Garumnos* soli Cæsari *Comment. 3.* memoratos, quos Auscis ille & Cocosatibus medios interponit, gentem vult esse Novempopulanæ provinciæ, quæ Garumnam delapsum ex Pyrenæo, prima

vel

vel inter primas accoluerit. Est enim in Convenarum finibus, inquit, inter oppida S. Bertrandi & S. Gaudentii, ad utramque fluv. ripam posita regio, inde Riparia *Riviere* dicta, divisa in Superiorem & Inferiorem, urbibus Monte Regali *Montregeau*, & Valentiâ insignis; cujus tractus incolas Garumnæ nascenti appositos, *Garumnorum* appellatione à Cæsare designari arbitratur. Certè Riparia attingit fines prov. Narbonensis, quam Garumna ab Aquitania dividit, *Notit. Gall.*

Gasanda, Arabiæ populi, quos cum Alilæis conjungit Diodorus Siculus. *lib.* 3.

Gaselicus, fil. Alarici nothus, patre cæso, pronuntiatus Rex, mox collusionis cum hoste suspectus pulsus est, regnumque Almarici ex Theudetusa filia Alarici nepotis tutor Theodoricus Veronensis, tutatus est. A.C.517. Isidor. *in Chron.*

Gasnapia, vulgò *la Ganache*, locus est Galliæ, in Pictonibus, inter Montem acutum & Bellum videre ad mare. Petri *de Gasnapia*, proditoris summi, meminit G. Miles *in literis ad Henricum Angl. R. ante annos* 500. *scriptis.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Gasorus, Moletio *Lesterocori*, urbs Maced. Amphipoli proxima, Græcis nunc *Alectryopolis*, Episcopalis sub Archiepiscopo Philippensi.

Gaspar Colinius Castellionæus, Admiralis Galliæ celeberrimus, Reformatorum Dux fortissimus, princeps Parisiensis Lanienæ victima, occubuit an.1572. Vide *Colinius.*

Gaspar Contarenus, vide *Contarenus.*

Gaspar Peucerus, Medicus & Mathematicus insignis, gener Melanchthonis, Chronicon Carionis edidit Wittembergæ, anno 1565. ut & de Divinationibus librum. Carcere, ob veritatem, decennali sub Augusto Elect. Sax. clarus. Obiit an. 1601.

Gaspar Schwenckfeldius, nobilis Silesius, literis egregiè imbutus, hortatus est Jacobum Episc. Vratislaviensem, edito scripto, an.1524. ut puram Evangelii doctrinam amplectatur. Dein medium se inter Evangelicos & Pontificios gerens, ridiculam planè hæresin procudit. Negavit enim, verbum aliquod Dei scriptum extare, Scripturamque ad Fidem, non hanc ad illam examinandam esse: Corpus Christi cœlitus delatum fuisse, ejus humanam naturam post Resurrectionem Ascensionemque deificatam esse, hominem justitiæ, sapientiæ, &c. Dei essentialis participem fieri, virtutem verbi sacri ipsum substantiale Verbum esse, corpus Filii Dei in S.C. ex aëre conflari, &c. asseruit. A Luthero, Melanchthone, Bucero, Bullingero, &c. refutatus, nihilo seciùs obstinatè in deliriis hisce perstitit. Vide Sclüsselburg. *in Catal. hæret.* Gautier. *sec.* 16. *cap.* 66. Bucholzerum, *Ind. Chronol. &c.*

Gaspar Vopelius, Mathematicus, circa an.1544. scripsit Cosmographiam, descriptionem Europæ, Asiæ & Africæ littorum, Item de Rheno. Voss. *de Math. c.*44. §.18.

Gaspar Ursinus, Poëta & Historicus, composuit Chronologiam Imperatorum, Regum, Paparum, &c. Paul. Jovius, *Elog.*

Gasparinus Bergomas, Grammaticus celebris, an. 1420. Ricciol.

Gaspha, nomen loci. 2. Esdr. 11. Lat. *appropinquatio oris*, sive *accedens huc.*

Gassendus Petrus, Provincialis, Mathematicus Regius, Philosophus sui temporis celeberrimus. Scripsit libb. 3. de Philosophia Epicur. libb. 5. Philosophiam suam, opera Astronomica, vitam Peirescii, &c. Obiit Parisiis, anno 1655. ætat. 66. V. Vossium, Morerium, &c.

Gastaldus, civitatis seu provinciæ, idem Longobardis olim, qui aliis Graphio & Præpositus, Anglis Vicecomes appellatur. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Comites Foissæi seu Fuxii.

Gasto I. Comes Foissæus, successit Patri, Rogerio Bernardo II. an.1306. Obiit an.1315.

Gasto II. fil. ejus, obiit an. 1344. Filio successore, qui

Gasto III. cognom. Phœbus, victoriis, animi magnitudine, ædificiorum magnificentiâ, &c. inclytus fuit. Scripsit de Venatione, Speculum Phœbi, &c. Obiit subitaneâ morte, anno 1391. Comitatum suum Carolo VI. Regi donavit, sed hic eum hæredibus reddidit.

Gasto IV. fil. Johannis, an. 1436. ex Eleonora Arragonia, pater inter alios, Johannis Vicec. de cujus fil. Gastone, infra.

Gasto V. Foissæus, vel Fuxius, fil. Johannis Vicecom. Narbon. ex Maria Aurelianensi, sorore Ludov. XII. Præfectus Mediol. & Dux exercitus Gallici, in Italia. Intra 15. dies, Bononiam, à Confœderatis, Papa, Hisp. R. & Venetis, obsessam, nive insuper densissimâ cadente ingressus: Joh. Paulum Baillonum, copiarum aliquot Venetarum Ducem stravit, Brixiensi agro intrato 8000. hostium delevit, memorabili dein ad Ravennam prælio, Paschatis die an. 1512. victor, dum nimis avidè fusos hostes insequitur, à globo Hispanorum circumventus, & occisus est, an. æt. 24. cum maximis Ducum comparandus. Vide Silon. *ministr. status*, Dupleix. Mezeraium, &c.

Gasto, nomen Ducis Aurelian. fratris Ludovici XIII. Obiit an. 1660. æt. 52. nullâ prole mascula relictâ. Item nomen Delphinatis cujusdam nobilis, qui cum Guerino fil. Ordinis S. Antonii fundator extitit, sec. 10. Vide *Antonii Ordo.* Item Morerii *Diction. histor.*

Gastron, Lacedæmoniorum, quos Spartani Ægyptiis adversus Persas auxilio miserunt, dux. Vide Polyænum *lib.* 2. *pag.* 136. Hic, cùm sciret, firmiorem esse Græcum militem magisque à Persis timeri, commutatis armis Græcos in primâ posuit acie; & cùm illi æquo Marte pugnarent, submisit Ægyptiorum manum. Persæ cùm Græcis, quos Ægyptios opinabantur, restitissent, supervenienite multitudine, quam ut Græcorum expaverant, cesserunt.

Gastronia, regio Macedoniæ. Steph.

Gatham, filius Eliphaz filii Esau ex Adâ uxore. Genesis 36. Lat. *tactus*, vel *mugitus eorum*, aut *mugitus perfecti* vel *simplicis.*

Gathea, urbs Arcadiæ. Steph.

Gathis, regina Syriæ, quæ edicto cavit, ne quis piscem comederet, quin ipsa adesset, at hæc piscibus tandem data, & devorata dicitur. Volaterran.

Gathynia, urbs à Lacone rege condita juxta mare, ut Cedrenus nobis tradit: Ὁ τοίνυν Λάκων τὴν ἡμίσειαν χώραν λαχὼν, Λακωνικὴν ἐκάλεσεν, ἧς τριάκοντα τρεῖς χρόνους βασιλεύσας, ἔκτισε πόλιν παράλιον τὴν Γαθυνίαν.

Gavanodurum, aliis Juvavum & Juvavia, *Saltzburg*, urbs Archiep. Germ. quibusdam. Aliis est, *Gamanodurum*, quod vide.

Gavariacum, vulgò *Javarçay*, villa olim regia seu fiscalis Galliæ, in pago Pictavensi. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Gaudara, vicus Macedoniæ. Steph.

Gaudentius, Episcopus Ariminensis pius & orthodoxus, tempore Constantini Imper. quum impiæ synodo Arianorum Episcoporum, qui Arimini convenerant, nollet assentiri, crudeliter interfectus est.

Gaudentius, Episc. Brixianus, Philastrii successor, an. 387. missus Constantinopolim, an. 405. cum legatis Innocentii I. ad restituendum Chrysostomum & Concil. Gen. celebrandum. Scripsit inter alia, vitam Philastrii, 18. Sermones, in Bibl. PP. &c. Obiit, ad An. 410. an 427? Ferdin. *Ughel. T.* 4. *Ital. sacr.* Morer. Item, Episc. Donatista, in Numidia, cujus 2. epistolis ad Trib. Dulcitium, B. Augustinus respondit, &c. Vide Morerii *Diction. hist.*

Gaudianum, vulgò *Gozano*, pag. agri Novar. non incelebris, apud Hortanum lacum.

Gavera, castellum Flandriæ vetus, vulgò *Gaure.*

Gaugamela, locus Persidis, de quo Arrianus, Πόλις δὲ οὐκ ἦν Γαυγάμηλα, ἀλλὰ κώμη οὐ μεγάλη, οὐδὲ ὀνομαστὸς ὁ χῶρος, οὐδὲ εἰς ἀκοὴν ἡδὺ τὸ ὄνομα. Jos. Scaliger ait, *Gaugamela*, linguâ Assyriacâ *cameli intestina* significare, rationem subdit, quòd ibidem essent inhumata. Optimè omnium verò Strabo, ait vocem hanc *Domum cameli* significare.

Gavinus, vel *Galvinus* Duglassius. Vide ibi.

Gaviratium, vulgò *Ghivira*, opp. Duc. Mediol. 6. mill. à lacu Verbano in Ort. Ei adjacet lacus *Gaviratius*, per Botiam fossam in Verbanum cadens.

Gavis, opp. Sabinorum 12. mill. pass. ab urbe Roma.

Gavium, vulgò *Gavi*, oppid. munitum dit. Genuensis, intra Apenninum, juxta amnem Lemum, in limite Montisferrati & Duc. Mediol. Medium ferè inter Genuam ad Austr. & Dertonam ad Boream.

Gavius, vide *Apicius.*

Gaulales, Æthiopiæ pop. antè *Auloles.* Orosius.

Gauleon, ora Libyæ objacens, in quâ serpens neque nascitur, neque invectus vivit, pulvisque ejus ubivis gentium jactus angues & scorpiones perimit. Solinus. Vide *Gaulos.*

Gaulon, insignis in Basanitide & Batanea regionibus urbs est, in tribu Manasse, ex cujus nomine etiam adjacens regio *Gaulonitis* appellatur, quæ regio, postquam filii Israël occiso Og rege Basan, universam ejus ditionem expugnassent, à Moyse dimidiæ tribui Manasse in possessionem data est, urbs verò cum suburbanis suis assignata fuit Levitici generis sacerdotibus: factaque est civ. refugii in Basan. Jos. 20.

Gaulos, sive *Gauleon*, Insula in mari Mediterraneo, Libyæ objacens, 5. mill. pass. in Occidentem, à Melita protensa, in propinquo est, versus promunt. Mercurii: Ab indigenis patria lingua *Gaudisch*, Arab. *Gaudosch*, Gall. *le Goze*, 30. mill. pass. habens in circuitu, vulgò *Gozus* nuncupatur: Parvi circuitus. Aquis est irrigua, cultura nobilis & frumenti feracissima. *Gaulos*, quæ *Gozus* procul dubio est, equitum Joannitarum ditioni, Caroli V. Cæsaris munere, subest, cùm antea penderet à regno Tunetano: cujus indigenæ Christiani etiam sunt, licèt Saracenicè loquantur. In ea est oppidum ejus nominis in edito loco. De Gaulo insula hæc in ea memoratu digna, Plin. *lib.* 5. & 7. & Solinus scripta reliquerunt: Serpentes in ea neque nasci, neque vivere invectos, præterea jactum ex ea quocunque gentium pulverem, arcere angues, scorpionesque à superjectu illico perimi: quibus hæc ætate usus suffragatur. Neque solùm Gaulo id proprium est: nam in Gathalia quoque contra Rubricati fluminis ostium, & Sardiniam insulam, à terra scorpionem, dirum Africæ animal, necari scribit Plin. An. 1551. Cal. Aug. Senen classis Turcicæ, 140. triremibus instructæ, præfectus, triduana oppugnatione adortus, arce priùs tormentorum ictibus disjecta in deditionem accepit: quam dein-

de ingenti capta præda & quatuor fermè Christianorum millibus in captivitatem asportatis, impio fœdavit incendio. Metel. Arcem habet in monte edito, cui adjacet burgus amœnus, sub dominio equitum Melit. Baudrandus.

Gaumellum, vide *Laumellum*.

Gauni, vide *Naunes*.

Gaureæ Comites in Jacobum VI. Scotiæ regem conspirant, successu infelici. Vide lectu dignam historiam apud Thuanum & Buchan. *in Histor.*

Gaurium, *Gaureleon*, Livio, portus Andri Inf.

Gaurus, insula prope Carthaginem. Steph.

Gaurus, mons Campaniæ, Massicis, & Surrentinis propinquus, in quo nascitur vinum præcipuæ bonitatis. Plin. 3. 5. & 14. 6. Ejus meminit Lucanus *lib.* 2.

—— Vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.

Et Stat. *Sylv.* 3. *Carm.* 1.

Spectat ab Icario nemorosus palmite Gaurus.

Idem *Carm.* 5.

Bacchei vineta madentia Gauri.

Inde *Gauranus mons*, & *Gauranus sinus* eidem Statio. Juvenal. *Sat.* 8.

—— Cœnet licet ostrea centum
Gaurana. ——

Idem *Sat.* 2.

Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suspectumq; jugum Cumis, & Gaurus inanis.

Gaus, filius Tami, qui paternis consiliis adversatus ad partes Artaxerxis se applicuit magnisque postea copiis præfuit. *Gaos* nominatur Diod. 15. initio classis Persicæ, adversus Evagoram, præfectus. Postea fortunam Teribazi metuens, cujus filiam in matrimonio habuit, descivit ab Artaxerxe: sed in primordio molitionum adversus Regem dolo cæsus est. Olymp. 99. an. 2. Ejus quoque meminit Polyæn. 7. ubi tamen vocatur Γλώς.

Gausennis, vide *Causennis*.

Gaza, insignis Palæstinæ civitas, ex 5. Satrapiis Philistinorum, Ægyptum versus ultima, quæ olim Judæ in sortem cecidit, Morerius Simeonis adscribit, sic dicta à regia *Gaza*, i. e pecunia, quam illuc olim Cambyses Persarum Rex vehi curarat, quondam munitissima, ut Alexander bimestri obsidione obsessam ægrè ceperit. Diodor. *lib.* 17. Apud veteres terminus erat Chananæorum juxta Ægyptum. Inde *Gazæus*, & *Gazeticus*, Lat. *fortis*, aut *capra*. Gazam nemo melius Arriano oculis subjicit: Ἀπέχει δὲ ἡ Γάζα τῆς μὲν θαλάσσης εἴκοσι μάλιστα σταδίους, καὶ ἔστι ψαμμώδης καὶ βαθεῖα εἰς αὐτὴν ἡ ἄνοδος, καὶ ἡ θάλασσα ἡ κατὰ τὴν πόλιν τεναγώδης πᾶσα. Μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἦν, καὶ ἐπὶ χώματος ὑψηλοῦ ᾤκιστο, καὶ τεῖχος περιεβέβλητο αὐτῇ ὀχυρόν. Ἐσχάτη δὲ ᾠκεῖτο ὡς ἐπ' Αἴγυπτον ἐκ Φοινίκης ἰόντι ἐπὶ τῇ ἀρχῇ τῆς ἐρήμου. Polyb. *lib.* 4. Οὗτος μὲν οὖν ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν ἐξαγαγὼν τὸ σωζόμενον μέρος τῆς δυνάμεως διέτεινε πρὸς Γάζαν. Ex quo loco non mediocris difficultas exurgit, si conferatur cum eo, quod dixit supra; Παραγενόμενος δὲ εἰς Γάζαν καὶ προσαναλαβὼν αὐτοῦ τὴν δύναμιν αὖθις προσῆγε βάδην. Διανύσας δὲ ἐπὶ τὸ προκείμενον πεμπταῖος κατεστρατοπέδευσε πεντήκοντα σταδίους ἀπέχων Ῥαφίας, ἣ κεῖται μετὰ Ῥινοκόλουρα πρώτη τῶν κατὰ τὴν κοίλην Συρίαν πόλεων ὡς πρὸς τὴν Αἴγυπτον. Quæ verba Latinè sic sonant: *Cum autem venisset Gazam, & ibi copias refecisset, rursus procedebat lentè in anteriora, & quinq; dierum spatio castrametatus est prope Raphiam ad 50. stadia, ea sita est post Rhinocorura, prima ex Cava Syria urbibus versus Ægypti partes.* Nam si Gaza occurrit prima venientibus Ægypto Raphiam, quomodo Antiochus prælio ad Raphiam victus Gazam se recepit, & non potius recessit versus suas partes. Sed inter Ptolemæum victorem & Ægyptum, tanquam in casses se injecit prope desertum, ubi nullus commeatus, nulla commodi recessus spes? Certè hæc videntur ἀσύστατα. Tum Gaza erat in partibus & sub jure Ptolemæi, per quam iter fecerat, & ibi copias suas refecerat: quomodo igitur victus exercitus eò se recipere potuisset? At solvit dubium locus Nov. Testamenti Act. Apost. *cap.* 8. ubi Angelus Philippum sic alloquitur: Ἀνάστηθι καὶ πορεύου κατὰ μεσημβρίαν ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν καταβαίνουσαν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Γάζαν, αὕτη ἐστὶν ἔρημος. Ubi Angelus in dubio Philippum esse noluit, ad quem locum mitteretur, ideoque addit, *qua deserta est*, quod sic intelligi debere videtur, *qua est in deserto*, aut juxta *desertum*. Duæ igitur erant Gazæ, una in ditione Ptolemæi prope desertum, ubi copias suas refecit Ptolemæus, ex labore, quem in deserto transmittendo habuerant. Alia Syriæ in Antiochi ditione, quò post prælium se recepit; & primam illam Ptolemæi Gazam fuisse in deserti finibus patet ex ipsius Polybii verbis: dixerat enim paulo ante, Ptolemæum, dum versus Gazam tenderet, fecisse iter διὰ τῆς ἀνύδρου, *per terram carentem aquâ*, quod est per desertum. Sanè D. Hieronymus duas fuisse Gazas notaverat, ubi citat Casaub. *ad Strabonem.* Sed & Diodorus *lib.* 19. duas fuisse Gazas manifestè innuit. Sic enim de Ptolemæo Lagi contra Demetrium movente: Ἀπὸ δὲ Πηλουσίου διὰ τῆς ἐρήμου διελθὼν κατεστρατοπέδευσε πλησίον τῶν πολεμίων περὶ τὴν παλαιὰν Γάζαν τῆς Συρίας. Et rursus *eodem libro*: Μετὰ τὴν γενομένην ἧτταν Δημητρίῳ περὶ Γάζαν τῆς Συρίας: Unde colligitur, alteram fuisse Gazam, quæ non fuit Syriæ, quando semper ita distinxit Diodorus, & ea est de quâ Polybius, uti supra. Hujus urbis ambas portæ fores in montem vicinum detulit Samson; postea oculis erutis Gazam ductus, concussis domus columnis, 3000. hominum secum oppressit. Nunc Principem proprium habet, sub clientela Turcarum. Parva & malè culta. Baudr. Historia urbis hujus hæc paucis: Ab Alexandro olim capta, ut dictum, dein Maccabæis, postmodum sub Constantino M. reparata & Episcopatu ornata dicitur. Ethnici hic, etiam sub Christianis Principibus, fidelibus molesti, Juliano imperante, in Sacerdotes virginesque devotas crudelissimè grassati sunt, An. Chr. 363. Theodoret. *lib.* 3. *cap.* 6. 7. Horum idolum *Marne*, toto Oriente clarissimum, sub Arcadio Imp. an. 401. operâ Porphyrii Ep. destructum. Ipsa seculo 11. & 12. bello sacro sæpius direpta destructaque, hodie iterum habitatur. Vide supra, & Jos. *cap.* 10. 11. 15. 1. 2. & 3. Regg. 1. Macchab. 11. & 13. Strab. *l.* 16. Curt. *l.* 4. &c.

Gazaca, urbs aut vicus maximus in Media. Steph.

Gazæorum portus, in Palæstinâ 30. stadiis à Gaza distans, Ptol. quæ & *Majuma* dicebatur & postea *Constantia* à *Constantino M.* Huic postea Julianus Imp. civitatis jus ademit, nomineque Constantiæ privavit. Vide Niceph. 8. 33. & 10. 3. Item Sozom. 5. 3.

Gazæus Æneas, auctor Dialogi, de immortalitate Animæ. Vide *Æneas Gazæus*.

Gazam, nomen viri, Esdr. 2. id est, *vellus eorum*, sive *tondens eos*.

Gazar, civitas à Solomone ædificata, 3. Reg. 9. Alia, cujus Regem Josue occidit, quæ ex tribu Ephraim data fuit Levitis. *Jos. cap.* 21.

Gazeria, vel *Gazaria*, peninsula minoris Tartariæ, olim Taurica & Pontica. Vid. ibi.

Gazetæ, pop. Galatiæ, aurum gerentes. Steph.

Gazi, Turcarum Rex, à Balduino Rege Hierosolymorum captus. An. Dom. 1121.

Gazuira, urbs Cappadociæ in confin. Paphlagoniæ, ad Irim fluv. excisa, nomen tamen antiquum retinet, Theveto teste.

Gazorus, urbs Macedoniæ. Steph. Vide *Gasorus*.

Gazorus, Moletio *Carat*, vel *Garat*, opp. Palæstinæ, ad Jordanem, Callirhoæ & Lybiadi urbi olim episc. finitima.

Gazus, urbs Indica, longè maxima. Steph.

GE.

Gea, opp. prope Petras in Arabiâ. Steph.

Geba civitas de tribu Benjamin, posteris Aaronis data, 2. Esdr. *cap.* 7. & 11. quæ & *Gaba* & *Gabaa*, Lat. *collis*, *calix*, sive *vas*. Item, villa in tribu Ephraim. Hier. *in L. H.*

Gebal. civitas Syriæ. Psal. 83. *Gabel* nunc Volaterrano. Lat. *limes*, vel *terminus*.

Gebale, Arabiæ regio. Steph.

Gebulena, regio in finibus Eleutheropoleos.

Gebbai, nomen viri, 2. Esdr. 11. Lat. *dorsum* vel *elevatio* aut *cisterna*, sive *locusta*, aut Syriacè *exactor*.

Gebbanitæ, sive *Gelbanitæ*, pop. maris Rubri accolæ in Arabia deserta, quorum caput Thona est; unde genus *Gebbaniticum*.

Gebbar, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Gebbethon, civitas Levitis data in tribu Dan. Jos. 19. quæ & *Gabbathon*.

Gebeleizes, dæmon, idem cum Zamolxide putatur. Herodotus *libr.* 4.

Gebenna, Galliæ opp. & mons inter Arvernos & Helvios, numero multitudinis extulit Lucanus *lib.* 1.

—— Qua montibus ardua summis
Gens habitat canâ pendentes rupe Gebennas.

Montes *Gebennici* à Strabone definiuntur ῥάχις ὀρεινὴ πρὸς ὀρθὰς τῇ Πυρήνῃ. Sic גבינא *gebina*, Syris est *supercilium montis*. Luc. 4. v. 29. Vulgò *les Cevenes*, & *Sumene*; Græcis Κέμμενος. Baudrando *Gebenna* mons, seu *Cemmenius*, & *Gebennici*, vulgò *les Sevennes*, seu *les monts de Sevennes*, montes Galliæ in longum protensi, inter Gall. Aquitan. & Narbonens. per 30. leuc. à Lutetia nempe usque ad fontes Ligeris, in Vivariensi tractu, in confin. Occitaniæ, Ruthenensis prov. Gabalorum, Velaunorum & Vivariensis: sunt fertiles & benè culti, ubi quamplurimi pagi & villæ, & aliquot oppida. Hinc Cemmenius tractus, *le pays de Sevennes*. Sed opp. *Sevennes*, cujus Ferrar. meminit, ipsis indigenis ignotum.

Gebeonitæ, pop. prope Hierosolymam. Steph.

Geber, Medicus & Astronomus Arabs, sec. 9. Exposuit systema Ptolomæi, à Petrejo editum, an. 1533. à quibusdam Algebræ inventor creditur. Medica quoque scripsit, à Cardano inter 12. subtilissima ingenia collocatus. Gesner. *T.* 1. *Biblioth.* Simler. *epit.* Blancanus, *Chron. Mathem. p.* 56. Voss. *de Math. c.* 35. *§.* 9. *de Phil. c.* 14. Ricciol. *Chron. Reform.*

Gebhardus Truchsessius, Archiep. Colon. ductâ uxore, Agnete Mansfeldicâ, Reformationem religionis moliri videbatur; hinc à Papa depositus, Ernestum Bavarum Episcop. Leodiensem, à Canonicis electum, adversarium accepit. Pulsus, Joanne Casimir. Palatin. frustra obnitente, armis Parmæ Ducis, in Hollandiam

diam se recepit. Obiit sub finem sec. præcedentis. Vide Thuan. *Histor. &c.*

Gebneel, & *Jebneel*, civ. in tribu Dan. Jos. 15.

Gebwiller, opp. Alsatiæ super. in montium faucibus, an. 1124. initium habuit. Metel.

Gedanensis sinus, pars maris Baltici, versus oram littor. Prussiæ, & Gedanum, ubi aliàs Venedicus sinus. Ejus pars est Puscensis sin. *Pautskerwick*. Vide *Venedicus*.

Gedanum, Germ. urbs in Vistulæ fluv. qui 1. leuc. infra in sin. Gedan. se exonerat, ostio, vulgò *Dantzick*. Perampla & probè munita, cum portu capaci & commodo; Hanzeatica, quamplurimis gaudens privilegiis. 5. leuc. Germ. à Mariæburgo in Circ. 7. ab Elbinga in Occ. 15. à Thorunio in Bor. Caput est Pomeraniæ tractus. Olim pagus, an. 1295. à Primislao Polon. in urbem mutatus. An. 1343. urbs mœnibus cincta est. An. 1454. Casimiro Pol. R. se certis conditionibus submisit. Versus Mer. & Occ. cingitur aliquot montibus, ab an. 1656. bellicis operibus munitis, contra Suecos. Irrigatur amnibus Rodauno & Motlavâ. Estque duplex Antiqua & Nova. Baudr. Vide & *Dantiscum*.

Geddel, nomen viri. Esdr. 2.

Geddiel, filius Sodi. Num. 13.

Gedeon, pater Abidan, principis tribûs Benjamin, Num. 1. & fil. Joash, Judex in Israel. Qui, priusquàm adversus Madianitas contenderet, bis signum à Deo petiit, quò certior fieret, se ab eo mitti. Duobus itaque miraculis confirmatur: prius fuit in holocausto, quod totum ignis absumpsit: posterius in vellere primùm humido, deinde sicco. Sic roboratâ fide, in prælium descendit, ac Oreb & Zeb, Madianitarum Duces, item Zebee (seu Zaba) & Zalmana, cæcidit, ac internecioni dedit, asserens in libertatem Israeliticum populum, qui sub illorum jugum ante annos septem missus fuerat. Vide lib. Jud. *cap. 6. 7. & 9.* Josephum *lib. Antiq. 5. cap.* 10. Torniel. *A. M.* 2761. 2800. &c. Hebr. *Gidhon* à radice גדע *gada, excidit*.

Gedera, civitas in tribu Judâ. Jos. 15. quæ à Stephano *Antiochia*, & *Seleucia* dicitur.

Gederothaim, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Gedeti, nomen viri. 1. Par. 25.

Gedetias, filius Phassur. Jer. 38.

Gedor, vel *Gador*, civitas in tribu Judæ, Jos. 15. Sita ad Or. vallis, in terra pascua & uberrima. Item vir filius Phanuël. 1. Par. 4. & Filius Abigabaon. 1. Par. 8.

Gedrosia, prov. Persidis fuit, inter Carmaniam ad Occ. & confin. dit. M. Mogolis, ostiaque Indi fluv. ad Ort. Arachosiæ ad Sept. finitima, ad Meridiem Oceano Indico terminata. *Tarse* Haytono & Sabellico. *Circan* Castaldo, *Gest* Mercatori, *Khesimur*, *Mackeram*, vel *Guzarate*, Morerio. Olim sterilis, cujus incolæ ex piscium spinis casarum suarum trabes fecisse, Alexandro M. relatum. Populi *Gedrosii* Straboni, *Gedrosi* Plinio *lib.* 8. & Melæ, de quibus vide Qu. Curtium *lib. 5. & 9. cap.* 10. Dionysius *vers.* 1086.

> Τῶν δὲ περὶ ἀντολίην Γεδρωσῶν ἕλκεται αἶα
> Γείτων Ὠκεανοῦ μεγακήτεος.

Hîc urbs præc. *Macran*, versus oram littor. Baudrand.

Geganii, à Gyâ dicti, comite Æneæ: Gens Albana fuit; cujus pars Romam cum Romulo commigravit. Nam inter primas quatuor Virgines Vestales à Numâ factas refertur *Gegania* à Plutarcho. Ejus verò altera pars Romam à Tullo Hostilio traducta fuit & inter Patricias, Albâ eversâ, allecta. Fuerunt igitur in gente *Gegania* familiæ Patriciæ majorum & minorum gentium, quæ *Magerini* cognomen frequentarunt, Consulatibus aliquot, censurâ & triumfo illustres.

Gehenna, nomen loci apud Evangelistas; ponitur autem pro inferno, hâc occasione, teste Hieronymo. Erat idolum Baal, juxta Jerusalem, ad radicem montis Moriæ, unde Siloa fluit. Hæc vallis est parva campi planities irrigua & nemorosa, plenaque deliciis & lucus in ea idolo consecratus. In tantam autem populus Israel venerat dementiam, ut, relicto Templo, hostias ibi mactarent, filiosque suos incenderent Dæmonibus, vel initiarent. Appellabatur autem locus ipse *Gehinnom*, id est, *vallis Hinnom*. Et comminatur Deus, se locum illum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam *Tophet*, & *Baal*, sed *Polyandrium* vocetur. Futura ergo supplicia, & pœnæ perpetuæ, quibus impii cruciandi sunt, hujusloci vocabulo denotantur. Vide Fungerum in *Gehenna*, & Seld. *de D. Syris Synt.* 1. *cap.* 6.

Gehon, fluv. qui è Paradiso terrestri labitur. Gen. 1. Josephus *Nilum* vocat. Lat. *vallis Gratiæ* vel *mansionis*. Sansoni est in Armenia maj. & in mare Caspium se exonerat. Quibusdam Araxes est. Baudrando quid sit, non constat.

Geisa I. Ungariæ Rex. Pilgrini Bethavensis, & Laureacensis Episcopi sanctitate motus, rogavit, ut Ugrorum regiones adiret, ibi Philosophiam Christianam interpretaretur, se cuivis cultum Christi recipiendi potestatem facere. Aventinus *Annal. libr.* 3. An. Dom. 966.

Geisa II. Ungariæ Rex, Belæ fil. cum Germanis in Pannoniam irruentibus grave prælium commisit, primò victus, deinde victor. Ludovicum Franciæ regem, & Cunradum Imper. copias, ad recuperandam terram sanctam ducentes, hospitio suscepit, circa An. Dom. 1143.

Gela, Fazello *Alicata*, celebris urbs Siciliæ ad amnem cognom. Eam Rhodii, Antiphemo, & Cretenses, Etimo duce, communi operâ condiderunt an. 45. post Syracusas. Hinc pop. *Gelenses*, Cicer. *Gelani*, Plin. *Geloi* Virgil. Apud Gelam stagnum est, tetro odore accedentes abigens; & fontes duo, unus fœcunditatem, alter sterilitatem, adducens. Ferrar. ex Sol. De origine nominis Grammatici multa nugantur Hebraismi ignoratione, ut statim apparebit. Stephanus & Suidas, qui de *gelu*, ut Romanâ voce, aliquid inaudiverant, Siculum amnem ad Austrum obversum *Gelan* appellari volunt, ὅτι πολλὴν πάχνην γεννᾷ: Ταύτην γὰρ τῇ Ὀπικῶν φωνῇ καὶ Σικελῶν γέλαν λέγεσθαι. Aliis *Gela* dicitur ἀπὸ Γέλωνος τοῦ Αἴτνης καὶ Ὑμάρου, à fabuloso *Gelone Ætnæ & Hymari filio*. In eâ sententiâ fuere Proxenus, qui περὶ πόρων Σικελικῶν, *de Sicilia itineribus* scripsit (non περὶ πόλεων *de urbibus*, ut legi voluit vir doctus) & Hellanicus credo Lesbius, quem Suidas scripsisse refert περίοδον γῆς καὶ ἱστορίας. Alii denique *Gelan* dici putant, ἀπὸ τοῦ γελᾶν, *a ridendo*, errore perridiculo. Tradit enim Aristenætus, qui de Phaselide scripsit, Lacium, & Antiphemum fratres, cùm Delphos profecti essent, ad consulendum oraculum, Pythiam nihil ad ea dicentem, de quibus consulta fuerat, solùm jussisse Lacium, ut ad Ort. navigaret, τοῦ δ' Ἀντιφήμου γελάσαντος, τὴν Πυθίαν εἰπεῖν πάλιν, ἀφ' ἡλίου δυσμῶν καὶ ἣν ἂν (lege καὶ Γέλαν) πόλιν οἰκήσῃ. Hæc hactenus apud Stephanum. Rem paulo aliter refert Etymologus, quem consule, si tanti est. Nos enim jam tædet nugarum. Itaque, ut seriò agamus, Gelam urbem Græcos huc appellentes nuncupasse dicimus, de nomine fluminis, ad cujus ostium erat condita. Ita referunt præter Durim, multi bonæ notæ scriptores. Thucydides *lib.* 6. Τῇ μὲν πόλει ἀπὸ τοῦ Γέλα ποταμοῦ τοὔνομα ἐγένετο. Virgil.

> *Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.*

Silius *lib.* 14.

> *Venit ab amne trahens nomen Gela.*

Claud. 2. *de Raptu*,

> *Pantagiam, nomenque Gelan qui præbuit urbi.*

Vibius *in catalogo fluminum*: *Gela Siciliæ, à quo oppidum*. Servius, *Gela civitas a fluvio* nominata. Stephanus, Suidas, Etymologus: Γέλα πόλις Σικελίας, κέκληται δὲ ἀπὸ ποταμοῦ Γέλα. *Gela* porro vorticosus est amnis. Ovid. *Fast.* 4.

> *Præterit & Cyanen, & fontes lenis Anapi,*
> *Et te vorticibus non adeunde Gela.*

Inde *Gela* Punicè dictus est amnis בלע *Bela*, id est, *vorticis* seu *vorticosus*. Gelæ autem urbis conditores, Cretenses & Rhodii, quorum dialectus erat Dorica, aut Æolica, *B.* & *G.* suo more permutatis pro *Bela Gelam* dixerunt. Tale pro βάλανος γάλανος, unde *glans*, φλίγω pro θλίβω, unde *affligo*. Itaque *Gelas* idem, quod Græcè βαρδίνης, vel βαρυδίνης. Vide Suidam. Alius Gelam deducet ab Ebræo verbo גלל *galal*, hoc est, *volvere*, *voluture*, unde גל *gal*, *fluctus*, tanquam à volutatione. Alius item per aphæresin ab עקל *akkel*, *torquere*, unde Talmudicis עיקול *ikul*, *vortex aquarum*. Sed verum est, quod diximus, Bochartus. Gela Cluverio *Terranova* nunc, urbecula satis culta, in valle Neætina, in ora littor. maris Afr. cum tit. Duc. gentis Cordubæ, arceque & portu satis tuto. 30. mill. ab Agrigento in Ort. 35. à Syracusis in Occ. ad ostia fluv. Gelæ, nunc *Fiume de Terranuova*, fontes habentis prope Pergusam lac. Cujus ostia distant in Occ. 18. mill. ab ostiis fluv. Salsi, olim *Himera* dicti. Baudr.

Gela, pop. Mediæ, in Parthiæ confin. Quorum urbs ex Persici regni præcipuis, quæ & *Gheilan*.

Pontifices Romani.

Gelasius I. Afer. fil. Valerii, post Felicem II. Papa, an. 492. Euphemium Constantinop. in communionem recipere noluit, donec ille Acacii nomen è Dypticis expunxisset. Ad Episcopos Dalmatiæ & Marcæ Anconitanæ, ob Arianismum ibi renascentem, ad Anastasium Imper. Eutychianismi fautorem scripsit, Synodo habitâ Canonicos libros ab Apocryphis secrevit, hæreticos varios damnavit. Vir doctus, cæterùm Primatus acer defensor. Obiit an. 496. sedis an. 5. De eo, scriptisque ejus, Vide Gennad. *l.* 94. *de script. Eccles.* Morerium, *Diction. hist.* Ursperg. Successit Anastasius.

Gelasius II. Cajetâ oriundus, successit Paschali II. an. 1118. à Cincio Frangipani mox pulsus, dein ab Henrico V. surrogato Gregorio VIII. depositus, Cæsarem in Germaniam redeuntem diris est persecutus. Unde schisma recruduit. Ipse in Galliam profugus, obiit, 1119. post Synodum Viennæ habitam. Successit Calixtus II.

Viri illustres.

Gelasius Cyzicenus, Episc. Cæsareæ in Palæstina, sub Basilisco Imper. floruit an. 476. Scripsit historiam Concilii Niceni. Photius *Biblioth. n.* 15. 88. 89. *&c.* Nicetas *lib.* 5. *Orth. fidei cap.* 6. *&c.* Item nepos Cyrilli, successit Euzojo, Concilio I. Const. interfuit. Theodoret. *dial.* 1. Hieron. *de scr. Eccl. c.* 36. Phot. *cod.* 85. vertit Latinè libb. 2. à Ruffino historiæ Eusebii annexos. Alius ibidem Ep. contra Anomianos scripsit, Photius.

Gelbis, fluv. in Mosellam se exonerans, teste Ausonio. *Kil* hodiè, teste Marliano.

Gelboe, vel *Gilboa*, mons in tribu Manasse prope Sichem, in

quo

quo tres filii Saulis unà cum exercitu à Philistinis cæsi sunt, & Saul sibi ipsi mortem conscivit. 1. Reg. 28. A Scythopoli 6. mill. pass. distans.

Geldonia, Flandrensibus vulgò *Geldernaken*, Gallis *Jodoigne*, urbs vel municipium Brabantiæ Gallicæ est. Inde haud procul Monast. Orpense, vulgò *Orp le Grand*, extruxit Alpais, mater Caroli Martelli, eoque sead expiandam B. Landeberti cædem inclusit. Addunt quidam, illam in vico Antio *Ans* Leodio proximo natam, Monasterium alterum in loco Hugardis vulgò *Huigarden*, prope Geldoniam, condidisse. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Geldria, una ex infer. Germ. 17. provinciis, ducatus antiquorum Sicambrorum (uti ferè omnes scriptores consentiunt) sedes. Habet à Sept. Frisiam, & sinum maris Germanici, ab Oriente Cliviæ ducatum, à Merid. Juliacum attingit, Brabantia & Hollandia eam ab Occ. respiciunt. Regio est campestris, montibus omnino carens, sed passim silvis ac nemoribus ornata. Omnium rerum fertilis est, præcipuè frumenti fœcunda, & supra modum pascendis pecoribus ob pratorum ubique viridantium luxuriem apta, adeò ut ex ultimâ Daniâ emacerata armenta hîc saginanda mittantur. Tribus celeberrimis fluv. Rheno, Mosâ, & Vahali irrigatur. Noviomagum in eâ metropolis est. Habet 22. urbes muris & fossis munitas, & supra 300. pagos. Geldriæ Comes, cum Theodorico Hollandiæ Comite, qui post Sylvam ducis expugnatam, prædâ à Duce Brabantiæ exutus erat, captus est, an. C. 1210. Matth. Vossius *Annal.* 2. *lib.* 11. An. Dom. 1339. *Comes* Geldriæ Francofurti in publicis Comitiis Dux coronatus est, à Ludovico Imp. Hujus successorum uni Arnoldo, ob Adolphi filii horrendam rebellionem, Geldria à Carolo Audace erepta est, anno Chr. 1467. Phil. Cominæus *Hist. lib.* 5. Postea varias est experta vices, de quibus vide belli *Belgici scriptores. De* etymo Geldriæ varia extant apud Henr. Aquilium, F. Irenicum, & Ludov. Guicciardinum. Vulgò *Gueldres*. Ejus pars Septentrion. seu Inf. nunc ad Batavos spectat, ubi urbes clariores, Arenacum, Bommelia, Elburgum, Hardervicum, Neomagus. Merid. verò seu super. Hispanorum est, ubi Geldria primaria, Ruremunda, Venloa, &c. Valde est extensa à Sept. in Merid. nempe à Mari Australino, usque ad Ducatum Juliac. sed non æquè lata. Hujus pars fuit aliàs Comitatus Zutphaniensis. Baudrand. Vide quod *Gueldria*.

Geldria, urbs prim. prov. cognom. ad Niersam amnem, media inter Rhinobergam ad Ort. & Venloam ad Occ. egregiè munita, sub Hispanis. Frustra tentata ab Henrico Friderico Principe Auriaco, A.C. 1639.

Geldria, arx in ora sinus Bengalæ, in India citer. in ora Coromandelis & regni Narsingæ, nuper ab Hollandis extructa.

Gelduba, ubi Legio IX. Antonino, Floro & Tacito *Hist.* 4. 261. Castellum Rheno impositum scribit Plinius; ubi siseris generositas præcipua. Divæus putat *Gelre* caput regionis Geldriæ esse. Aliis & mel. *Gelb*, vicus in dition. Arch. Colon. 9. m.sp. infra Novesium in Bor. 2. mill. supra *Ordingen*, ad Rhenum, Simlero Cluverioque videtur. Non ad Rhenum, sed à Novesio Occidentem versus, quatuor à flumine milliaribus Italicis, constituit Bruno *in suo Novesio.* Ad Rhenum putat Ortelius milliare infra Coloniam Trajanam & *Geldub* hactenus vocari.

Gelenius Sigismundus, Bohemus, vertit in linguam Latinam Josephum, Justinum Martyrem, Dionysium Halic. Philonem, & Appianum Alexandrinum. De hoc Erasmus *lib.* 2. *Epist.* 39. *Gelenius pro sua doctrina non vulgari, proq; morum sinceritate, dignus est lautiore fortunâ, divitias vix ausim illi optare.* Obiit Basileæ, an. Chr. 1554.

Gelenor, vide *Gelanor*.

Gelisa, fluv. Aquit. Elusatium urbem alluens. Scaliger.

Gellias, vir Agrigentinus, mortalium omnium munificentissimus, de cujus φιλοξενία, & in omnes hospitalitate multa Diodorus Siculus *lib.* 13. nec pauciora Valer. Max. *lib.* 4. *cap. ult.* Malè Τελλίας vulgò apud Athenæum *lib.* 1.

A. Gellius, quem nonnulli *Agellium* vocant, Grammaticus, Noctium Atticarum scriptor. Antonini Pii temporibus vixit, non diu post mortem Plutarchi. Coætaneos habuit Phavorinum Epicteti auditorem, Corn. Frontonem, & Herodem Atticum, quorum secundum adolescens Romæ docentem audivit, teste ipso, *lib.* 19. *cap.* 8 Vide *Aulus Gellius*.

Gellius Fuscus, Historicus Lat. An idem cum Aurelio Fusco? Vide Trebell. Poll. *in Tetrico Jun.* Voss. *de H. Lat. l.* 2. *c.* 4. Alterius Gellii meminit Vopiscus *in Probo*. Sexti & Cneji *Gellii* mentionem injiciunt Cicero & Dionys. Halicarn.

Gello, virgo quædam, quæ puella adhuc è vitâ discessit, cujus spectrum oberrare Lesbiis creditum est, ac pueros impetere, unde puerorum mortem, qui præmaturo fato perirent, huic imputabant.

Gello, locus non obscuro Monasterio clarus, ad Araurarim fluv. ab urbe Luteva, cui attribuitur, 2. leuc. distans. Hoc nunc *S. Guillem de Desert* dicitur, à conditore Guilielmo, Caroli M. comite, an. Chr. 806. Locus est amœnus vinetis, hortis & arboribus, sed undique celsissimis cinctus montibus. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Gellus, Val. Max. *Vergellus*, Apuliæ fluv. super quo Hannibal pontem ex cadaveribus apud Cannas interfectorum fecit. Ferrar.

Gelnhusa, opp. Wetteraviæ ad fluv. *Kintzig*, à Friderico III. Imper. inter civitates Imperii collocatum, an. Chr. 1454. Ejus patronos esse Palatinum Rheni & Comites Hanoviæ, quod jure pignoris communiter teneant, refert Melchior Weissenburger, Reip. hujus Syndicus. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 21.

Gelo, sive *Gelon*, Siculorum tyrannus, ex duce Hippocratis Regis Gelæ, peran. 17. Ad Himeram Pœnos, Xerxis suasu sibi bellum inferentes, vicit. Obiit Olymp. 75. U. C. 276. ante C. N. 478. Diodor. Sic. *lib.* 11. Herodot. Pausan. Euseb *Chron.* Dionys. *lib.* 7.

Gelo, puer quidam, qui à lupo feliciter & fortuito casu servatus fuit. Hunc enim ferunt, cùm ipse aliquando in ludi literarii vestibulo libellum manu retinens sederet, accedentem lupum, libellumque de manibus raptum auferentem, cum clamore insecutum, magnum tumultum excitasse, quo ludi magistrum, omnesque pueros commotos, ut illi suppetias ferrent, arma, fustesque tumultuariè rapuisse: quo strepitu concussam domum latam ruinam dedisse, contignationibus solutis, puerosque omnes cum præceptore elisisse, qui circiter centum fuisse dicuntur, eoque modo Gelonem à lupo servatum fuisse perhibent. Leonic. Thom. 4. 104.

Geloi, vide *Gela*.

Gelon, Pyrrhum veneno necare aggressus est. Plut. *in Pyrrho*.

Gelon, Ætnæ & Hymari filius. Steph.

Gelones, vel *Geloni*, populi Scythiæ, Agathyrsis proximi, qui faciem depingunt, ut terribiliores in prælio videantur. Patientissimi sunt inediæ, fameque urgente, equo, quo vehuntur, sanguinis nonnihil detrahunt, eoque cum lacte commixto, inediam levant. Dicti sunt à *Gelono* Herculis filio, Agathyrsi fratre. Virgilius,

—— *Pictosq; Gelonos*.

Lucanus eis fortitudinem tribuit *lib.* 3.

Massagetes quo fugit equo, fortesq; Geloni.

Ubi tamen, *volucresq;* legendum. Virgilius,

Bisalta quo more solens, acerq; Gelonus.

Vide Melam 1. 21. & Solin. *cap.* 20. de pictura verò Gelonorum vide Salmas. *in Plinian. Exerc. p.* 188. Multas singuli habebant uxores, contenti suis finibus vivebant. Horat. *lib.* 1. *Carm.* Ita hic Stephanus. Cæterùm an contenti nescio, nec enim id asserit Poeta. Locus est *lib.* 2. *Carm. Od.* 9. ubi de Augusti tropæis loquens, ait,

Intraq; præscriptum Gelonos
Exiguis habitare campis.

Arcubus & sagittis olim polluisse, testantur Virgilius ac Horatius. Hic *Æn.* 8.

—— *Carasq; sagittiferosq; Gelonos.*

Ille *in Odis*,

Visam pharetratos Gelonos.

Quibus adde Statium. Sic enim ille,

—— *Falcemq; Getes, arcumq; Gelonus*
Tenderet. ——

Gelonium, stagnum Siciliæ tetro odore abigens appropinquantes. Aliis *Geloum* dicitur. Vide Solinum.

Gelonum, urbs Sarm. Europææ lignea in Budinis sita, maximam gentem complexa. Ibi Tarandus animal invenitur.

Gelos, Cariæ portus. Pomp. *lib.* 1.

Gemalli, pater Amiel. Num. 13. Lat. *retributio* vel *merces*, aut *ablactatus*, vel *camelus*.

Gemblacum, opp. Brabantiæ; *Gemblours*. Inter Namurum urb. 4. & Nivigellam opp. 5. leuc. à Bruxellis 8. in Ortum, ut & à Lovanio in Mer. *Geminiacum* Anton.

Gemella Aug. opp. Hisp. Bæticæ. Vide *Tucci*.

Gemelli, Hebraicè גיא מלח, id est, *vallis salinarum*, sic interpretatur D. Hieronymus, 2. Sam. 8. nomen vallis.

Gemellus, Tribunitius Romanus, qui lupanar domi suæ instituit, in quo Mutiam & Fulviam fœminas illustres, nobilemque puerum Saturninum prostituit.

Gementicum, seu *Gemeticum*, est *Jumieges*, Abbatia percelebris ad Sequanam, 5. leuc. infra Rothomagum *in* Occ. 2. à Calidobecco in Austr. Baudrand. Monasterium *hoc* octingentorum Monachorum, quinque partim Basilicas, *partim* Oratoria complexum, ac mœnibus quadratis murisque cinctum, condidit Filibertus, permissu Chlodovei jun. *Eremi Gemeticensis*, & Fontanellæ Monasterii, ibi à Wandregisilo extructi, meminit Gallus *de Vita S. Wandregisili*: certè utrumque Monasterium, cùm Gemeticum, tum Fontanella hodieque in saltu eremove Gemeticensi est, quam Sequana ferè totam cingit, ac peninsulam facit, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Gemianus, seu *Geminius*, Presbyter Antioch. sec. 3. sub Severo scripsit quædam. Hieron. *de Scr. Eccl.*

Geminga, locus Frisiæ, ubi Ludovici Nassovii copiæ, cæso Arembergio, victrices, cùm desciturus civitates frustra expectarent, & jam deficiens stipendium disciplinam solvisset, Albani superventu concisæ, alterno hostium & suo sanguine bellum Belgicum imbuerunt. A.C. 1568. V. Thuan. *hist. l.* 43. & 46. Hug. Grot. *Ann. l.* 2. &c.

Geminiacum, haud dubiè à Gemino loci conditore vel domino

mino nomen accepit. Unde *Geminiacenses*, in Not. Imp. Magistro peditum subjecti: & ibidem inter legiones Comitatenses 32. Cortoriacenses 22. Geminiacenses 23. locum tenent, intra Gallias cum V. I. Magistro equitum Galliarum. Postea *Gemmelacum*, ex- in *Gemlacum* dictum est, hodie *Gemblours*. Locus Leodicensis diœceseos finibus inclusus, illustris Monasterio. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide *Gemblacum*.

S. Geminiani Fanum, opp. Senensis dit. nunc Florent.

Geminius, prodigentiâ opum, ac mollitia vitæ amicus Sejano, nihil ad serium: cecidit tamen conjurationis crimine. Tacitus *Annal.* 6. 13.

Geminus Rhodius, Ciceronis ac Pompeji temp. de Astrologia, Sphæra, Geometriâ, &c. scripsit. Proclus Γεμῖνον vocat, vix autem dubito, quin sit nomen Romanum. Sanè *Gemini*, *Geminii* & *Geminiani* celebrantur in antiquis scriptoribus, & inscriptionibus. An libertus? Vide Blancan. *Chron. Mathem.* Brucæum, *Cat. Astrol.* Petav. *notis in Gemin.* Voss. *de Scient. Math. p.* 160. & 329.

Geminus Victor, Afer, post mortem excommunicatus, quòd Presbyterum constituisset liberorum suorum Tutorem. Cyprian. *epist.* 66.

Gemistus Georgius, dictus *Pletho*, Constantinop. Philos. Platonicus, & Mathematicus, in aula Florentiæ D. sec. 15. scripsit de differentia Platonis & Aristotelis, de Interpretatione, in Magiam Zoroastris, &c. Voss. *de Philos. sect. c.* 16. §. 6. *de H. G. l.* 4. *c.* 30.

Gemma Reinerus, dictus *Frisius*, Medicus & Mathematicus excellens, operibus inclytus, Medicinæ Lovanii Professor. Obiit an. 1555. Quenstedt. *patr. doct.* Blancanus *Chron. Math.* &c. Filius ejus Cornelius, Poëta, Philosophus & Medicus, scripsit de arte Cyclognomica, & de Divinis characterismis. Possevin. *Bibl. selecta.*

Gemminus Lacus, vulgò *Germinago*, pag. agri Mediol. ad Verbanum lacum.

Gemoniæ, scalæ dicebantur Romæ, ad quas corpora damnatorum, impacto unco trahebantur. Suetonius: *Nemo punitorum non in Gemonias abjectus, uncoq; tractus.* Tacitus de Sabino: *Tunc confossum, collaceratumq; & abscisso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt.* Et Plin. 8. 40. scribit canem à corpore servi non recessisse, abjecto in gradibus Gemoniis. Nonnulli à *Gemonio* auctore sic dictas putant. Beroaldo autem à *gemitu* sic appellatæ videntur.

Gemunda, opp. Imp. Franconiæ, ad Mœnum, ubi Salam recipit, sub Episc. Herbipol. 4. leuc. ab Herbipoli in Bor. 5. à Schvvinfurto: Præter opp. Austriæ Inf. ad lacum *Traunzée*, in confin. dit. Salisburgensis, versus montes. Parvum quidem, sed elegans. dictum est quibusdam, quasi *Gaudia mundi*, ob ludos equestres, aliasque festivitates, ibi olim à Sueviæ proceribus celebrari solitas; vel potius à rivulis ibi cum fluv. *Rems*, unde Raëmsia vallis, in qua sedet, sese miscentibus. Germ. *Schvväbische Gemünd.* Innotuit primùm A. C. 1110. cùm muro circumdari cœpit, à Friderico monoculo, Sueviæ Duce: crevit sub Friderico Barbarossâ, à quo etiam jus civitatis & privilegia nactum est: Municipium olim fuit & prætorium Sueviæ Ducum, quorum familiâ extinctâ, in ditionem Imperii venit. Regimen urbis cùm penes nobiles olim fuisset, per horum ambitionem dissensionibus obortis, populus ad clavum pervenit, A. C. 1284. Insignia civitatis monocerotem ostendunt in campo albo, Limnæus. Hic magna & lucrosa salis negotiatio est, quod præstans & acre ex vicinis montibus effoditur, & Gemundam allatum, vasculisque impositum, per *Dranum* fluv. in Danubium transportatur. Baudr.

Genabum, priùs *Cenabum Carnutum*, Galliæ opp. ad Ligerim fluv. situm. Cæsar *lib.* 7. *Comm. de bell. Gall.* qui cives Rom. negotiandi causâ ibi constitisse, ac C. Fusium Cottam Eq. Rom. rei frumentariæ suo jussu præfuisse scribit. Idem *eod. lib.* oppidanis noctu fugientibus direptum à Cæsarianis ac incensum, refert: & anno insequenti belli Gallici 8 castra in eo posuit, ac C. Trebonium cum duabus legionibus in hibernis collocavit. Roberto Cænali *Orleans* est, Paradino, & Vigenereo potius *Gyen* videtur opp. cum ponte ad eundem fluvium situm; 12. leuc. ab Aureliis in Ort. 20. ab Agendico, idque verum esse ex distantiâ quam Cæsar inter hoc oppidum & Agendicum ponit, ostendit. Lucan. *lib.* 1.

Inclyta Cæsareis Genabus dissolvitur alis.

Aliis & mel. est *Orleans*, Aureliæ, seu *Aurelianum* vel *a*, quod nomen assumsit, postquam urbs ab Aureliano Imper. post Germanos Galliâ pulsos & cæsas in campis Catalaunicis Tetrici legiones, restituta est: in prov. Lugdunensi Senonia vel quarta, loco quinto posita, in vett. Not. Sedes hæc urbs quoque Regum fuit aliquandiu: Mortuo enim Chlodoveo, divisâ inter ejus filios Franciâ, ex uno quatuor regna facta sunt: fortitusque est Theudericus sedem Metis, Chlodomeres *Aurelianis*, Childebertus Parisiis & Chlotarius Suessionis, Fredegar. *lib.* 4. *cap.* 30. & 55. & *lib.* 5. *cap.* 16. & 64. Sed Chlodomere anno regni 13. Christi 524. à Burgundionibus interfecto, regnum ejus Childebertus & Chlotarius, jugulatis fratris filiis inter se divisere. Postea Guntchramnus unus è 4. Chlotarii M. filiis & successoribus, mortuo Patre, cum tota Burgundia *Aurelianos*, & regni Chlodomeris partem obtinuit, & posthabitâ urbe hac Cabillonum Æduorum in Burgundia Regiam delegit, regnumque ejus totum à potiore parte Burgundia dicta est: quod per annos 48. obtinuit. Mortuo dein A. C. 612. Theodorico Childeberti filio, Chlotarius, Chlotarii maj. ex Chilperico fil. nepos, Neustriæ suæ Burgundiam ac Austriam adjunxit, à quo tempore Neustria & Burgundia, postquam ipse fil. Dagoberto Austrasiam cesserat, uni Regi Luteciæ Parisiorum sedenti, paruere. Quemadmodum Austrasiæ Reges Mettis sedem habuerunt, usque ad Pippinum Majorem domus regiæ, qui illis postpositis Coloniæ Agrippinæ habitavit. Interim Hugo, Robertus & Henricus Reges, *Aurelianis* præ cæteris nonnunquam sunt commorati, pertinuitque hæc urbs ad Reges istos propriè & peculiari jure. Caput est pagi cognom. *l'Orleanois.* Continentur autem, in diœc. Aurelianensi, quæ Belsam non totam, pagum Aurelian. & Secalauniam complectitur, Archidiaconatus 6. nim. Archidiaconatus Major seu Aurelianensis, ad Decanum Aurelianensem pertinens, in quo Clariacum, Mitiacum, ac Floriacum, præ cæteris, cum urbe Aurelianis: Archidiac. Pitiverensis, in quo Lauriacum & Vitriacum castrum: Archidiaconatus Belsæ, in quo Puteolus *Puiset*, Janvilla, Tauriacum: Archidiac. Secalauniæ, à Ligeri ad Carum usque fluv. pertinens, in quo Montolium ad Carum, *Montou* vel *Menetou sur Cher*, Castellio ad Carum, Rivus Morentini: Archidiac. Balgentiacensis, in quo Balgentiacum, Ucellus vicus *Uceau*, Magdunum, Oratorium fori *Oreir le marché*: Archidiac. demum Solliacensis, Solliacum præ cæteris *Sully*, Oratorium ad Ligerim, curtem Leonis ad Ligerim, Castrum novum ad eundem, Oratorium in Campis *Ouvroir les Champs*, Gargogilum, Germiniacum, Noviacumque *Neufvi* complexus. Incolæ *Aurelianenses* dicuntur, vulgò *Guepins*, quod nomen pro convitio à plerisque habetur, origine omnibus ignotâ, vide in voce *Gepini*. Hi, ut patriæ suæ vetus *Genabi* nomen vindicarent, urbis suburbano Genabiæ nomen *Genabie* imposuere. Celebrant annuâ supplicatione diem 8. Maī, quòd illo, A. C. 1428. obsidionis Anglicæ periculis liberati sunt: cùm professum habeant diem 14. Jun. quo A. C. 451. armis Aetii & Gothorum Francorumque, Hunni urbe expulsi ac majores eorum jugo durissimo subtracti sunt. Vid. *Vitam S. Anniani Episc. Aurelian. MS.* apud Hadr. Valesium *Not. Gall.* & in voce *Aurelia.*

Genadium, mel. *Cenadium*, *Chonad*, urbs Hungar. Comit. Chonadiensis caput, ad Marysium flu. qui paulo infra in Tibiscum cadit. 3. leuc. à confin. Transylvaniæ. Sub Turcis, jam pridem.

Genapia, vulgò *Gennep*; oppidum Brabantiæ arce munitum, Ludovici XI. Galliæ R. antequam regno potiretur, diuturno secessu nobilitatum. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Genauni, pop. Vindeliciæ. Horat. *Carm.* 4. *Od.* 14.

—— Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Dejecit acer. ——

Genea, vicus Corinthi, lege, & vide *Tenea.*

Genebrardus Gilbertus, Arvernus, Benedictinus, Turnebi, Carpentarii, Sanctii discip. Regius S. linguæ Parisiis Prof. Ligæ addictissimus, hinc Arch. Aquensis, an. 1593. Sed cùm pro suggestu usque pergeret in Regem invehi, periculum veritus, Avenionem secessit, ibi libro, *de sacrarum electionum jure, ad Eccl. Rom. redintegrationem*, edito: qui à Parlamento Provinciæ damnatus est, auctore perpetuo exilio multato. Obiit an. 1597. Scripsit in Psalmos, contra Antitrinitarios, Chronologiam sanctam, usque ad an. 1584. continuatam postmodum à Johanne March. Medico, Liturgiam Apostolicam, versionem Josephi, &c. Vide Thuan. *Hist. l.* 119. & Auctores, apud Morerium, *Diction. Hist.* citatos.

Genebria, mulier Veronensis peritissima, tempore Pii Secundi Rom. Pontificis. Hæc doctissimas scripsit Epistolas, quas recitabat decoro gestu, voce virili, permistâ suavitate.

Genehoa, regn. Nigritiæ, in ora Oceani Atl. versus ostia fluv. Senegæ, & prom. Arsinarium. Habet à Septentr. regnum Gualatam, ad Ort. regn. Tombutum. Cum urbe prim. cognom. estque juxta Senegam fluv. longè ab ora Oceani.

Genepum, urbec. Duc. Clivensis, cum arce fere adjacenti & permunita, ad Mosam, ubi Niersam recipit: Juris Brandeburgici. 2. leuc. à Clivia in Occ. 6. à Vesalia.

Genesareth, opp. nunc viculus, nomen retinens. Item, Galilææ lacus, circumseptus urbibus plurimis & celebribus. Solinus *cap.* 38. Hic Christus Apostolos vocavit. Idem dicitur *mare Tiberiadis.* Nunc *Mar de Fabarie.*

Genese, urbs Laconiæ. Steph.

Genesis, primus S. Scripturæ liber, Hebr. *Bereschith*, i. in principio, sic enim incipit. Hunc composuisse quibusdam creditur Moyses, cùm in terra Madianitarum degeret: cujus priora capita apud Judæos, ante 30. æt. annum legi prohibita. Continet capita 50. & definit, in morte Josephi. Hieronym. *in Prologo Galeato. epist. ad Paul. &c.* In *Genesin*, extant: Acostæ *Commentaria* fol. Lugdun. an. 1641. Ægidii *in Hexaëmeron. libr.* 2. Albertus. Alcuinus. Ambrosii *Hexaëmeron.* Anastasius. Andreæ Ἀποσπάσμα. *in c.* 4. *pr.* Angl. fol. Londini an. 1657. Anselmus. de Aquino. Ariæ Montani *Apparatus.* Artopæi *Discursus ex* 3. *pr. c.* Stetini 1545. Augustinus. Avitus. Basilii *Homilia in Hexaëm.* Beda. Bernardinus. Bonaventura. Bruni *Comm. & Quæstiones analyt. in Benedictiones* 12. *Patr.* 4°. Venetiis 1601.

Buxtorfii *Discursus de confus. lingg.* quart. Basil. Calovii *Comm.* Candidus. Capito. Carnovius. Cartvvrighti *Electa*, octav. Londini 1656. Casmanni *Angelographia & Cosmopœja*. Catharinus. Celada. Chemnitii *Quæstiones*. Chrysostomi *Homiliæ*. Cigninius. Clementis *de Hagar & Sara*. Corderius. Corvinus. de Cusa. Cratoaldi *Annotata in cap. 3. pr.* Argent. 1530. Draconites. Draconitius. de Escalante. Eucherius. Eustathius. Fabritii *Commentar.* quart. Argentin. 1584. Fagii *Expositio, in 4. c. pr.* Fernandez. Ferus. Fidelis. Frusii *Assertiones*. Romæ an. 1541. Garcias. Gerhardi *Comment.* quart. Gesneri *Disputationes*. quart. Witeberg. 1604. Graminæus. Gregorii Nazianz. *de 12. Patriarchis Tractatus*. Gregorius Nyss. *de Vita Mosis*. Gualtperius. de Guete. Guevara *in cap. 1.* Guilielmus. Hameri *Commentationes*, fol. Dilingæ 1564. de la Haye *Comment. literales*, 3. Volum. Paris. 1659. Heidericus. Hieronymi *Traditiones & Quæstiones*. Honcala. Honorius. Hopzinsoni *Descriptio Paradisi*, quart. Lugd. Batav. 1592. Hottingeri *Historia Creation. examen*, quart. Heidelb. 1650. Hunnii *Prælectiones*. Judæ *Annotationes*, Tiguri. Junii *Analysis* quart. Junilius. Knoxus. Lactantius. Lavaterus. Lancellotus, Laurentii *Expositio Histor. Josephi*, quart. Hardervici 1630. Libavius. Lutheri *Commentarius*. Lipomannus. Lyserus. Magalianus. Marlorati *Biblioth. Expositionum*, 1562. Martinengus. Martinii *Fons perennis Vera Theol. in 3. pr. c.* duodec. Bremæ 1615. Martyris *Commentar.* fol. Heidelb. 1606. Merceri *Prælectiones*, fol. Genevæ 1598. Mersenni *Quæstiones*. Moses Barcephæ. Musculus. Nannius. Oecolampadii *Annotationes*, Basileæ 1536. Origenis *Tropologia*. Paræus. Passæus. Pelargus. Pepinus. Pererius. de Petigianis. Pezelius fol. Neostadii an. 1596. Philoponus. Picus. Pisides. Prudentius. Rabus. Riveti *Exercitationes*. del Rio. Ruffinus. Rungii *Comment.* octav. Witebergæ 1608. Sacratus. Schickardus. Sixtus Sen. Steuchus. Sylvius. Terseri *Annotationes*, fol. Trissinus. Verenius. Victor. Victorinus. Vielmius *de operib. 6. dier.* quart. Venetiis 1575. Vincentius. Whatelejus. Wigandi *Exercitationes, in c. 3. pr.* Willeti *Hexapla in Gen. & Exod.* Angl. fol. Londini 1632. Ystella. Zanchius *de operibus 6. dier.* Ziegleri *Commentar.* fol. Basileæ an. 1548. Zuinglii Ἐξηγήσεις, &c. Vide Crovvæi *Elenchum*. Item in *Pentateuchus & Testamentum*.

Genesius Gallus, scriba militum, jussus scribere edicta, in quibus Christiani ad supplicia poscebantur, calamum & chartam abjecit, & aufugit. Tandem propter Christi confessionem interfectus est. Item mimus nobilis apud Domitianum, qui Christianos turpissimis gestibus irridebat. Tandem & ipse sub Imperatore passus est.

Genetes, portus & fluv. Arrian. Steph. unde *Genetaum* promuntorium, in quo templum fuit Hospitalis Jovis, quem *Xenion* vocant. Steph. Val. Flacc. *lib.* 5.

Inde Genetai rupes Jovis.

Apollonius,

Τὴν δὲ μετ' αὐτίκ' ἔπειτα Γενηταίου Διὸς ἄκρην
Γνάμψαντες, &c.

Prom. Cappadociæ, inter Jasonium & Cotyorum urb. Straboni. Populi *Geneta* sunt apud Plin.

Genethlius, Jupiter sic dictus, quòd ei incumbat cura gignendorum liberorum. Item doctissimus Sophista Palæstinus, discipulus Minutiani, & Agapeti, qui scripsit multas λαλιὰς, seu διαλέξεις, & μελέτας & multa alia. Suidas.

Genetyllis, Venus dicta, ut Aristophanis Interpres ait, quòd genituræ præsit. Vide Aristoph. *in Nubibus*.

Geneva, urbs Allobrogum extrema, miræ antiquitatis: Cujus, ut & pontis super Rhodanum siti, ac à se rescissi, meminit Cæsar, *lib.* 1. ampla, populosa & probè munita, ad ostia Lemani lacus, ubi Rhodanus exit, proxima Helvetiorum finibus, emporium jam olim celebre, quod inde Lugdunum translatum, Gall. *Geneve*, Germ. *Genff.* Ab annis circiter 900. literarum ac soni similitudine, ab indocto tum seculo *Gebenna* & *Gebennæ*, nomine plurativo dicta: unde Baronibus à *Gebennis* nomen manet. Ital. *Genevra*. Quidam Genabum quendam Numantinum, vastatâ à Scipione Numantiâ, hanc urbem condidisse volunt, sed hi Genevam cum Genabo, de quo Cæsar *lib.* 8. confundere videntur. Mercator eam extructam vult A. M. 2994. ab Alemannorum patre Lemanno, Paridis filio, Priami nepote. Mira alia Munsterus habet *lib.* 2. Sed ad has conjecturas recurrere opus non est: Loquuntur antiquitatem urbis, præter authenticum Cæsaris testimonium, variæ inscriptiones Romanæ, quæ hodieque in urbe visuntur, è quibus patet: Romanam hîc fuisse coloniam: quam quidam etiam civitatem Equestrium aut Equestrem vocatam fuisse volunt, quod tamen alii Neviduno tribuunt. Et plura invenirentur prisci ævi monimenta, nisi urbs ab hostibus sæpe vastata, sæpe gravibus incendiis tantùm non consumta fuisset. Sub Marco enim Aurelio Antonino, maximâ ex parte igne conflagravit, unde ab Imper. reparatæ, & privilegiis amplissimis donatæ *Aurelia* nomen: donec illo mortuo antiquum resumsit. Postea Barbaris in Galliam irrumpentibus, easdem calamitates cum aliis urbibus passa, sed à Genebaldo Burgundiæ Rege reparata, ante 350. circiter annos duobus iterum, vix septennii spatio, incendiis miserè deformata est: Tetrarcharum aliquot tum sedes. Libertati suæ graves nacta Comites Gebennesios, ut & Sabaudiæ Principes, contra illos fortiter sua jura & privilegia asseruit. Imo Anno 1412. cùm Amedæus, Sabaudiæ dux, jus in civitatem à Martino Pontif. permutatione quadam impetrare conaretur, Joh. à Petra scissa, Episcopus cum civibus pactus est, pro se & suis successoribus, se nunquam ulli permutationi aut alienationi libertatis Genevensis consensurum: quòd si secus faxint, jus fore civibus, in proditorum & perduellium numero eos habendi. Cùm postea Maximilianus I. Imperator, Philibertum Sabaudiæ Ducem, generum suum, Vicarium Imperii in illis regionibus declarasset, denuo ipse, ac frater ejus Carolus Genevam novi hujus juris titulo sibi subjicere conati sunt, prætendentes privilegia Vicariatus, à Carolo IV. olim Principibus Sabaudis data; qui tamen omne jus in Civit. Genevensi & ejus territorio Amedæo Comiti ademerat. Inter has insidias & odia vicino um Principum, Genevenses Helvetiorum amicitiam studiosè sectati, fœdera nonnunquam in certos annos cum Bernatibus & Friburgensibus fecere: donec perpetuum fœdus seu jus civitatis cum Bernatibus perpigerunt, idque arctius firmarunt, An. Chr. 1535. quo tempore propter mutatam religionem Sabaudus Princeps & Episcopus Genev. cui Aniciaci in Sabaudia sedes, urbem bello persequebantur, Bernatibus illis auxilium ferentibus. Idem fœdus postea denuo renovatum, novumque cum Tigurinis quoque anno 1584. initum est: quorum ab illo tempore egregiam operam, variis temporibus, urbs est experta. Obsidione feliciter sustentâ celebris est *Cochleariorum* (nobilium Allobrogum conspiratio erat, qui argentea in pileis cochlearia gestabant) à quibus tam arctè cincta fuit, ut stupendâ fame in urbe grassante, lactentes infantes pro lacte sanguinem ex lactantium uberibus exsugerent: sed justo exercitu per Bernates cives suos obsidione liberati, in eamque libertatem vindicati sunt, ut quidquid juris in Genevenses vel Episcopus, vel Dux prætendebat, iis remissum sit per vindices. Quo simul tempore jurisdictionis pomœria dilatata sunt, ut cùm antea nihil juris extra pomœria haberent, nunc aliquousque imperent. Dein non minor urbi celebritas ab elusis Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis conatibus accessit, è cujus militibus, cùm ultra 200. noctu, ipso Brumali Solstitio An. Chr. 1602. per scalas mœnibus admotas urbem intrassent, miro Dei beneficio, proditione detectâ, captis, qui jam intra urbem erant, reliqui retro cesserunt. A quo tempore *Scalarum festum* urbi solenne. In hac Apollo olim cultus est, cujus templum D. Petri postmodum nomen accepit: Augures quoque ibidem fuerunt, ut ex inscriptione quadam antiqua colligitur. Sed maturè Christo nomen dedit, à Paradoco, 70. Christi discipulorum uno, & Dionysio, ut antiqua quædam Sabaudiæ Chroninica MSC. habent, conversa, quorum hic Parisios postea venit. Quod confirmatur ex adversariis quorundam Bibliorum Latinorum Genevensium, quæ diligenter à Canonicis conservabantur, in quibus scriptum, Ecclesiam Genevensem ab Apostolorum discipulis, aut viris Apostolicis originem trahere, eamque florentissimam, dominationem in urbes, intra Alpes Rhæticas, & Celticas sitas, obtinuisse. Sequentibus temporibus seculi torrente abrepta, nihilominus etiam in illa mundi caligine, POST TENEBRAS LUCEM, quod urbi olim symbolum, speravit: donec A. C. 1535. Evangelium annunciante Guilielmo Farello, POST TENEBRAS LUX illi affulgere cœpit, à quo tempore usque ad nostram ætatem Theologis celeberrimis inclyta est. Distat 5. leuc. à Camberiaco, 7. ab Annescio in Boream, ubi hodie sedes Episcopi, qui se Genevensem vocat. Ædificia maximè antiqua creduntur, 1. Spelunca in Insulæ extremitate, quâ Orientem respicit: quam à Cæsare constructam volunt, hodie *la Tour de l'Isle & de Cesar*, aliis quendam Regem Obluis, Cæsare longè antiquiorem, ejus conditorem statuentibus. 2. Templum Petri, de quo supra. Hic Carolus Magnus contra Desiderium movens, copias lustravit: Michaël Servetus, Socinistarum Patriarcha, ob blasphemias, An. Chr. 1553. exustus est. Fœdere An. 1600. sancto, à Clemente VIII. inter principes procurato, unà cum Argentina, prima petenda proposita est, ut Evangelicorum vires distraherentur, Vide Speculum *Consil. Hispan.* unde fortè Sabaudici conatus an. 1602. de quibus jam supra, & A. C. 1609. utrique irriti. Theologos suos ad celebrem Synodum Dordracenam misit, An. Chr. 1618. &c. Ab urbe hac lacus Lemanus *Genevensis*, Germ. *der Genffer-see* dicitur. Ei ex altera parte Rhodani suburbium adjacet amplum, vulgò *S. Gervais*, quod verius pars urbis est: ubi Rhodanus, cùm exit è lacu Lemano, trajicitur duplici ponte ligneo, quorum alter cum maxima hominum ædificiorumque strage haud pridem totus conflagravit: Helvetiorum Evangelicorum liberalitate damnum mox sarciente, quemadmodum & Confœderati Belgæ, in hoc Orthodoxias asylo exornando muniendoque hactenus munificos admodum se præbuere: uti testatur *le Bastion d'Hollande*, quod ab una parte urbem tuetur. De hac Poëta quidam nostri ævi:

Urbs antiqua sedet, vasto vicina Lemano,
Famâ ingens, gestisq; patrum, Regumq; favore,

Et

Et flammis, belloq; , & quovis altior hoste;
Insidias bonitate Dei non exiit unas:
Post tenebras lucem *dudum quam gestiit, illa*
Undiq; circumfusa micat, velut astra minora
Igne premens Dictynna suo: isti annuat Æther,
Perpetuumq; Deus jubeat pietatis Asylum,
Ad seros famam sic continuare nepotes!

Plura de Geneva, vide apud Simlerum *de Rep. Helvet.* Joh. Baptistam Plantinum *Helv. Nov. Antiq.* Hadr. Vales. *Notit. Gall.* &c. De prætensionibus in eam Sabaudiæ Ducis, apud Limnæum Enucl. *lib.* 3. *cap.* 22. Thuan. *in Hist.* De aliis apud alios.

Gengenbachium, Germ. *Gengenbach*, opp. Imper. conditum ad fluv. Cynthium (*Kinzig*) à Pyrminio Præsule Trebocorum, unà cum adjuncto cœnobio, an. Chr. 724. cujus Abbas Berchtholdus impetravit à Rodolfo I. Imper. A.C. 1278. ne cuiquam su ditorum aut vasallorum à sententia sua appellare liceat. Limnæus Enucl. *lib.* 4. *cap.* 22.

S. Gengulfi oppid. in Burgundia, olim *Varenna*, non procul à Graona fluviolo, pagoque Matisconensi, nunc *S Jeugon.* Vide Hadr. Valesium *Not Gall.*

Genistæ Siliqua, Gall. *Cosse de Geneste*, ordo Equestris à Ludovico IX. Galliæ R. in nuptiis cum Margareta Provinciali institutus: cujus symbolum, *Exaltat humiles.* Initiatus Rex ipse huic Ordini ab Episcopo Parisino Gualtero fratrem suum Robertum, aliosque Principes, in eundem adscivit. Guil. Nangius *in vita S. Ludovici.* Favin. *l.* 3. *du Theatre d'Honneur, & de Chevalier, p.* 581. Morerius *Diction Histor.*

Genisus, Cyzicenus, cui in trepidatione nocturnâ ad reditum Argonautarum cùm uxor arma removisset, ne ad periculum egredi posset: relucente subitò foco illa reperit in suum exitium. Val. Flacc. *lib.* 3. *vers.* 114.

Genius, dicebatur Naturæ deus apud veteres, & qui omnium rerum gignendarum vim haberet, unde cujusque rei dicebatur suus genius. Accipitur aliquando pro ipsâ naturâ. Quidam ipsam animam, vel Deum, vel Spiritum esse volunt, qui mortales ad voluptatem incitet, unde *Geniales* apud priscos vocabantur, qui ad curandam cuticulam erant promptiores. Inde Proverbium *Genio indulgere.* Fuerunt etiam, qui aquam, terram, ignem, aërem, item 12. signa, & Solem, & Lunam Deos genios facerent, & *à gerendo*, quòd multa gerere possent, primùm *Gerulos*, deinde *Genios* appellatos esse putarent. Hos locum mutasse, unde Oracula desierint, refert Plut. *de def. Orac. Loci genius* apud Virgilium ponitur pro Deo topico. Orare solebant antiqui per Genium. Prop. 4. 9.

Exuitur, Geniumq; meum prostratus adorat.

Tibullus 4. 4.

Perq; tuos oculos, per Geniumq; rogo.

Horat. *Ep.* 7. *lib.* 1.

Quod te per Genium, dextramq; piosq; Penates,
Obsecro & obtestor. ——

Stat. 2. *Sylv.*

—— *Dum cunctis supplex advolveris aris,*
Et mitem Genium Domini præsentis adoras.

Imo morte à Caligula mulctati, qui id non fecissent. Suet. *in Caligula.* Vide Censorinum *de die Natali cap.* 3. & ad eum Lindenbrogium. Genius, inquit Fungerus, inter Deos selectos unus, ut quidam volunt, à *generando* nomen suum obtinere videtur. Sed non omnes idem de eo. Sunt enim, qui cuique locum suum ascribunt, sunt qui cuique homini suum asserunt. Augustinus Deum esse dicit, qui omnium rerum gignendarum vim habeat, juxta profanam veterum opinionem, quanquam Varronem affirmare dicat, genium esse uniuscujusque rationalem animum. Festus Pompejus cum Augustino facit, uterque verò à *gignendo* derivat. Quare & Censorinus, qui hunc nobis assiduum velut observatorem appositum dixit (ut & Plutarchus Menandrum dixisse refert ἅπαντι ἀνδρὶ δαίμονα συμπαραστατεῖν εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸν τοῦ βίου) appellatum ait, sive quòd, ut generemur curet, sive quòd unà gignatur nobiscum, sive quòd genitos suscipiat ac tueatur. Quin veteres unicuique homini duos tribuebant genios, sicut Angelos nonnulli ex nostris Theologi, Basilius imprimis adversus Eunomium. Unum ex his bonum, alterum affirmabant malum, quem Empedoclem Terrestrem appellasse crediderim, apud Plutarch. *his verbis*: Διτταί τινες ἡμῶν ἕκαστον παραλαμβάνουσι καὶ κατάρχονται μοῖραι καὶ δαίμονες, εὐθεῖα, χθονίη τε. Idem vult Servius *ad illud Virgilii*,

—— *Quisq; suos patimur manes:*

Quando ait: *Cùm nascimur, duos Genios sortimur, unum qui hortatur ad bona, alterum qui depravat ad mala, nec incongruè dicuntur Genii, quod cùm unusquisq; genitus fuerit, ei statim observatores deputantur.* Celebratur & illud Menandri,

Δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται εὐθὺς γενομένῳ.

Arrianus *in Epictetum*, etsi non statuit duos, unum tamen cuique proprium Dæmonem pervigilem & incorruptum assignatum docet hoc modo: Καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστηκε τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάττειν αὐτὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτον, ἀκοίμητον, καὶ ἀπαραλόγιστον. De Socratis genio, vide Apuleium, Pausan. *in Achaicis*, &c. Simulachrum Genii (ne illud omittam) interdum serpentis imagine effingebatur, interdum puerili, juvenili, senili formâ. Coronabatur platani foliis, resque illi sacra fiebat floribus & mero. Unde Persius,

—— *Funde merum Genio.*

Cujus rei causam explicant Censorinus & Varro. *Geniales lectuli*, qui puellis nubentibus sterni solebant, vel à liberis *generandis* traxerunt nomen. Ab eadem origine *genitalia* corporis, partes verendæ, & *genitores* vocabulum deducunt.

Gennades, mulieres nobiles, quæ per impares nuptias plebejæ sunt factæ, *lib.* 1. *C. de dig. l. fœmina ff. de Senatu.* Sic Virginia, cùm esset patritia, nuptiis suis plebeja devenit, Liv. *lib.* 10. Ex antiqua igitur juris definitione, interveniente connubio, liberi patrem semper sequuntur, *l. cum legitimæ ff. de statu ho.* Attamen Tricassini & aliæ quædam gentes id non servant: apud quas filiæ melioris parentis conditionem semper sequuntur, habentur que nobiles. In vett. glossis *Gennades dictæ* sunt & *Mulieres Lucæ*, eâ formâ quâ *Boves Lucæ.* Vide Cujacium ad *feudd. l.* 4. *Titul.* 32.

Patriarchæ Constantinopolitani, &c.

Gennadius I. Patriarch. Constantinop. successit Anatolio anno 458. Orthodoxias assertor, morumq; vindex, obiit an. 471. Cujus mentio in Menol. Græcorum, d. 25. Aug. Præter alia, Commentarium literalem in Danielem scripsit. Theodorus Lect. *Collect. l.* 1. Niceph. *Chron. & l.* 15. *c.* 23. Suidas, &c.

Gennadius II. vide *Georgius Scholarius.*

Gennadius, Massiliensis, qui de viris illustribus, Theodosii tempore, scripsit, Eidem attribuitur liber de Dogmatibus Eccl. qui apud Augustin. & Isidorum Hispal. aliosque, sec. 5. Obiit an. 493. Vide Cassiodor. *divin. Instit. c.* 17. Valfridum Strab. *de divin. offic. c.* 20. Morerium, *Dict. Hist.*

Gennaus, nomen viri. 2. Maccab. 12.

Gennus, urbs Aquitan. marit. *Bayonne* Gall. Vide *Aquæ Aug.*

Genoa, populi Molossiæ Steph.

Gensericus, Princeps Vandalorum in Hispan. victo Hermengano, Suevorum R. trajecit an. 428. in Africam, à Comite Bonifacio vocatus, qui dein sententiâ mutatâ, à Genserico victus est. Idem Asparem Theodosii Jun. Ducem fortissimum superavit, totius ferme hinc Africæ dominus. Dein Arianismo stabiliendo intentus, in Orthodoxos acriter sævit, Valentiniano nihil tale verito, Aëtioque in Gallia contra rebelles occupato, Carthaginem expugnavit, quam cùm cepisset, omnesque opes, interfectis civibus, in jus suum vertisset, animum ad Ecclesiarum spoliationem adjecit, quas sacris vasis exinanitas, & sacerdotum administratione privatas, equorum suorum stabula fecit. Exin Siciliam, huc delatus, vastavit, nuntio de Sebastiani, Bonifacii Com. generi, adventu, in Africam revocatus, cum illo fœdus primò iniit, dein cùm ad Arianismum eum pertrahere non posset, sustulit. Valentinianum Imper. ad pacem adegit, classem Theodosii morâ fregit. Ab Eudoxia, quam Maximus, occiso ejus marito Valentiniano, sibi per vim desponderat, vocatus, transiit in Italiam, cepit Romam diripuitque per dies 14. thesauris templorum, vasisque aureis & argenteis inprimis, ex templo Hierosol. à Tito Romam delatis, in Africam devectis, unà cum Eudoxia captiva, filiabusque ejus Eudoxia & Placidiâ: quarum priore Hunerico fil. desponsatâ, posteriorem cum matre, Imperatorum precibus, in Græciam remisit. Sic redux in Africam, in Orthodoxos, Episcopos inprimis sævire pertinax, oras Italiæ, Apuliæ, Dalmatiæ, Epiri, Sardiniæ, continuo terrore perculsas tenuit. Occidente vastato in Illyriam, Peloponnesum, Græciam, Insulasque Archipelagi transiit, ubique felix, Martiano Imperat. nihil contra movere auso. Leonis classem, corrupto Basilisco Duce, depressit; Olibrio insuper in partes suas, contra Anthemium Imperatorem, in Occidente pertracto. Obiit anno 476. Romæ Carthaginisque victor, Ecclesiæ hostis acerrimus. Victor Utic. *de persecut. Vandal. lib.* 1. *&* 2. Procopius *de B. V. lib.* 1. Idacius, Marcellinus, Prosper *in Chron.* Paulus Diaconus, Nicephorus, Evagrius, &c.

Genta, urbs Indiæ extra Gangem. Steph.

Genthon, nomen viri. 2. Esdr. 20.

Gentianus, Consul cum Basso, an. U.C. 963.

Gentianus Hervetus, Aurelianensis, Græcè Latineque doctissimus, in Conc. Tridentino peroravit, plurium scriptorum auctor. Possevin. *App. sacr.* Verdier *Bibl. Franc.* Morerius, &c.

Gentilis, Medicus peritus, Thadæi Florentini discipulus, circa an. 1310. scripsit in Avicennam. Leand. Alberti, *descr. Ital. p.* 90.

Gentilis Johannes Valentinus, Calaber, Genevam se recepit, ubi à Calvino Arianismi convictus, cùm pejora metueret, errore ejurato, liber dimissus est, hac lege, ut urbe non excederet. Verùm inde postquam nihilominus evasisset, Sabaudiâ, Galliâ, Germaniâ peragratâ, in Poloniam delatus est, Blandratæque patrocinio nixus, Patrem Filio Spirituique sancto non propriam essentiam, sed aliam & quidem inferiorem communicasse, blasphemè docuit. A Sigismundo Aug. pulsus, cùm in Italiam reditum pararet, Bernæ capite plexus est, impiè gloriatus, se primum esse Martyrem, qui pro Patris gloriâ occumberet. Spond. *Annal.*

Gentilliacum, vicus Galliæ, ad fluv. *Bievre*, 1. mill. à Lutetia. Ubi Concilium celebratum, an. 767. *Gentilly*.

Gentinus, urbs Troadis, ab uno filiorum Æneæ condita. Steph.

Gentius, Illyriorum R. decem talentis à Perseo emptus, Legatos Rom. in vincula conjecit, partes ejus amplexus. Platonem fratrem, ut solus regnaret, sustulit, populis invisus, & vino nimium deditus. Hunc Anicius Prætor, Scodrâ Metropoli captâ, cum uxore, fratre liberisque, in triumpho duxit: bello intra 20. vel 30. dies finito. Liv. *lib.* 44.

Genua, urbs libera Liguriæ clarissima, & perampla, in modum Theatri leniter in collem assurgens, cum portu capaci, sed parum tuto; sic dicta à *genu*, quia se habet tanquam genu recurvum à latere maris. Vel à *Genuo* Saturni filio, qui fertur eam condidisse, vel, ut quidam volunt, à *Genuino* Phaethontis socio, Alii etiam à *Jano* Italorum rege. Hanc Annibal penitus delevit, sed Corn. Servilius Consul instauravit, sicut Livius refert. Hæc urbs aliquando ad Tanain usque imperii sui fines produxit. Theodosiam enim suæ ditionis effecit, Cyprum, Lesbum, Chium insulas, & Peram Thraciæ urbem in potestatem redegit. Hodie toti Liguriæ, Caprariæ Insf. & Corsicæ imperat. Emporium celebre est, crescit in dies, ejusque cives potentissimi mercaturâ, & negotiationibus, per omnes ferè orbis partes maximum sibi nomen atque divitias compararunt. Multa inprimis possident in regno Neapolitano & Hispaniæ. An. Chr. 935. incensa fuit urbs à Saracenis, omnibus civibus aut jugulatis, aut abductis. Sed ope Veneti Ducis reducti sunt, urbe magnificentius reparatâ. Ejus civibus contra Venetos usus est Michaël Palæologus, Imper. Orientis An. Chr. 1273. In urbe Henricus VII. Imperat. decretum tulit, *Imperatorem Rom. Pontifici R. juramentum præstare non teneri*, An. Chr. 1312. Cives iterum Johannem Cantacuzenum, operâ genero ejus Johanni Palæologo locatâ, de throno deturbarunt, an. Chr. 1355. in suas dein partes Johannem, per Andronicum ejus filium, pertraxerunt, cùm antea Venetis faveret, an. 1384. quos paulo antè ad extrema redegerant, sed ab illis, animis resumtis, usuque bombardarum & tormentorum tum primùm noto, victi, an. 1381. Occupata Resp. est à Sfortia, Duce Mediolanensi, an. Chr. 1452. Ob Marchionem Finaliensium pulsum, ad dicendam causam, citati sunt Genuenses an. Chr. 1563. à Ferdinando I. Imperat. addito, Nisi feciali suo parerent, urbem & agrum Genuensium se proscripturum. Chio exuti sunt à Selimo Turcarum Imp. an. Chr. 1571. Ad Genuam navali prælio Hispani à Gallis victi sunt, sub Ludovico XIII. &c. Patria est Christophori Columbi, Doriæ & Spinolæ celeberrimorum Ducum, illius mari, hujus terra, inclyti: quorum priori libertatem debet, Francisci I. partibus hunc in finem desertis: postquam Longobardis, Imperatoribus, Gallis, &c. subjecta fuisset, vicissitudinibus supra omnes Italiæ urbes obnoxia, bello nupero contra Sabaudiæ D. victrix. Hic Doriæ palatium, sedes Ducis, Templum S. Laurentii, ubi patina ex unico Smaragdo, &c. aliaque admirationem merentur. Viæ tamen *sunt angustæ & tenebrosæ*. Portum ejus claudit moles 600. pass. è cujus regione excurrit prom. cui imposita Pharus operis elegantis, vulgò *la Lanterne*; ubi aliàs castr. permunitum. Urbs ipsa à paucis annis probè munita est, sed circuitus amplioris. 300. ferè mill. à Roma, 160. à Florentia in Occ. ut & 234. à Venetiis. &c. *Genua* altera Hisp. Bæticæ, vide *Urso*.

Genuensis ditio, seu Genuensis Respublica, cujus Dux caput est, *Stato della Republica di Genoua* incolis, *l'Estat de la Republique de Gennes* Gallis, regio est Italiæ, ubi aliàs major pars Liguriæ, versùs oram littoralem maris Mediterranei, à qua terminatur ad Austrum, uti ab Oriente Hetruria, à Septentrione Ducatibus Parmensi, Mediolanensi, & Montisferrati, ab Occasu autem Nicæensi Comitatu. Ejus longitudo ab Ortu in Occ. est 140. milliarium, latitudo parva admodum & valde angusta quamplurimis in locis. Dividitur in duas partes, nempe in oram Orientalem, *Riviera di Levante*, & in oram Occidentalem, *Riviera di Ponente*: estque utraque ora littoralis mirè fertilis & culta accedente incolarum industria; & cum tot villis magnificis, præsertim versùs Genuam, ut ferè una urbs dici queat. Ejus caput est Genua. Vide Leandr. Albertum *descr. Ital.* August. Justinianum, Barth. Fascium, Jac. Bracellum, Jac. à Voragine, Paulum Interianum, Petr. Bazarum & Hubertum Folietam *Hist. Genuensi.* Subest etiam dominio Reipublicæ Genuensis Corsica insula, *la Corse*, uti & Capraria, *la Capraia*, insula maris Tyrrheni, de quibus vide suo loco.

Genuensis Reipublicæ urbes.

Albingaunum, *Albenga.*	Genua, *Genoa*, & *Genoua.*
Albintemelium, *Vintimiglia.*	Naulum, *Noli.*
	Savona, *Savona.*
Brugnetum, *Brugneto.*	Serezana, *Sarzana.*

Genunii, pop. Britann. ad Occ. nunc *Northwales*, Camd. ex adverso Hibern.

Genusus, fluv. Macedoniæ, in mare Jonium influens, inter Apolloniam, & Dyrrhachium. Luc. *lib.* 5.

Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus Circumeunt ripis. ——

Geon, vide *Gibon*.

Georgi, pop. Asiæ in Iberia, ab *agricolatione* sic dicti, eorum regio *Georgiana* dicitur.

Georgia Montenæa, virgo Reformatæ relig. addicta, præc. sec. centum emblemata Christ. satis ingeniosa dedicavit, Johannæ Albretanæ, Navarræ Reg. Verdier. *Bibl. Gall. p.* 450.

Georgia, pars ampla Asiæ, inter pontum Euxinum & mare Caspium extensa, sub propriis Princip. aliquando in clientela Persarum. Dividitur in 3. partes, *Georgiam propriam*, antiq. Iberiam, nunc *Gurgistan*, ubi urbes Cori, Bassachiuc, Teflis & Derbent. *Mingreliam*, antiq. Colchida, nunc *Odisci* incolis, ubi urbs Fasis, nunc Fazzo; & *Zuiriam*, ol. Albaniam, ubi urbes *Stranu* & *Zitrach*. Christiani sunt maj. ex parte in Mingrelia & Georgia propr. à quo fœmina quædam captiva, Baturii R. Iberiæ uxorem, an fil. solo Jesu nomine sanavit, sed Græcos ritus sequuntur. Vide Plin. *l.* 6. *c.* 13. Melam, *l.* 1. *c.* 2. Theodoret. *l.* 2. *c.* 24. Ruffin. *l.* 1. *c.* 10. Jac. Vitriacum *c.* 80. Vincent. *l.* 30. *c.* 96. Inprimis autem Petrum de Valle, *Itinerarii tom.* 2. & 3. ubi de illorum moribus, religione, Principibus, bellis, &c. prolixè disserit.

Georgias, seu *Georgii castrum*, in quo ipse natus est, à Ptolemaide directè contra Orientem, quinque miliaribus, à Naason autem contra Occidentem, quatuor milliaribus, in valle pingui tribus Aser, situm.

S. Georgii Insula, in Atlantico mari, à Tercera post 8. & 9. mill. conspicitur, longitudine supra 12. mill. arcta tamen, duorum aut trium millium latitudine. Montibus frequens est & sylvis: glasti aliquid habet. Incolæ agros colunt, fructusque subinde Terceram devehunt. Cedrum arborem abunde fert, ejus ligna à Terceræ artificibus, qui situs causâ ibi degunt, valdè expetuntur. Metel.

Reges & Principes ex fam. Reg.

Georgius Rex Bohemiæ, vide infra in *Georgius Podiebradius*.

Georgius, fil. Friderici III. Daniæ Regis, ex Sophia Amelia Lunæburgica, frater Christiani VI. hoc tempore feliciter regnantis.

Georgius, Dux Clarentiæ, frater Eduardi IV. Angliæ Regis, ob turbas ad necem damnatus: cùm optio mortis daretur, in vino Malvatico extingui voluit, Camdenus.

Electores Saxoniæ.

Joh. *Georgius I.* fil. Christiani I. ex Sophia Brandeburgica, fratri Christiano II. in Electoratu successit: Bohemis frustra, ne in extrema prorumperent, monitis, in Cæsaris partes apertè transiit, Lusatiâ ejus auspiciis an. Chr. 1620. domui acquisitâ. Postea, cùm Cæsar, nihil ejus precibus motus, reformationem in Bohemia urgeret, Electoratumque Palatini in Bavarum transferret, offensus, accedentibus aliis quoque diffidii causis, an. Chr. 1630. statibus Evangelicis Lipsiam evocatis, de defensione consilia agitare cœpit. Cum Suecis dein pactus, *in prælio ad Lipsiam, quo Cæsareani à Gustavo Adolpho fusi, alterum victoris exercitus cornu tuitus est. Hinc in Bohemiam expeditione susceptâ Egram & Pragam occupavit.* Occiso Lützensi prælio Rege, in Heilbrunnense fœdus, ut consentiret, adduci non potuit: quin potius ipso an. 1633. cum Fridlandio agere cœpit. Pacem postea anno Chr. 1635. Pragæ conclusit. Hinc Suecorum gravis ira & incumbens Saxoniæ belli moles: donec an. Chr. 1645. induciæ à Suecis semestres obtentæ; & his succedens pax Monasteriensis A. C. 1648. fessæ provinciæ quietem concessit. Obiit An. Chr. 1656. pater ex Magd. Sibylla Brandeburgica Joh. *Georgii II.*

Joh. *Georgius II.* fil. prioris, extincto Ferdinando III. gessit vicariatum, & dietam electioni destinatam ac comitia Ratisbonensia per se obiit: pater ex Magdalena Sibylla Brandeburgica Joh. *Georgii III.* destinati successoris, cui Anna Sophia, filia Friderici III. Daniæ R. uxor obtigit.

Electores & Principes Brandeburg.

Joh *Georgius*, fil. Joachimi II. Patris in Electoratu successor, militavit Cæsari in bello Smalcaldico, ad Wittebergam equestri cingulo donatus. In negotiis Imperii procurandis, jam Elector, cum Augusto Electore Sax. conjunctissimè vixit. Variorum Principum tutor, pro libertate religionis Coloniensibus impetranda & Gebhardi Truchsessii causâ frustra laboravit. Obiit A. C. 1598. communis pater omnium ex Brandeburgica gente hodie superstitum. Inter filios *Georgius* Albertus S. Johannis per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam M. Magister, obiit an. 1615. Joh. verò *Georgius* posthumus, locum tenens fuit in fratris Johannis legione.

Georgius Wilhelmus, Joh. Sigismundo patri, A. C. 1619. mortuo, successit in Electoratu. Investituram Borussicam à Polonis obtinuit A. C. 1621. In causa Palatina affini favit: profugum è Bohemia excepit, in translationem Electoratus ejus non nisi serò consensit: copias suas, paulo ante Lipsiense prælium, Suecico exercitui junxit. Obiit an. Chr. 1640. unico relicto filio, qui est Fridericus Wilhelmus, modernus Elector, natus an. Chr. 1620.

Joh. *Georgius*, fil. Joachimi Friderici, frater Joh. Sigismundi El. Argentinam à Patre missus A. C. 1588. ut literis daret operam, quadriennio pòst Episcopus electus est. Hinc bellum, de quo V. Thuan. *l.* 104. & *l.* 105. An. 1606. Ducatum à Patre in Silesia Jegerndorffensem seu Carnovium accepit: Obiit in Transylvania A. 1624. quò

Betlemi Gaboris conatus adjutum venerat. Pater Ernesti, qui decessit an.Chr. 1624.

Georgius cogn. Pius, fil. Friderici, Franconicæ lineæ auctoris, ab avunculo Uladislao Rege Bohem.& Hungar. educatus. vicissim Ludovici ejus filii curam habuit, hinc Ducatu Jägerndorffensi donatus an.1524 Lineam Anspacensem seu Jägerndorffiam orsus est. Evangelicæ Relig. constans assertor, obiit an.C. 1545. pater Georgii Friderici. De his aliisque hujus nominis Germaniæ Principibus vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Viri illustres.

Georgius, Patr. Alexandrinus, successit Johanni Eleemosynario, an.620. Successorem nactus Cyrum Monotheletam, an.630. Auctor creditur vitæ Chrysostomi, Phot. *c.* 96. Item Patr. Constantinop. post Theodorum Monotheletam depositum, an.678. & ipse talis, cum Macario Antiocheno Patr. adversus duas Christi voluntates, ita invehi solitus est, ut non agere, sed furere videretur, Car. Sigonius *Hist. lib* 2. Interfuit Conc. 6. Oecum. Obiit an. 682. Niceph. *in Chron.* Alius ibidem Patriarcha, vide *Gregorius I.* Item, monachus Constantinop. Vicarius Patr. Tharasii, Chronographiæ auctor, in qua Eusebium, quem ubique sequitur, sæpe reprehendit. A.792. Hanc usque ad Maximianum & Maximum continuavit *Peccatoris* cogn. sibi sumsit. Voss. *de H.G.l.* 2. *c.* 24.

Georgius Acropolites, idem cum Prætore Græco, auctor Chronici 70. annorum. Circa an. 1270. Voss. *de H.G.l.* 3. *c.* 21.

Georgius Agricola, Misnicus, Philosophus & Medicus excellens, Plinius Germ. dictus. Scripsit de metallis, & de ponderibus & mensuris, priscis quibuscunque, in hoc rerum genere, anteferendus. Obiit an. 1555. æt 61. Thuan. Voss. Quenstedt.

Georgius Ambosianus, Cardin. Arch. Rothomagensis, Minister status, sub Ludov. XII. quem olim captivum, opera sua, liberum præstitit. Mediolanensis expeditionis auctor, post Alex. VI. obitum Papa futurus, ni Julius II. obstitisset. Obiit an. 1510 Baudier. & Montan *in Vita ejus.* Claud. Seisselius, *in Ludov. XII.* Auctor *Vitæ Bayardi, cap.* 41. Guicciardin. Ciacconius, &c.

Georgius Ambosianus, prioris nepos, in Arch. Rothomag. ei successit.

Georgius Ameruza, auctor colloquii de Fide, cum Turcarum Imper. habiti: quod mscr. asservatur in Bibl. Regis Galliæ. Morerius.

Georgius Anhaltinus, Princeps, natus Anno 1507. opera quædam Ascetica scripsit, Quenstedt. *patr. doct.*

Georgius Armeniacus, Vid. ibi.

Georgius Bartholomæus, auctor Bibliothecæ Concionum, Coloniæ, an. 1608.

Georgius Benignus. Arch. Nazarethanus, dedicavit Francisco I. Contemplationes Christianas.

Georgius Bernhardus, vertit epitomen Regum Gall. & scripsit divisiones, in 4. libb. sententiarum Justiniani. Verdier. *Bibl Gall. pag.* 448.

Georgius Bertinus, Medicus Italus, cursus medici, libb. 20. auctor. *Bibl Med.*

Georgius Blandrata, Pedemontanus, vel Sebusianus, Inquisitionem veritus, Ticino se, in Poloniam & Transylvaniam subduxit, ubi Joh Sigismundi Medicus factus, Arianismum disseminavit, Poloniâ quoque infectâ, inprimis postquam J. V Gentilem eò vocasset: Sociniani mi ambo promotores strenui, à Lælio Socino & nepote ejus Fausto inprimis, dicti: à quo acceptam in Italia hæresin Blandrata propagavit, plurimis è nobilitate, &c. seductis. Occasio ipsi prima erroris à J. Paulo Alciato Mediol. fuit, & jam Genevâ ob negatam Christi divinitatem pulsus fuerat, unde Calvinus Vilnensi ministerio succenuit, quod *hunc, qui apud alias gentes nullus erat, velut Angelum*, recepissent: *In epist.* Ab uno cognatorum, qui bonis ejus inhiabat, trucidatus. Anno 1611.

Georgius Brunius, Coloniensis, auctor Theatri urbium, libb. 2.

Georgius Buchananus, Scotus, Jacobi VI. Scotorum & I. M. Britanniæ R. Præceptor. Scripsit *Paraphrasin Psalmorum Poëticam, Historiam Scotiæ*, &c. De illo Beza *Epist.* & *Icon. Hunc mihi liceat omnis liberalioris eruditionis, ac præsertim Poëtices parentem appellare.* Usserius *de Brit. Eccl. Nemo diligentius antiquitates patrias est perscrutatus.* Vossius *de ratione Stud. Utile in quavis gente erit, unum aliquem seligere, qui potissimas in ejus gentis historia obtinere videtur: ut in Gothicis Jornandem, in Longobardicis Paulum Diaconum: in Slavicis Helmoldum: in Francicis Paulum Æmylium: in Hispanicis Marianam: in Scoticis* Buchananum: *in Flandricis Meyerum: in Austriacis Lazium: in Burgundicis Heuterum: in Saxonicis Crantzium: in Danicis Saxonem Gram. in Boicis Aventinum: in Hungaricis Bonfinium: in Polonicis Cromerum, &c.* Utenhovius, de ejus Paraphrasi loquens:

Tres Italos Galli senos vicere, sed unum
Vincere Scotigenam non potuere virum.

Tres Galli, *Mich Hospitalius, Adr. Turnebus, Joh. Auratus:* Scr. Itali fuere, *A Sannazarius, H. Fracastorius, A. Flaminius, A. Vidas A. Naugerius, P. Bembus*, V. Eduardum Leigh *Arm. de Religione*, & supra in voce *Buchananus*.

Georgius Cappadox, Trib. Mil. sub Diocletiano, qui maximum serpentem peremit, liberatâ puellâ, quæ eidem in prædam devota fuerat. Theologi nonnulli existimant, fictitium esse nomen, sub quo veteres Christi Ecclesiam à Satanæ tyrannide liberantis imaginem & passionis meritum proposuerunt. Cæterùm veram hanc fuisse historiam multis argumentis probatum it vir doctus Petrus Heylinius, libro cui Titulus, *The History of Saint George.*

Georgius Cappadox, sub Constantio, in sedem Alexandrinam, contra Athanasium intrusus est, ab Arianis, Anno 365 postquam Constantinopolim, ob quæstoris officium malè administratum, fugisset. Natalibus obscurus, animo sævus, moribus impius, religione hæreticus, & *qui crudelius, quàm ulla fera bestia in ovile Domini grassabatur.* Sozom. *lib* 3. *c* 6. *l.* 4 *c.*8. Athan *ep ad Solit* Epiphan. *hær.* 76. 77. Ammian. Marcellinus *lib.* 22. Theodoret. *lib.* 2. *cap.* 1, 14. Socrat. *l.*2. *c.* 23. *l.* 3. *c.* 3. &c. Adde Morerium *Dict Hist.*

Georgius Cassander, Brugensis, eruditione clarus, Protestantium cum Pontificiis reconciliationi intentus. Scripsit de officio viri boni, in disputationibus de Fide. Item, contra Confessionem August. qui liber à Pontifice censurâ notatus est. Spond. Anno Chr. 1564.

Georgius Castriotus, Vid. *Scanderbegus.*

Georgius Cedrenus, Vid. ibi.

Georgius Chœroboscus, Græcus auctor. Leo Allat. *diatr. de Georgio.*

Georgius Chrysococes, Medicus & Mathematicus Gr. varia scripsit, an. 1346.

Georgius Chumnus, auctor historiæ rythmicæ, à Mundo condito, usque ad Salomonem, Voss. *de H. G. l.* 3. *p.* 368.

Georgius Codinus, Curopalates, scripsit de origine Constantinopolis, item de Ministris Palatii, &c. Georg. Dousa & Franciscus Junius, transtulerunt. Voss. *de H G l.* 3. *p.* 368.

Georgius Collimitius, Mathematicus, Andreæ Stiborii discip. scripsit complura, sec. præterito. Gesner. *tom.* 1. *Bibl.* Voss. *de Mathem. cap.* 65. *§.* 8.

Georgius Ederus, Frisingensis, JC. tribus Imperatoribus à consiliis. Præter alia, Oeconomiæ Bibliorum, libb. 5. auctor. Quenstedt. *patr. doct.*

Georgius Fabricius, Germanus, prosâ versuque celebris, sec. præt. Gesnerus, *Bibl*

Georgius Gemistus. Vid. ibi.

Georgius de Gemmingen, doctrinâ inclytus, sub Maximil an. I. Scripsit, inter alia, de machinis bellicis, de cura equorum, de officiis militum, &c.

Georgius Hartmannus, Mathematicus, baculi bombardici inventor. an. 1540. Voss. *de Mathem. c.* 71. *§.* 19.

Georgius Henischius, Med. & Mathematicus Augustanus, de ratione numerandi prisca novaque scripsit. Idem *c.* 35. *§.* 6.

Georgius Joachimus, dictus Rhæticus, Mathematicus insignis, Wittembergæ Astrologiam docuit. Copernici discipulum se gloriatus, ejus scripta, post obitum, edidit. Plurimorum scriptorum auctor, inprimis Ephemeridum, secundùm hypothesin Copernic. Obiit an. 1576. Veltkirchiæ natus. Voss. *de Mathem.* Quenstedt. *patr. doct.*

Georgius Laodicæus, contra Manichæos scripsit, Photius, *cod.* 85. Niceph.

Georgius Lilius, Anglus, auctor Chronici patrii. Ricciolus in *Chronic.*

Georgius Logotheta, sub Michaële Palæologo. Auctor Chronici Constantinop. ab an. 1203. quo Balduinus coronatus est, ad annum 1261. quo Mich. Palæologus Balduino II. successit. Aristoteli & Platoni comparatus, à Gregorio Cyprio, Patr. Constantinop. Onuphr. *Chron. an.* 1234. Voss. *de H. G. lib* 2. *c.* 18.

Georgius Logus, Paulo Jovio, *elog.* memoratus.

Georgius Lud. Frobenius, Clavis universii Trigonometricæ auctor.

Georgius Major, Norimbergensis, in Wittemberg. Academ. Professor, defendit contra Nic. Ansdorphium, nec infantes quidem, sine bonis operibus, justificari posse. Spond. *Anno Christi* 1551. *n.* 21.

Georgius Martinusius, Cardin. Varadin. Minister status & Tutor Johannis, Hungariæ R. A Ferdinando Imp. in suas partes pertractus, postmodum ob fastum, ejusdem jussu, occisus est. Florimondus Remondus. Poissard. *Chron. Hungar.* Thuanus *Histor.* &c.

Georgius Merula, Angelo Politiano, Philippo Beroaldo, multisque aliis viris doctis æqualis.

Georgius Molitor, Philosophus & Theologus insignis, Norimbergensis. Obiit an. 1484.

Georgius Nicomediensis, eruditione clarus, an. 970.

Georgius Obrechtus, JC. Argentor. scriptis clarus.

Georgius Pachymerus, Nicæâ oriundus, circa an. 1280. Scripsit Commentar. in S. Dionys. Historiam, quæ incipit à Michaële Palæologo, &c. Leo Allatius, *diatr. de Georg.*

Georgius Phranza, histor. Græcus, tempore Constantino-

poleos captæ. Chronici rerum sui temporis auctor, quod desinit an. 1461. Voss. *de H. G. l.2.c.30.*

Georgius Pictor, Medicus Germanus, aliquot in Medicina tractatus edidit. Paschal. Gallus *Bibl. Med.*

Georgius Pisides, sub Heraclio Imp. Hexaëmeron scripsit, 3000. versibus: editum à Fr. Morello, Gr. & Latinè, an. 1584. Item, historiam Heraclii, de bello Persico, &c. Niceph. Calixt. *libr.* 18. *cap.* 48. Tzetzes, *Chil.* 3. *Hist.* 66. Leo Allatius, *diatribâ de Georg.* Voss. *de H. G. l.* 2. *c.* 23.

Georgius Podiebradius, Bohemiæ R. prælio contra Moravos victor, an. 1461. coronatus, Ladislao, fil. posthumo Alberti Austriaci in nuptiarum apparatu mortuo, successit. A Matthia Corvino, à Pio II. contra se, quòd Hussitis impensè faveret, electo vexatus, obiit Anno 1471. animi mœrore, quòd filium sibi non successurum cognovisset. Æn. Sylvius *in Hist. Boh.* Dubravius *H. B. lib.* 30. Successorem habuit Vladislaum, fil. Casimiri Poloni. Filii autem ejus Principes Münsterbergenses facti sunt. Vide *Podiebradius.*

Georgius Polavius, Venetus, Auctor *Anticopernici Catholici.*

Georgius Purbachius, Mathematicus, Philosophiam & Theologiam Viennæ docuit, dein Bessarionem in Italiam secutus, Græcæ L. addiscendæ studio, illic Epitomæ Copernicanæ intentus, obiit an. 1472. Regiomontanus discip. quædam ejus edidit. Voss. *de Math. c.* 35. §. 45. *c.* 57. §. 5.

Georgius Ragusæus, Venetus, Mathematicus, auctor libri de divinatione.

Georgius Ravennatinus, Mediolan. de Vir. Ill. Jacobinorum Ord. scripsit.

Georgius Riplaius, Carmelita Anglus, scriptor sec. 14. celebris. Obiit an. 1490. Voss. *de H. L. p.* 637.

Georgius Rithaimerus, auctor Epitomes, de situ orbis.

Georgius Sauromanus, Germanus; Panegyricos Caroli V. duos composuit, cum laude, ejusque negotia apud Leonem X. Adrianum V. & Clementem VII. curavit. Paul. Jovius, *elog. cap.* 128.

Georgius Scholarius, Judex Imperialis Constantinopoli, eruditione omnigenâ florens, interfuit Concil. Florentino, captâ à Turcis urbe, Patr. electus, Gennadii nomen sumsit, pompâ consuetâ, Obiit Anno 1460. Scripsit Colloquium cum Mahomete Imp. de articulis Fidei ad eundem, de Prædestinatione, &c. adhuc ἀνέκδοτα. Phranzes, *c.* 18. 19. *& de excid. Const.* Zygomalas, *Turcogr. lib.* 1. Leo Allatius, *diatr. de Georg.*

Georgius Selvus, Parisinus, Episc. Vaurensis, à Francisco I. ad Carolum V. & Venetos missus. Octo vitas Plutarchi vertit, &c. Obiit Anno 1541. Morerius.

Georgius Sigism. Seldius, Augustanus, Consil. & Vicecancell. trium Imperatorum. Scriptis clarus.

Georgius Tensera, Brugensis, auctor Hist. Artesianæ.

Georgius Theophanes, Vid. ibi.

Georgius Tiphernas, sec. 15. partem Strabonis vertit, & fortè quoque Herodianum. Paul. Jovius, *elog.*

Georgius Trapezuntius, docuit Rhetoricam & Philosophiam Romæ, sub Eugenio IV. Nicolai V. secretarius, plurimos auctores Græcos Latinè vertit, sed nimius Aristotelis admirator. Senex, omnium rerum quas antea noverat, proprii que nominis, oblitus est. Obiit Anno 1486. Ejus filii Johannem Regiomontanum veneno sustulisse dicuntur, quòd Famam Parentis splendore suo offuscaverit. Paul. Jovius, *elog. c.* 25. Vossius *de Hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 8.

Georgius Valla, Placentinus, Latinè & Græcè doctissimus, de Scientiis scripsit. Paul. Jovius, *elog. cap.* 113. Gesner. *Bibl.*

Georgius Vasarius, Aretinus, Pictor & statuarius, Italicè de suæ artis illustribus Viris scripsit.

Georgius Vivianus, Antverp. Ascetica quædam scripsit. Verd. *Bibl. pag.* 450. &c.

S. Georgius, Ordo Canonicorum Reg. Venetiis, à Bonifacio IX. fundatus, an. 1404. Morer. *Diction. hist.* Item, Ordo Militaris à Friderico III. Imper. & primo ArchiD. Austriæ institutus, an. 1470. ad limites Bohemiæ & Hung. contra Turcas tutandos. Wolfgang. *Hist. Austr. l.* 3. Favyn. *Theat. hon. & Eq.* Item Ordo Eq. Reip. Genuensis. Item, in Arragoniæ regno. V. Morer.

Gephyra, urbs Bœotiæ. Steph.

Gephyræi, Phœnices, qui cum Cadmo in Græciam venerunt, de quibus vide Lipenium *de Navigatione Solomonis Ophiritica, pag.* 167.

Gephyrote, urbs Libyæ. Steph.

Gepidæ, pop. Sarm. Eur. inter Getas & Dacos numerati: à pugna pedestri sic dicti. Isidor.

Gepini, vel *Guepini*, vulgò vocantur incolæ Aurelianorum in Gallia urbis, Gall. *Guepins*: quod nomen pro convitio à plerisque habetur: Origo ab omnibus ignoratur. An sic dicti, quasi *Vespenses* aut *Vespini* à vespis, quorum advolantium molestos ictus, importunos bombos, ac pungendi libidinem vino suo inflati, clamoribus, rixis & convitiis imitantur? Hadr. Val. *Notit. Gall. in voce Genabum, p.* 228. *col.* 2.

Gera, fil. Benjamin, Gen. 46. Pater Ehud. Jud. 3. Pater item Shimei, viri de cognatione Saul. 2. Reg. 16. Item *Gera* arx, à Philippo Macedonum rege expugnata.

Geraa, Lusitaniæ urbs. Ptol.

Geræstus, urbs Eubœæ, in parte mer. Ins. ubi incipit Or. in qua Neptuni templum erat. Steph. 15. mill. à Carysto in Austr. 25. à Caphareo. Baudr.

Gerania, urbs Phrygiæ, item mons inter Megaram, & Corinthum, à quo se præcipitem dedit Ino, cùm fugeret Athamantem. Steph.

Gerania, Thraciæ urbs in Mœsiâ, à Barbaris *Cattuza* vocari auctor est Solinus. *Catisos* gentem vocat Plinius. *Rhacola* nominatur Stephano, cujus incolæ *Tussyli* appellantur.

Gerania, mons & prom. Megaridis, reg. Achajæ, inter Megara & Corinthum, locus olim Atheniensium, contra Corinthios egregiè munitus. Thuc.

Gerantha, urbs Laconiæ. Steph.

Gerar, metropolis terræ Palæstinæ, in quâ natus est Isaac, quæ olim terminus Chananæorum fuit ad Australem plagam. Ejus rex fuit Abimelech temporibus Abrahami.

Geraræ, Græcis Γέραραι, teste Polluce, quatuordecim erant mulieres à rege Atheniensium constitutæ, quæ sacra secreta Dionysio faciebant. De quibus Demosthenes *in Orat. contra Neæram*, ubi & tale jusjurandum earum producit:

——— Ὅρκος Γεραιρῶν.

Ἁγιστεύω, καὶ εἰμὶ καθαρὰ, καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας, καὶ τὰ θεογόνια, καὶ Ἰοβακχεῖα γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις.

Gerardi mons, vulgò *Geersbergen* incolis, Gall. *Gramont*, opp. Flandriæ Imper. in Comit. Alostano, in colle, ad fluv. Teneram. 3. leuc. ab Aldenarda, 5. à Teneramunda.

Gerardi villa, al. *Grandis* villa, vulg. *Graville*, non longè abest à flu. Sequana, ejusque ostio, inter Harcflotum & Portum Gratiæ, in Caletis diœcesique Rotomagensi: Prioratu insignis. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Viri celebres.

Gerardus, Valdensium seu Albigensium, ut tum vocabantur, doctor, cum 30. illorum, in Anglia cæsus flagris, frigoreque ac fame necatus, mirâ constantiâ, *Beati eritis, cùm vos homines oderint!* canens, mortem excepit, A. C. 1179. Nicol. Harpsfeld. *Hist. Eccl. Angl. sec.* 12. *c.* 36.

Gerardus, cognom. Magnus, Daventriensis, Thomæ à Kempis præceptor. Scripsit quædam. Obiit Daventriæ, an. 1384. Trithem. Hist. Trip.

Gerardus Blesensis, Ep. Encolismensis, Paschali II. medium suggessit, quo fidem Henrico IV. de investitura Beneficiorum, datam eluderet. Missus proin ad Imperatorem, dein Legatus Aquitaniæ fuit; qui honor cùm ei non continuaretur, ab Innocentio II. Antipapæ Anacleto adhæsit. *In lecto lividâ & sugillatâ facie mortuus deprehensus.* SanMarth. *Gall. Chr. t.* 2. *p.* 581.

Gerardus Mercator, Vid. ibi.

Geradus Russelius, Episc. Oleronensis, in aula Margaretæ Navarræ, Evangelium docuit, primusque sub utraque S. Cœnam exhibuit. Obiit an. 1551.

Gerardus Sagarellus, Parmensis, caput Pseud Apostolorum, si vera de ipso adversarii scribunt, Anno 1296. Apostolorum imitationem jactavit, in paupertate inprimis spontanea, Pontifices Sylvestrum secutos rejecit, excepto Cælestino V. decimas dandas negavit, &c. Exustus. Bzovius *A. C.* 1300. *n.* 13. Quære *Fratricelli.* Plures *Gerardos.* V. apud Voss. Morer. *Dict. Hist.* &c.

Gerasa, urbs Cœlesyriæ, Stephanus: quem vide.

Gerasimus, Patr. Constant. post Johannem XII. rudis Græcæ literaturæ. Obiit Anno 1322. Niceph. Gregoras, *l.* 8. Phranz. *l.* 9.

Gerastus, fil. Mygdonis, à cujus filiabus Parthenopolis in Syriâ dicta est. Steph.

Geravia, tractus Palatin. Rheni, inter Rhenum & Mœnum, ubi Darmstadium opp. à quo hic tractus dicitur Landgraviatus Darmstadiensis.

Gerberga, uxor Ludovici IV. Ultramarini, fil. Henrici Aucupis, Imper. Anno 940. Marito captivo liberando omnem dedit operam, Lotharioq; filio regnante, cum cura, negotiis incubuit, &c. *Histor. & Geneal. Gall.*

Gerbertus, Mathematicus insignis. V. *Sylvester II.*

Gerboredum, opp. Inf. Franciæ, in agro Bellovac. 5. leuc. à Bellovaco in Circ. in confin. Picardiæ; *Gerberoy*. Baudr. Monti impositum et Teram fluvium despicienti. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Gerea, urbs Indica. Steph.

Gerelanus, tribunus, occidendo Attico Vestino, à Nerone immissus. Tac. 15. 69.

Geren, urbs Lesbi, vel vicus à *Gerene* Neptuni filio. Steph.

Gerenia, opp. Apuliæ Dauniæ; apud Phiternum fluv. Hodieque *Gerione*. Livio *Geryon.*

Gerenia, urbs Messeniæ, ubi Nestor Pylius educatus est. Unde apud Hom. Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ.

Geres, calvus quidam, quòd esset impudicus & servis ortus, traducitur ab Aristophane *in Acharn.* Vide Scholia *p.* 399. *G.* 2.

Gerestiscus Portus, à tergo urbis Tei in Joniâ. Liv. 37. *Cherraida* Stra-

de Strabonis, vult Hubert. Goltzius *in suo de Græcorum numismatibus libro.*

Gergesæi, populi terræ Chananiticæ. Gen. 15. à *Gergeseo* filio Chanaan. Gen. 10. vide Boch. *p.* 345.

Gergina, Mysiæ urbs Athenæo, ad Idam montem, quam suo tempore *Gergitham* appellatam addit.

Gergis, vel *Gergithus*, urbs Troadis. Steph. Hinc *Gergithes* & Apollo *Gergithius*.

Gergithius, scripsit de adventu Æneæ, in Italiam.

Gergithum, urbs in Cumano agro, ad Larissam in Æolide. Plut. Plinius, Athenæus.

Gergobia, Cæsari, sed Γεργουία Straboni, Galliæ opp. in Arvernis, *Gergoie*, Gab. Simeonio. *Gergobia* altera vel *Gergobina*, Boiorum in Gallia metropolis, Cæsar. *Molins* Paradino. Vigenereus mallet *Monluçon*, vel *Nery*, ubi sunt Thermæ, & multa antiquorum Romanorum vestigia. V. *Gergovia*.

Gergolium, *Jargeau*, opp. Aurelianensis prov. ad Ligerim, cum ponte, aliàs munitum. 4. leuc. supra Aurelias in Ort. Floriacum versus.

Gergovia, Arvernorum urbs, *posita in altissimo monte omnes aditus difficiles habebat*, Cæs. Hanc Cæsar, Genabo Carnutum & Avarico Biturigum potitus, obsedit, defendente Vercingetorige. Ejus vestigia & ruinæ hodieque visuntur in monte celsissimo aliquot stadiis ab urbe Arvernis, & veterem appellationem servant, *Gergoye*, dictæ: ut refert Valesius, qui hinc arguit eos, qui Augustonemetum vel Clarummontem cum Gergovia eandem urbem faciunt. Item urbs Boiorum in Gallia, quam Vercingetorix Arvernus, Dux rebellium Gallorum, oppugnavit, sed Cæsare appropinquante, recessit. V. supra in *Gergobia*.

Gerion Augur, Heros inclytus, ut Ponticus habet, vates antiqui nominis, ac Deorum minister, in omni Græcorum sapientia præstantissimus, regi Bryto à futurorum consiliis erat. Claruit anno à mundi origine 2840. & ante Virginis partum 1130. Heli summo sacerdote apud Israelitas dominante.

Germani Fanum, *S. Germain en Laye*, inter Lutetiam & Possiacum, villa & domus regia. Hîc Carolus V. arcem ædificavit, in qua exornanda Franciscus I. & Henricus IV. desudarunt. Hîc post colloquium Possiacenum, inter utriusque partis Theologos, aliud habitum est, de usu Imaginum, A. C. 1562. & contra imagines, inprimis Trinitatis conclusum, sed res executioni, opponente se Nicolao Mallardo, Collegii Theologici Decano, data non est. Vid. Thuan. *Hist. l.* 28. 29. &c. Ibi Orpheus cum lyra, spectandus, &c. Duchenius, *antiq. Urb.*

Germania, regio Europæ latissima, quæ à Gallis Rhætis, ac Pannoniis, Rheno, & Danubio fluminibus, à Sarmatis, Dacisque metu mutuo, ac montibus separatur: *cætera ambit Oceanus*, latos sinus, & insularum immensa spatia complectens. Germaniæ autem termini ab auctoribus, ut quisque sui temporis rationem secutus est, adeò variè describuntur, ut triplicem quasi Germaniam facere videantur, Veterem nempe, mediam, & recentem. Veterem vocant Berosianam, quam Rheno, Oceano, Tanai, Ponto Euxino, Danubio ejusque accolis circumscribunt. Media erit quam Tacitus, Ptolemæus & Plinius, coætanei fere cognoverunt, quæ cùm ex ipsis autoribus satis nota sit, non opus videtur hic denuo eam describere. Denique recens Germania, quæ nostrâ est memoriâ usitatior, ultra Rhenum eatenus est extensa, ut omnes ferme Belgas, usque ad Alpes Tridentinas contineat. Ita quoque ultra Vistulam ortum versus, usque ad Scythas Alanos, quos hodie Lithuanos appellamus, pertinet. Erit ejus longitudo ab Iccio portu, vulgò Caletum, usque ad Lithuaniæ fines, habebitque latitudinem à mari Germanico & Venetico ad Alpes usque. Sunt in illa Archiepiscopatus 7. Coloniensis, Trevirensis Moguntinus, Vesuntinus, Salisburgensis, Pragensis, & Magdeburgensis: Episcopatus 40. Regna 2. Bohemiæ, & Daniæ; Ducatus 13. Austriæ, Stiriæ, Bavariæ, Wirtenbergensis, Franconiæ, Voitlandiæ, Saxoniæ, Brunsvicensis, Luneburgensis, Holsatiæ, Lavvenburgensis, Magnopolitanus, Pomeraniæ; Landgraviatus 2. Hassiæ, & Alsatiæ; Marchionatus 2. Brandeburgensis & Badensis, Comitatus magni 4. Palatinatus, Tirolensis, Mansfeldensis & Oldenburgensis. *Germania* & *Alemagna* Italis, *Teutschlandt* Germanis, Anglis *Germany* dicta. Ferr. Baudrando Germania, *l'Allemagne* Gallis, *Alemanna* Hispanis, una ex præcipuis Europæ partibus. Antiquitus separata fuit à Gallia Rheno fluvio, à Norico & Vindelicia Danubio, à Sarmatia Vistula fluvio. Nunc autem valde diversos habet limites: A septentrione habet mare Balticum & Jutiam meridionalem, ab oriente terminatur Hungaria, Prussia Regia, & Polonia superiori & inferiori, quæ pro majori parte sunt cis Vistulam fluvium: A meridie separatur ab Italia Alpibus, ab occidente Frisia occidentali, Gueldria, Transisalania, & Groninga, quæ antea erant in Germania, & nunc sunt in Belgio. Sed vicissim ditiones Clivensis, Juliacensis, Leodiensis, Coloniensis, Trevirensis, Palatinatus Rheni pro parte, & Helvetia, quæ antiquitus erant in Gallia, nunc in Germania censentur. Alsatia nunc subest dominio Francorum. Bohemia inserta est in Germania cum ejus partibus Silesia & Moravia. Sed Polonia & Dania Reges habent proprios, neque ullo modo sub Germania continentur. Helvetii autem cum Rhætis sunt sui juris, nec Germanicum agnoscunt imperium. Ejus longitudo à confinio Lotharingiæ usque ad limites Hungariæ est 120. milliarium Germanicorum, seu 180. leucarum Francicarum. Latitudo autem à mari Baltico usque ad Alpes in confinio Foro-Julii est 126. milliarium Germanicorum, seu 190. leucarum Francicarum. Nunc tota Germania dividitur in regnum Bohemiæ & Circulos; suntque eo ordine:

Germaniæ Circuli:

Circulus Franconiæ, *le Cercle de Franconie*, sub quo Episcopatus Herbipolitanus, Bambergensis, & Eichstatensis, ac tota Franconia comprehenduntur.

Circulus Bavariæ, *le Cercle de Baviere*, sub quo Bavariæ Ducatus, Palatinatus superior, & Archiepiscopatus Salisburgensis, cum Episcopatu Passaviensi & Ducatu Neoburgensi.

Circulus Austriacus, *le Cercle d'Austriche*, sub quo Austria, Stiria, Carinthia, Carniola, Comitatus Tirolensis, & Episcopatus Tridentinus cum annexis.

Circulus Suevicus, *le Cercle de Suabe*, ubi Suevia tota, Ducatus Virtembergensis, & Marchionatus Badensis & Burgoviæ.

Circulus Rhenanus, *le Cercle du haut Rhin*, in quo Alsatia, Ducatus Bipontinus, Hassia, & Episcopatus Spirensis, cum Abbatia Fuldensi, Veteravia, & Comitatu Valdecensi.

Circulus Electorum Rheni, *le Cercle des quatre Electeurs du Rhin*, sub quo ditiones Electorum Moguntini, Trevirensis, Coloniensis, & Palatini Rheni.

Circulus Westphaliæ, *le Cercle de Westphalie*, sub quo Ducatus Westphaliæ, Juliacensis, Clivensis, & Montensis, Comitatus Marchiæ, Frisiæ orientalis, Oldenburgensis, & Hoyensis, & ditiones seu Episcopatus Monasteriensis, Leodiensis, Osnabrugensis, Paderbornensis, & Mindensis Principatus.

Circulus Saxoniæ superioris, *le Cercle de la haute Saxe*, in quo Ducatus Saxoniæ, Misnia, Turingia, Principatus Anhaltinus, Marchionatus Brandeburgicus, & Pomerania, cum Rugia insula.

Circulus Saxoniæ inferioris, *le Cercle de la basse Saxe*, sub quo Ducatus Brunsvicensis, Luneburgensis, Megalopolitanus, Bremensis, Magdeburgensis, Lavemburgicus, & Holsatiæ, Diœcesis Hildeshemiensis, & Principatus Halberstadiensis & Verdensis: suntque hi omnes in *Germania*.

Circulus Burgundicus, *le Cercle de Bourgogne*, est extra Germaniam propriam, continetque Comitatum Burgundiæ & septemdecim provincias Belgii; habetque tantùm votum in diætis, cùm agitur de rebus Imperii Germanici. Unde colliges regnum Bohemiæ non comprehendi in Imperio, sed tantùm esse intra Germaniam, & vicissim Circulum Burgundicum comprehendi in Imperio Germanico, sed tamen esse extra Germaniam. Institutus autem fuit Circulus Burgundicus à Carolo V. Imperatore, ut sic ditiones suas Belgii & Comitatus Burgundiæ servaret auxilio Germanorum.

Germaniæ Principes.

Imperator, sub quo nunc Regnum Bohemiæ cum annexis, Silesia, & Moravia. Eidem etiam subsunt Austria cum Stiria, Carinthia, Carniola, Comitatu Tirolis, Brisgovia, Burgovia, & annexis.

Archiepiscopus Elector Moguntinus, sub quo ditio Moguntina, Erfordia, & tractus Eisfeldia.

Archiepiscopus Elector Trevirensis, sub quo ditio Trevirensis.

Archiepiscopus Elector Coloniensis, sub quo ditio Coloniensis & Ducatus Westphaliæ.

Dux Elector Bavariæ, sub quo Bavaria, cum Palatinatu superiori.

Dux Elector Saxoniæ, sub quo Ducatus seu Electoratus Saxoniæ, cum Lusatia superiori & Misnia, cum Episcopatu Misnensi & Comitatu Mansfeldiensi.

Dux Elector Brandeburgicus, sub quo Marchia tota Brandeburgica, Ducatus Pomeraniæ ulterioris, Prussiæ, Magdeburgensis, Halberstadiensis, Mindensis, Clivensis, & Crossensis, Comitatusque Marchiæ & Ravensbergensis.

Princeps Elector Palatinus, sub quo Palatinatus inferior sive Rheni.

Archiepiscopus Salisburgensis, sub quo ditio Salisburgensis.

Episcopus Monasteriensis, sub quo ditio Monasteriensis.

Episcopus Leodiensis, sub quo ditio Leodiensis.

Episcopus Herbipolitanus, qui & Franconiæ Dux, sub quo ditio Herbipolitana.

Episcopus Bambergensis, sub quo ditio Bambergensis.

Episcopus Paderbornensis, sub quo ditio Paderbornensis.

Episcopus Osnabrucensis, sub quo ditio Osnabrucensis.

Sunt etiam Episcopi Aistetensis, Argentoratensis, Augustanus, Basileensis, Constantiensis, Passaviensis, Spirensis, & Vormaciensis, cum eorum ditionibus adjacentibus.

Duces Luneburgenses & Brunsvicenses, sub quibus Ducatus Brunsvicensis & Luneburgensis, Comitatusque Diepholtensis, Danebergæ, & Hoyæ.

Dux Wirtembergensis, sub quo Ducatus Wirtembergensis.

Dux Neoburgensis, sub quo Ducatus Neoburgensis, Juliacensis, & Montensis.

Lantgravius Haffo Caffellanus, fub quo major pars Haffiæ, ditiones Marpurgenfis, Hersfeldia, Smalcaldia, & pars Comitatus Schaumburgenfis.

Duces Megalopolitani duo, fub quibus Ducatus Megalopolitanus, & tractus Suerinenfis & Ratzeburgenfis.

Duces Holfatiæ plurimi, fub quibus major pars Holfatiæ.

Principes Anhaltini quinque, fub quibus Principatus Anhaltinus.

Dux Bipontinus, fub quo Ducatus Bipontinus.

Princeps Frifiæ orientalis, fub quo Frifia orientalis.

Dux Saxoniæ Lavemburgenfis, fub quo Ducat. Lavemburgenfis.

Dux Saxoniæ Hallenfis, fub quo Halla & pars ampla Thuringiæ.

Dux Saxoniæ Merfoburgenfis, fub quo tractus Merfoburgenfis, & Lufatia inferior.

Dux Saxoniæ Naumburgenfis, fub quo ditio Naumburgenfis, maxima pars Voigtlandiæ, & Principatus Hennebergenfis.

Dux Saxoniæ Altemburgenfis, fub quo Ducatus Altemburgenfis & Coburgenfis.

Duces Saxoniæ Veimarienfes, fub quibus Ducatus Veimarienfis & Eyfenacenfis.

Sunt etiam plurimi alii Principes minores in Germania, de quibus fuo loco dicemus. Infuper Rex Franciæ poffidet in Germania Alfatiam, cum Sundgovia, uti etiam Brifacum & Philippoburgum. Rex Sueciæ habet Pomeraniam citeriorem, Ducatus Bremenfem & Verdenfem, Rugiam infulam, & Vifmariam urbem, nunc partim captas, partim bello vexatas. Rex autem Daniæ poffidet magnam Holfatiæ partem & Comit. Oldenburgenfem & Delmenhorftenfem à paucis an. Regiones & urbes, V. infra. Hujus regionis incolæ *Germani* dicuntur, cujus nominis rationem ad Romanos authores nonnulli referunt, qui cùm primùm Rhenum devictis Gallis transgreffi fuiffent, videntes eos & feritate animorum & proceritate corporum, colore flavo, formâ præterea & moribus, rituque vivendi Gallis fimillimos, *Germanos* eos, tanquam fratres Gallorum appellarunt. Sic Strabo. Alii inde dictos à Romanis putant, quòd peculiari ejus regionis ritu, an militari more, fe mutuò, fuâ linguâ Germanos, i. e. fratres consalutarent: Quod confirmat Plut. *in Mario*. Eruditi tamen inter Germanos vocabuli hujus etymologiam ex fuâ potius linguâ petendam exiftimant. Illi enim *gar*, five *ger*, *totum* dicunt, & *man*, *virum*, ut *Germanos* dictos intelligas, quafi *totos viros*. Alii deducunt a *Ger*, quod pro *bello* ufurpatur apud Gallos veteres, ut *War* Anglis, & *Guerre* Gallis, unde *Germani*, id eft, *homines belli*, Gallicè *gens d'armes*. Nonnulli à *germinando* derivant, propter foecunditatem gentis populofiffimæ, ut Sylvius: quò & P. Diaconus refpicere videtur *l.* 1. *rerum Longobardicarum*, *cap.* 1. Quidam à Carmanis, Afiæ populis, vocabuli aufpicium deducit. Peucerus Germanos quafi *Hermenner*, h. e. militares viros dictos exiftimat: Junius eos à *Thogarma*, filio Gomeri, filii Japeti, filii Noë, originem duxiffe vult. *Alemanniam* etiam vocant hanc Europæ partem nonnulli, ejusque incolas *Alemannos*, quo nomine fub inclinati Imperii tempora vocari cœperunt *Teutoniam* etiam à nonnullis appellatam invenimus à Teutone quodam eorum duce: alii *Teutonas*, qui vernaculè *Teutfche*, Italis *Tedefchi*, & à quibus Teutonici vocantur, & regio *Teutfchlandt*, nomen habere à Thuiftone, quem alii vocant Tuifconem, ajunt, creduntq; filium fuiffe Noachi, exteris vocatur *Alemagna*: Schlavones *Nimicha*: Græci ἀλάμαγος hodie vocant, & Turci *Alaman*: Porro Germani ipfi indigenæ exiftimantur, quoniam non eft verifimile, aliquos Afiâ, aut Africâ, aut Italiâ relictâ, Germaniam petiiffe, informem terris, afperam cœlo, triftem cultu, afpectuque, nifi patria fit. De Germanis Dionyfius,

Λαδνικότε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων Γερμανῶν.

Ubi MS. Bodleianum legit ἐλαθενέων, utrumvis epithethon fortitudinem Germanorum fatis indicat. Quam etiam abundè teftantur authores. Mela, *Immanes funt animis, atq; corporibus*. Cæfar, *Ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibiliq; virtute, atq; exercitatione in armis effe* prædicat. Columella *Lib.* 7. *de R. R. Germaniam decoravit natura altifsimorum hominum exercitibus*. Solinus, *Frequens Germania populis numerofis, & immanibus* Tacitus, *Germanos fluminibus fuetos levitas armorum, & proceritas corporum attollit*. Cicero *contra Pifonem*, *acerrimas* dicit *Germanorum nationes*. Seneca *de Ira l.* II. *Germanis quid eft animofius, quid curfu acrius, quid armorum cupidius?* Et *lib. de Brevit. Vitæ*, vocat *ferocifsimam gentem*, & alibi *avidam gentem belli*. Hinc Horat. Germaniam *horridam* dixit, *Carm.* 4. *Od.* 5.

Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus? —— —— *Quis feræ*
Bellum curet Iberiæ?

Idem *in Epodis*,

Nec fera cæruleâ domuit Germania pube.

Nunc adeo culta eft, ut nulli Europæ regioni cedat. Libertatis apud illos tantus amor, ut omne jugum ægrè ferant. Primi illorum Cimbri Teutonesq;, irruptione in Galliam Italiamq; factâ, Romanis innotuerunt: à Caio Mario partim in Provincia, partim in Alpium defcenfu difficulter victi. Julius Cæfar poftea domitis Galliis, Rhenum trajecit, longoque ac operofo bello, cum Germanis negotium habuit, interioribus nunquam penetratis: Interim quæ inter Italiam Rhenumque gentes interjacent, Augufto Tiberioque fuere fubjectæ: quibus defunctis, foli Alemanni in obfequio manferunt, fed qui & ipfi circa A. C. 200. jugo excuffo, aliquoties Gallias terruere. Reliqui ultra Danubium Albimque incolentes non liberi folùm fuere femper, fed & hinc Gothi, Burgundiones, Vandali, Longobardi, alii, effufi in ditiones Imperio fubjectas, longè lateque rerum potiti funt. Jugum paffi demum fub Chlodovæo I. Francorum Rege, ad Tolbiacum victore, cujus Succeffores duces poftmodum illis impoſuerunt. Regna deni Saxonum, Toringorum, Francorum & Bavarorum, armis Caroli M. funt fubacta: qui primus Occidentis Imperator coronatus eft. Hujus filius Ludovicus Pius, partem harum provinciarum, cum titulo Germaniæ Regis, uni filiorum conceffit: quorum pofteritate poft an. circiter 100. extinctâ, Conradus I. è Francorum ducibus Imperator electus eft, à quo tempore in Statuum Imperii arbitrio manfit electio, donec proceffu temporis, in 7. familiis principalibus jus iftud hæfit. V. *Electores*. E' Saxonica igitur, poft Conradum, familia, Henricus Auceps, A. C. 918. pater Ottonis I. avus Ottonis II. proavus Ottonis tertii: & Henrici II. è Francica iterum Conradus II. Henr. III. Henr. IV. Henr. V. Rurfus è Saxonica Lotharius: è Suevica Conrad. III. Frider. I. Barbaroffa, Henricus VI. Philippus. Denuo è Saxonica Otto IV. Iterum è Francica Frider. II. ex Hollandica Wilhelmus; ex Auftriaca Rodolphus I. ex Naffovia Adolphus; rurfus ex Auftriaca Albertus: ex Lutzelburgica Henr. VII. ex Bavarica Ludov. iterum ex Lutzelburgica Carolus IV. & Wenceslaus: ex Palatina Rupertus: ex Lutzelburgica denuo Jodocus, & Sigifmundus: iterum ex Auftriaca Albertus II. electi, Imperium adminiftrarunt, à quo tempore usque ad noftram ætatem Imperium Electitium quidem, fed in Auftriaca familia, manfit. Præcipua Germanis prifcis *Solis*, *Lunæ* & ignis veneratio fuit: fed & Tuifconem, è terra genitum, filiumque ejus Mannum, quo nomine Adamum forfan intellexerunt, verfibus fuis eximiè celebrarunt. Nec neglectus illis Mercurius fuit, quem humanis victimis propitiarunt. Ifis parti Suevorum in figurâ vafis culta eft; Deos pingere, eorumque fimulachra templis concludere nefas habebant, lucis proin illis confecratis. Auguria & fortes obfervabant; à Sacerdoti us fupplicia reis irrogari, fummaque rerum adminiftrari folita. Evangelii aliquâ luce circa A. C. 60. Ratisbonæ quidem à Lucio Cyrenæo, Juliobonæ verò in Norico à Marco, ut & Argentorati & Coloniæ Agrippinæ à Materno; colluftrari cœperunt. Florentiffimæ in Germania jam Ecclefiæ fuerunt, A. C. 180. quibus iidem cum Proteftantium hodieque fidei articulis, V. Irenæum *l.* 1. *c.* 2. & 3. Marcomanni ab Ambrofio converfi leguntur, A. C. 396. Burgundiones fidem fufcepere, A. C. 450. Franci fub Chlodovæo, *A.* 499. *baptizati funt*. *Offo Anglus in Germania prædicavit, An. C.* 608. *Helvetii ad fidem perducti funt, minifterio S. Galli, A. C.* 614. *Vilfredus Frifiis concionatus eft, Amandus Flandris, A. C.* 678. *Vigbertus Anglus Germaniam peragravit, A.* 686. *interfectus à* Radbodo, quòd Jovis & Foftæ ftatuas evertiffet. Villebrordus ei fucceffit. Poftea Bonifacius Anglus ope Caroli Martelli, ad CM. ex transRhenanis gentibus, Chriftianis facris imbuit, *Germanorum* vulgò *Apoftolus* dictus, An. C. 739. Epifcopatus varii inftituti, an. 750. & feqq. magnâ Sacerdotum, in Bavaria inprimis, imperitiâ: Germaniæ dein Galliæque Epifcopi, Synodo fub Carolo M. Francofurti habitâ, Anno Chr. 797. Nicenum Concilium 2. pro imaginum cultu celebratum, deftruxerunt. Aquifgrani Synodo habitâ, fub Ludovico Pio, Saxoni cuidam translatio Scripturæ, in vernaculum fermonem, commiffa eft, Anno Chr. 836. Interim crevit reliquiarum veneratio, & Carolus M. pro fancto adorari cœpit: Godefcalcus quoque Monachus, in Synodo Moguntina, fub Rabano Ep. quòd *Prædeftinationem & Reprobationem dari, nec Chriftum pro omnibus effe mortuum* doceret, damnatus eft, Anno Chrift. 848. Hulderícus tamen Epifcopus Auguftanus, Nicolao I. acerrimo cœlibatus in Gallia Germaniaque promotori, obnixus, obtinuit Anno Chr. 860. epiftolâ doctiffimâ ad illum fcriptâ, ut libertas conjugii facerdotum intemerata maneret per annos ferme 200. Sententiæ quoque de orali manducatione corporis Chrifti in C. D. tum fpargi cœptæ, reftitit Rabanus, diligens Auguftini fectator, circa Annum Chr. 876. defenfus à Bertramo presbytero, juffu Caroli Calvi: quo tempore & Johannes Scotus dogma Auguftini de Euchariftia retinuit. Moravi à Methodio, unâ cum Bohemis ad Chriftianifmum pellecti funt Anno Chrifti 894. Nundinas facrorum è Germania fe fublaturum, prælium initurus cum Hungaris Henricus Auceps Imper. vovit, A. C. 932. præftititque. Hujus filio Ottoni M. Leo VIII. Pontif. jus eligendi Pontifices ac Invefttituram Cleri reftituit, Epifcopos, in Bavariâ, diffidentes, infigni epiftolâ hortatus, è qua Sacerdotum conjugium tum in ufu adhuc fuiffe clariffimè patet. Anno Chr. 963. Vid. Aventinum *Annal. Boj. lib.* 4. Crevit poft hæc Epifcoporum luxus & fuperbia, ut non jam à Clericis Fratres, fed *Domini*, & *Canonici* dici vellent, A. C. 1000. Fabric. *in Chron.* In Synodo Noviomagenfi, ut panis ad dextram, calix ad finiftram, in celebratione Miffæ ftatueretur,

decretum

decretum, An. 1018. Henricus III. Imp. ultimus fuit, qui majestatem Imperii contra Papas tueretur, eo proin defuncto Mantuæ statutum, Papam à solis Cardinalibus eligendum esse. An. C. 1066. Cœlibatum inter Germanos iterum vehementer ursit Gregorius VII. opponentibus ipsi Clericis verba Pauli: *Melius est nubere, quàm uri.* Nec quidquam profecit Episcopus Moguntinus Erphordiæ hunc in finem Synodo coactâ, An. C. 1074. uti nec Moguntiæ, ubi iterum in vitæ discrimen venit. Sed Calixtus Papa, Magistratus brachio ad id ipsum, majori successu, usus est, circa An. C. 1120. quo Pomerani & Cassubi in Christum credere inceperunt. Sub Conrado III. magna Germanorum vis à Bernardo in bellum sacrum excita est. Rugii conversi sunt, An. 1161. ut & Pruteni. Waldensium multi in Germania esse cœperunt circa An. C. 1230. ubi Concionatores magno numero, qui sono tintinnabuli Baronibus vocatis prædicaverint publicè, prodiisse, refert Crantzius *Metr. lib.* 8. *c.* 18 & *Saxon. l.* 8. *c.* 16. quotannisque è Germania Mediolanum aut inde in Germaniam, ad Doctorum sustentationem collectæ summissæ. Sigon. *lib.* 18. Hinc persecutio, & ferri candentis examini doctrina subjecta: quo pacto innumeri periere. In Alsatia cùm Nobiles quidam Papam damnarent, quòd Sacerdotibus uxores & carnium esum omnibus negaret, 100. unâ die Argentinæ combusti: & Moguntiæ 39. ustulati sunt. V. Lætum *Comp. Hist. Univ.* tantus nihilominus fidelium numerus, ut è Colonia Mediolanum euntes omnib. noctibus apud suos hospitio excipi possent. Morræus *in Myst.* Munster. *Cosmogr l.* 3. Trithem. *in Chron.* Auctusq; sequentibus annis numerus. A Martino IV. expilati Germani, ut & ab Honorio V. Synodum Virceburgi convocarunt, ubi Legatus Pontif. periclitatus & Probus Tullensis Episc. in Papas acerrimè invectus est, An. C. 1287. Aventin. *lib.* 7 Bulling. *de Concil. l.* 2. Mainardus quoque Tyroli Comes, vitam Episcoporum valde exagitavit libro edito, Avent. *l. dicto.* Waldensium adhuc ad LXXX. M. in Austria circa A. C. 1300. ut & Coloniæ, in quos licèt severè statueretur, unanimi tamen consensu perseverabant, Abbas Hirsaug. *in Chron.* A' Ludovico Bavaro Imp. multa in Pontifices Rom. gravia statuta sunt, circa A. C. 1320. Pòst Musarum studia vires resumere cœpere, & Academiæ Heidelbergæ, Viennæ alibique institutæ sunt, A. C. 1346. 1356. &c. Petitam Concilio Constantiensi, A. C. 1413. Reformationem, cùm Sigismundus Imp. obtinere non posset, ab eodem Basileæ aliud indictum est, A. C. 1431. in quo liberius, quàm unquam aliàs, in auctoritatem potestatemque Pontificis est inquisitum. In Bohemia Moraviaque florentissimæ Fratrum Ecclesiæ: circa A. C. 1460. & 1500. quo tempore Philippus Burgundus, postea Episcopus Ultrajectinus, Legatus à Maximiliano ad Julium II missus Româ Evangelicus ferè rediit, Gerardus Noviomag. *in vita ejus*: & Johannes Episcopus Misnensis venias venales è sua diœceli ejecit, *dicens, se Biblia legentem Religionem præsenti valde dissimilem invenire*: Paulò pòst à Tecelio Dominicano indulgentiis venum expositis, surrexit Lutherus. Quæ sequuta V. apud Sleidanum, Aliosque. Plura de Germanorum fortitudine vide apud Eliam Schedium aureo illo, quem *de diis Germanis*, inscripsit libello, *Syntagm.* 1. *cap.* 1. De moribus Germanorum libellum singularem scripsit Corn. Tacitus. Sed præ omnibus videndi Limnæus *de Jure publico*, Henricus Kippingus, *Meth. novâ J. P.* & Cluverius *de Germaniâ Antiquâ*, Lloyd.

Germania superior, pars est Galliæ Belgicæ, à magna Rheno discreta, in qua Helvetia, Alsatia, & Palatinatus continentur; ab inferiore (de qua mox) Mosella distincta, ad occasum Jura & Vogeso montibus à reliqua Gallia separata, Ferrar. Baudrando *Germania* superior pars fuit Galliæ Belgicæ versùs Rhenum fluvium, ubi nunc Alsatia, Brisgovia, & Palatinatus inferior, non autem Helvetia, quæ erat in Gallia Lugdunensi.

Germania inferior & ipsa Belgicæ Galliæ portio est, juxta Rhenum fluvium, à Mosella (qua à superiore dividitur) usque ad Oceanum in Arctos porrecta: in qua ditio Trevirensis, Coloniensis, Julia, Clivia, Geldriaque Ducatus, & Hollandia Comitatus computantur, Ferr. Baudrando Germania inf. antiquitus erat etiam Galliæ Belgicæ portio versùs Rhenum & Mosam fluvios, eo in tractu, ubi nunc ditiones Coloniensis, Juliacensis, Clivensis, Gueldria, & pars Orientalis & Borealis Brabantiæ & ditionis Leodiensis, non autem tractus Trevirensis. De utraque Germania sic Valesius: Utraque in provincia Belgica, nomen habet à Germaniæ Gentibus, quæ in parte Belgicæ Rhenum transgressæ consederunt. Certè Cæsar *libro* 2. scribit, *plerosque Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumq; antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque qui ea loca incolerent expulisse*: ac ibidem inter Belgas numerat *Condrusos*, Trevirorum clientes, *Eburones, Ceresos, Pemanos, qui uno nomine Germani appellantur*: eosdem eodem in libro *Germanos qui ripas Rheni incolunt*; initio *libri* 6. *Cisrhenanos Germanos* vocat, ut à Germanis Transrhenanis distinguat; *Segnosque & Condrusos, ex Gente & numero Germanorum, qui sunt circa Rhenum* memorat. Cluverius *libr.* 2. de antiqua Germania, auctoritatem Cæsaris secutus, affirmat & probat, Eburones, Condrusos, Segnos, Ceresos, & Pemanos, omnes uno & communi nomine primùm *Germanos*, deinde *Tungros* esse appellatos. Plinius *capite* 17. *libr.* 4. *Rhenum* (inquit) *accolentes Germaniæ Gentium in eadem provincia* (Belgica) *Nemetes, Triboci, Vangiones, Ubii, Gugerni, Batavi, & quos in insulis diximus Rheni,* (Cannenefates nimirum, & *Frisii, Frisiabones,* aliique.) Et Tacitus *libr. de moribus Germanorum,* de Germanis Cisrhenanis sic refert, *Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes, Ubii, Batavi*: qui tres priores populi hodieque sunt in provincia Germania prima vel superiore; *Ubii*, & Eburones vel Tungri; ac *Batavi* in Germania secunda vel inferiore. Apud Tacitum *lib.* 4. *Hist. Viribus cohortium abductis* (*ex insula Batavorum*) *Vitellius è proximis Nerviorum Germanorumq; pagis segnem numerum armis oneraverat*; Germanorum nimirum Cisrhenanorum ipsi parentium. Et Triboces quidem, Vangiones, ac Nemetes unà cum Harudibus aliisque Germaniæ populis Ariovistus Rex Germanorum, paulo ante Julii Cæsaris adventum, in Galliam finesque Sequanorum ad centum & viginti millium numerum transportavit. Ubios autem à Germanico Principatu Augusti in Galliam translatos esse constat. Segnos, Condrusos, Eburones, Ceresos, Pemanos, *qui uno nomine Germani appellabantur,* cùm Cæsar ipse *Rhenum antiquitùs traductos* prodat in *libro* 11. multo ante ejus ætatem in Gallia consedisse credendum est. Tiberius privignus Cæsaris Octaviani Augusti, ac postea successor, victis Germanis, *quadraginta millia captivorum ex Germania transtulit, & super ripam Rheni in Gallia collocavit* Augusti jussu: ut scribit Eutropius in Breviario Historiæ Romanæ. Hoc est forsitan, quod ait Suetonius *in capite* 21. Augustum Cæsarem *Suevos & Sygambros deditos in Galliam traduxisse, atque in proximis Rheno agris collocavisse.* Plinius à Rheno ad Scaldim pertinuisse Germanos Cisrhenanos asserit *capite* 13. *libri* 4. *Toto autem hoc mari ad Scaldin usque fluvium Germaniæ accolunt Gentes*: & *capite* 17. *A Scalde* (inquit) *ad Sequanam Belgica,* Item, *A Scaldi incolunt Toxandri*, &c. Ab his Germanis Cisrhenanis circa Augusti Principatum Germaniæ nomen accepit portio Galliæ Belgicæ Rheno proxima; quæ Germania Cisrhenana duas divisa est in partes, nimirum in provinciam Germaniam superiorem vel primam, & in provinciam Germaniam inferiorem vel secundam. Ptolemæus in Germania superiore, aliis prima dicta, Nemetes, Vangiones, Tribocos, & urbes Mogontiacum Tribocorum, Borbetomagum & Argentoratum Vangionum, Noviomagum Nemetum ponit; in Germania inferiore aut secunda Coloniam Agrippinensem Ubiorum: cui Tungri cum urbe sua Atuaca sunt adjungendi præ cæteris. Hinc Cornelio Tacito *Historiarum libro* 1. *superior Germania, & inferior Germania*, atque in plurali numero *Germaniæ* memorantur; Suetonio *in Vitellio* altera *inferior Germania*, altera *superior provincia*, id est, superior Germania nuncupatæ. Idem Tacitus *eodem in libro*, nunc *Germanos exercitus*, nunc *Germanicos exercitus* appellat: quos Suetonius in Tiberio, *exercitus Germanicianos in Germania* vocat. Ex quo cognoscitur, verum esse quod suprà asseruimus, circa tempora Augusti, cui Tiberius successit, parti Galliæ Belgicæ ad ripam Rheni jacenti appellationem provinciæ superioris Germaniæ & provinciæ Germaniæ inferioris imponi occœpisse. Tacitus *libro* 1. *Annalium*, alterum in superiore Germania apud ripam Rheni constitutum, *exercitum superiorem*; alterum in inferiore Germania positum, *inferiorem exercitum* vocat; in *Histor. libro* 1. hunc, *inferioris Germaniæ legiones*; illum, *superioris Germaniæ legiones*: hiberna utriusque exercitûs, Plinius in *capite ultimo libri* 4. *castra legionum Germaniæ* nuncupavit; Eumenius *in oratione pro restaurandis scholis Augustoduni*, *alarum & cohortium castra toto Rheni limite restituta.* Notitia Imperii Rom. sub Comite rei militaris *tractum Argentoratensem*, sub Duce Germaniæ primæ, & sub Duce Mogontiacensi præfectos militum, Nemetis, Vangionibus, Mogontiaci, & in octo aliis Germaniæ locis consistentium ponit. Suetonius *in Julio* quum ait, Q. Titurium Sabinum & L. Auruncaleium Cottam legatos Cæsaris per insidias cæsos *in Germanorum finibus*, & Eutropius quum refert, *absentem in Germania I. Cæsarem malè pugnâsse, legatosq; ejus duos Titurium & Auruncaleium cæsos esse*: (quod Cæsar *libro* 5. factum scribit in Eburonibus à Rege Gentis Ambiorige) ambo cum Cæsare apertè declarant Eburones esse Germanos, ac provinciæ Germaniæ inferiori attribuendos. *Notit. Gall.* Præter Auctores suprà memoratos, lege de Circulo Austriaco, Matt. Merianum *Topogr. Prov. Austr.* Lazium *descr. Austriæ*, Joh. Cuspinianum, Hier. Megiserum *Ann Carinthiæ* &c. de Bavarico, M. Velserum *rerum Boic. lib.* 6. Joh. Aventinum *Annal. Bojor.* Aldzreiterum *Annal Boicagentis*, Trithem. &c. de Suevico, Mart. Crusium *Annal. Suev.* &c. de Rhenano sup. Merianum *Topographiâ Hassiæ*, Dillichium *Chron Hassiæ.* Chr. Brovverum *Geneal. Comit. Nassov.* de Franconico Merianum *Topogr. Francon.* de Rhenano inf. eundem *Topogr Archiepisc. Mogunt Trevir. & Colon*, Nic. Serrarium *Rerum Mogunt lib.* 8. P. Cratæpol. *Catal. Archiep. Trevir. & Colon* &c. de reliquis, Auctores laudatos Becmanno *Hist. Orb. Terr.*

Germania inferior propriè dicta à recentiorib. quæ aliter Belgium, Gallis *le Païs Bas*, incolis *Nederlant* dicitur; & in ea sunt 17. provinciæ. Ejus pars Borealis seu trans Rhenum erat aliàs in Germania, pars autem Australis & cis Rhenum erat portio Galliæ Belgicæ; nunc à Germanis omnino separatur. Ex his pars quæ in Septentrionem tendit, subest Reipublicæ provinciarum fœderatarum, nempe Groninga, Frisia occidentalis, Transisalana, Zutphania, Gueldria inferior, Vltrajectum, Hollandia, Zelandia, & major pars Limburgi, cum aliquot locis Flandriæ & Brabantiæ, pars autem Australis Belgii subest partim Regi Hispaniæ, uti Brabantiæ major pars, Flandriæ pars, Namurcensis Comitatus, Mechlinia, Marchionatus S. Imperii, Gueldriæ pars superior, Luxemburgensis Ducatus pro majori parte, pars item Hannoniæ, & aliqua portio Artesiæ & Limburgi; partim Regi Franciæ, uti media Flandria, pars Hannoniæ & Luxemburgi, & tota ferè Artesia. De his pluribus suo loco. Germania inferior dicitur ab Hispanis *Paeses Baxos*, & ab Italis *Paesi Bassi*, uti & ipsius pars septentrionalior dicitur communiter *la Hollande* à provincia præcipua, & pars meridionalior *la Flandre*, à provincia sic dicta V. *Belgium*.

Germaniæ regiones per circuitum, quæ mare attingunt.

Pomerania, *Pomeranie*, incolis *Pomern*.
Megalopolitana, *Meclebourg*, incolis *Meklenburg*.
Saxonia inferior, *Basse Saxe*, incolis *Nider Sachsen*.
Frisia orientalis, *Frise orientale*, incolis *Oost Friesen*.

Mediterranea.

Clivia, *Cleves*, incolis *Clef*.
Julia, *Juliers*, incolis *Gulick*.
Eysalia, *Eufeld*.
Palatinatus inferior seu Rheni, *Bas Palatinat*, incolis *die Pfaltz* seu *Nider Pfaltz of der Rhin*.
Alsatia, *Alsace*, incolis *Elsaß*.
Helvetia, *les Suisses*, incolis *Swwitzerlandt*.
Rhætia, *les Grisons*, incolis *Grauwwbünttner*.
Tirolensis Comitatus, *le Tirol*.
Carinthia, *la Carinthie*, incolis *Cärnten*.
Stiria, *la Stirie*, incolis *Steyer*.
Austria, *l'Austriche*, incolis *Oesterreich*.
Moravia, *la Moravie*, incolis *Mähren*.
Silesia, *la Silesie*, incolis *Schlesien*.
Marchia nova, *la nouvelle Marche*, incolis *niew Marck*.

Interiores.

Marchia media & vetus, *moyenne Marche & vieille Marche*, Germanis *Mittel Marck & alt Marck*.
Lusatia, *Lusace*, incolis *Lausnitz*.
Bohemia, *la Boheme*, incolis *Boheim*.
Bavaria, *la Baviere*, incolis *Bayern*.
Nortgovia, *Nortgow*.
Suevia, *la Suaube*, incolis *Schwwaben*.
Franconia *Franconie*, incolis *Franckenland*.
Hassia, *la Hesse*, incolis *Hessen*.
Westphalia, *la Westphalie*, incolis *VVestphalen*.
Saxonia superior, *la haute Saxe*, incolis *ober Sachsen*.
Misnia, *la Misnie*, incolis *Meissen*.
Thuringia, *la Thuringe*, incolis *Thuringen*.
Saxonia inferior, *la basse Saxe*, incolis *Nider Sachsen*.

Germaniæ inferioris provincia,

Artesia, *l'Artois*.
Brabantia, *le Brabant*.
Flandria, *la Flandre*.
Frisia occidentalis seu propria, *la Frise occidentale*.
Groningæ dominium, *la Seigneurie de Groningue*.
Gueldria, *la Gueldre*.
Hannonia, *le Hainaut*.
Hollandia, *la Hollande*.
Limburgicus Ducatus, *le Duché de Limbourg*.
Luxemburgensis Ducatus, *le Luxembourg*.
Marchionatus S. Imperii, *le Marquisat du S. Empire*.
Mechlinia dominium, *la Seigneurie de Malines*.
Namurcensis Comitatus, *le Comté de Namur*.
Transisalana, *l'Over Issel*.
Vltrajecti dominium, *la Seigneurie d'Utrecht*.
Zelandia, *la Zelande*.
Zutphania, *le Comté de Zutphen*.

Vrbes Germaniæ liberæ & Principum clariores, asterismo majores indicante.

Amberga, *Amberg*, in Palatinatu Rheni.
* Argentoratum, *Straßburg*, in Alsatia inferiori.
Augusta Tiberii. Vide *Ratisbona*.
* Augusta Vindelicorum, *Augsburg*, in Suevia.
Bamberga, *Bamberg*, in Franconia.
* Basilea, *Basel, Basle*, in Helvetiis.
* Berlinum, *Berlin*, in Marchia Brandeburgica.
* Berna, *Bern*, in Helvetiis.
Bipontum, *Zweibrucken*, in Palatinatu inferiori.
Borbetomagus. Vide *VVormacia*.
Brandeburgum, *Brandeburg*, in Marchia Brandeburgica.
Brema, olim Phabiranum, *Bremen*, in Saxonia inferiori.
Brisacum, *Brisach*, in Brisgovia.
* Brunopolis, *Braunswwyck*, *vel Brunswwyck*, in Ducatu Brunsvicensi.
* Cassella, olim Stereontium, Hassiæ primaria, *Cassel*.
Coburgum, *Coburg*, in Franconia.
* Colonia Agrippina, *Coeln*, & *Coln*, in Diœcesi Coloniensi.
Constantia, *Costentz* & *Costnitz*, in Suevia.
Curia, *Chur*, & *Coira*, in Rhætia.
Curia altera, *Hoff*, in Voitlandia.
* Dresda, *Dresden*, in Misnia.
Durlacum, *Durlach*, in Suevia.
* Egra, *Eger*, in Bohemia.
Embda, *Embden*, in Frisia orientali.
* Erphordia, olim Bicurigum, *Erfurdt*, in Thuringia.
Fanum Galli, *San Gal*, in Helvetiis.
Francphordia, *Franckfort an der Oder*, in Marchia Brandeburgica.
Friburgum, *Freiburg*, in Brisgovia.
Glogavia magna, *Groß Glogaww*, in Silesia.
Gorlitium, *Gorlitz*, in Lusatia.
* Grypsualdum, *Gripswwald*, in Pomerania.
Gusterovia, *Gustroww*, in Ducatu Megalopolitano.
Halberstadium, *Halberstat*, in Saxonia inferiori.
Halla, *Hall*, in Saxonia superiori.
* Hamburgum, *Hamburg*, in Saxonia inferiori.
* Heidelberga, olim Budoris, *Heidelberg*, in Palatinatu Rheni.
Helenopolis, postea Francphordia, emporium liberum Franconiæ, *Franckfort am Main*, in Franconia.
* Herbipolis, *Wirtzburg*, in Franconia.
Jena, & Isenacum, academiæ Thuringiæ, *Jena*, & *Isenach*.
Ingolstadium, aliquando Chrysopolis, *Ingolstadt*, in Bavaria.
Lipsia, olim Lupphurdum, *Leipsick*, in Misnia.
* Lubeca, *Lubeck*, in Holsatia.
Luneburgum, *Lunenburg*, in Saxonia inferiori.
* Magdeburgum, olim Parthenopolis, *Magdenburg, Meidenburg*, in Saxonia inferiori.
Mansfeldia, *Mansfelt*, in Saxonia inferiori.
* Martisburgum, olim Amasia, Hassiæ academia & primaria regionis, *Marpurg*, in Hassia.
Misna, *Meissen*, in Misnia.
* Mogontiacum, quæ & Magontia, ac Moguntia, *Mentz*, in ditione Moguntina.
* Monachium, *Munchen*, in Bavaria.
* Monasterium, olim Minigroda, *Munster*, Mymingrode Munstero, *in Westphalia*.
Neoburgum, *Newwburg*, in Brunsvicensi Ducatu.
* Neroberga, & Noriberga, & Norica, *Nurnberg*, in Franconia.
Nerolinga, *Nordlingen*, in Suevia.
Noriberga, & Norica. Vide *Neroberga*.
Olomucium, Julius mons aliquibus, *Olmutz*, in Moravia.
* Praga, olim Marobudum, ut creditur: *Prag*, in Bohemia.
* Ratispona, & Reginopolis, *Regensburg*, in Bavaria.
Rhodopolis, postea Rostochium, *Rostock*, in Ducatu Megalopolit.
Rotovilla, *Rotwweil*, in Suevia.
Salodorum, *Solothurn*, in Helvetiis.
* Spira, olim Nemetes, & Neomagus, *Speyr*, in Palatinatu Rheni.
* Stetinum, *Stetin*, in Pomerania.
Stutgardia, *Stutgard*, in Suevia.
Sundis, *Straelsundt*, in Pomerania.
Susatum, *Soest*, in Westphalia.
Svvenitium, *Schwweinitz*, in Silesia.
* Tigurum, *Zurich*, in Helvetiis.
Tremonia, quæ & Dortmania, *Dortmond*, in Vestphalia.
Treviri, *Trier*, in Trevirensi ditione.
Tubinga, aliquando Augusta, *Tubingen*, in Suevia.
Vangiones. Vide *VVormacia*.
* Verona, postea Berna.
* Veluntio, aliquando Chrysopolis, *Besanzon*, in Comitatu Burgundiæ. Hujus nempe Archiepisc. est Imperii Princeps. Miræus.
Vimaria, aliàs Vinaria, *VVeimar*, in Thuringia.
* Vismaria, *VVismar*, in Ducatu Megalopolitano.
* Vitemberga, quasi Vitarum mons, *Witenberg*, in Saxon. inferiori.
* Vlma, *Vlm*, in Suevia.
Volgastum, *VVolgast*, in Pomerania.
* Vratislavia, *Breslaww*, in Silesia.
Wormacia, *VVorms*. in Palatinatu inferiori.
Zuica, olim Cygnea, *Zwwickaww*, in Lusatia.

Vrbes Norici, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, partem Bavariæ & Comitatus Tirolensis continentis.

Andreapolis, quæ & Lavantum, *S. Andres*, in Carinthia.
Anisium, *Ens*, in Austria superiori.
Astaris, *Steyr*, in Austria superiori.
Brixina & Brixinum, *Brixen*, antea in Rhætia.
Candolica. Vide *Vitopolis*.
Celeia, *Cilley*, in Stiria.
Cetium, *Zeisselmur*, in Austria.
Chiema, *Chiemsée*, in Bavaria.
* Claudia, *Clagenfurt*, in Carinthia.

Cremesium, *Krems*, in Austria.
Draburgum, *Draburg*, in Carinthia.
Fanum S. Viti. Vide *Vitopolis*.
*Flaviana, quæ & Iuliobona, Vienna postea, *Wien*, Austriæ caput, Academia, & Episcopatus sub Archiepisc. Salisburgensi.
*Gracium, sive Græcium, olim Savaria, *Grätz*, antea in Pannonia.
Gurcum, *Gurk*, in Carinthia.
Iuliacum, olim Vacorium, *Villach*, in Carinthia.
Iuvavia. Vide *Salisburgum*.
* Labacum, *Labach*, in Carniola.
Lavantum. Vide *Andreapolis*.
Leitæ, seu Lytipons, *Pruck*, in Austria.
* Lencia, *Lintz*, in Austria.
Medelicum, *Melck*, in Austria.
Muræpons, *Prucklan der Muer*, in Stiria.
Neoburgum geminum, *Neuburg*, in Bavaria.
Nova urbs, *Neustat*, in Austria.
* Oeni pons, *Inspruck*, in Comitatu Tirolis.
* Patavia, *Passaw*, in Bavaria.
Petovio & Petovium, *Petaw*, antea in Pannonia, nunc in Stiria.
*Salisburgum, olim Iuvavia, *Saltzburg*, in ditione Salisburgensi.
Secovia, *Seckaw*, in Stiria.
* Tridentum, *Trento, Trient*, antea in Rhætia, nunc in Tirolensi Comitatu.
Vidonis Curia.
*Vienna, *Wien*, quæ antea erat in Pannonia.
Vitopolis, *S.Veit*, in Carinthia.

Ex his urbibus aliquot fuere aliàs in Rhætia, & quædam in Pannonia, sicque extra Noricum: nunc autem omnes in Germania censentur.

Germania, urbs Mœsiæ Infer. circa Thraciam, aliàs metropolis, & patria Belisarii.

Germanica, legio septima. Ptol. Hisp. Tarrac. urbs.

Germanicia seu *Germanicea*, Euphratesiæ urbs. Steph. juxta Amanum montem. *Adata* vulgò, teste Manasse. Item urbs Galatiæ Paulo Diacono, qui eam *Mirangulos* vocat.

Germaniciana, Africæ Propriæ urbs. Anton.

Germanicopolis, Asiæ minoris urbs circa Hellespontum. Plin. Ejus meminit Ammianus *lib.* 27. sed dicit esse in Cilicia.

Germanicum, castrum Galliæ, in Biturigibus, olim munitissimum, à Ludovico Crasso Gall. Reg. ad deditionem adactum, capto Haymone Burbonensi domino. *Germigny* hodie, inter Dunum Regis & Nivernum, in pago Burbonensi, 6. vel 7. leuc. à Burbone Erchembaldi. Est & *Germaniacum*, ad Vidulam fluv. vulgò *Germigni*, non longè à Durocortoro Remorum, quod Theodoricus Austrasiorum R. Theodorico Abbati donavisse dicitur. Item *Germiniacus* villa à Monast. Floriacensi non multùm dissita. Hadr. Valesius. *Notit Gall.*

Germanicum mare, seu Oceanus Germ. qui Germaniam alluit inter ostia Rheni & Albis flu. Ptol. In quo Glessariæ insulæ, & Thule, Plin. Distinguitur in Ocean. Sept. *Nortzée*, Occid. *West-Zée*, Danis; & Merid. quà effunditur in vastum sinum per Hollandiam, *Zuydersée*. A variis variè promovetur in Or. & Bor. Quibusdam terminatur ad prom. Schanuvium. In Septentr. excurrit ad prom. Boreale, *Noortcaep*, hincq; spargitur in oras Norvegicam & Anglicam. Baudr.

Germanicus Cæsar, Consul, collega C. Fonteii Capitonis an. U. C. 764. Fil. Drusi, C. Cæsaris Caligulæ pater, à Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio, antequam per leges liceret, ac post eam consulatum statim gessit. Missus ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nuntiato, legiones universas Imperatorem Tiberium pertinacissimè recusantes, & sibi sūmam reip. deferentes, incertum constantia an pietate maiore compescuit: atque hoste mox devicto triumphavit. Armeniæ Regem devicit: Cappadociam in provinciæ formam redegit. Diutino morbo Antiochiæ obiit anno ætatis 34. non sine veneni suspicione, fraude Tiberii, ministerio & opera Cn. Pisonis, qui sub idem tempus Syriæ præpositus erat. Suet. in *C Cæsare Caligula*. Moritur hic Germanicus anno mundi 3981. post Christum natum 19. V. quoque Tacit. *Annal. l.* 1. & 2. de quo infra. Hunc, ut poetam, celebrat Ovidius *in Fastis*, quos ei dicavit, item *carmine ad Suillium*. Et fortasse ejus, non Domitiani Germanici carmen est, quod in veteribus epigrammatis legas, de puero Thrace, cui glacie caput abscissum, Suet. *in Calig. Omnes Germanico corporis, animique virtutes, ut quantas nemini cuiquam contigisse, satis constat.* Magnum & rarum elogium, in quo tamen consentiunt Historici. Tac. *lib.* 2. pluribus persequitur illius laudes, etiam cum Alex. M. comparatione factâ. Dio paucis verbis non pauciora dicit *lib.* 57. Κάλλιϛος μὲν τὸ σῶμα, ἄριϛος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἔφυ, παιδείᾳ τε ἅμα καὶ ῥώμῃ διέπρεπε, πρᾳότατός τε καὶ σωφρονέστατος ἦν. Dilaudat eundem & Josephus *Originum lib.* 8. *cap.* 8. Unus Velleius, per adulationem principis turpissimam, ausus est laudato ab omnibus juveni ignaviæ maculam aspergere.

Germanicus, locus Germ. nunc vicus *Foburg*, ad Danub. ubi Ilmium fl. recipit, in Bavar. Cluverius.

Germanii, Persiæ gens. Herod. *lib.* 1.

Germanion, 28. Jerusalem Episcopus, post Dium, successore Gordio. An. Dom. 209. Euseb. *Hist. l.* 6. *c.* 8. & 9.

Germanopolis, Paphlagoniæ urbs. Ptol. *Ginopoli* teste Moletio.

Germano-Sarmatia, V. *Sarmatia*.

Germanorum opp. in finibus Trevirorum, pagoque Trevirensi, ad lævam ripam Rheni rivulique wocharæ; ubi Goar Aquitanus, Oratorium cellulamque extruxit, sub Sigiberto Iun. Austrasiorum R. Hodie ad S. Goarem, vulgò *S. Gewer* dicitur. Fortè hunc locum Ausonius *in Mosella*, designavit nomine *Germanorum portuum*, sic canens:

Vel quà Germanis sub portubus ostia solvis.

Sub eo enim & ab eo non procul sunt confluentes Mosellæ & Rheni. Vasaliaco sup. proximum est, inter hoc & Bobardum situm. Vid. Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Patriarchæ Constantinop.

Germanus I. Patr. Constantinop. à Leone Isaurico pulsus, An. 730. æt. 90. Niceph. *in Chron.* Cedrenus, &c.

Germanus II. Emanueli successit, An. 1222. per an. 17.

Germanus III. A. 1255. Cui Arsennus successit. Item, Patr. Hierosolymitanus, sec. præf. Genebrard. *in Chron.*

Viri celebres.

Germanus, Altissiodorensis Episcopus, à Pelagiano errore Britannos, cum Lupo Trecensi, ad veram fidem revocavit, an. Salutis 431. Obiit Ravennæ, Prosper *in Chron.*

Germanus, Britanniæ Episc. sub Utherio Pendraco Britannos in Saxones educens, ter cantato cantico *Allelujah*, hostes fugavit. A. C. 517. Polyd. *Hist. l.* 3. & 4.

Germanus, Capuæ Episcopus, ab Anastasio P. ad Anastasium Imper. missus, ut hæreticis favere desineret; apud Iustinum eodem munere functus. Obiit An. Dom. 521.

Germanus, Episc. Paris. Childeberti R. Eleemosynarius magnus. Obiit An. 576. Greg. Turon.

Germanus Audebertus, Aurelianensis, Philosophus, Poëta & JC. Alciati auditor. Ob versus in Romæ, Neapolis & Venetiarum laudem, clarus, Eq. D. Marci dignitatem meruit. Obiit An. 1598. æt. 80. Scævola San-Marth. *in elog. l.* 4.

Germanus Brixius, Antissiodorensis, Græcè doctissimus, vertit Chrysostomum de Sacerdotio, scripsit de pugna inter Gallicam quandam & Anglicam navem, versu, &c. Spoliatus Blesis, cùm in Aula esset, præ mœrore in reditu obiit. Paul. Jovius, *elog c.* 14.

Germanus Vaillantius, Episc. Aurelian. Græcè doctus, Poëta, Commentator Virgilii, Francisco I. gratus. Saussæus *Annal. Aurel.*

S. Germanus. Vid. *Grandis vallis*.

Germara, Celtica gens, quæ interdiu nihil videt. Steph. *ex Arist. Mirabil.* & Apollonius *ex Eudoxo*.

Germia, Leuncl. *Kermen*, urbs Thraciæ, Hadrianopoli finitima, nunc clara, & sedes Præfecti: *Gerne* quibusd. Lacus Varani, in prov. Capitanata regni Neap. versus montem Garganum ad Bor. & oram littor. maris Adr. Circuitus 16. mill.

Gernlerus Lucas, Theologus Basiliensis, eruditione, pietate, facundiâ, Orthodoxiæ zelo, agendi dexteritate, celeberrimus. Natus A. C. 1625. patre Johanne; per 50. annos Ecclesiaste inculpato: post egregiam Lingg. Philosophiæque peritiam haustam, Theologiæ animum applicuit: cui in patrio Athenæo, auspiciis Zuingeri, Buxtorfii, Beckii, Grynæi, virorum celeberrimorum, feliciter operatus, ad exteras Ecclesias visendas, per Galliam, Britanniam, Belgium, et Germaniam iter instituit: Redux in patriam, postquam foris dominicæ Verbum Domini, incredibili successu aliquandiu prædicavit, dignus est habitus, qui Theodoro Zuingero, Socero suo, Ecclesiæ Basil. Antistiti sexto, An. C. 1654. in Domino piè defuncto, succederet; à quo tempore, quantus in Ecclesia, quantus in Academia esset, indefatigabili alacritate, testatus est luculentissimè. Obiit A. C. 1675. mens. Febr. postquam aliquot mensantè sub finem anni præc. suggestus, è quo populum solito zelo docebat, ingenti terræ motu intremuit, & Luna mox Cal. Jan. emortualis anni totum vultum horribili ferrugine texit. Ejus brevi prodibunt: *Prælectiones in Prophetiam Danielis*, aliaque luce quàm maximè digna. Vid. Petrum Werenfelsium, qui illi in functione successit, *in Orat. fun.*

Nox postquam oppressit tantum, mea Patria, sidus,
Qui micat, ô mirum! rursus ab axe dies?

Geron, fluv. Peloponnesi, apud Pylum opp.

Gerontia, insula ante sinum Pagasicum. Plin. 4. 11.

Gerontius, Diaconus Mediol. ab Onoscelide quodam se rasum & molæ affixum, dicens, jussu Ambrosii domum pro carcere habuit. Sed inde cùm in Græciam evasisset, Medicinæ peritiâ tantum effecit, ut Episc. Nicomediæ fieret: A Chrysostomo depositus. Sozomen. *l.* 8. *c.* 6. Socrat. *l.* 6. *c.* 10. Item, Dux Constantini Tyr. Maximum pulso Imper. surrogaturus, adventu Honorii copiarum, quas Constantius ductabat, in Hisp. fugit, ubi seipsum, cum uxore & Valente amico occidit A. 449. Cassiodor. & Prosper *in Chron.* Oros. *l.* 7. *c.* 40. Sozomen. *l.* 9. *c.* 11. 12. & seqq. Item, hæreticus, à Basilisco, Anastasio Hierosol. suffectus.

Gerra, vulgò *El Catif*, urbs Arabiæ in ora Sinus Persici. Hinc Sinus adjacens aliquando *Geraicus*.

Gerra, pop. Septentr. apud Dionys. Perieg. v. 131.

Πρὸς δὲ νότον Γέῤῥαι, ϗ Νωελκὶ ἄςε ἐρυμνά.

Ita enim vulgò legebamus, donec Tanaquillus Faber aliam lectionem nobis suppeditavit, *Epist. Crit.* 27. Sic enim ille: *Et tamen aliquis*, inquit, *quantumvis leviter in his rebus eruditus, facilè conjicere poterat non* Γέῤῥαι, *sed* Ῥαῖται *legendum esse.*

Gerrha, urbs Ægypti maritima, apud Palæstinæ confinia, *Masseli*, teste Molet. cum Ortelio. Stephano est urbs Chaldæorum. *Gerrhum* dicitur Ptolemæo.

Gerrheni, populi. 2. Machab. 13.

Gerrhi, Sarmatiæ Asiaticæ gens. Ptol. Et Arabiæ Felicis populi.

Gerrhus, vel *Gerus*, fl. Albaniæ, in Caspium mare fluens. Ubi *Geri* pop. V. & *Gerus*.

Gersham, filius Mosis. Exod. 2. Lat. *advena ibi*.

Gershom, filius Phinees. 1. Esd. 8.

Gershon, filius Levi. Gen. 46.

Gerson, vel *Jarson*, à loco natali, aliàs Johann. Charlerius, Doctor & Cancell. Academiæ Paris. Sui ævi Oraculum. A Duce Burgundiæ, hæreseos in Concil. Constantiensi frustra accusatus, sub vitæ finem plurima passus est, quòd in seculi vitia liberius esset invectus. Obiit Lugduni, A. 1419. Opera ejus habentur, edita Argentinæ, A. 1488. & Parisiis A. 1606. in 4. partes divisa. Morerius *Diction. hist.*

Gerson, quæ & *Gergasi*, civitas est alienigenarum in Basanitide, in tribu Manasse, de qua filii Israel expellere non valuerunt Gessuri. Hier. *de loc. Heb. lit. G.* dict. *Gerson*

Gertigos, Morali *Vambra*, opp. Hisp. nunc pag. Portugall. in reg. igeditania.

Gertrudis, virgo pietate & scriptis inclyta, A. 1280. Trithem. *Catal.*

Gertrudis mons, Urbs Hollandiæ Merid. permunita, in ora Mervæ, in confin. Brabantiæ 2. leuc. à Breda in Bor. vix 3. à Dordraco in Eur. Sub Batavis. vulgò *Gertrudenberg*

Gerva, Leuncl. *Trebisium*, urbs Armeniæ maj.

Gervasius, Anglus, nepos Henrici II. ab Ottone IV. Mareschallus regni Arelat. factus. Scripsit Mappam Orbis, historiam Angliæ, Terræ S. de origine Burgundorum, Mirabilia Orbis, Chronicon, cui tit. *de Otiis Imperialibus*, &c. V. Voss. *de H. Lat. & Mathem.*

Gervasius, Cantuariensis, Benedictinus, sec. 13. Historiam Angliæ composuit, ubi satis curiosè in Britonum, Saxonum & Normannorum originem inquirit. Item vitas Arch. Cantuar. Balæus, Gesner. Voss. &c.

Gervasius Ricobaldus, Ferrar. vitas Paparum, usque ad A. 1300. persequutus est. Volaterr. *l.* 22. *Comment. Urban.* V. Hieron. Rubeum, *Hist. Ravenn. l.* 2. *&* 6. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 61. *p.* 499.

Gerulata, vulgò *Kerlburg*, oppidul. Hung. ad ripam Danubii, 3. leuc. à Posonio. Cluver.

Gerunda, vulgò *Girona*, Hisp. Tarr. urbs, Ausetanorum fuit, nunc Catalauniæ apud oram litoream: De quâ Prudentius *in Peristeph.*

Artibus sacris locuples Gerunda.

ad amnem Sambrocam Ter; Dives & munita, cum Duc. tit. 7. leuc. ab ora maris Medit. in Occ. 8. à confin. Gall. & Comit. Ruscinonensis, in Austr. 16 à Barcinone. Baudr. Episcopalis est sub Arch. Tarraconensi: de cujus Conciliis V. Tom. VI. *Concil.* & Morer.

Gerundensis ager à Saracenis vastatus. Blondus *l.* 2. *Decad.* 2.

Gerunium, vulgò *Cirignola*, op. Apuliæ Dauniæ inter Asculum & Canusium, quam Quadratus *Gereniam* appellat. Steph. Καὶ δεύτερος δὲ Γηρηνίαν αὐτὴν καλεῖ.

Gerus, vel *Gerrhus*, fluv. Scythiæ, in sinum Carcinitem influens, septimus ab Istro memoriâ dignus. Herod. *l.* 4. Stephano locus est & fluvius proximus Borysthení. Basilidas & Nomadas separans. Val. Flac. *l.* 6.

—— —— *Potaq; Gerus quos efferat undâ.*

Gerusa, urbs Sarmatiæ Asiaticæ. Ptol. *S. Georgio* hodiè dici putatur.

Geryon, sive *Geryones*, Chrysaoris fil. Hesiod. Trium Hispanicarum insularum rex, Balearidum viz. duarum, & Ebusi, quæ res locum fecit poetarum fabulis, ut Geryonem tricorporeum fuisse dicerent. Hunc Hercules interfecit, bovesque ejus in Græciam abegit. Sunt etiam qui idcirco Geryonem tricorporem creditum velint, quòd tres fuerint eodem nomine fratres, tantâ inter se animorum concordiâ viventes, ut animâ unâ regi putarentur. Hesiod. *in Theog.*

Χρυσάωρ δ' ἔτεκε τρικέφαλον Γηρυονῆα.

Euripides *in Herc. Furente*, vocat eum Τρισώματον βοτῆρα Ἐρυθείας.

Nonnus *Bassaricorum l.* 25.

Κάλλιπε ϗ τριλόφοιο καρήατα Γηρυονῆος.

Lucret. *lib.* 5.

Quidve tripectora tergemini vis Geryonai.

Horat. *lib.* 2. *Od.* 14.

—— —— *Qui ter amplum*
Geryonem, Tityonq; tristi compescit undâ.

Virg. *Æn.* 8.

Tergemini nece Geryonis spoliisq; superbus.

Ovid. *Met.* 9.

—— *Nec me pastoris Iberi*
Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit.

Silius *lib.* 13.

Qualis Atlantiaco memoratur litore quondam
Monstrum Geryones immane tricorporis iræ:
Cui tres in pugnâ dextra varia arma gerebant,
Una ignes sævos, ast altera ponè sagittas
Fundebat, validam torquebat tertia conum,
Atq; uno diversa dabat tria vulnera nisu.

Palæphatus: Γηρυόνην φασὶν ὅτι τρικέφαλος ἦν, ἀδύνατον δὲ σῶμα τρεῖς κεφαλὰς ἔχειν, ἦν δὲ τοῖον δὲ τοῦτο. Πόλις ἐςὶν ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ Τρικαρηνία καλουμένη, ἦν δὲ Γηρυόνης ἐν τοῖς τότε ἀνθρώποις ὀνομαςὸς, πλούτῳ τε ϗ ἄλλοις διαφέρων. Εἶχε δὲ ϗ βοῶν ἀγέλην θαυμαςὴν, ἐφ' ἣν ἐλθὼν Ἡρακλῆς ἀντιποιούμενον Γηρυόνην ἔκτεινεν. Οἱ δὲ θεώμενοι περιελαυνομένας τὰς βοῦς, ἐθαύμαζον, ἦσαν γὰρ τὸ μὲν μέγεθος, μικραὶ, ἀπὸ δὲ κεφαλῆς ἐπὶ τῇ ὀσφύϊ μικραὶ ϗ σιμαὶ, κέρατα οὐκ ἔχουσαι, ὀςᾶ δὲ μακρὰ ϗ πλατέα. Πρὸς τοὺς πυνθανομένους οὖν ἔλεγόν τινες: Ἡρακλῆς ταύτας περιήλασεν, οὔσας Γηρυόνου τοῦ Τρικαρηνίου, τινὲς δὲ ἐκ τοῦ λεγομένου ὑπέλαβον αὐτὸν τρεῖς ἔχειν κεφαλάς. In Theologiâ Poeticâ & *fulmen* & *tonitru* designat Geryon. Nomen à sono, nam γηρύειν, φωνεῖν, λέγειν dicitur Hesychio, illud autem ab Ebræo גרון *garon, guttur*, Doricè enim γαρύμεν pro γηρύειν Pindaro. Fingitur verò Geryon triplex, quia triplex vis fulminis, nam est & terebrans, materiâ subtili, & discutiens, materiâ ventosâ, & urens materiâ viscosâ. Hinc & *telum Jovis trisulcum* dicitur. Boves tribuuntur ei, ob tonitrua, quæ bubus comparantur ob boatum, sive horrendum strepitum quem edunt. Abigit Hercules eas boves, quando ignea illa vis, nube ruptâ in terras vibratur. Vide Voss. *De Idololatr.* 3. 8.

Geryon, Urbs Apuliæ, apud Fiternum fl. inter Theanum & Larinum, excisa.

S. Geryon, ordo mil. in Palæstina, à Frid. Barbarossa fundatus, solis Germanis in consortium receptis. Favin. *Theat. Hon. & Eq.*

Geryonis oraculum, locus apud Patavium, nunc *S. Pietro*. Scardeonius.

Gerys, V. *Gerus*.

Gerzi, nomen pagi. 1. Reg. 27.

Gesan, filius Jehaddai. 2. Par. 2.

Gesander, Jazygum Dux, qui labantem suorum aciem restituit. Flacc. *VI. vers.* 281. occidit Canthum ex Argonautis v. 341. Cyrnum Aquitis fil. v. 309. cumque instaret graviter Menippæ Amazoni, Euryale regina ei caput bipenni diffidit. v. 378.

Gesclithron, specus unde spirare Aquilonem dicit Plinius, Græcè Γης κλεῖθρον, i. e. *terræ claustrum*. Vide Turneb. *Advers.* 24. 42.

Gescon, Carthaginensis, adversis fratris Amilcaris, quem ob virtutem cives sui morte affecerant, calumniis adversæ factionis inducti, abreptus & in exilium pulsus: de quo vide Diodorum *lib.* 16. *Bibliot. pag.* 552. revocatus est Olympiadis centesimæ decimæ anno primo. De ejus magnitudine animi in condonandis inimicis injuriis, lege Polyænum *lib.* 5.

Gesithous, auxiliaris Æetæ contra Persen, à Colaxe cæsus in prælio. Val. Flaccus *lib.* 6. v. 638.

Gesnerus, Auctor Biblioth. V. *Conradus Gesnerus*. Alius Joachimus, Silesius, varia scripsit. Quenstedt. *patr. doct.*

Gesodunum, urbs Norici in Austriâ, vulgò *Salzburg*, *Gasthenthal* verò Lazio dicitur. Quibusdam est *Lentia*, opp. cultum Austr. super. ad Danubium. Vulgò *Lintz*.

Gesoriacum, urbs Belgicæ sec. quò Massiliâ profectus Claudius Aug. inde in Britanniam transmisit: quam & Cajus Caligula petiisse antè & turrim seu pharum ibi condidisse, à Carolo M. postea restauratam, dicitur: *portus Morinorum Britannicus* vocatur Plinio *lib.* 4. *cap. ult.* quòd ad fretum Gallicum seu Britannicum sita, inde commodissimè & brevissimè Gallos Romanosque in Britanniam transmitteret. A Ptolomæo claris Belgicæ urbibus accensetur, inter Icium prom. & ostium Tabudæ, sive Scaldis. *Bononia* dici cœpit, circa tempora Constantini M. qui urbem hanc expugnavit, inde ad patrem Eboraci ægrotantem festinans, Eumenius *in Panegyr.* Unde Gallis *Boulogne sur mer*, Germanis accolis *Buenen*, Belgis *Beunen*, Britannis *Bouvling llong*, Anglis *Bolen*. Ejus partes duæ, altera in monte posita urbs sup. *la haute Ville* ac absolutè Bononia: pars ad Lianam fl. jacens & ab altera 600. p. distans inferior urbs *la basse Ville*, vel *basse Boulogne* appellatur. Turris seu pharus, de qua antè, licèt fastigio imminuta, Bononiense litus usque ad nostram ætatem, quâ diruta est, illustravit, Gallis *la tour d'Ordre*, Flandrensibus proximis *D'oude-man*, Anglis *The Old man* dicitur. Olim urbs Episcopi sedes fuit, unde Audomarus Bononiæ & Taroanensis opp. præsul vocatur, apud Jonam *in vita S. Eustasii*: & inter prov. Belgicæ 2. civitates duodecim, post Tervannam ultima numeratur Bononia: postea Episcopo aliquandiu caruit, donec vetus ei dignitas restituta est. Caput est pagi cognom. quem Galli *le Boulonnois*, vel *le Boulenois* appellant. Maris autem hujus ora, per tractum Armoricanum & Nervicanum, seu per Lugdunensem 2. & 3. & per Belgicam 2. Romanis *litus Saxonicum*, quòd Saxonicis latrociniis infesta esset, dicta est. V. Val. *Notit. Gall.*

Gessa-

Gessata, pop. Gall. Tog. in Æmilia. Vid. *Gæsata*; Baudrando horum regio fuit, ubi nunc Bononia, Forum Cornelii, Ravenna & Comaclum. Hi & *Boji* dicti. Joh. Bapt. Plantinus *Gessatarum* nomen apud Plut. *in Marcello*, Polyb. *lib.* 4. Oros. *lib.* 4. *cap.* 13. Sabellic. *Ennead.* 4. *lib.* 9. *&c.* non gentis vult esse, sed mercenariorum Gallorum, ex Orosio: hodieque apud Britannos *Guessin* vocari conductitios servos refert. Dicti autem ipsi *Gessatæ* videntur, vel à *Gessu* lanceæ genere, vel quòd se omnes *Gesell*, i. socios appellarent. Hottingerus vult Helvetios Polybio *Gessatas* dici à gesis, genere armorum truculento, quod hodie *Hellebardæ Sempacenses* appellatur, *in Spec. Tigur.*

Gessen, vide *Goshen*. Est autem regio Ægypti.

Gessena, vulgò *Gesseins*, nunc vicus Campaniæ, in Gall. ad Albulam fl. 2. leuc. infra Barium ad Albulam, in Bor. 9. à Trecis in Ort.

Gessius Florus, Procurator Judææ, sub quo bellum ortum, in quo occidit. Tac. *hist.* 5. 10.

Gessoriacum, op. Morinorum navale. Ptol. Volunt nonnulli esse illud opidum, unde brevissimus est in Angliam trajectus, quod vulgò *Caletum* vocant. Lelandus in Bononiâ collocat, nec aliter Camdenus. Ejus meminere Plin. 4. 16. Mela. 3. 2. Sueton. *in Claudio cap.* 17. vide sis Burtonum *in Antonini Itinerarium pag.* 18. Nunc Bononia, *Boulogne sur mer*, Baudr. urbs permunita, inque duas partes divisa, cum portu capaci, ad ostium amnis Lianæ. Hinc regio adjacens dicta fuit *Gessoriacus pagus*, nunc tractus Bononiensis. Vid. *Bononia* & *Gesoriacum*.

Gessur, regio Syriæ, quæ & *Gessuri*. 2. Reg. 3. 1. Reg. 27.

Gessur, fortis & regia urbs, in tribu Manasse sita, ut ex nominis Hebraici significatione videtur, in valle. Ab hac urbe finitima regio *Gessuri* appellatur.

Gessus, Joniæ fluvius Plinio, & Straboni.

Gestricia, una inter Nordlandias provinc. Sueciæ, ferri fodinis dives. Ei ad Occ. Dalecarlia, ad Ort. sinus Bothnicus. Ibi opp. Gevalia in ora littor. & Coperberga in Mediterr.

Geta, simulavit se Scribonianum Camerinum, Neronianorum temporum metu, in Histriâ occultatum. Igitur tàm vulgo, quàm militibus assumptis, turbare cogitavit. Ad Vitellium pertractus & à Domino agnitus, supplicium in servilem morem luit. Tacit. *Hist.* 2. 72.

Geta, Consul, Collega Plautiani, an. U. C. 955. cum fratre Caracalla, à patre Severo, Cæsar factus, hoc mortuo, in sinu matris, à fratre occisus est. Spartian. *in Severo & Caracalla.*

Getæ, pop. in Scythiâ Europæâ, quos Appianus *Dacos* vocat. Strabo verò *lib.* 7. Getas à Dacis ita distinguit, ut Getæ sint, qui ad Pontum in Orientem vergunt: Daci verò, qui in oppositum latus spectant versùs Germaniam, & ad Istri fontes, quos olim Davos vocatos nonnulli volunt, ex quo apud Athenienses Davorum, & Getarum servilia nomina. Ælius Spartianus scribit, Getas dictos fuisse, qui postea *Gothi* appellati sunt. De moribus eorum & barbarie sic, inter alia plurima *in Tristibus* & *Ponto*, Ovidius:

In quibus est nemo, qui non coryton & arcum,
Telaque vipereo lurida felle gerat.
Vox fera, trux vultus, verissima mortis imago,
Non coma, non ullâ barba resecta manu.

Idem eos *rigidos, crudos, duros, inhumanos, hirsutos, truces, feroces, diros, sævos*, & *feros* vocat. Et uno versiculo hæc omnia,

Nulla Getis toto gens est truculentior orbe.

Inde *Geticus*, ut *plectrum Geticum* pro Orpheo. Stat. *Syl.* 3.

—— Et Getici cedat tibi gloria plectri,
Et tu saxa moves, & te nemora alta sequuntur.

Item *Getica Lyra*. Idem *Sylv.* 3.

——Tyrione hac mœnia plectro,
An Geticâ venere lyrâ?

Getara, Ptol. *Gagara*, urbs ol. Albaniæ, nunc *Zitraen*, in Zuiria, reg. Georgiæ.

Geth, civitas Palæstinæ. Lat. *torcular*. Una ex 5. Satrapiis Philistinorum, in Tribu Juda, ex qua Goliath fuit, à Davide fundæ ictu prostratus. In colle, in ora maris Syriaci, in confin. tribus Dan.

Gethaim, civitas, ad quam fugerunt Berothitæ interfectores Isboseth. 3. Reg. 3.

Geth-hepher, civitas in tribu Zabulon. *Jos.* 19.

Gether, filius Aram. Gen. 10. qui locum ne aut populum aliquem de suo nomine appellaverit, haud quaquam scio. Mihi saltem nullus occurrit. Nam in vulgatâ *Gether*, 1. Reg. 30. 27. est pro Ebræo יתר *Jatthir*. Et ubi *Getara* pingitur in Ptolemæi tabulis, ad mare Caspium in Albaniâ, Græcus codex habet Γάγαρα. Denique in Peloponnesi descriptione apud Geographum Arabem *Gethuria* videtur esse Laconiæ Gerenia. Ex *Gethere* descendisse scribit Mercerus *Acarnanes, Cares, & Bactrianos vicinos inter se populos*: Quod viro alioquin impensè docto excidisse mirum est. Cùm nemo sit, qui nesciat, quantis locorum intervallis à se invicem dissiti sint Acarnanes in Græciâ, prope Epirum, Cares in Asiâ minore, è regione Rhodi insulæ, & Bactriani in intimâ Asiâ ultra mare Caspium. Sed errori ansam dedere Josephus, & Hieronymus, quorum ille Bactrianos, hic Cares & Acarnanes deducit ex Gethere. Fallor, aut Syrus author aliquis scripserat, Gether habitasse בגתרא, *Begethera*, i. e. in Getherâ urbe, vel regione, ubicunque tandem fuerit. Pro quo Josephus legit *Bagtra*, vel *Bactra*, quasi de Bactris ageretur. Pari errore בספרד *Bisphard*, id est, *in Sepharad*, Abd. *vers.* 20. Hieronymus *Bosphorum* reddit ac si *B.* præpositum pars esset vocabuli. Boch.

Gethes, Herulorum, & Horda, Hunnorum reges, cum suis baptizati, A. C. 528. Pantal. *in Chron.*

Gethosyne, fœmina aulica Beronices Reg. viduæ Antiochi. Polyæn. *lib.* 7.

Gethrimmon, nomen civitatis. Duæ autem fuerunt, una data tribui Dan. Josue 19. Nunc villa prægrandis, in 12. mill. Diospoleos, pergentibus ad eam Eleutheropoli: altera tribui Manasse. Ambæ autem Levitis postea assignatæ. *Jos.* 21.

Gethsemani nomen vallis, quæ est ad radices montis Oliveti. Mat. 26. Lat. *Vallis pinguedinis*.

Gethussa, urbs Libyæ. Steph.

Getia, Turcis *Cotzaruck*, opp. Illyrici, in Albania, in confin. Macedoniæ & Dalmat. circa Scodram Urb.

Getuli, Vid. *Gætuli. Getulicus*, Vid. *Lentulus*.

Gevalia, urbs prim. Gestriciæ, ad ostium fluv. cognom. in ora littor. sinus Bothnici, vix 4. leuc. Germ. à confin. Uplandiæ, in Arctos; *Gevals*.

Gevini, pop. Germ. Sarm. Bastarnarum pars, versus Peucinos.

Geusii, Vid. *Gueusii*.

Gezaira, una ex 3. partibus præcip. regni Algerii, inter Bugiæ prov. ad Ort. & Tenezam ad Occ. A Sept. mare habet Medit. à Mer. Montes. I. Leo. Primaria est Algerium, Arabibus etiam *Gezaira*, Baudr.

Gezer, civitas 2. Reg. 5. eadem quæ & *Gazer*. Item fil. Caleb. 1. Par. 2.

Gezeron, civitas. 1. Mac. 4.

G H.

Ghammas, fluv. peramplus Tartariæ magnæ, post longum cursum in mare Kaimachitarum se exonerans. Sanson.

G I.

Giah, nomen loci. 2. Reg. 2. in tribu Benjamin, pro quo Interpres Latinus vertit *Vallis*.

Giamerica, urbs Americæ, à Batavis occupata circa A. C. 1629.

Gibel, vide *Gabala*.

Gibelini, & *Guelphi*, duæ fuere quondam per Italiam factiones, Ann. Dom. 1240. quæ odio exitiali inter se digladiabantur. Earum autem origo talis fuisse dicitur. Cùm Fridericus II. Imp. in Italiam proficisceretur, excõmunicatus est à Romano Pontifice. Lustrans verò singulas civitates, facilè deprehendit, qui propensum erga se haberent animum. Qui igitur ei favebant, illos vocabat Germanico nomine *Gibelinos*: eos autem, qui adversum à se habuerunt animum, appellavit *Guelphos*. Horum vocabulorum ratio est incerta. Hinc tandem varia & multiplicia scelerum genera in duo vel tria subsecuta sunt secula, quam historiam Munst. *lib.* 2. *cap.* 3. fusè lateque scripsit. De iis sic Morerius: Cùm schisma, quo Innocentio II. Anacletus Antipapa opponebatur, Ecclesiam totamque ferè Europam in partes vocaret, hunc inprimis defendente Rogerio, Comite Neapol. & Sicil. à Normannis, qui has regiones sibi subjugaverant, oriundo, qui per integrum octennium satis pro voto bellum gessit. Conradus III. Imp. cum exercitu & Henrico nepote, in Italiam transiit. Cui ut resisteret Rogerius, Guelphum Bavariæ D. advocavit, sic novum bellum motum Ann. 1139. Quo, cùm Bavari aliquando ad prælium se incitaturi, exclamarent, *Hie Guelff*: Cæsarei, à loco, ubi educatus Henricus in Patria fuerat, quoque supra modum delectabatur, *Hic Gibelin*, succlamarunt. Hoc enim loco nomen. Unde nomina partium, & in posterum Guelphi dicti, qui Papæ, Gibellini, qui Imperatori adhærebant. Quæ dissidia durarunt, usque ad an. 1228. sub Gregorio IX. & Frider. II. aliis adhuc ulterius ea extendentibus. Blond. 2. *dec.* 7. Sigon. *lib.* 11. &c. Cuspin. *in Frider.* II. Villan. *lib.* 4 *cap.* 78. Crantz. *Saxon. l.* 8. *c.* 8. Æmyl. *in Lud IX.* Naucler. *gener.* 38. & 42.

Gibelinus, Patr. Hierosolym. post Aichardum Massiliensem An. 1107. Arelatum, cujus etiam Arch. erat, redire frustra desiderans, obiit senio curisque confectus. An. 1111. Arnoldo successore. Guil. Tyrius, *hist. B. S. li.* 11. *c.* 4. 15. *& seqq.* Baro. *A. C.* 1107. 1. 112.

Gibraum, suburbium Falæsæ, in Norm. inferiori, nundinis celebratissimum, Vid. *Falæsa*.

Gibraltar, mons Hispaniæ notissimus, ad fretum Gaditanum, in Australissima Hisp. parte, olim *Calpe* dictus, Arabicè *Gibel-tarif*, i. e. *mons Tarif*, inquit Ortelius; quasi verò *Tarif* nomen proprium sit, ac non potius appellativum, אלטרף *extremitatem* Latinè declarans: planè idem quod scribit Plinius *lib.* 3. *cap.* 1. *Calpe Hispaniæ extimus mons est. Gibraltar* enim nihil aliud est, quàm *mons extremitatis*, Fullerus. Morerio, urbs est Andaluziæ, cum freto famoso, inter Europam & Afri-

Africam. Portu urbs gaudet egregio. Hìc Jacobus Hemskerckius, classis Hollandicæ Præfectus, sub initium hujus seculi, memorabili victoriâ potitus, maturandis induciis, inter Hispanos & Batavos occasionem dedit. *H. Grot. Ant. & Histor. Belg.*

Gibraltaria, antea *Gibal Tarif*, Urbs parva & munita, Hisp. sic dicta à Duce Mauro. Ad Fretum Herculeum, nunc *Destroit di Gibraltar.* Antè *Calpe* dicta. Vid. ibi. Inde 4. m. distant Heracleæ rudera, *Gibraltar Viejo*, Baudrandus.

Gichthis, Africæ propriæ urbs. Ptol. *Gita* Antonini est, judice Simlero. Fortè hodie *Galfanacar*, ut Moletius ait.

Gideon, de tribu Manassis, quintus Judex Israëlis, præfuit per ann. 40. Postquam enim, mortuo Baraco, Israëlitæ in idololatriam relapsi, per septennium integrum sub jugo Midianitarum gemuissent, missus est illis vindex & liberator Gedeon, qui quo pacto straverit hostes, V. Judic. *capp.* 7. *&* 8. Sequuta victoriam profunda pax est, ipse autem gloriæ vitæque satur, obiit A. M. 2800. Pater filiorum 70. & nothi Abimeleci, qui fratres universos, unico excepto, neci dedit, quò tyrannide potiretur. Ibidem. V. quoque Torniel. *A. M.* 2761. 2800. Salian. Spond. *Annal. sacr.* Joseph. *Antiquit Iudaic. &c.*

Gideroth, civitas in tribu Judæ. Jud. 15.

Gidica, uxor Comminii Laurentii, quæ, dum privignum Comminium maximè deperiret, neque tamen ad concubitum posset inducere, se suspendit. Dositheus apud Plut. *in Paral. Min.*

Giemum, castrum olim, nunc opp. Galliæ in diœcesi Antissiodorensi, ad Ligerim, in Senonum & Aurelianensium Carnutumve confinio, prisci Comitatus caput, vulgò *Gien.* Ei proximum est Giemum vetus *Gien le Vieil* inter Solliacum & Giemum, sed huic propius. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Gienga, civitas Imp. inter Ulmam & Nerolingam, ad fluvium *Brentz*: post cladem Nordlingensem bello Germanico miserè vastata & in cineres redacta, alienata aliquando fuit ab Imperio in Comites Helfenstteinios. An. C. 1354. V. Limnæum Enucl *lib.* 4. *cap.* 23. Germ. *Giengen.*

Giennium seu *Gienna*, vulgò *Jaen*, urbs Episc. Vandalitiæ, ad amnem *Frio.* 9. leuc. à Granata in Bor. Habuit olim regni tit. aliterque *Oningis* dicta est. Incolæ *Aurigi*, *Gyrisoënni* & *Ilturgi* quoque appellati sunt. Morer. *Dict. Hist.*

Giessa, urbs parva Hassiæ, cum Acad. recenti, ad Lanum fluv. sub Landgravio partim Darmstad. partim Cassellano, 4. leuc. à Marpurgo in Mer. 2. à Vezlaria in Ort. Munitissimum est totius provinciæ oppidum.

Giezi, famulus Elisæi. Lege *Gehazi*, & vide ejus historiam, *lib.* 2. Regum *capp.* 4. *&* 5.

Giganeum, Colchidis urbs. Ptol. *Garbenda* Moletio. *Sanastopoli.* Nigro.

Gigantes, Telluris filii excelsissimæ staturæ, & draconum pedibus in deorum perniciem procreati, ut superis scilicet bellum inferrent, Jovemque de cœli possessione dejicerent. Macrobius *Sat.* I. 20. *Gigantes* nihil aliud fuisse credit, *quàm hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, & ideo existimatam Deos pellere de cælesti sede voluisse.* Et Cic. *de Senectute*, *More Gigantum bellare cum Diis quid est aliud, nisi naturæ repugnare?* Horum pedes in Draconum volumina desinebant, quod significat, nihil eos correctum cogitasse, totius vitæ eorum gressu, atque processu in inferna vergente. Physici verò interpretantur Gigantes spiritus esse terræ inclusos, qui, dum exitum non inveniunt, fractis interdum altissimis montibus vi erumpunt, & fragmina ipsa quasi in cœlum ejaculantur. Hos Poetæ in campis Phlegræis cum Diis congressos fabulantur; sed partim Jovis fulmine, partim Apollinis, & Dianæ telis confixos cecidisse, aliosque sub Ætnâ monte, alios sub Mycone, & Liparâ insulis sepultos esse: nonnullos etiam in Tartara detrusos impietatis suæ pœnas luere. De Gigantum autem origine variæ sunt priscorum opiniones. Alii namque illos Titanis & Terræ filios fuisse scribunt. Alii ex sanguine Titanum à Jove interfectorum è terra esse natos ajunt. Hesiodus, ex sanguine Cœli, amputatis illius à Saturno virilibus, genitos esse dixit. Josephus verò *in Antiq. Jud.* contendit, eos ex dæmonum coitu cum mulieribus fuisse procreatos: cui quidem opinioni & Lactantius, ex Sacrâ Historiâ argumento sumpto, astipulari videtur. Sed D. Augustinus, cæterique recentiores Theologi rectè istam rejiciunt opinionem, quòd Dæmones cum mulieribus verè coire posse, prolemque aliquam suscipere, impossibile sit. Gigantum autem urbs maxima fuit Enos, circa Libanum montem, qui universo dominabantur orbi, ab occasu Solis ad ortum. Isti vastitate corporis ac roboris confisi, inventis armis alios oppresserunt, libidiniq; inservientes invenerunt papiliones, & instrumenta Musica, omnesque delicias. Manducabant homines, & procurabant abortus in eduliumque præparabant, & commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, & masculis, atque brutis: ac denique nihil erat sceleris, quod non admitterent, Dei ac Religionis contemptores, Berosus *lib.* 1. Gigantum esse Libyæ gentem quandam, Eudoxius Cnidius refert, qui ex floribus, quos plurimos & odoratissimos apud eos sponte sua tellus producere solet, arte quâdam optimum adeò mel conficere dicuntur, ut non multum ab apum melle distare videatur. Leonic. Thom. *lib.* 5. *cap.* 77. Sic dictos volunt qu. Γηγενεῖς, id est, *terra nati*, Approbat hoc etymon Orpheus *his versibus*:

> Οὓς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,
> Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο.

Ovid. *Fast.* 4.

> *Terra feros partus, immania monstra, Gigantes*
> *Edidit ausuros, in Jovis ire domum.*

Vid. Philonem, Sixtum Senensem, Lucilium, Torniel. *M. D.* 6. *num.* 13. *Ann. Mund.* 987. *n.* 15. *& seq.* 2590. *n.* 4. Salian. *in Annal. &c.*

Gigantis, vetus nomen Arcadiæ. Steph.

Gigartum, Strab. *Gigarta* Plinio, op. Phœnices ad Libanum montem.

Gigas, prom. Mysiæ, apud Abydum & Dardanum.

Gigia, vulgò *Gijon*, oppidul. Asturiæ, in ora Oceani Cantabr. prope Scythicum prom. *Cabo de las Penas*, cum portu utcunque capaci; 18. leuc. Hisp. à Trileuco prom. in ortum.

Gigonus, urbs Thraciæ. Vide Steph.

Gihlova, seu *Iglava*, urbec. Moraviæ, juxta confin. Bohemiæ, ad Gihlovam seu Iglam amnem, 8. leuc. à Znoimo in occ. 10. à Bruna V. *Iglava.*

Gihon, fons in occidentali Davidicæ civitatis parte 3. Reg. 12.

Gilania, prov. Persiæ, in ora Austr. maris Caspii; ibi aliàs pars Hyrcaniæ. Ejus prim. urbs *Gilan*, ad Abisirvium amnem, in Mediterr. Hinc mare Casp. sæpe *mer de Gilan* dicitur.

Gilbertus, Parmensis, Cancellarius Henrici IV. Imp. Gregorio VII. deposito successit, Clemens III. dictus. Henricum Paschatis die coronavit, An. 1084. Obiit Ann. 1100. Ossa ejus sub Paschali II. refossa, & in fluvium Ravennæ proximum projecta. Leo Ostien. *l.* 1. *& seqq.* Ursperg *in Chron.* Vide quoque infra, in *Gilebertus.*

Viri clari.

Gilbertus, Archidiaconus scripsit vitam amici sui, Leonis II. à Sirmondo editam, An. 1615. cum notis Barthii, *advers. l.* 45. *c.* 19. Item, auctor Chronici Imperatorum & Paparum. Item, Flander, scripsit incendium pagi S. Amandi &c. Voss. Simler. Item, scriptor histor. Hannonicæ. Meier *ad Ann* 1071.

Gilbertus Alemannus, auctor Historiæ terræ S. Ann. 1334.

Gilbertus Blochovius & *Bouhusius*, Carthusiani celebres. Petrej. *Bibl. Carth. p.* 105.

Gilbertus Cousinus, Burgundus, varia scripsit. Vide Gesner.

Gilbertus Folioth, Auctor vitæ SS. quorundam, Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 52.

Gilbertus Genebrardus, Vide ibi.

Gilbertus de Hoilandia, Abbas Suinsetinensis, editis scriptis, vitâ inprimis Bernardi, & 48. sermon. in Cantica, inclytus. Bosto *in Catal.* Trithem. Simler. Vossius, Balæus, &c.

Gilbertus Philaretus, Limburgius, Avicennæ cum Hippocrate & Galeno conciliationem, &c. edidit. Quenstedt. *de patr. doct. pag.* 111.

Gilbertus Poretus, Episc. Pictaviensis, Philosophus & Theologus excellens; sed quòd de divinis mysteriis, potius secundùm Aristotelis Topica, quàm S. Scripturam judicaret, essentiam divinam Deum, proprietatesque personales Personas esse negans: Item, quòd Naturam divinam non incarnatam diceret, omne meritum, præter Christi, negaret, Baptismum verum solis salvandis obtingere statueret, coram Eugenio III. accusatus, ejusque propositiones damnatæ sunt. Obiit Anno 1154. Auctor operis de Trinitate, & Exposit. in Psalmos & Epistolas Paulinas. Vide Otton. Frising. *l.* 1. *gest. Frider. l.* 1. *c.* 46. *&* 47. & Moreriun *in Diction. Hist.*

Gilda, vox Saxonica, est societas quorundam, putà charitatis, religionis vel mercaturæ gratiâ, instar Ganerbinatus apud Germanos, confœderatorum: loca quædam, interdum & prædia, nec non aulam societatis, prætorium commune habentium, Latinis *Collegium*, *Fraternitas*, *Societas.* Græcis Φρατρία, à Φρέαρ, quòd communi puteo usi sunt. Nec minora solùm sodalitia hoc nomine continentur, sed ipsæ etiam civitatum communitates. Inde hodie illarum prætoria publicique consessus ædes *Gildhallas*, i. *Gildæ* aulas Angli vocant. Erant & extra urbem plurimæ per villas *Gildæ*, suis prædiis & facultatibus satis locupletes: quæ & convivia publica, instar primitivæ Ecclesiæ Agaparum, vicanis & advenis annuè proponebant: sublatæ anno 1. Eduardi VI. Perantiquæ tamen reperiuntur in Francorum, Longobardorum, aliarumque gentium legibus, & Germanis hactenus in usu: qui *Gilden* appellant convivia publica à vicanis & agricolis collatitiâ stipe semel quotannis atque iterum celebrata. Prohibuit autem Carolus M. ne interposito sacramento fierent, V. Henr. Spelmannum, *Gloss. Archæol.*

Gilda, urbs Libyæ. Steph.

Gildardus, Episcopus Rothomagensis, frater uterinus B. Medardi Episcopi Noviomensis, qui ambo doctissimi, sicut eodem die nati, ita eodem denati sunt. An. C. 564.

Gildas, cognom. Sapiens, Abbas Anglus, scripsit epistolam de ruina M. Britanniæ, Item de luxu Cleri. Obiit Ann. 570.

Aliàs quoque *Badonicus* dictus. Eo antiquior fuit Gildas dictus *Albanicus*, qui obiit Ann. 512. Item, Benedictinus Anglus, plurima scripsit. Usser. Voss. *de H. L. c.* 21. *&* 37. Morer. *Dict. Hist.*

Gildo, rex Africæ, aut potius Comes & Præf. sub Theodosio, contra fil. ejus insurrexit, Mascezelis fratris suifilios necuit, qui in Italiam fugiens ab Honorio copias accepit, & cum 5. mil. pugnatorum fraternas copias ad 70000. delevit. Gildo ex desperatione laqueo fauces elisit, Amm. Marcel. 29. Oros. 7. 36. Diaconus *lib.* 13. Claud. *de bello Gildonico.* Augustin. *c. litt. Petil. l.* 1. *c.* 24. Iornandes, Zosimus, Marcel. Comes.

Gilebertus Comes, cum Adelberto & Olderico, insidiatus Berengario Italiæ Regi, sed ab hoc per Hungaros oppressus, veniam impetravit. Mox Rudolphum Burg. R. contra Evergetam suum constitutum, Regem Italiæ coronari curavit. Sic Berengarius regno mox & vitâ à Flamberto exutus est, A. C. 924. Sed & Rudolphum vicissim Ermengarda, Adelberti filia, imperio excussit. V. Sigon. *lib.* 6. *ad Ann.* 921. 923. 926.

Giligamba, pop. Libyæ. Steph.

Gilimer, nepos Genserici, consobrinus Hunerici, hoc pulso, Regem Vandalorum se fecit, Justiniani Imp. intercessione spretâ, Belisarium gravem hostem sensit, qui intra 6. mens. totâ Africâ, per 100. annos ab Imperio divulsâ, potitus, Gilimerum in triumpho duxit, exclamantem in Circo, visâ Justiniani pompâ: *Vanitas Vanitatum*! Galatiæ dein quædam loca, cum suis incolenda ab Imper. accepit, Patritius etiam futurus, ni Arianismo pertinaciter adhæsisset. Procop. *l.* 1. *&* 2. *de B. Vandal.* M. Victor, Isidorus, Theophanes, &c.

Gilippus, dux à Lacedæmoniis ad Syracusanos cum auxiliaribus copiis missus, vide *Gylippus*.

Gillus, exul Tarentinus. Hic cùm Persarum exploratores à piratis captos pecuniâ suâ redemisset, & ad Darium reduxisset, jussus eo nomine petere quicquid vellet, hoc unum petiit, ut regis operâ in patriam reduceretur. Herodotus.

Gilolo, vel *Gilolum*, quæ & *Batochina*, Ins. ampla, in mari Indico, in Archipelago Moluccarum, ex Insulis, quas vulgò nuncupant *Del moro*, una est, in India Orientali. Cœlum hic inclemens & aër calidus. Ager abundat oriza, ac medulla cujusdam arboris, quæ *Sagu* dicitur, ex qua panem conficiunt: à qua etiam arbore succum eliciunt, quo vini loco utuntur. Incolæ barbari ac crudeles, qui, ut olim, carnibus humanis vescuntur. Merc. Est inter Macassariam Ins. seu Celebes ad Occ. terramque Papuorum ad Ort. Urbem habet prim. cognom. in ora Occ. è cujus regione sunt 5. Insulæ Moluccæ. Sub Rege proprio. In illius tamen ora Occ. sunt fortalitia quædam Europæorum. Baudrand.

Gilon, civitas in tribu Juda. Jos. 15. In qua suspendit se Ahitophel. Pop. *Gilonita*.

Ginæa, vicus in planitie positus, à quo Samaria incipiens, in Acrabatenam desinit toparchiam in tribu Manasse. Scribunt etiam alii, oppid. munitum esse, situm in pede montis Ephraim, quod *Sinum* vel *Silum* dicatur, ubi terminetur Galilæa & incipiat Samaria.

Gindanes, Libyæ pop. qui solo Loti arboris fructu victitant. Steph. Vide Herodot. *lib.* 4.

Gindara, vicus juxta Antiochiam: incolæ *Gindarenses*: vel *Gindari*. Steph.

Gindes, fluvius Albaniæ in Cyrum influens. Alter in Mesopotamiâ, qui ex Armeniæ montibus oriens in Tigrim excurrit, teste Orosio, qui illum secundæ magnitudinis facit post Euphratem; scribitur & *Gyndes*. Tibullus *lib.* 4.

—— —— *Aut rapidus Cyri dementia Gyndes.*

Gineth, pater Thebni. 3. Reg. 17.

Ginge, ancilla Parysatidis, conscia veneficii ac parricidii in Statiram, uxorem Artaxerxis, in judicium vocata primò ut innocens absoluta; sed à Rege damnata, extremo supplicio affecta est. Ctesias.

Gingi, urbs ampla Penins. Indiæ intra Gangem, prov. cognom. caput, aliàs sub Rege Bisnagariæ, nunc proprio. Permunita est, cum arce in scopulo, 60. mill. à sinu Gangetico in Occ. Hinc dit. adj. Status *du Naique de Gingi*, Gall. estque inter regn. Bisnagariæ ad Bor. sinum Ganget. ad Or. montes Malabariæ ad Occ. & dit. Tanjaor. ad Mer.

Gingla, op. Commagenes non procul ab Euphrate, Plin. 5. 24.

Ginglymote, urbs Phœniciæ. Steph.

Gingras, Adonis Phœnicibus dictus. Pollux. 4. 10. Ἡ Φοινίκων γλῶττα Γίγγραν τὸν Ἄδωνιν καλεῖ, καὶ τούτῳ ὁ αὐλὸς ἐπωνόμασαι. Vide Hesychium in Γίγρα, & Boch. *Phœn. Col. pag.* 807.

Gingunum, Umbriæ mons Straboni, *Gerugnone* Leandro, parvus, cum vico cognom. 5. mill. à Fano S. Leonis, Urbinum versus, in dit. Pontif. 6. à confin. dit. M. D. Hetruriæ.

Gion, vel *Geon*, flu. qui apud Ægyptios *Nilus* vocatur. Quo nomine etiam vocatus est mons Judææ, apud quem Solomon in regem unctus fuit.

Gippius, Rom. vir, qui simulabat se dormire, & stertere, quò facilius uxor ejus mœcharetur, unde natum adagium videtur Ciceroni, *in quadam epistola ad Fabium Gallum*, *Non omnibus dormio.* Lucilius apud Beroaldum.

Gir, Libyæ fluvius, Ptol. *Niger* Mercatori. Claudianus *ditissimum* vocat *de Laud. Stilic.*

Hesperidum Triton, & Gir ditissimus amnis.

Alii *Ger*, *Gil*, *Gis notissimus amnis*. Γεὶρ est Ptolemæo, & Γεῖρα civitas ad hunc flu. sita.

Girada, princeps fœmina in oppido Vauro, tempore belli sacri, ut vocabant, contra Albigenses, à Dominico & Montfortio, in Gallia, gesti, in puteum conjecta, saxisque obruta est, An. C. 1212. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Giraldus, vel *Geroldus*, Patr. Hierosol. sec. 13. Item, Hispanus, auctor historiæ Compostellanæ, Vasæus *in Chron. Hisp. c.* 4.

Giraldus de Bournel, Nobilis Lemovicensis, à Principibus certatim expetitus, nulli se addixit: unus ex celeberrimis inventoribus Poëseos Provincialis, quam vocant *Troubadours*. Primus creditur quoque tetradecastichorum, quæ *Sonnets* Gall. auctor. Obiit A. 1278. Eum Petrarcha imitatus est. Nostradam. *in Vita Poët Prov.*

Giraldus Sylvester, Anglus, in familia Walliæ Principis, circa an. 1210. floruit, Hiberniæ, inter alia, descriptionis auctor. Quenstedt. *patr. doct. p.* 89.

Girardinus Ambianus, priscus *Meladii* auctor. Verd. *Bibl.*

Girardus, vel *Gerardus*, cognom. *Tuncus*, Maritimâ Provinciæ oriundus, instituit Hierosolymæ, cùm à Godofredo Bull. capta esset, Ord. S. Johannis, nunc Melitensem dictum. A. 1104. secundùm alios 1099. vel 1100. Primus Ordinis Mag. cui successit Raimundus du Puy. Obiit An. 1118. Bossio & Naberatus, *hist. Melit.* Columb. *in Manuesca*. Bouch. *hist. Provinc. l.* 9. *&c.*

Girba, Ins. parva Afr. in mari Medit. ad os Syrtis min. seu sinus Capsi: media ferè inter Adrumetum ad Occ. & Zoaram ad Or. Hispanis erepta à Turcis. Ol. *Lotophagitis*. Est in regno Tripolitano, vix 1. mill. à Continenti Afr. cui ponte jungitur.

Girgium, seu *Georgia*, urbs Ægypti sup. supra Nilum, caput prov. *Cassifat de Girgio.*

Girim, mons apud Garamantas, gemmas producens.

Giringbomba seu *Giribuma*, regn. Æthiop. Inf. cui subsunt 15. regna. Juxta fl. *Gingiro* seu *Giring*, & est conterminum regni Macao. J. Vossius.

Gisalda, *Gisala*, vel *Gisla*, uxor Childerici cum marito in monasterium detrusa. Chenius, *t.* 1. *Auct. Hist. Franc. p.* 793. Aventin. &c. Item fil. Caroli simpl. nupta An. 912. Rolloni Normanno.

Giscala, Galilææ civitas, firmis portis & muris munita, ac populo frequens: patria seditiosi illius ac nequitiâ nobilissimi Joannis Leviæ filii. Hujus frequens est apud Josephum mentio.

Giscalis, opp. Judææ, in tribu Benjamin.

Gisira, Africæ propriæ urbs. Ptol. *One* Castaldo.

S. Gisleni cella, vulgò *S. Ghislain*, vel *S. Guislain* nomen loci, qui prius *Ursidongus*, & cœnobii, quod prius *Cella Apostolorum* dictum est; ad Hainam vel Hagnam fl. prope Castri locum seu Montes Hannoniæ, in Diœcesi Cameracensi, &c. Hic *Gislenus*, regnante apud Austrasios Sigiberto pio, Dagoberti filio, cellam condidit, quæ totius Hannoniæ prima est, Hasnonio secundum locum tenente. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Gisna Morinorum, vulgò *Guines*, opp. est Flandriæ, stagno impositum, hinc aquis, inde silvis & montibus cinctum, caput Comit. cognominis, cui Ardea castellum *Ardre*, Fielnæ, *Fiennes*, Witsant, Andria, Bredenarda, Sangata & Colemude castella, aliaque attribuuntur. Fluvium *Gisnarum* Ledum nuncupare videtur Guill. Abbas Andrensis *in Chron.* qui & stagni Gisnarum meminit. Primus Comes Sifridus Danus fuit, ab Arnulfo Flandriæ Com. in fidem acceptus. Idem. Fuit postmodum hic Comit. cum Calesio per An. 210. sub Anglis.

Gison, in tribu Juda. Hier. *in L. H.*

Gisorium, vulgò *Gisors*, opp. Normanniæ, in Veliocassibus, Sugerio, Rigordo, & Guil. Brittoni Armoricano, cunctisque adeo post Ludovicum VII. R. rerum Normannicarum scriptoribus notissimum celebratissimumq; ad fl. Eptam seu Ittam. Rodbertus de Candos *Munio Regis Dangionis Gisortiensis*, præfectus Regiæ arcis turrisve Gisortiensis ac munitionis memoratur Orderico *hist. l.* 12. Vocant autem hodie Galli Dangionem *le Donion*, summam arcis præcipuæve turris partem, seu supremum ejus tabulatum: quo in loco Nobiles olim vel Castellani habitare consuevere. Distat 14. leuc. à Lutetia in Circ. In hujus vicinia, audito captæ à Saladino Hierosolymæ nuntio, Philippus Aug. Galliæ & Henricus Angliæ Reges, omissis litibus, ad terram Sanctam ab infidelium jugo liberandam fœdus inierunt, in rei memoriam cruce ibi loci erectâ, A. C. 1288. Rogerius *in Phil. Aug.* Hadr. Valesius *Notit Gall. &c.* Vid. *Casortium*.

Gissa, insula maris Illyrici, Liburniæ adjacens. *Pago* dicitur Volaterrano. Aliis hodie *Gisse* dicitur. V. infra.

Gissa seu *Issa*, nunc *Pago*, Insula parva in mari Adriatico, in sinu Flanatico, sub Venetis, in ora Liburniæ, à qua vix 3. mill. Italicis distat. Tenens in ambitu 60. mill. oblonga & angusta est, situque aspera: Oppidum ejus nominis habet, & habitatores circiter 1500. in eo sunt tantummodo, quia lignorum copiam & aërem frigidum persentit. Hic sunt salinæ, quæ magnum reddunt emolumentum, tum Reipub. Venetæ, tum etiam ipsis incolis. Metel. 4. mill. tantùm ab Enona distat. Baudr.

Gisul-

Gisulphus, Lombardorum Dux, victus & cæsus à Cagano maritus impudicæ Romildæ, quæ barbaro Forojulium prodidit, & filiarum castissimarum. A.612. Vid. historiam memoratu dignam, apud Aimon. *lib.* 4. *cap.* 5.

Gisvortium, arx Normanniæ, ob quam non dirutam cum Henrico Anglo dissedit Ludovicus Crassus Galliæ Rex, A.C. IIII. Papyrius Massonius *in Hist.* Vid. quoque *Gisorium*, & *Gisortium*.

Gitlui Ptol. *Gilva* Anton. *Zezil* & *Izli*, Marmol. opp. Mauritaniæ Cæs. mediterr. inter Victorias & Vagas urbes, Ferrar.

Gitta, urbs Palæstinæ. Steph.

GL.

Glaber Rudolphus, Monachus Cluniacensis, sub Roberto & Henr. I. Galliæ Regibus. Auctor historiæ, ab An. 980. usque ad 1045. &c. Sigebert. *cap.* 50. Simler. Vossius.

Glabrio, Consul cum Ulpio Trajano, an. U. C. 845. Alius Consul cum Hamullo, an. U. C. 904. Alius cum Antonino Commodo, an. U. C. 938. Alius denique cum Val. Maximo, an. U.C. 1008.

M. Acilius *Glabrio*, paulo antè Consul, à Domitiano, ob fidem Christianam, leoni objectus, & postquam feram confecisset, occisus est, A. C. 93. *V.* Joh. Xiphilinum, Lætum *Comp. Hist. Univ.*

Glamorgania, prov. Walliæ Merid. in Angl. juxta Sabrinæ æstuarium. Aliis *Morganucia*. Habet ab Or. Monumethensem Comit. ab Occ. Maridunensem. Ejus prim. est *Cardiffa*.

Glandata, seu *Glanatæva Capillatorum*, vulgò *Glandevez*, urbs episc. Provinciæ, ad Varum fl. versus Alpes & confin. dit. Sabaudicæ. Nunc in ruinis. Manet tamen in colle castrum. Vid. Morer. *Diction. Hist.* & infrà.

Glandomirum, Hisp. Tarrac. urbs Ptol. *Mondonnedo* hodiè, testibus H. Coquo & Villanovano. Sansoni est *Puente Brandomil*, ad amnem Lezarum, in Gallæcia, vix 6. leuc. Hisp. ab Artabro prom. in Ort. & 20. in Occ. à Mindonia seu Mondonnedo, quæ *Ocelum* antiquis.

Glanicus, amnis Italiæ. Vide *Clanis*.

Glanis, fluvius Cumæ. Est & Iberiæ flu. Et tertius Italiæ juxta Tiberim. Steph. Sil. *lib.* 8.

Et Glanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Sed legendum *Clanis*.

Glannafolium, prædium Galliæ, in agro Andegavensi, vulgò *Glanfeuil*, ad Ligerim: unde Monasterio nomen, quod quatuor olim Ecclesias habuit, nunc cœnobium S. Mauri à conditore suo, Benedicti discipulo, *S. Maur de Loire* dicitur, & parvas quidem opes, sed Abbatem Regulæ subjectum habet. Hoc cœnobium Pipinus R. Gaidulfo cuidam Ravennati beneficii loco donaverat; quare Monachi, rerum omnium pressi inopiâ, habitum Canonicorum assumsere: sed postea iterum Monachi facti sunt. Hadr. Valesius. *Not. Gall.*

Glannateva, nec Plinio, nec Straboni aut Ptolomæo memorata, inter 8. civitates prov. Alpium Maritimarum sexto loco in vett. Not. ponitur. Vulgò, *Glandeve*, aut *Glandevez*: Urbs est Velaunorum forsitan caput olim, ad ripam dextram Vari flum. cujus incolæ pecuniæ se à dominis Glannatensibus redemerunt, Regibusque Galliæ subjecerunt. Ex Episcopis ejus Claudius Benenatum misit ad Concil. Aurelianense quartum, Basilius quinto ipse interfuit; Promotus Syn. Parisiensi quartæ & Agroecius Matisconensi 2. subscripsere. V. Eundem: qui ex Gassendo docet, nihil nunc urbis ferè superesse, sive montis alicujus ruinâ obruta, sive incensa ac bellis eversa est: In oppido igitur Intervalles, *Entrevaux*, majorem Ecclesiam & domum Ecclesiæ sedemve Episcopi è sapino esse, ad 2. lapidem à Glannatevâ. Inter Glannatevam autem & Intervalles Varus ponte stratus inte fluit.

Glannibanta. *Clanoventa* Antonino, opp. Albionis in Anglia, nunc pagus in Com. Eboracensi, vulgò *Bainbrig*. Camdenus verò putat esse locum aliquem ad flu. *VVentsbeck* in Northumbriâ situm.

Glanum, opp. Gall. Narbon. Ptol. Quibusd. *les Baux*, oppidul. cum castro in Provincia, 4. leuc. ab Arelate versus Cabellionem. Valesio videtur esse *Lansac*, vicus ad Rhodanum, Tarasconem inter & Arelatum. Plinius *Glanum Livii* nominavit.

Glaphyra, Alexandri Cappadocum regis filia, nupsit primùm Alexandro, fratri Archelai, deinde Jubæ Maurorum Regi, tandem ipsi etiam Archelao, qui contra legem, Mariam priorem uxorem dimisit: Præterea susceperat ex Glaphyra filios Alexander hujus Archelai frater, quare apparuit uxori in somniis exprobrans ei in hæc verba: Nunc confirmas proverbium, fidem mulieribus non habendam. Nonne mihi jurejurando constricta es, & jugali fœdere virgo sociata? Post susceptos etiam filios (chara pignora) amoris nostri oblita es, iterum nubens, imò tertiò, atque cum meo fratre, nunquam tamen ego tui obliviscar: quin liberabo te opprobriis, & efficiam, ut mea sicut fuisti, in perpetuum sis; ac post paucos dies hæc obiit. Joseph. *l.* 17. *cap.* 19.

Glaphyra, urbs Thessaliæ. Et vicus Ciliciæ à Tarso versus occidentem 30. stadiis distans. Steph.

Glaphyrus, notissimus adulter. Juvenal. *Sat.* 6.

Accipis uxorem, de quâ citharædus Echion,
Aut Glaphyrus fiet pater.

Vide Mart. 4. 5.

Glareanus Henricus, Glaronâ Helvetius, à domo paterna, à Glarea, *am steinacker* nomen accepit. Poëta laureatus, multis opusculis editis inclaruit: inter quæ *Panegyricon Helvetia à Molitore notis illustratum: Comm. in Cæsarem*, &c. Obiit Friburgi Brisgoiæ, A. C. æt. 75.

Glareatum, Vid. *Gallorum area*.

Glarona, æmulus urbium vicus, vulgò *Glaris* vel *Glarus*, unde toti ditioni nomen; quæ vallis est juxta Limagum fluv. non admodum ampla, longitudine trium mill. Germ. cincta tribus partibus, altissimis Alpibus: à Meridie & Oriente Rhætos, ab Occasu Urios & Suitios attingens, à Sept. castra Rhætica, quà Limagus vallem egreditur. Hæc regio olim Monasterio Seconiensi fuit obnoxia, donata S. Fridolino ab Urso & Landolpho fratribus, huic decimæ & constituti reditus solvebantur, censusque certorum fundorum: cæterùm ab exactionibus & vectigalibus liberis, vivebant suis legibus, Senatum ex civibus habebant, cujus tamen electio penes Abbatissam erat; sicut Advocatia cœnobii & Glaronensium penes Imp. Romanum; quæ dein à Friderico Ænobarbo Othoni Palatino Burgundiæ data, postmodum à Burgundis ad Habespurgios pervenit. Quo titulo cùm Albertus Rodolfi I. Imp. filius imperium in Glaronenses sibi vindicaret, nobiliores quædam familiæ, patriâ desertâ, aliæ Uriam, aliæ Tigurum commigrarunt. Post quæ Austrii vires nacti, Suandium Baronem illis in locis potentem ac gratum pepulere, bonisque ejus sibi vindicatis, jura quoque Majoratus Glaronensis ad se transtulere, & quod hactenus inauditum, præfectos in regionem misêre, qui populo præessent illique jus dicerent. Horum imperia cùm aspera & insolentiæ plena essent, incolæ, odio Austriorum, Helvetiis, post Tigurinos in fœdus receptos & spem pacis cum Austriacis præcisam, Glaronensem regionem occupare statuentibus, ultro se dediderunt, & eodem cum Tigurinis anno 1351. in fœdus recepti sunt, octavo inter Cantones loco. Ab eo tempore, vallem cætera undique montibus altissimis cinctam, prope vicum Næfelium, quâ liber in illam aditus patet, muro fossaque clausere, ut contra Austrios se cò melius tuerentur. Sequenti anno Waltherus à Stadio, qui nuper Glaronensium fuerat præfectus, hos Austriis rursus subjecturus, victus ab incolis, cum multis è nobilitate occubuit, die 2. Febr. Postea bello inter Pagos & Leopoldum Austriæ ducem, qui ad Sempacium victus est, An. 1386. d. 9. Jun. exorto, medio mense Augusto Glaronenses cum Tigurinis, Suitiis & Uriis, oppidum Vesenam occuparunt, ad ostia lacus Rivarii situm: ubi proditione cæso præsidio Glaronensium, A. 1387. Austrii cum exercitu XV. M. ad Navalia moverunt, vallo regionis perrupto: quibus è Glaronensibus 350. solùm homines, triginta Suitiis aucti tanto successu se opposuerunt, ut 3000. hostium cæsis, præter eos, qui lacu Rivario hausti, victoriam in omne ævum memorabilem reportaverint: & celebrant quotannis posteri hanc *Nephelinam victoriam* solemni pompâ, Mense Aprili, feriâ quartâ primæ septimanæ. Sic hostibus superatis, & arcibus septem, quæ ibi eminentissimæ fortissimæque erant, disjectis, libertatem ad hæc usque tempora feliciter conservarunt, egregiâ Confœderatis plurimis in locis operâ præstitâ. Cæterum ingenia felicissima hic Pagus profert; Hinc enim Arbogastus Strub, Academiæ Viennensis insigne decus, Ægidius Tschudius, vir clarissimus, Henricus Glareanus Poëta Laureatus, Henricus Schulius prioris ex sorore nepos, in Mathematicis artibus non mediocriter versatus, aliique prodiere. Incolæ partim Reformati, (annuntiante Evangelium hîc Huldrico Zuinglio, jam A. C. 1515. biennio antequam Lutherus in Saxonia surgeret) partim Pontificii sunt: V. Simler. & Guillim. *de Rep. Helv.* Stumpf. *Chron. Helv.* &c. & in voce *Suanetes*. De patria sua ita Glareanus, *in Paneg. Helvetia*:

Tu quoque Limagiana gravis gens inclyta bello,
Et libertatis vindex, temeraria Rheni
Bella teris gladio, dirosq; explosa tyrannos,
Culmineq; eductas in sidera dusjicis arces:
Plurima majorum tibi sunt exempla tuorum.
Aspice dissecto Vesania Pergama muro,
Quid patres potuere tui, te æquare labores
Majorum pulchrum est, demptaq; ulciscier umbras.

Glaronensis pagus, intra altissimos montes, ubi Limagus flu. de cujus finibus V. supra in voce *Glarona*. Divisus est in partes quindecim, quas vocant *Tagvvan*, quod nomen operam diurnam denotat: item tantum terræ spatium, quantum unius hominis diurnâ operâ coli potest. Ac fortè sic appellatæ sunt, quia singulæ suâ operâ vias in suo agro muniunt, & publicæ operæ juxta has partes distributæ sunt. Hîc optima lithostilbe reperitur. Cæterum Glaronenses, unà cum Tigurinis, Lucernatibus, & Suitiis perpetuò jure libertatis defensores, & cœnobii Advocati, ab Abbate Sangallensi instituti sunt, An. C. 1451. cum oppido quoque Sangallo fœdus habent, ab A.C. 1454. Werdenbergensib. Præfectum

fectum dant in singula triennia, quem Comitatum emerunt, anno Chr. 1517. Cum Suitiis, Ucenacum & Castra Rhætica, vulgò *Gastelen*, communi jure possident: ut taceam ea, quæ partim pagis VIII. vet. partim universis Conventibus æquo jure parent. Vide Auctores præfatos, insuperque Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Nov. Antiq.*

Glasconia, vulgò *Glassenburye*, pagus est Comitat. Somersetensis, in Anglia Meridional. 10. mill. Angl. ab æstuario Sabrinæ in Ortum, 15. à Bathonia in Afric. 20. à Dorcestria in Boream.

Glasguum, urbs Archiepisc. Scotiæ Meridion. in Glotiana provinc. 16. mill. ab ora Occident. Scotiæ, in limite Cuninghamiæ regionis. Cum Acad. ab an. 1454. à Turnebulo Archiep. fundata. Boëth. *hist. lib.* 18.

Glatium, urbs Bohemiæ, caput Comit. Glatensis, inter Bohemiam propriam & Silesiam, cum arce munita, ad Nissam fluvium, 22. mill. Germ. à Praga in Ortum, 11. ab Uratislavia in Austrum.

Glauci Inf. Bœotiæ, penè continenti illius juncta, apud Anthedonem, patria Glauci, histrionis celebris.

Glauci tribus, in Lycia est, à *Glauco* heroë dicitur. Gentile *Glaucodemus*.

Glaucia, opp. Joniæ, Steph.

Glaucias, Anatomicus peritissimus. Rhod. 16. 19.

Glaucias, Melioris libertus, cujus Epitaphium vide apud Mart. 6. 28.

Glaucippus, de sacris Atheniensium scripsit, teste Macrobio, *Saturn.* 1. 13. *Glaucippum* Hyperidis filium auctorem laudat Plutarchus *in Phocione*.

Glauconis, vide *Gaulos*.

Glaucopis, habens oculos cæsios. Quo nomine dicta est Pallas, quæ Latinis cæsia, idque ut nonnullis placet, quasi Cœlia. Diodorus autem scribit, aërem nominatum esse Pallada, & ideo Glaucopin dici, quoniam aër glauci, hoc est, viridis sit aspectûs.

Glaucus, Hippolochi fil. pater Bellerophontis, qui Trojano bello Priamo suppetias tulit, homo tam stupidus, ut cum Diomede, armorum permutatione factâ, ænea acceperit pro aureis, Hom. *Iliad.* 6.

> Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
> Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε
> Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Inde Proverbium *Glauci & Diomedis permutatio*, quoties permutatarum rerum inæqualitatem volumus denotare. Utitur hoc proverbio Plato *in Symposio*, & Aristot. *lib.* 5. *Eth. ad Nicomachum*, Mart. 9. 95.

> *Tam stupidus nunquam nec tu puto Glauce fuisti,*
> *Chalcea donanti Chrysea qui dederas.*

Ferunt hunc ab Ajace occisum, cùm pro corpore interfecti Achillis pugnaret; postea in Lyciam ventis delatum in fluvium mutatum esse. Palæphatus, *pag.* 32.

Glaucus, unus è Cyzicenis, in conflictu nocturno à Polluce jugulatus. Flacc. *lib.* 3. *Vers.* 153.

Glaucus piscator, cùm pisces captos in ripâ explicuisset, ii subitò, contactâ quâdam herbâ, se colligentes in fluvium prosiluerunt, admiratus itaque Glaucus herbæ illius vim, cùm & ipse degustasset, pisces secutus in aquas insiluit, marisque Deus factus creditur. Alii aliter referunt hanc fabulam, Glaucum scilicet insignem urinatorem fuisse, qui cùm sæpius inspectantibus suis municipibus in fluvium se dejecisset, diutiusque sub aquis moratus semper emersisset, tandem cùm illis frustra expectantibus non rediret, creditus est factus esse maris Deus. Heraclides Glaucum ex Polybo Mercurii filio, & Eubœâ Larymni filiâ genitum fuisse tradidit. Mnaseas verò *libr.* 3. Europæorum, Anthedonem, & Halcyonem parentes ejus fuisse affirmat, natandi verò urinandique apprimè peritum, ideoque Pontium, id est, marinum vocatum fuisse, raptaque Syme, Jalemi ac Dotidis filiâ in Asiam trajecisse, ac prope Cariam, desertam quandam insulam habitasse, quam Symen ab uxoris nomine appellarit. Euanthes heroicorum versuum poëta, *in suo de Glauco hymno*, Neptuni filium, Naidisque nymphæ illum fuisse tradit, & cum Ariadne à Theseo derelictâ, quam deperibat, in insulâ Diâ concubuisse. Possis Magnesius *lib.* 3. *Amazonidis*, navis Argi Glaucum architectum, gubernatoremque fuisse tradit, & in Jasonis cum Tyrrhenis navali pugnâ solum cum nullo vulnere sauciatum fuisse, sed ut Jovi placuerat, in fundo maris apparuisse, Deumque maris ita factum, à Jasone solum visum, &c. Vide Athenæum *libro* 7. ubi multa alia de hoc Glauco referuntur. Vide sis etiam Palæphatum.

Glaucus, ex Potniâ Bœotiæ vico, Sisyphi filius, qui cùm equas suas à coitu cohiberet, quò essent velociores, Venus indignata furorem eis tantum immisit, ut dominum dilacerarint, Virgilius *Georg.* 3.

> *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,*
> *Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci*
> *Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.*

Strabo *libr.* 9. Ἔστι δὲ καὶ ἡ Δίρκη κρήνη καὶ Ποτνίαι, ἐφ' ὧν μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Ποτνιέα Γλαῦκον, τὸν διασπασθέντα ὑπὸ τῶν Ποτνιάδων ἵππων, τῆς πόλεως πλησίον. Fabulæ occasionem narrat Palæphatus, his verbis: Φασὶν ὅτι καὶ οὗτος κατεβρώθη ὑπὸ τῶν ἵππων, ἀγνοοῦντες, ὅτι ἱπποτροφῶν, καὶ τῶν οἰκείων οὐδενὸς ἐπιμελούμενος, καὶ μεγάλας δαπάνας ποιούμενος, ἐπετρίβη, καὶ ἐπέλιπεν αὐτὸν ὁ βίος. Unde Proverb. *Glaucus alter.*

Glaucus, Hippolyti fil. à quo Jones nati sunt reges, multique hoc nomine sunt vocati, inter quos fuit Minois fil. in mellis dolio necatus, qui Æsculapii ope revixit. Palæphatus: Καὶ οὗτος ὁ μῦθος παγγέλοιος, ὡς δὴ τοῦ Γλαύκου ἀποθανόντος ἐπὶ τοῦ μέλιτι, ὁ Μίνως ἐν τῷ τύμβῳ κατώρυξε τὸν τοῦ Κοιράνου Πολύειδον, ὃς ἦν ἐκ τοῦ Ἄργους ὃς ἰδὼν δράκοντα, ἑτέρῳ δράκοντι πόαν ἐπιθέντα τεθνεῶτι, καὶ ἀναστήσαντα αὐτὸν, καὶ οὗτος τὸ αὐτὸ ποιήσας εἰς τὸν Γλαῦκον, ἀνέστησεν. Τοῦτο δὲ ἀδύνατον. Ἐγένετο δὲ τοιόνδε. Γλαῦκος πιὼν μέλι ἐταράχθη, χολῆς δὲ αὐτῷ πλείονος κινηθείσης, ἐλειποθύμησεν. Ἀφίκοντο δ' οὖν οἵ τε δὴ ἄλλοι ἰατροὶ καὶ ὁ Πολύειδος. Ὃς ἰδὼν τὴν πόαν, ἣν ἔμαθε παρά τινος ἰατροῦ, ᾧ ὄνομα ἦν Δράκων, καὶ ταύτῃ βοτάνῃ χρησάμενος, ὑγιῆ ἐποίησε τὸν Γλαῦκον.

Glaucus, inter ministros Vulcani numeratur ab Herod.

Glaucus, Antenoris Trojani fil. ab Agamemnone interfectus, Dictys Cretensis.

Glaucus, Carystius, pugil ex Eubœâ, qui ex aratro in Olympia productus sæpe vicit.

Glaucus, Chius, primus ferri glutinum invenit. Eutropius, Euseb. *Chron.* Unde Prov. *Glauci Ars.*

Glaucus, Lemnius statuarius. Steph.

Glaucus, Medicus, qui quòd parum prosperè ægrum Hephæstionem curasset, ab Alex. M. in crucem est actus.

Glaucus, Rheginus Italus, antiquorum poëtarum & Musicorum historiam scripsit, teste Plut. *lib. de Musicâ.* Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. *pag.* 369. & *lib.* 4. *cap.* 2. Jonsium quoque *de script. Hist. Phil. lib.* 1. *cap.* 4. Glaucus etiam antiquitates Arabiæ prodidit. Id opus Stephanus nunc vocat Ἀραβικὴν ἀρχαιολογίαν, ut in Γέα, & Σαλμηνοὶ, nunc Ἀραβικὰ, ut in Ἄιλανον, ubi tertium ejus operis adducit. Fuit & *Glaucus* Locrus, qui ab Athenæo *lib.* 12. refertur, inter ὀψαρτυτικὰ συνθέντας. Ac meminit quoque ejus *lib.* 9. Item Julius Pollux *lib.* 6. *c.* 10. Est præterea *Glaucus* Atheniensis, cujus epigramma in Bacchi icona habes in quarto Ἀνθολογίας. Nec dubium quin ejusdem sint epigrammata, quæ alibi eodem in opere Glauco tribuuntur.

Glaucus, Libyæ sinus, & amnis. Plin. Strabo.

Glaucus, fluv. Peloponnesi, penès Patras fluens, *Rio di Patrasso.* Item fluv. Colchidis, *Ocabo* Moletio. Vide *Cyaneus*; idem enim est.

Glautias, Illyrici rex, Pyrrhum regem Epiri educavit. Plut.

Gleba, pro solo & dote Ecclesiæ, passim in Jure Canonico. Anglis usitatius dicitur, de terra ad Ecclesias parochiales pertinente. Theodos. Cod. pro quovis sæpe agro. Sic Constitut. Neap. *lib.* 3. *tit.* 3. *Servi gleba.*

Glemona, opp. Forojul. prov. sub Venetis, prope Tiliaveptum fluv. 4. mill. Germ. ab Alpibus & confin. Germ. *Gemona.*

Glendelacum, vulgò *Glandeloure*, urbs fuit Hibern. Episcop. sub Archiepiscopo Dublinensi, nunc vicus Lageniæ, in Comit. Dublinensi.

Glessaria, inf. in Oceano Germanico, Plin. 37. 3. quæ, teste Solino, crystallum dat & succinum, *Sudau* vulgò appellata. Dicitur autem *Glessaria* à *glesso*, quod *succinum* significat. Corn. Tacitus *de Effluis*: *Soli omnium succinum, quod ipsi glessam vocant, inter vada, atq; in ipso littore legunt.* Nostri succinum illud *Aistain* vocant, claro *Aistorum* argumento. *Austravia* Plinio, quæ vulgò *Austrau*, vel *Ostrau*: inde *Ostroviorum* familia Polonica ex profundo quodam antiquitatis emergit. Plinius idem scribit, Mithradatis in Germaniæ litoribus esse insulam, vocarique eam *Oserictam*, lego *Ostericam* Germanis illis veteribus dictam non ambigo *Osterick*, quod alii *Osterich*. Baudrando est *Austrania*, nunc Insul. *Nortstrande*, ante littus Cimbrorum, in mari German. ex Cluver. prope *Husum* urbem Ducat. Slesvic. seu Jutiæ Merid. Circuitus 25. mill. pass. ubi tantùm pagi aliquot.

Glessas, urbs Bœotiæ. Stephanus. *Glisas* dicitur Straboni *libro* 9.

Glessoburgum, fortè idem cum *Glasconia*. Vide ibi.

Gletes, gens Iberica post Cynetas. Steph.

Glicius Gallus, amicus Quinctiani, ab eo inter conjuratos spe impunitatis nominatus. Tacit. *lib.* 15. *cap.* 56. dein hac nominatione infamatus magis quàm convictus, à Nerone in exilium missus est. *cap.* 7.

Glicon, medicus Pansæ, qui incusatus fuit venenum vulneri Patroni indidisse, Sueton. *August. cap.* 11. Sed refellit Brutus apud Ciceronem eâ epistolâ, cujus initium, *Noli exspectare.*

Glisas, vel *Glissas*, opp. Bœotiæ, ad Thermodoontem fluv. Coroneæ proximum, vino suo celebre.

Glocestria, vide *Clevum*, & *Claudia castra*. Hinc

Glocestriensis Comitatus ad Sabinam fluvium. Habet ab Ortu Oxoniensem, ab Occasu Monumetensem Comitatum. Circuitus est 140. milliar.

Glogavia maj. urbs Silesiæ, ad Oderam fluv. probè munita, cum arce, caput Duc. Glogaviensis. Vix. 2. leuc. à confin. Polon. 13. à Vratislavia in Bor. Hanc tenuit Conradus Loripes, fil. Vladislai Silesiæ Ducis, an. Chr. 1159. mortui, sed in ejus filio Miescone terminata linea est. Tum Boleslao Conradi fratri Glogavia accessit. E cujus posteris Conradus fil. Henrici, à Tartaris, an. 1241. cæsi, Glogoviensem principatum accepit, in patruum Henricum sævus, An. 1295. sub eo tamen principatus multum crevit. Inter posteros ejus Henricus lineam Sagano-Glogavianam orsus est, An. C. 1339. defunctus, cujus familia in Johanne, qui ditionibus pulsus omnibusque invisus, postquam passim comitante eum uxore Catharinâ, quam ipsam etiam malè habuerat, oberrasset, Chymiç tandem studio & seriâ pœnitentiâ ductus, obiit sub initium superioris seculi, est extincta. Vide Spenerum *Syllog. Geneal. Histor.*

Glogavia min. opp. Silesiæ sup. in Duc. Oppoliensi, 4. leuc. ab Oppolio in Austr. totidem à Nissa in Eur.

Glon, Theagenis gener, Athenis Tyrannidem affectavit.

Gloria Patri, & Filio & Spiritui S. ut in fine cujusque Psalmi cantaretur, primus instituit Damasus Papa 39. qui per omnes Ecclesias diu noctuque cani Psalmos jussit. Hanc clausulam in Oriente inusitatam fuisse, monet Cassianus *Instit. lib. 2. cap.* 8. quem morem Angli quoque olim receperunt. In inferiori tamen Imperio, hic etiam versiculus deprehenditur. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Glota, Ins. Scotiæ meridion. nunc *Arren*, Ins. Glotæ æstuarii, cum tit. Ducat. opp. habet *Arren*, circuitus 28. mill. Scot. inter prov. Cantiram ad Occ. Cuninghamiam ad Ort. Argatheliam ad Bor. 28. mill. Scot. à Rerigonio in Bor.

Glota, fluv. Scotiæ ingens. Vide *Clota*.

Glottiana, vide *Cludesdalia*. Inter Lothianam & Teviotiam ad Or. & inter Kiliam & Cuninghamiam ad Occ.

Glotildis, vel *Clotildis*, uxor Clodovei regis, quæ relictis opibus & regno, cœnobio se inclusit.

Glovernia, vide *Clevum*.

Glucstadium, opp. Holsatiæ, recens munitum, à Christ. IV. R. an. 1629. in Stormaria prov. in dextra Albis fluv. ubi amnem *Rhyn* recipit, 6. leuc. infra Hamburgum in Circ. 2. ab Itzehoa in Austr. è regione Ducatûs Brem.

Glycas, vide *Michaël Glycas.*

Glyce, nomen Comicum mulieris, in Aristoph. *Ranis Act.* 5. *sc.* 2.

Glycera, virgo formosissima. Horat. *lib.* 1. *Carm. Od.* 11.

Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore pulchrius,
Urit grata protervitas,
Et vultus nimium lubricus aspici.

Item, Meretrix Attica, ab Harpalo, defunctâ Pythonice, arcessita. Vide Diod. *lib.* 17.

Glycerium, Thespiensis meretrix, quæ tabulam Cupidinis, quam à Praxitele gratis acceperat, Thespiensibus dono dedit.

Glycerius Flavius, Imperator Ravennæ coronatus est, an 473. post interregnum, mens. 4. dier. 14. à morte Olybrii. Mense pòst decimo quinto, à Julio Nepote depositus, Episc. Salonæ in Dalmatia, evasit. Obiit an. 480. Cassiodor. & Marcellin. Comes, *in Chron.* Evagr. *l.* 4. *c.* 1. Jornandes, *de reb. Get.*

Glycon, vir robustissimus. Horatius,

Nec quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosâ corpus noli prohibere chiragra.

Item Pansæ Consulis medicus, qui in carcerem conjectus est ob suspicionem veneni, quod ferebatur indidisse vulneribus domini sui. Sueton. *in Aug.* Et Cic. *ad Brutum.* Vide *Glicon.*

Glympes, opp. in fin. Lacedæmoniorum & Argivorum. Mentionem ejus facit Polybius *lib.* 4.

GN.

Gnapheus Petrus, vide *Petrus Fullo.*

Gnatho, Siculus, homo voracissimus, qui conviviis adhibitus sese in paropsides emungebat, ut, cæteris abstinentibus, solus vesceretur.

Gnatia, urbs Apuliæ Peuc. excisa. Vide *Egnatia.*

Gnes, Stephanus: Γνῆς, ἔθνος οἰκοῦσιν τὴν Ῥόδον, ἔνθεν καὶ Γνῆτες, οἱ ἰθαγενεῖς. Λέγεται δὲ καὶ μετὰ τοῦ ι Ἴγνητες.

Gnesna, urbs Poloniæ maj. in Palatin. Calisiensi, olim regia, post Cruszviciam, à Piasto facta, hodie Archiepiscopi, à Polonorum Duce Mieczislao, Daumbroucæ marito instituti, an. 966. qui Primas Poloniæ est, sedes. 7. leuc. à Calisia in Bor. Aliàs *Limiosaleum*, totiusque reg. caput; condita à Lecho R. inter paludes, 6. mill. Germ. à Warta fluv. in Bor. Sed an. 1613. ferè tota incendio conflagravit, deficitque indies. Vide *Limiosaleum.*

Gneus, prænomen apud Romanos. Vide *Cneus.*

Gnidus, vide *Cnidus.*

Gnosidicus, Nebri clarissimi Asclepiadarum in Co insulâ filius. Steph. Magni Hippocratis medici proavus.

Gnosimachi, hæretici, scientiam inutilem judicabant, ad cœlum adspirantibus. Sec. 7. Johann. Damascenus, &c.

Gnosippus, eâ voracitatis infamiâ laboravit, ut Athenienses liberis suis interdixerint, ne cum eo vescerentur.

Gnostici, hæretici, à Nicolaitis orti, in Phibionitas, Stratioticos, Leviticos & Borboritas divisi. Duo statuerunt Principia, bonum & malum, Animam divinæ particulam substantiæ asserentes, divinitatem Jesu Christi negarunt. Voluptates corporis sanctas, idolothyta ad esum licita esse, delirarunt: Cœtus nocturnos tam fœdis sceleribus reddiderunt infames, ut illa legenti Epiph. *hær.* 26. horrorem incutiant. Marcellina, An. 167. tam fœdæ sectæ telam orsa. Vide Tertull. *in scorp.* Augustin. *de hær. cap.* 6. Theodoret. *l.* 1. *hær. fab.* Baron. *A.C.* 68. 120. 145. 381. *&c.*

Gnosus, sive *Cnosus*, & *Cnossus*, urbs Cretæ clarissima, Minois regia. Hîc Pinytus Episcopus floruit, An. Chr. 175. monitus à Dionysio Corinthi Episc. ne grave Cœlibatus onus fratribus imponeret. Euseb. *l.* 4. *c.* 22. Hodie *Ginosa.* Hinc *Cnosius* ex eâ urbe civis, & *Gnosia regna* apud Virg. *Æn.* 3. & *Gnosia stella* eidem *Georg.* 1.

Gnosiaque ardentis decedat stella coronæ.

Et *Gnosia litora* apud Catullum,

Gnosia Cecropiæ tetigissent litora puppes.

Hinc etiam *Gnosiacus.* Stat. *Sylv.* 1. 6.

Vincens Gnosiacæ facem coronæ.

Et *Gnosiacum regnum* apud Ovid. *Met.* 9. Item *Gnosius*, aliud adjectivum. Lucan. *lib.* 3.

Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnosasque agitare sagittas
Docta. —— ——

Propert. 2. 12.

Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet.

Denique *Gnosis* pro Ariadnâ. Ovid. *Ep.*

Et Phœbus Daphnen & Gnosida Bacchus amavit.

GO.

Goa, urbs Arch. Indiæ citer. in Ins. parva cognom. ad ostia flu. *Mandova*, in ora littor. Ibi degit Prorex Lusitanus, ab A. C. 1529. quo ab Emanuele R. occupata est. Emporium celebre, amplum, dives; & quanquam mœnibus caret, habet tamen aliquot arces in Ins. Olim sub Rege Decani. Multis *Chersonesus* aliàs. Ab Alfonso Albuquerquio expugnata, an. 1510. Ibi & Nosocomium totius orbis magnificentissimum. Templa vitrorum loco margaritiferis splendent conchis, &c. Vide Maffæum, Vinc. Blancum, inprimis P. de Valle, *Itiner. tom.* 4.

Goaga, Regn. Nigritarum, versus Or. extensum, ad finitima usque Nubiæ loca. Natal. Metel.

Goarene, regio Arabiæ, quæ & *Goarea.* Steph.

Goatha, locus non procul ab Hierosolymis. Jer. 13. quem Lyranus *Golgotha* esse putat.

Gob, nomen loci. 2. Reg. 21. Lat. *cisterna, locusta*, vel *altitudo.*

Gobaum, prom. Gall. Celt. *Cap S. Mahé*, ab Abbatia S. Matthæi, seu castro Britanniæ min. maritimo. Aliis *Cap du Fou*, à castro Fago. Dicitur & *in Finibus Terræ.* 17. leuc. ab urb. Leona; prope Conquetum portum, 4. leuc. à Bresto in Ort. 5. ab Uxanto Ins. in ora Brit. Occ. ubi Bor. incipit.

Gobanitio, Arvernus, Vercingetorigis patruus, Arvernorum Princeps. Cæs. 7. *Comm. c.* 4.

Gobanium, vulgò *Albergevenneu*, oppidul. Angl. in Comit. Monumetensi, in limite Walliæ, ad Iscam fluv. Aliàs opp. Silurum fuit. 15. mill. ab Isca Legionis in Bor.

Gobar, Mesopotamiæ præfectus, qui Euphratem fluv. opere deduxit, ne præcipiti cursu Babyloniam infestaret. Plin. *6. 26.*

Gobares, aliis *Chobaris*, Pasargadûm præf. qui urbem venienti Alex. M. tradidit. Curt. 5. 31.

Gobaum, promunt. Gall. Celt. in orâ Britanniæ Occid. contra Senam insulam. *Cap. S. Mahe* vulgò. Vide *Gobaum.*

Gobazes, Lazorum, qui quondam *Colchi* dicebantur, rex. An. U. C. 1307. Agathias *lib.* 2.

Gobelinus Johannes, Secretarius Pii II. hujus historiam scripsit. An ipse Pius, sub Gobelini nomine? Ibi multa præclara, de Piccolomineorum familia. Simler. *in Bibl. Gesn.* Voss. *de H. L. l.* 3. *p.* 808. Item cogn. *Persona*, Auctor Cosmodromii, &c. Item, alius, qui tempore Alberti Archid. in Angliam missus, de Pœnitentia, inter alia, scripsit. Simler. *Bibl. Gesn.* Vossius.

Gobrias, vir Persa nobilis, unus ex iis, qui cum Dario adversus magos conjurarunt, vitæ pro patria prodigus. Herod. *l.* 3. *&* 7. Valer. M. *l.* 3. *cap.* 2. *ex.* 30.

Goccelinus, vel *Gotzelinus*, Gallus, ab Anselmo Episc. Cantuar. in Angliam vocatus, Vitas SS. scripsit. Item, Episc. Parisinus, aliique, Chronicorum editores. Simler. *Bibl. Gesner.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 48.

Gocttius de Ariminis, Patr. Constantinop. à Benedicto XII. An. 1338. in Siciliam legatus. Ciaccon. *in Bened.* XII. &c.

Reges Daniæ & Hierosolymorum.

Godefridus, Danorum R. cum quo Carolus M. bellum gessit, An. U. C. 1543. Item Normannorum Rex. A. D. 884.

Godefridus Bullionæus, fil. Eustachii, Comitis Bononiensis ex Ida, sorore Gozelonis vel Godefridi Gibbosi, qui ipsi inf. Lotharingiam reliquit. Invicti animi, plurimis in locis, in expeditionibus inprimis Henrici IV. Imp. specimina edidit, hinc sacræ militiæ in Concil. Claromont. decretæ, caput lectus, & cum exercitu

300000,

300000. in Orientem profectus Niceâ, Antiochiâ, Edessâ, &c. captis, Hierosolymam expugnavit, an. 1099. Regium titulum & coronam sibi Victori oblatam, modestè recusans, in urbe, quæ Regem Regum spinis coronatum vidisset. Sultanum postea Ægyptium, nascentis Regni primordia magno exercitu disjecturum, vicit, 100000. hostium cæsis. Hinc totâ Palæstinâ, paucis locis exceptis potitus, obiit post regnum unius anni. A. C. 1100. Successit ei Balduinus Frater. Guil. Tyrius, *l.* 1. 2. *& seqq. Bell. sacri.* Guibert. *Gesta Dei per Francos.* Erat hic Godofredus, quartus Lotharingiæ D. hujus nominis. *Primus*, cogn. *Barbatus*, ab Ottone Imp. adoptatus est. *Secundus*, in Italiam transiit, ibique Beatricem, Bonifacii March. Italiæ viduam duxit. *Tertius* Godefridus gibbosus fuit, de quo supra, Rozier. *de Stemm. Lothar.* Lambert. *Hist. Germ.* De *Godefrido*, Godofredi Lotharingi filio anniculo, qui in cunis vagiens, Grimbergenses triduano prælio superavit, A. C. 1144. Vide Chron. Belg. Lætum *Comp. Hist. &c.*

Viri illustres.

Godefridus, Episc. Ambianus, sub Philippo I. Gall. R. doctrinâ & virtute illustris. Obiit an. 1118. Morerius. Item, Monachus Coloniensis, Annalium ab an. 1162. usque ad an. 1237. conditor. Freherus edidit, in Sylloge Script. German.

Godefridus Calvus, Arch. Brugensis, auctor vitæ Guiel. Pichonis Episcop.

Godefridus de Leigni, scriptor Gall. libri, *la Charette*. Verdier. *Bibl. Franc. p.* 463.

Godefridus Tilmannus, Carthus. Parisinus, auctor variorum operum. An. 1550. Petrejus, *Bibl. Carthus. p.* 106. Vide *Gothfredus*.

Godelbertus, scripsit versibus, Allegorias in universa Biblia. Trithem. *Catal.* Lilius Girald. *dial.* 5. *Hist. Poët. sec.* 6.

Godescalcus, Monachus Germanus, Moguntiaci, Prædestinationem tam Electorum, quàm Reproborum immutabilem, thesibus publicè propositis, defendens, non sine multorum applausu, à Rabano Mauro, Arch. Mogunt. erroris accusatus, & Hincmaro Arch. Remensi remissus est: qui concilio Cresciaci instituto, an. 849. eum depositum, fustibusque oneratum, donec scripta sua in ignem jecisset, dein in arctissimam custodiam conjectum, à semel tamen concepta sententia absterrere neutiquam potuit. Obiit an. 15. pòst, Usser. & Cellot. *Histor. Godescalci.* Baron. *A. C.* 848. 855. 859. *&c.* Item, Diaconus & Canon. Leodiensis, scriptor vitæ S. Lamberti. Molan. *de script. Belg.*

Godgesillus, Vandalorum R. à Stilicone in Germaniam & Galliam immissus, regionibus devastatis, Gallias, Hispaniam, Lusitaniam inter socios divisit. An. Chr. 400. 408. Isidor. *in Chron. Vandal.*

Godolias, vel *Gedaliah*, fil. Ahikam. Præfectus Judææ à Nabuchodonosore relictus, spreto Jeremiæ Prophetæ consilio, ab Ismaële, regium jactante genus, cum comitatu suo occisus est. 4. Reg. 25. Jerem. *cap.* 40. *vers.* 41. Torniel. A. M. 3447. *n.* 9. *&* 10. Filius item Amariæ. Zephan. 1. Lat. *magnitudo* vel *fimbria Domini.*

Godricus, Eremita, Anglus, scripsit An. 1170. de vita & visione Orni. Matth. Paris. & Matth. Westmonast. *Histor. Angl.*

Godvinus, dux Haraldi Angliæ Regis, cujus fraude Rex Alfredum Edelredi filium è Normannia evocatum trucidavit. Cùm hic regnum Canuto reliquisset, Canutus Haraldi actis infirmatis, Eduardum Alfredi fratrem in societatem regni admisit: qui Goduinum homicidii in fratrem suum patrati mirando hoc modo convicit. Cùm enim Godvinus pedem pede aliquando fulciens, ne caderet, dixisset, *Nunc frater fratrem juvit*; adjecit Rex, ita me frater fratrem omni tempore juvisset, si per te licuisset. Quod crimen ille pejerando à se removens, frusto panis ad id in fauces injecto, strangulatus est, Anno Chr. 1042. Polyænus *libro* 7. *&* 8.

Goena, & *Guphna*, una ex 11. ordine secunda, urbs præclara in tribu Ephraim. Hieron.

Gog. Lat. *tectum*, vel *solarium*, sive *tegulatum*. Nomen gentis Ezech. 38. Apocal. 20. Vide Bochartum *Geogr. Sacr. lib.* 3. *cap.* 13. Item fil. Joël. 1. Par. 5.

Gogarene, regio inter Colchos & Iberos. Steph.

Gojamum, regn. Æthiopiæ super. versus Nilum, è lacu Dambeæ erumpentem, ubi opp. aliquot parvi momenti. Inter regna Bizamum & Bagamedrum, sub Abassinorum R. Is. Vossius.

Golan, i. e. *transmigratio*, sive *revolutio*, aut ex Syro & Ebræo, *intus manens*, civitas in Basan.

Golconda, regn. Indiæ cit. versus sinum Ganget. A Septentr. habet Imperium M. Mogolis, a Occ. regnum Decani, à Mer. regnum Bisnagaræ. Al. regnum *Orixa*. Extenditur ad 200. leuc. Gall. juxta oram sinus Gang. in Ort. Ejus prim. urbs sedesque regia est *Golconda*, Pers. *Hidabrand*, urbs ampla & elegans, 60. leuc. à portu Masulepatano in Bor. 50. ab ora prox. sinus Gang. in Circium. Reliquæ urbes clariores sunt Condapolis, Condavera, Orixa, Masulepatanum & Narsingapatanum.

Goleta, arx munitissima regni Tunetani an. 1574. ab Hispanis, cum toto regno amissa. Thuan. *Hist. l.* 58.

Golgi, *gorum*, locus Cypri Veneri & Cupidini sacer, de quo Catullus *in Nuptiis Peles & Thetidis*,

> *Sancte puer, curis hominum qua gaudia misces,*
> *Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum.*

Scholiastes *in illud Theocriti*,

> Δέσποιν' ἃ Γολγόντε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας.

Γολγοὶ, inquit, πόλις Κύπρου, ὠνομασμένη ἀπὸ Γολγοῦ τινὸς Ἀδώνιδος καὶ Ἀφροδίτης. Bocharto tamen *Golgos* deflexum nomen est à Phœnicio גלגל *golgol*, Hebræi *Galgal*, *Gilgal*, & *Gilgul*, dixerint. Græci Γολγὺς, & Γολγὸν dicunt finali L abjecto, ut in Ἀννίβας & Ἀσδρούβας.

Golgotha, id est, *calvaria*, locus in quo crucifixus fuit Christus Dominus noster.

Goliah, nomen Gigantis, quem expugnavit David, 1. Reg. 17. Torniel. *A. M.* 2971. *n.* 1. *Psalmo* 144. ut creditur, in memoriam victoriæ tam memorabilis, composito. Prudentius,

> *Vidimus horrendum membris animisque Goliam*
> *Invalida cecidisse manu: pueriles in illum*
> *Dextera fundalis torsit stridore lapillum.*
> *Ille minax, rigidus jactans, truculentus, amarus,*
> *Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras,*
> *Expertus pueri quid possint ludicra parvi,*
> *Succubuit teneris bellator turbidus armis.*

Vide sis ibi Jo. Weitzium.

Golnovia, urbs Anseatica Pomeraniæ, ad Ihnam amnem, aliàs ampla & probè culta, nunc incendiis & bello Germ. mirè deformata. A paucis inhabitatur. Sub Suecis, pace Monaster.

Gomarus Franciscus, Theologus insignis. Brugis Flandrorum natus, an. C. 1562. docuit in Academia Lugd. Batava, in qua Jacobo Arminio acerrimè restitit; exin Groningana. Adhibitus dein, cum aliis, procurandæ versioni Bibliorum S. novæ in linguam Belgicam, summâ fide & dexteritate munere functus est. Obiit An. Chr. 1641. æt. 78. Opera ejus 1. Volum. in folio extant. Vide *Vitas* Professorum Groning.

Gomer, fil. Japhet. Gen. 10. & 13. Caput Gomeritarum, prope Syrium, habitantium. An potius Gallorum, qui & ipsi Gomeritæ dicti? Joseph. *Antiq. l.* 1. Euseb. Zonaras, Isidorus, Dupleix *Mem. Gall. l.* 1. *c.* 1. De hoc vide inprimis Boch. *Geogr. Sacr. l.* 3. *c.* 8. Item fil. Diblaim, uxor Osee, Ose. 1. Lat. *consummans*, vel *consumens*, vel *deficiens*.

Gomera, Ins. maris Atlant. una ex Fortunatis, inter Teneriffam & Ferri Ins. cum opp. cogn. & portu capaci. Aliàs *Theode*. P. du Val.

Gomerus Gallus, omnium primus suas posuit colonias in regno, quod pòst Italia dicta est, & regionem de suo nomine cognominavit, illosque docuit leges & instituta. Berosus *lib.* 3.

Gomolita, pop. Idumææ. Steph.

Gomorrha, urbs fuit Judææ, in ora lac. Asphaltitis, quæ unà cum Sodomis cœlitus conflagravit. In quarum loco nunc Mare mortuum, *in cujus littore poma arborum, specie insigni, sed intus favillacea*. Genes. 19. Itiner. Or.

Gomphi, urbs Thessaliæ. Steph. Hujus, inquit Ferrarius, meminit Statius 4. *Sylv.*

> *Et crebris iter alligare Gomphis.*

Sed quid, quæso, urbi Thraciæ in Viâ Domitianâ? Quodnam epitheton civitatis *creber*? Quomodo iter urbi alligatur? Apage has nugas, Et *gomphis* apud Papinium habe pro nomine appellativo, i. e. *paxillis*, *palis*, vel *cuneis*.

Gondamiris, Hisp. Rex. an. U. C. 1355.

Reges & Duces.

Gondebaldus, Burgundionum R. Gondiochi primogenitus, divisione regni cum fratribus factâ, an. 477. Gondegisilum mox secundò genitum, in suas partes pertraxit, ut Chilpericum & Gondemarum pelleret. Sed victus, aliquandiu delituit. Dein Viennâ direptâ, pacem subjectis dedit, egregiis legibus latis. Postmodum à Gondegisilo, Clodovei R. societate nixo, rursus prope Divionem, victus, minimè animum despondit: sed Avenionem se recipiens, ibique à Clodoveo obsessus, cum illo pacem fecit. Viennâ dein secundâ vice direptâ, & cum Clodoveo collisus, in Italiam profectus est Theodoricum suppetias rogaturus. Sed ibi obiit Arianismo immortuus, an. 508. Greg. Turon. *l.* 2. Aimon. *l.* 1. Paradin. *Hist. Burg l.* 2.

Gondebaldus, seu *Gondamundus*, Vandal. R. in Africa Hunerico agnato successit, an. 485. Principio in Orthodoxos mitis, mox sævire incepit, antecessores similiter Arrianos imitatus. Obiit a. 495. Successit Thrasymundus frater. Procop. *de B. Vandal. l.* 9. & 10.

Gondebaldus, fil. nothus Clotharii I. An pistoris? V. Greg. Turon. *l.* 6. Ad Tiberium II. Imp. profectus, in pretio fuit. A Guntrano Bosone, qui Constantinopolim venerat, petitus Galliæ R. Imperatoris viribus nixus Massiliam venit, ibi magnificè exceptus: sed à Guntrano spoliatus & desertus est. Chilperico dein mortuo ipsi à Proceribus Regia dignitas delata, sed is à Guntrano, cui à suis proditus erat, tandem penitus sublatus est. Aimon. Paul. Æmylius, &c.

Gondebaldus, Dux copiarum Sigeberti, fugatus in Turonibus. Childebertum, patre mortuo, Regem Austrasiæ proclamari curavit. Item, Monachus Pictav. operam omnem adhibuit, ut Ludovicum Pium à filiis in Monasterio detentum liberaret. Voto potitus, cùm à Pipino prohiberetur, pro lubitu versare Pium, contra illum Patrem concitavit.

Gondebaldus, vide *Gundebaldus*.

Gondegisilus, Genevam Regni sui sedem constituit; à fratre Gondebaldo coactus, illius leges suis subditis obtrudere, in prælio contra Clotarium R. ad hunc, deserto fratre, se applicuit. Hinc fusus Gondebaldus, Avenionem confugit, mox pace cum Clotario initâ, Gondegisilum Viennæ obsedit: quâ expugnatâ Gondegisilus in templo Ariano, cum Episc. quodam, occisus est. Greg. Tur. *l.* 2. Paradin. Delbenus, Chenius, *Hist. Burg.* V. *Gondebaldus.*

Gondemarus, quartus fil. Gondiochi, Burgund. Regis, pacificè partem regni, quæ ipsi in divisione obvenerat, aliquandiu possedit, dein cum fratre Chilperico Viennæ, à Gondebaldo maximo natu obsessus, in turre quadam fortiter se defendens, occisus est. An. 477. Item, frater Sigismundi, bis terve prælio contra Gallos, infelix. Item Rex Visigothorum, Witerici successor, Anno 610. per an. 2.

Gondiochus I. vel *Gondicarius*, R. Burgundionum, post cladem 20000. suorum subditorum, qui Belgicam depopulabantur, pacem impetravit ab Aëtio. Dein ab Utparo seu Octaro, Hunnorum R. alii dicunt, ab Attila, occisus. Pater Gondiochi & Chilperici. Prosper *in Fast.* & *Chron.* Idatius, *in Chron.* Cassiodorus, Jornandes, Sigonius, &c.

Gondiochus II. fil. prioris, Theodorico junctus, Rechiarum Suevorum R. occidit. Romanis associatus, Vienna & Lugduno captis, Galliæ partem subjugavit: Pater Gondebaldi, Gondegisili, Chilperici & Gondemari: Quorum hi ab illis oppressi. Jornand. & Idacius *in Chron.* Chen. Delbenus, *Hist. Burg.* Chorerius, *Hist. Delph.*

Gondioda, uxor Clodomiri, fil. Clodovei, R. Aurel. mater Theobaldi, Guntieri & Clodovei. Quorum illis à Clotario occisis, hic monasticam vitam est amplexus. Aliàs *Gondeacha*, vel *Gondtheucha*. Clotario dein nupta, nullos liberos sustulit. Greg. Turon. Aimonius Tilletus *Hist. Franc.*

Gondra, Thraciæ pop. Herod. Vide Steph.

Goneis, urbs Thraciæ. Steph. Ejus incolas aliqui vocant *Adrianopolitas.*

Goniades, nymphæ juxta Cytherium fluv: sacellum habentes, de quibus opinio est, earum aquas ægros sanitati restituere. Strabo *libr.* 8.

Gonni, urbs Perrhæbæ. Steph. *Gonnus* Ptolemæo, *Gonocondylos*, ut videtur, Livio. *Gonos*, & *Gonussa* Lycophroni.

Gonoessa, Ætoliæ civitas. Seneca *in Troadibus*,

An carens nunquam Gonoessa vento?

Habuit ex Homero *Iliad.* 2. qui Γονόεσσαν αἰπεινὴν vocat.

Gontharius, fil. Clodomiri, à Clotario I. & Childeberto patruis, inter Clotildis Aviæ amplexus, cum Theobaldo fratre occisus. Gregor. Turon. Aimonius, &c.

Gontiana, Marmolio *Gemaa*, aliis *Guimba*, opp. mediterr. Mauritaniæ Tingit.

Gonzaga, vicus Lombardiæ Transp. in agro Mantuano, ubi villa sumptuosissima Principp. Mantuan.

Goodmannus Christophorus, Anglus, scripsit sub Maria & Elizabetha R. de Gynæcocratia.

Goplus, lacus Polon. maj. in Cujavia prov. Vide *Guplo.*

Gorama, reg. Arabum Scenitarum. Steph.

Gorcomium, vide *Goricum.*

Gordene Ptol. *Gorduena* Strab. *Corduena* Dioni, Castaldo *Curdi*, reg. Armeniæ maj. in confin. Mesopotamiæ.

Gordenia, vide *Gordynia.*

Gordiaa, reg. Persica, Stephanus; qui populos ejus Gordos, & Gorgyas, & Gordochos nominat & montes *Gordyaos.*

Gordianus Imper. fil. Metii Marulli ex Ulpia Gordiana, à Gracchis Trajanoque originem arcessens, Consul cum Alexandro, Proconsul in Africa fuit. Ubi, Maximino Imperium arripiente, Imperator proclamatus est. Filium cognom. in consortium cùm ascivisset, à Capelliano, Mauritaniæ Præf. victus, filio an. 46. in prælio interfecto, sibi ipsi mortem intulit, anno ætat. 80. Chr. 237. Uterque literatus fuit, & prior insuper *Antoniadum*, poematis auctor. Jul. Capitol. *de* 3. *Gordd.* Herodian. *lib.* 7.

Gordianus Jun. filius secundi, aut prioris ex filia nepos an. æt. 16. Imper. dictus, anno 2. Imp. defectione Sabiniani in Africâ sopitâ, pacem Imperio conciliavit. Persas, jam Antiochiâ potitos, repulit: Misithei Philosophi, cujus filiam ducturus erat, consilia secutus. Occisus à Philippo, Prætorii præfecturâ post Soceri obitum donato, in collimitio Persiæ, an. Chr. 244. Imp. 6. Iidem, Aurel. Victor, &c. Vide supra. De *Gordianis* sic Casaubonus: Tres *Gordianos* separatim describit Capitolinus, totidemque agnoscunt Herodianus, & Aurelius Victor, non ille Schotti, sed alter: nam is auctor, quem ille edidit, duos solùm prodit, & in totâ historiâ à Capitolino dissentit. Sed jure Capitolinus imperitos scriptores paulò pòst nominat eos, qui duos fuisse Gordianos scriberent, quo tamen in errore plerique veterum sunt versati, ut Eutropius, Eusebius, Zonaras, aliique. Cedrenus verò quas nugas blaterat in historiâ Gordianorum? Omittit eos, qui in Africâ perierunt: eum nominat, qui cum Maximo & Balbino factus Imperator. Sed Maximus Albinus illi unius Augusti sunt nomina: cui successisse ait Publianum, qui sine dubio Pupienus est intelligendus, & putarem ita corrigendum, nisi ex eodem fonte Publium invenissem in Græcis fastis nominatum. Simili errore eundem vocat Zonaras Πουπηϊανὸν ac diversum facit à Maximo. Sed reliqua Cedreni spectemus: Huic, ait, successit Ἰούνιορ. Quis iste? haud dubiè monstrum in historiâ, confictum loco Gordiani secundi. Hic Latinis cognominatur à re *Junior*, inde ille fictitius Ἰούνιορ. Nam & in Fastis Græcis scriptum offendimus Γορδιανὸς Ἐνίωρ, non absimili culpâ. Post hunc, inquit, regnavit fil. ejus Gordianus 4. an. Hic nempe est tertius Gordianus, quem non defuere, qui Junioris filium dicerent. At quid dicemus de sequentibus verbis? Μετὰ Γορδιανὸν ἐβασίλευσεν Οὐνίωρος υἱὸς αὐτοῦ, ἔτη δύο. Quis, malum, iste *Uniorus*? profecto *Junior* est Gordianus, quem immani errore refert hic in scenam Cedrenus. Quare videant tirones, quantum in Romanis rebus recentioribus Græcis sit fidendum. Hactenus Casaub.

Gordianus, Romanus, Græcè doctissimus, scripsit hortatu Justiniani, Placidæ, à piratis occisæ, &c. vitam, an. 539. Vide Possevin. Simler. Vossium.

Gordieum, urbs magnæ Phrygiæ juxta Cappadociam, à *Gordio* patre Midæ, nunc *Sardis* vocatur. Steph.

Gordieus, mons Armeniæ, ubi primùm Arca Noë constitit. Vide Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 1. *c.* 3.

Gordii murus, urbs Midæ, à *Gordio* filio condita. Steph.

Gorditanum, Sardiniæ promunt. Ptol. *Capo Lugudori*, Pineto; *Argentar* verò Nigro dicitur. Baudrando *Capo di Monte falcone*, in ora Occ. Sardiniæ, versus Bor. & Herculis Ins. vix 10. mill. à vico *Argentera* in Sept. 20. à Sassari in Occ.

Gordium, urbs Phrygiæ ad Sangarium fluv. Xenophon. Vide *Gordieum*. Hanc *Gordium* vocat Justinus *l.* 11. *c.* 7. *Gordien urbem petit, quæ posita est inter Phrygiam majorem & minorem.* Falsum, inquit Vossius. Non enim inter Phrygiam major. & min. sita urbs Gordium, sed inter Phrygiam min. & Cappadociam. Stephanus, Γόρδιεον, πόλις τῆς μεγάλης Φρυγίας, πρὸς τῇ Καππαδοκίᾳ, ἀπὸ Γορδίου τοῦ πατρὸς Μίδου. Alii tamen similiter in Phrygiâ min. ad Sangarium ponunt: Sed ineptè. Ineptiunt quoque illi, qui eandem ac Sardes faciunt. Celænas enim Alexander jam ceperat, neque quisquam prodidit, eum regressum in Phrygiam Hellespontiacam.

Gordius, Rex Phrygiæ, Midæ pater, ex Telmissiana puella, quæ ipsi suaserat, ut, sub regis titulo, Jovi faceret: Rusticus alioquin & ignobilis, ideò tamen, omine aquilæ aratro insidentis prævio, rex designatus & consalutatus ab omnibus, quòd ex oraculo Apollinis primus templum ingressus fuisset, in cujus rei memoriam, lora in templo suspendit, in quibus nodus visebatur propemodum indissolubilis; unde Prov. *Nodus Gordianus*; Quem nodum Alex. M. cùm dissolvere non posset, discidit, oraculo eluso. Curt. *lib.* 3. Arian. *lib.* 1. & 2.

Gordius, pater Psammetichi, qui Corinthi tyrannidem per triennium tenuit. Arist. 5. *Pol.* 12. Item Episc. Hierosol. post Germanionem ante Narcissum. *Euseb. Chron.* Baron. *A.C.* 186.

Gorduni, Gall. Belg. pop. sub Nerviorum imperio. Cæsar. Hodie *Gandavenses*, Marliano. Sansoni fuere sub Morinis, ubi nunc Cortracum, ad Legiam seu Lisam fluv. Gandavenses autem, ubi aliàs Centrones.

Gordus, urbs Phrygiæ magn. Gordio finitima. *Juliogordus* Ptol. *Juliopolis* & *Gordia come.* Plin.

Gordynia, urbs Macedoniæ. Steph.

Gorgias, qui & *Gorgatas*, Nobilis Macedo, qui, cùm Olympiadis gratiâ tegeretur; nihilominus ab Amyntâ invitus in militiam è patriâ extractus est. Curt. 6. 7.

Gorgias, rhetor celeberrimus, qui, pulcherrimum librum de concordia, Græcis tunc inter se dissidentibus, recitavit Olympiæ. Item, auctor 4. libb. de figuris Rhetoricis, quas Rutilius Lupus in epitomen redegit.

Gorgias, traducitur ab Aristoph. *Vesp.* ut proditor, barbarorumque partes fovens.

Gorgias Atheniensis de scortis Atticis scripsit. Atheneo teste *l.* 13.

Gorgias Leontinus Philosophus, Empedoclis discipulus, Socratis autem & aliorum philosophorum, & rhetorum præceptor. Cic. *de Bruto.* & *lib. de Oratore.* Hic arte suâ tantum pecuniæ corrasit, ut auream statuam primus omnium poneret, in templo Apollinis Delphici. Ausus est primus in conventu poscere, quâ de re quisque vellet audire: ac de omni re, quæcunque in disputationem, quæstionemque vocaretur, se copiosissimè dicturum esse profitebatur. Is instituit orationem extemporalem, & declamationes exercitationis causâ. Philostratus, Quintil. Cic. Ad Athenienses cum Tisia missus, auxilia contra Syracusanos impetravit. Obiit an. æt. 108. Diod. *l.* 12. Thuc. Athen. Plut. &c.

Gorgippia, urbs Indiæ. Steph.

Gorgippus, filius Satyri, Patris in regno Ponti successor. Polyæn. *libro* 8.

Gorgo, navis, in quâ Perseus, ubi Medusam Gorgonem superasset, vectus est ad suos, ita dicta à *Gorgonis*, id est, Medusæ capite, quod in eâ repositum fuit, & unâ cum Perseo avectum.

Gorgon, *Urgo* Plinio & Melæ, insula parva & montosa maris Tyrrheni, Caprariæ proxima. Mem. ejus Rutilius *lib.* 1.

Assurgit ponti medio circumflua Gorgon.

Baudrando inter oram Tusciæ & Corsicam, aliàs sub Pisanis, nunc

M. Hetru-

M. Hetruriæ D. In ea tantùm est vicus cum turri. 25. mill. à Liburno in Occ. 40. ab ostio Macræ in Austr.

Gorgones, Phorci ex Ceta filiæ, Medusa, Stheno & Euryale, quæ Dorcadas insulas in Oceano Æthiopico sitas, habitasse dicuntur, contra Hesperidum hortos. Virg. *lib.* 6. Natal. Com. *lib.* 7. Nomen habent à *truculentia*, quam Græci Γοργότητα appellant. Scribit Diodorus, fœminas fuisse in Africâ bellicosas, adversus quas Perseus bellum gessit, & earum reginam Medusam ope Minervæ, i. Virtutis, debellavit, ac interfecit.

Gorgones, *Gorgades* Plinio, & *Hesperides*, Insulæ maris Atlantici, versus Afr. & prom. Viride. *Satyrides* à Pausaniâ *in Atticis* vocari nonnulli opinantur. Hanno *Goryllas* vocat in *Periplo*. *Isole di Capo Verde* hodiè vocantur, teste Ferrario. Sub Portugall. R. Sunt 10. numero. Vid. *Capitis Viridis* Inf. & *Hesperides*.

Gorgonia, Pallas dicta est, quòd Medusam, unam ex 3. Gorgonibus, quæ concubitu suo templum Deæ profanaverat, Perseus, Minervæ scuto armatus amputato capite occidisset. Fabulantur autem Gorgonis caput tale fuisse, ut homines hoc conspecto statim in lapides verterentur.

Gorgonius, vir nobilis, Diocletiano Imperatore, pro Christianâ religione vitam suspendio finivit, cujus corpus mortuum famelicis canibus objectum est, quod tamen remansit intactum. Item viri proprium malè olentis, Horat.

Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.

Gorgonsola, opp. Duc. Mediol. ad incile *Martezana*, in dominio utili Trivultii Princ. 12. mill. à Mediolano in Ort.

Gorgopas, vir qui Eunomum apud Zostera vicit, naves 4. cepit, à Chabriâ superatus occubuit. Xen. *l.* 3.

Gorgophorus, Pallas dicta, quòd in ejus clypeo Medusæ *Gorgonis* caput esset insculptum, apud Cicer. *orat. antequam iret in exilium.*

Gorgus, filius Theronis, Agrigentinorum tyranni, quomodo Patrem, in invadenda tyrannide adjuverit, V. Polyæn. *l.* 6.

Gorgus, rerum metallicarum vir callentissimus, cujus operâ in multis usus est Alexander. Strabo *lib.* 15. Καὶ χρυσεῖα καὶ ἀργυρεῖα δὲ πολὺ ἄπωθεν ἐν ἄλλοις ὄρεσιν ἱστορεῖται καλὰ, ὡς ἐδήλωσε Γόργος ὁ μεταλλευτής.

Gorgyia, locus in Samo, unde Bacchus *Gorgyiensis*.

Gorgythion, Priami & Castianiræ Thressæ fil. qui in bello Trojano à Teucro, Telamonis filio, confossus occubuit. Homerus *Iliad.* 8.

Goricum, Hollandiæ mer. civitas probè munita, eleganti castro insignis, Vahalim fluv. ex tribus alterum, quibus Rhenus in Oceanum effunditur, præterlabentem habet. Hîc ex altissima turri, duæ supra viginti urbes muris septæ conspici possunt, cum rusticorum villis, & non paucis nobilium habitationibus. Lætissimis pascuis abundat, unde in butyro, lacte, caseo, fere tota incolarum negotiatio consistit, quæ Antuerpiam & ad alia loca non sine maximo emolumento exportantur. Lud. Guicciardinus. Baudrando ad Mosam, ubi Lingam recipit. 3. leuc. à Dordraco in Ort. 2. à Viana in Austr.

Goritia, urbs munita Fori-Julii, ad Sontium fluv. Comitat. cognom. caput, sub Austriacis, in confin. Venetorum, inter Alpes & sinum Tergestinum 4. leuc. Germ. ab Aquileia in Bor. totidem à Palma in Ort. Baudr.

Goritia Palatinatus Archiducum Austriacorum. Nomen habet ab ejus urbe primaria *Goritia* dictâ. *Julium Carnicum* Ptolemæus vocat. Dravum flu. pro limite ad Sept. habet, & Forum-Julii Meridiem versus.

Gorlitium, vulgò *Gorlitz*, urbs primaria & permunita Lusatiæ superioris, inter paludes: ædificiorum nitore atque frequentia clara, ut & murorum fossarumq; ambitu, situ montoso, Nissæ fluminis propinquitate firma, ex quo molitores, cerevisarii, tinctores, aliique ejus oppidi cives magnas commoditates percipiunt: ejus transitus ponte ligneo, tecto percommodè clauso, opportunè conjungitur. Oppidum ipsum prima fundatione constructum anno post Christum natum 1131. ejus annales perhibent. Funesto verò deinde incendio, anno salutis 1331. immitis Vulcani severitate consumptum, ut ne unica quidem domus remanserit: post eam autem ruinam, anno ferè octavo venustè reparatum: Bohemiæ regno subditur, sicut & Lusatia. Metel. Antea sub Bohemiæ R. nunc sub Electore Saxoniæ. 4. leuc. à Budissina in Ort. 2. à confin. Bohemiæ. Baudrandus.

Gormanum, vulgò *Ganzer*, oppid. Transylv. prope Claudiopolim.

Gornacum, vulgò *Gournay sur Aronde*, ab amne *Aronda*, ad alterius Normannici differ. Oppidul. prov. Inf. Franciæ, in confin. Picardiæ, 4. leuc. à Compendio in Circ. Ambianum versus.

Gorneas, munitum castellum in Armenia. Tac. 12. 45.

Gorsio seu *Gursio*, Lazio *Corck*, opp. Hung. ad Zarvvichium flu. medium fere inter Albam R. & Quinque Ecclesias.

Gortua, Euboicæ quondam gentes, Medos secutæ, sed tunc, cùm in exercitu Darii ad Arbella erant, degeneres & patrii moris ignaræ. Curt. 4. 98.

Gortyn, *Gortys*, & *Gortyna*, op. mediter. Cretæ ad Lethæum fluv. Plin. 4. 12. Hîc Philippus Episc. floruit A.C. 175. Hinc *Gortynius*, ut *spicula Gortynia* apud Statium, quibus *Gortynenses* celebres fuere. Luc. *l.* 3.

—— Nec Eois pejor Gortyna sagittis.

Idem *libr.* 6.

Dictaâ procul ecce manu Gortynis arundo
Tenditur in Scævam.

Ovid. *Met.* 7.

Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.

Gortynia, opp. Arcadiæ in Peloponneso ad Gortynium fluv. teste Pausaniâ, qui *in Corinthiacis* Æsculapium *Gortynium* vocat.

Gorzia, Monasterium à Chrodegango Mettensi Episc. conditum, An. C. 768. ad fluv. parvum Gorziam qui Gorziam monti impositam præterlapsus, supra Mettos in Mosellam defluit, apud Novigentum *Noviant*. Vulgò *Gorze*, in Comitatu Scarponnensi. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Goshen, id est, *appropinquatio*, vel *approximatio*, civitas in tribu Judæ, quam & expugnavit Josue. Jos. 10. Item Ægypti regio, in quâ Israelitæ olim habitabant, antequam in Terram promissionis pervenerunt.

Goslaria, urbs Saxoniæ ad Gosam fluvium in Hercinia. Eam Henricus Auceps, pater magni Othonis, condidit: an. 1051. in formam civitatis erecta & munita est, A. C. 1201. postquam ab Ottone R. clam occupata fuisset. Imper. Henricus tertius urbem istam mirificè ornavit, & è parvo molendino, ut ajunt, vel tugurio venatorio in tam magnam, sicut hodie cerni potest, urbem, bono provexit auspicio. Metel. Baudrando est ad fontes Okræ amnis, in Duc. Brunsuicensi, sui tamen juris. Vix 5. mill. Germ. ab Hildesio in Eur. Lambertus Schafnaburgensis, sub anno 1070. hanc Regiam villam vocat, quam pro lare domestico Teutonici Reges sint incolere soliti. Idem eandem clarissimum appellat Regni domicilium: Unde hodieque Cæsareum ibi palatium. De controversia, quæ huic civitati cum Ducibus Brunsuicensibus, qui jus protectionis in ea habent, Vid. Hordlederum *de causis belli Germ. lib.* 4. *cap.* 46. Accusata à Duce, an. 1541. & à Camera Imperiali proscripta, sed executio à Joh. Friderico Saxoniæ El. cui confœderata erat, impedita est. Obsessa an. 1552. ab Henrico D. metallifodinas Rammelsbergenses ei cessit: quas mortuo Friderico Ulrico Duce A. C. 1634. rursus occupavit. Vid. Limnæum Enucl. *lib.* 4. *c.* 20.

Gosleni fons, locus Galliæ, in diœcesi Rotomagensi, Gornaco ac Firmitati in Brajo vicinus, proximus finibus Bellovacorum, quibus & à nonnullis attribuitur. Vulgò *Gaillefontaine*. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Gostinia, urbs & Castellania Poloniæ maj. in Palatinatu Ravensi, carcere & morte Demetrii Suiscii, M. Ducis Moscoviæ nobilis. 2. leuc. à Vistula fluv. & à Plosco in Austr. cum arce satis munita.

Gosvinus Bossutus, historica quædam scripsit, vitas inprimis quorundam pietate illustrium. Voss. *de H. L.*

Gota, Germanis Mercurius erat, à quibus adorabatur. Unde hodieque Deum *Got* dicunt.

Gota, Inf. Japoniæ, cum urbe cognom. in ora reg. *Ximo*, inter Corcam ad Austr. & Amacusam ad Ortum.

Gotarzes, Artabani frater, qui necem ipsi filiisque maturavit: sed ab altero fratre Vardane pulsus, eo mortuo regnum recuperavit. Contra quem submissus Meherdates fil. Vononis, imperante Claudio, frustra fuit: Nam Gotarzes prœlio victor.

Gotha, urbs parva Thuringiæ, à *Gothis* condita, An. D. 923. celebri murorum ambitu ac propugnaculis decorata. Media ferè inter Erfordiam ad Ort. & Eisenacum ad Occ. Admirandæ fortitudinis castrum habuit *Grimmenstein*, quod solo æquatum est, an. 1567. Ferdin. I. Imperatoris & Ordinum Imperii mandato, capitali supplicio affectis Nobilibus illud vi retinentibus, LLoydius. In dit. Ducis Weimariensis, è domo Saxonica, cujus familiæ historia paucis hæc: Johannes Fridericus El. bello Smalcaldico captus, Electoratum Mauritio agnato cedere coactus est, Gothamque tenuit. Hujus filius Joh. Fridericus II. Gothanam lineam orsus est, fratre hujus Joh. Wilhelmo Wimariensem incipiente. Prior, quòd proscriptos ab Imp. tueretur, & ipse proscriptus, arxq; Gothana, ut dictum, diruta est. Sed filii ejus Joh. Casimirus & Joh. Ernestus, Anno 1570. in gratiam recepti, quorum ille Coburgi magno aulæ splendore habitavit, Gymnasii Casimiriani auctor, hic Isenaci sedem habuit. Obierunt ambo sine hæredibus masculis: A. C. 1633. & 1638. sic ad agnatos Wimarienses revoluto principatu filii Johannis Ducis Vinariensis, Wilhelmus quidem Vinariensis, Ernestus verò Gothanæ novæ linearum conditores fuere; quorum hic, permissu Imp. arcem Gothanam, nomine *Grimmenstein* in *Fridenstein* commutato, restauravit & cum urbe muniit. Pater ex Elisabeta Sophia agnata egregiæ prolis, in qua ad pietatem, virtutes & literas formanda, post publicas curas, totus semper fuit. Ex his Joh. Ernestus Anno 1657. mortuus, spes in herba præcidit, supersunt Fridericus, Albertus, Bernardus, Henricus, Christianus, Ernestus, & Joh. Ernestus, pu-

blicis votis & totius Imperii applausibus ex asse respondentes. V. Phil. Jacobi Speneri *Syllogen Geneal. Histor. p.* 126. 127.

Gothalani, mixta gens ex Gothis & Alanis. Prudent.

Gotheburgum, urbs Sueciæ permunita, cum portu commodo in Westrogothia, in ora maris Balt. Ubi obiit Carolus Gust. R. Anno 1660. 3. mill. Germ. à Bahusio in Austr. Item, Opp. novæ Sueciæ, prope fluv. Austrinum, vix 10. mill. Germ. ab ora maris Bor. Suecis erepta à Batavis, nunc sub Anglis.

Gothfredus, Apuliæ Comes, An. Dom. 1049. Germanicè sig. *Gods peace.* Apud Danos quoque *Guthfreiahed* est *Godlinesß.* Plures hujus nominis in recentioribus historiis occurrunt, inter quos *Gothfridus* Bullionius ab exercitu Rex Hierosolymorum constitutus, An. Dom. 1000. Vid. *Godefridus.*

Gothi, vel *Gotthi*, hodiè *Polonci*, teste Matth. Michoviensi, pop. Sarm. Europææ, Boreale latus maris Euxini accolentes, prius *Getæ*, teste Isidoro. Regio eorum *Gothia*, inter Tyram & Borysthenem. V. *Gothia*, & *Gotthi.*

Gothia, pars Austr. Sueciæ, inter Sueciam propr. Norvegiam & mare Balt. Triplex est, *Occid.* cujus provinciæ *Westrogothia*, Dalia & Vermelandia. *Orient.* cujus prov. Ostrogothia, Smalandia, Selandia Inf. & Gothlandia Inf. & *Merid.* cujus prov. Scania, Hallandia & Blekingia. Quæ tres ultimæ, prius Danici juris, nunc sub Suecis sunt. Hinc Gothi oriundi, quamvis illos alii à Getis deducant, Asiæ pop. qui fertilius solum quærentes in Bosnia, Thracia & Bulgaria primò sedes fixerint, dein in oram Baltici maris effusi sint, sub Alarico. Hoc certum, primùm sub Decio innotuisse, Anno 251. & à Theodosio in Thracia victos & baptizatos esse, postquam jam sub Constantino M. fidei principia hausissent: unde Episc. eorum Conc. Niceno interfuisse legitur. Ulphilas postmodum, Præsul eorum, in Arianam prolapsus hæresin, eandem toti genti affricuit. Sub Decio Mœsiam vastarunt & Thraciam: Sub Galieno Græciam, Macedoniam & Asiam depopulati sunt, aliisque temporibus in Provincias Imp. Romano subjectas incubuerunt. Nixus illorum viribus Procopius, Imperium occupare constituit, Valens ab iis victus, Roma sub Alarico capta, totaque Italia sub Honorio afflicta est. Post Alaricum, Ataulphus Wisigothorum, i. Occidentalium Goth. Regnum orsus est, in Aquitania & Gallia Narbon. quod desiit in Alarico II. à Clodoveo in prælio occiso, Anno 506. Aut potius in Hispaniam translatum est, fundamentis jam antè jactis, duravitque per annos 300. donec Rodericus inde à Mauris & Saracenis Afris pulsus est. Theodoricus, à Zenone adoptatus, contra Odoacrum Herulum, in Italia regnum Ostrogothorum fundavit, quod extinctum, Totila & Teja, à Narsete, occisis, Anno 552. postquam stetisset annos 58. Vid. Agathiam, Jornandem, Procopium, Cassiodorum, Sidon. Apollinarem, Isidorum, Joh. & Olaum Magnum, Cluverium, Sansonem, &c. ut & infra in voce *Gotthi.* Item prov. Galliæ.

Gothica Lex, condita A. C. 466. Isidor. *Chron. Gothor. Era* 504. *anno imperii Leonis octavo, Erudicus pari scelere, quo frater, succedit in regnum, annis* 18. Et infrà, *sub hoc Rege Gothi legum instituta scriptis habere cœperunt: nam antea moribus & consuetudine tenebantur.* V. plura in *Lex Wisigothorum.*

Gothini, pop. Germ. Tacito, qui Marcomannorum terga claudunt, & ferrum effodiunt. Hos hodiè esse, qui *Kuttenberg* Bohemiæ urbem incolunt, ubi argentifodinæ sunt, vult Lazius in suâ Austriæ tabulâ, quam suâ manu æneis laminis cælavit. Aliis errant versus Viadrum fluv. & ad Ort. Marcomannorum, ubi nunc pars Silesiæ prope Vratislaviam.

Gothiscandia seu *Gothlandia*, eadem cum *Gothia.*

Gothlandia, Inf. Sueciæ, in mari Balt. q. *bona terra*, quia fertilissima, 15. leuc. ab ora litt. Ostrogothiæ in Ort. Longa est à Sept. in Mer. 12. leuc. Suec. circiter, lata 5. ab Ort. in Occ. Ibi opp. *Wisby*, aliàs urbs ampla & emporium celebre.

Gothofredus Dionysius, JC. celeberrimus, sec. præt. Parisiis natus 1549. docuit Argentinæ.

Gothoniel, id est, *hora*, sive *tempus meus Deus.* Nomen viri. 1. Par. 27.

Gothunni, pop. Sarm. Europ. ex *Gothis* & *Hunnis* permixtis nominati. Claud. *l. 2 in Eutrop.*

—— *Ostrogothis colitur, mixtisq; Gothunnis.*

Ubi tamen vir doctiss. Nic. Heinsius *Gruthungis* reponit, quem sis vide.

Gotricus, Danorum Rex, adversus Carolum M. ob Holsatos infelix: felicior in Radbodum, quem classe aggressus, Frisiam sibi subjecit, incolasque, omni argenti atque auri usu ademto, ad vimineos torques lege lata redegit. Ei à satellite occiso successit fratris filius Hemingus, & post biennium Sigefridus. Ubbo Emmius *in Hist. Fris.* A. C. 808. 809. 810. 812.

S. Gotthardi mons, sub Lepontiis, altissimus, per quem ab Uraniis Helvetiis in Italiam trajicitur: quæ via tum in ponte tremente, tum in valle infernali, periculi plena. Constat multis verticibus, inter quos mons Furcæ, Germ. *die Furken*, à bifurcato jugo dictus. Asper valde est, nec inhabitatur, limes inter Uranios & Vallesianos, Rhodani pater. Vid. Munster. *Cosmogr. lib.* 3. qui refert, olim vocatum *Juberum*, & *Contuum*, aut secundùm alios *Ursellum*: Joh. Baptistam Plantinum *Helv. Nov. Antiq.* & in voce *Lepontia Alpes.*

Gotthi, pop. Scanziæ, q. *Goten*, seu *Guten*, sic dicti ab advenis, ob summam in hospites lenitatem, quæ laus in ipsis, etiam ante Christianismi tempora, eximia fuit: *Gothones* Tacito, *Gutones* Straboni, *Gythones* Ptolemæo, *Guttones* Pyttheæ & Saxoni, *Jutti* quoque & *Gioti* mediæ ætatis scriptoribus. Olim ad mare Balticum usque se extenderunt, cui proin nomen *Godanbelt*, quod nobis *Codanus sinus* dicitur. Distincti sunt in celebrata historiis nomina Ostrogothos & Westrogothos, à situ. E Scanzia primò seu Scandia, in Insulam Vistulæ, & in longinquiora, ad Mæotim & in Daciam, Mœsiam, Pannoniam, Thraciam Græciam, Macedoniam, Pontum, Asiam Africam: In Occidentem quoque, Germaniam nempe, Galliam, Italiam, Hispaniam, Britanniam, &c. sese effuderunt. Thraciam diripientes à Constantino coërciti sunt, A. C. 321. Ab Hunnis sedibus pulsi, à Valente Imp. tanquam fidei socii, per Ulphilam Episcopum submissum seducti & in Thraciam recepti, arma in patronum vertere, A. C. 376. Vix ab urbe Constantinopoli sub Gratiano amoti, misso Theodosio, trans Istrum rejecti sunt: mox audaciâ resumtâ A. C. 381. per Fridigernum Græciam, per Alatheum & Safrachum Pannoniam devastarunt: sub fœdus redacti ab Imper. cùm Regem illorum Athanaricum sepulturâ honorasset. Gainas dein Gothus, ex gregario milite Dux, Arcadio negotium, A. C. 398. fecit, sicut eidem Anno 395. Alaricus Gothorum Rex à Rufino immissus, sed Ruffinus interfectus à militibus & Gainas A. C. 400. captus ac trucidatus est. Alarici successor Ataulphus, Romam perditurus & *Gothiam* conditurus, ejus loco, ab uxore Placidia Galla, Honorii sorore, prohibitus est, A. C. 412. In Gallia Tholosam sedem habebant, Hispaniæ magna parte subjugatâ, unde illos *Rectiarius ejecturus*, victus securique percussus est, A. C. 457. Euricus dein *Rex, illo multidominio Romanorum usus*, magnam partem *Galliæ rursus sibi subjecit, A. C. 464.* pater Alarici. Anno post eum 520. in Hispania, Almaricus cum Gothis Italicis, de Galliæ jure transegit, Chrotildes filiæ Chlodovæi maritus, Dalmatiâ Gothi pulsi sunt, Anno 540. & Italiâ fere totâ exacti, A. C. 542. nisi Totila res prolapsas restituisset: Ast hunc Narses, & post eum Tejam, in Italia Gothorum ultimum Regem occidit, Italiâ recuperatâ, A. C. 553. quod ipsum statua Theodorici affabrè facta Neapoli posita præsignificaverat. Nam *paulo ante mortem Theodorici, compago lapillorum, caput constituentium, soluta est: ante Atalarici mortem venter dissiluit: Amalosventâ occumbente virilia collapsa, tandem Gothis urbem obsidentibus, femora, pedes & reliquum ejus omne concidit.* Graserus *in Hist. exot.* Post hos, Longobardi à Narsete evocati Italiæ incubuerunt, A. C. 568. sed & in Hispania, sub Roderico, à Saracenis & Mauris per Julianum Comitem ex Africa adductis, omnis nobilitas Gotthorum cecidit, *A. C.* 714. Galliam quoque Francis remiserunt. *Religionem quod attinet*, scribit Adamus Bremensis, *etiam cùm in communi gentium errore versarentur, reverentes tamen fuisse Episcoporum, si qui probi castique essent: de Christo sermonem audiisse non invitos*, uniusque hominis operâ Gotthos conversos, cum Wermulanis parteque Scritofinnorum. Idem scriptor *Christianissimi* titulo Amundum Suediæ Regem ornat. In discrimine positi opem à Deo postulabant, semper vim abstinentes à subditorum sibi populorum animis, quos, ipsi à Valente ad Arianismum seducti, fidem Nicænensem sequi minimè prohibuerunt. Theudericus inprimis Westrogothorum, alterque Ostrogothorum Rex à Sidonio, & Ennodio, eximiæ pietatis elogium ferunt. Et quidem hic, qui ne prima quidem literarum elementa noverat, res Gothicas, ad summum gloriæ fastigium extulit: sicut Theodatus contra, vir non literatus tantùm, sed & Græcæ Philosophiæ studiis excultus, easdem de summo fastigio in præceps jecit. Vid. Hug. Grotii *Historiam Gothorum*, item in vocibus *Gothi, Guthi, Juti, Ostrogothi, Visigothi*, &c. Gothicæ autem rei & Aquilonarium populorum delibatio, ad posteriores antiquitates intelligendas apprimè conducit. Cùm hi omnes linguâ, moribus & institutis parum inter se differrent, totamque ferè Europam armis victricibus subjugatam premerent: Hinc enim factum est, ut non solùm mores & leges, sed & plurima vocabula in unaquaque gente haberentur communia. Quoad linguæ autem consonantiam, veteri usi sunt omnes Germanicâ suis dialectis variatâ, antiquiorem & nativam magis retinentes, qui in Boream vergunt: Longiùs autem dissiti sunt in Bor. Gothi, olim Getæ, à vernaculo suo *Jat* i. gigas, denominati. Hi Daciam propriè coluere; Omnes conterranei, vel è finitibus regionibus oriundi, licet à diversis populis, quibus bellum intulerunt, diversimodè nuncupentur. Henricus Spelmannus in *Glossar. Archæol.*

Gottinga, vulgò *Gottinghen*, urbs Germaniæ, in Ducatu Brunsuicensi, ad Leinam fluvium, 3. leucis à Duderstadio in occasum, versus Hassiam, & 10. ab Hildesheimo in austrum. Olim sub proprio Duce. Fuit autem *Göttingensis*, quæ & Calenbergica dicta, lineæ auctor Ericus senior secundo-genitus Wilhelmi junioris Ducis Brunsuic. pater Erici jun. qui A. C. 1540. Patris successor, in religione Evang. à matre Elisabetha Brandeburgica institu-

tus,

tus, eam postea deseruit. Otii impatiens, fastu ac stolidâ taciturnitate vanis consiliis se rapi passus, post multa turbulentè gesta, obiit sine prole Papiæ A. C. 1584. hæreditate ad Guelferbytanos agnatos devolutâ: sed & jam prius Albertus pinguis, Alberti M. filius *Gœtingam* tenuit, pater Ernesti, qui hunc principatum ad filium Ottonem transmisit, in hujus filio cognom. ramo extincto. V. Spener. *Syllog. Geneal. Histor.*

Gottorpium, vulgò *Gottorp*, arx Daniæ valida, in Jutia, exiguo ab urbe Slesvvicensi intervallo, sedes Ducum Slesvvici & Holsatiæ, qui hinc Duces Gottorpienses persæpe dicuntur. *Gottorpinæ* lineæ auctor Adolphus fuit Friderici Holsatiæ D. filius, frater Christiani III. Daniæ Regis. Hic Adolphus Ditmarsos non sine sanguine domuit, A. C. 1559. Pater Joh. Adolphi, qui moriens A. C. 1616. ditionem Friderico fil. reliquit: Hic Fridericostadium ab Arminianis condi passus, legatione postmodum ad Persarum Regem missâ inclaruit. Obiit A. C. 1659. Pater Christiani Alberti & Augusti Friderici. Ejus verò frater Johannes, cùm primus ex Holsatis passus esset sibi persuaderi, ut hæreditariam portionem accepto apennagio non exigeret, Episcopus fuit Lubecensis (unde ab habitatione ejus lineam Eutinensem vocant) & singulari prudentiâ Oeconomicâ non contemnendas opes collegit. Suscepit is ex Julia Felicitate Wirtenbergica Johannem Augustum. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.*

Gouda, vulgò *Goude*, urbs Belgii uniti, in Hollandia, media ferme inter Ultrajectum ad ortum & Hagam ad occasum, 5. leuc. utrinque, & 3. à Roterodamo.

Goverus Johannes, Eques Anglus, Poëta & Historicus, Gallicè, Anglicè & Latinè varia scripsit. Auctor Chronici libb. 7. cui titulus: *Vox clamantis in deserto.* Richardi insuper II. Henrici IV. Chronicon, & historiam Tripartitam orsus. Obiit Londini, Anno 1402. Statuam torquatam post obitum meritus. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3.

Goura, vulgò *Gouré*, arx est Africæ, in Nigritia regione, & in ora Oceani Atlantici, recens extructa & munita à Batavis, 3. leuc. distans à promuntorio viridi; estque in insula parva littori ferè juncta.

Gourum, vulgò *Gouro*, urbs Asiæ, in India, in regno Bengalæ, ad Gangem fluvium, 200. circiter milliaribus à Bengala urbe in Boream, & totidem à sinu Gangetico, sub dominio Magni Mogolis.

Gozan, id est, *tonsio*, *vellus*, sive *transitus*, vel *corpus nutriens*: aut ex Syro & Ebræo, *intus nutriens*, fluvius in Mesopotamiâ. 2. Reg. 19.

Goziura, urbs. Vide *Gaziura*.

G R.

Gracchopolis, postea Cracovia, teste Antonio Bonfinio, *Crackovv*, urbs Poloniæ minoris, episcopalis & regia amplissima. Vide *Carrodunum*. Ejus mentio fit *in lib.* 7. *Itinerarii* sic:

Hic ubi Sarmatico se jactat in orbe Vilişcum,
Millia quod Gracchi distat ab urbe duo.

Gracchus Titus Sempronius, Caii ac Tiberii pater, bis Cos. semel Censor, bis triumphum meritus. Prætor Galliam subegit. Primùm Consul in Hisp. missus, Celtiberos in deditionem accepit, Ilurcimque eorum opidum splendidius à se restitutum, ut gestarum à se rerum memoria superesset, de suo nomine *Gracchurim* appellavit. Vid. *Gracuris*. Secundùm Consul, *Sardos venales*, proverbio, fecit. Huic uxor fuit Cornelia ex Scipionum familiâ, insigni pudicitiâ & eruditione, mulier, ex quâ Tiberium & Caium Gracchos suscepit, generosissimæ quidem indolis juvenes, eloquentiâque imprimis admirabiles, cæterùm popularis auræ plus satis avidos, quæ res fecit, ut relictis optimatibus ad plebem se contulerint, legesque agrarias, perpetuos seditionum fomites, in lucem reduxerint, neque antea quieverint, donec senatum in suam necem armarent. Tiberius prior occisus est in concione à Pub. Nasicâ; Cajus autem biennio post, cùm mont. Capitolinum occupasset, jussu Opimii consulis est interfectus. Cic. *Orat.* 1. *in Catil. P. Scipio Pontifex Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip. privatus interfecit.* Juvenalis *Sat.* 10.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Lucanus,

——*Ausosq; ingentia Gracchos.* Vid. infra. Hunc Titum Sempronium tanto uxoris amore flagrasse legimus, ut oraculo monitus, ex duobus serpentibus, quos aliquando in lecto deprehenderat, masculum occiderit, quò uxoris vitam, quæ 12. liberorum mater erat, conservaret.

Gracchus Sempronius, tempore Augusti familiâ nobili, sollers ingenio & pravè facundus, *Juliam*, Cæsaris filiam in matrimonio M. Agrippæ temeravit, nec is libidini finis: traditam Tiberio pervicax adulter contumaciâ & odiis in maritum accendit, literasque quas *Julia* patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, à Graccho compositæ credebantur. Igitur amotus Cercinam Africi maris insulam, quatuordecim annis exilium toleravit. Interfectâ in Pandateriâ insulâ *Julia*, jussu Tiberii, cervicem percussoribus obtulit. Vide Tacit. *Annal.* 1. 53. & Vellejum Patercul. *lib.* 2. Ejus filius *C. Gracchus* sub Tiberio quoque reus, quòd hostem Tacfarinatem juvisset. Hunc comitem exsilii admodum infantem Pater *Sempronius* in insulam Cercinam tulerat. Illic adultus inter extorres & liberalium artium nescios, mox per Africam & Siciliam mutando sordidas merces, sustentabatur, nec tamen effugit magnæ fortunæ pericula. Ac ni Ælius Lamia & L. Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis & paternis adversis foret abstractus. Tacit. *lib.* 4. *cap.* 13.

Tib. *Gracchus*, Augur, Claudiæ, Appii Claudii filiæ, maritus, fortitudinis varia edidit specimina. Trib. P. legem tulit contra eos, qui ultra 500. jugera agri possiderent, Collegâ Octavio frustra renitente. Bona ab Attalo legata distribui populo voluit. Ut secundâ vice Tribunatum obtineret, contra Senatum denuo populum tuitus est. In Capitolio, cùm sæpius caput tetigisset, indicans se populo illud commendare, ab aliis diadema poposcisse creditus, occisus est. Vid. supra.

C. Gracchus, Vid. supra. Fuit etiam

Gracchus, Dux Sabinorum, à Q. Cincinnato captus & triumpho reservatus. Plut. *in Gracchis*, Aur. Victor, *de V. Ill. c.* 57. 64. *&* 65. Liv. Florus *l.* 2. Oros. *l.* 5. Valer. M. *l.* 4. *c.* 6. *&c.*

Gracuris, quibusdam est *Agreda*, opp. Aragoniæ, ad amnem *Queiles*, in ipso confin. Castellæ Vet. Aliis Agreda est *Augustobriga* antiq. & Gracuris *Cagurria*, in regno Navarræ, prope Iberum fluv. & Vianam opp.

Gradicum, illustre in Sequanis castrum, ad Ararim, nunc *Grey*. Ex quatuor Archidiaconatibus Ecclesiæ Vesontionensis secundus *Gradicensis* est. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & in voce *Graum*.

Gradisca, arx permunita Fori-Julii ad Sontium flu. in Comit. Goritiensi. Media fere inter Aquileiam in Austr. & Goritiam in Bor. 2. leuc. à Palma in Ort.

Gradiscia, urbs Sclavoniæ probè munita, ad Savum fluv. sub Turcis. In limite Croatiæ, 8. mill. Germ. à Zagrabia in Ort. *Servitium* antiq. Brietio, &c.

Gradivus, Martis cognomentum *à gradiendo*, ut Festo placet, impositum, eò quòd *gradatim* & per ordines in bellum catur, aut certè à *vibratione* hastæ, quod Græci κραδαίνειν vocant. Homerus utrumque conjungit de Marte loquens,

Ἧς μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Hujus sedem apud Thracas & Getas poetæ collocarunt, quòd eæ nationes sint bellicosissimæ & à pacis otiis alienissimæ. Homerus *Il. ν.*

Οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πόλεμόνδε μέτεισι
Τῷ δὲ Φόβος φίλος υἱὸς ἅμα κρατερὸς καὶ ἀταρβὴς
Ἕσπετο, ὅς τ' ἐφόβησε ταλάφρονά περ πολεμιστήν,
Τὼ μὲν ἄρ' ἐκ Θρήκης Ἐφύρους μετὰ θωρήσσεσθον
Ἠὲ μετὰ Φλεγύας μεγαλήτορας.

Virgil. *Æn.* 12.

Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat, atq; furentes
Bella movens immittit equos, illi æquore aperto,
Ante Notos Zephyrumq; volant, gemit ultima pulsu
Thraca pedum. —— ——

Val. Flac. *lib.* 7.

—— *Qualis Getico de pulvere Mavors*
Intrat equis, uritq; gravem sudoribus Hebrum.

Gradus, urbs parva Fori-Julii, in Ins. parva, in ora litt. maris Adriaci. Extructa ab Aquilejensibus. 80. mill. à Venetiis in Ort. 12. ab Aquileja in Austr. Sub Venetis; *Grado*. Olim sedes Patriarchatus, huc Aquileiâ translati, & inde Venetias; ab An. 200. Synodus hìc an. 602. ab Ep. Eliâ celebrata. A. Dandolus *Chron.*

Gradus, à Romanis dictus portus locusque, præsertim ad ostium fluminis, ex quo conscensio in naves fiebat, quem tutò petere navigantes, indeque navigaturi naves solvere sine periculo poterant. Erant etiam in portubus plerunque gradus aut scalæ, quibus in mare descendebatur: unde portus celebres in Asia *Scalas* Europæi mercatores vocant, ubi aquam & commeatum navibus imponendum accipere navigantes solent. Sic Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 6. tradit, *P. Scipionem in Siciliâ, trajiciendo in Africam, opportunum quærendo* Gradum, *Carthaginis ruinam animo volvisse.* Idem *lib.* 7. *cap.* 6. *Siciliam & Sardiniam* Gradus *& stabilimenta bellorum* vocat, unde Romam bella in transmarinas provincias importabant. Sic sinus ille maris Gallici, in quem devolvitur Rhodanus, *sinus ad Gradus* hodieque dicitur: in eo enim Gradus, ex ordine dispositi sunt, vid. Gradus novus Septimaniæ proximus *Gras Neuf*: Gradus Urgonensis, Paulitensis, Magnus, Infernas *Gras d'Enfer*, omnium intimus, & Gradus Passanensis, qui ultimus est & Provinciæ Massiliæque adversus, *Massilianorum* Gradus etiam dictus, quia maximè huc vergit & ostio Massiliotico adjacet. In Hispania quoque *Gradus Saguntinus* vel Morvedrensis, *Gradus Valentinus*, vulgò *Grao* & in Aragonia *Gradus Pinnensis* oppido cognominis, ad Iberi flum. trajectum ab Hieronymo Surita referuntur. Tales locos portusque *Passus* etiam Aquitani appellant: quippe Burdigalenses in

ses in ostio Garumnæ, quòd propter scopulos & arenas periculosum est, tres *Passus Graduśq;* agnoscunt, nim. Passum Arenosum vel Glareosum, prope Meducos, *le Pas de Grave*: in medio ore fluminis Passum Asinorum *le Pas aux Asnes*, & ad littus Santonicum, versus Foramen Mali Dumi *le Pertuis de Maubusson*, aliàs transitum Malmussonensem *le passage de Maumusson*: quæ sunt tria loca Garumnâ Oceanum aut contra intrantibus opportuna ac tuta. *Gradus* Rhodani communi nomine *Tinea* appellantur *les Tignes*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Rhodanus*.

Grææ. urbs Eretriæ Stephano per aphæresin, pro *Tanagræa*.

Grææ, tres fuere sorores Phorci filiæ, unicum tantùm oculum habentes, & dentem, quibus vicissim inter se tres utebantur. Vide Proverb. apud Erasmum *Orci galea*; & Palæphatum Περὶ τῶν τοῦ Φόρκυν© θυγατέρων.

Grææ, mel. *Grajæ Alpes*, inter Sabaudiam sunt & Pedemontium, versus Augustam Præt. & Tarentasiam tractum, à monte Cenisio ad summum usque Penninum, vulgò *Monte Jove*; aliter *mons Bernhardi*, ubi Penninæ incipiunt.

Græcia, Europæ regio, olim omni disciplinarum genere excultissima (semper tamen levitatis, vanitatisque nomine malè audiens, de quo postea) Cic. *pro Flacco, Hæc cuncta Græcia, quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ plurimis artibus, quæ etiam imperio & bellicâ laude floruit, parvum quendam locum Europæ tenet, semperq; tenuit, Asiæ maritimam oram bello superatam cinxit urbibus*. Hæc à Ptolemæo *Achaia* nominatur. Principium sumit ad meridiem ab Isthmi Corinthiaci angustiis, indeque ad septentrionem in Thessaliam usque & partem Ægæi maris extenditur. Ad occasum Acheloo fluv. ab Epiro dirimitur. Ab ortu Solis habet mare Ægæum, quâ parte Sunium eo abluitur. Scinditur in multas regiones, quas olim optimè descripsit Pausanias. Vide Ubbonis Emmii *Græciæ veteris descriptionem*. Utinam verò doctissimi Palmerii *Græciam antiquam* videremus. Faxit Deus misericors & omnipotens, ut opus illud expectatissimum ac utilissimum in lucem dare & publicare possit vir doctissimus, & in auctoribus antiquis emendandis planè divinus, LLoyd. Dicta primò *Hellas*, ab Hellene, Deucalionis ac Pyrrhæ fil. dein *Græcia* accepit nomen à Rege *Græco* dicto, Cecropis successore, qui Atticæ tantùm imperavit; Verùm hæc ipsa vox non semper eodem significatu sumta est. Primò enim Thessaliam solùm & Helladem, seu Græciam propriam comprehendit: dein Epirus, Macedonia, & quidquid ibi insularum est, *Græciæ* vocabulo contineri cœpit. Ulterius *magnæ Græciæ* nomen, de qua infra, Siciliæ & parti inferiori Italiæ datum est, imo & in propinquæ Asiæ continentem se extendit, quæ Græcia Asiatica, sub qua Mysia, Phrygia, Æolia, Jonia, Doris, Lydia & Caria, dicta est: Sic Græcia ab Or. mare Ægæum, à Mer. Creticum, ab Occ. Jonium, & à Sept. montes Marianos limites habuit. Baudrando *Græcia*, cùm latè sumitur, continet *Græciam veram* & regnum Macedonicum, ubi Macedonia, Thessalia, & Epirus; sed strictè sumpta, continet tantùm *Græciam veram* seu *propriam*, ubi Achaia, seu Hellas, Peloponnesus, & insulæ. Provinciæ Achaiæ fuere Ætolia, Attica, Bœotia, Phocis, Doris, Locri, & Megaris. Provinciæ Peloponnesi fuere Achaia propria, Arcadia, Argia, Corinthia, Elis, Laconia, Messenia, & Sicyonia. Insulæ Græciæ sunt Cephalenia, Corcyrus, Creta, Cyclades, Cythera, Delos, Eubœa, Zacynthus, & aliæ minores: & hæc de Græcia antiqua, in quâ Respublicæ duæ erant florentissimæ Atheniensis, & Spartana: Hæc postquam diu pro libertate res magnas gessisset, tandem fato & Romanis cessit: postea, sede Imperii Constantinopolim translatâ, *Græci* seu Orientalis Imperii, inprimis à quo Occidens Carolo M. subesse cœpit, fuit Theatrum. Notæ familiæ Angelorum, Comnenorum, Palæologorum, quæ Imperium hoc diu tenuerunt, & in quarum ultima ad interitum pervenit. Horum complures nomen *Porphyrogeneti* gesserunt, à *Porphyra*, loco, in quem concedebant Augustæ parituræ, quasi dicas in purpura genitos: nomen item *Novi Constantini* (prout apud vett. Reges Gothicos in Hispania nomen *Flavii* frequens erat) quo etiam in Annalibus Turcicis promiscuè appellantur, Vid. Leunclav. *Pand. Turc.* Tenuerunt & Latini aliquando hoc imperium, sub Balduino Flandriæ Com. eò promoto armis sociorum Venetorum, qui eodem tempore Archipelagi Insulas sibi subjecerunt. Ultimus Impp. Constantinus fuit Palæologus Dragoses XV. hujus nominis, vitâ & imperio exutus A.C. 1453. à Mahumete II. Turc. Imp. à quo tempore Græciæ veteris magna pars Lunam adorat. Græcia hæc recens à possessoribus Turcis *Romeli* dicitur; estque valde extensa. Continet enim Thraciam, vulgò *Romanie*, Macedoniam etiam sic dictam, Livadiam, *la Livadie*, quæ est Achaia antiquorum, & Moream seu Peloponnesum, cum insulis supradictis.

Græcorum metropoles in Europa, antiquioribus & majoribus asterismo prænotatis.

* Achrida, *Ochrida*, Macedoniæ.
Aegina, Atticæ insula, *Engia*.
Ænos, *Eno*, Thraciæ.
Anchialus, *Anchialo*, Thraciæ.
Apros, *Aprio*, Thraciæ.
Arcadiopolis, quæ & Bergulæ, Thraciæ, *Bergas*.
* Athenæ, *Setines*, Atticæ.
Athyra, Thraciæ.
Barna, Tiberiopoli juncta. Vide *Varna*.
Bergulæ, *Bergas*, Thraciæ.
Berrœa, *Veria*, Macedoniæ.
Bizya, *Vice*, Thraciæ.
Brysis, Thraciæ.
Bydena, *Vidin*, Mœsiæ superioris.
Byzantium. Vide *Constantinopolis*.
Chersona quid sit, non constat.
Christianopolis, olim Megalopolis, Peloponnesi, *Leontari*.
Christopolis, olim Neapolis, Macedoniæ, *Christopoli*.
* Constantinopolis, *Stamboul*, Thraciæ.
Corcyra, *Corfou*, in ora Epiri.
* Corinthus, *Coranto*, in Peloponneso.
Cypsella, *Capsilar*, Thraciæ.
Demetrias, *Dimitriada*, Thessaliæ.
Dercos, Thraciæ, *Delcon*.
Didymothichos. *Dimotuc*, Thraciæ.
Drusipara, *Misini*, Thraciæ.
Drystra, olim Tirista, *Drista*.
* Dyrrachium, *Durazzo*, Macedoniæ.
Euripus, & Chalcis, *Negropont*, Eubœæ.
Garella, & Gotthia, in Sarmatia, quid sit non constat.
Hadrianopolis, *Andrinople*, Thraciæ.
* Heraclea, seu Perinthus, *Heraclea*, Thraciæ.
Joannina, olim Cassiope, *Joannina*, Epiri.
Justiniana, eadem quæ Achrida.
Lacedæmon, *Musithra*, Peloponnesi.
* Larissa, *Larizza*, Thessaliæ.
Lemnos, *Stalimini*, insulæ cognominis.
Leucas, *Santa Maura*, Epiri.
Macræ, olim Panormus, Macedoniæ, *Macri*.
Madita, *Maiton*, Thraciæ.
Maina, olim Tænarum, Laconicæ, *Maino*.
Maronea, *Marogna*, Thraciæ.
Megalopolis, seu postea Christianopolis, in Peloponneso, *Leontari*.
Mesembria, *Mesember*, Thraciæ.
Monembasia, olim Epidaurus, *Malvasia*, Peloponnesi.
* Naupactum, *Lepante*, Ætoliæ.
Nauplia, *Napoli de Romanie*, Peloponnesi.
Nice, priùs Nicea, Macedoniæ, *Nice*.
Pagasæ, *Volo*, Thessaliæ.
Paronaxia, ex Paro & Naxo insulis, *Naxia*, maris Ægæi.
* Patræ, *Patras*, Peloponnesi.
Pharsala, *Farsa*, Thessaliæ.
* *Philippi*, *Filippo*, Macedoniæ.
* Philippopolis, *Filippopoli*, Thraciæ.
Phalla, & Bulla, cum Sugdæa, in Mysia.
Rhosia, postea Leopolis, Rutheniæ, *Luvov*.
Rusium, olim Topiris, *Rusio*, Thraciæ.
Sardica, *Sophie*, Thraciæ propriæ.
Selymbria, *Seliurea*, Thraciæ.
Serræ, olim Apollonia, *Serre*, Macedoniæ.
* Sophia, *Sophie*. Vide *Sardica*.
Scupia, *Scopia*, Mœsiæ superioris.
Thebæ geminæ, una Bœotiæ, *Stives*, altera Thessaliæ, *Zitoa*.
Theodosia, olim Tazus, *S. Theodosio*, metropolis Tauricæ, *Caffa*.
* Thessalonica, *Salonichi*, Macedoniæ.
* Trajanopolis, *Trajanopoli*, Thraciæ.
Varna, olim Dionysiopolis, Mysiæ, *Varne*.
Xanthia, Thraciæ, antè sub Trajanopoli.
Zichnæ, Macedoniæ, antè sub Serris, *Zichne*.

Pop. *Græci*, qui apud vett. *Achai*, *Achivi*, *Danai*, *Dolopes*, *Dores*, *Dryopes*, *Hellenes*, *Jones*, *Myrmidones* & *Pelasgi*, rei militaris & ingenii gloriâ fuere inclyti. Ab illis artes inventæ, scientiæ auctæ, leges primitus latæ sunt. Literatorum tantus apud eos numerus, ut unius prælii descriptioni trecenti Auctores vacaverint. Cecrops, Draco, & Solon Atheniensibus: Lycurgus Lacedæmoniis: Mantinensibus Nicodorus: Zaleucus Locrensibus, Cretensibus Minos, at quanti Viri, Leges dedere. Ipsi hinc Romani, missis Spurio Posthumo, Aulo Manlio & Publio Sulpicio, leges petiere. Armorum gloria non minor. Interim pessimè apud veteres audierunt, ob superstitionem, cui supra modum erant dediti; inventores ipsi penè omnis fabulosæ Gentilium Theologiæ: vini amorem, inprimis verò perfidiam. Euripides *in Iphigeniâ Tauricâ*: Πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν, *Nihil fidi novit Græcia*. Græcorum quoque vanitatem miris modis exagitat *Sat*. 3. Juvenalis. Idem *Sat*. 10.

——— Quicquid Græcia mendax
Audet in historiâ. ——— ———

Val. Flaccus *lib*. 8.

Te Græ-

—— Te Græcia fallax
Persequor. —— ——

Cic. *ad Quint. Fratr. Ep.* 1. *Græci fallaces, & leves, & diuturnâ servitute ad nimiam assentationem eruditi.* Virg. *Æn.* 2. v. 106.

Ignari scelerum tantorum, artisq; Pelasgæ.

Et infra v. 152. — *Ille dolis instructus & arte Pelasgâ.*

Græcæ lubricitatis suggillatio etiam in illis est, apud Plautum, *Asin.* 1. 3.

—— Quaq; volumus uti,
Græcâ mercamur fide. —— ——

Hoc est, præsenti pecunia opus est, nemo fidem nostram sequitur non magis quàm si Græci essemus. Apud Ausonium tamen *Græca fides* in adagio est pro certâ & indubiâ, cùm ait *Ep.* 10.

Non Pœnâ sed Græcâ fide.

Vid. ulterius Strab. Melam, Ptolomæum, Plinium, Ortelium, Brietium, Thucydidem, Xenophontem, Pausaniam, Diodorum Siculum, Justinum, Theophanem, Gregoram, Sabellicum, Phranzium, omnesque illos, quorum satis prolixam seriem Becmannus exhibet *in Hist. Orbis Terr. Civ.* c. 10. De lingua eorum, infrà in *Græcus*, de re Ecclesiastica in voce *Constantinopolis*, &c.

Græcia magna, reg. Italiæ ad oram sinûs Scylacei ac Tarentini, inter Brutios ad Meridiem, & Salentinos ad Bor. in longum extensa: cujus pars nunc in Calabriâ ulteriore, pars verò major in citeriore continetur. Ejus mem. Ovid. *Fast* 4.

Itala nam tellus Græcia major erat.

Subcisivam Græciam vocat Apuleius *in Apologiâ*. Cæterùm Magnæ, sive Majoris Græciæ nomine quid intellexerint veteres, non convenit inter authores. Strabo ait Italiæ partem, quâ de tractat *lib.* 6. & Siciliam eo nomine comprehendi. Plinius Italiæ tantùm partem, eamque multesimam: Ita enim scribit Italiam dilaudans: *Ipsi de eâ judicavere Græci, genus in gloriam suam effusissimum, quotam partem ex eâ appellando Magnam Græciam. Italia*, inquit, Servius, μεγάλη Ἑλλὰς *est appellata, quia à Tarento usq; ad Cumas omnes civitates Græci condiderunt.* Seneca *de Consolatione ad Alb. Totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, major Græcia fuit.* Athenæus *lib.* 12. Οὐχ ὀλίγοι δὲ αὐτῆς τὴν τρυφὴν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν τοῦ σύμπαντος τούτου κλίματος καὶ τὸ πλῆθος ἐγένετο τῶν ἀνθρώπων, διὸ καὶ μεγάλη Ἑλλὰς ἐκλήθη πᾶσα σχεδὸν ἡ κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις. De Ptolemæo non est obscurum, quid ille Magnæ Græciæ nomine complectatur. Vide & Festum. Baudrando fuit pars Italiæ meridionalis, sub qua Lucania, Messapia, & Brutii comprehendebantur, ubi nunc sunt Calabria citerior & ulterior, Basilicata, pars australis Principatus citerioris, terra Bariana, & terra Hydruntina, provinciæ regni Neapolitani, à mari Tyrrheno usque ad Adriaticum.

Græcina, Vide *Pomponia*.

Græcinus, altero nomine *Julius*, Senatorii ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque clarus. A Cajo Caligulâ M. Silanum accusare jussus, & quia abnuerat, interfectus est. Vide Senecam *lib.* 2. *de Benefic.* Scripsit de Re Rusticâ aut certè de Vineis, ut patet ex Columellâ *l.* 1. *c.* 1.

Græcium, seu *Gracium*, urbs probè munita, Stiriæ caput, ad Murum fluv. cum castro planè regio, ubi aliàs Archiducum sedes, de quorum familia V. in voce *Stiria*. 13. mill. Germ. à Vienna in Austr. 5. à Dravo fluv.

Græcostasis, qu. *Græcorum statio*, locus Romæ ante Curiam Hostiliam, & rostra substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad Senatum essent missi.

Græcus, nomen viri, unde *Græcia* dicta, & pop. *Græci*. Græcè Γραικοί, Aristoteles *lib.* 1. *Meteor.* Οἱ καλούμενοι τότε Γραικοί, νῦν δὲ Ἕλληνες. An à *Græco* quodam, Rege prisco? Porro Γραικῶν appellationem, etsi vulgus Græcorum respuit, poetæ tamen non sunt aspernati. Lycophron,

Γραικῶν ἀέλπτῳ ὦ πάλαι τοῦ χθ τύφης.

Vide Stephanum. Quis verò non miretur, Hesychio parum ista fuisse cognita? Is enim putat à Romanis Græcos esse appellatos, qui Ῥαικοὶ appellarentur sine Γ. Eorum lingua, jam usque ab originibus suis, in finitima regna Epiri ac Macedoniæ fuit diffusa. Mox in insulas propinqui maris Mediterranei, Cyclades, Eubœam, Carpathum, Rhodum, Cyprum: & ab Or. in Cretam, Corcyram, Zacynthum, Siciliam. Inde in Continentem egressa, litora maris Jonii ac Tyrrheni occupavit, novam, at Magnam Græciam molita, in Gallia quoque Massiliam condere ausa, ab Austro Ægyptum & Cyrenaicam peragravit, usque ad Syrtim maj. Nec terris tantùm, sed ipsis terrarum linguis inferri gestiit, pauperiem eorum copiâ suâ sublevatura. Ideo de Latio jam Varro prodidit, ipsum Græca fingere, cui & literas à Græcis allatas esse Plinius auctor est. Veteres quoque Galli omnia sua negotia Græco charactere consignasse leguntur, apud Strab. Imo ipsos Græcè locutos probant Joach. Perionius & Joh. Ricardus. Cambricæ linguæ cum Græca affinitatem, docet Sylv. Giraldus, ipse Camber & rer. Britann. scriptor. Quid ipsa Hebræorum lingua è Græca in usum suum transtulerit, V. apud Casaub. *in Athen. l.* 4. *c.* 24. Causæ tantæ amplitudinis, Græcorum commercia & coloniæ, quarum 60. sola Miletus emisit, 30. sola Sicilia accepit. Accessit Alexandri & successorum studium, quorum intererat non minus jura, quàm linguam suam subjectis gentibus dare: unde illa Alexandriæ, Antiochiæ, Ptolemaidis decantatissima venere nomina, & solum Seleucum in diœcesi sua 60. admodum urbes Græcas condidisse testatur Appianus. Recentior dein ætas novum ei incrementum attulit: Postquam enim Rom. Imperium sui quasi pertæsum Constantinopolim migravit, mandata Orienti & Illyrico, i. Syriæ, Palæstinæ, Ægypto, Asiæ, Ponto, Macedoniæ & Daciæ, è Græcia dari cœperunt. Interim unà cum Imperio gentis suæ defecit sensim, tandemque in eas redacta est angustias, ut hodie vix in quatuordecim Moreæ locis, inter Naupliam & Epidaurum, supersit, quorum incolæ *Zaconum* (pro Laconum) nomine noti, Græcè adhuc loquuntur, licèt haud juxta Grammaticos canones. Idem de alio, prope Heracleam, in Anatolia, testatur Bellonius. Loco autem cessit alibi, ex se natæ quidem, sed degeneri propagini, hodiernæ Græcæ linguæ, quæ ipsa rursus in varios ramos abiit, *Vulgarem* Græcam, τὴν κοινὴν vulgò dictam, *Dialectum Atheniensium*, quæ hodie omnium maximè barbara est, *Peloponnesiorum*, quæ purissima judicatur, *Zopelismum*, &c. de quibus omnibus, V. Crusium *in Turco-Græcia*, de prisca verò ista amplitudine linguæ Edvvard. Breervvoodum, *in Scrutinio Lingg.* &c.

Graes, Æoliensium pop. qui in Pario habitant. Steph.

Grai, pop. Macedoniæ, in Mysiæ confin. apud Strymonis fontes.

Græum, urbs parva, sed culta Burgundiæ Comit. ad Ararim, in tumulo, aliàs munitissima & castro firmata. Sed an. *1668.* à Gallis munitionibus castroque nudata. 6. leuc. à Dola in Bor. 9. à Divione in Ort. Vid. *Gradicum*.

Grafio, seu *Gravio*, vel *Gravius*, à Germ. *Grave*, Angl. *Greve* & *Reve*, propriè Judex est fiscalis; per translationem Comes, Comitisque Vicarius, i. Vicecomes, item Judex simpliciter, Præses, Præpositus. Apud auctores medii seculi *Exactor* sæpissimè nuncupatur. A' Comite accuratè loquendo sic distinguitur, ut Comes sit, qui gladio Comitatus cingitur: *Grafio*, qui ejusmodi Comiti est à vice, & à juribus Comitatus exigendis: hodiè tamen ambo vocabula pro uno eodemque sumuntur. De variis *Grafionum*, apud Anglos inprimis, speciebus, quales sunt:

Burgravius	Mergravius,
Centgravius,	Palantgravius,
Dingravius	Portgreve,
Gogravius,	Rheingravius,
Hundredgreve,	Seareve,
Landegravius,	Shiregreve,
Ledgrevius,	Thingrevius,
Margravius,	Trithingrevius,
Tungrevius.	

Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Gragus, mons, Vid. *Cragus*.

Grajacum, Vid. *Græcium*, cum quo idem est.

Graja Alpes, V. *Graæ*. Et *Grajus mons* ibid. *S. Bernhardi* dictus, ab opulento cœnobio, in quo peregrini excipiuntur.

Grajugena, Græci sic dicti sunt. Virg. *Æn.* 3.

Grajugenumq; domos suspectaq; linquimus arva.

Grajus, adjectivum, idem quod *Græcus*. Apud Lucret. *libr.* 1. *Grajus homo* ponitur pro Epicuro Græco. Ovid. *Met.* 13.

Est aliquid de tot Grajorum millibus unum
A Diomede legi. —— ——

Grammium, Cretæ urbs, cives *Grammitæ*, & *Grammitii*. Sunt & *Grammitæ* pop. juxta Celticam. Steph.

Grampius, Scotiæ mons ingens, illam in citeriorem & ulteriorem dividens, vulgò *Granzebain* dictus.

Granata nova, seu novum regnum Granatense, *nuevo Reyno de Granada*, regio ampla Americæ meridionalis, in mediterraneis, inter Popaianum & Pariam, cujus caput Fanum S. Fidei de Bogota. Vide *novum regnum Granatense*.

Granata nova, regio Americæ Septentrionalis, frigori valde obnoxia, unde crebræ in ea nives; Quæ causa est, quòd in ædificiis extruendis & hyemis asperitate velleribus domanda sint circumspecti. Certum autem frigoris indicium est, quòd nullæ ibi arbores frugiferæ, nec pomorum ullum ibi genus reperiatur. Tanta porro terræ planities, ut nec unicus uspiam mons ibi appareat, collibus tamen ac clivis hinc inde leviter sparsis; rara ibi volatilia, solius frigoris ut creditur causâ, tum etiam quòd montem nullum in propinquo habeant. Incolæ adeo itinerum ignari sunt, ut ne quid Orientalis vel Occident. sit Oceanus, ipsis constet. Ab eo tamen 150. milliaribus absunt, Franciscus Vasquesius. Baudr. *Granata* nova, seu novum regnum Granatense vel Mexicanum, *nouveau royaume de Grenade*, regio Americæ septentrionalis sic dicta, & recèns detecta. Vide *nova Granata*, & *novum regnum Granata*, seu *novum regnum Mexicanum*.

Granata, vulgò *Grenade*, opp. Gall. in Aquitania, ad Garumnam fluvium, in Gaurensi Comitatu, 3. leuc. infra Tholosam in Boream Verdunum versùs.

Granata, vulgò *Granada*, urbs nova Americæ septentr. in Nicaragua provincia novæ Hispaniæ, versùs mare Austrinum, & juxta lacum Nicaraguam, sub Hispanis.

Granata, vulgò *Grenade*, ins. Americæ septentr. & una ex Antillis

tillis versùs austrum & Americam merid. tendens, ab Hisp. aliàs sic dicta, inter ins. S. Vincentii ad Bor. & insulam Tabaci ad ortum, sub domi- Francorum à paucis annis. Ejus longitudo est 10. leucarum, & latitudo ferè totidem.

Granatense regnum, *Reyno de Granada* Hispanis, pars Hispaniæ meridionalis, sic dicta à Granata urbe primaria], quæ olim *Illipula magna*, vel ut alii volunt, *Illiberis* dicta est, ubi Reges Maurorum ultimi diù viguerunt: è quibus Regem interceptum Petrus Castellæ Rex, filius Alphonsi, trucidavit, A. C. 1350. Mariana *de rebus Hisp.* sed tandem ex eo regno dejecti fuere à Ferdinando primo; qui Mahometem Boabdelinum, cognom. *Chiquito* seu parvum, Muley Assenis filium pepulit, imperio Maurorum in Hispania fine imposito, A. C. 1492. à quo tempore minus populosum opulentumque regnum esse cœpit: Rebellio postea in hoc & Andalusiæ regno, à nomine Christianis, animo Mahometanis, ob inquisitionem introductam, & asyla adempta, creato sibi Rege Ferdinando Valorio, per Johannem Austrium, intra biennium, rebellibus devictis, à Philippo II. composita est, A. C. 1571. Thuan. *Hist. lib.* 48. & postea omnes Mauri illinc expulsi à Philippo III. ideoque totus hic tractus fere desertus. Habet ab occidente & septentrione Vandalitiam, ab ortu regnum Murciæ, & à meridie mare Mediterraneum. Ejus urbes sunt Granatum, *Granada*, Acci, *Guadix*, Basti, *Baza*, Malaca, vino suo celebris, Arunda, *Ronda*, & Almeria, *Almeria*, quibus Mundam addit Morerius, victoriâ J. Cæsaris contra Pompejum obtentâ inclytam. Vid. Turquetum.

Granatum, quod *nova Illiberis* dici potest, urbs Hispaniæ Bæticæ amplissima, & ob salubritatem aëris, fontiumque copiam, æstivo tempore, commodissima: unde Mauris Paradisus, in illo cœli climate esse creditus, apud Illiberim urbem excisam, archiepiscopalis, & regni Granatensis caput, ab Hispali 36. leucis in ortum distans. Ab obsidione Johannis II. Castellæ Regis liberata, 12. mulis, quorum quilibet ficubus, quibus aurum inclusum, oneratus, summissis, postea anno salutis 1492. ab Hispanis, victis Mauris, recepta, ab Alexandro VI. Pontifice Maximo metropolis creata est. V. *Illiberis*. Academia est, & conventus juridicus, inter alios secundum sibi locum vendicans. long. 17. 10. lat. 37. 30. Baudrando *Granatum*, seu *Granata*, vulgò *Granada* Hispanis, *Grenade* Gallis, urbs est perampla Hispaniæ, in regno cognomine, ad Darum fluvium; estque divisa in quatuor partes, quarum prima Granata, secunda Alhambra, ubi palatium regium, tertia Alvesim, & quarta est Antiquerula. Aliàs ejus circuitus erat 12. mill. pass. eratque cultissima & populosissima. Sed deficit in dies, ex quo illinc ejecti sunt Mauri sub Philippo III. Rege Hispaniæ. V. Marian. *l.* 3. *c.* 1. *l.* 24. 25. &c. Garibay *l.* 40. & L. Marium Siculum.

Grancejum, vulgò *Grancey*, castrum cum tit. Comitivæ: quod à fratribus, cum Duce Burgundiæ, obsessum, memorat Guil. Abbas Mon. S. Theodorici *l.* 1. *de Vita Bernardi c.* 3.

Grandimontium, seu Grandis mons, *Grandmont*, cœnobium amplum Galliæ, in provincia Lemovicensi, caput Ordinis Grandimontensis, fundati à S. Stephano Abbate, qui obiit anno 1056. Distat 6. leucis à Lemovico in Cæciam. Baudr.

Grandis, oppidum seu pagus Galliæ Belgicæ, in Lotharingia, circa Tullum urbem.

Grandisilva, locus Septimaniæ in diœc. Tolosana, magnæ silvæ adjacens, veteri Monast. *Grand'selve* insignis. Sic *Grandis campus*, unus è 45. Prioratibus Cluniaco subjectis. *Grandis mons*, unde Ordini cognom. origo A. C. 1076. &c. *Grammont*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Grandis Vallis, in Raurica, ubi Monasterium *Monster in GranValt*, à divo Germano, Optardi viri apud Treviros nobilissimi filio, erectum: qui & supra Telamontium angustias eas, per quas Birsa prope *Rennendorff* cautibus exasperata exit, patefecisse dicitur. Ibi dein Bertha, Rudolfi Jurensis vidua, An. C. 932. Canonicorum collegium instituit, qui hodie Telamontii habitant. Distat Basileâ 5. mill. Soloduro 2. V. Urstisium *Epit. H. Basil.*

Grandmontium, caput Ordinis à S. Stephano fundati, in diœc. Lemovicensi. an. 1076. Morer. *Dict. hist.* Vid supra.

Granduicus sinus, qui & Album mare, *Witte Zée*, teste Joanne Gotho, mare inter Corellios & Moschos: de quo Saxo Gramm.

Grani Palatium, Luithprand. & *Grani Thermæ*, & *Grani Aquæ* Reginoni & aliis. Vide *Aquisgranum*.

Graniacum, seu *Granianum*, Corsicæ promunt. Ptol. *Amanza* Pineto. Nunc *Capo d'Erbicara* Brietio. In Ora Occid. versus Austr. prope Portum Vet. longè ab Adjacio in Ort. & 15. mill. à Bonifacio in Bor.

Granicus, Bithyniæ fluv. pugnâ, quæ inter Persas & Alexandrum fuit, nobilis: in quâ sexcenta millia hominum Persarum cæsa, fugataque sunt ab Alexandri exercitu non majori 30. millibus peditum, & equitum millibus quatuor & quingentis. Non procul est à Cyzico. Vide Diodorum *l.* 17. Plutarchum, Curtium, Arrianum, & Justinum. Nunc *Granico*, in Propontidem fluit, medius inter Cyzicum ad Ort. & Lampsacum ad Occ.

Granionarium, Germ. urbs Ptol. *Bamberg* Petro Apiano. Sita est ad Moenum flu. *Gravionarium* habet Græcus codex.

Granius Marcellus, prætor Bithyniæ, à Quæstore suo sub Tiberio Majestatis postulatus, quòd sinistros de Tiberio sermones habuisset. Subscripsit Hispo & addidit statuam Marcelli altius quàm Cæsarum sitam, & aliâ in statuâ, amputato capite Augusti, effigiem Tiberii inditam. Qui tamen absolutus criminibus majestatis repetundarum causam dixit. Tacit. 1. 74. *Ann.*

Granius Martianus, Senator à C. Gracchio majestatis postulatus, vim vitæ suæ attulit C. Cestio, M. Servilio Coss. Tacit. 6. 32.

Granius Petronius, in Africa captus à Pompejano Scipione oblatam salutem respuit, milites Cæsaris non accipere sed dare consuesse salutem, respondens, & cum dicto se gladio transfegit, Plut. *Cæsare.*

Granius Silvanus, tribunus prætoriæ cohortis, per Subrium & Sulpitium in societatem conjurationis contra Neronem adscitus Tac. 15. 50. Post detectâ re quamvis absolutus suâ manu cecidit.

Granius, Arriano *Granus*, fluv. Susianæ, in sinum Persicum decurrens.

Grannona, vulgò *Garande*, vel *Guerande*, castrum Britanniæ min. promuntorio impositum, inter ostia Ligeris & Vicinoniæ. Hinc non multum abest vicus S. Nazarii *S. Nazere*, reliquiis hujus Martyris & vet. Monasterio insignis, ad Ligerim in pago Namnetico, non procul ab ostio fluvii, sive à vico Cruciaco *le Croisic*, Hadr. Val. *Not. Gall.*

Grannopolis, mel. *Gratianopolis*. Vid. ibi.

Gransonium, oppidul. Helvetiorum juxta lacum Novi Castri, olim sub Comitibus, è quibus Otto Episc. Basiliensis fuit, Anno Chr. 1306. bello Burgundico à Bernatibus & Friburgiis captum: mox receptum à Carolo Duce, postea iterum occupatum, subest ab eo tempore Bernatibus & Friburgiis, cum adj. Præfectura. Ibi d. 3. Martii victus Carolus, Burg. D. ultimus, thesaurisque suis exutus est, A. C. 1476. 1. leuc. à novo Castro in Austr. 3. à Friburgo in Occ. V. Stumpf. *de Pago Aventic. l.* 8. *c.* 14.

Granta, Angliæ opp. à Bedâ & Felice celebratum, ut Lelandus perhibet, qui addit illud à Britannis *Caergrant* à fluv. vicino dici. *Grantbridge* verò ab Anglis & Saxonibus à ponte ibidem constructo, nunc vulgò *Cambridge*.

Graptus, unus ex libertis Neronis, usu & senectâ, ab usque Tiberio, Principum domum edoctus, Corn. Sullæ eversor. Tac. *l.* 13. *c.* 47.

Grasidius Sacerdos, Prætorius, Albucillæ stuprorum minister, decreto Senatus in Ins. deportatus. Tacit. 6. 48.

Grassa, urbs parva Provinciæ, Episc. 3. leuc. ab Antipoli in Occ. 2. ab ora maris Mediterr. 7. à Nicæa in Occas. Ibi olim Deceates pop. Huc sedes Episc. Antipoli, ob prædonum incursiones, translata est. Proin inter Arelatensis prov. civitates olim ultima cùm esset, postea provinciæ Alpium Marit. est ascripta. Vid. Hadr. Val. *Not. Gall.* & Morerium *Diction. Hist.* vulgò *Grasse*.

Grastillus, urbs Macedoniæ, aliàs *Prastillus*. Steph.

Cratelea, Angl. *Graatanletre*, Concilio celebris in Anglia locus, an 928. habito. *Collect. Concil.*

Gratia, urbs Bithyniæ mediterr.

Gratiæ, vocatæ sunt à Latinis, quæ à Græcis *Charites*, aliorum parentum filiæ ab aliis scriptoribus creditæ sunt. Hesiodus in Theogoniâ illas ex Eurynome Oceani filiâ, & è Jove natas esse tradidit in his versibus,

> Τρεῖς δὲ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους,
> Ὠκεανοῦ κούρη πολυήρατον εἶδος ἔχουσα,
> Ἀγλαΐην, καὶ Εὐφροσύνην, Θαλίην τ' ἐρατεινήν.

Orpheus verò in Hymno quodam *in laudem Charitum* composito, non Eurynomes, sed Eunomiæ & Jovis filias esse ait, in his:

> Δεῦτέ μοι, ὦ Χάριτες μεγαλώνυμοι, ἀγλαότιμοι,
> Θυγατέρες Ζηνός τε καὶ Εὐνομίης βαθυκόλπου,
> Ἀγλαΐη τε, Θάλεια, καὶ Εὐφροσύνη πολύολβε
> Χαρμοσύνης γενέτειραι.

Alii Jovis & Autonoes illas filias esse tradiderunt, nominaruntque *Pasitheam, Euphrosynen* & *Ægialen*. Antimachus, antiquissimus poeta, illas Ægles & Solis filias esse censuit. Alii duas tantùm putarunt, *Clitan* & *Phaenam*. Alii *Auxo* & *Hegemonem*, ut ait Paus. *in Bœoticis*. *Suadela* etiam à nonnullis inter Gratias numeratur. Communior tamen sententia est, quòd tres fuerint, ut in hoc versu testatur Meleager,

> Τέσσαρες αἱ Χάριτες, τρεῖς δὲ γλυκυπάρθενοι Ὧραι.

Junguntur unà fere semper à poetis. Horatius,

> *Gratia cum nymphis geminisque sororibus audet*
> *Ducere nuda choros.*

Musæus, —— Οἱ δὲ παλαιοὶ
> Τρεῖς Χάριτας ψεύδονται πεφυκέναι ——

Pulchricomas vocat Homerus *Hymno in Apollinem*:

> Αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἐΰφρονες Ὧραι.

Horatius illas solvisse zonas inquit, zonâ autem vestitas eas fuisse innuit:

> *Fervidus tecum puer & solutis*
> *Gratiæ zonis, properentque Nymphæ.*

Hæ igitur cùm vestibus operirentur antiquitus, vel quia turpe esset aspectu nudas mulieres sine vestibus conspici, vel quia brumæ frigora formidarent, inciderunt in recentiores tanquam in latrones, à quibus spoliatæ sunt, & aufugere ex orbe terrarum coactæ, testante poetâ.

Ὤχετο μὲν Πίστις μεγάλη θεὸς, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη, Χαρίτές τ', ὦ φίλε, γῆν ἔλιπον.

Gratia Portus, *Haure de Grace*, urbs permunita, cum valida arce, in Norm. V. *Portus Gratiæ.*

Gratiana, Vid. *Gradiscia.*

Gratianopolis, urbs Gall. Narbon. Delphinatus caput, quam *Accusium* vocat Ptolemæus. *lib.* 2. *cap.* 10. Episc. est & Parlamenti à Ludovico XI. tum adhuc Delphino, A. C. 1453. erecti sedes, antiquitate & nobilitate, supra reliquas Galliæ Narbonensis: *Cularo* quoque in vett. Inscr. Eam Maximianus à Diocletiano in Gallias missus muniit, auxit postea, ibique præsidium locavit Gratianus Imper. unde novum urbi nomen. Primus Episcopus S. Dominicus Concilio Aquileiensi interfuit, Anno 381. cujus successores Principes Gratianopolitani dicuntur. In viciniâ Carthusia magna est & fons ardens. Vid. Cic. *ep. fam. libr.* 10. *ep.* 23. Duchenium, Chorerium *Hist. de Dauph* Sammarth. *Gall. Chron. tom.* 2. *pag.* 603. &c. Vulgò *Grenoble*. Sita est, ad Isaram fluvium ubi recipit Dracum amnem, in valle. Ep. sub Arch. Viennensi. Probè munita. 13. leuc. à Vienna in Ort. 7. à Mom. meliano in Afr. ad rad. montium. Parva sed culta & elegans. Baudr.

Imperatores & Viri illustres.

Gratianus, Valentiniani I. Cæsaris ex Severa fil. qui patri simul & Valenti patruo in Imper. successit, anno Christi 375. ingenio, facundiâ, modestiâ, castitate, fortitudine, zelo contra hæreticos, Priscillianistas inprimis & Arianos, inclytus. Theodosio in consortium Imperii ascito, Ausonium Consulem fecit. Vid. infra. Bello contra Gothos, & Alemannos, Galliam vastantes, felix: Pontificatus summi Ethnicorum dignitatem, ab Antecessoribus hactenus per Rationem statûs retentam, constanter recusavit. Tandem à Maximo quodam suo belli duce per insidias in Galliis interfectus, Anno 383. Præceptorem habuit in literis Ausonium Burdigalensem, quem tandem ad Consularem dignitatem Romæ perduxit. Aur. Victor *de V. Ill.* Amm. Marcellinus, *lib.* 27. *& seqq.* Marcellin. *in Chron.* Hieron. *ep.* 3. Ambros. *de obitu Valentis, & in Ps.* 61. Ruffin. *lib.* 2. Sozomen. *lib.* 7. Zosim. *lib.* 4. Auson. *in grat. act. pro Cos.*

Gratianus, pater Valentiniani, robore corporis præpollens. Vid. Aurel. Victor. *in Valentin.* Item, fil. Theodosii M. in juventute denati. Item, à Legionibus Rom. in M. Britannia, contra Honorium, Imperator dictus, mense pòst 4. ab iisdem occisus, electo Constantino Tyranno. Zosim. & Sozomen. *l.* 6.

Gratianus, monachus Bononiensis, Petri Lombardi Sententiarum magistri frater, decreta Pontificum Rom. in unum volumen primus congessit, juris Canonici conditor, circa A.D. 1189.

Gratianus, Vid. *Tatius.*

Gratidia, mulier Neapolitana unguentaria, & venefica, quam Horatius *Canidiam* vocat.

Gratiosa, vulgò *Graciosa* Lusitanis, *la Gracieuse* Gallis, insula est maris Atlantici, & una ex Assoribus insulis, parva & culta. 15. leucis Gallicis distat à Tertiaria in Boream; subestque dominio Regis Portugalliæ.

Gratis, libri nomen, qui in Academia Cracoviensi, contra Jesuitas prodiit, quo magnopere hi arguuntur, quòd dum se *gratis* docere simulent, bona Nobilium ac divitias ingentes, ad se pertrahant. Flammis jussu Regis datus: interim in Comitiis regni an. 1626. decretum, Jesuitæ Scholam suam in urbe Cracovia claudant & Academiæ illius loci in posterum molesti esse desinant. V. Cracoviensium *Epist. ad Lovan. in Mercurio Gallo Belg.* Lætum *in Comp. Hist. Univ.* &c. Eodem facit vox Passeratii, celebris Professoris Regii, in Academiâ Parisiensi, de iisdem: *Gratis* docent, *gratis* nocent.

Gratus, Præsul Carthaginensis, Zelo contra Arianos & Donatistas clarus. V. Athanas. *apol.* 2. Baron. A. C. 347. 348.

Gratus, nomine *Julius*, præfectus castrorum à Vitellianis vinctus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret: cùm fratrem ejus Julium Frontonem tribunum sub eodem crimine vinxissent. Tacit. *Hist. l.* 2. *c.* 26.

Graudentium, vulgò *Graudentz*, Prussiæ Polonicæ oppidum amœnum & munitum, ad Ossæ in Vistulam influentis ostium. Dicitur à Polonis *Grudzancz*. Distat 9. leucis à Torunio in Boream, & 11. à Mariæburgo in austrum. Arcem habet; diciturque etiam Grudentum.

Gravelina, vulgò *Gravelines* Gallis, *Grevelingen* Flandris, arx Flandriæ permunita, in ora littorali, & ad Agnionis fluvii ostia, medio itinere inter Caletum ad occasum & Dunquercam ad ortum, 3. leucis utrinque, & unâ à Burburgo. Capta fuit à Francis an. 1658. à quo tempore ipsis subest, pace ad Pyrenæos confecta. Vid. infra.

Gravenenga, prius *Novus portus*, Iperio, hodie *Grevvling* Flandris, Gall. *Graveline*, urbs est Flandriæ, ad Oceanum & ad Agnionem fluv. vulgò *Aa* dictum: condita à Theodorico Alsatio Flandriæ Com. circa A. C. 1160. V. Hadr. Valesium *Notit Gall.* & supra in voce *Gravelinga.*

Gravesinda, vulgò *Gravesend*, oppidum Angliæ, in Cantio, cum castro & portu ad Tamesis æstuarium, 5. milliaribus Anglicis à Roffa, & 14. à Londino in ortum.

Gravia, vulgò *Grave*, urbs Belgii, in Ducatu Brabantiæ, ad Mosam fluvium, 2. leucis à Neomago in meridiem, & totidem à Gennepio in occasum; estque permunita, & sub dominio Hollandorum à plurimis annis, in confinio Gueldriæ; Caput est regiunculæ adjacentis, dictæ *le païs de Cuik* Gallis, *Kuickland* Belgis, Cuicana regiuncula. 4. leucis distat à Buscoduco in ortum.

Gravii, pop. Hisp. Tarracon. in Callaicis. Silius Italicus *l.* 8.

Et quos nunc Gravios violato nomine Graium
Oeneæ misere domus. —— ——

Vide *Grovii.*

Gravina, urbs Apul. Peuc. in confin. Lucaniæ.

Gravionarium, seu *Bamberga*, quod V. ibi fuerunt aliàs Hermanduri pop.

Gravisca, Tusciæ pop. Ptol. *Monte Alto* Nigro. Ita autem dictus est hic locus ab aeris *gravitate*. Sic enim Virg. *l.* 10.

Et Pyrgi veteres, intempestæque Gravisca.

Sil. *lib.* 8. —— *Veteres misere Gravisca.*

Rutilius *in Itinerario,*

Inde Graviscarum fastigia rara videmus,
Quas premit æstiva sæpe paludis odor.

Strabo *lib.* 5. Ἀπὸ δὲ τῶν Κοσσῶν εἰς Ὠστίαν παραπλέουσι πολίχνια ἐστὶ Γραουίσκιον, καὶ Πύργοι, καὶ Ἄλσιον καὶ Φρεγηνία. Baudr. urbs episc. Hetruriæ excisa, ex cujus ruinis crevit Cornetum, urbs vicina, in colle, in prov. Patrimonii S. Petri, ad Martam fluv. qui paulo infra in mare Medit. se exonerat. V. *Cornuetum.*

Gravius, Accusatoris nomen, Tac. 4. 21. Item, alius prænom. *Aulus*, Eques Rom. Puteolis oriundus, à Pompejo, ad Dyrrhachium cæsus Cæs. *lib.* 3. *civil.* 71.

Grauna, vel *Graona*, vulgò *la Grone*, fluviolus Æduorum, Cluniacum, Brancidunum *Brancion* ac Firmitatem præterfluit, & prope Cabillonem in Ararim influit, supra Tinurtium, Hadr. Valesius *Not. Gall. in voce Cluniacum.*

Grauso, dux Cuniberti Italiæ R. cujus ut & Aldonis stratagemate, regnum sibi ab Alachi ereptum, recuperavit, A.C. 694. Paul. Diac. *Long. l.* 5. *c.* 40. 41. *& l.* 6. Sigonius *l.* 2. &c.

Gredonense castrum, *Greze*, nunc vicus ad radices montis, ab urbe ac monte Mimate non multùm distans. Huc Alamannorum metu urbis Gabalorum incolæ se recepere ol. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Gregoras, V. *Nicephorus Gregoras.*

Pontifices Romani.

Gregorius I. cognomento *Magnus*, erat natione Romanus, ex patre Gordiano, genus à proavis non solùm nobile, sed & religiosum ducens. A' Pelagio II. ad Mauritium Imp. missus, Apocrisiarium Ecclesiæ ibi egit, cum Patr. Eutyche, de Resurrectione, disputavit, Pelagii successor an. 590. non ordinatus, sive consecratus, antequam ab Imp. confirmatus, Gaulterio, quem V. Schismati, quod Episc. Mediolanenses, Istriani & Veneti fovebant, ob 3. capitum defensionem, sedando incubuit. Augustinum Mon. in M. Britanniam, ut ibi Evangelium doceret, misit, &c. A' Mauritio Imp. monitus, ut Johanni Jejunatori Constantin. qui se Patriarcham Univers. dixerat, obtemperaret, *Præcursorem Antichristi* illum esse, qui hunc sibi titulum sumserit, respondit; ipse se *Servum Servorum* primus appellavit. Præter alia Librum Jobi, quomodo juxta literam intelligendus, qualiter ad Christi & Ecclesiæ sacramenta referendus, quo sensu unicuique fidelium sit aptandus, per triginta quinque libros expositionis mirandâ ratione perdocuit. Alii quidem Pontifices, inquit Beda, construendis, ornandisque vel auro vel argento Ecclesiis operam dabant, hic autem totus ad animarum lucra vacabat. Luculentum quoq; testimonium de Gregorio perhibet Trithemius Abbas *lib. de Script. Eccl. Gregorius*, inquit, *Papa, vir in divinis scripturis eruditissimus, Theologus princeps, splendor Philosophorum, & Rhetorum lumen, vitâ & conversatione integer atque sanctissimus.* Egregium quoque de eo hoc est Platinæ encomium: *Is*, inquit, *non sibi, sed utilitati hominum, ac honori divino consulens, quem certè ob religionem & pietatem rebus omnibus semper antetulerat, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, atque omni ambitione & potentiâ, gubernacula Reip. Christianæ suscipiens ita vixit, ut usque ad tempora nostra neminem ex successoribus parem habuerit, nedum superiorem vel sanctitate vitæ, vel diligentiâ in rebus agendis, vel doctrinâ & scriptis.* Obiit an. 604. Episc. 13. Isidor. Hispal. *c.* 27. Sigebert. *c.* 41. Concil. 8. Tolet. *c.* 2. Joh. Diac. *in ejus vita.* Gregor. Tur. Aimonius, &c. Opera ejus Basileæ sæpius alibique, tandem 6. volum. Parisiis an. 1640. impressa.

Gregorius II. Rom. Constantino successit, an. 714. Longobardos terris ad Eccles. pertinentibus pellere annisus, habuit Concilium an. 721. contra matrimonia illicita, an. 726. contra Iconoclastas, ubi *Imaginum venerationem retinendam esse, ad excitandam languescentem multitudinis imperitæ memoriam*, statuit. Leonem Imp. quòd imagines non veneraretur, excommunicavit, populos sacramenti religione exolvit, Romanis in verba sua adactis, *Romam ducatumque Rom. à Græcis ad Pontifices Rom.* transtulit, Sigon. *l.* 3. prodigiosâ Tiberis inundatione Romam terrente. Cum Gallis fœdere inito, &c. obiit an. 731. Sirmond. & Anastas. *de vita Pontif.* Sigebert. *de Viris Ill. c.* 74. P. Diaconus, Onuphr. Ciacconius, &c. Quatuor epistolarum ejus superesse dicuntur.

Gregorius III. Syrus, Gregorio II. successit, Anno 731. Contra Luitprandum, Longobard. R. Caroli Martelli opem imploravit, Obiit An. 741. Varia ei scripta attribuuntur. Anastas. Sigebert. *de Vir. Ill. cap.* 76. Ciacconius, &c. Hic majori fervore, Synodo Anno 731. contra Legatum suum Gregorium coactâ, decrevit, *si quis posthac sacrarum imaginum venerationem abrogarit, sit extorris à corpore & sanguine D. N. J. C.* Sigon. *lib.* 3. Ei successit Zacharias.

Gregorius IV. Romanus, Valentini successor, An. 827. In Galliam transiens, Ludovicum Pium, cum filiis, reconciliaturus, frustra fuit. Festum omnium Sanctorum instituit. Obiit an. 843. sub Lothario, & Michaële, Theophili fil. Impp. Iidem. Eum excepit Sergius II.

Gregorius V. Germanus, prius *Bruno* dictus, ab Ottone III. Imp. substitutus est, Johanni XVI. An. 996. Cui oppositus à Crescentio Johannes XVII. Placentin. Episc. ab Imperatore pulsus est. Obiit Anno 999. Platina, Sigonius, *lib.* 7. Successor ejus Sylvester II.

Gregorius VI. prius *Gratianus*, an. 1044. Simoniae accusatus, ab Henrico III. Imper. substituto Suidgero, postea Clem. II. depositus est, Anno 1046. Obiit in Germania. Otto Frising. *in Chr.* Glaber, *lib.* 5. Guil. Malmesburius, *lib.* 2. *cap.* 13. Ciaccon. *Gregor. VI.* &c.

Gregorius VII. Tuscus, prius *Hildebrandus* appellatus, successit Alexandro II. an. 1073. quem secutus edixit, *Ne Laicus, cujuscunque conditionis, Investituram Ecclesiastici muneris conferret.* Vormatiae Synodo habitâ Necromantiae, adulterii, aliorumque scelerum accusatus & depositus, Henr. IV. Imper. indignè habuit, Lamb. Schafn. Sacerdotum conjugia inhibuit: de quo mira vide apud Sigebertum, Nauclerum, Schaffnaburg. &c. Anathema Henrico frustra supplici denuntiavit, surrogato ei Rodolpho, missâ ei coronâ, cum his verbis: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.* Sigebert. Vid. & Helmoldum *cap.* 28. sed infelix hic, dextrâ in praelio praecisâ, agnovit perjurii poenam. Cui substitutum Henricum Lucelburg. porta cum cardinibus avulsa, cum aliis, oppressit. Postea Henricus, Româ expugnatâ, Gregorium in mole Adriani obsedit, qui inde profugus, ope Guichardi Apuliae ducis, Salerni obiit, an. 1085. Vid. Ursperg. Bennonem Cardin. *in vita Gregorii*: Et de Coelibatu imperato, ejusque in Germania, Mediolani, ubi Guido Arch. Clericis uxores habere nihilominus permisit, unde *Patarini* orti & Anglia, remoris, V. Sigon. *l.* 9. Johann. Naucl. *Gen.* 36 Polydor. *lib.* 9. M. Chemn. *exam. de Coelibatu.* Hic cùm Epistolas decretales publicasset, orbi Christiano horrendam incubuisse pestem, quod alii melius Gregorio IX. tribuunt, refert Aventinus *Annal. Bojorum lib.* 7. Eum excepit Clemens Antipapa & hunc Victor III.

Gregorius VIII. Beneventanus, Urbano III. successit, an. 1187. mense 2. mortuus. Ei successit Clemens III.

Gregorius IX. prius *Hugolinus* appellatus, an. 1227. post Honorium III. Papa, sanguisugus & avarus, Fridericum II. Imper. quòd juramentum ab Italis posceret, excommunicavit, in Orientem profectum, Sultano prodidit, redeuntem duobus millionibus acceptis absolvit, à Romanis civibus, duce Hunibaldo, Româ pulsus, Regum Galliae opem imploravit. Franciscum, Dominicum, &c. Sanctis adjecit: consarcinator Decretalium epistolarum. Obiit centenario major, an. 1240. Aventin. *Annal. Boj. l.* 7. Matth. Paris. &c. Successit Coelestinus IV.

Gregorius X. Placentinus, prius *Theobaldus* dictus, post sedem biennio vacantem, de quo vid. scomma, apud Joh. Baleum, *lib.* 6. *in Gregorio* 10. Onuphr. *in Vitis.* Clementi IV. successit, an. 1272. Concilium 2. gen. Lugduni celebravit, an. 1274. quo Michaël Palaeologus, ut securitatem à Carolo Siculo redimeret, Ecclesiam Graecam Romanae subjecit; Graecis adeò indignantibus, ut Michaelem etiam sepulturâ privarent, Bulling. *de Conc. l.* 2. Porro, de reformatione Cleri actum, expeditio in Palaestinam decreta, ritus eligendi Pontificis constituti. Obiit reversus hinc, in Italia, an. 1276. Blondus, Sanutus, Onuphrius, &c. Successit Innocent. V.

Gregorius XI. priùs *Petrus Rogerius*, nepos Clem. VI. Gallus, successit Urbano V. an. 1370. Baldi olim auditor. Pacem inter Christianos conciliare, auxilia Armeniis contra Turcas summittere, &c. annisus est. Motus turbis Florentinis, quorum ope Romani nixi, Legatos Pontificios pepulerunt, sedem Avenione Romam, post 72. an. transtulit. Sed videns, fulmina sua à Florent. negligi, prae taedio mortuus, monuit priùs Cardinales, ne revelationibus amplius adjungerent fidem, quandoquidem *à Brigitta & Cath. Senensi deceptus, in Italiam, tam infausto omine remeasset.* Crantz. *l.* 9. *c.* 33. Sabell. *in Hist.* Mornaeus, *in Myster. p.* 1074. Platina & Ciacconius, *in vita ejus*, &c. Post eum Schisma an. 30. Vid. *Clemens VII.*

Gregorius XII. Venetus, priùs *Angelus Corarius*, successit Innocentio VII. tempore horrendi Schismatis: Ad unionem juramento obstrictus, cùm Papatum obtinuisset, ne audire quidem de Concordia voluit, unde Pasquillus. V. Theod. à Niem. *tract.* 6. *Labyr. c.* 29. Quod plurimi aegrè tulerunt, & Sorbona decrevit, *Ecclesiam Gall. nullo jure obstrictam esse, ut pecuniam Papa pendat, nisi in tribus causis*, Monst. *l.* 1. *c.* 67. Cùm ne sic moveretur, Cardinales secessione factâ, Pisis Concilio celebrato, an. 1409. tertium Papam, Alexandrum V. in theatrum produxere, cui mortuo Johannes XXII. successit. Sic triceps Ecclesia, cùm Benedictus XIII. interea Avenione sederet. Quo tandem cum Johanne in Conc. Constantiensi deposito, Gregorius ultro Papatum ejuravit, successorem nactus Martinum V. Obiit an. 1417 Iidem.

Gregorius XIII. Bononiensis, Pii V. successor, an. 1572. De laniena Parisiensi, supplicationibus indictis, triumphavit. Thuan. *l.* 53. Kalendarium vetus abolevit, novo introducto, plurima Jesuitis collegia in variis Europae regnis extruxit. Hiberniam Elizabetae subtrahere, Lusitaniam in se transferre, Belgas, omnium peccatorum veniâ illorum hostibus concessâ, debellare, Reformatos in Gallia prorsus exscindere, frustra annisus: Moscos Polonis reconciliavit, controversiam Melitensium Eq. cum Magistro composuit: à Legatis regulorum Japoniae, sub hac formulâ, *Adorando & coeli Regis locum in terris obtinenti magno & sanctiss. PP.* salutari se passus est, &c. Obiit an. 1585. aet. 83. statuâ marmoreâ à P. R. donatus. V. Thuan. *histor. passim.* Cicarell. *in vita ejus.* A. Rivetum, *in Jesuita Vap.* Ei successit Sixtus V.

Gregorius XIV. prius *Nicol. Sfrondatus*, Mediol. Urbano VII. successit, an. 1590. Hic in Concilio Tridentino, Episcopos gregi adesse semper debere, contra alios defenderat. Jam Papa Henr. IV. exhausto omni aerario, quod Sixtus collegerat, oppugnavit. Obiit 10. mense an. 1591. Thuan. *l.* 100. Cicarell. *in vita ejus.* Successit Clemens VIII.

Gregorius XV. prius *Alex. Ludovisius*, Bonon. Paulo V. successit, an. 1621. aet. 67. ex consilio foeminae quinquagenariae, quae pleraque sub ipso agebat, Regem Galliae adversus Hugonotas concitavit: *in* numerum SS. Ignatium Lojolam, Xaverium, &c. retulit. *Hisp. Jesuitas & Dominicanos*, acerbè de Conceptione B. Mariae disputantes coërcuit: cum Venetis, ob Graecos, dissedit, Imperatori contra Protestantes, Polono contra Turcas pecuniam summisit. Episcop. Parisiensem Metropol. effecit. Obiit an. 1623. Secutum est interregum an. 2. Successit Urbanus VIII.

Gregorius Antipapa, pulso Benedicto VIII. à quibusd. Romanis electus, sed hic ab Henrico Imp. restitutus est. an. 1013.

Viri illustres.

Gregorius, Cardin. Innocentio II. ab Anacleti II. factione oppositus, Rogerio Siculo electionem approbante, Victoris nomen assumsit. Mox, ope Bernardi, Innocentio se submisit. Bernard. *ep.* 320. Bar. an. 1138. Alius Antipapa, Vid. *Mauritius Burdinus.* Item, Patr. Antiochenus, an. 594. post Anastasium Sinaitam. Evagr. *l.* 5. *c.* 6. & *l.* 6. *c.* 23. Item, Alius post Anastasium II. an. 609. sedit an. 20. Item, Patr. Constantinop. post Josephum, sec. 13. Item alius, sec. 15. cui Gennadius Scholarius successit. Item, Metropolit. Amasiae, an. 1623. pulso Timotheo, ipse postea Rhodum ejectus. Item, Ep. Alexandrinus, Concilio Antioch. ab Arianis electus, saevus in Orthodoxos, Syn. Sardicensi pulsus, & paulo pòst Alexandriae occisus. *Socr. l.* 2. *Theodoret. lib.* 2. *Sozomen. lib.* 5. Item, auctor orationis, de Patribus Conc. Niceni. an. 325. sub Constantino Porphyrogennera, etiam Greg. Naz. vitam scripsit. Vossius. Item, Episc. Nicomediae.

Gregorius de Arimino, post Thomam Argentin. Generalis Augustinianorum. Scripsit in 4. libb. Sententiarum, Epistolas Pauli, Jacobi & de Usuris, &c. an. 1357. Trithem. *Cat.* Sixtus Sen. *Bibl. Sancta*, Sabellicus, &c.

Gregorius Avitius, Theologus, auctor plurium scriptorum.

Gregorius Baeticus, Episc. Eliberitanus, sec. 4. Osio se opposuit, contra Arianos scripsit, ab initio Luciferianos sectatus, Hieron. *de Scr. Eccl. c.* 105. Isidor. *de V. Ill. c.* 1. &c.

Gregorius Ben Elebri, Arabs, plurima scripsit.

Gregorius Bersmannus, Germanus, Psalmos Davidis carmine Lat. expressit, scholiisque Virgilium, Horatium, Lucanum, Ovid. & Ciceronem illustravit.

Gregorius Cairguentius, Benedictinus, historica quaedam scripsit. Simler. & Voss. *de H. L. l.* 2.

Gregorius Characondius, cognom. Niger, Hungarus, se divinitus, ad Turcas pellendos, missum commentus, paulo post luit imposturam. A. C. 1572.

Gregorius Cortesius, Cardin. Graecè Latinèque doctissimus. Spond. A. C. 1547.

Gregorius Haloander, seu Hoffmannus, JC. celebris scriptis. Melch. Adam. *in vita German.*

Gregorius Nazianzenus, Pater, Nazianzum in Cappad. cujus Episcopus erat, à militibus Juliani Ap. tuitus, eidem ob electionem Episc. Caesariensis restitit: Animi excelsi passim speciminibus editis. Ex Nonna, Pater Gregorii Theologi, Greg. Caesariensis & S. Gorgonae. Obiit an. 372. aet. 100. Episc. 45. Greg. *Theol. orat. funebr. patr.*

Gregorius Nazianzenus, Nazianzi in Cappadocia, Episcopo patre natus, primùm Sasimae, quae vilis Cappadocum civitatula: deinde Nazianzi Coadjutor Patris primùm, dein Patris ibidem successor, unde Mantuanus:

Praesule patre satus, nam tunc id jura sinebant,
Pastorale pedum gessit post funera Patris.

Tandem Constantinop. Episc. A. C. 379. dictus est *Theologus.* Cum Basilio

Basilio Athenis studuit. Ubi Julianum Apost. nosse ambo didicerunt, qui proin illos postmodum frustra in partes suas pertrahere nisus est. Basilium in Episc. Cæsariensi juvit, ab ipso postmodum Zasimorum Episcop. dictus, unde frigus aliquod. Dein Concilio Constantinop. jam hic Episcopus renuntiavit sponte, an. 382. in solitudine mortuus, an. 389. Floruit autem sub Valente Imper. & an. 11. Theodosii obiit, teste Hieronymo, qui cum 30000. versuum composuisse scribit. Opera ejus 2. vol. Græcè & Latinè, Parisiis impressa, an. 1609. in quibus V. T. argumenta tractat. *Pietas ejus*, inquit Erasmus, *propemodum ex æquo certat cum facundiâ.* Sed amat significantes argutias, quas eò difficilius est Latinè reddere, quòd pleræque sint in verbis sitæ. Tota verò phrasis nonnihil accedit ad structuram Isocraticam. Adde quòd de rebus divinis, quæ vix ullis verbis humanis explicari possunt, libenter ac frequenter philosophatur. Hic Basilio Magno, ut dictum, arctissima fuit necessitudine conjunctus, ac D. Hieronymum in Divinarum Scripturarum studiis auditorem ac discipulum habuit. *Apatria, quam non minus, ac Alexander Pellam, Cyrus Persas nobilitavit*, Nazianzenus: *à dogmatum sublimitate solus post Johannem Evang.* Theologus *proprio & peculiari nomine dictus*; *Consecratione matris*, Samuel: *Zelo fervente* Elias: *Vitæ auctoritate* Johannes: *divinâ humanaq; scientiâ* Moses *aut* Daniel: *Vineæ Domini spiritualis plantatione* Noe; *ille pacis arbiter, ille Christi mansueti & humilis discipulus*, Martyr *sine periculis, sine vibicibus* Laureatus, Scriptor vitæ ejus. Græcorum Patrum μεγαλοφωνότατος, Montacut. Constantinopolitanam sedem ab Arrianis Episcopis repurgavit, Genebrard. Vide quoque Hieron. *cap.* 117. *de scr. Eccl.* Basil. *ep.* 141. Ruffin. *lib.* 2. Augustin. Socratem, Sozomen. Simonem Metaphr. Leonem Imper. *Const.* 88. &c. Ejus Testamentum Sirmondus, à Baronio editum, correxit. Morerius *Dict. hist.*

Gregorius Neocæsariensis, ob multitudinem signorum & miraculorum cognom. *Thaumaturgus.* Origenis auditor, immunis tamen ab ejus erroribus, clarere cœpit in schola Origenis, an. Chr. 223. tempore Alexandri Severi, factus dein in Ponto Episc. Cæsareæ, ubi & natus est. Interfuit Concilio Antiocheno primo, adversus Paulum Samosatenum, teste Eusebio: Synodo Ephesinæ contra eundem celebratæ, A. C. 266. Gualterio, ex Bar. & Gerardo. Obiit an. Chr. 266. relictis Neocæsareæ 17. solùm Idololatris, cùm 17. tantùm Christianos, initio illic reperisset. Vir Apostolicarum virtutum maximè compos, inter omnes Patres, Barthio. Opera ejus à G. Vossio edita, Moguntiæ, an. 1604. Prodierunt dein, unà cum operibus S. Macarii & Basil. Seleuciæ, Græc. Lat. fol. Parisiis, an. Chr 1621. Hieron. *de scr. Eccl. cap.* 65. Euseb. *lib.* 6. *c.* 23. *l.* 7. *c.* 13. & 25. Basil. *de Spir. S. c.* 29. & *ep.* 64. Socr. Theodoret. Ruffin. Evagrius, Suidas, &c.

Gregorius Nyssenus, Episcopus, An. 369. quem Græci honoris causâ *Patrem patrum* appellant, Divi Basilii Magni frater, natu minor. Academicis, ac Peripateticis disciplinis excultus, vir eloquentiæ nervosæ ac pressæ. Maritus Theosebiæ, Nicet. & Niceph. Callistus, *lib.* 11. *cap.* 29. & *l.* 12. *cap.* 13. A Valente in exilium pulsus, an. 370. septimo pòst anno restitutus est. In Conc. Oecumen. Constantinop. An. 381. Meletium Antioch. & Placillam, Theodosii fil. funebri oratione laudavit. Obiit an. 396. *Dulcis & illustris Ecclesiæ fons*, Leoni Imper. *Eloquentissimus & multiplici eruditione præstans*, Suidæ: *Vir eloquentiæ nervosæ ac pressæ*, Sixt. Senensi: *Dictione, si quis veterum alius, splendidus*, Photio *in Biblioth.* Opera ejus à Frontone Ducæo, edita, anno 1605. cui addita quædam, an. 1618. Basil *epist.* 43. Gregor. Nazianz. *Orat.* 6. & *in Epist.* Hieron. *de Script. cap.* 129. Socr. *lib.* 3. *cap.* 8. & 4. *cap.* 21. & 5. *cap.* 9. Sozom. *lib.* 7. *cap.* 10. Theodoret. *l.* 4. *c.* 28. Morer. *Diction. Hist.*

Gregorius Palcunas, Arch. Thessal. sec. 15. errorem Græcorum, de lumine increato, in monte Tabor, apparente, scripto defendit, refutatus à Barlaamo, &c. Gregoras *l.* 11. Cantacuzen. *l.* 1. Claud. Espenseus ex operibus ejus aliquid edidit.

Gregorius Pauli, Cracoviæ, Antitrinitarius infamis, sec. præt.

Gregorius, Protosyncellus Ecclesiæ Constantinop. i. primarius Patriarchæ Vicarius, ac successor, Concilio Florentino interfuit. Veterum PP. scripta varia collegit. An idem cum Gregorio Mammeno Melisseno? Obiit An. 1459.

Gregorius Reischius, Confessionarius Maximiliani Imper. Statuta Ord. Carthus. scripsit, Petrejus *Bibl. Carth. p.* 109.

Gregorius Rzehorz, Rokyzanæ ex sorore nepos, inter primos Unitatis fratrum Bohemorum fundatores recensetur: postquam in Pragensi cœnobio opinione sanctitatis celebris vixisset. Persecutione mox ingruente crudelissimè tortus, dolores adeò non sensit, ut carnifices obstupescerent, & ipse Rokyzana lachrymabundus adstaret, *fortunam cruciati suâ meliorem* dicens: Produxit vitam usque ad A. C. 1474. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Gregorius Sondereiterus, Germ. vitam Constantini ab Eusebio Cæsar. scriptam carmine expressit. Voss. *de Hist. Lat. p.* 705.

Gregorius Tiphernas, Medicus Italus, Poëmatum, & librorum aliquot Strabonis versorum auctor. Girald. *de Poët. dial.* 1.

Gregorius Turonensis, Arvernus nobilis, Arch. Turonensis post Euphronium, an. 572. In negotio Prætextati, Chilperico & Fregedondæ, magno animo restitit, Gregorii Magni amicitiâ inclytus. Obiit an. 595. Scripsit Historiam primorum Gall. Regum, libris 10. Item de gloria Martyrum, & Confessorum, Commentarium in Psalm. &c. Vide Sigebert. *cap.* 49. Hilduin. *in Areop.* Aimon. *l.* 1. *c.* 18. Voss. *de Hist. Lat. tom.* 2. *cap.* 22. & Morer. *Diction. Histor.*

Grentonis mansio, vulgò *Gratemesnil*, locus memoratus Orderico Vitali, *Hist. Eccl. lib.* 8.

Greo mons, *Puy de Griou*, mons est Galliæ celsissimus, in Petrocoriis, ab Aureliaco opp. 4. ferè leucis distans. Memoratur Odoni Abbati Cluniac. *lib.* 2. *de Vita S. Geraldi Com. Aureliacensis.*

Grestonia, reg. Thraciæ juxta Macedoniam. Steph.

Griet, oppid. Germ. infer. ad sinistram Rheni ripam. Metel.

Griffo, seu *Gripho*, fil. Caroli Martelli, ex Suanechilde, Lauduni obsessus à Fratribus, ope Pipini, secundogeniti fratris, liberatus est, & aliquot Comitatibus donatus. Sed ambitione compulsus, Saxones primò, dein Bavaros concitavit: Quibus victis in Aquitaniam se recepit, ad Gaifrum D. occisus an. 753. in Italiam transiens. Aimon. *lib.* 4. *cap.* 58. & *seq.* Otto Frising. *l.* 5. *c.* 21. Ado Vienn. *in Chron.* P. Æmilius, &c. Item, Flander, Franciscanus, à Sixto III. in Orientem missus, ad Maronitas montis Libani convertendos. Auctor itinerarii terræ S. Obiit an. 1475. Voss. *de Hist. Lat. l.* 1. Patr. Orientis à Calixto III. declaratus.

Grima, opp. Misniæ, ad Muldam fluv. 3. leuc. à Lipsia Misniam versus, sub Saxoniæ Elect.

Grimbergenses, triduano prælio, à Godofredo Lotharingiæ duce, anniculo, in cunis vagiente, superati sunt, A. C. 1144. Lætus *Comp. Histor. Univers.*

Grimpaldus, fil. Pipini, post eum Magister Palatii Austrasiæ, Ottone, Sigeberti tutore, per Leutharium, Alemannorum D occiso. Mortuo Sigeberto, fil. hujus Dagobertum tonsum, in Hiberniam ablegavit, cui cùm filium surrogaturus esset, cum illo ab Austrasiis Clodoveo II. traditus, & sublatus est. Aimon. *libr.* 4. *cap.* 35. & *seqq.* Fredegar. *cap.* 38. & *seqq.* Item, fil. Pipini Crassi, maritus Theodesindæ Frisiæ, Radbodi filiæ. A Rangorio occisus, an. 714. Item, D. Beneventi, post Aripertum, cujus filii convenire non poterant, Longobardorum R. An. 663. per an. 9. Arianismum ejuravit. P. Diaconus, *l.* 5. Sigon. *de R. J.*

Grimsula, mons Helvetiæ, *Grimsel.* Non longè à monte S. Gothardi, continuus est Furcæ, & sub Lepontiis quoque comprehenditur. Vallem Haselam, sub Bernensium ditione, à Vallesianis dividit. Per illum iter arduum admodum & difficile est, Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Antiq. & Nov.*

Grinario, vulgò *Knaringen*, opp. Vindeliciæ, non longè à Danubio, in Marchion. Burgaviæ, in Suevia, ad amnem *Carnlach*, vix 1. mill. à Burgavia in Occ. Ulmam versus.

Grinnes, Tacito *Hist.* 6. 10. in Batavis pop. quorum oppidum B. Rhenano *Grin.* Divæo & Junio *Rhenen*, in Holl. Geldriæque confin. ad Rhenum fluv. Aliis *Grüningen.*

Grinnicum, urbs Gall. Narbon. Vide *Grassa.*

Gripswaldia, seu *Gryphiswaldia*, urbs munita Pomeran. *Viritium* Ptol. Dimidia leuc. à mari Balt. cum portu satis commodo. Media inter Sundam ad Bor. & Volgastiam ad Ort. Academiam habet an. 1456. à Vratislao IX. Pomer. D. fundatam. Huc quoque à Sigismundo Imp. Rostochiensibus, ob tumultum, adversus Senatum excitatum, proscriptis, horum Academia in quinquennium translata, postea re compositâ Rostochio reddita fuerat. Sub Suecis ab an. 1631.

Grislerus eques, ab Alberto Austriaco, Rodolfi I. Imper. filio, missus in Helvetiam, qui Suitiis & Uriis præesset, Cussenaci, arce vetustâ, habitavit aliquandiu: mox Landenbergio, Underwaldiorum præfecto, ob tentatam matronarum pudicitiam, cæso, ut suos in officio contineret, prope Altorffum vicum, in colle *Solaturn*, arcem molitus est, quam *Zwing Ury under die stegen*, i. Jugum Uriorum, appellavit. Altorffi dein in foro, pileo petticæ prælongæ imposito, ac jusso, ut omnes capite nudato genibusque flexis pileum honorarent, populorum patientiam acrius tentare cœpit: Ædibus quoque apud Suitios Wernhero Stouffachero ereptis, & horum animos mirè exacerbavit: occasione Stouffachero sic cum duobus reliquis Helvetici fœderis primi Triumviris coëundi præbitâ. Interea apud Urios Wilhelmus Tellius, dum pileum stipiti impositum, nullo honoris signo exhibito magnanimus præterit, jubetur à Grislero, pomum in vertice filioli sui unicè chari eminus sagittâ dejicere, mortem ni id faceret minato. Paret duræ legi heros, & decusso feliciter pomo, cùm sagittam alteram thoraci insertam in Præfectum se torsurum fuisse, si puerum feriisset, interrogatus fateretur, vinctus navi imponitur, Cussenacum abducendus. Sed dum medio navigatur lacu, obortâ tempestate, solutus Tellius, ut navem gubernaret, eam adversus Suitiorum terram direxit, saxoque supra undas eminenti appropinquans, arrepto arcu, in illud desiliit, nave pedibus in fluctus repulsâ. Præfectum tandem ægrè in terram eluctatum, viâ inter Artam & Cussenacum, sagittâ confecit, anno 1307. Vide Simlerum, Stumpfium, &c.

Qui pressum quondam lusit, Grislere, popellum
Pileus, Helvetici fœderis ansa fuit.

Grisones, Germ. *Grawpündtner*, Gall. *les Grisons*, populi Germaniæ, intra Alpes,& ad fontes Rheni & Oeni, ubi aliàs Rhœti Alpini dicti, in Rhœtia. Tota regio montibus horret. Sunt autem sui juris, & post varia inter se fœdera Grisones tandem omnes sociati sunt anno 1471. & cum omnibus Helvetiis perpetuum fœdus percusserunt anno 1491. Grisones habent ad Boream partim Sueviam, partim Helvetios, ut ad Occasum, ad Ortum Comitatum Tirolensem, &;ad Meridiem dominium Venetum & Ducatum Mediolanensem. Illius regionis sunt sex partes, nempe Fœdus superius, *la Ligue Grise*, Germanicè *Oberpundt*; Fœdus Cathedrale seu domus Dei, *la Ligue de la maison Dieu* vel *la Cadée*, Germanicè *Gottespundt*, Fœdus decem jurisdictionum, *la Ligue des dix droitures*, Germanicè *Zehen-Gerichtenpundt*, & Grisonum subditi, nempe vallis Tellina, *la Val Teline*, Comitatusque Clavennensis & Bormiensis, *les Comtez de Chiavenna & de Bormio*. Vide *Rhæti*.

Grisonum Urbes.

Bormium, *Bormio.*	Magia, *Meyenfeld.*
Clavenna, *Chiavenna,*	Morbenium, *Morbegno.*
Curia, *Coire*, & *Chur.*	Sondrium, *Sondrio.*
Tiranum, *Tirano.*	

Grodna, vulgò *Grodno*, urbs est Poloniæ, in Lithuania & in Palatinatu Trocensi, ad Memelium fluvium, partim in colle & partim in planitie sita, cum arce in editiori loco: ubi sæpè celebrantur comitia Lithuaniæ. Capta fuit à Moschis anno 1655. & ab ipsis miserè vastata. 20. milliaribus Germanicis distat à Vilna in Africum, & 7. ab Augustovia; aliasque Ducatus titulo insignita.

Grœninga, sic lapis Romæ habet antiquus à Caroli Magni tempore, *Gruningen* & *Groeningen* Germ. *Groningue* Gall. urbs clara Germaniæ, ac Frisiæ Occidentalis primaria, episcopalis sub Archiepiscopo Trajectensi, sub Philippo II. Hispaniæ Rege & Belgii domino effecta, inter Levvardiam alteram Frisiæ urbem præcipuam ad Occasum, & Embdam urbem Frisiæ Orientalis in Ortum 7. leucis, à Monasterio urbe Westfalica 22. De ea *libro* 4. *Itinerarii*:

Non Amasis, qua numen habet, viridemq; Groningam
Dicemus, *&c.* Ferrar.

Baudrando urbs est ampla Belgii, provinciæ dictæ dominii Groningensis caput, inter Frisiam Orientalem ad Ortum, & Frisiam Occidentalem ad Occasum; sed non in Frisia provincia. Gaudet Academia paucis abhinc annis instituta, & subest dominio provinciarum confœderatarum Belgii, arcem habens permunitam. Vide *Groninga*.

Grolla, vulgò *Grol* incolis, *Grolle* Gallis, urbs Belgii uniti, in Comitatu Zutphaniensi, parva sed permunita, ad Slincam fluvium, ab Hollandis expugnata anno 1625. ipsis etiamnum paret. Est in confinio Westphaliæ, & ditionis Monasteriensis, 4. leucis à Zutphania in Ortum.

Groneburgum, vulgò *Groneburg*, nunc Tavastia, *Tavasthus*, locus præcipuus Tavastiæ provinciæ Finlandiæ, in Suecia, in mediterraneis. Vide *Tavastia*.

Gronelandia, seu *Terra Viridis*, pars est amplissima terræ arcticæ, supra Islandiam Insf. ab Erico Rufo detecta an. 982. Postea à Norvegis & Danis sæpe lustrata, versus oram littor. Cujus incolæ ex volucribus & ex piscibus vivunt. Hic mons est, qui velut Ætna continuò flagrat, ac lapides in modum favillarum emittit, qui quidem refrigerati optimi sunt ad muros conficiendos, sed si aqua asperguntur, calcem optimam præstant. Ibidem est fons fervidissimus, quo accolæ & præsertim Monachorum conventus ad coquenda cibaria utuntur. Locatur hæc insula an pars continentis Americæ Sept. inter circulum arcticum & polum mundi arcticum: nam Australissimus ejus parallelus est grad. 66. ferè, & Borealissimus paulò minus gr. 77. unde hic Zodiaci semper una pars supra Horizontem, & alia pars infra extat, quo fit ut continuam lucem habeant in medietate anni post introitum Solis in Arietem. Circa ingressum Solis in æstivo Tropico, medium insulæ tenentes habebunt diem duorum circiter mensium cum dimidio: qui verò extremam oram insulæ Borealem occupabunt, ii Solem videbunt, continuo circiter tribus mensibus cum dimidio. In reliqua verò anni medietate noctes in mensibus oppositis, æqualis magnitudinis cum diebus æstatis contingent. Habent itaque hi accolæ hyemem novem mensium, quo tempore nix maxima supra terram extat. Metel. Norvegis Danisque tributaria fuit. Episcopos etiam primitus institutos à Lothario Imper. operâ Canuti Vandalorum Regis, A. C. 1133. habuit aliquot per 4. secula, postea à Norvegis navigatio intermissa. Nunc ejus pars Austral. detecta fuit versus oram tantùm à quibusdam nautis Bassinio, Forbishero, Munchio, &c. sed nihil certi de ea dici potest. Baudr. Sanso *descr. Amer.* Pererius *tr. de Groenlandia*.

Gronia, urbs Phocidis, Steph.

Gronii, Hisp. pop. ad Durium amnem. Mela 3. 1. lege *Grovii*.

Groninga, vel *Grœninga*, & *Gruninga*, urbs ampla & inclyta Belgii, dominii Groningensis caput, à fundatore *Gruno* sic appellata, an. U.C. 374. Eum alii Trojanum, alii Francum Antenoris regis Franciæ fratrem fuisse existimant, qui domestici dissidii causâ fratrem relinquens in Occidentalem Frisiam devenit, & ibidem civitatem hanc suo nomine insignem ædificavit annis 377. ante Christi nativitatem. Nullis tunc muris cincta, sed propugnaculis ligneis, immissis in terram palis, fistucationibus quasi consepta fuit. Mœnibus autem, fossis, ac turribus contra hostiles insultus validè munita est An. Dom. 1110. Civitas nunc est opulenta, & frequenti populo instructissima, multis abundans aquis, arte in civitatem per canales deductis. Habet status, leges, dominium, & jurisdictionem peculiarem, cum multorum pagorum confœderatione, & arce permunita. Præcelsis templorum turribus, & magnificis privatorum hominum ædificiis inclarescit. Sub dominio hæreditario olim ducum Burgundiæ fuit. Hodie una ex Provinciis Belgii Confœd. An. 1672. frustra à Gallis, quibus Episc. Monasteriensis obsidioni præfectus militabat, defendente Rabenhauptio, Duce fortissimo, acerrimè obsessa. Sita est inter Frisiam Occid. ad Occ. & Or. ad Ort. Habet Academ. an. Chr. 1614. institutam. Vide de urbe hac prolixè disserentem, Hug. Grotium, *Histor. lib.* 3. ad an. 1594. quo à Mauritio Principe capta est. Sunt & *Groningenses* pop. in pago Tigurino. Simler. *de Helv.*

Grossetum, urbs Episc. Hetruriæ. Vide *Rosetum*.

Grotius Hugo, Batavus, patriâ Delphensis, seculi sui Phœnix. Syndicus Roterodamensis primùm: dein post turbas ab Arminianis motas & biennalem carcerem, ex quo uxoris fraude, eum in cista per ancillam efferri accurantis, liberatus est, legatus Suecicus ad Galliæ Regem: conscensâ Stockholmiæ nave, quâ Lubecam ferretur, cùm vehementibus per triduum jactatus procellis, facto naufragio, æger tandem ad Cassubiæ litora appulisset, paulo pòst Rostochii obiit, postquam à Joh. Quistorpio Theologo monitus, ut imploraret misericordiam Dei, subjecisset, *In solo Christo omnis spes mea reposita est.* An.C. 1645. cùm natus esset an. 1583. Scripsit plurima, inter quæ *in U. T. Annotationes in fol. Annales & Hist. Belg. De Jure belli & pacis, &c.* Heinsio *Virsummi judicii.* Dempstero *Criticus acutus & insignis.* Vossio *Non divinarum minus, quàm humanarum rerum scientissimus.* Voëtio *Dubiæ aut variatæ Religionis*, dicitur.

Grotkavia, urbec. Silesiæ sup. caput Duc. cogn. media inter Nissam ad Austr. & Briegam ad Bor.

Grotunni, Claudian. forte *Gothunni*.

Grotzuina, opp. Pomeraniæ. Metell.

Grovii, Hispaniæ populi, Mela *lib.* 3. *cap.* 1. ubi perperam *Gronii* vulgò dicuntur. Γρούιοι Ptolemæo. Remanet hoc nomen etiam hodie, in insulâ & promunt. ad ostium Ullæ fluv. sito, *Grove* enim vocatur. Confirmant hanc lectionem meliores Silii codices,

Quiq; super Grovios lucentes volvit arenas,
Inferna populis referens oblivia Lethes.

Sed & *alibi*,

Et quos nunc Grovios, violato nomine Grajûm,
Oeneæ misere domus, Ætolaq; Tyde.

Grubenhaga, opp. dit. Brunsuic. cum tit. Duc. versus montes, prope Leinam amnem, 3. leuc. à Gottinga in Bor. 4. à Corbia in Ort. Orsus est ramum *Grubenhagium*, seu Hertzbergium, Alberti Magni, Ducis Brunsuic. filius, Henricus cognom. mirabilis, cujus filius Henricus Jun. pater Ottonis fuit, mariti Johannæ Neap. Reginæ, an. Chr. 1378. qui Neapoli extinctus est, an. Chr. 1388. Fratrem Henricus Jun. Albertum habuit, cujus posteritas in Philippo an. Chr. 1596. defuncto desiit: ditione ejus adhuc spirantis ab Henrico Julio Brunsuicensi occupatâ, Thuan. *lib.* 115. Sed illam Lunæburgicis cum fructibus sumptibusque restituere filius ejus Fridericus Ulricus jussus est, an. 1617. Vide Phil. Jacob. Spenerum *Syllog. Geneal. Histor.*

Grudii, pop. Belgii, quorum urbs est Lovanium, teste Divæo, Leodio & aliis. Aliis autem, ut Martiano, est *Brugge*, urbs Flandriæ.

Grumentum, urbs episcopal. Lucaniæ mediterr. excisa, teste Barrio, Lagariæ urbi etiam excisæ propinqua, à Saponariâ oppid. haud valdè distans: ex quo errant qui *Groppoli* Grumentum indigitant, cùm *Groppoli* oppidulum sit in orâ sinûs Pæstani, Grumentum verò ad sinum Tarentinum situm sit. L. Holstenio nunc castr. *Agromento*, ad Acirim fluv. paulo supra *Tursi* opp. in Basilicata prov. regni Neap.

Grunduli, vel *Grundiles*, Lares, quos Romulus constituisse dicitur in honorem scrofæ, quæ 30. pepererat porcos. Cassius Hemina *Hist. lib.* 2. *Pastorum vulgus* (inquit) *sine contentione consentiendo, præfecerunt æqualiter imperio Remum & Romulum, ita, ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit, sus parit porcos triginta, cujus rei fanum fecerunt Laribus Grundulibus.* Diomedes *lib.* 1.

Gruno, dux Frisiæ, Sicambrorum regis frater, an. U.C. 375.

Gryllus, Xenophontis filius, qui pro patriâ fortiter pugnans, occubuit. Hujus laudes & Epitaphia multi scripsere. Aristot.

Grylus Chalcedonensis, vicit Olymp. 112.

Grynæus Simon, Veringensis, Theologus clarissimus. Primò Austriæ, dein Budæ in Pannonia docuit, ubi, ob Evangelii amorem, à Monachis accusatus, carcerem subiit. Inde nobilitatis Hungaricæ intercessione liberatus, Wittembergam, ut cum Luthero & Melanchthone olim condiscipulo ibi de negotio Religionis conferret, abiit. Pòst ad Græcas literas docendas à Ludovico Elect.

Palat. Heidelbergam vocatus est: inde Spiram excurrens, an. 1529. ut Melanchthonem, qui illuc ad conventum Spirensem, cum Johanne Saxon. Duce venerat, salutaret, colloquium cum Fabro Episcopo Viennensi habuit: quo finito cùm domum se recepisset, vixque mensæ adsideret, à venerando Sene è conclavi evocatus, & de lictoribus, Fabri impulsu, mox adfuturis, ad monitus, feliciter evasit. Eodem anno, annitente Oecolampadio, Basileam vocatus, Græcè in Academ. docuit, non omissa sacrarum rerum professione, quam in Epistolæ ad Rom. enucleatione commendavit. Britannicarum dein bibliothecarum amore, eò pertractus an. C. 1533. Erasmi nomine, obtulit Carolo Montioio Titi Livii volumen, quinque libris integris, quos Grynæus in Bibl. monasterii Laurissenii reperit, auctius. Redux an. Chr. 1534. Tubingam vocatus, Scholam & Ecclesiam ejus loci reformavit. Basileam biennio pòst reversus, adfuit Erasmo morienti: ad solenne dein colloquium Wormatiense proficiscentibus Melanchthoni, Capitoni, Bucero, Calvino, aliis συνεργὸς additus est. Peste sublatus obiit ibi an. 1541. *Fuit hic vir Latinè & Græcè excellenter doctus, in Philosophia & disciplinis Mathematicis diligenter versatus, nullo supercilio, pudore penè immodico & provehendis liberalibus studiis natus*, Erasmi, cui amicissimus erat, testimonio.

Grynæus Samuel, prioris fil. natus an. Chr. 1539. JC. Collegii Jurisconf. in Academia Basiliensi Antecessor, collega magni Basilii Amerbachii, Reip. Syndicus: 365. Doctorum in U. J. promotione inclytus. Ejus elogium exhibet Melch. Adami *in vita Jurisconsult. Germ.*

Grynæus Samuel, prioris ex filio Simone nepos, Theologus Basiliensis celeberrimus. Natus A. C. 1595. Abr. Sculteto ex itinere Alsatico & Helvetico redeunti Heidelbergam, comes additus, Procerum Palatinorum favorem meruit. Redux in patriam in Ecclesia Leonhardina Sacro Ministerio admotus, rerum Theologicarum scientiam incomparabilem in docendis publicè privatimque auditoribus, per annos 30. tanto cum successu, collocavit, ut ex ejus schola, velut Seminario quodam sacro, innumeri passim Theologi prodierint. Obiit an. Chr. 1656. ætat. 63. Plurima scripsit luce dignissima, quæ suo tempore edenda, fil. Johannes Pastor Franckendorffensis, inter cimelia sua servat:

Dum vixi, docui: multisq; ad sidera calle
Ostenso, clarum sidus in orbe feror.

Grynæus Thomas, Simonis ex fratre nepos, fide ac vitâ Theologus, bonarum literarum professor, Rœtelæ primus Evangelium docuit.

Grynæus Joh. Jacobus, Thomæ filius, Ecclesiæ Basiliensis Antistes, post Simonem Sulcerum, defunctum an. Chr. 1585. Bernæ Aventicor. A. 1540. natus, Basileæ docuit per annos complures. Inde A. 1584. Heidelbergam à Johanne Casimiro Elect. Palat. Administr. evocatus, de Eucharistiâ publicè cum Theologis Lutheranis disputationem subiit: Cujus iis successus, ut Professoribus Lutheranis dimissis, Georgius Sohnius, & Franciscus Junius in eorum locum surrogarentur, totusque Palatinatus Helveticam confessionem amplexaretur. Obiit Basileæ æt. suæ Climacterico undecimo. Scripsit plurima, in Sacros inprimis libros Enarrationes, Explicationes, Prælectiones, Hypomnemata, Commentarios Demonstrationes, Exegeses, &c. Dicere illum solitum, *Erasmum plus Papæ jocando nocuisse, quàm Lutherum stomachando*, refert Melch. Adami *in vita ejus*. Ei in sacra statione successit Johannes Wollebius.

Grynea, urbs Troadis. Steph.

Grynea, urbs Ætoliæ in confinibus Joniæ.

Gryneum, seu *Grynium* opp. Myrinæorum juxta Clazomenas, Strab. 13. in quo templum Apollinis, & lucus vaticinandi pervetustus. Templum autem candido marmore sumptuosum erat, in quo ipse Apollo colebatur, unde Apollo *Grynæus*. Virg. *Ecl.* 6.

Hic tibi Grynæi nemoris dicatus origo.
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.

Gryneus, nomen unius ex Centauris.

Gryphiswaldia, vide *Gripswaldia*.

Gryphius, lacus in Helvetia, ex quo & Fesino oritur flumen *Glat*.

Gryttus, famosus Cinædus Athenis, quem reum à Cleone peractum pop. morte adfecit. Vide Schol. *in Aristoph. Equit.*

GU.

Guadalaxara, vulgò *Guadalajara*, provincia Americæ Septentrionalis, in nova Galitia parte novæ Hispaniæ, inter provincias Zacatecas ad Boream, Mechoacanum ad Ort. & Xaliscum ad Occasum.

Guadalaxara, vulgò *Guadalajara*, oppidum Hispaniæ, in Castella Nova, Algabriæ tractus primarium, ad *Henares* amnem, 4. leucis à Compluto in Ort. & 9. à Madrito.

Guadalaxara, vulgò *Guadalajara*, urbs ampla Americæ Septentrionalis, in nova Hispania, in provincia Guadalaxara dicta. Est Juridica sedes illius tractus, sub Hispanis, 4. leucis Hispanicis distat ab ora maris Austrini in Boream, prope lacum cognominem; estque Episcopalis sub Archiepiscopo Mexicano. Extructa est an. Chr. 1521. à quodam è Guzmannorum familia, sedesque Episcopatus, quæ Compostellæ erat, illuc translata est an. 1606. Sita est in planitie amœna, fertili, ac pluribus torrentibus fontibusque irrigua: Centuplum aliquando hîc reddunt agri, A Costa *lib.* 7. Herrera *cap.* 11. *&c.*

Guadalupia, vulgò *la Guadaloupe*, seu *la Gardeloupe*, insula Americæ Septentrionalis, una ex Antillis, & ex præcipuis totius tractus, sub potestate Francorum ab anno 1635. Ibi multæ coloniæ & arces. Insula est valdè rigua & fertilis, Sacchari inprimis; habetque in circuitu 50. circiter leucas. Distat à Dominica 12. leuc. in Boream, & 6. à Marigalanta, 15. autem ab Antiqua insula in Meridiem. Ab antiquis illius tractus accolis vocabatur *Carucueira*. Sed Castellani novum illi indiderunt nomen ex occasione Guadalupiæ in nova Castella, quò ingens peregrinantium confluxus. In duas peninsulas divisa est, quarum illa quæ Or. spectat, dicitur *Magna Terra*, & vera est Guadalupia: altera quæ Merid. & Septentr. spectat, in plura territoria est subdivisa. Urbem habet satis cultam & tres arces in ora littorali. Vide Rochefort *Hist. des Antilles*, Mappeum *Palma fidei*, Sanson. *descr. Amer.*

Guadela, vulgò *Guadel*, urbs Asiæ, in Persia, in ora sinus Armuziani, cum portu frequenti & capaci, in provincia *Kherman* dicta.

Guader, opp. Britanniæ min. vulgò *Guer*, non procul à Monteforti, *Montfort la Canne*, loco civitati Redonum propinquo. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Guadicia, vulgò *Guadix*, urbs Hispaniæ Episc. sub Archiepisc. Hispalensi. Vide *Acci*.

Guagara, Regnum Nigritarum, incolarum multitudine dilissimum est, à Meridie cuidam regioni Argenous conjungitur, cui *Mederæ* nomen est, auri fœcunda. Natal. Metel.

Guajaquilum, vulgò *Guayaquil*, oppidum Americæ Meridionalis, in parte Boreali Peruviæ, in ora littorali maris Pacifici, cum portu capaci è regione Punæ insulæ. 50. leucis Hispanicis distat à Quito in Austrum.

Guaira, vulgò *Guaira*, provincia Americæ Meridionalis, quæ pars est Paraguajæ regionis, inter partem Austr lem Brasiliæ ad Ortum, & Paraguajam propriam ad Occasum. Ejus primaria urbs dicitur etiam Guaira seu Civitas regia, *Guaira*, seu *Ciudad real ò Olveros*. Sedet juxta fluv. Paranam, sub dominio Hispanorum.

Gualata, vulgò *Gualata* regnum Africæ in Nigritia, versùs Oceanum Atlanticum. Habet à Septentrione Zanhagam desertum, ab Ortu Tombutum regnum, & à Meridie Genehoam regnum.

Principes & Viri illustres.

Gualterus, Athenarum dux appellatus, 10. mensibus Florentiæ tyrannidem obtinuit, An. Dom. 1345. Blondus.

Gualterus, Archiep. Senonensis, inauguravit Euden Comitem Paris. post Carolum Crassum, Regem dictum: Rodolphum item Burgundiæ Ducem, obiit an. Chr. 923. San Marthan. *Gall. Christ. Tom. I. p.* 624.

Gualterus Brennus, gener Siculorum Regis, occisus an. C. 1202. Item Connestabilis Galliæ. Item Comes Joppensis, occisus anno Chr. 1244.

Gualterus Brugensis, Episcopus Pictaviensis, acer Hierarchiæ Ecclesiasticæ defensor. A Clemente V. depositus, præ mœrore vitam finiit, intra digitos schedam tenens, quâ à Papa ad Concilium proximum, indeque ad judicium ultimum provocavit. Circa annum 1304. Vide de sepulchro ejus an. 1604. aperto litem, apud Thuan. *Hist. lib* 131. Scriptorum ejus catalogum exhibet Trithemius. Vide quoque S. Antonin. 3. *part. Chron.* Swertium *Athen. Belg. &c.*

Gualterus Burlæus, Anglus, discipulus Johannis Duns Scoti, condiscipulus Guilielmi Occami, scripsit contra Magistrum. Gesner. *Biblioth.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c. ult.*

Gualterus Calenius, vide *Calenius*.

Gualterus Cancellarius, comes expeditionis sacræ, duce Godofredo Bullionæo susceptæ, scripsit res tum circa Antiochiam anno 1095. & 1119. gestas.

Gualterus de Constantiis, cognom. Magnificus, Archidiaconus primò Oxoniensis, Episcopus exin Lincolniensis, tandem Archiepisc. Rotomagensis factus est. Cum Philippo Augusto Gall. & Henrico Angl. Regibus in Orientem profectus, expeditionem memoriæ prodidit. Rigordus, Guil. Brito, Voss. *de Hist. Lat.*

Gualterus Coventrius, scripsit Chronicon Magnæ Britanniæ, Item de Anglo-Saxonibus, Annales Angliæ, aliaque. Anno Chr. 1226. Simler. *Biblioth. Gesner.* Vossius *de Histor. Lat. libr.* 2. *cap.* 58.

Gualterus Cornutus, Arch. Senonsis, scripsit historiam Spinæ sacræ: Obiit an. Chr. 1242. Albericus, Guil. Brito *Philipp. l.* 12. Sammarth. *Gall. Christ. Tom.* 1. *p.* 637.

Gualterus Disseus, Carmelita Anglus, Legatus Pontificis & tuba belli sacri, an. 1390. Ejus scripta recenset Trithem. *in Catal.*

Gualterus Excestriensis, Jacobita Anglus, scripsit vitam Comitis Guidonis. Balæus *Cent.* 10.

Gualterus Hemingfordius, Anglus, scripsit Chronicon Eduardi III. Historiam Angliæ, &c.

Gualterus Hunte, vel Vinantius, Carmelita Anglus. Ab Eugenio IV. in Angliam missus,ut ad Concilium Ferrariense, quod postea Florentiam translatum est, patres invitaret. Scripsit quæ inter Latinos Græcosque disceptata, aliaque Theologica & Historica: Comestoris inprimis Epitomen. Possevin. *Appar. sacr.* Gesnerus & Vossius *de Hist. Lat. lib.3. p.635.* Obiit an. Chr.1478. Petrus Lucius, *in Biblioth. Carmel.* Alios *Gualteros* vide apud Morerium *Dict. Hist.* Vossium, Balæum, &c.

Rodolphus *Gualterus*, Theologus Tigurinus, & Antistes: *Homiliasta celeberrimus* Thuano. Edidit lucubrationes in omni propemodum doctrinæ genere innumeras, Homilias inprimis in libros ferè omnes V. & N. T. Obiit A.C. 1586. æt. 68. Socer Josiæ Simleri. Vir hic, ut vitæ integritate, morumque gravitate & muneris ratione reverendus; sic eruditionis nomine colendus est, Verheiden. Vide & Melch. Adami,*in Vitis Theol. Germ.*

Guamanga, vulgò *Guamanga*, urbs Americæ Meridionalis, in Peruvia, media inter Civitatem Regum ad Occas. & Cuscum ad Ort. Episc. sub Archiepisc. Limensi.

Guanucum, vulgò *Guanuco*, oppidum Americæ Merid. in Peruvia, versùs lacum Chincacocham & fontes fluvii Xauxæ, ad pedes montium, sub Hispanis.

Guardastallum, sive *Guardistallum*, apud scriptores mediæ ætatis, postea *Vastalla*, & *Guastalla*, uti & vulgò dicitur, oppidum Galliæ Cispadanæ, ad citeriorem Padi fluvii ripam, medium inter Mantuam & Regium Lepidi, utrinque 18. mill. pass. distans, elegans, & minimè obscurum, à Ferrando Gonzaga Principe, & primo illius Duce, olim à Ferdinando II. Imperatore creato, auctum, novisque mœnibus septum, ac aliquot cœnobiis (in quibus unum pro Monialibus nuper magnificentissimè extructum est) exornatum, ita ut sola dignitas Episcopalis propediem illi conferenda desideretur. Hic sub Paschali II. Pontifice Rom. Concilium habitum est anno Virginalis partus 1116. ut in 2. P. Decretal. Gratiani *cap.16.* legitur.

Guardia, urbs gemina: una Lusitaniæ, in regno Portugallico, Episcopalis sub Archiepiscopo Vlyssiponensi, Igæditæ urbi excisæ, cui successit, propinqua, inter Cauriam & Lamacum 14. leucis, Viseo propior, 10. distans, vulgò *Guarda*: altera in Frentanis & Aprutio, sive in Comitatu Molisio, urbs episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, Anxano urbi finitima, inde 8. mill. pass. in Eurum distans, *Gardia Alferia* cognomine.

Guardia, vulgò *lac de Guarde*, lacus Africæ, in Nigritia, per quem transit Niger fluvius, inter regna Gagum & Canum.

Guarenna, seu *Varenna*, locus in Caletis, cum tit. Comitatus olim, à fluvio suo nomen nactus: vulgò *Varenne*. Hunc inter 9. Normanniæ fluvios cis Sequanam, Rotomago attributos, numerat Ordericus Vitalis *Hist. lib. 7.*

Guargala, regnum & desertum Africæ, in regione Biledulgeridis, cum oppido cognomine, inter Gademessam ad Ortum & Tegortinam ad Occasum, versùs montes & Zaharam tractum.

Guarimarus, Salerni princeps Northmannus, à suis interfectus An. Dom. 1049.

Guarimundus, Gallus, post Arnolphum, Patr. Constantinop. An.1118. Obiit an.1128. Guil. Tyr. *l.12.13.*

Guastecana, regio novæ Hispaniæ ad mare del Zur exposita, quæ parum fertilis est, unde incolæ inopiâ premuntur, & propterea piscatu ut plurimum vivunt, sunt tamen satis humani. Est in hac regione mons, in quo reperiuntur duo fontes, alter scilicet picis nigræ, alter verò picis rubræ ferventis. Duas hîc colonias Hispani habent, nempe Panuco, & D. Jacobi à Vallibus. Metel.

Guastum Amonium, *Guasto di Amone*, oppidum amplum Italiæ, in regno Neapolitano & in Aprutio citeriori, in ora littorali maris Adriatici. Unde Marchiones *del Vasto* dicti, è gente Avalo, prope ostia fluvii Trigni. Hîc operum antiquorum, sumptuosi inprimis prætorii, ac insignis theatri, monumenta visuntur. Dicitur & *Vastum Amonium.*

GuateVilla, vulgò *VateVille*, Guellebodo proxima, posita est ad ripam sinistram Sequanæ, contra Galidumbeccum, cum turre olim, contra piratarum incursiones. Prope silvam Brotonam, *Routot.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Guatimala, vulgò *Guatimala*, provincia novæ Hispaniæ, in America Septentrionali, juxta mare Austrinum ad Meridiem, per 150. leucas extensa. Habet ad Boream Honduram provinciam, ad Ortum Nicaraguam, & ad Occasum Soconuscum. Ejus primaria dicitur Guatimala, sub dominio Hispanorum, quæ ibi condita est An. Chr. 1524. & 1525. cum urbibus S. Salvatoris, Trinitatis, S. Michaëlis, &c. ignifero amne è proximo monte flammivomo defluentis, A.C. 1541. tantùm non subversa. Solum friget admodum, & terræ motibus frequenter quatitur: cæterùm balsami eximii, ambræ, bezoaris, salis, omnisque generis frugum inprimis ejus, quam *Cacao* vocant, fertile, Benzo *libr. 2. cap. 18.* Herrera *cap. 11.*

Guatimala, seu *Fanum S. Jacobi de Guatimala*, vulgò *Sant Jago di Guatimala*, urbs ampla Americæ Septentrionalis, in nova Hispania & in provincia Guatimala dicta, juxta fluvium Mitatajam, ubi conventus juridicus totius regionis, vix 15. leuc. Hisp. ab ora maris Austrini, estque Episc. sub Archiepisc. Mexicano.

Guaxaca, vulgò *Guaxaca*, provincia novæ Hispaniæ, in America Septentrionali, à mare Boreali ad mare Austrinum extensa, inter provincias Tlascalam ad Occasum & Chiapam ad Ortum. Planities ejus in quadrum formata est, cujus quilibet quadrans 75. leucas continet. Ejus primaria urbs est Anticaria, sub Hispanis, episcopal sub Archiepiscopo Mexicano. Reliquæ sunt opp. S. Ildefonsi, S. Jacobi & Spiritus S. præter 300. burgos & totidem vicos incolarum. Solum frugum, serici, auri, &c. fertile est: *Cacao* ibi monetæ vicem supplet, Herrera *cap. 10.*

Guba, vulgò *Guben*, oppidum Germaniæ, in Lusatia inferiori, ad fluvium Nissam, 5. leucis à Francofurto in Austrum & 4. à Cotbusio, sub dominio Ducis Saxoniæ Mersoburgensis.

Guber, vulgò *Guber*, regnum Africæ, in Nigritia, montibus altissimis cinctum, pagis compluribus pastoribus atque bubulcis inhabitantibus frequens. Natal. Metel. Cum urbe primaria cognomine, inter Guineam ad Austrum, & Nigrum fluvium, ac lacum Guardiæ ad Bor. teste Marmolio.

Guel, fil. Machi, princeps tribûs Gad. Num 13.

Gueldria, vulgò *la Gueldre*, una ex septendecim Germaniæ inferioris provinciis, Ducatus titulo clara, cujus pars Septentrionalis seu inferior ad Batavos spectat, Meridionalis verò seu superior, *le haut quartier de Gueldre*, ad Hispanos, cum Gueldria urbe primaria; estque valde extensa à Septentrione usque in Meridiem, nempe à mari Austrino usque ad Ducatum Juliacensem, sed non æquè lata: Ejus pars fuit aliàs Comitat. Zutphaniensis.

Gueldriæ urbes clariores:

Arenacum, *Arnheim*, sub Batavis.
Bommelia, *Bommel*, sub Batavis.
Elburgum, *Elburg*, sub Batavis.
Gueldria, *Gueldre*, sub Hispanis.
Hardervicum, *HarderVVick*, sub Batavis.
Neomagus, *Nimegue*, sub Batavis.
Ruremonda, *Ruremonde*, sub Hispanis.
Venloa, *Venlo*, sub Hispanis.

Gueldria, urbs Belgii, vulgò *Gueldre*, provinciæ cognominis primaria, ad Niersam amnem, media inter Rhinobergam ad Ortum & Venloam ad Occasum; estque egregiè munita, sub dominio Hispanorum, vulgò *Gelre* incolis; estque in Gueldria superiori.

Gueldria, arx Asiæ, in ora sinus Bengalæ, in India citeriori & in ora Coromandelis & regni Narsingæ, nuper ab Hollandis extructa & munita.

Guelferbytum, urbs Germ. cum arce munitissima, in Ducatu Brunsuicensi, sub proprio Principe: vulgò *Wolffenbüttel.* Lineæ hujus *Guelferbytanæ* sator Henricus fuit Magni fil. Dux Brunsuicensis: cujus fil. Wilhelmo sen. natus est Wilhelmus jun. pater Henrici sen. seu mali, qui *Guelferbytanum* ramum & Erici sen. qui Gœtingensem seu Calenbergium est orsus. Henrico mortuo an. 1514. successit fil. Henricus jun. otii & quietis impatientissimus: qui an. Chr. 1542. à Smalcaldicis universo Ducatu exutus, ad Bavaros fugit. Dein copiis reparatis, *Guelferbytum* obsedit, sed inde depulsus victusque in potestatem Mauritii Saxonis venit, libertate ejus, non nisi A. C. 1547. inter conditiones Hassi reconciliandi, à Cæsare impetratâ. Obiit an. Chr. 1568. Eum fil. Julius excepit, qui Evangelium in ditiones introduxit, Helmstadiensis Academiæ fundator, an. Chr. 1576. obiitque an. 1589. Pater Henr. Julii, qui A. C. 1596. Grubenhagiam successionem soli sibi asseruit, unde lis ei cum agnatis. Brunsuicum frustra obsedit an. 1605. Obiit an. 1613. Ei successit fil. ex Elisabetha Danica Fridericus Ulricus, qui an. Chr. 1615. pari successu Brunsuicum obsedit, in causa Grubenhagia condemnatus est, translationem Electoratus in Bavarum palam improbavit: desertus à Dano, qui fratri ejus Christiano Ducatum commisit, rediit ad Cæsarem, & *Guelferbytum* à Danis possessum Okkari inundatione per Pappenhemium domuit. Decessit A.C. 1634. ultimus sui rami. Successit ei agnatus ex linea Dannebergica, Augustus fil. Henrici Ducis Luneburg. nepos ex fratre Wilhelmi, cui Cellensis obtigit hæreditas. Augustus post sterile cum Clara Maria Pomerana matrimonium, egregiam sobolem sustulit, ex Dorothea Anhaltina quidem Rudolfum Augustum, & Antonium Ulricum: ex Sophia verò Elisabetha Megapolitana, Ferdinandum Albertum: Ipse supra omnes reliquos Germaniæ Principes ætate provectus, pietate, justitiâ & literis insigne nomen promeritus, obiit haud pridem. Curæ ejus opus est Bibliotheca *Guelferbytana.*

Guellebodium, vulgò *Quillebœuf*, vicus Galliæ ad Sequanam, in Oceanum properantem: hic Sequana altissimus latissimusque est. Incolæ, ut & naves eorum, *les Quillebois.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Guelphi, vide *Gibelini* & *VVelphi.*

Guenga, vulgò *Guenga*, fluvius Indiæ citerioris, oritur in regno Decani, versùs montes Gatæ, deinde per regnum Golcondæ labitur, & in sinum Gangeticum se exonerat.

Guenoricum, vulgò *Vignori*, locus Gall. in Bellovacis, ad amniculum, qui apud Bellum montem in Isaram fluit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Gueranda, vulgò *Guerande*, urbs Galliæ in Britannia minori,

&

& in Comitatu Nannetensi, versùs oram littoralem Oceani Aquitanici, inter ostia Ligeris & Vidanæ fluviorum, ubi salinæ, prope Crociliacum portum, & 14. leucis infra Nannetas in Occasum.

Gueretum, vulgò *Gueret*, urbs Galliæ, in Marchia Lemovicensi, ad fluvium Gartempam. 12. leuc. distatâ Lemovico in Ortum.

Guerinus, Eques Ord. S. Johannis Hierosf. Gallus. Sub Philippo Aug. & Ludovico VIII. Consiliarius, Cancellarius & Episcop. Sylvanectensis: In prælio, ad Bovinas, milites ad egregiè pugnandum hortatus. Obiit an. 1230 æt. 70. Rigord. *in Phil. Aug.* Guiliel. Brito *l.* 10. *Philipp.* Autevil. *hist de Minist.* Morerius. Item, Veronensis, Chrysoloræ discip. Venetiis & Ferrariæ docuit. Scripsit vitas Platonis & Aristotelis, quæ jam Plutarchi, cum Strabone, transtulit. Obiit an. 1460. Pater filii non minus docti. Leander Alberti *descr. Ital.* Joh. Philipp. Bergam. *l.* 15. P. Jovius, *in Elog.* Gesner. *in Bibl.* Voss. *de H.L. lib.* 3. Item, Dominicanus, Margaretæ Hungaricæ vitam contraxit, an. 1340.

Guerinus Montacutius, M. Magister S. Joh. Hierosf. Armeniorum Regi contra infideles subsidio venit, Andreæ quoq; Hungariæ R. contra hæreticos comes. Ejus tempore Damiata ab Equitibus capta. Obiit an. 1230. Hist. Melit.

Guerricus, vel *Guarricus*, Abbas Juniacensis, discipulus Bernhardi, obiit an. 1158. variorum scriptorum auctor, sed nihil superest, præter sermones quosdam, inter opera Bernardi, & in Bibl. PP. Trithem. *Cat.* Viselius, *Bibl. Cistert.*

Guetta vel *Gutta*, vulgò *la Guje*, proximus Crossæ fluv amnis in Burgundia memoratus vett. tabb. Patriciaci Monasterii, apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Geusii, Gall. *Gueux*, Belg. *Geusen*, nomen sec. præt. per probrum nobilibus Belgis, qui pro pace Religionis contra Inquisitionem fœdus inierant, à Barlamontio aspersum. Non minus postea nobilitatum, quàm *Protestantes* in Germania, & *Hugonots* in Gallia: quo cum amoesas fortunas fœderatis alii exprobarent, ipsi in honorem traxere, patum fausti nominis appellatione professi, fidem sibi in regem, ad mendicitatem usque constituram, An. 1566. divisi in terrestres & aquatiles *Geusios*, eadem irrisorum licentiâ, sed hi an. 1572. Brilâ occupatâ, Reip. Belgarum hodie florentissimæ fundamenta jecerunt, potentiâ Hispanorum toto orbe præcipuâ, divino auxilio, multùm labefactatâ. Vide Grotii *Annal.* Thuanum, Stradam, &c. *in Histor.*

Gugerni, vulgò *Guliers*, teste Rhenano, & D'væo, populi Germaniæ inferioris; quorum regio Juliac. Ducatus & urbs Juliacum, inter Coloniam Agrippinam 6. & Trajectum ad Mosam 7. leucis. Vide ibi. Ferrar. Baudrando populi fuere juxta Rhenum fluvium, infra Coloniam, postea Sicambri dicti, teste Cluverio; erantque ubi nunc Cliviæ Ducatus. Nominis vestigium idem Cluverius superesse dicit, in oppid. *Goch*, ad ripam Nersii amnis, infra oppidum Gelram 13. mill. pass. Tolbiacum vicum *Gugernorum* fuisse, opinatur Valesius *Notit. Gall.* V. Tacitum *l.* 4. *cap.* 26. qui quoque *Cugernos* habet, fortè scriptura tantùm diversos. Sic in Itin. Anton. Tolbiacum vicu Gugernorum, de quo supra.

Gujana, vulgò *Gujane*, provincia Americæ Meridionalis, quæ à quibusdam Guajana dicitur. Est in mediterraneis, versùs lacum *Parime*, ad Austrum provinciæ Caribanæ. Ibi nullæ Europæorum coloniæ. Sunt tamen qui illam extendant ad oram Caribarum juxta mare Boreale, inter ostia fluviorum Amazonum & Orinoci, ubi quædam coloniæ. Ab Hollandis enim, Anglis, Gallis, & Hispanis, littoralis ejus pars frequentari solet. Sanso illam 400. leucis longam, 150. latam refert, *descr. Amer.*

Gujardi Villa, vulgò *Guierville*, sita in Lexoviensi diœcesi Galliæ, Hadr. Valesius in voce *Excalfurnum Lexoviorum*.

Guicciardinus Franciscus, Florentinus, Leoni X. Adriano VI. & Clem. VII. gratus, auctor historiæ sui temporis. Obiit an. 1540. Joh. Bapt. Adrianus, amicus ejus, illam continuavit libb. 22. Possevin. *Bibl. selecta*, *l.* 16. *c.* 41. Item Ludovicus, Belgicam descripsit.

Imperatores & Reges.

Guido, fil. Lamberti, Ducis Spoletani, post Caroli III. Crassi mortem, Imperator, ita cum Berengario D. Foro-Julii, convenit, ut hic Italiam, ille Galliam obtineret. Sed nimium cunctatus, faciem interea rerum ibi mutatam vidit, & ipse cum Berengario collisus, illum bis prælio vicit. Ab Arnolpho, filio Carolomanni, qui in Gallia Imperator proclamatus erat, Lombardiâ totâ pulsus, Spoletum se recepit. Reparaturus vires moritur sanguinis effluvio, an. 894. Luitpr. *l.* 1. Otto Frising. *l.* 6. *c.* 10. *& seqq.* Leo Ostiens. *l.* 1. *Chron. Cass.* Sigonius *lib* 3. Aventinus *l.* 4. *&c.*

Guido Lusignanus, Hierosolymorum rex, A.D 1184. Maritus Sibyllæ, Regis Almerici filiæ; Hierosolymis, & totâ fere terrâ sanctâ à Saladino pulsus. Titulo regni Richardo Anglo, pro Cypro Insf. vendito, quam posteri ejus tenuerunt, usque ad an. 1473. Obiit an. 1194. Pater 4. filiorum, qui in obsidione Acræ mortui, successorem habuit fratrem Emericum. Guil. Tyrius, *l.* 12. *&* 15. Sanut. *l.* 3. *par.* 10. *c.* 8. *p.* 201. Hist. Lusiniana.

Guido Lusignanus, Cypri rex, A.D. 1191. Idem cum priore.

Viri illustres.

Guido I. Gallus, cogn. Carthusianus, 5 Gen. Ordinis hujus, Bernardo charus. Obiit an. 1137. Item,

Guido II. cogn. Anglus, obiit an. 1188. Vide Morer. *Dict. histor.*

Guido, Perpiniano oriundus, Gen. Ordinis Carmelit. de Hæresibus scripsit. Obiit Avenione, an. 1330. Idem.

Guido Ambianus, fil. Gualteri II. Comes & frater Fulconis Episc. huic successit, an. 1058. Poëmatis, inter alia, de Anglia à Guil. Conquestore devicta, auctor. Obiit an. 1076. Guil. de Jumieges, *lib.* 7. *Hist. de gest. Norm. cap.* 44. Orderic. *Hist. lib.* 3. Vossius, &c.

Guido Aretinus, Vide ibi.

Guido Bastius, Rosarii, seu Commentarii in lib. Decret. Gratiani; & in 5. libb. Decretal. Gregorii IX. auctor. Aliàs *Basius*. Trithem. *de scr Eccl.* seculo 13.

Guido Bonatus, Forojul. Auctor Theoricæ, Planetarum, & Astrologiæ Judic. Venetiis impressæ, an. 1506.

Guido Cavalcantius, Florentinus, eruditione clarus, an. 1300.

Guido Columna, Siculus, Eduardi I. à sacra expeditione reducis in regnum comes. Auctor Chronici libb. 36. Item historiæ de Regibus Angliæ. An. 1287. Simler. *in append. Bibl. Gesn.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *p.* 491.

Guido Cremensis, Octaviano defuncto, Imperatoris jussu in Papatu est suffectus. An. D. 1164. Blondus. V. *Paschalis*.

Guido du Faur, Pibraci Dom. muneribus, legationibus ad Concil. Trid. & in Poloniam, scriptis item inclytus. Thuan.

Guido Ferrariensis, Dominicanus, Auctor Margaritæ Bibliorum.

Guido Flonocherus, Narbonnensis, auctor Chronici, obiit anno 1352. Gen. Dominicanorum. Simler.

Guido Grossus vel *Crassus*, vide *Clemens IV.*

Guido de Montlehert, dictus *Rupifortius*, cogn. Rufus, Minister status, sub Philippo I. qui familiæ hujus aversum à se animum sanaturus, Philippo filio suo Bertradam Guidonis dicti Troussilli, nepotis Ministri sui, filiam uxorem dedit. Reversus è Palæstina, Guido Lucianam filiam decennem Ludovico Crasso uxorem conciliavit: sed an. 1108. matrimonio hoc à Paschali II. in Concil. Trecensi irrito pronuntiato, offensus, aulâ relictâ, Theobaldo Blesensi & Carnut. se junxit, paulo pòst mortuus. Suger. *in Ludov. Crasso*, Auteuil. *Hist. de Min. Stat.* Mezerajus *in Phil. I.*

Guido Novellus, Florentinorum Dux, A D. 1260.

Guido Papa, Consiliarius in Parlament. Delphinat Jurisconsf. celebris, à Ludovico XI tum Delphino Viennensi, plurimis negotiis adhibitus, obiit anno 1464. Auctor 632. quæstionum Juris, præter alia scripta. Chorerius, *Histor. Delphin. tom.* 2. *libr.* 13. *&* 14. Malè confunditur cum Guidone Crasso JConsf. qui postmodum Clemens IV. Hic enim sub Ludovico IX. floruit.

Guido Petramala, Præsul Mediolanensis, Ludovico Bavaro Imp. ferream coronam imposuit, an. Dom. 1327.

Guiemannus, fidelis consiliarius Childerici I. Herum suum à subditis pulsum, insigni astutia, misso aureæ monetæ dimidio, monitum, restituit. Gregor. Turonensis *libr.* 2. Aimon. Sigebertus, Gaguinus.

Guienna, vulgò *Guienne*, provinc. Galliæ, cum tit. Ducat. aliàs Aquitania, quamvis longè sit angustior, quàm olim Aquitania fuerat. Plinius *Aremorica* illi dat nomen. Ad Occasum, Oceano, montibus Pyrenæis ad Meridiem, Languedocia & Cadurcis ad Ortum, & Engolismensi ac Alnetensi provincia ad Septentrionem terminatur. Ab aquis Romani nomen illi Aquitaniæ imposuere, quæ ante Augusti tempora Oceano, Pyrenæis & Garumnâ conclusa, ab illo postmodum mirùm in modum aucta est. Visigothi inde Romanos expulerunt, à Chlodovæo tandem & ipsi exturbati. Habuit post hæc proprios Duces, sub Carolo M. ejusque posteris, regno unita: donec Angli hìc rerum sunt potiti, quos tamen Carolus VII ejecit. A Ludovico XI. fratri Carolo concessa, postea ad Regnum rediit. Solum fertile ac amœnum, aër subtilis est & temperatus, incolæ ingeniosi & mites, sed jactatores. *Guienna* quoque in specie dicitur jurisdictio Senescalli Burdigalensis. Vide *Annales Aquit* Lurbeum *in Onomast.* & *de Illust. Viris Aquit.* Joh. Beslium *Geneal. Duc. Guienn.* Chenium *de urbibus, &c.* ut & in voce *Aquitania*.

Guignardus Johannes, Jesuita, ob multa in Regem Henricum IV. cognom. Magnum contumeliosè dicta, inter quæ: *Sanbartholomeo tumultu peccatum esse, quòd Venâ Basilicâ sanguis missus non sit*: strangulatus est, anno Chr. 1595. cùm paullo antè Johannes Castellus, ejusdem scholæ alumnus, vitam Regis, fallente ficâ, petiisset, vide Thuan. *Histor. lib.* 111 *&* 112.

Guilielmi Scouteni insula, vulgò *Willem Scouten eylandt*, insula Oceani Orientalis seu Indici versùs Austrum, in ora Boreali terræ Papuorum, sic dicta à Guilielmo Scouteno Batavo, qui primus eam detexit anno 1617.

Guilelmitæ, Ordo sacer, in Comm. Rom. à Guilielmo X. Aquitaniæ D. institutus, an. 1136. Vide Morerium *Diction. hist.*

Reges Angliæ Scotiæ & Siciliæ.

Guilielmus I. Conquæstor, Primus Normannorum Angliæ R. Filius nothus Roberti D. ex Herleva, cive Falesiana: Hic, patre Niceæ in Bithynia mortuo, hæres institutus, patruos duos adversarios habuit; quibus, ope Henrici I. Gall. R. victis, ab Eduardo quoque III. Angliæ R. improle successor dictus, Haraldum

Godvini fil. ab Anglis electum, prælio cruentissimo superatum occidit, an.1066. Angliæ sic Rex, Canutum repulit, etiam Scotiæ R. sibi obnoxium habuit, dein in Aremorica bellum gessit, cum Roberto fil. ob Normanniam conflixit, occisusque ab ipso fuisset, nisi is patris sauciati voce agnitâ, ei pepercisset. Huic cùm Ducatu cessisset, scommate Philippi Galli, qui audito eum Rothomagi, ob nimiam corporis molem, decumbere, *cubat nunc Rex Angliæ Rothomagi longo puerperio*, dixerat, excitus: respondit, *Cùm partu levatus ad templum iero, mille tum faces in Francia lucebunt*: pauloque post ferro & flammâ Galliam vastavit. Fatigatus militari labore, Rothomagum redux, obiit, Cadomi sepultus, anno 1088. æt. 74. regni 22. Caput hodiernæ regiæ Anglorum familiæ, cui id etiam nocte victoriam contra Haraldum secutâ, audita per quietem vox, *Vicisti, Vilhelme, regnabis tu, & quia te creati sunt*, prædixerat. Successit ei fil.

Guilielmus II. Rufus, ex Mathilde Flandrica: excluso primogenito Roberto III. Normanniæ D. Largus primò in subjectos, amorem illorum sibi conciliavit, conjurationem contra se initam ex facili dissipavit, cum Roberto bellum gessit, quod in pacem desiit tum, cùm hic in Orientem se pararet. Vallos rebelles domuit, avarissimè porro regnum administravit, Malcolmum Scotum interemit, *ne sine sua venia quisquam Angliâ egrederetur*, legem tulit. Procelloso vento navigationem in Normanniam impediri posse animosè negavit: ubi in venatione, improviso Valteri ictu, occisus, Henricum fratrem successorem habuit. Anno 1101. Guil. Pictav. *de gest. Guil. I. & II.* Orderic. Vitalis *Chron. Normann.* Froissard. Guil. Malmesburius, Rogerius, Matth. Paris. Polydor. *Hist. Angl. lib.* 8. *&* 9. *&c.*

Guilielmus, Scotiæ R. Henrici fil. Malcolmo IV. fratri successit, an.1165. Ab Henrico II. Angliæ R. cui, domesticis turbis implicito, bellum intulerat, captus, libertatem caro redemit, Barvico & Rogesburgo cessis, & regno ei tributario reddito. Cum Richardo I. dein & Johanne ipsi res fuit. Obiit an. 1214. ætat. 74. regni 49. Successit fil. Alexander II. Leslæus & Buchan. *hist. Scot.*

Guilielmus I. cognom. *Malus*, Siciliæ R. patri Rogerio, sui seculi principum potentissimo, successit: Injustitiâ, avaritiâ, crudelitate infamis. Mortuo patre an. 1154. diripuit urbem Tanes in Ægypto, Græcorum ab Adriano P. cum quo ei contentio, in se concitatorum, classem ingentem depressit. Beneventum Pontifici eripuit, ipsum cepit, qui ut se captivitate liberaret, socios prodidit, & investituram Siciliæ, Apuliæ & Capuæ, cum juribus extraordinariis, quæ dicta *Monarchia Siciliæ*, hosti confirmavit. Sæpius Tarpejo fulmine ictus, toties elisit. Obiit an. 1160. regni 13. Roger. Bar. *A.C.* 1155. Sigon. *lib.*12. 13.14.

Guilielmus II. cognom. *Bonus*, filius prioris, discip. Petri Blesensis, ætat. an. 12. Patris hæres, Alexandro III. contra Fridericum Imperat. favit: mox utriusque reconciliationi intentus, Clero paulo gravior visus est. Bello contra Andronicum Comnenum, An.1185. felix, Thessalonicam cepit, aliaque loca, mox iterum perdidit. Obiit Panormi, anno 1189. relicto Tancredo filio notho, qui contra fidem Constantiæ Guilielmi materteræ, Henrici VI Imper. uxori, datam, regnum invasit, illinc malorum inde secutâ. Pet. Blesensis *ep.* 131. Collenutius, *hist. Neap.* Fazell. *de rebus Sic.* Sigonius.

Guilielmus III. fil. Tancredi, nepos prioris, patri successit sub tutela matris Sibyllæ, an. 1193. cum quâ anno pòst ab Henrico VI. Cajetâ & Neapoli occupatis, perpetuo carceri inclusus & excæcatus est. Collenut. *hist. Neap.* Hugo Falcandus, &c.

Comites Hollandiæ.

Guilielmus I. Holland Comes, filius Florentii III. Comes cùm esset Frisiæ Orient. in terram S. profectus, postmodum Adâ, fil. Fratris Theodorici VII. pulsâ, Hollandiam usurpavit. Obiit an. 1223. princip. 19.

Guilielmus II. Comes Hollandiæ, filius Florentii IV. ab Innocentio IV. Friderico II. Imper. oppositus est, anno 1247. Aquisgrani, post 6. menses capto, coronatus, Flandros pepulit, an.1256. in bello contra Frisones Occident. rebelles, à rusticis, equo glacie fracta in arundineto hærente, lapidibus obrutus. Johann. Leid. *l.* 23. Nang. *in vita S. Ludov.* Meyer. *Annal. Flandr. l.* 9. Stero, Siffrid. Cuspinianus, &c.

Guilielmus III. cognom. *Bonus*, Johanni patri successit, maritus Johannæ Valesiæ, sororis Philippi Regis. Fortitudine & justitiâ inclytus. Obiit an. 1337. Eo natus

Guilielmus IV. qui Hispan. Regi contra Mauros suppetias misit, in Orientem profectus est, Russis convertendis operam dedit, oblatum ab Electoribus Imperium recusavit. Occisus à Frisonibus, an. 1345. Margaretam sororem hæredem habuit.

Guilielmus V. Bavarus, hujus fil. successit, bello contra matrem notus, insaniâ dein correptus, in carcere obiit an. 1377. Fratre Alberto Bavaro successore relicto, cui successit filius

Guilielmus VI. ex Margaretâ, fil. Philippi Audacis, pater Jacobæ, quæ ei successit. Obiit an.1417.

Comites Provinciæ.

Guilielmus I. Comes Provinciæ, Arelat. & Tolosæ, fil. Bosonis II. An.971. Saracenos Fraxineto prorsus pepulit, alibi quoque victos: Monachus tandem Cluniac. factus.

Guilielmus II. ejus fil. virtutibus inclytus, obiit an.1020. æt.50. Cui successit fil.

Guilelmus III. qui obiit an. 1054. Delbenus, Guicheno, Ruffi. Nostradamus, Bouchæus *hist. Prov.*

Hassiæ Landgravii.

Guilielmus I. cognom. *Junior* vel *Dives*, Hassiæ Landgravius, fil. Henrici, an. 1483. ex Elizabetha Palatina improlis, equi casu in venatione, cui nimium indulsit, an. 1500. extinctus est.

Guilielmus II. Ludovici Pii fil. an. 1471. in Palæstinam profectus, in reditu ab Innoc. P. Romæ honestè habitus, in Italia, φίλτρῳ debilitatus, regimen fratri Guilielmo III. an. 1493. cessit.

Guilielmus III. in Belgradi expugnatione, sub Maximiliano R. Rom. fortissimè se gesserat an. 1490. Obiit an. 1509. ex Anna Megapolitana, pater Philippi Magnanimi.

Guilielmus IV. fil. hujus ex Christinâ Saxonica, princeps literis egregiè cultus, singularis indolis radios mox evibravit: Patre captivo administrationem orsus, libertatem patris, Saxonis & Brandeburgici operâ, impetravit. Cassellas munivit; architectonicæ peritissimus, magnâ auctoritate in imperio pollens, multas vicinorum controversias diremit. Concordiæ libro non parum se opposuit. Pater Mauritii successoris, ex Sabina Wirtembergica, Patriæ matre & pauperum nutrice, obiit an. 1592. Vide Thuan. *libro* 76. *&c.*

Guilielmus V. cognom. Constans, fil. Mauritii an.1627. successit, cum Rege Sueciæ fœdus iniit: hoc occiso, Lunæburgicis & Cniphusio junctus, varia egit. Pace Pragensi an. 1635. ferè solus in Germania comprehendi noluit, Hanoviam à Cæsarianis liberavit, obiit in Frisia, an. 1638. Uxore ejus Ameliâ Elizabethâ bellum feliciter persequutâ, Lambojo an 1642. & 1648. devicto.

Guilielmus VI. fil. ejus pace Monaster. Abbatiam Hirschfeldiam, aliaque ditioni suæ adjecit; Princeps pius & prudens, an. 1663. repentinâ morte oppressus: Cujus fil.

Guilielmus VII. Parisiis haud pridem obiit, non sine veneni suspicione. Ei successit Carolus frater; qui nunc feliciter præest. Vide Spener. *Syll. Geneal. histor.*

Duces Aquitaniæ.

Guilielmus I. Dux Aquitaniæ, Comes Arverniæ, Bituricensis, &c. Fundator Abbatiæ Cluniac. Obiit an. 917.

Guilielmus II. ejus nepos, successit, Regem Rodolphum ad Ligerim superiorem agnovit. Obiit an. 927. fratre Alfredo hærede relicto.

Guilielmus III cogn. Caput stuparum: fil. Eblis secundi, à Rege Lothario bello petitus, mox eidem reconciliatus est. Obiit an.964.

Guilielmus IV. fil. prioris cognom. *Fierabras*, illum excepit. Hugoni Capeto & Roberto primò non adeò bene cupiit, dein submisit se, & Godofredum Grisegonellum, Comitem Andegav. vicit. Patris more, monachi habitu sumto, obiit, an.993. Eo genitus

Guilielmus V. cogn. Magnus, ob fortitudinem, prudentiam & pietatem. Omnibus Regibus Principibusque gratus, habitu monachi sumto obiit, an.1301. æt.71. Ei successit fil.

Guilielmus VI. cognom. Crassus, qui à Godofredo Martello, Comite Andegav. victus est, an. 1033. Obiit an. 1037. Frater ejus Petrus, dictus

Guilielmus VII. successit, anno pòst mortuus. Hunc frater Guido Godofredus, dictus

Guilielmus VIII. excepit, Henrico I. Gall. R. suppetias venit, ab Andegavensibus victus, Saracenos in Hispania superavit, obiit anno 1086. Filius ejus

Guilielmus IX. Alphonso Arragoni, contra Mauros, auxiliatus, obiit anno 1127.

Guilielmus X. fil. per Philippam, filiam Guilielmi IV. Comitis Tolosani, Comit. hujus hæres: Anacleto II. Antipapæ contra Innocentium II. favit. Obiit in itinere Compostellano, anno 1137. Chenius, Justellus, Morerius, *Diction. histor.* &c.

Guilielmus, porro nomen 5. Comitum Tolos. 2. Burgundiæ, unius Ducis Lotharingiæ, &c.

Viri celebres.

Guilielmus, Arvernas, Episcop. Parisiensis. Scripsit in Hexaëmeron, Psalterium, Eccles. Canticum Cantic. in Matthæum lectiones, aliaque quæ V. inter opera fol. Parisiis an. Chr. 1516. & Venetiis an. Chr. 1591. impressa. Obiit an. C. 1249. *Vir admodum pius & doctus*, Bellarm. *Eruditionis & pietatis nomine percelebris*, Catal. Test. Ver. Quanto melius de Justificatione, aliisque Religionis articulis, cæteris sui temporis Doctoribus senserit, testantur ejus scripta.

Guilielmus, Abbas, sec. 12. celebris: Bernardi vitam orsus, alia quoque scripsit. Philipp. Bergomas, *in Chron supp. l.* 12. Trithem. *in Cat.* Henr. Gandav. *c.*10. Item, dictus *Brito*, Presbyter, Annales Rigordi in epitomen redegit. Philippidis libb. 12. auctor, quod poëma est; de rebus gestis Philippi Aug. Edidit Petrus Pithœus, in Hist. Gall. *edit. Francof.* 1596. Item Monachus S. Dionysii, auctor variarum epistolarum, & historiæ libb. 3. &c.

Guilelmus Abselius, Carthus. ascetica varia scripsit. Obiit an.1471. Petrejus *Bibl. Carthus p.*115. Voss. *de H.L.l.* 3.

Guilielmus

Guilielmus Adhemarus, Provincialis, nobilis & Poëta, Friderico Imper. gratus, cujus uxori de fœminis Ill. poëma dedicavit. Obiit an. 1190.

Guilielmus Agoultius, Provinc. Poëta, tum quoque floruit. Nostradamus, *de Poët. Prov.*

Guilielmus Alanus, Anglus, Cardin. scripsit quædam Anglicè & Lat. Obiit an. 1594. Nicol. Fizebertus, *in vita ejus*. Ciaccon. *addit. in Sixto V.* Pitseus, *de ill. Anglis*. Sanderus, *de script. Fland.* &c.

Guilielmus de S. Albano, Monachus Anglus, auctor scriptorum quorundam Histor. an. 1170.

Guilielmus Amesius, Anglus, Theologus celebris, & in illustri Frisiorum Academia Professor. Scripsit *Lectiones in Psalm. In epistolas Petri, de Casibus conscientiæ, Bellarminum enervatum*. Vide opera ejus. Floruit A.C. 1630.

Guilielmus Amicus, Lemovicensis, Clementi VI. charus, Patr. Hierosf. Obiit in Galliam reversus, an. 1360. Item Flander, ibidem Patr. an. 1130. post Stephanum, obiit an. 1146.

Guilielmus de S. Amore, Burgundus, Doctor Parif. Sub Ludovico XI. Auctor libri *de periculis novissimorum temporum*, in quo in paupertatem monachor. spontaneam acriter invectus, Alexandrum IV. infestum sensit, & Thomam, cum Bonaventura, adversarios. Morerius *Diction. Histor.*

Guilielmus Antissiodorensis Episc. primò, dein Parif. obiit an. 1223. Eruditione & virtute nulli secundus. Morer. *Dict. hist.*

Guilielmus Apulus, sub Henrico I V. Imper. floruit. Regnum Neap. aliaque in Italia à Normannis occupata, carmine heroico prosecutus est, hortatu Rogerii Bussii, fratris Roberti Gischardi, Com. Siculi, unde Saracenos expulerat. Joh. Tiremus edidit, Anno 1582. Simler. *Bibl. Gesn.* Voss. *de H. L. p.* 770.

Guilielmus Askelte, Angl. sub Eduard. II. auctor hist. Tripartitæ.

Guilielmus Avensonius, Cardin. & Arch. Ebrodunensis, concilio Tridentino interfuit: capta à Duce Diguierio urbe, Romam se recepit. Obiit Gratianopoli an. 1600. Vedel. *hist. de Ledig*. Chorerius, *Hist. Delphin. tom.* 2. *&c.*

Guilielmus de Baldensel, auctor Itinerarii T. S.

Guilielmus de Bargemon, nobilis & Poëta Prov. sec. 12. Nostrad.

Guilielmus Barlovius, Episc. Anglus, sub Henr. VIII. & Eduardo VI. auctor Cosmographiæ, &c. Balæus & Gesnerus *in Bibl.*

Guilielmus Batecombus, Mathematicus Anglus, sub Henr. V. scripsit *de operatione Astrolabii, de Sphæra concava, ejusdem fabrica & usu*, &c.

Guilielmus Bellajus, præfectus Taurini, sub Francisc. I. multis negotiis adhibitus. Auctor historiæ, de rebus Galliæ, &c. Frater Johannis Cardin. & Martini, præf. Normanniæ, qui itidem historiam scripsit, de regno Francisci I. Vide *Bellajus*.

Guilielmus Berchenus, Auctor epitomes Chron. Geldriæ, usque ad an. 1466.

Guilielmus Bibaucus, Gen. Carthus. post Franciscum du Puy, memoriæ adeò invictæ, ut quidquid semel legisset, oblivisceretur nunquam. Obiit an. 1535. scripsit quædam. Vide Petrejum, *in not. ad Chron. Dorl. & in Bibl. Carthus. p.* 117.

Guilielmus, dictus *Bibliothecarius*, sec. 9. Historiæ Pontificum Anastasii vitam addidit.

Guilielmus Blaeu, Amstelodam. discipulus Tychonis Brahei, impressis egregiis operibus, Geograph. inprimis Famam meritus.

Guilielmus Blancus, Episc. Tolonensis, Xiphilinum Latinè vertit, &c. Obiit Avenione, an. 1588.

Guilielmus Boctonerus, Eques Angl. Medicus, Historicus & Mathematicus. Scripsit an. 1460. de antiquit. Angliæ, Astrologica item ac Medica quædam: cum Guilielmo Wocestriensi non confundendus. Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 9.

Guilielmus Bongevillanus, Normannus Monachus, scripsit Chronicon Anglicum, ab an. 1000. usque ad an. 1280.

Guilielmus de Branthegen, Alostanus, Carthus. prosâ versuque quædam edidit, Petrejus *Bibl.*

Guilielmus Briconnetus, Arch. Remensis, ab Alex. VI. Cardin. factus, Carolo VIII. & Ludov. XII. gratus, auctor priori expeditionis Neapolit. Idem Concilium Pisanum, contra Jul. II. ursit, obiit an. 1514. Pater Guilielmi, Episc. Meldensis & Dionysii, Episc. Tolonensis. Morer. *Diction. histor.*

Guilielmus Budæus, vide ibi.

Guilielmus Buyerus, Prov. Mathematicus & Poëta. Carolo II. acceptus, varia prosâ versuque scripsit, de Mineralibus pluriumque fontium scaturiginibus &c. Nostradam. Verdier.

Guilielmus Cabestanus, Poeta Provinc. de Amore varia scripsit, sed infelici exitu. Petrarcha, Nostradam.

Guilielmus Calculus, Monachus, scriptis inclytus, an. 1120.

Guilielmus Cantuariensis, auctor vitæ Thomæ Cantuar.

Guilielmus Camdenus, Angliæ Strabo dictus, sub fin. sec. præt.

Guilielmus Campanus, Arch. Remensis, Cardin. & præcipuus Minister Status, sub Philippo Aug. Fil. Theobaldi M. frater Adelaidis, quæ Philippi mater erat. Obiit an. 1202. Vide Morer. *Diction.*

Guilielmus Canterus, Ultraject. eruditus sui ævi. Thuan. *l.* 61.

Guilielmus Caxtonus, Anglus, præter alia, Chronicon scripsit, usque ad an. 23. Eduardi II. seu A.C. 1483. titulo, *Fructus temporum*. Simler. Voss. *de Hist. Lat.*

Guilielmus Charterius, vide ibi.

Guilielmus Choulius, Nobilis Lugdun. scripsit promtuarium nummorum, de religione vett. Roman. de Castrametatione, &c.

Guilielmus Cortusius, vide ibi.

Guilielmus Coucinus, Duacensis, auctor obsidionis Rhodi. Cuspinian. *de Imper.*

Guilielmus Coventræus, Monachus Anglus, sub Eduardo III. historica quædam scripsit.

Guilielmus de Cumo, Gallus, JC. celebris, sec. 14.

Guilielmus Durandus, vide ibi.

Guilielmus Elphinstonus, Auctor Chronici Scotiæ, &c. Vide *Elphinstonus*.

Guilielmus Estius, Lovaniensis, inter alia, commentarios in Epist. Paulinas edidit.

Guilielmus d'Estouteville, Cardin. Rotomagensis, sub Carolo VII. & Ludov. XI. Captâ Constantinopoli, à Nicolao V. ad Carolum VII. missus est, pacis cum Anglo conciliandæ causâ, Pragmaticæ sanctionis observationem ursit, &c. Obiit an. 1482. æt. 80. marmoreâ statuâ donatus. Morerius *Diction.*

Guilielmus Fabri, Gener. Carthusian. an. 1273. Obiit an. 1278.

Guilielmus Farellus, nobilis Delphinas, ex primis Evangelium in Gallia annuntiavit, an. 1523. Dein in Helvetia cum Zuinglio conversatus, Genevæ post tenebras lucem tamdiu optatam attulit, in Delphinatu quoque salutari doctrinâ longè lateque propagatâ. Eruditione sacrâ inclytus, facundiâ admirandus. Ecclesiam sic Genevæ reformatam, Calvino tradidit, ipse Neocastri postmodum eodem munere functus. Obiit an. 1565. æt. 76. Beza *in Icon.*

Guilielmus Fillastrius, Cardin. Rerum Mathematicarum & Juris, quod Remis docuerat, peritissimus, insigni ibi Bibliothecâ collectâ. Interfuit concilio Constant. Peroranti coram Carolo VI. contra libertatem Eccl. Gallicanæ, silentium impositum est, proin Romam inde se recepit. Obiit an. 1422. Item hujus nepos, Episcop. Tornacensis, à Philippo Bono variis negotiis adhibitus, scripsit librum de Ordine aurei velleris. Obiit Gandavi, anno 1475. Morer. *Diction.*

Guilielmus Gemeticensis, Normannus, auctor libb. 6. de gestis Normannorum. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 49.

Guilielmus de Gilingham, Benedictinus Anglus, scripsit de sui Ordinis scriptoribus, an. 1390.

Guilielmus de Godialdo, Mathematicus celebris, sec. 13.

Guilielmus Granaus, vel Viretus, Carmelita Anglus, sec. 15. auctor Carmelitarum Hagiologii.

Guilielmus Grisantius, pater Urbani IV. Med. & Mathem. auctor libb. de Quadratura circuli, de qualitatibus Astrorum, de significationibus eorum, de magnitudine Solis, &c.

Guilielmus Guillevillanus, Cistert. Mon. scripsit de Anima & J. Christo.

Guilielmus Hassus, observ. Astrolog. edidit, sec. præt. Vide supra.

Guilielmus d'Hede, Batavus, Canonicus Antverp. à Maximiliano I. Legationibus adhibitus, Philippo I. à secretis. Auctor Genealogiæ Caroli V. &c.

Guilielmus Hermannus, Goudanus, auctor belli Geldro-Hollandici, &c. Erasmi condiscipulus. Adr. Junius, *cap.* 16. *Batav.*

Guilielmus Hilacensis, Carthus. auctor homiliarum, in Orationem Dominicam. Simler.

Guilielmus Hirsaugensis Abbas, 1080. auctor variorum scriptorum Mathem. Trithem. *de script.*

Guilielmus Hipporegius, Carthus. scripsit varia. Petrejus *B. C.*

Guilielmus Lindanus, Dordracensis, Episc. Gandav. Inquisitionis munere in Hollandia & Frisia functus. Auctor *Panoplia Evangelica*, &c. Obiit an. 1588. æt. 60.

Guilielmus Lindvodus, Henrici V. Angli Secretarius, auctor aliquot scriptorum. Balæus.

Guilielmus de Lorris, sub Ludov. IX. Poëta, auctor fabulæ de Rosa, à Joh. Clopinello postmodum ad umbilicum perductæ. Mor.

Guilielmus Luddinctonus, Carthusian. Anglus, quædam scripsit. Petrejus.

Guilielmus Malmesburiensis, Benedictinus Anglus, sec. 12. *Bibliothecarius* dictus. Auctor hist. Ecclesf. celebris, scripsit porro libb. 5. *de rebus gestis Regum Angl.* duos, *de Historia novella*: 4. *de Præsulibus Anglis, &c.* Vide Balæum, Pitseum, Gesner. Voss. &c.

Guilielmus Mandagotus, Metropolit. Ebrodunensis, sub Bonifacio VIII. compilator 6. libri Decretalium, Cardinalis, sub Clem. V. obiit Avenione, an. 1321. Morer.

Guilielmus Mellerius, JC. Lugdun. celebris, quædam edidit. Verderius *Bibl. G. p.* 498.

Guilielmus Michaël & Morellus, præt. sec. varios auctores priscos, prophanos ille, sacros iste, verterunt. Idem.

Guilielmus Moguntinus, Arch. fil. Ottonis Imper. Chronici auctor, Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 40.

Guilielmus de la Motte, Gallus, Gen. Carthusianorum, an. 1420. Obiit an. 1437. Tertius hujus nominis.

Guilielmus Nangius, auctor Chronici, à M.C. usque ad an. 1301. quod ab aliis continuatum, usque ad an. 1368. Item, Chronici Regum Galliæ, Vitæ S. Ludov. cum Philippi Aud. & Roberti Borbonii fil. Pithœus edidit, An. 1596.

Guilielmus Nebrissensis, Canonicus reg. Anglus, aliàs *Little*, scripsit Hist. Anglicam, libb. 5. ab an. 1066. quo Guilielmus I. Angliam occupavit, usque ad an. 1135. sibi natalem, perduxitque porro usque ad an. 1197. Obiit an. 1208. Edidit cum notis an. 1610. Joh. Picardus. Eidem ascribitur Comment. in Canticum, ad B. Virginem, applicatus. Balæus, Vossius, &c.

Guilielmus Occamus, Francisc. discip. Scoti, caput Nominalium, *Doctor Venerabilis & singularis*, Ludovici Bavari Imp. partes amplexus, *ô Imperator*, dicere solitus erat, *Tu me gladio defende, & ego te verbis ac scriptis defendam*. Scripsit contra Joh. XXII. unà cum Michaële Cesennate, Gen. sui ordinis, proin ambo excommunicati. Scripsit quoque plurima in Phil. & Theologia. Melchior Goldastus, in libro de Monarchia, edidit 93. quæst. Occami. Luc. Vadingus, *Annal. & Bibl. Min.* Morerius *Diction. Hist.*

Guilielmus Pantinus, Medicus Brugensis, in Celsum scripsit, sec. præt.

Guilielmus Paradinus, scripsit Chronicon Sabaudiæ, Historiam sui temporis, Annal. Burgund. libb. 3. &c. Morer. sec. præt. floruit.

Guilielmus, Parisiensis Episc. an. 1228. plurimos in Theologia errores, ex Scholastica Philos. subortos, damnavit an. 1241. Obiit an. 1248. V. Volum. 4. *Bibl. PP.* De ejus scriptis & 6. aliis *Guilielmis*, ibidem Episcopis, vide Morerium, *Diction. Hist.*

Guilielmus Parvus, Episc. Sylvan. sec. 16. Ascetica quædam edidit.

Guilielmus Pastrengius, Veronensis, librum de Origene scripsit. Alex. Becellius *in Indic. Hist. Veron.*

Guilielmus Peiratus, Lugdun. auctor historici cujusdam operis.

Guilielmus Pelicerius, Episc. Monspeliensis, à Francisco I. Venetias missus, ibi Hebræos, Græcos, Syrosque auctores plurimos collegit, quibus regia Bibliotheca exornata. Quòd Reformatorum partibus accedere crederetur, persecutioni obnoxius, obiit an. 1568. Scripsit comment. in Plinium aliosque auctores priscos, qui non amplius supersunt. Cum elogio ejus meminerunt Cujacius, Turnebus, &c. inprimis Thuanus, *hist. l.* 38. Paul. Jovius, &c. Item patruus prioris, Episc. Magalonensis. Obiit an. 1529.

Guilielmus Peraldus, Arch. Lugdunensis, *Summa virtutum & vitiorum* auctor, &c. Vide Morerium.

Guilielmus Peregrinus, Anglus, comes Richardi I. in Orientem, Hodœporicon ejus scripsit.

Guilielmus Perkinsius, Anglo-Britannus, patriâ Varvicensis, oppido Marstoniensis, Theologus Cantabrigiensis celeberrimus. Natus primo Elizabethæ R. anno, obiit ultimo an Chr. 1602. Opera ejus Latinè reddita ab Abrahamo Vander Mylio 2. tom. fol. Genevæ, in alias etiam linguas translata sunt, *Sanctissimus & exercitatissimus Theologus, scriptis inprimis, quæ Christianam praxin sapiunt, clarissimus*. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Guilielmus Philander, Cabillonensis, in Vitruvium commentatus, cùm non præstaret ea, quæ in Præf. promiserat, ob supinam ignaviam, quæ etiam rerum domesticarum eum incuriosum reddidit, obiit post famam suam, an. æt. 60. Tolosæ.

Guilielmus Pipinus, Dominicanus, Gallus, obiit an. 1527. scriptis clarus.

Guilielmus Postellus, Normannus, *abyssus scientiarum* dictus, Polyglottus, Mathematicus, Cabalista, &c. insignis. In varios errores prolapsus, inter alia, *de Virgine Veneta*, mira scripsit, Angeli Razielis commercium jactavit, &c. Obiit a. 1581. æt. 100. nullo unquam morbo tentatus. Ejus, *de Orbis Concordia*, liber præ reliquis laudatur. Vide Morerium.

Guilielmus Procurator, Chronicon Monasterii Egmondani scripsit. Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 64.

Guilielmus Rainaldus, Arvernus, Gen. Carthusian. A. 1367. secundus hujus nom. Purpuram & Infulam triplicem recusavit. Carne, ne quidem in morbo, vesci voluit. Carthusiam incendio deletam, solicitè reparavit. Epistolas ad varios scripsit, & nova statuta edidit. Obiit an. 1402. Dorland. *in Chron l.* 4. *c.* 24. *&c.*

Guilielmus Ramesiensis, Benedictinus Anglus, sub Henrico II. R. variorum vitas scripsit.

Guilielmus Regnodus, vel *Rheginus*, Medicus Lugdun. *Medicinæ exercitamenta*, inter alia, scripsit.

Guilielmus Rhievalius, Cistert. Anglus, auctor Hist. Anglicæ. Obiit an. 1140.

Guilielmus Rondeletius, Medicus insignis, Monspelii & in Flandria docuit, auctor libri de Piscibus, &c. Scævola San Marth. *elog. l.* 3. Obiit an. 1566.

Guilielmus Risbrouckius, de gestis Tartarorum scripsit, cum Itinerario Orientis.

Guilielmus Rishangerus, Benedictinus Anglus, *Opus Chronicorum* edidit, continuationem Matthæi Parif. &c.

Guilielmus de Rubione, scriptor sec. 14. Arrago.

Guilielmus Salicetus, Medicus Placentinus, *Guillelmiæ* auctor, anno 1210.

Guilielmus Sallustius du Bartas, Poëta Gallus celebris, à Communione Rom. secessit. Obiit an. 1591. Vide *Bartas*.

Guilielmus Samucus, Carmelita Gallus, Cyprum à Saracenis pulsus, de monasteriis Ordinis sui scripsit.

Guilielmus Sirletus, Cardin. Calaber. Marcello II. Pio IV. & V. gratus. A Sixto V. editioni Bibliorum adhibitus. Obiit an. 1585. æt. 71. Hebraicè, Græcè & Latinè egregiè doctus.

Guilielmus Starnefeldius, auctor Anglus.

Guilielmus Tellus, Vide *Tellus*.

Guilielmus Thornus, Benedictinus Anglus, cujus opera vide apud Possevin. Simler. Voss.

Guilielmus Tripolitanus, Dominicanus, auctor libri de statu Saracenorum. An. 1270.

Guilielmus Turnebus, Anglus eruditus.

Guilielmus Tyrius, Præsul hujus urbis, Gallus, an Germanus, an Syrus? Auctor Historiæ sacræ, de Palæstina à Godofredo Bullionæo occupatæ: an. 1095. usque ad 1180. libb. 23. quibus 6. alios Joh. Heroldus adjecit. Interfuit Concil. Lateranensi, sub Alex. III. cujus historiam, unà cum hist. Principum Occidentis, qui in Oriente sedes fixerunt, quoque edidit, &c. Henr. Pantaleon, *in ejus vita*. Jac. Bongarsius, *præf. ad Gesta Dei per Francos*. Vossius &c. Item alius, cujus epistolæ ad Bernardum Patr. Antiochiæ extant. Obiit anno 1127.

Guilielmus Wolcestriensis, Angl. scripsit varia. Voss. *de Histor. Lat. lib.* 3.

Guilielmus Xylander, Augustanus, Mathematicus celebris, Strabonem, Plutarchum, Dionem, Cedrenum vertit, &c.

Guimaranum, vulgò *Gumaranes*, opp. Hispaniæ, in regno Portugalliæ, & in provincia inter Durium & Minium, Ducatus tit. insignitum, 4. leuc. distat à Braccara in Ort. versùs montes.

Guimundus, Cardin. sub Gregorio VII. floruit: auctor tractatus de veritate corporis & sanguinis J. C. contra Berengarium, qui ab Erasmo editus, an. 1530. &c. Guil. Malmesbur. Ivo Carthus. *ep.* 78. Ordericus Vitalis, *Hist. Eccles. l.* 5. *c.* 17. cum elogio hujus Guimundi meminerunt.

Guina, vulgò *Guines*, oppidum Galliæ, in Picardia provincia, & in Recuperata ditione, ut vulgò ajunt, prope Caletum urbem, vix 2. leucis ab ea in Austrum, & totidem ab ora Oceani; Comitatum separatum facit. Est intra paludes.

Guinea, vulgò *la Guinée*, regio Africæ perampla, inter Nigritiam ad Boream & mare Atlanticum ad Austrum, & inter regnum Congi ad Ortum & montem Leonis ad Occasum. Regio est abundans & fertilis, ab Ortu in Occasum valdè extensa, & ab Europæis admodum frequentata. Dividitur in tres partes, nempe in *Guineam propriam*, in Malleguetam, quæ ad Occasum, & in regnum Benini ad Ortum. In *Guinea propria*, quæ media est inter Malaguetam & Beninum, sunt quamplurimæ coloniæ Anglorum, Danorum, Hollandorum, & Suecorum, cum arcibus aliquot. Loca autem præcipua in ora sunt arx S. Georgii de Mina, arx Nassovia, arx Capitis Corsi, Commendum, Anta, Fetum, & Cormentinum. Guinea autem propria dividitur in oram Auream, *la Coste d'Or*, oram Dentium, *la Coste des Dents*, & in oram Maleguettæ, *la Coste de Malguette*. Vide *Ora Aurea*. Detecta autem fuit Guinea primò anno 1365. à Gallis, qui in illius ora habuerunt aliquot colonias. Sed intestino sub Carolo VI. & VII. bello flagrante Galliâ, egregiæ illorum spes interversæ sunt, iisque, de quibus suprà, aditus patefactus est. V. Villaldi Bellefontii *Relation curieuse des cotes de Guinée*, ubi de fertilitate soli, mercium, quę inde exportantur, generibus, moribus & religione incolarum, superstitioso imprimis cultu idolorum, quæ *Fetiches* vocant, quos tamen alii certos esse characteres, à Sacerdotibus illorum ipsis imprimi solitos, malunt; Insuper Leonem African. Marmolium, &c.

Guinea nova, vulgò *nouvelle Guinée*, pars Asiæ recens detecta. Vide *Nova Guinea*.

Guinensis. mel. *Gisnensis* Comitatus Picardiæ inferioris, qui disterminatur ab Comitatu Oyo, per canalem majorem, qui oppidum Guinesium præterlabitur, territoriumque ferè reddit inexpugnabile. Primarium oppidum est *Guinesium*, in duas divisum partes, quarum una in paludibus sita, altera in continenti, loci natura munitum & validum. Captum fuit ab Henrico II. Rege, misso illuc Francisco Lotharingo, Guisiæ Duce, an. 1558. Sunt & alia oppida velut *Hartincourt*, *Peuplinge*, *Conquelle*, *Portus Nivelletius*. Continet hic Comitatus sub se Baronatus Ardrisium & Courtembrouensem. Merula, Metel.

Guipuscoa, vulgò *Guipuscoa*, quibusdam *Ipuscoa*, provincia est Hispaniæ, aliàs regno Navarræ annexa, sed à trecentis annis ab eo revulsa, & Biscajæ attributa, quam habet ad Occasum, uti Alavam ad Austrum, Oceanum Aquitanicum ad Boream, & Navarram ad Ortum, cum parte Galliæ, à qua separatur Bidassoa amne. Circuitus ejus est 36. mill. Nomen habere videtur ab Opuscua, civ. prisca. Hîc Cantabri olim. In ea urbes præcipuæ sunt Tolosa, *Tolosa*, regionis caput, Fanum S. Sebastiani, *S. Sebastien*, & Fons rapidus.

Guisa, vulgò *Guise*, oppidum Galliæ, in Picardia provincia, & in Tirascia tractu, satis munitum, cum castro, ad Oesiam fluvium, versùs confinia Hannoniæ. Frustra obsessum fuit ab Hisp. an. 1550. Hinc Duces Guisii è domo Lotharing. quorum ab antiquo patrimonium esset. Prius enim cùm Comitatus esset, Franciscus I. R. in Duc. dignitatem evexit, A. C. 1528. in gratiam Claudii Lotharingi, fil. minoris natu Renati II. Hic Claudius, fortitudine inclytus, suscepit ex Antonia Borbonia filios octo: è quibus primogenitus Franciscus Guisii D. Claudius Aumaliæ D. & Renatus

Renatus Marchio Ellebovii fuere. Franciscus, defensis Metis, captoque Calteto clarus, post prælium Druidense, occisus est per insidias, à Joh. Poltroto, A. C. 1553. Ex Anna Estensi, pater Henrici I. successoris, Caroli D. Meduanii, &c. Henricus Pictavium contra Reformatos defendit, Ligæ postea sub Henrico III. caput, hujus jussu in Comitiis Blesensibus interemtus est, Vid. elogia ejus apud Balsacum. Pater fuit ex Catharina Cliviaca septem filiorum, totidemque filiarum: è quibus Carolus D. patri successit, ex Henrica Catharina Joyesia pater inter alios Henrici II. historiis nostri temporis, electione inprimis sui in Regem Neapolit. licèt possessione haud diuturnâ, notissimi.

Guisum, castrum maritimum, Flandriæ proximum, & portu insigne, memoratum Frodoardo *in Chron. An. Chr.* 938. debet esse, ut Valesius vult, *Visan*, aut *Vitsan*, inter Amblitolium & Calesium positus portus, sed Amblitolio propior, nunc obstructus. Aliis *Witsant*, ab alba Arena dicitur, *Notit. Gall.*

Gula Augusti, sæpe occurrit in membranis antiquis, præsertim forensibus, pro festo S. Petri ad vincula: quod ipsis Kalendis Augusti celebratur. Occasionem Durandus suggerit *lib.* 7. *cap.* 19. Quirinum Tribunum filiam habuisse gutturosam: quæ osculata, jussu Alexandri, vincula, quibus Petrus sub Nerone coërcitus fuerat, à morbo fuerit liberata. Hinc festum & templum. Bethus verò de festo agens S. Petri, nihil horum meminit. Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Gulus, fluvius Mauritaniæ Cæsariensis, inter Igilgili & Asarath oppida, in mare Africum exiens.

Gunas, locus Syriæ, uberis & fœcundi soli, unde nomen. Stephanum.

Gundamorus, Alemannorum Rex, à Juliano ad Argentoratum victus captusque est, A. C. 357. Ammianus Marcellinus *libr.* 21. 22. 23. &c.

Gundebaldus, Burgund. Rex à Clodoveo I. Francorum R. tributarius factus est A. C. 501. Ab eo nomen habet *Lex Gundebalda*, quæ eadem cum Burgundionum lege. Ejus procemium, *In Dei nomine an.* 2. *Regni domini nostri gloriosissimi Gundebaldi Regis, Liber constitutionum de præteritis & præsentibus atq; in perpetuum conservandis legibus*, *d.* 4. *Cal. April. Lugduni.* Ille enim, occiso Godigesilo fratre, Burgundiaque occupatâ, mitiores subditis, ne Romanos opprimerent, leges instituerat, teste Greg. Tur. *lib.* 2. *cap.* 33. cum quibus Papiniani librum responsorum, ex jure Rom. ut verisimile est, hujus quoque Regis mandato, collectum, planissimè convenire, notat Lindenbrogius. Vid. Aimoin. *lib.* 1. *cap.* 19. Agobardi *lib. ad Ludovicum Imp.* & supra in voce *Gondebaldus.*

Gundulphi villa, Arduennæ & Mosæ propinqua, an *Gondreville*, hodie vicus non obscurus, ab Axona 2. *leuc.* ab opp. S. Manichildis 4. ab opp. Durocortoro Remorum, cujus diœcesi continetur, 14. *distans. An vicus Gondecourt*, in pago Vabrensi, ac Episcopatu Tullensi silvæ proximus, inter Mosellam & Carem flu. Nomen ei à conditore Gundulfo, Majore Domus Theodeberti jun. Austrasiorum regis, ante annos 1070. Hic Carolus Calvus Comitia generalia celebravit, An. Chr. 873. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Guni, fil. Nephthali. Gen. 46. Lat. *hortus*, sive *protegens.*

Gunsana villa, vulgò *Gonsainville*, vicus agri Parisini; nomen habet à *Gunsana* vel *Gunsena*, muliere Franca, quod nomen idem planè est cum *Chunsena*, apud Gregor. Tur. & *Gunsina*, apud Fredegarium.

Guntherii castellum, vulgò *Gontel*, Orderico Vitali memoratum *Hist. lib.* 8. ad Olinam fluv. est, inter Argentomum & Scoerinum Olinæ impositum. Idem.

Guntherus, Comes Schvvarzenburgicus, Carolo IV. Imp. post Eduardum Angliæ Regem, & Fridericum Thuringiæ Landgravium, qui mox se excusarunt, ab Electoribus oppositus, dignitatem assumsit: sed paulo pòst, cùm Carolus Electores ab eo per matrimonia sejunxisset, etiam per Medicum pecuniâ corruptum veneno illi propinato, inhabilis ad imperandum, cessit, circa A. C. 1349. Vid. Blondum *dec.* 2. *libr.* 10. Platinam *in vitis Pontificum.* &c.

Guntherus, Monachus S. Amandi, scripsit, an. 1090. Trithem. *catal.* Sigeb. *cap.* 167. Item, auctor Poëmatis, libb. 10. de Frider. Barberossæ rebus gestis: *Ligurinus* dictus. Item, Epise. Bambergensis, Itinerarium Palæstinæ scripsit. Item Cistertiensis Monachus, auctor historiæ Constantinopolitanæ. Canisius, *Antiq. Lect. tom.* 5.

Guntia, Ant. Lib. Not. *Guntzberg*, teste Rhenano, oppidum Rhætiæ, in Suevia, apud Danubium, ubi Guntiam fluvium, vulgò *Guntz*, excipit. Sed hoc *Guntzburg* est, ab Augusta Vindelicorum 6. leucis, Gepingam versus totidem: *Guntzberg* verò longè abest à Danubio, ad ortum Guntiæ fluvii, inter Augustam & Lindavium 8. leucis.

Guntranus, fil. Clotarii I. Aurelian. Biturigum & Burgundiæ R. sedem Cabillone habuit. Venerandæ ancillæ amores sectatus, Marcatrudem, fil. Ducis Magnacarii, quæ hujus filium veneno sustulerat, repudiavit, ancillâ alterâ Austregildâ, cognom. Bobilâ, superinductâ. Longobardos primùm contra Patritium Amatorum victores, per Mummolium, superavit. Chilperico junctus, contra Sigebertum: Leuvigildo Gothorum in Aquitania R. infeliciter bellum intulit. Post obitum Chilperici, filii ejus tutor, Gundebaldum bello occidit, nepotum acer defensor. Tandem Childeberto planè cessit, justitiæ & Boni publici amans. Interim meticulosus, suspicax, inconstans, & adulatoribus itæq; obnoxius habitus est. Obiit, an. 594. Gregor. Turon. Aimonius, Tilletus, Mezeraius, &c.

Gunugi, Plin. *Gunucis* Antonino, *Canuccis* Ptolemæo, *Capo di Tenes* Moletio, oppidum Mauritaniæ Cæsariensis, apud promontorium Apollinis & Castra Germanorum, inter Lar Castellum, & Juliam Cæsaream, 24. mill. pass. ex Antonino à Julia Cæsarea in occasum.

Guplo, vulgò *Guplo*, lacus parvus Poloniæ, in Palatinatu Brestiensi, 6. leucis à Brestia in occasum, & 8. à Lancicia in Boream. Longitudinis est 6. leucarum circiter à septentrione in meridiem, latitudinis autem dimidiæ leucæ; diciturque aliter *Goplus.* Ei adjacet Krusvichia arx, ubi Popielus II. Poloniæ Princeps à muribus devoratus fuit.

Gur, clivus montium Ibleam. Lat. *catulus*, *habitatio*, aut *collectio*, vel *timor.*

Gurasium, opp. Volsanitarum, in Italia, Diod. *l.* 14.

Gurbaal, nomen loci. 2. Par. 26. in quo Arabes habitaverunt; eadem quæ *Gerara.*

Gurcum, Prov. Rom. *Gurck*, urbs Norici, in Carinthia, episcopalis sub Archiepiscopo Salisburgensi, ante annos 550 episcopali sede exornata, à Villaco urbe 6. leucis in Cæciam distans.

Gurges, cognomen Qu. Fabii Rulliani filii, à devorato patrimonio illi impositum. Macrobius.

Gurto, locus in diœcesi Cabillonensi, hodieque *Gourdon*: unde Monasterium Gurdonense, cujus meminit Greg. Turonensis *de gloria Confess. cap.* 86.

Gurulis, vulgò *Gurula*, opp. olim Sardiniæ geminum, vetus & novum, circa insulæ medium, utrumque excisum. Sic Moletio & aliis.

Gusia, vulgò *Guise*, castellum olim, nunc opp. Galliæ, ad Isaram, cum tit. Duc. in diœcesi Laudunensi finibusque Remorum. Monstreletius eam in Teoracia ponit, & *Guise en Terrace* cognominat, i. *en Tierache*, Hadr. Val. *Not. Gall.* V. *Guisa.*

Reges Sueciæ.

Gustavus I. Sueciæ R. dictus *Ericsonius*: qui à Christierno II. captus, an. 1518. sub venationis prætextu liber, in Sueciam se recepit. Interim, Stenone victo, Christiernus Holmiæ coronatus est, Anno 1520. quo ob sævitiam pulso, Gustavus Princeps & Præfectus Sueciæ electus est: quam dignitatem ex electiva hæreditariam fecit. Lutheri fidem, cum regno, amplexus, obiit Anno 1560. Johannes Magnus, *H. S. l.* 24. Chytræus, *Saxon. l.* 9. 20. Lud. Guicciardinus, *l.* 3. &c.

Gustavus Adolphus II. fil. Caroli, patri successit, Anno 1611. æt. 18. Cum cura educatus, literis armisque à prima juventute incubuit: Germaniam, sub Ferdinando II. oppressam, liberavit, postquam Rigam, an. 1621. Polonis eripuisset. A. 1630. mari trajecto Stralsondæ, à Cæsarianis obsessæ, suppetias tulit, prælio Lipsiaco, aliisque victor; exin Palatinatu, Suevia, Bavaria, &c. fulminis ritu, peragratis, Tillium ad Lechum iterum vicit. Tandem pugna Lutzensi, contra Wallestenium denuo victor, interemptus est anno Christi 1632. Pater Christinæ: cuivis priscorum Ducum magnanimitate, rei militaris peritiâ, prudentiâ, clementiaque conferendus. Post Christinam præfuit Carolus *Gustavus.* Vid. *Carolus.*

Gustrovium, vulgò *Gustrouw*, urbs Germaniæ, in Ducatu Megalopolitano, & Ducum sedes, cum arce splendida. 7. leucis distat à Visimaria in Ortum, & 4. à Rostochio in Austrum. *Gustroviana* familiæ auctor est Joh. Albertus, fil. Johannis Ducis Megapolitani, in ipso ætatis flore extincti, A. C. 1592. frater Adolphi Friderici, qui major natu Suerinensem lineam orsus est. Hic Johannes Albertus, paria cum fratre fata habuit, à Wallenstenio, Cæsaris jussu, A. C. 1628. ditionibus exutus, restitutus à Gustavo Adolpho victore A. C. 1631. Ad Reformatos hic Princeps accessit, mortuus, A. C. 1636. pater ex Eleonora Maria Anhaltina Gustavi Adolphi, nati Anno 1633. quem tutor patruus, è sinu materno abreptum, Lutheri sacris imbui curavit. Huic uxor contigit Magdalena Sibylla Holsata. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.*

Guta, Ptol. populi Germaniæ septentrionales, quorum regio Gothia, *Gotlandt*, in regno Suecorum, ut Ortelio videtur: sed hæc non in Germania, at in Scandinavia est. Fortè populi eò ex Germania trajecto mari demigrarunt. V. *Guti.*

Guthones, German. gens, quam Maroboduus sibi subjecit, Strabo *lib.* 7. Aliis *Gothones.* Pars eorum occupavit terras Vandalorum, expulsis inde Francis. Sed antea quoque sæpius Danubio superato, in Rom. provincias impetum fecerunt. V. suprà *Guta*, & infra *Guti.*

Guti, iidem qui *Gotti, Gothi & Goti*: quibusdam *Juta & Jutones*: Romanis *Geta*; à prisco vocabulo *Jad*, quod gigantem significat: *Vita*, quasi *Wita*, Bedæ. Unus è tribus protogo-

ins populis, qui, relictis in Germania sedibus, Angliam olim applicuere, intractu Cantio & Vectâ insul. sede reperta. Vid. Henricum Spelmannum *in Glossar. Archaol.* & supra in voce *Gotti.*

Gutkovia, vulgò *Gutkouu*, oppidum Germaniæ, in Pomerania citeriori, ad Penam fluvium, Comitatus cognominis caput. Vix 3. leucis distat à Gripsualdia in Austrum, & 4. à Volgastia in Occasum, sub dominio Suecorum.

Gutorinus, in Dania cum fratre Haraldi Erico ex Frisia magna cum classe adveniente cruentissimè decertavit: interiere tum ambo tantumque regii sanguinis fusum est, ut vix unicus puellus, Ericus, Regneri è filio nepos, superesset. Ubbo Emmius *in Hist. Fris. A. C.* 854.

Gutruna, Vid. *Aurinia.*

Gutta jugiter manans, *le Tre Fontane*, teste Marliano & Fulvio, Abbatia via Ostiensi ab urbe Roma 3. mill. pass. distans, apud cœnobium S. Pauli: qui locus etiam Aquæ Salviæ, teste Baronio, nominatur, Ferr. Baudrando est locus uno milliari à S. Pauli cœnobio. Dicitur etiam Abbatia SS. Vincentii & Anastasii, seu trium Fontium, ad Aquas Salvias, 2. mill. pass. ab urbe Roma, ubi S. Paulus Apostolus martyrio coronatus.

Guttalus, Ptol. fluvius Germaniæ, Oceanum Germanicum exiens: quem variè indigitant. Althamero est *Oder*, per Silesiam, Marchiam, & Pomeraniam, in Balticum fluens. Henrico Junio est *Al*, fluvius Prussiæ, ad Montem Regium urbem, in mare labens. Sed cùm Guttalus in Oceanum, non in Mediterraneum mare, quale Balticum est, deferatur, in errore versantur manifesto. Potiùs est qui Jadua Ptolemæo dicitur, vulgò *die Jade*; is enim in Oceanum, seu mare Germanicum inter Amasium & Visurgim fluvium exit. *Oder* verò Ptolemæo Viadrus dicitur.

Guttenbergius Johannes, Vid. *Johannes Guttenbergius.*

Guttones, Plin. Populi Germaniæ, qui iidem cum *Gutis*, seu *Guttis*, Ptolemæo esse videntur.

Guturvatus, Princeps Carnutum, rebellione & bello concitato captus & verberibus exanimatus, securi percussus est. Hirt. *lib.* 8. *de bello Gallico cap.* 38. *Lib.* 7. *cap.* 3. vocatur *Cotuatus*: neque abit, quod Codices alii habent *Gutuatus*.

Guzarata, vulgò *Guzarate*, regnum Asiæ, in India intra Gangem. Aliàs Reges habuit proprios, nunc autem subest imperio magni Mogolis. Dicitur etiam persæpe regnum Cambaiæ à Cambaia urbe ipsius primaria; estque inter sinum Indi fluvii ad Boream, & regnum Decani ad Austrum, versùs oram Oceani Indici. Ejus urbes præcipuæ sunt Cambaia, Surrata, Amedebatum, Dium, & Damanum.

Guzzula, Prov. regni Marocci, ad Septentrionem Atlanti adhærens, ad Ortum Heæ jungitur: Regio omnis incolis referta. Mercator.

G Y.

Gyarus, & *Gyaros*, insul. maris Ægæi, una ex Sporadibus, in quam Romani noxios suos deportabant. De qua Ovid. *l.* 7. *Met.*

Et Gyaros, nitidaq; ferax Peparethus oliva.

Item *Gyara* plur. num. Juvenalis,

Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis esse aliquis. —— ——

Hanc insulam Philo *in Flaccum*, vocat λυπρoτάτην τῶν ἐν Αἰγαίῳ, *sterilissimam omnium quæ sunt in Ægæo mari.* Vid. Tacit. ubi de Tiberio. Virgilius ubi de Delo,

Quam pius Arcitenens oras & litora circum
Errantem Mycone celsâ, Gyaroq; revinxit.

Ubi, ut Poeta *revinxit*, sic verbo contrario usus est Papinius *l.* 3. *revelli.*

—— Ipsa tuâ Mycone Gyaroq; revelli
Dele times, magniq; fidem testaris alumni.

Unde dicatur (inquit Bochartus) colligere est ex historiâ veteri, quam ita attingit Plin. 8. 29. *M. Varro author est*, &c. *ex Gyaro, Cycladum insulâ, incolas à muribus fugatos.* Et *cap.* 57. *Theophrastus author est in Gyaro insulâ, cùm incolas fugassent, ferrum quoq; rosisse eos.* Et Stephanus Byzantius: Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος φησὶν, ὅτι ἐν ταύτῃ οἱ μύες διατρώγουσι σίδηρον. Quæ & apud Suidam legas in Γύαρος. Phœnices igitur credibile est Γύαρον appellasse insulam עכור *acuar*, vel כור Phœniciâ aphæresi, id est, *insulam muris.* Nunc *Caloiro*, A. Theveto *in opere mascr. de insulis lib.* 4. *c* 41. ubi figuram ejus exhibet, quam sententiam sequitur Lucas Holstenius, ex tabb. Nauticis Batavorum.

Gyas, vir Trojanus, Æneæ comes. Virg. *Æn.* 1.

Gyas, magna & bona pars Syracusani agri, qui fuit Dionysii tyranni. Plut. *in Dione.* Hodiè *la Cava di Georgia* vocari scribit Aretius. Græcè Γύας Γύατος. Post Anapum describit Cluverius, ex Plutarchi *Dione* τῆς Συρακουσίας τὸν καλούμενον Γύατα, πολλὴν καὶ ἀγαθὴν χώραν, ἀνήκουσαν ἀπὸ θαλάττης εἰς τὴν μεσόγαιον. Punicè גותא *gavata, medium* sonat. Itaque non nisi τὰ μεσόγαια videntur hâc voce designasse.

Gyshornia, urbs Duc. Luneburg. ad Alleram fluv. 3. leuc. à Brunsuico in Bor. 5. à Cella in Ort.

Gygæus, Lydiæ lacus, stadiis 40. Sardibus distans, qui postea *Colonus* dictus est. Prop. *lib.* 3.

Lydia Gygæo tincta puella lacu.

Plin. *lib.* 5. *cap.* 29. *Stagnum Gygæum* vocat.

Gygarium, locus Ciliciæ, circa Pondadum, ad Amani mont. angustias, ex Curopal. Nunc quid sit incertum.

Gygas, prom. Troadis, apud Dardanum Urb. Ferrar.

Gyge, ancilla Parysatidis reginæ Persarum, & matris Cyri. Plutarchus.

Gygemorus, monticulus non longè à Thessaliâ.

Gyges, gigas centimanus, Cœli & Terræ filius, frater Briarei. Ovid. *Trist.* 4.

Centimanumq; Gygen, semibovemq; virum.

Gyges, fuit quidam Lydus, cui cùm Candaules, Lydiæ rex, uxorem suam nudam ostendisset, illa id ægrè ferens, cùm apud Lydos, opprobrium esset summum, talem conspici, Gygen ad necem ejus impulit, seseque cum regno illi tradidit. Herod. *lib.* 1. Regnavit an. 49.

Gyges, quidam, de quo Cic. *lib.* 3. *Offic.* hæc scribit. Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui, cùm terra discessisset, magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumque equum (ut ferunt fabulæ) animadvertit, cujus in lateribus fores essent, quibus apertis, hominis mortui corpus vidit magnitudine inusitatâ, annulumque aureum in digito; quem ut detraxit, atque ipse induit, (erat enim pastor) tum in concilium pastorum se recepit. Ibi cùm palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat. Itaque hâc opportunitate annuli usus, Reginæ stuprum intulit, eâque adjutrice regem Dominum interemit, regnoque ejus potitus est. Idem cum priore. Vid. Lucian. *in Vot.* Erasm. *in adag.*

Gyges, viri nomen Virg. *Æn.* 9.

Principio Phalarim & succiso poplite Gygen.

Gyges, formosi pueri nomen. Horatius:

Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusq; Gyges.

Gylacea, Illyriæ civitas, à *Gylace* Corinthio, aliàs *Apollonia.*

Gylippus, vir Lacedæmonius, bello strenuus, qui Athenienses multis bellis, cladibusque affecit. Tibullus *l.* 4.

—— Non magni potior sit fama Gylippi.

Gymnasia, magna urbs circa Colchidem, Diod. *l.* 14. *Gymnias* fortè Xenoph. *l.* 4. παιδ.

Gymnesia, duæ insul. maris Iberici. Vide *Baleares.*

Gymnetes, pop. Æthiopiæ semper nudi, Nigretibus & Phaurusiis proximi. Plin. 5. 8. *Gymnetas* quoque Indos vocat Crates Pergamenus; qui 100. annos excedant, *Macrobios* vocat Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. Fuere etiam *Gymneta*, in Hisp. Tarr. unde *Gymnesiæ Insul.*

Gymnosophista, philosophi Indorum, sic dicti quòd nudi incederent, Solem immobilibus oculis toto die intuentes. Frigora & flammas citra dolorem perferebant. Ferunt Alexandrum M. ad eos accessisse, dixisseque; *Petite quodcunq; vultis.* Qui responderunt: *Da nobis immortalitatem, quam præ cæteris optamus.* Quibus ille ait: *Cùm ego ipse sim mortalis, immortalitatem nemini præstare possum. Si ergo*, inquiunt, *mortalem te esse cognoscis, cur non contentus patriis sedibus, omnibus infestus totum orbem subjicere conaris?* Cic. *Tusc. Qu. lib.* 5. Saturi vitæ in rogum ardentem se conjiciebant, ut finirentur. Lucan. *l.* 3.

Quiq; suas struxere pyras, viviq; calentes
Conscendere rogos —— ——

Divisi erant in duas sectas, *Brachmanes* & *Gemnanes*, seu *Sermanes.* Quidam etiam *Hylobii* dicti, quòd sylvas incolerent, rerum sublimium contemplationi melius vacaturi. Docebant hi omnes μετεμψύχωσιν, spernebant Fortunæ bona, Principibus & Magistratibus à consiliis erant, &c. Hylobios se arborum corticibus texisse, & in cavis arborum habitasse ferunt. Durant hodieque, uti videre est apud accuratissimum Scriptorem, P. de Valle, *Itiner. tom.* 4. qui ipse cum hodiernis Indorum Sapientibus diu conversatus est. De veteribus autem Gymnosophistis, Vide Strab. *lib.* 15. Philostr. *lib.* 3. Porph. *lib.* 4. περὶ ἀποχῆς, Clement. Alex. 1. *Strom.* Tertull. *Apolog. cap.* 41. 42. August. *de C.D. l.* 15. Apuleium, Aristot. Solinum. Laërt. *l.* 1. &c.

Gynæcocratumeni, pop. Sarmatiæ. Plin.

Gynæcon limen, id est, *mulierum portus*, circa Phidaliam est, inter Anaplum & Leosthenium. Steph.

Gynæconomi, Viri quidam Athenienses convivia inspiciebant, & numerum vocatorum, an esset secundùm legem, inquirebant. *Gynæconomi* autem numero viginti præfecti fuerunt mulieribus, qui in parum pudicas ac modestas animadverterunt, & mulctas earum inscribentes exposuerunt in platano & ceramico. Jul. Pollux.

Gynæcopolis, civitas Phœnicum, & alia Ægypti. Stephanus, Plinius.

Gyndes, Assyriorum flu. maximus post Euphratem, qui descendens ex montibus Mantianis, per Dardanios labitur, & in Tigrim se exonerans, in Mari rubro nomen perdit. Is cùm Cyri impetum venientis contra Babylonios interciperet, & quidam ex militibus summè dilectus regi, ejus moliens transitum, rapacitate fluvii absorptus esset, rex iratus amicum ulcisci statuit,

jurans

jurans eum, qui tam præclarum equitem voravisset; mox vix tinctarum genua mulieris. Bellum itaque cum fluvio gessit, ac totis copiis per magnas deductum fossas in 46. alveos, alii habent 360. dispertivit. Quidam ob equum absorptum Regem ita succensuisse fluvio narrant, Herodot. *lib.* 1. Seneca *lib.* 3. *de Irâ.* Tibullus *libr.* 4.

—— *Rapidus Cyri dementia Gyndes.*

Gypsara, Moletio *Tordunes*, portus Mauritaniæ Cæsar. inter Mega prom. & Sigam Urb.

Gypseis, insula Æthiopiæ. Steph.

Gyras, mons Teni Ins. maris Ægæi.

Gyres, pop. Arabiæ fel. Plin.

Gyrisœni, pop. Hisp. Tarr. in confin. Bæticæ, quorum urbs Giennium, vulgò *Jaen.*

Gyrton, urbs Thessaliæ & Perrhæbiæ, quam Homerus *Gyrtonam* vocat. Steph.

Gyrus, mons Ætoliæ, apud Acheloum fluv. Calydoni urbi imminens; unde & *Calydon.*

Gytheum, op. Laconicæ, quod Hercules & Apollo, depositis eo loci simultatibus, communi operâ condiderunt. Cic. *lib.* 1. *de Officiis*: *Classem Lacedamoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum.* Quem locum Herm. Barbarus emendavit; cùm antea *Ægypteum* lectum fuit. Apud Ptol. Γύθιον, apud Strab. Γυθεῖον vocatur. Polybius *lib.* 5. de Philippo loquens: Μεταβαλλόμενος δ' αὖθις, ἐποιεῖτο τὴν πορείαν παρὰ τὸν ναύσταθμον τῶν Λακεδαιμονίων, ὃς καλεῖται μὲν Γύθιον, ἔχει δὲ ἀσφαλῆ λιμένα, τῆς δὲ πόλεως ἀπέχει τριάκοντα στάδια. Strabo secus, Γυθεῖον τὸ τῆς Σπάρτης ἐπίνειον ἐν διακοσίοις καὶ τεσσαράκοντα σταδίοις ἱδρύμενον, ἔχει δὲ ὥς φασι ναύσταθμον ὀρυκτόν. Apud Livium *lib.* 4. *Dec.* 4: opidum omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum esse legitur. Vocatur & *Gythium.* & *Gethion*, Pausan. *in Arcad.* Navale Lacedæm. Xen. & Polyæn. *l.* 11. 30. ab urbe stadiis. *Paleopoli* hodie Nigro. *Pasabas* quoque Gemisto.

Gythites, ins. juxta Æthiopiam sub Ægypto, *Genamani* hodie, teste Ortelio.

Gythones, pop. Sarm. Eur. apud ostia Vistulæ. Quorum urbs Gedanum, *Dantzig.*

Gyzantes, pop. Africæ; qui & *Zygantes* dicuntur. Nomen videtur à *mellificio* factum: Talmudicis saltem גזין *gazin* sunt *apes*, & in Gyzantum regione μέλι μὲν πολλὸν μέλισσαι κατεργάζονται, πολλῷ δ' ἔτι πλέον λέγεται δημιουργοὺς ἄνδρας ποιέειν. Ita Herodotus de iis *Musâ quartâ.*

Gyzis, Castaldo *golfo de gli Arabi*, portus Marmaricæ; inbra; inter Paratonium ad Occ. & Alexandriam Ægypti ad Ort.





H.



H magis aspiratio est, quàm litera, ab Hebræis ad Græcos, inde ad Latinos derivata, quam pluribus vocibus sine ratione & necessitate appositam, miratur A. Gellius, *lib.* 2. *c.* 3. Ciceronis tempore solis vocalibus adjecta, postmodum etiam consonantibus addi cœpit: Unde illud Catulli, *epigr.* 81.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & Hinsidias Arius insidias.

Aliquando pro *F.* usurpari solet, quod & vicissim pro *H.* nonnunquam usurpatur. Unde *Haba* pro *Faba*, *Fordeum* pro *Hordeum*, &c. Plura Vid. apud Cicer. *in Orat.* Scaurum, *de Orthogr.* Vossium in *Aristarcho*, Methodum Latin. &c.

H A.

Hab, Palæstinæ urbs, Guil. Tyrio.

Haba, filius Gomer, filii Heber. 1. Par. 7. Lat. *absconsio*, vel *dilectio*, aut Syriacè *peccatum* sive *obligatio*.

Habacuc, id est, *luctator*, vel *amplexans*. Nomen prophetæ Hab. 1. Græci Ἀμβακοὺμ vocant. In *Prophetiam* ejus, extant: Agelii *Comm.* Antverpiæ 1598. Beauxamis *Homilia*, Octav. Paris. 1578. Chytræi *Explicatio*, Danæi item. Grynæi *Hypomnemata*. Guevaræ *Ecphrases* & *Exegemata*, Quart. Augustæ Vindel. 1609. Hafenrefferi *Comm.* Helvici Garthii *Comm.* Janssonius, 8. Heidelberg. Joachimus. Marbury. Angl. Quart. 1650. Marcellinus. Regius. Tarnovius. Theophylactus. Tossani *Paraphrasis.* Octav. Franc. 1599. Willichii *Comm.* Basileæ 1546. Winckelmanni *Com.* Octav. Francof. &c. V. Crowvæi *Elenchum.*

Habassia, Abassia, Abassinia idem, V. *Abassinia.*

Habdanck, nomen quod Skarbico, à Boleslao Poloniæ R. ad Henricum V. Imp. misso hæsit, ex sequente causâ. Cùm enim Imperator magnam auri argentíque vim in mensa expositam Legato ostentasset, addens, *Hic Polonos perdomabit*: Legatus annulum digito exemtum acervo adjecit, dixitque: *Jungatur aurum auro.* Quo scommate nil offensus Cæsar Germanicâ linguâ gratias illi egit, *Hab danck.* A quo tempore Skarbico nomen hoc, ad posteros usque permansit. Bucholcerus *Ind. Chr.*

Habendum, castr. in Vosago vetus, ubi nunc Romarici mons Monast. vulgò *Romberg*, V. *Romarici mons.*

Haber, filius Bariæ filii Aser. 1. Par. 7. Lat. *socius, particeps, incantator*, aut *livor.*

Habespurgum, vulgò *Habspurg*, castrum Helvetiæ, paulo supra Brugas, ad dextrum Arulam, in clivo: hodie sub Rep. Bernensi. Ab accipitre, qui à Comitum, qui in vicinia tum dominabantur, quodam emissus, hîc resederit, quasi *Habichspurgum* dictum quidam volunt. Hinc vetustissimæ & nobilissimæ Comitum *Habspurgiorum* familiæ, è qua augusta Austriacorum gens originem trahit, nomen. Horum auctor Erchenbaldus fuit, Clodovei II. Magister Palatii. Cujus defuncti A. C. 661. fil. Leudesius itidem Major domus ab Ebroino cæsus est, A. C. 680. Pater Ethiconis, qui Alsatiæ ducatum à Theodorico nactus est. Hujus secundò genitus Etho seu Hetto, pater fuit Alberici successoris: cujus filius Eberhardus suscepit Hugonem Comitem, quo nati filii tres, Gerhardus Lotharingicæ, Hugo Dagsburgicæ, & Guntramus *Habspurgicæ*, auctores fuere. Maritus hic sororis Landaloi Archiep. & Vindonissæ Comitis, in seditione Ludolphi Saxonis adversus patrem illi adhærens, ditionis parte multatus est. Obiit A. C. 946. pater Cuonzelini, qui Hungaros ad Seckingam vicerat A. C. 937. quo geniti sunt, Rapato seu Ratbodus, qui *Habspurgios* continuavit, & Cuonzelinus jun. à quo Zeringii, Teccii & Badenses descendere. Rapatoni fil. Wernerus I. fuit, nepos Otto: cujus A. C. 1110. cæsi fil. Wernerus II. Wernerum III. genuit, patrem Adelberti Divitis: qui Landgr. Alsatiæ titulum primus gessit. Hoc editus Rudolphus, ex fil. minori Rudolfo ultimos Comites *Habspurgios*, Lauffenburgios & Kyburgios: ex maj. Alberto Rudolfum I. Imper. genuit, Austriacæ gentis præcipuum decus. Vid. Stumpf. *lib.* 7. *de Argov. cap.* 12. & *seqq.* & supra in voce *Austria.* Item arx, ad lacum Lucernatem, ab Helvetiis eversa, A. C. 1351.

Habessus, Lyciæ civitas, posteà *Antiphellus* dicta. Plin. 5. 27.

Habia, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *absconsio*, vel *dilectio Domini*, vel ex Syro & Ebræo, *debitum*, vel *obligatio Domini.*

Habis, Hisp. rex, qui barbarum populum primitus docuisse boves aratro domare fertur, teste Trogo Pompeio.

Habor, fluvius & nomen urbis Assyriorum. 2. Reg. 17. Idem sig. quod *Haber.*

Habsanias, pater Jeremiæ. Jer. 35. Lat. *Debitum clypei Domini*, sive *dilectio*, vel *absconsio clypei Domini.*

Habus, *Frisch Haff*, sinus parvus maris Balt. per Prussiam extensus, inter Regiomontem ad Ort. & ostia Vistulæ Elbingamque ad Occ.

Habus Ptol. posterioribus *Humbrus*, V. *Abus.*

Haceldama, id est, *ager sanguinis*, nomen agri pecuniis illis, quibus Christum vendiderat Judas proditor, empti, in sepulturam peregrinorum. Matth *cap.* 27.

Hachamoni, Lat. *sapiens*, aut *hamus numerationis*, sive *expectatio muneris*, pater Lesbaam. 1. Par. 11. Pater Jachiel. 1. Par. 27.

Hachelai, Lat. *expectans Dominum*, sive *hamus Domini.* Pater Athersatha. Neh. 10.

Hachila, collis in sorte tribus Judæ, ad desertum Ziph, in quo latuit David. 1. Sam. 23. Lat. *spes*, *hamus*, sive *palatum*, vel *dulcedo in ipsâ.*

Hacoc, civitas Levitarum in tribu Aser, Jos. 19. Lat. *sculptor*, *scriba*, sive *legislator.*

Hacotina, Anton. Armeniæ urbs, circa Euphr. quà Taurum præterlabitur. *Locotena* legit Simlerus.

Hacupha, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *præceptum*, vel *sculptura oris.*

Hacus, nomen viri. Neh. 3. Lat. *spina*, *æstus*, vel *tædium.*

Hadad, fil. Ismaelis. Gen. 25. Lat. *acutus*, vel *gaudens*, aut Syriacè, *novus*, vel *unitas.*

Hadadezer, Syriæ R. à Davide victus est gemino prælio, 2. Reg. 8. &c. Tum contigit id, quod Psalmo 60. dicitur: *Incendit Mesopotamiam Syriæ & Sobal*, i. urbes ibi præcipuas. Vide Torniel. *A. M.* 2992.

Hadadus, Syriæ Phœniciæque throno conscenso, Damasci coronatus est: Davidi, aliquem suorum confœderatorum oppugnanti, infeliciter obnixus, ad Euphratem enim, ab illo XXM. amissis, victus est. Joseph. *Antiq. l.* 7. *c.* 6.

Hadadus, Rex Syriæ, Samariam obsedit, cum 32. Regibus sociis, sed obsidionem solvere coactus est. Postea captus ab Achabo, cum muneribus liber est remissus, contra Dei mandatum: qui proin Achabum hosti, beneficii prioris immemori, in manus tradidit. Idem *l.* 8. *c.* 9. & 10.

Hadadus, ab obsidione Samariæ miraculosè amotus; cùm nempe sibi videretur audire ingentem adventantium copiarum strepitum, Deo id in Elizæi Prophetæ gratiam sic dirigente, ut vaticinio hujus de annonæ pridiana vilitate veritas constaret, 4. Reg. 7. Tantopere à suis dilectus est, ut à Syris Damascenisque Numinis loco haberetur. Suffocatus tandem ab Hazaele servo, Obiit. Idem *lib.* 9. *cap.* 2.

Hadadus, fil. Hazaëlis, patri in regno Syriæ successit: victus ab Israëlitarum Rege triplici prælio, exutusque omnibus iis terris, quas Pater Israelitarum Regi eripuerat; juxta vaticinium Prophetæ. Vid. Joseph. *lib.* 9. *cap.* 10. *Antiq. Jud.* Vid. quoque *Benhadad.*

Hadadus, Princeps Idumæus, regiæ stirpis, à Deo contra Salomonem in pœnam excitatus. 3. Reg. 3. Torniel. *A. M.* 3058.

Hadali, pater Amasa. 2. Par. 28. Lat. *cessatio*, *vetatio*, vel *defectus.*

Hadassa, eadem quæ *Hesther.* Lat. *novitas*, aut *mensis*, vel ex Syro & Ebræo, *unus aries.* Item civitas in tribu Judâ. Jos. 15.

Hademarium, opp. Franconiæ, in Weteravia, cum tit. princ. gentis Nassoviæ, prope Lanum flu. 4. leuc. à Confluentiis in Ort. 7. à Moguntia in Bor.

Haderslebia, urbs Duc. Slesvic. versus oram littor. maris Baltici & Fioniam Ins. cum portu sat capaci. A Suecis sæpe capta receptaque. Sub Danis. Ei adjacet arx *Hansburga*, à Joanne Holsatiæ D. extructa.

Hadid, civitas. Neh. 11. Lat. *acutus*, sive *gaudens*, aut Syriacè *novitas*, vel ex Syro & Ebræo, *una manus.*

Hadranum, Vid. *Adranum.*

Hadria, seu *Adria*, nunc tenue oppidul. dit. Venetæ, in territ. Rhodigino, juxta Tartarum flu. Ægrè habitata, ob aëris gravitatem.

Hadrianâ, Ortelio *Eliopoli*, urbs Lyciæ Medit.

Hadriani moles, arx permunita Romæ, juxta Tiberim, Pontemque Ælium, nunc *S. Angelo.* Aliàs *arx Crescentii*, qui illam tenuit.

S. Hadria-

S. Hadriani mons Hisp. à Pyrenæis, Compostellam usque extensus, Cluv.

Hadriani murus, ab Hadriano Imper. per 80. m.p. inter Angliam & Scotiam ductus est; ubi postea Carausius, tempore Diocletiani, novum reædificavit, 7. castellis munitum, inter Cludi & Caruni fluv. ostia. Ejus reliquiæ in agro Sterlingensi, Speedus. *Vallum* Anton. *The Wall of the Picts*, Pictorum vallum.

Hadrianistæ, Hæretici, qui Simonis Magi deliria sectabantur, vel Discipulorum ejus, Baronius A. C. 34. Item discipuli Hadriani Hamstedii, Anabaptistæ, Prateolus, Lindanus, Spond. A.C. 1580. *num.* 14.

Hadrianopolis, urbs Bithyniæ, ubi victus à Constantino Licinius, A. C. 320. juxta vaticinium Apollinis Didymæi:

Te juvenes, grandæve pater, vexare feroces
Certum est, te infirmum manet ærumnosa senectus.

Item urbs Thraciæ, condita ab Adriano Imp. occupata ab Amurathe Turcarum Imper. A. C. 1360. recepta à Solimanno, cui frater Musa illam priùs eripuerat, Anno Christi 1410. Leunclav. *in Hist. Turc.* Turcis *Endren.* 130. m. p. à Constantinop. in Occ. Fuere & aliæ hujus nominis urbes: una in Ætolia, Ep. sub. Ar. Naupactensi; alia in Pisidia, Ep. sub Ar. Antiocheno, &c. Vide *Adrianopolis.*

Imper. Rom.

Hadrianus, cognom. Ælius, à Trajano adoptatus huic in imperio successit. Insignibus animi dotibus instructus, in populi incubuit commoda, peragrato hunc in finem toto imperio. Galliam enim ingressus, dein in Britanniam trajecit, ubi ad incursiones Barbarorum frænandas murum duxit 80. m. p. Regressus in Galliam, ut in Hispaniam transiret, auditâ in Aquitania Plotinæ, Trajani viduæ, morte, ei Nemausi templum struxit. Hinc in Hispaniam profectus, postmodum Orientem adiit, Parthis ibi coërcitis. Altero itinere eodem delatus, Athenas pervenit, Cererisque Eleusinæ Sacerdotibus accenseri voluit: quo tempore Quadratus Episc. Atheniensis, & Aristides Philosophus Christianus, durante semper persecutione Christianorum, auctoritate suffulti Sereni, unius ex Legatis Imperatoris, apologiam ei pro Fide suâ obtulerunt eo successu, ut Imperator mitigationem aliquam pollicitus sit. Dein Judæos rebelles semel atque iterum vicit, & loco Hierosolymæ destructæ Æliam condidit, templo Jovis in monte Calvariæ, & fano Adonidis Bethlehemi excitato, porcorum quoque imaginibus in portis Æliæ seu Hierosolymæ collocatis: Cœtera Mathematicarum artium, Astrologiæ, Arithmeticæ, Geometriæ, Poëseos, Philosophiæ & Medicinæ peritissimus. In arte Sculptoria supra alios: memoriâ tam invictâ, ut etiam locorum minoris notæ, fluviorum, militumque singulorum nomina sciret. Sed magicis artibus nimium deditus, sævus in proceres, etiam leviter suspectos fuit. Senio tandem sanguinisque fluxu debilitatus, cùm omnia, etiam illicita, nullo successu tentasset, Bajas se contulit, ubi desperabundus animam efflavit, Anno Christi 140. vel 138. secundùm alios, Imperii 20. ann. 10. mens. 29. d. Xiphilin. Spartianus, Baronius *ab Anno* 119. *usq; ad Annum* 140. *&c.* Poëmata ejus Latina Græcaque, ut & Mathematica quædam scripta enarrat Vossius. Vid. quoque *Adrianus.*

Pontifices Romani.

Hadrianus I. centesimus decimus septimus Pontif. post Stephanum IV. Romanus fuit, filius Theodori. A' Desiderio, Longobardorum Rege, infestatus, imploravit opem Caroli Magni, qui eum Ticini obsessum cum tota familia cepit, confirmavitque donationem Pipini patris sedi Rom. factam. Sub eo, cùm Irene Imperatrix Concilium Nicenum 2. Anno Christi 778. Constantinopoli convocasset ibique imaginum cultum stabilivisset: misit acta hujus Concilii ad Carolum, ut ea ab Episcopis Germaniæ Galliæque approbanda curaret. Sed Imperator Francofurti Concilio indicto, Græcorum Synodum destruxit, ac rescidit, statuitque PseudoSynodum illam vocandam: refutatione quoque ejus erudito alicui injunctâ, Anno Christi 794. Cœterùm in templis exornandis multus, lychnuchum in forma crucis, in quo 1370. cerei lucere facilè possunt, altari S. Petri appendit. Obiit Anno Christi 795. Successit Leo III. Vide Anastasium Biblioth. Platinam, Baronium *ab Anno Chr.* 772. *usq; ad Annum* 795. &c.

Hadrianus II. Romanus. Nicolao I. successit, sine consensu Imperatoris, ægrè id Legatis ferentibus. Lothario, ob divortium cum conjuge, ex amore Valtradæ concubinæ, fatalem Eucharistiam porrexit, Anno Chr. 868. Obiit Anno Christi 872. sedis anno 5. Vide Sigonium *lib.* 5. Baronium, &c. Hic Alfridum Angliæ R. coronatum paulo ante mortem filium adoptivum vocavit, à quo anno usque ad annum Chr. 1538. quo Henricus VIII. jugum Papale excussit, numerantur Anni 666. numerus in Apocalypsi notus. Eodem regnante, Caganus legatus, è Lotharingia redux, neminem se invenisse in regno illo Episcopum renunciavit, qui Canonicis esset disciplinis imbutus. Ei successit Johannes IX.

Hadrianus III. Marini successor, Anno Christi 884. legem tulit, ut Pontificis designati consecratio sine præsentia Regis aut Legatorum procederet: Utque Crasso sine filiis moriente, regnum Italicis Principibus, unà cum titulo Imperii traderetur. Photium, rogatus licèt à Basilio Imp. in communionem recipere noluit, Obiit an. 885. sedis mense 16. Platina, &c. Ei successit Stephanus V.

Hadrianus IV. excepit Anastasium IV. natione Anglus. Hic ab Eugenio III. in Norvegiam missus fuerat, ut incolis Christum annuntiaret: sede postea conscensâ Romanos primò, qui concionibus Arnoldi Clerici moti, Papas, Sacrorum curâ illis relictâ, in ordinem redigere conabantur: dein Guilielmum Siciliæ R. excommunicavit, non nisi duris huic conditionibus placatus: Cum Friderico dein Barbarossa non solùm ob strepam, sed & nomen ipsius suo in literis prælatum, contendit: concitatis contra Imperatorem Siculis & Mediolanensibus primò, dein subornato homine robusto, qui illum in Abduam præcipitaret, &c. Tandem cùm Senatores Rom. videret ad priscum decus aspirare, Ananiam secessit, ibique muscâ suffocatus, Obiit Anno Chr. 1159. Sedis 4. mens. 10. Ei surrogatus est Alexander II. V. Auctores supra laudatos.

Hadrianus V. è Fliscorum familia, nepos Innocentii IV. successit Innocentio V. quadragesimo die ab electione, mortuus, Anno Christi 1276. Amicis se visitantibus dixisse moriturus fertur: *Mallem me vidissetis sanum Cardinalem, quàm Papam moribundum.* V. Mart. Polonum, Onuphrium, Spondum, &c. Successit Johannes XXI.

Hadrianus VI. Ultrajectinus, fil. Cerevisarii, vel, ut alii volunt, aulæorum contextoris, Caroli V. Imper. præceptor, successit Leoni X. Anno Chr. 1522. Rhodo à Turcis oppugnatæ auxilia summittere neglexit, ad avertendam pestem Mago Demetrio Græco concessit Romæ, sylvestrem taurum Diis Gentilium mactare: Reformationem Ecclesiæ necessariam esse agnovit; nihil tamen egit, ob præmaturam mortem, quâ abreptus est, Anno Christi 1523 Cœterùm eruditus, scripsit in libb. 4. Sentent. Item Epistolas aliquot. Ejus epitaphium: *Hic situs est Hadrianus VI. cui nihil unquam gravius, quàm imperare, contigit.* Vid. Jovium *tom.* 2. *lib.* 21. Manlium *in locis Comm.* Baleum *in vitu Pontif. lib.* 7. Onuphrium, Spondum, &c.

Viri clari.

Hadrianus, Sophista, sub Marco Antonino & Commodo. Suidas, Voss. *de Hist. Gr. lib* 3. *cap.* 17. Item Græcus auctor, cujus Isagoge sacr. lit. & antiquissimorum Græcorum in Prophetas fragmenta, ex Manuscr. codice prodierunt Græcè, operâ Davidis Hœschelii, Augustæ Vindel. A. C. 1602.

Hadrianus Butius, Monachus Flander, Historiographus.

Hadrianus Mutius & *Romanus*, Mathematici celebres.

Hadrianus Turnebus, Vid. *Turnebus.*

Hadrianus de Veteri Ligno, Monachus Flander, auctor Chronologici operis. Vossius *de Hist. Lat. l.* 3. *c.* 6.

Hadriatica stagna prope Venetias, nunc *le lagune di Venetia*, sunt in intimo recessu maris Hadr. inter aliquot Ins. & continentem. A Sept. in Mer. extensa. *Gallica paludes* antiq.

Hadriaticum mare, quod & *Atriaticum*, & *Superum* Plinio, *Hadrianum* Lucano, *Adriaticum* Straboni, Tacito, & Melæ, *Hadriaticus sinus* Plinio, *Hadria* quoque Poëtis, & *Adria*, mare quod Picenum, Galliam Togatam sive Æmiliam, Venetiam, Carnos, Istriam, & Illyricum alluit, Jonio Tyrrhenoque conterminum, *Golfo* & *Mare di Venetia*, quod à solis Venetis navigari solet, ipsi enim maris illius tenent imperium, Ferr. Baudrando *Hadriaticum* mare, seu sinus Venetus, *le Golfe de Venise* Gallis, *Golfo di Venetia* Italis, pars est maris Mediterranei, inter Italiam & Illyricum. Ab omnibus navigari solet. Sed in illo Veneti non sinunt ulla navigia bellica præter sua. Dicitur etiam à Romanis *mare Adriatico.* Ejus partes sunt sinus Illyricus, *Golfe du Drin*, sinus Rhizonicus, *Golfe de Cattaro*, sinus Carnarius seu Flanaticus, *Golfe de Carnario.* sinus Tergestinus, *Golfe de Trieste*, sinus Naronensis, *Golfe de Narenza*, sinus S. Crucis, *Golfe de Sainte Croix*, & sinus Sipontinus, *Golfe de Siponto*; estque plurimis insulis refertum versùs oram littoralem Illyrici. Illud circumstant Albania, Dalmatia, Morlachia seu Croatia australis, pars Carniolæ, uti Istria, provincia Foro Julii, Marchia Tarvisina, Ducatus Venetus, peninsula Rhodigina, ditionis Venetæ, Ducatus Ferrariensis, Romandiola, Ducatus Urbinas, & Marchia Anconitana, ditionis Pontificiæ; Aprutium, Capitanata, ager Barianus, & ager Hydruntinus, provinciæ regni Neapolitani, atque inter Aulonem Albaniæ ad ortum & Hydruntum ad occasum mari mediterraneo miscetur; ibique dicitur *Bocca del Golfo di Venetia*, seu os sinus Veneti, ubi ejus latitudo est tantùm 60. milliarium; sed extenditur à Circio in Eurum ferè ad 700. milliaria.

Hadriel, id est, *grex Dei*, aut *ablatio*, vel *privatio Dei.* Gener Saulis, maritus Merob. 1. Sam. 18.

Hadsi, Lat. *novitas*, aut *mensis* aut ex Syro & Ebræo, *unius munus*, aut *novum munus.* Nomen loci. 2. Sam. 24.

Habudes, insulæ, vide *Ebudes*.

Hagalos, mons Atticæ sylvosus, prope Athenas & Parnem mont. Paus. Statius.

Hamimontum, regio Thraciæ juxta Hæmum: Cujus urb. præc. Hadrianopolis & Anchialus.

Hamochares, cognomen, seu potius epitheton Martis, quasi *sanguine gaudens*, uti notat Servius, *in illud Æn.* 12.

Sanguineus Mavors clypeo increpat.

Hamodes, Lyciæ mons. Mela.

Hamon, juvenis Thebanus, qui Antigonem, Oedipi & Jocastæ filiam tanto amore prosecutus est, ut cùm eam Creontis jussu occisam intelligeret, propter sepulturæ honorem, quem fratribus impertiverat, doloris impatientiâ, ad tumulum ejus sese jugulârit. Propert. *lib.* 2.

— *Antigones tumulo Bœotius Hæmon*
Corruit ipse suo saucius ense latus.

Ovid. *Trist.*

Quid Danaen, Danaesq́ nurum, matremq́ Lyæi,
Hæmonaq́ & noctes quæ coiere duas?

Item *Hæmon*, Bœotiæ rivus in Cephisum defluens, quem olim *Thermodonta* vocatum putat Plutarchus *in Demosthene*.

Hæmonia, Vid. *Æmonia*.

Hæmus, mons Thessaliam & Thraciam dividens, dictus ab *Hæmo*, Boreæ & Orithyiæ filiô. Hujus vertice erat Martis domicilium. Claudianus,

Procubat horrendus Getico Gradivus in Hæmo.

Illa Statii proculdubio respexit:

— *Qualis Getico procumbit in Hæmo*
Cælo mixta comis quercus.

Idem Theb. *lib.* 6.

— *Adverso risit Gradivus in Hæmo.*

Et *lib.* 5. Martis hospitium describens,

— *Adverso domus immansueta sub Hæmo.*

Claud. 1. *in Rufinum*.

Mavors nubifero seu tu procumbis in Hæmo.

Callimachus *Hymn. in Delon*,

Ἥμενος ὑψηλῆς κορυφῆς ἐπὶ Θρήϊκος Αἵμου
Θοῦρος Ἄρης ἐφύλασσε σὺν ἔντεσι.

Alii tamen apud Claudianum:

— *Getico Gradivus in agro.*

Pro quâ lectione facit illud Maronis:

Gradivusq́ Pater Geticis qui præsidet arvis.

Poetis ob frigiditatem celebris est Virg. *Georg.* 2.

— *O quis me gelidis in vallibus Æmi*
Sistet, et ingenti ramorum protegat umbra!

Horat. *lib.* 1. *Carm. Od.* 12.

Aut super Pindo gelidove in Æmo.

Hæres, Dea, cui veteres post acceptam hæreditatem rem divinam faciebant. Festus.

Hæsta, Cassiodoro *lib.* 5. populi ad Oceani litora, unde Succinum adfertur. *Æstyi* fors Taciti. *Æstri* fortasse sunt Jornandi & *Helsti* Callimacho Experienti. Corruptius etiam *Hessi* legit Fabricius in Commentariis ad Poëtas Christianos, & Atalarico tribuit, cùm sint Theodorici.

Hafnia, Daniæ urbs Regia, ampla & permunita, cum arce recenti, portu capacissimo & Academiâ, vulgò *Copenhagen*: juxta Fretum *Oresund*, è regione Scaniæ Ins. Recepta est à Christiano III. Episcopis & Christophoro Aldemburgico cum Lubecensibus, frustra obnixis: quo facto, Episcopis exturbatis Religionem Evangelicam Rex introduxit, A. C. 1535. Frustra, virtute Batavorum, à Suecis haud pridem obsessa. 4. leuc. Dan. à Roschildia in Ort. 3. ab ora littor. Scaniæ, 4. à Cronæburgo. Caput est Selandiæ Ins. Primo *Stagelburg*, posteà *Axelhuys*, dein *Kiobmanshaven*, i. portus mercatorum, dicta, Pontan. Ei ad Ort. adjacet Amagria Ins. cui ponte ligneo jungitur.

Haga Comitis, præc. totius Hollandiæ burgus, urbis instar, ubi comitia prov. totiusque Belgii fœderati. Hic edicto an. 1586. ab Ordinibus promulgato, Philippo II. Hisp. Rege imperium abrogatum est: Thuan. *Hist. libr.* 74. Collatio dein, super 5. Remonstrantium articulis, ad pacem Ecclesiæ conciliandam, habita, A. C. 1610. quæ cùm successu caruisset, decretum, ut Synodus Nationalis convocaretur. Vid. præfat. *ad acta Syn. Dordr.* Ibi quoque Palatium ol. Comitis Holl. vix 1. leuc. ab ora Oceani Germ. inter Lugdunum Bat. ad Bor. & ostium Mosæ ad Austr. Pagus totius Eur. ditissimus & pulcherrimus.

Haga Turonica, opp. Gall. in Turonensi prov. ad Crausiam amnem, in ipso confin. prov. Pictaviensis. 10. leuc. à Turon. in Austr. ut à Pictavio in Cæc. 4. à castro Heraldi. Generalis autem vox *Haga*, domus, Vet. Sax. *Hægh*, & *hagh*. Inde fortè dicta, quòd ex complicatis viminibus, instar cratis vel sepis, quales in Hibernia hodieque frequentissimæ, fabricata esset. Item circulus, vel sepimentum militare, al. *Burgus* & *Ringus*. B. Rhenanus *Rer. Germ. lib.* 1. *Hunnos*, inquit, *extructis novem Hagis, in Pannonia habitantes octennali bello Carolus M. edomuit*. Hoc prolixius & clarius explicantem, Vide sis Munsterum *Cosmographiâ lib.* 4. *cap.* 2.

Hagab, vel *Hagaba*, id est *locusta*, viri nomen. Vid. Esdr. *lib.* 2. *cap.* 46.

Hagag, præfectus Babylonius, præfuit 20. annis, quo tempore CXXM. hominum interfecisse, in carceribus LM. extinxisse scribitur. Astrologum quoque, qui mortem Cani prædixerat, quia ipse sic vocaretur, decollari præcepit. A. C. 701.

Hagenoia, urbs Germ. sup. libera & imperialis in Alsatia inf. vulgò *Hagenow*, ad amnem *Mater*, vix 2. leuc. à Rheno. 3. ab Argentina in Bor. 14. à Tabernis in Ort. Muro cincta an. 1164. à Frider. Ænob. Imp. qui ibi etiam palatium condidit. Ex 4. pagis Imp. Hic prælatus Imp. Imperii insignia, coronam, sceptrum, pomum, gladium Caroli M. &c. asservavit. Cœterum Hagenoa præfectura nunc est Imperii Germ. cum aliis novem oppidis ei conjunctis, Colmaria nimirum, Selestadio, Ehenhemia superiore, Cæsaris monte, Landovia, Roshemia, Turchemia, Weissemburgo, & Monasterio S. Gregorii. Mülhusium quoque, quod nunc Helvetico fœderi innexum, olim huc spectasse dicitur. Hanc præfecturam Sigismundus, circa A. C. 1423. Comiti Palatino pro 50000. flor. hypothecæ loco concessit, Ferdinandus autem I. eam reluens, A. C. 1558. Austriacæ domui vindicavit. Aliter paulo Hordlederus *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 24. Hodie pace Monaster. Regi Galliæ cessa est, ut Patrono, cautum interim in Capitulatione Leopoldina, opera detur, ne quid decem Alsatiæ Imperiales civitates detrimentum capiant. Sed bello nunc fervente, alia rerum facies. Vid. Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 24.

Hages, Frater Pori regis Indorum, quem hic, advenienti Alexandro Magno, cum centum quadrigis & quatuor millibus equitum opposuit. Curt. VIII. 69.

Hages, unus ex adulatoribus Alexandri, qui primus unà cum Cleone Siculo viventi Alexandro divinos honores tribuit. Cæl. Rhodiginus.

Hages Cyzicenus, à Polluce in nocturno conflictu confossus. Val. Flacc. *lib.* 3. *vers.* 191.

Hagesaretus, vide *Egesaretus*.

Haggai, vel *Haggæus*, unus ex XII. Prophetis minoribus, scribere incepit anno 2. regni Darii, primo Olymp. 65. Mundi 3533. U. C. 234. ante C. N. 520. Unà cum Zacharia Judæos ad strenuè reparandum templum adhortatus, hujus gloriam priori longè illustriorem prædixit. Lat. *Gaudium*. Vid. August. n. *de C. D. lib.* 18 *cap.* 45. Torniel. *A. M* 3533. *n.* 4. Bellarmin. *de Script. Eccl.* Prophetia ejus constat capp. 2. In eam extant, Balduini *Comm.* Brocardi *Explicatio*. Danæus, Draconites. Eckii *Comm.* Grynæi item, & Melanchthonis. Oecolampadii *Annotationes*, Argentinæ 1527. Pilkintoni *Angl.* Octav. 1562. Regius. Rupertus. Tarnovius. Vallii *Enarrationes*, Mogunt. 1541. Varenii *Collegium*. Wicelius. Willichii *Comm.* Basileæ 1546. Willii *Commentar.* Octav. Bremæ & Cassellis, 1636. Winckelmannus, &c. V. Crowæi *Elenchum*.

Haggia, fil. Merari. 1. Par. 6. Lat. *festivitas*, vel *solennitas*, aut *gyrus Domini*.

Hagia, Leuncl. *Aialunt*, vel *Ajalrai*, i. Urbs S. Joannis, in Caria, juxta limites Lydiæ.

Hagion, locus Scythiæ, ubi Æsculapius colebatur.

Hagnaus, mel. *Henius*, *Haisne*, flu. Hannoniæ. Oritur in confin. tractus Namurc. dein prope Binchium & Montes labitur, ubi Trullam excipit, postea ad Condatum in Scaldim se exonerat.

Hai, id est, *acervus*, civitas Amorrhæorum trans Jordanem, quondam pulcherrima, non longè à Bethel. Jos. 7. Esaiæ *Aiath* dicitur.

Hajalon, Tudelensi *Val de Luna*, pag. Palæstinæ juxta Nicop.

Haidonis, castellum, *Haton chastel*, in Duc. Barrensi.

Hailbrunna, urbs libera & Imper. in Duc. Wirtemberg. ad Necarum fluv. 2. leuc. à Wimpfena in Austr. 8. à Spira in Ortum. Satis munita & culta. Lat. *Salubris fons*, à copia saluberrimorum fontium, quorum 200. prope urbem numerantur, inter quos præcipuus in templo S. Kiliani: in Urbis formam redacta est, & Imperii civitatibus adscripta à Friderico II. Anno 1240. In insignibus aquilam Imp. integram habet. V. Limnæum Enucl. *libr.* 4. *cap.* 27.

Haimeranus, Præpositus Ratisbonensis, scripsit, sub Henrico IV. Imper. de Scriptoribus Eccl. Voss. *de Hist. L. c.* 47.

Haimericus, Patr. Antiochenus, post Rodolphum, Anno 1143. auctor Carmelitarum montis Carmeli. A' Rege Angliæ, per literas, Christianis, in Oriente, Barbarorum tyrannide oppressis, suppetias mitti petiit. Obiit Anno 1187. Guil. Tyrius, Genebr. *in Chron.*

Hainoum, hodiè Hannonia, à fluv. *Haina* vel *Aina* totam regionem secante, nomen habet. Germ. *Henegau*, vel *Hainegow*. Gall. *le Hainau*, vel *Hainou*. Incolæ Hainoenses, Gall. *Hainuiers*, vel *Hennuiers*. An *Nervii* olim? Vid. *Hannonia*.

Hairsemes, i. *Civ. Solis*, in tribu Dan. Jos. 19.

Hairum, desertum Libyæ in regni Targæ parte Austr. versus Nigritiam. Ad 100. leuc. circiter inter Ignidum Des. ad Ort. & Zuenzigam regn. ad Occ. extensum.

Haito, Vid. *Hetto*.

Hala

Hala, nomen loci. 2. Reg. 17. id est, *dolor*, sive *infirmitas maxillæ*, sive *principium humilitatis*, vel *teneritudinis*.

Hala, Vid. *Ahala*.

Halaa, id est, *infirmitas*, vel *rubigo*. Altera uxor Ashur. 1. Par. 4.

Halæ, Araphenides, pop. tribus Ægeidis. Idem.

Halæ, op Bœotiæ, est & alterum regionis Masetis. Ciliciæ quoque civitas. Vide Steph.

Halæ, Æxonides, pars tribus Cecropiæ. Steph.

Halæa, Minerva ab *Halæo* quodam Tegeate sic dicta, qui Minervæ templum extruxit, quo igne consumpto, Tegeatæ sumptuosius postea construxerunt, quos cùm devicisset Augustus prælio Actiaco, dentes apri Calydonii, qui in eo templo erant, quique ulnæ longitudinem vincebant, Romam transtulit.

Halanus, Vide *Alaunius*.

Halæsus, vel *Halesus*, Agamemnonis ex Briseide, aut, ut alii volunt, ex Clytæmnestrâ, filius, quem ajunt cum illâ sensisse contra patrem, & postea patriâ pulsum, in Italiam venisse, atque apud Massicum Campaniæ montem consedisse. Virgilius *Æneid.* 10.

Halæus, Apollo dictus est à Philoctete, qui cùm finem erroribus suis vellet statuere, Apollini Halæo templum construxit.

Halale, Vid. *Faustinopolis*.

Halani, Vid. *Alani*.

Halapia Sultanus, Noradinus, fil. Saladini, A.C. 1193.

Halara, urbs Islandiæ Insf. in parte Bor. sine mœnibus, paucorum incolarum, sub Danis. Ep. sub Arch. Nidrosiensi. Aliis *Hola*, quod Vid.

Halarodii, pop. circa Pontum. Steph.

Halberstadiensis Princ. tractus parv. Saxoniæ Inf. Antea sub proprio Episc. ex concessione Caroli M. qui Episcopatum Anno 770. fundaverat, Salingstadii primò, inde Halberstadium translatum Anno Chr. 819. nunc sub El. Brandeb. pace Monaster. Habet à Sept. Duc. Brunsuic. ut & Magdeburg. à Mer. Princ. Anhaltin. ab Ortu in Occas. per 9. mill. Germ. extensus. Ejus caput

Halberstadium, ol. *Alborestadium*, quia ad Albim & Oram amnes situm; Aliis q. *Albertis urbs*, Liaudrando ad amnem *Horheim*, 7. leuc. à Magdeburgo in Occ. 8. à Brunsuico in Austr. Hîc Carolus M. decretum, *Haristallense* Eginhardo & Crantzio vocatum, condidit T. VI Concil Albertus Crantz. & Gaspar Neophat. *de Præsulibus Halberst.* inter quos Haymo floruit, sub Ludovico Pio, A.C. 826.

Halcath, civitas in tribu Aser. Jos. 19. Lat. *portio*, *divisio*, *lenitas*, aut *lubricatio*.

Halcyone, vide *Alcyone* & *Ceyx*.

Halcyone, mater Philolai, nefando filii amore incensa, ob quem ille *solum vertit*, *Thebisque vitam finivit*. Aristot. *libr.* 12. *Pol. c. ult.*

Halcyonia, Insf. 2. Macedon. *Pallene* & *Phostonia*, Suid. Stephanus.

Halcyonium stagnum, Vid. *Alcyonium*.

Hales, fluv. Joniæ frigidissimus, apud Colophonem. *Halens* Lycophr. *Halesus* Plin.

Halesa, Siciliæ civitas. Cic. *Verr.* 5. excisa, ubi nunc *Caronia* castr. Fazello. In ejus agro fons erat, ad sonum tibiarum exultans, Solin. ibi fluv. Halesus ex Alesо monte proximo Ætnæ. Vid. *Alæsa*.

Halesius, ager in Epiro, ubi sal copiosus fit. Steph.

Halesius, flu. & mons non longè ab Ætnâ, ubi Proserpina flores legebat. Columella,

> *Et quos Sicanii flores legistis Halesi.*

Halesus, Faliscorum conditor. Ovid. *Fast.* 4.

> *Venerat Atrida fatis agitatus Halesus,*
> *A quo se dictam terra Falisca putat.*

Idem *Amor. lib.* 3.

> *Argiva est pompa facies, Agamemnone caso,*
> *Et scelus, & patrias fugit Halesus opes.*
> *Jamq; pererratus populus terraq;, mariq;,*
> *Mœnia felici condidit alta manu.*
> *Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos.*
> *Sint mihi, sint populo semper amica suo.*

Haletes, fluv. Lucaniæ, juxta Veliam Urb. ab eâ 3. m. p. in mare delabens.

Halhul, Lat. *dolor*, seu *principium doloris*, vel *immunditia*: aut *expectatio doloris*, vel *prophanationis*, sive *obstetricatio doloris*. Civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Hali, Germani Plin. *lib.* 4. *cap.* 12. in recentt. tamen codd. legitur *alii* appellativè.

Halia, nympha marina, Nerei & Doridis filia, ἀπὸ τῆς ἁλὸς, hoc est, *à mari* dicta. Item *Halia* eadem quæ *Thessalonica*.

Halia, opp. Peloponnesi, in Argia, apud Trœzenen.

Halia, Festum Solis à Rhodiis observatum. Athenæus *l.* 13. Ῥόδιοι τὰ Ἅλια τιμῶσι. Existimarunt aliqui nomen esse deductum ab ἅλς, & notari θαλαττοκρατίας monumentum, quâ Rhodii olim floruerunt. Sed verisimilior est à voce Doricâ ἅλιος pro Ἥλιος originatio, quia Rhodii Solem, tanquam apud se natum præcipuâ veneratione prosequebantur. Huc insana referenda est Colossi substructio, quem fecit Chares Lyndius, Lysippi discipulus; quodque Strabo narrat *lib.* 14. Ἡλιάδας, i.e. Ἡλίου, sive *Solis* filios aliquando Rhodum tenuisse, cujus mem. Cic. *lib.* 3. *de N.D.* Eust. *ad Odyss.* 2. Ἅλιον ὅπερ ἦν ἡλίου ἱερὸν καὶ Ῥοδίοις. Aristides etiam cùm Rhodon vocasset urbem Solis, & ὅτι τήνδε τὴν νῆσον ἀνάγειν ὑπὸ τῇ θαλάττῃ, καὶ κεκρυμμένην Ἡλίῳ δῶρον ἀνεῖσαν θεοί, addit; καὶ τὸν μὲν τῶν Ἁλίων ἀγῶνα ποιήσει. Castellus.

Haliacmon, fluv. Macedoniæ. Plin. 35. 2. Pecora candida reddens. Vide *Aliacmon*.

Haliartus, urbs Bœotiæ. Strabo *lib.* 9 ab *Haliarto* Thersandri filio condita. Steph. Statius 7. *Thebaidos*,

> *Gargaphie quorumq; novis Haliartus aristis*
> *Invidet.* — — —

Est & Peloponnesi oppidum.

Halica, nomen mulieris.

Halicarna, vide *Chalcis*.

Halicarnassus, Cariæ civitas maritima, ad sinum Ceramicum Argivorum colonia, in quâ Mausolei quondam nobilissimum opus extabat. Patria Herodoti, & Heracliti poetæ, Callimachi socii, ac Dionysii historici, qui res Romanas conscripsit. Regia olim Cariæ fuit. *Isthmus* aliàs dicta. Diod. *lib.* 17. Plin. *lib.* 36. Strabo *lib* 14. Nunc *Mesi* vel *Messi* Sophiano. *Castel di S. Pietro* Negro. Inter Jasum ad Bor. & Cnidum ad Austr. Non longè Salmacis fons est, homines reddens effœminatos. Metam. *lib* 4. Ferrar.

Halicia, opp. Russiæ nigræ, in tractu *Pocucia*, ad Tyram fluv. cum arce munita. Olim magni nominis, & caput regni *Haliciensis* Pòst Duces suos habuit. Nunc deficit in dies.

Halicya, urbs Siciliæ. Steph. Inter Lilybæum & Entellam: Oppidani Ἁλικυαῖοι Diodoro Siculo. Ciceroni ac Plinio *Halicyenses*. Vide sis Cluverium.

Halicyrna, urbs Acarnaniæ. Steph.

Halies, maritima urbs Laconicæ. Steph. Vide illum, ubi origo nominis, quòd nimirum ad mare sita sit. Schol. Thucydidis *Peloponnesi urbem* vocat, ad Trœzenem in Argolicâ reg. *libr* 1. Ἁλιαί, πόλις Πελοποννήσου περὶ Τροιζῆνα τῆς Ἀργολικῆς μοίρας. Postea *Tirynthis* dicta. Vide Steph. in Τίρυνθος.

Halimede, nympha. Vide *Damascus*.

Halitgarius, Episc. Cameracensis & Atrebat. post Hildoardum, Anno 816. Danis, cum Ebbone Remensi, concionatus: à Ludovico Pio ad Michaelem Balbum missus, an. 828. in reditu obiit, an. 830. Scripsit de Virtutibus & Vitiis, de Remediis peccatorum & pœnitentia, &c. Canisius edidit, *T.* 1. *ant. lect* vide Baldric. *Chron. Camer.* & Auctores laudatos Moretio *Diction. Histor.*

Halizon, fluvius.

Halizones, pop. Paphlagoniæ, sic dicti, quòd undique mari circumdentur. Stephanus hos populos inter Mysiam, Cariam, ac Lydiam habitasse scribit ex Ephoro; & ita dictos videri tanquam Ἀλαζόνες, quòd divitiis suis superbirent.

Halla Sueviæ, urbs libera ad Cockerum amnem, in confin. Duc. Wirtemberg. 8. leuc. à Nerolingâ in Circ. 6. à Wimpina in Ort. Inter præruptos montes; à salinis initium & nomen adepta: Fontes enim ibi aquâ salsâ fluentes, jam Ptolemæi temporibus conspecti. Officinas salmarias habet III. Sedes olim Nobilium fuit, qui turribus lapideis, instar castellorum, ibi extructis, eam *Sibenburgum* vocaverant. Suevis adversus Francos præsidium præbuit, ludis torneamentisque nobilitata. Palæstræ locus à Cæsaribus priscis datus iis, qui duello justitiam causæ suæ tum demonstraturi erant. Cujus legis Carolus Imper. auctor habetur, qui eodem loci ludos Germanis exhibuit, & duelli judicium ad Senatum Populumque Hallensem transtulit. Hallensium vexillum in expeditionibus Imperii inter antecursores & rorarios est, rubro & flavo colore, mortis vitæque signo. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cab.* 26. Dividitur urbs à Cockero in duas partes, sc. urbem & suburbium, quæ ponte junguntur. Joh. Brentium doctorem habuit, A. C. 1530. Ab urbe hac dicti *Hallenses*, Germ. *Heller*, minutissimæ monetæ usualis genus, quod ibi loci primò signatum. V. Christ. Becmannum *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civilis*, *cap. de Commerciis*.

Halla Saxon. super. urbs satis culta Misniæ, sub proprio Duce, qui etiam possidet territor. adjacens, cum media parte Thuringiæ locisque aliquot in Duc. Magdeburg. cujus pars hæc urbs, à 4. salis fontibus vocata. Initio fuit pag. *Dobreder* dictus, qui Anno 981. ab Othone II. Imper. in urbem est conversus. 5. leuc. à Lipsia in Bor. 3. à Merseburgo, 10. à Magdeb. in Austr. Ejus meminit Sylloge Scriptorum Germ.

> *Halla urbs est doctis, divitibusq; potens.*

Halla, apud Francos forum dicitur illud rerum venalium, quod à leprosorum Conventu extra Parisios comparatum, Philippus Augustus intra urbem statuit, loco qui dicebatur *Campelli*: ubi amplissimis ædibus extructis merces sine imbrium molestia à mercatoribus exponerentur. Gaguinus in *Philippo Aug.*

Hallandia, prov. Daniæ, sub Suecis, ab Anno 1645. pace ad Bromsbroam. Pars est Gothiæ Merid. à Sept. in Mer. per 600. m. p. extensa, juxta Sinum Codanum. Lata vix 15. m. p. ab Ortu in Occ. Habet ab Or. & Sept. Westrogothiam, ab Occ. sinum Cod. à Mer. Scaniam. Ibi urbes Falcoburgum, Helmostadium, Laholmia & Varburgum.

Hallense fanum, Hallis Hanoviæ municipio celebre, longinquo cursu & prodigiis, quibus testatam Numinis præsentiam accolis persuasum. Hæc Justus Lipsius latinâ facundiâ illustravit, quo velut pignore Romanam religionem & Imaginum reverentiam obsignaret. Quanquam contra alii scripto differuere, notas Sacerdotum fraudes, aliaque in quæstum conficta, plura, quæ miracula dicantur, fortè aut naturâ accidisse: & tamen veteres Magos Ægypti maximè Tyaniumque & alios damnandi cultus Magistros, cùm sua placita operibus stupendis firmaverint, argumento esse nobis, demum iis habendam fidem, quæ uni Deo animos allegant, non alias asciscunt tutelas, nec simulacrorum vetitâ superstitione pietatem corrumpunt. Hugo Grotius *Hist. Belg. lib. 7. ad A. C.* 1578.

Hallus Josephus, Leicestriâ Anglus, Episcopus Exoniensis, dein Norvicensis. Scripsit in varia loca S. Scripturæ, Angl. 3. Vol. fol. Londini Anno 1647. 1660. &c. Urbano VIII. oppressis in Gallia Protestantibus circà A. C. 1628. insultanti opposuit se scripto edito, *c. triumph. Urbani* 8. Obiit an. 1656. æt. 80.

Halmus, Sisyphi fil. frater Porphyrionis, filiam habuit Chrysogonem, ex quâ & Neptuno natus est Minyas Orchomeniorum rex. Alii tamen volunt ex Jove & Hesione filiâ Danai natum esse Orchomenum, qui Orchomeno Bœotiæ urbi nomen imposuit, & ex Hermippe Bœoti filiâ Minyam genuit, quem tamen multi Neptuni filium esse volunt, quamvis Orchomeni fil. vulgò haberetur.

Halmydessus, urbs Thraciæ, Pomponius 2. 2. *Almydessus* Ptolemæo, *Salmydissus* Xenophonti, *Stagnara* hodiè Moletio.

Halmyris, lacus Mysiæ infer. quem Danubius efficit. Plinius *lib. 4. cap.* 12.

Haloa, Hesychius: Ἁλῶα ἑορτὴ Ἀθήνησι. Cujus verò Dei fuerit, haudquaquam exprimit, ut neque Harpocration & Suidas, qui tamen ex Philochoro nominis originem exponunt: Ἁλῶα ἑορτή ἐστιν Ἀττική, Φιλόχορος δέ φησιν ὀνομασθῆναι ἀπὸ τοῦ τότε τοὺς ἀνθρώπους τὰς διατριβὰς περὶ τὰς ἅλως ποιεῖσθαι. Ubi indicare videntur, hoc festum ab agricolis observatum, cùm ad messem accingerentur. Eust. *ad Iliad.* 1. Cereris & Bacchi sacrum esse ait, quod comportatis in horrea frugibus agitatur. Ἱστέον δὲ ὅτι ἐπὶ συγκομιδῇ καρπῶν, ἐφ' ᾗ καὶ τὰ Θαλύσια ἔθυον, ἑορτὴ ἤγετο Δήμητρος καὶ Διονύσου κατὰ Παυσανίαν, Ἁλῶα καλουμένη, διὰ τὸ τὰς ἀπαρχὰς, καὶ μάλιστα ἐν Ἀθήναις, ἀπὸ τῆς ἅλω τότε καταχρᾶσθαι φέροντας εἰς Ἐλευσῖνα, Castellanus.

Halona, Leuncl. *Solbazar*, opp. Joniæ, in confin. Cariæ, apud Mæandrum fluv.

Halone, inf. Propontidis ante Cyzicum, op. habens ejusdem nominis. Plin. 5. *ult.*

Halonnesus, inf. maris Ægæi prope Thraciam, quam aliquando, omnibus qui mares erant, cæsis, tantùm fœminæ tenuisse dicuntur. Mela *l.* 2. Ob hanc insulam Philippus & Athenienses inter se contenderunt. Est & alia Joniæ. Steph.

Halotus Spado, qui Claudio inferre epulas & explorare gustu solitus, infudit delectabili cibo boletorum venenum, à Locusta datum, Agrippinæ jussu. Tacit. 12. 67.

Haluntium, opp. Siciliæ excisum. Vid. *Alontium.*

Halsius campus, vide *Tragasa.*

Halus, civitas Achaiæ, & Phthiotidis. Parmeniscus aliam facit Malliacam Achilli subditam, aliam Protesilao. Vide Steph. Parthicum opp. Tac. 6. 41.

Halwilla, oppidul. seu castrum vetus Argoviæ, unde nobilissimæ familiæ nomen: ad effluxum fluv. Aa è lacu cognom. *der Hallweiker see.* A Bernensibus, qui Thuringum Hallvillanum sæpius infestum senserant, in cineres redactum, circa A. C. 1415. postea reparatum est. Vid. Stumpf. *l. 7. de Argovia, c.* 35.

Halyatus, proprium viri, qui mutatus fuit in avem sui nominis. Lege *Halyaetus.* Fuit autem Nisi nomen. Ovid. *Met.* 8.

—— *Nam jam pendebat in auras,*
Et modò factus erat fulvis Halyaetos alis.

Halyattes, Lydiæ rex, Croesi pater, qui ab eo *Halyatticus* cognominatur. Horat. *Carm. l.* 3.

Quàm si Mygdoniis regnum Halyattici
Campis continuem.

Halycidon, est portus Massiliensis. Baudr.

Halys Cyzicenus, à Polluce, in conflictu nocturno interemptus. Val. Flacc. *lib. 3. Vers.* 157.

Halys, quibusd. *Calis*, flu. Asiæ min. in Tauri montis radicibus nascens, Cappadociæque, Syriæ ac Paphlagoniæ agros irrigans, ac tandem contra Aquilonem in Euxinum mare se evolvens. Baudr. fontes habet in Galatia, ubi juxta Gangre labitur, & rigatis aliquot urbibus Galatiæ & Paphlagoniæ, ibi in sinum Amisenum cadit 20. mill. ab Amiso in Ort. Ovid. 4. *Pont. Eleg.* 10.

—— *Crebro vortice tortus Halys.*

Crœsi fato nobilis erat olim hic fluvius. Oraculum notum est,

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν διαλύσει.

Recitat aliquoties tum Suidas, tum alii. *Sed oraculo Crœsus deceptus, quum regnorum opes expectaret, suas profligavit*, Cic. *de Divinat.* Lucanus,

Quâ Crœso fatalis Halys. ——

Halyzia, opp. Epiri, nunc *Alcipo*, ad dextram Acheloi ripam. Baudrand. Quibusd. nunc *Trigordon*, ubi magna supersunt antiquitt. vestigia. Hìc Lacedæmonii ab Atheniens. mari devicti sunt. Xenoph.

Ham sive *Hem*, lacus in tribu Gad, in quo olim habitaverunt Zuzim vel Zozim, hoc est, *terricrobusti*, horrendique gigantes.

Hamadryades, nymphæ. Virgil. *Eclog.* 10.

Jam neque Hamadryades rursus, nec carmina nobis
Ipsa placent. —— ——

Ubi Servius: *Nymphæ*, inquit, *sunt*, *quæ cum arboribus nascuntur & intereunt*, ἀπὸ τοῦ ἅμα, καὶ τῆς δρυός, qualis fuit illa, quam Erisichthon occidit. Ovid. *Met.* 8. quæ moriens ait:

Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno.

Catullus *Hamadryades Deas* vocat, & posuit pro Naiadibus, vel Napæis, ut vice versâ Naias pro Hamadryade posita legitur apud Ovidium,

Naiada vulneribus succidit in arbore factis,
Illa perit: fatum Naiados arbor erat.

Et Propertius *in fabulâ Hylæ*, Hamadryadas posuit pro Naiadibus,

Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.

Sic alibi,

Hoc & Hamadryadum spectavit turba sororum.

Idem *lib. 2. el.* 34.

Quamvis ille suâ lassus requiescit avenâ,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.

Apollonius *lib. 2. Argonauticôn:*

—— Ὁ γάρ οἱ ἐν οὔρεσι δένδρεα τέμνων
Δή ποθ' Ἁμαδρυάδος νύμφης ἀθέριξε λιτάων,
Ἥ μιν ὀδυρομένη ἀδινῷ μειλίσσατο μύθῳ,
Μὴ ταμέειν πρέμνον δρυὸς ἥλικος, ᾗ ἔπι πουλὺν
Αἰῶνα τρίβεσκε διηνεκές. αὐτὰρ ὁ τήν γε
Ἀφραδέως ἔτμηξεν ἀγηνορίῃ νεότητος.

Ubi Scholiastes: Ἁμαδρυάδας νύμφας Μνησίμαχός φησι διὰ τὸ ἅμα ταῖς δρυσὶ γεννᾶσθαι ἢ ἐπεὶ δοκοῦσιν ἅμα ταῖς δρυσὶ φθείρεσθαι Ἁμαδρυάδες λέγονται. Χάρων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς ἱστορεῖ, ὡς ἄρα Ῥοῖκος θεασάμενος δρῦν ὅσον οὔπω μέλλουσαν ἐπὶ γῆς καταφέρεσθαι, προστάξαι τοῖς παισὶν ὑποστηρίξαι ταύτην, ἡ δὲ μέλλουσα συμφθείρεσθαι τῇ δρυῒ νύμφη, ἐπιστᾶσα τῷ Ῥοίκῳ, χάριν μὲν ἔφασκεν εἰδέναι ὑπὲρ τῆς σωτηρίας, ἐπέτρεπεν δὲ αἰτήσασθαι ὅ, τι βούλοιτο. Ὡς δὲ ἐκεῖνος ἠξίου συγγενέσθαι αὐτῇ, ὑπέσχετο δώσειν τοῦτο, φυλάξασθαι μέντοιγε ἑτέρας γυναικὸς ὁμιλίαν παρήγγειλεν, ἔσεσθαι δὲ μεταξὺ αὐτῶν ἄγγελον μέλισσαν, καί ποτε πεσσεύοντος αὐτοῦ παρίστατο ἡ μέλισσα. Πικρότερον δὲ ἀποφθεγξάμενος, εἰς ὀργὴν ἔτρεψε τὴν νύμφην, ὥστε πηρωθῆναι αὐτόν. Καὶ Πίνδαρος δέ φησι περὶ νυμφῶν ποιούμενος τὸν λόγον,

Ἰσοδένδρου τέκμαρ αἰῶνος λαχοῖσαι.

Hama, opp. Campan. in monte, apud Cumas, urbem excisam, ubi sylva adhuc *Selva ae Hami*, à lacu Tripergolino parum, à Cumis 3. m. p. distans.

Hamanici, pop. Sarm. Eur. in ora Mœoticæ pal. inter ostia Borysthenis & Tanais. Forsan *Hamaxici.*

Haman, vide *Aman.*

Hamata & Asellata, factionum in Belgio nomina, vulgò *de Hoeckschen en de Kabeliauschen*, quorum illi Margaritæ, Ludovici Bavari uxori addicti erant, isti Wilhelmo Margaritæ filio favebant. Eodem tempore in Anglia Rosæ albæ & rubræ: in Rep. Veneta Morosinorum & Caloprinorum: in Frisia *van de Schiringers ende Vetkopers*: In Flandria *van de Witte Munkskappen*, & prius in Germania Italiaque Gibellinorum & Guelphorum dissidia fervebant, Vid. Aventin. Annal. Bojor. *libr.* 7. Boxhorn. *Hist. Univ.* ad A. C. 1411. Item 1125. &c. & supra in voce *Asellata.*

Hamathæus, filius Chanaan. Gen. 10. Inde *Hamathæi* terræ *Hamath* incolæ, quorum metropolis Hamath est Antiochia, si Olympiodoro credimus, & Paraphrastis Jonathani & Jerusalem, & Rabbino Solomoni. Sed obstat quòd in scripturis toties *ad introitum Hamath* Septentrionalis figitur Terræ sanctæ terminus, quam nemo locorum peritus Antiochiam attigisse dixerit. Huic dubio facile est occurrere ex Hieronymo, qui *Hamath*, vel *Hemath* duplicem fuisse statuit, quarum una sit Græcorum *Antiochia*, altera *Epiphania.* Illam addit vocari *magnam.* Amos 6. 2. ad distinctionem minoris, Epiphaniæ scilicet.

Hamaticum, vulgò *Hamay*, locus Flandriæ, ad Scarpim fluv. in diœc. Atrebatensi, cum cœnobio, à Gertrude avia materna Adalbaldi Rictrudis viri condito. Vide Hadrianum Valesium *Not. Gall.*

Hamaxa, regio Bithyniæ. Steph. Item sidus quod nos Septentriones dicimus, à figurâ, quia plaustri simile videtur. Gellius 2. 21. Homer. *Odyss.* ε.

Ἄρκτον θ' ἣν καὶ Ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.

Leander apud Musæum,

Καί μιν ἐποπτεύων σὸν ὄψομαι δύντα Βοώτην,
Οὐ θρασὺν Ὠρίωνα καὶ ἄβροχον ὁλκὸν Ἀμάξης.

Hamaxantina, pars tribûs Hippothoontidis. Steph.

Hamaxia, civitas asperæ Ciliciæ. Steph, *ex Strabone*.

Hamaxobitæ, vel *Hamaxobii*, pop. Sarm. Europææ. Versus confin. parvæ Scythiæ, ubi nunc pars Merid. Moscoviæ:

Quorum plaustra vagas rite trahunt domos.

Uti loquitur Horatius. Sic etiam Africæ populi quidam vocari possunt, de quibus Silius Italicus,

Nulla domus, plaustris habitant, migrare per arva
Mos atq; errantes circumvectare penates.

Hamburga, munita, præclara & maxima infer. Saxoniæ urbs. Olim sedes Archiepiscopatus, qui postmodum à Præsule Ansgario Bremam translatus est, an. 830. Ludovico Germ. assentiente. Nomen habet ab *Hammone*, qui eam instauravit, unde Latinè *Hammanisburgum* F. Irenico dicitur. Alb. Crantzius ab *Hama*, insigni pugile nomen accepisse existimat, qui à Starcathero Dano gigante hoc loci, ante urbis ædificationem, occisus perhibetur. Aliis potiùs dicta videtur, à voce *Ham*, i. sylva, seu saltus, quòd olim silva inter Alsteram & Billam flum. *Ham* dicta, ibi fuerit. Addunt quidam, Dominos de Ham, tempore Caroli M. ibi locorum condidisse arcem, quam *Hamburg* appellarint. Sed Hamburgum à Carolo M. contra Danos conditum, an. Chr. 809. Crantzius vult *lib*. 2. qui etiam Hamburgensem Episcopatum, ubi primus Antistes Heridagus fuit, instituit. Idem. E cujus successoribus Anscarius floruit, an. 826. Dominum olim habuit Albionem Nord-Albingorum principem, Wittikindi patruelem, cum quo Christianam fidem amplexus est. Dein Hermannus Billingus, inf. Saxoniæ Dux ab Ottone I. creatus, Hamburgum rexit, & post eum fil. Benno: cujus posteritate extinctâ, Lotharius Saxoniæ Dux, Adolfo Comiti Schawenburgi, regimen Holsatiæ & Hamburgi commisit, quod hic tenuit usque ad an. 1137. Ejus nepos Adolphus III. acceptâ magnâ pecuniæ summâ, ampla civitati privilegia concessit, quæ à Friderico Barbarossa confirmata sunt. Hoc absente ab Henrico Leone urbs eversa, sed ab Adolpho ex Oriente reduce recuperata est: quo tamen paulo pòst à Waldemaro duce Slesvic. fratre Canuti Regis Daniæ, victo, an. 1203. Rex Albertum, Comitem Orlamundensem, Hamburgo præfecit, qui Senatui 150. marcis auri jus suum vendidit: viâ sic urbi ad libertatem factâ, quam postea Adolphus IV. confirmavit: à quo tempore libera civitas titulotenus tantùm sub imperio Holsatiæ Comitum fuit. De controversia inde inter civitatem & Holsatiæ Duces obortâ, vide Limnæum Enucl. *lib*. 4. *cap*. 25. Fridericus II. Daniæ R. cum civibus, qui jam per totum sexennium à portubus Daniæ, Norvegiæ & Islandiæ exclusi erant, transegit an. C. 1579. naves illorum dimisit, novumque vectigal sali impositum remisit, hac lege, ut intra quinquennium L. talerorum cIↃ. sibi solverentur. Thuan, *hist. lib. 68*. Status Reip. sensim ad puram Democratiam vergit. Bugenhagio, sub initium Reformationis, doctore usa, Lutheri doctrinam sequitur; acerrimeque se Joachimus Westphalus, Reformatis, qui sub Maria Reg. Angliæ ejecti huc appulerunt, an. Chr. 1554. se opposuit. Horum tamen non contemnendus hodie ibi cœtus, quibus ad sacra sua, in vicinum pagum Daniæ Regi subjectum *Altena*, excurrere permissum. Vide Limnæum supra laudatum, Lætum *Comp. hist. Universalis*. Aquis est instructissima, & ad mercaturam situ admodum opportuno, ac Anglorum frequentiâ hodie celeberrima. Mœnibus, fossis, vallo, divitiis & incolis, nihil Hamburgâ cultius, nihil munitius videri potest. Ex præcipuis est Hanseaticarum, 16. mill. Germ. à Brema in Bor. 6. à Stada in Ort. Cum portu capaci, quò navigia supervehuntur per Albis æstuar. Ibi Alstera amnis in Albim cadit. 18. mill. Germ. ab Albis ostio in Ort. Crescit in dies; Baudr.

Hamdan, filius Disan. Gen. *cap*. 36. qui 1. Par. *cap*. 1. *Hamram* dicitur.

Hamela, urbs Duc. Brunsuic. inter Hildesium ad Ort. & Padebornam ad Occ. sub Hannoveræ Duce. Hic magus, ob non solutum pretium, quòd glires submersisset, 130. liberos civium monte obruit, an. Chr. 1284. unde nova Hamelensibus ratio numerandi annos. Calvis. *ex Hist. Hamelensi*. Vallem urbis obequitans Christianus IV. an. 1625. lapsu equi in fossam profundam, malo omine prolapsus est. Hîc quoque Austriaci à Suecis gravi clade bello Germ. afflicti.

Hameltonus Patritius, suo martyrio lucem Evangelii in Scotia accendit, circa an. Chr. 1544. quo tempore doctrinâ suâ idem præstitit Joh. Cnoxus, aliique, Buchan. *lib*. 15. *&c*.

Hamilcar, binominis fuit. Æmil. Probus, sive Corn. Nepos in *ejus vitâ*, quæ sic incipit: *Hamilcar, Annibalis filius, cognomento Barca*. Polyb. *lib*. 1. *Οἱ δὲ Καρχηδόνιοι μετὰ ταῦτα στρατηγὸν καταστήσαντες αὐτῶν Ἀμίλκαν τὸν Βάρκαν ἐπικαλούμενον*. Diod. Sicul. *in Fragm*. *Ἦν γὰρ υἱὸς Ἀμίλκου τοῦ Βάρκα ἐπικαλουμένου*.

Hammaum littus, Ptol. *Ammonium*, promuntorium Arabiæ Fel. in ora maris Rubri, *Capo d'Aden* Moletio. Ibi aurum. Plin.

Hammanienses, pop. Africæ inter Nasamones ac Troglodytas: ubi domus ex sale fiunt, teste Solino, *cap*. 3. qui etiam ibi carbunculum gemmam reperiri tradit.

Hammaria, urbec. Episc. Norvegiæ, in præf. Aggerhusia, in confin. Dalecarliæ prov. Suecicæ, 30. leuc à Bergis in Ort. 25. ab Asloga in Bor. Vulgò *Hammeren*, vel *Hammer*.

Hammodara, opp. inter Ægyptum & Æthiopiam. Plin. 6. 29.

Hammon, Tritonis Noë nepotis filius, rex Asiæ, qui Rheam accepit in uxorem. Berosus *lib*. 4.

Hammonii, seu *Ammonii* Ptol. pop. Arabiæ Fel. ad Ammonii, seu Hammonium littus.

Hammonis Jovis fons, interdiu frigidus, noctibus fervet. Vide *Ammon*.

Hammus, non obscurus locus, ad Suminam, à Francis conditoribus, nomine Francico *Ham*, quod vicum seu domum, & habitaculum, sicut hodiernum *Haim*, notat, dictus. Vulgò *Han*: Picardis *Hen*. Ad idem flum. est minor Hammus, *Petit Hen*. Plurima alia loca hoc nomine venientia, Vide apud Hadr. Valei. *Not. Gall*.

Hamon, Jovis cognomen, qui in arena putatur inventus, quæ Græcè hoc nomine *ἄμμος* appellatur: Ei cornua affinguntur arietis, à genere pecoris, inter quod inventus est. Mela de Cyrenaicâ, *lib*. 1. *cap*. 8. *In eâ Ammonis oraculum*. Mirum autem est, Ammonis oraculum poni ab omnibus ferè Græcis Latinisque in Cyrenaicâ, & vicinum ipsis Cyrenis, cùm tot intersint gentes, & quadringentis, ut ipsi fatentur, distet ab eâ millibus. Sed variè accipitur Cyrene, vel Cyrenaica. Sæpissimè enim ponitur pro Pentapolitanâ provinciâ. Modò verò multo latiùs id vocabulum patet, accipiturque pro eâ regione, quam sub hoc nomine Ptol. describit. Cùm verò quàm latissimè sumitur Cyrenaica, tum comprehendit omne id, quod à Syrti Majore usque ad Ægyptum extenditur. Itaque sub hoc nomine veniunt tota Marmarica, & Libya exterior. His contrarii sunt illi, qui totum hunc tractum Marmaricam vocant, ipsamque etiam in eâ collocant Cyrenaicam. In situ Ammoniaci templi non minor est auctorum discrepantia. Nonnulli enim proximè Syrtibus, quidam in Garamantum regione, alii alibi esse inquiunt. Mirus verò Geographus est Lucanus, qui modò in Marmaricâ, modò ad Syrtin majorem inter Leptin & Berenicen, modò verò apud Garamantas templum hoc collocat, uti *libro* 9.

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent: stat certior illic
Jupiter, ut memorant, sed non ut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Hammon.

Ita Vossius emendat hos versus ex antiquissimis membranis, ubi vulgò, *Stat corniger illic*, quod ineptum isto loco, cùm sequatur statim, *sed tortis cornibus Ammon*. *Certior* autem Jupiter vocatur *Ammon*, quia ut inquit Arrianus *lib*. 3. *Ἀτρεκὲς ἐλέγετο εἶναι τὸ μαντεῖον Ἄμμωνος*. Plures verò, uti diximus, Oraculum istud in ipsâ putarunt esse Cyrenaicâ, cùm tamen neque imperium, neque nomen Cyrenensium unquam eò pertigerit. Sed nisi fallor, quia Cyrenenses hunc præcipuè Deum colerent, ac sibi solis cultum ejus attribuerent, factum est, ut in Cyrenaicâ templum ejus esse multi existimarint. Pindari eruditus Scholiastes idem ferè sensisse videtur *ad Odam 4. Pyth*. ubi Cyrene collocatur *Διὸς ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις*. Hæc enim annotavit ad istum locum, *Πῶς τὴν Κυρήνην τοῦ μαντείου πλησίον εἶναί φησι; ἀπέχει γὰρ ἱκανοῖς σταδίοις. Ἀλλὰ ῥητέον ὅτι πᾶσα ἡ χώρα ἀφιέρωται τῷ θεῷ*. Hinc est, quòd in multis Cyrenæorum nummis imago Ammonis compareat.

Hamon, civitas Nephthali. 1. Par. 6.

Hamoth-odor, civitas tribûs Nephthali. Jos. 21. Levitis & profugis homicidis assignata.

Hamptoni Curia, castrum Angliæ, in Midlesexia prov. cum palatio superbissimo Regum, à Thoma Volsæo Cardin. excitato, & ab Henrico VIII. perfecto, ad Tamesin fluv. 8. mill. supra Londinum in Occasum.

Hamram, vide *Hamdan*.

Hamuel, filius Masma. 1. Par. 4.

Hamul, filius Pharez. Gen. 46.

Hamum, urbs Westphaliæ, ad Lippiam fluv. in Comit. Marchiæ, & confin. Diœc. Monaster. 5. leuc. Germ. à Monasterio in Austrum, Arensbergam versus, sub Elect. Brandeb. Quibusdam *Hamma*; estque urbs Hanseatica. Vide *Hammus*.

Hamum seu *Hametum*, urbec. permunita Picardiæ, in Veromanduis ad Somonam fluv. media ferè inter Peronam ad Bor. & Noviodunum ad Austr. 4. leucis à Quintinopoli. Vide similiter in voce *Hammus*.

Hanan, fil. Maacha. 1. Par. 11. Filius Sirac. 1. Par. 8. Filius Asel, 1. Par. 8. Filius Igdaliæ. Jerem. 35.

Hananeel, filius Sellum. Jerem. 31.

Hananeel, nomen turris Jerusalem. 2. Esdr. 3.

Hanani, pater Jehu prophetæ. 3. Reg. 16.

Hananias, pater Selemiæ, Jerem. 27. Pater Zedechiæ principis, Jerem. 6. Filius Zorobabel, 1. Par. 3. Nomen prophetæ, Jer. 28. Item comes Azariæ, & Misaël.

Hanapis, fluv. Scythiæ. Herodot.

Hanathon, civitas in terrâ Zabulon. Jos. 19.

Hanco Fortena, Friso, sub diversis Principibus rerum à se gestarum scriptor. Suffridus Petri, *descr. Fris. decur*. 6. c. 6.

Hanes, civitas Ægypti. Isai. 30.

Haniel, filius Olla. 1. Par.7. Filius Ephod, princeps tribûs Manasse. Num.34.

Hannebontum, vulgò *Hennebont*, opp. Britanniæ min. aliàs permunitum, ad Blabiam fluv. 4. leuc. ab ora Oceani Aquit. 3. à Blabia opp. in Bor.

Hanni, nomen viri. 2. Esdr. 12.

Hannibal, vide *Annibal*.

Hanno, Episcopus Coloniensis, liberavit Germaniam à latrociniis, auspiciis Henrici IV. Imp. an.Chr. 1072. Lætus *Comp. hist. Universalis*.

Hanno, vide *Anno*.

Hannonia, vulgò *le Hainault* Gallis, *Hannonia* Hispanis & Italis, *Hennegaw* Germanis, provincia est ampla Belgii, quam Scaldis fluvius alluit ex parte, & Henius amnis, unde regioni nomen, bifariam secat. *Pannonia* quibusdam primitus dicta videtur, à Pane ibi culto. Postea *Saltus Carbonarius*; exin *Picardia inferior*, tandem *Hannonia*. Longitudo ejus 20. leuc. latitudo 16. circiter censetur. Olim sub Nerviis seu Tornacensibus erat, postea sub propriis Comitibus, ad quos Comitatus quoque Hollandiæ pervenit, Johanne Comite sine liberis mortuo, circa an. C. 1299. Ortis dein in Hollandia turbis, & ferventibus Asellatâ ac Hamatâ factionibus, Margareta tandem filio Wilhelmo cedere, & *Hannonia* contenta esse coacta est, circa annum Chr. 1351. Comes Hannoniæ postea, tempore horrendi illius in Ecclesia schismatis, cùm Paparum alter Romæ, Avenione alter resideret, neutrum agnovit, ad imitationem Regis Aragoniæ, Ducis Britanniæ, & Reip. Leodiensis. Tandem Comitum stirpe extinctâ, ad Austriacos Comitatus matrimonii jure devenit: vastatus ab Henrico II. Gall. R. circa an.Chr. 1552. Aër ibi temperatus, solum fertile, & celebribus quibusdam fluminibus irriguum; marmoris insuper, ferri & plumbi ferax: Urbes fertur continere mœnibus cinctas 24. vicos 950. exceptis castellis quorum non exiguus numerus. Ibidem unus Principatus, octo Comitatus minores, duodecim Pariatus, viginti duæ Baroniæ, viginti sex Abbatiæ, cum Marescallo, Senescallo, Magno Venatore, Cubiculario, aliisque Principis Officiariis, quæ dignitates hæreditariæ sunt, esse dicuntur. Terminatur ab Oriente partim Comitatu Namurcensi, partim Brabantia, à Septentrione Flandria, ab Occidente partim Flandria, partim Artesia, à Meridie autem Picardia; subestque ex parte Regi Franciæ, & ex parte Regi Hispaniæ. Ejus primaria est Montes, quam Valentianæ sequuntur, quæ ambæ in medio ferè provinciæ sitæ sunt. Inter reliquas urbem Bavacum *Bavois*, quæ antiquis Cæsarum temporibus maximè floruit, notabilis viarum egressus memoratu dignam efficit. Vide *Via Brunehildis*, & plura de *Hannonia* apud Matth. Vossium *Annal. Hollandia*, Guicciardinum *descr. Belgii*, &c. Item in voce *Hainoum*.

Urbes Hannoniæ præcipuæ.

Anguianum, *Anguien*, sub dominio Hispanorum.
Athum, *Ath*, sub dominio Francorum.
Avenna, *Avesnes*, Francorum.
Binchium, *Binche*, Francorum.
Bochanium, *Bouchain*, Francorum.
Condatum, *Condé*, Francorum.
Landrecium, *Landrecies*, Francorum.
Mariæburgum, *Mariembourg*, Francorum.
Malobodium, *Maubeuge*, Hispanorum.
Montes, *Mons*, Hispanorum.
Philippovilla, *Philippeville*, Francorum.
Quercetum, *le Quesnoy*, Francorum.
Valentianæ, *Valenciennes*, Hispanorum.

Hannovera, vulgò *Hannover*, urbs Germaniæ; in Ducatu Brunsuicensi, egregiè munita, ad Leinum fluvium, & Ducum sedes, 3. leucis infra Hildesium in Boream Novostadium versùs, & 6. à Brunsuico in Occasum. Ejus Princeps, Johannes Fridericus, qui Catholicus est & ex Ducibus Brunsuicensibus, Georgii quippe Ducis Cellensis, minor natu filius, Coadjutor Osnabrugæ factus, possidet mediam partem Ducatus Brunsuicensis cum territoriis Calembergico & Grubenhagensi: ubi urbes Hannovera, Hamela, Embeca, Neostadium, Gottinga, Northeimum, & Osteroda. Præterito seculo fœderi Smalcaldico urbs inter alias Imp. civitates accessit, Sleidan.

Hannovia, regio Germaniæ. Est autem Comitatus, & pars Veteraviæ, cujus opp. præcipuum *Hannovia*, scholâ illustri, arteque Typographicâ dives, ac nobilis, à Francofurto 10. mill. Germ. Vide *Hanovia*.

Hanones, seu *Hannones*, Belgicæ populi.

Hanosbates, Chiliarchus Persa sub Rege Dario Hystaspis, cujus meminit Polyæn. *lib.7.* quamvis ibidem Interpres legat Rhanosbates.

Hanovia, vulgò *Hanaw*, oppidum permunitum Germaniæ, in Franconia, medium inter Francofurtum ad Occasum & Ascibugum ad Ortum. Proprio Comiti paret. Sedet ad Kintzium fluvium, qui paulò infra cadit in Mœnum; & varias Germ. bello expertum est vices. Vide & *Hannovia*.

Hansa, vox prisca Germ. id est, fœdus, concilium, unde *Hanseatica* civitates nomen traxere: quamvis alii à mari, ubi præcipuæ earum sitæ, quasi *an der See* vocitatas illas malint. Continentur hoc fœdere nòn tantùm civitates immediatæ, sed & aliæ; etiam extra Imperii limites sitæ. Initum fœdus hoc, pro securitate commerciorum, post confectum bellum Danicum, circa annum 1260. & firmius coiit, an. 1270. Aliis, ad an. 1206. imò aliius ad an. 920. quo Henricus Auceps palabundos Hunnos ad Danubium propulit, ejus primordia referentibus. A sinu Finnico usque ad Rheni ostia civitates extensæ, etiam alias in societatem admiserunt, quæ nempe jus claudendi & aperiendi portas suas haberent. Unde tantopere fœdus mox crevit, ut sub Henrico III. Angliæ R. 62. civitates in hoc corpus coaluerint, quibus postmodum quatuor aliæ accessere. Divisum est in 4. classes, membra seu Metropoles, Lubecensem, Coloniensem, Brunsuicensem & Borussiacam, cujus Danticum; sicut totius corporis Lubeca caput est: Vide infra. Præterea quatuor habuerunt emporia civitates hæ, Londinum in Britannia, Brugas in Belgio, Novigradiam in Russia, & Bergas in Norvegia. Gubernata primò Aristocraticè Societas fuit, cum ingenti mercatorum commodo, dein de Principe Teutonico tanquam capite constituendo deliberatum est, fuitque honor hic Magno Borussiæ Magistro delatus. Tandem à variis Principibus Regibusque expetita dignitas, exiguo societatis emolumento: quæ classe olim opibusque potentissima hodie plurimum imminuta est, à quo post an. 1500. decrescere cœpit. Vide Angelium Werdenhagen *in Centon* Waremundum ab Ehrenberg *de Fœderibus lib. 2. cap. 2. num.* 44. Conringium *de fœdere Hansico exercit.* qui Flandrorum & Hollandorum mercaturæ & rei nauticæ studium Hansicis multum detrimenti attulisse docet: Sic enim interceptus monopolii fructus, & mox præcipua nautici commercii vis ab illis ad Hollandos transiit. De quæstione, *An fœdus hoc licitum Legibus atq; Constitutionibus Imperii sit?* Vide Limnæum Enucl. *lib. 4. cap.* 1. certè Conringius modò laudatus non minimum id Imperii labem arguere, quòd adeò ingens societas nullâ auctoritate publicâ coierit, asserit, loco laudato. Interim à variis Imperatoribus fœdus hoc confirmatum, ostendunt alii: Apud eundem. Vide *Hanzeatica urbes*.

Hantonia, vulgò *Hantshire*, provincia est seu Comitatus Angliæ Meridionalis. Terminatur à Meridie mari Britannico & Vecti insula, ab Occasu Dorcetia & Viltonia, à Septentrione Berchería, & ab Oriente Sussexia; estque satis ampla & culta. Ejus caput est Vintonia, *Winchester*, suntque etiam in ea Suthamptonia, *Southampton*, oppidum lautum, Portus ostium, *Porthmouth*, & Rumiea, *Rumsey*, in mediterraneis.

Hanum, nomen viri. 2. Esdr. 3. Item oppidul. Comitatus Veromanduorum, captum à Philippo II. Hispaniæ R. an. 1557. sed anno seq. Henrico II. Gall. redditum. Metel. Vide *Hammum*.

Hanun, filius Naash, regis Ammonitarum. 2. Reg. 10.

Hanzeatica, seu *Anzeatica* urbes, *les Villes Anzeatiques*, urbes sunt Germaniæ pro majori parte, quæ commercii causâ convenerunt post piratica Danorum & Normannorum bella, fœdusq; inter se inierunt; & collatis pecuniis, etiam classes instruxerunt, & multa bella gesserunt. Sed nunc urbium illarum fama multùm imminuta est. Sic dicta fuere aut à veteri voce Germanica *Hansa*, hoc est, *Assemblée*, aut à nomine Teutonico *Hansa*, hoc est, immunitas; quia illæ urbes multis privilegiis gaudebant. Porrò in quatuor provincias distinguntur, Lubecensem scilicet, Coloniensem, Brunsuicensem, & Gedanensem; habentque sibi sociatas urbes sexaginta quatuor, nimirum Vandalicas sex, Pomeranicas septem, Borussicas sex, Livonicas tres, Saxonicas tredecim, Westphalicas decem, Clivicas seu Marchicas sex, Transisalanas tres, Gueldricas septem, Frisiacas tres. Lubeca, *Lubeck*, caput est totius Anzeatici fœderis. Habet autem junctas sibi civitates Vandalicas quinque, Hamburgum nempe, Rostochium, Wismariam, Stralsundam, & Luneburgum, ac præterea Pomeranicas, Stetinum, Anclamum, Golnoviam, Gripsvvaldiam, Colbergam, Stargardam, & Stolpam. Colonia Agrippina, *Cologne*, quæ an. 1481. Hanzeaticarum urbium numerum auxit, primaria est secundæ regionis civitas; habetque sibi sociatas urbes Clivenses & Marchicas, Vesaliam, Duisburgum, Emericum, Warburgum, Unnam, Hammam; tum Westphalicas, Monasterium, Osnabrugum, Tremoniam, Susatum, Herfordiam, Paderborniam, Lemgoviam, Bilefeldiam, Lippiam, & Cosfeldiam; tum Gueldricas, Noviomagum, Zutphaniam, Ruremundam, Arenacum, Venloam, Elburgum, Hardervicum; & Transisalanas, Daventriam, Campos, Zuvollam; ac denique Frisicas, Groningam, Bolsverdiam, & Staveram. Brunsuicum, *Brunswick*, primaria tertiæ provinciæ Hanzeaticæ civitas, habet sub se urbes Saxonicas, Magdeburgum, Goslariam, Embecam, Gottingam, Hildeshemium, Hannoveram, Usam, Buxtehudam, Stadam, Bremam, Hammelam & Mindam. Gedanum, *Dantzick*, primaria Prussiæ civitas, habet sub se Regiomontem, Calmariam, Torunium, Elbingam, Brunsbergam, Livonicas quoque urbes, Rigam, Dorpatum, & Revaliam. Est & in Norvegia Berga, *Bergues*, juris Hanzeatici. Vide quoque supra in voce *Hansa*.

Haoax, vulgò *Haoax*, fluvius Africæ, oritur è vastis montibus in Abassinia, in confinio provinciarum Xaoæ & Ogge; auctusque undis alterius fluminis dicti Machi, Orientem versùs excurrit

currit in regnum *Adel*, quod vulgò à Lusitanis appellatur regnum *Zeila*, cujus metropolim, dictam *Auca Gurrele*, præterlabitur. Dicitur hic aquarum mole nihilo minor esse Nilo, & 600. millia passuum cursu suo conficit; & quod Ægyptiis Nilus, id ipsum regno Adelis præstat fluvius Haoax, teste Isaaco Vossio.

Hapham, filius Hir. 1.Par. 7.

Haphnia, vulgò *Coppenhagen*, urbs est Selandiæ insulæ & Daniæ regni primaria. Distat 9. leucis à Varingburgo in Boream Elsenoram versùs; fuitque obsessa per aliquot menses à Rege Sueciæ hisce posterioribus annis, irrito tamen conatu. Dicitur etiam *Hafnia*, Vide ibi.

Haphra, qui & *Apries*, Ægypti rex.

Haphrataim, civitas in tribu Zabulon. Jos. 19.

Haphsiba, mater Manasse regis. 4.Reg.21. Lat. *Voluntas mea in ea.*

Happhim, filius Machir. 1.Par.7.

Hapselia, vulgò *Hapsel*, urbs Livoniæ, in Estonia provincia & Vickeslandia regiunc. ad sinum parvum cognom. in ora maris Baltici. Antea Episcop. sub Archiep. Rigensi. 2. leuc. Suec. à Lehalio in Bor. 11. à Revalia in Occ. sub Suecis.

Harad, sive *Harada*, fons, sive locus in quo castrametati sunt Israëlitæ profecti de Sepher. Num. 33.

Haraja, pater Eziel. 2.Esdr.3.

Reges Angliæ.

Haraldus I. fil. nothus Canuti I. patri successit in Anglia, exclusо Canuto II. filio ejus legitimo, quem Angli surrogatum ibant. Vitiis deditus, Canuti patris uxorem pepulit, ipse subditis invisus decessit, A.C.1039. regni 4. Guil. Malmesbur. *Polydorus* Virg. & Chenius *hist. Angl.* Rogerus, &c.

Haraldus II. Anglorum rex, Comitis Godvvini filius, Tosto fratri regnum invidens, Haraldum Norvegiæ regem, spe regni prædæque, in fratrem commovit. Lloyd. Electus post mortem Eduardi, qui Guilielmum Normannum hæredem dixerat, Haraldo Norvegiæ R. qui Eboracum obsidebat victo, à Guilielmo postea prælio superatus & occisus est. Anno 1066. Guil. Malmesbur. Paris, &c.

Reges Daniæ.

Haraldus I. Daniæ R. pulsus à suis ob fidem, ad Ludov. Pium se recepit, an.826.

Haraldus II. Christianismum amplexus est, miro ferri candentis, sine læsione gestati, permotus. Apostolus totius Septentrionis, à Suenone fil. adhuc Ethnico, in prælio interemtus. Anno 980. regni 50.

Haraldus III. Suenonis hujus fil. Obiit an. 1076. regni 2.

Reges Norvegiæ.

Haraldus I. Rex Norvegiæ.

Haraldus II. ab Haraldo II. Anglo occisus. Adam de Bremen, Ditmarus, &c.

Haran, civitas Mesopotamiæ, quæ & *Charran.*

Harbon, Celtarum rex ante Romam conditam.

Harbona, Eunuchus. Esther.1.

Harburgum, vulgò *Harburg*, opp. Duc. Luneburg. ad Albim fluv. 2. leuc. ab Hamburgo in Austr. 6. à Luneburgo in Occ.

Harcalo, veneficus, qui leones impunè attrectabat. Silius,

Harcalo non pavidus fœtas tractare leænas.

Harcurtium, vulgo *Harcourt*, oppidul. Normanniæ cum castro, in Ebroicensi tractu, vix 5. leuc. ab Ebroico in Circ. 2. à Bellemontio in Bor. Hinc dicti Princip. Lotharingi, & Comes bello haud pridem percelebris. Vide *Harecortis.*

Hardervicum, urbs munita Geldriæ, in Velavia tractu, cum portu satis commodo, ad interiorem sin. maris Austrini, Hanzeatica, cum Academia. 7. leuc. ab Ultrajecto in Cæc. 6. à Daventria in Occasum. Aliter *Hardebones*, inter Arenacum & Campenam 5. leucis.

Harecortis, vicus quondam Galliæ, nunc castellum, inter Auturam & Riselam fluv. sive inter Luparias *Louviers*, & Tetboldi villam *Tibouville*, à Philippo VI. Rege A.C.1338. in Comitatum evectum. Hodie *Harcourt* dicitur. Vide *Harcurtium.*

Hareflotum, & *Huneflotum*, duo castella Galliæ, ad os Sequanæ, hinc & inde posita, illud in Caletis ad dextram *Harfleur*, hoc in Lexoviis ad sinistram, *Honfleur.* Utrumque à *Fleat*, vel *Fleot*, quod sinum maris & locum ad sinum positum Germ. designat, Belgis *Vliet*, vel *Fliet.* Sinûs autem hujus maris ad ostium Sequanæ meminit Fortunatus *Carmin. lib.6.*

Pervenit, quà se piscoso Sequana fluctu
In mare fert juncto Rotomagense sinu.

Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* & infra in voce *Harflevium.*

Hareph, nomen viri. 2.Esdr.7.

Hares, nomen montis. 3. Esdr.8.

Hareth, nomen villæ. 1. Reg. 22.

Harflevium, vulgò *Harfleur*, oppidum tractus Caletensis, ad Sequanæ æstuar. 3. leuc. ab Honflevio in Bor. vix 2. à Portu Gratiæ in Ort. Vide *Hareflotum.*

Harfordia, urbs Angl. ad Leam amnem, 15. mill. à Londino in Bor. Cantabrigiam versus. Hinc Comit. Harfordiensis, inter Comit. Cantabrigiensem ad Boream & Midlesexiam ad Austr.

Harhur, nomen viri. 1. Esd.2.

Harim, nomen sacerdotis. 1.Par.24.

Haringus Sifridi Sinnama, Friso, JC. celebris, an. 1494. scripsit in titulos Juris Canonici & Civilis. Trithem. *de Script. Eccl.*

Hariph, filius Hur. 1.Par.2.

Haristallium; seu *Heristellium*; locus celebris in historia Caroli Magni. Hodie adhuc locus *Herstel*, ad Weseram seu Visurgim. Aliud est in eadem histor. in ripa Mosæ fluminis, non procul Leodio. Fuit autem hoc villa publica; cujus amœnitate delectatus Pippinus, ibi & Palatium extruxit, & sæpe commoratus, an & natus ibi & nutritus est: Unde *Heristalliensis* sæpissimè scriptoribus dicitur. Vox Germanica est; & militarem mansionem, vel Domini stabulum designat. Hic hodie pagus est, qui nomen quoque retinet. Cum tit. Baroniæ, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Hariulphus, Abbas Flander, auctor vitæ Arnolphi Episc. Suessionensis, & Gervini secundi Abbatis Ardemburgici. Obiit an.1143. Mejerus *Annal. lib.4.* Voss. *de H. L. lib.2.*

Harlemum, civitas Borealis Hollandiæ munita & amplissima, eam *Sparnus*, vel *Spara* fluvius interlabitur: extructa creditur à Frisiis circiter annum 506. Ei, incolarum suorum testimonio, Typographicæ artis inventio debetur. Ferunt prope hanc urbem, vaccam depascentem gramina, in cavernam quandam incidisse, ac triduo pòst in maris sinu ei opposito versus Orientem oppido, repertam esse. Metel. Merc. A filio Ducis Albæ, post 8. mensium obsidionem capta, & miserè devastata est primo bello Belg. Nunc subest Reip. Belgicæ. 5. leuc. à Lugd. Bat. in Bor. 3. ab Amstelodamo in Occ. 1. ab ora maris Germ. 9. ab Ultrajecto in Circium. Ab ea lacus adjacens *Haerlemer Zee* dicitur. Ediderunt olim cives egregia fortitudinis specimina, in expeditionibus sacris. Vid. *Damiata.* Urbs hæc sedes Episcopi an.1559. à Philippo II. facta est, verùm mox Papatui Evangelium, jugo Hispanico libertas successit. Vide Thuan. *Histor.* Mejer. Guicciard. *descr. Belgii.* Hug. Grotium, *Annal. Belg.* Bentivolum, Stradam, de Metteren, &c.

Harlepolium, opp. Angliæ Bor. in ora littor. Diœcesis Dunelmensis, 10. mill. Angl. à Dunelmo in Eur. 5. à confin. Eboracensis prov. in Bor.

Harlinga, urbs Frisiæ Occ. post Leovardiam prim. munita & expugnatu difficilis, inundari enim circumjecta regio potest. Cum portu latis capaci in ora maris Austral. Sub Belgis fœderatis.

Harma, civitas in tribu Judâ & Simeon. Jos. *cap.* 15. dicitur & *Sephath.*

Harma, urbs Bœotiæ Tanagricæ, Vide Steph. Erat autem locus columnis septus, propter vatem Amphiaraum hiatu terræ ibi absorptum, ita execrandus, ut fama sit neque aves illis columnis insedisse, neque feras herbam attigisse in intercolumnio illo crescentem. Sic dictus non à curru, ut volunt, sed ab execratione. Id enim est Phœnicium חרמה *Harma.* Item vicus Atticæ, ubi Adrastus confracto curru, operâ Arionis servatus est. Hinc Prov. *Ubi per Harma fulgur*, de iis quæ serò & raro eveniunt.

Harmastis, urbs Asiæ, in Iberia, quæ & *Armactica*, nunc *Cori*, totius Georgiæ prim. Sanson.

Harmata, urbs Indica Steph.

Harmatelia, opp. Indiæ Brachmanum, ab Alex. M. captum. Diod. *lib.17.* Hanc Trogus *lib.12.* videtur Ambigeri regis urbem vocare. Circa Indi fluminis ostia.

Harmatus, oppid. Troadis in Æolidis confin. in orâ contra Methymnam urb. Lesbi. Populi *Harmatopolita.* Straboni *Hermatus*, ut quidam volunt.

Harmodius, & *Aristogiton* Tyrannicidæ, à Leænâ insigni meretrice, tam fideliter & unicè adamati sunt, ut illa, ne illorum conjurationem retegeret, torta, linguam dentibus prærosam in tyranni os expuerit. Plin. *lib.7. cap.23.* Vide *Aristogiton.*

Harmodius Lepreates, libro *de Legibus* in Phigaleâ citatur ab Athenæo *lib. 9. & 11.*

Harmonia, Martis & Veneris filia, Cadmi uxor, cui Vulcanus pulchrum, sed exitiale monile dedit, eò quòd ex conjugis adulterio fuisset propagata. Vide *Cadmus.*

Harmonides, Trojanus, quem præcipuo quodam amore Minerva dilexit, ideoque nihil eum fugit, quod fabrili arte effici posset. Is inter alia naves Alexandro ædificavit, malorum omnium, quæ Trojanis contigerunt, caput. Hom. *Iliad.5.*

Μηελόνης δὲ Φέρεκλον ἐνήρατο, τέκτονος υἱὸν
Ἁρμονίδεω, ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα ἔργα
Τεύχειν, ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη.
Ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐΐσας
Ἀρχεκάκους, αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο.

Harmostes, apud Polyænum *lib. 2.* videtur à Vultejo & Casaubono pronomine proprio accipi: secus sentiente Jano Gebhardo, qui opinatur officii nomen esse. Qui verò sint *Harmostæ* Lacedæmoniorum, docere idem ait Diodorum Siculum *lib.13. p.366. pr. Edition. Henrici Stephani.*

Harmosyni, Hesychius: Ἁρμόσυνοι, ἀρχή τις ἐν Λακεδαίμονι, ἐπὶ τῆς εὐκοσμίας τῶν γυναικῶν.

Harnapher, fil. Suphæ. 1.Par.7. Lat. *ira tauri*, vel *ira crescens.*

Harodi, nomen civitatis. 2.Sam.23. Lat. *tremefactus*, vel *stupefactus*, vel *caloris*, aut *ira abundantia.*

Haromaph

Haromaph, fil. Jedajah. 2. Esdr. 3. Lat. *destructio*, seu *anathema oris*.

Haroseth, nomen civitatis. Judic. 4. Lat. *artificiam*, vel *aratura*, sive *testa*, aut *silentium*, vel *surditas*, aut Syriacè *sylva*.

Harpadium, vulgò *Arpaja*, opp. Hirpinorum, in Campaniæ confin. ubi *Fruca Caudina*, insigni Romanorum ignominia nobiles, quorum legiones hic sub jugum misere Samnites. 4. m. pass. ab Avella intra montes.

Harpagium, opp. juxta Parium, unde raptus Ganymedes. *Harpagia* pl. num. Steph.

Harpagus, dux Cyri, interiorem Asiam subegit, postquam Astyages ipsi filium membratim discerptum comedendum proposuerat, eò quòd Cyrum, quem exponere jussus erat, in vita conservasset. Herodot. *l*. 1. & 2.

Harpagus, fluv. circa Colchidem regionem, Diodoro *lib*. 14. fortè idem cum Harpaso Xenophontis.

Harpalus, cui Babyloniæ thesauri commissi ab Alexandro fuerant, desperans Regis ex Indiâ reditum, lapsus est in luxuriam ac contumelias mulierum nefandas. Reverso Alexandro, cùm audisset multos Satraparum pœnas delictorum dare, metuens Regis justam iram, contractis sex millibus mercenariorum, navigavit Athenas, populo supplex. Inde ab Antipatro & Olympiade expostulatus corruptis oratoribus evasit Tænarumque profugit, ubi à Thimbrone quodam amico clam trucidatus est. Vide Diod. *l*. 17. *fol*. 619. & 620. Plut. *in Phoc*.

Harpalus, nomen prædonis, Cic. *lib*. 3. *de Nat. D*. Hic Diis illudebat, quòd in tantâ fortunâ tam diu viveret.

Harpalus, Cyclum 8. annorum, à Cleostrato excogitatum correxit, alio 9. annorum substituto: in quo cùm nævos quoque deprehendisset Meton, fil. Pausaniæ, Enneadecaeteridas suas, *Aureum numerum* vulgò dictum, invenit. Fest. Avien. Diod. Sic. *l*. 12.

Harpalyce, Lycurgi filia, venationibus dedita, quæ cùm patrem senem à Getis captum sensisset, collectâ confestim multitudine, celeriùs quàm de fœminâ sperari potuerit, illum armis & robore liberavit: Virgil.

—— —— *Vel qualis equos Threissa fatigat*
Harpalyce, volucremq; fugâ prævertitur Hebrum.

Item virgo quædam, quæ, cùm Iphiclum ardentissimo amore deperiret, spreta, & dolore animi confecta interiit, à quâ & canticum quoddam *Harpalyce* dicebatur. Turneb. *Advers*. 10. 11.

Harpalycea, civitas Phrygiæ. Steph.

Harpasa, Asiæ opp. in Caria, ubi cautes ingens digito mobilis: eadem, si toto corpore impellatur, resistet. Plin. 2. 96. Ad Harpasum fluvium.

Harpasus, Cariæ fluv. Plin. Liv. Steph. *Daphnus* Apollonio, teste Rhodigino *lib*. 29. *c*. 27. Ejus mem. Qu. Smyrnæus. *l*. 10.

Ἁρπάσȣ ἀμφὶ ῥέεθρα διειδέ☉.

Harpe, una ex præcipuis Amazonum, auxilio apparens Æëtæ, Colchorum Regi, contra Persen. Val. Flacc. 6. 275.

Harpe, ensis falcatus, quo Mercurius usus fertur, in occidendo Argo illo centoculo, & Perseus in amputando Medusæ capite. Lucan. *lib*. 9.

Et subitus prapes Cyllenida sustulit Harpen,
Harpen alterius monstri jam cade rubentem,
A Jove dilecta fuso custode juvenca.

Ovidius *Met*. 5.

Vertit in hanc Harpen madefactam cade Medusa.

Harpinnates, fluv. Peloponnesi, per Elidem fluens, & Harpinnum opp. alluens.

Harpis, Mysiæ inser. urbs ad Lycostoma, Istri ostium. Ptol.

Harpocras, magnæ gratiæ apud Claudium Imperatorem, cui lecticâ per urbem vehendi, spectaculaque publicè edendi jus tribuit. Suetonius *cap*. 28.

Harpocrates, simulacrum in sacris Isidis & Serapidis erat, quod digito labiis impresso admonere videbatur, ut silentium fieret. Hunc Ægyptii silentii Deum esse volebant, fil. Isidis, post mortem Osiridis natum. Revera autem Græcus Philosophus fuit Harpocrates, cujus eruditio ac præcepta eò maximè tendebant, ut silentium præciperet, & omnibus rebus anteponeret. Hinc *reddere Harpocratem* (ut monet Erasmus *in adagiis*) proverbialiter dictum pro *mutum facere*. Catullus *Epigr*. 75.

—— *Et patruum reddidit Harpocratem.*

Hujus meminit Ovidius, nomine prætermisso, cùm Deos Isidis comites dinumerat,

Sanctaq; Bubastis, variusq; coloribus Apis,
Quiq; premit vocem, digitoq; silentia suadet,
Sistraq; erant, nunquamq; satis quasitus Osiris.

Harpocratis Dei pridem effossa est imaguncula ex Mutinensibus ruinis, quæ ita erat efficta. Puer erat imberbis, nudus, qui dextrâ indice os obsignabat, sinistrâ verò deorsum extentâ sustinebat cornucopiæ sursum ad aurem pertingens, frugibus refertum, inter quas eminebat nux pinea. Dei verò caput mitrâ Ægyptiacâ redimi videbatur, aut aliquantulum in altum erecta, desinebat in duas quasi volucres. Ei Deo lentes & primitiæ leguminum offerri solebant. Illi etiam perseam arborem dicavit Ægyptus, quòd ejus arboris frondes linguæ, fructus autem cordi sit quàm similimus, Natalis Comes, Rossæus *Mystagog*. Carterius, *de Imagin. Deorum*.

Harpocration, qui *Ælius* vocabatur, professione Sophista fuit, præter alia commentatus est de iis, quæ à Rhetoribus ignorantur; ad hæc de agminum ordinibus, qui apud Xenophontem; item librum, quòd ementita sit Herodoti historia, sive, ut Græca retineam, περὶ τȣ̃ κατεψεῦσθαι τὴν Ἡροδότȣ ἱστορίαν, Auctor Suidas: qui quatuor Harpocrationes ponit: unum Argivum, Philosophum Platonicum, è quo Stobæum eclogas suas congessisse, Photius testatur *in Bibliothecâ*: alterum prænomine Cajum: Tertium Ælium, de quo dictum: quartum Valerium, rhetorem Alexandrinum, auctorem Lexici in decem oratores. Vide Maussacum *in Harpocrationem*.

Harponium, opp. Lucaniæ. Vide *Arponium*.

Harpyia, urbs Illyriæ juxta Encheleas. Steph.

Harpyia, Ponti ac Terræ filiæ, teste Servio, unde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Valer. Flacco, Typhone genitæ sunt. Sic dictæ sunt ἀπὸ τȣ̃ ἁρπάζειν, i. e. *à rapiendo*. Quam etymologiam confirmat Virgilius *Æn*. 3.

At subita horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyia, & magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntq; dapes. ——

Itemque Horatius,

Vellem, ast, Harpyis gula digna rapacibus.

Hesiod. *in Theog*.

—— Ἡ δ' ὠκεῖαν τέκεν Ἶριν,
Ἠϋκόμȣς θ' Ἁρπύιας Ἀελλώ τ' Ὠκυπέτην τε.

Et alibi alludens ad etymon,

Νῦν δέ μιν ἀκλειῶς Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο.

Etymologus: Αἱ ἁρπακτικαὶ θεαὶ, παρὰ τὸ ἅρπω τὸ ἁρπάζω ἅρπυια, ὡς αἴθω αἴθυια, καὶ ἄγω ἄγυια. Volatiles autem fingebantur, auribus ursinis, corpore vulturino, vultu virgineo, manibus uncis. Virgilio tres fuerunt, *Aëllo, Ocypete, Celano*, quæ Homero *Podarge*, ex qua Zephyrus Achillis equos Balium & Xanthum genuerit. Exegerunt autem eas Boreadæ, per Ægæum Siculumque mare, ut scribit Pherecydes, persecuti usque ad *Plotas* insulas, quas Homerus *Calynas* nominat. Inde Boreæ filii ab Iride admoniti, seu ut alii, à Mercurio, reversi sunt, unde Insulæ *Strophades* sunt appellatæ. Illæ verò in specum Cretæ se fugâ proripuerunt. Mythologiam earum habes apud Cæl. Rhod. 29. 27. Sidonius Apollinaris *ep*. 7. Harpyias vocat sanguinarios pecuniæ raptores & exactores, Plutarchus earum nomine fœneratores intelligit, in *Lucullo*. Apuleius mulieres malas, &c. Vide *Phineus*, & Voss. *de Theol. Gent*. 3. 99.

Harria, seu *Harnlandia*, prov. Estoniæ, in ora littor. Sinus Finnici, ubi Revalia, totius Estoniæ caput, sub Succis.

Harsa, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *artificium*, vel *aratura*, sive *testa*, aut *silentium*, vel *surditas*: aut Syriacè *sylva*.

Hartmannus, Rodolfi I. Imper. filius, an. Chr. 1281. circa natalem Domini, apud trajectum Confluentiæ Helveticæ naufragium passus & mersus est. In adyto summi templi Basileæ, cum matre, Anna Hochbergia, sepultus. Christ. Urstisius *Epit. hist. Basil. c*. 8.

Hartmannus Scedelius, Norimberg. auctor Chronologiæ Imperatorum, Regum, Paparum, &c. usque ad an. 1492. Vulgò *Chronicon Norimbergense* dicitur. Voss. *de H. L. lib* 3. *c*. 6. Item Annalium conditor, Stumpf. *in Comment. rerum Helvet*.

Hartzeroda, potius *Hatzkeroda*, castr. Princip. Anhaltini, ad Selkam amnem, 12. mill. p. à Northusia in Cæc. Magdeburgum versus. Sedes unius è 5. Principibus Anhalt. dominum nacta Christiani Bernburgici an. 1630. mortui filium minorem natu Fridericum, qui Chymiæ studio & peregrinationibus delectatus, ex Johanna Elis. Nassovia suscepit Wilhelmum. V. Spener *Syll. Gen. Hist*.

Harvada, fluv. regni Mogororum. Natal. Metel.

Harudes, pop. Transrhenani, in Gall. Celticâ, circa fines Sequanorum, ac Heduorum, ab Ariovisto, Germanorum rege, transportati. Hos Jucundus Veronensis Constantienses interpretatur, ac totum eum tractum intelligit, qui illis trans Rhenum & lacum Acronium est situs; ubi Buchornum, Mersburgum ac Uberlinga nunc positæ sunt. At eum falli longissimè Ptolomæus *lib*. 2. *cap*. 11. arguit, qui *Charudes* non longè à Cimbrica Chersoneso ponit ac dicit Phundusiis magis orientales esse.

Harvicum, opp. munitum Angl. cum portu percapaci, in Essexia, in ora Oceani Germ. ubi Stura fluv. in eum se exonerat, prope confin. Suffolciæ.

Harus, i.e. *incisus*, sive *aureus*, aut *sollicitus*, sive *trituratus*. Pater Messalemeth matris Amon regis Judæ. 2. Reg. 21.

Hasaba, fil. Zorobabel, fil. Phadajah. 2. Par. 3. Lat. *numeratio*, sive *æstimatio*, vel *cogitatio*, aut *artificium*, vel *festinatio*, aut *silentium in eâ*.

Hasabia, filius Amasiæ. 1. Par. *cap*. 6. Princeps fuit Levitarum. 2. Par. 35.

Hasael, vel *Hazael*, rex Syriæ. 2. Reg. 8. Lat. *videns Deum*.

Hasar-moth, fil. Jectan. Gen. 10. Vide omnino Bochart. *Phaleg*. 2. 17. Lat. *atrium mortis*.

Hasar-suhal, civitas. 1. Par. 4. i.e. *atrium*, vel *fœnum vulpis*, aut *fœnum semita*.

Hasar-susim, i. e. *atrium*, vel *fœnum equorum*, nomen civitatis. 1. Par. 4.

Hasason-thamar, Lat. *glarea*, sive *lapillus commutationis*, vel *divisio*, sive *sagitta palma*, id est, *dactyli*, nomen oppidi, quod & *Engaddi*, 2. Par. 20.

Hasbadana, i. e. *festinans*, aut *cogitans judicium suum*; sive *silens*, aut *computans judicium suum*, nomen viri. Neh. 8.

Hasbania, vulgò *Haspengavv*, regio Brabantiæ, in dit. Leod. inter Arduennam & Brabantiam: seu inter Trajectum Tungrorum, ad Mosam ac Ripariam, frumenti ferax. In ea olim Comitatus quatuor, unde non mediocris tum amplitudinis fuisse colligitur. Ejus caput *Fanum S. Trudonis*, Baudrand. Ad torrentem Cisindriam. Ibidem Molanus Belisiam opp. Episcopo Leodiensi subjectum, vulgò *Bilsen* aut *Wilsen*: item Tenas, vulgò *Tienen*, Gall. *Tillemont*, ac Trajectum ad Mosam alii collocant. Gallis regio *Hasbaigne* dicitur: unde *Ville en Hesbain*, locus non procul ab Hojo, inter Mosam & Brabantiam Gallicam. Nomen accepit à fluvio Hasba, vulgò *Haspen*, qui inter Landas & Tenas medius decurrens, alluit vicos præ cæteris duos, alterum *Cis-Hasbam* à situ dictum, German. *Neer-Hespen*, alterum *Trans-Hasbam*, Germ. *Over-Hespen*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Hasbata, prov. Fezzæ regni, magis in Bor. tendens, versus Fretum Herculeum, ubi urbes Tingis, Cepta, & Arzilla.

Hascora, seu *Escura*, prov. regni Marochii inter prov. Duccalam ad Bor. Marociam ad Merid. Tedlesam ad Ortum, Ejus urbs præc. *Elmadina*.

Hasdrubal, vide *Asdrubal*.

Hasebiah, fil. Merari. 1. Par. 9.

Hasebna, nomen viri. Neh. 10.

Hasebnia, nomen viri. Neh. 9.

Hasebonias, nomen viri. Neh. 3.

Haselia vallis, vulgò *Hasli-land*, tractus terræ in vet. pago Tugino, in Helvetia; cujus incolæ, secundùm Guillim. p. 330. ex Frisia Orient. & urbe Hasselinga, quæ in Westphalia, aut potiùs Hasselio opp. ad Viadrum fluv. finibus Frisiæ Occ. prov. Transisalana, Restio Ductore huc delati, *Haselam* de se vallem constituerunt. Liberi & fortes, cum tribus pagis vetustissimis, Guidone Duce, rogatu Pontificis, in Italiam transgressi, bello Saracenico urbi Romæ fortem fidamque navarunt operam, multis proin immunitatibus à Ludovico Pio Imp. donati. Bernatibus sese junxere, circa A. C. 1291. in quorum ditione hodieque degentes, Ammannum seu Præfectum habent ex suo corpore, qui à Senatu Bernensi ad id munus deligitur, illique rationem reddit. Simlerus *descr. Helv.* Joh. Bapt. Plantinus, *Helv. Antiq. & Nov. &c.* Fontem in hac valle, in monte, *Engstlen* nominato, haud procul ab Arolæ fontibus, memorat Suicerus *descr. Helvet.* qui nullo anni tempore fluere consuevit, præterquam *Julio*, *Junio* & *Augusto* mensibus, cùm pecora & armenta ibi pascuntur, fluitque certis tantùm horis, manè & vesperi, quando ad potum pecora aguntur: In hunc si quid impuri immittas, evanescit, nec aquæ, nisi post aliquot dies, redeunt.

Hasem, id est, *silentium*, vel *festinatio eorum*, nomen viri. Nehem. 7.

Hasergadda, civitas in tribu Judæ. Jos. 15. Lat. *atrium hœdi ejus*, vel *felicitatis ejus*; aut ex Ebræo & Syro, *atrium incisionis*, vel *scissuræ*.

Haser-susa, civitas in tribu Simeon. Jos. 19. quæ & *Hasersusim*.

Haserim, i. e. *atria*, sive, *vestibula*, aut *sagitta excelsa*, civitas in dorso montis Seir, inter Ægyptum & Chananæam. Deut. 2. Aliàs *Haseroth*.

Haseroth, nomen eremi, per quam transierunt Israëlitæ ascendentes in terram Chanaan ex Ægypto. Deut. 1.

Hasim, i. e. *tacentes*, sive *festinantes*, aut *silentium*, vel *festinatio maris*, nomen viri. 1. Par. 7.

Hasla oppidum Alsatiæ inferioris, ad Brussalium fluv. Metel.

Hasnonium, vulgò *Hasnon*, vetus Cœnobium ac illustre, ante annos 1000. conditum, ad fluv. Scarpum, in Atrebatibus, pagoque Austrebanto, qui olim Comitatu Atrebatensi contentus, nunc Hannoniæ attribuitur. Dictum est à vico vel villa Hasnone, vel Hasnonio, & suum ibi Advocatum, suum thesaurum, suam Bibliothecam habuit, hodieque secundo est inter Hannoniæ Abbatias loco. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Hasom, i. e. *silentium*, vel *festinatio eorum*, nomen viri. Esdr. 10.

Hasor, civitas regni Jabin Chananæorum regis, quæ & *Hesron* dicitur. Jos. 11.

Haspahamum, in prov. Persiæ *Hyerach*. Quibusdam *Hecatompylos* antiq. ferè media inter Tabrisium ad Bor. & Armuzium ad Austr. Vide *Aspachan*.

Hasra, pater Thecuæ, patris Sellum, mariti Oldæ prophetidis. 2. Par. 34. Lat. *defectus*, sive *deficiens*.

Hasselt, oppid. Episc. Leodiensis, Demeræ fluv. sinistræ ripæ insistens. Metel.

Hassemon, civitas tribûs Judæ. Jos. 15.

Hassi, seu *Bassi*, quibusd. pop. Flandr. ubi nunc *la Bassée*, in conf. Artesiæ, opp. aliàs munitum, 5. leuc. ab Atrebato in Bor. Sub Gallis.

Hassia, regio Germaniæ, in circulo Rheni, quam habuerit originem, non constat, nisi quòd ferunt, à monte quodam cognomine eam appellari, qui quo loco situs sit, non reperitur, nisi is fortè sit, qui in Geldriæ urbe Noviomago extat, quod quidem à re non usque adeò alienum videtur. Referunt enim nonnulli Battonem quendam, regis Cattorum filium, qui Noviomagum auxerit, restaurarit, ac mœnibus cinxerit, Hessum filium habuisse, qui favore ac amore patrii soli ei loco suum nomen communicarit, unde etiamnum *Hessius mons* dicitur: Beatus Rhenanus *rerum Germanicarum lib.* 1. aliud sentit: arbitratur enim advenam Hessorum nationem ex ulteriore Germania Cattorum veterum sedes occupasse, qui vel bellis erant absumpti, vel cum Alanis in Hispaniam, cum Alemannis in Martianam sylvam concesserunt. Hi itaque Hessi Cattorum regioni nomen suum, si Rhenano credimus, indiderunt. Hassiæ limes Occiduus est Rhenus, ad Ortum Thuringiæ ac Saxoniæ contigua est, in Septentrione Brunsuicensi ducatui ac Westphaliæ contermina est. Meridionale latus Franconia excipit. Longa est ab Oriente in Occidentem, milliaribus Germanicis 33. cum dimidio: Lata autem ex Austro in Boream milliar. German. 23. & quarta parte: Continet Hessicum solum, complura in se dominia ac dynastias, Rheingoviam, Occidentalem sylvam, vulgò *Westervvald*, Wedderavv, Comitatus Anasinum, vulgò Nassoviensem, Königsteinensem, Hanavvensem, Isenburgensem, Waldekensem, ac pleraque alia dominia. Hæc regio quondam Comitatus, nunc verò Landgraviatus titulo decoratur, cujus præcipuæ urbes sunt Marpurgum & Cassula. Metel. Baudrando habet Wetteraviam ad Occasum, Westphaliam ad Septentrionem, Franconiam ad Meridiem, & Thuringiam ad Ortum. Sub duobus Princípp. Cassellensi, qui majorem partem, & Darmstadiensi, qui min. consecutus est. Origo familiæ è Ducibus Brabantinis, inter quos Henricus II. Magnanimus, filius Henrici Probi, nepos Godofridi III. qui in cunis prolatus hostes vicit, pater fuit Henrici III. qui Brabantini, & Henrici alterius, qui *Hassiaci* rami, auctores fuere: quorum hic cognom. Puer, Paderbornensem & Moguntinum, excommunicationis fulmen in se nequicquam stringentes, vicit, mortuusque anno Chr. 1308. tres filios reliquit, quorum Otto principatum ad Lanum, Johannes Cassellas, & Ludovicus Marpurgum habuit: Fratribus superstes Otto anno Chr. 1311. jus primogenituræ in familiam introduxit, à Moguntino postea quoque excommunicatus. Obiit anno Chr. 1326. pater Henrici Ferrei seu Magnanimi, qui à factione, cui à stella nomen, *Sterner*, mirè exagitatus, hæredem habuit ex fratre Ludovico nepotem Hermannum, Principem doctissimum: cui morienti anno Chr. 1413. successit fil. Ludovicus cognom. Mitis, qui non exiguæ in Imperio auctoritatis, Cæsareum tamen post Albertum II. diadema recusavit: titulum contrà Comitis Ziegenheinæ & Niddæ, ultimo Comitum Johanne extincto anno Chr. 1453. assumsit. Pater Ludovici Pii, qui Cassellas, & Henrici, qui Marpurgum tenuit, illum enim hic ad divisionem adegerat, unde bellum. Ex his Henricus an. Chr. 1479. socero Comite Cattimelibocensi mortuo, hunc Comitatum nactus est. Ludovicus verò anno Chr. 1471. extinctus, genuit Guilielmum, patrem Philippi Magnanimi: qui bello Smalcaldico celebris, obiit anno Chr. 1567. Princeps celsi & ingentis animi Thuano vocatus. Ei, ex Christina Saxonica, nati Guilielmus, Cassellanam: Georgius verò Darmstattinam lineam, orsi sunt. Vide suo loco, & plura de Sereniss. hac familia, apud Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.* Cœterum *Hassia Cassellensis* Landgravio subsunt Hassia propria, ubi Cassela, Comitatus Zigenemensis, Abbatia Herofeldensis, pars Orientalis Comitatus VValdeccensis, pars Borealis Principatus Marpurgensis, quatuor Præfecturæ Comitatus Scaumburgensis, in Westphalia, prope Mindam, & Smalcalda urbs Principatus Hennebergensis, cum aliquot locis Veteraviæ.

Hassia Cassellensis urbes.

Cassela, *Cassel.*	Rotenburgum, *Rotenburg.*
Escuvega, *Eschvvege.*	Smalcalda, *Smalkalden.*
Herofelda, *Hirschfeld.*	Waldeccum, *Waldeck.*
Marpurgum, *Marpurg.*	Zigenemium, *Ziegenhain.*

Hassia Darmstadiensis Landgravio subsunt pars minor seu Australis Principatus Marpurgensis, ubi Giessa ac Butzbachium, & Geravia, ubi Darmostadium.

Hassub, filius Ezricam. 1. Par. 9. i. e. *æstimatus*, aut *numeratus*, sive *cogitatio*, vel *artificium*.

Hasta, vel *Asta*, opp. in extremis Italiæ finibus circa Japygium promuntorium. Claud. *De 6. Honorii consul.*

—— Nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis, aut mœnia vindicis Hastæ.

Hasta, regiæ olim dignitatis insigne, Justinus *libr.* 1. cujus traditione quoque feuda collata sunt, sicut posteri virgâ, festucâ, baculo prioris vice uti cœpere. Hinc & ferula, camboca, pedum, baculus pastoralis, muneris insigne, quod non Abbates modò, sed ipsi etiam Romanorum Pontifices aliquando gerunt. Namque

In baculi formâ Præsul datur hæc tibi norma,
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum,
Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes:
Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.
Vide *in Fistuca*, &c. *Hasta pura*, quæ à Catone *Donatica* dicitur, fortitudinis apud Rom. præmium fuit: *Pura*, quia sine ferro, cùm honoris ergò, non pugnandi causâ daretur. Polybio *γάισον*: Aliis *Graminea*, ut Turnebus exponit *Advers. lib. 29. cap. 1.*

Hasub, nomen viri. 2. Esdr. 13.

Hasum, nomen viri. 1. Esdr. 2. Vide *Hasom.*

Hasupha, nomen viri. 1. Esdr. 2. i.e. *exhausta*, vel *nudata.*

Haterius Agrippa, Senator sub Tiberio, invisus, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus, & ob segnitiem, quamvis crudelem Principem non metuens, illustribus viris perniciem inter ganeum ac stupra meditabatur. Tacitus 6. 4.

Haterius Antonius, avitas opes per luxum dissipavit, cui tamen Nero annuam pecuniam statuit. Tacit. 13. 34.

Haterius, prænomine *Quintus*, familiâ Senatoriâ, promptus & popularis orator; qui cum ad 90. prope annum summo honore pervenisset, obiit Lentulo Getulico, Cajo Calvisio Coss. fine anni, de quo vide Tacit. 4. 61. & Senecam Patrem.

Hathath, filius Othoniel. 1. Par. 4. Lat. *contritio*, vel *timor.*

Hatil, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *peccati ululatio.*

Hatipha, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *rapina*, sive *peccati coma*, aut *reliquia.*

Hatita, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *peccati declinatio.*

Hattenum, urbs Geldriæ ad Isalam fluv. Metel.

Archiepiscopi Moguntini.

Hatto I. Archiepiscop. Moguntinus, post Sunzonem, an. 891. Literatus & Literatorum fautor. Ei Hubaldus Benedictinus, de Musica tractatum, dedicavit. Obiit an. 913. Otto Frising. *lib. 6. cap. 15.* Rhegino, Annales Fuld &c.

Hatto II. primò Abbas Fuldensis, dein post Guil. Saxonem, ut Morerius habet, Moguntiæ Archiepiscopus fuit, cujus tempore maxima grassabatur in terris fames. Videns igitur ille pauperes inediâ & fame premi, convocavit in horreum plurimos, & concremavit eos. Hæc enim crebrò usurpabat verba; *Non differunt*, inquit, *hi à muribus, qui frumentum comedunt, ad nihilum utiles.* At Deus tantam tyrannidem inultam non dimisit. Præcepit namque muribus, ut catervatim illum invaderent, ac diu noctuque affligerent, atque vivum devorare festinarent. At ille in turrim se recepit, putans se tutum fore à morsibus murium, quod tamen ei minime profuit. Nam venerunt mures innumeri per Rhenum flumen natantes, executuri judicium Dei justum, quod miser agnoscens, tandem inter mures interiit, cujus quoque nomen parietibus ac tapetis prorsus abraserunt. Vide doctissimum Wendelinum historiam hancce latè confirmantem, *in Admirab. Nili cap. 21.* Cognom. ei *Bonosus* fuerat, obiit anno 968. Morer.

Hattus, filius Semejæ. 2. Par. 3. Lat. *peccatum derelinquens.*

Havana, portus celeberrimus & capacissimus Cubæ Ins. versus Boream, è regione Capitis Floridæ, ubi appellunt classes Hispan. Adjacet oppidum permunitum cognom. cum valido præsidio & arce Hispan.

Havelberga, urbs episcop. sub Metrop. Magdeburg. in dit. Elector. Brandeburg. ad Havelam fluv. qui uno mill. infra in Albim cadit; 10. leuc. infra Magdeburgum in Boream, 8. à Brandeburgo in Ortum.

Havoth-jair, villæ Jaer sexaginta in Hermon monte & Galaad. Num. 13. Lat. *oppida illuminationis*, vel *annunciationes luminis.*

Haustenes, Besso, conjurationis in Darium, particeps: idem Bessi oppressor cum aliis; neque Alexandro Magno fidus. Quippe defecit cum Spitamene ac Cathene; & postea captus est à Macedonibus. Curt. 8. 27.

Haymo Floriacensis, Monachus Anglus, circa an. 1020. Auctor historiæ, à Justiniano Imper. usque ad Carolum M. à Guil. Malmesburiensi, in epitomen redactæ, &c. Item, auctor libri de miraculis S. Germani, sub Carolo Calvo. Item, Archidiaconus Cantuar. An. 1054. Inter alia, *de Martyribus* scripsit, & *de memoria rerum Christianarum, libb. 10.* Item ex Anglo-Saxonum genere Monachus Benedictinus, ex Abbate Hirsfeldensi, Episc. Halberstadiensis, Alcuini discipulus: Rabano Mauro contemporaneus, Bedæ frater, seu consanguineus: Germanus quibusdam. *Sagacissimus divinarum literarum interpres*, Trithem. Auctor fuit Commentar. in Scripturam & Homiliarum, in Evangelia Dominic. Obiit an 853. Sigebert. *cap. 153. de Viris Illust.* Vide & *Aimonius.*

Haynpurgum, urbs Carinthiæ, ad Dravi fluv. ripam, emporio ac mercatu felix. Metel.

Hazael, vide *Hasael.*

Hazia, nomen viri. 2. Esdr. 11. i. e. *videns Dominum.*

Hazir, nomen viri. 2. Esdr. 10. Lat. *porcus*, aut Syriacè *conversus*, vel *reversus.*

HE.

Hebal, vel *Ebal*, filius Jectan. Gen. 10. Est & mons contrarius monti Garizim, ultra Jordanem, in terra Canaan, non longè ab Hierichunte, in quo altari constructo posuit Moses maledictiones, Joseph. *Ant. 4. 6.* Cavernosus & voraginosus, terræ motibus obnoxius. In tribu Ephraim.

Hebdomas major, veteribus dicta est, quæ Dominicam palmarum subsequitur, & Pascha immediatè præcedit. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Hebdomum, suburbium Byzantii ab eo 7. m. p. distans.

Hebe, filia Junonis, absque patre, Dea Juventutis. De cujus ortu hujusmodi refertur fabula. Apollinem, cùm Junoni novercæ convivium in patris sui domo parasset, inter alia lactucas agrestes ei apposuisse, quas cùm Juno avidè comedisset, cùm antea sterilis esset, prægnans effecta est, peperitque Heben, quam postea Jupiter, ob formæ elegantiam, poculis suis præfecit; Verùm cùm, Jove apud Æthiopas cœnante, Hebe pocula illi administrans, perque lubricum minus cautè incedens, cecidisset, revolutisque vestibus obscœna superis nudasset, ab officio est amota, ejusque loco Ganymedes subrogatus: Hæc Servius. Homerum autem ex Jove eam conceptam esse tradit, neque omnino ab officio remotam, sed cæterorum Deorum pincernam fuisse, Ganymeden verò solius Jovis. Hæc postremò Herculi nupsit, in Deorum numerum relato, cujus etiam precibus adducta Jolaum Iphicli filium florenti ætati restituit. Ovid. *Met. 9.*

Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe.

Val. Flacc. *lib. 8. vers. 231.*

Seu cùm cœlestes Alcida visere mensas
Jam vacat, & fessum Junonia sustinet Hebe.

Juvenalis,

Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor.

Cic. *lib. 1. Tuscul. Qu. Quopacto*, inquit, *Hebe Junonis filia dicitur? quoniam è felicissimâ aëris temperie omnia herbarum, arborumq́; genera pullulant, & pubescunt.* Propert. 1. 13.

Nec sic cœlestem flagrans amor Herculis Heben,
Sensit in Oetæis gaudia prima jugis.

Juventa Latinis dicta. Ovid. *lib. 1. De Ponto,*

Nectar & Ambrosia latices: epulasq́; Deorum
Det mihi formosâ gnava Juventa manu.

Ganymeda etiam priscis dicta, ut scribit Pausan. *in Corinthiacis*, qui templum illi à Corinthiis extructum refert. Catullus *ad Manlium,*

Pluribus at cœli tereretur Janua Divis:
Hebe, nec longâ virginitate foret.

Apollodorus *lib. 1.* Jovem ait ex Junone 3. filias suscepisse, Heben, Ilithyiam & Argen. Homerus,

—— Καλλίσφυρον Ἥβην,
Παῖδα Διὸς μεγάλοιο, καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

Plura de ea passim apud Poëtas Græcos, & Cicer. *l. 1. Tuscul.*

Heber, filius Sale Gen. 10. Natus A. M. 1754. Pater Phalegis magnus Propheta, obiit an. æt. 464. Vide infra. Item, filius Briæ. Gen. 46. Filius item Ephaal. 1. Par. 8.

Hebernus, vel *Herbernus*, Arch. Turonensis, post Adelardum, sec. 9. De S. Martini miraculis librum edidit. Voss. *de H. L.*

Hebers, Clericus, auctor hist. fabulosæ, cui tit. *Dolophatus*, versu scriptæ, sub Ludovico Hutino. Morerius.

Hebertus & *Herbertus I.* Comes Veromanduus, fil. Pipini II. occisus à Balduini Calvi, Flandriæ Com. militibus, ob necem fratris Rodolphi, Com. Cameracensis. Ei successit fil.

Hebertus II. maritus Hildebrandæ, filiæ Roberti Fortis, Franciæ Ducis, proditor Caroli Simplicis. Obiit an. 943. Peronæ, indesinenter clamans, *Nostrûm sunt* 12. *qui prodidimus Regem Carolum.*

Hebertus III. fil. Alberti I. pater Alberti II. & Ottonis: cujus fil.

Hebertus IV. duxit Adelaim, viduam Theobaldi III. Campaniæ Com. ex ea pater Eudonis, pulsi ob ingenium minus aptum & Adelaidis, quæ Comit. hunc marito Hugoni Magno, fil. Henrici I. attulit; Unde Comitum Veromanduorum familia secunda incipit.

Hebræi, dicti sunt Judæi, ab *Heber*, qui fuit abnepos Sem filii Noë. Et quia in ejus familiâ remansit lingua, quæ prius humano generi creditur fuisse communis, quum gentes linguarum diversitate sunt divisæ, deinceps Hebræa est nuncupata: sic quidem, ut alii observant, posteros Heber Hebræos appellatos non fuisse, usque ad Abrahamum, qui primus *Hebræus* appellatus est, idque à Cananæis, qui hoc nominis illi indiderunt, quòd à regione trans Euphratem in terram Canaan venisset. Et sic etiam Ethnici scriptores Ebræorum nomen ab Abrahamo deducunt. Ita enim apud Eusebium asserit Artapanus, Καλεῖσθαι αὐτοὺς Ἑβραίους ἀπὸ Ἀβραάμου. Et Charax apud Steph. Ἑβραῖοι, οὕτως Ἰουδαῖοι ἀπὸ Ἀβραμῶνος (sic legendum, non Ἀβραβῶνος) in quam sententiam videtur propendisse Augustinus, qui *de Civitate Dei. 16. 3.* postquam Ebræos ex Ebere deduxit, aliam addit posse esse opinionem, ut ex *Abraham* tanquam *Abrahæi* dicti esse videantur. Sed idem *lib. 2. Retractationum cap. 16.* hunc locum etiam retractavit, atque id quidem meritò; Ebræos enim Abrahamo antiquiores fuisse, vel ex eo constat, quòd ipse Abrahamus *Ebræus* vocetur Gen. 14. 13. In Eusebianis, ubi de tempore transitus: Ἔνθεν ἔσχηται τῶν Ἑβραίων προσωνυμία, Ἑβραῖοι γὰρ οἱ Περάται ἑρμηνεύονται, διαπεράσαντος τὸν Εὐφράτην Ἀβραάμ, οὐχ ὥς οἴονταί τινες, Ἐβέρ,

Ἑβερ. Inde Hesychius: Ἀβραμ, περάτης, ἡ πατὴρ μετοικος. Meliùs autem alibi. Ἐβερ, Ἑβραῖος, καὶ ὁ Ἑβραῖος περάτης. *Ad Hebræos* Epistola, à Paulo Apostolo conscripta, capp. 13. docet, JESUM CHRISTUM non Redemptorem solùm & Messiam illum esse Patribus promissum, sed & in illo omnes Vet. Test. ceremonias impletas, sicque finem illis impositum esse. In div. hanc Ep. extant: Amyraldus *in cap. 6. &c.* Balduini *Analysis*. Blandratæ Socin. *Expositio in c.* 1. Borussi *Resolutio*. Capelli *Observationes*. Coccei *Explicatio*. Codurcus. Constantinus Presbyter. Crellii *Paraphrasis, in c. 2. pr.* Croquetii *Enarratio*, octav. Duaci, 1578. Dalæus *in cap.* 12. Delphinus. Deringii *in c. 5. pr. & partem 6.* Angl. quart. Londini 1590. Gerhardi *Commentar.* quart. Jenæ, 1641. 1660. Gomari *Explic. locor. difficil.* Gouge Angl. fol. Londini 1657. Grandis *Comm.* octav. & fol. Parisiis. Grawerí *Examen Nearianorum, in c.* 1. Jenæ 1613. Grynæi *Explanatio*, octav. Basil. 1585. Hegendorffii *Annotation.* Hagenoæ 1529. Hornejus. Jonesii *Expositio* Angl. fol. Londini 1635. Lavvsoni *Commentar.* fol. 1662. Lushingtoni itidem, Angl. fol. Londini 1646. Lyseri quoque, quart. Majoris *Commentar.* Megander. Mejenreri *Resolutio* octav. Hanoviæ 1605. Mestrezati *Conciones*, Gall. tom. 5. in octav. Genevæ. Nahumi *Explicatio Anal.* octav 1602. Oecolampadii *Explicationes*, Argentor. 1534. Osiandri *Explicatio* quart. Tubingæ, 1584. de Palatio. Pareus. Perkinsius. Quistorpii *Comm.* Ribera. Rollocus. Sculteti *Idea Conc.* Stevartius. Stresonis *Comment.* Tenæ *Commentar. & Disput cum exercit. Frid. Spanhemii de Auctore & Epist. ad Hebr &c.* fol. Londini, 1661. Turretinus *in c.* 12. Vasquez. Ursens. Zuinglii Jun. *Comm. in c.* 11. fol. Basil. 1592. Vide Crovvæi *El.*

Hebrides, insulæ Albionis, oræ Scotiæ occiduæ adjacentes. Primæ Evangelii luce collustratæ, Tertullianus, Morerius. *Vid Ebudæ.*

Hebromagum, Auson. *Hebromanum*, pagus Aquitaniæ, nunc quid sit, non constat. Baudr.

Hebron, à filio Calebi dicta, prius *Arbee & Mambre* & *Cariatharbe*, hoc est, *civitas quatuor virorum*, eò quòd quatuor Patriarchæ, Adam, Abraham, Isaac & Jacob ibi habitaverunt, & sepulti sunt: vel *urbs Arbe*, qui Gigas erat, Enaci progenitor. Urbs fuit antiquissima urbium terræ Chanaan in tribu Juda, septem enim annis ante Tanim, Ægypti urbem condita est, sita in monte Hebron: regia olim & metropolis Philistinorum & habitaculum gigantum, quibus à Caleb expugnatis & deletis, urbs pro tutissimo Asylo assignata est fugitivis, & data Levitis cum suburbano 2000. cubitorum. Dicitur aliquando *Convallis Mambre.* Totius tribus maxima, Davidis R. per 7. annos regia, tempore Christianorum episc. quâ tandem destructâ *nova Hebron* vicino loco ædificata est. Num. 13. Jos. 14. Hier. *de L. H.* Brochard. *descr. T. S.* Belon. *l. 2. c.* 87.

Hebrona, locus in quo castrametati sunt Israëlitæ. Num. 13.

Hebrus, adolescens Liparæus, quem Neobule amavit. Horat. *Car. lib.* 3. *Od.* 12.

Hebrus, auxiliaris Persæ, à Jasone in prælio occisus. Val. Flacc. *lib.* 6. *vers.* 619.

Hebrus, Cyzicenus, à Polluce in conflictu nocturno cæsus ac semianimis relictus. Flacc. *lib.* 3. *vers.* 149.

Hebrus, nomen civitatis. Lucianus *in Fugitivis*: Ἕβρος μὲν ὁ τόπος, καὶ πόλις ἐγγὺς Φιλίππου ἐκείνη. Vocabatur etiam *Philippopolis*, quæ & *Poneropolis*, & *Pulpudena*, & *Eumolpias*; sita erat ad Hebrum fluv. inter Æmum & Rhodopen. Dicta quoque *Trimontium* ex eo, quòd *tres montes* suorum murorum ambitu complectebatur.

Hebrus, Thraciæ fluv. aureas volvens arenas, in Rhodope monte nascens, supra Philippopolim, & è regione Samothraciæ insulæ in mare Ægæum sese exonerans. Fabulantur poëtæ Orphei caput in hunc fluvium projectum fuisse, cùm à Ciconum mulieribus fuisset discerptus. Virg. *Georg.* 4.

Tum quoque marmoreâ caput à cervice revulsum
Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret. ——

Ovid. *Met.* 11.

—— *Caput Hebre, lyramque*
Excipis, & mirum, medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis, respondent flebile ripæ.

Silius, *libr.* 11.

—— *Tulit ora revulsa*
In pontum ripis utrinque sequentibus Hebrus.
Tum quoque cùm ripis caput à cervice recisum
Portaret fluctus, subito emicuere per undas
Ad murmur cete toto exultantia ponto.

Statius, *Sylv.* 2.

Sic ripis ego murmurantis Hebri
Non mutum caput Orpheos sequebar.

Hodie *Mariza* dicitur.

Hebudæ, vide *Ebudæ*.

Hecaerge, nympha Claudianus,

—— *Metuenda feris Hecaërge,*
Et soror, optatum numen venantibus, Opis.

Callimachus,

Οὖπίς τε Λοξώ τε καὶ εὐαίων Ἑκαέργη.

Hecale, anus paupercula, quæ Theseum adhuc adolescentulum hospitio suscepit. Hujus paupertatem Callimachus justo volumine celebravit. *Nunquam Hecale fies*, i.e. nunquam te inopia opprimet. Crinagoras *Anthol. lib.* 1. *de Callimacho*,

Ἀείδει δ' Ἑκάλης τε φιλοξείνοιο καλιήν.

Ubi Scholiastes οἷς Ἑκάλη ἐξένισε τὸν Θησέα. Et Apulejus: *Theseus non est aspernatus Hecales anûs hospitium.* Quod Plut. *in Theseo* somnium putat. Ἡ δὲ Ἑκάλη καὶ τὸ περὶ αὐτὴν μυθολόγημα. Ovid. *de Rem. Am.*

Cur nemo est Hecalen, nemo est qui ceperit Irum?
Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.

Hecale, Leontidis tribus municipium. Steph.

Hecalius, Jupiter ab *Hecale* sic dictus, quæ cùm Theseum quodam tempore comiter excepisset, promisissetque ei, se suam ipsius animam Jovi immolaturam, si salvus ex prælio domum rediret; cumque ante Thesei reditum obiisset, occasionem Theseo dedit, ut in honorem ipsius sacrum Jovi institueret, eumque *Hecalium* vocaret.

Hecamede, Arsinoi filia, quæ, direptâ Tenedo, Nestori in prædam cecidit. Hom. *Iliad.* 11.

Hecatæus, Sindorum, qui paulo supra Bosporum colunt, Rex De quo Polyæn. *lib.* 8.

Hecatæus, nobilis Macedo, amicus Alexandri, quem initio regni delegit, ad occidendum in Asia Attalum, apparentem res novaturum. Diod. *lib.* 17.

Hecatæus, nobilis Macedo, invitus in militiam, jussu Alex. M. per Amyntam patriâ extractus. Curt. *lib.* 7. Item Abderitanus, Philos. & historicus, in Alexandri M. dein Ptolomæi Lagi aula, Joseph. Euseb. Auctor historiæ Judaicæ, &c.

Hecatæus, historicus Milesius, fil. Ægesandri, Protagoræ auditor, Olymp. 64. qui primus solutâ oratione historiam condidit. De reliquis Hecatæis vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 1. *c.* 1. 10. & *l.* 4. *cap* 3.

Hecate, Jovis & Latonæ filia, soror Apollinis, quæ & *Diana* dicitur. Huic triplex nomen attribuitur. Nam in cœlo creditur esse *Luna*, in terrâ *Diana*, & apud inferos *Proserpina*. *Hecate* verò Servio dicta, quòd centum victimis placetur, aut quòd 100 annos errare faciat insepultos. Alii ab ἑκάς, quòd eminus radios suos mittat Luna, & ejaculetur. Hæc & τρικέφαλος cognominabatur, *quia* (ut inquit Orpheus *in Argon*) *tria habuit capita, dextrum equinum, sinistrum caninum, medium suis agrestis.* Ovid. *Met.* 9.

Tuque triceps Hecate. ——

Virgilius,

Tergeminamque Hecatem, tria virginis ora Dianæ.

Item *Hecate* herbarum, veneficiorumque peritissima, quæ in Tauricâ Chersoneso regnavit, filia Persæ, ex Taurica fœmina, fil. Solis, à quo & *Perseis*, & *Perseja* dicta: Tibullus,

Sola tenere malas Medea dicitur artes,
Sola feros Hecate perdomuisse canes.

Hæc cùm venationis, plusquàm muliebrem sexum decebat, esset studiosa, dum in lustris & montibus diu versabatur, herbas invenit complures, præsentanei multas & efficacissimi veneni, multas etiam saluberrimas. Sed, cùm naturâ immitis esset, atque crudelis, primùm veneno Patrem sustulit, & ad Æeten patruum confugit; cui nupta, Circen & Medeam genuit. Alii tamen Jovis eam filiam faciunt. Hesiodus Persæ & Asteriæ; Orpheus Cereris. Bacchylides nocte genitam fabulatur: Pherecydes ex Aristæo natam. Musæus ait, Jovem Asteriem à se compressam Perseo tradidisse, quæ postea Hecaten peperit, unde credita est Persei filia.

Hecates, ins. ante Delum, quæ & *Psammite*. Suidas. Est etiam alia circa Lesbum. Hesychius.

Hecatesia, sic Idrias urbs Cariæ nominatur.

Hecatis nemus, promunt. Sarm. Europææ. Ptol.

Hecatombæum, locus Achajæ in Peloponn. circa Dymum in Achajâ. Polybius. A sacrificio Hecatombe.

Hecatombæus Jupiter in Gortyna, ut Hesychius ait, appellatus est à Caribus & Cretensibus. Hoc nomine Apollo etiam nuncupatus fuit ab Atheniensibus.

Hecatombe, sacrificii genus, in quo ritus sic servabantur, ut centenæ sui generis mactarentur victimæ; ut centum sues, centum hœdi, &c. Ovid. *Met.* 8.

Vota Jovi Minos taurorum corpora centum
Solvit. —— ——

Hecatomnus, Cariæ præfectus, cui Artaxerxes summam imperii, adversus Evagoram regulum Cypri, dedit Olympiadis 97. an. 2. Verùm is clàm Evagoræ favit magnamque pecuniæ vim ad alendos mercenarios suppeditavit. Diod. *lib.* 15.

Hecatompedum, Sophiano *Sopoto*, urbs Epiri, in Chaonia reg. Elymæ urbi finitima.

Hecatomphonia sacra, dicta sunt à Messeniis, ob partam de Lacedæmoniis victoriam. Nam si quis centum hostes interfecisset, Jovi hominem sacrificabat apud Ithomen; hinc ea sacra ἑκατομφόνια nomen sunt sortita.

Hecatompolis, Cretæ epitheton à *centum urbibus*. Item Laconica regio sic dicta. Strabo *lib.* 8.

Hecatompylos, Thebes Ægyptiacæ epitheton à *portarum numero centenario.* Juvenalis,

Atq; Vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Ubi duo Thebes occurrunt epitheta, unum quòd *Vetus* sit, alterum, quòd *centum portas* habeat, quae etiam conjungit Dionys. Θήβην ὠγυγίην, ἑκατόμπυλον.
Est etiam ejusdem nominis urbs in Parthiâ, à Græcis condita, teste Stephano, nunc *Aspachanum*. Vide ibi: & in Hyrcaniâ. Diodor. Item in Libyâ, ab Hercule constructa.

Hecatonchiros, i.e. *Centimanus*, Briarei, sive Ægæonis epitheton. Vide Plut. περὶ πολυφαγίας.

Hecatonnesi, parvæ insulæ viginti circa Lesbum, ab *Hecato* Apolline dictæ, qui in illis locis plurimum colitur. Timosthenî 40. Aliis 100. scopuli potius.

Hecatontachiria, civitas, quæ nunc *Orestiades* dicitur. Aliis *Leutkirch*, oppidul. Sueviæ, 3. leuc. à Campoduno. Sub Austr.

Hechelias, pater Nehemiæ. 2. Esdr. 1.

Hechingum, opp. Duc. Wirtemberg. Judæorum asylum. Metel.

Hecla, mons peramplus & ignivomus Islandiæ Insulæ, in parte Merid. versus urbem *Scalholt* Episc. quum furit, ut horribilia tonitrua insonat, projicit ingentia saxa, sulphur evomit, cineribus egestis omnia longè lateque complet, ut ad vicesimum lapidem terra coli non possit. Qui naturam causásque ejus incendii curiosiùs contemplaturi propiùs ad montem accedunt, facilè unâ aliqua latente voragine vivi absorbentur: nam & multæ sunt, & cineribus ita tectæ, ut nemo sibi cavere possit: locum propterea vocant carcerem sordidarum animarum. Mercat. Metel. Inde etiam fulgura emicant permixta quasi fulminibus. Baudr.

Hectodurum, Rhætiæ opp. Ptol. *Echtal* Lazio.

Hector, Priami & Hecubæ filius, Trojanorum omnium fortissimus, ab Achille interfectus. Pater Astyanactis, ex Andromache, quem Græci è turri præcipitatum necarunt. Homer. *lib.* 13. Virgil. *lib.* 1. & 9. Dictus, teste Platone, ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὴν πόλιν, quòd urbem contra hostium impetum tenuerit, patriamq; servarit. Eo namque sospite Troja nunquam potuit expugnari. Unde Hor. *carm.* 3. *Od.* 4.

—— *Ademptus Hector*
Tradidit fessis leviora tolli Pergama Grajis.

Quod sumpsit ex Hom. *Iliad.* 24.

—— Ἀτὰρ γνώσεσθε καὶ ὔμμες,
Ῥηΐτεροι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἔσεσθε
Κείνου τεθνηῶτος ἐναιρέμεν, &c.

Virgil. *Æn.* 9.

Haud sibi cum Danais rem faxo, & pube Pelasgâ
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.

Inde Chorus apud Sen. *in Troadibus*,

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras; humerisq; tuis
Stetit illa decem fulta per annos,
Tecum cecidit, summusq; dies
Hectoris idem patriæq; fuit.

Vide etiam *Achilles*.

Hector, Parmenionis fil. cùm Alexander acceptâ in fidem Ægypto, secundo Nilo deflueret, parvum navigium conscendit, pluribus, quàm capere posset, impositis. Itaque mersâ navi Hector flumini diu obluctatus tandem in ripam semianimis evasit, ac mox nullo adjuvante (quippe in diversum evaserant alii) exanimatus est. Alexander repertum corpus magnifico extulit funere, Curt. 4. 73.

Hector Boëtius, Scotus, Historicus celebris, condiscipulus Erasmi, Parisiis. Auctor historiæ Scoticæ, &c. quæ à Ferrerio Pedemontano continuata est. Sub Carolo V. P. Jovius & Dempsterus *in elog.* Buchan. Vossius, &c. contra Humfredum Lhuidum Anglum, à Demstero defensus.

Hector Pinto, Lusitanus, in aliquot Prophetas commentatus est: Ejus tractatus duo, de imagine vitæ Christianæ, à G. Cursolio versi sunt, an. 1580.

Hecuba, Priami uxor, filia Dymantis Homero, aut, (ut Virgilius Euripidem secutus sensit) Cissei, captâ Trojâ in canem versa. Ovid. *lib.* 13. *Met.* Quam fabulam inde ortam putat Servius, quòd cùm à Græco Ulysse captiva abducta Polyxenam primò immolari vidisset, dein filii sui Polydori corpus in mare abjectum agnovisset, quoniam aliter injuriam ulcisci non posset, Græcos inanibus conviciis lacessiverit, Juven. *Sat.* 10.

—— *Torva canino*
Latravit rictu. ——

Hecubæ sepulcrum, Thraciæ promuntorium. Κυνὸς σῆμα dictum. Ovidius *ubi suprà*.

Heddai, nomen viri. 2. Reg. 22. qui *Huri* 1. Par. 11. dicitur.

Hedena, vulgò *Hedin*, arx permunita Artesiæ, ad Quantiam fluv. in limite Picardiæ. Sub Gallis, ab an. 1639. 7. leuc. ab Abbevilla in Bor. 4. à Monstrolio in Ort. intra paludes. Olim ab Hisp. excitata contra Gallos.

Heder, filius Beriæ. 1. Par. 8.

Hedeta, seu *Edeta, Liria*, opp. Celtiberorum olim, nunc castrum regni Valentiæ, ad Turiam fluv.

Hedetani, Hispan. Tarracon. pop. Ptol.

Hedfeldia, urbs Angliæ, in qua Concil. Nationale A. C. 680. Theodoro Cantuariensi Arch. Præside, Beda *lib.* 4. *cap.* 17.

Hedila, Samia Poëtria, filia Poëtæ Moschinis & mater Hedilogi epigrammatistæ. Athen. *lib.* 4.

Hedimeles, mons Atticæ. Juv. *Sat.* 6. nisi fortè sit personæ nomen. Vide *Hedymeles*.

Hedius Stephanus, monachus Anglus, Musicus insignis. Auctor vitæ Wilfridi Episc. &c. Beda *de gest. Angl. l.* 4. *c.* 2. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 28.

Hedonacum, Bœotiæ vicus. Pausan.

Hedones & *Hedoni*, Thraciæ pop. Steph. & Suid.

Hedrus, seu *Edros*, & *Adros*, Hiberniæ insul. Ptol. *Berdsey* Camdeno. Insula parva Angliæ, in ora Walliæ Bor. & Arvoniæ prov.

Hedui, Gall. pop. Arvernis finitimi, post Helvetios & Sequanos in Occasum vergentes, juxta quos ex Alpibus fluit Araris, olim Romanorum fratres dicti, quorum hodie loca Burgundiones tenent. Illorum caput Augustodunum, vulgò *Autun*. Vide *Augustodunum*.

Hedvigis, Ludovici Poloniæ R. filia natu minima, post Sigismundum affinem, coronata, Jagielonem, Principem Lithuaniæ Ethnicum, sed qui Christianam fidem amplexus est, maritum accepit. Mariti, qui post disputationem Cracoviæ cum Hussitis anno Chr. 1431. institutam, Ministrum Evangelicum è Bohemia evocatum, sæpius in occulto conclavi audiebat, pietatem imitata, Biblia sacra in linguam Polonicam sibi transferri curavit, seduloque legit: imo apud Regem zelo suo tantum effecit, ut is evocatis è Bohemiâ Verbi Ministris in templo S. Crucis Cracoviæ Sclavonicâ linguâ sacra obeundi potestat m fecerit. Vide Lasicium *l.* 1. *de gestis Fr.* apud Lætum *Comp. hist. Univ.*

Hedylium, mons Bœotiæ. Suidas. Ejus quoque meminit Plin. Hic enim est, quem *Hadylisum* vocat, *l.* 4. *c.* 7. vitio scribarum, cùm sit legendum *Hadylius* vel *Hadyleus*.

Hedymeles, citharœdus, ab ἡδὺ *dulce*, & μέλος *cantus*. Juven. *Satyrâ* 6.

—— *Crispo numerantur pectine chordæ,*
Quo tener Hedymeles operam dedit.

Hedyphon, Babyloniæ reg. fluvius. Strabo.

Hedypnus, Susianæ fluvius, in Eulæum labens. Plin. 6. 27.

Hegaleos, vide *Ægaleos*.

Hegelochus, sex millium Atheniensium, Mantinensibus auxilio missorum, Dux, qui conatus Epaminondæ Mantineam desertam à civibus subjugare cupientis, retardavit. Diod. 15. 501.

Hegelochus, actor Tragœdiarum, quem ob vocis insuavitatem traduxerunt Comici.

Hegemon, Characenus (est autem Charax Phrygiæ urbs) versificator, scripsit libellum Leuctricôn, Thebanorum, & Lacedæmoniorum. Vide Voss. *Hist. Gr. p.* 370. Item, ex amicis Phocionis, cum eo bibere κώνειον coactus. Item Thasius, Gigantomachiæ, &c. auctor. Ælian. *hist. anim. l.* 8. *c.* 11. Suid.

Hegesagoras, in Mĕgaricis ab Apollonii Schol. *in l.* 1. citatur.

Hegesander, Delphicus Historicus, de quo vide Voss. *de hist. Gr.* Michaël Apostolius, *Cent.* 2. *prov.* 51. Suid.

Hegesianax, Alexandrinus historicus, Troica scripsit; teste Athenæo, *l.* 9. V. Pausan. Athen. Hygin. Voss. *de hist. & Poët. Gr.*

Hegesias, tyrannus Ephesi, Alex. M. opibus fultus; interfectus tamen ab Anaxagora, Codro & Diodoro Echeanactis filiis. Vide Polyæn. *lib.* 6.

Hegesias, Cyrenaicus philosophus, qui tantâ eloquentiâ mala vitæ repræsentabat, ut eorum miserandâ imagine audientium pectoribus insertâ, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret: Ideoque à rege Ptolemæo ulterius hâc de re dicere prohibitus. Cic. *lib.* 1. *Tusc. Qu.* πεισιθάνατος dictus est, auctorque Scholæ cognominis, & Discipulus Paræbati fuit, tempore Platonis. Diog. Laërtius *in Arist. l.* 2. Cicero *Tuscul. l.* 1. Val. M. *l.* 8. *c.* 9. *ex.* 7. Alter Magnesius, orator quoque egregius, cujus meminit Strabo *l* 14. Idem historicus fuit. Auctor styli Asiatici, scripsit plurima. Cic. *in Orat.* Dion. Halicarn. Voss. *de H G l.* 1.

Hegesigonus, aliqua consignavit de mirificis hominum in Indiâ formis, quemadmodum cognoscimus ex Tzetze, *Chil.* 1. *hist.* 18. & *Chil.* 7. *hist.* 144.

Hegesinous, de rebus terræ Atticæ poëma condidit, teste Pausaniâ *in Bœoticis*.

Hegesippus, historicus, quem 5. actuum Ecclesiasticorum libros elucubrasse, auctores sunt Hieronymus, ac Honorius, & quintum eorum citat Eusebius *Hist. Eccles. lib.* 2. *cap.* 22. ac Græcè κγ. ubi de Jacobi fratris Domini martyrio, verba facit. Itemque Photius *Biblioth. cod.* 232. ubi vocatur ἀρχαῖος τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικός. Ex illustribus verò fragmentis, quæ apud Eusebium habemus, omnes vident, quanto cum damno libri ejus interciderint. Edidit illa cum notis, Halloixius. At Hegesippus ille vulgaris, quem B. Ambrosius Latinè vertisse diu creditus fuit, scriptor est omnino ὑποβολιμαῖος, teste Voss *de hist Gr.* 2. 14. *de Lat. l.* 3. *Hegesippus* alius historicus, reliquit volumen de Pallene, auctor sanè vetus, quippe qui etiam Dionysio Halic. *antiquus* vocetur *l.* 1. ubi eum cum Cephalone Gergithio conjungit, quos ἄνδρας ἀρχαίους, καὶ λόγου ἀξίους vocat. Palleniaca ejus citat Steph. in Μηκύβερνα; Item Parthenius *Eroticôn cap.* 6. Qui & *cap.* 16. advocat librum primum Hegesippi de rebus Milesiorum. Idem ne an alius fuerit, haud temerè

temerè dixeris. Sed alius saltem ab eo est *Hegesippus* Tarentinus Poeta Comicus, de quo Suidas. Fuit & alius *Hegesippus*, Demosthenis æqualis, & ejus in legatione collega: cujus esse creditur oratio de Haloneso, quæ vocatur Philippica Demosthenis septima. Vide Etymologum in Ἡγήσιππος. Fuit præterea denique

Hegesippus, ὀψοποιητικῆς πραγματείας σοφιστής, cujus meminit Jul. Pollux. 6. 10. Etiam Ὀψαρτυτικὸν *Hegesippi* memorat Athenæus *lib.* 12. quod idem opus. Vossius, locis suprà notatis, Vide & Morerium, *Diction. Hist.*

Hegesis, Lacedæmonius, ex posteris Herculis, filius Eurysthenis, pater Echestrati. Herod. *lib.* 7.

Hegesistratus Ephesius, ob tribulis sui necem exul, Delphos perveniens, quemnam locum coleret, consuluit Deum, cui Phœbus, ubi saltantes videris rusticos cum coronis oleagineis. Itaque profectus in Asiam, rusticos eo modo cernens, urbem condidit Eleam; Pythocles Samius apud Plutarchum.

Hegethmatia, Germaniæ urbs. Ptol. vulgò *Lignitz*. an. 1672. incendio horrendum in modum vastata.

Hegetorides Thasius, qui Patriam ab interitu vindicavit ingenio, in hunc modum: Oppugnabant Thasum Athenienses; Legem verò sanxerant Thasii: qui censuerit fœdus cum Atheniensibus esse faciendum, mortis damnas esto. *Hegetorides* videns multos civium belli ac famis gravitate perire, laqueo collo circumdato in concionem prodiit, & Viri, inquit, cives, me quidem ut vobis libet & prodest, utimini: reliquos autem cives meâ morte superstites conservate, legemque antiquate. His auditis Thasii & legem abrogarunt & *Hegetoriden* conservarunt incolumem. Polyæn. *l.* 2.

Hegira, Arabum computatio, ut Era Hispanorum. Significat *fugam*: nam cùm omnia prosperè succederent Mahumedi, postquam ex Medinath Talnabi fugam cepisset, suum Arabes ab hac fuga calculum ordiuntur. *Mahumedes completo An. Dom.* 621. *dedit legem, à quo tempore computantur anni Arabum, sub Honorio Papa primo, & Heraclio II.* Beroald. *lib.* 4. *cap.* 4. Fugerat autem tum Meccham Pseudopropheta, ne pœnas daret væsanæ doctrinæ, quam tum disseminare cœperat: factum id die Ven. 16. Julii. An. C. 622. Eræ Christianæ Petav. *de doctr. temp. c.* 50. & *lib.* 7. *cap.* 12. *Rat. temp.* 2. *P. lib.* 4. *cap.* 15. Scaliger *de E. T.* Ricciolus *Chr. ref. T.* 1. *lib.* 2. *cap.* 24. Kristomannus, Mercator, &c.

Hegla, vel *Hoglah*, filia Salphaad, vel Zelophehad. Num. 26.

Hegonis, Ptol. Nigro *Egospotamos*, aliis *Fainam*, prom. Macedoniæ, inter Thessalonicam & Cassandream, apud ostia Chabrii fluv. ibi *Egospotamos* dicti.

Hegovia, tractus Sueviæ, inter Lacum Cellensem ad Ort. & Sylvam Nigr. ad Occ. vix 6. milliarium. Hîc sunt Landgraviatus Nellemburgicus, sub Austr. cum opp. *Stocack*, Duellium sub Duce *Wirtemb.* & aliquot alia loca.

Hegua, Vid. *Ategua*.

Heideba, Crantzio *Sleswick*, urbs Jutiæ Mer. caput Duc. Slesvic. ad Sliam fluv. qui in mare Balt. aliquot infra leucis se exonerat. 4. leuc. à Rensburgo & confin. Holsatiæ in Bor. totidem à Flensburgo in Austr. 5. ab Husumo in Ort. Ei adjacet Gottorpia arx, ubi Ducum sedes è stirpe Regum Daniæ & Holsatiæ D.

Heideggerus Joh. Henricus, Theologus Tigurinus exercitatissimus. Natus Berotisvillæ in agro Tigurino A. C. 1633. patre Pastore, tritavis Reformatoribus, ex avia, Zuinglii Bullingerique nepte, in Patria Schola futuræ πολυμαθείας fundamenta jecit, sub Rodolpho Stuckio, Joh. Wirtzio, & Joh. Henr. Hottingero, illis Theologiæ, hoc Lingg. tum Orientalium, Professoribus celeberrimis. Marpurgi dein Chattorum audiit Johannem Crocium: inde Heidelbergam delatus, Linguam ibi Hebræam publicè extra ordinem professus est, A. C. 1658. Philosophiam dein ibidem docuit, A. C. 1659. Steinfurtum postea, à Comitibus Benthemiis vocatus, ibi Theologum egit, prius à celeberr. Hottingero S. Theol. Doctor renuntiatus. Sed flagrante inter Belgas Confœd. & Episc. Monasteriensem bello, dum, urbe occupatâ, Schola dissipatur, missione sibi factâ, in patriam rediit, A. C. 1665. ubi sequente anno Ethicæ Christianæ Professionem sibi mandatam, obiit: Hottingero post hæc A. C. 1670. in Prof. Theologica suffectus, tantam eruditionis multijugæ, sacræ inprimis, Famam undiquaque sparsit, ut paulo pòst, Lugdunum Bat. ad Theologicam Cathedram honorificè vocaretur, verùm missione à Patriæ Patribus negatâ, in statione summo cum fructu Stud. Juventutis, totiusque in Patria rei sacræ, hucusque perstat. Ejus prodierunt: *Libertas Christiana à lege Cibaria V. T. De Paschate Emortuali Christi; De Aug. Conf. cum fide Reformatorum consensu: De Fide decretorum Concilii Tridentini: Historia Patriarcharum tom.* 2. *De Peregrinationibus religiosis: Anatome Concilii Tridentini Historico-Theologica: Dissertationum Selectarum* Τελικὰς: &c. Inpræsentiarum desudat in scribendis *Ethica Christiana* libris 5.

Dum micat hoc lumen, tenebras colit impius error,
Sed dolet, in tenebris non latuisse suis.

Heidelberga, Urbs Germ. Comitum Palatinorum Rheni sedes, ad Neccarum fluv. sita: Ptolemæo, ut putatur, *Budoris*. Cum castro probè munito in colle. Nomen oppido datum existimant à Gentium coloniâ, quæ ante multos annos hîc habitasse, multis indiciis convincuntur. Vocant enim Germani gentilem hominem *Heiden*. vel à nigrorum vacciniorum, Teutonicè *Heidelbeer*, multitudine. Olim Vangionum imperio subdita fuit. Solum habet rerum omnium ferax. Est & florentissima ibi Academia à Ruperto Palatino instituta & multis privilegiis donata, An. Dom. 1346. Mirsilius d'Ingen, Ultrajectinus primus ibi Rector fuit. Bertius, *libr.* 3. *rerum Germ.* F. Irenicus, &c. Vulgò *Heydelberg*. In confinio sita est Sueviæ, à qua vix quatuor leucis abest, sicuti 3. à Spira in Cæciam, estque magnifica satis & elegans, cum ponte ligneo ad Neccarum, Baudrandus. Expugnata aliquoties bello Germanico, in antiquum decus, post pacem Anno 1649. factam in dies magis magisque rediit. Hîc cùm Tilemannus Heshusius Pastor, cui se Wilhelmus Klebitius opposuit, controversias Sacramentales an. 1561. excitasset: Fridericus III. Elector, Ecclesiæ consulturus, utrumque honestè dimisit: Disputationem dein inter Theologos suos & Thuringiacos instituit, quorum hos audaciâ & loquentiâ, illos modestiâ & solidâ veritatis simplicis assertione esse superiores judicavit, atque, ut schisma tolleretur, hypotyposin doctrinæ, quæ *Catechesis Heidelbergensis* dicta, conscribi ac publicari jussit. Quam cùm Heshusius, Flaccius, alii, rursus imneterent, Colloquium Mulbrunense institutum est, A. C. 1564. Postmodum A. C. 1617. jubileum ibidem celebratum, Deoque solennes gratiæ actæ sunt, pro accensa Evangelii luce: disputatio quoque celebris inter alia à Davide Pareo magnæ famæ Theologo publicè habita est: de qua Vid. Lætum *Comp. Hist. Univ.*

Heilbronna, Vid. *Hailbronna*.

Heilsberga, opp. Prussiæ reg. cum arce ad fluv. *Alle*, ubi sedes Ep. Varmiensis. Condita est Anno 1240. 8. mill. à Regiomonte in Mer.

Heinius Petrus, Belgarum fœderatorum Archithalassus, debellavit an. 1628. Hispanorum classem argentiferam ad portum Mantacæum: in quâ præter alias merces argenti partim cusi, partim in laminas fusi, inerant 46. onera, i. tonnæ auri 300. Unde inter Hispanos dissidium, militum querelæ, jactura Vesaliæ, Sylvæ Ducis, Duisburgi, Rhurortæ, Essenæ, Trajecti ad Mosam, &c. Occubuit An. 1630. in conflictu Dunkerkano, victor. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Heinsius Daniel, S. Marci Eques, Politices & Historiarum, in Acad. Lugduno-Batava Professor clarissimus. Natus Gandavi An. Chr. 1580. stirpe Consulari, inter maximos Reip. Belgicæ fluctus per multa dura & aspera jactatus, vix triennis, patriâ extorris fuit, *Fortunæ privignum* se hinc vocare solitus: Hagæ Comitis initiis literarum jactis, inde in Zelandiam abiit, brevique tantum profecit, ut decimo ætatis anno commilitoni suo venustâ parentaverit elegiâ, cujus ultimum distichon:

Qui nondum undecimum vidi transire decembrem,
Hæc ego de puero carmina canto puer.

Post hæc, severioribus studiis destinatus, Franequeræ Henricum Scotanum audiit: Græcæ quoque & omnigenæ literaturæ amore flagrans, Josephum Scaligerum Lugduni Bat. ἐργοδιώκτην habuit, in principatu literarum ejus postea successor. Sic famâ quotidie crescente, anno æt. 18. publicè primùm Latinos, dein Græcos Auctores professus est, ultimò Politices & Historiarum Professionem suscepit: queis & Secretarii Acad. & Bibliothecarii nobile munus accessit. A' Gustavo posthæc Adolpho Sueciæ R. in Consiliariorum numerum ascitus & à Sereniss. Venetorum Rep. Equestri D. Marci dignitate ornatus, ipsum Urbanum VIII. Pontif. Rom. eruditionis suæ admiratorem habuit, amplissimo honorario Romam, ut eam à barbarie vindicaret, invitatus. Obiit A. C. 1655. Pater Nicolai. Ejus prodiere *Poëmata, Notæ in N. T.* &c. Vid. Anton. Thysium *Or. fun.*

Hela, regiuncula Asiæ, Attali regis emporium. Steph.

Hela, seu *Heila*, oppidul. Prussiæ reg. ad apicem sinus *Pautzerwick*, mari Balt. circumdatum maj. ex parte, an. 1572. incendio conflagravit, postea utcunque reparatum. 4. mill. Germ. à Gedano in Bor.

Helam, civitas haud procul à Jordane. Esr. 2. & 7. 2. Reg. 10. In tribu Benjam.

Helba, civitas tribûs Aser. Lat. *lac*, sive *adeps*, aut *mansit in eâ*, sive *principium*, vel *dolor in eâ*.

Helcath, vel *Halcath*, civitas tribûs Aser, data Levitis. Jos. 21. id est, *portio, pars*, aut *lenitas*.

Helci, nomen viri. 2. Esdr. 12.

Helcia, pater Eliacim. 4. Reg. 38. Nomen Sacerdotis. 4. Regum. 22. Pater Jeremiæ, Jerem. 1.

Heldebaldus, Præfectus Veronæ, Rex Gothorum electus est, capto à Belisario Vitige, Ravennæ an. 540. paulò post à Vila Gepida interemtus. Procop. *de bello Goth.*

Heldona, fluv. Galliæ, in Normannia, cis Sequanam, aliàs *Elna*. atque *Alna*, unde Novavilla super Alnam, prope Albammarlam: Accolis *Eaune*, nonnunquam *Yaune*: Alluit Mortuum mare *Mortemer sur Eaune*; Heldonam vel Elnam locum fluvio

cognom. Vicum S. Germanni *S. Germain*, Profundamvallem *ParfondeVal*, Longum denarium *Longdenier*, Albertivillam *Auberville*, Ebrardi Mansionile *EuVermesnil*, Martini Ecclesiam *Martinleglise*, vulgò *Martenglise*, demumque infra Arcas ad vicum Butilam *Boureille*, Deppâ flumine accipitur, mox apud Deppam portum & opp. clarum in Oceanum intraturo, Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Caleti.*

Heleb, civ. terminus tr. Nephthalim. Jos. 19.

Helec, filius Galaad, fil. Machir, fil. Manasse, Num. 26.

Heled, filius Baana. 2. Reg. 33. id est, *orbis, mustela*, aut Syriacè *rubigo.*

Helellus, vulgò *Ill*, fluv. Germ. Oritur prope Ferretam, in Suntgoja; dein per Alsatiam super. labens, Mulhusium, Ensishemium, Colmariam, Selestadium & Benofeldam rigat, cum Argentina, infra quam Rheno miscetur. Hinc vico *Helello* nomen: de qua voce Vid. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Helem, nomen viri. 1. Par. 7. Lat. *somnians*, aut *sanans*, sive *expectatio*, vel *dolor eorum.*

Helemaida, urbs. Jos. 12.

Helena, filia Jovis, ex Ledâ Tyndari Laconiæ regis uxore, quæ à Jove, in Cycni formam transmutato, compressa, duo peperit ova, ex quorum altero Helena & Pollux, ex altero Castor & Clytæmnestra exclusi fuerunt. Ex his Helena, cùm cæteris suæ ætatis fœminis formæ elegantiâ præstaret, à Theseo rapta est adhuc virguncula, non multò tamen pòst Castori & Polluci fratribus eam repetentibus citra injuriam restituta est, & Menelao uxor tradita, cui & Hermionem filiam peperit. Posthæc famâ pulchritudinis ejus illectus Paris, contractis aliquot navibus, in Græciam sese contulit; ubi à Menelao hospitio exceptus clam se in amorem Helenæ insinuavit, tandemque absente conjuge, eam rapuit, & in patriam abduxit. Quâ tam insigni injuriâ commoti Græcorum principes, de bello Trojanis inferendo in Aulide Bœotiæ conjurarunt. Nec multo pòst mille contractis navibus in Asiam trajecerunt, multisque expugnatis oppidis, tandem Ilium obsederunt. Quo in bello cùm Paris occubuisset, Helena Deiphobo fratri ejus nupsit. Verùm cùm eò jam res rediisset, ut Græci armis diffidentes, ad dolum se converterent, Helena quoque proditionis particeps fuisse putatur, & facem (quod signum aggrediundi negotii inter ipsam, & Græcos convenerat) ex arce sustulit, captâque jam urbe Menelaum in Deiphobi cubiculum introduxit: eoque interfecto cum priore viro in gratiam rediit. Plut. *in Theseo.* Pausan. *in Corinth.* Eusèb. *in Chron.* Homer. Virgil. Ovidius, &c.

Helena, Adjabenorum Regina, tempore famis ab Agabo prædictæ, Hierosolymæ incolis multum annonæ summisit. Cum fil. Izate Judaïsmum amplexa, secundùm Jos. Antiq. *lib.* 20. *cap.* 2. secundùm Orosium verò, Christianismum, *lib.* 7. *cap.* 6. Euseb. *Hist. l.* 2. *c.* 11. Ado *in Chron.* Baron. A. C. 44.

Helena, Cauponaria, Ambros. obscuris natalibus, Eutrop. concubina Constantini Chlori, Bedæ. Secundùm alios fil. Coëli, M. Britanniæ R. Nicephoro Bithyna mulier, ex Constantino Chloro, mater Constantini M. à marito repudiata, ut Theodoram ducere posset; Filio ad Imperium evecto, solemni edicto, Augusta & Imperatrix appellata, sacri ærarii curam gessit, templa extruxit, pauperibus opitulata est. Obiit, in amplexu filii Constantini, an. æt. 80. Seculo quarto. Ab illa Drepanum, in Bithynia, Helionopolim, & mare supra Bithyniam Helenopontum dictum volunt. Vid. præter Scriptores Eccl. Morinum, *de liberatione Eccl. & in vita Constantini.* Baronium Anno Christi 306. 315. 326. &c.

Helena, fil. Constantini M. uxor Juliani Apost. Huic Eusebia, Constantii uxor, sterilitatem potione conciliare conata est, & filium ex ea natum, per obstetricem, necari curavit. Obiit Rom. an. 360. Ammian. Marcellin. *lib.* 16. 21. Item uxor Simonis Magi, quam modò *Notionem*, modò *Minervam*, &c. vocabat, mox blasphemè ipsi plurima tribuebat. Vid. Iren. *libr.* 1. *cap.* 20. Epiphan. *hær.* 21. &c.

Helena, vel *Helene*, insula Atticæ, ad quam appulit Helena, post captam Trojam, quæ & *Macris* ob longitudinem dicebatur. Hodie *Macronisi* Sophiano. Est autem una Sporadum Sunio promuntorio adjacens. Est etiam fons in Chio, quo se Helena lavit. Steph. Item Pyrenæis montibus vicinum oppidulum, *Elna* hodie, Vasæo. In Comit. Ruscinonensi, in colle, ad amnem *Tech*, sub Gallis, ab an. 1640. Vix 1. leuc. ab ora maris Mediter. 3. leuc. Gall. à Perpiniano in Austr. Caucoliberim versus, à quo pari spatio distat. Baudr. Est etiam urbs Bithyniæ Procopio, & in Palæstinâ. Utraque ab Helenâ Constantini matre ædificata. Vicus denique Atrebatum, apud Sidonium, quam nonnulli hodie *Hesdin* vocari existimant. Vid. *Hedena.*

Helenius, Ins. parva seu locus juxta Canopum. Steph. Al. *Helenium.*

Helenopolis, vide *Francofurtum.*

Helenopontus & *Hellenopontus*, reg. Bithyniæ, *Pontus* Ptolomæo, inter Bithyniam & Paphlagon. ad mare Euxinum. Sed in libro Concil. latius patet. Ferrar.

Helenus, filius Priami ex Hecubâ, vaticinio clarus, quem quidam ob id à Græcis servatum dicunt, quòd loca opportuna ad capiendam patriam ipsis indicasset. Quin etiam, everso Ilio, Pyrrhum à navigatione prohibuit, cæteris abeuntibus naufragium prædixit. Quamobrem non solùm à Pyrrho servatus, verùm etiam liberaliter habitus est: Quumque ille Oresti Hermionem eripuisset, Andromachen, quam antea justæ uxoris loco habuerat, Heleno concessit, adjectâ etiam regni parte, quam Helenus, de fratris sui nomine, Chaoniam appellavit, ubi & urbem, ad similitudinem Trojæ, condidit, in quâ profugum Æneam hospitio suscepit. Virg. *Æn.* 3. Item *Helenus*, fil. Dioclis, Sicambrorum rex, qui ob inertiam regno se abdicare coactus est.

Heleph, nomen civitatis, Jos. 19. in tribu Benjamin, terminus Nephthali.

Helerni lucus, circa urbem Romam & Tiberim fluv. erat. Ovid. *Fast.* 6.

Adjacet antiquus Tiberino lucus Helerni.

Heles, nomen viri. 2. Reg. 23.

Heleuteri, pop. Celtarum, Cadurcis proximi, Cæsari; quorum op. *Orillac* urbi S. Flori propinquum. Celticâ linguâ *Hellhüter*. Aliis fuerunt, ubi nunc tractus Albigensis. Baudr.

Helgaldus, Monachus Floriacensis, scripsit an. 1050. vitam Roberti Galliæ R. seu potius prolixam alterius Monachi historiam hujus Regis in compendium redegit. Item, vitam Abbonis edidit. Vid. Morer. *Diction. Histor.*

Heli, nomen sacerdotis, qui Samuelem unxit in prophetam. 1. Reg. 1. Pater item Josephi mariti B. Mariæ Virginis. Luc. 3.

Helia, ins. parva Siciliæ apud Drepanum in orâ occiduâ. Plin. *Helia* item Bedæ, & *Elia*, vulgò *Ely*, urbs Angliæ episcopalis, sic ab *anguillis* (quas Angli *Eeles* vocant) dicta, quarum ibi ingens copia, ob multas aquas, quibus, uti insula, continetur. Cantabrigiæ proxima.

Heliades, filiæ Solis, & Clymenes, sorores Phaethontis, quarum duæ *Lampetie* & *Phaetusa* Ovidio *lib.* 9. *Metam.* dicuntur. A Patre *Sole* sic dictæ. Ἥλιος enim *sol* Græcis dicitur. Hæ cùm juxta Padum mortem fratris insolabiliter deflerent, in alnos versæ sunt, electrum lacrymantes. Vocantur & *Phaetontiades.* Virgilius,

Tum Phaetontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atq; solo proceras erigit alnos.

Alii in populos mutatas fuisse volunt. Martialis 4. 59.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram.

Inde ponitur pro Electro. Idem Mart. 4. 32.

Et latet & lucet Phaetontide condita guttâ.

Et *lib.* 9. 14.

Gemma quod Heliadum pollice trita notet.

Juvenal. *Sat.* 5.

—— *Ipse capaces*
Heliadum crustas, &c.

Id est, phialas ex electro factas. Diodor. Siculus alias Heliades habet, *lib.* 5.

Heliaa, Judicium Atheniensium maximum, cujus Judices *Heliasta*. Sic dictum, quòd sub Dio sit, & in Sole considant Judices. Vid. Petitum Comm. *in Leg. Att.*

Helice, Græcè dicitur, quæ nobis *Ursa major*, ἀπὸ τοῦ ἕλικος, id est, à *circumvolutione*, quòd diei noctisque spatio circum polum arcticum vertatur. Lucan. *l.* 2.

Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes.

Vide *Cynosura*. De utraque sic mscr. Duæ Ursæ, in Aquilonari reg. elucent, quarum *Cynosura* minor est, sic dicta, quòd canis caudæ inflexæ similis sit. *Helice* verò major, à circumvolutione nomen sortita est. Aliis ab Helice, Thessaliæ vel Pelopon. opp. Callisthonem enim Lycaonis Arcadis filiam, à Jove vitiatam & à Junone conversam in ursam, cùm Arcas filius sagittis conficere vellet, in sidus cum eâ mutatus est & hic Cynosura, illa verò *Helice* dicitur. Alii Jovis nutrices fuisse, dum à Corybantibus custodiretur, fabulantur, atque inde nomina sideribus facta. Item oppidum Achaiæ ad sinum Crissæum, maris impetu haustum. Ovid. 15. *Met.*

Si quæras Helicen, & Buran Achaidas urbes,
Invenies sub aquis.

Vide Steph. in Ἑλίκη.

Helicon, mons Bœotiæ à poetis decantatissimus, Musis sacer, Parnasso vicinus: Strabo *lib.* 9. Pausan. Nat. Com. Nomen ei, si magno Casaubono credimus, fecit חליכה *halica*, id est, *ambulatio*, quia certos ibi conventus habuere veteres, in quibus de rebus seriis agerent. Sed cùm hujusmodi conventibus, si qui fuere, Heliconis nomen videatur antiquius, Bochartus ὁ μέγας potius deductum putat ab Arabico *halic*, vel *halica*, quod, teste Giggeio *montem sublimem* sonat, unde eo nomine *altus* ab Arato dicitur hic mons, *vers.* 216.

—— Καθ᾽ ὑψηλῆς Ἑλικῶνος.

Helicon item fluv. Macedoniæ, Dium urbem præterlabens, qui Ptol. *Pharybus*, Livio *Baphyrus*, & Lycophroni *Bephyrus* dici videtur. Item fluvius Siciliæ, *Olivieri*, teste Fazello, inter Mylen, & Tyndarium fluens.

Helice-

Heliconius, Sophista Byzantius, epitomen Annalium scripsit, à M. C. usque ad Theodosium M. Suidas, Simler. *in Bibl. Gesn.* Item, nomen Mathematici insignis. Suidas.

Heligastus, Sicambrorum vates, & sacerdos admirabilis, an. U. C. 486. Trithemius.

Helingas, Hisp. Tarracon. civitas. Polybius.

Helini, pop. Thesprotiæ. Steph.

Heliocepis, nomen Nymphæ.

Heliodora, Nymphæ nomen.

Heliodorus, unus ex ducibus Seleuci Philopatoris, templum Hierosolymitanum direpturus, à duobus Angelis malè mulctatus legitur, 2. Macc. 3.

Heliodorus, Sophista clarus, cujus etiam extat Historia Æthiopica. At verò Dramatis prædicti author, Triccæ oppidi Thessalici Episcopus fuit, ut Ecclesiasticæ historiæ scriptores perhibent, de quo certi fere nihil est, nisi quod certissimum est, eum ipsum esse, ad quem D. Hieronymi epistolæ. Floruit sub Theodosio & Arcadio. Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 34. eum depositum scribit, quòd hunc librum abdicare nollet. Sed nec Socrates, *lib.* 5. *cap.* 21. nec Photius, Vid. *cod.* 72. 94. hujus rei meminerunt. Imo Cedrenus, ipsum de auri quoque faciendi ratione librum Theodosio M. dedicasse narrat. Heliodorus enim ille, de quo Philostratus περὶ σοφιςῶν, is est Sophista, qui Imp. Adriano familiaris fuit. Fuere olim duo Heliodori, quorum unus Geographus, alter Tragicus, ut sæpissime patet apud Græcos enarratores. Fuit & unus Medicus, de quo in Bibliothecâ Medicâ. Fuit præterea Heliodorus Rhetor Horatii comes, quem *Græcorum longè doctissimum* vocat *Serm.* 1. *Sat.* 1. Item auctor libri de Sepulcris. Plut. *de* 10. *Orat.* Item Poëta. Item Philostrato laudatus, *de Sophist. lib.* 2. Item Secretarius Adriani Imp. Item amicus Hieronymi: Item Mathematicus Athen. *de Anathematis Atheniensium, & de Architectonica*, scripsit. Plin. *lib.* 33. 34. & 35. Item Larissæus, de Optica scriptor. Item Stoicus, Arati commentator. Alii quoque *Heliodori* fuere, de quibus Vossium sis adi, *de Hist Gr p.* 372. Lil. Girald. *l.* 3. *dial.* 3. *Poët* &c.

Heliogabalus, Deus peregrinus fuit, inprimis Phœnicum. Simulachrum ejus lapis erat maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram, niger & lapidi color, qui cœlitus decidisse credebatur. Eminebant in lapide quædam, formæque nonnullæ visebantur: solis imaginem esse illam affirmabant Ethnici, minimè humano artificio fabrefactam.

Heliogabalus Marcus Aurelius Antoninus, Anton. Caracallæ filius, qui ad imperium assumptus fuit matris operâ apud Antiochiam. Etiam *Alagabalus* dictus est; quia antequam Imperator fieret, Solis Sacerdos inter Phœnices fuerat, qui Astro huic id nominis indiderunt. Vid. infra. Mater Semis vel Semiamira appellata est. Electus ab Exercitu, post mortem Macrini, Romam Deastrum suum detulit, omnis alterius Dei cultu severè prohibito: Huic delubrum condidit, quò ignem, qui in Vestæ custodiebatur, quò Palladium & ancilia delata voluit, ipse sacerdotis officio functus. Hujus mores impurissimos Lampridius describit, ut & Eutropius *lib.* 8. Aurelius Victor *epit. Vit. Caf.* &c. Luxus ejus tantus, ut ex remotissimis provinciis gulæ irritamenta peteret, balsamoque lampades aleret. Piscinarum ejus aquæ odoratæ erant: Aquiliam Severam, Vestalem, clandestino connubio sibi copulavit, quò cœlestem planè, ut dicebant, prolem susciperet, ipse Pontifex ex puella sacra. Prodigus thesaurorum supra modum, sævus in Senatores, quòd Senatulum fœminarum, cui mater ejus præsidebat, ratum non haberent. Tandem cùm & militibus intolerabilis evasisset, jamque in eo esset, ut Alexandrum filium Mammææ neci daret, quem Senatus Cæsarem vocaverat, vivente adhuc Macrino, cum matre ab illis in castris occisus est. Cadaver ejus à plebe per urbem raptatum, tandem post mille ludibria, in Tiberim projectum est, d. 10. Mart. A. C. 222. Imperii 3. mens. 9 d. 4. æt. 18. vel ut alii volunt 22. Patria Emissenus fuit, & in Emisâ urbe Sacerdos Dei Alagabali, ut dictum, qui Deus peculiaris fuit illius urbis. Vide Salmasium *ad Lampridium.*

Helienora, vel *Leonora*, Lusitaniæ regis filia, Romæ cum Friderico Austriæ duce coronata, Anno Dom. 1451. Vide *Eleonora.*

Heliopolis, Hebr. *On. Bethsemes* Arabibus, id est, *Civitas*, sive *domus Solis*, civitas Ægypti heroica, ambitu 150. stadiorum, insignis publicis privatisque ædificiis, Solis inprimis, templo olim clara, inter Alexandriam, & Coptum, quæ à Tenage condita, à Græcis, teste Diodoro Siculo *lib.* 5. *Thebe* dicitur. Hic templum erat Judæis, *Onion* dictum, quod à Vespasiano destructum. Jos. *lib* 7. *de B cap.* 10. Ibidem sævitum in Cyrillum Diaconum, simulacrorum destructorem, aliosque fideles, sub Juliano Ap. A. C. 363. Vid. Theodoret. *lib* 3. *cap.* 6. 7. 15. Rufin. *l.* 1. *cap.* 36. Strab. *l.* 17. Altera est ejusdem nominis in Cilicia, patria Chrysippi Stoici, Solinus. *Corinthus* etiam olim Heliopolis dicta est. Steph. qui *Heliopolim* in Phœniciâ, Thraciâ, & Arabiâ describit. Item *Heliopolis*, Ptol & Plin. in tribu Manasse, Cœlesyriæ urbs Episc. quæ hodie *Balbec* Postello, vel *Marbech* Nigro. Item, opp. Germ. in Marchia, nunc *SoltWedel*, inter Gardilebiam 5. & Olzeniam 6. leuc. versus Luneburgum.

Heliopolis Urbs fuit Phrygiæ, Mich. Glycas 4. qui statuam hinc avexisse Constantinum Imp. & Constantinopoli columnæ imposuisse addit. Baudrand.

Heliotropium, Thessaliæ urbs. Polyb.

Helisos, fluv. Atticæ. Stat. *Theb.* 4.

Anfractu riparum incurvus Helisos.

Helisyci, pop. Ligurum. Steph.

Helium, ostium Rheni, quod & Occ. & Mosæ ostium, erat juxta Helium castr. in parte Austr. Bataviæ, ubi urbs Brilla est. Nunc *die Maes* incolis, Ortel.

Helius, Neronis adulator potentissimus. De quo Dio Cassius *in Nerone.*

Helius, proprium nomen viri, à *Sole*, qui Græcè ἥλιος dicitur. Plin. 33. 1.

Helix, primo flore nobilis adolescens, auxilio apparens Persæ, contra Æetem, Colchorum R. hastâ à Nestore occisus.

Helixoëa, insula Hyperboreorum, non minor Siciliâ, sub fluvio Cerambyca. Insulani *Cerambycæ* dicuntur, Hecatæus. Non aspiratur apud Steph.

Helixus, Cei insulæ fluv. juxta Coressum. Strabo.

Helladius, S. Basilii discipulus & in Pontificatu successor, de Præceptoris sui Basilii vitâ librum reliquit; ex quo locum adducit Damascenus *Orat.* 1. *De imaginibus.*

Hellanice, Clyti soror, Alexandri Magni nutrix. Curt. *lib.* 8. *cap.* 10.

Hellanicus, octavum eumque ultimum inter Chiliarchas locum, in præmium fortitudinis, ab Alexandro Magno, cùm in Satrapene subsisteret, accepit. Curt. *l.* 5. *c.* 10.

Hellanicus, nomen duorum historicorum, quorum unus Mitylenæus, Herodoto antiquior, A. Gell. *lib.* 15. *cap.* 23. alter Milesius, an Lesbius? De priore Voss. *Hist. Gr.* 1. 1. de posteriore idem *Ibid. l.* 4. *c.* 5.

Hellanocrates, Larissæus, ab Archelao stuprum passus eâ spe, ut ab illo in Patriam reduceretur: postquam id non factum, contumeliâ accensus, contra eum conjuravit. Aristot. *libr.* 5. *Polit. cap.* 10.

Hellas, alio nomine *Græcia* dicta est, ab *Hellene* Deucalionis filio. Thucyd. *lib.* 1. Mel. Achaja est: Sub qua fuere Attica, Bœotia, Ætolia, Doris, Locri & Phocis. Habebat à Sept. Macedoniam & Thessal. ab Ortu mare Ægæum, ab Occ. mare Jonium, à Mer. sinum Corinthiacum & Saronicum. Nunc *Livadie*, sub Turcis.

Urbes Helladis, sive Achaia exstantes:

* Ægina, *Engia.*
Aquila, olim Calydon, *Ayton.*
Athenæ, *Setines.*
Aulis, intercidit.
Calydon. Vide *Aquila.*
Coronea, *Corone.*
Daulis, *Daulia.*
Delphi, postea Salona.
Elatia, olim Episcopalis Phocidis.
Marathon, *Marathona.*
Megara, *Megara.*
* Naupactum, *Lepante.*
Opus, olim episcopalis cùm staret, *in ruinis jacet.*
Salona, olim Delphi, Episcop. Phocidis, sub Naupacto, *Salona.*
Tanagra Bœotiæ, olim Episcopalis, *Anatoria.*
Thebæ, *Stives.*
Thermopylæ, *non est urbs, sed locus.*
Thespiæ, *Tespe.*

Baudr. Item urbs Thessaliæ condita ab Hellene Phthii filio, & Chrysippes Iri filiæ. Phthius autem Achæi filius erat. Est & alia *Hellas* Cœlesyriæ. Gentile *Hellanicus*, & *Helladius.* Steph.

Helle, Athamantis regis Thebarum, & Nepheles filia, quæ unà cum Phryxo fratre, novercales insidias metuens, cùm accepto à patre ariete aureo Pontum vellet trajicere, magnitudine periculi perterrita, in mare decidit, eique nomen fecit, quod Hellespontum hodie vocant. Ovid. *l.* 7. *Metam.*

Hellen, fil. Deucalionis, pater Æoli, Doris & Xuthi. Apollodor. *lib.* 1. Diodor. *lib.* 4. Pausan. *in Att.* Conon apud Photium, *cod.* 186.

Hellen, à parvulo in ministerio nutritus, & educatus, plurima insolitè edebat miracula, ita, ut etiam ignem in sinu portaret, & nequaquam ejus vestis arderet. Sozomen. 8. 1.

Hellenes, Græci, vide *Panellenes.* Item urbs Callaicorum in Hisp. Tarracon. *PonteVedra*, teste Marianâ.

Hellenicum, & *Caricum*, loci in Memphitide. Steph.

Hellenopolis, vide *Helenopolis.*

Helles, filius Azariæ. 1. Paral. 2.

Hellespontus, fretum angustum inter Propontidem, & mare Ægæum, Asiam ab Europâ septem non amplius stadiorum intervallo disterminans. *Stretto di Gallipoli*, Castaldo, *Braccio di S. Georgio.* Volater. Baudrando, inter Thraciam & Asiam min.

Extendi-

 HE

Extenditur à Sept. in Mer. per 45. ferè mill. nempe à Propontide usque ad mare Ægæum. Maximè restringitur ad Austr. inter Sestum & Abydum, nunc *les Dardanelles*. Hinc aliquando quibusdam Gall. *les bouches des Dardanelles*. Ovid. *in Epistola Leandri*,

Fluctibus immodicis Athamantidis æquora canent,
Vixq; manet portu tuta carina suo.
Hoc mare cùm primum de virgine nomina mersâ
Quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto.
Et satis amissâ locus hic infamis ab Helle,
Utq; mihi parcat, crimine nomen habet.
Invideo Phryxo: quem per freta tristia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.

Ovis illa Aries fuit, qui postea inter sidera collocatus est, teste eodem Ovidio *Trist.* 3 *eleg.* 12.

Impositamq; sibi qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis aqua diurna facit.

Vide Diodorum Siculum *lib.* 4. Solinus *cap.* 15. *magnum* vocat. Sic enim ait, *Omnis autem magnus Hellespontus stringitur in stadia septem. Latitudinem* dat ei Hom. *Iliad.* η.

Σῆμά τε οἱ χεύωσιν ἐπὶ πλατεῖ Ἑλλησπόντῳ.

Ita etiam Q. Calaber *lib.* 9.

Μεσσηγύς τε πόληος ἰδ' εὐρέος Ἑλλησπόντου.

Longitudinem Ovidius *Met.* 13.

Longus in angustum quà clauditur Hellespontus.

Idem *Fast.* 4.

Perq; urbes Asiæ longum petit Hellespontum.

Rapiditatem denique Catullus *in Epithal.*

Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto.

Unde Musæus,

Νήξομαι Ἑλλήσποντον ἀγάρροον.

Et ante eum Homerus,

Ὅσσους Ἑλλήσποντος ἀγάρροος ἐντὸς ἐέργει.

Vide Voss. *ad Melam pag.* 7. Item, reg. Asiæ, pars Mysiæ, apud mare prædictum. Ubi urbes Cyzicus, Parium, Lampsacus, Abydus cum Dardano. Hinc *Hellespontiacus.* Ferrar. Et reg. *Hellespontias*, Steph.

Hellevones, *Heluaones* Ptolemæo, *Hellusii* Tacito, *Helli* Ammiano, pop. Germ. quorum locus *Heil* in orâ ad sinum Venedicum, apud Dantiscum urb. teste Willichio. Cluverio aliisque etiam *Hillevones*, pop. Scandinaviæ, ubi nunc Hallandia, prope fauces sinus Codani, longè à Dantisco in Occas. Ortelio *Dalecarli* sunt: Hilleviones enim Cimbricâ linguâ, quæ Scandinavica est, *Monticolam* significat. Habitant enim hi ad Sevonem montem, Riphais non min. Plin.

Hellopes, pop. Epiri circa Dodonam, quorum reg. *Hellopia*, Strab. Vulgò *Lopesia.*

Hellum, vicus Alsatiæ inf. Vid. *Elcebus.*

Helmechildis, Albionum regem, victus Rosimundæ impudicissimæ mulieris promissis, interfecit.

Helmoldus, Presbyter Busoënsis, prope Lubecam, Geroldi hortatu, qui primus Episc. Lubecensis erat, Chronicon Sclavonum seu Dalmatarum scripsit, orsus à Saxonum conversione, sub Carolo M. usque ad an. 1168. quo vixit, sub Friderico Barbarossa. Continuavit id postea Arnoldus, Abbas Lubec. edidit Reinerus Reineccius cum notis. Voss. Simler. &c.

Helmon-deblathaim, duo nomina sunt, quorum prius exponitur *occultatio*, sive *adolescentia* aut *seculum*, vel *contemptus*, posterius autem *massæ de ficubus compactæ*, nomen loci, in quo castrametati sunt filii Israel, profecti de Dibon Gad. Num. 13.

Helmstadium, urbec. Saxoniæ, munita à Carolo M. contra Wandalos, A. C. 808. aliàs sub proprio Abbate, nunc Duci Brunsuic. paret ab an. 1490. In limite Duc. Magdeburgici, medio inter Magdeburgum & Brunsuic. itinere. Acad. insignis, quæ *Julia* dicitur, à Julo D. fundata an. 1576. Bertius *R. G. l.* 3.

Helmstadium, urbs munita, cum portu, in Hallandia, in ora littorali sinus Codani, versus limites Scaniæ. Sub Suecis ab Anno 1645.

Helnes, priscus Arcadum Rex, qui Tegean incursantes & depopulantes Lacedæmonios, quâ arte & solertiâ vicerit, Vid. Polyæn. *lib.* 1.

Helon, civitas in terrâ Moab, in tribu Dan, Num. 2. Pater Eliab principis tribûs Zabulon. Num. 1. & 10. Item urbs Levitarum, 1. Par. 6. quæ *Helon* dicitur Jos. 21. In tribu Ephraim, Lat. *fenestra*, vel *profanatio*, sive *dolor*, aut *infirmitas.*

Heloris, à Rheginis dux constitutus, ad obsidendam & expugnandam Messanam, à Dionysio superiore munitam. Sed eruptione à Messaniis factâ plures quingentis ex Rheginis ceciderunt. Dein obsidente Dionysio Cauloniam à Crotoniatis Dux sumptus, utpote exsul, Syracusanus & Dionysio maximè infestus; dum nimis ad liberandam Cauloniam improvidè pergit, magno prælio ad Helorinum fluvium à Dionysio vincitur, & ipse suorum ferè maximâ parte amissâ cadit. Diod. *l.* 14.

Helorum, sive *Helorus* fluv. & opp. Siciliæ. Vibius in Catalogo fluv. *Elorus Syracusarum, à quo civitas.* Stephanus Ἔλωρος, πόλις Σικελίας ἀπὸ Ἑλώρου ποταμοῦ, τοῦ κατὰ Πάχυνον, addit, ὃς λέγεται τιθασοὺς ἰχθῦς ἔχειν, ἀπὸ χειρὸς ἐσθίοντας. Sil. *l.* 14.

Atq; unda clamosus Helorus.

Vide Cluver. *Sic. Ant. lib. cap.* 13.

Helorus, *Elorus* Athenæo, *Elesporus* Polybio, *Elloporus* Æliano, fluv. parvus Magnæ Græciæ, inter Cauloniam, & Scyllacium fluens, ubi Græci à Dionysio victi. Item *Helorus* Istri fil. qui ab Ajace occisus est in eâ pugnâ, quam Græci cum Telepho rege Mysorum habuerunt.

Helos, urbs Laconica, vel potiùs oppidulum. Stat. *l.* 4. *Theb.*

Quos Helos, & Pteleon, Getico quos flebile vati
Dorion.

Pop. *Helotæ.* Est etiam *Helos* Ægypti. Steph.

Helpericus, Germanus, Monachus SanGall. scripsit de Musica, de computo Ecclesiastico, & Carmina. Trithem. *in Catal.*

Helpidius, Priscillianista, condemnatus Concilio Cæsaraugustano. an. 381. Vid. *Elpidius.*

Helsingfordia, urbec. Sueciæ, in Nylandia, parte Finlandiæ, in ora littor. sinus Finnici, ubi recipit amnem Wandam. Cum portu utcunque capaci.

Helsingia, prov. Sueciæ, inter Dalecarliam ad Occ. Jemptiam & Medelpadiam ad Bor. sinumque Bothnicum ad Or. Ubi opp. præc. *Hudwickswaldia.*

Helsingoburgum, opp. munitum Scaniæ, cum portu, juxta Sundicum fretum, è regione Zeelandiæ Inf. & Elsenoræ Urb. sub Suecis, ab an. 1660. pace ad Roschildam.

Helva, urbs Portugall. *Elvas*; probè munita, ad Cajolam amnem; 1. leuc. ab Ana fluv. in prov. intra Tagum & Anam, 11. leuc. ab Ebora in Ort. Dicitur & *Elva.* Frustra an. 1659. ab Hisp. obsessa, qui insigni ibi à Lusit. clade affecti.

Helvecones, Germ. pop. Tacito. Mutio laudantur *Helvetiani* vitiosissimè. Bartolinus *Elvones* legerat. Ego probem magis *Elvingenas*, à quibus Prussorum civitatem dictam *Elvingam* existimare possimus. Plinius *Hillevones* appellavit *lib.* 4. Vide *Ælvaones*, Ferrar.

Helvetia, regio Germaniæ sup. perampla, incolarum, quibus æqua libertas, quosque falsò caput habere credidit Sabellicus, fide, industriâ, fortitudine celebris: montana armentis, feris, ac volucribus: plana frugibus plena habet. Unde & à re frumentaria, potissimum verò pecuaria, maximum quæstum capiunt, ipsis sterilibus locis labore incolarum improbo ad fertilitatem perductis. Ventorum violentiæ subjacet, cujus causa montium anfractus: & peculiare illi est, quod de Australi vento Plantinus memorat, eum præsertim apud Urienses omnia siccare & serenare, unaque nocte arboribus viriditatem, ac uvis maturitatem afferre: aliquando summos tantùm montium apices perflare, ut omnia in iis vernent, vallibus interea nivem servantibus: aliâ iterum vice tanto furore spirare, ut ipsa tecta ædibus auferat. In eadem dracones frequentius quàm alibi nasci, narrat ex Joh. Cysato *l. de* 4. *Sylvat. Civ.* Kircherius, cujus causa forsan in congestorum ab aquilis, ingentibusque vulturibus, qui in Alpium inaccessis rupibus nidulantur, cadaverum varii generis putredine, indeque facta diversorum seminum confusione ac fermentatione, Becmannus *Hist. Orbis terr.* Reliqua vide infrà in voce, *Helvetii.*

Helvetii, gens nobilissima, cujus caput Aventicum olim, unà cum Sequanis, Celtis sive Gallis propriè dictis attribuuntur à Cæsare *lib.* 1. qui illos *reliquos Gallos virtute præcedere, omnibusq; præstare*, & *totius Galliæ plurimum posse* ait: ipsosque & Sequanos ac Æduos, *tres potentissimos & firmissimos totius Galliæ populos* vocat. Plinius in Belgica illos ponit *lib.* 12. *cap.* 1. Baudrandus à Gallia Lugdunensi decerptos postea, & Germaniæ attributos esse ait. Duplices fuere, *Antiquiores*, quorum auctores præfati, & præter hos Cicero, Plutarchus, Strabo, Tacitus, Florus, &c. meminere, & *Recentiores*, qui in priorem locum successerunt. Priores & antiquiores Græcis Ἐλουήτιοι vel Ἐλβήτιοι, Latinis *Helvetii* ac *Elvetii*, *Elvitii* ac *Helvitii* nuncupantur. An ab *Helvetico* quodam Eructoni filio, Sequani & Allobrogis fratre, ut Vaudi Chronica volunt? An ab Helvetio Herculis filio, Norici, Hunni & Boji fratre, secundùm Aventinum? An potius *Helvetii*, quasi *Helvetrer* appellati fuere, i. Ditis propinqui, ut statuit Glareanus? Certè *Galli se à Dite patre prognatos prædicant*, inquit Cæsar *lib.* 7. & Berosus, *Ditem in Galliam colonias duxisse*, memoriæ commendavit: hunc autem Ditem, quem Græci Plutum vel Plutonem, à Gallis præ cæteris Diis cultum, & *Hellum* ipsorum linguâ nominatum, nonnulli credunt. Alii illos Helvetios, quasi *Held-Vätter*, Heroum patres: ab *Helvo* colore quidam, qui inter rufum est & album, teste Salmasio *in Solin.* quòd hic illis color eximius, denominatos ajunt: Simlerus nihil in hac ævi & discrepantium opinionum caligine certò definiri posse docet. Illos Cæsar loco præfato ex parte una flum. Rheno à Germanis, altera ex parte monte Jura à Sequanis, tertiâ lacu Lemano & fluv. Rhodano à Gallia prov. seu à Gallia Narbonensi dividi, & eorum fines in longitudinem 140. m. p. in latitudinem 80. m. ex emendatione Cluverii patere, scribit. *Rhodanum inter & Rhenum siti*, Floro *lib.* 3. *cap.* 10. Eosdem

in 4. pa-

In 4. pagos Tigurinum, Tugenum, Ambronicum & Urbigenum, sec. Cluverium, divisos, oppida 12. vicos ad 400. habuisse, memorat Cæsar. *Corpora illis plusquam humana* Jornand. *mirificâ specie & magnitudine*, Hirt. *celsioris staturæ*, Ammian. *procera* Livius fuisse tradidere. *Celeres* Mantuanus facit:

Gens fera, contemtrix animæ, consueta per Alpes
Figere apros, certare ursis, nive candida semper
Per juga veloces cursu prævertere cervos.

Claudius Cossus, eorum Legatus, *facundiâ* celebris Tacito dicitur: & *Causidicos* in Helvetia fuisse, Epitaphium testatur antiquum. Habuit quoque *Medicos suos & Professores* Aventicum, qui in Massiliensi Scholâ Græcis literis incubuisse leguntur. Sed vicit reliquas laudes militaris gloria. Prima cum Romanis bella gessisse, circa A.M. 2230. ante C. N. 1740. videntur nonnullis; & Tacitus crebras illorum in vicinam Germaniam excursiones, refert. In Italiam, ab Ericone fabro, (qui Româ, ubi artem suam tractabat, in patriam reversus, ficum siccam & uvam, oleique ac vini promissa, secum attulerat) incitati, irruperunt, tempore Prisci quinti Rom. Regis an. U.C. 114. Hunc sequutus Aruns Clusinus, vino Italico Helvetios ad opem ferendam emollit. Anno dein Mundi 3381. cum reliquis Gallis, novâ expeditione, Tuscos suis sedibus expulerunt, qui in Lepontiis postea Alpibus, Rhæto Duce, novas quæsivere. Ipsam tandem Romam à Senonibus Gallis, Helvetiorum auxilio, captam, hosque ingenti prædâ ditatos domum rediisse, testatur Polyb. A.M. 3583. Cimbrorum post hæc socii fuere circa A. M. 3866. quibus per Galliam Hispaniamque latè vagantibus, Tigurini, & Tugini rectâ, quà in Italiam iter est, copias duxerunt, Cassiumque Consulem in Allobrogum finibus prælio superarunt, Livius *Epit.* 65. P. Orosius *lib.* 5. *cap.* 15. J. Cæsar *Comm. libr.* I. Tandem, suasu & hortatu Orgetorigis Gallicam meditati sunt expeditionem, quæ illius supplicio cùm aliquandiu suspensa maneret, postea, ne patriæ desiderium pulcherrimo conatui moram injiceret, oppida quique sua cum vicis incenderunt, magno animo meliores quæsituri sedes, sed à Cæsare itinere per Genevam prohibiti, dumq; per Sequanos iter faciunt, in Heduis difficili & ancipiti prælio, dolo potius, quàm virtute victi, fœdus cum eo facere, cujus mentionem facit Cicero, & sedes patrias repetere coacti sunt. Tum libertati vis facta, inprimis postquam ad Vindonissam superati ab Aulo Cæcinna circa An. Chr. 71. provinciis Sequanorum Maximæ & Rhæticæ annumerari cœperunt. Tum coloniæ huc deductæ, tum Prætores, Præsides, aliique Magistratus huc missi, & jugum utcunque toleratum est, de quo excutiendo, Alemannis juncti seculo à C. N. secundo consilia agitarunt, variaque pro recuperanda libertate gesserunt. *Tertio postea seculo Alemanni irruptione factâ*, urbes *Helvetiorum diruêre*, à Constantino Chloro ad Vindonissam repressi: *qui iterum dein cum Constantino, Juliano, Valentiniano, Gratiano*, rem gerentes, Helvetiæ partem occuparunt, & in eandem cum Helvetiis gentem, quibus & mores & sermonem miscuerunt, coaluere. Unde Aimoinus *lib.* I. *Hist.* & Hugo Floriacensis Monachus *in Chr. Pagum Helvetiorum Alemannos incolere suâ ætate* scripsere. Hi recentiores Helvetii *Suitones* Aventino, *Suiceri* Volaterrano & Rolvingo, Germ. *Schweitzer*, vel *Eydgnossen* à fœdere postea inito, Italicè *gli Suizzeri*, vel *Suizzari*, Hisp. *los Suiceros*, Gall. *les Suisses* dicuntur, an à Vitis gente Aquilonari: an à Suecis?

—— *Constantia Famæ*
Nempe refert, patrio digressos Sueonas orbe
Auspiciis Gotherice tuis, faustoq; Gradivo
His sedem statuisse locis, perq; oppida leges
Sanxisse suas, & longos regna per annos
Firmavisse manu:

Garissolius *Adolphidos lib.* 10. An potius à pago *Suitia*, in quo confœderationis initium factum est, dicti? Sic, Imperii per barbaras gentes Gothos, Hunnos, Vandalos attriti, jugo excusso, Attilam mox infestum sensere Helvetii, qui infinito penè copiarum numero regionem illorum ingressus, oppida quàm plurima solo æquavit. Dein circa A. C. 499. Clodoveo ad Tolbiacum Alemannorum victore,

Libertas ultra Tanain Rhenumq; recessit,
Et toties nobis jugulo quæsita, negata est,
Germanum Scythicumq; bonum.

Lucan. *Hist. lib.* 7. qui rerum status sub Francis duravit usque ad Annum Christum 919. juxta Cl. Hottingeri calculum. Intra quod tempus, Helvetiorum ope Anno Chr. 540. Mediolanum expugnatum, maximaque in Clerum potestas à Francorum Regibus est collata: sed & Urii, Suitii, Subsylvani ac Haselæ vallis incolæ, ob res in Italia contra Saracenos præclarè gestas, insignibus privilegiis ornati sunt, à Ludovico Pio. Extinctâ postmodum Carolinorum familiâ, Imperio Germanico Helvetii accessere, ubi jam liberioris auræ afflatus, & novæ subinde à Cæsaribus immunitates iis obtigerunt: quas cùm Albertus Imperator funditus tollere, novum in Helvetiis principatum moliens, conaretur, tyrannideque inauditâ patientiam populorum tentaret, fœderis hinc perpetui Anno Chr. 1308. prima fundamenta jacta sunt, quod cùm Austriaci omni nisu dissolvere, & sub grave servitutis jugum Helvetios retrahere pertenderent, hi, omni humanâ ope destituti, ab Imperatoribus quoque deserti, & res suas sibi habere jussi, Deo armis eorum benedicente, libertatem jam ante Christum natum Majoribus usurpatam fortiter recuperarunt, bellis contra hostes ejus gestis, supra omnes Europæ gentes, inclyti: ultimo, post plurima alia, ad Dornacum, arcem Basileæ vicinam, prælio victores. Tum Basileæ inter Maximilianum I. Imper. & Helvetios pax coalita, libertatique cautum est, circa quam cùm difficultates quædam etiam ad nostram usque ætatem à maleferiatis quibusdam subinde moverentur, illæ Ferdinando III. imperante pacificatione Monasteriensi penitus sublatæ sunt, Anno Christi 164[illegible]. articulo hac de re Instrumento pacis inserto. Formam Reip. quod attinet, eandem ferè cum antiquis Celtis, quorum soli dignitatem tuentur, servant, ab omnibus Principibus in amicitiam & fœdera, quorum duo inprimis celebria; Alterum perpetuum cum domo Austriaca, *die Erbeinigung*, Anno Christi 1474. inchoatum, à Sigismundo Archid. Alterum, cum Galliæ R. ad certum tempus; à Ludovico XI. qui virtutem Helvetiorum prælio San Jacobæo, prope Basileam, expertus erat, primitus initum; & cum hodierno Rege, Anno Christi 1663. in 60. annos de novo percussum: utrumque defensivum tantùm, expetiti. Fidei quoque & fortitudinis rarioris nomine, non in satellitium modò, à plurimis Principibus, lecta ex gente juventus adsciscitur, sed & proximæ corporis custodiæ adhibetur, quemadmodum Jul. Cæsarem, & Augustum Calagurritanorum manu eundem in finem usos esse apud Suetonium legimus. De Religione, ut pauca addam: Priores Helvetii Jovem coluerunt, ut inscriptio Paterniaci reperta, duo item loca in Penninis Alpibus testantur: Iisdem Apollinem in pretio fuisse, Inscriptiones tum Genevæ, tum Aventici docent. Præter hos Mercurium venerati sunt, ut ex statua ejus haud pridem Vindonissæ adhuc viva, & variis locis Mercurii nomen referentibus, patet: Ex Dearum numero coluerunt Isidem, Eponam, Aventiam. Porro Augustorum venerati sunt Numina, Genios item: habueruntque suos Sacerdotes, Augures, Flamines & Flaminicas. Postquam verò Deo placuit ex Gentilismi his tenebris egregiam gentem eruere, misit illi circa Annum Christi 177. Lucium quendam, qui in Rhætia & Tigurino pago, strenuum se Evangelii præconem gessit. S. Mauritius dein sub Diocletiano, inter illos floruit. Post hunc S. Fridolinus, gente Hibernus, Glaronensem regionem & viciniam convertit, sub Chlodoveo I. Francorum Rege, quo tempore S. Severinus apud Agaunenses & Antuates, in magna fuit virtutis fama. S. Columbanus dein & S. Gallus his successere: duoque in Helvetia Episcopatus instituti sunt Aventicensis & Vindonissensis, quorum ille Lausannam, hic Constantiam postea, translatus est. Postquam dein Orbi nox per aliquot secula incubuit, placuit iterum Deo Helvetia, in qua Evangelicæ tubæ sonus præ aliis gentibus audiretur, Huldrichi Zuinglii ministerio, qui ante Lutherum, vel saltem eodem tempore, religionem Christianam in his locis ad primævam suam puritatem revocare studuit, Pareus *in dedic. tom.* 3. cujus doctrinam novam non fuisse, fatetur Guillimannus *lib.* 3. *cap.* 5. cùm ait: *In Helvetia Udalricus Zuinglius, Sacerdotis ordinis, nonnulla quoq; nova tradere cœpit, aut pleraq;, quæ olim Arnoldus Brixianus Tiguri docuerat, longâ oblivione, & tenebris damnata, post quadringentesimum annum, in lucem memoriamq; revocavit.* Itaque ex Cantonibus XIII. Reformationem amplexi sunt Tigurini, Bernates, Basilienses & Scaphusiani: qui de rebus suis deliberaturi Arovii conveniunt: Ex Sociis Sangallenses, Neocomenses & Biennenses. Horum *Confessio*, quæ à gente *Helvetica* nomen habet, magni in Ecclesia nominis, Synodi Basileæ huic fini Anno Christi 1530. habitæ, jussu, conscripta est ab Henrico Bullingero, Oswaldo Myconio, ac Simone Grynæo: quibus postea additi fuere Leo Judæ & Casparus Megander; sponte insuper Martino Bucero & Wolfgango Fabricio Capitone, operam suam offerentibus. Eam approbarunt tum Wittebergenses Theologi, tum universi Smalcaldici fœderis Principes, Hospin. *hist. sacr. libr.* 2. *cap.* 156. Lutherus ipse *orthodoxam se illam agnoscere*, professus est, Idem *lib. cit. pag.* 148. Ambros. Wolfius *de Concord. Luth. cum Eccl. Helvet.* &c. Eandem postea, monitu Friderici III. Elect. Palatini, paulo uberius, theticè & antitheticè, exposuit Henr. Bullingerus, Anno Christi 1565. in cujus jam editæ Anno Christi 1566. consortium accesserunt, eique subscripserunt Ecclesiæ Polonicæ in Ducatu primum Zathoriensi & Osuiecimensi, quæ Anno Chr. 1572. Sigismundo II. Confessionem hanc in idioma suum translatam obtulerunt, in Comitiis Warsaviensibus: Quibus dein plures in eodem regno se adjunxerunt, postquam confessione visâ perpensaque Stephanus Rex Anno Christi 1578. publicum Reformatis Religionis exercitium concessit. Similiter Scoticæ Ecclesiæ Andreapoli in Synodo coactæ, literis ad Theod. Bezam Anno Christi 1566. datis, consensum suum testatæ sunt. Idem Hungari fecere, in Synodo Debrecinensi, Anno Christi 1567. ut

alios omittam. Cum Pontificiis mixti degunt Rhæti, Glaronenses & Abbatiscellani. Reliqui, quorum conventibus Lucerna destinata est, Latinos ritus porro sequuntur, longè nunc addictius, quàm Majores, quibus imaginum rarior cultus, excommunicationes Romanæ non semel neglectæ, Indulgentiarumque infrequens mercatus fuerat: imò qui Clerum refrænare, in eum supplicia statuere, Papas officii sui admonere non semel ausi sunt: Unde Nicolaus Undervvaldius apud Wimphelingum, ita olim populares suos affari solitus legitur: *Nolite confidere in ceremoniis, quas vobis ipsis imposuistis: Nolite arbitrari, quod per sacras literas Spiritus S. prohibet, id a vobis solis Deo acceptum esse. Gestus & Ceremoniæ quædam inter orandum manifestè & in propatulo fieri possunt. Quasdam autem, inter quas una est brachiorum per modum crucis expansio, non in publico: sed secretissimè in intimis penetralibus faciendas sapientissimi patres edocuerunt.* Sita est hodierna Helvetia, Germ. *Switzerlandt*, Gall. *la Suisse*, inter montem Juram, Lacum Genevensem, Italiam & Rhenum: habetque à Sept. Rhenum, ab egressu lacus Cellensis ad Rauracos usque, si pauca excipiantur; ob Oriente Sueviæ partem, Comitatum Tirolis, & partem aliquam ditionis Venetorum: à Mer. Bergomates, Mediolanenses, & Pedemontanos: Ab Occ. Sabaudiam. Constatque universum Helvetiorum Corpus hodie tribus partibus, quarum I. constituunt Tredecim Populi, quos Galli & Itali *Cantones*, alii *Pagos* vocant: quorum Comitia Badæ seu Aquis Helveticis habentur. II. Socii & Confœderati. III. Præfecturæ Helvetiorum imperio subjectæ, quarum seriem vide infra: plura autem de fortissima hac gente, apud Stumpfium, Stettlerum, Suicerum, Hottingerum, Joh. Baptistam Plantinum, Guillimannum, Lazium, &c. *in Chron. & descr. Helvetia.* De eadem sic Glareanus *in Panegyr. Helv.*

Fœta armis regio, fœcundaq; inclyta partu,
Gens nimium potum exhorrens, gens dedita sacris,
Religione viret, tota est affabilis, alto
Amne sitim levat, & victu contenta minuto est.
Nulla hic insidiæ raptorum, nulla tyrannos
Arx fovet, & nullam timet hìc mercator Eremum.
O nimium felix patria, ô dignissima laude,
Si quod Majores duro peperere labore,
Imperium serves, libramq; sequare bilancem
Virginis Astrææ, timeat sua dona cupido:
Imperium pia simplicitas regat, & bona virtus.
Jura ferat senior, venabula lata juventus
Dura acuat, subigatq; ferox in cote sagittas!

Et paulo pòst:

Omnia ad exemplum Majorum pende tuorum:
Omnia perspicienda tibi, tu discito Roma
Crescentis mores, tetricos imitare Catones,
Æneadasq; duces, Decios, fidosq; Camillos,
Fabritium, Curium, & contracto poplite Coclem.
Brutus erat nobis, Uro Guilielmus in arvo,
Assertor Patriæ, vindexq; ultorq; tyrannûm:
Sic rogo Scipiadæ sint nunc, fideiq; stupendæ
Attilius, sit qui pacem Pyrrho esse negandam
Appius admoneat!

Et quæ sequuntur.

Pagi seu Cantones Reipublicæ Helveticæ XIII. eo ordine, quo in Comitiis sedent.

Tigurum *Zürich*, fœderi perpetuo nomen dedit Anno Chr. 1351.
Berna *Bern*, A.C. 1353.
Lucerna, *Lucern*, A.C.1332.
Uria *Uri*, }
Suitia *Schweitz*, } A.C.1315.
Subsylvania *Underwalden*. }
Tugium *Zug*, A. C. 1352.
Glarona *Glarus*, A.C. 1351.
Basilea *Basel*, A.C. 1501. confecto bello Suevico.
Friburgum *Friburg* A. C. 1481. post finitum bellum Burgundicum.
Solodorum *Solothurn*, similiter.
Scaphusia *Schaffausen*, Anno Chr. 1501.
Abbatiscellani *Appenzeller*, reliquis se junxerunt, A.C.1513.

Socii & Confœderati Helvetiorum.

Abbas Sangallensis, cum Tigurinis, Lucernatibus, Suitiis & Glaronensibus, fœdus iniit, A. C. 1451.
Basiliensis Episc. cum 8. Vett. Pagis haud pridem.
Biennenses, cum Bernatibus Anno Christi 1303. & 1367.
Constantiensis Episc. post Abbatem Sangall.
Geneva cum Friburgensibus A. C. 1509. Bernatibus An. Chr. 1525. & 1526. Tigurinis A. C. 1584.
Mülhausium, cum 13. Pagis fœdus iniit A.C. 1515.
Neocomenses, peculiari fœdere Bernensibus hodie obstricti sunt.
Rhætorum Fœdus Canum An. Chr. 1497. & Fœdus Domus Dei A. C. 1498. cum septem Pagis.
Rotevilla, in Suevia, cum omnibus, A. C. 1519.
Sangallum opp. cum Tigur. Bernensibus, Lucernatibus, Suitiis, Tugenis & Glaronensibus, fœdus feriit Anno Chr. 1454.
Vallesiani Bernensibus se junxerunt A. C. 1475. cum 7. dein Pagis Religioni Rom. tantùm addictis, An. Christi 1533.

Præfectura Helvetiorum.

Aquensis Comit. paret 8. veteribus Pagis.
Bilitionum, vallis Brunia & Riviera, Suitiis ac Glaronensibus.
Italicæ Præfecturæ, Luganensis, Locarnensis, Mendrisiana & vallis Madiæ omnibus Pagis, extra Abbatiscellanos.
Liberæ Provinciæ *die Freyen Aempter*, 7. vetustioribus.
Muratum, Grandisonum, Eschalenium & Urba, Bernatibus ac Friburgiis.
Rhegusca vallis 8. Pagis.
Sarunegaunensis Comit. 7. veteribus Cantonibus.
Turgoviensis Comit. iisdem, additis Bernensibus, Friburgensibus & Soloduriis, quoad supremam jurisdictionem.
Uzenacum & Castra Rhætica, Suitiis & Glaronensibus, &c.

Helvetiorum Eremus, Ptolemæo ἡ τῶν Ἐλβητίων ἔρημος, regio videtur inter Hercyniam sylvam, Rhenumque & Mœnum amnes, Helvetiis habitata, Tacito *in German.* Hos enim in Germaniam colonias misisse, ostendit Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Antiq. & Nov.* Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* qui Helvetios, Belgicam gentem, olim provinciæ Maximæ Sequanorum attributos; postea sub Merovei posteris amisso priori nomine in duas partes fuisse divisos, quarum altera, pagus nempe Tigurinus, inter Rhenum & Ursam flum. ab Alemannis occupata, & Ducatui Alemanniæ seu Sueviæ, ascripta, sub Austrasiæ Regibus: altera ab Ursa ad Rhodanum & montem Juram pertinens, *Pagus Transjurensis* Sequanis cœterisque Gallis dicta, Burgundiæ Regibus attributa fuerit, addit. Vid. suprà.

Helvetum, urbs Germ. Super. libera in Alsatiâ. Anton. *Schlestadt* Simlero.

Helvia Resina, urbs Piceni, in ruderibus, erat ad Potentiam flu. versus Maceratam: ex ejus ruinis crevit Recinetum urbs; *Recina rouinata.*

Helvidius, Siciliæ Prætor, à Constantino victus, A. C. 781.

Helvidius, auctor Antidicomarianitarum, Mariam virginem, post natum Servatorem, liberos ex Josepho suscepisse statuit, &c. Epiphan. *Hær.* 78. Augustin. *hær.* 56. & 84. Bar. A. 382. *n.* 28.

Helvii, Cæs. *l.* 1. *B. G. Helvi.* Strab. Ἔλβοι. Scriptus Cæl. codex *Ilvi.* forsan *Elvi* mel. pop. inter Celtas, monte Gebennâ ab Arvernis divisi, proximi Cadurcis. Hos Cæsar *lib.* 7. apertè provinciæ Romanorum, seu Galliæ Narbonensi attribuit. Nam & Carnutibus, Arvernis & Biturigibus rebellantibus hi in fide mansere: & Vercingetorix Cæsari bellum inferens in *Helvios* milites misit, & *Helvii* sponte cum finitimis, Gabalis & Vellavis, congressi, C. Valerio Donotauro, Caburi filio, principe Civitatis interfecto, intra oppida murosque compulsi sunt. Hodiè *Albigeois* dicti, Ferrar. Baudrando, ubi nunc Vivariensis prov. quorum Caput Alba Augusta olim, seu Alba Helviorum, nunc Vivario, *Viviers*, urbs Ep. ad Rhodanum, inter Valentiam ad Bor. & Avenionem ad Austr. in Occ. longè ab Albiga in Ort. Hinc *Albenses* dicti sunt, non solùm urbis cives, sed ipsa gens *Helvii*. Inter Viennensis prov. urbes quarto loco numeratur: inter sedes 6. Viennæ metropoli subjectas, à Valentina proxima recensetur Vivariensis, in recentior. Notitiis, & Diensi, Gratianopolitanæ, Maurianensi ac Genevensi præfertur. Ex ejus Episcopis Venantius Concilio Epaonensi & Arvernensi, sub Theodeberto R. Cautinus verò à Melanio missus Concilio Aurelianensi 5. subscripsit. Caput est pagi cognom. *le Vivarez*: Incolæ *les Vivarois*, vino *Helvico* à Plin. *l.* 14. *c.* 1. laudato, nobiles.

Loca Diœcesi Helvicâ seu Vivariensi contenta.

Albanasium.
Gaudiosa *Joyeuse*, cum tit. Duc.
Inter aquas *Antraygues.*
Mansus Maurorum, *Mas de Mauras.*
S. Michaëlis locus *S. Miel.*
Paucinum *le Pouzin.*
Petra curta *Pierregourde.*
Privatium *Privas.*
ad S. Privatum *S. Privat.*
Rupes Maura *Rochemaure.*
Rupes Morenata Theodulfo dicta.
Turno *Tournon.*
Vivarium, vel Vivaria in plur. *Viviers.*

Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Helvillum, seu *us*, pag. Umbriæ, non extat.

Helvina, vel *Helvinus*, fons Latii in agro Aquinate. Unde *Ceres Helvina* Juvenal. *Sat.* 3.

Helvinum, flu. Piceni, qui *Matrinus* Straboni in Ptolemæo dici videtur. *Piomba* hodie Nigro, & Leandro. Nunc *Salinelli* Brietio, in Aprutio ult. In mare Adr. se exonerat, longè à Matrino flu. qui *Piomba.*

Helvius, Vid. *Rufus.*

Helymus & Panopes, Acestæ regis Siciliæ comites, venatores fuerunt. Virg. *Æn.* 3.

Heman, filius Lotan, filii Horræi. Gen. 36. qui 1. Par. 1. dicitur *Homan.*

Homan. Item Filius Maol. 3. Reg. 4. & Filius Joel. 1. Par. 6. & 16. Vid. Morerium, *Dict. Hist.* Nepos Samuelis Proph. unus ex Cantoribus Davidis. Vid. Psalm. 88. &c.

Hemasini, Dalmatiæ gens. Plin.

Hemath, vide *Emath.*

Hemerobaptistæ, secta Judæorum. Lavabant se quotidie, quod illis compendium sanctitatis erat. Resurrectionem mortuorum negabant, cætera Pharisæos sequuti. Marci *cap.* 7. Epiph. *l.* 1. *Panar. cap.* 17. 18.

Hemeroscopium, urbs Celtiberorum, Phocensium colonia. Stephanus. Prom. *Cabo Martin*, idem cum Dianio Artemisio & Ferraria prom. Vid. ibi. Ejus pars media *Punta del Emperador*. Baudrandus.

Hemerte, Ins. in Ægæo mari. Vid. *Lesbos.*

Hemesa, Vid. *Emissa.*

Hemichara, op. Siciliæ mediterr. *Necosia* Nigro, Ferrario *Macari.* Aliis *Imachara*, nunc *Traina*, opp. vallis Nemorensis, in colle. Cluver. Briet.

Hemicynes, pop. non procul à Massagetis & Hyperboreis, quasi *semicanes*, quos Apollonius *in Argonauticis* canum instar latrare scribit. Steph.

Hemingus, Danorum rex, fœdus cum Carolo M. Imp. icit, an. Salutis 812.

Hemodes, quæ & *Hemode* & *Emoda*, insulæ 7. sinus Codani Cimbricæ Chersoneso ad Ortum adjacentes, quarum nomina sunt *Seelandt, Fuynen, Langlandt, Muen, Falster, Loyland*, & *Femeren.* Cluverio fuerunt, ubi nunc *Schetlandia* Ins. supra Scotiam & Orcades ad Bor. Præcipua illarum *Mainlandia*; sub Danis. V. *Schetlandia.*

Hemodus, mons Indiæ, vide *Emodus.*

Hemona, civitas in tribu Benjamin. Jos. 18.

Hemona, nomen urbis apud Græcos, Latinosque scriptores variè corruptum. Sed recta scriptura est *Emon*, vel *Emona*, ut *Narbo*, & *Narbona.* Græcè Ἥμων Zosimo *libr.* 5. ubi habes de conditu hujus urbis digressiunculam. Ptolemæo Ἥμωνα. In *tabulâ* autem *itinerariâ*, quam Marco Velsero debemus, & antiquis inscriptionibus nonnullis *Emona* rectè scribitur. Corruptè autem in Herodiano: Ἐπέστησαν πρώτῃ Ἰταλίας πόλει, ἣν καλοῦσιν Ἡμᾶν οἱ ἐπιχώριοι. Ubi (ut & Capitolinus ex eo) Emonam Italiæ urbibus accenset: quomodo videlicet urbes finitimæ modo huic, modo illi earum provinciarum, quas contingunt, attribui solent à scriptoribus, talium sæpe incuriosis, ut & Strabo observat. Nam revera *Emona* Pannoniæ superioris urbs erat, in finibus ejus sita, quà in Noricum ibatur & Italiam. Ideo Ptolemæus inter Italiam, & Pannoniam superiorem esse scribit, ὑπὸ τὸ Νώρικον. Zosimus autem inter Pannoniam, & Noricum. Vide Casaub. *ad Capitolinum pag.* 185.

Hemopsvestia, urbs Ciliciæ. Vid. *Mopsvestia.*

Hemor, Pater Sichem. Gen. 33.

Hemus, vide *Æmus*, & *Hamus.* Est & *Hamus* Græculi histrionis nomen. Juven. *Sat.* 6.

—— Dicas hæc mollius Hamo

Quanquam & Carpophoro.

Idem *Sat.* 3.

Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hamo.

Hen, Zephaniæ fil. Zach. 6.

Henedab, nomen viri. 2. Esdr. 3.

Henesiotis, regio Sarm. Asiaticæ. Ptol.

Heneti, iidem cum *Vandalis* quibusd. à Zemovito Polono victi, an. 892. quod bellum postea fil. ejus Lechus, otii quàm bellicæ gloriæ amantior, deseruit: ut & Pomeranicum ac Cassubicum, similiter à patre inchoatum. Cromer. *l.* 2. Ab Henr. postea Leone D. Bavariæ & Sax. cui Albert. Ursus Brandeburgicus se junxerat, post acerrimum bellum, occiso Nicoloto R. major pars gentis extirpata, alii in confinia Poloniæ rejecti: reliquiæ verò dignitatibus civilibus & honestis contractibus exclusi sunt, deductis in exhaustas provincias novis è Frisia & Saxonia coloniis, sec. 12.

Heneti, Paphlagoniæ pop. quorum equi in pretio. Phædra in Euripidis *Hippolyto*, *vers.* 230.

Εἴτε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις

Πώλους Ἐνέτας δαμαζομένα.

Et Chorus vers. 1131. de Hippolyto jam fato functo:

Οὐκ ἔτι συζυγίαν

Πώλων Ἐνετῶν ἐπιβάσῃ.

Ubi Scholiastes: Ἐνετῶν, Παφλαγονικῶν. Ἔνετοι γὰρ ἔθνος Παφλαγονίας. At Hesychius aliter: Ἐνετίδας, πώλους στεφανοφόρους, ἀπὸ τῆς περὶ τὸν Ἀδρίαν Ἐνετίδος, διαφέρουσι γὰρ ἐκεῖ. Quibus consentiunt hæc Strabonis *lib.* 5. ubi de Italiæ Venetis: Διονύσιος ὁ τῆς Σικελίας τύραννος, ἐντεῦθεν τὸ ἱπποτροφεῖον συνεστήσατο τῶν ἀθλητῶν ἵππων· ὥστε καὶ ὄνομα ἐν τοῖς Ἕλλησι γενέσθαι τῆς Ἐνετικῆς πωλείας, καὶ πολὺν χρόνον εὐδοκιμῆσαι τὸ γένος. Proinde etiam Euripidis Schol. docet Πώλους Ἐνέτας equas esse eorum Henetorum, οἱ Παφλαγονίαν πρότερον οἰκοῦντες, ὕστερον ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν διέβησαν.

Henetia, olim dicta, quæ nunc *Venetia.*

Hengistus & *Horsa*, Saxones Angli, fratres, Witgislo seu Witikindo, filio Wittichii Saxonum R. ut quibusdam placet, geniti, è Germania, A. C. 449. à Britonibus, quos Scoti Pictique acerrimè premebant, evocati, à Vortigerno Rege in Cantio sedes acceperunt: contra hostem mox victores. Dein Hengistus, per Romicen filiam Rege inescato, popularibus catervatim in Insulam adveniendi viam paravit; an. 452. Interemtus in prælio ad Pancastrum, ab Aurelio Ambrosio, qui Horsam quoque prius interemerat. An. C. 456. Hengisti fil. Idas regnum Northumbrorum orsus est, A. C. 547. in quo ipsi Ella fil. successit. Vid. Polyd. Virgilium, Duchenium, &c. Alii ex Hengisti filio Otta seu Ebusone per filios hinc Iddam, Northumbriæ Reges, in quibus Osvvaldus Sanctis adnumeratus, cecidit An. C. 642. & ultimus Adelfredus A. C. 783. à suis occisus est: inde Wiffam, East-Angliæ Reges, in quibus Sigbertus, Cantabrigiensis Acad. fundator & ultimus Edmundus à Danis A.C. 871. cæsus, eminent: Item per alium Hengisti fil. Otticum seu Oscum Reges Cantii, in quibus Ethelbertus primus è Saxonibus A. C. 602. Christi fidem assumsit, ultimus Edelvvolfus ab Egberto WestSaxone captus, deducere amant. Alius Hengisti fil. Hadvvacker vel Odoacer, per longam nepotum seriem, Witikindi, Saxonicæ familiæ hodiernæ auctoris, genitor fertur: Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Heniochi, pop. Sarm. Asiaticæ, circa Coracem montem, Caucasi partem, & oram maris Euxini, post Colchos in Occid. incolentes, à Lacedæmoniis oriundi, apud quos montes *Heniochii*, qui & *Coraxici*, teste Plinio, dicuntur; ex quibus Cyrus ingens flu. per Albanos fluit. Val. Flacc. *l.* 6.

Miserat ardentes (mox ipse secutus) Alanos,

Heniochosque truces. —— ——

Non longè ab Achæis ponuntur à Plinio 5. 6. Strabo verò *l.* 11. tradit Laconas habitasse Henochiam, quorum Duces Rhecas, & Amphistratus fuerunt Castoris & Pollucis aurigæ, unde Ἡνίοχοι ab iis sic dicti. Baudrando fuere in ora Ponti Euxini, uti hodie Avogasia, reg. Circassiæ.

Henius, vulgò *Haysne*, fluv. parv. Hannoniæ. Oritur supra Binchium, dein in Occ. prope montes labens, Fanum S. Ghisleni rigat, & ad Condatum in Scaldim influit; sicque Hanno niam bifariam secat.

Henneberga, castrum Franconiæ, in colle, juxta amnem *Strevv.* 8. mill. Germ. à Fulda in Ort. 7. à Schuinfurto in Bor. sub Duce Sax. Naumburg. hinc

Hennebergensis Princ. tractus inter Hassiam ad Occ. Thuringiam ad Bor. & Ort. ditionemque Herbipol. ad Mer. ad 9. mill. extensus, ab Ortu in Occ. Oppida præc. Mainunga, Smalcalda, & Themaria. Olim sub propriis Principp. Sed obitu Georgii Ernesti, an. 1583. qui præcipuus Formulæ Concordiæ patarius fuerat, ad Ducem Saxon. devolutus est. Smalcalda tamen & Dominium Franchenstenium Landgr. Hasso-Cassellano paret.

Henoch, filius Cain, Gen. 4. Item filius Jared, vir justus à Deo vivus sublatus. Gen. 5. Filius etiam Madian filii Abrahæ, Gen. 25. Filius etiam Ruben. Gen. 36. Item civitas, quam Cain extruxit, illique filii sui nomen indidit, Gen. 4. Lat. *dedicatus*, vel *disciplinatus*, vel *morigeratus.*

Henoticon, edictum Zenonis Imp. suasu Acacii Patr. Constantinopolit. promulgatum, ad Eutychianos cùm Orthodoxis uniendos. Quo, quoad externam speciem, symbolum fidei Conciliorum Oecum. Niceni, Constantinopolitani & Ephesini recipiendum inculcabatur, anathema Nestorio & Eutychi dicebatur, & 12. capita S. Cyrilli approbabantur: re ipsâ autem Concil. Chalcedonense rejectum est. an. 482. Evagr. *lib.* 3. *cap.* 17. Liberatus *cap.* 18. Theodorus Lector, *Collect. lib.* 2.

Henotictonti, genus hominum monstrosorum Tzetzæ.

Imperatores.

Henricus I. Saxo, fil. Ottonis, Saxoniæ D. ex Luitgarde, fil. Imper. Arnolphi, post Conradum affinem Imper. *Auceps* vocatus, quòd aucupio vacanti nuntius, de Imperio ei collato, allatus esset, Italis dictus Germaniæ Rex, An. Dom. 920. Burcardum Sueviæ & Arnulphum Bavariæ D. ad obsequium revocavit; à Carolo Simpl. Lotharingiæ regnum repetiit, Hungaros variis præliis vicit, cæciditque, Slavos subegit, Brenaburgum cepit, hinc Dalmatas, captâ Grono civitate, tributarios fecit, vicit & Bohemos. Wittichius *lib.* 1. *An. Dom.* 928. Danos, navali incursione Frisiones deprædantes, vicit, tributa iis imposuit, & Nubam eorum regem Baptismum suscipere coegit, Luithprandus *libr.* 3. *cap.* 3. Synodo Erfurti celebratâ, dies Apostolorum observari voluit, Baron. *Annal.* Christianismum variis in locis propagavit, Ecclesias à nundinationibus mundavit, voti damnas, quod ante prælium cum Ungaris fecerat, Aventin. *l.* 4. In apparatu belli Italici, paralysi correptus, obiit an. 936. æt. 60 Ex Mathilde Saxonica, pater Ottonis I. successoris. Flodoard. Sigebert. Genebr. *in Chron. Henricus* autem si Germanicè sit *Einric*, sonat *Ever rich*, aut *semper potens.* Sin origo sit *Erric*, sig. *rich Lord.* Fr. Philelphus & Camdenus putant contractum ab *Honoricus*: cujus nominis fuisse Vandalorum Principem, Honorii tempore, narrat Procopius. L. Lloyd.

Henricus II. cognom. *Claudus*, eò quòd ab Arduino, de quo infra, primùm victus, de muro quodam celso desiliens,

femur

femur luxaverat, & *Sanctus*, Bavariæ & Franconiæ Dux, post Ottonem III. Rom. Imperator, anno salutis 1003. Principes defectores Arduinum Marchionem, qui se in Italia Regem fecerat, Jaromiro prius Principe Bohemo, Boleslao Polono, Balduino Flandriæ Com. Lotharingiam Godofredo donatam rapiente, Bernardo Saxone superatis, vicit, atque subegit: Secundâ vice in Italiam veniens, Capuæ Saracenos vicit, ac Italiâ cedere compulit, Bubaganum Constantinopolitani Imp. ducem, qui Saracenis favebat, bello acerrimo insecutus est. Trojam in Apuliæ finibus, ubi olim Hannibalis castra fuere, à Græcis ædificatam obsedit & per deditionem accepit, Græcis Apuliâ & Calabriâ pulsis, Blond. *lib.* 3. *Decad.* 2. Papebergensem Eccl. fundavit, templum summum Basilicæ, terræmotu concussum, reparavit, ornavit & auxit, A.C. 1010. Anno 1014. Romæ coronatus à Benedicto VIII. Symbolum Apostol. post Evangelia recitari jussit, ut credendorum memoria auditoribus semper refricaretur; post secundam expeditionem Ital. cum Roberto Gall. R. de rebus Ecclesiæ collocutus, obiit an. 1024. Imp. 22. prope Halberstadium, Bambergæ sepultus. Hunc Henricum, cum uxore Kunegunda virginitatem perpetuam observasse quidam scribunt, & post mortem miraculis claruisse, Glaber, Sigonius, Sigebertus, Hermann. Ditmarus, Leo Ostiensis, Fabricius *in Chron.* Frisingens. *l.* 6. Crantzius *l.* 4. *c.* 35. Hujus fil. *Henricus*, Cæsar Aquisgrani electus est, An. Sal. 1025. Blondus *l.* 3 *Decad.* 2.

Henricus III. cognom. *Niger*, post Conradum II. Patrem, Rom. Imp. An. Dom. 1040. adversus Oldericum Bohemorum regem infeliciter pugnavit, tandem Oldericum superavit, Albanum, vel Ovonem, qui Petro pulso Ungariæ regnum rapuerat, tribus præliis vicit, Petro restituto, Anno 1048. Quo ab Andrea occiso, hunc quoque subegit, Ungariam feudum fecit, partem ejus Austriam Alberto Bavaro donavit, ac primum Austriæ Marchionem fecit, Lotharingum coërcuit, cum Theodorico Hollando contentionem habuit, an. 1046. Bohemos tributarios fecit, copias sub finem anni, exercitumque validum Romam duxit; Ubi congregatâ Synodo tres Pontifices, tanquam tria teterrima monstra, Benedictum, Sylvestrem, & Gregorium damnavit: Suitgerum Bambergensem episcopum, qui Clemens II. dictus est, Pontificem in Synodo fecit, à quo & Imperiale diadema accepit, Romanosque à Pontificum electione prohibuit. Dein Italos quosdam Principes ad obsequium revocavit, Frisiæ inde Hollandiæque Comites aggressurus. Conventu Wormatiæ habito an. 1048. Brunonem, Leonis IX. nomine, Papam Benedicto IX. opposuit. A' Vandalis victus, Obiit Botfeldiæ, An. 1056. æt. 39. Imp. 17. Bernardus Carius, *in ejus Vita.* Bonfin. *dec.* 2. *l.* 2 Crantzius *lib.* 4. *cap.* 40. Hermann. Contr. *in Chron.* Lambertus Schafn. in *Chronol.* Daubr. *Hist. lib.* 7. &c. Pater Henrici IV. ex Agnete fil. Guil. Comitis Pictav. & Guiennæ D. Blondum *l.* 3. *Decad* 2.

Henricus IV. cognom. *Senex*, Henrici III. filius, Rom. Imp. Anno 1056. regnavit annis quinquaginta variâ fortunâ. A' statibus Imperii, clam matre abductus, periculosè in Rhenum desiliit, Lusatios Vandalos sibi subjecit, per Hannonem Episc. Colon. Germaniam à latrociniis liberavit, domuit Saxones Bavarosque. A' Gregorio VIII. jus investituræ beneficiorum Eccl. Imperatoribus ereptum eunte excommunicatus, supplex Canusii Papæ factus est, Anno 1077. ubi regio cultu deposito, intra secundum murorum ambitum, sine calceis, sæviente hyeme, jejunus, per triduum, usque ad vesperam responsum Pontificis expectavit, Sigon. *lib.* 9. tandem nudis pedibus, forfices & scopas in manu habens, admissus, & sub durissimis conditionibus absolutus est, Malmesbur. *in hist. Angl.* Nihilominus, Papâ annitente electum, feroque perfidiam suam detestantem Rodulphum Imperii æmulum sæpius vicit. Anno 1080. Pontificem Romanorum, à quo per injuriam è Christianorum numero exemptus fuerat, urbe expulit, aliumque Pontificem, Clem. III. fecit, pulsis feliciter aliquot Anticæsaribus, Hermanno Lotharingo, Henrico Lucemburgensi, &c. Postremo à filio Conrado, instigatu Urbani II. bello petitus, dum se ad id parat, morbo periit, Leodii, An. Christi 1106. æt. 55. relicto ex Bertha Italica Henrico filio rebelli, à Paschali II. similiter contra se excitato, an. 1105. Sepulturâ 5. annis à Papa prohibitus. Ultimus, qui Majestatem Imp. adversus Pontifices Rom. retinuit. Eo namque mortuo Mantuæ statutum, *Papam à solis Cardinalibus eligendum esse.* Polyd. *de inv.* *l.* 4. *c.* 10. Vid. Læti *Compend. hist. Univ.*

Henricus V. cognom. *Junior*, Imp. Rom. prioris filius, Colomanno Ungariæ R. bellum infeliciter intulit, à Boleslao Polono ingenti clade ad Uratislaviam affectus: Romam venit, cepit Pontificem, Paschalem II. & aliquot Cardinales, servavitque in vinculis, donec pace factâ, Pontifex observatam authoritatem Cæsari confirmasset, nempe beneficiorum, & Episcopatuum per baculum, & annulos investiturâ, quam decreto abrogaverat Urbanus II. Blondus *l.* 4. *Decad.* 4. Deinâ fœdifrago Pontifice excommunicatus Gelasio II. Burdinum opposuit, tandem Calixto II. hoc jure cessit. Obiit an. 1125. Ultrajecti, improlis ex Mathilde Anglica. Lætus.

Henricus VI. Friderici I. fil. Rom. Imp. an. Salutis 1190. Constantiâ ductâ, an. 1186. *Siciliæ regnum obtinuit*: Leodiensem Episc. rebellem oppressit, à Cœlestino III. insolentissimè coronatus, an. 1191. Neapolim aliquandiu frustra obsessam, mox cum Cajeta cepit, in Panormitanos, qui uxorem ejus Tancredo tradiderant, sævus. Cujus viduam Sibyllam postmodum perpetuo carceri mancipavit, Guilielmo ejus fil. excæcato, & malè habitis reliquis captivis. Post hæc, ex Richardo Anglo, à bello sacro reverso, magnam pecuniæ vim extorsit, à Papa proin excommunicatus. Fridericum fil. an. 1196. ab Electoribus successorem destinari voluit, inq; Italiam reversus, rebelles Siculos crudelissimè tractavit, ab uxore an. 1197. quam præterea adulteriis offenderat, veneno sublatus, Messanæ. Roger. *in Annal.* & Auctores Læto laudati. Ducibus Archiepisc. Moguntino, & Othone Saxoniæ duce, subsidiarium exercitum in Asiam misit, qui anno sequenti auditâ Imperatoris morte in Germaniam redietre. Blond. Plat. Æmil.

Henricus VII. Lucemburgensis, post Albertum I. Rom. Imp. anno salutis 1309. primò Germaniam pacavit, Austriacis Fridericum Alberti fil. præfecit, Johannem fil. Bohemis Regem dedit, Thuringiacum bellum finiit. In Italiam transgressus singulis Longobardiæ civitatibus præsides dedit, Florentiam obsedit. Genuæ decretum tulit, *Imperatorem Rom. Pontifici R. juramentum præstare non teneri*, Aventin. *l.* 2. *Ann.* Cum Friderico Siculo rege fœdus icit, exercitum in Calabriam adversus Robertum Neapolitanum à Clem. V. concitatum, duxit, apud Bonconventum morbo laborans, non sine suspicione veneni, à Monacho Dominicano sub Sacramenti specie oblati, diem clausit extremum. Blond. *l.* 9. Æmil. *l.* 8. an. Salut. 1313. Lætus.

Henricus, Imperator Constantinop. successit Balduino VIII. Flandriæ Comiti, fratri, an. 1206. Græcos sæpius rebellantes vicit, Duci Valachiæ bellum movit, à Pontifice an. 1210. ob leges quasdam Clericis minus gratas, reprehensus; Obiit Thessalonicæ an. 1216. æt. 40. non sine veneni suspicione. Successit Petrus Cortenæus, Comes Antissiod. maritus sororis ejus Jolantæ, Petr. & Robertus Antissiod. ut & Georg. Logothera, *in Chron.* Nicephorus Gregoras *l.* 1. Petr. Utremannus, *Const. Belg.* &c.

Henricus, fil. Conradi III. Romanorum R. electus, cùm Pater in Orientem proficisceretur, paulo pòst obiit. Item, Thuringiæ & Hassiæ Landgr. c. Fridericum II. electus Rex an. 1245. ab hujus filio Conrado, in prælio occisus, an. 1247. Dictus *Rex Clericorum.* Item, fil. hujusdem Friderici, Rex Rom. à Papa contra Patrem excitatus, victus & in Apuliam relegatus, an. 1235 paulo pòst obiit.

Galliæ Reges.

Henricus I. Galliæ R. fil. Roberti, coronatus an. 1027. Patri an. 1031. mortuo successit. Ope Roberti D. Normanniæ, matrem Constantiam, quæ Roberto fil. juniori favebat, vicit, fratri Burgundiæ Ducatu concesso, unde prima Ducum ex regio sanguine familia. Dein Theobaldum & Stephanum, Campaniæ Comitis filios, quos contra Conradum Imper. defenderat, superavit; Henrico Roberti D. filio, pulso Guilielmo notho, cui Pater favebat, Ducatum restituit. *Sub illo Leo IX. Remis concilium habuit, Normanni Duce Roberto Guischardo in Italiam transgressi, Neapolis & Siciliæ regnum Saracenis eripuerunt.* Obiit an. 1060. regni 29. æt. 55. Ex Anna Russa, fil. Jaroslai Russorum R. pater Philippi I. se vivo adhuc coronati, Hugonis M. unde Comites Veromandui, & Roberti medii, qui juvenis decessit. Histor. Gall.

Henricus II. fil. Francisci I. ex Claudia Francica, patri successit, an. 1547. Bononiâ Anglis pulsis, Octavium Farnesium, contra Carolum V. & Julium III. tuitus est, Anno 1551. A Principibus Germ. contra Imperatorem evocatus, Metim cepit an. 1552. Argentorato frustra tentato. Hannoniam vastavit, Rentiaci obsidione repulsus rediit, magnâ Cæsarianorum clade victor, an. 1554. Metim, fraude Franciscanorum vix non amissam, contra Imp. fortiter defendit; ad Marcianum ab Hispanis fugatus, auspiciis Philippi II. ad Fanum Quintini, tantâ clade affectus est, an. 1557. Laurentii die, ut Lutetiæ passim cives diffugerent: Non minori clade anno post ad Gravelingam affectus: quam purioris religionis in Gallia ansam notant Historici, dum Gallica nobilitas captivitatis tædium Bibliorum lectione discuteret. In solatium tot cladium per D. Guisium Caletum post 210. an. Anglis eripuit: Pace Cameraci, quæ *infelix* dicta, an. 1559. ducentis locis hosti redditis, mutuisque nuptiis sancitâ. Concilium Tridentinum, non Concilium, sed conventum vocavit, quod Patres ægerrimè tulerunt, P. Suavis, *in Conc. Trid. p.* 369. In Evangelicos à Valentina Strige accensus, Senatores Ludovicum Fabrum & Annam Burgæum dissuadentes, carcere mulctavit: à Mongomerio Com. in hastiludio lethaliter vulneratus, juxta Bastiliam, ubi illi captivi languebant, portatus, sæpius repetiit, *Vereri se, ne innocentibus hominibus injuriam fecisset.* Obiit ex vulnere Anno 1559. Thuan. *Hist. lib.* 12. 22 23. *&c.* Regni 12. æt. 40. Ex Catharina Medicæa, pater Francisci II. Caroli IX. Henrici III. &c. *Histor. Gall.*

Henricus III. prius Eduardus Alexander dictus, fratri Carolo IX. successit Anno 1575. postquam sub Ducis Andegavensis nomine, intestino bello, regii exercitus Dux, orbi innotuisset, &, post mortem Sigismundi Augusti, Rupellam tum obsidens, Pol. R. electus esset, inde, fratris obitu audito, clam reversus. Ordin. S. Spiritus auctor, an. 1578. ambitione Guisiorum, quibus Condæus,

Alen-

Alençonius & Navarræus se opposuerant, Regnum turbari vidit: Religionis libertatem mox, ita in Turonibus juxta Lochias conventum, per universum regnum permisit. Anno vix elapso Blesis denuo an. 1577. pro una Catholica religione edictum sibi extorqueri passus, rursus res turbari indoluit, sed Mompensierii intercessione pax restituta. Alenconio veneno sublato, majores orti motus. Catharina mater, ut Navarro gradum ad successionem præcideret, de Lotharingi liberis ex Claudia fil. evehendis cogitavit, Guisiis ad se id rapere contendentibus. Hinc Liga illa adeò famosa, quæ Peronæ prius cœpta, Duce Guisio, jam Philippo II. & Sixto V. suffulta lacertos movere, Religio prætexi, Carolo Cardin. ut ambitio tegeretur, regnum deferri: scisso in 3. factiones regno, quarum illa quæ Regi adhærebat, *Politicorum* dicta, infirmissima erat, altera Ligistarum potentissima, tertia Reformatorum, sub auspiciis Henrici Navarri, per quos Regis latus à Ligistis petebatur, bonitate causæ valida: Unde bellum *trium Henricorum*: quo Annas Joyesius, Politicorum Dux, à Navarro ad Curtracum prælio victus, an. 1587. periit, Germani verò à Reformatis vocati, à Duce Guisio retrocedere coacti sunt. Qui tandem personâ detractâ, jam in Regem ipsum acer, primò varia frustra machinatus, detegente semper insidias Polinio, tandem illo Parisiis pulso, de eo in Monasterium detrudendo consilia agitavit, jamque omnia infra se despexit: paulò post Blesis, quò ab Henrico R. pellectus erat, in eo ipso cubiculo, in quo olim de Laniena Parif. deliberatum, trucidatus, unà cum fratre Ludovico Cardin. Sed hîc malorum nullus finis. Rex, à Pontifice excommunicatus, ut Ligistis sub Meduanio D. formidolosis par esset, ad Navarrum & Reformatos confugit, quorum copiis subnixus Lutetiæ jam gravis imminebat: cùm Jacobus Clemens, Dominicanus, illum cultro nefario lethaliter sauciavit: Obiit an. 1589. æt. 39. regni 15. Postquam priùs ordines, *de non obtrudenda religione vi monuisset, Navarrum verò successorem designasset*: Frustra à Guilielmo Hasso præmonitus, *à capite raso sibi caveret*. Ex Claudia Lotharinga nullâ prole susceptâ, ultimus Valesiæ stirpis. Serres *in Henr. III.* Ludov. Lucius *hist. Jesuit. lib.* 4. *cap.* 3. Præ primis Jac. Aug. Thuanus *in histor.*

Henricus IV. cognom. *Magnus, Invictus, & Restaurator regni*, fil. Antonii Navarræ R. ex Johanna Albretana, primò Bearniæ Princeps, dein matre an. 1572. paulo ante Lanienam Parif. chirothecis venenatis sublatâ, Navarræ R. unà cum Principe Condæo, à Carolo IX. captivus detentus est, infaustis illis cum Margareta Francica nuptiis, de quibus cives passim jactaverant, *plus sanguinis, quàm vini effusum iri*. Inde elapsus, varias res feliciter contra hostes gessit, unà cum Condæo à Sixto V. conviciis lacessitus & excommunicatus, Romæ per amicos, programmate Pasquino affixo, illum *falsò & malitiosè mentiri*, regessit, *se eum pro Antichristo reputare* addens: quâ voce perculsus Pontifex, deinceps nihil se contra eum tentaturum spopondit, ob hoc frigus Jesuitis & Guisianis *Navarrista* dictus. Victor ad Curtracum, Henrico III. Regi se contra Ligistas junxit, illo mortuo Successor, frustra ab Henotica factione Carolo Cardin. opposito, qui paulò pòst in vinculis Henrici IV. obiit, familiæ suæ & regni ludibrio natus, quem Guisius tanquam larvam hactenus ostentaverat. Dein Meduanium, Ligæ caput, 30000. millibus suffultum ipse vix 4000. habens, in Normannia, ad Arcam, vicit an. 1589. eundem Euriaci cum 1200. solùm aggressus, decuplo plures hostium copias iterum superavit, an. 1590. per Duces rebus non minus in Arvernia feliciter gestis. Parmensem amovit, Lutetiam, inauditâ fame pressam, occupavit, in victos benignus, qui tantâ bonitate moti, Pontificis bullis per carnificem crematis, suaserunt, ut in Gallia Patriarcha constitueretur; jam enim Rex Protestantium sacris, quibus innutritus erat, desertis solennia Missæ adierat, prolatâ interioris sensus voce: *Suam se animam perditum ire, ut populum ærumnis eriperet.* Sic ab omnibus Rex proclamatus, coronatus est Carnuti, an. 1593. primus ex Borbonia familia, irato Pontifice, & adhuc absolutionem negante. Hispanorum dein 18000. sub Connestabili Castellæ, ad Divionem, cum 1500. solùm suorum, vicit, an. 1594. Ambianum recepit, aliaque fortiter & feliciter gessit. Interea, Petrus primò Barrerius sicarius in ejus vitam subornatus est, cujus conatu detecto, Johannes dein Castellus emissus, fallente ictu dentem Regi excussit, exclamanti, *Itane fieri oportebat, ut Jesuitæ ore meo convincerentur?* Unde columnâ, ubi prius parricidæ domus steterat, erectâ, Jesuitæ regno pulsi; Johannes Guignardus ex eadem Soc. quòd venam Basilicam Sanbartholomæano tumultu incidendam fuisse, dixisset, strangulatus, &c. Post hæc, Rex à Pontifice graviora verito absolutus, paulo pòst etiam Meduanium & Mercurium obnoxios habuit, an. 1598. Sabaudum ad pacem, & Bressani Marchionatus redditionem adegit, Bironum Ducem capite plexit, quod unicum sub ejus regno justæ severitatis exemplum. Post quæ profundâ pace Regnum per 10. an. beatum, gloriosissimum Regem suum à Francisco Ravaillaco, in publica lætitia, cùm ad expeditionem ingentem accinctus, Reginam coronari voluisset, repetito cultri ictu, an. 1610. interemtum doluit: æt. 57. regni 21. tantâ omnium tristitiâ, ut plurimi impatientiâ doloris contabescerent. Pater ex Maria Medicæa, Ludovici XIII. successoris, &c. Vide Casaub. *Præf. in Polyb.* Serres, *Invent. Gall.* Lucium *Hist. Jesuit.* Lansium, *Orat. de Gall.* inprimis Thuanum, *in Historiis.*

Hispaniæ Reges.

Henricus I. Hispan. Rex, ludens cum pueris, tegulæ casu apud Palantiam periit, an. Salut. 1217. æt. 10. Roderic. *rerum Hispan. l.* 8. *cap. ult. l.* 9. *cap.* 4. Mariana, *lib.* 12. *cap.* 3. 6.

Henricus II. Castellæ R. successit Alphonso V. Patri, cujus filius nothus erat, sicut Petrus, ex legitima uxore ei natus est. Sed hic, uxore Blancâ, matre & altero fratrum Henrici, occisis, cognomen *Crudelis* meritus, Henricum cum magna parte regni ad ultionem insurgere vidit: Verùm hic victus, ad Carolum V. Galliæ R. confugit, qui eum sub Comitis Marcani & Connestabilis Guesclini auspiciis in regnum reduxit. Mox Petrus, ope Anglorum, restitutus, Henrico acie victo, sævire perrexit: hinc ab Hispanis revocatus Henricus, Petrum sustulit. Coronatus an. 1369. frustra Rege Arragoniæ, Navarræ, Lusitaniæ, Granatæ & Joanne Lancastriæ D. fil. Eduardi Angliæ R. renitentibus, quos omnes Henricus victos pacem petere coëgit. Veneno postmodum à Rege Granatæ, potentiam ejus verito, sublatus, obiit an. 1379. inaugurationis 10. Garibajus, *hist. Hisp. l.* 25. *cap.* 20. Mariana *l.* 17. Surita *Ind. lib.* 3. Froissardus, Belleforestus, Argentræus *Hist. Brit. l.* 5. 6. 7. 8 *&* 9.

Henricus III. fil. Johannis, nepos prioris, cognom. *Valetudinarius*, successit Patri, an. 1390. æt. 11. Turbis implicitus in minori hac ætate, provectior jam illas dissipavit, terque hebdomadatim subditis liberum ad se accessum permisit. Lusitaniæ & Granatæ R. hanc regni quietem turbatum euntes vicit, ingenti exercitu contra Mauros misso, obiit Toleti, an. 1406. regni 17. æt. 27. Mariana *l.* 18. *&* 19.

Henricus IV. cognom. *Impotens*, & *Liberalis*, post Patrem Johannem II. Rex, an. 1454. Initio compositâ inter se & Navarræ R. lite, Ismaëlem Granatensem, dein Muley Hacemum bello aggressus est. Pulsus dein à subditis, quòd Bertrandum de la Cueva ad uxorem admisisset, ex qua natum Johannem hæredem dixit: unde bellum inter illam & Isabellam, Henrici sororem, Ferdinando Arragoniæ R. nuptam. Obiit Segoviæ an. 1474. Mariana, *hist. Hisp. l.* 21. 22. 23.

Angliæ Reges.

Henricus I. Guilielmi I. fil. Angliæ Rex, post fratrem Guilielmum II. an. 1101. fratrem Robertum natu majorem, Normannorum ducem instructâ acie vicit, A. 1106. & Normanniam illo capto obtinuit. Polyd. Virgil. *lib.* 2. Wallos vicit, cæcidit, & in sua verba jurare coëgit, Imperatori filiam sponsam cum dote uxorem dedit: Bello contra Ludovicum Crassum, non adeò felix. Obiit in castro quodam Diœcesis Rhotomagensis, A n. 1135. Ex Mathilde, Malcolmi Scoti fil. pater Guilielmi ac Richardi, qui in mari perierunt, & Mathildis, Henrico V. Imper. primùm, dein Godofredo V. Comiti Andegav. nuptæ. Matthæus Malmesbur. Chenius *histor. Angl.* Hic Henricus patrem, (qui leges Danorum & Gentium Borealium, è quibus prognati Normanni, Anglis inducere volens, Baronum intercessione, divi Eduardi leges restituerat) imitatus, sub initium regni, dum ad Robertum fratrem populi vereretur defectionem, idem fecit. Deinceps verò congestum novi Juris codicem, in quo multa è lege Salica & Ripuariorum, multa ex aliarum gentium legibus antiquis, plurima è Danicis illis Canuti Regis concinnaverat, Anglis imposuit observandum. Quo auspicio, liceat è Florentio conjectare, sic in an. Dom. 1142. referente: *Interpellata est à civibus Londinensibus*, Mathildis Imperatrix Henrici fil. ut *leges eis Regis Eduardi observare liceret, non verò patris Henrici, quia graves erant. Verùm illa, præ nimia austeritate, non acquievit illis, unde & motus magnus factus est in urbe, & factâ conjuratione adversus eam, ignominiosam cum suis fugam arripuit, omni sua, suorumq; supellectile post tergum relictâ.* A quo tempore leges illæ obsoleverunt. Interim de Johanne R. refert Parisius, ad an. Chr. 1213. jussisse illum, ut leges proavi sui Henrici ab omnibus in regno custodirentur: quod tamen alii de legibus Eduardi Confessoris, quas partim recepit, partim rejecit, intelligi volunt, Henr. Spelmannus *Gloss. Archaol.*

Henricus II. Andegavensis, Godofredi III. fil. Angliæ Rex, post Stephanum, an. Sal. 1155. ob matrem Mathildem, filiam Henrici I. ductâ Eleonorâ, Aquitaniam quoque & Pictones nactus est. Legibus primò, tum contra peregrinos, tum contra Proceres novarum rerum cupidos latis, regnum firmavit. Cumbriam, Northumbriamque recepit, ac Wallos ad defectionem declinantes domuit, Hiberniam subegit, ac Pontificis Romani consensu, suo adjecit regno. Godofredum fratrem, hæreditatis portionem sibi debitam petentem, elusit: quo à Britonibus in Ducem electo, mortuoque, successioni inhians, Conanum Comitem Redonensem coëgit, filiam suam Godofredo tertio suorum filiorum elocare. Ob Eleonoram, à Ludovico VII. Gall. R. prius separatam, Comitatui Tholosano imminens, Raimundo bellum movit, sed gemino conjugio pax composita, annitente Ludovico. Postmodum Guilielmum Scotiæ R. cepit, Richardum fil. rebellum in Pictonibus superavit, pace cum Ludovico initâ, hujusque filiâ Richardo promissâ. Jura regni antiqua instauraturus, dum Thomam Cantuariensem Archiep. adversarium habet, iratus occasionem eum necandi dedit: ob id jussu Papæ Alex. III. à Monachis, virgis cæsus,

Matth. Parif. *in Henr. II.* Dein cum Philippo Augusto collisus, pace conciliatâ, cum eo in Orientem proficiscendi consilium cepit. Tandem Richardum fil. denuo infestum habens: Obiit in Turonibus, an. 1189. regni 34. filiis rebellibus diras imprecatus. Vide Matth. Malmesbur. & Polydorum Virg. *hist. Angl.* Etiam huic Regi adscribuntur suæ leges, hodie sub Glanvillæ nomine in lucem datæ: videturque Hovedenus leges Eduardi Confessoris à Guilielmo I. emendatas, & ab Henrico II. denuo restitutas, restituenti attribuere. Sic enim ille in an. 1180. Eodem anno Henricus Rex Angliæ pater constituit Ranulphum de Glanvilla, summum Justitiarium totius Angliæ, cujus sapientiâ conditæ sunt leges subscriptæ, quas *Anglicanas* vocamus. Recitat deinde dictas leges Eduardi à Guilielmo emendatas, Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Henricus III. prioris nepos, Johanni sine Terris, Patri successit, an. 1216. remisso in Galliam Ludovico Gallo, postmodum VIII. hujus nominis, quem Anglorum quidam in regnum vocaverant. A Philippo Aug. & Ludovico VIII. regiones Patri ereptas frustra repetiit, per fratrem Richardum Gallorum progressus stitit, cum Ludovico IX. pacem iniit, parte Aquitaniæ ultra Garumnam contentus. Regulum Hiberniæ & Wallenses compescuit, cum Baronibus dissedit, cum fratre Richardo & Henrico fil. ab iis captus; Sed hic elapsus Patrem Patruumque liberavit victor. Misso tandem in Orientem contra Saracenos, Eduardo fil. successore, obiit an. 1272. æt. 65. regni 56. Matth. Parif. Polydorus, *lib.* 16. Froissardus, &c. Ex Eleonora Provinciali, filia Raimundi Berengarii secunda, pater duorum filiorum & trium filiarum.

Henricus IV. Lancastriæ D. fil. Johannis, è Gallia exul revocatus, ubi Richardo II. in vincula conjecto, & occiso, Angliæ rex evasit, an. Salut. 1399. neglectâ Annâ, uxore Richardi Com. Cantabrigiensis, filiâ Eduardi Eborac. proximioris coronæ hæredis, unde utriusque Rosæ dissidia. Carolo VI. Gall. R. Isabellam fil. Richardi filiam remisit, non semel inducias cum illo pactus. Principes plurimi adversus hunc Regem postea conspirarunt, & manus conseruerunt, sed triumphavit Henricus victis hostibus. Variis seditionibus, conjurationibus, intestinis bellis laboravit: Cum Scotis, cum Gallis rem habuit. Obiit an. 1413. regni 13. Pater ex Maria, fil. Comitis Herefordii, Henrici V. successoris, &c. Polyd. Virg. *l.* 20. *&* 21. *Hist. Angl.* Harpsfeld, *hist. Eccl. Angl. sec.* 14. *&* 15.

Henricus V. Angliæ Rex, an. Sal. 1414. Galliam vastavit, interclusus, ex desperatione, cùm tantùm 10000. habuisset, prælio ad Azincurtium, in Picardia an. 1415. tam acriter conflixit, ut 10. millia caperet. Quam litem Sigismundus Imper. in Galliam Angliamque transiens componere frustra conatus est. Junctus enim Burgundo Henricus, post celebrem illam Rotomagi obsidionem, an. 1419. Normanniam sibi subjecit: illo occiso Regis Caroli jussu, Isabellam hujus matrem in suas partes pertraxit. Hinc an. 1420. ad Trecas cum Carolo, & Philippo Burgundo pactus, Franciæ regnum, & Catharinam Caroli VI. Francorum regis filiam uxorem accepit. Post quæ, urbibus aliquot Delphino ereptis, Parisios venit. Ex Anglia, quò abiverat majores copias adducturus, redux Druidum urbem cepit: Obiit an. 1422. æt. 36. regni 9. Pater Henrici VI. sub tutela Ducis Glocestriæ, Angliæ, & Johannis D. Bethfordiæ, Galliæ Regentis. Ejus uxor postmodum, ex Ovino quodam infimæ sortis, cui nupsit, præter alios, Edmundum Com. Richemontanum, patrem Henrici VII. suscepit. Monstrelet. *l.* 1. *c.* 101. 140. *&c.* Walsingam. *in Henr. V.* Joh. Juvenal. de Ursinis & Laborator *in Carolo VI.* Polyd. Virgil. *lib.* 22. *&c.*

Henricus VI. Angliæ Rex, an. 1424. regnum Galliæ aliquot annis obtinuit; Parisiis coronatus, an. 1431. duplici coronâ, tandem amissâ virtute Caroli VII. & domesticis insidiis totâ Galliâ, Caleto & paucis aliis locis exceptis, à Richardo Duce Eborac. bis victus & in vincula conjectus, à Margareta Andegav. uxore, Scotorum viribus subnixa, occiso hoste, liberatus: mox ab Eduardo fil. Richardi iterum regno Angliæ pulsus, & an. 1465. in carcerem denuo conjectus, inde iterum liber an. 1471. rursusque captus, tandem trucidatus est, an. æt. 52. Philipp. Comin. *lib.* 6. *&c.*

Henricus VII. Comes Richemontanus, fil. Eduardi, ex Margareta, Johannis Ducis Somerseti, è familia Lancastrensi, filia, nepos Ovini Tideri Galli, clandestinis nuptiis Catharinæ Henrici V. viduæ juncti. Henrico VI. strangulato, in Armoricam se recepit, inde Richardum III. regni usurpatorem, in Angliam reversus, vicit, throno conscenso. Maritus Elizabetæ, fil. Eduardi IV. coronatus est, an. 1485. ab inimicis frustra duobus impostoribus subornatis. Maximiliano Imper. contra Carolum VIII. Gall. R. suppetias misit, nuptiis Annæ Britannicæ jam formidolosum: Cum Scotis bellum gessit, egregias leges sanxit, literatis favit, *Salomo Angliæ* dictus. Obiit an. 1509. regni 24. Pater Henrici VIII. Polydorus Virgil. *lib.* 26. Verulamius, *in Henrico VII.* &c.

Henricus VIII. Patri successit, an. 1509. cum uxore Catharina Arragonia, vidua fratris sui Arturi, coronatus. Instigatu Julii II. Maximiliano Imper. junctus, Ludovico XII. Galliæ R. bellum movit, an. 1513. Gallos ad Guinegastam, *prælio Calcarium* dicto, quòd hi plus calcaribus tum, quàm gladiis usi essent, vicit, captoque Tornaco, in Angliam rediit. Ubi Jacobum IV. à Gallo excitatum, prælio ad Fluidonem fudit atque trucidavit; pace dein cum Ludovico initâ, Mariam sororem ei elocavit, an. 1514. Post hæc, contra Lutherum scripsit, *Defensoris fidei* titulo proin à Leone X. ornatus. Francisco I. in Hisp. captivo, regni Protector esse voluit, an. 1525. liberationi Clem. VII. Româ captâ, in vinculis à Carolo V. detenti, similiter operâ navatâ, an. 1528. Exin Thomæ Volsæi suggestione, repudiatâ Catharinâ, Annam Boleniam duxit, anno 1533. Hinc excommunicatus à Pontifice, *Ordinum regni decreto, auctoritatem Pontificiam per regnum abrogavit*, tributo annuo, quod ab Inæ temporibus pendebatur, negato: coëgitque sacramento Ecclesiasticos, ut se, Ecclesiæ caput à Christo proximum agnoscerent. Monachos ejecit, quorum cœnobia in lupanaria & Cynædorum ac Sodomitarum latibula fuisse conversa, deprehendit, Joh. Speedus *in Chron.* In doctrina adeò nihil mutavit, ut in Lutheranos igne sævierit. Joh. Fischerum Cardin. Thomamq; Morum capite mulctavit, Ordinem Melitensem in suo regno abolevit, Thomæ Cantuar. ossa refodi & comburi jussit. Johannæ Seimeræ formâ captus, Annam Boleniam capite plexit; quâ in nixu extinctâ, Annam Clivensem duxit, moxque repudiavit: ductâ Catharinâ Havardâ, fil. Nortfolciæ D. quâ etiam decollatâ, quòd virgo non esset, Catharinam Parvam viduam superinduxit. Iterum contra Gallos, Bononiâ captâ, an. 1545. Scotosque bellum movit. Obiit an. 1547. æt. 57. regni 38. postquam ad Amicos moriturus: *Væ mihi, qui nunquam Viro in ira, & mulieri in luxuria peperci.* Testamento voluit, ut Eduardus, ex Seimera genitus, sibi succederet; quo sine prole defuncto, Mariam ex Catharina Arrag. filiam, & huic Elizabetham, ex Anna Bolenia susceptam, substituit. Thuan. *hist.* Bellaj. *lib.* 4. *hist.* Guicciard. *lib.* 19. *&* 20. Polydorus Virgil. Sleidanus, &c.

Alii Reges.

Henricus Crassus, Navarræ R. fil. Theobaldi VI. Com. Campaniæ, tertius hujus nominis, successit fratri Theobaldo II. an. 1271. Saginâ suffocatus, obiit Pompejopoli, an. 1274. Ex Blanca Artesia, quæ postmodum Edmundo Lancastr. Comiti, filio Henrici III. nupsit, pater filii, quem nutrix è manibus elabi passa est, & Johannæ, Philippo Pulchro Gall. R. nuptæ. Nangius *in Chron. & Philipp. III.*

Henricus Albretanus, filius Johannis, Navarræ Regis, regno à Ferdinando Aragonio exuti, magni animi Princeps, Johannam genuit Navarræ reginam, quæ ex Antonio Borbonio mater fuit Henrici IV. Galliæ & Navarræ Regis, cognom. Magni.

Henricus Campanus, fil. Henrici I. Com. cognom. *Junior*, post mortem uxoris Hermancellæ, Theobaldo jun. fratri Campaniâ relictâ, inque Oriente ductâ Isabellâ, fil. Regis Almerici, viduâ Conradi Comit. Montferratensis, ante urbem Tyrum occisi, anno 1192. Hierosolymæ R. Obiit è fenestra prolapsus, anno 1197. De hoc conjugio, cùm Umfredus Toronensis, maritus ejus, cui eam Conradus rapuerat, adhuc in vivis esset, ingens quæstio orta, an. 1216. decisa an. 1221. inter Erardum Briennensem, & Theobaldum VI. Henrici Crassi patrem. Reliquit Henricus hic Adelaidem, Hugoni Cypri R. & Philippam Erardo Briennensi nuptam. Vide Morer.

Henricus Carinthiæ Dux, Rex Bohemiæ, an. Chr. 1307.

Henricus, Comes Lusitaniæ, frater minimus Hugonis I. & Eudis II. Burgundiæ Ducum, fil. Roberti, nepos Roberti Gall. R. In Hispaniam transgressus, an. 1096. Alphonso VI. Castellæ R. suppetias tulit, Lusitaniam Mauris ereptam, cum filia ejus Teresa, nactus. Pater ex ea Alphonsi Henrici, primi Portugalliæ Regis. Obiit in obsidione Asturicæ, an. 1112. Anton. de Vasconcellos, *Anaceph. de Reg. Port.* Eduardus Nugnez, &c.

Henricus, Cardinalis Lusitanus, quintus Emanuelis R. ex Maria Castellana fil. successit Sebastiano abnepoti, An. 1578. Extremâ jam ætate, cùm varii Principes Regnum sibi vindicatum irent, & Comitiis habitis an. 1579. de Successore deliberaretur, obiit anno 1580. ætat. 68. Regno post eum à Philippo II. usurpato, donec an. 1640. pulsis Hispanis, Johannes IV. Bragantiæ D. in thronum evectus est.

Henricus I. Lusignanus, post patrem Hugonem I. Cypri R. Obiit anno 1253. Ex Placentia, fil. Boëmundi IV. pater Hugonis II.

Henricus II. fil. Hugonis III. fratri Johanni successit, an. 1286. Rex Hierosol. coronatus.

Principes Regii sanguinis.

Henricus, fil. Ludovici VI. Arch. Remensis, obiit an. 1175. Vide Morerium *Diction. hist.*

Henricus Burgundus, fil. Roberti I. Ducis Burgund. Obiit ante patrem, an. 1066. Ex Sibylla, inter alios, pater Henrici, unde Portugalliæ Reges orti.

Henricus I. Princeps Condæus, fil. Ludovici I. paterni zeli, in Orthodoxiâ defendenda, imitator: tempore lanienæ Parif. cum Navarræ R. captus, proponenti Regi *Missam, mortem aut perpetuum carcerem*, generosè respondit: se nunquam favente Deo commissurum, ut primum eligat, ex duobus alterum regis voluntati relinquere. Nihilominus à Rozario, qui metu mortis tum fidem ejuraverat, quem lapsum postea Heidelbergæ publico scripto deflevit, seductus, ad tempus ad Pontificios accessisse visus est. Mox liber, Religionem, cui innutritus erat, usque ad mortem pro-

professus. Obiit, rarum fortitudinis, pietatis, & constantiæ exemplar, an. Ch. 1558. Ex uxore Carlotta Tremollia, pater Henrici II. Quo pacto, injuriam à Sixto V. sibi unà cum Henrico Navarræ R. ultus sit, Vide apud Thuan. *in Histor.*

Henricus II. fil. prioris, per aliquot annos, Religioni Reform. curâ Patris innutritus, postmodum ab Henrico IV. à Papa, in communionem Rom. recepto, hisce Doctoribus erudiendus traditus est. Variâ fortunâ conflictatus, obiit an. 1646 fortitudine inclytus. Ex Carlotta Margareta Montmorantia, parens Ludovici Principis Condæi, &c.

Principes ex familia Palatino-Bavarica.

Henricus, filius Ottonis, post patris obitum Bavariam inferiorem, sicut frater ejus major Ludovicus cum superiori Bavaria Palatinatum nactus est. Hi ambo an. Chr. 1282. in Comitiis Augustanis, Austriam, Stiriam, aliaque tanquam Majoribus suis ablata, repetivere. Sed *Henrici* progenies in pronepote Johanne anno Chr. 1340. desiit; in qua ante alios eminet Otto, qui cum filio *Henrico*, regnum Hungariæ, adversus Carolum Martellum sibi asserere conatus est. Philipp. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. hist.*

Henricus, cognom. *Dives*, parsimoniæ laude inclytus, fil. Friderici Landshutensis, nepos Ludovici Imper. mortuo Ludovico Barbato, an. Chr. 1447. quem in vinculis tenuerat, Ingolstadiensem hæreditatem, exclusis agnatis, solus adivit. Pater Ludovici, in cujus filio Georgio, Ingolstadiensis Acad. conditore, linea extincta est, an. Chr. 1503. Hic, cùm hæredem scripsit Elisabetham Ruperto Palatino nuptam, *bellum Bavaricum* ortum est. Idem.

Ex familia Saxonica.

Henricus, fil. secundo-genitus Alberti, lineæ Albertinæ conditoris, post Patrem, in Frisiis debellandis, frustra occupatus, jus suum Austriacis vendidit. Luthero impensè favit, & non tantùm an. Chr. 1538. Smalcaldico fœderi nomen dedit, sed & oblatam majoris fratris Georgii hæreditatem, hac conditione, ut Pontificiis accederet, recusavit. Mox ditiones, à Smalcaldici fœderis Principibus adjutus, occupavit, religionemque Evang. introduxit, Luthero à Lipsia initium faciente. Pater fuit Mauritii & Augusti. Idem.

Ex familia Guelfica.

Henricus, cognom. *Niger* vel *Catulus*, fil. Welphi I. Bavariæ Ducatum, post patrem fratremque Welphum II. tenuit: pater ex Wulfilde Saxonica Welphi III. & *Henrici* cogn. *Superbi*, Ducis Saxoniæ, (quam à socero Lothario Imp. an 1137 acceperat) & Bavariæ, Monachii conditoris. Hic Winsbergæ obsessus, uxoris Uthæ Calvensis, quæ humeris maritum oppido extulit, pietate & solertiâ vitam servavit, ac in amicitiam Conradi III. infensi prius, receptus est. Eo natus

Henricus, cognom. *Leo*, Dux Bavariæ & Saxoniæ longè potentissimus, latè in Germania ab Albi ad Rhenum, à Baltico mari, ad Italiæ fines, imperavit. Danubium pontibus, Ratisbonæ & Lawenburgi, stravit: Henetos tantùm non extirpavit, ductis in exhaustas provincias novis è Frisia Saxoniaque coloniis: Romæ Fridericum Barbarossam amitinum furori plebis seditiosæ strenuè eripuit: ab hoc tamen, quòd in Alexandriæ oppugnatione herum deseruisset, eo colore, quia à Pontifice proscriptus sit, majestatis an. 1180. damnatus, Bavariâ Ottoni IV. Wittelspachio Schirensi, & Saxoniâ Bernhardo Ascanio collatis. Cui calamitati accessit, quòd & alii Principes amplissimi principatus partes sibi assererent: quare exul in Angliam ad socerum Regem perfugium habuit, cujus interpositione Brunsuicum cum Lunæburgo *Henrico* reddita sunt. Obiit an. Chr. 1195. Pater trium filiorum, è quibus *Henricus jun.* ab uxore Clementiâ, filiâ Conradi Suevi, nepte Barbarossæ, Comitatum Palatinum habuit, & per filiam Agnetem ad Ottonem Bavarum transmisit: alia loca per alteram filiam Irmengardim ad Hermannum March. Badensem. Idem.

Henricus, cognom. *Mirabilis*, filius Alberti M. Brunsuicensis lineæ satoris, Grubenhagiam lineam orsus est, quemadmodum frater ejus Albertus Pinguis Brunsuicensem ramum continuavit. Brunsuigâ, ubi Tribunorum plebis, adversus Senatum, factionem fovit, pulsus Einbecam obtinuit. Filii ejus *Henricus Jun.* pater Ottonis, Johannæ Reginæ Neap. mariti: & Ernesti, cujus ex filio Alberto nepos *Henricus*, genuit *Henricum*, patrem *Henrici* & Albertum Philippi, Smalcaldico bello & filiorum numero inclyti: quorum ultimus Philippus moriens an. Chr. 1596. lineam terminavit.

Henricus, fil. Magni, nepos Alberti Pinguis, de quo suprà, frater Bernhardi, Luneburgici rami auctoris, (è cujus posteris *Henricus*, bello Hildeshemio an. Chr. 1519. adversus Brunsuicenses Episcopo astitit, partibus dein Gallicis, interregni tempore, favere visus, progenitor fuit *Henrici* Dannebergicæ & Wilhelmi Cellensis lineæ auctorum) cum Calenbergio Guelferbytanum principatum tenuit. Pater *Henrici* cognom. *Pacifici*, vel *Lappenkreg*, & Wilhelmi cognom. *Victoriosi*, vel *Gottskube*: qui Wilhelmum genuit, cui Gœtinga, & Fridericum, cui Hannovera obtigere. Mortuus an. 1503. duos reliquit filios *Henricum*, Guelferbytanæ, & Ericum Gœtingensis seu Calenbergiæ lineæ satores.

Henricus I. cognom. *Senior* seu *Malus* fil. Wilhelmi jun. de quo supra, Guelferbytanæ lineæ auctor, cum Hildeshemiis, ac urbe Brunsuicensi an. Chr. 1492. bellum gessit: obiit an. Chr. 1514 in Ostfrisia, in obsidione arcis Orthi globo tormentario ictus. Eo præter alios plurimos, natus

Henricus II. Jun. Princeps otii & quietis impatiens, qui cum fratre Guilielmo jus Primogenituræ sancivit, à Carolo V. confirmatum an. Chr. 1537. Cui adversus Gallos, in Italia, fidam navavit operam, in bello etiam rusticorum fortitudinis laude impetratâ. Fœderi, quod *Sanctum* appellabant, an. Chr. 1536. nomen dedit: à Smalcaldicis postea cùm non cessaret Goslariam & Brunsuigam vexare, universo ducatu ejectus, an. Chr. 1542. Sic exul aliquandiu, cùm à Rege Galliæ pecuniâ adjutus, iterum turbas daret, à Mauritio Saxone, cum filio captus, demum an. Chr. 1547 libertatem recuperavit. Post quæ, cùm quiescere nondum posset, variè iterum jactatus est, tandem tamen tot bellorum cladibus & ruinis sarciendis ad civilem administrationem animum applicuit & diu satis Concilii Christiani expectatione elusus, Augustanam Confess. veram se judicare, publico diplomate professus, anno Chr. 1568. obiit.

Henricus Julius, fil. Julii, nepos *Henrici II.* de quo supra, defuncto an. Chr. 1596. Philippo, suæ lineæ ultimo, successionem Grubenhagiam sibi soli asseruit, sed in juris disceptatione cum agnatis, ad extremum victus. Urbem Brunsuigam an. Chr. 1605. frustra obsedit, obiit an. 1613. ex Elisabetha Danica pater Friderici Ulrici, Christiani, *Henrici* Caroli & Rodolfi, qui duo postremi Episc. Halberstadensem gessere, in adolescentia extincti. Spenerus *libro suprà laudato.*

Ex familia VVirtenbergica.

Henricus, filius Ulrici, Stutgardianæ lineæ auctoris, prius sacris destinatus, Coadjutor Moguntini fuit. Cùm Monpelicardum teneret, Hagenbachio decapitato, Basilienses & Sundgojos, pro Carolo Burgundo, armatâ manu è Mompelicardo infestavit, anno Chr. 1474. *Obiit captivus Uraci an. Chr. 1519.* Pater ex Elisabetha Bipontina Ulrici, qui lineam I. Ducalem, & Georgii, qui Montisbelicardensem seu lineam II. sevçre. Idem.

Ex familia Badensi.

Henricus I. fil. Hermanni III. Marchionis Badensis, Hochbergiam lineam orsus est, quemadmodum frater ejus natu major Badensem continuavit. Ei præter Hochbergam, patrimonium avitum, Fridericus II. Imper. Brisgojam, agnatis Zeringiis extinctis concessisse traditur. Obiit an. Chr. 1221. Pater Rodolfi & Hermanni, quorum illi fil. *Henricus II.* huic *Henricus III* Rudolfus, Fridericus fuere. *Henricus* modò dictus Rudolfi Imper. exercitum contra Ottocarum duxit, factusque eques Johannitarum ordini Heitershemium dedit. Duo ejus filii *Henricus* & Rudolfus III. ditiones iterum partiti sunt: è quibus ille Hochbergam ad fil. cognom. ejusque filios Ottonem, qui prælio Sempacensi cecidit an Chr. 1386. ac Hessonem transmisit: in cujus filiis *Henrico*, Hessone II. & Ottone III. mortuo An. Chr. 14 8. Hochbergius ramus defecit, successione ad Susenbergium delapsâ: cujus auctor Rudolfus III. retro memoratus, pater fuit *Henrici*, qui dominium Rœtelense an. Chr. 1315. *dono Leopoldi ultimi dynastæ*, accepit: *posteritate in Philippo extinctâ an. Chr. 1503. Idem.*

Ex familia Brabantino-Hassiaca.

Henricus I. cogn. *Probus*, fil. Godefridi III. cognom. *in cunis*, Lotharingiæ Ducis, in Palæstina Berythum expugnavit. Florentium Hollandiæ Comitem & Ottonem Geltum prælio cepit, occupavit Leodium, Tungrorum oppidum delevit, ab Episcop. Leodiensi victus, obiit an. 1235. Eo genitus

Henricus II. cognom. *Magnanimus*, varia gessit bella, ab Innocentio IV. contra Fridericum II Imp. ad regnum Rom. vocatus. Pater *Henrici III.* & alterius *Henrici*, unde duo familiæ rami, Brabantinus & Hassiacus.

Henricus III. cognom. *Mansuetus*, Brabantiæ Dux, ab Alphonso Hisp. ut Imperatore, universalis tutor & defensor partium Imperii, à Brabantia ad Rhenum usque constitui meruit: Obiit an. Chr. 1260. Pater *Henrici IV.* qui dein monasterium ingressus cessit regimine, Johannis I. & Godofredi: posteritate in Johanne III. extinctâ. Idem.

Henricus I. cognom. *Puer*, *Henrici II.* alter filius, Hassiacos sevit. Paderbornenses, & Moguntinum excommunicationis fulmen intentantem terruit, Nobiles rebelles coërcuit, à proprio filio *Henrico* infestatus, Adolfi Cæsaris auxilium sensit, mortuus post filium immorigerum an. Chr. 1308. reliquit Ottonem, Johannem & Ludovicum.

Henricus II. cognom. *Ferreus*, fil. Ottonis, à factione Stelliferorum (*die Sterner*) mirè exagitatus, ad summam ætatem pervenit, & filios *Henricum* ac Ottonem ante se efferri conspicatus, hæredem habuit, ex fratre Ludovico, nepotem Hermannum: cui Dux Brunsuicensis, cui *Henrici* Ferrei filia nupserat, controversiam movit, & cum factione *Stella* non exiguas dedit turbas. Sed victor Hermannus, obiit an. Chr. 1413. pater Ludovici, avus Ludovici Pii, & *Henrici*, qui Marpurgum tenuit, successor dein an. Chr. 1479. soceri Comitis Catimelibocensis, pater fuit Wilhelmi Jun. seu Divitis, in quo linea Marpurgensis terminata est.

Ex familia Vandalica.

Henricus I. fil. minor Godscalci, nepos Udonis Herulorum Regis,

Regis, auxilio Danorum, Critonem tyrannum Rugiorum Principem, in fratris Buthuenis ab illo occisi ultionem, aliquoties vicit, tandemque sustulit, viduâ ejus Slavinâ ductâ. Rugios bis debellavit, aliis quoque bellis inclytus, filios reliquit Woldemarum à Rugiis occisum, & Canutum à fratre Suantopolco necatum, cujus postremi fil. Suinico *Henrici* lineam terminavit, anno Chr. 1135. Post quem Canutus Danus, beneficio Lotharii Imper. Vandalici sibi regni jus titulumque usurpavit: Spenerus.

Henricus II. cognom. *Burvinus*, filius Pribislai, (qui ultimus gentis Rex, Ducis nomen ab Henrico Leone & Alberto Urso coactus, assumsit, Rostochii conditor) ex posteris Buthuenis, fratris Henrici I. quasdam belli ruinas restauravit. Eo natus

Henricus III. junior, pater fuit Johannis, unde Megapolitani, & Nicoloti, unde Vandalici Principes, qui an. Chr. 1430. defecere, orti sunt. Idem.

Henricus I. Dux Megapolitanus, fil. Johannis, de quo suprà, Ludovici IX. Gall. R. in Palæstinam comes, captus à Saracenis 26. annos in dura servitute exegit, tandem à Sultano dimissus, cùm ad suos rediisset, obiit an. Chr. 1302.

Henricus II. cognom. *Leo*, quòd patre Henrico I. absente, adversus Marchiones Brandeburg. strenuè se defendisset, ab uxore Beatrice Brandeb. Stargardiam, à Christophoro Daniæ R. Rostochium accepit. Mortuus an. Chr. 1329. pater fuit Alberti & Johannis, quos in Comitiis Pragensibus an. Chr. 1348. Carolus IV. quòd olim in bello adversus Anglos, in Gallia, militiæ fuissent socii, Principes Imperii creavit. E quibus fil. Alberti *Henricus* cùm uxorem Ingelburgim, Margaretæ Danicæ sororem, haberet, ex qua natus Albertus & Maria Vratislao Pomerano nupta, avus fuit Erici Pomerani, qui intuitu aviæ Septentrionis Rex electus est.

Henricus III. cognom. *Pinguis*, fil. Johannis, nepos Magni, Alberto prædicto geniti, Vandaliæ principatum, agnatis extinctis, nactus est. Sub eo Rostochienses à Sigismundo Imp. proscripti, & Academia, quam pater Henrici Johannes, fundaverat, Gryphiswaldiam ad annos 5. translata est, Obiit an. 1477. Pater, inter alios, Magni, qui stirpem continuavit.

Henricus, fil. Nicoloti, quem Vandalici rami auctorem prædiximus, cum fratre Nicoloto patrem sustulit, proin in exilium ejectus, Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal.*

Ex familia Ascania.

Henricus, cognom. *Sine Terris*, fil. Conradi, nepos Johannis El. Brandeburgici: Pater fuit Waldemari & Johannis IV qui ordine gessere, post patruum Waldemarum, dignitatem Electoralem: sed intra non totum mensem uterque an. Chr. 1322. extincti sunt.

Franciscus *Henricus*, Dux Lauenburgicus, fil. Francisci II. Obiit an. Chr. 1658.

Julius *Henricus*, ejusdem Francisci II. fil. natus an. Chr. 1586. religionem Rom. amplexus, Cæsari militavit. Pater ex Elisabetha Sophia Brandeburgica, Francisci Erdmanni, & Julii Francisci.

Ex familia Piastea.

Henricus I. cognom. *Barbatus*, vel *Sapiens*, fil. Boleslai Silesiæ sup. Ducis, an. Chr. 1225. adversus Lescum Album ad principatum Poloniæ vocatus est. Captus dein à Conrado Mazovio Cracoviensi principatui renuntiavit: post hæc an. Chr. 1233. Vladislaum Sputatorem Poloniâ maj. exuit, atque ita ad mortem usque utramque tenuit Poloniam, in qua multas barbaras leges correxit. Obiit an. Chr. 1238. Eo natus, inter alios,

Henricus II. cognom. *Pius*, qui Vladislao Sputatore in Pomeraniam usque expulso: dein celebri illo prope Lignicium prælio à Tartaris cæsus est, an. Chr. 1241. Pater *Henrici*, Conradi, Boleslai & Vladislai.

Henricus III. cognom. *Fidelis*, prioris ex Anna Bohema fil. Lignitium initio tenuit, quod postea fratri Boleslao, pro Vladislavia, concessit, an. 1244. Obiit an. 1266.

Henricus IV. cognom. *Probus*, fil. prioris, à Boleslao patruo captus, an. Chr. 1275. multa cedere coactus est. Sed vicissim ipse an. Chr. 1285. ejus filium, cum Henrico Glogoviensi ac Posnaniensi ad convivium invitatum cepit, nec nisi lytro soluto dimisit. Diffidens ab Episcopo Vratislaviensi & ab eo excommunicatus, à concilio Lugdun. absolutus est. Inde an. Chr. 1289. adversus Boleslaum Mazovium ad principatum Poloniæ vocatus, illum & postea Vladislaum Locticum pepulit, brevi pòst an. Chr. 1290. non sine veneni suspicione extinctus.

Henricus I. cognom. *Crassus*, fil. Boleslai, de quo supra, Ducis Lignicensis, patri successit, an. Chr. 1281. A patruele, ut dictum, captus, ei postea an. Chr. 1289. fideliter adversus Vladislaum Locticum astitit. Proditus posteà à ministro quodam Conrado Glogoviensi patruo, ædiculæ ferreæ angustissimæ inclusus, in illa fere computruit, damnosisque conditionibus initis dimissus, obiit an. Chr. 1295. Pater inter alios *Henrici*, qui Vratislaviam tenuit, mortuus an. 1337.

Henricus II. cognom. *Stigmatias*, fil. Ludovici, Lignicium à patruele Ruperto obtinuit: Pater ex Salome Mazovia Ludovici Lignicii & Brigæ, ac *Henrici* Lubenæ Principis.

Henricus III. fil. prioris, regimen habuit fame, peste ac Casimiri Polonici adversus Albertum II. coronam Bohemicam ambientis, expeditione infelix. Pater Ludovici, cui *Henricus* & Johannes filii fuere.

Henricus, fil. Bernhardi Suidniciæ lineæ auctoris, mortui anno 1347. cum fratre Boleslao, obsequium Bohemiæ detrectavit: ex hæreditate patrui Javeram & Furstenbergam obtinuit. Sed, Boleslao sine prole extincto, an. Chr. 1368. principatus eos Carolus IV. Imper. crevit, à quo tempore Silesia Germanicis moribus assuescere didicit.

Henricus I. cognom. *Fidelis*, fil. Conradi Ducis Glogoviensis, de quo suprà; à Posnaniensibus, adversus Vladislaum Locticum vocatu, Poloniæ principatum sibi adseruit: mox regno ab æmulo exutus. Obiit mœrore an. Chr. 1309.

Henricus II. fil. prioris, auctor lineæ Sagano-Glogoviensis, à Johanne Bohemiæ R. quòd ei partem suam Glogoviæ vendere nollet, pulsus est an. 1332. cùm tamen sua bona Saganum, Crosnam & reliqua Bohemis, à quibus feudo teneret, submisisset, an. Chr. 1329. Obiit mœrore an. 1339.

Henricus III. cognom. *Ferreus*, fil. prioris, à Carolo IV. dimidiam Glogoviam, patri ereptam recepit. Obiit an. 136[illegible]. pater trium *Henricorum*, è quibus minimus natu, reliquis præmortuis,

Henricus IV. cognom. *Passer*, initio Sprottæ & Freistadii Dux, dein fratrum hæres, an. Chr. 1395. reliquit *Henricum* Rapoldum, *Henricum*, cognom. *Patrem patriæ*, & Johannem: è quibus primus sine prole obiit.

Henricus V. prioris fil. Glogoviam & Freistadium tenuit, & anno 1467. mortuus, successionem ad filios Sigismundum & *Henricum* transmisit, quorum hic improlis extinctus est, an. 1476.

Henricus, fil. Boleslai III. è familia Oppoliensi, mortuus est absque liberis, &c. Vide sæpius memoratum Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. hist &c.*

Henricus, Foro-Julianorum D. Iringum, *Avarorum D. superavit*, inæstimabili thesauro, quo illum exuerat, ad Carolum Francorum R. misso, an. U.C. 1147.

Viri celebres.

Henricus, Monachus Tolosanus, in Gallia Petri Bruis, discipulus, Missas pro mortuis, Sanctorum invocationem, Cœlibatum, Peregrinationes religiosas, Chrismatis & olei consecrationem, superflua Festa, Transubstantiationem oppugnavit, Pontificum Antistitumque luxu ac fastu damnato: an. Chr. 1147. tanto successu: ut Galliam ferè totam doctrinâ suâ impleret, & *Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus essent*, Bernhard. *lib. 2. cap. 5. Vit.* Epist. 240. 241. Serm. 66. *in Cantic.* Adhærebant doctori huic, & Proceres nonnulli Regni, & ex Episcopis aliqui; sub patrocinio inprimis Hildefonsi S. Ægidii Comitis & Tholosanorum multum crescente cultorum numero, &c. Vide etiam *Ericus.*

Henricus Patriarch. Constantinop. sub Clemente VI. anno Chr. 1343.

Henricus Anslaus, scripsit disputationem de Conceptione immaculatæ B. Virginis, circa an. 1589.

Henricus de Aquila, Carmelita, Commentar. scripsit in Cantic. Cantic. an. 1330.

Henricus Arnolphus, vel *Arnoldi*, Saxo, à Patribus Concil. Basiliensis Secretarius lectus, ibi Carthusianum se fecit, mox Prior Ordinis: scripsit 12. tractatus, de quibus vide Petrejum *Biblioth. Carth. p.* 124. Voss. *de H. Lat. l.* 3. *p.* 567. Obiit an. 1487.

Henricus Barthol. de Susâ, vulgò *Henricus de Segusia*, Cardin. Ostiensis, an. 1262. Jurisconsultus, Theologus, Orator. Scripsit *Summam Ostiensem*, &c. Guil. Durandi præceptor, Obiit Lugduni, an. 1272. Matthæus *Paris. in hist. Angl.* Ughel. *Ital. sacr.* Ciaconius, Frizo *Gall. Purp.*

Henricus Batenus, Mechliniensis, auctor 10. libb. de rebus divinis, ubi curiosæ de Philosophia & Musica quæstiones. In tabb. Alphonsinis errores notavit, &c. An. 1350.

Henricus Bebelius, Suevus, scriptis editis immortalem nominis Famam adeptus. Vide Schardium, *tom.* 1. *script. Germ.* Crusium *in Ann. Suev.* Gesner. *in Biblioth.* Voss. *de H. Lat.* Floruit anno 1497.

Henricus Boycus, ex Armorica oriundus, floruit an. 1390.

Henricus Bradshau, Benedictinus Anglus, libros varios Histor. partim Latinè, partim Anglicè, edidit. Obiit an. 1513. Balæus, *Cent.* 14.

Henricus Braersius, vel *Vekenstil*, Mathematicus & Typographus Lovaniensis, edidit an. 1528. *Tabulas perpetuas long. & lat. Planetarum.* An. 1530. *De Compositione & usu decretorii Planetarum*, An. 1535. *De Compositione & usu quadrantis.*

Henricus Briggius, &

Henricus Brucaus, amicus Turnebi & Rami, *de motu primo, Institutionibus Sphæræ &c.* editis clarus, Mathematici insignes. Docuit hic Lutetiæ, Romæ, Rostochii.

Henricus Bruxellanus, Benedictinus, de correctione Calendarii scripsit, an. 1[illegible]50.

Henricus Bullingerus, Theol. Tigurinus, Huldrico Zuinglio successit, an. 1531. *Helveticæ Confessionis, post eum & Oecolampadium, summus propugnator*, Thuan. *doctrina simplicitate, zelo & pietatis ardore, ingenii candore, ac mansuetudine, prudentiæ insuper*

insuper laude celeberrimus, L. Gernlero *disp. 2. pralim. in Confess. Helvet.* à Bernensi & Basiliensi Rep. ad Ministerii sui κοινωνίαν ob dotes tantas expetitus, an. Chr. 1531. Jam sexagenario major, Confessionem Helvet. Latinè vertit, monitus à Friderico III. Elect. Palatino, eamque uberius, theticè & antitheticè, explicuit: adjutus à Rod. Gualtero, Joh. Hallero, Theod. Beza, illo Tigurino, isto Bernensi, hoc Genevensi Theologis. Opera ejus 10. tom. prodierunt: Obiit an. 1575. æt. 76. cùm docuisset an. 43. Vide quoque in voce *Bullingerus*.

Henricus Buntingus, auctor Chronologicorum operum plurimorum.

Henricus Canisius, Neomagensis, Corpus Canonicum in epitomen redegit, 5. libb. Antiquarum lectionum, thesaurum Histor. & Chronologicum edidit.

Henricus Coesfeldt, Westphalus, Carthus. varia scripsit. Obiit anno 1410.

Henricus Cornelius Agrippa, vide *Agrippa*.

Henricus Dissenius, Osnabrugensis, Carthusianus, 22. tractatus scripsit. Obiit an. 1484. Petrej. *Bibl. Carthus.*

Henricus de Erfordia, Saxo, Jacobinus, scripsit *de Factis illustribus*, à C. M. usque ad 1255. &c. Leand. Alb. *lib. 4. de Vir. illustr. Ord. Prædic. &c.*

Henricus Frisius, Carthusianus, Chronicon Ordinis sui condidit. Obiit an. 1500. Jacobus Wimphelingus, *cap. 52. rerum Germ.* Suffridus Petri, *de script. Frisia.* Vossius.

Henricus Gandavensis, vulgò *Doctor Solennis*, Obiit an. 1293. æt. 76. Catalogum Hieronymi & Sigeberti continuavit, scripsit *Theologica Quodlibeta, & summam Quæstionum Theolog. ordinariam.* Gesner. Voss. Morerius.

Henricus Geilhusius, Benedictinus, vitam fundatoris carmine expressit. Obiit an. 1488.

Henricus Glareanus, Helvetius, variis scriptis Arithmeticis, Geographicis, Musicis, &c. & Medicinæ peritiâ inclytus. Obiit anno 1563. æt. 75.

Henricus Gorrichemus, Theologus Coloniensis, magni nominis, an. 1460.

Henricus Goudanus, Professor Heidelbergensis, in Magistrum sentent. commentatus est, an. 1435.

Henricus de Grave, cognom. Vermolanus, notis in Epistolas Hieronymi & Cyprianum, clarus, an. 1549.

Henricus Harphius, Franciscanus, auctor Theologiæ mysticæ, Speculativæ, Affectivæ, &c. Dessellius *Bibl. Belg.* Moreri. *Dict. hist.*

Henricus Hassius, dictus *Junior*, Carthus. Genesin, Exodum, Salomonis Proverbia, Apocalypsin, &c. Item Magistrum sentent. Commentariis illustravit. Obiit an. 1428. Idem, qui & videndus de duobus aliis *Henricis* Hassis.

Henricus Hutington, floruit an. 1158. sub Stephano Angliæ R. Auctor historiæ Angl. libb. 10. Chronici, tabb. Chronologicarum continuationis Bedæ, &c. *Historicus egregius*, Polyd. Virgilio, *Probatus auctor*, Johanni Lelando. Voss. Morerius.

Henricus de Kalkar, cognom. *Æger*, Carthusianus, scripsit de origine & progressu sui ordinis, &c. Obiit an. 1408. Petrejus *in not. ad Dorl. & in Bibl. Carthus. p.* 131. *& seqq.*

Henricus Kalteisen, Confluentiâ, urbe Germ. ortus, Dominicanus disputavit contra Bohemos, an. 1433. in Concil. Basiliensi. Morerius, *Dict. Hist.*

Henricus Comes *de Kalven*, Abbas Richenov. Obiit an. 1237. Auctor vitæ S. Pirmini, primi hujus loci Abbatis.

Henricus de Klingenberg, Episc. Constantiensis Interfuit Comitiis Norimberg. ubi Adolphus Nassovius Imper. depositus est, an. 1298. cum Arch. Moguntino de præcedentiâ rixatus. Auctor quæstionis de Angelis, & Historiæ Comitum Habsburgicorum, Obiit an. 1306. Pantaleon, *de Ill. Germ. Viris.*

Henricus Knightonus, Angl. scripsit Historiam Patriæ, an. 1380.

Henricus Lœnus, Lovaniensis, Carthusianus, scripsit in Psalmos, & Ethicam Aristotelis. Obiit an. 1481. Morerius.

Henricus de Maria, Cancellarius Galliæ, sub Carolo VI. Occisus an. 1418. Parisiis, in laniena à Burgundis excitata.

Henricus à Melchthal, Subsylvano-Helvetius, vir opulentus & libertatis studiosus. Huic cùm Landebergius præfectus Austriacus aliquot boum paria, sine causa ulla abduci per servum jussisset: fil. Henrici Arnoldus, stimulo servum percussit, herique tyrannidem fugiens ad Uranios se recepit. Quo facto parenti seni Landebergius oculos eruit, illo maximâ bonorum parte mulctato. Quod audiens Arnoldus, cum Furstio & Stouffachero, seriâ deliberatione institutâ, prima fœderis Helvetici fundamenta jecit an. Chr. 1307. Simler. *de Rep. Helv.*

Post dominos tristes, & sævi dura tyranni
Imperia, ad Fœdus mitior hora vocat.

Henricus Memmius, seculo præterito, probitate, eruditione, munerum sublimitate, sub variis Regibus, inclytus. Scævola San-Marth. *l. 4. elog.*

Henricus Monatholius, Medicus & Mathematicus Parisiensis: Mechanica Aristotelis vertit & notis illustravit.

Henricus de Novo castro, Episc. Basiliensis, grave gessit bellum cum Rodolpho Com. Habspurgico, qui urbem Basileam, exulibus Stelliferæ factionis frigidam suffundentibus, bis obsedit: donec hic Henrico Noricorum Burggravio internuncio, ab Electoribus insperatò ad Imperium vocatus, Episcopo urbique pacem dedit. Obiit hac partâ Henricus, an. Chr. 1274.

Henricus Pantaleon, Basiliensis, Medicus & Historicus insignis. Tractatu *de Viris Ill. Germaniæ*, nomen meritus.

Henricus Penia, scripsit de bello Sophorum & Turcarum.

Henricus de Piro, alias Brunus, Colon. J.C. insignis, Concilio Constantiensi interfuit, Carthusianus dein factus, scripsit in 4. libb. Institutionum Justiniani, &c. Dorlandus *cap. 32.* Petrejus, *Bibl. Carthus.*

Henricus Prudens, Carthusianus, Obiit an. 1484. scriptorum variorum auctor. Bostius *l. 36.* Sutor. *l. 2. Vita Carthus. tr. 3. cap. 7.* eum Vrœdium vocat.

Henricus Ranzovius, nobilis Danus, *de Genethliacorum judiciis*, aliaque Mathematica & Astrologica opera in lucem emisit.

Henricus Rebdorfius, Monachus, auctor Annalium, ab anno 1295. usque ad an. 1362. Gesner. & Voss. *de Hist. L.*

Henricus Samerus, Jesuita, Lucemburgensis, auctor Chronologiæ sacræ, à C. M. usque ad C.N.

Henricus Smetius, Alostanus, Medicus & Professor Heidelbergensis, auctor Prosodiæ, in scholis usurpatæ.

Henricus Soliacus, magni in Anglia nominis, an. 1190. Sub Richardo I. nepos Adelaidis, quæ secundis nuptiis Henrici I. Regis uxor fuerat: Episcopus Wincestriensis. Scripsit de inventione corporis Regis Arturi. Voss. *de H. Lat.*

Henricus Spondus, Episc. Apamiensis, scripsit *de Cœmeteriis sacris*, continuavit epitomen Baronianam, ab anno 1600. usque ad annum 1640. Annalibus quoque Eccl. V.T. intentus. Obiit Tolosæ, an. 1643. æt. 75. Vide Morerium *Diction. hist.*

Henricus Stain, Historicus sec. 11. Præpositus Udinensis.

Henricus Stephanus, Parisinus, fil. Roberti, Typographus celebris, eruditione inter primos sui seculi. Juvenis ex Italia reversus, Anacreontem cum notis edidit, & versibus Latinis expressit. Πολύγλωττος excellens, scripta in omni literarum genere edidit in lucem, inter alia & Gallicæ L. cum Græca conformitatem, tractatu Regi dedicato, monstravit: De publico impensè meritus. Apologia sola ejus pro Herodoto quibusdam ingrata est. Majoris securitatis causâ Genevam se recepit, unde sæpe excursiones faciens, an. 1598. Lugduni obiit. Pater Pauli, bonorum & eruditionis paternæ hæredis, ac filiæ, quæ Isaaco Casaubono nupsit. Thuan. *Hist.* San Marth. *l. 4. elog.*

Henricus Steron, Monachus Germanus, scripsit Annales ab anno 1152. qui primus erat imperii Friderici I. usque ad annum 1273. quo Rodolphus I. Imperio potitus est. Eberhardus Archidiac. Ratisbon. continuavit, usque ad 1305. Adjunxit Steron vitas Rodolphi, Adolphi, & Alberti Impp. usque ad annum 1300. quibus additio usque ad an. 1335. accessit à Welingis fratribus, Benedictinis Augustanis. Freher. *tom. 1. script. Germ.* Gesner. Voss.

Henricus de Suse, Suevus, Dominicanus, scripsit sec. 14. Germanica linguâ, inter alia, 100. *Meditationes in Passionem: de Novem Rupibus, Horologium sapientiæ, Officium quotidianum de æterna sapientia, &c.* Obiit an. 1365. Antonius Senensis, *Biblioth. Prad.* Alph. Fernandez, *in Concert. Prad.* Bollandus *in SS. Mens. Januar. &c.*

Henricus Thaborita, scripsit Histor. Eccles. & Politicam, à nato Christo, usque ad an. 1508. Suffridus Petri *de Scr. Frisia.*

Henricus Utidonensis, Historicus Anglus.

Henricus de Zœmeren, Brabantus, Theologus Lovaniensis, precibus Bessarionis Cardin. in Italiam venit. Obiit sub Sixto IV. Epitomator primæ partis Occami, & Historiæ de capta Constantinopoli: ut & de Hæreticis libri. Voss. *de H.L. l. 3.* Simler. *in Bibl. Germ.* Vide quoque *Ericus*.

Heorta, oppidum Pannoniæ inferioris in Scordiscis. *Hardberg* Lazio.

Hephæstia, urbs in Lemno. Steph. nunc *Cochio*, planè deserta, & destructa. Est etiam vicus in tribu Acamantide, ubi Vulcani templum erat: Tribules *Hephæstiades*. Steph. juxta hunc vicum collis est, Vulcani, ut creditur, casu nobilitatus. Ferunt enim, Vulcanum à Junone, ob insignem deformitatem, è cœlo præcipitatum, in collem illum decidisse. Cujus fabulæ occasio inde sumpta est, quòd totus hic collis combusto simillimus videatur, neque planta ulla in eo gignatur. Ex hoc colle effodiebatur terra Lemnia, Dioscoridis & Galeni scriptis maximè celebrata.

Hephæstii, montes in Lyciâ, qui tædâ flammante tacti adeò flagrant, ut lapides in ipsis aquis ardeant, aliturque ignis ille pluviis. Baculo si quis, ex iis accenso, traxerit sulcos, rivos ignium sequi narrant. Plin. 2. 106.

Hephæstion, unus ex Alexandri M. ducibus, multum ab eo amatus, quem ille ita cum Cratero conferebat, ut hunc quidem φιλοβασιλέα, Hephæstionem verò φιλαλέξανδρον, appellaret. Vide Curt. *l. 3. 4. &c.* Hunc vita functum Echatanis, morbo ex crapula contracto, Olymp. 113. an. 3. Anticle Athenis Archonte, L. Cornelio, Q. Popilio Coss. tam magnifico funere prosecutus est, ut facilè omnes pompas superaret. In funus enim hoc supra 12. talentorum millia impensa feruntur. Plut. *in Alex.* Vide Voss. *Theol. Gent. lib. 1.*

*lib.*1.*cap.*15. Mortem ejus prædixit Pythagoras vates apud App. Alex. *Civil. lib.* 2. & Arrian. *lib.* 7. & Plutarch. *cap.* 124. Mortuus autem est ad Ecbatana, ut dictum, Ælian. *Var. hist.* 7.8. Item *Hephæstion* Alexandrinus Grammaticus, de quo Suidam adi. Extat una cum Scholiaste Parisiis 1553. apud Adrian. Turnebum, Typographum regium.

Hephæstion, Thebanus, de Horoscopi effectis scripsit. Voss. *de Scient. Mathem. cap.* 37. §. 11. Vide *Ephestio.*

Hephæstium, Lyciæ opp. Plin.

Hephæstos, proprium viri, & nomen Vulcani, Doricè Ἄφαιστος, id est, אב־אשתא *af-esto, pater*, seu *inventor ignis*, quia, ut Græci fabulantur ἀφεῦρε πῦρ, καὶ τέχνας τὰ τῶν ἐκ πυρὸς ὅπόσας, uti loquitur Tzetzes *Chil.* 10. 3.5. Bochartus. *Hephæsti* urbis Episc. in Ægypto meminit Concilium Ephes. tertium.

Hephæstunesi, i.e. *Vulcani insula*, regioni Adiabenæ adnumerantur. Steph.

Hepher, fil. Ashur ex Naarâ uxore. 1. Par. 4. Portio regni, terræque Chanaan, quam Josue expugnavit. 4. Reg. 14.

Hepitulium, urbs Triphyliæ. Steph.

Heptacometæ, barbari in Cyzico monte habitantes, quorum nonnulli *Byzeres* vocabantur. Steph. Sic autem dicti sunt à *septem vicis. Mossynaci* à Strab. & *Mosynes* à Diodoro cognominantur.

Heptagonia, nomen loci. Livius.

Heptanesia, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Heptaphonos, nomen porticûs, quòd in eo septies vox reddatur in Olympiâ. Plin. 36.15. Ejus meminit Plut *lib.* περὶ ἀδολεσχίας. Et quid ni putem eò respexisse Lucretium *lib* 4. cùm ait,

Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces,
Unum cùm jaceres ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.

Heptapolis, regio Ægypti, quæ & *Heptanomos*, sic dicta, quia ex septem urbibus vel nomis constabat.

Heptaporos, fluv. Troadis ex Idâ monte profluens, qui septem locis vadari potest eâdem viâ, propter quod & *Polyporos* Straboni appellatus est.

Heptapylos, Thebarum Bœoticarum epitheton, à septem portarum numero dictum, idque ad discrimen Thebarum Ægyptiarum, quæ à numero 100. portarum ἑκατόμπυλος dicebantur.

Heptateuchus, tomus SS. Bibliorum primus, cum Pentateucho Mosis, Josuę & Judicum libros comprehendens. Solebant enim, teste Ivone Carnutensi *in Epist.* 38. veteres Ecclesiastæ in unum conjungere, & colligare quinque libros Mosis, cum reliquis duobus; quotiesque ex illis aliquid proponebant, citabant id sub nomine *Heptatici*, vel *Heptateuchi*. Hujus mentio fit apud Eusebium Emissenum *Homil. in Domin.* 7. *post Pentecoste, & Hom. in Luc. c.* 15. Sidonium Apollin. *l.* 5. *ep.* 15. Gregorium M. *lib.* 7. *epist.* 4. *& lib.* 12. *ep.* 30. Hincmar. &c. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.*

Heptaydaton, Ciceroni *Septem aquæ*, locus Latii, apud Fucinum lacum & Maruvium opp. ab eo 40 stad. distans.

Her, vel *Er*, filius Judæ ex Sue uxore suâ, Gen. 38. Item pater Elmodad. Luc. 3.

Hera, Juno Græcis sic dicta. Item Cereris cognomen apud Pausan. *in Arcadicis.* Item urbs Siciliæ, quæ aliàs Hybla minima. Steph. Item Æolidis opp. & Arcadiæ. Pausan.

Heraclamon, proditor Thyanæ urbis, ab Imperat. Valerio Aureliano occisus, an. Chr. 273. dicente: *Qui mihi fidem servaret, qui patriæ non pepercit.* Eutrop. *lib.* 9.

Heraclas, discip. Origenis, ei in schola Alexandrina successit, postmodum Episc. hujus urbis, ab an. 234. usque ad an. 248. Euseb. *Histor. l.* 6. *c.* 12. 20. *& seqq.* Dionysius ei successit.

Heraclea, urbs triplex in Ægypto, una magna cognomine ad Nilum, quæ Herculis urbs magna Ptolemæo. Altera Herculis urbs parva, apud Bubasticum fluv. & Bubastum urbem. Tertia in orâ apud Heracleoticum ostium Nili, ab ea sic appellatum, Canopo finitima.

Heraclea, urbs Cariæ, quæ & *Lathmus* Straboni à vicino monte. *Palatia* Castaldo, & Moletio, *Ergel* Turcis dicitur, teste Leunclavio. In ora littorali maris Ægæi & Sinus Lathmiaci, inter Miletum & ostia Mæandri fluv. 30. mill. ab Epheso in Austr. Aliis dicitur *Heraclea ad Latinum*, in Sintica reg. hodie *Bagna Bebusco*, seu *Bilibusca*. Sub Arch. Sardicensi. L. Holstenius.

Heraclea Cretæ, *Heraclium* Straboni, & Ptol. opp. & navale Gnossiorum, *Mirabello* Pineto.

Heraclea, urbs Hispan. Bæt. juxta Fretum Herculeum, ad rad. montis Calpe: cujus rudera nunc *Gibraltar Viejo*, cum portu satis capaci, 4. m. p. à Gibraltaria urbe.

Heraclea, Italiæ urbs olim episcopalis in orâ Venetiæ à D. Magno Episcopo Opitergino extructa, & ipsa excisa, cui Urbs Nova, etiam eversa, successit. Vide sis Stephanum in Ἡράκλεια.

Heraclea, opp. Libycorum in Gall. Narbon. *S. Gilles*, Poldo teste, in Occid. inter Tarasconem & Aquas mortuas. Aliis, vicus *les Saintes Maries*, ad ostia Rhodani.

Heraclea Macedoniæ, inter Lychnidum & Ædessam, *Xevosna* Moletio & Nardo: Est & in Macedoniâ *Heraclea* altera *Sintica* cognomine. Ptol. Cæs. *Sentica*, 3. *Civil.* 79. quæ *Chesesia*, seu *Chesia* Nigro nominatur.

Heraclea, urbs excisa Magnæ Græciæ, apud sinum Tarentinum, *Pelicore*, teste Pyrrho Ligorio. Hujus navale etiam *Heraclea* Straboni vocatur, ab ipsa urbe 24. stadiis distans, quod hodie *Amendolara* oppidum, teste Barrio, dicitur.

Heraclea, quæ & *Minoa* Livio, opp. Siciliæ in orâ Australi, locus nunc *Capo Bianco*, teste Fazello, dicitur.

Heraclea Ponti, urbs Bithyniæ reg. Mariandynorum metropolis, ab Hercule, teste Melâ, condita in orâ maris Euxini. *Penderachi* hodie dicta. Nunc sub Turcis. 120. mill. ab Bosporo Thracico, 40. ab ostio Sangarii fluv. in Ort.

Heraclea Phthiotidis, quæ & *Trachinia*, Plin. *Comaro* teste Pineto, urbs Trachiniæ reg. in Phthiotidis & Thessaliæ confin. ubi transitus in Thessaliam ex Græcia difficilis. Baudrando urbs Macedoniæ in Thessalia, & prov. Phthiotide, prope Asopum fluv. Ad hanc se combussit Hercules.

Heraclea, quæ & *Sini* antea, urbs fuit Lucaniæ, ad Aciris fluv. ostia. Vix rudera supersunt.

Heraclea Syriæ, *Italica* Bonacciolo, urbs in Cyrrestica regione. *Heraclium* Straboni.

Heraclea urbs Syriæ, ad Tauri montis radices, & Ciliciæ confinia, *Heraclia*, teste Bellonio.

Heraclea Tauricæ Chersonesi, *Heracleum* Strab. & Ptol. urbs in orâ Boreali ad Mæoticam paludem, quæ adhuc *Heraclia*, teste Bonacciolo, nominatur. Μιλησίων κτίσμα dicitur Straboni *lib.* 12. Μεγαρέων ἄποικος vocatur ab Arriano, itemque Xenophonte *Anabas. lib.* 6. Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ παραπλεύσαντες, inquit, ἀφικνοῦνται εἰς Ἡράκλειαν, πόλιν Ἑλληνίδα, Μεγαρέων ἄποικον, οὖσαν δ' ἐν τῇ Μαριανδυνῶν χώρᾳ. Scholiastes Apollonii *in lib.* 2. ait Μεγαρέων καὶ Βοιωτῶν. Vide Palmerium *p.* 333.

Heraclea Thraciæ, quæ & *Perinthus* Ptolomæo, urbs amplissima in ore Propontidis, inter Byzantium & Callipolim. *Pantiro* Leunclavio, Claudiano, *urbs Herculei nominis.*

Heracleanus, Africæ Præses, Attalum-Imperatorem, in locum Honorii, ab Alarico nominatum, commeatu privavit: Hinc fames Romæ, & Attali ruina. an. C 411. Socr. *l.* 7. *c.* 10. *&c.*

Heracleobucoli, vicus in Ægypto.

Heracleodorus, qui in Oreo habitans, cùm tacitè Aristocratiam odisset, Prætor urbis factus, eam in Democratiam convertit. Aristot. *lib.* 5. *Polit. cap.* 3.

Heracleon, Grammaticus Ægyptius, scripsit commentarios in Homerum, & Lyricos Steph. Item, discipulus Valentini, ministros suos jussit oleo peculiari, & balsamo, defunctorum cadavera inungere, ad mitigandas illorum pœnas. Tertullian. *de præscr. c.* 49. Iren. *l.* 1. *c.* 4. Epiph. *hær.* 36.

Heracleonas, vide *Constantinus IV.*

Heracleopolis, nomen trium civitatum, una est in Ægypto, ex quâ Theophanes Physicus; altera non longè à Perusio: tertia secundùm Nili ostium, quod Canopicum est. Volaterr. *ex Stephano.*

Heracleotes, dictus est Dionysius philosophus, Zenonis discipulus. Item locus sic dictus à Cic. 2. *Tuscul.* ubi fuit amphitheatrum unum è septem spectaculis. Vide & 4. *Tuscul. &* 5. *de Fin.* Item insula inter Italiam & Siciliam. Anton.

Heracleum, promunt. Cappadociæ apud Themiscyram urbem, inter illam & ostia Thermodontis, *Capo di Limon*, Moletio.

Heracleum, promunt. cum fluv. & opp. cognomine, in orâ Colchorum, *Cacari* Mercat.

Heraclianus, Episc. Chalcedonensis, scripsit libb. 20. contra Manichæos. Photius *cod.* 85. *& cod.* 231. Item Dux Honorii Imper. Stiliconem occidit, hinc Africæ donatus præfecturâ. Ab Attalo turbis excitatis, fidem Imperatori servavit, provinciam fortiter, occiso Constantino quodam partium Duce, tuitus. Hinc Consul: sed Sabini generi pravis consiliis aures præbens, dum majora concupiscit, classem paravit, quâ à Comite Marino fugatâ, is unicâ nave Carthaginem elapsus, à militibus interemtus est, an. 414. Zosimus *l.* 5. Oros. *l.* 7. *c.* 42.

Viri Celebres.

Heraclides, Episc. Ephesinus, à duobus Monachis, Johanne & Isaco, in Pseudo-synodo, quâ Chrysostomus tam malè exceptus est, accusatus, & Nicomediæ 4. annos captivus detentus est, exulante amico. Socr. *l.* 6. Pallad. *in dial.* Photius *in actis Synodi ad Quercum, cod.* 59.

Heraclides Ænius, vide *Paron.*

Heraclides, Agathoclis filius, quo obside dato Ophelæ Cyrenenii insidias comparavit. Polyæn. *lib.* 5. *com.* 4.

Heraclides, præsidii præfectus, à Demetrio Rege, Athenis impositi, de quo Polyæn. *lib.* 5.

Heraclides, Lycius Sophista, Smyrnæ docuit, ubi in honore maximo fuit. Dicunt eum olim apud Severum Principem extemporali facultate dicentem, aulicis præsentibus exterritum, sermone cecidisse. Solus Sophistarum ad hanc artem industriâ, & labore, naturâ minimè juvante contendit. Philostratus.

Heraclides, è Mopso civitate Ciliciæ, Grammaticus nobilis. Steph. Item pictor nobilis Macedo, qui initio naves pinxit, captoque Perseo a Paulo Æmilio Athenas commigravit, eodem tempore, quo & Metrodorus Philosophus & pictor. Plin.

Heraclides, fil. Eutyphronis, Ponticus Philosoph. Heracleâ oriundus;

dus, Athenas concessit, Platonem, deinde Aristotelem audivit. Reliquit ingenii monumenta quæ non extant. Vir fuit mollioris habitus, ut pro *Pontico Pompicus* vocaretur. Plurima scripsit, quorum Catalogum habes, apud Diog. Laert. *in Vit. Philos. libr.* 5. ubi 14. Heraclides memorat. Cic. 5. *Tuscul* Scripsit mulierem quandam 7. diebus exanimem ad vitam fuisse revocatam. Plin. *lib.* 7. *cap.* 52. Moriturus, serpentem lectoclam à quodam amicorum imponi jussit, ut illo post mortem conspecto, Deus crederetur, sed importuno strepitu excitatus serpens, ante tempus prosiliit, vanitatis ejus testis locuples. Vide Cicer. *lib.* 3. *epist.* 5. *ad Quintum fratrem.* Tertull. *de anima cap.* 10. Plin. *l.* 7. *cap.* 52. Suid. Gesner. Cæterùm plura de hoc, uti & de Heraclide Cumano, Lembo, ac Magnesio, inprimis de Allegoriis Heraclidis, quis earum auctor? Vide Voss. *Hist. Gr.* 1. 9. *&* 20. *l.* 3. 4.

Heraclides, Tarentinus, Architectus intimus amicorum Philippi, Regis Macedonum: simulatâ offensione & transfugio ad Rhodios, Navale & classem eorum, captâ occasione, incendit. Polyæn. *libr.* 5.

Heraclitus, fil. Blysonis, an Heracionis? philosophus Ephesius, Σκοτεινὸς cogn. h. e. *tenebricosus*, propterea quòd de industriâ adeò stylum obscuraret, ut ejus scripta philosophi sudantes vix intelligerent; Cic. Plut. Lucianus, Clemens Alex. De hoc memoriæ proditum, quoties domo egrederetur, flere solitum, cùm Democritus contra soleret ridere, propterea quòd alteri omnia quæ agimus, miseriæ, alteri ineptiæ viderentur. Vergente in senium ætate in hydropem incidisse ferunt: cumque spretis medicis fimo bubulo se oblevisset, & ad solem se siccaret, dormientem à canibus esse dilaceratum. Nullum invenitur habuisse præceptorem, tantùm naturâ, & diligentiâ solâ profecit, quidam tamen audisse Xenocratem, & Hippasum Pythagoricum volunt. Omnia ex igne constare, & in ignem resolvi, casu cuncta fieri, omnia spiritibus plena esse &c. docuit. Floruit temporibus ultimi Darii, à quo in aulam humaniter invitatus, inurbanè respondit. Scripsit poeticè multa, ab Aristotele sæpe testis citatur. Vide Moreriurn *Diction. Hist.* Diog. Laert. *in ejus Vita, &c.* Fuerunt quatuor alii *Heracliti*, primus poëta Lyricus, secundus Halicarnassæus, summæ elegantiæ, tertius Lesbius, qui Macedonum scripsit historiam, quartus vir ridiculus. Vide Diog. modò laudatum.

Heraclitus Sicyonius, scripsit de lapidibus, cujus secundum citat Plut. *de flum. c. de Scamandro.* Leo Allatius librum *de Incredibilibus*, sub Heracliti nomine, in lucem emisit, an. 1641. è Biblioth. Vaticana depromtum, quem credit Vossius *de H. G. l.* 4. *p.* 515. auctorem esse Allegoriarum in Homerum.

Imper. Constantinopol.

Heraclius Cappadox, Imp. filius Heraclii, Africæ præfectus, Phocâ devicto, & capite truncato thronum conscendit, anno 610. cum uxore Eudoxia, à Patriarch. Sergio, coronatus: quâ mortuâ neptem suam Martinam sibi junxit: Cosroi II. Persiæ R. qui bellum sub Phoca inceptum, contra Heraclium acrius continuabat, tributo oblato irrisus est, ille enim pergens Palæstinâ, Cappadociâ & Armeniâ subjugatis, Hierosolymam cepit & diripuit, magnâ fidelium manu, cum Zachariâ Patriarch. in captivitatem abductâ. Secundò roganti pacem, dura lex abnegandi Christum imposita, hinc indignatio, preces ad Deum, collata in ærarium bona Eccles. con victus ad internecionem Barbarus, anno 621. qui trepidâ fugâ in regnum el psus, à Syroe primogenito, quem pater, juniore surrogato præterire decreverat, in vinculis occisus est. Cum hoc pax facile coaluit. Dein religionis controversiis temerè immiscens se Imperator, Anastasium ab Eutychianismo abductus, in Monothelitarum errorem Hierapoli incidit, & Sergii Monothelitæ suasu, *Ecthesin* edidit, Orthodoxiæ perniciosam. Quibus dum Ecclesia affligitur, ab altera parte, successores Mahometis, in Oriente, non exiguos progressus fecerunt. Obiit hydrope, an. 641. Imper. 30. Evagr. *lib* 6. Cedren. *in Heracl.* Theophanes *miscell. l.* 18. Niceph. *in Chron.* Zonaras, Suidas, &c.

Viri Illustres.

Heraclius, Episcopus Cæsariensis, Patriarch. Hierosolym. post Almericum, an. 1180. Successit Albertus. Guil. Tyrius. Item, Episc. Parisiensis, Concil. 1. Aurelianensi interfuit, an. 511. Item, Episcop. Santonum, Nantinum Com. Engolismensem, qui sacerdotem quendam occiderat, excommunicavit, dolorem confessum recepit. De quo vide Greg. Turon. *lib.* 5. *cap.* 37. Item, frater Constantini IV. Pogonati, primò in consortium Imperii ascitus, dein naribus truncatus. Vide *Constantinus IV.*

Heraclius, fluv. Græciæ, circa Bulidem, Phocidis urbem. Pausan. Item, Imperatoris proprium, ab Hercule deductum, formatione Græcâ. Vide supra.

Heracon, alter fil. Phricodemi tyranni, ab Acarnanibus tortus & enectus. Polyæn. *lib.* 8.

Heræa, promuntorium è regione Chalcedonis: Descriptionem ejus carmine Demosthenis Bithyni Stephanus recitat, cujus hoc initium:

Ἔστι δέ τις περιπόρος κλυτῆς Χαλκηδόνος ἀκρη
Ἡραία, τρηχεῖα, πολυσπιλάς. ——

Item urbs Arcadiæ. *Ravoli* Moletio, ad Alpheum fluv. Vid. Steph.

Heræum, urbs Thraciæ, Steph. juxta Perinthum, Herod. Item Sardiniæ opp. Ptol. Item templum Junonis sic dictum, ab ejus Græco nomine Ἥρα.

Hereus, portus Bithyniæ ad Bosporum Thracium. *Molo di S. Giovanni Calamolo*, Petro Gyllio.

Heraldus, Germ. *Herold*, nuntius sacer, qui inter hostium cuneos liberè fert imperata; munus antiquissimum, & ab Heroum ævo. Exegit enim semper necessitas, ut inter ipsos hostes belli haberetur indictio, captivorum redemtio, occisorum sepulturæ, colloquia, nuncia, responsiones, induciæ: pax interdum & fœdera. Electi igitur, qui in his operam navarent, ex ipsis honoratioribus viri spectabiles, qui non solùm auctoritate pollerent, sed è cultu etiam religionis, immunitatem præ se ferentes, tutò irent & redirent, ac illæsi inter arma versarentur. Hi propterea Græcis Κήρυκες, i. Præcones, Caduceatores, & verbo autochthone, quod apud Senecam legitur, *Ceryces* dicti sunt: Sic enim ille ad Serenum: *Non vis nisi Consul aut Prytanis, aut Ceryx, aut Suffes administrare Rempublicam.* Ab adjunctis verò Θεράποντες, & ἄγγελοι. Hom. *Il. α.*

Χαίρετε κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,

Ceryces salvere, Jovis famuli atque Deorum, &c.

Quibus, ob personarum reverentiam, sævus ipse Achilles sic excipit, licèt delitias ejus sublaturn Briseida venirent. Fas enim *Cerycibus*, etiam apud hostes, imperata liberè enuntiare. Hinc execta in sacrificiis lingua, illis dabatur: Mercurioque sacri & inter Sacerdotes sunt habiti. Sceptra etiam gestabant, tum ad auctoritatem arguendam, tum ad pangenda fœdera, & dimicationes dirimendas: sic Hectorem & Ajacem acerrimè contendentes, *Cerycum* diremit interventus, *Iliad. η.* Principibus tamen Heroibusque famulabantur: in conviviis aquam manibus affundentes, vinumque & cytharam porrigentes: in publicis quoque negotiis, sua passim obeuntes munera. Unde ab Homero, τοῖς ἥρωσι διακονεῖν, modò δημιουργοὶ dicuntur. Erant horum in Græcorum exercitu, qui è 12. fertur myriadibus constitisse, novem. Sic enim Homerus *Iliad. β*

—— ὅμαδος δ' ἦν· ἐννέα δὲ σφέας
Κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον.

Nomina eorum è Spondano:

Talthybius.	Asphalio.
Eurybates I.	Eteoneus.
Odius.	Stentor.
Eurybates II.	Theotes.
Calchas.	

Qui Homero ἄγγελοι, illi Virgilio *Nuncii* sunt: *Æn.* 12.

Nuncius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer.

Quo sensu apud Liv. *l.* 1. *Nuncius Regius*, & *Nuncius publicus.* Qui autem bellum apud Romanos indicabant, & in istiusmodi versabantur muneribus, *Feciales* vulgariter nuncupati sunt, à *Faciendo*, ut Festo placuit, *quòd belli pacisque facienda penes eos jus erat*: aliis à fœdere sanciendo, qui vocem proin per æ. scribunt, ut Marcellus & Livius. Bellum verò inferre non licebat, nisi quatuor ex his de injuria conquerentes, satisfieri prius ab inferentibus petiissent, justè susceptum denuntiassent, atque unus *hastam ferratam sanguineam & præustam, ad fines eorum tulisset, & non minus tribus præsentibus puberibus*, re expositâ, bellum indixisset, ipsamque hastam in fines eorum projecisset, Liv. De clarigandis & repetendis sic emissi Feciales, *Legati sancti*, nec non *Oratores* appellati sunt, ut è Nonio Marcello *l.* 3. *c.* 12. constat, qui præterea, è Varronis *de Pop. R. Vita l.* 3. Fecialium numerum refert fuisse 20. atque eos de injuriis cognovisse & judicasse, legatis impositis, addit. Erant autem Sacerdotes, à Numa Pompilio in collegium instituti, sub suo Antistite: qui à patrando fœdere, *Paterpatratus* dictus est: Cujus ut & *Fæcialium* creandorum ceremoniam Livius exhibet *l.* 1. ubi inter alia: *Fæcialis erat M. Valerius: Patrempatratum Sp. Fusum fecit, verbenâ caput capillosque tangens.* Moris quippe fuit, ut Feciales verbenâ aut sagmine, herbis sacris è Capitolio petitis, coronarentur: præsertim de pace acturi. Inde *Verbenarii*, *Sagmarii* & *Sagminarii* nuncupati sunt: quæ tamen omnes appellationes interdum ad minaces ipsos *Feciales*, belli nuncios, transferuntur, quippe & his eadem symbola, ut è gestaminis sanctitate sancti dignoscerentur, eoque forent ab injuria immunes. Hinc Catonis illud: *Caduceatori nemo homo nocet.* Verbenâ autem redimitos fuisse Feciales, tam bellum indicentes, quàm pangentes fœdera, docet Servius ad illud Virgilii *Æneid.* 12.

Velati lino & verbenâ tempore vincti.

Apud Germanos, Gallos, Anglos, &c. *Heraldorum* nomen celebre, Germanicæ utique originis. Hinc quidam *Herbault* scribunt, i. dominium celsum; quidam *Herold*, quasi dominium veteranum: nonnulli *Herald*, i. ministrum exercitus: alii *Heer houd*, i. domino vel exercitui fidelis. Hos Angli habuere, sub excessu Henricii III. in classes jam tum distinctos. Alii nempe merè fuere administri Regis & ad regiam dignitatem, tanquam in capite, pertinuerunt; Alii ad regiam sobolem ejusdemque familias & apennagia: Alii ad familias Procerum è regio thoro non oriundas. Primi generis Heraldi, solùm appellabantur *Reges armorum* seu Heraldorum, habentes provincias, Reges item provincia-

 les,

les: Cujusmodi tantùm duo Angliæ fuere antiquitus designati, videl. *Rex partium Australium*: seu prov. *Australis*, i. *Cis Trentanæ*, & *Rex partium Borealium*, seu *prov. Borealis* i. *Ultra-Trentanæ*. Ille subinde *Clarencieux*, hic *Norroy* vulgariter dictus est: Duo item ex partibus Franciæ, quæ tùm Anglo parebant, scilicet *Guyon*, sub Eduardo I. deinceps *Agencourt*, ab Henrico V. in memoriam partæ illic victoriæ, institutus. Unus insuper Hiberniæ, *Jerland* vocatus; quod nomen Eduardus VI. in *Ulster* mutavit. Hi omnes immediatè ad Regem pertinebant, & *Reges* dicti sunt. Qui verò Reginæ soboli ejusdemque ascripti sunt apennagiis, non Reges armorum, sed *Heraldi* simpliciter appellabantur: ut & tertium genus procerum familiis inservientes. Sed exolevit hoc omnino: & in sacrum patrimonium redeuntibus apennagiis, genus secundum ad Regem revolutum, non extinctum est. Primus Angliæ Heraldos in collegium scripsit Richardus III. corporationisque privilegiis honestavit. Immunes à subsidiis, teloniis & omnibus muneribus Reip. Eduardus VI. declaravit. Sed in novenarium redactos numerum vid. tres Reges, & sex Heraldos Philippus & Maria uberius adornantes, novo firmarunt diplomate, in quo tituli & ordo Heraldorum sic eduntur:

Garter, Rex Armorum Anglicorum.
Clarencieux, Rex Armorum partium Australium.
Norroy Rex Armorum partium Borealium.

Windsor.	*York.*
Somerset.	*Richmond.*
Chester.	*Lancaster.*

E quibus *Garter*, ab Henrico V. *Clarencieux*, ab Eduardo IV. *VVindsor* & *Chester*, ab Eduardo III. *Somerset*, ab Henrico VIII. *York & Lancaster*, à filiis Eduardi III. instituti leguntur: incertâ reliquorum origine. Domi hi omnes ministerium navant, in fastu regio adornando, in *Coronationibus, Nuptiis, Baptismatibus, Exequiis, Principum congressibus & Festis majoribus celebrandis*. Pompas ducunt & curant: ut & illustria spectacula, hastiludia, duella, Nobilium item insignia & genealogias, Quidquid denique ad nobilitatem spectat & rem honorariam, istorum curæ tanquam sacris custodibus & templi Honoris Æditui, demandatur. Foris obeunt legationes; belli, pacis, fœderisque sunt nuntii. His inferiores sunt *Pursuivandi*, quibus *milites caligati*, de quibus omnibus vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.* Coronari *Heraldos* & consecrari & torque insignibusque Regis indui mos: sceptro tamen potestatis symbolo, ut olim *Caryces*, hodie non donantur. Sed nec *Cerycium* seu *Cerycum* σκῆπτρον virgam præcisè Regiam notabat, verùm baculus erat utrinque habens duos serpentes implexos, & faciebus invicem adversos, teste Suida: qui addit, rectum baculum inter adversos serpentes, rectam rationem notare, inter adversos exercitus, observandam. En Mercurio sacri Mercurii gerunt insigne; clientes patroni caduceum, seu virgam sacratam. Vide quoque Philonem Jud. *lib de legatione ad Cajum*. Franci veteres, qui in multis Græcos sequuntur, in istiusmodi ritibus virgis quoque consecratis usi sunt, Vide Gregor. Tur. *l.7. c.32*. Cujus ritus vestigium Joh. Fridericus Saxoniæ Elector retinuit, qui anno C.1545. bellum Carolo V. indicturum famulum nobilem delegans, virgâ eum tenui, quali utuntur equitantes, insignivit. Cur autem sceptrum ad fœdera adhibeatur, docet Servius *in Æn. 12. Majores*, inquit, *semper ad fœdus simulacrum Jovis adhibebant, quod cùm fieri semper commodè non posset, inventum est, ut sceptrum tenentes, quasi imaginem simulachrumq; redderent Jovis*. Cur autem Heraldi *Reges* dicantur, variæ afferuntur rationes. *Roy*, apud Francos, præpositum & visitatorem interdum significat: sic *Roy de merciers* appellatus olim est, qui rem venalem in Aula exercentibus præpositus, merces, pondera & mensuras curabat, ab anno Chr. 1597. *Visiteur* dictus. Et antiquius *Roy de Ribauldes*, Aulam lustrabat, balatrones, insidiatores & fæcem populi, manu sagittariorum stipatus, arcebat, à Carolo VI. mutatus in *Prevost de l'hostel*, anno Chr. 1381. Apud Romanos, qui sacris & ceremoniis præfuit, Rex quoque dictus est: Sic ergo Heraldis, Regis curantibus ceremonias & sacram dignitatem, sua mansit Regia appellatio; Præsertim dum personam Regis quodammodo exhiberent, coronati, consecrati, & armis seu insignibus Regiis, tanquam ipsius Regis militari indumento, adornati. Ob Regium proin honorem sanctius conservandum, edicto cavit Philippus Augustus, ut Regalium hærituum ceremoniæ, nulli conferrentur, donec cingulo militari, Regibus ipsis in desiderio, ornaretur. Consecrantur tandem hodieque *Heraldi*, è prisco Ethnicorum more: Principe, aut vicario ejus Comite Mariscallo, craterem vini in *Heraldi* caput provoluti in genua effundente, nomenque muneris imponente: quæ libandi olim & consecrandi ceremonia. Plura de his vide apud Æneam Sylvium *Epist. 126. ad Joh Hinderbach*. Henricum Spelmannum *Glossar. Archaol. &c.*

Heraldus. Angliæ Rex. 1038. lege *Haraldus*.

Heran, fil. Suthala, filii Ephraim. Num.26.

Heras, & *Helii*, id est, Junonis vel Solis insula, quæ quoque *Autolala* dicitur. Ptolemæus eam describit in mari Atlantico è regione Libyæ, *Madera* quis posset interpretari.

Heratia, ins. in mari Ægæo, una Sporadum.

Herbanum, Tusciæ oppidum episc. hodie *Orvieto*. Sub Pontif. situ munitissimum, quippe undequaque rupibus & præcipitiis vallatum. Hinc *Ager Orvietanus*, vulgò *Territorio d'Orvieto*. Ad Pelium fluv. ubi Clanim excipit, vix 4. mill. à Tiberi, 12. ab Aquula. 18. circiter à Tuderto.

Herbatilicum, vulgò *le Comté d'Herbauge* vel *Arbauge*, pagus Galliæ, in Nannetum, Pictonumque confinio, in diœcesi Pictavensi. In hoc pago Deas Monasterium ponit Armentarius, quod Mon. S. Filiberti recentiores dixere, & de *Grandilacu* cognominavere, *S. Filibert de Grand lieu*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Herbechtus, continuavit historiam Pauli Diaconi de gestis Longobardorum. Leo Ostiens. *in Chron. Montis Cass.*

Herbertus, vide *Hebertus*.

Herbessus, *Erbessus*, Ptol. *Erbessum* Polybio, opp. olim Siciliæ, nunc pagus 8. m. p. distans ab Agrigento. *Grutte* hodie, teste Fazello, Nigro *Bicari* dicitur. Baudrando *le Grotte*, in valle Mazara, prope Halicum amnem, intra montes 25. mill. pass. à Biccaro in Eur. Item Herbessus altera urbs Siciliæ, & ipsa eversa, inter Syracusas, & Leontino, *Pantalica* Fazello, populi *Herbessenses* Plinio. Silio *Herbesos*, *lib. 14*.

Non Herbesos iners, non Naulocha pigra pericli
Sederunt. ——

Baudrando nunc *Palazzuolo*, 20. mill. à Syracusis in Occas. versus montes, 18. à Leontinis in Austr. De nomine Bochartus: Supra Agrigentum, inquit, in mediterraneis Sicanorum urbs fuit Herbesus, de quâ Polybius *lib. 1.* ac Diodorus *lib. 20. & 23.* Hodie *le Grotte*, seu *Cryptæ*, dicta propter cryptas subterraneas. Itaque *Herbessus* Pœnis erat הרבצע *Harbessa*, mons foveæ, seu cryptæ, quod etiam dici potest de alterâ Erbesso ad fontes Anapi fluminis. Proinde neglectâ compositione, hæc Sicanorum *Herbessus* etiam בצע *Bessa*, vel *Vessa* dicta est. Quippe in his Polyæni verbis, quæ Cluverii diligentiam fugisse rectè observat Palmarius, Φάλαρις πρὸς Τεύταρον ἄρχοντα Οὐέσσης, ἥπερ εὐδαιμονεστάτη καὶ μεγίστη Σικάνων πόλις, ἔπεμψε. Omnino *Vessa* est *Herbessus*, Sicanorum urbs inclyta non procul ab Agrigento, in quâ regnabat Phalaris. Alioqui enim *Vessæ* nulla mentio apud veteres. Nec Ortelii conjectura, qui pro *Vessâ Inessam* legit, ullo modo est probabilis. Quia sita erat Inessa circa Ætnam in tractu planè diverso, neque unquam fuit magna urbs, sed πόλισμα, hoc est, *oppidulum*. Ita testatur Thucyd. *l.4. & 6.* ac Strabo *l.6.*

Herbipolis, Francorum Orientalium caput, Germanicè *Wirtzburg*, à dulci musto, quod Herbipolensis ager suppeditat, nomen obtinere videtur. Urbs est in plano sita, collibus vitiferis, amœnis hortis & pratis ornata, Academiaque celebris. Fossis, vallis, mœnibus & propugnaculis benè munita, & populosa. Ad Occasum Mœnus eam præterlabitur, utramque ripam ingens pons jungit lapideus, fortibus nitens pilis. Ultra Mœnum proximus mons pulchram & loci naturâ benè munitam arcem Episcopi *Marienberg*, (qui ditissimus est & dux Francorum appellatur) sedem continet. Hic quum à Martino IV. & Honorio V. Germania mirum in modum expilaretur, Synodo habitâ, Legatus Pontificius de vita periclitatus est; Probusque Tullensis Episcop. aculeatissimam in Papas orationem habuit. An.C. 1287. Aventin. *Annal. Boj. lib. 7.* Bullinger. *de Concil. lib. 2. &c.*

Herbipolitanus Episcopatus, prov. Franconiæ, à Carolo M. Episcopo concessa. Mœno fluv. in duas partes scinditur, per 15. mill. Germ. à Sept. in Mer. extensa, non æquè lata. Ab Ort. habet Episcopatum Bamberg. Ab Occ. dit. Moguntin. & Fuldensem Abbat. A Sept. Principatum Henneberg. A Mer. dit. Anspachiensem. Urbes sunt Herbipolis *Wirtzburg*, prim. Ochsenfurtum *Ochsenfurt*, Gemundia *Gemund*, Curia Regis *Königshoven*, & Hasfurtum *Hasfurt*, ad Mœnum fluv.

Herbita, Siciliæ urbs. Ptol. *Erbita*, Diodor. Vide Cluverium. Ejus autem mem. Diodorus *lib. 12. & 14.* Cicero *Verrinâ quintâ*: *Herbitensis civitas, honesta antea & copiosa*. Bocharto הר בטח *har-beta* dici Punicè videtur, id est, ὄρος ἀσφαλείας, *mons tutus & securus*. Situm ita describit Aretius *in Siciliâ suâ*: *Nicosiæ vetus nomen incertum esset, nisi conjectura, quam Herbitam antiquitus appellabant, honestam & copiosam civitatem esse doceret. Alii à proximo loco Casilinis nomine, illuc eam translatam esse ajunt. A quâ haud procul Sperlinga arx in rupe ex unâ parte in excelsâ altitudine excisa. Oppidum ibi antiquitus fuisse, ubi ruina atq; antiquitatis adhuc visuntur vestigia vicini populi testantur.* Proinde Dionysius, Ætnâ & Leontinis & Ennâ occupatis, Herbitam frustra attentavit, & cùm res non succederet, pacem cum Herbitensibus inire coactus est. Diodorus *lib. 14.* Hodie *Nicosia*, Cluver. oppidulum intra montes. In valle Demonæ 12. mill. pass. ab Enna in Bor. 9. à Traina in Occas. Baudrandus.

Herborna, oppidum celebre Germaniæ, in Circulo Rhenano sup. in Wetteravia, ubi Gymnasium illustre, è quo ad Dordracenam Synodum Theologi missi sunt, anno Chr. 1618. Haud procul Dillenburgo; simul cum hoc sub Comitibus Nassoviæ: è quibus Johan. Ludovicus, à Ferdinando III. in Principum Imperii classem relatus est, anno Chr. 1650. Pater Mauritii Henrici &

Joh. Francisci Desiderati. Habuerunt olim Gelriam per annos 300. Nassovii, è quibus Adolphus Imper. filium Gerlacum ex Imagine Limpurgensi suscepit, unde hodierni Comites: sicut è filia ejusdem Mechtilde, Rudolpho II. Palatino nupta, tota Palatinorum augusta familia descendit. Ex eadem illustri Nassoviorum familia Arausionis Principes, rerum in Belgio inprimis gestarum laude celebratissimi, prodierunt. Insignia familiæ Leonem aureum inter duo cornua variegata in galea eminentem, præ se ferunt. Plura vide apud Limnæum Enucl. *libro* 3. *capite* 9. Genealogiam Comitum Nassoviæ, cum tabula Geographica Comitatus Nassovico Dillenburgici exhibet J. O. *Lugdun. edit. an* 1616. *fol.*

Herbulenses, Siciliæ pop. Plin.

Herculaneum, seu *Herculanum* Cic. *lib.* 7. *epist. ad Atticum*, Straboni *Herculeum*, *Torre del Greco*, teste Sanfelicio, opp. Campaniæ in orâ littorali inter Neapolim & Stabias; *urbs Herculea* dicitur Ovidio *Met.* 15.

Herculeamq; urbem, Stabiasq; & in otia natam
Parthenopen. ——

Nunc Baudrando vicus cum castro, in ora sinus Neapol. 5. mill. à Turri Annuntiatæ quæ magis ad Austr.

Herculaneus vicus, aliis *rivus*, apud Sublacum, ab urbe Roma 62. m. p.

Herculanus, Consul, Collega Asporatii. A. U. C. 1205.

Herculea via, in Campania, inter Avernum lacum & mare, apud Puteolos.

Hercules, ita veteres pro more solito fortes fere appellarunt. Tres hujus nominis numerat Diodorus *lib.* 4. Sex Arnobius itidem *in* 4. uti & Cic. *de Nat. Deor.* Imò Varroni erant *Hercules* quadraginta tres: In quibus tamen quosdam fuisse totos Symbolicos, non ad gestorum historiam, sed ad rerum naturam prorsus spectantes verisimile est, qualis *Ogmius*, sive *Hercules Celticus* apud Lucianum, qui eloquentiæ symbolum erat. Item *Hercules Romanus* S. Aurelio Victori ex L. Cassii Heminæ Annal. *lib.* 1. *Recaranus*, & Verrio Flacco apud Servium ad 8. *Æn. Caranus*, vel *Garanus*, Poetis *Gradivus* dictus.

Omnium verò antiquissimus erat ille *Hercules Ægyptius*, qui Diodoro *lib.* 1. teste, Mitzraimo, Osiridi illi antiquissimo, filio Chami, genere propinquus, ac dux fuit exercitûs secundùm aliquos, *Gignon*, vel *Gigon* dictus. Unde Hesychius: Γιγγῶν, οἱ δὲ Γιγῶν Παταικὸς, Ἐπιπαταικὸς τραπέζιος, οἱ δὲ Αἰγύπτιον Ἡρακλέα. Et ab hoc diversus, quippe qui longè junior, est alter *Ægyptius*; vel potius *Ægyptiocananæus*, à devictâ Cananæâ sic dictus; quem nullum alium quàm *Josuam* esse, maximus ille Vossius *lib.* 1. *idol. cap.* 26. luculentissimè demonstravit. Atque sic ad minimum duo sunt Hercules Ægyptii.

Præter hos alius fuit *Hercules Phœnicius*, sive *Tyrius*, Athamantis, sive, ut traditum Sanchoniathoni, aut Philoni Bybliensi, Jovis Demaroontis regis Phœniciæ filius, & Cadmi Phœnicis ex filiâ Ino nepos. Hic *Palæmon* dictus, posteà vocabitur *Melicarthus*, sive *Melicerta*, hoc est, *rex civitatis*. Θεὸς πολιοῦχος, ex Ebræo מלך *melech* rex, & קרתא *carta*, civitas, Amathusiis verò, teste Hesychio *Malica*, quod ex priori formatum videtur, literis ultimis abjectis: Et Eusebio in Chron. ad Num. 497. *Desanaus*, sive *Desanes*, Indis, teste Hesychio, *Dorsanes*, denique Georgio Syncello Διωδὰς, *Diodas*. Atque hic ortus est ex posteris *Esaui*, sive *Edomi*, quem gentiles interpretatione regem *Erythram* memorant.

Cæterum alter ille *Tyrius Hercules*, sive *Asiaticus* Justino dictus, qui florentibus demum Tyriorum rebus, iisque maris imperium præ aliis obtinentibus, in Gades Hispaniæ insulam coloniam duxit, ac Geryonem, teste Just. *lib.* 44. cum duobus fratribus regno excussit, hic, inquam, multo junior est, quàm *Idumæus* ille, cui nomen *Melicartho*. Hic enim Tyri natus; sed in insulâ Gaditanâ (cui denique nomen datum *Erythia* ab ἐρυθρὸς, hoc est, *ruber*, quasi *Phœniciam*, sive *Idumæam* dixeris) denatus ac sepultus est: quod prodidit Mela 3. 6.

Rursus alius fuit *Hercules Libycus*, cognomento *Maceris*, pater Sardi, qui coloniam in insulam maris Tyrrheni, sive Inferi, tunc *Ichnusam*, sed postea *Sardiniam* dictam, ex Libyâ duxit: ubi & unà cum patre cultus est, teste Pausaniâ *in Phocicis*, Silio Italico *lib.* 12. Solino *c.* 10. & Isidoro *l.* 14. *Origin. c.* 6.

Alius *Hercules Creticus* sive *Telchinus*, unus ex Idæis Dactylis, sive Curetibus, præstigiator, ac Imperator celebris: à quo, teste Diodoro, institutum certamen Olympicum.

Alius *Hercules Romanus*, quem *Sangum*, vel *Sancum*, vel *Sanctum*, item *Sancum Semonem Fidium* dixere. De hoc Varro *lib.* 4. *de L. L. Putabant Fidium esse Sanctum à Sabinâ linguâ, & Herculem à Græcâ.* Et Festus. *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratiâ*, Herculi, *aut* Sanco, *qui scilicet idem est Deus.*

Alius item *Hercules Germanus*, quem & *Celticum* plerique dictum memorat Elias Schedius *de Diis Germanis pag.* 76. De hoc sic Tacitus *de moribus Germanorum*, *Fuisse apud eos & Herculem memorant, primumq; omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Aventinus *lib.* 1. *Annal. Boj.* scribit, hunc *Alemannum* cognomento *Herculem*, cujus insigne fuerit Leo, causa nominis, postremum extitisse regum Germaniæ, quos Berosus enumerat, & primum Bojorum conditorem. Cæterùm de hoc vide plura apud Cæsium *in Cœlo Astronomico-Poetico, pag.* 161. 162.

Nunc sequitur omnium horum licèt novissimus, tamen longè celeberrimus, ac famigeratissimus Heros *Hercules Thebanus*, patronymicè *Amphitryoniades* dictus; Quippe filius erat Amphitryonis ex Alcmenâ, Thebis Bœoticis natus. Sed communis opinio est, prodente Euripide *in Hercule Furioso*, quòd Jupiter quidam tralatitius, dum Amphitryo unà cum rege Creonte adversus consanguineos suos Teleboas, Ætoliæ populos, bellum gerebat, ut patris ac fratrum Alcmenæ cædem ulcisceretur, nequiter apud Alcmenam res egerit mariti, unde Hercules sit natus. Atque huic Herculi omnia, quæ à superioribus prius enumeratis gesta sunt, pro more solito tribuerunt Græculi, quasi ipse ea solus perpetrasset, ut eo magnificentior, ac illustrior fieret. Adolescentes legant, quæ de Virtute & Voluptate cum Hercule colloquentibus, elegantissimo commento ex Prodico recitantur à Xenophonte *l.* 2. *de dictis & factis Socratis*. Quæ elegantibus versibus Silius expressit, *l.* 5. Ab uxore Deianira Zelotypa veste venenatâ sublatus, post mortem, inter Deos relatus, & Hebes maritus evasisse fingitur. Plura de illo Vid. apud Diodor. Sic. Hyginum, Apollodorum, Clementem Alexandrinum, Plut. *in Theseo.* Euseb. *in Chron.* Scholiastem Lycophronis, Cononem & Himerium, apud Photium, *cod.* 186. 243. Natalem Comitem, Alex. Rossæum *in Mystagogo Poëtico*, &c. Cæterùm triplici modo *Herculem* suum considerarunt, ac venerati sunt gentes; nempe ἱστορικῶς, ut Heroa, sive Deum animalem; ἠθικῶς, sive φιλοσοφικῶς, ut Deum ethicum, & moralem, hoc est, ut exemplum fictitium prudentiæ ac fortitudinis, & φυσικῶς, sive θεολογικῶς, ut Deum merè naturalem, sub quo intellexerunt, ac venerati sunt Solem. Ejusmodi erat Persarum & Medorum *Hercules Sandes*; ut auctores sunt apud Agathiam *lib.* 2. Symmachus & Athenocles. Atque hinc est, cùm sc. Sol quotannis permeet duodecim signa cœlestia, quòd pro istis 12. signis *duodecim præcipuos* statuerint *Herculis labores*, imò totidem illi attribuerint annos, quibus Eurystheo, id imperante Oraculo, ministerium suum exhibuerit.

Illos vero 12. labores enumerat Lucretius *lib.* 5. *in Principio*; & alii passim Græci Latinique scriptores. Ovid. *Met.* 9. *vers.* 182. Sen. *Agam.* 806. *Herc. Fur.* 214. & 526. *Herc. Oet.* 15. Silius 3. 333. Sidonius *Carm.* 9. Boetius *lib.* 4. *Met* 7. Claudianus *praf. in lib.* 2. *de Raptu Proserpinæ.* Nos Martialem tantùm impræsentiarum, & Ausonium in medium producemus, quorum hic *lib.* 9. *Ep.* 103.

Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
Disce: Libyn domuit; Aurea mala tulit.
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripedem sylvis cervam, Stymphalidas astris
Abstulit: à Stygiâ cum cane venit aquâ.
Fœcundam vetuit reparari mortibus Hydram:
Hesperias Tusco lavit in amne boves.

Ubi novem tantùm enumerantur. Ille *Idyll* 19.

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.
Proxima Lernæam ferro & face contudit Hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliavit Amazona baltheo.
Septima in Augeæ stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea Tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Undecimo mala Hesperidum districta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Quintus Calaber octodecim Herculis labores describit *in Eurypyli clypeo*, *l.* 6. quem sis consule. Idem, citante Eliâ Schedio, tredecim alibi recenset: Sunt autem sequentes,

Πρῶτα μὲν ἐν Νεμέῃ βελιαρὸν κατέπεφνε λέοντα,
Δεύτερον, ἐν Λέρνῃ πολυαύχενον ὤλεσεν Ὕδρην,
Τὸν τρίτον αὖτ᾽ ἐπὶ τοῖς Ἐρυμάνθιον ἔκτανε κάπρον,
Χρυσοκέρων δ᾽ ἔλαφον μετὰ ταῦτ᾽ ἤγρευσε τέταρτον,
Πέμπτον δ᾽ ὄρνιθας Στυμφηλίδας ἐξεδίωξεν,
Ἕκτον, Ἀμαζονίδος κόμισε ζωστῆρα φαεινὸν,
Ἕβδομον Αὐγείου πολλὴν κόπρον ἐξεκάθηρεν,
Ὄγδοον ἐκ Κρήτης Διομήδεος ἤγαγεν ἵππους.
Γηρυόνου δέκατον βόας ἤγαγεν ὀλλυμένοιο.
Δωδέκατον δ᾽ ἐκόμισεν ἐς Ἑλλάδα χρύσεα μῆλα,
Τὸ τελὲς καὶ δέκατον τοῖον λυγρὸν ἔσχεν ἄεθλον,
Μυνονυχὶ πεντήκοντα ξυνελέξατο κούρας.

Paulo brevius hos labores enumerat Philippus Byzantius, uti videre est in his,

Ὤλεσε τ Νεμέας θῆρ' ἄπλετον, ὤλεσε δ' Ὕδρην,
Καὶ ταῦρον, κάπρε δ' ἀμφιπεναξα γένον.
Ζωςῆρ' ἑλκύσας, πῶλυς Διομήδε@- εἶλον,
Χρύσεα μῆλα κλάσας, Γηρυόνην ἔλαβον.
Αὐγέιου ἐδάην, κεμάς ὃ φύγεν, ἔκτανον ὄρνιν,
Κέρβερον ἤγαγόμην, αὐτὸς Ὄλυμπον ἔχω.

Nec omittendum, quòd Hercules hic, vel auctor, vel restaurator Olympicorum ludorum fuerit, prope Pisam Elidis urbem, ad Alpheum fluv. 442. an. ante I. Olympiadem, Iphiti R. tempore inchoatam, anno post bellum à septem Heroibus contra Thebas gestum, A. M. 2830. ante C. N. 218. De qua celebri Epocha, Vid. Girald. *de ann. & mensib.* Polydor. Virg. *de J. R. libr.* 2. Jac. Kristmann. *de connect. Ann. in Alphagran.* Crusium *de Epoch.* Jos. Scaligerum *de E. T. lib.* 1. & 5. Petav. *de D. T. l.* 9. Calvisium & Ricciolum, *in Chron.* &c. Nominis rationem quod attinet, sunt qui *Herculem* ab Ebræo האיר כל *Heir col*, hoc est, *illuminavit omnia* deducunt. Cui confine est Etymon Græcum. *Hercules* enim Græcis quid aliud est, quàm Ἥρας κλέ@-, id est, *aeris gloria*? quæ porro est aeris gloria, nisi Solis illuminatio. Macrob. *Sat.* 1. 20. Porro de Hercule, & ejus gestis vide Lilium Gyraldum *peculiari Syntagmate*, & N. Comitem *lib.* 7. *cap.* 2.

Herculeum fretum, Hisp. *Estrecho de Gibraltar*, Gall. *destroit de Gibraltar*, Ital. *Stretto di Gibilterra*, quo mare Medit. Oceano jungitur, inter Hisp. ad Bor. & Mauritaniam ad Austrum, ubi ejus latit. est 5. leuc. circiter, inter montes Calpen & Abilam, ubi magis restringitur. Ejus longit. ab Ort. ad Occ. est 12. leuc. Hisp. Circumstant illud, à parte Hisp. Gibraltaria & Tariffa; à parte autem Mauritaniæ seu Africæ Septa, Alcasaria & Tingis.

Ferrariæ Duces.

Hercules I. Ferrariæ D. fil. Nicolai III. successit an. 1471. Borso Fratri, Dux exercitus à Venetis & Florentinis electus. Obiit Anno 1505. ex Eleonora Arragonia, numerosæ prolis parens.

Hercules II. fil. Alphonsi I. Dux exercitus Pontificii, & Legatus Gallici, sub Henrico II. contra Philippum II. an. 1557. Obiit an. 1559. Maritus Renatæ, fil. Ludovici XII. Joh. Baptista Giraldus, Leander Alb. *descr. Ital.* Gaspar Sardus, &c.

Viri illustres.

Hercules, Fil. Uberti March. Episcopus Augustæ, à consiliis Carolo III. Sabaudiæ D. Obiit an. 1515. Ughel. T. IV. Ital. facr. Franciscus August. *in Hist. Chron. Episc. Pedemon.*

Hercules Gonzaga, Cardin. Mantuanus, sub Pio. IV. fil. Francisci II. & frater Frid. II. Præses Concilii Trid. obiit Anno 1563. Moter. *Diction. Hist.*

Hercules Rangonius, Mutinensis, Cardin. sub Leone X.

Hercules Strozza, Ferrariensis, Poëta ingeniosus, edidit varia carmina. Occisus an. 1508.

Herculeum, promuntorium Brutiorum, in Calabria ulter. *Capo di Spartivento*, teste Barrio, inter Leucopetram 36. & Zephyrium in Bor. versùs Locros 12. mill.

Herculeum promunt. Albionis, in orâ Cornubiæ Boreali, vulgò *Hertlond.* Vide *Herculis promuntorium.*

Herculeum Tybur, nunc *Tivoli*, urbs Italiæ ad Anienem fluv. Inscr. antiqua. Vid. *Tybur.*

Herculeus, Trierarchus in Classe, apud Misenum; qui caput Agrippinæ fusti afflixit. Tac. *l.* 14. *c.* 8.

Herculeus lacus, hodiè *Lago di Leontini*, teste Fazello, lacus Siciliæ apud Leontinos.

Herculia, op. Pannoniæ infer. *Altofen*, teste Lazio.

Herculis castra, seu *Herculeum*, opp. fuit Ubiorum, nunc superioris Geldriæ; vulgò *Erckelens*: Insertum tamen Duc. Juliacensi, aliàs munitum ab Hisp. Ad Ruram fluv. vix 3. mill. à Juliaco in Bor. Geldriam versùs 6.

Herculis civ. magna & parva cognominatæ Ptolomæo, in Ægypto.

Herculis Columnæ, locus Frisiæ citer. inter Grœningam, & Covordiam ad occidentem, *Duvels Cutz*, teste Ortelio. Item *Herculis* Columnæ, sunt duo montes, Calpe & Abyla, qui constituunt fretum illud, quod *fretum Herculis* dicitur. Referunt enim Chronographi, Herculem Olympium Osyris, cùm ex Africa in Europam transfretasset, primum ad Gades (quæ nunc Insula est, tunc reliquæ Hispaniæ conjuncta erat) continentem attigisse, lustratoque maris littore, his in montibus duas magnæ altitudinis columnas posuisse: à quo tempore Historici omnes Columnarum Herculis meminerunt. Alii autem eas columnas non ex marmore fuisse, talesque quales sunt, quæ nunc *Columnæ* dicuntur, sed magnos lapidum acervos, quos Hercules in mari coacervarit, tamque firmos reddiderit, quàm nunc sunt. Illis qui ex longinquo vel mari vel terrâ eos spectant, duæ columnæ altæ, loco in plano positæ, apparent. Petrus Med. Lib. *rer. memor.* Hispani credunt fuisse, in parte Occ. Inf. Gaditanæ, prope Gaditanam Urb. ubi etiamnum duas turres incolæ ostendunt *Colonnas de Hercoles* dictas. Baudrand. De his Dionysius *vers.* 64.

Ἔνθα τε καὶ στῆλαι περὶ τέρματιν Ἡρακλῆ@-
Ἑστᾶσιν (μέγα θαῦμα) παρ' ἐσχατόωντα Γάδειρα,
Μακρὸν ὑπὸ πρῶνα πολυαστερέων Ἀτλάντων.

Silius Italicus,

Dum fert Herculeis Garamantica signa columnis.

De columnis hisce plurima passim ab authoribus vulgantur, de quibus Tzetzem *in Chil. pag.* 295. consulas, & Hannonem *in Periplo.* Apollodorus *lib.* 2. de Hercule. Καὶ παρελθὼν Ταρτησσὸν, ἔστησε σημεῖα τῆς πορείας ἐπὶ τῶν ὅρων Εὐρώπης τε καὶ Λιβύης ἀντιστοίχους δύο στήλας. Vide Bochartum *Geogr. Sacr. p.* 675. & Vossium *ad Scylacem pag.* 1.

Herculis fanum, pagus Hetruriæ inter ostia Anseris fluv. & Feroniæ lucum, *Librafatta* Moletio, ubi nunc pag. *Massaciuccoli*, in ora lacus cognom. Ibi ruinæ templi, *Tempio d'Ercole*, visuntur. In dit. Reip. Lucensis, in limite territ. Pisani, 9. mill. à Luca in Occ. 5. à pago *Librafatta* in Circ. Baudr. Item locus Gadium inf. Hisp. Bæticæ, vulgò *Castillo*, teste Ortelio. Denique portus Melitæ inf. *Marza sirocco*, teste Q. Heduo.

Herculis insula, hodiè *Asinara*, teste Ortelio, insula Sardiniæ in orâ Occid. ubi duas Herculis insulas Plinius habet. Ea *Linaria*, teste Fran. Fara, cui magis habenda fides tanquam indigenæ.

Herculis portus, geminus: unus in Hetruriâ, op. parv. cum arce & portu utcunque capaci, *Porto Hercole*, in dit. Hisp. in parte Or. montis Argentarii, 6. mill. ab Orbetello in Austr. Baudr. Alter pagus Brutiorum in orâ Calabriæ ulter. Plin. *le Formicole*, teste Barrio. Quibusd. est ipsa urbs Tropea, in Calabria ult. in ora maris Tyrrheni. Mel. sub ipsa urbe, Baudr.

Herculis Monaci portus, opp. parvum cum arce firmissimâ in orâ Liguriæ, in rupe, Nicææ finitimum, *Monaco* vulgò, *Mourgues* Gall. Sub proprio Principe, è gente Grimalda, qui an. 1641. Hispanis ejectis Gallicum præsidium recepit. Gaudet palatio superbissimo, & portu capaci. Ditionem angustam habet in littore, ubi Mentonium, *Menton*, oppidul. & vicus *Roccabruna.*

Herculis promuntorium, geminum: unum in Maurit. Tingitanâ, *Capo Cantin*, teste Mercatore, in Oceanum Atlanticum excurrens: Alterum Albionis in Cornubiæ orâ Boreali, *Hertlond* vulgò & *Hartland point.* in Comit. Devoniæ, in ora maris Verginii, in limite Cornubiæ. 34. mill. Angl. ab Exonia in Circ. J. Speedus. Dicitur & *Herculeum.*

Herculis Pyrgos, sive *Turris*, op. Cyrenaicæ marit. *Camera Torre*, teste Marmolio, in ora, inter Drepanum & Boreum prom. apud Diarrhoeam portum.

Herculius, Vide *Heraclius.*

Hercuniates, pop. Pannoniæ infer. inter Dravum & Danubium fluvios.

Hercyna, virgo fuit, Proserpinæ comes, à quo & fluvius *Hercyna* nomen consecutus est. In templo consecratum Virginis illius simulachrum anserem manibus gerebat. Hujus meminit Livius, & ex illo Turnebus *Advers.* 11. 18.

Hercynia, maxima Germaniæ sylva, quæ pro regionum, & locorum ratione, varia obtinet hodie cognomina, de quâ Cæsar *Comment. lib.* 6. *Hujus*, inquit, *Hercyniæ sylvæ latitudo novem dierum iter expedito patet, non enim aliter fieri potest, neq; mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum & Nemetum, & Rauracorum finibus, rectaq; fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum, & Anartium. Hinc se flectit sinistrorsum, diversis à flumine regionibus, multarumq; gentium fines, propter magnitudinem attingit, neq; quisquam est hujus Germaniæ, qui se audivisse, aut adiisse ad initium ejus sylvæ dicat, cùm dierum iter* 60. *processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit.* Hactenus Cæsar. Sedes ferarum, aliis locis non visarum. Stephano Ἑρκύνιον mons Italiæ, à quo *Hercynia* regio. Claudianus,

—— *Sublimis in Arcton*
Prominet Hercynia confinis Rhætia sylvæ.

Ἑρκύνι@- δρυμὸς dicitur Dionysio Periegetæ. Seneca *lucum* appellat *in Medeâ*,

Lucis Suevi nobiles Hercyniis.

Dictam *Hercyniam* putant ab ἕρκ@-, id est, *septum*, seu *circuitus*, ideo quòd hæc Sylva Germaniam ferè totam valli instar circundet. Germanica verò appellatio est à *picseris arboribus*, unde & Latinum vocabulum proculdubio, derivatum. Vide Cluver. *Germ. Ant. libr.* 3. *cap.* 47. & infra.

Hercyniæ, sunt lata cornua & varii tractus, ipsa tamen intra Germaniam, quod ad Occasum & Meridiem attinet, continentur. Ideoque *Arduennam* silvam, ut illius partem neutiquam annumerat Loritus: vix etiam Bacenim ejus existimat partem. At Bohemiæ silvas, & quæ inde in Sarmatas inter Orientem ac Septentrionem sequuntur, sanè connumerat. Ex verbis autem Cæsaris *lib.* 6. *cap.* 24. quàm latè olim patuerit, liquet. Caput ejus est, quæ à resinâ nomen habet *Hartzwald. Hartz* enim vocant resinam & Galli & Germani. Nunc corruptè vocatur *Schwartzwald*, quasi dicas nigram silvam. Ammianus aliique *Hartiniam* silvam nominant (quanquam *Hartziana* scribi oporteat) quod imperitus aliquis Linguarum Gallicæ & Germanicæ

manicæ temerè in *Martianam* commutavit; nisi quis existimet, cùm Romanis interrogantibus ejus nomen, responsum esset *HartzWald*, relictâ voce *Wald* (silva) ad alterum verbum, quod resinam notat, Romanos animum attendisse ac *Hars* pro *Hartz* scripsisse. Dein accommodato ad ipsorum linguam elemento *H.* in *M.* ex *Hars* fecerunt *Mars*: unde increbuit *Martianum* pro *Hartzianum* apud indoctos. Nam nemini est dubium, nomen esse Germanicum Gallicumque, non Romanum. Ideoque ubique apud Ammianum cœterosque, qui ejus meminerunt, *Hartzianam* legendum, non *Martianam*. Hujus autem *Hartziana* silvæ pars est Helvetiorum Eremus, à Rheno ad Nicrum usque amnem. *Hercynia* Romanis aspiratur & sanè Germanicus Gallicusque sermo aspirationem postulat. Eratosthenes quartam vocalem *Orcyniam* primâ syllabâ notasse videtur, quod in Strabone per secundam, ut Latinis, scriptum reperiâs. At Gallorum Germanorumque lingua per primam vocalem *Hartz* vocat resinam, nisi quòd Germanorum quidam crassius *Horn* per quartam Latinorum vocalem, unde Eratosthenes *Orcyniam* fortassis mutuatus est. At *Hertz* per secundam vocalem Gallis Germanisque *cor* significat. Qui ergo *Hartzianam silvam* scripserunt, melius Germanicâ linguâ expresserunt. Hæc in Brisgoia, apud Friburgum dicitur *SchWartzWald*, i. nigra sylva; apud Heidelbergam, *OdenWaldt*, i. Othonia; inter Herbipolim & Bambergam *SteygerWaldt*, i. regia; ad confluentiam Loriæ cum Mœno *WesterWaldt*; circa Magontiam, Francfordiam, & Asciburgium, *Speshart*: in Thuringia, juxta fines Franconiæ & Voitlandiæ, *ThuringerWaldt*; in Comitatu Mansfeld. in Saxoniæ faucibus, *Auff der Hartz*; in Bohemia *BehemerWaldt*. Ferrar sed hodie angustior est, & Bohemiam propriam circundat. Ab ea montes adjacentes *Hercynii montes* dicti, qui & *Suditi*. Baudr.

Hercynii, populi, vetus Pelasgorum colonia.

Herdonia, op. Apuliæ excisum. Sil. *l.* 8.

Obscura incultis Herdonia misit ab agris.

Nunc opp. *Ardona*, inter Cerbarum & Carapellum fl. L.Holstein.

Hered, filius Balæ, filii Benjamin, Num. 25. Item civitas Josue 2.

Herefordia, vulgò *Hereford*, urbs Cambriæ Episcopalis, sub Arch. Cantuariensi, nomen dans Herefordiensi Comitatui, *Hereford Shire*, in confin. Walliæ Merid. qui formâ est quasi circulari, ab Ort. Vigorniensibus & Glocestriensibus; à Meridie Monumethensibus, ab Occasu Walliâ Meridion. à Septentrione Salopia definitur. Mercat. Metel. Ibi aliàs fuere Catieuchlani ex parte. Baudr. Hic & Concilium à Theodoro Arch. Cantuar.celebratum, Anno 673. Beda *Hist. Angl. lib.* 4. *cap.* 5. De Episcopis Hereford. V. Guil. Malmesbur. *l.* 4.

Herem, nomen viri. 1. Esdr. 10. Lat. *anathema* sive *reticulum*, vel *dedicatum sc. Deo.*

Heren, mons in Mauritaniâ Cæsariensi. Ptol.

Herenatium, Germ. infer. op. Anton. V. *Arenacum.*

Herennianus, Consul cum Severo, an. U. C.923. Item fil. Odenati, usurpator Orientis. Hunc cum fratre Timolao purpurâ indutos, Zenobia ulnis solita est tenere, quoties militibus locuta est. Ambo ab Aureliano occisi. Trebellius Poll. *de* 30. *Tyr. cap.* 26.

Viri celebres.

Herennius Gallus, sub Hordeonio Flacco consulari, legionis primæ legatus, Bonnam obtinuit. Tacit. *Hist. lib.* 4. *cap.* 19. Voculæ additus in partem curarum *cap.* 26. Sed à Germanis militibus protractus è tentorio, scissâ veste, verberato corpore, tanquam proditor; dein vinctus, adventu demum Voculæ, exsolutus est. *cap.* 27. à Iterum Militibus perfidiam & transfugium meditantibus vinctus *c.*59. à Tullio Valentino ac Tutore una cum Numisio occisus, quò minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris. *Ibid. cap.* 70.

Herennius Modestinus, discip. Ulpiani, vel Papiniani JC. celebris. Græcè Latinèque doctissimus, Severo à consiliis, sub ipso Cos. cum Probo. Præceptor Maximiani Jun. In jure varia scripsit. Lamprid. *in Severo*, Julius Capitol. *in Maximin.* Forsterus, *lib.* 2. *Hist.CiV.* Henelius, *de Vett. Jure Coss.* Rutilius, &c.

Herennius Philo. V. *Byblius.*

Herennius Senecio, historicus Rom. sub Domitiano, à Mettio Caro accusatus, & Cæsaris jussu interfectus fuit, quòd rogatu Fanniæ, filiæ Pæti, uxoris Helvidii, libros scripsisset de vitâ Helvidii Prisci. Tacit. *Annal. lib.* 12. & 16. *Hist.* 4. Plin. *l.* 7. *ep. ad Priscum.* Vide Voss. *Hist. Lat. p.* 154.

Herenopolis, Vid. *Irenopolis.*

Hereus, mons Siciliæ, *Artisino* Fazello, qui & *Tavis*, ab Enna in Occ. & à Nicosia in Austr. 10. m. p. distans, ex quo Chrysas fluv. Vibius.

Heri, filius Gad, filii Jacob. Gen. 46.

Heribannum, & *Aribannum*, indictio exercitus, & mulcta non euntis in exercitum, evocati. A Germ. *Heer*, exercitus, & *Ban*, exilium, mulcta. Apud Francos enim Germanosque in lege fuit, ut die & loco indictis, evocatus quilibet se exercitui sisteret, militaturus. Vasallus equo & armis, pro more feudi, instructus: ne absentiam interdum lueret amissione feudi. Omnes verò sub pœna 60. solid. quam qui non esset solvendo, in servitutem Principis mancipatus est, donec per spatia satisfaceret. Vid. Capitul. Caroli *lib.* 3. *cap.* 67. Mitius postea cautum est, in Additionibus ejusdem Caroli *ad L. Salic. part.* 3 *§.* 12. &c. In chartis antiquis idem sæpe est, *Profectio militaris* & *Expeditio*; quod Germanis *Heribannum*: Gallis & Anglis penè *Escuagium*. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Viri clari.

Heribertus, Episc. Mediolanensis, quòd vexillo insolenti in stupendo curru erecto, usus fuisset, depositus ac exilio multatus est, à Conrado II. Imp. A C. 1037. Sigon. *lib.* 8.

Heribertus, Clericus Aurelian. à fœmina quadam, ex Italia veniente, Manichæismum hausit, junctuque Lisoio, qui ambo in clero eruditione longè eminebant, plurimos seduxit. Hi tandem, sub Roberto R. concilio convocato, convicti Anno 1017. & cùm renunciare errori nollent, ambo combusti sunt.

Heribertus de Bosham, Cardin. Sec. 12. Auctor vitæ Thomæ Cantuar. & itinerarii. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2.

Heribertus Losinga, Anglus, A. 1120. Monachus Cluniac. scripsit *adversus malos Sacerdotes, de prolixitate temporum, de fine Mundi*, &c. Vid. *Hebertus.*

Herigem, urbs Episc. sub Metrop. Emissena. Guil. Tyrius.

Herigerus, Abbas Benedictinus, scripsit de corpore & sanguine J.C. vitas Episcoporum Leodiensium, Ursmari carmine, &c. Obiit Anno Chr. 990. Sigeb. *Catal. cap.* 138. Philippus Bergom. *lib.* 12. *Chron. Suppl.*

Herillus, Chalcedonius philosophus, Zenonis discipulus, qui cùm audisset scientiam laudatam esse ab Aristotele, & Theophrasto, summum bonum in eâ posuit. Cic. *lib.* 4. *Acad. Qu.* & *lib.* 2. *de Fin.* Quibusdam Carthaginensis est. Sequenti tempore ad Cyrenaicos deflectens, vitiis frænum laxavit, tandemque fame periit, Diogen. Laërt. *lib.* 7. *in Zenone.*

Herimannus, Abbas monasterii S. Martini, Tornaci, scripsit de instauratione ejus, facta ab Odone, qui postmodum Episc. Cameracensis fuit. Hic de Regibus Galliæ & Comitibus Flandriæ varia habentur notatu digna. Sec. 12. Chron. Tornac. Simler. Vossius, &c. Vid. *Hermannus.*

Herinum, Ferr. *Reina*, opp. Calabriæ, inter Consentiam 16. & Lampetiam 10. m. p.

Heriotum, vel *Hereotum*, à Germ. *Heer*, i. exercitus, militaris fuit supellectilis p æstatio, quam obeunte vasallo, dominus reportavit in sui ipsius munitionem. Origo à Clodoveo Francorum R. qui cùm Alamannos circa A. C. 511. prælio funestissimo attrivisset, alios fisco, alios Ecclesiæ in servitutem tradidit. Indixit præterea, ut cùm moreretur quispiam ex iis paterfamilias, Regis vel Episcopi procurator, præstantissimum ejus è stabulis jumentum aut vestem ex ædibus pretiosissimam (Germanis hodie *best Haupt*) tolleret. Beat. Rhenanus *Rer. Germ. l.* 2.

Heriphile, aliàs *Sibylla Erythræa*, agebat, ut vulgatior est opinio, antequam à Græcis obsideretur Troja. At Strabo duas fecit Erythræas Sibyllas: *Priscam* nempe alteram, item alteram *recentiorem*, *Athenam* nomine, tempore Alex. Porro Lactant. Erythræam Babylone natam esse ait, & se *Erythræam* appellari maluisse, quæ sola nomen suum carmini verum inseruerit: & à Græcis ac Latinis præcipua dicta sit. Vide Lactant. *lib.* 1. *cap.* 6. *DiV. inst.* & *Lib. de ira Dei cap.* 22. Fenestella legatos Erythras à Senatu Rom. missos esse refert, ut hujus Sibyllæ carmina Româ deportarentur: & ea Coss. Curio & Octavius in Capitolio (quod tunc erat curante Q. Catulo refectum) ponenda curarent. Erythræ autem urbs est Asiæ minoris.

Herius, ins. maris Pictonici, vulgò *Heis*: nunc *l'isle de Nermoustier*, ab insigni Monasterio Benedictinorum vel Prioratu Nigro dicto, cujus auctor Filibertus fuit. Ibi & Abbatia Alba est, *l'Abbaye Blanche*, Monachorum Bernardinorum, Ambitu leucas 4. latitudine unam ins. implet, & oppidulum habet 800. domorum. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Herius, Gall. Lugdunensis fluvius. Ptol. Quibusdam Vidana, seu Vicenonia. Quid sit, non constat, Baudr.

Herma, civitas Hispaniæ. Avienus. Item urbs in tribu Judæ. Jos. 12.

Hermachus, Mitylenæus, fil. Agemarchi, discip. Epicuri, opibus egens, ingenio dives, à Præceptore successor dictus, qui in Horto suo doceret. Obiit apud Lysiam. Scripsit 22. litteras de Empedocle, 2. libb. de disciplinis, aliaque contra Aristotelem & Platonem. Diog. Laërt. *in Epicuro lib.* 10. Gassendus. *lib.* 1. *Vita Epicuri, cap.* 8.

Hermæa, seu *Mercurii* promunt. Africæ propriæ in orâ inter Carthaginem, & Hadrumetum, *Capo Bon* Mercatori, & *Capo di Nubia* Olivario. In mare Medit. versus Pantalaream Ins. maximè excurrit; 70. mill. à Tuneto in Bor.

Hermæum, promunt. Thraciæ ad Bosporum ultra Byzantium, *Neocastro* P. Gyllio. Est & promunt. Sardiniæ. Ptol. in orâ Occidentali, quod *Marasso* vulgò dicitur. Nunc *Capo della Cacca*; prope Algaram Urb. in Occ. Item locus Mysiæ ad Hellespontum Polyæno,

Polyæno, inter Parium ad Bor. & Lampsacum ad Mer. inde 70. hinc 200. stadiis distans. Apud Philostratum *in Sophist.* accipitur, pro thesauro in ædificiis reperto: item pro lucro ingenti, & quod fortuitò nobis obtigit.

Hermagoras Æolides, Carion cognominatus, rhetor egregius, scripsit artem Rhetoricam libris 6. De diligentiâ orationis, de decoro, de elocutione, & de figuris. Docuit Romæ Augusti tempore, decessitque senex. Item Amphipolitanus philosophus, discipulus Persei, plures scripsit Dialogos, Suidas. Alius philosophus & orator. Cic. *in lib. de claris Oratoribus.*

Herman, Vid. *Irmin.*

Hermanduri, Plinio & mel. *Hermunduri*, Germ. pop. Cheruscis finitimi, in eo tractu, quem hodiè *Misniam* vocant. Baudrando habitabant, ubi nunc Voigtlandia, pars Austr. Thuringiæ, & pars sup. Franconiæ.

Hermandus, Arachosiæ fluv. Plin. *Erymanthus* à Polybio vocatur *libr.* 2.

Hermanni saxum, vulgò *Hermann*-seu *Ehrenbreitstein*, arx firmissima Germ. ad Rhenum, in colle, opposita Confluentiis, ubi Mosella in Rhenum labitur, 8. leuc. à Moguntia in Circ. 10. à Colonia in Austr. sub Elect. Moguntino. Nota longâ obsidione, Anno 1636.

Hermannopolis, Vid. *Cibinium.*

Imperatores & Principes.

Hermannus, Lotharingus cognom. Comes Salmensis, post Rodolphi Suevi obitum, contra Henricum IV. Imp. electus, Anno 1081. interfuit Synodo Quintilineburgensi, in quâ Imperator excommunicatus est. Mox desertus à suis, in Lotharingia obiit, Anno 1088. Metis sepultus, Berthold. *Hist.* Sigebert. Marianus, &c.

Hermannus, Suevorum dux, Luitpr. 6. 4.

Hermannus, Thuringiæ Landgravius, ductâ Sophiâ, fil. Friderici V. Com. Pal. Saxoniæ, domus hæres evasit: Pater Judithæ, quæ nupta Theodorico, filio Ottonis Divitis March. Misniæ, illam prætensionem in domum Witikindeam intulit: proin ultimo ejus gentis Henrico extincto, A. C. 1249. Theodorici filius Henricus cognom. Illustris, Landgraviatum sibi vindicavit; cumque eo Palatinatum Saxoniæ in familiam suam postliminiò reduxit, Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Duces Teccenses.

Hermannus I. fil. Ludovici, ducis Teccensis.

Hermannus II. sen. successit Alberto III.

Hermannus III. jun. fil. prioris, pater fuit Alberti IV. quo mediante reconciliati sunt Rudolfus I. Imp. & Eberhardus Wirtenbergicus, ac Bertholdi Episc. Argentoratensis; An. C. 1223. à quo adversus Henricum fil. Friderici II. Imp. bellum feliciter gestum est.

Hermannus IV. pater fuit *Hermanni V.* (ex hoc avus *Hermanni VI.* cujus fil. Fridericus IV. *Hermannum VII.* genuit, Friderici V. & Lucelmanni II. patrem:) & Conradi, in cujus posterorum ultimo Friderico, A. C. 1439. extincto, Teccensium Ducum stirps desiit, ditionibus in domum Wirtenbergicam, Beatricis seu Juditæ filiæ matrimonio, illatis.

Principes ex familia Badensi.

Hermannus fil. Bertholdi I. Zeringiæ Ducis, frater Bertholdi II. rami Zeringio-Teccii auctoris, Hochbergio-Badensem orsus est. Hic Hochbergam & alia in Brisgoja, ex avita hæreditate, cum tit. Marchionis obtinuit: mortuus A. C. 1074. Eo natus

Hermannus I. acceptâ à conjuge Judithâ Badensi ditione, hujus sumsit titulum, in familia nova primus.

Hermannus II. fil. prioris, Conrado III. Imp. in expeditione primò Weinspergia, dein Asiaticâ militavit. Obiit A. C. 1160. pater ex Bertha Lotharingica fil. cognominis.

Hermannus III. fil. Hermanni II. Friderico Barbarossæ inprimis gratus, dono ipsius Veronam, post victoriam adversus Mediolanenses, accepisse creditur. Obiit Antiochiæ, A. C. 1190. quò herum secutus erat. Pater *Hermanni IV.* Badensis, & Henrici, (cui quoque fil. *Hermannus* erat, pater Henrici III. Rodolfi & Friderici) Hochbergensis rami, auctorum.

Hermannus IV. Badensem Marchionatum, in divisione, obtinuit, cumque Friderico II. adversus filium Henricum rebellem studeret, ab hoc vexatus strenuè se defendit. Ab uxore Irmengardi fil. Henrici Brunsuicensis C. Pal. Rheni Durlacum, Pfortzhemium & Ettlingam, nactus, obiit An. C. 1242. Eo nati Hermannus & Rudolfus.

Hermannus V. fil. prioris, ductâ Gertrude, filiâ Henrici Metlingensis, hærede Austriæ, hunc & Stiriæ principatus adiit, & morte suâ A. C. 1250. transmisit ad fil. Fridericum, qui A. C. 1268. Neapoli, cum Conradino Sueviæ hærede, decollatus, sororem reliquit Agnetem, quæ mater fuit Elisabethæ Tirolensis, Alberto Imp. primo inter Habspurgios Austriæ Duci nuptæ.

Hermannus VI. fil. Rudolfi, de quo supra, bello adversus Walramum Com. Bipontinum, victor, obiit A. C. 1291. pater Friderici II. cui *Hermannus* fil. fuit, Rudolfi V. & *Hermanni VII.*

Hermannus VII. fil. natu minimus Hermanni VI. improlis obiit, A. C. 1300.

Hermannus VIII. fil. Hessonis, Rudolfo fratre Hermanni V. geniti, frater fuit Rudolfi Hessonis, de Imper. Ludovico Bav. benè meriti.

Hermannus, fil. minor Eduardi Fortunati, Marchionis Badensis, natus A. C. 1596. ex Maria filia Jodoci ab Eicken, Rodemacheram nactus est. Pater Caroli Wilhelmi Eugenii & Philippi Balthasaris. Wilhelmus verò, major natu Hermanni frater, & ipse fil. inter alios genuit *Hermannum*, qui, Canonicus Coloniensis & Paderbornensis, Cæsari adversus Suecos in Pomerania militavit, dein legionum à Circ. Burgundico adversus Turcam scriptarum destinatus Imperator, hodie magna pars exercitus Imperialis, egregiè rem gerit, in Philippoburgi expugnatione inprimis, operâ strenuè nuper navatâ.

Ex familia Hassiaca.

Hermannus, filius Ludovici Hassiæ Landgravii, ex Comite Spanhemia, patruo Henrico Ferreo successit. Auxilio Misnensium, (cum quibus confraternitatem, prius jam ab Henrico II. Puero initam, confirmavit) hostiles Brunsuicensium conatus retudit. Princeps doctissimus, obiit A. C. 1413. pater ex Margareta Norimbergica Ludovici Mitis, seu Pacifici, inter cujus filios *Hermannus* Arch. Coloniensis fuit: qui cùm pro Ruperto Palatino arma gereret Carolus D. Burg. & Hermannum Novesii obsideret, hic jam cum extrema fame colluctatus, fratris Ludovici Pii, qui Cassellas tenebat, auxilio & superveniente exercitu Imperiali servatus est.

Ex familia Piastea.

Vladislaus *Hermannus*, fil. Casimiri Poloniæ Regis, regio nomine abstinens, Princeps voluit dici: cum Bohemis feliciter pugnavit. Ei successit A. C. 1102. fil. Boleslaus Crivoustus. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.* &c.

Episcopi & Viri celebres.

Hermannus, cognom. Saxo, Episc. Metensis, post Adalberonem Lucemburgicum, Gregorii VII. contra Henricum IV. partes amplexus, surrogato Brunone, depositus est. Obiit an. 1090. Gregor. VII *lib.* 1. *ep.* 53. 82 *lib.* 8. *ep.* 20. Sigebert. Meurisst. *Hist. Met.* &c. Item, Abbas Benedictinus, in Bavaria, Benedicti vitam scripsit. an. 1280.

Hermannus Appeldorn, Carthus. Coloniensis, scripsit varia. Obiit an. 1450. Petrejus *B. C.*

Hermannus Bilingius, ab Ottone I. Imp. Saxoniæ ducatum, præteritis agnatis, accepit & ad posteros suos, quorum ultimus Magnus, transmisit. Spenerus *in famil. Saxon.*

Hermannus Buschius, Poëta, an. 1500.

Hermannus Contractus, à morbo sic dictus, fil. Wolferadi, Comitis Weringensis, Monachus Richenov. Græcè, Latinè, Arabicè doctus. Auctor inter alia Chronici de 6. mundi ætatibus, quam an. 1054. finitam Bertholdus continuavit. Obiit Aleshusiæ. Urstisius *de Script. Germ.* Marianus Scotus, *in Chron.* Aventinus, Balæus, Vossius, &c.

Hermannus Lerbeke, Jacobinus, Chronicon Comit. Schauenburg. scripsit. Sec. 15. Meibomius edidit, an. 1620.

Hermannus Mœrsensis, Comes Vidensis, Arch. Colon. Reformationem Religionis molitus, Bucerum & Melanchthonem adhibuit, an. 1543. Hinc Caroli Imp. & Pontificis auctoritate loco motus, & totâ ditione Evangelium iterum exulare jussum, Anno 1547. Obiit an. 1552. Inter ejus successores eodem seculo, Gebhardus fuit Truchsessius, ejusdem instituti, nec Fati dissimilis, Vid. ibi.

Hermannus Petra, vel Petri, Carthus. Brugensis, *de regimine Monialium, de Immac. Conceptione*, &c. scripsit, Obiit A. C. 1428.

Hermannus Risswich, Batavus, Angelos creatos esse negavit, Animæ quoque immortalitatem, Infernumque inficiatus, materiam Elementorum æternam esse asseruit: ut taceam quæ de Mose deliria, quas de Christo blasphemias evomuit, Scripturam S. tandem V. T. rejecit. Vivicomburio Hagæ Comitis punitus, Anno 1512.

Hermannus Schildius, scriptis celebris, an. 1340.

Hermaphroditus, Mercurii & Veneris filius, ut ex ipsa statim vocis compositione apparet. Nam Mercurius Ἑρμῆς, Venus Ἀφροδίτη Græcis dicitur. Hic cùm vagabundus in Cariâ ad limpidissimum fontem, quem Salmacis nympha incolebat, pervenisset, illa subito ejus amore correpta (erat enim adolescens formosissimus) cùm neque blanditiis neque precibus ad concubitum flectere eum posset, simulato recessu post vepres latuit. Is autem nympham abiisse ratus, fontem nudus intravit: quod videns Salmacis subitò accurrit, & abjectis vestibus arctissimè eum complexa est. Sed cùm ne sic quidem obstinatum juvenis animum exorare posset, à diis petiit, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur. Quibus precibus à superis exauditis, ambo in unum corpus coaluerunt, ita tamen, ut sexus uterque integer remaneret; Quod cùm vidisset Hermaphroditus, à superis petiisse dicitur, ut ea fonti natura maneret, ut qui vir eum intraret, ἀνδρόγυνος, id est, utrumque sexum habens, exiret. Ovid. *Met.* 4. Fingitur autem *Hermaphroditus* Mercurii & Veneris fil. eò quòd stella

ſtella Mercurii, ob qualitates, quibus præeſt, mediæ naturæ putatur. Nam cùm aliæ ſtellæ ab Aſtrologis dicantur *maſculina*, propter majus robur, quo calorem excitant: aliæ verò, propter debiliores vires, & naturam humidi, cui dominantur, *fœminina*, Mercurii ſtella nunc humidum, nunc calidum abundè excitat, pro ſitu & motu ſuo. Porro Salmacidis nymphæ fabula, non tam ad vitium aquæ, quàm ad inertiam, & otium, quo vires hominum enervantur, referenda eſt. Erant enim Cares, qui eo loco habitabant, homines deſidiæ, & luxuriæ pleni, ac fœdis dediti libidinibus, unde & *Hermaphroditi* vulgò appellabantur, nam ſic etiam dicuntur, qui molles ſunt, & utramque Venerem exercent. In eam ferè ſententiam & Strabo exponit hanc fabulam *lib.* 14. cui conſentit Ovidius, Salmacidem nympham otio & libidini deditam, deſcribens. Cæterùm de Hermaphrodito lubet elegantiſſimos antiqui Poetæ verſiculos hic apponere,

Quum mea me genetrix gravidâ geſtaret in alvo,
Quid pareret, fertur conſuluiſſe Deos.
Mas eſt, Phœbus ait, Mars fœmina, Junoq; neutrum,
Quumq; forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti Lethum, Dea ſic ait, Occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis; Sors rata quaq; fuit.
Arbor obumbrat aquas, aſcendo, decidit enſis,
Quem tuleram, caſu labor & ipſe ſuper.
Pes hæſit ramis, caput incidit amne, tuliq;
Fœmina, Vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Hermathena, Mercurii & Minervæ ſtatua conjuncta.

Hermatotrophi, circa Margianam populi. Plin.

Hermeas, Aternenſium tyrannus, ab Artaxerxe Ocho defecit multiſque munimentis præſidiis occupatis, multum negotii faceſſere regi poſſe viſus eſt. Sed à Mentore, pollicente ei præteritorum à Rege veniam, ad colloquium illectus, ſubverſus eſt, qui accepto ejus annulo atque literis obſignatis omnia oppida reſtituit Regi. Vide Diod. 6. 538. Vide Polyænum *l.* 6. *p.* 461.

Hermeas, è Cariâ dux inclytus Antiochi magni, qui cum eo & Taurum pertranſiit, & res magnas geſſit. Ad extremum ab eo ob ſuſpicionem interfectus unà cum conjuge, & liberis, qui erant Apameæ. Polyb.

Hermeias Methymnæus, hiſtoricus, res Siculas conſcripſit, 10. aut ſecundùm alios 12. libb. quorum *lib.* 3. citat Athen. *libr.* 10. Ἑρμαῖος dicitur Diodoro *libr.* 15. Ei quoque Terræ deſcriptio, aliaque attribuuntur. Vide Voſſium.

Hermenfridus, Thuringiæ R. fratribus occiſis, ipſe quoque miſerè periit. Vid. *Amalaberga.*

Hermenigildus, fil. Leuvigildi, Regis Gothorum in Hiſp. ſuaſu uxoris Ingondes, filiæ Sigeberti R. Arianiſmum ejuravit. Proin bello à Patre petitus, Hiſpalim ſe recepit, Tiberii Imp. ope inde imploratâ. Interea in vincula à Patre conjectus, cùm conſtans in fide maneret, immiſſis percuſſoribus occiſus eſt, an. 588. Greg. Tur. *Hiſt. lib.* 56. *& ſeqq.* Iſidor. *in Chron.* Gregor. *lib.* 3. *dial.* 31. Ado *Chron.*

Hermes, cognomen Mercurii, ἀπὸ τ͂ ἑρμηνείας, id eſt, *ab interpretatione*, quòd nuncius & interpres Deorum ſit habitus. Vide *Mercurius.*

Hermes Triſmegiſtus, Philoſophus Ægyptius, poſt Moſen fuit, cujus tempore in Ægypto ſtudia Philoſophiæ clarere cœperunt, cùm antea tantùm circa Aſtronomiam, & hujus generis diſciplinas verſarentur, quæ ad exercendum ingenium magis, quàm ad illuſtrandum animum valent. Scripſit patriâ linguâ Dialogum, ubi Aſclepius introducitur. Deum omnino unum opinatur, omnium conditorem, erroremque fatetur parentum ſuorum, qui ſuperſtitiones Idolorum invenerunt. Suidas, & Auguſt. *de Civit. Dei.* Hic cùm in Ægypto ſacrum quoddam animal Serapi dicatum, in totâ die duodecies urinam facere, pari ſemper temporis intervallo obſervaſſet, per 12. horas diem dividi debere conjecit. Exinde hic horarum numerus longo tempore eſt cuſtoditus, & poſteà per horas diviſus eſt dies. Polyd. Verg. *de Rerum Invent.* 2. 5. Ejus *de* 12. *locorum ſive ſignorum appellationibus*, librum Joach. Camerarius edidit. *Centiloquium* quoque ei attribuitur, tractatus *de Horoſcopis*, &c. Item alius *Hermes* Ægyptius fuit, auditor Syriani Sophiſtæ, condiſcipulus Procli ſub Adriano Imp. Vide Suidam. Cardanus meminit quoque Hermetis, auctoris *de Revolutionibus nativitatum*, quod opus à Wolphio editum, an. 1559. Sed quis hic auctor ſit, ignorare ſe fatetur. Vid. Cardan. *ad lib.* 3. *Ptolom. de Aſtr. Judiciis, textu* 3. Geſner. *in Epit.*

Hermes, vel *Hermas*, frater Pii II. an. 1450. Auctor libri *de Paſtore*; de quo Vid. Moterium *Diction. Hiſtor.* Item, cujus meminit Paulus Apoſt. Rom. 16.

Hermeſianax, vetus author, ex quo quintam, & vigeſimam ſecundam hiſtoriam ſumpſit Parthenius *in Eroticis.* Ex *Eliacis* Pauſaniæ diſcere eſt, Colophonium hunc poetam filium Agonei, ac publicis Colophoniorum ſumptibus ſtatuam ei poſitam fuiſſe. Sed vide quæ de hoc, & altero ejus nominis Colophonio, Nicandri *in Theriaca* Interpres, & ex eo Lilius Gyraldus tradit *in libris de Poetis.* Præterea fuit alius *Hermeſianax* Cyprius, qui rerum Phrygiarum hiſtoriam dedit. Plut. *de Fluminibus.*

Hermetis arx, in Inſ. Melita, à Solimanno Turcarum Imper. tanto labore expugnata eſt, ut Muſtaphas Dux oppidum aggreſſurus, *quid parentem facturum putemus*, exclamarit, *cujus nos filius hic exiguus tam longâ oppugnatione detinuit?* A. C. 1565. Vid. Thuan. *Hiſtor. l.* 38.

Hermias, Eunuchus, trapezitæ cujuſdam famulus, Athenas profectus, Platonem, Ariſtotelemque audivit, ac domum reverſus, cum domino ſuo, Atarnenſes, & Aſſenſes aggreſſus, eos ſubegit, & illis ſimul cum domino imperavit.

Hermias, caput Hermianorum vel Seleucianorum, Deum corporeum eſſe, docuit, cum Seleuco quodam, Anno 170. Vid. *Seleuciani.*

Hermias, Philoſophus Chriſtianus, auctor Eccleſ. ſeculi 4. Bibl. PP. *tom.* 1. *edit. Græco-Latin. Col.* 187. *& in Indice Chronol.*

Hermias, puer quem Delphinus in mare portabat.

Hermias Sozomenus. Vid. *Sozomenus.*

Hermicus Cajadus Luſitanus, Latinis carminibus commentus eſt Sibyllinam vaticinationem, columnis marmoreis tribus inciſam, quæ per ambages ſignificabat, Indos ſub imper. & ditionem Luſitanorum eſſe venturos: eoſque lapides datâ operâ detruncatos, ut aliqua veſtigia ineſſent antiquitatis, terra obrui, & aliquanto pòſt quàm ex humore terreno vitium fecerant, iterum erui juſſit. Id commentum, operâ mercatorum Ulyſſiponenſium, etiam cum præfatione Valentini Moravi cujuſdam evulgatum undique, ſimulatione antiquitatis, Univerſo Orbi impoſuit. Varrerius, *in Cenſura Beroſi.*

Herminericus, Conſul cum Flavio Baſilico, an. U. C. 1218.

Hermingardis, fil. Deſiderii Longobardorum R. prima uxor Caroli M. ab illo repudiata. Item, *fil.* Hugonis Alſatiæ Com. uxor Lotharii Imp. ex illo, 3. filiorum & 2. filiarum mater. Ultima hujus nominis rapta eſt, an. 846. à Gilberto Comite Manſuariorum. *Hiſt. Gall.*

Herminius, Hermannorum dux fuit, qui Varum Auguſti legatum cum tribus legionibus ad internecionem deduxit. Sueton. & Tacitus. Vide *Arminius.* Item Romanus quidam, unus ex his qui unà cum Coclite Hetruſcis in ponte Sublicio reſtiterunt, donec à tergo ſolveretur. Livius *libr.* 1 Conſul cum Sp. Lartio, Anno U. C. 248. Integrum nomen *T. Herminius Æſquilinus.* Item Hetruſci nobilis nomen apud Virgil. *Æn.* 9.

—— Ingentem corpore & armis
Dejicit Herminium. ——

Herminius, mons in Luſitaniâ, hodiè *monte Armino*: in quo Medobriga, urbs exciſa, Amæa ſive Portus Alacus, ut nunc vocant, urbes; Marvanum & Alacretum oppida; teſte Andreâ Reſendio Luſitano. *Erminius* Dioni.

Hermiona, Græciæ op. Junonis fano inclytum, ut notat apud Pomponium Vadianus. Item civitas in conſpectu maris Ægæi. Virgilius, ſive Catullus *in Ciri*,

Hinc ſinus, hinc ſtatio contra patet Herminoa.

In ora ſinus Argolici, qui tunc *ſinus Hermionicus*, vulgò *Golfe de Napli de Romania.* Nunc diruta. Baudr. Item urbs circa Riphæos montes, Orph. *in Argon.*

Hermione, filia Menelai ex Helenâ, quam Tyndarus avus maternus Oreſti deſpondit, ignaro patre, qui id temporis pro Helenâ uxore bellum ad Trojam gerebat. Quo in bello cùm Achilles Paridis fraude occiſus eſſet, Pyrrhuſque filius ejus in patris locum ſucceſſiſſet, Menelaus ignarus eorum, quæ à ſocero geſta erant, Hermionem Pyrrho deſpondit, & in patriam reverſus uxorem ei tradidit; quam rem ægrè ferens Oreſtes Pyrrhum in Apollinis templo trucidavit, ſponſamque ſuam recepit. Virg. 3. *Æn.* Extat apud Ovidium Epiſtola Hermiones ad Oreſtem.

Hermione, civitas quæ etiam *Laceria* dicebatur. Steph. Item templum in Peloponneſo, Cereri ac Proſerpinæ ſacrum, ad quod qui confugerent, tuti erant propter loci religionem. Unde natum proverbium, *Hermiones Vice* apud Zenobium, pro *aſylo*, ex Ariſtophane *in Babyloniis.*

Hermiones, quaſi *Herom-Wohner*, pop. Germaniæ, Mela 3. valde potentes. Horum regio Pomerania putatur à Vadiano; ſed id Taciti verbis repugnat. Baudrando erant è 5. præcipuis Germ. populis, habebantque ſub ſe Cheruſcos, Chattos, Hermunduros, Alemannos, Armalauſios, Marcomannos, Quados, Gothinos, Oſios & Lugios. Longè à Pomeraniæ Ducatu diſſiti.

Hermionia, urbs circa Riphæos montes, Orph. *in Argon.*

Hermionicus ſinus, circa Hermionem Peloponneſi. Strab.

Hermippus, Athenienſis, poeta antiquæ comœdiæ, altero captus oculo, frater Myrtili Comici, ſcripſit fabulas 40.

Hermippus, Berytius, Philonis Byblii diſcipulus, qui multa compoſuit ſub Adriano Principe. Forſan is eſt, cujus meminerunt Schol. Ariſtophan. Scripſit de Diis, Schol. *in Veſp.* Item Dimetros. Ejus Trimetros quoque laudat idem *Avib.* Ejus hiſtoriam de Somniis, citat Tertullian. *l. de Anima, c.* 48. De legiſlatoribus librum, Origenes c. Celſum, *l.* 1.

Hermippus, Smyrnensis, scripsit vitam Virorum Illustrium. Josepho c. Appionem laudatus, ubi *Peripateticus* dicitur. Diogen. Laërt. Origenes, Hieronymus, Suidas, &c. saepe ejus meminerunt.

Hermocrates, Princeps Syracusis, qui servilem tumultum, duce Sosistrato, per quemdam Daïmachum astutè sopivit: de quo Polyaenus *lib.* 1.

Hermocrates, affinis Dionysii majoris. Polyaen. *l.* 5.

Hermocrates, Phocensis, Sophisticâ facultate clarus, Antipatri, magistri Epistolarum Severi Principis, filiam haud formâ bonâ invitus, Imperatore cogente, duxit, quam posteà repudiavit. Philostratus.

Hermocrates, Sophista, Praeceptor Pausaniae Macedonis, qui Philippum regem interemit: qui cùm ab hoc interrogaretur, quo facto clarissimus evaderet, respondit, si perpetrantem maxima sustulisset Diod. *l.* 16. *in fine.*

Hermodorus, Siculus, Platonis auditor, cui vitio datum, quòd quaestu Philosophiam habuerit, dicta, quae sub Praeceptore audiverat, colligendo, ac deinde in Siciliâ venditando; unde adagium, *Verba importat Hermodorus.* Item Philosophus Ephesius, quem in Italiâ exulantem, Pomponius J. C. tradit authorem fuisse duodecim Tabularum ferendarum Decemviris. Plin. 34. 5. dicit, hunc fuisse interpretem Legum Decemviralium, eique ob id statuam publicè dicatam. Strabo *lib.* 14. In Epheso fuere viri memoratu digni, ex antiquis Heraclitus & Hermodorus; de quo hic idem inquit: Dignos esse omnes Ephesios strangulari, qui Hermodorum virum inter eos frugi ejecerunt, dicentes, Nemo nostrum frugi esto, alioqui cum aliis ejiciatur. Item alius *Hermodorus* Salaminius, qui cum Philone Architecto Athenis contendit de armamentario faciendo, quâ in contentione, ut minus eloquens, victus fuit. Cic. 1. *de Orat. Hermodorus* etiam quidam fuit, qui Νόμιμα tradidit. Athen. *lib.* 2. Iis retulit leges variarum gentium. Denique *Hermodorus* Poeta, Plutarch. *in Apophtheg.*

Hermogenes, ex Ducibus Constantii Imp. Paulum Patr. Constantinop. cui Arriani Macedonium surrogatum ibant, pulsurus, tumultu oborto, interemtus est, An. C. 343. Sozomen. *l.* 3. *c.* 6.

Hermogenes, Haereticus, praeter alia, materiam mundi Deo coaeternam esse, docuit An. C. 170. in Africa, occasione erroris è Platone depromtâ, qui Deum non ποιητὴν, sed δημιουργὸν esse statuit. Contra eum Tertullianus scripsit Tractatum, qui incipit, *Solemus haereticis, compendii gratiâ, de posteritate praescribere.* Ubi inter alia docet, *Haereticorum Patriarchas Philosophos* esse. Vid. Pamelium, *in Tertull.* Hermog. *in praef. pag.* 423. *edit. Rothom.* 1662. Theophilus Antioch. Origenes, &c. eundem haereticum scriptis suis refutarunt.

Hermogenes, Tarsensis, annos natus 15. Sophista adeò probatus est, ut fama ejus ad auditorium M. Antoninum Principem exciverit, ab eoque munera egregia tulerit: An. aet. 18. libros edidit, qui supersunt, deinde tempore procedente, an. 24. videlicet, eum facultatis habitum deperdidit, nulla morbi causâ. Proinde Antiochus Sophista dicebat, *Hermogenes in pueritiâ senex, & in senectute puer.* Volaterr. *Anthrop. lib.* 15. *col.* 462. Vignierius, A. C. 163. Alium oportet fuisse Hermogenem Tarsensem, de quo Sueton. *in Domitiano cap.* 10. *Occidit item Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historiâ figuras; librariis etiam, qui eam descripserant, crucifixis.* Quin & Flavius Josephus *Hermogenis* cujusdam meminit, *lib.* 1. *contra Apionem*; ubi eum & Judaeorum ait non obiter fecisse mentionem. Scripsit περὶ Φρυγίας, uti testatur Apollonii Scholiastes *in l.* 2.

Hermogenes JC. Severo à consiliis, discipulus Papiniani. Lamprid. *in Severo, c.* 68. Rutilius, *in JureCoss.*

Hermogenes & *Philetus*, fidem primò amplexi, 2. Tim. *cap.* 1. dein ejus naufragium fecere, negantes Resurrectionem, vel jam factam asserentes.

Hermoglyphus, marmorarius, & statuarius.

Hermolaus, Constantinopolitanus Grammaticus, scripsit ad Justinianum Caesarem Epitomen in librum Stephani de Urbibus, item hist. Constantinop. Suidas. Vossius, *de H. G.* 2. 22. Memoratur & ante hunc alius, qui contra Alexandrum M. conjuravit. Curt. *l.* 8. *c.* 32. Item statuarius quidam inter eos, qui aedes Principum signis nobilibus ornarunt. Plin. 36. 1.

Hermolaus Barbarus, Venetus, fil. Francisci, nepos Zachariae, pietate & eruditione illustris, Sec. 15. Romam missus à Rep. ab Innocentio VIII. Patr. Aquilejensis factus est, quod cùm Senatus neutiquam probaret, prae dolore tum ille, tum pater mortuus dicitur. Alii peste eum sublatum narrant, Anno 1493. aet. 39. Edidit Historiam naturalem Plinii, &c. Vid. Justinian. *Hist. Ven. lib.* 9. Bembum, *lib.* 1. Crinit. *de Hon. disciplina l.* 1. *c.* 7. Trithem. *de Scr. Eccl.* Joh. Pierium Valerianum, *de Lit. infelic.* P. Jovium *in elog. doct. Vir. c.* 36. Spond. *A. C.* 1493. *n.* 9. Erasmum, Politianum, &c. Hunc Volaterranus reprehendit, quòd in Plinium sit commentatus, quasi indignum id Praesule, sed à doctis assensum non impetrat.

Hermon, Pelasgorum Princeps, qui, quia unà cum suâ gente Pelasgâ coactus, nimirum Darii Atheniensium Ducis metu, reliquisset Lemnum, quam occupaverat, simulabat tamen se volentem cedere, quò gratum faceret Atheniensibus; ideo factus est proverbio locus, *Hermonium officium*: de eo qui vult videri aliquid officii gratiâ facere, quod alioqui coactus facit. Vide totam historiam apud Erasm. *in Chiliadibus.*

Hermon, seu *Thermon*, Patr. Hierosol. post Zambdam An. 298. usque ad an. 312. Macarium successorem habuit. Eus. Hieron.

Hermon mons, in tribu Manasse, qui ab Hebraeis *Chermon*, ab Amorrhaeis *Sanir*, *Deut.* 3. *Jos.* 33. *Ps.* 86. 1. Par. 5. à Sidoniis *Sarion*, in Deuteronomio *Sion*, *Deut.* 4. vel *Seon* appellatur: situs est ultra Jordanem è regione civitatis Paneadis, quam quidem ab Aurora despicit: à Meridie verò monti Seir jungitur, ac vergens versus Septentrionem, prope Damascum Libano se copulat: Mons iste excelsae magnitudinis est & altitudinis: Proceris ac laudatissimis abundat abietibus, quae multis vitae operibus, praecipuè trabibus & navigiis aptissimae sunt. Habuit & mons iste insignes speluncas, quarum una, ut Marius Niger scripsit, quatuor hominum millia capere poterat.

Hermon, *Hippos* Ptolemaeo, mons Palaestinae geminus: major, qui pars est Libani orientalis apud ortum Jordanis fluv. Alter minor apud montem Gelboe, & Chisonium torrentem, teste Masio. Vid. infra. Item piscatorium in Peloponneso.

Hermon major, ita ad differentiam minoris dicitur: mons Palaestinae, ubi ob pinguis roris abundantiam, & ipsam soli foecunditatem pascebantur animalia & pecora, quae Hierosolymis offerebantur & immolabantur Domino.

Hermon minor, in tribu Issachar, alius à majore, in cujus latere Aquilonari est civitas Naim, excisa, Brocard. *itin.* 5. Breiden. *ibid.*

Hermon mons, Hieronymo *Aermon*, ad cujus radices in terra Maspha Evaei habitabant, quorum regionem Josua obtinuit. Jos. 11. & 13. Judic. 3. Hieron. *in L. H. Lit. A.* Est in tribu Aser.

Hermonium, mons est, in tribu Issachar, non proprius & distinctus ab alio, sed jugum quoddam humile, seu tumor quidam, à monte Hermon contra montem Tabor procedens. *Psal.* 42.

Hermonassa, urbs Mysiae infer. ad ostium Istri Boreale, *Moncastro* Nigro, *Bialogrod* Moldavis, *Beligrad* Turcis, item *Nester Alba*, teste Leunclavio. Sed hic decipitur: *Nester Alba* enim, altera *Bialogrod*, i. castrum album, urbs est ad ostia Tyrae, quae Turcis *Akerman* dicitur, sedes Praefecti regionis, Ferrar. Altera apud Ptol. urbs est Sarm. Asianae apud Cimmerium promont. & Bosporum, *Madaq.* Moletio; *Matriga* Nigro dicta. Tertia apud Strab. in orâ Cappadociae, inter Polemonium ad occid. & Cerasuntem ad ort. *Lavona* hodiè, teste Nigro.

Hermonthis, urbs Aegypti. Steph. ubi Jupiter, Apollo, & Isis coluntur.

Hermopolis, urbs Aegypti in Sebeniticâ praefecturâ, ubi Pan colitur, & Hircus, ut ait Pindarus. *Benesuaif*, teste Joh. Leone. Ad Nilum fluv. inter Cynopolim & Antinoum, bene habitata, ubi lini optimi copia, à Babylone 120. m. p. in Mer. *Hermetis urbs* & *Hermupolis* Ptolom. Ejus quoque meminit Sozomenus in *Histor. Eccles.* Herodianus duas esse scribit, magnam, & parvam. V. Steph.

Hermos, vicus in tribu Acamantide. Steph.

Hermotimus, Clazomenius, cujus anima, relicto corpore, errare solebat. Vide Plin. 52.

Hermotymbici, pars bellicosorum in Aegypto, dicuntur & *Labarai.* Steph.

Hermunduri, pop. Germ. Eutrop. *l.* 8. V. *Hermanduri.*

Hermupedium, locus apud Cumanos. Steph.

Hermus, fluv. minoris Asiae, *Sarabat* Castaldo. Oritur juxta Dorylaum, Phrygiae civitatem, auctusque Pactolo, Smyrnae campos irrigat, tandemque in Phocaicum sinum illabitur. Solin. *c.* 42. *Hunc quoq. Hermon fluctibus aureis aestuasse antiquitas credidit.* Virgil. 2. *Georg.*

Nec pulcher Ganges, atq. auro turbidus Hermus.

Mart. *l.* 8. *Non illi satis est turbato sordidus auro*
Hermus. —— ——

Stat. *Sylv.* 1. *Flavis Hermus transcurrere ripis,*
Et limo splendente Tagus.

Claud. 1. *in Rufinum,*
Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli, totumq. exhauserit Hermum,
Ardebit majore siti. —— ——

Idem *de Raptu* 2.
Aut quales referunt Baccho solennia Nymphae
Maeoniae, quas Hermus alit, ripasq. paternas
Percurrunt auro madidae. Laetatur in antro
Amnis, & undantem declinat prodigus urnam.

Herndalia, vulgò *Herndall*, tractus Norvegiae, cis Sevum montem, juxta Jemptiam prov. Suecis concessus à Daniae R. an. 1645. pace ad Bromsbroam. Hinc pendent Nomedalia, Hellegelandia, Frostena, Indera, Heroa & aliae dit. quae antea erant sub praefectura Nidrosiana.

Hernici, pop. Campaniae loca saxosa incolentes; unde & nomen acceperunt, nam *herna* Sabini *saxa* vocant. Festus. *Hernici dicti sunt è saxis, quae Marsi herna dicunt.* Ideo Virgil. *l.* 7.

Roscida

—— Roscida rivis
Hernica saxa colunt. ——

Ubi Servius, *Sabinorum linguâ saxa herna vocantur.* Silius Virgilii imitator *lib.* 8.

Hernicaq; impresso raduntur vomere saxa.

Straboni Ἕρνικοι, Dionysio Ἕρνικες dicuntur. Baudrando fuere pop. in Latio, versus montes, ad fontes Liris & Aviénis, ubi urbes Anagnia, Alatrium, Verulæ & Ferrentinum, erantque satis restricti inter Volscos, Æquos & Marsos, ubi nunc pars Campaniæ Rom. sub Pontif. in confin. regni Neapol.

Hernuones, Plinius corruptè aliquantò nominat Germanos mediterraneos, qui ipsorum linguâ *Hertuoner* vocantur. Glareanus *ad lib.* 4. *Comment. Cæsaris initio.*

Hero, puella formosissima, ex Sesto Thraciæ urbe ad Hellespontum sita, Veneris sacerdos, cujus mutuo amore correptus Leander Abydenus adolescens, noctu ejus causâ Hellespontum volebat trajicere. Verùm cùm aliquando nimio amatæ desiderio, mari tempestatibus agitato se commisisset, viribus destitutus, submersus est. Cujus cadaver, cùm fluctuum impulsu Sestum esset delatum, Hero doloris impatientiâ, ex editissimâ sese speculâ in mare præcipitavit; sive ut Musæus habet,

Ῥοιζηδὸν προκάρηνος ἀπ' ἠλιβάτου πέσε πύργου.

Item urbs Ægyptiaca, *Hamus* etiam dicta, eo quòd Typhon ibi fulminatus sanguinem suum fuderit. Strabo Heroum civitatem vocat. Stephanus.

Reges Judææ & Chalcidis.

Herodes, Tres hoc nomine Judææ reges fuere. *Herodes* cognomento *Magnus*: *Herodes Antipas*, ejus filius, & *Herodes Agrippa*, Magni nepos. De quibus versiculi,

Ascalonita necat pueros; Antipa Joannem,
Agrippas Jacobum, clauditq; in carcere Petrum.

Vid. infra. Ad Magnum pertinet Augusti jocus, Macrob. *l.* 2. *Saturn. cap.* 4. relatus. Nam cùm audiisset inter pueros, quos in Syriâ Herodes rex Judæorum, intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait, *Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* Nempe illic vivebat,

Observant ubi festa mero pede Sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Uti loquitur Juvenalis. Ab eo nomen acceperunt *Herodiani* secta apud Judæos, quæ Herodem Messiam credidit, unde quidam, illum Judæum fuisse, collegerunt. Vide Scalig. *ad Euseb. pag.* 150. Casaub. *com. in Pers. Sat.* 5. *vers.* 180. Item *Exercit.* 1. *in Baronium. Sect.* 5. & Grotium *Annot. in Matt.* 16. 6. Et Marc. 3. 6. Denique Samuelem Petitum *l.* 5. *Var. Lect.* 2. 1. & 4. 9. qui tamen à cæteris diversus abit.

Herodes I. cognom. *Magnus*, seu *Ascalonita*, fil. Antipatri *Idumæi.* Annos natus 27. præfectus Judææ, Cassium Brutumque sequutus est: dein M. Antonio totum se dedit, cum Phazaële fratre, Tetrarcha Judææ factus. Postea Antonio annitente à Senatu Rom. Rex dictus, & Antigonus, ejus æmulus, capite mulctatus est. Ductâ Mariamme, fil. Alexandri, nepte Aristobuli, Aristobulo fratri ejus Pontificatum contulit, mox eum mergi, & Hyrcanum avum, æt. 80. interimi jussit. Victo ad Actium Antonio, ab Augusto in insf. Rhodo veniam nactus, post reditum Sohemum primò, dein Mariammen necavit: ejus furiis postmodum miserè exagitatus. Exin Alexandram hujus matrem interfecit, nec amicissimis parcens, sororis Salomes maritum, omnesque de stirpe Assamonæorum è medio sustulit: Humanitatem utcunque erga Judæos, pestis famisque tempore, testatus. Reparavit templum, sed & theatro atque Amphitheatro extructo, quinquennales in Augusti honorem ludos celebravit: ab ipso è Syriâ reverso, trium novarum provinciarum dominio donatus. Hinc porro templum in Trachonitide Imperatori sacravit, & Cæsareæ, alio templo condito, Colossum erexit, qui Jovem Olympicum mole æquaret. Agrippam Hierosolymis magnificentissimè excepit, annoque pòst viribus, consiliis suâque personâ ipsi præstò fuit. Hinc Romam profectus est, ut Augustum inviseret, filios dein suos in ejus aulâ educatos, Alexandrum & Aristobulum, in Judæam reversus occidit, superaddito paulò pòst calumniatore illorum Antipatro, quem adhuc privatus genuerat. Unde illa vox Augusti, ut quidam volunt, de qua supra. In morbum implicitus, Judam & Matthiam, Doctores celebres, à quibus concitata juventus aquilam inauratam de apice Templi decusserat, vivos comburi jussit. Infanticidio Bethlemitico & odio nati Messiæ, infamis, miserrimè obiit, postquam suis mandasset, ut quidquid inter Judæos eminebat, necaretur, quo publico luctu sibi parentaretur, A. C. 1. Julian. 46. æt. 71. Pater Archelai, Herodis Antipæ, & Philippi successorum. Crudelissimus, injustissimus, sed & fortunatissimus, testimonio Josephi *Antiq. lib.* 14. 15. 16. & 17. V. Matth. *cap.* 2. & Morerium *Diction. Hist.*

Herodes II. Antipas, fil. Ascalonitæ, post mortem Patris, Judææ tetrarcha. In honorem Tiberii, Tiberiade conditâ, filiam Aretæ Arabum R. duxit. Mox Herodiadem, fratris uxorem, rapuit, priore repudiatâ: Hinc sæpius ab Areta pulsus. Interea Johannis Baptistæ caput puellæ libidini sacrificavit, Marc. 6. paulò pòst Lugdunum, jussu Caligulæ Imper. cum uxore relegatus, ubi miserrimè obierunt. Hic ille est Herodes, qui Christi miraculis auditis, Johannem revixisse credidit, eundemque Servatorem à Pilato ad se missum, post varias interrogatiunculas curiosas, veste candidâ, tanquam sanæ mentis non esset, contectum remisit. Obiit An. Chr. 40. Vid. Jos. *Antiq. libr.* 17. & 18. *de B. J. capite* 2.

Herodes III. Agrippa, aliàs Agrippa M. primus hujus nominis, fil. fuit Aristobuli, ex Berenice, Romam missus, paulo ante mortem Herodis Antipæ, avunculi sui, dexteritate & munificentiâ suâ multorum in aula Tiberii, Antoniæ inprimis, Drusi uxoris, animos sibi conciliavit: Mox cùm pecunia deficeret, Romam reliquit. Sed brevi reversus, cum quibusdam, quos Tiberius suspectos habebat, in vincula compingitur. Inde liberatus à Caligula, & aureâ catenâ, in locum ferreæ, donatus, illam grati animi contestandi ergò in templo Hierosolymitano suspendit. Mox ditiones Philippi, Herodis quoque Antipæ nactus, à Claudio Imper. Samariam insuper & Judæam accepit, Joseph. *Antiq. lib.* 18. & 19. Post neci dein datum Jacobum Ap. in gratiam Judæorum & Petrum in carcerem conjectum, odio Tyriorum & Sidoniorum Cæsaream profectus, ibi Dei appellationem ab adulatore populo sibi delatam non aversatus est: proin ab Angelo percussus & à vermibus corrosus, An. C. 40. vel 43. Act. Apost. *c.* 12. Joseph. *Antiq. l.* 19. Pater Agrippæ II. Vid. *Agrippa.*

Herodes, Chalcidis R. frater Regis Agrippæ M. A' Claudio Imp. jus in templum, sacrosque thesauros, & potestatem Pontificatum conferendi accepit. Hinc Ćantharâ deposito, Josephum primò, dein Ananiam Sacerdotio Summo ornavit. Obiit A. C. 49. Imperii Claudii 8. Ex uxore secunda, parens Aristobuli, Bereniciani & Hyrcani. Joseph. *Antiq. libr.* 20. *cap.* 1. & 3. *de B. J. libr.* 2. *cap.* 11.

Herodes Atticus, vir Consularis, amœno ingenio, Græcaque facundia ita excellens, ut gravitate, copiâ, & elegantiâ omnes alios longè præstiterit. Vide Gellium 1. 2. 9. 2. 19. 12. Vitam ejus habes apud Philostratum. Phavorini & Scopeliani discip. Veri Imp. præceptor. Rufo Perinthio *lingua Gr.* & *Rex Eloquentiæ* dictus. Volaterr. *in Anthrop.* Jul. Capitol. *in Vero.* Item *Herodes*, rex Parthorum, qui M. Crassum occidit. Lege *Herodes* vel *Orodes.*

Herodiani, Secta Judæorum, qui Herodem M. Messiam esse, eo quòd sceptrum à Juda esset ablatum, illo in regnum evecto, credentes, ei adhærebant, & tributum Cæsari dandum esse, contra reliquos, tuebantur. Alii existimant, illos diu post Herodis mortem, ejus diem natalem anniversariâ solennitate celebrasse, & trahunt huc Persii illud, *Sat.* 5.

—— —— At cùm
Herodis venere dies. ——

Quidam tamen id de Herode Agrippa intelligunt. Epiph. *hær.* 20. Tertull. *de præsc. c.* 45. Hieron. *c. Lucifer.*

Herodianus, Grammaticus Alexandrinus, fil. Apollonii cognom. Dyscoli, in aula Imperatoria ut plurimum versatus, condidit histôriarum libros 8. Eos exorsus ab excessu Marci Aurelii Antonini Philosophi; desiit in morte Balbini, & Maximi, ac imperio Gordiani nepotis. Stylus, Photio teste, est elegans, perspicuus, ac talis planè, ut vix historicorum ulli ullâ virtute cedat. Veritati etiam studuit, nisi quòd fides ejus nutet in Alexandro, & Maximino, quod observatum Julio Capitolino *in Maximinis duobus*, ubi ait, *Herodianus, Græcus scriptor, ei, quantum videmus, in odium Alexandri plurimum favit.* Ex illo ceremonias, in Cæsarum inauguratione adhiberi solitas, addiscimus. Angelus Politianus primus eum Latinè reddidit: Alia quædam illi insuper Suidas tribuit. Vixit sec. 3. Jul. Capitolinus, Treb. Pollio, Lampridius, Photius, *cod.* 99. Vossius, *de H. G.* &c.

Herodias, Herodis primi neptis, soror Agrippæ M. ex filio Aristobulo, nupta fuit primùm Philippo. Ab hoc eam abduxit frater ejus Herodes Antipas, quem & in exilium postea secuta est: Quod scelus cùm accusaret Jo. Baptista, fraude & violentiâ Herodis interfectus est. Matth. 14. Hieron. memorat, illam linguam Joh. Baptistæ aciculis compunxisse. Maritum Lugdunum relegatum sponte secuta est, ubi cum illo miserè periit. Jos. *Antiq. l.* 18. *cap.* 7. & 9. Extat etiamnum Herodiadis & Antipæ memorabile monimentum, pyramis lapidea, quam vulgus *duorum amantium pyramidem* vocat. Comest. Hujus filia saltavit coram Herode, & caput D. Joannis Baptistæ petiit. Marci 6. *cap.* Luc. 3. Vid. supra.

Herodicus, nomen Grammatici, ap. Schol. in Aristophan. *Ran. Act.* 4. *sc.* 2.

Herodicus, cognom. Cratæus, discipulus Cratetis, varia scripsit. Vide Suidam. Item, Præceptor Hippocratis. Soranus, *in hujus vita.* Vossius *de Histor. Gr. libr.* 1. *cap.* 21. & *libr.* 4. *capite* 6.

Herodion, cognatus Pauli. Rom. 16.

Herodium, castrum non procul Hierosolymis, in primis memorabile, in tribu Juda naturâ simul & arte munitum, quod Herodes magnus exædificavit: distat ab Hierosolymis sexaginta stadiis;

locus ipse ita se habet. Collis est leniter acclivis, attollens se in manu factam altitudinem, habens mammæ specie circumferentiam: estq; distinctus teretibus turribus, quò ascensu perarduo per ducentos gradus marmoreos ascendebatur. Intus autem diversoria regia magnis impensis structa, tam ad firmitatem quàm ad pulchritudinem, & in pede collis habitationes spectatu dignissimæ, tum propter alia, tum propter aquæductus egregios, magno sumptu è longinquo deductos. Circumjacens regio ædificiis referta est ad justæ urbis magnitudinem, cui collis ille vice arcis imminet: atque ita instructum de suo nomine vocavit Herodium, fuitque ex undecim toparchiis Judææ ordine decimum, Vide Zonar. Jos. &c.

Herodorus, commentarium reliquit de Macronibus, gente Ponticâ, de quo vide Voss. *Hist. Gr. l.3. p.374.*

Herodorus, Megarensis, corpore brevi, sed valido, & vegeto, homuncio, ac tibicen, tantæ fuisse voracitatis dicitur, ut siliginei quidem panis canistros 6. carnium verò 20. librarum pondo solus facilè devoraret, ac vini congios 2. biberet. Cæterùm tubis simul duabus adeò violenter uti solitum tradunt, ut quàm latissimè illarum sonus exaudiretur. Feruntque aliquando, cùm Demetrii milites, ejus scilicet, qui *Urbium Expugnator* est cognominatus, maximam illius machinam, quam Helepolim vocabant, in Argivæ urbis oppugnatione, ob immensam ponderis gravitatem, muris applicare non possent, violento, terribilique hujus duarum tubarum sono excitatos, ac velut adjutos præter omnem spem, machinam illam, quam prius admovere non poterant, urbi haud magnâ cum re admovisse, illamque vi expugnasse. Leon. Tho. *l.3. c.2.*

Herodotus Halicarnassæus, Ciceroni *Parens historiæ, & Historicorum Princeps*, floruit circa an. 450. ante N. C. In insl. Samo dialectum addidicit, ibique scripsit historiam libris novem; quorum quilibet Musæ nomine inscribitur, elogio hoc in ludis Olympicis, post ejus lecturam, impetrato, Suid. Plin. verò *hist. lib.12. cap.4.* in Thuriorum urbe id contigisse narrat, Vid. infra. Cœpit à Cyro Persarum rege, & usque ad Xerxen, memorabilia annorum 240. persequutus est. Secessit in Samum, Lygdami tyrannide offensus, qui tunc in patria regnabat, eoq; expulso, rediit. Postremò invidiæ civium obnoxius, sponte Thurium concessit, Atheniensium coloniam, ubi extinctus est, & sepultus; licèt aliqui Pellæ dicant. Suid. Et quidem hunc Plutarchus, Dio Chrysostomus, & Harpocratio non uno in loco carpunt: defendunt tamen ex recentioribus Aldus Manutius, Joach. Camerarius, Henricus Stephanus, Vossius; ex vett. Dionys. Halicarn. Strabo, Diodorus, Lucianus, Plinius loco suprà citato, A. Gellius, Photius, Suidas: Imo illum Cic. *in lib. de LL. & 2. de orat. Patrem historiæ*, ut dictum, appellat. Vita Homeri ejus non est. Alius ab hoc est *Herodotus*, qui de pubertate Epicuri scripsit, teste Laertio, de quo, uti & de priori, Vossium adi.

Herodotus, alius quidam auctor, frequens in Scriptorum vett. ore. Vid. Voss. toties laudatum, *de Hist. Gr. p.374. 375.*

Heroes, dicti sunt à veteribus viri nobiles, & illustres, qui mortales cùm essent, rerum tamen à se gestarum magnitudine, quàm proximè ad deos immortales accesserunt, eamque apud vulgus opinionem emeruerunt, ut post mortem in Deorum numerum credantur relati: Quales fuerunt semidei illi, de quibus fabulatur antiquitas, quos altero parente Deo, altero mortali, prognatos credebant. Hesiodus,

'Ανδρῶν Ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
Ἡμίθεοι. —— ——

Ubi Proclus: Ἡμιθέους δὲ ὡς τὸ μὲν ἔχοντας θεῖον, τὸ δὲ ἀνθρωπικὸν κατὰ τὴν γένεσιν, ὥσπερ οὖν ἐστὶ θεῶν μόνων, τὸ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν καὶ ἀνθρώπων, οὕτω δὲ τὸ σύμμικτον ἐκ τε θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἡμίθεοι λέγονται. Lycophron *in Alexandrâ* ἡμιθνήτους nuncupat,

Τοῖς ἡμιθνήτοις διπτύχοις Λαπερσίοις.

Ubi Tzetzes: Ἡμιθνὴς, καὶ ἡμίθνητος διαφέρει, ἡμιθνὴς γὰρ λέγεται ὁ ψυχορραγῶν, καὶ ἤδη τὸ ἥμισυ θανὼν, ἡμίθνητος δὲ, ὁ τὸ ἥμισυ ἔχων θνητὸν, καὶ τὸ ἥμισυ ἀθάνατον, ἤτοι ἡμίθεος. Vide Hieroclem *ad Aurea carmina Pythagoræ*. Lucianus 3. *Dialog. Mortuorum*, definit Heroa hunc in modum: Ἥρως ἐστὶ μήτε ἄνθρωπος, μήτε θεὸς, ἀλλὰ συναμφότερος, *Neq; homo est neq; Deus, sed utrumq; simul.* Sed Ἥρως, unde sit, non convenit. *Heroas*, inquit Servius *ad Eclog. 4. quidam à terrâ dictos volunt, quòd terra* ἥρα *dicta sit, unde initio nati creduntur homines, qui nomen à matre traxerunt.* Ubi pro ἥρα legendum ἔρα, nam ἥρη est Juno, hoc est, *aer.* Mart. Capella *lib.2. A medietate aeris, usq; in montium, terræq; confinia, hemithei heroesq; versantur, qui ex eo quòd Heram* (lege *Eran*) *terram veteres dixerunt, heroes nuncupati.* Sed Platoni *in Cratylo* placet id nomen esse ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, id est, ab *amore*, quòd videlicet Heroes vel ex amore eorum erga mulieres humanas, vel amore virorum erga Deas sint geniti. Sic enim ille, SOCR. Οὐκ οἶσθα ὅτι ἡμίθεοι οἱ ἥρωες; HER. Τί οὖν; SOCR. πάντες δήπου γεγόνασιν, ἐρασθέντες, ἢ θεοὶ θνητῆς, ἢ θνητοὶ θεᾶς. V. & Dionys. Halicarn. 1. *Antiqu. c.78.* Et hanc ob causam Cicero *Heroica tempora* vocavit, quibus Hercules, Castor, Orpheus, & alii hujus generis, ex Diis, ut credebantur, geniti floruerant. Unde Catullus *de Argon.*

Heroes, salvete Deûm genus.

Vel, secundùm eundem Platonem, *Heroes* nomen habent ἀπὸ τοῦ εἴρειν, id est, *dicere*; Antiquâ enim, ut ait, Atticorum linguâ ἥρωες ii, qui dicendi, seu interrogandi facultate valerent, appellati sunt. Itaque Oratorum, quod addit, & Sophistarum genus, est Heroica natio. Hierocles, ἩΡΩΕΣ δὲ ὡς ἐρωτές τινες ὄντες. καὶ εἴροντες, οἷον ἐρωτικοὶ, καὶ διαλεκτικοὶ ἐρασταὶ τοῦ θεοῦ. Alii denique sic dici arbitrantur ἀπὸ τῆς ἥρης, id est, à *Junone*, uti tradit August. *lib.10. de Civ. Dei cap.21.* & ex eo Isidorus 8. 9. nempe quia aer est dicatus Junoni, ac *heroes* putantur post obitum in aere cum dæmonibus habitare; quod & superior Capellæ locus indicat, ac hic Hesiodi versus confirmat:

Ἠέρα ἑσσάμενοι πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.

Quin & Philo *lib. de mundo* ἥρωας καὶ δαίμονας Græcis dictos scribit, quos Moses ἀγγέλους appellavit, qui inter Deum & Homines medium locum obtinent, sc. inter Cœlum & Terram. Atque huc pertinent, quæ & Jamblichus de differentia Dæmonum, Heroum, & humanorum animorum in *de Mysteriis* disputat. Thales verò hominum animas jam separatas corporibus, *heroes* appellavit, quemadmodum Athenagoras Legatione pro Christianis observat. Quò fortasse Virgilius respexit *Æn. 6.*

Atq; huic responsum paucis ita reddidit heros.

Ubi *heroem* de animâ Musæi dixit.

Atque hæc ostendunt, ut se torserint Græci in hujus vocis etymo. Sed verisimile est, id vocabulum originem potius Chaldæis debere. Nam his חורין dicuntur *nobiles, liberi candidati* ἥρωες, uti docet Fabricius in Dictionario Syro-Chaldaico. Hinc *Herois* fœmina nobilis. Stat. *Sylv. 3.*

Quæ veteres Latias, Grajasq; Heroidas æquas.

Propert. 1. 12.

Illa sit Inachiis & blandior Heroinis.

Herosfelda, vulgò *Hirschfeld*, opp. Hassiæ, ad Fuldam fluv. antea Abbatia celebris, nunc sub Landgr. Hasso-Cassellano, pace Monaster. 5. milliar. Germ. à Fulda urbe in Sept. 7. à Cassela in Meridiem.

Heromith, villa in Daroma, in tribu Juda. Hier. *in L.H.*

Heron I. Diaconus primò, dein Ep. Antioch. post Ignatium, an. 110. Obiit martyr. an. 131.

Heron II. Episc. Antiochenus, ab an. 143. usque ad 170.

Heron, Alexandrinus, cognom. *Senior*, & alius sub Heraclio *Junior* dictus: Mathematici insignes, scriptis inclyti. Baldus, *in vita Heronis.* Blancanus, *in Chron. Math.* Voss. *de Math.*

Heron, Atheniensis orator, scripsit commentarios in Herodotum, Xenophontem, & Thucydidem. Suid.

Heron, martyr sub Decio Imp. An. Dom. 251.

Herona, Dalmatiæ urbs. Ptol.

Herone, promunt. Indiæ intra Gangem. Arrianus.

Herophila, nomen proprium Sibyllæ Erythrææ, quæ Tarquinii tempore Romam venit, tresque secum libros attulit heroico carmine conscriptos: quorum nomine quum magnam pecuniæ summam à Rege petiisset, nec obtinuisset, duos exussit: uniusque qui reliquus erat, nomine tantundem obtinuit, quantum paulò antè pro tribus poposcerat. Suidas. Vide *Eriphila* & *Heriphile*. Aliis *Herophila*, est Sibylla Samia, quæ claruit in Samo insula, autoribus Euseb. August. & Cassiod. circiter annum mundi 3297. ante Christum natum 665. Eratosthenes in antiquis Samiorum annalibus se reperisse scribit, hanc dictam fuisse nomine *Phyto*.

Herophilus, Medicus celebris, Phalaridem sanitati restituit. Circa Olymp. 53. Plin. *lib. 11. cap. 37. lib. 20. cap. 2. lib. 25. cap. 1. lib. 26. cap. 2. & 3. & lib. 29. cap. 1.* Cic. *quæst. Acad. libr. 2.* Plut. *de placitis Phil. lib. 4. cap. 22. & lib. 5. cap. 2.* Tertull. *l. de Anima, c. 10.* Neander *in Syntagm. de Medicis vett.*

Heropolis, Heroum civitas, in Ægypto ad sinum Arabicum. Ptol. Melæ *Heropoliticum*. Nunc *Herou* seu *Heroua*, opp. prope oram sinus Arabici, 90. milliar. à Pelusio in Austrum, Baudrandus.

Heropolites, Ægypti nomus. Plin.

Heros, vir sanctus, Arelatensis Episcopus, à populo innocens pulsus est, & Patroclus ordinatus, quæ res inter Episcopos magnarum discordiarum causa fuit. A. D. 414.

Herostratus, vide *Erostratus*.

Heroum, civitas Ægypti: Hucusque occurrit obviam venienti patri suo Jacobo Joseph filius. Joseph. *lib. 2. antiq. cap. 7.* Vid. *Heropolis*.

Herpa, op. in Sagarausenâ Cappadociæ reg. ad Carmalium fluv. Strabo.

Herpeditani, Maurit. Tingitanæ pop. Ptol.

Herphe, Armeniæ urbs.

Herse, Cecropis filia, formæ præstantissimæ, à Mercurio adamata, cui soror Aglauros invidens, & Mercurium, à quo aurum pacta erat, ut illum sorori conciliaret, introitu prohibens, in lapidem versa est. Ovid. *Met. 2.* Cæterùm ex Herse & Mercurio natus est Cephalus. Apollod. *l. 3.*

Hersephoria, vide Castellanum in Ἀρρηφορία.

Hersilia, uxor Romuli, quam rapuerat Sabinis inter alias virgines,

gines, cùm ex invidiâ filias suas Romanis collocare recusarent. Hæc postea à Junone immortalitate donata & in Oram Deam mutata est, Vide Liv. *l.* 1. Ovid. *Met.* 6. *&* 14. Nam mortuis honore Deorum consecratis nomina immutabantur, ne crederentur mortales fuisse. Sic Romulus, mutato nomine, dictus est Quirinus. Quin & Hersilia *Horta* etiam dicta, ut Plutarch. refert *in libro Problematum*, eo quòd juvenes ad virtutem & res gerendas *hortetur*. Hanc Romani suo Quirino, perinde ut uxorem consecrarunt, significantes imperium non desidiâ & otio, sed virtute, & fortitudine parari, atque conservari: Virtutem verò bellicam niti flore juventutis, Hersilia enim apud Romanos erat, qualis Hebe apud Græcos.

Herta turris, Lazio *Erdeuudy*, locus cum cœnobio, in Pannonia inf. in insul. intra Danubium apud rudera Teutoburgi urbis excisæ, inter Bathiam, & Bononiam 5. leuc. à Mursa 3. in Ortum, à Quinque Ecclesiis 10.

Herthus & *Hertus*, Suevorum & Borealium Germanorum olim Dea: ut & eorum Anglorum, qui, cum Saxonibus Britanniâ occupatâ, nomen ei suum indiderunt. Cultum & immanitatem Deæ refert Tacitus *de Germ. mor.* ubi *Herthum* Terram Matrem interpretatur, inque Balthico mari, quod fortè per Oceanum ibi intelligit, insulam esse ait, *Casto* luco & penetrali *Herti* Deæ insignem. Meliùs forsan *Hertha* scribitur, hodieque vox Germanis in usu est, pro foco, & solo, sicut Saxon. & Angl. *Earth*, pro terra, à Græco ἔρα. In Anglia, ingentia illa saxa, quæ in planitie Salisburiensi conspiciuntur, *Herthi* templum videntur indicare. Cùm enim terra orbis sit, in aëre suspensus, hæc ipsa rudera orbicularis templi vestigium præferunt, saxis aliis ita aliis impositis, ut pendere quædam magis, quàm suffulciri videantur: inde *Stoneheng*, i. saxa pensilia, dicta. Hac templi specie terram coluere veteres, *Magnam* eam *Matrem* nominantes, quòd, ut cœlum Deos, sic ipsa Deos pariter & homines, cæteraque animalia procreasset, rerumque omnium custos esset & origo: ut Lucretius *lib.* 2.

Quare magna Deûm Mater, Materq; ferarum,
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una.

E plurimis enim terræ facultatibus, plurium sibi effinxit Ethnica stultitia Numinum appellationes: quibus interdum illas facultates, interdum Terram ipsam adumbrabant, Cybeles, Idææ, Opis, Rheæ, Majæ, Cereris, Isidis, Heræ, Hecates, Proserpinæ, aliorumque Infernalium, quæ unà, licèt ignotis nobis vocabulis, populi Boreales ante alia coluere. Ea enim terræ fructibus præesse opinati sunt virtutemque vegetantem hyeme in latibula Terræ receptam, conservare: vere & æstate in mortalium usus reddere fœcundissimam. Vim etiam gignendi & procreandi penès illa esse: largitaque hanc ex abundanti Aquilonem incolentibus, cultum vicissim abundantiùs vindicare. Hinc in Infernalium honorem, temporis spatia, non per dies & annos, ut cœteræ gentes, sed per noctes & hyemes, Boreales populi numerabant: juxta illud Taciti, *Nox diem ducit*. Et hinc nocturna illa sacrificia, calentesque humano sanguine hecatombæ: Inferis gratæ, ob sævitiam, Terræque propter effusi cruoris fœcunditatem. Unde Ovidius:

Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Cùm autem omnia ista Numina in Terræ penetralibus, tanquam in utero matris suæ, foverentur: honores Terræ impensi, ad singula pertinebant: ideoque unà in Terræ simulachro, velut in Pantheo, colebantur. Simulachrum Tacitus non describit; quòd in vehiculo tectum, (ut in terra sunt omnia) soli innotuerit sacerdoti. Intro tamen fuisse, prodit: Nam *Deam*, ait, *templo reddi & Numen ablui*. Quale apud Barbaros fuerit, nusquam fortè constiterit. Sed, ut in aureis nummis M. Figuli & antiquis aliis Romanorum, deprehenditur sub Cybeles effigie: Matrona nempe erat turrigero capite; cui Servius, *Æn.* 10. clavem addit, quòd tempore verno aperitur, hyemali clauditur. Lucretius *loco supra citato*, Terram Deam plurimis descripsit: & sic inter alia canit:

Hanc veteres Grajûm docti cecinere Poëtæ,
Sublimem in curru bijugos agitare Leones:
Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neq; posse in terra sistere Terram.
Adjunxere feras, quia quamvis effera proles,
Officiis debet molliri victa parentum,
Muraliq; caput summum cinxere coronâ,
Eximiis munita locis quia sustinet urbes:
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur divinæ Matris imago &c.

Virgilius hæc multò succinctiùs, *Æneid.* 10.

Almaque parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræq; urbes, bijugiq; ad frena leones.

Hi Leones in curru jungunt, ratione à Lucretio redditâ. Tacitus verò boves fœmineas, agriculturam & ubertatem significaturas. Priscæ hujus insaniæ in hunc usque diem reliquias exstare in Anglia, non solùm enim septimanas per noctes edicunt, ut *Senights*, *Fortneights*, sed & fluvios plures habent Isidis nomine insignes, refert Henr. Spelmannus *Glossar. Archaol.*

Hervæus, cognom. *Brito* seu 14. Ordinis Dominic. doctrinæ S. Thomæ celebris defensor. Scripsit commentarios in 4. libb. Sent. impressos Venetiæ, an. 1503. & Parisiis, an. 1647. cum *tr. de potest. Papæ, &c.* Item Benedictinus Burdigal. auctor comment. in epist. Paulinas, &c. Vide Morerium *Diction. hist.*

Hervæus, Archiepiscopus Remensis an. 900. Cancellarius Galliæ, sub Carolo Simplice: cui non satis gratus, Robertum æmulum ejus Remis coronavit, an. 922. triduo pòst mortuus. Flodoard. *l.* 4. *c.* 11. *hist. Rem.* Aimon. *in supplem. l.* 5. *c.* 42. &c.

Heruli, pop. à Francis ad Parmam cæsi, an. U. C. 1312. dicuntur etiam *Langobardi*, ab insulâ Scandinaviâ egressi, inquit Aimonius monachus. Lloyd. Horum quoque regio Mechelburgia Duc. putatur. Ferrarius. Ultra Danubium veteres gentis sedes. Procopius. Hi tempore, & multitudine, & vi supra vicinos aucti, Langobardos ad tributum coëgere: postea ab his, quos durius habebant, cum duce Rodulfo victi, cùm sedes avitas tutari nequirent, venere ad eum tractum, quem Rugii olim tenuerant, cum Gotthis Italiam ingressi. Sed pars urgente fame, sterili quippe vastaque humo, inde recedentes proximè Gepidas se locarunt: à quibus indignè tractati, transierunt Danubium, imperante Anastasio, qui eos, cùm sæva in Romanos cœptassent, misso exercitu vicit, pollicitisque, se in posterum in obsequio ac militia Imperatoris fore, pepercit. Ita *Herulorum* servatæ reliquiæ, neque tamen Romanis aut auxilio, aut usui fuere. At postquam compos Imperii Justinianus agros dedit fertiles muneraque adjecit, permoti benignitate ejus *Heruli*, non societatem modò, sed Christianam pietatem induerunt. Inde traducta in clementius vita, plenaque Christianorum ex institutis agere cœperunt, mansit tamen infidus animus & alieni cupiditas, cujus nulla apud ipsos infamia. Secutis temporibus, paucis in societate Rom. manere placuit, reliqui, interfecto Rege suo Ochone, dissidiis collisi sunt. Pars enim è Thule, in qua Herulorum à Langobardis victorum quidam consederant, regem petiere, Todasium nomine: pars ab Imper. accepere, nomine Suartuam: quo neglecto Romanam ultionem metuentes Gepidis se addiderunt, unde defectionis origo. Eorum, qui fidi mansere Romanis, 400. duce Pharâ, Belisario: 2000. Narseti militarunt; quo digresso, in Italia manere recusantes, vasis collectis primùm Liguriam adivere, ubi reperto Vrajæ exercitu, mancipia & pecora hostibus vendidere, magnisque pecuniis acceptis jurejurando se obstrinxere, nunquam se in Gotthos manum commodaturos. Ita paratum nacti abitum in Venetiam se contulerunt, mox pœnitentiâ admissi in Justinianum subeunte, legatos Byzantium misere: paulo pòst, hujus auspiciis, Slavorum victores: Narseti quoque, cujus inprimis studiosi erant, contra Totilam auxiliati. Reliqui, qui ad Gepidas defecere, duce Aordo, cæsi sunt à Romanis. Vide Procopium *lib.* 1. *&* 2. *Histor. Vandal.* Hugo Grotius, post Taciti tempora *Herulos*, Rugiosque in Scanziam penetrasse, suosque habuisse Regulos: inde à Danis, non multùm ante Justiniani tempora, sedibus suis pulsos fuisse docet. Eorum Regem Gethen, an. Chr. 528. Baptismo initiatum esse, refert Pantaleon *in Chron.* Mistævo postea eorundem R. ob negatam à Bernardo D. Saxoniæ, cum quo Ottoni II. Imper. in Italia contra Saracenos militaverat, filiam & ingestum à M. Theodorico convitium, *canem* non morsurum minus, quàm latraturum, protestatus, Saxoniam horrendum in modum depopulatus est, & Christianâ fide extinctâ universum Slavicum nomen ad Deorum gentilium cultum reduxit. Tandem tamen ipse senex conversus, an à suis pulsus, an sponte exul, Bardovici reliquum vitæ exegit. Pater, præter alios, Udonis, à quo Wandaliæ & Megapolis: & Ratibori ac Bogislai, unde Pomeraniæ Principes orti sunt. Udo, summus Christianorum osor, cùm aliquandiu *Herulos* rexisset, tandem ab aliquo Saxone transfuga cæsus est: cujus necem fil. Godescalcus in Saxonibus vindicavit: cœterùm cùm apud suos fidem propagare vellet, ipse ejus præco, à subditis occisus anno Chr. 1066. duos reliquit filios Buthuen & Henricum: quorum ille à Critone Rugio pulsus, & postquam à Saxonibus restitutus esset, per insidias sublatus est. Hic Critonem sustulit, Rugiosque sibi subjecit: cujus ex Suantipolco filio nepos Suinico an. C. 1131. Erdenoburgi occisus est: post quem Canutus Danus regni titulum, & jus sibi vindicavit: quo occiso Buthuenis filii Pribislaus & Nicolotus, uterque idololatra, regno potiti sunt. Verùm illo à Rugiis capto, hic ab Henrico Leone & Alberto Urso toto penè regno exutus, in prælio cecidit, majorque pars gentis bellis suppliciisque exhausta, reliquiæ exsortes omnis dignitatis esse jussi, aut in Poloniæ fines rejecti sunt, novis è Frisia & Saxonia colonis introductis. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in familia Vandalica, in qua Herulorum Reges, &c.* Item infra in voce *Vandali.* Nudos olim *Herulos* pugnasse, corporis verecundis solummodo opertis, narrat P. Warnefridus *de gestis Longob. libr.* 1. Eosdem Deos humanis victimis placasse, senes & morbidos neci dedisse, horum quoque conjuges vitam sibi laqueo abrumpere, ni mariti cognationem famamq; adversam habere vellent, coëgisse: Veneris nullum exhorruisse nefas, levitate, stoliditate, sceleribusque omnes alios populos superasse, refert Procopius supra laudatus *Goth. histor. lib.* 2. *ubi de illis prolixe disserit.* Vide quoque Grotium *Prolegom. in hist. Suecorum, Gothorum & Wandalorum.* Eorum mentio fit Itiner. *lib.* 4.

Nos Ducibus qui nunc Herulos, Henetosq; gubernant.

Hervordia, vulgò *Hervorden*, urbs Imper. & Hanzeat. Westphaliæ

phaliæ, in Comitat. Ravespergensi, sub Elect. Brandeburg. 10. mill. Germ. à Monasterio in Ortum, Mindam versus. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 28.

Herus, quintus Antiochiæ ecclesiæ Episcopus, an. Dom. 143.

Herzegovina, vulgò *Herzegovin*, prov. Dalmatiæ, antea *Chulmia*, cujus caput Naro, *Narenza*, pars est regni Serviæ. Tota sub Turcis, versus sinum Naronensem.

Hesa, vel *Hasa*, urbs Siciliæ. *Sil.* 14.

Venit ab amne trahens nomen Gela, venit & Hesa.

Hesanus, mons qui Pæoniam & Mediam distinguit. Aristot. *initio Mirabilium narrationum*, alibi tamen *Histor. Anim.* 9. 45. *Messapus* dicitur.

Hesajas, vide *Isajas*.

Hesdinium vetus, Quantiæ flum. appositum est, in Morinorum & Ambianorum confinio: cujus castri vel municipii pars ad diœc. Ambianensem, pars ad Bononiensem pertinet. Nunc castellum munitissimum est Atrebatensis Comitatus, Gall. *Hesdin.* Sub Gallis, ab an. C. 1639.

Hesebon, civitas, in quâ habitavit Sehon rex Amorrhæorum, Num. 21. quam ædificaverunt filii Ruben, Num. 31.

Heser, civitas à Solomone ædificata. 3. Reg. 9.

Hesidrum, Indiæ fluv. Plin.

Hesiodus, poëta natus in Ascrâ Bœotiæ vico, unde & *Ascræus* dictus. Hic missus à patre, qui Cumis pulsus Ascram concesserat, ad ovium custodiam, dormiens somniavit, se repentè poëtam factum. Scribit Pausanias, ejus carmen adhuc suo tempore in plumbeis tabulis in Musarum templo (cujus sacerdos Hesiodus fuit) servatum fuisse. Scripsit Poëmata, *Clypeum*, *Theogoniam*, unde eum *fabularum authorem* Quintilianus dixit, Ἔργα καὶ Ἡμέρας, *Opera & Dies*, librum παραινετικόν, & *moralem*, quem ediscere Græci pueri solebant, quemadmodum & Leptæ Cicero præcepit, *libro 6. Famil. Lepta suavissimus ediscat Hesiodum, & habeat in ore*:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν,

Sudorem posuere dii Virtutis ad arcem.

Item Γεωργικά, nam qui illud unum & idem opus esse cum Ἔργοις putant, valdè falluntur, ut eruditè ostendit Heinsius *in Introductione ad Hesiodi libros*. Fuit Hesiodus posterior Homero annis 120. circiter, ut Vellejus auctor est *lib.* 1. *cap.* 7. Alii verò majorem Homero; nonnulli æqualem prodiderunt. Vide Gellium *lib.* 3. *cap.* 11. & *lib.* 17. *cap.* 19. & 21. Jul. Scaliger, *lib.* 1. *Poëtic. cap.* 5. iis accedit, qui majorem statuerunt: *quòd major simplicitas, & quasi rudior antiquitas in Hesiodo appareat.* Contrarium Eustathius, commentator Homeri, non uno in loco probat; inter alia ex eo, quòd Nilum Homerus non Νεῖλον, sed Αἴγυπτον, quæ vetustior fluvii hujus appellatio est, vocet; item quòd publicis in ludis certantes Ζώματα præcinctos introducat, cùm Hesiodi tempore penitus nudis luctari mos esset, quod demum tum factum, cùm Orsippus quidam istiusmodi fasciæ solutione præpeditus, ab Antagonista superatus est. Porro quo casu in Locris interfectus sit Hesiodus, & in mare projectus, ex quo cadaver recens in litus exportarit grex Delphinorum, interfectores verò ejus inventi, atque in mare demersi sint, ædibus ipsorum succensis prius, optimè narrat Plut. *in convivio 7. sapientum*, & *lib. de industriâ animalium*, ubi autores cædis à cane proditos narrat. Vide quoque Plut. Euseb. Vossium, *de Poët.*

Hesione, Laomedontis Trojæ regis filia: quam Hercules ceto expositam liberavit. Verùm cùm Laomedon, accepti beneficii immemor, pactam ei mercedem denegaret. Hercules hominis perfidiam ægrè ferens, Trojam diripuit Hesionemque Telamoni, qui primus murum conscenderat, uxorem dedit. Ovid. *Met.* 11. Virgil. *Æneid.* 8.

Hesli, pater Nahum, patris Amos. Luc. 3.

Hesmona, locus in quo castrametati sunt filii Israël profecti de Metha, dividens Ægyptum, & sortem tribûs Judæ ad mare usque tendentem. Num. 33.

Hespera, insula valdè magna, olim Amazonum sedes, Diodorus *libro* 3.

Hesperia, nomen tam Italiæ, quàm Hispaniæ commune, Italiæ quidem ab *Hespero* Atlantis fratre impositum, qui à fratre pulsus regionem eam tenuit. Hispaniæ verò ab *Hespero* stella, quæ vesperi ad Occidentem apparet, propterea quòd hæc regio omnium extrema sit ad Occidentem, unde & *Hesperiam ultimam*, à poëtis ferè videmus appellari, ut eo, veluti peculiari epitheto, ab Italiâ distinguatur. Horat. *Carm.* 1. *Od* 36.

Qui nunc Hesperiâ sospes ab ultimâ, &c.

Quoties verò *Hesperiam*, sine adjectione dicimus, *Italiam* fere intelligimus. Horat.

Dii multi neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosa.

Idem alibi,

Longas ô utinam Dux bone ferias
Reddas Hesperiæ. ——

Item *Hesperia* urbs Cyrenaicæ apud Pompon. quam Olivarius dicit nunc vocari *Bernio*.

Hesperides, Hesperi, fratris Atlantis, filiæ, *Ægle*, *Arethusa*, & *Hesperethusa*, quas poëtæ fabulantur habuisse hortos, nemore aurifero pretiosos, à dracone pervigili servatos, quem Hercules dicitur interfecisse, pomaque aurea ad vitricum Eurystheum retulisse. Plinius & Solinus interpretatur fuisse æstuarium maris, meatu flexuoso instar draconis, quod hortos Hesperidum amplectebatur, ubi præter oleastrum, nihil aliud ex narrato illo aurifero nemore extare prodiderunt. Varro per mala aurea, oves intelligit, quas Hercules ex Africâ in Græciam exportaverit. Nam μῆλον apud Græcos significat *ovem* & *pomum*. Vide Diod. Sic. *l.* 5. *Bibl.* Nat. Com. 7. 7.

Hesperides, quæ & *Gorgades*, insulæ maris Atlantici, contra Hesperium cornu promontorium, à Lusitanis detectæ, & coli cœptæ, quibus etiam nunc subsunt, hodie *Ilhas Verdes*, vel *Islas de Cabo Verde* Lusitanis, *Zout Eylanden* Belgis, *les Isles du Cap Verd* Gallis, *Isole di capo Verde* Italis. ibi maxima salis copia. Vide & *Cassiterides*. Baudrando distant 150. leuc. in Occas. ab Arsinario promontorio, seu Cap. Viridi; suntque decem. Præcipua est *S. Jacobi* Ins. in ejus parte Austr. & cum aliquot aliis oppidulis. Aliæ sunt, S. Luciæ, *Santa Luzza*, probè culta & ampla, ad Boream S. Jacobi; S. Nicolai, *San Nicolao*, ampla etiam & culta, prope S. Luciam; S. Vincentii, *San Vincente*, circuitus 90. mill. pass. uti ins. S. Antonii, *Ilha de Sant Antonio*, utraque satis culta. Minores dein Ins. Salis, *do Sal*, Boni visus, Maji, Ignium & Brava, vulgò *de Boa Vista*, *do Mayo*, *do Fuego*, & *Brava*. Aliis tamen Gorgades fuerunt ins. Capitis Viridis, Hesperides autem nunc Cuba, Hispaniola & aliæ Ins. in America Septentr. & mari Boreal. versus sinum Mexicanum, cùm dixerint Antiqui, Hesperides distare 40. dies ab ora Africæ. Sed de his nil certi.

Hesperidum horti, describuntur à Virgilio & Solino in Mauritaniâ Tingitanâ prope Lixum urbem. Item à Plinio ad Syrtim magnam, sed idem eos quoque ponit in Pentapoleos regione, ubi etiam à Ptolemæo statuuntur. Hoc loco à Strabone Hesperidum lacus designari videtur.

Hesperii Æthiopes, pop. in Africâ. Ptol. quos Joan. Barrosius *Pangelungos*, regi *Manicongio* subditos appellat. Fuerunt ubi nunc regnum Congi, cum annexis regnis Loangi & Anzicanorum in illo tractu. Sanson.

Hesperii alii, pop. Libyæ, in ora, ad Oceanum Atlant. ad Lethæum fluv. apud Hesperium promunt. *Bisnege* & *Mandangan*, Lusitanis dictum.

Hesperion cornu, Ptol. Plin. & Melæ, Africæ aut potius Libyæ promontorium, quod Mercator *Capo bianco* interpretatur, Hispanis verò *Cabo Verde* in ora maris Atlantici contra Hesperidas insulas. Græcè Ἑσπέριον κέρας. Aliis *Capo di Sierra Liona*, 70. circiter leuc. in Austr. ab ostio Mer. Nigri fluv. in parte Orientali Guineæ, ubi quædam Coloniæ Europæorum.

Hesperita, Diodor. *lib.* 18. Barcæis finitimi, Libyæ gens, inter auxilia Thimbronis Cyrenenses vexantis.

Hesperius, mons in Æthiopiâ, juxta quem campi Stellarum modo noctu nitent. *Plin.* 2. 106.

Hesperus, filius Japeti, & frater Atlantis, qui à fratre regno pulsus, in Italiam sese contulit, regionemque eam *Hesperiam*, de suo nomine appellavit. Diodorus *lib.* 2. ait, Hesperum hunc Atlantis montis cacumen ascendisse, ut ex loco eminentiore astrorum cursum commodius observaret, nunquam autem deinde comparuisse. Quo factum est, ut vulgus in astrum illud lucidissimum versum putarit, quod manè solem præcedens *Luciferum*, vesperi subsequens, de nomine ejus *Hesperum* appellamus. Vide Nat. Com. 4. 7.

Hesrai, nomen viri. 2. Reg. *cap.* 23. qui *Hesron*. 3. Par. *cap.* 11. dicitur.

Hesron, civitas quæ est Azor in tribu Judâ, Jos. 15. Filius Ruben. Gen. 46. filius Pharez filii Judæ, Gen. 46.

Hesronitæ, pop. Num. 16.

Hesseni, vide *Esseni*.

Hestiaa Alexandrina, dissertationem edidit, Utrum, quæ Homerus de bello circa Trojam gesto cecinit, historia, an fabula, sint. Quam rem plenius docet Strabo *libr.* 13. Aliqui *Histiaam* vocant.

Hestiaa, Thessaliæ pars. Strabo 13. Homero oppidum est Eubœæ, & alia Acarnaniæ, Steph.

Hestiaus, Tyrannus Milesius. Herodot. *lib.* 5.

Hesus, Gallorum Deus. Lucan. *lib.* 1.

Teutates horrensque feris altaribus Hesus.

Bochartus Martem fuisse putat; *Hesus*, inquit, *propriè fortem sonat*, ut Ebræis *Hizzuz*: Inde Marti factum nomen apud Phœnices, Quod ex Jamblicho docet Julianus ὁ παραβάτης, *Orat. in Solem*: Ἄρης Ἄζιζος λεγόμενος ὑπὸ τῶν οἰκούντων τὴν Ἔδεσσαν Σύρων.

Hesychius, Patriarch. Hierosolymitanus, post Hamosum, anno 601. à Gregorio Magno monitus, ut Simoniam in sua Diœcesi extirparet, Obiit an. 609. Gregor. *lib* 9. *epist.* 40. Item Episcopus Salonensis in Dalmatia, auctor libb. 7. explicationum, in Exodum. Sub Honorio an. 418. Ejus meminere Zosimus P. *ep.* 1. Augustin. *ep.* 78. 80. & *de Civ. D. l.* 20. *cap.* 5. Item, discipulus Gregorii Naz. an. 400. Sub Arcadio & Honorio. An Commentarii insignis

in

in Leviticum auctor? An alius, presbyter Hierosol. qui seculo 5. floruit, cui etiam histor. Eccles. citata Concil. 5. anno 553. tribuitur? Vide Morerium *Diction. Histor.* Item, Episcopus Ægyptius, Martyr. Euseb. *Hist. lib.* 8. *cap.* 25. Cui Hieronymus novam Scripturæ editionem attribuit, in Ægypto postmodum usurpatam. Item, Presbyter Constantinop. auctor libri de æneo serpente. Photius, *cod.* 51. Item, Presbyter Hierosolym. auctor elogii S. Jacobi, Davidis, Andreæ Apost. Bibl. PP. Volum. 15. *pag.* 821. *edit. Morel. &c.* Vide infra.

Hesychius, Milesius, Advocati fil. Sophista, cognomento *Illustris*, qui tempore Anastasii Principis floruit. Scripsit inter alia universalem historiam, à Belo ad hunc: quam *Romanam* & *Omnigenam* inscripsit. Phot. *cod.* 69. Vide Vossium *de Hist. Græc.* 2. 22. Aliis autem ab hoc est *Hesychius*, ὁ ταχυγράφος, h. e. *Notarius*; cujus meminit Georgius Codinus *libro de Originib. Constantinop.* Item *Hesychius* Grammaticus, *Glossographorum longè principem* Casaubonus *in Athen.* vocat. Idem *Epist.* 49. *Omnium veterum Criticorum, quos habemus hodie, longè si quid judico, doctissimus, & serio Græcantibus apprime utilis.* Ex nuda indicis percursione, structorem vocabularii illius (rem nondum omnibus creditam) patebit Christianum fuisse. Quis enim (ut novi Fœderis tot ῥήσεις mittam) Evangelistas, Apostolos, Prophetas, Prophetarum expositores, à verâ fide alienus suo operi inseruisset? Pricæus *præfat. ad Ind. Alphab. Scriptorum qui in Hesych. Græc. vocab. laudantur.* Gregorii Nazianzeni auditorem ac discipulum vocat Flacc. Illyr. *Catal Test.* cui etiam vir in divinis Scripturis multùm versatus, & Hierosolymitanæ Ecclesiæ Presbyter dicitur. Floruit an. Chr. 400. *Sixt. Sen.* 601. Bellarm. Obiit Gualterio anno Chr. 609.

Heth, nomen populi. Gen. 23.

Hethæus, filius Canaan. Gen. 10. à quo *Hethæi* pop. Gen. 15. dicuntur & *Hitthæi*. Vide Boch. *Phaleg.* 4. *c.* 36.

Hethalon, urbs, terminus Judææ ad Septentrionem. Ezech. 47. In tribu Aser.

Hetho, *Haito*, seu *Otho*, monachus primùm Augiensis, dein Præsul Basiliensis, magnâ apud Carolum Magnum gratiâ, ei à consiliis fuit: ab hoc, cum Hugone Turonum Comite, missus ad Orientis Imper. aliisque gravissimis Imperii nomine legationibus functus, Episcopatum abdicavit, an. Chr. 822. Obiit an. C. 836. Rhegino *l.* 2. Hermannus Contractus, Alii.

Hetlandica Ins. vide *Schetlandica*.

Hetriculum, Brutiorum oppidum, Livio, quod hodie *Latarico* vulgus vocat, teste G. Barrio, inter Lampetiam & Dampetiam, 6. m. p. à Marcopoli.

Hetruria, quæ & *Tuscia*, regio Italiæ, Tyrrheno mari incumbens, ad primam usque Tyberis ripam protensa, Macrâ fluvio à Liguriâ discreta, auguriorum olim & haruspicinæ peritissima. Inde forsan *solers Hetruria* Claudiano. Caput ejus Florentia est, ad Arnum fluv. Porro *Hetruria* dicta est, teste Servio, quòd ejus fines tenebantur olim usque ad ripam Tyberis, & quasi ἑτερουρία, & per Syncopen ἑτρουρία, nam ἕτερος *alter*, & ὅρος *finis* vocatur. Ejus Vicariatum, unà cum Senatoria dignitate, ademit Carolo Siculo Nicolaus III. Pontif. R. quòd ille regiæ stirpis puellam suo fratri elocare nollet. an. Chr. 1280. Papyr Massonius, *Hist. lib.* 3. Baudrando *Hetruria*, seu *Etruria*, pars est Italiæ satis ampla, inter mare Tyrrhenum ad Occasum & Meridiem, montem Apenninum ad Septentrionem, & Tiberim fluv. ad Ortum comprehensa. Ejus pars major, quæ ad Occasum extenditur, nunc *la Toscana* dicitur, Gallis *la Toscane*: cujus partes sunt quatuor, nempe ditio Florentina, *il Fiorentino*, ditio Pisana, *il Pisano*, ditio Senensis, *il Sanese*, quæ parent magno Duci Hetruriæ, quâ dignitate primus ornatus est Cosmus Mediceus, antea Florentiæ ac Senarum Dux, & ditio Lucensis, *il Luchese*, quæ Rempublicam separatam facit. Minor Hetruriæ portio, & quæ magis extenditur ad Ortum, subest Romano Pontifici; & in ea sunt provincia Patrimonii S. Petri, *la Provincia del Patrimonio*, Ducatus Castrensis, *lo Stato di Castro*, territorium Urbevetanum, *l'Orvietano* & territorium Perusinum, *il Perugino*. Pop. *Hetrusci*, *Tusci*, & *Tyrrheni*, qui Lydis originem suam debebant. Vide omnino Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *cap.* 1.

Hetruriæ urbes nunc exstantes.

Acula, *Aquapendente*, in ditione Romani Pontificis.
Aretium, *Arezzo*, in ditione magni Ducis.
Balneoregium, *Bagnarea*, Rom. Pontificis.
Centumcellæ, *Città Vechia*, Rom. Pontificis.
Clusium, *Chiusi*, magni Ducis.
Collis, *Colle*, magni Ducis.
Cornuetum, *Corneto*, Rom. Pontificis.
Cortona, *Cortona*, magni Ducis.
Fæsulæ, *Fiesoli*, magni Ducis, ferè in ruinis jacet.
Falisca, postea Galesium.
Fescennia. *Citta Castellana*, Rom. Pontificis.
Florentia, *Fiorenza*, & *Firenze*, magni Ducis sedes.
Galesium, *Galese*, oppidulum Rom. Pontificis.
Grossetum, *Grosseto*, magni Ducis.
Hortanum, *Horta*, Rom. Pontificis.
Liburnus portus, *Livorno*, magni Ducis.
Luca, *Lucca*, sui juris Respublica.
Massa, *Massa*, magni Ducis, Episcopalis sub Archiepiscopo Senensi.
Massa, *Massa*, Ducis cognominis.
Miniatopolis, *S. Miniato*, magni Ducis.
Mons Ilcinus, *Montalcino*, magni Ducis.
Mons Physcon, *Monte Fiascone*, Rom. Pontificis.
Mons Politianus, *Monte Pulciano*, magni Ducis.
Nepeta, *Nepi*, Rom. Pontificis.
Oropitum, & urbs vetus, *Orvieto*, Rom. Pontificis.
Perusia, *Perugia*, Academia ditionis Pontificiæ.
Pientia, antea Corfinianum, *Pienza*, magni Ducis.
Pisæ, *Pisa*, magni Ducis.
Pistoria. *Pistoria*, magni Ducis.
Plebs, *Cività della Pieve*, Rom. Pontificis urbecula.
Plumbinum, *Piombino*, Principis proprii.
Radicofanum, *Radicofani*, magni Ducis.
Sarsana, *Sarzana*, ditionis Genuensis.
Sena, *Siena*, magni Ducis.
Suana *Soana*, magni Ducis.
Sutrium, *Sutri*, Rom. Pontificis.
Tuscania, *Toscanella*, Rom. Pontificis.
Viterbium, *Viterbo*, Rom. Pontificis.
Volaterræ, *Volterra*, magni Ducis.
Urbetellum, *Orbitello*, sub Hispanis.

Hetruriæ prom. *Monte Argentaro*, Tusciæ mons, in mare, inter portum Herculis & Telamonis contra Igilum & Dianium Ins. maximè porrectus, apud Cosam urbem excisam.

Hetrusci campi, *Prato magno*, Ortel. tractus Thusciæ fertilis inter Fæsulas & Aretium, juxta Arnum fluv.

Hettan, prædium, distans ab Hierosolymis duobus schœnis, hoc est, stadiis 120. hortis & inductis fontibus amœnum, simul & opulentum, est in tribu Ephraim.

Heva, prima mulier creata à Deo. Gen. *cap.* 3. Lat. *Vita*, vel *Vivens*.

Hevæus, filius Chanaan. Gen. 10. à quo populi *Hevæi*, habitantes ad Meridiem, de quibus vide Bochart. *Geogr p.* 345.

Hevila, fil. Chus, Gen. 10. qui & *Havilah*, & *Chavilah*, de quo vide Boch. *Geogr.* 2. 28.

Hexagon, legatus Ophiogenum (qui populi sunt in Cypro) à Consulibus Romæ in dolium serpentium conjectus, experimenti causâ, circummulcentibus linguis miraculum præbuit. Plinius *lib.* 18. *cap.* 3.

Hexamilium, urbs Thraciæ Episcop. ad Isthmum Chersonesi, 6. m. p. à Callipoli in Bor.

Hexamitus murus, vide *Murus Hexamitus*.

Hexapylum, locus eminens Syracusarum. Liv. *lib.* 24. Eundem esse cum eo, quem Thucydides Labdalum vocat, & in crepidine Epipolarum erectum putat Ortelius, hodie *Mongibellisio* nominari tradit Fazellus.

Hexi, Plin. & Ptol. *Sexi*, Athenæo *Sexitania*, Henr. Coquo nunc *Velez Malaga*, urbs Hispan. Bæt. apud oram littor. 5. leuc. à Malaca. Floriano *Motril*, oppid. apud Selambinam. Inde 1. leuc. Malacam versus recedens.

Heylon, urbs Episc. sub sede Bostrensi. G. Tyrius.

Hezeci, filius Elphaal. 1. Par. 8.

Hezion, pater Tabremon, patris Benhadad regis Syriæ. 3. Reg. *capite* 15.

Heziongaber, in Sacris Bibliis, portus maris Rubri in sinu Elanitico, quo Hebræi reges utebantur ad navigationes, teste D. Hieronymo, *Essia* Zeiglero.

Hezir, nomen viri. 1. Par. 24. Latinè *porcus*, aut Syriacè *reversus*.

HI.

Hiali, castellum in Amurgo vel Mergo, Ægæi maris ins. Natal. Metel. Item Diod.

Hiarbas, vide *Jarbas*.

Hibbas, dux Theodorici, prostravit Francorum 30000. an. 508.

Hibernia, vel *Hybernia*, Orpheo, Aristoteli, & Claudiano, *Ierna libr.* 2.

Munivit Stilico totam cùm Scotus Iernam.

Juvenali *Sat.* 2. & Melæ *lib.* 3. *Juverna*, Diodoro Siculo *Iris*, Ptolomæo *Britannia min.* Eustathio *Vernia* & *Bernia*, incolis *Erin* & *Gwydhell*, Britannis *Yverdhon*, Anglis *Irish*, *Ireland*, &c. vulgò *Irlandia* dicta. Vetus opinio annalium Hiberniæ est, id nomen vel ab Hibero seu Ebero Hispaniensi flumine, vel ab Ibero Rege Hispanorum secundo fuisse jam olim traductum. Alii ab hyeme ibi satis diuturna: Nonnulli à voce *Hier*, i. Occidens, Angliæ enim Scotiæque Occidentalis est, denominatam reg. volunt. Antiquitatum medii ævi scriptores huic etiam insulæ, nomen *Scotia* imposuerunt: cùm duplicem fuisse Scotiam constet, majorem & minorem: Hibernia majoris, ea verò Britanniæ pars quæ à nonnullis *Albania*, jam *Scotia* communiter appellatur, minoris nomine signata est. Imò sunt, qui Scotiæ nomen cum Scotis hinc

hinc in Britanniam penetrasse volunt. Post Britanniam insularum maxima, Camdeno: alii tamen vix 120. milliaria in longit. 60. in latitudinem patere ajunt: Collateralem habet magnam Britanniam ab Oriente, Oceanum ab Occidente. Ab Aquilonari parte, trium dierum velifico cursu Borealium insularum maxima Islandia, jacet. Inæqualis, aquosa, paludosa & sylvestris Hibernia est, interim glebâ præpingui, ubiquè frugum proventu felix. Pecore montes, nemora feris abundant: pascuis tamen quàm frugibus, gramine quàm grano fœcundior est, unde greges ne crepent, à pabulo tam læto abigi habent necesse. Melle & lacte dives. Fluminibus egregiis scinditur, & rigatur, quorum præcipuus tum cursus spatio, tum piscium copiâ, Sinnenus appellatur. Lacus quoque plurimos habet. Falcones, accipitres, & nisos præ aliis regionibus copiosè producit. Peculiari naturæ privilegio, venenosis omnibus caret, quod idem de Orcadibus, Garnsea, agro Toletano in Hisp. Insula Melita, & aliis referunt: cujus rei causa, ut apud Hispanos S. Hildefonso, apud Melitenses naufragio B. Pauli, ita hic S. Patricio à superstitiosis tribuitur; qui etiam Purgatorium ejus in Insula quadam Occidentalis Hiberniæ partis ostendunt, variisque extollunt visionibus, nihil singulare in eo se agnoscere posse, modestè fatente P. Carve, scriptore Pontificio, *Annal. Hibern.* Lignum, quod Insulæ saltus suppeditant, à tineis araneisque immune, in palatiorum opera tignaria expetitur, ut in Westmonasteriensi, in Anglia, & Hagiensi in Hollandia factum. Terræ motus hic nunquam. Vix semel in anno tonitru auditur. Sed quòd dulcissimas quoque hinc Varronis animulas apes exulare jubeat Solinus *cap.* 22. qui insuper pulverem & lapides insulæ aliorsum translatos illis perniciem afferre scribit, magnopere in regionem hanc injurius est: ubique enim in illa magna apum vis, etiam in locis sylvestribus, ubi antra arborumque cava mellifluo suo succo replent. Prope Armacham porro lacus dicitur stagnare, cujus fundo infixa pertica, post aliquot menses, illa parte, quæ in terra hæsit, in ferrum, alterâ, quæ aquæ fuit immersa, in lapidem indurescit. Sed & hoc Hibernia habet, quòd advenæ istuc venientes plerunque dysenteriâ corripiantur: unde frequens hic Tithymalus tuberosus Hibernicus, incolis *Makinboy*, quem si quis ibi secum gestat, vim solutivam non levem statim experitur. Baudrando *Hibernia* insula est ampla Europæ, in Oceano Occidentali, prope Angliam & ad ejus Occasum, sed multo minor ipsâ. Vide infra. Protenditur à Septentrione in Meridiem; vixque 30. milliar. Anglicis separatur ab Anglia seu à Wallia Meridionali mari Verginio, 15. autem à Scotia Australi. Hanc antiquissimis temporibus Reguli indigenæ multipartitò tenuere, quorum facilè potentissimus Dermitius, Munhardi filius, ob multa sævè facta regno exturbatus Richardum Penbrochiæ Comitem, generum sibi & auxiliatorem ascivit. Cui cùm in Hibernia bellanti res pulchrè procederent, Henricus II. Angl. R. cum edicto revocatum coëgit jus omne ac spem principatus in se transcribere: Et ipse magnis cum copiis in Hiberniam advectus, Regulorum alios vi, alios pollicendo permovit, suum ut Imperium agnoscerent an. C. 1171. Sed, quæ erat simplicitas seculi, creditum est firmando juri futurum, si Pontificiis Rom. auctoritas accederet: qui ne verba quidem gratis concedere solitus, dominium Hiberniæ Anglis Regibus donavit, sed ita, ut feudum esset Ecclesiæ, ac tributum ei persolveret, quod secuti postea Reges pendere abnuerunt, hoc colore, quòd regni Anglici Proceres onus illud nunquam approbassent. Henricus VIII. contemto *Domini* nomine, augustius vocabulum *Hiberniæ Regis* primus assumsit, sibique eum dedit honorem, quem Maria, ipsius filia, à Pontifice accipere postea maluit. Sed quanquam Hibernia, quà cultior moribus, rectores legesque ex Anglia pati paulatim didicit; mansit tamen aliis in partibus, quas sylvæ ac paludes abscondunt, libertatis amor, quo nomine vocabatur omnium ferè, quæ vetita alibi, licentia. Clara inter cœteras Onealum familia, Ultoniæ sibi principatum, mox & Hiberniæ totius ausa est ascribere. Crevere his spiritus, Anglis inter Eboracenses & Lancastrios feraliter diffidentibus. Sed Conum, ejus gentis hæredem, Henr. VIII. pacatè severèque regnans, compulit ejurato Onealis vocabulo, ac dignitate, in Comitis Tironi nomen transire. Hujus fil. nothum Matthæum, Johannes secundùm leges Cono natum se ferens, interemit: sed Matthæi filius Hugo, Tironi Comitatum & quæ Conus possederat, Johanne, dum rebellat, perempto & bonis in fiscum redactis, Elisabethæ beneficio accepit, certis sub legibus, quæ nocendi potestatem in posterum anciderent. Vir bello ingens & quibusvis par negotiis fidem Reginæ præstitit, donec an. Ch. 1588. disjectâ nobilissimâ classe Hispani Duces Hibernicum in littus ejecti, arcanis illum colloquiis, ad recuperandum jus Onealum incitavere: Unde turbæ an. Chr. 1595. ortæ satis diuturnæ, quas felicitas Elisabethæ sopivit, non ita tamen, ut non ad nostram ætatem ejus reliquiæ Angliæ Reges exercuerint: inprimis ab an. 1645. usque ad an. 1649. donec tota Insula ferro flammaque ab Anglis vastatâ, major incolarum pars in Virginiam Americæ Septent. regionem translata est. Dividitur *Hibernia* vel ex moribus incolarum in Sylvestrem, cujus incolæ incultiùs vivunt, & legibus teneri recusant: ac Politam seu Anglo-Hibernicam *the English Pale*, in qua legum Anglicarum potestatem sanctam habent, & judiciis se sistunt: vel ex situ & vett. Rectorum numero in quatuor partes, sub quibus sunt triginta tres Comitatus seu regiunculæ, Momoniam nempe ad Austr. Lageniam ad Ort. Connaciam ad Occ. & Ultoniam ad Septentr. quibus Becmannus quintam addit, Mediam *Meth*, in Meditullio Insulæ sitam, ex Camdeno *descr. Hiberniæ*. In Momonia regione, *Mounster*, sunt Comitatus Limericensis, *de Limerick*, Kerriensis, *de Kerry*, Corcagiensis, *de Cork*, Waterfordiensis, *de Waterford*, Desmoniensis, *de Desmond*, & Typerariensis seu S. Crucis, *de Typerari* seu *Holy Crosß*. In Lagenia regione, *Leinster*, sunt Comitatus Midia Orientalis, *d'East Meath*, Midia Occidentalis, *de West Meath*, Kilkenniensis, *de Kilkenny*, Caterloghensis, *de Caterlogh*, Comitatus Regis, *Kings Countie*, Comitatus Reginæ, *Queenes Countie*, Kildariensis, *de Kildare*, Vexfordiensis, *de Vexford*, & Dubliniensis, *de Dublin*. In Connacia regione, *Connaught*, sunt Comitatus Claræ, *de Clare*, Galvvaiensis, *de GalVVay*, Maji, *de Majo*, Slegi, *de Slego*, Letrimensis, *de Letrim*, Roscomensis, *de Roscomen*, & Longfordiensis, *de Longford*. In Ultonia regione, *Ulster*, sunt Comitatus Dungaliæ sive Tyrconellensis, *de Donghal*, aut *de Tyrconell*, Tyronensis superior, *Upper Tyrone*, Tyronensis inferior, *Nether Tyrone*, Fermanaghensis, *de Fermanagh*, Cavanensis, *de CaVan*, Colranensis, *de Colrane*, Monaghanus, *de Monaghan*, Antrimensis, *d'Antrim*, Dunensis, *de DoVVne*, Luthensis *de Louth*, & Armachanus, *d'Armagh*. Est autem Hibernia multò minor Angliâ; extenditurque à Septentr. in Merid. 250. m. p. sed ab Ortu in Occas. non excedit 120. m. p. ubi magis lata. Alluiturque ab Occ. mari Occiduo, à Sept. mari Deucaledonio, & à Mer. Virginio mari. Totius regni præcipua urbs est Dublinum, *Dublin*, ubi Academia & Proregis, qui Conservator quoque & Justitiarius dicitur, sedes, in ora Orientali insulæ. Pop. *Hiberni*, Gall. *les Irlandois*, Germ. *die Irren*, vel *Irländer*: eximiâ plerunque corporis specie, sed vindictæ cupidi, insulsi, & furaces: porro ad otium, blasphemias, & seditiones proni. Unde Henr. III. regulum Hiberniæ compescere, necesse habuit an. C. 1230. eosdem Roberto Brussio adhærentes infestos sensit Eduardus II. an. C. 1314. Richardus dein II. eosdem quatuor Regulis captis ægrè coercuit, an. Chr. 1394. Henricus VII. novam rebellionem, auctore Richardo Simone Sacerdote Oxoniensi, obortam, cæsis 4000. oppressit an. C. 1488. Elizabetha inprimis turbis Hibernicis exercita, per Joh. Perrotum & Henr. Sidneium an Chr. 1567. per Arturum Grajum an. C. 1578. rebelles, à Pontifice Hispaniæque Rege fotos, fortiter repressit, ut non repetam turbas ab Hugone retro memorato motas. Cœterùm fidem Christianam in insula plantavit S. Patricius, circa an. C. 450. quæ puriùs aliquandiu hic quàm in aliis Europæ partibus, conservata est. Namque in sede Archiepiscopali Armachana usque ad Bernardi ætat. 7. Præsules, alii habent, 15. uxorati ac literati præsedere, qui à Pontifice Rom. ordinari noluerunt: & circa an. C. 1118, Clericus quidam in Hibernia Berengarii sententiam fortiter defendit. Præterito seculo magnus ibi eorum numerus, qui Latinos sequuntur ritus, unde seditionum ansa. Nunc verò cœtus istiusmodi infrequentiores, inprimis à quo magnum illud Hiberniæ lumen Jacobus Usserius Archiep. Armachanus voce scriptoque veritatem felicissimè asseruit. Vide præter jam dictos Richardum Stanihurstum *hist. Hibern.* Botterum, Maginum, Thuanum & Hug. Grotium *Histor.* Christ. Becmann. *Hist. Orbis terr. Geogr. & Civ.* Alios, Sylvestrum inprimis Gyraldum, è quo de moribus incolarum, & stupendis naturæ in hac Insul. operibus, nonnulla descripsit Abr. Ortelius *in Theatr. Orbis terr.*

Urbes Hiberniæ insulæ (olim 50.) Episcopales.

Achada, Episcopalis, Connaciæ, sub Archiepiscopo Tuamensi, *Achonry* Waræo, semidiruta.
Alachda, Episc. Connaciæ, sub Archiep. Tuamensi, *Kill-alla*, eidem.
Ardacha, Episc. Ultoniæ, sub Archiep. Armachano, *Ardagh*.
*Armacha, Archiepiscopalis, Ultoniæ, *Armagh*.
Atlona, *Atlone*, in Connacia.
*Cassilia, Archiepiscopalis, Momoniæ, *Cashel*.
Clocherium, *Clogher*, Ultoniæ.
*Clona, Episcop. Momoniæ, sub Archiepisc. Cassiliensi, *Cloney*.
Clonfertum, Episcopalis, Connaciæ, sub Archiepiscopo Tuamensi, *Clonefert*.
Cluanum, *Kiloom*, Lageniæ.
Connertum, Episcopalis, Ultoniæ, sub Archiepiscopo Armachano, *Conner*.
*Corcagia, *Corck*, Momoniæ.
*Deræ, Episcopal. Ultoniæ, sub Archiepiscopo Armachano, *Derry*.
Drogheda, *Droghdagh*, in Ultonia.
Dromora, Episcopalis, Ultoniæ, sub Archiepiscopo Armachano, *Dromore*.
*Duacum, *Kilmacogh* Waræo, aliis *GalVVay*, Connaciæ.
*Dublinum, olim Eblana, *Dublin*, Lageniæ.
*Dumbrosa, Connaciæ.
*Duncheranum, olim Ivernis, emporium Momoniæ, *Dunkeren*.
*Dundalcum, Episcopalis, Ultoniæ, sub Archiepiscopo Armachano, *Dundalk*.
*Dungallum, Comitatus Ultoniæ, *Donegall*.
*Dunum, *DoVVne*, Ultoniæ.
Emelia, *Emeley*, vel *AVVn*, Momoniæ.
Fernum, Episc. Lageniæ, sub Archiep. Dublinensi, *Fernet*.

Glande-

Glandelacum, *Glandilaugh*, Lageniæ.

Kilmora, Episc. Ultoniæ, sub Archiep. Armachano, *Kilmor e*

Kilchennium, Episcopalis & Academia, Lageniæ, sub Archiepiscopo Dublinensi, *Kiloenny*.

*Kildaria, *Kildare*, Lageniæ.

*Kilmalocum, Episcopalis, Momoniæ, sub Archiepiscopo Cassiliensi, *Kilmalock*.

*Laghinum, *Leighlin*, Lageniæ.

*Limericum, & Lumbricum, *Limerick*, Momoniæ.

Lismora, Episc. Momoniæ, sub Archiepiscopo Cassiliæ, *Lismore*.

Media, Comitatus, *Methe*, sedes Episcopi *Navan*.

*Olfinum, Episcopalis, Connaciæ, sub Archiepiscopo Tuamensi, aliis Helfenia, *Elphen*.

Osseria, *Ossery*, Lageniæ.

Rapotum, *Robogh*, Ultoniæ.

Roscomia, *Roscomen*, Connaciæ.

*Rossa, Episcop. Momoniæ, sub Archiepiscopo Cassiliensi, *Rosse*.

Rupes Fergusii, *Knockfergus*, in Ultonia.

Tuama, *Toam*, Connaciæ.

*Waterfordia, olim Manapia, Episcopalis, Momoniæ, sub Archiepiscopo Cassiliensi, *Waterford*.

Vexfordia, *Vexford*, in Lagenia.

Sed notandum ex his urbibus Achadam, Alachdam, Clocherium, Clonfertum, Cluanum, Connertum, Dumbrosam, Emeliam, Glandelacum, Osseriam, Rapotum, & Tuamam esse tantùm minuta oppidula & castra à plurimis annis.

Hibrildes, Atheniensium Imp. an. U.C. 262. Dionys. Halic. *l.*7. lege *Hybrilides*.

Hicesius, historicus, opus reliquit de mysteriis. Clem. *in Protrept.* Plinius *lib.*14. *cap.*19. *l.*20. *c.*5. *l.*22. *c.*16 & *l.*27 *c* 4. *Hicesii* cujusdam meminit, quem *non parva autoritatis medicum* vocat. De vino eum scripsisse innuit idem Plinius *l.*14 *c.*19.

Hicetas, Syracusanus, priscus Philosophus. Terram moveri credidit. Diog. Laërt. *in Philolao l.*8.

Hicetesius Jupiter, hoc est, ἱκετήσιος Ζεὺς, deprecabilis videlicet, & qui supplicum preces audit. Hesychius, *Hinc* ἱκετήρια *dicuntur, quæ ipsa sunt supplicationes & supplicandi modus: & ramus insuper oleæ, lanâ obvolutus, quo in his supplicationibus utebantur antiqui*, qualis fermè εἰρεσιώνη.

Hiectus, alii *Hiettus*, Argivus, primus pœnarum in adulteros statutarum auctor, censetur Alexandro *Genial. dier. l.*4. *c.*1.

Hiel, nomen viri illius, qui reædificavit Jericho. 3. Reg. 16.

Hielmerus, vulgò *Hielmer*, lacus Sueciæ, inter Sudermanniam & Noriciam provv. seu inter Orebum & Torsiliam urb.

Hienipa, opp. Hisp. Bæticæ, nunc *Alcala de Guadaria* Roder. Carus *in Antiq. Hispalis*.

Hiera, uxor Telephi regis Mysorum, cui tanta fuit formæ præstantia, ut ipsam etiam Helenam dicatur superasse. Hyginus *Laodicen* vocat eam, Priami filiam. Item Pandari, & Bitiæ mater. Virgil. *Æneid.* 9.

Quos Jovis eduxit luco sylvestris Hiera.

Hiera, Lat. *sacra*, ins. Siciliæ, una ex septem Æoliis, *Vulcano*, teste Fazello, ignes emittens, Liparæ vicina, prius *Therasia*, teste Plinio, dicta.

Hiera altera, quæ ab Anton. *Maritima* dicitur, ins. Siciliæ contra Drepanum, thymo abundans, hodie *Maretamo*. Item insula maris Cretici, seu Myrtoi, *Giera* vulgò. Item promuntorium Lyciæ, *Capo delle Chelidonie* hodie dicitur. Est & fluv. Bithyniæ, illam à Galatiâ separans, qui & *Hierus*: *Tarsus* etiam olim, teste Steph. *Hiera* dicebatur.

Hiera petra, vulgò *Giera petra*, urbec. Cretæ, Episc. cum portu, in ora Austr. Ins. & territorio Sitiæ, cum prom. cognom. 20. mill. à Sitia in Afr. 60. ab urbe Candia in Eur. Sub Turcis.

Hieracitæ, à quodam *Hierace*, in Ægypto, orti, negant resurrectionem corporum, improbant conjugia, negant infantes esse hæredes vitæ æternæ. Epiphanius.

Hieracium, vernaculè *Gierazzo*, civitas Calabriæ superioris, Episc. sub Arch. Rheginensi, titulo Marchionatus insignis, dicta à viso accipitris augurio, dum conderetur. Olim *Locri*, caput magnæ Græciæ. Vide *Locri*.

Hieracum Ins. *S. Pietro* Leandro, Ins. Sardiniæ, Plumbeæ proxima, contra Sulci urbem excisam, ac Sulcitanæ Ins. finitima.

Hieraa, exigua regio Libyæ in Cyrene. Steph.

Hierama, Cariæ urbs. Steph.

Hierannesus in mari, Cretico est, & alia Ægypti. Steph.

Hieraphe, insula Libyæ. Steph.

Hierapolis, quæ & *Bambyca*, urbs Syriæ Archiep. sub Patr. Antiocheno, in Cyrresticâ reg. quæ *Haleppo*, teste Bellonio, cum aliis, dicitur, urbs Syriæ maxima, & emporium celeberrimum. Aliis Aleppum est, ubi Berrhœa fuit, ad Marsyam fluv. & Hierapolis, ubi nunc *Tedith*, opp. illius tractus. Baudr. Capta est ab Amurathe, Turc. Imp. an. Chr. 1380. Hierapolitanæ Eccl. præfuit Papias, an. Chr. 80.

Hierapolis altera, Phrygiæ magnæ urbs Archiep. sub Patriarchâ Constantinopolitano, aliis sub Antiocheno, proxima Laodiceæ. Ibi puteus amplus nebulas noxias exhalans. Turcis *Seidescheher*, Leuncl. Crusius. Vide Strabonem, Plin. Ven. Fortunatum, & Stephan.

Hiera Pytna, urbs Cretæ in orâ Australi, quæ priùs *Cyrba*, postea *Camiros* dicta est.

Hierasson, urbs Episc. Arabiæ, sub Bæcerra. G. Tyrius.

Hierasus, Daciæ fluvius. Ptol. *Pruth* Cromero, *Seret* verò Lazio. Per Moldaviam in Istrum fluit.

Hieratis, opp. Persidis, ad sinum Persicum. Arrianus.

Hierax, Ægyptius, in scientia Græcorum probè subactus, Astrologus & Magus, hæreseos auctor. Docuit, corpus non resurrecturum, solos cœlibes cœli candidatos esse, infantes non visuros faciem Dei, Paradisum nullis sensibus percipi, Melchisedecum Spiritum S. esse. Porro substantiam Verbi distinxit à Substantia Patris, lampadi duo ellychnia habenti illam comparans. Hinc *Hieraciani*, qui & *Abstinentes* dicti, quòd à vino & certo ciborum genere abstinerent: Hexaëmeron scripsit fabulis refertum. Epiphan. *hær.* 67. Hilar. *de Trin. l.*6. Baron. *An.* 287. Evagr. &c.

Hierax, Marcotis Nomi opp. Ptol. Item adolescens, qui cùm Io vaccam rapere vellet Mercurius, Argo custode excitato, à Mercurio in accipitrem, avem sui nominis, mutatus est.

Hieremias, vide *Jeremia*.

Hieri, pop. ultra Sauromatas, calvi & simi à nativitate omnes, qui ideò ἱεροὶ, i. e. *sacri* dicuntur, quia nihil injustè agunt, nec bella norunt.

Hierta, Lombardiæ fluv. Diacono, ubi Majoranum occisum scribit. *Scrivia* hodie nominatur.

Hiericho, vel *Hierichus, chuntis*, opp. Judææ, notissimum in V. T. quòd, cùm Josue illud septies circumisset cum arca Domini, muri ejus firmissimi corruerint, Jos. *c.*6. Vide *Jericho*. Inter Hierosolymam & Jordanem situm, palmetis consitum, & fontibus irriguum. Plin. 5. 14. In tribu Benjamin, 150. stadia ab Hierosol. in Ort. Jordanem versus 60.

Hierius, Consul, Collega Ardabutii, an. U.C. 1118.

Hierius, Eloquentiam Romæ professus est, cui Aug. *lib de apto & pulchro*, dedicavit, cùm Carthagine Rhetoricam doceret.

Reges Siciliæ.

Hiero I. R. Syracusanus, post fratrem Gelonem, an. 3. Olymp. 75. U. C. 276. Theronem, Tyrannum Agrigentinum, vicit. Obiit Catanæ, an regni 11. Diodor. *l.*11.

Hiero II. Syracusanus, cùm esset ex duce rex factus, primùm Pyrrhi, exin Pœnorum, postea populi Rom. perpetuus amicus fuit, & cùm omnis expers disciplinæ in morbum incidisset, erudiri cœpit, ac sese ultro sermonibus Physicis accommodare, donec paulatim, dum per valetudinem licuit, poëtis Pindaro, & Simonide accersitis usus est. Ælian. *Var Hist.* Hic corporis pulchritudine, & viribus adeò præstitit, ut omnibus penè miraculum esset; Bello tamen minus felix dicitur. Obiit an. U. C. 529. regni 54. Successit Hieronymus, fil. Gelonis filii, ante patrem mortui, Liv. *l.*15. & *seqq.* Florus, Eutrop. Polybius, Justin. *l.*23. Item Atheniensis quidam, familiaris Niciæ Ducis Atheniensium, unaque cum eo disciplinis eruditus, poëmata nonnulla conscripsit, quæ Plutarchus *in Niciâ* ad ætatem suam pervenisse testatur.

Hiero, Parthus, validissimæ præfecturæ additus, Tacit. *l.*6. *c.*42.

Hieroboam, vide *Jeroboam*.

Hierocæsarea, Mœoniæ in Asiâ min. urbs. Ptol.

Hierocepia, insula in Cypro prope Paphum. Strabo. *Bourg de Hierochipe* Steph. Lusignano, opp. Cypri excisum, in ora Occ. inter Paphum, & Acamantem, Ferrar.

Viri illustres & clari.

Hierocles, genere Car, Mercenariorum, in partibus Demetrii, Dux. Vide Polyæn. *lib.*5.

Hierocles, libros edidit nomine Φιλίστορας, quasi *historia amantes* dicas. Steph. & Tzetzes. Alius videtur is esse, de quo Steph. in Ὑλάσελμα, hostis Christianorum acerrimus, cujus fuerit commentarius, qui extat in Aurea Pythagoræ carmina. Item Φιλαλήθης, liber sic dictus, in quo, durante persecutione Diocletianæâ, contradictiones in S. Scripturâ ostendere nisus est. Vixit Nicomediæ; Philosophus Platonicus, an. 302. Lactant. *l.*5. *c.*2. Alius, Philosophus similiter Ethnicus, ex Senatu Areopagitico, edito libro Apollonium Tyanæum Servatori nostro Christo impiè comparat, cui sacro ejus ac horribili libro respondit Eusebius Pamphili. Baron. *an.*68. Alius etiam videtur fuisse *Hierocles*, de quo Athen. *l.*14. Etiam *Hieroclis* Excerpta habemus in Mulomedicinæ scriptoribus. Fuit & *Hierocles* orator Alabandensis. Strabo *l.*14.

Hierocles, Grammaticus, edidit notitiam Imperii Constantinopolitani, cujus adhuc maxima pars superest. Cæterùm de variis hujusce nominis hominibus videndus Vir Doctissimus Joh. Pearsonus *in Prolegom. ad Hieroclem de Provid. & Fato* Gesner. *Bibl.* Voss. *de H.G. l.*3. & 4.

Hierocomita, pop. ab *Hierocome* civitate Cariæ. Polyb.

Hierodulum, urbs Libyæ. Steph.

Hierogerma, Ptol. ἱερὰ γέρμη, in libris Concil. *Germa*, ex tabb. Geogr. *Germasti*, urbs Phrygiæ min. inter Scepsim & Ilium. Episc. sub Arch. Cyziceno.

Hieroglyphica, fuere sacræ sculpturæ seu imagines, quibus Ægyptii olim præcipua Sapientiæ suæ, Theologicæ, Physiologicæ &

Politicæ inprimis dogmata repræsentabant. Horum scientia magni semper nominis fuit, inter arcanas numerata disciplinas, & paucis, iisque nobilibus Sacerdotum ingeniis celebrata, quâ & imbutum Moysen accepimus: unde Philo *de Vita Mosis*: Moysen ait, numeros & Geometriam universamque Musicam accepisse ab Ægyptiorum Doctoribus, & insuper *occultam Philosophiam descriptam literis, ut vocant, Hieroglyphicis, hoc est, notis animalium, quæ ipsi venerantur pro Numinibus.* Plato *in Philebo*, literarum harum inventionem tribuit Teuto seu Taauto, quem hujus gentis primum Doctorem facit Philobiblus. Græcos postea his excultos disciplinis, testatur idem Plato *in Epinomide*, & Orpheus *in Argonaut.* Proclus quoque refert, Solonem apud Ægyptios, in Sai audiisse sacerdotem, nomine *Partanit*: in Heliopoli *Oclapi*: in Sebennyto *Ethymon*, à quibus non dubium est, quin hanc symbolicam Sapientiam acceperit: Cujus vestigia etiam in suis sententiis reliquit. Pythagoras, cùm *Œnopheum* Heliopolitam præceptorem habuisset miratus, quam ab eo acceperat, *Hieroglyphicorum* solertiam, in suis quoque symbolis eam apud Græcos propagavit. Sed ipsos Scientiæ hujus prima semina ab Hebræis hausisse Ægyptios, credibile est. Abrahamum enim Heliopoli cum sacerdotibus Ægyptiis vixisse, illosque Astrologiam docuisse, narrat Alexander *in Hist. Jud. apud Euseb.* Unde non sine ratione creditur, cœterarum quoque scientiarum semina per Patriarcham hunc sparsa, nec symbolorum aut ænigmatum velis, quibus omnis antiquorum adumbrata fuit sapientia, caruisse. Hinc & totius Religionis mysteria in S. Instrumento symbolis figurisque adumbrata videmus, tantique apud vet. Hebræos figuratus sermo fuit, ut quidquid esset acutè dictum, quidquid aculeos haberet & ingenii gratiam, hoc משל *Maschal* appellarent, quod nomen propriè ad parabolas similitudinesque pertinet. Interim ab Ægyptiis hanc de symbolis scientiam præ cæteris excultam multisque figurarum monumentis celebratam esse, certum est, quam ἱερατικὰ γράμματα Origenes appellat *in ad Rom. cap.* 2. Hujus memoria ne unquam excideret, avebant in operosis obeliscorum pyramidumq; molibus, tum in apparatissimis templorum valvis symbolorum suorum monumenta collocare: quod qui faciebant, *Hieroglyphi* dicti sunt, Vide Cyrill. *adversf. Julian. lib.* 9. & Anastasium Synaitam Patr. Antioch. qui Pyramidum hujusmodi figuris cælatarum meminit, *in Hexaem. lib.* 1. *sub finem.* Unde Lucanus,

Nondum flumineos Memphis contexere libros
Noverat, in saxis tantùm volucresq; feræq;,
Sculptaq; servabant Magicas animalia linguas.

Sed nec Septentrionalibus populis hanc scribendi normam ignotam fuisse discimus ex Olao Magno, *l.* 1. *c.* 21. Eadem ænigmatum solertiâ Scythas fuisse delectatos, ex eorum Rege Idanthura conjicere est, qui Dario bellum minanti pro literis misit *murem, ranam, avem, jaculum, aratrum*, apud Clem. Alex. Diodorus quoque testatur, Æthiopum literas variis animantibus, extremitatibusque hominum, sed præcipuè instrumentis fabrilibus persimiles fuisse *Bibl. Hist. l.* 3. *c.* 2. Idem de Sinensibus hodiernis legimus. Scripsit de sacris literis suæ gentis Horus Niliacus, cujus libellum Philippus Græcus Auctor in linguam suam vertit, quem posterioribus vixisse temporibus, quibus jam mundissimis Græcorum elegantiis barbaries se illeverat, stylus testatur. Explicant illa Pierius *in Hierogl.* & Nic. Caussinus *in Symbolica Ægypt. Sapientia*, quos vide. Addam exempla quædam: *Diademata aspidibus implexa*, qualia Reges Ægyptiorum gestasse legimus, stabilem imperii firmitatem declararunt, sec. Ælian. *de Animal. l.* 6. *cap.* 38. vel eorum potius sanctitudinem, quos violare sacrilegium est, sec. Diodorum. *Accipiter*, cujus tripodem nobilem aliquando fuisse apud Ægyptios memorat modò laudatus Ælianus, Solis Animæque erat idolum. *Scarabæus* viri symbolum fuit: Unde idem annotat, Ægyptios milites, ex lege quadam patria, consuevisse in annulis gestare insculptam Scarabæi effigiem, quemadmodum Romani Imperatoris imaginem & nomen candenti plerunque ferro in cute inustum gerebant, quò fidei & fortitudinis admonerentur. *Sidus* Fati Hieroglyphicum fuit: *Leo* Majestatis: *Cornix* amoris conjugalis: *Ciconia* castitatis, &c.

Hierogrammatei, Gr. Ἱερογραμματεῖς, erant apud Ægyptios olim, de genere Sacerdotum, iidem qui apud Assyrios ἱερῶν λόγων ἑρμηνευταὶ, ut author est Lucianus *in Macrobiis*, Ægyptiorum sacris & doctrinis præfecti, aliàs ἱεροφόροι & ἱεροστόλοι. Hi non literarum tantùm sacrarum, de quibus supra, Notarii fuerunt, sed sacræ quoque doctrinæ interpretes: Eosdem vates fuisse Suidas innuit, qui unum ex iis Ægyptiorum Regi prædixisse refert, futurum Israelitam virtute & gloriâ clarissimum, qui imperium Ægyptiorum depressurus esset; Mose indigitato. Iidem etiam phylacteriorum erant peritissimi, quorum auctor pervetustus fertur Jachim, in ea gente, περιάπτων καὶ ἐπαοιδῶν ἔμπειρος. Porro legibus & disciplinæ erant præfecti, & velut Senatus Principes, Regi semper præstò aderant, quà operâ, quà consilio, quà doctrinâ eum adjuvantes: Tum ex Astrologia & sacrorum inspectione futura divinando, tum ex sacrorum librorum annotatis res gestas cum utilitate interpretando. Unde à cunctis oneribus immunes, primas à Rege obtinebant, sceptrum quoque cum his, in formam aratri effictum, commune habentes. At, postquam sub Romanorum imperio Ægyptus esse cœpit, nihil his hominibus contemtius, in viles tum Chaldæos, haruspices & aliptas conversis; quod liquet ex Hadriani epist. apud Phlegontem, quæ refertur à Flavio Vopisco *in Saturnino*: ubi præcautione opus est, ad diluendam Imperatoris calumniam, qui perversè Christianos cum Isiacis Sacerdotibus confundens, Serapidis iis cultum tribuit. Vide plura apud Cyprianum *in Senatorem Apostatam à Christo ad Isim*, & Apulei. *Metam. lib.* 8. ubi de eorum vestibus, flagitiosissimis moribus & fanaticis furoribus prolixè agunt. Quibus adde Herodotum *lib.* 2. qui animadvertit, eos derasos fuisse, circumcisos, veste linea, & calceis papyraceis indutos, frigidâ interdiu ter, noctu bis lotos & in Deorum suppliciis frequenti diverberatione suâ sponte cæsos. Caussinus *in Hieroglyph. seu Symbol. Ægypt. Sap.*

Heromiace, Syriæ fluvius, Gadaram præterfluens, in Genesaram lacum excurrit. Plin.

Hieron, sive Alexandrinus, sive Ephesius, commemoratur Phlegonti Tralliano, *de Mirab. cap.* 2.

Hieron, Hiberniæ promunt. & aliud in Sarm. Europ. Ptol.

Hieron oros, Cretæ maritimum opp. Ptol. *Monte Sacro*, Pineto. Prom. in ora Austr. apud Hierapytnam, Ferr. Item lacus Asiæ min. ad Pontum Euxinum. Arrianus.

Hieronstoma, i. Sacrum ostium, unum ex ostiis Istri, in Mysia inf. Australi, apud Peucen ins.

Hieronesus, ins. Siciliæ; fortè *Hiera*.

Hieronica Lex, cujus meminit Cicero *Verrinâ* 4. ab Hierone Siciliæ tyranno lata, constituit quantum frumenti, aut quo pretio, quove tempore arator frumentum decumano, i. e. publicano, qui decimas redemerat, daret. Quod tam cautè scriptum erat, ut nec arator decumanum fraudare, nec decumanus plus decima ab aratore auferre posset. Proin ob legis æquitatem, Romani Siciliâ potiti, nihil mutarunt. Illud quoque in hac lege memorabile fuit, quòd numerus aratorum quotannis apud Magistratus publicè subscribebatur. Vide Rosinum *Antiq. Rom. lib.* 8. *cap.* 12.

Hieronymita, aliàs *Eremita S. Hieronymi*, congregatio sacra Commun. Romanæ, in Italia & Hispania stabilita, & an. 1373. à Gregorio XI. confirmata. Ad hanc spectat congregatio S. Isidori, cujus monaster. Hispali est, cum Monast. S. Laurentii, Escurialis nomine à Philippo II. magnificentissimè extructo. Polyd. Virgil. *de Inv. Rer. lib.* 7. *cap.* 4.

Reges & Viri illustres.

Hieronymus, Siciliæ tyrannus, Hieroni patri successit, admodum puer; cui pater metuens, relictis tutoribus duodecim, moriens injunxit, ut fidem erga pop. Rom. annos 50. à se cultam, inviolatam servaret. Hic posteà abjectâ tutelâ, contemptâ patris disciplinâ, ac moderatione, luxuriosius, & arrogantius agendo, à Romanis descivit, Annibalique adhæsit. Cumque superbè nimis in cives sese haberet, ab eis interfectus est. Item historicus Rhodius familiaris Demetrii Poliorcetis, relictusque ab eo præfectus in regione Bœotiæ, scripsit res ipsius Demetrii gestas. Plut. *in Demetrio*. Item Rhodius Philosoph. qui finem summi Boni ponebat in indolentiâ.

Hieronymus, scriptor Ecclesiasticus, vir doctissimus, ac eloquentissimus. Natus est Stridone oppido sito in finibus Dalmatiæ & Pannoniæ, postea everso à Gothis. Patris nomen erat Eusebius: adolescens à parentibus, discendi causâ, Romam missus est, ubi Donatum ac Victorinum rhetorem audivit, & aliquandiu Damasi Papæ scriba fuit, ibi baptizatus. Postea, ut linguas, & doctrinam Ecclesiæ cognosceret, & cum præcipuis Ecclesiæ Doctoribus colloqui, & vivas audire, & reddere voces posset, magnam partem Europæ, & Asiæ peragravit. Gregorium Nazianzenum in Cappadociâ, Epiphanium in insulâ Cypro, Didymum Alexandriæ in Ægypto audivit. Linguæ Hebrææ cognitionem tantâ aviditate & ardore expetiit, ut noctu Judæum Barrabanum discendi causâ conveniret. Tandem bonam vitæ suæ partem in Bethleem transegit, quò ut liberius orationibus vacaret, Bibliaque Latina faceret, se receperat. Hic contra Vigilantium & Jovinianum scripsit, sed dum contra hunc Cœlibatum extollit, Conjugium nimis depressisse visus est. Contra illum, Martyres in Oriente, Ægypto & Romæ adorari, cereosque clarâ luce sub religionis prætextu accendi, negat: quòd si à fœminis id in Martyrum honorem fiat, ex zelo sine scientia fieri contendit. Primus in dialogis suis Pelagium aggressus, eum infestum habuit, inprimis cùm Johannis Patriarch. Hierosolymitani favore hic niteretur. Cum Rufino collisus, paulo vehementior fuit. Augustino, de origine Animæ, interroganti se, respondit. Vitam cum morte ibidem commutavit, an. 91. secundùm alios 81. agens A. D. 422. *Linguarum, historiarum, & locorum situs peritissimus vir* dicitur Fullero *Miscell.* 2. 8. Quod de Cardinalatu ejus quidam commenti sunt, meritò exploditur ab eruditis, cùm ejus tempore nondum natus sit ille murex, cujus sanguine Cardinalium purpura tingi solet. Scripta ejus Mariani Victorini operâ collecta, alterâ editione Parisiis 9. tom. impressa sunt, an. 1623. Vide Moterium *Dict. Hist.*

Hieronymus, Athen. unà cum Nicodemo classi à Conone præpositus, dum ipse ad Regem alloquendum proficiscitur. Diod. *l.* 14.

Hieronymus, Xenophontis filius, Poëta Dithyrambicus, puerorum amore insaniens eoque famosus; traducitur ab Aristophane hirsuto, veluti Centaurus, exstitisse corpore. Scholia ad

Acharn. act.2.sc.3. Eum quoque tragœdiarum auctorem fuisse affirmant, sed inæqualem & dispositionis artificio destitutum; præterea argumenta nimiis affectibus ac perturbationibus referta tractasse & terribilibus personis usum. Eundem etiam, quòd esset densis & hirtis capillis, *Orcigaleam* vocat Comicus *p.390.E.*

Hieronymus Æmilianus, Venetus nobilis, fundator Clericorum Regularium, qui *Somaschi* dicuntur, postquam in bello copiarum ductor, fortitudinis plurima edidisset specimina. Congregationis finis educatio orphanorum est. An.1530. Obiit an.1537. Morerius *Diction Hist.*

Hieronymus Albani, Bergomas, Cardin. scripsit *de Donatione Constantini: De Cardinalibus, &c.*

Hieronymus Albertuccius Burselli, Bononiensis, Dominicanus. Auctor Chronici, ad an. 1491. &c. Obiit an. 1497. Leander Alb. *l. 4. de Vir. Ill. Prædic. & descr. Ital.*

Hieronymus Aleander, Cardin. ex Comit. Landriacis, in Foro Juliensi ditione: A Ludov. XII. Lutetiam vocatus, Græc. Linguam ibi docuit. Dein sub Leone X. Bibliothecarius, sub Clem. VII. Episc. Brundusinus, ab eodem Nuntius in Galliam missus, cum Francisco I. ad Ticinum captus est. Sub Paulo III. purpuram meruit, in Germaniam missus, cum Evangelicis disputavit. Obiit Medici imprudentiâ Romæ an. 1542. Memoriæ inprimis felicitate inclytus: ipse sibi Epitaphium græcis versibus condidit. Paul. Jov. *in elog. cap.98.* Victorel. *in addit. ad Ciaccon. &c.*

Hieronymus Balbus & *Bardus*, quorum ille primus Episc. Carinthiæ, *de Coronatione*, Item *de civili & bellica fortitudine*: iste Monachus Florentinus, Chronicon scripsit, usque ad an. 1580.

Hieronymus Bolsecus, Medicus Lugdunensis, religione sua ejurata, Calvinum & Bezam scriptis laceravit, cui Antibolsecus in Germania oppositus.

Hieronymus Cagnolius, Vercellensis, Jus Patavii professus est. Opera ejus 3. volum. prostant.

Hieronymus Cardanus, vide *Cardanus.*

Hieronymus Cardianus, Cardiâ vel Cardiopoli Thraciæ oriundus, historiam Alexandri scripsit, aliaque, de quibus vide Suid. Diodor. Apollod. &c. Non confundendus cum Phœnicio vel Ægyptio illo Syriæ præfecto, de quo Voss. *de H G. l 1. cap.11.*

Hieronymus Donatus, Venetus Julio II. gratus, Joh. Damascenum, Alexandr. Aphrodisæum, &c. Latinè vertit. Paulus Jovius, *elog. cap.56.*

Hieronymus Empserus, Germanus, contra Lutherum scripsit, ejusque versioni Bibliorum aliam opposuit.

Hieronymus Fabricius de Aquapendente, Anatomicus celeberrimus, sec. præt.

Hieronymus de S. Fide, ex Judæo Christianus, eruditione inclytus, sec. 15. Obiit, an. 1412.

Hieronymus Forojuliensis, Jacobinus, Historicus. Leander Alb. *l. 4. de V. I. Ord. Præd.*

Hieronymus Fracastorius, Veronensis, Medicus, Poëta & Mathematicu., Obiit an. 1553. Vide *Fracastorius.*

Hieronymus Lignanus, Gen. Carthusianorum edidit hymnos. Obiit an. 1594.

Hieronymus Manfredus, Ferrariensis, Bononiæ docuit. Scripsit *de Cardinalibus, de Attentatis.* Alius Medicus & Astrologus Bononiensis, an.1450.

Hieronymus Methnicus, vulgò Vadiana, scripsit *Flagellum Dæmonum, Fustis Dæmonum, &c.*

Hieronymus Oleaster, Jacobinus Lusitanus, in S. Scripturam commentatus est.

Hieronymus Osorius, Episc. Portugall. sub sec. præt. finem. Opera ejus 4. volum. habentur.

Hieronymus Pauli, Barcinonensis, varia scripsit. Tom.2. *Hisp. Illustr.* Voss. *de H. L.*

Hieronymus Pragensis, purioris religionis assertor insignis, Wiclefi & Joh. Hussi discip. Artium Magister, ingenio, eruditione, facundiâ excellens, vid. Epist. *Poggii ad Leonh. Aretinum.* Damnatus in Concil. Constantiensi, & aliquandiu post Joh. Hussum, crematus est die Sabbathi, post festum Ascensionis, seu 30. Maji an.1416. Tantæ constantiæ Vir, ut in ipso rogo lætus cantaret:

Salve festa dies, toto venerabilis anno!

Carnificem verò à tergo accedentem inclamarit, *Huc accede & ante oculos accende ignem; quem si timuissem, cùm fugere licuit, huc non accessissem.* Vid. præter Poggium, Æneam quoq; Sylvium, Item Dubravium, *hist. Bohem.* & in voce *Johannes Hussus.*

Hieronymus Rhodius, discip. Aristotelis, historicos comment. scripsit. Athen. Plut. Diog.

Hieronymus Rubæus, Historiæ Ravennatis Auctor.

Hieronymus Savanarola, vide ibi.

Hieronymus Seripandus, Cardin. Apulus, legatus Pii IV. ad Concil. Trident. ibi obiit An.1563. scripsit comment. in Epist. Paulinas, & Epistolas Catholicas. Item de Justificatione libb. 3. Victorel. *in addit. ad Ciaccon.*

Hieronymus Surita, vel *Zurita*, Auctor Annalium Hispan. & notarum, in Itinerarium Antonini. Invenit in Bibl. quadam Sicula Chronicon Alexandrinum.

Hieronymus la Vallée, Patavinus, Medicus, Poëta & Orator, prosâ versuque editis scriptis nomen adeptus, floruit an. 1440. Legatus Venetus, Romæ obiit, an. 1443. Scardeon. *lib. 3. rerum Patavin.* Gesner. *in Bibl. &c.*

Hieronymus Zanchius, Italus, sacrarum literarum, Argentinæ, Heidelbergæ & in Schola Neapol. Nemetum Professor, multis in re Theologica scriptis libris, optimè de Ecclesia Christiana meritus, obiit Heidelbergæ, an. 1590. æt.75. Vide quoque in voce *Zanchius.*

Hieros colpos, id est, *sacer sinus*, prope Aradum civitatem est. Steph.

Hierosolyma, plur. num. & *Hierosolyma* sing. & *Hierusalem* indeclinab. Aliter

Solyma, Lusa, Bethel, Jerosolyma, Jebus, Elia,
Urbs sacra, Jerusalem dicitur, atq; Salem.

Urbs Palæstinæ, clarissima, & florentissima urbium Orientis, quemadmodum Plinius scripsit, *lib.5. cap.14.* In tribu Benjamin, edito in loco, in montanis nempe, sita est. A Merid. est mons Sion, in cujus latere sedet: ab Occas. idem mons: Ab Or. ejus murum torrens Cedron alluit. 40. m. p. à Joppe & littore maris Syrii, inter Damascum & Babylonem Ægypti, inde 160. m. p. hinc 300. ab Alexandria 400. Dicta autem primùm fuit *Solyma.* Sed cùm rex Cananææ, Justus nomine templum addidisset, *Hierosolyma* appellari cœpta est. Græci enim ἱερὸν, *templum* vocant. Eusebius quasi ἱερὸν Σολομῶντ@-, id est, *ædem Solomonis*, dictam putavit, *lib.9. Præp. Evang.* B. Hieronymus *in Epist. ad Eustachium de vitâ Paulæ: Ingressa est Hierosolymam urbem trinominem, Jebus Salem, Hierusalem: quæ ab Ælio postea Adriano, de ruinis & cineribus civitatis in Æliam suscitata est.* Nempe significat, Hadrianum de reliquiis & ruinis, novam extruxisse urbem, quam ab re *Æliam* appellavit, quod & *ad caput 1. Joëlis* docet. Malè, ut Scal. ostendit *Animadversionibus Eusebianis, p.194.* Sed nomen *Hierusalem* contractum & leviter immutatum ex *Jebus*, & *Salem*, quæ vera originatio est: Jebusitæ enim captâ olim urbe, arcem hic ædificarant, *Jebus* nomine, à Davide expugnatam. Vide infra. Nugæ enim sunt, quæ de *Solymis* gente Homero celebratâ & *Hierosolymo* duce apud Tacitum, *initio 5. Hist.* & apud Plut. legimus. Hic tot ex Sacerdotali familia commorari soliti, ut circa tempora Davidis & Salomonis eorum XXXVIM. numerarentur. Sedes divini cultus regnique Israëlitici primò, totius dein Judaici. Historia altiùs repetita sic habet: Extructa urbs fuit à Melchisedecho, quam cùm occupassent postmodum Jebusitæ, nihil obstante arce eorum *Jebus*, de qua supra, Josua urbem expugnavit, Regemq; Adonizedeck, cum quinque aliis principibus captum neci dedit. Post ejus obitum, urbe Jebusitæ rursus potiti, mox iterum ab Israëlitis in arcem compulsi sunt: quam demum Rex David suam fecit, ei nomine indito *Civitatis Sion.* Quo factum, ut, quamvis in tribu esset Benjamin, nihilominus ad tribum Juda referretur: & hactenus quidem Israelitæ Jebusitis mixti hic degebant. Rex dein Salomon insignibus ædificiis, templo inprimis magnificentissimo urbem exornavit. Sed statim post mortem ejus, à *Sisaco Ægypti Rege capta, & direpta est, regnante Roboamo. Iterum in manus Joæ Israëlitarum Regis pervenit*, sub Amazia Rege Judæ; postea quoque occupata ab Assyriis, cùm Manasses: & à Nebucadnezare Babyloniæ R. cùm Jechonias rerum potirentur. Hic Sedeciâ in throno collocato, perfidiâ ejus commotus, obsedit Hierosolymam, cepitque, post difficile obsidium, d.5. mensis quarti A.M. 3444. quo per portam Piscium ingressi Chaldæi urbem, cædibus flammisque omnia vastarunt, reliquiis populi cum Rege in Chaldæam abductis. Ubi postquam sub duro servitutis jugo annos 70. durassent, à Cyro veniam impetrarunt in Palæstinam redeundi murosque Hierosolymorum cum templo reædificandi, quod factum Zorobabelis, Esræque auspiciis. Sequentibus temporibus denuo ab Antiocho Epiphane capta urbs, brevi tamen à Juda Maccabæo recuperata est: frustra iterum à variis Syriæ regibus aliquoties tentata. Pompejus dein urbe occupatâ, nihil non licentiæ furenti ibi militi permisit: quam malè quoque habuit post eum Herodes Ascalonita, postea tamen reparavit mirumque in modum exornavit. Donec, FILIO DEI in crucem hic acto, capta, direpta, & secundùm Christi vaticinium funditus eversa est, post obsidionem semestrem famemque incolarum inauditam, ut & alia obsessorum mala, à Tito, Anno Dom. 73. Templo capto d. 4. Aug. qui Sabbatum erat, & incenso arce quoque d.8. Septembr. ab hoste expugnatâ. Sic in cineris sedit tota, Regina Orientis & veræ Religionis per 1100. annos metropolis, templumque adeò eversum est, ut *nec lapis, super lapide remanserit*, prædicente CHRISTO: quæ verba elusurus Julianus Apostata, frustra fuit, flammarum è subterraneis locis prosilientium vi devoratis iis, quos moliendis fundamentis adhibuere Judæi, quibus is veniam reædificandi urbem concesserat. Vasa autem templi à Vespasiano in templo Pacis Romæ reposita, docet Hieronymus. Ab eo tempore urbs prorsus jacet. Quæ enim ab Adriano Imperatore anno Christi 132. extructa, *Ælia* etiam quibusdam dicitur, non eodem loco sita est. Vide infra. Hic cùm duce Barchochebâ Judæi rebellassent, subterraneis sibi perfugiis præparatis, nihilominus ab Imperatore excussi sunt, & totâ Judæâ pessimè habiti, quos ut acrius castigaret, etiam ingressu urbis illos in posterum arcuit, imò vel eminus, aut ex loco editiore urbem aspiciendi potestate demtâ,

demtâ: Insuper porcum in porta Bethlehemum ducente sculpi, Templum Veneri in monte Calvariæ: Jovi in loco Resurrectionis CHRISTI, Adonidi in pago Bethlehem dicavit, quæ usque ad Constantinum Magnum extitere. Hic urbem novis colonis auctam, magnificè ornavit, quæ tamen sub Heraclio Imperatore à Cosroë II. Persarum Rege iterum occupata est. Septimo & octavo seculo sub Saracenis Mahometi successoribus gemuit, donec illam is Aaron Persarum R. Carolo Magno donavit, Legati solùm titulo in hac regione sibi reservato. Sed post Caroli mortem, relapsa est sub jugum Barbaricum: usque dum expeditione sacrâ in Concilio Claramontano decretâ, Godofredus Bullionæus Dux expeditionis, illam occupavit, anno Christi 1099. d. 15. Jul. Regni Hierosolymitani fundator & primus Monarcha dictus, cujus successores subinde à Saracenis, bello petiti sunt, usque ad tempora Guidonis Lusiniani mariti Sibyllæ, ditionum istarum hæredis, qui à Saladino Syriæ Ægyptique Sultano urbe captâ anno Christi 1187. die 2. Octobris toto regno, exceptâ Tyro, Tripli, Antiochia, & castris aliquot exutus est; postquam Regnum 88. solùm annos durasset: à quo tempore titulus Regni, post ambitiosas Christianorum Principum lites, Hispaniæ Regibus tandem mansit. Captâ sic urbe & occupato regno, Christianorum conatus quidem varii, sed irriti semper fuerunt. Imo ab Alfiro Sultano Ægypti, quidquid restabat in Oriente, Christianis ereptum est, anno Chr. 1288. exceptâ Ptolemaide, quæ & ipsa tandem, in manus Sultani Melec-Arafi, qui Alfiro successit, redacta est, anno 1291. die 19. Maji, cæsis pulsisque omnibus Christianis. Sub Califis Ægypti sic Terra olim Sancta postquam fuisset usque ad annum Christi 1507. Selimus Turcarum Imperator illâ potitus est. Nunc Chuz Turcis: Parvi circuitus est, vix decem mille incolas Turcas partim, partim Æthiopes, Arabes, Judæos: Item Christianos schismaticos, Græcos, Armenios, Maronitas, Abyssinos, Nestorianos, Latinos Ordinis plerunque Franciscani, quibus ibi insigne templum S. Salvatoris, continens, deficitque indies, propter Arabum incursiones. Vide infra. Ecclesia Hierosolymitana à Christo fundata ejus nativitate, vitâ, miraculis, passione & morte, sepulturâ, resurrectione & ascensu in cœlum, missione Spiritus S. concionibus, miraculis, martyrio etiam unius Apostolorum, sanctificata fuit; sub Metrop. Cæsariensi, secundùm Canonem 7. Concilii Niceni: *Mos antiquus obtinuit, ut Ælia, i. Jerosolymæ Episcopus honoretur, salva Metropolis propriâ dignitate.* Nihilominus Juvenalis Episcopus, in Concilio Chalcedonensi obtinuit, ut Hierosolyma triplicem Palæstinam in posterum sub se haberet: quod demum Concilio 2. Constantinopol. effectui datum est, anno Christi 553. quo, post condemnationem trium Capitulorum, Hierosolymitanæ Ecclesiæ subjectæ sunt Metropoles, Cæsarea, & Scythopolis, quæ prius dependebant ab Antiocheno Patriarcha, Berytus item & Rubensis in Syria, quæ sub Alexandrino fuerant. In cujus rei solatium Cæsareæ Imperator reddidit titulum urbis Proconsularis, quo prius usa fuerat. Floruerunt in Ecclesia hac viri insignes, sed & gravia illam afflixere mala, sub Idololatris, Hæreticis, Saracenis & Turcis. Primum hîc Christianorum Concilium habitum est, anno Christi 49. vel 50. cujus historiam vide Actor. cap. 15. Aliud ibidem celebratum est anno Chr. 197. ob celebrationem Paschatis. Anno Chr. 335. auctoritate Constantini Magni, quo de dedicatione templi prope locum sepulturæ JESU CHRISTI actum. Postquam Orthodoxi Præsules hinc discesserunt, Synodo ab Arianis, qui Eusebiani dicebantur, habitâ, Arius in communionem Ecclesiæ receptus est. Sed aliâ à Maximo ibidem anno Chr. 350. indictâ, rescissa sunt acta Synodi Tyri habitæ, cujus prior appendix fuerat, iique qui Athanasii condemnationi subscripserant, palinodiam cantarunt. De cætero vide Morerium *Diction. Historico.* Plura autem qui de inclyta hac urbe magnifico Salomonis templo, vicissitudinibus variis, Ecclesia, &c. scire desiderat, adeat fontes ipsos sacros Verbi Dei, libros Regum inprimis, Prophetas, Evangelistas, Acta Apostolorum: Præterea Josephum *in Antiquit. & de Bello*, Eusebium, Socratem, Theodoretum, Sozomenum, Orosium, Bedam, Guilielmum Tyr. Gesta Dei per Francos, Jacob. Vitriacensem, Adrichomium, Buchardum *descript. Terræ S.* Tornielum & Salianum, *in Annal. Veteris Testam.* Petrum de Valle *Itinerarii tom.* 1. Insuperque in vocibus *Judæa*, *Palæstina*, & *Templum Hierosolymitanum*, Hinc *Hierosolymitanus*, & *Hierosolymarius*, quo nomine dictus est Cn. Pompejus ab Hierosolymis expugnatis: Cicer. 2. *ad Attic. Si verò quæ de me pacta sunt, ea non servantur, in cœlo sum, ut sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, quam bonam meis purissimis orationibus gratiam retulerit.*

Hierosolyma, nova urbs, ab Ælio Adriano Imperatore condita. Hic enim, cùm anno Chr. 135. Judæi rebellantes Templum restituere conarentur, 58. myriadas eorum uno die concidit, & residua veteris Hierosolymæ prorsus destruxit, montem quoque Moriah, in quo templum olim conditum erat, in planitiem redegit, ne gens montis & templi fiduciâ jugum denuo excuteret. Porro 50. in Judæa arces diruit, vicosque 980. ferro ignique vastavit. Post quam excisionem dispersionemque Judæorum ruinas & saxa murorum ex ipsis fundamentis eruit, omnesque lapides in minutissimas partes confregit, diminuit ac dissipavit. Sic, cùm quidquid de urbe Hierosolyma residuum erat, in pulverem cineremque esset redactum, nomenque etiam urbis deletum ac sublatum, novam condidit in vicino loco, eamque de suo nomine Æliam, Christianis etiam *Hierosolymam*, appellavit. Posita est ad montes Gihon & Golgotha, ubi Jovi atque Veneri templum construxit, & in loco prioris templi equestrem erexit statuam, imaginem nempe suam in columna marmorea: quæ 400. post Christi nativitatem annis, Hieronymi adhuc tempore, conspecta est. Porcorum etiam imaginibus è marmore supra portas urbis constitutis, urbem Jovi Capitolino consecravit, hinc porro *Capitolinam* dictam, omnibusque Judæis ejus ingressu in perpetuum, sub inevitabili capitis pœnâ, interdixit: Porcorum autem illa simulacra, vel in ludibrium Judæorum, quibus ad esum & sacrificia porcinæ usus vetitus erat, vergebant: vel veteris Albæ auspicia renovabant: Priscis enim Romanis hoc animalis genus sacrum fuisse, innuit Virgilius, in loco ubi ait:

——— *Alba sub ilicibus sus*
Triginta capitum fœtus enixa jacebit. Vide suprà.

Hierus, seu sacer, fluv. parvus Corsicæ, nunc *Orto*. In mare Tuscum labitur, 12. mill. ab Aleria in Austr.

Hignatia via, Strab. quæ & *Egnatia*, Ciceroni *Via militaris*, à mari Jonio ad Hellesp. usque per Macedoniam perducens, longa 530. m. p. à Dyrrachio ad Occas. & Callipolim ad Ort.

Hii, Insula Scotiæ ad Occasum adjacens, hodie *Jona*. Populi *Hienses*. Camd.

Hilara, vulgò *Iler*, fluv. Sueviæ, juxta Memingam, in Danubium apud Ulmam labens.

Hilarense opp. Afr. propriæ, versus Carthaginem.

Hilaria, festum apud Romanos, ad 8. Kal. Aprilis, quo primùm tempore Sol diem nocte longiorem portendit, celebrari solitum: in honorem Matris Deûm, ut ex Macrobio, Lampridio *in vita Alexandri Severi*, Turnebo *Advers. lib.* 24. *cap.* 45. aliisque patet. Fiebat autem id maximâ populi lætitiâ & nobilissimâ pompâ, quovis è populo insignia cujusque dignitatis liberè & impunè simulante, Herodian, *in Commodo.* Vide plura apud Rosinum *Antiquit. Rom. lib.* 4. *cap.* 7.

Hilarion, Eremita clarus, in Syriâ Monachorum institutum adauxit, qui cùm signis & miraculis jam clarescerct, in Gaza urbe tres cujusdam matronæ filios, simul repentè morbo correptos, invocato nomine Jesu, extemplo curavit: quod postquam auditum est, certatim ad eum de Syriâ & Ægypto confluebant ita, ut multi crederent in Christum, & se monachos profiterentur. Nondum enim tunc monasteria erant in Palæstinâ, nec quisquam monachos ante S. Hilarionem in Syriâ noverat. Ille fundator & eruditor hujus conversationis, ac studii in hâc provinciâ fuit. Hieronymus *in vita ejus.*

Hilarion Q. Julius, auctor Chronologiæ, seu libri *de mundi duratione.* Pithœus edidit. Vide & *Bibl. PP. tom.* 7. Item, Monachus Veronensis, Johannis Damasceni, Dorothei &c. quædam vertit, alia ipse composuit. Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. *p.* 813.

Pontifices, Præsules, & Viri illustres.

Hilarius, Papa Rom. post mortem Leonis M. an. 461. Sardiniâ oriundus. Prius à Leone ad Concil. Ephesinum 2. missus, contra Eutychem, Orthodoxiam asseruit. Sub initium dein Papatus, Epistolam Circularem scripsit, quâ denuo Eutychen Nestoriumque damnavit, & Oecumenica Concil. 4. confirmavit. Disciplinæ Ecclesiasticæ intentus, omnem dedit operam, ut Macedoniani hæretici, ab Anthemio Imper. Romam deducti, nullos ibi cœtus haberent. Sacerdotes nonnisi Virgines in uxores ducere jussit. Obiit an. 467. Anastas. *in vitis Pontif.* Successit Simplicius.

D. *Hilarius*, Pictaviensis Episcopus, sec. 4. hæreticorum flagellum, & malleus, rectæ fidei dogmata tam Italis, quàm Gallicanis Episcopis præseminavit, ac tanquam disertus, suis libris satisfactionem de Trinitatis consubstantialitate conscripsit & Arianorum dogmata destruxit. Sozom. 6. 24. Scripto Constantinum Imper. ab Arianismo, & persequutione fidelium, Athanasii inprimis, cohortatus, anno elapso, Saturnini Arelat. Ariani operâ, cum Rhodanio Tolosano, in Phrygiam relegatus est, anno 356. Quadriennio pòst, in Synodo Seleuciensi & Constantinop. contra Arianos fortiter Orthodoxiam tuitus, in præsentia Imperatoris, ut cum illis disputaret, impetrare non potuit: In Galliam proin, fraude Arianorum, qui ab homine sibi tam gravi liberari avebant, remissus. Mediolani Auxentium erroris & impietatis, coram Valentiniano, accusavit: Inde Pictavium redux, obiit anno 369. Scripsit varia, de quibus, ut & plura de ipso vide apud Morerium, *Dict. Hist. Romani Sermonis tuba, Latinæque eloquentiæ Rhodanus*, Hieron. *Murus fidei valida atque columna*, Paulino: *Ecclesiæ adversus hæreticos acerrimus*, & ut in Epiphanio habetur, *terrificus defensor*, Labbæo: Vide Magiri *Eponym. Crit.*

Hilarius, Aurelianensis Episc. Gallus. Inter alia, interfuit Concil. Arausicano, an. 444. quo Chelidonius Episc. Vesontinus, depo-

ſitus eſt: qui cùm Romam ad Leonem I. appellaret, & Hilarius, inſalutato Pontifice, inde decederet, irritum eſſe juſſum eſt, quidquid ab Hilario eſſet ſtatutum. Hinc, cùm provincia abſque Præſule eſſet, ſummiſſus eſt Leontius Forojul. qui Metropolitano munere fungeretur. Obiit Anno 449. Plura de ipſo, ſcriptisque ejus, Vid. apud Auctores Morerio *Diction. Hiſt.* laudatos, Voſſium inprimis *lib.* 1. *Hiſt. contr. Pelagianos cap.* 19. *de H. L. lib.* 2. *cap.* 16.

Hilarius, Diaconus Eccleſ. Rom. ad Conſtantium Imp. à Liberio, Epiſc. R. miſſus, cum Lucifero Callieno & Pancratio Presbytero, veritate in Concil. Mediol. acerrimè defensâ, flagris cæſus & in exilium miſſus eſt. Dein in Luciferianorum errorem prolapſus, hæreticorum baptiſmum invalidum eſſe aſſeruit: proin rebaptizatis omnibus lapſis, *Deucalion Univerſi* ab Hieronymo dictus eſt. Ipſi commentarius in Epiſt. Paulinas, qui inter opera Ambroſii reperitur, & quæſtiones in V. & N. T. quæ in Auguſtini opere, tribuuntur. Athanaſ. *epiſt. ad Solit.* Hieronymus *adv. Lucif.* &c.

Hilarius, Vitellii libertus, quòd M. Cluvium Rufum detuliſſet, tanquam audito Vitellii & Othonis Principatu, propriam ipſe potentiam & poſſeſſionem Hiſpaniarum tentaſſet, ultro à Vitellio puniri juſſus eſt. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 65.

Hilarius, Phrygius quidam vates, ſub Joviniano Principe, literarum quidem imperitus: cæterùm tantâ divinandi peritiâ præditus, ut Deus cum illo futurorum cognitionem communicaſſe videretur. Item Senator quidam Antiochenus, de quo multa apud Suidam.

Hildebertus Lavardinus Arch. Turonenſis, diſcip. Berengarii; de quo, ſuo tempore dictum:

Inclytus & proſâ verſuq; per omnia primus,
Hildebertus olet prorſus ubiq; roſam.

Scripſit contra Berengarium, vitam Hugonis Cluniac. & Mariæ Ægyptiæ, Item 83. epiſtolas, &c. A Baronio & Sirmondo impuritatis accuſatus defenditur à Morerio *Diction. hiſtor.* Vid. Voſſ. *de H. L. lib.* 2. *cap.* 49. Item, Arch. Moguntinus, Dux Franciæ Or. frater Conradi Imper. an. 931. Vitas quorundam SS. edidit. Cuſpinian. *in Ottone M.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. c.* 40. *l.* 2.

Hildebrandus, Longobardorum R. poſt patruum Luitprand. an. 744. Ob ſeveritatem nimiam, poſt 7. menſ. Rachi cedere coactus. Paul. Diac. *Hiſt. Longob.* Sigonius, *de R. Ital.* Vid. *Childebrandus.* Item *Gregorius VII.*

Hildefonſus, S. Ægidii Comes & Tholoſanorum, Albigenſium in Gallia, circa A. C. 1147. patronus: cujus tempore Petrus Bruis & Henricus Monachus totam ferè Galliam, Evangelii doctrinâ, ſic repleverunt, ut *Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus eſſent*, teſte Bernardo *Serm.* 66. *in Cantic.*

Hildegardis, virgo monialis, Abbatiſſa Ord. Benedictini & prophetiſſa, An. Dom. 1150. in opido Bingio in Germaniâ, quæ rapta frequenter in ſomnis, didicit non ſolùm, quod verbis effunderet, ſed quod ſcribendo Latinè dictaret. Multa fertur prædixiſſe de futuris: magnam inprimis Religionis mutationem. Ab Eugenio III. magni æſtimata: Obiit an. 1181. æt. 82. De ſcriptis ejus, Vide Voſſ. Morerium *Dict. hiſt.* Ad hanc etiam D. Bernardus ſcripſit literas. Item conjux ſecunda Caroli M. filia Hildebrandi Suevorum regis, condidit monaſterium Campidunenſe in Sueviâ, An. Dom. 777. Obiit An. 782. filiorum 4. filiarum 5. mater. Munſterus *in Coſmogr.* illam filiam Eimieri, Domini Campidonenſis, ex Reginda Bavara: Vetus quidam auctor Immæ, ex Ulrici monachi SanGall. ſorore, filiam facit. Metis ſepulta.

Hildegaſtus, Philoſophus, & vates Gallorum, A. C. 240. carmine Sunonis R. vitam ſcripſit. Simler. *in append. Geſn.* Sed hoc opus ὑποβολιμαῖον judicat Voſſ. *de H. L. p.* 829.

Hildericus, vel *Hunericus*, nepos Genſerici, Rex Vandalorum, poſt Thraſimundum, an. 523. Ob nimiam lenitatem contemtus à ſubditis ſeptimo pòſt anno, Gilimeri fraudibus, regno cedere compulſus eſt.

Hildersham Arthurus, Theologus Anglus, eruditione, pietate, zelo, ſcriptis, inter quæ *Conciones in Pſalmi* 51. *novem priores verſus*; Item *in Hiſtoriam Samaritanæ, Joh.* 4. elucent, nomen immortale adeptus. Obiit haud pridem.

Hildesheimenſis Epiſcopatus, vulgò *Biſchthumb Hildesheim*, Germ. *Eveſché d'Hildesheim* Gallis, tractus Saxoniæ Inf. ſub proprio Ep. qui ſolus in tota Saxonia Pontificius eſt. Fundatus fuit à Ludovico Pio Imp. habebatque antea juriſdictionem majorem, nunc multùm imminutam, pro maj. parte Ducatu Brunſ. cinctam. Sed ab Ort. terminatur Principatu Halberſtad. à Sept. Ducatu Luneburg. Ab Ortu in Occ. ad 10. mill. Germ. extenſus; Urbes ejus ſunt Peina, Poppenberga, Vinthuſia, & tractus caput

Hildeſia, vulgò *Hildesheim*, ad amnem *Innerſte*, 7. leuc. à Zella in Auſtr. 6. ab Hamelia in Ort. vix 6. m. p. à confin. dit. Brunſuicenſis.

Hilduinus, Abbas S. Dionyſii in Gallia, Ludovico Pio, & filio ejus Lothario gratus. Scripſit *Areopagitica*, ubi Dionyſium Areopagitam, cum Dionyſio Pariſienſi confundit. Obiit an. 842. Vid. Sigebert. *c.* 82. *Cat. & A.* 825. *Chron.* Trithem. Voſſ. *de Hiſtor. Lat. libr.* 2. *c.* 33. Morer. *Diction. Hiſt.*

Hilduinus, Archiep. Mediolanenſis, Hugonis Regis Italiæ, conſanguinei ſui, operâ. Obiit an. 942. ſcripſit vitas Abbatum Lobienſium. Trithem. *in Catal.* Ripamont. *hiſt. Eccl. Mediol. libr.* 9.

Hillus, vide *Hyllus.*

Hiltpolſtenium, vulgò *Hilpoltſtein*, caſtrum Palatinatus, obtigit in diviſione hæreditatis paternæ, Johanni Friderico, filio Philippi Ludovici, qui Wolphgango Bipontino Duce natus, Neoburgicum Principatum tenuit: fratres Joh. Friderici fuere, Wolf. Wilhelmus, qui Neoburgicam & Auguſtus, q ltz acenſem lineas orſi ſunt. Cum Auguſto fratre, à Wolfg. Wilhelmo, ob conſtantiam in religione Evangelica, multa paſſus, orbus deceſſit An. Chr. 1644. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſtor.*

Himantopodes, pop. Æthiopiæ loripedes, quibus ſerpendo ingredi natura eſt, hoc eſt, quod Solinus interpretatur, flexis crurum nexibus ingredi, ἱμὰς enim Græci *lorum* dicunt. Plinius *lib.* 5. *cap.* 8.

Himba, Scotiæ inſ. maris Hibernici, una Acmodum, 10. m. p. ab Ihona. Ferrar.

Himella, Ligorio *Aggia* & *Himella*, fluv. parvus Sabinæ, in Italia, Virg. *Æn.* 7.

—— *Qui flumen Himellæ,*
Et Tiberim, Fabarimq; bibunt.

In Tiberim labitur, 6. mill. infra Maglianum.

Himera, Siciliæ Græca urbs, Steſichori poëtæ patria, ad Thermas urb. & Himeram fluvium, quem veteres per ſummum errorem putaverunt eundem eſſe, & ex eodem fonte oriri cum altero Himerâ, nunc *Salſo*, qui in meridiem fluit inter Gelam, & Agrigentum. Vide Antigonum *in mirandis* & Melam, & Solinum, & Vibium, & Vitruvium. Quin licet utriuſque fontes ex Nebrode monte ebulliant, diſtant tamen ab invicem fere quadraginta millibus. *Himerenſes* autem ſoli Græcorum, ætate Thucydidis, ad mare Tyrrhenum habitabant. Urbem à Zanclæis conditam ad Occaſum Himeræ amnis, cùm floruiſſet per annos 140. Poeni, duce Annibale ſolo æquarunt, annis ante Chriſtum minimè quadringentis. Sed in alterâ parte fluminis iidem biennio poſt, ut habet Diodorus *lib.* 13. καταλέξαντες τῶν πολιτῶν τινὰς, καὶ τῶν ἄλλων Λιβύων τοὺς βουλομένους, ἔκτισαν πρὸς αὐτοῖς τοῖς θερμοῖς ὕδασι πόλιν, ὀνομάσαντες Θερμά, hoc eſt, *Volonum ex civibus aliisque Afris delectu habito, novam ad ipſas calidas aquas urbem condiderunt, quam Thermas appellarunt.* Has porro aquas, fabuloſo heroum ævo jam innotuiſſe Græcis, patet ex Diodoro, qui *lib.* 4. narrat Herculem, cùm Siciliæ litora peragraret, & à Peloro iret ad Erycem, τὰς νύμφας ἀνεῖναι θερμὰ λουτρὰ πρὸς τὴν ἀνάπαυσιν τῆς κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν γενομένης αὐτῷ κακοπαθείας. Τούτων δὲ ὄντων διττῶν, τὰ μὲν Ἱμεραῖα, τὰ δὲ Ἐγεσταῖα προσαγορεύεται, τὴν ὀνομασίαν ἔχοντα ταύτην ἀπὸ τῶν τόπων. *Nymphas calida illa balnea excitaſſe, quibus contractam ex itinere laſſitudinem allevaret. Quæ bina cùm ſint, illa Himerenſia, hæc Egeſtana dici, nomine facto à locis.* Inde Pindarus *Olymp.* 12. *Ergoteli Himerenſi:*

Θερμὰ νυμφᾶν λουτρὰ βαστάζεις
Ὁμιλέων παρ' οἰκείαις ἀρούραις.
Calida nympharum balnea extollis
Verſans apud domeſtica arva.

Ubi Scholiaſtes: Τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ θερμὰ λουτρὰ τῆς Ἱμέρας πόλεως λέγεται Ἀθηνᾶν ἀναδοῦναι εἰς ἀνάπαυσιν Ἡρακλεῖ, ἡνίκα ἐκεῖ ἐφάνη: τινὲς δὲ νύμφας, ὡς καὶ Πίνδαρος, *Calida Himeræ urbis in Siciliâ balnea Minervam ajunt aperuiſſe Herculi in laborum recreationem, cùm illuc perveniſſet; Alii autem nymphas, ut & Pindarus.* Ab his aquis Himeræ nomen. Res manifeſta, cùm Syris חמר *hamar* ſit incaleſcere.

Himera, amnis Siciliæ, unus ex maximis, à quo Siciliam dividi ferè mediam tradunt, Polybius *in Excerptis Legat. c.* 1. Liv. *l.* 24. & Strabo *l.* 6. Ejuſdem nominis alter eſt flu. ad Himeram urbem, & Thermas Himerenſes, influens in mare Thuſcum, Ferr. V. ſupra. Hic Baudrando nunc *Termini* dicitur: Vallem Demonæ ſeparat à Valle Mazaræ, & in mare Tyrrhenum ſe exonerat, ferè 25. mill. à Panormo in Ort. Ad hujus oſtia *Himera urbs* eſt. Hi ambo fluvii cùm diverſos fontes habeant, & ab invicem valde diſſitos, quadraginta ſc. millibus, tamen quia ſunt ejuſdem nominis, & ex eodem monte oriuntur, à veteribus crediti ſunt non niſi unum habere fontem. Sil. *l.* 14.

—— *Quâ mergitur Himera ponto*
Æolio, nam dividuas ſe ſcindit in oras,
Nec minus occaſus petit incita, quam petit ortus,
Nebrodes gemini nutrit divortia fontis.

Mela 2. 7. *De amnibus Himera referendus, quia in mediâ admodum inſulâ ortus, in diverſa decurrit, ſcindensq; eam utrinq; alio ore in Libycum, alio in Tuſcum mare devenit* Vibius: *Himera op. Thermitanorum dedit nomen Himeræ. Hoc flumen in duas ſcindi partes ait Steſichorus, unâ in Tyrrhenum mare, alterâ in Libycum decurrere.* Proinde cùm Himera

Tuscus, & Himera Libycus (sic enim liceat distinguere) diversi sint saporis, ille dulcis, hic salsi, subamari; id inter miracula referunt, quòd unus idemque fluvius, pro diversitate regionum, aliter atque aliter sapiat. Antigonus *in mirandis*: Περὶ δὲ ποταμῶν καὶ κρηνῶν, Λύκον μὲν φησι λέγειν τὸν Ἱμέραν ἐκ μιᾶς πηγῆς χιζόμενον, τὸ μὲν ἁλυκὸν τῶν ῥεέθρων ἔχειν, τὸ δὲ πότιμον. *De fluminibus & fontibus Lycum ait perhibere, Himeram ex uno fonte in duos scindi alveos, alterumque fluvium esse salsum, alterum potabilem.* Vitruvius 8. 3. *Uti in Sicilia flumen est Himera, quod à fonte cùm est progressum, dividitur in duas partes. Quæ pars profluit contra Ætnam, quòd per terræ dulcem succum percurrit, est infinita dulcedine: altera pars, quæ per eam terram currit unde sal foditur, salsum habet saporem.* Quæ pars prôfluit contra Ætnam, id est, Himera Tuscus, qui revera est dulcissimus, cùm alter nullo modo sit potabilis, hodieque *Salsi* dicitur, ab insigni salsugine. Itaque, inverso rerum ordine, Solinus Tusco tribuens, quod Libyci erat proprium, *Himeram*, inquit, *cælestes mutant plagæ: Amarus denique est dum in Aquilonem fluit, dulcis ubi ad Meridiem flectitur.* Jam de nomine dicendum. Tusco, à *Calore*, ut supra diximus: At Libyco nomen est ab *amaritudine* aquarum. Hebræis quippe verbum המר *hemar* est πικραίνειν *amarum reddere*, vel *amaricare*, quo verbo utuntur Theologi post vulgatum interpretem Apocal. 10. 9.

Himeria, urbs fuit Episc. Mesopotamiæ, in Osrhoena reg. sub Arch. Edisseno, G. Tyrius.

Himilco, Pœnus, à Senatu Carthaginensi missus est, ut occidua Europæ litora exploraret, quo officio functus iter suum in commentaria retulit. Festus Avienus. Item fil. Amilcaris, patri in Sicilia occiso successit, terrâ marique sæpius victor, post urbes varias expugnatas, peste cum exercitu obiit. *Justin. lib.* 19. *cap.* 2. Vid. & *Amilco*.

Hincmannus Chevalier, errores Origenis, de Dæmonum pœnitentia & receptione in gratiam, sub initium hujus seculi, voce calamoque incrustavit, in Anglia.

Viri illustres.

Hincmarus, Arch. Remensis, an. 845. post Ebbonem, decennio antè, depositum. Eruditione & zelo, pro libertate Ecclesiæ Gallic. inter primos sui seculi. Sed justo rigidior, in negotio Godescalci monachi, in Synodo Cresciacensi & nepotis sui Hincmari Ep. Laudunensis, in Conciliis Attiniacensi & Diciacensi. Obiit Anno 882. tempore, quo à Normannis Gallia miserè raptabatur. Opera ejus impressa Moguntiæ, an. 1602. Parisiis Anno 1615. operâ Sirmondi, an. 1645. Flodoard. *Hist. Rem libr.* 3. Sigebert. *c.* 99. *de V. J. & in Chron.* Rabanus Maurus, Vossius *de H. L.* Moterius *Diction. Hist.*

Hincmarus, Episc. Laudunensis, prioris nepos, Papæ contra Carolum Calvum, regnique jura & privilegia Eccl. Gallicanæ mordicus adhæsit: excommunicato quoque nobili Normanno, qui prædium aliquod ad suam Ecclesiam pertinens, beneficiario jure, à Rege obtinuerat. Quod improbatum à Galliæ Episcopis Anno 869. A' quibus ille ad Papam appellavit, sed hoc iterum Synodo Attiniacensi reprehensum: Cui cùm se nollet submittere, annitente Patruo, depositus est Synodo Diciacensi. Scripta ejus vide, in Bibl. PP. & operibus Hincmari Remensis. Flodoard. *Histor. Rem. libr.* 3. Aimon. & Baldericus *in Chron.* Moterius, *Diction. Hist.*

Hiob. Vid. *Job.*

Hiolcos, vide *Jolcos.*

Hiona, Hebridum clarissima, in qua Sodora urbs Episc. Ubi Cœnob. Benedictin. Regum sepulturâ insigne, à littore 12. mill. in Occas.

Hippadis pelagus, Ptol. pars Rubri maris juxta Æthiopiam, post Aromata promuntorium. *Azonium* Plinio. Baudrando pars Oceani Æth. versus Africam, inter Dioscoridis Ins. & Aromata prom. ad Bor. Menuthiamque Ins. ad Austr. Vulgò *mare Æthiopicum*, seu *Zanguebaria*, à regione adjacente.

Hippagoras, famam sibi peperit, opere de Carthaginensi Rep. Athen. *lib.* 14.

Hippanis, Bog, fluv. Poloniæ. Vid. *Hypanis.*

Hipparchia, mulier quædam Græca doctissima, quæ Philosophicis valdè excelluit, uxor Cratetis. Stylo Platonem imitata, Tragœdias quasdam composuit. Laertius, *l.* 6.

Hipparchides, traducitur per Comœdias ut improbus, & obscænus. Vide Schol. *in Aristoph. Acharn.* 399. *G.* 2.

Hipparchus, Dux Atheniensium, conjurans contra Heraclidem Demetrii præsidem, Athenas frenantem; occisus ab eodem, detectâ per Hieroclem conjuratione. Polyæn. *l.* 5.

Hipparchus, filius Pisistrati & Myrrhinæ, frater Hippiæ Tyranni. Vid. Scholia *in Equit.*

Hipparchus, Nicæus astrologus, scripsit de Arati Phænomenis, de stellis fixis, de Lunæ motu contra Platonem. Primus instrumenta Mathematica invenit, unde hæc sensibus deprehendi possent, Plinio maximè laudatus, *lib.* 2. *cap.* 26. Floruit sub Prolomæo & Philometore Euergete, Regibus Ægypti. Eum Rhodium Ptolomæus facit. Vide Voss. *de Math. scient. cap.* 33. §. 4. Item poeta Comicus, cujus fabula quædam περὶ γάμων inscribitur. Suidas. Alius discip. Pythagoræ. Alius propinquus Aristoteli, alius Eretriæ tyrannus. Hipparchus quoque filius Pisistrati tyranni, qui ob libidinem in Harmodium Aristogitonis conjurationem in se excitavit, Anno 241. U. C. Thucyd. Herodot. Pausan. Euseb. *Chr.* Idem ut invidiam tyrannidis sapientiæ opinione extingueret, literas coluit, virisque doctis maximè favit. Ælian. *Var. Hist.*

Hipparinus, Dionysii Jun. filius, ejecto Callippo dominatum Syracusis tenuit annos 2. Olymp. 106. an. 4. & 5. Stratagema, quo Syracusis potitus est; V. apud Polyæn. *l.* 5.

Hipparion, alter ex Dionis filiis. Polyæn. *libr.* 5. *in Dionysio, comment.* 8.

Hipparis, fluv. in Camarinâ, cujus aquarum pars dulcis est, pars salsa. Schol. Pind. *in illud Olymp. Od.* 5.

Καὶ σεμνοὺς ὀχετοὺς Ἵπ-
παρις οἶσιν ἄρδει στρατόν.

Ejus meminit Nonnus *Bassaricorum. lib.* 13.

Οἵ τ' ἔχον Καμάριναν, ὅπῃ κελάδοντι ῥεέθρῳ
Ἵππαρις ἀστήεντος ἐρεύγεται ἀγκύλον ὕδωρ.

Vide Cluverium: *Camarina* Fazello, ab urbe cognom.

Hippasus, Metapontinus, auditor Pythagoræ, vir doctissimus nihil scripsit. Musicus quoque excellens. Theon. Smyrn. *Mathem. lib.* 2. *cap.* 12. Omnia ex igne creari dixit. Sunt quidam, qui eum tractatum de religione sub Pythagoræ nomine edidisse ferant, ipsi damnosum. Laertius. *libr.* 8. Plut. Item unus ex Centauris, qui, in nuptiis Pirithoi, & Hippodamiæ, cum Lapithis manus conseruerunt. Meminit ejus, sed metu se occultantis, Flacc. *lib.* 1. *v.* 148. *Argon.*

Hippe, Chironis Centauri filia, quæ cùm in monte Pelio sese venando exerceret, gravida facta est, & ob id patris indignationem timens, deorum miseratione in equam conversa est, & in cœlum translata. Sunt qui mulierem fatidicam fuisse asserant.

Hippi, Ins. parvæ 4. Joniæ apud Erythras urbem adjacentes.

Hippi, Marmolio *Capo di Sorta*, prom. Africæ, ad Syrtim magnam, apud villam Philæni, in confin. Cyrenaicæ.

Hippia, Minerva Arcadibus, quòd usum quadrigarum invenisse crederetur. Item urbs Perrhæbiæ, quæ & *Phalanna*, Stephanus.

Hippias, Pisuthni Dux, Polyæn. *l.* 3.

Hippias, Eleus Philosophus, discipulus Hegesidemi, ita se comparavit, ne cujusquam ope egeret. Summum Bonum Αὐτάρκειαν posuit, hoc est, eo contentum esse, quod simplici victui sat esset. Is Olympiam cùm venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum gloriatus est: Nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solùm has artes, quibus liberales doctrinæ, atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Musicam, literarum cognitionem, & Poetarum, atque illa quæ de naturis rerum, deque hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur: sed etiam annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se suâ manu confecisse. Huic Plut. Epitomen rerum in ludis Olympicis gestarum ascribit. Cicero *lib.* 3. *de Orat.* Item Pisistrati filius, qui cùm Hipparchi fratris, in tyrannide, socius, illum occisum ulcisci vellet: Triennio pòst, A. U. C. 244. pulsus ad Darium se recepit, & Dux copiarum in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. Alius Erythræus, qui de Erythris, Joniæ urbe, historiam reliquit. Athenæus.

Hippici, montes Sarm. Asiaticæ sunt. Ptol. *Mazarisci* dicuntur Mercatori.

Hippis, Rhegiensis, historicus & Poëta, sub Dario & Xerxe: historiam Siculam, &c. scripsit. Ælian. *H. A. l.* 9. *c.* 33.

Hippion, is fuit, quem ferunt edocuisse Medicinam Æsculapium.

Hippius, mons Phrygiæ min. apud Ilium.

Hippo, filia Scedasi, à Legatis Lacedæmoniis violata, doloris impatientiâ manus sibi attulit, & diris devotionibus Urbem, tales Legatos emittentem, obruit, V. Diodor. *l.* 15.

Hippo, Africæ civitas, quam D. August. *de Civ. D.* 22. 8. *Hipponem regium* vocat. Livius *libr.* 29. *C. Lælius nocte ad Hipponem regium cùm accessisset.* Silius *l.* 3.

Tum Vaga, & antiquis dilectus regibus Hippo.

Gallis *Bone*, etiamnum urbs est munita, cum sinu parvo cognom. & portu capaci, in ora regni Constantiæ. Sub Algeriæ R. Parva & malè culta, cum arce in colle. *Boled & Ugneb.* Arab. Duæ autem feruntur hoc nomine civitates parum dissitæ, ambæ Regiæ, teste Strab. *l.* 17. Ἦτι δὴ Κιρθὰ πόλις ἐνταῦθα, καὶ οἱ δύο Ἱππῶνες, ὁ μὲν πλησίον Ἰτύκης, ὁ δὲ ἀπωτέρω πρὸς τῇ Τρητῷ μᾶλλον, ἄμφω βασίλεια. Plinius *Hipponem* Numidiæ inserit *libr.* 5. *cap.* 3. & *Hipponis diluti* meminit *cap.* 4. Vide Dausqueium *ad Silii locum supra productum.* Et Bochartum *Geogr. pap.* 517. ut & *Hippon.* Est & *Hippo* puellæ Bœotiæ nomen. Plutarch. Item op. Locrorum in Brutiis.

Hippo, quæ & *Vibo*, nunc *Monte Leone*, urbs Brutiorum in Calabria ult. in colle, 4. mill. ab ora maris Tyrrheni & sinus Hipponiatis,

poniatis. Ejus navale *Bevona* dicitur. 20. milliar. à mari Jonio in Occas.

Hippobinus, nomen cujusdam, ob libidines insani, à Comicis Atheniensi in theatro traducti.

Hippobotes, pratum quoddam amplissimum sub Caspiis portis, in quo regium armentum quinquaginta millium equorum pascitur. Strabo *lib.* 11.

Hippobotus, Historicus Gr. de sectis Philosophorum librum edidit. Diog. Laërt. & Porphyrius *in Vita Pythagoræ*.

Hippocentauri, monstrosum hominum genus in Thessaliâ juxta Pelion montem, anteriore parte (ut poetæ fabulantur) hominum, posteriore equorum effigiem referentium. Cui fabulæ occasionem ministrasse videtur, quòd primi equos domare cœperint, iisque ita aptè insidere, ut homines cum equis unum in corpus coaluisse viderentur. Iidem antea *Centauri* dicebantur παρὰ τὸ κεντεῖν ταύρους, hoc est, ab eo, quòd tauros stimulis agitarent. Verùm cùm idem postea ex equis præstarent, iisque insidentes stimulis tauros præ se agerent, *Hippocentauri* dici cœperunt: qui cùm ad Peneum amnem aquatum venissent, conspecti ab ulterioris ripæ accolis, pro monstris habiti sunt: præsertim cùm inclinata, potandi gratiâ, equorum capita non conspicerentur. *Hippocentaurus* quidam D. Antonium est allocutus, ei viam quò tenderet commonstrans. D. Hieronymus *in Vitâ Pauli Eremit.*

Hippocoon, cum liberis ab Hercule interfectus.

Hippocrates, Cous medicus, natus est Olymp. 80. Soranus *in ejus Vita*. Filius Heraclidis, ex Praxithea, quorum hæc ab Hercule, ille ab Æsculapio descendit. Proavus ejus Gnosidicus, libri de fracturis Auctor, ut Galenus ait. Auditor Democratis, ut quidam volunt, vixit apud Perdiccam Macedoniæ regem. Excessit è vivis annos natus 104. Suscepit filios Thessalum, & Draconem, habuitque generum Polybium, discipulum Dexippum, omnes Medicinæ gloriâ florentes. Hic vir divinâ scientiâ, dicebat coitum esse morbum comitialem leviorem. Ejus libri, tanquam divino emanaverint ore, ubique celebrantur. In primo enim Jusjurandum continetur, in secundo Prognostica, tertio Aphorismi, quarto illa admirabilis compositio 60. libris omnem scientiam Medicinæ complectens. Artem medicam in lucem revocavit, in quâ usque adeò enituit, ut venientem ab Illyriis pestilentiam prædixerit, ac discipulos ad auxiliandum circa urbes dimiserit: cui ob meritum honores illos, quos Herculi, tota Græcia decrevit. De eo Macrobius, *Hippocrates, qui tam fallere, quàm falli nescit.* Vide Plin. *lib.* 7. *cap.* 37. *lib.* 26. *cap.* 1. Cels. Senecam, Galen. Suidam, Voss. *de Sectis Philos.* Hodieque in Insula Co pretiosa ejus *Pucra* incolis dicti memoria, & casa quædam, quam inhabitaverit, curiosis monstratur. P. de Valle *Itiner. tom.* 1. V. quoque in voce *Democritus*. Quinque alios ejusdem nominis, omnesque ejusdem artis, & familiæ Suidas memorat. *Hippocratem* etiam alium Atheniensium ducem ponit in bello Peloponnesiaco Thucydides. Denique Mathematicus quidam, qui mercaturam exercuit: quia tunc temporis hæc non habebatur vilis, modò tenuis non esset, teste Plutarcho.

Hippocrates, ex Siculorum gente tyrannus, qui Ergetinorum sceleratissimo dolo & civium internecione invasit tenuitque urbem. Polyænus *l.* 5.

Hippocrates Geometra, à Pythagora, Scholâ expulsus, quòd mercede Mathematicam doceret.

Hippocratis annus, legitur in libro de *Septimestri partu*, quem dierum 360. fuisse probat Marsilius Cagnatus *Observat. var. l.* 4. *cap.* 14.

Hippocrene, fons in Bœotiâ, non procul ab Helicone monte, quem poetæ fabulantur factum esse ungulâ Pegasi alati. Hunc à Cadmo, literarum Restauratore, repertum quidam dicunt, unde fabulæ origo. Ovid. *lib.* 5. *Metam.* De nomine Bochartus. *Epigranea*, inquit, fons à Phœnicibus פגרן *Pigran* dictus est, ab *erumpendo*. Radix Arabicè פגר *phagara*, in primâ, secundâ, & quartâ conjugatione *fontem aperire*, in quintâ & septimâ *fontem erumpere*, significat. Articulo præfixo ex *Pigran* factum *Happigran*, vel *Happigrana*, unde Græcis Ἱππουκρήνη, tanquam ab *equo* deductâ voce, & Persio *fons Caballinus*. Hinc nata fabula de fonte è terrâ edito equi ungulâ percussâ.

Hippocura, Indiæ intra Gangem urbes duæ. Ptol. una maritima, altera mediterranea. Priorem *Onor* vocat Castaldus. Aliis *Lisbor*, opp. munitum, in regno Decani, in tractu *Balagate*, in mediterr. 70. leuc. Hisp. ab ora littor. maris Indici in Ort. versus sinum Gangeticum, 60.

Hippodamas, Lacedæmoniorum, qui à Prasiis obsidebantur, Dux, Vid. Polyæn. *l.* 2.

Hippodame, & *Hippodamia*, filia Oenomai regis Elidis & Pisarum, qui cùm ex oraculo se à genero interemptum iri didicisset, & illa tamen à multis procis, ob formæ præstantiam, expeteretur, curule certamen procis proposuit (habebat enim equos velocissimos, qui ex ventorum flatu creati erant) eâ lege, ut qui vinceret, filiam haberet, victus subiret mortem. Tredecim igitur victis ac occisis, Pelops Tantali fil. visâ puellâ, ejus amore protinus exarsit; Cujus nuptias ut assequeretur, Myrtilum ejus aurigam pollicitis corrupit, sic ut ille axes infirmos, & fragiles subjunxerit, vel, ut alii volunt, obicem axi non objecerit. Sic fracto ac dissoluto curru, Oenomaus excidit, moriensque Myrtili caput devovit; obtestans Pelopem, ut vicem suam ulcisceretur, quod & factum est. Cùm enim pactum sibi perfidiæ præmium à Pelope posceret, ab eo in mare dejectus est, atque hoc modo Pelops puellâ & regno potitus est. Ovidius,

Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus.

Propert. 1. 12.

Nec Phrygium falso traxit candore maritum,
Avecta externis Hippodamia rotis.

Hippodamia, Pirithoi uxor, quam cùm ipso nuptiarum die Centauri ei eripere conarentur, ab Hercule & Theseo ingenti clade profligati sunt. Ovid. *Met.* 12. Idem *in Epist. Helena*,

An fera Centauris indicere bella coegit
Atracis Æmonios Hippodamia viros?

Et *lib.* 1. *Amor. Eleg.* 4.

Desine mirari posito quòd candida vino
Atracis ambiguos traxit in arma viros.

Plut. *in Theseo*, *Deidamiam* vocat. Propertius ex Callimacho *Ischomachen*, *lib.* 2. *eleg* 2.

Qualis & Ischomache Lapitha genus Heroina,
Centauris medio grata rapina mero.

Item *Hippodamia*, Brisei filia, quam Achilles expugnato Lyrnesso opido secum abduxit, quæ & *Briseis* dicta. Alia Anchisæ filia, Alcathoi Trojani uxor, quem postea Idomeneus Cretensis in pugnâ cæcidit.

Hippodamus, Archon Athenis, an. 2. Olymp. 101.

Hippodamus, Atheniensis, qui domum suam in Piræeo publico donavit, ut inde rectius portus ædificaretur. Dicitur in bello Medico primus Piræeum contraxisse. Vixit admodum inter cives honoratus, de quo plura Scholia *in Equites*.

Hippodamus, alius fuit Dorieus & Italicus sectâ Pythagoræus, cujus instituta Stobæus recitat. *Hippodamus* alius voracitatis nomine nobilis. Scholia *in Aristoph. Equites.*

Hippodamus Milesius, Euryphontis fil. primus eorum, qui in Rep. versati non essent, cœpit aliquid dicere de optimo civitatis statu. Constituit enim civitatem ex numero 10. millium, divisam in partes tres, artifices, agricolas & milites. Regiones in totidem partes, sacram, publicam, & privatam. Aristot. *l.* 2. *Polit. c.* 8. Item alius Milesius Architectus, qui Atheniensibus Piræum portum extruxit, à quo forum Piræi *Hippodamiam* appellarunt, Suidas.

Hippodorus, unus Codridarum, invidiam populi vitare cupiens, & optimam simul Principis famam inter Athenienses adipisci, severitate in suos usus, filiam cum mœcho deprehensam currui jussit alligari, atque discerpi.

Hippodromus, Thessalus genere, patriâ Larissæus, circa M. Antonini Principis tempora, Athenis Scholæ successit. Philostr.

Hippola, urbs vetus Laconica, Gentile *Hippolaines*. Steph. In ora littor. sinus Messeniaci, ad rad. Taygeti, 12. mill. à Tænaro prom. in Occ. Jam tempore Pausaniæ diruta.

Hippolochus, fil. Bellerophontis, & pater Glauci. Hom. 6. *Il.* Item Antimachi Trojani fil. unà cùm Pisandro fratre in bello Trojano interfectus. Hom. 11. *Iliad.*

Hippolyte, Amazonum regina, quam Hercules prælio superatam Theseo uxorem dedit, cui & Hippolytum peperit. Prop. *libr.* 4.

Felix Hippolyte nudâ tulit arma papillâ.

Claudianus,

Quoties Arcton populata virago Hippolyte.

Fuit altera Acasti uxor, de quâ Horat. *Carm.* 3. 7.

Narrat penè datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolytem dum fugit abstinens.

Vide *Acastus*.

Hippolytus, Thesei, & Hippolytes Amazonis filius, qui cùm cœlibem ducens vitam venatu sese exerceret, & constanti animo sperneret mulieres, à Phædrâ novercâ absente patre amatus est: cujus turpi desiderio cùm obtemperare noluisset, illa filium apud patrem detulit, tanquam de stupro eam appellasset. Quamobrem cùm videret Hippolytus patrem, novercæ dolo persuasum, de nece suâ cogitare, conscenso curru fugam arripuit. Sed dum phocæ, quæ tum fortè in litus exierant, equorum, & rotarum strepitu perterritæ, magno impetu se in mare præcipitarent, exterriti equi, frustra obluctante Hippolyto, currum per scopulos, & saxa traxerunt, juvenemque infelicem loris implicitum, varias in partes discerpserunt: In nemore autem Aricino Dianæ sacro sepultus est. Ovid. *Fast.* 3.

Hic jacet Hippolytus loris distractus equorum,
Unde nemus nullis illud aditur equis.

Ubi alii *direptus* legunt. Sic *Fast.* 6.

Hippolyte infelix velles coluisse Dionem,
Cùm consternatis diripereris equis.

Idem *de Art. Aman.*

Hippolytum pavidi diripuistis equi.

Porro castitatem ejus innuit Prop. 4. 5.

Docta

Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem.

Ovid. *Amor.* 2. 4.

Illic Hippolytum pone, Priapus erit.

Mart. *lib.* 14. Lemmate *Puella Gaditana,*

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Et *in Priapeis,*

Crissabit tibi fluctuante lumbo,
Sic ut non modò te, Priape, posset,
Privignum quoq; sed movere Phadra.

Horat. *lib.* 4. *Carm.*

Infernis neq; enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum. Vide *Virbius.*

Viri Illustres.

Hippolytus, Episc. Arabiæ, vel, ut alii volunt, *Portus urbis* seu *Augusti*, in Diœcesi Rom. discipulus Clem. Alexandrini. Ab Ambrosio quodam, qui Marcionitarum deliria ejuraverat, permotus est, ut in S. Scripturam commentaretur, additis septem amanuensibus, & penso quotidie examinato. Plurima scripta ei Euseb. *in Chron & lib.* 6. *Hist. cap.* 16. Hieron. *c.* 6. *Catal. Quæst.* 3. *ad Damas. ep. ad Magn. & Procem. in Math.* tribuunt, quorum nihil superest, præter tract. de Antichristo, & fragmenta quædam. Obiit martyr, sub Alexandro Severo, Anno 230. Statua ejus honori erecta, reperta est Anno 1551. & in Bibl. Vaticanam translata, operâ Marcelli II. Sedet ibi in sella, ubi Græcis literis insculptus Cyclus Paschalis an. 16. editus, cum egregiis Comment. Græcè à Jos. Scaligero, Anno 1595. & Latinè ab Ægidio Buchero, Anno 1634. Vid. & Gruterum *in Inscript.* Gelas. *l. de* 2. *nat.* Phot. *cod.* 121, 122. Isidor. *lib.* 6. *Orig. cap.* 17. Niceph. *lib.* 5 *cap.* 15. Theodoret. *in Polymorpho.* Cyrillus *in Euthymo c.* 19. Georg Syncellus, *in Chron.* Anastasius, &c.

Hippolytus Bonnacossa, Ferrariensis, JC. celebris, sec. præt. Auctor *Repertorii Alphabetici, de Præsumtionibus.*

Hippolytus Estensis, fil. Herculis I. Ferrariæ D. Cardin. celebris, obiit Anno 1520. P. Jovius, Ciacconius, Victorellus, Garimbertus, Ughelius, &c. Inprimis Sardius, *in vita ejus.* Item, fil. Alphonsi I. Cardinalis, Legationibus inclytus, literatorum, Pauli Manutii inprimis, Mureti & Ossati Mecænas. Obiit Romæ, Anno 1572. Thuan. *l.* 54. Petramellarius, Victorellus, &c.

Hippolytus de Marsiliis, JC. Bononiæ docuit, an. 1524. In causis crimin libus magni judicii.

Hippolytus de Medicis, Cardin. nepos Leonis X. & Clem. VII. Arch. Avenionensis, Legatus ad Carolum V. Obiit, an. 1535. Garimbert. *Hist. lib.* 4. *c.* 4. Guicciard. &c.

Hippolytus Thebanus, auctor Chronici, Gesner. Possevinus, &c.

Hippomachus aliptes, olim irrisisse fertur quosdam laudantes procerum quemdam hominem & longa brachia habentem, tanquam à naturâ pugilem factum: verum illos tum consecuturos dicens, si corona ex alto aliquo loco demenda & capiti imponenda; non agilitate corporis & viribus consequenda. Plutarch.

Hippomachus, tibicen, qui cùm videret à plebe laudari discipulum, quem tamen in arte peccare cognoscebat, baculo tactum desistere jussit, dicens, maximum erroris argumentum, quòd ab ignarâ turbâ laudaretur. Ælian. *Var. Hist.* 2. 6.

Hippomedon, Nisimachi & Mythidices Talai filiæ, sororis Adrasti (ut vult Hyginus *fab.* 70.) vel Nisimachi, & Nasicæ filius (ut vult Lactantius *in lib.* 1. *Theb.*) unus ex 7. ducibus, qui ad Thebas profecti sunt, dum in Ismeno fluv. pedestri certamine decertaret, extinctus est. Sat. *l.* 9.

En meus Hippomedon, cui gentis origo Mycenæ,
Argolicíq; lares, numenq; ante omnia Juno.

Hippomenes, 27. Atheniensium Archon. Is filiam Limonem in adulterio deprehensam equo feroci vorandam præbuit. Dio Chrysost. *Orat.* 32. Suid. Unde Proverb. *magis impius Hippomene.* Ovid. *in Ibin.*

Solaq; Limone pœnam ne senserit illam,
Et tua dente ferox viscera carpat equus.

Hippomenes, Macarei, vel Megarei & Meropes fil. Neptuni pronepos, vel, ut alii, Martis: cùm Atalantam Schœnei filiam adamaret, Veneris beneficio voti sui compos factus est. Nam cùm illa virginitatem illibatam cuperet servare, procis suis cursus certamen eâ lege proposuit, ut illi inermes currerent, ipsa cum telo insequeretur, & quem cursu assequi posset, venabulo confoderet. Cùm itaque non paucos spe nuptiarum ejus illectos, neci tradidisset, Hippomenes, qui & ipse amore ejus tenebatur, neque tamen pedibus satis valebat, Veneris opem imploravit, quæ tria illi aurea mala tradidit, & quis usus esset in illis, edocuit. Hisce itaque fretus Hippomenes, cursu cum Atalantâ certare non dubitavit, cùmque parum abesse videret, quin illa præcurrentem assequeretur, mala aurea à Venere accepta, quàm longissimè extra viam diversa in latera abjecit, quorum pulchritudine capta Atalanta, dum ea colligit, aurumque admiratur, Hippomeni victoriam tradidit. Hâc itaque ratione voti sui compos effectus, cùm Veneri, cui victoriam debebat, gratias agere neglexisset, illa indignata, tam effrænatam illi cupiditatem injecit, ut in ipso matris Deum delubro, nullâ habitâ Numinis reverentiâ, cum uxore concubuerit. Quod flagitium ægrè ferens Cybele, Hippomenem in leonem, Atalantam in leænam commutavit. Ovid. *Met.* 10.

Hippomolgi, pop. ab *equis mulgendis* sic dicti. Dionys. Perieg. *Vers.* 309.

Ἔνθα Μελαγχλαῖνοί τε καὶ ἀνέρες ἱππημολγοί.

Populi sunt Scythiæ. Epitheton hocce Homerus Mysis attribuit, inquit Nicodemus Frischlinus. Sed fallitur, nam Poeta gentem aliquam peculiarem designat *Il. N.*

Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων καὶ ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν.

Callimachus quidem *Hymn.* 3. Cimmeriis accommodavit.

—— Ἐπὶ δὲ στρατὸν Ἱππημολγῶν
Ἤγαγε Κιμμερίων. —— ——

Hippon, Philosophus à Cratete, in Panoptis, (Comœdiæ nomen est) exagitatus. V. Aristoph. *Nub.*

Hippon, cujus Episc. fuit S. Augustinus, qui ibi obiit, cùm Vandali urbem A. C. 430. obsiderent. Ptolom. Strabo. Plin. Mela, &c. Ibi Concil. Anno 393. ad disciplinam Eccl. rigidè observandam. Vid. *Hippo*, & *Hippona.*

Hippon Diarrhytos, urbs fuit Africæ, nunc castr. regni Tunetani, in ora maris Medit. cum portu percommodo. Quibusd. *Biserta* vecchia, aliis autem *Razamslara*, in ora inter Uticam seu Bisertam ad Ort. & Tabracam ad Occ. paucisque constat incolis.

Hippon Regius, Gallis *Bone*, urbs Africæ maritima, Episc. inter Aphrodisium & Tabracam, à Carthagine 228. m. p. in Occ. à Cirtha 94. in Bor. & Cæciam, à Tabraca supra 100. in Occas. Cullu versùs 76. Etiamnum urbs munita est, cum sinu parvo cognom. & portu capace, in ora regni Constantinæ, sub Regibus Algerii: Parva tamen & malè culta, cum arce, in colle. Afris *Beled & Ugneb*, teste Marmolio. Silius *lib.* 3.

Tum Vaga, & antiquis dilectus Regibus Hippon.

Hippona, dea equorum, quam stabularii colebant. Juvenal. *Sat.* 8. *Jurat*

Hipponem, & facies olida ad præsepia pictas.

Sed hæc codicum corruptorum lectio, in melioribus tam editis, quàm Manuscriptis ita legitur,

Solam Eponam, & facies, &c.

Atque hanc lectionem etiam vetus Scholiastes agnoscit. Nam ad illa verba *Solam Eponam*, hæc notat *Quia mulio est qui consulitur, Epona Dea mulionum.* Meminit hujus Deæ Apul. *l.* 3. *Miles.* & Tertull. *in Apol.* Item Min. Felix. Vetus Inscriptio DEÆ EPONÆ MANLIUS RESTIO. Prudent. *contra Symmachum:*

Nemo Cloacina, aut Epona super astra deabus.

Plut. *in Paral.* Ἐστὶ δὲ θεὸς Ἐπόνα προσνοοῦσα πεισμένη τῶν ἵππων. Vide Turneb. *Advers.* 24. 4. & 26. 10. Valeat igitur commentitia *Hippona*, & in ejus locum succedat *Epona.*

Hippona, urbs Episc. Africæ, expugnata, à Ferdinando M. Hetruriæ duce, A. C. 1607. V. Thuan. *l.* 38. & in voce *Hippon Regius.*

Hipponax, poeta Ephesius, fil. Proteæ ex Protide, à quo Jambicum *Hipponacticum*, seu *Hipponactéum* carmen, quod & Scazon dictum est, nomen sortitum videtur. Floruit Olymp. 60. ut Plinius disertè testatur, *lib.* 26. *cap.* 5. & 36. Hic tam deformi, & fœdâ facie fuit, ut ejus effigies à pictoribus quibusdam publicè exposita fuerit deridenda: quamobrem indignatus Hipponax, in illos invectus est, ut aliquot ex illis, Anthernum nempe & Bupalum, ad suspendium adegerit. Unde natum Proverb. *Hipponacteum præconium.*

Hipponesus, urbs Cariæ, & alia Lydiæ. Steph.

Hipponiates, sinus Tyrrheni maris in Brutiis. Ptol. *Napitinus* vocatur ab Antiocho apud Strab. *Terinaus* Plinio dicitur, teste Hermolao, & *Vibonensis. Lameticum* ab Arist. nominari tradit Barrius. Hodiè *Golfo di S. Eufemia.*

Hipponium, urbs Brutiorum in Calabriâ ulter. *Bivona* Nigro. Item promunt. ibidem Lycophroni memoratum, hodiè *Salobron*, teste Barrio.

Hipponicus, Calliæ fil. Atheniensis, cùm patriæ statuam dedicare decrevisset, nonnullis eam à Polycleto confici suadentibus, illi nequaquam visum est, quòd ob operis pulchritudinem ab aspicientibus, non dedicantis, sed potius artificis virtus laudaretur. Ælian. *Var. Hist.* 14. 16. V. Schol. *in Nebulas.*

Hipponon, Ægypti urbs Antonino, fortè *Hippon* in libr. Notit.

Hippophagi, Scythiæ in Asiâ populi.

Hippopodes, pop. in Oceano Scythico, qui teste Solino, humanam usque ad vestigium formam tenent, sed in equinos pedes desinunt. Dionys. Perieg. *Vers.* 310.

Νώξοι θ' Ἱππόποδές τε, Γελωνοί τ' ἠδ' Ἀγάθυρσοι.

Avienus legit hunc versum, teste Morellio, hunc in modum,

Νώξοι θ' Ἱππόποδές τε Γελωνοὶ, &c.

Qui etiam ita vertit,

Cerelesq; Geloni. —— ——

Priscianus proprium nomen agnoscit. Sic enim hos versus Latinè reddidit,

Post

Post Hippemolgi, Hippopodesq; potentes,
Atq; Geloni cum Neuris, pictiq; Agathyrsi.

Et sic omnes alii interpretes. Mela *lib.* 3. *Equinis pedibus Hippopodes.* A celeri cursu forte hæc fabula. Meminit horum Plinius *lib.* 4. *cap.* 13.

Hipporea, pop. Æthiopiæ, sub Ægypto. Plin.

Hipporum, Calabriæ ulter. op. Anton. hodie *Felo* dici scribit Barrius, 10. m. p. ab Altano, apud Scunnum seu Rosarnum opp. Ferrar.

Hippos, sive *Hippus*, clara Judæorum civitas est, in tribu Manasse, cujus incolæ Hippeni dicuntur: sita ultra Jordanem in Orientali maris Galilææ littore, è regione urbis Tiberiadis. Urbs Cœlesyriæ Dioni: Episc. sub Arch. Hierosolymitano, haud procul à lacu Genesara. *Hippon* Plinio.

Hippostratus, genealogias Siculas exposuit, teste Pindari Scholiaste. Minois quoque res gestas consignavit, authore Phlegonte Tralliano, *Mirabil. cap.* 30. Vid. Voss. *de H. G. p.* 378. Etiam *Hippostratus* inter eos, qui de mirificis hominum formis in Indiâ scripserunt, à Tzetze refertur *Chil.* 7. *Hist.* 144.

Hippotades, patronymicum ab *Hippotâ* deductum: quo poetæ ferè utuntur pro Æolo, ventorum rege, Hippotæ Trojani ex Segestâ filia nepote. Ovid. *Met.* 11.

Quòd socer Hippotades tibi sit, qui carcere fortes
Contineat ventos, & cùm velit æquora places.

Hippotamada, vicus in tribu Oeneide. Steph.

Hippotoxota, dicti sunt equestres sagittarii, quâ voce utitur Hirtius *lib.* 5. *belli Asiatici.*

Hippuacra, (id est, *equi promuntorium*) urbs Libyæ.

Hippucome, Lyciæ vicus. Steph.

Hippuris, insula quædam Cariæ maris Mediterranei, una Cycladum, Plin. Mela. Vid. *Anaphe.*

Hippuriscus, insula quædam Cariæ. Steph.

Hippus, fluvius Moscorum in Phasim defluens. Strabo *l.* 11. Item insula Eretriæ, & urbs Siciliæ, ac alia Palæstinæ. Stephan. Gent. *Hippenos* & *Hippinus.*

Hipsa, vide *Selinus.*

Hipsala, urbs Thraciæ, ab Amurathe Turc. Imper. Johanni Cantacuzeno erepta, A. C. 1359. Laonic. *l.* 1.

Hipsides, amicus Menedemi, Prætoris Macedonici; quem cùm hic multis vulneribus (quæ in insidiis à Spitamene positis acceperat) exsanguis hortatus esset, ut in equum suum ascenderet & se fugâ eriperet; Hipsides, cæso amico, mori maluit quàm fugere. Itaque subditis calcaribus equo in medios hostes se immisit & memorabili editâ pugnâ obrutus telis est. Curt. *libr.* 7. *cap.* 51.

Hir, filius Caleb, filii Jephone. 1. Par. 4.

Hira, filius Acces. 2. Reg. 23.

Hira, maritima urbs Peloponnesi, in agro propinquo Pylo, sub Agamemnonis dominio. Hom. *Il.* 11. Ἱρα Stephano, mons & urbs Messeniæ, & alia Meliensium.

Hiram, rex Tyri. 2. Reg. 5. qui 2. Par. 2. *Huram* dicitur. Amicus Davidis primò, dein Salomonis, cui cedros è Libano summisit, ad templi structuram; 20. urbibus ab ipso donatus. Filius erat Abibali, regnavitque an. 60. Successit fil. Balatorus, per an. 7. Jos. *Antiq. libro* 8. Theophilus Antioch. *libr.* 3. *ad Antil.* ex Annalibus Tyriis Menandri Ephesii. Item civitas Idumæorum. Gen. 36.

Hiram, nomen viri Odolamitis. Gen. 39.

Hirasa, locus Libyæ, in quem Afri Battum transtulerunt. Stephanus.

Hirminium, Siciliæ fluv. Plin. *Mauli* & *Raguse* Fazello. *Maguns*, Ortel.

Hirpia familia, Plin. 7. 2. Haud procul ab urbe Româ in Faliscorum agro *familiæ* sunt paucæ, quæ vocantur *Hirpiæ*, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem, ambulantes non aduruntur, & ob id perpetuo Senatusconsulto militiæ, omniumque aliorum munerum vacationem habent. Verùm Strabo *l.* 5. non Apollini, sed Feroniæ hæc sacra fieri solita tradit. Servius præterea *in Æn.* 11. hos *Soranos* vocatos scribit, sed *Hirpinos* pro *Hirpis* malè legit. Hirpini enim longè à Faliscis absunt. Solino *Hirpi* vocantur.

Hirpini, pop. Samnitum, non tantùm contermini ab ortu Solis hiberni, sed & consanguinei, adeoque pars fuere. Strabo *lib.* 5. Ἑξῆς δ᾽ εἰσὶν Ἱρπινοὶ καὶ αὐτοὶ Σαμνῖται. Τοὔνομα δ᾽ ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας, ἵρπον γὰρ καλοῦσιν οἱ Σαμνῖται τὸν λύκον. Op. eorum *Hirpinum*, hodie *Harpaia* Leandro, qui hoc quoque *Harpadium* antiquis nominatum addit, quod vide. Leandro *Hirpinorum* regio, hodie est Principatus ulterior *Principato ultra*, in regno Neapol. Caput eorum & Metropolis Beneventum: cœteræ urbes Compsa, Abellinum, Frequentum, &c. Illorum Silius meminit *l.* 8.

Lucanis excita jugis, Hirpinaq; pubes.

Hirpini, montes ex quibus Aufidus flu. Apuliæ oritur.

Hirpinus, generosus equus. Juvenal. *Sat.* 8.

Sed venale pecus Coritha posteritas, &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.

Martialis 3. 63.

Hirpini veteres qui benè novit avos.

Hirri, pop. Germ. ubi nunc Livonia, erant, Cluver. Aliis, ubi nunc Hilandia, in Finlandia. Horum tantùm meminit Plinius.

Hirrius, prænomine *Cajus*, ædilis, de quo Cæsar. *libr.* 1. *de Bello Civili cap.* 15. Hic murænarum vivarium primus excogitavit privatim, Cæsarisque cænis triumphalibus sex millia numero murænarum mutuò appendit, nam permutare quidem precio ullo noluit aliâve merce. Hujus *Hirrii* villamq; uamvis non amplam aut latam constat propter vivaria, quæ habuit, quadragies sestertium venumdatam. Vide Plinium *lib.* 9. *cap.* 55. Macrobium *lib.* 2. *cap.* 11.

Hirrus, ex *Luceja* gente, Ciceronis in Auguratu, & M. Cœlii in ædilitate, competitor, sed utrobique repulsam passus.

Hirsemesh, id est, *civitas Solis*, civitas in tribu Dan, Jos. 19.

Hirtha, quasi *Hirchia*, extrema Hebridum, in Boream vergens, ab hircorum copia & magnitudine; à Scotia versus Thulen recedens.

Hirtius Aulus, consul Rom. unà cum C. Pansâ, quo tempore Brutus ab Antonio obsessus fuit Mutinæ, ad quem liberandum profectus, unà cum collegâ interfectus est. A. U. C. 711. Item *A. Hirtius*, sive *Hircius* historicus, suasu Balbi, author libri 8. de Cæsaris bello Gallico, ut Sueton. in *Julio cap.* 55. testatur. Ejusdem sunt libri de bello Alexandrino, & Africano. Dictionem ejus meritò commendat Just. Lipsius *libr.* 2. *Annal. Taciti. Hirtius*, inquit, *tersissimo belli Africi commentariolo*, Vide Voss. *Hist. Lat. pag.* 66.

Hisara, Vid. *Isara.*

Hisarci sive *Hisarsi*, pop. Alpini Insubriæ, quorum pag. adhuc *Isarso* & *Arcisate*, pag. alius vicinus, Merula, Castilion. Cluverio pop. sunt Vindeliciæ, ad ortum Isaræ flum. *Germ. ant. pag.* 725. Thscudus *Misaucos* legit: sunt autem hi Lepontiorum pop. (incolæ vallis Misauciæ *Masoxerthal*, cujus præc. locus Misaucum *Masox*, arx munita, in primo Rhætorum fœdere,) supra Verbanum lacum. Vid. Joh. Bapt. Plantinum *de variis Rhætia pop. pag.* 342.

Hismaelita, pop. qui nunc *Saraceni*, ab *Hismaele* sic dicti. Lege *Ismaelita.*

Hispalis, Bæticæ provinciæ urbs pulcherrima, antiquissima, clarissima, & omnium Hispaniæ maxima, Romanorum colonia cognomine *Romulensis*, à quâ unus ex 4. Bæticæ conventibus Hispalensis dicitur. Plin. 3. 3. Hodiè *Sevilla* vulgò, Italis *Seviglia*, Gallis *Seville*, Anglis *Sevil*, dicitur. *Hispali*, Herculis filio, nomen, atque primordium; Jul. Cæsari restaurationem; Raymiro regi, ac longo deinde tempore Ferdinando III. à Mauris, qui eam, cum reliqua regni parte ceperunt, A. C. 713. tenueruntque usque ad A. C. 1248. liberationem defert. Ariæ Montano videtur nomen Pœnicum, ex *Spila* seu *Spala* deflexum, quod planitiem seu virentem reg. significat. Urbs ad mare Gaditanum sita est, formâ rotundâ, ædium pulcherrimarum frequentiâ nitidissimè culta, totiusque Hispaniæ emporium florentissimum, quod ex variis mundi partibus, maximè verò ex Indiâ Occidentali quæstus incredibiles facit. Situ omnes Hisp. urbes excedit. Agrum habet pinguem & peramœnum, omnis generis frugum, olei, olivarum, dactylorum, & citriorum feracem. Eam nobilissimus fluv. Bætis præterlabitur: In cujus adversa ripa suburbium habet, amplum, *Triana*. Cum castro antiquo, sedes Metropolitæ. 20. leuc. Hisp. à Corduba in Occ. 55. ab Ulyssipone in Eur. totidem à Toleto, in Austr. 16. ab ora Oceani. Baudr. Præterea Academia hîc, Inquisitio, Moneta, quæ vulgò *aurea Turris* dicitur: tantumque hîc & Segoviæ moneta Hispanica cuditur. De hac Hisp. *Qui no ha visto Sevilla, no ha visto Maravilla.* In urbe hac regia, A. C. 1555. fidelium ultra 300. Ecclesia erat occulta: de qua quamprimum Inquisitoribus suboluit, persecutio instituta & Joh. Pontius Comes, Joh. Consalvus, Johannes Ægidius, concionatores Hispalenses, combusti, Anno Chr. 1559. Isabellæ Veniæ domus diruta, ipsaque cum Maria Virœsia, Cornelia Bohorquia, aliisque similiter neci tradita est. Passus item Garcias Arias, qui primus in Isidori sodalitium religionem intulerat, plurimique alii. Nec parcitum Constantino Pontio, paulo antè Carolo V. à confessionibus. Hispali dein Pinciam flamma pervolavit, &c. Vid. Thuan. *Histor. libr.* 23. ac Librum Inquisit. Hisp. apud Lætum *Comp. Hist. Univ.* Et plura de Urbe apud Rodrigum Carum *Antiquid. de Sevilla.* Alfonsum Morgadum *Hist. de Sev.* Meridam *descript. Hisp.* Marianam *Hist. Hisp.* Alios. *Hispal* Silio dicitur *l.* 3.

Et celebre Oceano, atq; alternis æstibus Hispal.

Hispalis, vulgò *Aurea* dicta, urbs in parte Bor. Jamaicæ insulæ, in sinu Mexicano, in qua templum cum Abbatiali dignitate, ubi primatum gessit Petrus Martyr Anglerius Mediolanensis, vir in tractandis Judiciis rebus diligens. Hodie etiam dicitur *Sevilla del Oro.* Metel. Cum portu, sub Anglis, à paucis annis; parva & malè culta. Baudr.

Hispalus, Celtiberorum rex. Diodor. *l.6*.

Hispania, & *Hispaniæ* plur. num. & apud Poetas *Hesperia ultima*, ac *Iberia*, Italis *Spagna*, Germ. *Hispanien*, Anglis *Spain*, Gallis *Espagne*, ipsis Hispanis *Espanna*, Provincia Europæ amplissima, Galliæ contigua, ab eâ Pyrenæis montibus separata, & in Austrum recedens, à 3. lateribus Oceano & mari mediterraneo instar peninsulæ circumflua. Nam Oceanus ad Bor. ad Occ. & ad Meridiem; Mediterraneum etiam ad Merid. & ad Ort. eam adluunt. Cujus peninsulæ Isthmus est Pyrene mons 89. leuc. Hispanicis inter 2. maria, inter Occid. & Ort. excurrens. Ea à Romanis primùm in duas Hispanias, citeriorem, & ulteriorem, Ibero fluv. divisas: postea in tres, Tarraconensem, Bæticam, & Lusitaniam partita; quarum quælibet plures continet regiones; sed maxima Tarraconensis, quæ reliquas simul acceptas magnitudine, utpote Navarram, Castellam & Aragoniam simul complexa, superat. Hodie quoque regnis distincta est, *Portugalliæ, Castellæ, Legionis, Aragoniæ*, & *Navarræ*, ut Mariana enumerat *lib.* 1. *de rebus Hispaniæ cap.* 4. Becmanno hodiernam ejus divisionem tria regna efficiunt, *Portugalliæ*, *Castellæ* & *Aragoniæ*, quam & Philippus subjectâ jam Portugalliâ tribus galeis scuto suo impositis exprimere amavit, utpote vett. Portugalliæ, Castellæ & Aragoniæ Regum propriis, cùm antea duabus tantùm usus fuisset, ex Chiffletio *de Eq. Aur. Vell. cap.* 8. *pag.* 23. Ubertatem & fertilitatem Hispaniæ multis modis celebrant veteres. Polybius apud Athenæum, Strabo, Diodorus Siculus, Mela, Justinus: usque adeò, ut Pacatus Latinus *terris omnibus terram feliciorem* pronuntiet, *Paneg. Theodosii cap.* 4. neque aliud evincit hodiernus generosi vini, salis, olei, metallorum in Asturia præsertim, Gallæcia & Portugallia, proventus, sed frumenti non æque ferax est, ob soli siccitatem; cujus defectus notabile specimen sensit Fridericus II. Elector Palat. cùm ad Carolum V. Legatus iret, Vid. Hub. Thom. Leod. *libr.* 6. *de Vita Frid. El.* & ex eo Lansium *Or. contra Hisp.* Et Plinius verò hanc ubertatem ad loca maritima tantùm, in fine operis videtur adstringere: & *lib.* 3. *cap.* 1. ad Bæticam imprimis: Morerius versus Ort. & Mer. fertiliorem esse docet. Nec hoc tamen sine omni compensatione est, quam Mela jam agnovit, cùm scripsit: *Sicubi ob penuriam aquarum effœta & sui dissimilis est, linum tamen, aut spartum alit.* Interim miserior hodie soli facies, unde quibus de causis à veteri ingenio mutata sit in tantum, inquisivere viri eruditi jam olim. Christoph. Fosterus, aliique hoc non ad soli vitium, sed incolarum & agricultorum infrequentiam refert: Quam ex assiduis bellis, fœminarum rara fœcunditate, Maurorum quorum ad 900000. solo an. 1610. exierunt, & Judæorum, quorum ad 170000. à Ferdin. & Isabella ejecti, Anno Chr. 1492. expulsione, coloniis crebris, Inquisitionis rigore, denique quòd Hispanorum bellicosa natio tanto studio externa arma sequi solet, invectam putant. Vide & Lud. Nonium *in suâ Hispania, cap.* 5. qui hoc fusius explicat. Plures ejus rei causas afferre licet, sed illud ingredi, hujus loci non est. Juvabit tamen ex Latini Pacati *Panegyrico*, quem supra laudavimus, ascribere nonnulla, quæ ad alias Hispaniæ laudes pertinent: *Hispania*, inquit, *quicquid ubiq; laudatur, assurgat. Hæc durissimos milites, hæc experientissimos duces, hæc facundissimos Oratores, hæc clarissimos Vates parit, hæc judicum mater, hæc principum est. Hæc Trajanum illum, hæc deinceps Hadrianum misit imperio, huic te debet imperium, &c.* Hodie divitiis inprimis ex India quotannis afferi solitis inclyta est, quæ tantæ, ut calculo inito A. C. 1618. deprehensum sit, à tempore repertæ Indiæ, 1536. milliones auri inde rediisse, cùm 12000. solùm ducatis, quos status quidam Secretarius suppeditaverat, Indiæ occupatio constitisset. Interim continua bella, Belgicum inprimis, merciumque aliunde petendarum necessitas, multum thesauros hosce Hispanicos attrivere, hodieque atterunt. Græci Σπανίαν vocant. Vulgò autem dictam volunt à *Pane* Bacchi socio, qu. *Pania*. Absit tamen, ut putemus *Spania* nomen dedisse Panem Arcadem. Quin potius Phœnicium est. שפן *Saphan*, cuniculus est, inde שפניה *Sphaniam* vel *Spaniam* nominarunt Phœnices hanc regionem, id est, *cunicularium*, vel *cuniculosam*; quomodo Catullus *ad Contubernales suos*,

Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili. ——

Varro *de R. R.* 3. 12. *In Hispania annis fuisti ita multis, ut inde te cuniculos persecutos credam.* Plin. 8. 55. *In Ebuso cuniculi non sunt, scatent in Hispaniâ*, Ælian. *de Anim.* 13. 15. Πέφυκε δὲ λαγὼς ἕτερος μικρὸς τὴν φύσιν, οὐδὲ αὔξεταί ποτε. Κόνικλος ὄνομα αὐτῷ, παρ' Ἰβήροις γίνεταί τε καὶ ἔστι παμπολύ. Vide Boch. *Geogr. p.* 700. Equos fert insignes, qui in Vandalitia quidem alacritatis, in Asturia, unde *Asturcones* Romanis dicti, roboris, at in Lusitania pernicitatis gloriam ferunt: unde non immeritò veteribus crediti sunt vento concipere. Tria præterea in Hispania memoratu digna notantur, urbs igne cincta, quæ Madritum est, cujus muri ex silicibus: Pons infra aquam, aquæductus nempe Hispalensis: & alter Pons, in quo 10000. ovium pascuntur, imo integer exercitus lustrari potest, in loco *la Guadiane*. Porro viros quondam Hispania celebres ac doctos nobis genuit, *Quintilianum, Senecam, Martialem, Lucanum, Silium, &c.* quò respexit Latinus ubi supra. Figura ejus, ἔοικε τῇ βύρσῃ, teste Strabone *l.* 3. Dionysius Periegetes,

Ἤπειρον κείνην ἰκέλην ἐνέπουσι βοείῃ.

Mela τὸ σχῆμα Hispaniæ sic explicat. *Ipsa Hispania, nisi quà Gallias tangit, pelago undiq; cincta est: ubi illis adhæret, maximè angusta, paulatim se in nostrum mare & Oceanum extendit magis, magisq; latior ad Occidentem abit, ac fit ibi latissima.*

Celtarum gentem, ab Aschenaze propagatam, omnem post terrarum inundationem obsedisse *Hispaniam*, præter alias regiones, patet tum ex nomine *Celticorum*, qui partem Bæticæ ac Lusitaniæ, partemque Tarraconensis prov. adusque prom. Celticum, vulgò *Cabo finis terræ* tenuere: tum *Celtiberorum*, ad Iberum flumen incolentium. Unde Plinius Oretanos, Tarr. prov. incolas Germanos vocet, disquirendum. Primi deinde exterorum ad Celtas in Hispaniam venere Phœnices, quos partem Bæticæ, postea *Turditaniam* dictam occupasse, memorant Diodorus & Strabo. Græci postmodum à Massilia colonias deduxerunt, inter Pyrenæum & Iberum, Rhodam & Emporias, hodieque *Rosas* & *Empullias*: imo & interius illos penetrasse arguit corruptum nomen Graviorum pro Grajorum, Græcorumque castellum Tyde, nunc *Tuy*, in Gallæcia. Postea Carthaginenses majorem ejus partem occuparunt, ad Internum mare, Amilcaris auspiciis: quibus secundo bello Punico victis, tota Romanorum facta est, qui ibi habuere Vir. Spectabilem Comitem Hispaniarum cum 16. numeris peditum: Rationalem summarum, qui suberat Comiti sacrarum largitionum: Procuratorem baphii insularum Balearium: Rationalem denique rei privatæ, sub Comite Rerum Privatarum: Sub his mansit usque ad Honorii Imper. tempestatem. Post hanc triplicem notant Historici periodum, *Gothicam, Mauricam* & *Castellanam*. Postquam enim Gothi, Vandali, Suevi, Alani & Silingii occasione Legionum præsidiariarum à Constantino M. in Orientem translatarum tum aliis Imperii provinciis, tum quoque Hispaniæ incubuissent, Gothi tandem hîc rerum potiti sunt, duce Walliâ, qui post Athanaricum, Alaricum, Athaulfum, & Segericum, Westrogothorum Rex primus in hoc regno sedem fixit, A. C. 418. cujus successores, sub quibus Monachatus à Donato huc ex Africa illatus est, A. C. 567. illud tenuere, usque ad Rodericum, qui ob vim filiæ Juliani Septæ Comitis illatam, à Mauris, pleràque Gotthorum nobilitate extinctâ, eo exutus est, A. C. 713. à quo tempore *Juliani* nomen hodieque fatale ac infaustum Hispanis habetur. Mauri periodum suam utcunque produxerunt usque ad tempora Ferdinandi Catholici: sed dispar eorum à priori pariter ac moderno regimine gubernandi ratio fuit. Tot enim Hispaniæ regna ferè numerabantur, quot provinciæ & urbes extantiores erant, quæ Gothorum reliquiæ i. *Christiani, (qui post cladem prædictam in Legionis, Asturiæ & Gallæciæ montana se receperant,)* cùm Maurorum, à Carolo Martello in Gallia & Carolo M. in Hispania devictorum, jugum sensim excuterent, in suos titulos assumsere, & quod quisque occupaverat, separatim tenuere. Donec illa omnia ad tria redacta sunt Castellam, Aragoniam & Lusitaniam, quæ, hac ultimâ exceptâ, A. C. 1470. in unius Ferdinandi Catholici Aragoniæ R. potestatem venerunt, periodoque *Castellanæ* initium præbuerunt. Hic enim ductâ Isabellâ, Castellæ & Legionis hærede, prima magnitudinis Hispaniæ jecit fundamenta: Navarram Henrico Albretano eripuit, Novum orbem per Christophorum Columbum detexit, Neapolim, &c. occupavit. Pater Johannæ, quæ Philippo Austriaco nupta, ex eo genuit Carolum V. Imp. & primum hujus nominis Hispaniæ Regem. Huic fil. successit Philippus II. qui Regnum Portugalliæ, simulque totam Africam & Asiam littoralem ferè imperio suo adjecit: unde occasio nata dicendi: *Solem in Hispanico regno nunquam occidere*, & scribendi Persis, *Regi, cui pro pileo Sol est.* Ei A. C. 1598. Phthiriasi extincto successit Philippus III. fil. qui mortuus A. C. 1621. successorem reliquit filium Philippum IV. perpetuò, amissâ inprimis Lusitaniâ, infelicem, qui obiit sanguinis profluvio Anno Christi 1665. Pater Caroli II. qui Anno Christi 1661. natus, degit sub tutela matris Mariæ Annæ Austriacæ, quæ & Reginæ Regentis munus propterea, dignitatemque gerit. *Catholici* titulus Regibus his eximius est, à tempore Ferdinandi prædicti. Sacrorum speciem consiliis prætexere, inter primas Status regulas habent, unde Religionis Pontificiæ tenacissimi & Pontificis Rom. observantissimi habentur: quamvis non destiterint Hispaniæ Reges rebus Pontificiis subinde molestiam facessere. Hinc olim Witiza, sub mortis pœna, ne quis Pontifici obediret, prohibuit, Baron. *Annal. ad Annum Christ.* 701. Et Carolus V. Româ occupatâ, Pontificem cum Cardinalibus captivum fecit, nominis Pontificii auctoritate, per universam Hispaniam, abrogatâ, Thuan. *Hist. libr.* 1. Philippus quoque II. sub quo Evangelii aliquis radius regnum perstrinxit, Hispali An. Chr. 1555. & Pinciæ Anno Chr. 1560. mox crudelissimis suppliciis extinctus, Thuan. *Histor. libr.* 23. in causa Portugalliæ, Gregorii XIII. judicium repudiavit, ut de Philippo III.

sub

ſub quo Illuminatorum ſecta, quam quidam Reform. Religioni conformem, alii difformem faciunt, orta. & IV. nil addam: Imo ordinem ſive Rituale Rom. diu Hiſpani rejeciſſe leguntur, Gothico ſeu Mozarabico retento, quod à S. Leandro & S. Iſidoro inſtitutum, poſt adventum Maurorum, à Chriſtianis ſub Maurorum dominio degentibus, unde *Mozarabes* dicti, continuatum, à Gregorio VII. magna ex parte ſublatum, hodieque Toleti certis in locis, permitti docet Voëtius *Part.* 3. *diſp. de Peregr. Compoſtellanis.* Ex hoc in Relig. affectu Inquiſitio Hiſpanica nata eſt, quæ A. C. 1200. primùm contra Albigenſes & Waldenſes inſtituta, inde per conſtitutiones Friderici II. Imp. ſuccrevit, ſed in plenum tandem vigorem demum erupit, auſpiciis Ferdinandi ac Iſabellæ, circa A. C. 1480. quo exactius & accuratius tribunal, cui etiam Reges ſubjecti, erectum fuit, V. P. Servitam *Inq. Hiſt.* & ex eo Boxhornium *Hiſt. Univ. pag.* 289. *& ſeqq.* Cæterùm nomina Ferdinandi & Iſabellæ, pro auſpicatis & felicibus habentur, Regibus de genibus flexis inſervitur, eoſque niſi pullâ veſte indutis adire nefas: Iidem morituri pœnitentiam accipiunt, quod eſt genus Conſecrationis jam olim uſurpari ſolitæ, & ab extrema Unctione, quâ paſſim Pontificii utuntur, diſcrepantis. Tutelaris regni S. Jacobus Major eſt; Ordines hic militares plurimi à S. Jacobo, Alcantara, Calatrava, S. Servatore de monte Regio, &c. nomen habentes. Ibidem XI. Archiepiſcopatus, inter quos Archiepiſcopus Toletanus, qui regni Primas eſt, & Cancellarius Natus Caſtellæ, 300. vel 400000. ducatorum in reditibus habet. LVI. Epiſcopatus, XXVM. Parœciæ, Abbatiarum Cœnobiorumque opulentiſſimorum numerus ingens. Æra *Hiſpanica* computus eſt annorum 38. annis æram Chriſtianam anticipans, quæ in Cippis, Inſcriptionibus & Conciliis Hiſpanicis uſitata, deſiit in Aragonia A. C. 1358. in Caſtella A. C. 1383. in Portugallia Anno Chr. 1405. Vid. Joſ. Scaligerum *de Emend. Temp. lib.* 5. &c. Hinc adjectiva *Hiſpanus*, qui eſt ex Hiſpania; Claud. *l.* 2. *in Rufinum,*

Cuncta ſibi; regit Italiam Libyamq; coercet,
Hiſpanis, *Gallisq; jubet.*

Et *Hiſpanienſis*, qui in Hiſpaniâ tantùm verſatur, ut *Hiſpanienſis exercitus*, hoc eſt, Romanorum, qui in Hiſpaniâ erant cum Prætoribus. Ita *Hiſpanienſem victoriam* Suetonius *Cæſare cap.* 37. *& ſeqq.* dixit, non de Hiſpanis, ſed de Pompeii in Hiſpaniâ copiis quæ parta eſſet. Bellicoſam nationem, καὶ πολέμῳ συνεχῆ πρὸς τε ἀλλήλους, καὶ πρὸς τοὺς ὁμόρους olim fuiſſe teſtatur Strabo ubi ſupra. Hinc Horatius,

Quid bellicoſus Cantaber & Scytha.
Et, *Cantabrum indoctum juga ferre noſtra.*

Juſtinus penè ad verbum Strabonis: *Corpora hominum ad inediam, laboremq;: animi ad mortem parati. Bellum quàm otium malunt: ſi extraneus deeſt, domi hoſtem quærunt.* Silius Ital.

Prodiga gens animæ, & properare facillima mortem,
Namq; ubi tranſcendit florentes viribus annos,
Impatiens ævi ſpernit noviſſe ſenectam.

Quàm commendata illis gravitas ſit & morum ſeveritas, monitu non eget: unde ſingularem tacendi, ſimulandi, diſſimulandique dexteritatem ſibi comparant. E quo fonte Conſiliorum ille lentor, & ſubtiles, quibus in re Theologica & Philoſophica, excellunt, ſpeculationes, ſed & nimia in minimis quoq; circumſpectio, Italis *Puntualità* dicta, quâ rerum gerendarum occaſiones ſæpe elabuntur. In Gallos naturali quadam averſione feruntur, quam lites & æmulationes utriusque gentis Regum, ſub Carolo VIII. aut potius Ludov. XI. & Ferdinando Catholico cœptæ, & hucusq; continuatæ, immensùm augent, &c. V. Joh. Piſtorii & Andreæ Schotti *Hiſpan. Illuſtr. tomis IV.* Luc. Marineum Siculum *de reb. Hiſp. memor.* Joh. Vaſæum *Chr. Hiſp.* Joh. de Laët *Com. de Hiſp.* Roderic. Ximenium *de reb. Hiſp.* Lud. de Mayerne *Hiſt. gen. Hiſp.* Mich. Ritium *de Reg. Hiſp.* Steph. de Garibay *in Comp. Hiſt. Hiſp.* & qui reliquos omnes antecellit Joh. Marianam *Hiſt. de reb. Hiſp.* His adde, quoad hiſtoriam antiquam Joh. Margarinum Epiſc. Gerundenſem *Paralip. Hiſp.* quoad Geographiam Lud. Nonium *Hiſp.* De claris Viris ſcripſere Alphonſus Garcias, Matamorus & Valerius Andreas Taxander: de dignitate Regni Regumque Jac. Valdeſius. Nobiliarium Genealogicum adornavit Alph. Lopez de Haro & Greg. Lopez: Porro de antipathia Gallorum & Hiſpanorum ſcripſit Car. Garſias: de SS. Hiſpaniæ Laurentius à Padilla: de Conciliis Garſias Loayſa: de Inquiſitione Hiſpan. Ludovicus à Paramo, Carena, Paulus Servita & Reginaldus Conſalvus: de Prærogativa Hiſp. & Galliæ regni, infra in voce *Lugdunenſis Gallia*, de Regum circa prærogativam contentione, de Viris præcipuo miniſterio dominationis Hiſpanicæ claris, Grandibus Hiſpaniæ, aliisque Chriſt. Becmannum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civili*, &c. Adi quoque præter veteres, Polybium, Plutarchum, Diod. Siculum, Florum, Juſtinum, Livium, Dionem Caſſium, Senecam, Plinium, Strabonem, Ptolomæum, Priſcianum, Avienum, Beroſum, Pomponium Melam: S. Iſidorum, Idacium, Roder. Sanctium, Alphonſum de Carthagena, Hier. Paulum, Hier. Blancanum, Ambr. Moralem, Car. Verardum, Cæſarem Campanam, Bern. Gomeſium, Sandovalium, Franc. Tarapham, Petrum Antonium, Joh. Bracellium, Anton. Nebriſſenſem, Damianum, Goëzium, Salazarium, Philip. Prudentem, Turquetum, Zuritam, &c. Amplitudinem Monarchiæ hoc modo deſcribit Baudr. Tota *Hiſpania* nunc dividitur in quatuordecim partes, quæ poſtea reducuntur ad tres coronas ſeu tria regna. Caſtellæ & Aragoniæ regna cum ſuis appendicibus & pertinentiis ſubſunt Regi Catholico, Portugallia autem cum Algarbia parent proprio Regi è gente Brigantina. Partes Hiſpaniæ ſub corona Caſtellæ ſunt Caſtella vetus, *Caſtilla la vieja*, Caſtella nova ſeu regnum Toletanum, *Caſtilla la nueva*, Vandalitia, *Andaluzia*, Granata, *Granada*, Murcia, *Murcia*, regnum Legionenſe, *regno de Leon*; quibus adjunguntur Aſturiæ, *las Aſturias*, & Extremadura, *l'Eſtremadura*, Galæcia, *Galizia*, & Navarra, *Navarra*, quibus adjungitur Biſcaia, *Biſcaia*. Sub corona Portugalliæ ſunt Portugallia, *Portugal*, & Algarbia, *Algarve*. Sub corona autem Aragoniæ ſunt Aragonia, *Aragon*, Catalonia, *Cataluna*, Valentia, *Valencia*, & Majorica, Minorica, ac Ebuſus, *Mallorca*. Antea etiam ex hac pendebat Comitatus Ruſcinonenſis; ſed à paucis annis ab ea revulſus, Galliæ acceſſit, à qua aliàs disjunctus fuerat, cùm ſit pars Galliæ Narbonenſis. Extra Hiſpaniam Regi ſubſunt regnum Neapolitanum, in Italia, *le royaume de Naples*, uti regnum Siciliæ, *la Sicile*, & inſula Sardinia, *la Sardaigne*: Hæc autem pendent à corona Aragoniæ. Eidem uti Regi Caſtellæ, ſubeſt pars auſtralis Belgii, ubi partes provinciarum Flandriæ, *la Flandre*, Brabantiæ, *Brabant*, Hannoniæ, *Haynaut*, Luxemburgenſis, *Luxembourg*, Limburgi, *Limbourg*, Namurcenſis, *Namur*, & minuta pars Gueldriæ, *Gueldres*, & Arteſiæ, *Artois*. Subſunt etiam Comitatus Burgundiæ, *la Franche Comté*, Ducatus Mediolanenſis, *le Duché de Milan*, Marchionatus Finalii, *le Marquiſat de Final*, in ora Liguſtica, Status præſidii, ubi Orbatellum, *Orbetello & ſes annexes*, in Hetruria, uti etiam cuſtodia Plumbini, *Piombino*, & Portus longus, *Porto longone*, in Ilua inſula: uti in Africa, urbes ſeu oppida Septa, *Ceuta*, Oranum, *Oran*, Portus magnus, *Marſalquivir*, & Rupes Velia, *Penon de Velez*, ac inſulæ Canariæ, *les Canaries*: In Aſia autem Philippinæ inſulæ, *les Philippines*, ex parte tantùm. Hiſpaniæ Regi ſubeſt etiam major pars Americæ, nempe hæ regiones, nova Hiſpania cum annexis provinciis, *la nouvelle Eſpagne*, Florida ex parte, *partie de la Floride*, & inſulæ Cuba, *Cuba*, Hiſpaniola, *Hiſpaniola* ſeu *S. Domingue*, & S. Joannis Portus divitis, *S. Ivan de Puerto ricco*; cum adjacentibus, Terra firma latè ſumpta, *la Terre ferme*; in America meridionali, cum annexis, regnum Popayani, *le Popayan*, novum regnum Granatenſe, *nouveau royaume de Grenade*, Peruvia, *le Perou*, regnum Chiles, *le Chili*, ex parte, & Paraguaia, *le Paraguay*, cum provinciis adjacentibus. Hiſpaniæ pars eſt etiam regnum Portugalliæ, proprio parens Regi, cui ſubſunt Portugallia & Algarbia, in Hiſpania; extra Hiſpaniam autem ejus dominio ſubſunt Braſilia, regio Americæ meridionalis, *le Brezil*, inſulæ Azores ſeu Tertiariæ, *les Azores*, Madera, *l'isle de Madere*, & inſulæ Capitis Viridis, *les isles du Cap Vert*, in Oceano Atlantico, uti aliquot arces in regno Congi & in ora Zanguebaris, in Africa: cum aliquo tractu Malabariæ, in India intra Gangem, ubi etiam plurimæ arces. Sed de his fuſiùs in voce *Portugallia*.

Urbes Hiſpaniæ Tarraconenſis hujus temporis.

* Abula, *Avila*, Caſtiliæ veteris.
Albaracinum. Vide *Lobetum*.
Alcaratium, *Alcaraz*, Caſtellæ novæ.
Alone, *Alicante*, Valentiæ.
Aſturica, *Aſtorga*, Aſturiæ. Aliis eſt regni Legionis.
Auguſta Bracarum. Vide *Bracara*.
Auria, ſive Aurienſis, *Orenſe*, Gallicæ.
Auſa, & Auſona. Vide *Vicus*.
Balagurium, *Balaguer*, Catalauniæ.
Barbaſtrum, olim Burtina, *Balbaſtro*, Aragoniæ.
Barchino, ſeu Barcino, *Barcelona*, Catalauniæ.
Belſinum, *Borja*, Aragoniæ.
Bigerra, *Villena*, Caſtiliæ novæ.
Bilbilis, *Calatayud*, Aragoniæ.
Bracara, ſeu Bræcara, *Braga*, Portugalliæ.
Brigantia, *Braganza*, Portugalliæ.
* Burgi, olim Masburgi, *Burgos*, Caſtiliæ veteris.
* Cæſarauguſta, *Saragoza*, Aragoniæ.
Calagurris, ſeu Calagurrium, *Calahorra*, Caſtiliæ veteris.
Caronium, *Corunna*, Gallicæ.
Cartago nova, *Cartagena*, Murciæ.
Celſona, *Solſona*, Catalauniæ.
Civitas Regalis, *Ciudad Real*, Caſtiliæ novæ.
Complutum, *Alcala de Henares*, Caſtiliæ novæ.
Compoſtellum, olim Ianaſum, *S. Iago*, Gallicæ. Aliis omnibus eſt Compoſtella.
Concha, *Cuenca*, Caſtiliæ novæ.
Concia. Vide *Miranda*.
Cyntilia, *Chinchilla*, Caſtiliæ novæ.
Daroca, *Daroca*, Aragoniæ.
Dertuſa, *Tortoſa*, Catalauniæ.
Dominicopolis, *S. Domingo de la Calzada*, Caſtiliæ veteris.

Eliocrata, *Lorca*, Murciæ.
Fanum S. Sebastiani; *S. Sebastien*, Guipuscoæ.
* Flaviobriga, *Bermeo* vel *Bilbao*, Biscaiæ.
* Flavionavia, *S. Ander*, Asturiæ. Aliis est Biscaiæ.
Flavium Brigantium, *Betanzos*, Galliciæ.
Fons rapidus, *Fuenterabia*, Guipuscoæ.
Gerunda, *Girona*, Catalauniæ.
Iaca, *Iacca*, Aragoniæ.
Ilerda, *Lerida*, Catalauniæ, *Aliis* Lleyda.
Iturissa, *Tolosa*, Guipuscoæ, vel *Sanguesa*, Navarræ.
Iuliobriga, *Logronno*, Castiliæ veteris.
* Legio, *Leon*, Legionensis regni.
Lobetum, postea Albaracinum, *Albaracin*, Aragoniæ.
Lucus, *Lugo*, Galliciæ.
Lucus Asturum, nunc Ovetum prope ædificatum. Vide ibi.
* Madritum, *Madrid*, Castiliæ novæ. Urbs regia.
Majorica. Vide *Palma*.
Methymna campestris, *Medina del campo*, Castiliæ veteris.
Mindon, *Mondonnedo*, Galliciæ.
Minorissa, *Manresa*, Catalauniæ.
Miranda, olim Concia, *Miranda*, Portugalliæ.
Murgis & Murcia, *Murcia*, regni cognominis.
Nagara, *Najara*, Castiliæ veteris.
Opta, *Huertes*, Castiliæ novæ, castrum tantùm.
Orcelis, Oriola postea, *Orihuela*, Murciæ.
Orgella. Vide *Vrgella*.
Osca, *Huesca*, Aragoniæ.
Ovetum, *Oviedo*, Asturiæ.
Oxoma. Vide *Vxama*.
Palentia, olim Palantia, *Palentia*, Legionensis regni.
* Palma, postea Majorica, *Mallorca*, insulæ cognominis.
Placentia, *Placencia*, Castiliæ veteris. Est in Extremadura; eratque aliàs in Lusitania.
* Pompelon, *Pamplona*, Navarræ.
Rhoda, *Roses*, Cataloniæ.
Rodericopolis, *Ciudad Rodrigo*, Castiliæ veteris. Est regni Legionensis; eratque aliàs in Lusitania.
* Salmantica, *Salamanca*, Castiliæ veteris. Est regni Legionensis; eratque in Lusitania.
Sarabis. Vide *Taurum*.
Secontia. Vide *Seguntia*.
Segobia, *Segovia*, Castiliæ veteris.
Segorbia, *Segorve*, Valentiæ.
Seguntia, quæ & Saguntia, & Secontia, ac Segontia, *Siguenza*, Castiliæ novæ.
Sentica. Vide *Zamora*.
Setabis, *Xativa*, Valentiæ.
Stella, *Estella*, Navarræ.
Tarraco, *Tarragona*, Catalauniæ.
Taurum, olim Sarabis, *Toro*, Castiliæ veteris. *Est regni Legionensis.*
Tiariulia, quæ & Terulium, ac Turulium, *Tervel*, Aragoniæ.
* Toletum, *Toledo*, Castiliæ novæ.
Tude, *Tuy*, Galliciæ.
Turiasa, *Tarazona*, Aragoniæ.
Tutela, *Tudela*, Navarræ.
* Valentia, *Valencia*, regni cognominis.
Vallisoletum, *Valladolid*, Castiliæ veteris.
Vergi, *Vera*, Granatensis regni.
Vicus, olim Ausa, vel prope, *Vich*, Catalauniæ.
Vrgella, *Vrgel*, Catalauniæ.
Vxama, *Osma*, Castiliæ veteris.
Zamora, olim Sentica, *Zamora*, regni Legionensis.

Urbes Hispaniæ Bæticæ hujus temporis sub Archiepiscopo Hispalensi.

Acci, *Guadix*, Granatensis regni.
Alcala Regalis, *Alcala Real*, ejusdem.
Almeria, olim Portus magnus, *Almeria*, ejusdem.
Anticaria. Vide *Singylia*.
Arcensis colonia, *Arcos*, Andaluziæ.
Artigi, *Albama*, Granatensis regni.
Arunda, *Ronda*, ejusdem.
Asindon & Assidonia, *Medina Sidonia*, Andaluziæ.
* Astigi, *Ecya*, ejusdem.
Barbesula, *Marbella*, regni Granatensis.
Basti, *Baza*, ejusdem.
Biatia, *Baeza*, Andaluziæ.
* Cæsariana, *Xeres de la Frontiera*, Andaluziæ.
Calpe, *Gibraltar*, ejusdem.
* Corduba, *Cordova*, ejusdem.
Eliberis nova (vetus enim interiit,) Vide *Granatum*.
Fanum Fidei, *Santa Fe*, regni Granatensis.
Fanum Luciferi, *S. Lucar de Barameda*, Andaluziæ.
Gades & Gadira, *Cadiz*, ejusdem.
Giennium, *Iaen*, ejusdem.
* Granatum, *Granada*, regni cognominis.
* Hispalis, *Sevilla*, Andaluziæ.
Illiturgis nova, *Andutar*, ejusdem.
Loxa, *Loxa*, Granatensis regni.
Magnus Portus. Vide *Almeria*.
* Malaca, *Malaga*, regni Granatensis.
Menoba, *Bezmiliana*, ejusdem. Est tantùm castrum.
Orsona. Vide *Vrso*.
Osca, *Huescar*, ejusdem, vel Castiliæ novæ. Est regni Granatensis.
Sexi, *Velez Malaga*, ejusdem. Est regni Granatensis.
Singylia, quæ & Anticaria, *Antequera*, Andaluziæ. Est regni Granatensis.
Vbeda, *Vbeda*, Andaluziæ.
Vrso; quæ & Genua Vrbanorum, *Ossuna*, ejusdem.

Urbes Hispaniæ Lusitanicæ, quarum aliquæ sunt extra Portugalliam.

Ægita nova, sive Igedita. Vide *Guardia*.
Amæa, postea Portus Alacris. Vide ibi.
Balsa, *Tavila*, Algarbiæ.
Cauria & Caurium, *Coria*, Extremaduræ Castellanæ.
Cœtobrix, seu Setubalia, *Setuval*, Portugalliæ.
* Conibrica, & Conimbrica, *Coimbra*, Portugalliæ.
* Ebora, *Evora*, ejusdem.
Emerita, *Merida*, Extremaduræ Castellanæ.
Guardia, seu Guarda, *Guarda*, Portugalliæ.
Heluæ, sive Helviæ, *Elvas*, ejusdem.
Irenopolis, olim Scalabis, & episcopalis, *Santaren*, ejusdem.
Iulia Myrtilis. Vide *Myrtilis*.
Lacobrica, *Lagos*, Algarbiæ.
Lamacum, *Lamego*, Portugalliæ.
Lancia, postea Viseum. Vid. ibi.
Leria, seu Leiria, pro Colippone, *Leira*, Portugalliæ.
Myrtilis, *Mertola*, ejusdem. Castrum est.
Norba Cæsarea, *Alcantara*, Extremaduræ Castellanæ.
Oliventia, *Olivenza*, Portugalliæ.
* Olyssipo, *Lisbona* & *Lisboa*, ejusdem: *Portugalliæ regia*.
Oslonaba nova. Vide *Sylva*.
* Pax Augusti, *Badajox*, Extremaduræ Castellanæ.
Pax Julia, *Beja*, Portugalliæ.
Pharus, *Faro*, Algarbiæ.
Portus Alacris, olim Amæa, *Portalegre*, Portugalliæ.
* Portus Calensis, *Porto*, (unde nomen regno Portugalliæ) ejusdem.
Rodericopolis, extra Portugalliam, in Castella veteri, sub Archiepiscopo Compostellano, *Ciudad Rodrigo*. Est in regno Legionensi.
Sylva, seu Sylvæ, *Silves*, Algarbiæ.
Turris Julia, olim Castra Julia, & Julium præsidium, *Trugillo*, Extremaduræ Castellanæ.
Viseum, olim Lancia, *Viseo*, episcopalis sub Archiepiscopo Bracarensi, Portugalliæ.
Xera, *Xeres de Badajox*, Extremaduræ Castellanæ.

Regiones Hispaniæ extremæ.

Catalonia, *Catalunna*.
Aragonia, *Aragon*.
Navarra, *Navarra*.
Guipuscoa, *Guipuscoa*.
Biscaia, *Viscaia*.
Asturia, *las Asturias*.
Gallæcia, *Galizia*.
Portugallia, *Portugal*.
Algarbia, *Algarve*.
Vandalitia, *Andaluzia*.
Granata, *Granada*.
Murcia, *Murcia*.
Valentia, *Valencia*.

Interiores.

Extremadura, *Extremadura*.
Castella nova, *Castilla nueva*.
Castella vetus, *Castilla vieja*.
Legionense regnum, *Reyno de Leon*.
De Hispania Claudianus de libro Syrenæ sic:

Quid dignum memorare tuis, Hispania, terris
Vox humana valet?

Hispania nova, *nueva España*, Gallis *nouvelle Espagne*, regio præcipua Americæ septentrionalis, & aliàs regnum fuit amplissimum. Vide *nova Hispania*.

Hispaniola, quæ & *S. Dominici Insula*, à primaria civ. Gallis, Anglis & Batavis, vulgo *S. Domingue*, vocatur, *Ayti* incolis, Insula perampla maris Occidentalis, totius occidui orbis antiquissima: quo nomine tota America Sept. in qua est, aliquando venit: Cancri Tropicum inter, & Æquinoctialem circulum sita, ab Oriente ad Occidentem in longum porrigitur ad 140. leuc. Oriens, clauditur longo Insularum Antillarum & Inf. S. Johannis de

nis de Portu divite, agmine, ab Occidente Cubam & Jamaicam respicit, quà in latum protenditur, est autem lata 48. leuc. Baudr. ad Septentriones aut Austrum inclinat. Septentrionis latus ad Cancri Tropicum fertur versus Lucajas Inf. à Meridie quantumvis longo satis intervallo occurrit continens terra Auriferæ sive novæ Castiliæ. Ambitus ejus est 1400. milliar. seu 350. leuc. longitudo 500. milliarium 140. leuc. Hisp. Baudrando: Latitudo pro sinuum & promuntoriorum ratione varia. Hanc insulam prima navigatione Christophorus Columbus detexit anno reparatæ salutis 1492. habitatoribusque frequentem invenit. A barbaris *Haitti* dicebatur, propter montium asperitatem. Interdum etiam *Guisqueia*, & *Cipangi* à primis occupatoribus nuncupata est. Hos Barbaros Babalicæ memoriæ ex maritima insula, quam alii *S. Crucis terram* vocant, venisse memorant; quæ transmigratio accidit ultra centum annos, ante Columbi adventum: sed Columbus diminutivo *Hispaniola* nomine illam insignivit. Regio est portuosa & multis fluviis irrigua: Sed præcipuam amœnitatem & commoditatem inhabitantibus præstant 4. ingentia flumina, quæ in ipso insulæ umbilico delapsa ex altissimorum montium jugis in diversissimas mundi partes abeunt, Juna ad Orientem, ad Occidentem decurrit Attibunicus, Jacchus Septentrionalibus, Naibus Meridionalibus aquis miscetur. Quo tempore Columbus primùm eo delatus est, quinque potentissimi reguli insulam obtinebant, inde provincia in quinque partes aut præfecturas à quibusdam dividi cœpit, quarum prima, quæ Occidentalem insulæ partem respicit Caizincu; principium vocatur, cujus fines à prima & ultima Orientis fronte ad Ozamam usque fluvium, in cujus ripa S. Dominici civitas extructa est, producuntur: In Septentrione Hetti montibus & Juna fluvio terminatur. Secunda in meditullio insulæ Huhaboo Incolis dicitur. Tertia pars Occidentem Solem respicit, vocaturque Cajabo. In Septentrione Cibariis montibus & Jaccho flumine terminatur, & ad Naibi usque fluvii fontes excurrit. Quarta Bainoa est, quæ Septentrionalia tenet, à Cajalo ad Insulæ usque finem, Occidentem versus sese extendens. Residuum totius insulæ Guacayrima, hoc est, finem tanquam posteriorem & magis arctam ceu strictam insulæ partem appellavere: Sed hæc Barbarica nomina nunc parum frequentantur, successu temporis novis subinde impositis aut usitatis. Metel. Subest partim Hisp. qui in ea plurimas habent colonias, ut & Galli in parte Occident. inf. versus Cubam. Aliàs tota inf. divisa fuit in 14. provincias. Ejus urbes sunt Dominicopolis, primaria, extructa à Bartholomæo, fratre Christophori Columbi, sedes Archiep. Parlamenti, Vice-Regis, Curiæ Rationum Fisci, & supremæ Curiæ Virorum Monetalium: in parte Austr. Conceptio de Vega, sedes antè Episcopi, nunc Dominicopolitanæ juncta, Zeibum, *Zeibo*, Fanum S. Jacobi, *Sant Jago*, egregio situ inclyta, Portus Argenteus, seu *Puerto de la Plata*, ob commercii frequentiam, secundo à Dominicopoli loco memoranda, Salvaleon sacchari proventu nobilis, Cotuja auri ferax, S. Maria de portu, casiâ dives, Azua seu Compostella & Mons Christi, salis fodinis fructuosa. Baudr. Hanc quamprimum, post inauditam crudelitatem exercitam, & totam penè incolis, quorum innumerus erat numerus, exhaustam, Hispani occuparunt, far illuc, aliosque fructus & animalia ex Europa importarunt, sed primum fine successu tentatum est: reliqua numerosè provenerunt. Sacchari arundines, quæ in inf. hanc ex Canariis afferri solent, magno ibi distrahuntur fœnore, sed auri, cupri, aliorumque metallorum fodinæ, incolis maxima parte extinctis, non amplius excoluntur, Benzo *Hist. novi Orb. lib.* 1. *cap.* 18. Herrera, Oviedus, Sanso, &c. Vide quoque in voce *Cuba*.

Sanguinis heu tanti pretio cur quæritur aurum?
Hoc quia quærenti creditur esse Deus.

Hispanum mare, Ptol. *Ibericum*, ac *Balearicum* dicitur, mare Mediterran. quod latus Orient. Hispaniæ partemque Australis alluit.

Hispellum, Umbriæ oppidum, *Hispella colonia* in vet. inscript. marmorea, Episc. olim, in colle, amplum, apud Fulginium, inde 3. m. p. in Occ. Perusiam versus; ubi theatrum & alia antiquæ ejus magnitudinis exstant vestigia, hodie *Spello* Fabricio & Leandro. Ptol. Ἴσπελλον, Strab. Εἴσπελον, unde Sil. ac Plin. Juniori *Hispellates* oppidani. Juv. fœm. gen. *Hispella* dicitur. *Sat.* 12.

Pinguior Hispellâ traheretur taurus.

Ita Cluverius. Baudrando nunc castrum est Umbriæ, sub Pontif. 3. mill. à Fulginio in Circ. Assisium versus. Aliàs *Colonia Julia Hispella*, Goltzius. Baudr. Alii autem non *Hispella* eo loco legunt, sed *Hispulla*, ubi Lubinus obiter mulierem notat Satyricè sui temporis crassissimam, & maximè obæsam, de quâ *Sat.* 6.

Hispulla tragœdo Gaudet.

Hispo, Romanus celeber, sub Tiberio, delator, qui formam (referente Tacit. *Ann.* 1. 74.) vitæ iniit, quam posteà celebrem miseriæ temporum & audaciæ hominum fecerunt: Nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis sævitiæ Principis adrepit, clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus.

Histaspes, Darii ultimi propinquus, magni exercitus Prætor, bello absumptus, Curt. *l.* 6. *c.* 7.

Histiaa, civitas in Eubœâ. Hom. *Iliad.* 2.

Histiaus, Milesiorum Tyrannus, qui Græcos contra Persas concitavit, Herodot. *lib.* 6. Item *Histiaus* Milesius historicus, qui res Phœnicum consignavit, Josepho teste, *Ant.* 1. 3. Euseb. *Chron. l.* 1. Aliis *Histiaus*, vel *Estiaus*, nec non *Estius* Ruffino Josephi interpreti.

Histiaus Colophonius, Lyræ decimam chordam adjecit.

Histionium, Italiæ oppidum, non procul à monte Gargano. Mela *lib.* 2. *Il Vasto* & *il Guasto d'Aimone*, nunc oppidum præclarum, apud oram Frentanorum, ad Trinium fluv. inter Anaxanum urbem ad Occasum & Thermulas. Habet Marchionem antiquum.

Histria, quæ & *Istria*, pars fuit Galliæ Transpad. in Italia. Nunc sub Venetis, exceptis locis quibusdam sub Imperatore, ut Austriæ Archiduce. Longa 60. circiter mill. lata 40. ab Ortu in Occasum. Gallis *l'Istrie*, Italis *Istria*, Germanis *Hysterreych*. Pars est Italiæ extrema, Illyrico ad Ortum confinis, Arsia fluv. divisa, in mare, velut peninsula, inter Carnos ad Occasum, & Liburniam ad Ortum excurrens. Pop. *Istri* Plinio, *Histri* Luc. *lib.* 4.

Detegit orta dies stantes in rupibus Histros.

Vide etiam *Istria*.

Histriones, quòd ex Histria Romam venerint primùm, dicti, *muliebri indumento, gestus fœminarum impudicarum, exprimere* solebant, Isidor. *Hispal. lib.* 18. *Etymol. cap.* 48. Non iidem semper cum Pantomimis, quorum primus Pylades eodem, quo *Histriones*, tempore, Romam appulit. *Histriones* enim in scena solùm, Pantomimi verò etiam alibi visebantur, Suetonius *in Domitiano, cap.* 7. Plin. *Panegyr.* &c.

Histrix, Gall. *Porc-espic*, Ordo Eq. Aureliani institutus à Ludovico, secundo-genito Caroli V. Galliæ Regis, cùm ei natus esset filius Carolus, an. Chr. 1394. Constabat è 25. equitibus, quorum Dux caput: Hi in pectore histricem ex auro gesserunt, cum lemmate: *Cominus & Eminus*, quo symbolo postea Ludovicus XI. usus est. Abolitus est à Ludovico XII. cùm throno esset potitus. Vide Sanmarthan. *Hist. gen. lib.* 15. Favinum *Theatr. d'Honn. & de Cheval.*

Hitus, oppidum Comagenæ, inter Catamanam & Nisum. Simlerus.

Hiulca, pars Pannoniæ infer. in Hung. apud Cibalim urbem, quam Probus Imperator circa Sirmium siccari jussit. Fl. Vopiscus Hodie *Polina*.

HO.

Hoba, regio Syriæ ad dexteram Damasci, id est, Euphratem versus, dicta etiam *Saba*, & *Sophene*.

Hoba, aliàs *Choba* & *Saba*, locus est ad lævam partem Damasci, in tribu Manasse, ad quem usque Abraham quatuor Assyriorum Reges persecutus est.

Hobab, fil. Raguel, soceri Mosis. Jud. 4. id est, *dilectus*.

Hocday, festivitas, quam demtis ejectisque jam Danis Angli, ut exactis Regibus Romani *Fugalia*, annuè olim læti celebrabant: quæ nec hodie apud Mediterraneos penitus exolevit. Lambardo *in Itin. Cantii tit. Sandwich* dicta videtur, quasi *dies Martis irrisorius*: nec malè convenit hodiernus celebrandi ritus. Nam cùm *Hocken*, Germ. sit obsidere, cingere, incubare: alii in hac celebritate alios obsident, capiunt, ligant, præsertim viros fœminæ, atque inde *binding Tuesday*, i. Diem Martis ligatorium, appellant. Origo rei ab Ethelredo R. qui, sub armorum lustrandorum specie, subitò uno eodemque die per universum regnum Danos omnes occidit: consummatio verò ab Eduardo Confess. qui irruentes in ultionem Danos, sic rursus ejecit, ut spem omnem redeundi illis ademerit. Dies celebrationis incerta, cùm cædes sub Ethelredo perpetrata, in 13. Novembr. inciderit. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Arch.*

Hochberga, castrum Brisigaviæ, unde illustri familiæ nomen. Hanc enim, cum aliis, ex avita hæreditate Hermannus, frater Bertholdi II. Zeringiæ D. filius Bertholdi I. Marchionis cum nomine obtinuit, mortuus an. Chr. 1074. relicto filio Hermanno I. qui, per uxorem, Badensi ditione potitus, hujus titulum primus sumsit. Pater Hermanni II. avus Hermanni III. qui Friderico Barbarossæ inprimis gratus, dono ipsius Veronam, post victoriam Mediolan. accepisse creditur. Hujus an. Chr. 1190. in Palæstina defuncti filii, Henricus *Hochbergia*, Hermannus verò IV. Badensis lineæ auctores fuere. Prioris posteritas desiit in Philippo, *Hochbergiorum* ultimo. Hic enim, filius Rudolphi, cum agnato Christophoro Badensi renovatis hæreditariæ successionis pactis, moriens an. Chr. 1503. eum hæredem reliquit. Quam ex Maria Sabauda susceperat, filia Johanna, nupta Ludovico Aureliano D. Longovillano, attulit ei Comitatum Novocastrensem & prætensionem in princip. Arausionensem. Cùm verò idem successionem reliquarum ditionum, inprimis Rœtelanum dominium sibi vendicaret, jure disceptatum, quo penes Badenses, qui 250000. aureos Ludovico numerarunt, mansit possessio. Servarunt nihilominus ad hodierna usque tempora Longavillæi tit. Marchionis Rötelini, Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Hocota, Rex & Imperator Tartarorum, Cangii Cami etiam

Imperatoris filius, vir prudens & fortis: qui Gebesabada duce, ad Occidentis regiones debellandas, misso, Caspiis angustiis superatis, ad radices Tauri montis, ubertate illius regionis, & præda antè parta fruens, hybernavit. Vere autem relictis ad Caucasi sive Tauri montis radices hybernis, montium cacumina superat & subjectos populos invadit: eosque omnes prædatus, in Indiam penetrat, quanta in utramque ripam maximi fluviorum Indi patet, Imperii finem Oceanum constituit, ibique regia Cambalu condita, Rex sedem suam posuit. Habebat in animo summus ille Tartarorum princeps, Imperii sui limites, undique littoribus maris terminare, sed amœnissimę regionis Indiæ delitiis enervatus, provinciis, urbibus, ædibus, prædiis feracissimis, delicatissimisque inter suos distributis conquievit, & Assyriorum, Persarum, Chaldæorumque ritus accepit. Natal. Metel.

Hod, filius Supha, filii Helem. 1. Paral. 7. id est, *laus*, sive *confessio*.

Hodanum, vulgò *Houdan*, urbec. Belsiæ, ad Vegram amnem, 12. leuc. à Lutetia in Occasum, Drocum versus, à quo 4. leuc. distat, in tractu feraci.

Hodes, i. e. *mensis*, aut *novitas*, uxor Saharaim. 1. Par. 2.

Hodius, unus ex Græcorum præconibus, in bello Trojano. Hom. *Iliad.* 9.

Hodœdocus, vide *Calliarus*.

Hodomantı, pop. Thraciæ, Steph. ex Thucydid. *lib.* 2.

Hoëlus Dha, i. *Bonus*, aliis *Halius*, princeps Britannorum, qui à Saxonibus in Walliam profligati, libertatem illic & ritus patrios tuebantur. Hic an. Chr. 914. adhibitis populi sui frequentibus Comitiis, aderant quippe ex Ecclesiasticorum cœtu 146. in loco celebri, cui nomen *Tŷy Gŵynar Taf.* i. Casa candida super fluv. *Taf*, leges pristinas longâ receptas consuetudine abolevit, Britannisque novas dedit, hinc *Leges Hoëli Dha* appellatas. Habentur justo volumine antiqua earum exemplaria, cùm Latinè tum & Britannicè MS. at subacta ab Anglis Wallia, sub horum Legibus hodiè floret, partim ab Eduardo I. circa an. Chr. 1284. partim ab Henrico VIII. impositis. Spelmannus *Gloss. Arch.*

Hofmannus Sebastianus, Argentinensis, Doctor Theologiæ apud Franciscanos, quem ordinem primò professus erat, postea in reformatione Ecclesiæ Scaphusianæ, Sebastiani Wagneri collaborator. Lector primò Lucernæ, cùm an. Chr. 1522. publicè Invocationem Sanctorum ibi impugnasset, unà cum M. Conrado Schmidio, inde pulsus, Scaphusiam pervenit, ibique Wagnero reformationem molienti fidelem navavit operam. Interfuit dein colloquio Tiguri instituto an. Chr. 1523. Vide Leonh. Meyerum *libro de Reform. Eccles. Scaphusianæ*, & in voce *Wagnerus*.

Sanctos qui, Numen veluti, colit, haud colit ille,
Virtutes imitans, quis colit, ille colit.

Hofmeisterus Joh. Rodolfus, Theologus Tigurinus celebris. Natus anno Chr. 1615. studiis, sacris imprimis, maturè animum applicuit, tanto cum successu, ut post peregrinationem in Galliam, an. Chr. 1640. ad Hebræam, an. Chr. 1643. ad Græcam & Latinam cathedram, in patria vocaretur. *Professio dein Theol. ei commissa est an. Chr. 1668.* quâ hactenus summa fide nec minori successu defungitur. Edidit varia, *Panaceam* inprimis, *Praxin Temperantiæ, Praxin Perseverantiæ, Syllogen precum, &c.*

Hofmeisterus Sebastianus, Reformator Ecclesiæ Scaphusianæ, Vide *Wagnerus Sebastianus*.

Hojum, olim vicus, nunc civitas in Episcopatu Leodiensi, appellationem habens à torrente quodam impetuoso, ibidem in Mosam influente; olim famosa, ampla potensque, authoribus nonnullis *Benefacta* appellabatur. Metel. Vulgò *Hui*, ad dextram ripam Mosæ flum. Incensa est à Balduino Comite Flandrensi an. Chr. 1053. Sigibertus *in Chron.*

Hola, Prov. Rom. urbs Thulæ insulæ, in Oceano Caledonio, Episcopalis sub Archiepiscopo Lundensi, cum tota insula nostrâ tempestate Regi Daniæ parens, cùm priùs Norvegiæ subesset, Ferrar. Baudrando *Halar* incolis, urbs est Episcopalis Islandiæ insulæ, in parte Boreali insulæ & in ora littorali, prope sinum *Skagafiord* dictum. Subest dominio Regis Daniæ tanquam Regi Norvegiæ; estque parvi circuitus.

Holachius, vulgò *Hohenloe*, seu etiam *Holach*, tractus Germaniæ, in Suevia regione. Dicitur Comitatus Holachiensis, estque in Ottonia sylva, inter Franconiam propriam & Ducatum Wirtembergensem, sub proprio Comite. Ibi *Oringen* oppidum primarium.

Holbenius Johannes, celeberrimus Germaniæ Apelles, civis Basiliensis. Patre similiter pictore genitus circa an. Chr. 1495. tantos brevi in arte sua fecit progressus, ut cum peritissimo quoque facilè contenderet, cælaturâ insuper, fusoriâ, plasticâ, & architectonicâ excellens. Nihilominus cum summa egestate conflictatus, Erasmi & Amerbachii JC. liberalitatem expertus est. Pòst, cùm Arundelius Comes Anglus, legationis nomine Basileâ transiens, tabulas quasdam ab eo pictas fortè conspexisset, viri industriam miratus, ut in Angliam se conferret, monuit. Quod consilium nonnisi diu pòst secutus, ab Erasmo Thomæ Moro literis commendatus, dum Argentorato transit, præstantissimo urbis ejus pictori, muscâ in fronte imaginis illo absente coloribus expressâ, imposuit. In Angliam delatus, latuit per biennium integrum apud Morum, cui Comitis Angli semel tantùm per vitam visi, à quo olim in Angl. invitatus fuerat, imaginem penicillo tam feliciter figuravit, ut Morus aliique exinde hominem è vestigio cognoscerent. Exornatâ per hoc biennium exquisitissimis picturis Mori domo, Henrico VIII. ab hoc ad convivium invitato, innotuit, à quo tempore in aula vixit: Regi adeò gratus, ut Comiti cuidam, quem ad se, præter mandatum Regis, venientem Holbenius per scalas præcipitem dederat, graviter de injuria conquerenti, responderit: *E septem rusticis faciliùs septem Comites, quàm è tot Comitibus unum Holbenium finxero.* Post triennii in Anglia moram, Basileam rediit, de re familiari dispositurus; inde reversus in Angliam, Obiit peste correptus Londini an. 1554. Inter imagines ab eo pictas, quarum Indicem habes (cum vita Holbenii, in novissima editione Moriæ Erasmianæ, cum Comm. Listrii & figuris Holbenii, è codice Academiæ Basil. an. Chr. 1676. Basileæ procurata:) quæque non omnium admirationem solùm, sed venerationem quoque religiosam, apud plurimos Latinæ Communionis, quorum templa imagines sacrę ab ipso delineatæ multis in locis exornant, sibi conciliarunt, excellunt, *Cœna in linteo picta ligno agglutinata*, in Bibl. Basil. *Effigies Caroli V. Imperat.* in ædibus Buckingamii: *Effigies Erasmi & Frobenii*, in Cimeliarchio regio Londini; *Effigies Joh. Mori, Cancellarii patris*, in thesauro Cæsareo Vindobonæ: *Imago Holbenii propriâ manu depicta*, in Pinacotheca Regis Gall. &c. Cæterum & illud in hoc viro singulare, quòd lævâ manu, quod in solo Turpilio equite Rom. observabat olim Plinius, pinxerit: à Friderico Zuccario, pictore non incelebri Raphaeli Urbino æquiparatus, à Goltzio eidem prælatus. Vide vitam ejus, de qua supra. In hunc sequenti Amicus epigrammate lusit:

Principe Pictorum, magno qui gratus Erasmo,
Immensum crevit laus, Basilea, tibi.
Divisus nostro mox te abstulit orbe Britannus,
Holbeni, *orbe uno laus tua stare nequit.*

Holeades, pop. intra Iberum fluv. Steph.

Holda, vel *Huldah*, nomen viri. 1. Paral. 27. Item Prophetis, uxor Sellum. 4. Reg. 2.

Hollandia, Comitatus Galliæ Belgicæ, dicta quasi *Holtlandia*, terra lignosa, ut quidam volunt: alii verò existimant eam dici Hollandiam, quasi terram cavernosam. alii à fœno Hollandiam, quasi *Hoylandiam* nominatam arbitrantur: sed alii aliam etymologiam afferunt, dicentes Hollandiam Gothicæ & Danicæ gentis coloniam fuisse, ut & Zelandiam, Danosque & Normannos desertis in Codano sinu insulis Olandiæ Zelandiæque, in hæc loca migrasse, & à sua patria Hollandiam Zelandiamq; nominasse. Olim dicebatur *Batavia*, à Batavo vel Battone, ut quidam dicunt, regis Cattorum filio. Merc. Hugoni Grotio olim nobilissima fuit Batavorum insula, Germanis Gallisque media, positu ad ducendum transmittendumque bellum opportunissimo. Nomen habitatoribus & origo à Cattis. *Romanâ societate, extra dilectus cœtera sui juris egere; equitandi, nandi peritiâ, fide, virtute auxiliarium honoratissimi: nec minus clari eo bello, quo sub initia Vespasiani, Civili Duce, Gallias ad libertatem excitarunt.* Post quæ tempora modò Franci, modò Saxones, tandem & Angli his partibus sedere. Sunt qui & Slavos & Varnos adjiciant. Eam Insulam Rhenus in Vahalim & sui nominis alveum distinctus amplectitur. Hodie principium agri Batavi vetus in parte nomen retinens Geldriæ accensetur. Vicina huic Transisalania, infra Geldriam, quà Velavia dicitur Trajectum est. Inde jam *Hollandia* frequentissimè urbibus & vicis habitatur, duobusque angulis in Vahalim & sinum maris excurrens, sensim aquis utrinque recedentibus, diffusum littus Oceano objicit: cujus Septentrionalia, pars olim Frisiorum, partim armis, partim pactionibus Hollandiæ adjecta *VVestfrisia* dicuntur. Ager omnis multis amnium brachiis lacubusque & fossis manu ductis intersecissus, pascuis quàm segete felicior: piscaturam & navigationem amnes & mare nulli gentium largiùs præstant. Huic Zelandia contigua: Utriusque insessores olim Danos de suis vocabula indidisse, quibusdam conjectura est. Sed vetera monumenta evolventi patebit, hoc commune cunctis insulis esse nomen, illud proprium olim regioni haud magnæ, Lugduno non procul, silvis horridæ, nam id nomen sonat. Id certum est, ex Septentrione populos, cùm sæpe incendiis, fedibus, & rapinis grassarentur, causam dedisse in commune consulendi, legendique aut accipiendi Principes *Comitum* vocabulo, qui Francorum primò, pòst Imperatorum Germaniæ Majestatem ita observarunt, ut legibus non subderentur. Quæ prima illis domus fuerit, ut ferè antiqua, incertum. Vulgò recepta opinio, ex Aquitania missos. *Sed indigenas fuisse, qui multo arctiùs quondam eo in loco, unde Hollandia fluxerat nomen, imperantes, paulatim creverint, argumentis non caret.* Horum primus Theodoricus, à Carolo Calvo Comitis titulo ornatus Normannisque oppositus legitur, circa an. Chr. 863. è cujus successoribus Wilhelmus Imperator salutatus est an. Chr. 1248. Per muliebres dein successiones ad Hænovios, post mortem Johannis Comitis an. Chr. 1299. Bojoaros, Margaretâ Ludovico Bavaro Imper. nuptâ an. Chr. 1324. Burgundiones, (Philippo Bono neptis suæ Jacobæ quæ Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam & dominium Groninganum tenuerat, hæreditatem adeunte sec. 15.)

Austriacos tandem descensum est; quorum è genere Philippus II. R. ordine tricesimus primus fuit: quo privilegia Ordinum convellere & intolerabili rigore Inquisitionem obtrudere contendente, post ultimæ patientiæ experimenta, jugo excusso, in pristinam libertatem Hollandia rediit, sec. praet. Eam à plaga mundi occidua Britannicum mare, à Septentrione Cimbricum ambit & littora pulsat: ab Ortu Solis fretum amplum Frisiam procul aperit: ad EuronotumTransisalana & Velavia, ad Austrum Trajectina ditio obtenduntur. Ambitus ejus ad 60. milliaria extenditur, latitudo perexigua est. Merc. Ab inundante Oceano unà cum Zelandia, Flandria, & maximè Frisia, ingentia pertulit damna, an. Chr. 1176. Seditione rusticanâ, post mortem Wilhelmi Imper. an. Chr. 1256. Factionibus Asellatâ & Hamata, quas Margareta excitavit an. Chr. 1350. per annos 200. bello Hispanico prætérito seculo, & præsenti Gallico insigniter exercita. Vide Matth. Vossium, Douzam, Hugon. Grotium *in Annal. Belg.* Meteranum, Stradam, Hoofdium, &c. Item suprà in voce *Belgæ*, & *Belgium.* Baudrando *Hollandia* vulgò *la Hollande*, Hispanis & Italis *Olanda*, una ex septendecim Provinciis Germaniæ inferioris, cum titulo Comitatus, sub dominio Statuum Provinciarum unitatum Belgii, qui ab ea persæpe dicuntur Status Hollandiæ, *les Estats d'Hollande*: Provincia est ampla, mirè rigua, & fertilis. Clauditur ab Occidente mari Germanico, uti à Septentrione mari Austrino, quod habet ad Orientem, ac dominium Ultrajectinum, & ad Meridiem Zelandiam & Brabantiam ex parte. Dividitur Hollandia in plures partes, quæ peculiaria nomina sortiuntur, ut Kennemariam, Waterlandiam, Amstelandiam, Goelandiam, Vornanas insulas, Schielandiam, Delflandiam, quæ & Maselandia, Rhenolandiam ac similes. Sed maximè communis & alicujus usus divisio est in Australem Hollandiam, *Sud-Hollande*, ubi aliàs Batavi populi, & in Septentrionalem, *Nort-Hollande*, quæ & Westfrisia dicitur. Eam pluribus descripsit Ludovicus Guicciardinus. Adde huic, ut & Auctoribus suprà laudatis Adrianum Junium, Barlandum, Parivalium *delic. de Hollande*, Bentivolium Cardin. qui inter alia, solam Hollandiam, imo unicam ejus urbem Amstelodamum, plus navium, quàm totam reliquam Europam possidere refert, Cluver. Maginum, Morerium, qui aërem gravem, solum instabile, & uliginosum, stupendas moles Oceani insultibus objectas, aliaque addit, &c. Josephus Scaliger sic *de Hollandia* ad Dousam:

Ignorata tua referam miracula terræ
Dousa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanicium hîc lassat textrina Minervæ,
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles oppida vestra,
Nulla fabris tamen hæc ligna ministrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hîc frugis acervi,
Pascuus hîc tamen est, non Cerealis ager.
Hîc numerosa meri stipantur dolia cellis,
Quæ vineta colat, nulla putator habet.
Hîc nulla, aut certè seges est rarissima lini:
Linificis tamen est copia major ubi?
Hîc mediis habitamus aquis, quis credere possit?
Et tamen hîc nullæ, Dousa, bibuntur aquæ.

Ab Hollandia provincia Belgium unitum, vulgò dicitur *la Hollande* apud exteros: Et sub Hollandia, seu, & meliùs, sub Belgio unito, sunt etiam Comitatus Zelandiæ, *la Zelande*, Comitatus Zutphaniæ, *le Comté de Zutphen*, dominium Ultrajecti, *la Seigneurie d'Utrecht*, Transisalania, *l'Over Issel*, Frisia Occidentalis, *la Frise*, dominium Groningæ, *la Seigneurie de Groningue*, & Geldria inferior, *la basse Gueldre*, uti etiam pars Borealis Brabantiæ Ducatus, minuta pars Flandriæ, Trajectum ad Mosam, *Maestricht*, aliquot loca Ducatus Limburgi & Cliviæ, Rhenoberga, *Rhinberg*, in ditione Coloniensi, & Embda, *Embden*, in Frisia Orientali. Hollandorum etiam seu Statuum Belgii uniti dominio subsunt in Africa Mina & aliquot fortalitia in ora Guineæ regionis & Nigritarum; in America Septentrionali novum Belgium, *le nouveau Pais Bas*, & aliquot insulæ Antillæ, uti & Curasoa in ora Venezuelæ; in Asia autem eis subsunt Malaca, *Malaca*, in India extra Gangem, Batavia, *Batavia*, in Java insula, insulæ Moluccæ propriæ in mari Indico pro majori parte, uti insulæ Amboina & Banda in eodem tractu, aliquot arces in ora sinus Bengalæ, Columbum, *Colombo*, arx Taprobanæ insulæ, & Cocinum, *Cochin*, Cananora, *Cananor*, & aliquot portus in ora Indiæ intra Gangem.

Urbes Hollandiæ præcipuæ.

Alcmaria *Alcmaer.*	Gorichemum, *Gorkum.*
Amstelodamum, *Amsterdam.*	Gouda, *Goude.*
Briela, *Briel.*	Haga Comitis, *s'Gravenhage*, seu *la Haye.*
Delphi, *Delpht.*	Harlemum, *Harlem.*
Dordracum, *Dordrecht*, seu *Dort.*	Horna, *Hoorne.*
Enchusa, *Enchuysen.*	Lugdunum Batavorum, *Leyden.*
Gertrudenberga, *Gertruydenberg.*	Medemelaca, *Medemblick.*
Purmerenda, *Pormerent.*	Schoonhovia, *Schoonhoven.*
Roterodamum, *Rotterdam.*	Scidamum, *Sciedam*, &c.

Ex his cùm sex olim essent, quæ unà cum Nobilitate de rebus plerisque consulerent, Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amstelodamum & Gouda, Guilielmus Arausionensis Princeps, Belgicæ libertatis Vindex minores adusq; duodecim admisit, quarum nomina & ordo: in Austrina parte Roterodamum, Gorichemum, Scidamum, Schoonhovia, & in insula Mosæ Brila; ad Septentriones, Alcmaria, Horna, Enchusa, ibidemque in aquoso recessu, qui *Waterlandia* dicitur, Edamum & Monachodamum, nec longè Medemelaca, & Purmerenda, an. Chr. 1572. Grotius. Exiguus enim hic terræ angulus, qui 60. leuc. in ambitu continens sex horarum spatio totus peragrari potest, ultra 400 pagos, 29. urbes muris cinctas complectitur, & Comopolim Hagam Comitis, in qua 2000. ædium, quamque cum Ctesiphonte ad Tigrim fluv. ubi Parthorum Reges hyemare soliti, jure comparaveris, Becmannus.

Hollandia nova, vulgò *nouvelle Hollande*, regio Americæ Septentrionalis, ab Hollandis antea inhabitata & culta. Vide *Nova Hollandia.*

Hollandia nova, vulgò *Niew Hollandt* Belgis, *nouvelle Hollande* Gallis, regio perampla terræ Australis, recèns detecta ab Hollandis, nempe anno 1644. & ab ipsis nomen sortita. Sedet ad Austrum novæ Guineæ & insularum Moluccarum, in Oceano Indico. Sed vix detecta est versùs oram littoralem. Ejus partes sunt terra Concordiæ & terra Petri Nuitii in parte Occidentali illius regionis.

Holmetia, vulgò *le Pays du Houlme*, aut *le Houlme*, regio Galliæ in Normannia, ad fluv. Olinam, Damfrontem usque olim pertinens, in quo majores vicos, quales burgos vocant, Ferrariam, Briosam, Ranam, Quadrugias *Carouges*, Firmitatem *la Ferté Massé*, numerant Vassoris tabulæ, apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Est & *Holmus*, castellum in Comit. Constantiensi Galliæ, cujus mentio à Ricardo Duce Nortmann. III. in donatione propter nuptias Adelæ facta est, an. Chr. 1026. Vide Eundem.

Holmi, Xenoph. Strab. *Olmi* Plinio, urbs Ciliciæ asperæ, quæ & *Seleucia*; quò Holmienses translati sunt, teste Strabone, qui ab Antiochia Pisidiæ 115. mill. pass. in Ortum distabant. Ferrar. Baudrando *Holmi*, seu *Seleucia Hormia* urbs fuit parva Ciliciæ asperæ, in ora maris Cilicii, & ad ostia Calycadri fluvii; distabatque 20. mill. à Corycio in Occasum.

Holmia, Sax. Gram. *Stockolm*, seu *Stockholm*, urbs Scandinaviæ, regia Suediæ, intra stagna (ut Venetiæ in Italia) exstructa, cum arce firmissima. Ferrar. Baudrando *Stockholm* urbs est ampla, & caput regni Sueciæ, in Uplandia provincia, ad fauces lacus Meleri, in confinio Sudermanniæ, cum arce & palatio planè regio. Sed non est intra stagna, ut Venetiæ. Cincta undique rupibus, montibus & lacubus, Morer. Urbi hanc fuisse originem perhibent Scriptores: Cùm antiquissimi regionis incolæ metropolim suam incendio amisissent, novam condituri, decreverunt Fortunæ arbitrio rem concredere: Itaque conjecto in mare baculo, auspicium ejus secuti, in loco, quo ille terræ appropinquavit, urbem statuere. Divisa illa in quatuor partes, *Sud malm*, & *Nord malm* suburbia, in quorum medio urbs in insula sita est, & *Garceland*, ingens admodum est & tutissimum habet portum. Regum tumuli in templo *Closterkirch*, ubi olim Franciscanorum Monast. visuntur, inter quos inprimis spectari meretur Gustavi Adolphi monumentum. Frustra obsessa est à Christierno Daniæ R. an. Christi 1518. Ibi dein Gustavus I. Biblia sacra Suecico sermone primus typis exprimi curavit, circa an. Chr. 1530. Ibidem, in Comitiis, regnum Sigismundo abrogatum est an. Chr. 1608. Distat 8. leucis Suecicis ab Upsalia in Austrum, & 5. ab ora maris Baltici in Occasum. Porrò 80. milliaribus Germanicis distat à Gedano in Boream; & à Ruthenis Stecolna dicitur. Vide Sax. Gramm. Payen, &c.

Holmium, urbs Bœotiæ. Ejus meminit Hesiodus *initio Theogoniæ*, sed ut fluvii, non civitatis,

Ἠ' Ἱπποκρήνης, ἢ Ὀλμειῦ ζαθέοιο.

Permessum autem & Holmium, seu fontes, seu fluviolos ex Helicone ortos, & statim confluentes in Copaidem lacum prope Haliartum incidere, Strabo *lib.* 9. author est. *Holmium* autem dici volunt ἀπὸ Ὄλμεω τῶ Σισύφυ παιδὸς. Bochartus autem deducit ex Phœnicio חול מיא *hol maja*, quasi *dulcem aquam* dixeris, quippe tam חול *hul*, quàm חלי *hali* Syris est *dulcescere.* Statius *lib.* 7.

Et felix Holmia vadis.

Holo, Hispaniæ urbs. Liv.

Holocron, Macedoniæ mons. Plut. *in Æmilio.*

Holofernes, princeps militiæ regis Nabuchodonosor, Judith. *cap.* 2. &c. Vide Fridericum Spanhemium, *de auctorit. librorum Apocryphorum.*

Holon, quæ de tribu Judæ, vel Simeonis data fuit Levitis. Jos. *cap.* 15. quæ & *Helon.* 1. Par. 6. dicitur.

Holopyxos, Cretæ urbs. Plin.

Holsatia, Ducatus Daniæ, à nemoribus sylvisque nomen habet, est enim ea regio sylvis saltibusque frequentissima, & *holt*

Cimbris ac Germanis inferioribus lignum significat. Nec desunt, qui *à Cavo lapide* nomen regioni vindicent, quòd Duces Holsatiæ, *Comites à Cavo lapide* dicti prius sint. Est autem hic tractus portio Cymbricæ Chersonesi, quæ continentis in Arctos extensæ extrema pars est. Terminos habet ab Ortu Bilenam fluvium, ab Occasu Storam, ab Austro Albim, à Septentrione verò Eidorum. Holsatia quòd per Albim à reliqua Germania versus Meridiem sejungatur, *Nord-Albinga* in historiis nuncupata, & in quatuor partes tributa fuit: quarum extrema *Teutomarsia* inter Albis & Eidori ostia: Inde *Marsi*, à Stora flumine nomen habentes Stormariorum, ad inclytam urbem Hamburgum & Billenam ad Travum fluvium habitant: Supra hos *Holsatia Vetus*, ad Eidorum & Levesoum usque pertinet, cujus Chilonium metropolis est: Inde versus Ortum, *VVagria* Slavorum seu Henetorum sedes vetusta, usque ad mare Balthicum & Travam porrigitur, & regionis amplitudine cæteris partibus antecellit. Metel. Baudrando *Holsatia* Ducatus, *Holstein* incolis, *Holsace* Gallis, *Holsatia* Hispanis & Italis, provincia est Germaniæ, in Saxonia inferiori, nuncque in Daniæ regno comprehensa, cùm partim Regi Daniæ subjaceat, partim Duci Holsatiæ Slesvicensi. Terminatur à Septentrione Ducatu Slesvicensi seu Jutia Meridionali, ab Occasu mari Germanico, ab Ortu mari Baltico & Ducatu Lavenburgensi, à Meridie autem Ducatu Bremensi & Ducatu Luneburgensi, à quibus separatur Albi fluvio. Dividitur autem in quatuor partes, nempe in Ditmarsiam, *Dithmarsen*, Holsatiam propriam, *Holstein*, Stormariam *Stormaren*, & Wagriam *VVageren*. Ejus urbes præcipuæ sunt Lubeca, *Lubeck*, & Hamburgum *Hambourg*, quæ Imperiales sunt, seu liberæ, & Hanzeaticæ. Regi Daniæ subsunt Gluestadium, Krempa, Brunsbutela, Meldorpium, Rensburgum, Pinneberga, cum toto Comitatu, Segeberga, & alia loca minoris notæ: Duci autem Holsatiæ Slesvicensi parent *Chilonium*, Lunda, Heyda, Oldenburgum, *Bordesholmia*, & alia oppidula. Origo Ducum ex familia *Oldenburgo-Danica*, in qua Theodoricus, cognom. *Fortunatus*, Comes Oldenburgicus, fil. Christiani linearum reliquarum bona collegit: ex pacto etiam an. Chr. 1360. Com. Delmenhorstanum sibi adversus Bremenses asseruit, & ob uxorem Hedvigem filiam Gerhardi *Holsati* D. Slesvici familiæ Schavvenburgicæ, jus successionis in Slesvicensem Principatum & Holsatiam liberis reliquit. Pater Christiani & Gerhardi, quorum hic Oldenburgios continuavit, ille lineæ *Dano-Holsaticæ* auctor fuit. Hic, post mortem Christophori Palatini, ad regnum vocatus, an. Chr. 1448. in Dania & Norvegia coronatus est: à Suecis quoque Carolo Canuti ejecto, receptus. In ejus gratiam Holsatiam, cum Stormaria & Dithmarsia (cujus incolæ de hoc moniti, quòd Bremensibus hactenus paruissent, se submittere detrectarunt) conjunxit atque unum Ducatum effecit, Fridericus III. Imperat. an. 1474. Obiit an. Chr. 1478. Academiæ Hafniensis fundator. Ejus filii, Johannes lineam priorem Regiam, & Fridericus secundam orsi sunt. Quorum hic, ob Holsatiæ iniquam divisionem cum fratre dissedit, Christierno dein II. fratris filio pulso primùm, dein cùm in regnum rediisset, capto, regnum adeptus est. Obiit an. Chr. 1533. libertatis Danicæ auctor. Eo geniti sunt Christianus III. *Regiæ Holsaticæ*, & Adolphus *Gottorpinæ Holsaticæ*, familiarum auctores. Christiano III. qui obiit an. C. 1558. successit fil. Fridericus II. pater Christiani IV. & Johannis, qui Sonderburgicum ramum sevit. Adolphus verò, non sine sanguine Diethmarsos domuit, pater ex Christina Hassiaca, inter alios Johannis Adolphi, qui Archiep. Bremensis primùm, dein Episc. Lubecensis, primus in ea dignitate maritus, obiit an. Chr. 1616. & Friderici majoris natu, qui an. Chr. 1621. Fridericostadium ab Arminianis condi passus est, in vicennium libertate Religionis promissâ, quæ dein in aliud prorogata. Cæsarei dein belli turbis involutus, pacis causâ ad Tillium profectus, non aliud obtinuit, quàm ut promisso à Rege secessu tolerabilius suis esset. Itinere Persico inprimis fama ejus increbuit, quod suasore, Ottone Bruckmanno, suis auspiciis, suscipi voluit, an. Chr. 1636. Cùm an. Chr. 1640. ultimus Schavvenburgiorum extinctus esset, ei pars Pinnebergici Comit. in Holsatia, quam an. Chr. 1460. Otto Comes pro jure suo in Holsatiam à Christiano I. acceperat, obtigit. Obiit an. Chr. 1659. Pater Friderici, qui in Gallia: Johannis Georgii, qui in Italia obierunt: Christiani Alberti & Aug. Friderici. Habuit etiam fratrem Johannem Fridericus, qui, cùm primus ex Holsatis passus esset, sibi persuaderi, ut hæreditariam portionem, apennagio accepto, non exigeret, Episcopus fuit Lubecensis (cujus ab habitatione lineam Eutinensem vocant) suscepitque ex Julia Felicitate Wirtenbergica Joh. Augustum literis, quarum causâ Argentinæ, Lipsiæ & in Belgio commoratus est, egregiè imbutum, Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.* Cæterùm *Holsatos* & Vandalos Marchiones in concordiam reduxit Ericus VI. an. Chr. 1286. Ab iisdem Valdemarus IV. Daniæ Rex, quòd durius illos tractasset, oppugnatus est, circa an. Chr. 1360. Albertus dein Megapolitanus Sueciæ R. declaratus an. Chr. 1363. Hamburgum dejectâ statuâ Rolandi, Carolo IV. Imper. approbante, iis adjudicavit. Flos *Holsaticæ* nobilitatis periit an. Chr. 1500. bello contra Dietmarsos, sub Johanne R. Cum Ducibus Holsatiæ de Ducatus Slesvicensis feudo transegit Fridericus II. An. Chr. 1566. Occupatam Holsatiam à Tillio Christianus IV. recepturus, pacem facere coactus est, bello Germ. anno Chr. 1629. &c. Cluver. *Histor. Univers.* Lætus *Compend. Histor. Univers. &c.*

Holsatiæ urbes:

Brunsbutela, *Brunsbüttel*, in Dithmarsia.
Chilonium, *Kiell*, in Holsatia propria.
Crempa, *Krempen*, in Stormaria.
Gluestadium, *Gluckstadt*, in Stormaria.
Hamburgum, *Hambourg*, in Stormaria.
Itzehoa, *Itzehoe*, in Holsatia propria.
Lubeca, *Lubeck* in Vagria.
Lunda, *Lunden*, in Dithmarsia.
Meldorpium, *Meldorp*, in Dithmarsia.
Oldenburgum, *Oldenburg*, in Vagria.
Oldesloa, *Oldesloe*, in Vagria.
Pinneberga, *Pinnenberg*, in Stormaria.
Plona, *Ploen*, in Vagria.
Rensburgum, *Rensburg*, in Holsatia.

Homagium, olim *Hominium*, vox feudalis, deducta ab *Homo*, pro vasallo, quasi *Hominis agium*: Cliens enim profitetur, se Domini sui *Hominem*, i. vasallum *acturum*. Est autem solennius, arctius, & humilius servitii genus, quod liber homo beneficii ratione domino suo præstat: prisco Romano civi incognitum, sed grassantibus per Imperium Barbaris introductum, & feodali militi, quem *Hominem* vocant, impositum. Conditiones & duræ admodum servitutes alibi exponuntur, professionis hic formulam, quæ apud plerasque gentes eadem fuit, hanc indicat Spelmannus: Novus quisque in feudum successor, tenetur intra annum se domino sistere, atque inermis, discinctus, nudus capite & provolutus in genua, supplicibus item manibus inter sedentis domini manus comprehensis, eum, velut adoraturus, hunc in modum alloquitur: *Devenio homo vester ab hac die in posterum, de vita, de membro, & de terreno honore. verus & fidelis vobis ero, & fidem vobis portabo, ob terras, quas à vobis teneo; salvâ fide Domino nostro Regi & hæredibus suis.* His dictis dominus osculum ei impingit, & vasallus erectus jusjurandum fidelitatis præstat. Manibus vasalli inter manus domini conclusis, significatur ex parte domini, *protectio & defensio*: ex parte vasalli, *reverentia & subjectio*. Bractonus *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 8. Fit *Homagium* semel tantùm ab eodem vasallo, licèt domini sæpius mutentur: ac nec per literas, nec per procuratorem, sed in persona tam ipsius domini, quàm vasalli; loco & conventu celebrioribus: propriè in Aula dominica. Hinc Philippus Pulcher Francorum R. omnino renuit ab Eduardi III. procuratore, *Homagium* suscipere, pro Ducatu Aquitaniæ & Comit. Pontivo; unde Eduardus ipse dein id implevit. An. Chr. 1328. De rigore tamen certis casibus postea remissum. De Ecclesiasticis ad *Homagium* astringendis magna olim lis, Urbanusque in Conc. Rom. excommunicavit eos an. Chr. 1099. qui *pro Ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt*: & Ludovicus Crassus R. Francorum an. Chr. 1137. immunitatem Gaufrido Burdigalensi Archiep. indulsit. Anglis verò incaluit disputatio: *Homagium* enim fortius exegerunt Guilielmus jun. & Henricus I. Transacta tandem res, & concessit Paschalis II. ut *Rex Homagia de electis susciperet, sed nulla per baculum & annulum investiret*, Wilhelm. Malmesbur. *de gestis Pontif. lib.* 2. Multo autem antiquius *Homagii* professio ab Episcopo, in Episcoporum Synodo, scriptis porrecta reperitur, apud Aimoin. *lib.* 5. *cap.* 24. *ad An.* 870. *Ego Hincmarus, Ecclesiæ Laudunensis Episcop. seniori meo Carolo R. sic fidelis & obediens ero, sicut homo suo seniori &c. esse debet.* Ut alia omittam. *Homagium ligium* illud est, quod solummodo Regi debetur, ratione supremi dominii, à *ligando*, quòd ab hoc nemo se potest liberare, ut, renuntiando feudo, ab aliis Homagiis. Nemo etiam in hoc excipitur. Hinc *Homo ligius*, quem sic expressit Britto Armoric. *Philipp. l.* 2. loquens de Richardo Pictaviæ Comite:

Esse tenebatur homo ligius atq; fidelis,
Et tanquam domino jurando jure ligari,
Reddere servitium, quod jus feodale requirit.

Plura vide apud Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Homan, fil. Lotan, filii Seir. 1. Par. 1. qui Gen. 36. *Heman* dicitur.

Homares, unus ex Saccarum regulis, de quibus Polyæn. *lib.* 7. *Dar. sect.* 8.

Homburgum, vulgò *Homburg*, opp. Hassiæ, quò Conventu provinciali indicto, an. 1525. omnem Clerum convocavit Philippus Landgrav. & per Cancellarium dissidia in Religione proponi, atque per Franc. Lambertum 23. propositiones contra Franciscanum quendam, ac Joh. Sperberum disputando defendi jussit. Ita effectum, ut Pontificiâ abolitâ Evangelica Religio assumeretur, annoque seq. Monasteria in Scholas & Xenodochia commutarentur: quæ res Academiæ Marpurgensi primordia dedit. Hoc dein nactus Fridericus, ex Georgio, minimo natu filio Philippi præfati nepos, frater Ludov. Darmstattinæ lineæ auctoris, *Homburgicam* lineam orsus est: pater Wilhelmi Christophori, quo Leopoldus Georgius genitus, Friderici & Georgii Christiani, qui Latinos ritus amplexus est. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Homburgum, castrum agri Basiliensis, edito in loco prope inferioris Rupis scissæ iter, nobilissimorum quondam Comitum cognom. sedes. Hanc Wernerus Ottoni Episcopo Basil. circa An. Chr. 1307. vendidit, cujus successor Humbertus, eam cum territorio suo An. Chr. 1400. Magistratui Basiliensi, ære accepto, tradidit, qui hodieque Præfectum eò mittit. Defecit *Homburgiorum* stirps in præfati Werneri Com. extincti an. Chr. 1322. filio patri homonymo, cujus possessiones Austrii postea Principes sibi vindicarunt, easque Johanni Habspurgiorum Comiti, defuncti adolescentuli materteram conjugem habenti, in feudum dederunt. Vide Christian. Urstisium *Epit. hist. Basil. cap.* 2. *&* 3.

Homelea, vulgò *Humble*, teste Ortelio, fluv. Albionis, in ora Angliæ Australi contra Vectim insulam in mare influens.

Homerita, Plin. Ptol. *Regno di Aden* Castaldo ex tab. Geographicis, populi & regio Arabiæ felicis in ora ad ortum, extra fauces sinus Arabici. Quorum regia Arabiæ empor. Pop. Æthiopiæ. Steph.

Homeromastix, vide *Zoilus*.

Homerus, nomen Poëtæ Græci excellentissimi, quem quidam tempore Pythagoræ vixisse, cùm Servius Tullus rerum potiretur, asserunt. Alii probabilius judicant, natum tum, cùm Smyrna ab Æolibus conderetur, 18. an. post Cumas extructas, 168. post Trojæ ruinam. Vide Auctores infra citatos. Floruisse ante Romam conditam annis circiter centum sexaginta, Cornel. Nepos tradit *in libris Chronicorum*. Cæcum fuisse volunt, & ob id *Homeri* nomen sortitum fuisse, quum prius *Melesigenes* diceretur, quòd ad *Meletem* fluv. natus esset. Cumæi namque & Jones captos oculis ὁμήρους vocant. Hinc cæcutiens Mæonius nuncupatur à Martiano Capellâ *lib.* 1. De patriâ ejus nihil certi traditur. Peculiarem libellum de eâ scripsit vir doctissimus Leo Allatius. Ejus carmen, quod Iliados, & Odysseæ nomen habet, Hymni enim Apollinis, Dianæ, Mercurii, &c. non illum habuere auctorem, ostendit Principum familias ejus ætatis, & pingit imagines variarum personarum, consiliorum, & mirabilium eventuum in hâc vitâ. Basilius Magnus universam Homeri poësin *laudem* dixit *esse virtutis*. Et ante eum Horatius,

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius, ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

Ælianus scribit, Agathonem pictorem quendam Homerum pinxisse vomentem, reliquos verò poëtas, ea quæ ipse evomuisset, exhaurientes, ad quod & Ovid. respexit,

Aspice Meoniden, à quo ceu fonte perennis
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Et Manil. *lib.* 2.

—— Cujusq; ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit.

Aristarchus textum Homeri correxit, & menda, quæ librariorum incuria irrepserant, sustulit: Eustathius Arch. Thessalonicensis, luculentissimis commentariis eum illustravit: Didymi notæ supposititiæ sunt. Mortuum esse Homerum senem, dolore victum, quòd quæstionem stultam de pediculis solvere non potuerit, fabula est à quodam osore Homeri conficta. Sotades apud Stobæum fame extinctum prodidit: Τὸν θεῖον Ὅμηρον λιμὸς κατηδαπάνησε. Peculiarem *de vitâ Homeri* librum Herodotus, vel potius alius quidam, sub hoc nomine, scripsit, Plutarchus item, & Porphyrius, qui hodie extant & conjunguntur ab Hen. Stephano editione Homeri, A. D. 1566. Vide & Clem. 1. *Strom.* Euf. *Chron. An.* 908. *Abrah.* A. Gell. *l.* 17. *c.* 21. Solin. *c.* 42. Petav *de D. T. l.* 9 *c.* 30. Gordon. Calvisium, Scaligerum, Ricciolum, *in Chron.* Voss. *de Poët. Gr.* Crinitum, &c. Sed de Homero nos alibi. Lloyd. Fuit alter *Homerus* Chius, medicina clarus, teste Archilocho. Tertius Chius magicâ arte clarus. Idem. Quartus, institoriâ arte Salaminensis civis perdives. Idem. Quintus Colophonius pictor & statuarius præclarus habitus. Idem. Sextus civis Atheniensibus leges dedit. Idem. Septimus, arte Musicâ & Geometriâ clarus. Idem. Octavus, patriâ Mæon, certamine Olympico vicit, cui postea jus literarum, & linguæ Græcæ emendandarum soli tributum est, cujus quoque emendatione, & literæ, & lingua Græca usque in hanc diem contenta fuit. Idem.

Homerus jun. vel Tragicus, ultimus ex Pleiade Poëtarum, Hierapolitanus, cui mater Byzantina Myro, poëtria.

Homiliæ, Thessaliæ urbs. Ptol.

Homo, à Rom. significatione variè novatur. In jure feudali is primariò dicitur, qui, accepto feudo, domino tenetur militare. Al. *Vasallus*, olim quoque *Baro* & *Leudes*. Item quilibet prædiorum tenens. Etiam cliens, famulus, subditus quivis. Aliquando pro Armigero vox sumta reperitur. In Gentium LL. antiquis mancipium notat, ut *Mann* Germanis, Græcis interdum ἄνθρωπος. Sic *Homo* fiscalis, *Homo* Ecclesiasticus, *Homo* Romanus, cui opp. *Homo* Francus: everso enim Imperio, eâdem appellatione, quæ olim honorifica erat, à victrici populo i. à Barbaris victi, in Gallia & Italia distincti sunt. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.*

Homogynus Jupiter, in Ægio versus mare templum habuit, quo loco Agamemnonem ferunt Græciæ principes collegisse, unde nomen est deductum: inibique cum deliberasse de bello Priamo inferendo, ut ulcisceretur Helenam raptam.

Homole, mons Thessal. excelsus, Thebis Phthioticis propinquus, Centaurorum olim sedes, quemadmodum & Othrys. Virg. *Æn.* 7.

Ceu duo nubigenæ, cùm vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen, Othrymq; nivalem
Linquentes. ——

Lege *Omole*. De quo rara mentio. *Omolium* in Magnesiâ oppidum Plin. constituit *lib.* 4. *cap.* 9. Vide Suidam.

Homolea, mons Magnesiæ. Strabo *lib.* 11. & *Homolium*, oppidum Magnesiæ, & Macedoniæ. Steph.

Homona, oppidum, & *Homonades*, gens Isaurica. Plin.

Homonadenses in Ciliciâ à P. Sulpicio Quirino fame expugnati; ex quibus quatuor virorum milia capti & in vicinas urbes distributi sunt, omni regione à juventute desertâ relictâ. Vide Tacit. *lib.* 3. *cap.* 48. Strabonem *lib.* 12.

Homonaa, locus Palæstinæ. In vitâ Joseph.

Homopatoria, festa Atheniensium, ita dicta, quòd patres liberorum Curiæ adscribendorum gratiâ tum convenirent. Vide Suidam.

Homuncionista, nomen quorundam Photini sectatorum, qui solam naturam humanam in Christo agnoscebant. Augustinus *serm.* 26. *ex addit. fragm. edit. Lovan.* Baron. *A. C.* 357.

Hon, filius Pheleth. Num. 16.

Honamia, vulgò *Honam*, provincia est Borealis regni Sinarum, inter provincias Chuquamum ad Meridiem & Sciansium ad Septentrionem. Urbem primariam habet cognominem, *Honam Fu* vocatam. Dividitur autem in duas partes, fluvio *Caramoran* dicto. Aliæ ejus urbes præcipuæ sunt Nanianum, *Nanian Fu*, Chaifunum, *Chaifun Fu* Huquanum, *Huquan Fu*, Ciantea, *Ciante Fu*, & Quaichinum, *Quaichin Fu*, teste Matino Martinio.

Hondura, vulgò *Honduras*, provincia ampla novæ Hispaniæ, in America Septentrionali, juxta mare Boreale & sinum Honduræ dictum, inter ipsam & Jucataniam. Habet ad Occasum Guatimalam, & ad Austrum Nicaraguam provincias. Subest dominio Hispanorum. Ejus longitudo est 200. leucarum circiter ab Ortu in Occasum, latitudo verò 100. ferè leucarum; estque sub Præfectura Guatimalæ. Ejus primaria urbs est Vallisoletum, *Valladolid*, incolis *Commajagua*, Episcopalis ab anno 1558. Aliæ urbes sunt Gratia Dei, *Gracias à Dios*, Fanum S. Petri, *San Pedro*, Fanum S. Joannis portus Equorum. *S. Ivan de puerto de Cavallos*, Trugillum, *Trugilho*, & Fanum S. Georgii, *S. Jorge de Olancho*.

Hondura sinus, vulgò *Golfo de Honduras*, pars maris Borealis in America, inter Honduram provinciam ad Meridiem, & Jucataniam ad Boream; estque plurimis insulis refertus: & ejus intimus recessus ad Occasum dicitur *Golfo de Guanajos*.

Honflorium, seu *Honflevius*, vulgò *Honfleur*, urbs Galliæ, in Normannia provincia, in ora littor. maris Britannici, & ad æstuarium Sequanæ, ex adverso Harflevii, à quo distat 3. leucis in Austrum, & quatuor à portu Gratiæ.

Honor, ab antiquis Deus est putatus, ut videre est apud Lactantium & Augustinum *de Civ. D. lib.* 4. *c.* 20. Illius templum, à M. Marcello renovatum fuit, quod multis annis antè annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dicatum. Ejus statua plerunque Virtuti juncta, per cujus templum ad Honoris delubrum ibatur. Marius, qui utrique ædem sacravit, humilem voluit esse, an ut Auguribus satisfaceret, an ut humilitatem doceret? Cic. *Tuscul. lib.* 2. Livius *l.* 29. Quid Honor apud Anglos, Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Archaol.*

Viri celebres.

Honoratus, Fundator Monasterii Lerinensis, Archiep. Arelatensis, post Patroclum, an. 426. Obiit an. 429. Vide Morer. *Dict. Hist.*

Honoratus Augustodunensis, floruit sub Henrico V. Imper. an. 1120. Auctor, inter alia, Chronici, libri de Scriptoribus Eccl. quem inscribit, *de luminaribus Ecclesiæ*, Dialogi de Prædestinatione & Libero arbitrio, Commentariorum in libb. Salomonis, &c. Simler. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Lat.* Vide quoque *Honorius*.

Honoratus Massiliensis, Episc. Seculo 5. multùm laudatus Gennadio. Vide Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 18. Barthium, *Advers. lib.* 58. *cap.* 5. *&c.*

Honoria, Valentiniani Imper. soror. P. Diaconus.

Honorias, regio Asiæ, pars Ponti, in qua Heraclea, Tium, Claudiopolis, Gratia & Hadrianopolis urbes, *Volli* seu *Bolli* hodie.

Honorichus, Vandalorum rex, an. U. C. 1231.

Imperat. Rom.

Honorius, 46. Rom. Imper. cum fratre Arcadio an. U. C. 1149. Imper. ipse Occidentis, an. Chr. 395. fil. Theodosii M. ex Flacilla, regiminis curâ à Patre Stiliconi commissâ, Gildone Africæ præposito, dum ille adolesceret. Sed uterque infidus: & Gildo quidem primò rebellis, à Mascezele fratre punitus est. Stilico, bis socer Honorii hunc throno deturbare, surrogato Eucherio fil. constituit. Hinc victo Radagaiso Gothis sub Alarici ductu usurus in hunc finem, Alaricum ad obsidendam Romam invitavit, subitoque affectatione ejus per Olympium proditâ, corruit, jussu Honorii, cum filio necatus. Quâ cæde Alaricus irritatior Romam diripuit, Honorioque interea Ravennæ desidi, & gallinæ pugnacis jacturam deflenti, Imperium abrogavit, Attalo substituto: Dum Gratianus, Constantinus cum filio Constante, Maximus & Jovianus in Britannia & Gallia, Heracleanus in Africa, alii alibi insurgerent: quibus tamen omnibus per Du-

ces, Constantem inprimis Placidiæ maritum, victis, Obiit an.423. æt. 39. Imperii 28. menſ. 5. Religionem contra Judæos, Ethnicos, Hæreticos & Schiſmaticos ſtrenuè tutatus, quas porro laudes intruerit, Vide Proſper. Marcellin. Caſſiodor. *in Chron.* Socrat. *l.* 7. Oroſ. *l.* 6. *&* 7. Paul. Diaconum, &c.

Pontifices Romani.

Honorius I. 68. Rom. Pontifex An. Dom. 626. Campaniâ Italiæ oriundus, Bonifacii V. ſucceſſor. Schiſma Epiſcoporum Iſtriæ 70. annorum ſuſtulit, Angliæ Scotiæque Eccleſiarum curam geſſit, ſacras ædes novas ædificavit, veteres inſtauravit. Monothelitarum interim errore coinquinatus, Sergio Patriarchæ Conſtantinop. capiti hujus hæreſeos, nimium favit. Obiit anno C.638. Literæ ejus, tanquam hæreſeos plenæ, Concilio 6. Oecum. V. & 7. & 8. damnatæ, ipſe ab Agathone Epiſc. R. in epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum, notatus eſt. Imo & Leo II. anathema ei & Monothelitis dixit, in epiſt. ad eundem Imperatorem. Anaſtaſ. & Platina *in ejus Vita.* Melchior Canus, *de locis, c. ult.* Centuriat. Magdeb. *cent.* 7. *c.* 10. & *c.* 11. *col.* 553. *&c.* Succeſſit Severinus.

Honorius II. prius Lambertus, Epiſc. Oſtienſis, poſt mortem Calixti II. electo à Cardinalibus Theobaldo, à Roberto Frangipani, cujus magna tum potentia, Papa proclamatus, an. 1124. Obiit an. 1130. Abbates Cluniac. & Montis Caſſini, ob crimina, damnavit, Guilielmum Siciliæ D. coërcuit, &c. Guil Tyrius *l.* 12. *c.* 15. Pandulfus Piſanus, *in Vitis Pontif.* Succeſſit Innocentius II.

Honorius III. Romanus, priùs Cencius Sabellus, ſucceſſor Innocentii III. An. 1216. poſt ipſum in Scotos ſævit, Anglis & Francis exactionibus gravis. Joh. Baleus *l.* 7. Matth. Pariſ. *in Henr.* Dominici ordinem confirmavit, officium Magiſtri S. Palatii fundavit, Petrum Cottenæum Imp. Conſtant. coronavit: Obiit an. 1227. Onuphrius & Platina, *in ejus Vita.* Eum excepit Gregorius IX.

Honorius IV. Romanus, antea Jacobus Savellus, Papa Rom. an. 1285. poſt Martinum IV. Podagrâ mirè excruciatus, per Pandulphum fratrem prædones pepulit, Angliæ Regi decimas neganti reſtitit, Petrum Arragonium excommunicavit, Germaniam, Anteceſſorem imitatus, expilavit, donec Synodus Virceburgum convocaretur, ubi ejus Legatus de vita periclitatus eſt: Probo Tullenſi Epiſc. Papas *Romuleos Vultures, genus Archiſynagogæ peſſimum,* &c. vocante. Aventin. *Annal. l.* 7. Bulling. *de Concil. l.* 2. Ei ſucceſſit Nicolaus IV.

Honorius, Antipapa, vide *Cadalous.*

Honorius, Auguſtodunenſis Eccleſiæ in Duc. Burgundiæ Presbyter & Scholaſticus. Scripſit in Hexaëmeron, in Pſalterium, in Prov. Salomonis, Eccleſiaſten & Canticum. Floruit an. Chr. 1130. *Vir in Scripturis ſtudioſiſſimus & valdè eruditus,* Trithem. *In ſacris prophanisq; literis inſigniter doctus,* Catal. Teſt. Ver.

Honoſca, Hiſpan. Tarracon. maritima urbs inter Iberum fluv. & Carthaginem novam. Livius. Fortè nunc *Villa Joyoſa,* Ortel.

Hoplias fluv. Bœotiæ juxta Coroneam urb. in Phliorum fluv. influens. *Iſomantus* Plutarcho *in Vitâ Lyſandri.*

Hopperus Johannes, Epiſc. Gloceſtrienſis, Evangelicam doctrinam, cum Thoma Cramero, Archiep. Cantuar. ſub Eduardo VI. in Anglia ſtrenuè promovit, poſtea ſub Maria Regina, an. 1555. ob religionem exuſtus. Bucholcerus *Ind. Chronol.*

Hoppha, nomen viri. 1. Par. 24. Lat. *thalamus,* ſive *coopertorium,* aut *litus,* vel *ripa ejus.*

Hor, mons in finibus terræ Idumææ prope Petram civitatem, in quo Aaron primus Iſraëlitarum ſummus Pontifex mortuus eſt & ſepultus. Num. 33. Lat. *mons,* ſive *concipiens,* vel *demonſtrans.*

Hora, Dea quædam apud Romanos, ita dicta ἀπὸ τῆς ὥρας, i.e. *à venuſtate,* & *pulchritudine,* cui præeſſe putabatur. Hanc Romani putarunt eſſe Herſiliam, Romuli uxorem, quæ, poſt mariti apotheoſin, in cœlum tranſlata, *Hora* vocata eſt. Qu. Ennius,

Teq; Quirine pater veneror, Horamq; Quirinam.

Apud Ovid. tamen *in fine lib.* 14. legitur *Ora,* ſine aſpiratione, & priore correptâ,

—— Priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramq; vocat, quæ nunc Dea juncta Quirino eſt.

Horacitæ, pop. Illyriis finitimi. Polyb.

Horæ, Calabriæ urbs. Curopalates.

Horæ, Jovis ac Themidis filiæ. Heſiod. *in Theogoniâ,*

Δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας,
Εὐνομίην τε, Δίκην τε, καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν,
Αἵτ' ἔργ' ὠρεύουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι.

Orpheus non ſolùm ex prædictis parentibus, ſed etiam verno tempore natas eſſe dixit in his carminibus:

Ὧραι θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος,
Εὐνομίη τε Δίκη τε καὶ Εἰρήνη πολύολβε
Εἰαριναί, λειμωνιάδες.

Pauſanias *in Bœoticis,* non hæc ſed alia Horarum nomina attulit longè diverſa; vocavitque aliam *Carpo,* aliam *Thalloten,* alterius nomen non dixit. Καρπὸς autem *fructum* ſig. θάλλειν verò *pullulare.* Quas idcirco ἐπικαρπίους, ſive *fructiferas* vocavit Aratus, uti videre eſt in his:

Ἐν τοῖς ἠέλιος φέρεται δυοκαίδεκα πάσι
Πάντ' ἐνιαυτὸν ἄγων, καὶ οἱ περὶ τοῦτον ἰόντι
Κύκλον, ἀέξονται πᾶσαι ἐπικάρπιοι Ὧραι.

Has portas cœli ſervare dixit Ovidius *Faſtorum* 1.

Præſidio foribus cæli cum mitibus Horis.

Idem *Met.* 2. miniſtras Phœbi, ſive Solis facit,

Jungere equos Titan velocibus imperat Horis,
Juſſa Dea celeres peragunt.

Has & molles habere pedes, & omnium Deorum tardiſſimas eſſe, & novi ſemper aliquid adferre, teſtatur Theocritus *in Syracuſiis:*

Μηνὶ δυωδεκάτῳ μαλακαὶ πόδας ἄγαγον Ὧραι,
Βάρδισται μακάρων Ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθειναὶ
Ἔρχονται πάντεσσι βροτοῖσιν ἀεί τι φέροισαι.

Homerus *Iliad.* 5. non ſolùm portas Cœli ſervare, ſed etiam nubes inducere, & ſerenum facere cùm libuerit, inquit,

Αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον Ὧραι
Τῆς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς, Οὔλυμπός τε,
Ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ' ἐπιθεῖναι.

Horam, rex Gazer, Joſ. 10. Lat. *mons eorum,* ſive *manifeſtans,* vel *concipiens eos.*

Horata, inſ. Galliæ, inter Veneticas loco non extremo: vulgò *Hoüat,* al. *l'Iſle Hoüat* monaſterio S. Gildæ adverſa. Hadr. Valeſius *Not. Gall.* in voce *Reumviſius pagus.*

Horatæ, Indiæ pop. Plin.

Horatii villa, vulgò *S. Giovanni in campo Oratio,* teſte Blondo: locus erat prope urb. Romam

Viri celebres.

Horatius, Romanus, Poëta, Nicolai V. juſſu, primum Iliadis Homericæ librum Latinè vertit. Scripſit etiam carmen *Porcaria*; de conjuratione videlicet Stephani Porcarii, contra Pontif. hunc inita; ubi ſic orditur:

Inſidias Patriæ qui ſtruxit, & arma Parenti,
Ipſe parens refer, & ſceleri ſi Roma nefando
Annuerit, &c.

Item *Venus aurea,* Item ad Franc. Sfortiam, Ducem Mediol. poëma quod incipit: *Dive Virûm,* &c. Voſſ. *de H. L. l.* 3. Sabellic. *Hiſtor. Venet. l.* 27.

Horatius Cocles, nobilis Romanus, qui in eo bello, quod Porſena Hetruriæ rex pro reſtitutione Tarquiniorum cum Romanis geſſit, cùm Janiculum jam captum videret, hoſteſque in urb. irruere, reliquis omnibus attonitis, & in fugam converſis, duobus tantùm comitatus, hoſtium impetum tantiſper remoratus eſt, donec pons à tergo ſolveretur; quem cùm jam interciſum videret, ut erat armatus, in Tyberim inſiliit, & incolumis ad ſuos tranavit. Hinc ſtatuam meruit, & agri, quantum unâ die arari poſſet. Liv. *lib.* 2. Flor. *l.* 1. *c.* 10. Vide *Cocles.* Fuere præterea 3. *Horatii,* qui cum Curiatiis, vide ibi, ſingulare certamen inierunt. Vide Liv.

Horatius Q. Flaccus, fil. liberti, poëta Venuſinus, Lyricorum, & Satyrarum ſcriptor, qui an. Imp. Auguſti 33. æt. verò ſuæ 63. *Alii* habent 57. U. C. 747. moriens Auguſtum reliquit hæredem, maximâ pompâ juxta Mæcenatem in Exquiliis conſepultus. Ovidius,

Pervenit ad noſtras numeroſus Horatius aures,
Dum ferit Auſonia carmina culta lyrâ.

Vide L. Gyraldum & Crinitum.

Horatius Giovagnonus, JC. Bononienſis, ſec. præt.

Horatius Menneus, Auctor hiſtoriæ urbis veteris.

Horatius Turſellinus, auctor Epitomæ hiſt. Univerſ. vitæ Franciſci Xaverii, & hiſtoriæ Lauretanæ.

Horbatii, pop. Illyrii in confinio Norici, quorum reg. *Crabaten* Lazio hodie dicitur.

Horchia, Etruriæ urbis Dea, in quâ fanum habebat. Ab eâ vicus *Horchianus,* ſumpſit nomen: Nunc *Vitorchiano,* caſtrum prov. Patrimonii D. Petri, vix 6. mill. à Viterbio in Cæc. totidem à Tiberi in Auſtr. Sub Pontif. Baudrandus.

Horcias, ter mille Macedonum, qui ab Antigono in Cappadociâ defecerant, Dux, aſtu per Leonidam comprehenſus, de quo vide Polyænum *lib.* 4. *in Antigono com.* 6.

Horda, Hunnorum R. cum ſuis baptizatus, A. 529. Pantal *Chron.*

Hordacha, fluv. Thuringiæ; cujus meminit Ven. Fortunatus. vulgò *Herdach.*

Hordeonius Flaccus, ſuperioris exercitus Germanici legatus, ſenectâ ac debilitate pedum invalidus, ſine conſtantiâ atque auctoritate. Tacit. *Hiſt.* 1. 9.

Hordonenſes, Apuliæ pop. Plin. Quorum urbs *Hordonia,* aliis *Erdonia* exciſa. Vide ibi.

Horeb, mons in reg. Madianitarum, Exod. 3. Ad hujus radicem, inſcriptionem antiquiſſimam, charactere Aſſyrio vetuſtiſſimo, conſtantem, & ab Iſraëlitis ſine dubio in memoriam beneficiorum divinitus ibi acceptorum rupibus inciſam, ſic interpretatus eſt Athan. Kircherus. *Deus Virginem concipere faciet.* Item, *Locus in quo 70. palmæ: Locus doctrinæ, inciſionis arcanorum: Novem tituli: Nonaginta nomina (eorum) quos excidit Moſes: Locus ubi orabat.* Vid. ejus *Oed. Æg. T. H Cl. II. c. II. §. V.* Eſt & nomen petræ. Ex. 17. Lat. *deſertum, ſolitudo, deſtructio, ſiccitas,* vel *gladius.*

Horem, civitas in tribu Nephthali. Joſ. 19. Lat. *deſtructio,* vel *anathema,* ſive *rete,* vel *dedicatum* ſc. *Deo.*

Horeſti, Scotiæ pop. quorum regiones hodie *Mernia,* & *Anguſia,* H. Boethio; Camdeno verò *Eskedale.*

Horè

Hori, filius Lotan, filii Seir, Gen. 36. Lat. *princeps, liber*, vel *ingenuus*, aut *irascens*.

Horice, pop. Italiæ. Steph.

Horisius, fluv. Phrygiæ min. juxta Troadem urb.

Horita, vide *Orita*.

Horma, opp. Macedoniæ. Ptol. *Coria*, Moletio. Item civitas in tribu tam Judæ quàm Simeonis, inter Hasmonem & Cades barne. Num. 21. quæ Judic. 1. dicitur *Zephuth*, & Jos. 15. *Harma*.

Hormanus, in dynastia Mahometana, post Orhomani mortem, dissidentibus Barbaris, Africam sub tributum redegit, anno Chr. 648.

Hormas, civitas in tribu Aser. Jos. 19. Juxta Eleutherum fluv. in colle.

Hormasdes, apud Chaldæos bonus erat Dæmon, qui *Jupiter* putabatur.

Hormentio, fluv. Galliæ, vulgò *l'Armanson*. Oritur in finibus Alesiensium & postquam Nucetum, castrum Sinemurum, Ternodorum, Germiniacum, ac S. Florentini alluit, apud opp. S. Juliani de Saltu in Icaunam labitur. Recipit Armantium *Armance*, in miraculis S. Bernardi celebratum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Hormia, vide *Formia*.

Hormidastes, fil. Saporis, an. 273. regnavit an. 1.

Horminius, Bithyniæ mons. Ptol. *Hippus* Plinio; videtur ab Appiano *Scorobas* vocari *in lib. de bello Mithridatico*. Vide *Hyppius* & *Ormenius*.

Persarum Reges.

Hormisda I. Persarum R. Chosrois I. patris successor, an. 579. sævus in subditos, misso Varane contra Romanos infelix, huic muliebrem misit stolam, inexplicabile apud Persas probrum. Hinc Dux in Regem rebellis, uxore ejus marito præsente occisâ, ipsum excæcavit, Chosroë II. filio surrogato, qui Patrem fustibus ad necem cædi jussit, an. 587. Agathias *l*. 4. Nicephorus *l*. 18. Evagrius, &c.

Hormisda II. idem cum Isdigerde, an. 630. aliquot post annis pulsus à Saracenis, Persiâ potitis. Sigebert. *in Chron.*

Pontific. & Viri clari.

Hormisdas Papa Rom. post Symmachum, an. 514. Patriarcha à Cæsare pronuntiatus, apud Anastasium Imperat. primò, non satis successu optato: ejus legatis enim quòd imperiosius agerent, per posticum emissis Anastasius Imper. Græciâ omni interdixit, ajens, *Nos imperare volumus, nobis imperari nolumus*. Zonar. *in Anastas.* felicius apud Justinum, contra Eutychianos, egit; Psalmodias Clerum docuit, Manichæos Româ pepulit; Obiit anno 523. Successit Johannes I.

Hormisdas, Architectus Persa, à Constantino Imp. jussus equum Trojani instar ædificare, stabulum ut prius ejus capax appararetur, rogavit. Aliâ vice ab eodem interrogatus, quid Romæ optimum esset, quòd homines ibi æquè ac alibi fato suo obirent, respondit. Item nobilis Martyr, sub Isdigerde Persa, an. Chr. 421. Theodoret. *lib* 5. *cap*. 39.

Hormus, libertus Vespasiani inter duces. Tacit. *Hist. lib*. 3. *c*. 12. Eidem dignitas equestris data. Ibid. 4. 39.

Horna, vulgò *Horne*, Gall. *Horne*, oppid. Geldriæ sup. vix 1. leuc. à Mosa fluv. cum castro lepido Comitis proprii, unde Comitat. Hornensis. 1. leuc. à Ruremunda in Occas. 6. à Trajecto ad Mosam in Sept. Sub Hisp.

Horna, vulgò *Hoorne*, urbs munita Hollandiæ, cum portu capaci, in ora maris Austr. Emporium celebre, 4. leuc. ab Alemaria in Ort. 6. ab Amstelodamo in Sept. 3 ab Enchusa in Occ.

Hornanum caput, vide *Caput Hornanum*.

Horodes, vel *Orodes*, rex Parthorum, qui M Crassum occidit.

Horratas, miles Macedo, qui Dioxippum pugilem ad duellum provocavit, ab eoque nudo cum clavâ comparente, in conspectu totius exercitus, victus est. Curt. *l*. 9. *c*. 39. à Diodor. *lib*. 17. *parte posteriore* vocatur *Coragus*, *fol*. 615.

Horreum castrense, dictum olim Tinurtium est ad Ararim, quia mansio vel statio fuit militaris, annonam & cætera militibus iter facientibus necessaria servans: quales stante Imperio Rom. mansiones fuerunt, in viis publicis inque vicis plerunque ad ripas fluminum maj. positæ, & omnibus rebus abundantes. Talia fuere *Horrea Cælia*, inter Putput vicum & Hadrumetum coloniam, in prov. Byzacena, aliàs *Horrea* absolutè dicta: tale *Horreum Margi* in Mœsia, à Naisso 57. m. p. distans, quod Ptolom. simpliciter *Horrea* vocat: talis inter Forum Julii & Antipolim locus, Æthico dictus *ad Horrea*. Talia fuere ad Mosellam castella, olim condita à Romanis, adversus Germanorum incursiones: quæ jam securâ Belgicâ ac nihil à Germanis metuente, pro horreis potius, quàm pro castellis haberi, ait Ausonius *in Mosella*:

Addam præsidiis dubiarum condita rerum,
Sed modò securis non castra, sed Horrea *Belgis*.

Sic Amm. Marcellinus *lib*. 18. *Horrea ad Rhenum* commemorat. Et Sidonius ait *lib*. 6. *ep*. 12. *Vidimus per Araris & Rhodani ripam non unum horreum.* Eumenius quoque *in Panegyr. Constant.* de Maximiano Herculeo, qui ab urbe Treviris per Araris Rhodanique ripas itinere facto Arelatum pervenerat, loquens, ejusmodi *Horreorum* mansionumque meminit. Fuere & *Horrea* publica apud urbem Treviros, in quibus annona militaris stante Imperio servabatur, quæ postea in Monasterium clarissimum mutata sunt: quod *Monasterium ad Horrea* Annales Metenses; alii Cœnobium *Horrense*; alii *Horrea*, puellare ac Abbatiale Monasterium S. Mariæ, vocant. Horrea prædicta hodie Gall. *Magazins*, German. *Proviantháuser* dicuntur, Valesius.

Horrhai, gigantes, quos expulerunt filii Edom à monte Seir. Deut. 2.

Horsa, Anglo Saxonum Dux, cum Hengisto, à Britonibus in Angliam vocatus, an. Chr. 449. post res ibi præclarè gestas, obiit in pugna, contra Aurelium Ambrosium, an. Chr. 456.

Horta Dea, cùm viveret *Hersilia*, uxor Romuli, ab hortando & incitando dicta. Hujus ædem nunquam claudi solitam tradit Plutarchus, ea scilicet causa, quòd semper aliquid præclari fieri hortaretur, nunquamque cessandum. Quidam Stimulam appellatam dixerunt.

Horta, seu *Orta*, oppidulum agri Novariensis in Duc. Mediol. cum lacu parvo cognom. 5. mill. ab Arona, totidem à lacu Verbano in Occ. 7. à confinio Pedemontii.

Hortanum, Tusciæ urbs. Plin. *Horti* Leandro. *Orta* Baudrando, nunc oppidul. prov. Patrimonii S. Petri, in colle, prope Tiberim, ubi Neram amnem recipit. Deficit in dies.

Hortensia, Hortensii filia eloquentissima, quæ, cùm matronarum ordo gravi tributo à Triumviris, Octavio, Antonio, & Lepido premeretur, nec virorum quisquam ipsi adesse auderet, causam constanter egit, repræsentataque patris facundiâ, impetravit, ut major pecuniæ pars ei remitteretur. Valer. Max. *libr*. 2. *cap*. 3. *ex*. 3. Appianus *de Bello Civil. libro* 4. Quintilianus *libro* 1. *capite* 2.

Hortensius Q. Ortalus, Romanus rhetor, qui in foro Romano *Caussarum rex*, ob eloquentiam dictus est, licèt ejus scripta intra famam fuerint. De quo Cicero *in Bruto* sic refert: *Primum memoria tanta quantam in viro cognovisse me arbitror, ut quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis iisdem redderet, quibus cogitasset.* De illo etiam fertur, quòd sedens olim totum diem in auctione, omnes res venales, ut & pretia & emptores ordine suo recensuerit, argentariis recognoscentibus, ita ut à nullo falleretur. Consul fuit cum Cecilio Metello: quòd nimium se declamando moveret, *Dionysia saltatricula* dictus. Scripsit Orationes, versus minus probatos, & Annales. Vellejus Pat. *histor lib*. 2. Ovid. *in eleg.* Cic. *epist. ad Attic. lib*. 12. *epist*. 5. *lib*. 3. *de Oratore, &c.* Varro, *de R.R. lib*. 3. *cap*. 5. *& ult.* Plin. *lib*. 9. *cap*. 55. *& lib*. 10. *cap*. 20. Aul. Gell. *lib*. 1. *cap*. 5. *lib*. 19. *cap*. 9. Macrobius *lib*. 3. *cap*. 13. Filius ejus cognom. obiit in bello civili Bruti, Vellej. *lib*. 2. Plutarchus *in Catone*. Nepos verè nepos. Valer. Max. *lib*. 3. *cap*. 5. *ex*. 4. Tacit. *Annal. lib*. 2. Sueton. *in Tiberio*.

Hortensius Corbio, Hortensii Oratoris nepos degener: Nam, teste Valerio Maximo, omnibus scortis abjectiorem & obscœniorem vitam exegit: ad ultimum lingua ejus tam libidini cunctorum inter lupanaria prostitit, quàm avi pro salute civium in foro excubuerat.

Hortona, oppidum Italiæ in confin. Æquorum. *Hortana* Livio, Ὄρτοι Dionysio, fortè pro Ὀρτών. Vide Cluverium *Ital. Ant. pag*. 969.

Horus, Isidis fil. quem cùm Isis amisisset, verita est ne illi obveniret, quod Osiridi patri acciderat: sed eo invento, mœrorem in lætitiam convertit. Idem Assyriorum rex. Plin. 30. 15.

Hosa, janitor quidam. 1. Par. 26. Hebr. חוסה Lat. *confidens*, vel *protegens*.

Hosa, nomen civitatis. 1. Par. 4. Heb. חושׁה Lat. *festinans*, *tacens*, aut *sensualis*.

Hosa, Tuscorum fluv. Ptol. *Martha* hodiè.

Hosdencum, vulgò *Houdan*, castrum Gall. in Carnutibus, ubi Ecclesia est, ad Monast. Columbense pertinens, ab Amalrico, Comite Montisfortis, Simonis patre, extructa, qui in eodem castro duas nundinas instituit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Hosea, filius Ela, regnavit in Samaria super Israelem, post Pekahum, quem occiderat, anno mundi 3195. ante Christum natum 767. anno septimo regni sui. Salmanassar Assyriorum Rex, Samariam obsedit, Hoseamque tributarium fecit. At verò Hoseas dum rebellat, tributaque Assyrio recusat, & dum à Sua, Rege Ægypti, auxilium petit, à Salmanassare obsessus est, qui vinctum misit in carcerem. Samariam cepit, Israëlitarum regnum perdidit, decemque tribus abduxit: transferens Israël in Assyrios. Consule Reg. *lib*. 4. *cap*. 17. & Joseph. *lib*. 9. *cap*. 15.

Hosea, fil. Beeri, primus ex 12. Prophetis min. è tribu Issachar, prophetavit sub Ozia, Joathan, Achaso, Ezechia, & Jeroboamo II. Israëlitisque rebellibus captivitatem prædixit, Capp. 14. Eum 100. annos quidam vixisse volunt. Hieronym. *in Prologo Gal.* & alibi. Epiphan. *de Vit. Proph.* Salianus & Torniel. *in Annal.* &c. In *Prophetiam* ejus extant, Brentii *Comment.* ut & Capitonis in octav. Argent. 1539. à Castro. Dounami *in cap*. 4. *pr*. Angl. quart. 1608. Fabricii conciones, quart. Bernæ 1623. Gesneri *Illustr.* octav. Witeb. 1601. Hieron. Guadal. *Comment.* quart. Brixiæ, 1604. Hussi *Comm.* ut & Krakevitzi, quart. Lambert. 8°. Francof. an. 1539.

an. 1539. Liveleji *Annotat.* octav. Londini 1587. Matthæus. Meisneri *Comment.* Merceri *Comm.* fol. Genevæ 1565. Molleri item. Oecolampadii *Annotationes,* Basil. 1535. Osorius. Polani *Partitiones, Theses & Analyses,* quart. Basileæ 1599. Rivetus. Ruffinius. Tarnovius, Theophylactus. Tremellius. Zanchius, &c. Vide Crovvæi *Elenchum.*

Hosius, Episcop. Cordubensis, vide *Osius.*

Hosius Stanislaus, Cracoviensis, Episc. Varmiensis Cardin. A Sigismundo I. ad Julium III. & Imperatorem, à Pio IV. ad Ferdinandum iterum, & Regem Bohemiæ, Concilii Tridentini continuandi ergò missus: ubi Sessioni 24. interesse noluit. Obiit Romæ an. 1579. æt. 76. Opera ejus in diversas linguas translata. Vide Morerium *Diction. Histor.*

Hospitius, vir quidam Nicensis, qui tam austeræ vitæ fuisse traditur, ut antro inclusus perpetuo cilicio carnem maceraret, & corpus catenis ferreis vinctum contineret. Volaterr.

Hosseja, vulgò *la Houssoje,* vicus Galliæ, in Briegio, confinioque Parisiorum & Meldorum, non longè à Mucra fluv. Nomen ei à copia aquifoliæ Gall. *du heux.*

Hostanus, unus ex comitibus Alexandri M. magus præstantissimus.

Hostasius, Ravennatum princeps fuit, qui à suis civibus relegatus est, quòd in otio, & ignaviâ torpesceret, publicæque administrationi esset ineptus.

Hostia, urbs Italiæ: cujus Episcopus fuit Lucius, postea Papa, de quo hoc Epigr. legitur,

Luca dedit lucem tibi, Luci, Pontificatum
Hostia, Papatum Roma, Verona mori.
Imo Verona dedit tibi verè vivere, Roma
Exilium, curas Hostia, Luca mori.

Cardinalis *Hostiensis,* primus est inter omnes Cardinales, & recèns electum Pontificem consecrare solet. Vide *Ostia.* Item puella, quam à se amatam Propertius *Cynthiam* vocavit.

Hostiai, vel *Hostiones,* pop. juxta Oceanum Occidentalem, quos Artemidorus *Cassinos* vocat. Steph.

Hosticus, nomen poëtæ. Lege *Hostius.*

Hostilia, oppidum amplum Venetiæ ad Padum in agro Mantuano. Tacitus. *Hostia* Leandro. *Ostiglia* etiamnum, medium inter Mantuam ad Occasum, & Ferrar. ad Ortum. Hinc 33. illinc 25. mill. distans.

Hostilina, Dea colebatur, cùm segetes novis aristis æquantur, ut Augustinus ait, quia *Hostire* Veteres æquare dixerunt, unde & *Hostimentum* & *Hostorium.*

Hostilius, Poëta Historicus, Annales carmine scripsit: è quibus Priscianus hunc versum citat:

Sæpe greges pecuum ex hibernis pastubu' pulsi.

An Comicus ille est, cujus Tertull. *in Apolog.* meminit? Vide *Perpenna, Tullus.*

Hostius, tempore Sallustii, historiam de bello Istriano versibus scripsit. Macrob. *Saturn. lib. 6. cap. 3.* Hunc Virgilius alicubi imitatus est. An pater Hostiæ, quam Propertius, sub nomine Cynthiæ, laudat?

Hostius Hostilius, vir bello strenuus, qui ob virtutem à Romulo frondeâ coronâ donatus est. Dionysius *lib. 3.*

Hostius Lucretius Tricipitinus, Consul unà cum L. Sergio, an. U. C. 327.

Hostorius Centurio, sub Numidio Quadrato, missus ad accipiendos Parthorum Regi datos obsides à Syriæ Præside. Tacitus *lib. 13. cap. 8.*

Hostunium, vulgò *Hostuni,* urbs parva prov. Hydruntinæ, 2. mill. ab ora maris Adriat. inter Brundusium ad Ort. & Monopolim ad Occas.

Hotham, filius Heber. Latinè *sigillum, signaculum,* sive *clausura.*

Hottingerus Joh. Henricus, Tigurinus, Philologus, & Theologus inter primos nostri seculi. Natus anno Chr. 1620. inter Majores suos habuit Nicolaum Hottingerum, primum à Reformatione, in Helvetia martyrem. Studiis maturè admotus, sub Joh. Jacobo Wolphio linguis operam dedit, artibusque, in quibus postquam felicissimè versatus est, ad altiora se applicuit. Ad exteros dein profectus, Genevæ primò Fridericum Spanhemium audiit: dein lustratâ Galliâ Belgioque, Groningæ Friderico Gomaro & Henrico Altingio præceptoribus usus est, anno Chr. 1639. Ibidem Matthiam Pasorem in Arabicis manuductorem habuit: inde Lugdunum Batavorum delatus Jacobum Golium Oriental. Lingg. peritissimum Magistrum nactus est: apud quem, commercio cum Turca quodam instituto, hujus quoque linguæ peritiam sibi conciliavit. Guilielmo postea Bosvvello ad aulam Ottomanicam ab Ordd. Fœd. Belgii legato comes destinatus, cùm in Patriam revocaretur, eò redire statuit. In Angliam ergo profectus Jacobo Usserio Archiepisc. Armachano, Johanni Seldeno & Pocokio innotuit. Inde in Galliam delatus, Lutetiæ Hugonem Grotium, Drelincurtium, Dallæum, Mestrezatium: Gabrielem etiam Sionitam Syrum & Marinum Marsennum Monachum Hebr. doctissimum, &c. vidit & coluit. In patriam reversus, anno Chr. 1642. Historiæ Ecclef. Anno Chr. 1643. Theol. Catecheticæ ac Lingg. Orientalium: Anno Chr. 1653. Artium & Theologiæ Vet. Test. atque Controversiarum Professionem nactus: tantam multijugæ eruditionis suæ Famam voce scriptisque in exteras oras sparsit, ut à Gallis, Germanis, Belgis, Anglis, Suecis, Danis, Italis per literas quotidie adiretur. Ipse Sereniss. Elect. Palatinus anno Chr. 1655. usuram ejus à Proceribus Tigurinæ Reipubl. petiit & impetravit, ad tempus: quo exacto, frustra ab Hassis, Amstelodamensibus, Bremensibus, aliis expetitus, rediit in Patriam, an. C. 1661. quam porro illustrare perrexit, donec à Curatoribus Acad. Lugduno-Batavæ vocatus, veniam eò discedendi ad annos aliquot à Magistratu Tigur. impetravit. Cui itineri dum se parat, in Limagi trajectu, undis mersus, obiit, anno Chr. 1667. *Fortissimus Religionis vindex, abyssus eruditionis & Literatorum facilè Princeps,* Heidegger. Scripsit innumera, inter quæ: *Hodegus, Thesaurus Philologicus seu Clavis S. Scripturæ; Historia Ecclef. Nov. Test. tom. 9. Grammatica Chaldaica & Syriaca linguæ Harmonica: Juris Hebræorum Leges: Collegium Sapientiæ Restitutum: Smegma Orientale: Promptuarium seu Bibliotheca Orientalis: Cippi Hebraici: Schola Carolina: Speculum Tigurinum: Primitiæ Heidelbergenses: Lexicon Harmonicum Pentaglotton: Bibliotheca Theologico-Historico-Critica, &c.* Eo nati Joh. Henricus anno Chr. 1647. ab anno Chr. 1670. Linguæ S. in Collegio Humanitatis Professor; Solomon anno Chr. 1649. qui Medicinam in Patria cum laude facit, & Joh. Jacobus Theologiæ Candidatus, qui omnes per tanti Parentis vestigia citatis passibus ad gloriam grassantur. Vide Johannem Henricum Heideggerum *in Histor. vita ejus & mortis:* Item *in Orat. Fun. &c.* In funestum Viri obitum, Amici τετράστιχον adjungere visum est:

In mare cuncta fluunt, verùm hic, mirabile dictu,
Æquor in exiguam nobile fluxit aquam.
Angustoq́ alveo se immensa inclusit abyssus,
Et totum heu! Limagus sorbuit Oceanum.

Hottomannus Franciscus, Parisiis natus, gente Silesius, Jurisconsultus insignis, dubiam Cujacio palmam fecit: Scriptis inclytus. Ob Religionis professionem, sub lanienæ Parisiensis, in Reformatos horribiliter desævientis, tempus, Basileam se recepit. Obiit ibi an. Chr. 1591. æt. 65. Vide Sanmarth. *Elog. lib. 4.*

Hovia Anna, virgo, familiari ministerio vitam tolerans, cum sororibus Rampardis, quibus Bruxellæ inserviebat, suspecta dissensionis circa Pontificum sanctiones, & in carcerem protrusa est, Anno Chr. 1597. Cumque illæ victæ aut minis aut precibus amicorum ac vitæ illecebris, imperitiam fatendo veniam meruissent, hæc una nihil moveri: modesto interim sermone obtestari, fœminam se & sexu & sorte extra turbas, ut ipsa crederet, rectè sentientem: Sin minus, erroris ream, cui par esset, ignosci: at illud scelus non hominibus, sed Deo vindicandum, si quis contra animi sententiam metu subactus, quamvis vera dicendo, mentiretur. Consultante Senatu, an judicium redderet, Albertus Archidux respondisse fertur, exercendas leges. Illud justius mireris, quòd tam acerbum, infestumque etiam spectantibus, supplicium placuit. Viva sub terram defossa est, auctores ejus sævitiæ pœnitentiam expectasse credibile est. Sed illa jam in specum descendens, inter mortem posita, & proritantes veniâ Sacerdotes, superfusam humum imperterrita, tantumque Deo supplex, accepit. Ea mulieris constantia magnâ Belgarum miseratione celebrata est; & pòst Albertus id genus crimina satis habuit, minis, aut si urgeretur, pœnis secretioribus compescere. Grotius *Hist. lib. 6. ad An. Chr.* 1597.

Hoya, vulgò *Hoy,* Insula Oceani Caledonii & Orcadum Meridionalior versus Picticum fretum. Vix 3. mill. à Mainlandia Insula in Austr. longa 8. lata 5. mill. Sunt in ea montes excelsi.

Hoya, vulgò *Hoye,* urbs Westphaliæ, ad Visurgim fluvium, Comitat. Hoyensis caput. Sub Duce Brunsuic. 2. leuc. à Ferda in Austr. 3. à Neoburgo in Bor.

Hozai, nomen Prophetæ. 2. Par. 33. Lat. *videns.*

Hoziel, i. e. *videns Deum,* fil. Semei. 1. Par. 23.

HR.

Hradium Reginæ, Germ. *Koningsgretz,* Boh. *Kralovvihrades,* urbs Bohemiæ ad Albim, Episcop. facta ab Alexandro VII. Vide *Reginogradecium.*

HU.

Hubaldus, Hucbaldus, vel *Hugbaldus,* Benedictinus: de Musica, cujus peritissimus erat, scripsit, ut & Poëma 300. versuum, in laudem Caroli Calvi, in quibus omnes voces à C. incipiunt: Orditur,

Carmina clarisonæ calvis cantate Camœnæ, &c.

Obiit anno 930. Reliquit etiam vitas variorum SS. Sigebert. *in Chron. & in Cat. c.* 108. Simlerus, Vossius, &c. In monumento Milonis, patrui & præceptoris sepultus.

Huben, castellum olim Galliæ, in agro Nivernensi, nunc ferè vicus, *Tban* vulgò, non longè ab amne, qui in Icaunam decurrit.

Hubertinus de Casali, Franciscanus, scripsit in Apocalypsin, de 7. statibus Ecclesiæ. Item, Arborem vitæ crucifixæ. Trithem. Petrejus *Bibl. Carthus.*

Huberti-

Hubertinus Crescentinus, in Valerium M. & Epist. familiares Ciceronis commentatus est, an. 1470.

Hubertinus Pusculus, de Obsidione Constantinopolitana, scripsit. Cuspin. *in Imperat.*

Hubertus Leonhardus, Germanus Carthus. Theologiam Parisiis docuit, dein Episc. & Inquisitor, præter alia, Genealogiam de nobilibus Gallis, scripsit, an. 1490. Gesn. *in Bibl.* Voss. *de H. L. lib.* 3. *c.* 6. &c.

Hubertus Folieta, Italus Presbyter, auctor historiæ Genuensis, Stylo & eloquio inclytus. an. 1581.

Hubertus Gisphanius, JC. Germanus, scriptis celebris. Quenstedt. *de patr. Doct. p.* 131.

Hucuca, civitas in tribu Nephthali. Jos. 19. Lat. *sculptura*, vel *præceptum*, aut *legislatio.*

Hucumbra, vici nomen apud Marcellinum, *Zumbra* Zosimo, qui eum inter duo oppida collocat, quorum nomina sunt *Nisbara* & *Mischanabe*, quæ Tigris dividit.

Hudsonii sinus peramplus Americæ Sept. versus terras Arcticas, ab Henr. Hudsonio detectus an. 1612. Maximè in Austr. tendit versus Novam Franciam, *Hudson Bay* Anglis. Sic

Hudsonium fretum, *Destroit de Hudson*, Gall. *Straet of Hudson* Angl. in Amer. Sept. oblongum & satis latum, inter terras Arcticas ad Bor. & Estotilandiam ad Austr.

Hudvicsvaldum, urbs Helsingiæ, in Suecia, ad Bothnicum sin. in littore, versus Medelpadiam prov. Vulgò *Hudvvicsvvald.*

Huena, vulgò *Ween*, Ins. parva Sundici freti, media inter Scaniam & Zelandiam Ins. à qua pendet. Ibi *Vranoburgus* arx excitata à Tychone Brahe, percelebri Mathematico, sub Christiano IV. Rege.

Reges varii.

Hugo, dictus *Abbas*, *Albus* vel *Magnus*, Dux Franciæ & Burgundiæ, Comes Parisiorum, &c. fil. Roberti III. Regis, ex Beatrice Veromandua, sine sceptro regnavit an. 20. filius R. pater R. patruus R. & trium Regum affinis. Obiit an. 956. filiorum curâ Richardo I. Normanniæ D. commissâ. Ex filia Ottonis R. pater Hugonis Capeti, Ottonis, Eudis & Henrici, Burg. Ducum, Morerius *Diction.*

Hugo, cognomento *Capetus*, ex Parisiensium Comitum familiâ, Francorum regnum occupavit. Fil. Hugonis M. ex posteris Pipini M. per Comitem Childebrandum, sicut illi à Clodoveo, per fœminas, origo. Sed & uxor Roberti III. ex Caroli M. sanguine, & mater ejus Adelais, uxor Roberti fortis, fil. Ludovici Pii fuit. Mortuo patre quindecennis, triennio pòst in exercitibus comparuit, prudentiâ & fortitudine inclytus. Proin Ludovico filio Lotharii sublato, Rex proclamatus est, Novioduni, Remisque coronatus an. 987. Præterito Carolo I. Lotharingiæ D. fil. Ludovici IV. *Ultramarini*, quòd Germanis addictior esset. Qui cùm jus suum armis tueretur, ab Hugone captus Aurelianum missus est: Sic *tertium stemma in solio locatum*, Anno 988. succedente nihilominus in Lotharingia Caroli filio Ottone. Rebus regni pacatis, & Arnolpho notho Lotharii, Arch. Remensi summoto, sexto pòst mense Robertum fil. in consortium regni ascivit. Obiit an. 997. æt. 57. *Ecclesiæ defensor & Status Restaurator* dictus. Vid. Morerium *Diction. histor.*

Hugo, Comes & Marchio Provinciæ, Rex Arelatensis primò, dein Italiæ, fil. Theobaldi ex Bertha, filia Lotharii Lotharingiæ R. Rodolpho oppositus, eo pulso, an. 926. Saracenis bellum movit. Pòst an. 20. regni, à Manasse Arch. Arelatensi Berengario II. proditus, in Provinciam rediit, an. 946. Maroziâ fratris filiâ ductâ, & duobus fratribus excæcatis infamis. Obiit an. 947. Lotharius fil. in regno Italiæ successit. Luitpr. *l.* 4. & 5. Leo Ostiens. *lib.* 1. Flodoard. *in Chron.* Bouch. *Hist. Prov. l.* 6.

Hugo Magnus, fil. Roberti R. patre vivente coronatus, Anno Chr. 1017. Obiit Anno 1026. Item, caput secundæ familiæ Comitum Veromanduorum, fil. Henrici I. Gall. R. In prima & secundâ expeditione sacra copiarum Dux. Ab Imperatore Græco, cum reliquis, proditus, vulnere accepto obiit Tarsi, Anno Chr. 1102. æt. 45.

Hugo, *I.* Lusignanus, Cypri rex. Blondus 10. 2. Obiit an. 1218. Ex Adelaide, fil. Henrici II. Campaniæ Com. pater Henrici successoris, &c.

Hugo II. fil. Henrici I. Obiit an. æt. 14. Successit

Hugo III. fil. Henrici Pictaviensis, Princ. Antiochiæ. Rex Hierosolymæ coronatus Tyri, an. 1269. ibi obiit an. 1284. Ex Isabella fil. Guidonis, Connestabilis Cyprii, numerosæ prolis parens. Sanut. *l.* 3. *Par.* 12. *c.* 18. & 19.

Principes & Viri clari.

Hugo I. Burgundiæ D. fil. Henrici, successit avo Roberto, tertio filio Roberti R. Monachum se fecit. Obiit An. 1092.

Hugo II. dictus Pacificus, fil. Eudis I. Obiit Anno 1142. ex Mathilde, fil. Bosonis I. Vicecomitis Turenii, numerosâ prole susceptâ.

Hugo III. fil. Eudis II. Tyri obiit, an. 1192.

Hugo IV. fil. Eudis III. obiit an. 1272.

Hugo, nothus Lotharii R. ex Valdrada, Normannos in Galliam vocavit: à Carolo Crasso, oculis orbatus, an. 885. & in monasterium S. Galli detrusus. Obiit tempore Zuindeboldi, in monast. Prumiensi. Regino.

Hugo, Archiepisc. Lugdunensis, floruit sec. 11.

Hugo de Brajeselve, priscus Poëta Gallus, fabularum aliquot auctor.

Hugo de S. Cæsario, Ludovico II. R. Neap. gratus. Nostradamus, *de Poët. Prov.*

Hugo Cameracensis, auctor historiæ fabulosæ, *la male honte*, contra Henricum Angliæ R.

Hugo Campo Fleuriacensis, Episc. Suessionum, Cancellarius Ludovici Jun. Celebre in historiis nomen. Otto Frising. *l.* 1. *c.* 51. Freherus *Sylloge p.* 303. & 308.

Hugo de S. Charo, vel *de S. Theodorico*, Provincialis, vel, ut alii accuratius, ex Barcinoneta, oppido Delphinatus, in valle, quæ ad Ebrodunum spectat, oriundus: Aliis tamen in opp. S. Charinatus, primus Cardin. Ordinis Dominicani, tit. S. Sabinæ, Anno Chr. 1244. Auctor Concordantiæ Biblicæ, ad quam conficiendam 500. fratres adhibuit. Hinc Eutalio Monacho Rhodio, in græca, & Isaaco Nathani, in Hebræa L. idem faciendi occasio. Obiit Lugduni, an. 1260. Vid. Morerium *Diction. histor.* Opera ejus fol. Basileæ A. C. 1498. 7. tom. fol. Venetiis An. C. 1600. 8. tomis fol. Coloniæ Agr. A. C. 1621. prodierunt. Vir fuit *morum sanctitate & literarum copiâ insignis*, Sixt. Sen.

Hugo Cluniacensis, scripsit sec. 12. vitam Hugonis I. Abbatis. Petrus Damian. *lib.* 2. *epist.* 4. & 16. Godofr. Vindocinus, *lib.* 4. *ep.* 1. Sigebertus, Aimonius, Vincentius Bellov. Fuerunt alii 5. hujus nominis Abbates Cluniacenses.

Hugo Etherianus, Tuscus sec. 12. Manueli Comneno gratus. Scripsit de Processione Spir. S. contra Græcos. Item, de Anima corpore exuta. Trithem. & Bellarminus *de Script. Eccl.* Genebr. *in Chron.*

Hugo Falcandus, Historicus Siculus, sub Friderico Barb.

Hugo Farsitus, Asceticа quædam scripsit, an. 1120.

Hugo Flavinius, Abbas, auctor Chronici, à N. C. usque ad annum 1102.

Hugo Fleuriacensis, auctor Chronici libb. 6.

Hugo de Flore, auctor vitæ S. Ivettæ.

Hugo Folieta, Auctor celebris, sec. 12. Trithem.

Hugo Hibernus, inter alia, scripsit Itinerarium, sub Eduardo III.

Hugo Lingonensis Episc. depositus Concilio Remensi, à Leone IX. Anno 1049. Scripsit de corpore & sanguine J. C. ad Berengarium, & vitam Victoris, metro. Obiit an. 1060.

Hugo Loubenius, Gallus, M. Melitensis M. & Cardin. rebus bello gestis inclytus. A' Sixto V. jus coronam Princ. in insignibus gestandi accepit. Obiit Anno 1595. Frizo *Gall. Purp.* Histor. Melitensis.

Hugo Metellus, Canonicus S. Augustini, eruditione celebris. Sec. 12.

Hugo Novantus, Normannus, Episc. Lisfeld. in Anglia, Anno 1190. scripsit historiam memorabilem, de casu Guilielmi Longchampii, Cancellarii Richardi R. Obiit an. 1198.

Hugo de Paganis, unus ex illis, qui Ordinem Templariorum orsi sunt. an. 1118. Guil. Tyr. *l.* 12. *c.* 7.

Hugo de Portu Gallo, Episc. unus ex auctoribus historiæ Compostellanæ. Vasæus, *in Chron. Hisp.*

Hugo Rohanius, vel *Ambianus*, Arch. Rotomagensis. Scripsit Quæstiones diversas, de hæresibus in Armorica ortis, &c.

Hugo Sempelius, Scotus, auctor libb. 12. *de Mathematicis Disciplinis.*

Hugo Senensis, cognom. de Benciis, Medicus celebris, Anno Chr. 1430.

Hugo de S. Victore, Saxo, Theologus inter suos clarissimus. Obiit Anno 1130. Scripta ejus habentur 3. tomis fol. Bernh. *ep.* 77. Henricus Gandav. *cap.* 25. Trithemius. *Vir divinarum & humanarum literarum exquisitâ eruditione clarissimus*, Sixto Sen. *velut alter Augustinus* Trithem. & Labbeo.

Viri clari.

Hugolinus, dictus Malabranca, Urbe vetere oriundus Patr. Constantinop. an. 1290. scripsit, inter alia, in Magistrum sententiarum. Trithem. *in Cat.* Pamphilus, *in Chron. Ord. Eremit.* Item, JC. celebris, sec. 12. Johann. Fichard. *in vitis Jurecons. recent. pag.* 226.

Hugolinus Verrinus, Florentinus, Michaëlis Verrini, Poëtæ castissimi, pater, qui obiit, an. æt. 17. Petrus Crinitus discipulus ejus fuit. Scripsit Poëma 3. libb. *de illustratione Florentiæ*, &c. Vossius *de H. L. pag.* 626.

Hugones, qui regem Angliæ malis imbuerunt moribus, à Principibus pulsi sunt, quos rex ab exilio revocavit, regnoque præfecit, An. Dom. 1321.

Hugonota, vulgò *les Huguenots*, nomen Reformatis, in Gallia, tribui solitum. Quidam id à porta Hugonis, in Turonum urbe

urbe, prope quam primò cœtus habuerunt: aut à Rege Hugone, spectro in illa urbe notissimo, cùm, ob inimicorum insidias, noctu convenirent: Alii è verbis *Huc nos venimus*, quibus Deputati eorum aliquando, vel Germani ejusdem confessionis, ob religionem in Gallia examinati, usi erant, ortum credunt. De horum causa quid judicandum, vel ex eo patet, quòd Dinotus, *Hist. Gall.* memorat, in civilibus bellis, à quodam hostium globo, Bibliorum codicem hastæ affixum, & aliquandiu ignominiosè circumlatum fuisse, cum hoc prosphonemate: *Veritas Hugonotarum!* Historia paulò altius repetita hæc est: Dissidia intestina, quæ Galliam præt. sec. Religionis seu causâ, seu obtentu exercuere, cœperunt: Ligâ Sacrâ primò in extirpandos Protestantes conditâ, cujus quidem initia sub Francisco I. & Henrico II. sumta, circa A. C. 1565. interveniente verò Philippo II. Hispaniæ R. complementum additum est, Vid. Thuanum *Histor. libr.* 37. Ex eo tempore Factionum nomina orta, ut hinc Catholici, isthinc *Hugonotæ* vocarentur, quæ tamen Carolus IX. publico edicto prohibuit, A. C. 1567. Idem *l.* 38. Accesserunt dein alia nomina, his Politicorum, illis Zelotarum, cùm Pontificii causam hanc Religionis in civilem transformarent, & tenore fœderis sui se Regiis partibus opponerent, Vid. Eund. *libb.* 40. 45. 52. *ad A. C.* 1568. Atque ex his principiis enata Protestantium bella sunt, quorum non alius finis, quàm, ut in regno tutò consisterent, liberoque Religionis suæ usu fruerentur. Quibus tandem, post varias pacificationes & illusiones, *Edicto Nannetico* ab Henrico IV. cautum est, A. C. 1598. quo non solùm illis liberum Religionis exercitium indultum, sed & ii ad honores ex æquo admissi sunt. Quod cùm adversarii ægrè ferrent, insigni his oratione Rex satisfecit, Lazario Coquerello, Senatore doctissimo, facundè exemplis ex antiquitate petitis, factum Regis probante, Thuan. *lib.* 122. Porro majoris securitatis ergò oppida aliqua ad 8. annos ipsis concessa sunt, ad quorum præsidia alenda 180000. coronatorum quotannis Rex pollicitus est. Ab eo tempore tranquillè vixerunt Reformati, usque ad mediam ætatem Ludovici XIII. cujus auspiciis Rupellam, fortissimum eorum munimentum, expugnavit Cardinalis Richelius, *au despit des trois Rois*, ut ille jactare solebat: sicque sub specie *Hugonotarum* opprimendorum, Monarchiam Gallicam stabilivit. Post quæ pax insperatò Reformatis obtigit, & est hodieque aliqua Edicto firmitas, sed quam novis indies technis imminutum eunt Religionis hostes, allegantes varias rationes, ut: quòd pacto perpetuo firmatum non sit, quòd in leges Regni publicas non sit receptum, &c. Vid. Irenæum Eubulum *de Pace perpetua Protestantibus danda, pag.* 105. & supra in voce *Geusii.*

Huguitio Fagiolanus, Pisanorum dux. A. D. 1314.

Hujonum, aliter *Huum* & *Huyum*. Vid. ibi.

Hul, Lat. *dolor*, vel *infirmitas*, sive *arena*, vel *præstolatio*, aut *obstetricatio*. Filius Aram, Gen. 10.

Huldericus, dux Wirtembergensis, ex avito Ducatu pulsus est, An. Dom. 1519.

Huldericus, Vid. *Ulricus.*

Hullum, vulgò *Hull*, antea *Petuaria*, urbs probè munita Angliæ, in prov. Eboracensi, ad Abi fluv. ostia, ubi recipit Hullum amnem. Cum armamentario instructissimo. Hæc prima contra Carolum I. rebellavit, ultimis motibus.

Hulstum, urbs parva sed probè munita Flandriæ, Vasiæ tractus caput. Sub Hollandis ab an. 1645. 4. leuc. ab Antverpia in Occ. 1. cum dimid. ab Axela in Ort. 4. à Gandavo in Cæc.

Huma sive *Uma*, opp. Sueciæ, ad ostia fluv. cognom. in Bothnia Occ. prope sinum Bothn. Hinc tractus adjacens *Uma Lapmark*; Estque pars Lapponiæ Suecicæ.

Humana, nomen civitatis. Blondus 10. 1. In Piceno, nunc *Humana rouinata*, cujus tantùm rudera supersunt, in ora maris Adr. vix 6. mill. à Laureto in Bor. Anconam versus.

Delphini Viennenses.

Humbertus I. Delphinus Viennensis, bello contra Sabaudiæ D. clarus, gratus Principibus, pietate inclytus. Maritus Annæ Delphinæ, fil. Guidonis XI. ipse ex Turriorum familia. Obiit Anno 1307. Guicheno & Paradinus, *Hist. Sab.* Chenius *Histor. Delphin.* Chorer. *Hist. Delph l. 6. t. 2.*

Humbertus II. Delphinus, successit Guidoni XII. Anno 1333. fil. prioris. Huic cùm filius infans ludenti ad fenestram è manibus decidisset, Isarâ mersus, Duxque ipse expeditionis sacræ in Græciam profectus esset, inde reversus, Delphinatum Philippo Valesio R. dono dedit, Anno 1343. eâ lege, an. 1349. ut primogenitus Galliæ Regum titulum hunc gereret. Obiit Claromonte, in Arvernia, Anno 1354. Prior Jacobinorum Lutetiæ, & Administrator Arch. Remensis. Carolus Regis nepos ei successit. Iidem.

Comites Sabaudiæ.

Humbertus I. Comes Maurianensis vallis, & Sabaudiæ, caput familiæ Sabaudicæ hodie regnantis. Ex posteris Beroldi Saxonis, è Witikindæa familia. Conrado Imp. contra Principem Campaniæ, præstò fuit. Obiit an. 1048. Paradinus & Guicheno, *Hist. Sabaudicæ.*

Humbertus II. Amadeo I. Patri successit, an. 1095. ditiones insigniter auxit. Expeditione sacra defunctus, Obiit Anno 1103. Maritus Gislæ Burgundicæ.

Humbertus III. cognom. *Sanctus*, Amadeo III. Patri, in Cypro mortuo, successit. Contra Delphinos bellum gessit, Fridericum I. Barb. Alexandro III. adhærens, infensum habuit. Obiit an. 1188. Guicheno *hist. Sab.*

Viri Illustres.

Humbertus Cardin. à Leone IX. Constantinopolim missus, varia scripsit contra Græcos. Formulam ejurationis, Berengario obtrusam, in Concilio Rom. sub Nicolao II. Anno 1059. condidisse fertur. Lanfranc. *in lib. de C. & S. D.* Sigebertus, *cap.* 150. *de Viris Ill.* Trithemius, &c. Item, 5. Gen. Dominicanorum, Delphinas, Obiit an. 1276. Scripsit Sermones, *de variis argumentis*, *Epistolam de* 3. *votis*, *Instit. Spiritualium libb.* 6. *Expositionem regulæ S. Aug.* Michaël Pius. *de V. I. Ord. Præd. lib.* 5. Leand. Alberti *l.* 1. Chorer. *hist. Delphin.* &c.

Humfredus, Northmannus, Drogoni fratri in Apuliæ comitatu successit. A. D. 1041. Blondus.

Humfredus, Glocestriæ dux, vir militiâ clarus, Angliæ Regens, noctu à conjuratis in Buriensi cœnobio laqueo strangulatus est. A. D. 1447.

Humiliati, Congregatio religiosa, in Commun. Romana, à Nobilibus quibusdam Mediol. postquam è captivitate Conradi, vel, ut alii malunt, Friderici I. Imp. rediissent, instituta. Sub Pio V. abolita, ob luxum, & sævitiam. Abbas Ursperg. *in Chron.* Thuan. *l.* 50. Morerius *Diction.*

Humolariæ, postea *Humbleriæ*, vulgò *Homblieres*, locus & à loco Cœnobium in Episcopatu Noviomagensi: memoratur *in l. de mir. S. Bernardi.* Henricus Abbas *Humolartensis*, interfuit coronationi Philippi, Henrici filii, A. C. 1059. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Hundredus, & *um*, vox Sax. à Germ. *Hunderd*, i. e. centum: Lat. *Centena*, *Centuria*, *Centenariatus*: Saxon aliter *Wapentachium*: Cambro-Britannis *Cantreda*, portio est Comitatus in Anglia, quâ olim degebant centum pacis Regiæ fidejussores; uti Decuria, quâ decem: Origo ab Alvredo R. à quo tota Anglia divisa legitur in Comitatus, Comitatus, pro locorum varietate, in Trithingas, Rapas, & Lathas: quæ iterum in Hundreda seu Wapentachia, atque ista denuo in Decurias & Friborgas. Divisiones tamen nusquam æquæ, nec partium ubique certa quantitas: unde & *Hundredum* unum duplo, triplo, quadruplo aliud superat. Fidejussores isti *Hundredarii* dicti, juxta Latinum *Centuriones* & *Centenarii*, de litibus mediis in Centuriatu suo cognoscebant & judicabant, sicut Centenarii illi apud Tacitum & Ovidium judices. Leves enim à Decurionibus in suis Decuriis: difficiles à Comitatu terminabantur. His præerat *Dominus Hundredi*, Centurio κατ' ἐξοχὴν *Centgravius*, qui tanquam Vicarius Comitis aut Vicecomitis Hundredum rexit; inde varia auxilia, tributa aliasque præstationes, cùm ad utilitatem, tum ad voluptatem, recipiens: Cererem inprimis & frumentum, ad aleandos venaticos canes, cujus hodie nomine, annuum pendi tributum pecuniarium solet. Hoc autem ideo concessum primò, ut lupos, vulpes, taxos, infestaque Reip. animalia perderet & arceret. Plura in hanc rem Vide apud Henricum Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Hunericus, quasi *Hun-reich*, i. Centuriis dives, Arianus, Vandalorum in Africa Rex, post patrem Gensericum, Anno 476. Maritus Eudoxiæ, filiæ Valentiniani, in Christianos supra Patrem sævus. Obiit an. regni 8. à vermibus corrosus, Victor Utic. *de Persec. Vand. libr.* 3. Jornandes *in Longob.* eum eodem cum Arrio mortis genere periisse tradit. V. & Gregor. Turon. *Histor. lib.* 2. *c.* 3. Isidorum, Procopium, &c.

Hungari, nobilis & bellicosa natio, ab Ugris originem ducunt; Historia sic habet. Hunnorum nomen sub Valentiniano primùm in Europa innotuit. Complectebatur hæc gens Scythica multas alias nationes, Turcas inprimis, Tartaros, Avares, Alanosque & prima ab illis in Europam Attilâ Duce expeditio suscepta est, quâ Pannoniam occuparunt, ac toti Occidenti exitium minabantur, nisi vim eorum Ætius in campis Catalaunicis ac postea Aquilejæ obsidio fregisset. Passim tamen hujus suæ expeditionis reliquere vestigia, velut sunt *Huningen*, vicus Suntgojæ, Basileâ vix semihorio distans, ad Vosegum & Mosellam tractus *Hundsruck*, *Castelbun*, *Hunoldstein*, *Huntheim*, *Hunenborn*, *Hundsrode*, Germaniæ loca. Eorundem reliquiæ feruntur *Szekelyi*, seu Siculi in Hungaria, quod nomen reliquias significare videtur quibusdam, Nadayno *Flor. Hungar. cap.* 12. fixum locum id denotare asserente. Alia migratio Avarum seu nomine, seu admixtâ virtute suscepta fuit Chagano Duce, temporibus Justiniani, Justini, Tiberii, Mauritii: quos ex parte cum Bajoariis coaluisse, indeque nomen *Bavarorum* emersisse volunt, cæteris itidem partim deletis, partim in aliud nomen transeuntibus. Iterum nova migratio instituta, tempore Arnolphi Imp. circa An. Chr. 888. erumpentibus in Pannoniam ex ultimo Septentrione *Juhuris* seu *Juguris* seu *Ugris*, qui soli sui sterilitate pressi no-

vas se-

vas sedes toto orbe quærebant. Hi in Pannoniam delati hodiernis *Hungaris* originem præbuere: non quòd alia natio fuerit à priscis istis Hunnis & Avaribus, id enim linguæ Siculi cum Hungarica affinitas clarè redarguit: Sed quia in feliciora tempora inciderunt, & firmiùs quàm Antecessores ipsorum radicari potuerunt. Cæterùm *Hungarorum* nomen, à prima usque expeditione notum fuit. Unde Amm. Marcellinus recenset *Ungorios*, Agathias *Onogoros*, & Eginhardus *in Vita Caroli M. Ungros*, *Ugros*, &c. De *Jugria*, seu *Jugoria* & *Juguris*, in Borealissimis Sarmatiæ Eur. & Russiæ partibus sitis, quàm planè iidem cum Hungaris sint, agit Sigism. Baro Herberstenius, præter M. Gaguinum, Guil. de Rubruquis & Planocarpum *in Itiner. Tartar.* &c. Linguâ utuntur propriâ, quæ una ex matricibus minoribus Europæ linguis: incolæ tamen Borealis regni partis, inter Danubium & Tibiscum, Jazygicâ utuntur, quæ ab Hungarica prorsus differt. Vid. infra in vocibus *Hungaria*, *Hunni*, *Ugri*, & *Ungari*.

Hungaria, vulgò *Ongaria*, Ital. provincia Europæ, Pannoniam cis Danubium, & Iazyges trans Danubium complectens, regnum amplum, inter Austriam, Stiriam, & Moraviam ad Occasum, Serviam ad Ortum, Illyricum ad Meridiem, Poloniam que ad Septentriones contentum: cujus maxima pars à Turcis occupatur; Rege, qui ex familia Austriaca est, Jaurinum, Possonium, Vesprinium, Tirnaviam, Nytriam, Cassoviam, Varadinum, ex urbibus possidente. In ea Buda regia, metropoles 2. Strigonium & Colocia, Episcopatus 8. Ferr. Baudrando *Hungaria* regnum est Europæ satis amplum, quod vulgò indigenis *Magiar* dicitur, *Wegierska* Slavis, *Hungerland* Germanis, *Hongrie* Gallis, *Ongaria* Hispanis & Italis. Olim à Ponto Euxino ad Austriam, & à Polonia ad mare Adriat. se extendit. Hodie habet à Septentrione Poloniam superiorem & Russiam nigram, ab Oriente Transylvaniam; ab Occidente Moraviam, Austriam, & Stiriam, & à Meridie Croatiam, Bosniam, & Serviam, à quibus separatur Savo fluvio, uti à Polonia Carpatho monte. Sale nativo & minerali abundat: habet etiam thermas seu aquas medicatas, & alias admirabiles, ut sunt illæ quæ in Zepusiensi agro nonnullis in locis reperiuntur, in quibus ligna injecta lapide seu cortice obducuntur & eodem in loco ad ædem D. Martini erumpit aqua, bullienti similis, quæ tam supra quàm subtus terram lapidescit, qui lapides levitate & raritate pumicibus non sunt dissimiles. Et in Comit. Zoliensi hiatus terræ famosus extat, ob pestilentes expirationes, quibus aves supervolantes necat, nam inaccessibilis est is locus, & volatilibus solùm patens. Ad oppidum Smolinciam, intra montes, aqua emanat in foveas, in qua ferrum impositum in limum seu lutum pauco tempore vertitur, quod quidem eliquatum, cuprum est optimum. Wernerus *de admir. Hung. Aquis*, addit: fontes ibi reperiri lethiferos, quorum aqua, cum luna crescat & decrescat, donec illâ plenâ planè se subducat; tantamque in fluviis quibusdam piscium vim, ut unico aureo mille carpiones veneant: Unde de Tibisco accolæ dicere soliti, *duas ejus partes esse aquas*, *tertiam piscem*. Generosi ibidem vini, Tockajensis præcipuè & Sermiensis, ingens proventus: Auri copia non contemnenda: rei pecuariæ tanta felicitas, ut solam Viennam octoginta millia boum quotannis inde ducantur. Fertilitas soli tanta, ut totius Europæ horreum dici mereatur. In Carpathiis montibus equi sylvestres errant, qui à tempore Belæ IV. cùm Tartari toto triennio regnum desolassent, ibi visi sunt, cicuribus equis tunc sine dominis hinc inde vagantibus & tandem efferatis. Cæterùm aër peregrinis noxius est ac insalubris, unde & castra ultra mensem non possunt sine periculo in eodem loco retineri. Incolæ, Nobiles inprimis, magnifici sunt, equis, venationi, conviviis plus æquo dediti: tota gens militaris, libertatisque amans, sed in sævitiam, aliorum contemtum, vindictæ cupiditatem, intestina dissidia nimiùm proclivis. Primos in Hungaria progressus Julius Cæsar fecit, quem alii dein Duces secuti sunt. Gothi dein, sub tempora declinantis Imperii, illic rerum potiti sunt, pulsi ab Hunnis & Longobardis, quos Hunni iterum exegerunt. Horum tres in Europam expeditiones, de quibus aliquid suprà in voce *Hungari*, notæ sunt: in quarum prima Attila, secundâ Chaganus, tertiâ circa Arnulphi Imp. tempora Almus supremus septem Ducum, tum Cussales, Dursachus Bugothus inclaruerunt. Geysa demum circa A. C. 980. susceptâ religione Christianâ, ad eandemque perducta sua gente celebris fuit. Hujus fil. Stephanus, coronâ Regiâ primùm à Pontifice donatus est, cruce insuper duplicatâ, quæ hodienum in insignibus Hungaricis. Inde continuata est Regum series, usque ad Ludovicum M. cujus filia Maria, Regni hæres, Sigismundo Luxemburgico Imper. nupsit. Verùm cùm muliebre imperium generosa gens fastidiret, vocarunt Carolum Dyrrhachinum Neapol. Regem, quo tempore Stephanus Transylvaniæ Princeps Bajazethis I. Imper. Turc. auxilium respexit, circa A. C. 1394. Hinc lerna malorum, quæ gentem illam, ad nostra ferè tempora, exercent: inprimis à quo Ladislaus Poloniæ Ungariæque R. induciis, quas cum Amurathe initas sanctè juraverat, suasu Juliani Cardin. violatis A. C. 1444. ad Varnam ingenti clade fractus occubuit. Ab eo enim tempore Hungaria internecini belli theatrum fuit, maximaque parte in prædam Turcis cessit; quamvis Matthias Corvinus, fil. Joh. Hunniadis mallei Turcarum, ad regnum evectus, satis strenuè rem gesserit. Ei extincto an. 1485. Uladislaus Bohemus successit: qui pacem cum Turca initam, iterum, Varnæ immemor, impulsu Thomæ Cardinalis Strigoniensis, qui indulgentiis liberaliter propositis omnem plebem concitaverat, rupit, circa A. C. 1514. Hunc mortuum A. C. 1516. excepit fil. Ludovicus decennis, qui prælio Mohaczensi, duce Monacho Franciscano Tomoræo, infelicissimè cum Turcis inito A. C. 1526. occubuit. Tum Ferdinandus, Caroli V. frater, postea Imperator, qui Annam Ludovici sororem conjugem habebat, uxorio jure, & Bohemiam & Hungariam sibi vindicavit. Johannem Vaivodam Transylvaniæ contra se electum vicit & expulit, à Turcis, quorum opem Johannis vidua imploraverat, infestatus. Dalmatia & Croatia *Hungariæ* accessere, sub Edomiro, Dalmatarum R. cui uxor erat Ladislai soror. Hic enim sine prole cùm esset, moriens regnum conjugi legavit, quæ illo postea fratri posterisque ejus addicto, jussit Croatiam Dalmatiamque in posterum Hungarici juris esse. Vid. infra. A' quo sub Austriacis Hungaria est, aliquoties ejus cum Imperio Germ. unio tentata est, sed successu res caruit, imo ob morum animorumque diversitatem, non è re Imperii illam fore, credunt eruditi. Religio in regno triplex Reformata, Lutherana, quæ ambæ ab aliquot annis multum ibi passæ, & Pontificia viget. Præterea Socinianorum, Arrianorumque ibi non exiguus numerus: quâ parte Luna dominatur, Mahometismus sævit. Olim numerabantur in Hungaria 73. Comitatus seu provinciæ Hung. *Ispan*, Germ. *Span*, unde nomen *der Ungarischen Spannschaften*, qui postea ad 54. contracti sunt. Illius Reges eliguntur in Dietis regni. Verùm à centum quinquaginta annis maxima ejus pars subest dominio Turcarum, nempe pars quæ magis ad Austrum tendit, cum Buda regni primaria; minor verò portio ad Boream subest dominio Regis, qui in præsentia est Imperator: sed urbes Hungariæ superioris versùs fontes Tibisci & Poloniam, gubernantur à Magistratibus eodem modo ferè quo civitates liberæ Germaniæ. In statibus Hungariæ eminent Archiepiscopus Strigoniensis, qui simul Legatus Natus Sedis Rom. & juxta eum Arch. Coloczensis. Vice-Rex peculiari nomine *Palatini* insignitur, ad imitationem Vet. Com. Castrensis S. Palatii, quem Græci *Curopalatam* dixere: cui simile est cognomen *Banni*, in Dalmatia, Croatia & Sclavonia: *Flammularis* Græcorum & *Sanzar Begi* Turcarum. Vid. Scriptores rerum Hungar. *ex recensione Johannis Sambuci Francof.* 1581. *fol.* Ant. Bonfinium, *in Decad. regni Hung.* Mich. Ritium *de Regibus Hung. lib.* 2. Abrah. Bakschay *Chronol. Hung.* Joh. Heroldum *Chronol. Pannoniæ*, Joh. de Thurotz *Chron. Hungar.* Joh. Nadayni *Flor. Hung.* Nic. Isthuanfi *Hist. de reb. Hung. libr.* 34. Petr. Revvam, *Descr. Hung.* Martinum Zellerum *Descr. Hungar.* auctâ à Joh. Beza, Steph. Werbenzium *de Jure Consuetudinario Hung.* præter Æneam Sylvium, postea Pium II. Petrum Randanum, Melchiorem Sorrerum, Ciacconium, Stuartum, Rogerium, Thevet. & Paul. Jovium *in Matth. Corvino & Huniade*, S. Antoninum, Blondum, Davity, Ortelium, Maginum, Boissardum, Volaterranum, du May *disc. de la guer. de Hong.* Szenkelii *Chr. Lexic. Geogr.* Conringium *de finibus Imp.* Thuan. Lætum, &c. Item suprà in voce *Hungari*, & infrà in *Pannonia*. De urbibus Hungariæ præcipuis vide, in voce *Pannonia*.

Comitatus seu provinciæ Hungariæ.

Abanvivariensis, *d'Abanvivar*, sub Austriacis.
Albensis, *d'Ekekes Feyervar*, sub Turcis.
Arvensis, *d'Arva*, sub Austriacis.
Barsiensis, *de Bars*, sub Turcis.
Barzodiensis, *de Barzod*, sub Turcis.
Bathiensis, *de Bath*, sub Turcis.
Bihoriensis, *de Debreczin*, sub Turcis.
Bistriciensis, *de Bistricz*, sub Austriacis.
Bodrogensis, *de Bodrogh*, sub Turcis.
Castriferrensis, *de Sarvvar*, sub Austriacis.
Cepusiensis, *de Czepuss*, sub Austriacis.
Chonadiensis, *de Chonad*, sub Turcis.
Comariensis, *de Komara*, sub Austriacis.
Gevinariensis, *de Gevvinar*, sub Austriacis.
Hevvesensis, *de Hevvecz*, sub Turcis.
Hontensis, *de Sag*, sub Turcis.
Iavariensis, *de Gevver*, sub Austriacis.
Liptoviensis, *de Lypcze*, sub Austriacis.
Moramarusiensis, *de Moramaruss*, sub Austriacis.
Musoniensis, *de Muzon*, sub Austriacis.
Nitriensis, *de Neytracht*, sub Austriacis.
Novigradiensis, *de Novigrad*, sub Turcis.
Orodiensis, *Czongrad*, sub Turcis.
Pelysiensis, *Pelicz*, sub Turcis.
Peregiensis, *de Pereczaz*, sub Austriacis.
Pestensis, *de Pest*, sub Turcis.
Posegiensis, *de Posega*, sub Turcis.
Posoniensis, *de Poson*, sub Austriacis.

Risiensis,

Risiensis, *de Kreiss*, sub Austriacis.
Sagoriensis, *de Sellia*, sub Turcis.
Saladiensis, *de SalaWar*, sub Turcis.
Sariensis, *de Saraz*, sub Austriacis.
Semlyniensis, *de Semlyn*, sub Austriacis.
Sigetensis, *de Szygeth*, sub Turcis.
Simigiensis, *de Zegzard*, sub Turcis.
Sirmiensis, *de Szerem*, sub Turcis.
Sopronicnsis, *de Sopron*, sub Austriacis.
Strigoniensis, *de Gran*, sub Turcis.
Temesuensis, *de Temesuar*, sub Turcis.
Tolnensis, *de Tolna*, sub Turcis.
Torantaliensis, *de Thurtur*, sub Turcis.
Tornensis, *de Torna*, sub Austriacis.
Transchiniensis, *de Transchyn*, sub Austriacis.
Turocensis, *de OWar*, sub Austriacis.
Valkoniensis, *de Valpon*, sub Turcis.
Varadiensis, *de Varadin*, sub Austriacis.
Varaniensis, *de Baranyuar*, sub Turcis.
Vesprimiensis, *de Vesprim*, sub Austriacis.
Vgoghensis, *de Vgoza*, sub Austriacis.
Vnghensis, *de VnghWar*, sub Austriacis.
Zabolcensis, *de Chege*, sub Turcis.
Zagrabiensis, *de Zagrabia*, sub Austriacis.
Zatmariensis, *de Zatmar*, sub Austriacis.
Zolnocensis, *de Zolnock*, sub Turcis.

Ex his Comitatibus seu partibus Hungariæ viginti sex tantùm subsunt Turcis, reliqui omnes Austriacum agnoscunt dominium. Sed Comitatus ditionis Turcicæ multò majores sunt & ampliores aliis. Notandum est etiam, majorem partem Comitatus Cepusiensis cum 12. oppidis esse sub dominio Regis Poloniæ à 200. annis. Aliàs unà cum Hungaria parebant etiam Regi Hungariæ Transsylvania, quæ ab ea separata fuit à Joanne Rege anno 1541. habetque Principem proprium; Valachia, nunc proprio Principi parens sub clientela Turcarum, uti etiam Moldavia; Sclavonia propriè dicta, cujus maxima pars subest nunc dominio Turcarum, minor verò ad Occasum Imperatori paret; Croatia, cujus pars est Turcici juris ad Ortum, & Austriaci ad Occasum; Dalmatia, quæ pro majori parte subest Turcis, exceptis aliquot urbibus in ora littorali, quæ Venetis subsunt, & quas eis vendiderant Reges Hungariæ. Servia quoque & Bossena Hungariæ Reges agnovere dominos, antequam jugum Ottomanicum reciperent. Nunc Hungariæ regnum complectitur tantùm *Hungariam propriam* cum Sclavonia & Croatia; dividiturque in *superiorem* & *inferiorem* Danubio fluvio. *Hungaria inferior* seu *Cis-Danubiana* est inter Danubium & Savum versùs Meridiem & Occasum; in qua Buda, Regiâ olim sede clara, Pesthum, Strigonium, Zigethum, Belgradum, &c. *Hungaria* autem *superior* seu *Trans-Danubiana* est inter Danubium fluvium & Transsylvaniam Poloniamque versùs Ortum & Boream. In ea autem quatuor Comitatus versùs Carpathem montem & Tibiscum fluvium subsunt Principi Transsylvaniæ, in clientela tamen Austriacorum. Hungariæ verò Austriacæ caput est Posonium, *Presburg*, in superiori; reliquæ urbes sunt Tocajum, Temesva, Varadinum, Cassovia, Fragopolis, *Eperies*, Neusolium, Altsolium, &c. Hungaria tandem propria extenditur ab Ortu in Occasum ad 65. milliaria Germanica, & à Septentrione in Meridiem ad 60. milliaria similia. Vide plura apud Bonfinium *in Decadibus rerum Hungaricarum*.

Huniades Johannes Corvinus, Vaivoda Transyl. Dux copiarum Ladislai R. ingentibus contra Turcas victoriis Anno 1442. & 1443. obtentis, inclytus. Varnensi prælio, Christianismo fatali, interfuit, Anno 1444. ubi Ladislaus, à Card. Juliano persuasus, ut fidem induciarum Amurathi datam falleret, occisus est. Postea Præfectus Hungariæ, adeò formidabile Turcis nomen, ut illum *Jancus Lairi*, i. Janus Sceleratus, vocarent. Mahometem II. Belgradi obsidione depulit, Obiit an. Chr. 1456. à Mahomete hoste impensè laudatus. Æger in templum deferri voluit, ut ibi sacrâ synaxi defungeretur. Thurof. *in Chron. Hung.* Bonfin. *in Hist.* Chalcondylas, *libr.* 5.7.8. Æn. Sylvius, *Europ.* Monstrelet. Meyer. Nauclerus.

Hunibaldus, sub Clodoveo M. historiam suæ gentis scripsit, ex Druidum monumentis collectam. Pontanus *de orig. Franc.* Cluver. *l. 3 ant. Germ. c.*20. Simlerus, Voss. &c.

Hunni, qui & *Abares*, sive *Avares*, teste P. Diacono, dicuntur pop. Sarmatiæ ultra Mæoticam paludem incolentes, quos ex magnarum mulierum, quæ *Aliorumna* Scythis dictæ, & à Filimero Gothorum R. in solitudinem abactæ feruntur, commercio Dæmones suscepisse, fabulatur Jornandes. Hi, dum venationibus vacant, cervæ ductu paludem transgressi, Scythiam invaserunt: ilicoque Alipzuros, Alzidzuros, Itamaros, Tuncassos, & Boiscos, qui ripæ istius Scythiæ insidebant, quasi quodam turbine rapuere. Alanos quoque subjugavere, quosque bello non poterant, vultus terrore in fugam conjecere. Ermanaricum dein Gothorum R. auspiciis Balamiri, aggressi, Ostrogothos sedibus suis pepulerunt, A.C. 374. in Pannonias effusi (quibus Hungariæ nomen ab his inditum traditur.) Quo Wisigothi perculsi, partem Thraciæ, seu Mœsiæ à Valente Imper. habitandam petiere & impetravere. Auxiliares postea *Hunni* Romanorum, Uldini ductu, Radagisium Scytham Italiam ingressum, juncti Stiliconi Rom. & Saro Gotthorum ducibus vicere, A.C. 407. Deinde in Galliam migrarunt, duce Attilâ, qui eam ac Italiam fœdissimis cladibus affecit, donec grandi clade affecti, in Catalaunicis campis à Meroveo Francorum Rege, & Ætio Romanorum Duce, an. 450. rursus se in Pannoniam receperunt, variis cladibus, post Attilæ inprimis mortem, exerciti, tandem ab Ugris, Scythica gente, sub Carolo Crasso pulsi. A' vafritie & malitia omni remoti, Procopius *Goth. Hist. lib.* 3. literas ne fando quidem novere, Idem *lib.* 4. nunc pecorum fibras, nunc quasdam venas in abrasis ossibus intuentes futura rimari soliti sunt. Semper in equis edebant, dormiebant, &c. Eorum Rex Horda, eodem tempore, quo Herulorum Rex Gethes circa A. C. 528. cum suis baptizatus est. V. Amm. Marcell. *l.* 31. *hist.* P. Diaconum, Agathiam, Claudian. *lib.* I. *in Ruffin.* Jornandem *de reb. Geticis*, & suprà in voce *Hungari*. Claudian. *lib.* I. *in Rufin.*

Hunnorum laturus olim, &c.
Est genus extremos Scythia Vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaim.

Prudent. *lib.* 2. *contra Symmachum:*

Deniq; Romanus, Daca, Sarmata, Vandalus, Hunnus.

Hunnum, opp. Angliæ in Northumbriâ, *SeaVenshale*, teste Camdeno.

Hunoldus, Aquitaniæ nobilissimus dux, frater Gaifronis, filius Eudis, Ducis. A' Carolo Martello, cum fratre victus, veniam impetravit. Item, fil. Gaifronis: contra Carolum M. rebellis, à fœminis, ante Ticinum, occisus est. Aimon. *lib.* 4. Rhegino *in Chron.* Æmil. *lib.* 3.

Hunonia, seu *Sundis*, quæ Marionis altera censetur, ex Ptolomæi descriptione, hodie *Strensunda*, opp. Pomeraniæ splendidum, in littore maris, Metel.

☞ *Huntingtonia*, seu *Hontingtonia*, vulgò *Huntington*, urbs Angl. ad Usam fluv. media inter Bedfordiam ad Occ. & Eliam ad Ort. 10. mill. à Cantabrigia in Caur. Hinc Comit. *Huntingtoniensis*, vulgò *Huntingtonshire*.

Hunulsi Curtis, i. villa, vel vicus, ab Hunulfo domino vel conditore suo dicta, Vulgò *Houncourt*: Locus est in agro quidem & diœcesi Camaracensi ad Scaldim, sed in ditione Galliarum R. Monasterio S. Petri, à Viridiciano Episc. extructo, veteri Benedictinorum Abbatiâ, cui olim Valeria præfuit, postea ejectis puellis à Canonicis occupata, tandem Benedictinis cessit, ac pugnâ inter Gallos Hispanosque A. C. 1642. nobilitatus, 4. leuc. Gall. à Camaraco. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Huon de Meri, Poëta, sub Ludovico IX. auctor historiæ fabulosæ, de Antichristo.

Huon VillanoVanus, sub Philippo Aug. similis farinæ auctor. Morerius, *Diction, Hist.*

Hupham, filius Benjamin. Num. 26. Lat. *thalamus*, aut *operimentum*, sive *litus*, vel *ripa eorum*.

Huquania, prov. ampla regni Sinarum, quibusdam etiam *Chuquania*. Habet à Sept. Honaniam prov. à Mer. Chiansiam, Quiansiam ad Or. Suchienam ad Occ. Urbs præc. Uchanum est, vulgò *Uchang Fu*.

Huquanum, vulgò *Huquan*, urbs ampla regni Sinarum, in Honamia prov. versus confin. Pechinæ prov. M. Martinius, vulgò *Huquan Fu*.

Hur, filius Judæ. 1. Par. 4. qui Gen. 46. dicitur *Onan*. Filius Caleb ex Ephratâ uxore. 1. Par. 2. Item rex Madianitarum. Num. 3. Lat. *albedo*, aut *foramen*.

Hurai, nomen viri, 1. Par. 11. qui 2. Sam. 23. *Heddai* dicitur.

Huram, fil. Belæ, filii Benjamin. 1. Par. 8.

Hurdaspalense cœnob. *Urdax* & *Urdache*, in regno Navarræ, intra Pyrenæos montes, vix 1. leuc. à confin. Galliæ, 5. à Bajona.

Huri, pater Saphat. Num. 13. Pater Abihail. 1. Par. 5.

Hurones, pop. Canadæ, merè feri, mortuos globatim recondunt, parentum nomina aspernantur, frumenti variis modis præparandi, ignis solùm aquæque beneficio, artem mirè callent.

Hus, fil. Aram. Gen. 10. qui principatum tenuit, inter Palæstinam, & Cælesyriam. Hujus regio 'Αυσῖτις ab Interpp. 70. in Jobo dicitur, *cap.* 1. Primogenitus item Nachor. Gen. 22. Filius quoque Dison. Gen. 36. Lat. *consilium*, aut *lignum*, vel Syriacè *fixus*.

Hus, urbec. in Ausitide reg. in Syriæ Arabiæque confin. Patria Jobi. *Omps*, Th. Minadojo.

Husam, rex tertius qui regnavit in Edom. Gen. 36.

Husathi, nomen civitatis. 2. Sam. 21.

Husenum seu *Husunum*, vulgò *Husum*, urbs in parte Occ. Holsatiæ, in ora maris Cimbr. ad sinum Heverum, cum arce præclara Ducum. 5. leuc. à Slesvico in Occ. 2. à Fridericopoli in Bor. Probè haud pridem munita.

Husi, pater Baanah. 3. Reg. 4.

Husim, altera uxor Saharaim. 1. Par. 8. Item filius Dan. Gen. 46.

Hussenec, patria Johannis Hussi, quò ille, cùm ei Pragæ concionibus interdictum esset, secessit, ibique docuit: paulo pòst Pragam revocatus. A.C. 1408.

Hussitæ, in Bohemia dicti, qui, Johanne Husso doctore, Evangelii doctrinam amplexi, seculo 15. ab adversariis dira sæpe sunt passi. Illorum antesignanus Johannes Zisca, undecies victor cum Sigismundo pugnavit, post ipsum Procopius Holy, strenuè rem gessit; agnoscente Concilio Basil. *sess.* 3. *Bohemiam occulto Dei judicio bello pluries attentatam, superari non potuisse.* Tandem Bohemiam restituére Sigismundo, admittenti 4. articulos, qui *Compactata* dicti, Latinè, Germanicè & Bohemicè promulgati sunt, ac marmori aureis literis inscriptum: *Bohemos, communicantes sub duplici specie panis & vini, esse legitimos & germanos Catholicæ Eccl. filios.* In Poloniam mox diffusi sunt, ubi Disputatione cum Hussitis institutâ, Anno 1431. Jagielo R. adeo motus est, ut Ministrum Evangelicum ex Bohemia evocaverit, eumque sæpius in occluso conclavi audierit, maximè propinquam sentiens mortem. Regina quoque Hedvigis Biblia S. in linguam Polonicam transferri curavit, seduloque legit, &c. *Fratres* etiam dicti: quorum reliquiæ in Polonia, collimitioque Silesiæ & regnorum adjacentium, adhuc superstites. Lasicius *de gestis Fratrum. è m.s.* Daubravius *in hist. Boh.* Camerarius, *in hist. Fratrum.* Cochlæus *in histor Huss.* Lætus, &c. Vide *Johannes Hussus.*

Hustingum, nomen olim Curiæ supremæ, Londinensis civitatis, à loco, ut Prytanæum Athenis. *Hus* enim Saxonibus domus; & *Ding*, causa, res, lis, judicium est: quasi *Domus causarum.* Hoc singulis septimanis die Lunæ teneri, mandavit Lex Eduardi Confessoris, quod hodie Martis die fit. Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Hutitæ, Anabaptistæ, à Johanne Hutto: posteros se Israëlis, ut Chananæos extirparent, advenisse, delirantes: Diem ultimum præstò esse, ad quem cibo potuque homines præparandos esse, dixerunt. sec. 16.

Huum, vulgò *Huy*, opp. Leodiensis dit. medium inter Leodium ad Ort. & Namurcum ad Occ. ad Mosam. Fuit sæpe eversum, cum castro in monte, 5. leuc. à Leodio. Aliter *Huyum* seu *Hujonum.*

Huya, Ins. fortè *Holyland*, seu Ins. sacra, littori Northumbriæ ferè adjacens, 6. mill. à Bervico, & à confin. Scotiæ in Austr. Bamburgum versùs. Baudr.

H Y.

Hyacintha, plur. num. sacra nocturna à Lacedæmoniis instituta in honorem Hyacinthi pueri, ab Apolline disci jactu interfecti. Ovid. *Met.* 10.

Hyacinthides, quænam sint non convenit inter authores. Harpocration tradit Hyacinthi Lacedæmonii filias esse. In eâdem sententiâ est Apollodorus, qui quatuor eas memorat, *Antheidem, Ægleidem, Eutheniden,* & *Lytæam*, mactatasque ab Atheniensibus ex vetere Oraculo pro salute publicâ ad tumulum Geræsti Cyclopis, Bibliothecæ *lib.* 3. Alii Erechthei filias fuisse tradunt, in quibus est Demosthenes *Orat. Fun.* Alii 6. commemorant *Protogeniam, Pandoram, Procridem, Creusam, Orithyiam,* & *Chthoniam*; atque ex his duas priores mactandas sese præbuisse in colle Hyacinthio, unde *Hyacinthides* dictæ. Hyginus unam tantùm memorat, Spariantidem, *fab.* 238. Meminit earum Hesychius.

Hyacinthus, Amyclæ regis fil. Eurotæ nepos, eodem tempore à Zephyro & Apolline adamatus. Verùm cùm in Apollinis amorem propensior esset, ægrè id ferens Zephyrus, amorem in odium convertit. Cum Hyacintho deliciis suis disci jactu dum sese exerceret Apollo, Zephyrus nocendi occasionem nactus, discum ab Apolline emissum flatu suo in caput Hyacinthi convertit, puerumque interemit. Cujus mortem cùm ægerrimè ferret Apollo, Tellus in amatoris Dei solatium, cruorem ejus commutavit in florem sui nominis. Palæphatus paulo aliter. Ovid. *Met.* 10. Nicander *in Theriacis,*

—— Καρπόν τε πολυθρήνου Ὑακίνθου,
Ὃν Φοῖβος θρήνησεν, ἐπεὶ ῥ' ἀκούσιος ἔκτα
Παῖδα, λαβὼν προπάροιθεν Ἀμυκλαίου ποταμοῖο
Πρωθήβην Ὑάκινθον, ἐπεὶ σόλος ἔμπεσε κόρσην
Πέτρης ἀφαλλόμενος, νέατον δ' ἤραξε κάλυμμα.

Coluthus Thebanus *in Helena Raptu*:

Ἔνθα δὲ Καρνείοιο παραγνάμψας Ὑακίνθου,
Ὅν ποτε κυδιάζοντα σὺν Ἀπόλλωνι νοήσας
Δῆμος Ἀμυκλαίων ἠγάσσατο, μὴ Διὶ Λητὼ
Σκυζομένη καὶ τοῦτον ἀνήγαγεν· Αὐτὰρ Ἀπόλλων
Οὐκ ἐδάη Ζεφύρῳ ζηλήμονι παῖδα φυλάσσειν.
Γαῖα δὲ δακρύουσα χαρασσαμένη βασιλῆι,
Ἄνθος ἀνηνέξησε παραίφασιν Ἀπόλλωνι,
Ἄνθος ἀειζήλοιο φερώνυμον ἡβητῆρος.

Alius Lacedæmonius prioris ex Cynortâ patre nepos, Oebali filius, pater Hyacinthidum. Item pagus supra Sphendonios, ubi Erechthei filias immolatas esse tradit Suidas in Παρθένοι.

Hyades, stellæ 7. in capite Tauri, quæ quoties nascuntur, vel occidunt, pluvias creant, unde & nomen acceperunt, ἀπὸ τοῦ ὕειν, quod est *pluere*. Ovid. *Fast.*

Ore micant tauri septem radiantia flammis
Sydera, quas Hyadas Grajus ab imbre vocat

Vide Gell. 13. 9. Fabulantur poetæ has Bacchi nutrices fuisse, quæ & *Dodonides* nymphæ vocatæ sunt, à *Dodonâ* Epiri civitate: quæ cùm Junonis iram vererentur, fugerentque Lycurgi regis sævitiam, à Jove in cœlum sunt translatæ. Alii tradunt, Atlantem ex Æthra uxore Hyan filium suscepisse, septemque puellas, quarum hæc sunt nomina, Ambrosia, Eudoxa, Pasithoe, Corone, Plexauris, Pytho & Tyche, quæ cùm fratrem à leone devoratum implacabili luctu prosequerentur, dolorisque magnitudine extabescerent, Jovis miseratione in 7. stellas sunt conversæ, &, ut in perpetuum maneret tantæ pietatis testimonium, à fratris nomine *Hyades* appellatæ. A Latinis *Suculæ* dicuntur, quòd propter maximas, quas ex ortu suo afferunt, pluvias, luto gaudere videantur, tanquam sues.

Hyadeta Ins. mel. *Stadæ*, Camdeno *septem Ins.* Gall. *les sept Isles*, in ora Bor. Britanniæ min. versus Trecorium.

Hyæa, urbs Locrorum Ozolorum. Steph.

Hyala, ad Indi fluminis ostia, urbs similibus Spartæ institutis utens: nam ex duabus familiis duo Reges constituebantur, summæ rei in bello præpositi. Cætera Seniorum magistratus administrabat. Diod. *l.* 17.

Hyale, nympha una ex comitibus Dianæ. Ovid. *Met.* 2.

Hyamaa, urbs Messeniæ, una ex quinque. Steph.

Hyamion, urbs Trojana. Steph.

Hyampolis, in tabb. recentibus *Jampoli*, urbs Phocidis in Bœotiæ confinio, Chæroneæ & Coroniæ proximum, ubi *Hyampolus* vertex montis apud Parnassum, Steph. Strabo *lib.* 8. cui *Anemoria* dicitur, Plin. 4. 7. Plut. Statius *Theb.* 7.

Et valles Lebadea tuas, & Hyampolin acri
Subnixam scopulo. Est & altera in Bœotiâ, non procul ab Orchomeno. Ptol. *l.* 4. *c.* 15.

Hyanthes, ab antiquis vocabantur Græciæ pop. posteà *Bœoti* dicti. Plin. 4. 7. quod nomen ab *Hyante* rege traxisse putantur. Strabo *lib.* 7. Hinc *Hyantius*, idem quod *Bœotius*, Cadmi epitheton. Ovid. *Met.* 3.

Hyantia, urbs Locrorum. Steph.

Hyapea, urbs Phocidis. Steph.

Hyarotis, vide *Hydraota.*

Hyas, vide *Hyades*, & *Hyanthes.*

Hyasis, urbs Libyæ, quæ & *Oasis*. Steph.

Hyba, vel *Hybada*, vicus in tribu Leontidis. Steph.

Hybanda, Joniæ olim insula, postea maris recessu continenti annexa. Plin. 2. 89.

Hybele, urbs juxta Carthaginem. Steph.

Hyberia, vide *Iberia.*

Hybernia, Vid. *Hibernia.*

Hybla, mons Siciliæ, thymi copiâ, salicum, & apibus abundans, unà cum op. ejusdem nominis ab *Hyblo* rege dicto. Strabo à Doriensibus conditam scribit. Mart. 33. 105.

Quum dederis Siculos mediis de collibus Hybla,
Cecropios dicas tu licet esse favos.

Silius *libr.* 14.

Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymettum
Audax Hybla favis.

Hinc *Hyblæus*. *Eclog.* 1.

Hyblæis apibus florem depasta salicti.

Mart. 11. 43.

Mella jubes Hyblæa tibi vel Hymettia nasci.

Porro tres *Hyblas* in Siciliâ ponit Stephanus, de quibus vide Boch. *Geograph. pag.* 584. 593. 604. & infra.

Hybla maj. nunc *Paterno*, opp. ad radices Ætnæ, prope Simethum fl. 10. mill. à Centuripe in Ort. 17. à Catania in Occ. Brietius.

Hybla min. aliis *Heræa*, est *Ragusa*, opp. Siciliæ in valle Neætina 15. mill. ab ora maris Africi.

Hybla parva, quæ & *Megara*, urbs fuit Siciliæ, in ora Or. Ejus rudera ad Allabi flu. ostia visuntur, inter Augustam ad Bor. & Syracusas ad Austr. Brietius. Aliis fuit, ubi nunc vicus *Mirilli* in illo tractu, sed à mari tantisper remotus.

Hyblon, Siciliæ regulus, qui Hyblæ civitati nomen fecit, quæ postea *Megara* dicta est. Steph.

Hybreas, insignis Orator ex Mylassis Cariæ urbe, qui, cùm pater nihil præter mulum lignarium, & mulionem reliquisset, illorum operâ aliquandiu nutritus, Diotrephi sophistæ operam dedit, tandemque ad Reip. gubernacula pervenit. Vide Strab. *l.* 14.

Hybrianes, pop. circa Thraciam, à Scordiscis infestati. Strabo.

Hyccara, op. Siciliæ, à Sicanis conditum, sed eversum, ubi Laidem meretricem natam ajunt: *Carbolongi* & *Garbolangi*, seu *Carini*, teste Fazello: olim Episc. ubi nunc opp. Carinum, quod sub Gregorio M. sedem Episc. habuit, inter Panormum & Elymam, à Panormo 12. m. p. distans. Vetus autem *Hyccara*, nunc *Muro Carini* nominatur, apud Carinum. Ὕκκαρα βαρβαρικὸν χωρίον, ita Plut. *in Niciâ*: Et Thucyd. *lib.* 6. πόλισμα Σικανικὸν μὲν, Ἐγεσταίοις δὲ πολέμιον. Itaque non placet quòd apud Athe-

næum *lib.* 7. Timæus nominis originem ex Græcâ linguâ arcessens, *Hyccara* dici vult παρὰ τὸ τοὺς πρώτους τῶν ἀνθρώπων ἐλθόντας ἐπὶ τὸν τόπον ἰχθῦς εὑρεῖν κηλευμένους ὕκκας. Hycca pro Erythrino pisce Cyrenæorum est vox, alibi raro in usu, præterquam apud Poetas. Et ut ab *Hycca* fiat *Hyccara*, non patitur analogia. Denique barbari opidi vocabulum è Græco sermone petere non licet. Proinde consultius ex Punicâ linguâ deducas, quâ חוק כורא *Hek-caura* est *sinus piscis*, id est, *piscosus*, qualem esse sinum Hyccaræ ex Fazello patet, *Dec.* 1. *lib.* 7.

Hyccarum, opp. Siciliæ, *Bicari* seu *Vicari* fortè inter Panormum & Agrigentum, à Thermis Himerensibus 24. m. p.

Hyda, vel *Hyde*, op. Lydiæ sub Tmolo monte. Hom. *Il.* 2. Sunt qui idem esse putant cum Sardibus, Strab. 13.

Hyda, Lydiæ urbs, vide *Hyda*.

Hydara, Armeniæ maj. urbs. Strabo.

Hydarca, pop. Indici, qui contra Bacchum pugnaverunt. Stephanus.

Hydarnes, nobilis Persa, qui Herodoto *lib.* 3. cum Dario in Magos conjuravit. Strabo *l.* 11.

Hydaspes, fluvius Asiæ geminus; unus per Susianam apud Susam urbem fluens delicatissimus. Virg. *Georg.* 4.

Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes.

Alter nunc *Rovey*, Indiæ citer. terminus itineris Alexandri M. cùm Asiam subjugaret, in Indum influens apud Nysam urbem, cujus incolæ *Hydaspii* Trogo dicuntur. Lahorium Urbem tractus illius prim. rigat. Baudr. Lucan. *l.* 8.

Quà rapidus Ganges, & quà Nysæus Hydaspes.

Horat. *Carm.* 1.

—— *Quæ loca fabulosus*
Lambit Hydaspes. ——

Gemmiferum facit Seneca Tragœdus,

Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis.

Inde Claudiano *Hydaspea gemma.*

Idem Claud.

—— *Auriferum veniam poturus Hydaspen.*

Seneca alibi,

—— *Ruraq; dives cingat Hydaspes.*

χρυσοῤῥόος etiam Nonno *in Bassaricis* dicitur.

Hydia, Siciliæ op. Ptol. excisum, *Cabra* Fazello, in finibus Leontinorum, ubi adhuc turris sic dicta. Aliis est *Francofonte*, castr. à Paliconia 11. m. p. Licodiam versùs distans. *Fontana murata* Nigro.

Hydissus, urbs Cariæ. Steph.

Hydra Lernæa, serpens erat 50. capita, unicumque duntaxat corpus habens, ex quibus uno occiso, duo alia statim repullulabant. Ovidius *Met.* 9.

—— *Nec profuit Hydra*
Crescere per damnum, geminasq; resumere vires.

Horatius,

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem.

Item opp. Ætoliæ. Item, insula Libyæ in mari Mediterr. circa Carthaginem. Steph. Alia Hadriatici maris. Pompon. Æolidis promunt. inter Myrinam & Phocæam urb. Straboni. Dolopum insula Phavorino. Vide *Lysimachia*.

Hydralis, fluviolus prope Constantinopolim in Barbysim influens. Nicetas; *Belgrado* Gyllio.

Hydramia, urbs Cretæ. Steph.

Hydraota, regionem Indiæ habet Philostratus *lib.* 2. *Apollonii.* Idem auctor fluvium *Hydraotem* habet, *in fine ejusdem libri.* Straboni *Hyarotis* est, sine *d. Hydraotim* fluvium etiam describit Philostratus, Curtius *lib.* 9. *cap.* 3. & Arrianus *de rebus Alexandri Magni* & idem *in Indicis*; eumque receptis prius in se multis fluminibus in Indum incidere tradit. Ex quo fortasse *Zadadrus* Ptolomæi erit: nihil tamen affirmat Ortelius, cui *Adris* Ptolomæi potius videtur.

Hydrax, Africæ op. in reg. Pentapoleos. Ptol.

Hydrea, insula juxta Troezenem. Steph.

Hydrela, urbs Cariæ. Steph.

Hydreuma, nomen variorum locorum, Æthiopiæ sub Ægypto, & alibi. Plin.

Hydriacus, Carmaniæ fluv. Ptol.

Hydrias, Asiæ min. regio. Herodotus.

Hydrochous, signum Cœleste, quod aliàs *Aquarii* nomine venire solet.

Hydroparastæ, hæretici, aquâ, vini loco, in S. Cœna, usi. Vide *Aquarii* & *Encratita.*

Hydruntina terra, nunc *Terra di Otranto*, prov. regni Neap. ferè in modum peninſ. extensa ad Ort. inter sinum Tarentinum & mare Adr. ubi aliàs Salentina & Japygia. Ejus prim. Hydruntum fuit, nunc Aletium. In ea etiamnum plurimi Græci, in parte Australi.

Terræ Hydruntinæ urbes:

Aletium, *Lecce*, provinciæ caput.
Alexanum, *Alessano.*
Brundusium, *Brindisi.*
Castellaneta, *Castellaneta.*
Castrum, *Castro.*
Gallipolis, *Gallipoli.*
Hostunium, *Ostuni.*
Hydruntum, *Otranto.*
Mateola, *Matera.*
Neritum, *Nardo.*
Tarentum, *Taranto.*
Vria, *Oria.*

Hydruntum, *Hydrus* Straboni ac Ptolemæo, totius Apuliæ metropolis, vetustate, ac civium fide atque animi magnitudine nobilis. Eam à Totila obsessam liberavit Belizarius Justiniani Imp. Dux, per Valentinum. Procop. *Goth.* Lucan. *l.* 5.

Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus
Antiquusq; Taras, &c.

Item *Hydrus*, mons urbi imminens, ac fluvius. Civitas *Otranto* incolis, *Otrante* Gallis, dicitur. Baudrando urbs permunita regni Neap. in ora maris Adriatici, cum castro & portu capaci, sub Hisp. Anno Chr. 1480. miserè devastata à Turcis, sub Mahomete Imper. postea fortiter recepta. Distat 45. mill. à Brundusio in Austrum. ut ab Aletio 20. 24. à Gallipoli in Ortum. Archiep.

Hydrusa, urbs Atticæ, Strabo; Est & una Cycladum insularum, quæ *Andros* dicitur. V. ibi, ut & *Zea*, ac *Tina.*

Hyela, op. Brutiorum in Calabriæ citer. orâ inter Blandam & Lampetiam, *Bonifacio*, seu *Bonfatti* Barrio. Item Straboni urbs Lucaniæ excisa; vide *Velia*, & Casaub. *in Strab. p* 99.

Hyempsal, fil. Micipsæ, frater Adherbalis: post mortem Patris, à Jugurta occisus. Sallust. *de bello Jugurt.* Florus, &c.

Hyettus, Bœotiæ urbs. Vide Steph.

Hyetussa, insula in Cariæ orâ. Plin.

Hygassus, urbs Cariæ. Steph.

Hygennenses, Asiæ min. populi. Herodotus.

Hygeia, quæ & *Salus*, Æsculapii filia,

Ulcus habet quod habere suam vult quisq; puellam,
Quod sanare Criton, non quod Hygeia potest.

Hygiaa, Minerva à medendi arte sic dicta.

Hygiana, Triphyliæ in Peloponneso urbs. Polyb.

Hyginus, Episc. Rom. post Telesphorum, gente Atheniensis, professione Philosophus, Anno Chr. 153. Obiit Martyr, Anno Chr. 156. Compatres & templorum consecrationes ordinasse scribitur. Scripsit epistolam de Deo & Filii Dei incarnatione, ex antro. Nam & talis, juxta Mantuanum, erat:

Ut nemoris vasti latebras habitaret & umbram.

Ei successit Pius. Euseb. *in Chron. & hist. libr.* 4. Plat. *in vitis Pontif.*

C. Julius *Hyginus*, Augusti libertus, natione Hispanus, etsi nonnulli Alexandrinum putent, & à Cæsare Romam advectum, Alexandriâ captâ. Studiosè imitatus est Cornelium Alexandrum, Grammaticum Græcum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi vocarunt. Præfuit Palatinæ Bibliothecæ, fuitque familiarissimus Ovidio Poetæ, & C. Asinio Consulari historico, qui eum pauperem decessisse tradit, & liberalitate suâ quoad vixit sustentatum. Scripsit de vitâ rebusque gestis illustrium virorum, prætereâ Exemplorum volumen, Gell. l. 7. & 10. Item de urbibus Italicis, Servio, & Macrobio testibus. Genealogiarum quoque libros reliquit, ut ait ipse in *poetic. astronomico*, quo loco de Perseo tractat. Commentarios quoque in Virgilium, Προπεμπτικὸν Cinnæ, de Agriculturâ, de Penatibus, de Proprietatibus Deorum, &c. Hodie nihil Hygini habemus præter poeticum, & fabularum librum. Nam Gromatica, sive de limitibus constituendis, non hujus sunt Hygini, sed alterius, qui Trajani ætate vixit: ut ex ipsis Gromaticis videre est. V. Suet. *de Ill. Gramm.* Macrob. *Saturn. libr.* 1. & 6. Euseb. & Hier. *in Chron.* Crinitum, *lib.* 3. *cap.* 46. Voss. *lib.* 1. *cap.* 20. *de H. L.* Volaterr. Gesnerum, &c.

Hygris, civit. Sarmatiæ Europ. Ptol. *Sabardi* Villanov. *Tabardi* Moletio: in ora maris Euxini, seu Mœotidis, inter ostia Tanais & Gerri fluv.

Hyi, Susianæ populi. Plin.

Hyla seu *Ila*, vulgò *Yle*, Ins. Scotiæ, fere rotunda, ad Austrum Juræ Ins. circuitus 45. mill. Scot. circiter; 14. mill. à Scotia & Cantira prov. in Occ. 10. à parte Bor. Hiberniæ. Ibi tantùm aliquot castra cum opp. *Kilcholmkil.* Scribitur & *Yla* Ins. & 25. mill. à Mula ins. in Austr. 48. à Novanto prom. in Circ. abest.

Hyla, aliis *Hylas*, fluv. Mysiæ Asianæ, Prusiam urbem alluens, ubi fons & lacus, ab Hyla puero ibi submerso dictus: de quo Virgil. *Georg. lib.* 3.

Cui non dictus Hylas puer, aut Latonia tellus?

Hylactor, nomen unius ex canibus Actæonis ἀπὸ τοῦ ὑλακτεῖν, id est, à *latrando* impositum. Ovid. *Met.* 3.

—— *Acuta vocis Hylactor.*

Hyle, Phocensium colonia, postea *Elaa* dicta. Suidas.

Hylaa, sive *Hylea*, regio parva Sarmatiæ Asiat. ad oram maris Euxini. Val. Flac. *libr.* 6.

Movit

Movit & Hyleâ supplex cum gente Syenen.

Baudrando, reg. Scythiæ Eur. seu parvæ, in qua Georgi seu Agricolæ Scythæ, versus Boristhenem, & Nomades seu Pecuarii Scythæ versus Pontum Eux. & Sinum Carcinitem, ex Sansone.

Hylæus, Centauri nomen à *sylvis* deductum, qui à Pirithoo invitatus ad nuptias, conspectâ puellâ permotus, & cùm violentus ei esse conaretur, à Lapithis prohibitus est. Virg. *Georg.* 2.

Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

Horat. 2. 12.

Nec sævos Lapithas & nimium mero
Hylæum. —— ——

Item canis Actæonis, Ovid. *Met.* 3.

Hylæusq; ferox nuper percussus ab apro.

Hylami, urbs Lyciæ. Steph.

Hylas, filius Theodamantis, quem Hercules rapuit. Cùm enim ex Calydonia, occiso Oenei pincernâ fugeret, venissetque cum Deianirâ & Hyllo filio ad Dryopes, & esurienti puero, cùm Lichas pædagogus abesset, à Theodamante aliquid cibi postulasset, ille autem denegasset, arreptum unum ex bobus Theodamantis mactavit, atque coxit. Quamobrem Theodamas, convocatis popularibus, arma adversus Herculem movit: & quamvis in ea pugna penè oppressus fuerit Hercules, tamen victoriam obtinuit, & occiso Theodamante Hylam filium ejus secum abduxit, quem posteà unicè dilexit, secumque cum reliquis Argonautis Colchos navigans duxit. Verùm cùm inter remigandum Hercules remum suum fregisset, unà cum Hyla navi egressus est, ut alium in Mysiæ sylvis quæreret; Invalescente autem æstu, cùm siti premeretur, Hylam cum urna ad Ascanium fluv. misit, ut inde sibi aquam afferret; Verùm cùm ripa altior esset, quàm ut stans haurire posset, procumbens in pectus Hylas urnam è manibus amisit: quam cùm subito recipere conaretur, pondere ejus demersus est; Quæ res poetis occasionem dedit fabulandi, Hylam à Nymphis fuisse raptum. Hercules autem cùm Hylas nusquam compareret, casum ejus tam ægrè tulit, ut relictis Argonautis, Mysiam totam oberrans, Hylam quæreret. *Hylas*, secundùm aliquos non ab Hercule amatus, sed ejus filius fuit: quod testatur Socrates ad Idotheum, additque non ab Hercule, qui pater erat, turpiter amatum, sed à Polyphemo. Et mira de eo est inter scriptores Græcos varietas: siquidem plures quidem Theodamantis filium fuisse volunt, inter quos sunt Apollonius & Mnaseas. Euphorion verò Euphemi, ejus qui à Neptuno amatus est. Hellanicus Theomenetis. Strabo *lib.* 12. unum ex Argonautis Herculisque socium fuisse scribit, qui cùm in Bithyniâ aquatum egressus esset, nec comparuisset, creditus est à Nymphis raptus; eique instituta sunt quædam apud Prusienses, in quibus per montes vagi *Hylan* vocant, quasi in illum inquirendum egrediantur. Urbs etiam cognominis extructa. Idem ferè refert Solinus, dicens, in Bithyniâ lacum esse nomine *Hylam*, in quem Hylan Herculis delitias cecidisse credunt, in cujus memoriam solemni tripudiatione Populus lacum circumit, *Hylan* voce clamans. Hunc Apollonius ab unâ tantùm Nympha raptum tradit. Theocritus à tribus, quas his appellat nominibus Εὐνίκα καὶ Μαλις ἔαρθ' ὀρόωσα Νυχεῖα. Nicander ab omnibus Nymphis raptum scribit, similiter & Orpheus. Onasus primo τῶν Ἀμαζονικῶν veriorem narrat historiam, non raptum scilicet à Nymphis, sed in fonte submersum. Anticlides autem *in Deliacis*, non *Hylam* scribit aquatum egressum, sed *Hylum* ac posteà non comparuisse. Fuerunt autem multi Herculis amasii *Hylas*, *Philoctetes*, *Diomus* & *Phryx*, à quo urbs Libyæ. Dionys. Perieg. *Vers.* 807. De Cio fluv. loquens

Τοῦ ποτ' ἐπὶ προχοῇσιν Ὕλαν ἥρπαξαν νύμφη
Ὀτρηρὸν θεράποντα πελωρίου Ἡρακλῆος.

Juvenal. *Sat.* 1.

Et multum quæsitus Hylas, urnamq; secutus.

Stat. *Sylv.* 1.

Quantum non clamatus Hylas.

Theocritus de *Hylâ*,

—— Τρὶς μὲν Ὕλαν ἄϋσε.

Virg. *Ecl.* 6.

His adjungit Hylam, nautæ quo fonte relictum
Clamassent, ut litus Hyla, Hyla omne sonaret.

Val. Flacc.

Rursus Hylan, & rursus Hylan per longa reclamant
Avia, respondent sylvæ, & vaga certat imago.

Sed *Cui non dictus Hylas puer? Hylas* etiam histrio, cujus meminit Macrobius *l.* 2. *Saturnal.*

Hylata, Syriæ Cœles populi. Plin. 5. 23.

Hylates, Apollo colitur in Erysthea urbe Cypria. Steph.

Hylax, canis nomen apud Virgilium,

—— *Hylax in limine latrat.*

Hyle, urbs Cypri, ubi Apollo *Hylates* colitur, Item urbs Locrorum Ozolorum; & regiuncula inter Sabinorum, & Romanorum urbem. Steph.

Hyle, urbecula Bœotiæ, non longè à Thebis, de quâ Strab. *l.* 9. & Plin. 4. 7. Etiam Homerus ejus meminit *Iliad.* ε.

Ὅς ῥ' ἐν Ὕλῃ ναίεσκε μέγα πλούτοιο μεμηλὼς,
Λίμνῃ κεκλιμένος Κηφισίδι, πὰρ δέ οἱ ἄλλοι
Ναῖον Βοιωτοί. —— ——

Ubi Schol. Ὕλη πόλις Βοιωτίας. Unde apud Moschum, *Idyll.* 3. *Vers.* 89.

Πίνδαρον οὐ ποθέοντι τόσον Βοιωτίδες Ὕλαι.

Ita enim locum istum legit Palmerius.

Hyleates, Adiabenorum Imperator, an. U. C. 801.

Hyleessa, Paros, una Cycladum sic olim dicta. Est & Zacynthi epitheton apud Homerum. Steph.

Hylias, fluv. magnæ Græciæ. Thucyd.

Hyllaicus portus fuit Peloponn. juxta Messenem, Herodoto.

Hyllarima, Cariæ op. patria Hieroclis ex athletâ Philosophi. Stephanus.

Hyllienses, Ὑλλεῖς Stephano, gens Illyrica.

Hyllis, peninsula, vel promuntorium Liburniæ ad mare Adriaticum. Plin. *Capo cista*, teste Nigro. Vide Steph. Adjacet regioni Bulinorum, circuitus 30. m. p. nunc *Sabioncello.* Extenditur ab Ortu in Occ. estque in Dalmatia, inter Phariam ad Bor. Melitam ad Austr. & Corcyram nigram ad Occ. sub Ragusina Rep. Hic tantùm rudera Prætorii maritimi, ab Anton. & Peutingero memorati, in portu *Hyllico* Apollonii, nunc *Mirara*, vel *S. Arcangelo*, J. Lucius. *Hylli* pop. Steph.

Hylluala, vicus Cariæ, ubi Hyllus interiit, & Cares quidam templum Apollini ædificavit. Vide Steph.

Hyllus, fil. Herculis ex Deianira, qui Jolem, patre mortuo, uxorem duxit, ex ea pater Jolæ. Ovid. *Met.* 9. Hic postea cum cæteris fratribus, qui ex Hercule superstites fuere, ab Eurystheo pulsus, Athenas confugit, ibique Misericordiæ templum condidit, quod & accepti ab Atheniensibus beneficii testimonium, & miseris in posterum asylum esset, & profugium. Item alius Herculis fil. ex Melita Ægæi fluv. filia, à quo populi *Hyllienses*. Est & fluvius Lydiæ in Hermum influens, Straboni & Livio Phrygius dictus.

Hylobii, genus Sapientium, apud vett. Indos, à silvis, in quibus contemplationi vacabant, dicti. Voss. *de Sect. Philos.*

Hylonome, mulier ex genere Centaurorum, Cyllari uxor, quæ mortuo marito, gladio suo incubuit. Ovid. 12. *Metam.*

Hylophagi, pop. fuere Æthiopiæ. Diodor.

Hylycus, fluv. Argiæ, *Taurius* seu *Taurus* Athen. inter Hermionem & Trœzenen in mare fluens.

Hymani, Liburnorum populi. Plin.

Hymenæus, Deus nuptiarum præses, qui & *Hymen* dicitur, & conjunctis dictionibus *Hymen Hymenæus.* Hic Liberi patris, & Veneris, aut ut alii malunt, Uraniæ fil. fuisse putatur, & primus certas nuptias instituisse. Nomen autem accepisse creditur ἀπὸ τοῦ Ὑμένος, hoc est, à *membrana*, quæ claustrum virginitatis esse, & primo coitu rumpi putabatur. Quanquam anatomicæ rei periti negant, in virginum dissectionibus, pelliculam ejusmodi ullam inveniri. Alii virum Atticum fuisse volunt, qui raptas à latronibus virgines parentibus intactas restituit: Ideoque nuptiis ejus nomen invocari, tanquam defensoris Virginitatis, vocemque hanc nuptialem factam apud Græcos, quemadmodum Romani in nuptiis Virginalibus *Thalassii* nomen invocant. Alii dicunt eum fuisse juvenem, qui die nuptiarum ruinâ oppressus interiit, unde posteà institutum est, ut expiationis gratiâ nominaretur in nuptiis. Non rarò quoque poetæ *Hymenæos* ponunt pro nuptiis. Virgil.

Pergama cùm peteret inconcessosq; Hymenæos.

Obiter emendabis Claudianum *de Raptu Proserp.*

—— *Nimbis Hymenæus hiulcis*
Intonat. —— ——

Mirum enim est Hymenæum intonare, & Jovis τοῦ Βροντῶντος officio fungi, quare *Hymenæon* legendum putat Nicol. Heinsius, ut ad Jovem referatur. Apul. *Met.* 4. *Tota domus lauris obsita, tædis lucida obstrepebat Hymenæum.* Hesych. Ὑμέναιος, γάμος, ἢ ᾠδὴ ἐπιγάμιος. Nihil frequentius poetis hac locutione: Statius *genethliaco Lucani,*

Et vestros Hymenæon ante postes,
Festis cantibus ipse personabo.

Ovid. *Met.* 12.

Ecce canunt Hymenæon, & ignibus atria fumant.

Seneca *in Troad.*

Tritonum ab alto cecinit Hymenæum chorus.

Musæus,

Οὐχ Ὑμέναιον ἄειδε πατὴρ, &c.

Item nomen viri, Resurrectionem jam contigisse dicentis, qui à Christiana fide excidit. 1. Tim. 1. & 2. Tim. 1. 17.

Hymenæus, Patr. Hierosolymit. post Mezabenem, Anno 266. Interfuit Concilio Antiocheno, contra Paulum Samosatenum celebrato, Anno 268. Zambdas ei successit, Anno 296. Baron. *in Annal.*

Hymettus, ol. etiam *Cecropius*, nunc vulgò *Himetto*, mons Atticæ, apibus, & optimi mellis copiâ abundans Martial. *l.* 7.

Pascat & Hybla meas pascat Hymettos apes.

Idem *lib.* 13. *epigr.* 101.

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti.

Juvenal. *Sat.* 13.

Dulcisq; senex vicinus Hymetto.

Stat. *libr.* 12.

Et olentis arator Hymetti.

Strabo *lib.* 9. Ὁ δὲ Ὑμήττιος καὶ μέλι ἄριστον ποιεῖ. Pausanias, Καὶ Ὑμηττὸς ὃς φύει νομὰς μελίτταις ἐπιτηδειοτάτας. Dioscorides, Μέλι πρωτεῦον τὸ Ἀττικὸν, καὶ τούτου τὸ Ὑμήττιον καλούμενον. Silius *l.* 2.

Aut ubi Cecropius formidine nubis aquosa

Sparsa super flores examina tollit Hymettos.

Val. Flacc. *lib* 5.

Florea per verni qualis juga fluxit Hymetti,

Aut Siculâ sub rupe cohors.

Ex hoc monte marmora pulcherrima effodiebantur. Plinius, *Lucius Crassus orator primus peregrini marmoris columnas habuit Hymettias.*

Hymmas, seu *Hymas*, vicus Antiochiæ Syriæ, sub Zenobia victa, Jornandes.

Hymnorum & Sequentiarum genera, Fridgoræ & Occidentanæ: sic dicta à tropis & modis Musicis, quos *tonos* Monachi appellare maluerunt, Martianum Capellam imitati. Vid. Goldastum *ad Ekkehardi jun. cap.* 4. & Ekkehardum minim. *in vita Notkeri cap.* 9. Originem *Frigdorarum* à Græcis, *Occidentanarum* ab Latinis esse, ipsa nomina fidem faciunt. *Frigdoræ* enim ex modis constant, quos Græci Phrygium & Dorium vocant, queis de, præter antiquos, qui de Musica integros libros reliquere, Mart. Capellam, Aur. Augustinum, Boëthium & Isidorum Hispalensem, videri possunt Henr. Loritus Glareanus *in Dodecachordo*, M. Antonius Majoragius *Orat.* 23 &, post Vinc. Galilæum *de nov. & ant. Musicâ*, Erycius Puteanus *in Musathena. Occidentanæ* videntur mutatis Gr. Ecclesiæ modis à B. Ambrosio Mediol. Episc. inventæ, à Gregorio M. in Occid. Ecclesia institutæ, & in Alemanniam atque Franciam invectæ, ut tradunt Joh. Diac. *in ejus vita*, Ekkehardus, & innominatus Hugonis Reutlingensis Interpres. Initio autem quatuor tantùm Musici modi veteribus noti fuerunt, *Dorius*, *Phrygius*, *Lydius & Æolius*: quibus postea accesserunt *Asius* & *Jonicus*. Quorum duorum virtus mediæ ætatis Musicis nota, appellatio ignota fuit: quippe *Authentos* nominarunt ordine cardinalis numeri, *primum*, *secundum*, *tertium*, *quartum*: quibus subjunxerunt alios quatuor, *Plagales* seu *Subjugales* dictos, quos primus Glareanus Græcâ præpositione à cæteris distinxit, nominibus inditis *Hypodorii*, *Hypophrygii*, *Hypolydii*, & *HypoÆolii*: & hi octo toni soli à media ætate cogniti, quod nos præter Guidonem & Johannem Magistrum, docet Interpres ille *cap.* 4. Tandem & Musices totius renovatio, & novorum modorum adjectio, notarumque transformatio facta est, circa A. C. 1360. notante id Fr. Petro Herp. Monacho Dominic. *in Chronico Francof.* qui ad illum annum scribit: *Musica ampliata est. Nam novi Cantores surrexere & Componistæ & Figuristæ, inceperunt alios modos assuere.* Etenim prius ex usu tantùm addiscebant canere, neglectâ artis disciplinâ, quæ primùm anno illo, aut non multum antè reducta videtur in Eccl. Occidentali, Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Hymnus, Nicæam amavit. Nonnus *Bassaricôn*, *l.* 15.

Φυνομός οἱ πέλεν Ὕμνος, ὃς ἀγελαίδος μέσον ὕλης
Ἱμερτῆς ἐνόμευε βόας παρὰ γείτονι κούρῃ.

Hynidos, Asiæ min. in Mœonia opp. Plin. in Caria. Fortè *Idymos*, Ptol.

Hynilon, urbs Asiæ Ep. sub sede Amidensi. G. Tyrius.

Hyope, urbs Matienorum. Steph.

Hyops, urbs in Iberiâ Chersonesi, non procul à Lesyro fluvio. Stephanus.

Hypacyris, seu *Pacyris*, & *Carcinites* fluv. Scythiæ Europ. qui cum Gerrho in Carciniten sinum Mæotidis influit, *Desna*, Peucero teste. Quid nunc sit, non constat. Baudr.

Hypaa, seu *Hypata*, Massiliensium insula, una 3. Stoechadum. Plin. 3. 5. Sansoni, Brietio, al. est *l'isle du Levant*, seu *du Titan*; una Olbiensium Ins. seu Stoechadum, in Prov. *les Isles de Hieres* 12. leuc. à Telone in Ort. ut 24. à Massilia; 5. à Fano S. Eutropii in Austr. ut etiam 3. leuc. ab ora Provinciæ, sed vix dimid. leuc. ab altera Ins. *Portecros* in Occ. Baudr. Valesio tertia est atque extrema Stœchadum, Massiliæ proxima, dicta nomine græco ὑπάτη, quòd sub reliquis duabus *Prote* nempe, & *Mese*, posita sit. Nunc primâ vet. nominis syllabâ retentâ *If* nuncupatur. Cum arce, quæ vulgò *le chasteau d'If*, aliàs *la tour d'If* vocatur. Inter Stœchades minima est, *Not. Gall.*

Hypælochi, gens Molossica. Steph.

Hypapa, vulgò *Ipepa*, Stephano & Straboni, Lydiæ op. Veneri sacrum, inter Tmolum mont. & Caystrum fluv. sed Pausaniæ & Ovidio plu. num. Ovid. *Met.* 11.

Tmolus in ascensu; clivoq; extensus utroq;,

Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.

Hypasia, Peloponnesi regio circa Arenen. Strabo.

Hypania, op. Peloponnesi, *Epina* Straboni, vel *Hypana* eidem. *Accumba* Nigro, in Elide reg. *Epim* Stephano, opp. Triphyliæ.

Hypanis, nunc *Bog*, fluv. Scythiæ ex magna palude profluens, sapore dulcissimo, donec ad quadragesimum milliare miscetur ei exiguus fonticulus (*Exampæum* nominat Herodot. *libr.* 4.) qui suâ amaritudine totum corrumpit Hypanim. Ovid. *Met.* 15.

Quid? non & Scythicis Hypanis de montibus ortus,

Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris.

Oritur in Podolia sup. quam separat à Volhinia sup. dein rigatis Chmielnico, Braclovia, aliisque urb. & Podolia inf. in duas partes secta, in Boristhenem, & paulo pòst cum ipso in Pontum Euxinum se exonerat. Estque diversus à fluv. *Bug*, qui in Vistulam cadit infra Varsoviam. Cursus Hypanis est circiter 200. mill. ab Occ. in Ortum, Baudrandus. Est & Hypanis alter, *Panticapes* Herodoto & Plinio, de quo fortè Virgilius *Georgicor. libr.* 4.

Saxosumq; sonans Hypanis, Mysusq; Caicus.

Hypanis fluv. apud Cimmerium Bosporum, ubi animal quoddam volatile, *Ephemeron*, gignitur, quod non ultra diem vivat. Aristot. 5. *histor. animalium.*

Hyparinus, Dionis fil. Siciliæ Imperator, duobus annis paternum regnum obtinuit.

Hypasis, Indiæ cit. flu. in Indum influens, Alexandri M. terminus. Plin. Vid. *Hydaspes.*

Hypata, Thessaliæ olim civitas prim. Steph. ad sinum Maliacum, ad radices montis Oetæ.

Hypates, fluv. Siciliæ prope Camerinam. Silius, *Pauperis alves Hypaten*: quod corruptum pro *Hipparin* putat Cluver. Ferrario *Caminei* videtur: qui idem *Iporo* Ptolom. & *Hypari*, Pindaro. Silius *lib.* 14.

Hypatin, ac facilem superari gurgite parvo.

Hypatia, mulier Alexandrina, Theonis Geometræ filia, uxor Isidori Philosophi, sub Arcadio Imp. professa est Alexandriæ varia disciplinarum genera, magno & frequenti auditorio, convolantibus undique discipulis. Suidas, & Socrates 11. 12. Occisa in seditione populari, Anno 415. varia scripsit. Synesius Episc. discipulus ejus, *ep.* 10. 80. 124. Socr. *Hist. Eccl. lib.* 7. *cap.* 15. Niceph. Callistus, *lib.* 14. *cap.* 16. Anthol. *epigr. lib.* 1. Savilius, *prael. in Euclid.* Voss. *de Philol. & de Scient. Mathem.*

Hypatius, nepos Anastasii Imper. Dux copiarum, post mortem Justini, per seditionem Imperator factus, cum cæteris seditionis principibus, morte punitus est, à Justiniano, cum Procopio nempe & Probo, Marcell. *in Chr.* Procop. *l.* 1. *belli Pers.* Item Consul cum Eusebio, an. U. C. 1112. Alius Consul cum Patricio, an. U. C. 1253.

Hypatus, mons Bœotiæ, Thebis imminens: Incolis *Monte de Stives*, Ferrar.

Hyperbius, Martis filius dicitur primus occidisse animal, Prometheus bovem. Plinius *lib.* 7. *cap.* 56.

Hyperbolus, confector quidam candelarum mirè versutus: nam non solum ære ad candelarum confectionem utebatur; sed & plumbum infundebat, ut inde tantò ponderosiores pluris posset vendere.

Hyperbore, populi, & montes, qui & *Riphai*, ultra Scythiam, teste Aristotele. Veteres hos circa Tanais fluv. fontes describunt, cùm ibi maxima sit planities. Argumenti ratio postulat (inquit H. Jacobius) ut in Hyperboreorum sedes inquiratur, quarum certitudo celebritati gentis haud respondet. In quorum nomine præpositio Ὑπὲρ veteres vexavit. Plerique exponunt *ultra Boream sitos.* Herodotus παρ' οἷς ὁ Βορέας οὐ πνεῖ. Orpheus *Argonaut.* paulo incommodius ἀνέμους *omni vento carentes*, de Riphæis vel Hyperboreis. Herodotus admittit dubitanter, quia tum essent etiam pari jure Ὑπερνότιοι, qui nulli dantur. Sed hanc dubitationem Eratosthenes apud Strabonem *lib.* I. eludit facetè. Strabo ipse aliam viam secat, cui ὑπὲρ adornat superlativum gradum, unde Ὑπερβορέους exponit βορειοτάτους, ut in his apud Æschylum, Sophoclemque ὑπέρπικρος, *amarissimus*, ὑπέρξηρος *aridissimus*, Casaubono rectè adnotante, præterquam quòd illi apud Æschylum *in Supplic.* Ὑπερβορέῳ τύχῃ exponitur *Fortuna quæ flat admodum secunda.* Cùm sit *Fortuna Hyperborealis*, vel *Hyperboreorum.* Nempe doctissimo viro non succurrebant, quæ de summâ pace ac opulentiâ eorum prædicantur. Hecatæo apud Diod. regio Hyperboreorum dicitur νῆσος *insula*, *libro secundo*: Ἐν τοῖς ἀντιπέραν τῆς Κελτικῆς τόποις κατὰ τὸν Ὠκεανὸν εἶναι νῆσον οὐκ ἐλάττω τῆς Σικελίας, ταύτην ὑπάρχειν μὲν κατὰ τὰς ἄρκτους, κατοικεῖσθαι δὲ ὑπὸ τῶν ὀνομαζομένων Ὑπερβορέων, ἀπὸ τοῦ πορρωτέρω κεῖσθαι τῆς Βορέου πνοῆς, οὖσαν δ' αὐτὴν εὔγειόν τε καὶ πάμφορον, ἔτι καὶ εὐκρασίᾳ διαφέρουσαν, διττοὺς κατ' ἔτος ἐκφέρειν καρπούς. Μυθολογοῦσι δ' ἐν αὐτῇ τὴν Λητὼ γεγονέναι, διὸ καὶ τὸν Ἀπόλλωνα μάλιστα τῶν ἄλλων θεῶν παρ' αὐτοῖς τιμᾶσθαι. At communiter est regio Riphæis montibus inclusa & intersepta. Inde Sophocles appellavit *Apollinis hortum* elegantissimè, apud Strab. *l.* 7. de Boreâ Orithyjam raptam auferente,

Ὑπέρ τε Πόντον πάντ' ἐπ' ἔσχατα χθονὸς,
Νυκτός τε πηγὰς, οὐρανοῦ τ' ἀναπτυχὰς,
Φοίβου τε παλαιὸν κῆπον.

Stephanus

Stephanus *de urbibus*: Ῥιπαία, ὄρος Ὑπερβορέων. Mela 3.5. *In Asiatico littore primi Hyperborei super Aquilonem Ripheosq; montes sub ipso siderum cardine jacent: Ubi Sol non quotidie*, &c. Totum non exscribimus, quia breviter in omnibus cum Plinio convenit, quem sis vide *lib.*4. *cap.* 12. & *lib.* 6. *cap.* 17. Scriptor Argonauticus (qui sub Orphei nomine ambulat, quem Onomacritum sortilegum docet fuisse Tatianus, familiarem & Xerxi Persarum regi, teste Herodoto, & Theognidi Poëtæ, ut probabiliter affirmat Scaliger) de situ Hyperboreorum vel Riphæorum inter veteres exactissimè scribit. Ille Periplum Argonauticum non ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ *mari interiori*, vel *mediterraneo* (ut Apollonius facit, quem sequitur Val. Flaccus) verùm ἐν τῇ ἔξω θαλάσσῃ *mari exteriori*, vel Oceano longè doctius perducit. Unde facit Argonautas à Mæotide palude rectà in Aquilonem (nempe qu. per Tanain fluv.) *Vers.* 1075. ferri ad Ὑπερβορέους & Ῥιπαίους αὐλῶνας, ac inde διὰ στεινοῖο ῥέεθρα *per angustum fluvium* (Riphæum scilicet) Oceano potitos, quem mortales vocant Κρόνιον πόντον, νεκρήν τε θάλασσαν. Tum

Νῆα μολεῖν ἰθὺν' ἐπὶ δεξιὸν αἰγιαλοῖο
Ἀγκαῖος. ——

Argo navem in dextra litorum Ancaus gubernabat, delatam ad Μακροβίους, quorum longævitas & mitis affluentia, tum Justitia & Sapientia Αἴσιμά τε ῥέζειν, πεπνυμένα τ' ἐξαγορεύειν verbosius ibi celebrantur, ut non alios ab Hyperboreis aliorum authorum esse suspicemur: Hinc ad Κιμμερίους æternâ nocte insignes ex montibus Solarem lucem impedientibus, ab Ortu, Meridie & Occasu, quos nominat,

Ἔνθεν γὰρ Ῥιπαῖον ὄρος, καὶ Κάλπιος αὐχὴν
Αὐλαίας εἴργουσ'. ἐπικέκλιται δ' πελώρη
Ἀσσον ἐπισκιάουσα μεσημβρινὸν ἠέρα Φλέγρη.
Δείελον αὖ κρύπτουσι φάος πανυηκεες Ἄλπεις.

In quâ frigidâ reg. est χρυσορόας Ἀχέρων, fluvius, in cujus ripâ sunt arbores

—— Οἷαί τε καρπός,
Βεβρίθει νυκτός τε καὶ ἤματος αἰωνεχὲς αἰεί.

Item urbs Ἑρμιονία, unde ad Ἀίδαο πύλας navigatur. Hinc per πέλαγος Ἀτλαντικὸν ad νῆσον Ἱερνίδα, & νῆσον Πολυκήπους, Cereri sacram, perpetuâ nube cinctam, ex solidâ & celsâ rupe constantem, ideoque importuosam navibus. Inde ad Circes insulam:

—— Λυκαῖον ποτὶ χέρσον.

Unde mox,

—— Ἀνάστομα Τερνησσοῖο
Ἱκόμεθα, στῆλαι δ' ἀέθλων Ἡρακλῆος.

Per fretum Gaditanum mari mediterraneo restituuntur Argonautæ. Periplum hunc explicantem vide Hen. Jacobium *in Philologia* ἀνακαλυπτηρίω *pag.* 83. Porro apud Pindarum *Pyth.* 10. insignis est Hyperboreorum tum religio, tum conditio. Apollini suo sacrificant κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας, *illustres asinorum victimas*, ubi Deus γελᾷ θ' ὁρῶν ὕβριν ὀρθίαν κνωδάλων ridet videns procacitatem arrectarum bestiarum. Quam Asininam salacitatem capere non potuit omnium cum Scholiaste Græco reliquorum interpretum insulsitas. Conditio talis. Perpetuæ Virginum choreæ, Lyrarum, Tibiarumque sonitus, ex auratâ lauro coronæ, Epulationes, Morborum & Senectutis, Laborum & belli vacuitas: Quæ felicitas Ὑπερβορέων fingi creditur, qualis aurei seculi & insularum Fortunatarum. Unde Æschylus *Coëph*: adagialiter usurpat de prosperrimo rerum statu,

Ταῦτα μὲν ὦ παῖ, κρείσσονα χρυσοῦ,
Καὶ Ὑπερβορέους μείζω γε τύχης.

Hyperboreos hosce è Titanibus oriundos tradit Pherenicus, quòd illis in locis habitare perhibentur, quò Titanes cum Saturno profligatos fugisse credidit antiquitas. Romani tandem de Palatii sui, vel montis Palatini nomine inquirentes, Hyperboreorum cognationem sibi vendicant. Festi Abbreviator: *Alii quòd ibi Hyperborei cujusdam filia Palanto habitaverit, quæ ex Hercule Latinum pepererit.* Nec aliter Solinus *cap.* 1. Dionys. Halicarn. *lib.* 1. *de Hercule*: Λατῖνον δ' ἔκ τινος Ὑπερβορίδος κόρης, ἣν (πατρὸς εἰς ὁμηρείαν δόντος) ἐπήγετο. Puellæ nomen Græcè concipitur ἡ Φαλανθὼ Salmasio, verius autem ἡ Παλλαντὼ Scaligero, quia constanter est in Virgilio,

Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

Ad summum: Quando hæc sunt ἀσύστατα, situs quidem sub vertice Borealissimus, ac beata cœli, solique temperies; Hyperboreorum sedes adhuc penitus ignorantur, nec ulla vet. Geographia vel nova verè definit. Unde adagialiter: *In montibus Hyperboreis* est idem quod *extra mundum*, vel *in solâ mentis imaginatione*. Tamen usque adeò antiqui narrationi de pop. *Hyperboreis* fidem adhibuerunt, ut Abaris Scytha, Seuthæ filius, oracula scripserit, *Scythica* dicta, nuptias Hebri fluv. lustrationes, Deorum origines solutâ oratione, & *Apollinis adventum ad Hyperboreos*, versu. Fertur & oraculum hujus celebre laborantibus peste Græcis, oportere à pop. Atheniensi vota fieri pro omnibus. Suidas in voce Ἄβαρις *ex M. Basilio*, Jamblichus *lib. de vita Pythag. cap.* 19. Ἦλθε μὲν Ἄβαρις ἀπὸ ὑπερβορέων ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος. Scholiastes Pindari *Olymp. Od.* 3. *in princ.*

Δᾶμον ὑπερβορέων πείσαις Ἀπόλλωνος θεράποντα.

Meminit & *Pythior. od.* 10. Ælianus *Var. hist. lib.* 2. *cap.* 26. Ἀριστοτέλης λέγει, ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν τὸν Πυθαγόραν Ἀπόλλωνα ὑπερβόρειον προσαγορεύεσθαι. Claudianus *de* 6. *Hon. Consul.*

Auget spes Italas, & certius omnia surgunt,
Victrici concepta solo, quum pulcher Apollo
Lustrat Hyperboreas *Delphis cessantibus aras.*

Idem *lib.* 3. *de laud. Stiliconis,*

—— Hyperboreis *Delos prælata pruinis.*

Unde multa dona à Græcis ad hos Apollinis cultores missa, refert Diod. Siculus *Bibl. lib.* 2. imo & illos, per virgines probatissimas, primitias frugum Apollini Delio missitasse, docet Solinus *cap.* 21. Apollini autem *Hyperboreo* Gryphes dicatos esse indicant Claudianus, loco supra laudato, & Apulejus *Milesiar. lib.* 11. ubi de mysteriis Isidis: *Hinc Dracones*, inquit, *Indici, inde Gryphes* Hyperborei, *quos in speciem pinnatæ alitis generat mundus alter.* De his vide plura apud Servium *ad Eclog.* 8. Pomp. Melam *de situ orbis lib.* 3. *cap.* 1. & *lib.* 3. *cap.* 7. Solinum *cap.* 20. Aurelium Cassiodor. *lib.* 9. *epist.* 3. Claudianum porro *epist. ad Senecam*, & Rosinum *Antiquit. Rom. lib.* 2. *paralipom. ad cap.* 7. Baudrando *Hyperborei* montes, nunc *Cament pojas*, eorumque vertex *Stolp*; in parte Septentr. Russiæ Albæ seu Moscoviæ, versus Obyum fluv. & Duinam. Hyperborei autem pop. Sarmatiæ fuere, ubi nunc *Petzora* prov. in parte Septentr. Moscoviæ, versus Weigatium fretum & Obyum fluv. testibus Herbestenio, ex Merc. & Ortel.

Hyperdexion, regio Lesbi, ubi Jupiter *Hyperdexios* & Minerva *Hyperdexia* coluntur. Steph.

Hyperea, seu *Hyperia*, fons geminus: Unus in Thessalia, apud Pharsalum, Helladem & Phthiam opp. seu teste Plinio, apud Pheras & Atracem: alter in Messenia, reg. Peloponnesi. Valerius Flaccus *Argonaut. lib.* 4.

Flevit, & effusis revocans Hyperia lacertis.

Hyperechius, Alexandrinus Grammaticus sub Principe Marciano; scripsit artem Grammaticam, de nominibus, de verbo, & Orthographiâ. Suidas.

Hyperesia, urbs Achajæ, ab *Hyperete* Lycaonis filio. Steph.

Hyperia, urbs in Thessaliâ. Homer. Phæacum oppidum, Hesych. Siciliæ urbs. Eustath.

Hyperia, fons est Thessaliæ in urbe Pheris, ut Sophocles apud interpretem testatur. Nominat eundem Homerus *in Navium catalogo.* Pherecydes ab Hyperete illi nomen inditum vult. Melas, inquit, Phryxi filius duxit uxorem Euryclеam: ex his nascitur *Hyperes*, qui proximè fontem habitat, dictum ab eo *Hyperiam.*

Hyperides, Atheniensis, fil. Glaucippi, discipulus Platonis & Isocratis, unus ex decem Oratoribus clarissimis, æmulus quandoque Demosthenis, accusatusque ab ea super rapinâ pecuniæ, deinde cum eo damnatus jussu Antipatri, aufugit in Æginam. Plut. *in Demosth.* Occisus, tyranni jussu, linguam morsu prius abstulit, ne arcana proderet. Idem *de* 10. *Orator. c.* 9.

Hyperion, aliis Solis pater, aliis Sol ipse, quòd *eat super terras*; Diodorus Saturni fratrem facit Cœli filium, qui Solis ac Lunæ aliorumque astrorum motus, horasque primus observarit. Frequens est Solis Epitheton apud Hom Inde *Hyperionii currus.* Valer. Flacco.

Hyperis, Persiæ fluvius. Plin.

Hypermnestra, una ex 50. Danai filiabus, quæ cùm totidem Ægypti filiis nupsissent, jussæque essent à patre primâ nocte maritos interficere, sola ex omnibus maritum suum Lynceum nomine ab insidiis liberavit, qui postea Danaum occidit. Extat inter *epistolas* Ovidii *una Hypermnestræ, ad Lynceum virum suum.*

Hyperochus, plerisque auctor creditur historiæ Cumanæ carmine contextæ. Athen. *lib.* 13. Pausan. *in Phoc.*

Hypetaan, ex ducibus auxiliaribus Æetæ, occisus à Colaxe. Val. Flacc. 6. 638.

Hyphæus, Campaniæ mons. Plut. *in Syllâ.*

Hyphormus, Achajæ portus. Ptol.

Hypobarus, Indiæ fluv. juxta quem arbores electrum ferunt. Plinius.

Hypochalcis, urbs Ætoliæ, sub Chalcide monte. Steph.

Hypodromus, urbs Æthiopiæ. Ptol.

Hypotheca, vocatæ sunt Potniæ in Bœotia. Steph.

Hyppius, urbs & fluv. nunc *Lippo*, sub Ponticâ Heracleâ, in mare Euxinum, inter Sangarium & Lycum fluv. exiens. Vide Stuckium *ad Arrian. pag.* 126. Ibidem *Hyppii montes.* Steph. Turcis *Armendagh.* Alias *Horminii*, seu *Ormenii.* Ferrar.

Hypra, seu *Ipra*, à fluvio interfluente dicta, *Iperen incolis*, *Ipres* Gallis, *Ipri* Italis, urbs Flandriæ satis munita, condita dicitur à Balduino Comite, fil. Arnulphi, anno Chr. 960. muris demum cincta an. 1288. Galliæ Regis consensu impetrato. Opulenta admodum est, templaque magnificè extructa habet. Episcopatus ejus, institutus an. Chr. 1559. à Paulo IV. Machliniensi Archiepiscopatui subest, fuitque primus ejus Episcop. Martinus Balduinus Rithovius. Vide Georg. Brun. *T.* 1. *Civ. Orb.* Miræum *Orig. Aug. cap.* 44. & 125. *de Colleg. Canon.* Morerium *Dict.* &c. Bis haud pridem capta à Gallis, sed reddita est Hisp. In planitie, 8. leuc.

à Novoportu in Austr. 6. à Cortraco in Occasum, prope amnem Ipram. Hinc *tractus Iprensis*, vulgò *le quartier d'Ipres*, sub quo sunt Castellaniæ Iprensis, Cassellensis & Baleolensis, in Flandria Teutonica.

Hypsa, fluv. Siciliæ: *Belici* vel *Bilici*, teste Fazello: in oram fluit Australem, inter Thermas & Selinuntem urbes. Sil. *lib.* 14.

Nec non qui potant Hypsamq; Alabinq; sonoros.

Aliis *Hyssa*.

Hypsalta, pop. Thraciæ, Plin. *Hypselita*, Steph.

Hypsea, mulier quædam infamis notæque cæcitatis, de quâ Horatius,

—— Nec corporis optima Lyncei
Contemplans oculis, Hypseâ cæcior, illa
Quæ mala sunt spectes.

Hypsela, Leuncl. *Alascehar*, opp. Pamphyliæ, in Ciliciæ confin. Sive è contra, Pergæ finitimum, Strab.

Hypselis, vicus Ægypti, unde *Hypselita*. Sunt etiam *Hypselitæ* in vico quodam Thraciæ. Steph.

Hypsenor, filius Dolopionis, qui erat Sacerdos Scamandri, in tanto honore habitus, ac si Deus quidam esset: Illum Eurypylus in bello Trojano interemit. Hom. *Iliad.* 5.

Hypseus, filiam habuit *Cyren*, quæ *Cyrena* in Africa nomen dedisse existimatur. Steph.

Hypsicratea, uxor Mithridatis regis, quæ Persico habitu induta, & in habitum virilem reformata tonsis capillis, victum à Cn. Pompejo Mithridatem per efferas gentes fugientem, animo pariter & corpore indefesso sequuta est. Plut. *in Pompejo.* Valer. M. *lib.* 4. *c.*6. *ex.* 8. Volaterr.

Hypsicrates, Phœnicum res eorum linguâ perscripsit, Auctor Tatianus *Orat. ad Gentes*, & ex eo Eusebius *lib.* 10. *Præp. Evangel.* Alius sine dubio *Hypsicrates* est Grammaticus, cujus meminit Varro *lib.* 4. *de L.L.* & Steph. in Αἰθίοψ, & Gellius 16. 12. ubi eum composuisse ait, *libros sanè nobiles super his quæ à Græcis accepta sunt.*

Hypsile, Ægypti urbs. Ptol. *Hysopis* Antonini est, ut Simlerus scribit.

Hypsipyle, Lemni regina, Thoantis filia, quæ cùm reliquæ mulieres ejus insulæ viros, cognatosque omnes ex communi sententiâ occidissent, sola patrem servavit. Ob quam pietatem à Lemno ejecta, capta fuit à piratis, & Lycurgo Nemeæ regi vendita; à quo liberaliter habita fuit, & nutriendo filio ejus præposita. Nam paulo ante fugam gemellos pepererat, quos conceperat ex Jasone, quem in Colchos navigantem hospitio simul & lecto exceperat. Postea cùm Argivis, ad Thebanam expeditionem proficiscentibus, Langiam fontem ostendisset, & Archemorum alumnum humi deposuisset, eâ absente, adrepens serpens puerum interemit: quo nomine cùm à Lycurgo ad supplicium quæreretur, ab Adrasto, cæterisque Argivis servata est. Statius *lib.* 4. & 5. *Thebaidos.* Inde *Hysipylæus*, ut *tellus Hypsipylæa* pro Lemno, apud Ovidium.

Hypsistarii, hæretici sec. 4 Judaismum cum Paganismo, miscentes: adorabant ignem cum his, Sabbathum & abstinentiam ciborum observabant cum illis. Gregor. Nazianzenus *Orat. de fun. Patris.*

Hypsistus (id est, *altissimus* & *excelsus*) Jupiter cognominatus: sic autem appellatus Thebis, ab Hypsista porta, quæ inter Thebanas portas quinta fuit, & quoniam super ipsam Jovis templum erat.

HypsiZorus, mons circa Pallenem. Plin.

Hypsus untis, Lycaonis filius, condidit Thyræum Arcadiæ civitatem. Steph. in Θυραῖον. Item Arcadiæ urbs. Stephan. *ex Pausaniâ.*

Hypsus, quæ & *Hypsopolis*, vulgò *Upsu* Leunclavio, urbs Phrygiæ magnæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Synnadensi: quæ Turcis *Alaschehyr*, eodem teste, dicitur, Ferrar.

Hyrcani, cum Indis Bactrisque legatum ad Antoninum Pium Imp. miserunt, an. Chr. 142. Vide *Hyrcania*.

Hyrcania, prov. Persiæ, variis nominibus hodie nominata, magna ex parte plana, & præclarissimis urbibus adornata, quarum celeberrimæ sunt *Talebrota, Samaria, Carta* & *Tape*: adeò fertilis & opulenta, ut vitis vini metretam ferat, & ficus sexaginta modios ficuum, frumentum ex semine nascatur quod cadit ex culmo, in arboribus mellificetur, profluat mel ex oleis. Habet à Septentrione mare Caspium, seu Hyrcanum, à Meridie Parthiam, ab Ortu Margianam, ab Occasu Mediam. In eâ regione pantheræ, pardi & tigres abundant, cùm sylvis quoque aspera sit. Virgilius *Æneid.* 4.

Hyrcanæq; admorunt ubera tigres.

Baudrando fuit, ubi nunc *Tabarestan, Gilan*, & *Gorgian*, partes Persiæ, quarum prima extenditur versus mare Caspium. *Gorgian* autem distat à mari, cum urbe prim. cognom. quæ creditur Hyrcaniæ urbs antiqua. Utraque sub Persis. Erat Hyrcania propriè pars Parthiæ latè sumptæ. Inde *mare Hyrcanum*, quod & *Caspium* dicitur. Nunc *mer de Bacu*, ab urbe cognom. in Media, & *mer de Sala* & *Salacinit* ab urbe sic dicta in Tartaria. Russis *GualentZa more*, Armenis *mer di Giorgian*, Persis *Dario Guaylani* seu *mer de Gueylan* & de *Tabarestan* Item *mer de ChovvareZem*, à prov. Persidis contermina Siruvaniæ ab Ortu, Arabibus *CurZum* aut *Bohar Cursum*, quod nomen commune habet cum sinu Arabico, & mare clausum significat. Vide Texeiram *lib.* 1. Extenditur à Septentrione in Merid. ad 600. mill. pass. nempe ab ora Olgariæ ad oram Chilaniæ. Sed ab Ortu in Occas. ad 300. tantum, ut tradunt recentiores, quibus hoc mare navigatum; quod meliùs convenit cum sententia Agrippæ in Plinio: cùm alii antiqui, ac multi recentiores, inter quos Joannes Persa, etiam illud extenderint ad 800. mill pass. in longitudinem. Terminatur à Septentr. regno Astrachani, & Olgaria, seu Calmuchiis Tartaris; ab Ortu Mauralnaharia reg. ab Occasu, Circassis & Tartaris Daghestaniæ dictis, uti Sirvania, prov. Persiæ, à Mer. autem Chilaniâ, Tabarestaniâ & Chorasaniâ, etiam Persiæ provv. In illud se exonerant plurimi fluv. uti Rha, Rhymnicus, Jaxartes, Oxus, Araxes, alii. Vide Olearium. Prop. 2. 13.

Nam jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris?

Reges Judæorum, &c.

Hyrcanus I. qui & *Joannes*, Simonis filius, patri successit, duxque populi 4. fuit anno Mundi 3831. ante Christum natum 131. an. U. C. 621. Hic summa cum laude populo præfuit, vitæ suæ insidiantes, à Ptolemæo missos, occidit. Antiochus Soter, qui & *Pius*, Hyrcanum Jerosolymis obsedit, acceptâ tandem pecuniâ obsidionem solvit. Hyrcanus Davidis sepulchrum aperuit, ingentes thesauros reperit, quibus primus Judæorum cœpit peregrinos alere, cum Rom. fœdus renovavit. Cognitâ Antiochi morte Samariam, quæ rursum à Judæis defecerat, obsedit, ac post annum captam, solo æquavit, templum Garizim destruxit, magnas opes cumulavit (nam à Regibus Syriæ, qui inter se certabant, liber factus, nullum iis vectigal, ab Antiochi morte, pendebat) quin etiam civitates Idumææ domuit. Vide 1. *lib.* Macchab. *cap.* 16. Joseph. *lib. Antiq.* 13. *a cap.* 13. *ad* 18. Fuit quoque Hyrcanus, summus Sacerdos, ac Propheta: rexit an. 25. Josephus ait 31.

Hyrcanus II. Alexandri I. Jamnei filius, Fortunæ pila, post matrem Alexandram apud Judæos regnat non ita diu, nam frater ejus Aristobulus minor natu, eum Scauri, Pompeji Ducis ope, unà cum Areta fugat: convenit tandem inter ipsos, ut Hyrcanus privatum, Aristobulus regem vivat. Verùm post an. 6. à Cæsare & Gabinio Hyrcanus restituitur; & regnum cum Antipatro Herodis patre, administrat: tandem ei aures dentibus præcidit Antigonus. Hinc Alexandræ filiæ, matris Mariammes suasu, ad Arabas profugus, ab hoc occisus est, an. U. C. 724. æt. 80. Joseph. *lib.* 14. *cap.* 1. & 22. & *de Bell J. l.* 1.

Hyrcanus, Josephi filius, sibi mortem conscivit. Joseph. *Antiquit.* 11. 5.

Hyrcanus sin. pars est maris Caspii, in Merid. extensus, inter Hyrcaniam & Margianam.

Hyreus, rusticus quidam Bœotius, qui cùm Jovem, Mercurium, ac Neptunum hospitio suscepisset, jussus petere quicquid vellet, mox voti compos futurus, respondit quidem, se nihil æquè cupere ac filium, uxorem tamen ducere nolle. Quo intellecto tres Dii in bubulum tergus, quod ille juvenco detraxerat, quem Jovi recens immolaverat, lotium reddidere. Ex quo 10. mense natus est puer, quem illi ἀπὸ τοῦ οὔρου, *ab urinâ*, *Urionem* vocavere; qui deinde primâ literâ immutatâ, dictus est *Orion*. Hyginus verò *Fab* 195. vult *Hyreum* regem fuisse, non rusticum.

Hyrgis, fluv. Scythiæ Europææ in Tanaim influens, qui incolis *Scosna* dicitur, teste Mercatore.

Hyria, Bœotiæ reg. circa Aulidem cum opp. & lacu cognomine, apud Homerum, Strabonem, Plinium & alios. Ovidius *Met. libro* 7.

Inde lacus Hyries videt & Cycneia Tempe.

Hyria, oppidum Isauriæ, ad Calycadnum fluvium, Seleuciæ urbi vicinum; pop. *Hyrienses*. Plin. & Liv. Item eadem quæ *Paros*. Steph. Item oppid. Ciliciæ, 15. mill. supra Seleuciam in Bor. Baudrand.

Hyris, promunt. Bithyniæ ad Bosp. Thracium circa Chalcedonem urb. quod & *Euron* vocatur. Steph.

Hyrium, seu *Hurium*, opp. Apuliæ Dauniæ maritimum ad Gargani montis radices, *Hyria* Herodoto, *Rhode*, teste Nigro, in ora Occid. ubi *Urias* sinus apud Melam, vulgò *Golfo di Rhode*, inter Lesinam urbec. ad Occ. 15. & Apeneste in Cæc. 8. mill. pass. Ferrar. Baudrando nunc *Rodia* oppidulum parvi momenti, in Capitanata prov. in ora maris Adriat. ad Boream montis Gargani, 25. mill. à Lesina in Ortum, 15. ab Apeneste. Pop. *Hyrini* Plin. De eo Dionysius Afer *de situ Orb.*

Usq; Hyrii summum se tendit Japygis ora.

Hyrmine, opp. Peloponnesi, in Elide. Steph.

Hyrnithium, parva reg. in Epidauro, cui nomen dedit *Hyrnitho* filia Temeni. Steph.

Hyrtacus, urbs Cretæ. Steph. Item *Hyrtacus*, à quo *Hyrtacides*. Virgil. *Æn.* 9. vir Trojanus ex Idâ monte, qui filium habuit Nisum Æneæ comitem.

Hysaeis, insf. parva ac magna Æthiopum. Steph.

Hysbe, urbs Lydiæ. Steph.

Hyscena,

Hyscena, urbs Illyrica. Steph.

Hysia, urbs Bœotiæ, colonia Hyreorum. Thucyd. *lib.* 3. à Nyćteo, Antiopes patre, condita. Est & alia regia sedes Parthorum. Item vicus Argivus Thucydidi, Characi verò civitas. Item Arcadiæ urbs. Steph.

Hyssa, fluv. Siciliæ, cum oppidulo, ad Motucam, inde 6. mill. pass. in Ortum, vulgò *Spacafurno*. De fluvio Silius *lib.* 14.

Nec non qui putant Hyssamq; Alabumq; sonantem.

Vide quoque *Hypsa*.

Hyssus, seu *Hyssi*, portus & fluv. Cappadociæ circa Cerasuntem urb. fluens. Ejus mem. Arrianus *in Periplo*. Ptolemæus & Sophronius, *in Vita Matthiæ*, his verbis: Ἐν τῇ δευτέρᾳ Αἰθιοπίᾳ (lege Καππαδοκίᾳ) ὅπȣ ἡ παρεμβολὴ Ἀψάρȣ καὶ Ὕσσȣ λιμήν. Baudrando in ora Ponti Euxini, ad ostia Hyssi fluv. portus est, 15. mill. à Trapezunte in Occasum, 40. circiter à Cerasunte in Ortum.

Hystaspa, populi Persici. Steph.

Hystaspes, Darii Persarum regis fil. ex Atossâ Cyri filiâ Herod. *lib.* 7. Fuit & ante hunc alter eodem nomine Arsamenis filius, & jam dicti Darii pater, de quo Herod. *lib.* 2. Unde Darius is perpetuò *Darius Hystaspis* filius apud Historicos appellari solet, qui quomodo post Magos occisos, ad Persarum regnum pervenerit, notum est. Nempe illi, cùm unus ex conjuratis esset de regno solicito, equi custos ait, si res ea victoriam moraretur, nihil negotii superesse: Ita autem inter se pacti erant, ut die statutâ omnes equos ante regiam primo manè producerent: & cujus equus inter Solis ortum hinnitum primus edidisset, is Rex esset. Equiso ergo equum pridie constitutam diem in eo loco equæ admittit, qui postero die, cognito loco, ex desiderio fœminæ, faustum hero hinnitum edidit. Eundem Darium Assuerum Esræ & Philonis esse, sunt qui volunt; cùm de illo Herodotus narret, Assyriam eum & Babylonem recuperasse, quod de Assuero præfati auctores tradunt. Idem Herodotus *lib.* 3. Artistanam illi concubinam tribuit, quæ appellatio non multùm ab Esteræ nomine abludit. *Celes* quoque Darius hic dictus, unde ejus Epitaphium tale fertur: *Celes, i. eques & sagittarius optimus fui*: Et ultimo Dario Alexander Magnus hoc nomine illusit, epistolam ad eum inscribens, *Rex Alexander Dario Celeti*. Alludendo nimirum ad Darii Hystaspis historiam, qui equi hinnientis auspicio Persarum Rex evasit. Vide Freinshemium *Notis in Curtii librum* 4. *caput* 1.

Hyta, vulgò *Hyth*, portus Angl. cum castro munito, in Cantio prov. ad fretum Gall. medius inter ripam & Dubrim.

Hytanis, Plin. Sol. Capella, *Tab* nunc, fluvius Carmaniæ, in ora, inter ostia Bagradæ fluv. Persidis & Armuzam urb. ad Ortum, Fortè *Andanius* Ptol.

Hytenna, urbs Lyciæ. Steph.

Hythmita, pop. juxta Liburnos. Steph.



I.

JA

Litera hęc *I.* modò vocalis modò consonans, molli & quodammodo languido sono pronuntiatur. Ad res subtiles exprimendas idonea Platoni est. Pro varietate gentium variè sonat, Italique inprimis atque Hispani, aliquoties *I.* tum vocalis, tum consonantis pronuntiationem variant. In *U*, priscis quandoque mutata, *Decumus* & *Maxumus*, pro *Decimus* & *Maximus*, dicentibus. *E* quoque in *I* nonnunquam mutatum esse, Aul. Gellius docet, *lib.* 10. *cap.* 29. Vide Cæs. Scalig. *de Causis L.L.* Voss. *in Aristarcho, &c.*

JA.

Ja, nomen min. filiæ Atlantis. Arnobius *lib.* 5. *Nonne illarum repetitio lanarum est, quibus Ja deficientem contexit, &c.* Ita Meursius. *Ja* enim Attidem expirantem lanâ contexit, non Mater magna. Arnobius antè, *Virgo sponsa quæ fuerat, quam Valerius Pontifex Jam nomine fuisse conscribit, exanimati pectus lanis mollioribus velat.*

Jabadiu, Eoi Oceani ins. Ptol. *lib.* 7. *cap.* 2. Ἰαβαδίυ. ὃ σημαίνει κριθῆς νῆσος. Εὐφορωτάτη δὲ λέγεται ἡ νῆσος εἶναι, καὶ ἔτι πλεῖστον χρυσὸν ποιεῖν, ἔχειν τε μητρόπολιν ὄνομα Ἀργυρῆν ἐπὶ τοῖς δυσμικοῖς πέρασι. *Jabadiu*, id est, *Jaba diu* sive insula *Juva*. Persis enim ac Indis *diu* insulam sonare, nemo est qui nesciat; Et inde dici insulas *Maldivas, Anchedivas, Serendivam*, &c. Sed quia *hordei insula* explicatur, putat Bochartus verum nomen olim fuisse *Jabaddiu*, & alterum D. excidisse ad vitandam κακοφωνίαν. Quæ conjectura nititur Arabicâ voce יבר *Jabad*, vel איבר *aibad*, quâ significatur herba, aut seges hordeo similis, jumentis saginandis destinata. Baudrando *Jabadii* Ins. quæ sint non constat. Sanso Japoniæ Inss. interpretatur.

Jabel, fil. Lamech ex Ada uxore, habitavit in tentoriis, & pastoritiam vitam restituit. Gen. 4. 20. Lat. *defluens*, sive *apportans*, vel *inveterascens*, aut *germinans*, sive *jubilans*, aut *buccina*.

Jabes, pater Sellum. 4. Reg. 15. Hebraicè יבש, i. e. *siccitas*, vel *confusio*.

Jabes, nomen loci. 1. Par. 2. Hebraicè יעבץ, i. e. *tristitia*, sive *dolor*. Est & nomen viri. 1. Par. 4.

Jabes Galaad, civitas in tribu Benjamin, cujus incolis occisis, quòd Israëlitis contra Benjaminitas non fuissent præstò: 400. tamen virgines residuis de tribu *Benjamin* conjuges sunt datæ, Jud. *c.* 21. Postea à Saule liberata, è manibus Naasi Ammonitæ. 1. Reg. 11. Lat. *siccitas*, vel *confusio acervi testimonii*.

Jabin, rex Hazor, à Josua victus, Josuæ *cap.* 11. Torniel. *An. Mund.* 2584. *n.* 22. Item Rex Cananæus, 20. an. servitute Israëlitis pressis à Baraco superatus est. Jud. 4. & 5. Torniel. 2721. *num.* 1. Lat. *intelligens*, vel *ædificans*.

Jabis, vel *Jabissus*, nomen urbis apud Stephanum ex Josepho.

Jabnia, civitas Philistæorum. 2. Par. 36.

Jaboc, i. e. *evacuatio*, vel *dissipatio*, aut *lucta*, nomen torrentis, qui ortus ex montibus Arabiæ, urbem Rabba irrigat, regionemque Ammonitarum terminans, in Jordanem profluit. Gen. *c.* 32. In tribu Gad.

Jabruda, urbs Syriæ, Laodiceæ Scabiosæ proxima Ptolom.

Jacar, i. e. *tribulatio*, aut *labor*, vel *ablatio possessionis*, aut *nidi*, filius Eser filii Seir. 1. Par. 1. qui Gen. 38. dicitur *Acan*.

Jacanam, i. e. *possidens populum*, sive *nidificatio populi*. Locus in Carmelo. Jos. 12.

Jacatra, urbs ampla & permunita Ins. Javæ, ab Hollandis expugnata. Vide *Batavia*.

Jacca, urbs Episcopal. Hispan. Tarracon. ad montium Pyrenæorum radices. Episc. sub Archiep. Cæsaraugustano, inde 19. leucis in Bor. ad montium Pyrenæorum radices: à Pompejo Magno condita putatur; secundùm alios Bacchum diu antè auctorem habuit. Ferrar. Baudrando urbs est Aragoniæ, ad Aragonium fluv. 16. leuc. à Cæsaraugusta, 6. à confin. Galliæ, ut & Pyrenæis montibus. Cum arce situ munitâ. 8. leuc. Hisp. ab Osca in Sept. Pop. *Jaccetani*. Ptol.

Jacchus, unum ex Bacchi nominibus ἀπὸ τοῦ ἰάχειν, i. e. à *vociferando*. Eustathius *ad finem Iliados α*: Ἰάχειν, inquit, τὸ ἠχεῖν, καὶ ἰάχειν λέγεται κατὰ ὀνοματοποιΐαν, ἀφ' οὗ καὶ Ἴακχος οὐ μόνον ὁ ἐπὶ Διονύσῳ ἦχος, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐκεῖνος. Solent enim Bacchæ, Liberi patris Orgia celebrantes, omnia inconditis clamoribus implere. Et quoniam Bacchus vini præses esse creditur, non rarò *Jacchum* poëtæ pro vino usurpant. Virgil. *Eclog.* 6.

Inflatum hesterno venas, ut semper, Jaccho.

Jachan, nomen viri. 1. Par. 5. Hebr. יעכן i. e. *conterens*, vel *comprimens*, sive *ablatio basis*.

Jachim, fil. Semei. 1. Par. 9.

Jachin, Hebr. יכין id est, *præparans*, sive *præparatio*, vel *firmitas*. Fil. Simeonis filii Jacob. Gen. 46. Item columna in porticu Solomonis. 1. Reg. 7. Nomen item sacerdotis 1. Par. 9.

Jacob, fil. Isaac, Lat. *supplantator*, quòd ex utero matris Rebeccæ exiens A. M. 2299. fratrem Esau plantâ pedis arreptum teneret, quem postea etiam non sine Dei providentiâ supplantavit. Gen. 25. *& seqq.* Deinde *Israël* dictus est, id est, *Dei princeps*, in celebri illâ cum angelo luctâ, quam describit Moses Gen. 36. & seqq. Obiit *An M.* 2345. Vide insuper Malach. 1. Rom. 9. Joseph. *Ant. Jud.* Epiphan. *de Vitis Prophetarum*. Euseb. *in Chron.* Sulpic. Sever. *Hist. Sacra*. Torniel. Salian. &c. *in Annalibus*.

Jacob, fil. Mathan, unus ex progenitoribus CHRISTI. Matthæi *cap.* 1. *vers.* 15, 16. Lucæ *cap.* 3. *vers.* 23. Heli dictus.

Jacob ben Habib, Rabbinus seculi præteriti, auctor operis *En-Jaacob*, & *Ben-Jaacob*. Genebrardus *in Notis Chron. sec.* 16. *&c.*

Jacob ben Naphthali, celebris Rabbinus, sec. 5. Unus ex præcipuis Masorethærum. Genebr. *in Script. & in not. Chron. V. S.* Serarius *lib. de Rabbin &c.*

Jacoba, nomen Principis. 1. Par. 4. Item muliercula quædam apud Rhodiginos, ex cujus ventre immundi spiritus interroganti futura prædicebant. Cæl. Rhod.

Jacoba, filia unica Guilielmi VI. Hollandiæ Comitis, ex filia Philippi Audacis Ducis Burgundiæ. Hæc ut se tueretur adversus Johannem patruum, Episcopum Leodiensem prius, postea Elisabethæ Lucemburgicæ maritum, Johanni Brabantiæ Duci nupsit: mox eo fœmineâ levitate repudiato, Glocestriæ Duci. Quare Asellata factio Philippum ei tutorem constituit, renitente Hamatâ, unde bellum: in quo tandem Glocestrii victor Burgundus hæres Jacobæ declaratus est. A. C. 1430. Vide Suffrid. *in Chron.* Annales Flandr. &c. Item, *Epistolam Jacobæ Bavaræ, ad Johannem patruum*, auctore Jano Douſâ: *& responsum Johannis Bavari ad Jacobam*, ab Hug. Grotio concinnatum, inter hujus *Elegias lib.* 1.

S. Jacobi insula, una est ex iis quas vocant *insulas Capitis Viridis*, eaque primaria. Distans à Linea Æquinoctiali 15. gradibus, consita variis arborum generibus, patens in longitud. mill. 7. Metel.

Jacobini, vide *Dominicani*.

Jacobipolis, urbs Virginiæ, ab Anglis excitata, in memoriam Jacobi R. juxta fluv. Pouvatanium, aliquot mill. à mari. Vulgò *Jamestowne*.

Jacobi sinus, vulgò *Jamesbay*, pars sinus Hudsonii, maximè in Austrum extensa, versus novam Franciam, in ora novæ Walliæ Merid. Dicta à Thoma Jacobo Anglo, qui has oras primus lustravit. An. 1631.

Jacobitæ, sectatores Jacobi Zanzali Syri, qui sec. 6. ex Eutychis, Dioscori, aliorumque erronum deliriis novam hanc sectam conflavit. Negant Trinitatem personarum, baptismum administrant applicando ferrum candens fronti infantum prius circumcisorum: Abusi loco Matthæi 3. de spiritu & igne. In Asia, Assyria, Diarbec, Mesopotamia, Nubia, Ægypto, Æthiopia, &c. numerosos habent cœtus. Sub Patriarcha, cui sedes hodie in urbe Caramit, cum titulo Patriarchæ Antiocheni: Plurimos hic habet sibi obnoxios Archiepiscopos, Hierosolymitanum, Damascenum, Edessenum, Cyprium, &c. Vide Niceph. *lib.* 18. *c.* 52. Jac. Vitriac. *hist. Or. c.* 76. 77. Matth. Paris. *in Henrico III.* Morerium *Diction. hist.*

Apostoli.

Jacobus, dictus *Major*, Apostolus, frater Joannis Evangelistæ, cum illo *Boanerges* dictus, quorum pater Zebedæus dicebatur. Matth. 4. Herodis Agrippæ jussu decollatus, Act. 12. converso, Apostoli ad mortem euntis constantiâ, accusatore, An. Chr. 41. Hunc Tutelarem Hispania agnoscit, cujus & sepulchrum Compostellæ ostenditur, unde peregrinationes Compostellanæ. Sed illas unâ cum tota hac historia in dubium vocant Baronius *in Martyrol. ad* 25. *Jul.* & *in Annal. Eccl. ad An. Chr.* 816. Simon Boschus, Erasmus *in coll. Peregrinationis religiosæ*: imò totam hanc controversiam eruditè decidit Morerius *in Dict. Hist.* In *Epistolam* ejus divin. extant: Althameri *Annot.* Argentor. 1527. Bracchus. quart. Parmæ 1605. Brochmanni *Comment.* Clemens Alex. Cavotti *in c.* 1. *Lect.* Romæ 4°. de Daça. Feuardentii *Comm.* Folengius, in 8°. Basil. 1555. Gail, *Assertion. Theol.* 8°. Dilingæ 1565. Hornejus. Laurentii *Comm.* 4°. Amstelod. 1645. Logenhagen *Annot.* 12°. Lovanii. Paez. Paræi *Comm.* Quiros. Stancarus. Stevartius. Tucki *Index fidei in c.* 1. *&* 2. 4°. Londini 1618. Volzogenius Socin. Winckelmanni *Comm.* Zonaras. Zuinglii *Annot.* Vide Crowæi *Elenchum.*

Jacobus, cognom. *Minor*, fil. Alphæi, *Justus* & *Frater Domini* insuper dictus, frater Judæ Apost. ipse Apostolus. In Concilio Hierosolymitano Præsidem egit, Actor.15. & à Paulo Gal.2. v. 9. inter columnas Ecclesiæ primo loco ponitur. Anani II. Pontificis S. jussu occisus, an.Chr.62. Ob quam cædem ipse Josephus ruinam Hierosolymæ contigisse postea credidit, viri sanctitatem admiratus. Auctor Epistolæ Canonicæ, ad 12. Tribus in toto orbe dispersas. Torniel. *A.M.* 4018. *n.* 2. 4082.*n.*7. & 8. Pamelius *in Tertull.* Morerius *Diction.* Vide supra.

Reges Arragoniæ.

Jacobus I. Arragoniæ Rex. an. æt.6. post Petrum II. in prælio contra Simonem Montfortium, an.1213. occisum. Cùm 13. an. attigisset, duxit Eleonoram sororem Ferdinandi Castellæ R. decimoque post anno repudiavit. Mauris Majoricam, Minoricam, regnum Valentiæ, &c. eripuit, Principibusque rebellibus devictis, *Bellicosi* elogium meruit. Convenit an. 1258. cum Ludovico IX. ob Comitatum Monspeliensem ad se pertinentem, & expeditionem sacram pollicitus, paucas saltem naves in Orientem misit. In sequiorem sexum plus æquo pronior. Condidisse dicitur ad 2000. templorum. Obiit an. 1276. æt. 70. regni 63. Ex Yolanta, filia Andreæ Hungariæ R. parens Petri successoris, Jacobi Majoricæ R.&c. Surita *Hist.lib.*2.&c. Mariana *l.*13. & 14. Hieron. Blancus *de rebus Arragon.*

Jacobus II. fil. Constantiæ Siculæ, ex Petro III. *Siciliæ* regnum occupavit, successit fratri Alphonso III. an. 1291. Cæsaraugustæ coronatus, Siciliæ administratione Friderico concessâ. Pacem iniit cum Gallis, bello contra Mauros & Navarrenos minus felix, Comitiis indictis, Arragoniæ, Valentiæ & Catalauniæ regna inseparabilia esse in posterum voluit: Obiit Barcinone, anno Chr. 1327. regni 36. ætat. 66. Ex Blanca, fil. Caroli R. Neap. pater Alphonsi IV. Successoris,&c. Surita, *lib.*2. *Ind.* Mariana *l.*14. Villanius *l.* 7. &c.

Scotiæ & Angliæ Reges.

Jacobus I. Scotiæ R. fil. Roberti III. vivo adhuc patre, in Galliam transiturus; ab Anglis captus, & post 18. an. eâ lege dimissus est, an.1424. ut Johannam fil. Com. Somerseti duceret, dotisque loco illis 100000. marcarum argenti penderet. Patri, paucis post nuntium de filii captivitate diebus, mortuo successit, jamque liber pœnam ab illis sumsit, qui se absente officio defuissent. Dissimulato quoque habitu sæpe subditis immixtus, exploravit, quî cum illis ageretur. Obiit an.1437. in lecto, 26. ictibus confossus à cognatis eorum, quos ob crimina puniverat: Reginâ, quæ maritum suo corpore objecto tuebatur, bis terque læsâ. Boëthius *l* 17. & 18. Buchan. *l.*10. & 11. Leslæus *Hist Scot.l.*7. & 8. Monstrelet. *l.*2.

Jacobus II. an. ætat. 7. post mortem Jacobi I. patris coronatus, sub tutela Alexandri Levistoni. Turbas, ex diversis matris nuptiis obortas, composuit, Carolo VII. contra Anglos suppetias misit, in obsidione arcis *Roxburg*, globi ictu, occisus. An.1460. ætat.29. Ex Maria Geldrica, quæ mortuo marito arcem occupavit, pater Jacobi III. Alexandri & Johannis. Boëthius *l.*18. Leslæus *l.*8. Buchan. *l.*11.

Jacobus III. an. ætat. 7. patri successit, sub tutela Matris, cui à Statibus regimen abrogatum, & Sex-Viris commissum est. Duxit dein Margaretam fil. Christierni I. Daniæ R. Sed Astrologiæ nimium deditus, fratres detineri jussit, & Alexandro in Galliam profugo, Johannem sustulit. Ab Alexandro in Angliam reverso eò redactus, ut in vincula conjiceretur, illo nitente rursus liberatus est. Postea in prælio contra suos, occisus. An. 1488. ætat. 35. Buchan. *hist Scot.*

Jacobus IV. fil. prioris successit, an. æt. 16. Pius, Justitiæ assertor, pacis & boni publici amantissimus. Proceres rebelles ad obsequium redegit, corpus catenâ cinxit, quam quotannis annulo auctiorem reddidit. Ludovico XII. fidus, cùm totus ferme in illum conjuraret orbis, occisus est in prælio contra Henricum VIII. postquam salutare monitum Angeli cujusdam neglexisset. An.1513. Buchan. *l.*13. Lesl. *Hist. Scot.l.*8. Polyd. Virg. *l.*27.

Jacobus V. fil. prioris, sub tutela Margaretæ sororis Henr. VIII. Angliæ R. successit, secundis matris nuptiis turbatus. An.æt.17. res regni composuit, remotis quorum gravis potentia, justitiæ pacisque cultor, affulgere subditis purioris religionis lumen vidit. Non rogatus, suppetias tulit Francisco I. contra Carolum V. ejusque filiam Magdalenam duxit Lutetiæ, an.1537. Quâ incredibili Scotorum luctu, anno vix exacto, mortuâ, Mariam fil. Claudii Guisii, Longavillani D. viduam sibi junxit. Acie semel contra Henricum VIII. victor, longè graviori postmodum clade affectus est. Obiit an.1542. Pater Mariæ Stuartæ. Lesl. *Hist. lib.* 9.

Jacobus VI. Rex Scotiæ, & I. magnæ Britanniæ, filius Mariæ Stuartæ, ex Henrico Stuarto, an.1566. æt. 1. coronatus; Matrem in Anglia decollari indoluit; insidias procerum quorundam admirabili felicitate evasit, ab Elizabetha hæres dictus ei successit, anno 1603. & sicut *Henricus rosas, regna Jacobus* conjunxit. Pulverariam conjurationem, jam M. Britanniæ R. Dei providentiâ denuo tutus, disjecit, literis egregiè imbutus, quod opera ejus edita abundè testantur. Scripsit enim *Meditationes binas, pr. in* 7. 8. 9. 10. *vers. cap.* 20. *Apoc. post. in vers.* 25–29. *cap.* 15. *Chron. Paraphrasin in Apocal.* Δῶρον βασιλικὸν *ad fil. aliaq;* qua omnia I. *tom. Angl. Londini an.Chr.*1616. & *Lat. fol. ibidem an. Chr.*1619. *prodierunt.* Pontificios toties suæ vitæ insidiatos Angliâ pepulit, Batavos, ut sibi ab Arminio caverent, graviter hortatus est; pacis amans. Obiit an. 1625. mense Martio, unde distichon,

Non miror, Regem si Martius abstulit Angliæ,
Pacificis semper Mars inimicus adest.

Relicto successore Carolo I. filio.

Reges Cypri & Principes regii sanguinis.

Jacobus, Cypri fil. nothus Jani Lusigniani, Charlotam Jani filiam, quæ Ludovico Sabaudo nupserat, regno expulit: ductâ Margaretâ Cornariâ, matre Jacobi brevi pòst mortui. Item, Rex Majoricæ, à Petro Crudeli, Arragoniæ R. pulsus. Mariana *lib.*15. *cap.* 18. Pater Jacobi, qui tertius maritus Johannæ I. Neap. ab illa post trimestre repudiatus est. Nostrad. *Hist. Prov. p.*429. Boucheus *l.* 9. Item, Rex Nicosiæ, vel Cypri, postea Armeniæ, captus à Genuensibus, thronum conscendit an.1383. Folieta, *hist. Genu. l.*9. Steph. Lusinianus, *Hist. Cypr.*

Jacobus Borbonius, fil. Ludov. I. tertius, ex Maria Hannonica, Comes Marchiæ, &c. Connestabilis Galliæ, obiit Lugduni vulneribus graviter sauciatus in prælio ad locum *Brignais*, contra *Tardè advenientes*. Ex Johanna de S. Paulo, pater Petri, Johannis & Jacobi, atque hoc avus *Jacobi*, sub Carolo VI. VII. & Isabella, famosi. Sicut ex Johanne, qui familiam propagavit, alterius Jacobi, qui Johannæ II. Neap. maritus, uxoris moribus offensus, Vesontionem concessit, Franciscani habitu sumto, obiitque an.1438.

Principes alii.

Jacobus, filius Mauritii, Comitis Oldenburgici, cui in divisione paternæ hæreditatis Delmenhorstum obtigerat, adhuc impubes patrimonio exutus, piraticam exercuit, & in Norvegia exul defunctus est; sub finem sec. 15.

Jacobus, Marchio Badensis, fil. Bernardi: ubi latrocinium in sua ditione commissum agnovit, damnum ex ærario suo refudit: Obiit A. C. 1453. In ejus elogiis recensendis totus est, Æneas Sylvius. Pater, inter alios, Caroli fuit, cujus filius Christophorus, præter alios genuit *Jacobum*, in Archiep. Trevirensi Propatrui successorem, & ex disciplina Phil. Beroaldi principem illo tempore doctissimum, & linguarum apprimè peritum.

Jacobus, fil. Caroli, Marchionis Durlacensis, cùm ejus nomine Formulæ Concordiæ tutores subscripsissent, an. Chr. 1589. à Pistorio apostata, ad Latinos ritus, se abduci passus est. Obiit an. Chr. 1590. Vide Thuan. *lib.* 99. Pater fuit Ernesti Jacobi, non toto anno patri superstitis, cujus tutor Evangelicam religionem in ditionem reduxit.

Jacobus, fil. secundò-genitus Vladislai, Silesiæ sup. Ducis, an. C.1272. extincti, frater fuit Micislai D. Teschinensis. Ei quidam Ducatum Troppaviensem seu Oppaviensem & Ratiborium assignant, & horum Principum conditorem faciunt: Aliis aliter sentientibus. Vide Phil. Jac. Spenerum. *Syll. Geneal. Histor.*

Viri celebres.

Jacobus, Diaconus Ecclesiæ Hierosolymitanæ in Phœnicia, scripsit vitam S. Pelagiæ pœnitentis.

Jacobus & Conradus, Cantabrigienses, Viclefi discipuli, disputarunt in Pragensi Academia publicè, contra Transsubstantiationem, Confessionem Auricularem, Ordinationem &c. Docentes insuper, Papam Antichristum esse. An.1404. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Jacobus Acontius, Tridentinus, Theologus, JC. & Philosophus, præter alia, scripsit *de technis Satanæ*, libb. 8 sec. præterito.

Jacobus Alkindus, Mathematicus, an. 1235. Præter alia, *de Radiis stellarum* scripsit.

Jacobus Almanius, Cenomanensis, Scoti & Occami sententiæ mordicus adhæsit. Scripsit *Moralem Phil. Lecturam in* 3. *Magistri sent. De potestate Eccl. De auctoritate Eccl.* &c.

Jacobus Alvarotus, JC. Ticino oriundus, scripsit *Commentaria in libb. feudorum*, &c. Forster. *l.*3. *hist. Juris Civil. c.* 34. *n.*8.

Jacobus Amiotus, vide ibi.

Jacobus de Arena, Ravennas, vel Parmensis, eruditione inclytus, an. 1280. Trithem. *in Cat. de S.E.*

Jacobus Arminius, vide *Arminius.*

Jacobus Arteville, cerevisiæ coctor, Flandriam turbavit, occisus an. 1345. cùm filium Eduardi Angli, ad Comit. Flandrici dignitatem provectum iret.

Jacobus Asculanus, Scotum in tabulas redegit, an. 1476.

Jacobus Augustus Thuanus, Parisiensis, fil. Christophori, genere illustri, à consiliis Galliæ R. Præses Parlamenti Parif. *Cato* sui ævi, & Galliæ ornamentum. Composuit Historiam sui temporis, ab an. 1543. usque ad an. 1607. libb. 138. cum quolibet veterum facilè conferendus: Quam cur quidam, causæ suæ diffisi, castraverint, ipse prædixisse visus est, in carmine, inter alia, historiæ vitæ suæ, subjuncto; Ubi orditur:

Libertatis ego nimium, veriq; quòd acer
Assertor fuerim, vitiorumq; horridus osor,
Et Romæ, & nostra passim traducor in aula, &c.

Obiit, an.1617. Scævola San Marth. *elog. Doct. Gall* ei dedicavit.

Jacobus Bassentinus, Scotus, de usu Astrolabii, de Sphæra, &c. scripsit, sec. præterito.

Jacobus Bavia, Lusitanus, concilio Tridentino interfuit, eruditione inter suos notus.

Jacobus de Beauvoir, JC. Bononiensis, 7. libb. Item Commentarios *de Feudis* scripsit. An. 1270.

Jacobus Bereau, Picto, Poëta celebris, sec. praet.

Jacobus Bessonus, Delphinas, varios libros Mathem. edidit, eodem tempore.

Jacobus Billius, Abbas Ordinis S. Benedicti, Theologus, Mathematicus, JC. Poëta, S. Gregorium Theologum, & Isidorum Pelusiotem vertit, &c. Obiit an. 1580. Parisiis.

Jacobus Bracciolinus, vel *Brandolinus*, fil. Poggii Florentini, Orator celebris, Historiam Patris Italicè transtulit, aliaque ipse composuit. Implicitus conjurationi Pactiorum contra Medicaeos, de fenestra capitis conjuratorum suspensus est. An. 1478. Polit. *Conjur. Pact.* Paul. Jov. *in elog. Pop.*

Jacobus Bracellus, Genuensis: scripsit res inter Hispanos & Genuenses bello gestas, ab an. 1412. usque ad an. 1444. Item de Viris ill. Genuensibus, de ora littorali Genuae, &c. Circa an. 1450. Leander Alb *descr. Ital.* Paul. Jovius, *elog. c.* 112. Gorla, *in praef. Hist. Brac.* Voss. *de H. L.* &c.

Jacobus de Bugy, Andegavensis, Poëta Latinus & Gallus excellens, Margaretae Navarreae, sorori Francisci I. gratus. Obiit an. aet. 73. Scaevola SanMarth. *l. 3. elog.*

Jacobus Bussularius, vide ibi.

Jacobus Butringarius, JC. Bononiensis, scriptis celebris, Baldi praeceptor.

Jacobus Christmannus, Mathematicus scriptis celebris, sec. praeterito.

Jacobus Clericus, Atrebas nobilis, in aula Philippi Boni, memoriam suae vitae edidit.

Jacobus de Clusa, Carthus. Ascetica scripsit. Petrejus B. C.

Jacobus Congelshofius, Auctor historiae Argentinensis.

Jacobus Cor, argentei vasarii praefectus, sub Carolo VII. & aerarii tribunus, divitiis potens. Delatus an. 1452. variorum criminum, 100000. thaleris culpam eluit. Capitaneus Gen. Ecclesiae contra Infideles, in elogio suo, dictus. Obiit an. 1456. Mezerajus *in Carolo VII.*

Jacobus Cujacius, vide ibi.

Jacobus Curtius, JC. Brugensis, *Conjecturalium* 2. tomos, &c. scripsit. Idem nomen primo Ep. Brugensi fuit. Obiit an. 1567.

Jacobus Dalechampius, nobilis Cadomensis, Medicinam Lugduni fecit, ab an. 1552. usque ad an. 1588. quo obiit. Scripsit historiam plantarum, vertit Galenum, illustravit Aeginetam & Plinium scholiis notisque.

Jacobus Drieschius, Flander, Chronici auctor, &c. Meyer. *l. 5 An.*

Jacobus Duportus, Anglus, Cantabrigiae natus, familia perantiqua, in agro Leicestriensi, apud *Shepshey*, Gr. Lit. Exprofessor, S. T. P. Decanus Petroburgensis & Collegii D. Magdalenae Praefectus, floret adhuc in Anglia. Ejus extant: *In Jobum Θρηνοθριαμβὸς Graec. & Lat. In Psalmos Metaphrasis metrica. Solomon ἔμμετρος*, &c. Avus ei fuit egregium Ecclesiae lumen R. Coxus, Episcopus Eliensis; Pater Johannes Duportus, Gr. & Hebr. Lit. callentissimus, Collegii Jesuani apud Cantabrig. Professor, Whelocus ante Θρηνοθριαμβόν.

Jacobus de Ense, ordo mil. in Hisp. contra Mauros primùm institutus. Confirmatus ab Alexandro III. an. 1175. &c. Insigne, ensis, cum lemmate, *Rubet ensis sanguine Arabum.* Ipse Rex Magnus Ord. Magister est. Rodericus Tolet. Mariana & Favinus, *Theat. hon. & Eq.*

Jacobus Faber, Stapulensis, Sorbonicus Doctor, mole exiguus, ingenio maximus, ex seipso natus. Divinarum humanarumque rerum callentissimus, scripsit in Aristotelem, & Mathematica quaedam. Hunc N. T. vulgatae versionis emendationem & purioris religionis instaurationem fortiter aggressum, exulem, tutata est Margareta Valesia, pietate heroina, virtute ac literis laudatissima; & piè in Domino mortuum, marmore, quod pro se exscindi curaverat, contegi voluit. Ejus extant: *Psalterium quintuplex: Comm. in Eccles. & Danielem: in 4. Evang. Commentarii Initiatorii: Comm. in Epistolas Pauli, item in Epistolas Canonicas, &c. Philosophus suo tempore celeberrimus*, Trithem. *Faber ingeniorum appellari solebat, quum in omni ferè doctrina genere ad docendum aptissimus haberetur. A Lutherana doctrina non procul abfuit, ita ut in ea suspicione senex moreretur*, Jovius *in elog. Vir doct. cap.* 121. Vide etiam Hubertum Thomam, Leod. Spond. *An.* 1525. *n.* 15. Thuan. *hist. l.* 17. &c.

Jacobus Fayus, celebris sec. praet. Scaevola S. Marth. *elog. lib.* 4.

Jacobus Fornerius, vide *Benedictus XII.*

Jacobus Forojuliensis, Medicus insignis, an. 1430. In Hippocratis aphorismos, Galenum &c. commentatus.

Jacobus de S. Georgio, Cardin. Bonifacii VIII. nepos, scripsit de Jubilaeo.

Jacobus Gohorius, Parisinus, auctor Hist. Peruvianae, scripsit de usu & mysteriis notarum, &c. An. 1550.

Jacobus Gopelius, Medicus celebris, eodem tempore; scripsit varia. Bibliotheca à militibus direpta, prae moerore obiit. SanMarth. *elog. lib. 2.*

Jacobus Gordonus, Jesuita Scotus, à Confessionibus Lud. XIII. Chronologiam & Comment. in Scripturam 3. volum. fol. edidit. Obiit an. 1641. Alius, in Controversiis subactus, obiit Parisiis an. 1620.

Jacobus Gretserus, Jesuita Germanus, varia edidit.

Jacobus Gruitraedus, Carthus. auctor 27. tractatuum. Petrejus *B. C.* Obiit an. 1472.

Jacobus Guisius, Auctor Chronici & Annalium Hannoniae. Obiit an. 1348.

Jacobus de Hauteville, in dioecesi Mogunt. eruditione insigni praeditus, an. 1360.

Jacobus Hieronymus, Carthus. Parisinus, auctor *Hecatostichi*, seu apologiae Brunonis. An. 1530. Simler. *in Bibl. Gesn. Epit.*

Jacobus Hollerius, Stampensis, Medicus insignis, sec. praeterito. Thuan. *Hist. l.* 32. SanMarth. *in elog. l.* 2.

Jacobus Junter Busch, Carthus. Germ. Auctor 75. tractatuum, Obiit an. 1466. Petrejus *in Cat.*

Jacobus Justi, Catalaunus, ex praecipuis Beguardorum capitibus; Concilio Viennensi condemnatus. an. 1311.

Jacobus Kebelius, Germanus, scripsit de Astrolabio, de Arithmetica, &c.

Jacobus Latomus, Doctor Lovaniensis, celebris inter suos. Obiit an. 1544. Opera ejus nepos cognom. edidit, an. 1550. Swertius, &c.

Jacobus Laurentius, Amstelrodamo Batavus, floruit an. 1641. Ejus extant: *Expositio historiae Josephi: S. Paulus δυσνόητος: Commentarii in Epist. Jacobi, Petri, & capp. 3. pr. Apocalypseos.*

Jacobus Ludov. Strebaus, Gallus, à Scaevola SanMarth. *elog. lib.* . laudatus.

Jacobus Magnus, Doctor celebris, Tolosae floruit, anno 1415.

Jacobus Malvetius, Medicus & Historicus Brixiensis, anno Chr. 1432.

Jacobus Mangotus, à Scaev. SanMarth. *elog. l.* 3. laudatus.

Jacobus Massonius, scripsit concordiam Platonis, & Aristotelis: Thomae & Scoti, comment. in Dantem, &c.

Jacobus Mauritius, Carthus. Parisinus scripsit, an. 1602.

Jacobus Menochius, Ticinensis, JC. inclytus. an. 1580.

Jacobus Middendorpius, Oldenzilà oriundus, scripsit libb. 8. *de Academiis orbis universi, de Vita Coenobiali, &c.*

Jacobus Mycillus, Argentinensis, quia in juventute sua Mycillum dialogi Lucianei, cui tit. *Somnium*, vel *Gallus*, pulchrè repraesentavit, sic dictus. Scripsit an. 1530. varios libros Mathematicos. Praeceptor illustrium discipulorum, & Pater duorum filiorum, quorum alter JC. celebris. Voss. *de Scientiis Mathem.*

Jacobus Mosander, Flander, Carthus. celebris.

Jacobus de Nisibe, cognom. Sapiens, Episc. urbis hujus, in Mesopotamia. Zelo pro orthodoxia, & tolerantia malorum inclytus. Interfuit Concilio Niceno: Nisiben contra Persas tuitus est. Anno 350. In Syriaca lingua varios scripsit Commentarios. Gennad. *cap.* 1. *de Viris Illust.* Theodorus *in ejus Vita.* Theodoret. *lib.* 2. *hist.* Hieron. *in Chron. &c.*

Jacobus Palaeologus, ex Imperatoria stirpe, Romam venit, Jacobinus ibi factus. Inde per Germaniam, in Poloniam delatus, Arianis se junxit, plurimis in Moravia, quò missus erat, seductis. Maximiliani II. jussu captus, an. 1575.

Jacobus Pamelius, Brugensis, operibus suis, notis inprimis in Tertullianum, Cyprianum, &c. nomen immortale promeritus. Obiit an. 1587. Swert. *in Athen. Belg.* Val. Andreas, *in Bibl.*

Jacobus Pantaleon, Trecensis, vide *Urbanus VIII.*

Jacobus Pellio, Coenomanensis, Mathematicus, Medicus & Poëta. Scripsit varia, sec. praet.

Jacobus Perezius, aliàs *Jacobus de Valentia*, scripsit in Psalmos, Canticum, &c. contra Judaeos, &c. Obiit an. 1491. Thomas de Herrera, Simlerus, Morerius *Diction. Hist.*

Jacobus Philippus de Foresta, dictus *Bergomas*, Eremita, Innocentio VIII. gratus. Auctor Chronici, à M. C. usque ad an. 1503. cum tit. *Supplementum Chronicorum*, seu *Supplementum Supplementi*, libb. 16. Item, libri de matronis Christianis ill. Item *Confessionalis* seu *Interrogatorii*. Sabellic. Voss. &c. Obiit an. 1515. aet. 85.

Jacobus Picolomineus, Lucensis Cardin. scripsit Historiam & Epistolas. Obiit an. 1489. Voss. *de H. L. l.* 3.

Jacobus Raimolanus, Carmelita Gandav. Mathematicus Poëta & Orator, obiit Romae, an. 1508.

Jacobus Rammingus, Mathemat. Scripsit de aedificiis & Architectura.

Jacobus Ravanus, Lotharingus, Jurisconsultus, disputationum Scholasticarum, in Jure, auctor, an. 1300. Forsterus, *Hist. Jur. civ. Rom. l.* 3. *c.* 22.

Jacobus Romanus, Jacobinus, scripsit *de Victoriis, de persecutionibus*, &c. Leander Alb. *l.* 4. *de V. I. O. P.*

Jacobus Rosius, Auctor Ephemeridum celebris. Voss. *de Mathem. c.* 68. §. 27.

Jacobus Sadoletus, Mutinensis, fil. Johannis JC. inclyti, Graecè Latineq; doctissimus, Nicolai Leoniceni in Philos. discip. Theologus, Orator, Philosophus, Poëta celebris, Episc. Carpentoractensis, Franc. I. gratus, missus à Paulo III. in Galliam ad Regem hunc permovendum, ut cum Carolo V. pacem iniret, Cardin. factus, an. 1534.

Par-

Parmæ pace conclusâ inter Imper. & Papam, scripsit Orationem *de bono Pacis.* Obiit Romæ anno 1547. ætat. 70. Edidit libb. 16. Epistolarum, Orationes, Poëmata, interpretationem in Psalmos, & epist. Paulinas, de Philosophica consolatione & meditatione in adversis, de liberis rectè instituendis, de Philosophiæ laudibus, &c. *Eximium suæ ætatis decus*, Erasmo: Vir doctissimus *& Ciceronis imitator non vulgaris*, Gesnero. *Orator ævi sui uberrimus*, aliis: Maximi fecit Johannem Oecolampadium, Ecclesiæ Basil. Reformatorem, *quem utinam*, dicere solitus erat, *extinctum possem, jure dolere; sic enim litera & doctrina hominis postulabant.* Videatur Bembus, Thuanus, Jovius, Morerius, *Diction Hist. &c.*

Jacobus Salianus, Avenionensis Jesuita, Auctor Annalium V.T. Obiit Lutetiæ, anno 1650. De eo sinistrè admodum judicat Montacutius *in appar.* cùm ait: *Voluminosus ille Chrono-rhapsodus exscripsit undecunque collecta & arrosa, sine delectu plerunque ac judicio, è Lyrano, Abulensi, Carthusiano, Josepho, Hebræorum Chronologia, more solenni: quippe se professus est Josepho adversarium, omnia depravat, & pervertit, in sensum certè vertit deteriorem, &c.*

Jacobus de S. Martha, Medicus insignis.

Jacobus Sannazarius, ad imitationem Pontani, qui Joviani cognom. assumsit, *Actius Sincerus Sannazarius Parthenopæus* dici voluit. Poëta eximius, scripsit libb. 3. *de partu Virginis, Lamentationem de morte Christi*, cum Eclogis. Ferdinando jun. Neapol. R. gratus & fidus. Obiit an. 1530. æt. 73. Joh. Bapt. Crispus *in vita ejus*, an. 1593. Paul. Jov. *in elog. Doct. cap.* 80. Lilius Girald. *in Dial Poët.* Voss. *de P. L.* Jul. C. Scaliger, &c.

Jacobus Schegkius, Medicus & Philosophus Tubingensis, libris magno numero editis celebris. Melchior Adami *in vitis Medic. Germ.*

Jacobus Schmidelinus, seu Andreæ, Theologus Luth. cum Brentio & Flaccio, dogma de Ubiquitate corporis Christi, quod Academia Wittebergensis & Lipsiensis oppugnabant, acriter ursit, cùm vehementis ingenii esset, Wittebergensium sententiam pro Mahometana habere se dicens. Hinc lites coram Augusto Electore, delationes, conventus, tandem Torgæ formula *Concordiæ* conscripta, cui qui subscribere renuebant, sub custodiam missi, extra fines ejecti, &c. Hæc Bergensi postmodum Monasterio, an. 1577. à Smidelino, Musculo, Selneccero, Chemnitio, Chytræo & Cernero solenniter stabilita ac promulgata, omnibus Ecclesiis diversum sentientibus anathema dixit, plurimis Principibus attonitis, Friderico Daniæ R. subscriptionem suis prohibente. Ad extremum ipsi Electori exosus, decessit. An. 1589. Postquam & cum Beza, irrito successu, collocutus esset.

Jacobus Sirmondus, Arvernus, Jesuita, Confessionarius Ludov. XIII. scriptis celebris. Obiit an. 1651. æt. 90.

Jacobus Spiegelius, JC. Carolo V. & Ferdinando I. à consiliis. Nepos B. Rhenani ex sorore.

Jacobus Spifamus, Parisinus, Episc. Nivernensis, Genevam se recepit, an. 1559. ubi quid inter illum & Calvinum contigerit, Vide apud Bulling. *l. 1. hist. sui temp.*

Jacobus Sprengerus, Jacobinus, eruditione excellens. an. 1490.

Jacobus Suedericus, Francisc. de origine Ordinum sacrorum, scripsit, an. 1439. Simler. *in Bibl.*

Jacobus Suffrenus, Confessionarius Mariæ de Medicis Reginæ. Asceticorum variorum auctor, obiit an. 1641.

Jacobus de Susato, Dominicanus, auctor Chronici, &c.

Jacobus Sylvius, Ambianus, Medicus celebris, scriptis immortale nomen meruit. Sed Galeno & avaritiæ nimium litavit, unde versus:

Sylvius hic situs est, gratis qui nil dedit unquam,
Mortuus & gratis quòd legis ista, dolet.

Obiit an. 1555. æt. 63. San Marth. *elog. l.* 1.

Jacobus Ticinensis, vulgò *Cardinalis Papiensis*: scripsit Epistolas & Historiam sui temporis. Pio II. gratus, Volaterram patriam habuit, ab imperito Medico necatus. Paul. Jovius, *in elog. cap.* 20. Leand. Alb. *descr. Ital.*

Jacobus Tussanus, Remensis, Græcè doctissimus, sub Francisco I. Thuan. *hist. lib.* 3. San Marth. & Jovius, *in elog.*

Jacobus de Visi, seu de Itro, Gallus, Arch. Hydruntinus, Cardin. à Clem. VII. creatus, an. 1375. postquam à Gregorio IX. Patr. Constantin. pro Latinis dictus esset, Macario à Græcis Philotheo surrogato.

Jacobus Viterbiensis, Arch. Neapolit. magni nominis, an. 1310.

Jacobus Vitriacensis, Episcopus Ptolemaidis Cardin. & Legatus in Gallia ac Oriente, scripsit inter alia, Historiam Or. & Occ. libb. 3. Librum contra Saracenos, &c. Obiit Romæ, an. 1244. Voss. *de H. L. l. 2. c.* 57. Morerius *Diction. Hist.*

Jacobus de Voragine, Arch. Genuensis, primus Biblia Italicè vertit, Chronicon Genuense scripsit, auctor *Legenda aurea*, quam scriptam esse *ab homine ferrei oris, plumbei cordis*, dicere solebat Claudius Espensæus, Theologus Sorbon. ex Ludovico Vive. Obiit an. 1294. Voss. *de H L. l. 2. c.* 60. Morerius *Diction.*

Jacobus Usserius, Dublino Hibernus, natus an. Chr. 1580. clarâ familiâ, Cancellarius Patritii Dublinensis, Arch. Armachanus, & totius Hiberniæ, post avunculum Henricum, Primas. Ejus extant, *Chronologia V. T. fol. Annales N. T. fol. Tractatus de Cainane quart. Syntagma de Gr. LXX Interpretum versione, quart* &c. Obiit an. Chr. 1655. *Vasta lectionis, & eruditionis Theologus, inque Eccl. Antiquitate versatissimus*, Voëtio. *Eruditione, & pietate & scriptis inprimis, clarus*, Bertio. *Acatholicorum doctissimus*, Fitz-Simondo P. *Insignis Calvinista Hibernus*, Moranesio *in Antijansenio.* Vide Bernard. *in ejus vita.*

Jacobus Wimphelingus, Selestadiensis, Professor Heidelberg. Theologus, Orator, Philosophus, Poëta & Historicus, scriptis clarus. Sub initium sec. 16 floruit. Gesn. *Bibl.* Paul. Langius *in Chron. Citizensi, p.* 886. Lil. Giraldus, *dial. 1. de Poët.* Voss. &c.

Jacobus Zabarella, Patavinus, Philosoph. celebris, Obiit an. 1589.

Jacobus Zanzalus, Vide *Jacobita.*

Jacobus Zenus, Venetus, Episc. Patavinus, vitas Paparum condidit. Obiit an. 1476. Jac. Bergomensis, *l.* 15. &c.

Jacobus Zieglerus, Mathematicus, Astrologicos, Geographicos, &c. tractatus edidit.

Jactum, fluvius Liguriæ. Plin. *Grana* quibusdam, ex Apennino in Padum ante Tanarum influens, per montem Ferratum.

Jada, i.e. *sciens*, vel *cognoscens*, filius Onan. 1. Par. 2.

Jadaja, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Jadan, Propheta. Joseph. *Ant. lib.* 8. *cap.* 8.

Jaddas, fil. Joannis, summus sacerdos apud Judæos.

Jadder, J. Lucio Salona, Slavis *Solin*, fluv. Dalmatiæ in Adriaticum mare se exonerans, juxta quem est opp. *Jadera* Apolloniæ, & Salonæ ruinis vicinum, hodie *Zara*, Venetis subditum. Lucanus *libro* 4.

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jadder.

Jaddo, i.e. *manus*, *potestas*, sive *confessio ejus*, nomen viri. Esdr. 2.

Jaddus, vel *Jeddoa*, summus sacerdos Judæorum, post Jonathanem. A.M 3721. Alexandrum M. genti suæ iratum, quòd Tyrum obsidenti annonam non summisissent, Pontificalibus vestibus indutus placavit, eumque de vanitate Deorum gentilium edocuit, qui hac de re ad matrem Olympiadem scripsisse dicitur. Post an. 10. Oniam successorem habuit. Jos. *Antiq. l.* 11. *c.* 8. Eus. *in Chron.* Cyprian. *in tr. de vanit Idol.* Augustin. *de C. D. lib.* 18. *c.* 45. Rigalt. *in Tertull. Cyprian & Minut. Felicem.*

Jadera, urbs Illyrici, *Zara* Italis, *Zadar* Slavis, Liburniæ caput, permunita, undique mari cincta, 100. mill. circiter à Pola, 40. à Sibenico in Occ. Arch. cui subsunt Senia, quæ Austriacis paret, Enona, Absorus, Arba, Vegia & Scardona: Antea sub Hungar. R. nunc sub Venetis. Pop. *Jadertini* Plin. & *Hiadertini* Hirtio. Hinc regiunc. adjacens Comit. Jaderæ, vulgò *Contado di Zara.*

Jades, Auctor Gr. de Musica scripsit. Priscian. *de Pond.* Item Statuarius. Plin. *hist. nat. l.* 4.

Jadias, i.e *simul*, vel *solus dominus*, aut *gaudium*, sive *acumen domini*, vel ex Syro & Hebr. *unus Dominus.* Nomen viri. 1. Par. 27.

Jadihel, fil. Benjamin. 1. Par. 7. qui Gen. 46. dicitur *Asbel.* Lat. *scientia*, vel *cognitio Dei.*

Jadon, i.e. *judicans, litigans*, vel *manus ejus*, nomen viri. Nehem. 3. Item nomen Prophetæ, qui contra Jeroboamum missus, à falso Propheta seduci se passus est 3. Reg. 13. *Joseph. l. 8. c.* 3.

Jadua, vulgò *Jade*, Plin. *Guttalus*, fluv. parvus, in Comit. Oldenburgico. Prope ostia Visurgis, in Oceanum se exonerat, seu potius in Sinum inundatione maris factum, *die Jade.* Adjacet ei castrum *Jada.*

Jägerndorffium, vide *Jegerndorffium.*

Jatia, urbs Siciliæ. Steph.

Jafanapatanum, urbs Ceylani inf. in parte Sept. cum arce, sub Hollandis. Caput est regni cognom. 60. mill. ab ora Coromandelis in Ortum.

Jaffa, vide *Joppe.*

Jagath, Maurit. Ting. opp. infra fretum Herculeum, Abylæ propinquum. Ptol. *Targa* Castaldo.

Jages, vulgò *les Jacques*, pop. inculti & Barbari, in Æthiop. inf. Sine urbibus vagi, inter lacum amplum, in imperio Monemugi & confinia Congi.

Jagielo, vel *Jagello*, Princeps Lithuaniæ, ex Ethnico Christianus, meruit Hedvigis, Ludovici Poloniæ Regis filiæ natu minimæ, nuptias, hincque sceptrum. Ut Lithuanos similiter ad fidem perduceret, omnibus spectantibus, ipse arboribus, quas hactenus coluerat, securi impactâ, ignibusque tam diu adoratis aquâ affusâ, *Non est*, clamabat, *non est Deus, quod exscindi, dejici, extingui potest.* Orationem dein Dominicam, Symbolum Apost. aliaque in idioma Lithuanicum vertit. Baptizatus *Uladislai* nomen accepit, & Lithuaniam Poloniæ junxit. Prœlium contra Crucigeros initurus, Deo pro victoria publicè supplicavit. Palatinum Valachiæ in fidem accepit, A. C. 1411. Cracoviæ cum Hussitis disputationem instituit, an. Chr. 1431. quâ tantopere motus est, ut in veritatem sedulò inquirere cœperit, & Ministro Evangelico è Bohemia evocato, sub prætextu Astronomici studii, sæpius ad pacandam conscientiam uius sit. Eo facilius quoque uxoris petitioni annuit, & Ecclesiastis Bohemis vulgari linguâ Slavonicâ sacra administrare, in templo sanctæ Crucis Cracoviæ, permisit. Cujus zelum & alii imitati, Corybutus inprimis Regis patruelis, qui armatâ quoque manu Bohemos propugnavit.

Ex hujus familia ultimus Sigismundus Augustus, Obiit An.C.1572. Ipsi verò Jagieloni successit Uladislaus fil. Vide Cromerum *Histor. Pol. lib.* 16. 18. Ant. Muretum *in Orat.* Lætum *in Comp. Hist. Univers.*

Jagielo, vide *Ladislaus*.

Jagur, civitas in tribu Judæ. Jos.15. Lat. *colonus*, vel *advena*, sive *timens*, vel *congregans*.

Jahaddai, nomen viri. 1. Par.2. Lat. *simul*, aut *solus ego*, sive *acutus*, vel *gaudens*.

Jahala, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *ascendens*, aut *damula*, vel *caprea*.

Jahath, i. e. *confractus*, aut *formidans*, vel *stupens*, fil. Lobni. 1. Par. 6. Filius Raja. 1. Par. 4. Præpositus instaurantibus templum de filiis Merari. 1. Par. 34.

Jahazia, i.e. *visio Domini*. Nomen viri. Esd.10.

Jahaziel, Sacerdos. 1. Par. 16. Filius Hebron. 1. Par. 23. Filius Jahath. 1. Par. 24.

Jahel, uxor Heber Cinæi, Siseram sopitum clavo transfixit, Jud. 4.

Jahelel, id est, *expectans*, aut *orans Deum*, sive *incœpit Deus*. Filius Zabulon, Gen. 46.

Jahiel, nomen viri. 1. Par.15. Lat. *vivit Deus*.

Jair, i. e. *illuminans*, vel *illuminatus*, fil. Segub. 1. Par. 2. Item Judex Israëlis. Jud. 10. Item loci nomen. Jos. 13. In Basanitide reg. civitas tribus Manasse.

Jairus, nomen viri, cujus filiam JESUS CHRISTUS suscitavit. Marc. 5.

Jakotynum, vulgò *Jakotyn*, opp. Ucraniæ, in Palat. Kyoviensi, trans Borysthenem, cum arce munita, juxta fluv. *Supoi*, 8. mill. supra Elmiazoviam in Bor. 11. à Kiovia in Ort.

Jala, urbs Indiæ, in parte Orient. Ceylani Inf. aliquot mill. distans ab ora littor. regni cognom. caput. Paucis ob asperitatem reg. incolis constat.

Jalaleel, nomen viri. 1. Par. 4. Lat. *laudans Deum*, vel *illuminatio Dei*.

Jalemus, Calliopæ fil. infelix, nulliusque pretii homo, præsertim in cantu supra modum frigidus, unde pro cantilenâ lugubri poni solet. Apollon. *Arg. lib* 4.

Παννύχιοι ἐλεεινὸν Ἰήλεμον ὠδύροντο.

Athen. *lib.* 14. Ἐν γάμοις Ὑμέναιος, ἐν δὲ πένθεσιν Ἰάλεμος. Vide Henricum Stephanum in Ἰάλεμος.

Jalgejum, memoratum Orderico Vitali *Hist. Eccl. l.* 8. vulgò *la Roche d'Igé*, aut *Mont - Jallu*, castellum vetus Galliæ, prope Novum Castellum, in pago Sagonensi: aliis *Jause* est. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Jalmenus, vide *Ascalaphus*.

Jalon, i.e. *manens*, vel *murmurans*, fil. Esra. 1. Par. 4.

Jalysus, Rhodi urbs. Mela *lib.* 2. *Uxilica* Nigro; Nunc pagus. Hic Imago, Protogenis opus, adeò pulchra, ut Demetrius Rex illius potiundæ causâ bellum Jalysiis intulerit. Aul. Gell. *l.* 15. *c.* 31. Ἴλιασος in Seldeni Mscr. Hæc urbs Telchinas olim aluit, maleficum genus hominum, & præstigiis infame. Ovid. *Met.* 7. Plin. 5. 31. Cic. 3. *de N.D.* Quid Jalysus fuerit, sunt qui dubitant. Mosellanus venatorem fuisse suspicatur, quòd cum cane pingatur. Sunt qui Satyrum hoc cognomine fuisse putent, alii Bacchum, qui à Rhodiis ita vocaretur. Erat autem Cercaphi fil. qui urbi cognomen dedit, quæ Ἰάλυσος Stephano dicitur. Porro hæc urbs olim *Achaa* dicebatur. Ergias Rhodius apud Athen. *lib.* 8. Οἱ περὶ Φάλαντον ἐν τῇ Ἰαλυσῷ πόλιν ἔχοντες ἰσχυροτάτην, τὴν Ἀχαΐαν καλουμένην. Diodorus *lib.* 5. *de Heliadis*: Κατῴκησαν ἐν τῇ Ἰαλυσίᾳ κτίσαντες πόλιν Ἀχαΐαν. Sensus est; Achæam urbem, quam condiderant Heliadæ, primi Rhodi incolæ, eandem esse quam Jalysum, à quâ insulæ pars *Jalysia* dicta est. Nempe qui Heliadis successerunt, Phœnices priscum Achææ nomen mutaverunt in Jalysum, ad vitandam δυσφημίαν. *Achaa* enim *tristitiam*, atque *animi mœrorem* sonat. Hesychius: Ἀχαίας, λύπας. Item Ἀχαία, ἐπίθετον Δήμητρος ἀπὸ τοῦ περὶ τὴν κόρην ἄχους, ὅπερ ἐποιεῖτο ἀναζητοῦσα αὐτήν. Vult *Achaam* dici Cererem à mœrore, quo confecta est, filiam Proserpinam quærens. Quod ipsum asserit Scholiastes Aristoph. *in Acharnan. Act.* 2. *Scen.* 6. Et qui scripsit in Nicandri *Theriaca* *vers.* 484. Contra Phœnicum *Jalysus* (i. e. עליץ *jaalits*, vel עלים *jaalis*) est à *lætitiâ* factum. Itaque eodem animo Achææ vocabulum mutatum à Phœnicibus in *Jalysum*, quo à Græcis Ἄξενος in Εὔξεινος, à Romanis *Maleventum* in *Beneventum*, & à nautis vulgari linguâ *malacia* in *bonaciam*. Bochartus.

Jama, arx Ingriæ, quæ Sueciæ provincia est, permunita, in margine fluenti *Jamische Beck*: Hæc Imper. Moscovitici clavis, cum tota Diœcesi, an. 1617. pace Suecis cessit: è regione arcis, trans fluentum quoddam municipium Russi, sed Suecorum juris inhabitant, 3. mill. Germ. à Narva Livonica, vulgò *Jamagorod*.

Jama, pop. Scythiæ. Steph.

Jamaica, quæ nunc *Insula S. Jacobi* nuncupatur, insula est ampla maris Septent. ab Hispaniola 25. leuc. in Occ. à Cuba inf. in Austr. 20. Meridies S. Bernardi insulas & Carthagenam respicit, Occidens Jucatanas terras, ceu Fonduram versus fertur, in longit. 50. mill. protenditur. Baudrando 40. leuc. Hisp. longa, 18. lata. Ambitus ejus 600. milliarium. Baudrando 100. leuc. Hispan. Hanc insulam Columbus secundâ navigatione detexit, ejusque insulanos Didacus, Columbi filius, an. 1509. rebellantes subegit, & Jamaicam Coronæ Hispanicæ stipendiariam tributariamque reddidit. Duabus civitatibus habitatur, quarum primaria Sevillia sive *Hispalis* vocatur, in parte Septent. Inf. Metel Mercat. *Melilla* urbs, in eodem tractu, ad Ort. Hispalis, & Oristanium *Oristagni*, ad Mer. cum aliquot coloniis Anglorum, quibus maj. ex parte nunc Insula paret, ab an. 1654. Baudr. Linschot. *Hist. Amer.* A Costa, &c.

Jamaisotia, vulgò *Jamaysost*, reg. Japoniæ, in parte Occ. Niphoniæ Inf. sub qua 12. regna, nempe Aquia, Bingum, Bitcum, Fochium, Idzuum, Inaba, Ivamum, Mimalaca, Nangatum, Suvum, & Tajimum. Brietius.

Jamama, urbs Arabiæ fel. regionis cogn. caput, ad *Astan* fluv. prope confin. Arab. des. 250. mill. a sinu Pers. in Occ. versus Meccam.

Jamba, urbs Indiæ, cis Gangem prov. cognom. caput, in dit. M. Mogolis. Vix 80. mill. à Gange fluv. in Ort. Lahorium versus.

Jambe, muliercula quædam Metaniræ ancilla, uti tradit Philochorus. Panos & Echûs filia, quæ cùm Cererem mœstam videret, ridiculas narratiunculas, & sales Jambico metro, ad commovendam Deam ad risum, & ad sedandum dolorem interponebat. Nicander *in Alexipharmacis*,

Ἐμπλήδην κυκεῶνα πόροις ἐς κύμβεσι τεύξας
Νηστείρης Δηοῦς μορόεν ποτόν, ᾧ ποτε Δηὼ
Λαυκανίην ἔβρεξεν ἀν' ἄστυρον Ἱπποθόωντος
Θρηΐσσης ἀθύροισιν ὑπαὶ ῥήτρῃσιν Ἰάμβης.

Jamblichus, Pythagoricus philosophus, è Chalcide Syriæ, Porphyrii discipulus, Constantini M. tempore, qui adeò profecit, ut secundas post præceptorem Romæ obtineret. Vixit adhuc sub Constantini filiis, & Juliano Ap. cujus 3. ad illum epistolæ. Scripsit inter alia, vitam Pythagoræ, Alypii, Orationes paræneticas ad Philosophiæ studium capessendum. Cum Porphyrio tamen, Magicâ impietate, videtur Philosophiam polluisse. Eunapius *in ejus vita*. Item Babylonius, auctor amorum Rhodani & Sinonidis. Sub Antonino Philos. itidem Magus. Vide plura de variis *Jamblichis*, apud Jonsium *de Script. Hist. Phil. p.* 174. 292. &c. Critici *Jamblichum* scribi volunt, accentu penultimam longam denotante. Sanè Syrophœnicium istud nomen, servatur adhuc, in sacris Ebræorum literis ימלך *Yamlech* pro ימליך *Yamlich*. 1. Par. 4. 34. Ubi tertia futuri persona singularis migrat in proprium nomen, & quòd sit in conjugatione *Hiphil*, habet vocalem longam accentu notatam, i. e. *Hhirek* magnum, quod optimè per ει diphthongum exprimitur, ut אלהים Ἐλωείμ in Philone Biblio apud Eusebium. Ita si scriberetur Ἰάμβλειχος, omne dubium evanescet. Græcè autem M. & Λ. concurrere non possunt nisi B. interveniente. Sic M. & P. ut נימרד *Nimrod*, Græcè Νεμβρώδης, ab ἡμέρα μεσημβρινός.

Jamboli, insula, vide *Taprobane*.

Jamboli, seu *Balachejum*, arx & civ. Tauricæ Chersonesi. Metel.

Jambolus, de mirificis hominum in Indiâ formis quædam tradidit. Tzetzes *Chil.* 7. *Hist.* 144.

Jambum, urbs in parte Austr. Sumatræ, inter fretum Malaccæ in Sept. & Palimbanum in Mer. Aliquot mill. ab ora littor. Hollandis frequentata; vulgò *Jambis*.

Jamesium, vulgò *Jametz*, oppidul. Lotharingiæ probè munitum in confin. dit. Luxemburg. Sub Gallis. Inter Mommedium ad Bor. & Danvillerium ad Austr. vix 2. leuc. utrinque, paulo amplius à Stenæo in Ort.

Jami, pop. Scythiæ. Steph.

Jamin, fil. Simeonis Patriarchæ. Filius Ram, primogeniti Jerameel. 1. Par. 12.

Jamissa, vel *Jamesa*, Ptol. Vide *Thamesis*.

Jamna, urbs Balearis insulæ. Ptol. *Cittadella* Episcopo Gerundinensi. Minoricæ caput, in ora Occ. è regione Majoricæ; cum portu utcunque capaci, recèns munita.

Jamna altera, *Jamnis* Plinio, *Jamnia* Antonino, *Jamnetorum portus* Ptol. *Zania* Masio & aliis, urbs Palæstinæ marit. inter Joppen ad Bor. & Azotum ad Merid. proxima Gazæ, ab Azoto & Ascalone 200. stad. à Joppe 10. m. p. Ascalonem versus supra 20.

Jamnia, opp. Phœniciæ. Strabo vicum esse scribit. Vide Stephanum. Civ. maritima, in campestribus, in tribu Dan.

Jamnia, superioris Galilææ vicus, prærupto situ, in tribu Nephthalim, quem Josephus, cùm Galilææ præesset, contra Romanos communivit. Joseph. *in vita sua*.

Jamnici, dicti fratres Bohemi, à speluncis, in quas ingruente persecutione latitabant. Vide *Fratres*.

Jamnor, nomen viri. Judith. 8.

Jamra, filius Supha, filii Helem. 1. Par. 7.

Jamuel, filius Simeonis Patriarchæ. Gen. 46. qui 1. Par. 4. dicitur *Namuel*. Item opp. Palæstinæ in tribu Juda. Hieron. *in L. H.*

Jamus, vide *Janus*.

Jana prius, & deinde *Diana*, D. literæ appositione, ut ait Nigidius.

Janai, filius Gad. 1. Par. 5.

Janassa, nympha, dicta à suaviter regendo, ἰαίνω *dulcoro*, & ἀνάσσω *impero*.

Janasum, oppidum Celtarum. Mela 2. Olim *Sant Jago*, nunc

Compo-

Compostella, urbs Callaicorum Lucensium, in Hisp. Brietio. Arch. cum Academia & conventu Juridico. Ex Chronicis Hisp. urbs recens est, ab Alfonso R. circa tempora Caroli M. extructa, Iriæ Flaviæ urbi proximæ surrogata, & Arch. postea sede, quæ Emeritæ erat, decorata.

Jancoma, regn. Indiæ extra Gangem, sub Rege Pegu.

Janicula, vetus Tusciæ nomen Leandro.

Janiculensis pons, urbis Romæ, nunc *Ponte Sisto* Marliano.

Janiculum vel *Janicularis*, unus ex septem Romæ collibus, ab Anco Martio Rege, qui eum facto super Tiberim ponte sublicio, muro cinxerat, urbi additus. Dictus est, vel quòd per eum, velut per januam populus Rom. primitus transierit in agrum Hetruscum: vel ab oppido vetustissimo, quod Janus condidit: hodiè à flavis arenis Mons aureus vulgò *Montorio* nominatur. Ex hoc, ob altitudinem maximè conspicua Roma est, cœteris autem infrequentior, ob aëris gravitatem, ut Martialis testatur. Celebris fuit Numæ R. & Statii Cæcilii Poëtæ sepulchris. In eundem aliquando plebem secessisse Romanam, & à Q. Hortensio Dictatore revocatam, scribunt Plinius *lib.* 16. & Livius. Hîc quoque Rex Tuscorum Porsenna castra habuit, Livius, Dionysius, Silius Ital. Sidonius Apollin. *cap.* 5.

—— —— Porsenna superbus
Tarquinium impingens, complevit milite Thusco
Janiculum quondam. —— ——

Senatores tandem, metu perculsi, sub initio bellorum civilium, ut iram Octavii devitarent, in collem istum se receperunt, veluti in sedem tutam ac quietam, Dio *lib.* 47.

Janiculus, oppidulum in Janiculo monte trans Tyberim, ita dictum à *Jano* conditore, vel quòd tanquam *Janua* esset Romanis in Hetruriam proficiscentibus. V. suprà.

Janinea columna, à *Jano* patre in Arabia Felici positæ.

Janira, nympha, Oceani & Tethyos filia παρὰ τὸ ἰαίνειν τοὺς ἄνδρας, hoc est, *a viris demulcendis*. Hesiod. *in Theog.*

Janiscus, fil. Æsculapii & Lampeties. Vid. Schol. *in Plutum Aristoph.*

Janizeri seu *Janizarii*, prætoriani milites Turcici Imper. Divisi in Constantinopolitanos & Damascenos, magni ad augendum & turbandum Imperium momenti. An ab Amurathe I. Anno 1362. an ab Osmanno I. Imp. instituti? Hi enim in potestatem suam dudum traxerunt, ut regnum transferant quò velint. Unde & nostro seculo Osmanem ac Ibrahimum è medio sustulerunt; nec meliora Fata hodiernum Muhammedem mansissent, nisi prudentiâ Magni Vezirii conservatus, ac loco ejus ipsa insidiarum architecta Avia, Achmedis Imper. quondam Sultana, strangulata fuisset. Vid. Auctorem *descr. St. Turc. lib.* 1. *cap.* 4. Proin ne simili licentiâ in posterum in familiam Ottomannicam grassarentur, feruntur omnibusmodis nunc enervari: crediturque id inter consilia ultimi belli Hungarici M. Vezirius posuisse, ut *Janizarios* præsentissimis periculis objiceret, eosque in tantum minueret, quò eò citius viam sibi ad novam & obsequii patientiorem militiam pararet. V. Leunclav. *Annal. Turc. & in Pandect.* 35. Chalcondyl. *libr.* 1. inprimis P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. 2. 3.

Janne, pater Melchi, patris Levi. Luc. 3.

Jannes, nomen incantatoris, ex eorum numero, qui Mosi restiterunt, cùm signa faceret coram Pharaone. Exodi 7. 11. Socius Mambris: quæ nomina, Moysi silentio transmissa, revelavit nobis Paulus 1. Tim. 3. v. 8. Liber in Ecclesia prim. nominibus illorum insignitus, apocryphis jam olim accensitus est. Sixtus Sen. *lib.* 2. *Bibl. S.*

Janneus, qui & Alexander, sextus Judæorum dux, ob crudelitatem famosus: Jos. *Ant.* 13. 20.

Janoe, civitas in tribu Ephraim. Jos. 16.

Janovitium, vulgò *Janowitz*, oppidul. Bohemiæ, prope Caurzimam urb. ubi Austriaci à Suecis grandi clade affecti, Duce Torstensohnio, an. 1645. 6. mill. Germ. à Praga in Afr. versus Moraviam.

Jansenius, Vid. *Cornelius Jansenius.*

Janthe, puella Cretensis, uxor Iphidis, quæ ipso nuptiarum die ex fœminâ mutata est in marem. Ovid. *Met.* 9.

Janua, villa in tribu Zabulon, in 3. milliario Legionis contra Merid. Hieron. *in L. H.*

Janua, Vid. *Genua.*

Janual, festum Jani, cui sacra fiebant in libo, quod inde quoque sic dictum, Festus. Item ex mola, quæ farinâ hornâ & sale miscebatur, quin etiam thure & mero. Ovid.

Jane tibi primùm thura, merumq́; fero.

Janualis porta, vide *Janus.*

Januarius, Consul, collega Justi. an. U. C. 1080. Item *Januarius* mensis, à *Jano* dictus. Censorinus *lib. de Die Nat. c.* 22. *Januarius à Jano, cui attributus est, nomen traxit.* Suaves autem sunt Græci, qui sic dictum volunt qu. Ἀιωνάελον. Suidas, Αἰωνάελος, ὁ Ἰανουάριος μὴν ἤτοι Λογγῖνος αὐτὸν ἑρμηνεύει βιάζεται, ὡσανεὶ αἰώνιος πατήρ. Vel à *Janua*. Porphyrius *lib. de antro Musarum*: Διὸ Ἰανὸν εἰπόντες τὴν θύραν, καὶ Ἰανουάριον μῆνα τὸν θυραῖον προσεῖπον. Quamvis hoc Lat. etiam nonnullis placuit.

Januarius, vulgò *Rio de Janeiro*, fluv. ingens Brasiliæ, *Ganabara* Gallis. In Ocean. Brasilicum se exonerat, maximè ad Austr. regionis, ubi portu gaudet capacissimo. Hinc prov. adjacens dicitur *Præfectura Januarii* fluv. vulgò *Capitania de Rio de Janeiro.* Sub Lusitanis. Prope ejus ostia *Fanum S. Sebastiani*, urbs munita est.

Janvilla, vulgò *Joinville*, quibusd. *Joanvilla*. V. ibi.

Janum, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Rex Italiæ.

Janus, antiquissimus Italiæ rex, A. M. 2722. ante adventum Æneæ 150. Fil. Apollinis ex Creusa, Erechthei filia, à Xipheo hujus marito adoptatus, quibusdam dicitur. Hic cum ingenti classe in Italiam venit, & Saturnum à Jove filio Cretâ fugatum, navique in Latium similiter appulsum, hospitio suscepit, agrique colendi rationem ab eo edoctus in regni portionem eum recepit: Amboque unanimi consensu imperantes, duo condiderunt oppida, quorum alterum *Janiculum*, alterum *Saturnium* vocarunt. Monetam quoque æream primi cuderunt, in cujus altero latere rostrum navis, in altero Jani imago erat impressa. Plut. in Ῥωμαϊκοῖς ad Quæstionem, (cur nummi veteres ab unâ parte haberent Ἰανοῦ διπρόσωπον εἰκόνα *Jani bifrontem imaginem*, ab alterâ πλοίου πρύμναν ἢ πρῶραν ἐγκεχαραγμένην, *navigii puppim, aut proram insculptam*) à plerisque asseri dicit id fieri, Ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεράσαντος εἰς Ἰταλίαν, *In Saturni honorem, qui navi in Italiam trajecerit.* Janum autem regum omnium suæ ætatis prudentissimum fuisse volunt, & præterita scientem, & futura prævidentem; unde & Bifrons fuisse fingitur, pingiturque alterâ manu clavem, alterâ virgam tenens. Mortuus, inter Deos relatus est. A Macrobio Deus Anni creditus, cui Ovidius *lib.* 1. *Fast.* suffragatur:

Jane biceps, anni tacitè labentis origo,
Solus de superis qui tua tecta vides.

Templumque 12. portarum habuit Romæ ad infimum Argiletum à Numâ Pompilio positum, quod tempore belli patebat, pacis tempore claudebatur. Unde *Patulejus* & *Clusius* dictus est. Constat autem, templum hoc ter fuisse clausum, primùm regnante Numâ, iterum post bellum Punicum secundum, tertiò post bellum Actiacum. Hujus autem claudendi, vel aperiendi ratio varia est. Alii dicunt, Romulo contra Sabinos pugnante, cùm jam propè vinceretur, calidam aquam ex hoc loco erupisse, quæ fugarit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, quasi ad spem pristini auxilii. Alii dicunt Tatium, & Romulum facto fœdere hoc templum ædificasse. Unde & Janus ipse duas facies habet, ut ostendat duorum regum coitionem: vel quòd ad bellum ituri debeant de pace cogitare: vel quòd ad prælium exituri locum sibi apertum debeant relinquere, quo tutò possint reverti. Hunc nonnulli eundem esse putarunt cum Sole, ideoque & Quadrifrontem fecerunt ob 4. quos ambit orbis cardines. Eundem hunc cum Gyge ac Noe fuisse volunt. Versus Ovidii de Jani monetâ *lib.* 1. *Fast.* hi sunt:

Multa quidem didici. Sed cur navalis in ære,
Altera signata est, altera forma biceps?
At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Ostendimus antea ex Plutarcho veterum de hâc re opinionem, quam tamen ipse non probat, quia cum multis aliis Saturno commune id fuit: Καὶ γὰρ Ἰανὸς καὶ Εὔανδρος, καὶ Αἰνείας ἐκ θαλάττης προσεκομίσθησαν. Itaque videntur veteres symbolo navis aliud signasse, nempe arcam Noæ, quâ cum suis servatus est ab universali diluvio. Cæterùm *Janus* ab Ebræo יין *Jain* derivari videtur, quia vini repertor fuit, quâ significatione *Oenotrius* dicitur Halicarnasseo *lib.* 1. *hist. Rom.* Hujus nominis usus vel nullus, vel rarus semper fuit apud Græcos. Ovid. *l.* 1. *Fast.*

Quem tamen esse deum te dicam, Jane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.

Plura de illo Vide apud Thom. Dempsterum *Antiq. Rom.*

Viri celebres.

Janus Baifius, Gallus, à Scævola SanMarth. *elog. libr.* 1. laudatus.

Janus Cornarus, Germanus Medicus, varios auctores Græcos Latinè vertit. Obiit an. 1558.

Janus Damascenus, Medicus Syrus, auctor 7. libb. de arte sanandi morbos, &c.

Janus Douza, Nordvicus, auctor Principi Arausionensi condendæ Lugduni Batavorum, Anno 1575. Academiæ, primusque ejus Rector, postquam in sustinenda obsidione Urbis Præfectus egregiam operam navasset. Hic Musis cum Marte optimè convenire docuit, tantâ Vir doctrinâ, ut *Batavia Varro*, & *Academiæ commune Oraculum* vulgò diceretur. Meursius in *Athen. Bat.* Poëta, Historicusque, inter alia, insignis, edidit quædam. Vid. *Douza.*

Janus Gruterus, Brabantus, JC. Philologus, & Historicus. Bibliothecarius Archipalatinus, natus Antverpiæ an. 1560. scriptis immortale nomen meritus.

Janus Lascaris, post Tiphernatem, in Gallia magni nominis.

Janus, vel *Januttius Manettus*, Florentinus, discip. Emanuelis Chrysoloræ, gratus Nicolao V. amplissimis honoribus in patria defunctus. Psalmos ex Hebræo, & Isagogen Porphyrii, cum Categoriis Aristotelis ex Græco Latinè vertit. Scripsit porro *de Illustribus longævis*, libb. 6. De vita Nicolai V. libb. 4. Historiam Genuensem libb. 2. Histor. Pistoriensem libb. 3. Vitas Socratis, Senecæ, Plutarchi, Dantis, Boccatii, &c. Obiit Neapoli Anno Chr. 1459. Leander Alberti *descr. Ital.* Voss. *de Hist. L.* Hugolin. Verrinus, *l. 2. Flor. Ill.* ubi inter alia sic de illo:

Est quoq; Jannoti celeberrima Fama trilinguis,
Plurima qui Hebræo de fonte volumina vertit
In Latium, & nostris dedit hæc noscenda Manetus.

Janus Morellus, Gallus, laudatus Scævolæ SanMarth. *elog. libr. 3.*

Janus Parrasius, Cosentinus, docuit Mediolani, unde discessit parum honestè. In Claudianum & Ibim Ovid. commentatus est. Obiit podagrâ, gener Demetrii Chalcondylæ.

Janus Vitalis, Panormitanus, eruditione suâ seculum præteritum illustravit, &c.

Janus, locus Romæ, ubi fœneratores consistebant, ubi Jani simulachra fuere. Ovidius,

Qui puteal Janumq; timet, celeresq; calendas.

Horat. *Epist. 1. 1.*

——*Hæc Janus summus ab imo*
Perdocet. —— ——

Vide Torrentium *ad locum.*

Janussius, fil. Boleslai, Regis Poloniæ à quibusdam electi, contra Casimirum; regnum adversus Johannem Albertum affectans, sua etiam amisit. In ejus ex fratre Conrado nepotibus Johanne & Stanislao A. C. 1526. linea Varsoviensis, & in Polonia simul omnis Piasteus sanguis defecit, Spenerus *Syll. Geneal. Histor.*

Janxuatis, urbs Libyæ. Steph.

Jaô, ita Ethnici Jehovam vocavere, teste Diodoro *lib. 1.* ubi postquam ostendit, veteres Nomothetas leges suas à Diis acceptas fuisse, populo persuadere solitos, subdit: Παρὰ τε τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεόν. Vide *Jehova.*

Jaonita, pop. Lydiæ, aliàs *Ibeni* dicti. Steph.

Japara, urbs in parte Bor. Javæ inf. cum portu capaci. Caput regni cognom. 100. mill. à Materano in Eur. 250. à Batavia in Ortum. Mel. *Javara.*

Japetus, Cœli, sive Titanis & Terræ fil. (ut inquit Hesiodus) vir quidam potens apud Thessalos, sed protervi ingenii, magisque filiorum, quàm suâ virtute clarus. Ferunt hunc Asiam Nympham uxorem duxisse, & ex eâ Hesperum, Atlantem, Epimetheum & Prometheum suscepisse. Hic Gigas erat procerissimæ staturæ, de quo passim poetæ. *Japetum* autem, id est, *Japhetum* Græci generis sui authorem esse agnoscunt, nec putant Japeto quicquam esse antiquius. Unde est, quòd decrepiti & deliri senes per convitium *Japeti* vocabantur. Hesychius Ἰαπετός· ἐπὶ διασυρμῷ πρεσβύτερος, ἀρχαῖος, (ita lege, non ἀρχηγὸς) idque ex Suidâ, apud quem Japetus ὄνομα κύριον, λῆρος, μωρὸς, ἀρχαῖος.

Japha, Galilææ oppidum, Jotapatæ finitimum, contra expugnationem munitissimum, nam præter naturam, quâ tutum erat, etiam duplici muro cingebatur, in tribu Zabulon.

Japhet, id est, *dilatatus*, aut *pulcher*, sive *persuadens*, filius Noe. Gen. 5. 32. Primogenitus, ut Hebræorum aliorumque sententia fert, Augustino Semum præferente, cum aliis quibusdam. Cum Patre arcam Gen. 7. 13. ingressus, ab eo morti vicino benedictionem hanc tulit: *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, sitq; Chanaan servus ejus.* Gen. 9. 27. Habuit 7. filios, è quibus Gomer & Javan genus propagarunt, posteris à Tauro & Amano in Cilicia, usque ad Tanaim, & hinc Gades usque sese extendentibus. Jos. Antiq. *lib. 1.* Genebr. *in Chr.* Lyranus, *in cap. 5. Gen.* Torniel. *A. M. 1659. n. 2. 1666. n. 49. 1931. n. 20. 21.*

Japhia, filius David. 2. Reg. 5.

Japhie, op. in tribu Zebulun. Josue. 19. Item montes, in tribu Manasse, à Joppe, usque ad Doram.

Japidia, regio Illyrici triplex fuit, Prima à fontibus Timavi amnis usque ad Istriam. Secunda, ab Arsia fluv. usque ad Tedanium flum. Tertia Inalpina, in montibus Albio & reliquis Alpibus, supra Istriam se extendentibus. J. Lucius. V. *Japis.*

Japis, nobilis Ætolus, qui patriâ pulsus, cùm ad intimum maris Adriatici sinum venisset, opidum de suo nomine condidit, à quo ea pars Italiæ, quæ Timavo fluv. irrigatur, *Japidia* dicta est. Quinetiam Timavum ipsum ab hujus nomine *Japidem* cognominat Virg. *Georg. 3.*

Castella in tumulis, & Japidis arva Timavi.

Japodes, seu *Japydes* Ptolomæo pop. Celtici versus Illyriam. Steph. in Liburniæ, Histriæ, Carnorumque seu Noricorum confinio, hodie *Craner*, vel *Krainer*, & interius *Jappenavv*, Austriæ Principibus subditi. Lazius. Ibi Japodum oppid. teste Servio *Japuy* Plinio: regiuncula *Japydia.* Virgilio *Japis*, *Georgius lib. 3.*

Japonia, seu *Japonica* insulæ, *Zipangry* Paulo Veneto, *Chryse* Magino, *Aurea Chersonesus* Mercatori; hodie *le Japon* Gallis, *Japan* Hispanis & Batavis, regio ampla Asiæ, in mari Orientali seu Sinico, quæ tum nativâ suâ nobilitate, tum rerum ab Europæis ibi gestarum occasione, multorum calamis tractari meruit: ultima est regionum à nobis versus Ortum remotarum. elevationemque Poli habet 35. gr. tres insulas complectens, nempe Niphoniam, Ximum & Xicocum; in quibus sunt sexaginta octo regna, seu potiùs provinciæ, teste Brietio, nempe quatuor in Xicoco insula, decem in Ximo insula, quæ ad Occasum tendit, & quinquaginta quatuor in Niphonia insula, quæ amplissima est & cæteris major, maximè ad Ortum & Septentrionem tendit. Totius regionis caput & primaria urbs est Meacum, *Meaco.* Sed ab aliquot annis sedes regia Jendum, *Jendo*, translata est. Ad Boream separatur à terra Æsonis freto Sangario, & vix distat centum milliaribus à Corea regione in Ortum. Ab Occ. Sinenses, à Mer. vasto mari interfuso inexploratas habet terras, è quibus casu nautas olim quosdam in *Japoniam* delatos fama est, neque inde solvisse. Ejus major longitudo à Cæcia in Africum vix est 750. mill. pass. latitudo autem, ubi major est, à Septentrione in Meridiem non excedit 300. mill. pass. Nunc autem cum insulis adjacentibus dividitur in septem partes seu regiones, quarum nomina ista sunt, Ximoa seu Saycoca, *Ximo*, Tocoesia seu Xicoca, *Tocoesi*, Jamaisotia, *Jamaisost*, Jetsenga, *Jetsengo*, Jetsegena, *Jetsegen*, Quantoa, *Quanto*, & Ochia, *Ochio*: Et 68. regna in his regionibus contenta subsunt dominio Regum viginti & unius, qui tamen illa omnia possident uti feuda, & sub clientela Imperatoris Japoniæ, teste Carone, cui tit. *Vo* seu *Dair*, qui cùm olim è luxuria in desidiam prolapsus fuisset, Præfecti & Satrapæ ejus, *Cubi* præsertim, quod duobus primariis nomen erat, arma contra illum sumentes, in plura dominia Imperium discerpserunt: quorum quidam Legatos miserunt Romam ad Gregorium XIII. Pontif. quem hacce à Jesuitis formulâ suggestâ: *Adorando & cœli Regis locum in terris obtinenti magno & sanctissimo P. P.* salutarunt. A. C. 1585. Thuan. *lib. 77.* Religio postmodum Christiana ibi crudelissimè extirpata est, iis suppliciorum generibus, ad quæ veterum equuleus pluma mollis fuit. Utrum autem Insula sit an Continenti adhæreat, dubitant Geographi: tota certè admodum fertilis, & culta est, inter arbores cedris, inter fructus oryzâ, animalibusque non tam cicuribus quàm feris abundans, cum plurimis urbibus magni momenti. At aliis maxima parte nivalis ac frigida est neque ferax. Ex tritico non panes more nostro, sed genus quoddam offæ seu polentæ conficiunt. Montes apud nos passim, illic verò duo, præcipuâ nobilitate visuntur, quorum alter incertæ appellationis; inque ejus cacumine certis hominibus, postquam voti causâ diu se maceraverint, splendidâ circumfusus nube sese Cacodæmon ostendit; alter *Figenoiama* nomine, leucarum aliquot ascensu trans nubes attollitur. Arborum genera quod attinet; unius, quæ palmam imitatur, ignoto nomine, admirabile prorsus ingenium. Siquidem (uti perhibent) humorem quemlibet reformidat: si fortè maduerit, contrahit ilico sese, ac veluti pestifero contactu marcescit. Remedio est, avulsam radicitùs in sole siccare, & in vacuam scrobem storea ferri contusam, vel sitientem arenam infundere, ibi postquam aruerit, rursus depacta revirescit, ac pristinum decorem, nitoremque recipit: In lucem Japonii editi, vel hyeme summâ, protinus lavandi, ad flumina deferuntur, ab ubere avulsi, venatu exercentur, & procul à matre & nutrice, locis habentur asperis, quòd ita sentiant, nullâ re magis infringi animos, quàm molli ac blandâ educatione. Somnum, subjecto cervicibus lapide vel tigillo, & cibum capiunt genibus nixi cruribus insidentes: cœnationem intrant excalceati; è cedro, pinuve cibi conficiuntur, nonnunquam etiam rostro, pedibusque inauratis aves integræ nobilibus patinis inferuntur. Egregiam porro chalybis temperaturam habent, ut ferrum nostrum acie propemodum illæsa diffindat. Variis utuntur moribus, à nostris valde abhorrentibus; Nobis enim dentium, in candore; illis, quod mirere, in ipsa nigritie decor est. Itaque atro quodam eos pigmento identidem inficiunt. Inter salutandum nos caput; illi perlevi crepidarum vel sandaliorum excussu pedes aperiunt, advenienti amico nos adsurgimus, illi subsidunt: nobis gemmæ, illis ferrea vel fictilia in honore sunt. Jam in curationibus illi salsa & acria & cruda ægrotis apponunt: Neque cur ejusmodi infinitaque alia faciant, probabilem plerunque rationem afferre non possunt. Proin *morales* à quibusdam *Antipodes* dicti: superbus & aliorum contemtor illis animus, sed fidus, & promissi tenax; interim adeò belli avens, ut ne domi quidem discincti appareant. Lingua illorum virilis est, & à nostris haud imperitis rerum æstimatoribus, Latinæ vel genere ipso, vel ubertate præfertur: itaque non nisi magno labore & tempore perdiscitur. Becmannus apud eos *Mos rasouk gusar* E. g. Lumen affer: *Kuri gusavi mas* Adesdum: *Has masio* Propino tibi, significare refert. Ingens porro apud eos religiosorum utriusque sexus numerus est, quibus *Bonziorum* nomen. Hi in duo genera planè sibi adversa divisi,

colore

colore quoque albo nigroque discernuntur. Certè in exigua quadam Japoniæ provincia Jesuita Xaverius, *Indorum Apostolus* à suis dictus, octingentas Bonziorum ædes numeravit. Cæterùm novem apud illos sectæ, quarum principes Xaca & Amida: harum nulla mundi animarumque originem agnoscit. Propagandi superstitionem apud illos, quod ubique, medium usitatissimum impostura est, inter quas hæc non minima, quòd, dum quinque legis suæ præcepta negant à quoquam de plebe observari posse, loco populi se ea implere jactant, in veneratione hinc summa habiti. Sunt autem illa: 1. *De animali occiso ne comedito.* 2. *Ne furator.* 3. *Ne adulterium committito.* 4. *Ne falsum dicas testimonium.* 5. *A vino abstineto.* Interim toti intus vitiis scatent, nullum nefas, modò clam committi possit, horrentes. Addi superioribus possent quædam de Japonensium Academiis, quæ numerosæ: regiminis modo, qui ad Europæorum Principum imperandi legem prope accedit: literis, & scriptura, quæ Sinensium affinis est: aliisque, sed ea videri possunt, apud Maffæum *Hist. Indic.* Fr. Xaverium *Epist. lib.* 3. & 4. Marcum Paulum, A Costa, Linschotum, Guil. Adamum, Guerrerum, Solerium, Brietium, Thevetum, *in Cosmogr.* Franc. Caronum *de regno Japoniæ*, *Belg.* Arn. Montanum *Denckwürdige Gesandschafft an die K. von Japan*, &c. Subjungo saltem, regnum hoc, nulli veterum cognitum, detectum esse demum præt. sec. à Lusitanis A. C. 1542. Ibi primum fidem Christianam Xaverium docuisse, à quo tempore Jesuitæ illò confluxere, & à Gregorio III. ac Hispaniæ R. Philippo II. circa A. C. 1584. reliquis omnibus Religiosorum ordinibus exclusis, ibi prædicandi Religionem privilegium nacti sunt. Verùm cùm hi magnam populi vim ad se traherent, veriti Bonzii, ne quid res sua detrimenti pateretur, Imperatorem contra Christianos acriter incitarunt, unde persecutio, cujus supra mentio. Alii tamen id mali Jesuitarum πολυπραγμοσύνῃ, Nicolaus Trigaltius, odio Hispaniæ Regis, cujus potentia formidolosa tum Japonensibus, ascribit. Tum Jesuitæ & Lusitani, post exquisitissimis suppliciis excarnificatas aliquot Christianorum myriadas, pulsi; Belgis tamen merces inferendi & efferendi venia, sed sub gravi Evangelium non docendi lege, concessa: ipsis tamen privato cultu non interdictum est, unde etiam Bibliothecas sacris libris refertas Præfectis urbis *Nangesacque* habere licet. Hodiè tamen liberior in regnum Europæis aditus patere dicitur.

Japoniæ regna seu partes minores:

Amacusa, *Amacusa*, in Ximoa regione.
Aquia, *Aqui*, in Jamaisotia regione.
Aquita, *Aquita*, in Ochia regione.
Ava, *Ava*, in Ochia.
Ava, *Ava*, in Tocoesia regione.
Ayzua, *Ayzu*, in Ochia.
Bigena, *Bigen*, in Jetsenga regione.
Bingum, *Bingo*, in Jamaisotia.
Bitcum, *Bitchu*, in Jamaisotia.
Bugenum, *Bugen*, in Ximoa.
Bungum, *Bungo*, in Ximoa.
Caium, *Cai*, in Quantoa regione.
Canga, *Canga*, in Jetsegena regione.
Canzula, *Canzula*, in Ochia.
Cavachum, *Cavachi*, in Jetsenga.
Chicuanum, *Chicuien*. in Ximoa,
Chicungum, *Chicungo*, in Ximoa.
• Conzucum, *Conzuque*, in Quantoa.
Deva, *Deva*, in Ochia.
Farima, *Farima*, in Jetsenga.
Figenum, *Figen*, in Ximoa.
Finda, *Finda*, in Jetsegena.
Fingum, *Fingo*, in Ximoa.
Firandum, *Firando*, in Ximoa.
Fitacum, *Fitaqui*, in Ochia.
Fiunga, *Fiunga*, in Ximoa.
Fochium, *Foqui*, in Iamaisotia.
Idzuum, *Idzu*, in Iamaisotia.
Idzuum, *Idzu*, in Quantoa.
Idzumum, *Idzumi*, in Ietsenga.
Iechinum, *Iechien*, in Ietsegena.
Ietchuum, *Ietchu*, in Ietsegena.
Inaba, *Inaba*, in Iamaisotia.
Ingum, *Ingo*, in Ietsegena.
Ivamum, *Ivami*, in Iamaisotia.
Ixum, *Ixe*, in Ietsegena.
Iyum, *Iyo*, in Tocoesia.
Micava, *Micava*, in Quantoa.
Mimalaca, *Mimalaca* in Iamaisotia.
Minum, *Mino*, in Ietsegena.
Mulaxium, *Mulaxi*, in Ochia.
Nambum, *Nambu* in Ochia.
Nangatum, *Nangato* in Iamaisotia.
Nivata, *Nivata*, in Quantoa.
Notum, *Noto*, in Ietsegena.
Quinocunum, *Quinocuni*, in Ietsegena.
Sangamum, *Sangami*, in Quantoa.
Sanuquium, *Sanuqui*, in Tocoesia.
Satcuma, *Satcuma*, in Ximoa.
Surunga, *Surunga*, in Quantoa.
Suvum, *Suvo*, in Iamaisotia.
Tajimum, *Tajima*, in Iamaisotia.
Tamba, *Tamba*, in Ietsenga.
Tatomum, *Tatomi*, in Quantoa.
Tosa, *Tosa*, in Tocoesia.
Tzuconum, *Tzuconi*, in Ietsenga.
Vacasa, *Vacasa*, in Ietsenga.
Vomum, *Vomi*, in Ietsegena.
Vosumum, *Vosumi*, in Ximoa.
Vovarum, *Vovari*, in Ietsegena.
Voxum, *Voxu*, in Ochia.
Vtum, *Vto*, in Ximoa.
Xima, *Xima*, in Ietsegena.
Ximola, *Ximola*, in Ochia.
Ximotucum, *Ximotcuque*, in Ochia.
Xinanum, *Xinano*, in Quantoa.
Yamatum, *Yamato*, in Ietsenga.
Yamaxirum, *Yamaxero*, in Ietsenga.

Japoniæ urbes præcipuæ.

Amacusa, *Amacusa*, in regno cognomine.
Amangucium, *Amanguchi*, in Suvo regno.
Arima, *Arima*, in regno Figeni.
Ava, *Ava*, in regno cognomine.
Bungum, *Bungo*, in regno cognomine.
Dongum, *Dongo*, in regno Iyo.
Farima, *Farima*, in regno Farima.
Firandum, *Firando*, in regno cognomine.
Meacum, *Meaco*, in regno Yamaxiro.
Nangasacum, *Nangasachi*, in regno Figeni.
Oyama, *Oyama*, in regno Ietchuo.
Ozaca, *Ozaca*, in regno Cavacho.
Sacaium, *Sacay*, in regno Idzumo.
Surunga, *Surunga*, in regno cognomine.
Vomura, *Vomura*, in regno Figeni.
Yendum, *Yendo*, in regno Mulaxio.

Japygia, reg. in finibus Italiæ, in Cherronesi formam coacta, cujus Isthmus Tarento Brundusium usque extenditur, alio nomine *Messapia* dicitur. Strabo *lib.* 6. Servius, *Japygia*, inquit, *pars est Apuliæ, in quâ mons est Garganus qui ad mare Adriaticum extenditur.* Quod si verum est, longè majores sunt Japygiæ fines, quàm quos modò ex sententiâ Strabonis descripsimus, Nam Garganus mons multis p. m. extra jam dictam peninsulam situs est. Hanc regionem *Calabriam*, & *Salentinam* multi nominant. LLoyd. Ea nunc, Apuliâ exclusâ, *Terra d'Otranto* dicitur, in qua Calabria in ora Bor. collocatur, Messapia in Austr. vergit & Occ. Salentini & Japygia in Ort. Pop. *Japyges*, Plinio *Messapii* & *Salentini*. Ovid *Metam. l.* 15.

Thurinosq; sinus, Temesenq; & Japygis arva,
Linquit Japygiam, lævisq; Amphisia remis.

Nomen ab *Japyge* vento habet, an hoc nomen Caurus Japygiam perflans à regione accepit, Ferrar.

Japygia, urbs Italiæ. Steph. & alia Illyriæ.

Japygium, seu Salentinorum promuntorium. Ptol. vel, ut Plin. *Acra Japygia.* Hodie *Capo di S. Maria*, in mare valde excurrit, ab Hydrunto 20. m. p. in Austr. à Tarento 80. in Ort. ab Acrocerauniis Epiri montibus 50. tanta enim ibi Jonii maris latitudo, Ferrar.

Japys, nomen auguris, ac citharœdi, lege *Japis*. Virgilius *libro* 12.

Jamq; aderat Phœbo ante alios dilectus Japis,
Jasides acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo,
Augurium, citharamq; dabat, celeresq; sagittas.

Japyx, Dædali filius, à quo *Japyges* pop. Solin. *c.* 8. Item, ventus ex Apuliæ orâ proficiscens. Horat.

—— *Ego quid sit ater*
Adriæ novi sinus, & quid albus
Peccat Japyx.

Idem *Car. lib.* 1.

—— *Obstrictis aliis præter Japyga.*

Virg. *Æn.* 8.

Illam inter cædes pallentem morte futurâ
Fecerat Ignipotens undis & Japyge ferri.

Hoc est, vento ex Apulia spirante.

Jar, filius Ahaz. 1. Par. 6. Item, secundus Hebræorum mensis, dierum 30. Aprili nostro respondens. Nullo festo extraordinario memorabilis, præter festum liberationis arcis Sion, à Juda Maccabæo factæ, cujus memoria die 23. mensis recolebatur

lebatur quotannis. Sigonius *Catal. Hebr.* Torniel. *Anno Mundi* 2545. *n.* 28.

Jara, pater Huri. 1. Par. 5.

Jarbas, Jovis & Garamantidis Nymphæ filius, Gætulorum rex, qui, cùm Didûs ambiret nuptias, ab eâ repulsus nascenti adhuc Carthagini bellum intulit: quod cùm Pœni propulsare non possent, reginam suam eò adegerunt, ut nuptiis suis pacem redimeret. Quod cùm illa aliâ ratione effugere non posset, simulat se antè Sichæi, prioris mariti manes placare velle. Eam itaque ad rem impetrato spatio, pyram ingentem extruxit, cui superincumbens suis sibi manibus necem conscivit. Ita enim habet veritas historiæ, etiamsi Virg. *lib.* 4. *Æn.* de Jarbâ rege, & exitu Didûs alia quædam comminiscatur.

Jarchas, vel *Jarcas*, Indorum philosophorum princeps. Philostr. *in vitâ Apoll. Tyanei.*

Jardan, vicus in tribu Juda, adjacens Arabum finibus, ubi meridiana Judææ pars terminabatur. Joseph. 3. *bell.* 2.

Jardanes, Lydiæ rex, pater Omphales.

Jardanus, fluv. Cretæ, & Lydiæ. Pausan. Steph. Fluvii *Jardani* meminit Hom. *Iliad.* 8.

Φειᾶς παρ' τείχεσιν Ἰαρδάνε ἀμφὶ ῥέεθρα.

Jare, filius Jectan. Gen. 10.

Jared, filius Malaleel, natus A. M. 461. pater Enochi, Obiit A. M. 1422. Gen. 5. Salian. Torniel. *in Annal.*

Jarephel, civitas in tribu Benjamin. Jos. 18. *Jerphel*, Hier.

Jarganum, Phrygiæ magnæ promuntorium. Ptol. hodie *Capo di S. Maria* Leunclavio & Sophiano.

Jargolium, aliis *Gergolium*, opp. Aurelianensis prov. in Solonia tractu, cum ponte ad Ligerim, 4. leuc. ab Aureliis in Ortum. Aliàs munitum; vulgò *Jargeau*, vel *Gergeau*.

Jarib, filius Simeonis Patriarchæ. 1. Par. 4. qui Gen. 46. dicitur *Ahod*.

Jarim, inter Cariathiarim & montem Baal sita est sylva, in tribu Dan, à qua urbs & mons nomen habent, unde *mons Jarim* dicitur, Jos. 15.

Jarmuth, civitas in tribu Issachar data Levitis. Jos. 21.

Jarnacum, vulgò *Jarnac*, oppidul. Inculismensis prov. ad Carentonum flu. inter Castrum Novum & Cogniacum, prælio inter partes, sec. præt. commisso, memorabile, medium ferè inter Inculismam ad Ort. & Santones ad Occ.

Jaromirus, Princeps Bohemus, ab Henrico II. Imper. restitutus. Circa A. C. 1008.

Jaromitia, vulgò *Jaromitz*, quibusd. *Jaromiersa*, opp. Bohemiæ, ad Albim fluv. 2. mill. Germ. supra Reginogradecium in Bor. 12. à Praga in Ort.

Jaroslavia, vulgò *Jaroslaw*, opp. celebre & amœnum Russiæ nigræ, cujus arcem Sanus fluv. alluit, ubi famosæ nundinæ d. 15. Aug. quotannis. Majori ex parte deflagravit incendio, Anno Chr. 1625.

Jaroslavia, urbs ampla Moscoviæ, cum arce lignea, 45. mill. Pol. à Moscua in Bor. ad Volgæ ripam. Etiam *Jeroslavia*; caput Jaroslaviæ Duc. satis ampli, inter Vologdam ad Bor. & Rostoviam ad Mer. versus Volgam fluv. Aliàs sub proprio Principe, sed à Joan. Basilide M. D. vindicati.

Jaroslaus, fil. ex Wenceslaa Mosca Boleslai, Silesiæ sup. Ducis, A. C. 1201. extincti, adversus Patrem & Novercam bellum movit: Reconciliatus Episcopatum nactus est Vratislaviensem, An. Chr. 1198. cui, ut suis ægrè faceret, Neissam sibi attributam addixit, sed ante patrem extinctus, Spener. *Syll.*

Jarra, Vid. *Vas Virginis.*

Jarsath, Mauritaniæ Cæsariensis urbs marit. Ptol. *Teledez* Castaldo. Inter Saldas Urb. & Audum prom.

Jas, pars Illyriæ, quæ dicitur Jonica. Pop. *Jatæ*. Steph.

Jasa, civitas Moabitarum, quæ ex tribu Ruben Merari nepotibus, sublatis Amorrhæis, data est. 1. Par. 6. quæ Jos. 13. *Jassa* dicitur. Hæc extra terram promissam fuit, neque, quod legimus, unquam à Judæis possessa.

Jaser, filius Caleb, ex Azuba prima uxore. 1. Par. 2.

Jasiel, filius Nephthali. Gen. 46. Item vir de Masobiâ. 1 Par. 11.

Jasion, quem Diodorus *lib.* 6. etiam *Jasium* appellat, nec non *Eetionem*. Jovis & Electræ fil. adeò à Cerere adamatus, ut, in ejus gratiam, ad nuptias Hermiones sororis ipsius maximam & frumenti & panis copiam attulerit. Quin & Plutum ex eâ fertur genuisse, qui cultum vitæ instituere, pecuniasque coacervare, ac in usus custodire omnium primus docuit. Quidam eum à Jove ex invidiâ fulminatum ferunt: quamvis non desint, qui aliam mortis causam afferant, nempe quòd simulachrum ejus contumeliâ affecisset.

Jasis, dicta est Atalanta ab *Jasio* patre.

Jasius, filius Abantis Argivorum regis, frater Dardani Servius.

Jasius Janigena, tempore Deucalionis imperabat Italis, in cujus nuptiis affuit Io Ægyptia. Vide Beros. *l.* 5.

Jaso, Æsculapii & Lampetiæ Solis filiæ, filia; nomen παρὰ τὴν ἴασιν, id est, à medelâ & sanitate sortita. Est & hoc nomine Amphiarai filia.

Viri illustres.

Jason, Pontifex Max. Judæorum, primus ex Sacerdotum numero gymnasium Hierosolymis instituit, in quo juventus more Græcorum exerceretur in disciplinis Ethnicis. 2. Mac. 4 Quanquam Josephus hujus fratri Oniæ, qui & Menelaus, hoc facinus adscribat.

Jason, fil. Æsonis, Thessaliæ R. ex Alcimede, quem pater moriens Peliæ fratri in tutelam commendavit, tradito ei regno, ita tamen ut illud adulto Jasoni restitueret. Alcimede verò suspectum habens Peliam, Jasonem Chironi alendum dedit. Itaque Jason adultus cùm ad repetendum paternum regnum venisset, Pelias juvenem laudis avidum ad Colchicam expeditionem excitavit, sperans futurum ut periculi magnitudini succumberet. Secundùm alios *Pelias* oraculum acceperat, ut sibi ab eo caveret, quem cum altero tantùm calceo ad se venientem videret. *Jason* autem, jam grandior, fortè in ripâ Anauri offendit Junonem vetulæ similem, quam humeris suscipiens in ulteriorem fluvii ripam transtulit, atque uno in flumine calceo amisso ad Peliam Patruum venit: qui oraculi recordatus veritusque ne ab eo interficeretur, mandavit illi expeditionem in Colchos, sperans aut ab aliquo occisum iri, aut certè inter Symplegadas periturum. Fabricatâ itaque navi, quæ ab Architecti nomine dicta est Argo, Jason cum Græcæ juventutis flore mari se commisit, primumque ad Lemnum ins. appulit, ubi ab Hypsipyle, & hospitio, & thalamo susceptus est. Deinde venit ad Phineum regem, à quo muneris loco edoctus est, quomodo per Cyaneas petras inter se concurrentes, ad Colchos usque tutò navigare posset. Quò cùm pervenisset, Medea Colchorum regis filia, formâ ejus capta, à certissimo eum eripuit exitio, ostensâ ratione, quâ & æripedes tauros perdomare, & draconem pervigilem sopire posset; Ejus itaque consilia secutus Jason, aureum vellus sustulit, & inde clam cum sociis & Medeâ fugam arripiens ad Istri ostium pervenit, adversoque fluvio subiens, cùm eum tandem in locum pervenisset, ubi Danubius Liburniæ montibus proximus est, navim, quâ vectus erat, suis, sociorumque humeris superatis montibus in mare Adriaticum deportavit, tandemque sospes in patriam revectus, duos ex Medeâ filios suscepit. Sed postea cùm Creusæ Corinthiorum regis filiæ amore flagrans, eam uxorem duxisset, Medea ægrè ferens divortium, Creusam cum regiâ exussit. Sunt qui tradunt, Medeæ postea reconciliatum Jasonem, multaque præclara gessisse, adeò ut divinos in Asiâ honores fuerit promeritus. Orpheus, Apoll. Rhodius, Valer. Flaccus.

Jasonis & *Medeæ Amores*, paulo fusiùs sic habent. Cùm *Jason* cum cæteris Argonautis ad Colchos appulisset, *Medeam* fortè ad Phasidis ripam obviam habuerunt. Cui cùm *Jason* adventûs sui causam exposuisset atque ab eâ de crudelitate Patris esset edoctus, ad preces conversus, fidem de conjugio dedit, si in discrimine ab eâ præmonstrato ferret opem. Acceperat ante *Jason* à Venere *Iyngem* aviculam, quam Magæ mulieres tantam ad amatoria carmina vim habere credunt, ut omnia venena & unguenta ad amorem excitandum idonea *Iynges* appellentur, teste Theocriti antiquo Enarratore; & ipse Amor *Iynx* à Pindaro dicatur: qui scribit hanc ex Olympo à Venere primùm ad mortales allatam & datam *Jasoni*, ut eâ simul & quibusdam amatoriis carminibus, quæ ipsa Venus docuit, Medeam amore ad insaniam usque accenderet. Quod cùm fecisset, illa amore correpta, suum ei promisit auxilium, ac statim herbas medicatas & pharmaca quædam dedit, quibus à taurorum igne tutus esset, & eum quid agendum esset docuit. Ille *Æetam* convenit ac vellus aureum poposcit: quod *Æetas* se daturum esse pollicitus, si tauros ingentes flammas ore & naribus evomentes junxisset, atque dentes, quos ipse daret, seminasset, hominesque armatos, qui inde pullularent, vicisset. Quæ omnia *Jason Medea* opitulante cum summâ suâ laude & gloriâ perfecit. *Æetas* tamen vellus aureum negavit, ac de *Argonautarum* cæde tractare cœpit. *Jasonis* & *Medeæ nuptias* Valerius Flaccus in *Peuce* insulâ fieri incœptas esse scribit: inopino autem Absyrti adventu turbatas & interruptas. Timæus & Apollonius *libro quarto* atque Orpheus Corcyræ scribunt. Dionysius Milesius *in secundo Argonauticon* Byzantii, Antimachus in Lyde prope fluvium, dicit Jasonem cum Medeâ coiisse. Philetas, in Alcinoi domo celebratas ait. Timonax verò *in Colchide* scribit, Medeam ab Jasone ductam uxorem, non sine patris Aeetæ voluntate. Refert autem idem, monstrari juxta Pontum hortos quosdam *Jasonios* vocatos, è quibus ipse discessum fecit; & in Æeâ Gymnasia quædam & thalamum, in quo Medea Jasoni nupsit. Vide porro Euseb. *in Chron.* Hygin. Apollod. Ovid. *Metam.* 7. Senec. *Med.* Val. Flaccum *de Argon.*

Jason, frater Oniæ, summi Sacerdotis, apud Antiochum Epiphanem tantum effecit, ut dignitatem Fratris obtineret. Voto improbo potitus, Judaicos ritus Ethnicis mutare constituit, A. M. 3879. biennio pòst, à Menelao, Simonis fratre, ex tribu Benjamin, supplantatus, atque Sacerdotii dignitate privatus. Rumore postmodum mortis Antiochi dispersο, ingressus Hierosolymam pepulit Menelaum, civiumque complures neci dedit: nihilominus urbe coactus excedere, ad Aretam Arabum Reg. confugit,

confugit, à quo similiter pulsus Lacedæmonem se recepit, ubi miserè periit. 1. Macc. c. 1. & 2. c. 4. & 5. Joseph. *in Antiq. & de B. I.* Torniel. & Salianus, *in Annal.* Vid. suprà.

Jason, nomen viri. Act. 17. & 21. & Rom. 16.

Jason, Argivus, Grammaticus celebris, Athenæo, & Stephano Byzantino laudatus. Scripsit libb. 4. de Græcia, ubi Alexandri M. mentionem facit.

Jason, Byzantinus, opere de Tragicis innotuit. Plut. *de fluminibus*. Vir eruditus, *in notis ad eum locum*, eundem esse suspicatur, de quo Stephanus in Ἀλεξάνδρεια & Τῆλος; sed fallitur, nam *Jason* iste Argivus Grammaticus fuit, V. supra.

Jason, Cyrenæus, Historicus, sub Ptolomæo Philometore, Olymp. 150. Scripsit libb. 5. de rebus gestis Asmonæorum, in epitomen redactos, ab Auctore 2. lib. Macc. Torniel. *A. M. 3893. n.* 8.

Jason Denores, Cyprius, floruit Patavii, sec. præt.

Jason Maynius, Mediol. JC. & Orator, Pisæ Ticinique docuit. Obiit an. 1519. Fichardus, *in Vitis Jurecoss.* Thevet. *lib. 6. de Vir. Ill.* Fortunæ suæ faber. V. Paul. Jov. *in elog. c.* 66.

Jason Trallianus, Tragœdiarum auctor, apud Herod. Parthorum R. in delitiis. Vid. Polyæn. *l.* 7.

Jasonium, promuntorium Cappadociæ, hodiè *S. Thomas*. Item magnus mons supra Caspias portas ad lævam, pars Tauri. Strabo. Item Margianæ urbs. Ptolem. Item locus juxta Constantinopolim. *Bisitas* Turcis. *Diplociana* Græcis.

Jaspis, mel. *Aspis*, vulgò *Aspe viejo*, oppidul. regni Valentini, 3. leuc. ab Alone in Occ. Murciam versus. 1. leuc. ab Illici in Bor.

Jasprinum, opp. Hungariæ, captum à Rodolfo II. Imp. per Matthiam fratrem. A. C. 1593. Thuan. *Hist*

Jassa, locus in deserto, ubi Israëlitæ castra metati sunt. Nu. *c.* 21.

Jassen, nomen viri. 2. Reg. 23. qui 1. Par. 21. *Assem* dicitur.

Jassii, Pannoniæ populi. Ptol. Circa Draum flu. Ferr.

Jassium, vulgò *Jassy*, urbs Moldaviæ, aliquando Principis sedes, ad amnem *Pruth*, cum arce munita, aliàs à Cosacis capta. 50. m. p. à Suckova in Orr. 30. à confin. Poloniæ in Austr. ubi forsan aliàs Augustia, ad Hierassum fluv. Baudr.

Jassus, vel *Jasus*, hodie *S. Pietro*, urbs Cariæ maritima apud Halicarnassum urb. ad sinum, qui ex eâ *Jassius* dicitur, vulgò *Golfo di S. Pietro*. Incolæ *Jassii*. Plin. 5. 29. vide Steph. Aliis urbs Joniæ fuit, in limite Cariæ, in ora maris Ægæi, ad sinum Jassicum, media inter Ephesum ad Sept. & Mindum ad Mer. 40. utrinque mill. 15. à Mileto. 56. ab Halicarnasso in Bor. Baudr. Episc. sub Arch. Stauropolitano, Ferrar.

Jastus, fluv. Scythiæ, intra Imaum. Ptol.

Jasub, filius Esaiæ prophetæ. Is. 7. Filius item Issachar. 1. Par. 7. qui Gen. 46. dicitur *Job*.

Jatamana, lacus Lunæ, in Athamania reg. ubi fanum Nympharum, & fons sarmenta inflammans. Antig.

Jateba, nomen loci. 4. Reg. 21.

Jathaneel, nomen viri. 1. Par. 26.

Jathrippa, urbs Arabiæ. Steph.

Jatii, circa Margianam gens. Plin.

Jatina, Balearidis maj. opidum. Plinius.

Jatinum, urbs Gall. Belgicæ ad Matronam fluv. Ptol. *Meaulx* Villanovano. Vid. *Melda*.

Jatrus, Plin. *Jeterus*, ex tabb. Geogr. *Jschar* & *Abitz*, fluv. Mysiæ, apud Nicopolin Urb. in Danubium influens. Nunc *Jater*, apud Ternobum Urb.

Jatur, urbs Indiæ, intra Gangem. Ptol.

Java, vulgò *Java*, insula perampla Asiæ, in mari Indico, & una ex insulis Sindæ, Ptolemæo teste. Ab Oriente in Occidentem extenditur spatio 200. leucarum. Ad Occasum habet Sumatram insulam, à qua separatur freto Sundæ. Ad Ortum ei adjacent aliquot minores insulæ. Ad Austrum habet Oceanum australem, & ad Boream insulam Bornei, à qua tamen distat 45. milliaribus Germanicis. In ea sunt novem regna, nempe Bantami, Jacatræ, Japaræ, Tubani, Jortani, Passarvani, Panarucani, Palimbuani, quæ sunt in ora Boreali insulæ, & Materani, in ora Australi, cujus Rex totius insulæ est potentissimus; habentque urbes cognomines. Tota insula dives est aromatum proventu & abundantiâ; hinc *Compendium orbis* dicta Scaligero, ob omnium rerum tam facilem & uberem proventum, ideoque valde ab Europæis frequentatur, præsertim ab Anglis & ab Hollandis, qui inibi habent Bataviam arcem permunitam, olim *Jacatra* ab A. C. 1617. Sed pars Australis insulæ nondum lustrata fuit ab Europæis; eratque aliàs una ex tribus insulis Sindæ, ut Sanson probare nititur. Dicitur etiam *Java major*, ad discrimen minoris Insulæ, quæ ei versus Orientem adjacens *Java minor* dicitur. Incolæ maximam partem Mahometani sunt, & piraticâ perfidiâque infames: Immunda animalia, ut sorices, serpentes, &c. ipsis præter terræ fructus, in quotidiano sunt esu, humanâ etiam carne quidam vescuntur, hodieque regna Bantami & Materani, extantiora sunt. Vid. Texeiram *l.* 1. Maffæum *Hist. Ind. l.* 5. Linschotum *c.* 17. 20. *&c.* Maginum *Geogr.* Marc. Paulum *l.* 5. *c.* 10. alios.

Java insula urbes præcipua.

Balambuanum, *Balambuan.*	Batavia, aliàs Iacatra, *Batavia.*
Bantamum, *Bantam.*	Duama, *Duama.*
Japara, *Japara.*	Passarvanum, *Passarvan.*
Jortanum, *Jortan.*	Saraboa, *Saraboy.*
Materanum, *Materan.*	Sura, *Sura.*
Panarucanum, *Panarucan.*	Tubanum, *Tuban.*

Java, Hisp. civitas. Ptol. vulgò *Laca*.

Javan, filius Japhet. Gen. 10. Jonum Patriarcha. Hujus filii 4. Elisam, Æolum caput, Tharsis Cilicum auctor, Chettim Cypriorum, & Rhodanim Rhodiensium progenitor. Torniel. *A. M.* 1931. *n.* 22. Sed vide Boch. *Phaleg. p.* 175.

Javarinum, Prov. Rom. *Gravarin* Italis, & *Rab* Hungaris, urbs Pannoniæ superioris, in Hungaria, munitissima adversus Turcas, ad Arabonem fluv. ubi is Danubio congreditur, Episcopalis sub Archiepiscopo Strigoniensi, à Posonio 10. leuc. in Austrum, à Vienna 13. in Eurum Vesprinium versùs. V. *Arabo*, sive *Arrabo*, Ferr. Baudrando hæc urbs est parva, sed munita, in confinio Austriæ. Capta fuit à Turcis an. 1591. proditione Comitis Hardeckii, (qui scelus postea capite luit:) sed postea recepta mirabili audaciâ à Domino de Vaubecourt nobili Gallo, subest etiamnum Austriacis. A Germanis *Gever* dicitur, & à Gallis *Javarin*. Distat 5. milliaribus Germanicis à Comora in Occasum; estque in limite ditionis Turcicæ, & è regione Schutiæ insulæ.

Jauna, fluv. Vid. *Icauna*.

Jauria, quibusd. *Jauravia*, vulg. *Javer*, urbs parva Germ. in Silesia, Duc. titulo insignita, à qua pendet tractus adjacens. Vix duabus leucis distat à Lignitio in austrum, & 6. ab Vratislavia in Occ.

Jaus, nomen viri. 1. Par. 23.

Jaxamatæ, pop. circa Mæotim paludem. Melæ *Examatæ*, ut quidam volunt *l.* 1. *c.* 19. Stephano Ἰαξαβάται, quos Ephorus appellat *Sauromatas*. Val. Flacc. *Argon.* 6.

Jaxamatas venatus alit.

Jaxartæ, Sogdianæ pop. Ptol. Seu Scythiæ intra Imaum in Sogdianæ confin. unde Turcæ profecti feruntur. Quare sedem eorum hodiè *Turchestan* appellat Niger.

Jaxartes, auxilio Æetæ adversus Persen venit, magnidicus & manu promtus. Val. Flac. *l.* 5. *versu* 596.

Jaxartes, flu. ingens Sogdianorum, qui in Occid. fluens in mare Caspium se exonerat, *Chesel* Nigro, qui & *Organz* Barbaris, & à Scythis *Schittim*, teste Bonfinio.

Jaxtes, fluvius, quem eodem cum superiore tractu quidam locant, cujus meminit Claudianus, *de Prob. & Olyb. consulatu*,

Sic nobis Scythicus famulatur Jaxtes.

Jaycza, vulgò *Jaycza*, urbs Bosniæ, ad flu. Plenam, aliàs caput regni. In monte, cum castro munitissimo, sub Turcis, à 152. annis. In limite Croatiæ, ubi forsan ol. *Æmate*. Vix 8. mill. Germ. à Dravo flu. in Austr. 15. à Jadera in Eur. Sedes aliàs Principum.

Jazabatæ, vide *Jaxamatæ*.

Jazates, Adiabenorum Rex, Judaicæ religionis, cujus mater Helena. De origine hujus regis & progressu, multaque alia, quæ operæ sit legere, Josephus *l.* 20. *Antiq. c.* 2. 3.

Jazel, fil. Azmoth. 1. Par. 12.

Jazer, urbs Amorrhæorum. Is. 16. quam construxerunt filii Gad. *Jos.* 13. Terminus tribus Gad. in 10. lapide Philadelphiæ, ad Occ. trans Jordanem Levitis separata.

Jaziel, nomen Sacerdotis. 1. Par. 15.

Jazitha, opp. Libyæ inter. Ptolem.

Jazyges, pop. Sarm. Europææ, quos Martin. Cromerus *Jasuingos* vocat, pop. Prussiæ in regno Polonico, à Boleslao Casto, an. 1264. & Lesco, an. 1282. tantùm non destructi. Crom. *l.* 9. & 10. Michov. *l.* 3. Plurimi horum in Hung. sup. concessere, unde Jazyges Metanastæ. Ovid. *Pont.* 1. 3.

Aut quid Sauromatæ faciant, & Jazyges acres.

Val. Flac. *l.* 6. *Neurus, & expertes canentis Jazyges ævi.*

Etiam *Jazyges Mæota* dicti, versus paludem Mœotid. inter Naubaros ad Occ. & Roxolanos ad Ort. Eorum oppida fuere, Acras, Cuema & Lianum. G. Sanso. Ubi nunc pars Tartariæ min. Baudr.

Jazyges Metanastæ pop. latè extensi, & regio Europæ inter Danubium ad Occ. & Merid. Transylvaniam ad Ort. ac Carpathum montem ad Bor. Hodie *Ongaria di la dal Danubio*. Baudr. ubi nunc Hung. sup. quæ maj. ex parte sub Austr. præsertim versus Bor.

Jazys, nomen proprium viri. 1. Par. 27.

I B.

Ibai, & *Ibeni*, populi Celticæ. Sunt etiam *Ibeni* Lydiæ, aliàs *Jaonita* dicti. Steph.

Iban, vulgò *Ian*, urbec. Armeniæ, in confin. Mediæ, munita, cum castro, sub Turcis, à 100. prope annis, in limite Persiæ. Aliquot mill. à lacu cognom.

Ibas, Episc. Edessenus, primò Nestorii hyperaspistes, dein Orthodoxus. Depositus in Synodo Lystrica, Concilio Chalcedonensi absolutus est, & in sedem suam restitutus. Postmodum Theodorus Episc. Cæsareæ, Origenis fautor & Acephalus, cùm consuluisset Justiniano, ut condemnaret scripta Theodori Mopsvesteni, anathemata Theodoreti Cyrensis, opposita anathematis S. Cyrilli, & epistolam Ibæ ad Marim Persam, quam scripserat, cùm adhuc Nestorianus esset, Imperator Concilio 5. Gen. Constantinopoli habito, Anno 553. hæc omnia condemnari curavit:

Quæ *tria Capitula* dicta. Unde Schisma diuturnam. Niceph. *l.* 17. *cap* 9. 26. 37. Concil. Chalc. *Act.* 8. *&* 9. Concil. 5. Cen. *sess.* 6. Liberatus, *c.* 24. &c.

Ibellinum præsidium, à Fulcone Andegavensium comite, Hierosolymorum rege conditum, An. Dom. 1122.

Ibera, op. Hisp. Tarracon. ad Iberum fluv. apud Carthaginem veterem, medium ferè inter Cæsaraugustam, & Dertusam. *Flix*, opp. Illercaonum, teste Ant. Augustin. nunc castr. munitum Catalon. Aliis est ipsa Dertosa, *Tortosa*, urbs Ep. Cataloniæ, paulo supra ostia Iberi flu. Vid. *Dertosa*.

Iberia, reg. Asiæ inter Colchidem ad Occid. & Albaniam ad Ort. Armeniæ maj. ad Merid. contermina, ad Boream montibus Caucaseis definita. Nunc *Gurgistan* incolis, Gall. *Georgie*. Ibi urbes aliàs celebres, Armotica seu Harmastis, nunc *Cori* & Artanissa, nunc *Bassachiuc*. Dividitur ab Albania Caspio monte ad Ort. à Colchide Moschicis montibus. Sub Principe proprio, sub clientela tamen Regum Perf. Baudr. Populi *Iberes* Straboni, aliis *Iberi*, *Giorgiani* vulgò: quamvis Giorgiana reg. magnam Armeniæ partem complectitur. V. quoque infra.

Iberia, primùm appellata fuit Hisp. regio Ibero fluv. proxima, an hinc, an ab Ibero R. quam postea, Celtæ Gallorum pop. relictis sedibus suis habitavere, unde composito ex nomine gentis utriusque vocabulo, *Celtiberi* dicti sunt. Lucan. *lib.* 4.

—— Profugiq; à gente vetustâ

Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Porro Ar. Montanus Iberiam Asiaticam hodie *Georgiam*, in sacris literis sub nomine *Tubal* describit, atque hinc profect s Hispanos, qui Europæ ultimam partem versus Occid. occupant, testatur. Hoc ipsum etiam voluit Josephus. Plinius quoque Varronem secutus Iberes sive Iberos primo loco collocat inter nationes, quæ ante Romanos in Hisp. sedes fixerunt. Sic enim scribit 3. 1. *In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos & Persas, & Phœnices, Celtasq; & Pœnos tradit.* Longe tamen aliter Megasthenes, qui Seleuci Nicanoris tempore rerum Chaldaicarum, & Assyriarum historiam condidit, ex quâ sic Abydenus apud Eusèb. *de Præp. Evang. l.* 9. *c.* 41. Μεγασθένης δέ φησι Ναβουχοδρόσορον Ἡρακλέως ἀλκιμώτερον γεγονότα, ἐπί τε Λιβύην, καὶ Ἰβηρίαν στρατεῦσαι. Ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀπόδασμον αὐτῶν εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ πόντου κατοικίσαι. Strabo etiam in primo tradit, Iberos Occidentales in loca ultra Pontum, & Colchidem commigrasse. Imò & similiter Dionysius *in Periegesi* scribit:

Τῷ δ' ἐπὶ ναιετάουσιν ἑωθινὸν ἔθνος Ἰβήρων,

Οἵ ποτε Πυρρήνηθεν ἐπ' ἀντολίην ἀφίκοντο.

Sequitur hanc opinionem etiam Socrates, *Hist. Eccl.* 1. 16. Non pauci tamen ab hâc sententiâ recesserunt. Nam Appianus *in Iberucis* tradit, cùm aliqui putarent, Iberos Europæ esse προγόνους Iberum Asiæ; alios contra existimasse, eos istorum esse ἀποίκους, fuisse etiam, qui neutros vel progenitores, vel colonos, a bitrarentur. Quomodo Ἴβηρ ratione gentis utriusque erit ὁμώνυμον ἀπὸ τύχης. Atqui si diligentiùs perpendamus, multo verisimilius videtur, Hispanos esse colonos Iberum in Asiâ: quàm ut contrà Hispani per immensa terrarum spatia ultra Colchidem commigrarint. Quod eo minus arridet, quia ab Oriente propagatum est genus humanum. Quanquam verò faciliùs in animum induxero, Iberes Asiaticos coloniam duxisse in Hispaniam, quàm è contra, Hispanos in loca Asiæ Septentrionalia: inprimis tamen eo propendeo, ut putem, neutros alteris originem suæ gentis debere: præsertim quando, ut Appianus ait: ἔθος οὐδὲν ἦν ὅμοιον, ἢ γλῶσσα, *Nec moribus ullâ ex parte, nec linguâ conveniret.* Iberiæ Europææ meminit, Claudian. ad Serenam:

Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus Contulit.

Iberiæ verò Asiaticæ, Virgil. *Georg. l.* 3.

Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

De nomine sic Bochartus. Iberiæ vox, inquit, (id est, Hispaniæ) ex Phœnicum linguâ petenda est. Nam Caucaseos Iberos in Hisp. venisse, & regioni dedisse nomen meræ nugæ sunt. Quid igitur? Ebræis עבר *eber*, Chaldæis עברא *ebra*, vel *ibra* est *transitus*, & quicquid est ulterius. Inde plurale *ebrin*, vel *ibrin*, *terminos*, & *fines* significat. In Evangelio Syro, & in versione Syrâ Psalmorum passim usurpatur hæc vox, ubi Græca habent πέρατα τῆς γῆς, אפסי ארץ *Aphse eretz*, id est, *fines terræ*. Meritò igitur *Iberi* dicti, qui ex Phœnicum sententiâ terrarum fines ultimos habitarunt, Hispani nempe, quorum urbem Calpen Tyrii putaverunt, esse πέρατα τῆς οἰκουμένης, ut in Strabone habetur. Tale est quòd Gaditanum templum Posidonius scribit esse καὶ γῆς θαλάττης πέρας. Et quòd in Homero Proteus Menelaum ita compellat:

Ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον, καὶ πείρατα γαίης

Ἀθάνατοι πέμψουσι.

Id est, in Hispaniam, ut interpretatur Strabo. Eodem sensu apud Dionysium τηλιστοι, id est, *remotissimi* dicuntur:

Ὀππόθι τηλίστων μετανάεται ἔθνος Ἰβήρων.

Ita legendum, non τελλίστων, ut vulgò legitur. Unde Claud. *l.* 3. *Paneg. de Stilic.* ait:

In extremos aciem mittebat Iberos.

Notandum hic, Galliam olim etiam *Iberiam* nominatam, ut constat ex Strabone *l.* 3. ubi antiquitùs Iberiam ait dictam, quicquid foret inter Pyrenæos montes & flu. Rhodanum, ut verisimile etiam sit eam veteribus extensam usque ad Rhenum, eamque credo causam esse, cur Nonno *lib.* 23. *Dionys.* dicatur Ῥῆνος Ἴβηρ *Rhenus Iberus*. Sed quanto aliter Gorop. Becanus senserit *lib. Hispanicorum* 2. ubi suspicatur Ἴβηρ Germanicam esse vocem, quia Germanis *Iver* idem sit ac *Zelotypus*, quomodo Rhenus in vet. epigram. ζηλήμων vocatur. Sed ejus sententiæ eo minus ratio habenda est, quia apud veteres omnes de hoc Rheni cognomine silentium sit, nec Nonnus homo Ægyptiacus sciverit Germanicè, Vossius. *Iberia* tota ad Christum conversa est sec. 4. mulierculæ captivæ operâ, quæ cùm invocatione nominis Domini Jesu Reginam à gravissimo morbo liberasset, hæc fide susceptâ maritum Regem quoque convertit; sicque utcunque ritus Christianos à fœmina edocti, *Rex viris*, *Regina mulieribus*, Christum prædicarunt, donec iis à Constantino Magno Episcopi summissi sunt. Rufinus, *l.* 1. *c.* 10. Socr. *l.* 1. *c.* 16. &c.

Iberus, flu. Hisp. nobilissimus, navigabili commercio dives; ab Iberia urbe, totius Europæ olim præstantissima, quæ hodie censetur Elix esse, dictus. Oritur in Castella vet. in confinio & ex montibus Asturiæ, juxta vicum *Fuentibre*. Baudr. Becmannus eum apud Cantabros, prope *Aquilar del Campo* ex binis fontibus, unde nomen *Fontibre*, quasi fontes Iberi, oriri ait. Dein partem Bor. Castellæ vet. rigat & Navarræ regnum, uti & urbes Calagurim & Tutelam: postea Aragoniam bifariam secans, juxta Cæsaraugustam labitur, recipitque Salonem, Cogedum, Gallœcum, Martinum, Secorim, aliosque flu. Tandem per partem Occ. Cataloniæ, paulo infra Dertosam urb. duobus ostiis, quæ Insulam Alphaciam *Alfaques* formant, mari Mediterr. excipitur. Supra Variam recipit Argam fluv. ideoque aliquot infra leuc. lintrium capax est. Antiquissimè dividebat Hispan. in citer. & ulter. sed postea Hisp. ulter. ad solam Bæticam restricta est. Ejus ostia à fontibus distant 450. m. p. Plin. *Dives Iberus* Claudiano dicitur, *rapidus* Lucano *l.* 4. *Ebro* hodiè incolis, *Ebre* Gallis, vocatur. Est & fluvius in Bæticâ, per Vandaliam fluens, inter Bætim & Anam, leuc. in ostia latus, quem hodie *Rio Tinto* & *Azech* vocant. Item fluv. Iberiæ Asiaticæ Plinio, ex Caucaso in Cyrum flu. maj. defluens.

Ibi, India gens, quos credunt, ab Hercule originem trahere, ibidemque ab eo relictos, cùm *Aornum* Petram expugnare frustra tentasset, referente Diodoro *libr.* 7. *parte posteriore*. *Sibi* vel *Sybi* Orosio *l.* 3. *c.* 19. *Assybi* Trogo. *Sobii* est in Curtii *l.* 9. *c.* 18. Verum Janus Gebhardus ibi leg. *Hinc decurrit in fines Iborum* vel *Ibiorum*: *in Exercitationibus ad Q. Ruffum*, quod ante ipsum natum censebat Abrahamus Ortelius.

Ibirtha, urbs Arabiæ fel. Prol.

Iblodunum, seu *Iblodurus*, oppidul. fuit Mediomatricum, *la Beuville* nunc quibusd. Aliis est *Conflans en Jarnisy*, oppidul. Lotharing. ad Ornam amnem, 8. leuc. à Virduno *Divodurum versus*.

Ibnalach, Saracenorum rex, Hispaniam obtinuit, A. D. 777.

Ibnu Giulgiul, Arabs, Chronologiæ vitarum Philosophorum auctor. Voss. *de scient. Mathem. c.* 67. *§.* 25. Auctor vitæ Pharabii.

Imp. & Vezirii Turcici.

Ibrahimus, Imperator Turcarum, fil. Achmetis, successit fratri Amurathi IV. an. 1640. è carcere diuturno ægrè extractus. Sed ob voluptates, Imperii neglectum aliaque vitia, à Janizeris strangulatus est, an. 1649. Mahomete filio surrogato. Mezerajus, *contin. Chalcond.*

Ibrahimus, Vezirius, Solimanno II. gratus. Genuensis quibusdam fuisse dicitur, unde Christianis in occulto favens, Imperatorem contra Persas concitavit. Mox à Roxolana Sultana apud Imperatorem labefactatus, & cùm hic olim jurasset, se vivo, Ibrahimum non neci daturum, dormiente eo, neci datus est: cùm sopor mortis quædam species videatur. Proditio ipsi multiplex objecta, & literæ quoque ad Carolum V. ostensæ. Contin. Chalcondylæ, *in Solimanno II.* Vid. *Vezirius*.

Ibrejum, oppidul. seu municipiolum Galliæ, arce validum, ad Auturam flu. inter Anetum & Pacejum, Henrici M. clarâ de conjuratis ac rebellibus victoriâ nobile: nunc *Ivry*. Plurimi nunc *Ibriacum* appellant, quod est castrum in Aulercis Eburovicibus. Vid. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Ibriones, P. Diacono *Briones*, pop. Germ. in Bavariæ fin. inter Lycum & Oenum. M. Velserus. Aliis *Pryoner*, incolæ Pyrenæi sunt, in Tirolensi Duc.

Ibycus, Lyricus poeta, cujus fragmenta Henr. Stephanus collegit. Hunc maximè omnium amore flagravisse, ex ipsius scriptis constare, scribit Cic. *Tusc. Qu. lib.* 4. Inde proverb. *Ibyci grues*, quoties sceleribus novo quodam & improviso casu proditis scelesti pœnas dant iis, quos læserunt. Id ex hujusmodi quodam eventu natum memorant. Ibycus cùm in latrones incidisset jam occidendus, grues fortè supervolantes obtestatus est. Aliquanto pòst tempore, cùm iidem latrones in foro sederent, rursumque grues supervolarent, per jocum inter se susurrabant in aurem: Αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι πάρεισιν. Eum sermonem assidentes in suspicionem rapuerunt, maximè desiderato jam pridem Ibyco. Rogati quidnam sibi vellet ea oratio, hæsitanter & inconstanter responderunt, subjecti tormentis facinus confessi sunt.

Atque ita velut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt. Cujusmodi ferme Plut. *in de Futili loquacitate.* Auson. *in Monosyllabis,*

Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.

Antipater ei Epitaphium scripsit. V. Plat. *in Parmen.* Pausan. *l.* 2. Athen. Erasm. *in adag.*

Ibycus, Rheginus Poëta. Ælian. *Hist. An. lib.* 6. *cap.* 51. Schol. Apollonii, *lib.* 1.

Ibylla, urbs Tartessia, cives *Ibyllini*, apud quos auri & argenti metalla sunt. Steph.

Ibzan, Bethlechemites, judicavit Israelem annis 7. Judic. 12. Hunc quidam Hebræorum putant esse Boaz patrem Obed, patris Isai, patris David.

I C.

Ic dien, epigraphe, quâ Walliæ Principes, sub emblemate trium pennarum utuntur. Significat, è Saxonico, *Ego servus*, vel *Ipse Servus* sum, secundùm illud Apostoli ad Galatas *cap.* 1. Inde Barones Regum Anglo-Saxonum, juxta linguam eorum vernaculam, *Theins*, & *Thani* & *Theigni*, juxta Lat. *Ministri* appellati sunt. Henr. Spelm. *Glossar. Archæol.*

Icadistæ, Epicurei sic dicti, quòd τὰς εἰκάδας, hoc est, vicesimum quemque Lunæ diem, quo natus est Epicurus, celebrarent, imagines ejus per cubicula circumferentes. Athen. *l.* 7.

Icadius, prædo, de cujus fato sic scribit Cicero *in lib. de Fato*: *Ne hercule quidem Icadii prædonis video fatum ullum, nihil enim scribit ei prædictum. Quid mirum igitur, ex speluncâ, saxum in crura ejus incidisse?*

Icamia, filius Sellum. 1. Par. 2.

Icaria, vide *Icarus*. Item vicus in tribu Ægeide ab *Icario*, Erigones patre. Steph.

Icaria, Strab. Plin. Melæ, Solino, vulgò *Nicaria*, Insula exigua in mari Ægæo, inter Samum ad Ort. & Naxum ad Occ. 60. mill. seu inter Chium ad Bor. 40. mill. & Pathmum ad Austr. 25. minimè lata est, sed in longitudinem protenditur; In ea templum Dianæ fuit, *Tauropolion* dictum. Ejus circuitus est circiter 37. mill. Priùs *Doliche*, *Macris* & *Ichthyusa* vocabatur, nec non etiam *Pergamum* fuisse nuncupatam, antequam ibi Icarus in mari submergeretur, testatur Pausanias: ab hac vicinum pelagus *Icarium* denominatur. Insula, nisi à piratis infestaretur, satis culta esset. Inter eam & Samum scopuli asperrimi sunt, modò *fornaces* vocati: olim *Melanthii*, qui nautis celebres ac metuendi maximè sunt, præsertim nocturno tempore. In Insulæ parte Orientali, in maris littore turris est altissima, *Fauci* dicta, in cujus fastigio lumine nautis hìc navigantibus signum datur, ut rupes, quæ circa insulam sunt, vitent. Metel. Sub Turcis à 200. an. Antea sub Justinianis Genuensibus Chii Insulæ Dominis. Baudr. Olim hæc cum reliquis Archipelagi Insulis, quæ frequentissimo apud Græcos XII. Insularum aut *Dodecanisi* nomine celebres, præter Cyprum & Candiam, sub præfectura erat Callipolitana: Unde & Præfectus hic, Præfectus Dodecanisi dictus est, quemadmodum & Turcæ hodienum Sanzacko Callipolitano inspectionem harum insularum commendant, Chr. Becman. *Hist. Insul. c.* 5. Cæterùm *Icaria* urbem habuit cognom. Episc. sub Archiepiscopo Rhodio.

Icaria, Insula in Oceano Boreali, fruges nullas habet, sed pisces tantùm & animalia, ex quibus vivunt accolæ. Hanc nomen habere scribunt ab Icaro, Dædali Scotiæ Regis, filio, qui Insulanis dominatus est, ac leges dedit: hujus insulæ populi advenas non recipiunt, nisi fortè sit unus tantùm, quod quidem nulla alia de causâ faciunt, nisi ut ex eo linguam externam percipiant. Ad hanc insulam cùm Zuchminus, aliarum insularum Borealium rex, appulisset anno 1390. expulsus armis ab insulanis fuit. Metel.

Icarium, insula sinûs Persici, ostio Euphratis objecta. Ptolom. Strabo 16. Arrian. 7. *Carai* hodiè vel *Carge*. V. *Ichara*.

Icarium mare, pars maris Ægæi ab *Icaro*, Dædali filio. *Mare di Nicaria*, teste Castaldo.

Icarius, Oebali fil. pater Erigones, qui cùm à Libero patre utrem vini accepisset, ut ejus usum mortalibus communicaret, in Atticum agrum sese contulit, ibique pastoribus, qui æstu Solis sitim contraxerant, vinum propinavit, qui cùm novo potûs genere delectati, largiùs hausissent, altissimoque primùm somno, deinde & crapulâ correpti essent, toxicum sibi datum rati, Icarium interfecerunt, occisumque in puteum projecerunt. Aderat fortè Icario canicula nomine Mæra, quæ ad Erigonen reversa, vestem ejus mordicus arripuit, illamque sequentem ad patris cadaver perduxit: quæ tantum ex patris nece dolorem concepit, ut, mala multa ejus percussoribus imprecata, laqueo vitam finierit, Mæram quoque tam heri quàm filiæ herilis desiderio ferunt contabuisse, Jovisque miseratione in cœlum translatam, in Caniculæ stellam conversam esse, Icarium autem in Booten, Erigonem verò in Zodiaci signum, quam Virginem appellamus. Hygin. *l.* 1. *Fab.* 130. *l.* 2. *Astron.* Hic *Icarus* Tibullo dicitur *l.* 4. *Ad Messalam,*

——— *Etiam Phœbo gratissima dona*
Cres tulit, & cunctis Baccho jucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera cœlo
Erigoneq; Canisq;. ———

Icarius, patriâ Lacedæmonius, pater Penelopes; Hinc illud,

Κούρη Ἰκαρίοιο περίφρων Πηνελόπεια.

Passim apud Hom. *in Odysseâ.* Ovid 1. *Ep.*

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit. Inde Penelope vocatur *Icaris.* Ovid. *in Ibin,*
Et velut Icaridos famulæ periere prociq;.

Item *Icariotis.* Prop. 3. 13.

Hac etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaq; terunt fastus Icarioti tuas.

Ovid. *Pont.* 3. 1.

Nil opus est letho, nihil Icariotide telâ.

Icarius, Atticæ mons, Plin.

Icarus, Dædali filius, qui unà cum patre è Creta fugiens, fretus alarum fiduciâ, quum ultra patris jussa altiùs evolasset, Solisque ardore cera, quâ pennæ continebantur, liquefacta esset, ita ut ab alis deflueret, decidit in mare, quod est inter Myconem & Gyarum, à quo postea *Icarium mare* appellatum fuit. Ovid. *Fast.* 4.

Transit & Icarium, lapsas ubi perdidit alas
Icarus. ———

Idem *lib.* 1. *Tristium:*

Icarus Icariis nomina fecit aquis.

Icarus, Asiæ fluv. in Oxum, Sogdianorum flu. influens, Solin. Et insula juxta mare Rubrum. Steph. Et mons Atticæ. Plin.

Icarus, vel *Icaria*, insula, una Cycladum, quæ priùs *Macris* vocabatur, ac *Dolsche*. De nomine Bochartus, *Icarus*, inquit, est איכר *Icar*, ad verbum, *insula pascui.* Quæ Etymologia quàm quadret, docebunt verba Strabonis *l.* 10. Ἡ μὲν οὖν Ἰκαρία ἔρημός ἐστι, νομὰς δ' ἔχει, καὶ χρῶνται αὐταῖς οἱ Σάμιοι. Tamen aliud etymon occurrit, quod huic meritò præferendum. Insula hæc olim *Ichthyusa*, vel *Ichthyoessa* dicta est. Athenæus, 1. 24. Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἴκαρος πρότερον Ἰχθυόεσσα, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ τῶν ἰχθύων πλῆθος. Inde Phœniciè dicta est אי כורי *I-caure*, id est, *insula piscium.* Vid. quoque *Icaria.*

Icarusa, fl. Sarmatiæ Asiat. apud Cercetas. Plin.

Icatalæ, Sarm. Asiaticæ pop. Plin.

Icauna, vulgò *l'Yonne* flu. Gall. Celt. Oritur in Duc. Burg. apud Augustodunenses è montibus Morundiæ, seu Morvinnicis, *de Morvant*, alluitque castrum Chinonium in Morvinno pago, quâ diœcesim Augustodunensem à Nivernensi dirimit. Tum attingit Marcelliacum *Marcilly*, Mariniacum, Silviniacum *Sauvigny*, Tanacum *Tanay*, Alnetum *Aunoy*, & urbem lustrat Clamecium, seu Climiciacum, *Clamecı*, ubi primùm navigia tolerat; in prov. Nivern. dein Colonicam *Coulange*, Castrum Censorium *Chastel Censoy*, Malliacum Castellum, Malliacum Villam, Crevantium opp. rigans, ubi recipit Curam amnem, postea Antissiodorum Burg. urbem, Castellum Novum, Eponiacum *Espogny*, opp. S. Juliani de Saltu lavat. Hinc receptis Semno & Armancione flum. juxta Jogniacum, Villam Novam Regis, Senones Urb. Pontes Icaunæ *Pons sur Yonne*, Villam Novam Gujardi labitur; & demum ad Monasteriolum seu Montem Reg. ut quidam volunt, in Campania Sequanæ miscetur. Dicitur in pago montoso troctis abundare, pisce aquam torrentem amante. Hunc fluv. *Itumnam*, vel potius *Icumnam* vocat Guil. Britto *Philipp. lib.* 10. his vèrbis:

At Senones & terra ferax à flumine Itumna
Usq; locum, quo Sequanio Lupa confluit amni,
Et qua Moretum Montemq; interjacet Argi,
Herveo Comiti volo dimittatur habenda.

Vid. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Iccius portus, unde brevissimus in Britanniam trajectus; *Itium* Strab. ἴκιον ἄκρον Ptol. Camdeno est locus Caleto vicinus, in Comit. Bononiensi in Picardia, *Vissent* indigenis, Angl. *Widsant*, Flandris *Isten*, Nautis *Esseu*. Nunc castrum tenue cum portu in ora maris Britann. ad Fretum Gall. 3. leuc. à Caleto in Occas. 4. à Bononia in Bor. 6. ab ora prox. Angliæ in Afr. *Iccium* verò *prom.* est *Blanest*, cum vico cognom. in ora, prope Icium port. 3. à Bononia leucis. Baudr. V. quoque *Icius portus.*

Iccius Rhemus, primus suæ civitatis Legatus, ad Cæsarem à suis missus. Cæs. *lib.* 1. *Com. c.* 3.

Icelos, unus filiorum Somni, cui ab *assimulando* nomen factum. Ovid. *Met.* 11. ——— *At alter*

Fit fera, fit volucris, fit longo tempore serpens.
Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. ——— ———

Icelus, Galbæ Imperatoris libertus, quem annulis donatum equestri nomine *Martianum* appellitabant; magnâ in eâ aulâ potentiâ & gratiâ. Tacit. *Hist.* 1. 13. In eum occiso Galbâ, ut in libertum palàm, Othonis jussu, animadversum. *Ibid. c.* 46. Vertranius Maurus *Hicellius* legendum censet, additque ei prænomen *Cajus* fuisse atq; unum eundem fuisse, ex vet. Galbæ concubinis.

Iceni, pop. Albionis, in ora Or. ad mare Germ. *Simeni* Ptol. *Cenimagni* Cæs. quorum regio *Essexia* in Angliâ, teste Lhuydo. Sed Camdeno est *Suffolcia*, *Norfolcia*, *tractus Cantabrigiensis*, & *Huntingdonensis*; ubi olim East Angliæ regnum, quem vide. Eorum Venta *Icenorum* caput erat. Habebantq; ad Occ. Catieuchlan.

Icenorum stratum, *Ikenild-straet*, una è 4. viis celeberrimis, Angliam totam à diversis plagis percurrentibus; prisco Romanorum opere Britannorum mixto elaboratis. De qua, ut & reliquis V. Camden. *Britan.* Spelm. *Gloss. Archaol.* &c.

Icesia, insula juxta Siciliam, *Panaria* Fazello. Didymæ proxima & Liparæ, ab ea 8. m. p. in Ort. recedens, circuitu 6. *Thermissa* Straboni, ob aquas calidas; Ferr.

Icetas, post Dionem interfectum, tyrannidem Syracusarum invasit; ita ut ille Acradinam & Neapolim teneret; Dionysius Insulam. Syracusas quoque, Timoleonte Leptinem, qui Engyum tyrannide oppressum tenebat, ex urbe expellere conante, aliquandiu oppugnavit: sed mox re infectâ Leontinos, unde eruptionem fecerat, rediit. Idem conatus est Timoleontem, subornatis duobus sicariis & percussoribus dolo interficere, sed cùm hi Adranum, ubi erat Timoleon, venissent, eumque sacrificantem offendissent: alter eorum fortè ibidem quendam conspicatus, qui Patrem ipsius interfecerat, omisso Timoleonte, ad quem interficiendum venerat, Patris sui interfectorem percussit: quo facto ensem tenens confestim se in altam quandam rupem saltu corripuit: alter verò aram tangens à Timoleonte facti veniam petivit, pollicitus se ei omnia patefacturum. Ita miro quodam casu Timoleon servatus: Icetas tandem à Timoleonte superatus & occisus est. an. 2. Olymp. 110.

Ichabod, filius Phinees filii Heli sacerdotis. 1. Reg. 4. Latin. *ubi gloria?*

Ichana, op. Siciliæ, obsessione Syracusiorum nobile. Steph. Cujus incolæ *Ichanenses*.

Ichara, ins. sinûs Persici ante Euphratis ostia. Plin. vide *Icarium. Carai* quibusd.

Ichna, urbs Macedoniæ, unde Themis *Ichnaa*, quam persequens Jupiter κατ᾽ ἴχνος apud *Ichnaos* deprehendit. Item civitas in Oriente. Steph.

Ichnaa, Themidis epitheton, vel cognomentum. Hom. *in Hymno Apollinis*,

—— Θεαὶ δ' ἔσαν ἔνδοθι πᾶσαι,
Ὅσσαι ἄρισται ἔσαν, Διώνη τε Ῥείη τε,
Ἰχναίη τε Θέμις, καὶ ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη.

Lycophron de Themide, Solis filiâ,

Τῆς θ' ἡλίου θυγατρὸς Ἰχναίας βραβεύς.

Vide Stephanum. Dicitur & Nemesis *Ichnaa*. Diodorus poeta Epigrammatarius,

Ἀδρήστεια δίκα καὶ Ἰχναίη σε φυλάσσοι,
Παρθένος ἡ πολλοὺς ψευσαμένη Νέμεσις.

Item regio Macedoniæ. Hesychius: Ἰχναίην, χώραν τὴν Μακεδονίας, ἔνθα τὸ μαντεῖον ὁ Ἀπόλλων κατέσχε καὶ τιμᾶται.

Ichnusa, dicta est ins. Sardinia, quòd ad similitudinem vestigii facta sit. Sil. *l.* 12. de Sardiniâ,

—— —— *Terras*
Enormes cohibet nuda sub imagine planta,
Inde Ichnusa prius Graiis memorata colonis.

Claudianus,

Humanæ speciem plantæ sinuosa figurat.

Vide *Sardinia*.

Ichobalus, Astartæ Sacerdos, Phelletem peremit, & regnavit apud Tyrum annis 32.

Ichthyusa, Vide *Icarus*.

Ichthyophagi, populi Sinarum. Ptol. ubi nunc Sciantonensis & Nanquinensis prov. in parte Or. regni, Sanso. Et apud Agatharchidem populi oræ inter Carmaniam ad Occid. & Gedrosiam ad Ort. Apud Plin. verò insulæ Arabiæ Fel. in orâ orientali, sic *ab esu piscium* dicti. Horum regio magnâ ex parte arboribus caret. Raritas in eâ aquarum, & domestici cibi maxima est. Vescuntur piscibus, tum ipsi, tum eorum pecora, & aquas fluviales ac fossiles potant. Pecorum carnes piscibus præbent, domicilia ex ossibus cetorum, & ostreorum conchis faciunt. Trabium & fulcrorum usum costæ præbent, portas maxillæ: è vertebris fiunt mortaria, in quibus pisces subiguntur, & ad solem assantur; postea ex his panem conficiunt, frumenti paululum admiscentes. Nam & molas habent, quanquam ferrum non habeant, quod nequaquam mirandum est, id enim aliunde afferri non potest. Concidunt eas, cùm attritæ sunt lapidibus iis, quibus & sagittas & missilia præusta exacuunt. Pisces partim in cuppis panariis assant, partim (quod frequenter fit) crudos edunt. Capiunt autem eos retibus ex cortice palmarum factis.

Ichthys, Elidis in Achaiâ promuntorium. Thucydides. *Jardan* Theveto. In ora Occ. inter Chelonatem sinum, & ostia Alphei fluv. De quo Itiner. *lib.* 2.

Conduntur Sphagia & pisci cognominis Ichthys.

Iciani, Camdeno *Icborough*, opp. Norfolciæ, in *Icenis*. Talboto est *Thetford*, opp. ejusdem tractus.

L. *Icilius* Tr. Pl. legem tulit, M. Valerio Max. Sp. Verginio Tricosto Cælimontano Coss. an. U. C. 397. ut Aventinus mons plebi ad ædificia concederetur. V. Dionys. *l.* 10.

Sp. *Icilius* Tr. Pl. T. Geganio Macerino, P. Minutio Augurino Coss. an. U. C. 261. legem tulit; *Ne quis Tribuno ad pop. concionanti contradiceret, neve eum interpellaret.* V. Dionys. *lib.* 7.

Iciodorum, vicus Galliæ, in Arvernis ad fluv. Elaver, memoratus Gregorio Tur. *l. de gl. Confess.* nunc *Issoire* dicitur. In Schola *Icciodorensi* literas didicisse Præfectus Arvernorum Episc. legitur: *Icciodorensis* cœnobii mentio fit, in libello *de* 2. *Translatione S. Austremontii*, Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Item vicus Gall. in finibus Turonum, confinis Biturigibus Cubis, vulgò *Iserre*, aliàs *Iseure*, ad Crosam flu. Idem.

Icius portus, in Morinis est, è quo Cæsar in Britanniam solvit, *Comment. lib.* 5. A Ptolomæo inter Frudis vel Suminæ ostium & Gesoriacum, navale Morinorum, quod ulteriorem seu superiorem horum portum à situ idem Cæsar vocat, collocatur *Icium* prom. in quo haud dubiè portus *Icius* erat: qui hodie Valesio est Stapulæ *Estaples en Boulonnois*, portus in Morinis ad os Quantiæ flu. adversùs cellæ S. Judoci. Videntur huic loco nomen dedisse *Icii*, pars Morinorum, à quibus nomen Ventæ Iciorum vel Icinorum in Britannia, Coloniæ Iciorum à portu huc profectorum, *Not. Gall.*

Iconium, urbs Lycaoniæ Archiep. sub Patr. Constantinopolitano, & caput, inter Cappadociam & Ciliciam, capta à Godofr. Bullionæo, A. C. 1097. iterum à Friderico Barbarossâ Imp. Anno Chr. 1190. postquam ibidem Emanuel Imper. Græc. à Turcico Sultano turpiter victus fuisset, A. C. 1173. Dein relapsa, sub jugum Barbaricum, sub Sultanis fuit, è quibus Cladinus, ob irruptionem Tartarorum è regno fugit, Otrugarele Carmaniæ præfecto; cujus dein filium Ottomannum Caramaniæ Regem creavit, unde hodierni Turcarum Impp. Factum hoc A. C. 1296. Hìc, cùm Cataphryges, ab Ecclesia ad se venientes rebaptizassent, Synodo habitâ A. 256. decretum est; Hæreticorum Baptismum nullum esse, Firmiliano inprimis id urgente. Unde Orientis Episcopi à Stephano Episc. Rom. excommunicati, transiitque incendium in Africam quoque. V. Cyprian. *ep.* 70. 71. &c. *Cogni* hodiè, quo nomine & regio ipsa vocatur. Πολίχνιον εὖ ᾠκισμένον vocat Strabo *l.* 12. Etiamnum ampla est & probè munita, Caramaniæ latè sumtæ caput, ubi Præfectus totius reg. degit, sub Turcis. 100. mill. circiter ab ora maris Pamphylii in Bor. Baudr.

Iconomachi seu *Iconoclastæ*, vulgò dicti, qui imagines Dei, Christi & SS. è templis summovent confringuntque illarum usu penitus in religione damnato. Quales inter alios Leo Isaurius olim, Constantinus Copronymus, Leo IV. Theophilus, Bardas, Imperatores Græci, ut & Reformatores sec. præteriti, ab adversariis proin hoc epitheto notati. Historia paulo altius repetita sic habet. Post Scripturæ non silentium modò, verùm etiam interdictum, primitivam Ecclesiam nullas habuisse imagines, habuisse verò Simonis Magi, Basilidis, Carpocrationis, &c. posteros, refert Irenæus *l.* 1. *c.* 23. & 35. Epiphan. *hær.* 27. &c. Introductus illarum *usus Historicus*, an. 395. Paulo Episcopo Nolano auctore, Martin. Chemn. *de Imaginibus*: Basilio, Cyrillo, Augustino, Chrysostomo renitentibus: Epiphanio etiam *velum Christi imagine ornatum discerpente.* Arnob. *lib.* 8. Eodem tempore, quo Invocatio Sanctorum, Augustino & Epiphanio acriter sese opponentibus, invehi cœpit, Lætus in *Compend. Univ. hist.* Gregorius quoque M. ad Serenum Episc. Massiliensem, qui imagines confregerat, posse eas tolerari, *ut libri sint Laicorum*, scripsit. Postea à Constantino Papa Anno 712. *qui sanctis imaginibus venerationem constitutam ab Ecclesia denegarent*, damnati, Sigon. *de regno Ital. lib.* 3. Gregorius Dialogus Successor, *ad excitandam multitudinis imperitæ memoriam*, retinendas statuit. Idem, Anno 715. Sed illas templis ejectas concremari jussit, in Oriente, Leo Isauricus, successoresque ejus, de quibus jam supra. Constantinus Concilio Oecum 7. Anno 754. illas Idola vocanda censuit, *eò quòd divina natura Christi pingi non possit, Humana verò, cùm exaltata sit, ut & Sanctorum, coloribus exprimi nequeat.* Zonar. *tom.* 3. Cedren. *in Hist.* Cujus ingenium cùm Leo fil. retineret, Irene uxor hujus mortuo marito, excitata à Paulo Patr. primò Byzantium Concilium convocavit, quod cùm turbatum esset, exarmatis prius adversariis, Nicæam transtulit, an. 788. Oecum. 8. dictum, in quo, rebus ita instructis, ut nemo contradicere auderet, decretum, *Imagines non tantùm haberi posse ad usum historicum, sed illas, ex mandato divino Ecclesiis necessarias esse, imo venerandas, salutandas, osculandas, colendas, & adorandas, cereis etiam, suffitu, &c. honorandas*: Effosso Constantini soceri cadavere, & Constantino fil. qui imagines denuo deturbabat, excæcato. Huic Concilio Carolus M. Francofurtanum opposuit, an. 794. ubi usu Historico probato, adoratio damnata, & Nicena Synodus velut Pseudosynodus rejecta est. Post Irenen Leo Armenius iterum tolli imagines imperavit. Theophilus, ne pingi quidem voluit, an. Chr. 830. Circa quod tempus synodus Paris. *nec stultâ præsumtione abolendas, nec superstitiosâ assertione adorandas, sed memoriæ causâ habendas*, conclusit: Claudius verò Taurinensis Episc. prius Cæsaris Ludov. Pii concionator aulicus, cunctas Basilicas suæ diœceseos picturis atque imaginibus nudavit, Pap. Masson. *in Hist. Gall.* P. Martyr, *in* 1. *Reg. c.* 7. Verùm Theodora Theophili uxor, Constantinopoli imagines restituit, an. Chr. 842.

quarum

quarum à Barda iterum sublatarum cultum, Basilius rursus confirmavit, Concilio Oecumen. nono, Constantinopoli habito, Anno Christi 863. 871. A' quo tempore per complura secula hic mos, subinde tamen reclamantibus quibusdam, viguit, donec seculo præterito, Heroibus divinitus excitatis, Reformatio cœpta, mutis his falsisque Doctoribus summotis, priscus Ecclesiæ splendor redditus, & CHRISTUS, qui *imago Patris* est, Coloss. c. 1. v. 15. fidelibus in Verbo & Sacramentis, *ob oculos depingi*, Gal. c. 3. v. 1. *memoriaq; potius*, 2. Tim. 2. v. 8. infigi denuo cœpit, in Helvetia, Germania, Gallia ex parte, Anglia, Septentrione, aliisque regionibus.

Icos, insula parva, una Cycladum, Eubœæ proxima: Insularis *Icius*, & *Iciacus*. Ejus præter Strabonem meminere Scylax, & Phanodemus apud Steph. & Liv. *lib.* 31. Item Appianus *lib.* 5. Ἐμφυλ. Sed & Antipater Sidonius *Epitaphio in Homerum*, *Antholog.* 3. 25. ubi βραχύβωλον appellat, i.e. *brevis gleba* insulam, angustam scilicet & perpusillam. Nomen ab *angustus* factum (ait Vir magnus.) Id enim Syris est עִיקָא *Ico*, à verbo עוּק *uk*, id est, *coarctare*. Prope Pelasgicum Sin. inter Eubœam ad Austr. & Peparethum ad Bor. 20. circiter mill. ab utraque. Baudr.

Icosium, Mauritaniæ Cæsariensis opp. & colonia, *Acor*, teste Castaldo, ab Herculis comitibus condita. Hercule enim illac transeunte, viginti, qui à comitatu ejus desciverant, locum deligunt, jaciunt mœnia, ac ne quis posito à se nomine gloriaretur, de condentium numero, urbi nomen datum, Solinus. Episc. fuit sub Archiepisc. Cæsariensi, inter Tipasam & Rusconiam, ad mare. Ferrar.

Ictaus, Tarentinus, nobilis palæstrita, toto vitæ tempore Veneris expers fuit, ut arti accommodatior esset, tanta illi gloriæ libido. Ælianus *Var. Hist.* Lege autem *Icchus*, locus est *lib.* 11. *c.* 3. Vide eundem *de Anim.* 6. 1. Vide sis etiam Pausan. *in Eliacis*, nec non Platonem *de Legg. lib.* 8.

Ictumulorum vicus, apud quem aurifodinæ erant, haud dubiè supra Vercellas, non procul in Alpium radicibus fuisse ex Strabonis verbis claret, *lib.* 5. Καὶ ἐν Οὐερκέλλαις χρυσωρύχιον ἦν, κώμη δ' ἐστὶ πλησίον Ἰκτυμούλων, καὶ ταύτης κώμης. Plin. 33. 4. *Extat lex Censoria Ictumulorum aurifodinæ, quâ in Vercellensi agro cavebatur, ne plus* 5. *millibus hominum in opere publicani haberent.* Ex duabus vocibus conflari videtur οἱ τοῦ Ἴκτου μῦλοι, i.e. *Icti muli*, quia *Icti* cujusdam viri nobilis *muli* hîc stabulati fuerint, unde vicus dictus *Ad Icti mulos*.

Iculisna, vel *Ecolisma*, vulgò *Engolesme*, vel *Angoulesme*, urbs Galliæ, celebris Episcop. sedes; primùm memorata Ausonio *Epistol.* 8.

Iculisna cùm te absconderet,
Et invidebam devio ac solo loco
Opus Camœnarum tegi.

Ubi urbem *devium ac solum locum* vocat Poëta, non quòd malè sita, vel in agro sterili & injucundo, sed quòd extra viam militarem. In priscis Not. inter prov. Aquitaniæ secundæ civitates sex tertio loco ponitur, ante civitates Santonum Pictonumque clarissimas: soli Burdigalæ Metropoli & Aginno postposita. In recent. Notit. sub Burdigalensi Metrop. post Pictavensem & Santonensem, tertius est Episcopus Engolismensis: è quibus Lupianus Concilio Aurelianensi 1. & 2. Aphthonius Aurelianensi 5. Nicasius Matisconensi 2. Namatius Remensi subscripsere. Quibusdam urbs olim *Agesina* dicta, adeoque illa caput Agesinatum, quos Pictonibus junctos memorat Plin. *lib.* 4. *cap.* 19. fuisse videtur. Ager ei subjectus, vulgò *l'Angoumois* vel *l'Engoumoisin*, inter Pictones, Santones, Lemovices & Petrocorios intercipitur. Vide Hadrianum Valesium *Notit. Gall.* & supra in voce *Encolisma* & *Inculisma*.

Icus, Ins. parva maris Ægæi, prope Pelasgicum sinum, inter Eubœam ad Austrum. & Peparethum ad Boream, 20. mill. utrinque, Vide Strab. & Liv. &c.

Icutiel, sive *Jecutiel*, nomen viri. 2. Par. 4.

ID.

Ida, hodie mons *Troade*, mons altissimus, qui ad Troadem spectat, totius Hellesponti altissimus, Diodor. *lib.* 17. cujus cacumen Gargarus Straboni dicitur. In hoc monte Paris sententiam tulit pro Venere, de pomo aureo adversus Palladem & Junonem. Ovid. *Fast.* 4.

Nec quas Priamides in aquosa vallibus Ida
Contulit. ———

Altitudinem ei tribuit Hom. *Il.* ξ.

——— Προσεβήσετο Γάργαρον ἄκρον
Ἴδης ὑψηλῆς.

Ovid. *in Epist. Helen.*

At Venus hoc pacta est & in alta vallibus Ida.

Idem *Fastorum* 4.

Ardua jamdudum resonat tinnitibus Ida.

Longitudinem Calaber *lib.* 3.

——— Ὅσε μακεδνῆς
Ἴδης γουνοῖσιν ὑπὸ πτύχας.

Et *libro* 14.

——— Μακρὴ δ' ἀμφίαχεν Ἴδη
Καὶ Σιμόεις. ———

Humiditatem Homerus *Il.* θ.

Ἴδην δ' ἵκανεν πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν.

Idem *Iliad.* λ.

Ἴδης ἐν κορυφῇσι καθέζετο πιδηέσσης.

Horatius,

Qualis aut Nireus fuit, aut aquosâ
Raptus ab Idâ.

Ovid. *Met.* 10.

——— *Quos humida sustinet Ida.*

Hinc enim orta 9. flum. Athen. aliis 15. licèt famâ quàm naturâ majora, & quorum plurima Plinius suo tempore exaruisse tradit. *Umbram* Tryphiodorus,

Ἔβρεμε νυμφάων ἅμα δρυσὶ δάσκιος Ἴδη.

Ovidius *Met.* 11.

Æacon umbrosâ furtim peperisse sub Idâ.

Idem *Fastorum* 6.

Dii temerè errarunt in opaca vallibus Ida.

Valer. Flacc. *lib.* 2.

Pars & frondosa raptus expresserat Ida.

Idque ob arbores, quibus abundabat, Theocr. *Idyll.* 17.

Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ἀνὴρ ὑλητόμος ἐλθών.

Dionys. Ἴδη καλλικόμοισιν ὑπὸ δρυσὶ τηλεθόωσα. Vide P. de Valle *Itinerar. tom.* 1.

Ida, mons Cretæ. *Psiloriti* hodie Bellonio, ut plurimum nive conspersus, inde *Idæa* Creta dicta, item Troja. Steph.

Ida, sinus à monte *Ida*, seu *Troade* dictus, vett. sinus *Adramyttenus*, hodie *Golfo di Ladramiti*. Vide *Idaus*.

Idacius, *Ithatius*, vel *Hidatius*, Episcopus Hispanus, sub Valentiniano III. auctor Chronici, ab an. 1. Theodosii, ubi Hieronymi Chron. desinit, usque ad an. 8. Leonis Imper. seu an. Chr. 464. Eidem tribuuntur Fasti Consulares, Isidorus *de Viris Illustrib. capite* 9. Sigebert. *in Cat. c.* 18. & *in Chron. An C.* 490. Vossius, &c.

Idacius Clarus, Episc. floruit in Hispania, an. 380. Zelo contra Apollinaristas fermè ultra decorum invectus, pietate & eruditione aliàs celebris. An libb. 3. contra Varimundum Diac. Arianum, auctor, an alius Idacius? An idem cum eo, quem post obitum Priscilliani depositum, refert Sulpit. Sev. *hist. Sacra lib.* 2. qui de Idacio quodam, & Ithatio verba faciens, hunc impudentiæ & temeritatis arguit? Vide Voss. *de Hist. Lat.*

Idaa, Deorum mater. Lucret. *lib.* 2.

Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem.

Veram etymologiam esse arbitratur Tan. Faber, non quam Lucretius, & alii omnes attulere, sed hanc: Ἴδαι (inquit) sunt montes, & loca saltuosa Hesychio, & Eustathio, unde & Ἴδη pro ligno seu materiâ tectonicâ. At primi homines glande vescebantur, & in quercu penuarium iis erat. Hinc itaque mater Deûm *Idæa*. Sed post inventum tritici usum Φρυγία dicta fuit, nam triticum φρύγειν seu *torrere* solebant, quod hodieque fit circa farinam, ubi major alendi pueri cura est.

Idai dactyli, magnæ matris ministri & assessores dicti fuerunt, filii Minervæ & Solis, vel (ut alii volunt) Saturni & Alciopes, & dicuntur aliàs *Corybantes*. Dicuntur autem *Idæi*, quòd sub Ida habitarent. Idæos dactylos decem Sophocles existimavit, quinque mares primùm natos, qui ferri fabricam excogitavere, aliaque permulta: quinque horum fuerunt sorores, ab hoc numero *dactyli*, id est, *digiti* nuncupati. Horum nomina Hercules, Pæon, Epimedes, Jasius, Idas. De his vide plura apud Lilium Giraldum. *Idai* sunt etiam gemmæ, quæ ferreo colore humanum pollicem exprimunt. Plin. *l.* 37. *c.* 10.

Idaum Jovem, quidam ab Ida Phrygiæ, alii ab Ida Cretæ cognominatum credidere, ubi Jovis incunabula & sepulchrum. Fuit etiam ara ipsius, apud Celænem Phrygiæ oppidum à Mida Rege constructa, de qua vide in *Anchurus*.

Idaus, Rhodius versificator, scripsit Rhodiorum res gestas versibus ter mille. Suidas.

Idaus, sinus Troadis, à monte Ida dictus, quem alii, teste Strabone, *Adramyttenum*, *Golfo di Landramiti* vocant, pars maris Ægæi est inter Mysiam, & Lesbum. Item mons Cretæ, qui etiam *Ida*: & Phrygiæ, de quo Virgil. *Æn. lib.* 3.

Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostra.

Idai, nomen viri. Nehem. 6.

Idaja, pater Allon. 1. Par. 4.

Idalus, mons Cypri, olim Veneri sacer, ad cujus radices situm est *Idalium*, Cypri nunc pagus, *Bourg Dalim*, olim opp. quod ab eventu nomen accepit. Nam cùm oraculum Chalcenori datum esset, ut illic urbem conderet, ubi primum orientem solem conspicaretur, unus è comitibus, qui fortè astabat, ad eum conversus εἶδον ἥλιον, inquit, i.e. *vidi solem*. Quo audito, Chalcenor arripuit omen, civitatemque ibi statuit, & ab eo vocavit. Ita Stephanus. At, ut cætera taceam, in *Idalium a* breve est, quod in ἥλιον non potest non esse longum, quia est loco τῆς η. Proinde videtur Idalium Phœnicium esse יראלה *Iidala*, vel *Idala*, cujus

jus nominis opp. in tribu Zabulon memoratur *Jos.* 19. 15. Hieronymus *in locis Hebr.* scribit *Jadela*, tanquam conflatâ voce ex duabus יד *Jad*,& אלה *ela Dea*, quod ad verbum est *locus Dea*, i.e. *locus Veneri sacer*. Boch. *Virgil.* 10. *Æn.*

Est Paphos, Idaliumq; tibi, sunt alta Cythera.

Idanthyrsus, Scytharum rex, bello res magnas gessit, bonam partem Asiæ subjugavit, usque in Ægyptum excurrit. Strabo *libro* 14.

Idarnes, Prætor Darii, quo superato, Miletus amissa est. Curtius 4. 45.

Idas, nepos Hengisti ex fratre, regnum Northumbrorum, in Britannia Ins. orsus est, an. Chr. 547. Successit ei filius Ella.

Idas, Apharei filius nomine, re autem ipsâ Neptuni, qui, acceptis à patre velocissimis equis, Marpessam filiam formosissimam Eveni regis Ætoliæ, Martis filii, in Dianæ luco saltantem rapuit: (Hic nulli procorum filiam suam nuptum dare voluerat, nisi certamine cursûs fuisset victus: à se autem victos decollare, eorumque capita in aliorum terrorem de muris ædium suarum suspendere solebat.) Qui dolore commotus, interemtis, quos habebat, equis, se in fluvium Lycormam, qui postea ab ipso Evenus dictus est, præcipitavit. Cæterùm fugienti cum puella, Apollo in itinere obvius factus est, qui cùm Marpessam & ipse præripere Idæ vellet, ventum utrinque ad certamen est. Sed à Jove missus Mercurius arbitrium Marpessæ commisit, ut ipsa, utrum vellet, eligeret: illa autem Idam elegit, verita ne se ætate provectam Apollo relinqueret. Vide *Marpessa*.

Idas, Darii Prætor, insulas præsidiis occupavit, & pecuniâ multavit. Curt. 4. 15.

Idea, Strab. *Idæa*, oppid. erat Lydiæ, apud Sipylum montem: quod absorptum, in paludem est versum, *Sale*, Plin.

Ideonni regnum, Ἰδεόννε γῆ, Strab. *lib.* 4. Cottii regno jungebatur in Alpibus versus Sept. Vide Cluv. *It. Ant. p.* 93.

Idessa, urbs fuit Iberiæ, in confinio Colchidis ad radices Moschici montis, quæ olim *Phryxium* vocabatur. Strabo.

Idetes, pop. Iberici. Steph.

Idicra, urbs Mauritaniæ Cæs. Antonini Itin.

Idicus, & *Idæus*, possessivum ab *Idâ* monte.

Idia, mater Josiæ. 4. Reg. 22.

Idiensis, opp. seu pagus Hisp. Bæt. in Conventu Cordubensi. Morali adhuc *Idia*. Vet. Inf.

Idiota, vide *Raimundus Jordanus*.

Idistavisus, campus Germ. medius inter Visurgim & colles; ut ripæ fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inæqualiter sinuatur. Tacit. *lib.* 2. *Annal. c.* 16.

Idithon, pater Galal. 1. Par. 9.

Idmon, vates inter Argonautas, Apollinis & Asteriæ fil. Apollonio verò & Herodoto Abantis filius. Orph. *in Argonaut.*

Δὴ τοτ' Ἄβαντος πάϊς νόθος ἤλυθε κάρτερος Ἴδμων.

Ἀμπυκίδης eidem dicitur. Obiit in Mariandynia, ab Apio vulneratus, & Heracleæ in foro sepultus.

Idmon, Cyzicenorum unus, in conflictu nocturno, ab Hercule, per errorem trucidatus. Flacc. *l.* 3. *vers.* 167.

Idmon, vocatur Sophus, ab Auctore Schol. *in Aristoph. Aves*, qui Æsopum manu misit.

Idomene, urbs Macedoniæ, *Idomena*, Steph. Inter Doberum & Atalantam, Europæ proxima. Pop. *Idomenenses*, Gortyniis finitimi.

Idomeneus, Deucalionis fil. nepos Minois, rex Cretensium, populos suos ad Trojam duxit, & cùm post eversam Trojam reverteretur, in tempestate devovit, Diis sacrificaturum se rem quæ ei primùm occurrisset; contigit autem ut ei filius primùm occurreret: quem cùm, ut alii dicunt, immolasset, vel, ut alii, immolare voluisset, à civibus pulsus regno, Salentinum Calabriæ promuntorium tenuit, juxta quod civitatem condidit.

Idomeneus Lampsacenus, Historicus antiquus & Philosophus, qui scripsit Historiam Samothraciæ, quem tamen non satis fidum Plutarchus *in Demosth. Pericle, &c.* putat. Laudatur à Schol. *in Aristoph. Crabr.* Præterea de Socrate librum edidit; discipulus Epicuri. Floruit sub Ptol. Lago. Diog. Laërtius *in Socr. & Epicuro.* Athen. *l.* 14. Strabo *l.* 13. Suid.

Idonea, fluv. Galliæ, vulgò *Huine*, vel *Huigne*. Condate *Condé*, in majori Pertico, Novigentum Rotroci, & Firmitatem Bernardi Pontemque Longum alluit, & in pratis infra urbem Cenomanos, in Sartam influit. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Idothea, Oceani, vel, ut alii, Melissi filia, Jovis nutrix.

Idothea, filia Proeti Argivorum regis, quam, unà cum sororibus, furiis agitatam, Melampus sanitati restituit. Hom. *Od.* 11.

Idothea, Protei senis marini filia, cujus monitu Menelaus Proteum adegit, ut sibi ab illo diceretur, quando domum repetere posset. Hom. *Od.* 4.

Πρωτέος ἰφθίμου θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος
Εἰδοθέη.

Vide Eust. *in illud Dionysii*: ᾗχι πέρ ἄκραι
Φαίνονται στήλαι Παλληνίδος Εἰδοθεάης.

Idrias, urbs Cariæ, quæ prius *Chrysaoris* dicebatur. Steph.

Idrieus, fil. Euromi Caris, frater Artemisiæ, vide Polyæn *lib.* 7. *in Mausolo com.* 2. Successit Mausolo, jussu'que Ochi oppugnavit Cypri regulos, à Rege deficientes. Diodorus 16. Obiit anno 1. Olymp. 109.

Idrinum, opp. agri Brixiani, sub Venetis, juxta lacum Parinum, versus confinia dit. Tridentinæ, vulgò *Idro*.

Idsardus Gravius, Presbyter Frisius, Chronici patriæ suæ auctor, ab an. 763. usque ad an. 1514. Suffridus Petri *de script. Fris. dec.* 9. *cap.* 7.

Idubeda, mons Hisp. Ptol. Hunc hodie saltum Aucensem ab Aucâ urbe antiquissimâ, cujus vestigia cum nomine adhuc visuntur, nominari scribit Nebrissensis. Olivarius dicit eum à Pyrenæis mont. ad Portugal. promitti. Baudrando extenditur ab Ibero fluv. usque ad Lusitaniam. Et primum in Castella vet. *montes d'Occa*, ab urbe Auca; dein *Sierra la Rez*, & *Sierra d'Urbion*, versus Rivogiam prov. hinc in confin. Castellæ novæ & vet. *Sierra d'Atienza* & *Somo Sierra*; post a *Sierra d'Avila* in Castella vet. juxta urbem cogn. *Montes de Toledo*, in Castella nov. & tandem in Extremadura *Sierra de Pico* & *de Tornas Vavas*, in ipso limite Portugalliæ dicitur.

Idubeda, fluv. Hispan. Tarrac. per Valentiæ regn. in mare Balear. inter Iberum & Turiam prolabens; Beuthero *Rio de Millas*, Naugerio *Zema* à monte, à cujus rad. oritur in Celtiberis.

Idume, & *Idumæa*, regio Syriæ ab *Edom*, filio Esau, sic dicta. Hic, præter alias urbes, Gaza nobilis, ubi Cambyses in Ægyptum properans thesauros suos reposuit. Lucan. *lib.* 3.

Gazaq; & arbustis palmarum dives Idume.

Idumæi, ab *Idume* dicti. Mart. 2. 2.

Frater Idumæos meruit cum Patre triumphos.

Ab Esavo orti, à Davide subacti, jugo postea excusso, à Josaphato, cum Ammonitis miraculosè devicti, Hierosolymâ à Chaldæis obsessâ, his se junxerunt, in eandem dein servitutem, justo Dei judicio, prolapsi. A Juda Maccabæo ad Judaïsmum adacti, Hierosolymam patriam suam, urbem sanctam, urbem communem, & Metropolim appellare didicerunt. Joseph. *de Bell. Jud.* Hos Philo *lib. de Monarch.* cum Judæis, per omnia iisdem juribus fruitos, narrat, nisi quòd à Consilio Sanhedrim excluderentur, quibus Judæa mater non contigisset. Vide libb. Regum, Paralip. Prophet. &c. Joseph. quoque *in Antiquit.* Salian. Tornielum, &c. Vicina Judææ ad Meridiem, Judæam inter, Arabiam & Ægyptum; & ipsa aliquando Judææ pars, aut saltem Judææ subdita, versus oram littor. maris Mediterr. Nunc valde sterilis & arenosa, sub Turcis, regio est.

Idumania, Angliæ fluv. per Essexiam fluens, *BlackWater*, teste Camdeno, inter Tamesin & Garyenum. Dicitur & *Jumanius*.

Idunum, opp. Ambisontiorum, in Norico nunc, Sansoni est *Windisch Matray*, oppidul. dit. Salisburgensis, ad amnem Isolam, qui in Dravum paulo infra cadit: vix 10. mill. pass. ab Alpibus, & paulo minus à confin. Carinthiæ, 25. circiter mill. Germ. in Occ. à Judenburgo urbe Stiriæ, ad Muram fluv.

Idyja, mater Medeæ Ciceroni, quam Ovidius *Ipseam* vocat.

Idyja, Oceani & Thetyos fil. altera Æetæ conjux.

Idyma, urbs Cariæ, ubi *Idymus* fluv. est. Steph.

Idyrus, urbs & fluvius Pamphyliæ. Steph.

JE.

Jeabarim, 38. Israëlitarum mansio in Moabitarum finibus, Num. 21. & 33. Lat. *acervi Hebræorum*, vel *transeuntium*, sive *irascentium*, aut *prægnantium*.

Jebahar, filius David. 2. Reg. 5. Lat. *electio*, sive *electus*.

Jebanias, pater Rahuel. 1. Par. 9. Lat. *ædificatio*, sive *filiatio*, vel *intellectus Domini*.

Jeblaam, i.e. *inveteratio populi*, vel *defluens populus*, aut *germinatio populi*, sive *deglutiens eos*. Nomen urbis validæ & potentis, in tribu Manasse. *Jos.* 17. Hujus habitatores initio non potuit Manasse delere.

Jebnael, civitas, terminus tribûs Nephthali. *Jos.* 19. Lat. *ædificatio*, vel *intellectus Dei*.

Jebneel, idem. Civitas in tribu Judâ. *Jos.* 15.

Jeboc, vel *Jaboc*, nomen torrentis. Num. 21. Lat. *evacuatio*, *dissipatio*, aut *lucta*.

Jebsem, fil. Tholæ, filii Issaschar. 1. Par. 7. Lat. *aromatizans*, aut *siccitas*, *confusio*, vel *erubescentia eorum*.

Jebus, nomen civitatis, quæ & *Jerusalem*. Jud. 19. Lat. *conculcatio*, *volutatio*, vel *præsepium*.

Jebusæus, fil. Canaan. Gen. 10. à quo *Jebusæi*. Hi à Davide Hierosolymis demum penitus pulsi, postquam à Benjamin & Juda olim subjugati essent. *Jos.* 15. 18. Jud. 1. 19. 2. Reg. 5. 3. Reg. 9. 1. Par. 8. 11. Denuo memorati, Esiæ 9. Torniel. *A. M.* 1931. 2594. Vide inprimis Bochartum *in Phal. pag.* 344.

Jecbaa, al. *Jeghaa*, civ. munita, restauratâ à filiis Gad. Num. 32. Jud. 8.

Jecdaan, in tribu Juda. Hieron. *in L. H.*

Jecemia, fil. Jeconiæ, filii Joacim. 1. Par. 3. Lat. *resurrectio*, sive *confirmatio*, aut *vindicta Domini*.

Jechelia, mater Azariæ regis Judæ. 4. Reg. 15. Lat. *consummatio*, vel *potestas Domini*.

Jecho-

Jechonias, fil. Joakim, filii Josiæ, rex Judæ, qui Jer. 22. *Chonias* dicitur. A patre an. 2. regni, in consortium ascitus, solus regnare cœpit, A.M. 3435. Anno post à Nebucadnezare, Babylonem abductus, in vinculis fuit, usque ad an. 3472. quo Evilmerodachus eum denuo evexit. Sterilis dicitur Jeremiæ, quia *de semine suo non habuit virum, qui sederet super solium David*; 4. Reg. 24. & seqq. Vide quoque 1. & 2. Par. Matth. 1. 12. Joseph. *in Antiq. &c.* Lat. *præparatio*, aut *firmitas Domini*.

Jecman, civitas Levitarum, in tribu Ephraim. Aliis in tribu Zabulon. 3. Reg. 4. Item filius Hebron, 1. Par. 22. Lat. *resurrectio*, sive *confirmatio*, aut *vindicta Domini*.

Jecnam, civitas in tribu Zabulon. Jos. 11. quæ & *Jeconam*, Jos. c. 19. Lat. *possessio, emptio*, aut *nidificatio populi*.

Jecsan, fil. Abrahæ ex Keturah. Gen. 25. Pater Sabæ, cujus posteri partem Arabiæ incoluerunt, & Dadani, à quo Dadanæi orti, quorum meminit Jerem. *cap.* 25. *&* 49. Ezech. *cap.* 25. 27. 38. Vide Torniel. *An. M.* 1931. *n.* 54. 2179. *n.* 3. *&* 4. Lat. *durities*, aut *scandalum*, sive Syriacè *collisio*.

Jectan, filius Eber. Gen. 10. Frater Phalegi, pater 13. filiorum, qui totidem familiarum capita fuerunt. Torniel. *An. M.* 1931. *n.* 44. *&* 53. Lat. *parvulus, tædium*, vel *contentio*.

Jectheel, petra ex qua Amasias præcipitavit decem millia Idumæorum, 4. Reg. 14. est & Jethoel nomen petræ in regnorum libris, ut ait Hieronymus.

Jecthel, civitas tribûs Judæ. Jos. 15. Lat. *congregatio Dei*.

Jedajah, Hebr. ידיה, filius Haromaph. Nehem. 3. 10. Lat. *manus*, sive *confessio Domini*.

Jedajah, ידעיה sacerdos, 1. Par. 9. Lat. *scientia*, vel *cognitio Domini*.

Jedala, civitas in tribu Zabulon. Jos. 19. Lat. *manus juramenti*, aut *maledictionis*; aut ex Ebræo & Syro, *manus Dei*.

Jedda, nomen viri. Neh. 12. Lat. *scitus*, aut *cognitus*.

Jeddo, fil. Buz. 1. Par. 5. Lat. *solus*, vel *unus ipse*, aut *lætitia ejus*, sive *acumen ejus*, vel Syriacè, *novitas ejus*.

Jeddu, nomen viri. 1. Esdr. 10. Lat. *manus*, vel *confessiones meæ*.

Jeddua, nomen viri. Neh. 10. Lat. *scitus*, vel *cognitus*.

Jedebos, fil. Etam. 1. Par. 4. Lat. *mellifluus*, aut *manus confusionis*, vel *erubescentiæ*.

Jedeel, nomen principis. 1. Par. 5. Lat. *unitas, lætitia*, vel *acumen Dei*, vel ex Syro & Ebræo, *renovatio Dei*.

Jedihel, fil. Samri. 1. Par. 11. Princeps militum. 1. Par. 12. Lat. *scientia*, vel *cognitio Dei*.

Jedlaph, fil. Nachor & Melcha. Gen. 22. Lat. *distillatio, stillicidium*: aut ex Ebræo & Syro, *manus juncta*.

Jedna, in sexto ab Eleutheropoli lapide pergentibus Hebron. Hier. *in L. H.*

Jefleti, vel *Jephleti*, civ. in tribu Ephraim, terminus fil. Joseph. Jos. 16. *Benedictus*.

Jegaal, fil. Semejæ. 1. Par. 3. Lat. *redemptor*, vel *redemptus*, aut *inquinatus*.

Jegbaa, civitas, quam ædificarunt filii Gad, Jud. 8. Lat. *exaltatio*, vel *altitudo*.

Jegedelia, pater Hanan. Jer. 35. Lat. *magnitudo Domini*.

Jegerndorffium, Lat. *Cannovia*, opp. Silesiæ, cum castro, ad Oppam fluv. Principatus olim cognominis caput, vulgò *Jägerndorff.* Hunc Principatum gratitudinis ergò, Georgius, fil. Friderici Brandeburgici, Franconici lineæ auctoris, à Ludovico Bohemiæ & Hung. R. quem educaverat, nactus est A.C. 1524. quem successor Ferdinandus ei, sed sub feudi conditione, reliquit. Idem Oppoliensi etiam & Oppaviensi Duc. donatus erat, sed hi ad regnum rediere. Evangelicæ Religionis constans assertor, obiit an. 1545. Pater Gedrici Friderici, qui decessit improlis, an. Chr. 1603. Princeps candidus, constans & in omni fortuna sibi similis. Ab hoc Principatum sibi donatum occupavit, circa eundem an. Chr. 1603. Joachimus Fridericus El. Brandeburgicus: quem hic dein an. C. 1606. in filium secundogenitum Joh. Georgium, Episc. Argentinensem, electum an. Chr. 1592. unde bellum, de quo Thuanus *l.* 104. *&* 105. transtulit. Hic an. Chr. 1618. Silesiæ utriusque militiæ Generalis Dux constitutus, sequentibus annis, turbis Palatinis implicitus est: ob Silesiam & Moraviam an. Chr. 1621. infestatas, ab Imper. proscriptus, Bethlemi Gaboris conatus in Hungaria juvit. Demum 1624. in Transylvania mortuus & Cassoviæ sepultus, reliquit filium Ernestum, qui in Wirtenbergica aula aliquandiu vixit, tum produx Berolini fuit: Mortuus absque hærede, Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.* qui inter alia, de præfato Gedrico Friderico memorat, natali suo die an. Chr. 158?. Heilsbronnæ gymnasium aperuisse, in quo centum alumni sustentarentur, & cum stipendio 50. aureorum in Academias mitterentur, &c.

Jehedia, nomen viri. 1. Par. 24. Idem sig. quod *Jedhiel*.

Jeheth, nomen viri. 1. Par. 23. Lat. *confractus, formidans*, aut *stupens*, vel Syriacè *descendens*.

Jehezkiel, nomen viri. 1. Par. 12. Lat. *videns Deum*, vel *visio Dei*.

Jehiaz, Sacerdos quidam. 1. Par. 15. Lat. *Vivit Dominus*.

Jehiel, Scriba. 2. Par. 26. Cantor. 1. Par. 9. Princeps. 1. Par. 5. Lat. *abstulit Deus*, aut *coacervans Deus*.

Jehieli, nomen viri. 1. Par. 26. Lat. *Vivit Deus*.

Jehoachas, Jehojada, Jehojachim, Jehojachin, Jehojarib, Jehora, Jehoram, Jehosaphat, Jehosue, vide in *Joachas, Jojada, Joachim, Joachin, Jora, Joram, Josaphat, Josue*.

Jehova, יהוה quod nomen recentiores Judæi, crescente inter eos superstitione, ἀνεκφώνητον judicarunt, cùm à Magistris eorum denunciatum jam esset; *Partem non habiturum in futuro seculo, quisquis nomen illud pronunciare præsumeret*. Quod tamen, per ætates retro ab orbe condito antegressas, proferre non licitum tantummodo, sed & pium, ac laude dignum habebatur. Etymon quod attinet, descendit à verbo היה *fuit*, ut יהוה sit ὁ ὤν, i. e. *existens, qui est*, vel *qui existit*; Deus sc. æternus, nulli mutationi obnoxius. Itaque docuit & Rabbi Moses Ægyptius in libro *More*, cætera Creatoris nomina ab effectibus esse derivata, solum verò nomen hoc τετραγράμματον, quod etiam *Schem hammephoras* nominant, peculiare esse & proprium soli ejus substantiæ. Imò Rabbi Haccadosh in *Arcanorum revelatore*, probare nititur, comprehendi in eo divæ Trinitatis mysterium; ut haud absque ratione asserat Philo Judæus, meritò & justè tribui Deo: maximè cùm Mosi sciscitanti ipsius nomen responderit אהיה אשר אהיה. Ubi quanquam futuri temporis sit אהיה *Ehie*, h. e. *ero*, tamen cùm in linguâ Hebræâ pro præsentibus sæpe usurpentur futura, non existimandum est, malè reddidisse Hieronymum, cum Septuaginta Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Ut ita efficacius & evidentius subsistentem per se essentiam divinam exprimerent, inque eo vivere, & ab eo proficisci omnia & pendere significarent. Hebræi יהוה legunt *Adônai*, & Septuaginta Κύριος semper interpretantur, quod nomen non legitur *in primo capite* Geneseos, sed Elohim ὁ Θεός. At in secundo יהוה Κύριος. Hinc argutati sunt Tertullianus & quidam veterum, Deum non priùs Dominum fuisse, quàm Adam factus esset. Phœnices Ἰεύω dixerunt pro *Jehova*, Samaritæ Ἰαβαί. Alii Ἰαώ, ut Orpheus ac Diodorus Siculus. Vide doctiss. Gatakerum in tractatu cui titulus, *De nomine Tetragrammato dissertatio*, in quâ vocis *Jehova* apud Nostros receptæ usus defenditur, & à quorundam cavillationibus iniquis pariter atque inanibus vindicatur.

Jehu, fil. Josaphati, nepos Namsi, 10. Rex Israëlitarum, ab Heliseo unctus, omnem domum Achab delevit, Joram interemit, Jezabelem è domo præcipitavit, sacerdotes Baal occidit, Idoli templum succendit. Sed Jeroboami idololatriâ retentâ, iram divinam, hincque Hazaëlem Syriæ R. in se concitavit, à quo diriones ipsi subjectæ miserè direptæ sunt. Obiit An. M. 3178. regni 28. 4. Reg. 8. 9. & seqq. Jos. *Ant.* 5. 6. Lat. *ipse*, sive *existens*.

Jehu, fil. Hanani, Propheta Dei, Baasæ Israëlis R. ruinam prædixit. An idem cum illo, qui Josaphati gesta conscripsit? Vide Torniel. *A. M.* 3095. *n.* 8.

Jehuda, vel Ben David Fessean, cognom. Hijug, Rabbinus sec. 11. princeps Gramm. Hebræus in Occidente. Item, Levita Hebr. Sec. 12. Genebr. *in Chron.*

Jehuel, filius Zara. 1. Paral. 9. Latinè *abstulit Deus*, aut *coacervans Deus*.

Jehus, filius Esau ex Oolibama. Gen. 36. Filius Balan. 1. Par. 3. Secundus filius Esec. 1. Par. 8. Filius Saharaim ex Hodes uxore suâ. 1. Par. 8. Lat. *tineâ corrosus*, aut *compressus* vel *congregatus*.

Jejunium quadragesimale, auctorem habuisse dicitur Telesphorum: de quo tamen apud Eusebium *lib.* 5. *cap.* 23. Irenæus ait, fuisse *consuetudinem, ab hominibus simplicibus privatâ observatione introductam*. Nec constitit in abstinentia à carne, ut ex Ignatii *epist. ad Heronem*, patet: Vide Mart. Chemnitium *Exam. de Jejunio*. Postea *Jejunium* 4. temporum institutum est à Calixto I. Pontif. Joh. Balæus *in ejus vita*. Mercurii & Veneris diebus jejunabant olim in Oriente & in Africa: sed ita, ut non magis à carne, quàm vino & piscibus abstinerent. Sabbathi die autem cibis vescebantur, quemadmodum & Mediolani, testante id Ambrosio. Imo etiam Quadragesimæ tempore ibi hoc die non jejunatum est: *Quadragesimâ totis*, inquit, *præter Sabbathum & Dominicam, jejunatur diebus*. Porro à Sabbathi jejunio adeò Orientales abhorruerunt, ut in Ignatii *epist. ad Philipp.* dicatur: *Si quis Dominico die aut Sabbatho jejunarit, χριστοκτόνος est.* Unde testatur Augustinus, paucas Occidentales Ecclesias Romanam in jejunio Sabbathi imitatas esse: idemque Urbicum, homines ad tale jejunium cogere volentem, acriter reprehendit *Epist. ad Casulanum*: In talibus tutissimum judicans, observare dictum Pauli Rom. 14. *vers.* 3. *Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeat: & qui non edit, edentem ne condemnet.* De jejunio hodiernorum Orientalium, tum Christianorum, tum aliorum, Vide P. de Valle *Itiner. tom.* 4. In Anglia hodieque jejunium Veneris & Sabbathi retineri, ut piscium ibi ingens copia absumatur, habet Becmannus, *Hist. Orbis terr.*

Jelleja, urbs inter Genuam & Placentiam, Strabo. *Stradella* Mario Nigro. Vide *Jella*.

Jella, vel *Jelleja*, oppidum agri Ticinensis; *Stradella*. Medium fere inter Placentiam & Dertonam, ad 20. m. p. à Ticino 10.

Jelon, in tribu Dan. Hier. *in L. H.*

Jemai, filius Tola filii Issachar. 1. Par. 7. Lat. *calefaciens*, aut *calidus*.

Jemini,

Jemini, pater Aphia. 1. Reg. 9. Pater Chusi, Psal. 7. Lat. *dextera*, vel *dexter*.

Jemla, pater Michææ prophetæ. 1. Reg. 22. Lat. *repletio*, aut *circumcisio*.

Jemlech, nomen Principis cujusdam. 1. Par. 4. Lat. *regnans*, aut Syriacè *consulens*.

Jemna, Hebr. ימנה fil. Asser Patriarchæ. Gen. 46. Pater Core. 1. Par. 7. Lat. *dextera*, aut *numerans*, sive *præparans*, vel Syriacè *constituens*.

Jemna, Hebr. ימנע, filius Helem. 1. Par. 7. Lat. *prohibitio*, aut *impedimentum*, sive *mare commotum*.

Jemni, pag. tribus Manassè, ubi 10. leprosos mundavit Christus, Luc. 17. ut quidam volunt.

Jemptia, vulgò *Jempterland*, prov. Norvegiæ, sub Suecis ab an. 1645. Habet Angermanniam ad Ort. Medelpadiam ad Mer. Helsingiam ad Occas. Norvegiam ad Septentrion. Ibi tria castra tantùm, *Ressundt, Docre & Lidh*.

Jena, Thuringiæ urbs, imâ jacens valle, muris ac turribus firma, ponte lapideo utramque Salæ ripam conjungens, circumcirca apricis montibus ac vinetis cincta. Cum Academ. 1555. erectâ, 3. leuc. à Veimaria in Ort. 6. ab Erfurto, 9. à Lipsia in Occas. Parva, sed culta. Sedes unius è Ducibus Weimariensibus. Theologi *Jenenses*, sec. præt. cùm orto de Ubiquitate corporis Christi dogmate, auctoribus Brentio, Andreæ, Flaccio, &c. Ecclesiæ in Saxonia plurimæ ei non adstipularentur, Consensum Dresdensem, inter Flaccianos & Wittenbergenses non approbarunt: Hinc Torgæ conventum, ibique ex mente Flaccianorum formula *Concordiæ* conscripta. Lætus.

Jena, æstuarium Scotiæ Merid. vulgò *Crée Fyrth*, ad ostia fluv. *Crée*, in Gallovidia prov. ad Ort. Lucopibiæ urbis, è regione Monedæ Ins. in mari Hibernico.

Jendum, vulgò *Jendo*, seu *Yendo*, urbs ampla, ex Japoniæ primariis, in Niphonia ins. ubi sedes Imperatoris, ab annis aliquot. In Quantoa reg. 120. m. p. à Meaco in Or. Sanso. Dicitur etiam *Jedo*, habetque palatium superbissimum recens, undique deauratum.

Jendus, vulgò *Jende* seu *Pajende*, lacus Finniæ, in Tavasthia prov. à Septentrione extensus in Merid. prope Savolaxiam prov.

Jenekopia, vulgò *Jenkoping*, urbs Smalandiæ, in Ostrogothia reg. Tota lignea, nec muris clausa, ad Merid. lacus *Wether*. Quibusdam *Jonekoping*, 16. leuc. Suec. ab ora maris Balt. in Occas. in confinio Westrogothiæ.

Jenisea, vulgò *Jenisey*, fluv. Moscoviæ Bor. prope Tingœsios pop. peramplus, longeque Obio major. Ab Ortu habet excelsos montes, quorum quidam ignivomi sulphur identidem ejiciunt, ab Occas. planum insigniter fertile; inundatque campos ad 70. leuc. circiter verno tempore, sicut Nilus Ægyptum. Is. Massa.

Jenupara, vulgò *Jenupar*, urbs Indiæ citer. cum regno cognom. sub M. Mogole, ad amnem Coul, ferè media, inter Dellium ad Austrum & Lahorium ad Boream, 130. mill. utrinque. Versus montes.

Jenysus, opp. in orâ Syriæ, tridui itinere à Casio monte distans. Herod. *lib*. 3.

Jephdaja, fil. Selac. 1. Par. 8. Lat. *redemptio Domini*.

Jephlat, fil. Heber. 1. Par. 7. Lat. *liberatus*, aut *expulsus*.

Jephleti, idem. Terminus filiorum Joseph. Jos. 16.

Jephone, pater Caleb. Num. *cap*. 13. Latinè *aspiciens*, sive *intuens*.

Jephtha, civitas, quæ in sortem tribui Judæ cessit. Jos. 15. Lat. *aperiens*.

Jephthahal, vallis, & torrens, contra Jeronam, terminus tribuum Aser & Zabulonis. Jos. 19. Lat. *aperiens Deus*.

Jephthe, fil. Galaad ex meretrice. Judex in Israel. Cujus res gestas & votum, Vide Judic. 11. & 12. Joseph. *l*. 5. Obiit An. M. 2854. regiminis 6.

Jeraa, i. e. *Luna*, aut *mensis*, sive *odoratio*. Servus Ægyptius Sesan filii Jesi, filii Apphaim. 1. Par. 2.

Jerabrica, Hispan. urbs inter Olyssiponem, supra 7. & Scalabim supra 5. leuc. ad Tagum fluv. Ant. Nonnulli *Gerabrica*, scribunt. Vulgò *Alanquera*, teste A. Resendio. Aliis est *Povos*, non longè distans. Videtur *Arabrica* Ptol. Sed hæc *Abrigada*, vel *Povos* est.

Jerameel, fil. Esrom. 1. Par. 2. Est & reg. ultra Judæam ac Arabiam. 1. Reg. 27. Lat. *misericordia Dei*, aut ex Hebræo & Syro, *dilectio Dei*.

Jercaam, civitas, quæ in sortem tribui Dan cessit. Lat. *extensio eorum*, sive *viriditas populi*, aut *sputum populi*, vel *armatura*, aut *evacuatio populi*.

Jercon, civitas in tribu Dan. Jos. 19. Lat. *arugo*, *viriditas*, aut *sputum*, vel *armatura*, aut *evacuatio*.

Jeremia, nomen Principis. 1. Par. 5. Item Propheta, fil. Hilkiæ. Jerem. 1. Lat. *celsitudo Domini*, aut *exaltans Dominum*. Puer adhuc vaticinari incepit anno 13. regni Josiæ, regis Judæ, qui erat annus Mundi 3407. ante Christum natum 564. Hic in Juda tantùm & Benjamin prophetavit, jam enim decem tribus Israel Assyrii in Medos transtulerant: civitatis Jerosolymæ ruinas quintuplici planxit alphabeto. *Anathothites* dictus est à viculo tribus ab Jerosolymis milliar. distante. Hic sacerdos ex sacerdotibus & in matris utero sanctificatus est, ac ad prophetiam segregatus, quam cùm detrectaret, causatus imperitiam, doctrinam, animum quoque à Deo accepit. Tandem apud Taphnas in Ægypto, à populo lapidibus obrutus, occubuit. Vide Prophetiam ejus, & Threnos. Item Epiphan. *de Vitis Proph.* Augustin. Joseph. Hieron *in Jeremiam, &c.* In ejus *Prophetiam* extant: Adrianus. Ambrosius. de Aquino *Comment.* Brandmyllerus. Brentius. Bugenhagii *Annotationes*, quart. Witeb. 1546. Bullingeri *Conciones*, fol. Tiguri 1575. Calvini *Comm.* fol. Genevæ 1610. Capella à Castro. Chrysostom. *Homilia*. Chytræi *Comm.* à Figueiro *Paraphrasis*. Forsterus. Ghislerii *Catena*. 3. tom. fol. Lugd. 1623. Graminæi *Mysticus Aquilo*. octav. 1576. Col. Haymo. Heilbrunneri *Quæstiones* quart. 1586. Hieronymi *Comment.* & Hülsemanni, quart. 1663. à Jesu Maria *Interpretatio*, octav. Col. 1611. Joachimi item, octav. Coloniæ 1577. Don Isaac Abarbenel. de Lapide. Lavateri *Homilia*, fol. Genevæ 1581. Laureti *Hazoar*. octav. Parisiis 1610. Maldonatus. Malvenda. Mandina. R. Meir Armaab. Melanchthonis *Argum.* R. Mosche Alschich. Origenis *Homilia*. Panicarola. Pappus. Paulutius. Pintus. Polanus, Basil. 1608. Rabanus. del Rio. Sanctius. Selnecceri *Explicatio*, quart. Lipsiæ, 1566. Strigelius. Strigenitius *in c. pr.* quart. Lipsiæ 1559. Szegedinus. Tallepied. Tossani *Paraphrasis*, octav. Francof. 1586. Tossarius *Comment.* fol. Basileæ, 1558. Theodoretus, Lichemius. Zuinglii *Explicatio*. &c. Vide Crowæi *Elenchum*. In *Threnos* Prophetæ hujus, vide *Threni*.

Patriarchæ Constantinopolitani.

Jeremia I. Patr. Constantinopolitanus, post Theoleptem, anno 1520. Quo Hierosolymis absente, Joannicus quidam, majus Imperatori tributum pollicitus, ei surrogatus est: Sed Jeremias reversus, ope Ibrahimi Vezirii pepulit æmulum, ob modestiam & lenitatem Græcis gratissimus. Periclitatus postmodum, ob populum suum, quem Turcæ, ex urbibus, quæ Ottomannicis armis restiterant, ibant expulsum; Obiit an. 1545. Emanuel Malax. *libr*. 1. *Turcograph.* Genebr. & Onuphrius, *in Chron.* Spondus *in Annal.*

Jeremia II. post Metrophorum, an. 1572. eruditione inclytus. Huic cum Evangelicis è Germania dein cum Latinis negotium fuit. Literas Jacobi Andreæ, cum Confessione Augustana Græcè versa, humaniter excepit ac rescripsit, impugnatis modestè nonnullis. Tum vices suscipiens Lucas Osiander respondit, Compendio Theologiæ, in quo præcipuè de regula in S. Scripturæ interpretatione tenenda & Spiritus S. processione actum, unà transmisso. Ad quod ubi responsum à Patriarcha, Virtembergenses tertium scriptum opposuerunt; cui postquam reposuit Patr. illi, officiosâ gratiarum actione, Disceptationem clauserunt. A. C. 1573. 1575. 1579. Vide Thuan. *Hist. l*. 70. Pulsus, restitutus, in exilium missus. Emanuel Malaxus, *l*. 2. *Turcogr.*

Jeremiel, fil. Amelech. Jer. 36. Idem sig. quod *Jeramiel*.

Jeria, filius Selemiæ. Jerem. 37. Lat. *timor*, *visio*, vel *projectio Domini*.

Jeriau, idem. Filius Hebron. 1. Par. 23.

Jeribai, filius Elnaem. 1. Par. 11. Latinè *pugnans*, *objurgans*, aut *multiplicans*.

Jericho, i. e. *Luna*, *mensis*, aut *odor ejus*. Civitas opulentissima in tribu Benjamin, ab Hierosolymis 150. & à Jordane 60. stad. distans. Num. 22. Hanc à Josue dirutam *cap*. 5. & 6. ædificavit Hiel de Bethel. 3. Reg. 16. sed cum jactura maximi minimique filiorum, juxta diras, quibus Josue reædificatorem devoverat. Nobilis fuit palmetis, & balsami viridariis, unde etiam *civitas palmarum* appellatur. Deut. 34. In agro fertilissimo hortisq; pulcherrimis referto sita. Unde Prov. *Plantatio rosæ in Jericho*. Hodieq; planities urbi vicina, verno tempore, hoc plantæ genere mirè abundat, cujus descriptionem Morer. *in Dict.* exhibet. Honoravit urbem hanc miraculis suis SERVATOR MUNDI, cœco ibi sanato, &c. Capta à Romanis, Vespasiani & Titi tempore, Christianis postmodum terrâ sanctâ potitis magni nominis; hodie vix pagus est, ab aliquot Æthiopum familiis, malè cultus. Vide porro Lucæ 18. & 19. Jos. *Antiq. l*. 5. *c*. 1. *De B. J. l*. 5. *c*. 4. Plin. Strab. Ptol. Torniel. & Salianum, *in Annal. Vet. Test.* ut & in voce *Hiericho*.

Jericon, in tribu Dan, Hier. *in L. H.*

Jeriel, fil. Thou filii Issachar. 1. Par. 7. Lat. *timor*, *visio*, vel *projectio Dei*.

Jerimoth, id est, *altitudines*, sive *timens*, aut *videns mortem*, seu *projectio mortis*. Filius Bela, filii Benjamin. 1. Paral. 7. Filius Beziæ. 1. Par. 8. Item civitas. Josue 10. Alia in tribu Judæ. Jos. 15. Alia in tribu Issachar, data Levitis, quæ & *Jarmoth*. Jos. 21.

Jerimuth, idem. Nomen viri. 1. Par 12.

Jerioth, fil. Caleb ex Azubâ uxore. 1. Par. 2. Lat. *Cortina*, sive *linteamina*, aut *ululationes*, sive *confractiones*.

Jermai, nomen viri 1. Esdr. 10.

Jermus, in tribu Juda. Erat autem, usque tempora Hieronymi, villa *Jermucha*, in decimo ab Eleutheropoli miliario, ascendentibus Ælam. Hieron. *in Loc. Hebr.*

Jerna, Hispan. fluv. Mela *lib*. 3. in Gallæcia, apud Celticum pro-

promunt. Vulgò *Jerne*. Strabo *Jernam* his locis commemorat montem, à quo amnis fortè sic dictus.

Jerne, & *Jernia*, vel (quod inde detortum) *Hibernia*, insula in Occid. Oceano non procul à Britanniâ, quæ, ob situm depressiorem, cœlo soloque utitur humecto, cui agilitas incolarum assignatur, & nervi flexiliter molles. Lacubus abundat; præsertim ibi passim occurrunt cœnosæ voragines, Anglosaxonicè *Bogges*: ubi terra uliginosa & levi graminis cespite obducta, supergradientium pedibus inopinis absorptim cedit. Hæ dici quoque possunt ἄορνα *averna*, non tantùm quòd ab iis absorbeantur animalia, & velut ad Orcum demittantur, sed quòd sint etiam ἄεργα *infrugifera*, nullum ἔργον *plantam* sc. vel *fruges producentia*. Inde enim ἄοργα dicta, non quòd sint infesta avium supervolatui. Igitur H. Jacobio est Ἰέρνη vel Ἰερνὶς pro ἀόρνη, vel ἀορνὶς *Insula avernosa*, h. e. *The Boggy Island*. Camdenus quidem non prorsus incommodè ducit à vernaculo *Erin*, quod *Occasum* sonat. Νῆσον Ἰερνίδα vocat Orpheus *in Argon*. Claudiano *Glacialis Jerne* dicitur. Vide *Hibernia*.

Jernus, vulgò *Droses*, fluv. Hiberniæ, in ora Connaciæ, apud Dyngam opp. in mare labens. Camdeno *Maire* videtur, in Desmonia, Comitatu Momoniæ.

Jerobaal, Judex Israëlis, qui & *Gideon* dicebatur. Jud. 9. Lat. *impugnans Idolum*.

Jerobeseth, nomen viri. 2.Sam.11. Lat. *impugnans confusionem*, vel *ignominiam*.

Reges Israëlis.

Jeroboamus I. fil. Nabati, Israëlis Rex impius. 3. Reg. 11. & *seqq.* Josephus *l.* 8. *Antiq.* ubi de eo: Γενναῖος καὶ τολμηρὸς, φύσει θερμὸς ὢν, καὶ μεγάλων ἐπιθυμητὴς πραγμάτων. Decem tribus à Rehabeamo Salomonis filio, abduxit, regni Istaëlitici, regno Judææ contradistincti, fundator; quod ut certius retineret, abominandam vitulorum aureorum idololatriam instituit, quam omnes ejus successores, nequicquam à Prophetis subinde moniti, mordicus retinuerunt, donec in perpetuam captivitatem tanti facinoris rei Israëlitæ, regno funditus everso, abstracti sunt, Obiit anno regni 21. Vide etiam 4.Reg.9. & *seqq.* 2. Par. 9. & *seqq.* Torniel. Salian. & Spond. *in Annal. sacris*. Lat. *Impugnans*, *objurgans*, vel *multiplicans populum*.

Jeroboamus II. filius Joas Regis Israël, successit patri anno 15. Amasiæ, filii Joas Regis Judæ, qui erat annus mundi 3211. ante Christum natum 759. Hic imitatus est impietatem Jeroboam, filii Nabat, qui peccare fecit Israel: Fortis aliàs & felix, restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis. Vide 4. Reg. *cap.* 14. & Joseph. *lib. Antiq.* 9. *cap.* 11. Obiit A. M. 3251. imperavit annos 41. Successit ei Zacharias, filius ejus. Genebr. *in Chron.* Torniel. Salianus, &c.

Jeroham, filius Elcana filii Caath. 1. Par. 6. Lat. *misericors*, aut Syriacè *dilectus*. Item filius Phasor. 1. Par. 9. Filius Elihu. 2. Par. 23.

Jeron, civitas in tribu Nephthali, Jos. 19. Lat. *timor*, vel *visio*, aut *projiciens dolorem*, vel *fortitudinem*.

Jeroslavia, vulgò *Jeroslaw*, urbs Moscoviæ Duc. cognom. caput, cum arce, ad Volgam fluv. 40. m. p. à Rostovia in Bor. 140. à Moscua. 150. à Novograda parva in Occ.

Jersia, fil. Jeroham. 1. Par. 8. Lat. *lectulus*, sive *stratum Domini*, aut *abstulit paupertatem Dominus*.

Jeruel, nomen solitudinis. 2. Paral. 20. Latinè *timor*, aut *visio Dei*.

Jerusa, Pater Joathan. 2 Par. 27. Lat. *hæreditas*, sive *exilium*.

Jerusalem, Judææ metropolis, à Melchisedec, teste Josepho, condita: aliàs *Salem*, & *Jebus*, à *Jebusæo* Chananæi filio. Jos. 18. Postremò *Ælia*, ab *Ælio* Adriano Imper. Romano, teste Volaterrano. Latinè *visio pacis*, aut *visio perfecta*, sive *consummata*, sive *timor perfectus*, aut *consummatus*, vel *timete Salem*; quasi adventantibus hostibus timorem incutere voluerint. Vide *Hierosolyma*.

Jes, *Jetis*, civit. Achajæ in prom. ejusdem nominis, juxta quod Alpheus amnis præterfluens 6. m. p. navigatur. Tortellius.

Jesaar, fil. Caath filii Gersom. Num. 3. Lat. *claritas*, *oleum*, aut *meridianus*.

Jesabat, Vir Gaderothites, 1. Par. 12. Lat. *dotatus*.

Jesaja, vide *Isajas*.

Jesamari, fil. Elphaal. 1. Par. 8. Lat. *custos*, vel *custodia*.

Jesana, nomen urbis. 2. Par. 13. Lat. *dormiens*, aut *antiqua*, vel *annosa*, sive *mutatio*.

Jesba, fil. Esra. 1. Par. 4. Lat. *laus*, vel *tranquillitas*.

Jesbaam, fil. Hachamoni. 1. Par. 11. Lat. *sedens populus*, aut *conversio populi*, sive *insufflatio*, aut *captivitas populi*.

Jesbacassa, nomen viri. 1. Par. 25. Lat. *est requirens*, vel *deprecans*, aut *sessio dura*, vel *insufflatio*, sive *conversio dura*.

Jesban, civ. Levitarum, in tribu Ephraim. Jos. 21.

Jesbibenob, Gigas quidam. 2. Reg 21. Lat. *sedens in prophetiâ*, vel *in locutione*, vel *in germinatione*: aut *conversio*, sive *insufflatio in prophetiâ*, vel *in locutione*, sive *in germinatione*, aut *captivans in prophetiâ*, vel *in locutione*, sive *in germinatione*, L. *Ishbibenob*.

Jesboam, id est, *conversio*, sive *sessio*, aut *insufflatio*, vel *captivitas populi*, nomen principis. 1. Par. 27.

Jesboc, fil. Abrahæ ex Ketura. Gen. 25. Lat. *est vacuus*, vel *evacuatus*, aut Syriacè *derelictus*, vel *derelinquens*.

Jescha, filia Haran, quæ & Sarai. Gen. 11. Lat. *ungens*, sive *cooperiens*, aut *protegens*, vel *obumbrans*; vel Syriacè *speculans*.

Jesejas, fil. Phaltiæ. 1. Par. 3. Lat. *salus Domini*.

Jesema, fil. Etam. 1. Par. 4. Lat. *appositus*, *nominatus*, aut *admiratio*, sive *desolatio*.

Jeser, fil. Nephthali. Gen. 46. Lat. *figmentum*, *plasmatio*, sive *tribulatio*, aut *angustians*.

Jeserzicia, urbs Moscoviæ, capta à Stephano Polon. R. anno Chr. 1581. Vide Thuan. *Hist. lib.* 56.

Jesesi, fil. Jeddo. 1. Par. 5. Lat. *antiquus*, vel *sexagenarius*, aut *exultans*, vel *est munus*.

Jesi, fil. Aphaim. 1. Par. 2. Lat. *salus*, aut *respiciens*.

Jesia, fil. Izrahja. 1. Par. 7. Lat. *est Dominus*.

Jesiel, fil. Nephthali. Num. 29. Lat. *dividens*, vel *dimidians Deus*, aut *festinatio Dei*.

Jesimon, nomen deserti. 1. Reg. 2. Latinè *desolatio*, aut *solitudo*.

Jesmachias, nomen viri. 2. Par. 3. Lat. *adhærens*, vel *innitens*, aut *junctus Domino*.

Jesmajas, nomen viri. 1. Par. 27. Lat. *audiens Dominum*, vel *obediens Domino*.

Jesonis regio, *terre d'Ieso*, pars terræ Arcticæ, recèns detecta, ad Bor. Japoniæ. Vide *Esonis terra*.

Jespha, fil. Beriæ. 1. Par. 8. Lat. *Jaspis*, aut *est hic*, hoc est, *in hoc loco*, aut *labium* sive *conterens*.

Jessphan, filius Sesac. Lat. *absconditus*, sive *confractus*, aut *cuniculus*.

Jesrab, urbs Arabiæ, nunc *Medina Talnabi* Postello, patria Mahometis Pseudoprophetæ.

Jesrael, mel. *Jezraël*, urbs fuit tribus Isaschar, in limite tribus Manasse & in Galilæa, *Zerez in* hodie Postello. *Jezrael* etiam urbs fuit sexta, in 8. parte tribus Judæ, inter Jota & Jucadam. V. *Jezraël*.

Jesse, pater David, qui & *Isai* dicitur. Isa. 11.

Jesselmera, vulgò *Jeslemere*, seu & *Gislemere*, urbs ampla Indiæ, caput prov. cogn. sub M. Mogole, intra montes. 120. mill. ab Indo fluv. in Ortum ut à confin. Guzaratæ regni in Boream abest, Ferrat.

Jessenius Johannes, Bohemus, vir profundæ eruditionis, in reditu ex Ungaria, quò legatus missus fuerat, captus an. Chr. 1619. Viennam deductus est: mox permutatione cujusdam Itali dimissus, è carcere proditurus parieti inscripsit literas *I. M. M. M M.* Quas cùm interpretari multi incassum niterentur, unus Ferdinandus ingressus, rem tetigit, illas sic explicans: *Imperator Matthias mense Martio morietur:* qui mox arreptâ cretâ reposuit, *Jesseni mentiris, malâ morte morieris.* Quod cùm Jessenio relatum esset, dixit, *Ut ego mentitus non sum, ita Ferdinandus operam dabit, ne vanus sit vates.* Contigit utrumque; Cæsar Martio discessit, Jessenius post cladem Bohemorum, an. 1620. acceptam & subactum ab Austriacis regnum, supplicio affectus est, an. Chr. 1621. Vide Lætum *Comp Hist. Univ.*

Jessui, fil. Aser, Gen. 46. Lat. *planus*, *æqualis*, *ponens*, aut *positus*.

Jesualum, vulgò *Jesual*, regnum Indiæ ulter. sub M. Mogole, inter Udessæ regn. ad Ort. & Patnam ad Occasum. Urbs præc. Racapora.

Jesuati, ordo sacer, in Communione Rom. fundatus, à Johanne Columbino, Senensi, sec. 14. approbatus ab Urbano V. an. 1367. abolitus à Clemente IX. An. 1668. Dicti quoque *Clerici Apostolici*. Vide Morerium *Diction. hist.*

Jesuitæ, ordo Religiosorum in Eccles. Romanâ, ab Ignatio Lojolâ fundatus, circa An. Chr. 1534. confirmatus à Paulo III. 1540. *Novo atque, ut plerisque visum est, superbo nomine appellati sunt*, inquit Thuanus, *Hist. Tom.* I. *lib.* 15. Hi ex tenuibus initiis orti, Vide P. de Valle *Itin. tom.* 4. *sub finem*: præter 3. consueta religiosorum religiosorum vota, quartum *Missionis* Papæ faciunt: Eruditione inter suos maximè conspicui, in Ecclesiis docent, in Scholis, quas, teste Verulamio *de augm. scient.* optimè constitutas habent, gratis erudiunt: sed & *gratis nocere* Passeratius dixit. Cœterum reliquis Commun. suæ Ordinibus graves, illos, ut in prov. dicitur, de ponte dejiciunt, eorumque nidis aut exuviis se vestiunt, Surius. Sub finem præc. seculi, fiduciâ seu doctrinæ, seu authoritatis Romæ alibique publicè defenderunt, *Clementem VIII. credere legitimum Petri successorem, non esse ex articulis fidei: Confessionem per epistolas & per cursores peragi posse, &c.* Unde toti societati periculum, ni Philippicus Orator intervenisset, Thuan. *lib.* 131. Cum Dominicanis Augustini sententiam tuentibus, de Gratia Dei Liberoque arbitrio sub Clem. VIII. Item de Conceptione B. Virginis tanto fervore, sub Paulo V. disceptarunt, ut tota fere arserit in dissidii incendium Hispania: Thuan. *Hist. l.* 132. A. Rivetus *in Apol. pro B Virgine*, *c.* 5. 678. Quid cum Jansenii sectatoribus illis hactenus litis intercesserit, patet ex *Epist. Provincialis*, &c. Quid in Magistratus Principesque machinari soleant, exilia eorum Dantisco, an. 1596. è Gallia, an. 1598. erectâ in æternam rei memoriam Parisiis columnâ, Thuan. *l.* 112. è Venetorum ditionibus, an. 1605. ex Anglia, post detectam conspirationem

pulverariam, eodem anno: quam legem Jacobus Rex, Henrici IV. cæde territus, renovavit, an. 1610. è Bohemia, an. C. 1616. &c. apprimè docent. Idem in Comitiis Varsaviensibus, ab Ordinibus regni Poloniæ petitum, an. C. 1607. Thorunenses quoque Dantiscanorum exemplum secuti, scholâ & templo illos arcuerunt; cumque varia adversus se Jesuitarum molimina experiretur Elizabeta Angliæ regina, edicto juventutem ex extraneis scholis, *Jesuiticis* inprimis, revocavit, in deprehensos capitis pœnâ sancitâ: eadem in Edmundum Campianum, Radulphum Schervinum, & Alexandrum Briantum, è societate hac conjurationis auctores, animadvertit. Eosdem, post motam in Academiâ Cracoviensi cruentam litem, Academici libro *Gratis* emisso, reprehenderunt, quòd dum se gratis docere simulant, bona Nobilium ac divitias ingentes ad se pertrahant: qui quidem Regis jussu combustus, Jesuitis autem injunctum est an. 1626. Scholam suam in urbe Cracovia claudant, & Academiæ illius loci in posterum molesti esse desinant. Quanta Constantinop. contra Cyrillum Patriarcham, an. C. 1628. & seqq. moliti sint, exhibet A. Rivetus *in Jesuita vapulante.* Omnium loco esse potest, quod Parlamento Parisiensi actum, mense Decemb. an. 1611. in quo, ab Universitatis Advocato Martillerio, & regio, Servino, ipsis varia exprobrata, probatumque est, eorum doctrinâ & hortatu bella excitata, cæsosque Reges esse. Cumque nihilominus se recipi in corpus Universitatis peterent, se idem docturos quod Sorbona polliciti. Senatus causâ ad consilium rejectâ, pronuntiavit, intra præscriptum tempus scripto subsignato declararent, quod hodie ore profiterentur, se doctrinam Sorbonicam amplecti: *Concilium supra Papam esse: huic in temporalibus potestatem nullam: Non licere ei Reges nostros excommunicare: Nec Sacramento subditos solvere: Clericos crimen Majestatis committere: Quæ in confessione ad Remp. spectantia cognoscuntur, omnino deferenda esse.* Quæ cuncta in præsentia Condæi Principis, Bellovacensis quoque & Laudunensis Episcoporum, Parium regni peracta sunt. Vide Bucholcer. *Ind. Chronol.* Plurima *Jesuitis* in Europæ regnis collegia ædificavit, Gregorius XIII. Urbanus dein VIII. petentibus illis, ut è Kalendario S. Germano eraso, Ignatius sectæ suæ auctor, substitueretur, decrevit: si simul stare non possint, expectaret Ignatius annum bissextilem, & diem intercalarem sibi haberet. Idem sectam Virginum Jesuitici ordinis, citra approbationem Apostolicæ auctoritatis introductam, condemnavit ac radicitus sustulit, Jac. Revius *in Urbano VIII.* Plura de origine & progressu Ordinis. Vide apud Thuan. *in Hist.* Lud. Lucium *Hist. Jesuit.* &c. Addam solùm, quæ hanc in rem Hugo Grotius habet, *Histor. l. 3. ad An.* 1594. *Auctor instituti,* inquit, *Ignatius Lojola Navarrico bello ad Pompeiopolim vulnere debilis, fortem adhuc & militarem animum quietiores ad curas retulerat: accessitque ambitio condendi familiam, cui in spem futuræ magnitudinis, non hominis alicujus eximii, ut tum mos ferebat, sed ipsius* Jesu *nomen præscripsit. Aggregati, quibus nova volentibus erant, incredibili studio duo maxima percoluere, vim Pontificis R. & opes Hispaniæ: primique in causam labantem egregia præsidia induxerunt, & neglecta hactenus, mores inculpatos & bonas artes: crebris certaminibus exerciti varias adversus religiones, quæ per ea tempora Romano nomini insultabant. Aucta per Americam & Indiam gloria, dum feras inter gentes Philippo imperium Christianâ institutione circumdant. Claraque prodigia velut ipsis evenerint, per locorum longinquitatem celebrantur fiduciâ affirmantium & credendi facilitate. Cætera re ipsâ aut in speciem abunde sunt. Fidem & pudorem sunt in quibus requiras. Magna in vulgus auctoritas, ob vitæ sanctimoniam, & quia non sumtâ mercede juventus literis imbuitur, sui per urbes & populos præsides: cunctis per orbem unus imponitur, ut plurimùm gente Hispanus. Sapienter imperant, fideliter parent. Transgressi in morem non unà habitant omnes: angustum videbatur, societatis incrementa parietibus includere; dant nomina & conjuges, nec quicquam prius docentur, quàm mortis metum & cunctos hominum affectus exuere. Sed maximè adsciscitur, si quis ingenio, ante alios, aut sanguine divitiisque pollet. Usus in singulis: nam ingenia distinguunt non minus prudenter, quàm eligunt, ut quem facundiâ aut scribendi meditationibus sperant clarescere. Per suorum nobilitatem maximis consiliis miscentur, explorandi sagacitate, & quia ad eruenda arcana nullum vehementius tormentum religione est. Opes legatis ac muneribus in se vertunt, quas per artes novissimi omnium brevi sectas priores famâ & opulentiâ vicere; hoc ipso cæteris invisi & tanquam è diverso mores exprobrarent. Sed super æmulantes evecti, tenent principum domos, laudabili temperamento: quippe medii fœdum inter obsequium, & tristem arrogantiam, nec fugiunt hominum vitia, nec sequuntur. Præcipuum id Hispano dominationis instrumentum, quo domi concordiam retinet, quo turbat externa. Nam eorum mentibus infusi, qui Latina sacra adorant, per Galliam & Angliam, ipsosque Batavos, hîc pro regno differunt, ibi contra regnum: & quanquam capitis supplicio finibus arceantur, non obstat periculum, quòminus audeant fallantque.* Hactenus Grotius.

Jesupolis, vulgò *Jesupol*, opp. munitum Poloniæ, cum arce, in Podolia & in limite Pocuciæ, in sinistra Bistris fluentis ripa.

JESUS, Hebræum nomen, quod Latinè *Servator* dicitur. Matth. 1. 21. Τέξεται δὲ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ ΙΗΣΟΥΝ, αὐτὸς γὰρ ΣΩΣΕΙ τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Act. 4. v. 12. Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία. Οὔτε γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις ἐν ᾧ δεῖ ΣΩΘΗΝΑΙ ἡμᾶς. In tres sententias eunt, qui SS. hujus nominis Etymon investigarunt. Primò, Alii à radice ישע originem ejus ducunt. Hique adeò יהושע, aut ישוע Hebraicè scribi volunt. Sententia ipsa canitie sua ex longo ævi decursu veneranda. Secundò, Reliquæ duæ multò videntur juniores. Et quidem hæc (Reuchlini, Andreæ Osiandri & aliorum sententia) à יהוה nomen hoc deducit ש licentiâ nescio quâ utcunque interpositâ, in hunc videlicet finem, ut Tetragrammaton illud Dei nomen prius ineffabile, deinceps pronunciari possit. Sententia parum solida, & vacillans. Nam ut libenter concedamus, cùm cætera Dei nomina, tum maximè augustissimum illud Jehovæ nomen, nisi gravissimâ de causâ, prorsus ineffandum esse, ne libertas in licentiam exeat, & contemptus nominis in contemptum Numinis redundet, nemo admittet illud in Hebraicæ saltem linguæ idiomate ineffabile habendum, Græcè quidem ἀνεκφώνητον esse in confesso est, Inde enim Græcè Ἰαὼ pro Jehova corruptè enunciarunt, ut auctor est Diod. Sic. *lib.* 1. Inde etiam 70. illi sacri codicis Interpretes nunquam nomen hoc κατὰ πόδας reddidere, cùm ne possit quidem, sed tantùm κατ' ἰσοδυναμείαν, nimirum in locum ejus, quoties occasio tulit, Κύριον substituentes. At verò Hebraicè ineffabile esse nunquam evinci potest. Certè testantur Talmudici Doctores vel ipsos Judæos nomen illud ad mortem Simeonis effari solitos. Sed ut hoc demus, quid causæ fuerit, quòd ש sola omnium Alphabeti literarum admiscenda esset, ut ineffabile illud nomen tandem linguæ potens evaderet? Atqui hisce diluendis immorari operæ pretium haud fuerit. Neque enim profectò opus est, cùm jam viderim Osiandrum à Flac. Illyrico, & aliis, eo nomine meritò enervatum. Verùm, ut per omnia cum illo sentire integrum non sit, summo tamen viro debitus honos minimè denegandus est, quòd Reuchlini auspiciis veritati jam diu obrutæ indagandæ aditum nobis utcunque aperuerit. Tertiò, Cæterum corona unico Castellioni reservanda, utpote qui in tertiâ suâ, quæ jam superest, sententiâ, opus ab Osiandro feliciter inchoatum ad culmen usque perduxit. Ille enim pulcherrimam interpositionis ש, quam Osiander non potuit, rationem exhibet. Quâ de re verba ipsius hîc apponam. Cùm diu, multumque (inquit) considerarem, neque cur hæc litera ש interposita foret, viderem, quippe cùm non sit servilis, h. e. ejus literarum generis, quæ solent in deductis aliunde verbis ad primigenia adhiberi: cœpi cogitare, verbum hoc compositum esse oportere, tandemque Dei beneficio comperisse videor. Quemadmodum enim *Jesus*, & Deus est & Homo, ita nomen ejus ex Dei & Hominis nomine esse conflatum. Id autem didici ex Exod. 15. 3. ubi dicitur יהוה איש מלחמה, i. e. *Jehova vir belli.* Ubi vir bellicosus dicitur, quoniam de Christo sermo est, qui vir futurus erat. Est igitur JESUS nomen compositum ex יהוה איש, interpositâ literâ ש ex nomine איש, reliquis autem duabus rejectis, quippe quæ serviles sint, & addi, adimique sæpe soleant, ut sit יהשוה *Jesus*, idem quod *Jehova Vir*, ut intelligamus *Jesum* non esse *Jehovam* solùm (nam hoc de ejus Patre dicitur) sed *Jehovam hominem*, i. corporatum, &c. Sic ille *super Matth. cap.* 1. v. 21. ut extat in elegantissimâ ejus Bibliorum versione An. 1573. Basileæ editâ. Vide libellum, cujus titulus est, *Exercitatio de verâ SS. Nominis Jesu Etymologia, Lond.* 1652. Lloyd.

Jesus, Nave fil. qui & *Josue* vocatur, Israëlitarum post Mosem Dux sapientissimus. Item Sirachi fil. libri Ecclesiastici auctor. Anno M. 3798. Scaliger, Petav. Liranus *in Eccl.* Fuerunt & alii ejusdem nominis in Vet. & Nov. Testamento.

JESUS CHRISTUS ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΣ, Servator mundi, natus ex Virgine, opera Diaboli destruxit; (quod, inter alia, perpetuum Delphici Oraculi silentium, à nato *puero Hebræo, Deorum Deo,* Augusto Imperatori testatum est) & genus humanum, in peccatum & damnationem prolapsum restauravit. Nativitatem Ejus incidisse in Consulatum Corn. Lentuli, & L. Calpurnii Pisonis, An. M. 4052. U. C. 753. Olymp. 194. an. 4. Augusti 42. Morerius ostendere nititur *in Dict. hist.* Tanta gessit, ut si omnia scribi deberent, *ne mundus quidem universus ea capere posset,* Joh. *c. ult.* Quæ verò ad gloriam Dei, & salutem nostram de re scitu necessaria duxit, ex Evangel. hist. haurire nos jubet, Joh. 20. 31. quò avidum salutis lect. remitto.

Jeta, civitas, quæ Levitis è tribu Judæ vel Simeonis est data. Jos. 21. Eadem videtur, quæ & *Jota.* Jos. 15.

Jeta, castellum Siciliæ. Steph. Alii urbem esse volunt, in monte, penè jacentem, inter Salenium 16. & Corileonem 18. m. p. prope Alcamum oppidum. Incolæ *Jetenses* Plinio. At in Legationum excerptis ex Diodori *lib.* 23. sunt Ἰεταῖοι. Atque idem vocabulum usurpare videtur Cic. *Verrinâ tertiâ,* ubi nunc mendosè *Letini* legitur. Silius, nescio an metri causâ masculino genere, & singul. num. formavit, *lib.* 14.

— *Arbela ferox, & celsus Jetas.*

Ferrario opp. est, à Christianis, inde Saracenis ejectis, sub Frider. II. Imp. excisum, in monte prærupto. Baudrando castrum est Siciliæ,

in valle Mazarana, juxta Crimissum fluv.16.mill. ab A'camo in Austr.paulo minus à Juliano.30.ferè mill.à Panormo in Austrum, Vulgò *Jato.*

Jete, civitas quæ Levitis data est è tribu Judæ, vel Simeonis. Lat. *declinans*, vel *divertens*.

Jetebatha, locus in quo castrametati sunt filii Israel,profecti de Gadgad. Num. 3. Lat. *bonitas sua*, sive *declinans filia ejus*, aut *declinans desertum*.

Jeterus, Mœsiæ fluv.ex Rodope profluens. Plin.4.28.V *Jatrus*.

Jeth, fil. Gershom. 1.Par.6. Lat. *confringens*, *formidans*, vel *stupens*, aut Syriacè *descendens*.

Jethaba, urbs antiqua Judææ, Hier. *in L. H.*

Jethael, in tribu Juda. Idem.

Jethan, seu *Jeta*, h.e. *declinans*,vel *extendens*, civitas sacerdotalis, in tribu Juda, hodieque vicus est pergrandis in decimo octavo ab Eleutheropoli, ad Australem partem in Daroma, & notant viri doctissimi,eandem hanc esse videri,quæ infra *Jota* appellatur, licèt plerique diversum sentiant.

Jethela,civitas in tribu Dan. Jos.10. Lat. *pendens*, *suspensio*, sive *coacervatio*.

Jether & *Jecter*, civitas excellens Levitis data de tribu Juda. Jos.15. Ad quam David munera misit.Inde *Jethræus* & *Jethrites*. Primogenitus Gideonis. Jud.8 Nomen civitatis. 1.Reg. 2.Nomen viri. 1.Par. 7. Filius Jada, 1. Par.2. Lat. *excellens*, *residuus*, sive *remanens*, aut *explorans*, vel *funiculus*.

Jetheth, civitas Idumæorum.Gen.36.Lat. *donans*.

Jethma, vir Moabites 1.Par.11. Lat. *orphanus*, *admiratio*, aut *consummatio*, sive *profectio*.

Jethnan, civitas tribûs Judæ. Jos.15.

Jethra, pater Amasæ filii Abigail sororis David. 2. Reg. 17. Idem sig. quod *Jether*.

Jethræus, filius Sobal. 1 Paral.2. Idem.

Jethraham, fil. David ex Egla. 2.Reg 3.

Jethran, filius Supha. 1. Paral.1. Filius Dison filii Seir Horræi. Gen. 36.

Jethro, socer Mosis. Exod.3.qui & *Raguel*, Exod.2. De quo vide porro Exod.4.18. &c. Sulpic. Sev. *lib.* 1. *Hist. Sacra* Euseb. Salian. & Torniel. *A. M.* 2544. *n.* 3. 2545. *n.* 47. 49. &c. Tertull. *lib. contra Judæos*. Hieron. *in cap.*5. *ad Gal.* Aug. *quæst.* 11. *&* 12. *in Exod. l.* 4. *de Bapt. c.*24. *Serm.* 86. *de temp. &c.*

Jetsegena, vulgò *Jetsegen*, una ex 5. regionibus Niphoniæ Insl. in Japonia: sub qua 10. prov. seu regna, Nempe *Canga*, *Finda*, *Jechuenum*, *Jetchuum*, *Ingum*, *Ixium*, *Minum*. *Notum*, *Vearium*, *&* *Vomium*. Sanio, Brietius. Habet ad Ort. Quantoam reg. ad Occas. Jetsengam.

Jetsenga, vulgò *Jetsen*, vel *Jetsengo*, regio Niphoniæ Insl.12. sub se habens regna, *Bigenum*, *Cavachum*, *Farima*, *Jazumium*, *Jamaxirum*, *Jamatum*, *Quinocunum*, *Tamba Tzunocunum*, *Voacasa*, & *Xima*. Ejus prim. est Meacum, urbs perampla, caput totius Japoniæ, Brietius. Habet ad Ort. Jetsegenam & ad Occas. Jamaisotiam regg.

Jethson, nomen civitatis. Jos. 21.

Jettan, in tribu Juda. Hier. *in L. H.*

Jetur, fil. Ismaëlis. Gen. 15.

Jevera, Comitatus in Frisia Orient. ita dictus à primario ejus opp. sic vocato: trans Jadam ad Occas. est 18. parochias continens, & non procul ab ostio Jadæ in Visurgim & Oceanum se exonerantis: duabus insulis, Wangeroga & Spiceroda, fere desertis munitus. Metel. Familiæ Oldenburgicæ proprius, Anton. Gunthero ultimo Comite haud pridem extincto, ejus ex sorore nepoti Principi Anhalt. Servestano cessit. Spenerus.

Jeus, fil. Roboam ex Abihal. 2. Par.11. Lat. *custodiens*, aut *ordo*, vel *series*, sive Syriacè *montanus*.

Jesabad, vir Gaderothites. 1. Par 12. Lat *dotatus*.

Jezabel, filia Ethbaal regis Sidoniorum, uxor regis Ahab sceleratissima. 3. Reg. 16. *& seqq.* & 4. Reg. 9. Torniel. & Salian. *in Annal.* Lat. *insula habitaculi*, vel *væ habitaculo*, aut ex Hebræo & Syro, *insula sterquilinii*, vel *væ sterquilinio*. Τὸ γύναιον δραςήριον τε καὶ τολμηρὸν eam vocat Josephus, ubi de eâ.

Jezatha, fil. Aman. Esth. 9. Lat. *aspergens thalamum*, aut ex Syro & Ebræo, *væ oliva*.

Jezer, filius Galaad. Num. 26. qui *Abiezer*, Jos. 17. dicitur. Hebr. אִיעֶזֶר id est, *insula adjutorii*, sive *atrii*, aut *væ adjutorio*, vel *atrio*.

Jezer, civitas Amorrhæorum, quæ Levitis & homicidis pro asylo è tribu Gad est attributa. Hebr. יַעְזֵר, id est, *auxiliator*, sive *adjutor*.

Jezia, nomen viri. 1. Esdr. 10. Latinè *distillatio*, vel *aspersio Domini*.

Jezlerus Johannes, Theologus doctissimus, cujus inter alia potissimùm de diuturnitate belli Eucharistici & de fructu mortis Dominicæ extant scripta, die 25. Novembr. anno Chr. 1543. obiit Scaphusii in Helvetia. Bucholcerus *Ind. Chron*

Jezlia, fil. Elphaal. 1. Par.8. Lat. *distillatio laboriosa*.

Jezonias, יַאֲזַנְיָהוּ i. e. *auscultatio*, aut *statera*, vel *arma Domini*, fil. Maachati. 4. Reg.25.

Jezonias, יְזַנְיָה i.e. *nutrimentum Domini*. Nomen viri. Jer. 35.

Jezra, fil. Mosollam. 1.Par. 9. Lat. *porcinus*, aut Syriacè *conversus*.

Jezrahel, urbs regalis, &, ut Hier. vult, metropolis decem tribuum, terminus est Manasse, in qua est, & Issachar, sita in pede montis Gelboë ad Occidentem, insigni speculâ & turre spectabilis, unde indicium fit accenso igne, tanquam ex Pharo, de adventu hostium, ipsaque urbs pulchrum habet prospectum per totam Galilæam usque ad Carmelum & montes Phœnicis, montesque Tabor & Galaad, & ultra Jordanem.

Jezrahel, civitas in tribu Juda, Jos.15. nomen accepit à Jezrael, filio Ephratæ aut Etham, in qua habitabat Naboth, ut Hieronymus vult. Filius Oseæ ex Gomer Os. 1. Lat. *semen*, sive *distillatio amicitiæ Dei*, vel *aspersio pastoris Dei*, aut *distillans contritionem*, aut *malum Dei*.

Jezrajah, nomen viri. 2. Esdr. 12. Lat. *oriens Dominus*, aut *claritas Domini*.

IG.

Igaal, fil. Nathan de Sobâ. 2.Reg.23. Lat. *redemptus* sive *inquinatus*.

Igadita, Lusitaniæ urbs Episc. olim fuit, sub Arch. Emeritensi, ut inquit Vasæus, qui addit hodie vicum obscurum esse, urbi Guardensi, quæ ei in Episc. dignitate surrogata est, finitimum, nomine *Edania*. *Idannas* dicitur Varrerio. *Idantia a Velha* incolis. Baudrando nunc parva urbs est Lusitan. à confin. Extremaduræ, vix 2. leuc. in Occ. uti 6. à Cauria, 6. ab Alcantara in Bor. ei adjacet castrum *Idanha à nueva*, i. *Igadita nova*.

Igal, idem filius Joseph. Num.13.

Igeni, Tac. pop. Albionis, an Northumbri?

Igenia, seu *Tegengil*, opp. Cambriæ, apud urbem Asaphensem & Varim opp. Camdeno pars regionis, sc. Flintensis Comit. dicitur, *Tegengle*, Brit. i. *formosa Anglia*.

Igilgilis, seu *Igilgilium*, vulgò *Gigeri*, urbec. Africæ, in ora maris Medit. cum portu satis capaci, in regno Algerii. 140. mill. circiter à Rusucuro in Ort. 60. à Bugia urbe seu Salde in Ort. 20. ab ostio Ampsagæ in Occ. Capta à Gallis an. 1664. Sed paulo pòst, magna cum clade, derelicta.

Igilium, Etrusci litoris insula *contra Cosanum*, ut Plinius ait, *litus*, sive ante Argentarium promunt. hodieque vulgò vocatur *Giglio*, Gallis *l'Isle du Lys*. De quo Rutilius *in Itinerario*,

Eminus Igilii sylvosa cacumina miror,
Quam fraudare nefas laudis honore sua.

Baudrando Insl. parva & montuosa maris Tyrrheni, cum castro & oppidulo. Sub M. Hetruriæ D. Vitiosè *Ægilium* apud Plin. & *Iginium* apud Melam, in quibusdam codd. legitur.

Igla, fluv. Moraviæ, à quo Iglavia urbs nomen sortita est, dirimit Moravos à Bohemis, & Moraviam quoque ingreditur. Metel.

Iglacus, Anglus, Benedictinus, magni nominis, sec. 8. vitam Abbatis Sigwini, &c. scripsit. Baleus & Voss. *de Hist. Lat.*

Iglavia, opp. Moraviæ, ubi forma Concordiæ, *Compactata* vocant, inter missos à Synodo Basiliensi legatos & Bohemorum Oratores, d.5. Julii. an. 1438. præsente Sigismundo Imp. instrumentis ac sigillis roborata est. In hac inter alia Bohemis calicis usus concessus est, *utpote dignè sumentibus salutaris*: quo & *Nos*, *&* *parens uterq; noster*, *&* *avus quoq; usi sumus*, scribit Georgius Podiebracius, Bohemiæ R. ad Matthiam Hungariæ R. A. D. 1468. Postea cùm Pontifices Rom. soluto Concilio Basil. *Compactatis* his stare nolentes, in Georgium præfatum excommunicationis dirum strinxissent fulmen, ritumque communicandi Bohemis à Concilio concessum vocare hæresin non dubitarent: offensi Bohemi, etiam Paparum aliàs partibus addicti, his vicissim nuntium remiserunt, eos se pro veris Christi Vicariis habere negantes: communionemque porro nemini aliter, quàm sub utraque specie, ministrandam esse censuerunt. Vide Joh. Dallæum, *de cultibus Latinorum*, *l.* 5. *c.*26. & supra in voce *Compactata*.

Igmanus, Gall. Aquitanicæ fluv. Vide *Sigmanus*.

Ignatia, vide *Egnatia*.

Viri Illustres.

Ignatius, cum Polycarpo, discip. Apostolorum, S. Johannis inprimis, Antiochenæ Ecclesiæ post Evodium Præses, an. Dom. 66. Is post 40. an. Romam perductus, ac bestiis objectus est, an. 108. 3. persecutione sub Trajano sæviente. Epistolas ejus ediderunt, Usserius, Arch. Armachanus, & Isaacus Vossius. Vid. Polycarp. *ep. ad Philipp.* Iren. *l.* 5. *c.*28 *adv. hær.* Orig. *homil.* 6. *in Lucam.* Athanas. *ep ad Epict. &* *de Syn Arim. &* *Seleuc.* Hier. *Catal. &* *l.* 3. *adv. Pelag.* Chrysost. *in ejus encomio.* Socr. *l.*6. *c.*8. Theodoret. *dial.* 1. 2. *&* 3. Evagr. *l.* 1. *c.*16. Simon Metaphrasten, Euseb. 3. 35. &c.

Ignatius, Patriarch. Constantinopolitanus, filius tertius Michaëlis I. Imper. à Leone Armenio pulsi, prius Nicetas dictus, unà cum fratre Theophylacto, jussu Tyranni, eviratus & in Monasterium detrusus est. Sub Michaële dein III. anno Chr. 847. Methodio successit, Theodorâ electionem approbante. Postea Bardum, Imperatricis fratrem, nurus suæ incesto amore correptum, primò objurgavit, dein resipiscere nescium à sacra communione arcuit. Qui ultione ardens, suasit Imperatori, ut solus in posterum

regnaret, sororesque cum matre à Patriarcha tonsas in Cœnobium detruderet. Quod facere recusans Ignatius, in exilium tum pulsus, Photio ei surrogato: Sed sub Basilio magnificâ pompâ restitutus est, æmulo pulso. Obiit an. 878. Nicetas David *in ejus Vita*, Baronius, &c.

Ignatius, Arch. Nicenus, sub Irene & Nicephoro, floruit sub finem 9. & initium 10. seculi. Vitas Tarasii scripsit & Nicephori Patr. Constantinop. Διάκονος καὶ Σκευοφύλαξ dictus Suidæ.

Ignatius Lojola, nobilis Cantaber, cùm ex militia utroque pede claudus, an. 1521. rediisset, vitæ sustentationem à religione, assumtis sibi sociis, An. 1528. quæsivit, Ordinis Jesuitarum, ut se vocant, fundator, an. 1534. & primus Generalis. Obiit anno 1556. Sanctis ascriptus an. 1609. à Paulo V. Ei successit Jacobus Lainez, Hispanus, qui obiit an. 1565. æt. 53. Hunc Franciscus Borgia excepit. Quem secutus est Everardus Mercurianus, Leodiensis, post quem Claudius Aquaviva Neapolitanus, Ordini præfuit. Hujus successor Mutius Vitellescus, Romanus, obiit an. 1645. Dein Vincentius Caraffa, Neapol. Porro Franciscus Piccolomineus, Senensis; Post hunc Alexander Godofredus, ex in Gosvinus Nickel, Germ. societatem rexerunt. Johann. Paulus Oliva, hodie eodem munere fungitur. Sedes Generalis perpetua Romæ est, cui quatuor additi assessores, Italus, Hispanus, Germanus & Gallus; quibus tamen nil nisi consultativum votum relictum est, decisione à Generalis arbitrio suspensâ. Vide Thuanum *Hist.* Lud. Luc. *Hist. Jesuit.* & Orlandin. *Hist. Societ.*

Ignetes, pop. Rhodii, quos Telchinibus successisse tradit Hesychius. Ἴγνητες, inquit, οὕτως ὀνομάζονται οἱ μετὰ τοὺς Τελχῖνας ἐποικήσαντες τὴν Ῥόδον. Tamen *Ignetes*, sive *Gnetes* iidem qui γνήσιοι seu ἰθαγενεῖς, i.e. *indigenæ*. Steph. Γνῆς, ἔθνος οἰκῆσαν τὴν Ῥόδον. Ἔνθεν καὶ Γνῆτες, οἱ ἰθαγενεῖς, λέγεται δὲ καὶ μετὰ τοῦ Ι, Ἴγνητες. Itaque ante Ignetes nullos habuit incolas Rhodus. Vide Bochart. *Geograph. pag.* 400.

Ignis, Persarum Deus, captus, victo Cosroë, à Tiberio II. anno Chr. 578. Affusâ aquâ extinctus, à Jagielone Duce Lithuaniæ prius, dein Poloniæ Rege, ad fidem converso, anno 1390.

Ignis Græcus, sævissimum ignis genus, quod ne aquâ quidem extinguitur: sed insanâ quadam velocitate omnia rapit, & devorat, *VVild feur.* Ejus auctorem fuisse narrat ex Zonara Panцirolus, Calinicum Græcum an. Chr. 670. qui in subsidium Constantini Pogonati, naves Saracenas sub ipsa aqua incendit: deletaque magna earum multitudine reliquas in fugam egit, Rigordus *de gestis Philippi Aug. Phialæ vitri plena igne Græco.* Matthæus Parisiensis, *in Richardo I. an.* 1191. quoque ejus meminit. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.*

Ignium regio, *terra del Fuego* Hispan. *Terre des Feux* Gall. Ins. amplissima, inter freta Magellanicum & Mereum, sic dicta à Ferd. Magellano, qui primus eam detexit. In ea nulla est urbs, & ab Europæis tantùm lustrata fuit, versus oram littor. Ejus promunt. Australe dicitur *Cap de Horn.*

Igorandis, vulgò *Ingrande*, vicus Pictonum, inter castellum Heraldi & Crosæ ac Vingennæ confluentes positus: Ejus meminit Auctor *Vitæ B. Leodegarii.* Item locus in Biturigibus Cubis, Cellâ seu Prioratu & Ecclesiâ B. Mariæ clarus, vulgò *Aigurande.* Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Iguvium, postea *Eugubium*, vulgò *Gubio*, Umbriæ opp. Cæsar *Com. lib.* 1. *Interea certior factus Iguvium Thermum Prætorem cohortibus* 5. *tenere.* Cic. *ad Att.* 7. 13. *Quid agat Domitius in Marsis, Iguvii Thermus.* Verùm nescio quo fato clarissimi hujus municipii nomen apud omnes ferè antiquos scriptores sit vitiatum. Nam apud Ptol. vulgò est Ἰσούιον & apud Strab. *lib.* 5. Ἴτουρον pro Ἰγούιον. Item apud Plin. 3. 14. variis in exemplaribus, *Iguini*, *Inguini*, *Ingini*, pro *Iguvini.* Sed & apud Silium *lib.* 3. ubi Umbriæ urbes recenset, pro vulgatis *Inginum* & *Inginium*, reponendum erat *Iguvium*, in his,

— *Infestum nebulis humentibus olim*
Iguvium, patuloque jacens sine mœnibus arvo
Fulginia.

Nunc in Duc. Urbini, sub Pontif. in amœna planitie, 28. mill. ab Urbino, 15. à Perusia in Ort. 12. ab Assisio in Bor. Baudr.

IH.

Ihelon filius Esau ex Oholibamâ uxore. Gen. 36. Lat. *occultus*, sive *adolescens*, aut *caprea eorum*, vel *seculum.* Hebraicè enim יעלם dicitur.

Ihona & *Jona*, vulgò *Chilca*, Ins. Scotiæ. Vide *Hiona.*

Ihora, vulgò *Ihor*, urbs Indiæ ulter. in tractu Malaccæ, regni cognom. caput, cum portu, prope prom. Sincapuræ. Ejus Rex potens est in illo tractu, pluriesque Malaccam, sed frustra tentavit.

II.

Iim, civitas tribûs Judæ. Jos. 15. Lat. *acervi.*

IL.

Ila, locus prope sinum Persicum. Est & Albionis parvus fluvius. Ptol. in Scotia Boreal. *Wisle* Camdeno. In Comitat. Cathanesia, ubi in Oc. Germ. se exonerat, inter Beruvium promunt. ad Sept. & Varar æstuar. ad Merid. Baudrand.

Ila, vide *Epidium.*

Ilacuris, Ptol. oppidum Hispan. Tarrac. in finibus Carpetanorum & novæ Castellæ: quod Molerius *Caros de los Infantes* dici testatur. Aliis *Ilarcuris* vocatur.

Ilapinastes, cognomen Jovis apud Cyprios inde dictum, quòd magnifico apparatu, splendidisque epulis, quas Εἰλαπίνας Græci vocant, coleretur.

Ilarcuris, Hisp. Tarrac. opp. Ptol. vide *Ilacuris.*

Ilargus, fluv. Germ. Sueviam secat, dein cadit in Danubium, ad Ulmam. Oritur in confin. Comit. Tirolensis, supra *Oberdorff* castr. & Campidunum rigat; vulgò *Iler.*

Ilaris, urbs Lyciæ. Steph.

Ilatria, urbs Cretæ, Steph. vulgò dicta *Elbe.*

Ilba, vel *Ilva*, insula maris Tyrrheni, distans à continenti 10. m. p. Plin. 14. 34. *Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur, quippe insulâ etiam Italiæ Ilva gignente.* Virg. *Æn.* 10.

— *Ast Ilva trecentos*
Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.

Silius *libro* 8.

Non totidem Ilva viros, sed lectos cingere ferrum
Armarat patrio, quo nutrit bella, metallo.

Rutilius,

Occurrit Chalybum memorabilis Ilva metallis.

Ilcussum, vulgò *Ilkusch* & *Ilcussia*, opp. Poloniæ min. in Palatinatu Cracoviensi 5. mill. Pol. à Cracovia in Occas. Slaucoviam versus. In tractu, Severiensi Duc. dicto, celebre fodinis argentum plumbo mixtum suppeditantibus.

Comites & Præsules.

Ildefonsus I. Comes Provinciæ, post Raimundum Berengarium, consanguineum suum. Vide *Alphonsus II. Rex Arrag.*

Ildefonsus II. secundo-genitus prioris, Garsendæ Forcalqueriæ maritus, varia gessit bella: Captus, quum Petrus Arragoniæ R. frater ejus Romæ ageret. Pius, liberalis, strenuus: Obiit, in ætatis flore, an. C. 1209. pater Raimundi Berengarii V. & Garsendæ. Nostradamus, & Bouch. *Hist. Prov.* Surita *l.* 1. Ruffius *Hist. Com. Prov.*

Ildefonsus, *Islefonsus*, seu *Alphonsus*, Arch. Toletanus, Isidori Hispalensis discip. Opera ejus in Bibl. PP. habentur, è quibus Johannes Posa, solum, de puritate Virginis, geminum ejus fœtum esse, ait. Obiit an. 667. Trithem. *de Scr. Eccl.* Voss. *de Hist. Lat.* Mariana Bibl. PP. tom. 9. *edit.* 2.

Ildericus, Vandalorum Rex, An. Dom. 525.

Ildico, Attilæ uxor, an. U.C. 1036. Blond.

Ildovadus, Gothorum Rex, omnes Transpadanos, omnesque Venetæ regionis urbes in potestatem suam recepit, an. U. C. 1295. Blond. *lib.* 5.

Ildum, seu *Ildus*, oppidum Ilercaonum, nunc pag. *Salsadella*, in parte Bor. regni Valentini, vix 8. mill. ab ora maris Medit. 32. à Segobriga in Eur.

Ilercaones, Ptol. *Ilercaonenses* Livio, *Illurgavonenses* Cæsari, pop. fuere, ubi nunc pars Cataloniæ trans Iberum, & pars Sept. regni Valentiæ. Sedetanos & Edetanos habebant ad Occas.

Ilerda, opp. citer. Hispan. in conventu Tarraconensi, non procul à Sicori fluvio, *Lerida* hodie. Lucan. *lib.* 4.

— *Super hunc fundata vetustâ*
Surgit Ilerda manu, placidis prælabitur undis.

Nunc urbs permunita Cataloniæ, ad Secorim fluv. pluries capta & tentata. 17. Leuc. Hisp. à Tarracone versus Bor. uti & 15. à Dertusa, 25. à Barcinone. Baudr. Episc. sub Archiep. Tarrac. Hispanis *Lerida.* Aliis *Lerida.* Præliis in vicinia gestis, hodie & olim, inprimis Julii Cæsaris contra Afranium & Petrejum: Academiâ, in quâ Calixtus III. & Vincentius Ferrerius Doctores creati; Concilio tandem an. 524. sub Theodorico Ostrogoth. in Italia R. & tutore Amalarici Visigoth. R. in Hisp. V. Tom. IV. Concil. nobilis. Morer.

Ilergetes, Hisp. pop. in tractu Tarraconensi, non procul ab Ibero amne, Plin. 3. 3. circa Ilerdam. Quorum oppida Ilerda & Osca; urbes Burdina, Bergidum, Bergusia & Celsa. Nonnulli Urgellam urbem, Ilergetum caput faciunt, ex allusione nominis. Ferrar.

Ilesium, nomen loci. Steph.

Ilia, quæ & *Rhea*, Numitoris Albanorum regis filia, quam Amulius, pulso jam Numitore fratre, & interfecto ejus filio Lauso, Virginem Vestalem fecit, ut sub specie honoris spem partûs ei adimeret. Verùm cùm illa aquam è Tyberi ad obeunda sacra peteret, in ripâ fluminis obdormivit, & in somnis sibi visa est à Marte comprimi, & sic gemellos concepit: quos cùm peperisset, exponi jussit, matremque Iliam vivam apud Tyberim fluv. infodi, unde Poëtæ eam Tyberi nupsisse fingunt, qui ob id quoque *Uxorius amnis* ab Horat. *lib.* 1. *Od.* 2. dicitur.

Iliantum, vulgò *Ilantz*, oppidum in Rhætia in fœdere sup. seu Cano, habitatum à Grisonibus. Sub quo *Glenner* fluv. ex valle Lugnitiâ descendens, ab hoc Rheni fonte à dextris suscipitur. Hic colloquium de Religione celebratum est anno Chr. 1526. præsentibus omnium trium fœderum Ecclesiastis. Occasio fuit calumnia Vicarii Curiensis, quâ ipse Johannis Dorffmanni Pastoris

S.Mar-

S. Martini in urbe Curia, reliquorumque in tribus Fœderibus Evangelii Ministrorum doctrinam impetere non fuit veritus. Interfuit inter alios colloquio Sebastianus Hofmeisterus S. T. D. & Reformator Ecclesiæ Scaphusianæ. Vid. Leonh. Meyerum *de Ref. hujus Ecclesiæ.*

Ilias, Homeri opus clarissimum, ab eo dicta, quòd bellum contine t apud *Ilium* inter Græcos ac Trojanos ob raptum Helenæ gestum. Quoniam verò hoc in opere nullum mali genus non recensetur, factum est, ut *Ilias malorum* pro omni genere calamitatis accipiatur. Hanc *Iliadem* in nuce inclusam tradidit Cic. Plin. 7. 21. Item mulier Trojana. Unde *Iliades*. Virg.

—— Ad templum non æquæ Palladis ibant
Iliades. —— ——

Ponitur & pro Æneide Virgilianâ, de qua Prop.

Cedite Romani scriptores, cedite Graii,
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Iliberis, vide *Illiberis*.

Ilienses, pop. Sardiniæ antiquissimi, circa medium illius incolentes, Pompon. quorum tractus *Ilena*, teste Pineto.

Ilingæ, Germ. pop. Ptol. qui *Elysii* Tacito esse videntur. Horum urbs *Leignitz*, teste Ortelio in Silesiâ, inter Gorlitium ad Occ. 9. & Vratislaviam ad Ort. 6. leuc.

Ilione, Priami filia natu maxima, Polymnestoris Thraciæ regis uxor. Virg. *Æn.* 1.

Præterea sceptrum Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami.

Ilioneus, nomen Trojani, Phorbantis filius, qui deleto Ilio Æneam in Italiam secutus, & quoniam eloquentiâ plurimum pollebat, legationibus aliquot ab eo præfectus est. Servius *in Æneid.* 1.

Ilioneus, Artabani, Principis purpuratorum fil. à Parmenione, prope Damascum, captus. Curt. 3. 60.

Ilipa, Morali *Calamea en la Serena*, opp. Extremaduræ Lusit. à Metallino & Zephyra 12. leuc. ab Emerita 18. in Austr. Item, opp. Hisp. Bæt. *Elepla*, in lib. Conc. nunc *Niebla*. opp.

Ilissus, amnis in Atticâ regione, per fines Atheniensium fluit, ipsasque Athenas ex adverso Cephisi alluens, mari ad Piræum excipitur: Musis dicatus, quas ab eo *Ilissidas* vocant. Papin. *l.* 4. *Theb.* videtur hunc fluvium Furiis consecrare, cùm ait:

—— Anfractâ riparum incurvus Ilissos,
Sævus honos fluvio. Stygias lustrare severis
Eumenides perhibentur aquis.

Idem *lib.* 12.

Celavit Geticos ripis Ilissos amores.

Item urbs Atticæ, Steph. & fluv. Imbri ins.

Ilithyia, Dea parturientium, quæ & Juno Lucina. Horat. *in Carm. Secular.*

Lenis Ilithyia tuere matres.

Ovid. *Met.* 4.

Præpositam timidis parientibus Ilithyiam.

Itaque & Græci pro partu ipso dixere *Ilithyiam*, ut Oppian. *Halieut.* 4. ubi non modò mulieribus, sed etiam piscium sexui fœmineo partus ait esse difficiles:

—— Οὐδ' ἄρα μοῦνον ἐπιχθονίοισι γυναιξὶν
Ἄλγεα, πάντη δ' εἰσὶν ἐπαχθέες Εἰλείθυιαι.

Etymon ex Oriente petendum est. Est autem ab ילד *jeled*, hoc est, *partus*, *proles*, *puer*, vel *puella*, hoc ab *jalad*, quod tum de viris dicitur, qui gignunt, tum de mulieribus, quæ pariunt. Item civitas in Ægypto. Steph.

Iliturgis seu *Illiturgis*, Bæticæ Urbs, Plin. cui *Forum Julium* cognominatur, ad Bætim fluv. à Scipione, unà cum Castulone, quòd ad Pœnos defecissent, eversa. *Andujar el Viejo* Ambr. Morali. 3. m. p. ab *Andujar*. Corruptè *Ilurgis* Ptolomæo. Baudrandus.

Ilium, civitas propriè Trojana, nam *Troja* regio est, à Græcis eversa, postea reparata. Sedes fuit Episc. sub Arch. Cyziceno, modò jacens, & adhuc *Troja* dicta, 13. m. p. à Dardano urbe. De ejus ruderibus, Vid. P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. *Ilios* fœm. gen. poetis dicitur. Ovid.

Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios? —— ——

Horatius,

—— Non semel Ilios
Vexata. —— ——

Hinc *Ilius*, ut *Ilia tellus*. Item *Iliacus*. Horat. 1. *Epist.* 2.

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Hinc Apollo *Ilieus*. Steph.

Illa, fluv. Galliæ *Lille*, in Aquit. Oritur in prov. Lemovic. dein per Petrocorios, ubi Vesunam primar. reg. rigat & Mussidanum opp. postea ad Cutracum Dormiam fluv. recipit: Tandem infra Liburniam in Duranium flu. se exonerat.

Illarco, Plin. opp. Castellæ novæ, medium ferè inter Toletum & Valentiam; vulgò *Alarco*.

Illiberis, urbs Gall. Narb. per quam, ut & Ruscinonem, Hannibal, ex Hispania per Gallias in Italiam tendens, iter fecit, Liv. *lib.* 21. A' fluvio cognomine dicta, qui Mellæ quoque *Ticis*, vulgò *Tec* hodiè, parvus est, verùm ubi accrevit, persævus. *Caucoliberis*, posterioribus scriptoribus, Hispanis *Colibre*, Gallis *Colioure* Vid. *Caucoliberis*: & Mendosam ad Concilium *Illiberitanum*, ubi duplicem in Hispania fuisse docet.

Illiberis, seu *Elliberis*, urbs Arch. Hisp. Bæticæ, hodiè *Elvire* locus seu pagus dicitur, à Granato, quæ illi successit, & nova Illiberis dici potest. 2. leuc. distans. Cognomen *Florentiæ* habuit, in lapp. antiquis. Pop. *Illiberini*. Plin.

Illice, Melæ; *Ilicias* Ptol. op. Hisp. Tarrac. Episc. sub Arch. Toletano, ad Sarabim fluv. in regn. Valentiæ. *Elche* hodiè, aliis *Alicante* Quibusdam quoque *Leche*, opp. fuit Contestanorum, nunc regni Valentini, versus oram maris Mediter. à qua 4. leuc. abest. Baudr. Unde *Sinus Illicitanus*. Mela 2. 6. Vide Vossium *ad Melam pag.* 191.

Illicias vel *Ilicias*, aliis *Lucena* est, opp. Hisp. Tarr. in ora regni Valentiæ. Aliis idem quod *Illice*. *Lucena* enim opp. est inter Segobiam urbem & opp. S. Matthæi, longè à situ *Illiciæ* distans, Ferr.

Illipula (opp. Hisp. Bæt. geminum) major, & minor. Major Ἰλλίπουλα μεγάλη Ptol. *Ilipa* Plinio, *Penaflor* hodiè, teste Mor. opp. fuit Turditanorum, nunc Vandalitiæ, in colle, paulo infra confluentes Singulis in Bætim. Minor in Turditanis est apud Lusitan. confin. *Ilipa* itidem Livio

Illiturgis, vel *Iliturgis*, *Ilurgia* Polybio, urbs Hisp. Bæticæ excisa ad Bætim fluv. à Scipione, unà cum Castulone, quòd ad Pœnos defecissent, eversa. *Lictor* Marianæ. Alii *Jaen*, & alii *Aldea el Rio* esse putant. V. *Iliturgis*.

Illuminati, vulgò *Alumbrados*, in Hisp. secta, exorta Anno Chr. 1575. mox authoribus Cordubæ, Inquisitorum vigili industriâ, capite mulctatis, suppressa, iterum lac rtos movit, an. 1623. in diœcesi Hispalensi, tanto quidem vigore, ut persecutione abstinendum fuerit, & spe veniæ illos revocari consultius fuerit visum. Quod cùm non prodesset, vis inprimis in Lusitania admota: Unde multarum familiarum fuga Hos, inter alia, vi orationis mentalis & unionis cum Deo, hominem eò perfectionis subvehi, docuisse, ut neque Sacramentis, neque bonis operibus illi opus, &c. referunt quidam: Alii eadem cum Evangelicis credidisse statuunt. Et certè jam an. 1555. Hispali Ecclesia occulta erat 300. hominum, at persecutione mox oborta, Johannes Pontius Comes, Joh. Consalvus, Joh Ægidius, concionatores Hispalenses combusti: passus Garsias Arias, qui primus veram religionem in Isidori sodalitium intulerat, plurimique alii; nec passum Constantino Pontio, qui, paulò ante Caroli V. confessionarius, ustulatus similiter est. Flammâ etiam Pinciam delatâ, ubi spectante Philippo II. R. ex præcipua nobilitate 28. igne consumti Thuan. *hist. l.* 23. Lib. *Inquisit. Hisp.*

Illurcis, Iberiæ urbs, Hisp. Tarr. scilicet, postea à Sempronio Graccho, *Graccuris* dicta. Steph.

Illuro, *Alaro*, teste Mor. op. olim Laletanorum, nunc pagus Hisp. Tarr. in Catalauniâ, qui *Diluren* Ptol. dici videtur. Multis est *Arenys*: in ora maris Medit. inter Blandam, ad Ort. & Barcinonem, in Occasum. Aliis est *Mataro*, in illo tractu. Baudr. Vid. quoque *Iluro*.

Illybirris, Vid. *Illyberis*.

Illybirris, Gall. Narbon. fluv. Eundem esse cum *Thici* Melæ, & hodiè *Tec* dici docet Varrerius. *Illeris* Ptol. *Illebernis* Athenæo dicitur.

Illyricum, Ἰλλυρὶς Ptol. & Lucano, *Illyria* Steph. regio est in orâ maris Adriatici, Italiæ opposita, cujus termini non ab omnibus iisdem limitibus circumscribuntur. Plin. enim hanc inter Arsium & Titium fluvios constringit. Ptol. verò eam ab Histriâ ad Macedoniæ usque confinia secundùm maris litora producit: mediterranea ejus ad Pannones & Mœsiam sup. extendit. Multo ampliorem eam describit Mela; & Dionysius totam maris Hadriatici oram à Tergesto usque ad Ceraunios montes Illyriis adscribit. Danubium etiam intra ejus amnes numerat Pomponius. Strabo *lib.* 7. eam Macedoniæ ac Thraciæ propinquam facit. Sed omnium latissimè Illyrici fines extendit Appianus Alexandrinus; quem videsis initio *lib. de bell. Illyr.* Populos ab *Illyrio* Cadmi filio dictos perhibet Eustathius. In duas regiones ferè dividi solet, Liburniam ad Occ. & Dalmatiam ad Ortum. Vulgò *Schiavonia* in universum hodiè appellatur. In Illyricam urbem relegatus est Eustathius Antioch. Præsul, A. C. 326. Pix Illyrica commendatur Ovid. 2. *De Arte Am.*

Nigrior Illyricâ cui pice sanguis erat.

Baudrando *Illyricum* antiquum regio aprica atque amœna est, solo fertili ac vitifero, nisi quòd, ubi Pannoniis proximum, asperius paulo duriusque est: proprios habuit Reges: Terminabatur Titio flumine & montibus Scardo & Cerauniis. Regione autem à Romanis, qui Liburniam edomuerunt an. U. C. 525. annis 10. ante secundum bellum Punicum, Dalmatiam demum sub Augusto, occupatâ: ejus pars, quæ intra Drilonem fluvium & montes Ceraunios continebatur, tractu temporis in Macedonicum nomen transiit, & Epirus nova dicta fuit. Sed Illyricum regnum restrictum fuerat inter flumina Naronem & Drilonem: postea tamen extendebatur usque ad Carnos; ita ut compreher

Illyricum proprium, Dalmatiam, Liburniam, tres Japidias, Carnos, & Istriam. *Illyricum* autem *proprium* erat ea regio, quæ intra amnes Naronem & Drilonem sita, victo Gentio ejusdem Rege, à Romanis in provinciam redacta fuerat. Sub Augusto Japidia prima cum Istria & Carnis Italiæ additæ fuerunt. Sed postea Imperio Romano diviso in Orientale & Occidentale, Illyricum etiam simili modo divisum fuit. *Illyricum Occidentale* habebat has provincias, Noricum Mediterraneum, Noricum Ripense, Pannoniam superiorem, Pannoniam inferiorem, Saviam, Valeriam, Dalmatias, quæ cùm Præfecto Italiæ parerent, exinde Dalmatiæ uti Italiæ proximæ, inter Italicas provincias aliquando censitæ fuerunt. *Illyricum Orientale* habebat diœceses Macedoniam & Daciam. Sub Macedonia erant Achaia, Macedonia, Thessalia, Creta, Epirus vetus, & Epirus nova. Sub Dacia erant Dacia Mediterranea, Dacia Ripensis, Mœsia prima, Mœsia secunda, Dardania, & Prævalitana, quæ Præfecto Prætorii Illyrici parebant. Quamobrem auctores, quando Illyricum nominant, ut plurimum de Illyrico Orientali intelligendi sunt. Post Romanos Gothi regionem vastarunt, quibus Sclavonii, à Mæotide palude successere: in hos postmodum Hungari imperium tenuerunt, donec Turcæ, his oppressis interiora sibi vindicarunt: Venetis in hunc usque diem maritimam oram obtinentibus, exceptis duabus civitatibus, Scardonâ, quæ Turcici juris, & Ragusio; quod sui est. Illyricum hodiernum apud auctores Latinos continet Dalmatiam, Croatiam, Bosnam, & Sclavoniam. Ab Italis verò uno nomine *Schiavonia* dictum fuit, & *Esclavonie* à Gallis. De quibus fusiùs Joannes Lucius Traguriņus vir doctissimus *in suo opere de regno Dalmatiæ.* Pop. *Illyrii*, gens fera, atrox; & latrociniis olim piraticâque infamis.

Urbes Illyrici:

Absorus seu Apsorus, *Osero*, sub Venetis.
Æquum, *Clucci*, sub Turcis.
Almissa, olim Piguntiæ, *Amissa*, sub Turcis.
Andecrium, *Mostar*, sub Turcis.
Andecrium, seu, & meliùs, Andetrium, aliis est *Clissa*, Slavè *Klissa*, sub Venetis.
* Antibarum, *Antivari*, sub Turcis.
Arauzona, *Ostroviza*, sub Turcis.
Arba, *Arbe*, Slavis *Rab*, sub Venetis.
* Ascrivium, *Cataro*, sub Venetis.
Bianona, *Vrana*, sub Venetis.
Bulua, postea Butua, *Budoa*, sub Venetis.
* Castrum novum, *Castel novo*, sub Turcis.
* Cneanis, *Knin* forsan, sub Turcis.
Corcyra melana, *Curzola*, sub Venetis.
Curcum, *Cruch*, sub Turcis.
Delminium, *Denna*, sub Turcis.
Doclea. Vide *Antibarum.*
Drivastum, *Drivasto*, sub Turcis.
Enderum, *Ender*, sub Turcis.
Enona, *Nona*, sub Venetis.
Epetium, postea Spalatum.
Epetium, aliis *Zarnouviza*, fuit prope Spalatum sub Venetis.
* Epidaurus, postea Ragusium.
Flavona, *Fianona*, sub Venetis.
* Jadera, *Zara*, sub Venetis.
Lissus, *Alessio*, sub Turcis.
Marcana, *Marcana*, sub Ragusæis.
Modrussia, olim Tediastum, *Modrusch*, sub Austriacis.
Narona, *Narenza*, sub Turcis.
Nedinum, *Nadin*, sub Turcis.
Olchinium. Vide *Vlcinium.*
Olliricum ob mare, ad mare forsan, vel oppidum maritimum, quid sit non constat.
Onæum. Vide *Stagnum.* Aliis est *Sabioncello*, sub Ragusæis.
Ouporum, *Obrovazo*, sub Turcis.
Peguntium & Piguntiæ, *Almissa*, sub Turcis.
Pharia, *Lesina*, sub Venetis.
Polatum, *Polati*, seu *Pulati*, sub Turcis.
* Ragusium, *Ragusi*, sui juris Respublica.
Rhisinium, *Rudine*, sub Turcis.
Rizana, *Risano*, sub Turcis.
Salo, & Salona, sic vulgò, olim Episcopalis Liburniæ, apud Spalatum. Nunc destructa jacet, sub Turcis.
Saloniana, *Czernicz*, sub Austriacis.
Saloniana aliis est *Mostar*, sub Turcis.
Sanadria, ubi sit non constat.
Scardona, *Scardo* vel *Scardona*, sub Turcis.
* Scodra, *Scutari*, sub Turcis.
Senia, *Segna*, *Zeng*, sub Austriacis.
Sibenicum, olim Sicum, *Sebenico*, sub Venetis.
Sidrona, *Belas*, sub Turcis.
Sirbia, provincia est.
* Spalatum, olim Epetium, *Spalatro*, sub Venetis.
Stagnum, olim Onæum, *Stagno*, sub Ragusæis.
Suacium, *Suatim*, sub Turcis.
Tarsatica, postea Fumium, *Tersacz*, vel *Fiume*, sub Austriacis.
Thermidava, *Dagno*, sub Turcis.
Tinia, *Tina*, sub Turcis.
Tragurium, *Trau*, sub Venetis.
Tribunia, *Tribigna*, sub Ragusæis.
Vegium, *Veggia* & *Vegla*, sub Venetis.
Velcera, *Bacharin*, seu *Bucariza*, sub Austriacis.
Vlcinium, *Dolcigno*, sub Turcis.
Zacolmia, provincia est, non urbs.

De aliis urbibus non constat ubi sint, nec quæ sint. De istis autem notabis quòd multæ sint parvi momenti, & vix alicujus nominis in præsenti. Polatum non est urbs, sed nomen regiunculæ. Curcum, Risinium, Nedinum, Æquum, Marcana, & Tribunia sunt tantùm castra. Sunt in Illyrico Archiepiscopatus 4. Jaderensis, Spalatensis, Ragusinus, & Antibarensis: sub quibus Episcopi 22. numerantur. Illyricum Epiro conterminum non sine manifesto errore scribitur in Thesauro Linguæ Latinæ.

Illyricus sinus dictus fuit antiquitus mare Universum, quod est inter Italiam & Illyricum usque ad intima sinus ejusdem, dictus deinde *Liburnicus sinus*, postea ab Atriensibus Tuscis intima sinus colentibus *Adriaticum mare*, quod non extendebatur ultra Epidamnum ex parte Illyrici & montem Ariona sive Garganum ex parte Italiæ; reliquum verò usque ad fauces sinus Ionium mare dicebatur: ipsumque Adriaticum mare dictum fuit *Dalmaticum mare* post declinationem Imperii. Tandem sinus integer dictus fuit sinus Venetus, *Golfe de Venise*. De his fusiùs Joannes Lucius.

Illyricus sinus, sinus maris Adriatici, in Illyrico, qui vulgò *Golfo dello Drino* dicitur, *Golfe du Drin* Gallis, à Drilone fluvio ibi se exonerante. Illic notandum quosdam ignaros scribere *Golfo de Lodrino*, & fingere Lodrinum urbem; sed toto cœlo errant, cùm nulla sit urbs Lodrinum dicta in illis partibus; & in eo loco ubi finxere Lodrinum, sita est urbs Lissus, *Alessio*, ut videre est apud omnes, qui de illis partibus scripsere.

Ilmenus lacus, *lac d'Ilmen*, lacus Moscoviæ, in Principatu Novogardiæ magnæ. Urbem cognominem rigat, & per fluvium Voldgam in Ladogam lacum se exonerat.

Ilorci, Plin. *Lorca*, teste Morali, urbs Hispaniæ Tarraconensis, ad Taderum fluvium, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Toletano, in regno Murciensi, à Murcia regni primaria 14. leucis Basti versùs distans. Aliis est *Lorqui*, oppidum ejusdem regni, ad Staberum fluvium. Luri à Livio nominatur, ubi Cneus Scipio cum Romanis à Pœnis cæsus est, & sepultus: qua de re vide Livium & Plinium. Ego posteriori sententiæ subscribo; nam *Lorqui*, non *Lorca*, ad Taderum sive Staberum fluvium, ubi victi Romani fuerunt, est, inter Murciam 3. & Cæcam oppidum 4. leucis dissitum, Ferr. Baudr. *Ilorci* seu *Elsocroca* quibusdam, oppidum fuit Bastitanorum, nunc regni *Murciæ*, *in parte meridionali Hispaniæ*, ad amnem *Guadalentin*. 12. leucis à Murcia in Occasum, vixque 3. à confinio regni Granatensis distat.

Ilua, Plin. Mel. Ptol. *Æthalia* Straboni, *Elba*, insula maris Tyrrheni, contra Populonium urbem Hetruriæ, à qua 10. mill. pass. abest, circuitu 125. ferro abundans. Populi *Iluates* Livio. De qua Virgilius *lib.* 10. *Æneidos:*

——— ——— *ast Ilva trecentos*
Insula, inexhaustis chalybum generosa metallis.

Ferr. Baudrando *Ilua* insula paret Principi Plumbini, sub clientela tamen Hispanorum, qui ibi habent Portum longum, *Porto longone*, arcem probè munitam in colle: & magnus Dux Hetruriæ ibi tantùm gaudet portu Argoo, *Porto Ferraro*, oppido permunito. A Gallis dicitur *l'isle d'Elbe*. Ejus circuitus est 40. milliarium Italicorum circiter, ut ipse pluries vidit; suntque tantùm in ea quinque parrochiæ, ultra Argoum portum & Portum longum arces.

Ilumberitani, Plin. pop. Hispaniæ Tarraconensis & citerioris, qui *Lumbritani* adhuc, teste Marinæo Siculo, nominantur, & oppidum *Lombier*, in Navarra, inter Pompelonem 6. & Suestasium 4. leuc. occurrens.

Ilurgavonenses, fortè *Ilercaones.*

Ilurgis, Ptol. *Ilurgia* Polybio, & Appiano, Morali *Illora*, opp. Hisp. Bæt. in regni Granat. & Vandalitiæ confin. à Malaca urbe 7. leuc. Hispalim versus, Carthamæ propinquum.

Iluro, aliàs *Elarona*, item *Elloronensium civitas*, nunc *Oleron*, urbs Aquitaniæ, Episc. ad Gabarum Oloronensem fluv. à Normannis vastata, sec. 9. reparata à Vicecomitibus hujus tractus: in priscis Notit. inter prov. Novempopulanæ civitates 12. undecimo loco ponitur: Sita est in colle, inter duos amniculos confluentes Ossavum *Osséau* & *Aspe*, sed cujus gentis caput fuerit, ignoratur. 20. leuc. ab Ausciis in Occ. uti 10. à Tarba, 4. à Palo. 5. à confinio Hisp. Ex Episcopis ejus Concilio Agathensi Anno 500. Gratus & Parisiensi 4. an. 537. Licerius interfuere. Episcopatum autem hunc in Vasconia seu Novempopulania septimum ponunt inter Metropoli Auscitanæ suffragantes. Nomen urbs dedit Gavo, cui adsidet & per quem à suburbio dividitur, seu Gabero Iluronensi *la Gave d'Oleron*; ut Benearnum Gavo Be-

nearnensi *le Gave Bearnois*, qui Iluronensem in Aturum cum aliis defert. Est & in Hisp. Tarrac. *Illuro*, aliàs Blanda. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* de Marca *Hist. Benearn.* Arnold. Oihenartum *Not. utr. Vasconiæ*, &c.

Ilus, Rex Trojæ 4. fil. Trois regis Trojanorum, ex Callirhoe, pater Laomedontis, quem maturâ ætate moriens, regni hæredem reliquit. Frater Ganymedis & Assaraci. Regnavit ab A. M. 2740. usque ad 2794. Tantalum pepulisse regno dicitur. Ab hoc celeberrimum illud Mysiæ min. sive Troadis caput *Ilii* nomen accepit: sive quòd ab *Ilo* primùm fuerit conditum, cùm Dardanus antea in montibus Dardaniam condidisset, ut placet Hom. *Il.* 23. sive quòd à Dardano exstructum instauravit Ilus, & auctius reddidit. Author est Strabo *libr.* 13. primum omnium Ilum ausum fuisse in campis habitare, proindeque in mediis campis fuisse sepultum: cujus sepulcri meminit Hom. *Il.* 3. Idem cùm in Ilio Minervæ templum arderet, cursu concitus, demissum cœlo Palladium eripuit, statimque oculis captus est (haud enim ulli mortalium oculis illud cerni licebat) postmodum placatâ Deâ pristinum visum recuperavit. Apollod. *lib.* 3. Diodor. *lib.* 4. Hom. Virg. Fuit & alter *Ilus* Æneæ fil. Ascanii nomine appellatus. Virg. *Æn.* 1.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo
Additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.

Ilus, homo potens, suasit Zenoni Imp. ut Armatum occideret, A. C. 478. Evagr. *l.* 3. *c.* 24. 25. 26.

Ilza, urbec. Poloniæ min. in Palatin. Sandomir. cum arce Episc. Cracoviensis, apud radices montis Calvi; vulgò *Ilz*, & *Isilz*.

I M.

Imachara, op. Siciliæ Ἰμαχάρα πόλις Ptolemæo: Opidani *Imacharenses* Tullio; & Plinio *Imacarenses*; vulgò *Citadella di Machari*. Baudrando *Imacharenses* pop. fuere Siciliæ, quorum opp. Imachara, nunc *Traina*, in valle Demonæ, prope Simethum fluv. ex Cluverio: non longè ab Hycara in Ort.

Imanuentius, Rex Trinobantum, interfectus à Cassivelauno. Cæs. *l.* 5. *c.* 20.

Imaus, mons Scythiæ maximus, Tauri pars, qui crucis formâ progrediens tam versus Or. & Occ. quàm versus Austr. & Boream, Scythiam apud Ptol. dividit in citer. vulgò *intra Imaum*, quæ Occ. spectat, & ulter. vulgò *extra Imaum*, quæ ad Or. est. *Imaus* tamen Ptolemæi ab *Imao* Strab. & Plinii diversus esse videtur, nam ex Ptol. is à Tauro monte decisus in Bor. ad mare glaciale usque porrigitur, apud Plin. verò & Strab. in Ort. usque ad mare Eoum extenditur. Hic varia hodie apud incolas nomina habet: *Altai*, teste Cast. *Imsa* Mercatori. Ille, hoc est, apud Ptol. *Dalanguer* & *Naugrot*, eodem Cast. teste. Baudrando mons Asiæ max. per Scythiam longè lateque extensus, ut etiam versus Indiam Sept. quam à Scythia separat. In Tartaria des. *Moreghar*, in vera *Belgian* & *Althai*, ubi sepulchra Regum Tartariæ, in India vera seu in Imperio M. Mogolis *Dalanguer*, & *Naugracut* quibusd. versus fontes Gangis, in parte Bor. Indiæ veræ, dicitur. Hujus etiam Pontanus *lib.* 5. *Uran.* meminit:

Caucasia, & superis jam jam calcandus Imaus.

Imbarus, portio mont. Tauri in Arm. maj. apud Strab. sed apud Plin. in Cilicia.

Imbrasus, qui & *Parthenius*, Sami flu. Plin. 5. 2. ex quo illa *Imbrasia* dicta est. Pater Imbrasidarum. Virg. *l.* 12.

Imbrasidas Glaucum atq; Ladem, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lyciâ. ——

Hinc Samus *Parthenias*.

Imbrivium, locus Samnii. Liv. *lib.* 8.

Imbros, ins. maris Ægæi, inter Lemnum ad Occ. ac Chersonesum Thraciæ ad Ort. inde 22. hinc 72. m. p. cum opp. cognomine prope Samothracem Cabiris & Mercurio sacram, Steph. Hæc insula leporibus mirè scatet. Geographus Anonymus sub Constantio, *Imbros leporinam vestem multam ejicit*, id est, emittit. Addit horum animalium ibi esse multitudinem. Lepus Ebræis est ארנבת *arnebeth*; Arabibus *arneb*, vel *arnib*, unde literis trajectis factum *Inbros*, & *Imbros*; atque ita eadem fuerit cum *Lagusa* Græcis, cujus nominis aliquot insulas habuit Ægæum mare circa Troadem. Plin. 5. 31. *Lembro* hodiè Sophiano. Hinc *Imbrius*. Ovid. *Trist.* 1. 9.

Venimus in portus, Imbria terra, tuos.

Populi *Imbrii*, & *Lemnii*, apud Dionysium Halicarnassæum, & Hesychium proverbio sunt in eos, qui judicium vel aliam rem subterfugientes, absentiam causantur: uti qui se in Imbrum vel in Lemnum navigasse dicebant, Ferrar.

Imilco, vide *Amilco*.

Immanicellum & *Immacellum* & *Manicelum*, pag. agri Genuensis, *Immaticen* Augustin. Justin. à Genua 6. m. p. apud ædem S. Ursicini.

Principes & Viri illustres.

Immanuel, Princeps Anhaltinus, fil. tertiò-genitus Augusti, qui, rami Plæzkensis auctor, obiit A. C. 1653. Suecorum in Dania miles, res egregias gessit.

Immanuel Tremellius, Italus, Ferrariensis, patre Judæo natus, postea Dominicanum institutum apud Pontificios sectatus est: tandem ad Reformatos se applicuit, linguæ Hebrææ Professor Heidelbergæ. Edidit in Biblia Annotationes, Scholiaque brevia, unà cum Francisco Junio. Idem N. T. libros ex sermone Syro, sicut Theod. Beza è Græco Latinè vertit. De hoc Laurentius Jesuita Liberal. *Tremellius, Francisci Junii Protestantis eximii, in translatione Bibliorum, socius & coadjutor, ex Judæo naturalis factus est Judæus Protestans, non sine Protestantium opera.*

Immanuel, Vid. etiam *Emanuel*.

Immanuentius, Britannus, qui in civ. Trinobantum regnum obtinuit. Cæs. V. 20. V. *Imanuentius*.

Immireni, gens Persis subjecta, fidem admisit Christianam, An. Chr. 500.

Immortales, Vid. *Rosacrucii*.

Imola, vulgò quoque *Imola*, urbs in Æmiliâ, quæ olim *Forum Cornelii* dicebatur. Sub Pontif. in Romandiola, ad Vatrenum fluv. Ep. sub Ar. Ravennate. Hanc conditam à Romanis, Narses destruxit: repararunt Lombardi. Post varias vicissitudines, à Cæsare Borgia Alex. VI. fil. notho tandem capta est. Strab. *lib.* 5. Plin. *l.* 3. Proc. *de B. G. l.* 2 Blondus, *lib.* 8. *Hist.* Leand. Alb. *descr. Ital.* Vid. *Forum Cornelii*.

Imperator, appellatio apud Rom. olim militaris fuit, quâ Dux præsens re bene gestâ, primùm militum acclamatione in castris, deinde sententiâ Senatus in urbe exornatus est. Factum id autem antiquitus, non nisi magnis rebus gestis: at suâ ætate, decem millibus occisis, acclamatum esse scribit Appianus, qui sub Hadriano vixit *Bell. Civ. libr.* 2. Addit Dio, non nisi semel de uno bello aliquem appellari *Imperatorem* licuisse, *l.* 60. Nihil autem referebat, an ipsi Duces, an Legati illorum Quæstoresque rem præclarè gessissent, Cic. *in Pisonem*. Aliàs *Imperatores* in genere dicti sunt omnes illi, qui suis auspiciis rem gererent, & qui imperium, i. jus belli gerendi haberent. Postea, mutato sub Julio Cæsare Reip. statu, vox eum significare cœpit, qui potentiam & auctoritatem in Rep. summam esset adeptus: quo factum, ut quotquot Cæsari successere, *Imperatores* dicerentur. Quanquam & prior tituli usus non penitus abolitus, sed tum in aliis, tum in ipsis Principibus fuit retentus & observatus: cùm rebus in bello egregiè patratis, pro numero victoriarum *Imperatores* II. III. IIII. V. nuncuparentur. Quemadmodum de Octavio legimus, quòd XX. id est, vicesimùm Imperator, ob toties reportatam victoriam, fuerit dictus. Fuit etiam Jovis epitheton, quòd omnibus imperet, sic dicti. Talis à Prænestinis cultus est, cujus simulacrum T. Quintius, Præneste in deditionem accepto, Romam devectum in Capitolium tulit, dedicavitque inter cellam Jovis & Minervæ, tabulâ rerum gestarum teste sub eo fixâ. Imo & alibi Jovem hoc nomine cultum, refert Cicero *Verrinâ* 6. V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom.*

Imperialis, urbs Episc. regni *Chiles*, ad fluv. cognom. 4. leuc. Hisp. ab ora maris Pacifici. Sub Hisp. à quibus haud pridem exstructa est. Vulgò *Imperiale*.

Imphes, pop. vicini Perrhæbis.

Importunus, Consul, an. U. C. 1263.

Imum Pyrenæi, seu *Imus Pyrenæus*, opp. Gall. nunc *Fanum S. Johannis Pedeportuensis*, in Navarra inf. ad Nivam amnem, cum castro munito, sub Gallis. Vulgò *S. Jean pied de Port.* Vix 2. leuc. à confinio Hisp. 9. à Pompelone in Eur. 8. à Bajona in Austr. olim Episc.

Imyra, urbs Phœniciæ. Steph.

I N.

Inachia, Peloponnesus ab *Inacho* fluv. Steph.

Inachium, Peloponnesi op. inter Scylleum promunt. & Isthmum situm, aliàs *Argos Hippium*. Plin. 4. 5. Quid nunc sit, non constat.

Inachorium, opp. olim, nunc pagus Cretæ, in ora Occ. inter Chersonesum parvam, & Criumetopon prom. *Inachori* vulgò.

Inachus, primus Argivorum rex, qui Inacho fluvio nomen dedit: in Peloponneso, A. M. 2197. Post exitum Israëlitarum ex Ægypto, 346. an. Eus. Cæs. *libr.* 1. *Chron.* Petav. *libr.* 9. *de D. T. cap.* 18. &c. Hujus filiam nomine Io cùm Jupiter corrupisset, & in Cretam advexisset, Juno pellicis impatiens odiis eam exagitavit. Quæ res poetis occasionem fabulandi dedit, eam fuisse Junonis metu à Jove in vaccam mutatam. Vide *Io*. Successit fil. Phoroneus. Horat.

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, &c.

Inachus, vulgò *Planizza*, fluv. Peloponnesi in sinum Argolicum exiens. Ab Inacho, Argivorum R. dictus. Virg. *Æn.* 7.

Cœlataq; amnem fundens pater Inachus urnâ.

Inachus, quoque fluv. Acarnaniæ, qui Acheloo se jungit. De quo Ovid. 5. *Fast.*

Inachus unus abest imoq; reconditus antro.

Inamames, fluvius Orientis, ad quem regnum suum porrexit Semiramis, ut gloriatur ipsa apud Polyænum *l.* 8. Isaacus Casaubonus ait, eundem fluvium esse, quem non uno loco Plinius *Iomanem* vocat. Videatur *lib.* 6. *cap.* 19.

Inarime,

Inarime, vulgò *Iſchia*, inſ. in ſinu Puteolano, non procul à Neapoli, cum urbe cogn. Epiſc. ſub Arch. Neapol. In eâ mons fuit, qui terræ motum paſſus, alteram fudit Inſulam, quæ Prochyte ab effuſione dicta. Sub hanc inſ. Typhoea gigantem à Jove detruſum eſſe, author eſt Virg. *l.*9. *Æn.*

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile
Inarime, Jovis imperiis, impoſita Typhœo.

Vide ſis illic Lud. de la Cerda. Plin. 3. 6. *Ænaria à ſtatione navium Æneæ, Homero Inarime dicta, Græcis Pithecuſa*, non à ſimiarum multitudine, ut aliqui exiſtimavere, ſed à figlinis doliariorum. Quæ omnia (inquit Vir Magnus) ſunt perabſurda. Neque enim Homerus *Inarimen* dixit (licèt id ſequantur Virgilius, Ovidius, Lucanus, Statius, Silius, alii) ſed diſtinctis vocibus Ἐιν Ἀρίμοις. *In Arimis*. Et ab Ænea, non diceretur *Ænaria*, ſed *Ænearia*, aut *Æneia* potius, & à doliis *Pithuſa*. At à ſimiis eſt Pithecuſa. Vide Boch. *Geogr. p.* 655.

Inas, II. Rex Saxonum Occ. in Anglia, fortis & pius. Vicit Saxones Meridion. Templa Monaſteriaque plurima fundavit, regnum ſuum, pro ratione temporis, Papæ vectigale fecit, juſſâ quaque domo aureum nummum S. Petro pendere. Anno 725. Quod duravit uſque ad an. 1534. quo Henricus VIII. tributum hoc ſuſtulit. Obiit Romæ. Chenius *hiſt. Angl.*

Inatamana, lacus Lunæ & fons in Athamania, in Epiri Theſſaliæque confin. ligna accendens & bibentes inſanos reddens. Antig. *de mir.*

Inatus, urbs Cretæ, ubi colitur *Ilythyia Jatina*. Steph.

Incarus, pagus Provinciæ, cum portu utcunque capaci, in ora maris Medit. 3. leuc. fere à Maſſilia in Occ. Maritimam verſus, Vulgò *Cary*.

Incas, nomen Regum Peruvianorum. V. *Peruvia*.

Incibilis, ſeu *Indibilis*, op. Hiſp. Tarr. *Chelva* Floriano. Baudrando etiam *Tiara Julia*, opp. fuit aliàs Ilercaonum, nunc *Trayguera*, in regno Valentiæ, ad amnem *Servol*, verſus confin. Cataloniæ, vix 10. mill. ab ora maris Medit. 20. leuc. à Chelva in Eur. Baudr.

Inciſa, oppidum Lombardiæ Ciſpadanæ, in Marchionatu Montis ferrati, ſitum ubi quondam Ptolemæi Libarnum extitit, uti Merula cenſet.

Incitaria, Anton. portus erat Hetruriæ, inter Portum Herculis 9. & Almianam fluv. 3. m. p. Ferr.

Incra, vulgò *Encre*, vicus cum tit. Marchiæ, Perronam inter & Corbejam poſitus, ad amnem cognominem, in Suminam apud Corbejam Ambianorum effluentem; olim ad Monaſterium B. Richarii, nunc ad Cluniacum pertinet. Vide Hadr. Valeſium *Notit. Gall.*

Inculiſma, vel *Inculiſmenſis ager*, provincia Aquitaniæ, verſus Carentonium fluv. Ducatus titulo inſignis: ad Septentrionem Pictonibus eſt contermina: ad Occidentem Santonibus: ad Meridiem Burdigalenſibus & Petrocoriis: ad Orientem denique Lemovicibus. Longitudo ejus ab Ortu in Occaſum 24. eſt milliar. latitudo à Meridie in Septentrionem 16. Ejus metropolis eſt Inculiſma: Vulgò *Angouleſme*. Merula. Urbs Ep. ſub Ar. Burdegalenſi ad Carentonium flu. cum caſtro munito. 12 leuc. à Mediolano Santonum, in Ort. V. & *Engoliſma*, & *Iculiſna*.

Inda, locus memoratus in diviſione regni Lotharii, inter Ludovicum & Carolum fratres A. C. 870. facta: Monaſterio nobilis, quod S. Cornelii Monaſterium *S. Cornelis Munſter* vulgò dicitur, prope Aquiſgranum. Hoc cum plurimis aliis vaſtatum à Normannis eſt, A. C. 881. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Indacus, Leonis Imp. curſor velociſſimus, vide Leonicer. *l.* 3. *cap.* 29.

Indagarus, Epiſcopus Manichæorum, unà cum horum ſcriptis, combuſtus, juſſu Cabadis Perſarum Regis, quòd filium ſuum Pharſuaſam ſeduxiſſent, irati: Idem Manichæos, quos in unum locum convocaverat, omnes internecione delevit. Anno Chr. 524. Cedren. *in Hiſt.*

Indara, Sicanorum civitas. Steph.

Indella, amnis Galliæ, quaſi parvus Inda, vulgò *Andelle*. Oritur in Veliocaſſium finibus, & Carolivallem *Charleval*, Floriacum *Fleury*, Radepontem *Ratepont*, ac Pontem S. Petri alluit, ac in Sequanam effluit, paulo ſupra Pontem Arquatum. Vid. Hadr. Valeſium *Not. Gall.*

Indi ſeu *Indin*, caſtellum fratrum Teutonicorum, verſus Vulturnum à Ptolemaide quatuor, contra Africum autem à Caſtro regio tribus miliaribus in montanis Saron ſitum. Broc. *itin.* 3. In tribu Aſer.

India, regio Aſiæ ampliſſima, inter Indum flu. ad Occ. à quo nomen habet, & Serum ad Ort. à Sinis ſeparantem, in longum extenſa, Oceano Indico ad Merid. & Emmodis, aliiſque mont. ad Bor. à Scythiâ ſecernentibus, terminata; à Gange fluv. in duas diviſa, citer. & ulter. Citerior *intra Gangem* à Ptol. nominatur. *Indoſtan* incolis, cujus pars auſtralis *Malabar* dicitur. Ulterior *extra Gangem*, non unico hodiè nomine dicta. Indiæ ora 60. diebus ac noctibus, teſte Melâ navigatur, Ferr. Baudrando India, *l'Inde* Gallis, *India* Hiſpanis & Italis regio eſt Aſiæ ampliſſima, quæ etiam perſæpe dicitur Indiæ Orientales, *les Indes Orientales* Gallis, *Ooſt Inde* Belgis, & *las Indias orientales* Hiſpanis, ad differentiam Americæ, quæ à multis, licèt impropriè, dicitur India occidentalis. India hæc orientalis, quæ vera eſt & propria, dicitur ab incolis *Indoſtan*; habetque ad Ortum regnum Sinarum, ad Septentrionem Tartariam, ad Occaſum Perſiam, & ad Meridiem Oceanum Indicum. Hiſtoria ejus, circa antiquiora tempora, ob exiguum Indorum cum Europæis commercium, multis involuta fabulis eſt. Bacchum enim ſeu Liberum, in Indiæ celeberrima urbe Nyſa de Indis primùm triumphaſſe regnaque ejus ſubjugaſſe ferunt. Poſt ea tempora certum eſt, partem Indiæ à Perſis occupatam eſſe, donec his devictis eò quoque Alexander M. victricia arma intulit, Porumque potentiſſimum Indorum Regem ſuperavit: quamvis non deſint, qui Semiramidem jam, Nini conjugem, res ibi egregias geſſiſſe tradant Scriptores. Sequentibus temporibus, ſub propriis Principibus diu tranquillè vixerunt, pacem cum exteris colentes, & Majeſtatem Imperii Rom. comiter venerati, Antoninum Pium Imp. per Legatos ſalutaſſe, circa A. C. 142. leguntur. Donec Luſitani, ſeculo 15. ductu Vaſquii de Gama ibi ſedem figere, magno Hiſpaniæ Regis bono, cœpere: quos ſecutæ poſtea aliæ Europæorum gentes, Belgæ inprimis, non exiguam ejus regionis partem occuparunt, ſub finem ſec. præt. Dividitur nunc in tres partes præcipuas, nempe *in Indiam verſus Septentrionem* ſeu Imperium Magni Mogolis inter Gangem & Indum, in *Peninſulam Indiæ intra Gangem* ſeu ad Occaſum, & in *Indiam extra Gangem* ſeu ad Orientem. In parte ſeptentrionali ſeu Imperio Magni Mogolis ſunt 37. regna aut provinciæ amplæ. In Peninſula Indiæ intra Gangem ſunt quatuor partes præcipuæ, nempe regna Decani, Golcondæ, & Narſingæ ſeu Biſnagariæ, cum Malabaria: ſub quibus plurima alia regna minoris famæ. In India extra Gangem ſunt tres partes præcipuæ, nempe regna Peguanum ad Boream, Siamum ad Meridiem, & Cocinſinæ ad Ortum: ſub quibus etiam quamplurima regna comprehenduntur. Indiæ pars ſeptentrionalis, quæ propriè *India*, vulgò *l'Indoſtan*, ſeu Imperium Magni Mogolis, *l'Eſtat du grand Mogol*, tota ſubeſt Mogolis Imperio à centum quinquaginta annis tantùm. Alii *Mogorem* vocant: qui divitiis, unionum inprimis, gemmarumque, à quibus etiam titulos ſumit, copiâ, florentiſſimus, cætera Mahometanus, è Tamerlanis familia originem ducit: à quo decimus ordine fuit, qui ante paucos annos obiit Gelal Edim Muhammed, cujus filii quatuor mutuis cædibus in ſe ſævientes miras dedere turbas, donec tertio-genitus Aorangzetus, tribus reliquis ſublatis, thronum tenuit. Ex anteceſſoribus Accabas R. ſeptimus à Tamerlane armis pariter ac ingenii perſpicacitate toto Oriente celeberrimus fuit, Vid. de Majeſtate M. Mogoris, Kircherium *deſcr. Chin. l.* 2. *c.* 5. P. de Valle *Itin. tom.* 4. &c. De turbis ultimis Mandelſlovium *l.* 1. *c.* 28. *& ſeqq.* Henr. Rothium *Diar. Europ. Contin.* &c. Terminatur hæc Indiæ pars à Septentrione Tartaria magna & regno Thibeto, ab Occaſu regno Perſiæ, ab Ortu fluvio Coſmino, quo à reliqua India extra Gangem dividitur, à Meridie ſinu Gangetico & Peninſula Indiæ intra Gangem. Sed aliquot regna trans Gangem fluvium & versùs Chiamæum lacum ac confinia Sinarum Reges habent proprios. Mogolis regia eſt Agra, *Agra*; & ei ſubſunt 37. regna.

Indiæ propriæ ſeu Imperii Magni Mogolis Regna:

Agra, *Agra.*	Haiacanum, *Haiacan.*
Attochium, *Attock.*	Iamba, *Iamba.*
Bacarium, *Bakar.*	Ienupara, *Ienupar.*
Bachiſcum, *Bakiſch.*	Ieſſelmera, *Ieſſelmere.*
Bandum, *Bando.*	Ieſualum, *Ieſual.*
Bengala, *Bengala.*	Malvæum, *Malvay.*
Berarum, *Berar.*	Mevatum, *Mevat.*
Bucara, *Buchar.*	Multanum, *Multan.*
Cabulum, *Cabul.*	Narvæa, *Narva.*
Cacharum, *Kakares.*	Naugracutium, *Naugracut.*
Candaharia, *Candahar.*	Patna, *Patna.*
Candiſium, *Candis.*	Pengabum, *Pengab.*
Canduana, *Kanduana.*	Pitanum, *Pitan.*
Caſſimera, *Caſsimere.*	Sambalium, *Sambal.*
Chitorium, *Chitor.*	Siba, *Siba.*
Dellum, *Delli.*	Soretum, *Soret.*
Gorum, *Gor.*	Tatta, *Tatta.*
Guzarata, *Guzarate.*	Vdeſſa, *Vdeſſa.*

Urbes præcipuæ Indiæ propriæ ſeu Imperii Magni Mogolis:

Agra, *Agra.*	Chatiganum, *Chatigan.*
Amedebatum, *Amedebat.*	Damanum, *Daman.*
Aſmera, *Aſmeere.*	Dellum, *Delli.*
Attochium, *Attock.*	Gualeorum, *Gualeor.*
Bandum, *Bando.*	Gurum, *Gouro.*
Barocum, *Baroche.*	Holobaſſia, *Holobaſſe.*
Bengala, *Bengala.*	Ienupara, *Ienupar.*
Breampora, *Breampore.*	Lahorium, *Labor.*
Cabulum, *Cabul.*	Multanum, *Multan.*
Cambaia, *Cambaia.*	Surata, *Surate.*
Candaharia, *Candahar.*	Tatta, *Tatta.*

Peninſula *Indiæ intra Gangem*, vulgò *la preſqu'isle de l'Inde deçà le Gange*, terminatur à Septentrione India propria ſeu Imperio

perio Magni Mogolis, ab ortu sinu Gangetico, ab Occasu autem & à Meridie mari Indico. In ea sunt quamplurima regna.

Regna Peninsulæ Indiæ intra Gangem.

Auriola, *Auriole*, in Malabaria.
Badara, *Badara*, in Malabaria.
Balagatta, *Balagate*, in Decano.
Baticala, *Baticala*, in Malabaria.
Batimena, *Batimena*.
Bipurium, *Bipur*, in Malabaria.
Bisnagaria, *Bisnagar*.
Calecoulanum, *Calecoulan*, in Malabaria.
Calecutum, *Calicut*, in Malabaria.
Cananorium, *Cananor*, in Malabaria.
Changanara, *Changanar*, in Malabaria.
Chombæum, *Chombais*, in Malabaria.
Choromandelum, *Choromandel*, in Bisnagaria.
Cochinum, *Cochin*, in Malabaria.
Cota, *Cota*, in Malabaria.
Coulanum, *Coulan*, in Malabaria.
Cranganora, *Cranganor*, in Malabaria.
Cunchanum, *Cunchan*, in Decano.
Cucuranum, *Cucuran*, in Malabaria.
Curiga, *Curiga*, in Malabaria.
Decanum, *Decan*.
Golconda, *Golconde*.
Gorzopa, *Gorzopa*, in Canara.
Mangatum, *Mangate*, in Malabaria.
Marta, *Marte*, in Malabaria.
Mouticum, *Moutique*, in Malabaria.
Mutertum, *Muterte*, in Malabaria.
Narsinga, *Narsinga*, in Bisnagaria.
Onorium, *Onor*, in Canara.
Orixa, *Orixa*, in Golconda.
Panhapelum, *Panhapel*, in Malabaria.
Panurum, *Panur*, in Malabaria.
Porcanum, *Porca*, in Malabaria.
Punhalum, *Punhali*, in Malabaria.
Tamulum, *Tamul*, in Bisnagaria.
Tanorum, *Tanor*, in Malabaria.
Tienlicum, *Tienlique*, in Bisnagaria.
Travancorium, *Travancor*, in Malabaria.
Trivilaria, *Trivilar*, in Malabaria.
Tutucorinum, *Tutucorin*, in ora Piscariæ.

Sunt etiam regna seu principatus ampli Gingis, *de Gingi*, Maduræ, *de Madure*, & Tanjorii, *de Tanjaor*, aliàs sub regno Bisnagariæ. Ex his notandum est, regna Malabariæ pro majori parte esse parvi admodum circuitus, ita ut vix principatus Europæ exæquent: & regna Badaræ, Bipurii, Chombæi, Cucurani, Curigæ, Mangati, Moutici, Panuri, & Tanori sunt sub clientela Regis Calecuti.

Urbes Peninsulæ Indiæ intra Gangem.

Andanagara, *Andanagar*, in regno Decani.
Angamala, *Angamale*, in Malabaria.
Barcelora, *Barcelor*, in Canara.
Calecutum, *Calecut*, in Malabaria.
Cananorium, *Cananor*, in Malabaria.
Candegrium, *Chandegry*, in Bisnagaria.
Caulum, *Chaul*, in regno Decani.
Cochinum, *Cochin*, in Malabaria.
Condapolis, *Condapoli*, in Golcondæ regno.
Coulanum, *Coulan*, in Malabaria.
Cranganora, *Cranganor*, in Malabaria.
Dabulum, *Dabul*, in regno Decani.
Doltabadum, *Doltabad*, in regno Decani.
Gingis, *Gingi*, in Bisnagaria.
Goa, *Goa*, in regno Decani.
Golconda, *Golconda*, in regno cognomine.
Madura, *Madure*, in Bisnagaria.
Maliapura, *Maliapur*, in Bisnagaria.
Mangalora, *Mangalor*, in Canara.
Masulepatanum, *Masulepatan*, in regno Golcondæ.
Narsinga, *Narsinga*, in Bisnagaria.
Negapatanum, *Negapatan*, in Coromandelia.
Visapora, *Visapor*, in regno Decani.

Peninsula *Indiæ extra Gangem*, subest plurimis Regibus, uti major pars Indiæ extra Gangem. Sed regna in ejus parte Boreali contenta, intra Sinas nempe ad Ortum & ditionem Magni Mogolis ad Occasum, vix nomine nota sunt Europæis. Peninsula autem ipsa terminatur ab Oriente sinu Siami, ab Occasu sinu Gangetico, à Septentrione India extra Gangem, & à Meridie freto Sundæ, quo dirimitur à Sumatra insula; aliàsque Aurea Chersonesus dicta fuit. Regna autem tam peninsulæ, quàm illius partis Indiæ extra Gangem, quæ non pendet à Magno Mogole, communiter reducuntur ad tres partes, quòd aliàs pro majori parte ab ipsis penderent.

Regna Indiæ extra Gangem:

Abdiara, *Abdiara*, sub Peguano regno.
Arracanum, *Arracan*, sub Peguano regno.
Ava, *Ava*, sub regno Peguano.
Bacaium, *Bacay*, sub regno Peguano.
Brama, *Brama*, sub regno Peguano.
Cablan, *Cablan*, sub regno Peguano.
Camboia, *Camboia*, sub regno Siami.
Canaranum, *Canarane*, sub regno Peguano.
Caorium, *Caor*, sub regno Peguano.
Cassubum, *Cassubi*, sub regno Peguano.
Cacomæum *Chacomas*, sub regno Peguano.
Ciampaa, *Chiampaa*, sub Cocinsina.
Cocinsina, seu Annamiticum regnum, *la Cochinchine*
Comotæum, *Comotay*, sub regno Peguano.
Jangoma, *Jangoma*, sub regno Peguano.
Ihorium, *Ihor*, sub regno Siami.
Iuncalanum, *Iuncalaon*, sub regno Siami.
Lanianum, *Laniang*, sub regno Siami.
Largaræum, *Largaray*, sub regno Peguano.
Ligorium, *Ligor*, sub regno Siami.
Malacca, *Malacca*, sub regno Siami.
Mandranella, *Mandranelle*, sub regno Peguano.
Manarium, *Manar*, sub regno Peguano.
Marsinum, *Marsin*, sub regno Peguano,
Martavanum, *Martavan*, sub regno Siami.
Moantæum, *Moantay*, sub regno Peguano.
Pahanum, *Pahang*, sub regno Siami.
Panum, *Pan*, sub regno Siami.
Patanum, *Patane*, sub regno Siami.
Peguanum, *Pegu*, in regione cognomine.
Pera, *Pera*, sub regno Siami.
Pronum, *Pron*, sub regno Peguano.
Queda, *Queda*, sub regno Siami.
Siamum, *Siam*, in regione cognomine.
Singora, *Singora*, sub regno Siami.
Tanasserium, *Tanasserim*, sub regno Siami.
Tanguum, *Tangu*, sub regno Peguano.
Tavæum, *Tavay*, sub regno Peguano.
Tazatæum, *Tazatay*, sub regno Peguano.
Tincum, *Tinco*, sub regno Peguano.
Tipoura, *Tipoura*, sub regno Peguano.
Totæum, *Totay*, sub regno Peguano.
Transiana, *Transiane*, sub regno Peguano.
Tunchinum, *Tunchin*, sub Cocinsina.
Vilepum, *Vilep*, sub regno Peguano.

Indiæ extra Gangem urbes præcipuæ.

Arracamum, *Arracam*, in regno cognomine.
Canarana, *Canarane*, in regno cognomine.
Carpa, *Carpa*, in regno Bramæ.
Iuncalanum, *Iuncalaon*, in regno cognomine.
Ihorium, *Ihor*, in regno cognomine.
Judia, *Judia*, seu Odia, in regno Siami.
Keccium, *Keccio*, in regno Tunchini.
Leuvecum, *Leuveck*, in regno Camboiæ.
Ligorium, *Ligor*, in regno cognomine.
Malacca, *Malacca*, in regno cognomine.
Martavanum, *Martavan*, in regno cognomine.
Patana, *Patane*, in regno cognomine.
Peguum, *Pegu*, in regno cognomine.
Queda, *Queda*, in regno cognomine.
Tanasserium, *Tanasserim*, in regno cognomine.

Sunt etiam in Asia quamplurimæ insulæ, nempe Borneum, Celebes seu Macassaria, Ceylanum seu Taprobana, Gilolum, Java, Maldivæ, Moluccæ, Sumatra, & aliæ: quæ omnes sunt in Oceano Indico. Sed de his fusiùs suis in locis.

Insularum Indiæ regna præcipua.

Acemum, *Achem*, in Sumatra insula.
Balambuanum, *Balambuan*, in Java insula.
Baticala, *Baticala*, in Taprobana insula.
Bendarmassia, *Bendarmassen*, in insula Bornei.
Borneum, *Borneo*, in insula cognomine.
Campera, *Camper*, in Sumatra insula.
Candea, *Candy*, in Taprobana insula.
Cauripana, *Cauripana*, in Celebis insula.
Cettavaca, *Ceitavaca*, in Taprobana insula.
Chilaum, *Chilao*, in Taprobana insula.
Cionium, *Cion*, in Celebis insula.
Columbum, *Columbo*, in Taprobana insula.
Getiganum, *Getigan*, in Celebis insula.
Gilolum, *Gilolo*, in Gilolo insula.
Iafanapatanum, *Iafanapatan*, in Taprobana insula.
Iala, *Iala*, in Taprobana insula.
Iambium, *Lamby*, in Sumatra insula.
Iapara, *Iapara*, in Iava insula.
Iortanum, *Iortan*, in Iava insula.
Loloda, *Loloda*, in Gilolo insula.
Macassaria, *Macassar*, in Celebis insula.
Maldivarum, *des Maldives*, in insulis Maldivis.

Materanum, *Materan*, in Iava insula.
Palimbanum, *Palimban*, in Sumatra insula.
Panarucanum, *Panarucan*, in Iava insula.
Passarvanum, *Passarvan*, in Iava insula.
Pedirium, *Pedir*, in Sumatra insula.
Sanguinum, *Sanguin*, in Celebis insula.
Solorium, *Solor*, in Moluccis insulis.
Supara, *Supara*, in Celebis insula.
Ternatum, *Ternate*, in Moluccis insulis.
Tidorium, *Tidor*, in Moluccis insulis.
Trinquilemala, *Trinquilemale*, in Taprobana insula.
Tubanum, *Tuban*, in Iava insula.

Hic non omittendum, veteres Geographos 9000. populorum genera & 5000. urbium memoratu dignarum in India numerasse, quarum celebritate reliquos superavit, urbs Nysa, ubi Bacchum genitum veteres ferunt. Indiæ ora, quæ tota ferme Zonæ torridæ subest, pluviis ventisque non parum recreatur. Duæ ibi anni tempestates, Æstas & Hyems; quarum hæc quatuor durat menses, Junii, Julii, Augusti & Septembris nominibus insignes, quo tempore continua pluvia ardorem Solis mitigat hominibus frugibusque grata. Illa reliquum anni tempus sibi vindicat, unde ingens terræ fertilitas, quamvis oryzæ potius miliique, quàm farris proventu, luxurians. Palma ibi arbor est frequens & quæ citreis aurantiisque pomis turget: Sacchari quoque vis, & unionum, gemmarumque ingens copia. Præterea tanta auri & argenti abundantia, ut sabulum etiam Indiæ, silices & agrorum glebas aureas argenteasque finxerit antiquitas. Hinc divitiis olim abundavit hodieque abundat, Porro Psittacos mittit: Serpentes prodigiosæ magnitudinis habet. Strabo *l.* 2. Ὄφεις τε καὶ βόες καὶ ἐλάφους σὺν κέρασι καταπίνονται. Plin. 8. 14. Megasthenes scribit, in Indiâ serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos taurosque. Inde Horat.

Thesauris Arabum & divitis Indiæ.

Virg. *Georg.* 2. — *Sola India nigrum*
Fert ebenum. ——

Theophr. 4. *Hist. cap.* 5. ubi de Indiâ, ἴδιον δὲ καὶ ἡ ἔβενη τῆς χώρας ταύτης. Strabo *l.* 15. in narratione rerum Indicarum loquens de Pasyis, φύεται δὲ καὶ ἔβενον. Vide Plin. 12. 4. & Solin. *c.* 65. Sed an solius Indiæ hæc sit merx, dubium est. Nam Herod. *libr.* 3. αὕτη δὲ χρυσόν τε φέρει πολλὸν, καὶ δένδρεα πάντα ἄγρια καὶ ἔβενον, de Æthiopiâ loquitur. Plin. 6. 30. *Sita est Æthiopia ab oriente hyberno ad occidentem hybernum. Meridiano cardine sylva ebeno maximè virent.* Lucan. *l.* 10 de regiâ Ægyptiorum,

—— *Ebenus Mareotica vastos*
Non operit postes, sed stat pro robore vili.

Servius, ut poetam suum defendat, ita ait: *Atqui & in Ægypto nascitur, sed Indiam, omnem plagam Æthiopiæ accipimus.* Sed qui potest ita defendere? Nam Dioscorides 1. 3. apertè discriminat, & principatum dat Æthiopicæ ebeno: Ἔβενος κρατίστη ἡ Αἰθιοπικὴ καὶ μέλαινα. &c. ἐστὶ δέ τις καὶ Ἰνδική. Verùm in magnis Scriptoribus dissidia talia occurrere nihil mirandum. Tam opulentæ regionis incolæ, nunquam inde egressi sunt, ut aliò colonias deducerent, unde non mirum, tot hominum diversa genera à vett. ibi fuisse annotata: Inter quos Brachmanes vel Gymnosophistæ eminuerunt olim hodieque, sub nomine *Braminum*, & *Gioghorum*, qui Philosophi Theologique gentis sunt: nec minor Gangaridarum fama, quorum Regem aggredi Alexander M. nunquam ausus est. Vide laudes Indiæ pulcherrimè describentem Dionysium *perieg. vers.* 1027.

Πρὸς δ᾽ αὐγὰς Ἰνδῶν ἐρατεινὴ πέπλαται αἶα, &c.

Cui adde præter Vett. Berlingerum, Cluverium, Marium Nigrum, Munsterum, Mercatorem, Ortelium, Merulam, Maginum, Bertium, Cluverium Sansonem, Du Val, Massæum *Hist. Indic.* Joh. de Barros, Vincent. Blancum, Jarricum, Linschotum, la Boulaye le Goux, Texeiram, Barbosam, Boterum, Pyrardum, Xaverium *in Epist.* Trigaltium; Theod. de Bry *Ind. Orient.* Ferdin. Lopezium de Castanella, *Hist. Ind. Orient.* &c. Pop. *Indi*, ob nigrorem quondam noti. Ovid. 1. *de Art. Am.*

Andromeden Perseus nigris portavit ab Indis.

Sen. *in Oedip.*

Phœbus hic flammâ propiore nudos
Inficit Indos.

Inde *colorati* forsan. Virg. *Georg.* 4. Ovid. *Met.* 4.

Decolor extremo quâ cingitur India Gange.

Dionys. de Indis, ὑπὸ χρόα κυανέοι. Vid. quoque in voce *Mogor.*

India occidentalis, *les Indes Occidentales* Gallis, *West-Inde* Belgis, pars orbis recèns detecta, quæ aliter, & meliùs, dicitur *America.* Vid. ibi.

Indibilis, Vid. *Incibilis.*

Indica, urbs Iberiæ prope Pyrenæum. Steph.

Indiciacus, ol. pag. Arvernorum, nunc urbs S. Flori, Episc. sub Arch. Bituricensi, in Gallia Aquit. inter Arvernos seu Claromontem 14. & Ruthenos 10. leuc. V. *Vitam S. Flori Episc.*

Indictio, ab indicendo, ad Pontifices pertinet, juxta illud:

Edicunt Reges, indicit festa sacerdos:

Systema est trium lustrorum, i. spatium 15. annorum, sumtâ ab A. C. 312. origine, in se perpetuò repetitum. Vulgaris & non recens opinio, Imperatores perhibet tributa Gentibus imposuisse; vicinis, annuam annonæ portionem; remotioribus verò, ut propter transitus difficultatem, in fine primi lustri aurum penderent, dominationis typum: in secundi fine, argentum, ad stipendia militibus eroganda: Et in fine tertii, æs & ferrum, ad armorum ministerium & supplementum. Inde *Indictio* ipsa *area* & *ferrea* appellata, teste Sacrobosco. Beda *lib. de rat. temp. c.* 48. antiquâ Romanorum industriâ, *Indictiones* ad cavendum errorem, qui de temporibus fortè oboriri poterat, institutas ait. Scilicet ne dum Imperator aliquis medio anni tempore, vitâ vel regno cederet: eundem annum Historicus unus eidem adscriberet Imperatori, alter verò successori ejus. Cedrenus *in Theodosio*, earum originem ab Actiaca victoria: Onuphrius Panvinius *Fast. l.* 2. à cæde Maxentii & Ecclesia liberata: Scaliger *in Emend. tempp. l.* 5. ab editione ludorum, quos Constantinus exhibuit: Baronius *ad A. C.* 312. *n.* 107. à stipendiis militaribus quindecennalibus: Paulus Petavius ab indicto tributo, arcessit. Spelmannus duplices facit, *Fiscales* seu *Tributarias*; & *Militares* seu *Erogatorias*. *Fiscales*, inquit, sunt, quæ populum evocant ad tributum, ut illa sub Augusto Cæs. in Evangelio, de qua Cassiodor. *l.* 4. *epist.* 42. Hujusmodi *Indictionum* meminit Plinius *ad Trajanum*, & crebra earum in jure Civ. mentio est. *Militares* sunt, de quibus Baronius modò laudatus. De his quidquid sit, certum est, sub Constantino cœpisse *Indictiones* fieri Chronologicas, & ab eo computari anno, quo libertatis accepit primordium Religio Christiana: sc. anno Constantini 7. Domini nostri 213. easque Concilii Niceni auctoritate, sublatis Olympiadibus, institutas. Annus enim Domini demum invectus est à Dionysio Exiguo, Abbate Romano, A. C. 532. cùm exoso Diocletiani nomini oppedens, anni ejusdem memoriam ab encyclis Paschalibus, quæ tunc moliebatur Abbas, exploderet. De die autem & mense, quo *Indictio* cœperit, cùm non conveniret inter Imperium Orient. & Ecclesiam Rom. duplex inde exorta est *Indictionalis* anni origo: *Imperatoria*, quæ 8. Kalend. Octobr. seu 24. Sept. orditur, & *Ecclesiastica*, quæ à 19. Kal. Januarii, i. 14. die Decembris, initium sumit. Estque hæc velut anchora Chronologicæ supputationis & fidele in Instrumentis datorum examen. In tribus autem maximo venit usu: sc. in privilegiis, in cereo Paschali, & in Ecclesiarum dedicationibus. Modus Rom. *Indictionem* inveniendi hujusmodi est: Adde 3. ad annum Domini, qui in 4. Indictionis anno perhibetur natus, deinde totum divide per 15. & residuum dabit annum Indictionis. Hoc si nil fuerit, ipse annus Indictionis est ultimus. Ad Græcam inveniendam 4. sunt addendi. En versus:

Si per quindenos Domini diviseris annos,
His tribus adjunctis, Indictio certa patebit,
Si nihil excedit, quindena Indictio currit.

Dicitur vox & de toto quindecennali cyclo, & de quolibet ejusdem anno. Plura V. apud Henr. Spelm. *Glossar. Archaeol.*

Indicum mare, pars est Oceani Or. Indiæ utriusque oram alluens, uti etiam Ceylanum Ins. Maldivas, Sumatram, Javam, aliasque Insulas quàm plurimas. V. *Oceanus Ind.*

Indigetes, Dii antiquis vocati, quòd nullius rei *indigeant*, vel Dii ex hominibus facti: Heroës, ut Hercules, Romulus, Cæsar, &c. Alii *Indigetes* fuisse volunt, quos *indigetari*, id est, vocare, & nuncupare fas esset, atque hos Deos fuisse, in quorum custodiâ essent urbes, & invocati faciles, præstoque aderant. Alii sunt, qui putant sic dictos, quasi *in loco geniti*, vel *degentes*. Virgil. *Georg.* 1.

Dii patrii Indigetes & Romule, Vestaq́ mater.

Vide sis illic Lud. de la Cerda. Macrob. *libr.* 1. *c.* 9. *de Somn. Scip.* Lips. &c. Hinc & Æneas *Indiges* dictus fuit. Ovid. *Met.* 14.

Lustratum genetrix divino corpus odore
Unxit, & ambrosiâ cum dulci nectare mixtâ
Contigit os, fecitq́ Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploq́ arisq́ recepit.

Virg. *Æn.* 12. — *Indigetem Æneam scis ipse, & scire fateris.*

Indigeti seu *Indigetes*, pop. Hisp. fuere, templum Veneris incolentes, in confinio Gall. Narbon. ubi nunc tractus *l'Ampourdan*, in Catalonia, in limite Galliæ & Comitatus Ruscinonensis.

Indus, fluv. Galliæ non ignobilis, in Brexia, qui Pontem Indis *Pont Dain*, Varambonem, Bellamgardam, Casiacum *Chasey*, Gurdanumque alluit, & è regione Antonis effluit in Rhodanum. Vulgò *Dain*. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Indoscythia, pars Indiæ cit. circa Indi fluv. ortum.

Induciomarus, de Trevirorum principatu, cum Cingetorige, contendit. Cæs. Vid. *Comm. c.* 3.

Indulgentiarum origo hæc. Cùm in vet. Ecclesia, propter nimium rigorem satisfactionum Canonicarum, (quarum gradus erant προσκλαυσις seu Fletus, Ἀκρόασις seu Auditio, Ὑπόπτωσις seu Prostratio & Σύστασις seu Consistentia) quæque per plures annos, nonnunquam per totam vitam erant continuandæ, multi ad desperationem adigerentur, neque pauci relaberentur ad Gentilismum, repertum fuit temperamentum *Indulgentiarum*, quas peccatores, vel à suis Episcopis ultro consequebantur, vel per Martyrum ad metalla damnatorum intercessionem obtinebant; quibus, laxatâ pristinâ severitate, ante tempus Canonibus præstitu-

præstitutum, in communionem recipiebantur, & pœnarum Canonicarum illis remissio ac gratia fiebat. Alia hodie in Ecclesia Latina *Indulgentiarum* ratio est, quarum in ea usum recentem, & admodum serò repertum, agnoscit Johannes Fischerus Roffensis Episc. *ad articulum Lutheri* 18. Has dum Leo X. in Germania per Joh. Tezelium, Dominicanum, in Helvetia per Bernardum Sansonem, Mediol. Franciscanum, sub initium præt. sec. venales exposuit, utrobique Reformationi præbita ansa est, illic Luthero, hic Zuinglio, rem egregiè gerentibus. De quo negotio ita Thuanus *Hist. lib.* 1. *Leo*, inquit, *quum alioqui ad omnem licentiam sponte suâ ferretur, Laurentii Puccii Cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, ut pecuniam ad immensos sumtus undiq; corrogaret, missis per omnia orbis Christiani regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisq; pro peccati gravitate dependeret: in eamq; rem per provincias quæstores & ærariæ ordinavit, quibus additi præcones, qui tanti beneficii magnitudinem, apud populum commendarent, & orationibus artificiosè compositis, propositisq; palam libellis rei efficaciam immoderatè extollerent. Quod licentiosè nimis à Pontificiis ministris passim, atq; in Germania præcipuè fiebat; ubi qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per lustra & popinas quotidie sine pudore, in aleæ lusum ususq; turpissimos potestatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Lutherus,* (A. nempe C.1517. quem Onuphrius, in Leone X. notat ob hanc rem, ut Romanæ Ecclesiæ gravissimum ac pestilentissimum) *Augustinianus, Wittenberga in Saxonia Theologiam professus, qui refutatis primùm, moxq; damnatis præconum concionibus, eò postremùm devenit, ut ipsam Pontificis potestatem, quam sibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinæ examen, quam successu temporis labefactatam dicebat, crescentibus per contentionem animis descenderet.* Hæc ille.

Indus, Gallis *Inde*, Hisp. & Italis *Indo*, fluv. Orientis secundùm Gangem longè maximus, Indiam ab Occasu alluens. Hunc in jugo Caucasi montis, quod vocatur Paropamisus, adversus Solis Ortum effusum ajunt, ac in se 19. amnes recipere. Arrian. *de Gest. Alex. lib.* 5. Septem ostiis in Oceanum erumpit, quem *Sandum* ab incolis vocari scribit Plin. Baudrando oritur in prov. Cassimera, sub M. Mogole, versus confinia Tartariæ; dein per Attochium, Multanum, Bucoriam & Tattam labens, urbibus cognom. rigatis, auctus Hydaspe ad Nysam urb. & Hypasi, olim termino Alexandri M. qui ipsi Hydaspi jungitur, aliisque, in Oceanum Ind. se exonerat 5. ostiis prope Tattam, inter regnum Guzaratæ & confinia Persiæ, juxta sinum Indic. Olim, ut Becmannus habet, *Sindo* accolis (quo nomine hodie R. Diul à Persis & Arabibus appellatur) nunc *Pang-ab* Persis atque Mogolensibus, i. quintuplex fluvius dicitur, quia totidem alveis, ut dictum, in Mare Indicum evolvitur, nempe *Bagal, Chanab Ravy* seu *Ravee, Via* & *Osvid* seu *Sind.* Vid. eum *Hist. Orbis Terr. Geogr.* & *Civ.* Ovid. *Fast. lib.* 3.

Et domitas gentes thurifer Inde tuas.

Indusium seu *Intusium.* Vox hæc, ut & Subuculæ, in usu esse cœpit, cùm binas tunicas Romani gestare inceperunt. Tum ut ab inferiore superior tunica distingueretur, subucula interior viri tunica, *Indusium* interior tunica mulieris: superior verò in viris tunica, in fœminis stola dicta est. Nonius, *Indusium est vestimentum, quod corpori intra plurimas vestes adhæret, quasi intusium.* Fuisse autem fœminarum interiorem tunicam, ex eo colligit Manutius, quòd Varro cum palla muliebri vestimento, illud conjungit: V. Octav. Ferrarium *de re vestiaria l.* 3. *c.* 1.

Industria, Liguriæ op. quod & *Bodincomagum.* Plin. 3. 16.

Inessa seu *um*, postea *Æthna*, opp. Siciliæ, nunc Brietio Cœnobium S. Johannis de Arenis, in valle Demonæ, ad rad. Ætnæ in Austr. inter Adranum ad Occ. & Cataniam ad Ort.

Inferiæ, fuere sacra mortuorum, quæ Inferis solvebantur. Et quidem, antiquitus mos erat, in sepulchris fortium virorum, captivos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui à bustis *Bustuarii* dicti sunt. Cùm nec horum copia esset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur. Vel, quemadmodum Varro loquitur, ut sanguine ostenso Inferis satisfieret; quod tamen lege XII. Tabb. interdictum. Mox ubi ustulatum cadaver erat, rogus bustum dicebatur, cineresque & ossa cado sive urna colligebantur, amicis, cognatis aliisque circumstantibus, qui à Sacerdote ter aquâ purâ asperfi, ita expiabantur sive lustrabantur. His perfectis Præfica novissimum verbum illud altâ pronuntiabat voce, *Ilicet*, id est, ire licet: quo dicto, qui comitati funus erant, domum abituri, extremum vale clarè ingeminabant, *Vale, vale, vale, nos te ordine, quo Natura permiserit, sequemur*, Vid. Thomam Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 51. *c.* 39.

Infernates, & *Supern.* pop. Italiæ, mare Inferum & Superum accolentes.

Inferum mare, idem cum Tyrrheno.

Ingævon, Tuisconum Imp. publica literarum studia, ad comprimendam hominum audaciam instituit. Tacitus *de mor. Germ.*

Ingævones, latissimi Germ. populi, in Sicambros, Teutonas, & Cauchos divisi. Plin. 4. 14. Videntur dicti, quasi *Inn-Wohner*, i. Indigenæ seu αὐτόχθονες: quibus Wandali opponuntur, i. advenæ seu peregrini, à voce *Wandeln*, peregrinari. Vel dicuntur, quasi *Inn-Wohner*, i. in terris habitantes, ad mare sc. Vid. Plantinum *Helv. Ant.* & *Nov.* Hug. Grotium *Prolegom. in Hist. Goth.* &c.

Ingauni, Liguriæ pop. quorum urbs Albingaunum.

Ingelhemium, vulgò *Ingelheim*, opp. Palatinatus infer. ad Rhenum, inter Moguntiacum ad Ort. & Bingium ad Occ. Ibi natus Carolus M. Imp. an. 742. Denatus Lud. Pius. an. 840. Hic porro Tassilo, Bavariæ D. an. 788. à subditis proditionis, in conventu Præsulum, accusatus, & à Paribus ad mortem condemnatus est. Sed Carolus M. illum, cum Theudone fil. tonsum, in Monasterium detrusisse sat habuit. an. 826. Ludovicus Pius Legatum Eugenii II. excepit. Concilium dein an. 948. habitum, quo de Archiepisc. Remensi inter Hugonem Veromanduum & Artoldum certatum, quorum hic victor. Item lis, inter Ludov. IV. Ultramarinum, & Hugonem Album composita, hoc damnato. Item an. 972. disciplina Ecclesiastica ibidem stabilita est.

Ingeniculus, signum cœleste, quod Græci Ἐγγόνασιν vocant. Vide *Engonasis.*

Ingenuus, qui Pannonias regebat, à Mœsiacis legionibus Imperator dictus est: neque in quoquam melius consultum Reip. à militibus videbatur, quàm quòd instantibus Sarmatis creatus est Imperator, qui fessis rebus mederi suâ virtute posset. Sed Gallienus (ut erat nequam & perditus, ita etiam, ubi necessitas coëgisset, velox, fortis, vehemens & crudelis) Ingenuum ad Mursam, Pannoniæ urbem, bello vicit, eoque occiso in omnes Mœsiacos, tam milites quàm cives, ita sæviit, ut in plerisque civitatibus viros è medio tolleret. Fertur Ingenuus expugnatâ à Gallieno civitate, ne in tyranni veniret potestatem, domum intrasse, in qua se pugione transfodit. Trebell. Poll. *de* 30. *Tyrannis.* Aur. Victor. *in Epist. Hist.*

Ingeris, fluv. Galliæ. Oritur in Bituricensi prov. ubi Chatream alluit & Castrum Rodulphi; indeque Turones ingressus, Castilionem ad Ingerem & Lochiam lambit, infraque Monbasonium Ligeri miscetur, paulò post Carum flu. Vulgò *Indre.*

Ingermenum, opp. Tauricæ Chers. in monte maximo & celsissimo. Metel. Mere.

Ingerus, Russorum Rex, classe suâ Constantinopolim obsidens, à Constantino Romani Præfecti, quem Augustum proclamavit, genero, fugatus est, A. C. 932.

Inginum, vide *Iguvium* & *Eugubium.*

Ingolstadium, vulgò *Ingolstat*, permunita Bavariæ superioris urbs, ad Danubium jacens, antiquis dicta *Ingelstat* sive *Angelostadium*, ab Angelis Suevis, qui civitatem hanc cum aliis ceperunt. Initio pagus fuit, sed à Ludovico Bavaro Imperatore jus civitatis cum ponte ad Danubium obtinuit. Academiam in ea exstructam omnium artium & sapientiæ anno 1410. multis postea privilegiis & opibus ornarunt auxeruntque Ludovicus Dux Bavariæ, & Pius II. Pontifex. Subest Electori Bavariæ: *Ingolstadiensis* olim lineæ auctor fuit Stephanus, fil. Stephani, nepos Ludovici Bav. Imp. frater Friderici, qui Landhutensem, & Johannis, qui Monachiensem, hodieque superstitem, lineas orsi sunt. Stephanus hic *Ingolstadiensem* ditionem nactus A. C. 1392. pater fuit Isabellæ, quæ Carolo VI. Galliæ R. nupta regno tantùm non omnimodum exitium attulit, & Ludovici Barbati, qui in Gallia Mortanæ Comitatum tenuit, sed cùm regni administrationem ad se raperet, pulsus est. Idem postea cum filio Ludovico Gibboso bellum habuit; tum quòd non cessaret agnatos armis vexare, à Friderico III. proscriptus quadriennio exulavit. Tandem à filio captus, Neoburgi in custodia fuit, ab Alberto M. Brandeburgico, post filii mortem, Onolsbacum abductus, & demum 32000. florenis agnato Henrico Landshutano, venditus, in cujus carcere An. Chr. 1447. Burkhusii obiit. Distat urbs, vix 3. leuc. infra Neoburgum in Ort. 7. circ. à Ratisbona in Occ. à Gustavo Adolpho, Sueeorum R. frustra tentata. Baudr. Mildendorp. *de Academ.* Bertius *lib.* 3. *rerum Germ.*

Ingonde, fil. Sigeberti I. Regis Metensis, ex Bruna, nupsit Hermenigildo, V. ibi. A' Socru, quòd maritum ad fidem perduxisset, indignè habita est. Hermenigildo dein capto, à Græcis, quos ille in auxilium vocaverat, abducta, antequam Constantinopolim perveniret, in Africa, animi mœrore confecta, obiit, an. 585. Greg. Tur. *l.* 5. 6. & *seqq.* Isidor. *in Chron.* &c.

Ingria, vulgò *Ingermanland*, Gall. *Ingrie*, Ruthenis *Icera*, prov. Regni Sueciæ, Livoniæ adjacens, inter hanc ad Occ. & Moscoviam ad Ort. prope Ladogam lac. & Finnicum sinum. Paruit Russis, nunc Suecorum est. Opp. præc. Neoburg. in ora lacus Ladogæ.

Ingriones, pop. Germ. quorum situs est *Speshard*, sylva inter Thuringiam & Voitlandiam. Pyramius.

Inguini, pop. Umbriæ. Vid. *Iguvium.*

Inguiomerus, Arminii Patruus.

Ingulfus, Anglus, Abbas, scripsit historiam Monasteriorum Angliæ, ab an. 664. usque ad an. 1067. seu primum regni Guilielmi nothi, cui à secretis erat. Petrus Blesensis eam continuasse videtur. Vixit usque ad an. 1109. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 47. Pitseus, Baleus, &c.

Inhambanum regn. Gall. *royaume d'Inhambane*, in Æthiopia inf. inter regnum Monomatapæ ad Bor. & Cafreriam ad Mer. Primaria ejus urbs *Tonge*.

Inhamiorum, Gall. *royaume d'Inhamior*, regnum Cafreriæ reg. versus Cuamam fluv. & confin. regni Monomotapæ, sub cujus clientela est.

Inia seu *Inias*, Barrio *Carolei*, opp. Brutiorum, in agro Consentino, 4. m. p. à Consentia. Aliis *Ixias*.

Inicerum, oppidul. Hungariæ mer. ad amnem cognom. vix 3. leuc. à Savo flu. in Bor. sub Turcis, medium inter Posegam ad Ort. & Gradischiam ad Occ. Vulgò *Czernik*.

Innernium, opp. munitum Moraviæ, in Scotia Bor. cum portu, ad Moraviæ æstuar. è regione Canonrici, versus Oceanum Germ. 50. mill. Scot. ab Aberdonia in Occ. Vulgò *Innernesse*.

Pontifices Romani.

Innocentius I. Albâ oriundus, post Anastasium I. Papa, Anno Chr. 402. Persecutoribus Chrysostomi se opposuit: Johannem Hierosol. Pelagio contra hunc faventem per literas increpuit, ab Augustino admonitus, Pelagium condemnavit; aliis contrarium asserentibus. Italiâ & Româ à Barbaris miserè vexatâ, cùm fidelibus tot mala imputarentur, imprudens Numina Gentilium placari permisit. Zosim. *l.* 5. Obiit an. 417. Zosimus P. successit. Vid. Augustin. *epist.* 90. 93. 94. &c. Hieron. *epist.* 8. Gennad. *de Viris Ill. c.* 43. Oros. *l.* 7. &c.

Innocentius II. Romanus, successit Honorio II. Anno 1130. cui Anacletus II. oppositus, hinc Schisma horrendum. Ille Romæ, hic ejectus Pisis residebat. Illum Conradus Suevus, & Rogerius Sic. R. tuebantur: huic Gallus, Anglus, Germanus R. Lotharius adhærebant. Et hic quidem reducturum se eum promiserat, si ipse sibi antiquum jus conferendorum Sacerdotiorum, cui nuper Henricus renuntiarat, concederet. Sed monitus à Bernardo, cessit, reduxit, ab eo coronatus est an. 1133. qui in Evergetam ingratus, cum genibus suis advolutum in palatio depingi curavit, cum versibus:

Rex venit ante fores, jurans antè urbis honores,
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Plat. *in Vitis* Sigon. *l.* 11. *ad an.* 30. 32. 33. Interim Anacleto mortuo Victor IV. surrogatus est, sed is mox sponte cessit. Concilium dein 2. Lateranense habuit, an. 1139. quo Abaillardus & Arnoldus Bressanus damnati. Eodem anno, à Rogerio, operâ fil. Wilhelmi, captus, cum eum Regem Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ creasset, dimissus est. A' Romanis, qui ut Remp. in antiquum statum reducerent, Arnoldi Clerici authoritate moti, Papæ sacrorum solùm curationem relinquebant, in ordinem redactus, præ mœrore, Obiit an. 1143. Suger. *in Vita Ludov. jun.* Otto Frising. *in Chron.* Bernard. *in epist.* Ciaccon. *in Innocentio II.* Successit Cælestinus II.

Innocentius III. Anagniâ oriundus, Cælestinum III. excepit, an. 1198. prius *Lotharius* dictus. Philippo Imper. à se excommunicato Ottonem Saxoniæ D. opposuit, jurans, *Aut ego Philippo diadema regium, aut is mihi insigne Apostolicum auferet.* Ursperg. *in Chron.* Unde miseri in Germania motus. Albigensium in Gallia extirpationi intentus, Ordinem Minorum confirmavit. Dominicanorum noluit: qui proin demum ab Honorio ejus successore est confirmatus. Concilium in Laterano frequentissimum, an. 1215. recuperandæ Hierosolymæ gratiâ, celebravit: ubi *Transubstantiatio approbata, Confessio auricularis introducta, Laicis calix ademptus, Expeditio in Palæstinam decreta, Libri Decretalium publicati.* Johannem Angliæ R. ob cre tum sine suo scitu Archiepiscopum, excommunicatum rapinæ Philippi Galliæ R. exposuit, qui hujus metu perculsus regna sua Papæ subjecit, ejus exactionibus adeò pressa, ut subditi exclamarent: *Væ tibi Johannes regum ultime, Anglorum Principum abominatio, Nobilitatis Anglicanæ confusio!* Matt. Paris. *in Johanne*, Polyd. *l.* 15. Blondus *decad.* 2. *l.* 6. Ant. Flor. *par.* 3. *tit.* 19. §. 5. In Oriente tum Balduinus Græcam Eccl. Romanæ junxit. Principes tamen supra Ecclesiam esse, contra Papam, asseruit. Calvis. *in Chr.* Obiit Perusiæ an. 1216. Scripsit in 7. Psalmos pœnitentiales, de contemtu Mundi libb. 3. Epistolas, &c. V. porro Sabellicum, Nauclerum, Henr. Gandav. &c. Successit Honorius III.

Innocentius IV. Genuensis, prius Sinibaldus dictus, Cælestini IV. successor, an. 1243. *Patris juris*, ob summam hujus peritiam, elogium tulit. Friderico II. Imp. *Cardinalis amicus, Pontifex infensus*, eum Concilio I. Lugduni habito excommunicavit, purpureum galerum Cardinalibus concessit, Friderico mortuo, post moram an. 6. Lugduno relicto, Perusium venit. Contra filium ejus Conradum amplissimas indulgentias proposuit, Richardo Anglo frustra contra eum concitato, qui *idem est*, respondit, *ac si quis diceret, do tibi lunam, ascende & apprehende eam.* Matth. Paris. *in Henr. III.* Robertum Episc. Lincolniensem, qui *Romanorum malleus & contemtor* dictus est, quòd Antichristum eum diceret, acriter est persecutus. Cujus spectro voceque, *Veni miser ad judicium!* territus, postquam & à Manfredo, Neapolitanum regnum vindicaturus, victus esset, Obiit an. 1254. Opera ejus, cum tit. *Apparatus libb. 5. distinctus in totidem libros Decretalium:* Venetiis, alibique sæpius impressa. Valentin. Forsterus, *hist. Jur. Civ.* Joh. Fichard. *in Vit. JureCoss.* Villanius, Blondus, Fazellus, Sigonius, Sumonetta, Nauclerus, Trithemius, Sixtus Senensis, &c. Successit Alexander IV.

Innocentius V. prius Petrus, ex Dominicano, post Gregorium X. Papa R. an. 1276. nullâ re memorabilis, obiit 5. pòst mense. Scripsit in 4. libb. Sententiarum, &c. Thomas Aquinas apologiam pro eo contra æmulos, plurimos errores illi improperantes, edidit. Onuphr. *in Chron.* Trithemius, Phil. Bergomensis, Sixtus & Anton. Senensis, &c. eum excepit Hadrianus V.

Innocentius VI. Lemovicensis, antea Stephanus Albertus, successit Clementi VI. an. 1352. cùm sedes Avenione adhuc esset, Romam reformatione opus habere agnovit, bello inter Gallum & Anglum ferventi finem imponere annisus, frustra fuit. Johannem de Rupe scissa, Franciscanum, quòd Apocalypsim contra Papas exponeret, ac Antichristos vocaret, comburi jussit. Obiit an. 1362. Froissard. *l.* 1. &c. Successit est Urbanus V.

Innocentius VII. antè Cosmus Melioratus, Sulmonensis, Bonifacii IX. successor an. 1404. cùm prius jurasset, se schisma sublaturum, monitus hinc à Rom. undecim ex illis, nobilissimos viros, capite mulctari & è fenestris præcipitari jussit. Hinc Viterbium se recipere coactus, an. 1406. domum rediit. Ladislao, Neap. R. excommunicato, obiit paulo pòst. Platina *in Vita ejus.* Joh. Baleus, *in hist.* Secutus est Gregorius XII.

Innocentius VIII. Genuensis, nomine Joh. Baptista Cibo, Sixto V. surrogatus, an. 1484. ob libidines *Verè Pater*, filios duos ex puella Neapolitana susceptos, opibus immensis auxit, alteri, cui Francisco nomen, Magdalenâ, filiâ Laur. Medicei uxore conciliatâ. Principibus Christianis contra Turcam concitatis, rem suam impensè ampliavit: pecuniâ contra Neapolitanum R. & ad reficiendum Adriani Coliseum usus. A' Carolo VIII. Gall. R. Zizimum, fratrem Bajazetis, obtinuit, hac lege, ne Româ egrederetur. Obiit an. 1492. Onuphrius, Platina, Ciacconius, *in Vitis Pontif.* Morerius, *in Diction.* Successit Alexander VI.

Innocentius IX. Bononiensis, prius Joh. Antonius Fachinetus, successor Gregorii XIV. an. 1591. ostensus tantùm, bimestri elapso, an. æt. 70. exspiravit, studiis, verùm in lecto, perpetuò addictus. Tum factio Hisp. Sanctorium obtrusit, Sfortiâ reclamante, *fore ut vis contra vim pararetur, & cruor ex conclavi, ad S. Petri usq; Basilicam per gradus dimanaret.* Thuan. *l.* 103. Scriptus etiam Pasquillus, V. Cicarell. *in Vitis Pontif.* Tandem Clemens VIII. surrogatus est.

Innocentius X. Romanus, nomine Joh. Baptista Pamphilius, successit Urbano VIII. an. 1644. sub Gregorio XV. Nuntius Neapolim missus: sub Urbano, Cardin. Francisci Barberini, in Hisp. & Galliam Legati Datarius, in Hisp. cum titulo Patr. Antiocheni & Nuntii Ap. aliquandiu moratus est. Dein Cardinalis, exin Papa, ob commercium *Olim pia*, quæ uxor fratris ejus fuerat, & Pontificatum, vivente Innocentio, pro nutu administrabat, etiam apud suos, pessimè audiit. Obiit an. 1655. æt. 81. Successit Alexander VII. Vid. *Vitam Olympiæ*, Morer. *Dict. hist.*

Innocentius XI. priùs Benedictus Odescalci, Comensis, è ditione Mediolanensi, purpuram accepit ab Innocentio X. A. C. 1645. in Clementis X. locum electus est. A. C. 1676.

Innocentius Cæsarius, Vid. *ibi.*

Ino, Cadmi & Harmoniæ filia, Liberi patris nutrix, cum quâ Athamas Thebanorum rex secundas contraxit nuptias, postquam Nephele (ex quâ ille jam Phryxum & Hellen susceperat) Liberi patris furore agitata in sylvas se contulerat. Hæc, ut erat, ita revera se novercam gessit, privignosque identidem apud patrem accusans, eò compulit, ut conscenso aureo ariete fugam sibi consulerent. Quam rem ægrè ferens Juno, Athamanti Furias immisit, quæ in tantam eum adegerunt rabiem, ut cùm Ino ad se accedentem aspiceret, hanc quidem leænam, filios suos autem catulos ejus esse arbitraretur, atque raptum Learchum alterum ex filiis saxo illiserit, idem in uxorem exemplum editurus, nisi illa, arrepto Melicerte filio altero, unà cum illo in mare se abjecisset, ubi Deorum miseratione in Deam marinam est transmutata, quam Græci *Leucotheam*, Latini verò *Matutam* vocant. Melicertes autem in Palæmonem, quem nos *Portunum* nominamus. Ovid. *Met.* 4.

Flebilis Ino. Horat. *in art. Poet.*

Inopus, Deli insulæ fluvius, quem credunt incolæ occulto meatu ex Nilo ad se venire: heic Dianam & Apollinem Latona peperit; ideo locus tribus gratus est Numinibus. Ejus meminerunt Plin. Strabo, Pausanias *in Corinthiacis*, Homerus, Callimachus, Val. Flacc. *lib.* 5. *Argonaut. Vers.* 105. ΟΙΝΩΠΟΣ legit lexicon Phavorini.

Inquisitionis origo & progressus. Christianam Religionem, solâ quondam simplicitate venerandam, mox aggregati diversæ Philosophiæ Professores, suæ quisque doctrinæ placitis, tum Judæi, Græci, alii, patriis ceremoniis instruxere; quò Majestatem Sacrorum, haud frustra repertam, in meliores usus verterent. Sed hæc libera diu & privato singulorum, aut Ecclesiarum, arbitrio sumta, paulatim aucto usu, docentium facundiâ, Conciliorum suffragiis in legem ac necessitatem mutata; subnascente

tempo-

temporum barbarie, perque cœcas disputandi ambages facilè defendebantur. Atque interim Episcopi Rom. amotis Asiæ Ægyptique urbibus, & æmulatrice Byzantio regnum quoddam sacrorum, sibique summam Imperii, Cardinales assessores, inde longam potestatum seriem stabiliverunt. Postquam sic divina sui juris fecere, nova edere decreta, vetera interpretari, sacros libros vulgi manibus excutere, perniciosum dictantes, si rei maximè judicium indocta curiositas acciperet. Ita promtum cuncta suos ad honores & quæstum componere; sacerdotumque licentiâ eò vitiorum deventum est, ut remediis opus & ipsi faterentur. Sed subitâ literarum luce, quæ novo vulgandi reperto seculorum caliginem dispulerat, exstiterunt, qui cœteris cum artibus purgare religionem polliciti, res cunctas ad sacrarum literarum testimonia, veteris Ecclesiæ more, revocarent. Tum Romani Pontifices, eò egressi, ut jus solertiâ partum terrore munirent; quæ Principes in perduellionis reos dura atque acerba constituerent, eadem volucre in eos, qui decretis suis obluctarentur, ut Deo rebelles, usurpari. Nec tantùm Episcopis injunctum, suam ditionem lustrare, sed & mos ipsis; quò visum insuper mittere *Quæsitores* amplissimâ potestate, quæ res initium ante annos ferme 500. cepit. Hi adsessores sibi pro arbitrio adsciscere, quosvis quacunque in potestate constitutos, sacramento interrogare. Eâ arte non domuum modò, sed & animorum arcana penetrantur, cùm ut quisque perjurii metuens, ita se maximè prodat. Quanquam & aliàs latere vix possunt, quibus ante divina simulachra panemque sacratum in templo, aut ubi publicè circumfertur, procumbere religio est. Suspicio ad carcerem, indicium leve ad torquendum satis. Nec saltem testes audire reo, aut refellere, concessum; quasi testibus ipsis ac veritati inde periculum foret. Judicibus profanis permissum, duntaxat sacerdotali sententiâ damnatos punire, quorum multi suppliciorum sævitiâ, velut pietate, certabant. Sed omnium acerrimè per Hispaniam quæstiones habitæ, electis ei ministerio Dominicanis veteri instituto adversus Hebræos & Mauros, qui, coacti à Regibus Christianos ritus subire, ad ejuratos errores furtim relabebantur. Quod primò haud ingratum barbaricarum gentium odio, inde promiscuè cunctis incubuit, mirâ indagandi sagacitate: custoditi quippe sermones, etiam silentium, fallaces amicitiæ, & à latere accusator; ut jam facilè appareret, neminem esse tam innocentem, qui illis invitis posset salutem & dignitatem tueri. Hinc in Hispania, & per omnem ferè Italiam, gravissimi motus, in ipsa quoque Roma, excitati: inprimis sub mortem Pauli IV. cùm novus Inquisitionis carcer incensus est à furente plebe, parumque abfuit, quo minus Dominicanorum cœnobium eodem impetu raperetur. Anno Chr. 1559. In Germania, ubi Robertus Bulgarus & Conradus de Marpurg *Inquisitionem* exercebant, anno Chr. 1230. Orthodoxiâ sub ferri candentis examen revocatâ, innumeri perierunt. In Belgica de religione primus omnium Carolus V. edixit, postquam auditum Wormatiæ Lutherum damnaverat. A multis ad sanguinem ventum est, ob judicum lenitatem repetitæ septies & intentæ leges: quo pacto carnificata hominum non minus CM. Philippus patri cœpta instantius ursit, asperatis edictis: Primique ibi Inquisitores Ruardus Tapertus, & Michaël Drutius erant: quibus succenturiati Petrus Titelmannus, Guil. Lindanus & Sohnius. Quæ hinc sequuta, ut & plura de *Inquisitione* vide apud Hugonem Grotium, ex quo pleraque desumta, *Annalium l.* 1. Thuanum *Histor.* Librum *de Inquisit. Hispan.* & supra, in voce *Belgæ, Germania, &c.*

Insignia, sunt in specie *arma gentilitia*, Gallis *Armoiries*, Anglis *Armes*, Germanis *Waapen*: etiam simpliciter Latinè *Arma.* Nihil enim hodierna sunt insignia, quàm arma à Majoribus, in spectatæ virtutis vel egregii facinoris memoriam servata atque ad posteros transmissa. In genere inventa sunt, ut inservirent illa rebus tum sacris, tum profanis significandis & distinguendis: Sic sceptra & virgæ Diis apud Ethnicos olim tributæ: in specie Jovi aquila & fulmen, quæ ideò divinitatis & apotheoseos symbola passim in nummis, Augusti præsertim, apud Goltzium occurrunt: Junoni pavo, qui proin fœminarum consecrationem in nummis denotat, additus: Palladi noctua, unde nummus æreus Antonini Pii cum aquila, pavone & noctua, in cimeliarchio Feschiano: Neptuno delphinus & tridens, ut patet ex nummis Agrippæ & Hieronis Siciliæ R. Veneri Cupidines: Herculi clava & exuviæ Leonis, in nummis inprimis Commodi: Baccho tigris, botrus & thyrsus: Apollini tripus, lyra & corvus, in nummis Neronis: Marti hasta & tropæum: Cereri spicæ ac tædæ: Æsculapio serpens: Leones Cybeli, cum crotalo seu tympano: Dianæ canes, cervi ac pharetra: Serapidi canistrum: Sistrum Isidi, &c. Apud Romanos Ethnicos Sacerdotum insigne fuit apex vel tutulus: Augurum lituus: Vestalium vitta: quæ cum infula, fuit quoque commune Sacerdotum, maximè sacrificantium, insigne: ut taceam simpulum, secespitam, capedinem, aspergillum, & pateram, quæ nummi & lapides passim exhibent. Apud Christianos veteres, in genere, crucis signum in frequenti fuit usu, quam notam à Gentilibus eos accepisse asserit Fortunius Licetus *lib. 6. de Lucer. antiq. cap.* 48. cum Laurentio Pignorio *Symbol. Epistol. cap.* 24. & Casalio *de Ritib. Christ. cap.* 1. cum quibus facit Athanasius Kircherus *in prodromo Copto capite ult.* qui apud Ægyptios quoque figuram crucis seu *Tau* antistati Serapin aliosque eorum Deos manibus plerunque tenuisse, refert *in Oedipo Ægypt.* In specie Sanctis corona capiti circumfunditur, occasione fortè ex Ethnicismo petitâ, cùm radiata Imperatorum capita sæpius in nummis appareant, Vide Baron. *in Annal. ad An. Chr.* 44. *circa finem.* Pontificum insignia sunt, corona Papalis, quæ quia nunc triplex, *Triregnum* vocatur: item claves, stola Papalis, sandalia cruce figurata, equus albus, triplicis crucis prælatio, & gladius. Scutis verò propriis ac familiaribus demum Pontifices uti cœperunt, sub Bonifacio VIII. Cardinalibus insignium loco sunt, pileus & galerus ruber, cruce insignitus: Patriarchis, Primatibus & Archiepiscopis pallium, & crux, atque olim lampas: Episcopis croceus seu pedum & mitra, quæ alba olim & linea, à 600. autem annis auro gemmisque ornari consuevit: Item galerus viridis. Abbatum plurimi ex peculiari privilegio insignia quoque Episcopalia seu Pontificalia habent, primusque Bertholdus Abbas Fuldensis circa annum Chr. 1135. mitrâ, baculo, annulo, aliisque Pontificalibus instrumentis ab Innocentio II. donatus legitur, &c. In secularibus, summæ dignitatis, purpura insigne fuit: unde Romulus, ut nascentis Imperii initia augustiora redderet, tunicam purpuream togamque prætextam sumsit. Præter hanc Imperatoribus ignis prælatio, diadema, sceptrum, coronæ aureæ, quarum primus ab Hetruscis usus fluxit, sellæ seu solia, equus, fasces lauro exornati, ensis, pomum aureum, crux, aliaque splendorem circumdedere. Quæ eadem ferè Regum quoque insignia sunt, præsertim à quo clausam etiam coronam, olim Imperatorum propriam, usurpare cœperunt. Ducum in genere insigne corona seu circulus est laminæ aureæ lapillis pretiosis distinctæ, ex quo flores & folia undique surgunt. In specie Electores dignitatis suæ signum gerunt pileum coccineum & togam: Archiduces pileo addunt latum semicirculum aureum regiæ coronæ gemmis distinctum, cum cruce Imperiali: Iisdem coronis, quas *Ducales* Galli appellant, Landgravii quoque, Marchiones, Comites atque etiam Barones in Germania, nullo ferè discrimine exornantur. Sed extra illam Comitum Marchionumque corona circularis est lamina, cui tres lapilli hærent: Barones verò non laminam integram latamque sed tenuiorem ac restrictiorem, ac veluti circulum sive gracile vinculum aureum dignitatis insigne gerunt, &c. Ut de reliquis dignitatum officiorumque gradibus nil dicam. Sunt & Gentibus integris familiisque sua insignia: quorum doctrina sub Carolo Magno adumbrata, sub Henrico Aucupe ejusque posteris perpolita, in ludis Equestribus invaluisse videtur. Plura *de Insignibus* vide apud Limnæum *de Jure Publ.* Joh. Boisseau *Prompt. Armorial. part.* 1. *chap.* 11. Garsiam *de Magistrat. lib.* 4. *cap.* 5. Vaschalium, Chassanæum *gl. mundi*, Phil. Moreau *en son tableau des armoir.* alios, quibus adde insignem *de Insignibus dissertationem* Sebastiani Feschii Basiliensis J.U.C. excusam Basileæ, an Chr. 1672.

Instejus capito. Castrorum in Armeniâ, sub Corbulone, præfectus. Tacit. *lib.* 13. *cap.* 39. Vulgò legebatur *Istejus.* Sed commodiùs pro eo legi posse *Attejus* adnotavit Muretus.

Insubres, pop. Galliæ Transpadanæ, inter Sessitem & Adduam flumina contenti, Polyb. Strab. Plin. & aliis: quorum regio *Ducatus* seu *Stato di Milano* solet appellari; sed Ducatus Mediolanensis magis patet, partem Liguriæ complectens, quæ ab illis Pado secernitur: Alexandria enim, Dertona, & Bobium, urbes Ligusticæ in Ducatu prædicto censentur. Regio *Insubria* apud Livium & alios appellatur; à Liguria Pado, à Venetis Adduâ, à Gallia Subalpina seu Pedemontano Principatu Sessite fluvio divisa, estque Galliæ Cisalpinæ regio. Populi Polybio Ἴσομβρες & Ἴσομβροι. Apud Plut. *in Marcello* corruptè Ἴβηρες, quod genuinum paulo pòst sequitur Ἰσόμβρας & Ἰνσόμβρους. Apud Strab. verò *lib.* 5. sunt Ἴνσουβροι & Σύμβροι. Latini *Insubres* vocant. De quibus vide omnino Cluv. *Ital. Ant.* 1. 23. & supra. Est etiam *Insubria* pagus agri Mediolanensis, ad Oronam fluviolum, *Seprio* vulgò, testibus Castilionæo & Merula, inter Mediolanum 18. & Varesium 12. mill. pass. occurrens.

Urbes Insubriæ:

Comum, quod & novum Comum, *Como.*

Cremona, in Cenomanis, sic vulgò, Episcopalis sub Archiepiscopo Mediolanensi.

Laus Pompeja, *Lodi.*

* Mediolanum, *Milano.*

Novaria, *Novara.*

* Papia, quæ & Ticinum vetus, *Pavia*, Episcopalis & Academia.

Viglebanum, *Vigevano.*

Insula, sive *Insula*, *l'Isle* Gallis, *l'Illa* Italis, *Ryssel* Belgis, urbs Belgii præclara mercimonio, in Flandriæ primis habita, inter Tornacum 5. & Duacum 8. leucis, ab Hypris 6. in Meridiem, in Artesiæ & Hannoniæ confiniis, Ferrar. Baudrando *Insula*, seu, & meliùs, *Insulæ*, *Lille* Gallis, urbs est ampla & dives, Belgii & Flandriæ Gallicanæ caput, ad amnem *Deule.* A Balduino Comite Flandriæ, muro cincta, arce munita & Collegio Canonicorum ornata, qui quoque in templo S. Petri ibi à se quoque extructo, sepultus est an. Chr. 1067. Fortiter expugnata fuit à Philippo Augusto Gall. R. post triduanam obsidionem, ut & anno 1667. à

 Ludovi-

Ludovico XIV. Francorum Rege, cui postea cessit pace ad Aquisgranum confectâ, à quo tempore Gallici Juris effecta est cum toto tractu adjacente seu Castellania satis ampla. Arcem iterum habet nuper excitatam. Germanis quoq; *Rüssel* dicitur. Nomen habet à situ, quòd inter Letiam *la Lis*, & Deulam, qui in Letiam ad Deulæmundam effluit, & insulam intersecat, posita est. 5. leucis distat ab Hypris, & 6. à Duaco, 4. autem ab Artesiæ limite. Incolæ Lat. *Insulenses*, vulgò *l'Islois*: ager urbi subjectus *Castellania Insulensis* appellatur, longè lateque patens. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Guicciard. *descr. Belg.*

Insula, vulgò *Isola*, urbs parva regni Neapolitani, in Calabria ulteriori, Episcopalis sub Archiepiscopo Siberinensi, in ora maris Jonii, prope Lacinium promuntorium. 15 milliaribus distat à Sanseverina in Austrum. Vellejo Paterculo *Æsulum*, aliis *Esula*. Horat. *lib.* 3. *Od.* 29.

Ne semper udum Tibur & Esulæ
Declive contempleris arvum, &c.

Insula, pars Geocosmi est, aquâ circumflua: cui opponitur *Continens*. Harum origo mundo coæva est, Vide Gen. *cap.* 10. *vers.* 5. Sirac *cap.* 43. *vers.* 25. Gryphiandrum *de Insulis cap.* 6. Neque probabile est, magnas illas Insulas, Islandiam, S. Laurentii, alias à Continenti remotiores, Oceani violentiâ demum emersisse, aut à Continenti abscissas fuisse, cùm immensæ in illis rupes, in quas nullæ Oceano vires sunt. Vide Voet. *Tom.* 1. *Disp. de Creat. p.* 661. De minoribus tamen dubium non est, earum quasdam progressu temporis enatas quasdam iterum evanuisse. Vide Plin. *N. H.* Et præt. sec. An. 1538. juxta Azores Insulam long. 5. mill. emersisse, narrat Kircherius *M. S. lib.* 2. *cap.* 12. 26. Unde quæ Plato olim de Atlantide, quam inter Azores & Canarias extitisse quidam volunt, scripsit, non adeò à vero remota videri possunt. Europæarum Borealissima Islandia est; de qua ut & reliquis, vide Becmannum *Hist. Orbis Terr.* Neque fluvii suis Insulis carent, qualis in Danubio Insf. Scuta *Schutt*, celebri Comaræ fortalitio instructa: Insulas Volgæ Olearius recenset plurimas, in quarum ea, quæ *Dolgoi* vocatur, Astracanum urbs sita est. Similes in Nilo deprehenduntur, aliisque majoribus fluviis: Item in lacubus, ut in Zembre Africæ lacu, & in America Austr. ubi Ins. Plumbi in lacu sita, Varen. Earum autem quædam immotæ sunt, aliæ fluitantes, quæ à ventis hinc inde agitantur. Talem Camdenus commemorat in lacu Scotiæ *Loumond*, similesque in Germania, inter Vilsecam & Weidam, à ventis circumagi tradit *Britann. p.* 666. Kircherus, in lacu Alberico, haud procul Roma, sedecim ejusmodi Ins. fluctuantes, *Barchettas* nomine, conspici tradit, *Mund. Subt. lib.* 5. *s.* 4. *p.* 239. Talis quoque in lacu, juxta opp. Audomarum, in Gallo-Belgica provincia. Sic ad pagum Galliæ *Undres*, quæ prima eorum statio, qui celeribus equis Bajonâ Burdigalam proficiscuntur, lacus est *Ors*, in quo insula pascuis apta, quæ sæpius ab uno latere in alterum fertur, Furner. *lib* 6. *cap.* 38. Inter fictitias, vel mollius, dubias Insulas, recenseri solent: Ins. S. Brandani, qui Scotorum Sanctus fuit, aliàs Brondonis, vel Borondonis, Hisp. *la Incantada* & *la Non rovada*. Hanc nautæ Lusitani opinantur jacere 100. mill. à Canariis Ins. versus Occidentem, ad quam frustra è Canariis sæpe navigatio suscepta. Ei similis Ptolemæi Ins. ἀπρόσιτος seu Inaccessa, quam hodie Teneriffam esse, suspicatur Vossius. Sic Frislandia Ins. soli Nicolao Zeno Veneto memorata, qui anno Chr. 1380. eò naufragus appulisse dicitur, nullis navigationibus hactenus inveniri potuit. Ejusdem notæ sunt Insulæ Elysiæ, seu Beatorum, quas vett. Britanniam inter & Orcades posuere, de quibus vide Camdenum *descr. Ins. Brit.* Cognati *Insulis* sunt Pulvini, Hispan. *Baixos* & *Abrolhos*, i. Aperi oculos, Belg. *Droogten*, & *Sandbancken*: Sunt illi, in tabb. spacia ista punctata, quæ mari passim inscripta videntur, in ipso Oceano, arenosa spatia vel extra superficiem eminula, vel in aqua latentia, quæ naves remorantur. Tales Pulvini Brasiliæ, *Abrolhos de Brasilia*, 70. mill. à littore Brasiliæ: Pulvini S. Annæ ad Guineam Africæ siti; *Baixos de Judaa*, *Baixos de Patram*, *Baixos S. Miguel*, *&c.* in Oceano Indico. De Isthmis & Peninsulis infra, in vocibus *Isthmus* & *Peninsula*.

Insula Arpinas, vulgò adhuc *Isola*, oppidulum Latii, apud Arpinum oppidum, intra Fibreni fluvii alveos; cujus meminit Cicero *epistola* 1. *ad Atticum libro* 12. Ferrar. Baudrando fuit oppidum aliàs Volscorum, nunc castrum est tenue regni Neapolitani, *l'Isola*, in provincia Terræ Laboris, in insula parva Liris fluvii, vix 3. milliaribus ab Arpino in Occasum, & totidem à confinio ditionis Pontificiæ, 5. autem à Sora in Austrum. In hac insula celebre fuit aliàs monasterium S. Dominici: unde locus sive insula nunc vulgò *S. Domenico di Sora* dicitur; ubi Ecclesia superest cum exiguo hospitio, teste Luca Holstenio.

Insula Atlantis Platoni, quid sit non certò constat. Sed Sanson pluribus probare nititur eandem esse regionem, quæ nunc recèns detecta ab Europæis, ab ipsis vocata fuit America, seu aliter Indiæ Occidentales: quod etiam plurimis conjecturis non caret. Regio est perampla, & valdè à Septentrione in Meridiem extensa, sub duarum amplissimarum peninsularum forma. Sed an sit continens aut insula versùs partem Borealem, nondum constat. Vide *America*.

Insula Barbara, longa passus 1200. lata 300. prope Lugdunum Galliæ, Arare in duos ibi alveos se findente, facta: Vulgò *l'Isle-Barbe*. Ibi vetus Monasterium ante an. 1200. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Insula Bocardi, *l'Isle Bouchart*, oppidum Galliæ, in insula Vigennæ fluvii, in Turonensi provincia & in limite Pictavensi. Septem leucis distat à Cæsaroduno Turonum in Circium, Mirabellum versùs.

Insula Franciæ, *l'Isle de France*, provincia Franciæ satis ampla, & una ex præcipuis regni Præfecturis, inter Picardiam ad Boream, Campaniam ad Ortum, Normanniam ad Occasum, & Belsiam ad Austrum. In ea comprehenduntur agri Bellovacensis, Noviomensis, Suessionensis, Laudunensis, Valesium, Vexinus Francicus, Francia propriè dicta, Hurepesium & Vastiniensis tractus, cum minori parte Briæ. Ejus præcipua urbs est Lutetia, *Paris*, totius regni caput & sedes regia.

Insula Jordani, *l'Isle en Jourdain*, urbs parva Galliæ, in Aquitania, ad Savam fluvium, in Ariminiaco tractu 5. leucis distat à Tolosa in Occasum Auscios versùs.

Insula Sacra, Procop. *Meza Paludosa*, teste Leandro, in insula Latii, quam apud Ostiam urbem excisam, inter illam & Portum, Tiberis fluvius divisus efficit. Insula item Tiberina, quæ & Lycaonia, Romæ, vulgò *di S. Bartholomeo*, sub monte Aventino. Cujus meminit Ovidius *lib.* 1. *Fast.*

Insula S. Columbani, in Scotia Occidentali, prope Mulam, parva est admodum, sed satis culta, *Cholmkill* vocata, in qua castrum Sodora dictum, ubi degit Episcopus insularum Occidentalium Scotiæ; ibi etiam Regum tumuli, in quorum primo sunt corpora Scotiæ Regum 48. in secundo Regum Hiberniæ quatuor, & in tertio Regum Daniæ, ubi Reges octo. Insula verò, quæ Rona etiam dicitur, ferè adjacet promontorio Australi Mulæ insulæ, vix ab eo uno milliari Scotico distans.

Insula S. Julii, P. Diac. *Isola di S. Giulio*, intra lacum Hortanum, ubi Horta oppidum Novariensis Episcopi, à Novaria 24. mill. pass.

Insularum maris Ægæi ordo, situs, distantia, & magnitudo, uti apud Neotericos.

Cythera, vulgò *Cerigo*, 60. mill. pass. circuitu, cum urbe Archiep. à Malea promuntorio Peloponnesi 5. mill. pass. à Creta 60. Ferr. Baudrando circuitus est 50. mill. pass. & 18. distat à Malea promuntorio. Portum habet capacem Delphinum dictum; subestque dominio Venetorum.

Creta, vulgò *Candia*, longa inter Occasum & Ortum 225. mill. à Peloponneso 65. in Ortum & Eurum recedens, circuitu 600. urbs Archiepiscopalis Matium, Episcopales Cydon, Rhithymna, Cytæum, Milopotamus, Chersonesus, Hierapetra, & aliæ aliquot apud Græcos. Ferrar. Baudrando dicitur *la Candie* Gallis, *Candia* Italis, totiusque Ægæi latissima est, & ab Ortu in Occasum extensa, sed multò minor à Septentrione in Meridiem, maximè versùs Sitiam, ubi multùm restringitur, & vix ad aliquot milliaria dilatatur. Tota montuosa est & valde aspera. In quatuor partes dividitur; eratque antea sub dominio Venetorum, nunc autem Turcis paret à paucis annis, Venetis ægrè Sudam & Spinam longam arces littorales servantibus. Vide *Creta*.

Carpathus, vulgò *Scarpanto*, circuitu 60. m. p. à Creta 20. recedens. Ibi Episcopus Græcus.

Rhodus, vulgò *Rhodi*, à Carpatho in Ort. 70. m. p. circuitu 100. Urbes duæ, Rhodus & Lindus: Metropolitam habet. A Caria 20. mill. pass. abest.

Cos & Coos, vulgò *Lango*, à Rhodo in Boream 70. mill. pass. circuitu 100. In ea Metropolita ritus Græci, Ferrar. Baudrando nunc castrum habet munitum; eratque aliàs sub dominio Equitum Rhodiorum seu S. Joannis Hierosolymitani. Patria fuit Hippocratis Medici celeberrimi.

Astypalæa, vulgò *Stampalia*, à Co 50. m. p. circuitu 60. Non Episcopum, sed Legatum habet. Circumstant hæ tres:

Syme, vulgò *Simie*, circuitu 25. mill. pass. à Rhodo 20.

Leros, vulgò *Lero*, circuitu 25. mill. pass. Cariæ proxima. Urbem habet & duas arces. Tota montuosa est; & suberat olim Equitibus Rhodiis.

Nisyros seu Nysiros, vulgò *Nisaro*, circuitu pariter 25. mill. pass. proxima Gnido urbi.

Pathmos, vulgò *Palmosa*, circuitu 30. mill. pass. ab Astypalæa 70. Ibi cœnobium S. Joannis Evangelistæ, & specus, ubi is Apocalypsim scripsit.

Samos, vulgò *Samo*, circuitu 80. mill. pass. à Pathmo 20. proxima Joniæ.

Icaria, vulgò *Nicaria*, circuitu 70. mill. pass. à Samo 18. longè aliter distans apud veteres. Legatum habet loco Episcopi. Dicitur etiam *Nicouri* à quibusdam.

Amorgus, vulgò *Amurgo*, vel *Morgo*, circuitu 36. mill. pass. ab Icaria 40. Circumstant insulæ parvæ, Crusa, *Crusia*, & Furni. Præest Legatus.

Anaphe, vulgò *Nanfio* & *Napi*, circuitu 25. mill. pass. ab Amorgo 30. Ibi Legatus pro Episcopo residet.

The-

Therasia, vulgò *Santorini*, circuitu 40. mill. pass. ab Anaphe 18. Habet Episcopum Latini, & Græci ritus. Tametsi Therasia modica insula est proxima, adhuc nomen retinens. Fortè gemina est; magna, quæ *Santorini*, duabus urbibus constans, & parva, quæ nomen antiquum retinet. Hæ nuper emersisse feruntur, hoc est, una abhinc 100. annis, altera 50. Ibi mare profundissimum, & ingentes strepitus exaudiuntur, Ferrar. Baudrando Insula hæc *Santo Erini*, dicitur Gallis *Saint Erin*; estque parva, sed probè culta. 18. m. p. ab Io insula distat.

Ios, vulgò *Nio*, circuitu 60. mill. pass. à Therasia 18. Ibi Legatus residet.

Sicinus, vulgò *Sicino*, circuitu 25. mill. pass. ab Io 5. Legatum habet.

Philocandros, vulgò *Policandro*, circuitu 38. mill. pass. à Sicino 6. Ibi Legatus moratur.

Melos, vulgò *Milo*, circuitu 60. mill. pass. à Phicandro 25. Ibi Archiepiscopus Latinus & Græcus, Ferrar. Baudrando 12. mill. pass. distat à Philocandro; eique adjacet altera insula Antimilus dicta, ad 10. milliaria.

Cimolos, vulgò *Cimolo*, (aliis *Polino*) circuitu 25. mill. pass. proxima Melo, vix 2. mill. pass. distans.

Siphnos, vulgò *Sifano*, circuitu 40. mill. pass. à Cimolo 8. Ibi Episcopus Latinus, & Legatus Græcus, Ferrar. Baudrando *Sifane*, 8. mill. pass. distat à Seripho in Meridiem; probè culta est, cum urbe satis ampla in colle.

Seriphus, vulgò *Serfo*, vel *Serphone*, circuitu 30. mill. pass. à Siphno 12. Legatum habet, Ferrar. Baudrando *Sirfino* seu *Serfente*, insula est probè culta, 6. mill. pass. distans à Theramnia insula.

Theramnia, vulgò *Thermnia*, circuitu 60. mill. pass. à Seripho 12. Ibi geminus Episcopus, Latinus, & Græcus, Ferrar. Baudrando, *Teramia*, seu *Fermenta*, circuitus est 25. mill. pass.

Hydra, vulgò *Idra*, circuitu 20. mill. pass. à Theramnia 30.

Poros, vulgò *Poro*, circuitu 15. mill. pass. ab Hydra 40.

Salamis, vulgò *Coluri*, circuitu 18. mill. pass. à Poro 15.

Ægina, vulgò *l'Engina*, circuitu 40. mill. pass. à Salamine 6. Habet Archiepiscopum.

Helena, & Macris, vulgò *Macroniso*, circuitu 30. mill. pass. totidem ab Ægina distans in Ortum.

Cea & Cia, vulgò, *Zea*, circuitu 80. mill. pass. ab Helena 25. Ibi geminus Episcopus, Latinus & Græcus, Ferrar. Baudrando circuitus est 35. mill. pass. & probè culta, 25. mill. à Tura insula distans.

Euboea, vulgò *Negroponte*, circuitu 300. mill. pass. à Cea 30. Duas urbes Episcopales habet, Chalcidem & Carystum. Atticæ ponte jungitur; sub quo mirus est maris fluxus & refluxus.

Scyros, vulgò *Sciro*, circuitu 60. mill. pass. ab Euboea in Boream 40. cujus Episcopus Archiepiscopo Atheniensi subest. Magnesiæ adjacet, Ferrar. Baudrando *Sciro* seu *George de Sciro*, circuitus est 70. mill. pass. & 28. distat ab Euboea insula.

Scopelos, vulgò *Scopulo*, circuitu 30. mill. pass. quot à Scyro distat, Ferrar. Baudrando, *Scopeli*, 5. milliaribus distat à Sciatho; estque satis culta.

Sciathos, vulgò *Schiato*, circuitu 20. mill. pass. Episcopum habet, Ferrar. Baudrando *Schiatti* deserta est, & incolis caret.

Lemnus, vulgò *Lemno* & *Stalimene*, circuitu 65. ab insulis parvis inter ipsam & Sciathon ad 30. mill. pass. recedens. Ibi Episcopus Græcus, Ferrar. Baudrando *Stalimini*, circuitus est 120. mill. pass. 50. distat à monte Atho, & urbem habet cognominem in parte Occidentali insulæ.

Thasos, vulgò *Tasso*, circuitu 30. mill. pass. totidem distans à Lemno in Boream.

Samothrace, vulgò *Samandrachi*, circuitu 30. mill. pass. quot abest à Thaso in Ortum, sub Metropolita Imbri.

Imbros, vulgò *l'Embro*, circuitu 60. mill. pass. à Samothrace 12. Metropolitam habet.

Tenedos, vulgò *Tenedo*, circuitu 20. mill. pass. ab Imbro 25. in Ortum. Ibi Legatus residet.

Lesbos, vulgò *Metelin*, circuitu 140. mill. pass. à Tenedo 60. in Meridiem. Ibi duæ urbes cum duobus Episcopis, & uno Metropolita.

Chios, vulgò *Scio*, circuitu 100. mill. pass. à Lesbo 40. in Austrum. Habet Episcopum Latinum & Archiepiscopum Græcum.

Psyra, vulgò *Psara*, circuitu 18. mill. pass. à Chio 12. in Occasum, Ferrar. Baudrando Insulæ *Psyræ*, duæ sunt: una major ad Ortum, *Pissera* dicta, circuitus 20. mill. pass. cum castro munito: alia ad Occasum, à prima 4. mill. tantùm distans in Occasum, dicitur *Antipissera*, & circuitus est 10. mill. pass.

Andros, vulgò *Andro*, circuitu 100. mill. pass. à Psyra in Occasum 80. Duos habet Episcopos, unum Latinum, alterum Græcum, Ferrar. Baudrando *Andria*, circuitus 40. mill. pass. & probè culta, 4. mill. pass. à Teno in Occasum.

Tyra, vulgò *Tura*, circuitu 18. mill. pass. ab Andro 12. Ibi Episcopus Latinus.

Syros, vulgò *Siro*, proxima Tyræ, 6. mill. pass. distans, cujus pop. & Episcopus Latini ritus est.

Tenos, vulgò *Tina*, à Syro 18. mill. pass. proxima Andro, circuitu 70. mill. pass. sub Venetis, cum Episcopo Latini ritus, Ferrar. Baudrando Insula Tenos, *Teno*, circuitus est 35. mill. cum arce permunita in monte, sub Venetis.

Myconos, vulgò *Micoli*, circuitu 20. mill. pass. à Teno 12. in Austrum distans, sub Metropolita Naxio. Sub Venetis.

Naxos, vulgò *Naxia* & *Nixia*, vel *Nicsia*, circuitu 100. mill pass. à Mycono 30. Ibi Metropolita Græci ritus, & Episcopus Latinus, Ferrar. Baudrando ampla est & perculta, 20. mill. pass. ab Amorgo in Boream; habetque urbem primariam ad Occasum, & Archiepiscopum ritus Latini.

Paros, vulgò *Pario*, circuitu 40. mill. pass. sub Naxo, inde 4. m. p. distans in Austrum. Non longè (mill. pass.) distat Antiparos insula, circuitu 18.

Schenusa, vulgò *Scinusa*, & Heraclea, *Raclia*, insula circuitu 15. mill. pass. à Paro supra 21.

Tota itaque harum insularum prænavigatio 1245. mill. pass. continet.

Insulæ aliquot hisce ultimis temporibus detectæ:

Insula Admiralis, *Isla de Amirante* Lusitanis, *Admiraleitz Eylandt* Batavis, insula parva Africæ, in mari Æthiopico, & versùs sinum Melindæ, & ad Boream Madagascariæ, inter Syrtes & Brevia.

Insula Anniboni, *l'Isle d'Annibon*, insula Africæ, in mari Guineæ & in sinu S. Thomæ. Distat circiter 35. leucis Hispanicis ab insula S. Thomæ ad Austrum; fuitque detecta à Lusitanis, quibus etiam subest. In ea sunt tantùm aliquot vici cum turri.

Insula Anticosta seu Assumptionis, *isle Anticosti où l'Assomption*, sita est in America Septentrionali, in nova Francia & in sinu S. Laurentii, inter Terram novam insulam ad Ortum, & Canadam ad Occasum. Ejus longitudo continet 35. leucas, latitudo verò 7. circiter; subestque dominio Francorum, qui in ea aliquot habent colonias. Dicitur *Natiscotec* ab incolis illius tractus. Detecta fuit primùm à Jacobo Quartier, & 15. leucis distat à continenti.

Insula Arenæ, *Isle de Sable*, insulula est Americæ Septentrionalis, versùs oram novæ Franciæ, circuitus 15. leucarum, & 30. leuc. Gallicis distans ab insula promontorii Britonum in Austrum. Aliàs culta fuit à Francis, sed postea ab ipsis derelicta ob penuriam aquarum.

Insula Arimoa, *Arimoa Eylandt* Belgis, insula est parva maris Indici, in terra Australi & in ora Septentrionali regionis Papuorum seu Nigrorum, à qua vix distat 6. leucis in Boream. Detecta fuit à Guillelmo Scouteno Batavo an. 1616.

Insula Ascensionis, *ilha d'Ascemçan* Lusitanis, insula est Americæ Meridionalis versùs Brasiliam, à qua centum circiter leucis Hispanicis distat in Ortum, nempe à Præfectura Spiritus sancti; totaque montuosa est & inculta, & ei adjacet altera insula minor.

Insula Avium, *Isla de Aves*, insula est parva Americæ, in mari Boreali, & versùs oram Venezuelæ regionis, inter insulam Rupium ad Ortum & insulam Boni aëris ad Occasum. Ei adjacent septem aliæ insulæ minutæ admodum.

Insula Avium, *Ilha de Aves* Lusitanis, *Isle des Oyseaux* Gallis, insula est parva Archidolii maris, seu maris Pacifici, inter insulas Latronum ad Boream, & novam Guineam ad Austrum.

Insula Barnevelti, *Barnevelt Eylandt*, insula parva Americæ Meridionalis, à Batavis detecta anno 1616. In mari Magellanico sita est, ad Austrum terræ Ignium, & ad Ortum promontorii Hornani. Ei adjacet alia insula minor: montuosæ sunt admodum & desertæ.

Insula Batonia, *Baton Isle*, seu & *Buton*, insula est oblonga Asiæ, in mari Indico, & ad Ortum Macassaris. Extenditur à Borea in Austrum per 20. leuc. Hisp.

Insula Bona aëris, *Bonaire*, insula est parva Americæ Meridionalis, inter insulam Avium ad Ortum & insulam Curasaum ad Occasum, in mari Boreali, & versùs oram Venezuelæ regionis, à qua vix 20. leuc. Hisp. distat in Septent. subestque dominio Hispanorum. Ejus circuitus est 16. leuc.

Insula Borbonia, *l'Isle Bourbon*, aliàs Mascarenhæ, insula est maris Æthiopici fertilis admodum & abundans, versùs oram Madagascariæ, à Francis inhabitata, & hisce ultimis temporibus culta. Ibi terra perpetuò ardens. Centum ferè leucis Gallicis distat à Madagascaria insula. Ejus circuitus est 60. leucarum; & in ejus meditullio inest lacus ad radices montium, ex quo oriuntur septem fluvii.

Insula Ciampella, *Pulo Ciampello* Indis, insula est Indiæ ulterioris, in ora regni Cocinsinæ, cum altera ei adjacente, *Pulo Catan* dicta, seu Catana insula; suntque parvi circuitus, teste Brietio.

Insula Delphina, *l'Isle Dauphine*. Vide *Madagascaria*

Insula Didaci Roizii, *Isla de Diego Roiz* Lusitanis, *l'Isle de Digarrois* Francis, insula est parva Africæ, in mari Æthiopico, inter Syrtes, longè à Mauritia insula in Ortum, & longiùs à Madagascaria. Detecta fuit à Lusitanis.

Insula Divanduræ, *Divanduro*, insulæ parvæ Asiæ, in Archipelago Maldivarum. Subsunt dominio Regis Cananoræ, in Mala-

Malabaria; & distat 30. leucis à Malecutia, una ex Maldivis insulis in Boream. Sunt quinque.

Insula Ferdinandi Noronhæ, *Ilha de Fernando de Noronha*, insula est Americæ Meridionalis, in mari Brasilico, satis parva, & vix circitus 4. leuc. 70. leuc. Hispan. distat in Ort. à proxima continente Brasiliæ, nempe à præfectu a Fluvii magni; estque satis cul ta à paucis annis. Ei adjacet alia insula minor, dicta insula Ignis.

Insula Ferdinandi Pai, *Ilha de Fernando Pao*, insula Africæ, in mari Guineæ & in sinu S. Thomæ, circuitus 26. leucarum circiter, sub dominio Lusitanorum, cum aliquot pagis & arce, 40. milliaribus distat ab ora regni Benini in Austrum, & paulò minùs ab ora regni Biafræ in Occasum.

Insula Fortunæ divinæ, *Iland of Good Fortuyn*, insula ampla Americæ Septentrionalis, prop fretum Hudsonium in Ortum, ab Anglis detecta dum illas partes lustrarent; estq; pars terræ Arcticæ.

Insula Fortunæ divinæ, *Goede Fortuyn Eyland*, insula est parva & oblonga Oceani Indici, prope oram Occidentalem Sumatræ insulæ, à qua 30. leucis Germanicis distat in Occasum, uti & 20. à Nassavia Insula.

Insula Guillelmi Scouteni, *Willems Schouten Eyland*, insula est Oceani Indici maximè ad Ortum & Austrum, prope oram littoralem Terræ Papuorum in nova Guinea, versùs mare Pacificum. Detecta fuit à Batavis an 1616.

Insula Hornia, *Hoornse Eyland* Batavis, insula parva maris Pacifici, sed fertilis, à Jacobo Maërco detecta anno 1616. Distat circiter 1600. leucis Germanicis ab ora Peruvii in Occasum Asiam versùs.

Insula Joannis Ferdinandi, *Islas de Juan Fernandez* Hispanis, insulæ duæ satis parvæ, sed fertiles Americæ Meridionalis, in mari Pacifico & versùs oram regni Chiles: ex quibus Orientalior & minor dicitur *Isla de Fuera*, major autem, quæ & Orientalior, dicitur *Isla de Tierra*; suntque probè cultæ.

Insula Joannis Majeni, *Jansz Mayen Eyland*, insula Oceani Borealis, versùs Spitzbergam & terras Arcticas, à Batavis detecta anno 1616.

Insula Latronum, *Ilhas de los Ladrones* Lusitanis, *Isles des Larrons* Gallis, insulæ quamplurimæ inter Oceanum Orientalem & mare Pacificum, quæ aliter dicuntur *Ilhas de las Velas*, ubi Archipelagus S. Lazari; suntque viginti majores numero à Septentrione in Meridiem positæ, & dictæ *la Deserte*, *l'Anglois*, *Manao*, *Chemochoa*, *Gregua*, *Pagan*, *Artomagan*, *Guagan*, *Chereguan*, *Natan*, *Sepan*, *Mata*, *Volia*, *Betaba Bacim*, *de Bedima*, *des Matelots*, *des Roches* seu *Arrecifes*, & *Pulo Vilan*; suntque sui juris, & vix ab Europæis lustratæ, ac nomine tantùm notæ.

Insula Madagascaria seu S. Laurentii, *l'Isle de Madagascar*. Vide *Madagascaria*.

Insula Maonis, *Pulo Maon* Indis, *Isle Maon* Gallis, insula est parva & oblonga Indiæ, in sinu Gangetico, inter Syrtes & brevia, & prope insulam Andemaonis. Distat circiter 45. leucis Germanicis ab ora regni Peguviæ in Occasum.

Insula Martyrum, *Ilhas dos Martyres*, insulæ tres parvæ Oceani Orientalis seu Archipelagi S. Lazari, prope insulam Avium, inter insulas Latronum ad Boream & novam Guineam ad Austrum.

Insula Malicutia, *Malicut*, insula parva Asiæ in mari Indico, & una ex Maldivis insulis. Distat 40. leucis ab aliis Maldivis in Boream, & 30. à Divandura in Austrum. Circuitus est 5. leucarum circiter; & subest dominio Regis Cananoræ, in Malabaria.

Insula Mauritia, *Mauritz Eyland* Belgis, *l'Isle Maurice* Gallis, insula est Africæ, in mari Æthiopico, ad Ortum Madagascariæ, & inter Borboniam ad Occasum & Didaci Roisii insulam ad Ortum. Paucis abhinc annis à Batavis culta & munita fuit. Centum ferè leucis distat à Madagascaria in Ortum. A Lusitanis *do Cirne* nominatur; & ejus circuitus est leucarum ferè quadraginta, teste Herberto. Fertilis est admodum, abundatque omnibus ad vitam necessariis, 37. leucis Germanicis distans à Borbonia insula.

Insula Muscarum, *l'Isle des Mouches* Gallis, *het Vlieghen Eyland* Batavis, insula parva maris Pacifici, à Jacobo Maëreo detecta anno 1616. & sic dicta à muscarum copia ibi reperta.

Insula Nassavia, *Isle de Nassau* Gallis, insula est Asiæ, in mari Indico, versùs oram Occidentalem Sumatræ insulæ, & ad Austrum Insulæ Fortunæ divinæ.

Insula Nera, *Pulo Nera* incolis, insula est Asiæ in mari Indico, & una ex insulis Bandæ, in Moluccis. Subest dominio Hollandorum ab aliquot annis; estque magni proventus propter aromata.

Insula Piscatorum, *Ilha dos Pescadores*, insula parva Oceani Sinici, versùs oram insulæ Formosæ, aliàs à Lusitanis detecta & denominata. Nunc autem subest dominio Hollandorum.

Insula Principis, *Princen Eyland* Batavis, insula est parva Asiæ, in Oceano Indico, in ora Occidentali Javæ insulæ, & ad fretum Sundæ, versùs Sumatram insulam.

Insula Principis, *Ilha do Principe*, insula Africæ, in mari Guineæ & sinu S. Thomæ, inter insulam Ferdinandi Pai ad Boream & insulam S. Thomæ ad Austrum, 35. leucis Hispanicis ab ora regni Biafræ in Occasum, oblonga & satis culta. Oppidum habet cum aliquot pagis; subestque dominio Lusitanorum.

Insula Promontorii Britonis, *l'Isle du Cap Breton*, insula est Americæ Septentrionalis, in nova Francia, satis ampla & culta, ab Ortu in Occasum extensa, inter Terram novam insulam ad Ortum & Accadiam ad Occasum, in sinu S. Laurentii, cum aliquot coloniis Francorum. Dicitur etiam à quibusdam *l'Isle des Bretons*, insula Britonum.

Insula Rona, *Pulo Ron*, insula parva Asiæ, in Oceano Indico, & una ex insulis Bandæ, in Moluccis, sub dominio Anglorum ab aliquot annis. Fertilis est propter Aromatum proventum.

Insula S. Andreæ, *Isla de S. Andero*, insula parva Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, versùs oram Nicaraguæ provinciæ novæ Hispaniæ, à qua 25. leucis distat in Ortum, & 8. leucis Hispanicis ab insula Sanctæ Catharinæ in Austrum. Ejus longitudo est tantùm 4. leucarum.

Insula S. Bartholomæi, *l'Isle S Barthelemy*, insula est oblonga Americæ Septentrionalis, & una ex Antillis insulis, sub dominio Francorum, inter insulas S. Martini ad Boream & S. Christophori ad Austrum.

Insula S. Catharinæ, *l'Isle de Sainte Catherine*, insula est parva Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, versùs oram novæ Hispaniæ & provinciam Honduram, à qua distat 20. leucis Hispanicis in Ortum. Portum habet commodum & arcem; subestque dominio Anglorum à paucis annis.

Insula S. Christophori, *l'Isle de S. Christophle*, insula est Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, & una ex Antillis; aliàs à Caribis habitata, nunc autem sub dominio Francorum & Anglorum ab anno 1628. ubi plurimæ arces cum pagis. Fertilis est & abundans, sed montuosa nimis, & ejus circuitus est 36. leucarum circiter.

Insula Sanctæ Crucis, *l'Isle de Sainte Croix* Gallis, *Ay Ay* incolis, insula est Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, & una ex Antillis, inter insulam S. Christophori ad Ortum & insulam Portus Divitis ad Occasum, sub dominio Francorum ab aliquot annis.

Insula S. Eustachii, *l'Isle de S. Eustache*, insula est parva Americæ, versùs oram Borealem insulæ S. Christophori, & una ex Antillis, sub dominio Hollandorum cum aliquot villis. Montuosa est, & vix 9. leuc. circuitus, in mari Boreali.

Insula Sanctæ Helenæ, *l'Isle Sainte Helene* Gallis, insula est parva Africæ, in mari Æthiopico, à Joanne de Nova Lusitano detecta anno 1502. die sanctæ Helenæ sacra. Circuitus est 13. leucarum circiter, longissimè à quacunque alia insula remota, inter Africæ continentem ad Ortum & Brasiliam ad Occasum, sed Africæ vicinior, 500. tantùm leucis distans ab ora regni Congi. *Tota ferè montuosa est, & portu gaudet commodo; estque fertilis & abundans omnibus ad victum necessariis; ita ut dicta fuerit Taberna maris, quòd omnes naves illuc ex Indiis redeuntes in ipsa se reficerent per aliquot dies. Sed à paucis annis occupata fuit ab Anglis, qui in ea habent arcem.*

Insula nova Sanctæ Helenæ, *nouvelle Isle de Sainte Helene*, insula est parva Africæ, inter Æthiopiam inferiorem ac regnum Benguelæ ad Ort. & insulam Sanctæ Helenæ ad Occas.

Insula S. Joannis, *Isla de S. Juan*, insula est Asiæ in Oceano Indico, & una ex Philippinis insulis, prope Mindanoam insulam in Ortum, & ab ea tantùm tenui freto separata versùs Tendajam. Aliàs suberat Hispanis, nunc sui juris est.

Insula S. Joannis, *Isle de S. Jean*, insula Americæ Septentrionalis, in nova Francia, in intimo recessu sinus S. Laurentii, versùs Acadiam. Satis ampla est, & à Francis culta à plurimis annis.

Insula S. Joannis Portus Divitis, *Isla de S. Juan Puerto Ricco*, insula est ampla Americæ Septentrionalis, sub dominio Hispanorum, à quibus cum Cuba, Hispaniola & Jamaica, magnâ crudelitate expugnata fuit, circa An. Chr. 1518. in mari Boreali, & ad Ortum Hispaniolæ insulæ. Vide *Portus divitis insula*.

Insula Sanctæ Luciæ, *Isla de S. Lucia* Hispanis, *Isle de Sainte Alouzie* Gallis, insula est Americæ, in mari Boreali, & una ex Antillis insulis, sub dominio Francorum à paucis annis. Oblonga est, & à Septentrione in Meridiem extensa, inter Martinicam insulam ad Boream & insulam S. Vincentii ad Austrum, à qua vix 10. leucis distat, & 14. à Martinica.

Insula Sanctæ Mariæ, *Isle de Sainte Marie* Gallis, *Nossi Hibrahim* incolis, teste Flacurtio, insula est parva Africæ, sed oblonga, in ora Orientali Madagascariæ, ubi in Arctos tendit; & ab ea vix 10. milliaribus distat. Extenditur autem ad 60. milliaria.

Insula S. Martini, *l'Isle de S. Martin*, insula est Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, & una ex Antillis insulis, inter Anguis insulam ad Boream & S. Bartholomæi insulam ad Austr. sub dominio Francorum. Novem leucis distat ab insula S. Christophori in Boream.

Insula S. Michaëlis, *Isla de S. Miguel*, insula parva Asiæ, in

in mari Indico & prope oram Borealem insulæ Bornei, versus Paragojam insulam, à qua vix 20. leucis Hispanicis distat.

Insula S. Thomæ, *Ilha de S. Thome* Lusitanis, insula est satis ampla Africæ, in mari Guineæ, & circuitus 50. leucarum Gallicarum circiter, ferè rotunda, sed culta & abundans, sub dominio Lusitanorum, cum urbe Pavoasano, insulæ primaria & Episcopali. 45. leucis distat in Ortum à proximiori continente Africæ ac à promontorio Lupi Gundisalvi, & 35. ab insula Principis in Austrum. Detecta fuit à Lusitanis anno 1405. die 23. Decembris S. Thomæ sacra, à quo nomen sortita est. Capta fuerat ab Hollandis anno 1641. sed postea fortiter recuperata à Lusitanis, ipsis etiam subest, arcem habens quadrangularem permunitam.

Insula S. Vincentii, *Isle de S. Vincent*, insula Americæ, in mari Boreali, & una ex Antillis insulis, sub Caribis populis, inter insulas sanctæ Luciæ ad Boream & Bequiam ad Austrum.

Insulæ septem fratrum, *As sete Irmanos* Lusitanis, insulæ Africæ septem numero, parum inter se distantes, in mari Æthiopico, inter Syrtes & Brevia, longissimè à continenti Africæ in Ortum, & mediæ ferè inter Madagascariæ insulam & Maldivas insulas. A Lusitanis detectæ fuerunt, sed incolis carent.

Insula Serrana, *Isla Serrana*, insula Americæ Septentrionalis, in mari Boreali. Parva est, inter Syrtes, & media ferè jacet inter Jamaicam insulam ad Boream & provinciam Nicaraguam, in nova Hispania ad Austrum; sed inculta est & naufragiis infamis.

Insula Statuum, *het Staden Eyland* Batavis, *l'Isle ou pays des Estats* Gallis, insula est Americæ Meridionalis & Terræ Magellanicæ, inter fretum Maereum ad Occasum & fretum Brouverii ad Ortum, detecta à Batavis anno 1616. & ab Ortu in Occasum extensa; estque è regione Mauritii tractus & regionis Ignium.

Insula Talaya, *Isle de Talaya*, insula parva Asiæ, in mari Indico, & ferè media inter partem Australem Mindanoæ insulæ in Philippinis & partem Borealem Giloli insulæ.

Insula Terræ novæ, *Isle de Terre neuve* Gallis, *Isla de Terra nueva* Hispanis, insula est amplissima Americæ Septentrionalis, in nova Francia, ferè in modum figuræ triangularis, & circuitus 500. leucarum Gallicarum, prope sinum S. Laurentii. Portubus amplissimis abundat; estque satis culta, quanquam plurimis sylvis referta. In ea nullæ urbes, sed tantùm aliquot parvæ coloniæ Francorum, uti Placentia & sinus Mortuorum; estque piscatione valdè celebris.

Insula Testudinis, *l'Isle de la Tortuë*, seu *la Tortuë* Gallis, *la Tortuga* Hispanis, insula est parva Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, montuosa; sed portu gaudet commodo. Vix aliquot milliaribus distat ab ora Boreali Hispaniolæ insulæ seu S. Dominici in Occasum, & 35. tantùm leucis Hispanicis à parte Orientali Cubæ insulæ. Arcem habet munitam, & subest dominio Francorum ab aliquot annis.

Insula Testudinis, *Isla Tortuga* Hispanis, insula Americæ Meridionalis, in mari Boreali & in ora Venezuelæ regionis, sub Hispanis. Vix 26. leucis Hispanicis distat ab ora continentis Americæ in Boream, & 14. tantùm à Margarita insula in Occasum.

Insula Vaja, *Pulo Way*, insula parva Asiæ, in Oceano Indico, & una ex insulis Bandæ, in Moluccis, sub dominio Hollandorum.

Insulæ Unionum, *Islas de Perlas*, insulæ Americæ Meridionalis, in mari Austrino & in sinu Panamæ. Distant 12. leucis à Panama urbe in Austrum; suntque duæ majores, dictæ *del Rio* & *Tararequi*, cum circa viginti minoribus, quæ veriùs sunt scopuli.

Insula Vulcani, *Brandendeberg* Batavis, *Isle de Vulcain* Gallis, insula est Asiæ, in mari Indico & prope oram littoralem novæ Guineæ sic dicta, quia sæpe ignes evomit. Aliæ insulæ propriis in locis descriptæ sunt.

Insulæ, *Ilheos* Lusitanis, *les Isles* Gallis, urbs parva Americæ Meridionalis, in Brasilia, cum portu in ora littorali. 30. leucis distat à sinu omnium Sanctorum in Austrum, sub Lusitanis; & ab ea adjacens provincia dicitur *Capitania dos Ilheos*, Præfectura Insularum.

Insulana Castellania, *Chastellenie de Lille*, seu etiam *province de Lille*, tractus est Belgii, in Flandria Gallicana dicta. Dividitur in quinque partes; estque satis extensus. Tota illa Castellania subest dominio Regis Galliæ ab anno 1667. & in ea sunt urbes, Insulæ, *Lille*, quæ ejus primaria est, Bassea, *la Bassée*, Armentariæ, *Armentieres*, uti oppida Lanojum, *Lanoy*, Cominum, *Comines*, Varnetonium, *Varneton*, Viroviacum, *Wervick*, & Seclinum *Seclin*, in regione feraci.

Intemelium, & *Intimelium*, urbs Liguriæ maritima. Vide *Albintemelium*.

Interamna, vulgò *Terni* & *Terani*, urbs Umbriæ ad Narem fluv. inter Spoletium & Narniam, in viâ quâ Romam ducit, occurrens Columbis celebris. Pop. *Interamnates* Cic. & *Nartes* Plinio. Urbs fuit nobilissima & antiquissima: Castellorum familiâ adhuc insignis.

Interamna, altera Lat. colonia in confin. Samnii ad Lirim fluv. Liv. *Isola*, teste Blondo. Una est ex 12. coloniis, quæ Romanis auxilium adversus Hannibalem negarunt, Liv. Baudrando opp. fuit Volscorum, aliquot mill. infra Insulam ad Mer. cujus nunc vestigia prope vicum *Ponte Corvo*, in prov. Terræ Laboris ad Lirim, ex Brietio. Aliis est paulo supra, ubi nunc castrum *l'Isoletta*: L. Holstenio est *Torre di termine*, in illo tractu, ubi multa antiquitatis vestigia.

Interamnia, urbs Prægutiorum in Aprutio, hodie *Teramo*. 13. mill. ab Asculo, 14. ab ora maris Adriatici in Occ. in regno Neap. Ejus Episc. Aprutinus dicitur.

Interamnis, locus vet. Monasterio clarus, in confin. Britanniæ min. & Cenomaniæ, ad Coërnum fluv. è regione cujus ignobilis amniculus est, in eum defluens, à quo situ nomen habet. Inter Filicarias & Pontem Ursionis. Vulgò *Entrain*. Item locus in finibus Senonum & diœc. Antissiodorensi, vulgò *Antrain*: unde Gentiles festa Jovis magnâ frequentiâ ibi celebrantes depulit Peregrinus, Valeriani principatu. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Interamnium, oppidum Hisp. Tarrac. *Ponferrada* Coquo. Antea Asturum, nunc Legionis R.

Intercatia, Hisp. urbs, Strab. Polyb. & aliis. Moralis, cui *S. Maria di Rebilla* dicitur, locat eam inter Lenem, Vallisoletum & Astorgim civ. hodie sic nominatas. *Intercatienses* sunt Plinio in Hispania citeriore. Ptolomæus habet duas hujus nominis urbes in Hispaniâ, unam in Orniacis, alteram in Vaccæis. Ferrario est opp. Hispaniæ Tarraconensis; in finibus Asturum, & Vaccæorum, excisum; locus inter Vallisoletum & Asturicam ad Occ. in medio, ad 10. leuc. distans, visitur. Pop. *Intercatienses* Plinio.

Intercidona, una ex sylvestribus vett. Deabus, à securis intercisione dicta. Hanc unà cum Pilumno & Deverra mulierem fœtam contra vim Sylvani Dei conservare crediderunt, Vide Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 19.*

Intercisa, urbs Pannoniæ infer. olim Anton. *Rachzkesti* Simlero. Nunc pagus, in Hungariæ Stiriæque confinio: lib. Notitiæ in Valeria Ripensi, in ipsa Stiria. Est & locus Umbriæ, in montis rupe excavatus, *il Furlo* vulgò, ad Candianum fluv.

Interduca, Juno dicta est, quòd veteri ritu sponsas ad sponsos ducere primâ nocte consueverat. Dea enim illa nubentibus olim præerat.

Interim, nomen formulæ Religionis, Protestantibus, post obitum Lutheri, victis, à Carolo V. Germaniæ obtrusæ, cui quoscunque subscribere volebat, donec Concilio Generali religionis controversiæ deciderentur, an. 1548. Hujus sententiam refutarunt scriptis publicis Phil. Melanchthon & Doctores Eccl. Saxoniæ inferioris, aliique plurimi. Mox bellum Adiaphoristicum ortum inter Theologos Evangelicos, Matthiâ Flaccio cum sociis, Melanchthoni aliisque litem movente, qui de adiaphoris ex præscripto formulæ Interimisticæ recipiendis, minus acriter pugnavisse illi videbantur; Multi Doctores solum verterunt, Musculus Bernam, Brentius Basileam, Osiander in Borussiam concessit. Tandem Mauritius El. Imperatore in angustias redacto, Concilium Trident. dissipavit, pacemque Religionis Passaviensem extorsit, captivis Principibus liberatis. An. Chr. 1552. Vide Sleidan. *lib.* 20. Bucholc. *Ind. Chronol.*

Internum mare, idem quod Mediterr.

Interocrea, Sabinorum opp. *Interocreum*, Strab. *lib.* 5. qui κώμην, i. e. *vicum* vocat, hodie *Interdoio* & *Interdoco*.

Interocrium, Anton. *Interdoco* Pandulfo Collenutio, oppidum Sabinorum, in agro Reatino, nunc in Aprutio, ab Aquila 15. m. p. in Occ. quot ferme à Reate. Vide *Interocrea*.

Interpromium, vicus seu locus regionis fuit Marrucinorum, ad Aternum fluv. in via Valeria, quæ Corfinio Teate Marrucinum ducebat: Sub oppidulo S. Valentini, ultra angustias Populi opp. Anton. Peuting. L. Camarra.

Intervallium, oppidul. Prov. ad Varum fluv. ad montium radices, in limite dition. Sabaudicæ & Comitatus Nicæensis, 5. mill. à ruderibus urbis Glandatensis. 3. leuc. à Boleo in Occasum 5. à Vintio in Circ. uti 8. à Nicæa & ab ora maris Mediterr. Vulgò *Entrevaux*.

Intuergi, Germ. pop. Ptol. Peucerus in Palatinatu eos constituit circa Heidelbergam.

Investitura, est intromissio in feodum, prædium, munus, dignitatem noviter acquisitam. Estque vel *Propria* seu vera, cùm res ipsa traditur: ut possessio terræ super ipsam terram, traditione glebæ ab eadem revulsæ; vel *Impropria*, cùm rei nomine, symboli quidpiam (quod in Constitut. Friderici Imperat. de pace, *donum Investituræ* vocatur,) investiendo porrigitur; uti gladius, hasta, vexillum, annulus, sagitta, calcaria, &c. Adrianus Pp. Anglus investivit Henr. II. de dominio Hiberniæ annulo aureo. Anno 1160. Eduardus III. filium suum primogenitum, de Principatu Walliæ, per sertum in capite, annulum in digito aureum ac virgam argenteam. *Investitura per annulum & baculum* seu virgam, Gall. *per rain & per baston*, moris antiqui Francorum fuit, in omnibus fidis conferendis: hodie præsertim in Episcopatibus & Honoribus Ecclesiæ retinetur, quòd sub his symbolis Carolo M. concessum esset ab Adriano Pp.

no PP. investiendi Episcopos privilegium, ut quidam scribunt. Vide infra. *Annulus*, arra fidei; *baculus*, subsidii, quibus domino suo tenetur vasallus. Carolo M. de quo modò, collatâ dignitate Patriciatus, etiam datum per singulas provincias Archiepiscopos & Episcopos instituere, utque Pontificem eligeret, & sedem Apostolicam ordinaret, refert Sigonius *lib. 4. ad annum 774.* Hinc Leo Papa ipsi juramentum subjectionis ac fidelitatis dixit, ab ipso *investitus*. Stephanus dein & Paschalis, abs Ludovici Pii Imper. jussu electi, apud eum se purgarunt, anno Chr. 817. moniti, *ne in posterum Majestatem læderent*, Platina *in Vitis*. Hadrianus iterum II. sine consensu Ludovici II. electus est, ægrè id hujus Legatis ferentibus, anno Chr. 867. Hadrianus dein III. legem tulit, ut Pontifex etiam sine præsentia Regis vel Legatorum ejus consecretur, an. 884. Sigon. *l. 5.* Sed Leo VIII. Ottoni Magno jus eligendi Pontifices ac Investituram Cleri restituit, anno Chr. 963. Idem *lib. 7.* Hinc & Henricus III. schismate trium Pontificum sublato, electionem Pontificis sibi reservavit, circa an. Chr. 1047. Clemente II. in id fastigii promoto, Idem *lib. 8.* Verùm mortuo Henrico, in Mantuano Concilio statutum: Papam à solis Cardinalibus eligendum esse: Anno Chr. 1066. Alexander quoque, ut & Gregorius VII. edixit, Ne Laicus cujuscunque dignitatis esset, *Investituram* Ecclesiastici muneris conferret. Proin Henricus V. cum Paschali II. ad sanguinem usque ob Investituram litigavit, extorsitque an. C. 1111. P. Æmil. *lib. 5.* mox tamen, eo digresso, in Concilio sententiam retractavit Pontifex: & quia successores quoque ejus propterea molesti esse pergebant, remisit *Investituram* omnem Episcopo Rom. Imperator, an. C. 1122. Vide Sigon. *l. 10.* Post eum Lotharius Saxo Innocentio II. reducturum se eum promisit, si sibi antiquum jus restitueret: verùm monitus à Bernhardo, iniquum esse quod peteret, & ipse cessit, an. C. 1133. Ab eo tempore crevit Pontificalis apex: & Hadrianus Pont. cum Friderico Barbarossâ, *obstrepam* quoque, & *nomen ejus* suo in literis præpositum, litigare cœpit: fortiter tamen Imperatore renitente: circa an. C. 1158. Helmoldus *l. 1. c. 81.* Morn. *in Myst. p. 689.* Sigon. *lib. 12.* Regibus Saxonum in Anglia competiisse quoque Ecclesiarum *Investituras*, luculenter constat ex Auctore coætaneo Ingulfo Saxone, *in Croylandiæ suæ historia*. Mordicus igitur jus istud tenuere succedentes Reges, ut in eorum vitis copiosè legeris. Vide Henricum Spelmannum *Glossar. Archæol.* in voce *Homagium*, de Investituræ formulis, *in Traditio* & *Fistuca*. Item, Guil. & Johannem Barclajos *contra Bellarminum de potestate Papæ, &c.*

Inui castrum, vide *Castrum Inui*.

Invidia, Dea à priscis Ethnicis est habita: Græci hanc masculam finxerunt, quippe quam hominis effigie malè habiti, & ex morbo nondum planè convalescentis effingunt. Antiqui *Invidiam* anguillâ designabant, quando eâ feratur esse naturâ anguilla, ut omnibus piscibus invideat, ut *Contumeliam* perdice, quæ sit contumeliosa valdè. In familia Plutonis est, teste Virgilio. Ejus insignem descriptionem exhibet Ovidius *Metam. libr. 2.* Vide & Balduini *Iconol.* ubi ei præter maciem, oculi reconditi, colubri loco crinium, in altera manu tres angues, in altera Hydra septiceps tribuitur.

Inussus, urbs Ægypti prope Casium montem. Steph.

Inutrium, opp. olim Vindeliciæ, nunc pagus Bavariæ. *Mittenwald* teste Aventino, Oenipontem versùs.

Inycus, Siciliæ urbs. Pausan. *Longobardo*, teste Fazello. De nomine Bochartus. Ad Hypsæ ostium erat *Inycus*, ubi ante Trojana tempora fertur Cocalus rex Sicanorum regni sedem habuisse, vide Stephanum in Κάμικος. A vini præstantiâ multum commendatur *Inycum*, velut alii, Ἴνυκον. Steph. Ἴνυκον, πόλις Σικελίας, &c. ἀφ' οὗ Ἰνυκῖνος οἶνος. Hesychius: Ἰνυκῖνος οἶνος, ἀπὸ Ἰνύκου τῆς Σικελίας, ἔστι δὲ πολίχνιον εὔοινον. Proinde *Inyco* nomen à præstantiâ ינִיקוֹת *jenicoth*, vel quod idem est יוֹנְקוֹת *jonicoth*, h.e. *propaginum*. Fortè *Inicum*, opp. Siciliæ, ad ostia Crimissi fluv. è regione Selinuntis, 20. circiter mill. à Mazara in Ortum. Brietius.

Inynia, Hesychius: Ἰνυνία, ἑορτὴ ἐν Λήμνῳ.

JO.

Jo, filia Inachi fluvii, à Jove adamata, Epaphi ex illo mater, quam ob interventum Junonis, ne agnosceretur, Jupiter in juvencam transformavit: Juno tamen suspicata id quod res erat, vaccam eam à Jove sibi dono dari postulavit: quam cùm accepisset, apposuit ei custodem Argum centoculum, à quo cùm molestissimâ custodiâ premeretur, ægrè id ferens Jupiter, per Mercurium eum interficiendum curavit. Quamobrem indignata Juno, œstrum pellici immisit, cujus aculeis exagitata in Ægyptum usque fugit; ubi implorato Jovis auxilio, pristinam formam recuperavit, regique Osiridi nupsit, Ægyptiisque omnibus adeò chara fuit, ut post mortem pro Deâ habita sit, quam illi *Isidem* vocarunt. Nomen suum in arena pede scripsisse, sicque à Patre agnitam referunt, Ovid. 1. *Metam.* Pausan. *in Cor.* Val. Flacc. Argonaut. *lib. 7.*

Qualis ubi extremas Jo vaga sentit arenas,
Fertq; refertq; pedem, tumido quam cogit Erinnys
Ire mari, Phariaq; vocant trans æquora matres.

Dionysius ubi de Bosphoro Thr.cio,

—— Ἦν ποτ' ἐκεῖνος Ἰὼ
Ἥρης ἐννεσίῃσιν ἐνήξατο πόρτις ἐοῦσα.

Nonnus Dionys. *lib. 1.*

Ζεὺς ἀνὰ πόρτις ἐοῦσα κερασφόρος ἤμβροτεν Ἰώ.

Idem plenius *lib. 3.*

Ταυροφυὴς ὅτε πόρτις ἀμειβομένοιο προσώπου
Εἰς ἀγέλην ἄγραυλος ἐλαύνετο σύννομος Ἰώ.
Καὶ δυσμῆλις ἄγρυπνον ἐθήκατο βουκόλον Ἥρη,
Ποικίλον ἀπλανέεσσι κεκασμένον Ἄργον ὀπωπαῖς.
Γηοβόρῳ δὲ μύωπι χαρασσομένη δέμας Ἰὼ,
Ἰονίης ἁλὸς οἶδμα κατέγραφε φοιτάδι χηλῇ.
Ἤλυθε δ' εἰς Αἴγυπτον, ὅπη βοέην παρὰ μορφὴν
Δαιμονίης ἰνδάλματα μετήλλαξασα κεραίης
Ἔσκε Θεὰ φερέκαρπος. ——

Lycophron *in Cassandra*,

Οἱ τὴν βοῶπιν ταυροπάρθενον κόρην.

Sophocles *in Electra*,

Σῆς οἰστροπλῆγος ἄλσος Ἰνάχου κόρης.

Euripides *in Phœnissis*,

—— Κοινὰ τέκνα τῆς κερασφόρου
Πέφυκεν Ἰοῦς. ——

Æschylus *in Prometheo Vincto*,

Κλύεις φθέγμα τῆς βούκερως παρθένου.

Idem eam οἰστροδίνητον κόρην, & alibi δύσπλανον παρθένον, καὶ πολύπλαγκτον vocat.

Joab, Zuri & Zarviæ fil. Dux exercituum Davidis, strenuus & felix, Abnero & Amasâ perfidè occisis, rerum gestarum gloriam obscuravit, Salomonis jussu vicissim occisus. 2. Reg. 2. Pater Abisai. 1. Sam. 26. Fil. Sarajæ. 1. Par. 3. Joseph. *Antiq. lib. 7.* Lat. *paternitas*, vel *habens patrem*, vel *voluntarius*.

Joachaz, filius Jehu, regis Israel, patri successit, An M. 3179. Majorum idololatriam imitatus, Hazaëlem & Benhadabum, Syriæ Reges, infestos habuit: à quibus, Dei ope imploratâ, an per Joam filium, an per Jeroboamum nepotem, an per Elizeum Prophetam? liberatus est. Obiit Anno M. 3195. 4. Reg. 13. Joseph. *lib. 9. Antiq. cap. 9.*

Joachaz, i.e. *Domini apprehensio*, seu *possessio*, aut *Dominus videns*, Sallum, & Jechonias Jeremiæ, fil. Josiæ regis Judæ. Post patris mortem, regnum, primogenito Eliakimo debitum, invasit, sed à Nechaone Ægypti R. captus, præ mœrore obiit. 4. Reg. 23. Joseph. *Antiq.* 18. 6. Torniel. *Annal.*

Joachaz, pater Joha, qui à commentariis erat Josiæ regi. Lat. *apprehendens*, *possidens*, aut *videns*.

Joachim, filius Josiæ regis, prius *Eliakim*, à Nechaone Ægypt. in thronum evectus, licet plures sub illo Prophetæ, nihilominus in deteriora nitens, fide Chaldæis fractâ, ab illis insepultus abjectus est. 1. Reg. 23. Jerem. 22. 36. Jos. *Antiq. l. 10.* Comment. *in libb. Regum.* Lat. *Domini resurrectio*, vel *confirmatio*.

Joachim, filius Eliacim. 4. Reg. 24. Lat *præparatio*, vel *firmitas Domini*. Vide *Jechonias*.

Joachim, nomen viri. Neh. 12. Lat. *resurgens*, *confirmans*, vel *vindicans*. Item pater B. Virginis, Niceph. *Hist. l. 2. c. 3.* Joh. Damascenus, Epiphan. &c.

Electores Brandeburgici.

Joachimus I. cognom. *Nestor*, fil. Johannis Elect. Brandeburgici, Princeps doctus, & lingg. Latinæ inprimis, Historiæ & Astrologiæ peritus, & hinc Francisci I. Gall. R. & Leonis X. Pont. amicus, patri successit, an. Chr. 1499. Academiam Francofurtensem, ex paterno testam. unà cum fratre Alberto Arch. Magdeburgensi & Moguntino introduxit, an. Chr. 1506. Marchiam novam hæreditariam obtinuit an. 1517. Rupinensem Comit. morte Wichmanni ultimi an. 1524 crevit: cum Pomeranis stabile pactum iniit an. 1528. Lutherum à confessione, in Comitiis Wormatiensibus, unà cum Arch. Trevirensi dimovere tentans, Gamalielis responso dimissus, neque parum offensus est. Unde à religione alienior, obiit an. Chr. 1535. Ei successit

Joachimus II. filius, ex Elisabetha Danica, quam, quòd Evangelium agnovisset, custodiæ mandaturus erat maritus, ni ad avunculos Saxones confugisset. Hic Alberti patrui curâ, in literis à Funccio informatus, contra Turcas an. Chr. 1532. egregiè rem gessit, ab Imper. proin equestri cingulo donatus. Patris successor Evangelio nomen dedit, postea anno Chr. 1542. Imperialis exercitus adversùs Turcas Dux Spiræ declaratus, ditiones Ferdinandi à Turcica impressione servavit. Bello Smalcaldico anno Chr. 1546. Cæsaris partes secutus, nihilominus reconciliationi Saxonis & Hassi postea studuit: In negotio Interimistico obtinuit à Cæsare confirmationem propriæ apud suos paulo antè promulgatæ constitutionis: quæ in Concilio Tridentino acta, vide Thuan. *lib. 7.* Ducatum Crosnæ ab Imp. Ferdinando pleno jure habendum obtinuit, ut & à Sigismundo Aug. Rege Poloniæ an. 1569. si agnati in Borussia extinguerentur, illorum successionem. Decessit an. 1571. accepto à Lippoldo Judæo toxico. Fuit naturâ eloquens, & dicitur multas res, mortes inprimis suorum, secretâ impulsione prænovisse. Vide Thuan. *l. 50.* Ei successit fil. Joh. Georgius, (qui sumto à

Lippol-

Lippoldo venefico supplicio, Judæos totâ Marchiâ ejecit, communis pater omnium hodie ex gente Brandeburgica superstitum.

Joachimus III. Fridericus, patri Joh. Georgio præfato in Elect. successit, anno Chr. 1598. Hic ex utero materno semivivus extractus, Arch. Magdeburgensis factus est, an. Chr. 1566. ubi templum Cathedrale & Monasteria reformavit, matrimonio contracto: ob quod cùm Regalia Archiepisc. Imperator conferre nollet, mansit tamen in possessione, ab urbe Magdeburgo receptus an. C. 1579. Variis postea negotiis in Juliacensi, Borussiaca & Argentinensi causa exercitus, multa itinera obiit. Patris dein successor, Carnovium principatum ab agnato Georgio Friderico sibi donatum occupavit, an. Chr. 1603. & curatelam Ducis Borussiæ mente infirmi, obtinuit à Polonis an. Chr. 1605. Demum, cùm paulo antè, in templo Cathedrali Coloniæ aliquas ceremonias, concionem habente Pelargo, curasset aboleri, obiit an. 1608. Ei in Electoratu successit fil. Joh. Sigismundus.

Principes alii.

Joachimus, Dux Pomeraniæ, fil. Casimiri VI. extinctus anno Chr. 1451. successionem transmisit ad fil. Ottonem III. in quo anno Chr. 1464. Stettinensi ramo extincto, acre inter Brandeburgicos & agnatos Wolgastensis rami, bellum exarsit.

Joachimus, Princeps Anhaltinus, fil. tertius Ernesti, à sobrino Adolpho Mersburgio optimè educatus, Dessaviam tenuit, à studio pietatis, prudentiæ, atque beneficentiæ, insigne nomen meritus, sec. præt.

Joachimus Ernestus, fil. Johannis, prioris ex fratre nepos, unus post plura secula totius Principatus fuit possessor. Olim Philippi II. Hisp. R. miles, in prælio ad Quintinifanum fortiter se gesserat, postea pacem coluit: & cum amplo stipendio oblatum, à Rege Galliæ in bello adversus Hugonotas gerendo, Ducis munus recusavit, persecutionis minister fieri nolens. Reformatis accessit, Peucero libertatem ab Augusto El. exoravit, opus Concordiæ aversatus est: prudentiâ, modestiâ, clementiâ, justitiâ aliisque virtutibus inclytus. Obiit A.C. 1586. Pater numerosæ sobolis, quinque inprimis filiorum, à quibus totidem lineæ ortæ.

Joachimus Fridericus, fil. Georgii Ducis Brigensis, in Silesia, mortui an. Chr. 1586. Olaviæ, & post matrem, Briegæ habitavit, tum Præpositus Magdeburgicus, & Silesiæ Generalis fuit. Lignicium quoque principatum, morte agnati Friderici IV. nactus, obiit an. Chr. 1602. Pater Georgii Rudolfi & Joh. Christiani, quorum hic Reformatam relig. amplexus, genuit Georgium Ludovicum & Christianum, patrem Georgii Wilhelmi, Piastæorum ultimi, qui obiit an. Chr. 1675.

Viri celebres.

Joachimus, Calaber, Abbas Florensis, Cistert. Ord. scripsit commentarios in Esajam, Jeremiam, & Apocalypsin, in qua Antichristum jam natum esse Romæ, & in sede Apostolica sublimandum, ostendit. Porro concordiam Vet. & N. T. ut & vaticinia plurima, de Rom. Pontificibus. Obiit an. 1202. Hic, præter Nicolaum Cusanum Cardin. Johannem Liechtenbergium, Hildegarden, Brigittam &c. prædixit futuram olim Religionis mutationem. Bucholc. *ad an.* 1217. In Conc. Later. an. 1215. hæreseos damnatus, ob libellum de Trinitate, contra Magistrum sententiarum scriptum, ab Abbate sui Ordinis, Georg. Laudo, edito scripto, defensus est. Fuit *eruditionis & sanctitatis nomine comprimis celebris*, Cat. Test. Vet. *ut Propheta suo tempore habitus*, Trithem. Vide Morer. *Dict.*

Joachimus Bellajus, Poëta Gallus. San Marth. *elog. l.* 2.

Joachimus Camerarius, Germanus, patriâ Papebergensis Francus, loco nobili, sed in modicis opibus natus, Reip. Noribergensis Medicus. Ejus extant: *Horæ Subcisivæ, Notatio figurarum sermonis in No. Test. Historia Christi nati, &c.* Obiit an. C. 1574. ætat. 75. *Vir, quem Germania habuit sine pari*, Lipsio: *Incomparabilis*, Jano Grutero: *Germaniæ ornamentum & Europæ decus*, Turnebo: *Utriusq; linguæ Gr. & Lat. Princeps*, Taubmanno: *Excellentissimus Græcanicæ linguæ interpres*, Bertramo *in Matth.* 19. 24. Dignus tandem voto Casauboni, *epist. Georg. Remo*, orantis, *ut Deus excitet Camerarios in Germania, in Gallia Scaligeros.* Pater fuit filii cognominis, Medici eximii. Vide *Camerarius.*

Joachimus Curæus, Medicus, sec. præt. Auctor Annalium Silesiæ, &c.

Joachimus Hopperus, Frisius, Snecanus, ex antiqua Hopperorum familia, JC. Equestris ordinis Vir, & Philippi II. Hisp. R. consiliarius. Rem sui Regis, morte Requesenii undique in Belgio desperatam, restituit; suadens, ut ad Senatum regiarum partium administratio transferretur, id gratum populis, & servandis, quæ tenebantur, pacandis quæ defecerant, aptissimum, an. Chr. 1576. Ei tum in Hispania agenti auctoritas, ex quo improbata illi consilia malè cesserant, tantopere increvit, ut *Sapientis* nomen homo Belga ab Hispanis adeptus esset. Obiit anno eodem Mantuæ Carpentanorum. Ejus extat, *in Psalmos Paraphrasis.* Item *de usu Psalmorum* liber.

Joachimus Perionius, Turonensis, Benedict. Aristotelem, Patresque aliquot Latinè vertit. P. Jovius, Scævola San Marth. *in elog.*

Joachimus des Portes, epitomen vitæ Caroli V. edidit.

Joachimus Vadianus, Helvetius, Consul Sangallensis, Medicus, Poëta & Geographus celebris, scriptis inclytus. Obiit an. 1551. Paul. Jovius, Vossius, &c.

Joachimus Westphalus, Theologus Hamburg. Obiit an. 1574.

Joada, fil. Achaz. 1. Par. 8. Lat. *cœtus*, vel *congregatio, transitus*, vel *testimonium, ornatus*, vel *præda Domini.*

Joadan, mater Amasiæ regis Judæ. 2. Reg. 14. Lat. *Voluptas*, aut *tempus Domini.*

Joah, fil. Gerson. 1. Par. 6. Filius Zemma ibidem. Item fil. Joachaz. 2. Par. 34. Lat. *fraternitas*, vel *habens fratrem.*

Joahe, filius Asaph. 4. Reg. 18.

Joanna, vide *Johanna.*

Joanna, Leuncl. *Janna*, Cedreno *Joannina*, urbs Arch. Epiri prim. Sedes Præfecti Turc. Olim *Cassiope*, inter Ambraciam ad Occ. & Triccam, urbem Thessal. ad Ort. à qua 40. m. p. abest.

Joannes, vide *Johannes.*

Joannipolis, urbs Mysiæ inf. *Jambol.*

Joanvilla, vulgò *Joinville*, oppidum Campaniæ Gall. ad Matronam: cum tit. Princip. Guisiorum, 8. leuc. à Calvo monte in Bor. 6. à Fano S. Desiderii in Austr.

Joarim, nomen viri. 1. Macch. 2. Lat. *Domini exaltatio.*

Joas, יואש Pater Gedeonis. Jud. 6. Filius Joachaz filii Jehu rex Israël. Ter contra Syros victor, Jeroboamum II. in consortium regni ascivit. Ab Amazia, Jud. R. lacessitus eum vicit, Hierosolymamque captam, ex parte, muris nudavit. Obiit An. Mund. 3210. 4. Reg. 13. 2. Par. 25. Jos. *Ant. l.* 9. *c.* 10. &c. Pater Jeroboam regis Israel. 2. Reg. 14. Lat. *dissidens*, vel *desperans*, aut *ignitus*, vel *urens.*

Joas, יהואש Rex Judæ fil. Ochoziæ, occisus in lecto, anno Mund. 3196. Vide 4. Reg. 11. *& seqq.* 2. Par. 23. 24. Joseph. *Antiq. lib.* 9. Torniel. Salian. *in Annal. V. T.* Lat. *ignis*, vel *ablatio Domini.*

Joas, Hebr. יועש filius Bechor filii Benjamin. 1. Par. 7. Lat. *consummatus*, vel *perfectus.*

Joatham, i. e. *consummatus*, vel *perfectus.* Filius Oziæ, sive Azariæ regis Judæ, ipse Rex laudatissimus, rebusque gestis inclytus. Vide 4. Reg. 15. 2. Par. 27. Joseph. *Antiq. lib.* 9. *c.* 11. Torniel. *in Annal.* Filius item Jerobaal, sive Gedeonis. Judic. 9. Filius Jahaddai. 1. Par. 2. Filius Azariæ. 1. Paral. 3. Admodum sanctus fuisse traditur (inquit Sulp. Severus) prospereque imperium administravit. Josephus ubi de eo: Οὗτος βασιλεὺς οὐδὲ μιᾶς ἀρετῆς ἀπελείπετο, ἀλλ' εὐσεβὴς μὲν τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, δίκαιος δὲ τὰ πρὸς ἀνθρώπους ὑπῆρχεν, ἐπιμελητὴς δὲ τῆς κατὰ τὴν πόλιν.

Job, nomen viri. Lat. *dolens, gemens*, vel *ululans*, aut *exosus*, vel *patiens inimicitiam.* Vide Suidam in Ἰώβ. Sulpitius Severus *Historia Sacra lib.* 1. *Hoc tractu temporum Job fuit, legem Naturæ, & agnitionem Dei, & omnem justitiam complexus, prædives opibus, atq; eo illustrior, quòd his neq; integris corruptus, neq; amissis depravatus est. Nam cùm per Diabolum exutus bonis, liberisq; etiam esset orbatus, ad extremum diris ulceribus affectus non potuit vinci, ut præ doloris impatientiâ aliquâ in parte peccaret. Mercedem deniq; divini testimonii consecutus, sanitati redditus est, ac omnia quæ amiserat, in duplum recepit.* Natus videtur An. M. 2329. in regione Huz, inter Idumæam & Arabiam. An idem cum Jobabo, filio Zaræ ex Bozra, nepote Rahuelis, filii Esavi? Gen. 36. 33. Iren. Augustin. Ambrosius &c. An ex Nachoris familia, ut Judæi volunt, eò quòd Nachor, fil. Huz dicitur, Genes. 2. Verè enim fuisse virum talem, solidè probatur, contra eos, qui totam ejus historiam in allegoriam vertunt, ex Ezechiele *cap.* 14. *vers.* 14. & Jac. *cap.* 5. *vers.* 11. Obiit anno Mund. 2539. vel secundùm alios, anno 2545. æt. 211. Calamitatem ejus 7. an. quidam, alii unicum solùm durasse volunt: quæ certa de eo habentur, Vide in libro divino Jobi, cujus quidam Moysen auctorem faciunt. Plura de *Jobo* quære apud Augustin. *lib. de Civ. D.* 18. *cap.* 47. Chrysostom. *hom.* 2. *de pat. Jobi.* Athanas. *in Synops.* Gregor. & Calvinum, *Comment. in Jobum.* &c. Inprimis Casp. Sanctium *Prolegom. in Jobum.* & Frid. Spanhemium fil. *in Historiam Jobi.* In *Jobum*, vel partes, extant: Ambrosius. Aquinatis *Comment.* fol. Venetiis, an. 1505. Augustinus. Beda. Bezæ *Commentar.* & *Paraphrasis.* Bolducius. Borrhai *Comment.* fol. Basileæ 1564. Brentius. Bruno. Bugenhagius. Calvinus. Candidus. Cavottus. Cocceji *Commentar.* fol. Franek. 1644. Codurcus. Comitolus. Corderii *Job Elucidatus.* fol. Antverpiæ, 1646. Crommius. Cyprianus. Drusius. Duporti Θρηνοθρίαμβος. octav. Cantabr. 1653. Ferus. Fevardentius. Gregorii M. *Expositio mor.* Hesychius. Hieronymi *Comment.* Herwarti *Comment.* fol. 1673. Jansonius. R. Isaac Haccohen. Junius. Lavateri *Homiliæ*, fol. 1585. Tiguri. Lutzii *Annotationes*, fol. Basileæ 1561. octav. 1563. Malvenda. Marloratus. Mellius. Mercerus, fol. Amstelod. 1651. Merlinus. Mosch alschich. Odo. Oecolampadius, Gen. 1578. fol. Olearii *Conciones* German. quart. Lipsiæ 1663. Olympiodorus. Origenis *Comm. & Homiliæ.* Osorius. Pampolitanus. Pagninus. Petrus Bles. Philippus Presb. Pineda. Piscatoris *Comm.* octav. Rupertus. Sanctius. Schmidii *Comment.* quart. Schulteti *Analysis typ.* fol. Stetini 1647. Steuchus. Sixtus Sen. Soto Major. Strigelius. de Stunica. Velasquez *Comment.* fol. &c. Vide Crovvæi *Elenchum.*

Job, filius Issaschar. Gen. 46.

Jobab, filius Jectan. Genes. *cap.* 10. Filius Zaræ rex Edom. Genes. 36.

Jobacchus, Bacchi cognomen.

Jobania, fil. Jeroham. 1. Par. 9. Lat. *ædificatio*, *filiatio*, aut *intellectus Domini*.

Jocasta, Oedipi mater, filia Creontis Thebanorum regis, uxor Laji, quæ post mariti necem Oedipo filio imprudens nupsit, ex quo Eteoclem & Polynicen genuit, qui cùm se mutuis vulneribus confecissent, ipsa quoque sibi manus intulit. Vide Stat. 2. *Theb.* Sen. *in Oedipo*, Apollod. Hygin. Pharmutum, Diodorum, &c.

Jocchus, Rex socius Rom. tempore Neronis, Tac. *lib.* 13. *cap.* 7. Quanquam Lipsius ibi legat *Antiochus*, intelligatque Antiochum, Regem Comagenes & in parte Ciliciæ.

Jocelinus Brackelondus, Anglus, Benedictinus, auctor Chronici Monasterii sui, vitæ S. Roberti &c. An. 1214.

Jocelinus Furnius, seu *de Furnes*, de Episc. Britannis librum edidit. Voss. *de H. L.*

Jochabed, i. e. *gloriosa*, *gravis*, vel *ponderosa*, filia Levi, uxor Amram. Exod. 6.

Jochabela, mater Mosis, ut ex Josepho tradit B. Hieronymus.

Jocritus, Lycurgi filius.

Jocundiacum, vicus in Turonibus, *Joüay* vulgò, ad Carum, urbi Turonis oppositus. Item Palatium, in Lemovicibus, nunc *Joac*: unum fuit è 4. Ludovici Aquitaniæ R. hibernis. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Jodocus, Marchio Moraviæ, Venceslai Imper. patruus, Rex Rom. electus est, an. 1410. quinto pòst mense sepultus Brinnæ, cum corona. Ad hunc, ut & alios Proceres misit Joh. Hussus libros Viclefi à se Bohemicè versos, quod magni muneris loco ab iis acceptum. Lætus *Comp.*

Jodocus, Episcopus Vratislaviensis, sævitiam Episcopi Olomucensis in fideles, reprehendit, *rem non confici assâ carne* dictitans. Camer. *Hist. Fratr.*

Jodocus Badius, Bruxellis natus, Gandavi egit. Scripsit *Sylvam Moralem*, præt. sec. Gesner. *Bibl.*

Jodocus Bissèlius, Aquensis, Philosophus, JC. & Theologus, prosâ versuque celebris, circa an. 1454. Ejus extant *Dialogus de S. Anna*: *Gesta Flandrorum*, *&c.*

Jodocus Clichtovæus, scripsit *Anti-Lutherum*, tempore Lutheri. Neoportanus, Canonicus Carnutensis.

Jodocus Coccius, Canonicus Juliacensis, scripsit contra Hæreticos volumina duo.

Jodocus Damhouderus, Brugensis, JC. scriptis celebris; inter quæ *Enchiridion*, vel *Practica rerum Criminalium*.

Jodocus Ravenstenius, Flander, scripsit contra Illyricum, Chemnitium, alios. A. C. 1570. &c.

Joed, nomen viri. 2. Esdr. 11. Lat. *testificans*, vel *ornans*, sive *prædans*, vel *transiens*.

Joel, i. e. *volens*, *incipiens*, vel *jurans*, nomen principis. 1. Paral. 4. Nomen Prophetæ, fil. Phatuel, in numero 12. Prophet. minorum secundi. *Videtur Hoseæ Proph. contemporaneus. De captivitate Babyl. missione Spiritus S. Act. 2. 17. & Judicio ultimo* vaticinatus est capitibus 3. In *Prophetiam* ejus extant: Boneri *Paraphrasis*, quart. Francof. 1597. Danæus. Draconites. Fabri *Homilia*, 8°. Col. 1589. Gesneri *Comm.* 8°. Witeb. 1614. Leusdenii *Explicatio* 8°. 1657. Ultrajecti. Liveleji *Annot.* Matthias Mercerus. Oecolampadius. Quadratus. Reuterus. Ruffinus. Simonides. Tarnovius. Tuscanus. de S. Victore. Ursinus, in 8°. &c. Vide Crowæi *Elenchum*. Porro pater Sammua. 1. Par. 5. Filius Gersom, & Azariæ. 2. Par. 20. Primogenitus Samuelis. 1. Sam. 8. Filius Gad. 1. Par. 5.

Joela, filius Jeroboam. 1. Par. 12. Lat. *elevatio*, sive *proficiens*, aut *auferens maledictionem*.

JoeZer, nomen viri. 1. Par. 12. Lat. *adjuvans*.

Jogli, pater Bocci, principis tribûs Dan. Num. 34. Lat. *revelatio*, sive *transmigratio*, aut *revolutio*, vel *exultatio*.

Joha, fil. Bariæ. 1. Par. 7. Lat. *vivificans*.

Johanan, i. e. *Domini gratia*, *donum*, vel *misericordia*, nomen viri. 1. Par. 26.

Johanna Ben Resa, Judæorum dux, regn. an. 53. Alius Sacerdos Judæorum, qui fratrem suum Jesum in templo occidit, ob quod facinus Vagoses dux Artaxerxis templum violavit, ac Judæos 7. annis tributa dare coëgit. Joseph. *Ant.* 11. 7.

Reginæ & fœminæ illustres.

Johanna, fil. Ludovici XI. Galliæ R. ex Carlotta Sabaudica, nupsit Ludovico XII. à quo postea Alexandro VI. annuente, repudiata, Bituriges se recepit, ibi Annuntiationis Ordine, ut & Collegio in Academia, instituto. Obiit anno 1504. Henricus Sedulius, *in iconibus vita ejus*. Hilario Costus, *elog. fœm. illust.* Morerius *Diction.*

Johanna I. fil. Caroli, qui ante Patrem obiit, ex Maria Valesia, Regina Neap. & Comes Provinciæ, successit Roberto avo; qui, ne regnum ad exteros deveniret, illi maritum dederat Andream, nepotis sui Caroli Ungari filium. Hoc strangulato, Ludovico Tarentino, patrui filio, nupsit, à Ludovico Ungaro regno pulsa; sed Pontificis ope, cui Avenionem donavit, vel ut alii, 30000. florenis aureis vendidit, restituta est. Post hujus obitum, Regis Balearium Jacobi Aragonii; dein, eo repudiato, Ottonis Brunsuicensis uxor, Carolum Dyrrachinum, Hungari nepotem, adoptavit: jure hoc mox, suasu Clementis VII. in Ludovicum Andegav. translato. Hinc bellum, Caroli victoria ingens, an. 1381. Johannæ captivitas, & mors; ibi enim loci suspensa est, ubi Andreæ quondam gulam fregerat: Alii capite illam plexam dicunt, Anno C. 1382. Uxor 4. maritorum, juxta vaticinium Anselmi Astrologi, *Maritabitur cum ALIO.* Ingenio pollens, eruditorum admiratrix, sed libidinis victima. Collenutius Simonetta, Bonfin. *dec.* 2. *lib.* 10. Lipsius *mon. & ex. Polit. &c.*

Johanna II. quæ etiam *Joannella*, abneptis prioris, filia Caroli Dyrrachini, soror Ladislai; Hoc mortuo, vidua Guilielmi Austriaci, Anno 1414. ætat. 40. regnum occupavit, nupta Jacobo Borbonio Comiti Marchiæ, qui moribus uxoris offensus Vesuntione monachalem vestem induit. Sine prole cùm esset, Alphonsum Arragoniæ R. adoptavit; pressa verò à Johanne Caracciolo, Ludovicum Andegavensem ei substituit, qui absente Alphonso regno potitus, fratrem Renatum hæredem legit. Eo tempore Catalauni Massiliam interceperunt. Obiit an. 1435. æt. 65. regni 20. Nostradamus, Buchæus *Hist. Prov.* P. Æmyl. *l.* 10. Mariana *de reb. Hisp.*

Johanna Albretana, filia & hæres Henrici II. Navarr. R. ex Margareta sorore Francisci I. Purioris religionis notitiâ à Matre imbuta, nupsit Antonio Borbonio, ex illo mater Henrici IV. seu Magni, Gall. R. Literarum, Sacrarum inprimis, amore, veræ Religionis zelo, animi magnitudine, immortale nomen adepta. In ipso infaustarum Filii nuptiarum apparatu, an. 1572. chirothecis pestifero odore tinctis necata, prima Parisiensis laniena victima fuit: Postquam in testamento filio imperasset, *Pietatem coleret, secundùm eam, in qua educatus fuit, Fidei Confessionem, neq; se Mundi fumis, voluptatibus, deliciis & aliorum vitiorum irritamentis ab illa avelli pateretur*, Thuan. *hist.* 50. 51. Lætus *Compend. Hist. Univ.*

Johanna Graja, filia Ducis Suffolciæ, ab Eduardo VI. Angl. R. hæres regni dicta; Annorum 17. adolescentula, Latinis & Græcis literis egregiè exculta: jussu Mariæ, cujus factio prævaluit, unâ cum marito Gilberto Dudleio, & patre, Londini capite plexa est, anno 1554.

Johanna, Infans & Regens Lusitaniæ, fil. Alphonsi V. ex Elizabetha Conimbricensi, soror Johannis II. Magni: patre contra Mauros belligerante, magna cum prudentiæ laude regno præfuit; eo reverso in Monasterium se recepit, nuptias potentissimorum Principum aspernata. Obiit anno Chr. 1490. ætat. 38.

Johanna, fil. & hæres Henrici I. Navarr. R. ex Blanca Artesia, Obiit anno 1304. Fundatrix Collegii Navarreni, Parisiis. Item, fil. Ottonis IV. Com. Burgundiæ, ex Mathilde Atrebatica, nupsit Philippo Longo. Obiit an. 1329. *Impudicitiæ, cum sorore Blanca, uxore Caroli Pulchri, accusata. Item, fil. Ludovici, Comitis Ebroicensis, uxor Caroli P. tertia. Obiit an.* 1370. Item fil. Roberti II. Burgundiæ D. nupta Philippo VI. Valesio. Obiit an. 1350. Item, fil. Guilielmi Arverniçæ & Bononiæ Comitis, nupsit secundò Johanni Gall. R. Obiit an. 1360. Item, fil. Petri I. Burgund. D. uxor Caroli V. Sapientis. Obiit anno 1378. Item, fil. Ludovici Hutini, ex Philippo Ebroicensi, mater Caroli Mali, Navarr. R. Obiit an. 1349. Item, fil. Philippi V. Longi, nupsit an. 1318. Eudi IV. Burgund. D. Item, fil. posthuma Philippi VI. Valesii, nuptura Johanni, filio Petri III. Arrag. R. Obiit, an. 1371. Item, filia Johannis R. Gall. nupta Carolo Malo Navarr. R. Obiit an. 1373. Item, filia Caroli VI. uxor Johannis VI. Britanniæ D. Item, fil. Caroli VII. Johannis II. Borbon. D. uxor. Obiit an. 1482.

Johanna Austriaca, fil. Ferdinandi I. Imp. nupsit Francisco I. M. Florentiæ D. filio Cosmi, mater Mariæ de Medicis, quæ Henrici IV. uxor. Obiit æt. an. 32. Item, fil. Ferdinandi, ex Isabella Hisp. R. nupta Philippo Austriæ Arch. Caroli V. & Ferdinandi I. mater. Obiit an. 1555. Latinè doctissima. Lud. Vives *de Inst. fœm. c.* 3. Item, filia Caroli V. Joanni Lusitaniæ Principi nupta. Item, fil. Ferdinandi I. nupta Francisco M. Florentiæ Duci, cujus intuitu Magni Ducis titulum à Papa collatum Cæsar confirmavit.

Johanna, fil. Philippi, ultimi Hochbergii, mortui an. Chr. 1503. ex Maria Sabauda, nupta Ludovico Aureliano D. Longavillano, attulit ei Comitatum Novocastrensem & prætensionem in Princip. Arausionensem: qui cùm reliquarum quoque ditionum successionem, Rœtelanum inprimis dominium sibi vindicaret, jure disceptatum est. Sed penes Badenses, qui 250000. aureos Ludovico numerarunt, mansit possessio. Longavillani nihilominus titulum Marchionis Rötelani servarunt, ad nostra usque tempora. Sic dicta quoque mulier, quæ Christum sequuta est, uxor Chusæ, Luc. *cap.* 8.

Johanna, Papissa. Vide *Johannes VIII.*

Johanna d'Arc, puella rustica, è pago *Damremy*, ad Mosam, Lotharingicæ ditionis, oriunda, *Puella Aurelianensis* nomine clara. Tempore obsidionis Aurelianensis, an. 1429. ac desperatis rebus omnibus, anno ætat. 18. vel 20. Carolo VII. Regi divinitus se in auxilium missam prodidit: Regem nunquam prius visum

visum, in turba latentem, agnovit, Anglos ab obsidione depulit, Talbotum acie vicit, Campaniam recuperavit, Remis Carolum coronari curavit, victricibus armis longè latèque circumlatis. Postea ab Anglis capta, & publicè in foro Rotomagensi, tanquam *Venefica, seductrix, haeretica* & *infamis*, combusta est, Anno 1430. Symbolum ejus, *Consilio firmata Dei*: in nummo statim post inaugurationem Regis cuso. Vid. Joh. If. Pontanum *l. 9. Rer. Geldr.* Boxhorn. *Hist. Un. pag.* 945. Serres, *in Carolo VII.* Voëtium inprimis, qui discursu Theologico-Historico cuncta ejus diligenter ac judiciosè collegit, *Vol. 2. disp. de Sign. & Mir.* Adde Lipsium, *in not. ad Politic. l. 1. c. 3.*

Johanna Blanchetta, Bononiensis, Latinè, Germanicè & Bohemicè docta. Leand. Alb. *descr. Ital.*

Johanna de Cambry, Tornacensis, Obiit an. 1639. Inter alia, auctor libri, de ruina amoris proprii, & instauratione amoris divini. Lud. Jacob, *Bibl. fœm. Ill.*

Johanna Flora, eruditione inclyta.

Johanna Franc. Fremiota, fundatrix ordin. Visitationis S. Mariae, an. 1610. Obiit an. 1641. Morer. *Diction. Hist.*

Johanna Gaillarda, poëtria, sec. praet. à Maroto laudata. Verdier. &c.

Johannan, Lat. *gratiosus*, sive *donans*, aut *pius*, vel *misericors*, filius Caree. 2. Reg. 25. Primogenitus Josiae regis Judae. 1. Par. 3. Filius Azariae. 1. Par. 6. Principis nomen. 1. Par. 12.

Viri θεόπνευστοι.

Johannes Baptista, Praecursor Christi, fil. Zachariae ex Elizabetha, jam senio confectâ. Vox clamantis in deserto, Elias à Malachia promissus, Matth. 17. v. 11, 12, 13. baptizavit Christum, Joh. 4. ab Herode Antipa, in gratiam puellae, decollatus, Matth. 14. 10. Samariae sepultus. Vid. Iren. *lib. 3. cap.* 18. Orig. *homil.* 7. & 10. *in Luc.* Cyrill. *Cath.* 3. Ambros. *l.* 4. *de Fide.* Hieron. *dial. c. Lucif. apol. in Rufin.* Niceph. *l.* 1. & 12. Sigebert. *in Chr.* &c.

Johannes, Apostolus & Evangelista, dictus *Theologus* & *Senior*, quia post reliquos Apostolos omnes mortuus, fil. Zebedaei, frater Jacobi Majoris. A' Christo Serv. insigniter dilectus, utpote qui in ejus sinu recubuit, & moriens ei Matrem commendavit. Praedicavit Evangelium Asianis, & Parthis. Sub Domitiano, cùm in oleo ignito nihil passus esset, in ins. Pathmon relegatus est, ubi Apocalypsim vidit. Anno 96. Ephesum rediit, Anno 98. Evangelium scripsit, contra Ebionem & Cerinthum, Anno 99. cum priore unà lavari noluit. Obiit Anno 100. Ephesi: trium quoque Epistol. Canonicarum Auctor. Hieron. *descr. cap.* 9. Euseb. 3. 18. &c. In *Evangelium Johannis*, extant: Alcuini, Octav. Argentorati, 1527. & Alesii *Commentarius.* Octav. Basileae. 1553. Amyraldi *Paraphrasis*, Gall. 1651. Augustini *Tractatus.* Brentii *Comm.* inter opera. Buceri *Explanatio.* fol. Basileae, 1536. Bugenhagii *Annotationes.* Cameronis *Conciones in c.* 6. Gall. 24. Chrysostomi *Expositio.* Chytraei *Commentaria.* Cocceius *in c.* 1. Quart. Franekerae. Curionis, *in principium Evang. Joh.* Cyrilli *Explanatio.* Dalaeus *in c.* 3. de Dieu, Feri. *Comment.* fol. Compluti 1579. Fricii *Explicatio c.* 7. Basileae 1559. fol. Glassii *pia Expositio, c.* 17. Jenae. 1620. Gomari *locorum diffic. Explic.* Gualteri *Homiliae.* Heinsii *Exercitationes.* Hemingii *Comment.* fol. Basileae, 1590. Hildershami *Conciones*, Angl. & Belg. Quart. Huchesoni *Expositio*, Angl. fol. Londini 1657. Hunnii *Comment.* Octav. Witebergae 1607. Lutheri *Explic. cap.* 18. Mentzeri *Meditatio*, Quart. Giessae. 1626. Musculus. Mylii *Comm.* Francof. 1624. Oecolampadii *Annotationes.* Origenis *Tractatus.* Osorii *Orationes* 21. Pagnini *Explicatio cap.* 6. Lugd. 1518. Colon. 1563. Pelargi *Commentar.* Quart. Francofurti, 1615. Pererii *Disputationes selectae in cap. 9. pr.* Quart. Lugduni: & in 5. seqq. 2. vol. Quart. Ibidem 1610. Pezelii *Enarratio, in 3. pr. c.* Neost. Pal. 1586. Pricaei *Annotata*, Octav. Parisiis. 1647. Rolloci *Comment.* 8. Gen. 1600. Selnecceri *similiter*, Lipsiae, 1580. Schlichtingii Socin. *Commentar.* Smalcii Socin. *Homiliae in cap.* 1. Quart. Socini *Explicatio cap.* 1. Tarnovii *Commentar.* Quart. Rostochii 1629. Titelmanni *Elucidatio*, Lugd. 1518. Toleti *Comment.* fol. Lugduni 1615. Tossani *Notae.* Trapezuntii *in Joh. ultima.* Ursini *Vindicatio cap.* 1. inter opera. Wigandi *Explicationes*, Octav. Regiomont. 1576. Wimpinae *Expositio in initium*, fol. Col. 1531. Zepperi *Analysis Log. cum Scholiis*, Octav. Herbornae, 1595. Vide Crovvaei *Elenchum Scriptorum.*

In I. ejus *Epist.* prodierunt: Althameri *Annotationes.* Argentor. 1521. Augustini *Tractatus* 10. Beurlini *Enarratio.* Clementis Alex. *Commentar.* Eckhardi *Analysis Theol.* Octav. Giessae. 1609. Episcopii Socin. *Lectiones.* Folengii *Commentaria.* Octav. 1555. Grynaei *Explicatio.* Quart. Basileae 1591. Hunnii *Enarratio*, Octav. Francof. 1596. Mestrezati *Concion. Gall.* Vol. 2. Naogeorgii *Annotationes*, Franc. ad Mœnum, 1544. Oecolampadii *Conciones.* Schlichtingii Socin. *Commentar.* Selnecceri *Homiliae.* Octav. Lips. 1580. Socini *Comm.* & Theoduli, in Bibl. PP. Zanchius. Vid. *ejus opera.*

In 2. *Epist.* extant: Beurlini *Enarratio.* Clementis Alex. *Commentarius.* Danaei *Comm.* Octav. Genevae 1583. Gaultieri *Expositio.* Grynaei *Explicatio.* Jonesii *Expositio.* Angl. fol. Londini 1612. 1618. 1635. Lybii *Explicatio.* Octav. Witebergae, 1580. Pococki *Notae.* Quart. Lugd. Bat. 1630. Schlichtingii Socin. *Commentarius.* Selnecceri *Homiliae.* Zanchii *Comment.*

In 3. *Epist.* prodiere: Beurlini *Enarratio.* Danaei *Comm.* Octav. Genevae. Gaultieri & Jonesii *Expositio.* Lybii *Expl.* Pococki *Notae.* Schlichtingii Socin. *Comment.* Selnecceri *Homiliae.* Zanchii *Comment.*

Imperatores Graeci.

Johannes I. Zimiscius, Imper. Orientis. Ex duce Legionum, ductâ Theodorâ, gener Romani Imper. qui moriens duos reliquit filios, sub tutela matris Theophaniae, Nicephoro Phocae ad Imperium evecto postea nuptae. Haec, Basilium & Constantinum filios coronari expetens, cùm probè nosset, à Nicephoro, fratri Leoni destinari imperium, impulit Joh. Zimiscium, imo eum fune in cubiculum attraxit, ut Nicephorum, in suo palatio, occideret. an. 969. Ita is huic successit, sanctè pollicitus Patriarchae Polyeucti, resignaturum se imperium Romani filiis, & quidquid opum privatus possidebat, inter egenos distributurum. Mox à populo motus, Theophaniam Imper. in exilium pepulit, filiamque Romani cognom. ad Ottonem Magnum misit, ut Ottoni filio ejus nuberet. Dein Saracenos Antiochiâ exegit, Turcas, Russos & Bulgaros vicit, Borise Rege horum, cum tota familia, capto. Sic Bulgariae regno finis impositus, & metropolis ejus Parasthlaba, in Johannopolim mutata est. Primus Christi imaginem in nummis expressit, cum inscr. *Christus Rex Regum.* Tandem, cùm ingemisceret, spadones amplas possessiones, non verò milites habere, à spadone veneno propinato Damasci, Obiit Constantinopolim redux, Anno 975. Imp. 6. Curopalat. & Cedren. *in Ann. Gr.* Vitichindus, *lib.* 3. Ricciol. *Chr. Ref. l.* 1. *c.* 13. Successit Basilius, Romani fil.

Johannes II. Comnenus, dictus vulgò *Calo-Johannes*, successit patri Alexio Comneno, an. 1118. Vivo adhuc patre, Sozopolim Turcis ademit, Scythas Thraciâ depulit. Nicet. *in hist.* Imperator, Mahometem Turcam, per filium Emanuelem, in Paphlagonia vicit, quem quòd injussus pugnasset, palam laudibus, clam verberibus affecit. Raimundum principatu Antiocheno deturbare voluit. P. Æmil. *libr.* 5. Obiit, in Cilicia, cùm inter venandum, sagittâ venenatâ manum laesisset, an. 1143. quam Medico salutem hac lege promittente, abscindi noluit, utraque manu opus esse ad tantum Imperium administrandum, dictitans. Nicetas, Joh. Cinnamus, Otto Fris. *l.* 7. Guil. Tyr. *l.* 15. &c.

Johannes III. Ducas, cognom. Batazes: vel Diplobastazes, ab aliis Vastaches, maritus Irenes, filiae Theodori Lascaris, huic successit, 1222. sedens Niceae, dum Constantinopolim Latini tenebant. Inito cum Graecis Principibus foedere, Robertum Imper. terrâ superavit, mari aliquoties quoque victor. Scythas, Tartaros, Bulgarosque pepulit, undique finibus Imperii dilatatis. Porro cum Turcis amicitiam coluit, secundisque nuptiis Annam, Friderici II. filiam, duxit. Justitiae tenax, severus & parcus. Obiit Anno 1255. aet. 62. Imp. 33. Successit Theodorus Jun. filius ejus. Gregoras *libr.* 2. Georg. Logotheta, *in Chron. Constant.* Pachymerus, &c.

Johannes IV. fil. Theodori Jun. coronatus post obitum patris, Anno 1258. aet. 7. Michaëlis Palaeologi tutoris jussu, paulo post, excaecatus est. Pachymerus *l.* 3. Gregoras, &c.

Johannes V. Cantacuzenus, Andronico Palaeologo Jun. gratus, ab illo morituro Johannis & Emanuelis filiorum tutor constitutus est. Sed ipse coronari se curavit Didymotychae, Thraciae urbe, an. 1341. eodem tempore, quo Johannes Palaeologus, Constantinopoli coronam accepit. Firmaturus sibi Imperium, foedere cum Turcis inito, Urchani filiam uxorem dedit, Lydiam, Cappadociam aliasque provincias & urbes complures occupavit. Majora molitus, Venetorum ope, vincitur à Palaeologo, à Genuensibus adjuto, praelio navali, Anno 1352. Hinc cùm omnia ejus in pejus ruerent, insignia Imperii Anno 1353. vel 57. deposuit, & Josephi Christoduli nomine sumto, in monte Atho monasterium ingressus est, cum fil. Matthaeo, Imperii consorte. Ubi Historiam libb. 4. de rebus sub Andronico & se gestis composuit; opus planè egregium, nisi quòd de se loquens subinde veritatem dissimulet. Attribuuntur quoque illi commentarii, contra Mahometanos & Judaeos, paraphrasis in 5. libb. priores Ethicae Aristot. Gesner. Possevin. Vixit adhuc an. 1374. V. Villan. *Hist. l.* 4. Folietam *Hist. Gen. lib.* 7. Justinian. Suritam, Petrarcham, Blondum, Ipsummet *Hist. lib.* 3. & 4.

Johannes VI. Palaeologus, dictus *Calo-Johannes*, fil. Andronici Jun. usurpatore Imperii Johanne V. Vid. suprà, ope Genuensium, pulso, his Lesbum, Ducique eorum Johanni Gateluzio sororem suam conjugem dedit. Bello contra Bulgaros infelix, ab illis captus, & ab Amadeo VI. Sabaud. D. liberatus est. Dein ab Amurathe, initum foedus negligente, plurimis urbibus exutus; à filio Andronico conspiratione impetitus, illam disjecit, filio ferventi aceto excaecato. Sed is fugâ ad Turcam elapsus, ejus & Genuensium ope, Patrem Imperio exuit, & cum filiis in vincula conjecit. Qui inde post 4. annos, magnâ pecuniae vi Bajazethi datâ liber, pollicitus insuper contra quosvis societatem armorum,

morum, Imperium recepit. Hinc in Italiam transiens, Principum Christianorum opem imploravit, promissâ Romæ Græcæ Ecclesiæ, ut quidam volunt, cum Latina unione. Obiit, an. 1387. Successit fil. Emanuel. Chalcondylas & Leunclav. *Histor. Turc.* Blondus, Onuphrius, Sabellicus, Guicheno *Hist. Sab. &c.*

Johannes VII. Palæologus, patri Emanueli II. sponte Imperium abdicanti, successit, Anno Christi 1419. maritus Sophiæ, Marchionis Montferratensis. Patre non felicior. Imprudenter enim Mustapham juvando, Amurathem adversus se concitavit, Venetis Thessalonicâ frustra concessâ, nam & hanc Amurates expugnavit. Hinc urbi exitium imminere cernens, ut à Latinis auxilia impetrare posset, in Italiam cum Josepho Patr. concessit, & Concilio sub Eugenio IV. Florentiæ habito, Eccl. Græcam Latinæ univit: consensu postmodum à Græcis rescisso. Obiit in Orientem reversus, Anno 1448. sec. Onuphrium, 1445. Georg. Phran. *l.* 2. Naucler. *gen.* 49. Ducas, Chalcondylas, &c.

Galliæ Reges.

Johannes, Galliæ R. successit patri Philippo Valesio, an. 1350. Auctor, vel Instaurator Ordinis Stellæ. Rodolphum ultimum Com. Eusianum, Connestabilem, collusionis cum hoste convictum, puniit, munere hoc in Carolum Hisp. de la Cerda, sibi gratum, translato: quo in Normannia, à Carolo Malo Navarr. R. genero suo, sublato, Anno 1354. Angli evocati, sed tum repulsi, ad monomachiam Eduardo provocato. Anno 1355. Anno sequente, Eduardo Walliæ Principe, post vastatum agrum Cadurcensem, aliasque quasdam provincias, ad pugnam adacto, 7000. cæsis, & flore Nobilitatis sublato, victus, & postquam solus cum Philippo fil. hinc dicto *Audaci*, diu fortissimè restitisset, captus est, Johanni Morebecquio, Atrebate, quem Regno antè pepulerat, se dedens. In Angliam abductus, pace Bretiniacensi, denuo liber, totâ Aquitaniâ Anglis concessâ & 3. millionibus aureorum solutis, Anno 1360. Avenione cum Urbano V. collocutus est. Mox in Angliam reversus, an illustris cujusdam fœminæ amore, an ut Eduardo testaretur, obsidum, inter quos fil. Dux Andegavensis, fugæ se non conscium fuisse, Regemque ad societatem sacræ expeditionis permoveret? ibi obiit Anno 1364. æt. 52. regni 14. Strenuus, magnificus, datæ fidei tenax. Ex Bona Lucemburgica, fil. Johannis, Bohemiæ R. Caroli V. successoris, Ludovici, unde Duces Andegav. Reges Neap. Philippi Audacis, unde Burgundiæ Duces, &c. Pater. Fr. Petrarcha, Froissardus, Haillan, Dupleix, Mezeraius *Hist. Gall.*

Johannes, fil. Ludovici Hutini, mortui Anno 1316. ex Clementia posthumus, 8. post nativitatem die sepultus, in pompa funebri Rex Franciæ & Navarræ proclamatus est. Qui proin quibusdam Johannes I. dictus est. Mezer. *Hist. Gall.*

Angliæ, Hispaniæ, aliusq; Reges.

Johannes, cognom. *sine Terris*, Angliæ R. tertius fil. Henrici II. post Richardum I. remoto Arturo, filio Godofredi fratris, secundi filii Henrici, regnum occupavit, *circa an.* 1200. *Qui Philippi Aug. Galliæ R.* ope subnixus *Johanni bellum movit*, *sed Mirabelli interceptus*, *in carcere obiit.* Hinc Lutetiam Johannes citatus, cùm non compareret, tanquam feloniæ & parricidii reus condemnatus est, ad ditionum, quas in Gallia possidebat, amissionem. Subditis exactionibus gravis, cum Innocentio III. ob creatum Archiepiscopum, sine suo scitu, dissedit: Ecclesiasticisque, per dentes Dei, jurans, extrema minatus est, si Papa se excommunicaret, horum proventibus per 6. an. occupatis. Excommunicatus & rapinæ Galliæ Regis expositus, Ecclesiasticos durissimè tractavit, sed metu Galli perculsus, *coronam suam cum regnis Angliæ Hiberniæq; in manus Domini Papæ resignavit*, hinc subditis maximè exosus. Vid. *Innocentius III.* Victus dein prælio Boviniacensi, Ludovicum fil. Philippi Aug. contra se electum superavit, & Angliâ exclusit, Valliam subegit, Obiit Anno 1216. Pater, ex Isabella Engolismensi, Henrici III. successoris, Richardi Rom. R. &c. Post mortem ejus, Regina vidua Hugoni, Comiti Marchiæ, cui ipso nuptiarum die à Johanne erepta fuerat, denuo nupsit. Matth. Westmonast. Polydorus, Matth. Paris. &c.

Johannes I. Legionis & Castellæ R. patris Henrici II. successor, Anno 1379. æt. 21. Ex Eleonora Arragonia, pater Henrici III. successoris, & Ferdinandi Arragon. R. Litem cum Anglis, qui ob Constantiam, filiam Petri, Johanni Lancastriæ D. nuptam, jus in regnum ejus, armis, Ferdinando Lusitaniæ R. juncti, persequebantur, composuit. Uxore orbatus, Beatricem, Lusitanicam duxit Anno 1383. eâ lege, ut liberi hinc orti Ferdinando succederent. Sed Ferdinando mortuo, frater ejus nothus Johannes à subditis surrogatus est, contra quem Johannes prælio infelix, postea equi lapsu, an in decursione equestri, die Dominicâ institutâ, an in venatione? Obiit an. 1390. regni 11. Roderic. Sanctius, *Histor. Part.* 4. Mariana, *l.* 18. Garibay *l.* 25.

Johannes II. fil. Henrici III. Rex proclamatus, Anno 1406. æt. 2. operâ & fide Ferdinandi patrui, qui postmodum Aragoniæ R. fuit. Pauli Burgensis, Ep. Carthagenæ, curæ commissus, cùm adolevit, à Navarræ & Arragoniæ Regibus bello petitus, illos ad pacem adegit. Granatæ Regem, quem priùs restituerat, sibi bellum inferentem, 12000. occisis, retudit, omnibus Granatæ tenus vastatis. Anno 1431. quam & ipsam cepisset, ni Alvares Luna, Connestabilis, Regi gratus, à Mauris corruptus restitisset. Obiit Anno Chr. 1454. æt. 50. Pater Henrici IV. successoris, ex Maria Aragonia. Mariana *libr.* 19. 20. 21. 22. Turquet. *Histor. Hispan.*

Johannes I. Arragoniæ R. successit Petro IV. Patri. Ob infirmitatem, suis contemtui, seditionibus turbisque agitatus est, sub regni initium. Obiit an. 1395. æt. 44. regni 9. mens. 5. Successit frater Martinus, excluso Matthæo Com. Fuxio, qui Johannam fil. ejus duxerat. Mariana *l.* 19. Surita *Ind. l.* 3.

Johannes II. fil. Ferdinandi Castellani, Arrag. Regis, ductâ Blancâ, hærede & fil. Caroli Nobilis, Navarræ Rex I. hujus nominis: Anno 1429. ex illa pater Caroli Princ. Vianiæ, Blancæ, quæ Henrico IV. Castellæ R. nupsit improlis, & Eleonoræ. Post uxoris mortem, Anno 1441. cùm Johannam Henriquez, fil. Connestabilis Castell. Rex duxisset, Carolus Princeps, Bellimontiis subnixus, coronari se curavit, sed prælio victus est à Patre, cui Grandmontii adhæserant: in duas enim has factiones Regnum tum sciffum. Postea Patri reconciliatus, Catalauniam accepit. Johannes dein, Alphonso fratre mortuo, Anno 1358. Arragoniæ quoque regnum nactus est, ingenti postmodum contra Henricum IV. Castell. R. bello implicitus. Interea Carolus, à noverca malè habitus, denuo in patrem insurrexit, denuoque victus est, & in carcerem conjectus. Qui inde à Catalaunis liberatus, sed per Medicum à Noverca corruptum, suffocatus, obiit Anno 1460. Proin Catalauni iterum, à Castellæ R. adjuti, jugum excusserunt, Rex verò, Comit. Ruscinonensi & Cerdaniæ Ludovico XI. Gall. R. oppignorato, aliquam pecuniæ vim confecit, quò melius resisteret: Eleonorâ quoque Gastoni IV. Com. Fuxio elocatâ, Navarræ regnum sic in hanc familiam devolvit. Obiit Barcinone, Anno 1479. æt. 82. ex Johanna pater Ferdinandi, qui Isabellam, Legionis & Castellæ hæredem, sibi junxit. Mariana *l.* 23. 24. Surita *Ind. lib.* 20. Texeira, Olhagarius, Perrierus, Chapius, De Marca, &c. *Hist. Benearn. & Navarr.* Turquetus, *Hist. Hisp.*

Johannes II. fil. Alani Albretani, ductâ Catharinâ Foxia, sorore Francisci Phœbi, Navarræ R. Anno 1494. Quibus cùm inter se non optimè conveniret, factionibus reviviscentibus, Rex Bellimontiis, Regina Grandmontiis favit. His turbis ægrè compositis, Ferdinandus Hisp. R. ambitione stimulatus occupat Navarræ regnum, an. 1512. Johanne in Benearniam compulso, dein colorem quærit, quo injustitiam utcunque excuset. Nec alium invenit, quam quem Bulla Julii II. ei suggessit, qui Navarram primo occupanti prædam exposuerat, eò quòd Johannes, fautor Concilii Pisani, cum Ludovico XII. Gall. R. Papam oppugnasset. Sanè & Carolus V. Philippo II. filio suasit, ut Johannam Johannis filiam in uxorem duceret, eâ lege, ut jus suum in Navarram Marito conferret. Eademque, mollius tamen, repetiit Philippus II. in monitis ad fil. Philippum III. Navarreni regni quæstionem suæ fidei à Patre secreto codicillo commendatam testatus, sed variis occupationibus districtum non potuisse illam diligenter discutere, proin filio mandare, ut momenta causæ, à peritis & probis hominibus curet examinanda: velleque ac jubere, ut si quid in ea invasione præter jus & fas factum comperiatur, damnum & jactura possessoribus antiquis resarciatur. Vid. Thuan. *Hist. l.* 120. Becmann. *Hist. Orbis terr. Geogr. & civil.* &c. Obiit Rex Anno Chr. 1516. ex Catharina parens Henrici, Regis laudatissimi, qui ex Margareta, Francisci I. fil. Johannam matrem Henrici IV. Gall. R. suscepit. Autores supra dicti. Mariana *libr.* 30. Mezer. *Histor. Gall. in Ludovico XII. & Franc. I.*

Lusitaniæ Reges.

Johannes I. Lusitaniæ R. fil. nothus Petri Justi, ex Theresia Laurentia, Ferdinando fratri an. 1383. surrogatus est, exclusâ hujus filiâ, Johannis I. Castell. R. uxore. Hinc bellum, sed Castellani prælio celebri ad Aliubarotam cæsi, an. 1385. Postea, bello in Africam translato, Barbaros aliquot urbibus exuit, ductâ Philippâ, fil. Johannis Gandavensis, Lancastriæ D. Pater ex ea egregiæ & numerosæ prolis. Obiit an. 1433. æt. 76. Eduardus fil. successit. Ab ejus notho Alphonso, Duces Bragantiæ orti, qui hodiè regnant. Mariana *lib.* 18. 21. Vasconcell. *de Reg. Lus.* Nonius, *Geneal. Reg. Lusit.* Turquetus, &c.

Johannes II. cognom. Magnus & Severus, patri Alphonso V. successit, Anno 1481. Sub initium regni Procerum conjurationem, capite plexo Fernando Bragantiæ Duce disjecit. Coloniis in Indiam & Africam deducendis intentus, varias in Guinea arces extruxit, fidemque Christianam illis terris intulit. Papæ, reliquisque Principibus contra Carolum VIII. Gall. R. se jungere noluit, injustitiâ causæ perspectâ. Obiit Anno Chr. 1495. æt. 41. Ex Eleonora fil. Ferdinandi, Connestabilis Lusitaniæ, pater Alphonsi, qui equi lapsu interiit, Anno Chr. 1491. Successit Emanuel patruelis. Vasconcell. *anaceph. Reg. Lusit.* Nonius, &c.

Johannes III. patris Emanuelis successor, an. 1521. à Davide Æthiop. R. per Legatos salutatus est. In India ingentes fecit progressus,

greſſus, Arce de Diu, maximi in terra illa momenti, Regi Cambosæ ereptâ. Xaverium aliosque Jeſuitas Anno 1540. in Indias miſit, Japoniam detexit, fide Chriſtianâ in Aſia & Americâ latè propagatâ. Obiit apoplexiâ ictus, an. 1557. Ex Catharina Caroli V. ſorore pater 5. filiorum, qui omnes in juventute obierunt. Quos inter Johannes Luſitaniæ Princeps, mortuus an. 1554. ex Johanna fil. Caroli V. Sebaſtianum, Avi ſucceſſorem, reliquit, &c. Damianus Goëzius, *in Comment.* Vaſconcell. *in Anaceph.* Nonius *in Geneal. tom.* 2. &c.

Johannes IV. fil. Theodoſii II. Bragantiæ D. ex Anna filia Johannis Ferdinandi Velaſci, Conneſtab. Caſtell. proximus regni hæres, an. 1640. à Luſitanis, excuſſo Hiſpanorum jugo, Rex proclamatus, titulo Regis Luſitaniæ, Algarbiæ, oræ maritimæ Africæ, Domini Guineæ, navigationis & commercii Æthiopici, Arabici, Perſici, Indici ſumto: Conjurationem horribilem diſſipavit, capitibus conjurationis morte mulctatis, felix & prudens. Literarum fautor, Muſicæ peritus, pauci ſomni, veſtitu parum à vulgari diverſo, ſobrius & frugalis. Dicere ſolitus eſt, *Regem affabilem eſſe debere, veſtem omnem tegere, nutrire omnem cibum.* Obiit 1656. Ex Ludovica, fil. primogenita Joh. Eman. Perezii Guſmanni D. Medinæ Sidoniæ, prudentiſſima heroina & regni reſtauratrice, Theodoſii. qui brevis ævi, Alphonſi R. & Petri, qui fratre in Terceram Inſ. remoto, hodie Regens eſt, ut & Catharinæ, Carolo II. Britann. M. regi nuptæ Parens.

Scotiæ Reges.

Johannes I. dictus *Balliolus*, Scotiæ R. è Normanniâ oriundus, poſt Alexandri III. improlis mortem, Regnum occupavit, hinc diuturno bello cum Roberto Bruſſio colliſus. Qui ambo, per matres, ex Scotorum R. ſanguine, cùm Eduardum II. tandem arbitrum litis elegiſſent, hic pro Johanne ſententiam tulit: An quia propior, an quia ſe ei vaſallum fore pollicitus eſt? Mox tamen eundem bello aggreſſus, cepit: qui ut liberaretur, ad conditiones Rege indignas cùm deſcendiſſet, à Scotis rejectus, Obiit in Gallia an. 1303. Leslæus & Buchan. *Hiſt. Scot.*

Johannes II. fil. Roberti II. nomen mutare coactus, quod à tempore Johannis Ballioli ſummo contemtui erat, Robertus III. dictus eſt. Vid. ibi.

Poloniæ & Bohemiæ Reges.

Johannes Albertus, Poloniæ R. ſecundogenitus Caſimiri IV. Ladislao fratre Hung. & Boh. R. annuente, electus eſt, an. 1492. Eruditus, Hiſtoriarum peritiſſimus, munificus in milites, ſed bello parum felix. Obiit cœlebs an. 1501. Michov. *Sarm. libr.* 1. & *Hiſt. Pol.* 4. Cromer. *l.* 30. *&c.*

Johannes Caſimirus, Vid. *Caſimirus V.*

Johannes, exercituum ſummus Dux, poſt Michaëlem R. fato functum, haud pridem ſucceſſit, rebus contra Turcas præclarè geſtis inclytus.

Johannes, Bohemiæ R. fortis & aſtutus, fil. Henrici VII. Imper. ductâ Elizabetâ, fil. Wenceslai R. an. 1309. electus contra Henricum Carinthiæ D. Bohemis, ob ſævitiam, intolerabilem, & Pragæ cum uxore coronatus eſt. Dein, patre abſente, Vicarius Imperii, res in Sileſia & Lombardia præclarè geſſit, an. 1330. 31. & 32. poſtquam à M. Duce Crucigerorum Pruſſiæ, in Poloniam vocatus, victis Lithuanis Ethnicis, Poloniæ R. titulum aſſumſiſſet. In hac expeditione altero oculo amiſſo, clam Monſpelium venit, ubi Judæi Medici imperitiâ & altero privatus eſt. Nihilo tamen ſecius bella gerere perrexit. Poloniæ R. ad monomachiam, in cubiculo clauſo, ſe invitanti, reſpondit, pariturum ſe, ſi ille ſimiliter prius ambos oculos eruiſſet, ſic enim arma paria fore. Suppetias veniens in Galliam Philippo Valeſio, periit in prælio Creſſiaceno. Ubi, quò fortius pugnaret, equum ſuum duorum fortiſſimorum militum equis alligari juſſit, à quibus, in confertiſſimos hoſtes abreptus, ibi occiſus eſt. Succeſſit ei fil. Wenceslaus Carolus IV. Rex Boh. & Imper. qui patris res geſtas memoriæ prodidit. Dubrav. *lib.* 20. *& ſeqq.* Trithem. *in Chron.* Villanius, Cromerus, &c.

Sueciæ & Daniæ Reges.

Johannes I. Sueciæ R. Suercheri R. filius, Erico X. ſucceſſit, an. 1220. Pius & felix, ſed brevis regni. Obiit an. 1223. Martin. Zeillerus, *in nova deſcr. Sueciæ.*

Johannes II. Daniæ R. Chriſtierni I. fil etiam in Sueciæ Regem electus eſt, ſed cùm promiſſa non ſervaret, mox pulſus, Obiit Anno 1513. Johann. Magnus, *Hiſt. Suec.* Chytræus, &c.

Johannes III. Finlandiæ D. fil. Guſtavi I. ex Catharina Saxonica, à fratre Erico XIV. in vinculis aliquot annos detentus, inde liber, Suecorumq; opeadjutus, Ericum in eundem carcerem compegit, throno conſcenſo, an. 1568. Pacificè rexit. Ex Catharina, fil. Sigiſmundi Auguſti, Poloniæ Regis, pater Sigiſmundi, Poloniæ an. 1587. dein Sueciæ R. à Carolo patruo pulſi. Obiit an. 1592. Caroli tutelæ filio, regno, & Auguſtanâ Confeſſione commiſsâ. Thuan. *l.* 104. & 109.

Rex Hieroſolymæ.

Johannes, ex familia Brienneſi, vel de Brema, fil. Gualteri, Rex Hieroſolymæ, ob uxorem Mariam, fil. Conradi March. Montferratenſis, ex Regina Elizabeta, hærede Almerici R. Imperium quoque Conſtantinop. adminiſtravit, genero Balduino II. in Gallia abſente. Pater inſuper Iſabellæ, quæ Friderico II. Imper. nupſit. &c. Valſingam. an. 1218. Sanut. *lib.* 3. *P.* 3. Blond. Collenutius, &c.

Principes ex fam. Oldenburgo-Danica.

Johannes, Comes Oldenburgicus, Ottone, cui à ſpectro mirabile cornu oblatum narrant, genitus: Pater fuit Hunonis glorioſi, quo Goslariæ ad pugnam cum Leone damnato fil. Fridericus pro patre certamen ſubiit victor. Ex ejus ſucceſſoribus *Johannes*, Elimari I. fil. Wildeshuſanam lineam orſus eſt, pater Willebrordi Epiſc. Paderbornenſis & Ultrajectini, qui obiit A. C. 1233. Burcardi & Chriſtiani: è quorum ultimo Hatſtedius ramus deſcendit, poſt quem quinque *Johannes* fuerunt, quorum ultimi filii Bernardus, Chriſtianus, *Johannes* & Burchardus, ſine prole extincti ſunt, circa A. C. 1360.

Johannes, fil. Chriſtiani, frater Ottonis III. qui Delmenhorſtum condidit, circa A. C. 1340. ex duobus filiis *Johanne* Oldenburgicæ, & Chriſtiano Delmenhorſtanæ, linearum conditor fuit. Horum ille, initiò vitæ licentiâ notatus filium habuit Conradum, doctum ac pium, qui cum filio Gerhardo An. Chr. 1368. cæſus eſt à Butjadis; Pater præterea Conradi & Chriſtiani: quorum poſteriore natus Theodoricus Fortunatus, linearum reliquarum bona collegit.

Johannes, fil. Chriſtiani I. Daniæ Regis, ex eadem familia, Patri in regno ſucceſſit. V. *Johannes II. Rex Daniæ.*

Johannes, fil. Chriſtiani ſeu Chriſtierni II. nepos prioris, quo Pater captus eſt tempore, dyſenteriâ obiit, Anno Chr. 1532. in aula Caroli V.

Johannes, fil. Friderici Holſatiæ Ducis, nepos ex fratre Johannis II. Regis, regno adverſus Chriſtiernum II. deſtinatus, dein A. C. 1544. in diviſione inter fratres, partem Sleſvicenſis Princip. & Holſatiæ nactus, Haderslebiæ arcem à ſe *Hansburg* dictam extruxit. Obiit A. C. 1580. ſine prole, Scholarum & Eccleſiarum Nutritius inſignis.

Johannes, fil. Friderici II. Dan. R. frater Chriſtiani IV. deſtinatus Moſci, qui eum magnificè excepit, ex filia Axenia gener, in Moſcovia febri correptus, obiit, ſec. præt.

Johannes, fil. Adolphi, qui Gottorpino-Holſaticam familiam condidit, frater Friderici maj. natu, primus ex Holſatis paſſus eſt, ſibi perſuaderi, ut apennagio contentus eſſet. Epiſcopus Lubecenſis factus ſingulari prudentiâ Oeconomicâ ingentes opes congeſſit: Pater ex Julia Felicitate Wirtembergica Joh. Auguſti. Ejus linea *Eutinenſis* dicitur.

Johannes, fil. Gerhardi, qui Oldenburgios continuavit, fratribus ingenio & formâ præſtantior, Patre ab Epiſcopis Monaſt. & Brem. pulſo, regimen ſuſcepit. Butjados & Statlandos Anno Chr. 1499. ſub jugum redegit. Pater *Johannis*, qui regimen fratri Antonio conceſſit, A. C. 1520. cujus fil. major natu *Johannes*, Antonium Guntherum genuit, qui ultimus ſuæ gentis nuper vitâ exceſſit. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſtor.*

Ex familia Palatina.

Johannes I. fil. Stephano geniti Friderici, Simmerenſem Principatum nacti, à pacis ſtudio commendatur. Eo genitus

Johannes II. Carolo V. inprimis charus, Obiit an. Chr. 1557. Princeps non mediocribus literis tinctus, ac ſummâ juſtitiæ & prudentiæ laude, munere ſuo (erat enim Cameræ Imperialis Judex) functus. Ejus fil. Georgius Evangelium in ditionem introduxit.

Johannes I. ſecundò-genitus fil. Wolfgangi, Ducis Bipontini, patri A. C. 1570. ſucceſſit, ſtudiorum, Hiſtoricorum cumprimis & Genealog. cultor egregius. Ad Reformatos accedens, Catechiſmo Heidelbergenſi ſuâ manu præfationem aſcripſit, ad colloquium Neoburgicum, Beutherum & Hexamerum miſit: Obiit A. C. 1604. Ab uxore ejus Magdalena Clivia prætenſio in Duc. Cliviac. & Juliac.

Johannes II. fil. prioris, ſucceſſit patri: Adminiſtrationem dein Electoratus, ut Friderici V. curator, ſuſcepit; Unioni nomine dato, eandem cum reliquis Fortunam expertus eſt. Abbatiam Hornbacenſem A. C. 1628. Trevirenſi Electori reſtituere juſſus obiit an. Chr. 1635. Pater Friderici & Friderici Caſimiri, quorum illi an. Chr. 1661. mortuo, hic ſucceſſit.

Johannes, tertius fil. Stephani fibulati, Bavariæ D. obtinuit, in diviſione, tractum Monachenſem, hujus lineæ auctor, quæ initio tenuior demum reliquis, Ingolſtadienſi nempe & Landshutanæ, ſucceſſit. Obiit in Hollandia, ſub initium ſec. 15. Pater Erneſti ſucceſſoris & Wilhelmi, qui, Baſilienſis concilii defenſor, improlis obiit.

Ex familia Saxonica.

Johannes, fil. Erneſti Electoris, Friderico III. fratri A. C. 1525 extincto, in El. ſucceſſit, cognom. *Conſtantis*, vel *Boni* meritus Adoleſcens, A. C. 1490. in Hungaria Maximiliano I. militavit, primus,

primusque Albæ Græcæ mœnia conscendit. Fratris dein successor, ob religionem Evang. quam amplexus erat, jam A. C. 1520. à Cæsare principatus insignia non impetrare potuit. In Comitiis tamen Augustanis ei A. C. 1530. ad sacra eunti gladium prætulit, dein obtulit confessionem, ejusque apologiam adornari curavit, non curans graves minas, inprimis per Joachimum I. El. Brandeb. denuntiatas. Eodem anno contra Ferdinandi electionem ad regnum Rom. protestatus: Smalcaldiæ suos convocavit, fœdusque ad mutuam defensionem percussit. Obiit A. C. 1532. Pater Johannis Friderici El. & Joh. Ernesti, qui A. C. 1542. partem Franconicam nactus, Coburgi habitavit.

Johannes Fridericus, El. Saxoniæ, post Johannem Patrem, electioni Ferdinandi I. contradixit, Anno 1531. quæ res composita, A. C. 1544. Wilhelmo Landgravio junctus, Henricum Brunsuicensem cepit, an. 1545. Bello Smalcaldico, ad Mulbergam victus, in Cæsaris potestatem venit, Septemviratu Mauritio sobrino cedere coactus, ut & parte ditionum mulctatus, de religione nullatenus quidquam concessit. Dimissus An. 1552. post fœdam Caroli V. ad Oenipontem fugam, Gotham muniit. Obiit an. 1558. *Vir utiq; magnus, constantia & invicti animi etiam ab ipsis hostibus, ad hac comitatis, prudentia, liberalitatis regia laudem consecutus, post varias vita arumnas & adversitates.* Thuan. *lib.* 4. & 23. Dicitur in nascentis dorso crux aurea effulsisse. Per filios Joh. Fridericum II. & Joh. Wilhelmum, Gothanæ & Vimariensis linearum auctor fuit.

Johannes Wilhelmus, Saxoniæ Dux, Joh. Friderici El. fil. Colloquio Theologorum, Aldeburgi habito, an. 1568. præses interfuit. In quo Wittembergenses consensum inter Lutherum & Melanchthonem, in doctrina, vita & morte fuisse docuerunt. Flacciani contra *Ubiquitatis* architecti, immane quantum illos inter se discrepasse asseruerunt. Re infectâ discessum, & alternis scriptis pugnatum. Secutus Dresdensis conventus, cui cùm Jenenses non subscriberent, Torgæ formulâ Concordiæ à Flaccianis, conscriptâ, Theologi ad eam adacti, quod cùm Vittebergenses recusarent, depositi, incarcerati, in exilium pulsi sunt. Lætus *Comp. Hist. Un.*

Johannes, fil. minor Johannis Guilielmi, ex eo nepos Johannis Friderici præfati, Vinariam aliaque in divisione nactus, obiit A. C. 1605. Pater ex Dorothea Maria Anhaltina 8. Filiorum. V. in voce *Vimaria.*

Johannes, fil. Georgii Saxoniæ D. ex familia Albertina, infensissimi Lutheri hostis, obiit ante patrem, extinctum Anno Chr. 1539.

Ex familia Zollerio-Brandeburgica.

Johannes, fil. Friderici II. Comitis Zollerani, Burggravii Noriberg. Culmbacum, Blassenburgum, alia ab Orlamundanis emit, ac Ludovicum Imper. in Italiam comitatus est. Pater Friderici IV. ex eo avus Friderici ex Burggraviis V. sed inter Electores I. Hujus filius

Johannes, cognom. *Alchymista*, patri contra Christophorum Princ. Vandaliæ, dein Pomeranos feliciter inserviit: in Electoratu tamen, licèt primogenitus, ejus voluntate præteritus est, & in Voitlandia vitam tranquillè exegit.

Johannes, cognom *Magnus*, & *Cicero*, fil. Alberti, prioris ex fratre nepos, patri in Electoratu successit. Cum Electore Saxoniæ, tres Reges Poloniæ, Boh. & Ungariæ discordes, ad Vratislaviam, suâ facundiâ composuit: bello dein Silesio involutus, A. C. 1476. quod sopitum A. C. 1482. Jam Elector, vet. Marchiam, ob cerevisiarium vectigal, tumultuantem coërcuit, Obiit An. C. 1499. nimiâ corporis mole sibi gravis. Ei successit fil. Joachimus I.

Johannes, fil. Joachimi I. minor natu, strenuus, sapiens, prudens, severus, *oculus & consilium Germania* dictus, Crosnam tenuit, dein Custrinum: Cùm de religione cavisset Cæsar, à fœdere Smalcaldico recessit: In formulam Interimisticam consentire noluit, in expeditione Metensi Carolo V. adfuit; Obiit Anno Chr. 1571. attentâ familiaris rei curâ fratre Joachimo II. El. superior. Vid. Thuan. *lib.* 50.

Johannes, filius Friderici, Johannis El. præfati ex fratre nepos, gubernator Valentiæ fuit, & Carolo V. inprimis charus: unde Hispanorum invidia, & in morte ejus præmatura, An. C. 1525. veneni suspicio. Ejus fratres Casimirus Culmbacensem, Georgius Anspacensem, & Albertus Borussiacam, lineas orsi sunt.

Ex familia Badensi.

Johannes, fil. Jacobi Marchionis Badensis, ad Archiepiscopatum Trevirensem evectus, primorum annorum negligentiam in seqq. curâ majori pensavit. Frater Bernardi, qui à Sixto IV. Anno Christi 1480. canonisatus est, quòd vitam monasticam amplexus, Magdalenam filiam Caroli VII. Francorum R. sibi desponsatam, omiserit: Georgii Episc. Metensis, Marci Canonici Argentin. & Caroli, qui lineam propagavit.

Ex familia Hassiaca.

Johannes, fil. secundo-genitus Henrici, Hassiacæ lineæ conditoris, mortui Anno Christi 1308. in divisione paternæ hæreditatis Cassellas nactus est: mox mortuus, fratrem majorem natu Ottonem hæredem habuit. Item fil. secundo-genitus Ludovici Principis Darmstattini, mortui Anno Chr. 1626. militaris virtutis & Oeconomicæ prudentiæ laude inclytus, Breubacum incoluit, sed improlis ex Johanna Sainensi vitâ excessit, An. C. 1651.

Ex familia Vandalica.

Johannes, Henrici Vandalorum Ducis fil. Parisiis Theologiæ Doctor creatus, hinc *Theologi* cognomen habuit, & Megapolitanam ditionem nactus est. Pater, inter alios, *Johannis* Hildeshemii Canonici, & alterius *Johannis*, qui submersus est A. C. 1299. Ei Henricus fil. successit.

Johannes, Dux Megapolitanus, nepos ex filio Henrici præfati, cum fratre majore Alberto, Imperii Princeps à Carolo IV. in Comitiis Pragensibus, A. C. 1349. creatus est. Auctor lineæ Stargardiensis parum diuturnæ: memorantur inter alios in ea *Johannes*, alterius *Johannis* pater.

Johannes, filius Magni, quem Albertus præfatus genuit, cum patrueli Alberto, Academiam Rostochiensem A. C. 1415. fundavit, evocatis Erfordiâ Professoribus: regno postea Sueciæ destinatus, A. C. 1423. obiit: relictis *Johanne*, qui improlis, & Henrico Pingui, ad quem extinctis agnatis, Vandaliæ Principatus delatus est: Pater hic, inter alios, quoque *Johannis* fuit.

Johannes, fil. Joh. Alberti Ducis Megapol. cùm patre Anno Chr. 1577. extincto, ditiones cum patruo Ulrico, communi regimine administrasset, subitaneâ morte, in ipso ætatis flore abreptus, A. C. 1592. filios ex Sophia Holsata reliquit, Adolfum Fridericum Suerinensis, & Johan. Albertum, Gustrovianæ lineæ auctores.

Johannes, filius Nicoloti Vandaliæ domini, nepos ex fratre Johannis Megapolitani Theologi, Pater fuit Nicoloti, Rugiorum & Brandeburgiorum victoris: ex hoc, mortuo A. C. 1316. avus *Johannis* sen. proavus *Johannis* Jun. Pater hic Nicoloti fuit, cujus linea in fil. Laurentii filio *Johanne* A. C. 1424. extincta est, & Bernardi, cujus fil. *Johannes*, genuit Nicolotum, Christophorum & Wilelmum, in quibus Anno Chr. 1430. familia defecit.

Ex familia Ascania.

Johannes I. fil. Alberti II. patris in El. Brandeburgico successor, A. C. 1221. Francofurtum ad Viadrum ampliavit, multamque è triplici conjugio prolem suscepit.

Johannes II. prioris fil. & successor, Crosnam oppigneratam sibi quoque possedit, & filios ante se defunctos videns, Ortonem & Conradum fratres successores habuit.

Johannes III. prioris ex Conrado fratre nepos, patrem Anno Chr. 1304. defunctum, brevi sequutus est.

Johannes IV. prioris ex fratre Henrico nepos, Waldemaro fratri, post patruum, in El. dignitate successit: paulo pòst extinctus, A. C. 1322.

Johannes I. fil. secundus Alberti I. qui Saxonici in hac familia rami auctor fuit, A. C. 1260. mortui, Alberti II. Electoris Saxonici frater, Lauvenburgicam lineam orsus est: quæ Electoralem dignitatem non semel adversus agnatos sibi vindicasse legitur. Eo nati

Johannes II. & Ericus I. qui stirpem continuavit. Ex hujus posteris *Johannes* fil. Bernardi, cum Lubecensibus, ob Melnam contendit: mortuusque A. C. 1507. inter alios, *Johannem* reliquit Episc. Hildeshemium & successorem Magnum II.

Johannes, fil. Alberti Junioris, Principis Anhaltini, frater Rudolphi Episc. Suerinensis An. Chr. 1381. extincti, uxorem habuit Elisabetham Hennebergicam, quæ malis moribus & Xanthippeis jurgiis maritum tantopere fatigavit, ut patriâ desertâ sponte sibi exilium indixerit: unde de eo nihil amplius compertum. Nati tamen sunt ex illo conjugio Albertus III. Claudus, & Sigismundus, qui pro Marchia Brandeburgica, quam Sigismundus Imp. Norimbergensi Burggravio concesserat, 60000. aureos accepere. Cœterùm ille Cœthensis, hic Servestani rami pater extitit.

Ex familia Piastea.

Johannes, fil. Ziemoviti, qui Mazoviam An. C. 1355. regi Pol. Casimiro obnoxiam fecit, Warsovianam seu Cirnensem lineam orsus: è quâ Boleslaus R. contra Casimirum electus, postea cessit. Pater Janussii, in cujus ex fratre Conrado nepotibus *Johanne* & Stanislao, A. C. 1526. extincta linea, & simul, quidquid in Polonia Piastei sanguinis supererat, defecit.

Johannes, filius secundo-genitus Friderici, Lignitii Principis, obiit A. C. 1495. Item fil. *Boleslai*, Principis Monsterbergici, ab Hussitis, qui Franckenstenium ipsi exusserunt, ad Wilhelmsdorphium trucidatus A. C. 1429. lineam terminavit, Ducatusque ad regnum Bohemicum devolutus est: donec de eo A. C. 1463. Fridericus III. Imper. Georgii Podiebradii Bohem. R. filios investiret.

Johannes, fil. Henrici Principis Glogoviensis, Anno Chr. 1306. à Posnaniensibus contra Vladislaum Locticum ad regnum vocati,

Steina-

Steinaviam nactus est, quo nomine Bohemiæ accessit A. C. 1329. inde Primislai fratris successor, dimidium Glogoviæ Johanni Regi vendidit.

Johannes, fil. Henrici Passeris, Ducis Sagano-Glogoviensis, Saganum tenuit, sed cùm tyrannicè imperasset, & conjugem Scholasticam Lavvenburgicam crudelius habuisset, ejecissetque, Anno Chr. 1439. successionem transmisit ad filios, è quibus *Johannes*, gentis ultimus, post varia tyrannicè acta, à Matthia Corvino R. principatu ejectus, Anno Chr. 1488. Wolaviæ otium chymiæ studio fefellit, superioris vitæ seriâ pœnitentiâ tactus. Obiit sub initium sec. præc.

Johannes, Dux Teschinensis, fil. Casimiri II. qui ramum hunc orsus est, Bohemorum A. C. 1327. subiit imperium. Ejus linea Osvencinam in Polonia tenuit, & in illius abnepote *Johanne* D. Teschinensi, Domino Zatoriæ A. C. 1513. defecit.

Johannes, fil. Boleslai IV. Ducis Oppoliensis, Episcopus fuit Caminensis & Vratislaviensis, sec. 15. Item fil. Boleslai V. prioris ex fratre nepos, Casimiro contra Albertum II. adhæsit, ab hoc mulctatus. Item fil. Nicolai, alterius filii Boleslai V. moderati animi princeps Anno Chr. 1532. familiam Oppoliensem, successore Ducatus Ferdinando I. Imper. clausit, Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll Geneal. Histor.*

Principes alii.

Johannes Castriotus, Vid. *Scanderbegus.*

Johannes, cognom. *Intrepidus*, Dux Burgundiæ, successit Philippo Audaci, patri, Anno Chr. 1404. Prius, suppetias venit Sigismundo Hungariæ Regi copiarum à Carolo V. Gall. R. hoc fine missarum Dux, in quibus bis mille nobiles. Qui rebus primò præclarè gestis, postmodum acie ad Nicopolim, Anno Chr. 1396. victi captique sunt: è quibus 600. in præsentia Ducis unco affixi, ipse cum 15. aliis, pro quibus, 200000. aureorum spopondit, servatus est. Patris successor, Aurelianensis Burgundicæque domus dissidio renovato, Lutetiæ Ducem Aurelian. Anno 1407. occidi curavit. Hinc bellum intestinum, priori atrocius: quo Carolo VI. adhuc minori, ipse regnum administravit. Occisus, jussu Caroli Delphini, Anno Chr. 1419. à quo ad colloquium invitatus erat, Monasterioli Senonum: Ex Margareta Bavara, pater Philippi Boni. Froissardus, Monstrelet. Serres, J. J. de Ursinis, Chenius & Paradinus, *Histor. Burg.*

Armoricæ Duces.

Johannes I. Armoricæ D. cognom. *Rufus*, post Patrem Petrum, dictum Mauclerum, Anno Chr. 1250. Proceres rebelles coërcuit, cum Clero aliquid litis habuit, comes Ludovici IX. in Africam, inde reversus Justitiam coluit. Obiit an. 1286. æt. 69. Ex Blanca, fil. Theobaldi Navarræ R. natus ei

Johannes II. qui muri ruinâ oppressus est, Lugduni, Anno Chr. 1305. cùm Clemens V. ibi coronaretur. Ex Beatrice, fil. Henrici III. Angl. Regis, pater Arturi II. successoris, &c.

Johannes III. Bonus, fil. Arturi II. Obiit Anno Christi 1341. improlis.

Johannes IV. Montfortius, fil. Arturi II. ex Jolanta, fil. Roberti IV. Com. Druid. Carolum Blesensem, maritum Johannæ, ex Guidone Com. Pontiniacensi fratre neptis, ditionibus exuit. Unde bellum inter Montfortiam & Blesensem famil. diuturnum. Obiit an. 1345. æt. 52. Ex Johanna, fil. Ludovici Flandri, fœmina magnanima, pater

Johannis V. qui Strenuus & Victor dictus, bello contra Blesenses superior fuit 7. prœliis feliciter commissis, & æmulo Carolo Blesensi in pugna ad Auriacum occiso, postquam Principatu jam pulsus & totius Galliæ viribus impetitus fuisset. an. 1364. Obiit Anno Christi 1399. Ei natus, ex Johanna, fil. Caroli Mali, Neap. R.

Johannes VI. Bonus, seu Sapiens: qui à Clissoniis, cum quibus ipsi multum negotii fuit, captus, à 50000. subditorum libertati redditus, Obiit Anno 1442. Ex Johanna fil. Caroli VI. Gall. R. pater Francisci I. &c. Vignier. *de prisco statu Britann.* Bouchard. Argentræus, & Augustinus du Pas, *Hist. Brit.*

Comites Dunenses, &c.

Johannes, Comes Dunensis & Longavillanus, Regii thalami Magister, cognom. Victor & Triumphator. Nothus Ludovici Aurelian. D. filii Caroli V. priscum splendorem ab Anglis mirè obscuratum, Galliæ reddidit. Hostis perpetuus Burgundionum, à quibus Pater occisus erat, Comites Varvicensem & Suffolcium vicit, Aurelianum animosè defendit, ope Puellæ Aurel. Anglos ab obsidione depulit, longè lateque victor, donec Carolus VII. Metropoli denuo potitus est. Missus à Rege, cum Arch. Remensi, ad Concil. Basil. cum Eugenio IV. reconciliandum, post reditum Cœnomanum Anglis, qui inducias violaverant, eripuit, à Rege legitimatus & honoribus ditionibusque impensè auctus. Obiit sub Ludovico XI. gloriâ plenus, Anno Christi 1470. æt. 67. Ex Maria Harcurtia, pater Francisci, à quo Longavillani Duces orti. Alanus & Joh. Charterius *in Chron. Sandionis*, Hist. Gall. *in Carolo VII.*

Johannes, cognom. Tristanes, fil. Ludovici IX. Damiatæ natus Anno 1250. Obiit Tuneti, Anno Chr. 1270. Item, Delphinus Caroli VI. Obiit Anno Chr. 1417. Item, Dyrrhachii D. Princeps Albaniæ & Moreæ, &c. octavus fil. Caroli Claudi, Neap. R. Obiit Anno 1335. Pater ex Agnete, fil. Eliæ Com. Petrocoriensis, Caroli D. Ludovici, qui Neapoli veneno sublatus & Roberti, Moreæ Principis, à quo Ludovicus Hung. R. ad duellum provocatus, quique in pugna Pictaviensi obiit, Anno Chr. 1356. Quibus Anton. Vasconcelles adjungit Stephanum, conjugio Lusitanico clarum.

Duces Calabriæ.

Johannes I. Andegavensis, Calabriæ D. fil. Renati, Neap. R. pietate & prudentiâ illustris. Præfectus Provinciæ, Genuæ, dein Catalauniæ, Obiit an. 1470. Ex Maria Borbonia, pater *Johannis II.* Calabriæ & Lotharingiæ D. qui in Catalaunia similiter obiit. Bouch. *Hist. Prov. l. 9.*

Johannes, Protoscriba, Castino Duce militum subnixus, Imperium Occid. ad se rapuit, Anno 423. anno pòst victus à copiis Theodosii, & capite truncatus Aquileiæ.

Hollandiæ Comites.

Johannes I. Hollandiæ Comes, successit patri Florentio V. Frisiâ Occid. maximâ ex parte subactâ, Obiit improlis, Anno Chr. 1300.

Johannes II. Com. Hannoniæ, fil. Adelaidis, quæ soror erat Vilhelmi Holl. Comitis, ei successit. Obiit Anno Christi 1304. Idem nomen pluribus Ducibus Saxoniæ, Brandeburg. Lotharingiæ, Mediolan. &c. commune fuit. De *Johanne* Austriaco notho Caroli V. Imper. adeò celebri in Hist. Belgica V. Thuani *Histor.* Grotii *Annales Belg.* Stradam, &c. Addam saltem ex reg. Borbonia familia *Johannem*, Com. Vindocinum, qui obiit Anno 1478. Item, filium tertium Johannis, March. Comitis. *Johannem I.* Sapientem, qui in prælio ad Azincurtium, an. 1415. æt. 30. occisus: Pater fuit *Johannus II.* Pulchri: Cujus historiam curiosam omnino Puteanus edidit.

Pontifices Romani.

Johannes I. Tuscus, post Hormisdam, Papa an. Christi 523. à Theodorico, Ital. R. Ariano, ad Justinum Imper. in Arianos admodum severum, missus: redux in carcere, obiit, Ravennæ, Anno Chr. 526. Marcellin. *in Chron.* Hist. Misc. *libr.* 15. Anastas. *in Joh. I.* Gregor. *M. libr.* 3. *Dial. cap.* 2. Ei successit Felix III.

Johannes II. cognom. *Mercurius*, fil. Projecti, Romanus, successit Bonifacio II. an. 532. Acœmitas, qui Monachi hæretici erant, damnavit. Obiit Anno 535. Anastas. *in ejus vita.* Alciat. *Parerg. lib.* 4. *cap.* 23. Cujac. *lib.* 12. *observ. cap.* 26. Eum excepit Agapetus.

Johannes III. Romanus, cognom. Catellinus, fil. Anastasii Successor Pelagii I. an. 559. nihil non egit, ut Narsete Romanis conciliato, Longobardos ab Italia averteret: quod cùm frustra esset, *Episcopi Italici vasa sacra, ne a Barbaris raperentur, conflata, in usum pauperum distribuêre.* Platina, *in ejus vita* Panvinio. *in Chronol.* Papyr. Massonius & Chenius, *histor. Paparum.* Successit Benedictus I.

Johannes IV. Dalmata, fil. Venantii, cognom. Scholasticus, Severinum excepit, an. 639. Thesauris Ecclesiæ, in liberationem captivorum impensis, inclytus: ad Scotiæ Præsules de Paschatis celebratione scripsit. Obiit an. 641. Beda *Hist. Angl. lib. 2. c.* 19. Baronius, *in Annal.* Successit Theodorus.

Johannes V. Antiochenus, fil. Cyriaci, Concilio 6. Generali, legatus Agathonis Papæ interfuit; Successor Benedicti II. Anno Chr. 685. Obiit anno pòst, toto tempore lecto affixus. Anastas. *in ejus vita.* Eum sequutus est Conon.

Johannes VI. Græcus, post Sergium I. Papa R. an. 701. à Tiberio II. Imper. sub initium turbatus, Obiit an. 705. Successit Johannes VII.

Johannes VII. Græcus, fil. Platonis, prioris Successor, à Justiniano Rhinotmeto examinare quædam scripta jussus Synodo convocatâ, non satis animi habuit, ut quæ sibi contraria, rescinderet. Wilfridum Arch. Eboracensem à quo plurimi Frisiorum conversi, contra persecutores tuitus, Obiit an. 707. Beda *de gest. Angl. l.* 5. *c.* 20. &c. Successit Sisinnius.

Johannes VIII. sexu fœmina, mentito habitu, Leoni IV. Anno 853. mortuo successit, biennio pòst, in processione solenni, prope Amphitheatrum Rom. fœtum furtivum enixa. Successit, virilitate prius cautè exploratâ, Benedictus III. Marian. Scotus, Sigebertus aliique ex Pontificiis Auctoribus ad septuaginta, ut Morerius *Diction. Hist.* historiæ hujus veritatem, cum aliis, postquam an. 500. extra controversiam fuisset in Comm. Romana, in dubium vocans, fatetur. Fuit quidem, à celebri quodam in Hollandia Historico, ingenii exercendi gratiâ, ventilata haud pridem hæc quæstio, & fabulosis accensita, sed Sam. Maresius, Theologus Groning. ejus refutationem paulo pòst edidit: Quam, priscâ veritate solidè stabilitâ, ex ipsis Chronologiæ principiis, confirmatiorem promittit publico, Pet. Megerlinus, Mathem. Basil. JC. & Chronologus celeberrimus.

Johannes IX. Romanus, fil. Gundi, successit Adriano II. Anno 875. Carolum Calvum, post Ludovici II. mortem, Romæ coronavit, *Christianissimi* ei elogio tributo. Pressus à Saracenis, Caroli opem imploravit, qui, à Carolo Crasso patruele victus, paulo pòst in reditu, à Sedechia Judæo Medico, veneno sublatus est. Quo mortuo, cùm Johannes Ludovicum Balbum ad imperium vocaret, à Romanis in carcerem conjectus; inde liber, in Galliam profugit, ubi Trecis Synodo habitâ, adversariis excommunicatis, Formosum inprimis Episcopum Portuensem, quòd vitia sua vir insignis carpsisset, Episcopatu movit, Balbum Imper. creavit: eoque mortuo, ut Romæ tutus esset, Crassum coronavit: Primus indulgentias adversus infideles promulgavit. A' Saracenis tributum pendere coactus, precibus Basilii Imper. motus, Photium Patr. processionem Spiritus S. à Filio negantem, in communionem recepit. Obiit an. Chr. 872. Successit Marinus vel Martinus II.

Johannes X. Tibure natus, fil. Rampoaldi, Theodoro II. successit, Anno Christi 901. Sergio Benedicti filio, ad Papatum aspiranti, restitit. Formosi Papæ acta confirmavit, Stephani VII. actis combustis. Lamberti Italiæ R. ab Italis Arnolpho oppositi coronationem approbavit. Obiit Anno Christi 905. Successit Benedictus IV.

Johannes XI. Landonis Papæ filius nothus, ope Theodoræ, scorti impudentissimi, quæ ejus commercio utebatur, Ravennâ Romam translatus, ex Episcopo Papa factus est. Miles potiùs, quàm Sacrorum minister, ope Alberici, fil. Adalberti, March. Tusciæ, Saracenos vicit, Anno Chr. 915. &c. Platina, *in ejus vita.* Plurium scelerum conscius, peregrinationem Compostellanam obiit, Leo Ostiens. *lib.* 56. Captus Anno Chr. 928. à Guidone Tusciæ D. fratre Hugonis Italiæ R. & marito Maroziæ, hujusque instigatu, strangulatus est; ut Johannem ex impuro Sergii III. concubitu susceptum, sedi intruderet. Luitprand. *l.* 2. *cap.* 13. 143. *& seqq.* Flodoard. *lib.* 4. *Hist. Remen.* &c. Successit Leo VI.

Johannes XII. fil. Sergii III. ex scorto Marozia, ope Guidonis, Stephano VIII. successit, an. 931. Episcopatus sub eo pueris collati, & Eriperti filio quinquenni, ad Arch. Remensem promoto, sedes illa vilescere cœpit. Mortuo Guidone, Hugoni affini Marozia urbem Romam nuptiasque suas obtulit: Quo supra modum Albericus fil. offensus, Maroziâ, cum Papâ, incarceratâ, res Ecclesiæ pro arbitrio versavit: Græcique tum pallia à Pontificibus R. redimere desierunt. Obiit in carcere, an. 936. Luitpr. *l.* 3. *c.* 12. Platina, *in ejus vita.* Successit Leo VII.

Johannes XIII. fil. Alberici, patricii Rom. Princeps urbis factus, post Patris & Agapeti II. mortem, an. 955. æt. 18. Sedem Pontif. invasit, & cùm prius Octavianus vocaretur, in memoriam Johannis XII. patrui sui, *Johannes* dici voluit; pessimè in illum adulatorum globo detorquente verba Scripturæ: *Erat autem quidam, missus à Deo, Johannes.* In omnem libidinem effusus, contra Berengarium, filiumque ejus Albertum, crudelissimè in Italia grassantes, Ottonem I. Imper. evocavit, ei fide sanctè promissâ. Mox religionis oblitus, ad Tyrannorum partes se applicuit. Quare reversus Otto, ut statum Ecclesiæ collapsum instauraret, Conventum Episcoporum indixit: in quo à Clero accusatus, *quòd in equorum stabulo diaconos ordinasset, incestu non simplici se polluisset, dæmonum auxilia in ludo, implorasset, iisq; prebibisset:* & depositus est. Anno Chr. 963. Luitpr. *lib.* 3. *cap.* 12. *lib.* 6. *cap.* 7. Sigon. *lib.* 7. *ad an.* 963. Rediit tamen, Ottone profecto, & acta Synodi contra se habitæ combussit, Johanni Cardinali caput, Asoni linguam, nares digitosque abscindi jussit, in meretricio paulo pòst amplexu, à Dæmonibus ad necem percussus, Luitpr. *libr.* 6. vel ut alii habent, à marito adulteræ, necatus. Anno Christi 964. Rhegino, Platina, &c. Successit Leo VIII.

Johannes XIV. Romanus, fil. Johannis, successit Benedicto V. an. 965. Ottonis Imper. auctoritate, in sedem evectus. Quod cùm Romani ægrè ferrent, ab illis pulsus ad Pandulphum Capuæ Princ. se recepit, mox ab Ottone, qui de Magistratu R. supplicium sumsit, restitutus. Eo tempore, Ottonis hujus Magni auspiciis, Dani, Poloni, Ungari, ad fidem Christi perducti sunt. Papa campanis benedictionem impertitus, Obiit an. 972. Sigeb. *in Chron.* Leo Ostiens. *l.* 2. *Chr. Cass. cap.* 9. Onuphr. Genebr. *in Chron.* Eum excepit Benedictus VI.

Johannes XV. prius Petrus dictus, Cancellarius Ottonis II. Benedictum VII. excepit. A' Bonifacio VII. qui auditâ Benedicti & Ottonis morte, Constantinopoli Romam redierat, in vincula conjectus, carceris pædore & fame enectus, Obiit, Anno Chr. 985. Sedis 1. Successit

Johannes XVI. Romanus, fil. Leonis, post Bonifacii VII. mortem, à Clero electus, an. 985. sed à Crescentio pulsus, in Tusciam se recepit, Ottonis III. ope imploratâ. Mox revocatus, aliquandiu tranquillitate usus est. Ethelredum Angliæ R. cum Ricardo Normanniæ D. reconciliare studuit, turbis in Ecclesia Remensi, ob Arnolphi depositionem, pacandis intentus, &c. Post quæ, resumens vires Crescentius, ab Imperatore, in mole Adriani obsessus est: quo obsidio durante Johannes obiit an. 986. Platina *in ejus vita*, Guilielm. Malmesbur. *libr.* 2. *de gest. Angl.* &c.

Johannes XVII. Romanus, fil. Roberti, successit Johanni XVI. ut Ciacconius continuat. Chenius, &c. dicunt, à Baronio, inter Papas, non refertur: Platina aliter de hoc scribit. A Crescentio pulsus, post reditum, Obiit Anno Chr. 996. Surrogatus est ab Ottone Gregorius V.

Johannes XVIII. Antipapa, priùs Philagathus, Calaber, vel XVII. ex illorum sententia, qui priorem è numero Paparum demunt. A Crescentio, pulso Gregorio, lectus, & Sylvestro II. oppositus, mox rebellionis convictus, effossis oculis occisus, vel secundùm alios, exulatum in Germaniam missus est. Obiit mense 10. Anno 1003. Platina, *in vita ejus.* Sigon. *l.* 7. Bonfin. *dec.* 2. *lib.* 1. Successit Johannes XIX.

Johannes XIX. vel XVIII. ex mente Baronii, à factione Comitum Tuscanellæ, sedi intrusus, post Sylvestrum II. Anno Chr. 1003. Festum animarum promulgavit, 5. pòst mense, mortuus: Ab illius tempore Pontificis electionem ad Clerum translatam, refert Baronius. Successit *Johannes XX.*

Johannes XX. aliis XIX. Romanus, cognom. Fasanus, vel Fanassus, priori successit, Anno Chr. 1003. Obiit An. 1009. Hunc Petrus Patr. Antiochenus se Constantinopoli, ubi utriusque Ecclesiæ unioni intentus erat, vidisse ait, in ep. ad Michaëlem Cerularium. Fulbertus Carnut. Platina *in Vitis Pontif.* Successit Sergius IV.

Johannes XXI. aliis XX. frater Benedicti VIII. cui successit, Anno Chr. 1024. ope Patris, Com. Tuscanellæ. Nec bonis nec malis notus, Platina, *in Vitis.* Auditâ Benedicti VIII. apparitione post mortem, monachus factus, inde Sedi redditus dicitur. Pet. Damianus, *ep. ad Nic. II.* Coronato Conrado II. Obiit an. 1033. Glaber *l.* 4. Leo Ostiens. *l.* 2. Ciacconius, Onuphr. &c. Successit Benedictus IX.

Johannes XXII. aliis XXI. prius Joh. Petrus, successit Adriano V. Anno 1276. Olisipponâ Lusitanus, professione Medicus, scriptis eâ in arte editis clarus. Michaelem Palæologum hortatus, ad observandum Concil. Lugdun. sub Gregorio X. habitum, obiit ruinâ cubiculi, frustra ex Astrorum inspectione longam vitam sibi pollicitus, Viterbii, Anno Christi 1277. Martinus Pol. Pap. Massonius & Chenius *Histor. Paparum.* Eum excepit Nicolaus III.

Johannes XXIII. aliis XXII. post Clementem V. biennio Ecclesiâ capite destitutâ, throno conscenso Lugduni, seipsum elegit, dicens: *Ego sum Papa*, assumto Johannis nomine, cùm prius Jacobus de Ossa diceretur. Anno Chr. 1316. Cadurcensis, fil. sutoris, staturæ exiguæ, sed ingentia animo versans: cujus tamen immortalitatem negavit, publicè dogma hoc doceri volens. Quo audito Philippus Valesius Galliæ R. ipsi scripsit: *Que s'il ne se retractoit, il le feroit ardre.* Porro Johannes hæreticos judicavit eos, qui docebant, *Christum ejusq; discipulos in hac terra, nil proprii possedisse, clerumq; similiter in paupertate vivere debere.* Trinum tintinabuli pulsum instituit, Thomam Aquinatem, Thomam Herfordiensem, &c. Sanctis annumeravit, Extravagantes publicavit, Ludovicum Cæsarem vehementer infestavit, Comitiis conquerentibus: *Non licet per hunc Antichristum pacem a Deo datam servare*, Platina, *in vita ejus.* Aventinus *lib.* 7. Crantzius *lib.* 9. *cap.* 14. 15. Græcos ad subjectionem revocanti, responsum: *Potentiam tuam summam circa subditos tuos credimus; superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Joh. de Mondevilla, apud Morn. *in Myst. p.* 1018. Interea à Ludov. Imp. Romæ depositus est, Nicolao V. subrogato, qui Anno 1330. Johanni cessit, in carcere aliquot pòst annis mortuus. Obiit Avenione Anno 1334. æt. 90. relinquens in thesauris 25. milliones auri. Successit Bened. XII. Villanius *lib.* 9. 10. 11. &c.

Johannes XXIV. aliis XXIII. prius Balthasarus Cossa, Neapolitanus, Alexandri V. successor, fraude seipsum obtrusit, an. 1410. Bellatoris potius, quàm Pontificis ingenio. Schismatis tollendi gratiâ, Concilium Romæ convocavit, ad quod, post Missam Spiritus S. dirus ac feralis bubo horrificâ voce, super trabem medii templi confidens, & obstrepens advolavit, Nic. Clemangis, apud Morn. *in Myst. p.* 1129. Hic nihil actum: aliud Constantiæ, operâ Sigismundi Imp. qui in Italiam venerat, coactum, Anno 1415. Ubi in prima Missa, post hymnum, *Veni S. Spiritus*: Charta in templum projecta, inscriptum habebat, *aliis rebus occupati, vobis adesse non possumus.* Secundâ sess. Papa hic coram altari sanctè promisit, se Papatui renuntiaturum, si Benedictus & Gregorius idem fecissent. Mox pœnitentiâ ductus, cùm videret de sua depositione agi, Scaphusiam profugit, inde retractus, condemnatus, depositus, ac Lud. Palatino in custodiam traditus, Sess. 12. Ex qua captivitate liber, Anno Chr. 1419. an pretio corruptis custodibus, an publicâ auctoritate, Florentiam venit, ubi Martino V. se submisisse dicitur. Obiit eodem anno, curâ Cosmi de Medicis, amici sui, magnificè sepultus. Platina, Onuphr. Ciacconius, Pap. Massonius, Theodoricus de Niem & Du Puy, *Histor. Schismatis.* Paul. Simson *in histor Eccles. Angl. Cent.* 15. &c. Successit Martinus V.

Patriar-

Patriarchæ aliiq; Præsules.

Johannes I. cognom. *Talaida*, Patriarcha Eccles. Alexandrinæ, ab Orthodoxis surrogatus est Timotheo Solofaciolo, Anno Chr. 482. Ab Acacio apud Zenonem variorum criminum, præter meritum, accusatus, pulsus, & Petrus Mongus hæreticus ei substitutus est. Hinc in Italiam veniens, Nolæ Ep. à Felice III. creatus, ibi obiit. Baron. *A. C.* 482. *&* *seqq.*

Johannes II. cognom. *Mela*, Anastasio hæretico hæreticus successit, an. 497. Zenonis Henotico subscripsit. Successit alius similis farinæ, an. 506.

Johannes III. cognom. *Machiota*, priori successit. Henotico subscripsit, Concilio Chalcedon. rejecto, sævus in Orthodoxos. Obiit an. 516. Niceph. *in Chron.*

Johannes IV. Apollinaris successor, an. 570. magnâ cum curâ præfuit. Obiit an. 581. Idem.

Johannes V. ob largas eleemosynas, *Eleemosynarius* dictus, Amathunte Cyprius, fil. Epiphanii Præfecti, Theodorum excepit, an. 610. auctoritate Heraclii Imp. permotus. Hæresin omnem & Simoniam sustulit, mores Cleri meliores reddidit, Templa, Ptochotrophia, &c. fundavit. Moriturus, cùm sibi nummum restare recordaretur, illum Jesu CHRISTO legavit. Obiit in Cypro, quò se furori Barbarorum, Alexandriæ obsidionem minitantium, subduxerat. Anno Christi 620. Leontius, *in Vita ejus*, Niceph. *in Chron.*

Johannes I. Patr. Antiochenus, discip. Theodori Mopsvestii, Theodoto successit, Anno Chr. 427. In Nestorianismum prolapsus, eôdem Theodoretum Cyrum pertraxit, quem Cyrillo opposuit. In Nestorii gratiam, non accessit ad Concil. Oecum. Ephesinum, 15. dies expectatus, nisi 5. die post illum jam condemnatum: Tum domi suæ Conciliabulo 30. Episc. qui omnes aut ob crimina depositi, aut ob hæresin pulsi, habito, Cyrillum & Mnemonem Ephes. condemnavit, excommunicatis reliquis Episcopis Concilii, à quo citatus, & cùm non compareret, anathemate ictus est. Nec omittendum, in præfato Conciliabulo, Pelagianos Episc. restitutos, & conclusum esse: Animam Adami non propter offensam mortuam esse, nec originis peccatum à Patre ad filium propagari. Quæ conclusio inter legitima decreta Concilii Ephes. irrepsit, donec id Gregorius M. observasset. Interim Johannes Theodosio Jun. per literas imposuit, & lite Cyrillo motâ, diu Ecclesiæ pacem turbavit. Tandem ad frugem rediens, an. 432. cum Cyrillo pacem iniit, Nestorioque condemnato, Concilio subscripsit. Obiit An. 440. Successit nepos ejus Domnus. Acta Concilii Eph. Nicephorus, Theodoretus, &c.

Johannes II. an. 1090. successit, præfuitque, donec urbs à Latinis capta est. Genebr. *in Chron.*

Johannes I. Patr. Hierosolymitanus, post Benjaminum, Anno Christi 120. quo tempore Ecclesia gravissima passa est. Euseb. *in Chron.*

Johannes II. Monachus, & sectator hæreseos Macedonianæ, hac ejuratâ, Cyrillo successit, Anno 386. Epiphanio, ob levia quædam succensuit, Hieronymo quoque huic negotio implicito. Sed vera causa suberat, quòd ambo hi Præsules, prior inprimis, Origenianismi illum accusarent. Et omnino docere Johannes dicebatur, cum Origenistis: In Trinitate nec Patrem à Filio, nec Filium à Spiritu S. videri: Animas, jam ante Paradisum, extitisse: in corpore, tanquam in carcere, detineri: Dæmones & damnatos in gratiam receptum iri, &c. Cùm itaque Epiphanio, utpote Episcopo, non ita facilè nocere posset, in Hieronymum eò acrius desæviit, illo excommunicato, & Pelagio contra illum concitato. In Synodo Diospolitana, in Palæstina celebrata, Anno 415. Pelagii errores in speciem condemnavit, mox ei contra accusatores apertè favens. Hinc monitus ab Augustino, de fraudibus erroribusque Pelagii, summisso ejus *de Natura libro*, & sua responsione, misit ei rogatus acta Synodi præfatæ, quæ cùm Augustinus accepisset, librum hunc edidit. Obiit an. 416. Successit Prailus. Gennad. *Cat.* 30. Petrus Vastelius, edidit an. 1643. duo volumina, quæ huic Patriarchæ attribuit, Vid. Morer. *Diction. Hist.* Cœterum plura de Johanne Hier. *ep.* 61. Aug. *ep.* 252. *de gestis Pelagii.* Theodoret. *Hist. lib.* 5. *cap.* 35. Idacius, *in Fast.* *&* *Chron. an.* 406. &c.

Johannes III. contra Eliam Orthodoxum, intrusus est, Anno Chr. 513. Eutychis & Severi deliriis mancipatus. Sed Sabas, ipsi tam efficaciter veritatem demonstravit, ut Nestorio, Eutychi & Dioscoro anathema diceret. Obiit an. 625.

Johannes IV. successit Eustochio, an. 561. Obiit an. 595. Evagr. *lib.* 6. Genebrardus *Johannem V.* ab an. 795. usque ad an. 802. præfuisse scribit.

Johannes I. Patr. Constantinopolit. Vid. *Johannes Chrysostomus.*

Johannes II. Cappadox, an. 517. sub Justino Imp. Eutychem, Nestorium, Severum, aliosque condemnavit, Conc. Chalcedonense recepit, Synodo quatriduo pòst habitâ, Episcopos ab Anastasio pulsos restituit, pace Ecclesiis Or. redditâ. Obiit Anno Christi 520.

Johannes III. dictus *Scholasticus*, Apocrisiarius seu Nuntius Ecclesiæ Antioch. ad Constantinop. erat, ubi cum plurimis hæreticis commercio defunctus, illorum ope, & Justiniani Imper. auctoritate, Eutychio successor datus est. Anno Christi 564. usque ad annum 578. Eustath. *in Vita Eutychii, apud Sur.* Vide *Eutychius.*

Johannes IV. Jejunator, Tiberii II. curâ, Eutychio subrogatus est, an. 583. hoc nequicquam, in lecto emortuali, obnitente. Sede potitus, Synodo habitâ, titulum Episc. Oecumenici sumsit; unde offensus Pelagius Papa, titulum hunc *nemini, neq; Rom. Pontifici convenire*, eum monuit. Morn. *in Myst. iniq.* & post eum Gregorius M. à Mauritio monitus, Johanni obtemperaret, non tantùm titulum *Universalis* condemnavit, sed & qui eum habuerit, *præcursorem Antichristi* dixit, seque ipsum Servum Servorum appellans, hunc titulum, velut *superbum, novum, profanum, erroneum, venenatum, schismaticum*, &c. rejecit. Obiit an. 596. insignis abstinentiæ & charitatis in pauperes. Pelag. *ep.* 8. Gregor. *l.* 4. *epist.* 38. 39. *&c.* Niceph. *l.* 18. *c.* 34.

Johannes V. Syncellus, i. Vicarius & Coadjutor Patriarchæ, successit Thomæ II. Anno 658. Monothelita. Obiit an. 664. Niceph. *in Chron.*

Johannes VI. Monothelita item, Cyro, à Philippico Bardane pulso, surrogatus est, an. 712. paulo post deturbatus, ab Anastasio Imp. suasu Gregorii II. Anastas. *in Greg. II.*

Johannes VII. à Philippo promotus, Theophili Imper. præceptor, successit Theodoro, an. 835. Michaële III. ad Imperium evecto, à matre ejus Theodorâ pulsus, surrogato Methodio. an. 842. Quòd Imaginum improbaret venerationem, gravia passus, Anno Chr. 844.

Johannes VIII. Vid. *Johannes Xiphilinus.*

Johannes IX. cognom. *Camaterus*, Gregorio Xiphilino successit, Anno 1198. Genebr. *in Chron.*

Johannes X. quibusdam *Beccus*, approbatâ unione Ecclesiæ Gr. cum Latina, factâ à Michaële VIII. in Conc. Lugdun. Josepho contrarium sentienti, qui in Monasterium se abdiderat, successit. Ab Andronico, fil. Michaëlis, condemnatus, Anno 1283. Gregoras *libr.* 5.

Johannes XI. Sozopoli Thrax, excepit Anastasium, an. 1294. Obiit an. 1301. Gregoras *l.* 7. Onuphr. *in Chron.*

Johannes XII. Niphonis successor, an. 1315. uxoratus: exornandæ linguæ Græcæ omnem adhibuit operam. Obiit an. 1320. Gregoras *lib.* 7.

Johannes XIII. Isaïæ successit, an. 1331. Synodi Præses, Anno Chr. 1341. ubi Barlaamus & Palamas judicati: Depositus Anno Christi 1345. Cantacuz. *libr.* 3. *&* 4. Gregoras *libr.* 10. Onuphr. *in Chron.*

Johannes Michaël, Venetus, Cardin. Patriarcha, pro Latinis, Anno Christi 1485.

Series Virorum Celebrium.

Johannes, Presbyter, dictus *Ægeates*, sec. 5. sub Zenone, scripsit historiam Eccl. 10. libb. à Theodosio Jun. & Nestorio, usque ad Petrum Fullonem, Episc. Antioch. pulsum. Ubi laudat Dioscorum, Synodum Lystricam divinam appellat, & in Conc. Chalcedonense invehitur. Photius *Cod.* 41. 55.

Johannes, Cyprius, cognom. *Marcus*, S. Barnabæ cognatus, in cujus ædibus S. Cœnam à SERVATORE administratam, Spiritum S. effusum, & fideles congregatos esse, Petro è vinculis liberato, sunt qui dicant. Fil. Mariæ. Quòd à Barnaba & Paulo destitisset in Pamphylia, neque cum illis ad opus profectus esset, à Paulo rejectus est; Hinc inter utrumque Apostolum παροξυσμός. Act. 15. v. 38, 39. Postmodum autem fidelis ejus collaborator evasit, ut liquet ex Coloss. 4. *vers.* 10. Baronius Anno Christi 34. 35. &c.

Johannes, Abbas montis Cassini, Chronici auctor. Obiit Anno Chr. 934. Leo Ostiens. Item Anachoreta, Propheta, sub Theodosio Imp. an U.C. 1147. Sozom. 8. 1. Item, Italus Monachus, auctor vitæ Odilonis, Abbatis Cluniac. Item, auctor vitæ Petri Damiani Cardin. Item, Italus, Chronici auctor, Baronio laudati, Anno Chr. 892. 963. &c. Item discip. Epiphanii, vitam hujus scripsit. Edidit Petavius. Item, Antiochenus, Historicus Græcus. Tzetzes *Chil.* 2. *Hist.* 33. Alius antiquitatum Historiæ auctor. Voss. *de H. G. lib.* 2. *c.* 23. *l.* 3. Item, Presbyter Nicomediæ, auctor vitæ Basilii, Ep. Amasiani. Simon Metaphr. Item, Monachus, scripsit vitam Alex. M. quæ sæpe cum Curtio edita. Alius tempore Justiniani, Voss. *de H.G. libr.* 2. *&* 3. Item, Abbas Raïtensis, Johannem Climachium, ut sanctam suam scalam scriberet, impulit, illamque notis illustravit. Bibl. PP. Item Archidic. Barensis, scripsit de translatione S. Nicolai. Item, Lector, Historiam & vitam Constantini M. Romæ condidit.

Johannes Abbavillanus, Picardus, Cardinalis, an. Chr. 1220. A' Gregorio IX. in Hispaniam & Lusitaniam missus, homines ad Expeditionem sacram, contra Saracenos, hortatus est. Apud Fridericum II. Imper. quoque legatione functus. Obiit Romæ Anno Chr. 1237. Auctor Commentar. in Cant. Canticorum, Sermonum libb. 4. &c. Alberic. *in Chr.* Trithem. *Cat.* Morer. *Diction.*

Johannes Abgillus, Friso, auctor relationis fabulosæ, de progressibus Caroli M. in Palæstina & Indiis. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 32.

Johannes Abiosus, Neapol. Medicus & Mathematicus, Dialogos de Astrologia Judiciaria Alphonso R. dedicavit, Anno Chr. 1494.

Johannes Agricola, Islebius, discip. Lutheri, unus ex auctoribus libri *Interim* dicitur, Obiit Berlini, an. 1566. æt. 74.

Johannes Alascus, seu à Lasko. Vid. *Alascus*.

Johannes Aldarus, Anglus, Scotorum & Hibernorum historiam scripsit. Baleus & Voss. *de H L.*

Johannes Alerus, Tholosanus, Gen. Carmelitarum, eruditione clarus. an. 1342.

Johannes Amerbachius, Typographus Basiliensis celeberrimus, varios edidit Ecclesiæ Patres, jus Canonicum, &c. Bibliothecam Carthusianorum magno librorum numero auxit: Filios habuit Brunonem, Basilium, & Bonifacium, viros doctrinâ, linguarumque cognitione & usu clarissimos, ab Erasmo enixè amatos laudatosque, sec. præt. Eum Joh. Reuchlinus *procem. l.* 1. *de Verb. mirif fuisse*, ait, *ingenio præstantem & miro characterum artificio nobilem, variisq; disciplinis excultum, ac in hominum clarissimorum literaria Rep. clarissimum.* V. *Amerbachius*.

Johannes Amundishamus, Anglus Monachus, scripsit Anno Chr. 1450.

Johannes Anagnius, Jus Canonicum docuit, Bononiæ, Obiit an. 1455. Auctor Commentar. in Decretales, & voluminis Consultationum. Valerius Forster. *l.* 3. *hist. Juris*.

Johannes Andreæ, Jus Bononiæ docuit, an. 45. Scripsit *in Novellas*, Speculum Juris Guil. Durandi auxit, Glossarum in Sextum & Clementinas auctor. Obiit peste, an. 1348. *Rabbi Doctorum, Lux, Censor, Normaq; morum*, &c. Epitaph. Filium generumque, similiter insignes JureCoss. habuit, post mortem Filii, Johanne Calderino adoptato.

Johannes Anglicus, Franciscanus, auctor *Summæ Joanninæ*. Sec. 13. Alius, Medicus Anglus, auctor *Rosæ Anglicanæ*. Gesner. *in Bibl.* Alius Historicus, Voss. *de H.L. l.* 3. *p.* 708.

Johannes Antonius Delphinus, Casali oriundus, Franciscanus celebris. an. 1560.

Johannes Antonius Maginus, Patavinus, Mathematicus, scriptis inclytus. Sec. præt.

Johannes Antonius Panthæus, Veronensis, scripsit de Plinio- rum patria, &c.

Johannes Antonius Rubeus, J C. Duci Sabaudiæ à consiliis, docuit Jus Valentiæ, Ticini, Patavii & Taurini: scripsit quædam. Forster. *l.* 3. *hist. Jur.* Gesner. *in Bibl.*

Johannes Arboreus, Scotus, Theosophiæ auctor, an. 1494.

Johannes Arculanus, Veronensis, cum Joh. Arundineo, Carmelita celebris, an. 1494.

Johannes Argyropylus, Constantinopolitanus, captâ à Turcis urbe, in Italiam transiit, à Cosmo Mediceo, benignè exceptus, filiique Petri & nepotis Laurentii institutioni adhibitus. *In hac aula Ethicam & Phys. Aristotelis Latinè vertit: de Regno, Consolationem ad Imperatorem Constantinop. Monodiam*, &c. scripsit. Peste pulsus, Romæ Græcam literaturam docuit. Quidquid autem laboribus his lucratus est, gulæ sacrum fecit, & moriturus amicis pecuniam suam, in aliorum marsupiis reconditam, legavit. Obiit sub finem sec. 15. æt. 70. nimio peponum esu. Joh. Lascaris discip. ei Epitaphium gratus erexit. Paul. Jov. *elog. c.* 27. Voss. *de H. G. l.* 4. *c.* 19.

Johannes Asser, Ep. Anglus, scriptor sec. 10. Idem, *de Histor. Lat. l.* 2. *cap.* 39.

Johannes Aventinus, Abensperensis, urbe quæ Latinis *Aventinum*, vel *Abusina*, in Bavaria, oriundus. Natus an. 1460. condidit Annales Bojorum, libb. 7. usque ad an. 1533. Nicolaus Cisnerus edidit, cum additionibus. Obiit an. æt. 68. Alia quoque scripsit, Baronio minus grata, *t.* 9. *Annal. A. C.* 772. Henr. Pantaleon, *de Ill. Germ. Viris*, P. 2. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de H.L. &c.*

Johannes d'Avila, Hisp. Presbyter, Ascetica scripsit, sec. præt.

Johannes d'Auton, vel *d'Anton*, Historiographus Lud. XII. ejus vitam scripsit, Abbas.

Johannes Baconus, vel Barcondorpius, Anglus, Carmelita magni nominis sec. 14. Scripsit in 4. libb. Sententiarum, *Compendium Legis Christi*: *Quodlibeta*: *Tractatus de regula Ordinis Carm. Compendium historiarum & Jurium, pro defensione ejusdem ordinis*, &c. Obiit Anno Chr. 1350. Baleus, Trithemius, Pitseus, &c. Londini sepultus. Ex eadem familia, celebris est Franc. Baconus, Baro de Verulamio, Philosophus magni nominis, sub Jacobo VI.

Johannes Ant. Baifius, nobilis Andegavensis. Vide *Janus Basfius*.

Johannes Balde, Genuensis, eruditione inclytus. Bracellus *de claris Genu.*

Johannes Baleus, seu *Balaus*, Anglus, patriâ Sudovolgiensis, *Covis* pago oriundus, tribus à Sutholdia milliaribus, Episcopus Offoriensis in Hibernia, insignis historicus, plurima scripsit: inter quæ *in Num. c.* 30. Item, *de Scriptoribus Anglicanis*.

Johannes Bapt. Adrianus, Florentinus, continuator historiæ Guicciardini. Thuan. *l.* 68.

Johannes Baptista Asinius, JC. Florentinus, auctor *Practicæ civilis*.

Johannes Baptista Caccialupus, & *J. Baptista Cananius*, ille JureCos. celebris Bononiæ: Hic Ferrariæ Medicus.

Johannes Baptista Crispus, varia scripsit, Possev. *t.* 2. *appar.*

Johannes Baptista Egnatius, Vid. *Baptista*.

Johannes Baptista Fulgosus, Genuensis, Historicus.

Johannes Baptista le Grain, Henrici IV. historiam, ut & initium Lud. XIII. per decades, descripsit.

Johannes Baptista Matthæus, fil. Petri Matthæi, Historiographi Galliæ, continuator ejus, ad an. 1611.

Johannes Baptista Montanus, Medicus Patavinus, auctor *Consultationum Medicarum*, &c.

Johannes Baptista Pajarinus, Vincentinus, historiam patriæ libb. 6. condidit, sec. 15.

Johannes Baptista Porta, Mathematicus Neap. auctor *Magiæ Naturalis*, &c. an. 1580.

Johannes Baptista Ramusius, Venetus, scripsit *Historiam Navigationum*.

Johannes Baptista Romanius, Afer, Theologica quædam scripsit, Romæ. Miræus *Bibl. Eccl. P.* 2.

Johannes Baptista Villalpandus, Hispanus Cordubensis, Jesuita eruditus. Ejus extant: *in Ezech. à cap.* 26. *ubi desinit Pradus, ad finem, Commentarii copiosiss.* 3. *Vol. fol. cum figuris, Romæ, A.C.* 1596. *&c.* Obiit A.C. 1608. *Egregius nostri seculi Theologus, ac Mathematicus*, Seldeno. Universam Architecturæ rationem perfectiorem, per Græcos ad Romanos, & demum in Vitruvii libros, ab Hebræorum in templi Salomonici, aliisque ejus structuris, proportionibus omnino manasse non dubitat, Idem *de Jure Nat. & Gent.*

Johannes Barbosa, Hisp. Auctor Historiæ Indicæ. Thuan. *libr.* 64.

Johannes Basiliensis, scripsit in Magistrum sententiarum, an. Chr. 1350.

Johannes Basilius, JC. & Cosmographus, Patavinus, scripsit de ill. Patriæ familiis.

Johannes Bassianus, JC. an. 1190.

Johannes Bassolius, Franciscanus, discip. Scoti, *Doctor ordinatissimus* Scripsit *Lecturam in* 4. *libb. Sententiarum*: *Miscellanea Philosophica & Medica*. Circa an. 1322.

Johannes Batmansonius, Prior Carthus. Londini, autor Commentar. in Canticum Cant. Proverbia, &c. Tempore Henrici VIII.

Johannes Bauhinus, Picardus, Medicinam Lugd. fecit, sec. præt. celebris edito *Consensu & Dissensu, circa stirpes plantasve*, &c. Vid. *Bauhinus*.

Johannes Beca, scripsit Historiam Eccl. Ultrajectinæ. Trithem. Meyer.

Johannes Benedicti, Franciscanus, Casuum Conscientiæ Summam, aliaque edidit. Alius, Mathematicus Venetus, sec. præt.

Johannes Bertaldus, Ep. Eleemosynarius Mariæ de Medicis, Poëta insignis, varia scripsit. Obiit an. 1611.

Johannes Bertrandus, Tolosanus, Arch. Cœnomanensis, commendatus Paulo IV. à Duce Guisio, copiarum Pontifici, contra Philippum II. ab Henr. II. submissarum Duce, purpuram accepit, an. 1556. Obiit Venetiis an. 1560.

Johannes Biclarius, vel *Gironus*, Gothus origine, patriâ Lusitanus, sec. 6. Græcè Latineque doctissimus, à Leuuigildo R. quòd Arianis acrius se opponeret, in exilium missus. Continuavit Chronicon Victoris, Monasterio cognom. in Catalaunia fundato, à 1. an. Justini II. usque ad 8. Mauritii, seu 590. Edidit Canisius, an. 1600. Jos. Scaliger longè correctius, an. 1606. Isidor. *de Vir. Ill. cap.* 31. Honor. Augustod. *libel.* 3. *cap.* 37. Trithemius *Cat.* Mariana *Hist. Hisp. libr.* 5. *cap.* 13. *&* 15. Voss. *libr.* 2. *de Hist. Lat.*

Johannes Billius, Carnutensis, Carthus. Prior, Latinè & Gallicè varia scripsit, an. 1600.

Johannes Birellus, Lemovicensis, Gener. Carthusianorum, purpuram ab Innocentio VI. oblatam recusavit. Obiit an. 1360.

Johannes Bocquius, Bruxellensis, Poëta. Scripsit *Parodiam Davidicam*, &c. sec. ult.

Johannes Bodinus, JC. Andegav. celebris, Historicus incomparabilis: cùm Pithœum, Paschasium & Brissonium exæquare non posset, relicto foro, Ducem Alenconium secutus est: post cujus mortem Laudunum concessit. Obiit 1585. verè *Andiis sine bono.* Scripsit de Rep. libb. 6. Methodum Histor. Commentarios in Oppiani Cynægetic. &c. Cujac. *Observ. l.* 18. *c.* 38. Scævola San Marth. *elog. l.* 4.

Johannes Bohaim, Wiclefi sectator, secundùm quosdam. sec. 15.

Johannes Bonus, Patavinus, de Ill. Familiis patriæ librum edidit.

Johannes Boterus, Pedemontanus, Abbas, Relationum histor. &c. auctor.

Johannes

Johannes Bouchetus, versu prosâque varia scripsit, ut Chronicon Clotharii I. Annales Aquitaniæ, &c.

Johannes Brodæus, Turonensis, discipul. Alciati, Petro Danesio conjunctissimus, Sadoleto, Bembo, Egnatio Romæ gratus, Mathematum, Chaldaicæ & Hebraicæ linguæ apprimè peritus. Varia edidit. Obiit in Turonibus, an. 1563. æt. 63. Cœlebs. Sanmarth. *log. lib.* 2.

Johannes Bromiardus, Dominicanus, floruit an. 1590.

Johannes Bromptonus, Anglus, Abbas Cistertiens. Auctor Chronici.

Johannes Brugensis, Abbas Anglus, conditor Annalium Angl. Voss. *de H. L. l.* 2. *c. ult.* Item *Pupillæ oculi*.

Johannes Brugmannus, Flander, Franciscanus, auctor vitæ S. Liduvinæ. An. 1456.

Johannes Bugenhagius, Pomeranus, patriâ Julinensis, familiâ Senatoriâ, Theologus & Reformator insignis. Christianum III. Daniæ R. coronavit an. Chr. 1537. Obiit Wittebergæ an. C. 1558. æt. 73. Ejus extant: *Commentarii in Deuteronomium: Annotationes in libb. Samuelis, Jobum, Jeremiam & Threnos, Matthæi capp. 3. pr. Johannem, & in 11. Epist. Pauli: Expositiones in Psalmos, &c.* Thuano, *Moderato ingenio & eruditione rarâ excultus.* Zanchio, *Vir piissimus & doctissimus*: Luthero, *primus in orbe, qui Psalterii interpres dici mereatur.* Vide quoque in voce *Bugenhagius*.

Johannes Butonus & *Bonetonus*, Delphinates, ille de Arca Noachi, hic notarum in Guidonem Papam auctor. sec. præt.

Johannes Buxtorfius, vide *Buxtorfius*.

Johannes Cajus, Medicus Anglus, scripsit in Galenum, &c. Sec. præt.

Johannes Calderinus, Bononiensis, à Joh. Andreæ, post amissum fil. Bonicontum, auctorem lib. *de Appellationibus & Accusationibus*, adoptatus, scripsit Comment. in Decretales, &c. an. 1360. Forster. *Hist. Jur. lib.* 3. *c.* 26.

Johannes Callovetus, Episcopus, Jurisconsultus famosus, anno 1504.

Johannes Calvinus, vide *Calvinus*.

Johannes Campegius, Bononiensis, Jurisconsultus excellens, anno 1470.

Johannes Canonicus, Franciscanus, discipulus Scoti, floruit, anno 1318.

Johannes Cantacuzenus, vide *Johannes V. Imper.*

Johannes Cappadox, Justiniani Imper. in Codice compilando administer, an. 529. dein Consul & Prætorio præfectus. Vivis coloribus à Procopio *de B. P. l.* 3. descriptus. Affectati Imperii suspectus, ab Imper. in suburbium Cyzicenum relegatus, monachi habitum induit. Postea tortus, ut Eusebii Episcopi percussores manifestaret, & per totam Ægyptum, vili habitu, ostentui circumductus, eleemosynam petere coactus est, spe tamen Imperii semper animo versatâ. Obiit post triennii captivitatem.

Johannes Caracciolus, fil. Johannis Principis Amalphitani, Episcop. Trecensis, puriorem religionem amplexus est, 1565. *Sicut* ex eadem familia Galeatius Vici Marchio, qui Genevæ obiit, anno 1586.

Johannes Cardilliacus, Patr. Alex. variis legationibus defunctus, sub Clemente VI. Urbano V. & Gregorio XI. Varia quoque scripsit. Obiit anno 1390. Froissard. *l.* 1. *Chron. cap.* 252, Morerius *Diction. Hist.*

Johannes Carolus, Florentinus, Dominicanus. Scripsit *de Viris Ill. sui Ord.* &c. Voss. *de H. L.*

Johannes Casus, Anglus, Medicus & Philosophus, commentariis in Aristotelem editis inclytus.

Johannes Catgravius, Anglus, Comment. in Scripturam S. variaque opera historica edidit. Sec. 15.

Johannes Choletus, Gallus, Cardinalis, Legationibus obitis inclytus, sec. 13.

Johannes Chrysostomus, vel *Chrysorrhemon*, Episcopus Constantinopolitanus, à Theophilo Alexandrino Episcopo oppressus, Pontum in exilium pergere coactus est, ubi obiit An. D. 403. Historia paulo prolixius sic habet: Antiochiâ ad Orontem in Cœlesyria oriundus, patre Secundo, matre Anchusâ, è nobili familiâ, Libanii in Rhetoricis & Andragathi in Philosophia, discip. fuit. Dein ad forum se applicuit, sed mutato mox consilio ad S. Literas animum convertit. A Meletio Antiocheno Lector constitutus, illo à Valente in Armeniam relegato, in montanis Antiochiæ an. 6. delituit. Antiochiam valetudinis causâ reversus, à Meletio similiter reduce, Diaconus ordinatus est, an. 380. Ubi, sicut in solitudine *de Sacerdotio*; Homilias *de natura Dei*: *contra Judæos*: aliaque scripsit. A Flaviano, Meletii successore, Presbyter factus, an. 385. æt. 38. reliqua sua opera composuit. Nectario Præsuli Constantinop. surrogatus, an. 396. initio statim edictum ab Arcadio, contra Eunomianos & Montanistas obtinuit, mores Cleri correxit, Prædecessorum luxum castigavit: Parrhesiâ suâ sanctâ in concionibus, inter alios, Eutropium Imperatori gratum offendit: tyrannis in Imperio suborientibus, Gainæ inprimis, animosè restitit, negato Arianis templo: imò his urbe prorsus pulsis. Postea in Origenistico negotio ei cum Epiphanio & Theophilo Alex. res fuit, qui pertractâ in suas partes Eudoxiâ Imper. & Episcopis aliquot, Pseudosynodo ad Quercum habitâ, Johannem deposuit. Hinc ab Imperatore urbe exturbatus, sed mox gloriosius restitutus est. Vix 8. menses elapsi, cùm hostes denuo sæviunt. Quòd acriter in statuam Imperatrici Dominicâ die dedicatam invectus esset, hæc contra illum concitata, illum denuo urbe pepulit, & cùm Cæsaream se recepisset, inde quoque exagitavit Cucusam, ubi rebus omnibus destitutus, gravissima passus est, Episcoporum tamen Occidentis & Honorii literis recreatus. Post diuturnum exilium, Arabissam in Armenia translatus, cùm hinc Pytyum, in mari Nigro deduceretur, à militibus, quibus commissus erat, durissimè habitus, in itinere obiit, ut plurimi habent, an. 407. æt. 53. *Augustinus Græcorum* dictus, & in Conciliis Oecumenicis summis elogiis exornatus. Opera ejus, inter alia, pulcherrimè edidit, Henricus Savilius, in Anglia, tomis 8. Vide Hier. *Catal. cap.* 129. August. *contra Pelagium*, Isidorum Pelusiotam, *lib.* 1. *epist.* 156. Cassianum *lib.* 7. *de Incarn.* Isidorum Hispal. *cap.* 8. Photium, *Cod.* 25. 86. 172. 73. 74. 270. 274. 277. Sigebert. *cap.* 36. Socrat. Sozomen. Theodoret. Evagr. Niceph. Suidam, Honoratum Augustodun. Trithemium, Sixtum Senensem, Hist. Tripart. *lib.* 10. *cap.* 18 &c. *Quo nemo*, inquit Boisius, *ex antiquis aut majore dexteritate scripturas tractavit, aut populum docuit salubriùs, aut hæreticos oppugnavit acriùs: quo nemo aut ad virtutis studia inflammavit vehementiùs, aut vitia sui temporis insectatus est liberiùs.* Idem, *Post sacra Biblia & Paulinas inprimis Epistolas, nullum novi scriptum, in quo, qui concionatores sunt & Græcè non nesciunt, majore cum fructu versentur, quàm in B. Chrysostomi homiliis, quas ita numerosas reliquit, ut nemo plures, ita bonas, ut nemo meliores, ita disertas ac dilucidas, ut nihil excogitari quidem possit disertum aut dilucidum magis.* Montacutius: *Disertissimus Patrum, & in Scripturis enarrandis Græcorum Princeps.* Erasmus *lib.* 26. *Ep.* 33. *Hos Triumviros Gregorium Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum una tulit ætas apud Græcos, pietate pares, nec dispares eruditione, sed dictionis charactere dissimiles: quos si cum nostris conferre velis, Chrysostomus non dissimilis est Augustino, Gregorius Ambrosio. Quem Basilio conferam, nondum invenio, nisi si quis Scripturarum cognitionem, quam habuit Hieronymus, cum Lactantii felici facilitate copulet.* Jos. Scaliger *lib.* 4. *Epist.* 389. *Ego studiosissimus istius Patris sum, tum quia nullus melior Novi Testamenti Interpres, tum & propter miram dulcedinem & amœnitatem dictionis, quam post illum nullus Ecclesiasticus scriptor consequi potuit.* Eusebii Emisseni discipulum eum facit Crowæus *in Elencho Scriptorum.* Vide quoque in voce *Chrysostomus*.

Johannes Cinnamus, Histor. Græcus. An. 1180. qui Grammatici regii nomine assumto, scripsit de rebus sub Johanne Comneno gestis, & filio ejus Emanuele Comneno. Voss. *de H. G.*

Johannes Clericus, Meldensis Gallus, mechanicus, Eccles. Metensis initia sanguine suo jecit: cùm propter deturbata idola, crudeliter excarnificaretur, & inter tormenta ipsi crudelitati insultans, altissimâ voce illud Davidis recitaret: *Idola gentium sunt aurum & argentum, opus manuum.* Beza *in Iconibus.* Prius jam Meldis exagitatus, quòd Papam Antichristum dixisset.

Johannes Climacus, dictus quoque Scholasticus, Abbas montis Sinai. A Johanne Abbate Raitensi, *Angelus, Pater Patrum, & Doctor eximius Doctorum*, vocatus, ejus rogatu, *Sanctam Scalam* condidit, 32. gradibus constantem, quam Latine vertit Isseltius Flander, & *Epistolam ad Pastorem.* Obiit an. 606. Morerius *Diction. Hist.*

Johannes Clopinellus, priscus Poëta Gallus: *Rosæ* auctor.

Johannes Cochlæus, Norimbergensis, Canonicus Vratislaviensis, scripsit plurima, contra Lutherum. Obiit an. 1552. Jac. Boissardus, *in Iconibus*.

Johannes Columbinus, Senensis, Ordinis Jesuatorum fundator. Sec. 14.

Johannes Columna, Archiep. Messanensis, floruit an. 1255. Sub Alexandro IV. amplissimis muneribus defunctus, scripsit *Mare Historiarum.* Fazell. *rer. Sicul. dec. post. lib.* 8. Leander Alberti, Vossius, &c.

Johannes Cotta, Jovio *elog. c.* 54. laudatus.

Johannes Cremonensis, Italus Presbyter, auctor Chronici. Alius, auctor Historiæ Scholasticæ seu Eccl.

Johannes Curopalates, propriè *Johannes Schilitze*, Vide *Curopalates*.

Johannes Damascenus, ex Judæo Christianus, an. 461. Alius, in aula Saracenica Damasci clarus, imaginum acer propugnator, contra Leonem Isauricum, an. 727. & Constantinum Copronymum, an. 754. Ob id, Concil. Oecumenico 7. Constantinop. condemnatus, & cum Georgio Cyprio, &c. Ecclesiâ ejectus. Obiit an. 760. Opera ejus Billius Latinè vertit. Inter suos *Chrysorrhoas* dictus est, ob eloquentiam.

Johannes Dampetra, JCtus & Poëta, laudatus Scævolæ Sanmarth. *elog. l.* 1.

Johannes Davenantius, Londinensis, natus patre Essexiensi, cive divite, apud *Davenands-land* genito, ubi Majores ejus à

Johanne Davenant equite, qui Henrici III. principatu floruit, ad hæc usque tempora generis decus tuiti sunt, S.Theol.D.& D.Marg. Pr. apud Cantabrigienses, Episcopus Salisburiensis: Theologus insignis Synodo interfuit Dordracenæ, an. Chr. 1619. Obiit anno 1640. Ejus extant: *In Colossenses expositio fol.* Item *plurima alia scripta Theologica.*

Johannes Demerlerius, Mathematicus, auctor operis, de quo Voss. *de Math.l.*52. §. 22.

Johannes Despauterius, Flander, Grammaticus admodum celebris.

Johannes Diaconus, Anastasio Bibliothecario amicitiâ junctus; Scripsit libb. 5. vitam Gregorii M. Sigebert. *in Chron. An.Chr.*873. *& in Cat. cap.*106. Vossius, &c. Alius, Canonicus Veronensis, auctor Historiæ à Jul. Cæsare usque ad Henr. VII. Alius Januarii & Josiæ martyrium scripsit.

Johannes de Dieu, Lusitanus, fundator ordinis Charitatis, anno 1520. pauperum curæ inprimis vacantis.

Johannes Doratus, Lemovicensis, Græcè docuit Parisiis, Poëta clarus. Opera ejus enumerat Verdier. *Bibl. Gall.* laudes enarrat Scævola San Marth. *lib.*3.

Johannes Divitis, Carthusianus, Gandavens. Auctor 11. tractatuum.

Johannes Dominici, Cardin. Concilio Constant. interfuit. Obiit anno 1418.

Johannes Dorffmannus, Evangelium Curiæ Rhætorum annuntiavit, sub initia Reformationis, Pastor ibi ad D. Martini: cui, ut & reliquis ejus symmystis, in tribus Rhætorum fœderibus, cùm se acriter opponeret Decanus Capituli Curiensis, cum reliquo Clero, celebre colloquium institutum est Ilantii, in fœdere Grisco an.Chr.1526. d.7.& 8. Jan. in quo facilè de ignorantia & superstitione veritas triumphavit. Interfuit ei quoque Sebastianus Hofmannus S.T.D. Ecclesiæ Scaphusianæ Reformator.

Johannes de Dormans, Cardin. Episcop. Bellovacensis, Legationibus clarus, sub Gregorio XI. Fundator Collegii Bellov. Obiit anno 1373.

Johannes Driedus, Brabantus, scripsit libb.4. *de Scripturis Eccles. De libertate Christiana: De Captivitate & Redemptione generis humani: De concordiâ liberi arbitrii & prædest. divina libb.* 2. *de gratia & libero arbitrio,&c.* Obiit an.1535.

Johannes Drusius, aliàs *van der Driesche*, Flander, patriâ Aldenardensis, in ea urbis parte, quæ *Pamele* dicitur, natus: Hebræam linguam in Anglia didicit, ibique docuit Oxonii annos 4. postea Franekeræ Frisiorum ejusdem linguæ Professor fuit. Obiit an.Chr. 1616. æt.66. Opera ejus in Vet. Testamenti libros plerosque prostant quamplurima: quæ *in Romano indice prohibita esse, donec expurgentur*, refert Svveertius.

Johannes Dryander, Mathematicus Germanus, variis scriptis inclytus, an.1530.

Johannes Dubravius, Episc. Olomutiensis, auctor Historiæ Bohemicæ. Obiit an. 1553.

Johannes Duns Scotus, Franciscanus, discip. Guilielmi Varronis Angli: *Doctor subtilis* dictus: Auctor sectæ Scotistarum, Thomistis oppositæ. Obiit an.1308. æt.33. Opera ejus volum. 12. edita, an.1639. cum vita Auctoris, à Vadingo. An præmaturè elatus, in sepulchro ad se rediens, sibi ipsi manus deroserit? Vide Morer. *Diction.*

Johannes Dusseldorpius, Carmelita Argentoratensis, auctor, inter alia, descriptionis Terræ S. Obiit an. 1494.

Johannes Egen, Carthusianus, Herbipolit. auctor *Divini amoris alphabetarii*, &c. an.1477.

Johannes Eligerus, Astronomus Germanus, an.1350.

Johannes Erfortiensis, Franciscanus eruditus, sec.14.

Johannes Erigenus, vide *Johannes Scotus*.

Johannes Estuvodus, Anglus, Philosophus, Orator, Poëta & Mathematicus excellens. Sub Eduardo III. an.1347. Scripsit *de Judiciali Astronomia, Elucidarium Planetarum, &c.* Trithem.& Johanni Pico Mirandul. laudatus.

Johannes Evtratus, vide *Johannes Moschus.*

Johannes Faber, Algoviâ Germanus, Episc. Viennensis, auctor *Malleus hæreticorum papyracei.* Obiit an. 1541. æt.63.

Johannes Faustus, vel *Fust*, primariâ Moguntinæ in Germania familiâ natus, aurifabrilem primò, secundùm quosdam, artem exercuit, Typographiæ dein invento circa an.Chr.1450. evasit clarissimus. Is enim non tantùm typos singulares ex ære primus efformavit, sed etiam princeps omnium typis descriptos libros orbi obtulit & communicavit: circa an. Chr.1454. Extat in Bibliotheca Academica Basileæ *Officiale Durandi*, cum hac subscriptione: *Johannes Fustius, civis Moguntinus excudit, per Petrum de Gernsheim, an.Chr.*1459. Prope cujus ædes cùm habitaret Johannes Gutenbergius, de quo vide *suo loco*: hic familiaritate cum Fausto contractâ, pecuniam ei ad sumtus obtulit, stipulatus, ut quidquid in illud opus impenderetur, communi utriusque lucro vel damno cederet. Postea exortâ inter illos lite, quæ an.C.1455. Judiciali sententiâ finita fuit, Gutenbergius Argentinam delatus, ex operis eò aliquot secum attraxit: quo tempore alii quoque, qui apud Faustum artem didicerant, eum deseruerunt, & Francofurtum inque alia loca se receperunt, cùm præsertim an.Ch.1462. Moguntia capta, direpta ac incensa, libertatis pristinæ jacturam fecit: sic præclara hæc ars toti mundo innotescere cœpit. Usus est inprimis Faustus Petro Schäffero, Gernsheimensi, postea genero suo: qui rationem invenit, quâ characteres matrici, ut vocant, inciderentur & ex ea funderentur. Iidem attramenti impressorii gloria debetur, quam alii et cum Gutenbergio faciunt communem. Ita Faustus, Gutenbergius & Schäfferus inventæ Artis triumviratum constituisse, dici possunt. De hoc Fausto lepidam narrat historiam Joh. Walchius: Venit is, inquit, antequam in vulgus artificium emanaret, Parisios, aliquot exemplaribus Bibliorum à se impressis instructus, quæstum illic ut faceret. Ac, postquam prius Bibliorum unicum exemplar manuscriptum 400. aut 500. coronatis venisset, Faustus sua singula 60. coronatis vendidit. Hic primò non mediocriter mirati sunt homines, quî factum, ut singula sibi exemplaria exactè responderent, ut neque unicus apex per totum librum variaret: Cunctantibus dein atque emptionem protrahentibus, suorum quædam exemplarium Faustus 50. coronatis concessit, tandem etiam multò minoris permisit. Quod cùm comperissent, qui primò majoris emerant, increbrescente interim compendii hujus famâ, à Fausto deceptos se clamantes, pecuniæ restitutionem urserunt, adeò ut illi & Parisiis & Moguntiæ non parum negotii facesserent, *in decad. fabular. Fabulâ* 9. *fol.* 181. Habuit is agnatum Jacobum, similiter aurifabrum, qui Consulem Moguntiæ egit ipso anno urbi fatali, de quo supra. Vide Bern. à Mallinkrot *Dissert. de ortu & progressu artis Typogr.* & infra in voce *Typographia.*

Johannes Fernelius, Gallus, Medicus Henrici II. celeberrimus, fœcunditate Catharinæ Mediceæ conciliatâ inclytus: Vivus non nisi libros suos in Academiis explicari vidit. Cœterùm Mathematicus, & Latinè doctissimus. De cujus morte Et. ostichon:

Conjuge Fernelius raptâ perculsus, ut aula,
Ut lucis satur, ut nominis, interiit.

Scævola San Marth. *in elog.l.*1. Thuan. *Hist. &c.*

Johannes Feronus, scripsit de Connestabilibus, Cancellariis, M. Magistris, Admiralibus & Marescallis Galliæ, de Regibus, de arte Heraldica, &c. Advocatus Parisiensis.

Johannes Ferrantius, JC. Andegav. scripsit de Juribus & privilegiis Galliæ, sec. præt.

Johannes Ferrarius, JC. Germanus, in Institutiones Justin, commentatus est. An.1550.

Johannes Ferus, Franciscanus Moguntinus, commentatus est in S. Scripturam. An. 1545. Thuan. *lib.* 13. Serrar. *lib.* 1. *cap.* 40. *Mogunt.*

Johannes Fichardus, auctor vitæ recentiorum Jurecoss.

Johannes Fischerus, Anglus, Episcop. Roffensis, &c. Cardinalis. Præceptor Henrici VIII. capite plexus, an. 1531. quòd Catharinæ Reginæ repudio assentiri nollet. Auctor plurium tractatuum.

Johannes Flethus, Benedictinus Westmonasteriensis, in Anglia, Homiliarum & Chronici Monasterii sui.

Johannes Forsterus, S. Linguæ Professor, in Acad. Wittenbergensi, auctor Dictionarii Hebraici.

Johannes Franciscus Gondius, primus Archiep. Parisinus, anno 1622.

Johannes Fr. Maurocenus, Cardin. à Sixto V. ad Henricum III. legatus, an. 1588.

Johannes Fr. Picus, Mirandulæ Comes. Vide *Picus.*

Johannes Frerius, Franciæ Flandriæque turbas descripsit. Ab an.1560. usque ad an.1577.

Johannes Frobenius, Typographus Basiliensis insignis. Patrum Ecclesiæ voluminibus inprimendis magnum sibi nomen toto orbe peperit, tum Erasmi etiam contubernio & scriptis æternitati se consecravit. Habuit Hieronymum filium, ut fortunarum sic artis hæredem, cui itidem pari celebritate duo filii, Ambrosius & Aurelius successere, omnes multis præclaris operibus & auctoribus emissis percelebres. Quemadmodum & Nicolaus Episcopius, Johannis gener; de quibus vide supra in vocibus *Episcopius* & *Frobenius.*

Johannes Funccius, Werdæ, prope Norimbergam natus, Chronologorum sui ævi facilè princeps, cum duobus aliis, Alberti D. consiliariis, ab Ordinibus Borussiæ accusatus, capite luit, Regiomonte, anno 1566. æt.40. Causam mortis indicans his verbis:

Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu pestem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

Johannes Gagnæus, Concionator Francisci I. scriptis clarus.

Johannes Galensis, ob eruditionem *Arbor vitæ* dictus. Franciscanus, Anglus, Parisiis docuit, an.1270. Plurima edidit.

Johannes Garzonus, auctor vitæ plurimorum Dominicanorum. Præceptor Leandri Alberti, *descript. Ital.* Vide Voss. *de Hist. Lat. p.*683.

Johannes Gasconius, Anglus, scripsit contra Wiclefum & vitam S. Hieronymi. Sec. 15.

Johannes Gazulus, Ragusiâ oriundus. Astrologus celebris, anno 1438.

Johannes de S. Gelasio, Dominus Monlucii, auctor vitæ Ludovici XII.

Johannes Gener, Aurelian. Mathematicus & Histor. Continuator maris Histor.

Johannes Gerardus, Saxo, patriâ Quedlinburgensis, patre Senatorii ordinis, S. Theol. D. & in Academiis Salana & Jenensi Professor celeberrimus. Obiit an. Chr. 1637. æt. 55. Ejus extant: *Harmonia Evangelica 3. volum. fol. Commentarii in varios Scripturæ libros: Loci communes, &c.* Helvico, *vir inculpatâ vitâ & immensi laboris*; Albertino teste, *Accuratè collegit, quidquid Chemnitius, Hunnius & alii habent.* De eodem Dilherus: *Venerem illam Evangelicam, a magno Chemnitio pingi cœptam, à disertissimo Lysero continuatam, quis præter* Gerardum *attigit? Hic erat alter ille Apelles, qui absolveret.*

Johannes Gerbrandi, Leidensis, Carmelita, Auctor historiæ Comitum Hollandiæ, libb. 32.

Johannes Germanus, Cluniacensis, Duci Burgundiæ gratus. Episcop. Cabillonensis, Basiliensi & Florentino Concil. interfuit. Auctor Commentar. in Mag. Sentent. libri *de regimine Ecclesiasticorum, &c.*

Johannes Gerson, aliàs *Charlierus* dictus, Gallus, Gersonii, pago agri Remensis, natus, Petrum de Alliaco Præceptorem habuit, & Cancellarius Parisiensis factus est: Claruit in Concil. Constantiensi, ubi quòd emendationem Ecclesiæ Rom. plurimis rationibus suasisset, finito Concilio, domo, patriâ, dignitatibus spoliatus, & à Pontifice pulsus, Lugduni consenuit, ibi mortuus, an. Chr. 1429. apud Cœlestinos cum honore sepultus. Ejus opera extant 3. tom. fol. Argentorati A. 1488. ex recensione Wimphelingiana. 3. Vol. fol. Parisiis an. Chr. 1521. & 1606. 4. Tom. 2. Vol. ib. an. Chr. 1616. *Gerson, cognom. Doctor Christianissimus*, Pareo: *Famosissimus suâ ætate Theologus*, Thuano: *Vir in divinis literis eruditissimus, dubiorum clarissimus interpres, vitâ & conversatione insignis*, Trithem.

Johannes Goja, aliis Flavius Campanius Amalphitanus, inventor pyxidis nauticæ, an. 1302. vel saltem consummator.

Johannes Gosselinus, Bibliothecarius Caroli IX. auctor Ephemeridum, an. 1571. & Historiæ imaginum cœlestium.

Johannes Goudanus, Carmelita Batavus, an. 1490. celebris.

Johannes Grangaus, Lugdunensis, Episcop. Ambianus, illustris sec. 14.

Johannes Grajus, Episcopus Norvicensis, Chronici auctor, anno 1216.

Johannes Graunsonus, Eleemosynarius Eduardi III. scripsit Sermones, vitam Thomæ Cantuar. & martyrologium. Obiit anno 1369. Vossius *de H. L.*

Johannes Grolajus, Cardin. Gallus, legationibus ad Alex. VI. & Ferdinandum V. Hispan. Regem, inclytus. Scripsit in Mag. Sententiarum, sermones, &c. Obiit an. 1499.

Johannes Gropperus, Archidiac. Coloniensis, colloquio Ratisbonensi, cum Evangelicis instituto, interfuit, an. 1541. Obiit Romæ.

Johannes Gualbertus, Fundator Ordinis Valumbrosæ, an. 1070. Obiit anno 1073.

Johannes Gutenbergius, natione Teutonicus, equestris dignitatis vir, an Moguntinus, an Argentinensis? primus omnium in urbe Moguntiâ imprimendarum literarum excogitavit artem, primumque ibi eam exercere cœpit, an. 1440. vel 1442. Alii hunc Gutenbergium saltem socium fuisse dicunt Joh. Fausti inventoris. Alii id Joh. Mentelio, ejusdem urbis civi, ascriptum eunt. Harlemenses hujus inventi gloriam sibi vindicant, per Laur. Jansonium, cui typos à quodam surreptos & Moguntiam sic delatos dicunt. A Sinensibus quidam ad nos divinam hanc artem pervenisse statuunt, sed alia illis imprimendi ratio. Sixtus Ressius vel Russingerus, Neapolim, & Ulricus Haen, ex Guttenbergii famulis paulo pòst Romam artem hanc detulerunt, ubi August. de C. D. & Lactantius impressi. Epitaphium Guttenbergii æri incisum Heidelbergæ in Collegio Sapientiæ, ita sonat:

Hans Guttenberg ist mein nom,
Die erst Truckrey bracht ich nach Rom,
Bitt vor mein Seel, gibt dir Gott lohn.

Vide Serrar. *Hist. Mog. lib. 1. cap. 37.* Junium, *in Batav.* Wimpheling. *in epit. rerum Germ. cap. 65.* Aventin. *Boic. l. 7.* Palmer. *in Chron.* Melchior. Guilandin. *de Papyro membr. 26.* Chassan. de G. M. P. 11. *Conf. 39.* Joh. de Barros, *Asi. dec. 1. lib. 9. cap. 1.* P. Jov. *hist. lib. 19.* Osor. *de Emanuel. lib. 11.* Pancirol. *t. 12.* Salmuth. *notis in Panciro.* Volaterr. *l. 33. antr.* Polyd. Verg. 2. 7. *De rerum invent.* ut & infra in voce *Typographia.*

Johannes Hagen, seu de Indagine, Carthusianus, scripsit tractatus 433. inter quos tria Chronica sunt. Petrejus *Bibl. Carthus.* Obiit an. 1475. Trithem. *in Cat.* Voss. *de H. L.* Simler. *in Bibl.* Seculo 15. Alius ab auctore Chiromantiæ, Physiognomiæ & Astrologiæ Judic. an. 1522.

Johannes Hantvilius, Anglus, scripsit *Architrenium*, seu de antiq. Angliæ, metro, an. 1200. Simler. *in epit.* Pitsæus.

Johannes Hardingus, Anglus, auctor Chronici, &c. an. 1460. Baleus, *Cent. 8. c. 30.*

Johannes Haucuth, Anglus, qui Vicecomitibus Mediol. militaverat, copiis Urbani V. præfectus est, ut Ecclesiæ ditionem ab hoste tueretur. Platina, Blond.

Johannes Henricus Alstedius, Encyclopediæ celebris auctor. Sec. ult.

Johannes Hesius, Presbyter Ultrajectinus, Itinerarii Orientis, Hierosolymis in Indias auctor.

Johannes Hexhamus, Benedict. in Anglus, varia scripsit, sec. 12. Baleus, Gesnerus, Vossius, &c.

Johannes de Hildesheim, Carmelita, scripsit Chronicon, de translatione trium Regum, &c.

Johannes Hiperus, Abbas S. Bertini, Chronici auctor. Obiit anno 1383.

Johannes Honsemius, Canonicus Leodiensis, plurimis Legationibus defunctus. Auctor histor. Episcoporum Leod. ab an. 1247. usque ad an. 1348.

Johannes Honterus, Cronstadius, Rudimenta Cosmographiæ libb. 4. Mappas Geograph. principia Astronomiæ & Geographiæ edidit.

Johannes Houctonus, Anglus, Carthusianus, sub Henrico VIII. cruci affixus, obiit an. 1535. Epistolæ ejus editæ.

Johannes Hullinus, Auctor libri de Profectu Spirituali.

Johannes Huniades, Vaivoda, tutor regni Ungariæ factus, an. Dom. 1445. Ritius.

Johannes Huss, Bohemus, ex libro Joh. Wiclefi Alethia, ab Hieronymo Pragensi, sibi tradito, luce doctrinæ salutaris haustâ, eam in Bohemiam intulit, & Pragæ docere cœpit, extimulatus ad id impudentissimis Indulgentiarum nundinationibus, quæ tum sub anno 1400. propositæ. Hinc an. 1404. Pragæ disputatum, contra Transsubstantiationem, Confessionem auricularem, Ordinationem, à Jacobo & Conrado, Cantabrigiensibus, qui, quod paulo antè S. Brigitta, Papam esse Antichristum asserebant. In templo Betleem, recens à Mulhemio erecto, concionatus est, ingenti cum successu: Wiclefi libros Bohemicè vertit, illosque ad Proceres, & Jodocum quoque Moraviæ March. misit. Concionari prohibitus, in patriam Hussenec secedens ibi docuit. Rediit tamen revocatus, Academiæque Pragensis Rectoratu functus est, an. 1409. Nec in Bohemia solùm salutarem doctrinam propagavit, sed hinc illa in Silesiam, Germaniam, Poloniam, Venceslao rege connivente, ac dicente, *Anserem aurea sibi ova parere*, feliciter sparsa est. M. Cromer. *lib. 15.* An. 1414. sub fide publica Constantiam, ad Concilium, à Sigismundo Imper. evocatus, in fœdum carcerem mox abjectus est, frustra Bohemicâ & Polonicâ Nobilitate, Venceslao inprimis Leszczinio, violari fidem datam, protestante: In vanum quoque à Nobilibus Moravis 54. epistolâ totidem sigillis obsignatâ defensus. Camer. *in hist. Fr. Bohem.* Sim. Turnovius, *in Spec. Ver.* Paralip. *ad Chron. Ursperg.* Condemnatus enim, velut hæreticus, Casparo Schlik, Imperatoris Cancellario, solo non assentiente, Lasicius *in hist. de gestis Fr. lib. 1. è m. s.* mox jure Sacerdotali peculiari ritu spoliatus, & combustus, 6. Jul. an. 1415. adeò generosè tulit mortem, ut non nisi pias preces ac cantus sanctissimos ab eo adstantes audiverint. Populo Constantiensi hinc voce expressâ, *Quid iste homo antea docuerit aut fecerit, ignoramus, certè ista sunt maxima veræ pietatis indicia.* Morn. *in Myst. Doctr. Jesuit. tom. 3.* Ante mortem, vatidico Spiritu, Reformationem Lutheri prædixit, *Nunc quidem*, inquiens, *torretis anserem*, (id enim Bohemis vox *Huss* notat,) *at veniet Cygnus, quem torrere non poteritis. Post centum annos Deo & mihi respondebitis.* Camer. *in Hist. Fr.* Innocentiam Viri miraculo dignatus Deus est: Ubi enim loci tum Joh. Huss, tum Hieronymus Prag. paulo pòst, exusti, usque ad hæc tempora, circum luxuriante prato, nullum gramen succrescit, omni artificio & industriâ incolarum hactenus in cassum laborante. De utriusque supplicio, Æn. Sylvius ita scribit: *Johannes combustus est prior: Hieronymus postea in vinculis habitus, &c. Pertulerunt ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati, ad incendium properarunt: nullam emittentes vocem, quæ miseri animi indicium facere posset. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere:* Ave vivens hostia, Veritas & Vita, &c. *quem vix flamma & fragor intercipere potuit, &c.*

Johannes Hyrcanus, filius Simonis, Judæorum Dux. Vide Jos. *Antiq. l. 13. c. 8.* & in voce *Hyrcanus.*

Johannes Jac. Weckerus, celebris Medicus Basiliensis, auctor *Antidotarii.* Obiit Colmariæ, an. 1586.

Johannes Imenhusanus, Germanus, eruditione inclytus, anno 1360.

Johannes d'Imola, Bononiensis, JC. Baldi discipulus: In Decretales & Clementinas commentarios, &c. scripsit. Obiit an. 1436. Forster. & Fichardus *in vitis Juriscons.* Trithem. *in Cat.* Simler. *in Bibl. Gesner.*

Johannes Institor, vel Institutor, Carthus. *Scripsit de Objectionibus Bibliæ.* An. 1400. Suevus.

Johannes Joffredus, Cardin. egregius doctrinâ & ingenio, interfuit Concilio Florentino. Obiit an. 1473.

Johannes Isac. Pontanus, Auctor libri de Originibus Gall. &c.

Johannes Juven. de Ursinis, Archiep. Remensis, potens & populo acceptus. An. 1461. coronavit Ludovicum XI. Obiit an. 1473. Auctor Historiæ Caroli VI. ab an. 1380. usque ad an. 1422. Sansovin. *Geneal. de la Casa Ursina.*

Johannes de Kikellev, Archidiac. urbis cognom. & magnus

Vicarius Episcopatus Strigoniensis, vitam Ludovici Hung. R. scripsit. Voss. *de Hist. L. l.* 3. *&* 6. Turocius *in Chron. Hung.* illam refert.

Johannes Killingwortus, Anglus, Mathematicus celeberrimus, scriptis Astrologicis, Arithmeticis, &c. inclytus.

Johannes Lallamantius, Medicus Augustodun. præter plurima alia, *de collatione anni Romani, præcipuarumq; Gentium exterarum &c.* scripsit.

Johannes de Lana, Bononiensis, JC. egregius. Obiit an. 1357. ætat. 93.

Johannes Langdenus, Anglus, Benedictinus, auctor Chronici, usque ad an. 1420.

Johannes Langtonus, Carmelita Anglus, interfuit Concil. Basil. Auctor historiæ Anglicæ.

Johannes Lantzius, Mathematicus. Scripsit plurima.

Johannes de Lapide, Carthusianus, Philosophica & Theologica varia scripsit. An. 1494.

Johannes Lascaris, Græcus, stirpe Imperatoriâ, post urbem captam, in Italiam concessit, à Laurentio de Medicis, cujus aula tum eruditorum Asylum, benignè exceptus. Constantinopolim binis vicibus, ab eo Bibliothecam insignem colligente, remissus ad Manuscr. Græca colligenda. Inde redux à Ludovico XII. Lutetiam pellectus est, ejusque missu Legatus ad Venetos iit. Obiit Romæ, podagrâ, an. æt. 90. Latinè quoque doctissimus & Poëta; sed laboris impatiens, Græca mscr. tamen plurima correxit. P. Jov. *in elog. cap.* 31.

Johannes Laurentius, Mathematicus insignis, tempore Justiniani. Photius *cod.* 180. Voss. *de Math. c.* 33. §. 27.

Johannes Lavardinus, Vindocinus, Abbas, sec. præt. Epistolas Hieronymi, &c. Gallicè vertit.

Johannes Laziardus, Cœlestinus, auctor epitomæ Historiæ Universalis, usque ad an. 5. Francisci I. continuatæ ab Huberto Vellejo Voss.

Johannes Leidensis, aliàs Bocoldus, Sartor, junctus Johanni Matthæo pistori, caput Anabaptistarum. Hi duo, Monasterio potiti, an. 1534. inauditâ tyrannide diu civibus graves fuerunt, donec isto, qui Moysem se jactabat, in tumultu quodam, occiso, ille in ejus locum evectus est, cum tit. Regis Justitiæ: sed & hunc Episcopus, per hujus socium quendam intra urbem receptus, paulo pòst cum sequacibus, meritis suppliciis affecit. Meshov. *Histor. Anabapt. l.* 5. 6. *&* 7. Sleidanus, &c.

Johannes Leo, Africanus dictus, Granatâ oriundus, urbe hac capta à Ferdinando & Isabella, in Africam concessit. Ubi linguam regionis cùm perdidicisset, diu in Europa, Asia & Africa peregrinatus, Arabicè Africæ descriptionem edidit. Dein à piratis captus, Leoni que X. donatus, apud eum in pretio fuit: Johann. Leonis nomine in baptismate accepto. Italicè dein suum opus transtulit, quod à Floriano latinâ civitate donatum est. Alius, Mutinensis, cognom. *Poëtinus*. Giraldus, *de Poët.* Prior obiit anno 1526. Libertus Fromondus, *Meteorol. lib.* 5. *cap.* 3. *art.* 2. Vossius *de Hist. Lat. lib.* 3. *&c.*

Johannes Lesleus, Episcop. Scotus, auctor historiæ Scoticæ. Sec. præt. Obiit Bruxellis, an. 1596.

Johannes Leunclavius, Westphalus, auctor histor. Turcicæ Obiit an. 1593.

Johannes Lidgatus, Anglus, vixit an. 1480. scriptis inclytus. Baleus, Vossius, &c.

Johannes Lightfootus, Anglus, patriâ Staffordiensis, Utcestriæ natus, S. T. P. & Aulæ Catharinæ præfectus, floret in Anglia. Ejus extant: *Harmonia V. T. Anglicè; Harmonia* 4. *Evangel. Horæ Hebraicæ in Matthæum, Marcum, Johannem, pr. ad Corinthios: Commentarius Chronologico-Criticus in Acta, &c.*

Johannes Linturius, continuator Chronici Werneri Carthus. ab an. 1484 usque ad an. 1514.

Johannes Lopesius, auctor vitæ S. Vincentii Ferrerii. Alius sub initium seculi hujus, scripsit Syllogen ex Patribus, in gratiam Prædicatorum.

Johannes Lotharingus, Cardin. fil. Renati II. Ducis, ex Philippa Geldrica. Anno 1518. Literatorum insignis fautor, liberalitate inclytus. Obiit an. 1550. Erat Archiepisc. V. hujus nominis. Præcesserant ipsum *Johannes I.* post Hugonem, an. 1111. *Johannes II.* Anglus natione, eruditione insignis. Anno 1180. Stephan. Tornac. *ep.* 92. Guil. Nebriss. *de rebus Angl. lib* 5. *cap.* 3. *&c. Johannes III.* an. 1289. *Johannes de Talaru IV.* an. 1375. Cardinalis factus à Clemente VII.

Johannes Lovæus, Anglus, Henrico VI. gratus, an. 1436. Scripsit varia. Baleus, Vossius.

Johannes Lovaniensis, Carthusianus, auctor vitæ Paparum. Bostius *de scr. Carthus. c.* 24. Sutor *lib.* 2. *vita Carth. Tr.* 3. *c.* 7. *p.* 571. Vossius.

Johannes Lucidus, Mathematicus insignis. Scripsit sec. præt. *De emendatione temporum: de vero die passionis Christi: Epitomen emendationis Calendarii Rom. Canones in perpetuam temporum tabulam.*

Johannes Lucondus, Veronensis, Præceptor JC. Scaligeri, sub Maximiliano I. celebris. Scripsit Commentarios in Cæsarem, in Vitruvium &c. Scaliger *Exercit.* 114. §. 23. *&* 116. §. 12. *&* 329. *&c.*

Johannes Ludovicus Vives, Valentinus Hispanus, Solicitatus à Cardin. Wolsæo, Angliam visitavit, ibique Oxonii Juris civ. Doctor creatus est: Obiit Brugis in Belgio circa an. C. 1536. *Vir longè eruditissimus, ac præclarissimi ingenii*, Barthio: *Quo decendente doctior nemo in Hispania superfuit: doctrina columen decusq; vita*, Jov. *in elog. doct. Vir.* Extant opera ejus, præter eruditissima in Augustinum de C. D. Commentaria, 2. tom. fol. Basileæ an. 1543. & 1555. sed in Romano indice prohibita sunt, donec expurgentur, Possevin. Vide etiam Boissardi Icones.

Johannes Mabusius, Hannonius, Pictor egregius. Anno 1539. Opmer. *in Chron.*

Johannes Macocursius, Tornacensis Carthus. *Brunoniadum & Hugoniadum* auctor. Obiit 1548.

Johannes Major, Scotus, auctor historiæ M. Britanniæ, an. 1521. libb. 6. usque ad Henrici VIII. cum Catharina Arragonia nuptias. Idem scripsit *Sophisticalia Parisiensia, Placita Theologica, &c.* Obiit an. 1531. Dempsterus *hist. Eccl. Scot. lib.* 12. Budæus, *Cent.* 14. Buchanan. *Hist. Scot l.* 6. Voss. *de H. L. lib.* 3.

Johannes le Maire, scripsit illustrationes Galliæ, & singularitates Trojæ. Item, de Schismatibus, de Conciliis, &c. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. Sub Ludovico XII.

Johannes Maldonatus, Jesuita Hispanus, scripsit Commentarios in S. Scripturam. Obiit an. 1583. æt. vix dum 50. *Vir judicii exasciati, & veritatis Histor. hyperaspistes si quis alius*, Thuan. *Magni nominis interpres*, Schlichtingio: *Alium nobis vitâ & moribus* Maldonatum *depingit, quam se nobis ille exhibuit, in Comm.* Montacut. &c.

Johannes Malela, vel *Meleles*, Historicus Græcus, Voss. *l.* 3.

Johannes Manardus, Ferrariensis, Medicus insignis, in aula Ladislai Poloniæ R. floruit. Auctor epistolarum Medicarum. Obiit an. 1510. P. Jov. *in elog. c.* 81.

Johannes Mandevillanus, Eques Anglus, Medicinam docuit, an. 1332. Itinerarii Asiæ & Africæ auctor, quod in varias linguas translatum. Obiit Leodii an. 1372. Voss. *de H. L. l.* 3.

Johannes Marandus, Sebusianus, celebris Astrologus, sub Carolo VII. & Ludovico XI. Gratus Amadæo Papæ, prædixit Schisma, bellum Gallico Flandricum, &c. Matth. *in Ludov. XI.* Guicheno *Hist. de Bresse.*

Johannes de Marcanova, Patavinus, Philosophus, Medicus & Poëta. Auctor Antiquitatum. Scardeonius, *rerum Patav. lib.* 2. *capite* 2.

Johannes Margarinus, Hispan. Episcopus, historiam Patriæ libb. 10. condidit.

Johannes Maria Cataneus, Novariensis, sec. 15. scripsit Commentar. in Plinium Jun. Poëma de B. Sacro, aliaque plurima, Laudatus Leandro Alberti, P. Jovio, Lil. Giraldo, Vossio, &c.

Johannes Maria Politianus, Carmelita, auctor vitæ S. Alberti.

Johannes Maria Riminaldi & Verratus, Florentini. Ille JC. an. 1496. Iste Theologus Carmelita, an. 1563.

Johannes Mariana, Hispanus, auctor Historiæ Hispanicæ.

Johannes de Matha, primus Patr. Ordinis SS. Trinitatis, & redemptionis captivorum. Provincialis nobilis, anno 1198. Ab Innocentio III. in Africam missus. Obiit Romæ. Anno 1213. Sabellic. *Ennead.* 9. Gaguin. *Histor. Franc. lib.* 6. Morerius *Diction. Hist.*

Johannes Mauburnus, Bruxellensis, varia edidit. Voss. *de H. L.*

Johannes Maxentius, Presbyter Eccl. Antiochenæ. Scriptis contra Nestorium, aliosque inclytus. Sec. 6. Gennad. *c.* 93. Ado *in Chron.* Alius à Maxentio, Greg. Turon. *hist. l.* 2. *c.* 37. Vide Morer. *Diction.*

Johannes de Meda, unus ex fundatoribus Ordinis Humiliatorum. Vide *Humiliati.*

Johannes Mehumius, Poëta Gallus, Boëthii consolationem Philosophiæ &c. vertit. An. 1340. Opmerus *in Chron.*

Johannes Mentelius, post Gutenbergium, celebrem Argentinæ Typographiam habuit, remque familiarem brevi insigniter auxit, multa volumina castigatè & politè imprimendo. Ei Adolphus Ruschius successit, qui Biblia cum glossa ordinaria triplici charactere in publicum dedit, &c. Vide Bern. à Mallinkrot *Dissert. de ortu & progressu artis Typogr.*

Johannes Mercerus, Uticensis, Occitanus in Gallia Narbon. Francisci Vatabli auditor, Hebraicarum lit. in Acad. Parisiensi Prof. Regius, obiit an. C. 1570. *Vir eruditissimus, Galliarum lumen, parente suo* Johanne *dignissimus*, Casaubono & Montacutio: *Quatuor lingg. peritissimus, & qui ad incredibilem diligentiam acerrimum judicium attulit*, Thuano: *Christianorum in Hebraicis longè doctissimus*, Mon. Lit. *ex Thuan. superioris seculi lumen verum & clarum*, Buxtorfio *in de Abbr. Hebr.* Ejus extant: *Prælectiones in Genesin, Commentarii in Hagiographa.* Item *in* 5 *Proph. min. &c.*

Johannes Mercius, auctor historiæ Regum Merciorum. Anglus.

Johannes Mercurius, Cistertiensis: errorum de voluntate & volitione Filii Dei, causisque peccati, à Parisinis Theologis convictus. An. 1347.

Johannes Michaël, Gen. Carthusianorum, Gall. Scripsit *librum* Exer-

Exercitiorum Spir. triplici Via: Enchiridion Spirit. Exercitiorum: Decachordum Psalterium,&c. Obiit an. 1600.

Johannes Michaëlis, ordinem Dominicanorum reformavit. Sub initium hujus seculi.

Johannes Miraus, Bruxellensis, Episc. Antverpianus, scriptis celebris. Obiit an. 1611.

Johannes Mola, M. Magister Templariorum, combustus. Anno 1307.

Johannes Molinaus, auctor *Speculi Historialis Carmelitani Ord.* an. 1360.

Johannes Monachus, Cardinalis, Gallus. Auctor Commentariorum, in 6. librum Decretalium. A Bonifacio VIII. in Galliam missus, ob litem cum Philippo Pulchro. Collegii cognom. Lutetiæ fundator, obiit Avenione an. 1313. Histor. Abbavill. & Pontiniac. Victorel. *in addit. ad Ciaccon. sub Cœlestino V. &c.*

Johannes de Monte Regio, Astronomus insignis, an. 1476.

Johannes de Montenigro, Dominicanus celebris, an. 1430.

Johannes de Montesono, Dominic. scripsit, pro Urbano VI.

Johannes Morisotus, Medicus & Mathematicus, de Arithmetica scripsit.

Johannes Morlandinus, Lemovicensis, Gener. Dominicanorum, & Cardin. Scripsit de Sanguine JESU CHRISTI, contra quosdam Doctores Barcinonenses, Sanguinem Christi, in cruce fusum, non esse adorandum, asserentes. An. 1352.

Johannes Morvillerius, Blesensis, Episc. Aurelianensis, interfuit concilio Tridentino. Obiit Turonibus, an. 1557. Thuan. & SanMarth. laudatus.

Johannes Moschus, dictus Eviratus, Eremita: Auctor *Prati Spiritualis*: quod Ambr. Camaldulus latinè vertit. Sec. 7. 2. Concil. Nic. *act.* 4. Photius, *Cod.* 119. Joh. Diaconus, *in Gregorio l.* 1. *cap.* 45. Joh. Damascenus, *l.* 1. Niceph. *l.* 8. 21. Voss. *de H. L.*

Johannes Muntzius, Mathematicus, de Prognosticis scripsit, anno 1503.

Johannes Murmelius, Erasmi condiscipulus, Rector Acad. Monasteriensis, seculo barbaro eruditionis face illatâ clarus.

Johannes Neperus, Scotus, inventor Logarithmorum in Arithmetica.

Johannes Nevisanus, Astensis, JC. floruit an. 1540. Scripsit de Jurecoss. illustribus: quod opus ab aliis continuatum.

Johannes Nicolaus Buboicius, Episc. Corsus. Scripsit an. 1496. Neapoli, *de Origine & rebus gestis Turcarum.*

Johannes Okfortius, auctor historiæ Anglicæ. Boëthius, *in præf. Hist. Scot.* Voss. *de Hist. L. l.* 2. *c.* 56.

Johannes Olaus, vide *Magnus.*

Johannes Oldendorpius, JC. Hamburgensis, Jus ibi docuit, & scriptis illustravit. An. 1550. Adamus *in Vitis Jurecoss. Germ.*

Johannes Olnejus, Anglus, Carthusian. Meditationes solitarias, &c. scripsit, an. 1350.

Johannes Oporinus, postquam aliquandiu Linguam sanctam Basileæ publicè docuisset, Calcographico instituto ibi nomen dedit, evasitque in ea arte clarissimus. Floruit sec. præt. Ei id inprimis laudis tribuitur, quòd nihilunquam excuderit, nisi prius diligentissimè à seipso correctum revisumque. Vide Boissard. *Icon.* Pantaleonem *de Viris Ill.* Melch. Adami, & infra in voce *Oporinus.*

Johannes Palaonidorus, seu de Aqua veteri, Hollandus: Carmelita. Auctor *Fasciculi temporum tripartiti, &c.* Obiit an. 1507.

Johannes Papo, sec. præt. edidit Collectionem decretorum Curia supr. &c.

Johannes Parisiensis, Dominicanus. Scripsit *de Regia potestate & Papali.* Obiit sub Clemente V. Vide Morerium *Dict. Hist.* Alius Anglus, auctor Historiæ Universalis, Florum historicorum, & Memorialis. Vide Voss. *de Hist. Lat.*

Johannes Parmensis, auctor Evangelii æterni: qui liber jussu Alexandri IV. combustus est. An. 1258. Alius Cardinalis, Angelus pacis dictus, ob varias Legationes, eodem sec.

Johannes Paulus Lancelotus, JC. Perusinus. Scripsit institutiones Juris Canonici.

Johannes Paulus Perrinus, Lugdun. Auctor historiæ Valdensium & Albigensium.

Johannes Pediasimus, Secretarius Patr. Constantinop. Scripsit 12. labores Herculis, &c. Simler. *in append. Gesner.*

Johannes Pena, Provincialis, Mathematicus regius, Parisiis. Scriptis celebris. Voss. Quenstedt. &c. laudatus.

Johannes Petrus Ferrarius, JC. Ticinensis: Auctor Practicæ Judicialis.

Johannes P. Maffeus Bergomas, Jesuita. Auctor hist. Indicæ, &c.

Johannes P. Matthiolus, Senensis. Insignis plantarum gnostes: Scriptis inclytus.

Johannes Phreas, Londinensis, auctor Cosmographiæ. Xenophontem ex parte, & Diod. Siculum transtulit. Obiit an. 1465.

Johannes Picus, Mirandulæ Comes & Concordiæ Dominus, à Constantino Imp. originem traxisse dicitur: Patrem habuit Johannem Franciscum Picum, matrem ex illustri Bojardorum familia. Obiit an. 1494. æt. 33. Florentiæ. *Vir ingenii penè prodigiosi, in omni Artium, Scientiarum & Literarum varietate usq; ad miraculum exculti*, Sixto Sen. *Phænix sui seculi*, Scaligero: *Eo objectante, Scoti acumen & vigilantiam, Francisci acrimoniam, copiam & multitudinem Aureoli deprehendere potuisses. Eo respondente, Thomæ fortitudinem & robur, Alberti amplitudinem conspexisses*, Joh. Fr. Picus Nepos, *in Vita ejus.* Extant, ejus *Heptaplus de opere 6. dier. aliaq; ejus opera, una cum Joh. Fr. Nepotis 2. tom. fol. Basil. an.* 1573. 1580. 1601. V. quoque in voce *Picus.*

Johannes Pikus, Anglus. De Regibus in Anglia Saxonicis scripsit. An. 1120. Guil. Hormannus, postea in epitomen redegit.

Johannes du Pin, Tolosanus, Episc. Rejensis, discip. Beroaldi, hujus vitam scripsit: Item, *de Vita aulica*, tractatum edidit, &c. Sadolet. *l.* 4. *epist.* 18. Erasmus *in Ciceroniano*, Voss. *de H. L.*

Johannes Piscator, Theologus Herbornensis, celeberrimus: versione German. Bibliorum, aliisque scriptis egregiis inclytus.

Johannes Pistorius, Theologus literatissimus, Nidanus, Obiit an. 1583. æt. 81.

Johannes Placentinus, Dominicanus Trajectensis, Catalogum Episcoporum Tungrensium edidit.

Johannes Polemanus, de civili dominio Clericorum, contra Bohemos, peroravit, in Concil. Basil. an. 1433. Archidiaconus Barcinonensis.

Johannes de Prato, Lugdun. auctor Dictionarii Hebr.

Johannes Przibramius, Bohem. contra Taboritas scripsit, 1429.

Johannes Quinquarboreus, Hebr. doctissimus, varia transtulit.

Johannes de Rada, Episc. Hispanus, Scholasticus celebris.

Johannes de Radice, Annalium Paravinorum conditor.

Johannes Ragusinus, Dominicanus, peroravit, in Concil. Basiliensi, contra Hussitas; *de Communione sub utraq; non concedenda Laicis.* Canisius edidit.

Johannes Ravennas, auctor variorum operum histor. an. 1420.

Johannes Ravisius Textor, Nivernienšis, celebris literator, sec. præt.

Johannes Rastalus, Typogr. & Mathem. Londinensis, gener Thomæ Mori. Editis Canonibus Astrologicis, &c. Obiit an. 1535.

Johannes de Rely, Atrebas, à Confessionibus Carolo VIII. Episcop. Andegavensis, varia scripsit. Jac. Faber Stapul *dedic. Comment. in Eth. Aristotelis.*

Johannes Reuchlinus, aliàs *Capnio*, Germano-Suevus, oppido Pfortsheimensis, secundùm alios Stutgardiæ in Duc. Wirtenbergico natus, LL. Imper. D. & lingg. Hebr. Gr. Lat. interpres, Claruit an. 1494. Obiit an. 1522. Stutgardiæ sepultus. Ejus inter alia, extat *Commentariolus in septem Psalmos Pœnit. &c. Vir magnus*, Genebrardo, nisi *Lingua Hebr. mysteria Cabalicis nugamentis maculasset.* Meliùs Trithemius, *Nullum nobis non modò Italia, sed nec seculum quidem nostrum huic tanto viro parem objiceret.* Et Beza, *Ex hujus auditorio, præter innumeros alios, prodierunt Oecolampadius, Pellicanus, Munsterus* Vide & in voce *Capnio.*

Johannes Richerus, auctor Mercurii Gallici. Typographus.

Johannes Rodericus, & de Rojas, Hispani. Ille Medicus, scriptis; hic Mathematicus, Astrolabii explicatione clarus.

Johannes Rœatius, vel *Roatius*, liberatorem Bohemiæ, ex monte Sionis brevi affuturum, suis pollicitus est. An. 1412. Si fides Sandero, &c. Meliùs *Robaczius* Baro, captâ arce Sione, cum 60. comitibus suis, unove Sacerdote, strangulatus, jussu Sigismundi Imper. qui supplicio fatali, cùm lætus intentus esset, gangrænâ correptus, paulo pòst obiit.

Johannes Rokyzana, Legatus Bohemorum, ad Concil. Basiliense, postea Arch. Pragensis constitutus, vir ingenio acer & facundus, *Papam Antichristum* esse, asserebat. Mulctandus à Sigismundo, latebras quæsivit. Calixtinorum dein caput, Taboritanis excidium molitus est. Proin hi Ordinem atque Consistorium Lhotæ (quæ vox liberationem notat) prope Richnoviam erexere, *Fratrum* nomine sumto. An. 1457. Primus Unitatis hujus fundator erat Gregorius, vulgò Rzehorz, sororis Rokyzanæ nepos: Quia verò Rokyzana rogatus, præesse secessioni nolebat; ex Martini Lupacii, Rokyzanæ suffraganei, consilio, è 60. virorum numero, post ardentes preces & jejunia 9. exemerunt, ac ex iis rursus per 12. chartulas tres *Seniores* elegerunt; voce cœlitus auditâ *Best ma Wule*, est mea voluntas. In hos Rokyzana, quasi spretus esset, sæviens, dum adstitit cruciatibus Gregorii, illius admiratus constantiam, lachrymabundus, *fortunam cruciati suâ velle permutare*, professus est. Camerar. *in hist. Fr.* Lasicius, &c. Obiit an. 1471. Ejus sepulchrum, postquam nuperis turbis Bohemicis frustra diu quæsiissent hostes, tandem anno 1630. humaturi Lucam Jesuitam, in profundissimo loco lateritium stratum quoddam, & sub eo cariosa ossa, cum duobus calicibus, altero æneo, altero cereo incorrupto, particulamque panni Damasceni, de Sacerdotali casula invenerunt. Joh. A. Comen. *in Annal. Fr. m. f.*

Johannes Rosinus, Thuringus. Scripsit libb. 12. Antiquitatum Rom. an. 1580. quas auxit Thom. Dempsterus.

Johannes de Rupe Scissa, Franciscan. quòd Apocalypsin contra Papas exponeret, illosq; Antichristos vocaret, jussu Innocentii VI. combustus est. Froissard *l.* 1. Trithem *de scr. Eccl.* Spond. *A. C.* 1356. Alius Patr. Constantinop. Arch. Rotomagensis, & Vesontinus, Cardinalis. Ab Eugenio IV. legatus, Bononiæ obiit, an. 1437.

Johannes Rupifortius, Anglus. Scripsit epitomen Josephi & flores Historiarum, An. 1405.

Johannes Russus, dictus Keade & *Rovvseus*, Angli, & Historici ambo. Quorum ille Chronicon Imperatorum, Paparumque: Annales item Angl. condidit; Hic Chronicon composuit. Voss. *de H.L.*

Johannes Salisburiensis, Anglus, Episc. Carnutensis, eruditione inter primos ævi sui. Liberalitate Theobaldi IV. Com. Campaniæ adjutus, Docturam Lutetiæ nactus est. Hinc Romam tendit, ut Adrianum IV. popularem suum viseret: Redux præceptor Petri Blesensis extitit. In Angliam dein delatus, apud Theobaldum Archiep. Cantuariensem, & successorem ejus Thomam hæsit, hujus usque ad supplicium comes. Postmodum favore Ludovici Jun. Galliæ R. Præsul Carnutum factus est. Interfuit Concil. Lateranensi, an. 1179. Obiit an. 1182. De ejus scriptis supersunt: *Vita Thomæ Cantuar. Volumen Epistolarum, Polycraticon, vel de Nugis Curialium & vestigiis Philosophorum, libb.* 8. Petr. Blesensis, *ep.* 22. Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 52. Erycius Puteanus, *cent.* 2. *ep.* 84. *ad Phaelem*. Morerius, &c.

Johannes Salviatus, Florentinus, Cardin. Episcopus Portensis, eruditione, sub Carolo V. clarus. Ughel. *t.* 2. *Ital sacr.*

Johannes Sambucus, Medicus & Historicus sec. præt. Thuanus *lib.* 77.

Johannes Saxo, Franciscanus, scripsit Comment. in S. Scripturam, &c. An. 1330.

Johannes Schvvebelius, Germanus, patriâ Pfortsheimensis, ad Hercyniæ Sylvæ radices: *primus Principis Bipontini Orthodoxus Ecclesiastes*. Obiit an. Chr. 1540. æt. 50. Ejus extant: *Tractatus de præcipuis S. Scripturæ locis, Thesaurus, &c.* Vide Melch. Adami *in vita ejus*.

Johannes Scotus, dictus Erigenus, è Scotia in Franciam delatus, Carolo Calvo gratus fuit. Vir pusillo corpore, sed ingenio maximus, festivus ac facetus, unde & mensæ & cubiculi Imperatorii non rarò particeps. Philosophus porro eximius, Theologus consummatus. Eodem tempore, anno 876. quo Rabanus, Episc. Moguntinus, diligens Augustini sectator, in libb. de institut. Clericorum, *figuratam locutionem*, in verbis S. Cœnæ agnoscebat, à Bertramo Presbytero, jussu Caroli defensus: Edito libro de Eucharistia, dogma Augustini quoque retinuit. Hinc Parisiis, Papæ instigatu, pulsus, cùm in Angliam pervenisset, à Discipulis, instinctu Monachorum, graphiis confossus est. An. 884. Opus ejus aliquot in Conciliis damnatum, & Berengarius, qui ex illo salutarem doctrinam hausit, Romæ anno 1059. sub Nicolao II. in ignem conjicere coactus est, quasi igni in veritatem jus esset. Hunc Possevinus, Wio, &c. discipulum Bedæ, commilitonem Alcuini & unum ex primis Academiæ Paris. fundatoribus: Guil. Malmesbur. Præceptorem Alfredi Regis, Martyremque faciunt. Scripsit quoque Dialogum de Naturis &c. Adversarius Pascasii Ratberti, Abbatis Corbiac. qui primus doctrinæ de Realitate auctor censetur.

Johannes de Segovia, Theologus Romanæ Commun. Basiliensi Concilio interfuit.

Johannes Serapio, Medicus Arabs, sec. 11. An diversus ab auctore libri de simplicibus medicamentis? Conring. *de script.* 11. *sec.*

Johannes Serlonus, Anglus, Abbas Cistertiens. Grammatici elogium meruit, sec. 13. Scripsit varia.

Johannes de Serres, auctor Inventarii Historiæ Gall. scripsit usque ad Carolum VII. Eum continuavit, usque ad Henricum IV. Pastor quidam Montis Adhemarii, in Delphinatu. Opus magni apud eruditos pretii.

Johannes Simoneta, Calaber, scripsit historiam Franc. Sfortiæ, Ducis Mediol. libb. 31.

Johannes Sirmiensis, Abbas, an. 1160.

Johannes Sleidanus, domesticus primò Cardin. Bellaji, dein Evangelii doctrinam amplexus, Argentinam se recepit, ubi Opus suum insigne Historicum elaboravit, quod terminatur, an. 1555. Obiit an. 1556.

Johannes Sotealdus, Germanus. Scripsit *Summam Pontificalium & Synodalium, per locos communes, &c.*

Johannes Spangenbergius, discip. Lutheri, an. 1536.

Johannes Stadius, Ephemeridum auctor.

Johannes Stella, Presbyter Venetus, auctor historiæ Pontificum Rom. usque ad Julium II.

Johannes Ston & *Stoveus*, Angli Benedictini, scriptis celebres. Voss. *de H.L. l.* 3.

Johannes Tabiensis, aliàs Cagnatius. Genuensis, Dominicanus, *Summæ Tabienæ* auctor. Caetani Card. amicus. An. 1524. Leander Alb. *descr. Italiæ*. Anton. Senensis, *de Ill. Dominic.*

Johannes de Temporibus, Caroli M. stabuli præfectus, obiit anno 1120. æt. 361. Vincentius Bellovacensis, Nauclerus, &c.

Johannes Tezelius, Germanus, Pirnâ Misnicus, præco Indulgentiarum, Romanæ sedi fatalium, à Leone X. in Germaniam missus, docebat inter alia: *Se tantam habere potestatem, ut etiamsi quis Virginem Matrem polluisset, pecuniâ datâ posset scelus eluι.* Joh. Sleidan. *de St. Relig. & Reip. l.* 13. Chemnitius, *in exam. part.* 4. *de Indulg.* Quod cùm audiret, paulo ante obitum, Johannes Episc. Misnensis, vatidico ore exclamavit, *Hunc fore Indulgentiarum Institorem ultimum.* Vide Chytr. *par.* 1. *Sax.* Contra hunc itaque Lutherus, thesibus conscriptis, publicè disputavit: mox, cùm Indulgentiarius Nundinator non solùm non cessaret, sed & Francosurti pro dogmate Pontificibus adeò lucroso dissertationem publicam haberet, plurimosque Luthero hostes excitaret, hic scriptis acerrimè restitit. Plura apud Surium, Sleidanum, &c. Obiit an. 1519. Lipsiæ.

Johannes Tilletus, Episcop. Meldensis. Scripsit epitomen Chronici Regum Galliæ, &c. An. 1568. Scævolæ San Marth. *l.* 3. & Thuano laudatus. Frater alterius Johannis, qui varia historica, Galliæ regnum spectantia, composuit. Ambo hi eodem anno & mense mortui.

Johannes Tinmouthus, Anglus, auctor historiæ aureæ, libb. 3. Supplementi historiæ, &c.

Johannes Turocius, Hungarus. Historiâ Hung. Matthiæ Corvino dedicatâ inclytus.

Johannes de Turre Cremata, Hispanus, ab oppido natali *Torquemada*, vulgari idiomate appellato, sic dictus, Ord. Præd. Episcopus Sabinensis in Italia & Presbyter Cardinalis, an. 1439. Scripsit 5. Volumina Commentar. in Decretum Gratiani, Summam Ecclesiæ libb. 4. Orationem coram Eugenio IV. habitam, &c. Obiit an. 1468. æt. 80. Magnifici, Protectoris & defensoris fidei elogiis, à Pio II. honoratus. Onuphr. *in Chron.* Blondus, Mariana, Ciacconius, Anton. Senensis &c.

Johannes Vasæus, Brugensis, auctor Annalium Hisp.

Johannes Venator, Cardin. Francisco I. gratus.

Johannes Venetus, & *Tudetchinus*, ambo Sacellani Godofredi, Tuscanellæ D. an. 1065. à Pontif. Alexandro II. tanquam hæretici damnati.

Johannes Vercellensis, Gen. Dominicanorum, à Nicolao III. Patr. Hierosolymitanus constitutus. An. 1278.

Johannes Verrazanius, Florentinus, detexit an. 1525. novam Franciam, auspiciis Franc. I.

Johannes Villanius, Florentinus, Historicus, sec. 14.

Johannes Vinetus, Brito, Carmelita, auctor Chronici. an. 1348.

Johannes Vitalis, Cardin. sub Clem. V. Obiit an. 1316.

Johannes Vitellescus, Patr. Romam, omnemque Ecclesiæ terram recepit. An. Dom. 1434. Vide *Vitellescus*.

Johannes Wentius, Abbas Hollandus, an. 1404. Abbatiâ relictâ, Abbatum Prædecessorum epitaphia collegit.

Johannes Wernerus, Geograph. & Astronomus, Obiit an. 1504.

Johannes VVhetampstedius, aliàs Frumentarius, Anglus. Anno 1440. Interfuit Concil. Ticinensi & Senensi, sub Martino V. Varia scripsit.

Johannes Wigandus, Germanus, Mansfeldiæ in radicibus Hercyniæ montis sitæ natus, Theologus celebris. In patria primò docuit, deinde Magdeburgi, Jenæ, Vismariæ Superintendens, iterum Jenæ, tandem in Borussia Episcopus Pomesaniensis fuit, Regenvolsc. Edidit in plerosque S. Scripturæ libros, *Exercitationes, Commentarios, Annotationes, Explicationes, &c.* Obiit an. Chr. 1587. æt. 64. *Vir ingenio, doctrinâ, & vitâ præstans*, Melch. Adami, *Magnæ doctrinæ inter Protestantes Theologus, qui Matthiæ Flaccio in concinnandis Eccl. Hist. centuriis operam navavit*, Mon. lit. ex Thuano.

Johannes VViltonius, Anglus, magni inter literatos nominis. An. 1319.

Johannes VVolfius, Tigurinus, familiâ Senatoriâ: *audivit viros undiquaq; doctissimos, Argentorati Germaniæ Tullium Joh. Sturmium: VVittenbergæ politioris literaturæ parentem Melanchthonem: Tubingæ, Philosophorum sui seculi principem Jac. Schegkium: Biturigibus Gallorum legalis prudentiæ Coryphæos, Cujacium, Roffardum, Contium, Donellum*, Melch. Adami: *in ejus vita*. Obiit an. 1572. æt. 70. Scriptis in S. Codicem aliisque notissimus. *Eo nec probiorem, neq; Græcè eruditiorem sua ætas tulit*, Scaliger.

Johannes Zisca, Hussitarum Dux celeberrimus. Vide Æn. Sylv. *rerum Bohem.* Crom. An. Dom. 1420. & in voce *Zisca*.

S. Johannis Inf. Vide *Borichena*.

Joja, vulgò *Gioja*, opp. regni Neap. in agro Bariano, versus Apenninum, in dit. Ducis Atrini. 16. mill. à Bario in Austr. totidem à sinu Tarent. in Bor.

Jojacum, vicus Gall. in agro Parisiensi, in Decanatu Castrifortis, in Archidiaconatu *Josas* dicto: Aliis *Joviacum* à Jovio, vulgò *Jouy en Josas*, ad Beveram fluv. Hinc pago Joviacensi vel Jojacensi nomen. Est & *Jojacum*, vicus alter in Francia, vulgò *Jouy*. Plura ejusdem nominis loca in Gallia, Vide apud Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Parisii*.

Jojada, Lat. *Domini scientia*, aut *cognitio*: Summum obtinuit apud Judæos Sacerdotium. Hic Joam Ochosiæ regis Judæ filium in regnum restituit, occisâ Athaliâ, quæ tyrannide regnum invaserat: tum pepigit Jojada fœdus cum Joa, quo fœdere Rex Joas & ipse populus polliciti sunt obedire Deo, & populus etiam Regi: inito hoc fœdere demoliti sunt aras Baal, idola contriverunt, & Mathan, Sacerdotem Baal, occiderunt etiam coram altari. Vide 4. Reg. *c.* 11. nihilominus tamen mortuo Jojada, Joas ipse ad idololatriam deflexit. Vide 2. Par. 22. 23. 24. Joseph. *Ant. l.* 9. *c.* 7. A.M. 3191. æt. 131. Hujus filium Zachariam, ob Parrhesiam servo Dei dignam, à Rege occisus est; Matth *c.* 23. 4. Reg. 11. Item summus Sacerdos, sub regno Persarum.

Jojarib, nomen Sacerdotis. 1. Par. 7.

JoinVilla, vel *JainVilla*, civitas Campaniæ Gallicanæ, ab hominum patre Jano dicta, evecta est in Principatus fastigium tempore Regis Henrici II. An. 1552. In gratiam juniorum Principum, ex Guisiorum familia. Ab eoque dependent Baronatus vulgò dicti *de Suilli*, aliæque arces, vici pagique. Metel. Hinc Johannes Joinville Dom. Ludovico IX. gratus, ejus in expeditionibus omnibus comes, vitam descripsit. Chenius *de Urb. & Hist. Gall.* Vide *JoanVilla*.

Jol, Numidiæ urbs, olim *Mesgana* à conditore: quæ postea *Colonia Cæsarea*, teste Plinio, dicta est: urbs Mauritaniæ Cæs. metropolis & regia, egregiè munita. Vulgò *Alger*, & incolis *Geizeir*, teste Lud. Marmolio. Baudrando nunc *Tenez*, urbs regni Algerii, in ora maris Medit. in prov. Teneza. Ad rad. montis, cum castro munito & portu commodo, ex N. Sansone 125. mill. ab Algerio in Occ. 9. ferè à Quiza urbe in Ort.

Jolaus, Iphicli fil. qui Herculi Hydram interficienti adfuit, ferroque candenti cruorem cohibuit, ne alia ex eo capita suppullularent. Hic cùm ad decrepitam ætatem pervenisset, Herculis precibus juventuti ab Hebe restitutus est. Ovid. *Met.* 9.

Jolchos, civitas Thessaliæ, Pomponio Melæ *lib.* 2. ubi eam dein Larissam vocari scribit; & Straboni *lib.* 4. *cap.* 9. Jasonis Patria, ab *Jolcho*, Amyri filio, sic dicta, ut tradit Stephanus de urbibus. Homerus *Jaolchon* vocat. Aliis *Jolcos*, opp. Thessaliæ in Magnesia, ad sinum Pagasicum, ad radices Pelii montis, in finibus Pelasgiotarum, proximum Demetriadi urbi, ab ea vix milliari distans, à Pagasis 30. stad. ab Ormenio 20. à Phæris 120. *Jaco* hodie. Lucanus *lib.* 3.

Thessalus Æmoniam Vomer proscindit Jolcon.

Horat. *Epod.* 5.

Herbasq; quas Jolcos atq; Iberia
Mittit Venenorum ferax.

Ejus mem. ut dictum, Mela 2. 3. *In Thessaliâ Larissa, aliquando Jolcos.* Postrema verba erasit Pintianus, quia nempe Jolcon dicit esse ad mare sitam, hìc verò Melam mediterraneas tantùm recensere civitates. Licèt hoc verum esset, non tamen video, cur existimemus Melam errare non potuisse. Verùm ipse errat Pintianus, cùm ex Strabone ostendere conatur, Jolcon fuisse ad mare sitam. Verba Strabonis hæc sunt: Τῆς δὲ Δημητριάδος ἑπτὰ σταδίους ὑπέρκειται τῆς θαλάσσης Ἰωλκός. Ipse interpretatus est *jacet ad mare*. Sed quis nescit ὑπερκεῖσθαι semper accipi de locis remotis à mari? Rectè itaque Eust. hunc locum sic interpretatur, τὴν Ἰωλκὸν ὑπερκεῖσθαι φασὶ τῆς κατὰ Δημητριάδα θαλάσσης ἑπτὰ σταδίους. Vides quantillo spatio à mari abfuerit Jolcos, ut non mirum sit ab aliis inter maritimas urbes recenseri. Porrò cùm Poëtæ Argonem Jolco solvisse ajunt, id de Aphetis, vel de litore, quod & ipsum Jolcon vocari docet Strabo, accipiendum est. Sed & cùm Scholiastes Apollonii Sepiadem dicit esse ἀκρωτήριον ἐν Ἰωλκῷ, manifestè Jolcum pro litore accepit. Inde *Jolciacus*. Ovid. *Met.* 7.

Victor Jolciacos tetigit cum conjuge portus.

Jole, Euryti Oechaliæ regis, ex secunda uxore, filia, ab Hercule adamata, quam cùm Eurytus jam victus ei tradere recusasset, licèt certaminis lege debitam, irâ accensus Hercules Eurytum interfecit, urbeque direptâ Jolem abduxit, posteaque Hyllo filio suo uxorem tradidit. Ovid *Met.* 9. Vide *Deianira*.

Jolum, mons Perrhæbiæ, pop. *Joli*. Steph.

Jomnium, seu *Jomnium municip.* opp. Africæ, nunc *Temen*, 7. leuc. ab Algerio in Ort. in regno Algerii, teste Sansone.

Viri celebres.

Jon, Xuthi filius, vel Apollinis & Creusæ Erechthei filiæ, à quo *Jonia* dicta est Attica. Steph.

Jon, Chius, poëta Tragicus, fabulas docere cœpit. Olymp. 72. alii habent 82. Suida teste. Cum Archelao Physico, crebrâ peregrinatione defunctus est, ingenio elegantissimo præditus. Aristophanes *in Pace* Ἠοῖον, h. e. *Matutinum*, vel *Orientalem* vocat. Ἴων ἐν Φοίνικι ἢ Καινεῖ memoratur Athenæo *l.* 10. ubi ait, Batonem Sinopensem vitam ejus scripsisse, eumque temulentiæ arguisse: φιλοπότην enim καὶ ἐρωτικώτατον eum vocat. Ejus non pauca citant Pausan. *Eliac.* 1. Et Sextus Empiricus *contra Mathemat. fol.* 69. Epigramma ejus de Pherecyde *in Philosophi hujus Vitâ* citat Laërtius. Meminit ejusdem *Jonis* Strabo *lib.* 1. Jul. Pollux. 11. 4. 21. & alibi passim. Nec alium *Jonem* intelligit Vossius apud Plin. 18. 31. ubi ex eo refert tempus, quo Capella, quo item Hædi oriuntur.

Jon, Ephesius, cujus nomine Dialogum scripsit Plato, eumque Rhapsodum facit cum Socrate colloquentem. Quid si idem sit cum Jone prædicto, patriâ nempe Ephesius, habitatione Chius? Atqui tempora repugnant, cùm Jon Chius Olymp. 72. jam floruerit, Socrates autem, qui cum coævo Jone Ephesio colloquitur, demum Olymp. 77. natus sit. Certum quidem est, alibi rationem hanc valere, in Platone non item, quippe qui nullo temporis respectu habito, personas facit colloquentes ἀσυγχρόνους, cujus culpæ dudum eum arguit Athen. *lib.* 7. *cap.* 13. Malè igitur Jul. Scal. *Poët.* 1. 46. *Multum opera in hoc genere poëmatis (Dithyrambici) posuit Jon Chius, cujus nomine scripsit Dialogum Plato.* Ob quem facilem lapsum miserè vapulat à Leone Allatio *lib. de patriâ Homeri fol.* 273.

Jon, Grammaticus esse videtur, quem laudant Schol. *in Arist. Ran. Act* 1. *sc.* 7.

Propheta & Viri illustres.

Jona, sive *Jonas*, unus ex 12. minoribus Prophetis. Incepit sub Joa & Amazia, secundùm quosdam, munere suo erga Ninevitas defungi, An. M. 3211. Aliis id in an. 3168. rejicientibus. Vide de illo 4. Reg. 14. & Prophetiam ejus, 4. capp. constantem: ubi illius Vocatio, Tergiversatio, Castigatio, Obsequium, Successus, &c. succinctè enarrantur. Plura apud Joseph. *Antiquit. lib.* 9. *cap.* 11. Epiphan. *de Vitis Proph.* Hieronym. Augustin. &c. In ejus *Prophetiam* extant: Abbotii *Prælectiones*, Angl. quart. Oxonii, 1609. Acosta. Antenoris *Speculum Pœn.* Germ. octav. Artopæi *Comm.* octav. Stetini, 1545. Baronis *Prælectiones*, fol. Londini, 1579. Brentius. Catardus. Crocius, *in* 8°. Drusii *Lectiones* 4°. Amstelod. 1627. Ephremus. Ferus. Fevardentius. Galii *Homiliæ*, 8°. Magdeb. 1616. Gerhardi *Annot.* 4°. Grynæi *Prælectiones.* Hopperus, Angl. Londini 1550. Kingi *Prælectiones*, Angl. 4°. Londini 1600. Krakewitzi *Comm.* 8°. Giessæ. Junius. Leusden. Livelejus. Mamerolius. Mayr *Exercitationes Gramm.* 8°. Lugd. 1569. Mercerus, fol. Genevæ 1565. Oecolampadii *Comm.* fol. Basileæ. Pfeifferi *Prælectiones*, 4°. Schaddæi *Synopsis*, Argentinæ 1588. Schnepfii *Comm.* Spalchaveri *Conciones*, Germ. Tarnovius. Theophylactus. Treminius. Tuscanus. Willichii *Comm.* Basileæ 1546. &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

Jona, pater Joseph, patris Judæ, patris Simeon. Luc. 3. Pater item Petri Apostoli. Johan. 21.

Jona, seu *Ihona*, mel. *Rona*, Ins. S. Columbani, *Cholmkill*, in Scotia. Vide *Insula S. Columbani*.

Jonadab, filius Sammaa fratris David. 2. Reg. 15. Filius item Rechab, abstinentiæ leges posteris præscripsit, Jer. 35. Amicus Jehu. 4. Reg. 10. *Jos. Ant.* 9. 6.

Jonas, Præsul Aurelian. sec. 9. sub Eugen. II. & Gregor. III. Ludovico Pio & Carolo Calvo imperantibus. Scripsit contra Claudium Episcop. Taur. pro imaginum cultu. Item, de institutione Ludovici Pii filii, Pipini Aquitaniæ R. Porro Ethicam Christianam, quam Josephus Megus edidit. Obiit anno 842. Lupus Ferrier. *epist.* 21. 27. & 28. Hincmarus Rem. *cap.* 36. 2. *contra Godescalc.* Morerius *Diction.*

Jonas, Abbas Bobiensis, Italus, aliquot SS. vitas scripsit. Vixit adhuc sub Clothario III. An. 662. Beda *Hist. Angl. l.* 5. *c.* 17. Sigeb. *c.* 61. Trithem. *de Script.* Voss. *de Hist. Lat.* Item alius, Monachus, S. Wilfrani Arch. Cœnom. vitam condidit.

Jonas Schlichtingius à Bukoviec, nobilis Polonus, Socinianus. Scripsit *Commentar. in Evangelium Johannis & ad Hebræos: Paraphrasin in initium ejusdem Evangelii. Commentar. in ad Romanos, & in ad Corinthios.* Item, *Galat. Ephes. Coloss. Philipp. 2 Thess. 2. Tim. Titum, Philemonem, 2. S. Petri. 3. S. Johannis: Fragmentum in Judæ, &c.* Quæ omnia simul prodierunt Tomo primo & secundo Bibliothecæ Unitariorum, i. inter opera Socini, Crellii, Schlichtingii & Volzogenii, totius Nov. Test. explicationem continentia, variis volum. fol. Obiit anno Chr. 1661. æt. 69.

Jonathan, filius Gerson, filii Mosis, Jud. 18. Nomen scribæ cujusdam. Jer. 37. Filius Saulis regis, amicus Davidis, Heros fortissimus, 1. Reg. 13. Jos. *Ant. Jud. l.* 7. An. M. 2960. 2979. Filius Abiathar Sacerdotis. 2. Reg. 15. Filius Jada. 1. Par. 2. Filius Sage. 1. Par. *c.* 11. Filius Asahel. Nehem. 12. Filius Carec. Jerem. 40.

Duces & Pontifices summi.

Jonathas, fratre Juda Macchabæo interfecto, dux populi constituitur, anno Mundi 3808. ante Christum natum 154. Hic statim Bacchidem, cum quo pugnans occubuerat Judas, ad Jordanem vicit. Tertio posthæc anno, collecto ingenti exercitu, iterum in Judæam venit Bacchides, Jonatham cum Simone fratre obsedit, sed tandem commissâ pugnâ fusus est Bacchides ipse: qui rebus occisis, coactusque pacem amplecti, juravit se nunquam in Jonatham quicquam moliturum. Hinc Epiphanes, Antiochi filius, audiens Jonathæ famam, amicitiæ fœdera cum eo sancivit. Porrò Demetrii præfectum Apollonium, Jonathas bello fundit ac fugat, multasque urbes capit: octo hostium millia occidit: Templum Dagon, quod erat in Azoto, unà cum urbe incendit. Posthæc adversus alienigenas, qui Judæam vastabant, movit, atque eos totâ Judæâ expulit, & cum Romanis ac Spartiatis amicitiæ fœdera renovavit. Tandem Tryphon simulata amicitia eum circumventum cum suis interfecit. Vide *lib.* 1. Macchab. *cap.* 9. 10. 11. 12. rexit an. 18. Torniel. ab an. 3894. usque ad an. 3912. *Jos. Antiq. l.* 13.

Jonathas, filius Jojadæ II. sub Persarum regno. Ei Jaddus successit, qui Alexandro Magno, Hierosolymam venienti, obviam processit.

Jonathas, Annæ filius, suffectus in locum Caiphæ à Vitellio Imperatore.

Jonda, oppidum Asiæ, circa Ephesum. Diod. *lib.* 4.

Jone, civitas Palæstinæ, quæ & *Gaza*. Item Antiochia sic dicta. Steph.

Jonia, Asiæ min. regio, separatur ab Æolide Hermo fluvio, rigaturque fluviis Caistro & Mæandro, & per oram littor. extenditur, tum cœli bonitate, tum situs commoditate nulli regionum

posthabenda. Herodot. *lib.* 1. *& seqq.* Hinc *dives* Ovid. dicitur Fast. *lib.* 6.

—— *Quem praebet Jonia dives.*

Sarchiom hodiè, teste Leunclavio, *Quiscum* vel *Quiscon* Turcis dicitur. Ejus urbes praec. fuere Ephesus, urbs olim clarissima, Miletus, Smyrna, nunc praecipua & sedes Praefecti, Colophon, Erythrae, Leuca, Lebedus, Clazomene, Hippi & Heraclea. Nunc vulgò *Sarchan* dicitur, & sub Turcis est. Baudrandus. Martialis *l.* 13. *ep.* 5. attagenas Jonicas commendat,

Inter sapores fertur alitum primus
Jonicarum gustus attagenarum.

Et ante eum Horatius *Epod.* 2.

Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Jonicus
Jucundior, quàm &c.

Unde Hieronymus *ad Salvinam*: *Procul sunt à conviviis tuis Phasidis aves, crassi turtures, attagen Jonicus. Jonia* Propertio *libr.* 1. *eleg.* 6. *mollis* dicitur. Vide Proverbium Γέλως Ἰωνικὸς, & Athenaeum *lib.* 12. Unde Ἰωνικῶς ἀντὶ τοῦ ἁβρῶς, i. e. *molliter.* Plautus *in Sticho,*

Quis Jonicus, aut cinaedicus, qui talia facere posset?

Horat. 3. 6.

Motus doceri gaudet Jonicos
Matura virgo. ——

Et Plato *lib.* 3. *de Rep. Jonicam harmoniam,* ut nimis mollem expellit suâ civitate. Plin. 29. 5. Coeterùm *Jones* bellis celebres olim erant contra Persas, aliosque vicinos, & Colonias plurimas deduxerunt. Sectae Jonicae nomen Thaletis Milesii discipulis haesit. Ab Javan, Japeti fil. fortè oriundi, cognominatique: Strabo, Plinius, Pausanias, Diogenes Laërtius, Ortelius, Leunclav. &c.

Jonica, regio seu tractus magnae Graeciae in Italia, circa Crotonem urb.

Jonichus, vel *Jonithus*, fil. Noae, post diluvium: Astronomiae inventor, praeceptor Nimrodi, à Patre, cum quodam filiorum Japheti, in terram Ethan missus, ibi Jonicam condidit. Si vera scribunt, ex Methodio Martyre, Comestor, *Hist. Schol. cap.* 37. Abulensis, *quaest.* 5. *super Gen. cap.* 10. Torniel. *A.M.* 1756. *n.* 1. 1956. *n.* 1. Item, Poëta & Medicus Graecus, sec. 4. secundùm Eunapii sententiam.

Jonium mare dicitur, non quod Joniam alluit, sed quod inter Siciliam & Graeciam interfusum, Macedoniam, Epirum, Achajam & Peloponnesum ad Occid. attingit: *il mar Gionio* Italis. Dionysius idem facit cum Adriaco mari *vers.* 92.

Κεῖθεν δ' ἀναρωσθεῖσα πλατύνεται Ἀδρίας ἅλμη
Πρὸς βορέην, αὖθις δὲ περὶ ἑσπέριον μυχὸν ἕρπει,
Ἥν τε καὶ Ἰονίην περιναιέται ἠυδάξουσι.

Ubi Schol. Ἰστέον δὲ ὅτι οὐ μόνον Ἰόνιος κόλπος καλεῖται, ἀλλὰ καὶ Ἀδρίας ὁ αὐτὸς λέγεται, καὶ Ἀδριὰς, καὶ Ἀδριανὴ θάλασσα. Οἱ δὲ ἀκριβέστεροι τὸν Ἰόνιον μέρος τοῦ Ἀδρίου φασί. Apud Thucyd. *lib.* 1. legas: Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τὸν Ἰόνιον κόλπον. (Unde Lucanus,

—— *Jonias vergens Epidamnus in undas.*)

Ubi Palmerius, *Hic locus*, inquit, *aliquando me torsit non benè intelligentem differentiam inter* Ἰόνιον πέλαγος & Ἰόνιον κόλπον, *licèt aliquando unum pro altero ponatur.* Intelligit igitur Thucydides per *Jonium sinum*, id mare, quod aliis *Adriaticum* dicitur, quod etiam saepè *Jonium* appellatur, & est pars Jonii magni. Ideò plures Jonium nomen ultra Acroceraunia Dalmatiam versùs extendunt, licèt alii Acroceraunia fecerint terminum Jonii maris & principium Adriatici. Sic Theophrastus Apolloniam vocat τὴν περὶ τὸ Ἰόνιον, *quae est ad Jonium*, *Hist. pl. lib.* 8. *cap.* 6. quod repetit *lib. de Causis plant.* 3. *cap.* 2. Sic & Conon apud Photium de eâdem urbe: Καὶ ποταμὸς Ἀῶος διὰ μέσης αὐτῆς ῥέων καὶ οὗτος ἐκβάλλει εἰς τὸ Ἰόνιον πέλαγος. Sic Appianus *Civilium quinto*, de divisione imperii inter Octavium & Antonium; Ὅρον μὲν εἶναι σφισὶ Σκόδραν πόλιν τῆς Ἰλλυρίδος ἐν μέσῳ τοῦ Ἰονίου μυχοῦ μάλιστα δοκοῦσαν εἶναι. Ita Dio *lib.* 40. de Octavio, qui bellum in Dalmatia gesserat (de quo Caesar *Civilium tertio*) Ὡς γάρ ποτε τὸν Ἰόνιον προσέπλευσε, καὶ τὸν Ἀντώνιον τὸν Γάϊον συνέλαβεν, ἄλλων μὲν πολλῶν χωρίων ἐκράτησε, τὴν δὲ δὴ Σάλωνα οὐχ εἷλε. Ubi Dalmatiam manifestè ad Jonium ponit. Ergo ut Appianus vocavit Adriaticum mare *Jonium recessum*, sic Thucydides de eodem Adriatico dixit *Jonium sinum*: nam κόλπος *sinus* maris propriè est pars, quae inter terras se *insinuat*. At *Jonium magnum* (quod vocat Virgilius *lib.* 3.) multum extendebatur inter Peloponnesum & Italiam, & plures comprehendebat sinus, ut Corinthiacum, & Adriaticum. *Jonium* verò angustè sumtum Acrocerauniorum montium promuntorio finiebatur. Haec ille. Quod autem ad nominis rationem attinet, non satis convenit inter scriptores. Didymus enim dictum existimat ab *Jonio* quodam Dyrrhachii filio, quem Hercules, cùm imprudenter occidisset, in mare projecit, ut memoriam ejus propagaret. Solinus ab *Jonâ*, extremâ Italiae regiunculâ: Aeschylus ac Lycophron ab errore *Jûs*, Inachi filiae. Alii ab *Jonum* naufragio, nonnulli ab *Jone* quodam Adriae patre, qui deinde mari Adriatico nomen fecit.

Jonopolis, ex tabb. rec. *Ginopoli*, urbs Paphlagoniae medit. Ep. sub Arch. Gangrensi, inde in Boream distans, apud oram.

Jonosia, quibusdam oppidum fuit Contestanorum in Hispania, nunc pag. *Villa Loysa*, in ora Austr. regni Valentiae, 4. leuc. ab Alone in Eur. 6. à Gandia in Austr.

Jopas, rex Afrorum, unus ex procis Didûs, ut Punica testatur historia. Virg. *Aen.* 1.

—— *Citharâ crinitus Jopas*
Personat auratâ. ——

Hic Musicus fuit praestantissimus, qui apud eundem Virg.

—— *Canit errantem Lunam Solisq; labores.*

Jope, urbs Phoeniciae prope Jamniam. Steph. Ab *Jope* Aeoli filiâ, uxore Cephei sic dicta. Vocabatur & *Joppe*. Italis *Jaffo*. A *Japhet* Noachi filio conditore quidam appellatam volunt, vel à יפה *formosus fuit.* Strabo vocat τῶν λῃστῶν λῃστήριον *latronum receptaculum*, locumque adeò editum tradit, ut inde conspici posset Hierosolyma Judaeorum metropolis. Andromedam hîc balaenae expositam fabulantur Poëtae. Nunc *Jaffa*, urbs Palaestinae, & tribus Dan Septentrionalior, Episcop. sub Archiepiscopo Caesariensi, cum portu in ora maris Mediterran. 35. mill. à Caesarea in Austr. paulo minus ab Hierosolymis. 6. à Lydda in Occas. 47. ab Ascalone in Bor. In edito saxo, & sub urbe portus, in quem ligna & lapides è Libano mari indeque Hierosolymam terrestri itinere deferebantur, ad templi structuram. Baudrand. Ejus hodie nil extat, nisi turris & diversorium, accipiendis peregrinis. Ferr. Una ex antiquissimis urbibus totius mundi, jamque ante diluvium quibusdam condita videtur Joppe. Hîc Jonas divino monito inobsequens navem conscendit, Thraciam petiturus. Vastata aliquoties à Juda Maccabaeo, dein à Tito quoque expugnata est. Refecta ab Arabibus, qui inde à Godofredo Bullionaeo pulsi: quo tempore Episc. fuit, ut modo dictum. A Saladino postmodum destructa, sed reparata à Richardo Angl. R. Iterum capta est à Ludovico IX. Sed recidit in Barbarorum manus, qui eam planè everterunt. Vide Joseph. *de Bello Jud.* Guil. Tyr. Jac. Vitriacensem, Itinerariorum scriptores, &c. Est & *Jope* Thessaliae. Quaerant autem eruditi, quaenam sit *Jope* illa apud Propertium *lib.* 2.

Vobiscum est Jope, vobiscum est candida Tyro.

Jophon, Sophoclis ex Nicostratâ filius, qui credebatur Patris tragoedias, tanquam suas, populo exhibere. Introduxit Sophocles Jophontem invidentem sibi & apud fratres accusantem patrem, tanquam senio delirantem: fratres verò illum objurgantes. Vide Scholia *in Aristoph. Ranas* 1. 2. Suid. Item Poëta Gnossius, qui Oracula Sacerdotum suorum heroico carmine expressit. Pausan. *in Atticis.*

Jopilia villa, Ortelio *Jupile*, pagus agri Leodiensis, ad Mosam fluv. non procul à Leodio Mosâ interfluente. Erat villa olim publica, è regione Haristallii. Hîc Pippinus R. an. Chr. 714. *in morbum incidit, & cùm utcunque convaluisset, mox obiisse creditur.* Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Jopis, regio Laconiae. Steph.

Jopsica, urbs fuit Liburniae, Ptol. Vide *Lopsica.*

Jora, nomen viri. 1. Esdr. 2. *temporaneus*, aut *ostendens*, sive *projiciens*, aut Syriacè *lebes.*

Jorai, itidem nomen viri. 1. Par. 8.

Reges Jehuda & Israëlis.

Joram, Rex Jehudae, filius Josaphat, patri successit. Hic omnes fratres suos occidit, & quosdam de primoribus Juda. Athaliam (Gotholiam vocat Joseph.) uxorem duxit filiam Amri, quae illum ad cultum idolorum abduxit. Suscitavit ergo Deus Philisthinos & Arabes, qui terram Juda vastarunt, domum Joram diripuerunt, filios, ejus occiderunt que preter Joachazum min. natu. Regnavit Joram 3. annos, unà cum patre, & 4. post patrem. Successit filius ejus Ochosias. Obiit A.M. 3150. Vide 4. Reg. 8. 2. Par. 21. *Jos. Antiq. lib.* 9. *cap.* 2. *&* 3. Sulp. Sev. *lib.* 1. *hist. sacra.* De literis ad ipsum, Eliae Prophetae, jam in coelum rapti an. 3139. quibus suo tempore monendus erat, Vide 2. Par. *cap.* 22.

Joram, frater Ochosiae, & filius Achab, Rex Israelis, successit Ochosiae fratri suo in regno Israel, regnavitque in Samariaa 12. annis: cum tota familia Achabi excisus. Hujus temporibus Rex Syriae Ben-Adab obsedit Samariam, ubi fames magna invaluit, adeò ut venundaretur caput asini octoginta argenteis. Vide 2. Reg. 8. Item Joseph. *lib. Antiq.* 9. *cap.* 4. Huic successit Jehu. Obiit Anno M. 3151. Vide 4. Reg. *c.* 3. 6. 7. 9. 2. Par. 22. *Jos. Antiq. l.* 9. Torniel. & Salian. *Annal. Sacr.*

Joram, Lat. *excelsus*, vel *projectus.* Filius Thou regis. 2. Reg. 8. Nomen sacerdotis. 2. Par. 17.

Viri illustres.

Jordanes, Consul cum Severo, an. U.C. 1223.

Jordanes, Dominus Insulae in Aquitania, variorum criminum accusatus, occidit apparitorem, à quo, ut Parlamento se sisteret, vocatus est. Hinc caudae equi primò alligatus, postmodum suspendio scelus eluit. Anno 1223. Gaguin. *lib.* 8. Paul. Aemyl. *lib.* 8. Belleforest. *lib.* 4. *cap.* 16. Papyr. Massonius, & Mezerajus *in Carolo Pulchro.*

Jordanes, Saxo. Gen. 2. Dominicanorum, post Dominicum, Anno

Anno 1221. Scripsit de origine Ordinis sui: Edidit cum notis Romæ Anno 1587. Anton. Maffæus Salernitanus. Prope Joppen naufragus, Obiit an. 1236. Jac. Bergomens. *in supplem. Chron.* Raph. Volater. *l.* 21. Ferdin. *hist. Ord. Præd. Cent.* 1. Voss. *de H. L.* Item, Monachus, eruditione inclytus, sec. 15, Item, Præsul, Chronici auctor. Voss. *de H. L.*

Jordanes Nemorarius, Mathematicus celeberrimus, scriptis inclytus, duodec. sec. Blancanus *in Chron. Mathem.*

Jordanes, fluv. Judææ, transitu Israelitarum famosus, aquas habens suavissimas. Plin. 5. 14. *Flumen validissimum* vocat Sulp. Severus *lib.* 1. Hebræis *Jarden* dicitur. A Jonathâ *Jordena*, Græcis Ἰορδάνης, & Ἰόρδανος, Italis *Giordano*, Gallis *le Jourdain*: Oritur ex radicibus montis Libani: aut ut alii volunt, è speluncâ Phaneas, quod scribunt פני ום. Fortè autem spelunca Phaneas in radicibus erat illius montis, & in tribu Dan, quod sonat *Jordan*, quasi *descendens ex Dan*. Alii dicunt, nomen habere à duobus fontibus *Jor* & *Dan*. Falsam autem esse opinionem, ab his duobus fontibus fluvium hunc & oriri, & nominari, quod Hieronymus & Suidas volunt, multis ostendi posset. Sanè Josephus ex uno fonte fluere tradit: Δοκεῖ μὲν Ἰορδάνε πηγὴ τὸ Πάνειον. Φέρεται δὲ ὑπὸ γῆν εἰς τοῦτο κρυπτὸς αὐτῆς καλυμένης Φιάλης. Vide eum 3. Ἁλώσ. *cap.* 18. Baudrando 4. m. p. supra Cæsaream Philippi oritur: fonte ab Herode Tetrarcha demum, injectis paleis, reperto: dein in Austr. per Samachonitem lacum seu aquas Meron fluens, ad Capharnaum, per lacum Genesaram seu mare Galilææ & Tiberiadis labitur; rigatisque aliquot urbibus, in mare Mort. seu Asphaltitem lac. defluit, Tribus Ruben & Gad, cum dimidia tribu Manasse ab aliis separans. Maximus est & penè unicus Terræ S. fluv. fuitque primùm limes Terræ promissæ. Universa Jordanis longitudo, quæ ab ortu suo sub monte Libano, usque ad desertum Pharan se extendit, centum circiter miliaria conficit. Ejus autem est naturæ hoc flumen, ut ripas alvei messis tempore impleat. In eodem fluvio, Christi præcursor Johannes Baptista, confluentes ad se undique Judæos sua confitentes peccato baptismo pœnitentiæ baptizavit: inter alios verò & ipse Jesus à Johanne hoc flumine baptizatus est. In loco, ubi oritur, Cæsarea Philippi condita est, Joseph. *Antiq. libr.* 18. *cap.* 3. Hodie urbem *Belinas* in hoc tractu reperiri, tradit le Blanc *Itin. p.* 1. *cap.* 1. Confer Joh. Lightfoot *Animadversiones in Chorographiam sacram*, Ejusdemque *centuriam Chorographicam* præfixam *Horis Hebr. in Matthæum.*

Jornandes, historicus, Getica consignavit. Filius erat Alani Wamuthi, Gothus: primò secretarius Gothorum, in Italia postea Ep. Ravennæ. Circa an. 552. Scripsit præterea, *de Regnorum successione*, ubi non de Romanis modò, sed & Assyriis, Medis, Persisque verba facit. Florum exscripsisse quibusdam dicitur. Sigebert. *in Catal.* Trithem. *de script.* Gesner. *in Bibl.* inprimis vide Voss. *de H. L. l.* 2. *c.* 20.

Jortanum, vulgò *Jortan*, urbs, cum portu, in Bor. parte Javæ Ins. Caput est regni cognom. 50. mill. à Lassarvano in Occ. 70. ferè à freto Balambuani.

Jorum, Moletio *Novigrad*, opp. Maced. Deboro finitimum, & Aloro, in Pœonia reg. à Castoria Urbe 20. m. p.

Jos, insula in mari Myrtoo. Plin. 4. 12. una Sporadum, Homeri sepulcro veneranda, & matris Homeri natalibus, dicta putatur ἀπὸ Ἰώνων οἰκησάντων, ut & à Lydis *Lydia*, & *Phœnice* à Phœnicibus. Quippe etiam his nominibus insignitur, apud Steph. At cùm linguæ Græcæ ratio non ferat, ut *Jos* dicatur ab *Jonibus*; *Ion* putat Bochartus Phœnices עיון *Iion* expressisse, cujus nominis urbs fuit Judæorum in tribu Nephthali, ab agro lapidoso, nisi fallor, sic appellata. Hebræis enim עיין *Ijin*, est *acervus lapidum*. *Ion* igitur insulam ex ipso nomine lapidosam fuisse colligimus. Saxosam sanè describunt multi eorum, qui Homeri meminerunt ibi sepulti. Strab. *lib.* 4. *cap.* 12. Paulus Silentiarius *Anthol.* 3. 25.

—— —— Θεῖον Ὅμηρον
Κλεινὸς ἐπ' αἰγιάλῳ τύμβος ἔχει σκοπέλῳ.
—— —— *Vatis Homeri*
Ossa sub æquoreâ rupe sepulta jacent.

De eodem Antipater Sidonius,

Ἀδ' ἔλαχεν νασῖτις Ἴε σπιλάς.
Saxo hic condit Io circumflua.

Et Alcæus Messenius,

Καὶ νέκυν ἀκταίη θῆκαν ὑπὸ σπιλάδι.
Ossaque litoreâ composuere petra.

Homerus nimirum è Samo Athenas profecturus ad hanc insulam appulit, & in saxoso litore morbo correptus interiit, & sepultus est. In vertice rupis erat opidum, è quo καταβαίνοντες ἀεί τινες τῶν ἐκ τῆς πόλεως, ἀπεσχόλαζον παρὰ τῷ Ὁμήρῳ, *opidanorum aliqui subinde descendentes ægrotanti Homero operam dabant*, Herod. *in vitâ Homeri.* Vulgò *Nido.* Inter Naxum est ad Bor. & Theram ad Austr. 50. mill. à Naxo, & 64. circ. ab ora Bor. Cretæ in Sept. Cum opp. cognom. in parte Bor. Baudr.

Josa, nomen principis. 1. Par. 4. Lat. *existens*, aut *obliviscens*, vel *debens.*

Josaba, filia Regis Joram, soror Ochoziæ. 4. Reg. 11. uxor Joiadæ sacerdotis, Joam, Achaziæ fil. clam educavit, 1. Par. 22. Jos. *Antiq. lib.* 9. *cap.* 7. Lat. *Domini saturitas*, *juramentum*, vel *septenarium.*

Josabeth, nomen mulieris. 2. Par. 22. quæ, *Josaba* dicitur. 4. Reg. 11. Idem sig. quod *Josaba.*

Josabhesed, fil. Zorobabel filii Phadaiæ. 2. Par. 3. Lat. *sedes*, *insufflatio*, vel *conversio misericordiæ.*

Josaphat, filius Asa, regnare cœpit super Judam Anno 4. Achabi, regis Israël: Hoc est, An. mundi 3120. ante Christum natum 931. annorum erat 30. cùm regnare cœpisset, & 25. annis regnavit: pietatem coluit, patris Asæ genuinam prolem se præstitit. Classem paravit, quæ navigaret in Ophir, ad aurum inde avehendum. Philisthæi munera ei offerebant & vectigal argenti Arabes quoque adducebant pecora amplissima: ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas. Insurrexerunt in eum Ammonitæ & Moabitæ, qui in semetipsos versi, mutuis occidêre vulneribus: ampla spolia legit Josaphat. Obiit *Anno Mundi* 3145. æt. 60. regni 25. Vide 3. lib. Reg. *cap.* 22. & 4. Reg. *cap.* 17. 18. 19. & 20. Jos. *lib.* 8. & 9. Torniel. Josephus *lib.* 8. *c.* 9. Οὗτος εἶχεν εὐμενές τε καὶ συνεργὸν τὸ θεῖον, δίκαιος ὢν καὶ εὐσεβής, καί τι καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἡδὺ ποιῆσαι καὶ προσηνὲς τῷ θεῷ ζητῶν. Item Filius Ahilud. 3. Reg. 8. Filius Pharuæ. 3. Reg. 4. *Vallis Josaphat* Joel. 3. Item vir Mathanites.

Josedec, fil. Azariæ. 1. Par. 6. Pater Jesu sacerdotis, Zach. 1. Lat. *Dominus justus*, vel *Domini justitia.*

Josedum, inter Celtas opidum, flu. Sequanæ ripas citeriores attingens, vulgò *Corbeil.* Vide Glarean. *in lib.* 7. *Com. Cæs.* Parisiorum fuit opp. nunc tractus Hurepesii, in prov. Ins. Franciæ, 6. leuc. à Lutetia, Melodunum versus, cum ponte lapideo ad Sequanam. Baudr. V. *Cerbolium.*

Viri illustres.

Joseph, fil. Jacob ex Rachele uxore, cujus historia jucundissima simul, & memoratu dignissima, plena mysteriorum. Obiit A. M. 2400. æt. 110. Præfecturæ Ægypti, 80. Post mortem à superstitiosis Ægyptiis, sub nomine Serapidis, cultus. Vid. Gen. *cap.* 30. 35. & *seqq.* Joseph. *Antiq. Jud. lib.* 2. *cap.* 1. 2. & *seqq.* Torniel. Salian. Spond. *in Annal. sacris.* Pater item Igal. 1. Par. 25.

Joseph, primus dux Judæorum, reg. an. 6.

Joseph, junior Arses, Judæorum dux, reg. an. 60.

Joseph, 14. Hierosolymorum Episcopus, an. sal. 129.

Joseph, Cani filius, summus sacerdos, an. sal. 47.

Joseph, ab Arimathæâ, ἀνὴρ εὐσχήμων, uti vocatur in Evangelio, occultus Jesu Christi discipulus, qui ejusdem corpus summo studio honorificè, ac piè sepelivit; ac deinde in Angliam Jesu Christi fidem intulit, ibique sacrum primus disseminavit Evangelium. Matth. *cap.* 27. Marc. *cap.* 15. Luc. *cap.* 23. Joh. *c.* 19. Greg. Tur. *hist. lib.* 1. *cap.* 21. Beda *Hist. Eccles.* Recentioribus tamen Criticis suspecta hæc historia. Morer.

Reges & Viri illustres.

Josephus, nomen quatuor Regum Granatensium.

Josephus, fil. naturalis Jacobi, Matth. *cap.* 1. *vers.* 16. legalis Heli, Luc. 3. 23. Sponsus B. Virginis, pater nutritius Christi. Vid. Matth. *c.* 1. 2. Luc. *c.* 1. 2. 3. August. *lib.* 1. *de consens. Evang. l.* 2. *quæst. Ev. q.* 5. & *l.* 2. *Retr. cap.* 7. *Ser.* 18. *de tempore.* Hieron. *adv. Helvid.* & *Jovin.* Item *in Matthæum.* Ambros. *l.* 1. *de Inst. Virg. cap.* 7. & *in Luc.* Jul. African. *epist. ad Arist.* Euseb. *Hist. lib.* 1. *cap.* 7. Gregor. Naz. *in carm. de Gen. Christi.* Ei in tutela regionum Austriacarum haud pridem B. Maria cedere jussa est, à Leopoldo Imp.

Josephus, fil. Zachariæ, Dux militum, apud Judæos. A Macchabæo, post Simonem fratrem in Galilæam missum, in Gilead contra Ammonitas ituro, Judææ defendendæ relictus, vires suas contra urbem Jamniam convertit. Sed à Gorgia, cum 2000. militum, cæsus est. 1. Macc. 5. Jos. *Antiq. l.* 12. *c.* 12.

Josephus, fil. Antipatri, frater Herodis M. Massadam arcem, contra Antigonum tuitus, postea partem copiarum fratris duxit: ab Antigono, prope Jerichuntem, fortiter pugnans occisus est, capiteque truncatus, temeritatis & inobedientiæ erga Ducem suum pœnas dedit: Fratre Pherorâ frustra 50. talenta pro integro corpore offerente. Jos. *Antiq. Jud. l.* 14. *c.* 26. & 27.

Josephus, dictus *Barnabas*, Act. *c.* 4. *v.* 36.

Josephus, dictus *Bersabas*, cognom. *Justus*, unus ex 70. discipulis Christi, cum Matthiâ forti ab Apostolis expositus, cùm de Apostolo Judæ surrogando ageretur. Actor. *cap.* 1. *v.* 23.

Josephus, dictus *Judas* Act. 15.

Josephus, Tobiæ filius Oniæ ex sorore nepos, Judæos ab irâ Ptolemæi liberavit. Josephus 4. 4.

Josephus, qui & Caiphas, Simoni in Pontificatu successit. Joseph. *Ant.* 18. 7.

Josephus, cognomento Flavius, Mattathiæ filius, vir apud Judæos, nec non & Romanos nobilissimus, ac sacerdos, per Patrem, à summis Sacerdotibus: per Matrem verò, ab Assamonæis seu Maccabæis originem traxit. Natus sub Caligula, adhuc sub Domitiano vixit. Anno æt. 16. animo ad studia applicato, cum Bano quodam, ex Essenorum secta, triennium in solitudine commoratus

moratus, postmodum Pharisæis adhæsit, quos cum Stoicis comparat. An. æt. 26. in Italiam transgressus, Poppææ à Comico quodam Judæo commendatus, negotia sua feliciter expediit. Reversus in Palæstinam, Dux Galilæorum factus est, donec Jotapatâ captâ, in puteo, ubi cum 40. suorum delituit, gravia passus est. Captivus Vespasiani, imperium ei, sibi libertatem prædixit. Sueton. *in Vespas.* Jos. *lib.* 3. *de B. J. cap.* 14. Liberatus, expugnationis Hierosolymæ testis αὐτόπτης, composuit libb. 7. de B. J. à Tito summo in pretio habitos. Romæ Principum favore & munificentiâ adjutus, civitate item donatus, *libros* 20. *Antiq. Jud.* confecit. Scripsit etiam libb. 2. c. Appionem Alexand. De Imperio Rationis seu Martyrio Maccabæorum, ubi omnes facundiæ suæ thesauros explicuit, & librum de Vita sua. Alius est Josephus Gorionides, Historiæ Jud. auctor an falsarius? Vid. Tertull. *apol. cap.* 17. & 21. Justin. *Paræn. c.* 17. Porphyr. *lib.* 4. *de abst.* Hier. *cap.* 13. *Cat.* Eus. *in Chron.* & *Hist.* Isid. Pelus. *lib.* 4. *ep.* 225. Cassiodor. *Div. Inst. lib.* 1. *c.* 17. Photium, *cod.* 47. 76. & 238. Sozomen. Evagr. Zonaram, Suidam, Voss. &c. De Christi veritate testis dignissimus; cujus testimonium enervare nititur Vir doctissimus Tan. Faber *Epist. Crit. pag.* 126. Confirmat autem Is. Vossius, quem vide. V. etiam Suidam in Ἰώσηπος, ac Voss. *Hist. Gr. l.* 2. *c.* 8.

Patriarchæ Constant.

Josephus I. Patr. Constantinopolitanus, successit Euthymio, Anno 1419. Johannis Palæologi in Italiam comes, Ferrariam cum illo venit, ubi cum Eugenio IV. Concilium ibi celebraturo, de præeminentia salutationis ambitiosè litigavit. Conventu dein Florentiam translato, in quædam consensum: de Transubstantiatione tamen convenire non poterant. Obiit ibidem, Anno 1439. Pontifice frustra Successorem ipsi surrogare anniso. Acta Synodi Flor. in Bibl. reg. *apud Morn. p.* 1220. Bulling. *lib.* 2. *de Concil. cap.* 10. Laonicus, *in Hist.* Phrantz. *lib.* 1. *cap.* 36. Æn. Sylvius, *Eur. cap.* 54. &c.

Josephus II. vel secundùm alios, *Joasaph I.* Anno 1460. Quòd Christiano cuidam, in Aula Ottomanica florenti, qui legitimâ uxore repudiatâ, nuptiis viduæ Principis Atheniensis inhiabat, generosè se opponeret; primò barbâ orbatus, quâ in Oriente non major Præsuli ignominia, dein sede pulsus est, Marco quodam Nylocarabe suffecto. Turcogræc. *l.* 1. & 2.

Josephus III. vel *Joasaph II.* post Dionysium, Anno 1555. à suis ob ferociam & Simoniam, depositus, An. 1565. Metrophanes successit. Onuphr. *in Chron. Turcogræc. l.* 2.

Viri alii clari.

Josephus, ex Judæo Christianus, à Constantino Imp. ad Comitatus dignitatem evectus: Præsules sub Constantio exules benignè excepit. Item, auctor libri *de Universis*, seu *de Universi causa*. Qui etiam Cajo cuidam tribuitur, Phot. *cod.* 48. Item, Episc. Græcus, qui Concilio Florentino interfuit, & de rebus ibi peractis scripsit c. Marcum Ephesium. Item, Oeconomus Eccl. Constantinopol. quòd Constantino Imper. filio Leonis IV. uxori legitimæ aliam superinducere volenti non refragaretur, in exilium missus est. Inde redux, cùm pergeret malè agere, denuo est pulsus. an. 711.

Josephus, Excestriensis, Græcè Latineque doctissimus, Poeta eximius: Præter alia, Poëmate de bello Trojano, libb. 6. clarus, quod sic incipit:

Iliadum lachrymas, concessaq; Pergama Fatis,
Prælia bina Ducum, bis adactam cladibus urbem
In cineres, querimur, &c.

Floruit sub Henrico II. Angliæ R. Voss. *de H. & P. L.*

Josephus Auria, vel *Doria*, Neapolit. Mathematicus insignis, sec. præt. Blancanus, *Chron. Mathem. p.* 61.

Josephus Barbarus, Senator Venetus, Itinerarium Persiæ scripsit. an. 1472.

Josephus Blancanus, Auctor Chronologiæ Mathematicorum.

Josephus Langius & *Moletius*, Mathematici, ille Germanus, iste Italus.

Josephus Pamphilus, Veronensis, Episc. Signiæ, Chronicon Ordinis Augustin. condidit.

Josephus Zarlinus, scripsit Italicè: *Institutiones harmonicas, Demonstrationes harmonicas, & Supplementa Musicalia.*

Josia, filius Elnaem. 1. Par. 11.

Josias, filius Ammon, successit patri, regnavitque in Jerusalem annos 31. Hic justus, pius, Davidis vestigia secutus, 12. anno regni sui mundavit Judam & Jerusalem ab excelsis, & lucis, simulacrisque, & sculptilibus. Cæterum dum pugnat cum Nechaone, rege Ægypti, qui missis nuntiis indicarat, se non parasse bellum in eum, vulneratur sagitta, quo ex vulnere obit. Anno Mundi 3425. æt. 39. Luxerunt eum universus populus, maximè Jeremias, qui super ejus morte carmen lamentabili modulatione conscripsit, quæ *Lamentationes* vocitantur. V. *l.* 4. Reg. 22. & 23. *cap.* & *lib.* 2. Paralip. 34. & 35. *cap.* & Joseph. *lib.* 10. *Antiq. cap.* 5. & 6. Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.*

Josippus, Gorionis filius, Historicus, de quo vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 8.

Jospica, op. in orâ Liburniæ. Plin. 3. 21. *Lopsica* Ptolemæo, & sic quoque scribitur in Codicibus Plinii emendatis.

Josselinum seu *Jocelinum*, vulgò *Jocelin*, opp. Britanniæ min. ad Oustam amnem, in meditullio prov. 16. leuc. à Rhedonibus in Occ. totidemque à Fano S. Brioci in Austr.

Josua, filius Nun, fuit minister & successor Mosis, qui populum Israel per siccatum Jordanis alveum in terram Canaan introduxit. Ὁμώνυμος & typus Servatoris nostri Jesu Christi, qui filios promissionis Abrahæ per Jordanem ærumnarum hujus vitæ & mortis in requiem vitæ æternæ introduxit. Obiit Anno Mundi 2600. æt. 110. Princip. 25. V. Morer. Historia ejus è sacrâ scripturâ petenda est. Jos. *Ant.* 5. 9. Ἀνὴρ μήτε συνέσεως ὢν ἐνδεὴς, μήτε τοῦ τὰ νοηθέντα πρὸς τοὺς πολλοὺς σαφῶς ἐξενεγκεῖν ἄπειρος, ἀλλ' ἐν ἀμφοτέροις ἄκρος. Πρός τε τὰ ἔργα καὶ τοὺς κινδύνους εὔψυχος καὶ μεγαλότολμος, πρυτανεῦσαί τε τὰ κατὰ τὴν εἰρήνην δεξιώτατος, καὶ πρὸς ἅπαντα καιρὸν τὴν ἀρετὴν ἡρμοσμένος. In *Josuam* extant: R. Aharon aben Chajim. Antoninus. Augustinus. Bedæ *Quæstiones.* Bonfrerius. Borrhai *Comm.* fol. Basileæ 1565. Brentii *Comm.* fol. Tubingæ 1575. Buntingus, Angl. Quart. Londini 1629. Calovii *Annotationes.* Calvini *Commentarii.* Crommii *Theses Theol.* Lovan. 1631. Chytræi *Enarratio.* fol. 1590. Drusii *in loca diffic.* Quart. Franekeræ 1618. Ferus. de Hales. Hannekinii *Annotata.* Helingii *Periocha.* 8. Norib. 1593. Isidorus Hispal. de Lapide. Lavateri *Homiliæ.* Magaliani *Comm.* tom. 2. fol. Lugd. 1612. Malvenda. Masii *Illustrationes.* Londini 1660. Montani *Commentar.* Quart. Antv. 1583. Naxera. Nezenius, Jenæ 1611. Origenis *Homiliæ.* Paulutius. Piscatoris *Comment.* Procopius. Serarius. Strigelius. Theodoretus. Theodorus. Tostatus. de S. Victore. Wolfii *Sermones.* fol. Tiguri 1592. &c. V. Crovvæi *Elenchum.*

Josua, seu *Isa*, cognom. *Zelebis*, i. Nobilis, Illustris, 6. Turcarum Imper. primogenitus Bajazetis, à Tamerlane capti. Bursâ, ubi sedem Imperii Majores fixerant, expugnatâ, in Europam transiit, omnibus, qui contra se insurrexerant, sub jugum missis. A' Musulmanno fratre acie victus & strangulatus, an. 1406. Imper. 4. Leunclav. *in Annal. Turc.* Chalcondyl. *Hist. Turc.*

Jota, aliàs *Locne*, Levitis data, civitas in tribu Judâ, vide *Jeta.*

Jotabata, aliàs *Jonitera*, civitas Decapoleos, omnium Galilææ civitatum munitissima, in tribu Zabulon: Etenim paulo minùs tota rupes est, ex aliis quidem partibus undique vallibus immensis præceps, ut, earum altitudinem oculis deprehendere cupientium, aspectus antè deficiat: Ab una verò tantùm Boreæ parte adiri potest, ubi per transversum latus desinentis montis ædificata est.

Jotabis, insula sinûs Arabici. Procop.

Jota, Scythiæ intra Imaum pop. Ptol.

Jotapata, urbs Syriæ, à conditore sic dicta: Steph. à Josepho defensa, à Vespasiano destructa. Jos. *Antiq. libr.* 3. *capite* 11. & *seqq.*

Jotape, Ciliciæ op. mun. Ptol. *Lombardo* Nigro. Episc. sub Arch. Seleuciensi, *Selinunti proxima Orientaliori, Ferr.*

Jotapianus, *vel Papianus, Tyrannus in Syria contra Philippum insurrexit, à Decio cæsus, capite ejus Romam delato.*

Jotrum, vulgò *Jovare* seu *Jouars*, Monasterium Benedictinorum, in Bria, in diœcesi Galliæ Meldensi. Ubi Concil. an. 1130. contra Abbatis S. Victoris percussorem. Bernard. & Petr. Cluniac. *in Epist.*

Jotrum Nonnarum, *Jouarre les Nonnains*, Monasterium, non procul à Matrona fluv. in saltu Jotrensi, ab Adone, Audoëni fratre, conditum. A' quo & Firmitas, proximum opp. Matronæ impositum *la Ferté sous Jouarre* vocatur. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Joviacum, Norici opidum. Anton. *Saltzburg* Lazio. Quibusdam est *Aschaw*, vicus Austriæ sup. juxta Danubium. Aliis *Francken-marck* aut *Starnberg*, opp. Austriæ versus Bavar. Cluverio est Laciacum, *Gmunde*, opp. Austriæ sup. ad lacum cognom.

Jovianus, seu *Jovinianus*, fil. Comitis Varroniani, Singidone urbe Pannoniæ oriundus, post Juliani Apost. mortem ab Exercitu Imperator lectus, purpuram accepit, postquam milites, se Christianos fore, essent polliciti. Rebus valde turbatis primò Persas sibi conciliavit, dein templa Idololatrica clausit, sacrificia sustulit, Præsules revocavit. Suffocatus in lecto, vapore carbonis accensi, an. 364. æt. 33. Imper. mense 7. die 22. Hieron. *in Chron.* Amm. Marcellin. *lib.* 25. Theodoret. *lib.* 4. Socr. *l.* 3. Sozom. *Hist. lib.* 6. Sub Juliano prætorianæ cohortis dux cùm esset, ad Gentilismum solicitatus generosè restitit. Saltem, quòd cum Persis ignobilem ad 30. an. pacem iniisset, reprehensus, & in reditu à mulierculis irrisus. Oros. *libr.* 7. *cap.* 19. Eutrop. *lib.* 10. Suid. *in Joviniano.*

Joviniacum, vulgò *Joigni*, à Fl. Jovino, Gallo, viro Consulari, qui Magister Eq. apud Catalaunos VI. Alamannorum millia in acie cæcidit, Ammian. Marcellin. nomen accepit. Opp. Galliæ in Senonibus, cum tit. Comitatus, nundinis suis mense Januario haberi solitis inclytum. Item vicus Campaniæ Remensis, Frodoardo memoratus, V. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Jovinianus, nuptias virginitati præferebat, secutus opinionem Stoicorum de virtutum æqualitate. Carnem Christi phantasticam esse, baptizatos Diabolicis tentationibus non posse corrumpi,

rumpi, B. Virginem, post natum SERVATOREM, virginem non mansisse, &c. asserebat. Refutatus ab Augustino *de hær. cap.*82. & Hieronymo *lib.* 1. *&* 2. *c. Jovin.* Condemnatus à Syricio, & Ambrosio, Synodo Mediol. Anno 390. Ab Imp. Theodosio in exilium exturbatus, nihilominus in Romæ vicinia hæsit: donec ab Honorio, in Inf. quandam, relegatus, ibi miserè periit. Ambros. *ep.* 42. Gennad. *c.*75.

Jovinianus Maximianus Cæsar, sic voluit vocari, quòd se fortiter in Illyrico gessisset. Vid. *Jovianus.*

Jovinianus Pontanus, Philosophus & Poeta, multa scripsit tum prosâ oratione, tum carmine, quæ extant.

Jovinus, è nobilissima stirpe, Gallus, Dux belli egregius, à barbaris quibusdam Imperator Moguntiæ declaratus, an. 412. eo tempore, quo Arelatum à Constantino Tyr. obsessum, nixus Goaro Alano & Gundicario Burgundo purpuram suscepit, fratre Sebastiano in imperii consortium adscito. Anno pòst ab Ataulpho, Dardani artibus, desertus, & cùm Ravennam ad Honorium deduceretur, in itinere, cum fratre occisus est. Oros. *lib.* 7. Prosp. Marcellinus, & Idacius, *in Chr.* Olympiodorus, &c.

Jovinus Consul cum Lupicino an. U.C. 1120.

Jovis Corinthus, Vid. *Corinthus Jovis.*

Jovis fanum, Lydiæ urbs. Ptol. Item, locus Portugall. apud Terranam opp. Eborensis Dioec.

Jovis fons, in Dodone, qui meridie semper deficit. Plin. 2. 103. Vide *Anapauomenos.*

Jovis Hammonis fons, in Marmarica, apud Hammonis Orac. idem patiens cum Jovis fonte in Epiro.

Jovis Indigetis lucus, in Latio inter Ardeam & Antium.

Jovis mons, mons Hisp. Tarr. in orâ apud Barcinonem urb. ad Occ. ubi Hispani haud pridem arcem excitare voluerunt, Ptol. *Monjui* Varrerio. Nunc *Monjuic.* Baudr.

Jovis promuntorium, in Taprobanâ insula. Ptol.

Jovis Servatoris portus, ad Argolicum sinum. Ptol.

Jovis templum, in Macedonia, ad ostium Bephyri flu.

Jovis villa, vulgò *Joinville*, à templo & cultu Jovis olim dicta: locus nunc est Galliæ, cum tit. Princip. inter Calvum Montem & opp. S. Desiderii, pontem habens Matronæ impositum. Dominum olim habuit Johannem rebus gestis ac scriptis celebrem: qui Ludovici IX. in Orientem comes, librum de ejus vita scripsit. Nunc sub Principe est, ex familia Lotharingica. Vide Hadr. Val. *Not. Gall.*

Jovis Urii fanum, Arriano ad Bosp. Thracium describitur. Hodie arx est, quam Græci *Hieron* appellant, teste Gyllio.

Jozabad, nomen servi Joas regis, à quo occisus est ipse Joas. 4. Reg. 12.

Jozabad, vel *Jozabeth*, princeps militiæ. 1. Par. 12.

Jozachar, fil. Semaar. 4. Reg 12.

Jozatus, summus sacerdos, an. sal. 11.

I P.

Ipa, urbs à Roboamo ædificata. Joseph. *Ant. l.* 8. *c.* 3.

Ipana, urbs circa Carthaginem. Steph.

Ipasturgi, op. Hisp. Plin. 3. 1.

Ipheraus, 13. Assyriorum R. post Mancelæum, regnavit, ab An. M. 2446. usque ad 2465. Augustino *de C. D. libr.* 18. *cap.* 8. Saphres vocatur, & 14. Rex constituitur. Euseb. *in Chron.* Torniel. *Annal. SS.*

Iphiadas, in Abydo, alterius sodalitatis Princeps. Nam cùm ibi sodalitates essent multæ, Oligarchici metu illarum, ne quid adversus Remp. attentarent, militem conductitium ascivêre, tandemque ab eo oppressi fuêre.

Iphianassa, Iphinoe, & Lysippe, filiæ Proeti Argivorum regis, quæ cùm ad Junonis templum venissent, Deam contumeliis affecerunt, patris sui domum, divitiis templi Junonis, vel ut alii ferunt, formam suam Deæ pulchritudini præferentes, proin à Junone in furorem versæ sunt. V. *Prætides.* Item *Iphianassa* ponitur pro *Iphigeniâ*, Lucret. *l.* 1.

Aulide quo pacto Triviai Virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine fœdè,
Ductores Danaum delecti, prima virorum.

Iphiastæ, gens Acamantidis tribûs. Hesych.

Iphiclus, vel *Iphicles*, fil. Amphitryonis, ex Alcmenâ eodem cum Hercule partu editus, quamvis diverso ex patre. Hic, cùm Juno novercali odio concitata Herculi angues duos immisisset, tanto perculsus est timore, ut de cunis decidens vagitu suo parentes excitarit: qui cùm repente surrexissent, viderunt Herculem duos miræ magnitudinis angues manibus elidentem. Vide Theocr. *in Heraclisco.*

Iphiclus, Philaci & Clymenes filius, tantæ agilitatis, ut super frugis aristas sine offensâ curreret. Quidam & immunem super maris aquam incessisse produnt.

Iphicrates, Vir Atheniensis, non tam magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus. Bellum Thracibus intulit, Seuthem socium Atheniensium restituit, Lacedæmonios aggressus est, ubique prudentiæ fortitudinisque laudes meritus. Corn. Nepos, *in Iphicrate*, Plut. *in apophth.* ubi narrat inter alia, Iphicratem, obiicienti sibi generis vilitatem, respondisse, *Ego primus stirpis meæ, tu tuæ ultimus es.* Justin *lib* 6. Xenoph. *Hist. Gr. l.* 5 *& seqq.* Item sculptor nobilis apud Athenienses.

Iphicrates, inter Athenienses genere famaque longè clarissimus, à civibus suis violatâ societate, quam cum Alexandro Magno fecerant, ad Darium missus & proditâ Damasco à Parmenione captus cum reliquis duobus collegis. Curt. 3. 60.

Iphidamus, Antenoris filius, ab Agamemnone in bello Trojano interemptus. Hom. *Il.* 11.

Iphigenia, Agamemnonis & Clytæmnestræ filia, de quâ fabulam hujusmodi, occasione ex filiæ Jephthæ, in sacris, historia, sine dubio petitâ, comminiscuntur Poetæ. Cùm Agamemnon in Aulide cervum Dianæ imprudens occidisset, Dea indignata, contrariis flatibus Græcorum navigationem est remorata. Quâ de re cùm vates consulerentur, responsum est, Agamemnonio sanguine Deam esse placandam; missus igitur Ulysses, Iphigeniam astu à matre abduxit, Achilli eam nupturam simulans, cumque jam immolanda esset, Dea ejus miserta, cervum pro eâ supposuit, virginem autem in Tauricam regionem transtulit, ubi à Thoante rege ejus Deæ sacris præfecta est, quæ humano sanguine fieri solebant. Quò cùm postea Orestes furiis agitatus venisset, jamque esset immolandus, à sorore agnitus & liberatus est: cum quâ non multo pòst, occiso Thoante rege, aufugit, ablato secum Dianæ simulachro, in lignorum fasce abscondito (propter quod illam *Fascelidem* vocarunt) quod, cùm in Italiam venissent, in Aricino nemore collocarunt. Ovid. *Met.* 12.

Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris.

Prop. *lib.* 3. *el.* 7.

Hoc juvene admisso classem non solvit Atrides,
Pro quâ mactata est Iphigenia morâ.

Sequitur eorum opinionem, qui mactatam volunt Iphigeniam. Ut Virgilius *Æn.* 2.

Sanguine placastis ventos & virgine cæsâ.

Idem *lib.* 4. *el.* 1.

Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.

Alii cervam ejus loco mactatam afferunt. Ovid. *Met.* 12.

Suppositâ fertur mutasse Mycenida cervâ.

Idem *Trist.* 4. 4.

Hic pro suppositâ virgo Pelopëia cervâ.

Juven. *Sat.* 12.

—— Et si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non sperat Tragicæ furtiva piacula cervæ.

Mart. 3. 49.

Suppositam fama est quondam pro Virgine cervam.

Iphimedia, uxor Aloei, quæ compressa à Neptuno filios geminos peperit. Vide *Aloidæ.*

Iphinoe, una ex præcipuis mulieribus Lemniis, quæ auctores extiterunt viros, ab expeditione Thracicâ reduces, trucidandi. Flacc. *l.* 2. *c.* 163 *Legata ad Argonautas.* 330.

Iphinoe, vide *Iphianassa.*

Iphinous, unus ex Centauris. Ovid. *Met.* 12.

Iphis, Mercurii filius, Argonautarum unus. Is in bello, quod Æetes contra fratrem gessit, occubuit. Flacc. *libr.* 1. *vers.* 441. *Argonaut.*

Sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis;
Heu celerem Scythicâ te mœsta relinquet harenâ,
Cessantemq; tuo lugebit in ordine remum.

Iphis, puer formæ venustate conspicuus, qui cùm Anaxareten puellam impotenter adamaret, neque illa ejus amori respondisset, impatientiâ repulsæ vitam laqueo finivit; cumque jam ad sepulturam efferretur, Anaxarete è fenestra prospiciens, immotisque oculis funus aspiciens in saxum mutata est. Ovid. *Met.* 14.

Iphis, puella quædam Cretensis, ex Phæsto op. Lygdi & Theletulæ filia, ipso nuptiarum die in marem mutata. Nam cùm Lygdus uxorem gravidam esse animadverteret, peregrè proficiscens, in mandatis ei reliquit, ut si filiam pareret, exponi eam curaret. Idque cùm ita evenisset, anxia Telethusa, quòd neque naturæ legem, quæ liberis nobis nihil charius esse voluit, neque mariti jussa auderet prævaricari, mediam viam delegit, quâ & pietatis fines non prætergrederetur, & viri indignationem evitaret. Simulat itaque marem se peperisse, habituque virilem mentitur sexum, nomenque Iphidis imponit, mari fœminæque commune. Verùm cùm jam adolevisset, paterque puellam Janthem ei despondisset, Telethusa animadvertens rem diutiùs celari non posse, Isidis opem imploravit, quæ precibus ejus exauditis, Iphidem in marem commutavit. Ovid. *Met.* 9.

Iphistiadæ, Atheniensium gens. Hesychius.

Iphitus, Euryti Oechaliæ regis filius, quem Hercules, occiso patre, è turri præcipitavit. Item Vir Trojanus. Virgilius *Æneid.* 2.

—— Divellimur inde
Iphitus, & Pelias mecum.

Iphitus, Naubuli filius, Hippasi nepos, Rex Elidis, Argonautarum unus. Flacc. *lib.* 1. *vers.* 363. Hic certamen Olympiacum, quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat, instauravit, post excidium Trojæ anno 480. Quidam Praxonidis vel Hæmonis filium faciunt. Alii annum celeberrimæ hujus Epochæ, ante quam Varro nihil nisi fabulas & caliginem in historiis Græcorum deprehendit, statuunt fuisse A. M. 3278. Periodi Julian. 3938. à capta Troja, 409. ante U. C. 22. ante C. N. 776. Quo Æschylus Archon Athenis erat. Vid. Scalig. *de E. T. lib.* 1. Petav. *de D T. lib.* 9. *à c.* 37. *ad* 44. *& in Ration. temp. P.* 2. *l.* 1. *cap.* 11. *& l.* 3. *cap.* 11. &c.

Ipnus, quam aliqui *Ipneam* vocant, urbs Locrorum Ozolorum. Steph. Item parva regio in Samo, ubi Junonis *Ipnuntidis* templum erat. Steph.

Iporcense municip. Morali *Constantina*, opp. Hisp. Bæt. in Vandaliæ & Extremaduræ confin. in Turdulis & Bæturia inter Hispalim 14. & Elerenam, opp. Extremad. 5. leuc.

Iporus, Vid. *Hipparis*.

Ippa, Mauritaniæ Cæsariensis op. Ptol.

Ippoleum, prom. Scythiæ Eur. inter ostia Hypanis & Borysthenis: in quo templum Cereris erat.

Ippylus, senis Atheniensis nomen, Aristoph. *Crabr.*

Ipra, peroptimum castellum Flandriæ dicta Sugerio, *in Ludovico Crasso*: ab Ipra fluv. qui *Ipere* vulgò dicitur, & in Oceanum Brit. devolvitur, nomen accepit. Sedes Episcopatus facta est à Paulo IV. A.C. 1559. De hac Wilhelmus Britto *Philipp. l.* 9.

Ipra colorandis gens prudentissima lanis.

Vide *Hypræ*.

Ipsicuri, Liguriæ pop. qui & *Arbazani*. Steph.

Ipuscoa, pars Biscajæ, antea regni Navarræ. Ibi aliàs erant Varduli & Caristi pop. Habet ad Bor. Oceanum Cantabr. ad Occ. Biscajam veram, ad Austr. Alavam prov. ad Ort. Navarram, cum modica parte Galliæ; Vulgò *Guipuscoa*. Urbes præc. sunt Tolosa, Placentia, Fanum S. Sebastiani, & Fons rapidus seu Fontarabia, vulgò *Fuenteravia*. Dignæ memoratu Biscaja & Guipuscoa, ob tenacem veteris Cantabrorum linguæ custodiam. Ad easdem Molina pertinet, unde *Dominus Molinæ*, inter titulos Hispaniæ Regis.

I R.

Ira, nomen sacerdotis 2. Reg. 20. Filius Acces Thecuites. 1. Par. 11.

Irad, filius Enoch. Gen. 4.

Irai, filius Bela, filii Benjamin. 1. Par. 7.

Irath, Cæsariensis Mauritaniæ op. Ptol.

Irecos, Hisp. urbs, Herculi grata. Vib. Sequ.

Iredæ, vicus in tribu Acamantide. Steph.

Irenæum, monaster. in ora Bithyniæ. *Acœmetum* Evagrio. Ad fauces est maris Euxini, Byzantio & Chalcedoni proximum.

Episcopi & Viri illustres.

Irenæus, Episc. Lugdun. discipulus Polycarpi, ab ipso in Galliam missus, Potino successit: *Postquam contra Montanum, licitum usum omnis creaturæ ad cibum idoneæ, asseruit: Romæque cum Valentino, discipulisque ejus Florino & Blasto disputavit*, paulo post scripto quoque contra illos edito. Præfuit Ecclesiæ suæ, sub Principibus Idololatricis, magno cum zelo, duabus Synodis habitis, priore contra hæreticos, alterâ contra Quatuordecimanos. Hinc ab Asiæ Præsulibus, & Victore Ep. R. excommunicatus: Sub Severo, in fideles Lugdunenses immaniter sæviente, martyrio coronatus est. Anno 201. Opera ejus Erasmus, Franc. Feuardentius, Parisiis Anno 1575. & Coloniæ Anno 1596. &c. ediderunt. Tertullian. *c. Valent.* Euseb. *lib* 5. *Hist. & in Chron.* Basil. *lib. de Spir. S. cap.* 29. Epiphan. *in Panar. hær.* 31. Theodoret. *dial.* 1. Hieron. *in Cat. cap.* 35. *ep.* 29. *ad Theod. in c.* 36 *Ezech. in cap.* 64. *Esaiæ.* Aug. 1. *c. Julian.* Greg. Turon. *lib.* 1. *Hist. cap.* 27. *& lib.* 1. *de gl. Mart. cap.* 5. Johann. Damasc. *in Parall.* Photius *cod.* 120. Sixtus Sen. *Bibl. l.* 4. &c.

Irenæus, Comes, tempore Theodosii Jun. ab hoc ad Concil. Ephesinum missus, protector Nestorii fuit. Deinà Theodoreto Episc. Tyri ordinatus, inde tum quòd Nestorianus, tum quòd bigamus, pulsus est. Item, Episc. Cæsareæ, an. 454. interfuit Synodo à Juvenali Hierosolymis celebratæ. Theodoret. *ep.* 110. *ad Domn. Antioch.* Baron. an. 431. 448. 454.

Irene, uxor Leonis IV. ex eo Constantini VII. Imper. mater, imperavit cum filio annis 9. An. Dom. 783. Irene & Constantinus Synodum in Nicæâ urbe 301. Episcoporum celebrarunt, in quâ Sanctorum imagines sunt restitutæ. Blond. Constantinus jam adultus, matrem haud amplius passus, imperio dejecit, in ordinem redegit, & solus regnavit annis 7. Irene autem hanc repulsam ægrè ferens, filium dolo captum, effossis oculis conjecit in carcerem, in quâ & exhalavit animam, An. Dom. 798. Sole per 17. dies, Constantinopoli, Eclipsi obscurato, Theophan. *in Annal.* Tum imperavit sola an. 5. donec an. 802. sub Nicephoro Mitylenem relegata, eo ipso tempore, quo Carolum M. vanâ nuptiarum spe lactabat, ibi paulo post obiit. Cedren. *in Compend.* Crantz. *l.* 1. *c.* 15. *Metrop.* Zonaras, *tom.* 3.

Irene, insula, vide *Calauria*.

Irenopolis, urbs Episc. probe Babylonem, sub Patr. Antiocheno. Ferrar.

Irenopolis, Ciliciæ urbs Ep. sub Arch. olim Seleuciensi, dein Anazarbensi. Ptol. Postea *Neronias*, ad Sarum fluv. ad rad. montis Tauri Cilicii, media inter Tarsum ad Austr. & Cocusum ad Bor. 60. mill. ab Anazarbo in Occ. Item urbs Babyloniæ Ep. sub Patr. Antiocheno. Vid. supra.

Iresia & *Agelastos*, duæ rupes, prope urbem Eleusinem. Vide Schol. *in Aristoph. Eq.*

Iria, Lombardiæ Cispadanæ op. præclarum, *Voghera* Leandro.

Iria, fluvius Liguriæ, ex Apennino monte, apud Antiliam & Dertonam & Castrum novum, cujus mœnia disjecit, fluens, ac in Padum, post 5. m. p. labens. Vulgò *la Scrivia*, amnis Neocastrensibus admodum perniciosus, Ferrar. Jornandes, & Diaconus.

Iria Flavia, Hisp. Tarracon. urbs, Ptol. *El Padron* teste Mor. Urbs fuit Callaicorum Lucensium, ad Ullam amnem. Nunc opp. parv. Gallæciæ, 6. leuc. Hisp. ab ora Oceani in Ort. 4. à Compostella in Austr. Baudr. Episc. est sub Arch. Bracarensi. *Iria* etiam Taurinorum urbs. Ptol. *Titia* Plinio, hodiè *Sartyrana*.

Irineus, Lugdunensis Episcopus, vir doctissimus, cujus extant opera, an. sal. 179. Euseb. 5. 5. Vid. *Irenæus*.

Iringus, Avarorum dux, ab Henrico Forojulianorum duce superatus & expoliatus inæstimabili prædâ.

Iris, Soror Harpyarum, Thaumantis filia, ex Electra, quam poetæ Junonis nunciam faciunt, hoc est, aeris. Est autem revera arcus cœlestis, pluviæ plerunque prænuncia. Unde Poetis ὑετόμαντις dicitur, ut ait Olympiodorus *Meteor.* 3. Plautus *in Curcul.*

—— *Ecce autem bibit arcus, pluet*
Credo hercle hodiè. —— ——

Virg. *Georg.* 1.

—— *Et bibet ingens.*
Arcus. —— ——

Quod de loco Sen. *Nat. Qu.* 1. 6. Prop. 3. 4.

Purpureas pluvius cur bibit arcus aquas.

Tib. 1. 4. *Venturam admittat himbrifer arcus aquam.*

Mart. 12. 29. *Casuras altè sic rapit Iris aquas.*

Ac ne poetis insistam, Vitruvius 9. 4. *Per calorem videmus non minus aquæ vapores a fontibus ad nubes per arcus excitari.* Vide Voss. *de Theologiâ Gent.* 3. 14. Nobis autem Christianis, ut & olim Judæis, aliud Iris significat, de quo Moses Gen. 9. 13. *Arcum meum posui in nubibus, qui erit in signum fœderis*, &c. Quod etiam obscurè innuit Hom. *Il.* λ.

—— Ἴρισιν ἐοικότες ἅστε Κρονίων
Ἐν νέφεϊ σήριξε τέρας μερόπων ἀνθρώπων.

Et *Iliad.* ρ.

Ἠΰτε πορφυρέην Ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν τέρας ἔμμεναι ἀνθρώποισι.

Eruditè de *Iride* disserit Ammianus *l.* 20. *sub finem.*

Iris, flu. min. Asiæ. Oritur in Cappadocia, & in confin. Armeniæ min. supra Sebastiam, dein prope Comanam Ponticam Varum flu. recipit, uti & Ceraunum. Hinc juxta Amasiam labitur; & auctus Lyco flu aliisque in Pontum Euxinum se exonerat, inter Themiscyram ad Ort. & Amisum ad Occ. 25. utrinque mill. Nunc *Casalmach* incolis. Baudr. Val. Flac. *l.* 5.

Transit Halys, longisque fluens anfractibus Iris.

L' Irio Nigro. Cum Thermodonte eum conjungit Strabo *lib.* 12. In quem locum si quis commentarium petat, legat quæ scribit doctissimus Apollonii Scholiastes, ista interpretans *l.* 2.

Λεῖπον Ἅλυν ποταμὸν, λεῖπον δ' ἀγχίῤῥοον Ἶριν. V. & Plin.

Iritio, vulgò *Herison*, vel *Hierson*, castrum fuit vel municipium, in diœc. Laudunensi: nuperis, inter Gallos & Hispanos, bellis dirutum. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Irlandia, vide *Hibernia*, & *Jerne*.

Irmin, Saxonibus dicitur Mercurius, qui Germanis *Voda* seu *Gota*: Ejus templum cum columnâ evertit Carolus Magnus. *Irmin Saul*, statua *Irminis* appellabatur. Apud Reginonem recentiore nomine *Hermansaul* dicitur. Unde cognoscas *Irmin* & *Herman* idem apud illos fuisse. Græcum autem id nomen planè est Mercurii. In gratiam puto Germanorum passim etiam Romani, apud eos agentes, Mercurium colebant. Vetus inscriptio in Gallicanâ Rheni ripâ, apud castellum *Wasselburg*: *Deo Mercurio Attegiam Tegulitiam Compositam Severinus C. F. Ex Voto posuit L. L. M.* Ab *Irmine* denique composita nomina illa fluxêre in nostram gentem *Irmingardis*, Lodovici uxor: *Irmingarius*, Comes Emporitanus. *Irminfridus*, Rex Turingorum: *Irmingild*, Gothorum Regis cujusdam filius. MS. Idoli formam & apparatum prolixè describit Munsterus *Cosmogr. l.* 3. *c.* 433. ubi cùm nihil ad Mercurium spectans deprehendatur, Spelmannus *Erminsul*, de columna Martis potius, quàm Mercurii interpretatur: inprimis cùm refugii illa columna fuerit. Unde ut *Irmin* è Græco ἑρμῆς Mercurium significat, ita *Er*, inquit, ab Ἄρης Martem: *mun* Saxonibus tutelam, profugium, & *Sul*, columnam denotat. Sic *Ersberg* mons, in quo fanum stabat, quasi *Martis mons*, & Mersburgum ubi præcipua cultus sedes, quasi *Martis urbs*, videtur dictum. Vide eum *in Glossar Archæol.*

Irnerius,

Irnerius Germanus, primus Bononiæ jus docuit, post Justiniani tempora, Glossasque in illud scripsit. Auctor Lothario, ut libros Jur. Civ. publicè exponi curaret, quod factum, An. C. 1150. Obiit Bononiæ an. 1190. Al. *Wernerus*.

Iroci, pop. Canadæ, fœderibus inter se sociati, hostes Huronum & aliorum novæ Franciæ incolarum. Lescarbot *Hist. Amer.*

Iromus, Rex Tyri. Tertull. *in Apol. Iromus Phœnix Tyri rex.* In Menandri Ephesii fragmentis à Scalig. editis, ubi de regibus Tyri, Τελευτήσαντος δὲ Ἀβιβάλε διεδέξατο τὴν βασιλείαν ὁ υἱὸς αὐτῦ Εἴρωμος.

Iron, Cyzicenorum unus, in conflictu nocturno, Argonautis occurrens, cæsus. Flacc. *l.* 3. v. 111.

Irpini, pop. ad Soractem montem, dicti ab *Irpo*, quo nomine Samnites lupum appellant, sive quòd lupum ducem sequuti, sedes suas ibi delegerunt, ut Fest. tradit, sive quòd modo luporum ex rapto viverent. *Hirpini*, Servio.

Urbes Irpinorum in regno Neapolitano.

Abellinum, *Avellino.*	Compsa, *Conza* vel *Consa.*
Agatha, *S. Agatha di Goti.*	Frequentum, *Fricenti.*
Angelopolis, *Sant Angelo di Lombardia.*	Laquedonia, *Lacedogna*, *Cedogna.*
Arianum, *Ariano.*	Mons Maranus, *Monte Marano.*
Bisacia, sic vulgò, & *Bisazza*, Episcopatus unitus Angelopolitano sub Archiepiscopo Compsano.	Mons Viridis, *Monte Verde.*
	Nuscum, *Nosca.*
	Vicus, *Vico della Baronia.*
	Vulturaria, *Vulturara.*

Irrhesia, Ægæi maris insula. Plin.

Irus, mendicus Ithacensis, assecla procorum Penelopes, vero nomine *Arnæus* dictus. Quem Ulysses domum revertens, pugno interfecit. Hom. *Odyss.* 18. Hujus paupertas abiit in proverbium, secundùm illud Ovidianum,

Irus & est subitò qui modò Crœsus erat.

Filiam habuit Chrysippen, quæ ex Phthio Hellenem peperit. Steph. in Ἑλλάς.

Irus, & *Iros*, Indiæ mons, versus Gedrosiam, circa Indi fluv. ostium. Ptol. Arrian. Item urbs Thessaliæ, civis *Irotes*. Steph.

I S.

Is, fluvius Susianæ in Euphratem influens. Est & urbis nomen. Steph. Byzant. Herodotus *Musâ* 1.

Patriarcha.

Isaac, filius Abraham ex Sarâ. Natus A. M. 2139. ex Sarâ matre sterili jam an. 90. & patre Abrahamo centenario. Obiit *A. M.* 2318. æt. 118. Historiam vitæ ejus, Vid. Gen. 17. & seqq. Josephus *Ant. l.* 1. *c.* 22. Γίνεται δὲ Ἀβραάμῳ μετ' ἐ πολὺ κὴ παῖς ἐκ Σάῤῥας, ὃν Ἴσακον ὠνόμασε, τῦτο γέλωτα σημαίνει, διαμέινοι τὸ τὴν Σάῤῥαν μειδιᾶσαι, τέξεσθαι φήσαντος αὐτὴν τῦ Θεῦ, μὴ προσδοκῶσαν ἤδη τεκεῖν πρεσβυτέραν ὖσαν, τὸν υἱὸν ὕτως ἐκάλεσεν.

Imperatores Græci.

Isaac I. ex familia Comnenorum, à Michaële Cerulario Patr. & militibus adjutus, in Michaëlem VI. Imp. insurrexit, throno que occupato coronatus est, an. 1057. Avarus, & in Patriarcham, quem in exilium pepulit, ingratus. Fulminis ictu in venatione perculsus, Imperio cessit, ut Constantino Ducæ locum faceret, in Studitarum monasterio vitâ functus. Cedrenus, Curopalates & Glydas.

Isaac II. cognomento Angelus morti adjudicato, an. 1185. Andronico Comneno, filiisque ejus Johanne & Manuele excæcatis, Imper. Constantinopolitan. fuit proclamatus, unctus, & consecratus: contra Mysos, aliosque Græcorum hostes bello parum felix, tyrannos tamen quosdam in imperio obortos oppressit, at deinde ab Alexide fratre suo, quem è Turcarum manibus liberaverat, imperio pulsus, occæcatus, an. 1195. in carcerem detrusus, dehinc liberatus obiit. an. 1233. Nicetas, Roger. &c.

Viri clari.

Isaacus, Monachus, prædixit Valentis Imp. interitum. Item, accusator Chrysostomi. Item, Presbyter Antioch. contra Nestorianos & Eutychianos sec. 5. versu scripsit. Gennad. *de Vir. Ill.* Item, Exarchus Ravennæ, templum Lateranum diripuit. Anast. *in Theod.*

Isaacus Porphyrogenneta, ex familia Comnenorum, scripsit oblita Homero. Edidit cum notis Jan. Rutgersius, *tom.* 5. *Var. Lect. c.* 10. & Leo Allatius, in Sylloge Rhetorum & Sophist. Gr.

Isaacus Argyrus, Monachus, Mathematicus, scriptis variis inclytus. Vid. Blancan. *Chron. Math.* Clavium, *in Calendar.* Gesner. & Siml. *in Bibl.* Voss. *de Scient. Math.* Scal. *de E. T. l.* 4. an. 1372.

Isaacus Haza, Rabbinus, in tabulis Astronomicis, quæ *Alphonsina* dictæ, quòd Alphonsi R. curâ editæ, conficiendis desudavit. Alios Vid. apud Genebr. Rabbinos, è quibus unicum superaddam Isaacum Benimiramum, Medicum Arabem, tempore Averrois, auctorem libb. *de Definitionibus & Elementis, de victus ratione, febribus, urina, diætis*, &c. Salomonis Arabiæ R. Medicus fuisse fertur.

Isaar, filius Caath filii Levi. Ex. 6. qui Num. 3. dicitur *Jesar*.

Isaari, nomen viri. 1. Par. 26.

Isabella, Henrici Anglorum regis soror, Friderico Imp. nuptui data est. Polyd. Verg. *l.* 1. Item Portugalliæ regis soror, Caroli Hisp. regis uxor, A.D. 1526. Vid. *Elizabetha.*

Isaca, mel. *Isca*, vulgò *Ex*, flu. Angl. Oritur in confin. Somersetensis Comit. prope Sabrinæ æstuar. dein per Devoniæ Comit. auctus aliquot min. flu. ibi Iscam Damnoniorum, *Excester*, prov. primariam Cornubiæ, Episc. sub Arch. Cantuariensi rigat, & 8. mill. Anglicis infra in mare Brit. cadit juxta castrum *Exmouth*. Vid *Exonia* & *Isca*.

Isachai, vide *Asachai*.

Isachar, nonus Jacob ex Lea filius, sic progeniem suam ampliavit, ut de tribu ejus ad montem Sinai numerati & inventi sint viri bello apti quinquaginta quatuor millia quadringenti: quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filii sexaginta quatuor millia & trecenti, in terra promissionis, juxta prophetiam Jacob, citra Jordanem optimam & pulcherrimam possederunt regionem in inf. Galilæa. Erat hæc Tribus, inter Tribum Zabulon ad Bor. & dimidiam Tr. Manasse, ad Austr. ubi Carmelus mons, ad Jordanem usque, ubi lacus Genesareth. Natus est A. M. 2288. Ejus posteri agriculturæ dediti, juxta vaticinium Jacobi, Gen. 30. & 49. Torniel. *in Annal. V. T.*

Isachar, civ. in tribu cognom. 3. Reg. 4.

Isacius Angelus, Constant. Imp. ex Peloponnesiaco bello vocatus, Andronicum bello vicit, ac interfecit, A.D. 1185.

Isacius Comnenus, Græcorum Imper. Hic usque adeò continens fertur, ut uxorem nunquam inire voluerit, post prolem semel ex eâ susceptam, quamvis ad morbi remedium medici consulerent, ut frequentiore Venere uteretur. *V. Isaac.*

Isacius, Patricius Constant. Italiæ 8. Exarchus. Blond. *l.* 9. *Dec.* 1.

Isacus, Monachus, Valentem, contra Gothos, moturum, frustra dehortatus est, A.C. 378. Theodoret. *l.* 4. *c.* 31. *& seqq.*

Isacus, Vid. *Isaac.*

Isadas, Lacedæmonius, irruentibus in urbem Thebanis, totum se nudavit, abjectâ etiam tunicâ interiore, eoque habitu alterâ manu hastile, alterâ ensem gestans in confertissimos hostes irrupit, nuditatem hostibus summâ temeritate ostentans; evasit tamen, eique decreta est corona: sed non sine mille drachmarum mulctâ: quòd nudus adversus hostes pugnasset.

Isadeni, Hunnica natio, Procopio.

Isæus, Assyrius Rhetor, adolescentiam variis corporis voluptatibus tradidit, deinde vir factus, frugalissimus omnium fuit; Eloquentiam ejus innuit Juvenalis,

Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus, & Isæo torrentior.

Aliis Chalcidensis, discip. Lysiæ. Cujus 10. Orationes supersunt. Plut. *de* 10. *Orat.* Photius *c.* 64. 263.

Isaflenses, pop. Mauritaniæ, Ammiano.

Isagoras, Poëta Tragicus, Chrestii discip. sub Antonino Phil. vixit. Item, Atheniensis, cui bellum cum Clisthene fuit. Herod. *l.* 5.

Isagrus, Atheniensium Imp. an. U. C. 245.

Isagurus, Indiæ intra Gangem op. Ptol. *Irhagurus* Interpp.

Isai, fil. Obed, pater Davidis, qui & *Jessé*. Natus A. M. 2855. Obiit an. 2974. Torniel. Salian.

Isaias, *Jesaias*, sive *Esaias*, quæ vide, nomen Prophetæ, qui regio genere ortus, nihil rusticitatis in sermone habuit, nec tam Propheta, quàm Evangelista videtur, *Universa Christi Ecclesiæq. mysteria prosequitur, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de præterito historiam texere*, ut loquitur Hieronymus. Tandem sub Manasse rege sectus in duas partes, occubuit, uti perhibet Epiphan. A.M. 3338. Isidorus, Justinus, Basilius, August. Cyrillus, &c.

Isajas, Patr. Constantinopolitanus, sec. 14. Item, fil. Adami, qui Saporis Stabuli præfectus, scripsit Jonæ & Barachisi, jussu Regis, occisorum historiam.

Isala, qui & *Sala*, vulgò *Issel*, item *Alt-Issel*, fluv. Belgii, seu potiùs ramus Rheni, qui, paulo infra Arenacum, in 2. brachia se scindens, hunc efficit, qui ad Arctos tendens Duisburgum, Zutphaniam Daventriamque urb. rigat, & infra Campensem Urb. in Sin. Austrinum se exonerat. Aliis tamen est fluv. Germ. qui per Westphaliam & Comit. Zutphan. fluens, ad Duisburgum recipit alveum Rheni, per fossam olim à Druso deductam ab Arenaco Duisburgum usque, & cum eo in sin. Austrin. cadit; Hujus ut & Mosæ cataractis perfossis immissâ aquâ salutem Lugduno Bat. attulit Princeps Arausion. A.C. 1574. Thuan. *l.* 59. 60. V. & *Sala.*

Isalecus, Lusitaniæ urbs. Ptol.

Isamnium, Hiberniæ promuntorium. Ptolom. *S. Johns Foreland* Camdeno, Gallis *le Cap S. Jean*, Anglis *S. Johns point*, in parte Or. Ultoniæ, in penins. *Lecale*, in Comit. Dunensi, vix 5. m. p. à Duno. Baudrandus.

Isamus, fluvius Indiæ. Strab. Collis Asiæ min. Cedren.

Isana, Palæstinæ villa, Joseph. *Ant.* 8. 14.

Isander, fil. Bellerophontis, in eo bello, quod Lycii Solymis intulerunt, interfectus. Hom. *Il.* 6.

Isannavaria, opp. Angliæ, inter Lactodurum & Tripontium 12. m. p. à Londino. 73. in Bor. Lindum versus. *Stonystratford* Camdeno. Olim regia Merciorum regis. An *Banavenna*, *Bennavenna* & *Bennaventa* Anton.

Isapis, fluv. Italiæ: in Umbria, apud Urbinum in Isaurum influens, *Albs* vulgò, Luc. *lib.* 2.

Crustumiumq; rapax, & junctus Isapis Isauro.

Ubi quidam *Sapis*: Leandro *il Savio* dicitur, & circa Ariminum est. Ortel. Ferrario autem hic fluv. Æmiliæ est, in Romandiola, qui ortus ex Apennino monte, supra Sarsinam urb. ac juxta Cesenam urb. delatus, in mare Hadr. apud Cerviam exit.

Isar, Ptol. vel *Isara* flu. Gall. Narbon. Planco *in Epist. ad Cicer.* dicitur *flumen in Finibus Allobrogum maximum*: Ubi Allobroges & Arvernos à Q. Fabio Max. ingenti prælio superatos refert, Plin. *l.3. c.4.* & *l.7. c.50.* Oritur in Sabaudia, ex monte Iserano, inter Alpes, Baudr. Valesius habet, in Centronicis Alpibus seu Darantasiensibus: dein Monasterium, Tarantasiæ caput, rigat. Hinc auctus Arco fluv. juxta Monmelianum labitur; & per Delphinatum fluens, ibi Dracum ad Gratianopolim haurit; dein rigatis Fano S. Marcellini & Romano opp. paulo supra Valentiam in Rhodanum influit, Baudr. secundùm Valesium, alluit loca & castella aliquot Sabaudiæ, dein Gratianopolim, Fontanetum, Teglinas *Tuilins*, Castellum Novum, Ventiam *Vinay*, Solonem *la Sone*, Balmam *la Baume*, Juncariam *la Jonchere*, & Romantium: demum apud Confluentes *Confulens*, Rhodano paulo supra Valentiam miscetur, fluvios Arcum *Arch* & Dracum *Drac* præ cœteris deferens. Medium hic fluv. Delphinatum aquis suis secare dicitur, *Notit. Gall.* Luc. *lib.* 1.

Hi vada liquerunt Isara, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famæ majoris in amnem
Lapsus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.

Hodiè *l'Isere.* Ptolomæo *Tisara.* Polybio *Scoras.* Vid. Plin. *l.* 3. *c.*4. Papyr. Masson. *de flum. Gall.* Vib. Seq. *de flum.*

Isar, vel *Isaus*, Vindeliciæ fluv. Strabo. Oritur 3. mill. Germ. ab Oeniponte in Occ. in confinio Comit. Tirol. & paulo supra Landshutum Ambram fluv. recipit. Baudr. Vulgò *Isar.*

Isara, flu. Gall. Belgicæ, Gall. *Oise.* Oritur in silva Carbonaria seu in Theoracia, ad diœc. Laudunensem pertinente, & Gusiam, Faram, Calviacum, Compendium Suessionum, ubi Axonâ augetur, Pontem ad S. Maxentiam, Credilium Bellovacorum, Brivam Isaræ in Veliocassibus attingit, atque ad Confluentes in Sequanam influit. Recipit Saram *Sere*, Axonam *Esne*, Aronam *Aronde*, & Taram *Terin.* V. quoque *Esia.*

Isarchus, Archon Athenis, sub quo contigit defectio Sciones. Schol. *in Vesp. Aristoph.*

Isarci, Alpinæ gentes, ab Augusto Imp. devictæ. Plin. *Hisarci* Castillion. cui hodie *Isarso* municip. aut aliud vicinum *Arcisare.* Schudo *Misauci*, hodieque *Masoxerthal.* Janus Pincius in vertice Pyrenæi, Germ. montis locum describens, vulgò *Aisocho*, ab Isarco deducit. Baudr.

Isari, Indiæ pop. Plin. Item nomen viri. 1. Par. 25.

Isaria, vide *Iscia.*

Isaticha, Carmaniæ desertæ gens. Ptol.

Isauria, reg. Asiæ min. ad Taurum mont. Ciliciæ proxima, quam P. Servilius cognomento *Isauricus*, in ditionem Romanorum redegit. Strab. *l.*11. Claud. 1. *in Eutrop.*

Indomitos curru Servilius egit Isauros.

Ubi *Isaura* urbs, vel *Isaurum*, Episc. sub Arch. Seleuciensi, quæ & Claudiopolis, hodie *Saura*, teste Ammiano *lib.* 14. Pop. *Isauri*, Ovid. *Fast.* 1.

Africa victorem de se vocat, alter Isaurum.

Hic Synodus olim populi quietis impatientis. Evagr. Niceph.

Isaurus, fluv. Umbriæ Transapenninæ ex Apenn. mont. descendens, mari Hadriatico exceptus; hodiè *La Foglia.* Mel. *Pisaurus.* Vid. ibi. Alter hujus nominis flu. Magnæ Græciæ Neetho vicinus per agrum Crotoniatem in mare delatus, cui *Donato*, teste Barrio, nomen est.

Isbaab, nomen viri. 1. Chron. 24.

Isboseth, filius Saulis regis Israel. Occisus A. M. 2987. V. 2. Reg. *cap.* 2. 3. 4. Jos. *Antiq. l.7. c.*1. & 2.

Isburgis, fœmina pudicissima, Philippi Theodati Francorum regis uxor, à marito repudiata, quòd is eam sibi sanguine propinquam existimaret. Hæc postea in perpetua continentia vixit. Cujus corpus in Ecclesiâ D. Joannis de Insula jacet sepultum. Epitaphium autem est ejusmodi;

Hic jacet Isburgis regum generosa propago,
Regia, quòd regis fuit uxor, signat imago.
Flore nitens morum vixit patre rege Dacorum,
Inclyta Francorum regis adepta thorum.
Nobilis hujus erat (quod in orbis sanguine claro
Invenies raro) mens pia, casta caro.
Annus millenus aderat, deciesq; vicenus,
Ter duo, terq; decem, cùm subit ista necem.

Isburus, Siciliæ flu. Ptol. *Mayhasoli* Fazello. Nunc *Calatabellota.* In mare Afr. se exonerat, inter Mazaram ad Occ. & Agrigentum ad Ort. 35. ferè mill. utrinque. Baudr.

Isbus, Isauriæ civitas. Gent. *Isbotes.* Steph.

Isca, Dammoniorum urbs in Angliâ. Ptolom. hodiè *Excester.* Nunc Com. Devoniæ caput. *Exonia* recent. Episc. sub Ar. Cantuariensi. 8. mill. Angl. ab ora maris Brit. 79. ab Antivestæo prom. & à Vintonia, ad Iscam flu. Hinc Josephus *Iscanus* nobilis poeta floruit temp. Henr. II. de quo vide Voss. *H.L. l.2. c.*56.

Isca, Legio 2. quæ & *Isca Silurum*, urbs fuit Angl. ad Iscam fluv. nunc opp. Monumethensis prov. ad Oscam fluv. vix 4. mill. Angl. ab æstuario Sabrinæ, 14. à Monumethia.

Iscariot, vicus in tribu Ephraim, in quo natus Judas infelix Christi proditor.

Ischalis, op. Angliæ, in agro Sommerset. Ptol. hodiè *Ilchester*, ad amnem *Ill*, in confin. Dorsetiæ Com. 12. mill. Angl. à Wellia in Austr. 24. à Bathonia, 30. ab Exonia: medium inter mare Brit. & Sabrinæ æstuarium, 15. mill. Anglicis utrinque.

Ischera, Libyæ interioris urbs. Ptol.

Ischia, vulgò *Ischia*, insula in mari Tyrrheno sive Infero, in ora regni Neapolitani, *Arime* Homero, *Ænaria* Plinio, *Inarime* Virgilio, licèt à plerisque notetur *Pythecusa* Straboni, & Græcis dicta, à Miseno promontorio terræmotu & ipsa discreta, ut *lib.*6. author est Strabo. Circuitus est 20. milliarium. Cujusvis frugum generis & auri feracissima est. Hanc Eretrienses & Chalcidenses primi incoluerunt, quos ob feracitatem soli fortunatos Timæus vocat, 2. mill. Ital. ab ora Terræ Laboris, uti à prom. Miseno, 1. à Prochyta Inf. Oppidum parv. ei adjacet ad Ort. *Ischia* hodie dicitur, Episc. sub Ar. Neapolitano, quod & insulæ, abolitis vetustis appellationibus, nomen dedit. Huc se Ferdinandus, à Carolo VIII. pulsus recepit. Est enim naturâ permunitum, edito ac excelso in monte situm, quod mari olim undique cingebatur, at cursu temporis, vallo, quo ab insulâ discrepabat, injectis saxorum ruderumque machinis oppleto, insulæ connexum est. Metel. Baudrandus ponte tantùm Insulæ jungi opp. testis αὐτόπτης est. Insulam hanc pluribus descripsit C. Nepos Gallus, cujus accuratam delineationem habemus in tabulis Joh. Antonii Magini V. *Ænaria.*

Ischolaus, dux Lacedæmoniorum fortis & prudens, & terrâ & mari, ut apparet ex Polyæni *l.*11. nam naves suæ ne ad Ænum ab Atheniensibus abstraherentur, solerter effecit & oppugnante Chabriâ Dryn, pari arte urb. Lacedæmoniis conservavit, custodiit transitus regionis Sciritidis: & cùm se multitudine hostium Arcadum à Thebanis stantium superari videret, exemplo Leonidæ pugnans occubuit. De quo Diod. XV. 490.

Ischomache, uxor Pirithoi, ex Atraciâ Thessaliæ reg. quæ & *Hippodamia*, quam cùm Centauri Pirithoo præripere conarentur, ingenti clade ab Hercule & Theseo profligati sunt. V. *Hippodame.*

Ischomachus, Crotoniates nobilis Athleta, qui in stadio victor extitit. M. Valerio, & P. Posthumio consulibus.

Ischopolis, Ponti Cappadocici urbs, vulgò *Tripoli.* Ptol. 20. mill. ab Hermonassa in Ort. 70. fere à Trapezunte in Occ. in prov. *Genech*, sub Turcis.

Iscia, ins. è reg. Veliæ, alio nomine *Oenotris* dicta. Plin. 3. 7. Vid. *Oenotrides.*

Isciacum, vel *Issiacum*, vulgò *Issy*, vicus Galliæ, in agro Parisiaco, ad Sequanam: olim villa fiscalis & regia: in cujus fundo Childebertus B. Vincentio martyri basilicam extruxit. Valesius.

Iscina, Africæ propriæ urbs. Ptol.

Isdegerdes, Persarum R. ob probitatem, ab Arcadio Imp. Theodosii Jun. fil. tutor constitutus, Antiochum misit, qui principis curam gereret. Pacem an. 100. cum Romanis fecit, Christianorum numerum in regno suo in dies crescere æquo animo vidit, à Marutha Episc. Mesopotamiæ sanatus. Magos complures, ab uno horum illusus, necavit, postea in Christianos sævus, ob templum, ubi Ignis adoratus, eversum, Obiit an. 421. Socr. *lib.* 7. Sozom. *l.* 8. Niceph. *l.* 14.

Isdicaa, Thraciæ urbs. Ptol.

Isdigertes, Persarum rex, an. sal. 400. V. *Isdegerdes.*

Isena, vel *Isna*, vulgò *Isne* seu *Isny*, opp. Imp. in Rhætia prima vel à ferro, vel ab Iside Ægyptia, quam Suevi olim coluerunt, aut potius ab *Isna* flu. dicta. Paruit Comitibus Vetingensibus, qui cœnobium ibi condiderunt: Horum familiâ extinctâ, in potestatem Dapiferorum *de Walburg* pervenit, inter hos tandem ad Ottonem, qui Leopoldum Austriæ Ducem, in quodam bello adjuturus, pecuniâ à civibus acceptâ, illis libertatem vendidit. Hinc postea à Carolo IV. Imp. liberis civitatibus adscripta est. Insignia ejus, Aquila aurea, quam illis Maximilianus I. concessit, cum solea equina: alii inversam dicunt esse navem, quam, nomine Isidis à Romanis cultam, Christiani postmodum subverterunt. Vid. Merian. *Topogr. Suevia.* Limnæum Enucl. *l.4. c.*29.

Isenacum, urbec. culta Thuringiæ, ad Nessam amnem, qui paulo infra à Verra excipitur, in Hassiæ confin. cum Acad. sub Duce Weimariæ; cum tit. item Duc. 7. leuc. ab Erfurto in Occ. 4. à Mülhusia in Austr. *Eysenach* vulgò. Dicta an ab *Iside*, an à ferro? Poëta Germanus *Itiner. lib.*5.

—— *Positam hanc in vallibus urbem*
A ferro dictam vulgo; sed ab Iside doctis:
Isnacum dicunt, urbs gestis clara vetustis.

Et *l.* 7. *Ante oculos montes, Isenacumq; videmus,*
Quæ fuit Hassorum regia clara Ducum.

Isenbrandus, fil. Warini, Alemanniæ Principis vel Altorfii Comitis, Eberhardo Alsatiæ Duce, secundùm quosdam geniti, ex uxore Irmentrude, sorore Hildegardis Imperatricis, unâ vice duodecim filios suscepisse dicitur: qui, cùm pro catulis eos mater suæ Famæ timens exponere voluisset, à patre, mirâ Dei providentiâ servati sunt. Ex his præcipuus *Welfo* (hinc enim nomen *Welforum*

seu *Guelforum*, quae vox catulum denotat) Comes Altorfi & Regensburgi nominatur: Pater Juditæ, uxoris Ludovici Pii & Conradi Comitis. Hoc natus est Conradus Dux partium Rhæticarum & Jurensium, Comes Lingonum, Regum Burgundiæ conditor, & secundùm alios Ethico vel Henricus, à quo propago Comitum Altorfi gens, cui in Welfo Ducatus Bavariæ accessit. Defecit familia in Welfo III. cujus soror Cunigundis nupta Azoni Atestino, in illam gentem nomen & jus Welficum intulit. Vide Spenerum *Sylloge*, & infra in voce *Welfi*.

Isendicum, vulgò *Isendick*, opp. permunitum Flandriæ, in ora littor. contra Birfletum, sub Batavis, 3. leuc. à Clausulis in Ort. 3. ab Aggere Gand. in Occ.

Isepus gens Scythica. Steph.

Isernia, opp. Italiæ, in Comit. Molisino, regni Neapol. cum tit. Episcopatus. Hoc unà cum Sepiano, Boviano aliisque oppidis Alzeconi Bulgarorum Duci, novas in Italia sedes petenti, concessit Romoaldus Beneventi Dux, fil. Grimoaldi Regis, illumque mutato dignitatis nomine de Duce *Gastaldium* vocitari præcepit, Isidorus *Chron. l.* 5. *c.* 29. Maginus *descr. Ital. &c.*

Iseum, urbs Ægypti ab *Iside* dicta, vide Steph.

Isiacorum portus, circa Daciam, in ora littor. Ponti Euxini. Arrian. *in Periplo*.

Isidas Lacedæmonius, qui centum æqualibus assumtis, oleo inungi & sertis oleæ redimiri jussis, gladiis sub alis absconditis, Thebanos Gythium præsidio tenentes, de habitu isto nihil secus opinantes oppressit, portumq; Lacedæmoniis restituit. V. Polyæn. *l.* 2.

Isidis Ins. Sinus Arabici, Æthiopiæ continenti fere adjuncta, in Sinu Avalite.

Isidis templum, Strab. opp. Ægypti, ad Nilum, prope Copton.

Præsules Varii.

Isidorus Cordubensis Ep. sub Honorio & Theodosio jun. Scripsit Commentar. in libb. Regum, quos Paulo Orosio, Augustini discip. dedicavit. An. 412. Isidorus Senior priscis dictus, ad discrimen Isidori Hispal. Trithem. *de scr. Eccl.*

Isidorus, Damiatensis, vel Pelusiota, quia in solitudinem urbi huic vicinam se receperat, dictus; discip. Chrysostomi. Scripsit Epistolar. 3. chiliades Suid. decem habet, Niceph. Callist *l.* 14. *hist. c.* 24. 28. 30. 53. præter alia opera. Sixtus Sen. addit, in Bibl. S. Marci Venetiis, 1048. epistolas adhuc ineditas asservari. Quæ in publicum prodierunt, libb. 5. succinctæ sunt & oppidò elegantes, in quibus plurima Scripturæ loca eruditè enodantur. Vixit an. 431. tempore Concilii Ephesini. Obiit an. 440. Facundus *l.* 2. *defens. trium Capit.* Evagr. *Hist. l.* 1. *c.* 15. Photius *Bibl. in Ephr. cod.* 228. *& in Steph. Gobar. cod.* 232. Guil. Tyr. *l.* 19. *c.* 12. *& l.* 20. *c.* 5. &c.

Isidorus Hispalensis, Archiep. fil. Severiani, Carthagenæ Præfecti, frater Fulgentii Præsulis Carthagenæ & Leandri Arch. similiter Hispalensis, cui successit an. 598. Præcipuum Hispaniæ eo tempore sidus. Obiit an. 636. Opera ejus, an. 1580. primùm Parisiis, dein an. 1618. Coloniæ edita, continent libb. 20. Originum, Chronicon, Commentar in libros hist. V. T. &c. Sigebert. *Chron. c.* 55. Mariana *Hist. Hisp. l.* 6. *c.* 5. 6. 7. Trithemius, Voss. &c.

Isidorus, Patr. Constantinop. Johanni pulso successit an. 1347. Eruditione insignis. Joh. Cantacuz. *hist. l.* 4. Alius sec. ultimo.

Isidorus Thessalonicensis, Episc. Russiæ, ab Eugenio IV. purpurâ donatus, cùm Latinos ritus in Ecclesia sua stabilitum iret, à Russis in vincula conjectus est. Inde liber, à Nicolao V. Constantinopolim missus est, quam capi vidit, sub servili veste elapsus. Obiit Romæ an. 1463. Comment. Pii II. sub nomine *Gobelini*, editi, magnum Chron. Flandriæ, &c. Item Philosophus, cujus vitam Damascius scripsit, Phot. *cod.* 181. 242. Item fil. Basilidis, errorum paternorum hæres, sec. 13. Auctor libri infamis, quem Ethicam inscripsit, ut & alterius, de anima adnata. Clemens 1. & 2. *Strom.* Item, Presbyter Alexandrinus, Origenis sectator, sec. 5. Item, Episc. Pacensis, cui Chronicon adscribitur, Vasæus *Chron. c.* 4. Voss. *de H. L.* Item Diaconus, Chronogr. auctor, Joh. Damasc. *l.* 3. *de Imag.* Item, Arch. Thessalonicensis Auctor homiliarum in Lucam, Sixtus Sen. *Bibl. S. l.* 4.

Viri clari.

Isidorus, sub Decio Imp. martyrio apud Alexandriam coronatus est. A. D. 251.

Isidorus Characenus, *In descript. Parthiæ* citatur ab Athen. *l.* 3. Ejus scriptoris Σταθμοὺς Παρθικοὺς primus in lucem protraxit David Hoeschelius, citatur pluribus in locis à Plinio. Malè autem Schottus eum confundit cum C. Cæcilio Claudio Isidoro, de quo idem Plin. 33. 10. Floruit sub Ptolomæo Lago. Vide Voss. *de H. G. l.* 3. *& l.* 4. *c.* 10. *de Math. c.* 43. *§.* 1. *& c.* 69. *§.* 9. Alius quoque *Isidorus* fuit Physiologus, ex quo Germ. Cæsar de corvo quædam refert. Diversi quoq; ab his *Isidorus* Pelusiota, cujus epist. hodie extant; & *Isidorus* Hispalensis, cujus originum libri manibus omniū teruntur. V. supr.

Isidorus Clarius, Brixianus, Bibliorum translator, Obiit an. 1555. Benedictinus, Episc. Fulignii.

Isidorus Isolani, Dominicanus Mediol. Auctor summæ privilegiorum S. Josephi, an. 1523.

Isidorus, nomen Congregationis Hieronymitarum apud Hisp.

Isigonus, Cittiensis memoratur à Cyrillo, adversus Julianum *lib.* 3. *Isigonus* Nicæensis à Gellio *lib.* 9. *cap.* 4. inter scriptores veteres reponitur. Scripsit de tabulis, miraculis, rebusque incredibilibus & inauditis. Quædam ex eo refert Plin. 7. 2. Aul. Gell. *lib.* 9. *c.* 14.

Isinisca, seu *Isuntsca*, Welsero est *Isen*, castr. dit. Frisingensis, ad amnem *Isin*, 6. leuc. à Monachio in Ort. Aliis est Monachium, quod probabilius. Baudr.

Isis, quibusdam Jo à Jove rapta, aliis Ceres aut Luna visa est. Vide *Jo.* Fuit autem uxor Osiridis, & pro Deâ ab Ægyptiis solennibus festis statuisque serto ex aristis contexto coronatis, culta. Hæc enim Inachi filia cùm esset, unde *Inachis* vocata, in Ægyptum venit, primaque triticum & hordeum invenisse, legesque statuisse dicitur. Apud Alexandrinos autem in præcipuo honore fuit: Nihilominus à Senatu Rom. recepta, Lucan. *lib.* 8.

Nos in templa tuam Romana recepimus Isim.

Eademque in Italia ei sacrificia instituta sunt, quæ olim in Ægypto, de quibus fusissimè Apulejus *Milesiar. lib. ult.* Durantibus sacris, novem noctibus integris secubare moris erat, Ovid. *Amor. lib.* 1. *eleg.* 8. Quia autem sacra ejus turpissima, hinc quidquam evulgare nefas. Imò Pisone & Gabinio Coss. Romæ cultus iste prohibitus est, quem Commodus Imp. restituit, ipse raso capite Anubim gestans: Nec quandiu Romæ fuit, ulli Deorum majori superstitione, quàm ei litatum, maximusque honor ejus sacerdotibus delatus est. Hinc Domitianus *Isiaci habitu velatus, inter sacrificulos vanæ superstitionis latuit*, Sueton. *in eo cap.* 1. Templum ibi habuit, prope septa seu ovile, in regione 9. in cujus penetrali habitabant sacerdotes, à populo velo discreti. Sueton. *in Tib. cap.* 36. Tacit. *Annal. l.* 2. Dio. *l.* 40. 42. 47. 53. 54. Lamprid. *in Commodo.* Tertullian. *in Apol. cap.* 6. Quidam duas *Isides* fuisse asserunt, Clemens 1. *Strom.* Herodot. *lib.* 2. Euseb. *Præp. Evang. lib.* 1. Lilius Gyraldus de Diis Gentilium *Syntagm.* 12. E veteri orbe in novum transiisse, unà cum reliqua Ægyptiorum superstitione, vidit P. de Valle, *Itiner. tom.* 4. Sacerdotes ejus *Isiaci* dicti, qui vestibus tantùm lineis, quas illi λινοστολίας appellabant, amiciebantur, ideò forsan, quia *Isis* lini usum prima mortales docuisset. Hinc etiam illi, qui ad Deam supplicaturi accedebant, vestes è lino induere habebant necesse. Sacerdotes hi, ex religionis præscripto, abstinebant à suillis & ovillis carnibus, sales carnibus non adhibebant, ne castitatem violarent: vinum ipsi benè dilutum non bibebant, radebant caput, calceisque papyraceis usi, Isidis imaginem humeris portabant: quam tamen & asinus interdum gestabat. Porro sistrum concutiebant, cujus usus in bellis quoque fuit. Plura de his vide apud Diod. Sic. *lib.* 1. & Plut. *pecul. lib de Iside & Osiride.* De habitu verò eorum adi Torrentium *ad Domitianum Suetonii cap.* 1. Dempsterum *Antiquit. Rom. lib.* 2. *c.* 22. *&c.* Ovid. *Metam. l.* 9. *fab.* 12. totam pompam ita describit:

Inachis ante thorum pompâ comitata sacrorum
Aut stetit, aut visa est, inerant lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus, cum qua latrator Anubis,
Sanctaq; Bubastis, variisq; coloribus Apis,
Quisq; premit vocem, digitoq; silentia suadet.
Sistraq; erant, nunquamq; satis quæsitus Osiris,
Plenaq; somniferis serpens peregrina venenis.

De *Isidis* sacris Romæ sublatis, an. C. 120. Vide quoque *Paulina*. Hinc *Isidis Insula*, *Isidis Portus* Plinio, *Isidis Templum* Straboni, ins. sinus Arabici. Item urbs Ægypti ad Nilum prope Copton urb.

Isium, urbs Ægypti sup. Steph. Anton.

Isla, fluv. Frisiam perluens. Vulgò *Isel*, seu *Yssel*, Regin.

Islandia, Germ. *Island*, Gall. *Islande*, Insula maris Septentrion. amplissima, nomen habet à glacie, quæ illi ad Boream perpetuò adhæret, nam ibi jam incipit mare Congelatum: dicitur etiam *Snelandia*, à nive, & *Gardartsholm*, à Gardarto ejus inventore: quibusdam videtur esse Thule veteribus cognita, sed his Saxo Grammaticus, Crantzius, Milius Jovius, & Peucerus refragantur. Est extensa ab Ortu in Occ. Patet in longit. 100. mill. Germ. ut vulgus scriptorum habet, his addit 44. Angrimus Jonas Islandus. Baudrandus longam facit 200. leuc. Gall. latam 100. circiter. Sita est non sub Meridiano primo, ut notant aliqui, sed octavo inde gradu: satis culta & fertilis versus oram litor. pro majori parte in mediterraneis inculta est & montosa, præsertim versus plagam Sept. ob austera spiracula venti Circii, qui nec frutices, ut tradit Olaus, elevari permittit. Huc Norvegi tyrannidem Haraldi fugientes, migrarunt, duce Ingulfo. An. C. 860. Subest regno Norvegiæ, inter quam & Groenlandiam sita est, ab anno 1260. quo primùm huic homagium incolæ præstiterunt, quâ ratione rex Daniæ, (à quorum uno Canuto jam cum Orcadibus subacta fuit, an. 1062.) qui & Norvegiæ, eò quotannis præfectum mittit, cui nunc obediunt, ut quondam suis Episcopis: à quibus ad Christianam fidem, sub Adelberto Episcopo Bremensi, conversi fuere: Canutus Vandalorum R. hic, ut & in Dania, Suecia, Norvegia ac Groenlandia, Episcopos instituit, an. 1133. Quadripartita distinctione dividitur secundùm quatuor mundi plagas, in Occid. quadrantem, seu *Vestlengindafiordung*, incolis: in Orient. quadrantem, *Austlendingafiordung*: in Septentrionalem, *Nordlendingafiordung*, & Meridionalem, *Sudlendingafiordung*. Duos habet Episcopatus cathedrales, Holam, & Scalholt, cum scholis utrique adjunctis. Monetâ carent suâ & urbibus, nam montes habent pro urbibus, & fontes pro deliciis, ita tradente Crantzio, qui specus eos plerunque habitare dicit, ad mon-

tium latera excavatis mansiunculis, imprimis tempore brumali, quod Olaus quoque asserit. Ex ossibus piscium domos construunt, penuriâ lignorum: quibus etiam in farinam subactis, panis loco vescuntur: linguâ utuntur Cimbricâ, sive Germanicâ veteri, qua sacra Biblia interpretata typis elegantissimis sunt excusa anno 1584. Præter equos & boves nullum armentum apud hos est: præter Betam & Juniperum nullam ferè arborem habent: at graminis adeò fæcundum solum, ut nisi pecus à pabulo interdum arceatur, ab arvina ne suffocetur, periculum sit. Boves & vaccæ hîc omnes cornibus carent, ex Orientalis & Borealis insulæ plaga: ibidem sunt montes ignivomi, quales sunt Hecla, Crucis, Helga: Ibi insignes catelli quoque, Melitensium æmuli, falcones, ursi albi. Incolæ robusti & feroces. Porro Spiritus in hac insula seu umbræ comperiuntur, se exhibentes manifestos humanis in ministeriis, seu alio violento casu enectorum, ut refert idem Olaus: Fons est, qui fumigantis aquæ vitio naturalem cujuslibet rei originem demolitur, & quicquid fumi hujus exhalatione respergitur, in lapideæ naturæ duritiem transmutatur, forma duntaxat superstite: Est fons pestilentis undæ, quem qui gustaverit, perinde ac veneno prosternitur. Sunt latices Cerealis poculi proprietatem imitantes. Sunt & ignes, qui cùm linum consumere nequeant, aquæ mollitiem depascuntur. Sed qui omnia hujus insulæ insolita naturæ miracula cognoscere desiderat, adeat Albertum Crantzium, Saxonem Grammaticum, Joannem & Olaos Magnos, Metel. Urbes præcipuæ sunt Hola & Schalotum, & Besteda arx, ubi prorex Insul. commoratur. Baudr. Ortel. Magin. Mercat. Cluv. *Geogr.* Strab. *l.*4. Quibusd. *Islandia* Thule Vett. est, Vide *Thule*. Ei communi jurisdictionis vinculo cohærent Insulæ Ferrenses & Schetlandicæ, avium proventu non ignobiles: Itdiem sub Danorum Rege: ut & terra Sancta *Thylge Land*, haud procul ostio Albis sita.

Islebia, urbs Comit. Mansfeldici, patria Lutheri.

Islera castellum, vulgò *Illiers*, locus in Carnutibus ad Lidericum flu. non longè ab Avallocio, Bona Valle atque Castroduno, Fulberto Carnutum Episcopo memoratus: Una est ex villis majoribus Ecclesiæ Carnutinæ B. Mariæ. Hadr. Val. *Not Gall.*

Ismael, fil. Abrahæ ex Agar ancilla, natus A. M. 2124. Cum Matre, à Sara, pulsus, monitu Angeli, in patris domum rediit. Adultus Ægyptiam uxorem duxit, ex illa 12. filiorum pater, unde Arabes, Agareni, Ismaelitæ, Sarraceni, &c. orti. Ex ejus familia, se Mahometes in Alcorano oriundum quoque gloriatur. Obiit an. 2261. æt. 137. Gen. 16.17. *& seqq.* Joseph. *Antiq. Jud. l.*1. *c.*12. Torniel. & Salian. *Annal.* Filius item Nethaniæ. 4. Reg. 23. ex regia apud Judæos familia oriundus, Godoliam Judææ præfectum proditoriè sustulit. V. Jerem. *c.*40. Joseph. *Antiq. Jud. l.*10. *c.*11. Torniel. *A. M.*3447. *n.*10. Salian. &c. Filius Asel. 1. Par. 8. & 9.

Ismaël, primus Persarum Sophus, fil. Magnatis cujusdam, ex Usuncassanis filia, Regnum Persarum instituit, an. 1499. dum novam Alcorano explicationem affingit, ex Aly, genero Mahometis, stirpem mentitus. Diversis contra hostes præliis victor, Obiit an. 1522. Prudentiâ clarus, Europæos Principes non semel ad socianda contra Turcas arma, hortatus est. Ejus successores *Sophi* dicuntur, quæ vox Persicè lanam notat, ex qua pileus eorum confici solet. Bizard. *H. P. l.* 10 Leunclav. *Ann Turc. l.*16. *& in Pand.* Paul. Jov. *elog. l.*5. Johann. Barrius, Marmolius, &c.

Ismaël Bullialdus, Laudunensis, celebris ob Astronomiam Philolaïcam, à Philolao Pythagorico, motus diurni terræ olim assertore, dictam. Voss. *de Sc. Mathem. c.*66. §. 14

Ismaela, Arabiæ parva regio. Steph. Pop. *Ismaelitæ*.

Ismara, Armeniæ maj urbs juxta Euphratem. Ptol.

Ismarus, mons Thraciæ partim asper, partim olivetis & vitibus cultus, apud Hebrum flu. & Maroneam urb. Plin. cujus accolæ Cicones Hom. ubi & palus & urbs *Ismara* seu *Ismarus* quondam fuit: plur. num. *Ismara*. Virg. *Georg.* 2.

— *Juvat Ismara Baccho*
Conserere. —— ——

Ismarici vini mentio est in Archilocho, cui οἶνος Ἰσμαρικός, dicitur & in Hom. *Odyss.* 9. ubi postquam Ulysses commendavit à suavitate vinum, quod sibi Maron dono præbuisset, subdit de eodem Marone,

— Ὃς Ἴσμαρον ἀμφιβεβήκει.

Prop. 2.33. *Nec non Ismario, tu Polypheme, mero.*

Ismene, Oedipi, Cyrrhei cujusdam juvenis sponsa, qui ante nuptias à Tydeo occisus est. Stat. *Theb.*3. Item Bœotiæ vicus. Steph.

Ismenias, nomen Thebani tibicinis. De quo Plut. *in Pericle: Cùm audisset Antisthenes, Ismeniam optimum esse tibicinem, respondit, malus igitur. Nam si probus esset, tibicen non esset.* Hujus captivi Musicam, se equi sui hinnitui longè posthabere, professus est Athias, Scytharum R. Plut. *in apophth.* Plin. *lib.*37. *cap.* 1.

Ismenus, fluv. Bœotiæ, etiamnum *Ismeno*, non procul ab Aulide in Euripum Euboicum influens. Ab *Ismeno*, Pelasgi filio. Inde *Ismenius* pro *Thebanus* & Apollo *Ismenius*. Steph. Nomen habet ab *impinguando* (verbo detur venia) id enim Ebræis est השמין *Hismin*. Ovid. *Met.* 2.

Et celer Ismenos cum Phocaico Erymantho.

Seneca *in Theb.*

Ubi torva rapidus ducat Ismenos vada.

Callimachus,

— Μελαμψηφῖδος ἔχουσι
Ἰσμηνοῦ χεῦμα ποτεός. — —

Ismiel, nomen principis. 1. Par. 4.

Ismuc, vulgò *Isne*, opp. Africæ, distans à Zama 20. m. p. Hujus ager nil venenati fert. Vitruv.

Isna, urbs Germ. parva, sed Imper. in Algovia, juxta amnem Argum super. 4. leuc. à Campiduno in Occ. & à Lindavia in Ort.

Isocrates, natus Anno 318. U. C. sub Lysimacho Archonte. Fil. Theodori, discipulus Prodici, Gorgiæ, &c. Orator Atheniensis, unus è decem, dulcis & numerosus in dicendo fuit. Vid. Plut. *lib. de* 10. *Orat.* Phot. *Cod.* 260. *&c.* Ad Remp. non accessit, neque in concionem ascendit, deficiente pronunciatione; tum etiam ad evitandam invidiam eorum, qui libenter iis, qui eloquentiæ honore præstant, se opponunt. Civitatem tamen juvit, Philippumque in his, quæ ad illum scripsit, Atheniensibus conciliavit. Tandem, cùm ab eodem Patriam everti videret, Charondâ Prætore, cibo abstinuit, mortuus, A. U. C. 416. æt. 98. Ejus Orationum pauca quædam supersunt. Vide quoque Cic. *in Bruto, de Orat. lib.* 13. Item *Isocrates* prioris auditor, ex Apolloniâ Ponti, Orator & ipse nobilis: Scripsit orationes quinque, qui & unà cum claris oratoribus certavit in funere Mausoli Artemisiæ viri. Suid. Item *Isocrates* ac Machaon Præfecti classis Corinthiorum in bello Peloponnesiaco contra Athenienses, à Thucydide commemoratus.

Isolochus, Pater Pythodori Ducis, in Sicula prov. Successit Lacheti. Thuc.

Isona, Assyriæ op. Ptol.

Isonda, Sarmatiæ Asiat. gens. Ptol.

Isontius, mel. *Sontius*, flu. Carnorum *Lisonzo*. Oritur in Carniola; auctusque aliquot amnibus & Natisone fluv. rigatisque Goritia & Gradisca, in sin. Tergestinum labitur. Apud hunc Odoacer à Theodorico Gothorum R. victus fugatusque est. Cassiodor. Vid. *Sontius*.

Isora Nuarola, mulier quædam Veronensis, quæ per totam vitam Philosophiam verbo & opere, professa est. Scripsit Dialogum, in quo disputatur, *uter gravius peccaverit, Adam an Eva?* Quibus literarum laudibus adjecit perpetuum virginitatis florem.

Isoria, Evoriæ in Epiro pagus. Sozom. *l.*7. *c.*25. *Isoria Diana* Fanum in Laconica, circa Pitanen, Polyæn. *l.*2. *in Agesilao, comm.* 14.

Isotta, vel *Izota Nogarola*, fil. Leonhardi, eruditionis & virtutis prodigium. Sec. 15. Cujus epistolarum 564. in Bibl. Thuani asservantur. Declamavit coram Nicolao V. & Pio II. Papam Principesque ad sacram expeditionem cohortata. Hujus Bessarion Cardin. famâ percitus, Veronam venit. Adamum gravius, quàm Evam peccasse, egregio dialogo probatum ivit: Hermolai Barbari, omniumque literatorum commercio inclyta: Obiit an. 1466. æt. 38. Sororem habuit Genevjefam, quoque insigniter doctam, &c. Leander Alberti. Morerius *Diction. hist.* V. & supra.

Ispa, Armeniæ min. urbs. Ptol.

Ispahanum, urbs Parthiæ, Persiæ Metropolis, sedes Sophorum, à tempore Xa Abas. Aliis Hispahan, Jex, Jexdi, vett. fortè *Hecatompylos*. Olim bis à Tamerlane destructa. Opulentissima & populosissima. Olearius, & Petrus de Valle *Itiner. tom.*2. ubi eam exactè ac prolixè describit.

Ispalis, vide *Hispalis*.

Ispellum, vide *Hispellum*.

Ispinum, Carpitanorum in Hisp. oppidum. Ptol. nunc *Tepes* quibusd. vicus Castellæ novæ, 6. leuc. Hisp. à Toleto in Ort. Concam versus.

Ispolis, vicus Syrtis magnæ, *Ilbacha* Moletio. *Naim* aliis. Aliis *Isporis*, & *Oesporis*.

Israel, nomen Jacob, inditum ei ab Angelo. Gen. 32. *Vers.* 28. Inde pop. *Israelita*. Quod nomen nunc totam Hebræorum gentem, nunc partem tantùm designat, totam ante Salomonem, partem postea. Post Salomonem enim Hebræorum regno, quod & *Israël*, vel *Israeliticum*, in duas diviso partes, una Judæ nomen assumsit, altera nomen *Israel* retinuit, quòd in hoc posterius ex 12. Tribubus Israel, decem secesserint: in priori duæ tantùm remanserunt, sub nomine Judæ, propter hanc tribum regiam & omnium nobilissimam. Ita ex hac totius regni divisione, qui primùm Hebræi & *Israëlitæ*, in universum appellati: illi tandem in Israëlitas & Judæos divisi sunt. Interim aliquando sub illis, & illi sub his comprehenduntur. *Israelitarum* peregrinationis antiquissimæ, in deserto, memoria hodienum conservatur variis inscriptionibus, quæ rupibus Deserti Sin in Arabia Petræa incisæ leguntur: Has ante aliquot annos collegit Thomas Novariensis Ord. S. Franc. Kircher. dein publicavit *Oed. Æg. t.*2. *l.*2. *c.*2. *§.*5.

Isreel, nomen viri. 1. Par. 25.

Issa, insula maris Illyrici Liburniæ adjacens, nunc Dalmatiæ, *Jesa* Porphyrogenetæ, *Wis* Slavis, Italis *Lissa* Sophiano, sub Venetis. Item Insul. parva Latii apud Marruvium. Dion. Halicarn. Item urbs in Lesbo. Steph. Est & catellæ nomen apud Mart. *libr.* 1. 154. Aliis *Issa*, insula undique stagnis cincta, ab Aboriginibus olim habitata, proximè Marruvio. 40. stadiis à Septem aquis. Videndum, an ad Fucinum lacum, in Italia. Dionys. Halicarn. *lib.*1.

Issachar,

Issachar, 9. fil. Jacob, 5. ex Leâ uxore suâ. Gen. 30. Vide *Isachar*.

Issatis, Parthorum urbs. Plin.

Issedon, *Essedon*, Steph. urbs gemina, una Scythiæ extra Imaum, quæ *Succuir*, teste Castaldo, nunc appellatur: ubi nunc *Caracoram* urbs, in Sisiana regione Tartariæ magnæ. Baudr. Altera Sericæ, quæ *Cambalu* hodie, magni Chanis (uti vocant) Tartarorum regis sedes dicitur. Ubi hodie *Suchur* seu *Synchun*, urbs regni Tanguti, in Tartaria magna. Baudr.

Issenses, cives opp. Issæ in Illyrico, Liv. *lib.* 39. & 45. Idem *lib.* 31. habet *Issæos* pop. alterius loci.

Issorium seu *Issodorum*, vulgò *Issoire*, urbs Alverniæ, in Gall. ad Elaverem fl. 5. leuc. à Claromonte in Austr. 9. à Fano S. Flori in Bor.

Issorium, mons Laconiæ, unde Diana *Issoria* Steph.

Issus, urbs inter Syriam, & Ciliciam, ubi Alexander Darium primò vicit; ideoque *Nicopolis* ab eo dicta est: Episcopalis sub Archiepiscopo Tarsensi. Ptolemæus tamen Nicopolin diversam facit ab Isso, uti revera est. Xenoph *lib.* 1. Ἀναβάσ. Diod. Sic. *lib.* 17. Et Mela *lib.* 1 *cap.* 13. Isson *ingentem urbem*; Strabo verò *lib.* 14. πολίχνιον oppidulum cum statione vocat. Stephanus autem, Ἰσσὸς, πόλις μεταξὺ Συρίας καὶ Κιλικίας, ἐν ᾗ Ἀλέξανδρος Δαρεῖον ἐνίκησεν. Hîc Cicero postea castra habuit, se teste, *Epist. ad Attic.* 5. 20. *Castra paucos post dies habuimus ea ipsa, quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander*, quem & aras ibidem collocasse discimus ex eodem Cic. *Epist. Fam.* 15. Nunc *Lajazzo*, urbs Ciliciæ, ad mare Mediterr. & Issicum sin. hinc *Golfo di Lajazzo*, prope montem Amanum. Differt à Nicopoli, à qua 15. mill. in Occ. abest, 35. ab ostio fluv. Pyrami in Ort. 56. à Zeugma in Occas. 60. ab Antiochia in Boream. Baudrand. Hinc *Issicus sinus*, civis *Issæus*. Steph.

Ister, sive *Istrus*, historicus, Callimachi discipulus, sub Ptolomæo Evergeta, unde *Callimachius* dictus est. Varia scripsit, quorum meminerunt Athenæus, Harpocration, Plut. Laërt. Eustath. Steph. & alii. Vide Voss. *de H. Gr. l.* 4. *cap.* 12. Duo autem fuere *Istri*, alter Alexandrinus, ut videre est apud Plut. *in Qu. Græc.* Alter Calatinus, Steph. *in Calatis*.

Ister, fluvius Germ. cujus ostia distant 100. mill. ab ostio Borysthenis fluv. in Austr. 250. à Constantinopoli in Bor. Baudrandus. Ejus meminit Ovidius *Metam.* 2.

Thermodoonq; citus, Gangesq; & Phasis & Ister.

Vide *Danubius*.

Isthævones, seu *Istævones*, Ptol *Busacteri min.* Gemmæ Frisio Westphali sunt. Hug. Grotius *Istævones*, unum ex quinque Germanorum generibus: à situ, quasi *VVest-Wohner*, i. ad Occas. seu Rhenum propius habitantes: sicut Ingævones quasi *Inn-Wohner*, interius habitantes & Hermiones, quasi *Herom Wohner*, *&c.* appellatos vult, *Proleg. in Hist. Goth.*

Isthemo, civitas in tribu Judâ. Jos. 15.

Isthmia, inter quatuor sacra certamina numerantur, quæ quinto quoque anno in Græciâ celebrabantur, in honorem Neptuni, instituta à Theseo (*ut Plutarcho videtur*) aut Palæmone, ut ex Archiæ Poëtæ Græco *epigrammate colligitur*, quod etiam hodie extat in Anthologiâ. Hujus certaminis victores pinu coronabantur. Vide Plut. *in Theseo*.

Isthmus, tractus est terræ angustus, per quem ex lata terræ parte in aliam talem venitur: Hic multiplex. 1. Peloponnesi, qui & *Corinthiacus*, quo Peloponnesus reliquæ Græciæ connectitur, 40. stad. inter sinum Corinth. ad Occas. & Saronicum ad Ort. patens, quem Nero perfodere frustra tentavit, unde Proverb. *Isthmum fodere*. Non primus autem Nero hanc insaniam insanivit. Clara res ex Herodoto, Strabone, Philostrato, Luciano, & Pausaniâ, cujus verè pia vox de hâc re, quam adscripsisse, pretium sit operæ: Οὕτω χαλεπὸν ἀνθρώπῳ τὰ θεῖα βιάσασθαι. Vide Paulum Æmilium in Carolo M. *sub finem lib.* 2. Hujus *Isthmi* meminit Lucan. *l.* 1.

—— Qualiter undas
Qui secat, & geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum: si terra recedat,
Jonium Ægæo frangat mare.

Silius Italicus, *lib.* 15.

Ut cùm sæva fretis immisit prælia Corus,
Isthmon curvatâ sublime subegerit undâ,
Et spumante ruens per saxa gementia fluctu
Jonium Ægæo miscet mare.

Vide Fungerum in *Isthmus*. 2. Chersonesi Thraciæ, uterque *Hexamili* Nigro, & Volat. 3. Ægypti inter mare Mediterr. ubi Pelusium, & sin. Arabicum, ubi urbs Heroum, *Dorsum Arabiæ* Ptol. dictus. *Sur* vulgò, teste Goropio, quo Ægyptus Palæstinæ & Arabiæ Petrææ jungitur. 4 Tauricæ Chersonesi, de quo Xen. & Ptol. *Zucala*, teste Josepho Barbaro, quo Taurica Sarmatiæ continenti copulatur. 5. Acanthæus, in Macedoniâ, qui Athon mont. continenti jungit, à Xerxe, teste Æliano, perfossus. 6. Italiæ, inter sinum Scylletium, & Hipponiatem. Ferr. In parte Bor. Calabriæ ulter. Magino & aliis, est tantùm 20. mill. ab Ortu in Occas. prope Squillacium. 7. Asiæ, inter Tarsum & Amisum. 8. Græciæ inter sinus Crissæum & Oetæum, ubi Thermopylæ. 9. Panamensis, inter Americam Sept. & Merid. Baudrando est tractus Americæ, quo America Sept. jungitur Merid. leuc. Hispan. 17. à Borea in Merid. nempe à Portu Belo ad Panamam urb. Totus tractus extenditur etiam ab Ortu in Occ. per 30. leuc. diciturque propriè *Tierra Firma*, estque sub Hispan.

Istiæa, Jonice pro *Estiæa*, urbs Eubœæ, quæ nunc *Oropus*. Gent. *Estiæus*, nam *Istiotes* ab opp. Thessaliæ descendit. Steph.

Istiæotis, Græciæ reg. quæ ad Ossam, & Olympum jacet. Herodot. Prov. Thessaliæ, *Estiotis* Ptol. *Hestiæotis* Strab. *Estiatis* Suidæ; in mediterraneis, ubi urbes Tricca, Gomphi, Itome & Pheca.

Isto, mons Corcyræ: cujus incolæ *Istones* Polyæno.

Istob, nomen viri. 2 Reg 10.

Istomachus, laudatur Sorano *in Vit. Hippocratis*, ubi eum fuisse natum primo octagesimæ Olymp. anno refert.

Istone, mons Corcyræ proximus. Steph.

Istonium, Celtiberorum in Hisp. oppidum.

Istria, incolis *Istria*, Gallis *Istrie*, Germanis *Hysterreich*, Italiæ reg. post flexum Adriatici sinus Illyrico contermina, quæ in latitudine sexaginta m. p. in circuitu centum viginti quinque millia complectitur. Sub Venetis. Terminatur à Septentr. Carniolæ Duc. à quo separatur Alpibus *della Vena*. Ad Ortum Sinu Flanatico, ad Occasum Tergestino, & mari Adriat. seu sinu Veneto, ut & ad Meridiem. Extenditur à Circio in Eur. ad 60. mill. sed non æquè lata. In ea Tergeste, seu *Trieste*, Petena, Pisinum, Cosliacum, aliaque in parte Orient. loca subsunt Austriacis. Baudrand. Plin. *l.* 3. *c.* 18. Strab. *l.* 3. Leand. Alb. *descr. Ital.* Maginus & Cluver. *Geogr.*

Urbes Istriæ ex ordine occurrentes.

Tergestum, *Trieste*.
Justinopolis, *Cavo d'Istria*.
Urbs nova, pro Æmonia, *Citta nova*.
Parentium, *Parenzo*.
Pola, sic vulgò, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
Petena, *Pedena*.

Omnes sub Venetis, exceptis primâ & postremâ, quæ subsunt Austriacis. Incolæ *Istri*, quos fama est, originem duxisse à Colchis, Medeam & Jasonem persequentibus, qui Polæ, quæ Istriæ olim caput, conditores feruntur. Item *Istria*, oppidum ad Danubii seu Istri ostia situm, ut ex Arriano docet Pintianus.

Istriana, civitas Arabiæ Fel. ad mare Persicum. Steph. Arabiæ Fel. urbs. Ptol.

Istriani, pop. fuere Mysiæ infer. in prov. *Scythia*, quorum regio nunc Bulgariæ pars est ad Ort. & Bor. juxta ostia Meridionalia Istri. Horum urbs *Istropolis*. Ub. & *Istrianorum portus*.

Istrianus, Tauricæ Chersonesi fluv. Ptol. *Calamita*, Nigro teste. Nunc *Karasu*, seu *Endel*, Sanson. In Pontum Eux. prope Theodosiam, se exonerat.

Istrici, pop. ad ostia Axiacis fluv. & pontum Euxinum. Pompon. quorum urbs Oxiace, nunc *Oczacow*.

Istrinus, Gentile ex *Istriâ*.

Istrium, Mesopotamiæ urbs. Nicetas.

Istropolis, urbs Thraciæ non procul ab ostiis Istri, Milesiorum colonia. Plin. 4. 11. Baudrando, *Istropolis* Plin. *Istros* Straboni & Ptol. *Istria* Ariano, urbs fuit Mysiæ inf. in tractu *Scythia*, ad Peuce seu sacrum ostium Istri, quibusdam nunc *Prostawiza*, 60. stad. ab ora Ponti Euxini, 200. ferè à Tomis in Boream. Sub Turcis à 200. annis, cum toto tractu, qui in dies sterilis & incultus efficitur, ob frequentes incursiones Tartarorum Dobrucensium.

Istrus, urbs Cretæ, quam Artemidorus *Istronem* vocat. Altera est in Ponto. Tertia inf. cum oppido ejusdem nominis juxta Triopium Cnidiæ. Quarta urbs Japygiæ.

Istula, vide *Vistula*.

Istus, Insula Africæ. Steph. Vide Boch. *Geogr. p.* 824.

Isueli, Æthiopiæ pop. Plin.

Isuhaja, nomen principis. 1. Par. 4.

Isura, ins. sinûs Arabici, Plin. 6. 28.

Isurium, Anton. Ptol. oppidum Brigantum in Anglia, in Comitatu Eboracensi, *Aldburg*, Camdeno. Nunc vicus *Boroughbridge*, ad Urum fluv. 12. mill. ab Eboraco in Cæc. 16. à Caturactonio in Afr.

Isus, & Antiphus, Priami filii; verùm Antiphus ex Hecubâ susceptus est, cùm naturalis esset Isus. Hom. *in Iliad.* Bœotiæ urbs. Strabo.

IT.

Italia, regio Europæ nobilissima, terra olim fuit omnium terrarum alumna simul & parens: divinâ providentiâ electa, quæ sparsa congregaret imperia, ritusque molliret; & tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio, contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque una cunctarum gentium in toto orbe fieret patria. Jam verò locorum salubritatem, cœli temperiem, aprica collium, opaca nemorum, tantam frugum & vitium olearumque fertilitatem, tam innoxios saltus, tot munifica sylvarum genera, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertatem, colonias tam frequentes, tam assiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus veterum oppidorum, virorum denique ingenia, mores ac ritus, linguaque & manu res gestas qui reputet, nihil toto orbe terrarum commemoret, quòd huic conferri, nedum præferri queat, Phil. Cluverius

*Introd.Geogr.l.*3. *c.*22.ex Plin.*hist.nat.*3.5. In formam folii, secundùm veteres, querni; ut Plin. qui non γεωμετρικῶς, sed ἁπλούστερον & magis γεωγραφικῶς ejus figuram expressit: de qua Rutilius *Itin.l.*2.

Italiam rerum dominam qui cingere visu,
Et totam pariter cernere mente cupit.
Inveniet quernæ similem procedere fronti,
Arctatam laterum convenıente sinu.

Vel secundùm recentiores cruris humani(cujus tibia mari objacet Infero, sura Supero, pes universus Jonio abluitur pelago, calcaneus Epirum spectat, vola vel concavitas sinum facit Tarentinum, carnosiores partes promuntorium statuunt Zephyrium, Carcinum & Bruttium; digiti in Siciliam sunt conversi, genu in promontorio est Populonio, coxendix & fœmoris superiora latè contingunt Alpes) inter Adriat.& Tuscum mare, à jugis Alpium, dorsoq; Apennini porrecta, paulatim se attollens usque ad fretum Siculum. Et certè formam ejus τρίγωνον plurimi ajunt. Servius: *Constat tria habere latera Italiam, superi maris, inferi, Alpium.* Polybius quoque *lib.*2. Τὸ σχῆμα τῆς Ἰταλίας, dicens esse τριγωνοειδὲς, ejus latera ita prorsus describit, ut Strabo *lib.*5. Αἶα πυλυτενὴς Dionysio dicitur, Rubicone fluv. à Galliâ separata. Lloyd. Secundùm Merulam partes ejus sic disponi solent, ut aliæ sint Italiæ priscæ ac propriæ, aliæ Italiæ novæ & accessoriæ. Termini inter utramque fluvii Arnus & Rubicon: hic versus mare Adriaticum, ille versus Ligusticum. Erat antiquitus sub variis Regibus, quorum celebriores Saturnus, Janus, Evander, Latinus &c. Postea variæ ibi viguerunt Resp. donec tota sub Romanum redacta est imperium: quo ad interitum vergente, Gothi, Vandali, Heruli, Hunni, aliæque barbaræ gentes: Postea Franci, Normanni, Saraceni, Germani, Hispani aliique ibi sedem fixere. Imò jam longè antè Gallorum ingens multitudo, trans Alpes profecta eam Italiæ partem obsedit, quæ inter Alpes & Apenninum ad Æsum usque flumen, prope Anconam porrecta est; *Gallia* hinc Romanis *Italica*: Item *Gallia citerior* & *Cisalpina*: *Circumpadana* quoque ac *Togata* dicta. Et quamvis Justinianus Imper. per Belisarium ac Narsetem, Duces fortissimos, pulsis maximâ ex parte Barbaris, Exarchatum Italiæ, cui Ravenna sedes obtigit, instituit, mox tamen Longobardi, à Narsete, ut creditur, accersiti, Ravennam occuparunt, novumque in Gallia Cisalpina regnum, cui *Longobardiæ* hinc nomen, orsi sunt, quod per annos 204. florens, non nisi à Carolo M. demum sublatum est, an. Chr. 774. Possederant autem illi Cisalpina quidem proxima omnia; Inalpinarum autem terrarum parum, potiore eorum parte jam à Bavaris & Alemannis occupatâ: Transalpinum illis nihil, nisi quòd Foro-Juliensis Ducis in Stiriam & Carinthiam usque potentiam fuit diffusa. Longobardiæ nomen postea, extinctâ gentis Majestate, eaque ad Francos translatâ, simul abolitum est, *regnumq; Italicum* appellari cœpit, non multo pòst Caroli prædicti tempora. Præter quod, exiguum licet, per Italiam mansit reliquum Imperii veteris Romani; idque ex parte ad Francos translatum, postquam Cæsar dictus fuit Carolus M. Calabriâ, Siciliâ & urbe Venetorum exceptis. Cujus dominium utile, cum aliqua dicundi juris potestate, Pipini & Caroli dono, ad Papas pervenit, summo principatu seu vi regendi, cum Cæsareo nomine, ad Francorum Reges delato. Unde Imperatores etiam sequentes auctoritatem Cæsaream illustribus Romæ exemplis exercuisse, docent Historici. Post Ludovicum verò Lotharii filium, usque ad Ottonem M. illa eviluit planè per Italiam; Nihilominus adhuc anno 904. quum Lambertus Widonis fil. dignitate isthac esset conspicuus, in Synodo Romana, curante Johanne IX. Cæsarea quædam jura vetera confirmata sunt. Vide Baronium *Annal. ad huncannum.* Porro isthac tempestate, cùm nemo Cæsareo gaudebat titulo, urbis imperium, penes varios, Tusciæ potissimum Marchiones eorumque clientes fuit; unde Luitpr. *lib.* 2. *cap.* 13. *Theodora*, inquit, *scortum impudens, hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia* (*quod dictu nefandissimum*) *Romanæ civitatis non inviriliter Monarchiam obtinebat.* Et paulo pòst: Filia ejus *Marozia ex Papa Sergio Johannem P. nefario genuit adulterio, ex Alberto autem Marchione Albericum: qui nostro tempore Romanæ urbis principatum usurpavit.* Hinc Johannes XII. Urbis principem egit, tanquam à patre Alberico principatum adeptus, Vide Frodoardum ad an. Chr. 945. Interim amplissima illa bona, quæ Pipini & Caroli M. dono quondam ad Papas pervenisse diximus, sensim ad alios transferri cœperunt, fuitque exigua admodum & misera Pontificum conditio, quando cum Germania dignitas Cæsarea an. Chr. 964. (quo & Berengarius cùm uxore captus, inque Bavariam missus, & extincto Johanne P. Leo iterum Ottonis auctoritate sedi Rom. restitutus est, postquam ab anno jam 924. nomen illud Imperatorium, Berengario I. sublato, in Occidente omni quasi evanuisset.) coaluit: donec Ottonis M. dono pars illa Italiæ; in qua inter alia Ducatus Spoletanus & Tusciæ, iis denuo restituta est: *salvâ tamen*, sic tabulæ habent, *nostrâ in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem & filii nostri subjectione.* Proin tum temporis, intra Imperii Cæsarei limites omne Paparum patrimonium remansit: Et hinc Onuphrius, *satis constat*, inquit, *Johannem XIII. qui Leoni VIII. successit, Gregorium V. & Sylvestrum II. Apostolicæ sedi solâ Imperatorum auctoritate impositos fuisse, nullius cleri suffragiis expetitos.* M. Ottonis dein nepos Otto III. Pontificis territorium intra angustiores revocavit limites, priscis illis donationibus, quasi vitio factæ essent, è medio sublatis; idque ex consilio Sylvestri II. Conquestus enim, Papas ementito Constantini M. dono & Caroli Calvi de re aliena prodigalitate, maximam partem Imperii Apostolatui suo junxisse, ipsemet S. Petro per Sylvestrum offert octo Comitatus: *Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrum, Callium, Hesium & Ausimum, ad incrementa ut Apostolatus, ita & Imperii.* Qui Ottoni III. successit, Henrici S. alias tabulas ad annum 1014. refert Baronius, in quibus repetita Ottonis M. donatio, nisi quòd additum sit, *omnem illam terram, quæ inter Narniam, Interamnem vel Spoletanum, ex regni nostri parte habuimus.* Inter Henricum dein Nigrum & Leonem IX. conventum, An. Chr. 1053. ut Papa pro Episcopatu Bambergensi, aliisque Germanicis, Beneventum haberet. Subsequuta est Mathildæ Comitissæ, cuncti per Tusciam & Lombardiæ confinia Principatus, donatio: quod munus hodie κατ' ἐξοχὴν *S. Petri patrimonium* vulgò vocatur. Sed varia hic controversa: Carolus Sigonius *lib.* 9. *de regno Ital.* donatam affirmat ditionem Lombardiæ & Tusciæ: Leo Ostiensis *lib.* 3. *cap.* 48. narrat Liguriam & Tusciam in dono fuisse. Blondus *dec.* 2. *lib.* 4. rem iterum aliter narrat. Ipse confitetur Baronius, testamentum Mathildis, quod vivo Henrico Cæs. an. Chr. 1097. conditum est, jam olim periisse. Imò serò admodum in possessionem muneris illius Pontifices admissi sunt: proditque Urspergensis, mortuâ Mathilde, *directos ab Italia nuntios, ad defunctæ terras amplissimas hæreditario jure possidendas, Cæsarem invitasse*: quod etiam sequenti anno fecit Henricus V. sed postea Lotharius Cæsar, pro sese & genero suo, cum Innocentio II. transegit an. Chr. 1133. Devenit pòst nescio quibus legibus ad Guelphum Ducem Henrici Superbi fratrem: Ac Fridericus Cæsar nequaquam passus est, in Pontificum jus opes tantas recidere. Vide Radericum *lib.* 2. *cap.* 10. *de Friderico.* Guntherus *lib.* 9.

Præterea reditus, cunctis de finibus illis,
Quos famosa prius possederat illa Mathildis,
Pluribus invasos Rex in sua jura retraxit.
Inde recollectos & tanquam corpus in unum,
Partibus ex multis quadam gravitate reductos,
Concessit Catulo, &c.

Et licet Hadrianus per legatos suos ab Imperatore has terras repetiit, mansere tamen illæ, post Guelphi obitum, in ejus possessione: præsertim accedente Alexandri III. in 15. annos & legitimum causæ judicium assensu: quo tempore inter utrumque Venetiis pax coaluit. Filius quoque & successor Friderici Henricus Cæsar, eandem ditionem tenuit, qui Philippum fratrem Tusciæ & Terræ Mathildis Ducem creavit, Ursperg. & Sigonius *lib.* 15. Verùm hic fratre defuncto, in gratiam Papæ, possessione illâ cessit, præter Montem Flasconis. Nihilominus Otto IV. præter alia à Pontificibus occupata, etiam hanc, immissis militibus recuperavit. Donec à Friderico II. Mathildica Pontificibus reddita sunt, quæ tamen non multo pòst, verso consilio, sibi & Imperio iterum vindicavit. Quod urbes Italiæ attinet, illæ primùm Hadriani, inde Alexandri Pontif. instinctu, factâ conjuratione, in libertatem sese asserere studuerunt, bellis cum Friderico I. acerrimè gestis, tandem tamen an. Chr. 1183. pace Constantiæ factâ, urbibus ita aliquid indultum est, ut auctoritati Regiæ simul cautum sit. Sed infelicior Regni illius fortuna fuit, in defendendis finibus Italiæ citerioris. Vexatâ enim Apuliâ Calabriaque à Saracenis pariter & Græcis, cùm hos Normanni retudissent, ab ipso Cæsare datæ illis sedes sunt, in regni præsidium. At hi novo numero aucti Roberto Guiscardo Duce, & hæc Imperii Occid. & alia, quæ hactenus Constantinopolitani juris fuerunt, excussâ omni Cæsarum Pontificumque, quibus jam antè in illas terras aliquid juris datum erat, reverentiâ, in suam ditionem redegere: quibus initiis ortum regnum Neapolitanum. Hac ratione regno Italico, quidquid in Calabriam usque inferiorem, (inde enim Græcorum ditio incipiebat.) à Campaniæ finibus protenditur, decessit: manseruntque terræ illæ nobilissimæ in Normannorum ditione, perpetuâ tamen Imperii contradictione. Sic ab illa usque Ottoniana occupatione, nunquam ferè interruptâ serie, (nec enim est, quòd Crescentii, aut similis farinæ hominum irritis & momentaneis conatibus possessionem fractam arbitreris) saltem ad ferale illud & perpetuo Reip. Germanicæ lugendum Friderici II. fatum, vim Imperii, per Italiæ regnum & Romanas reliquias, penes Germaniæ Reges fuisse, ostendit Nobiliss. Conringius *tr. de finibus imperii, &c.* Vide quoque Joh. Barclajum *in Pietas.* Religionem quod attinet, Latini ritus in Italia hodie soli regnant, estq; Romæ sedes Regis sacrorum. Urbes Episcopales supra 300. numerat; Ferrar. Regiones maximè insignes Italia plures habet; quarum nomina antiqua & recentia sunt hæc: 1. Liguria, nunc *Riviera di Genua.* 2. Hetruria, nunc *Toscana.* 3. Umbria, nunc *Ducato di Spoleto.* 4. Latium, nunc *Campagna di Roma.* 5. Campania, nunc *Terra di Lavoro.* 6. Lucania, nunc *Basilicata.* 7. Bruttia, nunc *Calabria inferior,* Magna Græcia, nunc *Calabria superior.* 8. Salentinorum terra, nunc *terra d'Otranto.* 9. Apulia Peucetia, nunc *Terra di Barri.* 10. Apulia Daunia, nunc *Puglia Piana.* 11. Samnium,

11. Samnium, nunc *Abruzzo*. 12. Picenum, nunc *Marca Anconitana*. 13. Flaminia, nunc *Romagna*. 14. Æmilia, nunc *Lombardia di qua dal Po*. 15. Gallia Transpadana, nunc *Lombardia di la dal Po*. 16. Venetorum terra, nunc *Marca Trevigiana*. 17. Forum Julii, nunc *Friuli*. 18. Histria, nunc *Istria*. Umbilicum totius Italiæ in agro Reatino, Velinum lacum constituit Plinius ex Varronis sententiâ. Urbes hac tempestate clarissimæ sunt. Roma, Neapolis, Mediolanum, Venetiæ, Genua, Bononia, Florentia, Verona, Brixia & Patavium: Baudr. *Italia*, regio Europæ notissima, *Italia* vulgò ab incolis dicta, uti ab Hispanis, *Italie* Gallis, *Welschland* Germanis, *Vloska zemia* Polonis. Apennino monte in duas veluti partes dividitur. Regio est admodum fertilis & culta, & versùs Septentrionem & Longobardiam mirè rigua, innumerisque referta civitatibus. Sed notandum, omnes penè urbes Italiæ sede Episcopali decoratas fuisse à Romanis Pontificibus, præsertim in Hetruria & in regno Neapolitano, ubi etiam tam frequentes sunt, ut plurimæ jaceant in ruderibus, & earum Diœceses non extendantur ultra ipsas civitates. Quod si contigisset etiam in Gallia, Germania, & alibi, omnes urbes sede Episcopali donari, in solo Belgio essent quinquaginta civitates Episcopales ad minus; & sic datâ ratione in cæteris Europæ Occidentalis partibus. Idcirco Italia præstat tantùm aliis regionibus numero civitatum Episcopalium, non autem numero urbium. Ejus maxima longitudo ab Augusta Prætoria ad promontorium Herculeum, *Capo di Spartivento*, continet 720. mill. pass. latitudo autem maxima à Populonio ad Pontem Fellæ est 280. mill. pass. Dividi autem potest in tres partes, nempe in Italiam Septentrionalem, quæ aliàs Gallia Cisalpina, in Italiam Meridionalem, quæ aliàs propriè Italia, & in insulas Italiæ. In Septentrionali parte Italiæ sunt dominium Reipublicæ Venetæ, *Stato di Venetia*, Pedemontium cum annexis, sub Duce Sabaudiæ, *il Piemonte*, dominium Reipublicæ Genuensis seu Liguria, *il Genouesato*, seu *Riviera di Genoua*, Ducatus Mediolanensis, *Stato di Milano*, & ditiones Principum Longobardiæ, nempe Ducatus Mutinensis, *Stato del Duca di Modena*, Ducatus Parmensis, *Stato del Duca di Parma*, Ducatus Mantuanus & Montis Ferrati, *Stato del Duca di Mantoua*, cum regiunculis Ducum Mirandulæ & Guastallæ, & aliquot aliis minoribus. In parte Meridionali Italiæ sunt ditio Pontificia, seu ditio Ecclesiæ, *Stato della Chiesa*, regnum Neapolitanum, *Regno di Napoli*, ditio magni Ducis Hetruriæ seu Tuscia, *Stato del gran Duca di Toscana*, dominium Reipublicæ Lucensis, *il Luchese*, Ducatus Massæ, *Ducato di Massa*, Principatus Plumbini, *Prencipato di Piombino*, & ditiuncula Reipublicæ S. Marini, *territorio di San Marino*. Insulæ autem Italiæ sunt Sicilia, *la Sicilia*, Sardinia, *la Sardegna*, & Corsica, *la Corsica*, cum aliquot aliis minoribus. Dividitur autem Italia à Germania Alpibus ad Boream, uti ad Occasum à Gallia; ad Ortum autem habet mare Hadriaticum & mare Jonium, uti ad Meridiem mare Siculum, mare Tyrrhenum, & mare Ligusticum. Regionis præstantiam præter ea, quæ in genere supra notata, commendaverit tritici copia, quam priscus jam Sophocles agnovit: Rei pecuariæ bonitatem casei loquuntur Parmenses: vallis Oneliæ ager in Liguria maximo gaudet olei proventu: Ora Neapolitana & mons Vesuvius vini Græci ferax est, nec minori se jactat laude vinum Falernum, &c. In Calabriæ nonnullis locis etiam manna legitur. Tota scatet ignibus subterraneis, estque inter naturæ miracula, quòd in agro Aquaspartano commemorant, recentiores Physici, reperiri in eo mineras xyloticas & lignum quoddam fossile, nigri coloris, striarum sed confusiorum & quasi confusarum varietate nucis aut pyri ligno æmulum: quod *lithanthracis* genus Becmanno videtur. Ut de aliis mineris & gemmis in Calabria, Tuscia, ac Lombardia nil dicam. Tarantula quoque, phalangii genus in Apulia repertum atque à Taranto opp. nomen trahens, non minorem sui admirationem excitat, quòd venenum ejus nonnisi proportionato Musicæ sono expelli potest. Interim Leumellina regio erucis infamis est, & ora maritima à Portu Herculis Terracinam usque gravi ac insalubri aëre laborat, unde & loco Archæopolis *Civita Vecchia*, aliam stationem classi Pontificiæ seligendam, jam dudum suaserunt Medicinæ periti. Italiam fusissimè descripsit Vir doctissimus Phil. Cluverius *libris quatuor*. De laudibus ejus vide Dionys. Halicarn. *lib.* 1. Plin. *lib. ult. cap ult.* Solinum *cap.* 8. Varron. 1. *cap.* 2. Columellam 3. 8. Vitruvium 1. 6. Strabonem *libb.* 5. & 6. Polyb. *lib.* 2. Florum 1. 16. Ælian. *Var. Hist.* 9. 16. Sidonium *Paneg. Avit.* Prop. 3. 21. Gabr. Barrium *in opusculo integro de laudibus Italiæ*, aliosque auctores Morerio *Diction. Hist.* & Becmanno *Hist. orbis terr.* laudatos. Optimè autem omnium laudes ejus canit Virgilius *Georgicon lib.* 2. uti videre est in his:

Sed neque Medorum silvæ, ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaja pinguis arenis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis immanis dentibus Hydri:
Nec galeis densisque virûm seges horruit hastis:
Sed gravidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Implevere: tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas;
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tigres absunt, & sæva leonum
Semina; nec miseros fallunt aconita legentes.
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subter labentia muros.
An mare quod supra, memorem, quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra?
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
Julia quà ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marsos pubemque Sabellam,
Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos,
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris,
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve magna parens frugum Saturnia tellus,
Magna virûm, &c.

Dicta fuit *Italia* primò, quod de regione circa Tiberim propriè intelligendum, *Janicula*, à Jano, seu Noë, quem & Oenotrium vocatum aliquos prodidisse Cato scripsit, ob vini & farris, quorum in sacrificiis usus, inventionem: hinc item *Oenotria* nomen ortum. Successit aliud nomen *Camesena*. Insequentibus temporibus *Saturnia*, à Saturno R. *Saleumbrona*, *Apina*, *Taurina* seu *Vitulia*, *Hesperia*, vel ab Hespero, Atlantem fratrem fugiente, vel ab Hespero stella: *Ausonia* vocata est, ab Ausone: tandem *Italia* nomen accepit: vel ab *Italo* rege Siculorum, vel à *bobus*, qui veteri linguâ Græcâ *Itali* dicti fuere, authoribus Varrone & Columellâ, *præfat. lib.* 5. *de R. R.* vide Gellium 11. 1. Hesychius: Ἰταλὸς, Ῥωμαῖος, ταῦρος: vel ab *Atte* Lydo, quasi *Attalia*, ut est apud Festum, ubi consulendus Scaliger. Bocharto verò *Italia* est עיטריא *Itaria*, ab עיטרן *itar*, quod pro *pice* occurrit in tractatu Talmudico *Gittin, fol.* 69. quasi picearium regionem dixeris, literis *D.* & *R.* maximè mutabilibus, ut *Aldescus* & *Ardescus*, &c. Res aperta fiet, si prius constet priscam Italiam nihil fuisse, quàm Brutiorum agrum, & partem Lucaniæ, quod ipsum voluit Stephanus, in quo legendum Ἀντίοχος δὲ τὴν Βρεττίαν φησὶ κληθῆναι Ἰταλίαν. Jam verò Brutiam à pice dictam supra probavimus. Pop. *Itali*: ingeniosi, sed nimium vindictæ cupidi. Virgil. *Æn. lib.* 3.

Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.

Et *libro* 11.

Tros Italusve mihi pariter det sanguine pœnas.

Horum lingua hodierna Latinæ propago est, sed à Gotthis, Hunnis, Vandalis, Longobardis corrupta. In Tuscia elegantissima censetur: notatumque est, Florentinos gutture, Venetos palato, Neapolitanos dentibus, Genuenses verò labiis loqui. Adj. *Italicus*: ut *Italica mensa* Prov. de mensa lauta.

Regiones Italiæ, quæ mare & Alpes attingunt:

Insubria.	Salentini.
Gallia Subalpina.	Apulia Peucetia.
Liguria.	Apulia Daunia.
Hetruria.	Aprutium.
Latium.	Picenum.
Campania.	Senones.
Picentes.	Æmilia.
Lucania.	Venetia.
Brutii.	Carni.
Magna Græcia.	Histria.

Interiores.

Hirpini.	Sabini.
Samnium.	Umbria.

Italiæ Principes.

Rex Hispaniæ, sub quo regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia, Ducatus Mediolanensis, Marchionatus Finarii in Liguria, & aliquot arces in ora Thusciæ.

Pontifex Romanus, sub quo ditio Pontificia, in qua sunt hæ provinciæ, Campania Romana, Sabina, provincia Patrimonii S. Petri, Umbria, Marchia Anconitana, Ducatus Castrensis, Territoria Orivetanum, Perusinum, & Civitatis Castelli, Ducatus Urbini, Romandiola, Bononiensis ager, & Ducatus Ferrariensis.

Veneti, seu Respublica Veneta, sub qua Histria, Foro-Julium, Marchia Tarvisina cum annexis, Ducatus Venetus, & territoria

Patavi-

Patavinum, Rhodiginum, Vicentinum, Veronense, Brixianum, Bergomense, & Cremense.
Dux Sabaudiæ, sub quo Principatus Pedemontanus cum annexis, Comitatus Nicææ, Marchionatus Salutiarum, dominium Vercellense, Ducatus Augustanus, Comitatus Astensis, & minor pars Ducatus Montis-Ferrati.
Magnus Dux Hetruriæ è gente Medicea, sub quo major pars Hetruriæ, nempe ditiones Florentina, Pisana, & Senensis, cum Petiliano & Apua, & aliqua parte Romandiolæ & Vallis Magræ; atque insulæ Gorgona, Igilium, Gianutum, Mons Christi, & aliæ minores in mari Tyrrheno, uti Argous portus in Ilua insulà.
Genuenses seu Respublica Genuensis, sub qua utraque ora Ligustica, Corsica insula, & Capraria insula.
Dux Mantuanus è gente Gonzaga, sub quo Ducatus Mantuanus & major pars Ducatus Montis-Ferrati.
Dux Mutinensis è gente Estensi, sub quo Ducatus Mutinensis & Rhegiensis, Principatus Cardipensis & Corregiensis, cum Friniana & majori parte Carferonianæ.
Dux Parmensis è gente Farnesia, sub quo Ducatus Parmensis & Placentinus, ditio Bussetana, & Principatus Vallis Tari pro majori parte.
Lucenses seu Respublica Lucensis, sub qua dit. Lucensis in Hetruria.
Dux Massæ è gente Cibo, sub quo Ducatus Massæ & Principatus Carrariæ in Hetruria. Sed ejus ditio est parvi circuitus, uti & sequentes ditiones.
Dux Mirandulanus è gente Pica, sub quo Ducatus Mirandulæ & Comitatus Concordiæ.
Dux Guastallæ, è gente Gonzaga, sub quo Ducatus Guastallæ, cum Luzara & Suzara.
Dux Sabulonetæ, nunc è gente Guzmana, sub quo Ducatus Sabulonetæ, sub clientela Regis Hispaniæ.
Princeps Castilionis è gente Gonzaga, sub quo Principatus Castilionis Stiveriarum.
Princeps Sulphurini è gente Gonzaga, sub quo Principatus Sulphurini.
Princeps Monœci è gente Grimalda, sub quo Principatus Monœci in ora Liguriæ, sub clientela Regis Galliæ.
Princeps Masserani è gente Ferreria Flisca, sub quo Principatus Masserani & Marchionatus Crepacorii.
Princeps Plumbini è gente Ludovisia, sub quo Principatus Plumbini & Ilua insula, sub clientela tamen Hispanorum.
Comes Novellariæ è gente Gonzaga, sub quo Comitatus Novellariæ.
Respublica S. Marini, sub qua tantùm territorium S. Marini, inter Romandiolam & Ducatum Urbini.
Marchio Fosdinovi è gente Malaspina, sub quo Marchionatus Fosdinovi in valle Magræ.
Marchio Montensis è Montensium familia, sub quo Marchionatus Montis Sanctæ Mariæ, inter Ducatum Urbini & ditionem Florentinam insertus.
Marchio Spigni è gente Carreta, sub quo Marchionatus Spigni, versùs montem Ferratum & ad radices Apennini.
Notandum est, etiam Imperatorem possidere in Italia Aquileiam & Comitatum Goritiæ in Forojuliensi provincia, cum Tergeste, Pedena, & Pisino in Istria. Regi Galliæ subest etiam Pinarolium, urbs permunita Pedemontii, cum territorio adjacente. His adnumerari potest Episcopus Tridentinus, cui subest ditio Tridentina ad radices Alpium, quanquam à quibusdam ponatur in Germania, quòd Imperii Princeps sit, & sub clientela Comitum Tirolis. Habent etiam Helvetii in Italia quatuor Præfecturas Italicas dictas, nempe Luganensem, Locarnensem, Mendrisianam & Madianam, quæ antea partes erant Ducatus Mediolanensis, & ipsis subsunt ab anno 1512.

Italiæ urbes præcipuæ:

Acheruntia, *Acerenza*, in regno Neapolitano.
Æsis, *Iesi*, in ditione Pontificia.
Agrigentum, *Gergenti*, in Sicilia.
Ajacium, *Ajazzo*, in Corsica.
Albingaunum, *Albenga*, in ditione Genuensi.
Aletium, *Lecce*, in regno Neapolitano.
Alexandria, *Alessandria*, in Ducatu Mediolanensi.
Amalphis, *Amalfi*, in regno Neapolitano.
Ancona, *Ancona*, in ditione Pontificia.
Anxanum, *Lanciano*, in regno Neapolitano.
Aquila, *l'Aquila*, ibidem.
Aquilea, *Aquileia*, in Foro-Julio, sub Austriacis.
Arborea, *Oristagni*, in Sardinia.
Argous Portus, *Forto Ferraio*, in Hetruria.
Ariminum, *Rimini*, in ditione Pontificia.
Asculum Picenum, *Ascoli*, ibidem.
Asta, *Aste*, in Pedemontio.
Auximum, *Osimo*, in ditione Pontificia.
Barium, *Bari*, in regno Neapolitano.
Barulum, *Barleta*, ibidem.
Bastia, *Bastia*, in Corsica.
Beneventum, *Benevento*, in regno Neapolitano & sub dominio Romani Pontificis.
Bergomum, *Bergamo*, in ditione Veneta.
Besidianum, *Bisignano*, in regno Neapolitano.
Bonifacium, *Bonifacio*, in Corsica.
Bononia, *Bologna*, in ditione Pontificia.
Brixia, *Brescia*, in ditione Veneta.
Brundusium, *Brindisi*, in regno Neapolitano.
Cajeta, *Gaeta*, ibidem.
Calaris, *Cagliari*, in Sardinia.
Camerinum, *Camerino*, in ditione Pontificia.
Cantazara, *Cantazaro*, in regno Neapolitano.
Capua, *Capoa*, ibidem.
Casale, *Casale*, in Ducatu Montis-Ferrati.
Catana, *Catania*, in Sicilia.
Centumcellæ, *Civita Vecchia*, in ditione Pontificia.
Cesena, *Cesena*, ibidem.
Compsa, *Conza*, in regno Neapolitano.
Comum, *Como*, in Ducatu Mediolanensi.
Cosentia, *Cosenza*, in regno Neapolitano.
Crema, *Crema*, in ditione Veneta.
Cremona, *Cremona*, in Ducatu Mediolanensi.
Dertona, *Tortona*, ibidem.
Drepanum, *Trapani*, in Sicilia.
Eporedia, *Ivrea*, in Pedemontio.
Eugubium, *Gubio*, in ditione Pontificia.
Fanum, *Fano*, ibidem.
Faventia, *Faenza*, ibidem.
Ferraria, *Ferrara*, ibidem.
Firmum, *Fermo*, ibidem.
Florentia, *Firenze*, in Hetruria.
Forum Livii, *Forli*, in ditione Pontificia.
Fulginium, *Foligni*, ibidem.
Gallipolis, *Gallipoli*, in regno Neapolitano.
Genua, *Genova*, in ditione Genuensi.
Goritia, *Goritia*, in Foro-Julio, sub Austriacis.
Gravina, *Gravina*, in regno Neapolitano.
Hydruntum, *Otranto*, ibidem.
Imola, *Imola*, in ditione Pontificia.
Interamna, *Terni*, ibidem.
Justinopolis, *Capo d'Istria*, in ditione Veneta.
Lauretum, *Loreto*, in ditione Pontificia.
Laus Pompeja, *Lodi*, in Ducatu Mediolanensi.
Liburnus, *Livorno*, in Hetruria.
Lucca, *Lucca*, ibidem, sed sui juris.
Macerata, *Macerata*, ditionis Pontificiæ.
Manfredonia, *Manfredonia*, in regno Neapolitano.
Mantua, *Mantoua*, in Ducatu Mantuano.
Mateola, *Matera*, in regno Neapolitano.
Mazara, *Mazara*, in Sicilia.
Mediolanum, *Milano*, in Ducatu Mediolanensi.
Messana, *Messina*, in Sicilia.
Mons Regalis, *Monreale*, ibidem.
Mons Regalis, *Mondovi*, in Pedemontio.
Mortaria, *Mortara*, in Ducatu Mediolanensi.
Mutina, *Modena*, in ditione Mutinensi.
Narnia, *Narni*, in ditione Pontificia.
Neapolis, *Napoli*, in regno Neapolitano.
Nicæa, *Nizza*, in ditione Sabaudica.
Nola, *Nola*, in regno Neapolitano.
Novaria, *Novara*, in Ducatu Mediolanensi.
Nuceria Paganica, *Nocera*, in regno Neapolitano.
Orivetum, *Orvieto*, in ditione Pontificia.
Padua, *Padoua*, in ditione Veneta.
Palma, *Palma nouva*, ibidem.
Panormus, *Palermo*, in Sicilia.
Parma, *Parma*, in ditione Parmensi.
Perusia, *Perugia*, in ditione Pontificia.
Petina, *Pedena*, in Istria, sed juris Austriaci.
Pinarolium, *Pinerol*, in Pedemontio, sed juris Gallici.
Pinna, *Civita di Penna*, in regno Neapolitano.
Pisæ, *Pisa*, in Hetruria.
Pisaurum, *Pesaro*, in ditione Pontificia.
Piscaria, *Peschiera*, in ditione Veneta.
Pistoria, *Pistoia*, in Hetruria.
Placentia, *Piacenza*, in ditione Parmensi.
Pola, *Pola*, in ditione Veneta.
Præneste, *Palestrina*, in ditione Pontificia.
Ravenna, *Ravenna*, ibidem.
Reate, *Rieti*, ibidem.
Regium, *Regio*, in regno Neapolitano.
Rhegium Lepidi, *Reggio*, in ditione Mutinensi.
Roma, *Roma*, in ditione Pontificia.
Rossanum, *Rossano*, in regno Neapolitano.
Salernum, *Salerno*, ibidem.
Salutiæ, *Saluzzo*, in ditione Sabaudica.

Sancta

Sancta Severina, *S. Severina*, in regno Neapolitano.
Sassaris, *Sassari*, in Sardinia.
Savona, *Savona*, in ditione Genuensi.
Senæ, *Siena*, in Hetruria.
Senogallia, *Senigaglia*, in ditione Pontificia.
Serezana, *Sarzana*, in ditione Genuensi.
Spoletum, *Spoleto*, in ditione Pontificia.
Surrentum, *Sorrento*, in regno Neapolitano.
Syracusæ, *Saragossa*, in Sicilia.
Tarentum, *Taranto*, in regno Neapolitano.
Tarvisium, *Trevigi*, in ditione Veneta.
Taurinum, *Torino*, in Pedemontio.
Tergeste, *Trieste*, in Istria, sed juris Austriaci.
Terracina, *Terracina*, in ditione Pontificia.
Theate, *Chieti*, in regno Neapolitano.
Ticinum, *Pavia*, in Ducatu Mediolanensi.
Tifernum Tiberinum, *Citta di Castello*, in ditione Pontificia.
Tranum, *Trani*, in regno Neapolitano.
Tridentum, *Trento*, in ditione cognomine.
Tropea, *Tropea*, in regno Neapolitano.
Tudertum, *Todi*, in ditione Pontificia.
Tybur, *Tivoli*, ibidem.
Velitræ, *Veletri*, ibidem.
Venetiæ, *Venetia*, in ditione Veneta.
Vercellæ, *Vercelli*, in Pedemontio.
Verona, *Verona*, in ditione Veneta.
Vicentia, *Vicenza*, ibidem.
Viterbum, *Viterbo*, in ditione Pontificia.
Volaterræ, *Volterra*, in Hetruria.
Urbinum, *Urbino*, in ditione Pontificia.
Utinum, *Udine*, in ditione Veneta.

Italica, Plin. Ptol. *Sevila la Veja*, teste Morali, colonia & urbs fuit Hispaniæ Bæticæ, apud Bætim fluvium, Hispali vicina, patria Silii Poëtæ, trium Augustorum quoque natale solum, Trajani, Hadriani, & Theodosii senioris, à Scipione Africano condita, teste Joanne Mariana. Aliis est *Alcala del Rio*, oppidum inter Hispalim 4. & Castrum Album 3 leuc. olim urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Hispalensi. Item urbs Italiæ, quæ & *Corfinium*, Strab.

Italus, & *Atlas* dictus est Kittim, Janigenarum rex: Hic filiam suam Electram Janigenarum principi Camboblosconi dedit conjugem, & Romam filiam suam Aboriginibus sacravit. Berosus. Hæc Romæ fundamenta posuit, quæ postea à Romulo ita sunt exornata, ut meritò urbs diceretur. Fab. Pictor. Ab hoc Italia dicta. Hinc Virgil. *Æn.* 3.

Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.

Et *libro* 11.

Tros Italusve mihi pariter det sanguine pœnas.

Item Cheruscorum rex, an. U. C. 799. Item Telegoni filius, qui Italiam ex suo nomine vocavit. Hygin. *fab.* 127.

Italus, cui paternum genus à Flavio, fratre Arminii; Maternum ex Acromero, Cattorum principe, formâ decorus & armis equisque in patrium Romanumque morem exercitus, à Cheruscis Româ Rex petitus. Mox deficientes à se Cheruscos prælio vicit: dehinc secundâ fortunâ ad superbiam prolapsus pulsusque, ac rursus Longobardorum opibus refectus, per læta per adversa res Cheruscas afflictavit. Tacit. 11. 16. 17. 18.

Itamus, Arabiæ Felicis portus. Ptol.

Itani, Hisp. Tarracon. pop. Plin. Circa Pyrenæi radices.

Itanus, urbs Cretæ, hodie *Paleocastro*. Est & prom. Steph. in ora Austr. ubi Orientalis incipit, inter Ampelum & Samonium prom.

Itapheines, unus ex septem Persis, qui cum Dario contra Magum Oropasten, filium Cyri Smerdin se mentientem, conjuravit.

Itargis, Germaniæ fluvius, *Visurgis*. Ptol. Ovid. *Consol. ad Liviam.*

Decolor infectâ testis Itargis aquâ.

Itea, Danai filia, Antiochum maritum occidit. Hyginus *fab.* 170.

Itea, Steph. Suidæ, *Soguta*, Laonico urbs Phrygiæ, seu potius Paphlagoniæ, unde Othomanna familia originem duxisse fertur, ab ora maris Eux. 250. stad. in Austrum recedens, Ferrar.

Itea, vicus in tribu Acamantide. Steph.

Itemales, senex, qui Oedipum exposuerat, ex pedum cicatricibus, & talorum agnovit Laji filium esse. Hygin. *Fab* 65.

Iter, seu *Itineratio*, circuitus Judicum. Carolus Calvus, in Capitulis Silvacensibus, anno Chr. 853. Galliam in 12. portiones distribuit, unicuique viris aliquot cùm in religione, tum in Jurispr. insignibus præfectis, qui commissos sibi pagos annuò peragrantes, de injuriis populo à Ministris Reip. illatis cognoscerent, scelera vindicarent, justitiamque facerent & tuerentur: Rem verò Ecclesiæ, viduarum & orphanorum inprimis curarent. Cujus exemplo Henricus II. Angliæ R. A. C. 1176. magnum Nottinghamiæ Concilium adhibens, Regnum totum in 6. divisit partes, ternis Judicibus singulis eodem fine constitutis. De quibus Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.*

Itesui, Gall. Lugd. populi. Plin.

Ithabalus, rex Tyri.

Ithaca, vulgò *Val di Compare*, Turc. *Phiachi*, Græc. *Theachi*, insula in mari Jonio, ante Epirum, Ulyssis patria. In eâ est urbs ejusdem nominis. Item mons Neritos, à quo tota ins. interdum *Neritos* dicta est. In hac lepores non vivunt. Baudrando est inter Cephaleniam ad Occ. & Echinadas ad Ort. Nunc sub Turcis est. Ibi tantùm aliquot vici. 30. circiter mill. ab Araxo prom. in Occ. Phœniciis עיתקא *Ithaca, durum* sonat & *asperum*, ut & Ebræis עתק *athac*. Talem certè veteres Ithacam describunt. Hom. *Od.* 1.

Ἤτοι μὲν τρηχεῖα, καὶ οὐκ ἱππήλατός ἐστι.

Et Cic. 1. *De Orat. Ithacam in asperrimis scopulis, tanquam nidum affixam.* Unde Horat. *Ep.* 1. 7.

Non est aptus equis Ithaca locus, ut neque planis
Porrectus spatiis, neque multæ prodigus herbæ.

Quod sine dubio ex Homero desumpsit. Sic enim ille *Od.* 4.

Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἂρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών
Αἰγίβοτος, καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο,
Οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος, οὐδ' εὐλείμων
Αἵ θ' ἁλὶ κεκλίαται, Ἰθάκη δέ τε καὶ περὶ πασέων.

Vide Dionys. Afric. Strab. Plin. Ptol.

Ithacesiæ, parvæ insulæ tres Brutiorum, contra Vibonem Calabriæ urbem. Plin. *Braces, Praca & Turricella.*

Ithacius, Episcopus Gall. apud Maximum Tyrannum, excidium Priscillianistarum ursit: unde horum cædes & exilium. Quod cùm vidisset Martinus, intercesserat, ne quid cruentum in illos statueretur. Quia verò ob id factum Martinus, Ambrosius, alii, cum *Ithacinis* communicare noluerunt; inde ortum schisma annorum 14. Circa annum Christi 385. Vide *Idacius Clarus.*

Ithai, filius Rubai, 2. Reg. 23. qui & *Ethai*. 1. Par. 11.

Ithamar, filius Aaronis, in cujus familia, ad quintam usque generationem, mansit Summi Sacerdotii dignitas. Eli unus ex posteris ejus fuit. Exod. 6. 28. 38. Lev. 10. *& seqq.*

Ithatius, vide *Idacius.*

Ithobalus, Astartes sacerdos, occiso rege Phelo, regnum Tyrium occupavit. Vide Joseph. 1. *contra Apionem.*

Ithome, opp. Phthiotidis. Hom. *in Catal.* Item urbs in agro Messeniaco, quam Lacedæmonii post 10. annorum obsidionem in deditionem acceperunt. Thuc. *lib.* 1. Stat. *Theb.* 4.

Planaque Messene, montanaque nutrit Ithome.

Ithomen, urbis Messeniæ arcem vocari scribit Strabo *lib.* 8. *Gregegin*, Nigro dicitur. In monte urbi imminebat, non secus ac Acrocorinthus Corintho, Has Demetrius Phalereus Philippo capiendas suasit, sic bovem, i. Peloponnesum utroque cornu teneri. Strabo quoque aliam *Ithomen* habet in Estiæotide Thessaliæ regione, cujus vetustum nomen *Thome* est, detractâ primâ syllabâ, *Thumaa* hæc quoque Stephano.

Ithometes, Jupiter sic dictus, ab Ithome urbe. Huic Aristomenes Messenius 300. homines sacrificavit.

Ithon, Thessaliæ urbs. Hesych. Vide Steph. in Ἰτών.

Ithycles, Archon Athenis, Olymp. 95. an. 3.

Ithyphallus, Priapus est. Colum. *lib.* 10.

—— *Sed truncum fortè dolatum*
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli.

Unde *carmen Ithyphallicum*, cujus exemplum Casaubonus produxit Animadvers. in Athenæum *lib.* 6. *cap.* 15.

Itius portus, vide *Iccius.*

Itome, civitas Epiri, Italiæ item, & Bœotiæ, & Lydiæ. Item regio sub Hæmo. Steph.

Itonus, Thessaliæ rex, Deucalionis filius, invenit rationem conflandi æris, argenti & auri, signandæque monetæ. Lucan *lib.* 6.

Primus Thessalicæ rector telluris Itonus
In formam calidæ percussit pondera massæ;
Fudit & argentum flammis, aurumque monetâ
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

Itrum, opp. Terræ Laboris, intra montes, medium inter Fundos ad Occ. & Formias ad Ort. aliquot mill. ab ora maris Tyrrh. *Itri* vulgò. Quibusd. est *Mamurrha* antiquorum.

Itta, fluv. Galliæ, vulgò *Epte*. Oritur in Bellovacis, è fonte cognom. & Gornacum, Novum Mercatum, Gisortium, Nelfam, Dangutum, & S. Clari opp. Brajam ac Fabricas attingens, inter Rupem Uvidonis seu Guidonis, ac Vernonem in Sequanam labitur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ittona, vulgò *Iton*, fluv. Galliæ. Britolium, Condatum, Alnetum *Aunay*, Nucetum *la Noue*, Ebroicas & Blancas præterlabitur, atque in Auturam influit. Idem.

Ituci, colonia & urbs Hisp. Bæt. quæ & *Virtus Julia* Plin. interiit.

Ituna, fluv. Angliæ, *Eden*. Oritur in Westmaria provdein per Cumbriam fluens, ibi Carleolum rigat, & paulo infra se exonerat in mare Hibernicum & Itunæ æstuarium, quod nunc *Solvey frith*, i. Solveum æstuarium, inter Angliam & Scotiam.

Ituræa, quæ & *Trachonitis. Bacar*, teste Guil. Tyrio, reg. Palæstinæ, Cœlesyriæ finitima, seu pars illius. Baudrando Ituræa, quæ & *Peræa*, regiò parva est, trans Jordanem, inter Samariam & Arabiam: Erantque Ituræi Tribubus Gad & Ruben immixti. Populi *Iturai*, qui arcu potissimum in bello utebantur. Tullius *in* 2. *Phil. Cur homines omnium gentium maximè barbaros Ituræos cum sagittis seducis in forum?* Virgil. *Georg.* 2.

—— Bona bello
Cornus, Ituraos taxi curvantur in arcus.
Lucanus *lib. 7.*
—— Creta Cydonas
Misit, Ituraïs cursus fuit inde sagittis.
Vopiscus *in Aureliano, Sagittarios Ituraos trecentos.*

Ituricenses, Hisp. Tarrac. populi. Plin.

Iturissa, Vasconum urbs in Hisp. Pomp. & Ptol. *Tolosa* quibusdam, Guipuscoæ prim. Aliis *Sanguessa*, in Navarræ regno. Aliis olim *Nementurista*: Estque Brietio *Olite*, urbs Navarræ ad amnem *Cicados*, qui paulo infra cadit in Aragonium fluv. 7. leuc. à Calaguri in Ort. 6. à Pompelone in Austr.

Iturius, vide *Titurius*.

Iturum, Umbriæ opp. non procul ab Hispello. Strab. *l. 5.*

Ityca, vide *Utica*.

Itylus, filius Zethi ex Aëdone conjuge, quem mater noctu per errorem interfecit, putans eum esse Amalea Amphionis filium, cujus fœcunditati invidebat, quòd jam sex filios mares peperisset. Quo errore manè cognito, doloris impatientiâ contabuit, & Deorum miseratione in lusciniam commutata est. Catullus *epigr. ad Ortalum*,
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias, absumpti fata gemens Ityli.

Itymoneus, Hyperochi filius, vir strenuus, qui in bello Pyliorum cum Elidensibus à Nestore jaculo est interfectus.

Ityrai pop. Vide *Iturai*. Virgil. *Georg. lib. 2.*
Cornus: Ityraos taxi curvantur in arcus.
Sunt tamen qui *Ityraus*, ab Ityra urbe Parthiæ deducant, ita ut *arcus Ityrai* iidem sint cum Parthicis, Ferrar.

Itys, Terei Thracum regis fil. ex Progne Pandionis Atheniensium regis filiâ, quem mater interemit, Tereoque viro suo, quòd Philomelæ sorori suæ vim intulisset, epulandum apposuit. Quam uxoris impietatem, cùm Tereus, agnito filii capite, deprehendisset, strictoque ense Prognem ac Philomelam insequeretur, in upupam dicitur esse commutatus, Progne verò in hirundinem, Philomela autem in lusciniam, *Itys* denique in Phasianum. Ovidius *Met. 6. fab. 5.*

Itys Cyzicenus, in conflictu nocturno à Castore cæsus. Flacc. *l. 3. vers.* 189.

Itys, fluvius Scotiæ in ora occid. Ptol. inter Tarvedrum & Epidium prom. qui aliis est *Heu*, contra Ricinam insulam in mare exiens, Ferrar. *Assin* Camdeno.

ItZehoa, vulgò *Itzeho*, urbecula Holsatiæ propriæ, ad Storam amnem, in ipso limite Stormariæ. Vix 2. mill. Germ. ab Albi fluv. & à Gluestadio in Eur.

JU.

Ivanogroda, seu *Russica Nerva*, vulgò *Ivanogorod*. Vide *Narva*.

Reges Mauritaniæ.

Juba I. rex Mauritaniæ & Numidiæ, post patrem Hyempsalem, Pompejanarum partium constantissimus assertor, qui Curionem à Cæsare in Africam missum cum omnibus copiis delevit. Victo verò Pompejo, cum Scipione copias conjunxit, commissoque prælio superatus, cùm nulla jam spes reliqua esset, magnificè epulatus, cum Petrejo mutuis vulneribus concurrens cecidit, regno in provinciam à Cæsare redacto, cujus Sallustius primus Præfectus. Plutarch. *in Pomp.* & *Cæs.* Flor. *lib. 4. hist. cap. 2.* Sueton. *in Cæs.* Dio *lib. 41. & seqq.*

Juba II. superioris fil. vir multijugæ eruditionis, paternæ dignitatis planè exsors non remansit. Nam Augustus studiis eum jam egregiè excultum, suasque secutum partes adversus Antonium, paterno regno, quibusdam Getuliæ partibus, & Bocchi, ac Bogudis ditionibus donavit, præterea uxorem ei dedit Cleopatram Selenen, juniorem Antonii Triumviri ex Cleopatrâ filiam, ex qua Ptolomæum genuit, Caligulæ jussu postmodum occisum, Plin. *l. 5. c. 1. l. 25. c. 1.* Strab. *l. 6.* Sueton. *in Calig. c. 26.* Dio *l. 51. & 53.* Athen. *l. 8.* Edidit inter alia Commentarios de Libyâ, & alia. Herbam invenit, Euphorbiam, à Medico ejus Euphorbio, vocatam. Vide Voss. *Hist. Gr. 2. 4.* Alius est *Juba*, ex quo Priscianus, *initio libri de versibus Comicis*, aliqua refert de Jambicis cacometris. Grammaticus is fuit, ac Latinè scripsit.

Jubal, Pater canentium citharâ & organo. Torniel. *A. M.* 133. 461. fil. Lamech ex Adâ uxore. Gen. 4. 21. Item *Jubal* Celtarum rex primus, qui eò à Jano, h. e. Noë patre suo missus est. Berosus *l. 3.*

Jubaldal, fil. Heberi, Celtiberorum rex.

Juberi, in Augusti tropæo nominati, an *Viberi*, Plinio *lib. 3. cap. 20.* memorati inter Alpinas gentes & Rhodani fontis accolas. Certè Viberorum nomen in trophæo reponit Sigism. Gelenius, sed non ita apposité, ut ostendit Simlerus *de Vall. lib. 1.* Et observat Munsterus *lib. 3.* montem Furcam, unde Rhodanus oritur, nominatum, Ursellum, Coatium & *Juberum*: Etiam mons vicinus, unde Elmius fluv. Rhodani secundùm quosdam pater, *Jubet* dicitur, & forsan is est, quem Jovius vocat *Jovet*. Cæterùm de *Viberis*, vide suo loco.

Jubilæus, quibusdam *Jobilæus*, duplex est, Judaicus & Romanus. Illo cum Lege Ceremoniali sepulto, hunc è cineribus ejus suscitavit Bonifacius VIII. An. Chr. 1300 in festo Nat. Dom. non redivivâ, sed novatâ specie. Nam cùm vetus ille debitorum remissionem & à mundana servitute immunitatem, quinquagesimo quovis anno indulgeret: novus iste peccatorum omnium absolutionem, & ab infernis vinculis libertatem Christianis spiritualem pollicetur, qui Apostolorum limina venissent salutatum. Non tamen anno quinquagesimo, sed centesimo, ut sic secularis factus ludis Ethnicorum secularibus opponeretur: quos hi Diti & Proserpinæ sacros, post centum annos celebrandos statuerant; quia seculum seu vitæ spatium eousque, non ulterius extendi existimabant: clamante tunc præcone, *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, nec visurus est.* Sic vulgò; Sed longè ante ævum Bonifacii, relegati sunt ludi isti seculares: quin & ab Augusto, & Claudio & Domitiano, neglecto jam tunc ordine centenario, celebrati: unde Martialis *Epigr. lib. 10.*
Bis mea Romano spectata est vita Tarento.
Tarentum enim ara fuit, quæ ludis solummodò secularibus aperiebatur, aggestaque deinceps terrâ, usque in alterum seculum occultabatur. Sic Stephanio, in utriusque Augusti & Claudii ludis secularibus, togatus dicitur saltasse. Bullam institutionis primi Jubilæi, habes apud Spelmannum: Aliâ tamen bullâ Pontifex eodem die annoque datâ, exclusit, qui prohibitam cum Saracenis exercerent mercaturam, nec non Fridericum Arragonem, Siculosque & Columnenses. Post Bonifacium verò Clemens VI. ad veram *Jubilæi* periodum, annum nempe 50. festivitatem hanc deduxit, primumque *Jubilæum* quinquagesimalem an. Chr. 1350. celebravit. Demum, ut quæque ætas istius fieret beneficii particeps, Sixtus IV. ad unumquemque annum 25. *Jubilæum* contraxit, atque ejusdem primam egit celebritatem, an. Chr. 1475. Confluxit autem in his Jubilæis tanta Romam vis hominum, ut sub Bonifacio VIII. aliquando in dies singulos ad 200000. hominum numerarentur, & sub Nicolao V. an. Chr. 1450. impedito fortè transitu ducentos homines & equos tres obtritos ac suffocatos in ponte Hadriani, referat Platina. Ad quam proin frequentiam excipiendam, septem primaria urbis delubra idem Bonifacius constituit. Excitatus Bonifacii & Clementis exemplo Eduardus III. & ipse annum sui ipsius genethliacum quinquagesimum Jubilæo dedicavit. Natus quippe in festo S. Bricii, h. e. Idibus Nov. A. C. 1312. cùm ad idem festum an. C. 1362. pervenisset, gratiosum omnibus se & munificum præbere gestiens, vinctos è carcere liberavit, exules revocavit regioque omnia fastu & magnificentiâ recolens, ornavit, ditavit & illustravit. Tum leges salutares multas tulit, multa concessit privilegia: rogatus à Communitate, linguâ Normannicâ è judiciis exulare jussâ, Anglicanam indixit recipiendam. Acta verò in tabulas & membranas publicas Latinè jussit redigi. Insuper ad anni decus, filios suos Eduardum Principem Walliæ, in Ducem Aquitaniæ: Lionellum in Ducem Clarentiæ: & Edmundum in Comitem Cantabrigiæ creavit: & ne quid tantæ deesset celebritati, Franciæ, Cypri & Scotiæ Reges, cum Regina Scotiæ illustri hospitio excepit, &c. Unde fortè factum, quòd annis singulis in Cœna Domini, vulgò *Naundy*, i. e. *Thursday* Reges Angli usque hodie eleemosynam facientes, tot pauperes veste & cibi ferculo donant, quot ipsimet tunc ætatis annos egerint; singulosque totidem insuper denariis, velut annorum rationem, dum ad quinquagesimum veniatur, conservaturi. Annum tamen ipsum quinquagesimum nemo alius, post Eduardum, more Jubilæi celebravit. De lavationis ceremonia, quæ antiqua admodum, cùm apud Pontifices Rom. tum apud Impp. Vide in voce *Mandatum*: & de his omnibus Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Jubilius, Hermunduorum rex, an. U. C. 802. Mureto *Vibellius*, ex vett. libris, contra Vannium Suevorum R. conspiravit. Tacitus *Ann. 12. 8.*

Jucadum, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Jucatania, Gall. *le Jucatan*, regio Americæ Septentrion. in modum Peninsulæ, in mare Boreal. excurrens, inter sinum Honduræ ad Ortum, & sinum Mexicanum ad Occasum. Pars Hispan. Novæ latè sumtæ. Habet ad Austrum Chiapam & Veram pacem provv. Circuitus 230. leuc. Hisp. circiter. In ea 4. urbes, Emerita, caput regionis, Vallisoletum, Campecia & Salamanca. Sub Hispanis. Ab Hernande Cordubensi detecta primùm, sed ab incolis, qui bellicosissimi Americanorum, malè exceptus, in insulam Cubam retrocessit. Franciscus Montegus dein an. Chr. 1527. illuc veniens, post novennale bellum incolis subactis, regionem occupavit. Herrera *cap. 10.* Linschot. *Amer. cap. 5.* Benzo *nav. lib. 2. cap. 15.*

Juchal, fil. Selemiæ. Jer. 37.

Jucundus Veronensis, eruditione inclaruit, sec. 15. Cæsarem, Vitruvium, Frontinum edidit: ut & Volumen Inscriptionum ultra bis mille. *Vir unus titulorum & monumentorum vett. supra mortales cæteros non diligentissimus solùm, sed etiam sine controversia peritissimus*, Politian. *Miscell. cap. 77.* Vide quoque Budæum, Vossium, Alios.

Jud, civitas in tribu Dan. Jos. 19.

Juda, 4. Jacob ex Lea uxore fil. Gen. 29. ita semen Abrahæ multiplicavit, ut de tribu ejus ad montem Sinai numerati & inventi sint

viri ad pugnam apti septuaginta quatuor millia & sexcenti, quibus omnibus, excepto Caleb, in deserto mortuis, septuaginta sex millia quingenti, absque mulieribus & parvulis, validâ manu ingressi terram promissionis, in sortis divisione citra Jordanem primam, optimam, atque amplissimam hujus terræ sanctæ obtinuerunt possessionem. Natus est A.M.2286. quo & Dan, ex Bala Rachelis ancilla. A Jacobo patre flore benedictionum mactatus est, regiâ ei dignitate & Messiæ ex ipso orituri nativitate promissâ. Reliquam ejus historiam vide Gen.37. 49. Item apud Joseph. Augustin. Torniel. Salianum, &c.

Juda, una ex XII. Tribubus Israël, cæteris longè major, & in qua maxima pars Judææ propriæ. Habet ad Ortum mare Mortuum, ad Bor. Tribum Benjamin, ad Occ. Tribus Dan & Simeon; ad Austrum Idumæam. Extenditurque etiam ad mare Syriacum versus Satrapias Philistæorum. 115. urbes primùm obtinuit, divisaque fuit in 11. partes.

Judæa, quæ & *Chananæa*, & *Promissionis terra*, Syriæ regio notissima: de cujus situ post sacras literas Josephus inprimis, post quem Strabo *lib.* 16. Dio Cassius *lib.*36. & Tacitus *Hist. libr.* 5. ubi de Judæâ, cujus hæc sunt verba: *Terra, finesq; quà ad Orientem vergunt, Arabiâ terminantur, à Meridie Ægyptus objacet: ab Occasu Phœnices, & mare: Septentrionem à latere Syriæ longè prospectant.* Solum, si Straboni credimus, infœcundum, præsertim circa Hierosolyma. Sic enim ille: Ἔστι γὰρ πετρῶδες, αὐτὸ μὲν ἔνυδρον, τὴν δὲ κύκλῳ χώραν ἔχον λυπρὰν καὶ ἄνυδρον, τὴν δ' ἐντὸς ἑξήκοντα σταδίων, καὶ ὑπόπετρον. E contrà Tacitus, ubi suprà: *Rari imbres, uber solum. Exuberant fruges nostrum ad morem, &c.* Huic soli balsamum ferre concessum est. Plin.12.5. Baudrando *Judæa* regio est Syriæ meridion. parva, sed nobilissima, melle olim & lacte fluens, quæ antiquissimis temporibus appellata *Terra Chanaan*, postea *Terra Promissionis*, & *Palæstina* tempore Romanorum dicta fuit *Judæa*, nunc autem à Christianis dicitur *Terra Sancta*, Germanis *das Gelobte Land*, Gallis *la Terre Sainte*; quanquam Judæa strictiùs sumpta complectatur tantùm Tribus Judam, & Benjamin: Becmanno Judææ nomine veniunt Tribus Judæ, Benjamin, Dan tota, & Ephraimitidos ac Manassitarum Occidentalis portio. Vide Joseph. *de bello Jud. lib.* 3. *cap.* 1. Ejus quondam Metropolis Hierosolyma fuit, non Judææ modò, sed totius orbis ocellus. Reliquæ urbes, Bethlehema, Jericho, Ascalon, Bethoron, Azotus, Joppe, &c. Tota autem regio subest dominio Turcarum; malè admodum culta, cùm incolæ deficiant in dies propter frequentes incursiones Arabum. Aliàs divisa fuit Judæa in duodecim Tribus, quarum nomina & situm videbis in voce *Tribus*, quæ omnes etiam in unicum, tandemque in duo regna descriptæ sunt sub nominibus *Israël* & *Juda*: Judæa autem omnis Christi ætate divisa fuit in partes sex, in Galilæam, Samariam, & Judæam propriè dictam, quæ cis Jordanem fluvium & ad mare Mediterraneum, & in Trachonitidem, Ituream sive Peræam, & Idumæam, quæ trans Jordanem & in mediterraneis positæ sunt. Ejus mem. Lucan *l.*2.

Incerti Judæa Dei, mollisq; Sophene.

Et Juvencus *lib.*4.

Judæamq; petit quà pinguia rura, &c.

Pop. Judæi qui & *Hebræi, Populus Dei* olim, *Juifs* Gallis, *Judeos* Hispanis, *Juden* Germanis, gens quæ quondam Palæstinam habitavit, nunc autem per totum orbem terrarum dispersa vagatur, nusquam proprium locum possidens, ubique apud omne genus hominum odiosa & tributaria. Multa autem de origine gentis & religione confinxerunt profani scriptores, qui Judæum, & Hierosolymum fratres, Typhonis filios, fabulati sunt, unde & nomen genti, & urbi principi manarit, de quo Plut. *lib de Iside & Osiride*. Alii à monte *Idâ* nomen deduxerunt. Quidam volunt Bacchum eos, aut ejus loco vitem auream coluisse; nonnulli asinum, & porcum. Vide Florum 3.5. Plut. *Symp.*4.5. Petron. *in Catalectis*, & ibi Interpretes, nec non Orig. *lib.*5. *contra Celsum*. Minimè omnium corruptè de religione eorum Strabo, qui & *justos, & verè religiosos* appellat. Itemque Dio loco superius prolato. Iidem Pagani scriptores Judæorum, & Christianorum nomen non rarò confundentes, illos pro his posuerunt, quod Lipsius *ad* 15. *Ann. Tac.* itemque Pithæus *l.* 2. *Adverf. c.* 2. & Barthius *ad Rutilium Numatianum lib.*1. *Verf.* 159. observant. Historia eorum paucis hæc est: A Jacobo Patriarcha prognati, *Israëlitarum* habuere nomen, quo tamen omnes 12. continebantur Tribus, quæ pro peculiari gente tum demum haberi cœperunt, postquam in Ægypto prodigiosâ fœcunditate multiplicati essent. Hanc cùm frustra supprimere per 200. an. tentassent Ægyptii, à Moyse tandem divino jussu, è servitute eorum educti, Legem à Deo acceperunt, in monte Sinai, & post quadraginta annorum in deserto errores, terram Canaan Josuæ auspiciis occuparunt. Post cujus mortem Seniorum imperium venerati, Judices postmodum habuerunt, quorum ultimus Samuel fuit. Hoc adhuc spirante, Regem petiere, qui ipsis irato Deo obtigit, Saul vid. Cui successit David, vir secundùm voluntatem Dei, quem fil. Salomo excepit, sapientiâ & divitiis supra omnes Reges terræ. Post hujus mortem ob nimium Rehabeami, filii ejus, rigorem, divisum regnum est An. M. 3060. in regnum Israëlis, sub Jeroboamo, cui 10. tribus adhæsere, & regnum Judæ, sub Rehabeamo, cui duæ solæ servarunt fidem: Prius à 19. Regibus administratum est, per an. 255. usque ad Hoseam ultimum, qui Samariæ à Salmanassare Assyrio obsessus, in ejus potestatem tandem cum toto regno pervenit, anno Romæ conditæ 14. regni Ezechiæ Regis Judæ 6. Posterius 20. habuit Reges, à Rehabeamo usque ad Sedeciam, quo Hierosolyma capta est à Nebucadnezare, templumque destructum & Judæi Babylonem abducti, Olymp. 40. an. 1. Nabonassaris 140. à fundatione templi 424. Romæ conditæ an. 146. Mundi an. 3446. 607. circiter an. ante C.N. Duravit captivitas 70. annos, quibus effluxis, Cyrus Babyloniorum domitor, Judæis in patriam revertendi & templum reparandi veniam dedit, quod factum auspiciis Ducis Zorobabelis, Esræ & Nehemiæ; mortuo Zorobabele à Pontificibus summis gubernati, postea Assamonæis fuere subjecti, per annos 130. qui regio titulo resumto, præfuerunt genti; usque ad Herodem, quo regnante, JESUS CHRISTUS natus est. Hunc cùm impii cruci affixissent, ultorem mox sensere Deum: & rebellione iteratâ irritatis Romanis, captis an. Chr. 70. à Vespasiano & Tito Hierosolymis, post horrenda ac inaudita mala, & occisa eorum 1100000. captaque 97000. libertate penitus exciderunt, signavitque nummum Vespasiani mœsta sub cedro sedens JUDÆA CAPTA. Neque ulla ab hoc tempore maledictæ genti emergendi copia fuit: namque sub Trajano primùm, dein Adriano, Duce Barchocheba, postea Antonino Pio, &c. jugum excutere conati, aliis item temporibus idem molientes frustra fuere. Imo ab Hadriano ægrè impetrarunt, ut semel in anno adire sanctæ urbis deformes reliquias, ibique per paucas horas, vectigali libertate, inspectantibus militibus, pretio lachrymas suas redimere, ruinam templi & urbis deflere, miseramque gentis suæ sortem lugere ac deplorare liceret. Nec quicquam juvit Juliani indultus, Deo cœlitus fulminibus & terræ motu opus turbante. Etiam sub Theodosio minore, in Creta ad libertatem, à quodam qui Moysen se venditabat, vocati, magno numero mersi sunt, circa an. C.432. Iterum rex eorum Julianus, sub Justiniano, victus est an. C.533. Intra domorum claustra certis diebus conclusi sunt, lege Childeberti an. C.564. & cùm circa an. C.600. in eodem regno, plus libertatis nacti essent, adeo ut etiam *Christiana mancipia possiderent*, querente Massonio *in Hist. Gall.* eâdem postea rursus privati sunt. In Hispania à Sisibuto, ab Astrologis monito, à circumcisa gente metum imminere, ad fidem quidam compulsi, reliqui regno ejecti sunt, an. C.614. Iterum circa an. C.694. Egica Rex eos, quòd insidias regno struxissent, bonis fisco addictis, in servitutem redegit. Sub Leone Isaurio, non pauci, quòd ad Christianismum compellerentur, cum totis familiis sese ipsos ustularunt, circa an. Ch.722. Galliâ pulsi sunt, sub Ludovico IX. cui Saraceni exprobraverant, *Regi minus esse charum Jesum Christum, qui infensissimos ejus hostes in visceribus regni soveret*, circa An.1260. Ex Anglia eosdem ejecit Eduardus I. an. C. 1287. ob intoxicatas aquas, Basileæ aliisque in locis, ustulati partim, partim in exilium acti, circa an.1348. & nuper admodum omnibus hæreditariis provinciis à Leopoldo I. Imp. cedere jussi sunt. Plura qui volet, videat Eusebium, Josephum, Severum, Guil. Tyr. &c. imprimis, qui de ritibus eorum & consuetudinibus accuratissimè scripsit, Johannem Buxtorfium Fil. *Synagogâ Patris Judaicâ ingenti accessione locupletatâ.* Hinc *Judæus*. Ovid.

Cultaq; Judæo septima sacra viro.

Item *Judaicus*, ut *Superstitio Judaica* Quinctiliano. Juven.

Judaicum ediscunt & servant, ac metuunt jus.

Judaja, uxor Esræ. 1. Par. 4.

Viri celebres.

Judas, cognom. *Thaddæus*, frater Jacobi minoris: Evangelium in Mesopotamia, Arabia, Syria, Idumæa, &c. prædicavit, Berythi martyrio coronatus. Auctor Epistolæ Canonicæ, quam videtur, post maximæ Apostolorum partis obitum, scripsisse, fideles adhortatur, ut meminerint eorum, quæ ab illis prius dicta essent. Ibidem Enochi nobis prophetiam refert. Regem Abgarum Edessæ, ab incurabili morbo, liberasse dicitur. Vide Matt.10. Marc. 3. Luc. 6. Hieron. *in Cat.* &c. In Epistolam ejus, uno capite constantem, prodierunt; Ambrosii *Commentarius*. Bolduci *Expositio*, 4°. Paris. 1620. 1630. Calovius. Cl. Alexandrini *Commentar.* Coccejus. Danæi *Comm.* in 8°. Genevæ 1583. Feuardentii *Commentar.* 8°. Col. Agr. 1615. Gerhardi *Annotationes*, 4°. 1660. Junii *Expositio*, inter opera ejus. Kirstenii *Notæ*, fol. Breslæ 1611. fol. Francof. 1612. Lutheri *Enarratio*. Paræus. Perkinsii *Commentar.* Pococki *Notæ*. Sasbouthi *Explicatio* inter opera, uno Vol. fol. Col. Agr. 1568. Scribonii *Conciones*, 8°. Ibid. 1620. Sibelii *Homiliæ*, 4°. Amstelod. 1637. & inter opera, ibid. an. 1644. Theoduli *Commentaria* in Bibl. PP. Edit. Paris. 1610. Volzogenii Sociniani *Scripta* fol. Irenopoli 1656. Vide *Elenchum* Crowæi.

Judas, summus Sacerdos, Jesum fratrem germanum in templo Hierosolymitano interfecit.

Judas, ultimus ex Ebræis Hierosolymorum Episcopus, anno Sal. 131. Post Ephremum. Euseb. *in Chron.*

Judas Galilæus, seditionis author, occasione census, ab Augusto instituti. Auctor sectæ Pharisæis non absimilis, neminis nisi Dei imperium agnoscendum docuit. Vide Jos. *Ant. lib.*17. *cap.*15. Item *Judas* Gaulanites, qui seditionem movit contra Romanos. Jos. *Ant.* 12.3. & 18. *c.* 1. & 2. *de Bello Jud.*2.2.

Judas Iscariothes, unus ex duodecim Apostolis Domini fuit, qui cùm loculos gestaret, fur & avarus erat, nec æquo potuit animo pati unguenti pretiosi effusionem in corpus Christi. Hic Dominum suum ac nostrum, pretio triginta denariorum prodidit, signo osculi dato Judæis, ut Christum agnoscerent. Tandem pœnituit, & pecuniam retulit, ex qua emptus est ager figuli, in sepulturam peregrinorum; veruntamen amens & exspes laqueo se suspendit, mediusque crepuit, & diffusa sunt omnia viscera ejus: Porro quod attinet rationem denariorum, singuli valebant tres asses, sive solidos, & dimidium, (auctore Budæo *in libro de asse*) siquidem erant denarii Romani ac vulgares. Matth. 10. 26. 27. Johann. 12. &c. Hunc Cerinthiani & Cajani, vel Cainitæ, impensè venerati sunt, & quidem ultimò nominati Evangelio peculiari, quod proditoris Judæ nomen præ se ferebat, religiosè usi sunt, Epiphan. *hær.* 38.

Judas Macchabæus, ex Assamonæorum familia, Mathathiæ filius tertius, rebus & populo præest in locum patris suffectus, qui juvantibus prono animo quatuor suis fratribus, cæterisque piis, qui patri adhæserant, hostes profligat. Apollonium ducem, alterum à priore, qui primus contra Macchabæum in aciem descendit, cum suis copiis partim cæsis, partim fugatis, interficit. Seron quoque, Syriæ inferioris ducem, superat, mirâ celeritate ac victoriâ, posthæc templum purgat ac instaurat, altare Domino dedicat. Antiochus cum eo fœdus init: fidem frangit, templum spoliat: à populo summus Sacerdos creatur Judas, contra Bacchidem, Alcimum, & Nicanorem præliis victor: postquam præfuit an. 12. fœdusque cum Rom. iniit, Obiit in prælio, A.M. 3894. Vide *l.* 1. & 2. Macch. Joseph. *Ant. Jud. l.* 12. Torniel. Salian. Spond. *in Ann. V.T.*

Judas, scriptor quidam Ecclesiasticus Græcus, qui de septimanis, quæ à Daniele referuntur, disseruit, & Antichristum jamjam imminere existimans, multorum fidelium animos perturbavit. Idem Chronographiæ auctor, usque ad 10. an. imperii Severi, seu An.C.N. 203. Euseb. 6. 3. & 6. Niceph. *l.* 4. *c.* 34. Hieron. *in Cat.*

Judas Rabbinus, sec. 2. Nepos Gamalielis, cognom. Rabben Hakkados, i. Magister sanctus. Misna, partem Talmudi, contraxit. Item, Rabbinus cœcus, sec. 8. Auctor diversorum operum, quibus Sadducæi contra Cabalam & traditiones Synagogæ concitati sunt. Genebrard. *in Chron.*

Judenburgum, vulgò *Judenburg*, urbs Stiriæ sup. ad Muram fluv. quibusdam *Sabatinca* vett. in Norico, 9. mill. Germ. à Græcio in Occ. vix 2. à confinio Carinthiæ. Sub Austriacis.

Judi, filius Nathaniæ. Jer. 36.

Judia, vulgò *Judia*, seu & *Odiaa*, regni Siami caput, *Samarade* vett. quibusdam. Ampla est urbs & cultissima 30. leuc. circiter ab ora Oceani Indici in Bor. ad amnem Menanum, ferè 130. leuc. Gall. ab urbe Peguvia in Mer. Sedes regia, & emporium celebre, in planitie perampla.

Judices, dicti in pop. Israëlitico, qui à Josua, usque ad Saulem R. per an. 377. rerum habenas moderabantur. Horum præter Josuam quatuordecim erant. De quibus vide *librum Judicum*, in Canone V.T. capitibus 21. constantem. In hunc extant: R. Aharon Aben Chajim. Antoninus. Augustinus. Bedà. Bonfrerii *Comment.* fol. Paris. 1631. & Borrhai, fol. Basileæ, 1565. ut & Brentii. Buceri *Comm.* fol. per R. Steph. 1563 Calovii *Annot.* Crommii *Comment.* Lovanii 1631. Chytræi *Enarratio* fol. Drusii *Commentar. in loca diffic.* 4°. 1618. Ferus. Freyre. de Hales. Helingii *Periocha* 8°. Norimb. 1593. Isidorus. de Lapide. Lavateri *Homiliæ*, fol. 1576. Magalianus. Malvenda. Marcellinus. Martyris *Comm.* fol. Tiguri 1571. &c. Montanus. Nezenii *Exercitationes*, 4°. Jenæ 1611. Origenis *Homiliæ*. Paulutius. Procopius Gaz. Rabanus. Rupertus. Serarii *Commentarius*, fol. Parisiis 1609. Strigelii *Argumenta & Scholia*, Lips. 1586. Theodoreti *Selectæ Quæstiones*. Theodorus. Tostatus. Victorini *Annotationes*. Wolfii *Commentar.* fol. Tiguri 1589. &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

Judicium aquæ, Dei, ferri, vide in vocibus *Ordalium*, *Purgatio*, *&c.*

Judith, nomen viduæ cujusdam nobilis, quæ Holophernem, ducem exercitûs regis Assyriorum, patriam suam obsidentem, dolo peremit. Judith. *cap.* 16. *Sed historia hæc fabulam sapit*, neque cum regno Manassis, ut quidam volunt, neque cum temporibus Xerxis, ut alii, conciliabilis. Ob quam rationem, pluresque alias, liber hic meritò inter Apocryphos latet. Vide Frid. Spanhem. *de auctorit. libb. Apocryphorum.*

Principes fœminæ.

Juditha, filia Guelphi, Comitis Ravensberg. vel Altorphiensis, in Bavaria, uxor secunda Ludovici I. Imper. ex illo mater Caroli Calvi. Juvencula, impudica, ambitiosa, plurimis malis Galliam involvit. Noti ejus & Bernardi Comit. Barcinonensis parum honesti amores. Obiit Turonibus, an. 843. Aimon. *l.* 5. Fauchetus, Mezerajus *Hist. Gall. tom.* I.

Juditha, fil. Caroli Calvi, Etelulpho & Edtelredo, Angliæ Regibus nupsit. Post quorum obitum, in Galliam redux, volens rapta est, à Balduino, cogn. Brachiferreo, Saltuum Flandriæ præfecto, conscio fratre Ludovico Balbo: & in assensum postmodum Patre, ope Nicolai I. pertracto, an. 863. qui Balduinum generum Flandriæ Comitem creavit. San Marth. *Geneal. Gall.* Chenius *Hist. Angl.*

Judocus, Juthaëli Britonum cismarin. regis fil. Judacailis R. frater, qui relicto principatu, cujus hæres fuit, byssum & purpuram in pannosas & viles commutavit tunicas. Volat. Hic Pontivum petens, sub Chlodoveo, in vasta eremo mari proxima habitavit, Presbyter factus, atque ab Haimone regionis Duce seu Præfecto è lapide quadrato templum B. Martino ædificatum accolu t, ibi postea sepultus. Ejus Monasterium ab auctore & situ loci Cellam S. Judoci ad mare, *S. Josse sur Mer* posteri appellavere. Positum id est contra Stapulas ad ostium Quantiæ, in mare Brit. effluentis. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Ivellus Johannes, Episcopus Salisburiensis, in Anglia, pro religione, sub Maria exul, Obiit an. C. 1605. Magni nominis Theologus. Draxus *in Tuba extrema.*

Ivenna, opp. Carinthiæ infer. versus montes, 2. mill. Germ. à Volcmaria in Austr. in limite Carniolæ. *Jaunstain* vulgò.

Iverna, vide *Hibernia*.

Ivernis, Ptol. *Dunkeran* Camdeno, *Donekyne* incolis, urbs est Hiberniæ. Episcop. sub Archiepiscopo Cassiliensi, Comit. Desmoniæ caput, ad æstuarium Jerni fluv. vulgò *Maire Flud.* 15. mill. circiter ab Oceano, uti 45. à Corcagia, 60. à Cassilia in Circ. 70. à Galliva. Cum portu capaci: Sensim deficit. Ibi olim *Iverni* pop.

Jusicum, seu *Juphicum* Ptol. *Sassoferrato* quibusd. opp. Umbriæ præc. inter Fabrianum & Pertiam 7. mill. pass. à Fossato 4.

Juga, Juno dicta est, vel quòd Juges, ut ait Pomp. Sunt enim ejusdem jugi pares, unde & conjuges: vel, uti scribit Servius, propter jugum, quod imponebant matrimonio conjungendis. Ejus ara fuit Romæ in vico, hinc *Jugatius* dicto: Ad eam veteri ritu nubentes vinculis jungi in omen futuræ concordiæ, soliti sunt. Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib.* 2. *cap.* 6.

Jugantes, Britanniæ populi, Tacito, apud Cantium. An Brigantes?

Jugatinus, Deus, qui *jugis* montium præesse putabatur. Item, qui conjuges jugabat.

Jugatius, vicus Romæ dictus, ubi Junonis Jugæ ara erat, quam putabant matrimonia conjungere.

Jugo, oppidul. Britanniæ, juxta *Arguenon*, amnem. 7. leuc. à Fano S. Brioci in Ort. Rhedones versus, 5. ab ora maris Brit. *Jugon* vulgò.

Jugra, seu *Juhra*, prov. Septentr. Moscoviæ, prope mare Boreal. inter Petzoram prov. & Condoram. Ibi tantùm portus aliquot, vulgò *Juhorski*.

Jugula, hoc nomine Plautus dixit sydus Orionis in Amphitryone: *Neq; Jugula, neq; Vesperugo, neq; Vergiliæ occidunt.* Festo ab eo videtur dici, quòd ea stella amplior cæteris, quasi nux Juglandis. Sed aliter Varro *lib.* 6. *de L.L.* aliter Isidorus *lib.* 3. *Orig.* & eum secutus vetus Germ. Cæsaris Scholiastes, quos vide, & infra in *Orion*.

Jugulum, inter prisca Ecclesiæ ornamenta; Videtur fuisse jugum minus ex auro factum, & in basilicis suspensum, ad memoriam verborum Christi, dicentis Matth. 11. 30. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Anastasius *in Nicolao I. Fecit enim*, inquit, *in Confessione ipsius sacratissimæ basilicæ* (B. Petri) *jugulum ex auro mundissimo unum, pensans lib.* 2. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Jugum Ceretanorum, opp. Cataloniæ ad Secorim fluv. intra montes; *Puliacerda* vulgò. Caput Comit. Ceretaniæ. 14. leuc. à Perpiniano in Occ. uti 1. leuc. à Julia Libyca, 6. ab Orgela in Ort. in ipso Galliæ limite.

Jugurtha, fil. Mastanabalis, fratris Micipsæ, ex pellice, nepos Masinissæ, regis Numidarum, quem patruus moriens hæredem regni sui constituit, unà cum 2. filiis suis adhuc impuberibus, Adherbale, & Hyempsale: quos ille posteà beneficiorum immemor, insidiis adortus interfecit, ut solus regnaret. Id ægrè ferentes Romani, bellum adversus eum moverunt; quod ducum inertiâ, perfidiaque, præter omnium expectationem, multos in annos est protractum: quo temporis intervallo, vario sæpe eventu pugnatum est, donec misso in Numidiam Mario, Jugurtha, fractis opibus suis, ad Bocchum Mauritaniæ regem, Socerum suum, confugit: à quo proditus, Syllæque traditus, ad Marium perductus est, & ab eo Romæ triumpho ductus, tandemque in carcerem conjectus animi dolore periit. Sallust. *de Bello Jugurthino.* Flor. *lib.* 2. *hist. cap.* 2. Plut. *in Mario & Sulla.* Lucan. *lib.* 2.

Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ.

Et *libro* 9.

—— Quàm ter Capitolia curru

Scandere Pompeji, quàm frangere colla Jugurthæ.

Claudianus,

Traximus immanem Marii sub vincla Jugurtham.

Inde *Jugurthinus*. Unde est illud in Sallustium apud Quint. *lib.* 8. *cap.* 5.

Et verba antiqui multum furate Catonis

Crispe, Jugurthinæ conditor Historiæ.

Juhones, pop. Germaniæ fuere, ubi postea Bructeri, & nunc pars Weteraviæ ac diœc. Trevirensis, Cluver.

Juhonum civitas, cujus mem. Tacitus *Ann.* 13. colonia ad Mosam fl. sita, inter Leodium & Namurcum, vulgò *Heye*. V. *Hujonum*.

Iviniacum,

Ioviniacum. opp. aliàs Burgundiæ, nunc Campaniæ, in colle, ad Icaunam fluv. cum castro Comitis & ponte. *6*. leuc. ab Antissiodoro in Bor. *Joigny* vulgò.

Jula, urbs Arabiæ fel. Ptol.

Julia gens, dicta est ab *Julo* Ascanio, sive ab *Julo* filio ejus. Festus. Vide Steph. in Ιουλεῖς.

Fœminæ Illustres.

Julia, quæ erat Caracallæ noverca, nupta Severo, ejusdem etiam uxor fuit. Nam cùm esset pulcherrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixit Caracalla, *Vellem, si liceret*: at respondit hæc, *si libet, licet, an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* Tunc nuptias celebrat, eique copulatur, in cujus gremio ejusdem filium Getam nuper confoderat. Æl. Spartian.

Julia, Augusti filia, ex Scribonia, parum secundæ famæ, adeò ut ob frequentia adulteria à patre sit in insulam Pandatariam, dein Rhegium relegata. Uxor primò Marcello, dein Agrippæ data, ex illo trium filiorum, totidemque filiarum mater: Tertiò Tiberio nupsit, quem cùm velut indignum sprevisset, ab illo postmodum Imperatore in tantas miserias redacta est, ut infamis & exul fame perierit. Suet. *in Aug. & Tib.* Tacit. *Annal. l.* 1.

Julia, filia Agrippæ ex priore, neptis Augusti, iisdem cum matre moribus. Nupsit Æmilio Lepido, ex illo duorum liberorum mater. Ab Avo in Insulam Trimeram Apuliæ relegata, ibi per an. 20. vixit, sustentata à Livia Imper. quæ Augusti familiam florentem persecuta, oppressam solari solita est. Tacit. *Annalium libr.* 4.

Julia, neptis Tiberii. Item fil. Titi, quam Domitianus marito ereptam gravidam reddidit, dein ut fœtum abigeret, coëgit, unde mortua est.

Julia, vel *Junia* Fadilla, abneptis Antonini, Maximiniano Jun. nupsit.

Julia Gonzaga, ingenio & formâ inter primas sui temporis. Quâ ut potiretur Solimannus, Barbarossam cum classe misit, qui urbem quidem, in qua degebat, cepit, ipsa verò elapsa est. Thuan. *Histor.* Hilario Costus, *Elog*.

Julia, Script. Ger. *Giuliers*, regio Germaniæ inferioris, Ducatus titulo insignis, inter Coloniam Agrippinam & Trajectum ad Mosam, sub qua Eysalia regio ad Meridiem magna ex parte continetur, ad Boream Geldriæ contermina. In ea Juliacum urbs primaria. Vide *Juliacum* & *Juliacensis Ducatus*.

Julia, quæ Plinio & Antonino *Fidentia*, seu *Fidentiola*, hodie *Borgo di S. Donnino*, urbs Galliæ Togatæ, inter Placentiam 20. & Parmam 15. mill. pass. quæ diù sine sede Episcopali fuit, nostrâ tempestate ei restituta, sub Archiepiscopo Bononiensi. Ferr. Baudrando urbs est oblonga, sub dominio Ducis Parmæ, in regiuncula Status Buxeti dicta. 15. milliaribus distat à Cremona in Meridiem. Ibi sanctus Domninus martyrio occubuit anno 303. teste Baronio.

Julia, vulgò *Giula*, urbs munita Transylvaniæ, quæ aliàs Zidava dicta fuit, ut opinatur Sanso. Sedet juxta amnem *Fekjer Kerez*, & prope Sarcadium lacum, 20. milliaribus à Vvaradino ad Meridiem, & totidem à Segedino in Eurum. Capta fuit à Turcis Anno Chr. 1566. & ab ipsis oppignerata est Principi Transylvaniæ.

Julia, urbs Italiæ, à Dædalo condita, Steph.

Julia, vulgò *Geyl*, teste Mercatore, fluvius Norici, per agrum Salisburgensem decurrens. In Thesauro Linguæ Latinæ oppidum Norici nominatur: cùm apud Plinium *Julia* oppidum sit Galliæ Togatæ.

Julia Apulum, Ptolemæo, urbs Daciæ, Transylvaniæ primaria. Vide *Alba Julia*.

Julia Cæsarea, Plin. Mel. & al. urbs Mauritaniæ Cæsariensis primaria, priùs *Jol*, à Juba Rege condita, postea in Cæsaris honorem Julia *Cæsarea* dicta. Hic Carolus V. Imperator anno salutis 1541. urbem expugnaturus, insignem cladem, maris tempestate diutina amissâ classe ingenti, pertulit. Vide *Jol*. Ferr. Baudrando nunc, teste Sansone, est *Tenez*, urbs regni Algerii, in ora maris Mediterranei & in provincia Teneza dicta. Sedet ad radices montis, & portu gaudet commodo, uti & castro. 125. milliaribus distat ab Algerio in Occasum, & ferè 90. à Quiza urbe in Ortum. Malè autem interpretantur Algerium plurimi recentiores, ut Sanson docet pluribus in descriptione Africæ.

Julia Campestris, *Beni Teudi*, teste Marmolio & aliis, *Banituede*, urbs Mauritaniæ Tingitanæ mediterranea, à Lixo 40. mil. pass. in Ortum distans, quæ & Augusti colonia, *Babba* Plinio dicitur.

Julia Charitas, Bæticæ op. in conventu Astigitano. Plin. *Julia fama*. *Julia Vicus*, *Julia contributa*, *Julia restituta*, *Julia felicitas* ejusdem Bæticæ opida apud Plin. eodem loco. Vide infra.

Julia Claustra, locus intra Alpes Julias, quo ex Carnis in Noricum transitur, *la Chiusa* vulgò, à Glemona oppido Carnorum 14. in Boream Villacum versùs, ab Utino 30.

Julia Fama, quæ & *Seria* Plinio dicitur, oppidum Hispaniæ Bæticæ, apud Anam fluvium, in Lusitaniæ confinio, *Seria* adhuc, teste Floriano, & Tarapha dictum, nunc pagus apud Ayamontem oppidum.

Julia Felix. Vide *Berytus*.

Julia Fidentia, Vid. suprà.

Julia Lex, varia & multiplex apud Romanos: *de cessione bonorum: de Civitate; de dividendo agro Campano & de deducenda colonia: de forma judiciorum: de maritandis ordinibus: de non imponenda vindicta manumissis: de peculatu: de provinciis Prætoriis: de repetundis: de ambitu: de vicesima: de agro Stellate plebi dividendo: de Tribunis ærariis ex numero equitum tollendis: de Majestate*: &c. Item *Julia Sumptuaria, Julia Miscella, Julia Plautia, Julia Titia lex de Tutelis*: de quibus omnibus V. Thom. Dempsterum *in Antiquit Rom.*

Julia Liberalitas. Vide *Ebora*.

Julia Libyca, teste Floriano, vel *Linza*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in Aragonia, apud montis Pyrenæi radices, à Cæsaraugusta 30. leuc. in Boream versùs Aquitaniam distans: quæ *Iusa* aliis dicitur. Λίμυκα in Seldeni manuscripto. Ferrar. Baudrando est *Livia*, oppidum Comitatus Ceretaniæ, in Catalonia, ad Secorim fluvium, *Livia* dicta in libro Juliani Toletani de expeditione Vvambæ Regis Gothorum: mœnium Livianorum mentio apud Sidonium, qui se illic exilium tolerasse scribit. Distat 15. leucis in Occasum à Perpiniano, & unâ leucâ à Jugo Ceretanorum seu *Puigcerda* in Ortum; estque in ipso confinio Galliæ.

Julia Myrtilis, *Mertola*, oppidum Hispaniæ Lusitanicæ antiquum & præclarum, apud Anam fluvium, in regno Portugallico, inter Pacem Juliam & Sylvam urbem 9. leuc. Serpæ & Mauræ finitimum, ad 4. & 5. leucas dissidens. Ferr. Baudrando oppidulum est Lusitaniæ trans Anam, versùs confinia Algarviæ, satis munitum, in tractu montuoso, 25. leucis Lusitanicis distat à Pace Augusta in Austrum, 9. à Maura, & 4. à Serpa, 3. autem à Sylvi in Ortum; subestque dominio Regis Portugalliæ.

Julia Nova, *Giulia nova*, oppidum regni Neapolitani, in Aprutio ulteriori & in ora maris Adriatici. 20. circiter milliaribus distat ab Asculo Piceno in Ortum, & 18. à Penna in Boream.

Julia Pietas, (vide *Pola*) urbs Istriæ.

Julia Restituta. Vide *Segeda*.

Julia Traducta. Vide *Tingi*.

Julia unda, quænam fuerit, vide Lud. de la Cerda *in illud Virg. Georg.* 2.

Quid memorem portus, Lucrinoq; addita claustra,
Atq; indignatum magnis stridoribus æquor,
Julia qua ponto longè sonat unda refuso,
Tyrrhenusq; fretis immittitur æstus Avernis.

Juliacenses, quibusdam iidem sunt cum vet. Gugernis.

Juliacensis Ducatus, *Duché de Juliers*, provincia Germaniæ inferioris, inter Rhenum ad Ortum & Mosam ad Occasum. Rurâ fluvio in duas partes dividitur; subestque Duci Neoburgensi è familia Bavarica, cùm antea habuerit Duces proprios & potentissimos. Terminatur à Septentrione Gueldria superiori, ab Ortu Diœcesi Coloniensi, ab Occasu Ducatu Limburgensi, à Meridie Eiffalia & Diœcesi Trevirensi. Dicitur ab incolis *Hertzogthumb van Gulick*. Ejus primaria est Juliacum, *Juliers*, urbs permunita.

Juliacum, Tac. Amm. *Gulick* & *Giulick* incolis, *Juliers* Gallis, urbs munita Germ. inferioris, Juliæ Duc. caput, inter Coloniam Agrippinam 6. & Trajectum ad Mosam ad Occasum 8. leuc. ab Aquisgrano in Cæciam 4. Sita est ad Ruram fluvium, Juliacensis Ducatus caput, cum arce fortissima. Pluries capta & recepta fuit, & tandem ab Hispanis reddita Duci Neoburgensi, virtute pacis Pyrenæorum anno 1660. Familiæ *Juliacensis* origo hinc vulgò arcessitur. Circa A. C. 700. Theodoricus, ultimus Comes castri Clivii & adjacentis regionis, duxit Beatricem, Comitis Teisterbandæ filiam & hæredem: quæ defuncto marito junxit sibi Ælium Gracilem, Caroli Martelli fidum socium, inque ejus familiam transtulit jura & titulos Comitis Cliviæ, ac Teisterbandæ. Hoc par conjugum stirps est Ducum Cliviæ, Montium, & Juliaci, Comitum Marcæ. Quorum ultimo Johanne Wilhelmo, extincto A. C. 1609. Matthias Imp. mandando ut Mulhemium destrueretur, litem inter Wolfgangum Neoburgicum & Brandeburgicum Septemvirum accendit, A. 1612. qui, bello inde exorto, tandem ditionem diviserunt, Saxoniæ Ducibus jus in Principatum sibi competens hodieque sibi reservantibus. Instrum. Pacis *artic.* 4. *§. Causa Juliacensis*: hæc controversia amicabili transactioni, aut judici ordinario relinquitur decidenda. Interim Elector Brandeburgicus & Comes Palatinus Neoburgensis, Ducatuum possessores, ante paucos annos inter se transegerunt, sanctèque invicem promiserunt, mutuâ ope, contra quoscunque jus suum strenuè tueri. Vid. de tota hac Juliacensi causa Burgoldensem *part.* 1. *ad Instrum. Pac. Discurs.* 32. *in totum*: Item Francisci Irenici *notas ad Burgold.* Limnæum insuper *de Jure publico*, &c.

Juliana, mater virginis Demetriadis. V. *Demetrias*.

Juliana Morella, Dominicana, Barcinone oriunda, an. æt. 12. defendit publicè Lugduni theses Philosophicas, quas Marga-

retæ Hispaniæ Reginæ inscripsit. Anno Christi 1607. Philosophiæ, Jurisprudentiæ, Musicæ, & quatuordecim linguarum peritissima. Gretser. *rer. Var. libr.* 2. *cap.* 4. Hilario Costus *elog. fœm. Ill.*

Imp. Rom. & Tyranni.

Julianus, Rom. Imp. cognomento Ὁ παραβάτης sive Apostata, quòd à Christianismo ad Ethnicismum impiè desciverat: de cujus scriptis vide Voss. *Hist. Gr. pag.* 250 Fil. Julii Constantii, ex Basilina, nepos ex fratre Constantini M. discipulus Eunuchi Mardonii Gentilis, in Grammaticis; Ecebolii, in Rhetoricis: Nicomediam ab Imperatore missus, ut ibi ab Eusebio Episc. in pietate erudiretur, à Maximo Philosopho & Mago planè perversus est. Quod cùm innotuisset Constantio consobrino, ejus rigorem is veritus, Monachi vestem palam induit, Paganismo clam intentissimus: Postquam priùs cum fratre Gallo, quem ex Galla pater susceperat, Lectoris officio functus, partem templi, quod communibus cum illo sumtibus extructum ibat, absolvere nullâ ratione potuisset. Postmodum Cæsar à Constantio lectus, suasu Eusebiæ uxoris, Helenam Imperatoris sororem sibi junxit. Gallis dein præpositus, in campis Argentoratensibus cum parvâ manu infinitas hostium copias delevit, ob quod assensu militum concordi, Augustus factus est. Hinc, Constantio interea mortuo, Constantinopolim profectus est, jam apertus fidei desertor, edito contra Christianos libro, quem argutissimè Cyrillus Alexandrinus Episc. confutavit, labore hoc Theodosio M. inscripto. Mox apertis Deorum templis, ipse Pontificis S. dignitatem sibi sumsit, victimarum sanguine Baptismi characterem deleturus. Revocatis hæreticis, Donatistas Africæ reddidit, tanto in Christianos odio ardens, ut necatis Manuele, Sabele, & Ismaële, Persicis legatis, eò quòd Christiani essent, gentium jus violare non fuerit veritus. Exin in Persas bellum gesturus, Christianis Scholas prohibuit, ne doctores artium liberalium essent, unde materia deesset, & paulatim ingenium fidei defendendæ deficeret. Ornamenta divino cultui dicata, & sacras Ecclesiæ pecunias abstulit. Sacerdotes, & Clericos, populumque Christianum crudeliter vexavit, templaque diruit. Interim simiam Christianorum acturus, Scholas erexit, in quibus, quæ ad religionem & mores, docerentur: Antiphonas in templa introducere, precum formulas præscribere, Nosocomia, Orphanotrophia, &c. fundare, monasteria Virginum extruere, & publicæ pœnitentiæ, quâ scandala coercerentur, quædam simulachra instituere, sibi proposuit; divinitus prohibitus. Prætorianos milites ad Gentilismum perducturus frustra fuit, plurimis illorum missionem amplexis. A' Mari Episc. Chalcedonensi increpitus, respondit, ipsi à suo Galilæo visum tamen restitutum non iri: regerente Episcopo, se gratias agere SERVATORI suo, quòd ejus intuitu oculos polluere non habeat necesse. Specie clementiæ hominibus subblandiens, sævus in Christianos, illos tum in Oriente, tum in Occ. crudelissimè persecutus est, hæreticis contra illos concitatis, & permisso Judæis, ut Hierosolymâ denuo conditâ CHRISTI vaticinium eluderent, qui conatus tamen miraculosè inhibiti. Fato urgente, cùm expeditionem maturare cogeretur, juravit Christianismo πανωλεθρίαν, si reverteretur. Sed prælio cum Persis temerè commisso, acceptoque lethali vulnere, & manu cruore repletâ, ut Deum nostrum blasphemaret, in aerem sanguinem projiciens, exclamavit *Vicisti tandem, Galilae, Vicisti*. Sic enim Christum vocare solebat, ejusque cultores Galilæos, Sozom. 6. 7. & 10. Anno Chr. 363. æt. 31. Imper. an. 1. mens. 7. Cœterà eruditus, castus, sobrius, pervigil, laboris amantissimus. Vid. Gregor. Naz. *Orat. c. Julianum* Chrysost. Hieron. Optatum, Socrat. Theodorum, Nicephorum, Ruffinum, Zosimum, Amm. Marcellinum, Eutropium, Baron. &c. A' morte Juliani, ultimi Imperatorum gentilium, An. Chr. 365. excitæ gentes sævissimæ limites sibi proprios persultarunt, Vide Marcellin. *lib.* 26. *cap.* 10. & 31. Proin ad hunc infausti ominis annum reducit, primum ruinæ Imperii momentum, de qua Apoc. 13. 14. Josephus Medus Theologus Anglus.

Julianus, aliis Julius Sabinus, Tyrannus, prope Veronam, à Carino occisus, cùm in Pannoniam properaret, Diocletiarum ex Oriente advenientem occupaturus. Item Marcus Aurelius *Julianus*, Tyrannus, sub Diocletiano, cum Quinquegentianis in Italia, rebellans, tandem sibi ipsi manum victus attulit. Item, Juliani Ap. avunculus sævitiæ ejus administer, periit Antiochiæ, cum Felice, redituum præfecto, vasis sacris illudente. Item, secundogenitus Constantini Tyr. creatus Nobilissimus, cum patre, jussu Honorii, interfectus. Item, Episc. Puteol. à Leone, ad Concil. Ephesinum missus, in quo Hæretici superiores erant. Item, Episc. Cous, ab eodem Leone, ad Concil. Chalcedonense missus. Leo *ep.* 70. Item, Rex à Samaritanis, sub Justiniano, creatus. Cum subditis, rebellibus, exustus. Item, auctor Lexici, ex 10. Oratoribus collecti. Phot. *Cod.* 150.

Viri illustres.

Julianus, Consul cum Torquato, an. U.C. 900.

Julianus, Consul cum Pisone an. U.C. 927. Secundò Consul cum Crispino, an. U.C. 976.

Julianus, Alexandriæ post Agrippam, vel Agrippinum, Episcopus, an. sal. 181. usque ad 190. cùm Demetrius successit. Eusebius 5. 9.

Julianus, 7. Hierosolymorum ex Gentibus Episcopus, Anno Dom. 160. Item alius eodem sec.

Julianus, Cardinalis, cecidit ad Varnam in bello Ungarorum, An. Dom. 1445. Vid. infra.

Julianus, martyr apud Alexandriam sub Decio Imper. Anno Dom. 251.

Julianus, alio nomine *Claudius*, præfectus classis Misenensis, dein à Vitellio permulcendis militum animis dilectus, & gladiatoribus præpositus, collatis utrinque castris, in partes Vespasiani transiit. Tac. *Hist.* 3. 57. Occisus à Lucio Vitellio, proditâ Terracinâ.

Julianus, Hæreticus Pelagianus, fil. Memorii, Episcop. Capuæ, qui Augustino amicus. *Ep.* 13. Viso Augustini lib. 1. de Nuptiis & de Concupiscentia, quatuor libb. contra edidit: eodem tempore per duas epistolas sectatoribus suis Romæ confirmatis, & Episc. Thessalonicensi tentato, Anno 419. His Augustinus 4. libb. opposuit, cum tit: *contra duas Pelagianorum epistolas*, &c. visáq; refutatione libri sui de Nuptiis & Concupisc. vindicias scripsit. Julianus minimè cessans 8. alios, contra inclyti hujus Præsulis sex libb. edidit: in quibus refellendis occupatus Augustinus, morte absumtus est, cùm jam ad sextum usque provectus esset. Horum Cl. Menardus duos priores, Vignierius quatuor reliquos, in Bibliotheca Clarævallensi repertos, publicâ luce donavit. Julianus tandem sede pulsus, sæpiusque anathemate ictus, miserè tandem periit. Prosper *in Chron.* Beda, Morer.

Julianus, Vid. *Tertius.*

Julianus Cæsarinus, ex illustri familiâ, Romanus, Græcè & Latinè insigniter doctus: sub Martino V. Ab hujus successore Eugenio IV. in Germaniam Legatus, tuba belli contra Hussitas fuit. Præses dein in Concilio Basiliensi, Pontificem ad pacem Ecclesiæ dandam graviter cohortatus est: In Florentino postmodum Conc. Latinæ Ecclesiæ prærogativam contra Græcos tuitus. Tandem in Hungariam missus, ad violandas inducias, quas Ladislaus Hung. Poloniæque R. & Amurathes Turcarum Imp. sanctè juraverant, cladis Varnensis, cujus mala hodieque Christianus orbis sentit, auctor, an in prælio, an in fuga, ab hostibus: an à naviculario auri cupido, interfectus est, Gregorio Sarmosâ, ei his verbis insultante, *I nunc Juliane, & dic Regi tuo apud Inferos, Hæreticis fidem non esse servandam.* Bodin. *de Rep. lib.* 5. *cap.* 6. Anno 1444. Bonfin. *dec.* 3. *lib.* 6. Cromerus *lib.* 21. Cochlæus *hist. Huss. l.* 6. Ciacconius, *in addit. ad Martin. V. &c.* Vid. *Amurathes* & *Ladislaus.*

Julianus Halicarnassæus, Hæreticus, caput Phantastarum, seu Incorruptibilium: hostium Conc. Chalcedonensis.

Julianus Hasartus, Carmelita Hannonius, auctor Chronici Hannoniæ, Flandriæ, Zelandiæ, Hollandiæ, Frisiæ, Brabantiæ, Geldriæ, &c. Obiit an. 1525.

Julianus Lucas, Græcus, Diaconus Eccl. Toletanæ, sec. 8. auctor Historiæ Hispanicæ: Vasæo non memoratus, *Chron. Hisp. cap.* 4.

Julianus Pomerus, Maurus, in Galliam transiens ex Africa, ibi Rhetoricam docuit, diu Arelati moratus. Auctor libri de Vita contemplativa seu de Virtutibus & Vitiis. Anno Christi 496. Gennad. c. 98. Isidor. *c.* 12. Sirmond. *tom.* 2 *Concil Gall.*

S. Julianus de Pyro, Ordo Milit. Hispaniæ, à Peterio institutus. Ferdinandus II. ejus protectorem se professus est, Anno Christi 1176. Postmodum Alcantarensi junctus. Mariana *de rebus Hispanicis.*

Julianus Saba, Eremita, cùm aliquantò intentius Deum deprecaretur, eo ipso die, quo cæsus fuit Julianus Apostata, rescivit id, quamvis pluribus quàm 20. stadiis exercitus abesset, ab eo loco, in quo precibus vacabat. Vide Theodor. *Hist.* 3. 24.

Julianus Titius, legionis in Mœsia legatus, ab Othone Consularibus ornamentis donatus. Tacit. *Hist.* 1. 79.

Julianus Toletanus, Arch. floruit sec. 7. Auctor, *Commentariis in Nahum, Prognosticorum seu de origine mortis humanæ, de futuro seculo & de futuræ vitæ contemplatione libb.* 3. *Chronicorum*, &c. Obiit an. 690. Felix Toletanus, *in add. ad l. de Vir. Ill. Sancti Ildeph.*

Julias, egregia extra Jordanem in inferiore Gaulonitide civitas est, in tribu Manasse, quæ Thraconitidem regionem ab Austro terminat, sita ad Jordanem in Orientali ripa lacus Genesareth, ex adverso civitatis Bethsaidæ. Fuit quondam civitas hæc sub ditione oppidi Bethsaidæ, vicus duntaxat transmarimus.

Julias, oppidum in tribu Gad, in Peræa regione, ager ejus habitatur vicis quatuordecim.

Julienses, Carnorum pop. Alii in Asiâ min. Plin.

Julii, Albana gens fuit, atque Romam à Romulo traducta. Igitur majorum gentium Patricia fuit Pontificatu Maximo, Dictaturis quinque, Magisterio Equitum, Consulatibus 17. Censurâ unâ, Tribunatibus militum consulari potestate 9. Decemviratu legibus scribendis, triumfis octo, Cæsare ipso Dictatore & Augusto Romani Imperii conditoribus omnium Romanarum clarissima, quæ *Juli, Mentonis, Cæsaris, Strabonis, Bursionis, Augusti,*

Augusti, *Germanici* cognomina variis temporibus usurpavit, à Julo Ascanii, vel Æneæ filio orta. Itaque *Proculum Julium* Romuli tempore *Juli Ascanii* progeniem vocat Dionysius.

Julinum, urbs vetusta & celeberrima, quæ nunc *Voltinum* dicitur, *Wollin*, in qua primam Episcopi Pomeraniæ sedem Principes olim posuerunt, emporium quondam in littore Balthico amplissimum, à multis externis gentibus, & diversarum nationum, linguarum & religionum populis, Henetis, Dacis, Suecis, Slavis, Judæis & Ethnicis, solâ Christianorum fide exceptâ, pagatim, ita ut singuli suas distinctas plateas nominibus gentium insignitas tenerent, inhabitatum. Fuit Julinum in insula Julino, nunc *Wollinische Werder*, situm ab Ortu: ea ponte longo supra *Divenoum*, quem Viadri in mare properantis alveum esse apparet, quo ex palude *Groß Haff* egreditur, continenti Pomeraniæ juncta: ab Occasu Sueno vel Suevo, à Meridie lacu recenti admodum piscoso: ad Boream Balthico mari cincta fuit, inde vix 3. mill. distans. 7. à Stetino. Urbis ambitum milliare Germanicum excessisse ex antiquis ruinarum vestigiis, & montibus seu editioribus urbis locis, quibus castella imposita fuerunt, constat. Sed anno 1170. Waldemarus primus Daniæ rex eam cepit & solo æquavit, ut campi jam sint maxima ex parte, ubi vetus Julinum fuit, exiguuo tamen oppidulo *Wollin*, veteris urbis vestigium retinente, adhuc superstite. Metel. Habet hoc arcem munitam sub Suecis. Pace Monaster. Baudr. Quibus ab El. Brandeburgico ereptum est, A. C. 1675.

Juliobona, Galliæ Celticæ urbs. Ptol. *Honfleur* P. Divæo. Opp. Caletum aliàs, nunc urbs Normanniæ. Aliis est *Lillebonne*, urbs parva prope Sequanæ æstuar. 6. leuc. à Portu Gratiæ, in Ort. Rhothomagum versus, à quo 8. leuc. in Cæc. recedit. Cluverio & Valesio Deppa est, *Dieppe*, à fluv. ipsam alluente dicta. Episcopus *Juliobonensis* Betto, interfuit Concil. Cabillonensi, sub Chlodovæo jun. *Notit. Gall.*

Juliobona altera, urbs Pannoniæ super. ad Danubium, Austriæ caput, & adversus Turcas optimè munita, *Vindobona* Antonino, *Ala Flaviana* vet. inscr. vulgò *Vienna*. Hic Marcus Pauli Ap. comes, dicitur Evangelium prædicasse. circa A. C. 70.

Juliobrica, Hisp. Tar. urbs in finibus Cantabrorum Ptol. *Logronno* Clusio ac Taraphæ: *Oliva* Floriano, Navarræ oppidum, *Aguilar del campo* H. Coquo. *Fuente d' Juero* Ferrario, vel *d' Ebro* Baudr. vicus ad fontes Iberi fluv. Aliis *Val de Viesse*, vicus ad Iberum, 5. leuc. Hisp. ab ejus fontibus in Ort. & in Castella vet. 20. leuc. circiter à Logunno in Occas. oppidul. olim Cantabrorum.

Juliodunum, opp. Gall. Celt. haud obscurum in finibus Pictavorum. *Lodun* Paradino. Baudrando *Loudun* urbs Pictav. prov. in colle, unde *le Loudunois*, tractus, cujus illa caput est. Ballivatus hic & Regium tribunal. Sub Hugone Capeto concessus hic tractus est Godofredo Grisogonello Com. Andegav. à Guilielmo III. Duce Aquitan. sed reunitus coronæ à Philippo August. iterum datus à Carolo V. iterum à Ludovico XI. regno unitus est. Henricus III. in Duc. hon. illum evexit, sed titulus morte fœminæ illustris è Roania fam. in cujus honorem id factum erat, suppressus est, le Proust *Histor. de Laudun*, &c. Urbs 6. leuc. à Salmurio abest in Austrum, 10. à Pictavio in Boream, 18. ab Ambacia.

Juliola, oppidulum Sardiniæ in orâ Boreali, *Longosardo* Nigro. Baudrando *Castro Doria*, in ora Occ. ubi Bor. incipit. 10. mill. à Tibula in Septent. versus Fretum Taphros. Ex Cluverio, Brietio.

Juliomagus, *Andes* Cæsari, *Andegavi* Plinio & aliis, urbs Gall. Celt. Ep. sub Arch. Turonensi, vulgò *Angiers*.

Juliomagus altera, urbs Germ. seu vicus, in Sueviâ Cisdanubianâ. *Pfullendorff* Rhenano. Cluverio est *Dutlingen*, dit. Wirtemberg. ad Danubium, 5. mill. Germ. à Scafusia in Bor. uti 7. à Constantia; 7. à Tubinga in Mer.

Juliopolis, urbs Bithyniæ. Ptol. Strab. Ep. sub Arch. Sardiano, quæ etiam *Gordiucome*, nunc *Begasar* Castaldo: inter Dadastanum ad Occas. 26. & Ancyram Galatiæ in Ort. 65. mill. pass. Anton.

Julis, opp. insulæ Ciæ, vel Co, Simonidis patria, & Bacchylidis, & Erasistrati medici, & Aristonis Peripatetici. Apud eos lex erat senes majores sexagenariis occidi, ut victus cæteris sufficeret.

Julium Carnicum, urbs inter Italiam & Noricum, *Zuglio* hodie: *Zoiel* incolis, vicus Foro-Julii, prope fontes Buti amnis, ad rad. Alpium, 4 mill. à Ponte Fellæ in Occ. Lazio est *Ponta fella* opp. medium in Foro Julio, & medium in Carinthia situm; 6. mill. Germ. ab Utino in Bor. 7. à Villaco in Austr. ubi transitus Alpium. 5. mill. à Juliis claustris in Bor.

Julium præsidium, quod & *Scalabis* Plin. & *Scalabiscus* Ptol. Lusitaniæ civitas olim clarissima, Vulgò *Santaren*. Ad Tagum 13. leuc. ab Ulyssipone in Ort. Toletum versus.

Pontifices Romani.

Julius I. civis Romanus, post Marcum, urbis hujus Episcopus, Anno 336. Ab hæreticis accusatus, illis per 18. menses frustra expectatis, absolutus est Synodo habitâ, quâ Athanasii negotium ventilatum, & quomodo Arianis in Oriente obviam iri posset, quæsitum. Sed hi, sub Constantio, feroces admodum & obstinati, ne quidem Synodo Sardicensi, à Constante convocatâ, Anno 347. coërceri potuerunt. Obiit, an. 352. Successit Liberius. De epistolis ejus, Vid. Athanas. *apol. 2. & epist. ad Solit.* Socr. *lib. 2.* Sozomen. *lib. 3.* Gennad. *de Script. Eccl.* Leontium *de Sect. act. 8.* Moterium *Diction. Hist.*

Julius II. prius Julianus Roverius dictus, Italus, nepos ex fratre Raphaële Sixti IV. eluso Cardin. Ambosiano, successit Pio II. An. 1503. Orbis Phaëthon, ingenio militari, nil nisi turbas & bella meditatus est, Julii proin nomine, à Cæsare, mutuato. Barbam promisit, contra Prædecessorum consuetudinem, quò horribilior videretur. Cùm Gallorum partes, ante Pontificatum sequeretur, benignè à Ludovico XII. exceptus, & contra Alexandri VI. insidias defensus, jam Papa, alius longè, spretus cum suis anathematis, apertum bellum Ludovico junctus Hispanis intulit, *clavibus Petri in Tiberim abjectis, & ense Pauli nudato.* Quoscunque suis votis adversantes, inprimis Alphonsum Estensem Ferrar. D. excommunicavit, Navarræ regnum Johanni Albretano injustè ereptum Hispaniæ R. donavit, idem Ludovico victori, ad Ravennam, ob concilia Cæsaroduni & Pisæ celebrata facturus, subditos ejus juramenti religione solvit, minatus insuper *Christianissimi* titulum, in Angliæ R. devolvere, Pisano concilio, quod ipsum pessimè habebat, Laterano nequicquam oppposito. Obiit ex animi mœrore, quòd Venetos in Imperatorias partes pertrahere non posset, Anno 1513. perculsus prius nummo aureo Ludovici XII. Neapoli cuso, cum hoc elogio: *Perdam Babylonis nomen.* Thuan. *Hist. lib. 1.* Guicciard. *l. o.* Bemb. *Hist. Ven. lib. 12.* Pap. Massonius, *in Julio II.* Victorel. *in addit. ad Ciaccon.* Successit Leo X.

Julius III. dictus Joh. Maria de Monte, Paulum III. excepit, Anno 1550. curatorem simiæ suæ purpurâ donavit, & ob id reprehensus à Cardinalibus, quòd indignum hominem eveheret, *Et vos quid*, inquit, *in me meritorum comperistis, quem Christianæ Reip. Principem constituistis.* Jubilæum celebravit, Concilium Tridenti continuari voluit, arma sumsit cum Imper. contra Octavium Farnesium, ab Henrico II. Gall. R. defensum. Intemperantiâ magis vitæ, quàm senio extinctus, Obiit An. Chr. 1555. Thuan. *lib. 6. & 15. Hist.* Spond. & Rainald. *in Annal. Eccl.* Successit Marcellus II.

Principes varii.

Julius, filius Henrici Junioris, Ducis Brunsuicensis, lineæ Guelferbytanæ, patri A. C. 1568. mortuo successit, religioneque Pontificiâ abolitâ, Evangelium in suas ditiones, ministerio Jacobi Andreæ & M. Chemnitii introduxit, quod exemplum Episcopus Verdensis & Abbas Rittershusius secuti sunt. Hojensibus Comitibus A. C. 1582. extinctis, unà cum agnatis Comitatum illum adivit; hinc hæreditatem Erici patruelis crevit An. C. 1584. Demum A. C. 1589. obiit, Ducatu amplissimis vectigalibus aucto, & Helmstadianâ Academiâ A. C. 1576. ex concilio Chemnitii institutâ, inprimis clarus. Vid. Thuan. *Hist. l. 61. 80. 96.* Inter liberos, quos ex Hedvige Brandeburgica sustulerat, jus primogenituræ, patris exemplo, resuscitavit, ex quibus *Julius* Augustus fuit & Henricus *Julius*, de quo infra.

Henr. *Julius*, fil. *Julii* natu maximus, postquam patri successisset, defuncto an. 1596. Philippo suæ lineæ ultimo, cujus jam aliquot arces occupaverat, successionem Grubenhagiam sibi soli asseruit, unde cum reliquis agnatis controversia gravissima, in qua succubuit. Frustra dein Brunsuico urbe tentatâ An. C. 1605. in aula Imperiali tantum egit, ut A. C. 1606. banni adversus eam denuntiationem impetraret. Obiit Anno Christi 1613. Ei successit fil. Fridericus Ulricus.

Julius Fridericus, fil. minimus natu Friderici Ducis Wirtenbergici, frater Joh. Friderici, qui Stutgardianam, & Ludovici Friderici, qui Monpelicardensem, lineas orsi sunt: insigni oris gratiâ Princeps. Ex Melita Inf. in Asiam trajecit An. Chr. 1613. Ephesique expugnationi interfuit: Inde A. C. 1616. ultimo Septentrione lustrato. Sequente anno, quædam ad Brentiam, in tractatu cum Fratribus, nactus, post obitum fratris Lud. Friderici, tutelam nepotis & administrationem Ducatus suscepit: sed cùm delectus provinciales, A. C. 1633. Vinariensi & Hornano exercitui junxisset, post cladem Nordlingensem, A. C. 1634. provincia tota occupata, & Heidenhemium à Bavaro receptum, nec redditum est usque ad pacificationem. Obiit A. C. 1635. auctor lineæ, quæ *Apennagiata* seu *Juliana* vel *Brentiana* dicitur. Ei ex Anna Sabina Holsata nati sunt: Rodericus, Sylvius Nimrodus, in literis egregius, Manfredus, Julius Peregrinatius, & Sueno Martialis Edelnolphus. E quibus Sylvius Nimrodus, ductâ Elisabethâ Mariâ Monsterbergensi hærede, socero, in Ducatu Oelsensi in Silesia, successit, mortuusque A. C. 1664. reliquit Ferdinandum Carolum, Sylvium Fridericum, Christianum Ulricum, & Julium Sigismundum: qui post parentis obitum, in illustri Collegio Tubingensi & aula Altenburgica ad virtutes natalibus dignas educati sunt. Manfredus verò, defunctus est An. Chr. 1662. Pater ex Juliana Oldenburgica Friderici Ferdinandi, Augusti & Manfredi. V. Philipp. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hist.*

Julius Henricus, fil. Philippi II. Ducis Lauvenburgici, numerosæ familiæ patris, natus A. C. 1586. Latinos ritus amplexus est, & Cæsari militavit. Ei multa in Bohemia bona, & ex Elisabetha Sophia Brandenburgica geniti, Franciscus Erdmannus, Suecis in Polonia militavit & *Julius* Franciscus, Anno Christi 1640. filios habet.

Viri illustres.

Julius, 5. Hierosolymorum Episcopus. an. sal. 151.

Julius Africanus, Consul cum Trajano Imperat. Anno U. Cond. 864.

Julius Africanus, Consul cum Maximo an. U.C. 988.

Julius Africanus, Christianus Chronologus, de quo vide Voss. *Hist. Gr. p.* 236. & 287.

Julius Agricola, Præses Britanniæ, cæsâ fere omni Ordovicum gente rebelli, Monam insul. deditione accepit, devastatis usque ad Taum nationibus: Caledonios duce Galgaco, ad montem Grampium vicit, A. C. 79. 80. Totâ denique Britanniâ domitâ, classeque circum eam missâ, primus Romanis Insulam esse affirmavit. Hunc, gloriâ ejus offensus Titus, evocatum, sub spe provinciæ Syriæ, quæ tum morte Atilii Rufi vacua erat, veneno perdidit, successore misso Cn. Trebellio, circa A.C. 87. Vide Tac. *in Vita Agricolæ.*

Julius Agrippa, post conjurationem Pisonianam, à Nerone in Insulam maris Ægæi expulsus. Tacit. 15. 71.

Julius Alexandrinus de Neustain, Poëta & Medicus Tridentinus, varia scripsit, sec. ult. Joh. Sambucus, *in Icon. Med.*

Julius Altinus, vide *Altinus.*

Julius Antonius, Consul cum Fabio Africano, Anno U. Cond. 744.

Julius Aquila, Eques Romanus, à Didio, cum paucis cohortibus in Bosphoro relictus, sub Claudio. Tacit. 12. 15.

Julius Aterianus, Historicus Lat. citatus à Trebellio Pollione, *in Victorino.*

Julius Ausonius, Medicus Valentiniani Sen. pater Poëtæ. Præfectus Illyriæ, Medicos quosdam tractatus edidit.

Julius Cæsar, prænomine *Lucius*, propinquus *Caii Julii Cæsaris* & avunculus M. Antonii Triumviri. Gessit Romæ consulatum anno U. C. 690.

Julius Cæsar, Rom. Imp. vide *Cæsar.* Ejus res gestas breviter perstrinxit Plin. 7. 25. *Juliorum* autem nomen ab *Julo* Ascanio Æneæ filio tractum putatur. Virg. *Æn.* 1. Hujus honori tributum est, ut septimus anni mensis (eo enim natus est) *Julius* fuerit appellatus, cùm antea Quintilis diceretur, quòd quintus esset à Martio, à quo Romani suum olim auspicabantur annum.

L. Julius Cæsar, C. Julii Cæsaris Dictatoris pater, Præturâ perfunctus, nullis evidentibus causis obiit Pisis, exanimatus derepentè, dum matutino calceatur. Vide Plin. *lib.* 7. *cap.* 52. Fuit hic quoque L. Julius Cæsar Consul cum Antonio, anno præcedente Consulatum Ciceronis, qui erat annus à mundo condito 3900. ante verò Christum natum 62. Præturam gessit anno ab hinc quarto Prætorque Iberos, hoc est, Hispanos, ad Oceanum usque subegit, paulò post mortuus. Vide App. *l.* 2.

Julius Celsus, tribunus, ob conjurationem in Cæsarem Tiberium in carcerem conjectus, ibi laxatam catenam & circumdatam in diversum tendens suam ipse cervicem perfregit. Tacit. *Ann. lib.* 6. *cap.* 14.

Julius Celsus, JC. celebris, sec. 2. Alius, commentariorum in J. Cæsarem auctor.

Julius Clarus, Alexandrinus, JC. Philippo II. Hisp. R. à consiliis. Ejus opera Francofurti edita, an. 1636.

Julius Classicanus, successor Cato Deciano in Britanniæ procuratione missus, sub Nerone & Suetonio, discors. Tacit. 14. 38.

Julius Cordus, historicus, qui vitas Imperatorum scripsit.

Julius Firmicus Maternus, auctor excellentis libri, de mysteriis & erroribus Gentilium. Edidit Joh. Wowerius cum notis. An idem cum auctore libb. 8. de Astronomia, operâ Aldi Manutii editorum, an. 1501. &c. Floruit sub liberis Constantini.

Julius Florus, vide *Florus.*

Julius Fronto, vide *Fronto.*

Julius Græcinus, Vid. *Græcinus.*

Julius Marathus, libertus Augusti, scripsit de hujus rebus gestis. Sueton. *in Aug. c.* 79. & 94.

Julius Maximinus Thrax, è militaribus imperavit cum filio ejusdem nominis, 26. Rom. Imp. coactus à militibus, post Aurel. Alexandrum anno mundi 4198. à Christo nato 236. Germanos vicit, Alexandri Severi amicos undique interfecit. Altus fuit pedes octo & digitum, tam validus, ut *Hercules Achilles, Aiax, Milo, Antæus* vocitaretur: Tam ferox, ut *Cyclops, Busiris, Sciron, Phalaris, Typhon, Gyges* diceretur. Hunc usque adeò reformidarunt, ut vota in templis publicè fierent, ne unquam urbem ingrederetur. Erat ei persuasum nisi crudelitate imperium non teneri, simul verebatur, ne propter humilitatem generis sperneretur (fuerat siquidem in prima pueritia pastor) quare ignobilitatis tegendæ causâ, omnes conscios generis interemit. Adversus hunc Senatus Pupienum & Balbum Imperatores declaravit, hic verò in Italiam statim cum exercitu descendit: Aquileiaque frustra obsessa à suis militibus penuriâ oppressis, cum filio discerptus est, conclamantibus cunctis militari joco, *ex pessimo genere ne catulum quidem habendum.* Horum capita Romam perlata sunt. Imperavit annos 3. vixit pater 50. filius 20. Herodianus *lib.* 7. & 8. *Jul. Cap.* Aur. Vict.

Julius Maximus, cum filio Maximino 26. Rom. Imp. Germanos vicit, crudelis in Romanos fuit, Alexandri Severi amicos undique interfecit. Capitolinus. Herod. *l.* 7. V. supra.

Julius Messala, Consul cum Grato, an. Dom. 231.

Julius Montanus, vide *Montanus.*

Julius Montanus, poeta quidam Elegiographus, cujus meminit Crinitus.

Julius Obsequens, ante Honorium, scripsit de prodigiis: cujus libri partem edidit Aldus Manutius Conr. dein Lycosthenes supplevit. Sebastianes Corrad. *in quæst. pag.* 41. Vossius *de Histor. Latinis.*

Julius Paris, auctor epitomæ Valerii Max.

Julius Paulus, JC. & Poëta, sec. 2. A. Gellius *libr.* 19. *cap.* 7. An alius à Jurisconsulto? Forster. *Histor. Jur. Civil. libro* 2. *capite* 78.

Julius Paulus, JC. Vir doctissimus Alexandro Severo Imper. Rom. à consiliis. an. U. C. 976.

Julius Pollux, Commodo Imper. Epithalamium fecit, & Onomasticon suum dedicavit. Ei quoque alia quædam attribuuntur, & inter alia, Oratio *de Arcadicis*, Gesn. *Bibl.* Morerius *Diction.* Alius, auctor Chronici usque ad Valentem. Suid. Voss. *de H. G.* Vid. *Pollux.*

Julius Postumus, per adulterium Mutiliæ Priscæ, inter intimos Liviæ, quem dilegerat Sejanus, ad jaciendas contra Agrippinam domumque Germanici criminationes. Fuit Vir Consularis, Præpositus Dalmatiæ; ornamenta meruit triumfalia.

Julius Priscus, centurio, gratiâ Fabii Valentis à Vitellio ad Præfecturam Prætorii cum P. Sabino provectus; sed collegæ perpetuò discors. Tac. *Hist.* 2. 92.

Julius Rufus, Consul cum Fonteio Capitone an. U. C. 819.

Julius Rusticus, Consul cum Aquilino, an. U.C. 914.

Julius Severus, Consul cum M. Rufino Sabiniano. Anno Dom. 155.

Julius Titianus, præceptor Maximini Jun. Descriptionem provinciarum composuit. Fuit alterius Titiani discip. qui patrem quoque Titianum habuit, auctorem egregiorum libb. de Provinciis, & *Simiam sui temporis* dictum. Sidonius Apollin. *lib.* 1. *epist.* 1.

Julius Titus Calpurnius, Princeps Poëtarum Bucolicorum, Rosinus, *in Antiq. Rom.*

Julius Vindex, præses Galliæ cum Sergio Galba Proc. Hispaniæ, contra Neronem, arma movere. A.C. 68.

Julius mensis, priùs *Quintilis*, dictus est, eò quòd à Martio, quem Romulus anni fecerat principium, esset quintus: postea *Julius* à C. Julio Cæsare dictus est, qui eo mense natus ferebatur, Vid. Macrob. *Saturn. lib.* 1. *cap.* 12. Dionem *lib.* 44. Suetonium *in ejus Vita*, &c. Erat hic mensis in Jovis tutela, fiebantque Kalendis ejus migrationes ex ædibus, 3. Nonas Populifugia, & pridie Nonas Ludi Apollinares celebrabantur. Nonæ ipsæ Caprotinæ dictæ sunt. Quarto Idus Cæsaris natalis fuit, tertio Ludi Circenses agebantur, &c. Vide Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom. lib.* 4. *cap.* 11.

Julus, Æneæ fil. qui & *Ascanius.* Virgilius,

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo
Additur (*Ilus erat, dum res stetit Ilia.*)

Julus Antonius, fil. M. Antonii Triumviri & Fulviæ. Dio *l.* 51. Ἰέλῳ δὲ Ἀντωνίῳ τῷ τε Φυλβίας υἱῷ, &c. Ubi rectè *Julus.* At eidem malè *Julius* est *lib.* 54. & 55. ut & Suetonio *in Claudio cap.* 2. & *de Illustribus Grammaticis, cap.* 21. Consul fuit cum Paulo Maximo, an. U. C. 743. Huic Horatii Oda secunda libri quarti inscripta est.

Junamensis reg. ampla in Sinis, supra Tunquinum regnum; maximè ad Occ. extensa, versus Indiam extra Gangem. vulgò *Ivonam*, seu *Junnam.* Ejus urbes sunt Junamum *Iunnam* seu *Ivonam*, in mediterr. juxta lacum parvum cognom. Mealcanum *Mealcan*, Linganum *Lingan* & Talium *Tali.*

Juncalaonum, urbs Indiæ ulter. cum portu, in ora sinus Gang. sub Siami Rege. 100. mill. à Legoria urbe in Occ. 400. circiter à Judia, in Austr. Vulgò *Juncalaon.*

Juncaria, oppidul. Cataloniæ, in regiuncula *Ampurdan*, ad radices Pyrenæorum, juxta transitum *le col de Pertus.* Inter Helenam ad Bor. & Gerundam ad Merid. in confinio Galliæ; & Com. Ruscinonensis, 3. leuc. ab ora maris Medit. *Junquera* incolis, *Jonquere* Gall.

Juncaria, seu *Juniaria*, vel *Junicaria*, locus in Diœcesi Monspeliensi; an eadem cum priore? Hic Concil. an. 894. sub Arnusto Arch. Narbonnensi habitum.

Junctura, Monasterium Lotharingiæ, ad amnium Robac & Mortæ confluentes, nunc à conditore suo S. Deodati dicitur vulgò *S. Diey*, Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Megeni Monast.*

Juncus Virgilianus, Senator, tanquam libidinum Messalinæ conscius, à Claudio Cæs. pœnâ affectus. Tac.*l.*11. *c.*35.

Jurganni, populi Ligures, corruptissimè pro *Ingauni*.

Jungaria, vel *Juncaria*, Vide ibi, Hisp. Tar. urbs mediter. Ptol.

Junia Familia, ex iis qui cum Æneâ coloniam condiderunt, orta est. M. Junius cum filio à L. Tarquinio Sup. sublati. L. Junius Brutus filiis suis Tito ac Tiberio, ob conjurationem de Regib. reducendis, à Patre securi percussis, nullam reliquit prolem. Nam cùm Patricius ille fuisset, omnes sequentes *Junii* plebeji fuerunt, Consulatumq; nemo eorum consecutus est, nisi post eum à Patribus Plebi communicatum, atque cùm Patriciis Consules à Plebe fuerunt dati; cùm lex vetaret duos simul Patricios Consules esse.

Junia, nomen viri concaptivi Pauli. Rom.16.

Junia Calvina, decora & procax fœmina, soror *L. Silani*, ob liberiora verba fratris, qui eam Junonem nominavit, incesti fuit suspecta. Restituta à Nerone, post cædem Matris.

Junia Silana, nobilis fœmina C. Silii juventutis Romanæ pulcerrimi uxor, ejus matrimonio à Messallinâ exturbata, ut ipsa vacuo adultero potiretur. Tacit.11.12. *l.* 13.19. in exilium acta *c.*22.

Junia lex, à Junio Bruto, primo soloque tum Consule an. U. C. 214. lata, sanxit: *ut imperium Tarquinio abrogaretur, Consulesq; duo regiâ potestate quotannis Comitiis centuriatis à populo crearentur*, Dionys. *l.*4. Liv.*l.*2. *&c.* Alia à M. *Junio* Penno, an. U. C. 627. lata *peregrinos usu civitatis prohibuit.* Quam, tanquam inhumanam, reprehendit Cicero *de Offic. l.*3. Fuit & *Junia Licinia* lex de Trinundino: & *Junia Norbana*, de manumissis: & *Junia Petronia* de judiciis, & *Junia Velleja*, de testamentis, de quibus V. Thom. Dempsterum *Ant. Rom. l.* 8. *c.*7. *& seqq.*

Junilius, Episc. Africæ, sec. 6. Scripsit dialogos de fide divina, libb. 2. qui Basileæ impressi. Sixtus Sen. *in Bibl. S.* Trithem. *de Scr. Eccl.* Possevin. *in Appar. Sacro.*

Juniores, pro judicibus subordinatis & potestatis ministris. In Chartis & LL. antiquis, etiam in Conciliis & Auctoribus dicuntur aliàs, ut *Seniores*: non respectu ætatis, sed dignitatis, conditionis & ministerii. *Juniores* perinde non à juventute, sed quòd essent aut sine præfectura, aut minorem habentes, majori subderentur. B gnonius tamen *in Marculfi formulis*, quandoque accipit *Juniores*, pro ipsis successoribus & quasi in potibus. Spelmannus pro hæredibus. Capitular. Caroli *l.*1. *c.*167. pro Vasallis, subditis, famulis. E Goldasto Lydius pro liberis dominis *Junckheren*. Gregor. Tur. *Juniorum Ecclesiæ* meminit, *lib.* 5. *c.* 26. Notkeri ævo, i. anno regni Ludovici Jun. *Juniores* dicit Vadianus, videri fuisse delectos ad pauperum & peregrinorum facultatum Laicos, ut eo ministerio exerciti, aptiores ad reliquam disciplinam monasticam fierent. *Juniores* quoad servitium deniq; omnes arbitratus est Servius Tullius, ab an. æt. 17. usque ad an. 46. & supra hunc annum Majores appellat A. Gellius *l.* 10. *c.*28. V. Henr. Spelm. *Gloss. Arch.*

Juniuladislavia, Germanis *InoVVladisloVV*. Polonis *InoVVlocz*, urbecula Poloniæ maj. Palatinatus Juniuladislaviensis caput, in Cujavia, ad Notesium flu. cum arce aliàs munita, 7. mill. Ger. ab Vladislavia in Occ. & vix 2. à Guplo lacu in Bor.

Junius, sextus est in ordine mensium à *junioribus* dictus. Ovid. *Fast.* 6. Alii tamen eum sic dictum volunt, tanquam *Junonium*, quo nomine apud Aricinos Prænestinosque diu olim venerat: Nonnulli quoque hanc appellationem eum volunt traxisse à Junio Bruto, quòd Kalendis Junii, pulso Tarquinio, sacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte, voti reus fecerit: Alii aliter. De quo, ut & diebus in hoc mense, apud Romanos, festis, Vid. Thomam Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 4. *c.*10.

Viri illustres.

Junius Blæsus, Africæ Proconsul Tacfarinam fudit, fugavitque. an. U.C.774. Tacit. *l.* 3. V. *Blæsus.*

Junius Brutus, vide *Brutus.*

Junius Donatus, Consul, collega Corn. Secularis, an. U.C.1012.

Junius Franciscus, nobili genere natus, Biturigibus, A.C.1545. Theologiam docuit Lugduni Bat. scripsit plurima, quæ Tomis 2. in fol. prodierunt, Genevæ, A. C. 1607. &c. *Vir divinarum, humanarumq; rerum peritissimus*, Meurs. *Leidæ gloria, ipsissimum textualis & Scholasticæ Theologiæ oraculum, linguis dives, distinguendo subtilis, argumentis invincibilis*, Jos. Hallo. Obiit peste An. 1602. æt. 57. Lugduni Bat. Melch. Adami.

Junius Gallio, vide *Gallio.*

Junius Hadrianus, Hornanus, Medic. ling. utriusq; & antiquitatis cognitione clarus: Obiit Middelburgi in Mattiacis, A.1575.

Junius Lupus, Senator accusavit Vitellium ætate extremâ majestatis & cupidinis imperii. Sed instinctu Agrippinæ accusatori aquâ atque igni interdictum est. Tacit. 12.42.

Junius Magus, nefandorum Sacrorum peritus, à Scribonio Libone Druso tentatus, ut infernas umbras carminibus eliceret. Tacit. *Annal.* 2. 28.

Junius, vide *Marullus.*

Junius Maximus, 2. Consul cum Aquilino, an.U.C.1038.

Junius Quintus, Vid. *Arpini.*

Junius Rusticus, Senator, componendis Patrum actis dilectus, à Tiberio, monere ausus est Consules, ne relationem contra Agrippinam & Neronem inciperent. Tac. 5. 4. Vid. *Rusticus.*

D. Junius Silanus, in nepti Augusti *Julia* adulter; ideò cùm amicitiâ Cæsaris prohiberetur, exsilium sibi demonstrari intellexit: nec nisi Tiberio imperitante deprecari Senatum ac Principem ausus est. Rediit posthac, quia non Senatus consulto, non lege pulsus fuit, in urbem, neque honores adeptus est.

Junius Tyberianus, Consul cum Aurel. Probo Imp. an. U. C. 1033. Secundò Consul cum Cassio Dione, an U. C. 1043.

Junna, fluv. ex Duc. Burg. per Senonas in Sequanam fluens, *Yonne.* Ferrar. Valesio *la Juine*, Stampas, ubi Loam capit *Loët*, Mauriniacum Monasterio suo illustre, Campiniacum, Bonnas, Lardiacum, Ver parvum, & Vicum S. Verani attingit: tum augetur amne ex Marcis & Firmitate Adelhaidis veniente. Inde Villam Regis, Villam Abbatis, ac in duo brachia divisus, dextro Exonam, lævo vicum S. Justi alluit; ad Exonam, *Exona* vocari incipit Demum junctis aquis, Paludellum villam super Exonam *PalVeau*, præter cætera loca alluit, atque juxta castrum Corboilum Sequanæ miscetur. Hîc Chlotarius jun. à Theodorico R. victus est, *Not Gall.*

Juno, an à juvando? Saturni & Opis filia, *JoVisq; Et soror & conjux*, uti seipsam vocat apud Virg. *Æn.* 1. Dea regnorum fuit & divitiarum, quæ & nubentibus præesse credebatur, unde *Pronuba* vocatur, & parturientibus obstetricari, unde *Lucina* nomen sumpsit. Munditiei item & ornatus curam habuit, hinc statuæ ejus crines addebant, curiosa superstitione dispositos: & ornatrices seu psecades *speculum Junoni tenere* dicebantur. Porro ut viris singulis sui Genii, vitæ præsides, ita fœminis *Junones* semper præstò erant, unde consuetudo fluxit, ut mulieres *Junonem suam* appellarent. Singulis annis in quodam Atticæ fonte lota virginitatem recuperasse fingitur. Filiam habuit Heben, quam ex sylvestribus lactucis concepisse fertur, quas ab Apolline invitata avidiùs comederat. Jovi, à quo sub cuculi forma compressa fingitur, Vulcanum & Martem peperit, quamvis Ovidius Martem sine viro eam malit concepisse, Olenii tantùm floris contactu. Physici *Junonem*, *aera* interpretantur, ideoque *JoVis* & *sororem*, & *conjugem* dictam volunt, quòd summa sit aeris cum æthere cognatio, & similitudo. Hinc & Iris ei nuntia attributa, hocque nomine ab Assyriis & Afris culta est, ut Julius Firmicus docet. Ei agnâ fiebat. Simulacrum ejus tale fuit, teste Alberico: Erat fœmina in throno sedens, quæ sceptrum regium gestans, dextrâ caput diademate cinctum inter nubila condidit. Ad latus Iris, ante pedes pavones fingebantur, avis specialiter ei dicatæ. Ejus varia apud Romanos, pro diversis ejus officiis & muneribus nomina erant, de quibus pauca hæc subjungam.

Junonis apud Romanos nomina.

Calendaris dicta est, à Calendis ei sacris.	templo libri lintei, Imperii fata continentes, asservari.
Caprotina.	Novella, vocabatur in mensium Calendis.
Cinxia, in nuptiis invocabatur.	Opigena.
Curis seu Quiris, ab hasta ei sacra. Huic in omnibus Curiis mensæ erant positæ.	Populonia, quam populus seu plebs precabatur.
Domiduca, in nuptiis invocata.	Regina, quæ à Camillo Vejis est transvecta, in Aventinum.
Februata, à Februario, quo ei sacra fiebant.	Sororia, cui in expiationem cædis sororis suæ aram Horatius consecravit.
Fluonia.	
Interdica, in nuptiis.	
Juga, similiter.	Sospita, quæ Lanuvii inprimis magno cultu colebatur; postea & Romæ in foro Olitorio ædem nacta est.
Julia, cui ædicula erat in reg. 5.	
Lucina, cui templum in reg. 5.	
Martialis, cui templum in reg. 8.	
Moneta, à monendo. In hujus	Unxia, in nupt. invocabatur, &c.

Vid. Thom. Dempsterum *Ant. Rom. l.*2 *c*6. & passim alibi. Ovid. Fastorum *l.* 6. V. 183. Hesiodum *Theog* Boccatium, Natalem Comitem, Gyraldum, Al. Rossæum *in mystagogo Poet.* &c. Inde *Junonius.* Hinc *Junonius* Janus: *Junonius* versus: *Junonia* avis: Ovid. *Laudatas ostentat aVis Junonia pennas.* Pavonem intelligit. Avis enim illa Deæ illi sacra. Juven.

—— Didicit jam dives aVarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos,
Ut pueri Junonis aVem.

Juno Ægyptia, Rheæ & Camesenni filia, nata anno primi regni Semiramidis, cognominata Isis maxima, frugifera, legifera, soror & uxor Osiridis. Berosus *lib.* 4.

Junonia, major, & minor, insulæ duæ ex Fortunatis. Plin.6.32. Illa *ForteVentura*, maximè ad Ort. extensa. Aliàs Herbania, longa 25. leuc. lata 15. circiter. 12. leuc. ab ora Africæ, 16. à Canaria Insf. Hæc nunc *Lanceretta*, 6. leuc. à majori. Longa 16. leuc. lata 10. Sub Hisp. Sanso.

Junonis ara, prom. & locus Gadium insulæ, *Trafalgar* Taraphæ. *Junonis fanum* Ptol. dicitur. Melius *Junonis prom.* nunc *Cabo Trafalgar*, in ora Occ. Vandalitiæ, ubi incipit Fretum Herculeum, in parte Australiori Hisp. 9. leuc. Hisp. à Gadibus in Mer. 10. à Calpe in Occ. Baudr.

Junonis Lacinia templum, vide *Lacinium.*

Junonis promuntorium, *Capo Giallo*, teste Nardo; promunt. Peloponnesi in orâ sin. Corinthiaci, contra Sicyonem urb.

Junonis sacrum, seu *templum*, insf. Melitæ promunt. in cujus

vertice sitam esse hodie ajunt ædiculam *D. Virginis in Corte* denominatam.

Junopolis, urbs Ponti Paphlagonici. Concil. Nic.

Junus Latinis dictus est Pan, ab eundo passim cum omnibus animalibus: Numen Arcadum antiquissimum & honoratissimum V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 2. *c.* 20.

Ivo, Britanniæ rex, qui primus an. N. Chr. septingentesimo vicesimo, ex singulis laribus singulos denarios D. Petro quotannis pendendos obtulit. Id tributum sub Leone Quarto circa ann. N. C. octingentesimum quinquagesimum rex Edel Wulffus duplicavit, decimasque etiam omnium fructuum Virgini Mariæ dari jussit. Porro Joannes Richardi fil. anno N. C. millesimo ducentesimo septimo Angliam Hiberniamque singulis annis Romanæ sedi septuaginta marcas auri dare præcepit.

Ivo, Episc. Carnutensis, disciplinæ Eccles. tenacissimus, eruditione & pietate clarus: Bellovacensis, Præceptor Lanfranci, &c. Anno 1093. Godofredo, ob crimina deposito, successit. In Philippum I. Galliæ R. qui Berthâ Hollandicâ repudiatâ, Bertradem Montfortiam Fulconis Com. Andegav. uxorem superinduxit, acer: commune ævi sui Oraculum. Obiit an. 1116. æt. 80. Beatis annumeratus, sub Pio V. an. 1570. cineribus bello intestino Galliæ dissipatis. Opera ejus edidit Joh. Baptista Souchetus, an. 1647. duobus volum. quorum prius Decreta, posterius 287. epist. 22. homilias, & Chronicon continet. An & *Pannomia*, & libri de corpore CHRISTI auctor? Vid. Sigebert. *c.* 167. *de Vir. Ill. & in Chron.* Godfr. Vindocinum. *ep. l.* 2. Suger. *in Ludovico Crasso*, Matthæum Paris. *Hist. Angl.* Loiselium, Ruillardum, Vossium, &c.

Ivodium, vide *Epoissius*.

Ivollum, vulgò *Vylack*, oppidul. Pannoniæ inf ad Danubium, inter Teutoburgum ad Bor. & Bononiam ad Austr. Quidam ponunt juxta Dravum. Sub Turcis.

Jupiter, Opis & Saturni filius in Cretâ insulâ, eodem cum Junone partu editus, & in Idâ monte à Curetibus educatus, idque clam patre, qui ex pactione cum Titano fratre initâ, filios suos omnes devorabat. Cùm autem in virum adolevisset, cognovissetque etiam tunc patrem vitæ suæ insidiari, regno eum pepulit, mundique imperium cum fratribus Neptuno & Plutone sorte divisit: ac Jovi quidem cœli & terræ, Neptuno maris, Plutoni inferorum imperium obtigit. Eum in Cretâ natum certum est, ideoque Creta dicta ejus insula, & ipse *Creticus* Minucio Felici, *Mars Thracius, vel Jupiter Creticus, vel Juno Argiva*, & *Cretensis* Lactant. *lib.* 1. Sed hanc rem incertam, & planè fabulosam faciunt alii. Nam Demetrius Scepsius, ut est apud Schol. Apollonii *lib* 3. tradit, Phrygas Jovem apud se natum & educatum contendere cum Cretensibus, & Arcadibus, ex quâ fabulâ Delrius *in Troad. Sen.* lucem dat Propertio 3. 1.

Idæum Simoenta, Jovis cunabula parvi.

Lege Pausan. *in Arcad. & Messen.* apud quem utraque hæc gens sibi vendicat natales Jovis. Cæterùm de variis (ut ita dicam) *Jovibus*, quidam enim tres, quidam trecentos statuerunt, vide omnino clarissimum Voss. *de Theolog. Gentili lib.* 1. *cap.* 14. Quorum omnibus gestis in unum collatis, Gigantum victor, Mercurii, Apollinis, *Minervæ*, &c. pater, in varias formas se transformasse dictus est, ut libidinibus suis perlitaret. De nominis etymo Lactantius *lib.* 1. Ζεὺς vel Ζὴν *appellatus est, non à fervore cœlestis ignis, vel quòd vita dator, sed quòd primus ex liberis Saturni maribus vixerit.* Etymologus autem: Ζεὺς (inquit) παρὰ τὸ ζέειν, θερμότατος γὰρ ὁ ἀὴρ, quod etiam tanto magis probabile videtur, eò quòd & hic Jupiter *Hammon* seu *Ammon* vocatur, quæ vox (inquit Bochartus) à vocabulo Ægyptiaco Ἀμοῦν descendit, quod ab Ebræo חמם derivatur, id est, *fervere, incalescere.* Idem Lactant. dicto loco, *Jupiter, quasi juvans pater dicitur.* Sic Agellius 5. 12. *Jovem Latini veteres à juvando appellavere, eundemque alio vocabulo juncto, patrem dixerunt.* Hoc etiam voluere Cicero, & Cato *de R. R. cap.* 141. Alii autem ab Ἰαὼ πατὴρ seu Ἰαὼ πατὴρ, id est, *Jehova pater*, Latini autem veteres *Joupater* dicebant pro *Jovis pater*, ut & *Jouglans*, pro *Jovis glans*. Per hunc, intelligentiam Mundi conditricem Gentiles Theologi intellexisse videntur. Hinc Μοιραγέτης dictus. Physici Jovem interpretantur esse elementum ignis, dictumque eum putant à *juvando*, eo quòd nulla sit res, quæ sic omnia foveat, quemadmodum calor. Aliquando pro *aere* ponitur. Horat. *l.* 1. *Carm.* 1.

—— Manet sub Jove frigido
Venator. —— ——

Hoc est, sub *Dio*. Aliquando pro *pluviâ*. Virg. *Georg.* 2.

Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.

Historia verò hunc Cretæ Regem facit, qui ob justitiam insigniter cultam, Gigantes varios, inprimis Milinum in Creta, Typhonem in Phrygia, sublatos, aliaque beneficia in subditos collata, post mortem divinos meruerit honores. Alii aliter. Huic uni, quamvis trecentos *Joves*, ut dictum, à M. Varrone enumeratos Tertullianus testetur, omnia tribuuntur, ne multitudo memoriam fallat. Metamorphoses autem variæ Jovis demonstrant, Principes, cùm in tyrannos degenerant, & sceleratos homines, cùm libidini se dedunt, in omnes brutorum formas mutari, & ad turpissima quæque dilabi. Pingebatur, ut ait Albricus, in throno eburneo sedens, sceptrumque regium sinistrâ quidem tenens, alterâ verò fulmina ad inferos mittens, Gigantesque fulminatos, pedibus conculcans; juxtà aquilam, quæ volans inter pedes ejus Ganymedem raptum portabat, habentem in manu craterem, ut Jovi poculum propinaret. Inter aves enim aquilam Jovi Poetæ dederunt. Horat.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo.

Et proinde *Jovis armigerum* Silius; *Jovis volucrem* vocat Lucanus. Hic *lib.* 10.

Armiger haud aliter magni Jovis, anxia nido
Cùm dignos nutrit gestanda ad fulmina fœtus,
Obversam spectans ora ad Phaetontia prolem
Explorat dubios Phœbeâ lampade natos.

Ille *l.* 9. *Utque Jovis volucer calido cùm protulit ovo*
Implumes natos, solis convertit ad ortus.
Qui potuere pati radios, & lumine recto
Sustinuere diem, cœli servantur in usus,
Qui Phœbo cessere, jacent.

Vide Claud. *præfat. ad lib. de* 3. *cons. Honorii.* Tres statuæ ejus Græci oculos indiderunt, ut ostenderent, illum scire, quæ in Cœlo, in Terra, & apud Inferos: Præsentia, præterita & futura. Epithetorum ejus numerus tantus est, ut Arnobius proverbio dicat, *Tot monstra, quot Jovis nomina.* Hesiod. *Theog.* Homer. Cartarius, Boccatius, Natalis Com. Lilius Giraldus, Al. Rossæus, Thom. Dempsterus *Antiquit. Rom l.* 2. *c.* 5.

Jovis apud Romanos cognomina & templa.

Arbitrator, cujus templum *Pentapylon* dictum, fuit in 10. urbis regione.

Capitolinus, qui & Opt. M. dictus est, templum habuit, in monte Capitolino, à Tarquinio Prisco extructum, à Vespasiano reparatum. Hic in perjuros bisulcum fulmen vibrabat.

Conservator & Custos, cui utrinque ædem sacravit Domitianus.

Diespiter, habuit templum in 10. urbis reg.

Elicius, cui aram in Aventino Numa dicavit.

Fagutalis, cui sacellum & lucus in reg. 10.

Feretrius, à Romulo consecratus.

Imperator, cujus simulachrum Præneste Romam delatum, dedicavit T. Quintus.

Indigetis nomine primùm apud Rom. cultus, Æneas fuit.

Inventor, cui ara fuit in Circo maximo.

Lapis.

Latialis, consecratus à Tarquinio Superbo.

Lucetius, Oscâ linguâ idem *Jupiter* Belus, vide *Belus.*

cum Diespitre.

Marianus, cui Marius templum condidit.

Pistor, cujus ara in Capitolio fuit.

Pompejanus, eximiæ magnitudinis colossus, à Claudio Cæs. dedicatus, in Campo Martio.

Prædator, cujus templum. & templi auctor ignoratur.

Propugnator, cujus ædes in Palatio fuit.

Pugnans, cujus templum à quo extructum, quæritur.

Sponsor, à Tarquinio Sup. consecratus.

Stator, cui templum à Romulo in Palatino monte: à M. Atilio Regulo in Palatio conditum.

Tonans, cui Augustus in Capitolio ædem extruxit.

Vejupiter, ædem inter arcem & Capitolium habuit.

Victor, cui ædem vovit L. Papyrius Cursor.

Vimineus, aram in colle Viminali habuit.

Ultor, cui Agrippa ædem, quam Pantheon appellavit, fecit sacram, &c.

Jovis civitas, vide *Diospolis.*

Jura, vulgò *Jura Il*, ins. Scotiæ, ei ad Occ. adjacens, & Hebridum una, ad Bor. Hylæ Ins. cum aliquot castris, in ora Orientali.

Jura, mons Galliæ Lugd. Sequanos ab Helvetiis discludens. Unde Glareanus, de finibus Helvetiæ canens, inquit:

Denique ad Occiduas umbras, Zephyrumque tumentem
Burgundos acres habet, & discrimen utrinque
Cervices, ô Jura, tuas, qui Sequana rura
Scindis ab Helvetiis nunquam sine gramine campis.

Ejusdem meminit Sanazarius *lib.* 3.

Ostendit sacrum mons ubi Jura nemus.

Pro ratione locorum & regionum varia sortitur cognomina. A Strab. vocatur *Jurassus* sed *in extremo l.* 4. *Jopa*, Gallicè *S. Claude*, ab eo Monast. quod à Lupicino & Rom. fratribus conditum primò Condatisco, dein S. Augendi, tandem S. Claudii vocatum est. Item, *le Joux*: quod Abbatiæ quoque ad Urbam, & vico ad Dubim nomen: ab Allobrogibus *Jurten* ab eâ parte appellatur, quâ silvosissimus. Ab Helvetiis autem recentioribus, ad Merid. *Schaffmatt*, & ab hepatis cocti similitudine, *Leberberg* idem mons vocatur; eo quòd hepatis elixati colorem saxa (quorum magna in eo copia est) referant. Alii tamen à castris derivant, quasi dicas Castrorum mons *Legerberg*; eò quod vestigia & inscriptiones quædam testentur, Julium Cæsarem illic castra metatum esse.

Quod

Quod non videtur probandum. Incipit autem intra Brugas oppidulum ad Arolam flumen in Helvetiis, ubi *Bötzberg* à pago *Bötzen* dicitur, deinde rectâ ad Occasum secundùm Arolam ad Solodorum progreditur,ibique hodiè *Howenstein* vocatur. Vid. infra. Hinc ad Bipennes oppidum ad Neacrim vulgò Novum castrum: Deinde inter Occasum & Meridiem deflectit Genevam usque,ac ultra etiam in Sebusianos hodiè Bellicenses.Cœterùm in dicto jam tractu pluribus locis transitur. MScr. Baudrando à Septentrione Rhenum usque porrigitur, & à Mer. Genevam ac Bressiam attingit. Ejus pars minuta, *la Cerdo*, usque ad Rhodanum extenditur, 4. leuc. infra Genevam. Joh. Baptistæ Plantino, totus ferè longitudinis suæ respectu, Helvetiæ est hodiè. Porrigitur enim illa ab opp. *Waldshutto*, in Rauracorum finibus, ubi Arola se Rheno miscet, ad Rhodani Clusam usque, non procul à Geneva. Alii eum incipere volunt in Pago Tigurino apud opp. *Regensberg* & inde sub nomine *Lägerberg*, per obliquum tractum, *Baden* versus,*Dägerfelden, Klingnaw* & *Waldshut* usque pertingere. Prope Farnspurgum,in agro Basil. dicitur *Schaffmatt*; inter *Olten* & *Homburgensem* præfecturam *Niderhawenstein*: Inter Vallenburgum & Balstallium *Oberhawenstein*, ubi onusti currus grandibus per declive funibus demittuntur. Occasum versus procedendo nuncupatur *Wasserfall*,i. aquæ lapsus.Ulterius eundo *Jurten*,prisco ferè nomine. Brachium ejus, quod se Basileam versus extendit, *Blowen* dicitur. Fertilis est & in variis vallibus *Frickthal,Laussental,S. Immerstal*, sub Episc. Basil. Comitatu Vallangino, sub quo *Vaux de Ruz, le Lode, la Sagne, les Breneis* & *Chaudefond*: *Vaulx Travers*, sub Comit.Neocomensi: *la S. Croix, de Joux, es Clées*, & *Vallorbe*, sub dit. Bernensi, egregiè habitatur. Quæ familiæ tractum ejus nobilissimæ in agro Raurico incoluerint, Vid. apud Urstis. *Epist. Hist.Basil. capp. primis.* Præterea in monte hoc Virginis castrum, à Cæsare extructum, Fons nivis in æstate, Puteus crystallo plenus, abies & betula laudatissima, taxus quoque, unde arcus & arcubalistæ, flu. Orba admirando ex lacu Juriensi exitu, Petra pertusa,&c. Vid. inprimis Plantinum supra laudatum *Helv. Nov. Antiq. cap.* 5. A *Jura* dicti *Transjurani*, quos Fredegarius *libr.* 5. *cap.*37. Alamannis confines facit,ac Aventicenses eis tribuit. Horum regio *Burgundia Transjurensis* quibusdam dicitur. Rodulfi posteros *Reges Jurenses* Frodoardus vocat, quòd circa Juram regnarent: quos quidam *Reges Burg. Transjurensis*, alii lato nimis nomine Reges Burgundiæ & Galliæ cis Alpinæ vocant. Territorium *Jurense* quoque hinc appellatum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Juriensis lacus, vulgò *lac de Joux*, ab antiqua olim ibi Abbatia,in monte Jura,optimis piscibus abundat. Ex eo per subterraneos meatus effluit amnis Urba. Joh. Baptista Plantinus *Helv. Nov. Antiq.*

Jurisdictionum decem fœdus,*Zehen Gerichten Bundt* Germ. tertium Rhætorum fœdus est. Hæ primò inter se in unum fœdus coiere A. C.1438. dein duobus reliquis, Cano & Cathedrali, perpetuo fœdere se junxerunt, anno sequenti: Helvetiorum tamen fœdere non continentur sicut duo priora, interim eorum amicitiam & societatem cum suis Fœderatis magnâ fide ac constantiâ colunt. Mittunt ad Conventus publicos Rhætorum legatos 14. sicut Superius fœdus 28. & Cathedrale 23. Locus habendi Senatus in Fœdere hoc Davosium est. Ex his 8. priores Austriac. imperium agnoscunt;Primùm enim sub Vatiensibus Dominis fuere: quibus extinctis successere Toggenburgii Comites, hisque Amatienses: Quorum ultimus Gaudentius, moriens A. C. 1489. has Archiduci Austriæ reliquit, qui illis præfectum imponit, è Rhætis selectum,qui in Rhæticæ vallis castello habitat, Ducisque jura administrat: Verùm non idem ei & par in singulas jurisdictiones jus est, sed quævis sua privilegia & peculiares habet consuetudines, quorum omnium tabulæ in Davosiano Archivo conservantur. Ipsum Davosium,cum Prælongana jurisdictione præ aliis, plurimis immunitatibus fruitur. Vid. in voce *Maja villa*. Duas ultimas verò reliquæ, unà cum 2. fœderibus, emerunt.

Jurisdictionum X. series.

Davosiana.	Coriovallensis *Churwalden*.
Cœnobiensis in valle Rhætica, *Zum Klösterlin im Prattigöw*.	Sampetriana *Sant Peter in Schansil*.
Castellana vel Jenatiensis in eadem valle.	Prælogensis vel Prælongana *Langwiß*.
Acceriensis *Schiers*.	Malantiensis à vico Malantio *Malans*.
Belfortiensis vel Alvanoviensis *Alvanuw*.	Majævillana *Meyenfeld*.

S. Justi cœnobium,in finibus Castellæ,in quo Carolus V. biennium privatus exegit, ibidem mortuus, A. C. 1558. Vide Thuan. *libr.* 14.

Justina, primò uxor Magnentii Tyr. dein Valentiniani senioris, ex hoc mater Valentiniani Jun. Gallæ, Gratæ & Justæ: quarum prima Theodosio nupsit. Ab Arianis seducta, sæva in Orthodoxos Præsulesque inprimis, Ambrosium, quòd templum Arianis negasset Mediolani,omni ratione, sed frustra, perditum ivit. Postea illius, in placando Maximo tyranno, ministerio usa, Thessalonicam cum filio se recepit, ibique obiit Anno 388. Ambros. *ep. ad Marcellinam*. Zosimus, *lib.*4. Sozom. *lib.* 7. Ruffinus, Socrates,&c.

S. Justina, congregatio religiosa, aliàs MontisCassini dicta, Patavii instituta, a Lud. Barbo, Senatore Veneto, an. 1408. Sub Gregorio XII. Cavaccius, *l.* 4. & 5. *Hist. Cœnob. S. Just.*

Justina, hodie forsan *Mont Jutin* aut *Mont-Justin*, castrum liberæ Burgundiæ, Lantanam inter & Lunionem fluv. Annales Bertiniani *Lustenam* habent, quæ vox ad Liptinas *Lestines* videtur accedere. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Justiniana prima, quæ & *Achridus*, Lychnidus Ptol. urbs Macedoniæ, Archiep. *Prisrien* Jacobo Luccaro Epidaurio: ad Lychnidum lacum, 70. m. p. à Dyrrachio in Ort. Thessalonicam versùs. Nunc *Locrida*, urbs ampla in excelso colle, ad lacum, in Macedonia, ubi aliàs Dassaretæ, in Pelasgonia tractu. Sub Turcis. Patria Justiniani Imp.

Justiniana secunda, *Ulpianum* Ptol. urbs Mysiæ super. *Villa Procopiana* Lazio. Episc. sub. Arch. Acridensi, in confinio infer. 50. mill. à Scupi in Bor. 60. à Sophia, nunc *Vulpia*. Sub Turcis.40. mill. à Danubio.

Justiniana tertia, urbs Bithyniæ Archiep. in orâ contra Byzantium, teste Curopalate, quæ & *Chalcedon* dicta est.

Imperatores Romani.

Justinianus I. Rom. Imp. ex sorore nepos Justini Sen. à quo Nobilissimus primò, dein Cæsar & Augustus pronuntiatus, An. Chr.527. paulo pòst ei successit. Leges hic statim in hæreticos severas promulgavit, templa destructa reparavit, Ecclesiæ Protectorem se fore professus, dignum se Imperio ostendit. Hinc per Bellisarium contra Persas Vandalosque, capto Gilimero, victor, Africam recuperavit, Gothos in Italia subegit, Vitige R. in potestatem redacto, Mauros superavit, Samaritanisque subjugatis, pristinum Romano Imp. splendorem reddidit: postquam Hypatium, Pompejum & Probum, Anastasii Imper. nepotes, ingenti seditione à Viridi Venetaque Circi factione excitatâ, rebellantes, ab Imperatrice corroboratus, & à Belisario Mundoque fortiter defensus oppressisset. Sic quiete Imperio partâ Jus civile in eum ordinem redigendum curavit, quo nunc utimur, electis ad id negotii decem Viris præstantissimis, qui Codices Gregorianum, Theodosianum & Hermogeneum in unum contraherent, legesque per 2000. libb. dispersas in quinquaginta saltem compingerent, unde Codex Digestorum vel Pandectarum ortus. Porro 4. libb. Institutionum, qui textum omnium legum succinctè continerent, & Cod. Novellarum, quibus novas à se latas complexus erat, composuit. Concilio 5. Oecum. Constantinopoli habito, priorum Concil. fidem confirmavit, errores damnavit, tria capitula rejecit: Anno 548. dum Theodora Eutychianorum commoda omnibus modis curaret, quæ Epiphanio Episc. urbis mortuo Anthemium Eutych. promovit, donec re à Marito cognitâ, huic Menna Orthodoxus substitutus est. Felix, ni paulo ante mortem in Severitarum hæresin prolapsus esset, qui negarunt Christi corpus corruptibile fuisse. Obiit an. 565. æt. 83. Imp. 39. Abolito Consulatu, substructis plurimis templis, Sophiæ inprimis, quod inter Architecturæ miracula, præter dicta, memorabilis. Procopius *de bello Pers. Vand. Goth.* Evagr. *l.*4. Agathias, Nicephorus, Paulus Diaconus, &c. Suidas literarum rudem fuisse scribit. Zonaras *t.* 3. ait, tam immodico ædificandi studio flagrasse, ut & stipendia artium liberalium magistris jàm olim constituta sustulerit, quo haberet sumptus, quos in ædificationes profunderet.

Justinianus II. cognom. Rhinotmetus, Rom. Imp. Constantino Barbato patri successit, an 685. Is primò operâ Leontii, Iberos, Armenios, Albanos, Medosque Saracenis eripuit, & rursus Mardaitas præsidium utile è Libano, factâ pace cum Abedmelecho, qui & Africam reddidit, & tributum grande pollicitus est, deduxit. Dein temerè violatâ pace, quam ejus pater cum Saracenis fecerat, & Bulgaris, scriptas conditiones pacis hastæ alligantibus, ac in aëre instar vexilli elevantibus, Deo in perjurii ultionem implorato, eò demum redactus est, ut pacem ab utrisque cogeretur ipse petere. Tandem ob crudelitatem ejectus, & præcisis naribus relegatus, Leontium reliquit successorem. Vide Diac. *l.*19. Quem cùm post aliquot annos Tiberius Absimarus pepulisset, throno potitus, per an.7. tandem Justinianus ope Trebellii Bulgarorum R. qui per aquæductum quendam copiis intromissis Constantinopolim ceperat, restitutus est. Tum Leontio & Absimaro capite plexis, quoties stilla de truncis naribus cadebat, toties Senatorum Procerumque aliquem vindictæ suæ sacrificavit, Patr. etiam Callinico excæcato; Ingratus postmodum in Bulgaros illis bellum intulit, sed tantâ affectus clade, ut vix fugâ evaserit. In Chersonesi incolas, quòd sibi exuli insidias struxissent, Principibus assatis, & 73000. puerorum infantiumque submersis, sævus, ab illis, classe amissâ victus, & Philippicus Bardanes Imperator proclamatus est. Hic Justinianus An. 692. Synodo Constantinopoli celebratâ, ***ne quis Presbyteros ab uxoribus abstinere cogeret***, decreverat: quod cùm Sergius Papa approbare nollet, periclitatus est,& Justinianus ab Ecclesia Rom. paulò aversior factus, redux nihilominus ex exilio, an. 703. ad evocati ad se Constantini Papæ

pedes, Nicomediæ coronatus procubuit, eique osculum tulit. Jam tum enim maxima flagitia, Papam honorando, quod hic: vel templis excitandis, quod Alpaida cæso Lamberto, vel donatione, quod Aripertus, Cottias Alpes Pontifici resignando, fecit, elui creditum. Occisus, cum fil. Tiberio, à Bardane successore, an. Chr. 711. Imp. ante exilium 10. post illud 6. Paul. Diac. *libr.* 6. Theoph. Cedrenus.

Justinianus, nepos Justini Jun. cujus uxor Sophia, cùm Tiberio nuptiarum ejus spe evecto ab hoc rejecta esset, Justinianum contra illum excitavit. Sed Tiberius huic victo ignovit, illo contra Persas postmodum usus. Item Episc. Valentiæ, in Hisp. Scriptor Eccl. 6. seculi, frater Justi, Episc. Urgel. Nebridis & Elpidii Præsulum.

Justinopolis, vel *Justinianaa*, urbs Bulgariæ, patria Justiniani Sen. Prius Bederina, Agathiæ: Taurezia, Procopio: & Acrida postmodum dicta. Metropolis ab Imper. facta est Daciæ utriusque, Triballiæ, Dardaniæ, Mœsiæ sup. & Pannoniæ. Secunda, in Mœsia sup. Tertia, Chalcedon. fuit.

Justinopolis, urbs Istriæ primaria, à Justino Cæsare condita, seu potius instaurata. Vide Volater. Nunc *Capo d'Istria*, 24. mill. à Parentio in Bor. 10. à Tergeste in Austr. Sub Venetis. Episc. est sub Patriarcha Aquilejensi. Leand. Alb.

Imperatores Romani.

Justinus I. Imp Rom. Anastasio successit, obscuro genere natus, & è subulco factus miles, uti scribitur. Anno 518. à militibus ingratiis electus, Amantium Eunuchum, Anastasii gratiâ abusum contra fideles, puniit. Nomen Lupicinæ uxoris in Euphemiam mutavit; Episcopos, hæreticis pulsis, revocavit, Concilio Chalcedonensi auctoritate redditâ. Postea severissimis in Arianos edictis publicatis, hi Theodorici Gothorum R. opem implorarunt, qui misso Johanne II. Papâ, illis aliquid relaxationis impetravit. Perculsus Antiocheno terræmotu, purpuram & diadema aliquandiu deposuit. Obiit An. 527. Imp. 8. Successit Justinianus, ex sorore nepos. Marcellin. Comes, Zonaras, Evagr. *l.* 4.

Justinus II. Imp. Rom. Justiniani Primi ex Vigilantia filiâ nepos, fil. Dulcissimi, Avo successit an. 566. Initium Imperii satis felix, postea abrogatâ Justiniani lege, contra conjugia illicita, in deterius paulo mutatum est. Cognatum Justinum, ad Istrum excubantem, ut erat meticulosus & æmuli impatiens, Constantinopolim evocatum, Alexandriam misit ibique strangulari curavit: Duobus etiam Senatoribus, Etherio & Addæo occisis. Ab oppressis compellatus, ut Procerum injustitiæ obviam iret, Prætorem creavit, qui reos usque ad Imperatoris mensam, inde abstrahendos, persequeretur. Paulo post, audito, Avares, Longobardos, Persasque undique irrumpere, insaniâ correptus est, quæ per intervalla recurrit. Quare Sophia uxor, pacem à Persis petiit, Tiberio Cæsare interea onus Imperii sustinente. Obiit an. 578. Zonar. *in Annal.* Evagr. *hist. l.* 5. Paulus Diac. &c.

Viri illustres.

Justinus, Historicus, Trogi epitomator, probæ Latinitatis auctor, Antonini Imp. ætate vixit, si Vossio credimus, quem vide *de Hist. Lat.* 1. 32.

Justinus, natione Samaritanus, Philosophus, Apologeticum pro Christi fide conscripsit, & Antonino Pio Rom. Imp. tradidit, tandem martyrio coronatus. an. 163. Opera ejus sæpius impressa Frid. Sylburgius, Joach. Perionius & Jac. Billius notis illustrarunt: Commentarium c. hæreses amissum esse, testantur Photius *Bibl. cod.* 23. *&* 25. qui etiam tr. contra Marcionem & Aristotelem, item Psalmistæ ejus meminit, & Hieron. *Cat. cap.* 23. Adde Euseb. 3 8. & Morer. *Diction. Hist.*

Justitia, Vid. *Astræa.*

Justitia, al. *Justitiarius*, Judex ceu administrator justitiæ, sed in foro plerunque seculari. Delata sunt ad Anglos vocabula, sub Eduardo Confessore, vel potius Guilielmo I. Normannis tum irruentibus. Ad Italos pariter ulteriores, Normannis sub Tancredi filiis, circa an. 1040. illic novas ditiones auspicantibus: unde factum, ut inter Neapolitanas Siculasque Constitutiones multæ habeantur priscis Anglorum simillimæ, ut & ritus, officia, Magistratus, vocabula. Prior vox in Anglia duravit usque ad Henricum III. quo tempore alterâ se efferente, sensim disparuit: *Justitiariorum* ibi origo ab Alvredo R. licèt nomen, ut dictum, longè recentius sit: Hi aliàs *Aldermanni*, *ViceComites*, *Grevii*, &c. quorum curâ & industriâ, tanta pax brevi per totam terram effloruit, ut si viator quantamcunque summam pecuniæ in campis & publicis compitis reliquisset, manè vel post mensem rediens integram & intactam inveniret, teste Ingulpho Saxone. Horum præcipuus erat, qui *Justitia totius Angliæ*, aliàs *Capitalis Angliæ Justitia*, seu *Justitiarius* dictus est, qui dignitate omnes regni Proceres, potestate omnes Magistratus superabat, solus tum quatuor summorum Judicum hodiernorum munere functus: sc. Capitalis Justitiarii Banci Regii, i. placitorum Coronæ seu criminalium: Capitalis Justitiarii Banci communis, i. placitorum civilium: Capitalis Baronis Scaccarii; i. curiæ ad sacrum patrimonium & fiscum pertinentis: & Magistri plerunque Wardorum, i. pupillorum. Licèt enim amplissimus hic Magistratus sæpius in bellis versaretur, semper in arduis Regni negotiis, foro tamen & rebus judicandis non eximebatur, peregrinantem ubicunque curiam Regis sequutus. Sub Henrico III. vel potius Johanne R. postea placita communia Capitali Justitiario adimi cœpere: sic non ingentem solùm nobilemque, sed & valde quæstuosam officii sui partem amisit. Sub Eduardo II. iterum ei aliquid detractum, donec immensa ejus potestas, ipsis Regibus gravis, in quatuor illa supra memorata munera dissiliit: Nomine tamen adhuc, cum quibusdam priscæ jurisdictionis reliquiis retento. Spelmanno videtur hic Magistratus oriundus è Majoris domus apud Gallos exequiis, sed ad declinandam nominis invidiam, aliis eum *Comitem*, *Rectorem & Principem* Palatii: aliis *Summum* seu *Capitalem Justitiarium*: aliis *Senescallum*, inprimis qualis Normanniæ erat, & *Dapiferum*, non observatis exactè differentiis: Imo, & in Regis absentia, *Vicarium Regis*, *Regis Locum-tenentem*, *Pro Regem*, *Custodem regni*, & *Regni Gardianum*, dictum esse. Unde illis seculis, qui à latere Regis ad remotam provinciam mitteretur, non tam Præses & Prorex, quàm Justitiarius illius provinciæ nuncupatus est. Sic 8. provincias in regno Neapolitano, *à Justitiariis* singulis singulas gubernatas, numerat Scipio Ammiratus: Idemque mos in Hibernia ab antiquo viget. Eligebantur autem *Justitiarii* olim è Clero plerunque, apud Gallos, Normannos, Anglos, aliasque gentes: laicis tum adhuc militiam magis, quàm literas admirantibus. Sed Huberto Waltero Arch. Cantuariensi, ad id muneris evecto à Richardo I. Innocentius P. graviter succensuit, Regique sub interdictionis periculo imposuit, ut eum ab officio Justitiarii removeret: *cùm non liceat Episcopis negotiis secularibus se implicare.* Plura de amplissimo hoc munere aliisq; *Justitiariorum* speciebus, cum Catalogo omnium *Angliæ Justitiariorum*, Vide apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* Hîc saltem *Capitalium* seriem exhibebo.

Capitales Angliæ Justitiarii.

Sub Anglo-Saxonibus.

Alfricus Comes, sub Alvredo Rege.

Æthelstanus Dux Est Angliæ, dictus *Halp-Keneg*, id est, *Semi Rex*, circa an. Christi 930.

Æthelvvoldus, fil. prioris.

Ailvvinus, fil. quartus ejusdem: Sub Eadgaro R.

Stir, sub Hardicnuto R. circa A.C. 1040.

Heraldus, fil. Godvvini, qui, solium invadens, à Guilielmo I. victus pulsusque est.

Florentio Vigorn. *Subregulus* vocatus, quòd sub Rege omnia moderaretur. Ingulpho *Major domus.*

Sub Anglo-Normannis.

Guilielmus fil. Osberni, qui prælio Hastingensi funesto tertiam aciem victricem duxit. Huic Collega dein datus

Odo Episc. Bajocensis, frater Guil. Conquestoris: in quem cùm varia machinaretur, à fratre in vincula conjectus est, circa A.C. 1079. Guilielmi 12. seu 13. Huic

Ricardus de Benefactis successit, sub eodem Rege.

Odo Bajocensis, iterum sub Guilielmo II. à quo, illo rursus, bellum moliente,

Ranulfus Flambardus Episc. Dunelmensis, totius regni Procurator effectus est.

Guil. de S. Carilefo Episc. Dunelmensis, sub eodem Rege. Hujus successor fuit

Radulphus Basset, sub eod.

Hugo de Bocland, sub Henrico I.

Rogerius Episc. Sarisburiensis, sub eod. Unus ex iis Episcopis, quos Stephanus R. captivos detinuit. Obiit Anno Chr. 1139.

Albericus de Ver, sub Henrico I. Londini occisus An. Chr. 1140.

Henricus Dux Norm. sub Stephano R. à quo adoptatus est.

Henricus, primogenitus Henrici II. nedum septennis, cum Theobaldo Arch. Cantuarensi, an post eum?

Robertus de Bello Monte, Comes Leicestriæ, sub Henr. II.

Richardus de Lucie, priorem prælio vicit, an. 19. regni Henr. II. Obiit an. 1179.

Ranulphus de Glanvilla, sub eodem. Exutus est officio an. 1. Richardi I.

Hugo de Pusaz, *Stephani R. ex sorore nepos*, Episc. Dunelmensis & Comes Northumbriæ, priori successit, mox, imminutâ potestate, Borealis tantùm Angliæ Justitiarius constitutus: Australis verò Guil. Episc. Eliensis, cui à Baronibus, absente R. deposito, successit

N. N. Archiepisc. Rothomagensis, A.C. 1191.

Hubertus Walter, Arch. Cantuar. quo, jussu Innocentii III. amoto, eò quod Episcopo non liceat negotiis secularibus se immiscere: suffectus est à Richardo I. R.

Gaufridus fil. Petri, cui dein additus est Petrus de Rupibus, Eques auratus, Wintoniensis Episc. cujus nimiâ potentiâ irritati Proceres effecere, ut à Rege Henr. III. licèt invito, pelleretur.

Hubertus de Burgo, simul Justitiarius Angliæ & Viceco-mes Norfolciæ ac Suffolciæ, sub Henrico III.

Simon de Pateshulle, sub eod.

Guilielmus Comes Penbrochiæ, sub eod. Ejus Epitaph. apud Paris. *Sum quem Saturnum sibi sensit Hibernia, Solem Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.* Obiit A.C. 1219.

Hubertus de Burgo iterum: maritus

maritus Margaretæ Scoticæ. Strenuè multa egit, sed tandem gravius delinquens, omnibus fortunis excussus est ab Henr. III. & suffectus
Stephanus de Segrave Miles; sed & hic, ob rem malè gestam, officio pulsus est. Ei
Hugo de Pateshulle Clericus, successit: electus Cestriæ Episcopus, an. C. 1239.
Philippus Lovet, sub eod. judicio Baronum ex officio ejectus an. C. 1258.
Johannes Mansel Clericus, sub eodem Henrico III. exutus tandem officio à Baronibus, Obiit an. Chr. 1265. Surrogatus est ei
Hugo Bigod, frater Rogerii Comitis Norfolciæ & Marescalli Angliæ, an. 42. Henrici III. hoc discedente in Galliam, Regni habenas, cum tribus aliis moderatus est, an. 1260. Sed eodem anno cessit officio & Successor à Parlamento designatus est
Hugo Dispenserius, an. C. 1261. in annum sequentem: annua enim jam esse voluerunt Barones suprema Regni officia. Hoc exuto, à Rege Henrico III. constitutus est
Philippus Basset, an. Chr. 1262. cum Rege in Lewensi prælio captus. A Baronibus autem nec hic receptus est pro *Justitiario* Angliæ, nec à Rege postea Dispensator: titulo tamen usus est uterque. Interim fractâ re Baronum dignitatem citra controversiam Bassetus reportavit, defunctus An. Chr. 1271. i. penultimo Henrici III. à quo tempore *Supremi* in Anglia *Justitiarii* dignitas cessavit. Sequentes enim ab antiquæ functionis amplitudine semoti, & ad Regii tribunalis jurisdictionem contracti sunt: *Capitales Justitiarii Banci Regii, & Capitales Justitiarii ad placita coram Rege tenenda*, etiam appellati.

Viri illustres.

Justus, Consul cum Januario, an. U. C. 1080.

Justus, Hierosolymorum Episcopus, Simeoni cruci affixo successit, an. Sal. 113. Alius Hierosolymorum Episcopus, post Senecam, an. Sal. 118. Euseb. Alius Alexandriæ Episcopus an. Sal. 122. post Primum præfuit an. 11.

Justus, Episcopus Urgellensis, in Catalaunia, frater Justiniani, Episcop. Valent. magni suo tempore nominis, & velut Oraculum Christiani orbis. Scripsit Exhortationem mysticam Cantici Cantic. editam à Menrado Molhero, Hagenoæ an. 1529. & Basileæ, an. 1551. Obiit an. 540. Isidor. *c.* 20. *&* 21. *de script. Eccl.*

Justus, Episcopus Uratislavensis, in Bohemos fideles sævus, an. no C. 1418, Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Justus, historiographus quidam Tiberiensis, qui de rebus Judaicis historiam scripsit. Volaterr.

D. Justus, vir sanctissimus, ob Christianæ fidei confessionem, in exilio martyrium constantissimè passus est. Ado Archiep. Vienn.

Justus Catonius, in Pannonicis legionibus primi ordinis centurio, sub Tiberii Principatus initiis. Postea Prætorio præfectus, sub Claudio, & fraude Messalinæ interfectus, Dio *l.* 60.

Justus de Tiberiade, scripsit historiam Judæorum, Josephi συγχρονος. Sublestæ fidei à Josepho accusatus, *in Vita*. Continebat liber gesta Judæorum, à Mose ad Agrippam usque. Photius *cod.* 33. Euseb. *hist. lib.* 3. *cap.* 9. Hieron. *in Cat.* Suid. &c.

Justus Lipsius, Brabantus, Oraculum sui temporis, variis in Academiis docuit, Lugduni inprimis Batavorum, & Lovanii. Opera egregia, in volumina aliquot congesta, eruditionem ejus, in omni literarum genere, abundè loquuntur. Obiit an. 1606. ex Anna Calistria uxore, nullâ prole susceptâ.

Juta, al. *Juti*, *Guti*, & *Jutones*, Bedæ *Vita*, quasi *VVita*, *Guti* quandoque iidem sunt, qui *Gothi*, *Gotts*, & *Gots*: Romani *Getæ*, à prisco vocabulo Gothico *Jad*, quod gigantem denotat. Unus erant è tribus populis illis protogonis, qui, relictis in Germania sedibus, Angliam olim applicuere: ubi in tractu Cantio & Vecta insf. quæ ab advenis nomen videtur sortita, sedes ceperunt. Quum enim prisco Saxonum idiomate *VVide* & *VVideland* appellata sit, produnt hæ voces exordium à *Gutis*: dictamque velut *Gutiam*, *Gutlandiam* & *Gutorum insulam*, in memoriam transmarinæ eorundem patriæ. Quemadmodum quoque Saxones & Angli, suas apud Anglos sedes, à transmarinis illis Angliam & Saxoniam nuncuparunt. Tota etiam pars Daniæ Occ. *Jutia* olim dicebatur, vulgò *Jutland*, & pars Or. Suediæ adjacens, *Gotia*, al. *Gotland* & *Gutland*, variatâ parumper dialecto: fuitque regio antiqua latissimis porrecta limitibus, & Germaniæ partem non exiguam obtinuit. Hodie verò *Juts* in meditullio Daniæ degunt: Sub Canuto circa annum 1139. cùm in Dania duo Reges, modò nominatus, & Sueno, cui Selandi ac Scani parebant, regnarent: priore ab hoc interemto, ipse à Waldemaro, per Jutos cæsus est. An. C. 1161. Saxo *Gramm. l.* 14. Vide *Guti* & *Jutia*.

Jutia, vulgò *Jutland*, aliàs *Cimbrica Chersonesus*, quia à Cimbris primùm habitata, quibus postea Juti successere, regio ampla Daniæ regni, & in modum peninsulæ extensa à Meridie in Septentrionem, & tantùm continenti juncta versùs Austrum, ubi terminatur à Germania. Ab Occasu habet mare Germanicum, & ad Boream et Ortum sinum Codanum seu mare Balticum. Dividitur in Septentrionalem & Meridionalem. Septentrionalis Jutia, vulgò *Nort-Jutland* dicta, dividitur in quatuor partes seu Diœceses, nempe in Ripensem, Arhusiensem, Alburgensem, & Viburgensem, ubi sunt urbes cognomines. Jutia Meridionalis, *Sud-Jutland*, quæ aliter dicitur Ducatus Slesvvicensis, dividitur in septem partes. Sed pars ejus Meridionalis subest dominio Ducum Slesvvicensium è familia Regum Daniæ. Ibi urbes præcipuæ Slesvicum, Flensburgum, Haderslebia, & Apenroa. Pop. *Juti*, sub Christierno II. cùm ad Comitia Arhusiæ instituta vocarentur, consternati Suecicâ lanienâ, similemque veriti, Viburgi congregatione factâ, per Magnum Munckium literas Regi renuntiationis miserunt, sec. præt. Qui in Seelandia rebus suis firmatis, cùm patruum electum audiret, cum gazâ, chartis literisque in Belgium se recepit. Spenerus *Syll. Chronol. Histor.* Vide Golnizium *descr. Jutiæ*, ut & in voce *Juta*.

Jutiæ urbes.

Alburgum, *Alborch.*	Haderslebia, *Hadersleben.*
Appenroa, *Appenrade.*	Husumum, *Husum.*
Arhusia, *Arhusen.*	Ripa, *Ripen.*
Coldiga, *Koldingen.*	Slesvicum, *SlesVVick.*
Flensburgum, *Flensborg.*	Tondera, *Tonderen.*
Fridericopolis, *Friderickstadt.*	Toninga, *Tonning.*
Viburgum, *VViborch.*	

Juturna, Dauni filia, Turni Rutulorum regis soror, quam Jupiter, pro ereptâ virginitate, immortalitate donavit, Numicique fluv. nympham fecit. Hæc in bello fratrem adversus Æneam multum juvit, sed videns fratri necem instare, in Numicum fluv. se occultavit. Virgil. *Æn.* 12. Alii dicunt, eam rem habuisse cum Latino rege, eoque palam facto, suâ sponte se in Numicum præcipitasse. Ei ædes Romæ fuit in Campo Martio. Reverâ autem *Juturna* fons est saluberrimus, in agro Latino, in Numicum amnem influens, quæ res poëtis occasionem fabulandi dedit. Nunc *Troglio*. Inde Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueverat.

Juturna, Val. Max. fons & lacus parvus Latii, apud Numicium fluvium, teste Servio, *Treglio* nunc, teste Giraldo, sic à nympha. Virgil. *lib.* 12. *Æneid.*

Juturnam misero (fateor) succurrere fratri
Suasi. —— ——

Est & *Juturna* fons Romæ in Velabro., P. Vict. ubi nunc sacra ædes S. Mariæ liberatricis, Ferrar. Baudrando *Juturna* lacus ante complures annos aquâ per subterraneum meatum deductâ exsiccatus est à Cardinale Serra, qui villam eò loci habebat; & salubritatem aëris exsiccato lacu locis vicinis reddidit: quod etiam Inscriptiones Urbani VIII. Pontificis Romani ad Castrum Gandulphi positæ testantur.

Juvantius, fluv. nunc *Trontino*. Labitur juxta Interamnam, seu Teramum in Aprutio ult. & in sinum Venetum se exonerat.

JuVavia, Bavariæ urbs, Archiep. ampla, hodie *Saltzburg*, ad fluv. cognom. Ptol. *Pædicum*, 12. mill. Germ. à Lintio in Circ. 12. à Passavia in Mer. Cum tractu sat amplo, *Ertzbischthum Saltzburg*: qui sub Arch. proprio, inter Bavariam ad Occ. & Austriam ad Ort. duas urbes & plura oppida continet.

JuVavius, flu. Saltzburgum, cui nomen dat, præterfluens, hodie *Saltz* Aventino. Ex Tauro monte, in confinio Carinthiæ ortus, influit in Oenum, inter Oetingam & Braunodunum, Bavariæ urbes.

Juvenacium, urbs Apuliæ Peuc. maritima, Episc. sub Archiep. Barensi inde 12. m. p. in Occ. Barolum versus 18. Melficto proxima. *GioVenazzo* vulgò.

Juvenales ludi, à Nerone primùm, cùm barbam deponeret, instituti sunt. Agebantur per domos & hortos, legiturque Ælia Catula nobilissima atque ditissima, an. æt. 80. in iis saltasse, apud Xiphilinum *ex Dione*.

JuVenalis Decius Junius, poëta Satyricus ex Aquino oriundus; Is ferè ad mediam ætatem declamavit, postea vitiis offensus Satyras scripsit, sed cùm schemate notasset Paridem Pantomimum, jam octogenarius, specie honoris, præfectus est cohorti in extimâ Ægypto, inde *Irati histrionis exul* vocatur à Sidonio Apollinari. Creditur vixisse, usque ad annum 12. Adriani. Lipsius, *ep. quæst. lib.* 4. *cap.* 20. Scalig. *Poet. lib.* 6. *cap.* 6. Lilius Girald. *in Dial. Poët.* Voss. *de P. L.* Verùm de eo nos alibi. Lloyd.

JuVenatium, pag. agri Bergomensis; Zanchio *Adhasta*.

JuVencus, Presbyter Hispanus, Evangelia heroicis versibus explicuit, an. Sal. 332. Etiam alia quædam attribuuntur illi: Hinc Hieron. *in Matth.* citat ex illo seqq.

Aurum, Thus, Myrrham, Regiq; Hominiq; Deoq;
Dona ferunt.

A quibusdam G. Aquilinus Vectius Juvencus dicitur. Vide Hieron. *in Chron.* Olymp. 277. an. Chr. 329. *epist. ad Magn. & in Comm. in Matth.* Honor. Augustodun. *libel.* 1. *cap.* 85.

JuVentas, Dea fuit apud Romanos, post prætextam excipiens juvenilis ætatis exordia. Hanc Romani à Servio Tullio usque in Capitolio coluerunt: Quare Tarquinio Prisco, ut templum Jovi Capitolino exstrueret, reliquorum Deorum templa exauguranti, Terminus & *JuVentas* cedere noluere. Aliam dein ei ædem vovit M. Livius Consul, quo die Hasdrubalem vicit: quam idem Censor faciendam locavit, C. Licinius Lucullus Duumvir dedicavit, 16. post annos, Livius *lib.* 36. ubi addit, ludos etiam hujus ædis dedicandæ causâ factos, & quidem majori religione, quòd novum cum Antiocho tum bellum instaret. Vide *Hebe.*

Juventius Celsus, Consul cum Neratio Marcello, an. U.C.881. Auctor 39. libb. Digest. 20. Instit. &c. Fil. patris cognom. qui Adriano à consiliis & apud Trajanum in pretio fuit. Item alius JC. Consul cum Crispino, an. U.C. 865.

Juventius, vel *Juvencus Martialis*, laudatus Sidonio Apollin. *lib. 9. epist.* 14. *ad Burgundionem*. Auctor vitæ Jul. Cæsaris. Sed Gargilium Martialem fortè Sidonius dicere voluit, de quo Vopiscus *in Probo*. Lamprid. *in Alex.* &c.

Juverna, vulgò *Ireland*, vide *Hibernia*. Juvenal. *Sat.* 2.

—— Arma quidem ultra
Littora Juvernæ promovimus, & modò captas
Orchadas, & minimâ contentos nocte Britannos.

Juviniacum, vel *Joviniacum*, vulgò *Joyne*, à Jovino quodam cognominatum, inter villas est ad Remense Monasterium S. Remigii pertinentes. Item *Juviniacum*, vulgò *Juvignien*, ad Monasterium Lugdunense apud Inf. Barbaram, Gregorio Tur. memoratum, spectans. De utraque vide Hadrianum Valesium *Notit. Gall.*

IX.

Ixarium, vulgò *Ixar*, opp. Aragoniæ, ad Martinum fluv. cum tit. Duc. 6. leucis à Cæsaraugusta in Austr. Dertusam versus.

Ixia, regiuncula Rhodi, ab *Ixio*, portu, hinc Apollo *Ixius*. Steph.

Ixias, urbs Oenotrorum mediterranea. Barrio *Carolei* opp. agri Cosentini prope Menesinam opp. Vide *Inia*.

Ixibata, pop. intra Pontum prope Sindicam, Steph. *Ixomatæ* Polyæn. *lib.* 8.

Ixion, tertius Corinthiorum Rex.

Ixion, Phlegyæ, sive ut Hyginus mavult, Leontei filius, qui socerum suum Deioneum, vel Erioneum fraude peremit. A quâ cæde cùm neque homines, neque dii eum lustrare vellent, diuq; incertus vagaretur, Jupiter illius misertus in cœlum assumptum expiavit. Cumque jam purgatus apud superos degeret, Junonem amare cœpit, eamque de stupro appellavit, quod cùm Jupiter intellexisset, nubem illi sub Junonis effigie opposuit, ex quâ ille Centauros genuit. Dejectus deinde in terram, cùm passim gloriaretur, cum deorum reginâ se rem habuisse, Jupiter indignatus, fulmine ad inferos eum detrusit, curavitque, ut ibi rotæ illigatus perpetuò circumageretur. Virgil. *Georg.* 4.

Atq; Ixionei vento rota constitit orbis.

Ovid. *Met.* 10.

—— Stupuitq; Ixionis orbis.

Idem,

Volvitur Ixion, & se refugitq; fugitq;.

Tib. 3. 1.

Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rotâ.

Claud. 2. *De Raptu Prof.*

Non rota suspensum præceps Ixiona torquet.

Ixion, Grammaticus esse videtur, quem laudant Scholia *in Ranas, act.* 1. *sc.* 6. *fine*. Eum quoque citat in expositione Atticarum dictionum *in Aves p.* 614. *A.* 2.

Ixionides, Pirithous, Ixionis filius. Prop. 2. 1.

Theseos internis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.

Ixius portus, vide *Ixia*.

IZ.

Izachi, Maurit. Cæsarienf. opp. Ptol.

Izala, mons circa Persidem. Amm.

Izates, Adjabenorum R. cum Helena sorore & uxore Judaismum amplexus, fame sæviente, in Judæos munificus extitit. Fil. Monobazi, cognom. Bazæi. Joseph. *Antiq. lib.* 20. *cap.* 2. Orosius Izatem cum conjuge Christianos facit. An. Chr. 45.

Izatha, opp. Mauritaniæ Cæs. Ptol.

Izelus, castellum Siciliæ. Steph.

Izgli, Indiæ populi. Plin.

Izizum, Ægypti urbs. Anton.

Izrahia, filius Ozi, filii Thola, filii Issachar. 1. Par. 7.

Izralla, Thraciæ oppidum. Anton.



KA KE KI

K Litera Græcorum, Κάππα illis dicta: Latinis, quorum primus illam adhibuit Sallustius, Ludimagister quidam, in nullo usu, nisi olim in vocibus *Kalenda, Kabala*, &c. ubi postmodum C. adhibitum. Priscian. Hinc cùm *Kappa* Romanum, in Senatorum calceis apponi solere, scribit Suidas, planè Lunulam intelligit, cujus figura C. est. Anglis, Hibernis, Scotis, Danis, &c. in propriis nominibus utcunque inservit, reliquis gentibus rariùs usurpatur. Calumniatoribus olim K. ignito ferro in fronte inustum, Lipsius refert. Vide Voss. *Aristarchum lib.*1. *cap.*17. qui præter alia, antiquos in tribus vocibus literâ hâc usos esse docet, ex Terentiano Mauro,

K. *similiter otiosa est cæteris sermonibus*;
Tumq; in usu est, cùm Kalendas *annotamus, aut* Kaput,
Sæpe Kæsones *notabant hac vetusti literâ.*

Intellige, cùm legis, non cùm hominis caput signarent.

KA.

Kæso, sic potius per K. antiqui scribebant Cæsonem significando, & à Cajo, quod C. litera notatur, distinguendo. Cæsonem autem constat cum primò dictum esse, qui ex utero mortuæ matris exsectus esset. Plinius *lib.*7. *cap.* 9.

Kailla, Pannoniæ regina, quæ maritum suum Vazulem excæcavit. Volaterr.

Kaimachitæ, vulgò *Kaimachites*, populi Tartariæ magnæ, longè lateque diffusi, juxta magnum fluvium Ghammam, & inter regionem Mongal ad Boream & regna Thibeti & Tanguti ad Meridiem. Hinc mare ad Ortum adjacens dicitur mare Kaimachitarum, teste Sansone.

Kalenus, vide *Fufius*.

Kalne, urbs terræ Sinaar, quæ & *Chalne*, & *Chalane*.

Kane, Dux Hunnorum, sub quo Hunni Pannoniam ingressi ad Tulmam Austriæ locum, contra Romanos victores fuere. Occubuit dux, cui successit Attila. Volat.

Kaniovia, vulgò *Kaniovv*, oppidum munitum Poloniæ, ad dextram Borysthenis fluvii ripam, supra introitum Rossii fluminis, quà in Borysthenem cadit. in Ucrania & in Palatinatu Kioviensi, sub Cosaccis. Distat 7. milliaribus Germanicis à Czircassia in Boream Kyoviam versùs, & vix tribus infra Trethymiroviam.

Kaubura, vulgò *Kaufbeurn*, urbs Germaniæ, in Suevia provincia & in Algea tractu, Latinè dicta emptus pagus. Parva est admodum, sed Imperialis jam à tempore Conradi secundi, ad amnem Wertacum, quinque milliaribus Germanicis à Memminga in Ortum distans. Vide infra.

Kaufbaira, quasi *Emtus pagus*, opp. Imp. in Algoja: in libertatem se vindicavit, solutis L.M. aureorum, Conrado II. imperante: cùm prius per an. 200. subesset Baronibus *Vom Hof*, qui è Gallia progressi huc, auspiciis Lotharii Imp. municipium ibi condiderunt, an. Chr. 1340. Restitutum est an. 1629, quoad Relig. Evangel. in statum A. 1624. Limnæus Enucl. *lib.*4. *cap.*30.

KE.

Kecium, seu *Tunquinum*, *Kecio*, quæ & *Tunkin*, urbs ampla Indiæ ulterioris, & regni Tunquini caput, ad fluvium cognominem. Vix 40. milliaribus distat ab ora littorali & à sinu Cocinsinæ in Circium, & 150. à confinio Imperii Sinarum *in Merid.*

Keiserberg, q. *Cæsaris mons*, civ. Alsatiæ, à Wulffelino Friderici II. Imp. Vicario, ex pago urbs effecta. Generosissimum hic vinum Alsaticum crescit. Una ex 10. est Alsatiæ urbibus, quarum caput Hagenoa.

Kemi, vulgò, *Kemois*, populi sunt regni Cocinsinæ, ad Occasum extensi, inter montes & deserta.

Kenredus, fil. Wif-heri, Merciorum R. juvenis admodum patrem amisit. Hinc Ethelredo regale culmen delatum. Postmodum regno potitus, paulò pòst, illo relicto, Romam, sub Constantino P. venit, ibi Monachi habitu sumto. Chenius *hist. Angl.*

Keplerus Johannes, Mathematicus Rodolphi, Matthiæ & Ferdinandi II. Impp. Inter præcipua seculi sui decora. Admirationem doctorum meruerunt ejus, inter alia, liber *De Motibus Stellæ Martis: Tabulæ Rudolphinæ: Optica Astrologica:* de Cometis, Ephemerides, Epitome Astronomiæ Copernicanæ: de vero anno nativitatis JESU CHRISTI, &c.

Kerriensis Comitatus, *KerryCountie*, quibusd. Kilkovia, Comit. Hiberniæ, in Momonia reg. cujus caput Ardatum. Habet ad Arctos Connaciam, & ad Austr. Desmoniæ Comit. estq; juxta Ocean. Occ.

Kexholmia, vulgò *Kexholm*, provincia Sueciæ, in Finnia regione, aliàs sub dominio Moscorum, nunc paret Suecis ab an. 1617. Ejus caput est Kexholmia castrum, *Kexholm*, in ora lacus Ladogæ, in ostio fluvii *Voxen*, quod à Ruthenis *Carelogorod* dicitur; eique adjacet oppidum, quod simul cum arce permunita pridie Nonas Novembris anno 1580. occupavit Pontus *de la Gardie*, Heros fortissimus, qui maxima & penè incredibilia facinora edidit, & invictas Moscorum arces Ivanogorod, Jamagorod, Cuporiam, & Livoniæ urbem Narvam, cum pluribus aliis anno 1581. Suecorum jugo subjecit, ac tandem fluvii Narvæ undis submersus est.

KI.

Kiburgium, vulgò *Kiburg*, oppidum Helvetiorum, in pago Tigurino, unde aliàs Comites alicujus nominis. Sedet ad amnem *Toss*, duabus leucis à Tiguro in Ortum Constantiam versùs.

Kila, seu *Koila*, *Kile*, provincia Scotiæ. Vide *Covalia*.

Kilchennia, vulgò *Kilkenny*, quasi Fanum S. Canici, urbs Hiberniæ Episcopalis, sub Archiepiscopo Dublinensi, in Laginia, à Dublino ad 35. mill. in Africum distans, Osseriæ & Leiglino propinqua: Academiam habet, Ferrar. Baudrando urbs est Lageniæ, Comitatus Kilkenniensis caput, ad Nuram fluvium. 50. mill. distat à Dublinio, 20. à Cassilia in Ortum, & 28. à Waterfordia in Boream; estque ampla & munita.

Kildaria, vulgò *Kildare*, urbs Hiberniæ, in Laginia regione, Episcopalis sub Archiepiscopo Dublinensi, inter Dublinum ad Boream 20. & Waterfordiam ad Austrum 40. mill. dissita. Ferrar. Baudrando Comitatus cognominis caput est, in Lagenia. 25. milliaribus distat à Dublino in Occasum, & 50. à Waterfordia in Boream.

Kildariensis Comitatus, *Kildare Countie*, Comitatus Hiberniæ, in Lagenia provincia, inter Comitatum Dubliniensem & Comitatum Regis. Ibi urbs præcipua Kildaria.

Kilianus, Evangelii præco, Franciam peragravit, à Geila cum sociis occisus, A. C. 686. Sigeb. *in Chron.*

Kilkenniensis Comitatus, *Kilkenny Countie*, Comitatus Hiberniæ, in Lagenia provincia. Habet ad Occasum Momoniam & ad Ortum Comitatum Caterloghensem.

Kilmalocum, vulgò *Kilmalock*, urbs Hiberniæ, in Momonia provincia & in Comitatu Limericensi, Episcopalis sub Archiepiscopo Cassiliensi. 18. milliaribus distat à Limerico in Austrum, & 28. à Corcagia in Boream.

Kilmoria, vulgò *Kilmore*, urbs est Scotiæ, in Knapdalia provincia, ad lacum seu æstuarium *Fynn*; estque Episcopalis sub Archiepiscopo Glascoviensi. 15. milliaribus Scoticis distat à Stephanodino in Austrum, & 32. à Dumbritonio in Occasum.

Kimarus, Rex Britonum, in Anglia, post Sisyllum patrem. In venatione, à quodam suorum, ob scelera, occisus. Script. Scot.

Kinnatelus, Scotiæ R. post fratrem Congalum. Justitiæ severus cultor; Aldamo legitimo hæredi, regnum restituit anno post illud susceptum.

Kinsalia, vulgò *Kinsale*, urbs Hiberniæ & Momoniæ provinciæ, in Comitatu Corcagiensi. Gaudet portu capaci, estque Episcopalis sub Archiepiscopo Cassiliensi. 15. milliaribus distat à Corcagia in Meridiem.

Kiovia, vulgò *Kiovv*, urbs Sarmatiæ, in Lithuania, ad Borysthenem fluvium, olim Archiepiscopalis, & Metropolis maxima, nunc excisa, à Circassis urbe 25. leucis in Boream, Smolenscum versus super 80. Ferrar. Baudrando *Kiovia*, *Kiovv* Polonis, *Kioff* Germanis, urbs est ampla Poloniæ, in Volhinia inferiori, cum arce munita. 40. leucis Polonicis distat à confinio Moscoviæ in Occasum. Varias experta est vices à viginti annis. Sed hisce ultimis temporibus data fuit Moscis per Cosaccos. Magnificam olim & amplam urbem fuisse testantur murorum ruinæ, ferè octo milliarium circuitu eam ambientes, ut & templum in ea splendidum. Ipsa civitas versùs Septentrionem ædibus repleta est, ac castro & militaribus structuris munita. Reliquam partem versùs Occasum & Meridiem ligneum septum ambit. Condita fuit Kiovia, à Kio Principe quodam Russico anno 861. & ab eo tempore sedes fuerat Imperii Russici; posteaque habuit Principes proprios. Anno 1615. capta fuit & vastata à Tartaris, à quo tempore nunquam campos fieri potuit antiquæ magnificentiæ.

Kircholmia, opp. Livoniæ, ubi Carolus Sueciæ R. magnâ clade affectus est, an. 1605. à Carolo Chotkeviczio, Uladislai Poloniæ R. Duce. Vide Thuan. *Hist. lib.*133.

Kiriathsepher, Palæstinæ urbs, olim *Debir*, *Jos.* 15. Lat. *civitas literarum*.

Kittim,

Kittim, regnavit apud Janigenas, relicto in Celtiberis rege filio Sicoro, quem *Kittim* Janigenæ suâ linguâ ob mentis excellentiam vocaverunt *Italum Atlanta*. Hic filiam suam Electram Camboblasconi, Janigenarum principi dedit conjugem, & Romam filiam suam primò subreginam Aboriginibus sacravit. Berosus.

KN.

Knapdalia, vulgò *Knapdaile*, provincia Scotiæ versùs Occasum, & inter provincias Lornam ad Boream & Cantieram ad Austrum. Ejus præcipua urbs est Kilmoria.

Knoxus Johannes, Scotus, ob religionem pulsus Genevam secessit, ibique Calvino innotuit. In Patriam inde reversus, rebus jam pacatis, magnis muneribus defunctus est. Vide Buchan. *rer. Scot. l.* 16. Vide *Cnoxus*.

Knuphis, vide *Cneph*.

KO.

Kockenhusium, vulgò *Kockenhauß*, oppidum est Livoniæ, in Litlandia provincia, ad Dunam fluvium, aliàs juris Polonici, nunc Suecici. 70. milliaribus distat à Riga in Ortum.

Kola, vulgò *Kola*, oppidum Lapponiæ Moscoviticæ, cum portu ad ostia fluvii cognominis in ora Oceani Glacialis. Valdè frequentatur à Batavis. In viciniis est etiam lacus *Kola* dictus.

Königsberga, vulgò *Königsberg*, Prussiæ Ducalis urbs primaria, Hanseatica, ampla, emporiumque Poloniæ celebre, cum arce & portu, prope ostia Pregelæ fluvii in Habum sinum, sub dominio Electoris Brandeburg. Dicitur *Mons Regius* Lat. *Kroleffsky* Polonis. Estque triplex, nempe Vetus, ubi arx Ducalis, à Georgio Friderico, Marchione Brandeb. excitata: Altera pars *Kniphoff* dicitur, ubi templum inest Cathedrale Episcopi Sambiensis & Academia, ab Alberto Prussiæ D. instituta, an. Chr. 1544. Tertia urbis pars *Lebenicht* dicitur. A voce *Rex*, Germ. *König* nomen habet. Quemadmodum *Regis mons*, vulgò *Königsberg* Latio, opp. cum monte, qui *Vogel* dicitur, in Japidia regione, in Carniolæ confinio, ac in Comitatu Celejensi, apud Collem oppidum. *Rain* vulgò, à Pætovione 8. leuc. in Austr. à Celeja urbe 4. in Eur. Sic in Tuscia fuit *Regis villa*, in ora, inter Graviscas & Cosam urbem excisam. *Regium* flumen, in Mesopotamia, inter Euphratem & Tigrim fluens: *Basilius*. Porro *Regium Gallicum*, vulgò *Riez*. Vide *Reji Apollinaris*. Etiam *Regium Germanicum*, vulgò *Roking*, opp. olim Vindeliciæ, nunc vicus in Bavaria, inter Abudiacum & Aciliam, à Ratispona 2. leuc. in Austr. *Regium Julium*, Vide *Rhegium*: & *Regium Lepidi*, vulgò *Reggio*, urbs Galliæ Togatæ, in via Æmilia, Episcopalis sub Arch. Ravennate prius, nunc sub Bononiensi, inter Parmam & Mutinam ad Ortum. 15. mill. pass. priùs Colonia Tuscorum, dein Lepidi, sub Principibus Atestinis. Condita autem fuit *Königsberga* ab Equitibus Teutonicis anno Chr. 1260.

Korsuma, vulgò *Korsum*, oppidum Poloniæ, in Ucrania seu Volhinia inferiori, ad Rossi fluvii ripam, à Rege Stephano conditum anno 1581. Ibi Poloni memorabili clade affecti fuere à Cosaccis anno 1648. Distat novem leucis Polonicis à Czircassia in Occasum.

KU.

Kudacum, vulgò *Kudack*, seu *Kudak* oppidulum Poloniæ in Ucrania & in Palatinatu Kioviensi, in dextra Borysthenis ora, infra Samaræ fluvii confluentes, munitum à Polonis An. C. 1637. ad coërcendos Cosaccos, ne in mare Euxinum irrumperent. Nunc ab his occupatum ab anno Chr. 1648.

Kunigunda, Henrici Imp. uxor, virginitatem perpetuam observasse fertur cum marito, & post mortem miraculis claruisse. Munsterus *lib.* 3. *Cosmograph.* de illa sic scribit: *Quanquam continentissimè cum ea vixerit Imper. seminator tamen zizania injecit illi scrupulum Zelotypiæ, cùm ei suggereretur, quòd ipsa militem quendam amicius esset intuita, quàm par esset. Quod ubi illa rescivit, jussit secreto sex igniri vomeres, eosq; in Imperatoris, aliud agentis, afferri conspectum. Miratus ille quid ageretur, vidit deinde charissimam conjugem nudis pedibus conscendere ferrum ignitum intrepidam. Vides, inquit illa ô Imp. illæsam à ferro, illæsam ab omni immunditiâ. Ille autem in se conversus cœpit cogitare, quid esset suspicatus, qui mox procidens ad uxoris genua provolvitur. Illa procumbentem amicissimè levat, & ex illâ die omnis sinistra cessavit suspicio. Cohabitantes itaq; in pudicitiâ virginali ad finem vitæ usq; perseverarunt, una sepulti in Cathedrali, quam construxerant, Ecclesiâ*, Lloydius.



LA LA

L Latinorum consonans liquida & immutabilis, cui λάμβδα Græcorum respondet; mutam, cui in eadem syllaba jungitur, ancipitem reddit. Sic enim *t.* in *Atlas*, Martial. *l.6. epigr.77.* corripitur, producitur autem apud Virgil. *Æn.8.*

At Majam maximus Atlas.

In hanc sæpe *R.* mutatur, unde ex *Frater Fratellus*: & Ovidius 5. *Fast.* inquit:

Aspera mutata est in lenem tempore longo
Littera.

Laudis index *L.* Scaligero est. Vide Robert. Titum *l.* 10. *c.*14. Voss. *in Aristarcho.*

LA.

La, urbs Laconica, quam Hom. *Laan* vocat, sic dicta quòd in excelso saxo sita sit. Quam postquam Dioscuri oppugnassent, *Lapersas* nominarunt. Steph. Livio *Las* vicus est *lib.* 38. *Valbi* hodiè Nigro. Vide Meursium *in Miscell. Lacon p.269.*

Laabim, filius Mesraim, Gen. 10. Ab hoc Libya, quæ prius (ut Hieronymus refert *in Quæst. Heb.*) Phutensis regio appellata est, nomen habet.

Laad, filius Jahæ, filii Subal, filii Judæ. 1. Par. 4.

Laada, filius Selæ, filii Judæ. 1. Par. 4.

Laadan, filius Thaan, filii Thale. 1. Par. 7.

Laander, adolescens frater Nicocratis, Cyrenensium tyranni, quem immissâ pulcherrimâ filiâ, ad cædem fratris, stimulavit Aretaphila. Polyæn. *lib.* 8.

Laarchus, Tutor Batti Cyrenæi constitutus, invasit tyrannidem multaque crudelitate in populares grassatus est; tandem ab Eryxo matre pueri Batti, cujus nuptiis inhiabat, noctu ad colloquium insidiosè evocatus, à fratre ejus majore Polyarcho, obtruncatus est, restituto regno Batto. Plutarch. & Polyæn. *lib.*8. Ubi tamen interpres legit *Nearchus* admodum vitiosè.

Laattha, Arabiæ Fel. urbs. Ptol.

Laba, Arabiæ Fel. opp. versus Elaniticum sinum. Ptol.

Labaca, Indiæ intra Gangem civitas. Ptol.

Labacum, incolis *Laubach* Ital. *Lubiana*, multis est *Emona* vett. & 9. leuc. distat à Tergeste in Bor. urbs Norici. Episc. facta à Paulo II. an. 1468. sub Arch. Salisburgensi, inde 36. leuc. Carniolæ regionis caput: 2. leuc. supra in Merid. *Labacum parv.* ad amnem cognom. olim *Nauportus* dictum, situm est.

Laba, urbs Chattreniæ regionis Gethræorum. Steph.

Laban, frater Rebeccæ fil. Bethuelis filii Nachor ex Melchâ: Cujus historiam vide Gen. 29. 31. *& seqq.* Apud Jos. *Ant. l.1.* Torniel. Salian. &c. Est & locus in deserto, ubi Moses Deuteronomium perlegit filiis Israël. Deut. 1.

Labana, civ. sacerdotum in tribu Judâ Jos. 15. quæ & *Lebna* Jos. 10.

Labanath, civitas quæ tribûs Aser terminus fuit. Jos. 19.

Labanis, ins. in sinu Arabico. Plin. 6. 28.

Labara, urbs Cariæ. Steph.

Labarsadach, 22. Babyloniorum rex.

Labarum, vel *Laborum*, vexillum militare, à temporibus Constantini M. qui contra Maxentium pugnaturus, signo in aëre viso, cum verbis: Ἐν τούτῳ νίκα, *In hoc vince*, confirmatus, paulo pòst felici eventu conflixit. Erat autem hasta longa, cum ligno in apice transverso, supra quod corona, cum literis initialibus nominis Græci JESU CHRISTI: ab hoc pendebat pretiosus pannus, cum Constantini & filiorum iconibus. In nummis quibusdam Principis hujus paulo alia labaro forma est, cum verbis: *Gloria exercitus, Virtus copiarum, Unio militum.* Hinc *Præpositi Laborum*, in Cod. Theodos. & Justinianæo. Signum hoc removit Julianus Apost. Nomen ejus hinc arcessit, Gregor. Naz. quòd *labores* finiret. Huic in Gallia olim simile quid dicunt Auriflammam fuisse & Cucullam S. Martini, quibus olim in bellis non sine successu usos Gallorum R. sunt qui tradant. Vide Euseb. *in Vita Const.* Sozom. *lib.*1. Turneb. *Advers. l.*15. *c.*16. Cujacius *de Præp. Lab.* De illo sic porro Prudentius *lib.* 1. *c. Symm.*

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum.

Labarus, fluv. Insubrum. *Lambrus* Plin.

Labasa, Indiæ extra Gangem pop. Ptol.

Labatum, Istriæ opp.

Labatus, viri proprium, cujus crebra mentio fit apud Plutarch.

Labda, Amphionis cujusdam ex Bacchidarum genere filia fuit, quæ quòd clauda esset, & ob id à cæteris sperneretur, Ætioni filio Echecratis nupsit, eique puerum peperit, quem ab eventu Cypselum appellavit. Nam cum duo Corinthiis reddita essent oracula, ut Labdæ fil. Corinthi aliquando tyrannidem invaderet, missi sunt publico decreto decem viri, qui puerum interficerent. Verùm cùm fortè puer ei, qui primus eum à matre acceperat, arrisisset, ille misericordiâ motus adduci non potuit ut eum occideret: quapropter illum alteri tradidit, & ille rursus alii, atque ita infans per manus traditus, à decimo matri redditus est, nemine eum interficere volente. Post hæc illi egressi & pro foribus stantes, sese mutuò, præcipuè verò qui primus puerum acceperat, increpabant, quòd eum ex convento non occidisset. Quod cùm audisset Labda, quæ intus ad fores stabat, puerum in mensurâ frumentariâ, quam *Cypselum* vocant Græci, occultavit. Vide latiùs hanc historiam apud Herod. *Musâ quintâ.*

Labdacus, Phœnicis filius, qui ætate jam in senium vergente, Thebas evocatus, aliquandiu ibi regnavit, filiumq; habuit Lajum, Oedipi patrem, qui illi in regno successit, unde & *Labdacides* dictus est. Stat. *lib.*6. Etiam *Labdacidæ* Thebani dicuntur à *Labdaco.*

Labdalon, promuntorium Epipoleorum prope Syracusanos, Thuc. Diod. *l.*14. Steph. *Hexapylon* Liv. & Plut.

Labdas, Hierosolymorum Episcopus 33. an. Sal. 297.

Labeatis, lacus Dalmatiæ apud Scodram urb. quem Livius *l.44.* describit. *Lago di Scutari* hodie dicitur: Seu *Lac de Penta*, Baudrando; lacus Albaniæ in mediterr. Circuitus 60. m. p. circiter. Pop. *Labeates* Plin. & Liv. quorum urbs Scodra.

Labecia, Arabiæ opp. ab Ælio Gallo dirutum, Plin. 6. 2.

Labellum, seu *Lavellum* vulgò *Lavello*, urbs c. Basilicatæ, Episc. sub Archiep. Barensi, 3. mill. ab Aufido fluv. inter Melphim ad Occ. & Minervinum ad Ort. 12. mill. à Canusio in limite Capitanatæ. Varia hic reperiuntur antiquitatis vestigia.

Labeo, Labeonis Antistii Pater, vir præclarus & prudens, qui bello Philippensi pro libertate fortiter occubuit: nam fidissimus servorum dextrâ apprehensâ eumque circumactum more Romano libertate donavit, hocque ritu peracto gladium ad se occidendum tradidit, Appian. *lib.* 4. *Civil.*

Labeo Antistius, Jurisconsultus, in 12. tabb. commentatus, de quo Gellius *l.1. c.10. l.13. c.10. &* 12. Horat. *lib.*1. *Sat.*3.

—— Labeone insanior, inter
Sanos dicatur. ——

Ubi Labeonem Antistium carpens, Augusto assentatur. Nam hic Labeo usque adeò fuit liber, & contumax, ut etiam Augusto sæpe restiterit.

Labeo, alio nomine Claudius, præfectus alæ Batavorum, oppidano certamine æmulus Civili; ne interfectus invidiam apud populares; vel si retineretur, semina discordiæ præberet, in Frisios avehitur. Tacit. *hist.* 4. 18.

Laberius Jul. Decimus, poëta, mimographus, eques Rom. Macrob. *Sat. lib.* 2. Gellius *l.* 2. *c.9. lib* 3. *cap.*18. *lib.*10 *cap.* 16. Sen. 7. *Declam.* Laberium mimum Divus Julius ludis suis produxit, deinde Equestri ordini reddidit: quem cùm jussisset ire sessum, omnes equites ita se coarctaverunt, ut venientem non reciperent. Horat.

—— Nam sic
Et Laberi mimos, ut pulchra poëmata, mirer.

Obiit Puteolis, Olymp. 184.

Laberius Durus, prænomine *Quintus*, tribunus militum in exercitu Julii Cæsaris, ab essedariis in Britanniâ interfectus. Cæsar 5. *Com.*15. *f. Labienus* est apud Orosium & in 5. *Cod.* quàm rectè, non pronunciare audet Ciacconius.

Laberris, Asturiæ in Hisp. urbs. Ptol. *Pennaflor*, inter Legionem & Ovetum 11. leucis.

Laberus, opp. Hiberniæ. Ptol. *Kil-lair* Camdeno. *Cassel* Nigro. *Limerick* Ferrario. Opp. fuit Eblanorum Baudrando, in Hibern. Nunc quid sit, haud constat. Aliis enim est *Kildaer*, aliis *Killair* seu *Kellean*, in Media prov. ad amnem Bovindam.

Labicum, Italiæ oppidum, cujus nomen quod attinet, cùm Græcorum β utramque Latinorum literam *b* & *v* valeat, promiscuè per has scriptum id reperias apud diversos, vel interdum etiam in iisdem auctoribus. Singul. num. juxta cum Strabone habet Sil. *lib.*12.

—— Campos ingressus & arva Labici.

Idem *lib.* 5.

—— Veterem bellare Labicum.

Sic vocat, quòd hoc temporis eversum minimeque ut olim florens. Strabo *lib.*5. Τῷ παλαιῷ Λαβικῷ, κτίσματι κατεσπασμένῳ. At eidem Silio, & reliquis Latinis auctoribus pl. num. appellatur: *Habiles ad aratra Labici.* Virgil. *lib.* 7.

Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici.

Opidani *Labicani.* Mart.

Labicana levi cespite velat humus.

Leander *Valmontonem* appellat, Cluverius verò *Zagarollum* opp. magis

magis ad Bor. Baudr. Hinc via *Lavicana*, quæ Roma Lavicum vulgò ducebat, nunc *Strada di Valmontone*. In Campania Rom. Lucæ tamen Holstenio Lavicum fuit, ubi nunc *la Colonna*, castrum Campaniæ in illo tractu, sub Tusculo.

Labieni Castra, quæ Cæsar *in Comment.* describit, ubi nunc *Lobiense monasterium*, teste Leodio, pagus Belgii in Hannoniâ: Nunc *Lobe*, ad Sabim fluv. prope opp. *Thuin*, vix m. p. & in confinio dit. Leodiensis. Ejus Abbas etiam Episcopus olim fuit.

Labienus, Legatus Cæsaris, cujus strenuâ ac fideli operâ toto bello Gallico usus erat. Postea tamen initio belli civilis, à Cæsare descivit, seque Pompejo adjunxit. Discessionis causam refert Dio *lib.* 41. à quo tamen tempore nunquam felici fortunâ usus est. Periit in acie Mundensi. Vide Cæs. *Comment.* Hirt. Lucan. *lib.* 5.

—— Dux fortis in armis
Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis.

Item alius, qui Brutum Cassiumque sectatus, auxilio ab Orode impetrato, Parthorum adversus Romanos dux fuit, cum quibus urbes haud paucas occupavit; à Ventilio victus, à Demetrio Cæsaris liberto, quem Antonius Cypro præfecerat, captus. Strabo *lib.* 14. Dio *lib.* 48. De omnibus vide Voss. *Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 23.

T. Labienus, historicus ac declamator, Augusti temporibus floruit, Suet. *in Caligula*, legi permissus, cùm antea inter prohibitos esset: à *rabie Rabienus*, teste Senecâ *lib.* 5. *Contr.* appellatus.

Labina, à labendo, Germ. *Lauvinen*, Gall. *Levantze*, vel *Valantze*, à valle, dicuntur nivium immensæ moles, à summis Alpium jugis decidentes. Cùm enim in his nives liquescunt, levi de causa conglomeratæ ex alto decidunt, quæ ubi propter volvi magnitudinem simul subsistere nequeunt, hinc inde diffunduntur, ita, ut quidquid fuerit obvium, secum abripiant & ad imos montium pedes deferant, villas vicosque aliquando opprimentes, unico in hunc hostem remedio, ut muris ædes molibusq; parietes muniantur. Dan. Eremita *in descr. Alpium*, Stumpf. *lib.* 9. Simlerus *Com. de Alp.* Gulerus *de Rhæt.* Sprecherus *Pall. Rhæt.* Hottingerus *Meth. leg. hist. Helv. p.* 236. *&c.*

Labinetus, Rex Assyriorum, cùm Babylon à Cyro caperetur. Herod. *Musâ I.* Hunc quidam putant Darium Medum veterum esse, in acie cæsum: alii illum à Cyro conservatum, & Caramaniæ præpositum dicunt.

Labinius, Gall. Tog. fluv. inter Bononiam & Mutinam occurrens, à Bononia vix 8. mill. pass. apud quem Triumviratus inter Octavianum, M. Antonium, & Lepidum firmatus est: circa prædia Servorum fratrum Bononiæ. Hodie *Lavino*.

Labisco, Gall. Narb. urbs. Anton.

Labith Horchia, à Tyrrhenis & Scythis Vesta dicta est.

Lablatum vide *Scissia*.

Labocla, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Laboria, campi fertilissimi circa Capuam, Cales, Calenum, & Sinuessam. Vide Plin. 9. 11. & 17. 4. Vulgò *Terra di Lavoro*, quod nomen postea toti Campaniæ tributum est. Nunc *territorio di Gaudo* Sanfelicio.

Labossardachus, Babylonis R. adhuc infans coronatus, cùm futuræ pravitatis indicia ederet, consensu Procerum occisus est, surrogato Evilmerodacho. Quidam illum, utpote brevis imperii, silentio prætereunt. Alii cum Balthasare confundunt. Berosus apud Jos. *lib* 1. *contra App.* Torniel. *A. M.* 3498.

Labotas, fluv. circa Antiochiam Syriæ. Strabo.

Labotes, 4. Lacedæmoniorum Rex.

Laboth, in tribu Juda. Hieron.

Labradeus, sic Jupiter dictus est, qui in Cariâ colebatur. Vide Plin. 32. 2. & Cæl. Rhod. 6. 11.

Labrandus, vicus Cariæ. Steph. *Labrada* Plinio.

Labris, Arabiæ Fel. opp. Ptol.

Labro, nis, portus Hetruriæ, aliis *Liburnus*: hodie *Livorno*.

Labyrinthus, locus multis viarum ambagibus inflexus. Quatuor autem præcipuos fuisse Labyrinthos docet Plin. 36. 12. Creticum à Dædalo factum. Ægyptium Psammetichi opus. Lemnium columnarum nitore insignem, ac Italicum à Porsenâ Hetruscorum Rege, sepulchri causâ extructum. Ægyptium Labyrinthum sic Mela describit. 1. 9. *Psammetichi opus Labyrinthus, domos ter mille, & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore extructus, ac tectus, unum in se descensum habet, intus penè innumerabiles vias, multis ambagibus, huc & illuc remeantibus, sed continuo anfractu, & sæpe revocatis porticibus ancipites. Quibus subinde alium super alios orbem agentibus, & subinde tantum redeunte flexu, quantum processerat, magno & inexplicabili errore perplexus est.* Multi quidem de hoc Ægyptio Labyrintho agunt, nemo tamen diligentiùs Plinio, qui illum *portentissimum humani impendii opus* appellat. Vide Voss. *ad Melam pag.* 56. *Labyrinthum Creticum* sic exprimit Virgilius *lib.* 5. *Æneid.*

Ut quondam Cretâ fertur Labyrinthus in altâ
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille viis habuisse dolum, quò signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

Ubi Servius, *Labyrinthus locus apud Cretam factus à Dædalo, perplexus parietibus, ubi Minotaurus inclusus est, ex Pasiphae, & tauro genitus.* Eustathius Λαβύρινθος, σπήλαιον Κρητικὸν ὑπόγαιόν τι καὶ πολυέλικτον. Suidæ, & Hesychio Κοχλιοειδὴς πύργος dicitur. Apud Suidam adagii specie dicitur *Labyrinthus*, de re difficili & inextricabili. Hinc *Labyrintheus*. Catul. *in Argon.*

Nec Labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur & inobservabilis error.

Lacanitis, regio Ciliciæ. Ptol.

Lacci, Marmaricæ palus. Ptol.

Laccini, Octavæ regionis in Italia pop. Plin.

Laccobardi, Germaniæ pop. Ptol.

Laccobrica, Hisp. urbs. Ptol. *Lagos* Vasæo. Est autem in Lusitaniâ, quæ & *Lacobriga*, versùs Merid. in Algarbia, satis munita, cum arce & portu, versus Sinum Gaditanum. 5. leuc. Hisp. à Sacro prom. in Ort. totidem à Sylvensi urbe in Circ. 10. à Pharo in Occ. Dicta à Lacu & Briga, i. urbe. Festus.

Laccopluti, cognominati sunt posteri Calliæ Atheniensis, qui *Laccoplutus* dictus fuit, quòd is repentè ditatus esset thesauro in campis Marathoniis subter terram invento. Λάκκους enim Græci *loca subterranea* vocant. Vide Suidam.

Lacedæmon, Semeles fil. Moysis tempore Lacedæmoniorum civitatem condidit. Comestor *in cap.* 10. *Exod.*

Lacedæmon, hodiè *Misitra*, clarissima olim Peloponnesi totius urbs, primò *Lelegia*, à Lelege primo Rege, qui Cecropis & Erichthonii tempore vixit: dein ab hujus Successore Lacedæmon, tandem à Regina Sparta, hujus ex Europa fil. vel à Sparto, fil. Phoronei, Argivi R. primo fundatore, *Sparta* dicta, Lycurgi olim legibus optimè instituta. Vide Nicol. Cragium *de Rep. Lacedæmoniorum.* Sine mœnibus primitus per aliquot 100. an. Postea Episcop. sub Archiep. Corinthio: Dein ipsa Metropolis: Nunc parva; sub Turcis. 120. mill. ab Athenis in Austr. 30. à Megalopoli in Ort. Populi *Lacedæmonii*, apud quos furtum non modò permissum, sed & commendatum scribit Gellius 11. 18. Notandum hoc loco, quòd pleræque gentes furtum probarunt, & gloriæ loco duxerunt, quod alioquin ignominiæ est. Plut. *in Mario*, de Hispanis ait, fuisse apud illos Ληστεύειν κάλλιστον. Idem in vitâ Pompeji de ipsis Romanis, qui χρήμασι δυνατοὶ, καὶ γένεσι λαμπροὶ, sese piratis adjunxisse, Ὡς καὶ δόξαν τινὰ καὶ φιλοτιμίαν τοῦ ἔργου φέροντος. Herod. de Scythis *lib.* 4. Ζῶσι δ' ἀπὸ λῃίης τε καὶ πολέμου. Ubi sicut bellum gloriosum, ita & raptus. Ovid. *de Getis*,

Qui nisi de rapto vivere turpe putant.

Thucyd. *lib.* 1. de In continente degentibus, marique vicinis, nec non insularibus, Προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις, καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις ἥρπαζον (Scholiastes ἐλῄστευον) οὐκ ἔχοντές πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. Hodieque Græcè loquuntur, licèt haud juxta Grammaticos Canones, *Zaconium* i. Laconum nomine noti. Vide in voce Græci. Dicuntur etiam *Lacedæmones*, qui juventutem laboribus ac duritiâ optimè erudiebant. Horat.

Me nec tam patiens Lacedæmon.

Inde *Severa Lacedæmon*, Cic. 2. *de LL.* vide Lambinum *ad Horat. loc. prædictum.* Item *Lacedæmon*, Cypri urbs mediterranea. Steph.

Lacedæmonium regnum, incepit sub Lelege A. M. 2570. cùm Sthenelus Argis imperaret. De quo, ejusque successoribus, usque ad Tisamenem, filium Orestis, 13. & ultimum R. ab Heraclidis pulsum, an. 2951. loquitur Pausan. *in Lacon.* Hinc Heraclidarum, qui & Eurysthenidæ & Agidæ dicti, secunda Dynastia initium sumsit, gemellis fratribus Procle & Eurysthene, filiis Aristodemi ex Argia, post Tisamenem & Penthilum fil. Orestis exturbatos, regno potitis. Hi capita geminæ familiæ regiæ: quarum una *Eurysthenidarum* seu *Agidarum*, celebrior, 31. Reges ad Agesipolim III. numeravit: altera *Proclidarum* vel *Eurypontidarum*, 24. tantùm Reges habuit. Ante Lycurgi tempora, Lacedæmonii barbari, ignoti, obscurique degebant: Primus ab illo splendor affulsit, qui tutor nepotis, ex fratre Polydecte, Charilli, regnum ei, donec adolesceret, conservavit: potentiâ tamen Regum non parum imminutâ frænoque plebi imposito, Senatum instituit, ex 32. viris, inter quos & Reges, quorum æqualis potentia, constantem. His proponere, quidquid crederent Bono publico inserviturum: Cœtus quoque dissolvere, interim nihil, absque populi consensu, concludere licebat. Theopompus R. *Ephoros* creavit, qui quasi Tribuni Pl. apud Rom. Regum Senatusque æquilibrium tuerentur, ruinâ Messeniorum & Argivorum, ubi Reges nimium pollebant, monitus. Virgines in hac Repub. iisdem cum Juvenibus exercitiis applicitæ, statis temporibus, in panegyri totius gentis, nudæ cum his saltabant, cantantes odas, quibus vel vituperati, qui malè egissent, vel encomiis ornati, qui virtutibus illa meruissent. Uxores ducturi, obscuram jubebantur ingredi domum, ubi quisque primam ex puellis ibi asservatis, quæ contigisset, pro uxore porro habere cogebatur, unde Lysander notam meruit, quòd deformem nactus illam dimiserit, pulchriore ductâ. Juventus solicitè educabatur, servis inebriatis, quò illorum ineptiis visis ab omni intemperantia liberi abstinerent. Magistratus, Senesque honorare, luctæ equisque regendis vacare, solicitè jussi: Sales argutos, & breviloquium didicerunt: libertatis & dominandi adeò cupidi, ut incredibiles propterea labores ex facili tolerarent, belloque cuicunque gloriosum finem imponerent. Raptis quibusdam Spartanis virginibus, & occiso illas repetente Telecle R. cum Messeniis per annos

nos 20. bellum gesserunt, à captâ Amphia, usque ad Itones ruinam, an. 1. Olymp. 14. Quo Euphaeo, Messeniorum R. occiso, Aristodemus ejus successor, Lacedæmonios tantâ strage affecit, ut filias uxoresque cuivis obvio prostituere coacti fuerint. Unde *Parthenii* prodierunt, qui trigesimo pòst anno, Phalanto Duce, Tarentum in Italia occuparunt. Bello restaurato, Tyrtæi Poëtæ ductu, superiores, 14. pòst annis, arce hostium in monte Ira captâ, illos in fugam conjecerunt. Reliquas eorum res gestas, apud Thermopylas, contra Persas, bello item Peloponnesiaco, quod an. 27. integros duravit, donec Athenæ à Lysandro, an. 350. U. C. captæ, Historici summis laudibus evehunt. A Thebanis, ad Leuctra, victi Cleombrotum R. amiserunt, sua defendere satis in posterum habentes. A. 383. U. C. Nihilominus triennio post 10000. Arcadum, ne uno quidem amisso, straverunt. Aliis dein bellis implicitì, sub Dario Cretam occuparunt, ab Alexandri M. ducibus victi, restiterunt tamen, donec Nabis tyrannus superfuit. Philopœmenes tandem Spartâ potitus, muros diruit, legesque Lycurgi abolevit: Hinc Romanorum potestati subjecti, post varias vicissitudines, nunc Turcici jugi asperitatem experiuntur. Strab. *lib.* 8. Thucyd. Xenoph. Diodorus, Justinus, Athenæus, Plutarchus, &c. Vide *Lacedæmon* & *Sparta*.

Lacedæmonius, Cimonis ex Clitoriâ filius geminus, ita à Patre amore Lacedæmoniorum vocatus.

Laceria, urbs Magnesiæ & Italiæ. Steph. Vide *Luceria*.

Lacerna, cujus ferus admodum, nec nisi extremis Reip. temporibus, proin ignotus ac probrosus etiam ætate Ciceronis, apud Romanos, usus, paulatim dein per bella Triumvirorum civilia, quum toga deponi cœpisset, in ejus locum successit: Prius autem vestimentum militare tantùm fuit, quod chlamys dicebatur, Græcis Μανδύας, Χλάμυς & Ἐφεστρίς. Fuit amiculum virile sive pallium laneum, apertum, quod ipsi quandoque togæ, & hac depositâ, ferme loco ipsius togæ injiciebatur tunicæ, nectebaturque fibulâ vel in humero, vel ad pectus, nativo ipsius lanæ colore, cùm togæ injiciebatur, aut variâ infectura. Et quemadmodum Græcanico pallio brevior atque angustior fuit, ita postquam à militia in urbanum habitum concessit, laxior ipsâ chlamyde longiorque confici cœpta est. Sumebatur autem arcendi frigoris, imo & pluviæ, cùm nondum pænulæ in urbem receptæ essent, causâ, conficiebatque leviter ex crassiori lana, colore nullo apud pauperes vel rufo &c. Ulterius fuere Lacernæ gausapinæ ferme, i. ex una tantùm parte villosæ, quarum meminit Martialis *l.* 6. *Ep.* 59.

Et dolet, & queritur sibi non contingere frigus,
Propter sexcentas Baccara gausapinas.
Optat & obscuras luces, ventosque, nivesque,
Odit & hibernos, si tepuere, dies.
Quid fecere mali nostra tibi, sæva, lacernæ,
Tollere de scapulis quas levis aura potest.
Quanto simplicius quanto est humanius illud,
Mense vel Augusto sumere gausapinas?

E quibus colligitur, præter id lacernarum genus, de quo retro, fuisse quoque leviores alias, ac tenuiores, æstate gestatas, superbi ac improbi coloris. Unde in Crispinum vernam Ægyptium Juvenalis Satyrâ 1. qui Tyrias i. dibaphas gestavit, easque pluries in die mutavit. Porro cucullus simul cum lacerna sumebatur, unde lacerna pro cucullo & capitis tegumento usurpatur apud Horat.

Turpis adoratum caput obscurante lacernâ, &c.

Plura de hoc vestis genere, vide apud Octav. Ferrarium, *de Re Vestiaria, lib.* 2. *part.* 2.

Lacetani, pop. Hisp. versus Secorim fluv. à Pyrenæis montibus, ad Rubricatum & Ebrum usque protensi, inter Ilergetes ad Occ. & Ceretanos atque Ausetanos ad Ort. ubi nunc pars Episc. Ilerdensis, & pars Cataloniæ novæ. Sanso, Brietius.

Lachares, Atheniensium Dominatum occupavit, cùm civili discordiâ Remp. conflictari perspexisset. Vide Polyæn. *l.* 4. *in Demetrio com.* 5. Item *l.* 6. *in Apollodoro, com.* 2.

Lachares, Atheniensis, ter ab hostibus interceptus, Athenis, Thebis & denique Sestis ter astutè illusis hostibus evasit. Vide Polyæn. *l.* 3.

Lachares, Mithridatis fil. Bosporì Rex, à Lucullo in amicitiam receptus, an. U. C. 685.

Lachares, Sophista Atheniensis, discip. Heracleonis, fil. patris cognom. Floruit sub Martiano & Leone Imper. Auctor *Historiæ secundùm Cornutum*. Suid.

Laches, Atheniensium Dux, à civibus suis missus, ad impediendos Thebanorum conatus. Diod. 15.

Laches, cum navibus missus Dux, ab Atheniensibus, ut Leontinis, quos Siculi opprimebant, auxilium ferret. Fuit verò hic *Laches* filius Melanopi. Vide Aristoph. Schol. *in Vesp.* 446. *A.* 1. & Thucyd. *l.* 3. & 4.

Lachesis, una Parcarum, colum vitæ tenens, nente Clotho. *Sors* Latinis, ἀπὸ τοῦ λαγχάνειν. Lil. Girald. Hesiod. *in Theog.* Juv. *Sat.* 3.

Dum superest Lachesi quod torqueat.

Lachis, civitas in tertia parte tribus Judæ. Jos. 10. *Bellena* Brochardo, inter Jechtel & Bascath, ubi exercitus Sennacheribi, ab Angelo, cæsus est.

Lacia, vel *Laciada*, vicus in Oeneide tribu. Steph. Pop. *Laciades*. Hi abundabant raphanis, quibus utebantur in deprehensos in adulterio, ludibrii causâ. Suidas, & Erasm. *in Chil.*

Laciacum, opp. Norici, Ant. Cluverio *Gmund*, opp. Austriæ sup. ad lacum cognom. seu *Traunzee* dictum, in confinio Bavariæ, 5. mill. Germ. à Lintio in Austr. uti 8. à Passavia.

Lacibas, Hisp. Bæticæ opp. Ptol.

Laciburgium, opp. Germ. in Pomeraniâ apud ostium Oderæ fluv. *Lazenitz* Willichio: A Stettino, urbe prim. 3. leuc. in Bor.

Lacidas, Philosophus, fil. Alexandri, Cyrenæus: Auctor, post Arcesilaum prædecessorem, novæ Academiæ. Maturè studiis applicitus, licèt non magnæ rei, gratiâ tamen pollebat, & comiter cum hominibus conversatus est. In horto, ab Attalo donato, qui Lacidianus dictus, docuit. Obiit an. 4. Olymp. 34. postquam docuisset an. 26. Telecles & Evander ei successerunt. Diog. Laërt. *in Vita l.* 4.

Lacinienses, Liburnorum pop. Plin.

Lacinium promunt. Magnæ Græciæ, Crotoni urbi finitimum, à *Lacinio* latrone, quem Hercules interfecit. Brutiorum erat, ubi nunc pars Bor. Calabriæ ulter. 6. mill. à Crotone in Mer. vix 80. à Japygio prom. in Austr. 56. à Cocyntho prom. in Bor. 125. ab ora Corcyræ in Occ. 600. ferè à Mari Tyrrh. in Ort. *Capo delle Colonne* Leandro, ab extantibus columnis templi Junonis. Nam ibi templum erat Laciniæ Junonis superbissimum, ipsâ urbe Crotone nobilius, Liv. Ovid. *Met.* 15.

Italiam venit, præterque Lacinia templa
Nobilitata Deâ. ——

Dionysius *de situ Orbis vers.* 371.

Ἔνθ' ἔκειν' αἰπὺν ἰδοιο Λακινιάδος δόμον Ἥρης.

Virgil. *lib.* 3. *Æn.*

Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur, attollit se diva Lacinia contra.

Strabo *lib.* 6. Λακίνιον Ἥρας ἱερὸν πλούσιόν ποτε ὑπάρξαν, καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστόν. Liv. *lib* 22. *Nobile templum Lacinium Junonis, sanctum omnibus circa populis.*

Lacipea, urbs Hisp. 20. mill. pass. ab Emeritâ versùs Cæsar-Augustam. Anton.

Lacipo, Hisp. Bæticæ civitas. Ptol. Vide *Obulco*.

Lacisthenes, Lacedæmonius, Phocensium Dux, conflixit cum Bœotis, non procul Auscâ, urbe Locridis, infausto prælio. Diod. *l.* 14.

Lacius, & Antiphemus fratres. Stephanus in Γέλα.

Lacmon, prom. Pindi montis, ex quo Inachus fluv. manat. Steph. Æam quoque inde oriri Strabo refert.

Laco, altero nomine *Cornelius*, ignavissimus, teste Tacito, mortalium, sub Galbâ Prætoriarum cohortium Præfectus. Tacit. *hist. l.* 6. Cæsis Galbâ ac Pisone, tanquam in insulam reponeretur, ab Evocato, quem ad cædem ejus Otho præmiserat, confossus. *Ibid.* 46.

Lacobriga, urbs Lusitaniæ, versùs Mer. in Algarbia, satis munita, cum arce & portu versus sinum Gaditanum, 5. leuc. Hisp. à Sacro promunt. in Ort. totidem à Sylvensi urbe in Circium, 10. à Pharo in Occ. 32. ab Ulyssipone in Mer. Nomen habet à *Lacu* & *Briga*, i. urbe, teste Festo. Vulgò *Lagos*. Pop. *Langobritæ*. Plut. Vide *Laccobrica*.

Lacobrigi, pop. Germ. supra Rauracos, Helvetiis ad Sept. vicini, *das Clackgöw*. Vide *Latobrigi*.

Laconica, mel. *Laconia*, quæ & *Lacedæmon*, reg. Peloponnesi in orâ Australi. Strabo *l.* 8. Olim *Oebalia*, *Lelegia*, &c. Ibi Sparta, Leuctrum, Epidaurum, Tænarum, &c. Urbes. Cingitur à Mer. Laconico sinu, *Golfo di Castel Rampani*, & partim Messeniaco; ab Ortu Argolico sinu, à Sept. Argiâ, ab Occ. Arcadiâ & Messeniâ. Nunc simul cum Arcadia uno nomine dicitur *Tzaconia*, sub Turcis, à 2. seculis. Pop. *Lacones*, qui claves invenisse dicuntur. Et quia in rebus agendis Lunam observabant, non enim nisi in plenilunio pugnabant, ex Lycurgi instituto, hinc *Luna Laconica* prov. in promissa frustrantes. *Laconicus tithymallus*, in lippientes. Item, *Laconica cœna*, apud Athen. *l.* 2. *Poculum Laconicum*, apud Critiam, in frugales. Apud eos marmor viride ac pretiosum, apud Tænarum. Hinc *Lacænus* Virgil. *Georg.* 2.

—— *Virginibus bacchata Lacænis,*
Taygeta.

Et Λάκαινα κόρη apud Theogn. Hinc quoque *Laconicus sinus*, *Golfo di Colochina* Castaldo, *di Castel Rampani* Baudr. in ora Laconiæ.

Laconimurgi, Plin. *Laconimurgum* Ptol. Vettonum oppidul. in Lusitania. *Lamego* Moletio. Baudrando, ubi nunc fortè *Colmenar*, castr. Extremaduræ Castellanæ, versus Carpetanos montes.

Lacrates, à Thebanis, mille armatis Artaxerxi Ocho contra Ægyptios auxilio missis, dux datus. Diod. *lib.* 16.

Lacratides, antiquus Archon Athenis, qui imperavit temporibus Darii, quibus & maximæ extiterunt nives ac sævissima hyems, omniaque frigore coagulata fuerunt, ut nemo prodire potuerit, quare omnia frigida *Lacratidæ* vocarunt. Vide Scholia in Aristoph. *Acharn. p.* 382.

Lacriassus, Armen. min. urbs. Ptol.

Lacrines, vir Lacedæmonius missus ad Cyprum. Herod. *lib.* 1.

Lactantius Firmianus L. Cœlius, Afer quibusd. aliis Firmii natus, discip. Arnobii in Rhetoricis, postea ipse Nicomediæ docuit: Hinc Crispo Cæsari à Patre Constantino M. admotus. Extremè inops, interim maximi ab omnibus æstimatus, *Ciceronis Christiani* elogio insignis. Contra duos Philosophos, libb. Institutionum scripsit, ubi quædam, à Gelasio Episc. R. damnata. Alia quoque prosâ

versuque condidit. Carmen de Phœnice ejus non est, aut saltem ab eo nondum Christiano compositum. Hieron. *in Chron. anno* 317. *ad Paulin. in Cat. cap.* 80. *&c.* Honor. Augustodun. *de lum Eccl.* Trithem. &c.

Lactarius, mons aliàs Campaniæ, nunc Principatus citer. vulgò *Monte di Lettere*, ab urbe cognom. *Lycterensi*, quasi *Lactarensi*. Cui insidet, inter Surrentum ad Austrum, & Vesuvium ad Boream, trans Sarnum fluv. Lucæ tamen Holstenio *Monte Lattario* dicitur, æqualiter à Stabiis & Leteris distans.

Lacter, promunt. Coæ inf. versùs Meridiem, Strabo. *Isaceterem* in Co inf. habet Plut. *in Qu. Græcis.*

Lactiphagi, Scythiæ pop. qui & Γαλακτοφάγοι.

Lactodurum, Angliæ oppidum, *Bedford* nonnullis, aliis *Stonie-Stratford*.

Lactoracium, seu *Lactora*, urbs Aquitaniæ, Episcop. sub Archiepiscopo Auscensi, *Lectour*, Scaligero. Antonino *Lactura*. Nunc in Armeniaco Comit. in colle, juxta Ægircium fluv. qui apud Aginnum in Garumnam influit. Baudrando Leomaniæ caput est, à qua Vicecomites Leomaniæ *Lactorenses* etiam in vett. tabb. dici Oihenartus est auctor. Vulgò incolis *Lectoure* seu *Leytoure*. Bellaforestio *Lestore*, qui addit, urbem esse in rupe positam undique, nisi ex parte Tolosæ, inaccessâ, triplici muro cinctam, & arce munitam inexpugnabili, totius demum Novempopulanæ, seu Vasconiæ validissimam naturâ loci & arte, tutissimamque ac fertilissimo agro gaudentem. Episcopatus ejus in Not. Episcopatuum Galliæ tertium locum obtinet, & sub Auscis Vasconiæ metropoli, post Aquensem collocatur, Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Distat urbs 4. leuc. ab Aginno in Mer. 6. ab Ausciis in Bor. 10. à Tolosa in Cæc. Vide quoque *Lectora*.

Lactucina, Dea, quam colebant veteres, quæ lactescentibus frumentis ac segetibus præesset. Sunt qui *Lacturnum*, apud Augustinum, legunt. Servius *lib.* I. *Georgic. Lactentem Deum* ex Varrone commemorat.

Lactucinii, cognomina Rom. procerum à *lactucis* deducta. Plin. 19. 3.

Lacuris, Oretanorum in Hispania opp. Ptol. *Loquera*, inter Caravacam & Ventam Moralem 4. leuc.

Lacus Felix, incolis *Ober-VValsee*, vicus Austriæ sup. ad Danubium. 5. mill. infra Lintium in Ort. Viennam versùs.

Lacus Perusinus, quem omnes antiqui *Thrasimenum* dixerunt, in territorio Perusino situs, complectitur in suo ambitu circiter 30. mill. pass. Lucidus est ac perspicuus, nec recipit alienas aquas, nec refundit suas: Insignis est hujus aquæ suavitas, adeò ut vivo manare fonte videatur. Tribus insulis adornatur, quarum duæ ferè contiguæ ad Septentrionem vergentes, una *Major*, altera *Minor* vocatur: hæc inculta & deserta tantùm templum fert in acumine, illa, quæ Crotonensem spectat agrum, ducentis prope familiis habitatur: tertia, quæ versùs Meridiem constitit, & major cæteris, frequensque hominibus est.

Lacus Europæ extantiores.

Brigantinus seu Acronius, in Helvetia.	tem pratum insigniter luxurians.
Fucinus, in Vestinis.	Onega, in Russia.
Jemptius, in Sueciæ parte Or. trans sinum Botnicum.	Pilati, in Helvetia.
	Regillus in Latio.
Ladoga, post sinum Finnicum.	Tigurinus, in Helvetia.
	Trasymenus, in Hetruria, hodie *Lago di Perugia.*
Larius, in Italia.	
Lemanus seu Genevensis, in Helvetia.	Venerus, in Sueciæ parte Austr.
	Verbanus, in Italia.
Lugæus, in Carniola, per æsta-	Volga, in Russia.

Asiæ.

Asphaltites, aliàs Mare mortuum, in quo gravia supernatant: Jordanem excipit.	Gennesareth, seu lacus aut mare Tiberiadis, in Palæstina.
	Kithaiskus, è quo Obius nascitur.
Caspium mare.	
Chiamaus trans Gangem.	Sanchonitis, in Palæstina.

Africæ.

Aquilunda.	Zaflan.
Bed	Zairus, in cujus medio inf. amplissima.
Sachaf.	

Americæ.

Parima seu Titicacea, 300. mill. longus, 100. latus: cujus hæc natura, ut fluvios nec admittat, nec emittat ullos. Situs est, sub Æquatore. Vide quemque suo loco.

Lacus regius, Numidiæ locus apud Anton.

Lacydes, philosophus, Arcesilæ auditor. Hujus meminit Cic. *lib.* 4. *Acad. Qu.* ut & Suidas.

Lacydus, Rex Argivorum, molli incessu, comaque perpetuo unguentis delibutâ. Plut. *in opusculo eo, quo docet: Quo pacto utilitatem ex inimicis capere possimus?*

Ladas, Alexandri M. cursor, tantâ pedum velocitate, ut vestigia ejus in arenâ non apparerent. Quo nomine statuam meruit apud Argos in templo Veneris, quam νικηφόρον cognominabant.

Lade, insula maris Ægæi, ante Miletum. Steph. Hanc in duas parvulas insulas scindi scribit Pausanias, & earum alteram Asterii insulam dici. Pausanias *in Atticis*: Ἔστι δὲ Μιλησίοις πρὸ τῆς πόλεως Λάδη νῆσος. Strabo *lib.* 14. Πρόκειται δὲ ἡ Λάδη νῆσος πλησίον. *Jada*, ex tabb. rec.

Ladenburgum, vulgò *Ladenburg*, opp. Palatinatus Rheni, ad Necarum fluv. vix 2. leuc. infra Heidelbergam, in Occ. Manheimum versùs, antea ferè dirutum, nunc utcunque reparatum.

Ladeni, pop. Scotiæ fuere juxta Olladinos & Selgovas. Ubi nunc *Lauden*, *Merck*, & *Teysidale*, prov. Scotiæ Meridionalis. Camdenus.

Ladepsi, populi Bithynorum. Steph.

Ladesta, vel *Ladestum*, una Liburnidum insularum. Steph. *Ladestris* tabb. Peuting. *Lastobon*, Porphyrog. *Landestina* Dandulo. Italis *Lagesta*, Slavis *Lastove*.

Ladicus, mons Hisp. Tarr. in territorio Legionensi, Pyrenæi mont. ramentum. in via Legione Compostellam ducente: in ejus jugo inscriptio hæc: *Jovi Ladico. Los colos de Ladoco* hodie.

Ladii, pop. apud Capitolinum *in Ant. Pio. Lazi* putat legendum Egnatius.

Ladisacites, sinus in Persico mari. Steph.

Reges Hungariæ.

Ladislaus I. Ungarorum R. fil. Belæ I. successit fratri Geizæ II. an. Sal. 1078. Hic vir sanctus, summè modestus ad suscipiendum regnum à proceribus coactus est. Per mortem Zeloveri Regis, cui nupta Ladislai soror Selomira erat, Dalmatiam, Croatiamque Pannoniæ finibus adjecit, additâ Hungariæ Russiæque parte, Hunnos prælio superavit; Ruthenos, qui olim Roxolani, in proprios fines (Hungariam enim invaserant) compulit: Polonos coercuit, Cracoviâ captâ. Obiit an. 1095. Bonfin.

Ladislaus II. fil. Emerici, regnavit mens. 6. An. 1207. Successit Andreas II. Quidam ante hunc Ladislaum II. alium memorant, fil. Belæ II. qui nepoti Stephano regnum debitum occupavit mens. 6. Sed hic usurpator erat, non legitimus Rex.

Ladislaus III. cognom. Cunnus, Stephano V. patri successit. Uxorem repudiavit, Ethnicas pellices ex Tartaris Crimæis fovit, in Clerum sævus, populo exosus. Imperatoris arma, Papæ fulmina sprevit, occisus in tentorio à Tartaris, an. 1290. Successit ejus ex sorore Maria nepos Carolus Martellus, fil. Caroli II. Siciliæ R. Thuros. *Chron. Hung. P.* 2. Bonfin. 2. *dec.*

Ladislaus IV. seu *Vladislaus*, M. D. Lithuaniæ, Poloniæ R. ab Hungaris ad regnum vocatus, mortuo Alberto Austriaco, Elizabethæ Hungaricæ marito, quæ Ladislaum V. posthumum enixa est, mense 4. æt. coronatum, dum Ladislaus IV. regnum occupavit. Per Joh. Huniadem, contra Amurathem, bello felix, hunc in Asiam avocatum ad pacem adegit, juramento utrinque firmatam. Quam cùm, suasu Juliani Cardin. à Pontifice ad id missi, rupisset, secuta est an. 1444. clades Varnensis, Christianis luctuosissima, in qua, præter ingentem Christianorum stragem, perfidiæque auctorem Julianum cæsum, Ladislaus ipse, dum fortiter pugnat, equo dejectus & obtruncatus est, capite per Græciam, Asiamque circumlato. Thurof. Dubrav. Æn. Sylv. *in Eur. c.* 5. *in Epist.* 52. 81. 87. Bonfinius, &c.

Ladislaus V. fil. Alberti Austriaci, priori successit an. æt. 5. sub tutela Friderici Imp. Johanni Hunniadi administratione regni relictâ. An. 13. à tutore liber, Viennæ summo cum plausu exceptus, Johanni Huniadi Ungariam gubernandam tradidit, Georgio Podiebracio Bohemiam, Ulrico Com. Cilio Austriam. Sylv. *Eur. cap.* 22. Permisit cuilibet, ut pro arbitrio, vel sub una, vel sub utraque specie communicaret, ipse tamen Hussitarum templa non ingressus est. An. 1448. per Joh. Hunniadem à Turcis victus, illos vicissim, an. 1456. ad Belgradum cæcidit: Dum sponsam expectat Caroli VII. Franc. R. filiam, in ipso nuptiarum apparatu, Pragæ, veneno, ut creditur, peremtus. An. 1457. æt. 18. Æn. Sylv. Bonfin. &c.

Ladislaus, vel *Vladislaus VI.* fil. Casimiri Poloniæ Regis, Bohemiæ primò, dein Matthiâ Corvino mortuo, quoque Hungariæ Rex, favente ipsi Beatrice Matthiæ viduâ, quæ nuptiis ejus inhiabat. Johannem hujus filium nothum, Maximilianum Austr. fratremque Albertum, Patris favore nixum, regni æmulos feliciter elusit: Nihilominus perpetuo contra vicinos Turcasque bello, & intestinis turbis implicitus. Pater Annæ & Ludovici, qui an. æt. 2. coronatus, brevis ævi fuit. Obiit an. 1516. Dubrav. *Rer. Hungar. lib.* 32.

Poloniæ Reges, &c.

Ladislaus I. Poloniæ R. post fratrem Boleslaum Audacem, fil. Casimiri. *Principis*, & *hæredis Poloniæ* titulo contentus, prudentiæ, abstinentiæque laudem meruit, pacis cultor: Sub eo Russi jugum excusserunt. Maritus Juditæ, fil. Vratislavii Bohem. Princ. & Sophiæ, quæ soror Henrici IV. Imp. prius Salomoni Hungariæ R. nupserat. Obiit an. 1102. regni 20. Cromer. *Hist. Pol.*

Ladislaus II. successit patri Boleslao III. fratribus, suasu uxoris, bello illato, minus felix, ad Conradum III. Imp. fugere coactus est, surrogato Boleslao IV. fratre, an. 1146. à quo, intercessione Friderici I. Imper. Silesiâ postmodum impetratâ, ibi obiit. Idem.

Ladislaus III. dictus *Locticus*, i. *Cubitus*, ob pusillam staturam, frater Lesci Nigri, Primislao successit, an. 1295. Miles strenuus & prudens: postquam ab initio regni nimiâ militibus permissâ

missâ licentiâ ; subditis invisus & à Wenceslao Bohem. R. pulsus esset, Anno 1300. Hoc igitur mortuo, cùm in regnum rediisset, prudens, felix, & formidabilis hostibus, Obiit an. 1333. Sapientissimus sui seculi æstimatus. Michov. *Hist. Pol. l.* 4. Crom. *libr.* 11.

Ladislaus IV. dictus prius Jagello, M. D. Lithuaniæ, per Hedvigen, filiam Lud. Hungar. R. & electam Poloniæ Reginam, Rex, in Baptismo *Ladislai* nomen sumsit. Lithuaniam Poloniæ univit, Disputationi Hussiticæ, Anno 1431. Cracoviæ à se institutæ, interfuit cum Senatoribus regni, quâ tantopere motus est, ut in veritatem attentius inquisiverit. Hinc animo ad Evangelium applicito, Ministrum Evangelicum è Bohemia evocatum, sæpius in occluso conclavi audivit, maximè propinquam mortem sentiens, operâ ipsius, sub prætextu Astronomicarum quarundam prædictionum, ad pacandam conscientiam, usus. Hedvige regina Biblia S. quæ Polonicè verti curaverat, sedulo legente, ut & post hujus obitum alterâ ejus uxore Sophiâ. Ita Ecclesiastæ è Bohemia evocati, Sclavonicâ linguâ diu sacra administrarunt, in templo S. Crucis Cracoviæ, Regisque zelum Proceres plurimi secuti sunt. Lasicius *hist. Fr.* Obiit. Princeps inclytus Anno 1434. æt. 80. regni 48. Vide *Jagielo.*

Ladislaus V. Polon. & Hungariæ Rex. Vid. *Ladislaus IV.* supra.

Ladislaus VI. fil. Sigismundi, Sueciæ & Polon. Regis, ex Anna Austriaca, filia Caroli Archid. successit Patri Anno 1632. postquam Osmanne, Turcarum Sultano, ingenti prælio, victo, magnam sibi gloriam peperisset. Virtutis amans, variarum linguarum peritus, fortis & justus. Ex Cæcilia Renata, fil. Ferdinandi II. pater Sigismundi Ladislai, 1640. qui obiit, Anno 1647. Secundis nuptiis duxit Ludovicam Mariam Gonzagam, Anno 1645. Obiit Anno 1648. suæ æt. 53. Moscis devictis, Smolenko, Severiâ, Czernichoviâ vindicatis, Asin Bassâ repulso, Kozakis domitis, pace Suecis concessâ, Prussiâ vectigalium officinâ recuperatâ, Casimiro fratre, quem Galliæ R. sub specie, quòd Lusitaniæ Prorex destinatus esset, captivum detinuerat, liberato, inclytus.

Ladislaus, vel *Lancelotus*, Neap. Rex, cum titulo quoque Hungariæ Regis Comitisque Provinciæ, successit patri Carolo Dyrrhachino, Anno 1386. Contra Ludovicum II. à Neapolitanis contra se vocatum bello felix. Hungariæ regnum sibi oblatum diu non tenuit. Schismate durante Romam occupavit, Molem Adriani obsedit, pulsus à Paulo Ursino rediit, victisque Pontificiis copiis, urbem Molemque expugnavit, cui Ludovicus Andegav. ab Alexandro V. frustra oppositus. Obiit veneno sublatus, Anno 1414. Johanna seu Johannella II. soror ei successit. Collenut. *Hist. Neap. lib.* 5. Monstrelet. *lib.* 1. Peucerus *lib.* 5. *Chron.* Platina *in Vitis*, &c. Cœterùm suspicax, sævus, libidinibus infamis: ex tribus uxoribus, nullâ prole susceptâ.

Ladislaus, vide *Vladislaus.*

Ladocea, vicus Arcadiæ. Pausan.

Ladoga, Moscis *Ladesko Ozero*, lacus totius Europæ amplissimus, maj. ex parte in Suecia, in Keckholmia prov. partim etiam in Moscovia, & prov. Novogardiæ maj. In Finnicum sinum se exonerat, mediante Nieva fluv. & ovi fere specie in 36. mill. Germ. longitudinem, & 20. latitudinem dilatat; ejusque Russi vix quintam partem possident. Piscium incredibili copiâ refertus, urbem Keckholmiam salmonum piscatu ditat. A' pisce *Lagdog*, halecem magnitudine excedente, nec usquam in Russia, quàm ibi reperto, fortè dictus.

Ladon, fluv. Arcadiæ, in Alpheum fluens: juxta quem poetæ fabulantur, Syringa nympham in arundinem fuisse commutatam. Hujus meminit Dionysius *Vers.* 417.

Ἦχι καὶ ὠγύγιος μιγνύεται ὕδασι Λάδων.

Callimachus *magnitudinem* huic fluvio tribuit, uti *longitudinem* Dionysius. Sic enim ille *Hymn.* 1.

Λάδων ἀλλ' ἔπω μέγας ἔρρεεν.

Vide Strabon. *libb.* 1. & 8. Hujus *pulchritudinem* commendat Pausanias *in Arcadicis. Rapacitatem* Ovid. *Fast.* 2.

Quiq; citis Ladon in mare currit aquis.

Et alibi,

Arcades hunc Ladonq; rapax ——

Vide Palæphatum in *Ladone.* Item vicus cognom. *Ladocea* Pausaniæ dictus.

Ladona, opp. munitum Duc. Burgundiæ, ad Ararim, frustra obsessum ab Austriacis, Anno 1636. Dicitur & *Fanum S. Johannis Ladonensis*, vulgò *S. Jean de Laune.* V. ibi.

Laa, quæ & *Aphrodites*, insf. maris Africi Marmaricæ oræ adjacens, Ptolemæo verò Cyrenaicæ adjacet. *Isola del Patriarcha*, Bordonio. Est & Aphrodites Ptol. insula Ægypti, ad sinum Arab. insulæ Agathonis finitima.

Laana, urbs Arab. Petrææ ad sin. Arabicum. Vide *Elana.* Scribitur & *Lana.*

Ladenata, Mœsiæ primæ urbs. Lib. Not.

Ladus, fluv. Galliæ, *le Loire.* Oritur in Pertico tractu, in vico *de Corves.* Hinc defluit in tractum Carnutensem, ubi Illierias alluit & Castrodunum, dein Vindocinum, uti & castrum Lædi in Cœnomanis; postea transiens in Andegavos, Ludium alluit, Flexiam & Duretallium: tandem in Sartam amnem se exonerat, paulo supra Andegavum.

Laeni, Arabiæ Fel. gens. Ptol.

Laea, urbs Cariæ. Steph.

Lael, filius Elizaph principis. Num. 3.

Lalaps, nomen canis Actæonis, Ovid. *Met.* 3

Nebrophonusq; valens, & trux cum Lalape Theron.

Lalia, Virgo Vestalis defuncta P. Mario, L. Asinio Coss. in cujus locum Cornelia ex familia Cossorum capta est. Tacit. 15. 22.

Lalia, Turditanorum in Bæticâ op. Ptol.

Lalia castra, in sinu Carthaginiensi. Mela.

C. Lælius, Scipionis Africani summus amicus. Cos. & Orator insignis, *Sapientis* elogium meruit. In prælio Scipionis contra Asdrubalem & Syphacem, fugientes persequens cum Masinissa, Syphacem R. cepit, sede ejus regiâ occupatâ. Missus dein Romam illuc captivum suum deduxit. Plura de hoc Cicero, *de illustr. Orat.* Liv. Plut. Quintil. qui filiæ ejus admodum eruditæ meminit. Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 1.

—— *Mitis sapientia Læli.*

Lælius Balbus, truci eloquentiâ & promptus, adversus insontes, Acutiæ eversor, jussu Senatûs, amisit ordinem, Cn. Acerronio & C. Pontio Coss. Tacit. 6. 48.

Lælius Zecchius, Brixiensis, Theologiæ & Juris Canonici peritiâ, inter suos, sub finem sec. præt. inclytus.

Lamocopia, op. Cherronesi Thraciæ apud Sestum. *Bogazasar* Leunclavio. Aliis *Bogazasar* Sestus ipsa est.

Lana, vel *Leana*, meretrix, amica Harmodii, & Aristogitonis, qui Hipparchum tyrannum interfecerant, cùm tormentis cogeretur, ut socios proderet, linguam suam mordicus amputavit.

Lana, indumentum fuit apertum, densum ac villosum, quod tunicæ aut etiam togæ superinduebatur, olimque peculiari ritu à Flaminibus in sacrificiis adhibebatur: Postea promiscuo usu, & cum toga & sine toga gestata est. Græcam vocem esse, & à *Chlæna* Græcorum dictam Plutarchus *in Numa* innuit. Præcipuus ejus usus in conviviis fuit, quòd scilicet à balneis redeuntes lænam gestarent, atque ideo eadem ferme veste discumberent; hyemali nempe tempore. Nam æstate lacerna vestis balnearis fuit, sicut syntheses, quæ ex lino ac leviore materia erant, eodem tempore, in conviviis sumebantur. Vestimenti hanc antiquissimi genus & Heroicum fuisse, ex Homero patet, qui tum duplicium διπλῶν seu villosarum, tum simplicium ἁπλοΐδων καὶ μονοφύτων lænarum meminit. Il. ω. Nec modò induendi, atque amiciendi, sed & insternendi ac incubandi causâ, à Græcis sumtas, idem ibidem docet: quemadmodum Romæ cubicularia gausapina in eundem usum fuere. A' *læna*, *lænula* dim. Gr. χλαῖνις & χλανίδιον, vestimentum lænâ mollius & amictui solùm usurpatum. V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria Part.* 2. *l.* 1. *c.* 10.

Laneus, fluv. Cretæ, Gortynam præterfluens, ad quem Europam à Jove raptam ferunt. Strabo.

Lapa magna, Hisp. Bæticæ in Turdetanis op. Ptol. *Lepia Latinorum* Plin. *Lepe* adhuc, apud ostia Duæ fluv. in Vandalitia, ab Ayamonte opp. 5. in Ort. leuc. Ferr.

Laërte, opp. Pamphyliæ, Ptol.

Laertes, Arcesii filius, pater Ulyssis, qui ab eo *Laertiades* dicitur. Hinc *Laertius.* Virg. *Æn.* 3.

Effugimus scopulos Ithacæ, Laertia regna.

Laertes, parva regio Ciliciæ. Steph.

Laertius Diogenes, historicus, qui de Philosophorum vitâ scripsit. Vide *Diogenes.*

Laspodias, traducitur ob putre crus, quod inferiore parte erat obvolutum fasciis. Ejus meminit Eupolis ἐν δήμοις; quem & prætorem exstitisse Thucydides *lib.* 7. scribit. Eundem, tanquam litigiosum, Philyrius ἐν ταῖς παντελέαις traducit. Phrynichus verò ἐν Κωμασταῖς tanquam bellicosum. De quo vide pluribus Scholia *in Aves Aristoph.*

Læstrygones, pop. immanissimi, Formias Campaniæ urbem incolentes, quos Plin. *lib.* 7. tradit humanâ carne victitasse. Tibullus ad Messalam de Ulysse,

Incultos adiit Læstrygonas. ——

Hom. 10. *Odyss.*

Ἴφθιμοι Λαιστρυγόνες. Mox:

Οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες ἀλλὰ γίγασι.

Gell. 15. 21. *Ferocissimos & immanes Neptuni filios ajunt, ut Læstrygonas & Cyclopas.* Inde apud Horat. *Læstrygonia amphora*, pro Formiana. Item pop. Siciliæ, iidem cum Leontinis. Isac.

Læta, filia Albini, Pontificis Ethnici, nupta Toxatio, filio S. Paulæ, ejus conversatione conversa & baptizata est. Mater Paulæ, cujus solicitam educationem ei Hieron. *in epist.* magnopere commendat.

Læti, gens Gallica, in quâ sedem cepisse Magnentium, memorat Zosimus *lib.* 2. Et Eumenius *in Paneg.* inquit, *Lætum* in agrum Nervicum, jussu Maximiani Augusti, postliminiò esse restitutum. Hos cùm alibi, tum maximè in terris Læticis, ad fluv. Lætiam sedes habuisse, Regionemque eorum, inter Flandriam & Arrebates sitam, vulgò *la Loëuve*, sed olim per Hannoniam Flandriamque latius multò, quàm nunc patuisse, ac à fluv. Lætia

tia vel Letia, vulgò Legia, Gall. *le Lis*, nomen accepiffe, ftatuit Valefius, *Not. Gall.*

Latia, opp. Nerviorum, feu Hannoniorum, in diœc. Camaracenfi, *Lieffy* vulgò, Benedictinorum Monafterio illuftre, à Lætis, de quibus fupra, quique cùm alibi, tum apud Nervios, pars præfidiarii, pars cultores erant, haud dubiè nomen accepit. Situm eft Monafterium hoc ad fluv. Helpram, fecundo lapide ab Avefnis Hannoniæ oppido: conditum à Wiberto Comite An. Chr. 790. & à Theodorico de Avefnis reftitutum. Idem.

Latia, fluv. Belgii, vulgò *Lefch* vel *Lefche*. Oritur in filva Arduenna, & Hammum *Han fur Lefch* colluit, ac in dextram Mofæ ripam effunditur, paulo fupra Deonantum. Hinc 1. leuca diftant Cellæ *Celle*, vicus Monafterio B. Hadelini infignis. Idem.

Latoria lex, furiofis & prodigis, curatores deftinavit, fanxitque, ut qui eos circumfcripfiffent, publico judicio tenerentur, Cic. *de Offic. lib.* 3. Capitolinus *in M. Antonino Phil.* &c.

Latrina, urbs Elidis, ubi Pelopis offa jacebant. Ifacius in Lycophr.

Latus, Dux Prætorianæ cohortis, fub Commodo Imp. hunc Romam in cineres redacturum impediit. Dein comperto infidias fibi aliisque ab illo ftrui, venenum ipfi propinavit, Pertinace ad Imper. evecto, quem difciplinæ milit. rigidum reftauratorem ipfe luxu perditus, tertio pòft menfe, iterum fuftulit. Lamprid. *in Comm.* Dio *in Pertin.*

Latus, libro de rebus Phœniciis citatur, à Clemente Alexand. *libr.* 1. *Strom.* ubi ex eo quædam refert de Menelai in Phœnicen adventu.

Latus Johannes, Paftor Groninganus, fcripfit *Compendium Hift. Univ. Civilis & Eccl. ad annum usq.* 1640. felectiffimis rebus refertum. Ejus avus maternus fuit Georgius Vetterus, vulgò Streycius, Bohemus, Theologus doctiffimus; de quo V. hunc ipfum Lætum *pag.* 434.

Lavi, Liguriæ pop. *Levi* Plinio: cum Maricis Ticinum condiderunt. Eorum locus hodieque *li Lobi*, in agro Alexandrino, apud Maricos, inde ad 2. m. p. diftans, nominatur: ab Alexandria 4. Ferrar.

Lavinus Torrentius, Gandavenfis, 3. Epifc. Antverpianus, dein 4. Arch. Mechlinienfis, Obiit Anno 1595. Commentariis in Suetonium & Horatium clarus; Libro Carminum Pio V. infcripto *Princeps Poëtarum Lyricorum*, poft Horatium, dictus. Sanderus, *lib.* 2. *de Gandav. Erud. Claris.* Val. Andreas, *in Bibl. Belg.* Poffevinus *in appar. S.* J. Lipfius, Havenfius, *de erect. Novor. in Belgio Epifc.*

Lavius, vel *Lalius*, Poëta, *Erotopægnia* fcripfit. Alius, poematis de Centauris conditor. Lil. Girald. *dial.* 4. Voff. *de P. L.*

Lagaria, urbs Siciliæ prope Thurios.

Lagaria, urbs Lucaniæ in monte excifa, nunc *Lagara*: ad Cyliftarnum fluv. hodie *Carniftafo*. Inde *vinum Lagarianum* Plinio commendatum.

Lagecium, Angliæ op. Anton. *Caftleford*, Camdeno. Inter Eboracum & Danum in Merid. Londinum verfus 16. m. p.

Lagenia, pars Hiberniæ, verfus Or. & Angliam magis porrecta; *Leinfter* Gallis, *Leignigh* Hibernis, fub qua IX. Comitatus; Caterloghenfis nempe, Dublinenfis, Kildarienfis, Kilkennienfis, Mediæ Occ. & Or. Comitatus Reginæ, Regis & Vexfordienfis, & 15. urbes mercimoniis florentes. Terminatur ab Ortu mari Hibern. ab Occ. Connaciâ, à Sept. Ultoniâ, à Mer. Momonia. Ejus urbs prim. eft Dublinum. Hic olim Brigantes, Coriondi, Menapii, Cauci & Plani. Ptol. V. Camdenum *defcr. Brit.*

Lageniæ urbes præcipuæ.

Arcloa *Arklo*.	Laghlinia *Laghlyn*.
Caterloghum, *Caterlagh*.	Molingaria *Molinghar*.
Dublinium, *Dublin*.	Roffia *Roffe*.
Kildaria, *Kildare*.	Vexfordia *Vexford*.

Vid. Camdenum, *defcr. Britann.*

Laghium, quæ forfan *Laafa*, urbs Arabiæ fel. in ora Oceani Arab. 9. circiter mill. ab Adeno in Eur. 25. à prom. Aromatum in Bor. Sanfoni. Vulgò *Laghi*, fub proprio Principe.

Laghlinia, vulgò *Laghlyn*, opp. munitum Lageniæ, vulgò *Leightin*, in Comit. Caterloghenfi. ad flu. Brigum, *Barow*. 6. mill. Angl. à Caterlogha in Auftr. 8. à Kilkennio in Ort. Olim Epifc.

Lagia, unum ex nominibus Deli infulæ. Plin. 4. 2.

Laginia, op. Cariæ, inter Phryfcum ac Ephefum, & Bithyniæ urbs. Steph. *Lagina* Straboni.

Lagnus, finus maris Baltici, *Beltz* vulgò: Hinc *Langland* infula.

Lagnutum, opp. Maurit. Cæfarienfis. Ptol. *Tenes* Caftaldo. Baudrando *Moftagan*, inter Quizam ad Occ. & Juliam Cæfaream, nunc *Tenez*, ad Ort.

Lagous, fluv. Afiat. Sarmatiæ. Plin. ex Catheis montibus.

Lagus, pater Ptolemæi fucceſſoris Alexandri, cui Philadelphus fucceffit in regno. Hinc *Lageus* Sil. *l.* 1.

Terminus huic rofeos amnis Lageus ad ortus.

Id eft, Nilus. Lucan. *lib.* 1.

Quà mare Lagei mutatur gurgite Nili.

Lagufa, inf. maris Pamphylii. Item circa Cretam. Steph *Chriftiana* Nigro.

Lagufſa, inf. parvæ maris Ægæi, ante Troadem, Myfiæ urb.

Lagyra, urbs Tauricæ Cherfonefi. Ptol. *Soldaia* Nigro. Quid nunc fit, non conftat. Baudr.

Laholmia, vulgò *Laholm*, incolis *Laa Holm*, opp. Hallandiæ, prope oram finus Codani; aliàs munitum. In ipfo limite Scaniæ cum caftro & portu. 7. mill. ab Helmoftadio in Auftr. 6. mill. Germ. ab Helfingoburgo in Eur.

Lahoria, vulgò *Lahor*, quæ & *Pengab*, urbs ampla Indiæ, caput regionis cognom. ad fluv. *Ravee*, fub M. Mogole; & quandoque fedes ejus; 180. mill. à Multano in Ort. totidem ab Attochio in Afr. 360. ab Agra in Bor. Splendida, cum palatio fuperbiffimo. Crefcit in dies.

Laini, populi Pæoniæ. Steph. ex Thucydide.

Lainum, Lucaniæ opp. cum fuburbiis, inter quæ Sapris flu.

Lais, meretrix nobiliffima, quæ quæftûs gratiâ ex Siciliâ, ubi nata fuit, Corinthum fefe contulit. Ad hanc propter infignem pulchritudinem potentiffimi quicunque ex omni Græciâ conveniebant, nec quifpiam admittebatur, nifi qui dabat quod popofcerat. Unde Proverbium,

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Tam carè enim Lais fuas locabat noctes, ut vel potentiffimi pretii magnitudine deterrerentur. Inter quos etiam Demofthenes fuiffe fertur, qui cùm fcorti tam nobilis famâ accenfus, aliquando Corinthum navigaffet, illaque noctis unius operam decem millibus drachmarum indicaffet, expavefactus pretii immenfitate, Græcè refpondit:

Ουκ ὠνῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν.

Non emam decem millibus drachmarum pœnitentiam.

Propert. *lib.* 2. 6.

Non ita complebant Ephyrææ Laidos ædes,
Ad cujus jacuit Græcia tota fores.

Ovid. *lib.* 1. *Amor. eleg.* 5.

Dicitur & multis Lais amata procis.

Hæc aliquando in Theffaliam profecta, cùm ab adolefcentibus Theffalis fic adamaretur, ut ejus veftibulum etiam vino afpergerent; Theffalæ mulieres invidiâ motæ, eam in Veneris templo, dum facra fierent, quæ viris nequaquam adire fas erat, confoderunt, propter quod facinus Theffaliam peftis invafit, nec prius ceffavit, quàm Veneris ἀνοσίας templum condidiffent. Paufanias *in Corinthiacis*, Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἐν Θεσσαλίᾳ Λαΐδος φάμενον μνῆμα, παρεγένετο γὰρ εἰς Θεσσαλίαν ἐρασθεῖσα Ἱπποστράτου. Ubi Palmerius: Videtur, inquit, Paufanias duas ignoraffe Laidas, matrem & filiam five naturalem, five adoptivam, ob pulchritudinem & meretricias artes celebratas. Nihil tamen eft certius. Prima Lais è Sicilia advecta eft feptennis à Polichnio quodam militante fub Niciâ, Chabria Archonte, tefte Ariftophanis Scholiafte *ad Plutum*, ac cuidam Corinthio vendita; qui eam Corinthum, Uxori donum mifit. Alii à Dionyfio Tyranno, Philoxeno Poëtæ Dithyrambico, datam, cum eo Corinthum perveniffe afferunt. Hoc fuit anno fecundo Olympiadis 91. Anno igitur 4. Olympiadis 98. Dexitheo Archonte, quo anno natus eft Demofthenes, nata erat illa Lais annos 37. At Gellius *lib.* 1. *cap.* 8. ex Sotione Peripatetico narrat, Demofthenem adiiffe clàm Laidem, & ab eâ noctem popofciffe; quæ cùm illum drachmas decem mille poftulaffet, cum deterritum magnitudine fummæ abiiffe ac dixiffe: Non emo drachmis decem mille pœnitentiam: Unde colligitur, Demofthenem à fecundâ Laide noctem popofciffe; nam prima illa Lais fexagenaria erat eo tempore, quæ ætas non amplius eft apta meretriciis artibus; & pretium tam immenfum innuit Laidem illam fuiffe in flore juventæ. Id etiam firmatur ex loco Paufaniæ prædicto, ubi duo fepulchra Laidis duas fuiffe arguit. Sed apertius ex Athenæo *lib.* 13. ubi ait, amicam Alcibiadis Damafandram, quam Plutarchus Timandram, Scholiaftes Ariftophanis Epimandram vocat, quæ Hyccarenfis erat mulier, fuiffe matrem junioris Laidis: Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς νεωτέρας μητέρα, quæ verba fupponunt alteram Laidem antiquiorem.

Laifa, civitas, quæ & Dan. If. 10.

Laish, regionis quidem Afer tribûs, poffeffionis autem Dan. Jud. 16. & 18. Pater Phaltiel mariti Michol filiæ regis Saul. 2. Reg. 3.

Laius, fil. Labdaci regis Thebarum, pater Oedipi, qui Jocaftam Creontis Thebani filiam uxorem duxit: quam cùm concepiffe audiffet, de futurâ prole oraculum confuluit, cui refponfum eft, eum nafciturі manu periturum. Quo refponfo perterritus, puerum recens natum uni ex fatellitibus necandum tradidit, qui cùm neque herilis impietatis fe miniftrum præbere vellet, neque rurfus domini mandata auderet negligere, viam mediam delegit, trajectisque vimine pueri pedibus ex arbore eum fufpendit, futurum ratus ut inediâ moreretur. Verùm cùm Phorbas, Polybi Corinthiorum regis paftor, illac iter faceret, audito vagitu, eò accurrit, puerumque fervavit, quem & reginæ, quæ liberis carebat, magni muneris loco obtulit: à qua veluti puer cœlitus miffus, filii loco educatus, & à *pedibus* ex vulnere *tumentibus* Οἰδίπους dictus eft. Vide *Oedipus*.

Lala,

Lala, Armeniæ majoris urbs. Ptol.

Lalacaum, regio Asiæ min. Cedreno, Curopal. Zonar.

Lalatania, vide *Laletani*.

Lalage, nomen puellæ. Horatius,

Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

Propert. *lib.* 4.

Cæditur & Lalage tortis suspensa capillis.

Lalandia, vulgò *Laland*, Daniæ Inf. in mari Baltico, prope Falstriam, ad Merid. Selandiæ. Ibi urbs Nascovia, probè munita, cum aliquot opp. Vix 2. leuc. à Langelandia Inf. in Ort. Tenui freto, à Falstria separatur.

Lalassis, Isauriæ fluvius. Plin. 5.27. *Calendo* Nigro.

Lalenesis, Armeniæ min. op. Ptol. In Melitenâ reg.

Laletani, Hisp. pop. *Leætani* Ptol. *Letani* Strab. Hi postea *Gotholani* dicti fuere, nunc corruptè *Catalauni*, Tarapha teste. Baudrando *Laletani*, pop. fuere Hisp. Tarr. inter Indigetes ad Ort. & Cosetanos ad Occ. ubi nunc magna pars Cataloniæ, inter Gerundam & Tarraconem, versus oram maris Medit. Horum reg. *Laletania*, Mart. 1. 15. inde *Laletanum vinum* à Plin. 14.6. magis copiâ, quàm bonitate commendatur. Mart. 7. 52.

Et Laletanæ nigra lagena sapæ.

Idem 1. 27.

A Caupone tibi fax Laletana petatur.

Lalisanda, vel *Dalisanda*, urbs Isaurica. Steph.

Lallus, Deus fuisse videtur, qui præesset næniis illis balbis, quas nutrices pueris occinunt, & pueros reddere cogunt. Nulla enim litera est, quam faciliùs sonant pueri, quàm *Lambda*: Quin etiam ejus frequentiâ somnum inducebant. Ausonius de filio Probino: *Nutricis inter lemmata, Lalliq; somniferos modos.* Turn. *Advers.* 18.34.

Lama, Lusitaniæ urbs, in Vettonibus. Ptol. Ep. sub Archiep. Bracarensi; Nunc *Lamegal*, castrum Portugalliæ, ad amnem cognom. vix *6.* leuc. à confinio Regni Legionis in Occ. totidem à Guarda urbe in Arctos, 5. à Durio fluv. 10. à Lameca urbe, Ortum versus.

Lamacha, urbs circa Armeniam. Laonic.

Lamachus, filius Xenophanis, homo turbulentus, bellique studiosus, cum Alcibiade ac Nicia, ab Atheniensibus in Siciliam missus. Vide Thucyd. *libr.* 6. Plut. *Alcibi. & Niciâ.* Justinum *libr.* 4.

Lamantea, urbs Italiæ Episc. in Calabriâ cit. Leander *descr. Italiæ*.

Lamasba, Numidiæ civitas Episc. Anton. Ejus meminit Concil. Carthaginense.

Lambalium, vulgò *Lambale*, opp. Britanniæ min. 5. leuc. à Fano S. Brioci in Ort. Rhedones versus; 4. tantùm à mari Britannico in Austr. Baudr. Ubi vett. Ambiliatæ, de quibus Cæsar: quos tamen Sanson in Abrincensi dioec. locat, & Ambibarios vocat. Pertinebat olim ad Clissonios, armentis abundans: Hic & chartæ pergamenæ magno numero conficiunt. Metel.

Lambana, Mesopotamiæ urbs. Ptol.

Lambathum, opp. Angliæ, ubi Concilium à Joh. Pecchamo Arch. Cantuar. habitum, A. C. 1280. Item A. C. 1406. à Thoma Burchetio Arch. & Cardin. contra Rainaldum Peacodium Episc. Cestriensem, qui errorum accusatus & in Monasterium libris ejus combustis, detrusus est, Vid. Spond. *A.C.* 1486. *n.* 5.

Lambe, inf. sinus Arabici. Plin. circa Mioformum.

Reges & Principes.

Lambertus, Italiæ Rex, fil. Guidonis Spoletani D. à Formoso coronatus an. 8 93. Cujus æmulus Berengarius, Forojulii Dux, excæcato Ludovico, filio Bosonis, à Johanne X. coronationem vicissim extorsit. Occisus Anno 910. in venatione ab Hugone, Com. Mediolanensi. Luitpr. *Hist. lib.* 1. Flodoard. *Hist. Rom. l.* 4. *cap.* 2. Avus ejus cognom. cum Alberto Tusciæ Marchione, qui ambo Carolomanni partes tuebantur, Johannem IX. in carcerem detrusit. an. 878. Luitpr. Aimonius.

Lambertus I. cognom. *Barbatus*, filius Ragineri III. Comitis Hannoniæ minor, Lovaniensem Comitatum, ex hæreditate sobrini Ansfridi, qui dein Episc. Ultrajectinus, obtinuit; prælio ad Florinas adversus Godofredum Gibbosum commisso cæsus An. Chr. 1015. Ei ex Gerberga, filia Caroli Lotharingiæ D. è stirpe Caroli M. nati Henricus, qui pro Ducatu Lotharingiæ bellum gessit, &

Lambertus II. quem Henricus III. Imper. stantem ex partibus Balduini Flandri, Tornaci obsessum, cepit & occidit, Anno 1054. Pater is fuit, ex Oda Lotharingica, Henrici II. qui Balduini Hannonii, adversus Rob. Frisium socius fuit: Ejus ex Adela Thuringica, filii, Henricus se primus *Brachbantiæ patriæ Comitem* dixit, & Godofredus cognom. *Senior* vel *Barbatus*, Ducatum Lotharingiæ infer. iterum in familiam reduxit: quin & A. C. 1137. Marchionatum Antuerpiæ, quo A. C. 1126. à Waleramo D. Limburgi fuerat spoliatus. Huic filius fuit Godofredus II. pater Godofr. III. *in cunis* dicti: quo natus Henr. I. cogn. *Probus*, genuit Henr. II. cogn. *Magnanimum*, qui ab Innocentio IV. contra Frider. II. ad regnum Rom. vocatus, per fil. Henr. III. cogn. *Mansuetum*, Duces Brabantinos: & alterum Henricum, cognom. *Puerum*, Landgravios Hassiæ fecit, Vide Philip. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Viri clari.

Lambertus, sec. Vossium & Serrarium Aschaffenburgensis, secundum alios Schavvenburgensis, Benedictinus, an. 1058. Hierosolymâ redux Historiam composuit à M. C. usque ad annum 1077. magni æstimatam: quam, licèt non tanta cum laude, alius quidam Monachus continuavit, usque ad an. 1472. Trithem. *de Vir. Ill. & in Chron.* Lips. *in not. ad Polit. lib.* 1. *cap.* 9. Barthius, *Advers. lib.* 49. *c.* 4. Scaliger. *de E.T.* &c.

Lambertus Leodiensis, Monachus Cluniac. scripsit vitam Heriberti, Arch. Col. Epigrammata, &c. Voss. Alius, cognom. parvus, Benedictinus, vitas Episc. Leodiensium condidit, ab an. 988. usque ad 1194. Alius, libb. 2. de vita & miraculis S. Matthæi versibus edidit, &c. Anno Christi 1080. Trithem. *in Cat.* Voss. *de H. Lat. lib.* 2.

Lambertus Beghius, auctor Beguinarum. Petrus Coëns, *in disc. Hist. de Beguin. edit. an.* 1629.

Lambertus Guinensis, Episc. Atrebatensis, à Paschali II. missus, Philippum I. Gall. R. ob illegitimas cum Bertrada nuptias, absolvit. Obiit an. 1115.

Lambertus Hortensius Montfortius, à Consulibus Delphensibus honorificè compellatus, ut Academiæ Recturam susciperet, respondit: *Angelum quæritis, Homo sum, Valete.* Vir eruditus, sec. præt.

Lambertus Lombardus, Leodiensis, pictor excellens & celebris Architectus.

Lambertus de Serico, auctor supplementi vitarum Virorum Ill. quas Petrarcha orsus est.

Lambertus Waterlosius, Canonicus Cameracensis, Episcoporum urbis hujus vitas descripsit. Ab Odone, qui Manassi II. successit, an. 1105. usque ad an. 1160. quo floruit, &c.

Lambesca, vulgò *Lambesc*, opp. lepidum Provinciæ, prope Duranium fluv. 4. leuc. ab Aquis Sextiis in Ort. Ammianum versus. 3. à Salone in Eur.

Lambese, Africæ urbs mediter. hodie *Lambesca*, in regno Constantin. quod Tunetano subest, Olim Episc. Hic Concilium An. Chr. 240. contra Privatum Episc. hæreseos criminumque atrocium accusatum. Qui postea, in Synodo quadam Afric. se defensurus, cùm rejectus esset, Carthagine Fortunatum, contra Cyprianum, Episcopum creavit. Cyprian. *ep.* 30. 54. 55. *&c. edit. Rigalt.*

Lambrani, pop. Insubriæ circa Lambrum flu. Suet.

Lambriaca, op. Hisp. in orâ Gallæciæ Occid. *Flavia Lambris* Ptolemæo.

Lambrus, fluv. Gall. Cisalp. maximè perspicuus, quem Padus defert in mare Adriaticum, Plin. hodie *Lambro*. Oritur ex monte apud lacum Larium & Comum, perque Eupilim lacum transiens Modoëllam & Marinianum interluit, Padoque inter Ticinum & Placentiam excipitur.

Lameca, Portugalliæ urbs Episc. ad Durium fluv. hodie *Lamego* dicta. Ep. sub Ar. Bracarensi, 3. mill. à Durio fluv. Media inter Bracaram ad Cæc. & Guardam in Africum, 12. leuc. à Portu Cale. *Lama* Ptolom. Ejus mentionem facit 3. Concil. Carth.

Lamech, Methusaelis fil. natus A. M. 875. pater Noachi: ex Sethi familia. Gen. *cap.* 1. Jos. *Antiq. lib.* 1. Item, abnepos Caini, qui Ada & Sellâ ductis, bigamiam primus introduxit, & sic adulterium contra legem naturæ, ac Dei decretum commisit. Fuit autem vir sagittarius, qui diu vivendo oculorum caliginem contraxit, & habens adolescentem, dum exercet venationem, ob usum tantùm pellium (quia non erat usus carnium ante diluvium) dirigente juvene sagittam, casu inter fruteta interemit Cain. Gen. 4. 15. Rivet. *in Gen.* Comestor *in c.* 4. *Gen.*

Lamellum, quæ & *Mellaria*, inf. parva, vel potius scopulus exiguus, maris Tyrrheni, ante Liburnum portum, inde 5. m. p. vulgò *Malora*. Hic Pisani classe à Genuensibus victi, & hunc portum & Sardiniam amiserunt, sub Greg. IX.

Lametia, op. Brutiorum, *S. Eufemia*, teste Barrio: patria Stephani Geogr. pop. *Lametini*. Steph. A' fluv. Lameto, qui ex Apennino ortus, hac in sinum *Lameticum*, vulgò *Golfo di S. Eufemia*, abit.

Lamestius, Sycophanta Syracusis, Timoleonti vadimonium imponere meditatus. *Laphystius* Plutarcho.

Lamfoctense, op. in Mauritaniâ. Ammianus.

Lamfridus, Benedictinus Anglus, sub Ethelredo R. seculo 10. Historica quædam edidit; inprimis vitam Suithini Episc. Voss. *de H. L. lib.* 2. *c.* 41.

Lamia, Prætor, in rogum, pro mortuo conjectus. Plin. *libr.* 7. *cap.* 52. Horatius Æl. *Lamiæ* dedicavit *Od.* 17. *l.* 3. *Carm.*

Lamia, dicta quasi Λαίμια ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαιμόν, quòd habeat magnum guttur. Duris *Histor. libr.* 2. *rerum Libyc* tradit, Lamiam formosam quandam fœminam extitisse, quæ cùm concubuisset cum Jove, ex Junonis æmulatione eidem liberos extinctos. Quare ex mœrore deformem factam & aliorum prolem rapere ac perimere. Vide Scholia Græca *in Arist. Crabron.* 505. *A.*

Lamia,

Lamia, meretrix quædam insignis fuit, Demetrii regis amica, cui blandientes Thebani *Veneris Lamiæ* delubrum consecrarunt.

Lamia, urbs Thessaliæ mediterranea, Episc. sub Arch. Larissæo *Demochi*: Hinc sinus *Lamiacus*, qui & *Oetegus*. Est & alia Siciliæ. Item Arcadiæ mons. Steph.

Lamia, seu *Lima*, Hispaniæ, in Callaicis Braccariis, fluv. nunc Portugalliæ. Vianam opp. rigat, & paulo infra in Oceanum Occ. se exonerat, 13. mill. ab ostio Minii fluv. in Austr. *Limius* aliis.

Lamia, insulæ parvæ, seu veriùs scopuli maris Ægæi ante Troadem.

Lamiæ, vett. quoque *Lemures*, *Larvæ* & *Empusæ* dictæ, ab antiquis mulieres esse putabantur, sive verius, dæmonum quædam phantasmata, quæ formosarum mulierum specie assumptâ, pueros, præsertim juvenes, blanditiis allectos devorabant. Hæ cùm foris essent egregiè oculatæ, domi prorsus cæcutiebant. De nomine Bochartus: Ut *Lamus* rex ἀνθρωποφάγος, ita *Lamia* fingitur esse monstrum libidinis ac humanæ carnis avidum. Sic affirmat Apollonius apud Philostratum *l.* 4. Lamias σαρκῶν, καὶ μάλιστα ἀνθρωπείων ἐρᾷν. Hinc Horat. *in Arte*,

Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.

Itaque *Lamus* & *Lamia* sunt voces ejusdem originis. *Lamia* porro nomen esse Punicum suadet, quòd Libyca est tota fabula. *Lamia* enim mulier Africana fuisse fertur (Ita tradunt Hesychius & Doris vel Duris potius apud Suidam) Βήλου καὶ Λιβύης θυγάτηρ, ut legere est in Schol. Aristoph. *in Pace*. Sed & his longè antiquior Euripides de *Lamiâ* sic habet,

Τίς τοὔνομα τὸ ἐπονείδιστον βροτοῖς
Οὐκ οἶδε Λαμίας τῆς Λιβυστικῆς γένος.
Quis Africanæ nesciat Lamiæ genus,
Infame nomen & tetrum mortalibus?

Et Diodori *libro* 20. Ophellas rex Cyrenarum ad Agathoclem se conferens, qui Carthaginensibus bellum in Africâ moverat, reperisse legitur circa Automalas in profundâ valle, ἄντρον εὐμέγεθες, κιττῷ καὶ σμίλακι συνηρεφές, ἐν ᾧ μυθολογοῦσι γεγενῆσθαι βασίλισσαν Λαμίαν, *vastum antrum hederâ, & taxo consitum, in quo reginam Lamiam natam esse fabulantur.* Unde colligas etiam barbaris, in infimâ Africâ, Lamiæ nomen non fuisse ignotum: Factum id, ut videtur, à Punico verbo לחם *Laham*, vel *Lahama*, quod *vorare* significat, hodieque in usu est apud Arabas. Vide Cæl. Rhod. 29. *cap.* 3. & 45. *cap.* 5. Plin. *libr.* 9. *cap.* 24.

Lamiarum, nobilis Romæ familia fuit à *Lamo* fil. Neptuni, Rege Læstrygonum, Formiarum conditore, orta, Antiphatis patre. Juvenal. *Sat.* 4.

——*Hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.*

Id est, *nobilium sanguine*. Vide *Lamus*.

Lamida, Mauritan. Cæsariens. urbs. Ptol.

Laminium, op. Hisp. Tar. olim Ep. sub Arch. Toletano, ad fontes Anæ fluvii, hodiè *Alambra* Pineto. Baudrando *Villa nueva de los Infantes*, seu *Montiel*, locus in viciniis, 2. hinc leucis & 30. à Toleto in Africum. Hinc ager Laminitanus, vulgò *Campo de Montiel*; qui est inter montes Marianos ad Mer. & fontes Anæ flu. in Bor. frumentis maximè fertilis, & aquæ penuriâ plerunque laborans, propter fontium raritatem. Pop. *Laminitani*, in Carpetanis.

Lamirus, Herculis fil. ex Jole Euryti regis fil â.

Lamiscus, Samius, historiarum scriptor, conjungitur cum Melisso à Palæphato, initio eorum quæ de incredibilibus prodidit.

Lamissius, secundus Longobardorum rex, an. U.C. 1177.

Lamius, mons Joniæ Endymione celebris, qui hinc *Lamius* dictus est. Ovidius *de A.A. lib.* 3.

Lamius Endymion, non est tibi Luna rubori.

Vide *Latmius*.

Lamma Magnus, i. Magnus Sacerdos, vocatur in regno Tartarico, (quod *Barantolam* & *Lassam* vocant) regno Tanguthi vicino, is, qui præter eum, qui regni negotiis incumbit, summæ in eo auctoritatis est. Hunc in secreto sui palatii residentem, velut Numen, omnes non indigenæ solùm, sed & reliqui Tartariæ Reges, adorant, neque ullus horum prius inauguratur, quàm missis cum muneribus Legatis ab illo benedictionem impetraverit. Vid. Athan. Kircherium *Chin. l.* 2. *c.* 4.

Lamotis, Ciliciæ regio. Ptol.

Lampadius, Consul cum Oreste, anno ab urbe conditâ 1283. Præfectus Urbis, sub Valentiniano & Valente, largus in pauperes. Ammian. Marcell. *Hist. lib.* 27. Alius, Consularis, sub Honorio, Anno 408. Stiliconi, qui libertate suffragiorum oppressâ, Senatui suasit, ut 4000. libris auri pacem ab Alarico redimeret, generosè restitit. Præfectus postmodum Prætorio ab Attalo creatus. Oros. *l.* 7. Zosim. *l.* 6.

Lampaga, Indiæ intra Gangem pop. Ptol.

Lampares, vigesimus quartus Assyriorum rex. Aliis 22. Successit Sosari, A. M. 2728. usque ad an. 2757. Euseb. *in Chr.*

Lampe, *Argyrippa* postea dicta, Dauniæ sive Apuliæ civitas. Alia est *Lampe*, vel *Lappe* Cretæ urbs, ab Agamemnone condita, à *Lampo* Tarrhæo dicta. Alia est Acarnaniæ, alia Argolidis. Stephanus.

Lampedo, mulier Lacedæmoniæ raræ felicitatis, ut quæ & regis filia erat, & regis uxor, & regis mater. Plin. 7. 41.

Lampedosa, Ptolom. *lib.* 4. Lipadusa, Ins. maris Mediterr. sub Melitensibus. Nautis *La Casa d'Orlando*, an à prælio ibi inter Agramantem, Gradassum Sobrinumque cum Rolando, Oliviero & Bradimaro commisso? Sanut. *libr.* 5. *Geogr.* Ariostus *Orlando fur. cant.* 4.

Lampesa, Africæ propriæ urbs, Ptolom. ubi Legio 3. Augusta. Vid. *Lambese*.

Lampetia, filia Solis ex Neærâ, soror Phaethusæ, quas pater gregibus suis in Siciliâ pascendis præfecit. Ad has cùm Ulysses venisset, tempestate in Siciliam ejectus, socii, qui summâ cibi penuriâ premebantur, ipso dormiente, boves aliquot mactarunt. Quam rem cùm ex Lampetiâ filiâ suâ Apollo didicisset, querelam ad Jovem detulit, qui nati precibus obsequens, Ulyssis socios ad unum omnes fulmine, & tempestatibus perdidit. Hom. *Odyss.* 12. Alii Apollinis ex Clymene filiam faciunt, ob Phaëtontis fratris obitum, in populum arborem commutatam. Ovid. *Metam. libr.* 2.

Lampetia, op. Brutiorum marit. in orâ Calabriæ citer. *Lo Cetraro* Gabr. Barrio, *Clampetia* vel *Dampetia* Plinio. Hic *Lampetes* Steph. prom. unde sinus Terinæus incipit, à Lampetia supra 40. m. p. Vide omnino Voss. *ad Melam p.* 168.

Lampetiani, hæretici quidam sec. 7. qui dogmata nonnulla Arianorum sequebantur, Johann. Damascenus eorum meminit.

Lampetium, sepulchrum in Lesbo à *Lampeto* Iri filio. Stephanus.

Lampeto, Amazonum regina, Jornandes. Ephesо, multisque urbibus conditis in Asia, domum cum parte exercitus remittitur, ut tueatur patriam.

Lampetus, soror Phaethontis in arborem mutata. Servius.

Lampeus, mons Arcadiæ. Plin. 4. 1. *Lampia* Straboni, & Pausaniæ, item Statio *l.* 4. *Theb.*

——*Candensque jugis Lampia nivosis.*

Vulgò *Elanda*. Item *Lampia* fluv. ex eo monte nascens, & op. Arcadiæ.

Lampis, urbs circa Mæandrum flu. Nicetas.

Lampon, Vates, cognomento ἐξηγητής hoc est, *Interpres religionum*, inter decemviros coloniæ Thurios deducendæ. De quo vide Scholia *in Aristoph. Aves*.

Lampon, Victimarius & vates Athenis, nec non sortilegus, qui vitam tolerabat quæstu avium, quas canere erudiebat. Vide Scholia in *Aristoph. Aves*.

Lampon, miræ velocitatis equus, de quo Silius *l.* 9.

Evolat ante omnes, rapidoque per aera cursu
Callaicus Lampon fugit, atque ingentia tranat,
Exultans spatia, & ventos post terga relinquit.

Fuit & *Lampon* sacrificus vates, per anserem, velut avem augu- ralem, jurare solitus. Erasm. *in Proverb.*

Lamponea, Troadis urbs, *Lamponium* Herodoto. Est etiam Thraciæ insula circa Chersonesum. Strabo.

Lampra, duo sunt municipia Erectheidis tribûs. Suidas.

Reges & Viri clari.

Lampridius, 20. Rex Assyriorum, Belleparis successor, ab A. M. 2676. usque ad 2707. ei Sosares successit. Euseb. *in Chron.*

Lampridius Ælius, Historicus Lat. sub Constantino M. Commodi Antonini Diadumeni, Antonini Heliogabali, & Alexandri Severi Impp. vitas descripsit. Prima Lampridii editio, Mediolani facta, ei Severi hujus vitam attribuit, sed Mscr. Palatinum & Roberti Pottæ Bononiensis, illam Spartiano vindicat. Sunt tamen quidam, qui utrumque eundem esse censeant, nixi illo Ausonii: *Tria nomina Nobiliorum*. Lampridium Vopiscus se imitatum scribit, *in Probo*, Voss. *de H. L. l.* 2.

Lampridius, Cremonensis, Poëta, clarus sec. præt. Johannem Lascarim Romam secutus, ibi Græcè Latineque docuit. Post Leonis X. obitum, Patavium se recepit, ubi Juventuti erudiendæ vacavit, plus quæstui, quàm gloriæ intentus. A Friderico dein Gonzaga Mantuam vocatus, filii ejus studiis admotus est. Auctor Odarum, quæ in pretio sunt: cœterùm ita timidus, ut nullâ ratione ab amicis perduci potuerit, ut in publico diceret. Paul. Jov. *elog. cap.* 99.

Lamprocles, Midonis filius, Atheniensis, Musicus eâ tempestate insignis. Quidam non filium, sed *discipulum* Midonis fuisse addunt.

Lampsaces, filia Mandronis, quæ insidias Bebrycum detexit Phocæensibus, ob idque urbi nomen dedit. Polyæn. *l.* 8.

Lampsacus, *Lampsacum* Ciceroni. Sic enim ille *Act.* 3. *in Ver. Opidum*, inquit, *in Hellesponto est Lampsacum imprimis, Asiæ provinciæ clarum, & nobile: homines autem & ipsi Lampsaceni, tum summè in omnes cives Romanos officiosi, tum præterea maximè sedati, & quieti, prope præter cæteros, ad summum Græcorum otium potius, quàm ad ullam vim aut tumultum accommodati.* *Lampsicho* Sophiano & *Lepseck* Turcis, teste Leunclavio, olim Pityusa, teste Plinio, & Strabone, ac Archiepisc. Baudrando in Mysia min. ad Hellespontum est, ubi è Propontide

pontide exit. Hodieque satis culta vix 6. mill. ab ostiis Prosacti fluv. in Occ. 8. mill. à Callipoli in Ort. 21. à Pario in Occ. Hic Priapus colebatur. Ovid. *Trist.* 1. 9.

Et te ruricolâ, Lampsace, tuta Deo.

Dicta est à *Lampsace* quâdam ejus loci puellâ. A Phocensibus condita, ut quidam volunt, vel, ut alii, à Priapo. Strabo *lib.* 3. urbem clarissimam nobili portu esse ait, & templo matris Deûm insignem. Generoso vino abundavit, quo nomine Themistocli à Persarum rege per benevolentiam donata est. Hic Anno 364. sub Valentiniano & Valente, pseudoSynodo à SemiArianis celebratâ, formulæ fidei Arimini & Constantinopoli prius publicatæ, condemnatæ sunt, hæresisque Macedonianorum vires sumsit, Arianorum primipili Eudoxius & Acacius denuo depositi, Eustathio Sebastes Episc. creato, Basil. *ep.* 72. 79. & 82. Socr. *lib.* 4. *cap.* 4. Sozom. *lib.* 6. *cap.* 7. Item, contra Eudoxium, Arianum, Anno 368. V. 2. *tom. Concil.* Paris. edit. *p.* 829. 887. Hinc *Lampsacius.* Mart. *lib.* 10.

Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu.

Idem 10. 52.

Quantam Lampsacia colunt puellæ.

Lampsemandus, Ins. Cariæ, in sinu Ceramico. Plin. *Lepsemandus.* Steph.

Lampsus, pars reg. Clazomeniorum. Steph.

Lampyrenses, Atticæ regionis curia. Strabo.

Lamuel, nomen Salomonis. Prov. 31.

Lamum, Gall. *Royaume de Lamo*, regnum parvum Zanguebariæ, versus fluv. Chimanchum, & regnum Melindæ, à quo terminatur ad Bor. ut ab Ortu regno Pateo. Cum urbe prim. cognom. Ejus Rex ab Hisp. an. 1589. occisus fuit.

Lamum, Latii op. Fabricio in suis itinerariis, quod *Marino* appellari ait: in via Appia, medium inter Romam & Velitras 10. m. p. Aliis *Marino*, *Villa Marii* dicitur.

Lamus, Læstrygonum rex, à quo nobilis Lamiarum familia nomen accepit apud Romanos. Horatius *l.* 3. *od.* 17. *Ad Ælium Lamiam*:

Æli vetusto nobilis ab Lamo, &c.
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Litoribus tenuisse Lirim
Latè tyrannus.

Etiam Hom. *Odyss.* 10 videtur Lamum Formiarum, quam Λαιστρυγονίην vocat, conditorem fuisse significare in his:

Ἑβδομάτῃ δ' ἱκόμεσθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην. —— ——

Fuit autem hic *Lamus* Neptuni filius, quemadmodum ad eum locum notat Eustathius.

Lamus, filius Herculis ex Omphale reginâ. Ovidius *in Epistola.*

Lamus, Spartiata, Peloponnesiorum mercede Nectanebo Ægypti regi militantium Dux. Diod. *l.* 16.

Lamus, urbs fuit Læstrygonum, prope Formias & Cajetam, vel ipsa Cajeta, aut ipsæ Formiæ. Item urbs Ciliciæ mediterr. Episc. sub Arch. Seleuciensi, inter Flaviopolim ad Occ. & Justinopolim ad Ort. proxima Tarso. Vulgò *Lamo.*

Lamus, equus generosus apud Silium,

Tum Lamus & Sicoris proles bellacis Ilerda.

Lamus, fluv. Ciliciæ, & regio circumjacens *Lamusia.* Stephanus.

Lamyra, urbs Lyciæ, ubi Cajus Cæsar, Augusti nepos, morbo obiisse Vellejo putatur, & fluvius. Steph.

Lanarium, fluv. Siciliæ, Anton.

Lancastria, vulgò *Lancashire*, provincia regni Angliæ, juxta oram maris Hibernici, inter Cestriæ Comitatum ad Meridiem, Vvestmariam ad Boream, & Eboracensem provinciam ad Ortum. Hinc orti Lancastriæ Duces, in historia Anglica celebres, Vide infra. In ea sunt Lancastria, *Lancastre*, urbs provinciæ caput, & oppida Mancunium, *Manchester*, & Prestonium, *Preston*, de quibus suo loco. Ab hac provincia nomen habet *Lancastrensis* familia, quæ in Anglia cum Eboracensi, sub rubræ albæque Rosæ nomine, de regno diu & cruentè contendit: quæ lis tandem, post triginta prælia commissa, trium Regum plurimorumque Principum cædes, sopita est ab Henrico VII. tunc temporis Comite Richmondiæ, qui victo & interfecto Richardo III. Elizabetham superstitem ex Eboracensi fam. virginem, uxorem duxit; Fratre ejus Eduardo Plantageneta, ultimo Eboracensium, in carcere detento. Hinc lemma Jacobi VI. Scotiæ seu I. M. Britanniæ Regis: *Henricus rosas, regna Jacobus.* Vide *Lancastria.*

Lancastria, vulgò *Lancastre*, urbs est parva Angliæ, ad fluvii Lunæ ostia, in provincia, & in ora maris Hibernici, media inter Carleolum ad Boream & Cestriam ad Austrum.

Lancelinus vel *Kancelinus*, vel *Cuonzelinus*, aliis quoque *Bezelo* vel *Landolus* dictus, filius Guntrami cogn. *Divitis*, Hungaros ad Seckingam vicit, A. C. 937. & cum fratribus Sulzbergense fundavit monasterium. Pater Landoli, qui etiam *Bezelinus* & *Lancelinus* dictus est, è quo Duces Zeringiæ, Fecciorum Ducum ac March. Badensium progenitores orti & majoris avi Rapatonis seu Ratbodi, qui Habspurgios, quorum auctor Guntramus præfatus fuerat, continuavit. Inter ejus posteros Rudolfus I. Imp. fuit Austriacæ familiæ sator. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Lancelotus Carlius, Burdigalensis, Episc. Rejensis, An. 1550. postquam ab Henrico II. Romam Anno 1547. missus, admirationem sui excitasset. Hospitalio Gall. Cancellario, Ronsardo, & Joach. Bellajo familiaris. Scripsit Gallicè paraphrasin Ecclesiastis, Cantica Bibliorum, epistolam ad Carolum IX. &c. Thuan. *Hist. libr.* 3. Lurbæus. *de illust. Aquit.* Michaël Hospit. *in Epist.* Ronsardus, *l.* 1. *hymn.* 7. &c.

Lancelotus Conradus, Basilicatâ Neapolitanus, *Tempus omnium Judicum* edidit.

Lancelotus Decius, Mediolanensis, J C. nobilis. Obiit Anno Chr. 1495.

Lancelotus Du Voisin, scripsit Historiam Gall. regna Henrici II. & filiorum ejus continentem, Tres mundos, &c.

Lancia, Ptol. Flor. *Lance* Antonino, postea in Conciliis Viseum, *Viseo*, teste Jacobo Vasconcello, urbs Lusitaniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Bracarensi, media ferè inter Guardensem urbem & Portum, ad 14. leucas dissita. Hic Viriatus Romanos vicit, & Roderici postremi Gothorum Regis sepulchrum visitur, teste Mariana, qui Lanciam Ovetum interpretatur, ignorans geminam illam esse, unam in Lusitania, alteram in Asturibus. *Lancia* item & Albianus insulæ sunt Callaicorum, vulgò *Isole di Baiona*, teste Mariana, Ferrarius. Baudrando *Lancia*, duplex; una dicta *Lancia oppidana* Vettonum, quæ creditur fuisse ubi nunc castrum *Penna di Francia*, seu Rupes Franciæ, locus celebris, propter devotionem erga B. Virginem, in regno Legionensi, intra montes. *Lancia* altera, quæ & *Transcudana*, in Lusitania creditur fuisse, ubi nunc urbs Guarda, in Portugallia, quæ crevit ex Igæditæ ruinis, & ideò quibusdam *Igadita nova* dicitur. Viseum autem urbs est, ubi aliàs Verruvium oppidum, testibus Sansone & Brietio.

Lancianum, vulgò *Lanciano*, urbs regni Neapolitani. Vide *Anxanum.*

Lanciati, Asturiæ in Hisp. urbs. Ptol.

Lancicia, vulgò *Lanschet* Polonis, *Lencicz* Germanis, urbs Poloniæ inferioris, in colle, Palatinatus cognominis caput, cum arce undique palud bus munita, in scopulo. Vix 10. milliaribus à Vvarta fluvio distat, & 10. leucis Polonicis à Gnesna in Ortum, ad amnem Bsuram. Incensa fuit anno 1656.

Lancinus Curtius, Mediolanensis, Merulæ discip. Græcè & Latinè doctissimus. Poëmata edidit satis negligenter scripta, solum natale nunquam reliquit, cœlebs mortuus. Paul. Jovius, *in elog doct cap.* 60. Epitaphio honoratus à Stephano Dulcino Cremonensi.

Lancobardi, Ptol. *Lombardi*, populi Germaniæ, qui circa Suevum fluvium in Ducatu Mechelburgensi incolentes, egressi è finibus illis, in Italiam profecti sunt, ibique victis Gothis, usque ad Caroli Magni tempora imperarunt; à quibus Gallia Cisalpina maxima ex parte *Lombardia*, quasi Lancobardia, nominatur. *Longobardi* Aimoino & Paulo Diacono dicti, Ferr. Baudrando *Lancobardi*, seu, & meliùs, *Langobardi*, populi fuere Germaniæ, circa Albim fluvium, in Vandaliis, sic dicti à voce Germanica *lang*, quod longum, & *bardt*, quod barbam notat, teste Paulo Diacono, qui eos ex Scandinavia in Germaniam commigrasse scribit. Vide infra in vocibus, *Langobardi* & *Longobardi.*

Lancobrica, seu *Lancobriga*, Ant. *Langroiva*, oppidum olim, nunc pagus Lusitaniæ, in regno Portugallico, inter Talabricam, & Calem seu Portum Calensem, teste Jacobo Delgado, inde 18. hinc 13. mill. pass. ex Itinerario Antonini. Sed Vasconcello *Afeira*; aliis *Lago*, Talabricæ finitimus. Ferr. Baudrando *Lancobriga* aliis est *à Feyra*, pagus Lusitaniæ, versùs oram littoralem, in provincia Portugallias dicta, inter Durium & Tagum fluvios, prope ostia Durii, & 13. mill. pass. à Portu Cale in Meridiem.

Landava, vulgò *Landaff*, urbs Vvalliæ Australis, in Anglia, in Comitatu Glamorganensi. Episcopalis est sub Archiepiscopo Cantuariensi, ad amnem Tavum, uno milliari Anglico tantùm supra Cardiffam. Castrum habet, sed deficit in dies, & paucis tantùm incolis constat. De Conciliis hic celebratis V. Morerium *Dict. Hist.*

Landavia, vulgò *Landavv*, urbs Germaniæ Imperialis, in regione *Vasgovv*, in Alsatia inferiori, sub dominio Regis Franciæ, pace Monasteriensi, juxta amnem *Queich*, in confinio Palatinatus Rheni. 4. leucis distat à Spira in Occasum, & 4. à Rheno fluvio.

Landenbergius Peregrinus, Undervvaldiis ab Alberto Austriaco præfectus, quemadmodum ab eodem Grislerus Suitiis & Uriis præpositus est: Obtinuit arces duas, Sarnam infra syl-

vam, & Rotzbergium, supra sylvam, quæ mediam Undervvaldiorum regionem dividit, contra morem, cùm prius tres pagi unum præfectum habuissent, qui plerunque etiam Tigurinis aliisque urbibus præfuerat, neque in pagis habitabat, sed quotannis semel atque iterum juris dicundi causâ evocatus veniebat. Hic clemens primò in omnes, mox cùm blanditiis se populi non paterentur eò adduci, ut immemores pristinarum immunitatum, cœcum Austriacis addicerent obsequium, acer: nullis aut levibus de causis in carceres pro lubitu abripere, jumenta innocentibus abducere, in corpora etiam sævire, exoculato Henrico Melchtalio, viro sene & opulento, matronis tandem vim parare cœpit. Quo exasperata pagorum patientia eò tandem erupit, ut is in balneo, ad cujus consortium Conradi à Bomgarten rustici uxorem pulcram non magis, quàm pudicam; pro imperio venire jusserat, occideretur. Stumpf. Etterlinerus, &c. Quod alii tamen Wolffenschiessio, ministro Austriaco, Rotzbergæ habitanti accidisse ferunt. Eadem tyrannide cùm & Grislerus in reliquis pagis uteretur, Henrici prædicti filius Arnoldus cum Furstio & Stouffachero prima Helvetici fœderis fundamenta jecit, Anno Chr. 1307.

Vincula dum immeritis, lethum, graviusq; minaris
Letho aliquid, cunctis Helveta liber adest.

Landgravius, vox Germ. denotat Præfectum provinciæ, regionis Comitem seu Judicem, quemadmodum *Marcgravius*, Comes limitaneus, *Burgravius* Castrensis est: qui omnes sic dicti, à loco muneris extra palatium Imperatoris, administrandi: Nam qui intra suum exequitur, *Pfaltzgravius*, i. Comes Palatinus dictus est: A priscis dicitur Præses Provinciæ, cujus erat judicia Principis in Provincia exercere. Hodie in Imperio quatuor potissimum numerantur, Landgravius Thuringiæ, (qui titulus hodie Saxonicæ est familiæ) Hassiæ, Alsatiæ, (quo titulo non tantùm Archiduces Austriæ, sed & Episcopi Argentin. utuntur,) & Leuchtenbergensis. Quibus quidam addunt Landgravios Susenbergiæ, qui nunc Marchiones Badenses, & Landgravium Nellenburgensem. Hi Principes, sunt & alii quoque, sed minorum gentium: de quibus Vide Limnæum Enucl. *lib.* 2. *cap.* 15. De Hassiæ Landgraviis sic Munst. Geogr. *lib.* 3. *cap.* 419. *Fuit olim Hassia tantùm Comitatus subjectus domino Thuringiæ, sed Ludovicus Comes factus Landgravius est, ascenditq; filia supra matrem.* Et paulo pòst: *Ludovicus Barbatus*, ævo Conradi II. *genuit Ludovicum saltatorem, cujus filio Ludovico Cæsar filiam uxorem dedit, creavitq; eum Comitem Provincialem Thuringiæ. Longè pòst successit Landgravius Hassiæ ex priore.* V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Landi, Germ. pop. à Cæsare devicti. Strabo.

Lando, è Sabinis, post Anastasium III. Papa, an. 912. à Theodora persausus, Johannem Episc. Bonon. ejus amicum, filium suum nohum, Archiep. Ravennatem creavit, qui postmodum Landoni successit. Luitpr. *l.* 2. *c.* 13. Leo Ostiens. *l.* 1 *Chron. Cassin.* &c.

Lando Hieronymus, Venetus, Arch. Cretensis, Patr. Constantinop. à Sixto creatus, Anno Christi 474. Onuphr. *in Chron.* Item Conr. *Lando*, Germanus, unus ex ducibus prædonum, qui Italiam longè lateque vastarunt, Anno Christi 1353. donec à Florentinis, ductu Malatestæ, in Lombardiam rejecti sunt, Anno Chr. 1358. Villan. & Aretinus *lib.* 8. Item, *Lando*, vel *Landinus* Christoph. Florentinus, Italicè Plinii hist. nat. vertit, commentariis Horatium, Dantem, &c. illustravit.

Landolus, Vid. *Lancellinus*.

Landosia, Galatiæ op. Ptol.

Landrecium, vulgò *Landrecy*, urbs permunita Belgii, in Hannonia provincia, obsidionibus suis celebris, ad fontes Sabis fluvii. A' Landerico Majore domus Chlotarii junioris Francorum R. videtur nomen accepisse. Subest dominio Francorum pace ad Pyrenæos sancita. 6. leucis distat à Valencianis in Africum, & 7. à Cameraco in Ortum, 2. autem à limite Picardiæ provinciæ.

Landricus, Magister Equitum, Fredegundis Reginæ Galliarum adulter, cùm per Reginam marito amores ejus furtivi innotuissent, non exspectans supplicium, Hilpericum prior confodi jussit. Clotario II. minorenni, hostibus ejus fortiter restitit. Gaguin. *Hist. Gall.* Aimon. *l.* 3. &c.

Landshutum, vulgò *Landshut*, urbs Germaniæ, in Bavaria inferiori, ad Isarum fluvium. 20. milliaribus distat à Frisinga in Ortum, & 30. à Ratisbona in Meridiem; estque munita. Condita an. 1208. à Lud. Bavariæ Duce. Merc.

Landsperga, vulgò *Landsperg*, urbs Germaniæ, in nova Marchia Brandeburgica, ad Vvartam fluvium, 18. milliaribus à Custrino in Ortum, & in confinio Poloniæ. Pluries capta fuit à Suecis nuperis motibus Germaniæ.

Landsperga, vulgò *Landsperg*, urbs Germaniæ, in Bavariæ Ducatu, in colle, ad Lichum fluvium, & in confinio Sueviæ. 20. milliaribus distat ab Augusta in Meridiem.

Landulfus de Columna, Canonicus Carnut. auctor historiæ Paparum, sec. 14. Alius, cognom. Sagax, auctor supplementi Historiæ miscellaneæ Pauli Diaconi. Vossius *de Histor. Lat. l.* 2. *cap.* 30. 40. & 64.

Landulfus Maramaurus, Cardin. Barensis, ab Alexandro V. in Germaniam missus, ob Concil. Pisanum. Anno 1409. Vide quoque *Ludolphus*.

Lanfrancus, Italus, patriâ Ticinensis, è nobili Beccariorum familia, Benedictinus: ex Priore Beccensi, ac deinde Abbate S. Stephani Cadomensis, Arch. Cantuariensis & Angliæ Primas Anno Chr. 1070. *Omnium sui temporis in omni literarum genere doctissimus*, Sixto Senensi. Disputavit, contra Berengarium, in Concil. Romæ habito, sub Nicolao II. Anno Chr. 1059. de corporali, ut ajunt, præsentia Corporis & Sanguinis CHRISTI, in S. Cœna: Quam & postmodum edito libro propugnatum ivit. Scripsit præterea, Commentarios in Epist. Pauli, notas in Cassianum, Epistolas, &c. Quæ omnia Anno Christi 1647. operâ Lucæ Acheru, impressa. Obiit an. 1089. Sigeb. *c.* 155. *de Vir. Ill.* Morerius *Diction. Histor.* Auctor habetur Philosophiæ Scholasticæ.

Langarus, Agrianorum R. opem suam Alexandro M. contra Autariatas obtulit, hinc muneribus & spe nuptiarum Cynæ sororis ejus, quæ Amyntæ nupserat, erectus. Obiit paulo pòst. Freinshem. *suppl. in Curt. l.* 1.

Langarus, vulgò *Lanquart*, fluv. Rhætiæ, in fœdere 10. Jurisdict. inter quem & Rhæticonem montem ad Austrum, jacet Malantium *Malans*, jurisdictio nona; prope quod haud procul Rucantiis ad dextrum in Rhenum evolvitur. Vide Stumpf. *de Rhætis, &c.*

Langelandia, vulgò *Langeland*, insula Daniæ, in mari Baltico, inter Fioniam, Selandiam, & Lalandiam insulas, ubi oppidum Rudcopia. A Septentrione in Meridiem extenditur per 7. ferè milliaria Germanica. Sed ejus latitudo est tantùm duorum milliarium. Pagos habet sexdecim, & arcem munitam *Trancke* dictam.

Langia, flu. Peloponnesi ex Nemæâ sylvâ in sinum Corinthiacum fluens. Statius *Theb.* 4.

Hæc quoq; secretâ nutrit Langia sub umbrâ.

Langienses, pop. Liguriæ, in Genuensium finibus, quorum vicus *Langascho* superest, ad Apennini radices, à Genua 10. m. p. apud Pontem decimum distans, Baudr.

Lango, Eleorum urbs in Peloponneso. Plutarchus *in Cleomene.*

Langobardi, dicti fuere varii Germaniæ populi, ita enim Germanos ad Viadrum sitos Tacitus, cis Albim Strabo & Ptolomæus vocant. Nec mirum, nomen hoc, quod *promissæ barbæ hominem* designat, nunc his, nunc illis hominibus, ab iis, ad quos accedunt, dari solere. Peculiariter autem dicti *Langobardi*, quorum ingens tum alibi, tum postremò in Italia potentatus fuit, iidem cum Winulis, *à Germanorum populis originem ducentes, ab insf. quæ Scandinavia dicitur, adventarunt*, Paul. Warnefridus: E' Gepidis autem orti sunt, qui ex Gothorum prosapia ipsi originem duxere, & Burgundionum victores, venere ad utramque Danubii ripam, multas per incursiones Romanis infesti. Eorum primus meminit Prosper Aquitanus, Theodosii temporibus, cùm Regem sibi fecere Agilmundum, circa Annum Christi 392. sedemque iis cum gentilibus Gepidis cis Danubium fuisse docet Procopius: quam Pannoniam disertè nominat Paulus. Horum vi oppressi Gepidæ, anno 6. Justini II. Imper. finem imperandi fecere; victus prælio ab iisdem gener Justini & dux Bandarius: Mox à Narsete, quem Augusta ignominioso dicto offenderat, evocati, Alboino tum apud eos regnante; fœdus cum eo fecere: & cùm Tiberius Justino successisset, venere in Italiam, atque ibi postquam aliquandiu, post mortem Clephonis Alboini filii, 30. ducibus subfuissent, Regem sibi fecere Autarichum, qui Autharius aliis dicitur: Hic magnis progressibus Tiberio Mauritioque imperantibus usi, tenuere Italiam ferme omnem, exceptâ Româ, quam frustra obsederunt circa Annum Christi 577. ut & 593. 740. ac 753. ac Ravennâ, Exarchi sede. Duravit regnum hoc per 200. in Italia annos, multæque illustres per Italiam familiæ à ducibus Langobardicis originem trahunt. Post Autharium Agilulfus illis præfuit, cujus conjux Theudelinda Christiana maritum convertit, reliquosque mansuetiores reddidit. Agilulfo filius Adoloaldus successit, circa annum Christi 616. cui ob tyrannidem in 12. primores deturbato, Ariovaldus Arianus, cui uxor erat Agilulfi filia, suffectus est, circa annum Christi 624. Eo decedente Gundeberga uxor Rotharim, Arianæ hæresi pertinaciter itidem deditum, legit, qui Isacio victo, cæsisque Romanis, duas provincias Imperatori eripuit, legesque Longobardorum tabulis mandavit, circa annum Christi 645. Rotharim excepit fil. Rodoaldus, qui regni anno quarto, ob adulterium, à suis trucidatus, successorem habuit Aripertum I. Anno Christi 654. quo mortuo An. Chr. 659. Grimoaldus Dux Beneventanus, Bertaridum & Godebertum filios ejus, de regno dissidentes, excussit; ei tamen Anno Christi 673. mortuo successit Bertaridus exul, quem filius Cunibertus secutus est, Anno Chr. 689. cui successit filius Luitpertus, sub tutela Asprandi, An. 701. Sed Regnibertus Taurinatium Dux ei regnum eripuit, ac ad Aripertum II. fil. transmisit A. C. 702. Hic, Asprando victo, Luitper-

Luitpertum necavit, Pontificique Alpes Cottias dedit dono, Anno Christi 704. Verùm & ipse ab Arisprando, Bavaricis adjuto copiis cæsus est Anno Christi 712. cui brevi pòst mortuo fil. Luitprandus successit Anno eodem. Hic Paulo Exarcho Ravennam extorsit, brevi iterum amissam; Romam dein obsedit, regionibus Pontificiis vastatis, quòd Papa Trasamundum Spolet. D. rebellem tradere nollet, à Carolo Martello, ut obsidionem solveret, permotus: Obiit Anno Christi 744. Ratchilo successore: quo in cœnobium se condente, frater Astulphus regnum suscepit, Anno Christi 752. qui Ravennâ captâ & Exarcho pulso, Exarchatui finem imposuit. Ei ab apro inter venandum occiso, Comes stabuli ejus substitutus est Desiderius, quem exactis 18. annis, cùm Papæ admodum infestus esset, Carolus M. debellavit, ipsoq; secum cum conjuge abducto, ipsi regno Longobardico finem imposuit, Anno Christi 774. mansit tamen regioni nomen, quæ hodieque *Lombardia* vocatur. *Solebant Longobardi cervicem ad occipitium usq; radentes nudare, capillos verò a facie usq; ad os dimissos, in utramq; partem, in frontis discrimine dividebant. Vestimenta eis erant laxa, & maximè linea, ornata institis latioribus, vario colore contextis. Calceis utebantur ad summum pollicem penè apertis, & alternatim laqueis corrigiarum retentis. Postea verò cæperunt hosis uti, super quas equitantes tubrugos birreos mittebant: sed hoc de Rom. consuetudine traxerunt*, Paul. Warnefridus *de gestis Longob. libr.* 4. *cap.* 23. Hinc *Longobardicus*: Unde *leges Longobardica*, de quibus sic Spelmannus: *Longobardi Saxonum erant colonia, quos Pannoniam occupantes in Italiam vocat Narses, circa An Chr.* 550 *eorumq; auxilio fretus Gothos in Italia delevit. Consistunt deinde Langobardi in Italia, auctioresq; facti quotidie, Regnum sibi atq; jura instituunt. Hinc Anglo-Saxonum cum illorum legibus, ritibus, vocabulis analogia. Primò autem leges has solâ memoriâ & usu, ex more Lacedamoniorum & Gentium vett. Borealium retinuerunt, donec Rotharis Rex illas in codicem redegit, eumq;* Edictum *appellari voluit,* 70. *anno post adventum gentis in Italiam: Quem Hermannus Contractus ad Annum Christi* 627. *rejicit. Harum legum aliis abrogatis, aliis emendatis; plurimas addiderunt Principes subsequentes, Grimoaldus, Luitprandus, Rachis & Astulphus: Carolus M. dein & Ludovicus Impp. etiam Lotharius Pipinus & juniores, in singulis legum apicibus annotati*, Vide eum in *Gloss. Arch.* Et plura de *Langobardis*, apud Hug. Grotium *Histor. Suec. Goth. & Wandalorum*, ut & in vocibus *Longobardi* & *Longobardia*: de regno autem *Longobardorum*, in voce *Italia*.

Languedocia, Vid. *Occitania*.

Lanicola, urbs & Academia Hassiæ, aliter *Martisburgum*. A' *Lano* fluv. sic dicta.

Lanigara, Maurit. Cæsariens. op. *Guagida* Marmolio, ad Sigam fluv. Quizæ urbi finitimum.

Lanise, Ægæi maris inf. Plin.

Lanivium, vide *Lanuvium*.

Lanos, flu. & promunt. apud Seras. Plin.

Lanovius Franciscus, *Bras de Fer*, Eques Gallus nobilissimus, à pietate, fortitudine, prudentia ac peritia bellandi laudatissimus, Henrico IV. Gall. Regi à consiliis, Obiit Anno Chr. 1591. in Armorica, ad oppid. Lavallium sclopeti globulo ictus. Vide Mosen Amyraldum, *in vita ejus*, *Gall. scripta*.

Lanspergius Johannes, cognom. Justus, Bayarus, Prior Carthus. prope Juliacum. Scripsit paraphrases & Sermones in Epist. & Evangelia: Colloquium JESU CHRISTI cum anima fideli: Canones vitæ spiritualis, &c. Obiit Anno Christi 1539. Petrejus, *Biblioth. Carthus.* Dorland. *in Chronic.* Possevinus, Sutor, &c.

Lantana, vulgò *Lantaine*, fluvius Burgundiæ Comitatensis, qui in Ararim effunditur, inter loca Falconiacum *Falcougney* & Confluentes *Conflans*: Ad illum Luxovium situm est, castrum olim in saltu Vosago, nunc oppidum. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Luxovium*.

Lantilda, filia Childerici I. soror Clodovæi I. ex Ethnica, Ariana, & postmodum fratre baptizato, Orthodoxa. Gregorius Tur. *libr.* 2.

Lanuvium, urbs olim, nunc pagus Latii, *Indovina*, in viâ Appiâ ab urb. Româ 16. m. p. distans, in agro Laurente, Hinc *Lanuvinus*. Horat. 3. 27.

—— —— *Ab agro*
Rava decurrens lupa Lanuvino.

Ovid. *Fast.* 6.

Et populus Laurens Lanuviumq; meum.

Vide Propertii Commentatores *in illud l.* 4. *eleg.* 8.

Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis.

Et *eleg. sequent.*

Lanuvii ad portas hei mihi solus eram.

De *Lanuvii* & *Lavinii* differentiâ, vide Sigonium *in Livii libro* 8.

Laicoon, fil. Priami ex Hecubâ, Apollinis Thymbræi sacerdos, qui primus omnium equum ligneum, quo Troja prodita est, intra urbem recipiendum dissuasit, hastamque in eum tanto impetu contorsit, ut sonantia intus arma audirentur. Quo facto deorum indignationem in se creditur concitasse, tanquam doni Minervæ violator. Protinus enim è mari duo immensæ magnitudinis serpentes emerserunt, qui primùm duos ejus filios, deinde & ipsum auxilio accurrentem occiderunt. Virg. *Æn.* 2.

Laodamantia, Libyæ ins. Steph.

Laodamas, Alcinoi filius. Hom.

Laodamia, Bellerophontis ex Achemænia, filia, cujus amore correptus Jupiter cum eâ concubuit, suscepitque Sarpedonem Lyciæ regem. Huic Diana infensa suis eam telis confixit. Hom. 6. *Iliad.* Item *Laodamia* Acasti ex Laodothea, filia, Protesilai uxor, quæ virum suum tanto amore adamavit, ut cùm ab Hectore occisum cognovisset, superstes ei esse noluerit. Priusquam tamen interiret, in solatium mœroris optavit, ut mortui umbram videre posset: quâ visâ in illius amplexibus expiravit. Ovidius *Epist.* 13.

Laodice, Priami & Hecubæ filia, Helicaoni Antenoris Thraciæ regis filio nupsit. Item Agamemnonis filia, quam pater Achilli obtulit, ut ei uxor esset. Item *Laodice*, fuit uxor Antiochi II Thei. Vid. ibi.

Laodicea, urbs Cœlesyriæ, Ep. olim sub Arch. Damasceno, Dionysius *vers.* 915.

Λαοδίκην δ' ἣ κεῖται ἐπ' ἠιόνεσσι θαλάσσης.

Baudrando Laodicea *Cabiosa* cognom. nunc *Laudicha*; etiamnum urbs ampla, ad Orontem fluv. 18. mill. ab Emissa in Mer. ferè 100. à Damasco in Eur. sub Turcis: A' Laodice Antiochi uxore, matreque Seleuci. Alia est Lydiæ, Archiep. sub qua 16. urbes Episcopales: inter Tralles ad Occ. & Apamiam ad Eurum 50. utrinque mill. 170. à Magnesia in Ort. ab Antiocho Stratonices filio condita, cujus uxoris nomen erat Laodice: Nunc adhuc *Laudichia*, & Turcis *Nove Lesche* Leunclav. Vid. Steph.

Laodicea, Mediæ urbs cujus Paulus ad Coloss. *ult. cap.* meminit. Ejus Episcopum increpat filius Dei, Apocal. 2. Terræmotu, sub Nerone, destructa, opibus incolarum postmodum iterum reparata est. Tertull. *c. Marc.* Epiphan. *hær.* 42. Hieron. *de Scrip. Eccl. in Paulo.* Philastrius, *de hær. cap.* 90. Sixtus Sen. *lib.* 2 *Bibl S.* Tacit. *hist. lib* 4 Euseb. *in Chron.* Plin. Strabo, Ptolom. Niger, Olivarius, Ortelius, &c.

Laodicea, Urbs Phrygiæ, ad fluv. Lycum, in Phrygia Pacatiana. Quibusdam *nove Leske*. Hic Concilium Anno 352. cujus Canones habentur cum traductione Gentiani Herveti, interpretatione Dionysii parvi, & collect. Isidori Mercatoris. Synodus ibidem an. 476. ob Stephanum II. Episc. Antioch. ab Eutychianis, prope altare, occisum. Morer.

Laodicea, urbs quoque Syriæ, in ora maris Phœnicii, inter Heracleam ad Bor. & Gabalam ad Mer. ad rad. Cassii montis, olim Archiep. 30. mill. ab Antiochia in Occ. 35. ab Apamea in Cæc. Parva est, sensimque deficit. A' Seleuco unà cum Antiochia & Apamea, quæ *tres sorores* dictæ Strab. condita. *Illadchies* seu *Liche* nunc. De ea Dionysius Afer *l. de situ orbis*:

Laodicen pariter positam prope littus amœnum.

Laodochus, Antenoris Trojani fil. juvenis in primis strenuus, cujus formam assumpsit Pallas, cùm se in acies Trojanorum ferret, Pandaro sub. sura, ut sagittâ in Menelaum emissâ fœdus violaret. Hom. *Iliad.* 4.

Laomedon, Ili filius, quintus Trojanorum rex, A. M. 2794. qui cùm de ædificandis Trojæ mœnibus cogitaret, Apollini & Neptuno id negotii dedit, pactus mercedem, quam mox exstructis mœnibus se illis soluturum juravit. Verùm cùm postea juramenti immemor, mercede eos fraudaret, illi indignati novam urbem duplici affecerunt calamitate, Neptuno inundationem, Apolline verò pestem ei immittente. Quâ de re cùm Laomedon oraculum consuleret, responsum est, aliâ ratione Deos placari non posse, quàm si quotannis virgo Trojana, quam sors declarasset, ceto dilaceranda exponeretur. Verùm cùm sors post aliquot annos Hesionem ejus filiam prodidisset, & jam scopulo alligata, monstrum expectaret, Hercules illâc fortè iter faciens, liberandam Hesionem eâ conditione recepit, si equos divino semine procreatos, quos habere eum constabat, in præmium sibi traderet. Hunc igitur in modum pactione factâ, Hercules interfectâ bellua, virginem liberavit. Sed cùm Laomedon promissis non staret, indignatus Hercules, collecto undiquaque exercitu, Ilium expugnavit, Laomedontem occidit, Hesionem Telamoni uxorem dedit, quòd primus murum conscendisset. Priamum quoque ejus filium captivum abduxit, qui postea auro à vicinis redemptus fuit, ideoque ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, hoc est, à *redimendo* nomen obtinuit. Fabula inde orta, quòd ex thesauris, Apollini & Neptuno dicatis, urbem condidit. Regnavit annos 36. Euf. *in Chron.* Ovid. *Metam. l.* 11. Horat.

—— *Ex quo destituit Deos*
Mercede pactâ Laomedon. ——

Virg. *Georg. lib.* 1.

Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.

Laomedon, Meſſenius, turbulentus Demagogus, qui cives ſuos, conjunctis cum Græcis Siciliæ urbibus viribus, Dionyſium adoriri agitantes, in contrarium concione ſuâ permovit, ut cauſam ſuam à cæteris ſepararent, utpote nullâ à Dionyſio injuriâ laceſſiti. Exinde dicto citius omnes Meſſeniorum copiæ dilapſæ ſunt. Contigit verò hoc Olymp. 95. anno ſecundo.

Laomedon, Satrapa Syriæ & Phœniciæ, poſt Alexandrum M. Curt. *hiſt. lib.* 1.

Laomedontia, urbs quæ *Lampſacus* poſteà dicta. Steph.

Laomim, filius Dadan filii Jecſan. Gen. 25.

Laonome, Galliarum ex Odoedoco filium peperit, qui Locrorum urbi nomen dedit. Steph.

Laonone, Herculis ſoror, Polyphemi, unius ex Argonautis, uxor.

Laoripa, vicus in Libyæ nomo. Ptol.

Laos, Italiæ op. Herodot.

Laoſthenes, 33. ſecundùm alios 31. Aſſyriorum rex, A. M. 3029. regn. an. 45. Piriciades ſucceſſit. Euſeb. *in Chron.*

Lapathus, caſtellum erat ad Aſcuridem paludem in confin. Epiri & Theſſaliæ, quà ad tempe Theſſalica aditus erat. Liv. 44. Item urbs olim Epiſc. nunc vilis pagus, in parte Sept. Cretæ. *Lapethos* Plin.

Lapatia Cori, Hiſp. Tarr. promunt. Ptol. quod & *Trileucum* idem vocat, in ora Gallæciæ Bor.

Laperſa, mons Laconiæ. Steph.

Laperhus, urbs Cypri. Steph.

Laphyra Minerva dicta, quaſi *Laphyria*, quòd victores ex bello ferant λάφυρα, id eſt, *exuvias*.

Laphyſtium, mons Bœotiæ. Pauſan. inde Jupiter *Laphyſtius*, & Bacchæ *Laphyſtia*.

Lapides atri, locus Hiſp. Tarracon. inter Menteſam & Iliturgim. *Pennas negras* Mor.

Lapidoth, maritus Deboræ prophetidis. Jud. 4. Eum Hebræi putant eſſe Barak, in quo ſignificatio fulguris. Nec alienum ab eo vox לפיד, quæ ſæpe de fulgure uſurpatur. Sed obſtat huic opinioni, quòd Barac aliunde advocavit, nam ſi maritus ejus fuiſſet, ſimul habitaſſent; ideo in Midrash exponitur *mulier lychnaria*, quòd lychnos, id eſt, לפידים conficeret ad uſum ſanctuarii.

Lapis, Jupiter dictus eſt, ſecundùm Feſtum, à lapide ſilice, quem in ſanciendis fœderibus tenentes, ſic jurabant: *Si ſciens fallam, ita me Dieſpiter, ſalvâ urbe arceq; bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Vel à lapide, qui Saturno ab Ope, pro Jove, oblatus & ab eo devoratus fingitur. Thom. Dempſterus *Antiqq. Rom.*

Lapis, Cretenſium rex.

Lapis adjutorii, per anticipationem, 1. Reg. 4. 5. ita dictus, pòſt enim à Samuele id loco nomen inditum eſt: locus in agro Bethcar, in tribu Dan.

Lapis, dicitur Ezel, à viatoribus ſeu deambulatione, diſtat à Jeruſalem 150. ſtadiis, & ab Jordane ſtadiis 60. ut Joſeph. auctor eſt *l.* 5. *Ant. cap.* 4. Eſt in tribu Benjamin.

Lapis Manalis, nomen petræ extra portam Capenam Romæ, juxta ædem Martis, quam cùm propter nimiam ſiccitatem in urbem protraxiſſent, inſequuta ſtatim pluvia fuit aquaque manarunt. De eodem Varro: *Manalis*, inquit, *lapis appellatur in Pontificalibus ſacris, qui tunc movetur, cùm pluvia exoptantur*, V. Joſ. Scaligerum *Caſtigat. in Pomponium Feſtum.*

Lapithæ, populi Theſſaliæ, Pindum & Othryn montes incolentes, Pirithoi olim imperio parentes, arrogantes, unde in Prov. Hi primi omnium frænos, & ſtrata equorum creduntur inveniſſe. Virg. *Georg.* 3.

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyroſq; dedere
Impoſiti dorſo. —— ——

A Lapithâ Apollinis & Stilbes nymphæ filio ſic dicti. *Sylveſtres* Ovidio *lib.* 2. *amor. eleg.* 12. Hinc adjectiv. *Lapithonius*: Statius *Theb. libr.* 7.

Confudere modos: puerum Lapithonia Nympha.

Lapithæum, in Taygeto mont. urbs. Pauſan.

Lapithe, urbs Theſſaliæ. Steph. Item Λαπίθαι, mons Laconiæ. Idem.

Lapithus, urbs olim Epiſc. in Cypro inſ. Stephano Λάπηθος. Nunc pag. inter Cyreneam & Paphum, ritus Græci.

Lappa, Cretæ mediterr. urbs. Ptol. Olim Epiſc. Gortynæ proxima, nunc vicus, nominis antiqui retinens, Ferr.

Lappia, regio Scandinaviæ, quæ & Lapponia, *la Lapponie*, ſeu *les Lappons* Gallis, Germanis *Lappen*, Moſcis *Loppi*, maximè versùs Septentrionem excurrens. Dividitur præcipuè in tres partes, nempe in Suecicam, Norvvegicam, & Moſcoviticam.

Lappia Moſcovitica porrigitur in Arctos & Ortum, inter lacum *Enarak* ad Occaſum & mare Album; ſubeſtque dominio magni Ducis Moſcoviæ. Dividitur in tres partes, quæ ſic appellantur, Maritima Leporia, *Mourmanskoy Leporie*, quæ in Septentrionem vergit, & illic *Kola*, portus Batavis notus; Terſa Leporia, *Terskoy Leporie*, quæ ſupra Granduicum ſinum extenditur; Granduicenſis Leporia, *Bellamoreskoy Leporie*, quæ infra ſinum Granduicum ſeu mare Album. Dicuntur hi Lappi *Dickiloppi*, i. Lappi crudeles & barbari, quibus vitiis præ aliis gentibus ſunt infames.

Lappia Norvvegica dicitur aliter *le Gouvernement de Wardhus*, Præfectura Vvardhuſia; extenditurque versùs mare Septentrionale & Rubeam promontorium ab Oriente in Occidentem, nempe à lacu *Enarak* dicto & fluvio *Pacs* in Ortum, uſque ad limites Præfecturæ Nidroſiæ. In ea regione eſt Finmarchia tractus, incolis *Finmark* dictus. Et tota hæc regio ſubeſt Regi Daniæ, uti Regi Norvvegiæ. Ibi Vardhuſium caſtrum præcipuum.

Lappia Suecica, *la Lapponie Suedoiſe*, Botniam Occidentalem totam occupat, à mari Baltico ad montes uſque, qui Sueciam à Norvvegia ſeparant. Dividitur in Marchias quinque, *Vmalapmark*, *Pithalamarck*, *Lulalapmark*, *Tornelapmark*, *Kimilapmark*: quæ ſingulæ ab *Vma*, *Pitha*, *Lula*, *Torne*, & *Kimi* fluviis, quibus irrigantur, ſic denominatæ, ad ſingulorum fluviorum oſtia ſuum habent oppidum ſub Rege Sueciæ. Vid. Cluver. *Geogr. lib.* 3. Damianum à Goez *de Lapp.* Magin. & Ortel. *in Geogr.*

Lappones, pop. Lapponiæ, de qua ſuprà. Horum, ut & Finnorum, cum quibus Lappones linguam quoque communem habent, quaſi peculiaris eſt *Rangifer*, animal Septentrioni proprium, quodque locis delectatur perpetuâ nive & glacie horridis, ac peculiari muſci in petris naſcentis gaudet alimento. Ad figuram cervi quamproximè accedit, ſed tenerius aliquantum eſt & membris gracilioribus, pilis curtis, colore griſeo, duobus præditum cornibus. Horum numeroſa armenta hi pop. poſſident, quorum ope intra 12. horas ultra 100000. paſſuum conficiunt, illis etiam in eſcam utentes. Veteres Gothos ex animali hoc rhenones ſuos, qui veſtium genus erant, confeciſſe probat Loccenius *cap.* 20. iiſque Sidonii locum *lib.* 4. *Epiſt.* 20. prolixè demonſtrat. Addo, ut Magiæ admodum hi pop. dediti, rangiferum non ſemper eos regere, ſed, ut viſum eſt iis in aliquem locum animal excurrere, illi in aurem inſuſurrare mandatum, cui hoc obſequens deſtinatâ pergat viâ, expeditoque negotio revertatur. Dignum curioſitate Ludovici XI. Gall. R. qui vicinæ mortis ſuſpicionem ut omnibus demeret, miſſis in remotiſſimas terras miniſtris, rariora animalia ſibi conquiri, & inter hæc Rangiferos quoque adduci juſſit. Cæterum pretioſæ pelles Lapponum veſtis, Olaus M. *Hiſt. l.* 4. *c.* 4.

Lappus, Abbas Florentinus, juris Canonici peritiſſimus. Sec. 15. Item, alius dictus *Caſtiglioni* ſeu Biragus, Auctor tractatus alicujus juridici: Vitas quaſdam Plut. & Dion. Halicarn. Latinè vertit. Anno 1440. Forſter. *lib.* 3. *Jur. cap.* 26. Voſſ. *de Hiſtor. Lat.* Geſnerus, Poſſevin. Philippus Bergom. Albertinus *de laud. Florentin.* Hugol. Verrinus. *lib.* 2. *Flor. Ill.*

Lapſias, Bithyniæ fluv. Plin.

Lapurdum, urbs Novempopulanæ reg. in Gall. Aquitan. ubi cohors Novempopulana, cui Tribunus præerat, olim in præſidio fuit, Not. Imp. In *pactione Guntchramni & Childeberti Regum Francorum*, inter Regni Pariſiaci urbes, quæ Chariberti fuerant, numeratur: *Lorda* Scaligero *in lection. Auſonianis.* Baudrando vulgò *Lourde*, opp. Bigerrenſis Comit. in Aquitania, in colle prope Gabarum Palenſem fluv. in confinio Benearniæ, 7. leuc. ab Elorone in Ort. Turbam verſus. Valeſio in Tarbellis eſt & nomen hoc Vaſconicum vel Viſcajanum olim accepit, propter incolarum latrocinia & incurſiones piraticas. Poſtea dici cœpit & civ. *Boatium*, ſexto inter prov. Novempopulanæ civitates, ſemel ſeptimo loco, poſita in vett. Not. *Boates* autem illi fortè Sediboniates Plinii ſunt, Aquitanis ſive Aquenſibus confines, & bene ſiti, commercioque exterorum proin celebres. Demum ab hinc annos circiter 500. Lapurdum vel civ. Boatium, nuncupari cœpta eſt *Bajona*, caput Baſcloniæ i. Viſcajæ dicta Giraldo Cambrenſi, qui inde Hibernos provenîſſe, docet *Topogr. Hiberniæ part.* 3. *cap.* 9. Nomen hoc ab indigenis inditum, fortè quaſi *Baja-ona*, i. bonus portus, non ſine cauſa. Eſt enim poſita ad confluentes Nivi *la Nive*, & Aturi, ac 3. m. p. tantùm ab Oceano abeſt: mariſque exæſtuantis quotidianis acceſſibus adjutæ quantælibet magnitudinis naves mercatorum ex Anglia, Gallia, Hiſpania, totaque demum ex Europa Bajonam facilè impelluntur. Vulgò *Bayonne*, balænarum venationibus, pernis ſuis ſale duratis, & Aturrico piſce, quem *Lapurdenſes locuſtas* Sidonius *Epiſt.* 12. *libr.* 8. memorat, Græci Carabum, Lapurdenſes *Langoſta* vocant, nobilis. Bajonenſes Epiſcopi in antiq. tabb. *Lapurdenſes* ſæpe dicuntur, & etiamnum ager Bajonenſis, linguâ patriâ, dicitur *Labord*, aut *le pais de Lapourd*, aliàs *Labord*: eſtque pars tertia regionis Vaſcorum ſeu Baſconiæ, *le pays de Baſques* vulgò dictæ, quæ longa 50000. p. lata 24. tripartitò dividitur, in pagum Lapurdenſem, infer. Navarram & Subolam vallem. Ager *Lapurdenſis* vel Bajonenſis vicos 28. habet, in his maximum & opulentiſſimum Luiſium, quem incolæ *Loizune*, id eſt locum cænoſum vocant, Gall. *S. Jean de Luz.* In inferiore Navarra, quæ & citerior dicitur, eſt opidum S. Johannis Imopyrenæi, *S. Jean Pié de port*: opidum quoque S. Pelagii *S. Palais*, Garrucium, & Baſtita Clarentia, Ludovici Hutini opus. *Subola*, nunc *Sola* nuncupata, Malleonem oppidum vel potiùs caſtrum oſtentat

ostentat. Ex quibus pagus *Lapurdensis* Episcopo Bajonensi paret; Navarræ inferioris citeriorisve pars eidem, pars Aquensi Antistiti; Subola Elloronensi. Maximam partem Varduliæ vel Ipuscoæ, inter fluvios Urolam & Magradam seu Vidassonem jacentem, ubi Mons S. Hadriani, Bajonensi Episcopo ademisse dicitur Philippus, ejus nominis secundus Hispaniarum Rex, anno 1565. & Pompelonensi Antistiti attribuendam curavisse. *Lapurdensis* Senescalcia duas Diœceses continet, Lapurdensem seu Bajonensem, & Aquensem sive Aquarum Tarbellicarum. *Notit. Gall.* Lapurdensium locustarum meminit Sidon. *libr.* 8. *ad Tigretium.* Lloyd.

Lapyges, pop. Sarmatiæ.

Laquedonia, urbs aliàs Apuliæ Dauniæ, Episc. sub Arch. Compsano, nunc Principatus ulter. ad radices Apennini, versus Aufidum fluv. limitesque Capitanatæ prope Bisaccium, 12. mill. à Melphia in Cæc. In planitie. In parte diruta est, paucisque constat incolis. Vulgò *Cedogna*.

Lar familiaris, ab antiquis in canis figura efformabatur, Plaut. Ei *familia Pater* dictus. Vide infra in voce *Lara*.

Lar, vel *Lars*, vide *Tolumnius*.

Lar, seu *Lara*, regnum Persiæ, cum urbe cognom. ad fluv. Tisindon, versus Caramaniam. Olim sub proprio Principe, nunc Sopho subest. Vide P. de Valle *Itiner. tom.* 2. *&* 3. & infra *Lara*.

Lar, castellum Mauritan. Cæsar. Anton. Item Arabiæ Fel. fluv. in sinum Arabicum erumpens. *Om* eum vocant recentiores tabulæ.

Lara, sive *Laranda*, una Najadum, Almonis fluvii filia, ex quâ Mercurius Lares dicitur genuisse; Ferunt enim Jovem, cùm Juturnam Turni sororem adamaret, neque illâ potiri posset, quòd protinus illa in fluvium insiliens sui copiam illi eriperet; Latii totius nymphas convocasse, & ab iis petiisse, ut Juturnæ ad Tiberis ripam obstarent, ne eo in fluvio sese posset occultare. Quâ in re cùm cæteræ nymphæ Jovi operam suam essent pollicitæ, Lara illius consilium primum Juturnæ, deinde & Junoni enunciavit. Quam rem tam ægrè tulit Jupiter, ut usu linguæ eam privarit, Mercurioque statim tradiderit, ad inferos ducendam. Verùm Mercurius cùm jussa patris exequitur, Laræ formâ captus in itinere eam compressit, gemellosque legitimo tempore ex eâ suscepit, quos ex nomine matris *Lares*, sacrificiis festisque à Gentilibus cultos, appellavit. Ovid. *Fast.* 2.

Fitque gravis, geminosque parit qui compita servant,
Et vigilant nostrâ semper in æde Lares.

Alii autem *Lares* Privati, alii Publici erant, qui & *Compitales* & *Viales* appellati, quòd compitis, viisque publicis, quas Græci Λαύρας vocant, præessent: Item *Urbani*, quòd urbem custodirent & *Hostilii*, quòd hostem arcerent. Privati, qui suum cujusque focum ac domum servare credebantur. *Præstites* iidem appellati sunt,

Quòd præstent oculis omnia tuta suis.

Ut Ovidius auctor est, quem vide *Fast.* 5. *vers.* 129. &c. Cur canis illis additus, ibidem etiam habes. Lares nonnullos malos, nocentesque Genios dixisse Plut. auctor est *Qu. Rom.* His porci in sacrificiis immolabantur. Horat. 3. 23.

Si thure placaris & hornâ
Fruge Lares, avidaque porcâ.

Et *lib.* 2. *Sat.* 3.

Immolet æquis
Hic porcum Laribus.

Tibul. *lib.* 1. *de Laribus.*

Hostiaque è plenâ mystica porcus harâ.

Propert. *lib.* 4.

Parva saginati lustrabant compita porci.

Et *in Menæchmis* Plauti, porci Lares piare dicuntur insanos. Coronari porro solebant Lares, habebantque Romæ templum, sacellum & delubrum, in 8. urbis reg. Item lucum & sacellum in Velia reg. 10. Primus autem iis ædem vovit & extruxit T. Tatius Sabinorum R. sicut *Laribus Permarinis* in Campo Martio ædem vovit, bello contra Antiochum, L. Æmilius Regillus: & *Laribus Præstitibus* aram Curius dicavit, Ovid. *Fastor. lib.* 5. Sed & Ægyptios habuisse suos Lares, docet Aur. Macrobius *Saturn lib.* I. *cap.* 19. Principium cultus illorum inde profluxit, quòd demortui olim domi sepelirentur, unde credula plebs animas defunctorum cultu quodam domestico primùm, ac dein publico, tanquam auxiliaturos Deos, venerari cœpit, Tertull. *de Resurr. carnis.* Antiqui marmoris fragmentum,

Perpetuas sine fine domos mors incolit atra,
Æternosque levis possidet umbra Lares.

Vide N. Com. *lib.* 4. *Myth. cap.* 4. *de Laribus.*

Lara, vulgò *Lar*, urbs Persiæ propr. ad amnem Tisindon, in limite Caramaniæ; ampla & elegans, 170. mill. ab Armuzia in Bor. Vide *Lar*.

Lara, vulgò *Lara*, opp. Castellæ vet. ad Arlanzam amnem, ad montium radices. Hinc *Lara* familia, celebris in historiis Castellæ vet. 11. leuc. Hispan. ab Auca in Ort. versus Rivogiam prov.

Laranda, civitas Lycaoniæ. Ptol. *lib.* 5. *cap.* 6. Olim Episcop. sub Archiepiscopo Iconiensi. 50. mill. ab Iconio, 18. ab Anazarbo in Occ. uti 100. à Comanis, juxta fontes Cydni fluv. hodieque prisci nominis tenax. *Laranda* autem, quæ & *Leandis*, urbs fuit Armeniæ min. 18. mill. à Cocuso in Austr. 55. à Comana in Africum, paulo amplius ab Anazarbo.

Lararia, festum Laribus sacrum, quod Decembri peragebatur, 6. Kalendas Januarii. Vide Macrobium *Saturnal. l.* 1. *c.* 10.

Lararium, sacrarium domesticum, in quo Lares & Dii peculiares adorabantur. Scribit Lampridius *Alex.* Severum in Larario rem divinam matutinis horis factitasse ad effigies Deorum, in quibus habebat Apollonium, Orpheum, Abrahamum & Christum: in secundo Larario simulachrum habuit Virgilii & Ciceronis.

Larassa, Mediæ urbs, Ptol.

Larendani, Arabiæ Fel. gens Plin.

Larentia, nobilissima meretrix. Vide *Acca*.

Lares, vide *Lara*. Item Africæ propr. urbs. Ptol. *Migana* Marmolio. Inter Carthaginem & Cirtham. Olim clara & Episcop. sub Archiepiscopo Carthaginensi. Hìc maximè efferbuit in orthodoxos persecutio, sub Hunerico & Geinserico Regg. *Laris* in sing. num. habet Sallustius *de bello Jugurthino.*

T. Largius, Romæ primus Dictator creatus.

Largus, Consul cum Messalino, an. U. C. 899.

Largus, Poëta Lat. de quo Ovid. *de Ponto lib.* 4. *el.* 16. Antenoris Patavinum adventum cecinit. Petr. apud Lil. Giraldum.

Lariagara, Indiæ extra Gangem urbs. Ptol. *Carcacaran* Mercatori.

Larices, Indiæ intra Gangem pop. Ptol. Norici urbs apud Anton. Melius *Larix*, opp. fuit, inter Alpes, in ipso limite Carnorum, quod aliis est *Reca*, castrum ad amnem Idriam, in Carniola sup. in limite Comit. Goritiensis.

Larignum, oppidum. Vitruvius *lib.* 2. *cap.* 9.

Larina, virgo quædam Italica, una ex Camillæ comitatu, quæ Turno adversus Æneam suppetias tulit, Virg. *Æn.* 11.

—— Comites Larinaque virgo
Tullaque, &c.

Larina, fons Atticæ reg. Plin. 4. 7.

Larinum, urbs Frentanorum, Episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, ad Tifernum fluv. in Aprutio apud Apuliæ fines. Nunc Comit. Molisini, in confin. Capitanatæ, prope Frentonem amnem, *Larina*; Parva, 40. mill. à Benevento in Boream. Pop. *Larinates*. Sil. *lib.* 15.

Quaque jacet superi Larinas accola ponti.

Larise, urbs Æoliæ. Herod.

Larissa, nomen multarum civitatum. Stephanus duas Cretæ *Larissas* facere videtur, item duas Thessaliæ, unam quæ *Larissa Pensilis* dicta est in Phthiotide, Item *Cremaste*: prope Maliacum sinum, in colle, 18. mill. à Thebis Phthiotidis in Mer. 32. à Demetriade in Circ. uti & à Pagasis. *Larizo* Sophiano. Alteram ad Peneum in Macedoniæ confinio, quæ Archiep. & Patria Achillis. Virgil. *Æneid.* 2. Lucan. *l.* 6. Nunc *Larizza*, in Pelasgiotide regiuncula. 28. mill. à Sinu Thermaico in Occ. 15. à Pharsalo in Boream. Etiamnum ampla est, sub Turcis: quorum Imper. ibi per aliquot menses commoratus est, dum à suis Candia obsideretur. Alia est, cujus Hom. meminit, quam Λάρισσαν ἐριβώλακα vocat. Sed quænam sit Homerica illa Larissa, ambigitur, teste Geographo *lib.* 8. Qui verò de Thessaliæ Larissâ accipiunt, Horatii locum inferius producendum, eo refelli videntur, quòd superius dixerit *Thessala Tempe*. Alia Æolidis juxta Cumam, alia Syriæ, Episcop. sub Archiepiscopo Apameensi, *Laris* Itiner. Antonini, alia Lydiæ. Item fluv. in Peloponneso. Est & parva reg. in Ossâ. Strabo vicum Ephesi esse scribit, ubi Apollo *Larissenus* colebatur. Alioqui à *Larissa* fit *Larissæus*. Ut *Larissæus Ulysses* apud Virgil. *Æn.* 2. Horat. *Car.* 1. 7.

—— Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ.

Larissa potens Lucano *lib.* 6. Apud eundem *lib.* 7. Pompejo omne auxilium profugo offert, *vers.* 712. *Mœnia Larissæa* Catullo, *in Argon.*

Larissus, fluv. Peloponnesi, agrum Elæum à Dymæo secernens, Liv. Pausanias scribit, illum Achæos ab Elæis separare.

Larius lacus, totius Italiæ amplissimus, quem à Como vicino oppid. nonnulli appellant *Comensem*. Sic dictus à fulicarum multitudine, quos Græci λάρους vocant. Hodie *Lago di Como* Italis, *Lac de Come* Gallis, Germ. *Cumer-See.* Quem elegantissimè descripsit integro libello P. Jovius. Virg. *Georg.* 2.

Anne lacus tantos, Te Lari maxime. ——

Lege Plinium *lib.* 2. *cap.* 103. qui etiam *lib.* 3. *cap.* 19. *inclytum* vocat. Hujus lacûs effusæ laudes *in Epist.* alterius Plinii *lib.* 2. Baudrando longus est tantùm ad 30. mill. nempe à Como, ad Summolacum, & 28. à Summolaco ad Adduæ flum. egressum, ac à Lecco oppid. Comum usque in adversa ripa sunt 35. mill. Hinc ejus ambitus per varios flexus vix est 100. mill. Lacus est Duc. Mediol. versus Bor. & Rhætos. Vocem Hetruscâ linguâ *Principem* sonare, inque hujus faucibus Volturenam eximiam civ. extructam fuisse, à Tyrrhenis Hetruriæ pop. Sprecher. *Pall. Rhæt. lib.* 10. aliique referunt.

Larnos, Inf. parva, & deserta maris Ægæi, circa Thraciæ Chersonesum. Plin.

Larnum, fluv. Hispan. Tarr. ex Pyrenæis fluens. Plin. *Larno*. Hujus accolæ *Larnenses*.

Laro, Tusciæ amnis, *Laros*, seu *Laurus* aliis, *Larono* Leandro. Nunc *Arone*, in mare Tyrrh. se exonerat, inter Alsium & Fregenas, vix 15. mill. Româ versus Occ.

Lars Tolumnius, Rex Vejentum, Fidenates in partes suas, contra Romanos, pertraxit, prælio à Mamerto Æmilio Dictatore, an. 327. U.C. victus, & à C. Cosso occisus. Liv. *lib*. 4.

Larta, urbs Epiri, olim *Ambracia*.

Larthenianum, Etruriæ opp. Vejis urb. excisæ propinquum. Nunc *Martignano*, castrum Hetruriæ, aliàs Sabatiæ reg. In prov. Patrimonii, 16. mill. à Roma in Occ. 2. à Lacu Sabatino in Ortum, inter duos lacus parvos, *Lago di Martignano* & *di Stracciacappe*. Baudrand.

Lartius, cognom. *Flavus*, secundùm Consul, cum Clœlio, seditionem ab egenis Romæ excitatam, an. 256. U. C. sedavit. Primus Dictator à collega creatus, Magistrum Equitum sibi ascivit, Spurium Cassium, qui jussa strenuè expediret. Liv. *hist. Rom*.

Lartius, prænomine *Spurius*, Consul cum T. Herminio, Anno U.C. 248. tertio post exactos Reges. Ejus cognomen *Flavus*, frater T. Lartii primi Dictatoris. Vide suprà.

Lartolætani, Hisp. Tarracon. pop. Strabo.

Larunda, pro *Laranda*, vide *Lara*.

Larunesia, maris Africi inf. Ptol. *Mollicolno* Fazello, contra Rhuspinam urb. maritimam Africæ, haud multùm à prom. Mercurii in Ort. distantes.

Larus mons. & fluv. Italiæ. Phavorinus.

Larymna, opp. Bœotiæ ad Cephisum fluv. Plin. Strab. Mela *lib*. 2. Achajæ, è regione Eubœæ, Pomp. Locridis etiam, Strab. quam superiorem dicit: in ora Locrorum Epicnemidiorum, Plin. Thessaliæ, Isacius *in Lycophr*.

Larysius, Laconiæ mons. Pausan.

Las, Laconum urbs. Lycophron *in Cassandrâ*: Καὶ Λᾶν περῶσι, ubi Schol. Λᾶν, πόλιν Λακεδαιμονίων, ἣν Ὅμηρος Λᾶαν φησί. Pausan. inter Eleutherolaconum urbes ponit, posteaque 10. stad. abfuisse à mari dicit. *Lasa* vulgò. Vide *La*.

Lasa, civitas, quæ Hieronymo *in Hebr. Qu. Callirhoe* dicitur, à plurimis fontibus, calidis & frigidis, qui dulces & amari, præter vim medicam, & potu sunt jucundi. In tribu Ruben.

Lasæa, urbis nomen. Act. 27. an insulæ, in Creta?

Lascaris, vir Græcus, apprimè doctus, curâ Francisci I. Francorum regis literas Græcas attulit Parisios. Theodorus *Lascaris*, Imper. Græcus. Item regio, in confin. Galliæ & Italiæ, prope Nicæam.

Lascoria, Galatiæ urbs. Ptol. *Elice* apud Anton. uti credit Ger. Mercator.

Lascura, urbs est Benearniæ, Episc. sub Arch. Auscensi ad Gaba-rum fluv. 1. leuc. infra Palum, 8. à Tarba in Occ. ferè 5. ab Elorone in Eur. 17. à Bajona in Ort. Vulgò *Lescar*. Vett. *Beanersium civitas*. Itiner. Anton. *Beneharnum*. In not. Imper. Honorii *Benarnensium urbs*, Greg. Tur. *Bernanus*. Sed hoc nomen propriè urbis priscæ, à Normannis destructæ, an. 845. & reparatæ à Ducibus Aquitaniæ, An. 980. in colle irriguo. Bellis civilibus multa passa. Oihenart. *in not. utr. Vasconiæ*, Marca *hist. Bearn*. &c.

Lasia, vide *Lesbos*.

Lasice, urbs Africæ propr. Ptol. an *Elice*, Anton.

Lasio, Peloponnesi urbs, de qua contentio inter Arcades & Eleos. Triphyliæ regionis est, Diod. *lib*. 5. sed geminato S.

Lasos, Cretæ mediterranea urbs. Plin.

Lassa, vulgò *Lasa*, vel *Laas*, regnum Tartariæ, sub regno Tenduci, *Barantola* Tart. Kircherus.

Lassia, inf. quæ & *Andros* in mari Ægæo. Plin.

Lassatini, aliàs *Assassini*, *Arsacides*, *Chasii*, *Cultelliferi*, execranda apud Turcas secta, carnificio Principum & virorum illustrium destinata. Institutos ferunt ante an. 600. ab Alaodim quodam, & in provinciis Tyri ac Phœniciæ, (ubi olim Episcopatus Antaradensis) montes habitare: numero (ætate Henrici III. Angl. R.) 40000. vel amplius, decemque munita & splendida castella cum suburbanis possidere. Sectæ Principem *Senem*, vel *Veterem de Monte* vocant, quem, ut Patrem, Prophetam & Mahumetis Vicarium colunt, sibique præficiunt, meritorum præstantiâ cooptatum. Sedes ejus Muletæ, qui locus proin omnino sacer: multos sub se Rectores habet, seu Tribunos, per castella cætera ministrantes. Sceleratæ hujus sectæ, inter alia, hæc sunt instituta: Legem Mahumeticam enixissimè colunt; Eo subjectionis & obedientiæ se adstringunt vinculo, ut nihil tam arduum horrendumque sit, quod jussi à Magistro non alacres aggrediantur: sic ut ex nutu ejus de rupibus etiam se præcipites dent, in enses ruant, ignem perferant. Principes, quos odiosos habent, aut genti suæ suspectos, datâ uni de his sicâ vel pluribus; nullâ habitâ aut exitus, aut supplicii ratione, anxiè circumeunt, donec imperatum sibi homicidium peregerint. Sic Conradus Imper. sic Reimundus Comes Tripolitanus bellicosissimus, sic Eduardus fil. Angliæ Regis an. 1271. & plurimi alii summi viri sublati sunt. Qui Principem talem occiderit, secundum à Mahumete locum in Paradiso obtinere credunt. Fortiter occumbentes, Paradisum ajunt protinus involare: desides & domi morientes illuc demum, sed multis tritos supplicii pervenire. Vide Matth. Paris. *ad An* 1150. Nicet. Choniatem *lib*. 2. *instit*, Guil. Tyrium *de bello sacro*, *lib*. 20. *cap*. 31. Alios. Refert quidem Matthæus Parisiensis, sub finem an. Chr. 1257. perditissimum hoc hominum genus, à Tartaris fuisse deletum; sed posthumum reperitur apud sequentes historicos, ut vel ex Eduardi exemplo retro memorato, è Walsinghamio *in Hypodigm. Neustria*, patet. Hujusmodi autem homicidium *Assassinium* dicitur, hincque in genere *Assassini* hodie vocantur, qui Principes virosque illustres mercede jugulant. Henr. Spelmannus *Glossar. Arch*.

Lassio, Cretæ mons, ubi Jobi sepulchrum. Epiph.

Lassippa, Indiæ ult. urbs, Ptol. *Lasippa*. Interp.

Lassira, opp. aliàs Edetanorum, nunc *Sarione*, vicus Aragoniæ, 5. leuc. à Terulo Segobrigam versus, à qua pari spatio distat, prope Turulim fluv.

Lasthenes & *Euthycrates*, Olynthi præfect, ab Philippo Macedone pecuniâ corrupti urbem regi prodiderunt, quam diu nequicquam obsederat at oppugnarat, Olympiad. 108. an. 1.

Lasthenia, mulieris nomen, quam Platone præceptore usam testatur Plutarchus, ornatuque virili auditorium ingressam scribit Laërtius, *l*. 3. *in Plat* & 4. *in Speusippo*.

Lasthenis, nomen viri. 1. Macchab. 11.

Lastigi, Hispan. Bæticæ opp. Plin.

Lasus, Poeta celebris Græcus, Hermioneus Musicus insignis & Simonidi ἀντίτεχνος, Charbini filius ex urbe Achajâ, temporibus Hipparchi Pisistratidæ secundùm Olympiada 58. cùm Darius regnaret, Hystaspi filius. Primus hic fertur Cyclicos instituisse choros & rythmis in Dithyrambicum morem inflexis Musicam reddidisse auctiorem, teste Plutarcho de Musicâ. In Avium fabulâ dicitur ab Aristophane κυκλιοδιδάσκαλος. Vir fuit acris & alti ingenii. Fuit aleæ deditus. Narrat enim Plutarchus in libro περὶ δυσωπίας, invitatum à Laso Hermioneo Xenophanem, ut aleâ secum luderet, & quòd recusasset, timiditatis dicterio correptum. At Xenophanes meticulosum omninò & timidum fassus est se esse in rebus indecoris atque inhonestis. Vide Scholia *in Aristoph. Crabron*. 531 & 532. *in Aves*. Cæterum tanti æstimatus, ut loco Periandri, inter 7. Sapientes reponeretur. Theon. Smyrn. *lib*. 2. *Matth. cap*. 12. Diog. Laërt. *lib*. 1. Athenæus, Herodot. Voss. *de Poët. Gr. cap*. 4. *de Scient. Mathem. c*. 20. *§*. 6. & *cap*. 59. *§*. 1. Item, Magnesius, ibidem Poeta Græcus.

Latagus, unus ex Ponticis Regibus, qui Æetæ Colchorum regi contra Persen auxilio venerunt. Flacc. *lib*. 5. *Vers*. 584. occisus à Darape in prælio *lib*. 6. *Vers*. 573.

Latameda, fluv. Indiæ extra Gangem. Ptol.

Latania, Bithyniæ opp. Ptol.

Latara, castellum in Gall. Narbon. in agro Nemausensi. *Latet* teste Joh. Poldo, Inter Ledum fluv. ac Mesuam ponit Mella: postea truncato nomine *Lata* dictum. Hoc Maria fil. Guilielmi Domini Montispessulani, Petro Aragon. R. & Barcinonensium Comiti inter alia in dotem attulit, an. Chr. 1204. Rogerius Hovedenius portum Montispessulani esse ait. Baudrando *Latte*, vicus Occitaniæ, juxta stagnum Magalonense, hinc *l'Estang de Latte*. Vix m. p. à Monte Pessulano in Austr. 4. ab ora sinus Leonici Valesio nunc castelli ruinæ cernuntur ad Ledum fluv. prope Mompessulanum: vulgò *le Chasteau de Lates*, aut *la tour de Late*: Hodieque Monspessulanus portam habet Latarensem *la porte des Lates*. Alio nomine *castrum Paludis* quoque à situ dictum est. Ledus enim *le Lez*, postquam Lataram alluit, in stagnum effluit maritimum, maximum latissimumque, quod *stagnum Laternam* Plinius, *Tauram paludem* Avienus, Galli *l'estang du Tau*, aliàs à vico Perotio proximo *l'estang du Perez*, vocant. In hoc cum homine delphinos societate mugiles piscari, Plinius *lib*. 9. *cap*. 8. auctor est: & certè stagnum hodieque mugiles fert plurimos optimosque, piscium laudatissimis annumerandos. In illud effluit præter Ledum amniculus Nemausensis *le Vistre*, item Vitturlus *la Bedourle*, & Barangius fluviolus *Berange*, partimque Nemausensi agro, partim Magalonensi attribuitur. *Latara* verò Magalonensis diœceseos est, *Notit. Gall*.

Latea seu *Lattha*, Arab. Fel. oppid.

Lateranum, Basilica prim. Romæ. Nuper restaurata ab Innocentio X. Palatium ei Lateranum adjacet, de novo extructum à Sixto V. Est in monte Cœlio, juxta portam Cœlimontanam. Ibi 5. Concilia, an. 1123. 1139. 1179. 1215. 1513. usque ad annum 1517. *S. Jean de Latran*, Gall. Historia Consiliorum Lateranensium breviter hæc est. *Primum*, sub Calixto II. habitum est, an. 1123. Ubi actum de Investitura beneficiorum, contra Henricum IV. Imper. De bello, contra Saracenos, post victum Balduinum II. Hierosol. Regem. De cœlibatu Clericis obtrudendo, &c. Aderant 300. Episcop. V. T. X. *Concil*. &c. *Secundum* ab Innocentio II. contra Anacletum II. Antipapam, Arnoldum Brixiensem, discip. Abaillardi, & corruptissimos Cleri mores. *Tertium*, ab Alexandro III. contra Fridericum I. qui Victorem IV. Paschalem III. & Calixtum III. Antipapas creaverat & Albigenses, quos rapinis & lanienæ exposuit, an. 1179. *Quartum*, ab Innocentio

nocentio III. an. 1215. ob ingentem numerum *Magnum* dictum, contra Albigenses iterum, Almericum, Theologum Galliæ insignem, & Joachimum Abbatem, qui in Apocalypsis expositione, Antichristum jam natum esse Romæ, & in sede Apostolica sublimandum asseruerat: celebratum est. Hic Transsubstantiatio, Inquisitio, &c. stabilita. *Quintum* an. 1512. sub Leone X. cui Religio Christiana fabula erat, Concilio Pisano oppositum fuit. Præter hæc quædam alia minoris momenti, diversis temporibus ibidem habita sunt, de quibus omnibus vide Morerium *Diction. Histor.*

Lateranus, Deus focorum creditus, & Genius, adauctus est hoc nomine, ut prodit Arnobius, quòd ex laterculis crudis antiquiss. aut ex quacunque materia focos fabricarent.

Lateranus, patricius Rom. qui latere frequens in otio solebat. Hic Consul designatus, jussu Neronis interfectus est. Ædes ejus amplissimæ datæ fuerunt à Constantino Imper. Pontifici Romano. Hodie *Lateranum*, templum in urbe Romà cum ædibus Pontificiis in Cœlio mont. ad portam Latinam. Ferrar. Baudrando ejus Episcopum se inscribit Pontifex. Magnificentissimè reparatum est ab Innocentio X. Prope est palatium *Lateranum*, de quo vide suprà in voce *Lateranum*. Prudent. 1. *contra Symmachum.*

Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes.

Laterium, Qu. Ciceronis villa, in ipsius patriâ Arpino. Cic. Attico *lib.* 4. *&* 7.

Lathyrus, vide *Ptolemæus.*

Latialis Jupiter, à Latio dictus est, quòd eum Latini pop. communiter cum Romanis colerent, consecratus à Tarquinio Sup. in monte celso Albanis imminente. Ubi quotannis feriæ erant & sacra à Romanis, Latinis, Hernicis ac Volscis communi operâ peragebantur. Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 2. *c* 5.

Laticlavii, dicti erant apud Romanos, quibus *lati clavi* jus erat, ut Senatores, eorum filii, & quibus id ab Augusto permissum Equitumque insigniores, qui *Illustres* dicti horumque filii. Fuere autem *clavi*, purpuræ segmenta, instar capitum clavorum rotunda, quæ in pectore tunicæ insuebantur, sic ut etiam detrahi & resui possent, Quintil. *lib.* 8. *cap.* 5. Dicebatur etiam *latus clavus* ipsa tunica laticlavia; quæ cingi non solebat, proin clavi purpurei in pectus cadebant, Horat. *lib.* 1. *Sat.* 6.

Nam ut quisq; insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clavum.

Hinc Acron: *purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum.* Secus in Equitibus, qui cùm tunicam cingerent, angusti clavi non descendebant in pectus, sed in sinu, quem zona succincta efficiebat, supra ipsam zonam conspiciebantur: donec in Senatum allecti, solvebant tunicas & latiores clavos demittebant, atque in pectus fluere finebant. *Hinc latum clavum tribuere & adimere*, pro Senatorem facere & Senatu movere, scriptores usurpant: Et filii Senatorum Illustriumque, qui latum clavum cum virili sumebant toga, ubi ad ætatem Senatoriam pervenere, si nolebant, aut non poterant, in amplissimum ordinem ascribi, angustum clavum reiumebant. Ovid.

Curia restabat, clavi mensura coacta est,
Majus erat nostris viribus illud onus.

Græcis tunica laticlavia πλατυσημος ἐσθὴς, hinc quæ clavis carebat, ἄσημος *Asema* appellata est. Origo autem τῶν πλατυσήμων à Balearibus, Strabo *lib.* 2. Deposuere latos clavos Senatores in luctu, in equestri eo tempore solùm i. angusto clavo apparentes. Sed nec vestibus modò clavi purpurei latiores inditi, verùm & supellectili lectorum ac mensarum, ut ad Lampridium notavit Casaubonus. Hinc *laticlavia mappa* Petronio: & *lato variata mappa clavo* Martiali: *pura & clavata lintea* Lampridio: *lintea item toralia duos clavos latissimos habentia* Ammiano. Vide Octav. Ferrarium *de re Vestiaria lib.* 3. *capp.* 12. 13. 14. *&* 15.

Latiniacum, vulgò *Lagny*, opp. Briæ, ad Matronam, ubi pontem habet, 6. leucis supra Lutetiam in Ortum, 4. à Meldis in Occas. Vastatum à Ligiitis, sec. præt. Olim sub Comitibus Campaniæ. Vide Morer. *Dict. Hist.* Hic monast. celebre est, ante an. 1000. à Furseo Scoto Hiberniensi conditum, regnante Chlodoveo jun. Dagoberti filio: cui cœnobio suus Abbas Comes est. Est & *Latiniacum*, in pago Meldico, cognom. Siccum, *Lagny le Sec*, quòd aquis careat, ita appellatum. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Parisii.*

Latinius Latiaris, præcipuus circumveniendi Titii Sabini, amici Germanici; postea à Cæsare Sextio Paconiano accusatus & punitus. Tacit. IV. 68. 69. VI 4.

Reges Latini.

Latinus I. Laurentum Rex. A. M. 2838. ante adventum Æneæ, 35. Fauni, & Maricæ nymphæ, aut, ut Hesiodo placet, Ulyssis, & Circes filius, qui ex Amata, Dauni Rutulorum regis sorore, Laviniam suscepit; quam cùm externo genero tradere oraculo juberetur, Æneæ post excidium Trojæ in Latium delato eam despondit. Quâ re intellectâ, Turnus, qui illam impotentissimè adamavit, tam ægrè tulit advenam sibi præferri, ut ea de causa bellum adversus Æneam susceperit: cujus is fuit exitus, ut singulari certamine victus Turnus, vitaque exutus, victoriam cum sponsâ rivali reliquerit. Virgil. *Æneid.* 12. Dionysius Halicarnass. *Antiquit. libr.* 1. Liv. 1. Aurel. Victor *de orig. gentis Romana*, Georg. Syncellus &c.

Latinus II. Sylvius, quintus, secundùm alios 6. Latinorum rex, reg. an. 50. Ejus tempore Præneste, Tibur, Gabii, Tusculi, Pometia, &c. & quidquid urbium prope Albam Longam, Coloniæ Rom. esse cœperunt. Tiberius Sylvius successit. Dion. Halicarn. *Antiq. Rom. lib.* 1. Aurel. Victor *de Orig Rom.*

Latinus Pacatus, Drepano oriundus, Orator, Panegyricum Trajano Imp. cùm Maximum tyrannum devicisset, sacravit, anno Chr. 389.

Latinus Frangipanius, Rom. Dominicanus, Cardin. sec. 13.

Latinus Ursinus, Mathematicus, auctor libri, cui titulus, *Radius Astronomicus.*

Latinicum, opp. Lucaniæ.

Latium, Straboni propriè est ea Italiæ pars, teste Plinio 3. 5 quæ inter ostia Tiberis, & Circejos interjacet, mill. pass. quinquagintà in longitudinem non excedens, quod postea prolatis imperii terminis, *Antiquum Latium* est appellatum. *Novi* verò *Latii* tractus, Hernicis, Æquis, Volscis, Ausonibusque comprehensus, ad Vulturnum usque amnem extenditur, dividiturque in Latium citerius & ulterius. Prius à Tiberis ripâ Fundos usque protenditur. Posterius à Fundis usque ad Vulturnum. Ferrario vetus non ultrà Terracinam extenditur. Novum usque ad Minturnas, ad Liris ostia. Nunc ad regnum Neap. spectat, quidquid inter Terracinam & Lirim jacet. Sic dictum putatur, quòd illic latuerit Saturnus, cùm Jovem fugeret. Virg. *Æn.* 8.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, & dispersum montibus altis
Composuit, legesq; dedit, Latiumq; vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Minut. Felix, *Itaq; latebram suam, quòd tutò latuisset, vocari maluit Latium.* Cyprianus *de idololatrarum vanitate: Latium de latebra ejus nomen accepit.* Varro autem sentit dici Latium, quòd Italia lateat inter præcipitia Alpium & Apennini. Sic veteres de Latii nomine. Quanto melius autem his Bochartus, qui de nominis hujus notatione sic disserit: Circen, inquit, fuisse veneficam, adeoque vicinas terras, Latium putà, & Tyrrheniam scatere herbis veneficis veteres constanter docent. Æschylus *in Elegiis*,

Τυῤῥηνὸν γενεὰν φαρμακοποιὸν ἔθνος.

Theoph. *Hist Plant* 9. 15. φαρμακώδεις δὲ δοκοῦσιν εἶναι τόποι μάλιστα μὲν ἔξω τῆς Ἑλλάδος οἱ περὶ Τυῤῥηνίαν, καὶ τὴν Λατίνην. Aristot. *in Mirabil.* Λέγεται δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει φάρμακόν τι φύεσθαι θανάσιμον. Itaque tam Circes fabula, quæ suis incantamentis fertur immutasse rerum species, quàm quod φαρμακῶδες volunt fuisse Latinum solum, confictum videtur à Phœnicibus, qui *Latium & Latinos* dici putaverint ἀπὸ τῶν φαρμάκων, *ab incantationibus*, quia Phœnicio sermone לט *Lat*, cujus plurale לטים *Latim*, vel *Latin*, est *incantatio.* Hodie *Campagna di Roma.* Erant autem pop. Latini, Rutuli, Volci, Aurunci, Hernici & Æqui, Brietio.

Latii urbes præcipuæ:

Alatrium, *Alatri.*	Roma, *Roma.*
Anagnia, *Anagni.*	Setia, *Sezze.*
Aquinum, *Aquino.*	Signia, *Segni.*
Cajeta, *Gaëta.*	Sora, *Sora.*
Ferentinum, *Ferentino.*	Terracina, *Terracina.*
Fundi, *Fondi.*	Tibur, *Tivoli.*
Præneste, *Palestrina.*	Tusculum, *Frascati.*
Privernum, *Piperno.*	Velitræ, *Velletri.*
Verulæ, *Veruli.*	

Hinc *Latius*, & *Latialis*, *Latinus*, & *Latiensis.*

Latmicus Sinus, pars maris Ægæi, in ora Cariæ, à Latmo monte dictus, prope Miletum.

Latmus, mons Cariæ, non procul à Mileto, vide *Endymion.* Item nomen insf. apud Thucyd. *lib.* 3. sed legendum Παλμὸς, ibi monet Palmerius.

Latobrigi, pop. Gall. Belg. inter Allobroges & Helvetios, quibus hi ut & Rauracis, & Tulingis finitimis suis persuasere, ut oppidis suis vicisque exustis, unà cum ipsis proficiscerentur, Cæs. *l.* 3. Exierunt ergò *Latobrigorum* 14000. Quorum regio *Lausanne* hodie Marliano, *Cleckgovv* verò Scudo. Baudr. pop. fuere Germ. trans Rhenum, ex Sans. ubi nunc Brisigavia prov. inter Rhenum, ad Occ. & Sylvam nigram ad Ortum prope Clecgoviam. Quanquam Brietius eos in Valesiis ponat, ad fontes Rhodani. Certè apud Valesianos infer. vicus adhuc celeberrimus *Briga* est, ad Rhodani & Saltinæ confluentes, vulgò *Brige*, aliis *Brig dans le Vallais.* Sed hunc non ad Latobrigos ullos, verùm ad Sedunos pertinere, docet Valesius. Joh. Baptistæ Plantino videntur fuisse lacus Brigantini, prope Rheni ingressum & vicinorum locorum accolæ, unde nominis aliquid manserit in antiquo Brigantio. Sed ipse infirmam, quæ à nominum similitudine petitur, conjecturam agnoscit. Inprimis cùm *Latobrigi* Cæsaris, Orosio *libr.* 6. *Latobrigii*, aliis *Latobrii* dicantur.

Latoïs, poetis Diana Latonæ filia. Item villa quædam montana

tana apud Ephesum, ubi Pramnium vinum nascitur, nunc *Latoria*. Athenæus.

Latomagum, Gall. Lugdun. opp. Anton.

Latomia, locus Siciliæ, apud Syracusas, lapidicinæ, & carcer, in quem Verres multos cives Rom. conjecerat. *Le Tagliate*, teste Aretio. Item locus Latii, in agro Gabiorum, inter Romam & Præneste. Item locus Romæ in carcere prope Tullianum. Liv. *lib.* 3. Et sex insulæ ejusdem nominis in sinu Arabico.

Latona, filia Coei Titanis, ex Phœbe sorore, quæ à Jove compressa, geminam ex eo prolem concepit. Quam rem tam ægrè tulit Juno, ut immisso adversus illam Pythone serpente, per totum terrarum orb. pellicem persecuta sit, & ne partui quidem vicinæ quietem, locumve pariendi concesserit, donec tandem illa post longos errores ad Asteriem sororem pervenit, in Ortygiam insul. jam permutatam, à quâ suscepta, primò Dianam peperit, quæ è vestigio obstetricis officium matri præstitit, Apollinemque nascentem suscepit: qui postea adultus, maternæ injuriæ memor, Pythonem sagittis interfecit. Ovidius *lib.* 6. *Metam.* Juvenalis,

Pulchrâ gaudet Latona Dianâ.

Ei gallus gallinaceus sacer erat. Hinc Apollo *Latonius*, & Diana *Latonia*. Item *Latonia Delos* apud Virgil. Quid autem Latonæ figmento veteres intellexerint, explicat Nat. Com. 9. 6.

Latona, in finibus Lingonum, olim fano cultuque Latonæ, nunc Eccl. S. Johannis ac cognomine illustris est, ad Oscaræ & Araris confluentem, vulgò *S. Jean de Laône*. Hic Dagobertus per aliquot dies jus reddidit, an. 629 ac Brunulfum vel Produlfum, Chariberti fratris sui avunculum interfici jussit: annoque 642. Flaochatus Major domus decessit. Vide Hadr. Valesf. *Not. Gall.*

Latone, urbs Ægypti, pars Memphidis, ubi *Pyramides*, quæ & *Latopolis* dicta: *Derote* Zeiglero, ad Nilum, nunc sine muris. Alii *Latopolin* faciunt *Latonæ* proximam.

Latoria, lex erat apud Rom. quâ cavebatur in eos, qui pupillorum bona diriperent, aut malis artibus alienarent.

Latorum, urbs Ægypti. Ptol.

Latovici, Pannoniæ gens. Plin. & Ptol. Vide *Prætorium Latovicorum*. Anton.

Latreus, unus ex Centauris.

Latris cum Otace, Dux Iberorum, in auxiliis Persæ, contra Æeten. Flacc. *lib.* 6. *vers.* 122.

Latris, insul. Germ. ante ostia Vistulæ, & Dantiscum urb. Plin. *Frisch Narung* Ortelio. Cluverio est Osilia *Oesel*, insul. maris Balt. versus Livoniam & sinum Rigensem, nunc sub Suecis, pace ad Bronsbroam, an. 1645. Item famulæ nomen. Propert. 4. 7.

Deliciæq; meæ Latris, cui nomen ab usu est.

Latronianus, Hispanus, Poëta celebris, sec. 4. cùm Maximus contra Gratianum insurgeret, antiquis, Hieronymi *de Script. Eccles.* judicio conferendus. Sed in Priscilliani errores prolapsus, Concilio Burdigal. condemnatus, & Treviros, ubi Maximus, ad quem Priscillianus appellaverat, degit, deductus, atque cum sociis ibi occisus est. An. 385. Sulpic. Sev. *lib.* 2.

Latronum Insul. *ilhas de los Ladrones* Lusitanis, *isles des Larrons* Gallis, plurimæ in Oceano Eoo, à Septentr. in Merid. extensæ, inter Mare Pacificum ad Ortum, & Oceanum Sinicum ad Occasum. Aliter *Ilhas de las Velas*. Earum præcipuæ Anglica, Artomagana, Bidima seu *de Saavedra*, Botaba, Chemochoa, Chereguana, Deserta, Gregua, Guagana, Mana, Nautarum, Pagana, Rupium seu *des Arecifes*, Sepania, Vilania, *Vilam*, seu *Pulo Vilan*, & Volia. Vide *Insulæ Latronum*.

Latura, sinus Libyci maris. Mela 1. 6. *Golfo di Zereni* quibusdam, *di Estoro*, Marmolio. Vide *Numidicus*.

Latusates, Gall. Aquitan. pop. Plin.

Latushim, fil. Dedan filii Jecsan. Gen. *cap.* 25. *v.* 3.

Latymnum, mons Crotonis, vel ut alii, Laconiæ. Schol. Theocriti. Vulgò *Monte di Crotone*.

Lavallium, vulgò *Laval*, urbs prov. Cenomanensis, ad Meduanam fluv. in dit. Tremolliæ Ducis, 15. leuc. ab Andegavo in Boream, totidem à Cenomano in Occ. Aliàs *Vallis Guidonis*: pannificio & Concilio an. 1242. nobilis.

Lavania, opp. Liguriæ, in ora Orient. ad mare Mediterr. unde Comites è familia Flisca, ex qua aliquot Pontifices. Aliis *Lebonia*, vulgò *Lavagnia*, vide ibi.

Lavanmunda, seu *Lavanti ostium*, vulgò *Lavamund*, urbs Carinthiæ infer. ad Lavantum fluv. ubi in Dravum se exonerat. Vix 2. mill. Germ. ab opp. S. Andreæ in Austr. *Lavantum* quibusdam. Episcop. sub Archiep. Salisburgensi.

Lavantum, vulgò *S. Andres*, urbs Episc. Norici ad fluv. cogn. Vide *Solva*.

Lavare, Lusitaniæ amplum opp. Ptol. *Aveiro*, teste Flor. versus ostia Vagi fluv. prope sinum parvum. 1. tantùm leuc. ab ora Oceani Occ. 2. à Talabrica in Occ. cum tit. Duc.

Lavarzinum, nunc *Lavardinum*, Gall. *Lavardin*, castrum Galliæ Vindocino proximum, ad ripam Liderici, Monti-aureo adversum. Unde dominis *Lavardensibus* nomen. Valesius.

Lavaterus Ludovicus, Tigurinus, gener Henrici Bullingeri, Ecclesiæ patriæ Antistes, multis scriptis in lucem editis inclaruit. Inter quæ *Homilia in Josuam, Judices, Ruth, Ezram, Nehemiam, Esteram, Jobum, Jeremiam & Ezechielem*: *Commentarii in Paralipomena, Proverbia, &c.* Obiit, secundum Helvicum, anno Chr. 1585. Ivellus in libr. ejus in Prov. multiplicem & variam lectionem, ac reconditam doctrinam agnovit: ita ut nihil in eo genere extare putaverit cum eo conferendum, ingenuè confessus, se multa illius Sapientissimi Regis Proverbia tum demum intellexisse, quæ antea ignorabat, citante Eduardo Leigh, *in Arm. de Religione, Anglicè.* Ex eadem familia præter insignes Viros, jam defunctos, floret hodieque Tiguri Johannes *Lavaterus*, Ludovici pronepos, natus an. C. 1624. Philosophiæ in collegio Carolino Professor. Cujus extant, *Præparatio ad S. Cœnam.* Dissertatio Phys. *de origine fontium, de atomis*: Ethica *de amicitia*: Exoterica *de loquela, auditu, cognitione & institutione mutorum ac surdorum, &c.* Item *Ontosophica varia*.

Lavatris, Angliæ urbs. Anton. Camdeno est *Bowes* viculus ad initium *Stanemore*, reg. montan. agri Eboracensis.

Laubacus, mel. *Lavica*, amnis parvus Frisiæ Occ. eam à dominio Groningensi separans, & paulo pòst in Oceanum se exonerans, è regione Monicogæ Insul. *Lauvers* Verrutio.

Laubium, cœnob. olim seu Abbatia celebris Benedictinorum ad Sabim fluv. in confinio Hannoniæ, & dit. Leodiensi, cujus Abbates, Episcopi. In silva Carbonaria, vulgò *Lob*. A Landelino circa an. Chr. 640. conditum, nomen à *Laubaco* rivulo in Sabim Sambramve ibidem effluente videtur accepisse. Aliis dictum videtur Germ. *Lobach*, i. umbraculi rivus: quòd Francorum Reges, in Liptinensi saltu proximo venari assueti, ibi ad temperandum Solis æstum, umbraculum vulgò *Lobiam* dictum, ex arboribus sibi faciendum curarint. Est in diœc. Camaracensi, sed sub dit. Episcopi Leodicensis, à Melbodio 12. mill. à Binchio & Tudinio castro parum distans, Valesius *Notit Gall.*

Lauchonia silva, hodie *la forest de Livry*, vel *la forest de Bondis*, Calæ villæ olim Regiæ proxima. Hîc Childericus cum Bilihilde Regina prægnante, à Bodilone occisus est. Idem.

Laud, Maurit. Tingitanæ fluv. Plin.

Lauda, seu *Laudum*, vett. *Laus Pompeja*, civ. Insubrium in Abduæ fluminis ripa. Huic *Pompeja* nomen à Strabone, Pompeji M. patre, ortum, qui vel colonos huc deduxerit, vel urbem refecerit.

Lauda, vulgò *Lauden*, urbec. Franconiæ, ad Tubarum fluv. 5. leuc. à Miltenberga in Austr. in dit. Episc. Herbipolitani.

Laudanæ, erant dona honoraria, ex auro vel argento, virgarum instar fabrefacta, & in templis, ante altaria vel super rugas presbyterii ad Martyrum laudem & honorem suspensa, & perinde à *laudando* dicta. Anastas. Biblioth. *in S. Hadriano*: *Fecit*, inquit, *Laudanas duas de argento, pensantes libros octonas, quas posuit super rugas de presbyterio, ubi arcus de argento existit.*

Laudia, Maurit. Cæsariensis opp. Ptol.

Laudiacum, opp. Turon. Quid nunc sit, non constat. Baudr.

Laudiacum, vulgò *Mont-Louys*, vicus Gregorio Tur. *Histor. Franc. lib.* 2. *c.* 1. memoratus, ad Ligerim. Hîc Basilicam S. Laurentii Perpetuus, sextus Episcop. Turonicus construxit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Laudonia, quæ & *Lothiana*, vulgò *Lothiane*, etiam *Lauden* quibusdam, prov. Scotiæ mer. cujus caput Edimburgum urbs regia, juxta Bodetriam, seu Forthæ æstuarium ad Bor. Habet ad Ortum mare Germ. ad Occ. Sterlingensem Com. ad Mer. Tuvediam, Teviotiam & Marchiam. Ab Ortu in Occ. extenditur, ad 34. mill. Scotica. Reliquæ urbes, Litha, Dunbarum & Dalketa. V. *Lothiana*.

Laudum, vide *Lauda* & *Laus Pompeia*, vett.

Laudunum, vulgò *Laon*, quæ & *Lugdunum Clavatum* quibusdam, urbs ampla & munita Insulæ Franciæ in colle, in confin. Picardiæ. Caput agri Laudunensis, *le Laonois*, 7. leuc. à Suessione in Eur. 9. à Vervino opp. in Circ. uti à Guisia in Austr. Ejus Episcopus Dux est & unus ex XII. Paribus. Hîc ab Hugone Capeto Carolus fil. Lotharii victus est. A Matrobio Prætore condita, Massonio. Olim castrum solùm erat in monte situm, postmodum à Clodoveo M. urbs facta, & à S. Remigio Remensi Episc. dignitate ornata est, Genebaldo primo Præsule præposito. Hincmar. *ep.* 6. *cap.* 18. Flodoard. *l.* 1. *c.* 14. *Hist. Rem.* Matth. Par. *in Histor. Angl.* Hugo Capetus, ob traditum sibi Carolum Lothar. D. ultimum ex Carolovingis Principem, Adalberonem dictum Ancelinum, Episc. Laudun. Ducem Paremque Galliæ creavit. Guibert. *l.* 3. Miræus, *Chron. Ord. Præm.* &c. Hic Concilium an. 948. contra Theobaldum Comit. Blesensem, & Hugonem M. qui ambo urbi huic regnoque & hic inprimis Ludov. IV. R. non parum molestiæ facessivit. Flodoard. *in Chron. & hist. Rem.* Item an. 1232. Synodus an. 1492.

Lavellum, urbec. Episc. Basilicatæ, *Laviello*, vulgò *Labellum* quibusdam prope Aufidum, 6. mill. à Venusia in Bor. in confinio Capitanatæ.

Laverna, Dea, quam Romani coluere, à quâ *Lavernones* dicti sunt fures, quòd sub tutela hujus deæ essent. Horat.

—— *Pulchra Laverna*

Da mihi fallere, da justum, sanctumq; videri,

Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Erat caput sine corpore, habuit lucum Romæ: Hinc *Lavernalis* ibi porta. Ædes ejus *Lavernium* dicta, ut & *Dianium*, & *Minervium*. Item *Laverna* loci nomen. Plut. *in Syllâ.*

Lauf-

Lauffena, vulgò *Lauffen*, opp. Duc. Wirtembergici. Metel.

Lauffenburgum, vulgò *Lauffenburg*, unum ex IV. Silvæ nigræ dictis opp. ad Rhenum, in colle, satis munitum, sub Austr. medium ferè inter Scaphusiam ad Ort. & Basileam ad Occasum, 5. mil. utrinque Germ. Nomen idem, quod Cataractæ, sive castrum seu montem denotat. Rhenus enim eo loci inter saxa conclusus, multisque scopulis impeditus, ingenti murmure de rupe cadens, mirè tumultuatur, adeò ut naves superiore loco exoneratas, funibus demittere necesse sit. Paruit ab antiquo Habspurgiis, quorum stirpe, an. Chr. 1200. diductâ, dominiorum divisione, quidam *Lauffenbergenses* dici cœperunt: quorum postremus Johanes, Comitis Rodolfi fil. an. 1383. inter vivos egit. Pluries captum, sed pace Monaster, redditum est.

Laugasa, Armeniæ min. opp. Ptol. In Lavinianensi Præfectura.

Lavacum, Austriæ urbs, hodiè *Lauffen* Lazio. Opp. Norici, in dit. Salisburg. 3. leuc. Brannodunum versus; seu *Kogel*, arx proxima. Ferr.

Lavici, vide *Labici*.

Lavinalis Flamen, in epigrammatibus quibusdam apud Onuphrium Panvinium, memoratur.

Lavinga, opp. Sueviæ, sub Duce Neoburg. vix 1. leuc. Germ. supra Dilingam in Occ. medium ferè inter Ulmam ad Occ. & Vertam seu Donavertam ad Ort. 5. leuc. *Laugingen* seu *Lavvingen* vulgò.

Lavinia, Latini regis & Amatæ filia, primùm Turno desponsata; Verùm cùm Latinus postea Fauni patris oraculis externo eam genero locare juberetur, denuò eam Æneæ despondit. Vide *Latinus*. Mortuo verò Æneâ, Lavinia, quæ prægnans relicta erat, privigni insolentiam timens, in silvas profugit, & apud Tyrrheum pastorem divertit, ibique peperit filium, quem Julum Sylvium Posthumum appellavit: eò quòd post patris funus in silvis natus esset. Dion. Halicarn. *l.* 1. Virgil. *Æn.* 11. *&* 12.

> *Nec non ad templum summasq; ad Palladis arces*
> *Subvehitur, magnâ matrum Regina catervâ*
> *Dona ferens: juxtaq; comes Lavinia virgo,*
> *Causa mali tanti, atq; oculos dejecta decoros.*

Ubi postrema verba ex magno Virginitatis decoro dicuntur. Apud Valer. Flacc. *libr.* 7. Medea adhuc virgo attollit vix tandem lumina. Idem habitus datur Charicleæ ab Heliodoro, κάτω νεύσασα. De Aspasiâ Ælian. Var. *Hist.* 2. 1. ἐώρα κάτω. De Hypsipyle *Apoll. l.* 1.

> —— Ἐγκλιδὸν ὄσσε βαλοῦσα.

Adrasti filias virgines ita describit Stat. *Theb.* 2.

> *Ibant insignes, vultuq; habituq; verendo,*
> *Candida purpureum fusa super ora ruborem*
> *Dejectæq; genas.* ——

Qu. Curtius *l.* 6. *Formam pudor honestabat, dejectis in terram oculis.* Ælian. *Var. hist.* 13. 1. Τί δ' οὕτως ὡραῖον ὀφθῆναι ἀνδρὶ, ὥσπερ οὖν καλὸν, ἢ τὸ πρόσωπον αἰδοῖ πεποικιλμένης παρθένου.

Lavinium, seu *Lavinum*, urbs Latii ab Ænea condita, & nomine Laviniæ uxoris ita appellata. Hodie *Citta Lavinia*, urbecula Campaniæ Rom. 5. mill. à Velitris, Ostiam versus, 9. circiter ab ora maris Tyrrh. uti & 18. à Roma in Occasum. Differt à Laurentio, & hodie est sub dominio utili Ducis Cæsarini: sed paucis inhabitatur. Aliis Lavinium fuit, ubi nunc *Patrica*, castrum versus oram & Lanuvium, ubi nunc *Citta Lavinia*. L. Holstenio Lavinium fuit in colle, qui nunc *Monte di Levano*, 1500. pass. supra Patricam, ubi S. Petronillæ fanum, quod haud dubiè Annæ Perennæ templum fuit. Hinc *Lavinus*. Virgil. *Æneid.* 1.

> *Italiam fato profugus, Lavinaq; venit*
> *Litora.*

Inde Propert.

> *Jactaq; Lavinis mœnia litoribus.*

Laumellum, urbs Insubriæ, Anton. in agro Papiensi, à Papia 20. mill. pass. Casale versus. *Lumello* Leandro. Meminit ejus quoque Marcellinus. Hodie pagum esse satis contractum scribit Merula. Hinc *Laumellina* regio.

Lavinum, opp. Lucaniæ.

Laura, vel *Laureta*, puella Provincialis, an. 1341. ingenio & amoribus Petrarchæ nobilis: Una ex præcipuis sui sexus, quæ conventus, *Curia Amoris* dictos, constituerunt, in quibus quæstiones curiosæ & elegantes ingeniosè decidebantur. Hanc quidam Avenione, quidam loco, prope Avenionem, haud procul à Petrarchæ Eremo, oriundam fuisse dicunt. Sepulta apud Franciscanos, Avenione, carminibus Petrarchæ & Epitaphio Francisci I. Gall. R. celebratissima est, Petr. *Vita & Poemata, Epistola ad Posteritatem.* Nostradam. *Hist. Prov. & c.* 65. *de Poet Prov.* Morer. *Dict. Hist.*

Laura, Siciliæ civitas, Isac. *in Lycophr.* Item Alexandriæ Ægypti vicus Athen.

Lauracius ager, *Lauraguez*, regiunc. Languedociæ in Gallia; ubi ingens glasti copia Morerius *Dict. Hist.*

Laurea Tullius, Ciceronis libertus, de quo Plin. 31. 2.

Laurentes, pop. Vide *Laurentum*.

Laurentia, vide *Acca Laurentia*

Laurentia Strozza, Dominicana Florentina, filia Zachariæ, præter alias linguas, Latinè inprimis & Græcè docta: Musicæ non parum perita, & Philosophiæ: Scripsit librum Hymnorum & Odarum Latinarum, in omnia Festa, magni apud eruditos nominis: quas Jac. Mauduitus, Parisinus, Gallicè vertit & harmonicis notis instruxit. Obiit an. 1591. æt. 77. Soror fuerat Quirici Strozzi, qui Græcam ling cum Philosophia Florentiæ, Bononiæ & Pisis, tanto cum applausu docuit. Thuan. *Histor. l.* 100. Mich. Pocciantius, *Florent. illustr.* Lud. Jacob, *Bibl. fœmin.* A Sebast. Hormoltio, Consiliario Wirtemberg. Epitaphio acrosticho, honorata, Morerius *Dict. Hist.*

Laurentia feriæ, is dies apud Romanos olim, quo Accæ Laurentiæ à Sacerdotibus publicè parentari solenne fuit, in Velabro, 10. Kal. Jan. Sic *Laurentialis* Flamen, Sacerdos ei institutus, Thom. Dempsterus *Antiq. Rom. l.* 3. *c.* 17. *&c.*

Laurentiacum, opp. agri Tarvisini.

Laurentii Insula, à Lusitanis sic dicta, quòd ejus operâ primùm sit ab ipsis detecta, antea vocabatur Madagascar, eamque M. P. Venetus inter ditissimas totius orbis insulas refert. Tantæ est magnitudinis, ut mille in longitudine milliaria contineat, & ambitus sit quatuor millium milliar. Est omnium rerum ad vitam humanam necessariarum abundans, & melioribus incolis digna, ob situs opportunitatem, portuumq; ac fluminum commoditatem. Ibi oves egregiæ sunt, magnasque habent caudas, quarum plerunque 12. libras ponderat, excoriatæ pollices 12. duas ulnas longæ sunt admodumque pingues. Incolæ commerciorum cum exteris usum ignorant, inter se tantùm scaphis è trunco excavatis negociantur circa oram, advenisque omnibus commerciorum causâ accessum denegant. Populus est niger, robustus & optimè dispositus: nudus incedit, exceptis pudendis, quæ velo gossipino tegunt. Mulieres velum paulò altius ligant, adeò ut ubera parum cooperta sint. In tuguriis habitant miserè, arma ipsorum sunt jacula. Natal. Metel. Item, fluvius & sinus Canadæ.

Laurentium, villa Plinii Sec. apud Laurentum, 17. m. p. Româ. Plin. Jun.

Viri illustres.

Laurentius, Antipapa, Symmacho post Anastasium secundum electo, oppositus, à Festo & Probino, Senatoribus admodum potentibus, postquam Festo, in gratiam Anastasii Imper. id urgenti, pollicitus esset, se Formulæ fidei, à Zenone, in favorem Eutychianorum, publicatæ, subscripturum. Schisma sublatum à Theodorico Gothorum R. qui, quamvis Arianus, re suo arbitrio commissâ, pro Symmacho sententiam tulit; Laurentio primò quidem subscribente, mox cùm de novo turbaret, in exilium pulso. Anno 502. Paul. Diaconus, Anastas. *in vit. Pontif.* Nicephorus, &c.

Laurentius, natione Hispanus, Diaconus & Quæstor Ecclesiæ Rom. de quo B. Ambrosius 1. *de Offic cap.* 41. scribit. Quum videret Sixtum Episcopum suum ad martyrium duci, his verbis eum compellavit: *Quò progrederis sine filio pater? &c.* Cùm autem Sixtus juberet Laurentium diligenter thesauros Ecclesiæ adservare, statim jussu Imper. Laurentius quoque comprehensus est. Cumque ab eo peterent satellites, ut thesauros Imperatori traderet, petiit spatium tridui ad colligendos eos sibi concedi. Interea convocavit omnes mendicos, pauperes, ægrotos. Hos constitutâ horâ post triduum ostendit satellitibus, addens, hos Ecclesiæ thesauros esse, quibus si quid detur, non perire, sed cum amplissimo fœnore in cœlo reddi. Hâc oratione corvi hiantes delusi, & exacerbati tradiderunt Laurentium carnificibus, qui eum craticulæ, cui prunæ substratæ erant, imposuerunt. Jacens autem in craticulâ summâ cum alacritate animi gloriatus se non torreri, sed suaviter refrigerari, Præfecto astanti dixit, Unum latus jam satis assatum est, appone igitur & comede, & assaturam verte. Tandem commendans animam suam filio Dei obiit, anno Dom. 254. &c. Historia tota prolixè & splendidè recitatur à Prudentio. Magis verò consentaneum est, quod Eutropius ac Eusebius scribunt, Laurentium Fabiani Episcopi Diaconum fuisse, qui sub Decio martyrii coronam accepit.

Laurentius Ananiensis, auctor Cosmographiæ Italicæ.

Laurentius Beyerlink, Canonicus Antverpianus, continuavit Chronicon Petri Opmeri. Ab an. 1572. usque ad 1611.

Laurentius Bonus, scripsit in librum Sententiarum, an. 1390.

Laurentius Bureau, Divionensis, Episcop. Cisteronensis, Carolo VIII. & Ludov. XII. à confessionibus. Ab hoc & Alex. VI. missus, ut in Valdenses inquireret, an. 1501. Prosâ versuque varia scripsit, Eliadem inprimis, & de Vir. Ill. Ord. Carmel. Obiit Blesis, an. 1504. Symphorianus Champier. *de Vir. Ill. Galliæ*, Voss. *de Hist. Lat.* Columbius, *de Episc. Sistr.* Morerius *Diction.*

Laurentius Calcaneus, JC. Brixianus: Volumen Consultationum edidit. An. 1470.

Laurentius Campegius, Vide *Campegius*.

Laurentius Codomannus, Voigtlandia Saxo, Chronologiæ auctor, sec. præt.

Laurentius Corvinus, Geographiam mundi habitabilis composuit, Cracoviæ, an. 1495.

Laurentius Durhamius, Dunelmensis, prosâ versuque varia condidit, Voss. *de Hist. Lat.* Possevin. *in App. S.*

Laurentius Eichstadius, Stetino Pomeranus, Medicus & Mathematicus. Scripsit Ephemerides, Pædiam Astrologicam, &c.

Laurentius Gambara, Brixianus, Poëta, carmina sua minus

casta combussit, an.1575. aliaque condidit melioris notæ, inprimis *de novi Orbis inventione, &c.*

Laurentius Jubertus, vel *Jobertus*, Valentiâ Delphinas, Medicus, discip. Rondeletii, cui in dignitate Cancellar. in Academia Monspeliensi successit. Scripsit contra errores populares, &c. Obiit An. 1582. S. Marth. *elog.* 1. Chorier *Hist. Delphin.*

Laurentius Justinianus, Venetus, fil. Bernardi ex Quirina, primus Venetorum Patriarcha. An. 1451. Scripsit *Lignum vitæ: de Disciplina & spirituali perfectione: De casto connubio: Fasciculum Amoris: De triumphali agone Christi, &c.* Quæ edita Lugduni, 1568. Obiit an. 1455. æt. 74. A Clemente VII. canonizatus, an. 1524. Morerius *Diction Hist.* Alius Carthus. *Hortum deliciarum* edidit, an. 1515.

Laurentius Laurentianus, Italus, Philosophiam & Medicinam Florentiæ Pisisque docuit. Hippocratem Latinè vertit, notis Galenum illustravit, cœterum nigrâ bile multum infestatus: Cùm aliquando pecuniâ egeret, amicorum liberalitati diffisus, se in puteum præcipitavit. Paul Jov. *elog. doct.*

Laurentius Leodiensis, historica quædam scripsit, sec. 12.

Laurentius de Medicis, cognom. Magnus & Literarum Pater, caput Reipub. Florentiæ. Filius Petri I. frater Juliani, à Pactis occisi: non Florentinis solùm gratus, sed ab omnibus Europæ Principibus, qui lites suas ejus arbitrio submittere amabant, maximi habitus. Hinc ipse Turcarum Imper. Bajazethes, unum ex Fratris percussoribus Constantinopoli captum transmisit, virtutum ejus famâ motus. Eruditus, & eruditorum Mecænas, Græcis exulibus asylum: Christoph. Landinum, Marsilium Ficinum, Chalcondylam, Ang. Politianum, Joh. Picum, &c. in aula sua magnificè fovit. Lascari in Græciam misso, plurimis manuscriptis Bibliothecam suam locupletavit. Obiit An. 1492. ætat. 44. Pater Petri successoris & Leonis X. patruus Clementis VII. Ejus Medicum Petrum Leonium, quòd Laurentium negligentius curasset, Florentini in puteum præcipitarunt. Angel. Politianus *l.* 4. *epist.* 2. Franc. Guicc. *hist. l.* 1. Macchiavel. *hist. Flor.* P. Jovius *in elog. &c.*

Laurentius de Medicis, frater Cosmi M. cognom. Senior, Dux Florentinorum, in occupatione Serezanæ & Petræ Sanctæ. Pater Johannis & *Laurentii*, qui tyrannidi inhiantem Petrum agnatum, urbe pepulerunt. Huic natus *Laurentius*, dictus Jun. Rempublicam administravit, tempore patrui Leonis X. à quo Duc. Urbinatem nactus est. Pater filii nothi Alexandri, qui Florentinorum primus Dux, ex Magdalena Solonia, Catharinam Medicæam, Galliæ R. suscepit.

Laurentius Mellifluus, Auctor operis, cujus prior pars ab Adamo usque ad Christum, posterior ad ejus usque tempus pertingit.

Laurentius Novariensis, Episc. homiliarum auctor.

Laurentius Surius, Lubecensis, Carthusianus. Opera Tauleri traduxit, variorum Doctorum homilias in unum collegit; Compegit in 4. volum. Concilia; vitas SS. tomis 6. persequutus est; Scripsit insuper historiam sui temporis. Obiit Coloniæ, an. 1578. æt. 56. Dorlandus *Chron. Cart.* Petrejus *Bibl. Carthus. &c.*

Laurentius Valla, Patricius Romanus, Canonicus Lateranensis, Alphonsi R. & Poggii Florentini Antagonista, Pontificis Rom. Secretarius. Claruit in Concilio Constantiensi an. C. 1420. Trithem. Scripsit libros sex de Elegantiis Latini sermonis: tres de falso & vero: unum de fictitia Constantini donatione: tres de regno Ferdinandi Arragonii: Porro vertit Herodotum, Thucydidem, &c. Latinè. Barbarie, quæ à Gothis incubuerat, triumphatâ superbus. Ejus quoque in N.T. Annotat. extant, 8°. Parisiis an. 1505. fol. Basileæ an. 1540. & 1545. quam editionem prohibitam esse refert Jamesf. Româ excedere compulsus, quòd liberius in Curiam Rom. inveheretur, Neapolim se recepit. Ibi Inquisitioni subjectus, ignis supplicium ægrè, Alphonsi R. Neap. favore, effugit: flagris tamen cæsus: quæ omnia à Poggio ipsi objiciuntur. Reversus Romam, obiit an. 1465. Mater Catharina hoc ei epitaphium erexit:

Laurens Valla jacet, Romanæ gloria linguæ,
Primus enim docuit, quâ decet arte, loqui.

P. Jov. *elog.* Erasmus *in Cicer.* Pogg. *in Invect.* Voss. *de Hist. Lat.* Opmer. *in Chron.*

Laurentius Videlius, Medicus Gallus, primus contra Nostradamum scripsit.

Laurentum, civitas Latii, Pici regis opus, non procul à Lavinio, ita dicta à sylvâ *Laureâ* eo in loco cùm conderetur, inventâ. Baudrando urbec. fuit Latii, versus oram maris Tyrrh. cujus vix apparent vestigia. Creduntur tamen fuisse, ubi nunc locus *S. Lorenzo*, medio itinere inter Ostiam & Antrum, cùm 6. millia passuum exactè abest à Lavinio; & via Laurentina huc defert, ac in maritimam seu littoralem illam incidit. L. Holstenius. Populi *Laurentes*. Apris hic tractus præcipuè abundavit. Virgilius *Æneid.* 10.

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosq; palus Laurentia, silvâ
Pastus arundineâ.

Stat. *Silv.* 4. *lib.* 2.

Nam Laurens malus est, ulvis & arundine pinguis.

Martial. 9. 49.

Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Misimus, Ætolâ de Calydone putes.

Qui poëta etiam ranas in iisdem paludibus notavit 10. 37.

——— *Laurentino turpes in litore ranas.*

Laureolum, vulgò *Lauriol*, vel potius *l'Auriol*, aut *l'Oriol*, oppidum Galliæ ad Drunam fluv. Prioratus S. Johannis de *Oreolis* in Polyptychis mentio fit, Valesius.

Laureolus, latro sceleſtissimus, eoque nomine in crucem actus, & à feris devoratus. Quæ fabula aliquoties Romæ in spectaculis repræsentata est, idque à Domitiano. Mart. *in Amphith.*

Qualiter in Scythicâ religatus rupe Prometheus,
Assiduam nimio pectore pavit avem.
Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsâ pendens in cruce Laureolus.

Lauretum, vulgò *Loreto*, urbs Piceni recens Episcop. inter Recinetum & oram maris ad 3. mill. pass. ab Ancona, 15. in Mer. Famosa sacris Latinorum peregrinationibus.

Lauri, in tab. Theodosiana, hodie *Leerda*, opp. Belgii: à Lauris ibi nascentibus fortè dictum, Cluver.

Lauriacensis pagus, à Lauriaco dictus, in quo præterea S. Pauli opp. Episcopale ac Castellum Novum Arrii, caput Lauracensium, ponit Massonus. Hodie *Lauraguez*. Aliis *Auriacensis*, ab opp. Auriaco, & vulgò *Auraguez* vocatur. Est & *Lauriacum* in Archidiaconatu Pitiverensi, & diœc. Aurelianensi, vulgò *Lorri*. Item villa olim publica, in Andibus, hodie *Loire*. Item castellum prope Carcassonem, *Leirac*, Petro & Guilielmo *in rebus Albigensium* memoratum, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Lauriacum, Austriæ super. oppidum, Anton. *Lorch* Simlero. Nunc vicus ad Danubium, è regione oppidi *Mathausen*, 3. mill. Germ. infra Lentiam, 1. ab Aniso 22. autem supra Viennam in Occ. Passavium versus 10.

Laurion, locus Atticæ, inter Piræum port. & Sinum promunt. ubi argentum fodiebatur, Thucyd. *libb.* 2. & 6. & Plut.

Laurios, Atticæ regiuncula, aureis venis scatens Hinc *Noctua Lauriotica* prov. apud Aristoph. Noctuis enim numismata signabant.

Lauron, Hispaniæ Tarraconensis urbs. Plut. *in Sertorio*; hodie *Laurigi* pag. in regno Valentiæ. Hîc Sex. Pompejus à Cæsarianis victus est & cæsus.

Laus, urbs Lucaniæ. Steph. Item oppidum & fluvius Brutiorum in Lucaniæ confin. *Laino* dictus: in Calabria citer. in ora maris Tyrrh. prope Scaleam opp. quod etiam *Laus*, 18. ferè mill à Policastro in Austr. Baudrand. Vide Cluv. Ital. *Ant. p.* 1262.

Laus Pompeja, urbs Episc. Insubriæ. *Lodi* hodie, ad Adduam fluvium, media inter Mediolanum ad Occasum & Placentiam in Eurum, 20. mill. pass. quot à Ticino, Brixiam versus 40. cujus ager fertilissimus, caseo, butyro & carnibus abundans. A Bojis Gallis, Plinio teste, condita, & *Pompeja*, coloniâ eò à Pompejo deductâ, cognominata: *Vetus tamen Laus* jacet, à Mediolanensibus eversa, à nova 5. m. p. distans, *Lodi vecchio* dicta, Ticinum versus, vicusque est hodie frequens, & plurimis antiquitatis vestigiis visendus. Ejus Episc. Archiepiscopo Mediolanensi suffragatur.

Lausanna, al. *Lausona*, & *Lausonium*, Gall. *Lausanne*, urbs est insignis Helvetiæ, regionis Vaudi caput, ad lacum Lemannum, qui *Lausannensis* hinc quoque dicitur; semihorâ inde distans. Nomen habet, Stumpfio teste, à duobus rivulis *Losa* & *Anna*, illam perluentibus. Sed hanc originationem ineptam esse docet Joh. Bapt. Plantinus *Helvet. Antiq. & Nov.* olimque lacui propior fuisse videtur, ex multis murorum ruderibus, lapidibus sepulchralibus, & urnis in agro Vidiano repertis, nec non variis vett. Impp. numismatibus, aliisque monumentis, inter quæ memoratu dignissima est parva bovis cum Sacerdote effigies, haud pridem ibi reperta, quam insigni commentario illustravit Depetra Pastor Lausannensis, apud modò dictum Plantinum. Fundatam illam ab Arpentino, Herculis centurione, sub Arpentinæ nomine, Anno Mund. 2790. quod immutatum dein, urbe super montem translatâ, circa annum Chr. 593. ex vett. Chronicis refert Mercator. Ex Arpentinæ ruina Lausannam ædificasse Valer. Aurelianum, habent Vaudi Chronica, de quo vide auctorem retro laudatum. Guillimannus ex 12. oppidis Cæsaris tempore incensis fuisse, idemque esse, quod apud Ptolomæum *Diasanium* pro Lausanium corruptè legitur, censet. Ponitur in Æthici Itin. inter Coloniam Equestrem & Urbam, quo tempore vicus fortè aut arx celebris fuit: ipsaque plateam seu *Vicum Equestrem* habet, privilegiis ornatum, in quo Romanorum Reges certis ceremoniis excipere, priscus mos fuit. Sedes urbs olim Episcopatus, ei fortè incrementa debuit. Primus Lausannæ Episcopus Marius fuisse legitur, quem regnante apud Austrasios Childeberto, Aventico huc transtulisse sedem, refert Valesius; quàm bene, vide Stumpf. *l.* 8 *c.* 23. *de regione Vaudi.* Ex ejus successoribus Arricus interfuit Conc. Cabillonensi jussu Chlodovei jun. habito, anno Chr. 650. Burcardus, novum opp. Aventicum, condidit, an. C. 1076. Amedeus, urbem, ab Amedeo Com. Genevensi obsessam, fortiter defendit, circa Annum C. 1141. &c. Primas tenuit, post Metropolim Vesontionem primò, mox

mox Basilea Lausannæ prælata est, Belicâ tertiâ remanente. Advocatos ab Imper. Episcopatus Zeringios Duces, Kyburgios Com. & Sabaudos Principes, diversis temporibus accepit, congressu Gregorii X. & Rodolfi I. Imper. anno Chr. 1273. clara. Bello Burgundico, cùm Sabaudiæ Princeps Carolo Duci adhæreret, Helvetii irruptione in reg. Vaudi seu Valdensem, factâ, Lausannam occuparunt, mox tamen ab hostibus receptam. Iterum an. Chr. 1476. post prælium Moratense, ab Helvetiis capta & direpta est: à quo tempore licèt cum tota regione pace initâ reddita esset an. Chr. 1477. Domino priori, nihilominus cives amicitiam cum Bernatibus imprimis coluere: donec an. Chr. 1536. in illorum potestatem, cum tota ditione urbs pervenit. Mittunt hi eò Præfectum, qui eadem jura, quæ Episcopus olim, exercet, salvis urbi privilegiis suis & immunitatibus; Iidem insignem hîc Academiam instituerunt, doctissimorum Virorum genitricem: Episcopali sede, postquam & huic urbi Evangelium affulsit, Friburgum à Latinis translatâ. Insignia hic templa, Cathedrale inprimis, &c. Vide Auctores retro memoratos, & infra in voce *Lausonium*.

Lausannensis lacus, vide *Lemanus* lacus.

Lausdunum, vulgò *Loudun*, opp. Galliæ, à monte suo vel duno sic dictum: In Andicavorum, Turonum Pictonumque confinio, quibus ultimis attribuitur. Patria Macrini & Scævolæ S. Marthani. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Lausonium, seu *Lausanna*, vide ibi, urbs Gall. Lugd. ad Lemanum lacum. Anton. in Helvetiis, *Lausanne* vulgò dicta. 11. leuc. à Friburgo in Mer. uti 8. ab Ebroduno, 10. à Geneva in Ort. Sub Bernensi pago, cum Acad. Guilleman. *l.* 1. *Helv.* Stumpf. Munster. &c.

Lausus, fil. Numitoris, frater Iliæ Sylviæ, quem Amulius patruus fugato patre occidit. Ovid. *Fast.*

Ense cadit patrui Lausus. ——

Item filius Mezentii, quem Æneas interfecit, cùm parentem vulneratum defendit. Virg. *Æn.* 11.

Lausus equûm domitor, debellatorq; ferarum.

Lauterna, fluv. Galliæ, vulgò *Lezert*. Oritur in Rutenis, & alluit Salvam Terram Rutenorum *Salve terre*, Villam longam & Castellum Marinum *Castel-Marin*: demum Viaurum *Biaur* auget, qui accipitur Avarione *Avairou*, à Tarne in Garumnam deferendo. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Lautium, metropolis Latinorum, Dionys. *l.* 5. *hist. Rom.*

Lautrecum, locus infer. Palatinatus, cum tit. Princip. Cluver. *descr. Germ.*

Lautula, locus Romæ, non procul à Jano gemino, à *lavando* dictus, quòd aquas calidas haberet. Varro *de L. L. lib.* 4.

Lavvenburgum, vulgò *Lavvenburg*, opp. Saxoniæ infer. ad Albim, sub proprio Duce, ex fam. Sax. cujus auctor Johannes fuit, Alberti I. qui Saxonicum, sicut hujus frater Henricus Anhaltinum ramum, ortus est. Frater Johanni fuit Albertus II. Elect. Saxoniæ, mortuus an. C. 1297. Ex Johannis posteris Ericus V. fil. Erici IV. alterâ agnatorum lineâ Electorali extinctâ, sibi conferri dignitatem petiit, sed uti anteà an. Chr. 1414. Sigismundus Imper. ei tantùm Ducatus *Lauuenburgici* feudum contulerat, Ita postea in collatione hujus axiomatis non eum solùm, sed & agnatos Anhaltinos omnes præterivit, titulo Electorali in Misnicam familiam translato. Erico huic, absque prole an. Ch. 1435. extincto, successit frater Bernardus, pater Johannis, cui filius Magnus I. successit. Hic primus titulo Electoris, quem Majores à tempore translati Electoratus retinebant, abstinuisse dicitur: pater Francisci I. qui in Monasteriensibus Anabaptistis compescendis olim nomen adeptus, demum an. Chr. 1578. ob senium Francisco II. fil. regimen tradidit. Hic in Belgio Anno Ch. 1579. operam militarem Alexandro Farnesio addixit, defunctus anno Chr. 1619. Ex ejus filiis Franciscus Albertus, Gustavo Adolpho Succiæ Regi in prælio Lutzensi præstò fuit, Julius verò Henricus Religionem Pontificiam amplexus est, ex Elisabetha Sophia Brandeburgica Francisci Erdmanni & Julii Francisci pater. Vide Philipp. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Histor. in familia Ascania.* Distat urbs 7. leucis ab Hamburgo in Ortum, cum castro munito, in confinio Duc. Luneburgensis.

Lavvenburgum, vulgò *Lovvenborch*, oppidum Pomeraniæ, ad amnem *Lobo*, sub Elect. Brandeb. antea sub clientela Regis Poloniæ. 8. leuc. à Gedano in Occas. 2. à limite Prussiæ, 3. ab ora maris Balt. in Austr.

Lauzadus, urbs Ciliciæ. Porphyrog.

Laxta, Celtiberorum in Hispan. urbs, Ptol. *Hita* Moletio. Aliis est vicus Castellæ novæ, *Tragazete*, in confin. Aragoniæ, ad fontes Sucronis fluv. 6. leuc. à Lobeto in Occ.

Lazach, regnum Arabiæ felicis, cum urbe cognomine. Sub Turcis.

Lazarita, seu *S. Lazari* milites, quorum ordo Hierosolymis institutus est, anno Chr. 1119. Hujus perpauca Monasteria sunt, unde Felix Schmid *in Itiner. Hierosol.* testatur, se in itinere illo longissimo unicum tantùm hujus ordinis invenisse. Stumpfius observat, insigne Ordinis crucem esse viridem in atro pallio, cum cucullione, seu velo capitis. Vide Hottingerum *Spec. Tigur. p.* 352. & infra in voce *S. Lazarus.*

Lazarus, nomen viri pauperrimi. Luc. 16. Vide Augustin. Tertullian. *de resurr. Carnis. c.* 17. Euthymium, *in* 16. *cap. Lucæ*, &c. qui historiam hîc à Christo referri, non nudam parabolam proponi volunt. Item alterius ex Bethania, amici Christi, fratris Mariæ & Marthæ, quem Christus suscitavit à mortuis. *Joh. cap* 11. Hunc quidam, post mortem CHRISTI, cum quibusdam aliis, lacerâ nave mari expositum, & Massiliam delatum, ibi primum Præsulem evasisse ajunt, Sigeb. & Alberic. *in Chron.* Vincent. Bellovac. *Specul. Hist. l.* 10. *c.* 101.

Lazarus, Monachus, cùm imaginibus pingendis incumberet, digitos ei adussit Theophilus Imp. *ne opera ejus digitorum stulti colerent mortales*: An. Chr. 830. Sigonius *lib.* 4.

Lazarus Basfius, nobilis Andegavensis, Arte & Marte inclytus, à Francisco I. ad exteros Principes aliquoties missus: Vertit Electram Sophoclis, & quasdam vitas Plut. Gallicè. Auctor præterea admirandi operis, *De re Vestiaria navaliq; Commentarii.* Obiit juvenis, relicto filio Jano, similiter erudito. S. Marth. *elog. l.* 1. P. Jovius, *elog. doct. cap. ult. &c.*

S. Lazarus, Ordo Militaris, à Christianis Occident. institutus, cùm Terram Sanctam possiderent. Hi peregrinos hospitio excipiebant, per vias deducebant, tuebantur contra Mahometanos. Pulsi Palæstinâ, à Ludovico VII. Jun. terram Boigniacam, prope Aurelianum, in Galliâ, dono acceperunt, ubi dein illorum sedes. Suppressus Ordo, aut Melitensi potiùs unitus est, sub Innocentio VIII. Equitibus Gallis reclamantibus: quare, decreto Parlamenti, separatus esse jussus est. Tandem Gregorius XIII. anno 1572. Duci Sabaudiæ Emanueli Philiberto, ejusque Successoribus, ordini S. Mauritii jungendum, detulit: quantum videlicet transalpinas regiones spectat, in Gallia enim sub Henrico IV. restauratus, an. 1608. Uxorati esse possunt, &c. Mennenius, *Deliciæ Equestr.* Albert. Miræus, *orig. Ordin. milit.* Favinus, *Hist. Ord. Mil.* Belloeus, *Orig. & instit divers. Ord. Eq.* Thuanus *lib.* 8.

Lazi, pop. Scythiæ, Plin. 6. 4. Stephanus Themiscyræ reg. esse dicit ad Pont. Eux. Agathias autem Colchos olim eos vocari scribit, Vide Stuckium *ad Arriani Periplum, pag.* 103. Corrigendus Capitol. de Antonino Pio, *Pacorum Regem Lazis dedit*, non *Ladis.* Ad fidem conversi sunt, an. 522. Zatus eorum Rex à Justino Imper. Patre suo lustrico cum sponsa coronam & regiam vestem accepit. Auctor *Hist. misc.* Zonaras *Annal. P.* 3. Cedren. *in Compend.*

Lazi, infimus apud antiquos Saxones hominum ordo: Dividebantur enim in Edhilingos seu Nobiles, Frilingos seu Ingenuos, & Lazzos seu Servos: quam distinctionem cùm Anglidiu retinuissent, sub Richardo II. pars servorum maxima in libertatem sevindicavit. Restat nihilominus antiquæ appellationis memoria, cùm ignavos hodie *Lazie* vocant. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

LE.

Lea, matrona Romana, discipula Hieronymi; laudata ab hoc *epist.* 24. *ad Marcellam*, in quâ Leæ mortem cum Ethnici Consulis designati obitu infelici comparat.

Lea, Æthiopiæ sub Ægypto opp. Plin. Et Ins. circa Ægæum mare.

Lea, urbs Africæ propriæ. Ptol.

Leai, Pæonica gens, circa Macedoniam. Thucyd. *lib.* 2.

Leana, nomen Atheniensis scorti. Hæc linguam morsu abscidit, ne complices conjurationis Harmodii & Aristogitonis, contra Pisistratum, ederet: statuâ Leænæ elinguis ab Atheniensibus honorata. Plin. 34. 8.

Leana montes, vide *Leonum montes.*

Viri illustres.

Leander, Episc. Hispalensis, fil. Severiani, præfecti Carthaginæ, frater Fulgentii & Isidori successoris, doctrinâ & pietate inter primos. Ab Hermenigildo Constantinopolim missus, ibi innotuit Gregorio M. Reversus, in exilium à Leovigildo R. Ariano missus est; paulo tamen pòst revocatus, Gothorum conversioni feliciter incubuit. Obiit an. 603. Sigebert. *de Vir. Ill.* Mariana, Wio, Isidorus *cap.* 28. *de Vir Ill.* Trithemius, &c.

Leander, vel *Leandrius*, patriâ Milesius, de Mileto, & Milesiis commentarium reliquit, testibus Clem. 1. *Strom.* Euf. *de P. E. lib.* 2. Theodor. *serm.* 1. & 8. Arnob. *l.* 6. Laërtio *in Thalete.* Alius est Λέανδρος ὁ Νικάνορ, qui μυθογραφίας consignavit, ac patriâ Cyrenæus fuit, de quo Suid. Steph. Byz. Voss. *Hist. Gr.* 2. 12.

Leander, juvenis illustris ex Abydo Asiæ oppido, vide *Hero.* Inde *Leandrius Hellespontus.* Sil. *lib.* 10. Hujus historiam bellè attigit Lucanus *lib.* 9.

—— *Amore notatum*

Æquor, & heroas lachrymoso littore turres.

Manilius *lib.* 4.

Hic pontus, juvenisq; fretum, mersaq; puella.

Virgilius *Georg.* 3.

Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca serus freta; quem super ingens
Porta tonat cæli, & scopulis illisa reclamant

Æquora: nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere Virgo.

Leander Alberti, Bononiensis, Dominicanus. Scripsit 6. libb. vitas Illustr. Virorum sui Ordinis, & Descriptionem Italiæ, quam Henrico II. Gall. R. dedicavit, an. 1550. ubi sibi ab Anna Viterbiensi alicubi impositum, questus est. Vixit adhuc an. 1552. Gesner. *Bibl.* Voss. *de H. L.* Possevinus *in Appar. Sacro.*

Leandis, Armeniæ min. urbs, in Cataonia reg. Ptol.

Leandrias, Lacedæmonius ad Thebanos profugus, qui in concione detexit, editam esse olim oraculo sortem, Lacedæmonios imperium Græciæ amissuros, quando à Thebanis ad Leuctra victi forent. Diod. *lib.* 15.

Leanita, Arabiæ Fel. gens. Ptol. Inde *Leanites sinus* apud eundem. Sed hic in Persico sinu est. Ibique *Leanita*, in ora, quorum regio *Elcatif* hodie, Castald.

Leaotumum, prov. regni Sin. in parte Boreali, versus Tartariam & regnum Coreæ, prope intimum recessum Sinus Nanchinensis. Hanc prov. primò occuparunt Tartari, quibus subest ab an. 1630. circiter, una cum toto regno. Vulgò *Leaotum*.

Learchus, Athamantis & Inûs filius, quem pater furore correptus occidit, leænæ catulum sibi visus interimere. Quod cùm vidisset Ino, arrepto Melicertâ altero filio, in mare se præcipitavit; atque illa quidem in deam maris mutata est, quam Græci Leucotheam, Latini Matutam vocant: Melicertes autem in deum marinum, quem Græci Palæmona, Latini Portunum dicunt. Ovid. *l.* 4. *Metam. fab.* 13. *& Fast.* 6.

Hinc igitur furiis Athamas sub imagine falsâ,
Tuque cadis patriâ parve Learche manu.

Val. Flacc. *lib.* 6.

—— Inoo linquens Athamanta Learcho.

Inde *Learchæus*. Ovidius, ubi supra;

Mœsta Learchæas mater tumulaverat umbras.

Lebadea, urbs Bœotiæ apud Cephissum fluvium, in cujus agro talpæ nullæ, Plin. *Badia* nunc Zardo. Stat. *Theb.* 7.

Et valles Lebadea tuas, & Hyampolin acri
Subnixam scopulo. ——

Lebana, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Lebaoth, civitas sortis Judæ. Jos. 15.

Lebecii, pop. agri Novariensis: quorum oppidum Forum Lebicorum, *Borgo Lavezzaro*, 5. mill. pass. a Novaria, Mortariam versus. Vide *Lebui.*

Lebedus, Joniæ civitas, à Colophone 120. stad. distans. *Lebedizi-Chisar*, Leuncl. in ora Sinus Jonici, 25. mill. à Teo in Ortum, 15. à Smyrna in Meridiem, 25. à Colophone in Boream. Baudrand. Episcopalis sub Archiepiscopo Ephesino. Ibi ludi in honorem Bacchi quotannis olim celebrati sunt, Ferr. Hîc quoque scenicorum histrionum collegium fuit, qui in honorem Liberi patris ludicra certamina quotannis edebant,

An Lebedum laudas odio maris, atque viarum?
Scis Lebedus quam sit Gabiis desertior, atque
Fidenis vicus. ——

Lebena, vulgò *Lebina*, opp. olim, nunc pagus Cretæ, in ora Austr. inter Leonem promunt. & ostium Catarracti flav. Ibi templum Æsculapio sacrum, circa Phæstum, quò ex Africa & Asia confluebant. Philostr.

Lebhem, villa in tribu Simeonis.

Lebinthos, Strab. Plin. Melæ, Ins. maris Ægæi, Pathmo vicina & Lero; *Levita* vulgò. Ejus meminit Ovid. *lib. de Arte Am.*

Lebna, locus in deserto, ubi 17. Israelitarum mansio fuit. Num. *cap.* 33. Est & civitas sacerdotum in tribu Judâ, Jos. 10. quæ & *Lebana*, Jos. 15.

Lebona, nomen oppidi. Jud. 12. in tribu Ephraim. 4. leuc. à Sichem.

Lebonia, oppidum cum flav. cognom. oræ Ligusticæ, *Entella*, Ptol. inter Clavarum ad Occas. & Segestum ad Ortum. 4. mill. pass. *Lavagna* vulgò.

Leboria, sive *Leborius campus*, Italiæ locus. Plin. 18. 11.

Lebretum, quibusdam *Albretum*, vulgò *Albret*, oppidul. Vasconiæ, in medio nemoris cognom. cum tit. Duc. ab Henr. II. Hinc familia *Lebretensis*, ex qua Navarræ Reges, 10. leuc. à Burdigala in Austr. 8. à Vasate in Occ.

Lebriemelus, fons Liguriæ circa Genuam.

Lebui, pop. Italiæ, quos Livius in Cenomanis inter Brixiam & Veronam describit, ex quo error G. Merulæ patet, eos eosdem cum Lebeciis Polybii facientis.

Lebuni, Hispan. citer. pop. Plin.

Lebussa, vulgò *Lebuss*, urbs Marchiæ Brandeb. à Francofurto ad Oderam 2. leuc. in Bor. Episc. sub Arch. Gnesnensi.

Lebynthus, vel *Lebinthus*, insula maris Ægæi, una Cycladum, Ovidius *Met.* 8.

Dextra Lebynthus erat, fæcundaque melle Calymna.

Mela 2. 7. in censu Sporadum. *Nisyros, Lebinthos, Calydna* Plin. *lib.* 4. *cap.* 17. *Corasia Lebinthus, Leros.* Strabo *lib.* 10. Ἔστι δὲ καὶ Ἀμοργὸς τῶν Σποράδων, Λέβινθος καὶ Λερία. Nomen est a lateribus. Later enim Ebraicè לבנה *lebena*, dicitur, Chaldaicè, & Syriacè לבינתא *lebentha*, vel *lebentho.*

Lecanius, percussor Galbæ, secundùm quosdam. Tacit. *Hist.* 1. 41. A Plut. *in Galba*, nominatur Arcadius. Sed à Græcis non est in Latinis nominibus fides nimium requirenda.

Lecanius Bassus, prænom. *Cajus*, Consul cum Crasso Frugi, an. U. C. 816. sub Nerone.

Lecca, seu *us*, vulgò *le Leck*, fluv. Hollandiæ, seu potiùs ramus Rheni, à quo separatur prope Durostatum, in dit. Trajectensi, dein ad Occ. tendens in parte Merid. Hollandiæ, paulo infra Roterodamum Mosæ miscetur. Vide Guic. *descr. Belgii.* Item fluv. Germaniæ.

Leccena sylva, in prov. Aquitanica prima, Biturigibus atque Arvernis confinis; in qua Aimoini ætate, *lapidea domus Brunichildis Reginæ* ostendebatur, amœnissimo loco extructa. Quærenda est hodie in pago Burbonensi. Vide Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Lecha, nomen loci. 1. Par. 4.

Lechæum, portus Corinthi ad sinum Crissæum sive Corinthiacum. Vix 46 stad. a Cenchreis in Occ. *Lestesocori* Moletio. Statius,

Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo.

Idem alibi,

Ab Inoo fert semita recta Lechæo.

Propert. 3. 19.

Deinde per Jonium vectus cùm fessa Lechæo
Sedarit placidâ vela phaselus aquâ.

Lechi, locus, cui Sampson à maxillâ nomen dedit.

Reges Poloniæ.

Lechus I. ex Bosphoro Cimmerio veniens, Poloniâ potitus est, Anno 550. ejus Dux primus. Slavorum enim gens Scythica, cùm Istriâ sub Justino occupatâ, sub Justiniano dein Imp. totam Græciam devastasset, duos fratres emisit Lechum & Czechum, quorum hic Moraviam & Bohemiam, ille Quadorum terram, quæ hodie Silesia & maj. Pol. occupavit. Successores hujus, an. 150. Poloniam administrarunt, quos, Lechi stirpe extinctâ, 12. Vaivodæ seu Palatini excepere, usque ad Cracum, Cracov. Acad. fundatorem, Ducem declaratum. Cui fil.

Lechus II. successit, qui, occiso inter venandum fratre Craco, an. 750. improlis obiit. Sansovin. *l.* 2. *Chron.* Andr. Cellarius, *nuova descrit. Polon.* Cromerus, &c.

Leci, fil. Semidæ. 1. Par. 7.

Lector, tertius est è 7. ordinibus Ecclesiæ: Primus enim in Clericis, teste Hieronymo *tomo* 4. Fossariorum ordo est: Secundus Ostiariorum: Tertius *Lectorum.* Quartus Subdiaconorum: Quintus Levitarum seu Diaconorum: Sextus Sacerdotum: Septimus Episcoporum. Hinc *Lectorium* pluteus seu locus sublimior in Ecclesia, unde legi solebat; & *Lectionarius* liber, in quo Hieronymus lectiones per totum anni curriculum collegit, al. *Comes S. Hieronymi* dictus.

Lectora, al. *Lectorium*, *Lactora*, & *Civitas Lactoratium*, Gall. *Leictoure*, urbs vetusta Gall. tractus Armaniaci secunda, ad fluv. *Gers*, in regiunc. Lomania, Episc. sub Arch. Auscitano. Hic *Tauropolium* Matri Deorum factum, *pro salute M. Antonii Gordiani Pii Felicis Aug. & Sabinæ Tranquillinæ Aug. totiusque domus divinæ, proque statu Civitatis Lactorat.* ut habet vetus hic inscriptio. Hodie triplici muro cincta, inaccessum ferè montem occupat: Comitatus olim caput. Basilica ejus dedicata est Gervasio & Protasio. Eutherius vetustissimus Præsulum ejus. Oihenart. *in Notit. Vasconiæ*, de Marca *Hist. de Bearn.* Duchenius *Antiq. des Villes.* Sammartanus *Gall. Christ.* Vide quoque in voce *Lactoracium.*

Lectum, Troadis promunt. Ptol. in quod Ida mons desinit. *Scorpiata* Sophiano.

Lecum, civitas, tribûs Nephthali terminus. Jos. 19.

Lecythus, Chalcidensium Eubœæ urbs. Thuc.

Leda, Thestii filia, Tyndari Laconiæ regis uxor, quam cùm Jupiter adamaret, transformatus in cygnum cum eâ concubuit, cùm jam antea ex Tyndaro gravida esset, Marcus Manilius *rerum Astronomicarum lib.* 1.

Proxima sors Cygni, quem cœlo Jupiter ipse
Imposuit formæ pretium, quo cepit amantem,
Cùm Deus in niveum descendit versus olorem.

Expletis itaque legitimis mensibus Leda duo peperit ova, ex quorum altero nati sunt Pollux & Helena, ex altero Castor & Clytemnestra. Ovid.

Leda fuit nigrâ conspicienda comâ.

Idem *Met* 6.

Fecit olorinis Ledam recubare sub alis.

Ledan, sive *Leedan*, vir de cognatione Gerson filii Levi. 1 Paral. *cap.* 23.

Ledi, locus Brabantiæ. Vide Vales. *Notit. Gall.*

Ledia, silva dominica Galliæ, vulgò *Laye*, in qua Monasterium S. Germani, Robertus R. condidit, unde nomen loco, qui hodieque vicus S. Germani in Laja *S. Germain de Laye* dicitur: ab hoc vico agri Parisiaci, ad Pinciacum oppidum Carnutum pertinet. In ea sunt vici præ cœteris Granarium S. Ludovici *la Grange de S. Louys*, Logiæ *les Loges*, Valles *Vaux*, Mansionile *le Mesnil*, Muta *la Muëte*, Pinciacum quoque, & vicus S. Germani, villa regia priùs memorata, quam

Caro.

Carolus V. à fundamentis refeciſſe, atque auxiſſe legitur. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Ledo, Angl. *the neipe tyde*, æſtus maris languidior, qui per 4. penè dies tam ante, quàm poſt ſecundum atque ultimum Lunæ quadrantem, menſe unoquoque accidit, *Malina* Angl. *the ſpring tyde*, contrarius: quæ voces Bedæ ævo, quàm hodie, notiores. Vid. Bedam *de Nat. rer. l.* 1. *c.* 29. & *l.* 3. *c.* 28.

Ledrenſis urbs Archiep. quæ & *Leucotheon*, & *Leucoſia* Gr. *Nicoſia* Sophiano, Cypri Metropolis, in ora Bor. Ptol.

Ledum, Gall. Narbon. fluv. Mela. Vulgò *Le Lez*. Amnis Occitaniæ, oritur 3. leuc. ſupra Montem Peſſulanum; In Cebennis, ſi Sirmundo creditur. Alluit caſtrum Monferrandum, Prata *Prades*, caſtrum Montemferrarium *Montferrier*, Caſtrum novum Pontis Juvenalis *Caſtelnau de Pont Juvenal*, dein ipſam urbem Montem Peſſulanum rigans, paulo infra ad Lataram Caſtrum, quod diviſus amplectitur, iterumque coit, in ſtagnum Volcarum ſeu Magalonæ, & per hoc in mare ſe exonerat. Baudr.

Leemas, civ. tribus Judæ. Joſ. 15. 1. Par. 20.

Leera, opp. Friſiæ Or.

Legenda, liber eſt, in quo ſcribuntur lectiones, in officiis matutinis legendæ, in Eccl. Latina. *Legenda SS.* liber eſt, de Sanctorum vitis tractans, aliàs *Hiſtoria Lombardica* nuncupatus, Henr. Spelmannus *in Gloſſario Archaeol.* Item *Aurea Legenda*, cujus auctor Jacobus de Voragine, qui floruit circa A. C. 1280. Hanc *ſcriptam ab homine ferrei oris & plumbei cordis*, dicere ſolebat Cl. Eſpenſæus, Theologus Sorbonenſis, ex Ludovico Vive. Compoſita etiam eſt *Legenda*, in honorem Clementis, ſicarii Henrici III. Gall. R. cum tit. *Vita S. Clementis*: hunc enim in Sanctorum numerum evexerat Sixtus V. Vide Lætum *Comp. Hiſtor. Univerſ.*

Legerus Johannes, auctor *Hiſtoria Valdenſium*, in fol. quæ prodiit Lugd. Bat. an. 1669.

Leges, Aſiæ pop. qui unà cum Gelis habitant ad Hyrcanum mare. Plut. *in Pompejo.*

Legia, Flandris *Leye*, fluv. oritur in Arteſia, juxta caſtr. *Lisbourg*, dein Tervanam rigat, atque Ariam & Fanum S. Venantii, in Arteſia; Hinc per Flandriam fluens, Minariacum, Armentariam, Meninum, Cortracum urb. alluit, & leuc. aliquot poſtea, juxta Gandavum, in Scaldim ſe exonerat.

Legio, D. Hier. oppidum erat Palæſtinæ, inter Samariam & Ptolemaidem, à Bethacad vico Samariæ 15. ab Arbelis 9. à Nazaret 15. mill. paſſ. in Occaſum.

Legio Athenienſis, Dion. *Thienen*, oppidum Belgii, in Brabantia, quod & *Tilemont*, medium inter Leodiam & Machliniam 7. leucis, à Lovanio 3. in Ortum, quot à Trudonio in Boream, Ferr. Baudrando *Legionem Athenienſem* primam in Germania inferiori inſtituiſſe Domitianum Imperatorem, ſcribit Dionyſius. Dubitat Ortelius, an hæc oppido *Ath* dicto in Hannonia nomen dederit, an potiùs *Thienen* oppido Brabantiæ, quod aliter Thiena ſeu Tilemontium dicitur, inter Trudonium ad Ortum, & Lovanium ad Occaſum, & 25. tantùm mill. paſſ. à Leodio in Occaſum.

Legio Auxiliatrix, Ant. *Scambri*, oppidum olim Pannoniæ inferioris, ad Danubium, quod & Sicambria, nunc pagus apud Budam veterem, teſte Antonio Bonfinio.

Legio Germanica, Ptol. quæ & ſeptima cognominata, *Leon*, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, in finibus Aſturum, media ferè inter Valliſoletum & Ovetum, 22. leucis diſtans, à Burgis 33. in Occaſum, à Pelagio I. Rege poſt captam Hiſpaniam à Mauris anno ſalutis 722. recuperata, & anno 918. regia & caput regni Legionenſis effecta; quod regno Caſtellæ anno 1230. ſub Ferdinando Rege copulatum eſt. Hæc ſub Nerva Imperatore condita traditur, quo tempore Aſturica inſtaurata, Ferr. Baudrando Italis *Leone di Spagna*, urbs eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Compoſtellano, cujus templum Cathedrale totius Hiſpaniæ magnificentiſſimum habitum, ad radices montium, juxta fontes fluvii Eſtolæ, in colle, ſatis ampla, & probè culta. Vix una aut altera leuca diſtat à limite Aſturiæ, 12. ab Oceano in Auſtrum, 15. ab Oveto, 7. ab Aſturica in Eurum, & 24. ab Auca ſeu Burgis in Occaſum.

Legio, vulgò *Leon de Nicaragua*, urbs Americæ Septentrionalis, in nova Hiſpania & regione Nicaragua, juxta lacum Nicaraguæ, recèns ab Hiſpanis extructa, vix centum milliaribus ab ora maris Pacifici diſtans.

Legio 1. Adjutrix. Ant. Vide *Crumerum Aſaum.*

Legio 1. Jovia. Ant. Lib. Not. Vide *Troſmis*, ſen *Triſmis*, & *Novidunum.*

Legio 1. Italica. Ant. Ptol. Vide *Nova*, & *Duroſtolon.*

Legio 1. Macedonica. Ant. Vide *Oeſcus.*

Legio altera Auguſta, Ptol. *Leskard*, apud Iſcam urbem Albionis. Vide *Sebaſta*, & *Iſca Silurum.*

Legio 2. Plin. Vide *Cartenna.*

Legio 2. Auguſta, Plin. urbs Mauritaniæ Cæſarienſis maritima.

Legio 2. Herculia. Lib. Not. Vide *Triſmis*, & *Novidunum.*

Legio 3. Diocletiana. Lib. Not. Vide *Theba.*

Legio 3. Sebaſta. Ptol. Vide *Lambeſe.*

Legio 4. Italica. Vet. inſ. Vide *Antium.*

Legio 5. Anton. Vide *Buruncum.*

Legio 6. Anton. Vide *Burginacium*, & *Samoſata.*

Legio 7. Claudiana. Vet. Inſ. Vide *Vienna.*

Legio 7. Germanica. Ptol. Vide *Legio Germanica.*

Legio 8. Anton. Vide *Auſana.*

Legio 9. Tac. Vide *Gelduba*, & *Calonis.*

Legio 10. Germanica, Ant. Ptol. in Pannonià ſuperiori, apud *Totam*, teſte Bonfinio.

Legio 10. Anton. Vide *Tolpia*, ſeu *Tolbiacum.*

Legio 12. Anton. Vide *Egoriginm.*

Legio 14. Ptol. Germanica, *S. Andrea*, in Pannonia, apud Budam, inde 3. leucis in Occaſum, teſte Bonfinio.

Legio 14. Anton. Vide *Tinurtium*, & *Caballinum*; utrobique enim fuit.

Legio 15. Lib. Not. Vide *Satala.*

Legio 16. Anton. Vide *Aballo.*

Legio 18. Anton. Vide *Sidoleucum*, *Durocortorum*, & *Noviomagum*, inter Ambianos & Sueſſiones, nam in tribus his locis fuit.

Legio 19. Anton. Vide *Agrippina.*

Legio 20. Anton. Vide *Orolaunum.*

Legio 20. Anton. Victrix, ſeu Nicephoria. Vide *Devana.*

Legio 21. Anton. Vide *Duroſtolon*, *Vetera*, & *Troja.*

Legio 22. Anton. Vide *Autiſſiodorum*, *Auguſtodunum*, *Trecaſſes*, *Durocatalaunum.*

Legio 23. Anton. Vide *Ambiani*, & *Deva.*

Legio 24. Anton. Vide *Pontes in Belgio.*

Legio 25. Anton. Vide *Tucci*, *Aqua Sextia.*

Legio 26. Anton. Vide *Geſſoriacum.*

Legio 28. Anton. Vide *Marcomagum.* De his omnibus in ſuis locis vide Ortelii Theſaurum Geographicum.

Legio Trajana. Vide *Trajana.*

Legio Victrix, Vet. Inſc. *Vitry*, oppidum Campaniæ, in Gallia Belgica, inter Aſprenciacum oppidum ad Occaſum 12. leuc. & Barrum Ducis in Ortum. Nunc *Victriacum.*

Legiodunum, Vet. Trad. *Legion*, pagus Inſubriæ, apud oram lacus Verbani & Beſutium, inter Angleriam & Locarnum, ab Angleria 8. mill. paſſ. à Vareſio 12. à Mediolano 42. ſic à Legionibus dictus; olim oppidum amplum & antiquum, ut antiquæ inſcriptiones (quarum una Jovi Maximo, altera Dianæ in marmore conſpicitur) & rudera latè ſparſa teſtantur. Ibi corpora ſanctorum Primi & Feliciani, eò Româ, Sergio Pontifice, (ex Breviario Mediolanenſi) tranſlata, in ſacra æde ſibi dicata ſervantur.

Legionenſe regnum, *Leon* Gallis, *Reyno de Leon* Hiſpanis, pars Hiſpaniæ ſatis ampla ad Boream, inter Caſtellam ad Ortum & Gallæciam cum Portugallia ad Occaſum. Ad Septentrionem terminatur Aſturiis, & à Meridie Extremadura provincia, quæ etiam regno Legionenſi annexa eſt; quanquam malè in quibuſdam tabulis Geographicis ſub Caſtella veteri comprehendatur. Eidem etiam annexa fuit Aſturia utraque, uti aliquando Gallæcia. Legionenſe autem regnum proprium in duas quaſi partes ſcinditur Durio fluvio; ſubeſtque Regi Hiſpaniæ cum annexis. Celebre admodum mediis ſeculis hoc Regnum eſt, quia ſolum fragmenta disjectæ à Mauris Gotthorum in Hiſpania potentiæ, in Pelagio Rege ſuo ſervavit. Poſtquam enim circa A. C. 720. Saraceni cum Mauris totâ ferè Hiſpaniâ potiti eſſent, Pelagius, ex Regio Gotthorum ſanguine ortus, ob illatam filiæ ſuæ vim à Præfecto Saraceno, ad Aſturiorum montes profugiens, ad libertatem reſiduos Gotthos excitavit, hoſtiumque 20000. proſtratis, novum in Aſturiis regnum condidit, Legionemque iis eripuit A. C. 722. Ei poſt 15. annos mortuo, ſucceſſit fil. Favila, cui poſt biennium Adelphonſus, gener Pelagii, qui Saracenorum vires An. C. 738. attrivit, & Chriſtianiſmo reducto, *Catholici* titulum meruit. Ejus ſucceſſor Froiola fil. *Joſephi Saraceni victor*, à fratre Aurelio vitâ & regno ſpoliatus eſt, circa A. C. 770. Ex poſteris hujus Ordonnus II. ſedem ex Aſturiis *Legionem* tranſtulit, titulumque Regis Legionenſis primus aſſumſit, cùm Anteceſſores ejus, Reges Oveti vel *Aſturiæ* dicerentur, Obiit A. C. 923. Poſtmodum civili diſſenſione laborante Hiſpaniâ, regnum Legionenſe à Saracenis ferè totum occupatum eſt, ductu Almanſoris, qui Aſturam obſedit, Barcinonem & *Legionem* expugnavit, An. C. 985. Sed poſt victoris obitum iiſdem diſſenſionum malis impliciti Saraceni, victi iterum ceſſerunt, primusque Ferdinandus I. *Legionenſi* regno Caſtellam adjunxit, hocque poſteriore nomine utrumque regnum porro dici voluit, circa A. C. 1030. Eo mortuo fil. Sanctius Caſtellæ, Alphonſus *Legionis*, Garſias Gallæciæ Reges facti ſunt, A. C. 1065. è quibus Sanctius, fratrum regnis occupatis, Aragoniam quoque nactus eſt: ſed eo interfecto, Alphonſus recepto regno, Toletum Saracenis eripuit, aulâ eò translatâ, A. C. 1080. Ejus poſtea fil. Urraca nupſit Alphonſo Aragonio, qui *Legionis* & Vaſconum regnum conjunxit, An. Chr. 1109. ultimumque Maurorum Regem occidit. A. C. 1110. Obiit Anno Chr. 1134. ſucceſſore fil. Raimiro, qui laborum pertæſus, tradito regno cum filia, Raimundo Comiti Barcinonenſi, in Cœnobium conceſſit, A. C. 1138. Ex horum poſteris Alphonſus, Mauros devicit, A. C. 1212. cui mortuo ſucceſſit Ferdinandus II. qui

 denuo

denuo *Legionense* regnum Castellano in perpetuum junxit, An. Chr. 1217. unoque nomine Castiliam vel Castellam appellavit, cui postea, victis pulsisque Mauris accessere Gallæcia, Andalusia, Granata, Murcia ac Navarra: quam Henricus IV. Castellæ R. suo Imperio adjecit. Matrimonio tandem Ferdinandi Aragonii & Isabellæ Castellanæ, A. C. 1474. reliqua quoque cum his in unum coiere Hispaniæ regna, Lusitaniâ exceptâ, sed quæ sub Philippo II. quoque cumulo accessit. Cœterùm *Legionense* regnum montibus abundat: Ejus primaria urbs est Legio, aliàs sedes regia post Ovetum. Vide Vasæum *in Chron.* Marianam, Turquetum *Rebus Hisp.* &c.

Legionensis regni urbes præcipuæ:

Abula, *Avila.*
Asturica, *Astorga.*
Civitas Roderici, *Ciudad Rodrigo.*
Legio, *Leon.*
Methymna Campestris, *Medina del Campo.*
Palentia, *Palencia.*
Salmantica, *Salamanca.*
Sentica, *Zamora.*
Septimancæ, *Simancas.*
Taurum, *Toro.*

Legionum urbs gemina Angliæ, una Silurum, in Cumbria seu Vvallia, dicta *Legio secunda Augusta*, seu *Isca Silurum*, nunc *Caerleon*, in Monumethensi Comitatu, ad Vsam fluvium; de qua vide *Isca Silurum.* Alia, dicta *Legio vigesima Victrix*, est Deva, urbs Cornaviorum in Anglia, ad Devam fluvium, nunc *Chester*, Comitatus cognominis caput, extra Vvalliam, sed in ipsius confinio. A Ptolemæo Devana dicitur, & à Saxonibus *Legeacester*: urbs est ampla, & emporium celebre, cum portu capaci, & ad æstuarium Devæ. Vide *Cestria.*

Legna, Galatiæ urbs, Anton.

Legum, Siciliæ urbs, circa Lilybæum promuntorium, teste Ptolemæo.

Lehalium, vulgò *Lehal*, oppidum Sueciæ, in Livonia, & in tractu *Vikkeslandia* dicto, versùs oram maris Baltici, à quo vix 6. milliaribus distat, & 12. milliaribus Germanicis in Occasum à Revalia urbe; gaudetque castro satis munito.

Leheman, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Lehunum, vulgò *Lihons en Santers*, Monstreleto *Lihons en Santois*, locus est Galliæ cum Monasterio, in Ambianis, in agro Santeriensi, Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Santeriensis pagus.*

Leidradus, Norimbergensis, Arch. Lugdunensis. Bibliothecarius Caroli M. ab hoc cum Theodulpho, Episc. Aurelian. Galliæ Narbonensi præpositus, ut justitiam in illa exercerent, qui Magistratus *Missi Dominici* dicti. Sponte Archiep. se abdicavit, Anno 813. & in Monasterio S. Medardi, in Suessionibus, obiit. Vid. Adon. *in Chron.* Alcuin. *lib.* 1. *adv. Elipant & ep.* 69. Eginhart. *in vita Caroli M.* Paradin. *Hist. Lugd.* Severt. *Hist. Episc. Lugdun.* &c.

Leilus, fil. Bruti II. cui successit, veterum Britonum Rex, in limite Albaniæ urbis Carlili, conditor. Chenius *Hist. Angl.* Sansovin. *lib.* 2. *Chron.*

Leinum, Ptol. urbs Sarmatiæ Europææ, quam Niger *Lutzko*, urbem Episcopalem Volhiniæ, interpretatur. Vide *Luceoria.*

Leirus, Rex Britonum, patri Bladulo successit, nepos Laili. An urbis Carleiri, quæ Licestria creditur, conditor? Trium filiarum pater, priores duas insigni dote instruxit, Cordeillâ tertiâ, quam non amabat, planè neglectâ. Sed hæc, ob formam, nupta Aganipo Gallorum R. patrem à duobus generis pulsum, per maritum restituit, hæres postea ab ipso regni dicta. Dolion. *in Amphit. Europæ.* Morerius *Dict.*

Leitapons, Script. Germ. *Pruck an der Leyte*, urbs Austriæ, ad Leitam fluvium, in Pannonia superiore, inter Viennam & Altemburgum, inde 4. hinc 6. leucis. Vide *Lutipons in Lutis* (nam & sic scribitur.) De ea *libro* 5. *Itinerarii* sic:

Trans Leitam vehimur; mox grata Neapolis olim
Conspicitur proavo, Maxmiliane, tuo.

Leitus, unus ex 5. Bœotorum ducibus, qui ad Trojam profecti sunt. Hom. *Iliad.* 2.

Leleges, Asiæ pop. origine Græci, ita dicti quasi λελεγμένοι, eò quòd diversis è locis collecti essent, quod Eustathius indicat, & Strabo *lib.* 7. Vide quoque Plin. *lib.* 4. *cap.* 7. Hi primùm insulas tenuerunt; indeque in continentem transgressi, partim in Mysiâ ad Adramyttenum sinum consederunt, partim in eo Joniæ tractu, qui Cariæ est proximus. Unde etiam Plinius tradit, Miletum Joniæ totius caput, *Lelegeida* olim fuisse appellatam. Horum originem nonnulli ad Thessalos referunt, è quibus est Servius explicans illud Virgilii *Æn.* 8.

Hic Lelegas Carasq; sagittiferosq; Gelonos.

Lucanus 6.

Mox Lelegum dextrâ pressum descendit aratrum.

Ovid. *Met.* 9.

Armiferi Leleges, & *nympha Lelegeides*, ibidem. Fuere & in Achaja, apud Locros Epicnemidios.

Lelex, Rex Lacedæmonius, à quo olim Lacedæmon *Lelegia* dicta Eus. *in Chron.*

Lelgovia, Scotiæ regio, vulgò *Lenox*: ubi *Elgovæ* pop. V. ibi.

Lemane, olim pars planæ Arverniæ vocata est, quæ nunc *Limania*, vulgò *la Limagne* dicitur. V. *Arvernia.*

Lemannus, seu *Lemannis*, op. olim, nunc vicus cum templo Albionis in orâ Angliæ Australi. *Limpne* Talboto. Vel ubi Novus portus. Ptol. teste Camdeno in Cantio, vulgò *Lime*, qui & *Limenus* Latinè dicitur. Baudr. vicus est *Lymne*, juxta fretum Gall. 14. mill. Angl. à Cantuaria in Austr. Item lacus Allobrogum, ad cujus egressum Geneva sita est: Per hunc Rhodanus ex Sedunis fluit. Extenditur ab Ortu in Occ. per 18. leuc. habetque à Sept. Helvetios, à Mer. Sabaudiam. Alluit oppida Thononium & Aquianum, in Fosiniaco tractu Sabaudiæ, uti & Lausonium, Nevidunum, Viviscum, & Versojum in Helvetiis, estque inter Galliam Lugd. & Viennensem, Baudr. Vide infra *Lemanus.* Lucan. *lib.* 1.

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Adde Plin. Itiner. Anton. Cluver. inprimis Cæl. *lib.* 1. Auson. Sanson. *Ar.* 105.

Lemanus, Celtarum Rex. Manetho.

Lemanus, & *Lemannus*, quod maximè Poëtis in usu, Ptolomæo λιμένη, Straboni λεμάνη, Dioni ἡ λέμβανος λίμνη, à Lausanna sibi adjacente in parte Orientaliori, inprimis Lacus Lausannensis, *le lac de Losanne*, plerisque in parte præcipuè Occid. Lacus Genevensis, Germ. *der Genffersee*, ab urbe nobiliore Geneva, celebris est Helvetiæ lacus, omnium Europæ navigationis patientissimus & maximus: unde accolis mare audit, & in Annal. Bertinianis *Mare Rhodani* dicitur, quòd hic se per medium lacum agens, quantus venit, egrediatur. Imo & sæpe maris instar sævit, & æstu fervente, non minus ac mare, intumescit, cùm alii lacus eo tempore decrescant. Hunc Vaudi Chronica à Lemano Paradis filio, alii meliùs à Græco λίμνη dictum volunt. A' Sabaudia Helvetiam dirimit, habetque ambo latera elegantibus oppidis vestita, quorum tamen nobiliora sunt, quæ ad Septentrionem ripam sedent, primas inter ea sibi vindicante Lausannâ: Longitudo ejus litoralis, quâ Helvetios respicit, sedecim est horarum, maxima verò latitudo trium, vel etiam quatuor leucarum, seu, ut ait Coignetus in *Epist. Ortel.* longitudo 8. mill. Germ. latitudo 3. ferè implet: Sæpe cùm in superficie aura silet, interno vento in imo fundo latente & accolis *la Vaudaise aut Vaudaire* nominato, turbatur, non sine navigantium periculo. Habet varia promontoria & diversos portus. Lucano *cavus* vocatur *l.* 1. *de bell. Pharsal.*

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Vel ob ripas, utrinque eminentiores: vel ob diversos gurgites imperscrutabilis profunditatis. Mantuano *gelidus*:

Huc veniunt gelidi quos nominat unda Lemanni.

Quod mirum, cùm nunquam congeletur, sed potius, quò magis frigescit, eo fumosiores vapores exhalet. Bartholino *Ostrifer* vel *Oestrifer*:

Ostrifero madidum caput occultare Lemanno.

Namque & ostrea fert & œstros i. tabanos, circumagentibus æstivo tempore mirè infestos habet. Freyus *cap.* 9. *adm. Gall.* quatuor miranda de hoc lacu refert: *quod maximus, quòd venti ex ipso fundo assurgentibus attollatur sereno alias & quiete cælo: quòd, ut Gregorii verba sunt, pisces truttas centum librarum ferat: & quòd Germanis, quos jam Alemanos vocamus, nomen dederit, ut multis visum.* Vid. Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Ant. Nov.* ut & supra in voce *Lemannus.*

Lemba, Syriæ op. Joseph. *Ant.* 13. 23.

Lemburgus, nunc *Limborg* Gall. *Limburg* Germ. oppidum Belgii, haud procul à Leodico, caput Ducatus cognom. unius ex 17. Belgii provinciis, hactenus sub Hispanis: quibus A. C. 1675. à Ludovico XIV. Gall. R. ereptum est. Origo Ducatus est ab Henrico *Lemburgensi*, qui An. C. 1101. Dux Lotharingiæ ab Imper. Henrico III. factus, unus è ducibus exercitus ejus fuit, *Comes Arduennensis* quoque Miræo dictus, cujus ope Imperator, Imperio cedere à filio coactus, illud recuperare est conatus. Sororem Ducis *Lemburgensis*, Godefrido Lotharingiæ Duci nupsisse, A. C. 1160. memorat Balduinus de Avesnis. V. Hadr. Val. *Notit. Gall.* & infra. in voce, *Limburgensis Ducatus.*

Lembus Heraclides, conditor antiquitatum Romanarum; Festo & Solino laudatus.

Lemgovia, vulgò *Lemgow*, urbec. Hanzeatica Westphaliæ, sub proprio Com. cum dit. adjacente. Media inter Mindam ad Bor. & Paderbornam ad Mer. 5. utrinque leuc.

Lemigius, Thrax, Exarchus Italiæ 6. A. D. 610.

Lemnia mulieres, viros omnes præter Thoantem regem (à quo Hypsipyle filia manus abstinuerat) internecione sustulerunt, eò quòd illi uxores aversati, quo abjectis discederent, bellum Thracibus intulerunt, ut qui pessimum earum odorem à Venere immissum ferre non possent. Myrtilus tamen *secundo Lesbiacorum* aliter. Scribit enim Medeam, cùm juxta Lemnon Argonautæ à Colchide redeuntes navigarent, præ zelotypiâ venenum in

num in Lemnon jecisse, quo Lemniis fœminis gravissimus atque intolerandus est injectus fœtor. Argonautæ igitur ad insulam appulsi passim cum fœminis coierunt, benignè ab illis accepti. Æschylus tamen *in Hypsipyle* eas in armis egressas Argonautas accessu prohibuisse scribit, quoad illi jure jurando fidem fecerunt, se cum iis coituros. Sophocles etiam in Lemniis prælium grave inter utrosque commissum scribit: quos secutus videtur Papinius *in Thebaide*. Ibi cùm Argonautæ deliciis & voluptati vacantes, moræ aliquantum traxissent, ab Hercule increpiti ad Samothraciam navigarunt, ubi Cabiris sunt initiati.

Lemnos, ins. maris Ægæi, satis fertilis & plana, cum portubus aliquot: ubi Muctedar, Saracenorum Dux, classem amisit, Anno Chr. 916. Zonar. *in Hist.* Calvisius *Chronol. &c.* Thraciam à Septentrione, ab Occasu Athon montem habens, fabuloso Vulcani casu nobilis est, quem à matre Junone simul atque natus fuit, ob deformitatem præcipitatum in hanc insulam decidisse, ac propterea *Lemnium* appellatum fuisse, volunt. Eadem & *Hypsipylæa* dicitur à filiâ Thoantis ejusdem nominis, quæ in hâc insulâ regnavit. Hodie *Statimene* Turcis & Italis vocatur. *Malum Lemnium*, de maximo & miserando malo, & *Lemnia manus* pro impiâ, & nefariâ manu, vel à Lemniis mulieribus, de quib. supra. vel quia Atticæ mulieres à Pelasgis huc adductæ, & compressæ, filios genuerunt, qui, cùm in Pelasgos insurgerent, ab illis ad unum cæsi, indeque gravissima mala secuta sunt. Pelasgi enim cùm in Attica prius habitarent, ab Atheniensibus pulsi Lemnum incoluere, raptasque Atheniensium mulieres, cùm extra urbem Minervæ facerent, Lemnum deduxerunt, atque ex illis, velut concubinis, liberos sustulerunt, qui cùm à matribus Attico more educati, aliis Pelasgorum liberis commisceri nollent, sique ab aliquo pulsari contigisset, injuriam junctis viribus propulsarent, Pelasgi id videntes, illos unà cum matribus ex improviso omnes occiderunt. Unde sterilitas, orbitas, pestilentia, aliæque clades, quibus afflicti Delphicum Oraculum consuluerunt, quonam modo à tantis malis liberarentur, quibus responsum fuit, ut Atheniensibus satisfacerent: Cumque Athenienses tum demum sibi satisfactum iri dicerent, si illi relinquerent Lemnum, responderunt Pelasgi, tum se Lemno decessuros, cùm eo uno die vento Boreali adnavigassent. Quod cùm nullâ ratione fieri posse crederent, Miltiades Atheniensium Dux, coloniâ in Chersonnesum deductâ, inde, tanquam domo suâ, uno die flante Boreâ Lemnum pervenit, sic Pelasgi cessere. Vide Plin. Strab. Ptolom. Herodotum, *lib. 6.* Eurip. *in Hecuba.* Erasm. *in adag.* Ovid. *in ep. Hypsip. ad Jas.*

Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti.

Trojani belli tempore Philoctetes ab hydro, vel chersydro morsus, aut, ut Sophocles, à vipera, in hâc insulâ relictus est, ut poetæ passim testantur, quia Vulcani sacerdotes Lemnii ἐθεράπευον τοὺς ὀφιοδήκτους. Ita habet Eust. *in lib. 2. Iliad.* Lemnum sc. nobilitat imprimis terra Lemnia; cujus astrictoriâ vi labra vulnerum coalescunt, & obducuntur maximè in venenoso morsu. Galenus, cùm in Lemnum ideò navigasset, ut hujus terræ vires penitiùs cognosceret, quendam refert se convenisse, qui ἐπὶ τραυμάτων καὶ παλαιῶν, καὶ δυσεπουλώτων, ἐχιοδήκτων τε καὶ ὅλως θηριοδήκτων, ἐπί τε τῶν θανασίμων φαρμάκων, οὐ προδιδοὺς μόνον, ἀλλά τε καὶ ἐπιδιδοὺς ἐχρῆτο τῇ σφραγῖδι, *ad vulnera cùm vetera, tum cicatrici obducendæ contumacia, & ad morsus viperæ, adeoque omnes venenosos morsus, & lethalia venena, non solùm pro antidoto, sed & post venenum sumptum sigillo utebatur*, id est, *terrâ sigillatâ*, sive *Lemniâ*. Inde pharmaco nomen, adeoque toti insulæ, uti putat Bochartus. Nam Arabicè לאם *lamu*, cùm de vulnere agitur, est *consolidare, obstringere, agglutinare*. Videant igitur peritiores an fiat Lemnos, vel ex simplici לאם *lama*, vel ex composito לאם נחש *lam-nahs*, q. d. συνκλωτικὸν φάρμακον τῆς δήξεως, id est, *pharmacum vulneris ex morsu obducendi vim habens*. Arabicè enim נחש *nahs* est *morsus*. Ideo autem Vulcanus fingitur in Lemnum è cœlo delapsus, ὅτι πῦρ ἐκεῖ γῆθεν ἀνεδίδοτό ποτε αὐτόματον; *quia olim ibi è terrâ erumpebat spontaneus ignis*, ut scribit Eust. *in libr. 1. Iliad.* Itaque etiam Αἰθάλειαν veteres vocarunt, teste Polybio apud Steph. ἀπὸ τοῦ αἴθεσθαι *ab ardendo*. Lycophron *in Alexandra*,

Τεφρῶσαι γυῖα Λημναίῳ πυρί.
Adurens igne membra Lemnio.

Sen. *in Herc. Oetæo,*

Quæ tanta nubes flamma Sicanias vomit?
Quæ Lemnos ardens? —— ——

Vide Suidam in Λήμνιον πῦρ. Loci præc. hujus Ins. Mandra, in ora Or. Cochinum, olim Hephæstias, & Castrum vetus, seu *Paleo Castro*. Suberat antè Venetis, nunc Turcis, à Mahumetis II. temporibus.

Lemovices, *Limovici* Ptol. Gall. Aquit. pop. Pictonibus vicini, hodiè *Limosins*. Hos Vercingetorix, cùm à Romanis defecisset, celeriter sibi unà cum Senonibus, Parisiis, Pictonibus, Cadurcis, Turonis, Aulercis, Andis adjunxit. Præterea *Lemovicibus* ad Alesiam liberandam imperata esse 10000. armatorum tradit Cæsar *lib. 7.* quot Bellovacis, Belgarum potentissimis. Strabo 14. Gentibus, habitantibus inter Garumnam & Ligerim, Julianæ Aquitaniæ conterminis, eique ab Augusto contributis, *Lemovices* annumerat: Plinius inter Bituriges Cubos & Arvernos in Aquitania: Claudius Ptol. in mediterraneo Aquitaniæ, sub Pictonibus collocat. Caput pop. olim Ratiastum fuit, quod postea, deposito veteri nomine, *Lemovica* vel *um*, dici cœpit. Vide *Lemovicum*.

Lemovices Armorici, quorum Cæsar meminit *lib. 7. de bello Gall.* ubi ait, universis civitatibus, quæ Oceanum attingunt, imperata esse sena millia: pop. Galliæ fuit Celticæ seu Lugdun. priori paulo obscurior, nec temerè cum illo confundendus. Hodie *Leonenses* videntur esse Valesio, pars Osismiorum: quorum Leonensium opp. vulgò *Leon*, vel *S. Paul de Leon* Britanni appellant, à Paulo Episcopo, in Monast. cognom. ibi sepulto, cui *Childebertus primus Agnensem Leonensemque pagos tradidit, & Indualis cognom. Candidus Domnonensis patria dux, territorium, quod modò dicitur ex nomine Pauli, donavit*; Auctor *vita S. Pauli Leon.* apud Hadr. Val. *Not. Gall.*

Lemovicum, Ptol. *Rhatiastum* olim, Gall. *Limoges*, urbs ampla Gall. Episc. sub Arch. Bituricensi, ad Vigennam fluv. mercatu opulenta & celebris, intra colles, in vett. Not. inter prov. Aquitanicæ primæ civitates octo sextum locum obtinet, Rutenis, Albiensibus Cadurcisque postposita, quibus Lemovices olim multò validiores fuere: In recent. quintum, Albiensibus in septimum rejectis. Habuit olim Amphitheatrum suum extra muros, unde Ecclesia *S. Mariæ de Arenis* nomen habet, hodieque inter 7. portas, quarum duæ obstructæ sunt, una Lemovicis est *porta Arenarum* dicta, quòd per eam ad Amphitheatrum cives egrederentur: Ibidem & Cœmeterium Arenarum est *le Cimetiere des Arenes*, locus Lemovicinorum ambulationibus celebratus. In eadem urbe, sub Merovingis, monetam percuti solitam esse, aurumque fiscale purgari fornace consuevisse, docet Audoënus *lib. 1. de vita S. Eligii.* Ex ejus Episcopis Ruricius Concilio Aurelianensi 4. interfuit. Distat 20. leuc. ab Engolisma in Ort. 25. à Pictavio, versus Austr. Caput prov. Lemovicensis, *le Limosin*, sub qua etiam sæpe Marchia Lemov. *la Marche* comprehenditur. Terminatur ab Ortu Alvernia, ab Occ. Petrocoriensi prov. & Pictavensi, à Mer. Cadurcensi, à Sept. Bituricensi. Cùm strictè sumitur, Marchiam ad Bor. habet. Baudrandus. Secundùm Valesium dividitur hæc prov. in Inferiorem *le bas Limosin*, & Superiorem *le haut Limosin*: parsque ejus est Marchia Lemovicum *la Marche de Limosin* simili modo divisa: in qua opp. vel castella sunt, Subterranea *Souterraine*, Duratium *le Dorat*, Varactum *Gueret*, Vartimpo fluvio cognominis *Vartempe*. Hujus regionis incolas quidam indigenas esse volunt & Aborigenes, eorumque conditorem faciunt Lemovicem, ab Gomeritis oriundum. Subjugarunt eos aliquando Gothi cum totâ Aquitania: scribuntur inde Franci, Gothis exturbatis, Lemovicibus dedisse gubernatores: leguntur & constituti ipsis Comites & Duces: hi quidem gerendo bello, illi verò justitiæ administrandæ, Merula.

Oppida & Castella prov. Lemovicensis.

Albucio *Aubuçon*, ad Crosam.	Lemovicæ caput Gentis.
Briva Curretia *Brive la Gaillarde*, seu *Courreze*.	Rupes Cavardi *Rochechouard*.
Caslucium *Chalus*.	Solemniacum *Solonniac*.
Confluentes *Confolan*, ad Vigennam.	Torinna *Turenne*.
Curretia *Courreze*.	Tutella *Tulles*, nunc sedes Episcopi.
Insula Jordanis *l'Isle Jourdain*.	Ventadurum *Vantadour*.
	Usercha *Userche*, ad Viseram fluv. *la Vezere*.

Hic Synodo habitâ A. C. 1029 disceptatum acriter, an D. Martialis, inter Apostolos vel Confessores referendus sit; armis dein omnibus interdictum, & jejunium in pane & aqua feriâ sextâ, institutum est. V. Baron. *in Annal. ad A. C.* 1038.

Lemovii, Germaniæ pop. Tacit. *Mecklenburger*, Ortelio; *Lifflánder* Curæo. Cluverio, postea *Heruli*; ubi nunc Pomerania Occidentalior, ad mare Balt. inter Oderam ad Occ. & Prussiam ad Ort. A' *Lemen* Germ. Limus. Sed annon *Linones* Helmoldi, vel potius *Luinones*?

Lempta, vulgò quoque *Lempta*, desertum amplum Africæ, in Zaara regione, cum urbe cognom. versus Biledulgeridiam, inter desertum Berdoæ ad Ort. & des. Targæ ad Occ. Joh. Leo & Marmol. *descr. Afr.*

Lemures, larvæ nocturnæ, & terriculamenta. Horatius 2. *Epist.* 2.

Nocturnos Lemures portentaque Thessala rides.

Pers. *Sat.* 5.

Tunc nigri Lemures, ovoque pericula rupto.

Ovid. *Fast.* 5.

Mox etiam Lemures animas dixere silentum.

Sic dictos volunt, quasi *Remures* à *Remo* scilicet, cujus occisi animâ Romulus exagitabatur. Hinc *Lemuria*, festa Lemuribus sacra, quæ cùm celebrabantur (id autem erat mense Majo) templa omnia claudebantur, nuptiæ omnes infaustæ putabantur, quæ res locum fecit Proverb. *Malum mense Majo nubere.* Ovid. *Fast.* 5.

Ritus erat veteris nocturna Lemuria sacri;
Inferias taciti Manibus illa dabant.

Vide

Vide quæ sequuntur *Vers.*485.

Lemuris, fluv. Liguriæ ex Apennino, juxta Octavium & Gavium opp. in urbem fluv. agri Alexandrini influens; Vulgò *Lim* vel *Lemo*: Tab. antiq.

Lena, sacerdotes Bacchi, Joh. Parrhasius *ad illud Claudiani lib.* 2. *de Raptu*,

—— *Quales referunt Baccho solemnia nymphæ.*

Lenæus, Bacchi cognomen ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, hoc est, *a torculari.* Virg. *Georg.* 2.

Huc pater ô Lenae veni, nudataq; musto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

Tibullus,

Odit Lenæus tristia verba pater.

Lenas, Vide *Vipsanius.*

Lendesius, seu *Leudesius*, fil. Erchenbaldi seu Erchinoaldi, Palatii Mag. seu Major Domus in Gallia, cæsus ab Ebroino An. Chr. 680. ex regia Sigismundi Burgundi stirpe uxorem habuit: Inter Austriacorum Principum progenitores.

Lenicum, opp. agri Vincentini.

Lenteburgum, vulgò *Lentzburg*, opp. Helvetiæ, cum arce, in Argovia, intra Hallvillam, prope Arolam, 1. mill. ab Arovio, & 1. à Brugis Helvet. caput Comit. cognominis. Olim enim Comites habuit illustris & perantiquæ stirpis, qui ex Lentiensibus *Lintzgòwer*, Sueviæ Algoviæque incolis orti, Valentiniani Martianique Imperio, Alemannorum in Helvetiam irruptione factâ, hic sedes sumsere. Postea, per conjugia, ad Habspurgios pervenit, & aliquandiu Austriacorum Principum imperium agnovit. Sed proscripto Friderico Austrio A. C. 1415. opp. cum arce, jussu Sigismundi Imp. à Bernatibus occupatum, hisque postea ab Imperio pignori datum, iis etiamnum subest; sedes præfecti arx est: interim peculiarem opp. Senatum, sub capite Sculteto habet. V. Stumpf. *l.* 7. *de Argovia.*

Lentia, urbec. culta Austriæ sup. cum ponte ad Danubium, & castro splendido, ubi peramœnus secessus Imperatoris. 6. leuc. à Passavia in Ort. *Lintz* vulgò.

Lentienses, Vindeliciæ populi. Ammianus. *Lintzgòwer* Tschudo.

Lentini, sive *Lentuli*, Romani quidam cognominati sunt à *lente*, ut *Cicerones* à *cicere*, & *Fabii* à *fabâ*. Inde *Lentulitas.* Cic. 3. *ad Ap. Ullam Appietatem, aut Lentulitatem valere apud me, plus quàm ornamenta virtutis existimas?*

Lentinus, vide *Terentius.*

Lentium, opp. Artesiæ. Captum à Gallis, an. 1557. Direptum à Cameracensibus, an. 1582. Receptum paulò pòst, nunc sub Gallis, aliàs munitum. Alluitur amne *Souchets*; 3. leuc. ab Atrebato in Bor. 4. à Duaco in Occ. Hic Hisp. grandi clade affecti, à Gallis, Anno 1648. Duce Condæo; *Lens* vulgò.

Lentudum, Pannoniæ sup. urbs. Ptol. *Lutenberg*, teste Lazio, in confin. Stiriæ & Hungariæ, ad Muram fluv. inter Bolentium ad Occ. & Canisiam ad Ort. 3. leuc. ac inter Pætovionem ad Mer. ac Olimacum ad Bor. 3.

Lentula, opp. Pannoniæ sup. inter Joviam ad Occ. & Serotam in Ort. 32. m. p. ab Aquaviva, 52. Anton.

Viri illustres.

Lentulus, nomen familiæ Romanæ, priscæ & illustris. An à lente, quâ primus hujus nominis in facie insignis fuit? L. Corn. *Lentulus*, Consul cum Q. Publio Philone, A. U. C. 427. Alii Anno 517. 555. 557. *Lentulus* & Domitius, an. 592. Scipioni Nasicæ & Martio Figulo surrogati. L. Corn. *Lentulus* Lupus, cum eodem Figulo Anno 598 Alius Anno 608. App. Claudius *Lentulus*, cum Perpenna, Anno 624. Cn. Cornelius *Lentulus*, & Licinius Crassus, an. 657. Alius an. 683. P. Cornelius *Lentulus* Spinter, Anno 697. & Cn. Corn. *Lentulus* Marcellinus, Anno 698. Alius an. 705. 736. 751. 753. qui annus natalis JESU CHRISTI. Cossus *Lentulus* Isauricus, Cons. A. C. 25. Cn. Corn. *Lentulus*, V. infra, & Fastos Consulares, Prosper. Cassiodor. &c.

Lentulus, Præsul veteris Ecclesiæ, cui Epistola quædam tribuitur.

Lentulus, comes Druso Tiberii F. ad seditiosas Pannonicas legiones, jussu patris profecto, additus, quòd ante alios ætate & gloriâ belli firmare Drusum credebatur & illa militiæ flagitia primus aspernari, invisus militibus; nec multò pòst digrediens cum Cæsare ac provisu periculi hiberna castra repetens, lapide ictus & exitii certus adcursu multitudinis, quæ cum Druso advenerat, protectus est. Tacit. *Ann.* 1. 27. Super consulatum & triumphalia de Getulis adeptus est, unde *Getulicus* dictus. Primùm benè toleravit paupertatem, dein magnas opes innocenter acquisivit & modestè habuit, *lib.* 4. 44. Mortuus est Cornelio Cosso, Asinio Agrippa Coss. Filius ejus cognominis cum C. Calvisio consul; cujus Historiæ & Poëmata laudantur à priscis.

Lentulus Augur, prænom. Cajus, divitiarum maximum exemplum, antequam illum libertini facerent pauperem, quater mille H-S. suum vidit: ingenii tam sterilis, quàm animi. Cùm enim esset & avarissimus, nummos citiùs emittebat, quàm verba; tanta erat illi inopia sermonis. Fuit verò angore & metu, ad fastidium vitæ, à Tiberio actus; ut ne quo nisi ipso hærede moreretur.

Lentulus Getulicus Cnejus, sub Tiberio, Germ. sup. legiones curabat, mirumque amorem assecutus erat effusæ clementiæ, proximo quoque exercitui, per L. Apronium socerum, non ingratus. Unus omnium Sejani affinium incolumis, multùque gratiâ mansit. Ejus accusator Abudius Ruso exilio punitus, Tacit. *Annal.* 6. 30. Consul cum C. Calvisio Sabino. Filius erat Cn. *Lentuli* Cossi Getulici, qui cum C. Calpurnio Pisone Consul fuit. Vide supra. Occisus tandem, jussu Caligulæ, quòd militibus gratior esset. Sueton. *in Calig. cap.* 8. illum historiæ Auctorem, Martial. *in præfat. libr.* 1. Poëtam facit. Laudatur Probo Gramm. *in Virgil. Georg.* 1. Vid. insuper Tacit. *Annal. libr.* 4. *&* 6. Dionem Cass. *libr.* 49. *&* 59. ac Sueton. *in Tiber. cap.* 39. Sidonius Apollin. *libr.* 2. *ep.* 10. ejus & Cæsenniæ meminit, ut & *Car.* 5. Adde his Gesner. *Biblioth.* Voss. *de Histor. Lat. libr.* 1. *cap.* 25. &c.

Lentulus Marcellinus à partibus Cæsaris, filius Cn. Lentuli Marcellini Consulis anno 697. fuit Cæsaris Quæstor: à Marcellis omninò adoptatus videtur, cùm esset Corneliâ familiâ oriundus.

Lentulus Spinther, prænomine *Publius*, Hispaniæ Prætor, Augur & Consul in partibus Pompejanis, à Cæsare Cornificii interceptus. In argenteis denariis à se in Hispaniâ cusis expressit tum Pontificatus insignia, tum Quæsturam Hispaniensem cum notis: P. LENT. P. F. L. N. Q. S. C. nam hunc denarium cudit, ut ex ejus formâ apparet, Quæstor cùm esset in Hispaniâ.

Lenus, regio Pisarum. Steph.

Imperatores Orientis.

Leo I. Imper. Orientis, cognom. Macelles, Senior & Magnus, natione Thrax, Martiano, operâ Asparis Patricii, successit, An. Chr. 457. Edicto publico Concil. Chalcedonensis auctoritatem tuitus; Occidenti Majoranum, Anthemium, Olybrium, Julium Nepotem successivè præposuit. Contra Vandalos bellum gesturus, Basilisco, Verinæ uxoris fratri, classem mille navium tradidit, quâ ille, à Genserico argento corruptus, proditâ, nihilominus, veniam impetravit. Asparem tamen & Ardaburium fil. ejus, unde hæc mala orta, à se removit, hujus uxore Ariadne, filiâ suâ, Zenoni Isauro traditâ. Obiit Constantinopoli, Anno Chr. 474. Imper. 18. Princeps Orthodoxus, clemens & in literatos beneficus, sed indulgentior in hæreticos, & Zenone genero lecto imprudens. Varias condidit leges, quæ in Codice Justiniani habentur, &c. Niceph. *lib.* 15. Evagr. *libr.* 2. Procop. *de B. Vandal. libr.* 1. Cedren. *in Compend.* Marcellin. & Cassiodor. *in Chron.*

Leo II. Junior, fil. Ariadnes ex Zenone Isauro, in cunis, Avi jussu, Augustus pronuntiatus, decimo pòst mense Anno æt. 3. an veneno à patre propinato? Obiit. Candidus Isaurus, *libr.* 1. *Hist. Byz.* Marcellinus & Cassiodorus *in Chron.* Nicephorus, Suidas, &c.

Leo III. Isaurus, 71. Rom. Imp. An. Dom. 717. Classem Solimanni, urbem gravi obsidione prementem, incendit ac dissipavit: Omari verò successoris, fame ad reditum compulit. Anastasium II. ope Bulgarorum, Imperium repetentem, summovit: Constantino filio coronato, Anno 720. Statuas ex templis congestas in medio urbis concremavit, in contradicentes sævus. Apud Pontificem Gregor II. pluribus egit, imagines ut aboleret. Cui Papa restitit, perque universum orbem scripsit, ne Imperatoris jussionibus obedirent, & in apertam rebellionem plurimos abduxit. Blond. *lib.* 10. A Gregorio III. quoque excommunicatus, in solutos ab obedientia sua per Pontificem Italos classem misit, quæ in mari Adriatico tempestatibus disjecta est: ipse morbo intestinorum confectus obiit an. 741. Imper. 24. Beda *de* 6. *æt.* P. Diaconus, *l.* 6. *c.* 47. *& seqq.* Historia Miscell. Cedrenus, &c.

Leo IV. Rom. Imp. 74. cognom. Chazarus, An. Dom. 775. post patrem, Constantinum Copronymum, venerationem imaginum mysticam idololatriam ratus, eam in aulicis conjugeque Irene damnavit. Constantium fil. Imperatorem creavit, Nicephorum fratrem, cum sociis rebellem, oppressit, Telerichum, Bulgarorum R. pulsum in fidei communionem ac affinitatem recepit, Saracenorum in Syria Amiras quinque, & 6000. Arabum occidit. Febri correptus decessit, Anno 780. Cedren. *in Compend.* Theoph. *l.* 23. Blondus.

Leo V. Imp. Constantinopolitanus, An. Dom. 813. cognom. Armenius, fil. Bardæ, Michaëli Rangabo successit, à Nicephoro Patr. coronatus. Is Chrumnum Bulgarorum regem ex partâ victoriâ elatum, qui Constantinopolim exercitum duxerat, eruptione factâ, interfecit, Bulgarosque repulit. Honoris divini contra imagines, hominum opus, assertor, Patr. Nicephorum, harum defensorem, pepulit, Theodosio surrogato; Hinc à Paschali I. excommunicatus. Occisus est à Michaele Balbo domesticorum comite, tum captivo, qui per arma ad imperium sublatus est, Anno Dom. 821. Zonar. *tom.* 3. Cedren. *in hist.* Blond. *l.* 2. *dec.* 2.

Leo VI. Basilii Imp. fil. Constantinopolitanorum Imperator II. cognom. Sapiens, seu Philosophus, successit Basilio Macedoniano patri, Anno 886. postquam à Theodoro Santabareno Monacho, apud Patrem, insidiarum in ipsum structarum, falsò delatus, &

propterea in carcerem septennalem conjectus, hinc tandem intercessione Magnatum & Psittaci voce crebrò ingeminantis, *Heu Domine Leo!* innocentiâ in apricum productâ, liberatus esset. Jam Imperator Photium Patr. pepulit, imposturam Santabareni ultus est. A' Simeone Bulgaro victus, rursum eum per Ungaros evocatos magnâ clade superavit. Primus cum Turcis fœdus pepigit; sub Nicetæ ductu emissâ classe, cum Saracenis Siciliam Lemnumque vastantibus victor conflixit. A' Marco Monacho fuste vix non trucidatus, Beneventanum Ducatum occupavit. Urbem ipse noctu vigil obiit, custodes, à quibus pulsatus est, remuneratus, reliquis amotis. Obiit Anno 911. Imperii 25. Ex Zoë, quartâ uxore, pater Constantini Porphyrogenetæ. Scripsit varia, Epistolam inprimis circularem, qua omnes fideles ad sanctè vivendum hortatus est: aliamque de veritate Relig. Christ. ad Saracenorum R. scriptam: quarum illa à Frid. Metio, hæc à Seb. Champiero versa, prodiit. Gretserus 9. ejus Orationes publici juris fecit, Anno 1600. Combefixus 10. alias addidit, Anno 1648. Prodierunt quoque ejus *Tactica, Opus Basilicarum, Novella Constitutiones*, &c. Scylitzez, Zonaras, Glycas, Manasses, Cedrenus, &c.

Armenia Reges.

Leo I. ex stirpe Lusignana, Armeniæ R. filius Livonis III. Obiit improlis; successit ei patruus

Leo II. qui ex Irene Tarentina, prioris vidua, suscepit *Leonem III.*

Leo III. regno, uxore liberisque exutus à Turcis, omnes Europæ aulas, auxilium emendicaturus adiit. Parisiis obiit an. 1393. Sanut. Juven. de Ursinis, *in Carolo* VI.

Pontifices, Patriarcha, &c.

Leo I. Magnus, Tuscus, primatus Papæ propugnator, quem tamen & Ravennæ Episc. sibi arrogabat, quòd laneo pallio, quo soli Imperatores utebantur, à Valentiniano donatus esset. Successit Sixto III. Anno 461. postquam in Gallia Aëtii & Albini Ducum reconciliationi incubuisset. Nestorianis in Oriente, Vandalis in Africa, Manichæis in Occidente obnixus, Pelagianos Italiâ penitus pellere instituit, Prosperi Aquitani ad id ministerio usus. Controversiam inter Viennensem & Arelat. Eccl. exortam decidit, Eutychianis, qui Lystricâ Synodo hæresin suam stabiliverant, se opposuit. Ad Concil. 4. Occum. Chalcedone à Marciano Imp. celebratum, legatos misit: an. 451. Canoni, quo Sedi Constantinopolitanæ, secundæ à Roma tributæ, restitit, unde infelix *de Titulo Universalis* certamen ortum. Attilam, post cladem in Gallia acceptam, Romam properantem, facundiâ suâ avertit. Eutychianismi ab æmulis accusatus, literis ad Marcianum, Eudoxiam & Pulcheriam, se purgavit. A' Genserico, qui Romam captam 15. dierum rapinæ exposuit, impetravit, ne urbi ignis immitteretur. Obiit an. 461. Opera ejus, Sermones & Epistolas Decretales continentia, sæpius impressa. Gennad. *c.* 70. Honorat. Augustodun. *l.* 2. *c.* 69. Photius, *cod.* 52. &c. *Hilarius* successit.

Leo II. Siculus, Agathoni successit, an. 683. Eruditus & Musicæ apprimè peritus. Ejus quinque habentur Epistolæ, quas Baronius, quòd in iis Honorius P. damnetur, pro supposititiis rejicit. Obiit an. 684. Anastas. *in Vitis Pontif.* Ado Viennensis, *in Chron.* Eum excepit Benedictus II.

Leo III. Romanus, Adriani I. successor, an. 795. fil. Asuppi, Carolo M. juramentum subjectionis ac fidelitatis dixit, ad quem se receperat, à Romanis orto tumultu vix non interfectus: Hanc injuriam vindicavit Cæsar, Romamque perveniens, à Leone coronatus est Occidentis Imper. Quo mortuo, Leo ab æmulis impetitus, quosdam neci dedit, missis legatis ad Ludovicum Pium, cui hæc minimè placebant, factum excusare conatus, qui Bernardo Italiæ R. in mandatis dedit, ut quid factum esset cognosceret, seditiososque puniret. Obiit an. 816. Anastas. *in Vitis Pontif.* Eginh. *in Vita Caroli M.* Adhemar. *in Lud. Pio.* Platina, *in Leone III.* &c. Successit Stephanus V.

Leo IV. Romanus, Sergium II. excepit, an. 847. Urbem Romam reparavit, *Leonina* nomine ei indito, Saracenos vicit, an. 848. Leopolim condidit, pedes deosculandos populo præbuit, Basiliscum halitu infestum Româ expulit. Obiit an. 853. Successit Johan. VIII. sexu fœmina. Platina *in Leone IV.* Sigon. *l.* 4 *ad an.* 847. Onuphr. *in Chron.* Baron. *in Annal.*

Leo V. post Benedictum IV. Papa, an. 906. quadragesimo pòst die, à Christophoro, qui se vi intrusit, in carcerem conjectus est. Genebr. *in Chron.* Successit Christophorus.

Leo VI. Romanus, Johanni XI. à Marozia incarcerato, successit. an. 929. similiter in vincula conjectus, sub initium anni 928. Flodoard. *in Chr. Rem.* Luitpr. *l.* 3. *c.* 12. Eum sequutus est Steph. VIII.

Leo VII. Romanus, Johannem XII. excepit, an. 936. Obiit Anno 939. Ei successit Stephanus IX.

Leo VIII. Johanni XIII. ab Ottone Imp. deposito successit, Anno 963. Jus eligendi Pontifices ac investituram Cleri Cæsari restituit. Episcopos in Bavaria dissidentes, ad pacem hortatus est, inter alia docens: *Satius esse casto connubio frui, quam multarum amore deperire.* V. Aventin. *l.* 4. *Ann. Bojorum.* A' Johanne pulsus, Româ post gravissimam obsidionem famemq; ingentem captâ, ab Ottone, restitutus est, Benedicto V. Antipapâ Hamburgum abducto. Obiit an. Chr. 965. Leo Ostiens. Platina, &c. Successit Johannes XIV.

Leo IX. prius *Bruno* dictus, ab Henr. III. Imp. Papa creatus est, an. 1049. post Clementem II. Moguntiæ cum Episcopo, sub tempus Missæ, litigavit. Romæ, Remis, Moguntiæ Synodos celebravit, contra Clericorum Simoniam, Conjugia & Concubinatus. Godofredum Lothar. D. cum Imperatore reconciliavit. an. 1050. concilium Romæ, contra Berengarium, celebravit. In Galliam secundò profectus, inde copias quasdam secum deduxit, quas Normannis, qui Apuliam occupaverant, opponeret. Errores Græcorum condemnavit, an. 1053. legatis Constantinopolim missis. Ex Germania, ubi Imperatorem Wormatiæ convenerat, redux, cùm Normannis obviam iret, captus, & Beneventum abductus, Obiit An. 1054. Successit Victor II. Scripsit Homilias & Epistolas Decretales. Sigebert. *de Vir. Ill. C.* 152. Moreriu , *Diction. Hist.*

Leo X. fil. Laurentii de Medicis, ex Claricia Ursina; Discipulus Angeli Politiani, Demetrii Chalcondylæ, & Urbani Bolzani, amicus Pici Mirandul. Marsilii Ficini, Joh. Lascaris, Christ. Landini, &c. Legatus Julii II. in prælio ad Ravennam, captus Anno Chr. 1512. huic successit, an. 1513. Eruditus, sed minus religiosus, utpote cui *Religio de Christo fabula* fuit: tanto fastu coronatus est, ut unâ die decies centena aureorum millia expenderentur: ad quam lacunam resarciendam, sororique, ut quidam volunt, Magdalenæ gratificandum, Indulgentias liberales, sed Ecclesiæ Rom. lethales concessit, Vide supra in voce *Indulgentia.* Ludovici XII. & Francisci I. amicitiam coluit, Pragmaticæ sanctionis abrogatione ab hoc ex parte obtentâ, Concilio dein Lateranensi, decreta expeditio sacra contra Selimum Imper. &c. Interea Evangelii lux in Germania oriri cœpit, an. 1517. Martino Luthero in Tecelium, Indulgentiarum præconem, acriter invecto. Imo paulo antè & Johannes Misniæ Episc. venias venales è sua diœcesi ejecit, populi stultitiam reprehendens, Chytr. *par.* 1. *Sax.* Hisce obviam iturus Leo, Luthero excommunicato, Anno 1520. qui à Papa ad Concilium provocavit: Henricum VIII. quòd contra eum scripsisset, Protectoris fidei elogio ornavit. Conjurationem contra se initam dissipavit, Alphonso Petruccio Cardin. Senensi necato, complicibusque variè punitis. Fœdus Anno Chr. 1521. cum Carolo V. ad ditiones suas defendendas, & Franciscum Sfortiam restituendum, iniit: cujus felici contra Gallos successu in gaudium sibi lethale datus: Aliis occultius quid subfuisse ratis, Obiit Anno 1521. P. Jovius, *in ejus Vita.* Guicciard. *l.* 12. 13. Onuphr. & Victorel. *in Leone X.* Successit Hadrianus VI.

Leo XI. Florentinus, ex Medicæorum familia, successit Clementi VIII. Prius Alexander dictus: an. 1605. æt. 70. Obiit eodem mense. In ejus coronatione, arcui triumphali inscriptum fuisse, *Dignus est Leo in virtute Agni accipere librum & solvere 7. signacula ejus*: meritò indignatur Jac. Revius. Successit Paulus V.

Præsules varii, & Viri clari.

Leo, dictus Stypiota, Patr. Constantinopolitanus, Obiit an. 1143. Arsennus successit, vel Mich. Oxytes, secundum Nicetam. Vide Theodor. Balsamonem, *in Epist. Basilii ad Amphilochium, & Canon.* 83. Ut & Codicem Juris Orient. ubi decretum hujus Patriarchæ de duorum fratrum nuptiis, &c.

Leo, Arch. Achridensis, quæ urbs à Justiniano *Justinianea*, hodiè Turcis *Giunstandil*, aliis *Ochrida*. Hic Metropolit. Bulgariæ, junctus an. 1052. Michaëli Cerulario Patr. Constantinop. contra Pontifices Romanos scripsit; à Leone IX. Papa excommunicatus an. 1055.

Leo, Alabandensis orator, præter artem de Statibus, composuit Caricorum libros 4. totidemque Lyciacorum, teste Suidâ, qui & scripsisse ait sacrum bellum Phocensium, & Bœotorum. Equidem id negare non ausim, sed tamen fieri posset, ut eos secutus sit Suidas, qui confuderunt Leonem Alabandensem, cum Leone Byzantio, quem de bello sacro scripsisse paulo antè ipse dixerat Suidas. Alteruter etiam res Ægyptiacas literis mandavit, teste Hygino, ubi de Ariete. Fuit & Leo Pellæus, qui Deorum naturam, & gesta videtur exposuisse, Vide Arnob. 4. *libr. contra Gentes.* Vossius, *de Hist. Gr. p.* 500.

Leo Allatius, Chius, Jesuita: plurimis scriptis, inprimis, *de natura temporum, Diatribâ de Psellis, de Georg. &c.* nomen adeptus. Romæ floruit.

Leo Asianus, an idem cum Leone Alabandensi? An idem cum Leone Grammatico, qui Theophanis historiæ septem Imperatorum vitas adjecit? Voss. *de H. L.* Labbæus, *in app. ad Byz. Histor. p.* 45.

Leo Bapt. Alberti, Architectus celebris, Archimedes & Vitruvius seculi nostri, dictus.

Leo Byzantius, auditor Platonis, sophista nobilis, Philippo contra Byzantium venienti occurrens, *Dic age,* (inquit) *Philippe, qua te causa trahit oppugnatum nostra mœnia?* At ille, *Amor,* inquit, *tua patria, quâ, ut potiar. veni.* Leo excipiens respondit: *Atqui instrumento Musico, non bellico, amantibus opus est.* Philostratus. Suidas ait, Philippum, quum Leonem in expugnatione Byzantii, præter cæteros adversantem haberet, epistolas

ad Byzantios scripsisse calumniæ plenas: si voluisset dare tantum pecuniæ Leoni, quantum petebat, jamdudum urbe fuisse potitum. Cives hoc accepto, domum ejus circumstetere: ille sibi metuens, laqueo vitam finivit, parum Philosophicè. Hic Leo Byzantius olim venit Athenas, populo inter se dissidenti de concordiâ suasurus: qui ibi visus pusillus, derisui habitus est: *Quid*, inquit, *viri Athenienses, si uxorem meam videritis, quæ tantilla est, ut vix me genu tenus pertingat?* Major hinc sublatus est risus. *Atqui*, inquit, *nos tantopere pusillos & breves, si inter nos dissidium esset, vix opidum Byzantium capere posset.* Plut. A' gibboso irrisus, quòd luscus esset, illum in tergo responsum portare, regessit. Scripsit varia historica aliaque priscis laudata. Philostr. *l.* 1. *de vita Sophist.* Athen. Suid. Voss. *de H. G.*

Leo Castro. Hispan. in Esajam commentatus est.

Leo Juda, Alsata, Eccl. Tigurinæ Pastor. Hujus operâ Bibl. Tigurinorum bona pars ex Hebraico in Latinum sermonem translata est. Scripsit præterea *Annotationes in Genesin*, ex ore Zuinglii exceptas, quæ Tiguri prodierunt, A. C. 1527. *In Exodum* itidem. Obiit A. C. 1542. æt. 60. quo ipso anno Petrus Cholinus, in Eccl. Tigurina Prof. Apocryphis Latinè translatis, & quinque linguarum notitiâ celebris, Obiit. Bucholcerus *in Ind. Chron.*

Leo Marsicanus, vel *Ostiensis*, Marsico, Italiæ urbe oriundus, Ostiæ Episc. sub Paschali II. Scripsit Chronicon Montis Cassini libb. 3. quibus quartum Petr. Diaconus adjecit. Porro, Sermones, vitas SS. Mennati & Januarii, &c. Seculo 12. Alius fuit *Leo Ostiensis* Cardin. Urbano II. à secretis. Morerius *Diction. Hist.*

Leobares, Lacedæmonius, Heraclides; fil. Echestrati, pater Doryagi. Herod. *l.* 7.

Leoburgum, vide *Lavenburgum.*

Leocata, opp. Occitaniæ, *Leucate* vulgò, inter stagnum cognom. ad Occ. & oram maris. Mediterr. ad Ort. In confinio Comit. Ruscinonensis. Arx ejus antè permunita, haud pridem diruta est. Ibi Hisp. grandi clade à Gallis affecti, 1637.

Leochares, sculptor eximius, unus eorum qui cælavere Mausoleum. Plin. 36. 5.

Leocorion, monumentum ab Atheniensibus, in medio Ceramico erectum: nam cùm Attica universa, maximâ fame laboraret, unumque hoc ab oraculis ostenderetur remedium, si quis suos liberos immolaret, inventus est Leo quidam, Orphei fil. qui 3. filias suas virgines, Pasitheam, Theopen, & Eubulen tradidit immolandas. Cujus beneficii memores Athenienses monumentum ei erexerunt, & *Leocorion* appellarunt.

Leocrates, 18. Atheniensium princeps, reg. an. 10. an. U. C. 42. Vicit Corinthios & Epidamnios, oràque Peloponnesi vastatâ, prope prom. Cecryphalum bis victor fuit. Diod. Sic. *Bibl. Hist.*

Leocrines, histor. quidam, de quo vide Etymologum in *Κρίου.*

Leodia, vel *Leodiga* sylva Galliæ olim publica i. Regalis sive Fiscalis fuit, quæ hodie ab urbe vicina Aurelianensis *la forest d'Orleans*, dicitur, in qua adhuc locus est *Bois-commun* dictus. In ea venandi jus Ecclesiæ S. Crucis, seu Episcopis Aurelian. concessit Hugo Rex, quod confirmatur à Theoberto ejus fil. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Loca in sylva Leodiga seu Aurelianensi.

Artenajum *Artenay.*	Marogilum *Marolle*, vel *Mareau des Bois.*
Bordæ *les Bordes.*	Suriacum in Bosco *Sury au bois.*
Boscus commun. *Bois commun.*	Vitriacum *Vitry*, ubi monast. S. Medardi.
Bullum *Bou.*	Vitriacum ad Logias *Vitry aux Loges.*
Gargogilum *Gergeau.*	
Ingrana *Ingrande.*	
Maceriæ *Mezieres.*	

Leodium, mel. judice Lipsio *Leodicum*, olim vicus, in valle positus, inter nemora & montes, fontibus & amniculis per prona decurrentibus amœnissimus, in quem Landebertus Tungrorum Episc. crebrò secedere consueverat, ubi quoque à Dodone domestico Pippini R. interfectus ac sepultus est: postea urbs Belgii ad Mosam fluv. Valesius habet, ad Urtæ & Mosæ confluentes, in finibus Eburonum, ampla, copiosa & Episcopatus, sub Arch. Coloniensi, sedes, posthabitis Tungris ac Trajecto evasit, sub S. Hucberto Landeberti successore. Nomen à *Leudibus*, vel *Leudis Leodisve*, veteri appellatione Germ. quæ homines significat, accepit. *Luttich* Germanis. Vulgò *Liege*, ab amniculo fortè Legia *Legie*, ibi in Mosam effluente. Ad tertium à Tungris miliare, quà Meridiem spectat, tanto murorum cingitur ambitu, ut altissimos complexetur montes vitibus consitos. Deinde in planitiem excurrit, adeò glebâ fertili, ad hæc pomis, & nucibus omnis generis abundans, ut de præstantiâ cum Siciliâ certare possit. Caput est *Leodiensis* Episc. *le pays de Liege* Gall. *Stift von Luick* Germ. qui tractus est Germ. in Belgio insertus, versus Mosam, sub Ep. proprio; pars Circuli Westphaliæ. Terminatur ab Or. Ducatibus Limburgico & Luxemburgico; ab Occ. Brabantia & Comit. Namurcensi, à Sept. Geldria sup. Partes quoque aliquæ Luxemburg. Namurcensis & Hannonii tractuum huc pertinent. Fuit hæc ditio aliàs ampla, nunc Trajectum ad Mosam, Carlomontium, aliaque quædam opp. aliis subsunt. Populos sub se complectitur Cæsari veteribusque notos ac celebratos, Eburones, quorum vestigium retinet Ebura oppidulum milliario uno à Leodio dissitum: Tungros, qui Germanos se primi dixere: horum opp. nunc *Tongren*: Centrones quoque eo loco habitasse contendunt multi, ubi hodie nonnihil mutatâ voce *Sanct Truden*, id est, *sanctâ Gertrudis*, vel potius *S. Trudonis*, Abbatia videtur, à Leodio sex, à Tungris tribus distans milliaribus. Porro hìc sunt oppida Huum, Dinantium, Vallocuriæ, Bullionium, aliaque. Hìc utpote in villa publica seu fiscali, Carolus M. Natalem Domini celebravit, A. C. 769. Henricus IV. Imp. mœrore animi extinctus est, A. C. 1107. quinque annis sepulturâ à Papa prohibitus. Henr. VI. Imp. Episcopum rebellem coërcuit, An. C. 1191. Respublica per totos 40. annos, horrendo illo schismate, cùm Paparum unus Romæ, alter Avenione sederet, neutrum agnovit, sub finem sec. 14. Regio 52. Baronias, Abbatias plurimas, 24. urbes muris cinctas, & ultra vicos 400. continet. Urbs ab Ambiorige, cujus Cæsar meminit, quibusdam videtur condita, multa passa sub Normannis, capta à Brabantiæ Duce, & integro sextiduo direpta, A. C. 1212. Iterum dissensionibus ob electionem Episcopi obortis graviter afflicta, sec. 15. à Burgundiæ Duce Carolo, post varia prælia, horribiliter vastata, A. C. 1468. hoc quoque seculo, ab Episcopis malè habita; & præsentis belli mala sentit, captâ per proditionem à Gallis arce, A. C. 1675. quæ destructa, A. C. 1676. V. Joh. Chapeaville *in Tom. Script. Pont. Tongr. & Leod.* Mor. &c.

Leodo Salinarius, municipiolum est vel castellum in Sequanis, proximum Arlato *Arley*, amœnitate situs & salis fontibus celebre, vulgò *Lion le Saulnier*; ad amniculum, qui infra Tinurtium in Ararim defertur. Hìc moneta olim, à loco *Leodonensis* dicta, percutiebatur, teste Chifletio *in Vesontione*: ubi addit, Ledone apud Franciscanos signa marmorea præclara, atque adeo mirabilia conspici. Caldariarum sive ahenorum, in quibus aqua hoc in loco salsa decoquitur & in salem coalescit, mentio fit, in testam. Bernonis Abbatis Gigniacensis, ante annos 760. apud Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Leodocus, Argivus, unus ex Argonautis. Flacc. *l.* 1. *Argon.* v. 358.

Leodoricium, oppidul. Locrensium, Pindo adhærens. Laonicus.

Leodrisius Cribellius, prosâ versuque clarus, sub Pio II. Historiam Francisci Sfortiæ, & patris ejus elaboravit, &c. Pius II. *c. ult. Europa.* P. Jov. *in elog. Franc. Sfort.* Voss. *de H. L.*

Leogoras, luxuriosus quidam Athenis, qui phasianos alebat delicatioraque fercula in cœnâ apponebat. Eum tanquam *χαρεάμφερον* insectatur Plato Comicus in *πρεσβευταῖς*: qui perhibetur, amore in Myrrhinam meretricem omnes suas facultates effudisse. Fuit verò pater Andocidæ Rhetoris magistratumque gessit. Vide Aristophanis *Nubes, Crabron.* & *Scholia ibid.*

Leon, fil. Eurycratidæ, pater Anaxandridæ, Rex Lacedæmoniorum, Herod. *l.* 7.

Leon, Eubœæ insf. promuntorium. Ptol. *Cabo Mantello* Sophiano. Item aliud Cretæ in orâ Australi, *Capo Leon.* Est & Phœniciæ fluvius, *Damor.* Item Siciliæ, haud procul à Syracusis, locus, sive vicus fuit. Thucyd. *l.* 6. *Λέων.* Liv. *l.* 24. *Leontia*, ubi tamen *Leontem* legit Cluverius.

Leona, urbs Gall. Celt. in orâ Britanniæ min. Boreali *S. Paul de Leon*, & *Leondoul* incolis, 10. leuc. à Trecorio, 11. à Bresto in Eur. 33. à Rhedonibus in Occ. satis munita, cum portu & arce; sedes aliquando Ducum.

Viri clari.

Leonardus Chius, Arch. Mitylenæus, scripsit ad Nicol. V. de capta Constantinopoli.

Leonardus Digsius, Mathematicus Anglus, scripsit *Prognosticum Generale, Tectonicum*, &c. an. 1550.

Leonardus Fortius, Romanus, Mathematicus, de arte Militari, tractatum edidit, Venetiis, an. 1531.

Leonardus Fuchsius, celebris Medicus Tubingensis, scriptis inclytus. *Medicus illuminatus* dictus. Obiit an. 1566. æt. 65. Bert. *lib.* 3. *Germ. Ill.*

Leonardus Justinianus, fil. Bernhardi, frater Laurentii, primi Patr. Veneti Senator, an. 1430. Nepos alterius *Leonardi.* Scripsit quædam. Philelphus, *in Conviv. l.* Volaterr. *l.* 21. Voss. *de H. L.* &c.

Leonardus Lessius, Brabantus, Jesuita scriptis celebris. Obiit Anno 1623.

Leonardus Thurneysserus, 'Astrologus & Alchymista Basiliensis, magni nominis: Obiit Coloniæ an. 1596.

Leonardus de Utino, Dominicanus, auctor variorum Asceticorum. Anno 1445.

Leonata, Pannoniæ Saviæ urbs. Anton.

Leonatus, Onasi fil. Antei aliis, vir nobilis fuit ex Macedoniæ ducibus, Philippi ex materno genere consanguineus, unà cum Alexandro educatus. Suidas. Periit, auxilio veniens Antipatro, Olymp. 114. anno 2. Diodor. *l.* 17.

Leones, opp. Normanniæ, in fundo undique sylvis cincto, ad amnem *l'Orleau.* 4. leuc. à Rothomago in Ort. Bellovacum versus 10. & 4. à Novo Mercatu & Gorneo. Vulgò *Lyons en Forest.* Nomen enim à sylva Leonum, in finibus Veliocassium sita, accepit. Baudr. & Hadr. Val. *Not. Gall.*

Leonessa, oppidum Aprutii ulterior. in limite dit. Pontif. ad radices Apennini, inter civitatem Regiam ad Ort. & Casciam ad Occ. 10. mill. à Reate in Eur. Vulgò quoque *Leonessa.*

Leonia,

Leonia & *um*, urbs magnæ Græciæ, excisa, inter Siberenam & Crotonem. Lib. Conc. *S. Leone.*

Leonica, opp. Edetanorum fuit; quibusd. *Oliete* hodie, aliis *Alcaniz*, vicus ad amnem *Guadalope*, in Aragonia ambo, & confinio regni Valentini.

Leonica, pars urbis Romæ ultra Tiberim, sic dicta à Leone IV. Pontifice, qui eam muris cinxit, *Leonina*, Ferr. *Borgo* hodiè.

Leonicenses, Hisp. citer. pop. Plin.

Leonidas, nobilis Spartæ, deinde Lacedæmoniorum Dux, qui adversus Xerxem penè incredibilia egit. Hic commilitonibus dicebat, *pergite animo forti, hodie apud inferos fortè cœnabimus.* Cecidit ad Thermopylas, cùm illas angustias custodiret quadringentis solùm militibus, cujus cor excidens Xerxes pilosum invenit. V. Plut. Herod. *l.* 7. Justin. *l.* 2. Val. Max. Diodor.

Leonidas, intimus Parmenionis, quem Alexander M. Ducem dedit iis, qui mortem Parmenionis conquesti, in unam cohortem secreti erant, Curt. *lib.* 7. *cap.* 15. Forsan is quoque est, quem nominat Polyænus *lib.* 4. *in Antig.*

Leonidas, à filio Origene, missâ epistolâ, *Cave tibi, ne propter nos aliud quid cogites*, ad martyrium roboratus est, circa Annum Chr. 204. Euseb. *l.* 6. *c.* 1. & 2.

Leonides, Alexandri pædagogus parum pudicus, Quintilianus.

Leonina, vulgò *Borgo di S. Pietro*, pars urbis Romæ, trans Tiberim, in qua Vaticanus mons & palatium Pontificum, apud Basilicam S. Petri; Nomen accepit à Leone IV. qui muris eam contra incursiones Barbarorum cinxit. Ferr. Nunc vulgò *il Borgo* dicitur, Baudr.

Leoninus sinus, pars maris Medit. in modum sinus extensa, inter Provinciam & Cataloniam, versus oram littor. Galliæ & Occitaniæ, nautis formidabilis; *Golfo di Lione* Italis.

Leonogildus, Gotthorum rex, Suevorum reliquias ex Hispaniâ ejecit, an. U. C. 1326.

Leonstenius Comit. olim sub propriis Comitibus fuit, à quorum ultimo Ludovico Fridericus I. Elector Palat. 14000. aureis Rhenanis illum sibi comparavit, A. C. 1441. Hic, cùm æquales nuptias contrahere, ob conventionem, cum nepote Philippo, non posset, ex Clara à Tettingen legitimè sibi juncta, A. C. 1462. suscepit Fridericum mortuum A. C. 1474. & Ludovicum: cui cùm varias Pater concessisset dynastias, Cæsarque Maximilianus I. Comitis eum dignitate ornasset: postea Philippus El. omnes dynastias, Scharffenecia exceptâ, ad se recepit, & permutationis nomine Comit. *Löuuenstein* substituit. Hoc Ludovicus, bello Bavarico, secutus partes Ruperti agnati, ab Ulrico Wirtembergico exutus, illum vix post bellum, bonaque parte mutilatum, recepit: delectus à VII. virali Collegio, qui Caroli V. Legatis Moguntiæ electionem nuntiaret, Obiit Anno Chr. 1524. Pater Ludovici & Friderici, quorum hic ex Helena Königseckia, numerosam suscepit prolem, defunctus A. 1541. Eo inter alios geniti, Wolfgangus Leonstenium, & Lud. Werthemium ramos orsi sunt. Quorum prioris posteritas extincta est in Georgio Lud. qui obiit Anno Chr. 1633. pater Marcæ Christianæ, Gabrieli Oxenstiernæ R. Suec. Marescallo nuptæ. Posterior, plurimas Imperii & Impp. nomine legationes obivit: semel à Ludovico D. Wirtembergico, Comitatu exutus. A' conjuge Anna filia Ludovici C. Stolberg. & Walpurgis Comitissæ Wiedanæ, accepit Comitatus Wertheimensem, Rupifortensem, Montacutensem, dynastias Breubergensem, Herbimontanam & Chaspirensem: Cum Julio Episc. Herbipolitano ob Comit. Werthemium bellum gessit, de quo Vid. Thuan. *lib.* 138. *p.* 1251. Obiit Anno Chr. 1611. Ejus nomen inter eos, qui form. Concordiæ subscripserunt, apparet. Pater inter alios fuit, Christophori Ludovici, Virnenburgicæ lineæ auctoris, & Joh. Theodorici, qui Rupifortiam est orsus. Horum ille, ex Elisabetha filia Joachimi C. Manderscheidii & Virnenburgii, pater fuit Frid. Ludovici successoris, cui plures filii superant. Iste, bello inclytus, obiit A. C. 1644. successore filio Ferdinando Carolo, Latinos amplexo ritus, inter cujus filios Philippus A. C. 1663. Canonicus Argentinensis factus est. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Gen. Histor.*

Leontharna, fons & civitas seu vicus Bœotiæ. Lycophron. ad Heliconem montem.

Leontidas, seu *Leontiadas*, potentiam paucorum Thebis spirans, persuasit Phœbidæ, occupare Cadmiam.

Leontini, Siciliæ urbs quondam celeberrima, antiqua Læstrygonum sedes: Episc. quondam sub Arch. Syracusano, sub Græcis Impp. hodiè *Lentini* dicitur, Græcis omnibus Λεοντῖνοι, uno excepto Ptolemæo, apud quem Λεόντινοι. Derivatum esse nomen ἀπὸ τῦ λέοντος, id est, à *Leone*, omnes nummi hujus urbis antiqui testantur, in quibus ejus animalis imago expressa est. Ejus meminit Ovid. *Fast.* 4.

Jamque Leontinos, Amenanaque flumina cursu
Præterit. —— ——

Opidani eodem nomine gaudebant. Sil. *l.* 14.

Prima Leontinos vastarunt prælia campos.

Bellicosi olim fuere, sed à Phalaride victi, armisque exuti, potationibus operam dare cœpere; unde Proverb. *Leontini semper juxta pocula*, apud Diogenianum, in voluptuosos. Plura de hâc urbe vide apud Cluv. *Sic. Ant.* 1. 10.

Leontinus, citatur Schol. *in Aves Aristoph.*

Leontium, Meretricula contra Theophrastum scribere ausa, scito quidem illa sermone atque Attico. Cic. *libr.* 1. *de Nat. Deorum.*

Leontiscus, Mamertinus quidam pyctes fuit, ex argumento *Acrochersites* dictus, tanto corporis robore, ut summis adversarium manibus correptum non prius desereret, quàm deficientem sentiret. Suidas.

Imper. Orientis.

Leontius, ex Patricio, Rom. Imp. an. U. C. 1448. Justiniano Rhinotmeto, sub quo contra Barbaros fortissimè pugnavit, in vinculis detento, ab Anno 692. usque ad Annum 695. thronum possedit. Anno 698. ab Absimaro naribus auribusque truncatus, atque in Monasterium detrusus: Restituto verò Justiniano Imper. capite plexus, Anno 705. Theophan. & Cedren. *in Gr. Annal.* Item Consul cum Sallustio, Anno 1096. U. C.

Leontius, Patricius Orientis, Regem se fecit, contra Zenonem Imp. Anno 482. nixus Verinæ, quæ uxor Leonis sen. favore: paulo pòst cum illo seditionis complice, capite mulctatus an. 488. Nicephor. *l.* 16. Evagr. *l.* 3. Jornandes, &c.

Viri illustres.

Leontius, Antiochenæ Ecclesiæ Præsul, ut persecutionem vitaret, idolis fecit. Cùm presbyter esset, dignitate privatus est, quia cum muliere Eustolia nomine degens, & turpem suspicionem celare volens, genitalia sibimet noscitur abscidisse, ac deinceps quidem fiducialiter cum eâ muliere vivebat. Postea verò, Imper. Constantii studio, in Antiochenâ Ecclesiâ deposito Stephano, Anno 347. ordinatus est Episcopus. Qui cùm esset Arrianus occultus, videns divisos sacerdotes, & populum, ac alios dicentes, *Gloria Patri & Filio*, &c. & alios *Gloria patri per filium*, &c. ipse sub silentio dicebat orationem, & nihil aliud audiebant astantes, nisi cùm diceret *In secula seculorum*. Sed quia etiam contra milites veritatis acuebatur, non nisi hæreticos provehebat, celabatque pestem, modò timore populi, modò formidine Imperatoris, qui Filium Dei dissimilem patri dici prohibuerat. Obiit Anno 356. Athanas. *Apol. de fuga.* Socr. *lib.* 2. Niceph. *l.* 8. Theod. *l.* 2. & 5.

Leontius I. Episc. Burdigalensis, floruit an. 480. Sidon. Apollin. & Fortunatus, *l.* 4. *c.* 9.

Leontius II. maritus Placidinæ, ex Imperatorum sanguine, illâ dimissâ, Episcopus evasit. Emeritum, qui favore Clotarii I. Episcopus Santonum factus erat, Synodo celebratâ, deposuit: Chereberto fil. Clotarii succensente. Obiit sub finem seculi 6. Gregor. Tur. *Hist. lib.* 4. *cap.* 26. & *de glor. mart cap.* 65. Fortun. *libr.* 4. *cap.* 9. Christoph. Brovverius, *in notis ad Fortun.* Elias Vinetus, *in Antiq. Burdig.*

Leontius, Episc. Forojuliensis, Accepti successor, an Quiliani? Huic Cassianus opus suum dedicavit. Martyr habetur, fortè sub Vandalis passus, Anno 445. Morerius *Diction. Hist.* Item, Episc. Arelatensis, sub finem seculi 5. Item, Constantinopolitanus, continuator Theophanis. Scripsit vitas Leonis Armenii, Michaëlis Balbi, Theophili Michaëlis filii & Leonis Sapientis. Item Episc. Arabissenus, in Armenia, Auctor duarum Orationum, de Creatione, & Lazaro resuscitato. Phot. *Cod.* 272.

Leontius, Tripolis Lydiæ Episcopus, ex Mœsiâ ortus, de quo vide Suidam.

Leontius, Scholasticus, i. Advocatus, vel, Presbyter Constantinop. Scripsit de Sectis Hæreticorum, deque Conc. Chalcedonensi, capp. 10. quæ *Actiones* vocat. Sub finem sec. 6. Tribuuntur ei quoque libri tres, contra Eutychianos & Nestorianos, duo contra Apollinaristas, &c. Quæ omnia à Turriano latinè reddita sunt. Vide Voss. *de Hist. Gr. l.* 4. *c.* 28. &c. Non confundendus, cum Leontio, de quo Basil. *in Vita Sabæ, cap.* 95. & *Quiriaci.* Hic enim Origenista, & sectator Theodori Mopsvesteni fuit. Nec cum Ep. Cypri, qui vixit Anno 620. Auctor porro fuit libri, *de duplici Natura, in Christo, c. hæresin Monophysitarum:* & Disput. contra Philosophum Arianum. In Biblioth. Imperatoris, Viennæ. Vid. Morerium, *Diction. Hist.*

Leontius, nobilis statuarius, qui Olympiæ fecit stadiodromum astylon, aliaque opera, quæ commemorantur à Plinio. 34. 8.

Leontocephale, Phrygiæ castellum munitissimum. Appian. Plut. *in Themistocle.* In littore maris Ægæi.

Leontomenes, Coquus iste nefarius, qui Callimelem adolescentem, ab Apollodoro, Cassandreensium tyranno, mactatum coxit, ejusque viscera conjuratis epulanda proposuit. Vide Polyæn. *lib.* 6.

Leonton, Plin. *Leontopolis* Straboni, *Damor*: opp. Phœnices, in ora, ad ostium fluvii cognom. inter Berytum ad Bor. & Sidonem ad Austr.

Leontopolis, Phœniciæ urbs, Strabo. Ægypti op. Ptol. intra Deltam, Busiridi proximum: Est & Isauriæ & Hellesponti urbs, & Bithyniæ, Ep. sub Arch. Helenopolitano.

Leontychides, Spartæ rex, Persas eodem die, quo ad Platæas Mardonius superatus est, ad Mycalen quadraginta millibus cæsis, devicit. In expeditione Thessalicâ dux cum liberâ potestate, magnam pecuniæ vim corruptus accepit, & in castris deprehensus est, cùm utraque manu pecuniam retineret. Itaque delatus Spartam, damnatusque Tegeam in exilium, ibi mortuus est, cùm regnasset annos 22. Diodor. *lib.* 21.

Leonum mons, Lusit. *Sierra Liona*, incolis *Boulombel*, mons excelsus Africæ, in ora littor. Guineæ, inter ipsam & Nigritiam, in Oceanum excurrens, juxta prom. *Ledo*, & sinum Francicum. Sed per terras longè lateque extenditur, inter regnum *Boulom* ad Bor. & regn. *Boure*, ad Austr. Ei adjacet fluv. cognom. ubi colonia Anglorum.

Leophora Via, quæ *Memnonia* etiam dicebatur, à *Memnone* nempe, qui eam stravit, circa Susam Persidis urb. Diod. *l.* 2.

Imp. Rom.

Leopoldus, Imper. Romanus, successit Ferdinando III. patri, ex Maria, sorore Philippi IV. Hisp. R. natus Anno 1640. Designatus Bohemiæ R. an. 1654. & Hungariæ an 1655. Imperator electus & coronatus, an. 1658. Duxit an. 1663. Margaretam Mariam Teresam, fil. Philippi IV. Quâ mortuâ, matrimonio sibi junxit, Claudiam ex Archiducum Oenipont. familia: post cujus obitum, qui contigit A. C. 1676. duxit filiam Principis Neoburgici, an. seq. Turcico bello, ante aliquot annos defunctus, jam Belgis se contra Galliæ R. junxit, Philippoburgo nuper ad deditionem adacto felix.

Principes & Archiduces Austriæ.

Leopoldus I. cognom. *Gloriosus*, vel *Equitum gloria*, fil. Alberti I. Imp. Sueviam tenuit & Alsatiam: fratri Friderico, contra æmulum Ludovicum Bavarum, astitit, eumque è vinculis liberavit. A' Suitiis, Uriis & Undervvaldiis duplici clade affectus est, An. Chr. 1315. Ejus dein gener Enguerrandus Cussinus, Anglicis auxiliis Bernates adortus A. C. 1373. ad Frauenbronnam est profligatus.

Leopoldus II. cognom. *Probus*, prioris ex fratre Alberto Sapiente, nepos, Tirolensis familiæ auctor extitit, sicut frater ejus Albertus III. Viennensem orsus est. Præter anteriores provincias, etiam Stiriam, Carinthiam & Tarvisinas ditiones fratri extortas tenuit. Johannem Richardi Angl. R. fratrem Viennæ cepit, bello Veneto victor, ad Sempacum A. C. 1386. ab Helvetiis cum 676. nobilibus cecidit. Sanctis annumeratus ab Innocentio VIII. Surius. Pater, præter Fridericum Tyrolensis, & Ernestum Styriæ linearum auctores, Wilhelmi & *Leopoldi III.* cognom. *Crassi* vel *Superbi*, qui paternæ ultioni intentus, cum Helvetiis bellum gessit, ab his ad Glaronam victus: Polyd. *l.* 14. Stumpfius, &c.

Leopoldus IV. fil. Caroli, Styriæ seu Græciensis lineæ conditoris, Ænipontanam lineam orsus est, sicut frater ejus major Ferdinandus Viennensem. Ecclesiastico initiò ordini adscriptus Argentinensem Episc. & Passaviensem obtinuit, A. C. 1609. Missus dein ab Imp. ut Juliacum sequester teneret, impedire non potuit, quo minus urbs à Gallis & Mauritio Nassovio caperetur. Post varia dein Viennæ A. C. 1619. in tractu Rhenano Anno Chr. 1622. cum Rhætis An. C. 1621. gesta, ejuratâ infulâ Claudiam Mediceam duxit. Pater Ferdinandi Caroli & Sigismundi Francisci, qui ambo absque masculo hærede obierunt, lineâ sic extinctâ.

Leopoldus V. Vide *Leopoldus*, Imper.

Leopoldus Wilhelmus, fil. Ferdinandi II. Imp. frater Ferdinandi III. Arch. Magdeburgensis, Episc. Argentinensis, Passaviensis, Halberstadiensis, Vratislaviensis, Olomucensis, Abbas Hirschfeldensis & Murbacensis, Magister Ord. Teutonici, à fratre An. Chr. 1639. exercitui præfectus est. A' Torstensohnio A. C. 1642. cum Piccolomineo ad Lipsiam victus, omnia impedimenta amisit. Ex hoc ab A. C. 1647. Belgium gubernavit, inde Viennam revocatus, nepotis ex fratre mortuo tutor fuit. Gesta ejus Luc. Lancelotus centone Virgiliano prosecutus est.

Leopoldus, fil. nothus Alberti III. Archiducis Austr. Mathesin Viennæ docuit. Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Hist.*

Leopolis, seu *Fanum S. Leonis*, urbec. Episc. Duc. Urbini, prope Ariminum fluv. in limite Romandiolæ, 20. m. p. ab Urbino in Cæc. 15. ab Arimino in Circ. Vulgò *S. Leo.*

Leopolis, Germ. *Russe Lemburg*, urbs Russiæ nigræ, seu parvæ, intra colles, ad amnem *PelteVV*; 15. leuc. Pol. à Premislia in Ort. paulo minus à monte Carpatho in Bor. à Leone, duce Russorum condita, qui floruit A. C. 1280. Archiep. & Russiæ Metropolis facta ab Urbano V. A. C. 1361. Satis munita, cum duplici arce, unâ intra, alterâ extra mœnia, in monte edito, probè culta, ampla. Anno 1648. obsessa fuit à Chmieilnecio, Cosaccorum Duce, an. 1672. à Turcis capta. Gall. *Leopole.* Conditam à Leone Imp. habet Ferrar.

Leos, Orphei filius. Vide *Leocorion.*

Leosthenes, Atheniensium Dux, post mortem Alexandri M. militibus ad jugum excutiendum concitatis, Antipatrum victum, in Lamiam, Thessaliæ urbem, compulit. Quam dum obsidione acriùs urget, lapidis ictu interiit, Sponsus. Publicè laudatus Athenis, ab Hyperide, dum Demosthenes, ob acceptam ab Harpalo pecuniam, in exilio fuit. Diodor. *l.* 18. Justin. Plut. Suid.

Leosthenes, Atheniensis, Peparethiis à civibus suis auxilio missus, qui cùm negligenter videretur res gerere; à Populo, tanquam proditor, capitis damnatus est, publicatis bonis, Olympiadis centesimæ quartæ anno quarto. Diod. *l.* 15.

Leosthenium, Bospori Thracii sinus. Steph. *Sthenion* Gyllio. Ab aliis *Laosthenes sinus* dicitur, & portus *Senum*; estque in ora littor. Thraciæ, è regione Bithyniæ, medius inter Constantinopolim ad Austr. & Pontum Euxinum ad Bor. hodie *Sosthenius sinus*, Gyllio. Baudr.

Leostratus, Atheniensium Imp. an. U. C. 864.

Leotericus, Vid. *Leutericus.*

Leotrophides, Dithyrambopœus, adeò tenuis & gracilis, ut in proverbium abierit, *Leotrophide macilentior.* Suidas. Erasmus. E tribu Cecropide. V. Aristoph. *Aves.*

Leotunia, prov. ampla Sin. maximè in Bor. extensa, versus Tartariam, inter regnum Niuche, ad Sept. & Gangem sin. ad Mer. ut inter regnum Coream ad Ort. & Pechinam prov. ad Occ. Prima vastata est & occupata à Tartaris. *Leuotung* seu *Liautun*, vulgò. In ea multæ arces munitæ urbesque plurimæ. Sed præcipuæ sunt *Leoanum* seu *Leyaoang*, Quincheum *Kincheu*, & Ningiva *NyngiVen*, versus montes.

Leotychides, Rex Lacedæmoniorum, Græcorum cum Xantippo Dux, prope Mycalen Persas navali prælio superavit: Obiit an. regni 22. Successit Archelaus. Pausan. *in Laconicis*, Diodor. Olym. 76. an. 278. U. C. Vid. *Leontychides.*

Leotychides filius Agidis, quem tamen vivens pro filio agnoscere nolebat, quòd adulterio Alcibiadis cum Timæâ uxore procreatum suspicabatur. Cùm autem se ad pedes Patris ægrotantis abjecisset, & multas lacrymas profudisset, persuasit ei, ut se multis præsentibus filium pronunciaret. Plutarch.

LeoVardia, vulgò *LeuVVarden*, urbs Belgii uniti, ampla, munita, elegans, caput Frisiæ Occ. 2. ingentibus mill. Germ. à Doteccomio in Circ. vix uno cum dimid. ab ora Oceani Germ. 7. leuc. à Groninga.

LeoVigildus, vel *LeuVigildus*, Gothorum R. in Hisp. post fratrem Liubam, an. 568. filius Athanagildi. Corduba aliisque urbibus potitus, an. 572. Bigamus, ex altera uxore, parens Hermenigildi & Recaredi, quos in regni consortium ascivit. Quorum ille ab Ingonde, filia Sigeberti, Franciæ R. uxore, ab Arianismo, ad fidem conversus, à Patre verò occisus est. Obiit an. 586. Joh. Biclarius & Isidor. *in Chron.* Greg. Tur. *Hist. Fr. l.* 5. Item, Presbyter Cordubensis, scripsit *de habitu Clericorum, an.* 716.

Lepadusa, insula Siciliæ, à patellis ostreorum genere dicta, quasi Patellaria.

Lepanthum, vide *Naupactus.*

Lepas, vertex rupis cujusdam asperæ in agro Syracusano. *Crimiti* Fazello & Aretio.

Lepethymus, mons in Lesbo insulâ. Plin. juxta Methymnam urbem.

Lepida, cui super Æmiliorum decus L. Sulla ac Cn. Pompejus proavi erant, à Tiberio, in gratiam Quirinii consularis prædivitis & orbi, qui dimissam eam è matrimonio, post vicesimum annum, veneni olim in se comparati arguebat, condemnata. Vide Tacit. 3. 22, 23.

Lepida C. Cassii uxor, Silani amita, contra quam Nero vocabulo indicum induxit, qui incestum cum fratris filio & diros sacrorum ritus confingerent. Tacit. 16. 8.

Lepidæ binæ, apud Suetonium, occurrunt, altera *in Caligulâ c.* 1. Germanici soror, patris Agrippinæ, nata ex Druso & Antoniâ juniore: altera ex Gn. Domitio Neronis avo & Antonia majore genita, sororque Domitii Neronis patris & Agrippinæ mariti, quam incestasse eundem Domitium tradit idem Suetonius *in Nerone cap.* 5. De hac verba facere Tacitum *lib.* 12. *cap.* 64. apparet. Siquidem hæc Domitia dicta; uti ex gente Domitiâ orta, non illa ex Druso ortum ducens: tum hanc mariti Agrippinæ sororem & Neronis amitam vocat Tacitus. Hanc *Lepidam* perditam ab Agrippinâ, scribit Tacitus, adhuc vivente Claudio Imperatore, eandem verò scribit Suetonius *cap.* 34. interemptam post Agrippinæ matris necem, jussu Neronis, Medicis, ut largius eam purgarent, adactis. Verum nomen *Domitia Lepida*, una ex amitis Neronis & apud quem ille educatus, matre in exilium pulsâ.

Lepidi pons, unus ex Romæ pontibus, qui & *Sublicius* & *Æmylius*, P. Victori.

Lepidotum, Ægypti urbs. Ptol.

Lepidus, cognomen apud Rom. quo quatuor inprimis nobiles fuere, de quibus Rutilius Numatianus in Itinerario, cujus versus illustrat, declaratque Lipsius *ad* 14. *Annal. Taciti p.* 369.

Lepidus M. Æmylius, Dux Romanorum, ex familia nobilissima. Summus Pontifex, ter Consul, & cum Augusto atque Antonio, Triumvir. Sævus & sordidè avarus, proprium fratrem proscribi passus: Victo Pompeji filio, Siciliam occupaturus, Messanâ potitus, paulo pòst hâc Victori deditâ, in obscurum quoddam Italiæ oppidum relegatus est, an. 718. U. C. 185. Olymp. 36. ante N. C. Plut. *in Augusto & Antonio.* Florus *l.* 4. Dio. Just. Appian. &c.

Lepidus. Cùm Ptolomæus rex tutorem populum Roman. reliquisset, Senatus M. Æmylium Lepidum Pontificem Maximum bis Consulem, ad pueri tutelam gerendam, Alexandream misit. Valer. Maxim. *lib.*4. *cap.*4. Justin. *l.*30. Tacit.2.67.

Lepidus, auctor Epitomes historicæ, Steph. in Τεγέα.

Lepidus, natus ex Æmilio Paulo & Juliâ, nepte Augusti. Hunc Cajus successorem imperii destinavit & quinquennio maturius, quàm per leges, magistratum capere voluit; ut tradit Dio *l.* 59. Nam erat sanguinis gentisque Augustæ, pari cum Caligulâ gradu. Cum eodem Agrippina, Germanici filia, puellaribus annis, spe dominationis, stuprum admisit.

Lepidus, prænomine *Marcus*, temporibus Tiberii, gravis & sapiens vir; qui pleraque ab sævis adulationibus aliorum in melius deflexit; neque tamen temperamenti egebat, cùm æquabili auctoritate & gratiâ apud Tiberium viguerit. Tacit. 4. 20. Obiit Ser. Galbâ, L. Sullâ Coss.

Lepidus, Orator. Cic. *in Orat.*

P. Æmilius *Lepidus*, Censor cum Planco. An. 732. U.C. Post quos Censuram Imperatores sibi reservarunt.

Lepidus, Auctor Græc. scripsit Epitomen histor. Vide Steph. Byzant.

Lepinus, mons Italiæ, *Monte Segni*, in quo Signia urbs, vino celebris: Jugum est montium Latii valde extensum, inter Latinam & Appiam viam, quod vulgò *le montagne di Segni* dicitur, & ubi altius consurgit, *la montagna di Carpineto*. Campaniam verò Rom. in duas provv. *la Campagna* & *la Marina*, distinguit. Baudr. Columella *lib.* 10.

Quæ Marrucini, quæ Signia monte Lepino.

Lepontiæ Alpes, Summis proximæ, ad Ortum Rheni; ubi *Lepontii* pop. *Monte di S. Bernardino.*

Lepontii, pop. Alpini circa Rheni ortum inter Insubres, & Helvetios, *RhinWalder* Scudo. Ubi pag. *Leponez*. Ita dicti creduntur, quasi Λειπόντιοι, i. relicti, quòd ab Hercule cum exercitu Alpes transcendente, eo loci relicti fuerint, Simler. de *Alpibus p.* 202. Sprecherus *Pall. Rhæt. lib.* 1. &c. Habent Plantino à Sept. Helvetios, & ab Occasu Valesianos finitimos, *in HelVet. Antiq. & NoVa.* In his quatuor sunt Helvetiorum Præfecturæ Italicæ. Simler. *de Rep. HelV.* Vide omnino Stumpfium *lib.*9. & Cluv. *Germ. Ant. lib.*1. *cap.*14.

Lepontii, pop. fuere Gall. Transpad. inter Alpes ad Occ. & Verbanum lacum ad Ort. quorum nunc tractus ad Merid. ex parte Ducatus est Mediol. Sed pro majori parte, nempe ad Bor. sub Helvetiis. Vide suprà.

Leporetum, vicus Galliæ, in arenis Burdigalensibus vel Vasatensibus, caput pagi nunc in Duc. fastigium evecti, *l'Albret*: Unde Albretanæ familiæ nomen. Dictus est à leporibus, quibus hic tractus abundat, indigenis *Bret* dictis. In Duc. hoc cum Leporeto, sunt Tartessium urbs ad Midorium fluv. *Midou*, Castellum Zelotypum, Neracum, Castella *Castels*, Gerunda *Gironde*, Podium Normannorum *Puy-Normand*, aliaque multa oppida, castella & vici. Jos. Scaliger è mutilatione Senescalciarum Aginnensis & Armaniacensis eum conflatum esse statuit. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Leporius, Presbyter, Nestorianismum in Gallia docuit, B. Virginem nil nisi hominem peperisse asserens, qui dein Filio Dei uniri meruerit. Galliâ pulsus, in Africam se contulit, ubi ab Augustino meliora edoctus, Orthodoxiam amplexus est. Cassian. *lib.*1. *&* 7. *de Incarn. Chr.* Gennad. *de Viris Illust. cap.* 59. Baronius *An. Chr.* 420.

Lepri, seu λήναιοι, locus Athenis, extra tamen Astu, seu urbem, ubi Coriariorum officinæ erant. Aristoph. Schol. *in Acharn.*

Lepria, Ins. maris Ægæi, circa Joniam, Plin.

Leprium, opp. Peloponnesi in Elide reg. seu potius, teste Cic. & Plin. in Arcadiâ, *Chiappa* Nigro. Baudrando oppid. maritimum est Elidis, in ora littor. prope Ichrum promontorium, in confinio Messeniæ. 30. mill. à Pisis in Austr. & amplius ab Elide; nunc parvi momenti. Pop. *Leprini* Ciceroni, Polybio verò *Lepreatæ*. Vide Schol. *in AVes.*

Leprosium, vulgò *LeVroux*, urbec. prov. Bituricensis, 2. distat leuc. à Bituricis in Occas. S. Silvanum Confessorem patronum habet. Est & *Leprosus* vicus Turonum, vulgò *le Loroux*, proximus Montalomago & Dolis, ad Scandonem *Eschandon*, qui in Angerem effluit. Utrique loco à multitudine leprosorum nomen, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Lepsemandus, opp. Cariæ. Steph.

Lepteacra, promuntorium Indiæ, quod alii *Drepanum* vocant, Solinus. Item Ægypti promuntorium ad sinum Arab. Ptol. & Plin. 6. 29.

Leptines, unus ex Ducibus Demetrii, Cn. Octavium, Romanorum Leg. necari jussit.

Leptines, Hermocratis Syracusani filius, Dionysii superioris frater, cujus operâ arduis in negotiis plurimùm fuerat Tyrannus usus. Sed cùm missus auxilio Lucanis, adversus Rheginos, adnantes classi suæ Græcos humaniter excepisset Lucanisque auctor extitisset, minâ unumquodlibet caput liberum remittendi, deque solvendo redemptionis precio fidem suam interposuisset: præterea inter Græcos ac Lucanos bellum composuisset; suspectus fratri evasit, cui hic ab administrandâ classe remoto *Theariden* subrogavit. Diod. 14. 445. Occisus est in prælio, cum Carthaginensibus, ad Cronion, Olymp. 99. anno secundo.

Leptines, orator nobilis Atheniensis, qui cùm liturgiarum onus ad paucos, eosque tenuioris fortunæ rediisse videret, potentioribus ferè omnibus immunitate donatis, tulit legem, ut sublato jure immunitatis, liturgiarum sumptus ex æquo à ditioribus suppeditarentur. Quam legem oppugnat Demosthenes eâ oratione, quam adversus Leptinem inscripsit.

Leptis, Africæ min. (quæ *Zeugitana proVincia* dicitur) duarum urbium nomen est. Prima Minor, quæ *Sarrana* cognominatur, à Sarranis Phœniciæ: Nunc *Lempta* Arab. Nubiensi, & *Monastero* Europæis, oppidum regni Tunetani, in ora littor. inter Susam & Adrumetum. Silius *l.* 3.

Tabraca tum Tyrium Vulgus, Sarranaq; Leptis.

Altera trans Syrtin min. sita, juxta Ocam oppid. Magnæ cognomen habet. Illam Neapolin dici existimat Vadianus Melæ enarrator. In Tripolitano regno, & ora maris Mediterr. nunc *Lebeda*; cum portu commodo & arce munita. Inter Syrtim maj. & min. 100. mill. à Tripoli in Ort. *Lepeda* quibusdam. Cæterùm de 2. hisce urbibus vide Bochartum *Geogr. pag.*526. *&* 527. *Leptis* nomen Punicum esse ait, לבת *labt*, quod *stationem* significat. Lucan. *lib.* 9.

Proxima Leptis erat, cujus statione quietâ
Exegere hyemem. ——

Lepydnus, viri nomen, cujus uxor fuit Methymna, Macarei filia. Steph. in Μήθυμνα.

Leria, ins. maris Ægæi; cujus incolæ *Lerii*, improbi & mali, unde Prov. *Lerii mali*, Strab. *lib.* 10. sicut *Chius malus*. Vide *Leros*. Item opp. Hispan. Tarrac. quod & *Edeta* in regno Valentiæ, olim Hedetanorum caput, teste Beuthero, vulgò *Liria*, ut ex Clusio, & Morali refert Ortelius. Ante Herculis Lybici in Hispaniam adventum condita fertur. Ad Turiam fluv. 4. leuc. à Sagunto in Occas. 5. ab ora maris Medit. & sinus Sucronensis. Paucis constat incolis.

Leria, vulgò *Laire*, Bojorum in Gallia fluv. in Oceanum effluit, & *Sigmas* Ptolomæo dicitur, à figura literæ C. quam suo cursu lunato refert. Vasconibus *Leyra* vocatur, Hadr. Valesius, in voce *Meduli*.

Lerina, aliàs *Planasia*, Tacit. *Ann.* 1. insula parva maris Gallici, in ora Gall. Narbon. inter Antipolim 2. leuc. in Austr. & Forum Julii 5. ad Ort. ubi Lerinense Cœnobium præclarissimum, à S. Honorato fundatum, an. 375. Cujus Monachos Semipelagianismus invasit, sec. 6. Vastatum ab Hispanis, An. 1635. iterum pulsis, an. 1637. *S. Honorato* Massonio, dicitur & *Lerinum* & *Lerinus*. Ipsa & *Lero*, vulgò *les Isles de S. Honorat* & *de Lerins*; sed Lero major est & Borealis. Vide Morer. *Diction. Hist.* & in voce *Lerinus* infra.

Lerinus, eadem quæ *Lerina*, vide supra. Straboni *Planasia*, quòd nulli ibi montes exsurgant: Apollinari Sidonio *Ins. Plana*, ab æqua camporum planitie, dicta est. Ab hac non longè abest Planaria ins. à Corsica 60. mill. pass. ab Ilva Ins. stadiis 90. quam Solinus ac Æthicus *Planasiam* rectiùs appellant. Itali *Pianosa*. Cui cognom. apud Strabonem quoque Ins. est, contra Dianium opp. Hispan. Tarrac. Cum Lerone, impropriè nomine Stœchadum, à Pomponio Mella hæc Ins. comprehenditur, eò quòd sint citra ostium Vari, seu citra oram Ligurum Italiæ attributorum: cui Lerinus propior Lerone est. Cùm inculta prius ob nimium squalorem & vim animalium venenatorum esset, Honoratus nobilissimum hîc Monasterium condidit, cui ut & Ins. nomen suum impertitus est, ex Abbate Lerinensi Arelatensis Episcopus. Unde Ins. Gallis rarò *Lerin*, sæpius *S. Honoré de Lerin*, vel *l'Isle de S. Honorat* dicitur. Circuitu patet 2. mill. pass. puteum vel fontem aquæ dulcis habet, plana est & oblonga, miti & salubri gaudens cœlo, frumenti, vini, cuniculorum, pinuum, palmarum, olearum, lauri, cupressorum, myrtorum, lentiscorum & genistarum, florum ac herbarum fragrantium ferax, pisce marino & fluviatili abundans. Rudera ibi antiqui opp. Vergoani, cujus Plinius meminit. Hodie in medio ins. Basilica S. Mariæ & templum majus S. Honorati: in latere ins. ad Merid. scabris rupibus turris imposita est, qua velut arce Monasterium clauditur. Ab hac Lero 600. pass. circiter freto Foro-Juliense dicto, dividitur, ac Lerino duplo major est: Antipoli adversa, de qua vide in voce *Lero*. Ad *Lerinense* monaster. in sinu maris inter caput Rubeum *Cap Rous*, & Caput Galupe *Cap Garoppe*, pertinent maritima castella, Neapolis *La Napole*, prius Avenionetum dicta: & interfluente Cyano *Siagne*, amne torrente ac piscoso, Canoa *Canes*, olim castellum Marcellinum, pòst circa annum 1132. Castrum Francum nuncupata: in vertice collis Villa vetus, nunc Muginum *Mogins*, & Vallis aurea proxima Antipole *Valaurie*.

Lerma, vulgò quoque *Lerma*, opp. Hispaniæ in Castella vet. cum tit. Duc. ad Arlanzam amnem, 8. leuc. ab Auca in Austr. & 12. à Pincia in Ort. Baudr.

Lerna, lacus in agro Argivo, Herculis labore notissimus, qui in eo Hydram Lernæam dicitur interemisse; vicinæ omni reg. adeò

infestam, ut locum fecerit Proverbio Λέρνη κακῶν, de malis multis in unum congestis. Locus fabulæ factus est, quòd Hercules paludem hanc, accolis noxiam, exsiccavit. Hinc *Lernaus*. Virg. *Æn*.8.

Lernaus turbâ capitum circumstetit anguis.

Λέρνης βαθὺν λειμῶνα, dixit Æschylus, unde Pind. Schol. Ἡ γὰρ Λέρνα κατὰ μέν τινας κρήνη, κατὰ δὲ τινας λοχμώδης χωρίον. Est & fluv. ejusdem nominis, oppidum item Laconicæ mediterr. *Phonea* Sophiano. Nigro autem *Petrina* dicitur. Aliis est oppidum Argiæ, ad quod palus & fluv. imò & fons Amymonius, Hydræ fabulis inclytus, in intimo recessu sinus Argolici.

Lero, inf. parva Gall. in ora Provinciæ, Lerinæ ferè adjacens, ab ea tenui freto, *le Frioul*, separata; Strabone teste, à Lerone heroë dicta est, cui ibi sacellum olim: Valesio, unà cum Lerino inf. à Gr. λῆρος, quod rem futilem denotat, nulliusque momenti. Monasterium olim habuit Margaritæ Virg. & Martyris tit. illustre, à quo nunc Inf. S. Margaritæ *l'Isle de S. Marguerite* dicitur. Eam Monachorum Lerinensium eremum ac secretum extitisse ajunt, ibique Impp. Rom. validas extruxisse munitiones, quarum vestigia supersint: quæ Massonus horrea fuisse ad condendum salem, & abesse à continente 2. m. ait. Quà ad Septentriones vergit, terramque prospectat, portum habet tutum, hincque non longè fonticulum aquæ dulcis: oblonga est & frumenti cuniculorumque fertilis, in littore parumper attollitur, circuituque 4. mill. colligit. Inter oram Provinciæ ad Bor. & Lerinam ad Austr. Præter duas has Inf. in Sinu illo maris inter caput Rubeum & Galupe, sunt duæ aliæ Inf. parvulæ ac saxosæ Translero, fortè *la Formigue* vulgò, & Inf. S. Ferreoli, quibus adde Graniliam *la Grenille* Antipoli adversam, ex tabb. Chorogr. Provinciæ, quæ omnes, ut Antipoli & Nicææ Massiliensium oppidis proximæ erant, Massiliensibus olim paruere: nunc ad Grassensem dioec. pertinent, & à maj. insula Lerone, Insulæ S. Margaritæ appellantur. In his veterrima Monasteria, ab Honorato, Minervio, Castore & Joviano, qui floruere sub Honorio Aug. condita esse, refert Prosper *in Chron.* Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Leros, quæ & *Leria*, inf. in Icario mari, cum urbe cognom. Episcop. sub Archiep. Rhodiensi; aloe, quæ ibi nascitur, clara. Strabo *lib.* 14. à Delo 65. m. p. in Ort. Circuitus 20. *Lero*. Pop. *Lerii*, qui olim corruptissimis moribus fuisse perhibentur. Hinc illud Phocylidis Λέριοι κακοὶ, οὐχ ὁ μὲν ὃς δ᾽ οὔ, πάντες δὲ πλὴν Πατροκλέους. *Lerii mali, non quidem unus, alter verò minimè, sed universi, excepto Patrocle.* Vide Maginum *Geogr.*

Lertius, vulgò *le Lers*, fluv. Galliæ Narb. in Occitania, Mirapincum rigat, dein in Alburacim se exonerat, & cum ipso in Garumnam fluv. Lertius autem minor, paulo infra Tolosam in Garumnam cadit.

Lertosa, Hispan. urbs, Δέρτωσα. Ptol. & Straboni, hodie *Tortosa* dicitur.

Lesa, Sardiniæ urbs.

Lesbos, inf. maris Ægæi, ante Assum promunt. Troadis. *Lesbia* Plauto *in Mercatore*, *Metelin* hodie. Olim universa Troadis imperium obtinuit. Ambitus ejus stadiorum 100. supra 1000. à Boreâ in Austr. protensa, quingenta sexaginta stadia longitudinis habens; feraci agro, & multâ materiâ ad classes conficiendas idonea. Baudrando versus oram Troadis est & Mysiæ maj. 12. mill. ab Asso prom. in Austrum. *Metelino* Italis, ab urbe ejus prim. Mitylene aliàs dicta, in parte Or. Circuitus est 130. mill. circiter. ex Thoma Porcaccio, 50. mill. à Chio in Septentr. 80. à Lemno in Austrum, 150. circiter à Delo in Bor. Portus habet duos capacissimos *Geremia & Caloni*. Venetis erepta est à Mahum. II. Huic insulæ ortum suum debent Pittacus, unus ex septem Græciæ sapientibus; Alcæus poëta & Antimenides ejus frater, vir ad arma tractanda natus: Hic quoque nati sunt Theophrastus & Fania, Philosophi Peripatetici, amici intimi Aristotelis: Musicus quoque Arion & Terpander cum Sappho fœmina. Metel. Huc relegata à Nicephoro Patritio Irene est, An. Chr. 802. ubi mœrore contabuit. Sic dicta à primariâ urbe, Archiep. quæ & in eâ potentissima fuit, sive à *Lesbo* Japeti filio, qui in eam insulam navigavit. Ut autem eruatur Lesbi etymon, sciendum est, veteres meminisse septem majorum insularum in mari mediterraneo. In quarum dimensione, quamvis parum sibi constent, tamen in eo conveniunt, quòd Lesbon semper censent septimo loco, Scylax scilicet, Alexius Comicus apud Eustathium, Author *lib. de Mundo cap* 3. ubi de majoribus insulis, Apulejus, Timæus *apud Strabonem lib* 14. Diod. Sic. *lib.* 5. Inde suspicatur Bochartus, Lesbum insulam *Esbuith* & contractè *Esbu*, i. e. *septima*, dictam esse à Phœnicibus, voce deflexâ ex Ebræâ השביעית *hasšebiith*. Ex quo factum, ut præfixo Lamed להשבוע *Lesbus* diceretur urbs insulæ metropolis, i. e. *ad septimam*, supple *insulam*. Quâ nominum formâ nihil frequentius apud Pœnos, sic *Ad septem aras*, *Ad septem fratres*, &c.

Λέσβε ὠρυγίοιο. ——

Dionys. *Vers.* 537. Hinc *Lesbius*, ut *Lesbia vina*, Horat. *Epod.* 9. Item *Lesbous*, ut *Lesboum barbiton*, apud eundem, *Carm.* 1. 1. A Lesbiis ortum est adagium apud Arist. *lib.* 5. *Moral.* quod est *Lesbia regula*, cùm ratio ad factum, non factum ad rationem, vel lex ad mores, non mores ad legem accommodantur. Lesbii inter alias turpitudinis notas, hanc contraxerunt, quòd fellationis, & irrumationis primi authores feruntur; unde Græcè Λεσβιάζειν apud Aristoph. pro *polluere*. Divinandi tamen arte pollebant: quapropter apud Plut. hoc adagium legitur *Lesbius Prylis*, nam Prylis Mercurii fil. fuisse traditur divinandi peritissimus. Lesbii etiam cantores celebres fuisse dicuntur, qui accersiti Lacedæmonem, cives tumultuantes suavitate cantûs ad concordiam revocabant: Unde ortum proverbium apud Suidam, & Zenod. *Post Lesbium cantorem*, cùm aliquem non primas, sed secundas tenere debere significamus. Soli fertilitate, & vini generositate inter alia præstans insula, nec non puellarum formositate.

Lescar, oppidum Bearniæ, sedes Principum.

Lesches, Lesbius, Poëta Græcus, Olymp. 30. Auctor parvæ Iliadis, cujus versus aliquot citant Interpretes Græci, dicentes, & Pindarum illo non rarò usum esse. Euseb. *in Chron.* Voss. *de Poëtis Gr. cap.* 3.

Lesem, urbs in tribu Aser, in possessione verò Dan. Jos. 19. quæ & *Lais*, & *Dan* dicitur. Hæc ea putatur à plerisque, quæ tandem à Philippo Tetrarcho, senioris Herodis filio, in honorem Tiberii Cæsaris *Philippi* appellata, *Bellina* vulgò.

Lesera, mons Occitaniæ, Cemeni pars, inter Gabalos & Arecomicos. *Mont de Losere* vulgò, 6. leuc. circiter ab Anderito in Afr. 8. ab Ucetia in Cæc. Vide *Lesura*.

Lesina, urbec. Capitanatæ, Episc. sub Archiep. Benevent. juxta lacum cognom. vix 3. mill. ab ora Sinus Veneti. 22. mill. pass. à Manfredonia in Cæc. vulgò quoque *Lesina*.

de Lesno Andreas, Palatinides Brestensis Cujaviensis, vixit in Academia Basiliensi, an. Chr. 1601. ubi oratione insigni, *de Causis Remp. conservantibus* facundiam & eruditionem suam omnibus probavit.

de Lesno Raphael, Prætor Radzzeiovienfis, qui Andream Prasmovium Seniorem VII. Ministrorum, secundùm Tigurinorum morem docentem, tuebatur, gravi oratione ad Regem in Comitiis habitâ an. Chr. 1552. liberrimè in mores Præsulum invectus est.

de Lesno Raphael, Palatinus Belzensis, non tantùm ditiones suas, sed portas, atria, templa, animumque Fratribus è Bohemia pulsis, circa an. Chr. 1628. aperuit: Lesnâ atque Vlodaviâ refugii loco illis designatis. Obiit an. Chr. 1636. æt. 59. ipso Rege funeri ejus illacrymante, & dicente, *gemmam Senatus nostri amisimus*.

de Lesno Venceslaus, Polonus, intrepidus veritatis promotor, intercessit apud Sigismundum Imper. pro Husso in carcerem Constantiæ detruso, A. C. 1414.

Lesnovia, vulgò *Lesnov*, opp. Volhiniæ sup. Aliquot m. p. à Berestecia in Ort. 15. à Luceoria in Mer. versus Russiam nigram. Ibi an. 1651. mense Junio Casimirus Rex Cosaccos & Tartaros maxima clade affecit, 30000. eorum cæsis.

Lessa, vicus Argiæ. Pausan.

Lessina, urbec. Hannoniæ, ad Teneram fluv. in confinio Flandriæ, inter Athum ad Austr. & Gerardimontium ad Bor. 5. leuc. à Bruxellis in Occ. in ipso limite dit. Francicæ; *Lessines* vulgò.

Lestorum regio, Λῃστῶν χώρα, i. e. *piratarum regio*. Ptol. Regio Indiæ extra Gangem, cujus incolæ sylvestres esse dicuntur, & in specubus habitare. Ferunt in eâ corvos esse albos, & psittacos, hodie regnum *Pegu* dicitur.

Lestrygones, Ovid. *l.* 4. *Fast. lib.* 2. *de Ponto. El.* 9. *lib.* 4. *El.* 10. Horat. *lib.* 3. *Od.* Vide *Læstrygones*.

Lesua, vulgò *Lewes*, oppidul. Sussexiæ. Vix 4. mill. Angl. ab ora maris Brit. Celebre ex prælio.

Lesura, altissimus Galliæ mons est, vulgò *Losere*: Sidonio *Lesora*, portio Gebennarum, in Gabalis, fluvii Tarnis fonte nobilis,

Hinc te Lesora Caucasum Scytharum
Vincens accipiat, citusque Tarnis.

Vide quoque supra in voce *Lesera*.

Lesura, amnis dit. Trevirensis, *die Leser* vulgò: Manderschedium & Witlicum opp. rigat, & paulo infra in Mosellam lævum, ad vicum Lesuram *Leser*, cadit, 4. mill. Germ. infra Treviros, Ausonius *Idyll.* 10.

Prætereo exilem Lesuram tenuemque Drachonum.

Lesyrus, fluvius Iberiæ. Steph. in Ὕοψ.

Leta, fluv. Piceni, ex Apennino, per agrum Firmanum in mare Adr. fluit; *Leto morto*.

Letandros, Ægæi maris inf. Plin.

Letanum, urbs Propontidis, ab Atheniensibus condita. Diodorus.

Letavia, vulgò *Lhydaw*, tractus Armoricæ.

Lete, urbs Macedoniæ, à Latonæ templo in viciniâ: *Letta*, & *Lita* vulgò. Episc. sub Archiep. Thessalon. hinc 20. mill. pass.

Lethæus, fluv. geminus: unus Lydiæ, Magnesiam urb. alluens, & Pactya monte erumpens, inque Mæandrum per agrum Magnesianum descendens. *Fiume de Mangresia* vulgò; alter in Macedoniâ, Triccam urb. attingens, apud quem Æsculapium natum ferunt. Est & *Lethæus* apud Solinum fluv. Cretæ Gortynam urb. præterfluens, *Leeor* hodie: Vulgò *Anapodari*, seu *Naporal*, Brietio.

Lethe, fluv. inferorum apud Poëtas, cujus aquam, si quis gustasset,

stasset, omnium statim præteritorum oblivisci cum voluerunt, ἀπὸ τῆς λήθης, h.e. ab *oblivione* sic dictus. Constat autem revera, *Lethen* seu *Lethonem* in Africa amnem esse, circa extremum Syrtium cornu, Berenicen urb. alluentem, verùm quoniam terræ hiatu absorptus, & occulto meatu per aliquot lapsus millia, circa Berenicen magna aquarum copia erumpit, persuasum fuit accolis, ab inferis eum emergere. Lucan. *lib.* 9.

Quam juxta Lethes tacitus prælabitur amnis,
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis.

Ubi *Lethon* legendum ex optimo suo codice monet Vossius *ad Melam l.* 1. *c.* 8.

Lethes, fluv. Hisp. geminus; unus Hispan. Tarracon. per fines Bracarum fluens, qui & *Limæa* & *Limius*, vulgò *Lima*: Nunc Portugalliæ est. Forum Limicorum, seu pontem Limæ rigat, dein opp. *Viana de Foz de Lima*, & paulò infra in Oceanum Atl. se exonerat, 5. leuc. à Bracara in Occ. Alter Hisp. Bætic. per Vandalitiam fluens, ac in mare apud portum Mnesthei exiens, vulgò *Guadelete*. De priore Sil. *lib.* 1.

Quiq; super Gravios, lucentes volvit arenas,
Infernæ populis referens oblivia Lethes.

Ubi alii *Grovios*. Super hoc nomine reconditè scripsit If. Casaubonus, Strabonis Commentator *in lib.* 3. *Liv. l.* 55. *Cùm fluvium Oblivionem transire nollent.*

Lethon, Africæ fluv. in Cyrenaicâ reg. Plin. *Milel* Marmolio, Berenicen alluit & inter ipsam & Apolloniam, in mare illabitur.

Leti, Gallica gens, apud quos Magnentium Imper. vixisse scribit Zosimus.

Letia, fluv. Belgii, per sylvam Arduennam, in Mosam influit; *Lesche* vulgò.

Letini, pop. Siciliæ. Cic. *in Verrem. Jetini* Ferrario.

Letoa, Libyci maris insf. prope Cretam. Ptol. Baudrando Insf. parva Cretæ, in ora Austr. Quibusdam est *Gaiduroguisa*, è regione Hierapytnæ. Aliis *Christiana*, quæ & *Cufognissa*, Insf. cum 3. minor. adjacentibus, vix 5. mill. ab ora Mer. versus prom. *Xacro*.

Letœus, Alexandriæ vicus. Steph.

Letoja, vide *Lotoa*.

Letrini, Elidis opp. Pausan.

Letrumum, vulgò *Letrum*, oppid. Connaciæ, ad Sineum fluv. ubi lacum *Alyne* efficit, in limite Rossiæ. 2. m. p. à Roscomia in Occ. Caput Com. cognom. *Letrum Countie*, qui prope Ultoniam, à qua fluv. Aquanigra separatur. In Hibernia.

Letteranum seu *Letterum*, vulgò *Lettere*, urbec. Principatus citer. in colle, inter Noceram ad Ort. & Stabias ad Occ. Vix 3. à littore mill. uti & à confinio Terræ Laboris. Episcop. sub Archiepiscopo Amalphitano.

Lettia, Livoniæ pars: ubi Riga, Kokenhusen, Wenden, Wolmar & tota diœc. Rigensis. Metel. Vide *Litlandia*.

Letus, Liguriæ mons. Liv. & Val. Max. arduus & valde difficilis. *Alpi del Pelegrino*, seu *monte S. Pelegrino*, Leandro. In dit. Lucensi, in Carferoniana 25. m. p. à Luca in Bor. 35. à Mutina in Austr. ut & à Rhegio Lepidi.

Letuspolis, Ægypti urbs & Nomus, Ptol. Steph.

Levaci, pop. Belgii, Nerviorum clientes, quorum opp. *Leew*, quasi Levacum, in Brabantiâ, à Lovanio 4. leuc. in Ort. Licèt Marlianus ipsos Lovanienses interpretetur. Baudrando Atrebatum pars Bor. ubi nunc pars Artesiæ, versus Bethuniam, Basseam, Fanum S. Venantii & Armentariam. Ex Sansone.

Levana, Dea, quæ pueris præerat de terrâ levandis, S. Augustinus. Nati enim infantes humi abjiciebantur, Plin. *præf. ad l.* 7. *Nat. Hist.* Sueton. *Aug. cap.* 5. &c. Erat autem hoc munus obstetricum, nudos in terra pueros locare: quos dein patres humo levabant. Imo non legitimus habebatur infans, nisi pater præsens, vel eo absente, procurator pro eo, infantem terrâ levasset sinuique imposuisset. Unde *tollere infantem*, est suum agnoscere. *Levana* addit Varro Pilumnum quoque & Picumnum, conjugales Deos. Vide Thom. Dempsterum *Ant. Rom. l.* 2. *paralip. ad cap.* 19.

Leuca, Salentinorum urbs, Episcop. sub Archiep. Hydruntino, apud Japygium promuntorium: 19. mill. pass. ab Hydrunto. Lucanus *lib.* 5.

Antiquusq; Taras secretaq; litora Leucæ.

Item opp. Joniæ, medium inter Cumas & Clazomenas, apud Hermium fluv. Str. Mela. Item urbs Cypri Episcop. Lib. Concil. Insula item Cretica contra Cydoniam. Plin. Insula Indiæ intra Gangem. Ptol. Et Argivorum opp. Polybio.

Leuca, viæ spatium apud Gallos, Hieron. & Frodoardo: *Leuga* Amm. Marcellino & Jornandi: *Leuva* Nithardo: & *Lega* Lelando: secundùm Thierrium à Gr. λευκὴ, i. candida, quòd locorum intervalla candidis quondam lapidibus designarentur. Et Galli quidem Romano more, lapidibus hinc inde positis distinxere itinera, candidos autem illos necessariò fuisse non legitur: unde à Britannis, quorum lingua cum vet. Gallica multum habebat commercii, *Leach*, i. lapis, potest vox originem esse sortita. Constitit olim ex 1500. passibus, teste Amm. Marcellino, *l.* 16. *sect.* 9. ubi *de Juliano Cæs. in Galliis militante* loquitur, & Jornande *c.* 16. *de reb. Goth.* Ex 2000. dein, apud Ingolphum, Lyranum *in Daniel. &c.* quæ vulgaris atque hodierna apud Gallos æstimatio est. Pro mille passibus, sub Normannorum ingressu, in Anglia vox sumta est, cujus incolæ per leucas quoque spatia numerabant. Pro 3000. apud nautas hujus regni, marina sic itinera metientes. Hispanicam *leucam* 34. stadiis i. mill. Germanico 4000. passuum quidam metiuntur. Sed Hunterus *Cosmogr. lib.* 1. sic habet:

Quatuor ex granis digitus formabitur unus,
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus:
Quinq; pedes passum faciunt, passus quoq; centum
Quinq; & viceni stadium dant, sed miliare
Octo dabant stadia, & duplatum dat tibi leucam.

Pro situ Monasterii, cum spatio in circuitu, putà plus minus unius leucæ vel m. p. insigniori jurisdictione privilegiisque donato, nonnunquam quoque vox sumitur, Gall. *Banlique*. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Leucæ oræ, Ptol. i. e. *Albi montes*, in Cretâ sunt, teste Plinio, *Madara*, & *Spachia* Bellonio. *Monti di Sfachia*, Baudrando, ab opp. cognomine. In parte Occ. Insulæ.

Leucarum, Camdeno *Loghor*, opp. Albionis in Walliæ orâ Meridionali. Anton. Silurum aliàs. In Comitat. Glamorganensi, ad amnem *Loghor*. 4. mill. Angl. ab ejus ostiis in Ort. 10. ab ostio Tobii in Ort. 8. à Nido in Occ. 30. ab Isca Silurum etiam in Occ.

Leucas, & *Leucadia* Plin. & Mel. *Leucate* Virg. *Leucates* Straboni, *Neritis* etiam Plin. 5. 1. insula maris Jonii, oræ Epiri occiduæ adeò vicina, ut continenti juncta videatur, (cum urbe cognomine, Episc. sub Archiep. Naupactensi, quæ *Neritos* Strab. *Neritum* Plin.) media inter Acroceraunia, & Peloponnesum 87. mill. pass. ab Actio 30. in Merid. cujus urbs caput erat Acarnaniæ, teste Livio. Baudrando, Acarnaniæ ferè adjacet, ei ponte juncta. Urbem habet cognom. & permunitam, versus Ort. Insulæ. Venetis à Mahumete II. erepta est. *S. Maura* hodie incolis, *Sainte Maure* Gallis dicitur, sedes præfecti Turcarum, mons verò & promunt. *Leucata*, & *Leucates*. Ovid. *Met.* 15.

Leucada continuam veteres habuere coloni,
Nunc freta circumeunt. ——

Lucanus *lib.* 4.

Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tum civili meditatus Leucada bello.

Juven. *Sat.* 8.

—— *Quantum non Leucade, quantum*
Thessaliæ campis Antonius abstulit.

Statius *Thebaidos lib.* 4.

—— *Sic Ambracii per litora ponti,*
Nauticus in remis juvenum monstrante magistro
Fit sonus, inq; vicem contra percussa reclamat
Terra, salutatus cùm Leucada pandit Apollo.

Item *Leucas* civitas Phœniciæ. Steph.

Leucasia, insula Tyrrheni maris. Vide *Leucosia*.

Leucasius, vicus est in Arcadiâ. Pausan.

Leucaspis, unus ex comitibus Æneæ, natione Lycius, unà cum Oronte in Tyrrheno mari submersus. Virg. *Æn.* 6. Item Libyæ Nomi portus. Ptol.

Leucata, prope stagnum cognom. & Salsulas arcem. Urbs munita Occitaniæ, haud procul à Comit. Ruscinonensi: à Serbellone Duce Hispan. frustra obsessa, An. 1637. victis hisce eodem anno. Arx nunc destructa. Valesio castrum est naturâ & arte munitum, Gall. *Leucate*, Hisp. *la Leocata*: & promunt. ad mare figurâ peninsulam referens. Quippe ab Ortu & Mer. mari cingitur, ab Occ. stagno, quod incolæ *stagnum Leucatæ*, Hispani *stagnum Salsularum* vocant, quia inter utrumque castellum jacet. Promuntorii hujus caput Sept. quà Franciam spectat, in fronte habet 1500. pass. difficilique ob rupem est aditu. In monte arx & vicus cognom. est, in quo fons, templum & molæ: Arcis præsidio cisterna, propter rupis ariditatem, fontis instar est. Nomen fortè à Massiliensibus loco datum est: Nam est in Caria littus *Leuca*, & in Acarnania *Leucadium* littus ac promunt. *Leucates*, vide infra, dein sinus, ac *Leucadia* peninsf. est. Plin. & Mel. Ex saxorum candore nominis origo, teste Servio. Vide *Leocata*.

Leucates, prom. Acarnaniæ: *Capo di Santa Maura*. Virgil. 3.

Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Idem *Æneid.* 8.

—— *Totumq; instructo Marte videres*
Fervere Leucaten. ——

Item Bithyniæ, quo includitur Sinus Astacenus. Plin.

Leuce, insf. Ponti exigua, Borysthenis ostio objecta, Vide *Achillea*. Baudrando Insf. parva Cretæ, in ora Bor. nunc *S. Teodoro*. Cum arce in monte satis munita cognom. quæ prima expugnata fuit à Turcis, an. 1645. 8. mill. à Cydone in Occ. vix 1. aut altero mill. ab ora Cretæ.

Leuci, Gall. Belg. pop. Treviris & Mediomatricibus finitimi, supra hos Straboni. Horum primus meminit Cæsar *de bello Gall. lib.* 5. ut populi Rom. sociorum ac amicorum: quum ait, sibi ad Ariovistum contendenti, frumentum Sequanos, *Leucos*, Lingonas subministrasse. Lucanus ipsos unà cum Remis optimos funditores facit, & lapidum certis ictibus conjiciendorum peritissimos, *lib.* 1. hoc versu:

Optimus excusso Leucus Rhemusq; lacerto.

Eis ut Treviris, Verunis, aliisque Belgicæ, Celticæ & Aquitanicæ populis, non plena quidem aut justa cum agris aut legibus suis, sed aliqua tamen ex parte à Romanis victoribus concessa libertas est: unde Plinius *Leucos liberos* vocat *lib.* 4. *cap.* 17. Civitas *Leucorum* apud Tacit. *Hist. lib.*1. totum eorum agrum denotat, fuitque è maximis totius Franciæ diœcesibus, non Tullum modò, pagumque Tullensem, sed etiam Lotharingiam, pagumque Mosellanum & Barrensem complexa: ita ut diœcesis Parisiaca & Verodunensis parœcia, vix ad sextam *Leucorum* agri partem accedant. Cl. Ptolemæo *leuci* λεῦκοι dicuntur, qui urbes illorum recenset Tullum, hodie Episc. sub Archiepisc. Remensi, vide ibi, & Nasium, hodie Nansiacum majus, *Grand Nanci*, in Duc. Barrensi, non longè ab Orna fluv. Item *Leuci*, Peloponnesi pop. Livio. Item montes Cydoniæ, in Creta: *Monti di Sfachia* vulgò: quorum incolæ *Sfachiotes* dicti, satis celebres ab aliquot annis effecti sunt. Vide *Leuca Ore.*

Leuciana, Hisp. urbs, inter Emeritam, & Toletum. Anton.

Leucimna, Corcyræ insl. promunt. inter urb. Corcyram & Phalacrum prom. *Capo Bianco*. Soph.

Leucippides, filiæ Leucippi à Castore & Polluce raptæ, Phœbe, & Elaira, ex Aphidnis civitate Laconicâ.

Leucippus, Eleates quibusdam, Philosophus, qui omnia pleno & inani constare dixit. Cic. *Tusc. Qu. lib.*4. Dogma hoc plenius explicat Laërtius *lib.*9. & qui eum exscripsit Hesychius Illustris. Præterea res infinitas esse docuit, atque in se invicem permutari; Mundos tum fieri, cùm corpora inane subeuntia alia aliis misceantur: Naturas Astrorum motu formari, Solem circa Lunam, Terram in centro circumgyrari, tympani figurâ. Atomos primus statuit omnium rerum principia, &c. De eo sic Galenus, sive Ætius, Περὶ φιλοσόφου ἱστορίας. Τούτου δὲ Λεύκιππος Ἀβδηρίτης ἀκουστής, τὴν τῶν ἀτόμων εὕρεσιν ἐπινενόηκε πρῶτος. Clementi Alexandrino *in Propemptico*, dicitur *Milesius*, ac posuisse ἀρχὰς, τὸ πλῆρες, καὶ τὸ κενόν. De eodem ita Epiphanius: Λεύκιππος ὁ Μιλήσιος, κατὰ δέ τινας Ἐλεάτης καὶ οὗτος ἱστορικὸς ἐν ἀπείρῳ. Lactant. *lib.* 3. *Instit. Ubi sunt, aut unde ista corpuscula? cur illa nemo, præter unum Leucippum, somniavit? à quo Democritus eruditus hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro.* Epiphan. Vide Voss. *de Phil. sect. cap.* 7. *§.* 6. Item octavus Sicyoniorum Rex, regn. an. 53.

Leucius, Manichæus, acta Apostolorum sub nomine S. Matthæi, vel S. Jacobi minoris, S. Petri item & S. Johannis, evulgare ausus. *Epist.* 3. Innocentii III. ad Exuperum. Idem libri de B. Virgine, qui Hieronymo vulgò tributus est, auctor quibusdam creditur. Baronius Anno 44.

Leuco, Bospori Rex, an. U.C. 360.

Leucobibia, & Lat. recent. *Loquabria*, regio Scotiæ occidua contra Ebudas insulas. Malè verò Ortelius citat Ptol. ille enim *Levopibiam* habet. Baudrand. melius *Leucopibia*, urbs Novantum in Scotia Mer. nunc *VVithern*, seu Candida casa. In Gallovidia & ora maris Hib. cum portu capaci, longè à Loquabria in Austr. Vide *Lucopibia*, & *Candida casa.*

Leucogæus collis, & *Leucogæi fontes*, locus Campaniæ inter Neapolim & Puteolos, *la Lumera*, teste Sanfelicio. Hic alica plurima & sulphur. Plin. 18. 11. & 35. 15. Fontes prædicti firmitatem dentibus, oculis claritatem, & vulneribus sanitatem afferunt, teste eodem Plin. 31. 2. *Leucogæus* quoque, *Leuce acte* Ptol. locus Marmaricæ in orâ littorali inter Parætoniam, & Alexandriam. *Riva bianca* Moletio.

Leucola, portus Cypri apud Strab. ubi Gagates lapis, teste Plinio, reperitur.

Leucolithi, pop. Lycaoniæ. Plin.

Leucolla, promunt. Pamphyliæ cum insl. & opp. cognomine, inter Pergen, & Eurymedontis fluv. ostia, ultra Chelidonias.

Leucon, filius Satyri, nepos Spartaci, patre Olympiadis 96. anno quarto defuncto, Bosphori regnum suscepit & annos quadraginta tenuit. Diod. 14. 445. Obiit Olympiadis centesimæ sextæ anno tertio, *lib.*16.

Leucon, Rex Ponti, à fratre Oxylocho necatus, quòd cum ejus uxore adulterii & incestûs consuetudinem habuit. Ovidius *in Ibin,*

Aut pia, te caso dicatur adultera; sicut,
Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est.

Leucon, Africæ urbs circa Cyrenen. Herodot. Forsan *Leucoa*, Ptolom.

Leuconaus, locus Galliæ, ad ostium Suminæ, seu portus olim maritimus, Monasterio S. Walarici, à Walarico Arverno, tempore Chlotarii, extructo, insignis: vulgò *S. Valeri*, Picardis *S. Vauary*, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Leuconis, lacus Bœotiæ, qui aliàs *Copais.*

Leuconius, fons in Arcadiâ. Pausan.

Leuconon, Pannoniæ urbs. Anton.

Leucopetra, prom. Brutiorum ultra Rhegium: In Merid. parte Calabriæ ult. Nunc *Capo dell' Armi*, juxta fretum Siculum, 12. mill. à Rhegio in Austr. Brietio tamen est *Punta della Saetta*, prom. 8. inde mill. in Ort. distans, in quo desinit alterum Apennini cornu, & *Capo dell' Armi* est Rhegium promunt. Item mons Asiæ Polybio, qui Parthiam distinguit ab Hyrcaniâ. Locus item circà Arabiam. Plin.

Leucophrus, Dianæ fanum & stagnum inter Tralles, & Mæandrum fluv. in Lydiâ. Xenoph.

Leucophryne, cognomen Dianæ, apud Magnetes cultæ. Causa cognominis ad fœminam aliquam, quæ ibi condita, referri ex Arnob. *lib* 6. potest. Vel ad Tenedon insulam, quæ olim appellata *Leucophryn*, ubi Dianæ sanctissimum templum, ejusq; exemplo & cognomine fortasse ædificatum in Magnetibus istud. Appian. *Civil.* 5. etiam alterum ejus Deæ fanum locat Mileti cognomento pari. Et Pausanias aram Athenis, cui à Themistoclis filiis dicata statua.

Leucophyra, Antiochidis tribus gens. Hesych.

Leucopolichna, urbs Sarmatiæ Archiep. Rutheniæ, sive Russiæ metropolis. *Lemburg*, quæ & *Leopolis.*

Leucopolis, urbs Cariæ maritima, ad sinum Doridis reg. Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Æschecher* Leunclavio. Ei insidias fecit Memnon. Polyæn. *l.* 5 & 6.

Leucoræa, quibusdam est Witteberga, caput Saxoniæ; ubi est Academia clarissima: media ferè inter Misnam ad Austr. & Magdeburgum ad Bor. 11. leuc. utrinque. 9. à Lipsia in Septentr. De ea *lib.* 4. *Itinerarii,*

—— —— Ubi surgunt mœnia ad Albim
Leucorea, Musis quæ sacra.

Vide *VVitteberga*, & *Vitarum mons.*

Leucos, fluv. Macedoniæ, juxta Pydnam. Plut. *Fiume di Chitri.*

Leucosia, insl. parva Tyrrheni maris, contra sinum Pæstanum: Ferrara ius habet, in sinu Pæstano, contra Posidoniate promont. vulgò *la Licosa*, & *Leucosa*: sic dicta ab Æneæ consobrinâ ibi sepulta, in orâ Lucaniæ, teste Festo; seu ut Plinius vult, ab una Sirenum ibi submersa, & sepulta. Vide & Strab. De illa sic Ovid. *Met.* 15.

Leucosiamq; petit, tepidiq; rosaria Pæsti.

Erat olim Sirenum promuntorio juncta, teste Plinio: ibique multa in mari rudera, quasi urbis subversæ, cernuntur. Item urbs totius Cypri primaria, Archiep. Latinis, Episc. Græcis, quæ & *Nicosia*. Quin & Samothracia *Leucosia* priùs est appellata, Aristot. *de Repub.*

Leucosyria, Cappadociæ pars circa ostia Thermodontis fluvii.

Leucosyrorum cubitus, Cappadociæ locus. Ptol. hodie *Lyrus*. Pop.

Leucosyri, qui & *Assyrii* Orpheo, quorum urbs Themiscyra.

Leucosyrus, Ciliciæ fluv. *Pyramus* postea dictus. Steph.

Leucothea, uxor Athamantis, V. *Ino*, & *Athamas*. Propert. 2. 28.

Ino etiam primâ terris ætate vagata est,
Hanc miser implorat navita Leucothoen:

Ovidius, *Met.* 4.

Leucotheaq; Deum cum matre Palæmona dixit.

Et *Fastorum* 6.

Leucothoe Grajis, Matuta vocabere nostris.

Cic. 1. *Tusc. Qu. Quid? Ino Cadmi filia, nomine Leucothea nominata est à Græcis, Matuta habetur à nostris.* Vet. Gloss. *Albunea*, Λευκοθέα. Fabula est apud Apollodor. *lib* 3. Hom. *Iliad.* ε. Pausan. *Atticis, Corinthiacis & Messenicis.*

Leucothea, Orchami Babyloniorum regis filia, cujus amore captus Apollo, in Eurynomes (ea Leucothoes mater erat) figuram se transformavit, & tanquam secretò aliquid cum filia colloqui vellet, famulas, quibus comitata erat, secedere jussit. Deinde pristinæ formæ restitutus, professus quis esset, post multas blanditias, non admodum invitæ vim intulit. Quod cùm rescivisset Clytie, quæ mutuo Apollinis amore tenebatur, zelotypiæ stimulis exagitata, Orchamo regi filiæ amores enunciavit, qui ut naturâ crudelis erat, filiam vivam defodit. Cujus mortem ægerrimè ferens Apollo, cùm vitæ eam restituere non potuisset, in virgam thuream eam commutavit. Ovid. *Met.* 4. Arbor autem thurifera eadem ratione fingitur amata ab Apolline, seu Sole, qua Daphne, seu laurus, viz. quòd gaudeat locis maximè apricis, & ferat fructus ad salutaria remedia utiles.

Leucothea, insl. maris Tyrrheni, apud Capreas, & promunt. Minervæ, teste Plinio. Item fons Sami insulæ. Idem. Et Arabiæ, & Ægypti urbs. Idem.

Leuctemberga, castr. Bavariæ, Landgraviatus cognom. caput. Antea Principes habuit proprios; nunc illorum stirpe extinctâ El. Bavariæ subest. Vulgò *Leuchtemberg.*

Leuctra, pl. num. vicus Bœotiæ juxta Thespias; Ferrario inter Plateas & Thespias, in confinio Megaridis: circa quem ingens planities est, ubi Epaminondas Thebanus Lacedæmonios longè majoribus copiis instructos, Cleombroto illorum Rege, cui Agesipolis dein successit, occiso, vicit, adeoque attrivit, ut postea imperium recuperare nequiverint. Pœna fuit ea pugna libidinum, quòd in eo ipso loco duo adolescentes nobiles Spartani Scedasi filias (earum autem nomina fuerunt Hippo & Miletia, vel, ut alii volunt, Theano & Euexippe) vi stupravissent, dissectasque in frusta in puteum abjecissent. Quanquam, secundùm alios, ipsæ vim passæ doloris impatientiâ sibi necem consciverunt, eoq; in campo sepultæ sunt, ubi postea ista pugna commissa: Facta est autem an. 2. Olymp 102. sc. A. M. 3585. Xenoph. *l.* 6. Diod. *l.* 15. Polyb. *l.* 1.

Leuctrum, seu *a*. Laconicæ urbs in Peloponneso ad sinum Messeniacum. Ptol. *Maina* Nigro. *Issesia* Moletio. Plut. *in Pelopidâ* ad

mare

mare fuisse docet, Καὶ τὸ Λακωνικὸς πολίχνιον πρὸς τῇ θαλάττῃ Λεῦκτρον ὀνομάζεται. Baudrando quoque nunc *Maina*: sedet ad radices Taygeti montis, inter Abæam ad Bor. 15. m.p. & Tænarium prom. ad Austr. 35. Sub Turcis; aliqua tamen cum libertate. Hinc tractus *Braccio di Maina*. Incolæ *les Mainots*, Baudr. Inter Eleutherolaconum urbes memoratur à Pausania. Nomen illi à *Leuctris* Bœotiæ datum, quorum & colonia erat. Pelopem eam condidisse refert Strabo *lib*. 8. Solinus ubi de Laconum urbibus agit, *cap*.13. *Præterea aliquot urbes, inter quas Leuctra, non obscura jam pridem Lacedæmoniorum fœdo exitu.* Ubi vehementer errat, quod celeberrimam pugnam Leuctricam, quæ pugnata ad Bœotiæ Leuctra fuit, Laconiæ Leuctris tribuit. Item *Leuctrum* Arcadiæ urbs, Pausan. & Achajæ, *pag*. 9. Strab.

Leucum, vulgò *Lecco*, opp. Insubriæ cum arce, apud Larium lacum, ubi Adduam emittit, à Como 14. m. p. in Ort. Bergomum versus, à Mediolano 30. in Bor.

Leucus, in quatuor historiarum, citatur à Malcho sive Porphyrio *lib. de Vitâ Pythag*.

Leucyanias, Peloponnesi fluv. in Alpheum erumpens. Pausan. *in Eliacis*.

Leudesius, Magister Palatii in Gallia, fil. Erchinoaldi, qui eandem dignitatem possederat. Ab Ebroino occisus, qui Theodoricum postea Regem in potestate, hoc sublato, habuit, omnia pro lubitu moderatus. An. 681. Addit. Greg. Tur. *cap*. 96.

Levetanum, vicus Batavorum, ad Vahalim fluv. infra Neomagum; *Leuven* vulgò, in Geldria infer. Cluverius.

Leuga, Africæ provincia. Æthicus.

Leugasa, Armeniæ min. urbs. Ptol.

Levi, pop. Liguriæ. Lege *Lavi*. Plin.

Levi, tertius filius Patriarchæ Jacob, ex Lia uxore ejus. An. M. 2285. Gen. 30. genus suum ita propagavit, ut quum inter cæteras tribus Israël progenies ipsius à Mose & Aarone apud montem Sinai recenseretur, soli mares illi duntaxat quotquot unum mensem nati erant, ac majores, fuerint viginti duo millia. Obiit Anno M. 2422. Hi sacro cultui destinati, ob zelum in adoratores vituli aurei exercitum; & à Davide in certas classes distincti leguntur: Regiæ familiæ affinitate jungi poterant. Gen. 29. *& seqq*. Exod. 6. 32. Jos. *Antiq*. 2. 3. 4. Epiph. *de Vit. Proph.* Sic quoque vocabatur Matthæus Apostolus. Item pater Matthat. Luc. 3.

Levi, Episc. Hierosolymit. sec. 2. quo tempore Judæi in Ecclesiam sæviebant. Justo successit, Ephremi prædecessor. Euseb. *in Chron*. Item *Levi* Ben-Altuban, & Ben-Gerson, Rabbini celebres, sec. 12. & 14. Genebr. *in Chron*.

Leviathan, magnus piscis marinus, Job. 41. Leviathanem verò non significare *Balænam*, ut vulgò putatur, sed *crocodilum*, fusè probat Bochartus ὁ μέγας *Hierozoici, part*. 2. *lib*. 5. *cap*. 16.

Levinia, prov. Scotiæ, Brietio aliisque *Lenox*, in ora Occ. versus intimum recessum Glotæ æstuarii, inter Argatheliam ad Occ. Taighiamque seu Menthitiam ad Ort. A fluv. Levino *Levin*, qui ortus in ipso limite Albaniæ, eam bifariàm secat, & per Lominium lacum lapsus, in Mer. hinc rigato Dumbritonio, in Cludam se exonerat, dicta. Cum tit. Duc. Ejus caput est Dumbritonium; dicitur etiam *Lenoxia* quibusd.

Levita, pro Diacono, i. quinto gradu Ecclesiæ, juxta D. Hieronym. *Tom*. 4. *lib*. 7. *de Ordin. Eccl.* Hinc *Archilevita*, pro Archidiacono, reperitur in prisca Ecclesia: cujus munus sic describit Prudentius *in Coronis*:

Hic primus è septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu
Et cæteris præstantior:
Claustris sacrorum præerat,
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasq; dispensans opes.

Vide Spelmannum *Glossar. Archæol*, & supra in voce *Lector*.

Levitania, Vicecomitatus est Galliæ, in agro Bigerrico, ad radices Pyrenæi: vulgò *Lavedan*. Equis ea generosis olim nomen dedit, qui etiam inter currendum in gyrum verti assolent: Levitani *Lavedans* dicti. Vide Hadr. Valesium in voce *Bigerrones*.

Levitici, hæretici, ex Gnosticis & Nicolaitis oriundi. Epiphan. *hær*. 25. Augustin. *de hær. cap*. 5.

Leviticus, liber Canonicus S. Scripturæ Pentateuchi tertius, à tribu sacerdotali Levi nomen accepit. Hebr. *Vaicra*, i. Vocavit, Capp. 27. tractat de Sacrificiis, Ceremoniis variis, gradibus Consanguinitatis, Festis, Votis, Decimis, Pœna blasphemi, Jubileo, &c. Torniel. *A.M*.2545. *n*. 11. *&* 12. *T*. 1. *p*. 518. 519. *edit. Plant*. In illum extant: Ambrosius. Augustinus. Brentii *Commentarii*. Brocardi *Explicatio mystica & Proph*. 8°. Lugdun. 1580. Canutus, fol. Marpurgi 1536. Ferus. Hesychius, fol. Basil. 1527. Junii *Explicatio Analyt*. Lorini *Commentar*. Lugduni 1619. fol. Origenis *Homiliæ*. Pelargi *Comm*. Phrygionis itidem, 8°. Basileæ 1596. Purmanni *Quæstiones & Resp*. Radulphi *in Lev. lib*. 20. fol. Coloniæ 1536. Roverii *Harmonia cum Comm*. Rusbrochius. Siphra Hebr. Serrani, fol. Antverpiæ 1572. Toras Cohanim. Willeti *in Lev*. fol. 1631. Wolfii *Sermones*, Tiguri. Vide Crovvæi *Elenchum*.

Leuni, pop. Vindeliciæ, *Genauni* Horatio, *Naunes*, ut videtur, Plinio, quorum tractus *Glon*, seu *Gloneck*, teste Aventino (cum fluv. cognomine) in Bavariâ nominatur. Licet Avent. *in Gelonos* ab Horat. dictos referat.

Levomne, mons Macedoniæ, circa Pallenen peninf. Plin.

Levona, pop. Scandinaviæ, quorum regio *Bothnia* videtur, ultra Suediam in Arctos. Aliis est *Livonia* reg. Sarmatiæ in orâ sinus seu maris Venedici.

Leupas, portus Arabiæ Fel. Plin.

Leuphana, Saxoniæ urbs. Ptol. *Hanofer* Irenico, urbs Ducat. Brunsuic. Ducum sedes, ad Leinam flu. media inter Hamburgum ad Sept. & Cassellam ad Mer. ferè 3. mill. Germ. ab Hildesio in Bor. uti ab Eymbeca. Munita & clara. Vide *Hanovera*.

Leuphitorga, Æthiopiæ sub Ægypto urbs. Ptol.

Leusana, Pannoniæ urbs. Anton.

Leusinium, Dalmatiæ urbs. Anton.

Leutardus, rusticus Gallus, crucis simulachra & imagines confregit, sec. 10. decimas non solvendas esse concionatus est, Prophetas non semper bona dixisse asseruit: si vera Baronius refert *An. Ch*. 1000.

Leutarnia, opp. Lucan. in M. Græciæ confin. Barrius in Calabria posuit, cui hodie *Levidonia*. Baudr. aliàs in limite Brutiorum, nunc in Calabria cit. 7. mill. ab Amygdalaria, & in sinu Tarentino in Occ.

Leutericus, vel Leothoricus, Senonum Arch. post Sevinum, An. 1000. discip. Gilberti, à Fromondo Comite, & Raynardo II. fil. gravia passus, liberatus est, à Roberto R. qui Senonibus captis, Comitatum Raynardo ademit. Pluribus Conciliis interfuit, veræ sententiæ de præsentia Corporis CHRISTI in S. Cœna, quam eodem sec. Berengarius docuit, assertor. Obiit an. 1032. Continuat. Aimon. *l*. 5. *c*. 46. Hulgaud. Floriac. *in Vit Robert*. Fulb. Carnut. *ep*. 31.

Leuteva, olim *Forum Neronis*, à Romanis dicta, Plin. *l*. 3. *c*. 4. vulgò *Lodeve*, urbs Gall. in Not. vett. inter prov. Narbonensis primæ civit. quinto loco numeratur. in aliis aliter. Posita est ad flu. Largam *Lergue*, qui in Araurim effluit: Episcop. sedes jam sub Honorio: inter Narbonensi Vasconiæ Archiep. suffraganteś modò quarto, modò quinto loco posita. Ex ejus Episcopis Maternus Concil. Agathensi, Agrippinus Narbonensi, Leontianus Edicto Flavii Gundemari Regis, Anatolius Concilio Toletano 4. & 6. Gislbertus Diacon. ab Ausemundo missus Synodo Tolet. 13. subscripsit. Valesf. *Not. Gall*.

Diœcesi Leutevanâ continentur:

Cannetum.	*S. Martin des Combes.*
Cellæ, *Celles.*	Monspetrosus, *Montpeyroux.*
Clarus mons *Clermont de Lodève.*	Olivetum.
	Podiû, *Lou-Puech d'Aubaigne.*
Garrica, *la Garrigue.*	Ripæ, *les Ribes.*
S. Martini de Castris.	Salvus mons, *Saumont.*
S. Martini in Convallibus locus	Vaccaria, *la Vaccaire.*

Leutkirca, vulgò *Leutkirch*, urbs Imperial. Sueviæ, in Algoa, ad *Eschach* amnem, qui paulo infra in Ilarum cadit. 3. mill. Germ. à Memminga in Austr. 6. à Lindavia in Bor. Satis parva. Nomen à templo S. Martini, quod ante urbem conditam, à circumjacentibus vicinis frequentabatur, q *aller Leuthe Kirche*. Mixtæ religionis est, at prævalent Confessioni Aug. addicti, Vide Limn. Enucl. *l*. 4. *c*. 35.

Leutychides, vir Lecedæmonius inimicus Demarati, post cujus fugam constitutus fuit Spartanorum rex. Herod. *l*. 6.

VVisigothorum Reges.

Leuva, vel *Liuba I.* Wisigothorum R. in Hisp. post Athanagildum, an. 568. anno pòst Hispaniâ fratri Leovigildo cessit, inferiori Occitaniâ contentus. Gregor. Tur. Obiit an. 573. Mariana *hist. Hisp*. Joh. Abbas Biclarius.

Leuva II. patri Recaredo successit, an 601. biennio post, à Viterico, regni usurpatore, occisus. Isidor. *in Chron*.

Levvecum, Cambodiæ caput, & sedes regia. Juxta fluv. Cambodiam, 80. leuc. supra ejus ostia in mare Indicum. Vulgò *Levveck*.

Leuuenburgum, seu *Lavvenburgum*, urbs Pomeraniæ, cum tractu adjacente, Elect. Brandeburgico à Polon. R. concessa. Item urbs Poloniæ Archiep. facta ab Urbano, An. 1361. Russiæ nigræ caput, Lat. *Leopolis*, vide ibi, & supra quoque in voce *Lavvenburgum*.

Leuvinus, fluv. Scotiæ Mer. Oritur in Menthitia prov. dein per Fifam labens, ibi lacum Leuvinum efficit, & tandem in Forthææ æstuar. cadit, ad Leuvinum, opp. Fifæ prov. Vulgò *Leuvin*.

Leuvissa, una Hebridum, oblonga, & Septentrionalior cœteris Æbudis, versus oram Occ. Scotiæ, à qua 60. mill. distat. in Occas. Longa est à Sept. in Merid 55. mill. circiter. Vulgò *Leuvis*.

Lex, Aristoteli *Ratio est, à prudentia & mente profecta*. Aliis *Præceptum æquum superioris, subditum ad agendum vel non agendum obligans*. His uti nulla Respublica carere potest, ita præclarissimis inprimis instructi erant Israëlitæ, de quibus vide in Pentateucho: Athenienses, de quibus accuratè scripsit Samuel Petitus *Comm. in Leges Attic*. Romani, de quibus V. Th. Dempster. *Ant. Rom*. &c. Nobis de iis, quæ nunc præter Roman. jus, in usu, paucis sermo est. *Legum* in maxima Europę parte hodie usitatarum, origo hęc: Cùm victricia per Europam signa extulere Gothi, Saxones Longobardi, Dani, Normanni aliique maris Baltici & Germaniæ Borealis accolæ, morum & linguæ similitudine gaudentes: *Leges* passim triumphatis populis intulerant, patriarum suarum ritus

& vocabula plurima retinentes. Hinc apud Germanos, Gallos, Italos, Hiſpanos, Siculos, tum in legum antiquarum canone, tum in Magiſtratuum, Officialium & Miniſtrorum appellationibus, ingens ſæpe convenientia deprehenditur. Et quidem

Lex Alemannorum, è patriis conſuetudinibus primùm redacta eſt in ſcriptis, à Theodorico Rege Francorum, qui floruit an. C. 512. Poſtea emendatior conſtituta eſt à Chlotario II. & Principibus ejus, vid. 33. Epiſcopis, 34. Ducibus, 72. Comitibus, cæteroque populo.

Lex Angliorum & Werinorum, i. Thuringorum, quâ olim Angli vett. in Germania uſi ſunt, demum à Carolo M. confirmata, ad poſteros pervenit, ſicut infra *in L. Saxonum* perhibetur. Tacitus hos *Anglos* & Varinos nominat.

Lex Anglorum in Britannia, è Germanorum moribus orta, triplex fuit: Lex Occiduorum Saxonum, Lex Merciorum, & Lex Danorum: quibus

—— Facies non omnibus una,

Nec diverſa tamen qualem decet eſſe ſororum.

Omnium primus leges in ſcriptis edidit Ethelbertus, Cantii R. ſec. 6. ſed breves illas & ſatis rudes. Huic proximus Inas Occid. Saxonum R. ſec. 8. Poſt hunc Offa R. Merciorum legislator: exin Alvredus, trium priorum recognitis legibus, quidquid in iis dignum, in ſuas tranſcripſit, & Anglis, quo jam tum nomine continebantur Saxones & Juti, omnibus impoſuit obſervandas. Poſt eum Eduard. ſen. Ædelſtanus, Edmundus, Edgarus, Edelredus Saxones, & Canutus Danus ſuas depromſere leges, generales plerunque ſingulas, quoad prohibitionis canonem, ſed in irrogandis mulctis, Danos reſpicientes juxta conſuetudinem Danicam, Anglos juxta Anglicam, & Mercios juxta Mercianam. Verùm ſuſtulit diſcrimen hoc Eduardus Confeſſor, & ſuam dedit, parem omnibus & communem, quæ *Lex Communis*, ſeu *S. Eduardi* dicta eſt. Guilielmus dein Conqueſtor, leges Danorum & Norvvegenſium iterum ſuſcitaturus, precibus ſuorum deſtitit.

Lex Apparens, al. *Aperta*, quandoque *Paribilis*, à ſævis ſub Urſa populis profecta eſt. Gotthi quippe, & gentes Boreales, Martem belli Deum apud ſe natum & enutritum ferunt; Unde Virgilius,

Gradivusq; pater, Geticis qui præſidet arvis.

Hi proin à Marte omnia auſpicantes, ex duello lites judicabant: *Lege* ſc. quæ Anglis & Normannis poſtea *Simplex* dicta eſt & *Apparens*. Hanc apud Gallos Philippus, apud Anglos Henricus II. utcunque ſuſtulere.

Lex Bajuvariorum, al. Bojorum, à Theodorico I. fil. Chlodovei M. lata Catalaunis, emendata à Childeberto II. perfecta à Chlotario II. in melius translata à Dagoberto M. aucta eſt à Taſſilone Duce, an. Chr. 770.

Lex Burgundionum, à Rege Gundebaldo, quem ſub tributum redegit an. Chr. 501. Chlodoveus R. lata eſt, Lugduni, poſt occiſum Godigeſilum fratrem. Cum hac planiſſimè convenire Papiniani librum Reſponſorum, ex jure Romano, ut veriſimile eſt, hujus quoque Gundebaldi mandato, collectum, notat Lindenbrogius.

Lex Danorum ſeu *Norvegienſium*, à Guthurno R. qui converſus ad fidem Chriſti Eaſtanglorum & Northumbrorum provincias, ſub fidelitatis profeſſione, à victore Alvredo impetravit, lata eſt. Huic deinceps paruere Cathenenſes, Mannenſes, cæterique Inſularum Britanniæ Bor. incolæ. Imo Canuti legibus tota Anglia. Lex enim Anglorum, ab Edgaro R. uſque ad Confeſſ. Danis interea rerum potitis, obmutuit.

Lex Francorum, vide in voce *Franci*.

Lex Friſonum, ab Heraldo Danorum Rege, lata eſt, ut refert Albertus, Abbas Stadenſis, an. Chr. 984. *Certiſſimum*, inquit, *eſt eum tam noſtro populo, quam Transalbianis & Freſonum genti leges & jura conſtituiſſe, quæ adhuc pro tanti auctoritate viri ſervare contendunt.* Lindebrogius verò notat, Heraldi leges iis recentiores eſſe, quas in ſuo Codice legum antiquarum, inter alias Friſonum edidit: membranaſque & manus vetuſtatem, Caroli M. ætatem videri antecedere. Henr. Spelmannus *Gloſſar. Arch.* Occaſione Legis hujus, de *Friſonibus* ſeu *Friſiis* quædam hîc, ut & de regione eorum adjicere viſum eſt: cùm ſupra de iis parciores fuerimus. Erant *Friſones* pop. Germaniæ inf. quibuſdam è Phrygibus orti, aliàs *Friſii* & *Friſiones*, Germ. *Friesländer*. Jam Plinii ætate, ſub Veſpaſiano, in Inſulis Rheni, qui terminus Galliæ eſt, ſedes habuere, *l. 4. c. 14.* Olim ſub propriis Regibus, dein à Francorum Rege Chlodovæo II. per Dagobertum fil. cæſo Beroaldo Rege an. 626. ſubacti, uſque ad tempora filiorum Chlodovei Jun. tum jugo excuſſo, proximis Francicæ ditioni pagis manus adjecere, flumenque Rhenum transgreſſi, in parte Inſulæ Batavorum conſedere, ac ibi præter cætera loca Doreſtate ac Trajectum Batavorum ad Rhenum obtinuere: quæ regio à gente *Friſia*, à ſitu Citerior vel Occidentalis dicta eſt. Pippinus dein, Dux Francorum, Radbodo Rege illorum fuſo, gentem, miſſo Willibrordo, ad Chriſtianiſmum perduxit, circa an. C. 690. qui Trajectum infer. pro Epiſcopatus ſede habuit: poſtquam paulò antè Vigbertus Anglus à Radbodo, eò quòd Jovis & Foſtæ ſtatuam evertiſſet, fuiſſet interfectus. Gotricus poſtea, Daniæ R. Friſiam claſſe 200. navium ingreſſus, incolas omnibus fortunis exuit, aurique & argenti uſu ademto, ad vimineos torques lege latâ redegit, an. C. 809. Haraldusque, ab æmulo Regnero, Daniâ pulſus ſedem hîc fixit, an. Chr. 826. quo tempore Arii dogmate infectam gentem ſanavit Fridericus Ultrajectin. Epiſc. Poſt hæc Carolus Craſſus Imp. Godofrido Normannorum Duci Friſiam conceſſit, an. C. 881. Victus poſtmodum à Friſiis an. C. 993. Arnulphus eſt, Hollandiæ Comes, ut & Theodoricus Com. circa an. C. 1018. ſed an. 1134. à Theodorico Friſia vaſtata, ac fratri in feudum relicta eſt. Ob eam dein Florentius Hollandiæ Comes cum Epiſc. Trajectenſi bellum geſſit, dum nimium prædæ inhiat, à Friſiis illâ exutus, circa an. C. 1168. cujus fil. Theodoricus fratrem Wilhelmum victum Or. Friſiâ contentum eſſe coëgit anno C. 1195. Wilhelmus Imper. in expeditione contra Friſios labente equo glacie fractâ, ab hoſtibus cæſus eſt, an. Chr. 1256. cujus oſſa Florentius filius ægrè poſt varias belli vices obtinuit, an. C. 1277. Hujus filius Johannes, Epiſc. Trajectenſi nequicquam eum excommunicante, Friſones ſuperavit, an. 1297. ſed infelicior Wilhelmus Margaretæ Imperatricis frater, aquis ab iis immiſſis, periit an. C. 1324. quos tamen iterum ſubegit Albertus Comes circa an. 1392. Ab eo tempore idem gentis, quod reliquorum Belgarum, fatum fuit, ut in Auſtriac. familiam tranſirent, donec præt. ſeculo etiam hiſce libertas obtigit, quam reliquis Fœderati Belgii populis juncti gnaviter tuentur. Vide Matthæum Voſſium *Annal. Hollandiæ*, Ubbonem Emmium, Suffridum Petri, Cornel. Kempium, Bernardum Furnerum *Hiſtor. Friſ.* Regio horum *Friſia* eſt, regio Germaniæ, ita dicta, à gelu extremo, quo ditio riget: Pecoroſa admodum, ſed frumenti ligni que, ob humile nimis & paluſtre ſolum, inops. Inundationi Oceani obnoxia, quem ſæpius infeſtum ſenſit: an. Chr. 1176. inprimis & an. 1220. quo 100000. hominum merſa. Hodie dividitur in *Orientalem* & *Occidentalem*, ab Amiſia fluvio. *Orientalis* vulgò appellatur, Comitatus Embdanus, in Weſtphalia, quem olim non Friſii, ſed Chauci tenuêre, ſed factum eſt, ut ille *Friſia* diceretur, non aliam ob cauſam, quàm quòd Friſiis conterminus ſit. Hos autem Chaucos Plinius & Ptol. duplices commemorant: *Majores & Minores*. *Majores* ſunt, qui Bremenſem Epiſcopatum incolunt. *Minores* ſunt Embdani & Oldenburgenſes: ſiquidem inter Amiſiam & Viſurgim etiam Ptolemæus ſedes illis conſtituit. Hæc regio quondam in multas Satrapias fuit diviſa, quæ ſingulæ à ſingulis Principibus adminiſtrabantur, ad Friderici III. Imperat. tempora uſque, qui quendam nomine Ulricum toti huic regioni præfecit, eumque Comitis titulo inſignivit, anno nempe Chr. 1465. Inde ad noſtrum uſque ævum continuò Comites ſuos habuit. Sunt in hac Orientali Friſia Comitatus alii duo, alter *Eſens*, alter *Jeveren*, quorum hic ſub proprio Domino, à primariis eorum oppidis ſic vocati. Duas tantùm urbes muro cinctas habet, quæ ſunt Embdena & Aurichum. *Friſia Occidentalis*, & propria, à Tacito duplex ſtatuitur, *major* & *minor*. *Majores* Tacito ſunt *Ooſtfriſii* propriè dicti, non quidem ii qui hodie illud ſibi nomen uſurpant Emdani, hi enim ſunt Chauci minores, ſed ii in quibus memorantur Stauria, Sneca, Franicum, Harlinga, Levardia & Doccomium oppida. Similiter *VVeſtfriſii*, qui in extrema Hollandiæ ora, Northollandi appellantur, ſuntque continui Canninefatibus ex deſcript. Plin. Hæ namque duæ Friſiorum nationes uſque ad Oceanum Rheno prætexuntur: Friſia igitur Occidentalis, ut hodie accipitur à poſitu orbis reſpectu Orientalis ſic nuncupata, *Friſiæ* nomen quaſi proprium ſibi antiquiſſimo jure vendicat, ſemperque præſtantior fuit habita: Habet à plaga mundi Occidua, mare Germ. à Sept. mari Auſtrino ab Hollandia ſeparatur: à Merid. ei adjacet regiunc. Drentia Tranſiſalanæ prov. pars: ab Ortu Solis habet dominium Groningenſe, quod eam à Buſacteris Weſtphaliſque diſcriminat. Eſtque hac tempeſtate Friſia Occid. regio longè maxima parte paluſtris, ſolo depreſſiore ac demerſo pleriſque locis, non in novum modò, ſed in adultum quoque ver, atque ob hanc aquarum multitudinem, ut dictum, frumenti parum ferax. Hæc eadem olim regio diademate claruit ad Caroli M. uſque tempora, à cujus obitu variis agitata fuit moleſtiis, tametſi & ante quoque ejuſdem tempora duriſſimum Danorum & Norvegianorum ſenſerit imperium: tandem verò ſub Carolo V. Cæſare halcyonios dies eſt adepta. Mercat. Nunc Fœderati Belgii provincia, primaria urbs Levardia. Perſæpe Hollandia Septentr. dicitur à Batavis etiam *Friſia Occ.* ut dictum, ubi urbes Hornia regionis caput, Alcmaria, Edamum, Enchuſa, Medemblicum, Monachodamum & Purmerenda. Eſtque inter Oceanum Germ. ad Occ. & mare Auſtr. ad Ort. Baudr. Annales Bertiniani circa an. Ch. 837. Walachriam quoque inſ. Friſiæ citer. attribuunt: ut appareat partem hujus à recentioribus Zelandiam nuncupatam eſſe, Vid. Hadr. Valeſium *Not. Gall.* & ſupra in *Friſia*.

Lex Gothica, vide in voce *Gothi*.

Lex Gundebaldi, vide ſupra in *Lex Burgundionum*.

Lex Longobardorum, vide in voce *Longobardi*.

Lex Merciorum, vide in *Mercii*.

Lex Ripuariorum, qui pop. erant inferioris Germ. Rheni, Moſæ & Moſellæ fluviorum ripis circumcluſi; lata eſt à Theodorico Francorum R. Vide ſupra in *Lex Bajuvariorum*. Hanc adeò approbavit Henricus I. Anglorum R. ut multa inde in ſuas, totidem interdum verbis, tranſcripſerit. Habuit cum *Lege Salica*, de qua vide in *Salica Lex*, multa communia.

Lex Saxonum, Scotorum, Siculorum, Viſigothorum, V. in nominibus horum populorum: & de his omnibus Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

Lexanor, è ducibus auxiliaribus Persæ, sagittandi peritus. Val. Flacc. *lib.6. Vers.687.*

Lextana, Arab. Fel. pop. Plin.

Lexobii, Cæsari *lib.3. & 7.* ubi illis & Bellocassis, & Aulercis Eburovicibus, ad Alesiam obsidione liberandam, à Galliæ Principibus, 3000. hominum imperata esse scribit. *Lexovii* Plin. *Lexubii* Ptol. pop. Gall. Celt. in Normanniâ, cum Unellis, Aulercis Eburovicibus & Veliocassibus seu Bellocassis, anno tertio belli Gallici, à Q. Titurio Sabino Legato Cæsaris, magno suorum numero amisso, superati & in deditionem accepti. Horum opp. Noviomagum olim, dein *Lexovium* dictum est, vulgò *Lisieux*, quod ad Tuccam fluv. 5. leuc. distat ab ora maris Brit. in Austr. urbs Episcop. satis ampla, culta & in regione perferaci, quæ inter prov. Lugdunensis secundæ civitates penultimo loco in vett. Not. posita reperitur. De hac Guil. Britto sic canit:

—— Lexovia fontis egena,
Quæ pro fonte maras gaudet potare lutosas.

Morerius tamen, egregiis fontibus irriguam urbem memorat, in *Diction. Histor.* additque, Cathedrale ejus templum S. Petro dicatum, urbem autem sedem Episc. esse sub Archiep. Rotomagensi. Veterrimus Episcoporum ejus, Historicis memoratur Theobaldus, circa an. Chr. 538. quo Concilio 3. Aurelianensi interfuit, vide Strab. *lib.4.* Cæs. *lib.3.* & 7. Plin. *lib.4. cap.17.* Ptolom. *lib.2. c.8.* Aimoin. *lib.3. cap.53.* Rob. Cenalem *lib. de re Gall. Perioche 4.* Duchen. *Antiquit. des villes.* Sammarthan *Gall. Christ. Tom. 2. pag. 646.* & de Conciliis an. Chr. 1106. præsente Henrico Angliæ R. & 1321. ibi habitis Orderic. Vitalem *lib. 11.* & Morerium *Diction. Histor.* Hinc *le Lieuvin* tractus. Baudrand. Cormelias, Terberti villam *Terberville*, & quosdam alios majores vicos seu Burgos continens. Herberti civitatis hujus doctiss. Præsulis, mem. Monachus Fontanellensis *in mir. Vulframni.* Vid. Valesi. *Not. Gall.*

LH.

Lhoegria, olim dicta est ea pars Albionis Austr. quæ nunc Anglia.

Lhota, opp. Bohemiæ, ubi piæ reliquiæ Hussi, ordine atque Consistorio erecto, congregationi *Fratrum* nomen imposuere, an. 1457. Est prope Richnoviam, & significat liberationem è servitute. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

LI.

Lia, Hebr. *Lea*, major filia Laban. Gen. 29. & uxor Jacob Patriarchæ, fraude soceri, loco Rachelis, ipsi sociata, mater filiorum 6. qui Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issaschar, Zabulon, & filiæ, quæ Dina appellata est. In Ephron cum viro sepulta, Gen. 29. & *seqq.* Jos. *Ant. lib. 1. c.18.*

Lianum, Sarmatiæ Europææ urbs. Ptol. *Salinea* Mercat.

Liba, Carmanæ insula. Ptol. *Arestinga* Castaldo. Alia in mari Indico. Idem. Mesopotamiæ item opp. Polyb.

Liba, opp. Curlandiæ, cum portu, in ora litt. maris Balt. in confinio *Samogitiæ*, *pluries à Succis haud pridem captum.* 10. mill. Germ. à Memelio in Bor. 25. à Mitavia in Occ. Pace Olivensi Curlandiæ Duci redditum. Vulgò *Libaw.*

Libana, Celtiberorum in Hisp. opp. prope Valeriam, Ptol.

Libana, urbs Syriæ. Steph.

Libanius, Sophista Antiochenus, Ethnicus, floruit Juliani Imp. temporibus usque ad Theodosium seniorem. Hic Athenis audivit Diophantum philosophum, deinde in declamationibus se exercuit. Constantinopolim profectus ibidem ludum aperuit, unde propter lascivum in pueros amorem pulsus Nicomediam venit, indeque eandem ob causam rejectus, in patriam reversus est; scripsit Declamationes, Progymnasmata, Orationes, quæ subobscuræ, & Epistolas, quæ laudatissimæ, item opus de modis dictandi epistolas. Hic etiam argumenta in omnes Orationes Demosthenis edidit. Quæ omnia diligentiæ Friderici Morelli, Leonis Allatii, Valesii, &c. debentur. Præceptor fuit Basilii, ab hoc impensè laudatus, *in epist.* & Chrysostomi, oblatam à Juliano Præfecturam Prætorii titulo Sophistæ posthabuit: Culpatus contrà ab Eunapio *in Juliano.* Judicium de ejus scriptis, vide apud Phot. *Cod. 90.* Suid. Volaterr. &c.

Libanotus ventus flans inter Africum, & Notum. Plin. 2. 47.

Libanus, Hebr. *Lebanon*, Gallis *le mont Liban*, mons Syriæ maximus & notissimus, ab agro Damasceno in Arabiæ confin. Tripolim usque Phœnicis urbem productus, vallem longam cum Antilibano monte efficiens, cujus longitudo 187. m. p. continet. Baudrando ab ora maris Phœnicii versus Arabiam, sicque ab Ortu ad Occ. extensus, 125. mill. circiter longus est: qui radices longè lateque diffundens, Tribuum Aser & Nephthalim, ipsamque Terram S. à Sept. claudit. Altissimus est, & nihilominus fertilis & amœnus, in valles & campos hinc inde diffusus. Hic Jordanis fontes, Post diluvium à Thami nepotibus habitatus, hodieque variis castris & oppidis Episc. Canobino inprimis, ubi sedes Patriarchæ Maronitarum, insignis est. In eo & cedrus arbor, quæ incorruptibilis, in altum assurgit, & in celsissimo monte locata, folia fructusque in cœlum conversa tenet, proin Justo homini in Scripturis comparata, ingenti copiâ nascitur. Tac. *Hist.5. Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu tantos inter ardores opacum fidumque nivibus* Plin. *l.5.* Strabo, Ptol. P. de Valle.

Libarna, vel *Libarnum*, Liguriæ oppidum. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag. 81.* Opp. fuit Veliatum, in Liguria montana; Cujus rudera prope *Arqua*, oppidul. agri Dertonensis, ad Sriviam amnem, in Duc. Mediol. & confinio dit. Genuensis, Brietio. Aliis est *Villa Barna*, castrum agri Dertonensis.

Libellatici, sic in primitiva Ecclesia ex Christianis dicebantur, qui persecutionis metu, à Magistratibus Ethnicis, apud quos clam se fidei renuntiasse profitebantur, literas impetrabant, quæ testabantur, illos Edictis Imp. obtemperantes, Idolis fecisse: sicque pecuniâ vel gratiâ, à generali lege publicæ abnegationis se liberabant. Hinc ab Ecclesiis Africanis, antequam ad communionem admitterentur, duris Pœnitentiæ legibus subjecti, ad confessores Martyresque se conferre soliti, pacem petebant, i. relaxationem à pœnis Ecclesiasticis, quæ adhuc illis sustinendæ erant. Unde tempore Cypriani, schisma in Eccl. Carthaginensi. Vide Cyprian *ep 31. 52. 68. l. de lapsis, &c.* Baron *An.252.* Canon. 11. *Concil. Nic.* & in voce *Felicissimus.*

Libentina dea, Venus, seu Proserpina. August. *de Civit. D. lib. 4.* cui puellæ nubiles, pupas dicabant, Persius.

Liber Deus vini, qui & *Bacchus*, & *Dionysius* dicitur. Multos autem fuisse Liberos ostendit Diod. Siculus, quorum longè celeberrimus est, qui ex Semele & Jove genitus fertur, quem tertium fuisse autumant, & Thebis Bœotiis natum, qui *Liber* appellatus est à *liberando*, nam libertatis Deus est, sive quòd Bœotiæ urbes liberas fecerit (ipse enim, ut inquit Plutarchus, pro Bœotiæ libertate pugnavit) vel quia vinum curas solvat, & mentem ab illis liberet, seu quòd vino usi homines liberè loquantur. Solem quoque Poëtæ Liberum vocant, quia liberè per aërem vagatur. Liber Pater emere & vendere instituit; ac diadema regum insigne, ac triumphum invenit. Plin. 7. 56. Festa ejus *Liberalia* dicebantur.

Libera, Jovis & Cereris filia, quæ & *Proserpina* dicitur. Cic. *1. de Nat. Deor.* Sed Ovidius de Ariadne loquitur, *Fast.3.* uti videre in his,

—— Audierat jam verba querentis
Liber, ut à tergo fortè secutus erat;
Occupat amplexu, lachrymasque per oscula siccat,
Et pariter cœli summa petamus, ait.
Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula sumes,
Nam tibi mutata Libera nomen erit.

Mulierem quoque semen emittere, tradit Hippocrates *in lib de genitura.* Nemesius *l. 1. de Naturâ hominis c.25.* Inde etiam gentiles olim fœminæ *Liberam* coluerunt, ut B. Augustinus docet *l. 6. de Civ. Dei c. 9. Liberum, inquit, à liberamento appellari volunt, quòd mares in coeundo per ejus beneficium emissis seminibus liberentur. Hoc idem dicunt in fœminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quòd & ipsas perhibeant semina emittere, & ab hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, fœmineam Libera.*

Liberæ provinciæ, *die Freyen ämpter im Wagenthal*, dicuntur castella & vici in Helvetia, ad sinistram Rusæ ripam, supra & infra Bremogartum: inde fortè nomine mutuato, quòd 3. vici, quorum singuli suam jurisdictionem habuere, nempe Meyenbergum, Richensea & villa Verbigena, quasi pro vinciolæ quædam peculiares, in unam Provinciam conjuncti sunt. Dicta olim hæc regio fuit Comitatus Rore, sub Comitibus cognom. quorum sedes, arx Rore, Arovii fuit. Proscripto dein Friderico Austriaco, tempore Concilii Constantiensis, Lucernates, ut reliqua ad Rusam loca, ita hunc Comit. quoque in potestatem redegerunt, quem cùm sibi soli asserere vellent, opposuere se illis Tigurini, Suitii, Underwaldii, Tugini & Glaronenses, reque ad Bernates delatâ, hi pro Pagis sententiam tulere. Decennio pòst Urii quoque in Præfecturæ societatem admissi sunt: itaque ab illo tempore VII. Pagis subest, à quibus Præfectum regio accipit, quæ cùm angusta admodum sit, præfectus ibi non habitat, sed aliquoties singulis annis eò excurrit, ut jus dicat, atque tum in cœnobio Benedictini Ord. Muri amplo & opulento hospitatur, Simler. *de Rep. Helv.*

Liberalia, Liberi festa, apud Rom. Græcis Διονύσια. A Pontificibus quoque *Agonia* dicta sunt. Celebrabantur die 17. Martii, sedebantque per totum oppidum eo die Sacerdotes Liberi, hederâ coronatæ anus, cum libris & foculo pro emtore sacrificantes. Eodem toga dabatur juvenibus. Vide Th. Dempsterum *Ant. Rom. l.4. c.7.*

Liberalis Antoninus, innotuit metamorphoseon collectaneis. Sad narrationes istæ, ut philologo utiles, ita historicum nihil juvant, nisi quatenus historia subest; ut fere in fabulis solet. Putabat vir magnus, *Notis ad Suetonium, de claris Rhetoribus*, hunc esse illum Liberalem, de quo Suetonium, *lib. de claris Rhetoribus* egisse, ex indice residuo liquet: item de quo Hieron. *in Chron. Euseb ad ann. 2064.* ait: *Marcus Antonius Liberalis, Latinus rhetor, gravissimas inimicitias cum Palæmone exercet.* Hoc si est, Claudii Imper. ac fortean etiam Neronis temporibus vixerit. Sed malo credere Scaligero, qui ad eum Hieronymi locum monet, esse alterius Liberalis μεταμορφώσεις istas. Movet me, quòd hic *Antoninus*, ille *Antonius* dictus: hic Græcè scripserit, neque nisi Græcos citet scriptores; ille Latinus fuisse Rhetor disertim ab Hieronymo & Suetonio dicitur.

Liberata vicus, *S. Livrade*, vicus est Gall. non longè ab Aquino.

Liberatus, Diaconus Eccl. Carthaginensis, sec. 6. Missus Romam, cum 2. Episc. à Concilio Carthag. A. 535. magnis rebus adhibitus est,

est. Scripsit *Breviarium de causa Nestorii & Eutychetis,capp.*24. quod cautè legendum monet Baronius. Vide Vossium *lib.*2.*Hist. Lat.cap.*20.

Liberia, festus apud Romanos dies,quo liberam togam ingenui adolescentes, deposito pueriles ætatis gestamine, sumebant. Incidit in 16. Kal. Aprilis: Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib.* 5.*paralip.ad cap.* 32.

Liberius,tricesimus quartus Rom.Episcopus,An.Dom.352. post Julium I. Athanasium, ab Arianis variorum criminum accusatum, Romam ad dicendam causam, vocavit,non parenti excommunicationem minatus est. Legatos Arelatum ad Constantium misit, è quibus Vincentius Episc. Capuanus Athanasii condemnationi subscripsit. Jussu Imperatoris, cui acriter restitit, unà cum Hilario Episc. Pictaviensi, in exilium missus Berrhœam,post biennium, adversariis manus dedit, & condemnationi Athanasii Fideique confessioni ab Arianis compositæ subscripsit, literis quaqua versum datis,ut præcipuorum Arianæ sectæ, qui apud Constantium plurimum valebant, gratiam sibi conciliaret: Hinc ab Hilario Pictav. diris devotus. Sed redditus, retractasse, quæ malè admiserat, & condemnatâ Fidei confessione Ariminensi, Athanasii amicitiam per literas quæsiisse, dicitur. Obiit 366. Hier. & Marcellin. *in Chron.* Vide Athanas. *ep. ad Solit. apol.* 1. *&c.* Hilarium *in fragm.* Epiph. *hær.* 57. *c.*2. Basil. *ep.*74. Theodoret. *l.* 2. Socrat. *l.* 2. Sozom. *l.* 4. *&c.*

Liberius Maximus, Judææ procurator,An.Dom.75.

Libero, seu *Lubronium*, oppidum Delphinatus, ad Dromam amnem, vix 1. leuc. à Rhodano, vulgò *Livron*. Ei adjacet Oriolum, oppidulum ex adverso Dromæ, 3. leuc. à Valentia in Austr. 2. à Crista in Occ.

Libertas,Dea,cujus templum in Aventino conditum fuit, cum æreis columnis & statuis pulcherrimis à patre Tiberii Gracchi,ex mulctatitia pecunia. Eidem atrium ibidem fuit: quod ab Ælio Pæto & Corn. Cethego Censoribus, instauratum & auctum: demum & à Pollione restitutum, scribit Suetonius. Cicerone postmodum in exilium profecto, domum ejus P.Clodius Tr.Pl.*Libertati* consecravit,& in Cæsaris gratiam eidem pop. Rom. ædem extruxit. Græci etiam *Libertatem* & *Libertatis Deos* coluere, ἐλευθερίαν & θεὸς ἐλευθέρες. Libertatis indicium, pileum fuisse legimus: unde & qui servi libertate donabantur, pileum gestabant, capite raso: hinc legimus, Brutos monetam cudisse cum pileo, duobus pugionibus imposito. Data ei porro vestis candida, & sceptrum, felisque adjuncta. In nummis antiquis clavum alterâ manu, alterâ pileum gestat, cum lemmate: *Libertas Augusti ex S.C.* In nummo Antonini Heliogabali, jugum fractum,cum Sole, cujus hic Sacerdos,additum videtur.Cic.*Orat. pro Domo sua.* Balduin. *Iconol.* Angelon. *Hist. Aug. p.*268. Thom. Dempsterus *Antiq. Rom. &c.*

Libertini,fanatici quidam,auctoribus Quintino sartore Picardo & Copino, in Hollandia & Brabantia, orti, an.1525. Omnia in nobis à Spiritu S. fieri, peccatum meram opinionem esse, pœnitentiam in sola negatione peccati consistere, CHRISTUM ex Spiritu Dei & opinione conflatum,asserentes,Scripturam S.rejecerunt: inter Orthodoxos Orthodoxi,inter Pontificos Pontificii,&c.videri volentes.

Libethra,Magnesiæ fons,Musis sacer. Plin.4. 9. Placet quibusdam, fuisse urbem in Olympo monte, torrente funditus eversam, quum jam olim oraculo prædictum esset, fore ut Libethrii ὑπὸ συὸς omnes interirent, quum Orphei ossa Sol inspexisset. Erant autem Orphei reliquiæ, in columnâ quâdam conditæ, quæ viæ imminebat à Dio in Olympum ducenti. Quem in locum cùm ingens hominum vis convenisset, ut pastorem suaviter canentem audirent, evenit, ut columna eversa, Orphei ossa nudarentur: eodemque die torrens, nomine *Sys*, supra modum auctus, Libethrios cum urbe submerserit. Cæl. Rhod. 18.22. *Libethriis inelegantior*, Prov. à Musica enim alieni, cùm Orpheum occidisse dicantur.

Libethrides, dictæ sunt Musæ à *Libethrâ* Magnesiæ fonte, Musis sacro, & poëtarum carminibus celebrato. Mela *lib.* 2. Strabo tamen author est, Musas appellatas esse *Libethrides*, à *Libethro* Thraciæ monte, quem postea Macedones tenuerunt, sub quo & antrum fuisse ait, Musis Libethridibus à Thracibus consecratum. Virgil. *Eclog.* 7.

—— Nymphæ, noster amor, Libethrides.

Libias,Judææ urbs.Ptol. Joseph.*Ant.*14.Palæstinæ item urbs ab Herode constructa. Euseb.*in Chron.*aliàs *Julia* appellatur,& *Livia.*

Libisosa, *Libisoca*, Ptol. oppid. Hispan. Tarracon. in Castella nova, *Libisona* Plinio, seu *Libisossona*. *Lebazusa* Morali. Baudrando opp. Carpetanorum, nunc vicus Castellæ novæ, *Lezuza*; 4. leuc. ab Alcaratio in Bor. Concham versus, 6. à fontibus Anæ in Ort.

Libissonis turris, Plin. *Bissonis turris* Ptol. Sardiniæ opp. olim Archiep. nunc excisum, in ora Occ. maritimum, cui Sassaris intus successit ad 12. mill. pass. nunc locus *Proto di torre* Leandro, ubi ædes D. Gabino sacra.

Libistus, Thraciæ urbs circa Mœsiam inferiorem. Plin.

Libitina, Dea apud Rom. in cujus templo locabantur, & vendebantur ea, quæ ad sepulturam pertinebant, ita dicta à *libitu*, vel *libidine*. Plutarchus Venerem fuisse putat, redditque rationem *in Problematibus*, quòd Romani ea, quæ ad pompam funebrem spectarent, in Veneris templo voluerint asservari, ut sc. eo ipso humanæ fragilitatis admoneremur, certò scientes exitum ab ortu non procul abesse, cùm eadem Dea, & morientibus præsit, & vitam ingredientibus. Alii malunt Proserpinam esse Plutonis uxorem, quam, quòd inferorum crederetur regina, mortuis præesse putabant. Hinc aliquando ponitur pro ipsa morte, seu pro feretro, quo mortui efferuntur. Horat. *Carm.* 3. *Ode ult.*

Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit Libitinam. ——

Hinc *Libitinarii*, qui funeribus necessaria venditant.

Libitinensis porta, per quam cadavera efferebantur, Romæ. Lamprid.

Libnius seu *Lifnius*, fluv. Lageniæ, nunc *Lesfer*, prope & infra Dublinium in mare Verginium se exonerat. Camden.

Libo, civis Rom. qui Romæ in Comitio puteal primus extruxit, quod ideo Libonis puteal dicitur. Hor. 1. *Ep.* 19.

—— Forum putealq; Libonis
Mandabo siccis. ——

Item alius Consul cum Fabio Chilone, an. U.C. 956.

Libo, vide *Scribonius*.

Liboeus, Hiberniæ fluv. Ptol. *The bay of Slego*, teste Camdeno, per Connaciam, juxta Slegum opp. fluens.

Libona, Arabiæ urbs. Lib. Notit.

Libonotria, eadem Misniæ. Vide ibi. Pop. *Libonotri*, Tacito *Eudoses*.

Libora, olim *Elbora*, Ptol. Hisp. urbs in Carpetanis. *Talavera* Marianæ. Baudrando *Talavera la Reyna*, urbs Castellæ novæ, inter Toletum ad Ort.& Talabricam veterem, seu *Talavera la Vieja* ad Occ. paulo infra confluentes fluv. *Alberche* in Tagum.

Libra, signum Zodiaci, quod æquinoctium facit autumnale. Virgil. *Georg.* 1.

Libra die somniq; pares ubi fecerit horas,
Et medium luci, atq; umbra jam dividit orbem.

Libra nummaria, nomen à *pondo* cepit, quòd libram, quam vocant Trojanam, i. uncias 12. olim pendebat. Inde Saxonibus *punde*, Anglis *pound*. Æstimabatur autem aliàs solidis, aliàs denariis, aliàs oris i. unciis. Primò in usum venit *Libram* numerare, dein cùm denarii sæpe vel adulterini vel nimium detonsi in publicum proreperent, ad pondus trutinari cœpit. Crescente nequitiâ, ad examen ignis processum est, ut decocto adulterino simplex redderetur metallum: quem morem non instituit quidem, restituit tamen in Anglia Rogerius Episcopus Salisburiensis, sub Henrico I. Unde *Arsionis* & *Libra arsa* crebra mentio, de qua, ut & *Libra* Anglo-Saxonica, Anglo Normannica, Denariorum, Sterlingorum, Numerata, Pensa, &c. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Archaol.*

Libs, ventus ab Occasu brumali flans, adversus Vulturnum, ita dictus, quòd à Libyâ spiret, quâ ratione & *Africus* Latinis dicitur. Gel. 2.22. Plin. 2.47. vulgò *le Beix*.

Libum, opp. Bithyniæ, medium inter Nicomediam & Nicæam, 20.m.p. Anton.

Libunca, H.Coquo *Llanes*, opp. Hisp. Tarr. ad Narii flu. ostium. Aliis Callaicorum Lucensium opp. nunc *Rivadeo*, urbs Gallæciæ, in limite Asturiæ, ad ostia fluv. Navii, juxta Oceanum Cantabr. 13 leuc. Hisp. ab Oveto in Occ.

Liburna, urbs circa Dalmatiam, Strabo.

Liburnia, Illyridis regio supra intimum Adriatici sinûs recessum sita, inter Istriam & Dalmatiam, à *Liburno* quodam Attico sic dicta. Steph. Hodiè *Croatia*, Italis *Croacia*. Germ. *Krabaten* & *Krayn*, in ditione Ducum Austriæ. Baudrando, olim in Illyrica inclusa non fuit, usque ad tempora Rom. qui eam cum Istria, Japidibus & Carnis Illyridi attribuerunt. Et tunc sumebatur, vel Latè, inter Istriam & flum. Titium, nunc *Kerka*; ita ut Japidiam secundam, cum Inalpinæ parte, comprehendat: Vel *Strictè*, intra fluv. Titium & Tedanium, nunc *Zermagna*, exclusis Japidibus, ex J.Lucio. Ibi nunc pars maritima Croatiæ, cum parte Dalmatiæ Occ. Urbes claræ olim Jadera & Sidrona. Incolæ *Liburni*. Virg. *Æn.* 1.

Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi.

Item *Liburni* viatores dicti sunt, qui ex agris jussu magistratuum sæpe vocabant cives, sic dicti quòd ex Liburniâ ferè orti essent. Juvenal. *Sat.* 4.

—— Primus clamante Liburno,
Currite, jam sedit, raptâ properabat abollâ
Pegasus attonitæ positus modò villicus urbi.

Item *Liburna*, sive *Liburnica*, genus navigii levissimi, velocissimique à *Liburnis* populis ita dicti, qui olim celeribus navibus usi, Jonium mare, insulasque prædabantur. Horat.

Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula.

Liburnia, urbec. agri Burdegalensis, ad Duranium, ubi recipit Illam, ex adverso Franciaci. 5. leuc. à Burdegala in Ort. Petrocorium versus. Vulgò *Libourne*.

Liburnicum mare, aliter *Dalmaticum*, vulgò *Mare di Dalmatia*, pars est maris Adr. inter Dalmatiam propriam & Istriam, ubi plurimæ Inf. sub Venetis.

Liburnicus sinus, aliter *Illyricus*. Vid. ibi.

Liburnides insulæ, seu insulæ oræ Liburniæ adjacentes, in mari Liburnico seu Adriatico, Straboni sunt 60. circiter, sed aliis omnibus vix sunt 25. cùm Pharia, Lissa, & Tragurium, quas quidam inter illas recensent, sint in Dalmatia. Liburnides insulæ præcipuæ sunt Absorus, *Osero*, Curicta, *Vegia*, Arba, *Arbe*, Gissa, *Pago*, Scardona, *Isola longa* quibusdam. Sunt etiam plurimæ aliæ minores, quarum nomina antiqua ignorantur, nempe Michaëlia, *saint Michele*, Pasma, *Pasma*, Provexia, *Provexi*, quæ etiam *Incoronata* dicta, Esoa, *Eso*, Asuria, *Asuri*, Mortara, *Mortero*, Melata, *Melada*, Puntadura, *Puntadura*, S. Basilii, *de San Basilio*, Scarda, *Scarda*, Promula, *Promula*, Sylva, *Selva*, & Sansego, *Sansego*, cum aliquot aliis minoribus; suntque omnes sub dominio Venetorum.

Liburnum, Gall. *Ligourne*, vel *Livourne*, Ital. *Livorno*, urbs recens Tusciæ, cùm portu; egregiè condita & ædium picturis undique exornata, cùm priùs esset pagus ignobilis, & paludibus insalubris. Diu Pisanis subjecta, dein Florentinis obnoxia fuit: donec illam Cosmus Mediceus Principatui suo juxit in perpetuùm. Muris à Francisco & Ferdinando, Magnis Ducibus, triplicique propugnaculo cincta & munita est: Portus ei duplex major apprimè commodus: & minor, dictus *Darse*, minoribus saltem navigiis aptus est. Statua ibi ex ære admirabilis Ferdinandi modò memorati, qui quatuor mancipia catenata pedibus premit. Palatium quoque Magni Ducis spectatu dignissimum, ubi exterorum Principum legatos mos excipi: sedes præfecti ordinaria. Armamentariis tandem, & commerciorum frequentiâ, inter mundi clarissimas est. Du Val, *Voyage d'Ital.* Sanson. *Geogr.*

Liburnum, vehiculi, sive lecticæ genus fuit, ad Liburnicæ navis similitudinem factum, quo principes Rom. vehi solebant adeò molliter, ut interim vel dormire intus possent, vel legere, vel scribere, aut aliud quidvis commodè agere. Juvenal. *Sat* 3.

—— Turbâ cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno.

Liburnum mare, idem quod Tyrrhenum & inferum, apud Ciceronem.

Liburnus, Campaniæ mons. Polyb. Item portus Tuscorum. Ptol 13. m. p. à Pisis, cum opp. *Livorno*. V. *Ligurnus*.

Libya, filia Epaphi ex Cassiopeâ, à quâ Libya tertia pars orbis nomen accepit, quam nos Africam dicimus. Ab Asia, Nilo flu. ab Europâ, mari mediterraneo dirempta. Cùm propriè sumitur, Africæ partem significat, dividiturque in Exteriorem, quæ supra Ægyptum, Austrum versus, juxta sinistram Nili ripam, usque ad Æthiopiam se extendit, ubi hodie desertum *Elsocat* & *Gaoga*: Seu ut alii, inter Ægyptum & Marmaricam, juxta oram maris Mediter. & Interiorem, quæ ab Attabe monte usque ad Nigrum fluv. pertingit, ubi horribile desertum Zaara: & propriè dicta Libya est. Marmolius *Beled Geneva* vocat. Aliàs etiam dividitur Libya, in Libyam strictè dictam, Marmaricam & Cyrenaicam, regnum & desertum Barcanum. Adi Strabon. *lib.* 17. Plin. Ptolom. Marmolium, Joh. Leonem, Joh. Barrium, Cluverium, Munsterum, &c. Vide quoque *Africa*, & *Zaara*. Doctissimus Bochartus deducit ab Arabico *lub*, quod est *sitis*. Est enim Libya sitis regio, testante Dionysio *vers.* 182.

Ἡ γὰρ διψηρή τε καὶ αὐχμήεσσα τέτυκται.

Quin & Oppianus Κυν. δ. διψάδα γαῖαν vocat, & alibi ἀνυδρότατον χῶρον, & rursus πολυδίψιον αἶαν. Inde Lucanus,

Per calidas Libya sitientis arenas.

Et Virgilius,

Hinc deserta siti regio. ——

Inde *Libys* homo, & *Libyssa* mulier, & *Libystis*. Unde Virg.

—— *Et pelle Libystidis ursa.*

Inde *Libycus*, ut *mare Libycum*. Inde etiam *Libysticus*, *Libystinus*, & *Libystæus*. Steph.

Libya, paulo strictiùs sumpta erat pars Africæ intra Æthiopiam ad Ort. & mare Atlant. ad Occ. fuitque tum *Citerior* seu *Exterior*, magis ad Bor. ubi nunc Bileguldérid, regna Fezzæ & Marocci, Barbaria latè sumpta, cum Ægypto; tum *Ulterior* seu *Interior*, in Mer. versùs Nigrum fluv. ubi nunc desertum, regio Nigritarum & Guineæ, inter Nubiam reg. ad Ort. & Oceanum Atlant. ad Occ.

Libya deserta, nunc *Zaara* seu desertum, pars Libyæ ulter. Ab Ortu in Occ. extenditur, in 7. partes seu deserta, divisa: Nempe Zanhaga, Zuenziga, & Targa ad Occ. Lempta, Berdoa, Garga, & Bornum, ad Ort. Hîc vix aliquot urbes, ob aquæ inopiam: Athanasius tertium exilium ibidem pertulit. Circa A.C. 350. *Libyca fera*, in hominem versipellem: apud Diog. *Avis*, in prægrandem, Suid. sed timidiorem, Aristoph. qualis Camelostruthio, Libyca avis.

Libya propria, regio Africæ Bor. inter Ægyptum ad Ort. mare Med. ad Bor. Syrtim maj. & Tripolitanam regionem ad Occ. & Æthiopiam atque Garamantes ad Mer. Ejus partes fuere tres, nempe Libya strictè sumta, Marmarica & Cyrenaica, ubi nunc regnum Barcæ ad Bor. desertum Barcæ seu Libyæ ad Austrum. Sub Turcis pro parte.

Libyca, dicuntur duo modica ostia Rhodani, in Gall. Narbon. Ex his alterum Hispaniense, alterum Metapinum, tertium autem idemque amplissimum Massilioticum dicitur. Plin.

Libyci, pop. Italiæ Transpad. quorum urbs Vercellæ, ad Sessiten flu. Plin. V. ibi.

Libycum mare, quod Cyrenaicam alluit. Ptolom. *Mare di Barcha.*

Libyphœnices Liv. ubi nunc regnum Tunetanum. Vid. Sallustium *de bello Jugurthino.*

Libyssa, Bithyniæ fluv. Appianus. Item urbs ejusdem, Ptolom. Hannibalis interitu & sepulchro nota, inter Nicomediam & Chalcedonem, inde 25. hinc 36. m. p. Vulgò *Polmen*. Aliis *Gebise*, vel *Lebise*. Steph. est castellum Bithyniæ maritimum.

Libyssius, locus urb. Romæ, qui deinde Argæus, postea vicus Tuscus dictus fuit. Fab. Pictor.

Libystini, pop. Colchis vicini. Steph. *Libystinus* autem dictus est Apollo ab his, qui Pachynum Siciliæ promuntorium incolebant, eo quòd immissâ Libycis, hoc est, hostibus Carthaginensibus peste, penè cuncti subitâ morte perierint.

Licatii, Vindeliciæ pop. Ptol. Strab. Plinio *Licates*. *Lechrainer* hodiè Schudo & Aventino, quos petulantissimos Vindelicorum vocant.

Licentius, Hipponensis Poëta, tempore Augustini. Scripsit Hymnos, de Pyramo & Thisbe, &c. August. *in quæst. Acad.* Possidonius, *in vita Augustini*, Paulinus, &c.

Licerium, vulgò *S. Licer*, urbs Aquitaniæ, in Conseranis, aliter *Fanum S. Licerii*, Ep. sub Ar. Auxitano. Caput Conseranorum, ad amnem Salatum. 5. leuc. à Lugduno Convenarum in Ort. 7. ab Apamæa in Occ.

Licestria, quæ & *Legecestria* & *Leogora*, quibusdam urbs Angliæ, ad Sturam amnem, vulgò *Leicester*, 13. mill. Angl. à Nottinghamia in Austr. 13. à Coventria in Eur. Caput Comit. cognom. *Leicestershire*, ubi Coritani olim ex parte fuere. Habet illa à Sept. Nottinghamiæ Com. ab Ortu Lincolniam, ab Occ. Staffordiam, à Mer. Northantoniam.

Licha, civitas videtur circa Lyciam. Thucyd.

Lichades, vide *Lichas*.

Lichæ, aræ & columnæ in Æthiopiâ sub Ægypto, Strabo.

Lichas, puer Herculis, per quem Dejanira viro suo in Oetâ monte sacrificaturo, vestem misit sanguine Nessi Centauri infectam; quam cùm ille induisset, serpente jam per corpus veneno, doloris magnitudine in furorem versus, Lichan perniciosi muneris latorem capillis arripuit, & in subjectum mare præcipitavit, quem poetæ fabulantur in saxum sui nominis fuisse mutatum, quod à nautis in mari Eubœo ostenditur. Ovid. *Met* 9.

Nunc quoque in Euboico scopulus brevis emicat altè
Gurgite, & humanæ servat vestigia formæ.
Quem, quasi sensurum, nautæ calcare verentur,
Appellantque Lichan. ——

Inde *Lichades* 3. insulæ in mari Euboico. Strab. *l.* 9.

Licheni, Arab. Fel. Populi. Plin.

Lichfeldia, urbs Staffordiæ, Ep. sub Ar. Cantuariensi. 24 mill. Angl. à Licestria, in Occ. 10. à Staffordia in Afric. 25. à Vigornia in Bor. deficit indies; *Lisfelde*, vulgò. Camden. *descr. Britan.*

Lichindus, urbs Siciliæ. Steph.

Lichos, Phœniciæ flu. Pomponius.

Licinia lex, apud Romanos, multiplex fuit: *de agris possidendis: de septem jugeris viritim dividendis: de fœnore: de sodalitiis: de Tribunorum comitiis: de triginta assibus, edundi causâ, consumendis, in dies singulos Cal. Nonis & Nundinis Romanis.* Sic *Licinia* Æbusia lex, *de legum latoribus* *Licinia* Cassia, *de creatione Tribunorum mil.* *Licinia* Mucia lex, *de peregrinis*, sonuit. V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. passim.*

Liciniacum castrum Galliæ, in Pictavensi agro, vulgò *Lezignen*, vel *Lusignan*: Unde nobili familiæ, quæ olim in Cypro regnavit, nomen. Item vicus in pago Brigensi, non procul à Braja Comitis Roberti, in diœc. Parisiaca; vulgò *Lesigny en Brie*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Liciniana, opp. Portugalliæ, in confin. Extremaduræ, Norbæ Cæsareæ finitimum. Ptol. *Luzen* vulgò.

Licinianus, poeta Martiali æqualis, & vicinus. Bilbili similiter oriundus: Vid. hunc Epigr. *l.* 1. *Ep.* 49. & 52.

Imperatores Rom.

Licinius Cajus Valerius Licinianus, ex rustico Daco genitus, bello fortis & felix, per omnes militiæ gradus, ad culmen pervenit, Cæsar proclamatus à Galerio Maximino, Anno 307. & in Pannonia anno pòst ab Exercitu Imperator dictus. Disciplinæ rigidus vindex, sed avaritiâ & luxu infamis. Literarum acer hostis, Philosophorum non paucos neci dedit. Constantini Imper. cujus sororem Constantiam duxerat, iram veritus, edictis in Ecclesiæ favorem promulgatis subscripsit, at paulo pòst utrique bellum indixit, pulsis è familiâ suâ, & occisis plurimis Christianis. Episcoporum commercium cum Gentilibus, catechesin fœminarum, cœtus sacros prohibuit, acerrimè in fideles deseviens. Quâ persecutione motus Constantinus, bis prælio victum Licinium, in Hungaria & Thracia, hac cum Oriente Ægyptoque contentum

tum esse jussit: Iterum arma capientem terraque marique denuo superavit, illius classe tempestate mersa. Obsessus post novam cladem, Nicomediæ,uxoris intercessione pacem impetravit, sed eâ lege, ut Imperio cederet: tandem, cùm novos motus machinaretur, strangulatus est, Anno 325. æt. 60. Imp. 14. Socr. *libr.* 1. Eutrop. *lib.* 10. Eus. *in Chr. Hist. & Vita Constant.* Zosimus, *l.* 2. Cedren. *in Annal.* Cod. Theod. *de infirm. his, quæ sub tyranno gesta sunt.*

Licinius Flavius Valerius Licinianus, Junior, fil. prioris Cæsar à Patre factus, Anno 317. anno pòst obiit, æt. 14. An quòd secessionem moliretur, an Faustæ artibus, quæ unà Crispum sustulit. Idacius, *in Fast.* Chron. Alexandr. &c.

Licinius, vel *Licinianus* Cajus Julius Valens, Imperator tempore Decii proclamatus, sed brevis imperii. Victor *in Decio.*

Viri illustres.

Licinius, Procurator Galliæ, qui referente Dione *lib.* 54. eo malitiæ pervenerat, ut quoniam singulis mensibus tributum erat Gallis pendendum, quatuordecim definiret anni menses.

Licinius Cæcina, Marcelli Eprii lacessitor, ut novus adhuc & in Senatum nuper adscitus magnis inimicitiis inclaresceret. Tacit. *Histor. lib.* 2. *cap.* 53.

C. Licinius Calvus, Orator celebris, tempore Ciceronis: fil. *Licinii* Macri. Vid. infra. Quem perorantem interrumpens Vatinius, *rogo vos, Judices,* inquit, *num si iste disertus est, ideo me damnari oportet?* Vid. & Catull. *Epigr.* 14. Obiit juvenis admodum: Auctor epigrammatis contra Pompejum:

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
Scalpit. Quid credas hunc sibi velle Virum?

An & Annalium auctor, Dionys. *lib.* 2. 4. 5. *&c.* Liv. *lib.* 4. Cic. Fabius, Horat. Voss. *de Rhet. nat. cap.* 14. *Inst. Or. lib.* 4. *de Poet. L. cap.* 1. *de H. L. lib.* 1. *cap.* 10. Vid. & *Calvus.* Item Cons. Anno 390. U. C. cum C. Sulpitio Pætico.

P. Licinius Crassus, Pontifex, Anno 554. U. C. Item alius, Consul cum L. Æmilio Paulo. an. 586.

M. Licinius Crassus, Cons. an. 684. & 699. cum Pompejo.

M. Licinius Crassus Mutianus, ter Consul: sub Nerone, Galba & Vespasiano: Auctor historiæ alicujus. Tac. Suet. Plin. Xiphilin. Zonar. &c. Vid. Voss. *de H. L. l.* 27.

Licinius Damasippus, V. *Damasippus.*

Licinius Gabolus, præturâ functus, ab Agrippinâ eversus; post cædem verò ejus ordini redditus. Tacit. *l.* 14. *c.* 12.

L. Licinius Geta, Cons. cum Q. Fabio Max. Serviliano, Anno Chr. 638.

L. Licinius Lucullus, Cons. cum M. Aur. Cotta. an. 680.

Licinius Macer, egregius sui seculi Poeta, pater C. Lic. Calvi, de quo supra.

Licinius Macer, linteorum librorum inventor. Liv. *Dec. l.* 4.

Licinius Menenius, Trib. Mil. an. U.C. 307.

Licinius Mucianus, ter Consul, à Claudio Lyciæ præpositus, cùm opes attrivisset: à Nerone Syriam cum quatuor legionibus obtinuit, Anno *Sal.* 66. luxuriâ, industriâ, comitate, arrogantiâ malis bonisque artibus mixtus. Tacit. *Hist.* 1. 10. & *l.* 2. *c.* 5.

L. Licinius Muræna, Cons. cum D. Junio Silano, an. 692.

L. Portius *Licinius,* Cons. cum P. Claudio Pulchro, an. 570.

Licinius Proculus, ex intimis familiaribus Othonis, post cædem Galbæ à militibus alter Prætorii præfectus constitutus. Tacit. *Hist. lib.* 46. Post cladem ad Bedriacum à Vitellio in gratiam receptus. *Ibid.* 2. 60.

Licinius Stolo, Trib. Plebis cum L. Sextio, primus è plebe factus, postquam solitudo magistratuum tenuit civitatem quinquennio, legem tulit, ne quis plus quàm quinquaginta agri jugera possideret, quâ lege ipse damnatus est. Liv.

Licinius Sura 2. Cos. cum Sossio Senecione an. U. C. 854. bonitate Trajani victus.

P. Licinius Tegula, Comicus Lat. floruit anno 554. U. C. circa tempus, quo contra Philippum Macedonem bellum Romani parabant. Hunc odam tribus Constantem strophis composuisse, quæ à novem puellis per urbem cantata, refert Livius. Glandorpio idem est cum *Licinio Imbrice,* cujus A. Gellius meminit: Et Plautus certè, *quòd meas confregisti Imbrices & tegulas* dicens, duas hac voces pro synonymis habet. Sed parum firma hæc conjectura, cùm prior Publii, posterior Caii prænomen habuerit. Quidquid horum sit, Volcatius Sedigitius, Gellio laudatus; *Licinio* Imbrici, quartum inter Poëtas Comicos locum assignat:

Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.

Tit. Livius, *lib.* 31. vel *dec.* 4. A. Gellius *lib.* 13. *cap.* 21. & 15. *cap.* 24. Plautus *Mostell. act.* 2. *sc.* 6. Lilius Giraldus *dial.* 8. *Poët.* Glandorpius *in Onomast. Rom. &c.*

C. Licinius Varus, Cons. cum P. Corn. Lentulo, an. 518.

Licneni, Corsicæ ins. pop. Ptol. Horum tractus *Val di Nicolo,* Leandro.

Licostoma, vicus Bavariæ, vulgò *Leckhuse,* in ipso limite Sueviæ, 1. leuc. infra Verdam in Occ. 6. infra Augustam in Bor. Aliàs munitum.

Licus, Fortun. *Lycias* Ptol. *Lech* vulgò, fluv. Vindeliciæ, inter Sueviam ad Occ. & Bavariam ad Ort. per Augustam in Danubium fluens, infra Verdam.

Licymnius, Incendiarius quidam Athenis. Vide Schol. *in Aristoph. Aves.*

Lida, vulgò *Lida,* opp. Palatin. Trocensis, in Lithuania. Ubi arx munita, ad amnem Detam, 10. leuc. Pol. à Wilna in Austr. 7. à Novogroda in Bor. Cum arce in scopulo. Malè habita à Moscis, 1655.

Lidda, Gallis *S. George de Lydde,* Vid *Lydda.*

Liddesdalia, vulgò *Liddisdale,* prov. exigua Scotiæ mer. in ipso limite Angliæ à Liddalo flu. dicta, ubi Eremus, castrum munitum. Terminatur à Sept. Teviotiâ, ab Occ. Eskiâ, à Mer. & Or. Angliâ.

Lide, Cariæ mons. Herodot.

Lidericus, creditus quibusdam primus Flandriæ saltuum præfectus, maritus Rotildæ, filiæ Dagoberti I. unde Flandriæ Comites orti. Sed fabulam hanc refellit Miræus *de Com. Flandr.* V. & S. Marth. *Hist. Geneal. Franc.*

Lidericus, Galliæ fluv. vulgò *le Loir.* Oritur è stagnis Monasterii Lidi *l'Abbaye du Loir,* in Pertico, & Isleras, Alogiam, Bonamvallem, castellum Dunum, Fractamvallem *Freteval,* Vindocinum, Lavarzinum, Montem Aureum, Vallem Liderici, castrum Liderici, Lusdum in Andibus, Flischiam, Durstallum præterfluens, in Sartam influit: Sartam autem accipit Meduana ac in Ligerim defert. *Lidericum* augent Tiro *Tiron,* Edera *Terre,* Braium *Bray* aliique amnes. Alius ab hoc *Ledus* Sidonii, amnis prov. Septimaniæ, Lataram præterlabens: Item Letia *la Lis.* Multi *Lidum* illum appellare malunt. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Lidkiopia, urbec. Westrogothiæ, in ora lacus Vueneri, ad fluv. Lidam. 30 m. p. à Mariæstadio in Occ. totidem à Falkopia in Bor. uti & 12. à Scara, 45. à Daleburgo in Ort. *Lidkioping* vulgò.

Liebris, urbs Phœnicum. Steph.

Liechtstallum, vulgò *Liechstall,* Germ. quasi *Lucis Vallis,* oppidum satis elegans agri Basiliensis, supra veterem Rauricam inter Meridiem & Occ. uno fere mill. opportuno loco situm, universis istac per Helvetiam, vel ad Insubres, vel Allobroges proficiscentibus obvium: ad Ærgitiam amnem, cujus tractum Arragoviam, ante 7. secula nuncupatum sunt qui scribant ex Stumpfio. Paruit olim Homburgiis Comitib. à quibus, eadem prorsus ratione, quâ cætera, per Episcopos, ad Senatum P. Q. Basiliensem pervenit. Is è civium hujus oppidi numero quotannis Prætorem constituit, qui, cum assessoribus duodecim, rebus administrandis jurique dicendo præest Vid. Christian. Urstisium *Epit. Hist. Basiliensis cap. tertio.*

Liente, vicus Picardiæ, non procul à Lauduno Clavato, ante annos 260. hominum concursu ad B. Mariæ fanum & votis celeberrimus. Vulgò *Liece.* Hadr. Val. *Not. Gall.*

Liga, ins. maris Britannici, *Ligon* Camdeno.

Ligana, sylva in Cenomanis, apud lacum Benacum, ubi Claudius Imp. Alemannos vicit. P. Diacon.

Liganira, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Ligarius, nobilis Romanus, quem defendit Cicero oratione eâ, quæ *pro Qu. Ligario* inscribitur.

Ligaunia, Gall. Narbon. pop. Plin.

Ligea, Λιγεία Gr. nympha, Nerei & Doridis filia, à cantûs suavitate dicta. Virg. *Georg.* 4.

Liger, Rutuli cujusdam nomen, fratris Lucagi, quem Æneas Turni auspicia sequentem interfecit. Virg. *Æn.* 10.

Liger, sive *Ligeris,* nobilis Celtarum fluv. imo verè fluviorum Galliæ Rex, quod de Pado falsò dixit Virgilius, in Arvernorum finibus oriens, Heduosque à Biturigibus dividens, non procul à Pictonibus in Oceanum Britannicum influit. Vulgò *Loire.* Nomen habet à prato, quod statim à fonte perlabitur, in S. Eulaliæ parœcia, in prov. Vivariensi, & in confin. Velauniorum, ad Gerbarii jugi rad. prope Clergeacum montem, inter Cemenos, seu montē Cebennā, quâ Vellavos ab Helviis discludit 18. supra Anicium. Caput ejus proximum est capiti Elaveris. Hinc per Velaunos non procul à Podio capite decurrens, multa Gentis ignobilia loca, inprimis Volutam *la Volte* & Caput *le Chapp* præterlabitur: inde per Forensem pagum defluens, alluit castr. S. Ragneberti *S. Rambert*; Montemrotundum *Montrond,* aliàs *Mouron*; Forum Segusianorum *Feur,* Rodumnam Segusianorum *Roüanne,* tum primùm navigabilis: dein Burbonensem agrum à Cadrellensi dividit, attingitq; Marciniacum *Marcigni,* Denegontium *Digoins,* ubi Arotium accipit *Arou*; castrum nobile Burbonem Anselli, *Bourbon l'Ansy,* atque Dececiam *Desize,* ubi Arone augetur; Nivernumque seu Noviodunum Æduorum, ad Ligeris & Niveris confluentes positum. Infra Nivernum Elaver (*Alier*) Ligeri recipitur: quem locum os vel rostrum Elaveris vocant, *le bec d'Alier.* Sequuntur ad Ligerim Albiniacum, Germaniacum, Caritas, *la Charité,* veteri Monasterio nobilis: *Massava* locus tabulæ Peutingerianæ notus, *Masva Vicus in pago Autisioderensi* dictus in Appendice Fredegarii, *Massua* in Gestis Episcop. Autissiod. *Mesve*: Paulliacum *Poüilly.* Sacrum Cæsaris, vel Sincerrium in Biturigib. ad quos Bor. versus tendit, à sinistra ripa Ligeris non procul abest.

Jam

Jam dextræ ripæ fluminis adſident loca Autiſſiodorenſis Diœceſeos, Senonibus olim attributa, Condate *Coſne*, Cella *la Celle*, Novus vicus *Neuvy*, Brivodurum, aliàs Brioderus *Briare*; & Giemus vel Giemacum *Gien*: ad ſiniſtram ripam ſunt Bellus locus, & Caſtellio ad Ligerim cognominatus. His ſuccedunt in Carnutibus Solliacum *Sully*, Caſtellum novum, Floriacum *Fleury*, Monaſterio & nomine S. Benedicti inſigne, Gargogilum *Gergeau* vel *Jargeau*, Genabum Carnutum ſive Aureliani, *Orleans*, ſupra Ligeritti (*Loiret*) & Ligeris confluentes; Clariacum *Clery*, Magdunum *Menu*, Balgentiacum *Baugenci*, Sodobrium *Sueure*, & quondam caſtrum, nunc oppidum Bleſenſe, *Blois*, atque Calvus mons *Chaumont*. Turonum ſunt ad utramque Ligeris ripam Ambacia, olim vicus, nunc oppidum *Amboiſe*, Laudiacum *Mont loys*, Rupes Corbonis *Roche-Corbon*, Cæſarodunum Turonum, Malliacum *Maillé*, Alingavia *Langey*, Condate *Cande*, vicus morte Martini Turonici Epiſcopi nobilitatus. In finibus Turonum Ligerim augent navigabiles fluvii, Caris *le Cher*, Carus ſæpius nuncupatus, *Anger* vel Andria *Indre*, & Vingenna *la Vienne*. Liger tot oppida emenſus ac tot ſpatia terrarum, Andium fines & oppida alluit, Montemſorelli *Montſoreau*, Salmurum *Saumur* non longè à Toëdi confluente (*le Toüé*) receptoque Meduana in loco quem os vel buccam Meduanæ vocitant, *Bouche-Maine*, attingit Saponarias *Savonieres*, Rupem fortem *Rochefort*, Calonnam *Chalonne*, Montem Johannis *Monte-Jan*, oppidum S. Florentii, Caſtrum Celſum *Chantoceaux*; Andeneſium *Ancenis* in Namnetibus; Portum Namnetum *Nantes*, ubi hinc Ardra, inde Separis Namneticus cognominatus, *la Sevre Nantoiſe* in Ligerim cadunt. Tot & tantis auctus incrementis Liger per vicum S. Nazarii & Cruciacum *le Croiſic* in Oceanum Occiduum devolvitur. Curſus eſt 200. circiter leuc. per 166. navigabilis, Baudr. ſeu, ut Valeſio placet, 160. vel 480. m. p. à Rodumna Seguſianorum, ubi primùm navigabilis eſt, uſque ad Oceanum; ac regnum Francorum duas in partes ferè æquales dividit. Majo menſe campos inundare conſuevit, quare infra Aurelianos coërcetur molibus manufactis, quas vulgò *les Turcies de la Loire* vocant. Idem anno Ch. 1159. in finibus Andium facere aggreſſus erat Henricus II. Angl. R. Dux Normannorum & Aquitanorum, Comes Andicavorum, Turonum & Cenomanorum, ut teſtatur Trivetus. Flumina recipit 112. quorum præc. ſunt Arotius *l'Aroux*, Elaver *l'Allier*, magnitudine ipſi non cedens, magiſque piſcoſus, Carus *le Cher*, Ingeris *l'Indre*, Vigenna *la Vienne*, & ex altera ripa Meduana *le Mayne*. Vide Baudr. & Valeſium. Tibullus 1.7.

Teſtis Arar, Rhodanusq; celer, magnusq; Garumna,
Carnuti & flavi cærula lympha Liger.

Ligericinus, q. parvus Ligeris, vulgò *Loiret* vel *Leret*, amniculus Galliæ, alluit vicos præ cæteris Olivetum & Mitiacum, vulgò *S. Meſmin*: ubi in Ligerim defluit, aliquanto infra Aurelianos ſpatio. Vide Hadr. Valeſium *Notit. Gall.*

Ligerula, vide ſupra, fluv. ex fonte apud Aurelianos, tam copioſè effluens, ut ſtatim fiat navigabilis, in Ligerim delabitur.

Ligii, populi Germ. quorum regio hodie Sileſia, inter Luſatiam ad Occident. & Poloniam ad Ort. Igitur horum poſteritas civ. *Lignicenſis*. Strabo ait, λούγιοι μέγα ἔθνος, ubi Caſaubon. λύγιοι. Apud Ptol. excuduntur λοῦοι, qui fortè Dithmaro aliiſque *Lutizici*: nonnullis & *Luitici*; ab his *Luitmeritz* & *Luitzelburg* dicta patet.

Liginum, oppidum Campaniæ Gall. vetuſtum, ad Paltum fluv. Merula.

Ligir, fluv. Bœotiæ juxta Plateas urbem fluens. Stephan. *Bechir* Nigro.

Ligius dominus, Princeps eſt, & *Ligius* populus ſubditi, arctiori vinculo protectionis juſtique regiminis & tributorum debitæque ſubjectionis inter ſe connexi. Propriè *Ligii* dicti ſunt, qui pro priis dominis tenentur à partibus eorum ſtare, contra omnes mortales, ne Rege quidem vel antiquiore domino excepto. Unde illud Feud. *lib.* 4. *Tit.* 93. *nullo antepoſito, fidelitatem fecit*. Hic vetus mos: ſed Fridericus Barbaroſſa an. Ch. 1152. Roncaliis cavit, Imperatorem in omni fidelitatis ſacramento excipiendum. Quod & deinceps alii fecere Principes: adjunxitque Jus feudale, antiquiores dominos etiam eximendos. Hinc in ſacramento illo vulgata clauſula: *Salvâ fide domino noſtro Regi, & aliis dominis meis*. Factum proin, ut *Ligii* hodie tantum appellentur Principum ſupremo gaudentium dominio ſubditi, &c. Vide Henr. Spelmannum *Gloſſar. Archæol.*

Lignicia, vulgò *Lignitz*, urbs Sileſiæ, ad *Deiſcham* amnem, cum caſtro ſplendido. Vix 2. leuc. à Jauria in Bor. 5. à Glogavia in Auſtr. 7. ab Uratiſlavia in Occ. Sub Ducibus olim, è Piaſtea familia. *Lignicenſis* lineæ auctor fuit Boleslaus Calvus, vel Sævus, filius Henrici Pii, Sileſiæ ſup. ducis, qui an. Chr. 1241. celebri illo prælio prope Lignitium à Tartaris cæſus eſt, corpore ex 6. in ſiniſtro digito pedis demum agnito. Boleslaus hic parum laudatus, pater fuit Boleslai, qui Suidnicenſem, & Henrici Craſſi majoris natu, qui *Ligniciam* lineam denuo orſus eſt: hunc Conradus Glogovienſis, patruus, in balneo per proditionem captum, duriſſimè habuit, nec niſi damnoſis conditionibus tandem dimiſit, mortuum an. Chr. 1295. Hujus fil. Boleslaus Lignicium tenuit principatum: pater Ludovici, qui Lignicii aurifodinam ditiſſimam reperit. Sequentibus temporibus Fridericus II. an. 1523. Evangelium in utrumq; Principatum Lignicenſem & Brigenſem introduxit, Ligniciamq; ædificiis non parum excoluit. Filius ejus minor Georgius Brigenſem, Fridericus III. verò major Lignicenſem princip. nactus eſt: pater Henrici, qui in funeralibus Caroli V. ceremoniis Pontificiis participare juſſus, generoſo reſponſo ſe excuſavit. Huic frater Fridericus IV. Clemens ſucceſſit, in quo mortuo an. Chr. 1596. Lignicia linea defecit: rediitque hic principatus ad agnatum Joach. Fridericum, Brigenſem, qui eum per capitaneum Wenceslaum Zedlicium adminiſtravit, utroque ducatu an. 1602. morte ſua ad filios Georgium, Rudolfum & Joh. Chriſtianum, tranſmiſſo: quorum illo ſine hæredibus mortuo, hic Reformatis addictus, Obiit an. 1639. pater, inter alios, Ludovici, qui Lignicium ſortitus, defecit an. 1663. principatu ad fratrem Chriſtianum devoluto: cujus fil. è Piaſtea familia ultimus, Obiit an. 1675.

Ligno, fluv. Galliæ, vulgò *Loignon*. Oritur apud Caſtellum Lamberti *Chaſteau Lambert*, alluit Novamvillam *Neufville*, Gonantium *Gonans*, Bellamvallem *Belleваux*, Olantium *Olans*, Rupem *Roche*, Marniacum, Balantionem, Montem Ramberti *Montrember*, Montiniacum *Mutigney*, aliosque vicos atque apud Pontem Arlejum *Pont Arly* in Ararim influit. Hîc Drogo Caroli M. filius, Mettenſis Epiſcopus & Abbas Luxovienſis, utpote in fluvio Luxovio urbi vicino, dum piſcem immanem ſequitur, ſuffocatus eſt. Vide Hadr. Valeſium *Not. Gall.*

Ligoria, vulgò *Ligor*, urbs Indiæ ulter. cum portu, in ora Orient. Cherſoneſi aureæ, ſub Rege Siami, juxta ſinum *Siami*. Media ferè inter Indiam ad Bor. & Malaccam ad Auſtr. 380. utrinque mill.

Liguidonis portus, ſeu *Liguidonenſium portus*, in Sardinia, nunc *Lago Liaſto*, Briet. 45. mill. à Calari in Bor.

Ligures Apuani, pop. Liguriæ extremi, circa Macram, in Hetruriæ confin. quorum oppid. Apua, vulgò *Pontremoli*. Sub M. Hetruriæ Duce.

Ligures Galli, dicti Romanis Scriptoribus *Ligures Tranſalpini*, memorantur Plinio *lib.* 3. *cap.* 5. cùm ait: *Ligurum celeberrimi ultra Alpes Salyi, Deceates, Oxubii*. A Q. Opimio Conſ. cùm Maſſilienſium fœderatorum oppida vaſtarent, victi, Florus *epitom. Liv. lib.* 47. à Fulvio Flacco priùs ſuperati, Idem *lib* 60. quorum prius de Oxubiis & Deceatibus: poſterius de Salyis intelligit Valeſius. Illi Antipolim & Nicæam circumcolebant, hi Arelatum ac Taraſconem ad Rhodanum, Aquaſque tenebant Sextias. His adjunge Segorejos, vel Rejos Apollinares, Suelteros, Neruſos, ſeu Vintienſes, Veſdiantios vel Vendiatios, i. Cemenelenſes & Sanitienſes, aliosque Ligures Capillatos vel Montanos, in Alpibus Maritimis, qui *Ligures Galli*, à Varo fluv. ad Rhodanum flumen pertinebant, Græcis λίγυες ac Κελτολίγυες dicti: quorum regio *Liguſtina* vel *Liguſtica* appellata eſt, de cujus finibus vide Hadr. Valeſium in voce *Antipolis*. A *Liguribus* his, ut & Italis, de quibus in voce *Liguria*, Alpes Maritimæ, quæ inter utrosque eminent, Liguſtini montes, Livio *lib.* 34. dicuntur.

Liguria, Italiæ regio gemina: Una litorea, quæ vulgò *La Riviera di Genova* nominatur, inter oſtia Vari ad Occid. & Macræ ad Ort. inter Gall. Narbonenſem & Hetruriam ſupra 200. mill. p. extenſa, cujus caput eſt Genua, inter mont. Apenninum & mare Liguſticum perſtricta: Altera verò Mediterranea, Galliæ Ciſalpinæ non modica portio, inter Apenninum mont. ad Meridiem, & Ort. Alpes maritimas & Cottias ad Occaſ. Padumque fluv. ad Bor. & Ort. comprehenſa, in qua mons Ferratus ducatus, magna pars principatus Pedemontani, parsque ducatus Mediolanenſ. continetur. Sub Liguria etiam Inſubriam complectuntur ſcriptores, uti Antoninus Auguſtus *in Itinerario*, Paulus Diaconus *in libro de geſtis Longobardorum*, & alii. Unde Mediolanum, quod eſt caput Inſubrum, ab eis in Liguria collocatur. Apud Livium quoque Trogum, Sempronium, alios, poſt Macram, Arnum uſque flu. Liguria extendebatur.

Urbes Liguriæ hujus temporis:

Alba Pompeja, *Alba*, in Monte Ferrato.
Albingaunum, *Albenga*, in ditione Genuenſi.
Alexandria Statiellorum, *Aleſſandria della paglia*, in Ducatu Mediolanenſi.
Albintemelium. Vide *Vintimilium*.
Aquæ Statiellæ, *Acqui*, in Monte Ferrato.
Aſta, *Aſti*, in Pedemontio.
Bobium, *Bobio*, in Ducatu Mediolanenſi.
Caſale, olim Sedula, *Caſal di S. Vaſo*, in Monte Ferrato.
Dertona, *Tortona*, in Ducatu Mediolanenſi.
Foſſanum, *Foſſano*, in Pedemontio.
Genua, *Genova*, in ditione Genuenſi.
Mons Vici, & Mons Regalis, *Mondovi*, in Pedemontio.
Naulum, *Noli*, in ditione Genuenſi.
Prunatum, *Brugneto*, in ditione Genuenſi.
Savona, *Savona*, in ditione Genuenſi.
Vintimilium, olim Albintimilium, vel Albintemelium, *Vintimiglia*, in ditione Genuenſi.
Pop. *Ligures*, Virg. *Georg.* 2.

Aſſuetumq; malo Ligurem, Volſcosq; Verutos.

Id est, *εἰθισμένον τῇ κακοπαθείᾳ*, aut *εἰθισμένον κακοπαθεῖν*, vel *κακοπαθῶς ζῆν*, ita explicat H. Steph. *Schediasm*. 1. 6. Nam hæc gens laboribus bellorum assueta. Nisi quis sententiam torqueat, ut volunt aliqui, ad Gentis hujus *κακίαν*, & malos ac vitiosos mores. Credibile enim hoc ex odio, quod vel vitio gentis, vel privatâ aliquâ offensâ in Ligures habuit Virgilius, ut apparet ex illo *Æneid*. 11.

Vane Liger, frustraq; animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes.

Sed rectè monet Germanus, hunc cavillum non satis aptum laudibus Italiæ. A' Ligone, uno è ducibus Japeti, qui huc venerit; vel à Ligure, Phaëthontis Ægyptii filio, qui in has partes unà cum patre habitatum concesserit, multis ante Græcos tam Atticos, quàm Oenotrium Arcadem ætatibus. Romanis cum gente hac sæpe bellum fuit. Strabo *lib*. 4. Plin. *l*. 1. *&* 3. Diod. Sic. *l*. 6. Florus *l*. 2. Leand. Alberti *descr. Ital.* Hinc *Ligusticus*, ut *mare Ligusticum*. Et Juven. *Sat*. 3.

Nam si procubuit qui saxa Ligustica portat.

Est & *Liguria*, campus locusque amœnissimus, Narboni proximus & majore parte pratensis, vulgò *Liviere*. Gregor. Tur. *de gl. Martyr. cap*. 92.

Ligurina Alpes à Liguribus Gallis Gratio vocantur: Stœchades quoq; Massiliæ adversæ, *Ligustides* propterea nuncupantur Steph. His postea superatis Massilienses, quos hi *Gallo Ligures* summopere diu infestaverant, condiderunt Nicæam, victoriæ monumentum; Antipolim item, in agro Deceatium, armis occupavere. Plura apud modò laudatum *Valesium supra dicto loco*.

Ligurinus, Poëta: de quo Martial *ep*. 44. *l*. 3.

Occurrit tibi nemo quòd libenter;
Quòd quacunq; venis, fuga est, & ingens
Circa Te, Ligurine, solitudo;
Quid sit, scire cupis? nimis Poëta es.

Ligurinus etiam Gunterus ille, qui Poëma 10. libb. de Friderico Barbarossa condidit, appellatur. V. *Gunterus*.

Ligurium, in Capitulis Caroli Calvi numeratur inter silvas Regias: cujus nunc situs & nomen ignoratur.

Liguinus portus, Ital. *Livorno*, Gall. *Ligourne*, urbs nova, culta & probè munita, agri Pisani, cum arce firmissima. Emporium illius tractus celeberrimum, cum triplici arce. Crescit in dies. In planitie, intra paludes, prope Montem Nigrum. 65. mill. à Florentia in Occ. Sub M. Duce.

Ligurum montes, Liv. *Monti della Lunigiana* Leandro.

Ligustica Alpes, Liv. *Montagna di Tenda*, eædem maritimis, Ptol. inter Nicæam & Taurinos.

Ligusticum mare, inter Gallicum ad Occ. & Tyrrh. ad Ort. Liguriam alluens. *Mar di Genova* Italis, *Mer de Genes* Gallis.

Ligus fœmina, in maritimis Alpibus, quæ filio abdito, cùm simul pecuniam occultari milites Othoniani credidissent, eamque per cruciatus interrogarent, ubi filium occuleret, uterum ostendens, hic latere respondit. Nec ullis dein tortoribus aut morte constantiam egregiæ vocis mutavit. Tac. *Hist*. 2. 13.

Ligyes, Asiæ pop. qui cum Xerxe contra Græcos militarunt. Herod. *l*. 7. urbs eorum *Ligystina*. Steph.

Ligyrgum, Arcadiæ mons. Polyb.

Ligystides, insulæ, quæ & *Stoechades*.

Ligystus, Phaëthontis fil. à quo *Liguria* dicta. Fab. Pictor.

Lilaa, urbs Phocidis. Stephan. Ferrario *Lellen* ex tab. recent. oppid. Achaiæ in Doride reg. apud fontes Cephisi fluv. Stat. *Theb*. 7.

Coryciumq; nemus propellentemq; Lilaam
Cephisi glaciale caput.

Lilerium, opp. munitum Artesiæ, sub Francis, pace ad Pyrenæos; *Lilers* vulgò. Ad amnem *Navez*, 1. leuc. cum dim. ab Aria, Betuniam versus, à qua 2. leuc. distat, 7. ab Atrebato in Bor. non longè ab Hamensi Abbatia.

Lilium, Ordo militaris Navarræ, à Garcia IV. institutus. Anno 1048. Constabat ex Equitibus 38. sub Rege, M. Magistro; horum officium, contra Mauros, regni hostes, fortiter se gerere. Favin. *Hist. Navarr. & theatr. hon. & Eq.*

Lilius Gregorius Giraldus, Ferrariensis, memoriâ invictâ, ingenio excellenti, eruditione, in omni literarum genere, eximiâ inclytus, *Varro sui temporis* dici meruit. Opera ejus volum. 2. Basileæ impressa: inter quæ Historia Deorum Gentil. libb 17. de Poëtis Græcis & Latinis, libb. 10. de Poëtis sui temporis, *libr*. 2. eminent. Obiit podagræ doloribus attritus, an. 1552. Leand. Alb. *descr. It.* Quenstedt. *de patr. ill. Vir.* Ricciolus *in Chron &c.*

Lillium, Λίλλιον Arriano, emporium Bithyniæ circa Pontum.

Lilloa, vulgò *Lillo*, arx probè munita Brabantiæ, ad Scaldim, 2. leuc. infra Antverpiam, quò naves tendentes sistere coguntur. 1. leuc. à Sanflito in Austr. ubi 4. à Bergis ad Zomam. Sub Hollandis.

Lilybæum, & Λιλύβη Dionysio, promuntorium Siciliæ, cum urbe ejusdem nominis, olim Episc. è cujus à Romanis excisæ ruderibus *Marsala* condita est, Libyam spectans. Hic ab Attilio Regulo Pœni mari victi. Nunc *Capo Coco*, in Occ. maximè extenditur, respectu Pachyni & Pelori prom. Urbs verò, quæ nunc *Marsala* dicitur, est in Valle Mazaræ, in ora. 60. m. p. à Panormo, 12. à Drepano in Austr. 18. à Mazara in Cæc. Baudr. Punicè ללוב *Lelub*, hoc est, *ad Libyam*, vel ללובאי *Lelubae*, *ad Libes*, quia ad Libyam, & Libes erat obversum. Bochartus. Hinc *Lilybaius*, Virg. *Æn*. 3.

Et vada dura lego saxis Lilybaia cæcis.

Lege *Lilybeia*

Lima, seu *Civ. Regum*, urbs Arch. Americæ merid. pulcherrima, emporiumque celebre. Condita an. 1535. à Fr. Pizarro Hisp. in Valle Lima, antea *Rimao*. Sedes est Proregis, crescitque in dies, licèt tota sit lignea, & sine muris, in planitie, ad amnem cognom. 1. leuc. à mari Pacifico, 2. ab ejus portu, vulgò *Callao di Lima*, uti 120. à Cusco, aliàs Peruviæ primaria in Occ. Joh. Laët. Sub Hisp. cum toto regno vicino. Hic 3. Concilia habita: quorum 3. an. 1583. Professor quidam Theologiæ condemnatus est, qui sibi Angelum familiarem esse, à quo omnia edoceretur, sæpe cum Deo se colloqui, Papam fore & in Peruvia sedem habiturum, &c. à fœmina quadam seductus deliravit. Linschot. *descr. Amer. c*. 20. Herrera *in Amer. c*. 19. *&* 20. Acosta *l*. 2. *de noviss. c*. 20.

Limæa, Lusitaniæ fluv. Strabo, quem *Lethen* vocat, per fines Bracarum & Limicos pop. inter Durium & Minium, in Ocean. ad Vianam influens. Sil. *l*. 1.

Limagus, Helvetiæ fluvius, apud Glaronenses oritur, ac in mediâ ipsorum regione Serniphium, alterum ex alterâ valle delapsum amnem accipit. Deinde infra *Urnas* (duorum vicorum nomen est) supra Lateritium (ita vocant) ex lacu Vesenio acceptâ aquâ Marcham (qui fuit olim Helvetiorum in Rhætos finis) ac castra Rhætorum (& huic loco etiamnum manet nomen *Gastra*) disterminat. Hinc lacum Tigurinum ingressus ad ostia ejus Tigurum, amplissimam urbem dividit; mox Aquas delabitur, dein haud ita longè *Ursa* ac *Arola* miscetur. Hujus in undis haud pridem periit J. Henr. Hottingerus, Philologus & Theologus celeberrimus, Tigurinus: de quo funesto casu verè cecinit Amicus:

Tum totum Limagus sorbuit Oceanum.

Germ. *Limmath Limet* vel *Limat*: de quo sic Glareanus:

Deinde paludosus splendenti Limagus undâ,
Hospes Adulaa Claronaq; incola terra,
Auctus abit, semperq; cavis aptissimus alnis,
Volvitur in gyros & lenta volumina torquet.

Limania, seu *Alimania*, regiunc. Alverniæ infer. admodum rigua & mirè præ reliquis Gall. fertilis, in planitie, juxta Elaverem fluv. ad 12. leuc. circiter à Mer. in Bor. extensa, prope & intra Claromontem. Vulgò *Limagne*.

Limburgensis Duc *le Duché de Limbourg*, Belgii prov. satis parva, cœterùm fertilis, mineralibus, herbis medicinalibus, aquisque Spadanis inclyta, inter Duc. Juliac. ad Ort. & Bor. ac ditionem Leodiensem, ad Occ. & Mer. Ejus caput est *Limburgum*, urbec. in rupe, cum arce, ad amnem *Wese*, in confinio dit. Leod. Capta ab Hollandis, *an*. 1632. *sed ab Hisp.* recepta, quibus à Gallis erepta est, An. C. 1675. 5. leuc. à Leodio in Ort. uti & 7. à Trajecto ad Mosam. 4. ab Aquisgrano in Austr. Reliqua oppsunt Rhodia Ducis, sub Hisp. Dalemum autem & Falcomontium sub Hollandis.

Limenia, Venus sic dicta, cui apud Hermionios, virgines ante nuptias, & siqua vidua ad maritum rursus accederet, sacra faciebant.

Limenia, Cypri civitas, Strabo: nunc pagus, *Limnat*, in medit.

Limenius, consul cum Catulino Philonio an. U. C. 1102.

Limenotis, Chersonesus Celtica. Steph.

Limentinus, putabatur Deus, qui *liminibus* præerat, sicut foribus Forculus, cardini Cardea vel Carna.

Limericum, Gall. *Lymerick*, Hibernis *Loumeath*, urbs munita Momoniæ, in limite Connaciæ, ad Sineum fluv. pontibus interscissa. Nota fuit ultimis temporib. 45. m. p. à Kilkennia in Occ. 35. à Galiva in Austr. Hinc *Com. Limericensis*, vulgò *Lymerick Countye*, regiunc. Hiberniæ, à Connacia fluv. Sineo in Bor. divisa.

Limica, quibusd. *Forum Limicorum*, opp. Hisp. Tarr. in Callaicis Bracariis. Nunc *Puente de Lima*, opp. Portugalliæ ad Limium flu. 4. leuc. à Bracara in Bor. 5. à Tuede in Austr.

Limia, fluv. Hisp. vide *Limæa*.

Limici, Hisp. Tarrac. pop. Ptol.

Liminium, op. inter Emeritam, & Cæsaraugustam. Anton.

Limiosaleum, urbs Germ. nunc in regno Polonico, Archiep. & Metropolis, Ptol. vulgò *Gnesna*: inter Posnaniam ad Occ. 7. & Toruniam ad Ort. 12. leuc. in Polonia maj.

Limna, locus in arce Athenarum, templum habens Dionysio sacrum, à Theseo rege extructum: quo in loco vetustiora Bacchanalia peragebantur die 12. mensis Anthesterionis, qui nostro ferè Novembri respondet. Aristoph. *in Ranis*, & Thucyd. *libr*. 2. Item Thraciæ Chersonesi urbs, Strabo: juxta Sextum.

Limnaum, templum fuit Dianæ in Limnis, de quo Strabo *libr*. 8.

Limnatis, Diana dicitur Pausaniæ *in Messenicis, Achaicis, & Arcadicis* passim, à *Limnis* opido in confiniis Lacedæmoniorum,

ram, & Messeniorum, in Laconicis ejusdem τῆς Λιμνάδος malè pro Λιμνάτιδος. Idem *in Corinthiacis* Ἀρτέμιδος Λιμναίας meminit. Certè apud Lacedæmonios cultam fuisse *Limnatim* Dianam ex Tacito discimus *Annal.* 4. ubi perperam etiam *Limeneditis Dianæ*, pro *Limneridis*, vel *Limnatidis*, dicitur. Λιμνάτιν etiam Dianam à piscatoribus cultam, ut à venatoribus Ἀγροτέραν, testis est Artemidorus, qui illam à stagno λιμνῆτιν dictam memorat, *lib.* 2. Vide Meursium *in Miscell. Laconicis lib.* 1. *cap.* 2.

Limniades, stagnorum nymphæ apud Ethnicos. Λίμνη enim *stagnum* significat. Vide Nat. Com. 5. 12.

Limnothalassa, insula Hispaniæ adjacens, inter Carthaginem & Sucronem, non procul à Diano. Strabo *lib.* 4.

Limnus, insula maris Britannici, inter Cambriam & Hiberniam, Ptol. hodie *Ramsey* Anglicè Camdeno; Britannicè *Lymen.*

Limnuthum, Britanniæ Insulæ urbs, ubi Jacobus Scot. Rex, in æde sacra à quodam divinitus misso frustra monitus: postea ab Henrico VIII. Angliæ Reg. ad Fluidonem ingenti clade affectus est, cæsis cum ipso Rege XV.M. An. Chr. 1513. Buchananus *Hist. Scot. lib.* 13. & 14.

Limon, locus Campaniæ, inter Neapolin & Puteolos. Statius 3. *Sylv. Carm.* 1.

Et placidus Limon, numenque Euplœa carinis.

Limone, urbs Perrhæbica, Stephan. in Ἡλώνη.

Limoniades, Nymphæ florum, & pratorum, quas aliquando mori, ac deficere dixit Aristot. sicut Panes ac Fauni.

Limonius mons, mons Walliæ, *Plimlimon* Camdeno, seu *Plymllimon Hill* Anglis, *Mont Plymlimon*, Gallis. Partim est, in Cardigania in Occ. partim in Mongomeriensi tractu ad Ort. ubi Sabrina & Vaga fluv. ex eo scaturiunt. J. Speedus, Sanson, alii.

Limonum, urbs Pictonum, Ptol. quid hodie sit, ignoratur. Valesius *Not. Gall.* in voce *Pictones.*

Limonum, Pictonum opp. in Gallia, Ptolem. vulgò *Limon.* Nunc *Poictiers*, Pictonum caput, Episc. sub Archiepisc. Burdegalensi, perampla, ad Clanim fluv. Cluver. Briet. Sansoni. Vide *Pictavium.*

Limosium, urbs Occitaniæ, in agro Redensi, belli Albigensis scriptoribus notissima, ad Atacem fluv. 1. leuc. infra Aletam in Bor. 3. à Carcassone in Austr. 6. à Mirapinco in Ort. Parva, sed culta, intra montes, in Diœcesi Aletensi; *Limoux* vulgò.

Limovici, vide *Lemovices.*

Limusa, Pannoniæ infer. urbs, Anton. *Munsburg* Lazio. Baudrando aliàs opp. Pannoniæ, nunc vicus Hung. *Wiselburg*, primo lapide ab Altenburgo in Austr. prope ramum dextrum Danubii, Arrabonem versus.

Limyra, urbs Lyciæ, à *Limyro* fluvio, (qui per urbem hanc fluens, in mare Lycium, inter Andriacam & Aperras urbes exit: *Lorymus* Strab.) Stephan. Episc. sub Archiep. Myrensi, inde non longè distans, 20. stadiis ab ora littorali: Hodieq; *Limyra*. Vide *Lymira.*

Limyrica, regio Indiæ intra Gangem, Ptolem.

Lincasii, Gall. Narbon. gens circa Æduos, Strabo.

Linckia, Belgis *Lincken*, Gall. *Fort de Linck*, arx munita Flandriæ, in districtu Burburgensi, ad Colmam fluv. 1. leuc. à Burburgo in Eur. 2. ab Audomaropoli in Bor.

Lincolnia, vulgò *Lincolne shire*, Comit. Angliæ, ubi aliàs Coritani. Terminatur ab Ortu Oceano Germ. à Sept. provinciâ Eboracensi, ab Occ. Nottinghamiæ Comit. à Mer. Northantoniæ & Cantabrigiæ Comit. Ejus caput est *Lincolnia*, seu *Lindum*, juxta Withamam amnem, 7. mill. à Trenta fluv. In collis dorso. Satis ampla & culta, 22. mill. Angl. à Nottingamia in Eur. 20. ab ora Oceani Germ. in Occ. Vide quoque *Lindum.*

Lincopia, metropolis Ostrogothiæ, Episc. sub Archiep. Upsal.

Linda, oppidul. Petrocorii, ad fluv. Dordonam, Metel.

Lindavium, seu *Lindoia*, vulgò *Lindavv*, urbs libera Imp. & pulchra Sueviæ ad lacum Brigantinum, in Insula lacus Constantiensis, ponte 290. pass. lapid. unita continenti, satis munita, & frustra à Suecis tentata, 5. mill. Germ. à Fano S. Galli in Ort. uti 8. à Constantia, 9. à Memminga in Austr. In limite Helvetiorum. A tiliis, quæ olim circum monasterium plantatæ, nomen nacta, etiam in insignibus viridem tiliam in clypeo gerit. Hìc primò cœnobium circa Ann. Chr. 810. ab Adelberto Rorbacio, Caroli M. cognato divæ Virgini sacratum: ad quod cùm multi confluerent, vicus extructus: ex vico identidem ampliato & aucto oppidum factum est, in loco amœno, commodo & fœcundo situm. Hoc primùm Abbatissæ, dein Sueviæ Ducibus subfuit: alii tamen *Lindaviam* non ad Monasterium, sed ad Comitem Lindaviensem sive Brigantinum pertinuisse, & ab hoc libertate 24. marcis auri argentiq; emptâ, Imperio se addixisse docent. Privilegia à Rodolfo I. Friderico III. Sigismundo Impp. accepit amplissima. Monasterium verò, sive Abbatia Lindaviensis, in quatuor pagis *zu Reitnau, Schönau, Æschach*, & *Rinckenbach*, hobas colonarias, sive curtes seu mansos possidet, quæ ibi loci *Keelenhöff*, seu *Mayerhöff*, vocari amant. Horum Advocatia, An. 1334. à Ludovico Imper. ut à parte Monasterii, prætensa, Comiti Hugoni Brigantino, pro 200. marcis argenti; postea An. 1364. à Carolo IV. Comitibus Helvenstenis, unà cum aliis juribus oppignorata, ab his ad civitatem Ulmensem, Ann. 1382. devenit, quæ easdem Wenceslao Imper. cessit, à quo postea An. 1394. Schellenbergio pignori data, tandem An. 1430. ad ipsam civitatem rediit. Ferdinandus tandem II. Hugoni Montfortio, An. 1628. Advocatiam istam concessit, qui exsoluto Urbi oppignorationis pretio, non Advocatiam solùm, sed etiam pagos, loco hobarum ibi sitarum, occupavit: unde controversia diuturna primò cum Comite, dein cum Austriaca domo, ut & separatim cum Abbatissa orta, quæ tandem Pace Monaster. decisa, & Urbs in quietam possessionem pristini juris, redditâ tamen sorte, immissa est. Incendium urbs passa est ingens, Ann. Chr. 1273. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 33. & Munster.

Lindemagus, vide *Limagus.*

Lindisfarna, insula parva Albionis, oræ Northumbriæ ad ostia Tuedæ fluv. adjacens, cum urbe cognomine, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Eboracensi, cujus sedes Dunelmum translata est, olim *Halig Eiland*, nunc *Holy Island* dicitur, 1. mill. ab ora Northumbriæ, accedente æstu maris, eique contigua illo recedente. A Lindo fluv. cui objecta, 4. mill. à *Farne* Ins. in Bor. Circuitus est 6. mill. Anglic. cum unico oppidulo, castro & portu.

Lindonium, urbs Britanniæ in Anglia, Steph. Vide *Londinum.*

Lindum, urbs Angliæ Episcopalis, sub Archiepisc. Cantuariensi, *Lincoln* vulgò, Latinis *Lindocolnia*, & postea per syncopen *Lincolnia*, urbs olim Coritanorum. Vide *Lincolnia.*

Lindum, opp. Damniorum, in Scotia, nunc *Linlithquo* doctioribus, vulgò *Lithquo*, cum palatio nobili, in Laudonia prov. 11. mill. Scot. ab Edimburgo in Ort. 3. à Fortheæ æstuario.

Lindus, Rhodi insulæ opp. Ptol. *Lind* Sophiano.

Lindus, hodieque *Lindo*, fluv. Asiæ minor. Cariam terminat, & Lyciam. Q. Calaber, *Calbus* fortè Ptol.

Linea Valli, tractus in Britannia, ad vallum à Severo aliisque extructum.

Linga, vulgò *Lingen*, opp. munitum Westphaliæ, prope Amasium fluvium, 45. mill. pass. à Monasterio in Bor. Embdam versus, à qua 55. distat in Merid. uti 30. ab Osnabruco. Caput Comitatus cognominis.

Lingo, vel *Lingon*, hodie *Ingo*, vulgò *Ingon*, amniculus Galliæ, Nigellam castrum alluit, inde in Suminam defluens. Vide Hadr. Valesium in voce *Nigella.*

Lingonæ, olim *Andematunum Lingonum*, item *Lingones*, Gallis *Langres*, urbs antiquissima & clarissima Galliæ, Episcop. sub Archiepiscopo Lugdunensi. Condita à Longho, sexto Gallorum Rege, si fidem meretur Joh. le Maire: cujus incolas sub Segoveso & Bellovesо, in Italia res egregias gessisse, referunt Historici. Tacitus ab Ottone Imp. jus civitatis Rom. impetrasse narrat. Vastata urbs à Saracenis est sec. 5. Desiderio Episc. occiso. Postea reparata, à Petro Venerabili nomen accepit *Nobilis, Magnæ & Famosæ.* Præsulum antiquissimus S. Senator fuit, cui Justus, Desiderius, &c. successere. Est autem Episcopus ejus dominus, in Civilibus æquè ac Ecclesiasticis, ab eo tempore, quo Hugo Burgundiæ D. Galtero patruo suo, Lingonensi Episc. successoribusque ipsius Comit. Lingonensem, quem à Guidone de Saus per commutationem acceperat, & Henrico Comiti Barri in beneficium contulerat, An. 1179. *Eleemosyna loco* dedisse legitur. Alii tamen Geilonem jam Episcop. Comitatum urbis à Carolo Crasso An. Ch. 887. obtinuisse volunt: sed fieri potest, ut ejus Successores postea illo exciderint. Interim Episcopo licèt Duci & Pari, præferri solet Bellovacorum Episcop. licèt Comes & Par, de quo vide Valesium *in Notit. Gall.* Concilia hìc habita An. Ch. 859. 1077. 1116. &c. de quibus vide Morer. *Dict. Hist.* & plura de hac urbe, apud Plin. *lib.* 14. *cap.* 1. & 17. Ptol. *lib.* 2. *cap.* 9. Tacit. *Hist. lib.* 1. & 4. Cæsar. *Comm.* Eutrop. *lib.* 9. Frontin. *Stratag. lib.* 4. *cap.* 3. Liv. *lib.* 3. & 5. Polyb. *lib.* 2. Anton. *Itiner.* Aimoin. *lib.* 5. *cap.* 5. Ripamont. *lib.* 6. *Hist. Mediol.* Pet. Venerabilem *lib.* 4. *epist.* 36. S. Bern. *ep.* 59. &c. Claud. *lib.* 3. *de laud. Stiliconis:*

Aut quibus exemplis fœcunda Tybris ab Arcto,
Vexit Lingonico sudatas vomere messes.

Vide quoque infra in voce *Lingones.*

Lingones, pop. Gall. Belg. ad ortum Matronæ fluv. Æduis, Sequanis, & Leucis vicini, qui etiam hodie *Langrois* vocantur. Hos Cæsar monuit, ne Helvetios fugientes frumento, aliave ullâ re juvarent, ad bellum verò Ariovisto inferendum frumentum sibi subministrarent, monuit. Nimirum frumenti admodum feraces illorum agri erant. Unde Claudian.

Lingonico sudatas vomere messes.

In eorundem finibus Mosam, è monte Vogeso profluere idem Cæsar *lib.* 4. ait: quod fit in Bassiniaco, parte regionis hujus, ibi enim initium Vogesi est, qui Lotharienses à Sequanis & Alesatis discludit. Livius illos, cum Cenomanis & Bojis Alpes transgressos, in parte Italiæ consedisse scribit, *lib.* 5. Picta iis arma tribuit, Lucanus *lib.* 1.

Castraq; quæ Vogesi curvam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Fuere, ita ut Ædui, quos ambos à Sequanis Araris dividit, fœdere devincti Romanis: huic *Lingones fœderati* Plinio. Civitas eorum opulentissima Tacito *Hist.* 1. & Julio Frontino *Stratagem. lib.* 3. dicitur: ubi prior infestum Galbam sensisse Lingones, quòd cum Treviris pertinaci fide Neroni adhæsissent, docet: posterior illos 70000. armatorum Domitiano tradidisse refert. Post principatum Honorii Celticæ seu Galliæ Lugdun. ascribi cœpere, in cujus ut & Belgi-

Belgicæ confinio positi sunt. Hinc *Lingonicus*, ut ager *Lingonicus*, quem Plutarch. *in Julio Cæsare τὴ λιγγονικὴ* nuncupat, quædam literæ vett. *Longoinne*, vel *Langone*, unde & libræ Lingonicæ *Langones* olim dictæ: *Bardocucullus Lingonicus* apud Martialem pro vestimenti vilissimi genere, quod Lingonibus præcipue erat in usu: *Tomentum Lingonicum*, apud eundem. Item *Lingonensis*, hinc in Not. Imper. *Præfectus Lætorum Lingonensium per diversa Belgicæ primæ dispersorum*. Episcopi *Lingonum* magni olim erant & potentes: Ab iis enim Odo Comes Nivernensis & Ternodorensis Comitatum Ternodorensem tenuit, & post eum Margareta Siciliæ Reg. Caroli uxor: Eorundem beneficio Hugo Dux Burgundiæ possedit partem Castellionis ad Sequanam, ac Montisbani, Grisolias & custodiam Pulteriarum Monasterii: Reges Navarræ, Comites Campaniæ Barrum utrumque, Firmitatem ad Albam, Calvum Montem, Novigentum & Montiniacum in Bassineio & custodiam Molisini: ita ut Reges Ducesque homines ligii essent domini Lingonensis Episcopi. Comes hic fuit olim, in id dignitatis evectus à Carolo Calvo, à quo & jus feriundæ monetæ accepit, dein Dux & Par Franciæ factus est, à tempore Guilielmi, quem primum se Episcopum ac Ducem Lingonum appellasse, circa An. Chr. 1358. titulumque hunc successores ejus avidè arripuisse, notat Jac. Vigenerius *in Chron. Lingon.* In Eccles. *Lingonica*, quæ B. Mammetis *Mammes* tit. censetur, multi olim Archidiaconatus, nimirum Archidiac. Magnus, seu Lingonensis, Divionensis, Ternodorensis, Barrensis, Laticensis, *le Lacois*, (à pago cognom. qui iter unius diei ab urbe Lingonis dissitus, vicum Pultarias *Poutieres*, Monasterio insignem, & quidquid inter Castellionem & Barrum Sequanam, ultra & cis jacet, comprehendit, dictus) & Archidiaconatus Bassinei. In eadem Decani sunt Ternodorensis, Reomensis, S. Vinimeris, Molismensis, Barro Sequanensis, Castellionensis, Barralbensis & Calvomontensis. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pagi Lingonibus attributi:

Attuariorum.	Laticensis, *Lacois.*
Barrensis uterque.	Magnimontensis, *Maimont.*
Bassiniacum, *le Bassigny.*	Oscarensis.
Divionensis, *Di onois.*	Portuensis, vel Portensis, nunc obscurus.
Dusmensis, *le Duesmois.*	

Ternodorensis, *le Tonnerrois.*

Oppida, Castella & Monasteria Lingonum:

Alba ripa, *Auberive.*	Fons Besuæ, *Besé*, ubi Cœnob. vetus.
Andelaum, *Andelot.*	Fontanetum, Abbat.
Arbotum.	Jonvilla ad Sauconam.
Arcus super Tiliam, *Arc sur Til.*	Juliacum, *Juilly.*
Auxona ad Ararim.	Lingones, *Langres.*
Barrum ad Albam.	Melunda, *Molesme en Tonnerrois*, Monaster.
Barrũ sub Reamo, *Bar sous Reome*	Mirabellum, *Mirebel.*
Barrum ad Sequanam.	Molismus, *Molesme*, Cœnob.
Belli montis, *Bemont.* Monaster. Virginum.	Monasterium S. Sequani.
Bellus mons ad Vingennam.	Morimundum ad Albam, Abb.
Borbonia, nunc villa, aquis suis clara.	Mormentum.
Calvus M. *Chaumont en Bassigny.*	Monsbarri, *Montbar.*
Castelio ad Ararim.	Mons Salionis Castellum, *Mont Salion.*
Castellio ad Sequanam.	Montiniacum.
Castrum Caseolum, *Choiseul.*	Muxejum villa & castrum, *Mussi l'Evesque.*
Castrum Fons Vennæ, *Fonvenz.*	Novigentum.
Castrum Grancejum, *Grancey.*	Nullejum, *en Langone.*
Castrum Villanũ cum tit. Com.	Pontiniacum, *Pontigni*, Mon.
Catennacum, *Chatenay.*	Prati Longi, *Pralon*, Monast.
Caturicæ opp. *Chaource.*	Pulteriæ, *Poutieres.*
Clara vallis Abbat. Cisterc.	Reomaus Monaster.
Clarus mons, *Clermont.*	Rubeus Mons.
Confinium, *Cunfins.*	Sylva rubra, *Sivarolle*, Cella.
Crista, *la Creste*, Abb.	Ternodorum, *Tonnere.*
Divio, *Dijon.*	Tilicastrum, *Tille Chasteau.*
Firmitas ad Albam.	Vangionis rivus, *Vignorri.*
Firmitas super Armantiam, *Armance.*	Vendopera, *Vendeure.*
Firmitas ad Graonam fluvium, *la Ferté sur Grone*, Abb.	Ventosum, *Ventoux.*

Lingones, vulgò *Langres*, urbs antiquissima, munita & ampla Campaniæ, ad fontes Matronæ, in colle, cujus Episcop. est Dux & Par Franciæ, tertia ponitur in vett. Notit. inter provinc. Lugdun. primæ civitates. A Vandalis expugnata, refecta est à Geilone Antistite, circa An. Chr. 887. ob persecutionem Normannorum: qui primus quoque initia magnitudinis Episcoporum Lingonensium posuit, apud Carolum Calvum gratiâ valens. Apud Gruterum legitur inscriptio *D. M. Moderato Liberto coloniæ Lingonum*, quæ si vera est, deducta fuit hæc colonia demum post M. Antonini Principatum. Cl. enim Ptolemæus ejus non meminit. Distat 6. leuc. à confin. Comit. Burgundiæ, uti & Ducatus, 22. à Trecis in Ort. 17. à Divione in Boream, 20. à Vesontione in Cæc. Propriè tamen *Lingones* populi, urbs *Andemantunum* olim dicta, 40. ferè mill. à Vogeso monte in Occ. Hîc Alemanni bis victi, à Constantino August. cæsique ad 60000. Vide quoque *Lingonæ.*

Lingus, castellum Cassandreorum, Steph.

Lini, sive *Linones*, populi Germaniæ ex Slavis, vel legendum ad priscam Germanorum scripturam *Luini*. Dithmarus, *lib. 6. in civitate Bernhardi Luinberg.* Satin' manifestum, dictam ab istis populis illustrissimam domum Luneburgensem. Annales Fuldenses: *Carolus cum exercitu Saxoniam ingenti populatione vastando pervenit, usq; ad locum, quem vocant Luini.* Et fortasse ipsum *Luineburgum* innuitur. *Linonum* porrò, sive *Linoviorum* Latina æquè ac Germanica denominatio est, & significat illos populos præter cæteros fuisse lini culturæ deditos. Leguntur inter gentium istarum Sclavicarum multas, frequenter *certa lini pondera*, ut apud Helmoldum & cæteros. Quod factum ob lini mercimonia & proventum uberiorem in istis regionibus.

Liniacum, opp. agri Veronensis, ad Athesim fluv. 27. mill. infra Veronam, Ferrariam versus. Vulgò *Legnago.*

Liniennus, vulgò *Rother* fluv. parvus Albionis, in Cantio, juxta *Rhie* opp. ad Meridiem, in Oceanum Britann. exiens.

Linitima, Æthiopiæ sub Ægypto opp. Plin.

Linon, parva reg. Hellespontiæ, incolæ *Linusii*, Stephan. ex Strabon. *lib* 13.

Linterna palus, Silio in Campaniâ est, apud Linternum urbem excisam: Vulgò *Lago di Patria*, Mazzellæ. Ejus meminit Statius *Sylv. lib. 4. cap.* 3.

Et Linterna palus, pigerq; Savo.

Linternum, urbs olim Episcop. Campaniæ, nunc vicus tenuis, inter Vulturnum ad Bor. & Cumas ad Mer. ubi Scipio Africanus invidiæ cedens obiit & sepultus est. Plin. & Liv. *Literunm*, & sic rectè scribi monet Cluver. Quamvis plerique Latini auctores inserto N. *Linternum* habent, quasi à *Lintribus* deductum. Ovidius *Mutationum ultimo:*

Hinc calidi fontes lentisciferumq; tenetur
Linternum. —— ——

Silius *lib.* 8.

—— *Stagnisq; palustre*
Linternum. —— ——

Λείτερνον Ptolemæo. Λίτερνον Straboni & Appiano. Baudrando vicus hic est in prov. Terræ Laboris, *Torre di Patria* dictus, in ora maris Tyrrh. prope fluv. Linternum.

Linthus, nomen Limagi fluv. apud Glaronenses, ubi oritur: in quem postquam Magus, è lacu Rivario, effunditur, demum Limagus dicitur. Vide *Limagus.*

Linum, promuntor. Brutiorum in Calabriâ citer. teste Barrio, *Capo di Verre* hodie.

Linum Regis, opp Norfolciæ, in Anglia, prope ostia Usæ fluv. in ora Oceani German. 18. mill. ab Elia in Boream, *Lynne*, seu *Kinges Lynne* vulgò.

Linus, auditor & comes Pauli Apostoli, 2. Timoth. 4. Primus post Petrum Ecclesiæ Romanæ Episcopus fuisse dicitur, An. Dom. 70. Euseb. 5. 6. Irenæus 3. 3 Sub hujus nomine duo circumferuntur libri ad Ecclesias orientales, qui acta continent *passionis Petri & Pauli, sed libri illi commentitii sunt, & plurimos continent errores.* Vide Bellarm. *de script. Eccles. & lib. 1. de Rom. Pontif. cap.* 9. Baronium *ad Ann.* 69. Possevinum *in apparatu sacro*, voce *Linus.* Morer. *Diction. Histor.*

Linus, Apollinis filius, ex Psamathe Crotopi Argivorum regis filiâ; Cùm enim Apollo, occiso Pythone serpente, ad Crotopum venisset, ab eo hospitio susceptus, clam cum Psamathe ejus filiâ concubuit, quæ ex eo compressu gravida effecta, expletis legitimis mensibus, puerum peperit, quem *Linum* appellant. Hunc, cùm patris indignationem metuens inter virgulta occultasset, canes inde extractum dilacerarunt.

Linus, Apollinis, & Terpsichores filius, Musicæ peritissimus, primus Græcas literas è Phœnicia attulisse dicitur. Thamyræ, Herculis & Orphei præceptor. Virgil. *Ecl.* 4.

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis, atq; huic pater adsit,
Orphei Calliopeia, Lino formosus Apollo.

Hunc ab Hercule occisum ferunt, impactâ in caput citharâ, quòd ipsum rusticiùs canentem irrideret. Pausan. *lib.* 9. Mart 9. 88.

Ipse meum flevi, dixit Apollo, Linum.

Aliis Mercurio ex Urania natus fingitur, quia Poëta & Orator erat, ac de origine Mundi, cursu Solis ac Lunæ, animalium item plantarumque ortu scripsit. In momento omnia creata dixit, quod & Anaxagoras post eum sensit. Stob. *lib. de Prud. & Spe.* Plut. Suid. Diog. *in Præfat.* Gesner. *in Bibl. &c.* *Lini* Thebani jun. meminit Suid. & *Lini* Historici Stephanus.

Linus, Oechaliensis citatur Stephano in Οἰχαλίᾳ.

Linus, fons Arcadiæ, fœminis bibentibus ex eo abortum prohibens, Plinius.

Linx, fluv. & urbs Mauritaniæ, vide *Lixus.*

Lionium, opp. Picardiæ, in tractu Sanguitersio, 7. leuc. ab Ambiano in Ort. 7. à Novioduno in Bor. 5. ab Hamo in Occ. Vulgò *Lions* cognom. *en Santerre.*

Lionium, vulgò *Lions* cognom. *en Forest*, oppidum Normanniæ juxta Sylvam *de Bray*, in Vexino Normannico, 6. leuc. à Rothomago in Ort. Dicitur meliùs *Leones*, quod vide.

Lipara, insula præcipua ex Æoliis, quæ *Liparea*, quia prima earum *Lipara*, & Vulcaniæ & Hephæstiades, ita dicta a *Liparo* rege, Ausonis filio, cui successit Æolus, cùm antea *Meligunis* vocaretur, Plin. *lib.* 3. *cap.* 9. A Sicilia pendet, cum cæteris Liparæis, seu Æoliis: In mari Tyrrheno. Urbeculam parvam habet Episcop. sub Archiepisc. Messanensi, conditam anno quo Dyrrhachium urbs Macedoniæ extructa est, cum aliquot villis, 30. m. p. ab ora Siciliæ in Bor. 60. ab ora proxima Calabriæ ulter. in Occ. Ejus arx permunita est, *la Pignatarq*. Tota satis culta, & fere sola, inter Liparæas, quæ subsunt Hispan. Aliqui sic dictam volunt, quasi *pinguem*, ita enim λιπαρὴ sonat. Atqui hæc insula solum habet sterile, & infœcundum. Hinc Cicer. *Verrinâ* 3. *Emit agri Liparensis miseri, atq; jejuni decimas.* Et paulo pòst de civitate Liparensi, *Hæc tam parva civitas, &c. in insulâ incultâ, tenuiq; posita.* Aliud comminiscitur Callimachi Schol. quod haud facile capias: Λέγεται δ' ὅτι σίδηρα διάφορα θέντες ἐν αὐτῇ ναῦται, ἕωθεν εὑρήκασιν αὐτὰ ἐκ τῆς ἀναδόσεως τοῦ πυρὸς πεπυρωμένα· καὶ διὰ τοῦτο ἐκλήθη ἡ νῆσος Λιπάρα, διὰ τὸ αὐτὰ διάφορα ὄντα ἓν γενέσθαι, hoc est, *Ajunt cùm ferreas massas plurimas in eâ nautæ posuissent, illas mane reperisse excoctas ex ignis eruptione. Quocirca insula Lipara dicta est, quia hæ massæ, cùm diversæ essent, in unam coaluerunt.* Hæc ille in Dianæ hymnum, quibus nihil absurdius fingi potuit, cùm Græcè λιπαρὰ nihil minus sonet, quàm quod è diversis massis in unum coaluit. Asserit itaq; Bochartus, nomen esse deflexum ex Phœnicio *Nibaras* vel *Nibras*, quod Arabicè est *lampas*, seu *lucerna, tæda, fax*; Inde *Liparæ*, vel *Liparis* nomen Punicum, quia facis instar noctu lucebat, Aristotel. *in Mirand.* Καὶ τὸ ἐν τῇ Λιπάρᾳ δὲ πῦρ φανερὸν καὶ φλογῶδες, οὐ μὴν ἡμέρας, ἀλλὰ νυκτὸς μόνον καίεται. Theocr. *Idyll.* 2.

—— Ἔρως δ' ἄρα καὶ Λιπαραίω
Πολλάκις Ἁφαίστοιο σέλας φλογερώτερον αἴθει.

Silius *lib.* 14.

Nam Lipare vastis subtus depasta caminis,
Sulphureum vomet exeso de vertice fumum.

Ex *Nibras* autem vel *Nibaras* Græci fecere *Liparas*, ut mollirent vocem barbaram & ad suæ linguæ typum effingerent. Baudrando ignes non emittit, uti Vulcania vicina. Item *Lipara* Cappadociæ pars, *Licandus* Curopalati.

Liparis, Ciliciæ fluv. ἀπὸ τοῦ λιπαροῦ, quoniam teste Vitruvio 8. 3. natantes in hoc fluvio, aut se lavantes, non aliter unguntur ab ipsa aqua, quàm si oleo, aut adipe lavarentur.

Lipaxus, urbs Thraciæ, Stephan.

Liphlum, Æquorum opp. in Italia, à Rom. captum, L. Valerio & Manlio Coss.

Liphœcua, a Rom. capta, L. Lucretio, C. Æmilio, C. Rufo & Ver. Sulpitio, tribunis consularibus, urbs Æquorum. Diod. *lib.* 14.

Lipodorus, inter Græcos, ab Alexandro M. in Asia collocatos, & post obitum ejus deficientes, à Pithone corruptus, ut in ipso pugnæ discrimine, cum tribus millibus, ad Macedonas transfugerit.

Lippa, vulgò *Lippa*, urbs Transylvaniæ, in colle, sub Turcis, prope *Mariscum fluv.* in confinio Hungar. 5. leuc. à Temesia in Circ. 10. à Julia seu Ziridava in Austr.

Lippia, Comitatus & fluv. Westphaliæ, German. *Lipstadt.* Ubi Synodo à Carolo M. habitâ, Ann. 780. dati Saxonibus subjugatis Præsules. Sub Elect. Brandeburgico.

Lippomanus, vide *Radzivilius.*

Lipsia, vulgò *Leipsick*, civitas prim. Misniæ, ad Pleissenam *Pleiß* amnem sita: Emporium celebre. Non est admodum ampla, sed tamen talis, quæ sua angustia etiam amplas Germaniæ, maximè Principum, exuperat civitates. Abundant ibi mercatores, qui varia & continua exercent commercia, idque ter per annum in ipsa civitate, sicut quidam de nundinis ejus loci hunc in modum scripsit:

Mercibus augetur ter Lipsia magna quotannis.

Passum est hoc oppidum An. Chr. 1547. gravem jacturam, quando sextâ die Januar. cœptum fuit oppugnari per Joannem Ducem Saxoniæ, Principem Electorem: tunc enim exusta fuerunt suburbia, bombardarum ictibus dejecta mœnia, turres concussæ, domorum tecta dissoluta, castrum civitatis multum deformatum: obsidio in magno frigore continuata ad 20. dies, sed hostis re infectâ coactus fuit discedere, Merel. Quantum porro nupero bello Germanico passa sit, de eo paucis inferius vide: Abest 12. mill. Germ. à Dresda in Occ. 16. à Magdeburgo in Austr. Sub Electore Saxoniæ, Baudrando. Nundinæ hic 3. vicibus in anno, ut dictum, celeberrimæ. Prope urbem cruentissimo prælio, Ferdinandus II. Imper. à Gustavo Adolpho Sueciæ Reg. An. Chr. 1630. dein Ferdinandus III. An. Chr. 1642. à Torstensohnio Suecico Duce, post captam Glogoviam, Olomutium, aliaque loca, victus est, Archiduce Leopoldo & Piccolomineo in turpem fugam conjectis: Lipsiæ dein deditio secuta. Vide Cluver. *descript. Germ.* Bertium *lib.* 3. *rer. German. cap.* 11. *&c.* Insignis hic Academia, à Friderico Bellicoso, An. Chr. 1408. erecta est, postquam odio Johannis Hussi, è natione German. ad IV. M. Studiosorum ex Academia Pragensi, Lipsiam concessissent. In hac, coram Georgio Duce, Lutherus cum Eccio de primatu Papæ, disputavit, An. Chr. 1520. eo successu: ut Princeps exclamarit, *sive sit jure humano, sive divino Papa, ipse est Papa.* Paulo tamen pòst Evangelii doctrinâ urbs illustrata est. Mortuo dein Melanchthone, Ubiquitatis dogma, quod Brentius, Andreæ, Flacius excudere, ab Academia non Wittembergensi solùm, sed & Lipsiensi rejectum est, unde lites ortæ, & coram Augusto Elect. delationes. Convocatum proin Aldeburgi Colloquium, An. Chr. 1568. Dein Dresdensis consensus initus, tandem formulâ Concordiæ conscriptâ, omnes, qui ei subscribere recusabant, exilio pulsi sunt, frustra monente Augustum Maximiliano Imper. *Nostrum non est imperare conscientiis, aut ad fidem quenquam vi cogere.* Lætus *Comp. Hist. Univ.* Jul. Cæsar Scaliger, de urbe hac ita canit:

Lipsia se ostentans sublimibus aurea tectis,
Lumina dum saturat, mens perit icta fame:
Vecta quibus rutilus longinqua marmora terra,
Unde frequens flavit purpura nitela Tagi?
Huc Cyprum, huc Temesum, huc Arabas, huc Serica, dices
Sedibus evulsa huc Indica regna sui.
Cum gemma bibitur, vincuntur nectare gemmæ,
Sed lingua varius vincit utrumq; nitor.
Nec Germana tamen vitiatur Lipsia luxu,
Ast hunc Germanum Lipsia magna facit.

Lipsydrium, locus supra Parnethen, de quo Suid. in dictione, ἐπὶ λειψυδρίῳ. In Spartæ confiniis esse, docet H. Junius *lib.* 3. *Animadv. cap.* 7. Supra Pœoniam est, apud Herod. *Terpsichore.*

Liptinæ, palatium olim fuere, aut villa Regia, in pago Camaracensi, vulgò *Lestines*, unde Synodus Leptinensis, habita sub Carolomanno Majore Domus, An. Chr. 743. Nunc rudera supersunt, non procul à Binchio Hannoniæ opp. Est & vicus *Liptain*, inter Landinum vel Landas & Geldoniam positus. Vales. *Not. Gall.*

Liquentia, vulgò *Livenza*, fluv. Gall. Cisalpinæ, seu Venetiæ post Tarvisinum agrum. Oritur in Opiterginis, & in mare Hadriaticum cadit. Virgil. *Æneid.* 9.

Quales aëria Liquentia flumina circum.

Ubi participium videtur, non loci nomen. Vide *Erythræum.*

Lira, castellum Galliæ, ad Riselam fluv. in finibus Aulercorum Eburovicum, vet. Monaster. Benedictinorum illustre, vulgò *Lire*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Item opp. Brabantiæ, Monaster. Canonicorum à Guntmaro extructo, unde *villa S. Guntmari* quoque dicitur, nobile. Vulgò *Lier*; ad fluv. Netam, quo à Taxandria & pago Rhenensi Brabantiæ *Hetland von Riien* dividitur. Vide eundem in voce *Ledi.*

Liria, fluv. Gall. Narbonens. apud montem Pessulanum decurrens, seque in stagna Volcarum exonerans, teste Dalechampio. Vulgò *le Lez.*

Lirimiris, opp. Saxoniæ Hamburgo proximum. *Mulheym* Villanovano. Aliis *Segenberg*, oppid. munitum Holsatiæ, 7. leuc. ab Hamburgo in Bor. 5. à Lubeca in Occ. Baudrand.

Lirinates, qui & *Larinates.* Vide *Larinum.*

Lirinense cœnob. vide *Lerina.*

Liriope, nympha marina, Oceani & Tethyos filia, ex quâ Cephissus amnis Narcissum puerum formosissimum suscepit. Ovidius *Metam.* 3.

Prima fide vocisq; ratæ tentamina sumpsit
Cærula Liriope; quam quondam flumine curvo
Implicuit, clausaq; suis Cephisos in undis
Vim tulit, enixa est utero pulcherrima pleno
Infantem, Nymphis jam tunc qui posset amari,
Narcissumq; vocat. ——

Item fons Bœotiæ in finibus Thespiensium, ad vicum Hedonacum, in Cephissum influens: In quo Narcissus submersus fingitur. Pausanias.

Liris, fluvius Campaniæ, Minturnas præterfluens. Vulgò *Gariliano* vel *Gariglia.* Horat. *Carm.* 3. *Od.* 17.

—— *Innantem Maricæ*
Litoribus tenuisse Lirim.

Lucanus *lib.* 2.

Sarnus, & umbrosæ Liris per regna Maricæ.

Martial. *lib.* 13. *epigr.* 80.

Cæruleus nos Liris amat, quem sylva Maricæ, &c.

Silenti cursu labi hoc flumen testantur Horatius & Silius. Hic *lib.* 1. *Od.* 31.

—— *Quæ Liris quietâ*
Mordet aquâ taciturnus amnis.

Ille *lib.* 8.

—— —— *Lirim*
Sulphureum, tacitiq; vadis ad litora lapsum.

Lirnytia, urbs Pamphyliæ, Stephan. ex Hecatæo.

Lisbona, florentissimum Portugalliæ emporium, & regni caput. Vide *Olissippo.*

Lisboum, locus Germaniæ in Franconiâ, ad Mœnum fluv. qui *Erlenbrunnen* B. Rhenano.

Liscus, Æduus, summo Magistratu, in sua civitate, defunctus. Cæs. 1. *Comm. cap.* 16.

Liserpalus, opp. Lancastriæ, ad Austr. cum portu capacissimo, ad ostia Merseii fluv. in confinio Com. Cestriæ; *Leerpole* vulgò, 14. mill. Angl. à Cestria in Bor. 2. à mari Hibern. 30. à Lancastria in Mer.

Lisga, sylva olim Galliæ dominica, quas tum Germanico vocabulo *Forestas Regias* appellabant. In hac locus Rotundæ ad Axonam

xonam, à civit. Suessionis 144. stadia distans & Monast. cujus Drausius ibi auctor. Vulgò *la Forest de Lesgue*. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Galliæ*.

Lisiardus Crespiacensis, Episc. Suessionum, Auctor vitæ S. Arnolphi. Obiit A. 1127. Alberic. *in Chron.* Ivo Carnut. *epist.* 203. 229. 246. 279. 280. Voss. *de H. L. lib.* 2. *cap.* 46. Mejer. *Annal. Fland.*

Lisidias, Megalopolitanorum dux, an. U. C. 517.

Lisinas, oppidum Thessaliæ, Liv.

Lismora, vulgò *Lismore*, urbs Episcop. Hiberniæ, sub Archiepisc. Cassiliensi, inter Waterfordiam ad Ort. & Corcagium ad Occid. Baudrando est Urbs Comit. Waterfordiensis, in Momonia, juxta fluv. *More*, 22. m. p. à Cassilia in Mer. 15. ab Oceano in Bor. uti ab Jogallia. Deficit in dies. Item urbs Episc. Scotiæ, sub Archiepisc. Glasguensi, in Argadiâ regione Occidua, Camden. meliùs *Kilmoria*. Vide ibi.

Lissa, Insula contra Jader, in Illyrico mari, vulgò quoque *Lissa*, Item *Isola di Fara*. Plin. *lib.* 5. *c. ult.* Item Accetanorum in Hispan. urbs, Ptolem.

Lissa, cognomento *Polonica*, populosum opp. Poloniæ majoris in Palatin. Calisiensi, in Silesia Polonica, 1. & dimid. mill. à finibus Silesiacis, atque uno ab oppidul. *Storchnest*, & *Schwvezkau* remotum, in districtu Frauenstadiensi, olim pagus. *Lesno* Polon. *Lisse* Germ. An. 1656. d. 28. April. maj. ex parte conflagravit.

Lissia, ins. maris Britannici, Angliæ adjacens, Anton. *Lethowvsowv*, & *the Gulfe* Camdeno. In ora Occ. Cornubiæ.

Lisson, Siciliæ fluvius, Leontium præterfluens, Polyb. *Fiume di Lentini* vulgò.

Lissus, urbs Macedon. in Illyrici confin. ad ostia Drilonis, media inter Epidaurum urb. Dalmatiæ, & Aulonam urb. Macedon. Episc. sub Archiepisc. Dyrrachino. Baudr. *Alessio*. In Albania reg. in ora maris Adriat. & intimo recessu Sinus Illyrici, qui à Drilone fluv. ibi se exonerante, dicitur *Golfo dello Drino*. Erat aliàs in Prævalitana prov. nunc Turcis subest. In colle arduo, 25. mill. à Croja in Boream. Lucanus *lib.* 5.

Prætereunt, frustra tentati litora Lissi,
Nymphæumq; tenent. ———

Item opp. Cretæ in orâ Australi apud Criumetopon promuntor. & Tarbam opp. *Fionissi* Nigro. Est & fluv. Thraciæ in mare Ægæum inter Thason & Samothracen ins. exiens, unus ex illis, quos Xerxis exercitus exsiccavit, teste Herodoto, *lib.* 7.

Listia, opp. fuit Sabinorum, Reatinæ urbi proximum, ad 3. m. p. Populi *Listini*, Halicarn.

Litabrum, oppid. fuit Hispan. Tarracon. Liv. prope Segobiam locus ostenditur.

Litæa, Laconicæ urbs, Stephan.

Litana, sylva in Gall. Togatâ prope Bojos, vulgò *Selva di Lugo*. Cujus arboribus viæ finitimis cæsis, ac subito impulsu ruentibus, L. Posthumii Conf. Rom. exercitus tam fœdâ strage est obrutus, ut ex 25. millibus vix decem homines superfuerint, Livius.

Litania, rogatio, supplicatio. Sed præterea publicæ supplicationis genus est, quâ Dei misericordia ex solenni more ardentiùs imploratur. Indicebantur olim gravi quovis imminente discrimine, quandoque ad impetrandam camporum benedictionem, ne tactis frugibus sequeretur fames. *Sic Gregor. M. Episcopis Siciliæ*, hostium invasionem metuentibus, *Lib.* 9. *epist.* 45. Sic Liberius P. Alii, *Litanias* indixere. Earum cùm multæ sint species, duæ tamen inprimis insignes: *Minor*, & *Major*. Illa antiquior, hæc insignior. Illa vulgò *Rogationes* appellatur, & *Processiones*, nec non *Litania Triduana*, quòd tribus diebus ante Ascensionem Domini, per omnes Galliæ, Germaniæ & Britanniæ Ecclesias celebrata est. Instituta fertur apud Gallos Chlodovei I. ævo, à Mamerto Episc. Urbis Viennensis, quæ crebris tum prodigiis & diuturno terræ motu concussa, per integrum annum deserta jacuit, Greg. Turon. *Hist. lib.* 1. *c.* 34. Hodieque sub his diebus, vicatim camporum termini, in Anglia, lustrantur, Deique munificentia agnoscitur & misericordia imploratur. Sed Hispani, juxta illud, *Non possunt filii sponsi lugere, quàm diu cum illis sponsus est*, infra quinquagesimam Paschæ, id est, dum in terris ageret Dominus noster, jejunare recusant: suas referentes *Litanias* ad feriam 4. 6. & 7. in Pentecostes hebdomade, &c. Hæc, *Major* nempe, ab auctore *Gregoriana*: à loco *Romana*: ab ordine *Septiformis*: ab habitu *Cruces Nigræ*, & præterea *Majores supplicationes*, & *Processio major*, appellatur. Instituta est à Gregorio M. cùm per urbem, & Italiam totam lues inguinaria, circa An. 594. multas mortalium myriadas, atque unà ipsum Papam Pelagium II. in processione, corripuisset; quæ pestis ex putredine, quam ingens Tibridis exundatio reliquerat, orta est. Tum enim Gregorius populum urbis, ad *Litanias* conscriptum, per cohortes, in 7. ord. sic disposuit: ut in primo esset Clerus omnis, in secundo Abbates cum suis Monachis, in tertio omnes Abbatissæ cum suis congregationibus, in quarto omnes Infantes: in quinto omnes Laici, in sexto viduæ omnes: in septimo denique mulieres omnes conjugatæ: qui effuso inter ardentes orationes imbre lachrymarum, Dei reportarunt misericordiam. Hinc consuetudo annuæ apud Romanos celebritatis, cui statuitur dies 7. Kal. Maji, id est, in festo S. Marci, vel quia eo tempore contra hostes, in bellum, proceditur, vel quia tum florescentibus campis Dei benedictio expetitur. Quo festo prodeat hæc *Litania*, putà crucibus, vexillis bellicis, reliquiarum capsulis, & hujusmodi, apud Durandum & Scriptores Offic. Eccl. P. Diacon. *Histor. Longob. lib.* 3. *cap.* 23. Amularium, &c, quære. Hæc autem omnia, etiam altaria & supplices induebantur vestitu nigro, in luctus mœrorisque designationem, unde *Crucis nigræ* appellatio. In Ecclesiis verò, ubi classium aut personarum numerus non adhibetur, septies *Litania* iteratur, priusquam deponantur insignia. Vide Henric. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

Litanobriga, Æthico *in Itiner.* memorata, inter Cæsaromagum Bellovacorum *Beauvais* & Augustomagum *Senlis*, Cluverio videtur esse Vernodum ad Isaram *Verneuil*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

Litarbis, regiuncula Syriæ, in agro Antioch. ab Antiochia 306. stad. Evagr. Callistus, &c.

Litavi, qui & *Lithuani*, vide *Alani*.

Litavicus Æduus, amplissimâ familiâ natus, præfectus 10000. militum, quæ Cæsari ab bellum ab Æduis sunt missa. Cæsar 7. *Comm. cap.* 37. Germ. *Luitwvich*. *Litavicus* idem est, qui in Annal. *Leudevicus* aut *Leodevicus*, q. dicas refugium & asylum populi.

Lite, urbs Macedoniæ, Suidas.

Litera Pisana, dicitur character vetus, quo scriptæ sunt Pandectæ, apud Pisanos aliquando conservatæ. Has cùm Amalfium cœpisset Lotharius Imper. à Wernero inventas, honorario muneri Pisanis dedit: sed Florentiam postea delatæ, in palatio Ducis custodiuntur, & nisi accenso cereo aliisq; ceremoniis in conspectum publicum non proveniunt. Cujates propriè sint istæ literæ, & an Gothicæ, (quod non reor) dicant, quibus vidisse contigit. Gothicas adinvenit Episcopus illorum Galfilas æræ 415. ut habet Chronicon Isidori, quod redintegrans Vulcanius, ad annum rejicit Valentis 13. Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.*

Literati, Loitiæ & Mandarini, Secta Philosophorum Sinensium, qui sub Rege absolutè imperant. Vide *Confutius*.

Liternum, vide *Linternum*.

Litha, vulgò *Lyth*, seu *Leith*, oppidul. Laudoniæ, in Scotia, cum portu, vix 1. mill. Scot. ab Edimburgo in Bor. ad Forteam æstuar. aliàs munitum.

Lithesius, Apollo in Melea, quòd ibi in lapide collocatus sit, à λίθος. Stephan. Suid.

Lithobolia, apud Troezenos festa, à *lapidum jactu* sic vocata, quòd in seditione nonnulli duas Cretensium puellas, Limiam, & Auxesiam, lapidibus nequiter obruerant, ac trucidaverant, unde ut earum manes placarentur, festum quotannis solenniter celebrandum statuerunt, Plutarch.

Lithophaum, vicus Gall. Lugdun. Quibusdam fuit, ubi nunc *Moret*, opp. Vastinii tractus, in Insula Franciæ, ad Lupiam fluv. qui paulo infra in Sequanam se exonerat, 5. leuc. à Meloduno in Austr. 2. à Monte Regio seu Monasterio in Occ.

Lithoprosopus, Cedreno mons Phœnicis, apud Botryn urbem, Ptolem. *Theuprosopon* promunt. dicitur inter Tripolim & Botryn. Hodie *Pragoca*.

Lithostrotos, nomen loci, in quo sedit Pilatus, *Christum Dominum nostrum morti adjudicaturus*, qui locus *sic dictus*, quòd stratus fuerat lapidibus.

Lithrus, Armeniæ min. urbs, Strabo.

Lithuania, regni Poloniæ pars, & magnus Ducatus, palustris regio, plurimumque nemorosa: Ab Oriente Borysthene clauditur, Russiam & Moldaviam ad Meridiem respicit, Poloniam versùs Occasum, Livoniam ad Septentr. conterminas habet. Rara hujus regionis oppida. Metropolis autem Vilna est, Episcopalis civitas. Cromer. Munsterus. Ager hujus provinciæ fertilissimus est, quare vili ære frumentum venditur, & in multas Europæ provincias magnis onerariis navibus transvehitur: Lepores in hac regione æstate sunt cinericei, hyeme verò albissimi: sunt & alii qui semper cinericei, nec pilum mutant. A Germanis mercatoribus *Bleiblandt*, id est, *Terra mansionis*, non ineptè vocatur, quia ejus fertilitate Germani ad perpetuam invitantur habitationem. Cacomagis & maleficis scatet, qui (ut in tormentis sæpius fassi sunt) se in lupos transformare possunt, & tunc vagantes lædere, ac damno afficere quæcunque occurrunt, Metel. Baudrando *Lithuania*, Gallis *la Lituanie*, Polonis *Lituna*, Germ. *Littawv*, regio Sarmatiæ Europææ alias, nunc Poloniæ, titulo magni Ducatus nobilis. Christianam fidem suscepit An. Ch. 1386. Duce Jagellone, Jagellonicæ familiæ, quæ An. Chr. 1573. in Sigismundo Augusto defecit, auctore, in Poloniæ Regem adsumpto, ac baptizato. Anno autem 1569. in unum Republicæ corpus cum Polonia coaluit. Becmannus verò id jam factum docet, ab ipso Jagellone, & extat hujus unionis diploma in Herbuti *Stat. Polon. pag.* 524. *& seqq.* quod in fronte Jagellonis Vladislai Reg. & Alexandri Mag. Ducis Lithuaniæ nomina præfefert: Actum in oppido Hrodlo, circa flumen *Bug*, Ann. Chr. 1413. Quod idem peculiari diplomate Lithuaniæ Proceres perscripserunt, An. Chr. 1401. denuoque confirmarunt, tempore Johannis Alberti, An. Chr. 1499. *Vide eundem Herbutum pag.* 552. Terminatur ab Oriente Moscovia, à Septent. Moscovia etiam ex parte, Livonia & Samogitia, ab Occ. Polonia propria, & à Meridie Volhinia provincia, quæ ipsi etiam annexa est, cum Samogitia, Polesia, & Podolia. Ipsa autem *Lithuania propria* dividitur in novem partes seu Palatinatus, & totius regionis caput est Wilna. Tota hæc regio

fœdè

fœdè vastata fuit à Moscis & Tartaris hisce ultimis temporibus; & ejus pars versùs Ortum occupata fuit à Moscis.

Lithuaniæ partes seu Palatinatus :

Braslaviensis, *de Braslovv.*	Poloczensis, *de Poloczk.*
Minscensis, *de Minsco.*	Trocensis, *de Troki.*
Msciflaviensis, *de Mscizlavv.*	Wilnensis, *de Wilne.*
Novogrodensis, *de Novogrodeck.*	Witebsciensis, *de Witebsk.*

Sunt etiam partes Lithuaniæ Ducatus Smolencensis, Novogrödensis, & Czernihoviensis, cum territoriis Rohaczoviensi & Rzeczycensi.

Lithuaniæ urbes præcipuæ :

Braslavia, *Braslavv.*	Orssa, *Orssa.*
Couna, *Kovvno.*	Poloczka, *Poloczk.*
Czernihovia, *Czernihovv.*	Rohaczovia, *Rohaczovv.*
Grodna, *Grodno.*	Rzeczyca, *Rzeczick.*
Minscum, *Minsko.*	Sluca, *Sluckz.*
Mohilovia, *Mohilovv.*	Smolenscum, *Smolensko.*
Msciflavia, *Mscislavv.*	Troca, *Troki.*
Novogroda, *Novogrodeck.*	Vilkomiria, *Vilkomirz.*
Novogroda Severia, *Novogrodeck Seviersky.*	Wilna, *Wilne.*
	Witebscia, *Witebsk.*

Pop. *Lithuani*, Germ. *Littauuer*, apud quos, ut & reliquos pop. Septentrionales, mos olim *pro reverentia Numinum ac Principum bibere & quasi in agone per sudorem contendere*, Corn. Graphæus *lib.* 13. *cap.* 4. Hinc de iis Michovius *de Sarm. Eur. lib.* 2. *cap.* 3. *Medone & spisso & tenui, & vario modo cocto abundant, & illo inebriantur.* Et paulo pòst : *Sedent à Meridie in medium noctis, continuo cibo & potu sese opplendo, & à mensa quoties natura propellit, assurgendo & egerendo iterum, atq; iterum vorant usq; ad vomitum, &c.* Quas sordes à sequioribus Romanis fluxisse docet Thom. Dempsterus *Antiq. Rom. lib.* 5. *paralip. ad cap.* 30. Cæterum *Lithuanos* Lescus Niger, Poloniæ R. confirmatus ad prælium visione Angeli, 14. m. cæsis vicit, An. Ch. 1282. Cum eorum dein Duce Gedimino fœdere inito An. Ch. 1325. Vladislaus Locticus Pol. R. Crucigeros ingenti clade affecit, circa An. C. 1331. Poloniæ accesserunt, sub Jagellone R. ejusque operâ fidem susceperunt, ut dictum, circa An. Ch. 1387. Nicolaus postea Radzivilius Palatinus Vilnensis sec. 16. Reformationem inter hos populos strenuè promovit, Bibliorum in Sarmaticum idioma versione accuratâ : quam secutus est Ecclesiarum Poloniæ maj. & Lithuaniæ consensus initus, Synodo Petricoviensi, An. Ch. 1578. Etiam hoc seculo indicto Orlii primùm, postea Vlodaviæ conventu, de ritibus discrepantibus in Lithuania & Polonia conventum est, *ut nempe unum Concionale, quod hymnos & Psalmos variæ versionis complecteretur : item unam formam absolvendi sacra haberent*, Lætus *Comp. Histor. Univ.* Rustici ferme omnes mancipia Nobilium sunt. V. Cromer. & Michov. *Hist. Pol.* Cluver. Ortelium & Briet. *in Geogr. &c.*

Litlandia, vulgò *Letten* seu *Leitland*, pars Livoniæ, ad Austr. cujus pars Occ. subest Suecis, pars ad Ort. Polonis. Ibi Riga caput. Urbes reliquæ, *Duneburgum*, *Kockenhusia*, *Volmaria*, & Segevoldia. Separatur ad Austr. à Semigallia Dunâ fluv. ad Ort. habet ditiones Moscoviæ M. D. ad Occ. sinum Rigensem ad Bor. Esthoniam.

Litomerium, seu *Litomiersca*, urbs Bohemiæ, ad Albim: cum tit. Episc. fundati ab Alex. VII. 8. mill. Germ. à Praga in Bor. 10. supra Dresdam in Austr. Vulgò *Leutmeritz.*

Litorius, Galliæ Præses, aruspicum responsis, & dæmonum oraculis addictus, à Gothis, sub Theodorico, victus ac occisus est, an. U. C. 1191. Diacon. Cassiod. Jornandes.

Littamum, Norici urbs, Anton. Lazio *Lutach.* Nunc pag. ad Aicham fluv. in confin. Carinthiæ & Comit. Tirolensis.

Litubium, Liguriæ opp. Livio. *Ritorbio*, teste Bernardino Sacco. Pag. nunc in dit. Ticinensi, 7. m. p. à Dertona, 3. à vico Iriæ, ubi thermæ salutares.

Litus altum, seu *Ripa alta*, opp. Albionis in orâ Scotiæ orientali, *Tarbarth* Camdeno, aliis *Roxburgh.* Baudrando opp. fuit Cantarum, in Scotia Bor. nunc *Tarbath*, oppidul. juxta prom. cognom. prope Vararis æstuarium, in parte Or. Rossiæ, in ora maris Germ.

Litus Casia, oppidul. Corsicæ fuit in orâ Occiduâ, *Calvi* Moletio, & Pineto. Baudrando fuit inter Attium prom. ad Occ. & Tilocium in Eur. forsan, ubi nunc portus *Marsalco*, 25. mill. à Calvio in Sept.

Lityersa, nothus erat Midæ regis. Hic cùm ageret in Celænis, exceptos eos, qui advenissent, compellebat, ut secum meterent, deinde præsectis capitibus reliquum corpus manipulis involvebat. Idem instituit, ut in honorem Midæ æstivus sive messorius hymnus caneretur, unde proverbium, ut qui coacti canerent, hi Lityersæ cantionem canere dicerentur. Vide Erasm. *in Chiliad.*

Livia Drusilla, uxor fuit Augusti, quam matrimonio Tiberii Neronis, Imperat. Tiberii patris, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque, ac probavit unicè ac perseveranter. Superba, ac virum docta tractare. Ex hac nullos suscepit liberos, cùm maxime cuperet : infans (is est Drusus Tiberii Imperatoris frater, ac Claudii Cæsaris, qui Tiberio successit, pater) qui conceptus erat, immaturus est editus. In osculis Liviæ, & in hac voce defecit Augustus: *Livia nostri conjugii memor vive, ac vale :* Vide Suet. Tranq. *in Octavio Augusto.* Obiit Ann. 29. Rubellio & Fusio Gemino Coss. A nepote Caligula publicè laudata, Tacit. *Ann. lib.* 1. 25. Dio *Hist.* Prima omnium mulierum, à Romanis, consecrata est, & in Divas relata : Flamenque & Sodales, qui ab ea nomen acciperent, ex S. C. additi, templumque, quo hymni, in honorem ejus compositi, canerentur, extructum est. Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib.* 3. *cap.* 18.

Livia, filia Drusi, ex illo prioris Liviæ neptis. Nupsit Druso, filio Tiberii, ex eo duorum filiorum, quorum unus juvenis obiit, alter à Caligula sublatus est; & filiæ quæ primò Neroni, dein Rubellio Blando nupsit, mater. Tacit. *in Annal.*

Livia Horestilla C. Pisoni cùm nuberet, jussa est ad C. Cæsarem Caligulam deduci, quam Caligula intra paucos dies repudiavit, ac biennio pòst relegavit, quòd repetiisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Suet. *in Caligula.*

Livia lex, apud Romanos varia fuit : *de æquo parte judiciorum, penes Senatum & Equites : de ære miscendo argento : de agris dividendis in Africa : de coloniis deducendis : de menstruo frumento : de Sociis &c.* Vide Thuan. Dempsterum *Antiq. Rom. passim.*

Liviacum, vulgò *Legnano*, regiunc. ditionis Venetæ, in agro Veronensi. Leander Alb. *descr. Italiæ.*

Livias, Plin. *Libias*, Jos. opp. Palæstinæ, trans Asphaltidem lacum, sic à Livia dictum.

Livii, Gall. Narbon. populi. Plin.

Livinejus Regulus, motus Senatu, gladiatorium spectaculum Pompejis edidit, ubi levi contentione atrox cædes orta, inter colonos Nucerinos Pompejanosque. Nam oppidanâ lasciviâ invicem incessentes probra, dein saxa, postremò ferrum sumpsere, validiore Pompejanorum plebe. Quâ re ad Patres delatâ, prohibiti publicè in decem annos ejusmodi cœtu Pompejani; & *Livinejus* exilio multatus est. Tacit. 19. 17.

Liviopolis, Cappadociæ opp. Plin. circa Pontum Eux.

Livius Fidenas, Tusciæ rex, regn. an. 48.

T. Livius, Historicus Patavinus, res Romanas miro artificio luculentoque sermone perscripsit. Hieronymus *ad Paulinum*, *Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, ab ultimis Hispaniæ Galliarumq; finibus quosdam venisse nobiles legimus. Et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.* Hunc Cajus princeps, tanquam verbosum insectabatur; Pollio verò tanquam Patavinitatem redolentem. Quintiliano magnopere laudatur; qui eum Herodoto comparat, in concionibus præsertim, suadetque pueris ediscendum, ut Ciceronis imitatorem.

Livius Andronicus, Livii Salinatoris libertus, cujus filios erudiit, ab eo ob ingenium libertate donatus. Primus hic Romæ fabulam dedit, C. Claudio Cæci filio, & M. Tuditano Coss. anno ante nativitatem Ennii, Diomedes. Gell. *lib.* 16. & 17. *cap.* 21. An. 160. post mortem Sophoclis & Euripidis, 12. post Menandrum. An. 514. U. C. Quidam ei 18. libb. historiæ Rom. attribuunt. Cicero *de Cl. Orat. & de Sen.* Cœl. Rhodig. *Antiq. lect. lib.* 7. *cap.* 4. Siml. *in Bibl. p.* 546. Glandorp. *in Onomast.* Voss. *de Hist. & Poët. Lat.*

Livius, prænomine *Cajus*, accusator Libonis, apud Tacit. 2. *An.* 30. Cùm tamen deinceps non recurrat Livius iste & recenseat Tacitus inter Pisonis istius accusatores C. Vibium Serenum *lib.* 4. *Ann.* 29. suspicatur Janus Gruterus, scribendum *Vibius*, nimirum quòd degenerarit nomen ignotum in multò notius.

Livones, vulgò *Lifflànder*, pop. Sarmatiæ Europææ ad sinum Venedicum, quorum regio Livonia, inter Prussiam ad Merid. & Russiam albam ad Bor. Samogitiâ comprehensa, cujus urbes Riga, Curovia, Venda, Oselia, Revalia, & Torpatum, Ferr. V. in voce *Livonia.*

Livonia, vulgò *la Livonie* Gallis, *Lifflandt* Germanis. Aliàs suberat Regi Poloniæ, nunc autem post plurimos motus Regi Sueciæ pro majori parte subest. Terminatur à Septentrione sinu Finnico, ab Occasu Rigensi seu mari Baltico, à Meridie Semigalliâ & Lithuaniâ; & ab Ortu Ingriâ ac Plescoviâ provinciis Moscoviæ. Dividitur in duas partes, nempe in Esthoniam, *Esten*, quæ in Boream tendit, & in Litlandiam, *Letten*, quæ ad Austrum. Esthonia autem dividitur etiam in plures tractus, nempe in Alentakiam, Esthoniam propriam, Hariam, Jerviam, Oldenpoam, Viriam, & Vicheslandiam. Partes etiam sunt Livoniæ insulæ Osilia, *Oesel*, & Daghoa, *Dagho*, in mari Baltico & in sinu Rigensi, quæ antea Regi Daniæ suberant, nunc autem Suecici juris sunt ab anno 1645. Erant etiam in Livonia Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ; sed nunc ab ea revulsi, subsunt proprio Duci è gente Ketlera, sub clientela tamen Regis Poloniæ. Cœterùm regio est siliginis & frumenti perdives, quod deinde fluviis Duinâ & Nervâ ad portus maris, indeque ad exteras regiones emittit. In sylvis apros habet, ursos, alces, vulpes, lynces, castores omnisque generis animalia, quæ è Moscovia veniunt, à qua Nervâ tantùm fluvio separatur. Ad fidem *Livones* aliàs naturâ feroces, conversi sunt primùm per mercatores Bremenses, qui primi illis in locis Christianismi semina sparserunt, circa Ann. Ch. 1161. Meinradus dein Episcopus super hoc fundamento ædificavit, circa An. C. 1190. sedem-

que Episcopalem Rigæ erexit: cujus successor Bertholdus, cùm vi potius atque armis, quàm verbo uteretur, ab iis trucidatus est. Hunc Albertus excepit, qui fratres seu equites ordinis Ensiferorum, qui postea junctus Teutonico, ad propagationem fideique defensionem ascivit, sub finem sec. 12. qui à Waldemaro Daniæ R. adjutirem egregiè gesserunt, An. Ch. 1223. aliisque temporibus. Postea Albertus Brandeburgicus, magnus ejus Magister, cùm Evangelium esset amplexus, Gualterus Ordinem Livonicum à Prussico iterum separavit: cujus successor Guilielmus fuit Fürstenbergius, An. Ch. 1535. qui à Moscis, Livoniam raptantibus, captivus abductus est. Ultimus erat Gothardus Kettlerus, quem Sigismundus Augustus (Poloniæ R. patris exemplum, qui Teutonico ordine abolito Prussiam Polonici juris fecerat, secutus,) Curlandiæ & Semigalliæ Ducem creavit, ordineque extincto Livoniam regno adjunxit. In hac regione, sicut & in Lithuania, aliisque in locis, rustici plerunque Nobilium mancipia sunt. Vide Ortelium *Geogr.* Chytræum *Hist. Sax.* Neugebavr. *Histor. Pol.* Chr. Becmannum *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. &c.*

Livoniæ urbes præcipuæ.

Dunenburgum, *Dunenbourg.*	Pirnavia, *Pernavv.*
Felinum, *Felin.*	Revalia, *Revel.*
Hapselia, *Hapsel.*	Riga, *Riga* seu *Riig.*
Kockenhusia, *Kockenhauss.*	Segevoldia, *Segevold* & *Sevold.*
Lehalium, *Lehal.*	Torpatum, *Derpt.*
Narva, *Narva.*	Volmaria, *Wolmer.*

Omnes subsunt Suecis; sed Dunenburgum nunc subest Polonis, pace ad Olivam sancitâ.

Livrea Italis, *Livreé* Gallis, *Liberey* Germanis, synthesis est colorum, quâ nobilium familiarum servitia excoluntur, ipsæque familiæ à se invicem discernuntur: quem morem à Circi olim factionibus & coloribus profluxisse credunt Eruditi. Ejus Seneca meminit *ep. 95. Agmina exoletorum per colores nationesq; distincta*, & Petronius, apud quem, in Trimalcionis familia, *in aditu ipso stabat ostiarius prasinatus cerasino succinctus cingulo, atq; in lance argentea pisum purgabat*: qui color apud Trimalcionem in pretio fuit. Nam paulo antè inducitur *pilâ prasinâ* ludens. Vide Octav. Ferrarium *de re Vestiaria passim, part. inprimis 2. lib. 1. cap. 11.* ubi Rutgersium per *Trechedipna*, quorum Juvenalis meminit, vestes has peculiaribus familiarum coloribus distinctas, intelligentem, reprehendit.

Lixa, urbs Libyæ à *Lixo* fluvio. Steph. Metropolis Antæi ficta, ubi Hesperidum horti, *Larache* nunc Europæis; urbs regni Fezzæ, in prov. Asgara, ad ostia Lixi fluv. 65. m. p. à Freto Herculeo in Austr. Sub Lusitanis ab An. 1610.

Lixus, *Lix*, Ptol. *Lusso* hodie Castaldo, fluv. Maurit. Tingitanæ ad Lixam urb. in Oceanum Atlanticum labens. Item colonia, & urbs Maurit. Tingit. in orâ maris Atlantici, olim Antæi regia. Sil. *lib.* 3.

Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus.

Vide Dausqueium *ad locum* & supra.

Lizisis, opp. Daciæ in Transylvania, ad Cusum flu. excisum: *Laorzalos* Lazio.

L O.

Loanda, Ins. parva Africæ, in ora regni Congi, ubi Urbs S. *Pauli*, vulgò *S. Paolo de Loanda*, cum portu capaci & munito, sub Lusitanis. 180. m. p. ab ostio flu. *Zaire* in Austr. Capta fuerat à Batavis, sed recepta.

Loangum, vulgò *Loango*, regnum parv. Æthiopiæ inf. ad Occ. inter regnum Congi ad Austr. & regnum Biafaræ ad Bor. Hujus incolæ Solem & Lunam adorant. Metel. Item *Loanghi*, seu Bramæ, pop. Congi.

Lobavia, Marmol. *descr. Asiæ* oppidul. Prussiæ reg. cum arce, ubi Ep. Culmensis sæpe moratur. In ipso limite Prussiæ reg. 13. mill. Germ. à Culmia in Ort. *Lobaco* vulgò.

Lobardus Sirichius, vel *Lombardus de Siricho*, Patavinus, discip. Petrarchæ, Hic cùm suasu Francisci Principis Cararii, de Vir. Illustr. opus exorsus esset, Sirichius illud consummavit: Separatim editum Basileæ, An. 1562. Scardeon. *lib. 2. rer. Patavin.* Voss. *de Hist. Lat. lib. 3. cap. 3.* Siml. *in epit. Bibl. Gesner.*

Lobetum, urbs Hisp. Tarracon. in Celtiberis & Arragonio regno, in Castellæ novæ confin. in monte Turia. *Albaracin* hodie. Ab Hercule Libyco condita, cum Ausa anno post diluvium 625. Episc. sub Archiep. *Cæsaraugustano.* Pop. *Lobetani* Plin.

Lobkovicius Bogislaus, Baro Bohemus, confessionem Fratrum, An. 1575. conscriptam, Wittembergensi Academiæ obtulit, quâ approbatâ, Maximiliano dein II. Imp. oblatâ, & confirmatâ, pax Ecclesiis data est. Ex eadem familia Wenceslaus, Principibus Imperii à Ferdinando II. annumeratus, A. 1641. duxit A. 1653. Augustam Sophiam, filiam Augusti, Comitis Palatini Sulzbacensis: apud Leopoldum Imp. diu gratiâ florens, quâ An. 1675. excidens, privatus in ditionibus, quas in regno Bohemiæ amplissimas habet, ab eo tempore degit. Vide Limnæum Enucl. *lib. 3. cap. 17.*

Lobna, civitas Sacerdotum in tribu Judæ, quæ & *Lebna.*

Lobni, filius Gerson filii Levi. Exod. 6.

Lobon Argivus, librum de Poetis scripsit, ut ait Laertius *in Epimenide*, qui & ejus meminit *in Thalete.*

Lobrini, montes in Phrygiâ, unde *Rhea Lobrina.* Schol. Nicandri.

Lobvvasser Ambrosius IC. Duci Borussiæ à consiliis, Odis Psalmodicis vernaculis, quibus plurimis in locis Ecclesia utitur, inclaruit. Obiit Regiomonte. An. 1585. æt. 71.

Locanus, Magnæ Græciæ fl. Ptol. in Calabria ult. in mare Ausonium, ex Apennino, inter Locros & Scyllavium fluens. *Proteriato* Barrio, *Samiano* Leandro.

Locaricum, Siciliæ opp. Antoninus Aug.

Locarie, equarum Solis una. Hyginus *fab.* 183.

Locarium, Siciliæ opp. Anton.

Locarnensis Præfectura, *Baillage de Locarno*, una ex IV. Præf. Italicis, sub Helvetiis, ab an. 1512. Habet ad Ort. Lacum Verbanum, & Luganensem Præf. ad Occ. Ducatum Mediol. Oppidum ejus præc. *Locarnum*, ad Verbanum lac. 30. m. p. à Como in Cæc. 40. à Novaria, 5. à confin. Duc. Mediol. *Luggaris* Germ. V. *Locarnum.*

Locarnum, Ital. *Locarno*, an quasi *locus carnium*, Germ. *Luggaris.* Oppidum est amœnum & elegans Insubriæ, in plano situm, inter radices montis altissimi, & Verbani lacus ripam: amplum satis, utpote in quo familiæ 500. numerantur, inter quas plurimæ nobiles. Habuit olim arcem munitissimam, cui secundæ in Insubribus à Mediolanensi tributæ: fuitque sedes quondam Ruscarum Comitum præcipua. Tenuerunt arcem Galli, ab anno Dom. 1499. usque ad An. 1513. pulsis Comitibus, in qua palatium, adhuc intactum, domus nunc Præfecti Helvetici. Portus intra arcis muros egregius est, in quo naves olim armatæ servabantur: anguli ejus quatuor tot turribus muniti erant: sed diruta postea tota arx, præter palatium, ut dictum, ab Helvetiis, Ann. Chr. 1531. Vide Franc. Guicciardinum *Hist. lib. 5. lib. 11. & lib. 12.* Ditio circumjacens, Ducum Mediolanensium tempore, unus erat Comitatus, præter Locarnensem Præfecturam, qualis hodie est, Brisagum opp. illudque, cui Madianus præfectus præest, comprehendens: sub Comitibus, ut supra, Ruscæ; qui nobiles Comenses erant, magnæ olim auctoritatis. Hi urbe etiam Como potiti quondam, illam postea Duci Mediolanensi restituerunt, Ann. Chr. 1416. Sequentibus tempp. Comitatus divisus, & Madia vallis à Locarnensi ditione sejuncta est. Parochias præfectura continet plures viginti. Ager vini generosi ferax est, de cujus colendi ratione vide Simlerum *de Rep. Helv.* Frugum insuper fœcundus, vicecuplum non raro reddit. Bis in anno messis, in montibus vallibusque carnes optimæ, larices & abietes laudatissimæ, castanearum uber proventus, ficus nobiles, piscium, truttarum inprimis, insignis captura. Mercatus Locarni altero quoque Jovis die frequentissimus & celeberrimus est. Universus popul. in tres classes divisus est, Nobiles, Cives antiquos, quos *Burgenses* nuncupant, & recentiores. Nobilium familiæ quatuor, Aureliana, Muralta, Magoriana & Dunorum, cæteris antiquior, &c. Pervenit Locarnum, cum tribus reliquis Præfecturis Italicis ad Helvetios, ex dono Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediol. An. C. 1512. *qui proin omnes, exceptis Abbatiscellanis, huc, altero quoque anno finito, præfectos mittunt: qui Commissarii vocantur.* Hic Magistratus merum imperium habet, summamque potestatem in sontes animadvertendi; ad jus autem dicendum non admittitur, nisi prius solenni juramento populi leges & instituta, quæ *Statuta* vocant, se servaturum promiserit, Idem. Ex oppido hoc etiam oriundi sunt exules *Locarnenses*, qui, ob religionem Evangelicam, quæ ab anno 1542. usque ad An. 1554. in magna civium parte, qui illam ex libris hauserant, vigebat, circa An. Ch. 1550. in exilium missi, Tiguri inprimis sedem fixerunt: de quibus vide eundem Simlerum *de Rep. Helvet.* & supra in *Locarnensis Præf.* Ad *Locarnensem* præfecturam, pertinent etiam Brisagum opp. ut dictum, ad Verbani lacus ripam in finibus totius Helvetici dominii, 4. m. p. à Locarno: Item vallis Verzascha ad Or. ut & Gambaronium, ad Verbani littus Merid. Sed habent loca hæc suos Subpræfectos, quos Potestates vocant, qui causas civiles dijudicant: & hos quidem sibi è suis, pro arbitrio, vallis Verzascha & Gambaronium præponunt: sed Brisagi pop. præfectum è nobili familia Aureliana, quæ Locarni est, altero quoque anno sibi eligere necesse habent, Iidem.

Locastra, Mediæ urbs. Ptol. *Choastra* in codd. Lat.

Loceus, conspirationis contra Alexand. M. particeps Dymno, Curt. 643.

Locha, Africæ urbs magna, à Scipionis militibus, eo invito, expugnata & direpta. Appian.

Locharna, Peloponnesi oppidum. Ptol.

Lochemum, opp. munitum Com. Zutphaniensis, ad Borchelam amnem, in confinio Transisalaniæ & Westphaliæ. 2. leuc. à Zutphania in Ort. *Lochem* vulgò.

Lochia, urbs Turonensis prov. *Loches* vulgò, ad Ingerem fluv. cum arce munita. 7. leuc. ab Ambacia in Austr. 9. à Cæsaroduno Turonum, 22. à Biturico in Occ. In crypta subterranea arcis illi adjunctæ repertum fuit corpus viri, staturæ raræ, omnium hujus seculi magnitudinem superans, nam ex proportione ossium, octo magnos pedes altus erat, grandique lapidi insidebat, capite in ambas manus inclinato, Merula. Pertinebat ad primos Comites Andegav. Sedes dein recreationi destinata Caroli VII. & Lud. XI.

ubi

ubi Card. Balveus sub hoc, & Ludovicus Sfortia, sub Lud. XII. captivi detenti. Hic idem Sfortia sepultus, ut & Agnes Sorella, Carolo VII. chara. Duchen. *Ant. urb. Gall.* Hic quoq; post bellum iterum à Guisiis contra Protestantes excitatum, cum horum ad XXX M. jam ducibus Condæo, Alenconio & Navarro confluxissent, conventu habito, Religionis Protestantium, per universum regnum, exercitium ab Henrico III. concessum est, An. C. 1576. sed vix anno elapso Blesis pro una Catholica Rel. edictum extortum, novo bello ansam præbuit. V. Thuan. *Hist. lib.* 58. 59. 61.

Lochias, promuntorium & arx Ægypti, non procul ab Alexandriâ & Pharo. Strabo 17. cui etiam *Acrolochias* dicitur. *Castelleto*, Ortelio.

Lochus, Sarmatiæ Asiaticæ urbs. Ptol.

Locobormannum, vicus erat Liguriæ, inter Alpes & Albingaunum Urb. à qua 15. m. p. Albintemelium versus distabat. Anton.

Locoritum, urbs Germ. libera in Franconia, *Forcheim*, teste P. Apiano. Inter Norimbergam ad Mer. 5. & Bambergam ad Bor. 4. leuc. *Trutavia* etiam Lat.

Locozus, urbs Phrygiæ. Steph.

Locra, Corsicæ fluv. in ora occidua. Ptol. nunc *Capitello*, in Sin. Adiacii se exonerat.

Locri, regio Phocidi proxima. Populi *Locri* Parnassum mont. utrinque accolentes; quorum qui Occiduam incolunt plagam, ad Crissæum usque sinum pertingentes, medii inter Ætolos, & Phocenses, à gravitate odoris *Ozolæ*, & à situ *Hesperii* cognominantur. Qui verò Parnassum ad Ort. accolunt, ad mare usque Euboicum extensi, in duplici sunt differentia: Nam hi quidem à Cnemide monte, *Epicnemidii*, illi verò ab Opunte urbe, *Opuntii* cognominantur. Strabo *lib.* 9. *Locrenses* cùm bovem, quem Diis facerent, non haberent, composito ex lignis minutis bovis simulachro, illo rem sacram fecerunt. Unde adagium de re vili & munere sordido natum est, *Locrensis bos.* Iidem, cùm fœdus, quod cum Peloponnesiis inierant, violassent, ad Heraclidarum partes transeuntes, adagio causam dederunt huic, apud Zenod. & Eust. *Locrense pactum*, in fœdifragos. Idem narratur, quòd Siculos elusissent, Ferr.

Locri, in extrema Italiæ ora, quam magnam Græciam antiqui appellarunt, opidum incolentes ejusdem nominis, ab iis Locris, qui Ajacem Oileum ad Trojam secuti sunt, conditum, vide Servium in illud *Æn.* 3.

Hic & Naritii posuerunt mœnia Locri.

Hi discriminis gratiâ *Epizephyrii* dicebantur, quòd supra Zephyrium promuntorium siti sint. Urbs eorum erat ampla Brutiorum, an à Locrensibus Ozolis, duce Evante, an ab Ajace condita, antea prope Zephyrium promunt. postea ad montem Esopim translata, Strab. 3. mill. ab ora maris Jonii. Ex ejus ruinis Hieracium, vulgò *Gieraci*, urbs Calabriæ ult. crevit, vix m. p. ab ea distans, inter Zephyrium prom. ad Austr. & Cocytum ad Bor. 18. m. p. utrinque, 40. à Scyllacio in Austr. in colle, Baudrandus. Episcop. sub Arch. Rhegino Ferr.

Locrinus, 2. Rex Britanniæ, fil. Bruti, frater Cambri & Albanactis. Quo postremo ab Hunnorum Rege Humbero occiso, priores necem ejus egregiè ulti sunt, victis his & fœminis eorum, in captivitatem redactis: è quibus cùm una Locrino placuisset, repudiatâ Gundolenâ, Corinæi, Cornubiæ D. filiâ, eam sibi junxit, à Cornubiis proin occisus, cum captivâ. Duchenius, *Hist. Angl.*

Locta, urbs Bohemiæ, probè munita, cum arce in colle, ad Egram amnem, in confin. Misniæ. 4. mill. Germ. ab Egra in Ort. 18. à Praga in Occ. uti & à Dresda, versus Austrum. *Loket*, Boh. *Ellebogen* Germ.

Locus Felix, Austriæ opp. Anton. *Wels* Lazio: ad Duriam fluv. inter Lentiam 4. & Salisburgum 11. leuc. Ovilabi proximum.

Locusta, venefica Neroni grata, ex Galliis evocata: cujus operâ Agrippina Claudium, & Nero Britannicum de medio sustulerunt. Tacit. *lib.* 11. *&* 12. Juven. *Sat.* 1.

——— *Instituitq; rudes melior Locusta propinquas.*

Sueton. *in Nerone cap.* 33.

Lod, civitas, quam ædificavit Samad filius Elphaad. 1. Par. 8. 2. Esdr. 7. Lat. *nativitas*, vel *generatio.*

Lodabar, Hieronymus videtur distinguere inter *Lodabar* & *Ladabar.* Hinc enim fuisse oriundum Machir, ibi educatum Miphiboseth, cujus dominus Davidis exercitui cibos & necessaria donavit. Est in tribu Gad. 2. reg. 9. 17. Hier. *in loc. Hebr.*

Lodadid, seu *Lothadid*, civ. tribus Benjamin. 1. Esr. 2.

Lodunum, seu *Losdunum*, urbs Pictavii, in colle, *Loudun.* Hinc ager *Laudunensis*, vulgò *le Loudunois*; Item edictum *Lodunense*, in gratiam Reformatorum conditum, quod in multis capitibus, incolumitatem Ecclesiarum concernentibus, jam infringi cœpit, An. Ch. 1615. Calvisius *in Chron.* Vide *Juliodunum.*

Loemius, Apollinis cognomen, quod ei Lydii imposuerunt ob malorum expulsionem, finitâ pestilentiâ. Sol enim aera rarefacit, & expurgat. Hinc Seneca *in Oedip.*

——— *Una jam superest salus,*
Si quam salutis Phœbus ostendit viam.

Logi, pop. Albionis in Scotiâ. Ptol. quorum regio *Strathnarven* H. Boethio.

Logia, fluv. Hiberniæ. Ptol. per oram Orientalem ex lacu Shaterwico fluens, ac in mare ad Strangfordiam opp. exiens. Camdeno *Lough Der* vel *Lough Foyle* in ora Bor. apud urb. *Derry. Lough Coyn* vero est, qui apud Strangfordiam exit, in ora Or. in Ultonia.

Longium silva, vulgò *la Forest aux Loges*, priscis Galliæ scriptoribus memorata, proxima fuit Monasterio S. Benedicti seu Floriaco ad Ligerim. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Logius, fluv. Walliæ merid. parvus, unà cum Vaga, in Sabrinæ ostia, ad Strigulliam opp. influens, *Lug*, & *Lhygvvy.* Baudr. Oritur in Comit. Radnoriæ; dein per Comitatum Herefordiensem in Angliam fluens, paulo infra Herefordiam in Vagam labitur.

Lojovogrodum, opp. Volhiniæ infer. in Palatinatu Kioviensi, ad dextram Borysthenis ripam, ubi fluv. *Soss* recipit. Nobile victoriâ insigni Pr. Janusii Radzivilii, contra Cosaccos, d. 31. Jun. A. 1649. Vulgò *Loiovvogrod.*

Lois, avia Timothei. 2. Tim. 1.

Lojus, Polyb. Vide *Lous.*

Lolhardus Walterus, Missam, extremam unctionem, Satisfactiones proprias pro peccatis, Papæ auctoritatem improbavit, An. 1315. in Germania concionatus. An & execranda illa, Angelos bonos potius inferni pœnas, quàm Luciferum, mereri, Deum peccata non punire, Baptismum nullius efficaciæ, pœnitentiam non necessariam, Magistratui non parendum esse, &c. quod quidam tradunt, asseruerit, fides penes illos esto. Vivus exustus est Coloniæ An. 1322. Vide Morer. *Diction. Histor.* In Anglia *Lolhardorum* nomen exortum esse sub excessu Eduardi III. atque his impositum, qui Wiclefiana dogmata sunt amplexi, refert Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.* Sic autem illos dictos opinatur Commonachus S. Augustini Cantuar. *in lib. MS. An.* 1406. à lolio: quòd, sicut lolium, inquit, segetes Domini inficerent. In ejus sententiam abiit Lindewodus, sed perperam uterque; Trithemius enim *in Chron.* ostendit, à præfato *Lolhardo* originem duxisse. Contra illos autem plurima statuit Thomas Arundelius Ar. Cant. in Concil. Oxoniensi. Nostro ævo accipiunt alii *Lollardos*, pro institutæ religioni adversantibus, eoque vetus sacramentum Vicecomitum, ad prosequendos *Lollardos* juratorum, hodie trahunt, Idem Spelm.

Lollia Paullina, M. Lollii consularis filia, à Callisto liberto Claudii ad nuptiarum Imperatoris spem accensa. Tacit. 12. 11. ab Agrippina eversa & immisso tribuno ad mortem adacta. Ibid. *c.* 22.

Lollianus, Consul cum Arbitrione. An. Dom. 80.

Lollianus Avitus, Consul cum Gavio Maximo, ann. U. C. 896. Alter Consul cum Pompejano, an. U. C. 962.

Lollianus, Sophista Ephesius, discip. Isæi Assyrii, sub Adriano, varia scripsit. Suid. Simler. *in Ep. Bibl. Gesn.* Item unus ex tyrannis, tempore Galieni, exortis: Posthumo, in Gallia, victo & cæso, imperium invasit, paulo pòst à militibus interfectus. Trebellius *in trig. Tyrannis.*

M. Lollius, Cajo Cæsari Tiberii privigno, Orienti tunc præposito, comes & Rector datus, qui Cajum & Tiberium Rhodi agentem clandestinis criminationibus commisit. Vide Suetonium & Tacit. 3. 48.

Lollius Urbicus, Historicus Latinus, historiam sui temporis condidit. Lamprid. *in Diadumeno.* Jul. Capitol. *in Antonino Pio.*

Lomandus seu *Lomundus*, lacus amplus Leviniæ, in Scotia Mer. haud procul à monte Grampio: A quo non procul Caledonii pop. quorum urbs Episc. Dunkeldinum, Ferr. Baudrando inter Menthitiam ad Ort. & Argadiam ad Occ. A Sept. extenditur in Mer. per 20. m. p. Ubi latissimus est, 20. m. p. ab Ortu in Occ. est, in aliis locis vix 3. m. p. à Dumbritonio in Bor. 4. uti paulo amplius à Glottæ æstuario. *Loch Lomond* Scot. In hoc Ins. fluctuans & pisces sine spinis. Camden. Duchenius, Buchan.

Lombarium, melius *a*, urbs Episc. Aquitaniæ, in Com. Convenarum, ad amnem Savam, 4. leuc. à Garumna, 8. à Tolosa in Occ. 5. ab Auscis in Austr. Satis ampla, sed male culta; *Lombez* vulgò.

Lomensis pagus, in divisione Regni Lotharii An. Ch. 870. memoratus, al. *Laumensis*, item *Lossensis*, Flandrensibus *Loon* vel *Loen*, incolis *Lon*, Gallis *Los*, in ditione est Episcopi Leodicensis. Caput ejus est Los seu Lossense *Borchloon* vulgò dictum, inter Tungros & Monasterium S. Trudonis: Comitum de Los sæpe olim mentio. In pago hoc Cubinium à Carolo Calvo Sancti Germanensibus legatum, Fossæ opp. diœceseos Leodicensis & Monasterium, Calvimontis villa, Bronium quoque villa Castro Namurcensi propinqua Monasterioque illustris, vulgò *Brugne*, memorantur. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Lomentus, Λωμεντὸς Stephano, urbs Italiæ.

Lommini, tergemini fratres Geryonis filii, ædificaverunt à suo nomine urb. magnam *Lomminianam.* Berosus.

Lomnium, Vide *Jomnium.*

Lomundus, Vide *Lomandus.*

Loncium, Norici oppidum, Anton. In Carinthia *Lienz* Simlero: inter Julium Carnicum & Aguntum 16. m. p.

Londinum, urbs Angliæ ad Tamesin, antiquissima. Tacito, Ptolemæo, & Antonino, *Londinium* & *Longidinium* dicitur. Ammiano

miano *Lundinum* & *Augusta*, Steph. Λυνδόνιον. Emporium celeberrimum. Quis primus fuerit conditor, obduxit vetustas, & perpaucæ sane sunt urbes, quæ suos authores norunt, cum è parvo sensim excreverint. Verùm, uti aliæ, ita hæc fabulosâ origine Trojanis se imputavit, Brutum illum Æneæ magni adnepotem conditorem credens. Quicunque autem condiderit, vitali genio constructam fuisse ipsius fortuna docuit, & antiquitate suspiciendam esse, innuit Ammianus Marcellinus, qui suo tempore, ante annos nimirum mille & ducentos *vetustum oppidum* appellavit. Quin & Cornelius Tacitus, Neronis tempore *copiâ negotiatorum, & commeatu maximè celebre* fuisse prodidit. Vulgò *London*, Anglis, *Lundain* & *Caerlud* Britannis, *Londen* Germanis, *Londra* Italis, Gallice *Londres*. Vid. Camdenum *in Trinobantibus*, & omnino virum doctissimum Guil. Burtonum *Comment. in Antoninum, pag.* 154. &c. Oblonga, per se maxima, & suburbia habet amplissima, nec non & arcem, Turrim appellant, pulcherrimè extructam, & validissimè munitam, à quâ non longè lapideum pontem obtinet, longâ & mirandâ operis arcuati serie constructum, super cujus dorso domicilia utrinque eâ dispositione ac structurâ cernuntur, ut perpetui penè vici speciem, non pontis exhibeant. Regia est civitas, ac regni caput, Episc. sub Archiep. Cantuariensi. In eâ reges diademate insigniuntur, regnoque inaugurantur, Concilium seu Parliamentum ibi etiam celebratur. Mœnibus cincta est à Constantino M. An. Chr. 1666. fœdo deflagravit incendio, sed reparata, pulchrior evasit, & quæ ante tota erat lignea, lapidea nunc est, majori ex parte. Regium habet palatium, *Whitehall* i. Aula Alba; & in ejus suburbiis inest, ut ita dicam, opp. Westmonasterium, ad Thamesin 1. mill. supra Londinum in Occ. cum templo, ubi Reges inaugurantur, & sepultura insigni. Baudr. ex Camdeno, Speedo &c. Administratur autem antiquo Britannorum regum privilegio à 24. civibus, quos Angli *Aldermannos*, quasi Seniores vocant, de quorum officio, & dignitate Vid. Spelmannum. Ex horum numero Prætorem Urbanum, vulgò *The Lord Mayor*, & Tribunos duos, vulgò *The Sherifes* vocant, ipsimet annuâ commutatione eligunt. A Cæsare, ut quidam existimant, *Augusta Trinobantum*, vocatur, *Cantiorum civitatem* facit Ptolemæus, forsan quia tunc temporis sub eorum ditione fuit. Hîc Concilio habito, An. 712. ab Ina, leges de matrimoniis Britonum, Scotorum, Saxonumque latæ sunt, Beda *libr.* 5. *cap.* 22. imaginesque improbatæ: plurima alia ibidem diversis temporibus celebrata, Vide apud Harpsfeldt. 5. 14. *Hist. Eccl. Angl. cap.* 10. Morer. *Diction. Hist.* An. Ch. 1603. Jacobus R. primo in Angliam ingressu, decreto facto, de Ecclesiasticis Rom. Eccl. tota Anglia pellendis, prius cum Regina Londinum venire voluit, quàm executioni id esset mandatum: Quo facto Synodo hâc habitâ Nationali, receptam Fidem confirmavit. Vide Thuan. *Hist. lib.* 131. Idem postea, cùm, ut Palatinum El. generum suum, à Bohemis Regem creatum, victumque à Ferdinando II. restitueret, sacra Latino more ibidem peragi pateretur, An. Ch. 1623. die 25. Octobr. hujusque rei initium fieret, in monast. *Blackfreir*, domus ruinam traxit, 100. hominibus, inter quos duo Monachi, miserè contusis. Pater Druerius è suggestu prolapsus collum fregit &c. Quo audito Rex Jesuitas aliosque Ecclesiasticos omnes denuo toto regno excedere, intra 40. dies jussit. Vide Matth. Merianum *Theatr. Eur.* Jac. Re[illegible]um *in Urbano VIII.* Chr. Becmannum *Hist. Orbis Terr. Geogr. & civ.*

Londinum novum, *nievv London*, urbs novæ Angliæ, in ora maris Bor. cum portu capaci, versus novum Belgium, recens ab Anglis excitata. Aliter *Boston*. Crescit indies.

Londobris, insula parva juxta Lusitaniam. Ptol. *Barlingues*, teste Resendio. *Barlenga* Baudr. in Oceano Atl. vix 5. m. p. ab ora littor. cum castro, 40. m. p. ab Ulyssipone in Bor. Ei adjacet alia Ins. minor, *Barlengota*, cum turri.

Longa Alba, vide *Alba*.

Longa Villa, locus Galliæ, ad fluv. Sedam *la Sie*, in Caletis & diœc. Rotomagensi, ab urbe Rotomago 7. leuc. vetere Ecclesiâ S. Fidis, quæ Prioratus est Benedictinorum, ac tit. Ducatus illustris, vulgò *Longueville*. Item in Campania Remensi, ac pago Porcensi, quæ inter villas ad Remense Monasterium S. Remigii pertinentes numeratur. Item in saltu Briegio, inter Pruvinum & Brajum, Sequanæ adpositum. Item in pago Tardanensi, *Longeville*. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Longanicum, seu *Longaticum*, opp. olim, nunc pagus Norici inter Aquilejam & Æmoniam. Anton. *Logitsch*, Lazio. Ab Aquileja 45. m. p. à Frigido 22. Cubianæ finitimus, ad 24. seu 30.

Longanus, Siciliæ fluv. circa Mylas urbem. Ptol. Nunc *Fiume di Castro Reale*, in ora Boreali 5. mill. à Myle in Austr. In mare Tyrrh. se exonerat. Baudr.

Longatis, Bœotiæ regio. Lycophron.

Longi, fratres quatuor, summa cum laude Monasteriis Ægypti præfuerunt; pulsi Alexandriâ, An. Ch. 403. ab Epiphanio, cujus simplicitate Theophi. abusus fuerat: qui id ipsum apud Eudoxiam impetrare neutiquam poterat. Socr. *l.* 6. *c.* 9. 10. 11. Soz. *l.* 8. *c.* 14. *&c.*

Longididuni, Germ. pop. Ptol.

Longiledium, vulgò *Lonlay*, Abbatia Gall. in Cenomanorum finibus, non procul à castro Damnifrontensi in Passejo. Val. *Not. Gall.*

Longimanus, Artaxerxes, rex Persarum, sic dictus quod manum alteram haberet longiorem. V. *Artaxerxes*.

Longinus, Consul cum Decio, an. U. C. 1239.

Longinus, Patricius Rom. primus Exarchus Ravennensis, à Justino Jun. missus, in Italiam, loco Narsetis, An. 567. Longobardis, tum sedes in regione hac quærentibus, se opposuit, ab imperatore postea revocatus. Rosimundæ, quæ occiso Alboino, cum adultero Helmigo Ravennam se contulerat, fidem conjugii dedit, si hunc è medio tolleret; quod cum tentaret, ab ipso venenum haurire coacta periit. Præfuit 16. an. Paul. Diac. *lib.* 1. *&* 2. *de gest. Longob.* Blondus *Hist. lib.* 8.

Longinus, frater Zenonis Imp. ob rapinas & luxum exosus omnibus: à Patritio Pelagio, ne Cæsar fieret, prohibitus. Occisus, jussu Anastasii An. 498. Marcellin. *in Chron.*

Longinus, an Centurionis nomen, cui sepulchrum CHRISTI commissum, dein conversi & martyris? ut vult Baron. *An. C.* 34. An idem cum illo, qui prius CRUCIFIXI latus lanceâ hauserat?

Longinus Cassius, Philosophus, Porphyrii præceptor, vir multæ eruditionis & Criticus; floruit sub Aureliano Cæsare, cujus jussu occisus est, quòd Zenobiæ, cujus Præceptor quoque habitus est, epistolam admodum acrem dictasset. Scripsit, *de Oratione contra Phidiam, Dubitationes Homericas, Utrum fuerit Philosophus Homerus? Quænam contra Historicam fidem tanquam historica enarrent Philosophi &c.* Suid. Vopisc. *in Aureliano*. Porphyr. *in vita Plotini*, Simler. *in epit. Bibl. Gesn.* Idem cum Dionysio Longino. Libellum ejus περὶ ὕψους, sive *de sublimi dicendi genere*, hodie habemus.

Longobardi, pop. Germ. quos quidam à *longis barbis*, alii à telo, quod *Alabardam* vocant, dictos ferunt, & ab Oceano, Germaniæque ultimis oris: Becmannus habet, Rugilandia ad mare venisse, novas sedes quærentes. Hi patentes primum ad Danubium campos, ad ulteriorem ejus ripam multis annis incoluere. Deinde Cunimundo Gepidarum Rege, qui Dalmatiam & Sirmium tenebat, victo; cum Hunni denuo graves essent, relictâ ipsis Pannoniâ à Narsete, quem Sophia Augusta muliebribus probris irritaverat, evocati Italiam, Ostro Gotthis deletis, vacuam occuparunt, ejusque partem, Cisalpinam Galliam *Longobardiam*, vocarunt, quod nomen hodieque retinet. Post Duces suos, primum Regem sibi legere Agelmundum, circa Ann. Chr. 389. fil. Ducis Aonis; huic post annos 34. ex concubina filius Lamisco successit. Hunc excepere Hildehocus, Gudehocus, Claffo, Tato, Walthan, sub quo iis civitatem Noricorum aliaque in Pannonia loca concessit Justinianus Imp. illorum operâ contra Totilam feliciter usus. Successere, Wacho, Audoinus, Alboinus; qui à Narsete evocatus in Italiam Ticinum post triennale obsidium expugnavit, & Rex Italiæ proclamatus est An. Ch. 571. Hunc Clepho sequutus est; ultimus Desiderius fuit, à Carolo M. regno exutus An. Ch. 774. an. 206. post Narsetis cum Alboino fœdus. Post quem cum Rogaldus Forojulii Dux, regnum invadere niteretur, frustra fuit, cum copiis suis cæsus. V. Aimoin. *de gestis Franc.* P. Diac. *de rebus Longob.* Prosp. & Marcell. *in Chron.* Sigonium *de regno Ital.* Volat. *lib.* 7. *Geo.* Lazium *Migr. Sept. lib.* 12. Leandr. Albertum *descr. Italiæ*, Cluverium, Merulam &c. Item suprà in vocibus *Lancobara*, & *Langobardi*, ac infra in *Longobardia*. De his Lloydius: ut, inquit, Celtiberi ex Celtis & Iberis fuit una natio; ita Lingones populi Germ. & Bardi Gall. pop. factâ unione, gentem unam, & unum nomen admiscuerunt: Ideoque quidam *Lingobardos* vocant.

Longobardia, vulgò *Lombardia*, pars Italiæ, Gallis *Lombardie*, continet majorem partem Galliæ Cisalpinæ; dividiturque in superiorem & inferiorem. In Longobardia superiori sunt Pedemontium & Ducatus Mediolanensis ac Montis Ferrati. In Longobardia inferiori sunt Ducatus Mantuanus, Mutinensis, & Parmensis, cum parte Occidentali ditionis Venetæ, ubi territoria Cremense, Bergomense, Brixianum, Veronense, Vicentinum, & Paduanum, (de quibus fusius in suis locis) ut & Ducatus Ferrariensis, atque territorium Bononiense, sub dominio Summi Pontificis. Ex his constabat aliàs *regnum Longobardorum* à Carolo magno eversum, post captum ad Ticinum Desiderium eorum Regem ultimum. Dividitur etiam Longobardia in Cispadanam, *Lombardia di qua dal Po*, ubi ditiones Mutinensis, Parmensis, Monsferratus, pars minor Ducatus Mediolanensis, pars Borealior ditionis Pontificiæ, & pars Pedemontii: & in Transpadanam, *Lombardia di la dal Po*, ubi pars Pedemontii, major pars Ducatus Mediolanensis, ditio Veneta, Longobardica, & Ducatus Mantuanus: Estque hæc Italiæ pars supra reliquas amœna & fertilis. Contra Fridericum II. urbes Lombardicas excitavit Innocentius III. In Longobardia postmodum, circa Ann. Chr. 1260. ingens Valdensium, ut tum vocabantur, numerus floruit, ubi per ignominiam *Credentes* dicti sunt, Mornæus *in Myster.* Vide supra in vocibus *Langobardi & Longobardi*.

Longofordium, vulgò *Longford*, urbs Hiberniæ, in Connacia, Comitatus cognominis caput, ad amnem Longium, ubi in lacum *Eske* se exonerat. Vix 5. mill. distat ab Ardraco in Boream, 10. à confinio Laginiæ, media inter Cavonium in Septentrionem & Atlonam ad meridiem, 20. m. p. utrinque distans.

Longone, urbs Siciliæ, Steph.

Longoretum, vulgò *Lonrey*, ubi Sigirannus Monasterium extruxit, *S Siran en Brenne*, in Briona est, pago Galliæ in confinio Turonum & Biturigum Cuborum. Ad fluv. Clasiam *Claise*, qui alluit Vandoperam, Barram, Macerias in Briona, *Longoretum*, S. Michaëlem in Brionis saltu, Blironem, Bosciacum, Prulliacum, ac demum in Crosam decurrit. Est & *Longum Rete*, vel *Longoretum*, locus in diœc. Antissiodorensi, non procul à Ligeri, nomen à situ nactus: insignis vet. Monasterio Longoretensi, quod nunc collegium Canonicorum Secularium est. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Longovicum, vulgò *Longvvy*, oppidum munitum Lotharingiæ, in confinio Luxemburgensis Ducatus. 5. leucis distat à Monmedio in Ortum, 4. ab Orolaunio in Austrum, & 5. à Theodonis villa in Occasum; estque pars Barensis Ducatus.

Longovicum, Lib. Not. *Lanchester*, teste Camdeno, vicus Albionis, in Northumbria, in territorio Dunelmensi.

Longula, oppidum fuit Latii, in finibus Volscorum, Poluscæ & Tarracinæ finitimum. Populi *Longulani* Plinio. *Longula* altera, ex veteri inscriptione, unum ex 4. oppidis & pagis Hetruriæ, ex quibus Viterbium urbs conflata est.

Longularum, villa olim Regia, in silva Arduenna, ubi Pippinus bis hiemavit. Nunc *Galre*, vicus est diœc. Leodicensis, non procul à Monast. S. Huberti, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Longum, promunt. Siciliæ. Ptol. *Lognina* Fazello: in ora ad Ort. inter Syracusas & ostia Orini fluv.

Longuntica, Hisp. Tarracon. urbs maritima. Liv. *Guardamar*, teste Beuthero: Aliis *Oliva*, vicus regni Valentini, 2 leuc. à Dianio in Bor. ad ostia fluv. *Molinar*, in ora Sin. Sucron.

Longurus, Siciliæ palus, vel lacus. Phavorinus ex Tzetze *in Lycophronem*.

Longus, Consul cum Tib. Claudio Cæs. an. U.C. 794.

Longus, Sophista, scripsit Pastoralium, de Daphnide & Chloë, libros quatuor. Vide Voss. *de H.G. lib.* 4. Simler. *in Bibl. Gesn.* Gothfredus Jungermannus recensuit, in Latinum sermonem vertit & notas addidit, Hanoviæ 1605. Postea verò Petrus Moll Snecanus recensuit, in latinum sermonem convertit, notis & animadversionibus illustravit. Franekeræ 1660.

Longus vicus, vulgò *Long VVi*, abest à Satanaco castello circiter 24000. pass. propinquus Orolauno & Luciliburgo. Hujus incolæ cum Satanacensibus & cum tota Verodunensi diœcesi 4. Non. Septemb. celebrant diem festum B. Dagoberti, ejusque loci Ecclesia Dagoberti nomine reliquiisque censetur. Hadrian. Valesius *Not Gall.*

Longus, fluv. Albionis in orâ Scotiæ Orient. Ptol. hodie *Lough.* Camdeno magis ad Boream fluit, apud Rossiam Comit. Ferrario est in Occas. ora contra Maleam Ins. in mare exiens apud Epidium promunt.

Lopadium, Nicet. urbs Bithyniæ Episcop. sub Archiep. Sardiniano, ad Rhyndacum fluv. olim Apollonia, apud Olympiam. *Lupadi & Ulubat*, Turc. Leunclavius.

Lopadusa, insula parva Africæ, & *Lampedosa*, Mercatori. In regno Tunetano, 70. mill. ab ora Africæ, in mari Mediterr. 100. circiter à Melita in Occ. versus Adrumetum. Insula non habitata: Interim naufragio classis Caroli V. An. Chr. 1551. & nautarum erga B. Virginem cultu venerabilis.

Lopezius de Vega, Poëta Castellanus, Episcopo Avilæ, Comit. Lemosio, & Duci Albano à secretis. Scriptis ingeniosis inclytus. Obiit anno 1635. Laurentius Crassus, *elog. hom. literat. tom.* 2.

Lophis, Bœotiæ fluv. Pausan.

Loposagium, Æthic. est *Soye*, vicus Burgundiæ Comitat. ad Dubim fluv. inter Vesontionem & Epomanduodurum: qui nunc vicus est ad ripam ejusdem fluvii, non procul à castro Piligarda, vulgò *Mandeurre* dictus. Hadrian. Valesius Not. Gall. *in voce Cambete.*

Lopsi, Liburniæ pop. Plinio.

Lopsica, oppid. Liburniæ marit. Ptol. *Selissa* Moletio. Inter Seniam ad Occ. & Vegium ad Ort. Pop. *Lopsi*, Plin.

Loptus, Bœotiæ fluv. Haliartidem præterfluens. Pausan.

Lopum, stupendum in Bactrianâ reg. desertum, in quo exploratum habetur, malignos quosdam spiritus, seu dæmones degere, qui peregrinis hac iter facientibus multas & varias præstigias immittere solent, quibus ipsi perstricti miserrimè pereunt: quòd si quis paululum de viâ deflexerit, cujusdam rei necessariæ gratiâ, quod sæpè in itinere conficiundo contingere solet, protinus se nomine proprio audit appellari: qua re fretus, eam prosequitur vocem, ac ita à recto calle procul aberrat, ac reverti non est potis. M. Paulus Venetus.

Loquabria, vulgò *Lochquaber*, prov. Scotiæ, in parte Occid. versus Æbudas. *Abria* quibusdam. Terminatur à Septentr. Rossiâ, & Oceano; ab Or. Moraviâ & Atholiâ; à Merid. Lorniâ, ab Occas. tenui freto separatur à Mula Ins. Ibi Epidii ex parte fuere. Est in parte Transtaana Scotiæ seu Bor. cum aliquot opp. & castris.

Lorca, urbec. Murciæ, vide *Ilorca.*

Lordi, pop. Illyrici. Strabo *lib.* 7. corruptè pro Ἐϱδοι.

Loreni, Lydiæ pop. Plin.

Loretanus, portus Tusciæ, qui & *Trajanus.* Vide ibi.

Loretum, vulgò *Loredo*, opp. dit. Venetæ, ad Athesim, intra stagna & paludes, vix 5. mill. ab ora littorali maris Adriat. seu Sinus Veneti, in regiunc. *Ducatu Veneto* dicta.

Lorgita, Hispan. pop. Polyb. *Ilergetes* nonnullis.

Loria, seu *Lorii villa*, locus Tusciæ, in via Aurelia 12. m. p. Româ. Anton.

Lorma, opp. Niverniæ in Gall.

Lornia, prov. Scotiæ, versus Occ. & Æbudas, ubi Stephanodinum oppidum præc. Terminatur à Meridie Knapdalia, ab Ortu Argatelia; à Septentrione Loquabria, ab Occasu Oceano Occ. Ibi Epidii olim ex parte. Camdenus. Vulgò *Lorne.*

Loryma, Doridis urbs. *Larumna* oppidum & *Loryma* locum Pomponius vocat, & Plinius *Larymna. Doryma* vocat Diod. *libr.* 14. corruptè. Hanc scribit Porphyrogenneta 20. paulò amplius millia Rhodo abesse: Ex adverso ipsi urbi, ut tradit Liv. *lib.* 45. *Maxi* Nigro, urbs Cariæ marit. in ora contra Rhodum, Episc. sub Archiep. Stauropolitano. Ferrar.

Los, insula circa Thessaliam. Insularis *Lous.* Steph.

Losa, Gall. Aquitan. urbs. Anton.

Lot, fil. Haran. Gen. 11. 14. 19. quem δίκαιον vocat D. Petrus 2. *Ep. c.* 2. *vers.* 7. Vide Jos. *Antiq. l.* 1. Ejus uxor cùm intueretur ulterius post eum, statua salis effecta est. Gen. 19. Græcè est στήλη ἁλός. Ebraicè à נציב, unde *Nisibis*, quæ & *Nesebis*, & *Nasebis.* Sic interpretatur hoc nomen Philo Byblius, apud Stephanum, *de urbibus.* Statuam autem alii *cumulum*, alii *columnam* vocant. *Distat à mari Sodomeo duabus leucis: constatque adhuc cumulus ille*, ait Benjamin *in Itinerario*, *qui à gregibus aliquando lambendo imminutus, denuo ad pristinam crescit molem.* Thargum Hierosolymitanum: *Quia uxor Lot erat ex filiabus Sodoma, respexit post se, ut videret quid tandem eventurum esset domui patris sui: & ecce ipsa stetit* (id est, mansit) *columna salis, duratura usque ad tempus illud quo revivíscent mortui.* Hanc suo etiam tempore superfuisse testantur Josephus & Clemens *Ep. ad Romanos*; Vide Burchardum & alios qui ibi fuere. Sulp. Severus: *Sed mulier parum dicto audiens (humano malo, quo ægris vetitis abstinetur) reflexit oculos, statimque in molem conversa traditur.* Cyprianus,

——Et simul illic
In fragilem mutata salem stetit ipsa sepulchrum.

Tertullianus *carmine de Sodomâ*,

——Ipsa sibi formam sine corpore servans,
Durat adhuc, nunquam pluviis nec diruta ventis,
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

Cæterùm uxor Lothi in salem conversa, magno admonuit Sacramento, neminem in viâ liberationis suæ, præterita desiderare debere, uti notat Augustinus. Unde Prudentius,

Nemo memor Sodoma, qua mundi forma cremanda est,
Ut semel è muris gressum promoverit, ore
Post tergum verso respectet funera rerum.

Incestum hic Lothus cum filiabus suis inscius commisit. Ratio autem, quæ filias ejus ad hoc facinus commovit, hæc à Josepho refertur: Αἱ δὲ παρθένοι πᾶν ἠφανίσθαι τὸ ἀνθρώπινον ὑπολαβοῦσαι γένος, πατρὶ πλησιάζουσι ἐπινοήσασαι λαθεῖν, ἐποίουν δὲ τοῦτο ὑπὲρ τοῦ μὴ γένος ἐκλιπεῖν. Sulp. Severus: *Lot autem filia existimantes humanum genus interiisse, concubitum inebriati patris appetiverunt.* Licitum siquidem arbitratæ sunt, quod ab Arabibus vicinis quotidie fieri intelligebant, ut Strabo docet. Sed fœdum hoc facinus haudquaquam, quod Chrysostomus facit, excusandum est.

Lothan, filius Seir Horræi. Gen. 36.

Lotharii regnum, postea *Lotharingia*, nomen accepit non à Lothario Ludovici Pii Imp. maximo natu filio, cui in divisione paternæ hæreditatis an. Ch. 843. facta, obtigit, præter alia quidquid hinc Rheno & Alpibus, inde Carbonariis, aut Scaldi, Mosa, Arari Rhodanoque, usque ad mare Gallicum continetur, unà cum Comitatibus & villis publicis, utrique eorum fluminum ripæ adjacentibus: quibus terminis Austrasia, & pars major Burgundiæ ac Provincia includitur: Sed à Lotharii Aug. fil. Lothario, fratre Ludovici natu maximi, quem pater consortem Imperii fecerat, & Caroli, cui Provincia cum Ducatu Lugdunensi contigit. Hoc regnum tenuit Lotharius R. per annos 14. uti postea Zuentibaldus, Arnulfi è concubina fil. per sexennium, qui an. Ch. 900. à suis in prælio interfectus est. Continebat Regnum Lotharii civitates claras, Trajectum inferius vel Batavorum, Coloniam Agrippinam, & Tungros, seu provinciam Germaniam secundam; Treviros, Mediomatricos, uti antea Regum Austriæ sedem, sic tum Regni Lotharii caput, Tullum, Verodunum, id est, provinciam Belgicam primam; Camaracum urbem Belgicæ secundæ; Argentoratum seu Strateburgum in Germania prima; Vesontionem, Basiliam, Lausanam, Belicam, hoc est, provinciam Maximam Sequanorum, Darantasiam ac Sedunos, sive provinciam Alpium Grajarum & Penninarum; & Genevam in provincia Viennensi: ex quibus postea Genevam, Lausanam & Sedunos Imperatori Ludovico, majori fratri suo; Carolo minori fratri, Provinciæ Regi Darantasiam & Belicam sive Bilisium Lotharius R. dedit, ut Annal. Bertiniani docent. Ab Oceano igitur Britannico sive ab ostiis Rheni

usque ad Alpes Grajas atque Penninas *Regnum Lotharii* longè lateque pertinebat: ibique erant præ cæteris Comitatus Testrebantum, Batua vel Comitatus Batavorum, Hattuariæ, Mosanus pagus, superior & inferior, Masau vulgò tum dictus, Ripariæ corrupto nomine Ribuariæ nuncupatæ, Varasci, Elisatia, Frisiæ, Comitatus Mosellensis, Comitatus Arduennensium, Comitatus Condrustus, Comitatus Toxandrus, Bracbantum 4. Comitatus complectens, Hainoum vel Hainaum, pagus Lomensis, pagus Hasbanius, quatuor Comitatus continens, Vaurensis duos, atque Castritium, sicut docet toties supra laudata Divisio Regni Lotharii: ex quibus, antequàm ibi Regnum fieret, quatuor Ducatus fuerant, nimirum *Ducatus Mosellicorum*, *Ripariorum, Elisatiæ, Frisiæ*: quemadmodum Annales Bertiniani in rebus anni 839. testantur. Ex quo patet, Lotharii Regnum non Austriam modò, quæ Rheno ac Scaldi Mosaque fluminibus claudebatur, sed etiam partem non modicam veteris Regni Burgundiæ, videlicet provinciam Maximam Sequanorum & Helvetiorum, apud quos pagus Tigurinus Austriæ olim adscribebatur; Alesatiam, Austriæ quondam per annos ferè centum portionem, jam inde ab anno 609. Burgundiæ attributam, provinciam Alpium Grajarum & Penninarum, & Genevam pagumque Genevensem complexum esse. Et Sequani quidem ac Helvetii anno 888. Regno Lotharii detracti, ac Burgundiæ suæ sunt redditi, & his in partibus circa Juram atque Alpes Penninas novum Burgundiæ Regnum priore multo angustius est conditum: duæ Sequanorum urbes Lausana & Belica cum Geneva provinciæ Viennensis urbe, nec non Alpium Grajarum metropolis Darantasia, & civitas Sedunum donatione Regis ipsius Lotharii, à Lotharingia separatæ, & Burgundiæ restitutæ fuerunt. Sigebertus, *in Chronico ab anno* 850. *ad annum* 1112. *in Regno Lotharii*, quod modò *Regnum Lotharingiæ*, modò idque sæpiùs *Lotharingiam* appellat, ponit *Comitatum Montensem*, aliàs *Comitatum Hagionensium* & *Hagionensium* eidem dictum; *Ducatum Mosellanorum*; *Comitatum Lovaniensem, Comitatum Treverorum, Comitatum Namurcensem, Comitatum Lemburgensem*, & quem nomine totius Regni *Ducatum Lotharingiæ* appellat. In anno 941. Lotharingiæ *Alsatiam* adscribit; in anno 1007. *VValachras*. Quibus postea Comitatus Hollandiæ & Zelandiæ, Ducatus Clivensis, Gelrensis, ac Juliacensis ex Comitatibus facti, Ducatus Brabantiæ, Ducatus etiam Lucilburgensis accreverunt, aliaque complura. Auctor Annalium Mettensium in anno 865. & 866. Regnum Lotharii, cujus sedem Aquisgranum fuisse docent Annales Mettenses in Ann. Christi 869. modò *Galliam*, modò *Franciam* improprio & nimis latæ significationis nomine appellat; Pars *Orientalis Franciæ* aliis dicta est. Otto Frisingensis Episcopus *in libri 6. Chronicorum capite* 18. *Belgicam Galliam*, & absolutè *Belgicam* nuncupat Regnum Lotharii, propterea quòd Belgica prima tota, Camaracum Belgicæ secundæ civitas, Germania secunda integra, & pars Germaniæ primæ, ac Maxima Sequanorum, id est, de quinque Belgarum provinciis tres totæ, duæ ex parte eo Regno continebantur. Apud Conradum Abbatem Urspergensem *Gisilbertus Dux Belgarum* vocatur: qui Giselbertus Dux Lotharienſium erat, & *Belgica* Regnum Lotharii seu Lotharingia. Lotharingiam latè sumtam pro Regno Lotharii, *Regnum Germaniæ* impropriè vocat præ cæteris Gaufridus Monachus Claravallensis *in libri* 4. *de Vita S. Bernardi*, *capitibus* 3. 5. *&* 6. ceu partem & appendicem Regni Germaniæ, quippe *Bobardum*, *civitatem Basileam*, *Treveros*, *Confluentiam*, *Coloniam*, *Leodium*, & *Cameracum*; *Moguntiam* quoque, & *Spirensium civitatem*, seu Nemetas in *Regno Germaniæ* ponit: quas Lotharingiæ urbes à prima Regni origine extitisse excepto Moguntiaco & oppido Nemetum constat. Sed postquam Regnum Lotharii & Regnum Germaniæ unius esse Principis cœpere, Caroli Crassi & Arnulfi Principatu, Moguntiacum, licèt Franciæ Orientali vel Teutonicæ cum Nemetis & Vangionis jam inde ab anno 843. attribueretur; cum ambabus his urbibus adscriptum est Lotharingiæ, cujus finibus includebatur. Primus omnium, aut unus è primis Luitprandus ante annos septingentos *Lotharingiæ* & *Lotharingorum* nomina usurpavit, cùm tamen *Regnum Lotharii* etiam vocet. Galli *Lorenne* & *Lorraine* dixere: Germani *Lotringen*, aliàs *Lotharing* appellavere, nomine ex *Lotharingia* deducto. Post mortem Ludovici Regis Germaniæ, qui Zuentibaldo fratri in Regnum Lotharii successerat, seu post annum 912. Lotharingiæ, nondum in duos Ducatus divisæ, Duces præfuere, Gisilbertus, vel Gislebertus, pòst Henricus Ottonis Regis frater, tum Otto, dein Conradus gener Regis Ottonis: ac post Conradum propter defectionem destitutum, Bruno Regis Ottonis frater, Coloniensis Archiepiscopus, Ducatum Lotharienſium adeptus est, & secundas partes in Regno fratris sui potenter ac industriè administravit, *Archidux Lotharingiæ* ob id à Sigeberto dictus. In Regno *Lotharii* vel *Lotharingiæ* duo præ cæteris Ducatus maximi & nobilissimi fuere, nomine totius regni & ipsi *Lotharingiæ* appellati, atque à situ & fluminibus cognominati. Alterum Ducatum *Lotharingiam superiorem*, nec non *Lotharingiam Mosellanam*; alterum *Lotharingiam inferiorem*, atque etiam *Lotharingiam Mosanam* nuncupavere. Prior *Ducatus Mosellanorum* semper vocatur à Sigeberto, à Wippone *Ducatus Lotharingorum*; posterior à Wippone *Ducatus Ribuariorum*, id est, Ripariorum, à Sigeberto semper *Ducatus Lotharingiæ* appellatur. Ex quo judicari potest, ambos istos Ducatus in Regno Lotharii, post domesticorum Regum obitum Lotharii ac Zuentibaldi, non tam primùm constitutos quàm restitutos fuisse, ac veluti revixisse. Quippe *Ducatus Mosellicorum*, & *Ducatus Ribuariorum* in Annalibus Bertinianis anno 839. fit mentio: quo tempore Ludovicus Pius Aug. Imperatoris Lotharii pater, Regis Lotharii avus apud Francos regnabat. Ducatum Lotharingiæ superioris Wippo *de Vita Chunradi Salici*, *Lotharingorum Ducatum* ceu proprio nomine nuncupat, ut suprà diximus; Sigebertus à flumine, cui est appositus, *Ducatum Mosellanorum* appellare consuevit. Qui Sigeberti Chronicon attentè perlegerit, hoc statim agnoscet. Certè Wippo non aliter, quàm *Lotharingorum Ducem Fridericum*, non aliter quàm *Ribuariorum Ducem Gozelonem* nominat: ex quibus Fridericum Ducatui Lotharingiæ superioris, Gozelonem Ducatui Lotharingiæ inferioris, ac postea simul superioris præfuisse constat. Sigebertus Fridericum hunc *Mosellanorum Ducem*; Gozelonem vel *Gothelonem Ducem Lotharingiæ* ubique vocat: quem *Friderico mortuo, ab Imperatore Conrado etiam Mosellanorum Ducatum* anno 1034. *impetravisse* scribit: minùs ut mirum sit, Gothelonem, qui ambos Lotharingiæ Ducatus obtinuit, alterum annis 26. alterum 10. ab Wippone nunc *Ribuariorum Ducem* nomine prioris Ducatus sui, nunc *Ducem Lotharingorum* nomin ejus quem posteriorem obtinuit, nuncupari. Fridericum à Brunone Lotharingiæ Archiduce primum Mosellanorum Ducem anno 959. factum esse prodit Miræus, ejusque rei auctorem Frodoardum laudat: apud quem tantùm dicitur Bruno *anno* 959. *Fridericum*, fratrem Adalberonis Metensis Episcopi, Hugonis Principis generum, ex Comite *Lotharienſibus vice sua præfecisse*: quem & *Fredericum Lotharienſium Ducem* in anno 960. appellat; *Fridericum Galliæ Medianæ Ducem* Vita Adalberonis junioris, ejus filii, Mettensium Episcopi: ita ut totam Lotharingiam, an partem ejus sub Brunone rexerit, incertum sit. Ducatum Mosellanorum anno 1048. ab Imperatore Henrico obtinuit *Gerardus de Alsatia*, ut Sigebertus tradit, à quo Lotharingiæ Duces genus deducunt. Sedes Ducum Mosellanorum ante annos minimùm 360. Nanceium fuit: unde etiam pro *Ducatu Mosellanorum* vel *Ducatu Lotharingiæ* *Ducatus Nanceji* vocitabatur. Lotharingiam Mosellanam in Septentrionalem & Meridianam, sive in superiorem & inferiorem quædam dividunt tabulæ. Ducatus Lotharingiæ *inferioris* multo minùs Ducatu superioris nunc notus est: quem quidam recentissimi scriptores à situ *Ducatum Mosanorum* vocitant, ut alterum *Ducatum Mosellanorum* veteres dixere. Hunc Sigebertus non aliter quàm *Ducatum Lotharingiæ* velut proprio nomine solet appellare: Wippo *in Vita Chunradi Salici*, *Ribuariorum Ducatum* vocare maluit. *Lutharingorum Ducem Fridericum*; *Ribuariorum Ducem Gozelonem* nominans, qui tum solius Mosanæ vel inferioris Lotharingiæ Dux erat, at postea Mosellanos etiam mortuo Friderico obtinuit. Idem Wippo scribit, *ex parte Germaniæ Saxones cum Sclavis, Francos Orientales, Noricos, Alamannos* ad eligendum Imperatorem *convenisse*; *de Gallia verò Francos, qui supra Rhenum habitant, Ribuarios, Lutharingos coadunatos esse*. *Ribuarii* heic sunt Lotharingi inferiores, qui inter Rhenum, Ruram & Mosam habitabant, circa Novesium, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Tolbiacum, Marcodurum, Juliacum & Antonnacum: quæ veterum Ripariorum sedes erant, quos *Ripuarios* & *Ribuarios* recentiores dixere. Hæc igitur loca Ducatûs Lotharingiæ inferioris fuerunt: ad quem oppidum S. Trudonis cum Advocatia Monasterii ejus, oppidum Aquisgrani, ubi Ducum sedes judiciaria exstitit, castellum Rode, Gemelacum vel Gemblacum veteri Monasterio clarum, Brucsellam, Andoverpum, Noviomagum Batavorum ad Vacalim, aliaque oppida pertinuisse, variis ex Chronicis discimus. Primum Lotharingiæ inferiori seu Mosanæ Ducem præfuisse Carolum, Ludovici Transmarini Regis Francorum filium, Lotharii fratrem, docent hæcce verba Sigeberti. *Anno* 977. *Ducatus Lotharingiæ datur Karolo, fratri Lotharii Regis Francorum, multis insuper conducto beneficiis, ut & ipse ab insolentiis desistat, & fratris sui Lotharii motibus obsistat.* Carolum, ab Imperatore Ottone ejus nominis secundo Ducem factum, Brucsellæ sedem statuisse recentes Auctores asserunt, ubi in insula fluminis Sennæ Palatium exstruxerit non longè à Basilica S. Gaugerici. Alii *Eihamum* vel Einhamum *castrum munitissimum*, sedem præcipuam fuisse Ducatus Lotharici, ab eoque Godefridum, qui Ottoni Caroli filio anno 1005. in Ducatum Lotharingiæ substitutus est, *Eihamensem* cognominatum esse tradunt: quæ verba in Lipsiano codice Chronici Sigeberti reperiri ait Miræus. Sed tamen Lotharingiæ inferioris Duces circa annum 1055. Andoverpum pro sede habuisse, indicat ipse Si-

gebertus:

gebertus: qua in urbe & Godefridus Gibbosus, Dux Lotharingiæ ejusdem, anno 1076. à sicario interemtus est. Godefridus, Idæ Godefridi Gibbosi sororis filius, patre natus Eustathio Boloniæ Comite, quem ob id *Godefridum de Bolonia* quàm *Godefridum de Bulonio* appellari malim, anno 1089. avunculo in Ducatum inferioris Lotharingiæ successit, & anno 1099. Rex Hierosolymitanorum est salutatus. Ex quo apparet, Duces Lotharingiæ Mosellanæ vel superioris nihil ad Godefridum hunc Regem, nihil ad Hierosolyma, nihil ad Judææ Palæstinæque ac Phœnices Regnum pertinere. Anno 1106. Henrico Lemburgensi, qui per sexennium Dux Lothariensium inferiorum fuerat, propter crimen læsæ Majestatis Ducatus Lotharingiæ ablatus est, & Godefrido Comiti Lovaniensi datus: quem Godefridum nunc *Ducem Lovaniensem*, nunc & impropriè *Lovaniensem Comitem* Anselmus Abbas Gemelacensis vel Gemblacensis vocat; Appendix Gemelacensis modò *Godefridum Lovaniensem*, *Ducem Lothariensium*, modò *Ducem Lovaniensem*. Ejus filium *Godefridum juniorem. 2. Ducem Lotharingiæ anno Domini* 1142. *Ducatus sui quarto, immatura morte præreptum, & Lovanii in templo tumulatum* esse, in eadem Appendice reperio. Mortuis ambobus Godefridis avo ac patre, Ducatum Lotharingiæ inferioris tenuit Godefridus infans, primum ætatis annum agens, & in sequenti anno, qui erat Christi 1143. paternum beneficium ac honorem de manu Conradi Regis accepit: quem *Godefridum juniorem*, *Ducem Lotharingiæ*, nec non *Ducem Lovanii Godefridum juniorem* Monachus Affligemensis nuncupat; *Godefridum Ducem Lovaniensem* Monachus Aquicinctensis. Lovanium sub Godefridis sedes Ducum Lotharingiæ inferioris esse occœpit. Lovanienses isti, depositâ Comitum Lovanii appellatione primùm *Lotharingiæ* solius, deinde *Lotharingiæ* simul *& Brabantiæ Duces* dicti; nonnunquam (sed minùs propriè) à sede sua *Lovanienses Duces*. Unde Reges Hispaniæ de domo Austriaca, qui Ducibus Burgundiæ in eos Ducatus successerunt, *Duces Lotharingiæ & Brabantiæ* hodieque dicuntur, *Ducs de Lothier & de Brabant*; aliàs *Ducs de Lotrich & de Brabant*. Quidam titulum Brabantiæ titulo Lotharingiæ, tribus ferè seculis altero vetustiori, malè præponunt. Lotharingiam inferiorem Galli *Lothier* dixere à Chlotario vel Lothario, quem nunc *Lothaire* nuncupant, olim *Loher* & *Lothier* vocitabant; Germani *Luther* nominant: qui & Lotharingiam inferiorem demtâ literâ *n Lotrich* appellavere, q. *Lotringen*, vel certè ea provincia *Lotrich*, Germanicâ linguâ q. *Lotreich* aut (ut Scaliger scribit) *Lotar rück* vocata est, i. e. *Lotharii Regnum*. Vide Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Lotharingia, q. *Lothar rück*, reg. & ducatus Gall. Belg. à *Lothario* rege Gall. sic dicta, olim *Austrasia*; quæ tamen magis patebat, inter Mosam, Rhenum, & Scaldim fluv. extensa. Dividitur in Superiorem, quæ & Tullingia & Mosellanica dicta fuit, nunc *la Loraine*, & Inferiorem, Brabantiam, ac adjacentes Belgii regiones complectentem. Baudrando est inter Campaniam ad Occ. & Alsatiam ad Ort. inter Luxemburgum ad Sept. & Com. Burgundiæ ad Mer. Dividitur in Lotharingiam propr. quæ ad Ort. tendit, & in Duc. Barrensem ad Occ. Sed urbes Virdunum, Divodurum & Tullum, cum territ. suis non sunt in Lotharingia, licèt intra ejus fines. Regio est altissimis quidem montibus, sylvisque densissimis referta, non tamen opis alienæ indiga, per se vini frumentique & salis ac metallorum ferax. Mediomatrices & Leuci pop. hic olim. Caput Nanceium est. Obtigit hæc regio tertio filio Lotharii Imperat. Lothario, cum omni eo, quidquid paternæ hæreditatis trans Alpes reliquum fuit. Hoc mortuo, illam omnem occupare quidem nisus est Carolus Calvus Imp. sed à fratre Ludovico Germanico repulsus est. Itaque an. 870. inter duos fratres illos duas in partes regnum Lotharingiæ divisum est. Carolo dein Calvo & filio ejus Ludovico Balbo defunctis, cùm in Gallia rerum potirentur duo filii nothi illius Balbi, & legitimè natus Carolus Simplex infans esset: omnem Lotharingiam Germanico suo regno adjecit an. 880. Ludovicus Ludovici Germ. filius, & Pii Cæsaris nepos, ac Hugonem Lotharii R. ex pellice Waldrada fil. feliciter compescuit. Dein sine prole Ludovico defuncto, Zuentiboldo Arnolphi fil. notho cum regio tit. in publicis regni Comitiis Wormatiæ habitis, cessit. An. 896. Verùm paulo pòst in corpus Germanici Imperii rediit. Sic mansit sine controversia regnum hoc (si excipias defectum inde an. 888. Burgundiæ Juranæ regnum) in ditione Germanicorum Regum usque ad an. 912. quo Carolus Simplex, fractis per Ungaros & civiles dissensiones regni Germ. viribus *Lotharingiam* penè omnem recepit: quam tamen Germanorum Regi, Henrico Aucupi, reddidit, anno 922. aliis *Lothariense* Regnum huic se subdidisse, anno 925. referentibus. Sed Ludovicus Transmarinus, Simplicis fil. Lotharienses iterum Regi suo Ottoni I. qui se *Regem Lothariensium & Francigenûm* vocabat, subtraxit, an. 936. donec hi, Giselberto, factionis capite, Rheno merso, ad obsequium redierunt, pace constitutâ an. 942. Verùm Lotharius Transmarini fil. bis Lotharingiam infesto exercitu rursus invasit, nempe an. 977. ab Ottone II. Imp. Lutetiam usque pulsus, & an. 984. ut illam Ottoni III. Imp. adhuc puero, consobrino ac sororio suo contra Henrici Bavari conatus conservaret. Ita Conring. *tr. de finib. Imp.* Ex aliis, Ludov. Transmarino fil. Lotharius in regno Galliæ, in Lotharingia verò filius Carolus, sed sub fide Imperii, successit: quem cùm frater regno excutere vellet, ab Ottone II. repressus est, circa an. 978. Carolus dein, contra Hugonem Capetum, regnum Galliæ sibi asserens, victus captusque est an. 987. Ei nihilominus in Lotharingia fil. Otto successit. Postea regionem hanc Godofredo Gibbolo donavit Henricus II. Imper. circa an. C. 1015. eamque raptantem Balduinum Flandrum ad pacem adegit. Ad Theodoricum dein Strenuum, an. 1080. pervenit, à quo hodierni Lotharingiæ Principes orti: Cujus familiæ auctor Gerhardus fertur Dux Lotharingiæ super. fil. Hugonis Comitis, (qui communis trium familiarum, ex Alsatica procedentium, Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habspurgicæ pater est) nepos per hunc Eberhardi Jun. qui desiit vivere an. 900. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Gen. Hist. in fam. Austriaca.* Qui priorum quoque Lotharingiæ Ducum familiam à Raginero, Hasbaniæ & Hainaci D. patre Gisilberti præfati, celebris Lotharingiæ D. arcessit, *in fam. Hassiaca.* Episcopatus Metensis, Virdun. & Tullensis, ab Henrico II. Gall. R. sub potestatem redacti, cum aliis quibusdam locis; hodieque sub Gallis sunt; Duce Carolo haud pridem denuo toto Principatu pulso, cujus mortui A. C. 1674. nepos ex fratre Carolus hæres, exercitus Imperialis hoc tempore contra Galliæ R. Dux, jus suum strenuè persequitur. Consuli possunt præter jam memoratos Auctores, Limnæus *de Jure Publ.* Merula, Ortelius, Cluver. *Geograph.* Godofred. S. Marth. Vignier. *Orig. famil. Lotharing.* Champier. *Chron. Austras.* & *Geneal. Duc.* Edmondus du Boullay, *Geneal. Princip. Lotharing.* Rich. Wasseburg, *Antiq. Gall. Belg.* Franciscus de Rosieres, *Stemm. Lothar. Duc.* Vide & supra in *Lotharii regnum.*

Imperatores Romani, variiq; Reges.

Lotharius I. Ludovici Pii Rom. Imper. ex Ermengarde filius, & ipse Imperator, ab anno 817. regnavit. Filii Ludovici propter regni divisionem vehementissimis postmodum inter se odiis cùm exarsissent, arreptis armis in Altissiodorensibus apud Fontanicum campis, coactis copiis, prælium commiserunt gravissimum: in quo strages Francorum, quanta nunquam alia, facta est. Superatus Lotharius fugâ salutem quæsivit. Blond. *lib.* 1. Ludovicum filium consortem Imperii sumpsit, anno sal. 850. Imperio se abdicavit, & monasticum induit habitum: in quo & animum Deo reddidit in monasterio, quod Prumia dicitur, an. 855. diviso inter filios ex Ermengarde, fil. Hugonis Ignavi, Ludovicum, Lotharium & Carolum, regno: Ludovico enim Imperium & Italiam, Lothario Lotharingiam, Carolo Provinciæ regnum attradidit. Æmilius *lib.* 3. A. D. 856. Aimon. *de gestis Francorum.* Flodoard. *in Chron. & Hist.* Ado & Rhegino, *in Chron.*

Lotharius II. Imper. Occidentis, Dux Saxoniæ, fil. Gebhardi, Comitis Arnsbergensis, ex Hedvige Burggravia Norimb. Henrico V. successit, an. 1125. Renaldum Burgundiæ Comitem, jussa sua, tanquam Burgundiæ quoque Regis, ulterius non agnoscentem, exuere cupiens, & Bertholdo Duci Zeringiæ concessurus ditionem, bello occasionem dedit, quod inter utramque familiam duravit, usque ad Fridericum I. qui Beatricem, Renaldi filiam, matrimonio sibi junxit. Innocentio II. contra Anacletum astitit, coronam ab eo accepit. Sed ea gratiam. In Palatio depingi advolutum genibus suis curavit Imperatorem Pontifex, cum versibus:

Rex venit ante fores, jurans antè urbis honores,
Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Rogerii regis Neap. & Siciliæ fastum depressit. Ex Italia reversus, obiit Tridenti, an. 1137. Otto Frising. *l.* 4. Petr. *in Chron. Cass. l.* 4. Platina, Sigonius *l.* 11.

Lotharius, Rex Lotharingiæ, fil. Lotharii I. Imp. frater Ludovici II. Imp. & Caroli Provinciæ R. Thietbergâ filiâ Huberti D. repudiatâ, Valdradam duxit; à Nicolao I. priorem recipere coactus, illam paulo pòst, velut adulteram punire decrevit: Hinc bellum ingens. Interim, Italiâ à Saracenis vexatâ, Lotharius illuc se contulit, ut Imperatori præstò esset, & Adriani II. gratiam sibi conciliaret. Obiit paulo pòst Lucæ, an. 869. febre correptus. Aimon. *Continuat.* Regino & Ado, *in Chron.* &c.

Lotharius, fil. Hugonis, Comitis Provinciæ, à Patre Italiæ Rex factus, an. 932. cum ipso usque ad an. 945. regnavit. Berengarius & reliqui æmuli nomen Regis ipsi reliquerunt, usque ad annum 950. quo mortuus est. Maritus fuit Adelaidis, filiæ Rodolphi Burgundiæ R. quæ post mortem ejus in Apuliæ arcem quandam se recepit, ubi Ottoni Germaniæ R. liberatori suo nupsit. Leo Ostiens. *libr.* 1. *Chron. Cass.* Luitpr. *libr.* 5. *cap.* 12. *Histor.* Flodoard. &c.

Lotharius, Francorum Rex, Ludovici IV. Regis filius ex Gerbergâ Imper. sorore An. Dom. 954. Lotharingiam occupavit, Aquisgranum usque delatus, agros populatus est. In quem Otto Imper. ex Bavaria exercitum cùm duxisset, Lotharingiam recepit. Lotharius verò Parisios est reversus. At Imper. cum insequens, in Franciam ingressus, Laudunensium, Suessionumque agris vastatis, Parisiorum suburbia incendit, An. Dom. 979. Obiit Remis anno 986. ætat. 45. regni 31. Pater ex Emma, fil. Lotharii Italiæ R. Ludovici V. successoris. Flodoard. *Histor. Rem.* Aimon. *in continuat.* Sylvest. II. *in epist.* Serres, &c.

Lothiana, seu *Laudonia*, vulgò *Lothiane*, prov. Scotiæ Merid.

Terminatur à Sept. Bodotria æstuario, ab Ortu mari Germ. ab Occ. Sterlinensi territ. & Cludesdalia prov. à Merid. Tuedaliâ & Marchiâ provv. Caput Edimburgum est, sedes regia.

Lotis, nympha formosissima, Neptuni filia, quæ cùm Priapi vim effugere non posset, invocatâ Deorum ope, in *lotum* arborem est commutata. Ovid. *Met.* 9.

Lotoa, Letcja Plin. ins. parva maris Jonii, Cephalleniæ proxima, *Guardana* Sophiano. Nigro *Trapano* nominatur.

Lotophagi, pop. in Africâ apud Syrtes, à *Loti* arboris fructûs esu sic dicti; cujus cibus est tam dulcis, ut advenis incutiat patriæ oblivionem. Itaque cùm Ulyssis socii delati fuissent in Africam, & lotum gustassent, vix inde abduci potuerunt. Hom. *Od.* 9.

Οὐδ' ἄρα Λωτοφάγοι μήδοντ' ἑτάροισιν ὄλεθρον
Ἡμετέροις, ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι.
Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκέτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι.

Unde Ovid. *de Ulysse*,

Nec degustanti Lotos amara fuit.

Silius *libr.* 3.

Et dulci pascit Lotos nimis hospita baccâ.

Ovid. *Trist.* 1. 4.

Sic nova Dulichio lotos gustata palato,
Illo quo nocuit grata sapore fuit.

Verùm esca est, an potabilis lotos? Utrumque Scylax Caryandenus, Λωτοφάγοι ἔθνος μέχρι τοῦ στόματος τῆς ἑτέρας Σύρτιδος. Οὗτοι λωτῷ χρῶνται σιτῷ. V. Pasquejum *in locum Silii adductum.*

Lotophagites, ins. parva maris Africi, non longè à Syrtibus. Ptol. *Le Gerbi*, teste Fazello, *l'Isle des Gerbes* Gallis, in regno Tripolitano, in mari Mediterran. oræ littorali adjacens, & aliàs ponte continenti juncta. Circuitus est 18. mill. pass. fueruntque antea in ea duæ urbes, nunc tantùm castrum superest, cum pagis aliquot. Occupata aliàs ab Hispanis, sed hi grandi clade affecti illam relinquere sunt coacti. 60. mill. à Tacapa in Cæc. 200. ferè à Tripoli in Occ. Prisci Auctores quoque *Lotophagorum*, incolarum hujus ins. in conspectu Neapolis Tripolitanæ reg. urbis, meminere. Homer. *Odyss. lib.* 9. Strab. *l.* 17. Ovid. *l.* 9. *Metamorph.* & 2. *de rem. Am.*

Illo Lotophagos, illo Sirenas in antro.

Plin. Polyb. Marmol. & Priscianus,

——Hanc supra justissima fertur
Hospitiis gaudens gens degere Lotophagorum. V. supra.

Lotophagorum ora, in intimo Syrtis majoris sinu. Plin.

Lotus, viri nomen, qui fil. habuit Ammanum, à quo Ammanitæ Arabes dicti. Steph.

Lovanium, urbs Belgii ampla & munita, Academia Brabantiæ clarissima, Grudiorum metropolis, ad fluv. Tilam, Belg. *Dile*, Gall. *Ti*, quem Demera receptum in Scaldim defert. Caput olim Comitatus cognom. Hic Martinus Dorpius Evangelium prædicavit anno Chr. 1525. Baudrando hic aliàs *Menapii*. 7. leuc. ab Antverpia in Eur. 8. à Namurco in Bor. Sub Hispan. *Loeven*, & *Lavven* Belg. *Louvain* Gall. *Lovagnia, Lovanio*, & *Lovania* Italis. Julius Cæsar quibusdam urbis hujus conditor creditur, alii id honoris Lupo cuidam, ante Cæsarem, deferunt. Academiam fundavit an. 1426. Johannes IV. Brabantiæ D. Privilegiis ornarunt Martinus V. & Eugenius IV. Collegia ibi viginti, quorum præcipua, Collegium trilingue, Lilium, Castrum, Porcus, Falca, &c. Rectoris potestas semestris est. Vide Lipsii *Lovanium*, Guicciardinum *in descr. accuratiss. infer. Germaniæ*, Bert. *rer. Germ. lib* 3. &c.

Lovenburgum, opp. Pomeraniæ.

Lovenstenium, vulgò *Lovvenstein*, arx triangularis Hollandiæ, in Bommelia insula, ad confluentes Vahalis in Mosam, è regione Vorchomii, 3. leuc. ab Ultrajecto in Austrum, 3. à Dordraco in Ortum.

Loventinum, opp. Albionis in Walliâ Angliæ reg. occiduâ. *Luentinum* Ptolemæo. *Povves land* Villanovano & Moletio. Oppidum fuit Silurum, in Comit. Brechiniensi, terræ motu absorptum, ubi nunc lacus *Lipsavatan*: 2. mill. à Brechnochio ad Ort. juxta Levenum amnem, Speed. Camden.

Lovia, Pannoniæ urbs. Anton.

Lovigenna, vulgò *Louvy*, vicus hodie in confinio utriusque Burgundiæ, trans Ararim, non procul à Dola. Valesius *Not. Gall.*

Lovitium, urbs satis culta Polon. maj. ad Bsuram fluv. Sedes Archiep. Gnesnensis, in arce eleganti & munita, in mediis paludibus, à Jaroslao Archiep. excitata. In Palatin. Ravensi, media inter Vladislaviam ad Bor. & Ravam ad Mer. Vulgò *Levvitz*.

Lovolautrum castrum, memoratum Gregorio Tur. *Hist. Fr. lib.* 3. à Theodorico R. Chlodovæi fil. unà cum Tigerno captum, & igne ferroque vastatum. Nunc fortè *Volore* prope Tigernum. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Lous, Macedoniæ fluv. prope Apolloniam, in Pelasgonia prov. *Viergo* Nigro. *Aoum* Strabo, & Livius vocant. Nunc *Polina* Brietio, Philippi R. clade & Romanorum victoriâ nobilis.

Loxa, Scotiæ fluv. in ora, ad Ortum Moraviæ reg. inter Ripam altam & Tuesim, *Losse* Camdeno & Buchanano.

Loxias, Apollo dictus, quòd obliqua ederet responsa, aut ab eo quòd Zodiacum Sol obliquè percurrat. Macrob. *Saturn.* Seneca *in Oedipo*,

Responsa dubiâ sorte perplexa latent,
Ambage noxâ Delphico mos est Deo
Arcana tegere.——

LU.

Lua, Dea quædam apud veteres, à *luendo*, expiandoque nomen sortita, quæ præerat lustrationibus, & lustris. Vide Turneb. *Advers.* 16. 20. & 23. 22. & 19. 11.

Luangi, Hispan. Tarracon. gens. Ptol.

Lubanius, lacus Litlandiæ, in confin. Poloniæ, prope opp. Luban, 20. mill. à Duneburgo in Bor. *Lubanskerzee* vulgò.

Lubar, Epiphan. *l.* 1. *Hæres.* est mons ille, in quo Arca Noë constitit. Verba ejus sunt: Μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐπιστάσης τῆς λάρνακος Νῶε ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἀραράτ, ἀναμέσον Ἀρμενίων καὶ Καρδυέων ἐν τῷ Λουβὰρ ὄρει καλουμένῳ. Ἐκεῖσε πρῶτον κατοίκησις γίνεται μετὰ τὸν κατακλυσμὸν τῶν ἀνθρώπων.

Lubeca, & *Lubecum*, urbs splendida amplaque Germ. in Saxoniæ & Holsatiæ confin. in orâ maris Baltici, libera & emporium celeberrimum: Episcop. sub Archiep. Bremensi, sede ex Aldenburgo Holsatiæ eò translata. An. C. 970. Ferr. vulgò *Lubeck*. Sic dicta à corona, linguâ Vandalicâ; vel à *Luba*, piscatore quodam, qui primus ibi tenues casas, ubi nunc civitas, ædificare cœpit. Baudrando est in Holsatia, in Wagria tractu, in ipso limite Lauenburgensis dit. & Duc. Megapolitani, ad Travam fluv. qui mediam perfluens naves Travemundam, ad mare, defert, vix 2. mill. Germ. ab ora maris Balt. cum portu capacissimo. Exiguum olim opp. ab Adolpho, Holsatiæ Comite, extructum, sub Conrado III. Imper. Illuc translata fuit sedes Episc. Altenburgensis an. 1162. postquam ab Adolpho ad Henricum Leonem, Saxoniæ & Bavariæ Ducem, vi extorta devenisset. A Leone in Imperii jus ac ditionem concessit; inde ad Henr. Leonem rediit, ab hoc ad Adolphum III. inde ad Canutum Daniæ R. qui eam occupavit circa an. 1200. Tandem anno 1209. victis Danis libera Imperii civ. facta, sub Friderico II. Imp. arcem Comitum Wagriæ, ad Dravam, unà cum libero usu fluminis, & immunitate vectigalium redemit. Evangelii luce, ministerio Bugenhagii, illustrata est, circa annum 1530. Ejus cives cum Christophoro Oldenburgico Christiano III. Daniæ Regi, post patrem Fridericum, in thronum evecto, frustra restitere, an. C. 1535. Reformatis ex Angliâ, sub Maria Regina, ejectis, cùm hic Petrus Brictius, sicut Hamburgi Henr. Westphalus, acerrimè se opponerent, Mikronius & Hermes Bakerelius insignes eruditione ora iis obturaverunt, circa an. 1554. Pax inter Christianum IV. Daniæ R. & Ferdin. II. ibidem conclusa est, an. 1620. quâ Rex Holsatiam sibi ademtam recepit. Insignia civitatis sunt, aquila in campo purpureo sive rubro & niveo, hastis militaribus coronæ aureæ innitentibus. Consules in Senatu duodecim sunt, & quidem Patricii vel Equestris ordinis viri, qui perpetuò Remp. gubernant, & custodes sunt libertatis atq; salutis civium. V. Limn. *Enucl. l.* 4. *c.* 34. Distat ab Hamburgo altero Saxoniæ emporio 10. leuc. in Ort. & Cæc. De urbe hac sic Scaliger:

Si referam, mihi quis credet: sub limina mundi
Ultima legisfert jura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultumq; fidemq;,
Fortiaq; invictâ pectora pura manu.
Dum mirata strepit, terras Astræa relinquens,
Atq; putat cœli regna, resedit ibi.

Poëta verò Germanus, *Itiner. lib.* 7.

Travenâ leni descendimus amne Lubecam,
Urbis post paucas munimina cernimus horas,
Ingressi verò portas miramur, & ædes
Arte laboratas omnes, cultumq; domorum
Eximium, merces, amplissima strata viarum,
Deniq; longè alias omnes, quas vidimus urbes
Hac superat.

Caput est Hanzeaticarum civitatum.

Lubecensis sinus, *Golfo de Lubeck*, sinus est maris Baltici, in Mer. extensus, inter Holsatiam & Megapolitanum Duc. versus Lubecam & ostia Travæ fluv.

Lubentia, seu *Lubentina*, Venus dicta est Varroni: quam à libidine nomen habere, docet Augustinus.

Lubiana, vide *Labacum*.

Lublinum, vulgò *Lublino*, urbs Poloniæ sup. caput Palatin. cognom. ad amnem Bystriczam, Brietio. 5. leuc. Pol. à confinio Russiæ Nigræ. 24. à Varsavia in Meridiem, 12. à Chelma in Occ. 36. à Cracovia in Cæc. uti 14. à Sandomiria, Vilnam versus 70. Probè culta & elegans, cum arce in colle. Capta à Tartaris, & crudelissimè habita est, an. 1240. M. Cromer. *l.* 9. Synodo hic anno 1612. celebrata, rejectum postulatum Socinianorum, in communionem Evangelicorum recipi, petentium. Postea horum templa, licentiâ malè in scholis præcipuè Jesuitarum educatæ juventutis, solo æquata sunt, circa an. 1630. Johannesq; Grzybovius Superintendens, tractus Senior, vix non oppressus. Lætus *Compend.*

Lubloa, incolis *Lublavv*, Polonis *Luboulia*, arx Comit. Cepusiensis, in Hungaria, probè munita, quam Hungari Polonis oppignerarunt 1412. Nunc in Palat. Cracoviensi.

Lubo-

Lubovera, secunda Abbas, monasterii S. Crucis Pictavii, à Rhadegonde regina fundati, præfuit, anno Christi 589. hinc abrepta à satellitibus Chrodieldæ, filiæ Chariberti Regis & Basina, fil. Chilperici, quæ monasterio egressæ cum 40. monialibus, multum scandali dedere. Sed turbæ hæ Regis auctoritate compositæ. Greg. Tur. *Hist. lib.* 9. *&* 10.

Lubra, Front. oppidum erat Hetruriæ, ab urbe Roma 12. mill. pass. in via Flaminia occurrens.

Luca, civitas Tusciæ, à *Lucumone* Hetruscorum rege dicta. Ferrario vulgò *Lucca*, colonia & urbs Hetruriæ, libera & Episcopalis, apud Auserim seu Sarculum fluvium, Pisis proxima, 10. mill. pass. distans, à Florentia 40. à Senis supra 50. in Occasum, Lunam versùs 30. à Thuscis anno orbis conditi 1469. quo Tarentum & Syracusæ, ædificata. Baudrando urbs est antiquissima & permunita, cum undecim propugnaculis, ab An. C. 1626. & probè culta, circuitus 3. mill. pass. ad alveum Anseris fluvii. Hodiè Respublica libera, optimis legibus temperata, cum aliquot locis. A Gallis *Lucques* dicitur. 13. milliaribus distat à mari Tyrrheno in Ortum, & 60. circiter à Senis. Tractus adjacens dicitur Lucensis tractus, *il Luchese* incolis; extenditurque inter mare Tyrrhenum, montem Apenninum ex parte, ditionem magni Ducis, & Carferonianam tractum Ducis Mutinensis; ejusque major longitudo vix est 30. milliarium, latitudo autem 25. circiter: ac à Gallis *l'Estat de la Republique de Lucques* dicitur. Ejus crebra mentio apud Strab. Plinium, Ptolomæum, Livium, Agathiam, &c. A' Narsete, Justiniani Imper. Duce obsessa est sec. 6. Dein Bonifacius, Comitissæ Mathildis genitor, Huguccio, Castruccius Castracanus aliique rerum hîc potiti sunt, donec à Ludovici Bavari Imper. ministris Gerardo Spinolæ Genuensi venundata est. Post hunc Mastinus Scaliger, Veronæ dominus, eam nactus, vendidit Florentinis, quibus 9. menses subfuit, Pisanis jus quoque in illam sibi vindicantibus. Sed relictus ei à Carolo IV. præfectus Cardinalis quidam Gallus, civibus libertatem reddidit; quam iis iterum, sed ad breve tempus, ex eorum numero unus, Paulus Giunisius, eripuit: postquam A. C. 1390. à Galeatio Duce Mediolanensi quoque capta fuisset. Post memoratum Giunisium, circa A. C 1430. libertate denuo potita, solicitè eam in hæc usque tempora conservavit, sub protectione nihilominus Imperii. In insignibus Libertatis gerit tropæum. Serici mercimonio opulenta, vulgò *l'Industriosa* dici amat, celebrisq; insuper est Basilicâ S. Martini, B. Virginis *delli miracoli*, S. Fridanii, in qua Richardi Anglorum Regis monumentum, natalibus Lucii III. Pontif. Xantis Pagnini, Deodati, insignis Genevensium Theologi, aliorumque, Armamentario, &c. Solum vini, non æquè frugum ferax est. Caput civium Gonfalonerius est, cui ex Proceribus quidam adsunt, quorum bimestris solùm auctoritas est. Portum urbs habet *Viceregio*: Episcopus ejus immediatè Pontifici subest, habetque jus pallii: Canonici quoque Ecclesiæ Cathedralis galeros Cardinalitios ferendi potestatem habere dicuntur. Vid. præter supra laudatos, Leandr. Albertum *descr. Ital.* Machiavellum *in vita Castruccii*, &c. Pop. *Lucenses*. Strabo *libr.* 5. *ex emendatione Cluveriana*, Ὑπὸ δὲ ὄρεσι τοῖς ὑπερκειμένοις τῆς Λούνης ἐστὶ πόλις Λοῦκα. Plin. 3. 5. *Primum Etruriæ oppidum Luna, portu nobile, colonia Luca, à mari recedens, propiorq; Pisæ.* Apud Agathiam *l.* 1. opidani leguntur bis Λουκανοί, quod corruptum pro Λουκαῖοι putat Cluverius. De ea Poëta quidam Italus:

Unum Luca tulit, Luca urbes inter Hetruscas
Nobilis.

Lucaia, vulgò *les isles Lucajes*, insulæ Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, inter Floridam ad Occasum & Hispaniolam insulam extensæ ad Septentrionem Cubæ insulæ. Ex his viginti sunt præcipuæ, quarum clariores sunt Lucaioneca, *Lucayoneque*, cunctis major, Abacoa, *Abacoa*, Amaguaia. *Amaguaio*, Amana, *Amana*, Bahama, *Bahama*, Bimina, *Bimini*, Caica, *Caicos*, Ciguata, *Ciguateo*, Guanahania seu insula S. Salvatoris, *Guanahani*, Guanima, *Guanima*, Manega, *Manega*, Mayaguana, *Mayaguana*, Samana, *Samana*, Triangulum, *Triangulo*, Ynagua, *Ynagua*, Yuma, *Yuma*, Yumeta, *Yumeto*; E quibus præcipuæ versùs Boream ab Anglis inhabitantur, teste Bristochio.

Lucaioneca, vulgò *Lucayoneque*, insula Americæ Septentrionalis, & Lucaiarum præcipua, ab Ortu in Occas. extensa, recèns est ab Anglis exculta, inter Ciguatam ad Ort. & Bahamam ad Occ.

Lucani, pop. Italiæ à Samnitibus oriundi, alii habent à Brutiis, duce Luco, huc profecti, secundùm mare extensi, Silaro fluv. à Picentinis, Lao à Brutiis dirempti. Plin. 3. 5. Dionys. *Vers.* 362.

Ἔνθα δὲ Λευκανοὶ καὶ Βρέντιοι ἄνδρες ἔασι,
Τοσσάτιον ναίοντες ὅσον Λευκὴν ἐπὶ πέτρην.

De his vide Justinum *l.* 23. Erant autem Appulis vicini, quemadmodum ex Horatio colligimus *l.* 2. *Sat.* 8. Sic enim ille de seipso,

—— *Lucanus an Appulus, anceps,*
Num Venusinus arat finem sub utrumq; colonus.

Vide Cluver. *Ital. Ant.* Eorum regio *Lucania.* Inde *Lucanus* adject. Horat.

Quod me Lucana juvenem commendet amica.

Et *Lucana pascua* apud eundem pro fertilibus. Hinc *Lucas boves* poetæ elephantos vocant. Sil. *l.* 9.

—— *Moderantem cuspide Lucas*
Maurum in bella boves. Sen *in Hippol.*
—— —— *Amat insani*
Bellua ponti, Lucæq; boves. Lucr. *l.* 5.
Ut nunc sæpe boves Lucæ ferro male mactæ
Diffugiunt. Nævius vetus poeta,
Atq; prius pariat Locusta Lucam bovem.

Rationem hujus appellationis reddit Plinius *libr.* 8. *Elephantes Italia primùm vidit, Pyrrhi regis bello, & boves Lucas appellavit in Lucanis visos.*

Lucania, Strab. Liv. Plin. Ptol. pars erat magnæ Græciæ, ubî nunc *Basilicata*, cum parte maxima *Princip. citer.* versus Austrum, & parte Calabriæ cit. Brietio. Terminabatur à Sept. Silari fluv. à Picentinis, & Brandano flu. ab Apulis: à Mer. Lao fluv. à Brutiis separabatur; Ab Or. sinum habebat Tarentinum, ab Occ. mare Tyrrh. Memorabilis est divisione Apennini & soli fertilitate: Unica enim vitis dolium sæpe implere traditur, tam prodigiosæ magnitudinis ibi uvæ. De hac Horat. *lib.* 2. *Sat.* 1.

Sive quòd Appula gens, seu quòd Lucania bellum
Incuteret. Vide quoque suprà *Lucani.*

Lucanius, prænomine *Quintus*, primipili centurio, in Exercitu C. Julii Cæsaris per Galliam, qui cùm in itinere cum sociis oppressus ab Ambiorige fortissimè dimicaret & circumvento filio subveniret, interfectus est. Cæsar *l.* 5. *Com. c.* 35.

Lucanus Marcus Annæus, Cordubensis patriâ, poeta egregius, natus A. C. 39. Fil. Annæi Melæ, frat. Senecæ, Gallionis, Achaiæ Proconsulis & Acilii Lucani, Oratoris præclari. Præceptores habuit Palæmonem Grammat. Virginium & Cornutum, Philologos & Philosophos insignes. An. æt. 14. Græcè Latineque cum applausu declamavit. Hinc quum Romæ, ubi cum Persio educatus est, Neroni innotuisset, Augur & Quæstor, ante tempus, creatus, Pollam Argentariam, stirpe, ingenio, formâ, eruditione nobilem sibi junxit. In theatro, ob poëma de Orpheo, prohibente licet Nerone, qui illum de Niobe dicere jusserat, ex tempore factum, coronam meritus, hujus invidiam in se concitavit. Dein in Pisonianâ conjuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico præbuit. Scripsit de descensu Orphei ad Inferos, de incendio Romæ, de elogiis Pollæ uxoris, de Saturnalibus, libb. 10. Sylv. Epistolas, Orationem contra Octav. Sagittam, quem, ob Pontiam interfectam, ad necem compulit, &c. Sed nihil horum residuum est, præter Poëma ejus de bello civili. Obiit an. 65 Imper. Neronis 10. Sepultus in hortis suis, cum hac Inscr. in Æde D. Pauli: *Marco Annæo Lucano, Cordubensi Poëtæ, beneficio Neronis Fama servata.* Martialis *l.* 7. *ep.* 20.

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus
Lucanum populis, & tibi Polla dedit.
Heu Nero crudelis, nullaq; invisior umbra,
Debuit hoc saltem, non licuisse tibi.

Alibi respondet, dicentibus, Lucanum Poëtam non esse:

Sunt quidam, qui me dicunt non esse Poëtam,
Sed qui me vendit Bibliopola, putat.

Hujus vitam habemus à Suetonio exaratam. Vide Crinitum & Lil. Gyraldum. Etiam fusè de eo agit Voss. *l.* 1. *H. L. c.* 26.

Lucanus, caput hæreticorum, qui sec. 2. Cerdonis & Marcionis deliria incrustabant, V. Tertull. *l. de præscr. c.* 51. *De Resurr. carnis, c.* 2. Neque animam, neque carnem, sed tertium quid resurrecturum docuit, nuptias rejecit, &c. Epiphan. Philastr. Joh. Damascenus, Baronius *A. C.* 146. *n.* 20.

Lucanus & *Lucaniacus fundus*, suburbium Burdigalæ, 2. ab ea leuc. apud Liburniam opp. & Condatum, ac Duranii fl. ostium in Garumnam, nunc *S. Æmilianus* Scaligero.

Lucanus lacus Insubriæ, ad 15. mill. à Cæcia in Afr. extensus, in Verbanum lacum se exonerat, mediante amne Tresa. Helvetiis *Luvertz-Zeé*; Incolis *Lago di Lugano*. Ei adjacet opp. *Luganum*, 11. mill. à Belitione in Austr. 12. à Locarno in Ort. 20. circiter à Como in Circ. Arcem habuit aliàs munitam, nunc destructam. Caput Præfecturæ *Luganensis*, unius ex IV. Ital. ab an. 1512. sub Helvetiis. V. *Luganum.*

Lucaria, vide *Luceria.* Item festa apud Rom. quæ celebrabantur in luco, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, in quo Romani à Gallis fugati sese occultaverunt. Fest. Plut. Tacitus. Varro à luce vult dicta.

Viri illustres.

Lucas, Medicus Antiochenus, unus è 4. Evangelistis. Antiochiâ oriundus, discip. S. Pauli, Evangelium circa an. Chr. 56. scripsisse videtur. Idem Acta Apostolorum, historiam an. 29. vel 30. ab A. C. 33. usque ad an. 63. quo Paulus primâ vice Romæ captivus fuit, complexa divinitus actus consignavit. An martyrio coronatus sit, ignoratur; attigisse annum æt. 84. Hieron. *in Cat.* habet. V. Augustin. Ambrosium, Euseb. 3. 4. In hujus *Evangelium* prodierunt: Agricolæ *Annotationes*, Octav. Noribergæ 1525. de Alliaco. Ambrosii *Commentar.* Bonaventuræ *Expositio.* Octav. Venet. 1574. Brentii *Comm.* Bucerus. Chrysostomi *in varia loca.* de Dieu *Animadversiones.* Finchii *Clavis S. Script.* Gersonis *in cap.* 1. Gomari *Explic. locorum Select.* Gualterus. Hofmeisteri *Comm.* Jansonius *in cap.* 1. *&* 2. Islebius. Justiniani *Sermones in*

cap. 12.13.14. Coloniæ 1616. Lamberti *Commentarii*. Mayronis *in c.1. Verf. 44. & seq.* Basileæ 1498. Oranus. Origenis *Homiliæ*. Pelargi *Meditationes*. Pricæi *Annotata*, Octav. Parif. 1646. Seyfelli *Ethologia in c.3. prim.* Quart. Mediolani 1521. Soarez. Socolavius. Sylvestranus. Steir. Stella. Stephani *Nova Glossa*. fol. 1553. Timotheus *in cap. 2. V. 29.* Gr. Lat. Titi-Bostrensis *Commentaria*. Tolerus. Victor Antioch Wicelii *in Cantica Mariæ, Zachar. & Simeonis*. Winckelmanni *Comm.* ut & Zuccoli, Quart. Venetiis 1619. Plures dabit *Elenchus* Guil. Crovvæi. De *Actis Apostolicis*, ab eodem Evangelista conscriptis V. *suo loco*.

Lucas, cognom. *Chrysoberges*, Patr. Constantinop. post Charitonem, an. 1149. Obiit an. 1166. Balsamo, *in Comm. Nom. Phot.* Item Abbas Montis Cornelii, prope Leodium, an. 1140. Scripsit Commentar. in Canticum Canticorum, seu potius epitomen Apondi: quæ Friburgi edita an. 1538. Henr. Gandav. & Trithem. *in Catal.* Gesner. *in Bibl.* Valerius Andr. *Bibl. Belg.* Item, dictus *Tudensis*, contra Valdenses scripsit, sec. 13. Vasæus *in Chron. Hisp.* c.4. Voss. *de H.L.* l. 2.

Lucas Bosdenus, Carmelita, scripsit varia, in Philosophia & Theologia Scholastica. Baleus, Gesner.

Lucas Fruterus, Brugensis, laudatus Miræo, & Val. Andreæ, *Bibl. Belg.*

Lucas Gauricus, Medicus Neapolitanus, Mathematicus excellens, scriptis inclytus. Simler. *in Bibl.* Voss. *de Math.* Vander Linden, *de Scr. Med.* ubi & alterius meminit.

Lucas Gernlerus, SS. Theol. Doctor & Professor, Ecclef. Basiliensis Antistes, eruditione, pietate, facundiâ, dexteritate, zelo, gratiâ, inclytus; Obiit Basileæ, an. 1675. æt. 49. Cujus *Commentarius in Danielem* accuratissimus, aliaque propediem lucem D. d. videbunt. Successit in utraque statione Petrus Werenfelsius, Theologus consummatus. Vid. quoque *Gernlerus*.

Lucas Grimaldus, Nobilis Genuensis, auctor plurium poëmatum, *αὐτοσχεδ.* Nostradamus, *de Poët. Provinc.*

Lucas Holstenius, Bibliothecarius Vaticanus, scriptis celebris. Obiit haud pridem.

Lucas Lossius, Germanus, in omni literarum genere plurima scripsit. Gesner. *in Bibl.* & Quenstedt. *de Patr. doct.*

Lucas Opilio, Anglus, laudatus Balæo, *in Catal. Script. Britann. Maj.*

Lucas Osiander, scriptis, inprimis Epitome Centuriatorum editâ, clarus. *Lucas de Penna*, JC. Siml.

Lucas Pætus, Mathematicus, scripsit *de Mensuris & Ponderibus Græcis & Romanis*; *Varias lectiones*, &c.

Lucas Pragensis, Unionis Bohemicæ Senior. Volumen Canticorum è S. Bibliis, in usum Ecclesiæ, linguâ patriâ, accurato labore composuit, scriptis clarus, elegantiæque templorum amator. Ejus dictum fuit: *Ecclesia Fratrum non ab hostilibus persecutionibus, sed à neglecta disciplina periculum esse metuendum.* Obiit A.C. 1535. æt. 70. cùm præfuisset an. 28. Ipsi successit Fr. Benedictus, cui adjunctus est Johannes Augusta, inter Seniores clari. V. Lætum *Comp. Hist. Univ.* *Lucas Schroteisen*, Siml. *in Bibl. Gesn.*

Lucas Stenglius, Medicus: de cujus scriptis, V. Vander Linden, *de Script. Med.* Gesner.

Lucas de Tongern, priscus Histor. Belgii. Val. Andr. *bist. Belg.*

Lucas Valerius, Geometra excell. scriptis inclytus. Voss. *de Math.*

Lucas Wadingus, Franciscanus Hibernus, Auctor Annalium sui ordinis, scriptorum, &c.

Lucca, castrum est nobile, in finibus Turonum Transligeritanis, ad Andriam vel Angerim: Vulgò *Loches*: ubi Eustochius, quintus Episc. Turonicus templum, & Ursus Abbas, sub Alarico, Monasterium condidisse fertur: A' Carolomanno ac Pippino Fratribus, Ducibus & Princip. Francorum, junctis copiis, oppugnatum, captum ac funditus eversum est, A.C. 742. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

L. Lucceius, fil. Quinti, Historicus celebris, à Cicerone rogatus, ut res illo Consule gestas literis consignaret. Pompeium, bello civili, sequutus, ei cum Theophane suasit, Italiâ excederet. Veniam nactus à Cæsare. V. Cic. *epist. l.5. c.12. & l.4. ad Attic. ep. 6.*

Luceium, locus Galliæ in Cenomanis, vulgò *Luche*, non procul à Majato & à flu. Liderico, vel *Luce* prope Ustilliacum. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Luceius Albinus, à Nerone Mauritaniæ Cæsariensi præpositus, additâ per Galbam Tingitanæ provinciæ administratione. Cæso Galbâ in Othonem pronus. Spargebatur, spreto procuratoris vocabulo, Albinum insigne regis & Jubæ nomen usurpare. Ideo per præmissos centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent, dum è Tingitanâ provinciâ Cæsariensem Mauritaniam petit, appulsus litori trucidatur. Uxor ejus cùm se percussoribus obtulisset, simul interfecta est. Tacit. *Hist. 2. 58.*

Lucela vallis, Jurassi montanis inclusa est, ad lævam Birsæ amnis, cujus supremum locum Cœnobium cognomine occupat: Cœpit id non multò pòst, quàm Cisterciensis propositi religio apud Burgundos introducta esset, an. 1030. Fundatores fuere Hugo de Calmillis, Amedeus de Novo Castro & Ricardus de Monte Falconis, viri illustres atque nobiles. Primus sodalium præsul Christianus quidam fuit. Agnoscunt Lucelensem Abbatem superiorem suum fœminæ ejusdem ordinis, quæ tum Michelveldiæ, dimidio infra Basileam miliari, ubi nunc Pandochium est, considentes: postea Blotshemium, in vicinum Suntgojæ pagum, concessere, templo ibi cum Monasterio, condito. Germ. *Lützel*. Vid. Christ. Urstisium *Hist. Basil. epit.*

Lucelstenium, vulgò *Lützelstein*, castrum Palatinatus, sub proprio Principe. Habebat Comites olim, qui Friderico I. Electori refractarii, ab eo ejecti sunt & in exilio *ἄπαιδες* decessere, A.C. 1452. unde Comitatus ad Palatinos venit. Auctor dein *Lucelstenia* Lineæ Rupertus fuit, fil. Alexandri, Ducis Bipontini, frater Ludov. majoris natu, qui patri in Bipontino Ducatu successit. Obiit Rupertus A.C. 1544. pater Georgii Johannis cognom. Ingeniosi, qui Lucelstenium auxit, & Pfaltzburgum condidit, quod tamen dein cum aliis, ob debita, cùm vano molimine per montes transitum tentasset, contracta, in Lotharingi manus devenit. Decessit Anno Chr. 1592. Eo nati Georgius Johannes jun. Lucelstenium nactus est, at Georgius Gustavus Lautereccæ habitavit, qui suscepit Joh. Fridericum, Carolum Ludov. & Leopoldum Ludovic. quorum hic, fratribus extinctis A.C. 1631. & 1633. pace Monaster. in Comit. *Veldentz* restitutus, patruo A.C. 1654. defuncto *in Lucelstenensi* ditione quoq; successit. V. Phil. Jac. Spen. *Syll. Geneal. Hist.*

Lucemburgum, Vid *Luxemburgum*.

Lucenses, pop. Hisp. Tarr. quorum urbs Lucus, Ptol. V. ibi.

Lucentia, citerioris Hisp. urbs. Romanorum colonia. Mela 2. Vide Voss. *ad Melam p.* 192.

Lucentum, Hisp. Tarr. op. à superiore diversum, quod Ptol. statuit supra Carthaginem, Occas. versus, *Luchena* Beuthero. Nunc vicus regni Valentini, inter Setabim ad Occ. & Dianium ad Ort. 9. leuc. à Valentia in Austr. totidem ab Alona in Bor. Pop. *Lucentes*.

Luceolum, & *i*, Procop. opp. Umbriæ, ad Cantianum fluv. & montem Apenninum, inter Nuceriam 25. & Callium 10. m. p. excisum à Narsete. Locus nunc *Ponte Rezzoli*, Blondo, aliis *Riciuoli* Ejus mentio fit *Itiner. l 3.*

Luceoria, Polonis *Lucko*, Germanis *Lusuc*, urbs ampla Volhiniæ sup. caput Palat. Luceoriensis, Episc. sub Arch. Gnesnensi, ad fluv. *Ster*, cum arce munita, vix 7. leuc. à confinio Russiæ Nigræ in Ort. juxta stagnum, 25. leuc. Pol. à Leopoli in Cæc.

Luceres, tertia pars pop. Rom. temporibus Romuli R. Prop. *l.4.*

Hinc Tatios Rhamnesq; viri Luceresq; coloni.

Ubi Taties pro Tatienses, Rhamnes, pro Rhamnenses, Turneb. *Adverf.* 1. 21. Varro 4. *de L. L. Ager Romanus primum divisus in partes tres, Tatios à Tatio, Rhamnes à Romulo, Luceres à Lucumone.* Sed omnia hæc vocabula Thusca sunt. Ovid. *Fast.* 3.

Quinetiam partes totidem Tatiensibus ille,
Quosq; vocant Rhamnes Luceribusq; dedit.

Vide Passeratium ad Propertii locum adductum.

Luceria, sic enim vocandam censet Osvvaldus Molitor, ipse Lucerinus, aliàs *Lucerna*, Germ. *Lucern*, Gallis *Lucerne*, urbs insignis Helvetiæ, media scinditur Ursa fluv. qui ibi effluit è lacu amplo, per quem ad tres Pagos inde navigatur, vulgò *Lucernersee*, ad pedem altissimi montis, quem Fractum & Pilatum montem vulgò dicunt. Situ sedet commodo; hac enim iter est in Italiam, per Alpes Lepontias, & vicissim Italicæ merces per lacum & Ursam flu. in Rhenum, ac porro in Oceanum descendunt. Nomen inde nacta videtur, quòd illic olim, in navigantium usum, noctu lucerna in turri ad superiorem pontem arderet. Origo urbis in abdito: utrinque ad flumen exstitisse castella singula traditur, quæ ab Alemannis creduntur extructa, è quibus postea urbs sensim creverit, sub Alemanniæ Sueviæque tum ducibus. Et certè jam Carolo M. Lucernates, adversus Saracenos, militasse, & ab eo cùm privilegia quædam, tum cornuum *die harschörner*, quibus hodieque in bello utuntur, usum consecutos esse, referunt Annales domestici. Quidquid horum sit, maxima olim potestas, ut in aliis Germaniæ urbibus, penès collegium Canonicorum, à Wichardo presbytero, circa An. C. 700. fundatum, fuit: Hoc in potestatem Abbatis Murbacensis pervenit, dono Pipini R. Oppido quoque idem Abbas imperavit, usque ad Albertum I. Imp. qui, novum in Helvetiis principatum conditurus, Lucernam quoque ab Abbate emit, salvis tamen ejus privilegiis, quibus jam, sub Abbatibus, fruebatur. Interim, promissorum immemor, multis oneribus cives pressit: qui, novis subinde injuriis irritati, cùm sæpe Austrios suppliciter rogassent, ut pacem cum Pagis, cum quibus bellum magno suo incommodo gerere cogebantur, facerent, frustra re tentatâ, ipsi tandem illam inierunt, integris tamen Austriæ domus juribus. Offendit hoc Austrios, qui proin de urbe per insidias opprimenda consilium ceperunt; quod cùm ante tempus innotuisset, acceleratum fœdus Helveticum est, A.C. 1332. Quo vixdum icto, aperto primùm Marte Lucernates aggreditur Austrius; qui cùm nil prodesset, iterum ad insidias versus, civium compluribus in partes suas pertractis, nocturno insultu urbem intercipere constituit, quod cùm iterum successu caruisset, illos apud Imp. Ludovicum Bav. reos peregit, qui Tigurinis, Bernatibus & Basiliensibus id negotii dedit, ut pacem componerent. Sic factæ induciæ sunt A. C. 1334. quæ iterum tamen in bellum mutatæ, postquam Tigurum A. C. 1351. sese Confœderatis junxit. Tum ab Austriis multùm infestati, Habespurgum arcem ad lacum sitam, trium Pagorum auxilio adjuti, expugnatam funditus everterunt.

Postea,

Postea, novis contumeliis incensi, ope eorundem Rottenburgum arcem A. C.1385. pluresq; alias solo æquarunt, cum reliquis, ad Sempacum victores. Proscripto postmodum Friderico Austrio, in occupandis ejus ditionibus, A. C. 1415. strenuam navarunt operam, sed cùm liberas Provincias, quia soli in potestatem redegerant, sibi solis servare vellent, opposuere se Pagi reliqui, ostendentes, ita, initio belli, conventum, ut quæcunque loca in Vergigenis bello hoc caperentur, communi regerentur imperio. Fœdere dein privato, cum Cantonum quibusdam, percusso, cùm Urii, Suirii & Undervvaldii negarent, licere Lucernatibus absque suo consensu ullum fœdus facere, lis orta, quam Nicolai Eremitæ prudentia sopivit A.C.1480. Urbi sub initia Reformationis Evangelii quoque lux affulgere cœpit, Sebastiano Hoffmanno, Franciscano Theol. D. qui lectoris munere fungebatur, A.C.1522. contra invocationem SS. aliaque Latinæ Eccl. dogmata magno cum zelo concionante; quem M. Conradus Schmidius ibidem strenuè juvit: Sed non solùm uterque mox urbe pulsus est, verùm ut & alibi in Helvetia doctrinæ huic remora injiceretur, d.26. Jan. A. C.1524. in urbe à 12. Cantonibus, solis tum Tigurinis refragantibus, conclusum, edictoque promulgato severè mandatum omnibus est, tenaciter ut recepta dogmata retinerent, sub gravi pœnâ transgressoribus infligenda. Cùm ne sic quidem sisti posset Evangelii ingruentis cursus, & Helvetia, propter discrepantes religiones, in partes abiret, arctiori amicitiâ Lucernates conjuncti cum Uriis, Suitiis, Undervvaldiis & Tugiis, Latinorum rituum retinentibus, cum iis ab eo tempore peculiares conventus, qui plerunque Lucernæ institui solent, frequentare cœperunt. Cæterùm viros edit Lucerna, animi magnitudine præstantes, & ingeniis non pœnitendis: Patria inter alios Osvvaldi Myconii, secundi Basiliensis Ecclesiæ Antistitis. Vid. Stumpf. *de Argovia l.7. c.6. & 7.* Simler. *de Rep. Helv.* Stättlerum, &c. Glareanus de illa sic canit, *in Panegyr. Helv.*

—— Luceria est, summâ dicenda Camœnâ,
Prima salus nostri imperii, miserata labores
Suicia & Urorum, trepidantisq; agmina sylvæ.
Non Leopoldi iras timuit, non Suevica bella,
Pannoniaq; minas, vicos imitata superbos,
Auxit opes, nomenq; suum, Famamq; perennem.
Primaq; cum primis sua fœdera junxit amicis.
Quòdq; à luce datum venerabile nomen haberet,
Non oblita dedit vires, crescensq; levavit
Imperium, luxitq; suis & fœdere vinxit.
Ergo quæ tribus est Vicis, unda, hæc eadem illi est,
Et nomen commune tenent, quod sylva repingit.

Nominantur enim quatuor hi pagi vulgo, *die vier Waldstett*, i.e. Civitates Sylvanæ:

Luceria, Dauniorum colonia, in Apuliâ. Strabo *l.6.* Nunc *Lucera*, Episc. sub Arch. Beneventano, in Capitanata prov. in planitie. 10. mill. in Austr. à Fano S. Severi, 7. à Troja in Bor. 37. à Siponto in Occ. 30. à Benevento in Cæc. Hor. *3.15.*

—— Te lanæ probe nobilem
Tonsæ Luceriam, non citharæ decent.

Luc. *l.6.* *Tu quoq; nudatam commissa deseris arcem*
Scipio Luceria.

Ubi *Nuceriæ* legit Micyllus, quæ in Umbriâ, ubi jam erat Cæsar, & in Piceno. Ptol. Luceriæ meminit, in Gallia Cisalp. Nunc *Luzara sur le Po.* Capta est à Ludovico II. Imp. A. C.866.

Luceria, seu *Nuceria*, Ptol. oppid. Gall. Cispad. nunc est castr. *Luzara*, ad Padum, in Duc. Mantuano; haud pridem concessum Duci Guardistalli, pro bono pacis.

Lucerius, dictus est Jupiter, à *luce*, quam hominibus præstare putabatur, ut Juno *Luceria*.

Lucerna, Helvetiæ civitas culta, *Luceria* Ferrario, 6. leuc. à Berna in Ort. 4. in Eur. à Veteri Vico opp. præcipuo pagi Uriensis, ad lacum, qui ab Ortu in Occ. extensus est, per 24. m.p. inter pagos Lucerinum, Uriensem & Suitium. Cluver. *descr. Germ.* Hist. Helvet. Vid. *Luceria.*

Lucernensis lacus, *Lucernersee* Helvetiis, *Lac de Lucerne* Gallis, ab urbe Lucerna super hoc lacu ad flu. Ursæ effluxum sedente, dictus: plus Lucernatibus commodi, quàm illi ex agro suo hauriunt, affert. Huic jungitur alius *Sylvanius* nominatus, qui in priorem influit, & propriè *der vier Waldstettensee* vocatur, quia medius inter Uriam, Suitium, Undervvaldiam & Tugium stagnat. Ab hoc non longè Occ. versus in pago Sylvanio visuntur parvuli laculi, quorum Orientalior *Huvylsee*: Occidentalior *Lungersee*: ex duobus rivis effunduntur, qui simul juncti influunt *in Sachslersee* laculum, è quo rivus *Aa* fluit, se infra Stantium in Lucernensem lacum præcipitans, Plantinus.

Lucernensis, vel *Lucerinus* pagus, unus ex XIII. Helv. terminatur à Sept. Occ. & Mer. pago Bernensi, ab Ortu pagis Tugiensi, Suitio & Sylvaniensi: Gallis *Canton de Lucerne.* Caput ejus *Luceria* seu *Lucerna*, sedes legati Pontificii. Nomen à Pharo seu lucerna, quæ in excelsa turri, navigantes dirigit, nomen adepta, commercio florens, V. *Lucerna.* Habent autem Lucernates, sub quorum clientela etiam Sursejum opp. est, duos tantùm Præfectos, qui extra urbem in suis habitant Præfecturis, Wikensem & Sempachianum, quorum hic tamen nullum in oppidum jus habet; lacuique tantùm & piscationi præest. Reliquas eorum Præfecturas Senatores urbani administrant, quarum nomina:

Præfectura Pagi Lucernensis.

Berona, cum vicino agro, quem vocant Michaëlis Præfecturam, *Michel ampt.*	Krientza.
Entlibuchia, *Endlibuch.*	Merisuenda, qui vicus ipse sibi Præfectum è Senatu deligit.
Epicona.	Rotenburgum.
Habespurgum.	Weggisium.
Horba.	Willisvium *Willisau.*

Lucetius Jupiter dictus est, linguâ Oscâ, à *luce*, quam hominibus præstat: Latinè *Diespiter*, Festus, A. Gellius, &c.

Luchinus, Vicec. Mediolani, vicarius à Benedicto factus, A.1340.

Lucia, Sicula, seu, ut alii volunt, Romana vidua, à proprio filio, Christianismi accusata, martyrio coronata est sub Diocletiano. Fuit & alia Syracusana, sed virgo, quæ cùm bona à parentibus relicta pauperibus distribueret, à proprio sponso accusata martyrii coronam accepit. Vide Bapt. Mantuanum.

Viri celebres.

Lucianus, presbyter Antiochenus, martyr Nicomediæ sub Maximiniano Galerio, an.312. cadavere ejus in mare præcipitato. Hebraicè doctissimus novam Versionem adornavit, quâ in ædibus Judæi cujusdam repertâ, usos fideles, Hieron. *de Script. & ep. 107. ad Chron.* refert, aliaque scripsit. Dum contra Sabellianos pugnat, Arianis ansam aliquam aperuisse visus est, defensus ab Athanasio, *in Synop.* Quidam tamen discipulorum ejus Ariani facti, nomen illius retinuerunt. Vid. Euseb. *l.8. & 9.* Theodoret. Sozom. Niceph. Suidam, &c.

Lucianus, presbyter Hierosolymit. an.415. Idac. *in Chr.* Gennad. *c.46. & 47.* Marcellin. *in Chron.* Voss. &c. Auctor epistolæ Græcæ, quam Avitus Hisp. latinè vertit.

Lucianus, Samosatensis, genere humili. Cùm ad artificium quoddam mechanicum adhibendus, nil proficeret, studia amplexus est, somnio monitus: & quidem forenses rixas sibi ingratas deprehendens, ad Philosophiam se applicuit, Declamator insignis. Antiochiâ in Joniam, Græciam, Galliam & Italiam profectus, in solum natale, per Mesopotamiam rediit: Sub Marco Aurelio magni nominis, & Ægyptiis reditibus præpositus. Scriptor præstantissimus, & facetissimus, primùm Christianus, demum fidei desertor, sed tandem suæ improbitatis luit pœnas gravissimas, nam à canibus devoratus miserè interiit. Hieron. *in Catal.* Phot. *Cod. 128.* Suidas. V. Voss. *Rhet. c.12.* & *de Hist. Gr. p.232.* ut & *de sectis p.57.* Alius ab hoc est *Lucianus* ille, cujus meminit Laert. *l.6.*

Lucianus Proclus, Senator ætatis provectæ, plerunque ruri vivens. Vide Dionem *in Domitiano.*

Lucifer, Episc. Calaritanus in Sardinia, an.355. à Constantio Imper. cui persuaserat, ut Concilium Mediolani celebraret, ad decidendas controversias tum vigentes, in exilium pulsus, sub Juliano revocatus est, an.361. Antiochiæ, schisma sublaturus, Ecclesiâ in Euzojum Arianum, Meletium & Eustathianos divisâ, Paulinum Episcopum surrogavit, de quo cùm Orthodoxi convenire non possent, dissidium acrius exarsit. Quod cùm vehementer displicuisset Eusebio Vercell. à Concilio Alexandrino ad id ipsum misso, ut pax redderetur Ecclesiæ, Lucifer indignatus, quidquam à se factum irritum reddi, separatione factâ, in Sardiniam concessit: Nomen & originem schismati accommodans, quod multum damni Orbi Christiano dedit: Athanasio, & Hieron. *in Cat. c.95. dial. de Lucif. Chr.* laudatus, & licet à Theodoreto *in hist.* erroris novi auctor dicatur, ab Epiphanio tamen & Philastrio, hæreticis non accensitus: In scriptis suis acerrimus, contra Constantium inprimis, emissis. Opera ejus edita an.1568. Parisiis. Intrepidus porro, zelo fervens, sed flecti nescius. V. Athanas. Augustin. *de hær. & Agone c.30.* Sulpic. Sev. Rufinum, Socr. Sozomenum, Theodoret. &c. Quibus addi potest, apud Bartholomæum Gobetum, Calari impressa, an. 1639. *Defensio sanctitatis B. Luciferi & Primatus Arch. Calaritani.*

Lucifer, una errantium stellarum, quam & *Venerem* appellamus, quæ manè Solem præcedens, unaque cum Aurorâ sese ostendens (unde & Auroræ filius fingitur) *Lucifer* dicitur; vesperi autem Solem subsequens, *Hesperus* nominatur. Virgil. *Æn. 8.*

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cælo, tenebrasq; resolvit.

Val. Flaccus *lib.6.*

—— Qualis roseis it Lucifer alis,
Quem Venus illustri gaudet producere cælo.

Luciferi fanum, quod lucem dubiam Ἀωσφόρον appellant, inquit Strab. *l.3.* Hisp. Bæticæ op. *S. Lucar de Barameda* Floriano.

Luciferiani, qui in schismate, cujus Lucifer auctor, perstiterunt; Animam esse ex traduce docuisse videntur, Aug. *de hær. cap. 81.* Numerosi Treviris, Romæ, in Hispania, Ægypto & Africa; per Marcellinum & Faustinum literas supplices obtulerunt Theodosio, Valentiniano & Arcadio, inter An. 384. & 388. à Sozomeno *lib.5. cap. 12.* & Socrate *lib.3. cap.7.* damnati, à S. Ambrosio, *de obitu Sat.* & Rufino, *l.1. c. 30.* refutati. Desiit schisma

Flavia.

Flaviani, qui Meletio successit, prudentiâ, sub Theodosio M. Vid. Hieron. *adv. Lucif.* Augustin. *de hær. c.*81. *&c.*

Lucilius, centurio, cui militaribus facetiis vocabulum *cedò alteram* indiderant, quia fractâ vite in tergo militis *alteram* clarâ voce, ac cursus *aliam* poscebat; à seditiosis legionibus in Pannoniâ, sub initia Principatûs Tiberii, ob severitatem disciplinæ occisus.

Lucilius, Eques Rom. vetus, & venustus poeta, patriâ Auruncanus, unde *magnus Auruncæ alumnus* dicitur Juvenali, *Sat.*1. qui primus Latinorum Satyras scribere aggressus est, seu ut Quintil. *l.*10. *c.*1. Plin. *in præf. hist. nat.* ajunt, *primus condidit styli nasum*. Pacuvio, & Accio florentibus viguisse, docet Velleius *libro altero*, & Quintil. 17. 21. Natus est Olymp. 153. ut apud Hieronymum *in Chronico* est, ex Suetonio. Ac ibidem legas Olymp. 169. U.C. 651. Neapoli mortuum an. ætatis 46. ac publico funere elatum. Magnus fuit Magni Pompeii avunculus, uti testatur Porphyrio. Libb. 30. scripsit, de quibus fragmenta quædam Franc. Douza, Jani fil. cum notis egregiis edidit. Comœdia quoque & hymni aliquot ipsi tribuuntur. Vide Horat. *l.*1. *Sat.* 10. ubi *Græcis intacti carminis auctor* dicitur, & quæ istic interpretes annotarunt. Adde Hier. *in Chr.* Voss. & Lil. *de Poëtis*. *L. Lucilius* homo doctus & perurbanus, dicere solebat, ea quæ scriberet, neque ab indoctis legi velle, neque à doctissimis, quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quàm ipse de se, Cic. *l.*2. *de Oratore*. *Lucilius* Bassus, Judææ legatus, A.D. 74. Item miles quidam fortissimus Rom. qui cùm videret inclinatam aciem Bruti apud Philippos, obtulit se periculo, ac in medias hostium manus irrupit, ut ipse Bruto tempus ad fugam faceret. V. infra.

Lucilius, Italus, ob Atheismum, quem docuit, Tholosæ ad mortem condemnatus, cùm juberetur Deum, Regem & Justitiam veniam poscere: Respondit, Deum non esse, Regem se nunquam offendisse, Justitiam Diabolo se tradere. Addiditque duodecim socios Neapoli exiisse, in universum orbem, doctrinam hanc detestandam disseminaturos. Exustus, postquam lingua ipsi execta, an. 1619.

Lucilius Bassus, post præfecturam alæ, Ravennati simul & Misenensi classibus à Vitellio præpositus, quòd non statim præfecturam Prætorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosâ defectione ad Vespasianum ultus est. Tacit. *Hist.* 2. 100.

Lucilius Capito, Procurator Asiæ, accusante provinciâ, causam dixit, magnâ cum asseveratione Tiberii, non se jus, nisi in servitia & pecunias familiares, dedisse; quòd si vim Prætoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua, audirent socios. Ita reus cognito negotio damnatur. Tacit. 4. 15.

Lucilius Longus, omnium Tiberio tristium lætorumque socius unusque è Senatoribus Rhodii secessus comes. Cui defuncto C. Asinio, C. Antistio Coss. nono Tiberiani Imperii anno, quanquam novo homini censorium funus, effigiemq; apud forum Augusti publicâ pecuniâ Patres decrevêre. Tacit. 4. 15.

Lucilla, virgo, filia Nemesii Trib. sub Valeriano passa est. Volat. Item, Mater Marci Aurelii Imp. Item, soror Commodi, ab hoc honore, *libertate* & vita orbata. *Dio, Lamprid.*

Lucilla, fœmina Hispana, *opulenta*, à *Schismaticis* Carthagin. seducta, ut ejus opibus nixi Cæciliano majori cum successu resisterent. A.C. 306. V. *Cæcilianus*. Item, filia Marci Aurelii, Lucio Ælio Vero, in consortium Imperii ascito, uxor data.

Lucilliacum, vulgò *Lesillay* aut *Lezillé*, vicus Galliæ inter Carum & Andriam flu. memoratus Gregorio Tur. *l.* 10. *c.*31. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Lucilliburgus castrum, quasi Lucillii Burgus: Gall. hodie *Luxembourg*, Germanis *Lutzenburg*, opp. nunc est, caput Ducatus illustris cognominis, septem Comitivas & vicos 1169. complexi ad flu. Alisontiam. V. Hadr. Val. *Not. Gall.* & infra in voce *Luxemburgum*.

Lucillus, Consul cum Valeriano Augusto, an. U.C. 1019.

Lucillus Philalethæus, Medicus insignis, scripsit, Methodum recitandi curas, &c. Siml. *in Bibl.* Vander Linden, *de Scr. Med.*

Lucillus Tarrhæus, historiam urbis Thessalonicensis condidit, teste Stephano in Θεσσαλονίκη. Contexuit quoque Scholia in Argonautica Apollonii, ut ex præfatione Anonymi Græci constat. Edidit & adagia. Sanè Zenobius indicat se proverbia sua ex Tarrhæo ac Didymo collegisse. Vossius, Tzetzes, *Chil.*8. *Hist.*159. *&c.*

Lucina, Dea partuum præses, quæ & *Juno* dicitur, & *Diana*. Dicta, quòd *lucem* nascentibus tradere crederetur, unde & *Lucetia* dicta est. Vel à *luco*, in quo ei ædes, ubi lotos erat miræ vetustatis, Thom. Dempsterus *Antiq. Rom. lib.*2. *cap.* 6. Eidem Kal. Martiis templum in Esquiliis datum est, Idem *l.* 4. *c.* 7. Fuit quoque *Ops* vel *Opis* dicta. Prop. *l.*4.

—— *Cùm Cynara traheret Lucina dolores.*

Ovid. *Fast.* 2.

Gratia Lucina dedit hæc tibi nomina lucus,
Seu quia principium tu Dea lucis habes.

Vide eundem *Fast.* 6. *&* *Met.* 9. Catullus,

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis. Vide *Ilithyia*.

Lucina, nobilis Romana, à Piniano marito conversa: A Tyranno Maxentio, in proscriptorum numerum relata est, &c.

Luciona, Gall. *Luçon*, urbec. Pictavii, prope paludes. Episc. sub Arch. Burdigalensi, ei à Johanne XXIII. attributa, 2. leuc. ab ora Oceani Aquit. sed sine muris; 6. à Maleaca, uti 24. à Pictavis in Occ. à Rupella 6. in Bor. Duchenius *Antiq. Urb.* Item urbs & insula. V. *Philippina*.

Propheta, Reges, Pontifices.

Lucius, viri proprium, qui luce oriente natus est.

Lucius nomen prophetæ. Et Pauli cognatus. Rom. 16.

Lucius, fil. Coyli, Rex M. Britanniæ, impetratis ab Eleutherio Episc. R. Fulgatio & Damiano, Evangelii præconibus, cum subditis suis, baptizatus est. A. C. 183. Tum loco trium Archiflaminum, tres Archiepiscopi: & loco 28. Flaminum, totidem Episcopi constituti sunt, & templum D. Petri, quod hodiè *West Monasterium*, sepulchris Regum celebre, idem condidisse dicitur. Beda *l.*1. *c.*4. Ado *in Chr.* Polyd. Virg. *Hist. l.*2. &c.

Lucius I. Romanus, Rom. Episcopus, An. Dom. 253. post Cornelium, paulo pòst in exilium pulsus. Restituto dein Cyprianus *ep.* 59. gratulatus est, Obiit martyr, sub Gallo & Volusiano Impp. Euseb. *in Chron. & Histor.*

Lucius II. Rom. Pontifex. An. Dom. 1144. Bononiensis, prius Gerardus dictus, successit Cœlestino II. Senatores in Capitolio obsidens, quòd moti Arnoldi Clerici auctoritate, Pontifices in ordinem redigere conarentur, lapide percussus, Obiit an. 1145. Otto Frising. *l.*7. *c.*31. Successit Eugenius.

Lucius III. Rom. Pontifex. An. Dom. 1181. Lucensis, prius *Humbertus*, successit Alexandro III. à Romanis pulsus, Veronam concessit. Restitutus eôdem rediit, ubi cum Friderico Imp. ob jura quædam, contendit, Obiit an. 1185. Ejus Epitaphium:

Luca dedit tibi lucem Luci, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori:
Imo Verona dedit tibi lucis gaudia, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

Duchenius, *hist. Pap.* Ciacconius, Onuphr. & Genebr. *in Chr.*

Viri illustres.

Lucius, Consul cum Herodiano, aliàs Heraclio an. U.C. 1166.

Lucius, Adrianopolit. Episc. ab Arianis, sub Constantio, in exilium pulsus & catenarum pondere enectus. an. 347. Aug. *ep. ad Solit.*

Lucius Ælianus, Cos. collega Pastoris, an. U.C. 915.

Lucius Ælius Commodus Verus, & M. Ælius Antoninus philosophus Divi F. AA. 18. Rom. Imperatores, regnarunt annis 19. Tum primùm Rom. Resp. duobus æquo jure imperium administrantibus paruit an. U. C. 913. V. infra.

Lucius Ælius Lamia, Cos. collega M. Servilii an. U. C. 755.

Lucius Ælius Mamercus, Mag. equitum, an. U.C. 414.

Lucius Ælius Mamercus, Cos. cum Qu. Publ. Philone, Latinos per deditionem subegit, an. U. C. 417.

Lucius Æmil. Barbula, Cos. cum Q. Martio Philip. an. U.C. 472.

Lucius Æmil. Mamer. Cos. cum Cæsone Vibulano, an. U.C. 270.

Lucius Æmil. Mamer. Cos. cum C. Plancio Deciano, an. U.C. 429.

Lucius *Æmilius Mamercus*, Cos. cum *C. Servilio Prisco*, an. U. C. *286*. 2. Cos. cum *Vopisco Julio Tullio*.

Lucius Æmilius Mamertinus, Trib. Mil. an. U. C. 377. 2. Cos. cum C. Genutio an. U. C. 393.

Lucius Æmilius Paulus, Cos. cum Attilio Regulo, agrum Boiorum vastavit, triumphum duxit, an. U. C. 129.

Lucius Æmil. Paulus, Cos. cum M. Livio, Dimalem Illyrii civitatem vi cepit, Polyb. *lib.* 3. an. U. C. 535. 2. Cos. cum C. Terentio Varrone, occubuit, ad Cannas, cæsis Romanis an. U. C. 538.

Lucius Æmil. Paulus, Cos. cum Cn. Bœbio Pamphilo, receperunt in fidem Ligures. 2. Cos. cum C. Licinio Crasso, Perseum vicit, ac cecidit, Macedoniamque subegit. Liv. 5. *Decad.* 5.

Lucius Æmil. Paulus, Cos. cum Cl. Marcello, an. U.C. 704.

Lucius Afranius, Cos. cum Q. Cæcilio Metello Celere, Anno U. C. 695.

Lucius Anitius Gall. Cos. cum M. Corn. Cethego, an. U.C. 594.

Lucius Annæus, Ep. Mogunt. ab Arianis, an. 353. in Phrygiam relegatus & strangulatus est.

Lucius Annius Antoninus Verus, aliàs etiam dictus *Lucius Ælius Commodus Verus*, cum fratre & socero M. Antonino philosopho, ejusdem fratris benignitate, imperavit, tumq; primum Romana Respublica, duobus æquo jure imperium administrantibus paruit, an. ab urbe 913. Hic contra Parthos à fratre missus, qui tum primùm post victoriam Trajani rebellaverant, Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces & ingentia patravit. Seleuciam Assyriæ urbem nobilissimam cum 500000. hominum cepit. Parthicum triumphum revexit, cum fratre eodemq; socero triumphavit. Deinde cum fratre ad Marcomannicum bellum profectus, in itinere periit apoplexia, sedens cum fratre in vehiculo. Ingenii fuit parùm civilis, reverentiâ tamen nihil unquam atrox ausus, erat enim solus frater Imper. à Senatu dictus. Obiit an. Imperii fratris, & sui, 11. tunc M. Antoninus solus tenuit Imperium. Ii autem fratres dicuntur, non quòd sint iisdem parentibus prognati, sed, quatenus licet ex autoribus historicis colligere, quòd M. Antoninus sorori hujus primùm nupserit: tum etiam quòd ambos adoptarat Antoninus Pius, vel potius, quòd ex eadem matre nati sint. Jul. Capit.

Lucius Annius Fabianus, Cos. cum Martio Nonio Mutiano, an. *U. C.* 953.

Lucius Antistius, Trib. Mil. an. *U. C.* 377.

Lucius Antistius Vetus, cos. cum Cl. Nerone Cæsare, Anno *U. C.* 807.

Lucius Antoninus, sive *Aurelius Commodus* Rom. Imperator 18. regnavit annos 13. successit patri M. Antonino Philosopho, cœpitq; post patrem imperare anno mundi 4142. à Christo nato 180. à primâ statim pueritiâ turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore pollutus, constupratusque, 300. concubinas & 300. pueros in deliciis habuit, Æl. Spartianus: Colossi capite sublato suæ imaginis caput jussit imponi. Hercules, ac Deus voluit vocari. In scena sæpe aurigæ habitu prodiit. Ludis gladiatoriis, & Dalmaticatus præsedit in amphitheatro, gladiator dimicavit. Athletarum etiam more publicè se exercuit, quæ omnia actis inserenda publicis curavit. Cùm à patre decrepito moneretur, ut ne attritos jam barbaros sineret vires recipere, respondit: *Ab incolumi, quamvis paulatim, negotia perfici posse, à mortuo nihil.* In summa, nihil paternum cùm referat, jure à multis *nothus* dicitur: Is tandem, autoribus Læto & concubina Martia, strangulatur, anno ætatis 32. Imperii 13. tanta omnium execratione, ut hostis humani generis etiam mortuus judicaretur. Eutrop. *lib.* 8. Egnat. Vict. Jul. Capit. Oros. *l.* 7. *c.* 16.

Lucius Antonius, frater M. Antonii, Cos. cum P. Servilio Isaurio, seditionem movit adversus Cæsarem, apud Perusiam victus est. Appian. *l.* 4. Florus 4. 7.

Lucius Antonius, fil. Marci Antonii, ex Fulvia, qui ex Marcella, vidua Agrippæ, filium Agrippam suscepit, Massiliæ mortuum. Dio, Plut. Tac. & Sueton. *in Augusto.*

Lucius Apruſtius, Cos. cum M. Valerio Levino, an. *U. C.* 528.

Lucius Aquilius Corvus, Trib. Mil. an. *U. C.* 368.

Lucius Arianus, in sedem Alexandrinam, tempore Athanasii, intrusus est, An. 361. post mortem Georgii, similiter Ariani. Sed decimo pòst anno, Athanasio mortuo, Petrus legitimè electus, successit. Lucio, cui Valens Imp. favebat, obnitente, imo in fideles immaniter sæviente: Donec Anno 377. hic deturbatus, periit, Socrates *lib.* 3. & 4. Sozom. *l.* 5. & 6. Theodoret. *l.* 4. *c.* 18. 19. 20. Greg. Naz. *Orat. in laud. Her.*

Lucius Aruntius, Cos. cum M. Æmilio Lepido, an. *U. C.* 758.

Lucius Aruntius, Cos. cum C. Cl. Marcello, A. D. 731.

Lucius Asinius Cos. cum P. Mario, an. *U. C.* 814.

Lucius Atratinus, Cos. cum L. Scribonio Libone, Anno *U. C.* 720.

Lucius Attilius Longus, Trib. Mil. an. *U. C.* 311.

Lucius Aurelius Cotta, Cos. cum Servio Sulpitio Gallo, Anno *U. C.* 610.

Lucius Aurelius Cotta, Cos. cum L. Cæcilio Metello, Anno *U. C.* 635.

Lucius Aurelius Cotta, Cos. cum Lucio Octavio, an. *U. C.* 679. 2. Cos. collega L. Manlii Torquati, an. *U. C.* 689.

Lucius Aurelius Orestes, Cos. cum Sex. Julio Cæsare, Anno *U. C.* 597.

Lucius Aurelius Orestes, Cos. cum M. Æmilio Lepido, Anno *U. C.* 628.

Lucius Aurel. Orestes, Cos. cum C. Mario Nepote, Anno *U. C.* 651.

Lucius Cæcilius Metellus, Cos. cum C. Servilio Tucca, Anno *U. C.* 469. 1. Cos. cum M. Fabio Buteone, an. *U. C.* 506.

Lucius Cæcil. Metellus, Cos. cum L. Aurelio Cotta, Anno *U. C.* 635.

Lucius Cæcil. Metellus Creticus, Cos. cum Q. Martio Vatiâ, an. *U. C.* 686.

Lucius Cæcil. Met. Diadema, Cos. cum Q. Mutio Scævola, an. *U. C.* 637.

Lucius Cæsianus, Cos. cum Caio Cæsare Caligulâ, Anno *U. C.* 790.

Lucius Calph. Bestia, Cos. cum P. Scipione Nasica, Anno *U. C.* 743. quo bellum Jugurthinum factum est. In quo Bestia pecuniâ muneribusque corruptus, pacem cum Jugurthâ fecit. Oros. 5. 5.

Lucius Calph. Piso, Cos. cum C. Mutio Scævolâ, Anno *U. C.* 617.

Lucius Calph. Piso, Cos. cum M. Druso Livio, an. *U. C.* 739.

Lucius Calph. Piso, Cos. cum Cosso Corn. Lentulo, Anno *U. C.* 753.

Lucius Calph. Piso, Cos. cum M. Licinio Crasso, Anno *U. C.* 570.

Lucius Calph. Piso, Cos. cum Cl. Nerone Cæsare, Anno *U. C.* 809.

Lucius Cassius Longinus, Cos. cum L. Corn. Cinnâ, Anno *U. C.* 627.

Lucius Cassius Longinus, Cos. cum C. Mario Nepote, Anno *U. C.* 647.

Lucius Cejonius Commodus, qui & *Ælius Verus*, ab Adriano ævo jam ingravescente morbisque tristioribus presso, adoptatus est, anno mundi 4098. à Christo nato 136. ab urbe 888. Hic tantùm Cæsar est appellatus, & ab Adriano in Æliorum familiam ascitus, hoc est, in Adriani transcriptus: Prætor factus est, & Pannoniis dux ac rector impositus, mox etiam Consul creatus. Hic solus omnia quæ cuperet, vel per literas, impetrabat ab Adriano, cui (ut ajunt) acceptior formâ quàm moribus fuit: attamen Reip. non omnino inutilis fuit, etsi delicatè vixerit. Nam lectum mollem ac voluptarium extruxit, minuto reticulo undique inclusum, eminentibus quatuor anaclinteriis, eumque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat, jacensque cum concubinis, velamine de liliis facto se tegebat, unctus odoribus Persicis: præterea accubationes, ac mensas de rosis ac liliis, & quidem purgatis fecit, quæ etsi non decora, non tamen ad publicam perniciem sunt. Libros amorum Ovidii in lecto semper habuit, Martialem, Virgilium suum dixit. Cursoribus suis exemplo Cupidinum, alas sæpe apposuit, ventorumque nominibus vocitavit, indefessè faciens eos cursitare. Uxori conquerenti de extraneis voluptatibus, dixit, *patere me per alias, exercere cupiditates meas, uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Hic tandem valetudinarius obiit, superstite etiam Adriano, sepultusque est imperatorio funere, Jul. Cap. in *Cejonio.*

Lucius Cornelius Cinna, Cos. cum L. Cassio Longino, Anno U. C. 627. 2. Cos. cum C. Mario Nepote an. U. C. 668. 3. Cos. cum Cn. Papyrio Carbone, an. U. C. 669. 4. Cos. cum eodem, an. U. C. 670.

Lucius Corn. Lentulus, Cos. cum Q. Pub. Philone, Anno U. C. 428.

Lucius Corn. Lent. Cos. cum M. Curio Dentato, an. U. C. 778.

Lucius Corn. Lent. Cos. collega Julii Appuli, an. U. C. 555.

Lucius Corn. Lent. Cos. cum C. Martio, an. U. C. 598.

Lucius Corn. Lent. Cos. cum L. Mummio Achaico, Anno U. C. 608.

Lucius Corn. Lent. Claudianus, Cos. cum Q. Fulvio Flacco, an. U. C. 316.

Lucius Corn. Maluginensis, Cos. cum Q. Fabio Vibulano, an. U. C. 295.

Lucius Corn. Merula, Cos. cum Q. Mutio Thermo, Anno U. C. 561.

Lucius Corn. Scipio Interrex, an. U. C. 404.

Lucius Corn. Scipio, Cos. cum Cn. Domitio Calvino, Anno U. C. 423.

Lucius Corn. Scipio, Cos. cum C. Fulvio Centumalo, an. U. C. 423.

Lucius Corn. Scipio, Cos. cum C. Aquilio Floro, an. U. C. 493.

Lucius Corn. Scipio Asiaticus, Cos. cum C. Lælio Africano, an. U. C. 564.

Lucius Corn. Sylla, Cos. cum Pompejo Ruffo, an. U. C. 666. Inter hunc & Marium contentio orta est, propter Mithridaticum bellum. Dictator cùm esset, multos proscripsit, tyrannidem exercuit, Romanorum primus fuit, qui cives suos morte multavit, Anno U. C. 674. deposito magistratu vitam vixit privatam. Plut. In campo Martio sepultus est.

Lucius Corn. Sylla, Cos. cum Serv. Sulpitio Galba, an. U. C. 785.

Lucius Corn. Syllanus, Cos. cum P. Valerio Asiatico, Anno U. C. 798.

Lucius Cornificius, Cos. cum Sext. Pompeio, an. U. C. 719.

Lucius Domitius Ænobarbus, Cos. cum C. Cæcilio Caldo, an. U. C. 660.

Lucius Domitius Ænobarbus, Cos. cum Ap. Cl. Pulchro, an. U. C. 791.

Lucius Domitius Ænobarbus, Cos. cum Pub. Scipione, Anno U. C. 738.

Lucius Ebutius Helva, Cos. cum P. Servilio Prisco, an. U. C. 291. quo tempore grassata est pestis, & mortem obiere Consules. Liv. *libr.* 3.

Lucius Fonteius Capito, Cos. cum C. Vipsanio Aproniano, an. U. C. 811.

Lucius Fulvius Curvus, Cos. cum Q. Fabio Rutiliano, Anno U. C. 432. Is magister equitum cùm esset, Samnites fudit, fugavitque, an. U. C. 438.

Lucius Furius Camillus, Trib. Mil. an. U. C. 358.

Lucius Furius Camillus, Cos. cum Ap. Claudio Crasso, Anno U. C. 406. Iterum Cos. collega D. Junii Bruti Scævæ, an. U. C. 430.

Lucius Furius Medullinus, Cos. cum C. Manilio Vulsone, an. U. C. 280. Alius Cos. cum C. Corn. Cosso, an. U. C. 347.

Lucius Furius Medullinus, Trib. Mil. an. U. C. 331.

Lucius Furius Purpureo, Cos. cum M. Claudio Marcello, Anno U. C. 558.

Lucius Furius Tricipitinus, Trib. Mil. an. U. C. 375.

Lucius Geganius Macerinus, Trib. Mil. an. U. C. 378.

Lucius Gellius Publicola, Cos. cum M. Cocceio, an. U. C. 718.

Lucius Genutius Aventinensis, Cos. cum Lucio Æmilio Mamerco, an. U. C. 383. 2. Cos. cum Q. Servilio Ahalâ, an. U. C. 394.

Lucius Genutius Aventinensis, Cos. cum Ser. Corn. Ruffo, an. U. C. 451.

Lucius Genutius Clepsina, Cos. cum C. Quintio Claudio, an. U. C. 492.

Lucius Horatius Barbarus, Trib. Mil. an. U. C. 331.

Lucius Hostilius Pulvillus, Trib. Mil. an. U. C. 470.

Lucius Hostilius Mancinus, Cos. cum Q. Fabio Max. Æmiliano, an. U. C. 690.

Lucius Julius, Trib. Mil. an. U. C. 317.

Lucius Julius, magister equitum, an. U. C. 325.

Lucius Julius Libo, Cos. cum M. Atilio Regulo Serrano, an. U. C. 486.

Lucius Julius Tullus, Cos. cum L. Papyrio Crasso, Anno U. C. 327.

Lucius Julius Tullus, Trib. Mil. an. U. C. 359.

Lucius Julius Tullus, Cos. cum M. Æmilio Lepido, Anno U. C. 688.

Lucius Junius Brutus, vide *Brutus*.

Lucius Jun. Pullus, Cos. cum Ap. Claudio Pulchro, an. *U. C.* 504.

Lucius Lentulus Cruscellus, Cos. cum C. Claudio Marcello, an. U. C. 705.

Lucius Licinius Crassus, Cos. cum Q. Mutio Scævola, Anno U. C. 659.

Lucius Licinius Lucullus, Cos. cum A. Posthumio Albino, an. U. C. 603.

Lucius Lucretius Flavus, Cos. cum Serv. Sulpitio Camerino, an. U. C. 363.

Lucius Lucretius Tricipitinus, Cos. cum T. Veturio Gemino, an. U. C. 292.

Lucius Ludovicus, Professor Organi in Academ. Basiliensi celeberrimus: docendi methodo incomparabilis. Unde à Joh. Ernesto Saxoniæ D. & Ludovico Principe Anhaltino, ad ordinandas in ditionibus suis scholas evocatus est, circa A. C. 1618. Ejus præter alia, *Organum Aristotelis, comm. analytico & paraphrastico, tabulis quinetiam synopticis perpetuis illustratum, ac discentium usibus accommodatum*, & *Historia Jesuitica*, Latinè Germaniceque edita, Famam meruere. Floruit ante annos circiter 30.

Lucius Manlius, Proconsul ab Herculeio Sertorii legato victus est, An. Dom. 676. Flor. 3. 22.

Lucius Manlius Accidinus, Cos. cum Q. Fulvio Flacco, Anno *U. C.* 575.

Lucius Manlius Capitolinus, Trib. Mil. an. *U. C.* 334.

Lucius Manlius Imperiosus, Dictator, an. *U. C.* 393.

Lucius Manlius Regulus, Cos. cum Q. Cæditio Longo, an. *U. C.* 497.

Lucius Manlius Torquatus, Cos. cum L. Aurelio Cottâ, Anno *U. C.* 689.

Lucius Manlius Volso, Cos. cum C. Attilio Regulo Serrano, an. *U. C.* 503.

Lucius Martius Censorinus, Cos. cum M. Manlio, Anno *U. C.* 605.

Lucius Martius Philippus, Cos. cum Sext. Julio Cæsare, an. *U. C.* 663.

Lucius Martius Philippus, Cos. cum Cn. Lentulo Marcellino, an. *U. C.* 698.

Lucius Memmius Regulus, Cos. cum Virginio Ruffo, Anno *U. C.* 815.

Lucius Menenius Lanatus, Cos. cum Sestio Vaticano, Anno *U. C.* 302.

Lucius Menenius Lanatus, Cos. cum Proculo Geganio Macerino, an. *U. C.* 315.

Lucius Metellus Calvus, Cos. cum Q. Fab. Max. Serviliano, an. *U. C.* 612.

Lucius Minutius Decemvir, an. *U. C.* 304.

Lucius Minutius Carbetus, Cos. cum C. Nautio Rutilio, an. *U. C.* 296.

Lucius Minutius Ruffus, Cos. cum Flavio Domitiano, Anno *U. C.* 840.

Lucius Munatius Plancus, Cos. cum M. Æmilio Lepido, Anno *U. C.* 712. V. *Munatius*.

Lucius Murena, Cos. cum D. Junio Syllano, an. *U. C.* 692.

Lucius Norbanus Balbus, Cos. cum M. Syllano, an. *U. C.* 771.

Lucius Novius Asprenas, Cos. cum M. Aquilio Juliano, Anno *U. C.* 791.

Lucius Octacilius Crassus, Cos. cum Val. Flacco, An. *U. C.* 492.

Lucius Octavius, Cos. cum Aurelio Cottâ, an. *U. C.* 679.

Lucius Opimius, Cos. cum Q. Fab. Maximo, an. *U. C.* 633.

Lucius Ostius, tempore bellorum civilium, patrem suum proscriptum, quem Triumviri ad supplicium perquirebant, latentem prodidit, ut ejus bona acciperet. Plut.

Lucius Papyrius Crassus, Cos. cum M. Corn. Maluginensi, an. *U. C.* 319.

Lucius Papyr. Crassus, Cos. cum Cæsone Duillio Helva, an. *U. C.* 420. 2. Cos. cum L. Plancio Venoce, an. *U. C.* 425.

Lucius Pap. Crassus, Trib. Mil. an. *U. C.* 387.

Lucius Pap. Cursor, Cos. cum Sp. Carvilio Max. an. *U. C.* 460. 2. Cos. cum Sp. Carvilio Max. an. *U. C.* 481.]

Lucius Pap. Mugillanus Cursor, Cos. cum C. Pat. Balbo, Anno *U. C.* 429. Idem Dictator, an. 430. 2. Cos. cum Publio Philone, an. *U. C.* 434. 3. Cos. cum Q. Ælio Ceritano, an. *U. C.* 435. 4. Cos. cum Pub. Philone, an. *U. C.* 440.

Lucius Pap. Mugillanus, Cos. cum C. Junio Bruto Bubulco, an. *U. C.* 492.

Lucius Pap. Mugillanus, Cos. cum C. Servilio Halâ, an. *U. C.* 339. Trib. Mil. an. *U. C.* 334. Interrex, an. *U. C.* 335.

Lucius Passienus Ruffus, Cos. cum C. Calvisio Sabino, Anno *U. C.* 750.

Lucius Patrensis, Metamorphoses Græcè edidit, quas Lucianus, in Asino aureo, sicut hunc Apulejus imitatus est: nisi fortè hic immediatè Lucium παρέφρασεν. Photius *cod.* 129. Salmas. *in Proleg. ad Solin.* Voss. *de H. G. l.* 4.

Lucius Pinarius Ruffus, Cos. cum P. Furio Medullino, Anno *U. C.* 282.

Lucius Piso Cæsonianus, Cos. cum M. Livio Druso, an. *U. C.* 642.

Lucius Piso Cæsonianus, Cos. cum A. Gabinio, an. *U. C.* 696.

Lucius Plautius Venox, Cos. cum L. Papyrio Crasso, Anno *U. C.* 425.

Lucius Plautius Venox, Cos. cum M. F. Flacco senatore, Anno *U. C.* 436.

Lucius Plotius, inter alios, puero Cicerone, fuit insignis dicendi præceptor, L. Crassi temporibus.

Lucius Pomp. Flaccus, Cos. cum C. Cæcilio Ruffo, Anno *U. C.* 769.

Lucius Pompilius Volsus, Trib. Mil. an. *U. C.* 356.

Lucius Pomponius, Dux Romanorum, in Germania, sub Claudio, Cattos vicit, meruitque triumphum. Poëta insignis. Tacitus *in Annal.*

Lucius Pomponius Ælianus, cum Salonio Amando, caput seditiosorum, qui *Bagaudæ* dicti, quasi nudipedes, Galliam aliquandiu infestarunt, à Maximiniano oppressi.

Lucius Portius Cato, Cos. cum C. Pompejo Strabone, Anno *U. C.* 665.

Lucius Porcius Censorinus, Cos. cum C. Calvisio Sabino, an. *U. C.* 715.

Lucius Porcius Licinius, Cos. cum P. Clodio Pulchro, Anno *U. C.* 570.

Lucius Posthumius Albinus, Trib. Mil. an. *U. C.* 359.

Lucius Posthumius Albinus, Cos. cum M. Popilio Lænate, an. *U. C.* 581.

Lucius Posthumius Albinus, Cos. cum Q. Opimio, an. *U. C.* 606.

Lucius Posthumius Megillus, Cos. cum T. Minutio Augurino, an. *U. C.* 449.

Lucius Posthumius Megillus, Cos. cum Q. Manlio Vitulo, an. *U. C.* 491.

Lucius Posth. Regillus, Trib. Mil. an. *U. C.* 375.

Lucius Quintius, Judææ procurator à Cæsare constitutus, Judæos Mesopotamiâ expulit, multa millia interfecit, Anno *U. C.* 867.

Lucius Quintius, in Valerii Consulis locum suffectus, Anno *U. C.* 291.

Lucius Quintius Capitolinus Barbatus, Cos. cum Agrippâ Menenio Lanato, an. *U. C.* 316.

Lucius Quintius Cincinnatus, in opere arans inventus, sudore deterso ab aratro arcersitus ad fasces, togam prætextam accepit, Dictatorque est creatus, anno mundi 3506. ante Christum natum 456. Anno U. C. 370. Hic mox sumpto honore, instructoque exercitu, cæsis hostibus victor exercitum Romanum liberavit. Minutius Conf. ab Equis & Volscis superatus, fugerat, ac fame, ferroque cingebatur, actumque infeliciter foret, ni Quintius ipsi, qui jugum boum Equis imposuit, victoriamque quasi stivam tenens, subjugatos hostes præ se egit, ei succurrisset, hinc triumphavit. Castris hostium receptis, plenis rerum omnium (nudos hostes emiserat) prædam omnem suo tantùm militi dedit, Consularem exercitum, ipsumque Consulem increpans, *Carebis*, inquit, *prædæ parte miles ex eo hoste, cui propè præda fuisti*. Titus Livius *libr.* 3. Eutrop. *libr.* 1. Et Romæ quidem hic L. Quintius Cincinnatus ob egregiam hanc partam victoriam meritò triumphum egit. Tandem Dictatura (qui erat summus honos) se abdicavit, rursusque rus ad agriculturam divertit. De hoc ita Persius *Sat.* 1.

Unde Remus, sulcoq; terens dentalia Quinti,
Quum trepida ante boves Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum Lictor tulit.

Lucius Quint. Crispinus, Cos. cum Druso Nerone, an. *U. C.* 446.

Lucius Quintius Flaminius, Cos. cum Cn. Domitio Ænobarbo, an. *U. C.* 562.

Lucius Quintius Flaminius, Cos. cum M. Licinio Balbo, Anno *U. C.* 604.

Lucius Quint. Gulo, Cos. cum Q. Fab. Max. Pictore, an. *U. C.* 484.

Lucius Racilius Volso, Trib. Mil. an. *U. C.* 357.

Lucius Ragonius, Cos. cum Severo, an. *U. C.* 986.

Lucius Scipio Asiaticus, Cos. cum C. Norb. Balbo, an. *U. C.* 671.

Lucius Scribonius Libo, Cos. cum L. Atratino, an. *U. C.* 710.

Lucius Scrib. Libo, Cos. cum Sisennâ Statilio Tauro, Anno *U. C.* 768.

Lucius Sempronius Atratinus, Cos. cum L. Papyrio Mugillano, an. *U. C.* 311. Trib. Mil. an. *U. C.* 336.

Lucius

Lucius Septimius Severus, 21. Romanorum Imper. anno U. C. 946. Apud Cyzicum Æmilianum Nigri ducem fudit fugavitque: Rursus in Bithynia Nigri milites à Severianis victi sunt. Ad Issicum sinum in Cilicia Niger iterum fugatus est, & in suburbano quodam capite truncatus. Clodium Albinum apud Lugdunum vicit fugavitque & civitatem incendit. Albini caput Romam misit. Superato Albino, Senatores & Optimates quàm plurimos occidit, Arabiam Felicem vastavit: Armeniorum rex fœdus cùm eo icit, Augarus Osrhœnorum rex ei se dedidit, filios obsides tradidit. Artabanum Parthorum regem fugavit, Ctesiphontem cepit, & Adiabenos superavit. Britannis bellum movit, ut receptas provincias redderet securiores, vallum per 133. m. p. à mari ad mare duxit. Herod. *l.* 3. Vid. *Severus.*

Lucius Sergius Fidenas, Trib. Mil. an. U. C. 359.

Lucius Sextus Lateranus, Trib. Plebis, an. U. C. 382. Consul creatus ex plebe, collega L. Æmilii Mamerci, an. U. C. 390.

Lucius Sylla, Cos. cum C. Cæsare Octaviano Augusto, An. U. C. 849.

Lucius Tarquinius Collatinus, primus Romæ Consul, collega L. Junii Bruti, an. U. C. 245. Consulatum abdicavit propter Tarquinii nominis invidiam, & in voluntarium exilium abiit, cui suffectus est P. Valerius.

Lucius Tarquinius Priscus, 5. Rom. Rex.

Lucius Telessinus, Cos. cum C. Suetonio Paulino, Anno U. C. 819.

Lucius Titinnius Longus, Trib. Mil. an. U. C. 357. 2. Trib. Mil. an. U. C. 360.

Lucius Turpilius Dexter, Consul cum Prisco, an. U. C. 948.

Lucius Valerius, Consul cum Antistio Vetere, an. U. C. 848.

Lucius Valerius Flaccus, Cos. cum Octacilio Crasso, Anno U. C. 491.

Lucius Valerius Flaccus, Cos. cum M. Porcio Catone, Anno U. C. 559.

Lucius Valerius Flaccus, Cos. cum M. Claudio Marcello, an. U. C. 602.

Lucius Valerius Flaccus, Cos. cum P. Licinio Crasso, Anno U. C. 626.

Lucius Valerius Levinus, Cos. cum M. Claudio Marcello, an. U. C. 544.

Lucius Valerius Messala, Cos. collega C. Cinnæ Magni, an. U. C. 757.

Lucius Valerius Politus, Cos. cum M. Fab. Vibulano, an. U. C. 272. 2. Cos. cum M. Æmilio Mamerco, an. U. C. 284.

Lucius Valerius Politus, Cos. cum M. Horatio Barbato, Anno U. C. 306.

Lucius Val. Politus, Trib. Mil. an. U. C. 342.

Lucius Val. Publicola, Trib. Mil. an. U. C. 364.

Lucius Verus, dictus Lucius Cejonius *Ælius* Commodus Verus Antoninus, *fil. Lucii Veri, ab Adriano adoptati.* A Marco Aurelio *consors imperii & gener factus*, per Duces, Parthos in Oriente, vicit, *ipse* interea Laodiceæ vel Antiochiæ, lusui luxuique deditus. Redux Romam cum Socero triumphavit, qui generi mores cùm corrigere non posset, illum Româ procul tenuit. Interim vexari Christianos ambo passi, contra Marcomannos bellum susceperunt, ubi in transitu Alpium Lucius Verus apoplexiâ ictus obiit, Anno 169. Caligulæ, Neroni & Vitellio facilè comparandus. Jul. Capitolin. *in ejus vita.* Eutrop. Euseb.

Lucius Veturius Crassus, Trib. Mil. an. U. C. 389.

Lucius Veturius Philo, Cos. cum C. Luctatio Scævola, Anno U. C. 534.

Lucius Vetus, Consul cum Æmilio Æliano, an. U. C. 868.

Lucius Vipsanius Publicola, Cos. cum A. Vitellio, Anno U. C. 800.

Lucius Virginius, miles Rom. filiam interemit, ut liberaret eam ab Appii Claudii Decemviri libidine. Liv. *l.* 3.

Lucius Virginius Tricostus, Cos. cum Julio Tullio, Anno U. C. 320.

Lucius Virginius Tricostus, Tribunus Militum, an. U. C. 367.

Lucius Vitellius, Cos. cum Paulo Fabio Prisco, an. U. C. 788. 2. Cos. cum Tiberio Claudio Cæsare, an. U. C. 799.

Lucius Vitellius Varro, Cos. cum Sexto Cornelio Cethego, an. U. C. 776.

Lucius Volumnius, Cos. cum Ap. Claudio Crasso, an. U. C. 449. 2. Cos. cum eodem, an. U. C. 458.

Lucius Volusius, tempore Neronis mortuus, Anno Chr. 56. Q. Volusio & Scipione Coss. æt. 93. Sub tot Tyrannis, opibus integer & miraculo incolumis. Tacit. *lib. Annal.* 13. Item, JC. cognom. Metianus, unus ex Præceptoribus Marci Aurelii Antonini Philosophi. Jul. Capitolinus.

Lucius Volusius Saturnius, Cos. cum C. Cæsare Caligulâ, an. U. C. 793. Ovans urbem natali suo ingressus inter 4. mens. à Chæreâ interfectus. Sueton. Joseph. *l.* 19 *c.* 1.

Lucofaum, locus Galliæ, ubi Theodoricus Francorum R. & Ebroinus Præf. Palatii, cum Martino ac Pippino, Austrasiæ Ducibus, prælium commisere, A. C. 680. quo victi demum Austrasii terga dedere: nunc ignoratur. Ab urbe Lugduno Clavato non multùm, fortè absuit, cùm Martinus fugâ elapsus eò se contulerit. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Lucomoria, Gall. *Lucomorie*, seu etiam *Locomorie*, prov. Mosc oviæ, in Tartaria des. trans Obyum fluv. Ibi nullæ urbes. Protenditur, versus mare Sept. & incolæ passim in *sylvis* & campis degunt. Sed versus Mer. sunt in ea montes cognom.

Lucopibia, urbs Albionis. Ptol. *Carleyl* hodie Neubrigensi. Sed hæc potius Luguvallum, in Anglia. Ferrario est *Candida casa* & *Ninianopolis, Whithern*, urbs Scotiæ: Episc. sub Archiep. Glasquensi, inde supra 30. mill. in Occ. Baudrando, ubi aliàs Novantæ pop. nunc in Gallovidia, in ora maris Hibern. 70. m. p. à Glascovia in Austr. 40. ab ora prox. Hiberniæ in Ort.

Lucotetia, Parisiorum urbs in Galliâ. Ptol. *Leutetiam* vocat Julianus in Misopogone, *Lutetiam* Cæsar. Hodiè *Paris.* Vide *Lutetia.*

Lucretia, Romanæ pudicitiæ lumen præcipuum, filia Lucretii Tricipitini præfecti urbis, uxor Tarquinii Collatini, quam Sext. Tarquinius cùm precibus exorare non posset, vi oppressit. Stricto enim gladio in cubiculum irruens, mortem minabatur, ni voluntati suæ obsequeretur; addebatque, se cum mortuâ jugulatum servum positurum, ut in sordido adulterio necata diceretur. Quibus minis illa perterrita, ut infamiæ suspicionem effugeret, expugnari sese passa est. Postridie verò convocatis patre, marito, cæterisque amicis, obortis repentè lachrymis, tyranni flagitium detexit, & educto cultro, quem sub veste occultum habebat, sese statim confodit. Quâ re moti amici, populo ad arma concitato, reges expulerunt. Liv. *lib.* 1. Flor. *lib.* 1. Val. Max. *lib.* 6. *cap.* 1. *ex.* 1. Hujus exemplo Tertullianus & Hieronymus non uno in loco, ad castitatem excitant Christianas fœminas, sed furorem improbat Augustinus, aliique. Fortè Basiliensis matrona, cujus nomen Fatorum invidia nobis abstulit, aliquid *Lucretiâ* majus posteritati exhibet; de qua sequens Epigramma jam vetus adscribere placuit:

Passa thorum, non passa virum, Lucretia *nostri*
Ævi ego, postgenitis nobilis historia.
Quæ Virgo & Matrona simul tria lustra peregi,
Nupta innupta simul semiviri atq; viri.
Conjugium tacui, cujus languentia membra
Non Venus aspexit, non ruber ille Deus.
Sed tacui, atq; tuli, non hanc vicina querelam
Audiit, aut fratres, aut pater, aut genitrix.
Heu malè pro meritis tribuuntur præmia tantis,
Alcestim exoriens Sol scit & Occiduus,
Solam me Basilea: Sed est, me Judice, majus,
Semper ab igne uri, quàm semel igne mori.

Lucretia Morella, Parisiensis, fil. Johannis, nobilis Delphinatis, Græcè, Latinè, Italicè & Hispanicè, cum Camilla & Diana sororibus, doctissima.

Lucretia Tornabonia, uxor Petri Medicei, mater Laurentii illius adeò inclyti, pia & erudita, Florentina. Partem Bibliorum Italico carmine expressit, &c. Morerius *Diction. Hist.*

Lucretilis, mons in Sabinis, valli, per quam Tartarus fluv. decurrit, imminens: de quo Hor. *l.* 1. *Carm.*

Velox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus.

Lucretiorum familia, Romæ celebris, Tricipitinos, Cinnas, Vespillones & Ofellas complexa est. Cicero, non sine elogio meminit Q. *Lucretii* Vespillonis, J C. & Q. *Lucretii* Ofellæ, qui magis ad declamationes, quàm ad judicia, aptus. Item Cicero, Vellejus & Cæsar, de quodam loquuntur, qui vel frater, vel patruus poëtæ fuit.

Lucretius, prænomine *Quintus*, senator, cùm Sulmonem 7. cohortium præsidio teneret, inclinantibus ad Cæsarem oppidanis, se de muro dejecit. Cæs. l. *de B. Civil.* 18. cognomen additur *lib.* 3. *cap.* 7. *Vespillo*, haud dubiè filius Q. *Lucretii* Vespillonis Juris periti, de quo Cicero *in Bruto.* Hanc opinionem confirmat numus argenteus, in quo *Q. Lucretius. Q. F. Vespillo.* Cæterùm ultimum vocabulum variè in *VV. CC.* scribitur. In Florentinis Pand. *Bispellio*: in Lexico antiquo Latino Græco *Vispullio*, in aliis libris *Vispillo.* Causa verò cognominis, quòd ejus manu Tib. Gracchi corpus in Tiberim missum. Mscr.

Sp. Lucretius, Tricipitinus, socer Tarquinii Collatini. Cæso Bruto in Consulatu successit, cooptatus à P. Valerio, qui & illi, ut natu majori, prius fasces dedit. Verùm ætate confectus, quum ad obeunda munera Consularia vires non suppeterent, intra paucos dies mortuus est, cui mox M. Horatius Pulvillus successit. Livius, Dionys. Plut.

T. Lucretius Carus, Poeta synchronus Tullii & Terentii Varronis, etsi paulo antiquior. Scripsit libros 6. De rerum naturâ, in quibus Epicurum, & Empedoclem sequitur. Id opus plerique à M. Cicerone emendatum volunt, quum auctor id ipsum imperfectum & inemendatum reliquisset: Et quanquam Cicero fratris sententiam confirmans, non multa habere ingenii lumina fatetur, multæ tamen artis esse dicit. Quintilianus etiam in suâ materia elegantem, sed difficilem esse testatur. Ovid.

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cùm dabit una dies.

Periit, quomodo tradit Eusebius, suâ ipsius manu, quum amatorio poculo in furorem actus esset. Olymp. 181. Anno 700. U.C. æt. 42. Id datum ab uxore Luciliâ volunt, deque eâ intelligendum illud Senecæ: *Livia virum suum occidit, quem nimis oderat, Lucilia suum, quem nimis amaverat.* Auctor vitæ Virgilii, Pompeio & Crasso 2. Coss. decessisse tradit, quum eodem die Virgilius virilem togam induisset. Vid. Crinit. Lilium Gir. Voss. *de P. L.* Scalig. & Gassend. *in vita Epicuri, libr. 2. cap. 6.* Ovid. *Amor. lib. 1. eleg. 15.*

Lucrinum, Dauniorum op. in Apuliâ. Strab. *l. 6.*

Lucrinus, lacus parvus Campaniæ in sinu Bajano, contra Puteolos, tam propinquus Averno lacui, ut mari tempestatibus concitato, quandoque soleat conjungi. Ferr. Erat prope intimum recessum sinus Puteolani; aliter *Bajanus* dictus. Sed à quo terræ motu Anno 1538. mons hic novus extitit, qui *mons Cinereus* dicitur, nihil lacus Lucrini superest, nisi palus lutosa cum arundineto. Baudr. αὐτόπτης. Dictus à *lucro*, ut quidam volunt, propter multitudinem piscium delicatissimorum, qui ibi capiebantur. Inde ob istam rationem à veteribus passim laudatur. Horat. *Ep. Od. 3.*

Non me Lucrina juverint conchylia.

Idem *Ser. 2. Sat. 4.*

Murice Bajano melior Lucrina Peloris.

Præsertim ob ostrea. Martialis,

Ostrea tu sumis stagno satiata Lucrino.

Idem *lib. 6.*

—— *Tu Lucrina voras.*

Juvenal. *Sat. 4.*

—— *Circæis nata forent, an*
Lucrinum ad saxum. De ostreis loquitur.

Luctatius, vel *Luctacus*, 22. Rex Scotiæ, fil. Gorbredi R. ob tyrannidem à subditis Anno 3. regni occisus. Buchan. *Hist. Scot.* Duchenius, *Hist. Angl.*

Luctatius Catulus, Quintus cognom. vel Cajus, Rom. civis, qui primo Punico bello an. 512. U.C. trecentis navibus adversum Pœnos profectus, sexcentas eorum naves, commeatibus, & aliis oneribus impeditas, apud Ægates inter Siciliam, & Africam depressit, finemque bello imposuit: pacem petentibus hâc conditione concessit, ut Siciliâ, Sardiniâ, & cæteris insulis inter Italiam Africamque decederent. Aur. Victor, *de Viris Ill. cap. 41.* Liv. *l. 8. dec. 3.*

Q. Luctatius Catulus, Collega Marii, quintùm Consulis, Anno 653. U. C. qui ambo Cimbros vicerunt. Liv. Plut. Flor. Eutr. Oros. &c. Bellis civilibus, Syllæ tempore, implicitus, calcis nidore, ubi delituit, suffocatus est. Scripsit orationes & librum de rebus Consulatus sui. Insigni elogio decoratus, à Cic. *de Orat. Ill.* Varr. *lib. 9. de L. L.* Solin. *c. 2.* &c. Vid. de hoc & auctore *Communium historiarum*, Voss. *de Hist. Lat. c. 12.*

Lucterius Cadurcus, homo summæ audaciæ, à Vercingetorige Imperatore, in Ruthenos missus, Cæs. *lib. 7. Comment. cap. 5.* Eam civitatem Arvernis conciliavit *libr. 7. cap. 7.* Livius *Lutarium* vocat, infra *lib. 8.* hujus fit crebra mentio; sed semper *Luterius* scribitur.

Lucularis Flaminis, Epigrammata quædam, apud Onuphr. Panvinium meminerunt.

Lucullanum, olim *Megaris*, arx in mari apud Neapolim urb. Campaniæ, in insulâ parvâ, quæ *Castel dell' Ovo* nominatur, ante portum Neapol. cui ponte jungitur.

Luculli Horti, prope Neapolim siti, quos Valerius Asiaticus bis Consul à Lucullo emptos insigni magnificentiâ excolebat: sed cùm illis Messalina inhiaret, per Suilium & Sosibium, sub crimine adulterii, cum Poppæâ, eversus est. Vide Tacit. *lib. 11. c. 1.* Manserunt in rebus Principis ad ætatem Trajani usque: Ex quo etiam nunc tantâ accessione factâ ad luxum, horti Lucullianí inter sumptuosissimas res Principis censentur. Nunc *Cento Camerelle*, locus Campaniæ, inter Bajas & Milenum, ubi multa antiq. vestigia Loffredus.

Luculli Villa. Villam in Misenensi Marius amœnam & mollius exstructam possidebat, quàm decebat virum militarem & tot bellorum victorem. Eam ajunt LXXV. cIↃ. denariûm emisse Corneliam, nec multò post L. Lucullum quingentis millibus denariûm & ducentis. In eâ periit Tiberius, oppressus à Macrone, injectu multæ vestis, ætatis anno octavo & septuagesimo Gn. Acerronio, C. Pontio Coss. vide Tacit. *lib. 6. Bagni d'Agnano*, Blondo. Fuit in Campania, juxta prom. Miseni, contra Puteolanam urb. vix 3. m. p. Baudr.

Lucullus Lucius Licinius, fil. vel nepos Luculli, qui Cons. cum Posthumo Albino, dein cum Claudio Marcello, paulo ante primum bellum Punicum fuerat. Vir clarissimus Rom. plurimas præclaras res gessit: Nobilis, disertus, dives, munus Quæstorum amplissimum dedit. Sullæ, cui favebat, victoriam contra Ptolomæum, Ægypti R. conciliavit, eumque per Murænam, Mithridaticæ classis compotem in Asia reddidit. Prætor Africam justissimè rexit. Adversus Mithridatem missus, collegam suum Cottam Chalcedone obsessum liberavit, Cyzicon obsidione solvit, Amisam, Eupatoriam, Themiscyram, &c. cepit. Mithridatis copias ferro & fame afflixit, eumque regno suo Ponto exuit, & rursum cum Tigrane rege Armeniæ subvenienté, magnâ felicitate superavit, ac Tigranocerten, regni metropolim, cum Nisibe, occupavit, longè lateque formidabilis: nec obscuravit gloriam Triarius, legatus ejus, à Mithridate victus, post quod, ipse desertus à suis, se recipere coactus est, Anno 687. U. C. Hic (ut refert Athenæus) cùm Romam post expeditionem Ponticam rediisset, ad vitam sumptuosam, & elegantem se convertit, tantas enim opes paraverat, ut ædibus & prætoriis extruendis, hortis, & cænationibus amœnissimis, incredibilique sumptu paratis, & bibliotheca insigni utriusque linguæ libris referta, atque omnibus obvia ac patenti, opes bello quæsitas conterere non potuerit, cùm interim quotidiano epularum apparatu, in proverbium penè venerit. Nimius in habitu, maximè signorum, & tabularum amore flagravit. Pòst cùm alienatâ mente desipere cœpit, tutela ejus M. Lucullo fratri permissa est. Addidicerat autem Vir adeò insignis Eloquentiam & Philosophiam, sub Antiocho Ascalonita, Sisenna & Hortensio. Ejus vitam scripsit Plutarchus. Vide quoque Aur. Victor. *de Viris Ill. cap. 74.* Oros. *libr. 5, cap. 19.* Appian. *in bello Mithr.* Flor. *l. 3. c. 5.* &c.

Lucumo, C. *Lucmo* Propertio; sic enim ille,

Prima Galeritus posuit tentoria Lucmon.

Vocabulum Tuscum, quo Rex significabatur, ut Servius auctor est in *Æn. 2.* Et ita videtur usus Sidonius *libr. 5. Ep. 7. Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua.* Loquitur enim de Chilperico rege. Aliter Festus: *Lucumones*, inquit, *homines insani dicti, quòd loca ad qua venissent infesta redderent.* Vide Scaligerum ibidem & *in illud Ausonii,*

Sallito decies si cor purgeris aceto,
Anticipesq; tuum Samii Lucumonis acumen.

Vossius *Lucumones* & Λυκάονας eosdem esse, planèque Latinum sive Thuscum illud ex Græco hoc factum putat. Λυκάων enim Arcadiæ rex fuit, ac Arcadia ab eo aliquando *Lycaonia* nomen habuit. Is autem in lupum à Jove commutatus dicitur, ut præter poetas tradit Pausanias. Constat etiam Λυκάονας dici, qui vulgò Λυκάνθρωποι. Est verò *Lycanthropia* melancholiæ genus, quo qui laborant, noctu luporum instar exeunt, & usque dum lucescat, circa mortuorum corpora versantur; ut ex Æginetâ, & Ætio constat. Quæ qui consíderarit, non mirabitur, uti Λυκάων apud Græcos, ita Lucumo apud Thuscos (qui ex Arcadiâ in Italiam venere) utramque habuisse notionem, puta ut tum pro rege, seu præfecto, tum pro melancholico vel insano sumeretur.

Lucumo, mons inter Lepontias Alpes, Germ. *Luchmanier*, à *Lucumone* Tusco dictus videtur. Vocatur aliàs Mons S. Barnabæ, dividitque Rhætos à Lepontiis. In hujus cacumine rupes est *Cadelin*, in qua nascitur amnis Erode, qui progrediens montem versus, exinde Rhenus medius dicitur. Joh. Bapt. *Helv. Antiq. & Nov.*

Lucus, octavus Rex veterum Gallorum, post Bardum II. Populis suis, circum Parisios habitantibus, *Lucothetiorum* nomen dedisse fertur. Ptolom. *Geogr. libr. 2. cap. 8.* Strabo, *l. 4.* Cæs. *l. 6. & 7.* Julian. in *Misopog.* Dupleix, *l. 2. mem. Gall.*

Lucus, castellum Salyorum, in diœc. Arelatensi. Item in Provincia, prope Brinoniam, prunis suis celebris, *Brignole*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Lucus Augusti, geminus; unus in Hisp. Tarrac. in Gallæciâ, urbs Episc. sub Archiep. Compostellano, ubi aliquot Concilia, vulgò *Lugo*. Unde aliàs Callaici Lucenses; ad Minium fluv. versus montes, 18. leuc. à Compostella in Ort. 8, à Mindone in Austr. uti à confinio Asturiæ, in Occ. Ampla & satis culta. Ab Alphonso R. victis Mauris Anno Christi 753. unà cum Tyde, Asturica, Portucalensi, Bracara, Pace Julia, Miranda, Segobia, Absula, Segobrica, Septimancis & Dominis, recepta. Alter in Gall. Narbon. in Delphinatu; vulgò *le Luc. Lucus Vocontiorum* Tacito. civ. fœderata Plin. Huic Fabius Valens faces admovit, donec pecuniâ mitigaretur, Tacit. Æthicus inter Montem Seleucum, & Deam ponit, illinc 26. hinc 12. m. p. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Lucus Baduhenna, Vid. *Baduhenna*.

Lucus Feroniæ, col. & op. Hetruriæ Capenatibus proximum. Alter apud Ptol. op. Hetruriæ apud oram litoralem, inter Lucam, & Lunam. *Pietra santta* Leandro. Aliis *Bientina* vicus est inter Florentiam & Lucam, apud lacum.

Lucus Sacer, Mazellæ *Selva de Hami*, locus Campaniæ, Tripergolæ proximus, 3. m. p. à Cumis.

Lucus Vocontiorum, V. *Lucus Augusti*.

Lud, filius Sem. Gen. 10. Natus A. M. 1660. An Lydorum Asiaticorum auctor? Jos. *Antiq. l. 1.* Hieron. &c.

Lud, Rex Britonum, post Delium patrem. Liberalis, fortis, magnanimus. Obiit an. 9. regni, duobus filiis relictis, sub tutela Cassivelauni, qui Procerum consensu clavum arripuit. Beda, Duchenius, Polyd. Virgil. *Hist. Angl.*

Lud, opp. Palæstinæ, nunc pag. *Segura*.

Ludecanus, Rex Merciorum decimus octavus, post Bernulphum,

phum, An. 845. Subditis,quibus blandè imperabat,gratus,ab Angl:is Or. post annum 2. regni occisus est. Duchenius *Histor. Angl.*

Ludgerus, Friso, Benedictinus, primus Episc. Monasteriensis, à Carolo M. constitutus, an. 794. Varia scripsit, obiit an. 809. Bellarm. *de Scr. Eccl.* Val. Andreas, *in Bibl.Belg.* Voss. *de H. L. lib.* 2. *c.* 30. Suffridus Petri &c.

Ludies, Strab. vide *Lydius.*

Ludim, fil. Mesraim ibidem. Vide Boch. *Geogr.Sac.lib.*1.*cap.*12. Et *lib.*4 *cap.*16.

Viri clari.

Ludolphus I. Comes Oldenburgicus, lineæ Wildeshusanæ, sec. 13. floruit.

Ludolphus II nepos prioris, frater Willebrordi, lineam terminavit, Phil. Jac. Spener. *Syll.Geneal.*

Ludolphus, Carthus. scriptor inter sui seculi primos, Saxonia oriundus. Prior Argentinæ, an. 1330. Obiit Moguntiæ, Auctor vitæ JESU CHRISTI, ex 4. Evangeliis collectæ, Commentariorum in Psalmos, Remediorum contra Tentationes. Bostius, *cap.* 11. *de Viris Ill. Carth.* Hartmann. Schedel de Nuremberg, *in Chron.* Sixtus Sen. *l.* 4. *Bibl. S.* Petrejus *Bibl. Carthus. p.* 233. Trithemius, Vossius, &c.

Ludolphus, Bellarmino Lupoldus de Bebenberg: Possevino & Simlero, de Eisingren, JC. celebris. Cancellarius Balduini Lucemburgensis, Arch. Trevirensis, fratris Henrici VII. cui *de Juribus regni atq; Imperii*, opus dedicavit. Aliud *de zelo veterum Regum Galliæ & Germaniæ Principum*, Simon Schardius, apud Johannem Oporinum, imprimi curavit Basileæ. Floruit sec. 14. Vossius *de Hist.Lat.l.*2. *c.* 57. Simler. *in append. Biblioth. Gesner.*

Ludolphus, Parochus de *Suchen*, iter in terram sanctam suscepit, sec. 14 quod post quinque annos reversus consignatum literis edidit, libro Balduino Com. Steinfurtensi, Episcopo Paderbornensi dedicato. Voss. *de Hist. Lat. l.*3.*p.*798. Possevin. *in appar. sacro.* Gesner. *in Bibl.*

Ludovegia, mel. *Leones*, vulgò *Lions*, cognom. *en Forest*, oppidum Normanniæ, in Veymo Normannico, prope sylvam *de Bray*; 6. leucis à Rothomago in Ort. Bellovacum versus 10. ad amnem *l'Orleau*, Vide supra in voce *Leones.*

Ludovica, seu *Loysa*, Gall. *Louise*, Lotharinga, fil. Nicolai Ducis, ex Margareta Egmontia, nupsit Henrico III. Gall. R. An. 1575. è Polonia reduci. Ingenio, formâ, virtute inclyta. Obiit an. 1601. æt. 47. Matth. *Hist. Henrici IV.* Avila *Hist. de Bell. Civ. Galliæ*, A. Malletus, *in ejus vita.* Morer.

Ludovica Sabauda, filia Philippi Ducis, ex Margareta Borbonia. Ex Carolo Com. Engolismensi, cui nupsit an. 1488. Mater Francisci I. & Margaretæ Valesiæ. Francisco, in Italia, rerum satagente, Regens regni: Carolo Borbonio, Connestabili Galliæ, qui ejus nuptias spreverat, lite intentatâ, obtentaque, ansam præbuit, deserendi Regem: unde Lerna malorum. Filio ad Ticinum capto, paulo pòst obiit, an. 1531. æt. 52. Ejus Epitaphium:

Isto quiescens Allobrox sub marmore
Loisa, patriæ præcipuum decus sua,
Et Galliarum splendor, ac mundi decus;
Nescitur illi patria plusne debeat
Tellus, an orbis vastus, an ipsa Gallia?

Ludovica Margareta Lotharinga, fil. Henrici, Guisiæ D. ex Catharina Cliviaca. Nupsit an. 1605. Francisco Borbonio, Contii Principi: Musas patrocinio dignata suo, inter alia, Aulæ res, sub fabulæ involucro, descripsit, an. 1620. Obiit an. 1631. Hilario Costus *elog. fœm. Illustr.*

Ludovica Borbonia, filia Caroli, Comit. Suessionum, ex Anna Montafia, uxor Henrici II. Com. Longavillani, Obiit an. 1637. Item fil. Gilberti Montpenserii Com. uxor Ludovici Rupisurionii Princ. Obiit an. 1561.

Ludovica, *Elovisa* vel *Heloisa*, puella erudita, neptis Fulberti, Canonici Paris. sec. 12. ex præceptore, Petro Abaillardo, mater Astralabri: illo Concilio Senonensi An. 1140. condemnato, & in Monasterium Cluniac. se abscondente, similiter monasticam vitam amplexa, Obiit an. 1163. Vide Morer. *Hist. Diction.* & infra in voce *Petrus Abaillardus.*

Ludovica Labbaa, Lugdunensis, Dialogum de Amore & Stultitia scripsit: Cætera parum secundæ famæ. Morerius *Dict. Hist.*

Ludovica Marilliaca, Monialis Possiacensis, Psalmorum Pœnitentialium paraphrasin edidit. Obiit an. 1629.

Imperatores.

Ludovicus I. Imperator Occidentis, cognom. *Pius*, fil. Caroli M. ex Hildegarde. Natus an. 778. in agro Aginnensi, mox Aquitaniæ R. salutatus est, Romæque coronatus, an. 781. Dein à Patre, in Comitiis generalibus, Aquisgrani, an. 813. successor declaratus, post ejus mortem, an. 816. Remis coronam accepit. E periculo mortis, cadente sublicià porticu, ereptus, Lotharium fil. Imperatorem ac Regem Franciæ, Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum verò Bavariæ R. declaravit. Bernhardum, ex Pipino nepotem, ob divisionem istam, rebellem, victum luminibus orbavit. Dein Sclavos, Sorabos, Britones repressit, Heraldum Danum regno pulsum restituit, &c. amissaque Hermengarde uxore, Juditam, filiam Welphi Bavari, duxit, ex ea Caroli Calvi pater. Interim filii ex priore conjuge geniti, contra Patrem, conspirarunt, an. 830. & Pipinus quidem novercam, apud quam Bernardus Comes Barcinonensis nimium poterat, monasterio inclusit, Lothario alia moliente: donec Imperator, in Comitiis Neomagi habitis, nixus filii Ludovici copiis, turbas has composuit, veniamque Lothario dedit. Sed recruduit majore vi malum, An. 833. & conspiratione redintegratâ, Lotharius novercam Tortonam relegavit, Patrem in cœnobium Medardi compulit & cedere imperio, pœnitentiam publicè agere, fateri se reum coëgit. Quâ impietate moti subditi, imo & fratres, Ludovicus & Pipinus, patrem imperio, uxori, filio Carolo restituerunt. Pipinum amisit, an. 838. Lothario denuo ignovit: quod ægrè ferens Ludovicus, iterum insurgit, sed vincitur, & veniam impetrat. Resumtis armis rursus pellitur. Tandem Imperator, à Synodo Aquisgranensi *Christianissimus* dictus Ingelhemii, prope Moguntiam, quò æger deferri voluit, Obiit anno 840. æt. 62. Imper. 27. Naturâ mitis & clemens, sed æquo facilior & credulus. Porro laboris patiens, sobrius, pervigil, magnificus, literatus, Juris & legum Imperii sciens ac tenax. Stephanum & Paschalem, quòd sine suo consensu Pontifices electi essent, ad se profectos veniâ dignatus est, monuit tamen, *ne in posterum Majestatem læderent*, Platina. Saxoni etiam cuidam viro docto injunxit, S. Scripturam Germanicè carmine transferret, quò & idiotæ illam discere possent. Ruebat tamen paulatim Ecclesiæ status, & Carolus M. jam tum pro sancto esse cœpit, &c. Sigon. *lib.*4. *ad an.*817. P. Æmilius *l.* 3. Blondus *l.*2. *dec.* 2. Aimonius *l.* 5. Rhegino, Ado, &c.

Ludovicus II. fil. Lotharii I. ex Ermengarde, frater Lotharii, Lotharingiæ Regis & Caroli R. Provinciæ: Romæ Longobardiæ R. à Sergio, an. 844. Imperator à Leone IV. coronatus, patruo Ludovico Germanico, nepotes ditionibus exuere volenti, nequicquam præstò fuit; cum Sclavis pugnavit, principemque eorum Rastim captum, ob rupta fœdera exoculavit; Saracenis in Apulia fortiter restitit, Capuam, Lucerium, Beneventum iis eripuit, Barium expugnare non potuit. Comburendus ab Adelgiso, an. 873. juramento se obstrinxit, illico urbe cessurum: à quo Papæ auctoritate absolutus, bellum ipsi per Engelbergam uxorem intulit. Fratri Lothario, qui post fatalem Eucharistiam, ab Adriano II. datam, unà cum Proceribus celeri morte obierat, titulo, non re successit. Magnatum ambitione, quorundam etiam proditione turbatus, Obiit an. 875. Mediolani sepultus. Ex Engelberga, fil. Ducis Spoletani, Ludovici Caroli que, qui paulo pòst obierunt, & Ermengardes, quæ Bosoni Provinciæ R. nupsit, Pater. Rhegino *libr.* 2. Annal. Fuld. Sigon. *libr.* 5. Ado *in Chron.* Aimon. *contin.* Leo Ostiensis, &c.

Ludovicus III. Balbus, à Johanne IX. ad Imperium vocatus & coronatus, cum Ludovico R. Germaniæ, ad Marsuam fœdus fecit, duos filios ex Ansgarda, inscio patre ductâ, miserè amisit: illâ tandem repudiatâ Adelheidam sibi conjunxit, hacque gravidâ, Obiit an. 879. Iidem. Vide *Ludovicus II. Gall. R.*

Ludovicus IV. filius Arnulphi, patri successit anno Chr. 899. ætat. 7. coronatus, anno 900. Forchemii. Commissus curæ Ottonis Saxoniæ D. qui sororem ejus duxerat, per Lutpoldum D. Bavariæ Or. exercitus rexit. Zuentiboldo fratre notho mortuo, ditiones suas auxit, privilegia Italis confirmavit, Albertum Comitem Bamberg. qui Episcopo Vireburgensi bellum intulerat, ac Conradum Franconiæ D. interemerat, proscripsit, & Hattonis Episc. fraudulento salvi reditus promisso, captum, securi percussit; Cum Ungaris Germaniam vastantibus bellum infeliciter gessit. Obiit Ratisbonæ an. 911. æt. 19. ut Epitaph. ejus indicat, *quatuor vix lustra videbam.* Ultimus ex Caroli M. stirpe, Germ. R. Ejus tempore corruptissimus Ecclesiæ status fuit, Stephano, Christophoro, Sergio, Marozia Papali sedi turpiter insultantibus. Luitpr. *l.* 1. *&* 2. *c.* 13. Rhegino *in Chron.* Fasciculus temp. Sigon. *l.* 6. Abbas Ursperg. *in Chron. &c.*

Ludovicus V. Bavarus, Henrici VII. Successor, Francofurti electus an. 1314. Fil. Ludovici Sen. ex Mathilde Austriaca, coronatus Aquisgrani, an. 1315. Fridericum Austriacum contra se electum, & Bonnæ coronatum, post an. 8. bellum, quo quinquies justis præliis dimicatum est, (primò apud Francofordiam, dein ad Spiram, ubi à Leopoldo Austrio, qui fratri suppetias venerat, pulsus est Ludovicus: Tertiò apud Eslingam, ubi dubio Marte neutri victoria cessit: Quartò ad Brisgam, Alsatiæ fluv. ubi iterum fugit Bavarus) tandem ad oppidum Muldorfium, inter hoc & Zeringium castrum, insigni operâ Friderici Sueppermanni, vicit cepitque, post triennium dimisit, hac lege, ut non quidem titulo, Imperio tamen cederet. Helvetiorum, sibi fidissimorum, fœdus confirmavit. A Johanne XXIII. infestatus, & excommunicatus, questus est, *per hunc Antichristum Christianis pacem à Deo datam non servari.* Aventin. *lib.* 7. Crantz. *l.* 9. *c.* 14. 15. Illo invito Italiam intravit, à Papa appellavit ad Concilium, Mediolani & Romæ coronatus, contra hunc Synodo celebratâ, illum deposuit, surrogato Nicolao V. qui Johannem hæreticum declaravit. Ab hujus successoribus Benedicto XII. an. 1336. & Clem. VI. an. 1344. cùm absolutionem aliter impetrare non posset, quàm ut se vasallum Papæ fateretur, in Comitiis Procerum rem ventilari voluit. Decretum: *Electum legitimè Imperatorem, non egere Papa confir-*

firmatione, neq; huic in illum jus ullum competere. Morn. *in Myster. Iniq.* Aventinus *l.7. Ann.Boj.* Hinc Carolus Bohemiæ R. à Papa ipsi oppositus, cùm nec hoc succederet, venenum magnanimo Imper. propinatum est, quod cùm in venatione motu excutere satageret, equi lapsu interiit. An. 1446. æt.63. Imp.33. Villanius *lib.9.*10. *& seqq.* Blondus *lib.2.* &c.

Germaniæ Reges.

Ludovicus I. Pius, vel *Senior*, Germaniæ R. tertius fil. Ludovici Pii ex Ermengarde, regnare cœpit, an.817. Primò Patris amplexus partes, paulo post fratribus se junxit, injuriamque Parenti à Lothario illatam approbavit. Francofurtum profectus an. 840. Saxones, Thuringos & Francos Or. in suas partes pertraxit, quod Pater ægerrimè ferens, antequam malo mederi posset, obiit. Dein Obotritos rebelles coërcuit, & limitibus undique propagatis, vicinis formidabilis esse cœpit. Impiger, magnanimus, fortis, munificus, Justitiæ religionisque zelotes, & literatus. Post Ludovici II. Imper. mortem ad Imperium aspiravit, sed Carolus Calvus à Pontifice coronatus est. Proin irruptione in Neustriam factâ, ultionem sumturus, Obiit Francofurti, an.876. ætat.70. regni 59. Ex Emma, fil. Comitis Erkengarii Hispan. pater Carlomanni, Bavariæ R. Ludovici Germ. Caroli Crassi Imper. &c. Annal. Bertini, Fuld. Aimon. *continuatus*, &c.

Ludovicus II. Jun. patri successit, quem cùm Carolus Calvus regno exutum iret, misit legatos, qui ipsi pactum cum patre initum objicerent, polliciti jus Regis se triginta testibus indubitatis, & quidem 10. per aquam frigidam, 10. per ferventem, & 10. per ardens ferrum, probaturos. Quod cùm admittere se simularet Calvus, induciis factis, juravit se ipsum non invasurum. Interim, dum nihil non moliretur, ut Ludovicum Andernaci, ubi degebat, oppressum excæcaret, hic ab Episc. Coloniensi perfidiæ hujus certior factus, paratis omni diligentiâ copiis Calvum superavit. Sic Ludovici Sen. filii tres pacificè possessiones suas in posterum tenuerunt. Post Lud. Balbum ad Galliæ regnum vocatus, dum Metis inaudiit, fratrem Carlomannum ægrescere, properavit in Bavariam, ne Arnolphus hujus fil. nothus regnum occuparet. Hinc in Galliam profectus 8000. Normannos stravit. Dein viribus junctis cum Ludovico & Carlomanno, Hugonem nothum Valdradæ, vicit. Obiit Francofurti an. 882. majora contra Normannos meditatus. Ex Lutgarde Saxonica pater Ludovici, qui juvenis admodum obiit. Rhegino *in Chron.* Aimonius &c.

Galliæ Reges.

Ludovicus I. vide *Ludovicus I. Imper.*

Ludovicus II. Balbus, patri Carolo Calvo successit, coronatus Remis, an.877. ab Hincmaro Arch. Trecis à Johanne IX. qui quòd hunc ad Imperium, non verò Crassum vocaret, Româ pulsus erat. Cum consobrino Germaniæ R. de Lotharingia convenit, Bernardum Gotthiæ Marchionem domiturus, Compendii, non sine suspicione veneni, obiit an. 879. æt.35. Ex Ansgarda pater duorum filiorum, Ludovici III. & Carolomanni, quorum alter ab apro occisus, alter posti illisus cervicem fregit, cùm amores venaretur: illâ, jussu Patris repudiatâ, ex Adelaide fil. Carolum Simplicem posthumum suscepit. Aimon. *l.5. cap.36.* Rhegino *lib.5.* Annal. Fuld. &c.

Ludovicus III. successit Patri Ludovico Balbo, unà cum fratre Carlomanno, coronatus: quorum juventute spretâ Ludovicus Germaniæ R. turbas daturus, Lotharingiæ parte concessâ, quievit. Regnum dein à fratribus divisum, An. 880. & Ludovico Francia Neustriaque, Carlomanno verò Burgundia & Aquitania obtigit. Hi dum Bosonem, qui se Provinciæ Burg. R. proclamari curaverat, Viennæ obsessum tenuerunt, Normanni Picardiam ingressi, prope Ambianum, magnâ clade à Ludovico cæsi sunt, Carlomanno interea obsidionem urgente. Paulo pòst Turonibus æger obiit, contra eosdem hostes majora meditatus, in Fano S. Dionysii, anno 881. P. Æmilius, illum puellam equo insectantem, dum incautus in januam irrumpit, posti caput allisisse refert.

Ludovicus IV. Ultramarinus, fil. Caroli Simplicis, ex Ogina, fil. Eduardi Sen. Angliæ R. apud Adelstanum avunculum educatus, ex Anglia, suasu Hugonis M. ad regnum vocatus est: coronatus Lauduni, an. Chr. 936. Lotharingiam, à Patre Henrico Germaniæ R. concessam repetiturus, ab hujus filio Ottone repulsus est, sorore ejus Gerbergâ postmodum ductâ. Varios dein hostes vicit, Herbertum Comitem, qui Patrem captivum tenuerat, fabulâ *de vasallo rustico Anglo, in convivio propositâ*, suffragiis ab ignavis obtentis, strangulari curavit. Malmesbur. *in Hist.* Junctus Hugoni M. quo nemo ipsi plus negotii fecit, dum Richardum post Guilielmi Patris mortem, sub tutelæ prætextu, Normanniâ excutere voluit, à Danis Rothomagi captus, pacem fecit. Dein contra Hugonem bello gesto, ab Ottone M. adjutus est. Obiit Elephantiasi, an.954. vitæ 38. regni 18. Ex Gerberga Pater Lotharii successoris, Caroli, &c. P. Æmil. *l.3.* Mezeraj. *Hist. Gall.*

Ludovicus V. dictus *Juvenis qui nihil fecit*, ultimus ex Carolovingis, fil. Lotharii ex Emma, à patre in consortium regni assumtus, an. 979. duxit Constantiam Blancam, fil. Guilielmi, Comit. Arelat. & Prov. A Patre morituro Hugoni Capeto commendatus est, cui cùm Emma non fideret, illum ad aviam Adelheidam viduam Ottonis I. dictam *Regum Matrem* deducere sategit. Interim ille obiit an.987. Successit Hugo Capetus. Alberic. & Oderan. *in Chron.* Aimon. *cont.* Nangius, &c.

Ludovicus VI. Crassus, Philippi I. fil. patri successit, an. 1081. Formâ egregius, fortis, dexter, amans justitiæ, Ecclesiæ protector. Rebus jam contra Henricum Angl. R. & Normanniæ D. fortiter gestis, bellum Rex pro libertate Ordinis Ecclesiastici cum suis suscepit. Anglum ad monomachiam provocatum, cùm se non sisteret, acie vicit. Henricum V. Imperatorem, Galliæ aditu arcuit, Calixti II. defensor. Carolum Bonum, Flandriæ Com. inter sacra, Brugis occisum, ultus, Guilielmo Clitono Comitatum concessit. Dein cum Præsulibus quibusdam Galliæ *collisus*, à Stephano Paris. & Henr. Senon. excommunicatus est, lite per Honorium compositâ: cujus Successori Innocentio II. cùm Anacletus opponeretur, Innocentio Rex adhæsit. Obiit an. 1137. regni 40. æt. 57. Ex Adelheida, fil. Humberti II. Com. Mauriennæ & Sabaudiæ, pater Ludovici VI. Philippus enim primogenitus, Rex jam sacratus, obiit an. 1129. Roberti, qui caput familiæ Druidensis; Petri, à quo Cortenæi orti, &c. P. Æmil. *l.5.* Pap. Masson. *in Histor.* Sugerus, *in ejus vitâ, &c.*

Ludovicus VII. dictus Junior, vel Pius, fil. Ludovici Crassi seu Grossi, Remis præsente patre unctus est in Regem, an. Chr. 1131. Lloyd. cum Theobaldo, Campaniæ Com. dissedit. Expeditioni sacræ, suasu Bernhardi, interfuit, cum Conrado Imper. sed Græcorum perfidiâ, copiæ ejus, postquam Hierosolymis, à Balduino III. honorificè exceptus esset, miserè perierunt. Reversus uxorem Leonoram, fil. Guilielmi Aquitaniæ D. adulterii suspectam dimisit, imprudenter illi Aquitaniâ & Pictonibus redditis. Hac enim dote mox Henricus II. Angl. R. cui postmodum nupsit, auctus, Comitatum quoque Tholosanum occupare constituit. Sedata tum lis, interventu Alexandri III. & nuptiis Margaretæ, fil. Ludovici, cum Henrico fil. Angliæ R. postmodum in funestam longamque bellorum seriem, inter utramque gentem, erupit. Ex Anglia, quò Thomæ Cantuar. sepulcrum visitatum venerat, domum reversus, Philippum fil. Remis coronari voluit, anno 1179. Obiit an.1180. ætat. 63. regni 43. sec. Morerium. Pius, magnanimus & benignus, sed repudiatâ uxore imprudens. Pater ex Adelheida, fil. Theobaldi M. Campaniæ Com. Philippi Augusti successoris, &c. *Gesta Lud. Jun.* P. *Æmil. l.5 &c.*

Ludovicus VIII. dictus *Leo*, successit Patri Philippo Augusto, an. 1223. postquam à Johanne Angliæ R. contra quem electus erat, victus & Angliâ exclusus esset, Matth. Par. *in Joh. & Henr.* In Gallia, jam Rex, Anglis, quicquid cis Garumnam possidebant, eripuit. In Albigenses, & inprimis Avenionem severum se gessit. Peste infestatus 22000. militum amisit, ipse cum Comite Namurcensi & Arch. Remensi, cladis accessio: *Unde perspicuè constare videtur*, ait Antonius Florentinus, *bellum injustè fuisse susceptum.* Ante mortem Pseudobalduinum ad restim damnavit. Obiit an. 1226. æt. 39. Ex Blanca Castellana, pater 9. filiorum, è quibus Ludovicus successor, & Carolus, stirps primæ familiæ Andegavensis. Rigord. *in vita Phil. Aug.* G. Brito, *in Philipp.* Pap. Masson. *l.3. Hist.* P. Æmilius *l.7.* Vinc. Bellovacensis *in Spec. Hist.* Serres *Invent. hist. Gall.*

Ludovicus IX. fil. prioris, an. 12. æt. mortuo Patre, Remis coronatus est, an.1226. Matre interea prudentissimè regnum, dum adolesceret filius, administrante, & eludente Procerum, regimini inhiantium, conatus, per Com. Campaniæ sibi peculiari ratione conciliatum. Jam rerum potitus, hunc contra æmulos fortiter tuitus, Petrum inprimis Mauclerum, Com. Druid. & Hugonem Lusignanum, frustra Henrici Angliæ R. cujus matrem Isabellam Engolismensem duxerat, viribus nixum, in ordinem redegit: Anglo ad Tallæburgum in Xantonibus victo, an.1242. Raimundum Com. Tolosanum, Massiliensibus junctum, oppressit, in Albigenses acer. Rebus sic regni compositis expeditionem in Orientem suscepit, an. 1248. curâ regni Blancæ matri commissâ, Damiatam expugnavit, tribus præliis Infideles vicit, totâ ferè Ægypto subjugatâ. Mox amisso Roberto Com. Artesiæ fratre, à Melec-Sala, fil. Suldani Meledini, commeatu intercluso, victus & captus est, ad Massuram prope Nilum sitam, an. 1250. cum Carolo & Alphonso fratribus. Sed tanta fuit captivi Regis admiratio, ut Barbari, cæso Melec-Salâ, de illo in Principem eligendo, deliberasse dicantur. Quidquid hujus sit, libertatem suam, redditâ Damiatâ, suorum ingenti vi auri redemit: summâ fidelissimè solutâ. Postea, cum reliquiis exercitus, Genuensium transvectus classe, Tyrum & Cæsaream cepit, &c. Morte matris auditâ, in Regnum reversus, post 5. annos, illi exornando & *Justitiæ* exactè administrandæ incubuit, pace cum Anglo, qui *solus* res in Gallia turbare poterat, initâ: Pragmaticæ sanctionis, de dispensatione beneficiorum, auctor: Biblia Gallicè verti curavit. Post hæc expeditione denuo in Africam susceptâ, Carthaginem cepit, Tunetanum regem, cæsis 10000. vicit ac Tuneti obsedit: sed sævâ peste vexatus exercitu magnâ ex parte amisso, ipse tandem cum Elizabetha reginâ, ac filio Johanne Tristane obiit, An. 1270. æt.56. regni 44. Frater Carolus durissimis conditionibus obsidione solutâ, horrendis in reditu procellis agitatus, ægrè in patriam eluctatus est. Ludovicus ex Margareta, fil. Raimundi Berengarii Com. Prov. numerosam suscepit prolem. Successit Philippus Audax fil. Alius ex

filiis

filiis Robertus, Borboniæ fam. caput extitit. A Bonifacio VIII. inter Sanctos numeratus est. An.1297. V. Platinam, P. Æmil. *lib.* 7. Guil. Nangium, Blondum, Petr. Matth. Gaguinum, Massonium, Serres, &c.

Ludovicus X. cognomento *Hutinus*, i. tetricus, rixosus, &c. Philippo Pulchro Patri successit, an. 1314. cùm jam per Matrem Johannam, Navarræ Rex coronatus esset, an. 1307. Engerranum innocentem, in gratiam Caroli Valesii, qui tamen id impune non tulit, suspendi jussit: Cum Roberto Flandriæ Comite pacem parum honestam iniit. Obiit subitò an. 1316. æt. 25. Pater Johannæ, quæ Navarræ regnum Philippo Ebroicensi marito attulit, ex Margareta, ob mores pulsa: & Johannis posthumi, brevis ævi, ex Clementia Andegav. filia Caroli Martelli Hung. R. Successit frater Philippus Longus.

Ludovicus XI. fil. Caroli VII. ambitione regnandi ardens, cum Galliæ hostibus, contra patrem, conjuravit: Delphinatu, quò se receperat, excedere coactus, in Brabantiam ad Burgundiæ Ducem se contulit. Auditâ patris morte an. 1461. hoc cum filio comitante, Remos pervenit, ab Archiep. Joh. Juvenali de Ursinis coronatus. In regno sævus, patris ministros removit, & quidquid ab illo constitutum, irritum reddidit. Hinc bellum, cui speciosus *à publico Bono* prætextus, ortum, autoribus fratre Regis, Duce Bituricensi, Ducibus Britanniæ & Borbonio, ut & Comite Carolesio, Burgundiæ Ducis filio. Concursum ad Montleherium, neutrâ parte vincente, an. 1465. Ne graviora sequerentur, Ludovicus dextrè Ligam dissolvit, pace ad Confluentiam initâ, quâ Normannia fratri, Burgundo quædam in Picardia loca, Comit. Stampensis Britanniæ D. & Connestabilis dignitas Comiti S. Pauli, quem postea capite plecti jussit, concessa. Dein frater Normanniâ orbatus, denuo se Britoni & Burgundo junxit: quorum alteri Rex bellum indixit, contra alterum Leodiensibus suscitatis. Pace tamen ad Peronnam Burgundus superior, Regem aliàs adeò callidum ad Campaniam Briamque fratri concedendas, & Leodienses ad obsequium redigendos junctis viribus, adegit. Sic Leodium captum, direptum, exustum. Paulo post & fratre & Burgundo elusis, ordinem S. Michaëlis Ambosiæ instituit, an. 1469. quem Brito recusavit, Burgundo Anglicum capiente. Ergo Fratrem primò, dein Burgund. D. per hostes ipsi suscitatos perdidit, omniaque quæ eminere videbantur in regno, sic depressit, ut de illo dictum: *Qu'il avoit mis les Roys hors de Page.* Mortuo Carolo Burgundiam Coronæ denuo univit, Provinciam ab ultimis Comitibus sibi donatam eidem adjunxit, fœdus cum Helvetiis, quorum fortitudo in prælio prope Basileam ipsi probè perspecta erat, sanxit, Angloq; intra Insulam suam detento, profundam pacem regno concilia vit: Auctis nihilominus tributis, populo gravis, & sævus in nova rum rerum suspectos. Tandem appropinquante senio, & morbis ingravescentibus, intolerabilis omnibus evasit, tanto horrore mortis correptus, ut ne vocem quidem audire posset, legatisque qua quaversum missis, & punitis sontibus, se vivere testaretur: In hoc statu à Jacobo Cocterio Medico, qui immensam pecuniæ vim ex illo intra breve tempus, extorserat, indignè habitus. Obiit anno 1483. æt. 60. regni 22. Sepulchrum bellis civilibus an. 1562. direptum. Ex Charlotta Sabauda, pater Caroli VIII. Princeps astutus, vindictæ cupidus, nemini fidens, se solo nixus, de vilissima plebe homines evehere solitus: Cætera dexter, acutus, literatus. Cominæus, *in Ludov. XI.* Gaguinus. Legatum Bajazethis quòd ultra Massiliam penetrare noluerit in regnum, eò quòd nihil possit esse Christianis commune cum hostibus JESU CHRISTI, historicis laudatus. Pondus mensuramque porro unicam Galliæ dare, ut & statuta omnibus provinciis communia condere in animo habuisse, fertur. Pet. Matth. *in Ludov. XI.* Serres, &c.

Ludovicus XII. cognom. Justus & Pater populi, fil. Caroli Ducis Aurelianens. & Mediolan. ex Maria Cliviaca, successit Carolo VIII. an. 1498. Felicitati subditorum intentus, tributa mitigavit, justitiam summa cum laude administravit, *hostibus Ducis Aurelianensis Rex* veniam dedit. Ludovicum Sfortiam Mediolano pepulit, mox restitutum, denuò vicit, & cum fratre Ascanio cepit, per Ludovicum Tremollium. Dein Ferdinando Castellano junctus, Fridericum Arragonium Neapolit. R. ditionibus exuit, concessâ in divisione Apuliâ & Calabriâ, Hispanis; ab his paulo pòst per Consalvum Cordubensem regno exturbatus. Genuam rebellem ad obsequium adegit, Savonæ fœdere cum Maximiliano I. & Julio II. inito, Venetos afflixit, an. 1509. mox Papam contra se arma sumentem dirisque fulminantem, ad Ravennam, ipso Paschatis die X. M. cæsis repressit. Sed Gastone Duce ibi occiso, & Johanne Albretano amico, regno Navarræ ab Hispanis, Papæ donum asserturis, exuto, infelix. Post an. 12. filio Ludovici Sfortiæ, Helvetiorum ope, restituto, victus ab his ad Novaram, Divionem contra eosdem obsidentes tueri necesse habuit. Nec hîc hostium satis, Julius porro Genuenses, Hispanos, Anglosque in Ludovicum armavit, qui hunc prælio calcarium vicerunt, Ternanâ & Tornaco captis. Sed ex discrimine tanto dextrè eluctatus Rex, Helvetios sibi reconciliavit, cum Hispanis pacem iniit, Mariam sororem Henrici VIII. Angliæ R. duxit: moribundo Julio II. cuso Neapoli aureo nummo, cum hoc elogio, *Perdam Babylonis nomen,* postquam Mediolani Concilium de emendando statu Ecclesiæ celebrasset, animum testatus. Obiit an. 1515. æt. 53. regni 17. Lutetiæ. Pius, religiosus, castus, magnificus, literatorum Mæcenas, clemens: contra Valdenses à quibusdam incitatus, *illos se religiosores esse* professus est: Hoc uno infelix, quòd *tam arctam cum Alexandro VI. affinitatem contraxisset, & impuri Patris, omniumq; scelerum genere cooperti filii crudelitates, libidines, perfidiam, fortunas deniq; fovisset & amplificasset.* Thuan. *lib.* 1. Ex Anna Britannicâ, quam Johannâ Ludovici XI. filiâ repudiatâ duxerat, duorum filiorum, sed non vitalium, Claudiæ insuper, quæ Francisco I. successori nupsit, & Renatæ, quam Hercules II. Estensis sibi junxit, Pater. *Hist. Gall.*

Ludovicus XIII. cognom. *Justus*, patris Henrici IV. successor, an. 1610. sub tutela matris Mariæ de Medicis. Ductâ Annâ Hispanicâ, an. 1615. Marescallum Ancræum, qui diu Reginæ gratiâ potens regno illuserat, puniit, matrem à regni administratione Blæsas removit, Condæum turbantem in carcerem conjecit, in Luinæum opibus Ancræi congestis. Paulo pòst matris, cui se varii Principes juncturi erant, copias ad pontem Cæsaris fudit, gratiam petere rebelles coëgit. Benearniam dein, ad restitutionem bonorum Eccl. vi adactam, liberrimi antea juris, Coronæ adjecit, variisque urbibus Reformatis ereptis, in Montalbani obsidione hæsit. Post Luinæi mortem, an. 1620. Richelii Cardin. consiliis uti cœpit, cum Reformatis, Roanio & Subisio horum ducibus, sæpius conflixit. Rupellam Anglorum ope frustratam, an. 28. ad deditionem coëgit: Pacem dein urbi & Reformatis dedit. Turbis domi compositis, bellum Mantuanum pro Nivernio suscepit, Sabaudiam subegit, Hispanos ad Casalim repressit: Post hæc in fœdus cum Suecis contra Cæsarem veniens, Lotharingum ducatu exuit, Gastonem fratrem, Matris Episcoporumque quorundam opibus subnixum, prope Toloiam, an. 32. superavit, Henrico Momorantio partium Duce, capite plexo. Per Castillionæum & Brezæum, Marescallos, Principem Thomam, in Flandria cæcidit, an. 1635. Corbiam recepit, Galassium in Burgundia fudit, Dolam frustra obsedit. An. 1636. Per Harcurtium Hispanos Insulis S. Honorati & Margaretæ depulit, per Marescallum Schombergium Serbellonem coëgit Leucatę obsidionem solvere, acie victum. An. 1637. Porro Casalem tuitus, Taurinum per Harcurtium recepit, per Condæum in Comit. Ruscinonensi felix, per alios Atrebates cepit, ad Theonisvillam acceptâ clade, receptâ Salsâ, Vercellis amissis, irritâ S. Omeri obsidione, paulo infelicior: Nihilominus paulo pòst Catalauniâ & Comitatu Ruscinonensi potitus: Obiit, victo prius Suessionum Comite rebelli, an. 1643. haud diu post Richelii Cardin. obitum, anno ærat. 41. regni 32. Ex Anna Austriaca, pater Ludovici XIV. & Philippi, Ducis Aurelian.

Ludovicus XIV. cognom. *A Deo datus*, natus an. 1638. successit patri, an. 1643. sub tutela matris Annæ, quæ Mazarini Cardin. consiliis usa. Bello Germanico feliciter defunctus, pace generali initâ an. 1649. Alsatiam & Suntgojam regno adjecit. Intestinis dissidiis agitatus, Barcinonem, Casalim, Dunkerckam, &c. amisit. Coronatus an. 1654. in Flandria, Italia & Catalaunia feliciter rem gessit, pace initâ an. 1659. & ductâ Mariâ Tereſiâ, Philippi IV. Hispan. R. filiâ, certis tamen legibus, de quarum sensu hodieque litigatur, an. 1660. Ex illa pater Delphini, an. 1661. Post hæc regno exornando intentus, bonas leges sanxit, ærarii præfectis frænum imposuit. Duellistas, perniciosum genus, extirpavit. Mercaturæ amplificandæ, duas Societates Orientalem & Occidentalem instituit, an. 1664. Injuriam, à satellitibus Alexandri VII. Crequio legato suo Romæ illatam, memorabili exemplo ultus: Leopoldo Imperat. contra Turcas auxilia summisit, Cretæ quoque succurrit, quæ tamen paulo pòst Turcæ præda facta est: Literarum in regno suo splendorem auxit, &c. In ditiones Belgii Hispanici post hæc irrumpens, plurimas urbes cepit, & Comit. Burgundicum subitò occupavit, qui pace Aquisgrani initâ, an. 1668. redditus est. Anno 1672. junctus Gallicus hic Hercules Neptuno Anglico, in societatem armorum pertractis Electore Coloniensi & Episcopo Monasteriensi, solicitatis insuper Sueciæ, Daniæ & Lusitaniæ regibus, ex Italia porro, Sabaudiâ, aliunde auxiliis convocatis, contra fœderatum Belgium, tum proditoribus undique turgens, movit: ubi, intra quadraginta dies, inusitatæ felicitatis memorabili exemplo, totidem, imo plures urbes arcesque in potestatem redegit, votoque brevi potiturus videbatur; unde jam illud in Gallia increbuit:

Una dies Lotharos, Burgundos hebdomas una,
Una domat Batavos Luna, quid annus erit?

Sed omisso, per moram Ultrajectinam, Amstelodamo, capite rerum, Groningâ fortissimè defensâ, victis mari semel iterum, tertiò partibus, alia annis sequentibus facies rerum esse cœpit: Desertæ paulo pòst urbes omnes, Trajecto excepto, & Cæsare, Suecis, Danis, Hispanisque ad partes accedentibus, eventus belli hodieque dubius hæret: utraque parte rerum suarum attentius satagente, interea verò à belli malis ad honestæ Pacis bona respiciente, quæ utinam brevi redonet Pacis auctor!

Alii Reges Principesq;.

Ludovicus Cæcus, fil. Bosonis, ex Hermengarde, Regis Provinciæ, Arelati & Burgundiæ, an. 879. huic successit, sub tutela matris, an. 890. Ab Alberto Tusciæ Marchione, aliisque, Berengarii

garii, qui Imperatorem se fecerat, hostibus, vocatus, à Stephano VII. Imperatoriam coronam suscepit, an. 901. Sed paulo pòst Veronæ, ubi omnium rerum negligens vixit, à Berengario captus oculisque orbatus est, an. 904. Rhegino *in Chron.* Hinc in Provinciam reversus, ibi paulò pòst obiit. Bovis, *Cor. Arelat.* Bouch. *Hist. Prov.* Chorier *t.2. Hist Delph.*

Ludovicus I. Andegav. Rex Hungariæ & Pol. cognom. *Magnus*, fil. Caroli II. (cui Carolus Martellus Hung. R. pater erat) ex Elizabetha, fil. Ladislai Loctici, patri successit, an. 1342. Judæos Hungariâ expulit, bello contra Transylvanos, Tartaros, Croatas, & Valachiæ Vaivodam felix. Casimiro avunculo contra Johannem Bohemiæ R. auxilia summisit. Fratre Andrea, ab uxore Johanna Neapolitana, strangulato, in Italiam transiit, Caroloque Dyrrhachino occiso, Neapoli potitus est, Johannâ in Provinciam profugâ: quæ lis composita, an. 1350. De Dalmatia cum Venetis contendit, Casimiro mortuo, Poloniæ Rex factus, an. 1370. Lithuanos, Proceresque rebelles ad obsequium coëgit. Comanos ad Christianismum convertit, à Carolo IV. Imperat. Vicarius Imperii, ab Innocentio VI. magnus Ecclesiæ Vexillifer creatus. Obiit Tirnaviæ, an. 1382. ætat. 56. regni 40. Ex Elizabetha, fil. Stephani Bohemiæ R. pater Mariæ, quæ Sigismundo Lucemburg. Hungariæ & Boh. R. nupsit, & Hedviges, uxoris Jagelonis, Pol. R. Michov. *l.4.* Cromer. *Hist. Pol. l. 4.* Bonfin. Turosius *Hist. Hung.* Villan. Collenutius, &c.

Ludovicus II. Junior, Hungariæ & Bohemiæ R. fil. Ladislai VI. ex Anna Aurelianensi, filia Johannis Com. Engolismensis, patri successit an. 1516. æt. 12. A Solimanno, capto Belgrado, victus ad oppidum Mohatzium, dum fugâ salutem quæsivit, paludibus mersus est. Natus sine epidermide, an. æt. 8. jam barbatus, interiit an. 20. postquam ignotum hominem, qui instanter petierat cum eo de rebus gravissimis loqui, audire recusasset. An. 1526. Affinis Caroli V. Imp. sorore ejus Mariâ ductâ. Successit hujus frater Ferdinandus, cui Anna Ludovici soror nupserat. Isthuanff. *l. 8. rer. Hung.* Paul. Jov. *in elog.*

Ludovicus I. Dux Andegav. Rex Hierosolymæ, Neapol. & Siciliæ, Comes Prov. Secundogenitus Johannis Gall. R. ex Bonna Lucemburgica, frater Caroli V. hoc mortuo, Galliæ Regens. A Johanna Sicula adoptatus, anno 1380. biennio pòst coronatus est Avenione, à Clemente VII. Hinc in Italiam properavit, comitatus Amadeo VI. contra Carolum Dyrrachinum, qui Johannam è medio sustulerat, sed omnibus Galliæ, quos secum habuerat, thesauris exhaustis, dum novas hinc opes expectat, Venetiis tempus inutiliter terens, obiit an. 1384. Ex Maria Blesensi, pater Ludovici II. & Caroli, Principis Tarentini, qui sine prole defunctus est. Collenut. *Hist. Neap. &c.*

Ludovicus II. successit priori, sub tutela matris Mariæ, quæ confestim filium in Provinciam deduci curavit, ubi Avenione Rex Neapolis coronatus est, dein urbes Provinciæ, Ladislai seu Lancelloti, filii Caroli Dyrr. partes secutas, feliciter reduxit, adeò prudens & mitis, ut filio populi hi lubentes se submitterent. Anno 1383. Rex, post hæc Neapoli cum plausu exceptus, cùm inde in Galliam reverteretur, Ladislaum infestum habuit. Secundò revocatus, secundò desertus est. Proin post Ladislai mortem, inconstantiam populi detestatus, Neapolim tertiò redire renuit. Cum Duce Sabaudiæ, de quibusdam locis, contendit. Sincerus, pius, liberalis, populi amans, ad ignoscendum promtus. Obiit Andegavi, An. 1417. pauperum 15000. viritim 10. denariis legatis. Ex Jolanta, fil. Johannis I. R. Arragoniæ, regni hærede, pater Ludovici III. &c. Collenutius, Summoneta, *Hist. Neap.* Saxyus, *Coron. Reg. Arelat. &c.*

Ludovicus III. à Martino V. & Sfortia, Johannam II. deturbatum euntibus, in Italiam vocatus, satis prospero successu usus est. Sed Alphonsus Arragoniæ R. qui Siciliam tenebat, à Johanna adoptatus, hujus patrocinium suscepit, Sfortiaque Connestabilis ejus factus & Capuano Principatu demulsus, ad illam se iterum applicuit, unde Ludovicus in Galliam regredi coactus est. Paulo pòst indignata Alphonso Johanna, Baronum consilio, Ludovicum adoptatum, à subditis agnosci voluit, Calabriæ Ducatu ipsi donato. Tum Alphonsus, ex Arragonia redux, Massiliam cepit, an. 1423. Ludovicus verò & Johanna, Catalaunos regno pepulerunt. Obiit Cosentiæ, an. 1434. Successit Renatus frater. Justinian. *Annal. Genu.* Barthol. Facius *lib. 3. de reb. gest. Alphonsi.* Collenutius, &c.

Ludovicus, Trinacriæ R. filius Petri, ex Principibus Arragoniis, à Petro III. qui Constantiâ Manfredi filiâ ductâ, jus in Siciliæ regnum nactus est, oriundi. Patri successit an. 1342. sub tutela patrui Johannis. Obiit anno 1355. Fridericus Simplex, Frater, successit. Fazellus, Surita, Villan. &c.

Ludovicus, fil. Philippi Audacis R. ex Maria Brabantina, caput familiæ Comitum Ebroicensium, & Regum Navarræ. Obiit anno 1319. Ex Margareta Artesia pater Philippi Boni, qui per Johannam, Ludovici Hutini filiam, Rex Navarræ factus est, &c.

Ludovicus, Dux Aurel. secundogenitus Caroli V. Gall. R. sub regno fratris Caroli VI. administrationi rerum admotus, nobilitatis favore potens, unus omnia poterat. Quod cùm ægrè ferret Johannes Burg. D. qui regimini similiter imminebat, hinc cruentum Aurelianensis & Burgund. familiæ dissidium. Occisus, Johannis jussu, à nobili quodam Normanno, an. 1407. Ex Valentina filia Joh. Galeacii Com. Mediol. pater Caroli Ducis Aurel. per hunc Avus Ludovici XII. Johannis item, Comitis Engolismensis, qui Franciscum I. suscepit, & filii nothi Johannis, Comitis Dunensis & Longavillani, qui sub Carolo VII. gloriosissimas res gessit, &c. Juvenal. de Ursinis, *hist. Caroli VII.* Enguerandus, Monstrel. *Chron.*

Principes è familia Palatina.

Ludovicus I. fil. Ottonis V. Wittelspachii Comitis, à Friderico II. Imper. Palatinatum consecutus est, cùm ejus filio Ottoni uxor Agnes Palatinatus hæres, Henrici Saxonis filia, daretur. Hic itaque Otto cognom. *Illustris*, Bavariam denuo cum Palatinatu gubernavit. Pater *Ludovici* cognom. *Severi*, cui superior Bavaria, cum Palatinatu obtigit, Vide infra; & Henrici, qui Bavariam infer. nactus est, hujus progenie an. 1340. in pronepote Johanne terminatâ.

Ludovicus II. cujus modò mentio, fil. Ottonis Illustris, communis Palatinorum Bavarorumque Principum, quotquot hodie supersunt, Pater, concessâ à reliquis Electoribus potestate Rudolfum Habspurgensem Imperatorem elegit; cum fratre an. 1282. in Comitiis Augustanis, Austriam, Stiriam, aliaque, tanquam Majoribus suis ablata, repetiit; sed ob uxorem innoxiam præcipitato supplicio peremptam malè audiit. Cujus rei monum. in cœnobio *Fürstenfeld* hoc disticho servatur:

Conjugis innocuæ fusi monumenta cruoris,
Pro culpa pretium claustra sacrata vides.

Eo geniti, Rudolfus, Palatinatum cum Electoratu, & *Ludovicus*, postea Imperator, Bavariam nacti sunt.

Ludovicus III. Ruperto Imper. Patri in Electoratu successit, cognom. *Barbatus*, vel *Pius*, vel *Cœcus*. Patre in Italia degente, ejus vicarius fuit; in Palæstinam copias, tum in Prussiam, pro Teutonicis duxit; non minus bellum quoq; habuit adversus Moguntinum & Badensem. Præses Concilii Constant. sententiam in Joh. Hussum & Hieronymum Pragensem latam, jussu Cæsaris, lictoribus exequendam commisit: cujus causâ ejus familiam in se extinctam esse, credidit Otto Henricus Elector, qui orbus & ultimus decessit, an. 1559. Electoratu in Simmerensem lineam delato. Idem Pontificem Johannem XXIII. in Concilio depositum cepit, custodiâque arctâ Heidelbergæ primùm, dein Manhemii detinuit. E Concilio rediens senex Latinæ linguæ studere cœpit. Ei successit fil.

Ludovicus IV. cognom. *Mansuetus*, sub tutela Ottonis patrui, contra Ludovicum Delphinum, aliquot Alsatiæ civitates occupantem, bellum gessit, anno 1444. Obiit anno 1449. Pater Philippi Elect. Ei successit Fridericus cognom. *Victoriosus*, seu *der tolle Fritz*.

Ludovicus V. fil. Philippi Elect. cognom. *Politicus*, Patri successit: In Comitiis Wormatiensibus, se ministrorum Pontificiorum sententiæ de non servando salvo conductu in causa Lutheri opposuit: Franciscum Sickingensem coërcuit: Rusticorum seditionem repressit: Primam religionis pacem Evangelicis obtinuit Norimbergæ, à Cæsare an. 1532. Religionisque Evang. libertatem permisit 8. civitatibus Palatinatus super. cùm obiret sine prole an. 1544. *pax Germaniæ sepulta*, dicebatur: Ei successit Fridericus II. Sapiens frater.

Ludovicus VI. fil. Friderici III. patris in Electoratu successor, S. Scripturam assiduè legit, Scholarum atque Ecclesiarum Mæcenas: Confessionem Augustanam restituit, Reformatis Theologis dimissis, qui apud fratrem ejus Johan. Casimirum Neostadii perfugium habuerunt; Gebhardi Truchsessii causam apud Cæsarem egit, Thuan. *lib.78.* Obiit anno 1583. Idem *lib. 79.* Pater Friderici IV. Elector. & Annæ Mariæ, Carolo Succiæ Regi nuptæ.

Carolus *Ludovicus*, hodiernus Elector, vide *Carolus Ludovicus*.

Ludovicus Philippus, Dux Simmerensis, fil. Friderici IV. Electoris adhuc minor fratris Friderici V. Elect. & Bohemiæ R. fortunæ implicitus, & ab Hispanis omni ditione exutus est. Tum ratio ejus, in Electoratu ad alium transferendo, neglecta, quòd ei in bello adhærens legioni præfuisset. Inde, post exilium decennale, in comitatu Regis Sueciæ victoris aliquandiu vixit. Demum anno 1648. pace Monasteriensi in sua restitutus, decessit Berolini anno 1655. Successore filio Ludovico Henrico Mauritio Francisco, qui improlis decessit, an. 1673.

Ludovicus, cognom. *Niger*, ex Stephano nepos Ruperti Imper. Bipontinæ lineæ auctor, cum Friderico Victorioso Elect. damnosa sibi gessit bella. Pater Alexandri, à cujus filiis *Ludovico* Bipontina & Ruperto Lucelstenia, familiæ propagatæ sunt.

Ludovicus, Dux Bipontinus, fil. Alexandri, Carolo V. contra Franciscum Galliæ R. militavit: dein inter primos per Schwvebelium religionem reformavit, extinctus anno 1532. relictâ uxore Elizabethâ Hassiacâ, non minoris zeli: è quibus Wolphgangus natus, vide ibi.

Philippus *Ludovicus*, fil. maximus natu Wolphgangi modò memorati, Neoburgicum Principatum nactus, optimi Patrisfamiliâs nomen promeruit, Religionis studiosissimus, Formulæ Concor-

Concordiæ subscripsit an. C. 1580. Ipsius dein & Maximiliani Bavari auspiciis, colloquium Ratisbonense habitum est an. 1601. Cum Johanne Bipontino nepote, ob administrationem tutelæ Electoralis, litem habuit an. 1610. Consternatus nuntio de filii Wolphgangi Wilhelmi apostasia, decessit an. C. 1614.

Fridericus *Ludovicus*, filius Friderici Casimiri Landspergensis lineæ satoris, an. 1661. Bipontino patrueli Friderico successit, Neoburgico Juliacensem suam prætensionem vendidit, jam ditionibus à Galliæ R. occupatis satis arctè habet.

Ludovicus, fil. minor *Ludovici* Severi, Ducatum Bavariæ nactus, postmodum Imperator evasit, auctor hodiernorum Bavariæ Principum, Vide in vocibus *Bavaria* & *Ludovicus V. Imperator.*

Ludovicus Barbatus, prioris ex filio Stephano, Ingolstadiensis lineæ auctore, nepos, frater Isabellæ Francorum Reginæ, in Gallia Mortaniæ tenuit Comitatum, sed, quòd administrationem regni ad se raperet, pulsus. A fil. *Ludovico* Gibboso captus, obiit in carcere an. 1447. præmortuo filio an. 1445.

Ludovicus, fil. Friderici, qui secundogenitus Ludovici Imper. Landshutensem tractum nactus erat, multa gessit bella, cum Alberto March. Brandeburgico. Proscriptus à Friderico III. Imper. hostes confertim in se undique irruentes, fortiter repulit, prælio ad Giengam victor. Obiit an. 1479. dissidiorum suo tempore in Imperio arbiter. In ejus filio Georgio Divite, Ingolstadiensis Academiæ conditore, finita linea est, an. C. 1503.

Ludovicus, Alberti Bavariæ D. ex linea Monachensi, quæ Landshutensi extinctæ successit, filius, cum fratre Guilielmo majore natu, acerrimus Lutheri hostis fuit, primusque fœderis sancti an. 1538. Norimbergæ icti, Dux. Obiit 1545. ex pacto cœlebs.

Ludovicus, fil. Friderici Victoriosi El. Palat. ex Clara de Tettingen Comitatum Lövvensteinium, quem Pater à *Ludovico* ultimo Comite an. 1441. aureis Rhenanis 14000. emerat, nactus, bello Bavarico, Ruperti Palatini secutus est partes. Hinc ab Ulrico Wirtembergico Comitatu exutus, cum ægre, nec nisi mutilum, recepit: Carolo V. electo, nomine Septemviralis Collegii, eventum nuntiavit. Obiit anno Chr. 1524. Pater *Ludovici* & Friderici, quorum ille huic sponte cessit, &c. Vide in voce *Leonstenia.*

Duces Borbonii.

Ludovicus I. Dux Borbonius, cognom. *Magnus*, fil. Roberti, nepos Ludovici IX. Obiit an. 1342. Ex Maria, filia Johannis II. Hannoniæ Com. pater Petri I. Jacobi, à quo Comites Marchiæ, Ducesque Vindocini, &c.

Ludovicus II. dictus *Bonus*, fil. Petri I. ex Isabella Valesia. Obiit anno 1410. ex Anna Delphina, pater Johannis I. SanMarth. *Geneal. Gall.*

Ludovicus Borbonius, Mompenserii Comes, tertius fil. Johannis I. Borboniæ D. Obiit an. 1486. Ex Bertranda Tunia, pater Gilberti: avus per hunc *Ludovici II.* qui Neapoli fato functus est. An. 1501. Petr. Matthæus, Noël Cousin. Fugassius, &c. *Hist. Domus Borboniæ.*

Ludovicus Borbonius, fil. junior Johannis Comitis Marchiæ, ex Catharina Vindocina, Regii thalami Magister, obiit an. 1447. Ex Johanna Lavallia, pater Johannis: per hunc avus Francisci, proavus Caroli Borbonii, primi Ducis Vindocini, qui ex Franciscâ Alenconia, Antonium, patrem Henrici IV. & Ludovicum I. Com. Condæum genuit.

Principes Condæi.

Ludovicus I. Com. Condæus, fil. Caroli Borbonii, I. Ducis Vindocini, natus an. 1530. prudentiâ, pietate, fortitudine inter primos sui seculi, Reformatorum hyperaspistes, postquam ipsi *pro Patria & Religione dulce periculum*, ut symbolum ejus ferebat, non unum fuisset, rebus plurimis præclarè gestis, in prælio Jarnacensi captus, à Montesquio, duce prætorianæ cohortis Henrici Andini, contra fidem datam, occisus est. Ex Eleonora Roja, pater Henrici I. Principis Condæi, avus Henrici II. proavus *Ludovici II.* abavus Henrici Ludovici, Ducis Enghiani, &c.

Alii è regio sanguine Principes.

Ludovicus I. Borbonius, fil. junior Johannis, Comitis Vindocini, Princeps RupiSurionius, obiit anno Chr. 1520. Pater *Ludovici II.* Boni, qui obiit anno 1582. pater ex Jacoba Francisci, &c. Item Charlotæ, quæ cùm invita in monasterium detrusa esset, nupsit postea Guilielmo Arausionensi, Belgicæ libertatis fundatori. Franciscus verò suscepit Henricum ultimum Ducem Montpenserium, qui ex Henrietta Catharina Joyesia, Mariam Borboniam genuit, quæ nupta Gastoni D. Aurelian. mater fuit Annæ Mariæ Ludovicæ Aurelianensis.

Ludovicus I. Marchio Rötheliæ, Dux dein Longavillæ, fil. Francisci Comitis Dunensis. Obiit an. 1516. ex Johanna filia Philippi, Marchionis Hochbergensis, Com. Neocastri in Helvetia, Domini Rötheliæ, pater Claudii, in obsidione Ticini interfecti anno 1525. & *Ludovici II.* qui obiit an. 1537. ex Maria Lotharingâ pater Francisci, demortui an. 1551. & *Ludovici* posthumi, qui juvenis obiit. Maria postmodum Jacobo V. Scotiæ R. nupsit, mortua anno 1560.

Ludovicus Dyrrachinus, Comes Gravinæ, secundogenitus Johannis Andegav. filii octavi Caroli II. Sicil. R. successit fratri Carolo, Dyrrachii Duci, regni Neapolit. præfecto, occiso, jussu Ludovici Hungar. R. ob Andreæ fratris mortem, cujus is conscius credebatur. Obiit veneno oblato, jussu Johannæ I. an. 1362. Ex Margareta, fil. Roberti S. Severini Com. Cariliani, pater Caroli, qui Pax vel parvus Rex Neap. dictus, &c. Villan. Fazellus, &c.

Ludovicus Tarentinus, fil. Philippi, quarti filii Caroli II. Claudi, maritus Johannæ reginæ, quam in Provinciam, tum cùm Ludovicus Hung. R. necem fratris ulturus Neapolim venisset, secutus est. Obiit an. 1361. Pacificus. Collenutius *Hist. Neap.* Nostradam. & Bouch *Hist. Prov.*

Principes Sabaudiæ.

Ludovicus Sabaudus, Princeps Achajæ, Peloponnesi, &c. fil. Jacobi, Amadeo Comiti Pedemontano successit, an. 1402. sub tutela Amadei VI. Auctor Academiæ Taurinensis, magni apud omnes Principes sui seculi æstimatus. Obiit Pinaroli, an. 1418. Successit Amadeus VIII. Guicheno *Hist. Sabaud.*

Ludovicus Dux Sabaudiæ, secundogenitus Amadei VIII. ei successit, fortis & prudens. Basileæ præstò fuit patri, cùm Papa electus esset; post mortem Philippi Mariæ Ducis Mediol. ob viciniam turbis implicitus, quæ compositæ. Socer Ludovici XI. Obiit Lugduni an. 1465. Benignus & Justitiæ acer assertor. Ex Anna Cypria 9. filiorum, & 7. filiarum, Amadei inprimis IX. Ludovici Cypri R. &c. pater. Idem.

Ludovicus, secundogenitus prioris, per Charlottam filiam Johannis II. Cyprii, uxorem, Cypri R. regno à Jacobo hujus fil. notho, occupato, Obiit improlis an. 1482. Steph. Lusignanus *Hist. Cypri.* Guicheno *Hist. Sab.* Vide *Charlotta.*

Alii Principes.

Ludovicus, Arch. Moguntinus & Magdeburgensis, atque Episc. Halberstadiensis ac Bambergensis, fil. Friderici Severi Saxoniæ D. cùm choreas duceret, conclavi corruente periit, sec. 15.

Ludovicus, fil. major natu Eberhardi, Ducis Wirtenbergici, superiorem Principatus partem nactus, Uraci sedem legit: à Comitibus Helfensteniis, Balingam, Dutlingam & Blaubeuram emit, anno 1447. Primus monetam cudi fecit, obiit an. 1450 Pater Eberhardi Barbati, qui Tubingensem Academiam fundavit, an. 1477.

Ludovicus, cognom. Pius, filius Christophori Ducis Wirtenbergici, formulam Concordiæ inter præcipuos promovit, Collegium illustre Tubingæ extruxit, an. 1589. Obiit improlis an. 1593. Idem nomen uni ex filiis Eberhardi Ducis haud pridem demortui: ut & septem Principibus fuit, ex familia Zeringio-Teccia, quæ anno. Ch. 1439. desiit.

Ludovicus Sfortia, Dux Mediol. fil. Francisci Sfortiæ, frater junior Galeacii Mariæ, patris Johannis Galeacii. Huic erepturus Principatum, ut erat sanguinis avidus & callidus, sororem Maximiliano dedit, dein Carolum VIII. in Italiam vocavit. Rege Placentiæ degente, rumor de Johanne Galeacio veneno peremto increbuit, proin hujus filio repulso, Ludovicus Ducatum invasit. Junctus dein Regis hostibus, à Ludovico XII. per Ludovicum Tremollium, captus & in Galliam abductus, ibi obiit. Anno 1510. Comineus *l. 7.* Guicciard. *l. 1. 2. 4.*

Ludovicus, Thuringiæ Landgravius, S. Elisabethæ maritus, ex *Ludovico* Barbato Caroli Lotharingiæ D. à regno Galliæ per Hugonem Capetum exclusi filio, à Conrado Imp. Thuringiâ donato, ortus: Avum habuit *Ludovicum* Ferreum, filium *Ludovici* Lotharii Imp. generi, à quo hic Landgravius constitutus est, nepotem *Ludovici* Saltatoris, quem Ludovicus Barbatus modò dictus genuit. Pater fuit ex Elisabetha Sophiæ, quæ Henrico II. Duci Brabantino nupta, genuit Henricum cognom. Puerum, hodiernæ familiæ Hassiacæ auctorem.

Ludovicus, cognom. *Mitis*, filius Hermanni, Hassiæ Landgravii, non exiguæ in Imperio auctoritatis, Cæsaream dignitatem, post Albertum II. delatam, recusavit: titulum Com. Zigenheinæ & Niddæ, ultimo Comitum Johanne an. Chr. 1453. extincto, assumsit: Pater fuit *Ludovici* Pii, qui Cassellas, & Henrici, qui Marpurgum tenuit.

Ludovicus, filius tertius Philippi Magnanimi, Hassiæ Landgravii, Marpurgi habitavit, & sine prole extinctus an. 1604. Religioni præprimis testamento cavit.

Ludovicus I. Georgio I. minimo natu Philippi præfati filio Darmstattinæ lineæ conditore, natus, fide in Cæsarem *Fidelis* nomen meruit, cum fratribus Primogenituræ pactum in lineam hanc introduxit, cum patrueli Mauritio multum negotii habuit, Giessensem Acad. instituit, Unionis fœdus dissolvit, Palatini restitutionem an. 1623. in Comitiis Ratisbonensibus ursit, Obiit an. 1626. Pater Georgii II. Johannis, Henrici & Friderici: è quibus primo natus est *Ludovicus II.* cui cum El. Palatino an. 1662. ob jus Ecclesiasticum, quod Umstadii uterque sibi vindicabat, lis fuit, genuit hic Georgium & *Ludovicum.*

Ludovicus, fil. Boleslai Lignicii D. ubi recens aurifodina dives, quæ in singulas septimanas 150. auri pondo subministrabat, inventa fuerat, spe successionis fratri Wenceslao, qui cœlibatum spoponderat, Principatum permisit: postea ab illo delusus, nihilominus tutor fratris filiis fideliter præfuit. Obiit an. 1396. pater Henrici, qui *Stigmatias* dictus est.

Ludovicus, filius secundogenitus Joh. Christiani, ex Lignicia familia, in divisione Lignicium sortitus est, & an.C.1663. morte suâ Annam Sophiam Megapolitanam viduam reliquit.

Ludovicus, secundogenitus Caroli D. infer. Lotharingiæ, ex Agnete Veromandua, cognom.*Barbatus*. A Conrado Salico Imper. Comes Thuringiæ creatus, obiit an.1055. Ei successerunt 5. hujus nominis. Ultimus *Ludovicus VI.* Sanctus, obiit in Italia, anno 1227. Maritus Elizabetæ, fil. Andreæ II. Hung. R. Sanctis annumeratæ à Gregorio. An.1335. Vide supra.

Ludovicus Pictaviensis, testamento legavit Carolo Delphino, an. 1444. region. Diensem & Valentinam.

Ludovicus, Andegavensis Dux cum exercitu 30000. militum Italiam intravit, ut Johannam Ungarorum Reginam ab ipsis Ungaris liberaret, an.Dom.1382.

Ludovicus, Innocentii Pontificis nepos, à quo Piceni agri Marchio, & Firmianus Princeps constitutus est, An. Dom. 1406.

Ludovicus, Aquileiensis Patriarcha, Cardinalis primus equos & canes alere cœpit, An. Dom.1444.

Ludovicus, nomen trium Marchionum Mantuan. aliorumque Principum. De quibus aliàs.

Viri celebres.

Ludovicus, Episc. Tholosanus, secundogenitus Caroli II. Hierosolymæ & Siciliæ Regis: cum fratribus, Patris, apud Jacobum Arragoniæ R. captivi, obses. Obiit an. 1297. æt. 23. A Joh. XXIII. Sanctis accensitus, an. 1317. Pet. Rudolfus, *l.1. hist. Seraph.* Catel. *l.5. hist. Tol.* Sumont. *Hist. Neapol.* Morerius *Diction. Hist.*

Ludovicus Albretanus, Cardin. fil. Caroli II. Albretani, ex Anna Armeniaca. Obiit an.1465. Idem.

Ludovicus Alemannus, Cardin. Archiep. Arelatensis, Sabaudus. A Martino V. variis negotiis adhibitus. Præses Concilii Basiliensis, cum Eugenio IV. Concilium aliorsum transferre satagente, collisus, illud Basileæ, ubi Eugenio deposito Felix V. surrogatus est, continuavit. Obiit an.1450. Pius II. *Cosmogr. c. 42. & in Comment.* Morerius *Diction. Hist.*

Ludovicus Alemannus, puriorem religionem Lugduni docuit. An.1566.

Ludovicus Aligerius, Veronensis JC. An. 1530. Jul. Puteanus, *elog. doct. Coll. Veron.*

Ludovicus Ambosianus, Dominus Bussiaci, March. Renelii, Andium præfectus, fortitudine & scientiâ illustris, Orator & Poëta. Occisus an. 1579. æt. 29.

Ludovicus Arrivabenus, Mantuanus, Medicus: Cujus scripta recitat Van der Linden, *de script. Med.*

Ludovicus Avila, frater Henrici Catharini, illustris historici, Cyprius, familiâ celebri oriundus, Carolo IX. Gall. R. & Catharinæ Mediceæ gratus, Venetorum in propugnaculo Zara præfectus. Avila *lib. 9. bell. Civ. Gall. &c.*

Ludovicus Barbus, Senator Venetus, Ordinem S. Benedicti in Italia reformavit. An.1408. Idem.

Ludovicus Barrius, Cardin. fil. Roberti, ex Maria, fil. Johannis Gall. R. Pisano Concilio, nomine Caroli VI. interfuit: dissidiis inter Aurelian. & Burgundicam famil. finiendis intentus. Obiit Verduni an. 1430. Morerius *Diction. Hist.*

Ludovicus Beerus, Basiliensis, Doctor Parisinus, nomen suum posteritati, scriptis pluribus editis, venerabile reddidit. Simler. *Bibl. Gesn.*

Ludovicus Belisarius, Mutinensis Medicus, varia scripsit. Van der Linden *de Scr. Med.* Simler. *in Epit. Bibl. Gesn.*

Ludovicus Bivordanus, quædam metricè scripsit. Val. Andreas, *Bibl. Belg.*

Ludovicus Blaserus, Eques, itinera sua descripsit.

Ludovicus Blavielus, Gandav. versu quædam edidit. Idem.

Ludovicus Blosius, cum Carolo V. Imper. educatus, Benedictini habitum an. 14. æt. sumsit. Discipulus Nic. Clenardi, Lovanii Archiepiscopatum Cameracensem ab Imperatore oblatum, recusavit. Opera ejus 10. sectionibus comprehensa, Antuerpiæ edita, anno 1633. Obiit anno 1566. æt.59. Duchenius, *in Hist. familia Castellionea.* Fr. Suvertius *in Athen. Belg. &c.*

Ludovicus Bologninus, JC. & *Bonaciolus*, Med. Ferrariensis. *Epit. Bibl. Gesner.*

Ludovicus Borbonius, Archiepiscopus Senonensis, Cardinal. Vindocinus, fil. Francisci ex Maria Luceburgica. Patriæ gloriæ commodisque intentus. Obiit anno 1556. Morerius *Diction. Histor.* Alius, quintus filius Caroli I. Ducis Borbonii, ex Agnete Burgundica. Episcop. Leodiensis, occisus an.1482. à Guilielmo Marchio, qui *Aper Arduenna* dictus est. Naucler. *in Chron.* Heuterus *in Maximil. I. &c.*

Ludovicus Bresinus, Annales Artesios Flandricosque condidit.

Ludovicus Brunius, Italus eruditus, floruit an.1494.

Ludovicus Buccaferrejus, Bononiensis, in Aristotelem commentatus est.

Ludovicus Cairlionius, Anglus, Mathematicis scriptis inclytus.

Ludovicus Carbo, Perusinus Dominicanus, scripsit Catalogum Interpretum D. Thomæ, &c.

Ludovicus Carrio, Brugensis, Criticus excellens, Lipsii æmulus. Fragmenta Salustii & Censorini, tractatum Cassiodori &c. edidit.

Ludovicus Castanaus, Henrici III. Romæ legatus, ex Claudiâ Puteana, pater Henrici Ludovici, Episc. Pictaviensis, qui Distinctiones Philosophico Theologicas, Commentarios in Matthæum, Acta, Genesin, &c. edidit: Distinctiones item Ethicopoliticas, &c. Obiit an. 1635. æt. 58.

Ludovicus Castelvetrus, Mutinensis, Poëticam Aristotelis egregiis notis illustravit. Egens, patriâ relictâ, in Maximiliani II. Imp. Aulam se contulit, purioris ibi religionis aurâ haustâ: Unde variæ ipsi, post an. 10. reverso molestiæ. Obiit an. 1571. æt. 66. Laur. Crassus *elog. Hom. Lit. t. 1.*

Ludovicus de Castro, scripsit de avulsione Belgii fœderati, refutationem Synodi Dordracenæ, &c. Leodiensis, Obiit an. 1632. Willot. *Ath. Attica Script. Francisc.*

Ludovicus Charon, Parisinus, Advocatus celebris, insigniter eruditus. Scripsit Panegyricum Caroli IX. Item *de restituenda & in artem redigenda Jurisprudentia. De Jurisdictione & Imperio. Verisimilium libb. 3. Annotationes in leges antiquas, &c.* Fichard. & Forster. *in vit. Jurecoss.*

Ludovicus Colladus, Valentinus, *Coradus*, Mantuanus, & *Cornarus* Venetus, Medici scriptis celebres. Van der Linden *de Scr. Med.*

Ludovicus de Dieu, Batavus, patriâ Flissinganus: Scripsit in omnes V.T. libros *Animadversiones*: Dilhero, *Phœnix ille sacra Philologia.* Eidem *vir in lingua Syriaca incomparabilis.* L'Empereur *Theologiæ vera, artium & linguarum cognitione, sideris instar ex alto coruscantis*, eminet. Floruit circa annum Chr.1640.

Ludovicus Donatus, Venetus, in Magistrum sententiarum commentatus est. An. 1484. Simler. *Bibl. Gesn.*

Ludovicus Donius d'Attichi, Episc. Rejensis, *flores Historia Cardinalium, &c.* edidit.

Ludovicus de Du, vel *de Dieu*, Zelandus, scriptis celeberrimus. Val. Andr. *Bibl. Belg.* Vide suprà.

Ludovicus Duretus, Medicus celebris, in Choacem Hippocratis commentatus, &c. Sebusianus. Obiit an. 1586. San Marth. *elog. l.3.* Van der Linden *de Scr. Med.*

Ludovicus Emericus, Rupifortii Dominus, Regi Arragonum primò, dein Philippo Longo, à secretis. Poëmata scripsit Provinciali dialecto. An.1320. Nostradam. *de Poët. Prov.*

Ludovicus Estensis, Cardinalis, fil. Herrici II. Ferrariæ D. ex Renata Francica, Thesaurus pauperum, seculi sui decus. Obiit Romæ, an.1586. Thuan. *l.84. Hist. & Carm. Consol. ad Annam Est.* Paul. Manutius, *l.3. ep.24.* Pap. Massonius *in elogiis.*

Ludovicus Ferrantus, Brugensis Medicus, scripsit *Hippocratis Coaca Prasagia.*

Ludovicus Fidelis, Canonicus Tornacensis. Scripsit sec. ult. *de Mundi structura, de Humana restauratione, de militia spirituali, &c.* Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Ludovicus Fohanius, Mediolanensis, Musicus celebris, de sua arte scripsit.

Ludovicus Gardinus, Medicus Duacensis, cujus scripta magni æstimantur. Van der Linden, &c.

Ludovicus Gomezius & *Gozadinus*, Jurecoss. Ille Hispanus, hic Bononiensis.

Ludovicus Granatensis, Dominicanus, apud Lusitaniæ Hispaniæque Reges in pretio. Opera ejus multum illi Famæ pepererunt. Obiit an.1588.

Ludovicus Guicciardinus, Florentinus, fil. Hieronymi, nepos Francisci Historici, accuratissimam Belgii descriptionem Italicè edidit, à Belleforesto Gallicè, & Vitellio Latinè versam. Obiit Antverpiæ, an.1589. æt.66.

Ludovicus Helmboldus, Mülhusinus, versu varia scripsit. Simler. *Bibl. Gesner.*

Ludovicus Hillesemius, Andernaco Germanus, *de Consolatione Justorum, Monumenta sacrarum antiquitat.* &c. scripsit, sec. præt.

Ludovicus Jacobus, Cabillonensis, scriptis inclytus.

Ludovicus Josephus Huveterus, Flander, Itinerarium & vitas SS. edidit.

Ludovicus Jungermannus, Medicus. Vide Van der Linden.

Ludovicus Kaerliomus, Anglus, Theologus, Philosophus & Mathematicus, in omni literarum genere scripta edidit.

Ludovicus Keplerus, Medicus, scripsit *de Febri Epidemia, Methodum conciliandarum in Medicina sectarum, &c.*

Ludovicus Lana, JC. Sebusianus, varia edidit.

Ludovicus Lascarius, Provinciali dialecto scripsit complura, an.1376. Nostradam.

Ludovicus Lavaterus, Theol. Tigurinus, insignis. Obiit an.1585. Ejus extant in plerosque S. Scripturæ libros *Homilia* & *Commentarii.* Vide *Lavaterus.*

Ludovicus Lautius, Gandav. auctor notarum in Orosium, &c.

Ludovicus Lazarellus, Poëta. Auctor Dialogi, ad Ferdinandum R. Simler. *in Bibl.*

Ludovicus Lemosius, Lobera, Locabellus, & *Luceria*, Medici, editis libris celebres.

Ludovicus Lipomannus, Episcop. Veronensis, sec. præt. Vitas SS. scripsit.

Ludovicus Lotharingus, Cardinalis, fil. Claudii I. Guisiæ D.

ex

ex Antonia Borbonia, Episc. Metensis. Obiit an. 1578. æt. 56. Morerius *Dict. Hist.* Alius, prioris ex Francisco D. in obsidione Aureliani, à Poltroto occisi, nepos. Ambitiosus, præcipuum Ligæ fulcrum, &c. jussu Henr. III. Blesis, occisus, quòd inter alia sæpe diceret, non se moriturum, *priusquam Henricum rasisset*, Thuan. *l.* 39. &c.

Ludovicus Madrucius, Cardin. Episcopus Tridentinus, inter suos celebris, Obiit an. 1600. Thuan.

Ludovicus Masurius, Tornacensis, Poëta sec. præt. celebris.

Ludovicus Medardus, Valerio Andreæ laudatus. Canonicus Lovaniensis.

Ludovicus Meigretus, Lugdunensis, scriptis inclytus. sec. ult.

Ludovicus Mercator, Episcopo Atrebatensi à secretis. Alius Veronensis, auctor historiæ *M. S.* Voss. *de Hist. Lat.*

Ludovicus Mereatus, Medicus Hispanus. Van der Linden, *de script. Med. p.* 450.

Ludovicus MezZarota, Cardinalis Patavinus: ingenio planè militari, apud Eugenium IV. potens. Dux classis sub Calisto III. Turcas prope Rhodum vicit, Lemnum aliasque Archipelagi insulas cepit, &c. Obiit Romæ an. 1465. æt. 64. Thomasin. *elog.*

Ludovicus Molina, Jesuita Hispanus, scripsit varia, inprimis *de gratia Dei cum Libero arbitrio, in nobis, ad salutem cooperante*: ubi cùm plus homini, quàm Deo tribueret, summos viros adversarios habuit, Dominicanos inprimis, qui B. Augustini sententiam, contra Pelagianos, tuebantur. Thuan. *l.* 131. Obiit an. 1600.

Ludovicus de Montjosieu, Gallus nobilis, Mathematicus eruditus. Scripsit de Septimanis Danielis, &c. Item de re Nummaria & Ponderibus.

Ludovicus Nogarola & *Nonius*, Medici: Quorum hic insignis quoque historicus & Poëta, scriptis ingeniosis clarus. Val. Andreas, Van der Linden.

Ludovicus Novarini, Veronensis, Theatinus, scripsit *Arcana mystica Theologia*: *Sanctitas honorata*: *Adagia SS. Patrum*: *Amoris delitia*, *&c.* Hieron. Caracciolus & Joh. Bapt. de Tufo, *Hist. Theat.*

Ludovicus Paniza, Medicus Mantuanus, an. 1540.

Ludovicus Pantonus & Pazinus, Patavini, Medici. Van der Linden.

Ludovicus Papo, frater JC. Johannis, scripsit quædam.

Ludovicus Pontanus, excellens JC. eruditione inclytus, quidquid semel vidit legitq;, memoriâ nunquam fallente tenuisse dicitur. Scripsit Comment. Juris, Consilia, Singularia, & Repetitiones.

Ludovicus de Ponte, Jesuita scriptis celebris.

Ludovicus Puteanus, Delphinas, fil. Guilielmi, Medici celebris, ex Græco plurima Gallicè vertit.

Ludovicus Radusius, JC. Leodiensis. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Ludovicus Regius, Normannus, Criticus insignis. Epistolis & vitâ Budæi editis primùm innotuit, dein post varia itinera reversus in Galliam, Lutetiæ, ubi Regius Professor factus est, plurima edidit, atque è Græco Gallicè vertit. A Joachimo Bellajo versibus laceratus. Obiit an. 1579. SanMarth. *elog. doct. Gall. l.* 3.

Ludovicus Riccius, Neapolitanus, Episc. Surrentinus, in Jus Canonicum varia scripsit. Laur. Crassus.

Ludovicus Rodolphus, JC. Veronensis, Jul. Puteano celebratus.

Ludovicus Ruffardus, Avarici Juris Professor, plurima edidit. Simler. *in Bibl. Gesn.*

Ludovicus Sangelasius de Lansaco, Orator Galliæ R. in Concilio Tridentino.

Ludovicus Saracinus, Lugdun. & *Savotus*, Medici scriptis celebres.

Ludovicus Sardus, Ferrariensis, JC.

Ludovicus Schmidius, Medicus, scripsit *de Scorbuto, de gravissimo vulnere capitis, &c.*

Ludovicus Septalius, Mediolanensis, Medicus insignis, Ticini Professor, à Bavariæ D. Ingolstadium, à M. Florentiæ D. Pisas, Bononiam porro Pataviumque vocatus, privatus vivere maluit. A Rege Hisp. primarius Medicus Mediolan. dictus, an. 1628. Obiit an. 1633. Scripsit *Comment. in Arist. Problem. Comment. in Hippocr. de Aëre, Aquis, & Locis. Cautiones ad vulnera curanda, de navis, &c.* J. Bapt. Silvacticius, *de Colleg. Med.* Salvator Vitalis, *Theat. Mediol.* Van der Linden, &c.

Ludovicus Simoneta, Mediolan. Cardinalis, Præses Concil. Tridentini.

Ludovicus Tremollius, Vicecomes Thouartii, Dux exercituum in Gallia & Italia, Præfectus Burgundiæ, sub Carolo VIII. Ludovico XII. & Francisco I. Pater ex Gabriela Borbonia, sorore Caroli Connestabilis, Caroli Talmontii Principis, in prælio ad Marinianum, occisi, anno 1515. Sub Carolo VIII. Britones devicit, an. æt. 25. dein in occupando regno Neapol. & prælio ad Fornouam fortem operam navavit. Sub Ludovico XII. Ducatum Mediolan. occupavit, Sfortiâ capto: Imperatoris Papæque conatibus obstitit, Venetos cæcidit, redux Divionem obsessam ab Helvetiis liberavit, his Regi reconciliatis. Sub Francisco I. interfuit prælio ad Marinianum, Anglos Picardiâ expulit, &c. Occisus in obsidione Ticini, an. æt. 80. cùm Franciscus R. captus est. Dictus *Eques sine probro.* Illum Guicciard. primarium totius orbis belli Ducem, P. Jovius seculi sui decus vocat. Ex Ludovica Borgia, secunda uxore, nullâ prole susceptâ. Joh. Bouchetus, *Hist Trem. & Aquit.* &c. Vide quæ de illo Barclajus habet, *in Icone animorum.* Filius fuit Ludovici Tremollii.

Ludovicus Turrius, Carthus. Leodiensis, metricè Generales Ordinis sui descripsit. Petrejus *B. C.* Val. Andreas, *B. B.*

Ludovicus Valetta, Cardin. Arch. Tolosanus, fil. Ludovici Espernonii. Animo bellorum cupiente, præfuit exercitibus in Germania, Belgio, Italia. Obiit prope Taurinum, an. 1639 Morerius.

Ludovicus Varambonius, Cardin. Sebusianus, interfuit Concilio Constantiensi & Senensi: ubi factus Episcopus Lausannensis, Amadeum VII. Ducem Sabaudiæ infestum habuit, qui à Concilio ad Papam appellavit, indignissimè hoc ferente Concilio Basiliensi: Postmodum hic Papa electus illum in pretio habuit. Obiit Romæ, an. 1455. Æn. Sylvius, Morerius *Diction. Hist.*

Ludovicus Vartomannus, Bononiensis, Itinerarium Æthiopiæ, Ægypti, Arabiæ, Syriæ, &c. edidit. Archangelus Madriganius Latinè vertit. Voss. *de Hist. Lat.*

Ludovicus Vassæus, Catalaunus Medicus, scriptis celebris, Simler. *in Bibl.* Van der Linden, *de Scr. Med.*

Ludovicus Vignatius, Auditor Rotæ, vir celebris. Jan. Nicius Erythræus, *in Pinacoth.*

Ludovicus Vives (Johannes) Valentiâ Hispanus, præcipuum seculi sui decus. Londini, Lovaniique elegantiores literas docuit. Auctor inter alia Commentariorum in August. *de C. D.* &c. Opera ejus 2. volum. in fol. Basileæ impressa, anno 1555. Purioris religionis cognitione haustâ, Obiit an. 1536. Paul. Jovius *in elog. doct. c.* 145. Alphonsus Garcias *de doct. Hisp.* Val. Andreas, *in append. B. B.*

Ludovicus Zuchius, JC. Veronensis. Jul. Puteanus, *in elog. doct. Veron. Coll. &c.*

Ludron, oppid. Comitatus Tirol.

Ludvallus, Walliæ Princeps, subjugatus ad Edgaro Anglorum R. tributi loco certum luporum, quibus regnum tunc mirè infestatum erat, numerum quotannis pependit. Hinc brevi totâ Britanniâ lupi sublati.

Luentinum, vel. *Loventium*, opp. Albionis in Walliâ, teste Villanovano. Camdeno videtur vel locus excisus in Comitatu Brechiniæ ad *Leveney* fluv. vel *Newcastle*, prius *Elmelin*, vicus Carmardeniæ Comit. apud Tivium fluv. Baudrando fuit opp. Silurum, terræ motu absorptum; ubi nunc vicus *Llin Savatan*, in Comit. Brechiniensi, in Vallia: cujus media pars Camdeno *Povvesland* dicitur. Vide *Loventium.*

Luganensis Præfectura, Helvetiis *Landvogtey Lauuis*, Gallis *Baillage de Lugano*, una ex IV. Ital. inter Mendrisianam Præf. ad Ort. & Locarnensem ad Occ. in limite Duc. Mediol. sub Helvetiis. Ibi Luganum opp. præc. Vide *Luganum* & *Lucanus lacus.*

Luganum, Ital. *Lugano*, Germ. *Lauuis*, opp. Italiæ est, ad lacum, quem quidam ab oppido *Luganensem*, alii Gauni lacum vocant, qui ad lævam Larium, Verbanum à dextris habet, in quem sese exonerat. Olim sub Ducibus Mediolanensibus, dein à Gallis occupatum, quorum tempore, an. C. 1511. ob nuntium Suitensium hîc à Gallis undis mersum, insigniaque horum contumeliosè habita, ager ab Helvetis vastatus est: Postea an. 1513. dono Maximiliani Sfortiæ D. Mediol. in Helvetiorum manus pervenit. Caput præfecturæ *Luganensis*, quæ inter 4. Italicas principem tenet locum: Ejus præfectus Capitaneus dicitur, & omnium Præfecturarum, belli tempore, imperium habet. *Luganensium* appendix olim Mendrisium fuit. Stumpf. *l.* 9. *de Lepontiis c.* 9. & *de Rep Helvet.* &c.

Luganus lacus, vide *Lucanus lacus.*

Lugdunensis Gallia, ab urbe Lugduno, velut à Metropoli sua nomen accepit: quæ ante eam conditam, ab indigenis *Celtica*, à Romanis *Gallia* appellabatur. Licèt enim totius primùm Galliæ incolæ *Celtæ* dicerentur, tamen, ut inter Africæ provincias fuit *Africa* propriè dicta, seu regio Proconsularis, in qua Carthago: in Europa extrema inter 6. Thraciæ provincias fuit *Europa*, in qua Constantinopolis: in Asia fuit Asia minor, absolutè Vellejo aliisque *Asia* vocata, in qua Pergamum eminet: Sic inter Celticæ provincias fuit regio, ab incolis, ut dictum, *Celtica*, à Rom. *Gallia* proprio nomine vocata, quæ postmodum *Lugdunensis* accepit nomen. Ejus Legati Acilii Aciolæ meminit Tacit. *Annal. l.* 3. ubi ait, eum excitâ cohorte Lugduni præsidium agitante, rebelles Andicavos, sub Tiberio, coërcuisse. Idem *Hist. l.* 1. & 2. Jun. Blæsum, *Lugd. Gallia rectorem* memorat, sub Vitellio. Sic Suetonius *in Nerone* tradit, Julium Vindicem tum Gallos, i. *Galliam Lugd. pro Prætore obtinuisse.* Spartianus quoque Septimium Severum ante Imperium *Lugdunensem prov.* Legatum accepisse, & Pescennium Severo eo tempore, quo hanc provinciam regebat, amicissimum fuisse scribit. Hæc primùm à Garumna ad Sequanam, ad superiores etiam Rheni partes pertinebat; sed postea, cùm Sequani & Helvetii Belgicæ: & 14. gentes Garumnam inter & Ligerim Aquitaniæ ab Augusto sunt attributæ, Ligere & Sequanâ claudi cœpit. Quæ res ut paulò altiùs repetatur, notandum, teste Cæsare, Galliam omnem divisam esse in tres partes, Belgicam, Celticam seu Galliam propriè dictam, & Aquitaniam: quæ in nummo Galbæ Aug. *tres Gallia* & alteræ alteris proximæ, ac penè conjunctis vultibus fœmineis exprimuntur, habebantque sub se 64. præcipuas gentes, & uno nomine *Comata Gallia* dicebantur. Omisit Cæ-

sar Galliam Narbonensem seu Braccatam, quæ pridem Romanorum erat. Augustus dein, Galliam in 4. partes, Belgicam, Celticam seu *Lugdunensem*, Aquitaniam & Narbonensem divisit, aut veriùs suas Galliæ partes 4. quas invenerat, reliquit; sed Aquitanis per Agrippam atque Messallam perdomitis, aut pacatis, cùm intelligeret, Aquitaniam multò minorem esse, quàm ut pro quarta Galliæ haberi posset, eam ultra Garumnam usque ad Ligerim protulit, Celticâ imminutâ, idemque Belgicæ fines auxit, ut dictum. Obtinuit hoc etiam sub sequentibus Principibus, Juliano quoque, Severo & Gabieno. Viennensis provincia, sub Hadriano Aug. videtur prioribus accessisse: Quibus Alpes Grajæ & Peninæ, ut & Alpes Maritimæ additæ sunt, fortè sub Constantino M. à quo pro quinque Galliæ provinciis circiter quatuordecim constitutæ eruditis videntur: Certè è Rufo Festo, qui circa A. C. 370. sub Valentiniano & Valente Impp. scripsit, colligitur, Narbonensem Galliam pro una quatuor provincias, Narbonensem, Viennensem, Alpes Grajas & Alpes Maritimas: Aquitaniam pro una tres, Aquitaniam 1. 2. & Novempopulanam: Belgicam pro tribus quinque, Belgicam 1. 2. Maximam Sequanorum, Germaniam 1. & 2. *Lugdunensem* tandem nostram pro una duas, primam, in qua Lugdunum ac civ. Senonum, & secundam, ubi Rotomagus & Turoni, tum habuisse. Haud multò pòst tres provinciæ Galliis iterum accessere, & de 14. septendecim factæ, atque pro una Narbonensi, duæ; pro duabus *Lugdunensibus* quatuor constitutæ sunt à Valentiniano Aug. aut à fil. ejus majore Gratiano. Qui numerus diutissimè constitit: Donec Arelatensis provinc. quæ Viennensis secunda dici potest, accessit. Postea ex ejus parte, nova facta est provincia Avennica, Avenione in Metropolim evectâ, circa An. C. 1322. quæ, quòd primùm portio prov. Viennensis, exin Arelatensis fuit, antequam novam ipsa componeret, Viennensis tertia vel Arelatensis sec. vocari potest. Sequenti tempore Tolosâ à Johanne XXII. qui an. 1316. sedere occœpit, metrop. dignitate auctâ, prov. Tolosana initium sumsit, quam Narbonensem tertiam non ineptè appellaveris. Anno 1559. tres novæ provinciæ in Gallia factæ sunt, Camaracensis, quæ Belgica tertia dici potest, Trajectensis & Machliniensis. Lutecia tandem, quæ prov. *Lugdunensis* 4. vel Senoniæ prius civitas erat, & ipsa in Metropolis decus erecta est. Unde nunc in Galliis provincias viginti quatuor, à sua quamque Metropoli cognominatam, numerant: In quibus sunt 15. metropoles cum suis provinciis & diœceses 120. intra regnum Francorum, 9. Metrop. & 32. Diœc. extra. Plura de his vide apud Hadr. Valesium *Not. Galliæ, & in voce Lugdunensis Gallia: ubi, inter alia, de Gallia præ Hispania prærogativa sub finem disserit.*

Lugdunensis prov. *le Lyonnois*, Galliæ tractus, satis parvus, inter Delphinatum & Bressiam ad Ort. & Forensem prov. ad Occ. Separatur à Delphinatu Rhodano: per 12. leuc. extensa à Borea in Mer. Caput Lugdunum est.

Lugdunensis Sin. pars maris Mediterr. nautis formidabilis, inter Prov. ad Ort. & Cataloniam ad Occ. usque ad Baleares, & ultra, extensa; *Golfo Leone* Hisp. *Golfe de Lyon* Gallis.

Lugdunum, Gallis *Lyon*, Hispan. *Leon di Francia*, Italis *Lione*, Anglis *Lyons*, Emporium totius Gall. Celt. longè celeberrimum, à quo ea pars Galliæ *Lugdunensis* dicta est; à L. Munatio Planco, dum Galliæ Comatæ præesset, conditum, in colle supra confluentem Rhodani & Araris imminente: Ubi etiam hodie non obscura antiquæ urbis extant vestigia. Habuit hæc urbs templum insigne, communi Galliæ totius impensâ extructum, & Cæsari Augusto consecratum, à parte ante urbem, ubi amnes confluunt: ibique ara dignitatis eximiæ erat gentium sexaginta titulo insignis, dicatis ibi totidem gentium simulachris. Ad hanc aram à Caligula Cæsare, teste Suetonio, institutum fuit certamen Latinæ, Græcæque facundiæ, idque eâ lege, ut victoribus victi præmia conferrent, eorumque laudes componere cogerentur. Qui verò maximè displicuissent, scripta sua spongiâ linguâve delere cogebantur, nisi ferulis verberari, aut flumine proximo mergi maluissent. Juv. *Sat.* 1.

——— ——— ——— Et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Hæc autem urbs tam insignibus, totque egregiis ornamentis nobilitata, teste Senecâ *in Epistolis*, sub imperio Neronis, centesimo anno à quo fuerat condita, unâ nocte conflagravit. Hodie urbs est permunita & Archiep. ad confluentes Araris in Rhodanum. 100. leuc. à Lutetia in Austrum, uti 22. à Cabillone, 5. à Vienna in Boream, uti 36. ab Avenione, & 60. ab Augusta Taurinorum in Occasum. In prov. Lugdunensi est, in ipso limite Delphinatus, à quo Rhodano separatur. Baudrand. In vett. inscriptionibus *Colonia Claudia Copia*: Herodiano *ingens & beata civitas*: Ptolomæo *illustris Metropolis*: Sidonio Apollinari *Rhodanusia*, quòd nulla ei ad Rhodanum par, vocitata est. Romani inprimis hanc urbem, utpote maximè opportunam, excoluerunt, ibi Granario & Emporio celeberrimo instituto. Postquam Plancus huc coloniam deduxit, Augustus integrum in ea triennium commoratus, ibi templum condidit, & *Sodales Augustales* instituit. Cujus dein Caligula varios hìc ludos, V. supra, celebrari jussit, & post retrò memoratum incendium, munificentiâ Neronis, reparata est. Præter Claudium Imp. Germanici quoque, Caracallæ & Getæ patria, sedesque Nobilium, & in quavis scientia celeberrimorum Virorum receptaculum semper fuit. Interim à Severo Imp. quòd Albino adhæserat, duriter habita & magna ex parte exusta est, Christianis inprimis crudelissimè tractatis. Ibidem Magnentius tyrannus, audito Constantium adventare, propriis, Gratianus verò Andragathi manibus cecidit. Majoranus postea, Sidonii Apollinaris precibus motus, urbi pristinum decus reddidit. Nihilominus iterum Alemannorum, Gothorum, & Saracenorum tandem sec. 8. incursionibus Fortunæ vices sensit: & præt. sec. bello civili flagrante, varia experta est. Rerum hìc Romani primùm Domini fuere, usque ad Honorium, sub quo Stilico illam, ob opem contra Gothos fortiter præstitam, concessit Burgundionibus, qui regni eam sui constituere caput. Postea ad Francos pervenit, circa an. C. 532. quo Clodomirus, Sigismundum R. necavit, hujusque fratrem Gundemarum Childebertus & Chlotarius regno pepulere. Anno dein 955. à Francis data est Conrado I. Regi Burgundiæ Transjuranæ, cui Mathildis Ludovici IV. R. filia nupserat: Sed post mortem Rodulphi III. R cùm Burgundiæ regnum miserè discerperetur, Archiepiscopi Lugdunenses & Comites Forestii, diu inter se de jure in urbem collectati sunt: manseruntque superiores Comites usque ad an. C. 1173. quo Guido II. & Guido III. pater & filius Guichardo Archiepiscopo cesserunt. Post hæc, variis turbis agitata civitas fuit, inter cives & ministros Præsulis ortis sæpe dissidiis, usque ad tempora Philippi Pulchri R. qui à Petro Sabaudo Arch. jus seculare nactus est; quo tempore Consulatus initium sumsit: Postquam civibus favens contra Præsulem Philippus III. Rex potestatem illis publicè conveniendi indulsisset. Sic à Philippo IV. veniâ 12. Senatores, quibus Consul præsideret, quotannis eligendi impetratâ, usi sunt Lugdunenses hoc regimine, usque ad an. C. 1595. quo Henricus IV. Præfectum Mercatorum *Prevôt de Marchands*, & quatuor Scabinos *Eschevins* instituit, Consulatu, cui Carolus VIII. anno Chr. 1495. jus Nobilitatis concesserat, antiquato. Ecclesiam Lugdunensem S. Photinus & S. Irenæus fundasse dicuntur, Galliæque Primas Archiepiscopus est, à tempore Gregorii VII. circa an. Chr. 1079. Ei suffragantur Episcopi, Augustodunensis, Lingonensis, Cabillonensis, & Matisconensis: Templum prim. S. Johanni Baptistæ sacrum est. Clemens hìc V. an. Chr. 1305. coronatus est, in præsentia Franciæ, Angliæ & Aragoniæ Regum. Concilia quoque varia habita, inprimis an. Ch. 1245. sub Innocentio IV. contra Fridericum II. Imp. quem cùm quidam eò accersendum esse sentirent, deprecatus est Pontifex, nondum sibi sat animi esse ad martyrium subeundum causatus, & an. C. 1274. à Gregorio X. ad Latinam Ecclesiam cum Græca uniendam. Præcedente seculo Evangelicam doctrinam non pauci incolarum amplexi sunt, quorum hodie non exiguus numerus, in loco *S. Romain*, bihorio ab urbe distante, sacra sua obeundi veniam habent. *Lugdunum* olim dicta fuit *Lugduna* Stephano. Eam peculiari libello descripsit Symphorianus Campegius, & Gallicâ linguâ Lugdunensem historiam prolixè persecutus est G. Paradinus. *Lug* verò, unde *Lugduno* nomen, corvum exponit Clitophon Rhodius historicus, qui τῶν κτίσεων, sive Originum libros scripsit. Ex quorum 13. hæc citantur apud Plutarch. *libr. de fluviis, in Arari, Cùm Momorus, & Atepomarus à Seseroneo regno dejecti, in eo colle ex Oraculi præcepto urbem ædificare vellent, jactis jam fundamentis, corvi subitò apparentes, expansis alis arbores quæ circa erant replevere; Momorus autem auguriis callentissimus, civitatem Lugdunum vocavit.* Λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσι, δοῦνον δὲ τὸν ἐξέχοντα: *Lugum enim linguâ suâ corvum vocant, Dunum verò locum eminentem.* Vide præter vett. Scriptores Sidon. Apollin. *libr.* 1. *epist.* 5. Gregor. Turonensem *libr.* 1. *& seqq.* Symphor. Campegium *de Hier. Eccles. Lugdun.* Guil. Paradinum *Memoir. de l'Histoire de Lyon.* Claud. de Rubis, Joh. de S. Aubin, & Menestrier. *Histor. de Lyon.* M. de Marca *de Prim. Lugdun.* Jac. Severtium *Chron. Histor. Præsul. Lugdun.* la Mure, *Histor. Eccles. du Diocese de Lion*, aliosque laudatos Morerio *Diction. Histor. ubi prolixè de celeberrima hac urbe agit*, ut & infra in voce *Lugdunum Segusianorum*. Quæ præterito seculo, turbis intestinis Galliæ hìc gesta, exhibet Thuanus *in Histor.* Jul. Cæsar Scaliger de illa:

Flumineus Rhodanus quà se fugat incitus amnis,
Quàque pigro dubitat flumine mitis Arar,
Lugdunum jacet, antiquo novus orbis in orbe,
Lugdunumque vetus orbis in orbe novo;
Quod nolis, alibi quæras; hìc quære, quod optas,
Aut hìc, aut nusquam vincere vota potes.

Lugdunum Aquitaniæ, Strab. Vide *Elorona*.

Lugdunum Batavorum, urbs ampla & culta Belgii in Hollandiâ. Λουγόδουνον Βαταούων Ptol. Æthico *in Itiner.* dicitur *caput Germaniarum*, i. initium provincc. ambarum, Germ. inf. seu secundæ, & sup. seu primæ, vulgò *Leyden.* Vide Voss. *Hist. Gr.* 346. & Cluver. *de Rheni alveis*, c. 20. Ad antiquum Rheni alveum, cum Academ. percelebri. Nota est obsidione & clade Hisp. an. 1574. Sita in medio penè cæterarum urb. quippe Delphis 3. Amsterodamo, Dordraco,

Ultrajecto 7. leuc. distat: Totius Hollandiæ, post Amstelodamum, populosissima, & caput agri Rhenolandici.

Lugdunum Clavatum vel Cloatum, nunc *Laudunum*, vulgò *Laon*, in finibus Remorum, castrum fuit in monte positum, ita ut procul intuentibus celsissimo cacumini, tanquam clavis affixum, videatur, unde ei nomen. Illud Remigius Genobaudo, Episcopo ei præposito, de castro Remensi Ecclesiæ subjecto, civitatem fecit: quæ regnantibus Chlodovæi Jun. filiis, etiam Ducem suum proprium habuit, cùm antè Campaniæ Gallicæ Duci pareret. Macrobium prætorem conditorem habuisse, testatur Frodoard. *Hist. lib.* 3. *cap.* 21. Ultimo loco inter Remensis Archiep. comprovinciales commemoratur in Not. quibusdam, post an. 1220. factis. Ejus Episcopus, à villa Anisiaco, dici consuevit *Episcopus Dux Laudunensis, Par Franciæ, & Comes Anisiaci*. Medulfus à Genobaudo Episc. Laudunensi missus Concilio Aurelianensi 5. subscripsit A. C. 549. Chagnoaldus Episc. laudatur Flodoardo *Hist. Rem. lib.* 2. *cap.* 5. Nobiles civitatis ferè omnes à plebe interfecti sunt, tempore Ludovici Crassi, quòd Episcopo suo Galdrico fideles essent: Rogerus verò Episc. Laudunenses à communitate Regis Lud. consensu jurata, abstracturus, armis per Quadragesimam aggressus est, A. C. 1178. Nec Episcopatus sedes solùm, sed & olim regia fuit Caroli, Rodulfi, Ludovici Transmarini ac Lotharii Ludovicique Regum, ita ut ad Reges Francorum, qui hisce successerunt, tanquam res fiscalis & dominica, propriè pertinere videretur. Caput agri cognom. qui, vulgò *Laonois*, inter Remensem & Mosellanum in divisione regni Ludovici Pii positus, pars veterum fuit Remorum: unde & urbs ipsa, castrum olim Remorum, creditur à Dudone, esse opp. Remorum Bibrax, apud Cæsarem. Vid. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Lugdunum Convenarum, urbs Aquitaniæ, Episc. sub Arch. Auscensi, nunc *S. Bertrand de Comminges*, in tractu Convenensi, in colle, ad Garumnam, in confinio Aragoniæ, vix 4. leuc. à Pyrenæis in Bor. 11. ab Ausciis in Austr. 5. à Consoranis in Occ. 15. à Tolosa in Africum.

Lugdunum Salinarum, opp. aliàs munit. in Comit. Burgund. in limite Duc. Burg. 7. leuc. à Dola in mer. *Lyon le Sauniers* vulgò.

Lugdunum Segusianorum, urbs Galliæ Celticæ prim. Colonia Rom. à L. Munacio Planco deducta, Viennensibus, qui ab Allobrogibus pulsi erant, eò translatis, *Col. Lugd.* in veteri marmore *Col. Rom. Lugd.* in nummo Caii Cæs. qui *tertium Consulatum ibi solus iniit, ludosq; miscellos & certamen Græcæ Latinæq; facundiæ, ad aram Augusto ad confluentem Araris & Rhodani dedicatam ac à Galliæ populis* 60. *inscriptam*, *edidit*, nuncupatur. Plinius *in Segusianorum liberorum agro Coloniam Lugdunensem* ponit. Splendore potentiaque in tantum brevi efflouit, ut & Senatores Curiæ daret. Unde Claudius Aug. ibi natus, in oratione, de Gallis civitate donandis, inquit, *ex Lugduno habere nos nostri ordinis viros non pænitet.* In jugo montis Rhodano & Arari imminentis ex parte posita hinc fortè nomen accepit: Vulgò *Lyon*, leonem pro insigni habet. Hoc emporio usos, ibique ex auro argentoque nummos percussisse Rom. Magistratus auctor est Strabo: Postea Imperatorio privilegio Archiepiscoporum Lugd. vultu & nomine notati, ac demum Regum ore signati ibidem sunt, hodieque signantur. *Procuratoris Cynegii Lugdunensis*, vel potius *Gynecæi*, meminit Notit. Imp. Anno ab origine sua plus minus centesimo, funestum sensit incendium, de quo Senec. *epist.* 91. quam cladem Nero quadragies sestertio solatus est, Tacit. *Annal. lib.* 16 Unde urbs Galbæ infesta, à Nerone stetit, veteremque inter Lugdunenses & Viennenses discordiam, propter Neronem & Galbam, bellum accendit. Sub Guntchramno, iterum maxima pars civitatis gravissimo igne deflagravit, post mortem Nicetii, quem incolæ *S. Nisier* dicunt. Fuit ibi Amphitheatrum olim, & annuus, sub Antonino, conventus ad aram Augusti, ex omnibus Gentibus, Civitatibusve Galliæ sacrorum ludorumque causâ: Fuere quoque ibidem Seviri Augustales, Negotiatores vinarii, &c. ut ex inscriptionibus patet. Bibliopolarum hîc mentionem facit Plin. *lib.* 9. *epist.* Professores Græci Latinique Grammaticæ & Rhetoricæ scholas publicas in urbe habuere, & è fisco salaria annua, Romanis imperantibus, imo & strenas Kal. Jan. ab Impp. ut & in aliis Galliæ civitatibus, inprimis Archiepiscopalibus, docet id *Lex Impp. Valentis, Gratiani & Valentiniani A. A A ad Antonium Præf. prat. Galliarum, in Codicis Theodos. lib.* 13. *Tit.* 13. Ibidem & scena fuit, quare Theocritum Cæsarianum, qui Antoninum Severi fil. saltare docuit, cùm Romanis in scena non placuisset, huc commigrasse dicitur, à Dione *lib.* 77. Palatium quoque, in quo Magnentius propriâ se manu interfecit, Hieron. *in Chron.* & Forum vetus à Trajano Imp. extructum, à templo Veneris jussu Augusti ibi condito. *Forum Veneris* dictum: nunc *Forviere*, cujus vestigia superesse Paradinus prodit. Inter claras urbes ab Ausonio omittitur, quòd Imp. Gratiani discipuli ejus cæde infamis esset. Sub Honorio, milites Rom. Gothorum in Italiam adventu turbati, sedem huc Imperii transferri voluerunt: quos Stillico apud Claudianum *de bello Getico* sic alloquitur:

—— —— Quid Gallica rura
Respicitis, Latioq; libet post terga relicto,
Longinquum profugis Ararim præcingere castris?
Scilicet Arctois concessâ gentibus Urbe
Considet Regnum Rhodano, capitisq; superstes
Truncus erit.

Nomen dedit urbs tam insignis Galliæ *Lugdunensi* seu Celticæ, quæ pars postea in duas divisa est provincias, ac demum in quatuor, vid. Lugdunensem primam, cujus Metrop. Lugdunum: Secundam ad Oceanum, cujus Metrop. Rotomagus: Tertiam, cujus Cæsarodunum Turonum, & Quartam vel Senoniam, cujus caput est Agedincum Senonum. Imo & Quintam *Lugdunensem* vocare nunc licet prov. Parisiacam, patrum ætate factam Senoniæque detractam. Quam ob causam Archiepiscopus *Lugdunensis*, nonnunquam *Patriarcha* appellatus est, & totius Galliæ Celticæ *Primas*: Cujus diœcesis per pagos *Lugdunensem*, Bellojocensem, Forensem & partem Brexiæ agrique Burbonensis diffunditur. Urbs Pilati patria fuit, teste Isidoro Hispalensi, hodieque incolæ extra urbis muros domum ostendunt, quam Pilati fuisse asserunt. Huc quoque Herodes Antipas, à Cajo Caligula relegatus est. Est quoque, ut & hoc addam, Lugduni domus Rodana, in literis, A. C. 1312 aliisque memorata, vulgò *la Maison de Roanne*, aut *l'Hostel de Roanne* dicta, propterea quòd ad dominos Rodumnæ, Comitibus Forensibus ortos, primùm pertinuit: quæ postea Dalfinorum Viennensium, ac demum Regum Francorum fuit: Item Castrum Petræ scissæ, vulgò *le Chasteau de Pierre Cize*, captivitati reorum destinatum. Vid. Hadr. Val. *Notit. Gall.* & supra in voce *Lugdunum*.

Lugdus, Celtarum dux, post Narbonem patrem, Berosus *lib.* 5. à quo & provincia & homines cognomenta sumpserunt.

Lugensis Comit. regiuncula Ultoniæ, versus mare Hibern. *Louth Countie* vulgò, cum opp. cognom. Lugo, vulgò *Louth*: Aliis est *Luthensis Com.* inter Dunensem Com. ad Sept. & Mediam Or. in Mer. reliquæ urb. sunt Drogheda, Carlinfordia, *Carlingford*, Ardracum *Ardrak*, & Dunkeranum *Dunkeran*.

Lugeum, sive *Lugea*, palus Japodum in Liburnorum confin. apud Arsiæ ortum, vulgò *Zirchnitz*, ab opidulo ei vicino sic denominata: Singulis annis frumentum, venationem, & piscationem exhibet. Clauditur circumquaque montibus, plerisque in locis 18. cubitos alta est, & ubi minimùm profunda, existit, justam humani corporis æquat mensuram. Ex montibus circumpositis rivi quidam ignobiles procurrunt, suo quisque alveolo, ab Orientali quidem plagâ 3. ab Australi verò quatuor. Singuli quò longius fluunt, hoc minus scatent aquis, terrâ nimirum ipsos combibente, donec postremò absorbeantur scrobibus saxeis, ita natis, ut humano opere excisæ videantur. Hîc aquis ita redundantibus, ut recipi amplius non possint, fit ut regurgitent scrobes, neque solùm nihil aquæ admittant, sed etiam quicquid receperint, effundant tantâ celeritate, ut refluxûs impetum equiti quantumvis expedito, & celeriter fugienti ægrè effugere liceat. Itaque quacunque patet locus, diffunduntur aquæ, & lacum efficiunt. Hæ aquæ postea non minus ferè celeriter recedunt, quàm accesserunt, ac non per scrobes illas tantùm, sed universâ penè terrâ eas non aliter recipiente, quàm si per cribrum diffunderentur. Quod cùm fieri sentiunt accolæ, continuo grandioribus ejus meatibus, quoad fieri potest, obstructis, agminatim advolant ad piscationem, quæ ipsis non modò jucunda, verùm etiam perfructuosa est. Porro siccato lacu fit messis, quâ parte solum prius consitum erat; & idem rursus conseritur, antequam inundet. Graminis ita est ferax, ut post vigesimum diem secari soleat. Lazius, Geo. Wernherus, *de admirandis Hungariæ aquis*.

Lugi, vel *Logi*, pop. Borealis Scotiæ, quorum regio nunc *Cathanesia*. Baudrando, ubi nunc Sutherlandia prov. juxta Oceanum Germ. inter Cathnesiam & Naverniam ad Sept. ac Rossiam Or. ad Mer.

Lugidunum Germ. urbs, una ex Silesiæ præcipuis, Ptol. *Glogau* hodiè. V. *Glogovia*.

Lugio, vel *Legio*, ut legit Simlerus apud Antoninum, qui *Batha* ex eâ facit, Pannoniæ inferioris opidum.

Lugionum, Pannoniæ infer. urbs. Ptol.

Lugnitia vallis, in Rhætia, unde *Glenner* fluv. descendens, ab altero Rheni fonte, à dextris, suscipitur.

Lugodinum. Ptol. Batavorum urbs, vulgò *Leyden*. Vid. *Lugdunum Batavorum*.

Lugudone vel *Liguidone*, V. *Liguidonensium portus*.

Luguvallum, urbs fuit Brigantum, nunc Cumbriæ, in Anglia, ad Itnam fluv. Carleolum recentioribus, Vulgò *Carlisle*; Episc. sub Arch. Eboracensi, satis munita est, cum castro. 5. mill. Scot. à limite Scotiæ, uti ab ora maris Hibern. 70. milliar. Angl. ab Eboraco.

Luida, Rhicharedi fil. nothus, Gothorum rex, insidiis Viterici, seu Dieterici de medio sublatus est, A. D. 601.

Luidunardus, Vercellensis Episcopus, A. D. 890.

Luini, Vid. *Lini*.

Luisium, seu *Fanum S. Johannis Luisii*, vulgò *S. Jean de Luz*, opp. Aquitaniæ, in Vascitania tractu, cum portu, in ora Oceani. 2. leuc. à confin. Hispaniæ & à fonte Rapido. Vide *Fanum S. Joan. Luisii*, & *Lusius vicus*.

Luitbaldus, Bavariæ Dux. An. Dom. 907.

Luith, mons Lyrano, & Hebræorum Commentatori *in Ef. cap.* 15. Eusebio autem vicus inter Areopolim, & Joaram: aliis inter Petram, & Segor. In tribu Ruben.

Luithbertus, fil. Cuniberti, Longobardorum Rex, an. 701. Patri successit infans, 8. pôst mense throno deturbatus. Paul. Diaconus, *Hist. Longob.*

Luithfridus, fil. erat secundogenitus Adalberti Alsatiæ Ducis, nepos ex eo Ethici cognom. Adelrici, qui Alsatiæ Ducatum à Theodorico Gall. R. nactus, Ehenhemii] habitavit, & uxorem habuit Bersvvindim, sororem Blidechildis, quæ Chilperico II. R. nupserat. Ejus posteritas in Humfrido Com. in *Neckergavv* & *Luithfrido* Com. in *Suntgavv* extincta est: hærede hujus lineæ Guntramo, Habspurgensi. Vid. Spenerum *Syll.*

Luithpoldus, seu *Leopoldus*, Dux Bavariæ, fil. Arnolfi, à Normannis A. C. 891. cæsi, ab Ungaris & ipse occisus est, A. C. 908. Pater Arnolphi, qui Conrado I. vitrico & Henrico Aucupi Impp. aliquoties rebellis, cum illis gravia gessit bella: Unde liberi Ducatu exclusi sunt. Fuerunt autem illi duo filii, duarum stirpium conditores, Eberhardus nempe Austriæ vett. Marchionum & Arnulphus, Schirensium Comitum, Palatino-Bavaricæ familiæ auctorum, è quibus Otto V. Friderici Barbarossæ vexillifer, proscripto Henrico Leone, A. C. 1180. Bavariæ Ducatum nactus est, postliminiò in familiam reducem.

Luithpoldus, fil. Eberhardi prædicti, primus Marchio Austriæ, Imperatoris gener fuit. Pater Henrici I. qui frustra ab Henrico II. Imp. Bavariam sibi annisus est vindicare. Ex posteris *Luithpoldus III.* primus Dux Austriæ dictus, Bavariam adversus Welfum III. sibi adseruit: *Luithpoldus IV.* cognom. *Victoriosus*, in Palæstina gestis celebris, Stiriam ab Ottocaro genero & alia, ut Comitatus *Lintz* & *Wels*, &c. ex lytro Richardi Angl. R. à se capti emta Austriæ suæ adjecit, Viennamque novo muro cinxit: *Luithpoldus V. Honorabilis* dictus, pater fuit Friderici Bellicosi & Henrici de Metlinga, cujus filia Gertrudis nupta Hermanno M. Badensi, in eam familiam jus Austriæ intulit: sed fil. Fridericus Neapoli decollatus est. Inde inter Ottocarum Boh. R. defuncti Friderici ex sorore Margareta affinem & March. Misniæ alterius sororis Constantiæ filios, lis fuit: donec Rodolphus I. Imp. Ottocaro cæso, Ducatum Imperio primùm, dein familiæ suæ addixit. V. quoque *Leopoldus.*

Luithprandus, Longobardorum Rex, successit patri Asprando, vel Arisprando, Anno 713. Pius & liberalis. Cum Carolo Martello amicitiam coluit. Thrasimundum Spolet. D. cum Godescalco, qui Duc. Beneventanum invaserat, bello aggressus, illis à Gregorio III. defensis, Romam obsessurus erat: cùm Carolus, à Papa imploratus, turbas composuit; Thrasimundo victo, Papæ erepta reddidit, Ravennam Anno 743. obsedit, litem cum Exarcho, componente Zacharia. Obiit an. 744. Paul. Diaconus *Hist. Longob.* Anastas. *in Vit. Pontif.*

Luithprandus, puer, sub Asprandi ducis strenui tutela à patre Cuniperto Longobardorum rege: regni hæres relictus, an. sal. 687. Blond. *l.* 10. *Decad.* 1.

Luithprandus, vel *Litoprandus*, Episc. Cremonensis. A' Berengario II. Italiæ R. cui à secretis erat, missus Anno 946. Constantinopolim, ad Constantinum Porphyrogennetam, dein redux ab eodem Episcopatu pulsus, *Antapodosin* contra illum scripsit: Ab Ottone Imper. ad Nicephorum Phocam Constantinopolim secundò ablegatus est, an. 968. Opera ejus in folio, Antverpiæ impressa, Anno 1640. cum notis Higueræ & Ramiresii Pratensis. Composuit libb. 6. de rebus per Europam gestis: cum Legatione ad Niceph. Phocam. Sigebert. *c.* 127. *de script. Eccl.* Trithem. *in Catal. & in Chron. A.C.* 892. Lud. Clavitellus, *in Annal Cremon.* Vossius, Pennotus, &c.

Luma, opp. Arabiæ des. Ptol. Item, urbs circa Mæandrum flu, Nicetæ.

Lumberium, vulgò *Lombés*, mel. *Lombres*, castrum Galliæ, Episcopatu clarum, sub Arch. Tholosano: ad Savam flum. Item locus Navarræ, *Lumbier.*

Lumbricatum, Ins. Dalmatiæ, Porphyrog. *Vergada* Ital. *Laucat* Slavis, in mari Adr. Joh. Lucius.

Lumone, vicus Comit. Tendæ, intra Alpes marit. sub Sabaudiæ D. ubi transitus *Col de Limon*, à Pedemontio in Comit. Nicæensem.

Luna, Romanis quoque Anna & Jana, an à *luendo* dicta, an à *lucendo?* à Diodoro *Antiq. lib.* 4. *cap.* 5. fingitur, cum Sole, ex Thea sive Matre Magna & Hyperione nata: aliis illam eandem cum Diana, Apollinis sorore facientibus. Ei, ut & Soli, primus ædes Romæ consecravit, T. Tatius Sabinorum R. & *Noctiluca* nomine culta est, in colle Palatino. Neque minus apud Græcos solenni religione fana ei erecta sunt, ejusque victima taurus erat. Hanc, quoties eclipsim patiebatur, toties veneficiis deduci credentes, cymbala pulsabant, ne magas incantatrices audiret, quod quoque apud hodiernos Persas obtinere, docet P. de Valle *Itiner.* Tibullus *l.* 1. *eleg.* 8.

Cantus & è curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa forent.

Bellorum ea Præses olim habita, unde victores arma captivis detracta illi cremabant, T. Liv. *Dec.* 5. *libr.* 5. Neque proin unquam sine castrorum tumultu deliquium subiit, cujus celebre exemplum, Vide apud Tac. *Annal.* 1. Imo inter prodigia numeratum, quòd bello civili Pompeii & Cæsaris

—— *Plenos extinxit Cynthia vultus.*

Apud Hebræos Idololatras, pro summo Deorum habita est, & Soli, qui fœminino genere ab illis effertur, prælata: quod idem apud Germanos, populosque omnes Septentrionales in usu fuisse, Vid. in voce *Mona.* Hodiè dimidiata, apud Turcas præcipuo in honore, eorum proin insigne est: an ex occasione somnii, quòd primi Imperii Turcici conditoris genetrix, Lunæ splendorem è sinu suo prodire in universum orbem vidit, Lipsius *Mon. & Ex. Polit.* Eadem effigie Senatorum apud Rom. calcei olim distinguebantur, Statius *l.* 5. *sylv.* 2.

—— *Genitum si Curia sensit,*
Primaque patricia clausit vestigia Luna.

An ut hoc pacto Imperii vices, an ut vetustatem generis sui denotarent; an potiùs *Lunula* hæc centenarii nota fuit, ut hoc pacto appareret, à centum Senatoribus primis, quos Romulus instituit, oriundos illos esse. Vid. Thom. Dempsterum *Ant. Rom. l.* 5. *c.* 36. Similem Persarum tiaram figuram habuisse, patet ex Sidonio Apollinari *Carm.* 2. *versu* 51.

Interea te Susa tremunt, ac supplice vultu
Flectit Achæmenius lunatam Persa tiaram, &c.

Luna, sive *Lunna*, Gall. Lugd. urbs. Anton. *Cluny* Simlero. Vid. *Cluniacum.*

Luna, Hetruriæ op. maritimum, fœcundissimis candidi marmoris fodinis, quod ab eo *Lunense* dicebatur, olim nobilitatum: ad ostia Macræ fluv. nunc excisum, cui Sarzana ad 3. m. p. in Episc. dignitate successit: inter Lucam 30. & Genuam 65. mill. pass. Fuit una ex 12. priscis Tuscorum coloniis. Lucan. *l.* 1.

—— *Quorum qui maximus ævo*
Aruns incoluit deserta mœnia Lunæ.

In hoc oppido casei genus conficiebatur magnitudinis potius, quàm bonitatis nomine nobilitatum: quippe quod ad singula millia pondo non raró premeretur: Unde inter servorum obsonia numeratur à Mart. *l.* 14.

Caseus Hetrusca signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.

Luna mons, geminus, unus Lusitaniæ promuntorium, *Punta di Luna* Villanovano, apud ostia Tagi fluv. quod *Promuntorium Magnum* Plinio vocatur. Baudrando *Cabo de la Rocca* nunc, seu *de Rocca Sintra* dicitur; 6. leuc. ab Ulyssipone in Occ. vix 1. ab arce *Cascaes.* Alter in Æthiopiâ ultra Æquatorem, ex quo, teste Ptol. Nilus oritur.

Luna, portus Straboni est, qui *Erycis* Ptol. ut Leander vult. *Selene* Steph. vulgò *Golfo della Spezzia*, ab opp. amplo in intimo recessu: Ferrario portus est Liguriæ, inter Portum Veneris, & Portum Erycis, ambitu 20. milliar. patens. Persius *Sat.* 6. *ex Ennio:*

Lunai portum est operæ cognoscere cives.

Silius Ital. *lib.* 8.

Tum quos à niveis exegit Luna metallis,
Insignis portu, quo non spaciosior alter
Innumeras cepisse rates & claudere portum.

Ptol. Λύναν & Σελήνης ἄκρον facit diversa.

Lunaburgensis Duc. prov. Saxoniæ infer. inter Holsatiam ad Sept. ditionem Brandeburg. ad Ort. Brunsuicensem Duc. ad Mer. & Westphaliam ad Occ. cum Duc. Bremensi. Subest partim Ducibus Brunsuic. nempe versus Austr. partim Ducibus Luneburg. versus Boream. Caput est *Luneburgum*, Vid. ibi. Aliæ urbes sunt Cella, Ultza, Daneberga, & Harburgum ad Albim. Vide *Lini*, & infra in voce *Luneburgum.*

Lunaburgum, vel *Luneburgum*, urbs Saxoniæ infer. clarissima, Hanzeatica, ampla & munitiss. ad Albim fluv. Ducatûs titulo insignis, ædificiorum superbiâ, salinis & opum copiâ illustris. A Jul. Cæsare conditam ferunt, ac à *Luna* sic dictam. Lunæ enim simulachrum usque ad Caroli M. tempora illic remanserat, quod ille zelo pietatis commotus sustulit. Baudrando est ad amnem *Ilmenovv*, Imperialis & ferè sui juris. Crevit ex ruinis Bardevici, urbis vicinæ. Vix 2. mill. Germ. ab Albi in Austr. 2. à Lavenburgo in Afr. 10. à Lubeca in Mer. 7. ab Hamburgo in Ort. 18. à Brunopoli in Arctos. Condita secundùm quosdam Anno 1190. ab Henrico Leone. Ejus autem arx vetustior est urbe 124. annis. Reddita est, cum Brunsuico, Henrico Leoni Duci Bavariæ & Sax. qui à Friderico Barbarossa Imp. quòd eum in Palæstina deseruisset, proscriptus fuerat: Circa A. C. 1190. juxta Speenorum. Hujus fil. tertius Wilhelmus pater Ottonis fuit, qui à Friderico II. Imp. Dux Brunsuici & *Luneburgi* creatus est, A. C. 1235. Hujus fil. Johannes *Luneburgica*, Albertus verò Brunsuicensis linearum satores extitere: sed illa in nepote Johannis Wilhelmo defecit: unde bellum inter Albertum D. Saxoniæ, hæredem scriptum, & agnatum Magnum jun. cujus filii Lunæburgum tenuere: è quibus Bernardus *Luneburgicum* ramum denuo orsus, Ottonem genuit & Fridericum Religiosum, cujus fil. Henricus, in

bello Hildeshemio, An. C. 1519. adversus Brunsuicenses, adstitit Episcopo. Hoc natus Otto Harburgios sevit, quorum ultimus lineam terminavit, An.1642. Ernestus verò per filium Henricum, Dannenbergicam, nunc Wolfenbuttelanam, per Wilhelmum verò Cellensem propagavit. Hic Hojensem Comitatum, Anno Chr. 1582. cum agnatis, Diepholtensem verò solus adiit Anno Chr.1585. Mortuus A.C. 1592. Hujus filios septem, cum patruo Henricus Julius successione Grubenhagensi exclusit: unde, utriusque lineæ Brunsuicensis & Lunæburgicæ controversia. Ex illis Georgius, cui sors cecidit, ut uxorem duceret, defunctus, Anno Chr. 1641. ex Anna Eleonora Hassiaca, præter filiam Sophiam Amaliam Reg. Daniæ reliquit filios quatuor: Christianum Ludovicum, cui Cellensis Principatus obtigit à patruo & Ducatus Circul. inf. Saxoniæ; Georgium Wilhelmum, cui Hannoverana seu Calenbergia portio à patre relicta est: Johannem Frider. qui Pontificiam religionem assumsit, & coadjutor Osnabrugæ factus est, ac minimum natu Ernestum Augustum, qui jure familiæ ex pace Monasteriensi collato, Episcopus Osnabrugensis est factus, & ex Sophia Palatina egregiam sobolem suscepit: re contra Gallos Suecosque hoc tempore egregiè gestâ inclytus. Plura vide apud Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.* Urbis mentio fit Itiner. *lib.* 4.

—— —— Nec tua, Wismare tecta,
Lubeciq; arces, nec celsa mœnia Lunæ,
Hammonisq; domos, non propugnacula Bremæ.

Lunarium prom. Ptol. prom. Hisp. citer. est *Capo di Palafugel* quibusdam prope Palamum; aliis *Cabo de Tosa*, in eadem ora Cataloniæ, 15. mill. à præcedenti in Africum versus Barcinonem.

Lundis, vulgò *Lunden*, urbs Scaniæ, olim Arch. sub qua 6. urbes Episc. nunc sub Suecis. 5. leuc. Dan. ab Hafnia in Ort. uti 1. à Sundico freto, 2. à Malmogia in Cæc. 3 à Coronia in Eurum distat. Caput olim Scaniæ fuit, nunc deficit indies. Urbi proximus collis est, in quo Reges olim electione solenni regno præfici solebant. J. Meursius. Academiâ à paucis annis ornata est.

Lunelium, opp. Occitaniæ in rupe, aliàs munitum, vulgò *Lunelle*. Patria Salomonis Jarchi, Rabbinorum doctissimi: qui hinc Jarchi quasi *de Lunella*, dictus videtur Hebræis. Unde locus hic Judæis non in exigua veneratione est, ob virum illum, Commentariis tam in S. Biblia, quàm in librum Talmud editis adeò clarum. Distat vix 3. leuc. ab ora maris Medit. 1. à stagno Magalonensi in Bor.

Lungipressum, oppidul. Romandiolæ, inter Ravennam & Faventiam 10. m. p. Vulgò *Russio*. Hier. Rubeo.

Lunna, tab. Peut. fortè *Belle Ville* hodie, in pago Galliæ Bellojocensi, non procul Arari, Lugdunum inter & Matisconem, sed huic propior. Hadrianus Valesius *Notit. Gall.* in voce *Cluniacum.*

Lupa, quæ & *Acca Laurentia*, sive *Larentia*, Faustuli uxor, pastoris armenti regii, quæ geminos infantes Vestalis filiæ Numitoris ad ripam Tiberis expositos aluit.

Lupa, vulgò *Loin*, fluv. notissimus in Gallia Celtica, oritur in jugis Autissiodorensibus & castrum S. Ferreoli *S. Fergeol*, Castellionem, & Montem Argiæ, Nemus, ac Murittum præterlapsus, apud Sacrum portum *Barbeau*, in Sequanam labitur, inter Monasteriolum & Melódunum Senonum. Item nomen loci fluvio huic appositi & Castellioni proximi, unde domini Castellionis super Lupam. Est & *Lupa*, fluv. in Sequanis, *la Louve*: inter Salinas & Ararim medius fluens. Item amniculus Celticæ *la Loupe*, qui in Auturam devolvitur. Est quoque flumen *Lupum*, à Provincialibus *le Loup* nuncupatum, quod non longè à Varo in mare Gallicum delabitur. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Lupara, burgus inf. Franciæ, in agro Parisiensi, 6. leuc. à Lutetia Bor. versus, in via quæ Sylvanectum tendit. *Louvres en Parisis* vulgò.

Lupara, palatium Galliæ Regum, à Carolo V. extructum Lutetiæ: & à Ludovico XIV. magnificentissimè de novo excitatum. *Le Louvre* vulgò V. *Lutetia.*

Luparella, munitum opp. Aprutii.

Lupariæ, opp. Normanniæ, ad Eburam fluv. 4. leuc. infra Ebroicum in Bor. Rothomagum versus, unde totidem leuc. distat, uti 2. à Ponte Arcus. *Louviers* vulgò.

Lupatia, urbs fuit Apuliæ, ubi nunc civ. Episc. *Altamura*. L. Holstenius.

Lupercal, locus sub Palatino, Ferrarius habet Aventino, monte, Pani pastorum Deo consecratus, in quo solennia quædam sacra quotannis fiebant, mense Februario, quibus Panos sacerdotes, qui *Luperci* dicebantur, in Fabios, Quintilianos, Julianosque tandem divisi, Dio. *lib.* 24. restituti ab Augusto, Suet. *in ejus vita*; nudi per urbem cursitabant, mulierum palmas uterosque caprinâ pelle ferientes, quâ re & fœcunditatem & facilem partum fieri putabant. Instituta autem putantur hæc sacra ab Evandro, d. 15. Kal. Martii, in honorem Panos Lycæi, quem Arcades simili honore colebant. Quare autem nudi discurrerint, hanc causam adfert Servius; cùm Romulus & Remus ludicro huic intenti essent, latrones interim, occasione arreptâ, pecora illorum abegisse, eâque re intellectâ, Romulum cum omni juventute, abjectis vestibus, ut ad cursum expeditiores essent, latrones esse insecutos, iisque oppressis prædam recepisse. Quæ res quoniam feliciter cessisset, mansisse deinde morem solemnem, ut Lupercalia à nudis celebrarentur. Virg. *Æn.* 8.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit, & gelidâ monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasii dictum Panos de more Lycæi.

Ovid. *Fast.* 2.

Illa loco nomen fecit, locus ipse Lupercal,
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

De Lupercis autem Virg. *ubi supra*,

Hic exultantes Salios nudosq; Lupercos.

Juvenalis,

Nil prodest agili palmas præbere Luperco.

Durârunt festa hæc usque ad Anastasium Imp. cùm sub Theodorico, An. 496. abolita sunt, Gelasio Papâ. V. T. 3. Concil. Baron *Ann.* Plut. Varronem, &c.

Lupercia cum, locus in Æduorum finibus diœcesique Nivernensi, sex leuc. ab urbe Niverno, Cellâ Gervasii & Protasii SS. Cluniaco subjecta insignis: vicus non obscurus murisque cinctus, ex eorum numero, quos Galli burgos vocant, vulgò *Leurey le bourg*. Item in Campania, vulgò *Louvercy*; Fuit olim & prope Parisios vicus *Lupercianæ*, qui S. Marcelli suburbano accessit, & nunc *la ruë de Lourcines* dicitur, Mon. sororum Minorum insignis, Hadr. Val. *Not. Gall.*

Lupercíana, Africæ civ. August. Cyprian.

Lupercio, castellum olim, nunc vicus Galliæ, in Pertico, inter Bellissimum & Axejum, *Leurçon* vulgò, Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Lupercus, Auctor Græcus, varia scripsit sub Claudio II. Suid. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 16. Alius, cui Martialis plurima suorum epigrammatum inscripsit.

Lupfurdum, urbs Germ. Ptol. *Leipsick*, Ferrario. Vid. *Lipsia. Meyssen* verò Apiano, & Perchaimero dicitur. Lat. *Misna*, urbs Ep. sub Arch. Magdeburgensi, ad Albim fluv.

Lupia, Plinio, militum inter Hydruntum Brundusiumque itinere statio, quæ gemino *p.* etiam scribebatur, & *Λυπίαι* pl. num. ut est apud Strab. Melam, Æthicum, Antoninum, ut & *Λυππία*, unde vitiatum illud Ptolemæi *Λυσπίαι*. Pausan. *libr.* 6. scribit, quòd prisco nomine *Sybaris* dicta fuerit. Vide *Sylburgium*. Erat autem col. op. & portus Salentinorum in orâ Calabriæ Boreali, Aletinorum navale, nunc pagus, *La Rocca* dictus, teste Galateo.

Lupia, fluv. Galliæ, *Loing*. Oritur in agro Pusæensi, in limite Burg. dein Castellionem rigat & Montargium. ubi recipit ... cile Brivoduri, postea juxta Nemurtium labitur; & aliquot aliis rivis auctus, paulo infra Moretum, in Sequanam se exonerat.

Lupias, Lupia Melæ, *Luppia* Tacito, fluv. Germ. cum opp. cognomine per Westphaliam, in Rhenum, apud Vesaliam urb. fluens. Strabo in Visurgim influere ait, Tacitus verò in Oceanum, hodiè *Lyppe*, seu *Lippe*, teste Junio, dicitur.

Lupicinæ, vulgò *Loucienues*, vicus Galliæ, in agro Parisino, non procul à Sequana flum. & Carolivenna.

Lupicinus, Consul, collega Jovini, an. U. C. 1220. Quo tempore Constantinopoli grando miræ magnitudinis aliquot homines extinxit, & apud Atrebates vera lana de nubibus pluviæ mixta defluxit.

Lupinum, oppid. Rhætiæ, à Maja, Mercurii matre, ibi culta, *Mayenfeld* dictum. Metel.

Lupondum, op. seu potius arx Germ. in Sueviâ, non procul à fontibus Danubii, *Lupff*, teste Lazio. Ausonius *in Mosella*,

Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum.

Luppia, urbs Hanzeatica Germ. Caput Com. cognom. ad Lupiam fluv. in Westphalia, sub proprio Comite, inter Paderbornam ad Ort. & Susatum ad Occ. *Lippe* seu *Lipstadt* vulgò. Aliis *Lupias.*

Viri illustres.

Lupus, Forojulianorum Dux, an. U. C. 1420.

Lupus, Cos. cum Maximo, an. U. C. 984.

Lupus, Episcopus Senonensis, qui tantâ erat in pauperes munificentiâ, ut nullum sibi thesaurum relinqueret, sed omnes exhauriret in id loculos. Volat.

Lupus, integro nomine *Curtius Lupus*, Quæstor, cui provincia vetere ex more Calles evenerat; cœptantem decimo Tiberii Imperii anno conjurationem servilem auctore T. Curtisio disjecit. Tacit. 4. 27.

Lupus, integro nomine *Cornelius*, sub Claudio à Suilio circumventus Tacit. 13. 43.

Lupus, Episc. Trecensis, maritus Pimaniolæ, sororis Hilarii Arelatensis. In Angliam, cum Germano Antissiodorensi profectus Pelagianos refutavit. Obiit Anno Chr. 479. Sidon. *lib.* 6. *ep.* 1. Attilæ, ad urbem appropinquanti obviam procedens, illum sic alloquutus legitur: *Salvum te advenisse gaudeo, quem judico flagellum*

flagellum esse Domini & Dei mei, missum ad populos castigandos: Quibus permulsus Attila urbi pepercit.

Lupus, Presbyter Moguntinus. Item præfectus Ægypti, sub Vespasiano. Jos. *de B. J. lib. 7. cap. 26.*

Lupus de Oliveto, Generalis Ord. S. Hieronymi, floruit Anno Chr. 1420. *Lupi* Siculi, Comici, meminit, Ovid. *libr. 4. Pont. eleg. 16.*

Trinacriusq; suæ Perseidos auctor & actor,
Tantalidæ reducis, Tyndaridosq; Lupus.

Lupus Servatius, discip. Rabani Mauri: Imperatrici Juditæ, Carolo Calvo, Lothario, Eidulpho Angliæ R. Benedicto III. gratus. Scripsit Epistolas, quæ à Papyrio Massonio editæ, Anno 1588. multum lucis historicæ seculi illius caligini afferunt. Item, librum de 3. quæstionibus, quas Sirmondus in lucem produxit, &c. Obiit Anno Chr. 853. Sigebertus *Catal. cap. 93.* Trithem. *in Chron.* &c.

Lurense & *Lutrense* monaster. sub tit. S. Martini, vulgò *Lure*, aliàs *Ludres*, in Duc. Burgundiæ, 3. circ. leuc. à Luxovia Austrum versus, juxta *Lougnon* fluv. 8. à monte Bellicardo in Occ. 13. à Vesuntione in Bor. ad radices Vogesi. Ejus Abbas est loci Dominus, & sub client. Imperatoris.

Luria, opp. Lucaniæ.

Lurinum, vulgò *Luri*, opp. Corsicæ mediterr. nunc pag. ingens, apud opp. S. Florentii, 20. m. p. à Bastia, apud Opinum 3. Ptolom. Ferrar.

Lurius Lupus, Cos. cum Aurel. Probo Aug. an. U. C. 1022. Lege *Furius.*

Lurius Orphilus, Cos. cum fil. Antiochiano, an. U. C. 1022. Lege *Furius.*

Luryum, opp. exiguum Bituricensis Duc. Metel.

Lusarchia, vulgò *Lusarche*, castellum Galliæ, in agro Parisino, in Parisiorum, Bellovacorum, & Sylvanectum confinio. Hujus dimidium Hugonis Claromontensis gener Matthæus Comes Bellimontis cùm nactus esset, totum occupavit, sed Ludovicus Crassus mox illud expugnatum Hugoni restituit. V. Hadr. Val. in voce *Parisii.*

Lusatia, provincia Germaniæ, vulgò *Lausnitz*, *Lusace* Gallis, alias Bohemiæ annexa fuit; sed ab ultimo bello Bohemico anni circiter 1620. subest dominio Ducis Electoris Saxoniæ: Nomen habet à *Luzy*, quod Slavorum linguâ saltus seu virgulta denotat. Dividitur in Superiorem, quam *Hexapolim*, Germ. *die Sechsstätte* vocant, cujus caput est Gorlitium, sec. Becmannum Budissina, & in Inferiorem, cujus primaria est Sorava. Extenditur à Septentrione in Meridiem, & terminatur silesiâ, ab Occidente Ducatu Saxoniæ, à Borea Marchiâ Brandeburgicâ, & ab Austro Bohemiâ. Sed hisce ultimis temporibus divisa fuit *Lusatia:* Superior enim paret Duci Electori Saxoniæ; Inferior autem Lusatia subest Duci Saxoniæ Mersoburgensi, ex concessione Electoris Saxoniæ. Urbes superioris Lusatiæ sunt Gorlitium, *Gorlitz*, Budissina, *Bautzen*, Zittavia, *Zittaw*, & Lauba, *Lauban:* Lusatiæ inferioris urbes sunt Zdiarum seu Sorava, *Soraw*, Guba, *Guben*, & Cotbusium, *Cotbus*, quæ ultima subest Electori Brandeburgico. Pop. *Lusati* seu *Lutici*, cum quibus fœdere inito munivit se contra Ottonem III. Imp. Boleslaus Bohemiæ R. An. Chr. 986. Illos dein Henricus IV. Imp. sibi subjecit, circa An. Chr. 1068. Bohemiæ eosdem adjunxit Henricus VII. Imper. circa A. C. 1311. Bohemis accesserunt, contra Ferdinandum II. Anno Chr. 1618. à quo Johannis Georgii Electoris Saxoniæ ope subjugati sunt, circa Annum Christi 1620. Vide supra, & plura apud Cosm. Bohemum *in Histor.* Urspergensem *in Chron.* Æn. Sylvium *Hist. Bohem. cap. 3.* Lætum *Comp. Hist. Univ.* &c.

Luscius, Comicus, Terentii coævus: de quo Volcatius Sedigitius,

Nono loco esse facile facio Luscium.

Vide Voss. *de Poet. Lat. cap. 1.*

Lusdum, castrum Galliæ, ad Lidericum flu. in confinio Cenomanorum & Andicavorum; vulgò *le Lude*, Comit. titulo insigne. Habuit ante an. 600. suum Vicecomitem, suum Archipresbyterum, Priorem & Rectorem Ecclesiæ, Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Lusia, vicus Oeneidis tribûs, à *Lusiâ* unâ ex Hyacinthi filiabus. Λυσιεὺς, pertinens ad hunc vicum dicitur. Steph.

Lusignanum, vulgò *Lusignan*, oppidum Galliæ, in Pictavensi provincia, cum castro, ad Vonam amnem. 5. leucis distat à Pictavio in Africum Rupellam versùs: Fortitudine Principum, qui Cypri & Hierosolymæ Reges, & Melusinæ fabulâ, nobile. Arx, quæ inter fortissimas Europæ, à Telinio Reformatorum Duce capta, Anno 1569. à Principe Montpenserio recepta & destructa est, Anno 1574. Cœterum quod fabulam de Melusina attinet, illam concinnavit Johannes Atrebas, Anno 1383. postmodum Fr. Johannes Lusignanus confirmavit. Nomen Melusinæ idem cum Melissena vel Melissende, tum fœminis, transmarinis inprimis, in usu. Fabulæ architecto non alia fortè, quàm Melisenda fil. Almerici I. Lusignani, Hierosol. R. & Cypri, Raimundo Pictaviensi, Principi Antiocheno & Comiti Tripolit. nupta originem dederit. Arcem Hugo II. cognom. *Dilectus*, extruxit. Duchenius, *antiq. urb. Gall.* Morerius *Diction, Hist. &c.*

Lusillum, opp. Lucaniæ.

Lusitani, populi fuere Hispaniæ, in Lusitania, inter Durium fluvium ad Boream, Vettones populos ad Ortum, Tagum fluvium ad Meridiem, & Oceanum Atlanticum ad Occasum, ubi nunc sunt provinciæ Portugalliæ Beira, Extremadura Portugallica, & pars Borealis provinciæ inter Tagum & Anam fluvios.

Lusitania, tertia Hisp. pars, quam Plin. 4. 12. à Durio amne finit, reliqua citeriori attribuens, in quâ sententiâ & Ptolemæus est. At Strabo cum Melâ convenit: *Hujus regionis*, inquit, *latus Australe Tagus cingit, ab Occasu verò & Septentrione Oceanus, ab Aurorâ Carpetani, Vettones, Vaccei, & Callaici fama majoris populi.* Hanc ad se tracturus, Johannes Castellæ R. à Johanne Ferdinandi filio notho, rege Lusitano prostratis X. millibus, victus est, Anno Chr. 1385. Mariana *de rebus Hisp.* Secta *Illuminatorum*, sub Urbano VIII. in Hispania orta, cùm homines spe veniæ revocati parere nollent, vis inprimis in hoc regno illata est, unde multarum familiarum fuga subsecuta. Regem proprium habuit, qui Mauris expulsis eam recuperavit, usque ad Henricum postremum, qui Cardinalis fuit; quo defuncto sine prole, Philippus II. Hispaniæ Rex in regno Portugalliæ successit: sicque tota Hispania ad Monarchiam, quam sub Gotthis habuerat, rediit, Ferr. Baudr. *Lusitania*, nunc *Portugal*, (aliud docente Becmanno, qui *Lusitaniam* ad Ort. latiorem fuisse, Portugalliam verò ad Sept. magis patuisse ostendit, *Hist. Orbis Terr. c. 6. §. 1.*) aliàs habuerat Reges proprios 17. numero ab anno nempe 1100. usque ad annum 1580. quo mortuo Rege Henrico, Philippus II. regnum occupavit, sicque Hispania ad Monarchiam rediit. Sed iterum anno 1640. Lusitania proprium Regem sibi elegit Joannem IV. antea Bragantiæ Ducem, cui successit filius, sicque à reliqua Hispania sejuncta, proprio etiamnum Regi subest. Populi Lusitaniæ erant aliàs Lusitani, Vettones, & Celtici. Vide *Portugallia.* Dicti autem *Lusitani*, à *Luso* Bacchi filio, seu, ut alii volunt, comite. Sil. *lib. 3.*

Hos Viriathus agit Lusitanumq; remotis
Extractum lustris. ——

(Λυσιτανία Appiano.) *Belitani* Stephano iidem sunt cum Lusitanis, eidem Λυσιτανία pars Bæticæ, & Gentile Λυσιτανοί. Diod. *lib. 5.* Τῶν δὲ Κίμβρων ἀλκιμώτατοι μὲν εἰσὶν οἱ καλούμενοι Λυσιτανοί. Ubi legendum Ἰβήρων, uti notat Palmerius. Cæterum de nomine hujus reg. ita Vir Magnus *de Phœnicum Col. lib. 1. cap. 35.* לוז *Luz*, inquit, Ebræis & Syris est amygdalus, ut & Arabibus *Lauz.* Jam hoc certum est, Phœnices à proventu fructuum sæpe loca nominasse. Sic Jericho urbs palmarum, à palmis. Sed & ab amygdalis dicta *Luza*, quæ & Bethel in tribu Benjamin Gen. 28. 19. & altera *Luza*, in Hetthæis, in tribu Ephraim Jud. 1. 26. Quidni etiam *Lusitania*, in quâ præstantissima amygdala tantâ copiâ proveniunt, ut hâc in parte cedat nulli terrarum. Vide sis ipsum authorem, *pag. 698.*

Lusius, Marii ex sorore nepos, qui cùm Trebonio vim & stuprum inferre vellet, ab eodem est interfectus. Plut. *in Mario.*

Lusius Geta, alter Prætorianis cohortibus, sub Claudio, præfectus. Tacit. 11. 31. quem Agrippina, tanquam Messallinæ memorem & liberis ejus devinctum, curâ prætoriarum cohortium exsolvit. *l. 6. c. 42.*

Lusius Varius, consularis, Nerone secundùm, L. Pisone Coss. ordini redditus, avaritiæ criminibus olim perculsus. Tacit. *lib. 13. cap. 32.*

Lusius vicus, in agro Lapurdensi, seu Præfectura Bajonensi Galliæ, maximus olim & opulentissimus: Vulgò *Laizune*, id est, locus lutosus: à luto æstibus Oceani invecto, qui alveum fluminis hunc vicum alluentis suis accessibus quotidie adauget. Vulgò à loci patrono *S. Jean de Luz.* Positus est autem in Basconia vel Basclonia. *Lusia* videtur dici *in literis Blanca Regina, ad Comitissam Trecensem Palatinam*, de pugna Hispanorum, cum Saracenis eorumque victoria: cui prælio Abbas Cistertiensis & Michael de Lusia interfuisse dicuntur. V. *Luisium.*

Lusones, Hispaniæ populi, ad Iberum fluvium: Numantinis vicini. Ad Tagi fontes pertingere scribit Strabo *l. 3.*

Lusspia, Vid. *Lupia.*

Lussi, urbs Arcadiæ. Steph.

Lussonia, vulgò *Lusson*, præcipua Philippinarum, sæpius *Manilla*; ab urbe prim. Arch. in medio insf. V. *Manilla.*

Lussonium, Pannoniæ infer. urbs. Ptol. *Pax* Simlero, ad Danub. 10. leuc. à Buda in Eur. à quinque Eccles. 5. in Ort. & Cæc. Item opp. Valeriæ Ripensis. V. *Intercisa.*

Lustricus Brutianus, nobilis Romanus, Poëta. Plin. Jun. *l. 6. ep. 22.* Martial. *l. 4. epigr. 23.*

Palmam Callimachus, Thalia de se
Facundo dedit ipsa Brutiano.

Lutatius Catulus, icto cum Pœnis fœdere, M. Attilio T. Manlio Coss. Janum clausit: quod ante ipsum Numæ, & post eum Augusto, post bella civilia confecta, contigit, Paul. Orosius *lib. 4. c. 10.* Florus *Hist. Rom. l. 2. c. 3.* &c.

Lutera, vetus Monast. in Sequanis diœcesique Vesontionensi, cum tit. Abbatiæ, non procul à Luxovio: Vulgò *Lure*, Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Lutetia.

Lutetia, quæ & *Lutetia Parisiorum*, urbs Gall. Celt. in Belgicæ confin. ad Sequanam & Matronam fluv. interluentes. Ejus primus omnium meminit Julius Cæsar, *Luteciam* appellans, *lib.6.* & *lib 7.Comm.* Ob luti quantitatem sic dicta. Alii tamen ab albedine murorum Λουκετίαν, quo nomine eam Julianus Ap. qui ibi hyemavit, *in Misopogone* appellat, à Græcis vocatam existimant. Strabo Λουκοτοκίαν vocat: Λευκοτεκίαν Ptolomæus: *Luteciam* castellum Parisiorum Ammianus, pro urbe & oppido, propterea, quòd parva quidem & exigua in insula posita erat, sed naturâ & arte egregiè munita, more modoque castellorum. Unde genuina scriptio vocis per *c* satis apparet, primaque etymologia proin corruit: docetque id ipsum tabula Theodosiana, vulgò Peutingeriana dicta, in qua *Lutecia* disertè nuncupatur. Nomen hoc autem Celticum est seu Gallicum, à Celtis vel Gallis urbi Gallicæ impositum: quemadmodum *Parisii* nomen est Celticum gentis Celticæ, utrumque significationis incertæ ac nobis incognitæ: unde & facile conjicere est, quid de secunda quoque originatione sentiendum. Designavere autem nomine *Luteciæ* veteres unam tantùm insulam Sequanæ & civitatem Parisiorum in ea positam, ejus appellatione extra Ins. transque flumen ad suburbana loca Monasteriorum S. Genovefæ & B. Germani, ut quidam volunt, minimè translatâ. Parva ætate Julii Cæsaris fuit, cùm parvam hanc Insulam, 40. circiter jugera tantùm continentem, occuparet: utrinque ligneo ponte adita. Unde hodieque, cùm incrementa ejus trans & citra Sequanam variis nominibus appellentur, hæc Ins. in medio posita nomen *Civitatis* retinet, *la Cité*: quo nomine vulgus, in plerisque Franciæ provinciis, ac præsertim in Burgundia, urbem Episcopatus sedem designare consuevit. Certè ibi quondam, sicut & nunc, major Ecclesia; ibi Antistitis cathedra, jam inde à Marcello, sicut hodieque cernitur, certissimum argumentum primatûs ac dignitatis loci: ibi Palatium Regum, jam inde ab Hugone, Hugonis magni filio, nunc Judicum consistorium clarissimum, à quo & Insula Palatii, *l'Isle du Palais* nuncupatur. Hanc Julius Cæsar usque adeò ædificiis auxit, tamque fortiter cinxit mœnibus, ut *Julii civitas* à nonnullis sit appellata. Interim nondum tum, neque Strabonis adhuc ætate extra suam insulam amnicam quidquam promovit; Postea verò sub Impp. Rom. ac præcipuè sub Juliano ac Valentiniano majore, qui ibi hyemavere, trans Sequanam suburbanis aucta videtur, qui Palatium, cum magnificentissimis Thermis ibi ultra Sequanam, Amphitheatrum, quod Arenas vocant, aliaque opera condidere. Post Francorum verò in Gallias adventum, cùm Chlodoveus *Luteciam* regni sedem elegisset, & omnes, à Chlodoveo Reges, Childebertus, Chilpericus, Chlotarius, Dagobertus, Chlodoveus minor, Chlotarius junior, Childericus ac Theodoricus ejus exemplum secuti essent, per annos 180. non contemnendis appendicibus crevit, & exspatiantia extra Insulam tecta, egregiæque Basilicæ, inprimis *SS. Apostolorum*, *B. Vicentii*, *S. Laurentii*, *Juliani Martyris trans flumen*, *ac S. Pauli cis Sequanam*, *alterius instar urbi*, addita sunt. Regnante apud Francos Caroli progenie, nulla accessio facta est, cùm Reges illi ex occasione bellorum hiberna mutarent, & plerunque in villis considerent publicis, Rotberti Fortis filiis ac nepote *Luteciam* tenentibus. Accessere Nortmannorum assiduæ oppugnationes, à quibus inter alia A.C.896. toto obsessa fuerat: quo tempore vix Insulæ se suæ mœnibus, ac naturali propugnaculo Sequanâ turribusque ad capita pontium positis tuebatur, & suburbanas Basilicas à direptione & incendio Barbarorum defendere aliter, quàm auro non poterat. Soli Hugonis posteri, cùm *Luteciæ* semper constanterque habitaverint, & ornavere Regiam suam & auxere, atque ex simplice triplicem fecere, ultra citraque Sequanam non semel prolatis pomœriis & adjunctis Insulæ, ex utraque fluminis parte, duabus, ut ita dicam, amplissimis urbibus, quibus *urbis Parisiorum* nomen dari potest ac debet, *Luteciæ* non potest, nec debet. Interim *Lutecia* nomen gentis, cujus caput erat, accepit, *Parisiive* dici cœpit: Ita, inter alia, Not. Imp. docet, *in prov. Lugdunensi Senonia Præfectum classis Anderitianorum* Parisiis *fuisse, & Præfectum Sarmatarum Gentilium à Chora*, Parisios *usq;*: unde apparet: *classem*, quæ *Anderitianorum* dicebatur, unà cum Præfecto suo fuisse Luteciæ, stante Imperio Romano: & *Sarmatas Gentiles* cognominatos, quæ legio Romana erat, à Chora, loco flumini Choræ in Icaunam effluenti apposito, usque ad urbem Luteciam, per castella & urbes ripæ Icaunæ ac Sequanæ fuisse dispersos atque in præsidio constitutos. Et fortè, quia classem apud se in portu amnico semper stantem cernebat, jam tum navem instructam pro insigni habere cœpit. Ita ergo amplissimam hanc civitatem Sequana fluvius dividens, tripartitam constituit, quarum prior Universitas, altera civitas, tertia urbs nominatur. Carolus M. Alcuini præceptoris sui instinctu, Univ. An. 796. fundavit, & permultis prærogativis, privilegiis, & immunitatibus splendidissimè exornavit. In vett. Not. ia prov. Lugdunensi IV. quæ & Senonia à Metropoli dicitur, sexta ac penultima ponitur: à Roberto Mon. ante annos 450. honoris causâ tertia, post Senonum atque Carnutum civitates collocatur. Gervasius tandem Tisleberiensis & duæ Not. Episcopatuum Galliæ, altera, circa A. C. 1285. altera paulo post annum 1322. scriptæ, eam à Metropoli sua proximam faciunt, fortè quia caput Regni Francici sedesque Regum erat, unde & ante annos 1170. Principes Galli pro Regibus Francorum *Reges Parisiorum* dicti sunt. Vulgò *Paris*. Baudrando caput est regni, totius Europæ amplissima; emporium celeberrimum, quotidie crescens, ut provinciam referat: Primaria Insulæ Franciæ. Ejus palatium regium Lupara, superbissimum, maxima ex parte à Ludov. XIV. excitatum est, Distat 10. leuc. à Sylvanecto in Mer. 28. à Rothomago in Eur. 34. ab Aureliis in Bor. uti 10. à Meloduno, 50. à Nivernis, 100. à Lugduno etiam in Bor. Vide Merulam, & Jac. du Breüil, ut & in voce *Parisii*. Peculiarem porro de *Vetustioribus Luteciæ Basilicis*, *& de prisco titulo ac situ Ecclesiæ Parisiacæ*, librum edidit Anno Chr. 1660. Hadrianus Valesius, qui brevi *Notitiæ Galliarum* appendicem subjunget, in qua præter clariora urbis loca, priscorum etiam vicorum ac portarum nomina, è veteribus monumentis petita, & quoties prolatum *Luteciæ* pomœrium fuerit, notare statuit.

Luteva, sive *Lutava*, urbs Gall. Narbon. *Lodefue* vulgò: urbs Occitaniæ infer. Episc. sub Archiepisc. Narbonensi, cui à Johanne XXIII. subjecta est: juxta amnem *Lergue*, ad radices Cemmeni montis, in limite prov. Ruthenensis. Antiquitate magis, quàm amplitudine spectabilis. Plinius *Forum Neronis* eam vocat. Subest dominio Episcopi, qui Comitem Mombrunium, à Castello vicino, se vocat. Ex antiquissimis ejus Præsulibus S. Florus est, inter cujus successores, quarto loco memoratur Helvadius, cujus mentio, in epist. Galliæ Episcoporum ad Leonem P. Anno Christi 451. Urbs Gothico & Albigensi bello dura passa, præt. quoque seculo, intestini belli furorem sensit: quo S. Fulcrani, unius ex Præsulibus & Patronis urbis, ossa in cineres redacta sunt. Distat 12. leuc. à Narbona in Bor. uti & 9. ab Agatha ac à Biliterris, 15. à Nemauso in Occ. uti 16. ab Ucetia. Vid. Bernard. Guidonem *in Chron.* Plantav. de la Pause, *in Chron. Episc. Lodov.* Catellum *Hist. de Lang.* Duchenium, Sammarthanum, &c.

Lutgardis, uxor Caroli M. literis exculta, Alcuinum propterea magni fecit, comes Mariti per omnia, animo supra sexum excelso. Obiit an. 800. Chron. Tur. San. Marth. *hist. Gen.* Mezerajus *Hist. Gall. t.1. p.* 217.

Lutgardis, *Leutgardis*, & *Lugerdis*, aliis Berta, Rosula vel Bosale, fil. Mathildis Franciçæ, ex Conrado. (vel Berengario) Italiæ Rege, vidua Eudis I. Comitis Blesensis & Carnut. (vel Arnolphi Flandriæ Comit.) secundò Roberto Gall. R. nupsit: ob propinquitatem postmodum tamen separata. Obiit Anno Christi 1002.

Lutherus Martinus, cygnus à Johanne Husso, Anno Christi 1415. post seculum promissus prædictusque: Natus est Islebiæ, Anno Chr. 1483. patre Johanne, matre Margaretâ Linderanniâ. Anno Chr. 1501. æt. an. 18. studiorum causâ, Erfurtum se contulit. Anno Chr. 1505. Magister artium, ad Jurisprudentiam se applicuit, sed fulmine, quod ei ambulanti comitem abstulerat, territus, invito & reclamante parente, Monasterium Augustinianorum ingressus est. Paulo pòst Romam missus, ad dissidia quædam, inter sui Ordinis in Germania homines exorta, componenda, inde cum prudentiæ elogio reversus est. Morer. *Diction. Histor.* Wittebergam venit, Anno Chr. 1508. à constituta ibi Academia 6. Hic publicè prælegit Aristotelis Logicen & Physicen. Doctor Theologiæ Anno Chr. 1512. à Doct. Andrea Carolostadio, renuntiatus, instituit enarrationem Psalterii, Anno Chr. 1513. Epistolæ ad Romanos, Anno Chr. 1515. ad Galatas, Anno Chr. 1516. Interim & Decalogi præcepta publicis ad populum declamationibus & reliquas Catechismi partes explanare cœpit. Eodem Anno disputavit contra Scholasticos Theologos, *de Libero Arbitrio*, *meritis operum & traditionibus humanis*. Vide prim. ejus tom. opp. Latin. Anno seculi 17. d. 31. Octobr. in vigilia omnium SS. publicè Witebergæ, de qua prædictum, *illam cunctas alias Germaniæ Academias suâ luce obscuraturam*, Abr. Scultetus, *Annal. Eccles. tom.* 1. affixit propositiones 95. contra Indulgentias, quas Johannes Tezelius, impudentissimus illarum propola, circumferebat; postquam pridie Fridericus Elector, Suidniciæ ter successivè somniasset: *Monachum comitatum sanctis ad se venisse de cœlo, & ut quædam ostio Academico inscribere liceret, petiisse: Scripsisse autem literis tam insignibus, ut scriptura etiam Suidniciæ legi posset. Finem calami Romam se extendisse, utramq; aurem Leonis X. ibidem jacentis penetrasse, inde ad coronam triceptem Pontificis se exporrexisse, eamq; adeò commovisse, ut casura esset.* Ad hæc *audivisse*, *Monachum pennam istam accepisse ex ala anseris Bohemici*. Anton. Musa, *ex relat. Spalatini Elect. Confess.* Hoc initium admirandi illius & divini operis, quod *Reformationem* vocamus: de quâ, ut antiquiores omittam, Nicolaus Cusanus, Cardin. Johannes Lichtenbergius, Joachimus Abbas, Hildegardis, Brigitta, Häs, Andreas Proles, Augustinianorum provincialis, Johannes Hilten, monachus Isenacensis, qui quidem & annum mutationis assignasse fertur,

fertur, diu antè vaticinati sunt. Post hæc, Albertum Archiep. Moguntinum, cui Indulgentiarum negotium à Papa commissum erat, per literas oravit, ut Indulgentiarum loco Evangelium doceri juberet: illis jam antè à Johanne Episc. Misnensi è diœcesi sua ejectis. Chytr. *par.* 1. *Sax.* Polydor. Virgil. *lib.* 8. *cap.* 4. Laur. Surius Carthus. &c. Cumque Tecelius non solùm non cessaret, sed pro indulgentiis Francofurti disputaret, & Archiep. Magdeburgensem, Prieratem, Eccium, Hochstratumque contra illum excitaret, omnibus horum scriptis acerrimè restitit. Sleidan. *Hist. libr.* 1. Romam citatus, cùm periculum obtenderet, Cajetano Cardin. Pontificis legato, Augustæ se stitit, Anno Chr. 1518. illoque Palinodiam urgente, errores sibi demonstrari petiit, quod cùm non fieret, *metuens, ne Cardinalis ad extremum rem omnem magis imperio, quàm disceptatione definiret,* Polydor. Virg. Augustâ Wittembergam reversus, à Cajetano appellavit 16. Octobr. ad Papam: ab hoc d. 28. Nov. quòd vitæ ejus insidiaretur, ad Concilium. Edidit tum resolutiones & declarationes propositionum suarum de Indulgentiis, quas Leoni X. dedicavit. Publicavit item Sermones de virtute Excommunicationis, de pœnitentia & præparatione ad S. Cœnam, cum appendice de meditatione passionis Dominicæ: Conjungentibus jam quoque aliis Doctoribus operas suas, inprimis Ulr. Zuinglio in Helvetia. De hoc anno sic Erasmus *Epist. libr.* 11. *Ep.* 1. *& lib.* 12. *ep.* 23. *&* 31. inquit: Ego *Lutherum nec accuso nec defendo Multa præclarè monuit, sed utinam civilius,* &c. Idem Lutherum ad moderationem revocavit, *lib.* 6. *ep.* 4. Perrexit hic edere Sermones, de duplici Justitia, de salutari meditatione Passionis Dominicæ: de Baptismo: de præparatione ad mortem: Item enarrationem Ep. ad Galatas. Excommunicatus Anno Chr. 1521. à Leone, publicavit Assertionem omnium articulorum doctrinæ suæ à Leone damnatorum, iterumque provocavit à Papa ad Concilium. Lovaniensibus quoque & Coloniensibus respondit, qui libros ipsius flammis dignos pronuntiarunt, Erasm. *lib.* 15. *ep. ultimâ.* Scripsitque porro, *de Libertate Christianâ*, quem librum Leoni X. misit: De *Captivitate Babylon.* præludium, quo Pontificiorum iras ac odia inprimis in se concitavit, &c. Vide Bucholc. *Ind. Chronol. pag.* 492. Lipsiæ, coram Georgio Duce Saxon. cum Eccio de primatu Papæ disputavit victor: exclamante Duce, *sive sit jure humano, sive divino Papa, ipse est Papa.* Abr. Scultetus, *in Annal. Eccl.* Wormatiam ad Comitia, hoc anno, citatus, amicis iter dissuadentibus, respondit: *Se iturum, etiamsi sciret, tot sibi Diabolos esse oppositos, quot sunt in omnibus urbis tectis tegulæ.* Comparuit igitur, coram Carolo V. Imper. & Imperii Proceribus, ac veritatem intrepidè confessus est. Contra quosdam, fidem minimè esse servandam clamitantes, à Ludovico Elect. Palatino defensus: Wormatiâ decessit feriâ 6. post Jubilate, 26. April. Proscriptus à Cæsare, d. 8. Maji, ab Elect. Saxoniæ, 10. mensibus, in arce Vartburgensi, prope Isenacum, occultissimè servatus est, *ut ne Magi de loco consulti divinare potuerint.* In hac Pathmo plurima scripsit. Vide Bucholc. *Ind. Chron. pag.* 494. Iterum excommunicatus, d. 28. Martii, iterum respondit. Irritatus à Carlostadio prodiit & palam rursus docuit, An. Chr. 1522. Vide Erasm. *Ep.* 2. *l.* 14. *ep.* 7. *libr.* 1. *ep.* 2. *lib.* 17. *ep.* 26. &c. Conflixit dein cum fanaticis, Nic. Storck, Thoma Muntzero, &c. Henrico Angliæ R. asperiore calamo respondit: Hoc tempore Monachi lectis Lutheri aliorumque libris, passim Monasteria vacuefecerunt: qui Novum Testamentum hoc anno Germanicè versum edidit, Phil. Melanchthonis operâ usus. Decretum Imperii Norimbergæ Principibus congregatis editum, Anno Chr. 1523. d. 6. Martii: quo *Universale ac liberum Concilium optimum visum est controversias dirimendi medium, interea Theologi Evangelium purè & modestè prædicare jussi sunt*, datis ad Principes literis, pro se interpretatus est. Abolito Vitebergæ Canone Missæ Cœnam Domini celebravit, revocatâ tamen in usum Confessione Auriculari, & privatâ absolutione, quam Carlostadius aboleverat. Postmodum Pentateuchum Germanicè translatum edidit: Libro de dignitate & officio Magistratus Politici, exhilaravit Electorem; De Sacramenti adoratione scripsit ad Waldenses, tumque primùm opinionis Berengarii meminit, de Cœna Domini. Henricum & Johannem, Monachos Augustinianos, flammis Bruxellis, ob religionem, datos, cantico celebravit, Vide Erasm. *libr.* 21. *ep.* 7. *&* 24. *ep.* 4. Cucullum deposuit, Anno Chr. 1524. Erasmo, scriptum de Servo arbitrio opposuit, Anno Chr. 1526. Vide Erasm. *Ep. libr.* 19. *Ep.* 1. 2. 3. 4. *& antepen.* Carlostadium, aureo dato nummo, ad scribendum contra se, in negotio S. Cœnæ, provocavit d. 22. August. Anno Christi 1524. Jenæ. Hoc belli Sacramentarii initium fuit. Vide Ludovici Lavateri *Histor. Sacrament.* Edidit Psalterium Germanicè. Cum Melanchthone, Anno Chr. 1525. scripta quædam edidit, contra Articulos à seditiosis rusticis, initio anni, publicatos. Tum Zuinglius & Oecolampadius, mentem suam, de genuino sensu verborum S. Cœnæ scriptis editis, exposuerunt: Lutherus autem Ordinationem Ministrorum Evangelii in Ecclesiam reduxit, d. 14. Maji, cùm primus ordinandus esset Georg. Roratius. Missam linguâ vernaculâ celebrari curavit, d. 29. Octobr. Contra Carlostadium, de Cœna Domini & Iconomachia scripsit: librumque de abominatione Canonis Missæ edidit, contradicentibus ex Anglia, Gallia, Hispania, Germania, &c. plurimis: Catharinam à Boren, genere nobilem, quæ monialis antea fuerat, die 27. Junii uxorem duxit. Librum adversus Zuinglium & Oecolampadium, Anno Chr. 1527. de sensu verborum Cœnæ evulgavit, cui uterque respondit; ut & Anno Chr. 1528. Conventu dein Spirensi, Anno Chr. 1529. celebrato, *Protestantium* ortum nomen: eodemque anno Smalkaldiæ, de mutuo fœdere Principum Evangel. consilia agitata. Colloquio Marpurgensi, inter Lutherum & Zuinglium, triduano, constituta est Concordia discors, & induciæ in causa Eucharistica pactæ, quæ diu haud durarunt. Edidit post hæc utrumque Catechismum Lutherus. Anno 1530. Confessio Augustana, scripta à Phil. Melanchthone, exhibita est Carolo V. in Comitiis Augustanis, qui illam sibi Italicè & Gallicè verti voluit; dum Lutherus in arce Coburgensi fuit: & prima pax Religionis coiit, Anno Chr. 1532. usque ad liberum Christianum Concilium, impetrante illam Alberto Moguntino & Ludovico Palatino. Lutherus Anno Chr. 1534. tandem Biblia Germ. in unum corpus redacta, prælo subjecit, quæ, cum Hebraicis Seb. Munsteri, prodierunt, Anno 1535. Cœpit exin Genesin enarrare: Inter eum & Bucerum concordiæ formulam Melanchthon edidit, Anno Chr. 1536. Disputare contra Antinomos Anno Chr. 1537. cœpit. Librum de Conciliis & Ecclesia in lucem Anno Chr. 1538. misit. Primam suorum Commentar. in Genesin partem Anno Chr. 1544. & mense Sept. ejusd. anni brevem ultimamque suam de C. D. confessionem condidit, disertè exponens, quid à dignis & indignis in illa sumatur: de quo scripto Theologi Tigurini suam sententiam paulo pòst publicarunt. Obiit paulo ante bellum Smalcaldicum, Islebiæ Anno Chr. 1546. Vir etiam hostium judicio magnanimus, talia certè ausus, quæ totus miratur orbis, & unus fermè Orbi conjurato obnixus. Mortem variæ calamitates sequutæ sunt. Vide Sleidanum, &c. Sectatores ejus, *Lutherani* dici amantes, indignante illo, jam olim ex 1. Cor. 1. v. 12, 13. in plurimis ab eo recedunt, ut ex scriptis illorum videre est. De Luthero Melanchthon: *Pomeranus est Grammaticus, & verborum vim explanat; ego sum Logicus, monstro contextum rerum & argumenta: Justus Jonas est Orator, copiosè & ornatè disserit: sed Lutherus est omnia in omnibus, est miraculum inter homines; quidquid dicit, quidquid scribit, id in animos penetrat & mirificè relinquit aculeos in cordibus hominum*, apud Melch. Adami. Deeodem Eduardus Leigh, Anglus: *Res & verba Philippus, Res sine verbis Lutherus, Verba sine re*, Erasmus. Ejus picturâ olim visâ, Melanchthon modò memoratus in hunc versiculum ex tempore erupisse legitur:

Fulmina erant linguæ singula verba tuæ. &c.

Lutherus Paulus, prioris filius, Augusti Electoris Saxoniæ Archiater. Obiit Lipsiæ an. Ch. 1593.

Luti, Germ. populi, Plinius. *Slesier* Pyramio. Hi & *Buris* Ptol. forsan *Lugii Burii* aliorum, fuere prope fontes Vistulæ, in Silesia super. ubi nunc Duc. Teschinensis & Ratiboriensis, inter Poloniam min. ad Ortum & Moraviam ad Occas. Baudr.

Lutia, oppidum olim Hispaniæ Tarraconensis, opulentum, Appianus: 300. à Numantia stadiis, in finib. Arevacorum.

Lutis, fluv. Austriæ, per agrum Viennensem fluens; *Leyte*: super quo opp. Lytipons, *Pruck an der Leyte.*

Lutomagus, opp. Morinorum, Cluverio *Monstrevil*, in Picardia, urbs munita, ad Quentiam fluv. in confinio Artesiæ, media inter Hedenum ad Ortum & oram Maris Britann. ad Occasum, 3. leucis utrinque.

Lutorius Priscus, prænomine *Cajus*, Eques Romanus, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecuniâ donatus à Cæsare, correptus à delatore objectante, ægro Druso composuisse, quò, si exstinctus foret, majore præmio vulgaretur. Ob hanc causam, sententiâ Haterii Agrippæ Consulis designati, indictum reo ultimum supplicium; & nequiquam M. Lepido relegationem decernente, Priscus in carcerem ductus ac statim exanimatus est. Tacit. 3. 50.

Lutosa, vulgò *Leuse*, vicus est Hannoniæ, Monasterio à S. Amando ibi, sub Childerico, condito nobilis: 2. millia passuum ab Atho urbe. Item locus fiscalis in saltu Dervensi ad Diœcesi Tricassina, in quo Bercharius Abbas, similiter sub Childerico Rege Basilicam in honorem S. Martini ac cellam extruxit: Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Lutosa, vulgò *Loze*, amniculus Galliæ, qui ortus ad radices clivi, in quo Alesia condita, unà cum Osera haud procul oriente, decurrit in Brionam *Brenne*, Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall. in Alesia Mandubiorum.*

Luttera, oppidum Germaniæ, in Saxonia infer. ubi Christianus IV. Daniæ R. qui copiarum, pro circuli hujus defensione conscriptarum, imperium susceperat, à Tillio, Cæsariani exercitus Duce, gravi clade affectus est, universo ferme peditatu amisso, circa an. Ch. 1626.

Lutterwortium, castrum Licestriæ, cum pago, medium fere inter Licestriam urb. & Daventriam. Ibi Wiclefus Parochus fuerat. *Lutterworth* vulgò.

Lutum, vulgò *Louth*, opp. Ultoniæ, ad amnem cognom. aliquot ab ora mill. medium inter Dunkeranum ad Bor. & Ardracum ad Austr. 7. m. p. utrinque. Caput Comit. *Lutensis seu Lugensis.* Vid. ibi.

Lutzelstenium, Comit. Lotharingiæ, in Imp. Germanico, sub Principe ex familia Palatina. V. *Lucelstenium.*

Lutzenum, oppidul. Misniæ, sub Ep. Martioburgensi, prope Elsterum fluv. 2. leuc. à Martioburgo in Occ. 2. à Lipsia in Ort. Ibi Gustavus Adolfus Suec. R. d. 16. Octobr. 1632. victor occubuit. Vulgò *Lutzen.*

Luxemburgum, Gallis *Luxembourg*, urbs ampla Belgii, ad Alizontem amnem, satis munita, 4. leuc. à Theodonis villa in Sept. 6. à Treviris in Occ. 4. ab Orolauno in Ort. 2. à confin. Lotharingiæ. An à fluv. quasi *Elzenburg?* Ptolomæo *Augusta Romanduorum* dicitur. Caput Duc. *Luxemburgensis*, qui frumenti metallorumque feracissimus, maximè ad Ort. & Austrum extensus est versus Germ. inter dit. Trevirensem ad Ort. Ducatum Limburg. ad Bor. tractum Leodiensem ad Occ. & Lotharingiam ad Mer. Amissus à Francisco I. A. C. 1529. nunc sub Hisp. pars tamen Australis ejus Gallis subest. Familiam Lucemburgicam, ob Imperatores Regesque complures inde exortos, toto orbe illustrissimam nemo est qui ignoret.

Luxemburgensis Ducatus urbes:

Bastonacum, *Bastogne*, Hispanis subest.
Damvillerium, *Damvillers*, Gallis.
Luxemburgum, *Luxembourg*, Hispanis.
Monsmedius, *Monmedy*, Gallis.
Orolaunum, *Arlon*, Hispanis.
Theodonis villa, *Thionville*, Gallis.
Virtonium, *Virton*, Hispanis.
Yvodium, *Yvoix*, Gallis.

Luxia, flu. Hisp. Bæticæ inter Bætim, & Anam fluens. Plin.

Luxovium, oppidul. Comit. Burgundiæ, in saltu Volago, ubi Columbanus, sub Childeberto R. Monasterium extruxit, dictum vulgò *Luxeu* vel *Luxevil.* Ditavit illud annuis censibus Chlotarius jun. Oppidum sedet ad amnem Lantanam *Lantaine*, qui in Ararim effunditur, inter loca Falconiacum *Falcougney*, & Confluentes *Conflans.* Cœnobium S. Benedicti normam sequi, refert Ferrar. Distat 13. leuc. à Vesuntione in Bor. 6. à Vesulio in Cæc. aliàs munitum. Ab Alsatia 6. leuc. in Occ.

Luza, civitas Chananææ in tribu Benjamin. Jos. 18. quæ & *Bethel.* Gen. 28. Altera quæ cecidit in sortem filiorum Joseph. Jos. 19. Tertia Hitthæorum in Tr. Ephraim. Judic. 1.

L Y.

Lyæus, unum ex Liberi patris cognominibus παρὰ τὸ λύειν, quòd vino mentes & curæ solvantur. Horat. *Epod.* 9.

Curam metumq; Cæsaris rerum juvat
Dulci Lyæo solvere. —— ——

Petronius *in Satyrico: Anicula soluta mero.* Iterum,
Cùm solutus merò amisissem ebrias manus.

Oppianus 4. Κυνη:
—— Ὑπὸ λυσιπόνῳ Διονύσῳ.

Ovidius,
Turpe jacens mulier multo resoluta Lyæo.

Forsan & huc referendum Propertianum illud *l.* 3. *Eleg.* 5.
Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in vernâ semper habere rosâ.

Lybia, opp. Hisp. Tarr. inter Calagurim & Segisamunclum, 20. m. p. à Virosceva, Calagurim versus. Anton.

Lybum, Cœlesyriæ urbs inter Damascum, & Laodiceam. Anton.

Lycabetus, Atticæ mons, Athenis proximus, Hymettoque finitimus. V. *Ranas* Arist. *Act.* 4. *sc.* 2. Stat. *Theb. l.* 12.
Vitibus, & pingui melior Lycabetus olivâ.

Lycadium, seu *Cycladum sinus*, ad Bosphorum Thrac. in ora Bithyniæ, inter Ciconium & Lembum promm. hodie *Manolius sinus*, P. Gyllio. Satis parvus, 6. m. p. à Chrysopoli in Cæc. prope Neocastrum Asiaticum.

Lycaa, urbs Arcadiæ. Pausan. *Lycatha* etiam, Steph.

Lycæum, gymnasium Athenis celebre, Suid. Unde hodieque Academiæ & sacræ Musarum sedes *Lycæa* dicuntur.

Lycæus, Apollinis cognomen. Steph.

Lycæus, Arcadiæ mons, Jovi sacer, teste Pausaniâ *in Arcadicis*, olim etiam Olympus & ἱερὰ κορυφὴ, id est, *sacer vertex* ab incolis appellatus, quòd Jovem ibi educatum existimarent. In hoc monte Jovis Lycæi ara fuit à Lycaone Pelasgi filio primùm consecrata, quam cùm postea mactati pueri sanguine respersisset, in lupum dicitur esse transformatus. Constat tamen, montem hunc etiam Pani sacrum fuisse. Virgil. *Georg. l.* 1.
Ipse nemus patrium linquens, saltusq; Lycæi
Pan ovium custos. —— ——

Hinc etiam Pan *Lycæus* passim à poetis dicitur. Idem *Æn.* 8.
—— *Gelidâ monstrat sub rupe Lupercal,*
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.

Inde *Lycæa* sacra in honorem Panos fieri, in hoc monte, solita, quæ postea ab Evandro in Latium translata, Lupercalia dicta sunt.

Lycambes, Neobules pater, qui cùm filiam suam Archilocho poetæ despondisset, posteaque pœnitentiâ ductus non tradidisset, tam acerbo carmine ab eo est perstrictus, ut unà cum filiâ laqueo vitam finierit. Horat. *Epod.* 6.
—— *In malos asperrimus*
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.

Hinc *Lycambeus.* Ovid. *in Ibin,*
Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.

Lycaon, Arcadiæ rex, Pelasgi fil. quem Jupiter, quòd aram suam, in Lyceo monte, mactati pueri sanguine respersisset, in lupum mutavit. Pausan. *in Arcadicis.* Ovid. tamen *Met.* 1. aliam tradit transformationis hujus causam, quæ sic se habet: Jupiter aliquando, cùm multa de humani generis impietate inaudisset, neque tamen omnia crederet, ut rem omnem certiùs exploraret, relicto cœlo in terram descendit, aliquotque regionibus peragratis, tandem sub noctem in Arcadiam pervenit, ad Lycaonis regiam. Ubi cùm se Deum esse significasset, vulgusque se ad sacrificia accingeret, irridens credulitatem eorum Lycaon, eâ ipsâ nocte periculum se facturum dixit, Deumne an mortalem hospitio suscepisset, conatusque est noctu dormientem interimere. Quod cùm frustra tentasset, aliâ ratione rem aggressus est. Habebat obsides à Molossorum gente ad se missos, horum unum jugulavit: partimque assum, partimque elixum Jovi epulandum apposuit. Cujus rei immanitate indignatus Jupiter, regiam tyranni immisso fulmine exussit, ipsumque in sylvas fugientem in lupum transformavit. Monetur fabulâ, cui fortè à Nabuchodonosoris historia occasio, quæ pœna impietatem cum sævitia conjunctam maneat. Eundem tamen templorum inventorem, statuit Jul. Hyginus *Fab.* 225. Vide Blondum Flav. *lib. triumphantis Romæ cap.* 1. Hinc *Lycaonius*, ut *axis Lycaonius*, id est, Ursa major, in quam Callisto Lycaonis filia creditur transformata. Ovid. *Trist.* 1.
Quæq; Lycaonio terra sub axe jacet.

Idem *Met.* 1.
Fœda Lycaoniæ referens convivia mensæ.

Item Nelei fil. & Nestoris frater, quem Hercules expugnato Pylo occidit. Alius Priami filius, ab Achille occisus. Item Gnosius faber, & artifex ensis, quem Ascanius dedit Euryalo. Virgilius *Æneid.* 9.

Lycaonia, regio Asiæ, Cappadociæ pars, in Austrum Ciliciam versus ab eâ Tauro monte divisa, inter Isauriam ad Occ. & Armeniam min. ad Ort. cujus metropolis est Iconium, à quâ hodie reg. *Cogni* nominatur. Pop. *Lycaonii*, apud quos onagrorum copia est, sicut & apud Phryges. Stephanus totam Arcadiam olim *Lycaoniam* dictam scribit. Est & Phrygiæ minoris urbs. Item insl. Tiberis, Romæ, vulgò *Isola di S. Bartholomeo*, ab æde ei sacra.

Lycapsus, vicus prope Lydiam. Steph.

Lycaste, filia Priami ex concubinâ, cujus amore flagrans Polydamas, Antenoris & Theanûs sororis Hecubæ filius, eam uxorem duxit. Item *Lycaste*, meretrix nobilis apud Drepanum Siciliæ urbem, ob formæ excellentiam Venus appellata, quæ cùm Buten Amyci Bebryciorum regis filium hospitio excepisset, ejus concubitu usa, Erycen ei peperit; quo factum est, ut apud posteros creditum fuerit, Buten ex Venere Erycen genuisse.

Lycastos, urbs Cretæ, quæ jam interiit Strabonis tempore, apud Dictæum mont. à *Lycaste* nympha, cujus meminit Claud. de laud. Stiliconis *lib.* 3.
—— *Mecum Dictæa Lycaste.*

Alii à luporum multitudine sic dictam volunt. Hom.
Λύκτον, Μίλητόν τε καὶ ἀργινόεντα Λύκαστον.

Lycastris, flu. Coæ Insf. in mari Ægæo, à quo Lyca civ. Insulæ dicta fuit. Vib. Sequester.

Lycastum, Cappadociæ urbs. Plin. *Docastelli* Nigro. Erat autem apud Halym flu. teste Mela, in Paphlagoniæ confin. *Lycastia* Apollonio: *Lycastrum* quibusd. Opp. fuit Baudrando, prope oram Ponti Euxini, & sinus Amiseni, 15. m. p. ab Amiso in Ort. & 40. à Themiscyra in Occ. sed vix 10. ab ostio Iridis flu. in Occ. 30. ab ostio Halis in Ort.

Lyce, una ex præcipuis Amazonibus, quæ Æetæ Colchorum regi, contra Persen, auxilium tulerunt, vulnerata in sinistrâ parte pectoris à Gesandro. Val. Flacc. *l.* 6. *vers.* 375.

Lyceas, Naucratita, Αἰγυπτιακὰ consignavit, ut cognoscimus ex Athenæo *libr.* 14. Meminit & *Lycea* Plin. in Elencho eorum, quos sequitur *l.* 36.

Lyces, Macedoniæ urbs fuit, ad Bevum fluv. Livio.

Lyces, fluvius Scythiæ Eur. Vide *Lycus.*

Lyceum, gymnasium celeberrimum juxta Athenas, à Pisistrato vel Pericle extructum, in quo Aristoteles frequentissimo audito-

rio Philosophiam profitebatur, quemadmodum Plato in Academiâ. Cic. 1. *Acad. Qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo.* Idem *alibi*:

Inq; Academiâ umbriferâ nitidoq; Lycæo
Fuderunt claras divini pectoris artes.

Pausas. templum Apollinis fuisse ait, à Lyco, Pandionis filio, substructum, *in Attic.* Vide Meurs. *libr.* 2. *cap.* 3. *Athen. Att.* Item *Lyceum* gymnasium Ciceronis in fundo Tusculano, à nomine Scholæ Aristotelicæ ita dictum. Cic. *Acad. Qu. lib.* 1. *Nuper cùm essem cum Qu. Fratre in Tusculano disputatum est. Nam cùm ambulandi causâ in Lyceum venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est) perlegi, inquit, ille, tuum paulo ante tertium de Natura Deorum.*

Lychnidus, urbs Illyriæ. Item parva regio Armeniæ. Stephan. Item *Lychnidus*, vel *Lychnidion* urbs Archiep. Macedoniæ, quæ & *Justiniana prima*, postea *Achridus*: *Ochrida* Sophiano, Turcis *Guistandil*, inter Dyrrachium ad Occ. 70. ac Thessalonicam in Ort. supra 130. m.p. Item lacus ejusdem nominis ibidem, quem Liv. *lib.* 44. *Ascuridem* appellare videtur. Idem *lib.* 42. Begorritim lacum hoc tractu habet, sed an idem sit, viderint peritiores.

Lychnitis, Armeniæ maj. palus. Steph. *Exsechia* vulgò ex tab. recent. Armeniæ regio quoque est. Idem.

Lychnos, locus Ægypti, circa Pelusium videtur, apud D. Hieron. *in vita Hilar.*

Lycia, reg. min. Asiæ inter Pamphyliam, & Cariam: *Mylias* aliàs, & *Ogygia* Steph. qui incolas *Tremilos* dictos scribit. Unde *Trimilis* reg. apud Liberalem. Aliis *Mylias* fuit ejus pars Bor. olim (si poetarum fabulis credimus) Chimæræ monstri ignibus infestata. Cujus fabulæ occasionem præbuit Chimæra ejus reg. mons crebrò ignem eructans. Dicta est autem Lycia, à *Lyco* Pandionis filio. Urbem habet Pataram, Apollinis oraculo celebratam. Unde *Patareus Apollo*, apud Horatium. Et *Lyciæ sortes* apud Virg. *lib.* 4. *Æn.* id est, sortes Apollinis, qui in Lyciâ apud Pataram responsa edebat. Terminatur à Mer. mari Mediterr. seu Lycio, à Sept. Phrygiâ, ab Ortu Pamphylia, ab Occ. Caria. Nunc *Aidinelli*, sub Turcis, à 3. seculis. Estque pars Caramaniæ latè sumtæ. V. Strab. Plin. Isidor. Castald. Cluverium, &c. Pop. *Lycii*, qui in luctu, ut citiùs stolidum deponerent mœrorem, muliebres vestes induisse leguntur. Eosdem *Termilas* vocatos etiam Herodotus scribit. Erant autem arte sagittandi celeberrimi. Virg. *Æneid.* 8.

Ille mihi insignem pharetram, Lyciasq; sagittas
Discedens dederat. —— ——

Et *libr.* 7.

Lyciam ut gerat ipse pharetram.

Stat. *Theb.* 6.

Cætera plebs Lyciis gaudet contenta sagittis.

Silius *lib.* 8.

Lycios arcus. ——

Item reg. parva Troadis, juxta Idam montem, ubi Apollo natus traditur, teste Strabone ex Homero.

Lyciæ castrum, à Sultano, cum Tripoli & Ptolemaide dein captum, A. C. 1288. 1291. P. Æmil. *l.* 8.

Lycias, Rhætiæ fluvius. Ptol. *Lech* hodiè. V. *Licus.*

Lycidas, Centaurus, unus ex iis, qui Pirithoo Hippodamiam sponsam eripere conati, à Lapithis sunt interfecti. Ovid. *Met.* 12.

At non Eurynomus, Lycidasq; & Araus, & Imbreus
Effugere necem. ——

Est & nomen pastoris apud Virg. *Ecl.* 9.

Lycide, oppid. fuit Mysiæ. Plin. Episcopi *Lycidensis* meminit Marcellinus Comes.

Lycimna, arx erat Peloponnesi, à Naupliâ olim 12. stadiis distans. Strab.

Lycimnia, amica Horatii, *Carm.* 2. *Od.* 12.

Me dulcis dominæ musa Lycimniæ,
Cantus me voluit dicere lucidum,
Fulgentes oculos, & benè mutuis
Fidum pectus amoribus.

Lycinus, Vid. *Amphitheus.*

Lyciorum sinus, ad Bosphorum Thrac. P. Gyllio, parvus admodum, prope Mirlæjum opp. in ora Thraciæ, unde dein *portus Mirleanorum* dictus est, prope Pontum Eux.

Lycis, Comicus Poeta, ab Aristophane tanquam frigidus & ineptus exagitatur. Alibi vocat *Lycum.* Ejus suo tempore nihil exstitisse adnotat, Scholiorum *in Ranas Aristophanis* auctor.

Lycisca, canis nomen apud Virg. *Ecl.* 3.

—— *Multum latrante Lyciscâ.*

Lyciscus, Archon Athenis. Olymp. 109. an. 1.

Lycius, Apollo ἀπὸ τοῦ λύκου, id est, *à lupo* sic dictus, quòd sicut lupi pecora rapiunt; ita Sol humorem haurit radiis. Prisci Græcorum primam lucem, quæ præcedit solis ortum, λύκην appellarunt, idque temporis hodiè quoque λυκόφως cognominant. Et Lycii Apollinis oraculum, qui in Lyciâ maximè clarus fuit, ob luporum interfectionem.

Lycoa, urbs Arcadiæ. Steph. Inde *Lycoanitis* Diana, quæ illic templum habebat.

Lycomedes, Scyri ins. rex, cui Thetis filium suum Achillem, dormiente præceptore suo Chirone, clam raptum servandum tradidit, ut ibi inter ejusdem regis filias (erat enim facie venustâ, & puellari, ita ut facilè pro puellâ sese gereret) muliebri habitu indutus latitaret, ne ad bellum Trojanum, à quo illum non reversurum esse sciebat, proficisci cogeretur: apud quem cùm delitesceret, Deidamiam regis filiam vitiavit, & ex eo Pyrrhum suscepit. Item *Lycomedes* Creontis filius. Hom. *Iliad.* 9. Vide Palmerium *ad auctores Græcos*, *p.* 429.

Lycomedes, Mantineensis, Arcadum dux, qui dilectis quingentis, mille Spartanos & quingentos Argivorum & Bœotorum exules fudit, Duce Polytropo occiso. Diod. *l.* 15.

Lycomedes, Tegeates, qui cùm peculiare corpus ex se facere Arcadibus persuasisset, in magnos motus & calamitates eos conjecit. Diod. *l.* 15.

Lycomedis, lacus Africæ. Plin. *Linxano* Pineto. In Marmaricæ fin. ad Austr. *Serta* aliis, nomen etiam regioni tribuens.

Lycon, è Troade, Philosophus, auditor Panthedæ, Dialectici, & Stratonis, cui successit, in Academia, per annos 44. *Glycon* Græcis, ob suavitatem dictus, elegantiæ amans & mirè dexter in instituenda juventute. In pretio apud Attalum, Eumenem & Antiochum. Obiit podagrâ, æt. 62. postquam & in testamento suo, insigne ingenii & eruditionis specimen edidisset. Diog. Laërt. *in ejus vita.*

Lycon Jasensis, Pythagoræ vitam memoriæ tradidit. Athen. *libr.* 10. Alius Socraticus, sive Peripateticus, eloquens & in dicendo suavis, adeò ut *Glycon* à dulcedine dicendi appellaretur. Vide supra. Tertius Poeta. Quartus Epigrammatum scriptor. Laertius.

Lycon, Ægypti urbs, quæ & *Lycopolis.* Item Hisp. oppidum in Lusitaniâ. *Lobon* Jac. Delgado.

Lycone, urbs Thraciæ. Steph. & mons Peloponnesi in Argiâ regione cupressis abundans. Pausanias,

Lycophron, Pherarum in Thessaliâ tyrannus. Diod. *l.* 14. *p.* 440. Fuit eodem nomine frater Thebes Alexandri Pheræorum tyranni uxoris, quâ sociâ affinem occidit & tyrannidem vacuam occupavit: sed à Philippo Macedone destructus est. Diod. *libr.* 16. *pag.* 517.

Lycophron, Grammaticus, sæpius à Scholiorum *in Aristophanis Fabulas* auctore laudatus. Vide *p.* 481. *G.* 1.

Lycophron, Poeta Chalcidensis, Sophoclis Grammatici, adoptione verò Lyci Rhegini fil. inter septem poetas, qui *Pleiades* dicebantur à numero stellarum, Philadelpho Ptolemæo acceptus. Erant autem hi Theocritus, Aratus, Nicander, Apollonius, Philicus, Homerus Junior, ac Lycophron. Alii aliter numerant. Scripsit Alexandram, poema valde obscurum: quod Jos. Scaliger versione non minùs difficili Latinè reddidit: unde Statius *in Sylvis*,

—— *Tenebrasq; Lycophronis atri.*

In eo mentionem facit de vaticiniis Cassandræ, exorsusque ab Hercule, & rebus Trojanis, prosequitur usque ad Alexandrum Macedonem. Tragœdiarum ejus 12. catalogum, Vid. apud Suid. De hujus morte Ovid. *in Ibin*,

Utq; cothurnatum periisse Lycophrona narrant,
Hæreat in fibris fixa sagitta tuis.

Plura apud Tzetzem, *Chil.* 8. *Hist.* 204. Voss. *de P. G. cap.* 8. Meursium *in notis.* Alius fuit Periandri Corinthiorum regis fil. cujus matrem Lysim, cognom. Melissam, cùm pater occidisset, is sponte exul, à Patre nullâ ratione revocari potuit, ut ipsi, præterito Cypselo altero filio, regnum traderet: Occisus proin in exilio. De hoc multa Herod. *l.* 3. & Laertius *in Periandro.*

Lycopolis, urbs Ægypti & Nomus ad Nilum, inter Antinoen & Crocodilorum urbem, à *lupis* cognominata, eò quod Æthiopes agros Ægyptios incursantes, lupi factâ acie usque ad civitatem Elephantinam repulerint. Ibidem civitatem construentes Ægyptii, à bestiis illis Lycopolin vocarunt. Vide Steph. in λύκων πόλις, & Diod. *lib.* 2. Nunc *Munia*, olim Episcopalis. Hic Meletius olim Episc. tempore persecutionis Idolis sacrificans, funesti schismatis auctor fuit. Plin. *lib.* 5. *cap.* 9. Strab. *l.* 7. Socr. *Hist. l.* 1.

Lycopus, Ætolus, à Cyrenensibus à Ptolomæo oppugnatis auxilio vocatus duxq; constitutus est: sed ille Ducatum in tyrannidem vertit. Polyæn. *l.* 8. *fin.*

Lycorea, vicus in Delphis, à *Lycoreo* rege. Steph.

Lycorias, nymphæ nomen. Virg. *Georg.* 4.

Lycoris, Volumnii Senatoris liberta, vero nomine *Cytheris* dicta, miserè à Corn. Gallo adamata: quo tamen spreto, Antonium in castra sequuta est. Virg. *Ecl.* 10.

—— *Tua cura Lycoris,*
Perq; nives alium, perq; horrida castra sequuta est.

Lycormas, Ætoliæ flu. flavas arenas volvens. Hic posteà *Evenus*, ab Eveno rege Ætolorum, qui se in illum præcipitavit, appellatus est. Ovid. *Met.* 2.

Arsurusq; iterum Xanthus, flavusq; Lycormas.

Sen. *in Hercule Oetæo*,

Nec præcipitem volverit amnem
Flavus rapido fonte Lycormas.

Phidari

Phidari Nigro dicitur. Vide Plutarch. *de Flumin. in Lycormâ.*

Lycosthene, urbs Lydiæ Steph. Metropolim facit nummus Tyri apud Goltz.

Lycosthenes Conradus, Rubeacensis, Theologus Basiliensis, Marci Bersii, Pastoris Leonhardini symmysta, antiquissimum Pythagorei silentii symbolum, in instaurandis ipsius ædibus, anno Chr. 1549. terrâ egestum, *humani capitis effigiem, labiis circulo confixis, auribusq; patulis*, sublimi domus parte publicè spectandum proposuit: & ut eo antiquitatis, ita & hoc immortalitatis studiosum sese declaravit, quòd alatæ mortis simulachrum privatim sibi ob oculos semper habuit collocatum. Edidit *Apophthegmata, &c.* in quibus insignem suam eruditionem & industriam toti orbi palam fecit. Obiit Basileæ an. C. 1561.

Lycosura, urbs Arcadiæ in Lycæo monte. Steph.

Lycozia, urbs Thraciæ. Steph.

Lyctus, Cretæ urbs insignis, Idomenei patria. Virg. *Æn.* 3.

Et Salentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus. ——

Paleocastro, Nigro teste, hodie dicitur, & pagus est, à Gnosso in Austr. 15. mill. pass. ab ora Bor. 10. in qua Chersonesus erat, Lyctiorum emporium.

Lycurgides, Lycurgi fil. Ovid. *in Ibin*,

Quiq; Lycurgiden laceravit ab arbore natum,
Idmonaq; audacem te quoq; rumpat aper.

Reges & Viri illustres.

Lycurgus, Nemeæ Rex, Archemori pater. Stat. *Theb.* 5. Item *Lycurgus* gigas ab Osiride in Thraciâ peremptus. Berosus *libr.* 5. Diodorus Sic. *lib.* 1.

Lycurgus, Thraciæ Rex, fil. Dryantis, qui quòd Thracas immoderatè vino deditos conspiceret, vites omnes toto regno excidi jussit. Plut. *in lib. de Poetarum utilitate.* Hinc datus poëtis locus fabulæ, Lycurgum infestissimo Bacchum odio prosecutum esse, adeò ut nutrices illius in Nysâ latentes persequeretur, & Baccho ipsi tantum terroris incusserit, ut præcipiti fugâ trajecto mari in Naxum se receperit: ideoque justâ numinum irâ Lycurgum in furorem conversum, & tibias sibi succidisse. Virg. *Æn.* 2.

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo.

Propertius 3. 17.

Vesanumq; novâ nequicquam in vite Lycurgum.

Horat. *lib.* 2. *Od.* 19.

Thracis & exitium Lycurgi.

Lycurgus, nobilis Spartiata, filius ex Dianassa, secunda uxore Eunomi Lacedæmoniorum Regis, frater Polydectæ, cui etiam in regnum successit, ignarus Eunomum, uxorem gravidam reliquisse; quod ubi primùm cognovit, (illa enim Lycurgo ad regnum & conjugium vocato, pollicita erat se fœtum abortu ejecturam) posito regis nomine, Prodici, hoc est, Tutoris nomen assumpsit, An. à capta Troja 200. ante 1. Olymp. 108. Regique adulto, Charilao ei nomen erat, regnum fideliter restituit. Verùm cùm civitatem pessimè institutam animadverteret, ad constituendam salubrioribus legibus Remp. animum adjecit. Conscriptis itaque iis, quæ longâ peregrinatione didicerat, civitati utilia fore, Delphos sese contulit, ut Dei quoque consilium in re sanctissimâ exploraret. Cumque Pythia consilium ejus à Phœbo maximè probari, Deique potius, quàm hominis inventum esse respondisset, alacrior ad peragendum institutum factus, foro armatis aliquot occupato, leges suas profert, quibus cùm jam cives mediocriter assuefactos videret, ut quas tulerat leges, æternas quoque redderet, hanc rationem commentus est. Simulat arduum adhuc quidpiam superesse, quod ad civitatis salutem pertineret, quod tamen inconsulto oraculo aggrediendum non esset, eaque de causa se Delphos proficisci velle. Interim tamen Reip. interesse, ut leges, quemadmodum latæ erant, in reditum suum inviolatæ serventur, idque ita futurum, primùm à regibus, deinde à cæteris omnibus jusjurandum exegit. Profectus itaque Delphos, cùm Pythiam respondentem audisset, nihil legibus illis absolutius esse, felicissimamque fore civitatem eam, in quâ illæ quàm diutissimè servarentur, constituit sibi amplius in patriam non esse redeundum, ne illi aliquando jurejurando soluti, leges suas excuterent. Misso itaque Spartam oraculo, amicosque itineris comites amplexus, illis dimissis, Cyrrham concessit, ubi mox suis sibi manibus necem conscivit. Quanquam alii Crissæ, nonnulli etiam in Cretâ interiisse volunt, ubi etiam sepulchrum ejus apud Pergameum urbem ostenditur. Spartani mortuo sacellum consecrarunt, & ob singularia ejus in patriam merita, divinos ei honores tribuerunt. Vide latius vitam ejus apud Plutarchum, Clem. 1. *Strom.* Euseb. *in Chron.* Pausan. &c. Justinus *l.* 3. *Proficiscitur autem in Cretam, ibiq; perpetuum exsilium egit, abjiciq; in mare ossa sua moriens jussit, &c.* In Samo autem vitâ excessisse Lycurgum author est Heraclides: Λυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησε, ἡ τὴν Ὁμήρε ποίησιν παρὰ τῶν ἀπογόνων τοῦ Κρεωφύλου λαβὼν, πρῶτος διεκόμισεν εἰς Πελοπόννησον. Sed ibi legendum, monente Is. Vossio, Ἐν Σάμῳ ἰχθὺς, ut est in MS. Sami enim aliquandiu egit.

Lycurgus, quidam Athenis, quem vel natione vel moribus Ægyptium fuisse perhibent. Vide Scholia *in Aristoph. Aves. p.* 601. F.

Lycurgus, Rhetor Atheniensis magni nominis, duodecim annis reditus civitatis suæ magnâ innocentiâ administravit, acerrimus malorum accusator. Diod. *lib* 16.

Reges & Viri clari.

Lycus, Bœotiæ Rex, qui Antiopam Nyctei Regis filiam uxorem duxit: quam postea cùm à Jove in Satyrum converso compressam cognovisset, repudiavit, Dircenque uxorem duxit, quæ verita, ne Antiopa cum Lyco in gratiam rediret, arctissimis eam in vinculis asservavit, quibus Jovis miseratione dissolutis, in Cithæronem montem profugit, ubi Amphionem & Zethim peperit, qui postea à pastore, qui ipsos nutriverat, edocti, eum unà cum uxore interfecerunt, Vide *Amphion*, & *Dirce*.

Lycus, Rex Libyæ, qui cùm hospites suos immolare consuevisset, à Calirrhoë filiâ proditus fuit. Nam cùm hæc Diomedem, qui direptâ Trojâ in Libyam tempestate delatus fuerat, amore deperiisset, eum è vinculis emisit; At ille spreto salutis authore, enavigavit. Ea autem ultrò vitam laqueo finivit. Plut. *Par.*

Lycus, exul Thebanus, qui id temporis, quo Hercules ad inferos descenderat, rei benè gerendæ occasionem sibi oblatam ratus, Creonte occiso, regnum Thebanorum occupavit, cùmque jam Megaræ Herculis uxori vim inferre pararet, opportuno illius reditu oppressus est, ut latius videre est apud Senecam *in Hercule Furente.*

Lycus, fil. Pandionis, cui in distributione regionis Diacriæ, pater Principatum attribuit. Aristoph. *Crabron.*

Lycus, Lysimachi Prætor, qui proditione Andronis Archipiratæ Ephesum Regi suo adjecit. Polyæn. 5.

Lycus, Dascyli filius, qui in Mariandynia regnavit, & Argonautas libentissimè suscepit hospitio, tùm quòd à Græcis Patrem suum Pelopem honoratum sciebat, tum quòd Pollux Amycum, Priolæ fratris occisorem, interfecerat. Vide Valer. Flaccum *lib.* 4. *vers.* 173.

Lycus, Historicus Gr. Libyæ & Siciliæ historiam condidit Sub Ptol. Lago, σύγχρονος sic Demetrii Phalerei, cujus invidiâ extinctus est. Vide Suid. Voss. *de Hist. Gr. l.* 1. *c.* 12. Alius Poeta Comicus, Olymp. 86. non magni nominis.

Lycus, Medicus nobilis Neapolitanus, de quo Plin. 20. 20.

Lycus, nobilis Trojanus, unus ex comitibus Æneæ. Virgilius *Æneid.* 1.

Nunc Amyci casum gemit, & crudelia secum
Fata Lyci. ——

Lycus, Priami filius, Item unus ex Centauris. Est & fluv. Assyriorum, qui Tigri immiscetur.

Lycus, Quinquertio, qui motus mollesedere solebat. Aristoph. *Schol. in Crabr.*

Lycus, puer quidam ab Alcæo dilectus. Horatius *Libr.* 1. *Carm. Od.* 32.

Liberum & Musas, Veneremq; & illi
Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum nigris oculis, nigroq;
Crine decorum.

Lycus, Sycophanta Atheniensis, qui populo à Theseo suis legibus vivere jusso ac Democratiâ concessâ persuasit, ut eum urbe ostracismo expellerent. Meminit ejus Scholiastes *in Plutum Act.* 3. *sc.* 1.

Lycus, fluvius Asiæ, non procul à Laodiceâ, qui cuniculis subterraneis absorbetur, ac rursus emergit. Ovid. *Met.* 15.

Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
Existit procul hinc, alioq; renascitur orbe.

Item alius Paphlagoniæ, juxta Heracleam Mariandynorum, in Pontum Euxinum illabens. Ovid. 4. *Pont. Eleg.* 10.

Huc Lycus, huc Sagaris, &c.

Lycus, fluv. Germ. Rhætos à Vindelicis disterminans. Ptolom. Hic Tillius à Gustavo Adolpho, jam ad Lipsiam memorabili prælio victus, secundâ clade affectus cæsusque est, an. Chr. 1631. Alius Macedoniæ. Alius Asiæ min. Celænas Phrygiæ urbem interfluit: *Licho.* Alius Ciliciæ. Plin. Alius Siciliæ, *Platano* Fazello. *Halycus* aliis, prope Heracleæ ruinas. In mare Libycum se exonerat, 18. mill. ab Agrigento in Occ. In valle Mazaræ. Alius circa Byzantium Cedreno, quem tradit ab Apollonio Tyaneo coactum, ne Byzantio inundationibus noceret. Alius Armeniæ maj. non longè ab Araxe oriens; in Phasim delabitur. Alius Scythiæ Eur. in paludem Mæot. influens, inter Cnemam & Hygrim urb. qui *Lyces* Flacco. Sagari vicinus.

Lycus, in Eufratem influens describitur Plinio. Hunc Leucum Λεῦκον Ptolomæi putat Abrah. Ortelius. Sed *Lycus* etiam Q. Curtio *lib.* 3. & Arriano *lib.* 3. in Assyriâ hic est.

Lyda, opp. Lyciæ, Ptol. *Chyda* quibusd.

Lydda, Palæstinæ urbs, Ptol. alio nomine *Diospolis*, hodie *Roma* Castaldo, & *S. Georgio*: versus oram Judææ Occ. Joppæ proxima, inde 10. mill. pass. Hierosolymam versus 30. inter Nicopolim & Antipatrida, Episc. sub Archiep. Cæsariensi.

Lyde, Antimachi poëtæ uxor, quàm egregiè animo charam habuit, quæ cùm mortua esset, ille elegiam, quâ mœrorem solaretur, sibi fecit, nomine *Lyden*, ubi enumeratis heroicis calamitatibus,

& infortuniis, malis alienis ægritudinem sibi minuit. Hujus meminit Plut. *in lib. de Consolatione*, Ovid. *Trist.* 1.5.

Nec tantum Clario Lyde dilecta poeta.

Lydia, purpuræ venditrix, quæ omnium prima in urbe Philippis Evangelium amplexa est, & Paulum ac Silam hospitio accepit. Act. 16.

Lydia, amica Horatii, cujus in Odis sæpe meminit.

Lydia, regio Asiæ min. Crœso Rege, & Pactolo aurifero flumine notissima, quæ flexuosis Mæandri amnis recursionibus perfusa, super Joniam procedit, Phrygiæ ab exortu Solis vicina, ad Septentrionem Mœsiæ, Meridianâ parte Cariam amplectens. Baudrando erat, inter Phrygiam magn. ad Ort. & Bor. Lyciam ad Mer. & Joniam ad Occ. quæ sub ipsa aliquando comprehensa fuit, nunc *Carasia*. Ejus fluvii Cayeus, hodie *Chimachi* & *Girmasti*, Hermus, nunc *Sambat*, Pactolus, ut dictum, hodie *Chias* aut *Chiari*. Montes Sipylus, Timolus, Mimas, &c. Urbes Sardes, regia, Philadelphia, Thyatira, &c. Regnum Lydiæ primum condidisse Argontem, Herculis fil. ferunt, sicque ab Heraclidis administratum, usque ad Candaulem, 22. Regem, quo occiso à Gyge, An. Mund. 1340. U.C. 40. Periodi Jul. 4000. successit Mermnadarum familia, Ardi, Saliatte, Halyatte, Crœso se mutuò sequentibus, donec hic à Cyro victus captus est, an. regni 14. U.C. 210. Ita sub Persis, Græcis, Romanis fuit, hodie Turcarum imperio subest. *Lydia* dicta à *Lydo* Atyos filio, an potiùs à Lud, fil. Sem, cùm antea *Mæonia* vocaretur. Virg. *Georg.* 4.

Præterea Regem non sic Ægyptus & ingens
Lydia, &c. ——

Hujus reg. incolæ *Lydi* dicuntur, qui Herodoto *lib.* 2. primi aurum, argentumque signarunt. Horum improbitas maximè abiit in proverbium, *Lydi mali* apud Athen. Hi capita mitrâ & flammeis muliebribus ornare solebant, unde in effœminatos ortum est Proverbium, *Lydio more* apud Suidam. *Lydius lapis* (qui & *Heracleus* ab Heracleâ urbe Lydiæ) in proverbio est apud Theophrast. *lib. de Nat. lap.* de homine acri ingenio prædito, nam hic lapis aurum, & argentum arguit, quale sit. Lydorum currus in certaminibus erant adeò veloces, ut proverbio sit, *Currus Lydius.* Et apud Plut. *Juxta Lydium currum curris*, dicitur de eo, qui longè cæteris in aliquâ re inferior est. Lydos quoque equitatu cæteris præfert Herod. *lib.* 1. quos non aliter, quàm ex equo, pugnare scribit. Hi cibis opiparis, & cupediis operam dabant, ut *Caryca Lydorum* in adagium abierit, apud Athen. *lib.* 12. Caryca enim genus cibi erat apud illos, ex variis lautitiis, sanguineque confectum. De quibus etiam in voluptuosos, *Lydus cauponatur* apud Herod. legitur. Tantæ quoque libidinis notabantur, ut *Lydus* in Meridie, de homine insatiatæ libidinis proverbialiter diceretur. *Lud* in sacris Scripturis vocari, scribit in suo apparatu Biblico Ar. Montanus. Vide Joseph. *Antiq. lib.* 1. *cap.* 6. Herodot. *lib.* 1. Plin. *lib.* 5. Strab. *lib.* 11. Leunclav. *in pand. Turc.* Cluver. & Magin. *Geograph.* In Italiam coloniam deduxere, unde Thusci, Virgil. *Æn. lib.* 2. ubi *Lydium Tibrim* vocat.

Lydius, fluvius Macedoniæ. Ptol. *Castoro* hodie, *Ludias* etiam Baudr. Oritur in *Æmathia*; dein per Botiæam fluens, ibi in Sinum Thermaicum se exonerat, inter Axium ad Bor. & Aliacmonem ad Austr.

Lydus, Herculis filius ex Jole.

Lydus, Atyos Mœoniæ regis fil. & frater Tyrrheni. Nam cùm Atys domi sibi multitudinem abundare videret, filiis suis hanc proposuit conditionem, ut inter se sorte ductâ, alter onerosam multitudinem educeret, novasque sibi sedes quæreret, alter paterni regni successor remaneret. Quare cùm sors ita cecidisset, ut Tyrrhenus relictâ patriâ, novarum coloniarum author fieret, in eam Italiæ partem sese contulit, quæ, mare inferum spectans, ab eo Tyrrhenia appellatur. Lydus verò domi relictus, paternique regni hæres factus, Mœoniam de nomine suo Lydiam appellavit.

Lygamata, Libyæ interioris pop. Ptol. *Lynxamata* Interpp. *Linxama* urbs ibid. Ptol.

Lygdamis, Naxiorum tyrannus, vide Polyænum *lib.* 1. *in Polycrate sect.* 2. Nam plebs eum nacta Ducem Oligarchiam evertit: verùm dux iste paulò pòst Tyrannidem arripuit. Herodot. *lib.* 1. Aristot. 5. *Polit.* 6. *Oeconomic. Principio.* Plutarch. *de malignitate Herodoti.*

Lygdamum, oppidi nomen in Mysia, Plin. 5. 3.

Lygdamus, viri nomen apud Prop. 3. 7. & 4. 7. 9. sed ita, ut nescias Propertiine servus, an Cynthiæ fuerit. Eo se nomine Tibullus appellat: cùm ait,

Lygdamus hic situs est.

Est apud Herodotum *Lygdamus* quidam Naxius, Pisistrato adjutor in recuperandâ Tyrannide. Vide *Lygdamis.*

Lygdus, Spado, ætate & formâ insignis, per quem Druso Tiberii filio lentum venenum à Sejano datum, Tacit. *lib.* 8.

Lygii, magna Germaniæ gens à Maroboduo domita. Sunt *Schlesier* Willichio. Andreas Vellejus *Langlands* insulam Balthici maris interpretatur.

Lygius, Thraciæ fluv. *Λύγινον ποταμὸν* vocat Arrianus *lib.* 1. *Ἀπέχει δὲ οὗτος ἀπὸ τοῦ Ἴστρου ὡς ἐπὶ τὸν Αἷμον ἰόντι, σταθμοὺς τρεῖς.* Idem.

Lygus, fœmina quædam, quæ cùm metu militum filiam occultavisset, & illi per cruciatus interrogarent, ubinam occuluisset, uterum ostendens, ibidem dixit latere: nec ullis tormentis cogi potuit, ut constantiam vocis egregiæ mutaret. Corn. Tacitus.

Lyle, urbs Arcadiæ. Gentile *Lylæus.* Item *Lylaus* Bithyniæ fluv. Plin.

Lymax, Arcadiæ fluvius. Pausan.

Lymicus sinus, vulgò *Lymford*, sinus Daniæ, per Jutiam Sept. extensus, ab Ortu in Occas. ita ut tenui Isthmo unius leucæ separetur, à mari Germ. Jutiam Sept. bifariam secat, Lemvicum, aliaque oppid. rigans, versus Virburgum etiam labitur, & infra Alburgum urb. in Sinum Codanum se exonerat.

Lyminis, Cappadociæ oppidum. Marcell. Exilio morte Basilisci Imper. eò à Zenone Imp. deportati, nobile.

Lymira, Lyciæ fluv. & eodem nomine civitas. Mela 1. 15.

Lymphorta, opp. circa Gedrosiam. Plin.

Lyncae, Macedoniæ urbs. Hesychius.

Lyncestes, Amyntæ filius, sextum locum inter Chiliarchas præmium fortitudinis ab Alexandro Magno, cùm in Satrapene subsisteret, tulit. Curt. 5.

Lyncestes Alexander, Macedonum Princeps, gener Antipatri, conjuravit contra Alexandrum Magnum & post triennalem custodiam causam dicere jussus, trepidatione crimen confessus, lanceisque confossus est. Curt. *l.* 7. *c.* 2.

Lyncestius, Macedoniæ fluvius, cujus aqua pota non minus ebrietatem inducit, quàm si quis vino se ingurgitasset. Ovidius, *Met.* 15.

Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicunque parum moderato gurgite traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.

In Erigonem delabitur. Est & regio Macedoniæ *Lyncestis.* Pop. *Lyncestæ.*

Lynceus, secundus Argivorum Rex, regn. ann. 41.

Lynceus, Apharei fil. unus ex Argonautis, tantâ oculorum acie præditus, ut ea per densos etiam quercetorum truncos, ac stipites, atque adeò usque ad inferos vim suam expromeret. Orpheus *in Argonaut.*

Λυγκεύς θ᾽ ὃς τήλιστα δι᾽ αἰθέρος ἠδὲ θαλάσσης
Βένθεα καὶ Πλουτῆος ὑποχθονίοιο βέρεθρα,
Μοῦνος ἀπ᾽ ἀνθρώπων δεινοῖσιν ὀπώπτευ ὄσσοις.

Quæ Cribellus Mediolanensis ejus interpres ita vertit,

Quique procul longè trans æthera, trans mare Lynceus
Et subter Plutum, terræque barathra profunda,
Solus in humanis visu penetravit acuto.

Apollonius, *Argonaut.*

—— Λυγκεὺς δὲ καὶ ὀξυτάτοις ἐκέκαστο
Ὄμμασιν, εἰ ἐτεόν γε πέλει κλέος, ἀνέρα κεῖνον
Ῥηϊδίως καὶ νέρθε κατὰ χθονὸς αὐγάζεσθαι.

Stasinus *in rebus Cypriis*,

—— —— Αἶψα δὲ Λυγκεὺς
Τηΰγετον προσέβαινε ποσὶ ταχέεσσι πεποιθώς,
Ἀκρότατον δ᾽ ἀναβὰς διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
Τανταλίδου Πέλοπος. Τάχα δ᾽ εἴσιδεν ὄβριμος ἥρως
Δεινοῖς ὀφθαλμοῖσιν ἔσω δρυὸς ἄμφω κοίλης
Κάστορά θ᾽ ἱππόδαμον καὶ ἀεθλοφόρον Πολυδεύκεα.

Val. Flaccus, 1. *Argonaut.*

At frater magnos Lynceus servatur in usus,
Quem tulit Arene, potuit qui rumpere terras
Et Styga transmisso tacitum deprendere visu.

Fabulæ originem præbuit, quòd multa observaret secreta naturæ: inque his metalla primus, vel saltem illa, quæ beare inprimis creduntur, nempe aurum, argentumque effodere terris docuisset, vel quoniam multa, seu idem, seu alius, ad scientiam pertinentia sideralem comperisset, quale est illud quòd novissimam, primamque Lunam (ἕνην καὶ νέαν Græci dicunt, teste Hesychio) eodem die in signo arietis conspexisset, quemadmodum Plinius refert, 2. 17. Indeque jam memoratus Flaccus,

—— *Solus transsilit nubila Lynceus.*

Ac ob hoc oculorum acumen quisquis ille Lynceus celebratur Pindaro *in Nem.* Aristoph. *in Plut.* Theocr. *in Dioscuris.* Similiter Lynceis fuisse oculis dixeris Strabonem illum minimè strabum, qui, ut ex Varrone prodit Solinus *lib.* 6. è Lilybæo promuntorio, si fas credere, naves numerabat è Carthaginis portu solventes. Id spatium 135. mill. pass. continet, ut ibidem ait Solinus, imo mille ac 500. stadia, sive m. p. 200 ut ex maritimo Antonini Itinerario colligitur.

Lynceus, Idæ frater, qui pro duabus Leucippi filiabus, quas ipsis desponsatas Castor & Pollux rapuerant, arma sumpserunt, initaque pugnâ Castor Lyncei, Lynceus Pollucis manu occubuit. Idas verò cùm ipsum etiam Pollucem adoriri conaretur, immisso à Jove fulmine interiit. Ovid. *Fast.* 5.

Pectora trajectus Lynceo Castor ab ense,
Non expectato vulnere pressit humum.
Ultor adest Pollux, & Lyncea perforat hastâ,
Qua cervix humeros continuata tegit.

Apollonius tamen *in Argon.* Idam à Castore interfectum tradit, idque

idque Lynceum per abietem vidisse, & Castorem occidisse. Hic est idem cum superiore. Horat.

Non possis oculo quantum contingere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.

Lynceus, quem Ovidius *Linum* vocat, filius Ægypti, solus ex 50. fratribus misericordiâ Hypermnestræ conjugis evasit à morte, qui postea expulso, vel etiam occiso Danao, regnavit apud Argos.

Lyncus, sive *Lyncaus*, aut *Lynx*, Scythiæ, alii habent, Siciliæ Rex immanissimus, qui Triptolemum à Cerere missum, ut hominibus frugum usum commonstraret, hospitio excepit: cùmque nomen, patriam, viæque causam ab eo didicisset, ut tam præclari inventi gloriam in se transferret, hospitem obtruncare constituit. Cùmque jam noctu dormientem aggredi vellet, Ceres indignata in Lyncem feram eum convertit. Ovid. *Met.* 5.

Rex ibi Lyncus erat, regis subit ille penates.

Lyncus, urbs Epiri, à *Lynceo* nominata. Steph. Mons Epiri, in confin. Thessaliæ, Pindi pars. Plin.

Lyndus, vide *Lindus*.

Lynius, seu *Leinius*, fluv. Saxoniæ infer. *Leyne* vulgò. Oritur juxta Heyligenstadum, in Eisfalia tractu; dein per Duc. Brunsuic. fluens, Gottingam & Eimbecam rigat, uti & Alfeldam; hinc ad Sarstedam Innerstium amnem recipit, & juxta Hannoveram & Neostadium fluens, paulo infra in Alleram fluv. cadit.

Lynx, urbs Libyæ, juxta Gadira post Atlantem, & insula Atlantis, Vide Steph.

Lyperus, mons Bithyniæ, juxta Zipœtium urb. Memnon.

Lyra, oppidum probè munitum Brabantiæ, quibusdam *Nivesdum*, ad Netham majorem fluv. *Liere* Belg. vulgò, Gallis *Lire*, 2. leuc. à Machlinia in Bor. ferè 3. ab Antverpia in Ort. 5. à Lovanio: versus confinia dit. Hollandicæ. Sub Hisp.

Lyra, loci ad Pontum alicubi, inter Thyniam & Parthenium amnem, nomen, sic dicti, quòd, cùm Argonautæ juxta Stheneli sepulcrum aram Apollini construxissent, super eam post carmina dicta Orpheus lyram posuerit. Quod idem & Promathidas narrat, super columnam tamen quandam dicens lyram positam & ex eo regionem illam Lyram fuisse nuncupatam.

Lyra, signum cœleste, stellarum novem inter genu, & manum sinistram Engonasis situm. Oritur cum Sagittario, occidit autem exoriente Virgine. Ovid. *Fast.* 3.

Illâ nocte aliquis tollens ad sydera vultus,
Dicet, ubi est hodie, quæ Lyra fulsit heri?

Qui poëticam Astrologiam conscripserunt, volunt Lyram hanc esse à Mercurio primùm inventam in Cyllene Arcadiæ monte, & ab eo Apollini donatam: Ab Apolline autem inventâ citharâ Orpheo concessam, eoque interempto, à Musis in cœlum translatam.

Lyrba, civ. Asiæ min. supra Cybiram. Vide *Lyrope*.

Lyrcæ, Scythiæ pop. qui venatione victitant hoc modo: Conscensis arboribus, *quas habent frequentes, insidiantur feris. Singulis adest canis, & equus in ventrem cubare edoctus, humiliùs subsidendi gratiâ: ubi quis feram ab arbore vidit, sagitta percutit; percussam, si fugiat, conscenso equo persequitur, comitante cane.*

Lyrcæus, mons Arcadiæ, *Lycæus* Virgilio, ubi Lyrcæa urbs erat, teste Pausaniâ, quem alii cum Callimacho in Argiâ locant, ex quo Inachus fluv. profluit. Strab. *lib.* 8. Est & fontis nomen. Stat. *Theb.*

Aret Lerna nocens, aret Lyrcæus, & ingens
Inachus. —— ——

Ovidius, *Met.* 1.

—— *Jam pascua Lernæ*
Consitaq; arboribus Lyrcæa reliquerat arva.

Hinc *Lyrcejus*. Val. Flacc. 4. *Argon.*

—— —— *Dominum Lyrceïa tellus,*
Antraq; deprensa tremuerunt conscia culpa.

Lyrcia, Peloponnesi urbs, quæ antea *Lyncea* dicebatur. Pausan.

Lyricantus, vicus insf. Franciæ, in Vastiniensi tractu & Diœcesi Senonensi. 15. leuc. à Lutetia in Austr. 2. à Nemusio. *S. Mathurin de l'Archant* vulgò.

Lyris, vide *Liris*.

Lyrnatia Chersonesus, & parva regio Lyciæ. Steph.

Lyrnessus, opp. Troadis, ab Adramyttio 80. stad. à Thebis 20. patria Briseidis, quam Achilles eversâ urbe, secum abduxit, occiso Mynete ejus marito, civitatis illius principe. Hinc *Lyrnessius*. Ovid. *in Ep.*

Diruta Marte tuo Lyrnessia mœnia vidi.

Et *Lyrnessis* pro Briseide. Ovid. *Trist.* 4.

Fertur & abductâ Lyrnesside tristis Achilles.

Alia quoque est Cilicum Strab. & Eust. quæ & *Homala*, vel potius *Mallos* vocatur. Insula item Sigæo prom. objecta. Plin.

Lyrope, Ciliciæ asperæ in Pamphylia opp. Ptol.

Lysa, Arabiæ Petr. urbs. Ptol.

Lysander, dux Lacedæmonius invictissimus, cujus Darii Nothi opibus subnixi ductu, Athenienses cum duce Conone navali pugnâ cladem acceperunt; Ex quo Athenæ semidirutæ impositumque jugum 30. tyrannorum fuit. Dein Samo captâ, domum reversus, Heraclidis regnum ereptum ivit, frustra Oraculis Delphico, Dodonæo & Ammonio, corruptis. Victus denique est Lysander à Conone ipso Thebanis, Argivis & Corinthiis Athenienses juvantibus, An. 358. U.C. 96. Olymp. terrestri pugnâ, & interfectus, ubi Pausanias ejus collega in exercitu suspectus, in exilium profectus est. Lysander & rebus gestis, & animi magnitudine Syllæ comparatur à Plut. *in Parallel.* Cætera crudelis, luxuriosus, fidei parum tenax. Unde vulpinam Leoninæ jungendam, mendacio in occasione utendum, fide datâ velut astragalis pueri solent, ludendum, interrogatus respondit. Diodor. *lib.* 13. Plut. & Corn. Nepos *in vita ejus.*

Lysaneas, de Jamborum scriptoribus testis adhibetur ab Athenæo *libr.* 7.

Lysanias, orator Græcus. Alter fuit Arcas, qui Lycaonem regno expulit. Item procurator constitutus à Romanis super Abilenem regionem. Luc. 3. *vers.* 1. Nepos Ptolomæi Mennæi, fil. Lysaniæ, à Cleopatra bonis ejus inhiante, occisi. Jos. *lib.* 14. *cap.* 23. *l.* 19. *cap.* 4. Eus. *Chron. A.C.* 7. Plin. *lib.* 5. *cap.* 18. Item Ptolemæi Manett, qui ad Libanum habitavit, filius: Idem.

Lysiades, Atheniensis, Phædri philosophi filius, homo festivus. Cic *Philip.* 5. Item, Archon Athenis, Olymp. 95. an. 4.

Lysias, Prætor Seleuci, apud Polyæn. *lib.* 4.

Lysias, Syracusanus genere, Cephali fil. unus è decem Oratoribus, natus Athenis, quò pater se transtulerat. Puer Thurion coloniam migravit, rediit annos natus 47. interque principes oratores habitus. De quo Cic. *in Bruto*, *Tum fuit Lysias*, inquit, *ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregiè subtilis scriptor, atq; elegans, quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere*, &c. Plurimæ ipsi Orationes tribuuntur: Apologia item Socratis, præcepta dicendi, & Epistolæ. Ferventibus Olympicis ludis, Olymp. 98. Orationem contra Dionysium tyrannum, toties vett. laudatam, conscripsit. Obiit an. æt. 81. Olymp. 100. Plut. *de decem Orat. cap.* 3. Dionys *de* 10. *Auct.* Suid. Simler. *in epit. Bibl. Gesn.* Item Princeps quidam exercitûs Antiochi Epiphanis, qui eum filii sui educationi præfecit. Victus à Maccabæo, cum illo, Antiocho Eupatore, mortuo Patri surrogato, fœdus postmodum iniit. Occisus cum Rege à Demetrio Sotere, cui Antiochus Epiphan. regnum eripuerat. 1. & 2. Macchab. Joseph. *Antiq. Jud. lib.* 12. Appian. *in Syr.* & alius Tribunus cohortis Rom. qui Paulum Ap. turri Antoniæ inclusit, dein Felici Gubernatori provinciæ transmisit. Vide Act. *c.* 21. 22. 23. Joseph. *Antiq. lib.* 20. & *de B. l.* 2.

Lysias, Arcadiæ urbs. Ptol. *Crepa* Nigro. Est etiam Phrygiæ oppidum. Episc. sub Archiep. Synnadensi. Strab. Syriæ quoque circa Apamiam. Ptol. Cariæ urbs Plinio. Vide Ferrar.

Lysicles, cum Charete ab Atheniensibus dux missus in Bœotiam, adversus adventantem Philippum, Olympiad. 110. ann. 3. Victus ad Chæroneam, accusante Lycurgo capitis damnatus. An ille est, quem quæstum ovibus vendendis exercuisse notat auctor Scholiorum *in Aristophanis Equites.*

Lysidice, Pelopis & Hippodamiæ filia, quæ Electryoni nupsit, & ex eo Alcumenam Herculis matrem peperit. Plut. Alii verò, inter quos est Homeri Commentator, matrem Alcmenes non Lysidicen Pelopis, sed Anaxo Ancæi cujusdam filiam faciunt.

Lysimachia, urbs Chersonesi Thraciæ ad Isthmum, in orâ Hellespont contra Caridiam, urbem excisam, cui Lysimachia, teste Pausaniâ, suffecta est. Episcop. sub Archiep. Heracleensi, à longis muris seu Macrontico 5. m. p. in Austr. Callipolim versus, Ferrar. *Hexamili* Sophiano. Item urbs Ætoliæ. Strab. A *Lysimacho* conditore nomen habens, teste Pausaniâ. Baudrando urbs fuit Æolidis, jam Plinii tempore deleta.

Lysimachides, Archon Athenis, Olymp. 110. an. 2.

Lysimachus, Agathoclis filius, è successoribus Alexandri M. Pergamo præfuit, ubi thesauri regis fuerunt. Hic illustri quidem Macedoniæ loco natus, virtute illustrior fuit, amore literarum ac Philosophiæ ardens adeò, ut Callisthenem tunc ab Alexandro afflictum atque in vinculis habitum, de virtute differentem sæpius audiverit, poculumque ei, ac remedium miseriæ optanti propinaverit. Quod ægrè ferens Alexander, Lysimachum leoni objecisse dicitur: Sed ille, viribus fretus, rem posteris prodendam fecit. Manum amiculo convolutam in os leonis inferens, abreptâ linguâ feram exanimavit, quo facto vehementius postea Alexandro dilectus fuit. Trogus *lib.* 15. Non assentitur tamen Curt. *lib.* 8. Post obitum Alexandri, parte Thraciæ occupatâ, ibi regni sedem fixit, urbe Lysimachiâ conditâ. An. 445. U.C. Cassandrum & Seleucum, contra Antigonum Demetriumque secutus, interfuit celebri ad Ipsum prælio. Antipatrum generum, regno suo pulsum, occidit, filiâ in vincula conjectâ. A Dromichete Getarum Regulo in pugna captum, filius Agathocles liberavit: Macedoniæ dein regno, post pulsum à subditis Demetrium, potitus est, an. 4. Olymp. 222. U.C. 465. Pyrrho, qui aliquam Macedoniæ partem tenebat, exturbato. Sævus postmodum in propinquos, Agathoclem inprimis fil. quem ab ejus noverca impulsus veneno sustulit, gloriam rerum gestarum non parum obscuravit. Hinc à subditis desertus, in Asiam transiit, in prælio

contra Seleucum victus occisusq; an.æt.74.U.C.472.Olymp.124. agnito in turbâ à cane, qui illum perpetuò sequebatur, cadavere. Diodor. *libr.* 19. & 20. Justin. *lib.*13. 14.16. 17. Plutarch. Pausan. Dexippus, Euseb. &c.

Lysimachus, natione Acarnan, Alexandri pædagogus, secundas post Leoniden obtinuit, nullo urbanitatis genere præditus, nisi quòd se Phœnicem, Alexandrum Achillem, Philippum verò Peleum nuncupavit. Plut. *in Alexandro.*

Lysimachus, Alexandrinus historicus, historiæ Ægyptiæ, laudatæ Joseph *l.* 1. *c. App.* & tractatus de Agric. Plinio sæpe citati auctor, de quo vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 3. *p.* 384.

Lysimachus, Medicus, Hippocratis sectator. Schol. Nicandri *in Alexipharm.* Item, fil. Aristidis, ab Atheniensibus, ob merita Patris, donis excultus. Plut. *in Arist.* Item Summus Sacerdos Judæorum, sub Antiocho Epiphane, ingenti vi auri depensâ, quam frater Menelaus solvere non poterat, factus. Ob violentiam, injustitiam, rapinas & sacrilegia, à Judæis pulsus. Macchab. *l.* 2. Torniel. *A. M.* 3882. & 3883.

Lysimelia, Siciliæ pagus in agro Syracusano. *Pantanella*, teste Fazello cum Aretio. Λίμνη Λυσιμήλεια Thucydidi *libr.* 6. Meminit hujus stagni quoque Theocritus Syracusanus *Idyllio* 16. *his versibus*,

Κάρη θ' ἀ σοῦ ματρὶ πολυκλήρων Ἐφυραίων
Ἕιληχας, μέγα ἄστυ παρ' ὕδασι Λυσιμελείας.

Lysinoe, Asiæ civitas, circa Pamphyliam. Polyb. *in fragm.* & Liv. 38. fortè *Lysinia.* Ptol.

Lysippe, una filiarum Proeti, soror Iphianassæ, & Iphinoës, quæ quòd se Junoni præferre non essent veritæ, tanto furore correptæ sunt, ut per agros discurrentes, se vaccas esse crederent.

Lysippus, clarissimus statuarius, patriâ Sicyonius, qui ad sexcenta & decem opera fecisse traditur, quorum singula arti claritatem dare potuissent. Hic, teste Quinctiliano, ad veritatem optimè accessit, quamobrem etiam Alexander ille Magnus ab uno Lysippo se fingi voluit, & pingi ab Apelle. Vide quoque Plut. Plin. Arian. &c. Horat. *ad Aug. Cæs.*

Edicto vetuit, ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra,
Fortis Alexandri vultum simulantia.

Propertius,

Gloria Lysippo est animosa effingere signa.

Papinius de Domitiani equo maximo, 1. *Sylv.* 1.

—— *Quem tradere es ausus*
Pellæo Lysippe duci. ——

Item Poëta Comicus, cujus fabulas enumerat Athenæus. Plin. *lib.* 7. *cap.* 37.

Lysis, Philosophus quidam Pythagoricus, præceptor Epaminondæ, floruit cum Philistione, Olymp. 98. An versuum aureorum auctor, quæ vulgò Pythagoræ tribuuntur? An discip. Philolaus? Unam Epistolarum ejus ad Hipparchum edidit A. Manutius Venetiis. Vide Voss. *de Hist. Gr.* Simler. *in Bibl. Gesn. p.* 559. Dixit Deum numerum esse ineffabilem, aut maximi intimique numeri summitatem, Origenes. Item Asiæ fluv. circa Pamphyliam. Plin.

Lysistrate, Aristophanis Comœdia sic dicta.

Lysistrates, Prætor Athenis, peculator & malitiosus, qui & avaritiæ & δωροδοκίας nomine traducitur. Quidam Poëtam tragicum faciunt ignobilem. Vide Scholia *in Aristophanis Aves.*

Lysistratus, Archon Athenis, Olymp. 102. an. 4.

Lysistratus, parasitus sive adulator Atheniensis, cujus meminit Aristophanes *Equit. Act.* 4. *sc.* 1. Meminit item *Acharn.* 3. *sc.* 4. ubi eum vocat opprobrium cholargicorum. Addunt Scholia fuisse infamem mollitie, nec non pauperem & tamen aleæ deditum *pag.* 412. *c.* 2. In *Vespis* traducitur tanquam scurra; dictus est alibi Χηναλώπηξ. Egregiè illusit *in Vespis* Philocleoni, cùm enim à Colacretâ drachmam pro utriusque mercedulâ accepisset, & in piscium macello mutatâ drachmâ dimidiam partem, tres nempe obolos, Philocleoni tribueret, pro obolis squamas mugilum tres dedit. Alium *Lysistratum* fuisse, Macarei filium, adnotant Scholia *in Aristoph. Crabron.*

Lysistratus, Sicyonius, Lysippi statuarii frater, primus statuas è gypso finxit, crevitque res in tantum, ut nulla signa statuæve sine argillâ fierent. Plin. 35. 12.

Lysius, Liberi patris cognomen, apud Bœotios, ἀπὸ τοῦ λύειν, h. e. *à solvendo* impositum. Ferunt enim, Bœotios aliquando à Thracibus deprehensos, partim captos, partim in fugam versos fuisse, ex quibus cùm nonnulli ad Trophonii specum confugissent, visum est iis, noctu astantem loci ejus Deum, Liberi Patris sibi auxilium promittere. Quo somnio alacriores redditi Thracas ex insidiis adorti sunt, quos cùm vino, somnoque obrutos invenissent, nullo negotio superarunt, receptisque suis, cùm in patriam rediissent, Dionysio cognomento Lysio templum consecrarunt. Author Heraclides Ponticus. Julius autem Pollux, Deos omnes, qui averruncandi mali gratiâ colebantur, *Lysios* vocari ait, quos ἀλεξικάκους, & ἀποτροπαίους Græci nominant.

Lysius, Arcadiæ fluv. aliis *Lysus*, juxta quem est Æsculapii tumulus.

Lyso, quidam Ciceronis hospes, ut scribit Epistolarum *lib.* 16.

Lyssa, urbs Venetæ ditionis, morte Georgii Castrioti, seu Scanderbegi, clara: Decessit autem ibi an. Ch. 1466. relicto filiolo Johanne. Captâ dein urbe à Turcis, qui ad nomen Scanderbegi spirantis fugiebant, postmodum ad cineres ossaque ejus tantâ frequentiâ confluebant, ut felix & probus is fore existimaretur, qui ea videre & tangere; felicior, qui minimam eorum particulam obtinere posset; quas ut reliquias sacratissimas collo appendebant. Mar. Baril. *lib.* 9. 10. 11. 13.

Lystra, civitas Lycaoniæ. Act. 14. prorsus eversa.

Lyta, parva reg. Thessaliæ, sic dicta, quòd Neptunus, dissipatis diluvii aquis, Tempe liberavit. Steph.

Lytarmis, promunt. ad Scythicum Oceanum. Plin. Aliàs Sarmatiæ, nunc Moscoviæ, in ipso confinio Asiæ, ad ostia Carambyces fluv. *Oby*, & in Sarmatiam Occ. excurrens. 900. m. p. in Ort. à prom. Bor. *Cap de Noort*, prope arcem *VVardhuss*, & 500. mill. pass. etiam ad Ort. à faucibus maris Albi; Nunc *Cap d'Oby* dicitur, in Samojeda prov. Moscoviæ Bor. Cluver. Sanso, Baudr.

Lythirambus, Bacchi cognomen; inde ei datum, quòd ex femore Jovis (cui interemptâ matre insertus fuerat) in lucem prodituro identidem Jupiter inclamaret Λῦθι ῥάμμα, hoc est, *solve suturam.*

Lyus, fluv. Asiæ min. in Pontum defluens.

Lyxea, urbs Acarnaniæ, Steph.





M | MA



Litera Græcis semivocalis simplex & immutabilis, Latinis liquida dicta. In compositione ante consonantes *D. C. T.* & *Q.* in *N.* vertitur: ut *Tantum, Nuncubi, Nunquam, Eorundem*, &c. Similiter & *Am* syllaba, ante *F.* ut in *Anfractus* videre est. In Poësi, sub finem eliditur, sequente vocali vel diphthongo, ob nimium soni mugitum. In Messeniorum clypeis scripta, gentis Insigne fuit: aliàs *Morositatis* symbolum: unde frequens hoc apud vett. probrum, *Obvenit tibi M.* & nota ingeniosa ad id Dionysii tyr. responsio. Pierius *l.* 43. *Hierogl. c.* 50. & 51. Voss. *in Aristarcho.*

MA.

Ma, fœminæ nomen, quæ Rheam sectata, & Bacchi educationi à Jove admota est. Imo & ipsius Rheæ, cui sub hoc nomine Lydi taurum immolabant. Unde urbs eorum *Mastaura*, vide ibi.

Maacha, filius Nahor ex Reumâ concubinâ, Gen. 22. Filia Tholmai regis Gesur, uxor Davidis, mater Absolomi, 2. Reg. 3. v. 3. Filia Absalom, 1. Par. 3. Mater Abiam regis. 3. Reg. 15. v. 1. & 2. Torniel. *A. M.* 3077. *n.* 1. quæ 2. Par. 13. v. 1. dicitur Michaja. Concubina item Caleb, 1. Par. 7. Uxor Machir patris Manasse. 1. Par. 3. Uxor Jahiæ. 1. Par. 9.

Maachati, pater Aasbai, 2. Reg. 21. Pater Jezoniæ 4. Reg. 25. Civitas Amorrhæorum super Jordanem, juxta montem Hermon. Jos. 12.

Maadi, nomen viri. 1. Esdr. 10.

Maai, nomen viri. 2. Esdr. 12.

Maala, filia Salphaad. Num. 26.

Maalina, incolis Machelen, Gall. *Malines*, opp. Brabantiæ, ad Demeram fluv. sedes Metropolitæ facta A. C. 1559 cui linguæ Teutonicæ Metropoli Paulus IV. novas ejusdem linguæ sedes adscripsit suffragantes, Antverpiensem, Gandensem, Brugensem, Iprensem, Silvaducensem & Ruræmundensem: è quibus primam Camaraco, secundam & tertiam Turnaco ademit. Nomen accepit à *Malina*, i. æstu vel accessu Oceani majori, quia æstus maritimi, adversis fluminibus Scalde ac Demerâ, usque ad eam urbem, atque etiam ultra per 3. circiter mill. feruntur accedere. Ejus diœcesi continentur Lovanium, Bruxella, Tenæ, Dista, Arescotum aliæque urbes. Vide Hadr. Vales. *Not. Gall.* & infra in voce *Machlinia.*

Maara Sidoniorum, Latinè *Spelunca Sidoniorum*, spelunca est inexpugnabilis, atque Christianorum municipium in Sidoniensi territorio situm. Est in tribu Aser.

Maasai, filius Adiel. 1. Par. 6.

Maasia, filius Achas. 1. Par. 15. Nomen cujusdam Doctoris. 2. Par. 26. Pater Sophoniæ, Jer. 11. Princeps civitatis Jerusalem. 2. Par. 34.

Maasias, pater Neriæ, patris Baruch & Sarajæ, Jer. 32. & 51.

Maaziau, nomen viri. 1. Par. 24.

Mabsam, filius Ismaëlis. Gen. 25.

Maca, pop. Arabiæ Felicis, Carmanis oppositi, in tractu nardum & myrrham ferente, Mela *lib.* 3. hodie pars regni Ormuzii. *Maca* item & *Maces, Macai*, Ptol. populi Cyrenaici, circa Syrtim majorem siti, vel juxta Cinyphum amnem. Sil. *lib.* 3.

Cinyphii didicere Maca, &c.

Macalla, vide *Macella.*

Macanita, Mauritaniæ Tingitanæ gens. Ptol. Hos Xiphilinus *in Severo, Macennitas* vocat.

Macar, filium habuit Eresum, qui Ereso Lesbi civitati nomen dedit. Steph.

Macara, insula Lyciæ. Steph. Item Siciliæ urbs, vulgò hodie *Citadella.* Vide *Machara.*

Macarea, insf. maris Ægæi. Vide *Lesbos.*

Macarea, urbs Arcadiæ, à *Macaro* Lycaonis filio. *Beata* Romanis. Steph.

Macareon & Sides, insignes Chirurgi: quorum pharmaca Galenus *Method.* 5. & *l.* 2. κατὰ γένη *c.* 12. Æginetа quoq; *l.* 17. *c.* 17. recenset.

Macareus, fil. Æoli, qui mutuos Canaces sororis suæ amore correptus, cum ea concubuit, puerumque ex eâ suscepit, cujus & pater erat, & avunculus. Quam rem cùm Canace patrem nescire maximè cuperet, sacris frondibus puerum tegit, curatque clanculum ad nutricem perferendum. Verùm cùm per Æoli aulam efferretur, vagitu suo puer proditus est, avique jussu canibus objectus. Filiæ autem pater ensem per satellitem misit, ut eo pro meritis uteretur, quo & necem illa sibi traditur conscivisse. Macareus verò re cognitâ, fugâ salutem quæsivit, cumque Delphos venisset, Apollinis factus est sacerdos. Extat *Epist. Canaces ad Macareum*, apud Ovid.

Macareus, vetus historicus, de rebus Coorum scripsit, Athenæo teste, *lib.* 6. & 14.

Macaria, Herculis filia, quæ pro incolumitate publicâ se devovit. Hercule enim defuncto, quum Eurystheus illius liberos insectaretur, atque illi ad Misericordiæ Aram confugissent, Athenienses recusantes eos in hostium manus tradere, cum Eurystheo bellum susceperunt. Porro edito oraculo, futurum ut Athenienses ab Eurysthei incursatione liberarentur, si quis Heraclidarum se sponte offerret ad necem, seque inferis devoveret, Macaria sese spontaneæ morti obtulit. Quo facto congressi cum hostibus Athenienses victoriam reportarunt, cùm aliis quamplurimis interfectis, tum Eurystheo ipso ab Hylo, sive Jolao Herculis filio perempto, cujus caput amputatum ad Alcmenam detulit. Illa verò defuncti oculos effodit. Cæterùm Athenienses magnificum Macariæ funus fecerunt, tumulumque ejus floribus & coronis decorarunt, victisque Argivis edixerunt, βάλλ' εἰς Μακαρίαν, Jacta in Macariam. Vide Schol. *in Equit. Act.* 4. *sc.* 1. Imo & illi ad scelus expiandum sacra facere soliti sunt, ut ex Platone *in Hippiâ* colligere licet. Rhod. 13. 7.

Macaria, insf. Africæ, in Sinu Arabico, & in ora Abexia, prope Erquicum urbem Æthiopiæ super Sanso. *Mazua* vulgò.

Macaria, Cypri insulæ urbs, in ora Bor. ad Ort. nunc vicus inter Carpasium & Cerauniam 8. m. p. *Jalines*, teste Nigro. Imo tota insula sic dicta. Est & fons sive palus apud Marathonem opp. Atticæ regionis. Pausan. in qua submersis plurimis Persarum, *In Macariam abi*, Prov. ortum. Tractus etiam Peloponnesi apud Strab. & insula sinus Arabici. Ptol.

Præsules Varii.

Macarius I. Patr. Constantinop. post Philotheum an. 1375. per an. 2. mens. 7. dies 6. Onuphr. *in Chron.*

Macarius II. Jeremiæ II. pulso successit, an. 1573. Successit ei Matthæus. Genebr. *in Chron.* Spond. *in Annal.*

Macarius I. Episc. Hierosolymitanus, post Hermonem, an. 312. A Theodoreto *l.* 1. *c.* 3. 5. &c. impensè laudatus. Arrianis generosè se opposuit, an. 318. Interfuit Concil. Niceno, à Constantino Basilicæ celebris, quam Hierosolymæ condidit hic Imperator, curam sibi demandatam suscepit. Obiit an. 331. sedis 19. Vide Epiph. *hær.* 69.

Macarius II. Petro successit, an. 546. pulsus ab æmulis, tanquam Origenismi suspectus, postmodum innocentiâ in apricum productâ, sedi redditus est, cui præfuit an. 4. Joh. Moschus *Prat. spir. cap.* 96. Niceph. *l.* 27. *c.* 26. Evagr. *l.* 4.

Macarius I. Episc. Antiochenus, hæreticus obstinatus. Monothelitarum errores sequutus Concilio 3. Constantinop. an. 681. interfuit, ubi à Constantino Pogonato jussus sententiam suam exponere, impudenter asseruit, in JESU CHRISTO neque duplicem voluntatem, neque duplicem operationem reperiri: Hinc sede pulsus, Theophane Siculo surrogato, Acta 6. Concil. *act.* 8. 9. &c. & in Monasterium detrusus est.

Macarius II. Armenius, successit sec. 11. alteri cuidam cognomini, ut videtur. Eleutherio, curâ Ecclesiæ commissâ, in Palæstinam profectus, ibique ab infidelibus malè habitus dicitur. Inde reversus, in Flandriam abiit, ibi mortuus an. 1011.

Macarius Abbas, cùm aliquando per Scythioticam solitudinem deambularet, calvariam hominis humi jacentem conspicatus, cœpisse per Christum Jesum obtestari, & interrogare, cujas fuisset, dum viveret? quove nunc in loco animus quondam inhabitator suus degeret? dicitur. Tum aridum os, carneque & nervis nudum, prorupisse in vocem, ac se gentilem fuisse proximique vici indigenam: nunc verò in foveam barathri infernalis tam altè retrusum angustiari, quàm procul à terra distet cœlum, respondisse. Addidisse porro, adhuc se profundius ruere Judæos incredulos, & sub ipsis hæreticos Christianos, qui revelatam divinitus veritatem mendacibus pervertere sententiis moliti sint. Marul. *lib.* 6. *cap.* 14.

Macarius, Ægyptius Abbas, cognom. *Senior*, discip. Antonii, floruit sec. 5. Præceptor Evagrii, doctrinâ & sanctitate celebris. Scripsit Homilias 50. quas Joh. Picus latinè vertit. Hieron. *Epist.* 22. Pallad. *Hist. cap.* 18. 19. 20. Socr. *l.* 4. *c.* 18. Niceph. *l.* 9. *c.* 14. Gennad. *cap.* 10. & 11. Ruffinus, &c.

Macarius, Alexandrinus, cognom. *Junior*, Eremita celebris, sec. 5. Ob vitæ sanctitatem gravia ab Arianis passus, regularum Monach. auctor à quibusdam censetur. Morer. *Diction. Hist.* Item Eremita, cui Ruffinus apologiam pro Origene inscripsit. Ejus meminit Hier. *apol.* 2. *c. Ruffinum.* Romæ contra Mathematicos librum edidisse, Gennadio dicitur.

Macarius, sub Decio Romanorum Imper. martyrio, apud Alexandriam, coronatus, an. Dom. 251.

Macarius Mutius, scripsit *Victoriam Crucis*, seu *triumphum Christi.* V. Angeli Politiani *Epist. l.* 7. Simler. *in Epit. Bibl. Gesn.*

Macaron nesos, Acropolis Thebarum in Bœotiâ, Thucyd. Herod. quoque *Musâ* 3 mentionem facit regionis, quæ Græcorum linguâ vocabatur *Macaronnesos*, in quâ sita erat, urbs Oasis, 7. dierum itinere distans Thebis Ægyptiis. Sunt etiam Μακάρων νῆσοι, de quibus Pomp. Mela 2.7. *Extra Hellespontum, earum quæ Asiaticis regionibus adjacent, clarissimæ sunt, Tenedos, Sigæis adversa litoribus. & quæ dicentur ordine, ad promuntorium Tauri montis opposita, quas quondam dici putavere Μακάρων, sive quòd fortunati admodum cæli soliq; sint, sive quòd eas suo suorumq; regno Macar occupaverat.* Vide Diod. Sicul. *lib.* 5. Et sanè multo plures olim sic vocabantur, nam ut de insulis Oceani taceam, Creta, Cyprus, Leuce, multa denique in continente sita loca *Insularum Felicium* nomen consecutæ sunt.

Macasaria, vulgò *Macasar*, insula perampla Asiæ, in mari Indico, quæ aliter *Celebes* dicitur. A Septentrione in Meridiem extenditur, inter Moluccas insulas ad Ortum, & Bornei insulam ad Occasum, aliquando etiam sub Moluccis comprehenditur: ejus longitudo à Borea in Austrum est 200 leucarum Francicarum circiter, latitudo autem in aliquot locis est 100. leucarum. In ea sunt sex regna, nempe Macasaria *Macasar*, Cionum *Cion*, Sanguinum *Sanguin*, Cauripanum *Cauripana*, Getiganum *Getigan*, & Supara, *Supara*. Urbes autem præcipuæ hujus insulæ sunt Macasaria *Macasar*, & Bantachaja *Bantachaja*. Ejus ora Austr. valdè frequentatur ab Anglis & Batavis.

Macasar, vulgò *Macasar*, urbs ampla Indiæ, insulæ Macasariæ caput, cum portu in ora Australi insulæ. Emporium est celebre, & regni cognominis præcipua. 35. leucis distat à Bantachaja in Austrum circiter. Ejus Rex nuper insigni clade affectus fuit à Batavis, in illis partibus degentibus.

Macatura, Pentapoleos reg. in Africa gens. Ptol.

Macaum, seu Amacaum, *Macao*, urbs Sinarum, in insula parva Oceani Orientalis, in ora littorali Cantoniæ provinciæ, inter Aynanum insulam in Africum & Formosam insulam ad Cæciam. Emporium est celebre & dives; ejusque incolæ pro majori parte sunt Lusitani. Suberat antea Regi Portugalliæ, sed anno 1668. à Sinarum Imperatore expugnata fuit, ipsique etiamnum subest.

Maccabai, vide *Machabai*.

Maccara, regio super Pharsalum. Steph.

Macces, nomen loci. 3 Reg. 4.

Macchabetus, vel *Macbedus*, Scotiæ R. fil. Præfecti Angusiæ, in Norvegia, provinciæ. Regnum invasit post Donaldum vel Duncanum, tenuitque an. 17. Ab an. Ch. 1040. usque ad 1057. Buchan. *Histor. Scot.*

Macci, Libyæ interioris populi. Ptol.

Maccocalingi, Indica Brachmanum gens. Plin.

Maccuræ, Mauritaniæ Cæsariensis pop. Ptol.

Mace, aliàs Μουάκη. Celtica civitas. Steph.

Mace, Steph. *Matnicz*, teste Lazio, oppidum Norici, in Austriæ Carinthiæque confinio, nunc vicus, qui Gabrumagum Antonino putatur, inter Candollicam urbem Carinthiæ, & Laureacum urbem Austriæ in Boream occurrens, quasi 20. leuc.

Maceda, civitas tribus Judæ. Jos. 10.

Macednon, parva regio in Pindo. Steph.

Macedo, fil. Osiridis, filii Jovis: aliis Deucalionis fil. nepos aliis fuit, à quo Macedoniam quidam dictam volunt.

Macedo, Philosophus, de quo Gellius, *lib.* 13.

Macedonia, angusta primùm, post latissima Europæ regio, duobus olim Regibus, Philippo & Alexandro Magno, patre ac filio, & terræ imperio clarissima, antea *Æmonia*, *Mygdonia*, *Paonia*, *Edonia*, *Pieria*, & *Æmathia* ab Æmathio Rege dicta; Macchab. *cap.* 1. v. 1. dicitur *terra Cethim*, fuit autem Cethim Gen. 10. 4. fil. Javan. Hæc tenuibus initiis, regum prudentiâ gentisque eò magnitudinis excrevit, ut ad utrumque mare, quâ Sol oritur, Ægæum: quâ occidit, Jonium extensa, domina centum quinquaginta facta fuerit populorum: è quibus ab Historicis posteritati traditi sunt, Taulantii, Elymiotæ, Dassaretæ, Mygdones, Bisaltæ, Edonii, Orbeli, Sintici, Pelagones, Orestii, Lyncistæ, Jori, Almopes, Æstræi, & Eordeores. Nomen à *Macedone* Deucalionis materno nepote regioni hæsisse, vult Solinus: à *Mygdonia* potiùs id arcessente Cluverio. Hanc à Septentrione Dalmatia, Mœsiaque montana sejungunt, ab Occasu mari Adriatico, sive Jonio, ab Ortu Ægæo abluitur, Meridianam oram Epiroticæ gentes, & ipsa Græcia excipit. Ejus partem quondam *Macetia* dictam scribit Steph. & Hesychius, & inde totam regionem nomen accepisse refert Eustathius *in Dionysium*. Posterioribus seculis hujus pars Bor. *Salutaris* dicta fuit lib. Notit. Item *Pravalitana* apud Sext. Rufum, pars Occidua *Albania*, pars ad Ort. *Jamboli*, Australis verò *Comenolitari* apud Castaldum. Baudrando regnum fuit amplum, in Græcia, cujus partes fuere etiam Thessalia, Epirus, & aliquando Thracia. *Macedonia propria* dividebatur in quatuor partes præcipuas, sub quibus provinciæ erant seu regiunculæ viginti sex. Nunc autem etiamnum dividitur in quatuor partes, nempe *Jamboli*, quæ olim Macedonia prima & secunda; estque magis ad Ortum inter Thraciam ac sinum Thermaicum: *Macedonia*, quæ aliàs Macedonia propria seu tertia, inter montem Scardum ad Boream ac Thessaliam ad Austrum, & ad Occasum sinus Thermaici: *Comenolitari*, quæ pars Macedoniæ tertiæ, & aliqua pars Thessaliæ, inter Macedoniam ad Ortum & Albaniam ad Occasum: & *Janna* quæ pars maxima Thessaliæ & versùs Meridiem. Albania autem, quæ aliàs pars Occ. erat Macedoniæ, in præsenti regnum est separatum. Olim sub Regibus, quorum familiæ series hæc: Hercules, Hyllus, Cleodius, Aristomachus, Temenus, Perdiccas primus Macedoniæ Rex, Archelaus, Amyntas, Philippus, Alexander M. Post quem variè regnum inter æmulos discerptum est, donec Ptolomæus, pulso Antigono, totâ Macedoniâ est potitus. Sed hoc à Gallis oppresso, Sosthenes, qui invasores compescuit, rerum summæ præpositus *Ducis* nomen assumsit. Quo à Brenno devicto, Antigonus in regnum reversus est, quem Pyrrhus iterum ejecit. Demetrius dein præfuit, cui defuncto successit filius Philippus, sub tutela Antigoni, qui regnum mox invasit: Sed illud paulo pòst mortuus pupillo reliquit. Hic, malo consilio impulsus, Romanis bellum infert, successu non infelici solùm sed & ignominioso. Pacunt tamen victore Regi, ob Demetrii filii virtutem, cui invidens frater Perseus, eum de medio tollit, belloque contra Romanos renovato, ipse vincitur & in triumphum ducitur. A quo tempore Macedonia in provinciam redacta est, legesque à Paulo accepit: Postquam 30. Reges à Carano sec. Justinum usque Persen; sec. Livium 20. sec. Eusebium 39. habuisset, annis 923. & rerum 191. an. potita fuisset. Nunc tota subest dominio Turcarum, qui eam jam sub Ottomanno classe vastarunt, anno Chr. 1323. & sub Amurathe magnâ ex parte occuparunt, anno Chr. 1380. cum ejus partibus & annexis. In Macedoniam venit Paulus Apostolus, an. Chr. 49. in visione inclamatus à viro Macedonico, verbis, *Transi in Macedoniam, succurre nobis*: Sed Philippis, ob Pythonissæ spiritum ejectum, cum comite Sila incarceratus est, inde autem miraculo liberatus Thessalonicam, ac postea Berœam abiit, ubi cùm novum ei periculum crearetur, contulit se Athenas, Act. c. 16 v. 9. & *seqq.* Gentile *Macedo*. Hor.

—— Diffidit urbium
Portas vir Macedo. ——

Item *Macedonicus*, & *Macedonius*. *Maceta* quoque, Auson. *in clar. urbib.*

—— Macetûmq; attollite nomen.

Vide Justinum *l.* 7. & *seqq.* Plin. *l.* 4. Solin. *c.* 15. Strabonem, Livium, Velleium Paterculum, Florum, Pausaniam, Q. Curtium, Arianum, Cluverium, *Introd. Geogr. l.* 4. *c.* 9. &c.

Urbes Macedoniæ hujus temporis;

* Achrida, *l'Ochrida*.
Ædessa, *Vodena*.
Albanopolis *Albanopoli*.
Alectryopolis. Episcopalis, sub Philippis, *Alesterosori*.
Amphipolis. *Emboli*.
Apollonia, *Erisso*.
Apollonia altera. Vide *Serra*.
*Aulon, *la Valona*.
*Berrœa, *Veria*.
Candavia, *la Canovia*. Regiuncula est, non urbs.
Casandrea, *Cassandria*.
Castoria, Episcopalis sub Archiepiscopo Achridensi, *Castoria*.
Christopolis, antea Neapolis, nunc metropolis, *Christopoli*.
Citrum, *Chitro*.
Daulia, *Eladasagni*.
Deborus, *Dibris*.
Derre, *Dererra*.
* Dyrrachium, *Durazzo*.
Elyma, *Canina*.
*Eribœa, *Croja*.
Gazorus. Vide *Alectryopolis*.
Heraclea, Episcopalis, gemina: una Sintica, *Cheseja*, altera *Xenoxua*.
Hierissus, quid sit non constat.
Hormia, *Coria*.
*Justiniana prima. Vide *Achrida*.
Larissa, *Larizza*.
Lete, *Lita*.
Lissus, *Alessio*.
* Lichnidus. Vide *Achrida*.
Myeza, *Lagovischio*.
Neapolis. Vide *Christopolis*.
Oesyma, *Cavalla*.
Pella, *Jenizza*
Philippi, *Filippi*.
Rentena, quid sit non constat.
Scampes, *Scampi*.
Scotuia, sic hodie, Episcopalis, *Scotusa*.
* Scupi, *Scopia*, & *Uschub*.
Serræ, *Ceres*.
* Thessalonica, *Salonichi*.
Zachniæ.

Mace-

Macedonicum mare, Livio dicitur, quod oram circa Canastræum promuntor. alluit. *Macedonicus* Sinus Plinio, idem cum Thermaico, & Orosio idem cum Pelasgico.

Episcopi Constantinop. & Antiocheni.

Macedonius I. Episcop. Constantinopolitanus, Hæresiarcha. Ab Arianis, mortuo Alexandro, intrusus an. 342. Pauloque oppositus, illo post jurgia, & cædes, pulso à Constantio, tyrannicè imperavit. Mox translato Constantini cadavere ex templo Apostolorum in templum Acacii martyris, cruentis turbis exortis, Imperatoris gratiâ excidit. Junctus SemiArianis, novam sectam excudit, negatâ SPIRITUS S. divinitate: Pulsus Concilio Constantinop. An. 359. Eudoxio ei surrogato. Caput *Macedonianorum*, quibus Ariani & Donatistæ in Africa facilè se junxerunt. Hi sub sanctitatis & austeritatis vanâ specie plurimis imposuerunt. *Marathoniani* quoque dicti, à Marathone quodam, qui dives admodum innumeros sibi sequaces conciliavit. Item πνευματομάχοι. Hos Athanasius, à Serapione Episcopo Ægypti monitus primus confutavit, Concilia dein ab Imperatoribus celebrata damnarunt, secundum inprimis Constantinopol. An. 381. Hieron. *in Chron.* Aug. *hær.* 52. Athanas. *l. de Sp. S.* Epiphan. *hær.* 74. Socr. *hist. lib.* 2. Sozom. *l.* 3. & 4. Ruffin. *lib.* 1.

Macedonius II. Euphemio successit: quòd hæreticis favere nollet, pulsus ab Anastasio Imper. in exilio obiit, an. 515. In eo solo reprehensus, quòd Acacii hæretici nomen è Dypticis expungere noluerit. Theod. Lector, *lib.* 2. *Collect.* Niceph. *Hist. l.* 16. *cap.* 35. Cedren. *in Annal.* Hist. Misc. *l.* 15. Theophanes, &c.

Macedonius, Episc. Antiochenus, post Anastasium III. hæreticum, intrusus, an. 640. Ob eandem hæresin excommunicatus est, an. 649. à Martino I. Successores ejus usque ad Macarium, depositum, an. 681. ignorantur.

Macedonius, Episc. Mopsvestiæ, Arrianos sequutus. Item Magister Officiorum Gratiani Imper. Mediolani Priscillianistis, contra Ambrosium favit. Periit miserè. Paulin. *in Vita Ambrosii*, Item, auctor Epistolarum 51. & 53. inter Epist. Augustini.

Macedonum portus, locus in ora Caramaniæ, ad fretum Sinus Persici, ubi Armuzum promuntorium.

Macella, urbs Italiæ. Steph. *Macalla*, Lycophroni, Barrius facit Calabriæ civitatem Episcopalem, sub Archiep. Sibereno, hodie *Strongoli* dictam, inter Crotonem ad Mer. 8. & Chrimissam ad Bor. 16. m. p. Ciacconius *in libello Columnæ Rostratæ* hanc Macellam in Siciliâ ponit.

Maceloth, locus ad quem profecti sunt Israëlitæ de Herada. Num. 33. Item filius Abigabaon. 1. Par. 9.

Macenias, sacerdos. 1. Par. 15.

Macer Æmilius, poëta Veronensis, qui de Herbarum viribus, Serpentibus, item Volucribusque, Nicandrum imitatus, ut Quintilianus vult, & Manil. *Astron. lib.* 2. scripsit. Olymp. 191. in Asia mortuus, ut Hieron. refert Ovid. *Trist.* 4. 10.

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque nocet serpens, quæ juvat herba, Macer.

Præterea verò cecinit παραλειπόμενα Homeri, quemadmodum & Q. Calaber. Idem, *Ponticorum secundo Eleg.* 10.

Tu canis æterno quicquid restabat Homero.
Ne careant summâ Troica fata manu.

Et *l.* 2. *de Amor. Eleg.* 18. Sed Poëma de plantis, quod sub nomine Macri prostat, non hujus fuit, qui sub Augusto vixit: Sed alterius cujusdam, cùm ibi Plinius citetur, ipseque nec herbarum peritus admodum, nec bonus fuerit Poëta. Vide Vossium *de Poëtis Lat. p.* 28. *de H. lib.* 1. *cap.* 10. *de Græc. l.* 1. *c.* 16. Crinit. *de Poët. c.* 52. Girald. *dial.* 4. *&c.*

Macer, vide *Clodius.*

Macerata, vulgò quoque *Macerata*, urbs ampla Niceni, seu Marchiæ Anconitanæ, in colle juxta Chientum fluv. prope ruinas Helviæ Recinæ, à Gothis destructæ, 10. mill. à Tolentino in Ort. 15. à Lauretо, & ab ora sinus Veneti in Africum. Sub Pontifice. Episc. Tolentinâ ei sede juncta, sub Arch. Firmano: cum Academia. Sedes Legati Marchiæ, non minus ac Ancona.

Maceriæ, nomen multorum in Gallia locorum, inter quæ eminent *Maceriæ*, in Campaniæ Gall. finibus ad Mosam positæ, in ipsis faucibus peninsulæ, quam Mosa facit, in pago Reitestino & diœc. Remensi, vulgò *Maisieres* Gall. *Macheren* Germanis. Sicut *Königsmacheren* in Duc. Luciliburgensi, ad Mosellam, *Regis Macerias*, &c. *Greven macheren* ad idem flum. *Comitis Macerias*. Est & villa *Maceriæ*, ad fluv. Altejam, in pago Pontivo, quam Furseus ab Haimone Duce accepisse & ibi mortem obiisse dicitur: vulgò *Masiers*, aliàs *Mazeroëles*. Item *Maceria*, vicus ad Isaram, prope Ribodimontem castellum, vulgò *Masieres*. Sunt quoque *Maceriæ*, vulgò *Maseres*, in Comitatu Fuxensi. Similiter in Turonibus *Maceriæ* in Brionis saltu cognominatæ, *Mesieres en Brenne*, cum tit. Baroniæ olim, nunc Marchiæ. Item in pago Belnensi, Monasterio Abbatiali B. Mariæ sacro illustres, *Maisieres pres Beaune*: non longè quoque à Mosella fluv. & Mettis, *Mazsere.* Hadr. Valesius *Not Gall.*

Macestus, Mysiæ fluvius in Rhyndacum influens, *Megisto* hodie, teste Ortelio.

Macha, vel potius *Maacha*, nomen reginæ. 2. Reg. 10.

Machabæus, cognomentum fuit solius Judæ, filiorum Mattathiæ natu maximi, idque jam à puero, quamvis Judæi velint, illum ita demum appellatum esse ab eo tempore, quo vexillo suo singulares literas intexi curavit, quæ singulorum illorum verborum, Exod. 15. initia essent *Mi Chamocha Belohim Adonai.* Sed ex vetustissimis Judæorum monumentis scimus, Leonem ejus vexillo intextum fuisse. Cæterùm veteres Ecclesiastici, non Judam solùm, sed multos alios *Machabæos* vocant. Eusebius omnes Hasamonæos, i. e. omnem progeniem Mattathiæ Hasamonæi, vocat *Machabæos, lib.* 8. Eorum historia sic habet. Mattathias, ex familia Joarib, è tribu Levi, præfectum Antiochi Epiphanis, Modini, occidit, an. 587. U. C. Pater quinque filiorum, è quibus Judas, Jonathas & Simon ei successerunt. Hos sequuti Pontifices & Reges Judæorum Johannes Hyrcanus, Aristobulus I. Alexander, Hyrcanus, Aristobulus II. Antigonus, Aristobulus III. ab Herode sublatus: qui, Judaicæ Reip. vindices & assertores, contra potentissimos Reges bella gesserunt. Vide Dan. 11. 34. Quin & *Machabæi* dicti sunt, septem fratres filii Annæ, propter verum cultum à satellitibus Antiochi excarnificati, de quibus in Epitomâ Jasonis Cyrenæi, *Itaque omnes, qui ob legis observationem excruciati, cæsi, & malè tractati sunt, a veteribus Christianis dicuntur Machabæi, ut qui propter Christum dicti Martyres.* Isid. Pelus. *lib.* 1. *ep.* 4. ait, *Machabæum* Persicâ linguâ *Dominum* significare. Subdit Μακκαβαῖοι γὰρ ἐκλήθησαν καὶ οἱ ἐν τοῖς Μακκαβαϊκοῖς χρόνοις τὰ ἀνήκεστα ὑπομεμενηκότες, καὶ μὴ ἐξομοσάμενοι τοὺς πατρῴους νόμους. Vide plura libb. Machab. 1. & 2. Joseph. *in Antiq. & de B. J. Machabæorum* liber uterque, quorum *primus* à Joh. Hyrcano compositus, *alter* à Jasone Cyrenæo, vel potius hujus epitomatore, concinnatus, 2. Macchab. 2. 23. videtur, Apocryphus est: utpote, in quibus *falsitates* plurimæ, Vide Frid. Spanhem. *disput.* 6. *de Author. libb. Apocryph.* &c. Non paucæ *Contradictiones*, Vide de morte Antiochi 1. Macchab. 6. 16. & 2. Macchab. 1. 16. ut & 2. Macchab. 9. 28. quæ confer cum Dan. 8. 25. Item, de templo purgato à Juda Assamonæo, ante mortem Antiochi, 1. Mach. 4. 36. quod demum post hujus mortem contigisse dicitur, 2. Machab. 10. 9. &c. Spanhem. *disp.* 7. Innumera tandem mali commatis, & vel *Superstitionem*, vel *Impietatem* olentia, ut quòd e. g. Mattathiæ facinus, 1. Macchab. 2. 47. & 48. Ornamenta templi à Deo non jussa, 1. Mach. 4. 57. Eleazari temeritas, 1. Mach. 6. 43. &c. Fœdus tam arctum cum Spartanis, 1. Mach. 12. 11. Sacrificium pro mortuis, 2. Macch. 12. 43. Razis αὐτοχειρία, 2. Macch. 14. 37. &c. non sine elogio referuntur & approbantur. Quibus impius accedit colophon, cùm Auctor 2. Macchab. 15. 39. anxius hæret, an scriptio responderit arti, an digna sit argumento, &c. fatetur interim se omnes vires intendisse, ad opus istud: Quale quid Spiritui S. sine blasphemia nequit tribui. Vide Spanhem. *disp. de libb. Apocr.* 11. & 12. Quidam *tertium* quoque librum addunt, quem Apocryphis accenset ipse Bellarminus *de Verbo Dei cap.* 15. Catalogum commentatorum in hos libros exhibet Crowæus *in Elench.*

Machara, fluv. Africæ, apud Carthaginem. Polyb.

Macharus, runtis, castellum Judææ, Steph. ex Josepho, quod apud Jordanem fluv. & lacum Asphaltitem situm, 12. horarum itinere, versus Orientem Hierosolymis distat. Ibi S. Johannem Baptistam capite minutum esse, anno 31. à Christo nato, probat Baron.

Machageni, Scythiæ gens intra Imaum. Ptolom. *Machariones*, apud Spartanos, dicti sunt Anticratis posteri, quòd is *machærâ*, id est, gladio Epaminondam in bello strenuè confecisset. Rhod. 13. 7.

Machalaum, oppidum in Brixiano agro, Insubrium clade nobile.

Machaon, fil. Æsculapii & Arsinoes, alii Coronidis, alii Hesiones, alii Meropis, alii Xanthiones filium faciunt, Podalirii frater & medicus insignis, qui unà cum reliquis Græciæ principibus ad Trojam profectus, tandem ab Eurypylo est occisus. Ponitur aliquando simpliciter pro medico. Ovid.

Firma valent per se nullumque Machaona quærunt.
Martial.

Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.

Virgil. *lib.* 2. *Machaonem* numerat inter eos, qui equo ligneo inclusi Ilii portas suis reserarunt. Porro *Machaon* Gereniæ, quæ Laconiæ civitas est, sepultus fuit, cujus tumulus templo colebatur magnifico, quòd variorum morborum hinc peterentur remedia. Ejus simulachrum æreum erat, quod etiam coronâ insigniebatur. Machaona & Podalirium inter insignes Venatores refert, Xenophon. *in Cynaget.*

Machara, vel *Macara*, urbs Siciliæ inter Syracusas & Pachynum. Aliis *Imachara*; Incolæ *Imacharenses* & *Acharenses* Ciceroni & Cluver. nunc est *Traina*, oppid. in meditullio Siciliæ, intra montes, in valle Demonæ, 40. mill à Catania in Occ. Panormum versus.

Machati & *Maachati*, firma & valens Amorrhæorum urbs est, in tribu Manassę, sita super Jordanem juxta regionem Gessuri & montem Hermon. Cecidit autem urbs & terra hæc in sortem dimidiæ tribui Manasse, quæ tamen Machatæos ejus habitatores disperdere non valuit.

Machbanai, nomen Principis. 1.Par. 12.

Machbena, nomen loci. 1.Par.2.

Machela, pagus Belgii circa Trajectum ad Mosam; vulgò *Mechelen*.

Machelones, populi circa Pontum. Arrian. in Periplo.

Macherus, oppidum & castrum munitissimum, in saxosa rupe in tribu Ruben, alta & undique præcipite situm, vallibus ex omni parte cinctum, loci naturâ & firmitate inaccessum & inexpugnabile, magnitudine simul & pulchritudine admirandum.

Machetas, Scotorum Rex, an. Chr. 1050. Romæ argentum seminando pauperibus distribuit, Marianus Scotus.

Machi, pater Guel, vel Gehuel, principis tribûs Gad. Num. 13.

Machicolium, opp. Britanniæ min. vix 3. leuc. à mari Aquitan.

Machecou. Caput regiunculæ *le Duché de Retz*, 1. leuc. à confin. Pictavensis prov. 5. à Ligeri in Austr. 10. à Nannetis in Africum.

Machicorum tractus, prov. Madagascariæ, versus partem Austr. & Ampatres pop. ubi aliquot coloniæ Francorum, à paucis annis: Vulgò *Pays des Machicores*.

Machimos, civitas, cujus incolæ pugnaces sunt, armatique nascuntur, ac bellum assiduè gerunt. Vide Coel. Rhod. *ex Æliano lib. 17. cap. 31.*

Machir, fil. Manasse, Gen. 50. Pater Galaad. 1.Par. 9. Filius item *Ammihel* 2. Reg. 9.

Machirita, familia quædam. Num. 26.

Machlinia, urbs Belgii ampla & præclara, Brabantiæ metropolis, media inter Antvverpiam, Lovanium, & Bruxellas. *Meckelen*, & *Malines*. Ad Dylam fluv. Baudrando, in Brabantia inserta; sed tamen regiuncula adjacens, *Machliniense* dicta dominium, Belgii provincia est. Media ferè inter Antverpiam ad Bor. & Bruxellas ad Austr. sub Hisp. Dicitur & *Mechlinia*. Archiepisc. facta est à Paulo IV. Philippo II. Hisp. R. curante.

Machlyes, Africæ pop. supra Nasamones, quos *Androgynos* esse tradit Calliphanes, utriusque naturæ inter se vicibus coeuntes. His Arist. tradit dexteram mammam esse virilem, lævam muliebrem. Plin. 6. 2.

Machmas, nomen oppidi & castri Templariorum, in tribu Ephraim. 1. Sam. 13. *Birn* nunc, 12. m. p. ab Hierosolymis in Bor. Garizim montem versus 15.

Machmetharch, terminus tribus Manasse in sorte Ephraim. Jos. 11. & 17.

Machorba, Arabiæ Felicis portus, versus Ortum. Plin.

Machurebi, & *Machures*, Maurit. Cæsariensis gens. Ptol. *Macurebi* Plinio. *Machuribi* sunt eidem Ptolemæo, Libyæ interioris populi.

Machusii, Mauritaniæ Cæsariensis gens. Ptol.

Maci, circa Arachosiam populi. Plin.

Macianum, vulgò *Machian*, una ex Moluccis strictè sumtis, versus Gilolum Ins. sub Batavis, inter Insulam Motiræ ad Bor. & Bachianum ad Austr. Vide in voce *Molucca*.

Macicratis, urbs Ægypti, ab Atheniensibus condita. Eusebius.

Macidos, urbs Thraciæ. *Madi* Ptol. *Madytos*, Xenophonti, vulgò *Maiton*; & *Maitos*, teste Leunclavio: 2. mill. à Sesto. 23. à Callipoli in Mer. Fuit olim Episcop. sub Arch. Heracleensi, nunc metropolis est. Ferr.

Macistos, urbs Triphyliæ, quam Caucones inhabitarunt, à *Macisto* Phryxi fratre. Vide Steph. in Μάκιστος.

Macium, Indiæ provincia, elephantis referta, quorum decem millia rex ad bellum nutrit: ipse verò albo vehitur elephanto, cui catena aurea gemmis distincta, colloque circumdata ad pedes usque propendet. Viri ac mulieres stylo ferreo variis coloribus, figurisque corpora pingunt. Idola omnes colunt: è lecto surgentes ad orientem solem se convertunt, & junctis manibus orant: in oratione trini Dei opem petunt, serpentesque assos in cibum pro deliciis habent. Æneas Sylvius *Asiæ part. 1. c. 10.*

S. Maclovii, peninsula Galliæ, in Britannia min. cum urbe cognom. vulgò *S. Malo*, vel *S. Malo de l'Isle*, Episcop. post dirutum Aletum, à quo m. p. plus minus distat. Nomen ei dedit Machutes, qui & Maclovius, Aletensium Episc. Vide Valesium in voce *Aletum*.

Maclovium, urbs Gall. Celt. Episcop. parvi circuitus, sed munita & dives, emporiumque celeberrimum, cum portu capaci: Episc. sub Arch. Turonensi, in ins. parva *S. Aaronis* dicta, vix à continente separata, ipsique ponte juncta. *S. Malo* vulgò. Crevit ex ruinis Alethæ, & 16. leuc. distat ab urbe Briocensi, 4. à Dola in Circ. Hinc nautæ periti. Nomen accepit à primo suo Episcopo *Maclovio*, quem alii *Macutum* vocant. Rupi insidet, & commerciis inprimis Arctum versus celebris est, regni clavis. Hujus portæ quoties clauduntur, 12. molossos solvi mos est, ut hostiles detegant insidias. Templum ejus cathedrale Vincentio sacrum, unum est ex antiquissimis totius regni. Vide Argentræum *Hist. de Bretagne*, De Paz *Hist.* Sammarth. *Gall Chr. T. II.* Duchenium *Ant. des Villes*, &c.

Macna, Arabiæ Felicis urbs. Ptol.

Macocum, vulgò *Macoco*, regnum peramplum Æthiopiæ super. cui 10. alii Reges subsunt, 250. mill. Germ. à regno Congi, versus partem Sept. fluv. *Zaire*. Ei à Septentr. regnum Mujaci adjacet, cum quo perpetuum ferè gerit bellum, & ad Euroboream ei vicinus est Rex Giringbomba. Isac. Vossius *de fontibus Nili*.

Macodama, Africæ propriæ urbs maritima, Episc. sub Arch. Carthag. ad Syrtim. Nunc pagus, apud ostia Tritonis & Theænas. Ptol. *Macomades* Antonino, *Macros* hodiè, teste Moletio.

Macolicum, Hiberniæ opp. mediterr. Ptol. *Malclin* Mercatori.

Macomada, Anton. *Calumacuma* Ptol. *Macellata* Marmolio, *Mesurata* Moletio, opp. Africæ ad initium Syrtis magnæ. Nunc vicus tenuis, cum parva turri. Apud Aspidem opp. à Lepti magna 220. mill. in Ort.

Macopsisa, urbs Sardiniæ. Ptol.

Macoraba, Arabiæ Fel. oppidum. Ptol.

Macra, amnis ex Apennino fluens, Liguriamque dividens ab Hetruriâ, & juxta Lunam civitatem in mare Ligusticum illabens, *la Magra* vulgò. Plin. 3. 5. Lucan. *lib. 2.*

—— Nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicina procurrit in æquora Luna.

Oritur in limite Duc. Parmensis, postea juxta Apuam labitur; dein auctus Verra, Ula, aliisque minor. amnibus, tractum *Vallem Macræ* rigat; & per dit. Genuensem fluens, paulo infra Serezanam in mare Mediterr. se exonerat. Baudr. Est & insulæ nomen in mari Myrtoo: apud Euboeam, à qua avulsa est, 60. stad. à Sunio prom. circuitu totidem, 2. m. p. ab ins. Helena, Plin. *Macronisi*.

Macranum, vulgò *Macran*, prov. Persiæ, versus mare Indicum, & confinia M. Mogolis. *Mekran* etiam, & aliis *Geteche Maquerona*; Pars Carmaniæ antiquæ, ut & nunc pars Orient. regionis *Kerman*, sub Persis. Habet ad Boream Sigistaniam prov. ad Merid. mare Indicum, ad Occ. Caramaniam propriam, & ad Ortum Sindam regionem. Principes habet sub clientela Regis Persarum. Cum urbe cogn. Ejus portus præc. *Guadel* dicitur, versus mare Indicum.

Macras, campus in Cœlesyriâ. Strabo. *Marzi* Nigro.

Macrenis, Corsicæ gens. Ptol.

Macri, campi inter Bononiam & Ravennam, per quos Romam itur. Μακροὶ Κάμποι Straboni, *lib. 5.* Eorum meminere Varro, Livius, atque Columella. Vide Cluverium.

Macria, insula parva Rhodiorum. Plin. Teiorum item promuntorium in Asiâ Joniæ regionis. Pausan.

Macrianus, Gallieno & Aurelio usurpante imperium, factus est Imperator, cum duobus filiis suis, Macriano & Quieto: idque consilio & operâ ducis Balistæ, ac omnium militum assensu. Hic cùm statim contra Gallienum veniret, ac 45000. militum secum duceret, in Illyrico, vel Thraciarum finibus, congressus cum Aureolo, victus & cum Macriano filio interemptus est: triginta denique millia militum in Aureoli potestatem concessere, An. sal. 262. Domitianus autem eum vicit, dux Aureoli fortissimus & vehementissimus: qui se originem dicebat à Domitiano Imp. trahere, atque à Domicilla.

Macrianus minor, unà cum patre factus est Imperator, unà item cum patre, cujus merito imperare cœperat, à Domitiano victus, 30000. militum spoliatus est. De hoc multa dicuntur, quæ ad fortitudinem pertinent juvenilis ætatis. Fuit matre nobili, patre tantùm forti & militiâ claro. Trebel. Pol. Vide *Macrinus*.

Macrina, virgo sanctitate insignis, Basilii & Gregorii Nysseni soror, hunc ob illius mortem tam egregiè consolata est, utpote erudita admodum, ut Gregorius hinc occasione sumtâ, *de Anima & Resurrectione* dialogum ediderit. Vide Gregor. Nyss. *in epist. ad Olymp.* Avia virginis hujus itidem *Macrina* vocata est.

Macrinus Marcus Opilius Severus, Maurus, obscurâ stirpe, per omnes gradus à Fortuna evectus, Advocatus Fisci & Prætorio præfectus evasit: Caracallæ postmodum occiso successit, ascito in Imperii consortium, Diadumeno fil. an. æt. 10. sed ob sævitiam militibus exosus, horum conspiratione sublatus est, an. Chr. 218. Imp. 1. mens. 2. Jul. Capitolin. *in Vita ejus*, Aur. Victor, *in Macrino*, Lamprid. *in Diadumeno*.

Macrinus, vel *Macrianus* & *Marcianus* Marcus Fulvius, à Balisto, Præfecto prætorio sub Valeriano, ad Imperium evectus, adjunxit sibi *Macrinum* vel Q. Fulv. Marcianum & C. Fulvium Quietum, filios. Sed victus in Illyrico, per Aureolum, cum Macrino, in pugna cecidit. Quietus verò, Odenatum, qui Balistum occiderat, persequens, ab Emessanis interemtus est. Sub finem sec. 3. imperante Galieno. Trebell. Pollio, *de 30. tyrannis*. Item Consul cum Ælio Celso, an. 916. U. C.

Macris, insula Cariæ in mari Rhodensi apud Caunum urb. maritimam. *Magri* hodie. *Macris* etiam, ob longitudinem, dicta est Euboea, sicuti & Chios.

Macris sinus, Gall. *Golfe de Magre*, maris mediterr. in ora Lyciæ, prope Macram urb. inter Lyciam & Rhodum. Aliter *Glaucus sinus*. Vide ibi.

Macritius, Cous, Sinopen in Ponto condidit. Steph.

Macrobii, populi Africæ in Meroe insulâ, teste Melâ, 3. 19. & in Æthiopiâ ad Solis ortum, teste Plinio, 4. 12. & 6. 30. sic ob vitæ longitudinem dicti. Justitiam colunt, amant æquitatem, plurimum valent robore, & formâ pulcherrimi sunt Hyperborei etiam pop. & Æthiopes, prope Oceanum Atlant. *Macrobii* dicti, teste Eustathio & Dionys. Afric. ob eandem causam. V. & Orph. *Argon.*

Venimus ad dites, omnesque ex parte beatos
Macrobios.

Macrobius Aurelius, nomen viri, qui scripsit Saturnalium libros, in quibus de variis tractans, criticum & antiquarium insignem agit,

agit, & commentarios in somnium Scipionis, quos Planudes græcè vertit; Isacius Pontanus Meursiusque eruditis notis illustrarunt. Vide & Merulam, *l. 2. antiq Gall. Cisalp. c. 2.* Vixit sub finem sec. 4. fuitque unus ex Cubiculariis Theodosii.

Macrocephali, pop. ad Bosporum, Pomponio. Stephanus Colchis vicinos esse scribit. Circa Cerasuntem opp. Cappadociæ sunt Plinio. A capitis longitudine dicti.

Macrochir, vide *Longimanus*.

Macrocremnii montes, circa Istrum & Tyram fluv. Plinius.

Macron, Thraciæ oppidum, non procul ab Isthmo Cherronensi, ita dictum à longo muro, quem Miltiades à Propontide ad Melianum sinum duxit, Cherronesum à reliquâ Thraciâ excludens. Plin. 14. 11.

Macrones, Pontica gens ad fluv. Absarum, in Colchidis, & Armeniæ majoris confin. Quorum Val. Flacc. meminit, *lib. 5.*

Mossynici vos & stabulis Macrones ab altis.

Et Dionysius *vers. 766.*

Μάκρωνες, Φιλυρές τε, καὶ οἱ μόσυνας ἔχουσι
Δουράτεους.

Strabo *lib. 12.* Καὶ Σάννοι οὓς πρότερον ἐκάλουν Μάκρωνας. *Machelones* ab Arriano appellari, *Macritas* ab Apollonio *lib. 1. Argon.* credit Pintianus, sic dictos, ut idem addit, ex ejus enarratoribus, quòd sint coloni Eubœensium. Eubœa enim olim *Macris* dicta. Sed Sannos diversos à *Macronibus* faciunt Xenophon, & Arrianus, quod idem quoque Pintianus annotavit.

Macrontichos, Thraciæ opp. 60. milliaribus à Byzantio. Suidas. Sed duplo ferè intervallo abest, Ferrar. In ora Propontidis, inter Rhædestum & Pactyam, à Lysimachia 5. mill. pass. in Bor. ab ore Ponti 150. à Dorisco 122. in Ort. Olim Episcop. sub Arch. Heracleensi, postea Metropolis, cum Xanthia & Peritheorio, urbibus proximis, effecta.

Macropogones, gens circa Euxinum Pontum. Strabo.

Macropolis, vide *Euryalus*.

Macryes, pop. Libyæ. Steph.

Macrynea, urbs Ætoliæ. Steph.

Macrynius, mons Ætoliæ maximus, apud Chalcidem opp.

Mactarum, urbs Africæ propriæ. Augustinus.

Mactorium, urbs Siciliæ, Steph. *Mazarino* Aretio. Vide Cluverium. Vix 18. mill. ab ora Austr. Nunc castrum in colle, cum tit. Comit. gentis Brancifortiæ; inter Gelam fluv. ad Ortum, & Hymeram fluv. ad Occas. Aliis est *Botero*, castr. magis ad Austrum. Baudr.

Macua, Æthiopiæ sub Ægypto oppidum. Plin.

Macurius, Hydrunti præfectus, à Ragnerio, qui Tarento præfuit, miro stratagemate deceptus est. Hic enim, cùm mortuo Totilâ, Tejum factum Regem, Francosque in societatem venturos audivisset; pœnitentiâ ductus, quòd ad partes Justiniani Imper. transiisset, ad Gothos redire statuit. Ut verò obsides suos, quos Romanis dederat in fidei pignus, reciperet, à *Macurio* auxilium poposcit adversus Gothorum copias, quas contra se venturas simulabat: Is, nihil fraudis subesse suspicans, quinquaginta milites misit: quos Ragnerius in potestatem redactos, custodiri jussit, misitque ad Macurium, ut sibi suos obsides restitueret, si milites, quos Tarentum miserat, vellet esse incolumes. Sensit ille, sibi graviter esse illusum, ac simul irâ accensus, paucisque militibus in præsidio Hydrunti relictis, ipse cum cœteris copiis, adversus Ragnerium profectus est: quem etiam in pugnam descendere ausum, in fugam conjecit. At milites suos à periculo eripere nequivit, quippe eos omnes ante congressum Ragnerius trucidaverat, Joh. Magnus *lib. 14. cap. 19.*

Madagascaria, seu *Insula Lunæ*, item *Insula S. Laurentii*, Insperampla Africæ, in Oceano Æthiop. *Menuthias* Ptolom. *Cerne* Plin. qui insulæ cognom. meminit, in mari Atlantico: vide *Madera*. 90. aut 100. leuc. Gall. ab ora Africæ in Ort. Ex præcipuis totius orbis, sub Tropico Capricorni extensa à gradu 11. latitudinis Austr. usque ad gradum 25. ejusdem latitudinis; sed multo minor ab Ortu in Occas. aloës, pecorum, sanguinis draconis, aromatum & lignorum odorat. dives. Hic tantùm pagi, ut & à paucis annis aliquot coloniæ & arces Francorum, versus partem Merid. Insulæ, ubi in Ortum vergit, nempe arx Delphina, arx Anossia, arx Sinus S. Augustini, aliæque coloniæ minoris notæ in illis partibus, uti in insf. S. Mariæ ei adjacente. Dividitur in plures provincias, ex quibus à Francis detectæ sunt in parte Austral. Carcanossia, Ampatrum tractus, Machicorum tractus, Carembola, Mahafalia & Matatania. Boreales adhuc ignotæ. Dicitur *l'Isle Dauphine* Gall. *Madecase* incolis, *Isla de S. Lorenzo* Lusit. *Sarandib*, Arab. Vide Steph. Flacurtium *in hist. hujus insf.* Corn. Hautmannum *Itiner. pag. 9. & seqq.* à Mandeslo *lib. 2. cap. 19.* &c. Becmanno, una est è maximis Orbis insulis, in Oceano Indico sita, longitudine 150. latitudine 80. milliarium circiter: Prope eam plurimæ minores insulæ hinc inde sparsæ sunt, è quibus insulæ *de Cumoro* ad Boream, Madagascari adsitæ numero quinque & his nominibus ferè appellatæ, *S. Johann de Castro, Spirito Sancto, Sancto Christophoro, Anguzera & Mayotto.* Vide Herberti *Itiner. p. 13.* Ad littus Melindæ regionis jacet insula *Zanzibar*, quam Vossius probabiliter autumat esse *Menuthiam* Veterum, *Nott. in Pomp. Mellam p. 303.* Insula Mauritii, ab aliis *Cerne* dicta, Orientem versus post insf. Madagascariam sita est, &c.

Madai, filius Japhet. Gen. 10. Pater Medorum. Vide Bochart. *Phaleg.* 3. 14.

Madan, vel *Medan*, filius Abrahæ ex Cethura. Gen. 25.

Madasara, urbs Arab. fel. Ptolemæo.

Madasumma, urbs Africæ propriæ, Anton. *Madussama* alibi idem legit. *Madyssumma* habet Victor Uticensis.

Madates, Uxiorum præfectus, qui ultima pro fide, quam regi suo Dario dederat, experiri statuit. Cui cùm ex arce, triginta Oratoribus ad deprecandum apud Alexandrum missis, spes veniæ denegaretur; precibus Sisygambis, cujus ex sorore neptem ille matrimonio secum junxerat, periculo exemptus est. Curt. *l. 5. c. 14 & 15.* Verùm Janus Gebhardus in suis ad Curtium exercitationibus adnotat, neque in Plutarcho nec Arriano hujus hominis fieri mentionem, tantumque à Diodoro Μίθων vel Μάδων insigniri *lib. 17. parte posteriore*, à Polyæno verò *lib. 4. in Alexandro com. 27.* appellari *Phrasaorten.*

Madaura, seu *Madurus*, Ptolom. Plin. urbs Africæ Episcopalis olim sub Archiepiscopo Carthaginensi, inter Gætuliam & Numidiam, à quâ Apulejus *Madaurensis* est appellatus: Ibi olim literarum gymnasium, ad quod D. Augustinus adolescens se contulit. Quibusd. urbs fuit Africæ propr. mediterranea, inter Hipponem & Lambæsam ad 60. mill. pass. distans, Cirthæ proprior, nunc pagus tenuis. Baudr. *Madara* vulgò.

Madera, Gallis *l'Isle Madere*, insula in mari Atlantico, nomen à copia lignorum sortita est, nam quicquid inibi erat soli, totum id sylvis opacum densissimis conspiciebatur. Operæ pretium igitur fuit his, qui primi insulam coluêre, ut multo eam igni purgarent; qui adeò grassatus est aliquando, ut etiam viros corripuisset, ni aquis humerotenus immersi sibi consuluissent. Insula in circuitu patet 40. mill. portum non habet, verùm peropportunas stationes. Feracis est soli, licèt saltuosa instar Siciliæ sit, scatet tamen frugibus innumeris: hinc *Regina insularum*, quibusdam dicta: desiit autem fertilitas (licèt adhuc plura producat) nam frequentiore semine attrita est; irrigatur fontibus, & amnibus conspicua est, quorum octo ibi visuntur, qui insulam interfluunt. Apri in montibus visuntur innumeri. Quum primùm culta fuit insula, maxima hic fuit columbarum copia, quibus capiendis, non aliâ arte usi sunt aucupes, quàm ut alligato perticæ uncino, ex arboribus, quibus insidebant, eas detraherent, non paventibus avibus, sed mirantibus, veluti rem non visam hactenus, quoniam nullo habitatore humano culta fuerat insula, sed solis avibus & feris cesserat. Metel. Aliàs *Cerne Atlantica*, Sansoni. Detecta fuit an. 1420. à Joanne Gundisalvo, & Tristane Vasæo, auspiciis Henrici Lusitaniæ R. Longa est 25. leuc. circuitus 60. circiter. Ejus primaria urbs Fungalia. Ibi etiam oppid. Moncrixum & Fanum S. Crucis, cum 36. Parœciis; Insula portus Sancti in vicinia est. Baudrandus, Mariana *lib. 20. cap. 11. hist.* Maff. *lib. 10. hist.*

Madera, vulgò quoque *Madera*, fluv. qui & *Cayane*. Oritur in America Merid. in confinio Peruviæ, versus Argenteam urbem; dein post longum cursum, in Amazonium fluv. se exonerat, infra Cajanam prov. P. Texeira.

Maderaspatanum, urbs regni Narsingæ, in ora Coromandelis & sinus Gangetici, cum portu & arce S. Gregorii, sub Hollandis ab aliquot annis.

Maderiacum, seu *Meceria*, urbs Campaniæ Gall. satis munita, à Mosa fluv. ferè circumdata, vix dimid. leucâ à Carlopoli & ab arce montis Olympi, 4. intra Sedanum in Occ. totidem à Rupe Regia in Eur. 3. tantùm à confinio Duc. Luxemburg. 6. à Bullonio, 8. à Retelio, 16. à Remis in Cæc. Estque satis culta. *Mezieres* vulgò.

Madi, vide *Macidos*.

Madia, nomen viri. 2. Esdr. 12. Item opp. Colchidis in Iberiæ confinio. Ptol. *Chipicce* Moletio.

Madia vallis, Germ. *das Meynthal*, una ex quatuor Helvetiorum præfecturis Italicis, & quidem ordine postrema, olimque Locarnensis Comitatus appendix. Nomen habet à fluv. Madia *der Mayn*, qui ortus prope culmen montis S. Gotthardi, Merid. versus fluit, & post 7. mill. Helvet. ad Locarnum, in lacum Verbanum, se exonerat. Hic vallem bipartitur, cujus superior pars *Val Laniz.eria*, fonte Madiæ gaudet, qui 3. mill. infra recepto fluv. Rouanâ, parti illi vallis *Rouana* nomen conciliat. Plurimi utrobique vici pagique. Olim sub Ducibus Mediol. postea à Maximiliano Sfortia an. Ch. 1515. cum reliquis præfecturis, Helvetiis in operæ fortiter præstitæ præmium, concessa. Vide Stumpf. *lib. 9. de Lepontiis, cap. 10.* Simler. *de Rep. Helvet.* &c.

Madia, vicus agri Bonon. inter Bononiam & Mutinam, 10. mill. pass. utrinque; *la Samogia.*

Madian, filius Abrahæ ex Ceturâ. Genes. 25. Inde, *Madianita*, populi Arabiæ Petrææ in Palæstinæ confin. quorum regio *Madian*: Stephanus *Mandianitas* & *Madrenos* appellat. Incoluerunt hi populi Arabiam Petræam, Palæstinæ vicinam, ubi *Madian* desertum, & urbs, quæ hodie *Salaboni* Theveto. Inter 7. populos internecioni devotos: integro septennio gravi jugo

 premere

preſſere Iſraëlitas, donec his Gedeon liberator obtigiſſet. Geneſ. *c.* 25. Jud. 7. & 8. 1. Par. 1. Joſ. *Antiq. Jud.* Salian. & Torniel. *in Annal. V.T.*

Madinum, opp. agri Tarviſini.

Madiſanites ſinus, Perſici maris pars. Ptol. *Golfo di Saudra* hodie. *Meſanites* habet Steph. *in deſcriptione Arabia.*

Madmena, civitas tribus Judæ. Eſaj. 10.

Madoce, Arab. Fel. opp. Ptol. emporium & regia, extra fauces ſinus Arab. ad 30. leuc. *Aden* Barroſio. Aliis *Menden*, ejuſdem oræ.

Madon, nomen civitatis. Joſ. 11.

Madritum, vulgò *Madrid*, urbs perampla Hiſpaniæ, & ſedes regia, à tempore Philippi II. ad amnem Manzanarem, in Caſtella nova. Crevit ex ruinis Mantuæ Carpentanorum, nunc *Villa Manta* dictæ, vix 1. hinc leuc. Cum palatio regio: Creſcit in dies. 7. leuc. ab Eſcuriali in Ort. 12. à Toleto in Bor. 5. à Compluto in Occaſum. In regiuncula Algarria eſt, ſed ſine muris, edito ſitu elata. Hic Concilium, an. 1473. contra craſſam ignorantiam, ſimoniam & perditum luxum Clericorum. T. 14. Conc. Mariana, *l.* 23. *c.* 18.

Maduallis, ſeu *Bona Vallis*, prædium olim Regale Galliæ, in pago Cenomanico, quod Sigibertus R. Sanctimedardenſibus, præter multa beneficia, delegavit & Warinbertus Epiſc. Sueſſonicus, neglectis Monachis, ſibi vindicavit. Vulgò *la Val*, ad Meduanam fluv. non longè ab oppid. Meduana, in finibus Cenomanorum, cum tit. Comit. Vide Hadr. Valeſium *Notit. Gall.*

Madura, vulgò *Madure*, urbs Indiæ intra Gangem, forſan *Modura* antiq. ſatis ampla & culta, ſub proprio Principe, *Naique de Maduré* dicto, cum prov. ſatis ampla, inter Malabariam ad Occaſum & oram Piſcariæ, ſeu fretum Manarium ad Ortum. Ei ſubeſt ora Piſcariæ, unde magni proventus. Sed clientelaris eſt Regis Biſnagariæ. Subeſt ei & Manaria Inſ. Urbs ipſa Madura eſt ad rad. montium, 60. mill. paſſ. ab ora freti Manarii in Occaſum.

Madus, Camdeno *Maidſton*, oppid. Angliæ, inter Londinium 28. & Rium in ora Mer. 20. mill.

Madyrus, urbs Helleſponti. Steph.

Madytos, vide *Maciſtos*.

Maa, urbs Helleſponti. Steph.

Maander, vulgò *Madre*, fil. Terræ & Oceani, pater Cyanes, quæ Caunum & Biblida genuit, ſecundùm Poëtas. Fluvius ingens Aſiæ, in Phrygiâ magnâ, ex Aulocrene fonte oriens, obliqueque adeò fluens, ut in ſeipſum recurrere videatur, 600. flexiones faciens, teſte Dione Pruſæo. Cariam ab Joniâ ſeparat, ac mare inter Heracleam, & Miletum ſubit. Mæandrum conſtat fluviorum omnium eſſe maximè ſinuoſum. Μόνος γὰρ ἐκ πάντων τῶν ποταμῶν ἀπὸ τῶν ἰδίων ἀρχόμενος πηγῶν εἰς ἑαυτὸν παλινδρομεῖ. Ita Plutarch. *in lib. de Fluminibus.* Et de Labyrintho Dædaleo Ovid. *Met.* 8.

Non ſecus ac liquidis Phrygius Maander in undis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitq; fluitq;,
Occurrensq; ſibi venturas reſpicit undas:
Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum
Incertas exercet aquas.

Et *lib.* 11. *Fab.* 1.

Quiq; recurvatis ludit Maander in undis.

Et *lib.* 9. *Fab.* 5.

——— *Maandri toties redeuntis eodem.*

Silius *lib.* 7.

Qualis Mæoniâ paſſim Maandrus in undâ
Cùm ſibi gurgitibus flexis revolutus oberrat.

Propertius *lib.* 2.

——— *Ut Phrygio fallax Maandria campo*
Errat, & ipſa ſuas decipit unda vias.

Sen. *in Herc. Inſano,*

——— *Qualis incertâ vagus*
Maander undâ ludit, & cedit ſibi,
Inſtatq; dubius litus, an fontem petat.

Hinc à Lucano *errans* dicitur.

Errantem Maandron adit.

Calaber 1. *Verſ.* 281.

Μαιάνδρου τε ῥέεθρα βαθυῤῥόος, ὅς ῥ' ἐπὶ γαῖαν
Καρῶν ἀμπελόεσσαν ἀπὸ Φρυγίης πολυμήλου
Εἶσι πολυγναμπτῇσιν ἑλισσόμενος προχοῇσι.

Hinc & ab Orpheo πολυπλανής, à Nonno πολυγνιδής, & σκολιός appellatur. Vide Solinum *cap.* 43. Æthicus, *Fluvius Maandrus naſcitur in campis Aſiaticis, bicornis, currit quaſi ſint duo redigentes ſe in unum, influit in mare Cycladum, currit millia* 997. Plinius, *Maander*, &c. *crebris ita ſinuoſus flexibus, ut ſæpe credatur reverti.* Strabo, Σκολιὸς ὢν εἰς ὑπερβολὴν, ὥστε ἐξ ἐκείνου τὰς σκολιότητας ἁπάσας Μαιάνδρους καλεῖσθαι. Sic apud Heſychium: Μαίανδρος, εἶδος ἱππασίας, quo equi multiplicibus flexibus & gyris agitantur. Apud Feſtum, *Maandrum picturæ genus dictum à ſimilitudine flexus amnis, qui appellatur Maandrus.* Unde Poëta *Æn.* 5.

——— *Plurima circum*
Purpura Maandro duplici Melibœa cucurrit.

Paria ferè Nonius, apud quem Varro *Maandrata* pro flexuoſis. Sed & *Maandri* dicuntur vafra, & obliqua conſilia. Cic. *pro Piſone: Quos tu Maandros, qua diverticula flexionesq; quaſiſti.* Prudentius *Cathemerinωn Hymn.* 6.

O tortuoſe ſerpens,
Qui mille per Maandros
Fraudesq; flexuoſas,
Agitas quieta corda.

Item *Maandrus*, quæ & *Maandropolis*, Magneſiæ urbs Steph. Cariæ oppidum, ad *Maandrum* fluvium, *Madre.* Et Indiæ extra Gangem mons. Ptolom. Item *Maandria*, Epiri oppidum Plinio, *Alandriana* Pineto. Et *Maandrini* pop. circa Mæandrum fluv. Dictys Cret.

Maandrius Scriba, à Polycrate Samiorum tyranno, quem per inſidias Oretes, præfectus Sardium, interfecerat, domi cuſtos relictus, auditâ heri cæde, ſuaſit Samiis, ut Democraticum Reip. ſtatum amplecterentur: Verùm, cùm populus tumultuari, ac interceptæ pecuniæ Mæandrium accuſare cœpiſſet, hic videns, populo ſervitutem placere, tyrannidem retinuit. Vide Herodot. *lib.* 3.

Maata, Scotiæ populi apud Dionem *in Severo*, juxta eum murum, qui Scotiam ab Angliâ dividit: Horum regio *Laudonia* vocatur à Lhyido. Picticæ gentis fuiſſe credit Buchananus. Montes incolunt aſperos, aquæ indigi, ac campeſtria deſerta paluſtriaque ſine urbibus ac domibus, nudi incedentes fabisque contenti. Northumbros inter Mæatas ponit Camdenus.

Macia, caſtri nomen in Italia, à quo *Macia tribus*. Sex. Pompejus.

Mædi, Thraciæ populi, cis Rhodopen, vicini Macedonibus, qui quoque *Mædobithyni* vocantur. Scribuntur cum *æ* diphthongo, ut differant à Medis populis Aſiæ. Tamen Medos & Medicam regionem ſine diphthongo ſcribunt Strab. & Liv. *lib.* 26. eorumque caput & arcem *Jamphorinam* appellant. Mædica regio eſt Ptol. & in eâ Pantalea urbs. Hinc præfectura Mædica Thraciæ vicina Pæoniæ, apud Ariſt. *de Mirabilibus & l.* 9. *Hiſt.* Vide Steph. Horum regio, quæ *Græcia Macedonica* quibuſdam etiam dicitur, verſus oram maris Ægæi eſt, inter Arderam ad Ort. & Sinum Strimonicum ad Occ. Ejus urbes fuere Oeſima & Doperus. Baudr.

Mamactes Jupiter dictus, à quo *Mamacterion*, quintus Atheniensium menſis, qui eſt hyemis initium, cùm jam aër turbatur.

Manades, eædem quæ Bacchæ, h. e. mulieres inſanientium ritu Bacchi orgia celebrantes, ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, quod ſignificat *inſanire.* Prop. *lib.* 3.

Seu ſequitur medias, Manas ut acta, vias.

Ovid. *Faſt.* 4.

Mentis inops rapitur, ut quas audire ſolemus
Threicias fuſis Manadas ire comis.

Propert. iterum, ubi ſuprà,

——— *Neq; enim Ilia quondam*
Verax Pergameis Manas habenda malis.

Juvenal. *Sat.* 6.

——— *Crinemq; rotant ululante Priapo*
Manades. ———

Manala, oppidum Hiſpaniæ juxta Malacam, Strab. & Avieno.

Manalia, urbs Galatiæ. Steph. Thucydidi regionis nomen, in qua Cyphreſtus urbs.

Manalus, ſive pl. num. *Manala*, Arcadiæ mons altiſſimus, Pani conſecratus, & pinis refertus, ita dictus à *Manalo* Lycaonis filio, ut annotavit Theocriti Scholiaſtes. Eſt & nomen urbis Arcadiæ. Steph. Virg. *Georg.* 1.

Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Manala cura.

Idem *Eclog.* 8.

Manalus argutumq; nemus, pinosq; loquentes
Semper habet; ſemper paſtorum ille audit amores,
Panaq;. ———

Pauſan. *in Arcadicis*, Τὸ δὲ ὄρος τὸ Μαινάλιον, ἱερὸν μάλιστα εἶναι Πανὸς νομίζουσιν, ὥστε οἱ περὶ αὐτὸ, καὶ ἐπακροᾶσθαι συρίζοντος τοῦ Πανὸς λέγουσι. Ovid. *Met.* 1.

——— *Latebris horrenda ferarum*
Manala. ———

Frondens Statio dicitur, & *pinifer* Virgilio.

Manaria, inſula Balearici maris, è regione Palmæ urbis. Plin. Item inſula juxta Corſicam. Baudrando inſula maris Tyrrhen. nunc *la Mallora*, parva admodum, ante Liburnum, 5. mill. ab eo in Occaſ. diſtans.

Manius, Coſ. Rom. an. U. C. 330. devictis navali prælio priſcis Latinis, ac Antiatibus, eorum roſtra navium ærata in foro poſuit. Liv. *lib.* 8. Plin. 34. 5.

Manius, decoctor quidam fuit, & luxurioſus, qui ampliſſimo conſumpto patrimonio, & domo venditâ, columnam tantùm exceperat, unde ſpectaret gladiatores, quæ propterea *Maniana* dicta eſt. Horat. 1. *Sat.* 3.

Egomet mi ignoſco Manius inquit.

Idem *Ep. lib.* 1. *ad Vallam,*

Manius ut rebus maternis atq; paternis
Fortiter abſumptis, &c.

Vide Lambinum *ad locum.*

Mænobora, urbs Mastienorum. Steph. qui alibi *Mastianos* ad Herculis columnas habitare scribit.

Mænolius, Bacchi cognomen, *in Epigram.* quasi *totum furentem* dicas. Μαινόλης apud Plut. περὶ ἀοργησίας.

Mænomena, seu *Manomeni*, Sardiniæ montes. Ptol. *Insani* Livio & Floro, *Canelle* Ortelio. In parte Bor. Insulæ, versus Corsicam; ibique per mediam Inf. currunt.

Mæon, vicus erat Hetruriæ, apud Polymartium, cujus ager adhuc *Meana*, seu *Meona*, divo Anselmo celebris: qui *S. Anselmo di Meone* cognominatur.

Mæonia, reg. min. Asiæ, postea *Lydia*, dicta à *Lydo* Attyos filio, Phrygiæ ab exortu Solis vicina, ad Septentrionem Mysiæ, Meridianâ parte Cariam amplectens, ad Occasum supra Joniam excurrens. Steph. à *Mæone* fluvio dictam tradit. Μηονίη Herod. & Dionysio; unde Μηονὶς gentile fœminium apud Homerum. Et Ovid. *Met.* 6.

Mæonis elusam designat imagine Tauri.

Id est, Arachne, puella Lydia. Et *Mæonidæ* pro Musis. Idem *Met.* 5.

Felicesq; vocat pariter studioq; locoq;
Mæonidas. ——

Et *Mæonides* pro Homero. Ovid.

—— *Aspice Mæoniden*, &c.

Martial. 5.

Et sua riserunt secula Mæoniden.

Item *Mæonius* dictus est Bacchus. Virgil. *Georg.* 4.

—— *Cape Mæonii carchesia Bacchi.*

Mæonii, Tusciæ populi, Silius *lib.* 4.

Mæonys, fluv. qui circa Achaida fluit. Steph.

Mæotæ, Strab. Polyb. pop. fuere Sarmatiæ Asiat. circa paludem Mæotidem ad Austr. inter ostia Tanais fluv. & Bosphorum Cimmerium. *Tartari* Nigro.

Mæotis, palus Scythica, juxta Tanais ostium, Cimmerio Bosporo à Ponto Euxino discreta, ita dicta ab accolis, qui *Mæotæ* appellantur. Lucan. *lib.* 3.

Quaq; fretum torrens Mæotidis egerit undas.

Hinc *Mæoticus*. Virgil. *Æn.* 6.

—— *Jam nunc & Caspia regna*
Responsis horrent divûm, & Mæotica tellus.

Aliqui Tauricam insulam (vel potiùs peninsulam) *Mæotim* vocarunt. Steph. Hinc pisces *Mæotides* vel *Mæotici*, qui in Mæoti capiuntur, vel in genere omnes, vel ut Steph. putat, suæ speciei tantùm, & *Mæotica mella* apud Plin. Ovid. *Trist.* 3. 12. primam corripuit,

—— *Annoq; peracto*
Longior antiquis visa Mæotis hyems.

Quem locum sic emendat Tanaquillus Faber,

Longior à vobis versa Mæotis hyems.

Id est, hyems Scythica, sive Mæotica, jampridem à vobis, qui in Italiâ degitis, versa est, & locum veri adventanti dedit. Cui tamen conjecturæ assensum se præbere posse negat Nicolaus Heinsius, reponit itaque:

—— *Annisq; peracta*
Tardior antiquis visa Mæotis hyems.

Varia nomina hæc palus apud Geographos obtinet; vulgò *Limen*, seu *Mare delle Zabacche*, *Mare della Tana*, & *Mar Bianco* Italis. *Carpalk*, *Mar el Azach* Arabibus, teste Rhamusio. A Scythis olim Temerinda, i.e. *mater maris*, uti tradit Herodotus. Alii tamen non matrem, sed obstetricem vocant, & inde dictam esse Μαιῶτιν. Steph. Τὸ θηλυκὸν Μαιῶτις ὡς Μαιῶτις λίμνη, ἥν φασι κληθῆναι ἀπὸ τῆ Μαῖαν εἶναι Εὐξείνε Πόντε. Ita restituendus locus ille corruptissimus. Paulo aliter Hipparchus in scripto inedito: Περὶ τῶν δώδεκα ζωδίων. Τὸν Πόντον ἔνθα ἐστιν ἡ Μαιῶτις λίμνη, ὡς ἡ τοὺς ἰχθῦς ἀπομαιῶται, ἔνθεν ϰ͂ αὕτη ἡ λίμνη Μαιῶτις ὀνομάζεται. Et certè pisces in hâc palude bene nutriri asserit Juven. *Sat.* 4.

—— *Neq; enim minor hæserat illis,*
Quas operit glacies Mæotica, ruptaq; tandem
Solibus effudit torpentis ad ostia Ponti,
Desidiâ tardos, & longo frigore pingues.

Baudrando sinus est amplissimus, seu potius mare Sarmatiæ, inter Europam & Asiam, per Bosphorum Cimmerium connectitur cum Euxino, & à Buge palude separatur Zenonis Chersoneso. Circuitus est circiter 600. m. p. Habet ad Occ. Tauricam Chersonesum, & Sarm. Eur. ad Bor. Sarmatiam autem Asiat. ad Ort. & Mer. Dicitur *Palus*, quia adeò est humilis, ut plurimis in locis, non nisi scaphis & lintribus possit navigari, vixque naves figere anchoras in mari possint, cùm 40. m. p. distet ab ora littor. plerisque in locis. Mæotis autem palus est inter Tartariam min. & Circassiam, sed ejus ora littoralis versus Bor. tota ferè inculta.

Mæpa, Armeniæ maj. urbs. Ptol.

Mæpha, metropolis Arabiæ Felicis. Ptol.

Mæra, canis Orionis, ut poëtæ narrant; propriè tamen eo nomine capra significatur λευκομέλαινα, i.e. ex albo nigricans. Cæl. Rhod. 17. 18. Hesychius Μαῖρα· κύων τὸ ἄστρον, ἢ ἀκμαιοτάτων καῦμα, οἱ δὲ τὴν Σελήνην. Vide Voss. *de Idolol.* 1. 30.

Mæreum fretum, Gallis *Destroit de le Maire*, Amer. Merid. à Jacobo *le Maire* Batavo, die 25. Jan. 1616. primùm detectum, inter Terram Ignium, & Magellanicam ad Occ. ubi Mauritii tractus, & Statuum Inf. ad Ort. ad Meridiem & Ort. freti Magellanici. *Fretum S. Vincentii* Hisp. sed tantùm ex invidia. Per illud facilè transitur ex mari Brasilico in Pacificum; Longum latumque est circiter 8. leuc.

Mærona, Persidis urbs. Ptolem.

Mæsia, vide *Mœsia*.

Mæsia sylva, cujus Liv. & Plin. meminere. Hodie *Bosco di Baccano* dicitur, ut Annius & Leander tradunt. Territorii Romani in Tusciâ est.

Mæsius mensis, Oscè pro *Majus*.

Mæsius mons, in Mysiâ est, & *Olympus* propriè dicitur, teste Plinio. *Mysius* habet Mela, qui dicit eum sic ab insulis vocari. Prius *Saturni collem* vocatum scribit Isacius *in Lycophronem*. *Calogeron oros*, Gr. *Geschisdag* Turc. Leuncl.

Mæsolia, regio Indiæ intra Gangem, Ptol. *Mæsoli* pop. Arriano. *Mæsolus* fluv. ibidem, Ptol.

Mæson, histrio quidam Megarensis, à quo natum proverbium, *Mæsonica dicteria*.

Mætonium, Sarmatiæ Europææ oppidum. Ptol.

Mævius, idem cum Vesevo. Vide ibi.

Maffæus Johannes Petrus, Bergomas, Græcè & Latinè egregiè doctus, Romam primò profectus est, ubi omnes in admirationem sui rapuit: dein Genuam delatus, Rhetoricam ibi professus est. Hinc Jesuita factus, vitam Ignatii scripsit, & historiam Indicam compositurus, in Lusitaniam ac Hispaniam transiit, ubi à Philippo II. honorificè est exceptus; jussus dein à Gregorio XIII. historiam Papatus sui condere: Sed nec hoc nec alia quædam ejus opera lucem viderunt. Vir etiam minimæ molestiæ impatiens, sed in poliendis scriptis suis diligentissimus. Obiit an. 1603. æt. 74. Laur. Crassus, *elog. Vir. erudit.* Alegamb. *de Script. Soc. I.*

Maffæus Vegius, Datarius Martini V. An. 1430. Scripsit 7. libb. de Perseverantia, in Psalmos Pœnit. decimum tertium lib. Æneidos, Epigrammata, &c.

Maforium, Græcobarb Μαφόριον: Stola seu pallium, cùm fœminarum, tum Monachorum, Isidor. *Orig. lib.* 10. *cap.* 25. *de palliis fœminarum.* Stola, matronale operimentum, quod cooperto capite & scapulâ à dextro latere in lævum humerum mittitur: Græceque hinc, quòd superemittatur, nomen habet. Eadem & *Ricinium* Lat. eò quòd dimidia ejus pars retro ejicitur, quod vulgò & *Mavortem* dicunt, i. Martem, quia in illo signum maritalis dignitatis & potestatis. De Monachali habitu sic è Glossar. Arabico-Latinis Meursius: *Maforium*, facialis Gr. φακιάλιον, i. angustum pallium, quo utuntur Monachi, collum pariter atque humeros tegens. Vide apud eum plura, in nomine Græcob.

Magadoxa, urbs ampla Zanguebariæ, caput regni cognom. cum arce & portu capaci. Aliàs expugnata & malè habita à Lusitanis; in regno Adeæ & ora Ajani, ad ostia fluv. Magadoxi, 450. m. p. à faucibus sinus Arabici seu maris Rubri in Mer. 600. à Dioscoridis Inf. in Africum. Vulgò *Magadoxo*.

Maga, seu *Magna*, Lib. Notit. Anton. *Magnis* opp. Walliæ, *Old Radnor* Camdeno. Opp. Walliæ inter Iscam Legionem Aug. 43. & Uriconium 25. m.p.

Magaa, Siciliæ fons, haud procul à Plemmyrio, Plin. 3. 8. *La fontana de la Maddalena* hodie Cluverio.

Magala, nomen loci. 1. Reg. 17. 20.

Magalonensium urbs, hodie *Maguelone*, urbs Gall. Narbon. sub propriis quondam Comitibus. Inde 15. leuc. in Ortum, intra stagna Volcarum, adeoque mari pæne undique cincta, cujus gradus portus Saracenus *le port Sarasin* dictus est, extincta, postquam Saracenis eam Car. Martellus eripuisset, An. Chr. 737. Hanc per annos amplius 300. desertam, ac ruinis deformem, tandem Arnaldus Julianus Episcop. muris turribusque circummunivisse, & clauso gradu, quo Saraceni prædones ex Africa & Hispania Magalonam invadere ac in Septimaniam erumpere consueverant, alium non procul ab urbe navibus gradum extruxisse fertur. *Insula Magalo* haud malè Scaligero dicitur, quæ fortè est Alonis Inf. & urbs Massiliensium, Stephano περὶ πόλεων ex Artemidoro, memorata. In Not. vett. inter prov. Narbonensis primæ civitates ultimo loco ponitur, in cæteris sexto. In divisione diœceseon à Wamba R. facta, inter Septimaniæ civitates secundum locum obtinet. Diu sub Gothis Episcopalis olim sedes, quibus temporalis potestas demum sub Innocentio III. post Albigenses turbas, obtigit, nunc domus tantùm cum templo in mediis stagnis. 2. leuc. à Monte Pesulano, quæ ei successit, sede, ob piratarum Africanorum incursiones, Francisci primi jussu, eò an. Chr. 1536. translatâ. *Magalona* meminit Theodulfus *in Paranesi ad Judices*,

Hinc Magalona habuit lævam, Sextatio dextram,
Hic scabris podiis cingitur, illa mari.

Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Magana, mons Calabriæ, Ancyræ urbi imminens, qui ex eo hodie nominatur *Monte d'Angori*.

Magaris, Indiæ intra Gangem opp. Ptol.

Magarsus, maximus collis in Ciliciâ juxta Mallum, Steph. Vide *Megarsus*.

Magas, à Cyrene expeditionem faciens, reliquit socios, qui urbem tuerentur. Instrumenta verò, atque tela & machinas arci inclusit, & mœniorum propugnacula sustulit, ut, si quid novi molirentur, apertum haberet per mœnia introitum. Vide Polyæn. *lib.* 2.

Magdala, civitas in litore stagni Genesareth, sive maris Galilææ.

Fœminæ illustres.

Magdalena Francica, quinta fil. Caroli VII. ex Maria Andegav. Sapientiâ & formâ inter primas sui seculi, desponsata Ladislao Hungariæ & Bohemiæ Regi, illo, non sine veneni suspicione, sublato, nupsit Gastoni Foxio, Principi Vianæ, primogenito Gastonis IV. ex Eleonora Arragonia, Navarræ hærede, an. 1462. Marito an. 1470. ex vulnere, quod in ludis equestribus acceperat, mortuo, solicitè educavit filium Franc. Phœbum, & filiam Catharinam. Dissidia Bellimontiorum & Grandmontiorum, in Navarræ regno sustulit, filium coronam hanc suscipere, læta vidit, cui an. 1483. æt. 16. veneno sublato, successit Catharina soror, Johanni Albretano postmodum nupta. Obiit Pompeiopoli, quò filiam deduxerat. An. 1486. Favin. *hist. Navarr. &c.*

Magdalena Bavarica, fil. Guilielmi V. ex Renata Lotharingica, uxor Wolphgangi Guilielmi, Com. Pal. & Ducis Neoburgici, qui ut illâ potiretur, Evangelium ejuravit.

Magdalena de Chemeraut, Pictaviensis, prosâ versuque varia edidit. Hilario Costus, *elog. fœm. ill.*

Magdalena de Laubespine, Villaregii domina, uxor Nicolai de Neuville, Villaregii dom. ministri fidelissimi Francisci II. Caroli IX. Henr. III. Henr. IV. & Ludov. XIII. itidem egregiè docta. Obiit an. 1596. Vide Morer. *Diction. Hist.*

Magdalena Maria, mulieris nomen, quæ soror fuit Marthæ & Lazari, conversione sui & gratiâ Servatoris insignis, Matth. 28. Luc. 8. Vide tractat. *de tribus & unica Magdalena*, An. 1519. à Jac. Fabro Stapul. & Jod. Clitovæo editum.

Magdalena Neveu, Pictav. mater Catharinæ, *ad quarum ædes, tanquam ad aliquam Academiam, viros literarum & elegantiarum amantes confluxisse*, refert Scævola San Marth. *in elog.* Vide eundem Morer.

Magdalena Sabaudica, uxor Annæ Montmorantii, famosi illius Galliæ Connestabilis, ingentis animi fœmina.

S. Magdalena, Ordo milit. à Johanne Chesnelo, nobili Britanno inventus, & in consilio Ludovici XIII. an. 1614. propositus, quo inprimis equites adstringendi erant, ut à duellis abstinerent, successu caruit. Favin. in *Theatr. hon. & Eq.*

Magdalena fluv. *Rio de la Madalena*, Americæ Merid. in novo regno Granatensi. Recipit *Carara*, *Pati*, *Guali*, fluv. cum aliquot aliis. Dein in fluv. S. Marthæ se exonerat, in gubernio seu prov. S. Marthæ.

Magdalgad, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Magdalon, urbs Ægypti. Jer. 44.

Magdalsenna, h. e. *turris Senna*, ostendebatur usque ad tempora Hieronymi, *villa in septimo lapide Hiericus, contra Septentrionalem plagam, in tribu Ephraim.*

Magdalum, Mariæ Magdalenæ castrum, ubi & nata ac sanata est, situm est in littore maris Galilæi, & ab Aquilone atque Occidente magnam habet planitiem: vocatum est Magdalum à turribus & munitionibus, quibus magnificè erat munitum, in tribu Zabulon, 8. m. p. à Bethsaida. 6. à Jotapata in Ort.

Magdalus, locus in monte situs, juxta quem castrametati sunt filii Israël. Exod. 14. Num. 33.

Magdeburgum, vulgò *Magdeburg*, seu *Meydburg*, olim *Parthenopolis*, à Venere Parthenia, quæ ibi celebrabatur, sic dicta, metropolis ac primaria est urbs Saxoniæ infer. sita ad Albim fluvium. Emporium fuit celebre, ubi Veneris simulachrum in curru stantis, cum tribus Gratiis, colebatur, unde nomen natum est loco, ut *Parthenopolis*, i. puellarum urbs diceretur, quod & *Magdeburg*, vox Germanica sonat. A Johanne Capnione, viro doctissimo, *Dmoadum pyrgum* dictum. Æneas Sylvius Magdeburgensem vocat & *Virginopolim* metropoliticam insignem urbem, inter Saxones, opibus & authoritate memorabilem scribit. Ptolom. *μαίνιον*, si litera non est falsa, *libr.* 2. hanc urbem dixit. Hanc civitatem Otto primus condidit, ductu ejus conjugis Edithæ reginæ, Regis Edmundi Anglorum Filiæ, quæ & ibi sepulta est. Hæc inclyta urbs Imperatorum Pontificumque sedes honesta, tres in partes dividitur, estque munita mœnibus & propugnaculis, turribus quoque ac fossis excellens. Hinc frustra à Carolo V. Imperatore obsessa. Fr. Irenic. & Metel. Hodie, in ditionem transiit Electoris Brandeburgici, cum tit. Duc. pace Monaster. & reparatur utcunque, postquam an. 1631. ab Austriacis, Tillio duce, qui ab illo tempore semper infelix, expugnata, desolata & penè destructa est. 12. leuc. à Witteberga in Circium, 9. ab Halberstadia in Ortum. Quibusdam est *Mesvium* antiqq. teste Petro Appiano. Caput est regiunculæ cognom. *das Ertzbischthum* vel *Ertzstifft Magdeburg* vulgò, quæ terminatur à Septentrione veteri Marchiâ Brandeburgicâ, uti mediâ ab Ortu, à Meridie autem Principatu Anhaltino, & ditione Halberstadensi. Ex ea etiam pendet Halla Saxonica, licet intra limites Saxoniæ. Alia oppid. parvi sunt momenti. Post obitum præsentis Administratoris, è domo Saxonica, juris erit Brandeburgici, ut dictum. Archiepiscopatus enim fuit, à Carolo Magno institutus, post confectum bellum Saxonicum 33. annorum. Sedes Archiep. primò in Styde, tum ad Wasserlere, tertiò in Vrese, tandem per Othonem I. an. 930. Magdeburgum translata, ejusque auspicio in Primatum Germaniæ evecta est. Præc. sec. Lutheri doctrinam Archiepiscopus cum ditione totâ est amplexus Albert. Crantz. *de Episcop. Magdeburg.* Andreas Wernerus, *Chron. Magdeburg.* Cluverius *descript. Germaniæ*, de hac Itiner. *lib.* 7.

Nobile se nobis Madeburgum ostentat, & altas
Insignes turres ac templa extendit in auras:
Salve urbs pace potens, salve clarissima bello,
Nomine Parthenopen referens, Lacedæmona factis.

Magdelonus Jacobus, Hollandus, Dominicanus, Græcè Hebraiceque doctissimus, scripsit *Correctorium Bibliorum, Compendium Bibliorum metricum, &c.* Valer. Andreas *Bibl. Belg.* Anton. Senensis, &c.

Magdelonus Jarrius, Poëta, Orator & Historicus insignis. Scripsit *des faits des François*, qui liber nondum prodiit. Obiit anno 1573.

Magdiel, dux ex posteris Esau. Gen. 36.

Magdojus, Ægypti opp. à Pelusio 12. mill. pass. Serapium versus. Steph.

Magdunum ad Averam, castrum Galliæ vetus, in finibus Biturigum, ad Averam fluv. vulgò *Mehun sur Yeure.* Averam autem Utrione auctum Cares fluv. apud Virsionem castrum accipit, & unà cum Salera in Ligerim defert. Est & aliud ad Angerem, *Mehun sur Indre*, in finibus Biturigum Cuborum, aliaque nonnulla alibi. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Magdunum ad Ligerim, opp. Duc. Aurelianensis, ad Ligerim, ubi Lifardus comite Urbicio cellulam sibi extruxit, ad fluviolum Malvam *Mauve*, ibique obiens Urbicio Monasterium Magdunense regendum commendavit. 4. leucis infra Aurelias, in Occasum, Blesas versus; *Mehun sur Loire.* Caput pagi cogn. in quo Rausedonis villæ meminit Leodebodus Abbas, apud Helgaldum: vulgò *le Mehunois.* Idem.

Mageddo, vel *Megiddo*, civitas in tribu Manasse. Jos. 17. quam reparavit Salomon. 3. Reg. 3. 9. Hìc occisus est Josias. 4. Reg. 23. *Subimbre*, Brochardo, *Suberge* aliis.

Magella, oppidum Siciliæ Polyb. Nunc *Mugellino* est, castrum vallis Neætinæ, Fazello. Sed Brietio est *Rosmano*, oppidul. ejusdem vallis, ubi vestigia magnæ urbis. 5. mill. ab Enna in Ort. prope Chrysam amnem. *Macella* Polyb.

Magellanica, vulgò *la Magellanique*, regio Americæ Meridionalis, amplissima versùs Austrum, inter fluvium Argenteum ad Boream & fretum Magellanicum ad Meridiem, sic dicta à Ferdinando Magellano Lusitano. Sed nulla urbs in toto illo tractu, neque colonia Europæorum. Aliàs Hispani construxerant urbem quandam, *Philippopolim* dictam, in parte Boreali freti Magellanici; eoque coloniam duxerant maximis sumptibus, ut sic Anglorum & Batavorum naves per fretum transeuntes tormentis bellicis impeterent; sed id frustra tentarunt, & paulò pòst illa colonia omnino excidit, fame aliisque miseriis necata: unde postea Angli, qui per hoc fretum transierunt, illius Philippopolis rudera Portum Famis, *Porto Fame*, vocarunt; vixque ejus apparent vestigia.

Magellanica insula, *l'isle Magellanique*, dicitur à quibusdam ea insula perampla Americæ Meridionalis, quæ ab aliis vocatur Terra Ignium, inter Fretum Magellanicum & Fretum Maereum. Vide *Terra Ignium.*

Magellanicum Fretum, *Destroit de Magellan* Gallis, *Estrecho de Magaglanes* Hispanis, Fretum amplissimum & oblongum, quo conjungitur mare Boreale seu Magellanicum cum Pacifico seu Austrino, ab Ortu in Occasum extensum, inter Magellanicam ad Boream & Terram Ignium ad Austrum, per centum leucas. Detectum fuit à Ferdinando Magellano Lusitano anno 1520.

Magellanicum mare, *mer Magellanique*, pars est Oceani Austrini, versus Magellanicam regionem & partem Meridionaliorem Americæ, tam prope partem Orientalem Freti Magellanici quàm versus Occidentalem etiam, & Austrum Terræ Ignium & Freti Maerei.

Magelli, Liguriæ pop. Plin.

Mageta, populi Africæ Ortelio, gæsis utentes. Stat. 2. *Achilleidos*,

Quo Magetæ sua gæsa citent.

Mageth, civitas Galaad. 1. Macchab. 5.

Magetrobia, oppid. Sequanorum, ubi Ariovistus Rex Germ. Rhenum transgressus prælio fusus est. *Mont-beliard* Gallis. *Magetrobiga* & *Amagetrobiga* dicitur. Quibusdam est *Magstat*, oppidul. Lotharingiæ, 6. leuc. à Marsalio in Bor. Aliis *Bingium*, opp. Germ. ad Rhen. ubi Navam amnem recipit, in dit. El. Moguntini, & in limite Palatinatus Rheni, 4. mill. Germ. infra Moguntiacum in Occ. Confluentem versus.

Magi, Sacerdotes & Philosophi Persarum, quibus & sacra & publica

publica rescuræ, magno apud omnes pretio, Astrorum præcipuè contemplationi vacabant: Horum auctor Zoroaster, seu Astrotheates, doctrina verò nihil aliud fuisse videtur, quàm naturalis quædam Theologia, Numinis cujusdam cultui superstructa, Arnob. Ex his, Cambyses in Ægyptum movens, nomine Patizithen, regni præfectum, se absente, constituit. Herod. *libr.* 3. qui addit, hujus fratrem Smerdin, throno occupato, aliquandiu Persiæ illusisse, sed utrumque brevi sublatum, & Magos reliquos extinctos: unde *Magophonia*, celebre apud Persas festum. Quanta autem his olim fides habita, Agathias *hist. lib.* 4. inprimis ostendit, cùm refert, Persas, ab aliquo horum certiores factos, viduam reginam in utero ferre, ventrem hujus coronasse, & embryonem regium, Regem proclamasse, indito Saporis nomine, diu antequam in lucem prodiisset. De Magis, qui ex Oriente venerunt Christum salutatum, Vipertus Theolog. Pontif. historiam scripsit fabulis undique refertam, aliique mira commenti sunt. *Sapientes* illos fuisse, ex Abrahami Cethuræque posteris, probabilis conjectura est. Vide Strab. *lib.* 5. Frid. Spanhem. *Dub. Evangel.* Casaubon. *Exerc. Baron.* Brisson. *l. de reg. Pers.* Bulenger. *in Eclog. ad Arnob. cap.* 5. & 6. Philelph. *lib.* 2. *Conv.* Heurn. *lib.* 1. *Phil. Barbar.* Voss. *cap.* 1. *de Philos. Sect.* Naudæum, *apol. des grands Hommes accusez de Magie.* Morer. *in Diction. histor.* Bodin. *de Dæmonomachia, &c.* V. etiam in voce *Magus.*

Magi, populi circa Mediam. Steph. quorum urbs Pasagarda. Plin. & Sol. Vid. & Ovid. *Metam l.* 7.

Magia, fons Siciliæ in agro Syracusano. Item urbs Illyriæ. Steph. & alia Carmaniæ, Ptol.

Magida, Ptol. *Masin*, Interpp. Caramaniæ urbs.

Magina, Pannoniæ, vel Norici opidum. Lib. Notit.

Magiovintum, vel *Magintum*, Angliæ urbs. *Dunstable* Camdeno in agro Bedfordiensi.

Magister, quantus in Imperio titulus olim fuerit, indicat Cassiodorus *Variar. lib. 6. form. 6. de Magisteria dignitate.* His tribui solet, qui vel classi, societati & muneri præsunt, vel in scientia aliqua, præsertim literaria, eminentiæ gradum consecuti sunt. Gloss. ad Clem. *lib. 5. tit. 2. cap. 2. de Magistris*, ait, quod quidam dicunt, quod Doctores in jure Canonico & Civili: *Magistri* dicuntur in Theologia vel Artibus: & secundùm Hostiens. qui septem docent artes liberales, sicque recipi apud Italos. Sed Ultramontani communiter, inquit, vocant *Magistros.* Videntur & in textu ibidem ipse Clemens V. totumque Viennense Concilium *Magistri* & *Doctoris* vocabula confundere. Ad coercendum enim ingentem *Doctoratus* seu *Magisterii* ineundi sumtum, cavent, ut dictum recipientes honorem, juramento prius adstringantur, ne ultra 3000. Turonensium, argenteorum, in solennitate expendant. Imo usitatiorem tunc fuisse apud Anglos *Magistri* titulum, quàm Doctoris, suadent Trevetti Annales MS. & Matth. Paris ad A. C. 1267. teste Spelmanno. Sed Lotharii Imp. tempore differentia *Doctorum* & *Magistrorum* exorta est, circa quod tempus artem typographicam Moguntiæ inventam esse, refert Stephanus Pomeranus J C. *libr. 3. part. 2. cap.* 14. qui & Doctores omnes antea sub *Magistris* fuisse contentos memorat. Apud Anglos, *Doctoris* nomen & gradus, sub ævo Johannis R. videtur innotuisse. Magnus *Magister* Franciæ, sub tertia Regum serie, idem, qui sub prioribus duabus Comes Palatii & Major domus nuncupatus est, sub initio etiam tertiæ, Senescallus Franciæ: apud Orientales Megadomesticus. Unde Henricus II. Angliæ R. jure Comitatus Andegaviæ, hæreditarius fuisse Magnus Magister Franciæ Tillio dicitur, apud Henricum Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Magistos, Elidis urbs in Peloponneso. Herod.

Magistrica, op. Norici in Carinthia, inter Villacum & Salisburgum, *Madran* Lazio

Magita, Arabiæ Fel. populi. Ptol.

Magius, præfectus Pisonis, in quem Gallus productus testis, quum innumerabilem pecuniam Magio datam dixisset, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret: *Erras*, inquit, *Scaure: Ego enim Magium non conservasse dico, sed tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abstulisse*, Cic. *de Orat.* 2.

Magius, prænomine *Cneus*, Præfectus Fabrûm Cnei Pompeii, Cremonensis, Velleii Paterculi avus; qui cùm post mortem Pompeji Bruto adhæsisset, illius quoque præfectus fabrûm: eo victo in Italiam rediit ac demum bello Perusino sibi manus attulit. Cicero Cæsar Patercul.

Maglana, Britanniæ ins. op. Lib. Notit. *Maclenith* Camdeno.

Maglianum, vulgò *Magliano*, urbs parva, Sabinæ primaria, in dit. Pontif. prope Tiberim. *Manliana* quibusdam. Ejus Ep. unus est ex 6. antiquioribus Cardinal. & Sabinensis dicitur. In colle, 4. mill. supra Civ. Castellanam in Cæc. 20. circiter Româ in Bor.

Maglova, urbs Comit. Mongomer. in Wallia, Angliæ prov. *Machleneth* Camdeno.

Magna, insula Libyca. Vide Steph.

Magna Charta, augustissimum Anglicanarum libertatum diploma & sacra anchora, condita anno 9. Henrici III. & confirmata denuo annis 25. & 28. Eduardi I. Prima est inter Regni constitutiones, & Erythrea i. sanguinea, Spelmanno, quòd multo majorum cruore conservata sit: *Magna* ab amplitudine, est enim Chartâ Forestæ major, dicitur. Prima ejus fabrica emanavit, ab Henrico I. qui pleraque ejus capitula, vel specialiter in distinctis articulis, vel generaliter sub confirmatione legum Eduardi Confess. spontaneâ voluntate, tum Ecclesiæ Anglicanæ, tum Magnatibus Regni concessit. Imo & altius quidam ejus originem, ab ipso nempe Guilielmo I. repetunt, qui legem Eduardi Confess. cum quibusdam auctionibus ratione juris feodalis, (quod ipse primus Anglis imposuit, cumulatius Guil. Jun. auxit, & cohibere in multis dignatus est Henricus I.) in singulis observandam concessit. Hanc novarum consuetudinum abrogationem ab Henrico I. factam, confirmarunt Successores Stephanus, Henricus II. Richardus I. qui bonarum legum observantiam juravit, ut & Johan. sub initium regni. Sed tertio anno orta inter Regem & Innocentium Papam gravissimâ disceptatione, circa electionem Arch. Cantuariensis, quem hic inconsulto Rege, contra jus regni, intruserat, Rex Monachos Cantuarienses in exilium misit, eorumque terras fisco ascripsit. Sed excommunicatione quinquennali, & Philippi Francorum R. viribus territus, se & regna sua in Papæ credidit patrocinium, coronam supplex tradens Legato ejus Pandolfo: simulque juravit commissorum omnium redintegrationem & legum Eduardi Conf. observantiam, concesso insuper Papæ censu annuo 700. marcarum sterling. pro regno Angliæ, & 300. pro Hibernia. Verùm dum, circa legum prædictarum observantiam, tergiversatur, Proceres d. 14. Kal. Nov. A. C. 1214. velut orationis gratiâ ad Monast. S. Edmundi Buriensis coëuntes, Chartam Henrici I. propugnare jurant, exercituque coacto, quem *Dei & S. Ecclesiæ* nominant, Regem à suis desertum eò adigunt, ut petitis satisfaciat: electis 25. Nomophylacibus, qui libertatum tuerentur castitatem Regemque vacillantem brachio cohiberent populari. Cujus pacti cùm brevi Regem pœniteret, Barones ab Innocentio III. nequicquam excommunicati, ad Papam id non spectare asserunt, sibique Regem eligunt Ludovicum fil. Franciæ Regis, unde intestina bella, cædes, incendia, funesta omnia. Mox sequente anno, mortuo Johanne, filium ejus Henricum III. sibi præficiunt Regem, exuto Ludovico: qui in coronatione sua de more bonas leges jurans, libertates petitas denuo concessit, anno Regni 9. & cùm biennio pòst nutare videretur, à Baronibus acriter instantibus permotus, illas confirmavit, sanctius in posterum servandas. Quibus cùm tarda esset fides, Barones in Parlamento Londinensi A. C. 1244: multa ad Chartarum roborationem, sed frustra, petierunt. At novâ pressus egestate, An. Dom. 1253. regni sui 37. ad novam Rex accessit pactionem, rursusque Charta confirmata est, cum anathemate formidabili, quod Innocentius IV. rogatus bullâ roboravit, additis etiam de suo aliquibus ad terrorem. Verùm anno proximo Rex, cùm se & regnum, sub pœna exhæredationis, Papæ obligaret, ad pecuniæ solutionem, quam in bello Siculo foret expensurus, causâ suâ, à conventis iterum discessit: Iterumque A. C. 1258. regni 42. unà cum Eduardo filio suo de novo, seu telis victus Ecclesiæ, seu pertinaciâ Procerum territus, Chartarum juravit observantiam, & 24. prudentium virorum consilio se commendavit. Vix elapso autem biennio Rex ab Urbano P. vinculo juramenti solutus est, hinc novæ turbæ, bellum, captivitas Regis & filii: sed filius brevi elapsus Proceres fundit Patremque & regiam dignitatem liberat, Anno Chr. 1265. Actum cùm videretur de libertatibus, Rex sponte, præter omnium spem, Chartas in toto regno tenendas statuit: quod Eduardus I. patre mortuo, Anglorum *Justinianus* dictus, æterno robore stabilivit, anno regni sui 25. & Parlamentariâ auctoritate confirmavit, additâ insigni coronide, quam *Articulos super Chartas* appellant. Electi tum è militibus cujusque Comitatus per Comitatenses in foro Comitatus sunt 3. Justitiarii, qui diplomate fulti Regio, de delictis cognoscerent contra Chartas, easdemque sartas tectas conservarent. Post varios casus & tot discrimina rerum, emicuere sic tandem sacræ hæ Chartæ libertatum Angliæ, pleno vigore: atque eo supra à succedentibus Regibus confirmatæ sunt: decimâ quartâ sc. vice solo sub Eduardo III. Et uberius demum sub divo Jacobo: verba Henr. Spelmanni *Glossario Archæol.*

Magna Græcia, regio fuit ampla Italiæ, aliàs Apuliam utramque Messapiam seu Calabr. Lucaniamque cum Brutiis continens. Postea constitit in Lucania & Brutiis, quanquam multi ei etiam addant Messapiam, ubi Calabri & Salentini. Ibi nunc Calabria cit. & ulter. Basilicata, cum parte Austr. Principatus citer. quibus adjungitur Terra Hydruntina à quibusd. In regno Neapol.

Magna mater, V. *Cybele.*

Magna villa, opp. munitum Normanniæ, in ora littor. maris Brit. versus Ins. Cæsaream, à qua 7. leuc. in Austr. distat, uti 6. à Constantia, 5. à monte S. Michaëlis in Sept. *Grandisvilla* quibusd. *Granville* Gall.

Magnæ, Vid. *Magæ.*

Magnata, urbs Hiberniæ. Pop. *Magnates.*

Magnentius, natione Barbarus, Rom. Imper. an. U. C. 1103. Coronam Augustoduni, in Galliâ, arripuit, Anno Chr. 350. Constan-

ſtantemque Imper. in Ruſcinonenſi Com. interfici juſſit. Dein Africâ, Italiâ & Galliâ potitus, uſque in Noricum & Pannoniam poteſtatis ſuæ limites extendit. Per ſuos, Româ captâ, Nepotianum, Imperatorem ſalutatum, ſuſtulit, rerumque ſucceſſu ebrius, Conſtantio Imper. inſultavit. Expugnatâ poſt hæc & ſolo æquatâ Siſciâ, omnibusque ad Savum locis direptis, prope Murſam in Pannonia victus eſt, Anno 351. à Conſtantio, qui florem ibi militum perdidit. Victus Aquilejam primò conceſſit, inde ut & totâ reliquâ Italiâ pulſus, in Alpibus Cottiis tertiâ clade acceptâ Lugdunum aufugit. Deinde in furorem converſus, Deſiderium fratrem vulneravit, Matrem, quæ pro vate habebatur, quoſdamque amicos interfecit, tandem verò ſe gladio confodit, an. 353. regni 3. Trip. Hiſt. *l.* 5. 10. Frater Decentius, Cæſar creatus, in Senonibus ſeipſum ſtrangulavit. Aur. Victor. *in epit.* Eutrop. *Hiſtor.* Hieron. Idacius & Marcellin. *in Chron.* Julian. *orat.* 1. *&* 2. Socr. *libr.* 2. *cap.* 10. *& ſeqq.* Sozom. *libr.* 4. *cap.* 1. *& ſeqq.* Zoſimus *lib.* 2.

Magnes, pater Glaphyræ, conditoris Glaphyrarum urbis Theſſaliæ. Steph.

Magnes, Athenienſis Comicus antiquæ Comœdiæ, tempore Epicharmi, docuit fabulas 9. vicit 2. V. Schol. *in Equit.*

Magnes, Smyrnæus puer præ cæteris mortalibus formoſus, poeticâ inſuper & Muſicâ ornatus, coronâ inſignis aureâ, ac habitu molliore indutus civitates obibat, multis dilectus, præſertim Gygi Lydorum regi. Parentes autem probrum hujuſmodi peroſi, captâ occaſione comam ejus inciderunt, & veſtem, ornatumque omnem laceraverunt. Quare perturbatus Gyges in Magneſios bellum movit, quibus tandem ſuperatis revertens, Sardibus Panegyricum celebravit magnificentiſſimum. Suidas.

Magnes, in re nautica hodie maximi uſus. Perpetuò enim index magneticus lineam meridianam, eoque plagam Septentrionalem ſemper monſtrat, quamvis alicubi cum aliqua variatione ſeu declinatione, quam *Chalyboclifin* vocant, primùm Sebaſtiano Cabotto obſervatam. Utiliſſimæ hujus proprietatis *magneticæ* inventio communi ſuffragio Johanni Goiæ (alii Flavium Giram vocant) Amalphitano defertur, circa Annum Chr. 1300. Ad minimum, in vulgus, ante illum, arcanum hoc non fuit notum. Memorabile enim eſt, Poëtam Gallum, nomine *Gujot de Provines*, jam circa Annum Chr. 1200. pyxidis nauticæ mentionem feciſſe, verbis, poſtquam de Polo Arctico locutus fuerat, ſequentibus:

Icelle eſtoile ne ſe muet,
Un art font, qui mentir ne puet,
Par vertu de la marinette,
Une pierre laide & noirette,
Où le fer volontiers ſe joint.

Vide Athanaſ. Kircherum *de Arte Magnetica*, Gaſſendum, &c.

Magneſia, urbs Aſiæ, in Joniâ, teſte Plinio, vel in Cariâ apud Mæandrum fluv. & Thoracem montem, teſte Diodoro, media inter Epheſum & Tralles. Epiſc. ſub Arch. Epheſino. 30. m. p. ab Epheſo in Ort. 25. à Tralle in Auſtr. 80. à Smyrna in Eur. P. à Via. 1. aut altero mill. à Mæandro fluv. Baudr. Hic Themiſtocles Athenienſis patriâ pulſus interiit, cùm rex Perſarum hanc ei urbem in panem dono dediſſet, & Antiochus à Scipione victus eſt, Andronicus quoque Imper. cum Turcis infeliciter ibidem pugnavit, An. Chr. 1303. Mahometes quoque à Patre Amurathe, ob indicia crudelitatis, huc relegatus eſt, Anno Chr. 1590. vulgò *Mangreſia*. Item *Magneſia* altera urbs Lydiæ ad Sipylum mont. proxima Sardibus. Epiſc. ſub Arch. Lyſtrenſi, *Maniſſa* Leunclavio. Item regio Macedoniæ inter Pieriam ad Bor. & Theſſaliam in Auſtr. in orâ maris Ægæi ad Ort. Baudr. prov. eſt Theſſaliæ in Maced. inter Sinum Thermaicum ad Bor. & Pelaſgicum ad Mer. Ab Occ. habuit Phthiotidem & Pelaſgiotidem, à Bor. Pieriam, ad Peneum. Hic Pelion, Oſſa, Olympus, Tempe Theſſalica. Ibidem ad Ort. *Magneſia* prom. quibuſdam *Capo di S. Georgio.* Briet. *Capo Verlichi*, Soph. Pop. *Magneteѕ.* Ovid. *Met.* 11.

——— *Conſiſtere Pelea terra*
Fata negant, Magnetas adit vagus exul, &c.

Hinc *Magneſius*, & *Magneſſus.* Hor. 3. *Od.* 7.

Magneſſam Hippolyten dum fugit abſtinens.

Hi, violato Numine, tot malis, teſte Strab. *l.* 13. afflicti ſunt, ut à Mileſiis prorſus deleti adagio locum fecerint, *Magnetum mala*, de malis ingentibus. Suidas.

Magniana, op. Pannoniæ ſuper. in Hungariâ. *Zika*, teſte Lazio.

Magnilocenſe cœnob. *Manlieu*, vicus Galliæ Aquitan. cum monaſterio, in Arvernorum finibus.

Magnopolis, olim *Eupatoria*, urbs Paphlagoniæ excîſa, Mithridatis regia, poſtea *Pompejopolis*, ſic à Pompejo, qui Mithridatem vicit, dicta. Item urbs Germaniæ, vulgò *Meckelburg*: *Megalopolis* quoque & *Megapolis.* Olim Epiſc. ſub Archiep. Bremenſi, Ducatusque caput: nunc caſtrum tenue Duc. cognom. vix 3. m. p. à Wiſmaria in Mer. Suerinum, ſede nunc Epiſc. decorum, verſus, à quo 12. m. p. diſtat. V. *Megapolis.*

Magnum littus, nunc *Arquico*, portus & urbs Abexiæ, in ora ſinus Arabici, contra Macariam Inſ. aliàs ſub Abyſſinis. Multis *Ercoco* dicitur.

Magnum promuntorium, quod & *Olyſſipponenſe* Plinio ſeu *Luna*, dicitur, Luſitaniæ promuntorium apud oſtia Tagi. Vulgò *Cabo de Caſcais*, nunc *Capo de la Roca*, 6. leuc. ab Ulyſippone in Occ. 1. ab arce *Caſcais.* Baudr. Item promuntorium Maurit. Cæſarienſis. Ptol. *Capo de One*, teſte Marmolio. Item aliud Siciliæ, Arab. Felicis, Æthiopiæ ad ſinum Barbaricum, & aliud ad oſtium Gangis. Ptol.

Reges Norvegiæ.

Magnus I. Norvegiæ R. fil. S. Olai, cui ſucceſſit, ut & Canuto III. Daniæ Regi, an. 1045. per an. 4. Eum in Norvegia Araldus vel Ervoldus excepit. Cujus fil.

Magnus II. ab an. 1070. regnavit per an. 28.

Magnus III. filius hujus nothus ſucceſſit, cumque regno ceſſiſſet, poſtmodum rediit.

Magnus IV. regnavit an. 52. ab an. 1180.

Magnus V. fil. Erici, Sueciæ quoque Rex fuit, an. 1315. pater Aquini III. &

Magni VI. qui ſimiliter Sueciæ Rex fuit. Fuit etiam hoc nomen Ducis Sleſvicenſis & Holſat. Item Ducum Brunſuicenſium & Luneburg. &c. Vid. infra.

Principes & Viri illuſtres.

Magnus, filius ſecundogenitus Chriſtiani III. Daniæ R. Friderico fratri tertiâ parte Holſatiæ ceſſit, acceptis, quas Rex ab Epiſc. Johanne Munchauſio emerat, Oſilienſi & Curonienſi diœceſibus, quibus poſtea jus in prov. Revalienſi, à Mauritio Wrangelio Epiſcopo conceſſum adjecit. Sed cùm ſuperbè & impotenter ſe gereret, turbatum. Ad Moſcos itaque ſe confert *Magnus* A. C. 1570. obtinetque à M. Duce, ut Livoniæ Rex renuntiaretur: Hinc Revaliam obſidet, ſed pace mox ſequutâ recedit. Poſtea ſobrinâ Czaris Mariâ interea ductâ, iterum in Livoniam à Moſco miſſus, plurimos in ſuos partes pertraxit, ſed Rigâ gratis obſeſsâ, ipſe à Moſco, verbere etiam in os ingeſto, duriter exceptus, in Curionenſem ſuam diœceſin ſeceſſit, ubi obiit improlis Anno Chr. 1583. V. Thuan. *lib.* 79.

Magnus I. cognom. *Pius* vel *Senior*, fil. Alberti Pinguis, Ducis Brunſuicenſis, à conjuge Sophia Brandeb. Sangershuſium & Landſpergam ſuis ditionibus jungenda accepit. Pater fuit Alberti Arch. Bremenſis, Ludovici ac *Magni* jun.

Magnus II. cognom. *Junior*, fil. prioris, à torque argenteo *Torquatus* dictus, adverſus Duces Saxoniæ infer. hæreditatem Wilhelmi Lunæburgici ſibi aſſerentes, cum fratre Ludovico bellum geſſit: quod tandem in nuptias filiorum *Magni*, cum duabus filiabus Saxonicis deſiit. Poſtea à Megapolitanis victus, à Lunæburgenſibus rejectus, tandem A. C. 1373. in duello, quo Ottonem C. Schavvenburgicum ſtraverat, eique lapſo necem adhuc intentabat, à gregario milite confoſſus eſt. Pater Friderici, qui loco Wenceslai Imp. ad Imperiale faſtigium electus eſt, Ottonis Arch. Bremenſis, & Bernardi ac Henrici, quorum *ille Lunæburgicam, hic Brunſuicenſem lineam propagavit.*

Magnus, fil. Friderici Ducis Wirtembergici, poſt varia itinera, militarem ſectatus vitam, Venetis primò, dein Unioni ſervivit, prælio ad Wimpinam Anno Chr. 1622. miſerè confoſſus. Ei Neopyrgum habitandum aſſignatum fuerat: Obiit improlis.

Magnus, Conſul, collega Apollonii, an. U. C. 1213.

Magnus Johannes, Arch. Upſaliæ, Lincopiâ oriundus, tempore Guſtavi I. Evangelium, cum toto regno, amplexi. Scripſit Hiſtoriam Sueciæ libb. 24. & ſeriem Præſulum Upſalienſium, uſque ad an. 1544. quo obiit. Ei ſucceſſit Olaus frater, qui Concil. Tridentino interfuit, Anno 1546. Auctor libri de Moribus, Conſuetutinibus & bellis populorum Septentrionalium, quibus non rarò fabulas immiſcet.

Magnus, monachus, ſub Henrico VI. Imper. auctor Chronici, quod Johan. Aventinus ſequutus eſt, libro 6. Annal. Bojorum. Opmer. *in Chron. pag.* 488. Quenſtedt. *de patr. doct.* Voſſ. *de H. L. lib.* 2. *cap.* 54.

Magnus campus, planities ampla Palæſtinæ, inter lacum Aſphaltitem, & Ginnabrim, pag. Samariæ.

Magnus locus, vicus fuit Galliæ, ad fluv. Duriam, in finibus Arvernorum, vulgò *Manlieu*, in quo Geneſius Arvernorum Epiſc. *Magnilocenſe* Monaſterium exſtruxit. Fluvius autem Duria, vulgò *Dore* & *Doire* dictus, in Elaver effluit, poſtquam præ cæteris Curvampetram *Corpiere* alluit. Vid. Hadrianum Valeſium *Notit. Gall.*

Magnus portus, geminus: unus Libyæ *inter.* in orâ occid. maris Atlantici, *Porto Seren*, teſte Caſtaldo. *Alter* Albionis in orâ Angliæ Auſtrali contra Vectim inſulam. *Portſmouth* Camdeno. *Southampton* Ortelio.

Magnus ſinus, Ptol. pars eſt Oceani Indici, ubi nunc ſinus Cocinſinæ, inter Haynanum Inſ. ac Sinas ad Ort. & regnum Cocinſinæ ad Occ. Sanſo.

Viri illuſtres.

Mago, hujus nominis plures fuiſſe conſtat. Primus rem ac diſciplinam Carthaginenſium auxit. Is ante bellum Punicum, ut Livius, & Trogus referunt cum 120. navibus bello Tarentino auxilio venit Romanis, ægrè ferens Italiam ab externis invadi, cui actæ à Senatu gratiæ, auxiliaque remiſſa. Duos moriens filios

filios reliquit, Asdrubalem, & Hamilcarem. Vide Justin. *libr.* 18. & 19. Item *Mago* Annibalis frater, causa victoriæ apud Trebiam fuit, sed apud Locros à Manlio clausus ab Annibale liberatur. Livius quoque *lib.* 30. scribit, Magonem tum, cùm in Africam per legatos evocatus navigaret, apud Corsicam obiisse. *Mago* alius à Scipione capitur apud Carthaginem in Hispaniâ, Romamque per Lælium mittitur. *Mago* denique de Re Rusticâ scripsit, quem Columella *libr.* 1. *rusticationis parentem* vocat. Cujus 28. memorabilia volumina ex Senatusconsulto in Latinum sermonem conversa sunt. Hujus meminit Servius, quem Virgilium *in Georgicis* imitatum scribit.

Mago, Carthaginiensium dux, Olymp. 96. anno quarto, qui afflictas Pœnorum in Siciliâ res recreare affectans, & subjectis urbibus humaniter imperans, ac à Dionysio hostiliter habitos benignè suscipiens, & valida à Siculis aliisque sociis auxilia contrahens, primò amicos Dionysii depopulatus est; dein cum Dionysio congressus, pluribus octingentis amissis, in sociam urbem Abacænum refugit.

Mago, Carthaginensium rex, dux contra Dionysium superiorem, cum ingentibus copiis in Siciliam missus Olymp. 99. anno secundo, cecidit in prœlio apud Cabala.

Mago, Afer, in lingua Phœniciâ scripsit Geographiæ libb. 29. quos Dionys. Uticensis Græcè versos Sextilio prætori misit: Diophanes dein Bithynus, in libb. 6. contractos Deiótaro R. obtulit. Vid. Plin. *lib.* 23. Item, Medici nomen, qui diuturnâ peregrinatione defunctus, nil nisi tostâ farinâ in cibum est usus. Gesner. *Bibl.* Vander Linden, &c.

Mago, op. Balearis minoris. Mela 2. *Mahon* hodiè, seu *porto Mahon*, portus amplissimus, cum oppidulo & arce S. Philippi, in parte Or. à *Citadella* opp. 15. mill. in Ort.

Magoa, Persidis oppidum prope Susianam. Plin.

Magog, filius Japhet, Gen. 10. Vide Bochart. *Phaleg. pag.* 212. & 219. Ab hoc Scythæ genus ducunt, qui primùm *Magogi* dicti sunt.

Magon, Indiæ flu. in Gangem effluens. Arrian.

Magontiacum, Tac. & Am. Marcell. *Mocontiacum* Ptolom. *Magontia* Eutropio, *Moguntia* posterioribus, vulgò *Mentz*, urbs ampla Germ. super. Archiepiscopalis ad Rhenum in Palatinatu, libera, media fere inter Argentoratum ad Merid. & Colon. Agrippinam ad Boream. Ejus Archiepiscopus primum inter Imperii Electores locum tenet. Fabulantur illam à Moguntio Trojano, Hectoris filio, conditam. Hîc primum ars impressoria inventa traditur. Urbs recèns munita, Archiep. est ab an. 745. & malè habita fuit à Frid. Ænobarbo Imper. an. 1158. Sed restaurata ab Othone IV. & Academiâ aucta, an. 1482. sita est ad Rhenum, ubi Mœnum recipit. Baudr. Caput est ditionis cognom. de qua infrà, una quoque est ex stapulis Rheni. V. *Treveri.*

Magontina dit. *Stift von Maintz*, quæ est prov. parva, prope Rhenum & Mœnum, in Circulo IV. El. Rheni, inter Veteraviam ad Bor. Palatinatum inf. ad Mer. Ejus etiam pars in Franconia est. Ab Ortu ad Occ. extensa. Alia opp. sunt Bingium, Ascíburgium seu Aschaffenburgum, Miltenberga & Omeneburgum. Subsunt eidem Electori Frislaria, in Hassia Casselensi, Erfordia cum annexis & Eisfeldia regiuncula, in Thuringia, uti Duderstadium, cum duobus aliis oppidulis.

Magrada, Mel. seu *Menlascus* Ptol. nunc *Rio Orio*, in Ipuscoa, oritur ex monte S. Adriani; dein auctus aliquot fluv. Tolosam rigat, & juxta oppidul. *Orio* in Oceanum Aquit. se exonerat.

Magron, vel *Migron*, locus in extremo Galaad contra Machmas. If. 10.

Maguda, Mesopotamiæ urbs. Ptol.

Magulaba, Arabiæ Fel. op. Ptol.

Magura, Libyæ interioris op. Ptol.

Magus, Græcè Μάγος. Præluxisse Persis olim Magos sapientiæ studiis, atque etiam rerum Divinarum notitiâ varii tradunt scriptores. Apul. *in Apol. Nam si quod ego apud plurimos lego, Persarum linguâ magus est, qui nostrâ sacerdos.* Siquidem *Magia* est, quod Plato interpretatur θεῶν θεραπείαν. Porphyrius περὶ ἀποχῆς δ'. Παρά γε μὴν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ τούτου θεράποντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται, τοῦτο γὰρ δηλοῖ κατὰ τὴν ἐπιχώριον αὐτῶν διάλεκτον ὁ Μάγος. Hesychius scribit, Magum à Persis vocari τὸν θεοσεβῆ καὶ θεόλογον, καὶ ἱερέα. Suidas autem Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι, καὶ φιλόθεοι. Cic. *De Divinat. Sapientum & doctorum genus Magorum habebatur in Persis.* Hinc Philo *in lib. Quòd omnis probus liber sit:* Magos describit, ut eos τὰ φύσεως ἔργα διερευνωμένους appellet. Clarissimus Vossius ab Ebræo מהגים deducit, quod *meditabundos ac in rerum cognitione occupatos* significat, à radice הגה, quod est *meditari.* V. *Magi.*

Magus Samotheus vel *Magog*, secundus Celtarum Rex, Samothis filius, tectorum inventor primus, & oecumenicus sui populi provisor, castra, domus & oppida in suis ditionibus constituit, posuit, firmavit. Unde ab ejus appellatione, veteres authores antiquissimarum urbium nomina adhuc in scriptis referunt, ut sunt apud Ptol. & Anton. *Breviomagus, Duromagus, Vindomagus, Rothomagus, Noviomagus,* & his similia. Non solùm per Europam, sapientiæ & eruditionis ejus Principis volabat fama, sed etiam per universas Asiæ & Africæ regiones, quippe tam Persæ quàm Scythæ & aliæ adhuc Orientales ac Septentrionales gentes suos sacerdotes & philosophos in hunc usque diem *Magos*, ab ejus nomine vocant. Obiit anno à mundi origine 2009. & ante Christi adventum 1961. Fides penès Auctores.

Magusa, Æthiopiæ sub Ægypto urbs.

Magusani Herculis fanum, *West-cappel* Ortelio, vicus Scaldiæ inf. in Zeelandia, circa ostia Scaldis fluv.

Magustana, majoris Armeniæ urbs. Ptol.

Magusum, Arabiæ Felicis op. Plin.

Mahalath, uxor Roboam. 2. Par. 11.

Mahalon, filius Elimelech. Ruth. 1.

Mahanaim, nomen loci, in quo obviam facti sunt Angeli patri nostro Jacob, ab ipso propterea impositum, quòd duas turmas vidisset, in eo loco, suam, & Angelorum. Gen. 32.

Maharai, nomen viri. 1. Par. 6.

Maharvali, Maharvani, Vid. *Naharvali.*

Mahath, fil. Amasai filii Elcana. 1. Par. 6.

Maheleth, tertia uxor Esau, filia Ismaelis. Gen. 28.

Mahida, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Mahir, filius Caleb, patris Sur. 1. Par. 4.

Mahmora, vulgò quoque *Mahmora*, urbec. permunita Fezzæ, prov. è regione Asgariæ prov. ad ostium fluv. Subæ, sub Lusitanis, ab Anno Christi 1614. cum portu capaci, in ora Oceani Atlant.

Mahomades, cognom. *Ibné Haben Hamur*, vel *Alabib* Almanzor, Dux Maurus, tutor Hisseni, filii Alhacæ, Regis Cordubensis: Terras Christianorum bis & quinquagies invasit, semper felix. Legionem expugnavit, plurimisque aliis urbibus captis & victoriis obtentis formidabilis longè lateque extitit. Nihilominus tandem ingenti strage à Varamundo Rege Legion. an. 998. victus, spontaneâ inediâ vitæ tædium finiit. Roderic. Morales & Mariana *Hist. Scot.*

Impostor famosus.

Mahometes, Arabs, famosus ille Impostor & Pseudopropheta, patre Abdalâ Ethnico, & matre Eminâ Judæâ, utroque de vulgi ima fæce, natus: ambitiosus, mendax, superbus, perfidus, malignus, ultionis avidus, omnibus tandem sceleribus perditè deditus. Inopiâ pressus, diviti cuidam mercatori Arabi primùm servivit, quo mortuo viduam ejus Cadicham seu Tadigam uxorem sibi junxit; hinc opibus affluens, jam urgendi malè ausa occasionem quæsiit. Batiræ ergo hæretico Jacobitæ, Sergio item, Monacho Nestoriano, & Judæis quibusdam junctus *Alcoranum*, Vide ibi, constavit, religionemque novam ex Judaismo variisque hæresibus consarcinatam introduxit, in quâ corruptæ carni indignè blandiens, plurimos brevi asseclas nactus est. Cum his arma cepit, multisque populis, cum Arabia, subactis, quidquid imperium legemque suam agnoscere renuebat, igni ferroque persequutus est: Religionis prætextu usus, ad potentiam augendam. Et quò efficacius suis imponeret, quoties epilepsiâ correptus est, morbo ipsi familiari, columbam habebat sic assuefactam, ut interea aurem ipsi vellicaret, quò discipuli crederent, per Angelum Gabrielem, hunc enim per columbam intelligi volebat, illum divinitus moneri. Ab uno insuper sociorum in puteo absconditо, verum Mahometem Prophetam esse, exclamari curavit. Accessit errori efficacia, & turba vocem admirata est: quam ut confirmatiorem redderet, mox compleri puteum, miserumque intus latentem lapidibus superobrui jussit, ne aliquando fraus proderetur. Arabes ipsum ut plurimum sequebantur, quibusdam nihilominus repugnantibus, quo factum, ut Impostor Mecchâ aufugeret, 16. Jul. Anno 622. Medinam Talnabi, i. in urbem Prophetæ. Hinc Æra seu Hegira Mahometanorum incipit. V. *Hegira.* Obiit Anno Chr. 631. imp. 8. æt. 63. annorum Arabic. seu Lunarium: ex pluribus uxoribus, nullâ prole susceptâ, præter Fatimam filiam. Post mortem ejus secta hæc horrenda, longè lateque per Palæstinam, Syriam, Ægyptum, Persiam, Græciam, &c. unà cum imperio Mahometico se diffudit, hodieque toti Orbi formidabilis est. Zonaras & Cedren. Johannes Damascenus, V. *Ismaël:* Vincentius Bellovac. *libr.* 24. *cap.* 4. Petr. Cluniac. *cont. sect. Saracen.* Blond. *lib.* 6. *dec.* 1. Volaterr. *in Mahom.* Mariana *lib.* 7. *de rebus Hispan.* Postell. P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. 2. & 3. Polyd. Verg. *de invent. rerum l.* 7. &c.

Imperatores Turcici.

Mahometes I. Turcarum Sultanus, fil. Bajazetis I. à Tamerlane victi, successit fratri Moysi, An. C. 1413. victoriis, justitiâ, constantiaque dictorum celebre nomen. Caramaniæ Principem à Bursæ obsidione depulsum, aliquot urbibus exuit: Pontum & Cappadociam ad obsequium reduxit, subjugavit Serviam, Dalmatiæ partem, cum Macedoniæ parte, occupavit, Valachosque tributum pendere coëgit. Sedem Imperii Adrianopolim transtulit. Venetorum terras, ad mare Jonium vastavit, qui vicissim Lampsacum ei, aliaque quædam loca eripuerunt. Ismaëli, Prin-

cipi

cipi Sinopensi, apud quem Mustapha frater perfugium habuerat, bellum intulit: gratus in Græcos, qui eum Thessalonicæ detinuerant, cum illis fœdus initum constantissimè servavit. Obiit an. 1421. Chalcondylas, *Hist. Turc.*

Mahometes II. Amurathis II. filius, Turcarum Imper. 9. patri successit, An. Dom. 1451. Inter Turcas *Bojuc*, i. Magnus, appellatus, terror Europæ, & infidelium ab omni ævo felicissimus Patre Croja obsidioni immortuo, exercitum in Thraciam reduxit, Adrianopoli throno conscenso. Hinc bellum Græciæ illaturus: omnes primò aditus occupavit, unde ipsis auxilia summitti poterant, dein Constantinopolim vi cepit, & expugnavit, an. 1453. ubi Constantini Palæologi Imperatoris caput per ludibrium pilo affixum, & in urbe circumgestatum fuit. Postea Trapezuntino quoque Imperio potitus, Regna duodecim Christianis ademit, 200. urbes cepit, & in his Chalcidem insulam armis, & Scodram deditione Venetis extorsit. Ab obsidione tamen Belgradi, vulnere accepto, fortitudine Huniadis & zelo Capistrani Christianos ad rem strenuè gerendam hortantis, depulsus: in Albaniam transiit, à Scanderbego similiter malè habitus, ut & ab Ussuncassane Persarum R. aliquot urbibus exutus; nihilominus Fato sic volente, Hungariam, Persiam, Mœsiam, Bosniam, Valachiam, Transylvaniam & Albaniam peragravit victor: Carinthiâ insuper, Stiriâ, Sinope, totaque Peloponneso potitus. Bellum maritimum annis multis cum nostris majoribus gessit. Rhodum frustra tentavit, Italiæ, captâ Hydrunte, arma intulit, Egnatius *lic.* 3. an. 1463. *Rhodum fortem, & Italiam superbam*, juxta Epitaphium, quod ipse sibi Latinè scripserat, victoriarum cumulo aliquando additurus. Obiit Nicomediæ, cùm in Ægyptum moveret: Anno 1481. æt. 53. Imp. 31. Græcè, Latinè, Arabicè & Persicè doctissimus, Astrologiam percalluit, formâ, ingenio, animo inclytus. Sed luxuriosus & fidei minimè tenax: Unde à Dracula, cui vim paraverat, in fœmore sauciatus: in Stephanum Bosniæ Principem Lesbique, contra fidem Davidi Comneno & filiis datam sævus: Turcicæ superstitionis pariter & Christianæ fidei irrisor. Ob peponem devoratum, 14. ephebis evisceratis, & fœdè direptâ Constantinopoli, crudelitatis quoque notam meritus. Paul. Jovius *in elog.* Vigener. *contin. Chalcond.* Leunclav. *Pand. Turc.*

Mahometes III. fil. Amurathis III. Imperium Anno Chr. 1595. à cæde 21. fratrum, decemque prægnantium Patris uxorum, quas in mare præcipitari jusserat, auspicatus, semel solùm exercitum duxit. A' Christianis Strigonio, sub Mansfeldio, Albâ Regali sub Mercurio, & inferiori Budâ, sub Arch. Austriæ exutus, plurimas insuper arces locaque magni nominis amisit. A' Melitensibus porro, qui Naupactum ceperant, Vaivoda Valachiæ, ut & Principe Transylvaniæ, victo Sinane Bassa, superatus: Moldaviam, Valachiam, & Transylvaniam amisit. Mox licet Canisâ, Pesto & Albâ Regali receptis, pacem frustra petiit; Ignavus & luxuriæ immersus. Hinc Janizaris turbantibus, furori eorum amicorum intimos exponere coactus, matrem, omnium malorum causam creditam, in exilium pellere se simulavit. Strangulato tandem primogenito suo, hujusque matre, ob proditionis suspicionem, mersâ, peste abreptus obiit, an. 1603. æt. 39. Imp. 8. Baudier. *Invent. Hist. Turc.* Mezeray, *Contin. Hist. Turc.*

Mahometes IV. Anno 1642. natus, successit Anno 1648. Ibrahimo I. patri, à Janizeris strangulato. Leopoldum Imper. bello aggressus, in Hungariâ Neuheuselium, fortalitium Serini, aliaque loca occupavit: victus, rem strenuè gerentibus auxiliariis Gallis, in transitu fluvii *Raab*. Dein in Creta rem feliciter gessit, Candiâ urbe, post memorabile obsidium, tandem ægrè captâ. Formâ, ingenio, animi robore excellens, voluptatumque abstinentior. Postmodum Poloniam ingressus, aliquot provincias celeri impetu invasit, arcemque fortissimam Caminiecum cepit; sed ab hodierno Rege Johanne semel atque iterum victus, pace bellum mutaturus dicitur. V. *Relationes hodiern.*

Mahometes Aractæus, V. *Albategnius*. Idem quoque nomen aliquot Regum Granatensium fuit.

Mahometes Bagdedinus, Mathematicus, auctor libri, *de Superficierum divisionibus*. An versio hæc Euclidei operis? Vide Voss. *de Mathem.* c. 16. §. 4.

Mahumites, nomen viri. 1. Par. 11.

Maia, Atlantis filia ex Pleione nymphâ, ex quâ Jupiter Mercurium suscepit. Virg. *Æn.* 8.

> *Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia*
> *Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.*
> *At Maiam (auditis si quicquam credimus) Atlas,*
> *Idem Atlas genuit, cœli qui sydera fulcit.*

Nonnulli etiam tradunt, eam Vulcano nupsisse. Significat & *obstetricem*, ut ait Suidas in Socratis vitâ. Vid. Macrob. Plut. Ovid. *libr.* 5. *Fast.* Est & dea Fauni filia, cui in mellario vice non mel, sed vinum sacrificabant. Item Hellesponti urbs. Steph.

Maja, Inf. parva, in æstuario Fortheæ amnis, Edimburgo vicina. *The May* vulgò. Hîc olim celebre cœnobium Clericorum Regularium.

Majaguana, una ex Lucajis Inf. inter Samanam inf. ad Bor. & Hispaniolam ad Austr. in mari Bor.

Majatum, castellum Galliæ, in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Hist. lib.* 10. vulgò *Maye*. Vide Hadrianum Valesium *Notit. Gall.*

Majavilla, vulgò *Majenfeld*, opp. Rhætiæ cum arce, in fœdere decem Jurisdictionum, ultimo loco: ad Rhenum, planitie patentiore, frumenti vinique juxta feraci & amœnâ. Dictum quasi *Majæ villa*, à Maja Mercurii matre ibi culta, Munster. *l.* 3. Guillim. *lib.* 4. Sprech. *l.* 9. Vel quasi *Magnavilla* corruptè, ut Vadiano placet. Olim *Lupinum*. Situm est infra Malantium, 1. hor. ab ostio Langari fluv. Fuit olim cum Malantio Vatiensium Dominorum, à quibus ad Toggios Comites: inde ad Wolfhardum Brandisium, ob Veronam uxorem è familia Werdenbergica pervenit, circa Annum Chr. 1437. Nihilominus jam tum, salvo Brandisiorum jure, cum reliquis 8. jurisdictionibus duæ hæ postremæ, fœderibus Rhætorum duobus se conjunxerunt. Postea Rhæti has jurisdictiones emerunt, hisque Præfectum ab illo tempore mittunt, qui Lupini in arce habitat. Bello inter Maximilianum Suevici fœderis caput & Helvetios exorto, oppidum proditione in Brandisiorum, qui tum à Cæsare stabant, potestatem pervenit, præsidiariis Rhætorum interfectis, Anno Chr. 1499. mox tamen, post victos ab Helvetiis, qui Rhætis auxilia summiserant, hostes receptum est, Vide Stumpf. *l.* 10. *de Rhætis*, *cap.* 22. Simler. Sprecherum *Pall. Rhæt.* &c.

Majella, mons Aprutii altissimus, ob præcipuam celsitudinem, per ingentia spatia, conspicuus, vertice perpetua propemodum nive vestito: divisus avulsusque ab Apennino est, cui tamen adjacet, amplitudinis vastissimæ, difficilimo asperoque ascensu. Vicina illi undique multa castella vicique, amnes etiam plurimos effundit.

Majestas, Dea Honoris & Reverentiæ filia. Ovid. *Fast.*

> *Donec Honor placidoque decens Reverentia vultu*
> *Corpora legitimis imposuere toris.*
> *Hinc sata Majestas, quæ mundum temperat omnem,*
> *Quaque die partu est edita, magna fuit.*
> *Nec mora consedit medio sublimis Olympo,*
> *Aurea purpureo conspicienda sinu.*

Maji Inf. una Gorgadum, in Oceano Atl. prope oram Orient. Insulæ S. Jacobi; satis culta. Ibi salinæ magni proventus. Sub Lusitanis; *Ilha do Mayo* vulgò.

Mainardus, Tirolis Comes, circa A. C. 1300. quòd ambitioni Tridentini Episcopi resisteret, excommunicatus, apologiâ conscriptâ in Episcoporum vitam acriter invectus, inter alia scribit: *Non sacris Literis, sed liberis dant operam: Libertum amant. Si Antichristi non sunt, quid aliud obsecro sunt? Estne illud pascere oves, amare gregem? regna, opes, aliena appetere.* Vide Aventin. *Annal. Boj. l.* 7.

Mainlandia, vulgò *Mainland*, Schetlandicarum Inf. præcipua. Extensa à Sept. in Mer. ad 60. m. p. Ibi aliquot vici, & plurimi sinus: Sub Danis. Intima ejus etiam paulatim incoluntur, sed minori successu. Montes hîc præalti: *Ex his Clifticii montes primores sunt ad Austr. ad Bor. mons est Renisfeltius, insigni in apice pharo, decoratus. Mainlandia autem Orcadum Inf. aliis dicitur Pomona.* Vid. ibi.

Majoma, & *Majonia*, emporium & portus Gazæ, distans ab ea viginti stadiis, qui postea Gaza maritima nuncupatus est, in tribu Simeonis.

Major, genus quoddam Nobilium apud Germanos, *Meyer*: ortum à Majoribus villicis, qui ab initio ex plebe erant, postmodum, cùm à dominis suis prædia in beneficium, sive feudum accepissent, Nobilitatem sibi vindicare cœperunt. Temporum dein fluxu, ii *Majores*, i. villici vocati sunt, qui servi non essent, sed prædia colenda certâ mercede conduxissent, suo nomine Coloni dicti. Hodie, apud Germanos ulteriores, omnes colonos, sive liberi sint, sive servi, eo nomine gaudere, non item Alamannos, docet Goldastus. Apud Gallos *Major villæ* est Magistratus, & in municipio aliquo jurisdictione fretus: Prætor aliis vel Consul. Sic dictus, quòd inter suos Collegas emineat. Regiminis formam à Romanis ductam ostendit Spartianus *in Severo, sect.* 5. ajens: Alexandrinis jus dedit Buleutarum, qui sine publico consilio, ita ut sub Regibus antè, vivebant uno judice contenti, quem Cæsar dedisset. *Major* pro Magistratu dici apud Anglos demum cœpit, sub Richardo I. circa Annum Chr. 1189. Plura de hac voce Vide apud Henricum Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Major domus, in Aula Principum, triplici gradu reperitur. Primò is sic dictus, qui rem in domo curat ad victum solùm pertinentem; aliàs olim Eleater, Præfectus mensæ, Architriclinus Dapifer & Princeps coquorum. Secundò, qui rem omnem familiarem & cum jurisdictione Officiales domesticos moderatur, aliàs *Major Palatii*, Oeconomus, Domesticus, & juxta recentiorem Hellenismum Megadomesticus. Tertiò, qui omnia domini sui negotia intus & foris, bello & pace tractat, disponit & exequitur. Al. *Præfectus Palatii*, *Præfectus Aulæ*, *Comes Palatii*, *Præfectus* item *Prætorio*, à similitudine Rom. Magistratus, qui ab Impp. inferioris seculi ad regendas provincias cum summo imperio missus est, Vide Cassiodor. *lib* 6. *epist.* 3. Priorum exempla in Aulis Burgundica, Neustriaca atque Orientalium Francorum

rum, apud Greg. Tur. Anglica quoque apud Flor. Wigorniensem, Ingulfum, &c. reperiuntur. Apud Gallos verò, ut primus gradus in secundum irrepsit, ita hic postmodum ita prorupit in tertium, ut, pessundato Regio fastigio, omnem sibi conflaverit potestatem, tituloque *Ducis Ducum*, *Ducis Franciæ* & *Principis Franciæ* non acquiescens, nomen demum Regium cum ipso regno involarit. Non enim id honoris ulli concessum est, nisi iis, *qui & claritate generis & opum amplitudine cæteris eminebant*, unde Annales Moguntini & Monachi Laureshemensis, de Carolo Martello: *Karolus sub honore* Majordomatus, *tenuit regnum Francorum an.* 27. Cujus Epitaphium:

Dux Dominusq; Ducum, Regum quoq; Rex fore sprevit,
Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.

Vide Eginhardum *in Vita Caroli*, Vetustum Scriptorem Annalium Francicorum, à P. Pithœo editum, Gregor. Turon. *Histor. Gall.* Duchenium *in Hist.* Andr. Favinum *de primis Ministris Coronæ Gall.* &c. Primus sic è Majoratu invasit solium, ejecto Childerico Pippinus: cui succedens filius Carolus, ut, exutis jam prorsus Merovinis, sceptrum genti suæ confirmaret, Magistratum istum, novandis rebus adeo minaciter imminentem, aut omnino sustulit, aut terminis longè angustioribus conclusit. Refloruit tamen feralis Regibus hic Magistratus sub Carolo Simplice, qui regnum iniit Anno 892. cùm potentius illum administraret Robertus, Dux & Marchio Franciæ appellatus. Huic velut jure hæreditario successit Hugo M. atque huic itidem ex filio nepos Hugo Capetus, qui, post ereptum sine prole, non sine veneni suspicione, Ludovicum V. deficiente Carolinorum stirpe masculâ, Regnum ex potentia sui Majoratus, A. C. 988. occupavit, & ne hac deinceps scala quispiam eveheretur, eum funditus abolevit: partibus ejusdem, quæ ad servitium Regis magis videbantur necessariæ, civilibus quidem præsertim Senescallo: militaribus Constabulario & Marescallis commissis: quorum dein officia multo claruerunt illustriora, cùm è potentia, tum dignitate. Plura Vid. apud præfatum Spelmannum. Sic de Henrico IV. docemur à Grammondo *lib.* 1. nunquam in unum contulisse Imperii molem: à quo cum recessisset Ludovicus XIII. fil. qui Marchioni primùm Ancræo, dein Luynæo Connestabili, post hunc Richelio Cardinali, nimiùm tribuerat: hoc defuncto sub Ludovico XIV. hodiè feliciter regnante Mazarinus Cardin. quidem sub tit. *primi Ministri status*, idem potentiæ nactus est, at eo mortuo prudentissimus Rex iterum summam rerum in plures sparsit, ipse his omnibus verè *Major*. Vid. Chr. Besmannum *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 3. *de regno Gall.* §. 17. Ex cineribus *Majordomatus* prisci in Gallia, quomodo *Justitiariorum* in Anglia dignitas suscitata sit, Vid. *suo loco.*

Majoragius, Vid. *Marcus Antonius Majoragius.*

Majorianus Julius Valerius, Constantino & Rufo Consulibus, An. U. C. 1210. fit Magister militiæ, victoriâ de Francis & Alemannis obtentâ. Exempto non multo post Martiano Imp. quum & Avitus in Italiâ decessisset, apud Ravennam invasit imperium. Anno Chr. 457. consentiente Leone, qui non alium magis idoneum judicavit, contra Vandalos. Nec vano augurio: paulo enim pòst Majorianus hos ingenti clade vicit, Campaniâque, quò Gensericus jam pervenerat, depulit. Epistolâ dein ad Romanos scriptâ severam justitiæ administrationem pollicitus, populos à tributis liberavit. Bello contra Visigothos felix, cum Theodorico horum Rege, pacem fecit. In Africam transiturus, à Genserico, qui per stratagema 300. naves, in portu Carthagenæ Hispan. ceperat, impeditus: dissimulato habitu in Genserici aulam se contulit, hujus contra Imperium consilia expiscaturus, tremente, in quo ambo collocuti, loco. Post quæ magna animo contra Vandalos volvens, Derthonæ juxta Hyram fluv. fraude Richemeris patricii cæsus est, an. U. C. 1214. *A. C.* 461. Literis egregiè excultus, & animi fortitudine inclytus. Idac. & Marcellin. *in Chron.* Cassiodor. & Jornand. *Histor.* Procopius *Majorinum* appellat, ac de ejus virtute multa præclara memorat in 3. *belli Vandalici libro.* Sed & Sidon. Apollinaris *Panegyrico* illius laudes celebrat. Vid. quoq; Car. Sigonium *de Imperio occidentali*, & Onuphrium Panuinium.

Majorica, aliàs *Balearis major*, Inf. *Mallorca* incolis, *Majorque* Gallis, satis ampla Hisp. in mari Mediterr. inter Minoricam ad Ort. & Ebusum ad Occ. cum quibus regnum Majoricæ constituit. Aliàs Reges habuit proprios, nunc subest Regi Hisp. ut Aragoniæ R. Circuitus est fere 110. m. p. Ejus præc. urbs Palma, *Mallorca*, Episc. sub Arch. Tarraconensi, ampla & permunita, cum portu, in ora Occ. Insulæ, in qua etiam Alcudia, oppidul. in parte Or. cum 34. castris seu vicis. P. Ferragutus, indigena. Incolæ insulæ hujus habentur piraticâ infames, terram fertilem colunt, licet satis illa ad mare clivosa sit. Sub Romanis olim, dein Pisanis insula fuit, donec à Saracenis capta est: quibus inde pulsis Arragonii & Castellani hic rerum potiti sunt, Anno 1230. & Jacobus, ex Arragon. familiâ regnum hoc tenuit, eo postmodum exutus: Hodie ut dictum, sub Regibus Hisp. est. Patria Raimundi Lullii, Marescalli Ornani, duorum M. Ord. Melit. Magistrorum, ex illustri Cottonerorum familia, &c. Ptol. *lib.* 2. Mela, *l.* 2. Strabo *l.* 3. Plinius, Florus, Mariana, Majernus, Turquetus, &c. Celebris præterea insula est commercio nummorum, qui, *Reales* dicti, ibi cuduntur.

Majorinus, primus Donatistarum, in Africa, Episcopus, prius domesticus Lucillæ, Vide ibi, & lector Cæciliani, cui pulso surrogatus erat: unde schismati Donatistarum initium: nihilominus non ipse Majorinus, sed successor Donatus hisce nomen dedit. Augustin. *lib.* 1. *c. Parmen. cap.* 3. *lib.* 3. *c. Crescon.* &c. Optat. *l.* 1. *in Parmen.*

Mais, Indiæ fluv. inter Gangem, & Indum. Arrian.

Maittavonium, Gall. urbs in prov. inter Forum Julium, & Aquas Sextias. Antonin. Quibusd. *Brignole*, aliis *Corignac*, oppidul. illius tractus, ad Argenteum fluv.

Maiuma, urbs, ubi Venus culta, unde sacra, de quibus infra, Baronius dicta vult, V. *Majoma.*

Majuma, prisca Romanorum celebritas, à Claudio instituta, quam in Calendis Maji, luxuriante jam floribus vere, *Majæ*, seu *Floræ* Deæ, ut campis & arboribus faveret, expedierunt, apud Ostiam, in æde Castorum. Id enim Numen ibi cultum, ventorum marisque causâ. Ita legitur apud Amm. *l.* 19. in summa frumenti inopia Tertullum, qui Præfectus annonæ erat, apud Ostiam, in æde Castorum sacrificasse, tranquillitatemque maris mollivisse. Aliàs *Floralia*, Angl. *Maye games*. Ovid. *Fast. l.* 4.

Mille venit variis florum Dea nexa coronis,
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Majas festum Florale Calendas, &c.

Sed Floralia turpius peregerunt Romani vett. quàm inferiores *Majumam*: eadem tamen fuisse, quòd omnes *Majumam* floribus celebrent, testis est Gyraldus *in hist. Deor. syntagm. I.* De ea Suidas: Μαιουμᾶς πανήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μάιον μῆνα, τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν τὴν λεγομένην ὀστίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, ἡδυπαθεῖν ἠνείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν ἀλλήλους ἐμβάλλοντες, ὅθεν καὶ Μαιουμᾶς ὁ τῆς τοιαύτης ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζετο. Sed ut inquiunt Glossæ Basilic. εἰς τιμὴν τῆς μαίας, in honorem Majæ, quæ & Flora à floribus, & χλωρὶς à viriditate nomen habuit, dicata est. Celebrabatur magno sumtu, cùm in epulis, tum in oblationibus, ut in *Misopogone* refert Julianus. Sed recidente in pristinam spurcitiem, in Trullensi synodo, sub Constantino M. *Can.* 62. damnatæ sunt Calendarum, Panis, Bacchi, & *prima diei Maji* festivitates. Restituta tamen est, sed cautè, ab Arcadio & Honorio, anno 1. Imp. *Cod. Lib.* 11. *Tit.* 45. *Clementiæ nostræ placuit, ut* Majumæ *provincialibus lætitia reddatur: ita tamen, ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret.* Verùm cùm honestas non servaretur, (Meursium loquor) quadriennio pòst Chrysostomo nitente, iterum abrogarunt iidem Augusti, circa A. C. 399. quorum Rescriptum ad Aurelianum Præfectum prætorio, extat *Cod. Theodos. lib.* 15. *Tit.* 6. Sed, depositâ turpitudine, mos porrectus videtur ad novissimas ætates, quem tamen non tulit Mediolanense Concil. tertium, A. C. 1573. in quo cavetur, ut abusus de frondibus erigendis Mediolani 5. Calendis Maji abrogatus sit. Apud Anglos hodieque sospitat, cùm in plebe, tum in Regis palatio. Solet enim juventus palam in villis erigere eximiæ proceritatis, variis pictum coloribus, floribusque, fasciis & tæniis adornatum: celebritatis quoque dominam ceu Reginam eligere, quæ circa palum choreas ducit. Manè etiam diei ad nemora confluunt, deductisque inde ramis viridibus, ædes tam sacras, quàm profanas, excolunt. Egrediuntur & cum cœtu aulico ad nemus, ipse Rex & Regina, frondes atque ramulos referentes. Viguisse sub Eduardo I. consuetudinem ex eo constat, quòd ab uxore Roberti Brucii, fortissimi coronæ Scoticæ restauratoris, cùm apud Anglos captiva teneretur, & de regno desperaret, dictum est an. 1306. *Futuros ipsos Regem & Reginam iis similes, qui choreas ducunt circa palum Majumæ.* Non dissimiles multò videantur olim sub Majoribus domus laborantes Reges Franciæ, quos in an. 662. sic depingit Sigebertus: *Nil agere, nil disponere, quàm irrationabiliter edere & bibere, domiq; morari*, & *Calendis Maji præsidere coram tota gente, & salutare, & salutari, obsequia & dona accipere & rependere, & sic secum usq; alium* Majum *habitare*, Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.* V. quoque Chrysost. *Hom.* 7. *in Matth. Hom. de Davide & Salomone*, &c.

Majus, mensis à *Majoribus* dictus est, quia (ut inquit Macrobius) Majoribus consecratus est, quorum consilio Resp. gerebatur, sicut Junius à Junioribus, qui rem armis gerebant. Postquam enim Romulus populum Rom. in majores, minoresque divisit, ut altera pars consilio, armis altera Remp. tueretur, in honorem utriusque partis, hunc Majum, sequentem Junium vocavit. Ovid. *Fast.*

Hinc sua Majores tribuere vocabula Majo,
Junius à Juvenum nomine dictus adest.

Sunt qui à *Majestate* deâ dictum volunt, quòd Flamen Vulcanalis calendis Maji huic Deæ rem divinam fecit. Alii à *Majâ* Mercurii matre, propterea quòd hoc mense Mercatores Majæ pariter & Mercurio sacrificare soliti erant. Fuit in Apollinis tutela. V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 4. *c.* 9.

Majus Monasterium, Abbatia Gall. celeberrima, Ordinis Benedictini, prope & extra Turones, in opposita Ligeris ripa, à D. Martino

Martino instituta, cum cœnobio recenti superbissimo; *Marmoutier* vulgò.

Mala spina, vulgò *Malespine*, tractus Tusciæ, prope Genuam, cum March. titulo, Leand. Albertus *descr. Ital.*

Malabaria, Gallis *le Malabar*, regio Indiæ, in parte Australi Peninsulæ cis Gangem ad Occ. inter regnum Decani ad Sept. & prom. Comorinum ad Mer. valde abundans & fertilis. Extenditur, versus oram maris Maldivarum, per 125. leuc. ubi regna Calecuti, Cochini, Cranganoris, Cananoris, Coulani & Travancoris. Sunt etiam ibi aliquot minora regna, nempe Auriola, Badara, Baticala, Batimana, Bipurium, Calecoulanum, Changanara, Chombæum, Cota, Cucuranum, Curiga, Mangatum, Marta, Mouticum, Mutertum, Panhapelum, Panurum, Porcanum, Punhalum, Tanorum & Trivilaria. Præcipuæ urbes Malabariæ sunt Angamala, Calecutum, Cananorium, Cochinum, Coulanum, Cranganora, quæ 4. sub Batavis à paucis annis; Travancorium, &c. ubi plurimi Christiani. Ibi aliquot coloniæ etiam Batavorum & Lusitanorum, in ora littor. Ultimus Rex in hac Regione fuit *Sarama Persmal*, qui Calecutii Regnum conferebat ministro cuidam sibi amicissimo fidelissimoque, titulum simul *Samorini* ipsi imponens, quod idem est, ac *Cæsar*, sive *Imperator*, in reliquos omnes inferiores Regulos, jubensque, ut reliqui huic pareant, tanquam vasalli. Unde in hodiernum usque diem Rex Calecutii titulum *Samorini* sibi usurpat, imperiumque in reliquos Malabarorum Reges sibi vendicat. Malabari integunt pudenda, cætera nudi incedunt, idque tam fœminæ, quàm mares. In terra Malabar feracissima, piper crescit, quod alibi non provenit, nisi in his locis maritimis, hinc igitur necessariò petendum est. Crescit quidem ad Malacum piper, sed parciùs: at in Malabarorum Regno conquisitum, per universum orbem invehitur. Cinnami quoque hîc ingens copia. V. Maffæum *Hist. Ind.* Linschot, *Itin. Ind. cap.* 13. P. de Valle *Itiner. tom.* 4.

Malaca, Vid. *Malacha*.

Malacca, urbs Indiæ extra Gangem: ubi aër mirè insalubris. Caput est regni cognom. in parte Australi Aureæ Cherson. ad fretum Malaccæ, è regione Sumatræ. Suberat ol. Regi *Ibor*; postea occupata fuit à Lusitanis, auspiciis Emanuelis R. Duce Albuquerquio, An. C. 1509. Tandem an. 1640. ab Hollandis capta est, post obsidionem 6. mensium. Emporium est celeberrimum, cum portu capacissimo & arce permunita. Linschot. *Itin Ind.* Magnus *Geogr.*

Malacha, seu *Malaga*, civitas Episc. olim sub Arch. Hispalensi, nunc Granat. Hisp. Bæticæ, Marcianus *lib.* 2 τῶν ἐπιτόμων Artemidori. Plin. 5. 2. *Siga opidum ex adverso Malacha in Hispania sita, Syphacis regia.* Facit & illius mentionem, *lib.* 3. *cap.* 1. ut & Pomp. *lib* 1. Gentile *Malacitanus*. Steph. Hæc urbs celeberrima est situ, emporio, rerumque omnium, & necessitati, & voluptati deservientium, vini inprimis optimi copiâ. Hispaniarum Rex armamentarium hîc habet instructissimum, ex quo perpetuum præsidium in suis Africæ opidis sustentat, atque communit. A Phœnicibus, cum Abdera, constructam esse anno ante Christi adventum 1340. asserit Fr. Tarapha. *Malaca* unde dicatur, nulli erit ambiguum, qui legerit hæc Strabonis *lib.* 3. *Ταρίχείας δὲ ἔχει μεγάλας. Salsamentis autem abundat.* Nempe מלח *Malach* Ebræis est ταριχεύειν, *sale condire*. Unde מלאח *Malacha* dictum *salsamentorum opidum*, Græce Μάλακα aspiratione demptâ. Baudrando in ora est maris Medit. ad ostiv Malacæ fluv. nunc *Quadalquivireja*: cum duabus arcibus probè munitis in colle. 14. leuc. ab Hispali in Eur. 23. à Gadibus in Ort. 22. à Granata in Occ. Vide quoque Merulam, & Marianam. Dicitur incolis *Malaga*, Gallis *Malgue*.

Malacha, vel *Malachath*, Libyæ inter. opp. Ptol.

Malachias, nomen Prophetæ, ex 12. minoribus, ultimi; erat ex tribu Zabulon, Epiphan *de Vit. Proph.* & vixit post Zachariam, sub Dario, vel Artaxerxe Longimano. Prædixit abolitionem sacrificiorum Judaicorum, & institutionem Sacrificiorum Spiritualium, quæ usque ad finem mundi offerenda essent: Vaticinatus inprimis de adventu Christi in carnem, & præcursoris ejus Johannis Baptistæ, qui in spiritu & virtute Eliæ prius venturus erat: ut ipse CHRISTUS interpretatur, Matth. 17. 12. Constat Malachiæ prophetia capp. 4. Vid. Hieron. *præf. in Mal* Origenes hunc Angelum incarnatum, Judæi Esdram esse voluerunt: refutati ambo ab Eus. *in Chron.* Aug. *de C. D.* 18. 36. Cyrill. *in* 1. *Mal.* Sixtus Sen. *Bibl. S l.* 1. &c. In ejus Prophetiam, extant: Acosta *Comm.* fol. Lugduni, 1641. Balduini *Comm.* Brocardi *Explicatio*. Chytræus. Danæus. Draconites. Grynæi Ὑπομνήματα, Quart. Genevæ, 1582. Martini *Analysis & Observationes.* Quart. Groningæ, 1647. Melanchthonis *Comm.* Polanus. Quadratus. de Quiros. Regius. Sclaterus. Seyfrid. Quart. Stock *Comm.* Angl. fol. Londini 1641. Tarnovius. Varenii *Collegium.* Willii *Comment.* Octav. Winckelmannus, &c. Vide Crovvæi *Elenchum.*

Malachias, Arch. Armachanus, in Hibernia, sec. 12. Obiit Claravalle, inter amplexus S. Bernhardi, Anno Chr. 1148. Scripsit prophetias, de vitis Paparum, à Cœlestino II. &c. Bernhard. *in ejus Vita.* Item, *ep.* 315. 316. 317. primus Cœlibatus legem in Hibernia introduxit. Ciacconius *in Vitis Pontificum*, Balæus *de Scr. Angl.*

Malachus, vel *Marachus*, Poeta Syracusanus, Aristoteli in Quæstionibus memoratur, qui nunquam melius scribebat, quàm cum irâ percitus ad carmen accedebat.

Malacia, civitas, quam Philoctetes, quum ob Paridis necem in morbum fœmineum incidisset, eoque nomine erubesceret, desertâ patriâ condidit, & ex re *Malaciam* dixit. Cæl. Rhodiginus 6. 1.

Malacus, vetus author de finibus Siphniorum scripsit. Athen. *libr* 6.

Malaa, Arcadiæ urbs. Pausan.

Malai, pop. Indiæ, intra Gangem, intra montes Malabariæ, versus confinia Coromandelis reg. juxta ditiones Principis Maduræ; *Maleas* vulgò. Ibi plurimi Christiani *S. Thomæ* dicti.

Malai Colon, Aureæ Chersonesi promuntorium. Ptol. ubi *Malacha*, Varrerio, emporium Indiæ ulter.

Malalai, nomen viri. 2. Esdr. 12.

Malaleel, filius Cainan, natus A. M. 396. genuit Jaredum, an. M. 461. Obiit an. 1290. Gen. *cap.* 5. v. 12, 15, 17. Luc. 3. Salian. Torniell.

Malanius, Oenotrorum urbs mediterranea. Steph. *Maida* hodie est Barrio. In Calabria ult. ad Metaurum fluv. à Neocastro 8. mill. pass. in Mer. Hipponium versus 16. Dicitur etiam *Malanium* & *Melanium*.

Malasar, vel *Melsar*, nomen viri, Dan. 1.

Malasses, Rex Lazorum, ævo Trajani Imp.

Malaxus Johannes, scripsit græcè historiam Patriarchalem Κωνσταντινουπόλεως, Constantinopoli, Anno 1578. ubi summa cum inopiâ conflictatus vixit, ut ex literis Gerlaci, ad Martinum Crusium, patet. Voss. *de Hist. Gr.*

Malbodium, opp. Hannoniæ, ad Sabim fluv. medium inter Montes ad Bor. & Avenas opp. ad Austrum 4. leuc. Vulgò *Maubeuge*.

Malceca, Hisp. opidum inter Cordubam, & Emeritam. Anton. Ferrario autem est inter Cætobricam, & Saladiam 20. m. p. *Marateca* hodie Jacobo Vasconcello.

Malchio, presbyter Ecclesiæ Antiochenæ, magni nominis, Rhetoricam docuit. Scripsit contra Paulum Samosatenum, cujus fallacias, in Synodo Antiochena, contra eum congregata, præ aliis deprehendit: unde is damnatus, excommunicatus ac sede Episcopali deturbatus est. A. C. 272. &c. Euseb. *Hist. lib.* 7. *cap.* 23 *&* 24. Hier. *de Scr. Eccl.*

Malchus, nomen servi summi Pontificis, cui Petrus auriculam abscidit. Joh. 18.

Malchus, Historicus, scripsit historiam secundùm Photium, *in Bibl. cod.* 78. à 17. an. Leonis Imper. usque ad mortem Nepotis, libb. 7. Secundùm Suidam, à Constantino usque ad Anastasium, sub quo vixit. Ejus puritatem & elegantiam laudat Photius, commendatque illum, velut Historici consummati exemplar. V. Voss. *de H G. lib.* 2. *cap.* 21. Gesner. *in Bibl.* Hoc nomine etiam dictus Porphyrius, teste seipso *in Vitâ Plotini*: Βασιλεὺς γενόμενος τῷ Πορφυρίῳ ἐμοὶ τοὔνομα, κατὰ μὲν πάτριον διάλεκτον Μάλχῳ κεκλημένῳ.

Malcoa, Libyæ interioris populi. Ptol.

Reges Scotiæ.

Malcolmus, vel *Milcolumbus I.* Scotiæ R. fil. Dungali, vel Donaldi VI. successit Constantino III. per an. 15.

Malcolmus II. fil. Kenneti III. spe regni dejectus, aliquandiu exulavit: post mortem verò Grimi, agnati sui, eo potitus, effecit ut hæreditarium in posterum esset, legibusque egregiis latis, divisit in Baronatus. Obiit an. 1040. regni 30.

Malcolmus III. fil. Duncani, vel Donaldi, ex Sybilla Northumbrica, Machabelis successor, an. 1057. Pius & egregius Princeps, ad Anglorum imitationem, apud quos diu exul vixerat, Comitatus, Marchionatus, Baronatus, &c. in regno instituit: ingenti prædâ ex Angliâ, in quam sæpe excurrit, an. 1070. actâ. Obiit an. 1094. regni 36.

Malcolmus IV. fil. Henrici Principis Scotiæ, nepos Davidis, huic successit, an. 1153. Prudenter suborientes turbas pacavit, Obiit an. 1165. regni 12. Buchan. *Hist. Scot.*

Maldiva, Gallis *les Maldives*, Insulæ Indiæ, in mari Indico, fere 130. leuc. à prom. Comorino in Ort. majori ex parte satis parvæ. Extenduntque à Sept. in Mer. per 300. circiter leuc. numero 10000. Sed dividuntur in 13. partes, *Antollons* dictas: nempe, *Tilladou Matis*, Lusit. *Cabexa des Ilhas* i. caput Insularum, *Milladove Madoué, Padypola, Malos Madou, Ariatollon, Male Atollon*, ubi Mala Ins. *Poulisdou, Moluque, Nillandoux, Collomadoux, Adoumatis, Savadou, Addou*, & *Poue Molluque*; quæ duæ ultimæ pro una censentur. Sub Rege proprio, cujus sedes in *Male* Ins. circuitus 5. m. p. Vid. Fr. Picardum, Aremoricum. Hinc *Archipelagus Maldivarum* nomen habet. Multitudinem hanc intercursantes Euripi faciunt, adeò angusti, ut alibi navium antennæ jubas arborum deterant, alibi etiam qui valentiores sunt viribus, ramo quopiam manibus apprehenso, ex una in alteram insulam

sulam transmittant. Vide Franc. Pirardum, *descr. Maldiv.* Maffæum & Linschotum, *hist. Ind.*

Maldra, fluv. Galliæ, vulgò *Maudre*, vel *Modre*, Crisciacum, Nelfam villam *Neofle la Ville*, Maroilum *Mareuil*, Mauliam *Mole*, Avenacum, Spedonamque alluit, ac paulo supra Meduntam in Sequanam effluit. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Malduinus, Scotiæ R. fil. Donaldi seu Donevaldi IV. successit Ferquardo II. an. *668*. usque ad an. *688*. quo Eugenius IV. hujus nepos throno potitus est. Buchan. *hist. Scot.*

Maldunense cœnobium, opp. Viltoniæ, 30. mill. in Bor. à Salisburia. *Malmesbury*.

Malea, Lesbi promuntorium è regione Mitylenes, Thucyd. Mons item Taprobanæ apud Ptol.

Malea, promuntorium Peloponnesi in orâ Australi Laconicæ, per 50. m. p. in mare protensum, adversisque ventorum flatibus navigationem reddens periculosam. Unde factus est locus proverbio: *Cùm ad Maleam deflexeris, obliviscere quæ sunt domi.* Poetæ pro licentiâ suâ mediam syllabam nunc producunt, nunc corripiunt. Producunt Ovid. *Amor. 2. Eleg. 6.*

Nec timeam vestros curva Malea sinus.

Stat. *Theb. 7.*

—— *Raucæ circumtonat ira Maleæ.*

Prop. *lib. 3.*

Præbeat hospitio sæva Malea suo.

Corripiunt Virg. *Æn. 5.*

—— *Maleæque sequacibus undis.*

Val. Flac. *lib. 4.*

—— *Malea velut arce fragosâ*
Turbo rapax. ——

Dicta à *Maleo* Argivorum rege, qui in eâ pulchrum templum constituit, quod *Maleaticum* appellavit. *Maleum* Plinio, *Cabo Malio* Sophiano, *Capo Malio di S. Angelo* Brietio; 10. mill. à Cythera Inf. in Bor. Hinc *Maleus* sinus, qui & *Aureus* à latronibus, teste Floro 3. 6. Isacius *in Lycophronem*, scribit *Asini maxillam* à formâ vocari. Ptolemæo tamen duo diversa loca sunt, in quorum medio *Boa* ab eo describuntur.

Malecena, Armeniæ min. urbs. Anton.

Maleg, vulgò quoque *Maleg*, fluv. Æthiopiæ super. Oritur in regno Damuti, dein recipit fluv. Anquetum, & post 80. leuc. conjungitur Nilo, in Nubia, infra prov. *Fasculon*. Is. Vossius *diss. de Nilo*.

Maleguetta, ora Guineæ, maximè in Occ. extensa, inter oram Dentium ad Ort. & montem Leonis ad Occ. ubi primùm aliquot coloniæ Francorum jam ab an. 1636. dein Lusitanorum, postea Anglorum & Batavorum; *Tand Cust* hisce, Gall. *Maleguette*; Ibi aliquot regna & portus, uti parva Deppa, Sestrum seu Lutetia, fluv. Sanguinius & Gojana; nullæ urbes. Dicitur *Coste de Graves* Gall. Aliis hæc ora restringitur, inter prom. Palmarum ad Ort. & fluv. *dos Sestos*, seu Sestrum ad Occ. Hic celebre piperis commercium, arbores ingentes, aër peregrinis infestus, incolæ robustissimi & in ferro elaborando ingeniosi, varia frugum genera, venatio opima, & vini ex palmis expressi vis ingens. Villaut. *Relat. littor. Afr.*

Malemba, regnum Africæ, inter Angolæ regnum, & lacum Zambre. Marmol. & Joh. Leo, *descr. Afr.*

Malemortium, opp. Provinciæ, ad Druentiam, medium ferè inter Avenionem ad Occ. & Aquas Sextias ad Ort. Vulgò *Malemort*.

Malena, Atarnitidis reg. locus. Herodot.

Maleos, ex Ebudibus insulis una. Ptol. Hodiè *Mul* Scotis, aliis *Mula*. Inf. ampla Scotiæ, versus oram Occ. ab eo exiguo freto divisa, prope Loquabriam & Lorniam prov. Circuitus 60. mill. Scot. Ibi 14. castra cum aliquot villis. 55. mill. ab Hibernia. Metallifera est & unionibus clara. Emporium etiam Æthiopiæ, Idem.

Malethubalus, Mauritaniæ Cæsar. mons. Ptol.

Maletum, P. Diac. Lazio *Malzan*, castr. Cenomanorum, in Tridentinorum finibus.

Maleventum, Campaniæ urbs. Plin. 3. 11. *Hirpinorum colonia Beneventum, auspicatius mutato nomine, quæ quondam adpellata Maleventum.* Liv. *libr. 3. Casi, captique Samnites, nisi qui Maleventum, cui nunc urbi Beneventum nomen est, perfugerunt.*

Maleus, mons Indiæ sub Æquatore, Martianus Capella, & Plin. 6. 19. Solinus juxta Palibothram urbem statuit. In Oretum gente describit Plin. 2. 73.

Malherbe Franciscus, Poëta celebris, Cadomensis, ex illustri familia, & bello contra Anglos olim clarissima. Patre Evangelii doctrinam amplexo, indignatus in Provinciam abiit, ductâque ibi uxore, numerosam prolem, sed cui omni ipse supervixit, suscepit. A' Cardin. Perronio Henrico IV. commendatus, sub ipso & Mariâ de Medicis, regiâ munificentiâ, lautè vixit. In conversatione paulò morosior, verborum parcus, aliorum contemtor: Poësi Gallicâ, imo totâ linguâ patriâ ad supremum puritatis & elegantiæ culmen perductâ, Obiit an. 1628. æt. 73. Vide Balsac. *entr.* 31. & 37. &c.

Maliaca, Hisp. Tarracon. urbs. Ptol. vulgò *Malgrado*.

Maliacus sinus, *Lamiacus* Pausaniæ, *Melicus* Thucydidi. *Melis* Herodoto, sinus Phthiotidis, partem Thessaliæ alluens, & Locros Epicnemidios. *Golfo de Ziton* Sophiano, *Volo* tamen Theveto dicitur.

Maliane, Arachosiæ op. Ptol.

Maliapura, urbs Indiæ cit. in ora sinus Gangetici, & tractu Coromandelis. Hîc, in templi vet. ruderibus, S. Thomæ cadaver repertum, indeque Goam translatum esse, credi vult Maffæus. Aliter *urbs S. Thomæ*, seu *Meliapora*. Vid. ibi.

Malias, Hisp. op. Appian.

Maliattha, Arabiæ Petrææ urbs. Ptol.

Maliba, Indiæ urbs extra Gangem. Ptol.

Malichis, Antipatrum veneno necavit, an. U.C. 711.

Malii, pop. circa Mesopotamiam. Strab. *l.* 16.

Malimnus, Siciliæ mons, malis, hoc est, pomis refertus. Theocritus, vel ut habet ejus Schol. locus palustris non procul à Crotone. Στρμβλιμνον legit Casaubonus.

Malina, æstus maris vehementior, ut *Ledo* mitior: an à Germ. *Mallen*, furere, insanire. Virg. *Æn.* 1.

—— —— *Furit æstus arenis.*

Anglis *the spring tyde*: Xantonensibus in Gallia, *Maligne*. Quotidiana inundatio bis in die quovis per horas 24. semper peragitur, & per alternatas septimanas *Ledonis & Malinæ* vicissitudo comitatur. Sed *Ledo* sex horas inundationis & totidem recessus habet. *Malina* verò grandis, per 5. horas ebullit, & per 7. horas litorum dorsa retegit: tantâ cum Luna concordiâ, ut, antequam Luna nascatur, tribus diebus & 12. horis semper incipiat, & post nascentis Lunæ principia, alias tres dies & 12. horas habere consuescat. Similiter & ante plenilunium 3. diebus & 12. horis incipit, & post totidem temporis cursus sui terminum consumit. Sex verò unius cujusque temporis *Malinas*, Veris sc. & Æstatis, Auctumni & Hyemis, secundùm Lunarem supputationem, hoc est, simul omnes 24. unusquisque communis annus habet, excepto embolismis, qui 26. *Malinas* retinent: & uniuscujusque de prædictis temporibus mediæ duæ, vid. Æquinoctia & aliæ, quando vel dies vel nox cursus sui terminum consumit, solito validior & inundatione altior fieri consuevit, interpositis verò spatiis iterum tantundem semper *Ledo* intermittitur. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Malippala, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Mallaba, Arabiæ Fel. urbs. Ptol.

Mallada, urbs Persica. Steph.

Mallata, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Mallaguetta, Gall. *Mallaguette*, regio Guineæ latè sumptæ, in ora Oceani, inter Guineam propr. ad Ort. & Nigritiam, ad Bor. & Occ. Oceano Atl. à Mer. alluitur. Ibi aliquot regna minoris famæ, & quædam Europæorum coloniæ. Ejus pars ad Ortum *Maleguetta*. V. ibi.

Mallea, seu *Malleacum*, urbec. Pictavensis prov. Episc. *Maillezais*. Intra paludes, ægrè propter aëris inclementiam habitata. 1. alteroque mill. à Separa flu. 8. leuc. à Rupella in Cæc. 2. à Fontenæo Comitis in Mer. 4. à Niorto in Occ. Olim sedes Comitum Pictaviensium, & Ducum Guiennæ fuit, qui ibi templum magnificum S. Hilarii extruxere. Sub Roberto dein Rege, Guilielmus V. comes, ibi Abbatiam fundavit, Anno Chr. 1030. quam in Episcopatum vertit Johannes XXIII. Anno 1317. qui tamen translatus est postmodum Rupellam, Anno Chr. 1648. Bouchet. *Annal. Aquit.* Duchenius, Sammarthan. *Gall. Chr. T. III.* Morerius *Dict. Hist.* &c. V. quoque *Malliacum*.

Mallea, Vide *Mallia*.

Malleo, oppidum non obscurum Galliæ, caput vallis Subolæ, qui pagus est sub radicibus montis Pyrenæi, Elloronensis Ecclesiæ finibus inclusus: vulgò *Mauleon de Sole*. Munitur arce veteri, in loco edito, ad Sasonem fluv. troctis optimi saporis abundantem, *le Gave du Saison*. Olim sub dominis, qui Vicecomites Subolæ dicti sunt. Hadr. Valesius.

Malleo, opp. Pictonum, *Mauleon*, in limite prov. Andegavensis, 11. ab Andegavo in Mer. leucis. Patria Henrici Spondani Ep. Apamiarum.

Malleo, vulgò *Mauleon de Soule*, opp. Aquitaniæ, in regiunc. Solensi; inter Navarram inf. & Beneharniam. V. suprà.

Malli, Indiæ pop. circa ortum Indi fluv. incolentes, qui cum Deriade Baccho restiterunt. Steph.

Mallia aqua, apud Thermopylas in Phthiotide, & apud Oeten mont. videtur, ubi Maliacus sinus, qui & Oetæus. Catullus *Epigr.* 69.

Cùm tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetæis Mallia Thermopylis.

Malliacum, locus Galliæ, in Pictonibus, amne Altisiâ *Autise* undique incinctus, unde & Inf. *Malliacensis* nonnunquam dicitur: vet. Monasterio insignis, Episcopatus postea sedes. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* & supra in voce *Mallea*. Aliud *Malliacum*, vet. quoque Monasterio & sepulchro S. Solemnis illustre in Turonum est finibus, idque vel *Maillé*, in insula Ligeris, infra Cæsarodunum Turonum, vel *Maillé* ad Virigendam, fluv.

fluv. supra Inf. Burchardi, in Turonibus quoque. Idem Valesius.

Malliacum, ad Vidulam, locus Galliæ ad flu. Vidulam: vulgò *Mailly*.

Mallia, Anton. opp. Brutiorum in ora, inter Scyllæum & Cænidem, cujus rudera hodieque *Mallea*: in Calabria ult. à Nicotera urbe 24. m. p. in Ort. Barrius.

Malliana, urbs aliàs Maur. Cæs. nunc opp. Tenesæ, in regno Algerii in colle, prope Miromum fluv. 40. m. p. ab ora maris Mediterr. in Mer. *Meliane*.

Mallois, *entis*. Vide Steph. in Μαλόεις, sic enim apud illum scribitur.

Mallophoros, Ceres in Megaride sic dicta, quod nomen ei ab illis videtur impositum, qui mortalium oves connutrire cœperint. Siquidem lanam dicunt Græci μαλλὸν, ex quo & iidem eam Μαλλωτὴν vocarunt. Cæl. Rhod. *l.* 15. *c.* 1.

Mallos, Ciliciæ op. clarissimum, à *Mallo* conditore sic dictum, ut ex Callimachi sententiâ refert Steph. Ejus meminit Lucanus *libr.* 3.

Mallos, *& extrema resonant navalibus Ægæ.*

Vide Eust. *in Dionys. Vers.* 874.

Mallota, populi nomen. 2. Mach. 4.

Malloth, fil. Azabiæ. 1. Par. 6.

Mallus, mons Indiæ intra Gangem, à quo populi vicini *Malli*. Plin. 6. 17.

Malmesburium, Burgus Angliæ, Monasterio, in veteri Merciorum regno, inclytus: Hodie in Comit. Viltoniæ est. Vulgò *Malmesburi*, patria Guilielmi insignis Historici. Hic concilio habito A. C. 705. vel 707. Althelmus loci Abbas scribendi contra Paschaitas mandatum accepit, Vid. Bedam *Hist. Angl. l.* 5. *c.* 19.

Malmogia, urbs munita Scaniæ, cum portu capaci, juxta Sundicum fretum, è regione Hafniæ, à qua 4. leuc. Dan. in Ort. abest, 2. à Lundi in Merid. uti 4. à Coronia. Cum arce munita, ab an. 1434. Nunc Suecis ab an. 1658. subest. *Malmuyen* seu *Ellebogen* vulgò.

Malmundarium, oppidul. dit. Leodiensis & Abbatiæ Stabulensis, ad amnem *Recht*, Baudr. Valesius habet ad Warchinnam, piscosum rivulum, qui paulo infra in Albam cadit, in limite Duc. Luxemburgici; Hoc Remaclus, Tungrorum Episc. à Sigiberto Jun. Austrasiorum R. dono accepit, & structo ibi Monachorum cœnobio, *Malmundarium*, tanquam à malo mundatum atque purgatum, appellavit. Inde haud procul à fluv. Amblava, in finibus diœc. Tungrensis Trajectensisve, in loco fiscali, qui *Stabulaus* dicebatur, alterum Monasterium regia pecuniâ exstruxit; Vulgò *Stavelo* nuncupatum. Idem. Distat 2. leuc. à Stabulo in Ort. Vulgò *Malmedy*.

Malobodium, Vid. *Malmodium*.

Malodunum, oppidul. Essexiæ, ad amnem *Aquam nigram*, vix 7. mill. Angl. ab ora Oceani Germ. aliàs *Camalodunum*. Incolis *Maldon*.

Malorices, alter Frisiorum Dux, vacuos agros, & militum usui sepositos insedentium. Tac. 14. 54. *Malrich* Teuton. Unde *Malarichi* nomen Ammiano.

Malovendus, Marsorum Dux, à Romanis, sub Tiberio, in deditionem acceptus.

Malsane, urbs Arabiæ Felicis. Steph.

Malta, vide *Melita*.

Maltanus, Tusciæ portus. Anton.

Maltecore, Indiæ gens. Plin.

Malthace, insula haud procul à Corcyrâ. Plin.

Malthinus, viri proprium, Horatius,

Malthinus tunicis dimissis ambulat.

Malua, fluv. Africæ ex Atlante oriens, Mela: Mauritaniam Tingit. à Cæsariensi dividit. *Mululo* Castaldo dicitur. *Muluya* Marmolio: 92. m. p. à Ryssadiro in Ort.

Malus, *untis*, locus Mysiæ, inter Scepsim & Achæum opp. contra Tenedum Inf.

Malus Leo, castrum in Pictonibus, diœcesique Malleacensi, clarum vet. Monasterio Augustinianorum, quibus suus est Abbas; vulgò *Mauleon*. Item castrum, in valle Subola, apud Novempopulos: cujus dominum, Savaricum de Malleone, *inimicum Ecclesiæ Regisque Angliæ Senescallum*, vocat Petrus Monachus *de bello Albig. Cap.* 66. qui à Ludov. VIII. ad deditionem compulsus est, cùm Niortum defenderet. Hadrianus Valesius *Not. Gall.*

Malys, vide *Memprıcus*.

Mama, Æthiopiæ sub Ægypto urbs.

Mamala, Arabiæ Felicis vicus. Ptol. ubi thus, cinnamomum, casia, myrrha.

Mamarcina, urbs Ausoniæ. Steph.

Mamaus, flu. Peloponnesi, non procul à Pylo, qui olim *Amathus* vocabatur. Strab. 8.

Mamblia, opp. Æthiopiæ ab eâ parte, quâ Africam spectat. Plin. 9. 26.

Mambolejum, castr. Venetiæ, *Ambulejo*.

Mambre, civitas, Gen. 13. quæ *Hebron* & *Arbee* dicitur. Gen. 23. & 25. Item convallis Palæstinæ, quæ & *Terebinthi*, à Chebron 6. stad. à Bethlehem ferè 15. m. p. in Afric. Ferrar.

Mambrinum, opp. Pedemontii, ad capitis Padi dextram.

Mambuta, Mesopotamiæ opidum. Ptol.

Mamelus, 16. Assyriorum rex, regnavit an. 30.

Mamercia, vulgò *Memers en Saonnois*, castellum Galliæ ad amniculum in Sartam effluentem, in pago Sagonensi. Hadrianus Valesius *Not. Gall.*

Mamercii, à filio Numæ manarunt, teste Plutarcho, quorum nullam unquam mentionem præterea extare vidi.

Mamercus, Catanæ tyrannus, victo Dionysio & deditâ Catanâ dedidit se quoque Timoleonti hac conditione, ut apud Syracusanos, Timoleonte non accusante, causam diceret. Ductus autem Syracusas cùm in conspectum populi & concionem prodiisset, cœpit orationem quandam jam pridem à se meditatam pronunciare. Sed clamore populi adverso & sibilis exceptus, ac populum videns esse inexorabilem, veste abjectâ per medium theatrum cucurrit, & in unum ex gradibus cursu irruens caput collisit & confregit, tanquam eo ictu moriturus, non tamen eum, quem optabat, vitæ exitum consecutus est: sed adhuc vivus abductus, quas pœnas latrones subire solent, solvit. Videatur quoque Polyæn. *l.* 5. *in Timoleonte comm.* 2. ubi vitiosè dicitur *Milarcus*.

Mamercus, Præsul Viennensis, qui teste Ptolemæo Lucensi, An. Dom. 453. supplicationes primus instituit, quas Rogationes vocant. Vid. quoque *Mamertus*.

Mamers, linguâ Oscorum dictus est *Mars*, adjectione syllabæ, qui *Mavors* etiam appellatur. Inde *Mamercus* Æmilius dictator, & gens *Mamerca* Livio.

Mamerthes, Corinthius, filium fratris sui Sisaponis, libidine regnandi, interfecit, maximo suo malo. Nam ubi Sisapo factum rescivit, eum membratim discerpsit. Ovid. *in Ibin.*

Trunca geras sævo mutilatis partibus ense,

Qualia Mamertis membra fuisse ferunt.

Mamertina, quæ & *Messana*, nomen urbis.

Mamertini, pop. olim è Samo inf. ejecti, à Messanensibus hospitio excepti, occupatâ urbe, illam *Mamertinam* appellarunt, sicque Messanenses *Mamertini* appellati. Cic. *Act.* 4. *in Verrem.*

Mamertinum fretum, quod & *Rhegium* Straboni, *Siciliæ fretum* Cic. Plin. & Tac. *Scyllæum* Ovid. & Athenæo. *Siculum* Capellæ, angustia maris inter Cænidem Brutiorum promunt. & Pelorum promunt. Siciliæ, *Il Faro di Messina*. Hinc *Mamertinum vinum* Mart. 13. 114.

Amphora Nestoreâ tibi Mamertina senectâ

Si detur, quodvis nomen habere potest.

Mamertinus, Consul, collega Nevitæ, an. U. C. 1114. Sub Juliano Ap. cui panegyricum scripsit.

Mamertium, urbs Italiæ. Steph. *Martorana*, in Calabria cit. Episc. sub Arch. Consentino, inde 16. m. p. ad Sabbatum fluv.

Mamertus, Episc. Viennensis, in Delphinatu, clarissimus, successit Simplicio, frater Claudiani, qui de statu Animæ 3. libb. composuit. Circa an. Chr. 474. Ei successit Hesychius vel Isicius. Sidon. Apoll. *ep.* 1. *l.* 7. *& ep.* 14. *lib.* 5. Augustin. *Serm.* 173. Greg. Tur. *Hist. l.* 2. *c.* 38. Ado *in Chron.* Rorico, *de gestis Franc. lib.* 1. *cap.* 3. Morerius *Diction. Hist.*

Mamertus Patissonus, Typographus Parisinus, Græcè Latineque doctissimus. Sub finem sec. præt.

Mamilas, 14. Assyriorum R. post Iphoræum, A. M. 2465. Obiit an. 2495. Eus. *in Chron.* Genebr. *l.* 1. *Chron.*

Mamilia lex, à C. Manilio cogn. Limitano Tr. Pl. bello Jugurthino, lata, in finibus agrorum 5. aut 6. pedum latitudinem præscripsit, quos usucapi vetabat. Vid. Cicer. *de LL. & in Bruto*: qui eadem lege singulos arbitros regendis finibus datos esse docet.

Mamilii, Romana gens, quæ ab Aboriginibus fluxit. Hæc gens initio Tusculana fuit, quæ Tusculo municipio facto, cùm Romam venisset, inter plebejas relata est. Videatur Livius *libr.* 3. *cap.* 29. Manavit autem à Mamiliâ Telegoni, qui Tusculum condidit, filiâ, Ulyssis nepte.

Mamilius, alio nomine *Octavius* sive *Octavus*, Tusculanus, gener Tarquinii Superbi, qui ad se confugiente socero, totum Latium adversus Romanos concitavit.

Mamilla, urbs Germ. in dit. Neoburgensi, ad Elsterum fluv. Media inter Neoburgum ad Occ. & Altenburgum ad Ort. 4. mill. Germ. II. à Misna in Occ. in Misniâ. *Zeitz* Fabricio.

Mamistra, urbs Ciliciæ mediterr. Adanæ finitima, Arch. sub Patr. Antiocheno. *Malmistra* vulgò, Lib. Concil.

Mamitus, 13. Assyriorum rex, post Altadem, A. M. 2385. *Hermascus*, Aug. *de C. D.* 18. 7. regn. annis 30. Milites exercuit, & laboribus assuefecit, formidinique esse cœpit Syris & Ægyptiis. Berosus.

Mamius Papyrius, Rex Sacrorum, an. U. C. 245.

Mammacuthus, nomen comicum stulti, quo nomine & Plato quædam e dramatibus suis insignivisse perhibetur. Vid. Scholia *in Aristoph. Ranas* Act. 4. sc. 1. Rhod. 17. 4.

Mamma, opp. Byzacenæ, in Afr. Procopius.

Mammæa Julia, mater Alexandri Severi, insignis ingenii, & animi excelsi fœmina, à quibusdam dicitur Christiana fuisse, & ab Origene edocta. Hæc filium, qui & ipse in sinu matris aliquam Christianismi notitiam hausit, eò coëgerat, ut quæ mensæ superessent,

essent edulia, quamvis permodica, altera vice apponerentur. Aurel. Vict. Ab. Ursperg. Euseb. *l.* 6. *c.*15. 16. Dein in sævitiam degenerans, socerum filii e medio tolli, nuru in Africam relegatâ, curavit, quò solà, apud Imperatorem, rerum potiretur. Tandem à militibus, qui Alexandrum, ob matris avaritiam, exosum occiderant, similiter interfecta, Obiit an. 235. Vid. porro Lamprid. *in Alex.* Herodian. *l.* 5.

Mammaus pons, à *Mammeâ* matre Severi sic dictus, super Anienem fluvium, ad 6. m. p. *Ponte Mammolo*, teste Marliano. Inter Sabinam & Latium. Extra Romam.

Mammea, Augusta, religioni Christianæ favit, in qua ut erudiretur, Origene Antiochiam ad se evocato usa est. Unde & fil. ejus Alexander Severus quandam Christi notitiam habuisse legitur. Euseb. *l.*6.*c.* 20. P. Orosius *l.*7.*c.* 11. &c. V. *Mammæa.*

Mammeana, puellæ alimentariæ, & *Mammeani* pueri ab Alexandro Severo instituti. Lampridius, an. U. C. 984.

Mammeluci, nomen militum, sub Sultanis Ægypti, significat *Servos* seu *Milites*. Communiterè Christianis legebantur & cœlibes erant: Ex illis Sultani desumti, & præcipui militiæ regnique proceres. Primi ex Circassia in Ægyptum venisse, primùmque circa an. Chr. 1250. innotuisse dicuntur, eo tempore, quo Ludovicus IX. contra Saracenos moverat. (Aliis ad A. C. 869. illos referentibus, quo Achmadum fil. Tolonis, qui servus fuerat, post Elmustein trucidatum, Ægypti Syriæque Regem fecerint.) Dein per duo secula clari, an. 1516. à Selimo, Imp. Turc. Campsone Sultano, prope Alepum occiso, victi, Tomumbejum hujus loco sibi præfecerunt, ab eodem similiter superatum, an. 1517. & Cairo capto, infelici ligno affixum. Sic Mammelucorum imperio, post an. 267. finis impositus est. Pet. Martyr, Anglerius, *Hist. Leg. Ægypt.* Paul. Jovius *hist. libr.* 17. & 18. Chalcondyl. *libr.* 3. Baudier. *Hist. Turc.*

Mammida, Persiæ urbs. Ptol.

Mammilla, nomen mulieris Telegoni filiæ, à quâ familia *Mammillorum* dicta.

Mammisaa, Syriæ quædam Tetrarchia. Plin.

Mammucha, Saracenorum Regulus, alter in Ecclesiam Pharao, cum tota classe mari absorptus est: circa A. C. 564. Anton. *libr.* 15. *cap.* 15.

Mamortha, Plin. urbs Samariæ. Vid. *Neapolis.*

Mampsarus, Africæ propriæ mons. Ptol.

Mamuchan, vel *Memucan*, dux Persarum. Esth. 1.

Mamuda, Æthiopiæ sub Ægypto urbs. Plin.

Mamuga, Syriæ urbs mediterr. Ptol. *Mabuga* Masio: in Cassiotide reg. inter Marathum & Apameam.

Mamurius Veturius, faber ærarius laudatissimus, qui tempore Numæ floruit & Saliorum ancilia confecit ad similitudinem ejus quod de cœlo deciderat. Quo confecto præmii loco petiit, ut suum nomen Salii inter carmina canerent. Ovid. *Fast.* 3.

Inde sacerdotes operi promissa vetusto
Præmia persolvunt, Mamuriumq; vocant.

Propert. 4. 2.

At tibi Mamuri forma cælator ahena,
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Vide Festum.

Mamurra, Formiis natus Eques Romanus, uti tradit Cornelius Nepos, primus Romæ in Cœlio monte parietes domus suæ marmore incrustavit. Hic est, qui Epigrammate Catulli proscissus est. Idem columnas ex Carystio marmore habuit. Plin. 36. 6. Horat. *Sat.* 5. *lib.* 1.

In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus.

Erat autem senatoria familia Romæ.

Mamurrha, opp. non obscurum Latii novi, in regno Neapol. cujus rudera apud Itrum. V. suprà.

Mana Geneta, à Rom. culta, partui præesse credebatur, ut apud Græcos Hecate: dicta à *manando*. Huic canem immolari, votoque ab ea peti dicit Plut. ne quis domi natorum bonus fiat, *in Quæst. Rom. qu.* 52.

Manaana, Mauritaniæ Cæsariensis op. mediterr. Ptol. *Miliana* Marmolio: inter Vagas & Oppidum novum.

Manathus, Ægyptius ex Diospoli urbe oriundus, qui de Physiologiâ, & Astrologiâ judiciaria carmen reliquit. Fuit & alter hoc nomine Mendesius sacerdos, apud Ægyptios, utriusque meminit Suidas. Vid. *Manetho.*

Manahath, filius Sobar, filii Seir. Gen. 36.

Manahem, filius Gadi de Thersa, Dux copiarum Zachariæ, à Sallum occisi, venit in Samariam & interfecit Sallum, qui mensem unum imperaverat, postquam occiderat Zachariam, Regem Israël. Regnum Phuli, cui tributum promiserat, opibus nixus, occupavit anno mundi 3264. ante Christum natum annis 800. Secutus est hic impietatem Jeroboam, filii Nabat, Tapsam civitatem, quæ nolebat eum intro admittere, usque adeò persequutus est, ut prægnantes quoque ejus urbis scinderet. Posthæc Phul, Assyriorum rex, Thersam obsedit, cui Manahen mille talenta argenti dedit. 4. Reg. *cap.* 15. imperavit annos decem. Joseph. *lib. Antiq.* 9. *cap.* 11.

Manaim, civitas, quæ fuit terminus tribus Gad, in regione Galaitide, Levitis concessa. Item amnis circa Gedrosiam. Plin.

Manaita, Armeniæ regio ejusdem nominis idolo consecrata. Dio.

Manalis lapis, ostium Orci, per quod animæ inferorum ad superos manant, qui dicuntur Manes. Item petra quædam extra portam Capenam, juxta ædem Martis, quam cùm propter nimiam siccitatem in urbem pertraherent, sequebatur statim pluvia. Festus. V. quoque *Lapis.*

Manangareus, Gall. *Mananghaté*, fluv. Madagascariæ, in parte Or. ubi auctus aliquot fluminibus, septemplici ostio, in mare Æthiopicum se exonerat. Flacurtius.

Mananpanus, vulgò *Mananpani*, fluv. ejusdem reg. In Oceanum Æthiop. labitur, in parte Or. Insulæ.

Manapia, Hiberniæ urbs. Ptol. hodiè *Waterford*, teste Stanihurstio, in Momonia reg. ad Suyrum fluv. in ora ad Ort. Ep. sub Arch. Cassiliensi, ex primis & emporium, à Dublino ad 50. m. p. in Mer. recedens. *Wexford* autem Camdeno, urbs Comit. cognom. ad Slanam fluv. ubi & *Manapii* pop. Ptol.

Manarsa, Ins. parva in ora Ceylani, ubi urbec. vulgò *Manar*; Sub Batavis, cùm antea subesset Principi Maduræ, in Coromandelia. Hinc Mare inter oram Piscariæ, & Ceylanum, *Fretum Manarium.*

Manaricium, Hollandiæ vicus in diœcesi Trajectensi: hodie *Manrick* teste Simlero, in Gueldria: inter Noviomagum 4. & Trajectum infer. 3. leuc. ad Licum Rheni fossam, inter Batavodurum & Grinnes; proxima opp.

Manarmanis, Germ. portus post Rheni ostia. Ptol. hodiè *Marna*, teste Hieron. Verrutio, à quo tractus Frisiæ sic nominatur, circa sinum *Dungerdeel.* Pirchaymerus credit Campen esse, Becanus mavult *Harlingen*, aut locum vicinum.

Manasse, sive *Manassès*, primogenitus Josephi, undecimi filii Jacob, ex Rachel uxore, natus in terra Ægypti ex Aseneth, filia Putipharis, sacerdotis Heliopoleos, atque unà cum fratre suo Ephraim, ab avo suo Patriarcha Jacob, in numerum & hæreditatem filiorum Israël fuit adoptatus, in cujus tribu juxta benedictionem Jacob, semen Abrahæ in Ægypto usque adeò auctum est, ut in Israelitica ad montem Sinai recensione, ex ipsius duntaxat familia virorum numerus, qui armis uti valebant, ad triginta duo millia & ducentos ascenderit. Hic tribum divisam habuit, cujus dimidia pars, cùm virorum pecorumque numero abundaret, unà cum tribubus Gad & Ruben à duce Moyse trans Jordanem possessionem sibi dari petiit. Cui Moyses, eâ lege, ut cæteris tribubus in expugnatione terræ promissionis opem ferrent, morem gessit, eique dimidiam partem terræ Galaad, universamque ditionem Og regis Basan, quæ in longitudine à Manaim urbe, torrenti Jaboc adjacente, usque Baalhermon & confinia Damasci: latitudine verò à Galaad, Seir & Hermon montibus usque mare Galilææ & Jordanem extendebatur, pro hæreditatis sorte concessit. Et hæc ad Aquilonem tendebat; Altera pars, cum Tribu Ephraim medium obtinebat totius Judææ cis Jordanem. Hesychius: Μανασσῆς, ἐπιλανθανόμενος.

Manasses, Ezechiæ regis Judæ filius, successit patri in regno anno mundi 3338. ante Christum natum 725. impius hic ædificavit excelsa, quæ dissipaverat Ezechias, pater ejus, & erexit aras Baal, templum contaminavit, filios diis immolavit: Jerusalem innocentum sanguine replevit: quare iratus Deus suscitavit regem Babyloniæ, qui Judæam invasit, Manassen cepit, & vinctum catenis, compedibus duxit in Babylonem. In captivitate autem, agnoscens Dominum resipuit, pœnitentiam egit, atque regno restitutus idololatriam abolevit, vitamque reliquam in Dei timore transegit. Obiit A. M. 3392. æt. 67. imperavit annis 55. Vide *libr.* 4. Reg. *cap.* 21. & *libr.* 2. Paralip. *cap.* 33. item Joseph. *libr. Antiq.* 10. *c.* 4. & 5. Sulpic. Sever. *Hist. sacra l.* 1. Torniel. Salian.

Manata, vulgò *Menat*, Monasterium Aquitaniæ, ad Seulum fluv. *Siole*, in Arvernis. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Manates, Italiæ populi in primâ regione. Plin.

Manathath, pagus Palæstinæ, apud Saron montem & apud Antipatrida urbem, olim etiam *Cathoe* dictus. In tr. Manasse.

Manburnus, vox prisca Saxonum, pro protectore, seu patrono. Sic Philippus Bonus Burgundiæ Dux, ab Elizabetha Lucenburgica, dicta Gœrlicensi, sumtus *Manburnus*, vel protector, conatus Guilielmi Thuringiæ Landgravii, Lucenburgensem Ducatum, sibi vindicantis, irritos reddidisse legitur, circa annum Christi 1453. Dicta vox ex *Main* i. manus & *Bour* i. fidejussio, quasi *Hand borow*, quo nomine Saxones vocabant eos, qui datâ fide se mutuò tuebantur. Vel ex Saxon. *Mund*, i. tutela, defensio, patrocinium, & *Bord*, i. fidejussor, vas, &c. Sic ut *Mundeburdium*, sit defensionis vel patrocinii fidejussio seu stipulatio: *Mundeburdus* vel *Mundborgus*, Item *Mundvaldus*, tutor, advocatus, patronus, q. defensionem & tutelam spondens: quam vocem Galli detortâ jam olim voce, *Manbourg*, *Mainburg* & *Mainbour*, unde *Manburnus*, dixere. Vide Henricum Spelmannum. *Glossar. Archæol.*

Mancaleus, 12. vel 14. Babyloniorum rex, post Mamitum, A. M. 2416. regn. annis 30. Eus. *Chr.*

Manchana, Mesopotamiæ op. Ptol.

Mancinus, Consul Rom. qui quòd ignominiosam cum hostibus pacem erat pactus, ad liberandos religione Romanos, hostibus fuit deditus.

Mancopia, seu *Mangutum*, arx & opp. Tauricæ Chersonesi. Met.

Mancunium, Britanniæ opidum. Anton. *Manchester* Camdeno. à Comit. Lancastriensi inter Bremetonacum & Mediolanum 38. mill. pass.

Manda, Indiæ intra Gangem flu. maximus, Ptol. *Menan* Mercatori.

Mandaeth, Æthiopiæ vicus in Adulico sinu. Ptol.

Mandagandeni, Troadis pop. Plinio.

Mandagara, Indiæ intra Gangem op. Ptol. *Mangalo* Castaldo.

Mandagarsis, Mediæ op. Ptol. *Masandram* Nigro.

Mandagraum, fluvius apud Scythas Asiaticos. Plin.

Mandalum, Æthiopiæ lacus circa Azianum promuntorium. Plinius.

Mandane, Astyagis filia, quæ ei visa est per quietem, tantum urinæ facere, ut omnem ipsius urbem oppleret, atque universam Asiam inundaret. Hæc Cambysi nupsit, ex quo peperit Cyrum. Herod. *lib.* 1.

Mandanes, secundus Medorum rex, regnavit an. 50.

Mandanis, Gymnosophista insignis, quem cùm Alexander per internuncios ad Jovis filii epulum vocari jussisset, & parenti amplissima præmia, detrectanti verò gravissimum cruciatum proponeret, constantissimè ferunt respondisse, Nec illum Jovis filium esse, qui magnæ parti terrarum imperaret: nec se illius donis promoveri, cui nulla esset satietas, nec minas pertimescere, quòd viventi India abundè multa esset suppeditatura: mortem verò tantum abesse ut formidaret, ut multis etiam votis eam expeteret, quæ sese marcidâ senio carne liberatum, in puriorem, melioremque vitam immutaret. Strab. *l.* 15.

Mandara, pars Macedonicæ Cyri. Steph.

Mandarei, Sarmatiæ Asiaticæ pop. Plin.

Mandarini, aliàs *Loitia* & *Literati*, Sinensium Philosophi, quibus suprema, sub Rege, potestas. V. *Confutius*.

Mandatum, est liberior alimoniæ inter pauperes distributio. Fortè à Gall. *Mande*, pro calatho & sportula. Hinc quinta feria Magnæ hebdomadæ sc. Pascham præcedentis, quæ aliis Cœna Domini, Anglis *Mandie-Thursday* appellatur, quòd in ea crebræ fiunt Eleemosynæ. Ipse etiam Rex tum de antiqua regni consuetudine, cultu accinctus humili ac linteo, tot jam pauperum pedes, quot regnavit annos, publicè lavat, tergit & osculatur: singulisque par unum calceorum, alterum caligarum, togamque insuper & cibi ferculum, totidem item in crumena denarios, quot Regni agit annos, elargitur. More ab Imperio Orientali descendente, ut videre est apud Curopalat. *in Offic. Constantinop. p.* 141. Sed Imperator numerum videtur observasse 12. Apostolorum: *Præparantur pauperes duodecim, & inducuntur eis subucula* (ὑποκαμίσια) *sive tunica, brevia tibialia & solea: positoq; in cella Imperatoris pollubro, &c.* V. Henr Spelmannum *Gloss. Archaol.*

Mandei, Indiæ pop. ad Gangem. Plin.

Mandela, vicus in Sabinis: *Poggio Mirteto* vulgò, apud Digentiam flu. à Maliana & Oriculo ad 12. m. p. ad Ort. apud cœnobium Farfense: Horat. 1. *Ep.* 19.

—— Gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit rugosus frigore pagus.

Vide *Digentia*.

Mandepa, Thraciæ urbs. Procop.

Mandetrium, Dalmatiæ urbs mediterr. Plin. Vid. *Andecrium*.

Mandiaclini, Indiæ pop. Arrian.

Mandianita, Arabiæ pop. Steph.

Mandinga, regnum amplum Nigritiæ, inter Nigrum seu Senegam flu. ad Sept. & regnum Malaguettæ ad Mer. Caput est *Mandinga*, seu Sango.

Mandonius, dux Hispanus & Indibilis, partes Romanorum cum Scipione Africano in Hispaniâ juverunt, deinde Scipione ægrotante, seditionem agitavere, in Romanosque insurgere cœpere. Quos cùm Scipio morbo liberatus comprehendisset, veteris officii memor, tantùm castigatos verbis dimisit. Liv. *l.* 29.

Mandori, Libyæ interioris gens. Ptol.

Mandoua, urbs & regnum, in Imp. M. Mogoris. Item flu. regni Decani, juxta Goam; qui paulo infra in Oceanum Indicum se exonerat.

Mandrala, Indiæ intra Gangem pop. quorum civitas Palibotra. Hos populos Strabo videtur *Prasios* vocare, horum enim scribit Palibotram urbem esse, indeque etiam eandem gentem *Palibotros* quibusdam appellari tradit Plinius.

Mandrereus, flu. ingens Madagascariæ, oritur in regiunc. cognom. & multis auctus fluv. in Oceanum se exonerat, ad Austrum Insf. & prope Carcanossiam reg. Flacurtius. *Mandrerei* vulgò.

Mandro, navicularius quispiam, qui aspirante fortuna, tandem factus est Imperator: unde etiam factus adagio locus, in eos, qui præter meritum ad opes evecti, pristinæ conditionis non meminerint.

Mandrocles, Magnes, à Datame exercitui præpositus.

Mandron, vide *Andron*.

Mandron, Rex Bebrycum, cui contra finitimos Barbaros adfuit Phoxus Phocæensium Dux. Polyæn. *l.* 8.

Mandropolis, urbs Phrygiæ. Steph. *Mandropus* Liv.

Mandruens, vel *Mardyeni*, circa Margianam pop. Plin.

Mandrus, fluv. circa Sogdianam. Plin. Mons item Libyæ interioris, & fluv. Indiæ intra Gangem. Ptol.

Mandubii, Gall. Celt. pop. apud Cæsarem & Strabonem, quorum caput Alexia. Horum tractus nunc *Baßigny* dicitur, teste Golluzio. *Aussois* verò in Burgundiâ Marliano, qui tractus ab Oriente terminatur Divionensi territorio, ab Occidente Nivernensi, ad Meridiem ei est ager Augustodunensis, ad Septentrionem Altissiodorensis ager & montes sunt: In longitudinem ad viginti milliaria ferè protenditur, latitudo autem ferè est æqualis. Metel. Baudrando fuere sub Æduis, ubi nunc *Auxois*, regiunc. Duc. Burgundiæ, in confinio Campaniæ. Caput fuit Alexia, *Alise*, jam destructa.

Mandubratius, Britannus adolescens, qui Cæsaris fidem secutus, ad eum in continentem Galliam venit: Illius pater Imanuentius regnum in Trinobantium civitate obtinuerat, interfectusque erat à Cassivellauno. Cæsar *lib.* 5. *Comment. c.* 20. Ab Orosio dicitur *Androgorius*.

Manduci effigies, ferebatur in triumpho. V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 10. *paralip. ad cap.* 29.

Manduessedum, Angliæ op. Anton. *Mansfield* teste Talboto, in Comitatu Nottinghamiensi. Sed Camdeno est *Mancester* in agro Warvvicensi.

Manduria, oppidum amplum Salentinorum. *Mandurium* Livio, & Stephano. *Casalnovo* Leandro vocatur. 8. m. p. ab Uria urbe, inter Aletium 30. & Tarentum 20.

Mandurium, scribit Leander à Plinio vocari lacum in Apuliâ Daunia, qui hodiè *Andorio* dicitur, quem neque exhaustis aquis minui, neque infusis augeri tradit Livius. *Lago Versentino* Alex. Andreæ.

Manei, Hisp. pop. juxta Bætis flu. ostia. Avienus.

Manerium, est feudum nobile, apud Anglos, partim vasallis, ob certa servilia, concessum: partim domino in usum familiæ suæ cum jurisdictione in vasallos, ob concessa prædia, reservatum. A *monendo* dictum. Al. Baronis est sedes tam majoris, quàm minoris, splendidam aliquam prædiorum portionem continens: intra quam Baro suis colonis & vasallis jura reddit prædialia, juxta regni consuetudines. Hujusmodi villam Romani *villam urbanam* dixerunt, aliàs *pratorium*. Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Maneros, Jul. Pollux *lib.* 4. *cap.* 7. Ἀλλ' Αἰγυπτίοις μὲν ὁ Μανέρως γεωργίας εὑρετὴς, μυσῶν μαθητὴς.

Manes, à quo Manichæi hæretici orti sunt, natione Persa fuit, priùs *Cubricus* dictus, servus cujusdam viduæ Persicæ, quæ moriens Manem, (ita enim postmodum appellari voluit, ne pristini status memoria remaneret,) hæredem instituit, eique non solùm opes magnas, sed etiam libros fanaticorum hominum Scythiani & discip. hujus Therebinthi, qui cùm Magicis esset artibus deditus, è Palæstina in Persiam fugere coactus, Sacerdotes ibi & Philosophos suis erroribus conatibusque obluctantes deprehendit, proin apud viduam, cujus supra mentio, perfugio quæsito in ejus ædibus occisus est, quorum integram historiam Epiphanius recitat, reliquit. Ex his libris hausit fanaticas opiniones, quas postea Apostolum Jesu Christi, & Spiritum S. olim promissum se vocans, sparsit. Fortè eo tempore ægrotabat Regis Persarum filius: Itaque se in aulam confert Manes, medendi artem profitens, verùm quum necasset puerum, fugit inde in Mesopotamiam, ubi discipulos sibi adjunxit, quibus dogmata sua tradidit. Inde rursus à piis Episcopis pulsus, aufugit, & jussu regis Persarum captus ac excoriatus est, circa An. Dom. 280. Sed secta ipsius latè postea in Arabia, Ægypto, & Africa, Gallia & Italia, annis fere 200. propagata, ac ipse beatus Augustinus 9. annos in sectâ Manichæâ versatus est. Postea verò erroribus agnitis refutavit Manichæos, ac nominatim Faustum, Felicem, Fortunatum, Adimantum, & alios. Libri extant *in* 6. *tomo operum* Augustini. Erant autem hæ Manichæorum opiniones præcipuæ: Fingebant duos esse Deos, alterum bonum, authorem rerum bonarum, bonæ inprimis Animæ, quem φῶτα, id est, lucem nominabant. Alterum malum pari potentiâ, quem Hylen vocabant, à quo mala Anima, corpus, conjugium, imperia, & omnia mala orta essent. Itaque abstinebant à conjugio, & politicâ gubernatione, jactitabant se suis ritibus consequi afflatus divinos. Interim voluptatum impurissimarum cœno impunè mersi, negabant Resurrectionem, Eleemosynas alienis à sua secta negantes, motus Concupiscentiæ malæ Animæ adscribebant; μετεμψύχωσιν amplexi, animas suorum per Elementa ad globum Lunæ eluctantes, inde ad Solem eniti, ut ibi purificentur, sicque tandem Deo uniri: reliquorum verò hominum in Infernum detrusas, aliis corporibus denuo immitti asserebant. Contendebant porro, Filium Dei non assumpsisse humanam naturam verè, sed tantùm simulatè seu putativè; Illum serpentem fuisse, à quo Eva tentata: Sedem habere in Sole, sicut Spir. S. in aëre, Sapientiam in Luna, & Patrem, in Lucis abysso. Legem Mosis fingebant à malo Deo traditam, ideoque abroga-

abrogatam esse, abstinebant à caseo, ovis, lacte, vino, carnibus, & mactationibus pecudum, denique magna confusio erat fanaticarum opinionum, quas qui volet legat apud Epiphanium *libr.* 2. *tom.* 2. *hær.* 66. Divisa erat secta hæc abominanda in duas classes, *Auditores* & *Electos*: è quibus posterioribus 12. se Magistros vocabant, decimumque tertium pro Papa habebant. Ab his Episcopi 72. creati, qui Presbyteros elegerunt, Diaconosque suos habuerunt. Refutati ab Orthodoxis, & Imperatoriis edictis coërciti, in Heriberto quodam & Lisojo, sec. 11. in Gallia, reviviscere cœperunt, sed malum in herba extinctum. Augustin. *hær.* 46. *de Morib. Manich.* &c. Theodoret. *l. hær. Fab.* 10. Cyrillus, Genebrardus *in Chron.* Philastrius, &c. Facit & *Manis* mentionem Eusebius *lib.* 7. *cap.* 27.

Manes, Theophrasti servus, de quo Laertius in *Theophrasto*. Ita vocabatur & servus Diogenis Cynici, de quo Laertius itidem *in ejus Vitâ*. Fuit & ancillarum appellatio, Μανία, ut videre est apud Athen. 13. 5. & Plut. *in Demetrio*. Est autem Μάνης vox Babylonica, quæ σκεῦος, id est, *Vas* significat, si Epiphanio fides, *in hæresi Manichæorum*. Phrygiacam verò esse ait Macon comicus, apud Athen. dicto loco, & Strab. *lib.* 7. Sanè servile nomen fuisse apud veteres, docet Eustathius *ad Iliad.* E. Μάνης δουλικὸν παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Vide Suidam, in Μάνης. Cæterùm hanc notam debes Doctiss. Menagio *Observ. ad Laert. p.* 127.

Manes, animas è corporibus egressas intelligimus, aut Deos Inferos, authore Servio. Sunt autem, inquit, noxiæ, & dicuntur per antiphrasin. Nam Manum bonum est. Alii Manes à *manando* dictos intelligunt. Nam Manibus plena sunt loca inter lunarem & terrenum circulum, unde defluunt. Hæc ille. Lucan. *l.* 9.

Quodque patet terras inter, Lunæque meatus
Semidei Manes habitant. ——

Virg. *Æn.* 12.

—— *Vos ô mihi Manes*
Este boni. —— ——

Propert. 1. 19.

Non ego nunc tristes vereor mea Cynthia Manes.

Virg. *Æn.* 3.

—— *Stant Manibus aræ*
Cæruleis moestæ vittis.

Augilæ pop. Africæ juxta Syrtes, Manes tantùm Deos putant, per eos dejerant; eos ut oracula consulunt, precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia. Verba sunt Melæ *l.* 1. Manes etiam ad Genios duos, quos cum vitâ sortimur, authore Servio, retulit Virgilius *Æneid.* 6.

Quisque suos patimur manes.

Manes enim δαίμονες sunt, Præsules corporibus humanis attributi, qui è parentum seminibus manaverunt. Inde *Summanus*, id est, Summus inter manes dictus est Pluto. Verùm Manes, quoniam corporibus eo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, post vitam iisdem corporibus delectantur, atque cum his manentes appellantur Lemures; Qui si vitæ purioris adjuti fuerint honestate, in Lares domorum urbiumque vertuntur. Ac proinde pro *Laribus manes* posuit Sil. *l.* 2.

—— *Ceu prodita tecta*
Expulsi fugiunt Manes. ——

Vide ibi Heinsium. Sin verò animi depravantur ex corpore, Larvæ perhibentur ac Manes. Festus ait, Manes Dii ab auguribus vocabantur, quòd per omnia manare credebant, eosque Deos Superos ac Inferos dicebant. Cic. *libr.* 2. *de Legg. Deorum Manium jura sancta sunto.* Vide Augustin. *de C. D. lib.* 8. *cap.* 26. & 9. *cap.* 11. Vossium in *Manes*, Spond. *de Cœmet. Sacr. libr.* 1. *P.* 1. *cap.* 8.

Manes, fluv. vel torrens Locrorum Epicnemidiorum Thronion præterfluens, interdum tam exiguus, ut transeuntis vix tingat pedes: interdum tam latus, ut in bina se diffundat jugera. Dicitur & *Boagrius*. Vide Strab. *l.* 9.

Manesium, opp. Phrygiæ. Steph. Alex.

Manethus, Heliopoli oriundus, vixit sub Ptolomæo Philad. paulo post Berosum. Sacerdos, scripsit Græcè historiam Ægyptiacam, citatam Jos. *Ant. lib.* 1. *cap.* 3. *lib.* 1. *c. App.* &c. Plut. *de Is. & Osir.* Tertull. *apolog. cap.* 19. Eus. *lib.* 1. *præp. Ev.* Scalig. *notis in Euseb.* Epitomen hujus historiæ composuit Julius Africanus. Fuit & alius Sacerdos Ægyptius, dictus Mendesius, auctor operum quorundam, Suid. Hieron. *lib.* 2. *adv. Jovin.* Vide *Manathus*. Cæterum de *Manetho* vel *Manethone* vide Voss. *Histor. Gr.* 1. 14. & *de Poët. c. ult.*

Manethusa, urbs Cretæ. Mela 2.

Manezardum, Galatiæ op. Anton.

Manfredonia, vulgò quoque *Manfredonia*, urbs Arch. regni Neap. à Manfredo R. Neap. Frid. II. Imp. filio dicta, qui eam circa an. 1200. condidit. Haud procul inde, ad radices Gargani montis ostenduntur ruinæ Siponti urb. Portu gaudet capaci & arce munita, frustrà à Lautreco olim tentata. 22. m. p. ab ostiis Aufidi in Bor. In Capitanata prov. in rupe, in ora sinus Veneti, 25. m. p. à Luceria in Ort. Aliàs capta fuit à Turcis an. 1620. & miserè direpta. Nunc utcunque reparata.

Manfredus, Siciliæ tyrannus, fil. nothus Friderici II. Imp. patrem pulvino in os injecto suffocavit, filio hujus Conrado Siciliæ Apuliæque R. & Pontificum acerrimo hoste, veneno sublato. Qui moriens cum Manfredum Conradini filii tutorem constituisset, tutor ipse Siciliæ regnum sibi rapuit. Hinc cum Innocentio IV. collisus, hujus copias, à Sarracenis Lucerinis adjutus devicit, an. 1254. Ab Urbano IV. dein & Clemente IV. quos malè habuerat, excommunicatus, evocatoque à priore, Carolo Andegav. fratre Ludovici IX. quem in præjudicium legitimi hæredis Conradini Neapolis Siciliæque Regem appellavit, prope Beneventum, Anno 1266. victus ac occisus est. Filia ejus Constantia, Petro III. Arragon. R. nupta, in hancce familiam jus in regnum Neapolit. &c. intulit. Sumoneta & Collenutius, *Hist. Neap.* Fazel. Blond. Nauclerus, S. Antonin. Bzovius, Rainaldus, *in Annal. Eccl.* P. Æmyl. *l.* 7.

Mangalora, vulgò *Mangalor*, urbs regni Bisnagaris, in ora Occ. cum portu ad mare Indicum, in tractu *Canara*, versus Malabariam. Forsan *Mandagara* antiq.

Manganum, Gr. Μάγγανον, machina Hesychio. Sæpissime in specie sumitur pro machinarum violentissima, quâ non solùm saxa ingentia, sed & catapultæ inter alia, ut Lipsius refert, hominum & equorum cadavera projiciebantur, & quidem longiùs. A projiciendo *Balista* dicebatur: aliàs *Tormentum*, à torquendo: *Funda*, à fundendo: *Petraria*, à Petras emittendo: & *Catapulta*, de ejiciendo catapultas. Ejus adeò aliquando sæviit impetus, ut lapidem trium talentorum, quæ singula Vitruvio pendunt pondo 120. emitteret, quod nec fulmineæ hujus seculi machinæ faciunt. Fabrica varia fuit. Abbo Floriacensis *in Obsid. Lutetiæ lib.* 1.

—— *Magno cum pondere nostri*
Tigna parant: quorum chalybis dens summa peragrat;
Machina, quo citiùs Danum quisset terebrari:
Conficiunt longis æquè lignis geminatis
Mangana, quæ proprio vulgi libitu vocitantur,
Saxa quibus jaciant ingentia, seu jaculando,
Allidunt humiles scenas gentis truculentæ, &c.

Hostem eminus, murum cominus minuit; nec minus muros tuetur, quàm labefacit. Etiam in navali prælio ejus usus est. Machina istiusmodi hodie in Reip. Basiliensis armamentario asservatur. Vide Lipsium *Poliorcet. lib.* 3. *dial.* 3. aliosque auctores Henrico Spelmanno laudatos, *Glossar. Archæol.*

Manganur, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

S. Mango, Principatus provinciæ citer. in regno Neap. Leand. Alberti *descr. Ital.*

Mangon, ins. sinûs Arabici. Ptol.

Manhata, vulgò *Manhate*, aliter *Amsterodamum novum*. Vid. ibi.

Manhemium, vulgò *Manheim*, castr. Palatinatus sup. ad confluentes Neccari & Rheni, probè munitum. Aliàs captum ab Hisp. & dirutum. 3. leuc. à Spira in Bor. 3. ab Heidelberga in Occ. Ibi olim Valentiniani munimentum.

Mania, Dea Larium mater, cui olim sacrificabant. Et Maniæ Larvæ quædam, quas nutrices pueris minitari solent.

Mania, Zenidis Dardaniarum urbium principis uxor, à genero Mediâ Scepsios tyranno trucidata. Polyæn. & Xenoph.

Mania, mulier aulica reginæ Beronices, filiæ Ptolomæi, viduæ Antiochi. Polyæn. *l.* 8.

Mania, mutilum ac dimidiatum est, pro *Cenomania* seu *ager Cenomanensis*, Gall. *le Maine*, prov. Galliæ, Normanniam ad Sept. Bellovacos ad Ort. Britanniam min. ad Occ. & Turonum partem cum Andicavensi pago, ad Mer. habens. Dividitur in duas partes, Inferiorem *le Bas Maine*, & Superiorem *le Haut Maine*, priori fertiliorem & pulchriorem. Incolæ *Cenomani*, seu *Cœnomanenses*, Gall. *les Manceaux*, Cæsari *Cenomani Aulerci* dicti; quorum Majores circa an. 160. U. C. principem suum Bellovesum, Elitovii ductu, secuti, in Italiam irruperunt, illumque terræ tractum, qui Pado, Alpibus & Hadriatico mari terminatur, occuparunt, & victis Tuscis ad Ticinum, illos Galliâ Transalpinâ, quam aliquandiu tenuerant, exegerunt, Brexiâ, Veronâ, Tridento, Cremâ, Bergamo, Mantuâ aliisque urbibus successu temporis conditis. *Acres* Joh. Baptistæ Egnatio vocati:

Cenomanique acres & non ignobile semen.

Fuit hic insignis terræ tractus primò sub Gallis, dein Romanorum sensit jugum, tandem Francis, rerum in Gallia potitis, cessit. A' Normannis tertiâ vice occupatus, bis quoque Anglis subfuit. Guilielmus enim nothus & Guilielmus Ruffus cum tenuere, postea ad Eliam *de la Fleche* pervenit. Cujus filia Eremburgis Fulconi Andium Comiti nupsit, mater ex eo Godofredi Pulchri. Huic Henricus II. Angliæ R. & Normanniæ D. materno jure successit: cujus tertio-genitus fil. Johannes sine-Terris, cùm Arturum, ex Godofredo secundo-genito filio Henrici, fratre suo nepotem, è medio sustulisset, Philippus Augustus Gall. R. eum Cœnomanensi regione, cœterisque ditionibus, quas in Galliæ regno possederat, exuit. Ludovicus postea IX. Cœnomanos fratri suo Carolo Comiti Provinciæ tradidit, sed hujus ditiones sub Ludovico XI. ad coronam redierunt. Fluviis irrigatur hæc regio Idoneâ, Sartâ & Meduanâ, qui augentur amnibus *La Vaigre*, *le*

le Jeay, la Dive, la Veusve, la Graine, &c. Silvæ præc. sunt *Bersay, Perseigne, Longaunay, Sillé, Dandaine*, &c. Caput gentis Subdinum est seu recentiori vocabulo Cenomanum, *Mans*. Vid. Liv. *lib.* 5. Cæsar. *Comm.* Polyb. Justinum, Anton. Corvasserium de Courteilles, *præf. in Histor. Episc. Cenomanensium*, Duchenium, &c.

Urbes regionis Maniæ seu Cenomaniæ.

Bellomontium *Beaumont*.	Firmitas Bernardi *la Ferté-Bernard*.
Castellum Guntherii *Chasteau-Gontier*.	Lavalium *Laval*.
Castrum ad Lædum.	Meduana *Mayenne*.
Cenomanum *Mans*, caput gentis.	Sabolium *Sablé*.
	Subdinum, V. Cenomanum.

Mania, regio est, circa Eumenidum templum, quod est inter Megalopolim & Messeniam, ubi Orestes occisâ matre, insaniâ correptus est, & juxta eam dicitur alterius manus digitum exedisse, unde nomen tumulus traxit. Maserius *ad lib.* 7. Valer. Flacci.

Mania, urbs Parthorum. Plin. 6. 25. Promuntorium Lesbi. Ptol. Vid. & Scholia *in Aristoph. Ranas*.

Maniaces, unus ex ducibus Michaelis Paphlagonis Imp. Græci prostravit in Sicilia L.M. Saracenorum, hâc receptâ, quam Imperator postea, duce per calumnias abducto, sub Stephano amisit, A. C. 1040. Zonaras *tom.* 3. Cedrenus *Hist.*

Maniana, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Manicelum, Vid. *Immanicelum*.

Manichæi, hæretici, vide *Manes*.

Manilia lex, illos etiam admittebat ad gerendos Magistratus, quorum Majores in Romana Rep. Magistratum non exercuissent. Tulit illam C. Manilius Tr. Pl. An. U. C. 627. M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo Coss. Alia ab eodem prius lata, Cn. Pompejo belli Mithridatici administrationem deferri voluit an. U. C. 587. Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 8. *cap.* 3. & 4. Ciceronem *Pro lege Maniliâ, de Orat. & Fin.* Anton. Augustin. *de L L.*

Manilius, Vid. *Manilia*.

Manilius, unus ex auctoribus Juris Civ. An dictus à *Manilio*, genero Tarquinii, ad quem hic Româ pulsus confugerat. Liv. *libr.* 1.

Manilius Octavius, à quo *Manilii* fluxere. Is Tusculanorum dux, & Tarquinii gener fuit, ad quem ille post fugam se recepit, ejusque auxilio Romanis bella intulit. Liv. *l.* 1.

C. Manilius Antiochensis, nobilis Mathematicus & Poeta. Scripsit primus Romanorum omnium de Astronomiâ carmen ad Augustum Cæsarem, malè à quibusdam *Manlius*, ab aliis *Mallius* vocatus. Vide Voss. *de Poetis Latinis, cap.* 2. *pag.* 36. & *de Scient. Math.* Gevart. *in not. Stat. l.* 3. *Sil. car.* 3.

T. Manilius, Historicus, in omni literarum genere versatissimus, sub Mario Sullaque vixit; à Cicerone pro Roscio testis invocatus: Vide Plin. *hist. nat. lib.* 10. *cap.* 11. ubi cum insigni elogio ornat. Varro *libr.* 4. & 6. *de L.L.* Arnob. *lib.* 3. &c. Voss. *de H. L. l.* 1. *c.* 9. Gesner. *in Bibl.*

Manilla, vulgò *Manille*, Philippinarum Inf. caput, ampla, dicta & *Lusonia*. Sub Hisp. Cum urbe primariâ cognom. quæ emporium est Archiep. cum arce & portu capaci, an. 1572. ab Hisp. expugnata. Sed deficit in dies. Hinc pars Oceani Indici, inter partem Australem Manillæ inf. & Tandajam Inf. *Manillæ fretum* seu *Estrecho de Manilla dicitur*.

Manimi, Germaniæ pop. Tac. inter sylvam Hercyniam & Danubium fluv. *Manhartzberg*. Nomina illa in Annalibus Germ. *Mainhart*, *Mainfrid*, arguunt aliquos pop. *Mainos*. Quid de *Mansfeld*, veteri Saxoniæ castello & postea Comitatu? Sunt qui horum nomen in *Mone* Inf. putent superesse.

Maniolæ, insulæ ex adverso Indiæ extra Gangem. Eas tenent Anthropophagi, *Manioli* dicti. Ptol. *Islas de Pracel* hodiè.

Manis, rex Phrygiæ vetustissimus, bonitate ac potentiâ perinsignis, cujus de nomine Phryges etiam nunc admiranda omnia *Manica* nuncupant. A quibusdam *Masdes* vocatur. Rhodiginus *lib.* 21. *cap.* 7.

Manius Marcius, Ædilis plebis primùm frumento populum in modios assibus donavit. Plin. 18. 3.

Manius Papirius, vir Patricius, quietis amantissimus, primus Romæ Rex Sacrorum creatus est, Vid. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 3. *c.* 25.

Manius, sinus Illyrici, Scilaci, inter peninsulas Hyllis & Nesti. Nunc *Golfo de Narenza*, in Dalmatia. Joh. Lucius. V. *Narentanus sinus*.

Manlia, op. Hisp. Tarracon. in Celtiberis, nunc in regno Navarræ, in Arragoniæ, & Castellæ confin. à Tutela urbe 4. leuc. à Curiis 2. olim sub Numantinis, teste Livio. *Mallon* hodiè.

Manlia lex, à L. Manlio Tr. Pl. lata, an. U. C. 646. C. Mario, L. Cassio Longino Coss. Consuli C. Mario prov. Numidiam detulit. Alia jam an. 396. à Cn. Manlio Capitolino Imperioso 2. Conf. cum C. Marcio Rutilio lata voluit, ut manumissi fortunarum suarum vicesimam ærario darent, V. Liv. *l.* 7.

Manliana, olim op. Lusitaniæ in Vettonibus, nunc pagus Extremaduræ: Aliis nunc *Villa Franca*; castr. regni Legionensis, ad amnem *Tormes*, 35. mill. à Plasentia in Bor. Brietius. Item Tuscorum op. in Senensium ditione, hodiè *Magliano*, à Telamone 8. m. p. Suanam versus 20. Item opp. Sabinensis agri.

Manliana, oppidul. Aprutii ulter. ubi Carolus Andegavensis, utriusque Siciliæ Rex nobilem de Conradino tulit victoriam. *Magliano* vulgò, in colle, juxta fontes Telonii fluv. 6. mill. à Fucino lacu in Circ.

Manlius, prænomine Cajus & Q. Cæpio proconf. anno ab U. C. 642. adversus Cimbros, Teutones, Tigurinos, Ambrones Gallorum gentes missi, amissis impedimentis, cæso exercitu, refugerunt. Vide Orosium.

L. Manlius, Prætor, Albâ cum cohortibus sex profugit. Cæs. 1. *Civ.* 24.

L. Manlius, pictor egregius, apud quem cùm Servilius fortè cœnaret, filiosque ejus deformes animadverteret, *Non similiter*, inquit, *Manli, fingis, & pingis*; Ad quem Manlius, *In tenebris*, inquit, *fingo, luce pingo*. Macrobius.

T. Manlius, Juris Pontificii peritissimus, judex inter Macedonas accusatores & filium constitutus, auditâ causâ ita pronunciavit, *Cùm probatum sit Silanum filium meum pecuniam accepisse, ipsum Rep. & prole meâ indignum judico, protinusq; è conspectu meorum abire jubeo.* Silanus itaque dolore animi percitus nocte proximâ se suspendit, neque pater exequiis interfuit: sed dum funus duceretur, consulere se volentibus, sui copiam fecit, vacuasque aures præbuit. Val. Max. *de Severitate*.

Manlius Antiochenus, conditione servus, Astrologus, ac Poeta, unà cum Plotio Poetâ mimorum, & Laberio Grammatico conservus ex Asia unâ navi advectus describitur. Plin. 35. 17. Sed ibi *Manilius* legendum. Fuit & cognomen ejus, qui Carthaginem vicit. Hunc Plinius maximis utilem doctrinis nullo doctore fuisse prodidit. *Manlius* Mathematicus, de quo Plin. 36. 10. sed ibi quoque legendum *Manilius*. Præterea, *Manilii seu Manlii* cujusdam à Catone Censore, Senatu moti, quòd parum pudicè fœminam compellasset, meminit Plut. C. *Manlius* Cincinnatus, Conf. cum M. Fabio Vibulano, an. 274. U. C. T. *Manlius* Torquatus, Conf. an. 510. 515. 519. & 530. U. C. C. *Manlius* Vulso; Conf. an. Chr. 565. & 576. A. *Manlius* Torquatus, Anno 590. P. *Manlius*, an. 634. L. *Manlius* Torquatus, an. 689. &c.

Manlius Capitolinus, prænomine Marcus, nobilis Romanus, Conf. qui tricies septies præmium fortitudinis tulit. Hic re malè gestâ à Coss. ad Alliam contra Gallos Senones, videns in mœnibus urbis parum esse præsidii, lectâ mille juvenum manu, arcem Capitolinam occupavit, & à vi hostium intactam ab anseribus excitatus servavit, nomen hinc *Capitolini, Conservatoris* urbis, frumentum è publico, & domum in Capitolio meritus. A quâ tamen ipse arce, quòd in affectati regni suspicionem venisset, fastus quoque intolerabilis & occultatorum thesaurorum Gallicorum argueretur, postea præcipitatus, cautumque est Senatus consulto, ne quis ex Manliâ gente Marcus diceretur. *An.* 370. U. C. Olymp. 99. Liv. *l.* 5. & 6. *Florus, l.* 1. *c.* 13. & 26. Eutrop. *l.* 2. *c.* 13. Val. Max. *l.* 6. *c.* 3. *Plin. l.* 7. *c.* 18. Aurel. Victor, *de Vir. Ill. c.* 24. Et Servius enarrans illud Virg. *Æn.* 8.

In summâ custos Tarpeiæ Manlius arcis.

Vide Plin. 7. 28.

Manlius Patruinus, ordinis Senatorii, pulsatus in Coloniâ Seniensi, cœtu multitudinis & jussu Magistratuum. Tacit. *Histor. lib.* 4. *cap.* 45. imperante Vespasiano

Manlius Theodoricus, Conf. cum Sabiniano, an. U. C. 1258. Floruit sub Theodosio, à Claudiano panegyricè laudatus.

Manlius Torquatus, Ciceronis temporibus vir doctus, ex Rhodia disciplina Molonis, & natura ad dicendum nec satis solutus, neque expeditus. Cui si vita suppeditasset, sublato ambitu, Consul factus esset. Cicero.

Manlius Torquatus, prænomine *Lucius*, Orico jussu Pompeji præfectus, contra quem P. Cornelium Sullam Cicero defendit. Periit in Africâ cum Scipione. Vide infra.

L. Manlius Torquatus, *cui etsi non deerat* (inquit Cicero) *oratio, quam Græci Politicen dicunt, erant in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, sed interiores quædam & reconditæ, summa verborum & gravitas, & elegantia, atq; hæc omnia vita decorabat gravitas, me quidem admodum delectat.* Pædianus autem de eo sic scribit: *L. Torquatus qui P. Syllam patris competitorem in consulatu accusavit, quo & ipse Sylla, & collega damnati sunt.* Rursus eum accusavit, quòd in conjuratione Catilinæ fuisset, sed defensus est à Cicerone, cujus extat Oratio.

T. Manlius Torquatus, à quo *Manliana Imperia* pro severis. Liv. *l.* 4. Gell. 9. 13. quia Cos. An. 414. U. C. filium, quòd contra edictum suum, licèt victor, cum hoste pugnasset, virgis cæsum securi jussisset percuti. Erasm. *in Chil.* Hic ob ingenii & linguæ tarditatem à patre, cui *Imperiosi* cognomen erat, quique clavum in fano Numinis cujusdam, pestis avertendæ gratiâ, publicè defixerat, in prædia rusticana relegatus: istum propterea à M. Pomponio accusatum, judicio exemit, stricto pugione huic mortem minatus. Cùm militum Tribunus adhuc esset, Sulpitio Dictatore, Gallo in monomachiâ occiso aureum torquem detraxit, hinc nomen adeptus.

ptus Ad Vesirim fl. hostes devicit, eodem tempore, quo Decius Mus se pro patria devoverat. Consulatum denuo sibi oblatum renuit, neque se populi vitia, neque populum severitatem suam, ferre posse professus. Liv. *lib.* 7. Val. M. *l.* 6. *c.* 9. Aur. Victor *de Vir. Ill. c.* 28. Florus, &c.

Manlius Valens, legioni in Britanniâ præfectus. Tacit. 12. 40. quanquam de partibus benè meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. *Hist.* 1. 64. Ita secretis eum criminationibus infamavit Fabius ignarum & quò incautior deciperetur, palàm laudatum.

Cn. Manlius Volso, de quo Livius *l.* 8. Cn. Manlius Volso, inquit, Consul in Asiâ acceptis à Scipione copiis, & exercitu lustrato, contra Gallogræcos bellum gessit, eisque superatis revertens, cùm in æde Bellonæ triumphum peteret, decem legati, qui cum eo missi fuerunt, restitere: Inter quos Lucius Furius Purpurio & L. Æmilius Paulus dicebant se legatos Cn. Manlio datos, pacis fœderisque cum Antiocho ineundi gratiâ, Manlium autem operam dedisse, ut eam pacem turbaret, multosque nobiles viros in exercitu suâ temeritate morti objecisse. Vicit tamen, amicis, atque cognatis suffragantibus, res feliciter gestas, & exercitum integrum reportatum dicentibus: Triumphus igitur ei decretus est. V. Liv. *l.* 38. Flor. *l.* 2. *c.* 11. Aur. Vict. *de Viris Ill. c.* 55. *Manlius* Proconsul ex Hisp. revertens, cùm in Æde Bellonæ triumphum ob res benè gestas peteret, exemplum obstabat; quòd ita comparatum more Majorum esset, ne quis qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam pacatamque provinciam successori tradidisset. Medius igitur ei honos habitus est, ut ovans urbem intraret. Liv. *libr.* 38. & 50.

Mannacarta, urbs Arabiæ. Steph.

Mannaricium, vulgò *Manrich*, al. *Maurick*, vicus Belgii, infra Ultrajectum & Carvonem *Grave*, ad ripam Mosæ sinistram: memoratus Æthico *in Itiner.* Al. *Mannaritium*, vide *Manaricium*.

Manneos, regio media inter fluvios, in quâ habitant Arabes Manneotæ. Steph.

Mannia, ins. Angliæ, vide *Monœda*.

Mannus, filius Tuisconis Dei, aliàs Teutonis, à quo *Alemanni* se dici gloriantur.

Manoa, Hisp. *El Dorado*, urbs ampla Americæ merid. de qua mira incolæ narrant, ajuntque ipsam esse ad ripam Occ. lacus Parimei, in Guajana regione. Sed hucusque Europæi nondum pervenere.

Manoba, opp. Hisp. Bæticæ cum fluv. cognomine, in ora maris Mediterr. inter Malacam 10. leuc. in Ort. & Selambinam. *Menoba* Plinio, *Bezmiliana* Moletio. Nunc in regno Granat. ad ostia amnis cognom. Hodie *Almunecar*, Brietio.

Manodorus, nomen servi Comici, Aristoph. *Avib.*

Manoe, pater Samsonis, de quo vide Judicum *cap.* 13.

Manora, arx Indiæ, intra Gangem, in ora Oceani Indici, intra fines ditionis M. Mogolis. Aliter *Bandera*, sub Lusitanis. Petrus du Val.

Manosca, vulgò *Manosque*, urbs lepida Provinciæ, ad Druentiam fluv. 5. leuc. à Rejis in Occas. 7. ab Aquis Sextiis in Cæc. 6. ab Apta in Occasum.

Manothera, castrum inter Biblum & Heliopolim, in valle Bacar. Tyr. *l.* 21. *bell sac. cap.* 11.

Manrali, pop. Colchidis. Ptol. *Mengrelli* Postello.

Mansfeldia, ins. Terræ Arcticæ, in sinu Hudsonio, recèns ab Anglis detecta.

Mansfeldia, veteris Saxoniæ portio, putatur nomen à *Manno* secundo Germanorum Rege sortita; quasi *Manni campus*. Scribit Munsterus, esse in hac regione amplissimum lacum, cujus piscium, ranarum, aliorumque reptilium formas atque figuras adeo accuratè in saxis fissilibus, quæ hîc inveniuntur, quæq; *Ardosas* vocant, effigiatas atque à natura depictas cernas, ut prima fronte illas dignoscere, atque singulas suis nominibus exprimere queas. Prætera regio est admodum metallifera, auro, argento & ære præsertim abundans: inter Erphordiam 9. leuc. in Cæc. & Magdeburgum 9. sita est urbs ejusdem nominis. Hic Comitatus quatuor alios Comitatus in sec ontinet *Arustes*, *VVipra*, *VVethin*, & *Quernfurt*, qui olim proprios habuerunt Comites, nunc verò præter Comitem à *Mansfeld* neminem agnoscunt. Baudrando hic Comit. tractus est Thuringiæ, inter Principatum Anhaltinum ad Bor. ditiones Hallensem & Mersoburgensem ad Ort. & Thuringiam propriam ad Merid. ac Occas. Nunc subest Elect. Saxoniæ, sed aliàs sub Comitibus propriis celeberrimis, quibus omnibus & singulis persolvere debet 2000. flor. in perpetuum. Ibi opp. præc. Mansfeldia, Eslebia, Heldrunga & Quernfurtum.

Mansiatri sinus, parvus Africæ, in parte Occ. Madagascariæ, *Anco de Mansiatre*: ubi Mansiatus fluvius in mare Æthiop. se exonerat.

Mansiones militares, vide *Horrea*.

Mansuetinum, opp. Hungariæ, Anton. *Baboliza*, vel *Babolza* Lazio, inter Sopianas 25. & Arrabonem 105. mill. pass. *Pons Sociorum* & *Pons Mansuetinus* etiam dicitur, ab Aquino 105. ab Herculia 60.

Mansuetus, alio nomine *Julius*, ex Hispaniâ Rapaci legioni additus impuberem filium domi liquerat. Is mox adultus, inter septimanos à Galbâ conscriptus, oblatum fortè Patrem inter Vitellianos & vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus agnovit. Tacit. *hist.* 3. 25.

Mansum, castrum Galliæ, in extremis finibus diœcesis Aginnensis, triduo, sed frustra oppugnatum, à Comite Montisfortis, bello Albigensi, Petrus Monachus *cap.* 77. Vulgò *le Mas d'Agenois*: ad ripam Garumnæ, ferè contra Marmondam. Istiusmodi loca in Galliis plurima, quæ tamen Valesio *Mansi* potius dicenda. Vox olim Germanis, Gallis, Italis atque Anglis, in frequenti usu, à *manendo*. in Com. Valentino *Colonica*; Gallis aliter à vernaculo *Carruë* Carrucata: Bedæ *Familia*, Saxonibus Hida. Hinc *Mansio*, *Mansionile*, &c. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & prolixè de hac voce disserentem Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Mantacaus portus, ad quem Petrus Heinius, Batavorum Archithalassus, classem Hispanorum argentiferam debellavit, an. 1628.

Mantala, vulgò *Mantou*, Gall. incolis *Manta*, opp. Galliæ Narb. in Sabaudia & finibus Allobrogum. Anton. inter Tarantasiam, 32. & Viennam in Occas. 80. m. p. Baudr. Ubi Boso, Concilio an. 879. habito Rex prov. Arelat. & Burgundiæ proclamatus est. Morer. Nunc vicus est pagi Viennensis, pari intervallo ab urbe Vienna atque Turnone, Gall. *Mante*, vel *Mente*, S. Petri cellâ seu Prioratu veteri Cluniaco subjecto clarus. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Mantalus, urbs Phrygiæ à *Mantalo* conditore. Steph.

Mantavonium, Anton. Vide *Maitavonium*.

Manthyrea, vicus Arcadiæ. Steph.

Mantiana, palus aquæ salsæ in Armenia, maxima post Mæotida, ad Atropatiam usque pertingens. *Geluchalat* P. Veneto. *Van*, & *Vastan*, Theveto. Aliis *Abaunas*. Minadojo *Actamar*. Hanc 8. magna flumina ingrediuntur, nullumque egreditur, in ambitu habet iter 8. dierum, P. Gyllius. Dicitur *Argis* Abylfedæ in sua Geograph.

Mantias, Atheniensium Dux, cum 3000. militum, & idoneâ classe, Argæum in regnum Macedoniæ, à civibus suis jussus reducere. Diod. *lib.* 16.

Mantieni, montes Armeniæ majoris, ex quibus Araxes, & Gyndes fluv. profluunt. Herodot.

Mantinea, urbs Peloponnesi gemina, una in Argia ad sinum Argolicum, *Mantegna* Nigro. Altera in Arcadia, *Mandi* Zardo, *Mandigna* Leunclavio. 25. mill. à Megalopoli in Bor. Argos versus, 12. à Tegea, 40. à Cleonis, ad Parthenii montis radices. Hîc inter Græcos dubio Marte certatum, Epaminonda Thebanorum duce cæso. An. 391. U. C. Hom. *in Catalogo*,

Οἳ Τεγέην τ' εἶχον καὶ Μαντινέην ἐρατεινὴν.

Hesych. Μαντινέη πόλις Ἀρκαδίας.

Mantini, pop. Thraciæ, Virg. *in Ceiri*.

Mantinum, vulgò *la Bastia*, caput Corsicæ, & sedes Præfecti, in ora ad Ort. inter Sacrum prom. ad Bor. 25. & Marianam ad Mer. 12. m. p. *Mantino* Ptol.

Mantittur, Indiæ urbs intra Gangem. Ptol.

Mantius, Melampi filius, ex Iphianassâ filia Proeti, Polyphideum & Clytum suscepit. Hom. *Od.* 5.

Manto, mulier fatidica, Tiresiæ Thebani filia, quæ cùm post patris obitum Creontis & Thesei tyranniden fugeret, primùm in Asiam venit, ubi Apollinis Clarii templum condidit. Deinde in Italiam delata, ex Tyberi fluv. (ut poëtæ fabulantur) aut certè ex Tyberino rege Ocnum peperit, qui postea ad fluv. urbem condidit, quam à nomine patris Mantuam appellavit. Virg. *Æn.* 10.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantûs, & Tusci filius amnis,
Qui muros matrisq; dedit tibi Mantua nomen.

Mantua, urbs Transpadanæ regionis clarissima, Româ 300. an. antiquior, Episc. sub Archiep. Aquilejensi, vulgò *Mantua* & *Mantoa* Italis, *Mantouë* Gallis. Non longè à Cremonâ abesse innuit Virgilius *Eclog.* 9.

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Ejus siquidem, ut & Tassi, patria fuit. Mart. 1. 62.

——— *Marone felix Mantua est.*

Fertilitatem ejus innuit ipse Virgilius, *Georg.* 2.

Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cygnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina desunt,
Et quantum longis carpunt armenta diebus,
Exiguâ tantum gelidos ros nocte reponit.

Capta ab Agilulpho, an. Chr. 590. quem Exarchus Callinicus pacem rumpens irritaverat. Ferventibus dein Guelphorum & Gibellinorum dissidiis, reliquarum in Italia urbium exemplum imitata, Passerinos sibi præfectos constituit, an. Chr. 1308. Johannes postmodum Galeacius Ruperto Imper. & Gallis victis urbium dominatores, inter quos Gonzagas Mantuæ subjugavit, an. 1403. Sed à Sigismundo Imper. Gonzaga Marchio Mantuæ creatus est, an. 1420. In Vincentium Mantuæ Ducem Polonorum vota inclinabant, an. 1606. cùm dissidiis intestinis regnum collideretur. Vide infra, & omnino Cluverium *de Ital. Antiq.* 1. 26. Baudrando urbs magnifica, populosa & munitissima, antea dives, à Manto, vide

vide ibi. Sed an.1619. capta fuit à Germanis & miserè vastata; reddita tamen suo Duci, è familia Gonzaga, in dies pulchrior evadit. 18. mill. à Piscaria in Austr. uti & 24. à Verona. 10. à Pado in Bor. Non omittenda tria suburbia, quæ velut totidem urbes, ad lacum, in cujus medio Mantua sita est, quorum nomina *Porto Forteze, il Borgo di S. Georgio & Thé.* Urbes in ditione præcipuæ *Viadana, Borgo-forte, Pomponesco, Goito, Governolo, Caneto, &c.* ut prætercam Mirandulam, aliaque dominia, intra ejus limites comprehensa. Hîc Concilium celebratum ab Alexandro II. contra Honorium II. ab Henrico IV. electum, an. 1064. quo inter alia statutum est, *Papam à solis Cardinalibus in posterum eligendum esse.* Item à Pio II. an. 1459. quo de Turcis repellendis actum est. Caput est Duc. Mantuani, *Ducato di Mantoa*, qui à Pado bifariam scinditur. Terminatur ab Or. Ducatu Ferrar. à Septentr. territoriis Veronensi & Brixiano, ab Occ. agro Cremonensi, à Merid. Ducatu Mutinensi & dit. Ducis Mirandulæ. Partes ejus antea fuerant Guardistalla, Sabuloneta, Novellaria, Bozolum *Bozolo*, Castilio Stiveriarum *Castiglione*, & Sulphurinum *Solfarino*, sed nunc ab eo revulsa, propriis ex eadem familia parent Principibus. Subest Duci Mantuano pars major Duc. Montferratensis, inter Pedemontium, Liguriam, & Duc. Mediol. Inde *Mantuanus.* Statius,

Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.

Μάντυα & Μάντυα Stephano. Item pagus Hisp. Tarraconensis in Carpetanis, vulgò *Villa Manta* dicta.

Manturna, Dea apud Rom. ut nova nupta domi maneret.

Manuel Byzantinus, Historicus, laudatus Joh. Curopalati, *in proœm. Hist.* Item Briennensis, auctor libri de Musica.

Manuel Moschopulus, scripsit dictiones Atticas, Notas in Hesiodum, Synopsin in vitam Euripidis, &c. Gesner. Possevin. Reliquos quære, *in Emanuel.*

Manus mortua, Gallis *Mortmaine*: per antiphrasin dicuntur immortales societates illæ & possessores, qui perpetuâ viventes successione, prædiis fruuntur, velut Reip. mortuis. Mortuo mari omnino similes, cui multæ influunt aquæ, sed nec refluunt, nec moventur, nec in usum conducunt publicum. *Corpus perpetuum* in Stat. anni 15. Richardi II. *cap.* 5. vocantur. Horum aliud simplex est, quod ex uno constat, & ab uno ad unum successivè protelatur: ut Episcopi & Ecclesiarum Rectores, Abbates, Priores & Decani singulares à Conventibus seu Capitulis suis; aliud compositum, uti Abbates & Priores cum Conventibus, Decani cum Capitulis, Urbium, Oppidorum, Villarum Majores & Communitates, Societates, Collegia, Fraternitates & quoscunque in municipium Principis conscripsit indulgentia. Inter cæteras autem omnes *Manus mortuæ* species longè eminuere tum in dignitate, tum in latifundiis Ecclesiastici. Descriptâ quippe totâ Angliâ sub Guilielmo Conquestore, repertisque illic 60215. feudis militum, possedisse deprehensi sunt eorundem 28015. His additis, quæ usque ad annum 7. Eduardi I. torrentem istum cohibentis, Ecclesiæ data sunt & perquisita, opinabitur quis dimidium feudorum Angliæ in sortem Cleri transiisse. Igitur ne Moses absorberetur ab Aarone, sancitum est ab Eduardo, ut nec Religiosis, nec aliis porro prædia talia, sine Regis permissu, darentur: Quæ lex ipsa *Manus mortua* appellata, repertaque est adeo necessaria, ut an. 15. Richardi I. *cap.* 5. ad laicas omnes ejusmodi societates traduceretur. Licentiâ nihilominus grassante, ingens etiam deinceps prædiorum vis, ad Cœnobitas transvolare perrexit: Sed saginatos supra modum suæ tandem mactavit avaritiæ Henricus VIII. & quas per mille totos annos congessere messes, in horrea diripuit vorax illa hora, quâ de exscindendis Monasteriis lata est sententia An. regni ejus 27. Vide Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.*

Manutius Aldus, fil. Pauli, sub Sixto V. Romæ Professor, scripsit de Orthographia, 3. libb. Epistolarum, Commentar. in Censorinum, &c. inter præclarissima sui seculi ingenia. Vide Janum Nic. Erythræum, aliàs Joh. Victorinum de Rossi, *in Pinac. P.* 1. *c.* 9. Le Mire *de Script. S.* Gesner. *in Bibl.* Obiit Romæ an. 1597.

Manutius Aldus, ex erudita familia Typographorum Venetorum, omnes nervos ad Barbariem è Latio pellendam intendit. Circa annum 1520. Scripsit Institutiones Grammaticæ Gr. Notas in Horatium, Homerum &c. Gesner. *in Bibl.* Frater Francisci, itidem impensè eruditi.

Manutius Paulus, auctor Correctionum & Notarum in Ciceronem, versionis 4. Orationum Demosthenis, Proverbiorum, &c. Simler. *in Bibl. Gesn.* Possevin. *in appar.*

Maoch, pater Achis, regis Gath. 1. Reg. 27.

Maocosmos, vide *Nascos.*

Maon, filius Sammai. 1. Par. 2.

Maon, civitas in tribu Judæ, Jos. 15. in campestribus sita est ad dexteram Jesimon, contra Solis ortum Daromæ: cujus desertum 1. Reg. 24. nemorosum & plenum faucibus & cavernis, in quo erant campestria & petra divisionis, est confine deserto Carmeli & deserto Pharan.

Maonathi, filius Othoniel. 1. Par. 4.

Maozim, nomen Idoli. Dan. 11.

Mapeta, Sarmatiæ in Asiâ urbs. Ptol. vulgò *Copa*. Apud Bosporum Cimmerium: inter Gerusam ad Bor. & Cimmerium prom. ad Austr. apud ostia Varadani fluv.

Maputa, urbs Indiæ intra Gangem. Ptol.

Mara, urbs, apud quam Damasceni quondam castrametati fuisse scribuntur. In tribu Manasse. Tyr. 15. *Bell. sacr.* 9. Est & Mara quinta Israëlitarum mansio, ibi enim Moses jactu ligni amaras aquas in dulcem vertit saporem. Exod. 15. Num. 33.

Marabina, opp. Pentapolis, in Africa. Ptol.

Maracanda, urbs Sogdianæ reg. Arriano, & Curtio. Plutarchus *lib.* 2. *de Fort. Alexand. Maragandam* vocat. Petrus Perondinus putat *Samarcanda* hodie esse, olim magni illius Tamerlani patriam, & regiam, qui illam ornavit, ibique Academiam instituit. Nunc in Zagataja reg. Tartariæ. 100. m. p. ab Oxu fluv. in Bor. Celebre emporium est, urbs ampla & regia totius reg. Hanc Chalcocondylas *Samrachantan* vocat. Vulgò *Samarcand.*

Maracaybus, Hispan. *Lago de Maracaybo*, lacus Venezuelæ prov. in Amer. Merid. prope Corum urbem, in sinum Venezuelæ se exonerat.

Marache, urbs Indica, Steph.

Maraches, Ætoliæ pop. Plin.

Maraclea, Phœniciæ maritima urbs, juxta Antaradum versus Septentrionem. Guil. Tyrius.

Maracodra, Bactrianæ urbs. Ptol.

Maraga, Arabiæ Fel. urbs. Ptol.

Marai, nomen viri. 1. Par. 27. Item Persiæ populi. Strabo.

Maraja, nomen viri. 2. Esdr. 12.

Marajoth, nomen viri. Ibidem.

Marana, opp. munitum in finibus Istriæ, cum portu. Hoc cùm bello inter Venetos & Ferdinandum Archid. fervente, Massæ centurionis perfidiâ jamjam hosti tradendum esset, conjurationem Veneti oppressere. An. Chr. 1617. Item opp. provinciæ Terræ Laboris, prope Neapolim. Vulgò *Marana.* Du Val *Geogr.*

Marananìa, Gall. *l'Isle de Maragnan*, Ins. Brasiliæ in parte Bor. ad ostia Miarii fluv. Unde Præfectura Marananis, *Capitania de Maragnan.* Ante 50. annos à Gallis culta fuit; sed postea ab ipsis derelicta, Lusitanis paret. Ibi arx S. Ludovici, *S. Luis de el Maranhan*, locus ins. præcipuus, capta à Batavis an. 1641. sed recepta.

Maranatha, Hesychius: Μαραναθὰ, ὁ Κύριος ἦλθεν, ἢ εἶδον τὸν Κύριον. Vide Suidam.

Marane, Arabiæ Felicis opp. Plin. pop. *Maranita.*

Maranga, tractus quidam Ammiano, *Moronsa* vicus est Zosimo, Persidis reg. locus.

Maranonius, vulgò *Maragnon*, qui & *Xauxa*, fluv. ingens. Oritur in Peruvia ad radices Andium, è lacu *Chincacocha*; dein plurimis auctus fluv. in flumen Amazonum se exonerat. Petr. Texeira.

Maranthis, vide *Marabina.*

Marantium, Latini vocant oppidulum Tusciæ mediterraneum, *Ripa Maransi* Leandro. In agro Volaterrano ad Ceccinam fluv. 5. m. p. à Volaterris in Austr. & Eur.

Marantium, opp. tractus Alnetensis, in Pictonibus, intra paludes, ad Separam Niortensem. 2. leuc. ab ora Oceani in Ort. 4. à Malliaco in Occ. 4. à Rupella in Cæc. Amplum & cultum, *Marans* vulgò.

Maranum, oppidum Marchiæ Tarvisinæ in Comitatu Tyrolensi, pertinens ad Episcopum Brixiensem, quod licet ad Italiam pertineat, tamen populo incolitur & moribus & linguâ Germanico potius quàm Italico. Item opp. Foro-Julii.

Maras, vir ditissimus apud Beroën Syriæ civitatem, humanus, & officiosus in omnes tum cives tum hospites. Vide Suidam.

Marasdi, Arabiæ Fel. urbs. Ptol.

Marata, vulgò quoque *Marata*, regnum parvum Americæ Septentr. versus novum regnum Mexicanum & oram maris Purpurei. Sanso.

Maratha, Arcadiæ vicus. Pausan. Osrhoënæ urbs. Lib. Notit.

Marathesium, urbs Cariæ, Ephesi, & Samiorum. Steph.

Marathi, gens ultra Tanaim. Athen.

Marathia, opp. Lucaniæ.

Marathius, tertius Sicyoniorum Rex, regn. an. 30.

Marathon, hodie *Maratona* Sophiano, aliis *Marason*, Attici agri civitas, distans ab Athenis circiter 10. m. p. non procul à Tricoritho, & Rhamnunte, nece Icarii regis insignis, & Miltiadis gloriâ, qui ibi centum millia ex Darii regis Persarum exercitu profligavit: Item Thesei victoriâ, qui ibi taurum Marathonium superavit. Ovid. *Met.* 8.

—— Te maxime Theseu,
Mirata est Marathon Cretæi sanguine Tauri.

Nunc *Marathona* Baudr. versus oram Euripi, 35. mill. pass. ab Athenis in Cæc. vicus hodie parvus. Sub Turcis. Inde *Marathonius*, ut *Marathonia Virgo* pro Erigone. Papinius. 5. *Sylv.* 3.

—— Nec enim Marathonia Virgo
Parcius extinctum sævorum crimine agrestum
Fleverit Icarium. ——

Item *Marathon* vicus in tribu Leontide. Steph.

Marathonia, urbs Thraciæ, non procul ab Abderis. Steph.

Marathos, urbs Phœniciæ. Mela 1. 12. *Margath* hodie Olivario, Syriæ

Syriæ Ferr. apud oram & Phœnicis confinia, Balaneis proxima & Tripoli.

Marathus, vide *Julius Marathus*.

Marathus, decimus quartus Sicyoniorum Rex, regn. an. 20.

Marathus, urbs Acarnaniæ, civis *Marathenus*, Gentile *Marathusius*. Steph.

Marathusa, insula prope Clazomenam, Steph. à fœniculi copia sic dicta. Item opp. Plin. 4. 12.

Maratonus, vide *Macedoniani*.

Marbachum, oppid. Duc. Wirtembergensis. Metel.

Marbodus, Episcop. Rhedonensis, in Aremorica, Gallus. Obiit an. 1123. Prosâ versuque varia scripsit, imprimis Poëma in Canticum Canticorum, vitam Laurentii, &c. Vide Ildebert. *epist.* 80. & 200. Sigebert. *in Cat. cap.* 159. Sixtum Sen. *lib.* 4. *Bibl.* S. Baleum & Pitseum, *de scr. Angl.* Lilium Girald. *dial.* 5. *Poët.* Sirmond. *in not. epist. Goffr. lib.* 3. *ep.* 14. Chenu. *de Episc. Gall.* Argentræum & Augustinum de Pas, *Hist. Brit. Duc.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 44. *de Poët. c.* 6. Alius *Marbodus*, vel *Marbodaus*, Gallus, carminis auctor, *de gemmarum lapidumq; pretiosorum formis, natura & viribus*, quod Coloniæ impressum, an. 1539. cum notis Alardi Amstelredami & Pictorii Villigensis. Vincentius Bellovac. *libr.* 9. *spec. nat.* Barthol. Anglicus, *libr.* 16. Gesner. *in Biblioth.* Voss. *de Poët. Lat.* &c.

Marburgum, vide *Amasia* & *Martisburgum*.

Marca Christiana, filia Georgii Ludovici Comitis Leonstenii, an. Chr. 1633. defuncti: ex Elisabetha Juliana Comite Erpacensi. Nata Venetiis, Gabrieli Oxenstiernæ R. Suec. Marescallo nupsit: ei jura sua in hæreditatem paternam & maternam in pacif. Monaster. servantur.

Marca Ancona, hodie appellatur ea Italiæ regio, quæ olim Picenum dictum fuit. Ab Isauro flumine usque Druentum amnem, inter Adriaticum mare, & Apenninum montem porrigitur. Valdensibus, circa an. Chr. 1330. referta fuit, ut scribit Anton. Arch. Florent. *par.* 3. *tit.* 21. *c.* 5. *§.* 1. Habet hæc regio agrum fertilem, omnis generis frugum copiam producentem, sed lignariis quàm frumentariis fructibus longè est præstantior. Silius ejus laudem præcipuam in oleis laudat. Urbs primaria est Ancona; Item Ælia Ricina, quam hodie *Recanati* vocant. Non longè abhinc est Lauretanæ imaginis fanum, validissimo muro cum vico illi adhærente cinctum, & multum totius Europæ hominum peregrinationibus, Religionis ergò, celebre.

Marca Hispanica, dicebatur ævo Ludovici Pii, Caroli & seqq. quæ hodie Catalonia.

Marcaum, mons Troadis juxta Gergithem. Steph.

Marcala, Armeniæ min. urbs. Ptol.

Marcana, seu *Mercana*, vulgò quoque *Mercana*, urbec. Dalmatiæ, Episcop. sub Archiep. Ragusino: cui perpetuò unitus est Episcopatus Tribunensis. Sita erat in inf. maris Adriatici, circuitu tantùm 4. mill. sub dominio Reip. Ragusinæ; nunc in ruderibus jacens, vix 3. aut 4. habet domos.

Marcasium Radulfi, vulgò *Marche-roux* corruptè pro *Marchais-Raoul*, aut *Marcheroul*, castrum Galliæ in diœcesi Rothomagensi, cum Monasterio Præmonstratensium Monachorum, Abbati suo subjectorum. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Monasterium Villare*.

Marcella, mulier Romana, quæ cùm à matre rogata esset: Gauderetne se nupsisse? *Ita valdè*, respondit, *ut amplius nolim*.

Marcella, filia Octaviæ, sororis Augusti, ex Marcello, nupsit Agrippæ, dein nurus Marci Antonii facta, peperit Lucium Antonium, qui Massiliæ dein obiit. Habuit sororem minorem natu cognominem.

Marcella, discipula Hieronymi, septimo conjugii mense marito orbata, in posterum S. Scripturæ lectioni se totam addixit, Paulæ & Eustochiæ familiaris. Origenistis, qui, Romæ suborti, acriter se opposuit, tantumque effecit, ut damnarentur. Obiit paulo post Romam à Gothis captam, an. 409. Hieron. *in vita ejus*, *ad Principiam, epist.* 8. &c.

Marcellea, festa quædam Syracusis in honorem Marcelli instituta, quòd is in Siciliâ optimè rexisset. Cic. 4. *in Verr.* & Cæl. Rhod. 18. 12.

Marcelliacum, oppidul. Galliæ in Tricassibus, ad confluentes Albæ & Sequanæ: *Marcilli sur Aube*, vel *Marsilli où faut Aube*; ab aliis *Marcilli sur Seine* dictum. Ibi quotannis juvenes nudi cursu contendere consueverunt, proposito præmii loco panno. Qui igitur unum miliare primus confecerit, is præmium capit, puellis charus & bonâ conditione usurus: Sic & Judæi Romæ per tres dies ante caput jejunii cursu certant. Est & in Cadurcis ad fluv. Sellam *Sele*, opp. *Marciliacum*, vulgò *Marsiliac*, illustre Monasterio ejusdem nominis, à Leutado & Ansleberto extructo, neque procul ad eundem fluv. Figiacum *Figeac*, Monasterio vet. clarum. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Marcelliana, Anton. locus Lucaniæ, apud Atinam opp. C. Cittadino, inter Calorem & Cæsarianam.

Marcellianus, Dux potentissimus, in Dalmatia, post Ætii mortem, rerum potitus est. Inde tamen ab Imper. Leone abstractus, ejus hortatu, Vandalos Sardiniâ feliciter pepulit. Cæterùm *Marcelliani* dicti sunt, sec. 4. qui Marcelli Ancyrani errores sectati, Concilio 1. Constantinop. condemnati sunt, an. 381.

Marcellina, impudentissima fœmina, quæ sub Aniceto Episcop. Romæ, Gnosticorum sectam introduxit, ingenio & formâ plurimis inescatis. Iren. *l.* 1. *c.* 24. Epiphan. *hær.* 27. Item, soror Ambrosii, à Liberio laudata. Vide Ambros. *tract. de Virg. lib.* 3. *Viri Illustres.*

Marcellinus, Consul, an. U.C. 1093. Alius Cons. cum Aureliano Augusto, an. U.C. 1027. Item alius Rom. Pontifex 37. anno Dom. 296. Cajo successit. Hic persecutione universali 10. sub Diocletiano vigente, quam Eusebius *l.* 8. *c.* 1. & 2. & 6. corruptis Ecclesiasticorum moribus ascribit, pœnæ metu, thuris granum Herculi, Jovi & Saturno, in Vestæ templo, adolevit: an. 302. in se verò statim reversus, Diocletianum ipsum redarguit, & ad necem lubens se obtulit, an. 304. Balæus *l.* 1. *in vita ejus*. Successit Marcellus I.

Marcellinus Comes, Illyricus, sub Justiniano, composuit Chronicon, ab an. 379. ubi Hieronymus desiit, usque ad quartum Consulatum Justiniani, qui incidit in an. Chr. 534. Imper. ejus 8. Cui dein continuatio accessit, usque ad an. 566. Mirè commendat hoc opus Cassiodorus, qui addit, illum quoque edidisse libb. 4. de Constantinopoli & Hierosolymis. Editum est Chronicon hujus auctoris ab Ant. Schoonhovio, Jos. Scaligero & Sirmondo, an. 1619. Vide Cassiodor. *divinar. Lect.*

Marcellinus, frater tyranni Maximi, à Theodosio victus, Zosim. *lib.* 4. Item Tribunus & Notarius Imperialis, cui munus suum in Africa exercenti, Augustinus libb. 3. de Remissione peccat, tractatum de Spiritu & Litera, egregium item opus de Civ. Dei dedicavit. Vir sapiens & agendi dexteritate inclytus, pacem Ecclesiæ, à Donatistis turbatæ, ardentissimè expetiit; electusque ab Honorio hanc in rem, in celebri congregatione pro Orthodoxis sententiam tulit. Hinc calumniis schismaticorum impetitus, à Marino, quem Honorius contra Heraclianum rebellem in Africam miserat, tanquam horum motuum conscius, è medio sublatus est, an. 413. Augustin. *de gest. cum. Emer.* Hieron. *lib.* 3. *contra Pelag.* &c.

Marcellinus Presbyter, junctus Faustino, ad Ursicini, qui, contra Damasum, Episcopum se creari curaverat, partes se applicuit: Schisma dein Luciferianorum quoque amplexus. Item Anglus Benedictinus, cum decem aliis in Germaniam Frisiamque missus, Evangelium ibi per an. 70. annuntiavit. Auctor vitæ S. Suiberti, S. Willebrordi, & aliquot operum historicorum. An. 766. Pitseus *de Script. Angl. p.* 152. Suffridus Petri, *de Script. Fris.*

Marcellinus, historiæ Græcæ scriptor, ex qua solùm superest dissertatio de Thucydidis vitâ, & ejus genere dicendi, quæ historico huic præmitti solet. Arbitratur Vossius eundem esse, cujus in Hermogenem de Statibus commentarios unà cum Syriano & Sopatro excudit Aldus. Quin & Conradi Gesneri suspicio est, non alium hunc esse ab Ammiano Marcellino, cujus ex 31. historiarum libris extant libri 18. Nempe quia Ammianus ille Græcum se fuisse dicit *extremis lib.* 31. *verbis*, & phrasis ipsa satis hoc prodit. At satis constat, Ammianum illum vixisse sub Gratiano, & Valentiniano Juniore. Altero quoque argumento ætatem ejus ostendere idem conatur, nempe quia Marcellinum dicat Suidas fuisse familiarem Sallustio philosopho. Eum censet esse Sallustium prætorio præfectum, qui Valentinianum designavit Imperatorem, ut Suidas ait. Sed scrupulum injicit, quòd Suidas Sallustium hunc distinguat à Sallustio philosopho; Adde, quòd non videas, unde Marcellinum, quem Principem Dalmatiæ, & Illyridis fuisse dicit Suidas, colligi possit, eumpse esse, ac qui Græcè historias emisit. Vide Voss. *de H. G. l.* 2. *c.* 18.

Marcellinus, vide *Ammianus*, *Fabius*, &c.

Marcellius, à Tiberio Cæsare Judææ præfectus. Jos. 18. 11.

Marcellus Marcus Claudius, Romæ Consul quinquies fuit, anno Urbis C. 532. naturâ vir ad bellum propensus, acer ac strenuus: ad cæteras vitæ partes humanus atque modestus. Græcæ verò disciplinæ, ac studiis dicendi addictus, quæ tamen per bellorum occupationes, non usque adeò illi assequi licuit. Tunc prædam & arma secum auferens ad Collegam Cornelium regressus est, per id tempus adversus Gallos infeliciter dimicantem: ut venit, Rege Viridomaro vel Britomaro, singulari certamine occiso, Mediolanum ac Collegam obsidione liberavit. Posthæc decretus est à Senatu soli Marcello triumphus. Syracusas intra triennium cepit, cujus subjectam oculis magnificentiam, ac splendorem circumspiciens, diu illacrymasse, fatumque Archimedis Geometræ, cujus admirandis machinis tamdiu impeditus fuerat, ægerrimè tulisse fertur. Cum Annibale, post Cannensem cladem, congredi ausus est: quem & Nola expulit, sicque primus vinci posse docuit. Annos supra 60. natus, quintum agens Consulatum, inter pugnandum jam semel prælio infelix latâ transfigitur lanceâ. Ejus clarissima progenies ad Marcellum usque Cæsaris nepotem propagatur, quem Octavia Cæsaris soror, ex C. Marcello suscepit. Vide infra. Plut. *in Augusti*, *Marcelli*, *Annibalis vitâ*: Tit. Liv. *Dec.* 3. *l.* 3. 4. 5. 6. & 7. Illius cadaver, viri virtutem admiratus Annibal, magnificè sepeliri jussit, sed annulo signatorio ad dolum usurus frustra fuit. V. quoque Aur. Victor. *de Vir. Ill. c.* 45. Flor. *l.* 2. Polyb. Eutrop. Oros. &c.

Cajus *Marcellus*, Octaviæ, sororis Augusti, maritus, ex ea Cl. Marcellum suscepit, magnam Romæ & libertatis spem, pop. Rom. delitias, quem cum M. Agrippâ Cæsar subsidium dominationis adsciverat, in quem imperii onus reclinaret. Adolescens animo alacer, ingenio potens; frugalis & continens, patiens laboris. Obiit fraude Liviæ apud Bajas, non sine crimine ipsius Augusti. Vide Scaligerum *ad Propert.* Fuit hic ab Augusto adoptatus anno 16. ætatis, incidit que in valetudinem, ac 18. obiit, cùm ædilitatem gereret: Ei tantùm pueritiam egresso (ut inquit Suet.) Augustus Juliam suam filiam ex Scribonia nuptui dedit, deinde, ut is obiit, Marco Agrippæ. Hujus adolescentis generosam indolem describit Virgilius 6. *Æneidos*: deflens immaturum ejus obitum aliquot versibus, quos recitavit coram Augusto & Octavia: Sed ubi tandem ad nomen Marcelli ventum est, perculsa dolore filii demortui mater, decidit, quasi intermortua, silentioque imperato, jussit pro singulis versibus dena sestertia numerari, quæ valent ducentos aureos. Sic is 5000. aureorum pro 18. versibus reportavit, qui sic incipiunt apud Virgil. *libr. 6. Æn.* ad calcem:

Atq; hic Æneasuna (namq; ire videbat
Egregium formâ juvenem, & fulgentibus armis, &c.

Vide Suet. *in Aug.* & Plut. *in M. Cl. Marcello*

Pontifices Romani, & Viri illustres.

Marcellus I. Episc. Romanus, post Marcellinum, an. 304. Maxentium precibus à persecutione sanctorum avertere nisus, fustibus cæsus, urbe expulsus, mox retractus, & ad sordida officia, veredosque equos curandos damnatus, obiit an. 309 Successit Eusebius.

Marcellus II. prius *Marcellus Cervinus* dictus, successit Julio III. an. 1555. Hic miserâ Pontificum conditione deploratâ, dicere solitus est: *Non videre se, quomodo, qui fastigium hoc altissimum tenerent, saluti suæ consulere possent.* Guicc. *l. 3.* Obiit die 22. sedis, quòd nomen non mutasset, ut creditum. Alii tamen veneno ipsum peremtum tradunt. Genebr. *l. 4. Chron.* Panvin. *in ejus vitâ.* Hieron. Seripandus, *in epist. Princ.* &c. Eum excepit Paulus IV.

Marcellus, Episc. Ancyranus, Arianæ impietati in Concilio Niceno fortiter obnixus, in Concilio Tyrio Athanasii condemnationi, pari zelo, se opposuit, neque in Concil. Hierosolymitano, Arii receptioni annuere ullatenus voluit. Hinc ab Arianis acerrimè exagitatus, maximè postquam contra Asterium Sophistam, *de Subjectione D. N. J. C.* scripsisset, & sede, surrogato Basilio quodam, pulsus, Romam venit, postea Ancyram reversus, an. 338. Inde hostium violentiâ denuo exturbatus, Sardicensi Synodo tandem absolutus sedique suæ restitutus est. Postea tamen errasse in fide, & tempore S. Basilii propterea condemnatus legitur. Athan. *apol. 2* Hilar. *adv. Arian.* Basil. *ep. 52.* Theodoret. *l. 2.* Socrat. *l. 1.* Sozom *l. 2 & 3.*

Marcellus, Medicus Burdigalensis, sub Theodosio, an. 388. Scripsit *de Medicamentis empiricis, Physicis, rationalibus.* Justus *in Chron. Medic.* Van der Linden *de Script. Med.* Alius Bergomas, Rhetor, scripsit *Adrianum*, seu *de Regno.* Suid. Item, fil. Marci, præfectus urbis. Vide *Marcellus Vejus.*

Marcellus Cornelius, Eques Rom. adversis L. Silani abreptus, tanquam conscius incesti, & dirorum sacrorum cum Lepida: appellato tamen Principe damnationem evasit. Tacit. *l. 16. c. 8.*

Marcellus Donatus, Medicus Mantuanus. Scripsit *de medica Historia, libb. 6. de Variolis & Morbillis, &c.*

Marcellus Granius, vide *Granius.*

Marcellus Palingenius, Poëta, auctor *Zodiaci vita*, libb. 12.

Marcellus Palonius, Rom. auctor poëmatis, de Gallorum ad Ravennam victoria, an. 1512. obtentâ, libb. 2. Rubeus *in hist Raven.*

Marcellus Sidites dictus, tempore Marci Antonii. De Medicina versibus scripsit, de Piscibus quoque tractatu edito. Cassiodor.

Marcellus Vergilius, Secretarius Florentinus, an. 1506. Medicos quosdam tractatus, plurimi æstimatos, edidit. Justus *in Chr. Med.* Van der Linden *de Script. Med.*

Marcellus, prænomine *Vejus*, Eques Rom. cujus prædia h. e. prata, & oleæ, intercedente viâ publicâ in contrarias sedes fuerunt transgressa, quod maximè mirandum est. Plin. 2. 83. lege *Vectius* pro *Vejus.* Erat autem Neronis Imp. procurator, prædiaque ejus in agro Marrucino fuere.

Marcellus Ulpius, dux vigilantissimus Commodi Imp. vicit Britannos, an. 186. Dion. *lib. 72.*

Marchada, Troglodytici pop. in Africâ circa sinum Arabicum. Plinius.

Marchelmus, Anglus, frater Marcellini, discipulus S. Willibrordi, & postea Gregorii Episcop. Ultrajectini, doctrinâ & pietate illustris. Idololatrarum conversioni intentus, S. Ludgeri somnium, edito scripto, interpretatus est. an. 772. Pitseus, *de illustr. Angl. script. pag 155.*

Marchenium, vulgò *Roxburg*, opp. Scotiæ, in Angliæ confinio. Forte *Alta Ripa* vett.

Marchesnejum, locus Galliæ, inter Ligerim & Lidericum, seu inter Castrumduni & Balgentiacum positus, in Carnutibus: Vulgò *Marchenoir*, q. Mariscus niger. *Mariscus* autem idem, quod palus & lacus. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Marchia, quæ & *Merchia* quibusdam, *Merche*, provincia est parva Scotiæ Australis, in confinio Angliæ, à qua separatur Tweda fluvio. Ejus præcipua urbs fuit Bervicum, nunc Angliæ contributa. Habet ad Ortum mare Germanicum, ad Septentr. Lothianam, ad Occ. Tuveoticam, & ad Austr. Northumbriam Angl. prov.

Marchia, vulgò *la Marche*, quæ etiam *la Marche de Limosin* dicitur, provincia est Galliæ, in Aquitania, estque pars septentrionalis Lemovicensis provinciæ quibusdam, quanquam revera provinciam separatam faciat. Habet ad Boream Bituricensem Ducatum, & ad Occasum Pictavensem. Dividitur in Superiorem, cujus caput Gueretum, *Gueret*, & Inferiorem, cujus caput est Oratorium, *le Dorat* vulgò.

Marchia, vulgò *die Marck* Germ. *la Marck* Gall. provincia est Germaniæ, in Westphalia, sub dominio Electoris Brandeburgici, cui obvenit ex hæreditate Juliacensi. Ibi oppidum primarium Hamum, ad Luppiam fluvium. A Septentrione terminatur ditione Monasteriensi, ab Ortu Ducatu Westphaliæ, à Meridie & ab Occidente Montensi Ducatu.

Marchia, vulgò *Marck*, castrum Germaniæ in Marchia provincia, unde regioni nomen, ad Luppiam fluv. & prope Hamum oppidum, medium ferè inter Luppiam oppidum ad Ortum & Tremoniam ad Occasum 5. leucis distans, in Westphalia.

Marchia Anconitana, quæ Piceni maxima pars, *la Marca d'Ancona*, provincia est ampla ditionis Pontificiæ. Terminatur à Septentrione mari Adriatico, ab Oriente Ducatu Urbinatensi, ab Occidente Aprutio ulteriori, à quo separatur Truento fluvio, & à Meridie dividitur ab Umbria monte Apennino. Ejus urbs præcipua est Ancona, provinciæ caput.

Marchiæ Anconitanæ urbes præcipuæ.

Æsis, *Jesi.*	Camerinum, *Camerino.*
Ancona, *Ancona.*	Firmum, *Fermo.*
Asculum, *Ascoli.*	Lauretum, *Loreto.*
Auximum, *Osimo.*	Macerata, *Macerata.*

Marchia Brandeburgica, *die Marck Brandeburg* Germ. *la Marck* seu *Marquisat de Brandebourg* Gall. provincia Germaniæ, sub dominio Electoris Brandeburgici: Triplex est, nempe vetus Marchia, seu superior ad Occasum, vulgò *Alte Marck*, cujus præcipua Tangermunda; nova Marchia, *New Marck*, ad Ortum, cujus caput Custrinum, ad confluentes Wartæ in Oderam; & media Marchia, *Mittel Marck*, quæ in medio duarum, & aliis major, cujus primaria Berlinum, ad Spreham fluvium, ubi Electoris sedes. Tota autem Marchia est in Saxonia superiori, ab Ortu in Occasum extensa, inter Pomeraniam & Ducatum Megalopolitanum ad Boream, & Saxoniæ Ducatum Lusatiamque ad Austrum.

Marchiæ Brandeburgicæ urbes.

Berlinum, *Berlin.*	Havelberga, *Havelberg.*
Brandeburgum, *Brandeburg.*	Lansperga, *Landsperg.*
Custrinum, *Custrin.*	Lubusia, *Lubus.*
Driesa, *Driesen.*	Rapinum, *Rapin.*
Francofurtum ad Oderam, *Francfurt an der Oder.*	Ratzenovia, *Ratzenow.*
	Spandavia, *Spandaw.*
Gardelebia, *Gardeleben.*	Stendela, *Stendel.*
Tangermunda, *Tangermund.*	

Marchia Tarvisina, *la Marca Trevigiana*, provincia est ampla Italiæ, sub dominio Reipublicæ Venetæ, aliàs amplior, nunc autem continet territoria Tarvisinum, Cadorinum, Bellunense, & Feltrinum, inter provinciam Foro-Julii ad Ort. & territoria Vicentinum & Tridentinum ad Occ. Ejus primaria urbs est Tarvisium.

Marchio, originariâ significatione, alius non est, quàm Comes limitaneus, seu limitibus regionis cujusdam præfectus. *Marck* enim limitem Germanis denotat. Unde in vitâ Ludovici Pii à Pithœo tales *Finium custodes* dicuntur. Hodie varii Imperii Principes, licèt limitum nunc defensores non sint, ex veteri tamen consuetudine nomen retinent. Horum complures olim, Vide Goldastum *in corpore membr. Imp. Germ. tom. 1. Constit. Imp p. 17.* Hodie præcipui sunt Brandeburgensis, quem omnium primum Marchionem esse docet Munsterus *p. 904.* Misnensis, Badensis & Moraviæ. Reliqui minorum sunt gentium, ut Hochbergensis & Rötelensis, quos hodie Marchiones Badenses repræsentant. Marchio Burgoviæ, cujus dignitatis vices Austriaci nunc gerunt: Marchio Nummeniæ & Pontamussoni, cujus vices Lotharingus subit. Vide Limnæum Enucl. *l. 2. c. 15.* ex quo unum hoc adjiciam: Marchionatum Misniæ, institutum esse ab Henrico Aucupe Imp. an. 931. contra Milzenos, uti Ditmarus Vandalos vocat: an ad reprimendas excursiones Hungarorum & Sarmatarum, ut voluit Beutherus *in geneal.* an contra Bohemos, ut sentit Philippus *in Chron.* Brandeburgicum contra Henetos: Landsbergicum contra Sorabos: Lusatum contra Polonos & Silesios; Slesvicensem contra Danos: Antverpiæ tandem Marchionatum à Dieterico I. Gall. R. initium habuisse, quemadmodum Austriæ & Stiriæ à Carolo M. contra Hungaros, constitutus est. Apud Scriptores mediæ ætatis etiam vox *Margravii* in usu est, seu *Mergravii*, ex *Mera*, i. Major, & *Grave*: distinguit tamen voces has *Mergrave* & *Margrave*, ex Ll. Ed. Conf. *cap. 35.* ubi habetur: *Teutonici etiam & Frisones, & Flandrenses Comites suos Mergreve, quasi Majores dominos vel bonos pacificos vocare solent*, Henr. Spelmannus *Gloss. Arch.*

Marchiofinni, populi Scandiæ fuere, versus Rubeam promontorium, ubi nunc Lapponia Norvegica seu Præfectura Wardhusia, in parte Boreali ori Norvegiæ, & tractus Finmarchia.

March-

Marchpurgum, urbs Stiriæ metrop. ad Dravi fluv. sinistram ripam. Metel. *Marciana castra* Amm. 4. leuc. à Pætovio in Occas. Vide *Marciana castra*.

Marchubii, Africæ propriæ pop. Plin. qui *Malchulii* Ptol. pop. Maurit. Cæsariensis.

Marci, Not. Imper. memorati, cùm ait: Sub dispositione Viri Spect. Ducis Belgicæ *Equites Dalmatæ Marcis in littore Saxonico*: Cluverio sunt, ubi hodie *Marquise*, paulo supra portum Amblitolium. Valesio potius ubi *Merq*, locus maritimus, inter Calesium & Gravenengas, à quo agro circumjacenti nomen. Dicitur enim hic *la terre de Merq*, vel *le pays de Merq*, i. ager pagusque Marcensis. Marcos Lambertus Ardensis Eccles. Presbyter *in Hist. MS. Comitum Gisnensium, ante an.* 460. *compositâ*, vocat *Mercham* seu *Mercuritium*; agrum Marcensem *Mercuritcum territorium*. Vide Hadrian. Valesium *Not. Gall.*

Marcia Proba, Regina Britonum, uxor Guithelini, prudentiâ illustris. Mortuo marito, ornando regno, & educando Sisillo, filio unico, intenta: *leges Martianas* promulgavit, à Gilda Sapiente Latinè, Alfredo R. verò Saxonicè versas. Polydorus Virg. Duchenius, &c. *Hist. Angl.* Pitseus, *de Script. Angl. p.* 66. Vide *Martia Proba*.

Marcia, oppidum Bæticæ esse, in Vandalitia clarum, quod hodie *Marchena* dicitur, ex antiquis ejus loci marmoreis inscriptionibus docet Car. Clusius: inter Hispalim 8. & Ursolem 4. leuc. ab Astigi. 6. in Notolybicum.

Marcia lex, à Marcio Censorino lata est. *Ne cui bis Censuram gerere liceret*, Vide Plutarch. *in Coriolano*: Alia à L. Marcio Philippo Trib. Pleb. Gracchanæ similis, vide Cicer. *in Offic.* quam tamen ipse facilè antiquari passus est. Alia à Q. Marcio C. Atinio Tribunis Pleb. an. U. C. 557. lata ad populum: *Vellent, juberentne cum Rege Philippo pacem esse*, Liv. *lib.* 3.

Marciana castra, Ammiano, *Marburg* Lazio, oppid. Stiriæ, in Pannonia sup. ad Saum fluv. à Pætovio 4. in Occ. leuc. inter Celejam 8. & Græcium in Bor. 6.

Marciana, vulgò *Marchienes*, locus Flandriæ, non procul ab opp. Duaco, ad Scarpam fluv. in diœc. Atrebatensi: Ubi Monaster. ab Amando Antistite Senonensi extructum. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Marcianopolis, Mœsiæ seu Bulgariæ urbs, vulgò *Preslaw*, inter Odissam & Anchialam vett. à Marciana Trajani sorore. Olim Episcop. Vide Ammian. Marcellinum, Jornand. Trebell. Poll. *in Claudio II.* Marmarii ibi Præsulis maximè Orthodoxi, meminit *L. de fide Cath. Cod. Theod.* Vide *Martianopolis*.

Marcianus, Heracleota Geographiam conscripsit, cujus sæpe meminit Steph. de urbibus. Alius fuit Smyrnæus, qui de simplicibus effectibus egit. Plin. 24. 4.

Marcii, hæc gens cum T. Tatio ex Sabinis cùm venisset, in Patricias allecta est. Fuerunt etiam aliquot gentis Marciæ familiæ plebejæ, *his cognominibus distinctæ*: *Rutilus*, *Philippus*, *Thermus*, *Censorinus*, *Tremulus*, *Figulus*, *Rex* & *Ralla*. Nam Coriolanus gentis Patriciæ cognomen fuit. *Adepta est Romæ Marcia gens plebeja Dictaturas*, *Consulatus*, *Censurasque multas*, & triumphos maximos egit.

Marcilianus, locus suburbanus Consilinatis urbis in Magnâ Græciâ, ubi conventus est frequentissimus totius Lucaniæ. Leucoreæ quoque priscâ superstitione nomen accepit, uti scribit Cassiodorus *lib. Var. octavo ad Severum*, ubi hunc locum eleganter describit.

Marcina, inter Sirenusas, & Posidoniam, urbs in Italiâ. Strabo Τυῤῥηνῶν κτίσμα vocat.

Marcion, Hæresiarcha Sinopensis, *Ponticus* sæpè dictus, quòd patria ejus olim ad Pontum pertineret, Stoicos primò secutus, dein secessum & paupertatem spontaneam amplexus est, sed vitii puellæ illati convictus, à Patre Episcopo Ecclesiâ pulsus, Romam pervenit: mox, de receptione in fidelium sinum desperans, ad Cerdonem se applicuit, illiusque institutione aliquandiu usus, præceptoris erroribus nova deliria superaddere sibi in animum induxit. Cum Cerdone, duos fabulatus est Deos, malum, Mundi ac Legis, & bonum, Evangelii & Redemptionis auctorem. Jesum Christum se esse, ad legem abolendam missum, blasphemè docuit. Origenes illum 3. Deos statuisse narrat, Judæorum unum, Christianorum alterum, tertium infidelium. Tertullianus novem numerat, & exactius illius dogmata exequitur, *de Præscr.* & *in Marcion.* Errorum reliquorum præcipui hi: Negavit resurrectionem mortuorum, damnavit conjugium, tres baptismos instituit, vivos pro mortuis baptizari jussit, Sacramenta à fœminis administrari voluit, &c. Hujus discipuli, *Marcionitæ*, nova commenta insuper excogitarunt. Vide Iren. *l.* 1. & 3. Epiphan. *hær.* 42. Augustin. *hær.* 22. Origen. *dial. Mont.* &c. Theodoret. *lib.* 1. *hær. fab.* Philastr. *de hær. cap.* 40. Semel obambulans Romæ Marcion, cùm in S. Polycarpum incidisset, illumque interrogaret, annon se nosset, respons̄i loco tulit, *Omnino novi te, primogenitum Satanæ.* Contra Marcionitas edicta publicavit Constantinus M. an. 326. decem millia illorum convertisse se an. 423. scribit Theodoretus Tyri Episc. *ep.* 146. Vide ulterius Euseb. *l.* 3. *Vita Const.* L. 1. Cod. Theodos. *de hæres.*

Marcium, mons Latii circa Lanuvium, Româ 100. stad. Diodor. Plut.

Marcius Sabinus, prænomine *Marcus*, à quo Marcia gens, Numæ comes, dum Romam commigravit, ab eodem in Senatum lectus & à Tullo Hostilio Rege tertio de regno contendens victus mortem sibi conscivit. Hujus filius *Numa Marcius* Numæ gener, primus Pontifex M. ab eo factus, à Tullo rege urbi Præfectus est.

Marcius Saltus, Liguriæ, apud Apuam, ubi Q. Marcius à Liguribus circumventus. Liv.

Marcludas, latro insignis in sylvâ Dodoneâ. Tortellius.

Marcodava, Daciæ opp. Ptol. *Marcozech* Lazio, in Moldavia 8 à Succidava, Principis sede, 8. leuc. in Euronotum.

Marcodurum, Vibiorum vicus. Tac. *Duren* hodie, Juliacensis ducatûs urbs Rhenano ac Divæo, inter Coloniam & Aquisgranum 5. leuc. Ad Ruram fluv. non procul ab urbe Juliaco. Hîc frequentes olim Francorum Conventus ac Synodi; *Marcomagum* quoque in vett. Itiner. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Marcolica, nobilis Hisp. urbs, Livio.

Marcomagus, seu *um*, Germ. infer. vicus, inter Treviros, & Col. Agrippinam. Anton. Baudrando oppidul. fuit Ubiorum, ubi nunc castrum *Steinfeld*, prope fontes Ruræ fluv. in Eiffalia prov. Vix 2. leuc. ab Arenberga in Occ. inter Tolbiacum ad Arctos & Egorigium in Austr. seu inter dit. Juliacensem & Trevirensem.

Marcomanna vallis, Helvetiis finitima, Sequanis proxima & monti Juræ: unde fortè dicti *Marcomanni*: Certè Marcomannis Helvetios facit ὁμόρους καὶ ὁμοφύλους, Cæsar apud Dion. *lib.* 38. Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq.* & *Nov.*

Marcomanni, Germ. pop. Hercyniæ sylvæ accolæ, *qui hodie Moravi* dicuntur. Hi Ariovisto duce Rhenum transgressi magnâ suorum strage à Cæsare superati fuere. *Mercher* vet. hodie *Merher*, idque à Marcâ, hoc est, limite; eò quòd fluvius inde nomen trahens Pannonios à Noricis separat. Ptolomæus eos, apud Gabritam, Germaniæ sylvam, ponit ultra Danubium ac è regione Pannoniæ superioris. Vitiosè à Silio vocantur *Marcomani*. Cluverius intra Rhenum, Danubium & Nicrum illos locat, unde in Bohemiam, cum Sedusianis & Harudis transgressi. Contra Romanos sæpe rebelles, inprimis sub Marco Antonino tumultuati sunt. Vide Dion. Vellejum, Julium Capitol. Conversi sunt ab Ambrosio an. C. 396. Claudian. *de laudibus Stiliconis l.* 1.

> *Marcomanes sensusque docet*: *quorum alter Hetruscum*
> *Pertulit exilium.*

Ubi tamen alii *Marcomeres Sunnoque* legunt, ut sint nomina virorum propria. Eosdem Statius *l.* 3. *Sylv. carm.* 3. *Marcomades* vocat:

> *Quamodò Marcomades, post horrida bella, vagosque*
> *Sauromatas.*

Sansoni, Brietio, ubi Bohemia propr. hodie. Horum regia fuit Marobodum.

Marcomirus, Francorum Sicamborum Rex, primus in Galliâ impetum fecit, cumque ad Mosam usque subegit.

Marcomirus, nomen quinque veterum Galliæ, ante Pharamundum, Regum, apud Trithem. *tract. de origine Francorum*, qui cordatioribus fabulis refertus videtur. Stilico *Marcomiro* & Sunnoni principibus Gallis, bello illato, illum in Tusciam exulatum misit, dum hic à suis interfectus est. Claudian. *libr.* 1. *de laud. Stiliconis*, ut quidam legunt:

> *Marcomer, Sunnoque docet, quorum alter Etruscum*
> *Pertulit exilium, cùm se promitteret alter*
> *Exulis ultorem, jacuit mucrone suorum.*

Marpurgum, vide *Marchpurgum*.

Marculfus, Monachus, anno 660. libb. 2. Formularum scripsit: quorum alter *Chartas regales*; alter *Chartas pagenses* continet. Hoc opus multum lucis affert historiæ Regum Gall. primæ stirpis. Edidit Hier. Bignonius, an. 1613. cum eruditissimis notis. Duchenius *Bibl. Hist. Gall.* Molanus *in indic. SS. Belgii.* Morerius *Diction. hist.*

Evangelista, & *Viri illustres.*

D. Marcus Evangelista, Petri discipulus, fidem annuntiavit in Lybia, Thebaïde, Pentapoli, Marmarica, & totâ fermè Ægypto, ubi Ecclesiam Alexandrinam fundasse dicitur. Scripsit Græcè Evangelium, quod epitome fermè est Evangelii S. Matthæi. Hieron. *cap.* 8. *Cat.* Augustin. Chrysost. circa annum Chr. 43. Martyrio coronatus, An. 62. obiit. Eus. *Hist.* 2. 15, 16. *in Chron.* Corpus ejus Alexandriâ Venetias translatum, an. 831. refert Sabellicus, ad minimum firmiter id, in inclyta hac urbe, quæ Evangelistæ hujus patrocinio se totam commisit, creditur. In Ejus *Evangelium*, extant: Brentii *Comm.* Buceri. Chrysostomi *Harmonia.* Cyrilli *Fragmentum Comm.* Danæi *Quæstiones* & *Scholia.* octav. Genevæ 1594. de Dieu *Animadversiones.* de la Fuente *Comm.* fol. Compluti an. 1582. Gerlonis. *Lectiones* 2. Gualterus. Hegendorphii *Annotationes*, 8°. Hagenoæ, 1533. Hofmeisteri *Comm.* 8°. Parisiis 1563. Junii *Expositio.* Lightfooti *Horæ Hebr.* quart. Londini 1663. Myconii *Expositio*, Basileæ 1538. del Paz *Commentaria*, Tom. 2. fol. Venetiis an. 1628. Petteri *Expositio*, Angl. 2. Vol. fol. 1662. Soarezii *Homilia*, fol. Conimbricæ, anno 1579. Socolovii *Notæ*: inter Opera. Stephani *Nova Glossa*, fol. an. 1553. Victor, *in Marcum*, Gr. octav. Ingolstadii, &c. Winckelmanni

manni *Commentar.* 8°. Giessæ 1612. Zuccoli *Homilia* 4°. Venet. an. 1606. &c. Vide Crowvæi *El. Scriptorum.*

Marcus, Britanniæ tyrannus, à Legionibus Rom. electus, anno 307. Item. fil. Basilidis, à Patre Cæsar dictus. Item, dictus Cyriades, Syrus, Saporis nixus opibus, Antiochiam, Cæsaream & Tarsum occupavit; à suis, appropinquante Valeriano, occisus.

Marcus, Catanensium tyrannus, fecit cum Timoleonte societatem, Olymp. 109. an. 1.

Marcus, Judææ Præfectus. A.C. 14.

D. Marcus, D. Pauli discipulus, primùm Bavaris Evangelium annunciavit. Johannes Aventinus scripsit, se legisse in Bibliotheca Pataviensi, quòd hic Marcus Laureaci, & per ascensum Danubii, Christum prædicaverit.

Marcus, Episc. Rom. post Sylvestrem I. an. 336. Obiit mense 8. die 22. Successit Julius I. Item Episcop. Alexandriæ, an. 144. cui Celadion successit, an. 154. Euseb. *Hist. l.* 4. c. 10. *&* 19. *& in Chron.* Vide infra. Item Episc. Hierosol. primus ex gente peregrina, cessante persecutione electus an. 138. Successorem habuit Publium, an. 157. Idem *Hist. l.* 4. *c.* 6. *& in Chron.* Ado *in Chron.* Item Eremita, dictus *Asceticus*. An idem cum eo, cujus Palladius *in hist. Lausf.* meminit, qui utrumque Test. memoriter perfectè tenuit: An cum illo, qui Leonem Imper. sanavit, an. 900. quique ipsi decem adhuc annos vitæ prædixit? Ut Joh. Curopalates, Cedrenus & Zonaras volunt. Certè 9. tractatuum auctor fuit, qui in Bibl. PP. Photius insuper, contra Melchedecianos, librum ipsi tribuit. Chrysostomi & Nili tempore vixisse dicitur.

Marcus, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, Eumenidis successor. Euseb. *lib.* 4. *cap.* 11. *An. Dom.* 147.

Marcus, unus ex primariis Arianismi propugnatoribus, Episc. Arethusæ. Confessionem fidei, à Concil. Sirmiensi sibi injunctam, condidit, sed quæ nihil orthodoxi contineret: *Alibique* Arianorum errores tutatus, Julianum sub initium Imperii Constantini incolumem præstitit: postea magnifico Idolejo destructo, cùm illud suis sumtibus reædificare ab Apostata juberetur, id renuens, exquisitissimis suppliciis excarnificatus est. V. Greg. Nazianz. *Or. 1. in Jul.* Sozomen. *l.* 4. *&* 5. Socr. *lib.* 2. Baron. *in Annal.* qui ejus sub vitæ finem conversionem probabilem reddunt.

Marcus, Eremita, cui occasioni conversionis, commissum homicidium fuit. Nam cùm puer esset, & oves pasceret circa Marejam paludem ludens, quendam coætaneum interfecit, & metuens fugit in solitudinem. Qui cùm tribus annis sub dio moraretur, postea parvum hospitium fecit sibi, in quo annis 25. moratus est. Fuit valdè mansuetus, sapiens, memoriaque Scripturarum sacrarum clarissimus, Deoque tam amabilis, ut cùm Dominicum corpus accederet, Angelus ei sacramenta præberet, cujus manum usque ad juncturam brachii tantummodo se dicebat aspicere. Sozom. 8. 1.

Marcus, Diaconus Eccl. Gazensis, à Porphyrio Ep. missus anno 398. ad Arcadium, ut templum Marnæ, quò Idololatræ consultum accedere solebant, destrui peteret, à Joh. Chrysostomo insigniter est adjutus. Item, Episc. Ephesinus, Florentino Concilio interfuit, Latinisque acriter obnixus, illos hæreticos vocavit, quòd in symbolo suo adderent, *Filioq.* Obiit an. 1440. Constantinopolim redux. Item Monachus montis Cassini, vitam Benedicti à Gregorio scriptam, carmine expressit. Sigebert. *cap.* 33. quod sub finem præt. sec. in lucem prodiit.

Marcus, hæreticus, discipulorum Valentini pessimus. Magicis artibus effecit, ut vinum in S. Calice sanguis videretur, &c. Inprimis opulentis formaque eximiis fœminis seducendis intentus, sub prætextu illas Gratiâ, cujus scaturiginem se esse blasphemè jactabat, Spirituque sancto replendi, illis pro lubitu illusit. Eus. *Hist. l.* 4. *c.* 10.

Marcus, hæreticus, Memphi oriundus, Gnosticorum errores per orbem circumtulit. In Galliam appulsus, plurimos habuit impuritatum suarum asseclas, inde in Hispaniam delatus, fœminas complures, quarum princeps Agape, in suas partes pertraxit, cum Helvidio Rhetore, & Priscilliano, capite Priscillianistarum. Sulpic. Sev. *Hist. Sacræ l.* 2. Baron. an. Ch. 381.

Marcus Acilius Avida, Consul, an. *U.C.* 806. lege *Aviola*.

Marcus Acilius Balbus, Consul, an. *U.C.* 604.

Marcus Acilius Balbus, Consul, an. *U.C.* 640.

Marcus Ælius Antoninus Philosophus, & L. Ælius Commodus Verus Divi F. A A. 18. Rom. Imp. anno 19. Tum primum Rom. Resp. duobus æquo jure imperium administrantibus paruit. Eutrop. *lib.* 8. Jul. Capitolinus. An. Dom. 162.

Marcus Æmilius, Trib. Mil. an. *U.C.* 377.

Marcus Æmilius Barbula, Conf. an. *U.C.* 524.

Marcus Æmilius Lepidus, Conf. an. *U.C.* 468.

Marcus Æmilius Lepidus Porciana, an. *U.C.* 617.

Marcus Æmilius Mamercus, 2. Trib. Mil. an. *U.C.* 355.

Marcus Æmilius Mamercus, Consul, an. *U.C.* 346. 5. Trib. Mil. an. *U.C.* 380.

Marcus Æmilius Paulus, Mag. Equitum, Hetruscos vicit, triumphum egit, an. *U.C.* 453.

Marcus Æmilius Scaurus, Consul, an. *U.C.* 639.

Marcus Æmilius Scaurus Hortensius, Conf. an. *U.C.* 646.

Marcus Agrippa, in pedes dicitur ex utero matris egressus, unde nomen auspicatus sit, unico felicitatis exemplo, quanquam ille plurima sit passus, duabus susceptis Agrippinis, quibus C. Caligula & Nero principes totidem generis humani faces geniti sunt. Hic gener fuit Augusti, coronaque navali ab eo donari meruit bello Actiaco, an. Mund. 3930. ante Christum nat. 32. de quo Virg. *lib.* 8. *Æneid.*

Marcus Antoninus, vide *Marcus Aurelius Antoninus.*

Marcus Antonius, Triumvir, fil. & nepos Antonii, qui, insignis Orator, quòd Sullæ partes esset amplexus, Cinnæ jussu necatus est. Mater ejus Julia fuit, quæ, ex Julii Cæsaris familia, defuncto marito, Lentulo nupsit, quem Cicero, quòd cum Catilina faceret, è medio sustulit. Quæ funesti forsan inter M. Antonium & Ciceronem dissidii, prima scintilla fuit. In Græciam cùm juvenis transiisset, sub Galinio meruit, eumque in Ægyptum & Judæam secutus est, munificus & animosus, sed ob vitia non parum bonis exosus. Reversus Romam, inde in Gallias abiit, ubi cùm Cæsaris gratiam sibi conciliasset, eum contra Pompejum æmulum extimulavit, fidâ ipsi toto bello civili operâ navatâ. Tandem collega Cæsaris in Consulatu factus, festivo Lupercalium die huic diadema imponere conatus est: Occiso postmodum illo, eodem an. 710. *U.C.* Senatum coëgit, indusioque, Cæsaris cruento ostenso, concionem ad tumultum excitare contendit: quod cùm ad tyrannidem spectare videretur, arma sumere coactus, Mutinam obsedit: Unde cùm nullâ ratione à Senatu se avocari pateretur, missus est ab hoc Octavius Cæsar, cum Pansa & Hirtio Coss. ut illi bellum inferrent: quo feliciter sopito, Triumviratus Marci Antonii, Octavii seu Augusti, & Lepidi, plurimis egregiis civibus, Ciceronique inprimis tantopere funestus, exortus est. Anno sequente, qui erat 712. U.C. junctus Augusto, Brutum Cassiumque devicit, dein cum eodem collisus, mox ductâ Octaviâ arctius cum illo fœdus iniit. Hinc Lepido neglecto, in Asiam abiit, dum Augustus in Galliis rem gereret, sed à Parthis malè mulctatus rediit ex Armeniâ in Ægyptum, ubi Cleopatræ artibus irretitus prolis uxorisque oblitus est: quæ, hoc audito, auxiliares ipsi adductura copias, simulque illum ab Ægyptiaca hac strige abductura, advolavit. Sed sistere se Athenis Romamque reverti jussa est, quò brevi se rediturum promisit maritus. Interea Cleopatræ ambitioni obsequens, Reges, quos vellet, illi prædæ exposuit, captumq; per proditionem an. 720. Armeniæ R. aureis catenis vinctum, Alexandriam in triumpho duxit. Post quæ hostis à Senatu judicatus, dum imperium Cleopatræ promittit, vincitur ab Augusto ad Actium, an. 723. *U. C.* & Cleopatram è prælio fugientem sequitur Alexandriam, vires reparaturus. Sed imminente, post anni decursum, acrius Augusto, cum pellice, mortem sumsit. Plut. *in Vita ejus*, Sueton. *in Aug.* Dio, Appian. Florus, Oros. &c.

Marcus Antonius, Orator, avus prioris. Nullam unquam Orationum suarum scripsit, ne, ut dicebat, arma porrigeret suam imperitiam arguere volentibus. M. Aquilium, jam condemnatum, defendit, nudatoque pectore ejus cicatricibus pleno, effecit, ut à Judicibus absolveretur. Consul, Censor, &c. jussu Cinnæ, quòd Sullanas sequeretur partes, necatus est. Cicer. 1. *de Orat.* 2. *in Verr. pro Cluent. &c.* Plut. *in Antonio*, Papir. Masson. *in elog.* V. *Antonius.*

Marcus Antonius Alcaimus, Medicus Siculus: de cujus scriptis vide van der Linden.

Marcus Antonius Antimachus, floruit Ferrariæ, an. 1544. Scripsit *de laudibus Græcæ liter.* &c. Gesner. *Bibl.*

Marcus Antonius Bavaria, JC. Scripsit in Institutiones, &c.

Marcus Antonius Blancus, Patavinus, JC. scripsit *Practicam, ad legem Corn. de Sic.* &c.

Marcus Antonius Casanova, Como oriundus, Poëta celebris. Scripsit Epigrammata, in quibus Catulli dulcedine relictâ, paulo asperiorem Martialis Musam imitatus est: Veterum etiam Romanorum heroum elogiis intentus. Composito in Julium Mediceum, qui postea Clemens VII. dictus est, carmine, ut Pompejo Columnæ Cardin. placeret, veniam impetravit. Obiit anno 1526. quo Roma à Carolo V. capta est. Paulus Jov. *in Elog.* Blosius Palladius ipsi hoc Epitaphium condidit:

Comensis Casanova, dum priores
Et duces canit, & canit poëtas,
Præcurtis Epigrammatis: perennem
Ac longam sibi gloriam paravit.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus, Vico Varronis in Æquicolis, oriundus, fabri ferrarii filius, animum à teneris annis ad studia applicuit, juventutis per pagos institutione aliquantillâ pecuniâ collectâ. Dein Pomponii Læti & Domitii Veronensis disciplinâ usus, Romæ Venetiisque, ubi humaniores literas professus est, inter literatores inclytum nomen est adeptus: Scripsit *Historiam Enneadum*, à condito Mundo, usque ad an. 1504. *De situ Venetiarum libb.* 3. *Exemplorum libb.* 10. *De Venetis Magistratibus lib.* 1. *&c.* Obiit an. 1506. turpi morbo confectus ætat. 70. relicto filio notho. P. Jov. *in elog. c.* 48. Leand. Albert. *descr. Ital.* Bembus *l.* 4. *ep.* 4. Phil. Bergomas, *l.* 16. *suppl. Chr.* Lud. Vives, *de tradendis discipl. lib.* 5. Petr. Georg. Chalcedonius *in Vita ejus.* Voss. *de H.L. lib.* 3. Pierius Valerianus *lib.* 1. *de infel. Literat. p.* 28. Fecerat sibi ipsi hoc epitaphium:

Quem non res hominum, non omnis ceperat ætas,
Scribentem capit hæc Coccion urna brevis.

Aliud

Aliud à Latomo eidem factum, idem ante laudatus Jovius refert.

Marcus Antonius Columna, Cardin. in prælio ad Naupactum, Pontificiis navibus præfuit: Pontifex futurus, nisi Hispani obstitissent, Obiit an. 1597.

Marcus Antonius de Dominis. Vide *Antonius*.

Marcus Antonius Flaminius, Italus, in omni literarum genere scripta edidit.

Marcus Antonius Genua Pasarinus, seu de Passeribus, Patavinus, Philosophus celebris, fil. Nicolai, tradux familiæ, quæ Mutinensi & Mantuano olim imperio defuncta, Genuam se receperat. Ab omnibus Italiæ Academiis certatim expetitus, munificentiam Reip. Venetæ singularem expertus est. Scripsit varia, præceptor Jac. Zabarellæ, Bernardini Tomitani, Speroni &c. Pater, ex Beatrice Sole, Nicolai, Paulæ, Helenæ, Lauræ & Cassandræ, qui omnes eruditionis laude inclaruerunt. Obiit an. 1572. Jac. Philippus Thomasinus, *in elog. illust. Vir. Patavinorum.*

Marcus Antonius Gniphus, Gallus Gramm. celebris sub Augusto.

Marcus Antonius Maffeus, Cardin. sub Pio V.

Marcus Antonius Majoragius, à loco natali, in Mediolan. ditione, cùm aliàs Maria vocaretur, dictus, eloquentiæ laude inclytus fuit, sec. præt. Scripsit Commentarios in Rhetoricam Aristotelis & Oratorem Ciceronis, hujus quoque contra Cælium Calcagninum vindiciis editis, &c. Gesner. *in Bibl.*

Marcus Antonius Michaël, Venetus, Historicus magni nominis. An. 1516. Voss. *de H. L. lib 3.*

Marcus Antonius Montisianus, de S. Geminiano, Medicus Florentinus, scripsit *Quæstiones Medicinales, &c.* An. 1555. Justus *in Chron. Med.* Gesner. *in Bibl.* Van der Linden, &c.

• *Marcus* Antonius Muretus, ex diœcesi Lemovicensi, eruditorum sui seculi facilè princeps, sine præceptore, Latinè Græceque doctissimus evasit, Parisiis, in Collegio Cardinalis Monachi tertiam classem rexit, cùm Buchananus secundæ, Turnebus verò primæ præesset. Hinc, fortunam magis opimam sectatus, in Italiam abiit, & Venetiis primò, dein Romæ in pretio habitus, Obiit anno 1585. æt. 57. Scripta ejus varia supersunt. Scævola S. Marth. Justus Lipsius, Gesner. Scaliger, Thuanus *in Histor. &c.*

Marcus Antonius Natta, Astensis, JC. celebris. Scripsit *Consiliorum libb. 3. de Passione Domini libb. 7. &c.*

Marcus Antonius Peregrinus, Vincentinus, JC. Reip. Venetæ à secretis: Juris suo tempore Oraculum, Decanus Jur. Canon. in Universitate Patavina, post Barthol. Sylvaticum; Reip. partes, contra Paulum V. fortiter tutatus, Obiit an. 1616. æt. 86. Scripsit *de Jure Fisci, l. 8. de Fideicommissis, &c.* Thomasin. *in elog. ill. Vir. Patav.*

Marcus Antonius Turrianus, Veronensis, Medicus eximii patris filius. Postquam Patavii jam Ticinique magnam de se spem concitasset, febre abreptus, Obiit, an. æt. 36. sec. præt. Paul. Jovius. Hoc ipsi Epitaphium Nicolaus Archius scripsit:

Ante annos scivisse nocet, nam maxima virtus
Persuasit morti, ut crederet esse senem.

Marcus Antonius Zimarus, Philosophus. Scripsit innumera. an. 1523. Gesner. *in Bibl.*

Marcus Apuleius, Consul, an. *U.C.* 204.

Marcus Aquilius, Consul, an. *U.C.* 625.

Marcus Aquilius, Jurisconsultus egregius. Cic. *pro Cæcina.*

Marcus Asinius Agrippa, Consul, an. Dom. 26.

Marcus Asinius Marcellinus, Consul, an. Dom. 53.

Marcus Attilius Glabrio, Consul, an. *U.C.* 563.

Marcus Attilius Metilius Bradua, Conf. an. Dom. 109.

Marcus Attilius Regulus, vir Romanus, egregiâ virtute, primò Carthaginienses pluribus præliis vicit, tandem tamen ab iis, duce Xanthippo Lacedæmonio, captus, Romam missus est de captivis commutandis acturus, fide datâ, se, si nihil profecisset, rediturum. Cùm autem Romæ in Senatu ita egisset, ut censeret è Rep. non esse captivos commutandos, factumque esset in ejus sententiam senatuconsultum, amicis omnibus invitissimis, ut fidem suam liberaret, ad Carthaginenses rediit, ab iisque est exquisitissimis suppliciis interfectus. Cic. *in Paradoxis & aliis locis.* Vide *Attilius.*

Marcus Attilius Volso, Conf. cum M. Junio Bruto, an. *U.C.* 579.

Marcus Aufidius Fronto, Conf. cum P. Corn. Anulio, an. *U.C.* 951.

Marcus Aurelius Antoninus Verus, cognom. Philosophus, Imper. successit socero Antonino Pio, an. 161. Lucio Ælio Vero, cui Lucillam filiam in uxorem dedit, in Imperii consortium ascito. Tum primùm duo hi æquo jure Imperium administrarunt. A principio vitæ tranquillissimus fuit, adeò ut in infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaret: Vitâ, moribus & eruditione Philosophus, tantæ admirationis fuit adhuc juvenis, ut eum successorem pararerit Adrianus relinquere: adoptato tamen Pio, generum eidem esse voluit, ut hoc ordine ad Imperium perveniret. Imperator maximâ solicitudine fovit subditos, nullo contra Christianos quoque generali edicto publicato, nisi quòd, dum Numam imitari cupiit, per varia Rescripta ansam præbuit generali Persecutioni quartæ. Pestis famisque tempore suorum egregiam gessit curam, Barbaros rebelles coërcuit, de Parthis, cum Collega, qui sub initium belli, de quo mox, fato functus est, triumphavit. Bellum Marcomannicum, sed quantum nullâ memoriâ fuit, adeò ut cum Punicis conferatur, ipse gessit, in quo, exercitui suo siti laboranti, frustra Gentilium Diis imploratis, Christianorum precibus pluviam impetravit, hostibus contra fulminum fulgurumque terrore attonitis & in fugam conjectis: quod cùm Jul. Capitolinus *in Vita Marci Anton.* hujus precibus, Dion verò *l.* 55. magicis cujusdam Arnulphi artibus tribuisset, Xiphilinus tamen utrumq; mendacii arguens, Legioni Christianorum unicè vindicat, quæ prius *Melitina* dicta, hinc *Fulminatricis* adepta est nomen, cùm jam sub Augusto 12. legio esset vocata. Nec Tertullian. solùm *in apol. & ad Scap. c.* 4. sed & ex Paganis Apollinaris idem commemorat. Imperator ipse datis ad Senatum literis, victoriæ hujus gloriam Christianis ascribens, illis parci jussit, interim Pluvio Jovi statuâ dedicatâ, quam Paulus V. collapsam restituit, S. Pauli imagine supernè positâ. Factum est autem illud an. 174. Paulo pòst Avidius Cassius contra Imperatorem rebellis, sed infelici successu, fuit. Commodo dein filio in collegam assumto, Orientem adivit, Cassianæ rebellionis reliquias dissipaturus. Sed Marcomannorum motibus denuò in Germaniam revocatus, obiit in Pannonia, an. 180. æt. 59. Imper. 19. An spontaneâ fame confectus, ne Commodi mores diutius perferre cogeretur. Princeps laudatissimus, sed generi, filii, uxorisque pravissimis moribus infelix. Stoicam sectam professus, Græcè 12. libb. scripsit de vita sua, quos Guil. Xylander & Mericus Casaubonus latinè verterunt. Vide insuper Oros. *l.* 7. Euseb. *lib.* 5. *Hist. & Chron.* Suid. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Gr. l.* 2.

Marcus Aurelius Julianus, Tyrannus. Vide *Julianus.*

Marcus Aurelius Nemesianus, Vide *Aurelius* & *Nemesianus.*

Marcus Aurelius Cotta, Conf. cum L. Lucullo, an. *U.C.* 680.

Marcus Aurelius Cotta, Conf. cum M. Messalâ, an. *U.C.* 772.

Marcus Aurelius Antoninus Bassianus, dictus *Caracalla*, Severo patri successit, imperavitque anno Mund. 4174. à Christo nato 212. Hic Lugduni genitus est, dictusque *Bassianus*, ex avi materni nomine, *Caracalla* autem, quòd cùm è Gallia vestem plurimam devexisset, talaresque caracallas fecisset, coëgit plebem ad se salutandum talibus indutam caracallis uti. *Antoninus* porrò dictus est, in honorem M. Antonini Imperat. Hic simul atque imperavit, fratrem & patrem Getam nomine, falsò criminatum occidit ipse in gremio matris ejus. Papinianum etiam Jurisconsultissimum occidi à militibus jussit, compluresque alios. In summa, nullo in pretio apud populum fuit, etiamsi vestes dedisset, & thermas nominis sui, id est, *Antonianas*, eximiè fabrefactas, extruxisset. Fuit patre duro crudelior, in cumque contumax, cibi & vini avidus, præter milites prætorianos omnibus castris exosus, Alexandri Magni admirator, quem, collo in lævum humerum detorto, reddere, & ejus nomine vocari cupiit. Alexandrinorum dicacitatem ultus est ingenti eorum cæde. Persas dolo magis quàm virtute fudit. Cùm Carris iter faceret, apud Edessam secedens ad onus ventris levandum, à milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, occisus est, anno Imperii 6. ætat. 43. Herodian. *l.* 4. Egnat. *lib.* 1. Eutr. *l.* 9. Aurel. Vict. Ælius Spart.

Marcus Aurelius Anton. Bassianus Varius Heliogabalus, victo Opi. Macrino imperavit An. M. 4181. à Christo nato 219. Fuit hic impurus, superbus, crudelis, honores & dignitates contulit in aurigas, mimos, histriones, cùmque omnia sordidè ageret inireturque à viris, statim milites facti pœnituit: quare in Alexandrum Heliogabali consobrinum inclinavere animos: tandemq; Heliogabalum cum matre & satellitibus interfecere, operam etiam dante Alexandri matre, quæ militibus clam pecunias dabat. Tractum est cadaver per Circi spatia, priusquam in Tiberim præcipitaretur. Æl. Lamp. *in Heliogab.* Herodianus *lib.* 5. Vixit annos 18. imperavit 4.

Marcus Aurelius Cassiodorus, Ravennas, urbis Rom. quondam Senator, (Theodorici R. præceptor, Volaterr.) Monachus & Abbas Ravennatensis in Italia, Theodorico ab epistolis: Scripsit plurima, quæ extant fol. Basileæ an. 1490. Paris. an. 1515. 1570. 1600. Aureliæ an. 1622. &c. *Inter viros suo tempore doctissimos sine dubio principatum tenuit*: Brossejus *in vita ejus.* De eodem Cassinus: *Magna*, inquit, *Cassiodori mens, quæ inter hanc Gothici seculi barbariem, quasi sidus quoddam eluxit; stylo veniam deprecatur, & facile invenit.* Obiit circa an. Ch. 562. nonagenario major, in suo Ulvariensi sive Castellensi, prope Scyllitanam urbem, in Calabria, Monasterio, quod extruxit, ac refertâ optimis libris bibliothecâ ditavit, vide Labbæum, Sixtum Sen. &c. ut & suprà in voce *Cassiodorus.*

Marcus Ausius, Poeta Hispanus, gentis hujus Petrarcha dictus.

Marcus Bœbius Pamphilus, Consul cum Cornelio Cethego, an. *U.C.* 573.

Marcus Cæcilius Metellus, Consul cum M. Æmilio Scauro, anno *U.C.* 639.

Marcus Calphurnius Bibulus, Conf. cum C. Julio Cæsare, nullam partem juris sui obtinuit: Collega omnia pro libidine agente tantâ petulantiâ, ut aliquando Bibulum liberiùs sibi resistentem in carcerem duci curaverit, magnâ omnium bonorum indignatione. Hic legem Agrariam tulit, & aliam de jure trium liberorum. Sueton. *in Cæsare, Unus ex eo tempore omnia in Rep. ad arbitrium administravit, ut nonnulli urbanorum, cùm quid per jocum testandi gratiâ signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Julio & Cæsare consulibus actum scriberent, bis eundem præponentes nomine atq; cognomine, ut vulgò mox ferrentur hi versus,*

Non Bibulo quicquam nuper sed Cæsare factum est,
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Marcus Claudius Crassus, Trib. Mil. an. *U.C.* 313.

Marcus Claudius Marcellus Dictator, an. *U.C.* 428.

Marcus Cl. Marcellus Conf. cum Nautio Rutilio, an. *U.C.* 466.

Marcus, Cl. Marcellus, vir Consularis, cùm Pompejo favisset, à Cæsare tamen per Senatum veniâ impetratâ rediens Romam, à familiari quodam suo occisus est. Extat elegans Ciceronis Oratio, quâ Cæsari ob ejus restitutionem, gratias agit.

Marcus Cl. Marcellus, tres Consulatus gessit: quorum primo Alpinos Gallos domuit, an. *U.C.* 588.

Marcus Corn. Decemvir Legum ferendarum, an. *U.C.* 304.

Marcus Corn. Cethegus, Conf. cum L. Avitio Gallo, an. *U.C.* 594.

Marcus Cornelius Cethegus, Conf. cum P. Sempronio Tuditano, an. *U.C.* 550. Hic eloquens dictus est, ut Sempronius Σοφός. Q. Ennius,

Additur orator Corneliu' suaviloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega
Marci filius, is dictus popularibus ollis,
Qui tunc vivebant homines, atq; ævum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadaq; medulla.

Vide Tullium *in Bruto.*

Marcus Corn. Maluginensis, Trib. Mil. an. *U. C.* 386. & rursum 389.

Marcus Corn. Maluginensis, Conf. cum L. Papyrio Crasso, an. *U. C.* 359.

Marcus Crassus, avaritiæ gurges, & abyssus inexplebilis, cùm templum Hierosolymitanum sacris thesauris expoliasset, à Parthis apud Charram, unà cum Romanorum exercitu peremptus est. Plut. *in Crasso*, & App. *in Parthicis.*

Marcus Cratevitius, Bulgarorum Princeps, prælio superatus à Pazaite patris mortem ulciscente, qui Pazaites magnam Bulgariæ partem sibi subjecit. Egnatius, an. Dom. 1378.

Marcus Curius Dentatus, vide *Curius.*

Marcus Curtius, nobilis Romanus, qui cùm Romæ in foro terra ingenti hiatu discessisset, respondissentque haruspices, Deos Manes, non aliter quàm humanâ victimâ posse placari, neque prius hoc barathrum claudendum esse, quàm si se aliquis in id sponte dejecisset, armatus equo insidens se Diis Manibus devovit, atque ita in apertam voraginem se præcipitavit, quæ eo facto clausa est. Vide *Curtius.*

Marcus Fabius Ambustus, Trib. Mil. an. *U.C.* 375. & 387. Idem 2. Conf. cum M. Popilio Lænate, an. *U.C.* 400. Tarquinienses & Faliscos superavit.

Marcus Fabius Buteo, Conf. cum L. Cæcilio Metello, anno *U.C.* 506. Classem Punicam apud Ægimurum superavit. 2. Conf. cum Attilio Balbo, an. *U. C.* 508.

Marcus Fabius Dorsus, Consul, cum Servio Sulpicio Camerino, an. *U. C.* 411.

Marcus Fabius Licinius, Conf. cum M. Octavio Crasso Messala, an. *U.C.* 507.

Marcus Fabius, cognomento Pictor, nobilis Romanus, qui præter studia literarum, & rei bellicæ, quibus insignis erat, etiam pingere didicerat, unde cognomen reportavit. Scripsit etiam historias, quarum fragmenta quædam hodiè extant. Vide omnino Voss. *Hist. Lat.* 1. 3.

Marcus Fabius Vibulanus, Consul cum Posthumio Ebutio Eluâ, anno *U.C.* 313. Item decennio pòst Tribun. Mil. consulari potestate.

Marcus Fossius Flaccinator, Trib. Mil. an. *U.C.* 323.

Marcus Fossius Flaccinator, Conf. cum P. Plautio, an. *U.C.* 436.

Marcus Fronto, Conf. cum Trajano Imp. an. *U C.* 852.

Marcus Fulvius Flaccus, Conf. cum M. Plautio Hypsæo, primus omnium Ligures Transalpinos bello domuit, an. *U.C.* 629.

Marcus Fulvius Nobilior, Conf. cum Cn. Manlio Volsone, anno *U.C.* 565.

Marcus Fulvius Pætus, Cof. cum T. Manlio Torquato, an. *U.C.* 454.

Marcus Furius Camillus, vide *Camillus.*

Marcus Geganius Macer, Consul cum C. Julio Tullo, anno *U. C.* 308. Iterum cum T. Quintio Capitolino, an. *U.C.* 312. quo anno Civilium Volscorum Imperatorem prælio victum cepit & in triumpho duxit. Iterum Consul cum L. Servio Fidenate, an *U.C.* 318.

Marcus Genutius Augurinus, Conf. cum P. Curiatio Philone, an. *U. C.* 310.

Marcus Germeus Achæorum dux primus, an. *U.C.* 498.

Marcus Herennius, Conf. cum C. Valerio Portio. Decemvirorum tyrannidem fregit, App. Claudium urbe pellendum curavit: de Volscis, Equis, & Sabinis triumphavit.

Marcus Hieronymus Vida, Cremonensis, Episc. Albæ, auctor Christiadis libb. 6. scripsit insuper de Bombycibus & Scacchiæ lusu.

Marcus Horatius Pulvillus, Conf. cum C. Valerio, eopse anno, quo reges exacti sunt. Nam cùm Brutus Conf. cum Arunte Tarquinio congressus mutuo vulnere occubuisset, Spuriusque Lucretius in ejus locum suffectus, paulo pòst esset etiam mortuus, Horatius ei successit in id, quod ejus anni superaret, bienniòque pòst Consul factus est cum Val. Poblicolâ.

Marcus Horatius Pulvillus Pontif. Max. tantâ constantiâ, ut cùm Capitolini Jovis ædem dedicaret, postemque teneret allatum esset de morte filii, neque vultum mutaverit, neque postem remiserit, carmenque quod pronunciabat, interruperit, neque prius quidquam nuncio responderit, quàm absoluta dedicatio esset. Valer. Max.

Marcus Jul. Philippus, occiso Gordiano juniore, ab exercitu Imperator declaratus, ad Senatum scripsit de morte Gordiani (nempe gravi eum morbo periisse) & de sua ipsius electione, postulans, ut confirmaretur. Senatus rem non planè intelligens, eum Imperatorem confirmavit, An. M. 4207. à Christo nato 245. Fuit is Arabs, humillimo ortus loco, patre nobiliss. latronum ductore. Misitheum eum primùm veneno sustulerat, Gordiani socerum, virum modestum ac frugi, cujus consilio Imperium augebatur: deinde Gordianum occidit. Hujus tempore Scythiæ desciverunt, contra quos Marium misit, qui à militibus Imperator factus, ab eisdem occiditur: atque iterum ab iis Decius Imperator creatur. Adversus quem Philippus furens tendit, sed à militibus occiditur Veronæ, medio capite supra ordines dentium præciso: Filius quoque an. 12. Romæ necatur, qui à quinquennio nunquam risit, se dicitur. Imperarunt annis 5. Sunt qui hunc primum Imperatorem Christianum fuisse tradant, at perfidi mores obstant. Bap. Egnat. *cap. 1. in Gordiano juniore.*

Marcus Julius Tullius, Trib. Mil. an. *U. C.* 353.

Marcus Junius Brutus, Jurisconsultus egregius, scripsit tres libros de Jure Civili. Cic. *de Orat.*

Marcus Junius Brutus, prioris fil. adeo à parente degeneravit, ut comesto patrimonio accusatoriam factitarit. Cic. *de claris Orat.*

Marcus Junius Brutus, C. Cæsaris interfector, vide *Brutus.*

Marcus Junius Pera, Consul cum M. Æmilio Barbula, anno *U. C.* 524.

Marcus Junius Pœnus, Conf. cum Qu. Ælio Pæto, an. *U.C.* 587.

Marcus Junius Syllanus, Conf. cum Q. Metello, dum collega Jugurtham Numidiâ exuit, ipse interim à Cimbris fusus fugatusque est.

Marcus Junius Syllanus, Conf. cum C. Octavio Cæsare, anno *U.C.* 629.

Marcus Juventius Helua, Conf. cum T. Sempronio Graccho, an. *U.C.* 591.

Marcus Laurinus Brugensis, Antiquarius insignis, & rei nummariæ peritissimus. Val. Andreas, *Bibl. Belg.*

Marcus Licinius Crassus, vide *Crassus.* Alius, Consul cum C. Octavio Cæsare, an. *U. C.* 724. Tertius, Consul cum L. Calphurnio Pisone, an. *U. C.* 779. Quartus cognomento Frugi, Conf. cum Q. Lecanio Basso, an. *U.C.* 856.

Marcus Licinius Lucullus, Consul cum C. Cassio Varo, anno *U. C.* 681.

Marcus Livius, Conf. cum Æmilio Paulo an. *U. C.* 535.

Marcus Livius Denter, Consul cum C. Æmilio Paulo, anno *U. C.* 452.

Marcus Livius Drusus, vide *Drusus.* Alius, Consul cum L. Pisone Cæsoniano, Scordiscos vicit, gentem à Gallis oriundam, an. *U. C.* 642.

Marcus Livius Salinator, Conf. cum Cl. Nerone, bello Punico secundo Asdrubalem ex Hisp. ad fratris Annibalis auxilium advenientem, collegæ ope interceptum vicit, & occidit, quæ res præcipuè Annibalis animum debilitavit. Sic enim exclamat apud Horatium,

Occidit, occidit
Spes omnis & fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interempto.

Idem cùm Tarentum amisisset, atque apud Fabium Max. qui illud recuperarat, gloriaretur suâ operâ receptum esse: *Certè*, inquit Fabius, *nisi enim amisisses, nunquam id recepissem.*

Marcus Lollius, Consul cum Q. Lepido, an. *U.C.* 735. His Consulibus Horatius jam quadragesimum quartum ætatis annum agebat, teste seipso ad librum suum, his verbis:

Fortè meum si quis te percontabitur ævum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Marcus Manlius Capitolinus; vide *Manlius.*

Marcus Manlius Tullus, Conf. cum Ser. Sulpicio Camerino, an. *U. C.* 255.

Marcus Mantua Benavidius, Patavinus, JC. scriptis editis celeberrimus. Jac. Thomasinus *de Illustr. Viris.*

Marcus Marcellus, Conf. cum Æliano, an. *U. C.* 936. Alius, libris egregiis editis, immortale nomen adeptus, sec. præterito.

Marcus Mastelinus, Bruxellensis, scripsit Necrologium Monasterii Viridis Vallis, &c. Val. Andreas *Bibl. Belg.*

Marcus Messalinus, Conf. cum C. Lentulo Gætulico, an. *U.C.* 751.

Marcus Minutius Proconsul, in Macedoniâ Thraces superavit, an. *U.C.* 645.

Marcus Minutius Augurinus, Consul cum Aulo Sempronio Atratino, an. *U.C.* 257.

Marcus Minutius Rufus, Conf. cum P. Corn. Asinâ, an. *U.C.* 533.

Marcus Nonius Mutianus, Conſ. cum L. Annio Fabiano, an. U. C. 953.

Marcus Oblivitius Malleolus, Conſ. cum M. Æmilio Lepido, an. U. C. 521.

Marcus Octacilius Craſſus, Conſ. cum M. Val. Maximo, an. U. C. 490. Iterum cum M. Fabio Licinio, an. U. C. 407.

Marcus Ottus, Patavinus, Philoſophus, ſcripſit varia. Thomaſin. *in elog. Vir. Ill. Patavin.*

Marcus Papyrius Craſſus, vide *Papyrius*.

Marcus Papyrius Mugillanus, Trib. Mil. Conſul. poteſtate, an. U. C. 338. Iterum biennio pòſt Conſ. cum C. Nautio Rutilio, an. U. C. 340.

Marcus Paulus, Venetus, fil. Nicolai, qui ambo Itineraria ediderunt. Sec. 13.

Marcus Perpenna Nepos, Ariſtonicum Attali regis filium prælio victum interfecit.

Marcus Plautius Hypſæus, Conſ. cum M. Fulvio Flacco, Anno U. U. 629.

Marcus Petilius Libo, Conſ. cum C. Sulpicio Longo, Anno U. C. 441.

Marcus Pomponius Matho, Conſ. cum Q. Fabio Max. Anno U. C. 520. Triennio pòſt Conſ. cum C. Papyrio Maſſo.

Marcus Popilius, Conſ. cum Cn. Manlio Capitolino, Anno U. C. 397. Iterum cum Fabio Maximo Ambuſto, an. U. C. 400. Tertio cum A. Scipione Coru. Arvina, an. U. C. 406. Quarto cum M. Val. Corvino, fœdus cum Carthaginenſibus percuſſit, an. U. C. 408.

Marcus Portius Cato, vide *Cato*.

Marcus Poſthumius Albinus, Trib. Mil. Conſulari poteſtate, an. U. C. 353.

Marcus Poſthumius Regillenſis, cùm Trib. Mil. Conſulari poteſtate multa egregia facinora feciſſet, Æquos viciſſet, Volſcos cepiſſet, ab exercitu ſuperbiam ejus peroſo lapidibus obrutus eſt.

Marcus Pulcher Perpenna, Conſ. cum P. Claudio Pulchro, an. U. C. 662.

Marcus Pupius Piſo Calphurnianus, Conſ. cum M. Valerio Meſſala, duobus annis poſt Ciceronis Conſulatum.

Marcus Quintilius Varus, Trib. Mil. Conſulari poteſtate, an. U. C. 353.

Marcus Sempronius Tuditanus, Conſ. cum C. Claudio Centone, an. U. C. 513. Alius Conſ. cum Appio Pulchro, Anno U. C. 569.

Marcus Servilius Geminus, Conſ. cum T. Claudio Nerone, an. U. C. 552.

Marcus Statilius Taurus, Conſ. cum L. Quintio Criſpino, an. U. C. 796.

Marcus Suillius Servilianus, Conſ. cum C. Antiſtio Vetere, an. U. C. 802.

Marcus Syllanus, Conſ. cum L. Norbano Balbo, an. U. C. 771.

Marcus Terentius Varro, vide *Varro*.

Marcus Titinius Mag. Equitum ſub C. Julio Bubulco Dictatore, de Æquis triumphavit, an. U. C. 452.

Marcus Tullius Cicero, vide *Cicero*.

Marcus Tullius Decola, Conſ. cum Cn. Corn. Dolabella, ſub Dictatore Syllâ.

Marcus Valerius Corvinus, vide *Valerius*.

Marcus Val. Levinus, Conſ. cum L. Apuſtio, an. U. C. 528. Alius Cn. Cornelio Hiſpalo Conſule demortuo in Conſulatu ſuffectus, bello Liguſtico cecidit, cùm prius Letum montem de hoſtibus cepiſſet, an. U. C. 578.

Marcus Valerius Maximus, Conſ. cum Sp. Virginio, Anno U. C. 298. Alius Conſ. cum P. Decio Mure, an. U. C. 443. Alius Conſ. cum Q. Mamilio Vitulo, an. U. C. 488. Et biennio poſt cum M. Octacilio Craſſo, an. U. C. 490. Alius Dictator, qui de Hetruſcis triumphavit, an. U. C. 452.

Marcus Val. Meſſala, vide *Meſſala*.

Marcus Val. Publicola, vide *Publicola*.

Marcus Val. Voleſus, Conſ. cum P. Poſthumio Tuberto, de Sabinis triumphavit, an. ab ejectis Regibus 5.

Marcus Varnevicus, Gandavenſis, ſcripſit *Speculum hiſtoria Belg. Chronicon Flandria*, &c. Val. Andreas, *Bibl. Belg.*

Marcus Vibullius Augurinus, Conſ. cum Sylvano, Anno U. C. 908.

Marcus Vigerus, auctor *Decachordi Chriſtiani*, ad Julium II. Alius Ep. Semigalliæ, ſcripſit *de tollendis Eccl. abuſibus*.

Marcus Vinitius Quartinus, Conſ. cum A. Cornelio Corvino, an. U. C. 796.

Marcus Vipſanius Agrippa, vide *Agrippa*, & *M. Agrippa*.

Marcus Vlpius Trajanus Hiſpanus, optimus omnium princeps, externorum primus, Romæ imperavit anno mundi 4060. à Chriſto nato 98. Hic Daciam Provinciam fecit, victo rege Decebalo: lapideum pontem in Iſtro ſtruxit, Parthos ſuperavit, ſuperatis regem dedit. Tranſtigritanas provincias imperio adjecit: Armeniam atque Arabiam pervaſtavit: amicitias, ſimplicia ac erudita ingenia coluit, ipſe à literis & Muſis non abhorrens. De hoc Cæſare ſcribit Juvenal. *Sat. 7.*

Et ſpes, & ratio, ſtudiorum in Cæſare tantùm:
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit, &c.

Hic Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam, poſtea Arabiam provincias fecit. In mari rubro claſſem inſtituit, ut per eam Indiæ fines vaſtaret. Gloriam tamen militarem civilitate & moderatione ſuperavit: liberalis in omnes fuit: immunitates civitatibus tribuit. Amicis culpantibus, quòd nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit, *Talem ſe Imperatorem eſſe privatis, quales eſſe ſibi Imperatores privatus optaſſet.* In ſumma, Deo proximus habitus eſt. Sed è Perſide rediens profluvio ventris obiit anno ætatis 62. imperii ferè 20. Eutr. *l.* 8. Aurel. Vict. Fuit paululum cibo vinoque deditus.

Marcus Zuerius Boxhornius, Bergis ad Zomam oriundus, prodigium ſcientiæ: Scriptis plurimis, in ætate adhuc juvenili editis omnium eruditorum applauſum meruit. Val. Andr. *Bibl. Belg. pag.* 461.

S. Marcus, urbs epiſc. Calabriæ cit. Item urbs Siciliæ, Du Val. *Geogr.* Item Ordo Eq. in Rep. Veneta. Cujus inſigne Leo alatus, coccinei coloris, cum lemmate: *Pax tibi Marce Evangeliſta.* Equites jus civitatis habent, & rictum Leonis in inſignibus gerunt, quod maximi ibi æſtimatur. Juſtinian. *hiſt. Ven.* Le Mire, *de Orig. Ord. Eq.*

Mardaita, præſidium utile è Libano, factâ pace cum Abdemelecho, à Juſtiniano Rhinotmeto Imp. infelici eventu deductum A. C. 687. Cedrenus *in Hiſt.* P. Diaconus *l.* 19. &c.

Marde, urbs Meſopotamiæ ad Tigrim fluv. Herod. Ptol. *Mirdum* Procopio, *Merdino* Onuphrio, *Mirdin* Barbaro. In Aſſyriæ confin. ab Amida 50. m. p. circiter in Cæc. viâ, quæ Tabreſium ducit. Archiep. & præclara eſt.

Mardi, pop. Aſiæ in Armeniæ, & Mediæ conf. Ptol. qui etiam à Strabone & Stephano in Hyrcaniâ deſcribuntur, ab Herodoto in Perſide, à Plinio in Sarmatiæ Aſianæ orâ ad Euxinum mare, à quo & in Suſianâ collocantur. Horum meminit Dionyſius *verſ.* 732.

—— —— Ἄγχι δὲ Μάρδοι
Ὑρκάνιοι Τάπυροί τε. ——

Curtius *libr.* 5. *Ventum eſt in Mardorum gentem, cultum vitæ abhorrentium, ſpecus in montibus fodiunt, in quos ſe, conjuges, & liberos condunt, pecorum, aut ferarum carne veſcuntur.* Vide *Amardi*.

Mardochæus, filius Jair, patruus Heſter, de tribu Benjamin, quibuſdam videtur auctor libri Heſter. Quod enim *de ritibus Judæorum* opus, inter Thalmudicos libros, attinet, certum eſt, ejus auctorem Mardochæum quendam Judæum eſſe, priori longè recentiorem. Heſt. 2. & ſeqq. V. quoque *Aman* & *Eſther*.

Mardochai, nomen viri. 1. Eſdr. 2.

Mardo Keampades, Rex Babylonius, Vid. *Merodach*.

Mardones, gens Epirotica. Steph.

Mardonius, Nobilis Perſa, ſecundùm Cteſiam, ex illis ſeptem, qui inter ſe conjurantes Magum ſe Cyri filium mentientem ſuſtulerunt.

Mardonius, Perſa, Darii gener, quem Xerxes apud Salamina victus cum exercitu reliquit, ut reliquias belli foveret. Hic captis Athenis Olymp. 75. Græciæ ſe formidabilem reddidit, paulò poſt tamen à Pauſania & Ariſtide, Lacedæmoniorum & Athenienſium ducibus victus ad Platæam, in Bœotia & ab Arimneſto Spartiatâ, ſaxo obrutus eſt. Plut. *in Ariſtide.* Herodot. *l.* 7. & 8. Diodor. *l.* 11. Juſtin. Corn. Nepos, &c.

Mardonius, Scytha Ethnicus, Julianum Apoſt. prima literarum rudimenta docuit.

Mardus, fluv. Mediæ per Mardos fluens, ac in Mare Caſpium labens, non procul à Cyropoli. Sed per Apyros ſive Tapyros illum fluere ſcribit Dionyſius, ubi ſuprà:

—— Ἐπὶ δὲ σφισιν ὁλκὸν ἑλίσσει
Μάρδος. —— ——

Mare, Gallis *la mer*, Hiſpanis *el mar*, Italis *il mare*, Germanis *die zée* ſeu *meere*, Anglis *The ſea*, Ruſſis *Moore*, magna eſt illa aquarum congeries, quæ Terram interluit. Ejus partes extantiores ſunt maximi ejus tractus, quos tabulæ & globi repræſentant: nempe Oceanus Atlanticus *Mar del Nort*: Mare Pacificum *Mar del Zur*: & Mare Indicum; quæ ratione regionum, quas alluunt, diverſa ſortiuntur nomina, Becmannus *Hiſt. Orbis terr.* Baudr. *Mare* dividitur in Exterius & Interius: Illud propriè dicitur Oceanus, *l'Ocean*, & in quatuor partes ab omnibus diſpeſcitur in Orbe antiquis cognito. Quà ſpectat Ortum, vocatur Eous ſeu Orientalis, *Ocean Oriental* ſeu *Indien*, & à quibuſdam *mer de la Chine*; quà Occaſum, Occidentalis ſeu Atlanticus, *Ocean Occidental ou Atlantique*, ad Boream, Septentrionalis ſeu Scythicus, *Ocean Septentrional*, *Glacial*, *ou de Tartare*; ad Meridiem, Auſtralis ſeu Æthiopicus, *Ocean Meridional ou Ethiopien.* In Orbe autem novo, ſeu meliùs in ea parte Orbis recèns detecta & in America, duplex eſt, nempe mare Boreale, *mer du Nort*, versùs partem Septentrionalem & Orientalem; & mare Auſtrinum ſeu Pacificum, *mer du Sud ou mer Pacifique*, versùs partem Meridionalem & Occidentalem Ame-

ricæ: & pro diversitate regionum, quas alluit, varia deinde sortitur nomina, de quibus postea. Hoc, nempe *Mare interius* multiplex est, videl. mare Mediterraneum, quod propriè etiam mare Internum dicitur *la mer Mediterranée*, & ejus plurimæ sunt partes; mare Balticum, *la mer Baltique*, mare Caspium seu Hyrcanum, *la mer de Bacu*, Pontus Euxinus, *la mer Noire*, sinus Arabicus, *la mer Rouge* seu *la mer de la Mecque*, sinus Persicus, *Golfe de Perse*, seu *mer d'Elcatif*, mare Album seu sinus Grandvicensis, *la mer Blanche*, & Mæotis palus, *mer de Zabacche* seu *de la Tana*: Et hæc sunt maria interna Orbis antiquis cogniti. Mare Mortuum enim veriùs est lacus, quàm mare, uti mare Galileæ. In Americâ autem est tantùm mare Purpureum, *la mer Vermeille*, inter novam Hispaniam & Californiam insulam; cùm nondum constet, quid sint partes Oceani versùs terras Arcticas & sinum Hudsonium.

Partes Maris.

Mare Ægæum, quòd multis insulis intercipitur, vulgò *l'Archipel* seu *l'Archipelague* Gallis, *Archipelago* Italis & Hisp. *Acdenitz* Turcis, pars est maris Mediterranei, inter Asiam minorem ad Ortum, Thraciam ad Boream, Macedoniam & Græciam ad Occasum, & Cretam insulam ad Meridiem; estque quamplurimis insulis sparsum. Ejus partes sunt mare Creticum, mare Græcum, mare Icarium, Macedonicum, Myrtoum, & Æolium.

Mare Ægyptium, pars est maris Mediterranei & sinus Sattalici, ut ajunt. Alluit oram Borealem Ægypti & Marmaricæ; extenditurque ad partem Australem Cypri insulæ, uti etiam Cretæ. Vulgò *mer d'Egypte* dicitur; extenditurque à Pelusio ad Axillam villam.

Mare Æolium seu Mysium, pars est maris Ægæi, in ora Asiæ minoris; & *mer de Smirne* seu etiam *Golfe de Smirne* dicitur à nautis.

Mare Æthiopicum, seu Oceanus Æthiopicus, *l'Ocean Ethiopien*, seu *mer d'Ethiopie*, pars est perampla Oceani versùs partem Australem Africæ, tam ad Ortum Æthiopiæ latè sumptæ quàm ad Occasum. Ejus partes sunt mare Congiense, *mer de Congo*, mare Cafrorum, *mer des Caffres*, & mare Zanguebariæ, *la mer de Zanguebar*, aliàs Barbaricus sinus.

Mare Africum, extenditur inter Melitam, Syrtim minorem, & Siciliam ad Ortum, & inter partem Australem Sardiniæ & Ampsagæ fluvii ostia, Africam propriam & Byzacenam alluens cum minuta parte Mauritaniæ Cæsariensis; nuncque *mer de Tunis & de Tripoli* vulgò dicitur.

Mare Album, *Bella More* Moscis, dicitur aliter *sinus Granduicus*, Germanis *Wittezée*, Gallis *mer Blanche*, pars est Oceani Septentrionalis, terras subiens inter Duinam Moscoviæ provinciam ad Ortum, & Lapponiam Moscoviticam ad Occasum, per 250. mill. pass. ejusque emporium præcipuum est Arcangelopolis.

Mare Almachium dicitur aliter mare Scythicum. Vide ibi.

Mare Anchidolium, *mer de l'Anchidol*, pars Oceani Orientalis. A Java insula ad terram Australem porrigitur, versùs novam Hollandiam & Carpentariam regionem.

Mare Aquitanicum, *mer de Guienne* seu *de Gascogne*, pars est Oceani Gallici, inter Britanniam minorem ad Boream & oram Cantabriæ ad Meridiem; alluitque Britanniam, Pictavensem provinciam, Santoniam, & Vasconiam latè sumptam.

Mare Argolicum, idem cum sinu Argolico.

Mare Asiaticum, propriè alluit Asiam minorem ad Meridiem, vulgò *mer de Caramanie* & *de Rhodes*. Ejus partes sunt mare Lycium, mare Pamphylium, mare Cilicium, & mare Carpathium.

Mare Atlanticum, *la mer Atlantique*, pars est perampla Oceani; unde dicitur etiam Oceanus Occidentalis: Hoc Africam alluit ad Occasum, inter Artabrum Hispaniæ promontorium ad Boream, & promontorium Leonis versùs Guineam ad Meridiem; extenditurque etiam ad Gorgades insulas.

Mare Ausonium, pars est maris Ionii. Siciliam alluit ad Ortum, uti Brutios & magnam Græciam ad Orientem & ad Meridiem. Dictum fuit postea Siculum; & à quibusdam extenditur à Sicilia Peloponnesum usque.

Mare Austrinum, *mer du Sud* Gallis, *mar del Zur* Hispanis, quod etiam *mare Pacificum* dicitur, partem Australem novæ Hispaniæ alluit ad Boream, & partem Occidentalem Americæ Meridionalis ad Ortum, uti & novam Zelandiam ad Occasum. Sic dictum fuit, quòd ad Austrum sit respectu maris Borealis. Ejus partes sunt mare Californiæ, mare Austrinum propriè dictum, in ora meridionali novæ Hispaniæ, mare Peruvianum, & mare Chilense.

Mare Austrinum, *Zuider zée*, sinus Oceani Germanici, in Belgio, inter Frisiam Occidentalem, Transisalaniam, Gueldriam inferiorem, & Hollandiam extensus. Dicitur à Gallis *mer du Sud*; aliàsque fuit Flevo lacus. Extenditur à Septentrione in Meridiem, & rigat urbes Amsterodamum, Enchusam, Hardervicum, Hornam, & Campos in Belgio unito, uti etiam plurima oppida.

Mare Azanium, pars est Oceani Æthiopici, in ora orientali Africæ, inter Aromata promontorium & Magadoxum. Nunc *mer d'Ajan* dicitur à multis, seu etiam *partie septentrionale de la mer de Zanguebar*.

Mare Balearicum, *mar de Mallorca* Hispanis, *mer du Majorque* Gallis, pars est maris Iberici, in Mediterraneo, versùs Baleares insulas, & à Charidemo promontorio Barcinonem usque, in ora Hispaniæ.

Mare Balticum, aliàs *Codanus sinus*, & *Suevicum mare*, nunc *Oostzée* seu *die Belt* Germanis, *mer Baltique* Gallis, latè inter Daniam, Sueciam, Russiam magnam, Poloniam, & Germaniam extenditur; & ejus partes præcipuæ sunt Venedicum mare, sinusque Bothnicus & Finnicus.

Mare Barbaricum seu Asperum, & Barbaricus sinus, pars est Oceani Æthiopici, inter oram Orientalem Æthiopiæ & Menuthiam insulam; & vulgò *mer de Zanguebar* dicitur, à regione adjacente.

Mare Boreale, *Noort zée* Belgis, *mer de Nort* Gallis, *mar del Norte* Hispanis, pars ampla Oceani, Americam Septentrionalem alluens cum parte Boreali Americæ Meridionalis; & ejus partes sunt sinus Mexicanus, mare Brasilicum, & mare novæ Franciæ.

Mare Bosporicum, idem cum Cimmerio.

Mare Brasilium, *mer du Bresil*, pars est maris Borealis, versùs oram Brasiliæ regionis, in America meridionali.

Mare Britannicum, *le Manche* Gallis, *The British Sea* Anglis, *het Canael* Belgis, mare est inter Galliam & Angliam, nempe à Gobæo & Antivestæo promontoriis Britanniæ minoris & Cornubiæ ad Fretum Gallicum.

Mare Caledonium seu Deucaledonius Oceanus, apud Anglos nomen retinet, *The Deucalidon Sea*, & Borealem partem Hiberniæ, ac Occidentalem & Septentrionalem Scotiæ lavat, ad Islandiam usque procurrens.

Mare Cantabricum, vulgò *mer de Biscaje* dicitur; extenditurque à confinio Aquitaniæ ad promontorium Artabrum, in Gallæcia.

Mare Carpathium, *mer de Scarpanso*, pars est maris Asiatici, versùs Carpathum insulam.

Mare Caspium dicitur nunc *mer de Sala* seu *mer de Baccu*, & ab aliis *de Chouvarezem* & *de Tabristan*, Russis autem *Gualentza moore*, & à reliquis maribus omnino separatum est. Vide *Hyrcanum mare*.

Mare Cilicium, pars est maris Asiatici, & nunc *mer de Caramanie* dicitur, seu etiam *Golfe de Satalie* à quibusdam.

Mare Cimbricum, Chersonesum Cimbricam alluit ad Occasum, & vulgò *Westzée* dicitur; estque pars Oceani Germanici.

Mare Cimmerium, pars Euxini circa Bosporum Cimmerium.

Mare Congelatum, *la mer Glaciale*. Dictum fuit etiam Almachium; estque pars Oceani Septentrionalis.

Mare Creticum, vulgò *mer de Candie*, pars est maris Ægæi, versùs oram Borealem Cretæ insulæ, atque inter Samonium promontorium Cretæ, & Tænarium promontorium Peloponnesi.

Mare Cronium seu Concretum, aliàs *di Groenlandia*, nunc *mer de Petzorke* seu *mer Glaciale* Gallis, *Mourmanskoy more* Russis, pars est Oceani Septentrionalis, & porrigitur à freto Veigatio ad promontorium Boreale.

Mare Cyprium, *mer de Cypre* seu *mer de Levant* Gallis, *mare di Cipro* Italis, pars est maris Mediterranei, versùs Cyprum insulam, & inter Ciliciam & Syriam.

Mare Dalmaticum, *mare di Dalmatia* Italis, *mer de Dalmatie* Gallis, pars est maris Adriatici seu sinus Veneti; sed aliàs ipsum mare Adriaticum dictum fuit Dalmaticum mare, post declinationem Imperii.

Mare Dulce, *la mer Douce*, lacus est maximus Americæ Septentrionalis, in nova Francia. Dicitur aliter *lac Karegnondi*, estque ad Occasum novæ Franciæ extensus versùs lacum superiorem. Sed vix ejus ora littoralis lustrata fuit à Gallis.

Mare Eoum, seu Oceanus Eous & Orientalis, *l'Ocean Oriental*, aliter *mer de la Chine & du Japon* dicitur; estque pars ampla Oceani versùs Japoniam & Sinas, insulasque Philippinas.

Mare Erythræum seu Rubrum, aliter Arabicus sinus, extenditur inter Arabiam ad Ortum & Trogloditicam ac Ægyptum ad Occasum; & nunc *mer Rouge* & *mer de la Mecque* dicitur à Gallis, *mare Rosso* ab Italis. Sed mare Rubrum aliis pars est Oceani inter sinus Persicum & Arabicum; nuncque Oceanus Arabicus *mer d'Arabie* vocatur.

Mare Euboicum, vulgò *mer de Negrepont* dicitur; estque pars Ægæi maris.

Mare Euxinum, ab aliis meliùs dicitur Pontus Euxinus, vulgò *mer Noire* & *mer Major* Gallis, *mare Maggiore* Italis, *Schwartz zée* Germanis, *Mauro Thalassa* Græcis, *Caradenisi* Turcis, & *Zorno more* Russis.

Mare Galilææ, mare seu stagnum Tiberiadis, dictum *Galilaa*, à Galilæa regione vicina, *mare Tiberiadis* ab urbe Tiberiade; quæ ab Herode Tetrarcha ampliata, in honorem Tiberii Cæsaris sic appellata est; unde & mare proximum cui insidet, ab ipsa nomen accepit. Maris hujus longitudo est 15. aut 20. mill. pass. latitudo 8. aut 10. interfluente Jordane, totum amœnis circumdatum oppidis, Bethsaida, Capharnao, & Corozaim à Septentrione,

trione, Gerasa, Gamala, Gadara ab Oriente, Bethsan sive Scythopoli à Meridie, Tirachæa, Tiberiade, & Iotapata ab Occidente.

Mare Gallicum, *mer de Provence*, & *Golfe de Lyon* vulgò dicitur; alluitque Galliam Narbonensem.

Mare Germanicum, *mer d'Allemagne* Gallis, *Westzee* Germanis, *The German Sea* Anglis, extenditur à freto Gallico ad promontorium Boreale, in Norvegia Septentrionali; estque pars Oceani Septentrionalis.

Mare Glaciale, idem Cronio & Congelato, Scandinaviam alluens ad Boream, *mer Septentrionale & Glaciale*.

Mare Græcum & Græciense, Græciam alluens, pars Ægæi. *Mer de Grece* vulgò dicitur.

Mare Hadriaticum, seu Adriaticum, quod & Superum, dicitur aliter sinus Venetus, *Golfe de Venise* & *mer Adriatique* Gallis, *Golfo di Venetia* & *mare Adriatico* Italis, pars est maris Mediterranei, inter Græciam & Illyricum ad Ort. & Italiam ad Occas. Ab antiquis etiam Illyricum mare dictum fuit & Illyricus sinus.

Mare Hesperium, pars est ampla Oceani Æthiopici, inter Æthiopicum proprium & Atlanticum, versùs oram Guineæ; & vulgò *mer de Guinée* dicitur.

Mare Hellespontium, & Hellespontus, inter Cherronesum Thraciæ & Mysiam Asiæ, *Stretto di Gallipoli* Italis, *destroit de Gallipoli & bouches des Dardanelles* Gallis.

Mare Hibernicum, *mer d'Irlande* Gallis, *The Irish Sea* Anglis, *Mor Verridh* Vallensi idiomate, Angliam & Hiberniam interluit, & ad Silurum insulas promovetur; sicque complectitur sinum S. Georgii, *la Manche* seu *le Canal de S. George*, ad Sabrinæ æstuarium, inter Valliam meridionalem & Cornubiam.

Mare Hyperboreum, pars est Oceani Septentrionalis seu Glacialis; & nunc *mer de Moscovie* & *mer de Tartarie* dicitur.

Mare Hyrcanum, idem quod Caspium.

Mare Ibericum, pars est maris Mediterranei; & vulgò *mer d'Espagne* dicitur. Extenditur autem à freto Herculeo ad Charidemum promontorium.

Mare Icarium, nunc *mer de Nicari*, pars est Ægæi maris, versùs Icariam insulam & oram Ioniæ, in Asia minori.

Mare Illyricum, *mer de Dalmatie*, pars est maris Adriatici, versùs Dalmatiam & Liburniam. Sed aliàs mare Illyricum & sinus Illyricus.

Mare Indicum, pars est perampla Oceani, quæ à multis sub Oceano Orientali seu Eoo comprehenditur, ab aliis autem sub Meridionali, vulgò *la mer des Indes* & *Ocean Indien* Gallis, *mar de las Indias* Lusitanis; estque versùs Indiam propriam. Ejus partes sunt mare Malabariæ, *la mer de Malabar*, sinus Gangeticus, *le Golfe de Bengala*, sinus Magnus, & Archipelagus Maldivarum, cum aliis.

Mare Inferum, idem Tyrrheno & Thusco.

Mare Internum, idem quod Mediterraneum.

Mare Intestinum, idem quod Mediterraneum.

Mare Ionium, extenditur inter Epirum Peloponnesumque ad Ortum, & Magnam Græciam Siciliamque ad Occasum. Pars est maris Mediterranei, & vulgò *mare Ionio* dicitur ab Italis. Ejus pars est mare Ausonium seu Siculum.

Mare Libycum, nunc *mer d'Afrique* & *mer de Tripoli* dicitur; estque inter Cyrenaicum ad Ortum & Syrtim minorem ad Occasum, in mari Mediterraneo.

Mare Ligusticum, *mer de Genes* Gallis; *mar Leone & mar di Genova* Italis, pars est maris Mediterranei, inter Liguriam & Corsicam; sed differt à mari Leonino, quod pars est maris Gallici.

Mare Lycium, pars est maris Asiatici, & nunc est *mer de Caramanie* ex parte.

Mare Macedonicum, pars Ægæi, Macedoniam ad Ortum alluens. *Mer de Macedoine* dicitur.

Mare Magellanicum, *mer Magellanique*, pars est maris Borealis, inter fluvium Argenteum & fretum Magellanicum, ac versùs Magellanicam regionem, in America Meridionali, & pars etiam maris Pacif. versùs partem Occid. Terræ Ignium & Magellanicæ.

Mare Magnum, quod & *Occidentale* & *novissimum*, & *Mare* simpliciter vocatur in sacris paginis: hoc mare Latini Græcique scriptores vocant mare Interius & mare Mediterraneum, quod Europam, Asiam, & Africam interluit.

Mare Mediterraneum, *la mer Mediterranée* Gallis, *mare Mediterraneo* Italis, inter Europam, Asiam, & Africam extenditur, inter Syriam ad Ortum & fretum Herculeum ad Occasum, & à variis variè dividitur. Ejus partes præcipuæ nunc sunt mare Ægæum, mare Tyrrhenum, mare Adriaticum, mare Ionium, sinus Leoninus, sinus Attalicus, & mare Africum.

Mare Mexicanum, *mer de Mexique*, pars maris Borealis, versùs novam Hisp. Verius est sinus amplissimus. V. *Sinus Mexicanus*.

Mare Mortuum, quod & *mare Salis*, mare *Salsissimum* & *mare Deserti ac Solitudinis* dicitur, teste Sansone. Ibi aliàs Vallis sylvestris. Ab omnibus Græcis Latinisque scriptoribus vocatur Asphaltites lacus, propter bituminis copiam, quod certo anni tempore ejicit.

Mare Myrtoum, quibusdam est *mer de Mandria*; longè distat ab Attica in Ortum.

Mare Nostrum, idem quod Mediterraneum.

Mare Pacificum, *mar Pacifico* Hispanis, *mer Pacifique* Gallis, novam Hispaniam & Peruviam alluens. Idem est quod mare Austrinum; sed latiùs extenditur, nempe usque ad Terras Australes, novam Guineam, & Archipelagum S. Lazari, versùs mare Indicum.

Mare Pamphylium, Pamphyliam alluens, Cyprum usque extensum, *mer de Caramanie* ex parte.

Mare Persicum, seu sinus Persicus, nunc *Golfe de Perse*, seu *mer d'Elcatif*, & *Golfe de Bassora*. Extenditur inter Persiam & Arabiam.

Mare Phasianum, pars Ponti Euxini ad Ortum, versùs Oram Colchidis & ostia Phasis fluvii.

Mare Phœnicium, idem quod Syrium, *mer de Sourie* dicitur.

Mare Pontus dictum, idem quod Euxinum, *mer Noire*.

Mare, quod *Propontis*, nunc dicitur *mer de Marmora*; estque inter Bithyniam & Thraciam.

Mare Purpureum, *mer Vermeille* Gallis, *mar Vermejo* Hispanis, est in America Septentrionali, inter novum regnum Mexicanum ad Ortum & Californiam insulam ad Occasum.

Mare Rhodium, *mer de Rhodes* Gallis, *mare di Rhodi* Italis, versùs Rhodum insulam & oram Asiæ minoris.

Mare Rubrum, à Græcis *Erythræum* vocatur, & aliquando ab Indo fluvio ad mare Azanium intelligitur. Sed mare Rubrum, de quo in veteri Testamento mentio fit, propriè ab Antiquis sinus Arabicus dicitur, quod inter Africam, ubi Ægyptus & Æthiopia, ac Asiam, ubi Arabia, per 1200. mill. pass. & ampliùs se extendit. Israëlitæ mare Rubrum transierunt, tanquam aridam terram, quod experti Ægyptii submersi sunt; nuncque vulgò *mer Rouge* & *mer de la Mecque* vocatur à Gallis, Baudr. LLoydio *Mare Rubrum*, seu *Erythræum mare*, in duos dividitur sinus, Persicum & Arabicum, in quos varii fluunt amnes; Dionysio *Æthiopicum*, Plinio & Melæ *Indicum*, & Herodoto *Persicum* appellatur, inter Afric. ac Taprobanam insulam Asiæ, cujus meridionalem partem alluit. Strabo illud sub Atlantici nomine comprehendit. Hujus pars, quæ Persiam, & Arabiam Felicem lambit, *Azanium* apud Plin. appellatur 6. 15. *Mar d'India* à Lusitanis dicitur, ut quidam volunt. Maris Rubri vocabulum tam latè apud bonos auctores extendi, fugit Guilandinum in suo de Papyro libello, ubi Eustathium reprehendit, quòd scribat Indiam ad Rubrum Oceanum pertingere: Item Martinum Del Rio, apud quem malè audit Seneca, quòd dicat,

Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto.

Sed hic error illis communis est cum his, qui mare Rubrum tantùm pro Arabico sinu intelligunt; idque malè. Indum enim, Tigrim, & Euphratem fluv. in hunc sinum minimè exonerari, cunctis penè notissimum est, eaque tamen in mare Rubrum se exonerare, apud classicos autores luce clarius ostenditur. De Mari hoc cum Mari Mediterr. conjungendo, Impp. Turcici & Sultani Ægyptii, non unâ vice consilia agitarunt, ut vel Nilum Mari Rubro conjungerent, indeque in Mare Mediterr. navigatio institui posset: vel ipsum Isthmum, qui utrumque Mare disjungit, perfoderent: sed irrito hactenus successu. Aliud fuit consilium Proregis Indici Alphonsi Albuquercii, qui Nilum ab Ægypto avertere constituerat, ducto alveo ex Abassia in mare Rubrum, ut ita Ægyptum sterilem & Turcis infructuosum redderet: verùm negotio immortuus est. V. Becmannum *Hist. Orbis Terr.*

Mare Sardoum, inter Sardiniam & Mauritaniam Cæsariensem, illam ad Bor. Sardiniam alluens ad Occas. *mer de Sardaign.*

Mare Sarmaticum, *mer de Moscovie*, seu *de Petzorke*, pars est Oceani Septentrionalis, Hyperborei, & Glacialis, versùs oram Borealem Moscoviæ, & Novam Zemlam: & mare *Myrmanskou More* ejus etiam pars creditur.

Mare Scythicum, pars est Oceani Septentrionalis, vulgò *mer de Tartarie* Gallis, *Niaren more* incolis.

Mare Siculum, *mer de Sicile*, aliàs mare Ausonium, pars est maris Ionii.

Mare Suecicum, seu Codanus sinus, *la mer Baltique*. Vide *mare Balticum*.

Mare Superum, idem Hadriatico cum Ausonio, *Golfe de Venise.*

Mare Syrium, *mer de Sourie*, pars est maris Mediterranei, magis ad Ortum extensa versùs Syriam.

Mare Thuscum, idem Tyrrheno & Infero, *mer de Toscane.*

Mare Tiberiadis. Vide *mare Galilææ*.

Mare Trinacrium, idem Siculo, *mer de Sicile*.

Mare Tyrium, pars Syrii, Tyriorum oram alluens.

Mare Tyrrhenum, seu Thuscum & Inferum, *mare Tosco* seu *di Toscana* Italis, *mer de Toscane* Gallis, pars est maris Mediterranei, inter Thusciam, ditionem Pontificiam regnumque Neapolitanum, & insulas Siciliam, Sardiniam, & Corsicam.

Mare Venedicum, seu potiùs sinus Venedicus, *Golfe de Dantzick*, pars est maris Baltici, versùs Prussiam provinciam Poloniæ.

Mare Virginium, seu meliùs Verginium, pars est Australis maris Hibernici, inter Hiberniam & Bolerium promontorium Cornubiæ, nunc *mer d'Irlande* ex parte tantùm. Plura de Mari, Vid. apud

apud Auctorem anonymum *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* De quæstione, *an mare sit capax Imperii?* V. Joh. Seldenum & Hug. Grotium, quorum ille *Mare clausum*, hic *liberum* edidit, &c.

Mareja, urbis seu vici in Ægypto nomen juxta Alexandriam, Steph. inter illam & Pharum, apud Arapotem lacum sive *Mariam* & *Mareotidem* paludem. Aliis Æthiopiæ civitas, Thucyd.

Marengium, seu *Marvecum*, urbs Occitaniæ, in Gabalico tractu, ad radices montium, ad amnem *Colange*, versus limites Ruthenensis tractus. *Marenge*, seu *Marvesols* vulgò. 7. leuc. à Floriopoli in Austr. ferè 4. à Mimate in Occ.

Marennejum, vulgò *Marigny*, locus Galliæ in Normannia.

Mareotis, lacus in Ægypto, *Maria* Straboni, *Lago di Buchiara*, Moletio, Castaldo, &c. circuitu olim 600. m. p. trajectu 30. Alexandriam à Meridie alluens, & multis Nili fossis, tum à superioribus partibus, tum à latere adauctus portum habens nobilem, eoque qui ad mare est, multo utiliorem. Strab. *l.* 17. Hinc territorium circa Alexandriam ejusdem nominis, variis pagis constans: in quorum uno, cui nomen, εἰρήνη σκηνοθεωρεῦ, degit Ischiras, S. Athanasii calumniator, ut ipsemet *Apol.* 2. ut & Theodoret. & Socr. referunt. *Mareotis* præterea appellatur pars illa Libyæ, quæ Ptolemæo *Marmarica* dicitur. Ejus descriptionem vide apud Plin. 5. 6. Hebeni Mareoticæ Lucanus *l.* 10. meminit:

Calcabatur onyx, hebenus Mareotica vastos
Non operit postes.

Est præterea *Mareotis*, pars Epiri, in quâ vinum optimum nascitur, unde *Mareotides* uvæ dictæ sunt, & *Mareoticum* vinum. Virg. *Georg.* 2.

Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ.

Ita vulgò creditum, atqui vites istæ celebres sunt, non in Mareotide Epiri, ut quidam falsò, sed in Libyâ Mareotide Ægypto conterminâ. Strabo *lib. ult. Est in his locis vini maxima copia, ut etiam Mareoticum vinum ad vetustatem perduret.* Plautus *in Casinâ*,

Nisi hac meraco se uspiam percussit flore Libyco.

Id est, vino Mareotico, explicante Turnebo 8. 11. & Lambino in eum locum. Athenæus quoque *lib.* 1. ita perspicuè, *Mareoticum vinum, quod etiam Alexandrinum vocavere à Mareiâ lacu vicino Alexandriæ, & urbe lacus propinquâ, atq; ejusdem nominis. Frequens in eo tractu vinea est.* Demum Servius *Mareotidas* explicat *Ægyptias.* Itaque malè aliqui has vites ad Epirum rejiciunt; Male etiam videtur scripsisse Columella 3. 2. *Nam quæ Graculæ vites sunt, ut Mareotica, Thasia, &c.* Plinius enim, qui pro Epiro adducitur, 14. 3. nihil tale. Horatius de Cleopatra *lib.* 1. *Od.* 37.

Mentemq; lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar. —— ——

Papinius 3. 2. —— *Modò nam trans æquora terris*
Prima Dicarchæi Pharium gravis intulit annum.
Prima salutavit Capreas & margine dextro
Sparsit Tyrrhena Mareotica vina Minervæ.

Mares, populi vicini Mossynoecis. Steph. Item nomen Principis cujusdam. Esther. 1.

Maresa, civitas in tribu Judæ, patria Michææ prophetæ, quam ædificavit Roboam. 1. Par. 11. Hanc Benjamin *Bethgebarim* vocat.

Mareschallus Franciæ, seu Supremus Castrorum Præfectus, dignitas militaris in Gallia ingens, propriè enim hi sunt, quod Magistri Equitum, vel Tribuni & Præfecti militum apud Romanos, apud Græcos olim Chiliarchæ. Primitus agminis primi ductores erant, qui hostem detegerent & locum castris idoneum eligerent. Hodie milites in fidem recipiunt, deq; causis militaribus vel per se vel Locumtenentes suos judicant: Præstant autem juramentum non Regi solùm, cùm baculo Mareschalli donantur, sed Parlamento insuper. Numerus, qui ante Francisci I. tempora exiguus erat, hodiè ingens est. Sub his sunt Mareschalli Campi, seu Castrorum Tribuni, Mareschalli diversoriorum seu Metatores Castrorum, & Hospitiorum designatores. In Germania, ubi Connestabilis ignotum nomen, Electores Saxoniæ magni Imperii Mareschalli dicuntur: sic Comitibus Flandriæ & Campaniæ sui olim erant. In bello Simonis Montfortii contra Albigenses, quidam Mareschallus Fidei dictus fuisse legitur. Favin. *de Offic. Corona Gall.* Vid. in voce *Marscalcus.*

Mareshuan, vel *Methasvan*, 8. mensis anni Hebræorum: nullo vel festo vel sacrificio quodam extraordinario insignis. Sigon. *in Kalend. Hebr.* Torniel. *A. M.* 2544. *n.* 12. 2545. *n.* 30.

Maresia, civ. in tribu Judæ. Jos. 15. Urbs Ciliciæ videtur Guil. Tyr.

Maresius Samuel, Gall. *Des Maretz*, Gall. Theol. celeberrimus, Natus Avimontii Gall. *Oysemont*, oppidulo haud ignobili Picardiæ, A. C. 1599. formatorem pueritiæ habuit Esajam Blanchardum Eccl. patriæ Pastorem, in literis egregiè versatum: postea Lutetiæ Dempstero & Grangerio, literas Humaniores docentibus, Guillono, & Theodoro item Marcilio, ut & Crassotio ac Jano Cæcilio Frey eximiis Philosophis, per triennium adhæsit. Inde Salmurii Theologiæ vacavit, per biennium Fr. Gomaro præceptore usus: Genevam postea delatus Joh. Deodati, Theod. Tronchini & Bened. Turretini, excellentium Theologorum, lateri se applicuit. Sed Lutetiam, post aliquam moram, reversus, sub Pastorum Parisiensium ductu, praxi diligentius vacavit, ibique A. C. 1620. rigido, quale tum in Gallia erat, examini se stitit, mox Laodunensi in Veromanduis Ecclesiæ admotus: in qua statione dum magno versatur zelo, cum adversariis quotidie confligere necesse habuit; à quibus sicario ei immisso profundum accepit vulnus A. C. 1623. quo sanato, à Synodo Vitriacensi A. C. 1624. Ecclesiæ Falesiensi commodatus est. Mox Sedanum ab Elizabetha Nassovia, Bullionæi D. vidua, vocatus in Capelli locum, Pastor Eccl. & Theologiæ Prof. ibi magno cum fructu fuit: unde excurrens in Hollandiam, A. C. 1625. Leydæ, Doctoræ insignia accepit. Invitatus post hæc à Fœderati Belgii Ordd. Trajecti ad Mosam Ecclesiam nascentem pascere cœpit A. C. 1632. mox inde Limburgum ductus, ibi primam ex publicâ auctoritate concionem habuit. Successit ministerium Ecclesiæ Sylvæducensis, ad quod vocatus est A. C. 1636. Tandem in Gomari Præceptoris sui, A. C. 1642. demortui locum, Groningam vocatus, utroque in munere, Ecclesiastico & Academico, talem se exhibuit, ut inter celeberrimos hujus ævi Theologos meritò numeretur. Scripsit plurima, quorum Elenchus *Systemati Theologiæ* ab ipso edito, subnexus est: Obiit A. C. 1675.

Hocce diu felix Ecclesia lumine, tandem
Poscenti id Domino reddidit æqua suo.

Mareth, civitas in tribu Judæ. Jos. 15. urbs Ciliciæ, G. Tyr.

Mareura, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Marfetta, quibusd. *Morfetta*, opp. Apuliæ Peucetiæ.

Margaa, nomen fontis apud Plin. Item urbs Elidis. Steph. pro quo *Margala*, apud Strab. putat Casaubonus.

Margaii, pop. Brasiliæ.

Margana, vel *Margana*, urbs Indiæ. Steph.

Margara, Indiæ intra Gangem urbs circa ipsum flu. Ptol. *Mognan* Castaldo.

Margarida, mons Galliæ, in Gabalis, insignis, Triobris fluminis fonte inclytus: pars Cebennarum, sicut & Lesura, in eodem agro.

Margarinus Bignius, Doctor Sorbonicus, Normannus, inter illustres sui temporis viros, deputatus ad Conventum Ordinum Blesis institutum, an. 1576. Bibliothecam PP. collegit, in qua ultra ducentorum Authorum scripta recenset: ipsemet quoque libris editis clarus. Simler. *in append. Bibl. Gesn. p.* 571. &c.

Fœmina Principes.

Margarita, Caroli Burgundiæ & Flandriæ Domini, filia & hæres, Maximiliano Cæsari nupsit.

Margarita, filia Raimundi Berengarii V. ex Beatrice Sabaudica, nupsit Ludovico IX. an. 1234. ejus in Orientem comes: formâ & virtute illustris: Mater 6. filiorum & quinque filiarum. Reprehensa, quòd ditiones à Patre sorori minimæ, quæ Carolo Andegav. Regis fratri nupserat, relictas vindicatura, Imperatoris opem implorasset. Obiit an. 1285. Guil. Nangius, *in vita S. Ludovici.* Morerius *Dict. Hist.*

Margarita Scotica, Delphina Galliæ, fil. Jacobi I. ex Johanna Sommersetensi, ingenio inclyta, Ludovico Delphino, qui dein undecimus hujus nominis Rex Galliæ evasit, nupsit, Anno 1436. Alano Charterio, ut erat literatorum amans, fortè in aula dormienti, osculo fixo, interrogata, cur hominem adeò deformem tanto honore dignaretur, præclarè respondit, *non hominem, sed os hominis* adeò facundum osculatam se esse. Non magnopere dilecta marito, sine prole decessit, an. 1445. Mezeray *Hist. Gall.*

Margarita Valesia, Francisci I. Gall. R. soror, nupsit primò Carolo, ultimo Alenconii Duci, Connestabilis dignitate à Rege ornato, qui expeditionis Italicæ comes, in reditu, animi mœrore, ob captum ad Ticinum Franciscum Lugduni contabuit. Sic marito, sic fratre orbata, Hispalim se contulit, captivo ægroque Regi ministratura, tantumque parrhesiâ suâ effecit apud Carolum, & ministros ejus, ut de rigore suo non parum remitterent. Rege postmodum liberato, nupta Henrico Albretano Navarræ Regi, & Bearniæ Principi, ex illo Johannam Albretanam suscepit, matrem Henrici M. Heroina pietate, virtute & literis laudatissima, versu prosaque promta, edidit inter alia *Margaritam Margaritarum*, varia Poëmata Comœdiasque continentem, *Speculum animæ peccatricis, Triumphum Agni, Heptaemeron*, &c. Jacobum Fabrum Stapulensem, purioris religionis instaurationem fortiter aggressum, exulem tutata est, eumque defunctum marmore, quod pro se exscindi curaverat, contegi voluit: Gerardum insuper Russellum audiit & opus Reformationis in Gallia plurimum juvit. Obiit Anno Chr. 1549. Symbolum ejus caltha Solem respiciens, cum lemmate: *Non inferiora secutus.* Item, Lilium inter duos uniones, cum verbis, *Mirandum naturæ opus.* Integrum volumen Epitaphiorum, hujus Heroinæ memoriæ consecratorum, extat, inter quæ Annæ, Margaritæ & Johannæ Seimeriarum plurima Latina eminent. Addam unicum Valentinæ cujusdam distichon:

Musarum decima, & Charitum quarta, inclyta Regum
Et soror & conjux Margaris hicce jacet.

Margarita Valesia, fil. Henrici II. ex Catharina Medicea, formâ & ingenio inclyta, poëmata varia & commentarios de rebus suis scripsit. Nupta Henrico Principi Vianæ, qui dein Navarræ, tandem-

tandemque Galliæ R. evasit, nuptias suas laniena Parisiensi funestatas vidit, ob mores postmodum à marito repudiata, qui an. Chr. 1599. Mariam Mediceam uxorem duxit, diu extra aulam exulavit. Permissu Regis tandem Parisios veniens, an. 1605. obiit an. 1615. Ultima Valesiæ stirpis. V. Thuan. *in Hist.* Barclai. *in Euphorm.* ubi insigne in hanc Reginam carmen in persona ejus sic claudit:

Et Vivo & morior toties, me funere longo
Nempe mori decuit, quæ tot per secula clarum
Induco tumulis supremæ Valesia nomen.

Margarita, filia Francisci I. ex Claudia Francica, Græcè & Latinè docta, pietate ac virtute illustris, Literatos post Patrem patrocinio dignata, nupsit Emanueli Philiberto, Sabaudiæ D. Anno Chr. 1559. pignus pacis Cameracensis. Prudentiâ, benevolentiâ in subditos, favore, munificentiâ in eruditos immortalem gloriam adepta. Obiit Anno Chr. 1574. Thuan. *in Hist.* Morerius *Diction. Hist.*

Margarita Austriaca seu Flandrica, fil. unica Maximiliani I. Imper. ex Maria Burgundica, soror Philippi I. Hisp. R. Mortuâ, equi lapsu, matre, in Galliam missa est, ut in aula Ludovici X. educaretur, mox Delphino desponsata, at hoc postea Annam Britannicam, quæ Maximiliano promissa erat, sibi jungente, ad Patrem remissa est. Anno 1492. Desponsata postmodum Johanni, filio unigenito Ferdinandi & Isabellæ Cast. & Arrag. R. in Hispaniam profectura tantùm non naufragio periit: Certè dum inter furentes fluctus mortem meditatur, sibi ipsi hoc Epitaphium condidit:

Cy gist Margot, noble Damoiselle,
Deux fois mariée & morte pucelle.

Hoc liberata periculo in Hispaniam appulit, sed brevi marito mortuo, inde redux, nupsit Anno 1501. Philiberto Sabaudiæ D. qui triennio pòst improlis obiit, post cujus mortem ad Patrem reversa est. Dein Belgii præfecturam gessit, non sine magna prudentiæ laude. Ejus Symbolum, *Fortune, Infortune, fort-une*, quod varii variè explicant. Obiit Mechliniæ, Anno 1532. æt. 54. Scripsit prosâ versuque varia, inter quæ, *Dissertationem de Vita sua.* Vid. Agrippam, qui illi à consiliis fuit, *Orat.* 10. Marianam, Morerium *Diction. Hist.* &c.

Margarita, Henrici VI. Anglorum regis uxor, magno animo fœmina, Renati Andium Ducis filia.

Margarita, filia Valdemari IV. Daniæ Regis, celebris Danorum Heroina, Historicis *Arctoa Semiramis* dicta. Haquino, Norvegiæ Regi, nupta peperit ei Olaum V. qui post mortem avi, Norvegiæ regnum Daniæ junxit tutrice matre, circa A. C. 1377. Pontan. *Hist. Dan. libr.* 8. Postea filio præmaturâ morte erepto, mater Ericum, neptis suæ è sorore filium, Regem Norvegiæ declaravit: Mox Albertum Suecum, è sorore filium, Norvegiæ Daniæque inhiantem, à quo *missâ cote, ut acuculas suas cultrosq; acueret*, irrisa fuerat, vicit, cepit, & post septennalem carcerem regno quoque suo cedere coëgit: quo facto Ericus VIII. Daniæ Sueciæ Norvegiæque Rex declaratus est A. C. 1396. Vide Crantz. *lib.* 7. *Dan. & Suec.* 6. *cap.* 39. Arnold. Vitf. *Chron. Dan. part.* 3 &c.

Margarita Francica, fil. Lud. VII. ex Constantia Castellana. Nupta primò Henrico fil. Henr. II. Angliæ R. dein Belæ Hungariæ R. quem in Orientem secuta est: Obiit Acræ, an. 1197. Item, fil. Ludovici IX. ex Margarita Provinciali, uxor Johannis I. Brabantiæ D. Item, fil. Philippi Audacis ex Maria Brabantina, nupsit Eduardo I. Angliæ R. Anno 1299. Item, fil. Philippi Pulchri R. ex Johanna Navarræa, nupta Ferdinando IV. Regi Castellano. Item, fil. Roberti II. Burg. D. uxor Ludovici X. adulterii, vivo adhuc socero, convicta in carcere obiit, Anno 1314. Item fil. Philippi V. ex Johanna Burgundica, nupsit Ludovico Nivernio, Flandriæ Comiti. Obiit Anno Chr. 1382. æt. 72. Mater Ludovici Malensis.

Margarita Eboracensis, fil. Georgii Clarentiæ D. fratris Eduardi IV. Ingenio & pietate inclyta. Ex Richardo Polo, mater Reginaldi Poli Card. Ab Henrico VIII. & Catharina Arragonia, Mariæ filiæ educationi præfecta primùm, postea quòd Regi filius Reginaldus liberè illicitos amores sævitiamque exprobrasset, capite plexa est. Duchen. *hist. Angl.* Hilario Costus *in elog.* &c.

Margarita, fil. notha Caroli V. ex Margarita Vangesta, puella nobili Flandrica, in aula Margaritæ, primò filiæ Maximiliani I. dein Mariæ Hungariæ Reg. educata, nupsit Alexandro Mediceo Flor. D. eoque occiso, Octavio Farnesio, nepoti Pauli III. quem utpote vix tredecennem, initio aspernata, dein, cùm biennium absens ex Africa, quò socerum secutus erat, rediisset, tenerè amare incepit, gemellos masculos paulo pòst enixa, eodem tempore, quo maritus Parmæ & Placentiæ Dux creatus est. Animi corporisque robore incredibili, supra Sexum sapuit, aliquâ etiam lanugine mentum obumbrata: podagricos insuper, quod in fœmineo sexu rarius, assultus non rarò sensit. Belgio præfecta, à Philippo II. fratre, turbulentissimis illis motuum notissimorum temporibus, tantâ dexteritatis & prudentiæ laude, clavum tenuit, ut spes esset, brevi illos pacatum iri. Sed rigor Ducis Albani Margaritæ surrogati, vulnus, quod jam cicatricem ducere cœpit, exasperavit: Quod illa prævidens dolensque in Italiam secessit. Obiit an. 1586. postquam filium Alexandrum, Johannis Austriaci, in præfectura Belgii, successorem vidisset. Thuan. *in Hist.* Strad. *de Bello Belg.* H. Grotius, *in Annal. Belg.*

Margarita, fil. Florentii, Comitis Hollandiæ, ex Michaelide Lotharingica, quæ ex marito Hermanno, Com. Hennebergensi prægnans dicitur uno partu 365. filios filiasque enixa, in pœnam elusæ pauperculæ cujusdam. Sed fabulosum hoc esse vir quidam eruditus haud pridem demonstratum ivit. Aliam ejusdem nominis 36. infantes uno nixu edidisse, historiæ Polon. referunt.

Margarita Lotharingica, nupsit Renato Valesio, Duci Alenconio, &c. postea S. Claræ cœnobium ingressa. Hilar. Costus.

Margarita Palæologa, fil. Guilielmi, Marchionis Montisferrati, nupsit Friderico Gonzagæ, Mantuæ D.

Fœminæ celebres.

Margarita Arbuzia, ex Arvernia oriunda, Abbatissa Vallis Gratiæ, Parisiis, Obiit an. 1626.

Margarita de Cambis, Galla, uxor Baronis Ægremontii, in Occitania, vertit Joh. Georgii Trissinii Itali, librum, *de Vidua officio*. & Boccatii *epistolam Consolat.* ad Pinum Rossium, exulem.

Margarita Gigia, Angla, Margaritæ filiæ Thomæ Mori, studiorum socia: Nupsit Johanni Clementi, Med. D. cum quo, Henrico VIII. in utriusque religionis cultores ex æquo sæviente, in Belgium delata: Obiit Mechlinæ. an. 1570. Stapleton. *in Vita Thomæ Mori.* Pitseus, *de Scr. Angl. p.* 567.

Margarita Mora, fil. Thomæ Mori, Angliæ Cancellarii, erudita & multilinguis, ex Guil. Ropero, mater egregiæ prolis, Patrem in vinculis retentum solata & ad constantiam hortata, illo capite plexo, in studiis librisque componendis reliquum vitæ transegit. Stapleton. *in Vita Thomæ Mori*, &c.

Margarita Porreta, ex Hannonia oriunda, Lutetiam sec. 13. delata, librum ibi composuit, nugis erroribusque refertum: docens inter alia, hominem, qui in amore Conditoris sui contabuit, liberè posse fræna libidinibus laxare: Exusta Anno 1210. quo & Guiardus quidam se Angelum Philadelphiæ, de quo in Apocalypsi, venditavit.

Margarita Sarrochia, Neapolitana, poëma heroicum de Scanderbego, plurimaque alia Latina edidit: Sed, nimiâ ambitione tumens, cum eruditis sui temporis non parum litis habuit. Vide Jan. Nicium Erythræum, *Pinacoth. P.* 1. *c.* 145.

Margarita Ins. *Isola Margarita*, ampla, maris Borealis, ubi unionum piscatio, prope oram novæ Andalusiæ. Detecta fuit à C. Columbo an. 1498. Circuitus 50. leuc. Gall. 8. à continenti Amer. mer. 40. ab Insula Trinitatis in Occ. Sub Hisp. cum urbe Episc. cognom.

Margarita Ins. quæ *Gorgon*, V. ibi, aliàs *Urgo*.

Margasi, Mediæ gens. Ptol.

Margastana, sinus Persici exigua Ins. circa ostia Arosis fluminis, Arrian. *in Indicis*.

Margath, seu *Margad*, munitum Phœniciæ castrum est, juxta Valaniam flu. altissimo in monte, ab Antarado 7. à Valania autem urbe atque à mari 1. mill.

Margiana, reg. Asiæ min. inclytæ apricitatis (ut inquit Solinus) ambitu stadiorum 1500 difficilis aditu propter arenosas solitudines, in quâ Antiochus Antiochiam extruxit. Strab. *libb* 9. & 11. *Jeselbas* Castaldo, *Tremigan* Pineto. Baudrando prov. fuit satis ampla Parthiæ, versùs mare Caspium & Oxum flu. ubi nùnc pars maxima prov. *Khœmus*, & pars Occ. provinciæ Chorasan, in regno Persarum. Ex Sansone.

Margidunum, op. Albionis in Angliâ, *Margret. Overton* Camdeno. Aliis *Leicester*, & aliis *Derby*. Camdenus verò prope *Belvior*, vel *Bevercastle*, castrum Com. Lincolniensis in confin. Leicestrensis ponit. Vide Guil. Burtonum *In Antoninum p.* 214.

Marginia, circa Ochum & Oxum flum. urbs. Curt. *l.* 7. *c.* 65. Antiochia Margiana est Ortelio.

Margium, civitas Phrygiæ, postea Apollonia dicta. Steph.

Margottum, opp. Lombardiæ Transpad.

Margum, Lib. Not. Eutropio *Murgum*; seu *us*, opp. Episc. Mysiæ primæ seu super, ad fluv. cognominis confluentes in Danub. Hic Carinus Imper. cecidit.

Margus, Castaldo *Morgab*, fluvius Asiæ ingens, ex montibus Sariphis descendens, per Derbiccas in Oxum defertur, Ptol. Item fluv. per Seleuciam fluens.

Virgo-Mater.

Maria, nomen B. Virginis, quæ filia Joachimi & Annæ, ex tribu Juda, familiaque Davidis, genealogiam ejus reticente Scriptura, orta, divinitus κεχαριτωμένη, antequàm cum sponso conjungeretur Josepho, Christum in utero tulit. Mat. c. 1. Luc. c. 1. Soror item Marthæ sororis Lazari. Luc. 10. Joan. 11. Vid. etiam Rom. 16. 6. Porro mater Jacobi; Item nobilis mulier, quæ Hierosolymis à T. Vespasiano obsessis, proprium filium, fame urgente, devoravit, Joseph. 7. 15. Cæterùm quod ad B. Virginis nomen attinet, quidam dignitatem quandam eo denotari volunt. Gregorius Nyssenus, *Homil. in Natal. Christi.* Ἐπειδὴν ἐτέχθη τὸ παιδίον, ὀνομάσει μὲν αὐτὴν Μαρίαν, ὡς ἂν καὶ τῇ ἐπωνυμίᾳ τὴν θεόσδοτον διασημανθείη χάριτα. Ubi tamen malè, ut videtur, Mariæ etymon tribuit, quod

quod *Hanna* matri ejus proprium est. Ita ille *Gratiam*; alii autem *Dominationem* ejus nomine contineri putarunt. Author *Homil. de laud. B. Mariæ*, sub nomine Epiphanii: Ἡ Μαρία ἑρμηνεύεται κυρία, ἀλλὰ καὶ ἐλπίς. Κύριον γὰρ ἔτεκε τὴν ἐλπίδα τοῦ παντὸς κόσμου τὸν Χριστόν. Damascen. *l.4.c.15.* Τίκτει τοιγαροῦν ἡ χάρις (τοῦτο γὰρ ἡ Ἄννα ἑρμηνεύεται) τὴν κυρίαν, τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ τῆς Μαρίας ὄνομα. S. Hieronymus *de Nom. Hebr. Sciendum quòd Maria sermone Syro* Domina *nuncupatur*. Isidorus aliam nobis originationem exhibet, *Maria illuminatrix, sive stella maris; genuit enim lumen mundi*: ut & Hieronymus, *Mariam*, dicens, *plerique existimant interpretari*, illuminant me isti, *vel* illuminatrix, *vel* smyrna maris; *sed mihi neutiquam videtur. Melius autem est ut dicamus, sonare eam* stellam maris, *sive* amarum mare. Et sanè Judæi ipsi *Miriam* deducunt ab Ebræo מרר *marar*, quo servitus Israelitarum in Ægypto denotetur. Atqui malim cum eruditissimo D. Pearsonio *Mariam* deducere à radice רום unà cum additione Mem Hemantici; sic autem notatio manifestior erit, & significatio planius apparebit, quasi *aliis prælata*. Plurimus est in laudibus B. Virg. D. Bernardus, ne dicam nimius: Monet siquidem nos in angoribus nostris ad auxilium ejus tanquam ad asylum confugere: *Respice stellam: Mariam cogita: Mariam invoca*. Non ferendus autem Bonaventura, dum *in Psalterio suo*, quæcunque de Deo dicuntur, B. Virgini tribuit. Absit autem, ut quisquam S. Mariam divinæ gratiæ privilegiis, aut speciali gloriâ, fraudare conetur. Loquamur cum Ecclesiâ Christi primævâ: Ἡ Μαρία ἐν τιμῇ, ὁ Κύριος προσκυνείσθω. Ita Epiphanius; & alibi: Εἰ καλλίστη ἡ Μαρία, καὶ ἁγία, καὶ τετιμημένη, ἀλλ' οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι. Græci eam Θεοτόκον vocare solent, nunquam tamen quod sciam, μητέρα τοῦ θεοῦ. Μήτηρ tamen Κυρίου ab Elisabethâ vocatur Luc. 1. Quam non solùm ante Nativitatem Filii sui, sed postea, imo in perpetuum immaculatam, & beatam Virginem fuisse piè credidit antiquitas; Unde *Antidicomarianitæ* appellati sunt hæretici, qui Mariæ Virginitati usque adeo contradicunt, ut affirment, eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam, ut tradit B. August. Ejus extra nativitatis Christi historiam, raro admodum meminerunt Evangelistæ, Apostoli autem nullam ullibi mentionem faciunt: inculcantes *unicum nomen illud, in quo oportet nos servari*. Act. 4. 12. cujus unius *meminisse nos*, vult Paulus, 2. Tim. 2. 8. A' moriente CHRISTO Johanni Ap. commendata, obiisse creditur an. Chr. 57. æt. 72.

Fœminæ illustres.

Maria, seu *Miriam*, soror Moysis & Aaronis, filia Amrami ex Jocabetha. Nata creditur A. M. 2457. ante Aaronem 4. ante Moysen 7. annis. Pharaonis filiæ, quæ Mosen è Nilo extraxerat, consilium, sic à parentibus instructa, suggessit, quod legitur Exod. 2. 7. Dein Hur nupta, Ægyptiis in mari rubro submersis, junctâ fœminis reliquis ex Israele, Epinicium illud memorabile, quod Exod. 15. habemus, cecinit. Postmodum, cum fratre Aarone, contra Moysen murmurans, leprâ divinitus percussa, sed intercessione Moysis, post septiduum, sanitati restituta, Obiit A. M. 2583. In Cades, quæ 32. statio Israelitarum in deserto fuit, sepulta. Num. c. 20. Jos. *in Antiq. Jud.* &c. item filia Ezra, 1. Paral. 4.

Maria Albretana, uxor Caroli Clivensis, Comitis Nivernensis.

Maria Andegavensis, Galliæ Reg. ingenio, sapientiâ, pietate inter primas, fil. Ludovici II. Neapol. R. ex Jolanta Arragonia: anno æt. 5. Johanni Tarentino promissa, quatuor pòst annis Carolo VII. tum Comiti Pontiniacensi, desponsata est, an. 1413. Marito jam Rege consiliis suis Anglorum subditorumque rebellium conatus insigniter sufflaminavit, fidos adhuc solata, milites officii admonuit, solaque Regem in Delphinatum se recipere cogitantem morata, regnum sic ab interitu vindicavit. Postmodum mariti, à pellicibus in transversum acti, animum aversum constantissimè ferens, nihilominus quidquid ipsi salutare noverat, perpetuò monuit, spretis Delphini suggestionibus, qui matri suaserat, ut tam indignè habita se ex aula subduceret. Obiit, post maritum, numerosæ prolis fœcunda mater, in pauperes cultumque sacrum larga, an. 1463. æt. 63.

Maria, Angliæ Regina. Filia Henrici VIII. ex Catharina Arragonia, Eduardo VI. non sine veneni suspicione extincto, successit an. 1553. Johannâ Suffolciâ, quam Rex hæredem scripserat, cum marito & socero Dudlæo, aliisque, capite plexâ. Mox reductis Latin. ritibus, persecutio in Evangelicos mota est. Imagines restitutæ, earumq; partes detruncatæ, nasi imprimis, magno sumtu reparati sunt. Quod cernens muliercula quædam, animo præsago ad artificem, *An non insanus es*, ajebat, *quòd novos nasos his imaginibus affingis, quæ brevi capita sua amissura sunt?* Nupsit an. 1554. Philippo II. Hisp. R. sorore Elizabethâ in custodiam conjectâ. Sed, tædio ob mariti absentiam contractâ febriculâ, decessit Anno Chr. 1558. trahens 16. horis pòst in comitatum suum Reginaldum Polum Cardin. suum intimum, an. æt. 59. Successit Elizabetha, Vide Thuan. *hist. l.13.20.21.* &c.

Maria Anglica, fil. Henrici VII. à Ludovico XII. subditorum pacem anhelantium precibus permoto, cùm aliàs jam provectioris esset ætatis, ducta, mortuo brevi marito, in Angliam rediit, atque à fratre Henrico VIII. in matrimonium Carolo Brandoni, Nobili, quem Ducatu Suffolciæ ornaverat, data, varios ex eo liberos suscepit, *Regina Dux* vocari gaudens. Obiit an. 1533. æt. 37. Duchenius *hist. Angl.*

Maria Austriaca, Imperatrix, fil. Caroli V. ex Isabella Lusitana, Maximiliano II. consobrino suo nupta, maritum tenerrimè amavit, ægro diligentissimè inserviens. Illo mortuo, in Hispaniam reversa, Obiit Anno 1603. æt. 75. Mater 9. filiorum, & sex filiarum. Mariana *Hist. Hisp.* Serdonat. *de fœminis Illustr. Ital.* Hilario Costus, *elog. fœm. Ill. Gall.*

Maria Austriaca, Hungariæ & Bohemiæ Reg. Filia Philippi Archid. ex Johanna Arragonia, soror Caroli V. & Ferdinandi I. nupsit Ludovico Jagelloni, Hungar. R. qui in prælio Mohacensi, an. 1526. periit. A' Carolo fratre dein, cùm secundas nuptias aspernaretur, Belgio præfecta, pace belloque egregiè res gessit. Henrico II. Gall. R. bello indicto, cùm Carolus Metam obsedit, in Picardiam irrupit, terrâ longè lateque vastatâ, Mariæburgo à se condito postmodum ab Henrico exuta: Unde Prov. *Elle a fait la fole en Bray & Marie en Bourg.* Obiit in Hispania, an. 1558. postquam Belgium magnâ cum prudentiæ laude, rexisset an. 25. in illud, paulo post Caroli obitum, reditura.

Maria Anna, Austriaca, filia Philippi III. Hisp. R. ex Margareta agnata, Ferdinando III. Imper nupta, Leopoldum Imper. genuit: præter Ferdinandum Franciscum Bohemiæ R. Anno Chr. 1646. Hungariæ an. Chr. 1647. & Romanorum A. C. 1653. creatum ac coronatum: sed brevi pòst extinctum. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Gen. Hist.*

Maria Leopoldina, Austriaca, Leopoldi Archid. filia, altera Ferdinandi III. uxor, ei genuit Carolum Josephum Episc. Passaviensem & Vratislaviensem, ac M. Mag. Teutonicum, præmaturâ morte abreptum, Idem.

Maria Bavara, uxor Caroli Archid. Item, Borbonia, fil. Ludovici I. Ducis Borbonii, ex Maria, fil. Johannis II. Hannoniæ Comitis. Nupsit Guidoni, fil. Hugonis Lusignani, Hierosol. & Cypri R. primùm, dein Roberto Tarentino. Item, uxor Gastonis Johannis Baptistæ, Ducis Aurelian. an. 1626. anno pòst obiit, prius filiam Annam Mariam Ludovicam enixa. an. æt. 21.

Maria Brabantina, Galliæ Regina, fil. Henrici & soror Johannis, Brabantiæ Ducum. Nupsit Philippo Audaci, an. 1274. ex eo unius filii & duarum filiarum mater. Obiit, post maritum, Anno Chr. 1321.

Maria Burgundica, fil. Caroli Audacis, ex Isabella Borbonia, patre in obsidione Nanceji occiso, unica tot ditionum hæres, nupsit Maximiliano, fil. Friderici Imper. ex eo Philippi, Margaritæ & alterius filii parum vitalis, mater. Ex equo prolapsa cùm in femore vulnus accepisset, neque id à Chirurgo, ut erat laudatissimæ verecundiæ, tractari pateretur, Obiit an. 1482. Basis Austriacæ magnitudinis. Duchenius, *Hist. Burg.* &c.

Maria Castellana, fil. Ferdinandi & Isabellæ, secunda uxor Emanuelis Portugalliæ R. Item filia Francisci I. Ducis Nivernii, ex Margarita Borbonia, nupta Henrico I. Principi Condæo, Evangelicâ veritate, in qua educata fuerat, abjuratâ: Obiit 1574.

Maria de Costa Blancha, Parisina, Philosophiæ, Mathematum & lingg. perita. Vertit sec. præt. tres Dialogos Petri Messiæ, Hispani, de natura Solis, de terra, &c. Quod opus Lutetiæ impressum, Anno 1566.

Maria Denteria, puella Tornacensis, scripsit sec. præt. *Epistolam contra Turcas, Judæos, Lutheranos*, &c. quæ impressa Anno Chr. 1539. Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

Maria Francica, fil. Ludovici VII. Gall. R. ex Eleonora Guiennensi, nupsit Henrico I. Diviti, Comiti Palatino Campaniæ & Briæ, &c. Prudentiâ, ingenio, pietate inclyta. Obiit an. 1198. æt. 60. cùm mortem filii Henrici, in terra S. de fenestra prolapsi, percepisset. Mater insuper Theobaldi V. qui fratri Henrico II. successit, Scholasticæ, quæ nupsit Guilielmo Comiti Viennensi ac Matisconensi, & Mariæ, quæ Balduini Imp. uxor evasit. Item fil. Philip. II. ex tertia hujus uxore Agnete, promissa Anno 1200. Alexandro, filio Guilielmi Scot. R. dein Arturo, Britanniæ Comiti, tandem nupsit an. 1206. Philippo Comiti Namurcensi, & an. 1213. Henrico IV. Brabantiæ D. Item, fil. Caroli IV. Pulchri, ex Johanna Ebroicensi. Obiit an. 1342. Item fil. Philippi Valesii, ex Johanna Burgundica, nupsit Johanni, Duci Limburgico, filio Johannis III Brab. D. Obiit 1345. Item, fil. Johannis R. ex Bonna Lucemburgica, nupsit Roberto, fil. minori Henrici IV. Ducis Barensis. Obiit Anno 1404. Item fil. Caroli V. Sapientis, ex Johanna Borbonia. Guilielmo Bavaro, Comiti Hannoniæ, desponsata, obiit. Item, filia Caroli VI. Abbatissa Possiacena: Obiit Anno Chr. 1483.

Maria, Edonis Wimeken, Domini Jeverensis, ex Hedviga Oldenburgica, filia, Johanni Comiti Oldenburgensi, sobrino suo subditos adhuc viva jurare voluit, A. C. 1575. Unde in hanc familiam ditiones illatæ, quas Johannem Princ. Anhaltinum Servestanum. Johannis ex sorore nepotem, nactum esse, refert Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Histor.*

Maria Galla, fabulas Æsopi moralizatas ex Anglico Gallicè vertit, in gratiam Comitis cujusdam Guilielmi, an. 1260.

Maria Jarsia Gornacensis, illustri genere nata, sub tutela Michaëlis

chaelis Montani, in literis tantum profecit, ut apud omnes Eruditos summo esset in pretio. Tentamenta Montani, *les Essais*, sub judicii sui limam vocata, post mortem ejus, rursus imprimi curavit, Cardinaliq; Richelio dedicavit: *Fasciculum Pendi* Montani filiæ inscripsit, variaq; alia edidit, quæ illâ fato functâ prodierunt sub titulo, *L'ombre de la Demoiselle de Gournay*, dein in 2. volum. collecta, acceperunt nomen, *Avis*. A' Perronio, Bentivolio, Richelio Cardinal. Carolo I. Duce Mantuano, Heinsio, Puteano, &c. per literas salutata: cum Anna Maria Schurmannia frequens epistolarum commercium habuit, Baudio *Galliæ Siren & decima Musa* appellata. Obiit Lutetiæ an. 1645. æt. 80. Epitaphium ejus: *Mariæ Gornacensi, quam Montanus ille filiam, Justus Lipsius, adeoq; omnes docti, sororem agnovere: Vixit Ann. 80. Devixit an. 1645. Umbrâ æternum victurâ.* Petrus Romualdus, *tom. 3. thes. Hist.* Lud. Jacob, *in Bibl. fæm. erudit.* Hilario Costus *elog fæm. ill.*

Maria Lotharingica, fil. Claudii I. Ducis Guisii, ex Antonia Borbonia. Nupsit primò Ludovico II. Duci Longavillano, dein nuptias Henrici VIII. Angliæ R. aversata, Jacobo V. Scotiæ R. à Francisco I. conjux data est, ex illo duorum filiorum, qui brevi obierunt, & filiæ Mariæ mater. Marito hoc iterum mortuo, an. 1542. ab Henrico Anglo denuo frustra expetita, unicæ filiæ suæ educationi incubuit: A' Francisco I. & Henrico II. Gall. R. contra Anglorum machinationes, utcunque defensa. Obiit regimine ipsi à Proceribus abrogato, an. 1560. Elspensæus, *in elog. funebri.* Thuanus, Duchenius, &c.

Maria Lucemburgica, fil. Henrici VII. Imper. soror Johannis Bohemiæ Regis, nupsit Carolo IV. Pulchro Gall. R. qui paulò antè Blancam Burgundicam, sub consanguinitatis prætextu, repudiaverat. Egregiis dotibus illustris, in primo nixu, Obiit Anno 1324. Item, fil. Petri Lucemburgici, nupsit primò Ludovico Sabaudo, Romontii Comiti, dein Francisco Vindocino, pietate & castitate inclyta, per an. 51. vidua, Obiit an. 1547. Mater quatuor filiorum, duarumque filiarum, quorum maximus natu Carolus, pater Antonii, Avus Henrici IV. fuit. Item, fil. Sebastiani Lucemburg. ex Maria Bellocariensi, nupsit Philippo Emanueli Lotharingo, Mercurii D. Mater, inter alios, Franciscæ, quæ variorum Principatuum hæres, nupsit Cæsari Vindocino, filio naturali Henrici M. an. 1609. Hilario Costus.

Maria Ludovica Mantuana, uxor Poloniæ Regis.

Maria Magdalena, Austriaca, fil. Caroli Archid. ex Maria Bavara, uxor Cosmi II. Magni Florentiæ Ducis.

Maria Medicea, Galliæ Regina. Filia Francisci, M. Flor. D. ex Johanna Austriaca, natâ Hungariæ & Bohemiæ reginâ, nupsit Henrico M. postquam conjugium ejus cum Margarita Valesia dissiluisset. an. 1600. Ex illo mater Ludovici XIII. &c. Anno 1610. à marito, qui ad ingens aliquod opus accinctus expeditionem extra regnum parabat, Galliæ Regens declarata, illo postridie coronationis nefariè trucidato, rebus præfuit, usque ad an 1617. quo Mareschallus Ancræus, qui Conchinus prius dictus, Florentinus, cum Leonora Galigay uxore, malis artibus Reginæ animo occupato, eousque totam Galliam sub pedibus suis trepidare videtat, occisus est. Post quæ, variè cum filio Rege collisa, Coloniæ exul & inops, Obiit, an. 1642. Thuan. *Hist. l.* 125. Symbolum ei, an. 1608. fuerat, Pavo rotans, cum lemmate: *Viro partuq; beata.* Marito orbatæ, Pelicanus, cum verbis, *Tegit virtute minores.* Item avis Paradisi, tres pullos alis cœlum versus subvehens, cum dicto, *Meos ad Sidera tollo.* In Hollandia, ubi Amstelodami magnificentissimè excepta est, sub Cybeles formâ repræsentata est, addito, *Læta deûm partu*, &c.

Maria Robusta, vulgò *Tintoretta*, fil. Jacobi, Veneti, pictoris excellentissimi: picturæ, Musicesque, apprimè perita. Expetita à Maximiliano Imper. Philippo II. Hisp. R. Ferdinando Archid. aliisque Principibus, ut in aulas eorum concederet, à patre, qui filiam tenerrimè amaverat, retenta est. Nupta dein Maro, Augusto, gemmati operis artifici, Obiit an. 1590. æt. 30. Rodolphius, *in Vitis Pictorum P. 2. p. 71.*

Maria Romiaa, natione Galla, Opera sua Poëtica edidit, an. 1581. in quibus inter alia fœminei sexus apologia, contra Satyram à fratre editam continetur. Scripsit quoque de educatione puellarum.

Maria Ropera, Angla, Guilielmi ex Margarita Moria fil. Græcè Latineque apprimè docta, ex Latino Anglicè vertit, tractatum de passione filii Dei, ab Avo olim compositum, item historiam Eccl. Eusebii: Mariæ Reginæ grata. Hilario Costus *elog. fæm. Ill.*

Maria Stuarta, Franciæ & Scotiæ Regina, fil. Jacobi V. ex Maria Lotharingica, octo saltem diebus ante parentis obitum nata; rebus in Scotia turbatis, in Galliam missa, & in aula Henr. II. educata est: ingenio & corporis formâ supra omnes sui seculi principes fœminas. Nupta Francisco II. adhuc Delphino, illo mortuo, in Scotiam reversa, regimen matri à Proceribus, quibus liberum Religionis usum interversum ibat, abrogatum suscepit; Henrico dein Stuarto nupsit, Matthæi fil. qui ex Henr. VII. nepte prognatus erat. Sed eam mox Davidis Ritzii, Citharœdi Itali, indignis amoribus illaqueatam, præ illo maritum mox sprevisse, in diplomatibus ejus nomen substituisse, interfecti à Proceribus necem severè ultam, cadaver in sepulchro Regum condidisse, narrat Buchananus. Infantulum tamen Jacobum, sine crassioribus superstitionibus, inprimis absque salivâ, baptizari voluit. Ritzio in amore Reginæ successit Jacobus Heburnus Bothueliæ Comes, libidinibus infamis, cui adhærens Maria, maritum primò, ut modò memoratus Auctor refert, veneno tentavit, dein eum strangulari, & domus nitrato pulvere subversæ ruinâ sepeliri curavit: Bothuelio palam in consortium thori ascito. Quod Proceres indignum rati, arma ceperunt, Reginamque sub custodiam dederunt, Jacobo VI. filiolo Rege proclamato: sed illa elapsa, cùm copias suas victas vidisset, in Angliam profugiens, ibi quoque rebus turbatis, in novum carcerem detrusa est: Tandem conjuratione contra Elizabetham inita, Ordinum jussu capite plexa est; Reginâ dolente, *præcipitatamq; se inscià sententiæ executionem questâ generosum sanguinem tam temere fundi non debuisse*; Thuan. an. æt. 44. A' nato Christo 1587. Sex linguas calluisse fertur. Vid. Buchan. *Hist. Scot.* Thuan. *l.* 86. Brantomum *in Commentar.* &c.

Maria de Succa, Leodiensis, filia Benedicti IC Arithmeticæ & Musices cognitione brevi haustâ, intra 6. menses Latinam linguam perfectè addidicit, in eaque etiam Testamentum suum condidit. Obiit an. 1620. æt. 26. Valer. Andr. *Bibl. Belg. p. 642.*

S. Maria del Dragona, Principatus regni Neap. in Terra Laboris.

S. Maria di Leuca, urbs Episc. in terra Hydruntina.

Petrus *Maria* Pennachius, Pictor insignis, obiit A. C. 1528. Vid. Rodolfium *Vit. Pict.*

Maria, seu *Marea*, Strab. V. *Mareotis.*

Maria lex, de ambitu: de nummis probandis: de pontibus, per quos suffragia ferebantur, angustioribus faciendis, Vid. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 8. *capp.* 3. 20. 29.

Mariaba, metropolis Sabæorum juxta mare Rubrum, Strabo *l.* 15. *Mariama* Ptolemæo, teste Hermolao, omnium Arabiæ Fel. oppidorum regina. V. *Saba.* Baudrando *Marriaba*, seu *Marraba*, urbs Minæorum erat, in Arabia fel. Nunc *Mecca*; satis ampla, ad Batium flu. ex Sansone; & celebris, propter sepulchrum Mahometis Pseudopr. 70. m. p. ab ora sinus Arabici in Ort. totidem ab urbe *Ziden* in Sept. Nuper admodum ab Arabibus direpta. Sed longè à Sabæorum regia in Bor.

Mariacum, vulgò *Mairé*, locus Galliæ, in finibus Pictonum & diœcesi Pictav. ubi Junianus Monasterium extruxit. Vid. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Mariaberga, vulgò *Marienberg*, urbs Misniæ. Metallica est, & in montanis sita; an. 1519. ab Henr. Saxoniæ duce, condita, cùm superiori anno ibi repertæ essent venæ metallicæ, valde divites. Sub El. Sax. prope Annebergam, in ipso limite Bohemiæ, 9. mill. Germ. à Misna urbe in Mer. 7. à Zuica in Ort.

Mariaburgum, vulgò *Marienburg*, urbs munita Prussiæ regiæ, in Pomesania, ad amnem *Nogat*, alveum Vistulæ, cum castro. *Margenbourg* incolis. 5. mill. Germ. à Gedano in Eur. fere 4. ab Elbinga in Africum, & 11. à Torunia in Bor. Aliàs sedes prim. Magistrorum Ord. Teut. quibus ortum suum, nomen verò B. Virgini debet. Arx ipsa, prius quàm civitas, quæ condita est 1302. ædificari cœpta, an. 1281. firma & valida est, sed an. 1644. ferè in cineres redacta. Urbem autem Casimirus R. in suam potestatem redegit, an. 1460. Capta fuit à Suecis an. 1625. iterumque an. 1655. sed reddita Polonis.

Mariaburgum, vulgò *Marienbourg*, opp. permunitum Hannoniæ, à Maria Austriaca, Hung. Reg. excitatum, contra Gallos, quibus nunc subest pace ad Pyren. an. 1660. cùm etiam an. 1542. illud cepissent. 2. leuc. à Philippovilla in Mer. 4. à Rupe Regia in Sept. uti & à Carolomontio in Occ. juxta Album amnem.

Mariaburgum, Hiberniæ urbs, metropolis regionis, vulgò *Quenescount* dictæ.

Mariastadium, urbs recens Vestrogothiæ, inter lacus Vuenerum & Vveterum, vix 3. m. p. à Wenero, 28. à Lidkopia in Ort. fere 40. à Carolostadio in Austr. Vulgò *Marienstadt.*

Mariamne, filia Alexandræ, uxorque Herodis fuit, quam ille ob pulchritudinem valde dilexit. Hæc cùm casta esset, animo tamen interim satis rigido ac præfracto, meridie quodam recusavit viri amplexus, quinetiam improperavit ei parricidium. Id ægerrimè tulit Rex: quod sentiens ejus soror Salome, pincernam regium instruit, qui persuadeat regi, Mariamnem ei confecisse potionem. Quare indignatus Rex, de uxore supplicium sumsit, hinc spectro territus, Vide Joseph. *Antiq. l.* 15. *c.* 3. & 9. Item *l.* 18. *c.* 11.

Mariamnia, urbs Phœnicum. Steph. ex Paus. *l.* 9.

Mariana Jesuita, Jacobum Clementem, Henr. III. Gall. R. sicarium, scripto laudavit, *insignem animi confidentiam, facinusq; memorabile*, ejus crimen vocans. V. Petr. Molinæum *in Monar. c. 2. p.* 15. Thuan. *l.* 96.

Mariana Colonia, Corsicæ ins. civitas, ita dicta à C. *Mario* 7. Consule, qui eò coloniam duxit. Plin. 3. 6. hodiè *Marino* Blondo, *Cabo S. Maria*, Pineto. Baudrando nunc *rovine di Mariana*, urbs fuit, ad Tavolam flu. aliquot mill. ab ora Or. Insulæ, inter Bastiam ad Bor. 15. & Aleriæ ruderа ad Austr. 20. mill. est Episc. sub Arch. Genuensi, ejusque Episc. Bastiæ residet.

Mariana Castra, pagus agri Novariensis, 5. m. p. à Novaria, Vercellas versus. Aliis *Arcus Marianus.* Vulgò *Camariano.*

Marianæ fossæ, Narbon. Provinciæ oppidum, quod hodiè *Aquas mortuas* appellant, ita dictum à vicina fossa, à C. Mario ad

ad mare usque ductâ. Ptol. 2. 10. Plin. 3. 4. Strabo *lib.* 4. *Fos* hodie, Ferr. Vid. *Fossa Mariana*.

Mariana Villa, opp. Latii, inter Romam & Velitras, in Via Appia, in monte, 10. m. p. utrinque; *Marino* vulgò.

Mariandynum, reg. Asiæ Bithyniæ contermina, Acherusiâ specu nobilitata, per quam Hercules Cerberum canem tricipitem ad superos traxisse dicitur; quem ferunt ibi virulentam spumam in saxa evomuisse, ex qua ibi natum volunt aconitum. Dionys. Perieg. *Vers.* 788.

Καὶ Μαριανδυνῶν ἱερὸν πέδον, ἔνθ' ἐνέπουσιν
Οὐδαίης Κρονίδαο μέγαν κύνα χαλκεόφωνον
Χερσὶν ἀνελκόμενον μεγαλόφρονος Ἡρακλῆος,
Δεινὸν ἀπὸ στομάτων βαλέειν σιαλώδεα χυλόν:
Τὸν μὲν ἐδέξατο γαῖα, καὶ ἀνδράσι πῆμ' ἐφύτευσε.

Nomen reg. (inquit Steph.) est à *Mariandyno* quodam Æolico. Pop. *Mariandyni*. Inde *Mariandynus tibicen* pro inepto poetâ aut scriptore, apud Æschylum. Sic & *Carica Musa*, Eust. in Dionys. Val. Flac *Argon*. 4.

Et Mariandynum patrias penetravit ad urbes.

Ptol. *Mariandini*. Melæ *Mariandynas*. Μαρανδινοὶ Xenophonti initio Κύρου παιδείας: Sed scribendum Μαριανδυνοί.

Mariandynus sinus, pars Ponti Euxini, prope Bithyniam, Plin. inter Heracleam Ponti ad Ort. & Thinnium prom. ad Occ. 60. m. p. à Byzantio in Ort. In eum se exonerat Sangarus flu.

Mariane, Asiæ palus. Ptol. *Bendemal* Castaldo in Medeâ; fortè *Mantiana* Strabonis.

Mariani montes, *Marianus mons* Ptol. in Hisp. Tarraconensi, illam longo tractu à Bætica separantes: quorum pars saltus Castulonensis dicitur; hodie *Sierra Morena*. Sunt ab Ortu in Occ. extensi, à fluv. *Guadarmena*, ad confinia Extremaduræ, inter Castellam novam ad Bor. & Vandalitiam ad Mer. Eorum pars ad Ort. *Las Navas de Tolosa* dicitur, prope Tolosam, oppidul. Vandalitiæ, ubi transitus *Puerto Muraldar*. Hic Mauri à Castellæ R. incredibili olim clade affecti.

Marianum, opp. agri Mediol. *Marliano* Alciato.

Marianum, opp. & prom. Corsicæ, in parte Austr. seu Ultramontana. Nunc *Casa Barbarica*, Brietio. Fuit aliàs munitum à Saracenis Africanis.

Marianus, Jupiter dictus, à Mario, qui cum cœteris monumentis templum ei condidit: In hoc Senatusconsultum factum est, de revocando ab exilio Cicerone, quod ei per somnium est significatum, Valer.

Viri celebres.

Marianus, Florentinus, Franciscanus, scripsit Chronicon sui Ordinis, &c. an. 1430. Michaël Poccianțius *in Catal. Script. Flor.* Item Medicus, Gesnero *in Bibl.* Marianus *S. Barolitani*, Justo & van der Linden Marianus Sanctus, *Barolitanus Halus* dictus; Apulus. Vixit Venetiis, sec. præt. variaque scripsit. Item, Romanus, Generalis Ordinis S. Augustini, an. 1500. Scripsit Epistolas, Orationes & Homilias. Jos. Pamphilus, *in Chron. Aug.* Philippus Elsius, *in Encom. August.*

Marianus Socinus, Senensis, JC. insignis, scriptis celeberrimus. Item hujus nepos, itidem ingenio eruditioneque florentissimus.

Marianus Scotus, Scotus an Hibernus? patriâ egressus an. 1052. Coloniæ Monachi habitum sumsit, an. 1058. Obiit an. 1086. æt. 58. Chronographus insignis. Chronicon condidit à N. C. usque ad an. 1083. quod Dodechinus Abbas continuavit, usque ad an. 1200. Tribuitur etiam ipsi, *Calculatio de Universali tempore*, &c. Sigebert. *de Viris Ill.* & *in Chron.* Aventinus *in Annal.* Jac. Waræus *de Script. Hibern.* Vossius, &c.

Marianus Victorius, Episc. Ameliæ, Hieronymi opera, sub finem præteriti seculi, edidit.

Marica, nympha, Liris fluv. accola in litore Minturnensium, quæ regi Fauno nupsit, eique Latinum peperit. Virg. *Æn*. 7. Lucan.

—— *Umbrosæ Liris per regna Maricæ*
Vestinis impulsus aquis. ——

Claud. —— *Flavaq;* { *terens* / *tenens* } *querceta Maricæ*
Liris.

Quidam per Maricam Venerem intelligunt, cui ibidem sacellum fuisse perhibent.

Marica sylva, *Maricæ lucus*, Livio, sylva Latii novi in Campaniæ confin. ad Lirim flu. apud Minturnas à *Maricâ* nymphâ sic dicta, de quâ Virg *Æn*. 7.

Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ.

Marici, pop. Liguriæ, qui cum Lævis Ticinum condiderunt, teste Plinio, quorum vicus adhuc visitur apud Alexandriam, inde 2. m. p. Dertonam versus, qui *Marengo* dicitur, & opidulum *Pietra di Marici* ab Alexandriâ 3. mill. Ticinum versùs, apud Tanarum fluv.

Maricus, è gente Bojorum, Deum se & assertorem Galliarum simulavit ac concitis octo millibus hominum proximos Æduorum pagos traxit: cùm ea civitas electâ juventute, adjectis à Vitellio cohortibus fanaticam multitudinem disjecit. Captus in prælio *Maricus*, ac feris objectus, quia non laniabatur, vulgus inviolabilem credidit, at coram Vitellio interfectus est. Tac. *Hist.* 2. 61.

Maridunum, urbs Albionis in Wallia Merid. inter Landavam, & Meneviam. *Caermarthen* Camdeno dicitur. Ad Tobium fluv. Baudrando, 6. mill. Angl. ab ora maris Verginii in Bor. 35. m. p. à Menevia in Ort. & 24. à Pembrochio. Caput Comit. *Maridunensis*, vulgò *Caermardenshire*, qui est inter Pembrochiam prov. ad Occ. Ceretícam ad Bor. Brecnochiam ad Ort. & Mare Virginium ad Mer.

Marigalanta, una ex Antillis, haud pridem sub Francis, cum arce. 6. leuc. à Guadalupia Ins. in Austr. 10. à Dominica Ins. in Bor. Fertilis admodum. Gallis *Marigalante*.

Marigeri, Æthiopiæ sub Ægypto pop. Plin.

Marilegium, vulgò *Marley*, villa olim regia Austrasiæ Regum, in Alsatia, egregii operis muris excelsis inclyta. Hic Childebertus R. per summissos à Fregedonde sicarios, magnum vitæ periculum adiit, A. C. 590. Ibidem nutritus est, patris sui Childeberti jussu, Theodoricus, qui postea in Burgundia regnavit: & ob id villam hanc cum tota Alsatiâ, supremâ voluntate patris obtinuit. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Marilia, seu *Maricola*, in Hannonia, ad Helpram fluv. Abbatia Monachorum S. Benedicti Ord. vulgò *Marolles* idem.

Marimatha, Arabiæ Felicis op. Ptol.

Marimuth, nomen viri. 1. Esdr. 10.

Marinessus, pag. fuit Hellesponti, patria Sibyllæ Hellesp. tempore Solonis & Cyri natæ. Lactant.

Mariniana, Pannoniæ urbs. Anton. ad Dravum flu. nunc *Kemen Salvo*, 10. mill. à quinque Ecclesiis in Africum.

Marinianus, Cons. cum Paterno, an. U. C. 1020. Alius Cons. cum Asclepiodoro, an. U. C. 1176.

Marinum, seu *Fanum S. Marini*, vulgò *S. Marino*, Umbriæ urbs. Strabo. Hodiè *S. Marini*, in monte aspero, inter Romandiolam & Duc. Urbinatem, vix 4. m. p. ab Arimino flu. Caput Reip. parvæ, vulgò *la Republica di S. Marino*, sub qua XII. villæ. 22. mill. à Pisauro in Occ. 5. à Fano S. Leonis in Cæc. Aliis *Acer mons*. Hic plurima ingentium veterumque murorum monumenta & cryptæ plurimæ. Hæc Resp. literis ad Remp. Venetam subscribere solet, Nostræ charissimæ sorori Serenissimæ Reip. Venetorum. Boccalin.

Marinum, Ortel. *Roccha di Val di Marino*, opp. agri Tarvisini.

Pontifices Romani.

Marinus I. quem alii Martinum II. dicunt, Tuscus, Johanni IX. Papæ successit, acta Photii, qui Conciliabulum celebraverat, Anno Chr. 879. rescidit; hinc Basilius Macedo Imp. ei offensus, Formosum Episc. Portuensem, ab antecessore Episcopatu motum, restituit. *Ejus tempore*, ait Sigonius *l.* 5. *Ecclesia Rom. gravissimè laboravit, Regibusq; & Pontificibus assiduis certaminibus occupatis, vetus Ecclesiæ disciplina est lapsa*, &c. Obiit Anno 884. Successit Hadrianus III. Petrus Guilielmus, Mart. Polonus, Platina, Ciaconius, Duchenius, &c.

Marinus II. aliis Martinus III. Romanus, excepit Steph. IX. an. 943. Obiit an. 946. In pauperes beneficus. Successit Agapetus II.

Viri illustres.

Marinus, Sarmatici limitis Præses, ab exercitu Imperator salutatus, Philippum Imp. adeo perculit, ut de deponendo imperio cogitaret, nisi eum Decius Senator confirmasset: paulò pòst seditione militari cæsus. A. C. 251.

Marinus, prænomine *Julius*, vetustissimus familiarium Tiberii, eumque etiam Rhodum secutus; posteà insidiarum in Libonem, Flacco Vesculario Attico participe, internuncius, deniquè tædio scelerum à Cæsare ad mortem actus. Tacit *l.* 6. *c.* 10.

Marinus, Comes, Africam sub potestatem Honorii reduxit, Marcellini Tribuni cæde pollutus. Revocatus mox, in privati hominis sortem redactus est.

Marinus, Neapolitanus, Philosophus & Rhetor, sec. 5. discip. Procli, cujus vitam prosâ versuque scripsit. Suid. Voss. *de H. & P. G.*

Marinus Barletus, Presbyter Scodræ, in Dalmatia, scripsit libb. 13. de vita Georgii Castrioti, Scanderbegi dicti: Item libb. 3. de obsidione Scodræ. Hunc Paul. Jov. *in elog. vir. doct. c.* 137. confundit cum Marino Belichemo, qui Scodrâ quoque oriundus, Brixiæ docuit, tempore Raphaëlis Regii, Georgii Valle, &c. Scripsit varia, Gesner. *in Bibl.* Felix Osius & Riccobonus, *de Gymn. Patav.* Voss. *l.* 3. *de H. L.*

Marinus Ghetaldus, Ragusinus, Mathematicus, an. 1607. scripsit *Apollonium redivivum*, *Collectiones problematum*, &c.

Marinus Johannes Baptista, Neapolitanus, fil. Johannis Francisci, celebris JC. A' patre Juri ingratiis admotus, illo relicto, genium suum Poët. sequutus est & ad March. Villam, unum ex fundatoribus Academiæ *Otiosorum*, se contulit, in qua carmina edere cœpit, quibus omnes in admirationem rapti. Interea Matthæo Capuano, Princ. Conçæ innotuit, eique à Secretis fuit: amicitiâ cum Tasso in hujus aula contractâ. Paulo pòst Neapoli discedere coactus, Romam venit, & Aldobrandinum Cardin. Legatum in Sabaudiam sequutus est: ubi, postquam Panegyricum cecinisset Carolo Emanueli D. Eques S. Lazari & Mauritii ab illo creatus, & muneribus excultus est. Hinc æmulum Gasparem Murtolam nactus, postquam aliquandiu Satyricis scriptis inter se certassent, ab illo sclopeti ictu petitus est, qui in Principis epheborum aliquo peccavit. Postea Taurinum deserere coactus est, ob Principem ab

pem ab æmulis irritatum: hinc à Maria de Medicis Lutetiam evocatus, ibi Poëma *Adonis* Ludovico XIII. dedicavit. A Card. Ludovisio dein Romam invitatus, eò pervenit, Neapoli mortuus anno 1625. æt. 56. cùm Romam reditum pararet, Urbano VIII. literatorum Mæcenate jam rerum potito. Vide Morer. *Diction. Hist.*

Marinus Merlennus, ingenio scriptisque inclytus.

Marinus Sanutus, cognom. Torxellus, Venetus. Itinere quinquies in terram S. suscepto, dein alias quoque regiones obivit, Principes Pontificesque ore calamoq; ad liberandos à Saracenico jugo Christianos adhortatus. Scripsit *Secreta fidelium Crucis*, libb. 3. An. 1321. Voss. *de H.L.* Alius, dictus *Junior*, floruit seculo praet. Auctor libri de Magistratibus, item de Principibus Venetis, cum relatione belli Gallici. Ei Aldus Manutius Angli Politiani opera inscripsit. Franc. Modestus, *lib.* 10. *Venetiados*. Phil. Bergomensis, *lib.* 16. *Chron.* Gesn. *in Bibl.* &c.

Marinus Tyrius, Geographus, an. Ch. 60. Luc. Gauril. *in Calend. Eccl. p.* 16. *edit. Ven.* 1552.

Marinus lacus, portui Herculis proximus in Tusciâ, ut Strabo eum describit *lib.* 3. *Lago d'Orbitello* hodie vocatur, ut ex tabulis colligitur.

Marionis, urbs Germ. non obscura ad Albim fluv. in Saxonia, duci suo parens inter Brunswicum & Lubecam, *Lunenburg*, teste Petro Apiano. Urbs Vindilorum Cluverio, est *Hamburgum*. Vide ibi. Altera urbs Pomeraniæ, *Lubec* Ortelio, in ora maris Suevici: Nunc *VVismaria*, vide ibi. Cluver. Sans. Briet.

Maris, lacus Thraciæ in finibus Ciconum apud Maroneam urbem. *Lago di Marogna*.

Marissa, urbs Idumææ potens & opulenta, à Juda Maccabæo expugnata.

Marisus, Marus Tacito, & posterioribus *Marysius*, fluv. Daciæ per Transylvaniam in Tibiscum influens, ac Albam Juliam alluens. *Maris* Herodoto dici videtur. *Merisch* Germanis, *Marons* incolis. Oritur ex monte Carpatho, in Transylv. supra opp. Novum mercatum, dein Albam Juliam, Lippam, aliasque Transylv. urbes rigans, uti & Chonadium Hungariæ, ibi paulo infra Tibiscο miscetur, juxta Singidavam. Baudr.

Marisus, ingens Thraciæ fl. qui ab Hæmo defluens, rigatis Philippopoli, Adrianopoli, &c. in mare Ægæum se exonerat. Virgil. *Georg. lib.* 4.

Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus.

Maritha, vel *Marithæ*, montes Arabiæ Felicis in orâ Australi, haud procul à littore, & ortu Laris fluvii. Ptol. *Martimos* hodie.

Maritima Colonia, Galliæ Narbonensis urbs, caput Avaticorum, quibus ad mare inter ora Rhodani & Massiliam sedes. *Martegues*, seu *l'Isle de Martegues*, teste Joh. Poldo Ptol. Μετὰ δὲ τὴν Ῥοδανοῦ ἐπὶ θαλάσσῃ κεῖται Ἀυατικῶν πόλις Μαριτιμα κολωνία. Sic recte libri veteres. Vide *Mastramela*. Baudrando opp. est Provinciæ celebre, cum tit. Princ. in Ins. parva, ad ostia Astromelæ stagni, ubi se exonerat in mare Mediterr. Cum portu capaci. Est ad stagnum hoc Mastromelam *l'estang de Martegue*, vel *mer de Martigues*: Item à loco proximo *l'estang de Berre*, quoque Maramas, seu Miramas locus, quem alii *Maritimam Avaticorum* esse malunt. Intra Campos lapideos vicus cernitur *Fos*, qui à Fossis Marianis proximis nomen videtur accepisse, unde Fossensis ager *terroir de Fos*, Maritimæ propinquus, Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* Hinc nautæ peritissimi, vulgò *les Martegaux*. 5. leuc. à Massilia in Circ. 9. ab Arelate in Eur. Vocatur à quibusdam *Venetia Gallica*, comprehenditque tres urbes *Jonquieres*, *l'Isle* & *Ferrieres*, è quarum una in aliam ponte transitur. Captura hìc optimorum piscium locupletissima, ad quam uti solent incolæ cymbarum genere, ex arundinibus marinis confecto, quas *Bourdigous* vocant. Fossa, quæ à stagno ad mare, unà hinc leucâ distans, pertinet, Romani sine dubio est operis. Urbs olim quoque ins. seu pons S. Genasii dicta, à Barbaris malè habita est, reparata tamen. Cùm sub diversis olim Dominis esset, jam Principatus est, ut dictum, ad Vindocinam domum pertinens. Certi chorearum generis hìc usitati meminit Solerius, unde Prov. *Danser la Martingale*. Vide Nostradamum *Hist. de Provence*. Bouchæum *descr. de Prov. l.* 4. *c.* 4. *§.* 1.

Maritimæ Alpes, *le Montagne di Tenda*, à mari Medit. ad montem Argentarium, extenduntur, in limite Delphinatus, seu etiam ad montem Vesulum, inter partem Liguriæ, Comitatum Tendæ & Marchion. Saluciarum ad Ort. & Nicææ Comit. ad Occ. Earum partes sunt montes *Col de l'Argentiere*, *Col delle Fenestre*, & *Col de Tende*, uti Mons Acema.

Maritimæ stationes, Marmolio & Mol. *Saline*, locus Cyrenaicæ apud Syrtim magnam, in Africæ confinio, inter Drepanum prom. & Diarrhœam opp.

Marium, opp. Cypri in orâ Boreali, olim Arsinoë apud Steph. dictum. *Vasilipotamo* Tho. Porcatio. *Catullus* masculinè protulit pl. num.

Quæ sanctum Idalium, Mariosq; apertos.

Marius, Arviragi fil. Britannorum Rex, Pictos vicit. A. Ch. 70. Ei successit fil. Coyles, an. Ch. 93. Polyd. Virg. *hist. l.* 2. & 3.

Marius, prænomine *Cajus*, vir strenuus fuit, ex municipio Arpinate humili loco natus, qui multos annos vitam rusticam egit, procul ab urbanis negotiis. Deinde per ordinem primis honoribus functus, legatus Metellum in Numidiâ criminando, Consulatum adeptus, an. 647. *U.C.* Jugurtham captum ante currum egit Prop. *lib.* 3.

Consule cum Mario victe Jugurtha sedes.

Tantam fortitudinis suæ opinionem Romanorum animis infixam reliquit, ut imminente Cimbrorum Teutonumque terrore, quinque continuos Consulatus ei detulerint; unde Ovidius,

Consule quo toties Roma superba fuit.

Propert. 2. 1.

Cimbrorumq; minas & benefacta Mari.

Hinc Cic. (qui de Consulatu ejus carmen scripsit) pro *C. Rabirio, C. Marius pater patriæ*. Et *pro Sextio, Ad salutem Romani Imperii natus*. Dictus & *Tertius Romæ conditor*. Sextùm Consul cum Catulo factus, Cimbros in Galliâ, Pyramide, cujus fundamenta adhuc cernuntur, in via regiâ, quæ Aquis Sextiis ad Fanum S. Maximini ducit, erectâ, An. 652. *U.C.* Teutonas in Italiâ vicit, deque his triumphavit; Cimbrico bello primùm profligatus in somnio præmonitus est, victoriam se consecuturum, si prius diis victimam filiam nomine Calphurniam faceret. Patriæ igitur charitati naturâ postpositâ, eo facto victoriam comparavit. Duæ adhuc hisce temporibus in Germ. æræ sunt, quæ eo tempore, quo victoriam Marius est consecutus, tubarum clangorem edunt. Plut. *in Mario*. Saturninum Trib. P. hoc Consulatu, quòd seditiosus esset, necavit, & in Asiam transgressus Mithridatem lacessivit, novi triumphi materiam quæsiturus. Cujus belli cura postea Sullæ demandata cùm alibi occupatus Marius esset, tamen C. Sulpitio Trib. Pl. annitente, Mario denuo commissa est. Hinc Sulla Romam reversus, cùm potentior evasisset, Tribuno occiso, Marium fugavit: qui victus à Syllâ Minturnis in palude latuit: inventus, & in carcerem conjectus, immissum percussorem Gallum vultûs autoritate, & his verbis, *Tune homo audes occidere Cajum Marium?* deterruit, acceptaque naviculâ in Africam trajecit, ubi diu exulavit. Mox Cinnanâ dominatione revocatus, cæsis inimicis septimo Consulatu, an. 668. *U.C.* morbo, aut (ut quidam ferunt) voluntariâ morte decessit. Hic cùm in cruribus varices haberet, præbuit varicosum crus medico secandum, & dum secaretur, neque suspirans, neque supercilia contrahens, pertulit sectionem: Cumque medicus alterum crus secare vellet, minimè assensum præbuit, dicens, Curationem tanto dolore dignam esse non arbitror. Vide porro Vellejum Paterc. *l.* 2. Sallust. *de bell. Jugurth.* Liv. *l.* 64 & 65. *Brev. Flor. lib.* 3. *c.* 3. Aurel. Vict. *de Vir. Ill. c.* 67. Eutrop. *l.* 4. & 5. &c. Habuit filium Marium nomine, qui cùm esset 27. an. Consulatum invasit: quem honorem mater tam immaturum flevit. Hic patri sævitiâ similis Curiam armatus obsedit, & inimicos trucidavit. Tandem & ipse crudelissimo mortis genere Catuli manes placatum missus est. Vide Lucan. *l.* 2. sed hic fuit M. Marius, Caji frater. Juvenal. *Sat.* 8.

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro,
Nodosam posthac frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ.
Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit urbem.

Idem Sat. 10.

Exsilium & carcer Minturnarumq; paludes,
Et mendicatus victâ Carthagine panis
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompâ animam exhalasset opimam,
Cùm de Teutonico vellet descendere curru.

Lucanus *lib.* 2.

Cùm post Teutonicos victor, Libycosq; triumphos
Exul limosâ Marius caput abdidit ulvâ.
Stagna avidi texere soli, laxæq; paludes
Depositum, Fortuna, tuum: mox vincula ferri
Exedere senem, longusq; in carcere pædor,
Pœnas antè dabat scelerum. Mors ipsa refugit
Sæpe virum, frustraq; hosti est concessa potestas
Sanguinis invisi, primo qui cædis in ictu
Diriguit, ferrumq; manu torpente remisit.
Viderat immensam tenebroso in carcere lucem,
Terribilesq; Deos scelerum: Mariumq; futurum,
Audieratq; pavens: Non hæc contingere fas est
Colla tibi: debet multas hic legibus ævi,
Ante suam, mortes: vanum depone furorem, &c.
—— Idem pelago delatus iniquo
Hostilem in terram, vacuisq; mapalibus actus,
Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,
Et Pœnos pressit cineres. Solatia fati
Carthago Mariusq; tulit, pariterq; jacentes
Ignovere Deis. Libyæ at his colligit iras,
Ut primùm Fortuna redit: servilia solvit
Agmina: conflato sævas ergastula ferro
Exeruere manus. ——
—— Prô fata quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quo mœnia victor
Corripuit? quantoq; gradu mors sæva cucurrit? &c.

Septimus hac sequitur, repetitis fascibus annus.
Ille fuit vita Marii modus, omnia passo,
Qua pejor fortuna potest, atq; omnibus uso,
Qua melior, mensoq; homini quid fata pararent.

C. Marius, prioris fil. de quo vide Plut. *in vitâ Patris*. Mortem ejus innuit Strabo, ubi de Prænestæ cuniculis, *lib.* 5. Ὧν ἐν μιᾷ Μάριος πολιορκούμενος ἀπέθανε: Epitome *l.* 88. *C. Marius Præneste obsessus à Lucretio Asella Syllanarum partium viro, cùm per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu mortem sibi conscivit in ipso cuniculo, cùm sentiret se evadere minimè posse.* Vide Aur. Victor. *de Viris ill. c.*68. Flor. *l.*3. *c.*21. Eutrop. *l.*5. *&c.*

Marius, interemptis Victorino, Lolliano & Posthumo, triduo tantùm imperavit: vir quidem strenuus, ac militaribus usq; ad Imperium gradibus evectus. Antea opifex fuerat ferrarius, cujus manus vel ad feriendum, vel ad impellendum robustissimæ fuerunt: nam fortissimos quoq; uno digito sic afflixit, ut quasi ligni vel ferri ictu percussi dolerent: Hujus concio prima fuit. Occisus est à quodam milite, quem dedignari ac spernere videbatur, cùm tamen ejus quondam miles ille operarius in fabrili officina fuisset, dixisseque fertur inter occidendum, *Hic est gladius, quem ipse cudisti.*

Marius & Caspius, amicorum par fidelissimum. Sil. Ital. *l.*9.
Sternitur unanimo Marius succurrere Caspro
Conatus, metuensq; viro superesse cadenti:
Lucis idem auspicium, ac patrium, & commune duobus
Paupertas, sacro juvenes Præneste creati,
Miscuerant studia, & junctâ tellure serebant.
Velle, ac nolle ambobus idem, sociataq; toto
Mens ævo, ac parvus dives concordia rebus.
Occubuere simul, votisq; ex omnibus unum
Id fortuna dedit, junctam inter prælia mortem.

Marius Celsus, post Galbam & T. Vinium Consul designatus; & Galbæ usque in extremas res amicus, quem post cædem Galbæ à militibus ad supplicium expostulantibus, industriæ ejus innocentiæque quasi malis artibus infensis, Otho simulatione iræ vinciri jussum & majores pœnas daturum affirmans, præsenti exitio subtraxit. Tac. *Hist.* 1. 45.

Marius Georgius, Venetus, Philosophus & Theologus, Servita. Scripsit contra Simoniacos, libb. 2. quibus titulus: *de Libertate Ecclesiastica.* Item vitam S. Benitii, metro, Voss. *de H.L.* Possevin. *in appar.*

Marius Maturus, maritimarum Alpium procurator, concitâ gente, arcere provinciæ finibus Othonianos nequicquam intendit. Tacit. *Hist. lib.* 2. *cap.* 13.

Marius Maximus, Historicus Lat. scripsit libb. 7. historiæ Augustæ, usque ad Alexandrum Severum, qui perierunt. Ammiano Marcellino, *lib.* 38. multùm laudatus. Spartian. Vopiscus, Lampridius, &c.

Marius Mazolenus, Theologus, Philosophiam Patavii docuit.

Marius Mercator, scripsit contra Nestorianos, Pelagianos, &c. tempore Augustini. An Italus? ita videtur: ab Augustino impensè æstimatus. Vide Aug. *Epist.* Opera ejus Garnerius Jesuita edidit.

Marius Nepos, prodigus, & ob flagitia egens, à Tiberio propterea Senatu motus.

Marius Nizolius, scriptis celebris, sec. præt.

Marius Philelphus, fil. Francisci, scripsit Poëmata, de arte Rhetorica, Epistolas, &c.

Marius Priscus, Proconsul, Africam provinc. spoliavit. Juv. *Sat.* 1.
Exul ab octavâ Marius bibit, & fruitur diis
Iratis, at tu victrix provincia ploras.
Idem *Sat.* 8.
Cùm tenues nuper Marius discinxerit Afros.

Marius Salominius, JC. insignis, librum *de Principatu* edidit, Item *de Bono & Æquo*: *de Voluntario & Involuntario, &c.* Fischard. *in vitis Jurecons.*

Marius, prænomine *Sextus*, Hispaniarum ditissimus, delatus incestasse filiam & saxo Tarpejo dejectus: reverâ ut magnam pecuniæ vim aurariasque ejus Tiberius occuparet: Ser. Galbâ, L. Sullâ Cosulibus, Tacit. *l.*6. *c.*19.

Marius Victorinus, vide ibi.

Marius, opp. Laconiæ.

Marka, vel Marchia, Germ. *Mark*, significat regni aut provinciæ alicujus terminum: unde *Marchiones*, limitum Præfecti. Item regio Aquitaniæ, in agro Lemovicino, *la Marche de Limosin*, sic dicta, quòd inter Bituriges Cubos & Lemovices posita, Aquitaniæ gentibus undique cingeretur. Dividitur in superiorem *la haute Marche*, & inferiorem *la basse Marche*, quòd sub montibus jaceat. Hanc regionem ab Auberto Comite, Henrico Anglorum Regi venditam, an. 1170. refert Rogerius Hovedenus. Isabella dein Regina nupsit Hugoni le Brun, Comiti Marchiæ an. 1258. Thomæ Walsinghamio dicitur *Marchia Vasconia*, fortè quòd inter Franciam & Comit. Tolosanum provinciamve Narbonensem, tum Vasconiæ nomine designari solitam, posita est. Et certè hodieque per jocum cives urbis Lemovicarum *Gascons de Limoges*, quòd à Vasconum finibus non longè absint, appellantur. Vales. *Not. Gall.*

Marla, vulgò *Marle*, opp. Picardiæ, ad amnem Serram, in Tirascia tractu, 3. leuc. à Guisia in Mer. 4. à Lauduno in Cæc. satis cultum.

Marloratus Augustinus, Lotharingus, Rotomagensis Ecclesiæ Pastor, strangulatus jussu Annæ Mommorencii Conestab. & Guisii Ducis, obiit Rotomagi an. 1572. æt. 56. Scripsit expositiones Ecclesiasticas *in Genesin, Psalmos, Esajam & Novum Testamentum*: edit. per H. Steph. an. 1562. 1564. 1570. ut & Morgiis, Genevæ, &c. Item, *Thesaurum locorum Comm. S. Script.* fol. editum an. 1624. & prius alibi. Vide Bezam *in Iconibus*, Melch. Adami *in vitis*, Crovvæum *Elencho Scriptorum in S. Biblia, &c.*

Marma, Arabiæ Fel. urbs in Rubro litore. Plin. Phœniciæ quoque civitas. Steph. Occupata à Sultano, an. 1285. P. Æmilius *l.* 8.

Marmaces, populi Æthiopiæ. Steph.

Marmacus, Pythagoræ pater Diogenes Laërtius: Πυθαγόρας ἔνιοι μὲν φασὶν υἱὸν εἶναι Μαρμάκου.

Marmanda, villa valde nobilis dicta Petro Monacho *de bello Albig. c.*03. castrum est Galliæ, ad Garumnam, in Nitiobrigibus. Vulgò *Marmande en Agennois.*

Marmara, Syriæ aut Euphratensis urbs, libr. Not.

Marmares, Lyciæ gens & urbs, ad extrema ejus regionis, versus Assyriam. Vide Diod. *lib.* 17.

Marmarica, regio parva Africæ, inter Cyrenaicam ad Occid. & Ægyptum ad Ort. nunc *Barcha*, olim Mareotis Lybia, teste Plin. Urbes olim ejus claræ Chersonesus magna & Parætonium. Baudrando fuit, inter Lybiam exteriorem ad Ortum & Cyrenaicam ad Occ. eratque pars Lybiæ veræ, nunc regni Barcæ, sub Turcis. Terminatur à Mer. deserto Barcæ, à Sept. mari Mediterr. Ibi vix aliquot oppidula in ora littorali. Populi *Marmaridæ* Straboni, & *Barcitæ* Ptol. quos serpentes incantare scribit Solinus: Ibidem elephanti, teste Sidonio. Lucan. *lib.* 9.
——— *Gens unica terras*
Incolit à sævo serpentum innoxia morsu
Marmaridæ Psylli, par lingua potentibus herbis.
Vide plura ibidem. Silius *lib.* 3.
Marmarida medicum vulgus strepuere catervis:
Ad quorum cantus serpens oblita veneni,
Ad quorum cantus mites jacuere cerastæ.
Vide quoque *l.* 14. Item *Barce.*

Marmaridius, magi nomen. Plin. 31.

Marmarion, urbs Eubœæ. Steph. Inde Apollo *Marmarinus*, qui insigne ibi habebat templum. Strabo *lib.* 10.

Marmax, fluvius in Peloponneso, Elidis regionis. Pauf.

Marmessus, Mars est Romanorum linguâ. Lycophr. interpres.

Marna, nobile olim castrum Galliæ, in pago Laudunensi, ad Saram fluv. Vulgò *Marle.* Vide Hadr. Valesium *Not Gall.*

Marnan, templum Jovis Cretensis, in Gazâ Palæstinæ. Vocantur autem puellæ in Cretâ *Marnan.* Stephanus Μάρναν ἑρμηνεύουσι Κρηταγενῆ. Ridiculè; neque enim id significat *Marnas*, sed *Dominum hominum.* Bochartus.

Marnia, quibusd. *Mernia*, vulgò *Mernis*, prov. Bor. Scotiæ, in ora maris Germ. inter Marriam ad Sept. & Angusiam ad Occ. Ibi tantùm castrum Dunotyrum, in ora.

Marnixius, Philippus Aldegondius, nobilis Belga, Fœderis contra Inquisitionem initi verba Proceribus dictavit, an. Chr. 1566. Antverpiæ Præfectus, cùm à Parmensi Duce obsideretur, an. 1584. urbe deditâ, scripto calumnias malevolorum abstersit. Nuptias Friderici IV. Electoris Palatini cum Constantina Aloisia Juliana Guilielmi Arauf. Princ. filia conciliavit. Scripsit vernaculâ linguâ librum elegantem, *Bienekorb*, contra Pontificios. Obiit an. Chr. 1598. De hoc Hugo Grotius: *Philippum Aldegondium, Arausionensi indivulsum, urbesq; & populos regentem olim qui viderant, ad ultimum usq; diem literata quiete reconditum mirabantur.*

Maro, opifex fuit figulus, sive, ut alii putant, magi cujusdam viatoris mercenarius, Virgilii Latinorum Poëtarum principis pater. Vide *Virgilius* & *Menophis.*

Maro, nomen urbis, vallis & Marchionatus, in Italia: sub Duce Sabaudiæ, in ora Genuensi, Du Val. *Geogr.*

Marobodus, Suevorum Rex, adolescens Romæ benignè ab Augusto habitus, reversus ad suos occupavit dominationem privatus, sibique præter Marcomannos populares suos subjecit Lygios magnam nationem, Zumos, Guthones, Mugilones, Sibinos, & inter ipsos Suevos magnum populum, Semnonas. Victus acie ab Arminio, dein à nobili inter Gothones juvene nomine Catualdâ, profugo olim vi Marobodui, pulsus, atque ad Tiberium confugiens, per duodeviginti annos, Ravennæ habitus est.

Marobudum, seu *Marabodi Regia*, Praga est Aventino, Sansoni, Brietio. Vide *Praga.*

Marocanum, seu *Marochum* regnum, Gall. *Royaume de Maroc*, regnum est amplum Barbariæ juxta Oceanum Atl. qui ei inest ad Occ. uti regnum Fezzæ ad Bor. Segelmessa, Tafileta, & Darcha, regiones Biledulgeridiæ ad Ort. Tensista regio ad Austr. Sæpissimè unitum fuit regno Fezzæ, ut & nunc, sub Rege Tafiletæ. Historia sic habet: Sub Saracenis olim utrumque fuit, qui Fessam *Aulam Occidentalem* appellarunt, quòd Muhammedani Imp. quasi altera sedes esset. Imperium autem hoc Caliphæ aliive Reges externi tenuerunt, usque ad an. 1053. quo Abul-Texifius, Almohavidarum sive Lamptuniorum gentis princeps exteros pepulit.

Inde Abrahamo, pronepote ejus, occiso, Abdul-Mumen rerum potitus est, ex ludimagistro primus in Africa Pontifex & Imperator, qui Imperium Tripolim usque protulit. Pòst Abdulacus, è Merina familia, circa an. C. 1210. surrexit, è cujus posteris, ultimum itidem Abdulacum dictum, circa an. 1480. Scirifius quidam delevit: ad quem genus retulere Ahmedes & Muhammedes, fratres Scirifii, qui regiam sedem Maroci fixere, primò tributum pacti à Muhammede Oatazeno, cujus familia, post Merinenses extinctos, Fessæ regnavit, mox verò eodem superiores redditi. Et Muhammedes quidem fratre mortuo, instructo bello contra Muhammedem Oat. cujus studiis antea præfectus fuerat, eum vicit ac tandem sustulit sec. præc. Nunc verò tractibus istis potitus est haud pridem Tafiletta, Princeps à loco paternæ jurisdictionis nomen nactus: Regis Marocani filio apud Hispanos exulante. Vide Thuan. *Hist. lib.* 7. Relation. Residentis Angl. *in App. Diar. Eur. Cont.* 19. &c. Ejus provinciæ sunt 7. Susa, Hea, Guzula, Teldesa, Hascora, Ducala, & *Marochia*, quæ præcipua est, & maximè fertilis cultaque, ut & quæ in Occ. tendunt; Est hæc in mediterr. habetque ad Bor. Hascoram, ad Occ. Heam, ad Austr. Guzalam, ab Or. Darrham regionem.

Urbes regni Marochani.

Agades, seu fanum S. Crucis, *Agades*, seu *Santa Cruz*.	Mazaganum, *Mazagan*.
Azafia, *Asafi*.	Messa, *Messa*.
Azamurum, *Azamor*.	Tagavostum, *Tagavost*.
Elmadina, *Elmadine*.	Tarodantum, *Tarudante*.
Marochium, *Maroch*.	Tednesta, *Tednest*.
	Tefza, *Tefza*.

Tejeuta, *Tejeut*.

Marochium, i. illustris & sacra, Gallis *Maroc*, Hisp. *Maruecos*, Italis *Marocho*, sedes regia, civ. amplissima & splendidissima, (sub Principe enim Hali Josephi fil. plusquàm centies mille numeravit domos,) cum palatio superbissimo, in regno Marochano. Rex Almansor plurimum splendoris huic urbi conciliasse dicitur, in qua turrem fuisse ferunt, cujus apex tria aurea poma sustineret, magicis artibus incantata. An *Bocanum Hemerum* antiqq. Vide ibi. Sed à paucis annis valdè imminuta est, deficitque in dies, propter bella. 160. m. p. ab ora maris Atl. 90. à confinio regni Fezzæ. Vide Ortelium, Sanson. *Geogr.* Marmol. & Joh. Leonem, *in descr. Africæ*. Hist. *Tafileta*.

Majoralica thermæ, ad radices Pyrenæorum, 5. leuc. supra Lugdunum Convenarum in Mer. in ipso limite Aragoniæ.

Marojalum, vicus vel villa Galliæ, ad Carim, *Marveil sur Cher*, in extremis Turonum finibus, seu ipso Turonum, Biturigum Blesensiumque confin. Hic Ecclesiam S. Martini, incensam esse an. 594. ab exercitu Guntchramni R. tradidit Gregorius Turon. Ibidem Cuppa, Comes stabuli Chilperici, dum filiam Bandegisili Cenomanorum Episcopi noctu per vim rapere conatur, à Magnatrude matre magna cum suorum clade repulsus est, an. 590. Item villa Regia Aurelianis propinqua, quò Episcopi Ducesque & populus convenere, regnante *Chlotario Chlodovei* jun. filio: *Marolle* vulgò, in silva Aurelianensi. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Maronea, Ciconum civitas Arch. in Thraciâ, apud ostia Hebri, ad Sicenum fl. Steph. præstantissimo vino laudata. Tibullus 4. 1.

Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.

Ismarus Homero, teste Hesychio, *Marogna* Sophiano.

Maronias, urbs Syriæ, Chalcidicæ regionis. Ptol. unde *Maronitæ* hæretici. Aliis urbs est Palmyrenes. 30. m. p. à Palmyra in Bor. Chalcidem versus, à qua 50. mill. in Eur. distat, uti & 80. ab Antioch.

Maronitæ, populi Palæstinæ, in Libano. Item à Marone quodam dicti: Jacobitarum, Nestorianorum & Monothelitarum deliria olim secuti, secessione ab illis factâ, sub Balduino IV. Rege Hierosol. & Almerico Patr. Latino Antioch. post an. 500. cum Latinis coaluisse dicuntur. Postmodum horum in Oriente rebus in deterius ruentibus, refrixit amicitia, sed an. 1445. sub Eugenio IV. misso in Cyprum legato, redintegrata narratur, &c. Linguâ utuntur, quæ aliquid ex Syriaca mutuatur, Jacobitisque ac Nestorianis quoque communis est, quamvis hi illam paulò aliter pronuntient, scribantque. Commercium cum Arabibus effecit, ut hodie non nisi in sacris illâ utantur, exceptis 5. aut 6. circiter vicis, qui majorum linguæ tenaces extiterunt, quæ miscella quædam ex Syriaca & Arabica est. Se *Telmitd Roumie*, i. discipulos Romæ vocant, Patriarcham habent, Archiepiscopos, Episcopos & circiter 150. parochos. Sedes Patriarchæ Canobinum est, monasterium in rupe extructum: A Turcis sæpe, quibus subsunt, in proximos montes se subducere coguntur, tam inopes, ut etiam Episcopi illorum victum sibi manuariis artibus quærere necesse habeant. Colunt autem hortos, & agros. Quamprimum Epistola vel Evangelium à Ministro, Syriacè prælectum est, mox idem Arabicè exponit, quæ lingua omnibus nota est: Inter legendum Auditores caput motitantes secum submurmurant *Num*, i. Omnino, & *Eynam*, i. certè, profectò confirmantes aliquando juramento, *Eynala*, hanc esse veritatem Dei. Jejunia per annum observant quatuor: Sacerdotes magno honore colunt, qui cœruleâ in pileo fasciâ à reliquis distincti, conjugati sunt; cùm Episcopi bibunt, reliqui vel surgunt honoris ergò, vel humi se prosternunt, felicia ipsis apprecati. In Sacramentorum administratione ferme Occidentales sequuntur. Guil. Tyr. *l.* 22. *c.* 8. Jac. Vitriac. *l.* 1. *c.* 77. &c.

Marora, Sargarausenæ in Cappadociâ urbs. Ptol.

Marozia, Romana, Theodoræ filia, impudentiâ, sceleribus, & tyrannide in Ecclesia Rom. exercitâ famosa. Formâ & ingenio abusa, plerosq; nobilium Romanor. in casses suos pertraxit, Mole Adriani, quæ ad Adelbertum spectabat, Tusciæ Marchionem, ex qua Albericum filium suscepit, potita, post Adelberti mortem, filio illius Guidoni nupsit. Creavit & removit Papas pro lubitu: Hinc Johanne XI. deturbato, Petroque fratre ejus occiso, Leonem VI. carceris pœdore confecit, surrogato an. 931. Johanne XII. quem ex scelesto concubitu cum Sergio III. susceperat. *Proh pudor, proh dolor!* exclamat Baronius *in Annal.* Plat. *in Vitis Pontif.* Luitpr. *l.* 3. Flodoard. *in Chron.* *&c.*

Marpesia, prima Amazonum regina. Justinus. V. & *Marthesia*.

Marpessa, filia Eveni speciosa, uxor Idæi, omnium illius seculi virorum formosissimi, mater Cleopatræ pulcherrimæ fœminæ, uxoris Meleagri. Hanc maritus fertur tam tenerè adamasse, ut, cùm eam Apollo rapere conaretur, sumpto arcu & sagittis raptorem invadere non dubitarit. Verùm cum ejus recuperandæ spes nulla superesset, mater eam pro Marpessa Alcyonem nominavit, quòd fatum cum eâ simile sortita videretur. Hom. *Iliad.* 9.

Marpessus, Mysiæ opp. apud Idam montem in agro Trojano, unde ortum habuit Sibylla Hellespontica, teste Lactantio. Item mons in Paro insula candidi marmoris ferax. Hinc *Marpessia cautes* apud Virg. *Æn.* 6. Steph. Μάρπησσα ὄρος Πάρου, ἀφ' οὗ οἱ λίθοι ἐξαίρονται. *Marpessa* itaque est מער בצע *mar-betsa*, i.e. *caverna excisionis*. Boch.

Marpsias, litigiosus quidam, nugax ac turbulentus Rhetor, quem traducit Aristoph. *Acharn.* 2. 6.

Marpurgum, vulgò *Marpurg*, oppidum non ignobile Hassiæ, quod mortuo Henrico Hassiæ Landgravio, cùm filii inter se partirentur hæreditatem paternam, obtigit Ludovico minimo natu, Episcopo Monasteriensi, an. Ch. 1308. Iterum, cùm Ludovici Mitis fil. primogenitus Ludovicus Pius Cassellas obtineret, junior Henricus Marpurgum nactus est, mortuus an. 1483. in cujus fil. Wilhelmo Marpurgensis linea est terminata. Cùm dein sub Philippo Magnanimo, Pontificiâ religione abolitâ, monasteria in Scholas & Xenodochia converterentur, hinc Academia Marpurgensis initium duxit, cujus tamen privilegia demum an. C. 1541. promulgata sunt. Ejusdem Landgravii auspiciis colloquium hîc, inter Lutherum, Melanchthonem, Zuinglium & Oecolampadium habitum est, anno 1529. cui etiam Bucerus & Capito interfuerunt: Ibi in omnibus Christianæ Relig. capitibus conventum est, excepto articulo S. Cœnæ, in quo tamen tolerantiæ mutuæ lex sancita. Ex hujus filiis secundò genitus Ludovicus Marpurgum nactus est: quo sine prole extincto an. 1604. Mauritio Guilielmi fil. ditio hæc sortitò obtigit, qui Reformatâ religione introductâ, cives turbarum hinc concitarum reos, clementer habuit, condemnatus tum in hac causa, tum Waldeccia à Ferdinando II. an. 1622. & Ludov. Darmstattinus, cui Marpurgensis successio à Cæsare addicta est, Augustanam confessionem solenni pompâ in Academiam an. 1625. reduxit. Transegit cum hoc Mauritii fil. Guilielmus an. 1627. cujus Vidua aliquot præliis contra Cæsareanos victrix, resumtâ controversiâ Marpurgensi, adversus Darmstattinos bellum feliciter an. 1640. gessit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Gen. hist.* & de Colloquio Marpurgensi Abr. Scultet. *in Annal. Eccl.* Lutherum *tom.* 4. *Jen. cap.* 10. &c. Confluxisse in urbem hanc duodecies centena M. hominum dicuntur, cùm Elisabetha Hassiaca, à Gregorio IX. inter Sanctas relata, publicè hîc promulgaretur, an. 1227. &c. Vide quoque *Mattiacum & Martpurgum.*

Marquardus Freherus, JC. Augustanus celeberrimus, auctor plurium operum. Scripsit inter alia Corpus Historiæ Gallicæ.

Marquardus Leo, Auctores Occidentis enarravit, &c. Editus liber Ingolstadii, an. 1610.

Marquardus de Susanis, Italus. Scripsit *de Cœlibatu*, *de Judæis*, *&c.* Gesn. *in Bibl.*

Marrasium, Persidis opp. medit. Ptol. olim clarum, Persepoli & Arbuæ finitimum. Vulgò *Marazu*.

Marria, vide *Marnia*.

Marriche, Parthiæ urbs. Ptol.

Marrona, vulgò *Renelle*, quasi *Marronella*, aut quasi *Ranula*, vel *Ranella*, à ranarum copia, amnis Galliæ, Rothomago ad Occ. in Sequanam influens, Hadr. Valesius.

Marrubii, populi Italiæ circa Fucinum lacum, sic dicti vel à rege *Marrubio*, vel quòd circa *mare* habitabant. Stagna enim & lacus veteres etiam Maria appellabant. Urbs *Marrubium*. *Marno* Leand.

Marrucini, populi Italiæ in regione Marsorum. Sub Samnitibus Baudrando, inter Vestinos ad Occ. & Frentanos ad Ort. prope Aternum fluv. ubi nunc pars Occ. Aprutii citer. Sil. *lib.* 8.

Marrucina simul Frentanis æmula pubes.

Marruvium, idem quod *Marrubium*: nunc *Morea*, castrum Aprutii Ulter. prope Lirim fluv. 5. mill. à Lacu Fucino, paulo minus à limite dit. Pontif. Magino, Cluverio, Aliis. Sil. *lib.* 8.

Marruvium veteris celebratum nomine Marri.

Virgil. *Æn.* 7.

Quin & Marrubia venit degente sacerdos.

Μαρούϊον Straboni.

Marr.

Mars, Deus belli ab antiquis creditus, dictus Varroni *l.4.de L.L.* quòd *maribus* in bello præsit, aut certe à Sabinâ dictione *Mamers*, quo nomine illi *Martem* dicebant. A Poëtis *Mavors* dicitur per epenthesin. Jovis ac Junonis filius fuisse fingitur, vel, ut Ovid. fabulatur, solius Junonis. Cùm enim olim Juno turbata, quòd animadvertisset, Jovem percusso capite sine fœminæ commercio procreasse Minervam, versùs Oceanum proficisceretur, ut scrutaretur, quo pacto & ipsa sine viro parere possit; itinere fatigata secus fores Floræ Deæ, conjugis Zephyri, consedit. Cumque interrogata ab eâ esset, quam ob causam ad Oceanum pergeret, rationem reddidit. Quâ cognitâ, facturam se voti compotem Deam pollicita est, si id Juno Jovem celaret. Quod cùm Juno jurejurando affirmasset, mox illam Flora monuit, in campis Oleniis florem esse, quo tacto statim conciperet sine viro. Id experta Juno concepit, & Martem peperit. Hunc ferunt postea cum Venere concubuisse, eosque Vulcani artibus, ut erant nudi, occultis laqueis irretitos, Deorum omnium risui expositos fuisse, donec Neptuni precibus motus Vulcanus eos dissolvit. Sororem habuit Bellonam, belli Deam. Sacrum ei fecerunt equum, lupum, canem & picum, quos in Dei hujus tutelâ esse credi voluerunt. Salios habuit sacerdotes & Flamines, qui ab eo *Martiales* dicebantur. Ex Venere Hermionem, Cadmi uxorem, ex Rhea Romulum & Remum, ex Thebe, Asopi filia, Evadnen, suscepisse dicitur. Vide Hesiod. *in Theogon.* Lil. Giraldum, *l.10. hist. Deor.* Nat. Com. *in Mythol.* Th. Dempst. *Antiqq. Rom. passim*, Alex. Rossæum, *in Mystagogo poëtico.* Servius *in* 8. *Æneid.* annotat, moris fuisse apud Romanos, ut is, qui belli curam susceperat, sacrarium Martis ingressus, primò ancilia commoveret, pòst hastam simulachri ipsius diceretque: *Mars, vigila!* Ponitur sæpissimè pro ipso bello. Hinc *Martius*, i.e. *bellicosus*. Est & stella una ex 7. errantibus supernè Jovi proxima, quatuor & viginti mensibus & 6. diebus orbem lustrans. Lucan. *lib.*2.

Et Cœlum Mars solus habet.

Cæterùm quid nomine Martis veteres poëtæ, & philosophi intellexerint, prolixè docent Lil. Giraldus & Nat. Comes. Hinc *Martius*, mensis primus anni olim apud Romanos, quem Romulus genitori suo Marti constituit. Ovid. *Fast.*3.

Marsaci, pop. Germaniæ.

Marsacum, pagus Petrocorii, dimidio mill. ab urbe Periguria. Ibi fons, maris instar fluens refluensque. Merula.

Marsalium, vulgò *Marsal*, oppidul. Lotharingiæ probè munitum, ad Sellam amnem; sub Gallis ab aliquot annis. Vix 1. leuc. à Mojennico in Ort. 5. à Nancejo, intra paludes. Baudr. A *Sale* dictum inter Medianum Vicum *Moyen-Vic* & Decem Pagos *Dieuse*. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Marsalquivirius portus, Africæ, in ora Barbariæ, sub Hisp. prope Auranum *Oran.*

Marsan, tractus Galliæ, in tesquis Aquitanicis: vetus Vicecomitum sedes, olim sub Comit. Bigerronum, dein in familiam Benearnensem transiit. Hodie Principi Harcurtio paret. Caput est *Mont-Monsan*, conditum à Vice Comite Petro. Solum neque hominum neque aliarum rerum ferax est, secale tamen, milium, ceramque cum melle profert, Morerius *Diction. Hist.*

Marsana, nomen principis. Esther. 1.

Marsatii, pop. Batavorum, quorum pag. *Marsen*, Plin. Ortel. *Marsci*, Tac.

Marscalcus, al. *Marescallus*, primò agasonem significat, i. qui equos curat, colit, pabulo donat, expedit & adornat. *Maere* enim Teutonicè & Angl. equus, vel potius equa: *Schalc*, servus, minister est. Sic *Marescalcus* equorum minister, vel potius equarum, quòd præstare olim hoc genus videbatur. Virgilius *Georg. l.*1.

Mittit & Eliadum palmas Epiros equarum.

Vide quoque Hom. *Il.β.* Plin. *l.*8. *c.*42. &c. Apud Becanum *Francicorum l.*2. peritum notat in tractandis & curandis equis. Hinc pro Medico & Divis ipsis, quos morborum sanationi præficiunt; sic Divus Antonius *Marescalcus* ignis sacri dicitur. Inde etiam, quòd calceos appingunt equis ferrarii, *Marescalci* utique nuncupantur. Sic omnino voci ab equo origo est: humile olim officium, & *Marescalci* inter pastores numerati, distinctique invicem suis gradibus, juxta numerum equorum, quibus præfuere. Unde & pro Stabulario, sicut *Marescalcia* pro stabulo. Sed ut è tugurio Capitolium, sic è stabuli ministerio, ad amplissimos Regni Magistratus irrepsit *Marescalci* appellatio. Haud secus, ac Equisonis apud vett. Romanos, quæ, Varrone atque Nonio testibus, primùm de equorum moderatore, usurpata, postea ad cæteros omnes, quibus rei alicujus regimen credebatur, est delata. Ita *Marescalci* demum nuncupati sunt, non solùm stabuli regii curatores & præpositi, sed & regiæ domus, regii exercitus, curiarum regiarum, minorumque plurium officiorum administratores, nihil cum equis sive stabulis commune habentes. Nec dedignantur humilem rei originem summi Principes, etiam in apice suæ dignitatis, profiteri. Unde Saxoniæ Elector, Imperii *Archimarescallus*, in inauguratione Imperatoris, sedens in equo, mensuram de avenæ acervo, ad id unicè congesto, accipere & famulo primitus venienti ministrare solet, secundas in avenæ hujus distributione *Vicemarescallo* ejus Dom. de Pappenheim; tertias *Marescallo* curiæ agente. Vide Aur. Bull. *cap. penult.* Videtur autem sub hodierno Imperio idem esse *Marescallus*, quod sub Carolo M. *Comes stabuli*: & in Imp. Or. *Protostrator* & *Comes equorum*, quorum hic Imperatori parat & profert equum, ille ascendentem surrigit & sedenti frena moderatur. Longobardis *Marpais*, vel *Marhais*: Anglo-Saxonibus *Heretochius*. Interim inter *Mareschallum* & Comitem stabuli id olim videtur fuisse discriminis, quòd Comes in stabulo unicus, *Marescalli* plures: Ille à Principe datus, hi à Comite assumti sunt. Imperium igitur stabuli penes Comitem, ministerium inter Marescallos fuit. Elato itaque Comite stabuli ab Officiali domestico, in militiæ præfecturam, (quod apud Gallos primitus videtur obtigisse Frogerio de Chalon, ævo Philippi I. circa an. 1083.) elata unà *Marescallorum* appellatio est. Cùm enim in tractandis equis Regiis & equitandi artificio, alios plerunque omnes antecellerent, delecti sunt ex eis sæpe potiores aliquot; unus vel alius qui in militaribus expeditionibus, hostem lustraret, castrametationi locum seligeret, pugnæque ineundæ rationem decerneret, equestribusque præfectus turmis, ut Comes stabuli exercitui, pugnæ initium accenderet. Hinc Brito Armoricanus *Philipp. l.*8.

Cujus erat primum gestare in prælia pilum,
Quippe Marescalli claro fulgebat honore.

Et revera jam ævo Philippi Aug. clarus erat *Marescalli* honos, ante Ludov. Crassum verò, qui regnare incepit, an. 1107. non reperitur Franciæ Marescallus: Refertque Tilletus Gallis tantùm illorum duos fuisse, usque ad Franciscum I. qui numerum auxit. De *Marescallo* apud Anglo-Saxones, item de auctoritate & jurisdictione *Marescalli*, apud Anglos & Gallos, aliisque huc pertinentibus, Vide prolixè disserentem Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.* & supra in voce *Marescallus.*

Marsi, pop. Italiæ fortissimi, Picentibus, Æquiculanis, & Samnitibus finitimi, quorum urbs, quæ *Valeria* etiam dicta, ad lacum Fucinum, excisa, sive aquis absorpta, *Marci* adhuc dicta Episc. est apud Piscinam urbem, ubi ejus Episc. moratur. Ferr. Baudrando fuere sub Samnitibus, ubi nunc pars Aprutii Ulter. juxta lacum Fucinum, in limite dit. Pontif. Hinc regiunc. *Ducato di Marsi*, gentis Columnæ. A Marso Circes filio orti, salivâ suâ serpentum morsibus medebantur. Virg. *Æn.*7.

—— Neq; eum juvere in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.

Vide de la Cerdam ad locum. Ovid. 1. *Art. Am.*

Mixtaq; cum Magicis Marsa venena sonis.

Author *de medicamine faciei*,

Nec media Marsis rumpuntur cantibus angues.

Dionys. Μαρσῶν ξοὰ φῦλα vocat. Marsici belli meminerunt Liv. & Appianus, quod an. 663. U.C. contra plurimos Romanorum fœderatos, quibus juris civitatis spes facta, moverunt. Hi, cùm propositum ambos Consules in Feriis Latinis interficiendi successu caruisset, Procos. Q. Servilium & Fontejum Legatum necarunt, quidquid Romanorum præterea Asculi erat, occiso Cæs. Strab. Plin. &c. App. *l.* 1. *Civil.* ἐπὶ γὰρ τὸ ἔθνος πολεμικώτατον. *Marsi* quoque apud Herod. *l.*4. pop. sunt Scythiæ Europææ. Sunt & *Marsi* Germaniæ pop. Tacito. Hinc *Oetmarsen* opp. Frisiæ regiuncula, hodie videtur, tractu Transisalaninæ.

Marsicanus, vide *Leo Marsicanus.*

Marsicum, urbs Lucaniæ olim, nunc Basilicatæ, Episc. sub Archiep. Salernitano, ad Acirim fluv. *Marsico vetere* vulgò in limite Principatus ulter. 50. mill. à Salerno in Eur. 18. à mari Tyrrheno. Sensim deficit, & à paucis habitatur. *Marsicum novum*, 8. mill. à Veteri in Circium, juxta fontes Aciris, in Princip. cit. ad radices Apennini; est urbs satis culta.

Marsigni, Germ. pop. Tacit. *Marsvignos* Ptolemæi eosdem esse putat Althamerus. *Marsingi* mel.

Marsilius & Fulgentius, Monachi, cum Paulo Servita, scripserunt pro Rep. Venetorum, contra Paulum V. an. Ch. 1606.

Marsilius Ficinus, Florentinus, Platonem sectatus est. Plotini, Jamblichi, Procli, &c. paraphrastes. Obiit an. 1499. æt. 66.

Marsilius Ingenuus, seu de Inghen, Canonicus Coloniensis, Geldrus, primus Univers. Heidelb. restauratæ Rector, plantatorque studiorum. Edidit Comm. in Magistr. sent. &c. Obiit an. 1394. Heidelbergæ ad S. Petrum sepultus, & funebri Oratione à Nic. Provino, laudatus. Melch. Adam. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Marsilius Patavinus, tempore Occami, acerrimè vitia Cleri, cum Dante Aligerio Poëta, insectatus; Scripsit ad Ludovic. Bavarum Imp. *Defensorem pacis*, in quo Papam sub Imperatore esse solidè defendit, hinc excommunicatus, seculo 12.

Marsippus, urbs Phœniciæ. Steph.

Marsna, villa fuit Regia in finibus Tungrorum ad Mosam, vulgò *Mersen*, prope Trajectum, Regum Lotharii, Ludovici & Caroli fratrum conventu nobilis, Vide Hadrian. Valesium *Not. Gall.*

Marsonica, Pannoniæ infer. urbs. Ptol.

Marspiter, Martis pater, sicut Diespiter, Diei pater. Gell. 5. 12.

Marsus, regnavit in Tuscia an. ante Romam conditam 318.

Marsus, Syriæ præfectus sub Claudio Cæsare. Vide *Domitius Marsus.*

Marsya, urbs Phœniciæ. Steph. in angustiis Libani & Antilibani, Ferr. ubi calamus aromaticus provenit.

Marsya-

Marsyaba, Rhamanitarum urbs Arab. fel. videtur apud Strab. 16.

Marsyas, filius Periandri, Pellæus historicus, nutritus unà cum Alex. M. scripsit res Macedonicas libris 10. à primo Rege usque ad Alexandr. De rebus Atticis libb. 12. Suid. Gesn. Voss. &c. *Marsyas* Philippus item histor. *Marsyas* Tabenus, qui scripsit de Tranquillitate libb. 12. fabulosa lib. 7. & quædam alia de patriâ sua. *Marsyas* fratrem habuit Cibyram, & Tabas in Lydia condidit. V. eosdem.

Marsyas, sive *Marsya*, insignis tibicen ex Celænis opp. Phrygiæ: Ovid. Satyrum fuisse author est, qui tibiis à Minerva inventis, ausus sit Apollinem provocare, à quo victus & excoriatus est, *Met. 6.*

—— Satyri reminiscitur alter,
Quem Tritoniacâ Latous arundine victum
Affecit pœnâ. Quid me mihi detrahis, inquit,
Ah piget: ah non est, clamabat, tibia tanti.
Clamanti cutis est summos direpta per artus.
Nec quicquam nisi vulnus erat, cruor undiq; manat,
Detectiq; patent nervi: trepidaq; sine ullâ
Pelle micant venæ. Salientia viscera possis
Et perlucentes numerare in pectore fibras.

Marsyas, fluv. Phrygiæ haud procul à Mæandro oriens, in quem apud Celænas, & Apameam urbem, quam circumfluit, excurrit, à *Marsya* ibi ab Apolline decoriato, dictus. Ovid. ubi suprà:

Marsya nomen habet Phrygiæ liquidissimus amnis.

Claudianus *lib. 2. in Eutropium*:

Icarium pelagus Mycalæaq; litora juncti
Marsya, Mæanderq; petunt: sed Marsya velox
Dum suus est, flexuq; carens: jam flumine mistus
Mollitur, Mæandre, tuo. ——

Vide *Celænæ*. Et Boch. *Phaleg. 1. 3.* Item fluv. Syriæ, in Euphratem apud Samosata influens, & alius in Cœlesyria.

Marta, & *Martana civ.* urbs Umbriæ excisa, locus *S. Mariæ de Pantano*, Abbatia nunc, à Tuderto 5. m. p. distans, Narniam versus.

Martabanum, vulgò *Martaban*, urbs in ora Sinus Gangetici, cum portu commodo, sub Rege Peguano: Male habita ante aliquot annos. Aliàs sub Regibus propriis.

Martelli castrum, *Martel*, in pago Cadurcensi, Henrici jun. Regis, vivo patre Henrico Anglorum Reg. defuncti obitu nobile, An. C. 1193. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Martellum, urbs Cadurcensis prov. prope Duranium fl. in colle, in confinio Lemovicensi, & in Vice-Comit. Turenensi, 6. leuc. à Sarlato in Ort. 6. à Tutela in Mer. vulgò *Martel.* Item, opp. Lombardiæ Transpad. ad lævam Abduæ ripam.

Martena, & *Marcena*, Jorn. Vide *Marchburgum.*

Marteobarbulum, jaculum sagittæ instar pennis instructum, cuspide ferreo, anterius præacuto, retro autem latiori plumbumque habente infusum, ut sic gravius eat in hostem & vehementius sauciet: Proin aliis *Plumbata.* Vide Vegetium *lib. 1. cap. 17.* Stewech. *in eundem*, qui *Salibam*, nunc dici & *Tzicurim* ait, Modest. *de vocab. rei milit.* Henr. Spelm. *Gloss. Archæol.* & infra in voce *Plumbata.*

Martha, soror Lazari illius, quem suscitavit Christus, Luc. 10. Joh. 11. post cujus mortem, cum sorore Maria, fratre, aliisque in nave parum fida mari exposita, Massiliam tandem appulisse dicitur. Lat. *provocans*, vel *amaricans*, vel Syriacè *Domina*, sive *doctrix.*

Martha Marchina, Neapolitana, à parentibus jus encula admodum Romam deducta, totam familiam saponibus conficiendis sustentavit. Latinè, Græcè & Hebraicè docta, versus composuit elegantes. Obiit An. 1646. æt. 46. Jan. Nicius Erythr. *P. III. Pinac. c. 64.*

Martha D'Oraison, Baronis cujusdam Germ. de familia Masia & Castellana, qui in duello Aquis Sextiis occisus est, uxor: Vicecomes Valernia, laudata Hilarioni Costo, *tom. 2. pag. 703. edit. 1647.*

S. Martha, familia illustris & literatorum virorum promacunda. Ex ea enim Carolus, Jacobus, Scævola, Abel, alii, aut elogia scripserunt eruditorum Gall. aut poëm. aut histor. Genealogicam Galliæ, Galliam Christ. aliaq; tarissimâ eruditione referta, Morer. *Dict. Hist.*

S. Martha, Provincia Castellæ aureæ & urbs Episc.

Martha, fluv. Hetruriæ, per Tuscaniam urb. in mare Tyrrhen. apud urb. Cornvetum, labens; cum opp. cogn. ad lacum Volsiniorum, unde is egreditur, Anton. An etiam Albegna & *Ossa* veterum.

Marthama, Africæ propriæ opp. Appianus.

Marthesia, sive *Marpesia*, & *Lampedo*, sive *Lampeto*, Reginæ fuerunt Amazonum, regnante Theseo Athenis, An. M. 2734. ante Christ. 1228. Hæ in duas partes exercitu diviso, inclitæ jam opibus, vicissim bella gerebant, & ne successib. deesset authoritas, generatas se Marte prædicabant. Itaq; maj. parte Europæ subacta, Asiæ quoq; nonnullas civitates occupavere, ubi Ephesum multasq; alias urbes condidere, donec incursu Barbarorum Marthesia interfecta est.

Marthula, Ponti Cappadocici civitas, Ptol.

Martia, princeps Roman. icta fulmine, quùm esset gravida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit, Plin.

Martia, Catonis minor filia, quæ cùm quæreretur ab ea, cur post amissum maritum denuo non nuberet, respondit, non se invenire virum, qui se magis vellet, quàm sua. Ostendens, divitias magis in uxoribus eligi solere, quàm pudicitiam.

Martia, Catonis Uticensis uxor, quam posteà cùm ex eâ aliquot liberos sustulisset, Hortensio amico concessit: eoque mortuo, sub initium bellorum civilium, domum reduxit. Quâ in re Cato malevolorum reprehensione non caruit; qui vacuam & pauperem eam dimissam esse calumniabantur, ut posteà Hortensii testamento locupletem reciperet. Plut. *in vita Caton.*

Martia, Commodi Imp. concubina, ab hoc pacem Christianis impetravit: unde Ecclesiæ mirè floruere, Romæ etiam ipsis Magnatibus in censum Ecclesiæ venientibus, An. C. 180. Euseb. *lib. 5. cap. 19.* conjurationis in Commodum socia. Vide Herodian. *in Commodo.*

Martia Proba, Britann regina, Guithelini Modestini Regis olim uxor. Salutares condidit leges, quæ *Martianæ* à posteris dicebantur. Claruit An. M. 3615. Vide *Marcia Proba.*

Martia, & *Martiana Col.* Vide *Marcia.*

Martia aqua, urbis Romæ, Plin. 31. 3. clarissima aquarum omnium toto orbe, frigoris, salubritatisq; laude de cæteris preclara. Ex lacu Fucino ab Anco Martio rege Romam perducta. Tib. 3. 6.

Temperet annosum Martia lympha merum.

Martiales, vide *Mars.*

Martialis, interfector Caracallæ, An. Chr. 219.

Martialis, nomine *Cornelius*, tribunus militum, cum aliis tribus exutus tribunatu, patefacta conspiratione Pisonianâ: quasi Principem non quidem odissent; sed tamen existimarentur, Tac. *Hist. 15. 71.* in expugnatione Capitolii occisus, *Hist. 3. 73.*

Martialis, nomine *Julius*, tribunus cohortium Prætoriarum sub Galbâ & Othone. Vide Tacit. *Hist. 1. 28.*

Martialis, Episc. Lemovicensis, sub Decio Imp. Item, Procurator Parisini Parlamenti, A. 1480. *de Arvernia* dictus. Scripsit historiam Caroli VII. versibus, cui titulus: *Les Vigiles du Roy Charles VII.* Item 50. Senatusconsulta Amoris, quæ Benedictus Curt. Symphorianus, notis ingeniosissimis illustravit, Lil. Gir. d Duchen. *Bibl. Hist. Gall.*

Martialis Cornelius, à Tacito ob fortitudinem celebratus. *Martialis* Gargilius, vide *Gargilius.* Julium quoque *Martialem*, impensè Poëta Martialis laudat. Fuit quoque hoc nomine Eeritæ in Hisp. Episcopus qui quòd Libellaticus esset, sede suâ pulsus est. Cyprian. Basilides Asturius, *ep. 52. 64. 68.*

Martialis Marcus Valerius, filius Frontonis ex Flacilla, poëta lepidissimus, ex Bilbili Hisp. oppido in Celtiberis. Vide *lib. 5. epigr. 35.* Maritus Clodiæ Marcellæ, similiter Hispan. Tempore Claud. Imp. sub Nerone an. nat. 21. Romam venit, atq; annos istic egit 35. Tito, ac imprimis Domitiano carus fuit, à quibus & donatus jure trium liberorum: Etiam Tribunus, & equestris dignitatis fuit. At non item in honore fuit mortuo Domitiano. Itaque sub Trajano in patriam rediit: atque ibi conscripto lib. Epigramm. 12. partim tædio patriæ, quia non in honore esset, quanto fuerat Romæ, partim etiam quòd à civibus suis sugillaretur, tædio vitæ, ut verisimile est, decessit. De morte ejus extat *epist.* Plinii *ad Priscum*, ubi honorifice admodum de illo sentit. Ejus Epigramm. libb. 14. habemus, aliis ejus scriptis deperditis, Vide Spartian. *in Ælio Vero.* Scaliger. *lib. 6. Poët.* Lil. Girald. Domitium Calderin. Georg. Alexandr. P. Crinitum, Ramirum de Prado, Matth. Raderum, Marullum, &c.

Martianapalus, Ptolem. Vide *Mantiana.*

Martiana sylva, in Germ. est, Ammian. *Schvvartzvvaldt*, vulgò *la Forest Noire*, ex quo *Nigram Sylvam* faciunt Latini jun. Peucerus & Althamerus putant idem esse cum Ptol. Eremo Helvetiæ. Vide *Mantiana* & *Hercynia.* Baudr. in Suevia est, versus Abnobam montem, & fontes Danubii & Nicri, inter Duc. Wirtemberg. ad Ort. & Brisigaviam ad Occ. in longum protensa à Mer in Bor. nempe à Seckinga & Rhenofelda Urb. Ortnaviam usq; & March. Bad. maj.

Martiana, vicus Flandriæ, in territor. Duacensi, ad Scarpam, in ipso limite Hannoniæ, *Marchiennes.* Sub Gallis, ab Ann. 1667. 3. leuc. à Duaco in Ort.

Martianopolis, urbs Mysiæ infer. in confinio, in ora, 50. m. p. ab Anchialo, 18. ab Odesso, ad mare Eux. Anton *Marcianopoli* vulgò. Bulgaris *Preslavv*, id est, civitas illustris, Turcis *Constantinopolis vetus.* Nunc quoque celebris.

Martianum, vulgò *Mont de Marsan*, locus Galliæ, à quo Episcop. Aturensem, aliquando *Martianensem* dici, scribit Oihenartus.

Martianus, Rom. Imper. successit Theodosio Juniori, favente Arcadii filiâ Pulcheriâ, qui licet humili loco natus, & senex esset, tamen rebus gestis, & arte militari clarus, per annos ferè 7. imperium Orientis tranquillissimè gubernavit. Dicere solitus erat, *Dum pax constare possit, non sumenda arma.* Vide quoque *Martianus.*

Martianus, vide *Icelus.*

Martianus ager, regiunc. Vasciticaniæ, *païs de Marsan*, ubi oppid. præc. Mons Martiani. Pars est Condomensis tractus, inter Vazatensem prov. ad Sept. & Vasconiam propr. ad Mer.

Martie, Hisp. locus inter Bracaram, & Asturicam, Anton.

Martiliacum, castrum Galliæ, olim sub propr. Vicecomite, vulgò *Marcillac*: inter Carantonum & fluviolum, qui in eum influit, nunc cum tit. Princ. Non longè hinc *Masiatium*, vulgò *Matas*, castrum est, Comitatus titulo gaudens. Vide Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Martina, Heraclii Imper. ex sorore neptis, ab eo ducta, infaustis auspiciis, An. C. 629. Dejecta à Senatu cum Heracleone fil.

Martina, infamis venefica in Suriâ, Plancinæ Gn. Pisonis uxori percara, quam Gn. Sentius provinciæ illius præfectus in urbem misit, Tac. 2. 74. Quæ ne quæstioni subjici posset, subitâ morte Brundusii exstincta est. Venenum verò nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta. Ibid. *lib. 3. cap. 7.*

Martini, Arabiæ desertæ gens, Ptolem.

Martini Evasii Insula, *Isla de Martin Vaz*, maris Æthiop. versus promunt. Bonæ Spei, à Lusitanis detecta & dicta. Tota montuosa est, & absque incolis.

Martiniacum, olim Octodurum, celebris Vallesiæ civitas fuit: quâ subversâ, restitit nomen solum *Martinach*, ab arce in præcipiti petra sita, cujus hodieque rudera cum turri conspiciuntur. Caput fuit quondam Vallensium & sedes Episcopi, quæ, oppido ob nimbi ruinam ferè subverso, jam ab aliquot seculis Sedunum est translata. Romanæ inscriptiones vetustatem loci testantur, Vide Joh. Bapt. Plantin. *Helv.* Simler. *lib.*1. *de Vallesia.* Stumpf. & in voce *Veragri.*

Martinianus, in exercitu Licinii virtute bellica ad magnos honores provectus, Cæsar Chalcedone ab Imper. dictus est. Sed post cruentam victoriam, quam Constantinus prope hanc urbem consecutus est, victori militi deditus, ab illis in frusta est discerptus, An. 315. in Cappadocia. Vide *Licinius.*

Martinica, sic ab Hispan. vocata, antiquis accolis *Madanina*, una ex Antillarum præcipuis. Sub Gallis, ab An. 1635. qui in ea multas habent colonias, arcesque, sæpeque Caraibas repulerunt. Valdè fertilis & culta, circuitûs 45. leuc. Rochefort. *hist Antill.*

Martinopolis, urbs German. in Misnia, *Mersbuyg* Ottoni Frisingensi. Dicitur & *Mersoburgum*, ad Salam fluv. 3. à Lipsia leucis, Hallam versus.

Martinopolis, vide *Turones*, & *Cæsarodunum*. A S. Martino, à cujus defuncti die, obiit 11. nempe Novembr. An. 402. seriem annorum numerarunt.

Reges & Pontifices.

Martinus, Arragoniæ Rex, filius Petri IV. Ceremoniosi. Johanne I. fratre, equi lapsu in venatione, mortuo, regnum invasit, prætertis ejus filiabus, Johannâ uxore Comitis Foxii, & Jolandâ, uxore Ludovici II. Neapol. Reg. & Com. Provinciæ. Pater filii cognom. qui ductâ Mariâ, filiâ Friderici III. Simplicis, Siciliæ Reg. sine prole defunctus est. Obiit An. 1410. ultimus ex familia Comitum Barcinonensium. Surita *in Ind. lib* 3. Marian. *lib.* 19.

Martinus I. Tuderto oriundus, post Theodorum, Papa, An. 649. Synodo Romæ convocatâ Monothelitarum hæresin damnavit, Theodorumq; Pharaces, & Cyrum Alexandriæ Episc. cum aliis, hæreticos declaravit: rejecto quoque Heraclii edicto, *Ecthesi* & Constantis *Typo*, quem Paulus Constantinopolitanus templorum valvis, tanquam Fidei formulam, affigi curavit. Hinc persecutio in Orthodoxos Orientis mota, & Papa in Pontum deportatus, ibi obiit, An. 654. Auctor diversarum epistolarum, quarum 18 habentur in editione Concil. Binii. Anast. *in vita Pont.* Successit Eugenius I.

Martinus II. seu *IV.* si Marinus I. & II. inter Martinos referantur, Gallus, successit Nicolao III. An. 1281. postquam 6. menses sedes vacasset. Germanis infensissimus. Carolo Siculo honores ademptos restituit, Petrum Arragonium, ob Vesperas Siculas, & Michaelem Palæologum Imp. ejus fœderatum, excommunicavit: regno Carolo Valesio donato: Concubinam antecessoris ad se recepit, quæ quia infantulum hirsutum, instar ursi, illi peperisset, omnia Ursinorum insignia in palatio suo eradi curavit. Jo. Noviod. *in illustr. Beda.* Germaniam per summam avaritiam expilavit: ut & successor ejus Honorius V. donec Synodus Herbipoli in convocaretur, ubi Legatus Pontif. de vita periclitatus est, Probusque Tullensis Episc. oratione acriter in Papas invectus, illos *Romuleos vultures, genus Archisynagogæ pessimum, &c.* vocitavit. Aventinus *lib.* 7. *Annal. Boj.* Bulling. *lib.* 2. *de Concil.* Obiit An. 1285. turbis in urbe pacatis. Successit Honorius IV.

Martinus III. seu *V* Romanus, prius *Otto Columna* dictus, à Concilio Constantiensi Papa electus est, post schisma an. 40. A. 1417. Nec tamen Reformationem Sigismundus Imper. obtinere potuit, licet per Petrum de Alliaco Cardin. vehementer instaret: inter alia urgens, *quia plus mali quàm boni ex Calixti decreto secutum sit, meliùs & Animæ tutius esse, ut, juxta ritum Eccl Orientalis, Clericis licentia concedatur contrahendi honesta matrimonia* M. Chemn. *in ex. p.* 3. *de Cœlib.* Bulling *lib.* 2. *de Concil* Johannem XXIV. Decanum Collegii Cardinalium fecit, Ludov. Andegavensem Neap. Regem creavit, hinc ab Alphonso Arragonio, Benedicti Antipapæ defensore, infestatus. Papiæ pôst Concilium indictum, quia nemo aderat, Senas transtulit, ubi conclusum, ut ossa Wiclefi, jam 40. an. sepulta, exhumata cremarentur. Tum Basileæ Concilium, pro Reformatione status Ecclesi. habitum, in quo præsente Sigismundo, præsidente autem Juliano Cardin. liberius, quàm unquam aliàs, in authoritatem Pontificis inquisitum, constitutumq; *Concilium supra Papam esse.* Obiit apoplecticus, An. 1431. æt. 63. postquam pacem cum Clemente VIII. Antipapa post Benedicti mortem factâ missis ad Græcos, & Hussitas literis frustra fuisset. Platina, Onuphr. Ciaccon. Duchen. *in vitis Pontif.* Ei successit Eugenius IV.

Viri illustres.

D. Martinus, ex Pannoniâ ortus, post D. Gratianum Turonensem Archiepiscopatum adeptus, seculo 4. multa disjecit Paganorum Idola, altariaq; effregit. In Episcopatu vixit an. 26. mens. 4. dies 7. Ejus vitam doctissimis libris editis perscripsit Sulpit. Sever. Tanti habitus fuit à Gallis olim, ut galeam ejus, quâ olim miles in bello usus erat, militiæ tempore, loco vexilli, gestarent, annosq; ab obitu ejus suos numerarent. Obiit autem A. 400. V. etiam Gregor. Turon. Paulin. Martini discipulum, Fortunatum, Morer. *Dict. Hist.*

Martinus Bracharæ, in Hisp. Episcop. postquam in Oriente Suevos Arianos convertisset. Obiit An. 580. Pantardo successore. Isidorus Hispalensis, scribit se vidisse librum ejus, de differentia quatuor Virtutum Cardinalium, ut & volumen Epistolarum: Quorum prior Ariamiro Regi dedicatus, & Basileæ impressus est, operâ Gilberti Nazareni, &c. Vide Sigebert. *in cat. cap.* 19. & 117. Isidor. *cap.* 22. *de Vir Illustr.* Honorat Augustodunensem, *lib.* 3. *cap* 26. *de lumin. Eccl.* Trithem. Garsiam Loaisam, Ambros. Moralem, Arnolphum Wionem, Possevinum, &c.

Martinus Akakia, Catalaunus, Brissoti discip. An. 1541. Scripsit varia Juil. *in Chron. Med.* Vander Linden *de Script. Med.*

Martinus Alnevickus, Anglus, Franciscanus, scripsit libb. 4. Comment. in Magistrum Sent. de Disputationib. & Chronicon, Pitseus.

Martinus Antonius Delrio, Hispanus origine, Antverpiæ natus, Jesuita, libris editis magnum nomen adeptus. Val. Andr. *Bibl. Belg.* Alegamb. *de Script. Societ. Jesu* Vide infra.

Martinus Antonius Delrio, Belga, Antverpiensis, Cleydaliæ & Artzelaræ toparcha natus, Hispanâ origine, Jesuita. Ejus extant *Adagialia sacra Vet. & Nov. Testam. de difficilioribus S. Scripturæ locis* tomi 3. *In Genesin, in Cant. Cantic. in Jeremiam Comm. &c.* Poëta, Orator, Historicus, Jurisconsultus, Theologus insignis, Anton. Sandæo; Obiit An Chr. 1608. ætat. 57.

Martinus Azpilcueta, vulgò *Navarrus*, à patria, JC. sui temporis celeberrimus: Scripta in U. J. egregia edidit. Docuit Salamancæ & Conimbricæ, ubi velut Oraculum juris habitus est, quod Cadurci & Tolosæ, in Gallia, prius addidicerat, Bartholomæum Caranzam, Domini anum, Archiepisc. Toletanum, inquisitioni subjectum, jam octogenarius, profectione Romam adornatâ, tutus, magno ibi in pretio fuit. Parcissimi cibi, vix ossibus hæsit: mulâ usus est, quæ quoties mendicus occurrebat, gradum sistere docta fuit. Opera ejus Voluminibus 6. in fol. Lugduni, An. 1597. & Venetiis An. 1602. impressa habentur. Obiit Romæ, An. 1586. æt. 94. Jul. Roscius Horstin. Simon Ramloreus, &c. *in ejus vita.* Tomasin. *in elog ill Vir.* Janus Nicius Erythr. *T.* 1. *Pinac. cap.* 1. *&c.*

Martinus Becanus, oriundus ex Hilvarenbeca, Campan. Brabanticæ municipio, unde illi nomen: Jesuita, Confessionarius Ferdinandi II. Plurima scripsit, quæ 2. Vol. in fol. prodiere Moguntiæ, An. Chr. 1631. Obiit Viennæ. An. 1624. ætat. 63. *Magno ingenio & ad omnem literaturam nato*, Wert.

Martinus Bellajus, vide *ibi*

Martinus Bernardus, Biermannus, Blobvvitius, & Bocidanus, Medici, Vander Linden, *de Script. Med. pag.* 464.

Martinus Bonacina, Ecclesiasticus Mediolanensis, scriptis inclytus. Ab Urbano VIII. in Germaniam missus, æstu admodum fervente, ut teterrimus erat, obiit Viennæ An. 1631. Scripsit Theologiam Moralem, de electione Paparum, de Beneficiis. Vide Jan. Nic. Erythræum, *P. III. Pinac. cap* 3.

Martinus Borchenius, Tungrensis, Poëta. Scripsit Epigrammata, & Chronographica de Memorabilibus sui temporis, Val. Andr. *in Bibl. Belgic.*

Martinus Borrhaus, vide *Borrhaus.*

Martinus Bresserus, Jesuita: Scripsit de Conscientia, &c.

Martinus Brunus, Abbas in Hannonia, &c.

Martinus Bucerus, Selestadii natus, An. 1491. ingenio & eruditione inclytus, Ordinem Dominicanorum, in quo vixerat An. 15. Evangelii doctrinam amplexus, reliquit, An. 1521. quâ de re librum edidit, An. 1525 Luthero, dialogo Arbogasto publicato, respondit, A. 1528. Formulæ Concordiæ cum Luthero, de S. Cœna à Philippo Melanchthone conscriptæ, nomen dedit, An. 1536. in enarratione 4. Evangelistarum, sese postmodum clarius explicans. Cum P. Malvenda, Colloquium Ratisbonæ habuit, An. 1546. quod abruptum est Martio mense. Cum Petro Martyre Pauloq; Fagio, Argentorato, ubi docuerat, ab Eduardo VI. invitatus, in Angliam pervenit, An. 1549. ut ibi doctrinæ suæ sementem faceret, Cantabrigiæ Professor: Obiit An. 1551. æt. 61. Ejus ossa, Mariâ sæviente, effossa & cremata, An. 1555. unà cum Fagii ossib. s, sed ambo, sub Elizabetha, An. 1560. publicis laudibus ornati, honoribusque suis restituti sunt. Hebrææ Linguæ apprimè peritus fuit. Vide *Bucerus*

Martinus Chemnitius, insignis inter Lutheranos Theologus. Vide Thuan. *hist. lib.* 84. & supra in *Chemnitius.*

Martinus Clivius, Anglus, Benedictinus. Scripsit homilias, Pitseus, *de Script Angl.*

Martinus Copus, Chmieletius, & Cunea, Medici insignes, laudati Vander Linden. Horum medius, gente Polonus, Basileæ docuit.

Martinus Cromerus, Polonus, Sigismundo II. à secretis, Varmiensis Episc. post Hosium Cardin. scripsit historiam Polon. libb. 30. Item, de situ, moribus, populis, &c. Poloniæ. Obiit An. 1589.

Martinus Crusius, Professor Tubingensis, Græcè doctissimus. Historica & Philologica varia scripsit, Gesn. *in Bibl.*

Martinus Delrio, Disquisitiones Magicas edidit Vide supra.

Martinus Dorpius, Hollandus, literas humaniores & Theologiam Lovanii docuit, Auctor plurium scriptorum. Val. Andr. *Bibl. Belg.* Barland. *in Chron. Duc. Brab.* Gesner. Obiit An. 1525.

Martinus Duncanus, Kempensis, è diœcesi Coloniensi præt. sec. inter suos magni nominis. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Marti-

Martinus Everardus, Medicus & Mathematicus, auctor Ephemeridum.

Martinus Francus, Atrebas, Felici Papæ & Nicolao V. à Secretis; Auctor libri fabulosi, *Rosa, &c.*

Martinus Fumæus, nobilis Parisinus; historicos Indicarum rerum in unum collegit, &c. Vide Morer. *Diction. Hist.*

Martinus Garcias, M. Melitæ Magister, Hispanus, Obiit A. 1601. Prudentiæ & moderationis laude clarus.

Martinus Garratus, Calaber, JC. scriptis inclytus. Forster. *Hist. JurisC. l. 3. c. 35.*

Martinus Gonsalvus, vel Gondisalvus, Hisp. fratrem S. Michaëlis se jactavit. An. 1359. addiditque, sibi à Deo sedem, è qua Lucifer excidit, reservari, se primam esse veritatem, scalam Cœli, & Antichristi eversorem: Exustus, jussu Arch. Toletani.

Martinus Gregorius, Turonensis, Medicinam Lutetiæ docuit, A. 1542. Galeni quædam vertit. Justus *in Chron. Med.* Vander Linden *de Scr. Med.* &c.

Martinus Hamconius, Frisius, scripsit *de viris rebusq; Frisiæ illustribus, Theatrum Regum, Principum, &c.* obiit A. 1621. æt. 70.

Martin. Hellingus, Henricus & Hessus, Med. Vid. Vander Linden.

Martinus Helvigus, Mathematicus insignis, Obiit A. 1574. æt. 58. Voss. *de scient. Math.*

Martinus Hortensius, Delphis Hollandiæ oriundus, Mathematicus doctissimus. Obiit A. 1640.

Martinus Laudunensis, Carthus. Scripsit *Parænetica*, quæ Petrejus edidit, A. 1607.

Martinus Lipsius, Bruxellensis, Canonicus reg. S. August. Lovanii, magnus Justi patruus, Editionibus Augustini, Hilarii, Symmachi, Macrobii, &c. egregiâ operâ navatâ, Obiit A. 1555.

Martinus Lutherus, V. *Lutherus.*

Martinus Marrerius, Benedictinus. Scripsit *Bibliothecam Cluniacensem, &c.*

Martinus Pansa, Medicus insignis. Vid. Vander Linden, *de Script. Med.*

Martinus Petrimannus, Lovaniensis, &c.

Martin. Pilus, Hollandus, V. Val. Andreæ, *in Bibl. Belg. p. 653.*

Martinus Polichius, Medicinæ Lipsiæ & Wittembergæ, Profes. Justus *Chron. Med.*

Martinus Polonus, quem cum Martino Carsulano, qui Pontificum historiam scripsit, Volaterranus confundit; Dominicanus, Pœnitentiarius Johannis XXIII. & Nicolai III. ab hoc Arch. Gnesnensis creatus est: Sed cùm illuc profectionem adornaret, obiit Bononiæ, A. 1279. Condidit Chronicon, usq; ad Johan. XXIII. cui auctarium accessit, usque ad A. 1320. Leander Alberti, & Anton. Senensis, *de Viris Ill. Ord. Dominic.* Simon Staravolscius, *de Script. Polon.* Gesnerus *in Bibl. &c.*

Martinus Rithovius Balduinus, è Brabantia, primus Episc. Iprensis. Turbatis Belgii rebus, Gandavum se recipere coactus, ibi in carcerem conjectus est. Inde liber, in Diœcesin suam excurrit, renascenti puriori doctrinæ sufflamen positurus, sed peste abreptus, Obiit, A. 1583. Audomaropoli. Scripsit Comment. in Magistrum Sententiarum, qui adhuc inediti. Item, Manuale Pastorum, impressum Lutetiæ, A. 1576. Morerius *Diction. Hist.*

Martinus Rulandus, Frisingensis, Medicus insignis, Græcè doctissimus. Plurima scripsit.

Martinus Segujerus, Medicinæ Doctor, Parisiis.

Martinus Siliceus, doctrinâ inclytus. Paulus Jov. *in elog.*

Martinus Smetius, Flander. *Inscriptionum antiquarum*, auctor. Ruremondæ à militibus suspendio necatus. J. Lipsius *Cent. 2. epist. misc. ep. 24.* Val. Andreas, *in Bibl. Belg.*

Martinus Scersius, Schoockius & Steinpeisius, Medici. Vander Linden, *de Script. Med.*

Martinus Turnhutanus, dictus VanderKeele, Franciscanus, Professor Lovanii, A. 1540. obiit, plurimis scriptis clarus.

Martinus Weindrichius, Uratislaviensis, Medicus, Scripsit *de Monstris, &c.* Vander Linden, *de Scr. Med.* &c.

S. Martinus, nomen exigui Princip. in Patrimonio D. Petri. Item Comitatus Imp. in agro Mantuano. Item, in Mutinensi, Comit. Item, arx Tusciæ. Item, una ex Antillis, sub Hollandis & Gallis.

Martion, Smyrnæus, de simplicibus affectibus scripsit. Plin. 26. c. 3.

Martis castra, Sozom. Amm. *Marotha* Lazio, opp. Hungariæ, apud Saum fl. haud procul à Sirmio.

Martius, prænomine *Publius*, Mathematicæ vanitatis, imperante Tiberio convictus; in quem Consules extra portam Esquilinam, cùm classicum canere jussissent, more prisco advertêre.

Martius Ancus. Vide *Ancus.*

Martius Festus, Eques Romanus, particeps Pisoni conjurationis in Neronem. Tacit. 2. 50.

Martius Macer, gladiatorum, in exercitu Othonis, Dux. Tac. *Hist. 2. 23.*

Martius Telo, Tolonium condidit, V. *Tolonium.*

Martius mensis, primus ex decem, quos Romulus constituit, unde initium anni Romanis: à Marte dictus. De diebus ejus festis V. Thom. Dempsterum. *Antiq. Rom. lib. 4. cap. 7.*

Martoranum, urbec. Calabriæ citer. Ep. sub Ar. Consentino. Vix 8. mill. ab ora maris Tyrrh. in Ort. Olim *Mamertium*. Ad Sabatum amnem, in limite Calabriæ ulter. 14. mill. à Consentia. Habitata à paucis, deficit in dies. Vulgò *Martorano.*

Martorelium, vulgò *Martores*, opp. Cataloniæ, ad Rubricatum fl. ubi recipit Notam, 7. leuc. Hisp. à Barcinone, in Circ. 5. à Manresa in Merid.

Martpurgum, vel *Marburgum*, quasi *Martisburgum*, urbs & Academia Hassiæ clarissima. *Amisia* F. Irenico dicitur. Vulgò *Martpurg.* V. *Marpurgum* & *Mattiacum.*

Martulana, urbs Umbriæ, olim Ep. V. *Marta.*

Martyr, Petrus Vermilius, de cujus nominis ratione consule Melch. Adami, Hetruscus, Florentinus: concionari cœpit, ut Regularis Monachus, A. æt. 26. Brixiæ primùm, dein Romæ, Bononiæ, Pisis, Venetiis, Mantuæ, Bergami: tum Abbas Spoletanus creatus est: postea Præfectus Collegio Neapolitano S. Petri ad aram: Triennio pòst generalis Ordinis Visitator declaratus, demum Prior S. Fridiani, Lucæ fuit designatus: unde ob structas sibi jam Evangelico insidias, Tigurum se contulit, paulo pòst Argentinam, dein in Angliam delatus, Jac. Verheiden *in Effig. Protestant.* Tanto fuit ingenio, tam excellenti doctrinâ, eâ præterea pietate & modestiâ, morumq; facilitate, ut non modò iis, quibuscum vixit, gratus, charus, reverendus fuerit; sed ab hostibus quoque & adversariis inter summos numeratus sit & admirationi illis fuerit, Oratio *de Vita & obitu ejus.* Obiit autem Tiguri A. C. 1562. æt. 63. Ejus extant Comment. in Genesin, Judices, libros Samuelis & Reg. in Threnos, ad Romanos, in pr. ad Corinthios. &c. V. præfatum Melch. Adami *in Vitis*, & Guil. Crowæum *Elencho Scriptorum*, ut & in voce *Petrus Martyr.*

Martyrius, Episc. Antiochenus, post Acatium, A. 459. à Petro Fullone hæretico, juncto Apollinaris sectatoribus, Nestorianismi accusatus, & ad Imp. Leonem citatus, Gennadium strenuum hyperaspisten nactus est. Hinc in sedem suam remissus, cùm videret Petrum interea se in eam intrusisse, Episcopatu se abdicavit: restitutus dein, tandem sub Zenone, qui Petro favebat, pulsus est, A. 474. Theodor. Lector, *l. 1. Collat.* Liberatus *in Breviar. c.* 18. Nicephor. *l. 15. &c.* Item Episc. Hierosolymitanus, post Anastasium, A. 477. Cappadox, discip. Euthymi. Obiit 485. Succ. Sallustius. Niceph. *in Chron.* Evagr. *l. 3. c. 16.* Cyrill. *in vita Euthym. & Sabæ.*

Martyropolis, Procop. *Miepherkin*, Joh. Lydo, aliis *Magarckin*, urbs Armeniæ maj. ad Nymphium fl.

Marubium, opp. Salentinorum, *Marugi*, vel *Maruggio*, apud oram littor. Sinus Tarentini, 15. m. p. à Tarento in Ort. Gallipolim versus.

Marucini, V. *Marrucini.*

Marullus, gente Juniâ, post P. Marium & L. Asinium designatus Consul. Tac. 14. 48.

Marullus, Trib. plebis, coronas Cæsaris Dictatoris statuis detraxit, eosque, qui primi Cæsarem Regem salutaverant, in vincula duci jussit. Quamobrem à Cæsare officio privatus est. Plut. *in Cæs.*

Marullus, Calaber poeta, quum Attilam regem Hunnorum per adulationem Deum, & divinæ stirpis prolem nominasset, propemodum vivus ab ipso, unà cum carmine, exustus est. Philippus Callimachus *in Attila.*

Marullus, Rhetor à Senecâ *Controvers. 1.* pro præceptore agnoscitur. Sic enim *in præfatione: Quum essemus*, inquit, *condiscipuli apud Marullum Rhetorem, hominem satis aridum, paucissima bellè, sed vulgato genere dicentem: quum ille exilitatem orationis suæ imputaret controversiæ, ac diceret; Necesse est me per spinosum locum ambulantem suspensos pedes habere.* Ajebat Latro, *Non mehercule tui pedes spinas calcant, sed habent.*

M. Marullus, Poeta Mimographus sub Antonino philosopho, ipsum etiam Imp. incessere solitus. Hujus est illud: *Tu ut Hector ab Ilio nunquam recedis.* Meminit hujus Hieronymus *contra Ruffinum*, & Galenus, qui se filium ejus gravissimo laborantem morbo, curasse scribit.

Pomp. *Marullus*, Grammaticus, Romæ profitebatur, sermonis Latini exactor molestissimus, cùm in oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Attejo Capitone, & esse illud Latinum, etsi non esset, futurum certè ob Cæsaris autoritatem & gratiam: *Jam inde mentitur* (inquit) *Capito: Tu enim Cæsar civitatem dare potes hominibus, verba non potes.* Lege *Marcellus.*

Marunda, Mediæ, & intra Gangem pop. Ptol.

Marunthas, seu *Marutthas*, Episcopus Mesopotamiæ, Isdigertem Persarum regem, gravissimo capitis dolore ac diutino, quem Magi profligare, ne mitigare quidem nequivissent, precibus ita sanavit, ac liberavit, ut eum morbum postea rex nunquam persenserit. Hist. Trip. 7. 8.

Marus, mons Thraciæ, qui *Tmarus* secundùm nonnullos & *Ismarus* dicitur. Item, fl. Germaniæ. V. *Moravus.* Item, fl. Hisp. in ora Asturum.

Marutthas, Episc. in Persia, Theodosio Min. imperante Isdigerdem R. parum abfuit, quin converteret: certè dolo Magorum memorabili detecto, effecit, ut Magis decimatis, religioni Christianæ libertas permitteretur: A. C. 421. quæ pòst sub Varane, ob Audæ Episc. factum, persecutione dirissimâ permutata est, V. Theodoret. *lib. 5. c. 39.* & supra in voce *Maruntbas.*

Maruvinus, fluv. Guajanæ, vulgò *Marvvynen.* Fontes habet versus lacum Parimum; & quamplurimis auctus fluv. in Oceanum Borealem se exonerat.

Maruvium, Strab. Vide *Marruvium.*

Marysus, vide *Marisus.*

Masaci, pop. Germ. infer. in Belgio, quorum oppidum *Maseyck* ad Mosam fluv. Sunt qui putent *Marsatios* esse Plinii, sed horum pagus *Marsen* dicitur, teste Ortelio. Baudrando meliùs *Marsatii*, fuere inter Usipetes ad Ort. & Caninefates ad Occ. seu inter Sinum Austrinum ad Sept. & Rhenum ad Mer. Ubi nunc Veluvia, tractus Geldriæ infer.

Masada, opp. Palæstinæ ad Asphaltitem lacum, Plin. *Moasada* Strab. *Massada* Josepho. *Massa* hodie, teste Pineto.

Masæsylia, regio Libyæ, Maurusiis contermina. Steph. pop. *Masæsylii.* Dionys. *vers.* 187.

Ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆες
Βόσκονται σὺν παισὶν ἀν' ἤπειρόν τε καὶ ὕλην,
Μαιόμενοι βιότοιο κακὴν καὶ ἀεικέα θήρην.
Οὐ γὰρ γειομόροιο τομὴν ἐδάησαν ἀρότρου,
Κείνοις δ' οὔποτε τερπνὸς ἀκούεται ὁλκὸς ἀμάξης,
Οὔδε βοῶν μυκηθμὸς ἐς αὔλιον ἐρχομενάων,
Ἀλλ' αὔτως, ἅτε θῆρες, ἀνὰ δρυὰ βουκολέονται
Νήϊδες ἀσταχύων, καὶ ἀπευθέες ἀμήτοιο.

Masal, civitas in tribu Aser, 1. Paral. 6. quæ Jos. 19. *Messal.*

Masaloth, nomen urbis, in tribu Nephthalim, à Bacchide expugnata. Dicitur & *Arbella*, plur. 1. Mach. 9.

Masanorada, urbs Cariæ, Steph. in nummo Titi Imper.

Masara, Armeniæ min. urbs, Ptolem.

Masares, vide *Mastaura.*

Masati, Libyæ interioris pop. Plin.

Masbatta, Gall. *Masbatte*, una ex Philippinis, inter Manillam ad Sept. & Cebuam ad Mer. Sub Hisp.

Masbothæi, Sectatores Simonis Magi, vel discipulorum ejus. Theodoret. *hær. fab. in Simon.* Baron. *An. Chr.* 35.

Masburgi, seu *Bravum*, urbs fuit Murbogiorum, nunc caput vet. Castellæ, *Burgos* Hisp. ad Arlanzam amnem: Episc. ab Urbano II. Ann. Chr. 1075. & Archiepisc. à Gregorio XIII. facta. Crevit ex ruinis Aucæ, à qua 15. m. pass. distat. Castrum habet naturâ munitum, 35. leuc. Hispan. à Madrito in Septent. 42. à Cæsaraugusta in Occ. 15. à Pincia in Cæc.

Masca, urbs Celtiberorum, Strabo. Item Arabiæ desertæ fluv. Xenoph. *lib. 1. exped. Cyri.*

Mascalatum, vulgò *Mascalat*, urbs fel. Arabiæ, vix 60. mill. ab ora Sinus Persici, in Austr. Caput regni cognom.

Mascatum, vulgò *Mascate*, urbs & emporium Arabiæ fel. in ora Sinus Armuziani, cum portu commodo & arce munita, antea sub Lusitanis, qui haud pridem ejecti, 220. mill. pass. ab Armuzia in Eurum.

Mascauci, vide *Misauci.*

Mascezel, vel *Mazezil*, Dux copiarum Honorii, Afer, filius Nubeli, Maurorum potentissimi, frater Gildonis, Africæ Comitis, quo contra Imperatorem insurgente, Mascezel fratris perfidiam detestatus in Italiam venit, viribusque exiguis nixus Gildonem, qui duos filiorum ejus interea necaverat, cum 70000. militum, quæ frater ducebat, superavit. Quâ victoriâ insolentior redditus, mox pœnas dedit, ut Orosius *lib. 7.* vult, vel ut Jornand. *de regn. success.* Zosim. *lib. 5. &c.* referunt, in Italiam redux, per milites à Stilicone, felicitati ejus invidente, de ponte in fluv. quendam præcipitatus est. Vide etiam Marcellin. *in Chron.* Claud. *lib. de bell. Gildon.*

Est illi patribus, sed non & moribus iisdem
Mascezel. ——— ———

Vide sis Heinsium *in locum.*

Maschane, urbs Scenitarum Arabum, Steph.

Masciacum, vicus Galliæ in Biturigibus Cubis, Monast. cognomine clarus, 3. aut 4. m. p. ab opp. Virsione distans: vulgò *Macay*, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Mascotus, urbs Libyæ, & alia prope Hesperidas, Steph.

Mascula, urbs Numidiæ, Anton. & D. August.

Masdorani, Asiæ pop. juxta Parthiam, Carmaniam desertam incolentes, Ptolem.

Masdoranus, mons qui Parthos ab Ariâ separat, Ptolem. *Chitelius* Castaldo.

Masepha, civitas in tribu Judâ, Jos. 15. Vide *Maspha.*

Maserephoth, vel *Maserephothmaim*, id est, *adustiones*, & *incendia aquarum.* Locus est, ubi excoquunt aquam ad ignem, refrigerandoque salem faciunt, Josuæ *cap.* 11. Vide illic Junium, & Masium.

Maserei, filius Sobal filii Hur primogeniti Caleb, ex Ephratâ concubinâ, 1. Par. 2.

Mases, urbs Argivorum, dicitur & *Masetus.* Cives *Masetii.* Stephano.

Masetis, palus quædam, & vicus, & insula, Idem.

Masfa, urbs Arabiæ felicis, caput regni cognom. in mediterran. ferè 300. m. p. ab Armuzia in Merid. uti 200. à Mascato in Occid. Forsan *Maspha* aliàs.

Masgaba, Masinissæ regis filius, Rex Numidiæ.

Masices, Maurit. Tingitanæ populi, Ptolem.

Masicytus, mons mari incumbens, qui Pamphyliam, & Lyciam dividit, Ptolem. *Climax* Straboni, Crago vicinus. *Massycites* Plinio dicitur. Vox est prorsus Phœnicia, quæque palam alludit ad Hebræam מצוקות *Metsucoth*, id est, *angustiæ.* Huc facit quòd Q. Calaber Φοινίκων ἕδος loca appellat Massicyto vicina. Sic enim ille *lib.* 3.

Πάντες ὅσοι Φοινίκων ἕδος περὶ πάγχυ νέμονται
Αἰπύ τε Μασσικύτοιο ῥίον, βωμόν τε Χιμαίρης.

Masii, Persiæ populi, Herod.

Masinissa, Rex Numidarum, acerrimus primùm nominis Romani hostis. Pœnos secutus, binis vicibus Syphacem Numidiæ R. vicit, An. 541. U. C. posteà verò, cùm Scipio, victo Asdrubale, nepotem Masinissæ absque lytro dimisset, fidelissimus socius, An. 551. U. C. prælio interfuit, quo Asdrubal cum Syphace denuo superatus est, junctusque Cajo Lælio Syphacem è fuga reduxit, captâ Metropoli ejus regni Massylorum. Ductâ dein victi Regis uxore Sophonisbâ, cùm Scipio conjugium non probaret, potionem illi, quam, ne dederetur Romanis, hauriret, summisit. Pace post hæc inter Romanos Pœnosque initâ, aliquot horum terras nactus est. Hic ad extremam usque senectam mirâ valetudinis prosperitate, vegetoque corporis robore est usus, adeo ut nonagesimo ætatis anno filium genuerit. Reliquit liberos, ex diversis uxoribus, quadraginta, mortique proximus rogasse Manlium Roman. Ducem, dicitur, mitteret ad se Scipionem Jun. quò inter amplexus ejus sibi mori liceret, ipsique mandata, de regni sui divisione, ultima daret. Florus, Polybius, Appian. Orosius, Livius *de 3. bello Punic.* Ovidius *Fastor.* 6.

——— *Superat Masinissa Syphacem.*

Masinissenses, Mauritaniæ pop. Ammian.

Masitholus, Libyæ inter. fluv. Ptolem.

Masium, seu *Mazius*, mons Asiæ, Tauri pars, inter Armeniam maj. ad Bor. & Mesopotamiam ad Mer. extenditurque à Samosata, prope Euphratem Amidam usque, ad Tigrim, à quo tantùm separatur Niphate monte.

Masma, filius Ismaëlis, Gen. 25.

Masmana, nomen viri principis, 1. Par. 12.

Masobia, nomen loci, 1. Par. 11.

Masonis Monasterium, opp. Sundgoviæ, sub Gallis: vulgò *Massmünster.* Ad radices Vogesi, in limite Alsatiæ, 12. m. p. à Mülhusia in Occ. uti 22. à Basilea, juxta Tolderum amnem. An à Masone, Alemannorum Duce?

Masovia, seu *Mazovia*, Gallis *Masovie*, regni Polonici regio, Samogitiæ ad Sept. Magno Ducatui Lithuaniæ ad Ortum, Poloniæ utrique ad Occasum, & Russiæ ad Meridiem contermina est, Regibus Poloniæ feudalis, Metropolim habet Varsoviam, ubi optimus conficitur potus ex melle constans, & sæpe Rex moratur. Cromer. *in Chron. Polon.* Baudrando terminatur ab Or. Lithuaniâ & Polesiâ, à Septentr. Prussiâ, ab Occ. Poloniâ majori, à Mer. minori. Aliàs Duces habuit proprios. Reliquæ Urbes sunt Plocum & Czerckum. Polachia prov. ad Ort. et etiam aliquando annexa fuit, ubi urbes Bielka, Augustavia, Tikoczinum, & Drogicina. Subjecit autem se Masovia Poloniæ sub Casimiro magno; Duces tamen habuit, usque ad An. 1526. quo regno Poloniæ in perpetuum est unita. Cromer. *Hist. Polon* Ortel. &c.

Maspha, civitas in tribu Judâ, quam ædificavit Asa rex, 1. Regum *cap.* 15. Est & locus Galaad, 1. Reg. 22. ubi pactum inierunt Laban & Jacob, Gen. 31. Baudrando urbs fuit duplex, una Tribus Gad, quæ & *Masphe.* Altera, quæ dicitur *Masphath*, 1. Regum 7. & *Mesphe.* In tribu Benjamin. In medio utriusque Lapis adjutorii, Ferrar.

Maspii, gens Persica, Stephan.

Masreca, civitas Idumææ, regia Semlæ quinti regis in Edom, Genes. *cap.* 36.

Massa, Procurator Africæ, delator, optimo cuique exitiosus. Vide *Bebius.*

Massa, idem quod *Mansus*: Fundi portio, cum idoneo domicilio, ad suscipiendam familiam unam, majorem, qualis Nobilium: vel minorem, qualis Rusticorum est. Unde plurimis locis nomen. Vide Hadrian. Valesium in voce *Mansum*, & Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Massa, quæ & *Massa Carrara*, vulgò quoque *Massa*, opp. cultum & amplum, Lunegianæ regiunc. in Hetruria, nuper Duc. tit. decoratum, sub proprio Duce, è gente *Cibo*, 12. mill. à Sarzana in Ort. 3. ab ora maris Tyrrh. Est hic Dux & Princeps Carraræ.

Massa, cognom. *Lubrensis*, urbecula est Terræ Laboris, Episcop. sub Archiepisc. Surrentino, cum tit. Princip. in ora Sinus Neap. 4. mill. à Surrento in Afric. Capreas versus, 20. à Neapoli. Parvi nominis, vulgò *Massa di Sorrento.*

Massa Veternensis, urbec. Tusciæ, Episcop. sub Archiepisc. Senensi, in territ. Senensi, 35. m. pass. à Senis in Afric. Populonium versus, à quo 18. mill. abest. In colle sedet, sub M. Duce. Illic natus Constantius Gallus Imper. Onuphrius.

Massa, fluv. Libyæ, Ptolem. *Masat* adhuc in tab. recent. Ammian. Et filius Ismaëlis, Gen. 25.

Massaca, urbs Indorum, Stephan.

Massa-

Massalibyi, Africæ propriæ gens, Strabo.

Massasytia, vide *Masæsylia.*

Massaga, Indiæ urbs, Arrian. *Mazaga* Curtio.

Massagetæ, pop. Sarmatiæ Europææ juxta Euxinum mare, qui *Alani*, quasi graves Getæ, *Massa* enim apud Scythas *grave* significat, teste Isidoro. Ultra mare Caspium, Orientem versùs, trans Araxem eos ponit Dionysius *vers.* 739.

Τοὺς δὲ μετ' ἀντολίην δὲ, πέρην κελάδοντος Ἀράξεω
Μασσαγέται ναίουσι, θοῶν ῥυτῆρες ὀϊστῶν
Ἀνέρες, οἷς μήτ' αὐτὸς ἐγὼ, μήθ' ὅστις ἑταῖρος
Ἐμπελάσαι· μάλα γάρ τε κακοξεινώτεροι ἄλλων.
Οὐ γάρ σφιν σίτοιο μελίφρονός ἐστιν ἐδωδὴ,
Οὐδὲ μὲν οὐδ' οἶνος μεσάδημιος, ἀλλὰ γὰρ ἵππων
Αἵματι μίσγοντες λευκὸν γάλα, δαῖτα τίθενται.

Sallustius *de Diis*, & *mundo.* Μασσαγέται μὲν τοὺς πατέρας ἐσθίουσι.
Statius *in Achilleide:*

Lactea Massagetæ veluti qui pocula fuscant
Puniceo. —— ——

Lucanus *lib.* 3.

Longaq; Sarmatici solvens jejunia belli
Massagetes qui fugit equo. ——

Claudianus:

Massagetæq; truces, duro gens aspera bello.

Idem:

Est qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes. —— ——

Uxores habent communes, cum quibus in publico coire non verentur. Sub tentoriis habitantes, nulla templa habent, Solem præcipuè venerantur, cui & equum immolant, cæteros habent neglectui. Sævi & crudeles, hostes propinquosque defunctos devorarunt, Strab. *lib.* 11. Ptolem. Herodot. *Alani* Ammiano & Gregoræ. *Abasgos* esse putat Joh. Tzetza, postea *Argos* vocatos dicit Isacius Tzetza. Thevetus eos *Abinadal* vocat. Baudrando erant populi Scythiæ, intra Imaum, inter Jaxartas & Alano-Scythas, ubi nunc pars Austr. Tartariæ desertæ, versùs Zagatajam.

Massala, Homeritarum urbs in Arab. Fel. Plin.

Massalia, Cretæ fluv. Ptol. *Masano* Pineto: in ora Austr. inter Phœnicem & Psychium opp. fluens.

Massaliani, hæretici, sub Constantio exorti An. 361. etiam *Euchaitæ*, id est, Precatores & Spirituales dicti: eò quòd omnia bona opera negligentes, solis precibus insistendum dicerent, abusi illo Pauli: *Indesinenter orate.* Auctores sectæ hujus Monachi erant è Mesopotamia, qui precum prætextu manuarias operas, quibus tum inter alia Monachis vacare solenne erat, omiserunt: Porro quemq; duas habere animas statuerunt, quarum altera plus quàm cœlestis, altera Dæmon esset, per preces exigendus. Prophetiæ donum jactantes, corporeis oculis se Trinitatem videre, ejusque commercio tam propinquo frui, ut à peccatis planè sint immunes, dicebant. Presbyteros habebant, & Episcop. quibus, inprimis cùm ordinabantur, Diabolus sæpissimè illusit, visibili formâ, quasi Spiritus Sanct. esset, in illos descendens: tum choreas orti Diabolo se insultare dictitabant, unde & *Enthusiastæ* vocati. Nemini, nisi suæ sectæ eleemosynam erogarunt, conjugia dissolverunt, liberos invitis parentibus sequi se coëgerunt: Cœtera comati, splendideque induti. Cùm undique nascenti sectæ Orthodoxi se opponerent, ultra Mesopotamiam Syriamque non progressa est. Eodem tempore, alii quidam Monachi in Ægypto cum nemine precari volebant: Alii seipsos Episcopos creantes, munera sacra obibant, propriâ authoritate baptizantes, qui Arianismo deserto ad fidem convertebantur. Alii nec exspuere, nec nares emungere licere, inter orandum, crediderunt. Qui omnes condemnati. Theodosius M. legibus hos (e *Saccophoros*, ita enim quoque vocabantur, coërcuit. Flavianus Antiochenus, ex Adelpho Sene, de erroribus eorum edoctus, Synodo convocatâ, illos damnavit, nuntio hac de re ad Armenios & Osroënos misso: Amphilochius quoque illis in Lycaonia se opposuit. Nihilominus adhuc clam suppullulantes, An. 427. Synodo celebratâ denuo damnati sunt, decretumque, ut propter frequentissimam illorum Apostasiam, ne quidem pœnitentiam polliciti, reciperentur. Epiph. *hær.* 80. Augustin. *de hær. cap.* 57. Theodoret. *hær. fab. lib.* 4. Joh. Damasc. *hær.* 80 Baron. *in Annal.*

Massalioticum, Polybio, Plin. *Gras de Passon*, ostium Rhodani, maximum, in Ortum, Massiliam versus spectans, & Maritimam oppidum.

Massani, Indi fluv. circa ostia accolæ, Diodor. *lib.* 17.

Massepha, in Moab, quò profugit David, Saulis insidias declinans. In tribu Ruben, Hieron.

Masseranum, oppid. Pedemontii, sub Principe proprio, è gente Ferrera Flisca, cum regiunc. adjacente, 16. mill. ab Eporedia, in Ort. 23. à Vercellis in Circ. Insertum est in territor. Vercellensi. Princeps hic Pontif. cliens est; & ei etiam Crepacorium, oppidul. illius tractus adjacet. Vulgò *Masserano.*

Massesyli, vide *Massyla.*

Massia, opp. Hispan. Bœticæ, ubi lateres siccati in aquâ non merguntur, Plin. *Maxia* Vitruvio: apud Tartesios.

Massica, regio Bæticæ Tartesiis opposita.

Massici montis promuntor. extremum Massici montis, Plinio, aliàs in Campania, ad Sinuessam, nunc in prov. Terræ Laboris, & *Rocca di Mandragone* dicitur. Estque in ora maris Tyrrheni, medium inter ostia Liris & Vulturni.

Massicus, mons Campaniæ. Nunc Terræ Laboris, *monte Marsico:* Inter Minturnas & Calemum extensus, versus oram maris Tyrrheni. Etiam *Falernus* dictus est, ab agro contermino. Pars ejus *Mondragone* incolis, versus oram maris Tyrrh. Baudrandus. Optimi vini ferax, quod etiam *Massicum* dicitur. Horat. 1. 1.

Veteris pocula Massici.

Idem *lib.* 2. *Ode* 7.

Obliviosо levia Massico
Ciboria exple.

Martialis *lib.* 1. *epigr.* 27.

Egerit & nigros Massica cella cados.

Idem *lib.* 13. *epigr.* 108.

De Sinuessanis venerunt Massica prælis.

Idem *lib.* 4. *epigr.* 13.

Massica Theseis tam bene vina favis.

Hinc Virgilius *Georg.* 2.

—— *Et Bacchi Massicus humor.*

Signatissimè ad laudem vini Massici verba ista Columellæ *libr.* 3. *cap.* 8. *Neq; enim dubium est, Massici Surrentiniq; & Albani, atque Cæcubi agri vites omnium, quas terra sustinet, in nobilitate vini principes esse.* Plin. *lib.* 14. *cap.* 6. ubi de vinis nobilissimis: *Certant Massica æquè.* Hodiè *monte Marso* dicitur.

Massicytus, vide *Masicytus.*

Massilia, Græcis Μασσαλία, de qua Florus *lib.* 4. *Epitom. Rerum Rom. cap.* 2. *Massilia*, inquit, *Græcula civitas, non pro mollitie nominis, & vallum rumpere, & incendere machinas ausa, & congredi navibus:* sive quòd μάσσειν mollire significat, sive quòd μαλακία parum abest à Μασσαλία: urbs Galliæ Narbon. præclara, Episcop. sub Archiepisc. Arelatens. Phocensium colonia, vide infra, Lampsaci in Hellesponto soror: Optimarum olim disciplinarum studiis florentissima, legibusque sanctissimis optimè constituta, Macedonibus Æropo, Ebræis verò Sedeciâ imperante, condita. Diruta deinde à Phocensibus instaurata est, qui Cyri tyrannidem fugientes, destitutâ Græciâ, in hanc Galliæ oram sese contulerunt. *Marseille* Gallis, *Marsiglia* Ital. Agrum habet vini præstantissimi feracem, cujus vini utpote fumati, sæpius meminit Poëta Martialis, ut *lib.* 13. *epigr.* 120.

Fumea Massiliæ ponere vina potes.

Massilienses olim non solùm literis, sed & moribus maximè claruerunt, uti apud Cicer. *pro L. Flacco*, & apud Strabon. videre est. Unde Plautus *in Casinâ*, *Massilienses mores*, tanquam optimos, & probatissimos dixit: *Ubi tu es qui colere mores Massilienses postulas?* Iidem luxus notati sunt. Unde *Massiliam navigas*, & è *Massiliâ venisti* apud Suid. de nimis cultis dicitur. Cæterum de *Massiliâ* vide omnino Conr. Rittershusium *comm. in Salust. pag.* 568. De quâ etiam nos plura, *ad illud Dionysii Perieg.*

—— —— Ἔνθα τε γαῖα
Μασσαλίη τε πάνυσαι ἐπίστροφον ὅρμον ἔχουσαι.

Lloyd. Morerio civitas est Episcop. Provinciæ, cum portu celeberrimo, ad mare Mediterr. olim viribus literisque tanti nominis, ut cum illa societatem arctissimam Romani inierint, privilegiisque eam amplissimis ornaverint. A Phocensibus, colonia Atheniensium in Jonia, condita: qui patriâ relictâ, an ob sterilitatem, an ob Harpali, Præfecti Persici, tyrannidem, Ephesum venerunt, ubi Aristarcha nobilis fœmina, per somnium monita est à Diana, ut unam ex statuis suis sumeret, hosque peregrinos sequeretur. Quod factum. Sic ergo, post Corsicam prius occupatam, quam Cyrnon appellavere, in Provinciam appulerunt, An. 164. U. C. primaque Massiliæ fundamenta jecerunt: Vide Senec. *Consol. ad Martiam*, & Liv. *lib.* 5. qui hos Phocenses à Belloveso adjutos narrat, in loco, invitis Salyis Cavaribus, capiendo. Justinus autem *libr.* 43. rem paulo aliter persequitur. Hanc post annos quinquagenos nova popularium manus adveniens insigniter auxit. Duces Furius & Peranus, quem quidam Euxenum appellant, fuere: qui Senani Ligurum Gallorum Reg. gener factus, ex Gipite, aliis Peta seu Aristoxena Protyn genuit, unde Protidarum illustre Massiliæ genus. Ab his Massilia legibus, templis, Academiâ, artibus exornata, Aristocraticè recta fuit, sub quindecim-Viris, è numero 600. Senatorum selectis. Huc postea missi ex universa Gallia Italiaque, tanquam ad communem Scholam, ut literis imbuerentur; Hinc egregii mores legesque per totam Galliam propagatæ. Et certè *Massiliensium* civitatis disciplinam atque gravitatem, fidem in Romanos, & prisci moris observantiam laudant Cicero, Valerius, Sillus, Livius, omnes. Strabo de eorum parsimonia & studiis liberalibus, deque Republ. à Senatoribus regi solita multis refert: & Tacitus *in Agricola*, *Massiliam* vocat *locum Græcâ comitate & provinciali parsimoniâ mistum ac bene compositum:* quam Cnæus J. Agricola sedem ac Magistram studiorum habuerit, & quòd L. Antonium sororis nepotem Augustus seposuerit, specie studiorum. Romanis, quibuscum veterrimum fœdus ei intercedebat, quosque in magnis sæpe discriminibus adjuvit, ut Civibus ejus immunitas decreta & locus spectaculorum in Senatu datus sit, urbs adeò fida fuit, ut Paterculus scribat, *Massilia fide major, quàm consilio prudentior.*

tior. Cæsarem postea, qui *arcis* Massiliæ meminit, in qua Ephesium seu templum Dianæ Ephesinæ & Delphini Apollinis fuisse, Strabo docet, infestum experta, & ab ipso capta est. Dein præda Gothis aliisque Barbaris fuit. Occupata etiam ab Alphonso, Arragonum Rege, An. 1423. postea recepta, tamque insigniter reparata est, ut Caroli Borbonii, An. 1524. & Caroli V. Imp. 1536. acerrimos im petus ex facili eluderet, jam vetustissimis temporibus bello contra Gallos, Cavares nempe, Vocontios, Volcas Arecomicos & Tectosages, Ligures, Salyos Segorejos, Deceates, & Oxubios, Pœnos, alios: coloniis Nicæâ, Antibâ, Rhodâ, Agathâ, &c. deductis, inclyta: quibus adde emporia in Hispania Tarracon. post amicitiam cum Hispanis junctam, ex parte condita à Massiliensibus & possessa: Item Cabellionem & Avenionem, quas urbes in Cavaribus occupavere. Verbo, nominibus Græcis, censentur trans Varum in Italia portus Herculis Monœci, Nicæa plaga trans Varum, Antipolis portus, Athenopolis Massiliensium, Heraclia Cacabaria portus, Telo Martius portus, Taurentum portus, Olbia, promuntor. & portus Citharista, Agatha trans Rhodanum, atque Leucata littus ac promuntor. & trans Pyrenæam in Hispan. Tarracon. emporia: in ora Galliæ insula Agatha, Alonis, tres Stœchades, Prote, Mese, Hypæa, Phœnice, Phila, Lero, & Planasia, sive Lerina: quorum pleraque Massilienses possedere. Postquam Gothis se urbs subduxisset, sub Burgundiæ Regibus fuit, donec ad Gallos pervenit. Tum primò Vice-Comites habuit peculiares, dein ad Comites Provinciæ devoluta est, An. 1243. Coronæ tandem unita Ann. Chr. 1481. Portum urbs habet aptum navibus, qui Λακύδων, Mellæ & Eustathio dicitur: Hic naturâ quidem factus & tutissimus, at angustus aditu, nec magnæ classis capax est; unde & catenâ ferreâ clauditur. Portui proxima olim navalia, de quibus Cæsar atque Lucanus, quorum ille altitudinem quoque muri & turrium celebrat, *lib.* 2. Ibidem & priscis temporibus Amphitheatrum fuit, unde *Monachorum S. Mariæ de Arenis* Monasterium nomen accepit. Solis 1050. pass. terræ cohærere Massiliam, ait Eumenius: quæ in vett. Notit. inter provinc. Viennensis Civitates 14. ultimo loco: in recentior. verò inter Episcopos Arelatensi Burgundiæ Archiepiscopo suffragantes primo ponitur, quemadmodum hodieque Massilia, Augusta Tricastinorum, Telo Martius, & Arausio Cavarum Arelatum pro Metropoli habent. Hinc orti fuerunt Menecrates JC. Crinas, Charmenides & Demosthenes Medici: Pythias & Eudemenes Geographi: Pacatus, Oscius, Victorinus, & Petronius, Rhetores: Telonius & Gujareus, Astrologi: Item Cassianus, Salvianus, Honoratus, Gennadius, Musæus, Cyprianus Telonensis, &c. Primus Episcopus S. Lazarius fertur: fuitque olim hic Episcopatus sub Metropoli Viennensi, nunc sub Arelatensi est, ut dictum. Regionē olim habuit satis, ut ex dictis colligere est, amplam, & Cn. Pompejus patronus civitatis, *agros Volcarum Aremoricorum & Ilvorum publicè Massiliensibus concessit*, Cæs. *lib.* 1. *de bell Civil.* sed hic *victis terrâ mariq; & dedentibus sese abstulit omnia, præter libertatem*, Florus. Quædam tamen eis, ut Stœchades & Athenopolis, videntur relicta, sed & fœdus cum Romanis mansit intactum, unde *Fœderata* dici perrexit. Plin. cui adde Strabon. & Cassiodorum, qui & *Massiliensium horreorum* meminit. Postea Provincia Massiliensis dicta, continebat præ cœteris Massiliam, Avenionem, Aquas Sextias, & Austrasiorum Regibus parebat: eratque ab Arelatensi provinc. Burgundiæ Regibus parente, in qua erant Arelatum, Ugernum, Reii, &c. distincta: Cujus Præsides Gregor. sæpe Rectores provinciæ, nonnunquam Præfecti, atque etiam Patricii appellati. Ager *Massiliensis* vitem ac oleam tolerare, frumenti impatiens esse Straboni dicitur. Quare Justinus affirmat, Gallos à Massiliensibus vitem putare & olivam, serere didicisse. Incolæ *Massilienses*, vulgò *Marseillois*, Phocensium conditorum industriam imitati, mercaturâ & navigationibus magnas sibi opes paravere: nundinas etiam statò quotannis tempore domi instituere, ad quas naves transmarinæ oleo, chartâ, odoribus onustæ ex Ægypto aliisq; partibus confluebant: quibus nundinis mercibusque *Catapli* nomen inditum, ut ex Martiali, Ausonio, Sidonio patet. Sanè, regnantibus in Ægypto Soldanis, Massilienses mercatores cum Avennicis & Lugdunensibus bis quotannis Alexandriam navigantes, inde aromata mercesque alias in Provinciam totamque Galliam importabant. Quod commercium sibi postea vindicavere Veneti, quibus dein quæstum invidit Lusitanorum navigatio. Hodieque Massilienses Alexandriæ ad Issum Vice-Consulem suum habent, Consulem Halapiæ Syriæ, unde aromata, gossipium, pistacia, gemmas, margaritas, monetam auream & sericum, ut & in Cypro apud Arniquam, unde gossipium, ladanum, resinam è terebintho & crocum petunt. Ab urbe hac ostium Rhodani tertium amplissimumque *Massilioticum* dicitur: item *Gradus Massilitanorum* in Rhodano, *littus Phocaicum* in Hispaniâ, Mare *Græcum*, quod toti Septimaniæ ac Provinciæ præjacet, Mare *Massiliense* circa Massiliam & Stœchades Insulas, &c. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Adde prædictis Auctoribus Ruffinum, Solerium & Guenajum *Hist. de Marseille.* Nostradam. & Boucheum *Histor. Prov.* Robertum & Sammarth. *Gall. Christiana:* qui ex priscis sæpissimè laudant Ptolemæum *lib.* 2. & 5. Strabon. *lib.* 4. Aristotel. *Politic. lib.* 6. Justinum *lib.* 43. Athenæum *lib.* 13. Ammian. Marcellinum *libr.* 15. &c.

Massiliæ specula, vicus Provinciæ, in ora maris Mediterran. vix 2. leuc. à Massilia in Ortum, ubi pharus, è qua Massilienses animadvertunt naves proximè adventantes. Baudrand. αὐτόπτης. *Marseille veire.*

Massima, Gulussæ filius, Masinissæ regis Numidiæ nepos, Romæ, ex insidiis, à Bomilcare quodam interfectus est.

Massus, tertius Episcopus Parisiensis, Malloni successit, auctor Hist. Martyrii S. Dionysii & Eleutherii: quod opus periit. Vossius *de Histor. Latin.*

Massyla, mediterranea est pars Mauritaniæ, inquit Servius, unde non longè sunt horti Hesperidum, & Atlas mons. Apud Livium in Numidiâ ponitur. Populi *Massyli.* Μασυλῆες Dionysio, quos Plinius inter Capsitanos, & Gætulos apud Libyæ deserta locat. Hi neque frænis, neque ephippiis utuntur, solâ contenti virgâ, quâ equos regunt. Liv. *lib.* 4.

Et gens quæ nudo residens Massylia dorso,
Ora levi flectit frænorum nescia virgâ.

Martia'is *lib.* 9

Et Massylæum virga gubernat equum.

Item *Massylus* adjectivum. Silius:

Non ille Evantis Massyli palluit iras.

Masta, Æthiopiæ sub Ægypto mons, & civitas, Ptolem. *Graro* incolis hodiè, teste Joh. Barosio.

Mastaura, Leunclavio *Mestaurebe*, urbs Lydiæ, sic à *Ma* appellata, quæ Rheam sequebatur, cui Jupiter Bacchum nutriendum dedit. Quum verò à Junone *Ma* interrogaretur, cujus esset infans, Ἄρεος, id est, Martis esse respondebat. Atque hinc apud Cares Bacchus *Masaris* vocatus fuit. Ipsa etiam Rhea *Ma* vocabatur, cui tauro apud Lydos faciebant. Vide Stephan.

Masthala, Arab. Fel. urbs, Ptolem.

Mastiani, populi, juxta Herculis columnas, ab urbe *Mastia* dicti, Stephano.

Mastinus Scaliger, Veronæ Dominus, Parmam, Lucam & Patavium in suam potestatem redegit: conjuratione tamen totius Italiæ perterritus, Patavium quidem fœdere icto dimisit, Parmam tamen & Lucam retinuit. Blond. Platin.

Mastita, Æthiopiæ sub Ægypto gens, & in Ægypto, Ptolem.

Mastramelle, urbs & palus Celticæ, Steph. *Mastramela* Plinio, cujus hæc sunt verba: *Ultra fossæ ex Rhodano, C. Marii opere, & nomine, insigne stagnum Mastramela, oppidum Maritima Avaticorum.* Eadem itaque est Mastramela, & Maritima. Vide etiam *Astromela.* Nunc *Martegue* vocatur oppidulum, & lacus quem obstruit, *Lac de Martegue.* Apud Festum Avienum memorantur hoc loco:

Oppidum priscum Ramas,
Trabalæ paludes. ——— ———

Sed profectò portentosè locus ille est inquinatus. Totum itaque sic legit Vossius:

Gens hic Veragri: Bergineq; civitas,
Salyes atroces: oppidum Mastramelæ
Priscum paludis, terga celsum prominens
Quod incolentes Citharistium vocant.

Mastusia, Ptolem. Plin. *Capo Griego*, Nigro, promuntor. Chers. Thraciæ, in ora Austral. contra Sigeum, 163. mill. pass. ab Athomonte in Ort.

Mastutius, vide *Matusius.*

Mastya, oppidum Milesiorum, in Paphlagonia, Plin. inter Tejum & Cromnam.

Masulepatanum, Gallis *Masulepatan*, urbs & emporium regni Golcondæ, in ora sinus Ganget. Cum portu capaci, valde ab Europæis frequentato, ubi aliàs arx Lusitanorum.

Masurius, Masuerus, vel *Masurerius*, JC. Gallus, scripsit *Practicas Forenses*, An. 1560. Ejus non sine elogio meminit Covarruv. *Pract. quæst. cap.* 17.

Masurius Sabinus, eques Romanus, J. C. auditor & successor Attei Capitonis. Meminit illius Persius:

Excepto si quid Masuri rubrica notavit.

Similiter Pomponius *Pandect. de Origine Juris.* Citatur subinde ab Aulo Gellio. Scripsit Fastorum, & rerum memorabilium libros, Commentarios de Indigenis, de Jure civili, de Furtis. Porro jam quinquagenarius, quum inopiâ magnâ laboraret, ab auditoribus sustentatus est. Floruit sub Tiberio, à quo ut sibi de Jure respondere liceret, obtinuit. Athenæus *lib.* 14. hæc de eo habet, Μασύριος ὁ πάντα ἄριστος, καὶ σοφὸς, καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος. Vide etiam Plin. Macrob. Gesner *in Bibl.* Voss. *de Histor. Latin. lib.* 1. *cap.* 21. &c. Alius est, cui Paulus aliquot libros scripsit, 2. *Institut.* 14.

Masyntias, nomen Servi, apud Aristoph. *Vespis.*

Mataja, vulgò *Mataya*, prov. Americæ merid. juxta fluv. Amazonum, inter ostia Maderæ & Tapailæ flum. Pet. Texeira.

Matalia, Ptolem. opp. olim, nunc pagus Cretæ, in ora Austr. ad Electræ fluv. ostium. Inter Psychium opp. ad Occ. & Leonem promunt. ad Ort. *Matalia*, & *Matala* hodie.

Matamanum, vulgò *Mataman*, regnum Africæ infer. in ora Occid. maris Æthiop. inter regnum Benguelæ ad Bor. & oram Cafrorum ad Merid.

Matania, vulgò *Matan*, una ex Philippinis, inter Cebuam ad Bor.

Bor. & Mindanoam ad Austr. Aliàs Regem habuit propr. dein Hispan. paruit, nunc iterum sui juris, à paucis annis.

Mataputena, id est, devinceus meretricem, *Mate putain*, castrum Galliæ, ab Henrico I. Angl. Reg. Ann. 1119. conditum: hodieq; proximus Albæmarlæ viculus, *Vieil Rouën* dictus. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Matatania, regiuncula, in parte Or. Madagascariæ, prope oram littor. & Matatanum fluvium, ubi aliquot coloniæ Francorum, à paucis annis. Gallis *païs de Matane.*

Mataurus, urbs Siciliæ à Locris condita, Stephan.

Matelga, oppidum Garamantum, Plin.

Mateni, Sarmat. Asiaticæ gens, Ptolem.

Mateola, urbs Archiepisc. prov. Hydruntinæ, ad amnem *Canapro*, in limite Basilicatæ. Deficit in dies, 30. mill. ab Acherontia in Ort. totidem à Taranto in Occ. & 25. à Bario in Merid. *Matera* vulgò. Olim Apuliæ Peucetiæ, in confin Lucaniæ, fuit urbs sed ejus hodie idem cum Acherontia Archiepiscopus est.

Mater Magna, Terra dicitur, & sus prægnans ei mactabatur, quæ hostia est propria Terræ. Dicitur & *Mater Alma*, quod omnia alat. Item *Mater Deûm*, quòd omnia generet. Vocatur item *Phrygia*, à monte Phrygiæ, quem plur. num. *Dindyma* vocant. De *Matre Matuta*, vide *in Matuta.*

Materæ Deæ, quibus hastæ olim dicabantur, affigebanturque.

Materanum, vulgò *Materan*, & *Materavu*, urbs ampla & prim. Javæ insula, caput regni cognom. in parte Austr. Insulæ, 100. leuc. à Bantamo in Ort. Balambuanum versus 120. sed 40. tantùm à Japara in Mer. Hujus Regi subfuit olim tota Java, sed regna in parte Bor. jam dudum ab eo defecerunt.

Maternense, alio nomine *Elobremense* castrum olim Galliæ, vulgò *Marné*, vel *Marnay*, nunc vicus est, non procul ab Augustoduno. Ejus meminit Auctor *vitæ Heptadii Presbyteri*, civis Augustodunensis, qui intra castri Maternensis terminum, nutritus ibi dicitur. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Maternus, Consul cum Bradua, An. U. C. 917.

D. *Maternus*, D. Petri discipulus, Coloniæ primus fidem Christi annunciavit. Munst. *Cosmogr. lib.* 3.

Maternus, vide *Julius Firmicus Maternus*, & *Curiatius Maternus*. Item, Episcop. Coloniensis, deputatus ad Donatistarum cum Episcopo Carthag. dissidia cognoscenda.

Mathan, Deiparæ Virginis avus, Hier. It. pater Saphatiæ, Jer. 18.

Mathana, solitudinis nomen, Num. 21.

Mathanai, nomen viri, Esdr. 10.

Mathania, sive *Mathanias*, filius Josiæ, patruus Joachin, Frater Joacim, sive Eliacim, à Nebuchodonosor Sedecias dictus 4. Reg. 14. Vide *Sedecias*. Filius Micha, 1. Par. 9.

Mathanian, nomen viri, 1 Par. 25.

Mathat, pater Eli, patris Joseph viri Mariæ, Luc. 3. 24. Matth. *cap.* 1. *v.* 15. illum Eleazari filium facit, & Mathanem vocat: quod hinc factum, quia ex hoc quidem genitus, ab illo verò adoptatus est. Torniel. *An. M.* 3911. *n.* 2. 4037. *n.* 5. *&* 6.

Mathathai, Arab. Fel. populi, Plin.

Mathathias, Sacerdos, ex familia, Joarib Maccab. seu Assamon. dicti ab Avo, Pater Judæ Macc. vir pietate clarus, Judæum quendam idolis palàm sacrificantem, juxta mandatum Antiochi zelo Domini accensus, occidit ad altare ipsum, quod & diruit: ac mox etiam interfecit Antiochi Regis Legatum, præcipientem idolis immolare. Idem postea author fuit, pugnandi Judæis, etiam die Sabbathi, cùm jam mille occubuissent, religiosè nimis observantes hunc diem. Multi itaque Judæorum adjunguntur Mathathiæ, & illum sibi judicem creant, qui & Sabbathis eos docet pugnare: quod si non feceritis, inquit, vobismet ipsis eritis hostes, in illo die contra vos venientibus inimicis. Sic arma corripiens, cum filiis quinq; patrias leges adversus Antiochi duces vindicavit, præfuitque populo annum unum, scil. Mundi 3887. ante Christum natum 167. Vide *lib.* 1. Maccab. *cap.* 2. Joseph. *lib.* 12. *cap* 7. *&* 1. *de B. J.* Hoc initium Principatus Assamonæorum, qui duravit usque ad Herodem, fermeque semper Pontificatum annexum habuit: quam dignitatem Mathatiæ primogenitus Judas Machabæus, primus possedit. Vide insuper Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.*

Mathathias, primog. Sellum Coritæ, 1. Par. 9. Sacerdos, 1. Par. 15.

Mathera, urbs Italiæ à Græcis destructa, An. Dom 979.

Mathias, Huniadis filius, Ungariæ Rex, A. Dom. 1460. magnam Bohemiæ partem subegit, posteaque Bohemorum Rex electus est. Vide quoque *Matthias.*

Mathias, frater Jonæ, summus Judæorum sacerdos, A. D. 45.

Mathildis, filia Balduini, Flandriæ Comitis, uxor Guilielmi Angliæ Reg. Obiit An. 1083. Item, alia Angliæ Regina, quæ obiit An. 1118. Item, mater Ottonis M. Item uxor Henrici V. Imper. filia, Angliæ Regis.

Mathildis, vel *Matildis*, quædam virili animo mulier, Tusciæ Comes, filia Bon facii Regi, Lepidi, Parmæ, Lucæ, Ferrariæ, & Mantuæ Marchionis, (cui pater Theobaldus, ex Azonis, de quo vide in voce *Welfi*, stirpe oriundus erat) ex Beatrice, an filiâ Conradi II. Imper. quæ Bonifacio marito orbata, Godofredo Barbato Duci infer. Lotharingiæ nupsit. Hujus filius cognom. insuper *Gibbosus* dictus, paulo antè Hedwige Namurcensi, sorore Alberti II. Com. viduatus, Mathildi fidem matrimonii dedit, sed conjugium successu caruit, & post Ducis mortem, nupsit Mathildis Guelpho Jun. Bavariæ D. nepoti Azonis, Ferrariæ Marchionis, An. 1089. Sedis Romanæ partes cum zelo amplexa, Henrico IV. Imper. acriter se opposuit, ipsa sæpe in acie militum ductrix. Parmam, Mantuam, & Ferrariam cepit, An. Chr. 1101. Adulterii cum Gregorio VII. qui Wormatiæ in Synodo, Necromantiæ, adulterii aliorumque scelerum accusatus legitur, Lamb. Schaffnab. suspecta, omnes suas ditiones Romanæ sedi legavit: Hinc patrimonium Petri. Obiit nullâ ex maritis prole susceptâ, An. 1115. æt. 76. Abbas Ursperg. &c. De donatione ejus. vide in voce *Italia.*

Mathis, seu *Matis*, Castaldo *Matin*, fl. Maced. apud Pyrrachium.

Mathitæ, Æthiopiæ sub Ægypto pop. Plin. *Matites* fortè Ptol. quos in Libyâ interiori describit.

Matho, Afer quidam seditiosus, cujus historiam, vide apud Cæl. Rhod. *lib* 29 *cap.* 2.

Matho, causidicus, de quo Juven. *Sat.* 1.

Causidici nova cùm veniat lectica Mathonis
Plena ipso. —— ——

Idem alibi *Sat.* 7.

Sic Pedo conturbat, Matho deficit.

Ubi Lubin. *Dejicit.*

Mathusael, filius Mehujael, Gen. 4. Lege *Methusael.*

Mathusalem, filius Henoch, filii Jared. Natus An. M. 688. cùm Pater esset an 65. Genuit Lamechum, patrem Noahi, A. 875. Obiit An. 1656. æt. 969. paulo ante diluvium: Inter omnes homines longissimam vitam adeptus. Gen 5. Luc. 3. Torniel. Salian. &c.

Matiana, pars Mediæ, Stephanus *ex Strab.*

Matica, prov. regni Apalacitarum, in Florida. Versus Apalatæos montes, ubi aliquot coloniæ Anglorum, à paucis annis. *Matique* vulgò, Bristochius.

Matiena, quod & *Tiora* Halicarnasseo *lib.* 1. Umbriæ opp. est, in quo quatèr prata secantur, Vincentino authore.

Matieni, pop. Asiæ Armeniis proximi. De quibus Dion. *v.* 1002.

Ἀνέρες Ἀρμένιοί τε καὶ ἀγχέμαχοι Ματιηνοὶ
Οὔρεσι κεκλιμένοι, ποταμοῦ πρόπαρ Εὐφρήταο
Πιόνες ἀφνειοί τε, καὶ Ἄρεος εὖ δεδαῶτες.

Item pop. Cappadociæ, ad dextram Halys ripam.

Matilicates, populi Piceni, quorum oppidum hodiè *Matelica* dicitur, opp. Piceni, in dit. Pontif. versus montes, 9. mill. à Septempeda in Occ. 7. à Fabriano in Ort. 17. ab Æsi in Austr.

Matinus, mons Apuliæ buxis abundans. Lucan. *lib.* 9.

—— —— *Arva*
Vulturis, & calidi lucent buxeta Matini.

Horatius *lib.* 1. *epist.* 28.

Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera. —— ——

Idem *lib.* 4. *epist.* 2.

—— *Ego apis Matinæ*
More modoq; &c.
Carmina fingo. ——

Idem *in Epod.*

Padus Matina laverit cacumina.

Hinc *Matini* populi.

Matisco Æduorum, urbs Galliæ Episc. primùm memorata Cæs. *de bell. Gall. lib.* 7. ad Ararim fluv. in vett. Not. inter prov. Lugdunensis primæ civitates ultima ponitur. Ibi olim sagittæ fabricabantur, quippe Not. Imp. Rom *Fabricam Matisconensem sagittariam*, præter cæteras, in Galliis fuisse docet. Habuit quondam suos Comites præpotentes & nobiles, unde inter Burgundiæ Vexilliferos Milites Philippi Augusti *Comes Masticonis* numeratur. Quintæ sedis locum in Primatu Lugdunensi obtinet: è cujus Episcopis, Placidus, Concilio Aurelianensi 3. & 4. Chelidonius Lugdunensi 2. Eusebius Lugdunensi 3. interfuere. Varia quoque in ipsa hac urbe concilia habita sunt. Plura vide paulo infra in voce *Matiscona.*

Matiscona, seu *Matisco*, urbs Gall. Celt. Episcop. sub Archiepisc. Lugdun. ad Ararim fluv. sæpius excisa fuit: semel ab Attila: iterum per Francos: præterea tempore Lotharii Imper. Ludovici Pii filii; tandem tempore Ludovici Jun. à latronibus destructa est. Comitatus titulo claruit, quem Francorum Rex Ludovicus IX. vulgò *Divus* dictus, emit à Joanne & ejus uxore, Comit. Matisconensibus. Metel. Merula. Postea aliquoties à corona separatus, semper tamen iterum illi reunitus est. Diœcesis Matisconensis 216. habet Parochias, sub 4. Archipresbyteris: Cluniacensi quoque Abbatiâ, celebris, &c. Meminit urbis jam Cæsar *Comm. lib.* 7. ubi ait, Ciceronem & Sulpitium Matisconem Cabillonemq; missos esse, commeatuum causâ. Petr. Julian. *in antiq. Burg* Adrian. *in theatr. Urb.* Severt. *Hist. Præsul. Matiscon* Robert. & S. Matth. *Gall. Christ.* Hic Concil. à Guntramo Reg. An. 581. celebratum, ut & An. 585. à Guntramo & Childeberto disciplinæ Eccl. causâ. Gregor. Tur. *lib.* 8. *cap.* 1. 7. *&* 20. Item An. 627. &c. Vide Morer. *in Dict. Hist.* Est hæc urbs in Burgundiæ Duc. hodiè *Mascon*. Anton. *Matisconense castrum* vocat. Baudr. urbs Æduorum est, in limite Segusianorum aliàs, nunc in Burgund. Ducat. in confinio Bressiæ. Media inter Cabillonum & Lugdunum, 11. utrinque leuc. Satis culta, in colle. Hinc tractus *le Masconnois*. Vide & *Matisco.*

Matissa,

Matissa, Corsicæ ins. op. Ptol. *Matagi*, à Bonifacio opp. litorali 9. m. p. in Boream, inter Moram & Allinam urbes.

Matium, urbs Archiep. Cretæ in orâ Boreali, primaria, & caput insulæ, *Candia* teste Pineto. Permunita est cum portu satis capaci, arce, & armamentario: Venetis erepta à Turcis, A. 1669. post aliquot annorum obsidionem. Tota ferè nunc desolata, paucisque inculta, cùm antea esset celebre emporium. In planitie, ad montium radices. Item Themiscyræ regionis urbs. Plin. circa Colchidem.

Matra, Veneris cognomen apud Persas.

Matracha, urbs Thraciæ mediterr. una ex metropolibus Patriarchæ Constantinop. subjectis. Curopal.

Matralia, matris Matutæ festa, Idibus Junii celebrari solita: de quibus V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib. 2.* & *lib. 4. c. 10.*

Matreas, Alexandrinus quidam, qui Romanis, Græcisque admirationi fuit, quòd diceret feram à se nutriri, quæ ipsa semet voraret: ut vel anxiè scrutentur multi, Τὸ Ματρέα θηρίον τί ἐστι, id est, *Quænam sit Matreæ fera?* Eust. *in Odyss. α.*

Matred, mater Meetabel, uxoris Adar, regis in Edom septimi. Gen. 3.

Matreium, & *Matreio*, Rhætiæ op. in Comitatu Tirolensi. *Matran* Pirchaimero. Aliis *Matray*, castr. ejusdem Com. ad amnem *Ulz*, ad radices Alpium, 2. leuc. ab Oeniponte in Mer.

Matrica, Pannoniæ infer. oppidum. Antoninus. *Thelen* Simlero: Budâ 2. leuc. in Austr. ad Danubium.

Matricensis pagus, vulgò *Madrie*, à quo Theodebertus Comes Matricensis dicitur Eginhardo *in Annalibus*, irrigatus amnibus Auturâ *Eure*, Ittone, Arva *Aure*, & Maldrâ *Maudre*, Nelfam *Neaufle*, alluente; ab urbe Ebroicis & Ittone amne, ad Arvam usq; & Vernonem opp. pertinuisse videtur, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Matricula, Registrum, quo scribebant olim eorum nomina, qui in Ecclesiis Cathedralibus ad Baptismum perducti sunt: qui ritus apud Anglos restitutus est à Thoma Cromvello, A. C. 1538. Hinc *Matricularius*, qui in Matriculam, vel Xenodochium, namque & pro hoc Matricula apud vett. sumitur, adscriptus est. *Matriculariæ* viduæ, in Concil. Laod. *cap. 11.* quæ apud Græcos Presbyteræ, V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archeol.*

Matrinus, fluvius Piceni, juxta Adriam urbem. Strabo *lib. 5.* Ptol. *Librata*, teste Pyrrho Ligorio. Aliis *la Piomba*, amnis Aprutii Ult. propè Adriam Urb.

Matrona, Juno dicta est, quòd iis præsit mulieribus, quæ aptæ sunt, ut fiant matres.

Matrona, flu. Galliæ in Lingonum montibus nascens, unaque cum Sequana Belgicam dirimens à Celtica. Vulgò *la Marne*. Baudrando in Campania oritur, prope Andomatunum Lingonum, in vico silvæ Lingonicæ Balisma, loco, cui nomen *Marmote*, 1. mill. ab urbe Lingonum in Austr. distante; dein in Arctos tendens, Lingones rigat, Calvum montem, Joanvillam, Fanum S. Desiderii, Victoriacum Francicum, & Catalaunum, Campaniæ Urbes, uti & Sparnacum, Dormanum, Castrum Theodorici, Meldas & Latiniacum, Gornacum, Fossata & Carentonem: tandem aliquot fl. Vangione nempe *Vingnory*, Blosiâ *Bloise*, Saltu *Saux*, Saldâ *Saude*, Mucrâ majore *Morin*, Urco *Ourc*, & Mucrâ minore *le petit Morin*, auctus, ad pontem Carentonium, Sequanæ miscetur, 2. leuc. supra Lutetiam in Ort. Sed Belgas à Celtis non separat, ut nec Sequana. Baudr. Valesius verò Ausonium Gallos seu Celtas à Belgis hoc fluvio distinguentem, his verbis, *in Mosella:*

Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non, Gallos Belgasq; intersita fines.

verè id fecisse statuit: Addens, Sequanam quidem, fl. inferiorem, exactè id non facere, quod tamen Julius Cæsar, Plinius, Ptolomeus, Amm. Marcellinus, aliique plurimi affirmant, *Not Gall.* *Matrona*, quoque est nomen montis, vulgò *le Mont Genevre*, inter Segusionem & Brigantionem positus, sed huic propior. Ejus meminit Euhodius Episc. Ticinensis:

Matronas taceo.

Ei casus nobilis fœminæ nomen dedit, teste Ammiano.

Matronalia, nomen festi, apud Rom. à matronis, in Martis honorem, celebrati ipsis Kal. Martii. V. Ovid. *Fast. lib. 3.* Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib 4. c. 7. &c.*

Matronianus, V. *Latronianus*.

Matsumaia, regio in ora Austr. terræ Esonis, versus Japoniam, & fretum Sangarium, nuper à Batavis detecta, versus oram littoralem tantùm; *Matzumay*, vulgò.

S. Matthæi prom. Galliæ, an *Gobæum* Ptolom in extremis finibus Britanniç min. dioecesique Leonensi, in quo municipium Monasterio S. Matthæi insigne, quæ omnia dicuntur *S. Matthæi finis terræ*, quia ad Oceanum sunt posita, vulgò *S. Mahé de fine-terre*, aliàs *S. Mattheu*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Apostolus & Evangelista.

Matthæus, ex Publicano Apostolus & Evangelista, qui & *Levi* dictus, Alphei filius, Mat. 10. Quum autem exactor publicorum vectigalium esset, vocatus est à Christo ad ministerium Apostolicum, Euseb. 3. 14. & 5. 19. *Eccles. Hist.* vult Matthæum Evangelium suum conscripsisse linguâ Ebræâ, vel potius Syriacâ, ut volunt Irenæus *l. 3. c. 1.* Athanasius, *in Synopsi*, August. Euseb. *l. 3. c.* 18. 24. *&c.* B. Hieron. quoque *in Catal. Script. Eccles.* Evangelium Matthæi Ebraicum in Bibliothecâ Cæsariensi extare ait, & à se descriptum fuisse. Quidquid hujus sit, idem dein Græcè ex Hebræo transtulit, quod tamen alii S Jacobo vel S. Johanni, Apostolis tribuunt. Describit inprimis actiones humanç CHRISTI naturç, proin sub hominis figura priscis repręsentatus; factum id fuisse videtur A. C. 39. vel 40. Nazaręi, postquam hujus Evangelium diu illibatum servassent, tandem tamen multifariam corruperunt, quod & Ebionitç, Cerinthiani ac Carpocratiani fecerunt, qui, occasione à CHRISTI genealogia captâ, illius Divinitatem hinc negatum iverunt. Sunt qui velint Matthæum, quum Ebræis primùm Evangelium prædicasset, postea discessisse, & peragratâ Asiâ, ac Ponto in Æthiopiam venisse, atque ibi Christum annunciasse, & tandem ab Hyrtaco quodam ad aram obtruncatum fuisse, A D. 76. Solis leguminibus illum vitam sustentasse, refert Clem. Alexandr. V. etiam Hieronym. *Cap. 3. Cat præf. in Evang. Matth. &c.* Epiphan *hær. 29.* Origen. *l. 3. in Gen.* In hujus *Evangelium* extant: Ambrosii *de Concordia Matthæi & Lucæ, in geneal. Christi.* Anselmi *Comm.* Augustini *Quæstiones*. Bertrami *Matthæus Enucleatus*, 4. Arnstadii 1651. Bonni *Enarrationes*, 8. Basil. 1571. Bredenbachii *Comm.* Coloniç, 1560. Buck, *in 8. beatitud. Matthæi Tractatus*, 4. 1630. Buceri *Explanatio*, fol. Basileç 1556. Bugenhagius *in cap. 3. pr.* Witeb. 1543. Buonriccii *Expositio*, Venetiis 1577. Chromatii *Dissertatio in c. 5. & 6. 8.* Basileç, 1528. Chrysostomi, item Chytręi *Prælectiones*. Clarii *Orat. in c. 5. 6. 7.* 4. Venetiis. Crellii Socin. *Commentar. in 5. pr. Cap.* Cyprianus. Danæi *Commentarius*. de Dieu *Animadversiones*. Episcopii Socin. *Notæ breves, in 24. pr. cap.* Ferus. Finsbachii *Genealogia Christi*. fol. Basileç 1567. Fulleri Comm. *in c. 4. vers. 11. pr.* Angl. 8. Londini 1652. Gerhardi *Annotationes*. Gomari *Explicatio loc. diffic.* Grynęi *Explanatio cap. 10 pr.* Heidelbergę 1585. Gualterus, Guevarra *Comment.* Hegendorffii, *in hist. Passionis Chr.* Hagenoç 1525. Hesselius. Hunnii *Comment.* 8 Francof. 1602. Junii *Expositio*. Kirstenii *Notæ*, fol. Bresleç 1611. Lightfooti *Horæ*, 4. Cantabrig. 1658. Lutheri *Enarrationes in c 6 pr.* Matthiç *Analysis Log.* in fol. Amstelod. 1652. Meisneri *Exercitationes* Munsteri *Annotationes cum versione*. 8. Basileç 1582. Musculus. Oecolampadii *Enarrationes*, Basil. 1536. Origenis *Tractatus*. Pareus. Pelargi *Quæstiones Evang.* 4. Francof. ad Oder. 1615. Perkinsii *Expositio c 5. 6. 7.* Friçi *Annotata*, Parisiis 1646. in 8. Schnepfius. Soaretz. Socinus. Socolatius. Spanhemii *Dubia Evang.* Spilenbergeri Promtuarium, 8. Stephani *Nova glossa*. Titelmannus. Thummii Exegesis, *Cap.* 1. in 4. Francof. 1619. Tossani *Notæ*. Weinstrupius, &c. Plures V. in Guil. Crowęi *Elencho*.

Duces Lotharingiæ.

Matthæus, I. Dux Lotharingiæ, fil. Simonis I. ex Adelheida, sorore Lotharii Imp. Ex Bertha, sorore Friderici Barberossæ, pater Simonis II. Friderici, qui familiam propagavit, Theodorici Met. & Matthæi Com. Tullensis, præter duas filias: Obiit A. 1207. S. Marth. & Vignerius, *orig Domus Lothar.* Champier, *Chron. Austr. & Geneal. Duc.* Edmundus Bullæus, *Geneal. Princip. Lothar.*

Matthæus II. fil. secundogenitus Friderici, qui mortuo patruo suo Simoni II. filio Matthæi I. successerat. Theobaldo I. fratre, post prçlium Boviniacum, cui interfuerat, mortuo, A. 1214. Dux, suscepit ex Catharina Limburgensi, filia Walerantii II. Fridericum II. qui patri successit, &c. Iidem, ut & Rozieres *Stemm. Duc. Lothar.* &c.

Vicecomites Mediolan.

Matthæus I. cognom. Magnus, ViceComes Mediol. ex familia Turrianorum, Vicarius Generalis ab Imperatore in Longobardia creatus, hunc aliosque status occupavit, intricatissimis cum Imperatoribus & Papis se negotiis involvens. A Johanne XXIII. hæreseos accusatus, A. 1318. Obiit A. 1322. Corius, Villanius, Bzovius &c.

Matthæus II. sceleribus infamis: à duobus fratribus junioribus occisus est, A. 1355. Villan. *l 5 c. 18* Corius, *P. 3.*

Viri Celebres.

Matthæus, Patr. Constantinopolitanus, post Macarium, depositus, Gabrielem, Theophanem & Meletium, vi argenti & amicorum in aula Ottom. successores habuit. Restitutus dein, iterum à Neophyto pulsus est, sed factione illius denuo prçvalente, sedem ad finem vitæ tenuit. Sc. præt. Genebr. & Gautier. *in Chron.*

Matthæus de Afflicto, JC. Neapol. varia scripsit, Gesner. *in Bibl.*

Matthæus Audebertus, scripsit *flores D. Bernardi*.

Matthæus de AquaSparta, Fumigerorum Generalis, Cardin. Obiit An. 1302. Scripsit in Magistrum Sentent. Epistolam ad Rom. &c.

Matthæus Bandinellius, Italus, Dominicanus, A. 1500. Egesippum vertit, vitas Plutarchi contraxit &c. Leand. Alberti *l. 4. Vir. Ill. Ord. Præd.*

Matthæus Beroaldus, Parisinus, Theologus, Historicus & Mathematicus, in Chronologicis varia edidit &c. Gesner. *in Bibl.*

Matthæus Bossius, Veronensis, Abbas, scriptis clarus. Gesn. ut & *Matthæus de Bove*, Veronensis similiter. Idem.

Matthæus Cantacuzenus, fil. Johannis Imp. à patre consors imperii factus & à Philotheo Patr. coronatus est, A. 1354. Dein cum illo, à Johanne Palæologo pulsus, in monasterium montis Atho se recepit: ubi Johannes admiranda sua opera composuit, Matthæus in Canticum Cantic. commentatus est, qui liber Romç impressus.

Tribuuntur eidem Commentarii in Sapientiam Salom. Præcepta salutaria, &c. Vide *Johannes V. Imper.*

Matthæus Chaneius, Carthus. Anglus, An. 1540.

Matthæus Charreterius, Historiographus, Regi à secretis, & Advocatus celebris, sec. præt.

Matthæus Cracoviensis, Polonus, Presbyter, ab Hussitis Pragâ pulsus, Parisiis docuit. Scripsit *de Prædestinatione, &c.* An. 1370.

Matthæus Curtius, Ticinensis, Medicus; varia scripsit. Obiit Pisis, An. 1544. Justus, *Chron. Med.* Vander Linden *de Script. Med.*

Matthæus Debajcius, Fundator Capucinorum, An. 1525. Spoletanus: qui Ordo approbatus est à Clem. VIII. An. 1528. sub nomine Fratrum minorum Capucinorum. Obiit Venetiis, An. 1552. Boverius *in Annal. Capucinorum.* Moreri. *Diction. Hist.*

Matthæus Dresserus, Erfortiensis, Medicus & Historicus, auctor *Isagoges historicæ.* Sec. præt. Gesner. & Vander Linden.

Matthæus Ebroicensis, Norm. Dominic. An. 1390. scripsit in Pentateuchum, Esdram, &c. Ant. Senens. Leand. Albert. *de V. I. O. P.*

Matthæus Galenus, Zelandus, doctrinâ inter suos insignis, Guilielmo Lindano, in Academia Dillingana successit, dein Duacum vocatus, nascentis Academiæ Cancellarius factus est. Scripsit *Commentarium de Christiano sacerdote: De originibus Monasticis, &c.* Obiit An. 1573. à Thoma Stapletono successore funebri oratione laudatus. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Matthæus Gandavensis priscus Poëta Gallus, scripsit varia.

Matthæus Grabo, Saxo, Dominicanus, docuit An. 1418. vota castitatis, paupertatis & obedientiæ Monachorum, non esse meritoria: condemnatus à Martino V. Gerson *Tom. I.*

Matthæus Gribaldus, JC. Tubingensis, Trinitatem verbique divinitatem negasse dicitur, à Spond. *in Annal. A.C.* 1561. *n.*33. *&* 35.

Matthæus Gribaldus, & *Guarimbertus*, ille JC. hic Mathematicus, scriptis clari, Gesn. *in Bibl.*

Matthæus Herbenius, Trajectinus, Theologus & Poëta, scriptis clarus, Valer. Andr.

Matthæus Judex, unus ex Centuriatoribus Magdeburgensibus.

Matthæus Martinus, Medicus, Vander Linden, *de Scr. Med.* Item, Franciscanus, scripsit *Appennagium equitis Christiani, &c.* Val. Andr.

Matthæus Mathesilanus, JC. Bononiensis, An. 1435. Scripsit *de electione veriorìs opinionis, &c.*

Matthæus Palmerius, Florentinus, sec. 15. eruditione inclytus, Florentino Concilio interfuit. Continuavit Chronicon Prosperi, qui Hieronymi, sicut hic Eusebii, erat continuator, usque ad An. 1449. cui Matthias Palmerius Pisanus additionem attexuit, usque ad An. 1481. Scripsit insuper bellum Pisanum, vitam Nicolai Acciajoli, de vita Civili, &c. Sed quòd de natura Angelorum, heterodoxè scripsisset, liber ejus exustus est. Verrin. *lib 2. Flor. Ill.* Phil. Bergom. *in suppl. Chron. A. C.* 1439. Volaterr. *Comm. Urb. lib.* 21. Paul. Jov. *in elog.* Trithem. *in Cat.* Genebr. *in Chron.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3.

Matthæus Parisiensis, Anglus, Monachus Cluniacensis, scriptis inclytus: temporis sui miraculum. Obiit A. 1259. Callebat egregiè Graphicen, Architectonicam, Mathemata, Poësin. Erat insignis Orator, Theologus, Historicus, &c. Zelotes & parrhesiastes ingens, Romanæ sedi Patriæ privilegia imminuentem eunti acriter se opposuit. Vide Card. Baron. *in an.* 996. Scripsit *Historiam majorem, libb.* 2. quorum prior à M. C. usq; ad Guil. Conquestorem, posterior usq; ad An. 1250. pertingit. Dein continuavit eam, usque ad An. 1259. Auctarium addidit Guil. Rishangerus, itidem Monachus S. Albani, usq; ad A. 1273. quo Henricus III. obiit. Idem Matthæus ipse historiam suam contraxit, *Historiamq; minorem* appellavit: Edidit plura alia. Vide Pits. & Balæum, *de Scr. Angl.* Arnolph. Wionem, *in ligno vitæ.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 58. Gesn. *in Bibl.*

Matthæus Sylvaticus, Mantuanus, Medicus Roberti, Siciliæ Reg. cui An. 1336. *Opus Pandectarum Medicinæ* dedicavit. Justus, Vander Linden, Gesner. &c.

Matthæus Vauzellius, Typographus Cœnomanensis, auctor diversorum Poëmatum. Item Lugdunensis, Advocatus Parlamenti Dumbensis, scripsit de Pactis.

Matthæus Villanius, Florentinus, Historicus insignis, sec. 14.

Matthæus Vindocinus, Abbas S. Dionysii, Regens regni sub Ludovico IX. & primus Minister Philippi Audacis, à Philippo Pulchro quoque magni habitus, nec non Clemente IV. Nicolao III. & Martino II. Archiepiscopatum Turon. recusavit, prudentiâ & doctrinâ inclytus. Historiam Tobiæ carmine expressit, quod Joh. Heroldus, Germanus, edidit, An. 1563. Obiit An. 1286. S. Marth. *Gall. Chr. T.* I. *de Arch. Tur. pag.* 773. *& T. IV. de Abbat. S. Dionys. p.* 336. Autueil. *Hist. ministrorum Status*, Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 64. Jac. Doubletus, *Hist. Abbatiæ S. Dionysii.*

Matthæus Vossius, Dordracenus, filius celeberrimi Johannis Gerardi, scripsit Historiam Comitum Hollandiæ, &c.

Matthæus Wesenbecius, Antverpianus, JC. celeberrimus, scripsit *Isagogen in libr. Instit. Prolegomena Jurisprudentiæ, &c.* Vide Valer. Andr. *Bibl. Belg. pag.* 657.

Matthæus Westmonasteriensis, Benedictinus Anglus, cogn. Florilegus, quia *Flores Historiarum* edidit: seu Magnum Chronicon, cujus pars I. à C.M. ad N.C. pertingit, II. usq; ad Normannorum in Angliam adventum se extendit, III. quidquid à celebri hac Epocha, usque ad Eduardum II. contigit, exequitur. Matthæo Parisiensi perpetuò inhæret, excepto illo quod addit usq; ad A. 1377. quo Eduardo III. mortuo Richardus II. successit. Exactus, diligens & fidelis. Scripsit quoq; Chronicon sui ordinis, S. Edmondi, &c. Pits. *de Ill. Angl. Scr. p.* 518. Balæus *de iisd.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 2. *&c.*

Matthæus, tandem fil. Uldarici, JC. & Can. Augustan. Annalium suæ gentis conditor. Voss. *de H.L.* Item, Urbs Floridæ, cum portu.

Apostolus.

S. Matthias, Apostolus, sorte electus Judæ proditori, in Apostolatu, successit. In Judæa, & parte Æthiopiæ Evangelio prædicato, martyrii coronam accepit. Sub ejus nomine Evangelium prodiit, jam ab Origene, Clemente Alex. 17. *Str.* & Euseb. *lib* 3. *hist.* falsitatis convictum, quemadmodum & falsò tributus ipsi liber Traditionum est, unde Marcion suam hæresin hausit. Act. I. *v.* 23. Orig. *Hom.* I. *in Luc.* Hieron. *de Scr. Eccl.* Niceph. *lib.* 2. Baron. *An. Chr.* 44.

Imperat. Reges, & Viri illustres.

Matthias, Imp. Occidentis, fil. Maximiliani II. frater Rodolphi II. huic successit, An. 1612. cum jam antea Hungariæ Bohemiæq; Rex creatus esset. Amplioris spei, quàm gloriæ Augustus. Protestantes, in Comitiis Ratisbonæ, ob gravamina inprimis Consilii aulici & Cameræ Imp. non sublata offendit. Cum Achmete, de jure Transylv. Principes creandi disceptavit, dein A. 1615. pacem vicennalem fecit. Aquisgranenses proscripsit, & per Spinolam in ordinem redegit. Dissidium Juliacense, mandando, ut Mulhemium destrueretur, inter Brandeburgicum & Neoburgicum accendit, bello Bohemico, injuriis Evangelicorum maturè non vindicatis, excitato, obiit A. 1619. æt. 62. successore Ferdinando II. patruele relicto.

Matthias Corvinus, Hungariæ & Bohemiæ Rex, filius Johannis Hunniadis, cogn. Magnus, ex carcere thronum conscendit, postquam Ladislaus frater ab æmulis ad mortem damnatus esset. Successit Ladislao Reg. A. 1458. eodem tempore, quo Gregorius Podiebradius Rex Bohem. Pragæ declaratus est: Sicq; duo potentissima regna excelsissimo sanguine, ad mediocris generis homines simul pervenere. Opposuerunt se Matthiæ electioni Proceres quidam, Friderico IV. advocato, alii Polonum sibi Regem quærebant: Unde turbæ, & Bosnia, cum Serviæ parte, à Turcis interea occupata. Sed brevi Matthias, omnibus recuperatis, Transylvaniam quoq; & Valachiam, ad obsequium reduxit: coronatus, An. 1464. Dein, bello contra Bohemos felix, Podiebradium Reg. cujus operâ è vinculis dimissus fuerat, regno excutere ingratus, Papâ incitante, voluit, seq; Olmutii in Regem Bohemiæ, & Marchionem Moraviæ; exin Uratislaviæ, in Silesię Ducem eligi curavit, A. 1469. captoq; filio Podiebradii, in Hungariam rediit. Cum Moldavis infeliciter pugnavit, ipse sauciatus, Turcas tum ipse, tum per Duces sæpe fudit, Jaitzâ & Bosniâ receptis. Cum Mahomete II. tamen pacem inire coactus, hoc mortuo An. 1481. Bajazethem II. successu optatiore aggressus est. Cum Imp. Friderico dein collisus, cepit Viennam, & Neostadium, cum Casimiro Polono, qui Podiebradio defuncto successerat, pacem fecit. In apparatu cōtra Turcas, iracundiâ ob comestos à puero ficus, extinctus, An. 1490. quo die, omnes qui Budæ erant Leones, subitò interierunt. Plurimas linguas calluit, literatos & literas fovit, optimos ex Italia pictores occupatos tenuit, & quidquid doctorum in orbe erat, in Aulam suam contraxit; ingenio læto & comi. Budæ admirabilem collegit Bibliothecam, quæ hactenus à Turcis detenta, haud pridem Leopoldo Imp. muneri missa est. Albæ regali sepultus. Huic Anton. Thebaldus hoc Epitaphium condidit:

Corvini brevis hac urna est, quem magna fatentur
Fata, fuisse hominem, Facta fuisse Deum.

Cromer. *lib.* 27. Bonfin. *hist. Hung.* Turofius, *in rebus Hung.* Petrus de Reva, *Monarch. Hung.* Nic. Isthuan. Crantz, &c.

Matthias, Pontifex Judæorum: sub quo, *Matthias*, filius Margalothi, & Judas fil. Sariphæi, facundissimi & Legis peritissimi ambo auream aquilam ab Herode in templo collocatam detraxerunt. Quod hic adeò ægrè tulit, ut Matthiâ deposito, ei Joazarum affinem surrogaverit, reliquis duobus, cum consciis, ad vivicomburium damnatis. Joseph. *Antiq. lib.* 17. *cap.* 8.

Matthias, Episcop. Hierosolymitanus, post Johannem, sec. 2. Ei Benjamin successit, Euseb. & Onuphr. *in Chron.* Baron. *in Ann.*

Matthias Aquensis, Professor Coloniæ, Luthero & Bucero nequicquam obnixus.

Matthias Bosseme, Theologus Rom. Commun. *Bredenbachius* & *Castellanus*, scriptis inclaruerunt. Val. Andr. *in Bibl. Belg.*

Matthias Colerus, JC. Germ. varia edidit. Quensted. *de Patr. doct.*

Matthias Cornax, Medicus, *Medicas consultationes* evulgavit, &c. Vander Linden.

Matthias Felisius, vel Catzius, Batavus, Provincialis Franciscanorum in Belgio, duos edidit libros. Val. Andr. *in Bibl. Belg.*

Matthias Flaccius Illyricus, Albonâ Illyriæ oriundus, claro genere, vulgò *Francowitz* dictus, Lutheri doctrinam amplexus, Melanchthoni se An. 1548. sociisque, qui de Adiaphoris, ex præscripto Interemisticæ formulæ, admittendis, minus acriter pugnasse videbantur, litem movit, variis scriptis editis Magdeburgi, quò se Witebergâ discedens contulerat, sicque innumeris malis januam aperuit. Junctus Joh. Wigando Mansfeldio, Matthæo Judici, Basilio Fabro, aliisque, Eccles. historiam, sub nomine Centuriatorum Magdeburgensium Volum. 13. edidit, cui operi se Baronius opposuit. Post hæc extra orbitam penitus exerrans, peccatum substantiam esse,

esse &c. voluit, hinc ab Ecclesiis ejectus, exul vitam duxit, Francofurti ad Mœnum lue epidemiâ abreptus, An. 1575. æt. 55. *Hæresi infamis, alioqui non malè de Ecclesia meritus*, edito Catalogo testium Veritatis, *& adornatis* Centuriis Magdeburg. Pezelio *in Mellific. Histor. Homo vehemens, & quocunq; pedem figeret, acerrimus turbarum incentor* Thuano: *eximius tum Antichristianismi, tum Adiaphorismi oppugnator*, Verheiden.

Matthias Hauserus, Trajecto à Batavis capto, An. 1633. hujus sec. vanâ loquacitate illorum Theologos ad disputandum, infeliciter provocavit. Auctor *Exorcismi Catholici maligni spiritus hæretici*.

Matthias Hovius, Archiepisc. Mechliniensis, Prædicator insignis, disciplinæ tenax, Regi à Consiliis in Belgio. Obiit An. 1620. æt. 78. Archiepisc. 25. Gramæus, *de urbe Machlin.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.* Gazetus. *Hist. Eccl. Belgii, &c.*

Matthias Lambrechtus, Episcop. Brugensis, An. 1596. Auctor *hist. Eccl. vitæ SS.* in lingua patria. Obiit An. 1602. Iidem.

Matthias Lobelius, Medicus Insulis oriundus, Rondeletii discip. Botanicus insignis, à Jacobo VI. Londinum invitatus, editâ ibi historiâ plantarum, obiit. An. 1616.

Matthias Lud. Glandorpius, Medicus Colon. scriptis inclytus.

Matthias Martinus de Waucquier, Middelburgo Zeelandus, Græcè Latineque doctissimus, versionibus propriisq; operibus immortale nomen adeptus. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Matthias Michovius, Canonicus Cracoviensis, auctor Chronici Poloniæ, quod Sigismundo Regi inscripsit. Item libb. 2. de Sarmatia Europæa & Asiatica: qui Lutetiæ editi Ann. 1532. Medicus insignis. Voss. *de Hist. Lat. lib* 3.

Matthias Moronus, auctor *Direct. Medico-Practici*. Vand. Linden.

Matthias Naldius, & *Narvatus*, ille Senensis, auctor libri ingeniosi, *de Mundi Amicitia*: iste Aragonius, scriptis clarus, Medici ambo. Idem.

Matthias Navæus, Canonicus Duacensis, eruditos & curiosos aliquot tractatus edidit.

Matthias Palmerius, Pisanus, floruit sec. 15. Chronicon Matthæi Palmerii Florentini, ab An. 1449. usque ad An. 1481. continuavit. Traduxit quoque in Latium historiam Aristeæ 70 Interpr. aliaque ipse composuit, injuriâ temporum perdita, Voss. *de H. L. lib.* 3.

Matthias Pauli, libris Asceticis nomen in Belgio meritus.

Matthias Theodor. Melanelus, Medicus Antverpianus, edidit varia. Justus *Chron. Med.*

Matthias Untzerus, scripsit *Anatomiam Mercurii Spagiricam de Sulphure, Physiologiam salis, &c.*

Matthiolus, Medicus Perusinus, scripsit *Artem Memorativam*, sec. 15. Vander Linden. Sub Matthioli quoque nomine, contra secundas nuptias, liber Lugduni prodiit sec. 16.

Matthiolus Petrus Andreas, Senensis, Medicus celeberrimus, An. 1554. Græcè Latineque eruditissimus, scripsit Commentarios in 6. libb. Dioscoridis, quibus Gaspar Bauhinus, Botanicus Basileæ excellentissimus, pulcherrimas notas adjunxit. Item, Epitomen de Plantis, Consilia Medica, &c. Just. *in Chron. Med.* Vander Linden, *de Script. Med.* Gesner. *in Bibl.*

Mattiaci, Gall. Belgicæ pop. Batavis finitimi, qui Lemnio *Zelanders* esse videntur. Sansoni Brietioque fuere, versus Rhenum & Cattos, ubi nunc pars maxima Weteraviæ, cum parte Austr. Hassiæ. Earum Urbes fuere Mattiacum, seu castrum Mattiacorum, vide ibi, & Aquæ Mattiacæ, (*Wisbaden.*)

Mattiacum, seu *Castrum Mattiacorum*, urbs Germ. Hassiæ metropolis. *Mattium* Tacito est, quam Cattorum caput vocat, situs ejus, ut Ptol. eam describit, Martpurgo congruit. Aliis Baden esse videtur, Marchiæ Badensis urbs primaria, in Suevia, inter Argentoratum, & Phorcenam, quod Tacitus ibi fontes calidos memoret; Baudrando est *Marpurg*. Urbs Hassiæ ad Lanum fluv. cum castro munito, & Academia, An. 1526. à Lud. Episcop. Monaster. erecta. Antea sub Principe proprio, nunc Landgr. Hasso Cassellano subest. Media inter Francofurtum ad Mœnum in Mer. & Cassellam, 11. utrinque Germ. mill. 9. à Fulda in Occ. Dicitur quasi Martisburgum; aliis à Marcomiro, Marcomiri 26. Reg. Francorum filio. Vide *Martpurgum*. Hinc *Mattiacæ pilæ* apud Mart. Saponis genus 14. 27.

Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

Cn. Mattius, Poëta Latinus, sub Cæsare, cui gratissimus erat. Vir eruditissimus. Mimiambos scripsit. Vide Aul. Gell. *lib* 15. *cap.* 25. Girald. *Dial. Poët.* 4. Vinet. *ad* 1. *Epigr. Auson.* Glandorp. *in Onomast. Rom.* Voss. *de Poët. Lat. lib* 2.

Maturinus Clemens, Biturix, primarius Avarici Theologiæ Professor, Carmelitarum Provincialis, An. 1520. Scripsit Comment. in Scripturam, &c. Possevin. *in Appar. sacro tom.* 2. Gesner. *in Bibl.* Marc. Anton. Alegr. *in Parad. Carmel. pag.* 383.

Maturinus Corderius, Normannus, scriptis clarus, Gesner. *in Bibl. Univers. &c.*

Maturinus Heretus, Medicus, Doctor Parisinus.

Maturinus Montanus, Petrocoriensis, Medicus & JC. Auctor *Genialium dierum, Commentarii in Jul. Pauli responsum, &c.* Vander Linden *de Script. Med.*

Matusarum, Lusitaniæ urbs, inter Olyssiponem & Emeritam, Ant. Pagus nunc Portug. *Puente de Sor*; prope Villam Formosam, ab Amæa 6. ab Ulyssipone 22. leuc. in Ort. Emeritam versus. Ferr.

Matusius, de quo hanc historiam refert Hyginus *ex Phylarcho*: Regnante Demophoonte in Chersoneso Thracica, per totum regnum pestilentia adeò vehemens grassabatur, ut propterea oraculum Apollinis consulerent. Quod cùm responsum dedisset, non prius liberatum iri regnum à peste, quàm singulis annis virginem quandam nobilem sacrificarint: Rex protinus mandavit, ut omnium virginum in civitate ejus nobilium nomina reponerentur in cratere quodam; unde sorte detractâ una victima fieret pro omnibus. Sed Demophoonte ex hoc sortilegio filias suas excipiente, magna inter nobiles exorta est invidia. Quin & *Matusius* quidam apertè dixerat, se nolle amplius consentire, ut filia sua sorti sit objecta. Quibus verbis offensus rex protinus jussit, ut, sortitione neglectâ, filia Matusii mactaretur. Qui iram quidem occultans, simulabat id sibi non adeò ingratum fore: at post tempus aliquod regem cum duabus filiabus invitavit ad convivium, ubi filias regis in conclave inclusas mactari, & partem sanguinis vino mixti in cratere quodam regi jussit afferri. Qui cùm filias desideraret, & quid his factum esset, rescisset, Matusium cum cratere in mare projici jussit.

Matuta, ab antiquis dicta est Aurora, quam Græci Λευκοθέαν vocant. Hanc Poëtæ volunt fuisse filiam Cadmi, nomine Ino, Athamantis uxorem, quæ mariti insaniam fugiens in mare se præcipitavit, unà cum Melicerte filio, quorum corpora cùm nusquam invenirentur, pro Diis marinis habiti sunt, & Ino quidem Græcis Λευκοθέα, Latinis *Matuta*: Melicerte verò à Græcis Παλαίμων, à Latinis *Portunus* dictus. *Matutæ* primus apud Rom. ædem posuit Servius Tullius, quam postea refecit Camillus, confecto bello Vejentino, Liv. *lib.* 5. Ab aditu templi servæ prohibebantur, unam duntaxat Matronæ introducebant, colaphos genis ejus infligentes; de quo Vide Plut. *quæst. Rom.* 16. Neque in ejus sacris ulla mulierum suis, sed tantùm sororum liberis, bona precabatur, Vide eundem *in Camillo, &c.* Lucret. *lib.* 5.

Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris Auroram defert. ———

Matyceta, gens Scythica, Stephan.

Matylus, Pamphyliæ urbs, Ptolem.

Maugantius Genethliacus, celebris Medicus & Mathematicus Regis Vortigerni, Anglus, An. 470. Scripsit de Magia naturali, & Apulejum illustravit. Pitseus, *de Script. Angl.*

Mavia, Saracenorum regina, ad fidem conversa, An. Dom. 367. Dominicam Valentis Imper. viduam, missis copiis, contra Gothos juvit, An. 368. Vide *Mauvia*.

Mavitania, Hispan. Tarracon. regio. *Murcia* Pineto.

Maulbergius Johannes, Basiliensis, filius cerdonis in min. Basilea, Dominicanus, concionator insignis, floruit circa An. 1400 Magno hic zelo invectus in grassantia vitia, hæreses quascunque, & Beginarum inprimis sectam, à Sigismundo Imp. in Reformationis formula ad Concilium Constantiense concepta, ut qui rectè docuisset, laudatus est. Fatidico spiritu, Basiliensis Ecclesiæ reformationem, sed illam non sine sudore multo futuram, prædixit, semel profugesta exclamans: *Exultate, quotquot puri estis corde, quoniam gloria Dei appropinquat. Reformatione omnino opus est, quam, si Magnates Præsulesq; morabuntur, lapides promovebunt.* Tandem, cùm tempore schismatis, ob Gregorii Papæ obedientiam, cleri Basiliensis odium sibi conflasset; quòd item contra Sacerdotum fornicationem, usurariosq; acrius detonuisset, concionandi munere privatus, in Maulbrunensi cœnobio Spirensis diœcesis, A. 1414. exul obiit.

Eminus in tenebris video mirabile lumen,
O mihi si liceat jam propiore frui!

Mauleo, opp. cum castro, intra montes, 5. leuc. à limite Hispan. Vide *Malleo*.

Maulia, vicus Galliæ, in finibus Normanniæ, cum Monasterio cognomine, Maldrâ fluvio per medium currente irrigatur. Vulgò *Môle*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Mauma, Æthiopiæ sub Ægypto urbs, Plin.

Mauman, nomen Eunuchi, Esth. 1.

Mavors, vide *Mars*.

Mavortius, Consul, an. U. C. 1189.

Maurabalnaria, vel *Maurabalnana*, Gall. *le Maurenaher*, & *Mauvaralnahar*, regio ampla Asiæ, & pars Tartariæ magnæ, *Usbethia*, & *Zagataja* quibusdam, ubi aliàs Bactriana lare sumpta, cum Sogdiana. Extenditur inter Oxum & Jaxartem flum. à monte Caucaso ad Caspium mare. Ejus urbes præc. sunt Maracanda, (*Samarcand*) quæ caput reg. Balchia, & Buchâra, *Bochara*. Sed ab Europæis difficilimè frequentatur.

Mauregathus, Alphonsi regis Hispan. nothus, post patris mortem, Maurorum factione, regnum adeptus.

Maurensii, Mauritaniæ Tingitanæ pop. Ptolem.

Mauri, populi, qui Mauritaniam Africæ regionem Occidentalem versus Gaditanum fretum incolunt. Eos fuisse Indos, & Hercule duce, cum innumerâ aliarum gentium multitudine, in hæc loca pervenisse, multi crediderunt, uti Strab. *lib. ult.* scribit. Sanè Sallustius, *in Jugurthino*, Mauros & Numidas, reliquosque qui Maritimam Africæ cultiorem reddiderunt Medos, Armenios, Persas & Phœnices, fuisse indicat. *Mauri* (inquit Bochartus) מוהרין quasi *Postremi*, vel *Occidentales* dicti ab אחור, quod & *Posterius*, & *Oc-*

& *Occidentem* sonat. Plenè scriberetur *Mauharin.* Sed gutturales passim elidi nemo est qui nesciat. Inde *Maurus* pro *Mauritanius*. Horat. *Carm.2. Od.6.*

Barbaras Syrtes, ubi Maura semper

——— ——— *Æstuat unda.*

Superati in Hispania, ab Alphonso Legionis Reg. & ejus Success. Ferdinando, An. Chr. 1212. 1247. totâ verò Hispaniâ exuti sunt, à Ferdinando Arragoniæ Reg. *Inquisitione* contra ipsos institutâ,& victo Mahomete Rege, An. Chr. 1491. Vide infrà.

Mauri Monasterium, vulgò *Maur. münster*, in Alsatia, vett. sæpius memoratum. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Mauriacum, opp. Galliæ, ad ripam Sequanæ, inter Tricasses & Duodecim Pontes, vetere cellâ seu Prioratu S. Stremonii, ad Monaster. Cluniacum pertinente, clarum, in Arvernia Montana, seu Cebennica, vulgò *Meri*. Hinc campi *Mauriacenses*, longi leuc. 100. seu 150. m. p. lati 70. ubi Thorismundus filius Theodorici, cum Attila & Hunnis conflixit, levi prælio: antequam in campis Catalaunicis directâ acie pugnaretur. Vide Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Mauriana, vulgò *la Maurienne*, vallis oblonga Sabaudiæ, inter montes asperrimos, juxta Arcum fluv. ab Alpibus usque ad Isaram fluv. extensa, inter Tarantasiam ad Bor. & Delphinatum ad Austr. Caput est Fanum S. Johannis seu Mauriana, *S. Jean* incolis, aliis *S. Jean de Maurienne*, urbs satis culta, sed sine mœnibus, in planitie, ad Arcum fluv. sic dicta à pollice S. Johannis, secundùm alios ab indice ejus, qui ibi asservari creditur. Hinc cùm antea Taurinensis Ecclesiæ Episcopis pareret, facta est postea Episcop. sub Archiepisc. Viennensi. Primus ejus Episcop. Hiconius fuit, permissu Guntchramni Francorum Reg. institutus, Leporius dein, sub Chlodoveo Jun. Concilio Cabillonensi interfuit. Et *Maurienna* quidem Darantasiæ primùm, unà cum Segusio & Novalicio, ac tota valle Segusina, à Guntchramno attributa est: quam urbem & vallem à Longobardis ex pacto acceperat, Maurienneæsique Ecclesiæ sub jecerat. Demum provinciæ Viennensi, cui hodieq; accensetur, sub Metropoli Vienna, adscripta est; inter prov. hujus civitates nono, secundùm quasdam Notit. vel sexto, secundùm alias, loco, 10. leuc. à monte Cenisio in Occ. 14. à Camberiaco in Ort. Comites *Maurienna* primùm dicti sunt, qui postea Sabaudiæ Comites, ac demum Duces, illustriori titulo nuncupari maluerunt, Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Mauricius, Imper. Rom. à Phoca Tribun. Militum, unà cum liberis & uxore crudeliter, coram populo Constantinopolitano, interfectus. Vide *Mauritius.*

Mauricius, Bracharensis Episcopus, An. Dom. 1114.

Mauricius, alio nomine *Junius*, Senator, qui à Cæsare Domitiano petiit sub initium imperii paterni, ut commentariorum principalium potestatem Senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset. Tac. *Hist. lib.*4.40. Quo viro nihil firmius, nihil melius ait Plinius *lib.*4. *Epistol.* Eum à Domitiano in exilium pulsum, redisse principatu primo Nervæ, docebit te ibidem *lib.* 1. *Epist.* 5.

Mauricius, vide *Mauritius.*

Mauriliacum, vicus pagi Wastinensis, in Gallia: patria Vulframi, Frisonum Apostoli. Vulgò *Milli en Gastinois*, ad Scolam amniculum, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Mauriniacum, vulgò *Morigny*, locus Galliæ, ad Junnam fluv. in Senonibus, proximus Stampis, veteri Monast. insignis. Idem.

Mauripensis, pagus Galliæ, in Annal. Bertinianis memoratus, inter Sequanam, Icaunam & Lupam fluv. jacuit, hinc ad Monasteriolum, Brajum, Novigentum ad Sequanam, ac ad duodecim Pontes: inde ad Villam novam Gujardi, Pontem Icaunæ, Murittum ac Nemus. Hodie fortè *le Hurepois*: cui quidam, ab Hosdenco castro, seu à Vegeria fluv. ad Mandram amnem, cuncta attribuunt, nim. Montem Fortem Amalarici, Villam Petrosam, Rumbelittum quoq; ad Remandam, cum parte sylvæ Aquilinæ, Caprosiam castrum ad Ivetam, aliaque loca. Certè constat partem agri Parisiaci trans Sequanam positam ad Beveram, Urbiam & Junnam fluv. ipsam etiam regionem urbis Lutetiæ trans flumen sitam, quam Universitatem vocant, pridem à Gallis *Hurepensi* agro accenseri. Unde si quis parum urbanè aliquid dixit aut fecit, qualia Scholasticis Universitatis sæpe accidere & excidere consueverunt, hoc *pagum Hurepensem sapere* dicitur, id est, Universitatem, ejusque collegia vel scholas, &c. Vide plura apud Hadr. Vales. *Notitit. Gall.*

Mauritania, Africæ regio, extrema versus Gaditanum fretum, & Occidentalem Oceanum, in quo Antæus gigas regnasse dicitur, ab Hercule victus. Est autem duplex, *Cæsariensis* à Cæsarea, & *Tingitana*, à civitate Tingi. Sic dicta ἀπὸ τῦ μαυρῦ, quod *obscurum*, vel *nigrum* sign. quòd nigros habeat colonos, unde Juven. *Sat.* 5.

——— *Nigri manus ossea Mauri.*

Marcus Manlius *Astr. lib.*4.

Pœnus arenosis Afrorum pulvere terris
Exiccat populos, & Mauritania nomen
Oris habet, titulumq; suo fert ore colorem.

Gignit simias, dracones, struthiones & elephantes. Ejus incolæ *Mauri* dicuntur. Invaluit autem jam apud nostros consuetudo, ut omnes Africæ & Asiæ populi, Mahometanæ superstitioni dediti *Mauri* dicantur. Incolis *Numidia*, vulgò *Barbaria* hodie, *Phut* etiam Ebræis dicitur, teste Aria Montano *in suo Apparatu Biblico*, an à Phut, filio Chami, unde & fluvii Phut meminere Joseph. & Hieron. & totam hinc regionem *Phutensem* appellavere. Strabo eam *Massyliam*, & *Massæsyliam* appellatam scrib t, incolas *Massæsylos* vocat Plinius, qui hodie, ut dictum, Mauri vocantur, ex Arabibus vel Saracenis orti, & Mauritaniâ occupatâ, Mahometismum ibi plantarunt. Hi, Roderico Hispaniæ regnum, post Vitizam Regem excæcatum, occupante, à Juliano Præfecto Tingitano, apud quem Vitizę filii exules degebant, quiq; ob stuprum filię suæ à Roderico illatum ultionem meditabatur, invitati, primò quidem per Mazam, Legatum in Africa Valiti Caliphæ exiguas illi submisere copias, postea his victis, Tarechus cum majoribus, Hispaniam ingressus est, An. Chr. 711. in monte Abila, postea Gabel-Tarich, Gibalter vel Gribaltar dicto, se muniens. Post quæ auctus viribus à Mose, Armeniæ Præfecto, Hispalim cepit, &c. An. 712. Anno sequente, occiso Roderico, totum regnum occupavere Mauri, Cordubæ Imperii sede constitutâ: Exin, quidquid Wisigothi possederant, tanquam jure debitum, vindicaturi. Occitaniam & Provinciam ingressi, Nemausum, Narbonem, Avenionem occuparunt, &c victo Abderamo, à Carolo Martello, ulterius penetrare prohibiti. Interea Pelagius in montanis Asturiæ manu coactâ, Regni Ovиedi & Legionis fundamentis, An. 712. jactis, sæpius fudit Mauros, qui & alibi victi, totâ Hispaniâ paulatim exuti sunt, donec Boadbilâ, ultimo Rege, superato, Granatense quoque regnum cum Metropoli, Ferdinando & Isabellæ cesserunt, Ann. 1492. postquam An. 800. rerum in Hispania fuissent potiti. Ubi tamen hodieque Mahometanæ superstitionis occultæ reliquiæ, Gregor. Tur. & Aimon. *hist.* Ado *in Chron.* Isidorus, Rodericus, Vasæus, Garibaus, Turquet. Mariana *hist. Hisp.* Marmol. *descr. Afric.* Avogadrus, *Histor. Afric.* Hodie regnum *Tremissenum* hoc loco videtur, ut Girava, & Niger quoque attestantur. *Tingitanam* à Bogud rege *Bogudianam* aliquando cognominatam tradit Plin. *Sitiphensis*, & *Hispania transfretana* à Sexto Rufo: & in lib. Notit. *Hispania Tingitana* nominatur. *Inferior Mauritania* à Xiphilino, *in vitâ Severi* nuncupatur. Regnum *Marocco* ejus loco statuit Augustinus Curio, *Fessa* verò Niger. *Alarabes* hodie incolas vocant Hispani, Olivario teste, quasi dicerent Arabes, *Al* enim articulus Arabicus. Strabo & Herodianus *lib.*7. ajunt Mauritaniam Romanis subjectam, & ab ipsis incolis Numidiæ nomen obtinere. Baudrando *Mauritania* regio fuit Africæ, ab Ortu in Occasum extensa, ubi nunc pars Occidentalis Barbariæ. Triplex fuit, nempe *Cæsariensis, Sitifensis*, & *Tingitana.* Mauritania Cæsariensis erat inter Sitifensem ad Ortum, & Tingitanam ad Occasum, Gætulos ad Meridiem, & mare Mediterraneum ad Boream, ubi nunc pars major & Occidentalis regni Algerii. Mauritania Sitifensis erat, inter Cæsariensem ad Occasum, Gætulos ad Austrum, Numidiam ad Ortum, & mare Mediterraneum ad Boream, ubi hodie pars minor & Orientalis regni Algerii. Mauritania Tingitana dicta fuit etiam Hispan. Transfretana tempore Constantini; eratque inter Ocean. Atlanticum ad Occasum, Fretum Gaditanum & mare Mediterr. ad Boream, Mauritaniam Cæsariensem & Gætulos ad Ortum, & Autololas ad Mer. In quo tractu sunt hodie regna Fezzæ & Marochii.

Mauritaniæ urbes adhuc exstantes:

Arsenaria, Cæsariensis, *Arsen*, seu *Arzerum.*
Baba, Tingitanæ, *Beniteuda.*
Banasa, quæ & Valentia, Tingitanæ, *Fanfara.*
Bocanum Hemerum seu Marochium, Tingitanæ, *Maroc.*
Cartennæ, Cæsariensis, *Mostagan.*
Deorum Portus, Cæsariensis, *Mazzagran.*
Exilissa, Tingitanæ, *Ceuta.*
Fessa. Vide *Volubilis.*
Gontiana, Tingitanæ, *Gemaa.*
Jagath, Tingitanæ, *Targa.*
Icosium, Cæsariensis, *Acor.*
Igilgili, Cæsariensis, *Gigeri.*
Jol. Vide *Julia Cæsarea.*
Julia Cæsarea, Cæsariensis, *Tenez.*
Lixa, & Lixos, Tingitanæ, *Latache.*
Manliana, Cæsariensis, *Meliane.*
Marochium, Tingitanæ, aliàs Bocanum Hemerum, *Maroc.*
Mysocoras, Tingitanæ, *Aman.*
Opinum, olim Episcopalis, Tingitanæ, *Rabath.*
Oppidum novum, Cæsariensis, *Mezuna.*
Portus magnus, Cæsariensis, *Marzalquivir.*
Quiza, Cæsariensis, *Oran.*
Rusazus, Cæsariensis, *Carbon.*
Rusconia, Cæsariensis, *Morasus.*
Rusibis, & Rutubis, Tingitanæ, *Ommirabi*, seu *Azamor.*
Russocorum, seu Rusucurum, Cæsariensis, *Alger.*
Ryssadirum, Tingitanæ, *Melilla.*
Sala, Tingitanæ, *Salé.*
Salde colonia, Cæsariensis, *Bugia.*
Sittici, olim colonia, & Episcopalis Cæsariensis, *Sitifi*, seu *Steffe.*
Tamusida, Tingitanæ, *Tifeldest.*
Tenissa, Cæsariensis, *Tenexa.*
Timice, Cæsariensis, *Tremisen.*

Tingi & Tingis, Tingitanæ, *Tanger.*
Tocolosida, Tingitanæ, *Mergo.*
Vagæ, Cæsariensis, *Tagdemet.*
Victoria, olim Episcopalis, Cæsariensis, *Agobal.*
Volubilis, Tingitanæ, *Fez.*
Zilis & Zilia, Tingitanæ, *Arzilla.*

Mauritania, opp. Galliæ Celt. in Comit. Perticensi, *Mortaigne*, apud Bellisimum opp. Vide *Moritania.*

Mauritia, vulgò *l'Isle Maurice* Gallis, *Mauritz Eyland* Belgis, insula maris Æthiopici, in Africa, quæ aliter Cygnea dicitur, *do Cerne* à Lusitanis, à quibus primum detecta fuit. Vide *Insula Mauritia.*

Mauritia, vulgò *Maurice*, urbs Americæ Meridionalis, in Brasilia regione, & in Præfectura Pernambuci, antea ab Hollandis exstructa, & sic dicta in gratiam Principis Mauritii Nassovii. Sed postea à Lusitanis expugnata, ipsis etiamnum subest.

Mauritii regio, *Mauritz-landt* Belgis, *païs de Maurice* Gallis, regio Americæ meridionalis, in Terra ignium, maxime ad Ortum extensa, versùs fretum Maereum, à Batavis detecta Ann. 1616. & sic dicta in honorem Mauritii Nassovii Principis Auraici, cujus auspiciis detecta fuit.

S. Mauritii Abbatia, in Antuatibus, à Sigismundo Burgundionum Rege fundata. Latinis *Agaunum*, circa An. 518. An. 888. Synodo ibi habitâ, Rodolphus, filius Cunradi & nepos Hugonis Abbatis, declaratus est Rex omnium Provinciarum veteris Burgundiæ trans Juranæ. Rhegino, Abbo & *edit. ult. Concil.*

Imperatores & Principes.

Mauritius F. Tiberius, Imper. Orientis, Arabissæ in Cappadociâ, sed stirpe Romanâ, natus. Animo ad militiam applicito, post res egregiè gestas, à Tiberio Imper. Dux exercituum, & datâ Constantinâ gener, futurusque Imperii successor lectus est: postquam è Persia victor rediit, diadema & purpuram à socero, illum egregiè alloquente, accepit. Ingenio, prudentiâ & dexteritate inclytus. Evagr. Fidei Orthodoxæ insignis zelotes, Gregor. *in epist.* Tiberio ita successit An. 582. Mox per Philippicum affinem ter contra Persas victor, 2000. captivorum Constantinopoli vidit. Post quæ militum ardor relanguit, nihilominus Chosroëm II. à suis pulsum, armatâ manu in regnum restituit: à Chagano dein, Avarum Rege, qui in infer. Hungariam, & Mysiam, ipsamque Thraciam, Constantinopoli quoque minatus, irruptione factâ, 12000. captivorum abduxerat, cum hos vili lytro redimere renuisset, illis à Barbaro occisis, in odium populi incurrit, sævi, avari, tyranni notâ aspersus. Delicti pœnitentiâ mox Imperatoris animum subeunte, à Phoca centurione, postquam per quietem, à Viro divinæ speciei, interrogatus, *utro in loco facinoris in captivos admissi pœnas dare mallet*, respondisset, *Amator hominum Domine & judex juste, hic potius & non in illo seculo*, Paul. Diacon. *lib.* 17. Chalcedone, cum quatuor filiis, interfectus est, verbis Psalmographi, *Justus es Domine, & judicia tua justa sunt!* Dei providentiam veneratus. Ann. 602. ætat. 63. Imper. 20. Augustâ, cum filiabus, quinquennio pòst similiter trucidatâ. Niceph. *lib.* 18. & 19. Cedren. *in Annal.* Theophanes, Anastasius, Baronius, &c.

Mauritius, Elector Saxoniæ. Filius Henrici, cum fratre Augusto, in tutela agnati Joh. Friderici Elect. adolevit, Cæsaris exin in Hungaria miles, ibi ministri, vulnera pro ipso excipientis, fide servatus est: in Belgio quoq; contra Gallos eidem operam navavit. A fœdere Smalcaldico alienior, bello fervente, Joh. Friderici ditionem ferè totam in potestatem redegit: mox ab eodem ferè suis omnibus exutus. Sed Electore victo à Cæsare captoque, ejus ditiones iterum nactus est, mox socero Landgravio, quem, ut ad Cæsarem veniret, fide suâ interpositâ permoverat, detento offensus. Electoratu in eum solenniter An. Chr. 1549. in Comit. Augustanis translato, Lipsiæ conventum habuit, ubi formula religionis cusa: Legatos ad Concil. Tridentinum misit, Magdeburgum, auspiciis Cæsaris, domuit: tandem cùm frustra interea ursisset Soceri liberationem, cum Rege Galliæ aliisque Germ. Principibus An. Chr. 1551. fœdere inito, Augustam intercepit, terroreque sparso Tridentinos Patres diffugere coëgit: captâ dein Erenbergâ, ipsum Cæsarem, ut Oeniponte confugeret, compulit: sic Passavii paulo pòst, ubi disceptatum de gravaminibus Imperii & Religionis pace, transactio instituta est. Inde exercitus in Hungaria, contra Turcas Dux fuit: Albertum dein Brandeburg. cum quo eo usque vixerat conjunctissimè, ab Imper. proscriptum, hujus jussu aggressus, prælio ad Sivershusam An. Chr. 1553. commisso victor obiit: Princeps excelso animo, profundus, gravis, magnificus, Vide Thuan. *lib.* 11. Pater fuit Annæ Wilhelmo Nassovio Arausf. Princip. nuptæ, quam maritus ob mores repudiatam patruo Augusto, fratris in Elect. successori remisit.

Mauritius Nassovius, Princeps Arausionensis, filius Guilielmi, Belgicæ libertatis auctoris, ex Anna Saxonica, Patri Delphis occiso, An. 1584. successit, prudentiâ & magnitudine rerum fortiter feliciterque gestarum, immortalem gloriam adeptus. De quibus videantur, præ innumeris aliis, Thuan. *in Hist.* Hugo Grotius *in Annal. ac Hist. Belg.* & Heinsius *Orat. fun.* Obiit Hagæ Comitis, An. 1625. cœlebs, an fato, an tædio Bredæ non liberatæ? Ei in summi Exercituum Fœderati Belgii terrâ marique Ducis dignitate aliisq; muneribus maximis, successit Henricus Fridericus frater. Nomen A vi gesserat *Mauritius*, de quo suprà.

Mauritius, filius minimus natu Johannis Georgii I. Elector. Saxon. mortui Anno Chr. 1656. Mersburgum, Patris voluntate, obtinuit.

Mauritius, Hassiæ Landgravius, Filius Wilhelmi, Cassellanæ lineæ auctoris, An. Chr. 1592. defuncti, linguarum Græcæ, Latinæ, Hispan. & Gallicæ peritissimus, aliis etiam studiis excelluit: summo zelo Reformatæ Relig. addictus. Cum Darmstatinis, ob successionem patrui Ludovici, ei controversia fuit: Marpurgi Theologos August. Confessionis dimisit. Unioni nomen dedit: cum Spinola postea pactus: Ex eo nova cum Ludovico patrueli expostulatio: in causa Waldeccia, ob civitatem Corbacum, adversus eum pronunciatum à Cæsare est Ann. Chr. 1622. ut & in causa Marpurgensi An. Chr. 1623. quo infestatus est à Tillio, Cæsareani exercitus Duce, qui in Hassia, invito Principe, hyberna sumpsit. Dein An. Chr. 1626. Cassellis, à Gronsfeldio in Hassiam jussu Tillii movente, obsessus, translato in filium Wilhelmum regimine, periculo se exemit, Obiit An. Chr. 1632. Pater præter modò memoratum Wilhelmum Philippi, qui An. Chr. 1626. prælio ad Lutteram cecidit: Hermanni, qui Ann. Chr. 1658. extinctus est; Friderici, qui An. C. 1655. Suecis in Polonia militans ibi occisus est: & Ernesti, qui An. Chr. 1651. ad Pontificios transiit. Fuit quoque idem nomen uni ex filiis Friderici V. Elector. Palatin. Bohemiæ Regis, qui cum fratre Ruperto, pro agnato Carolo I. Britan. M. R. contra Parlamentarios, fortiter rem gessit, Exoniâ captâ: postmodum fratris, in expeditionibus maritimis, comes, tempestate ab illo disjectus, periisse creditur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.*

Viri clari.

Mauritius Chancæus, Anglus Carthusiensis Monachus, ob Papismum de Anglia profugus, scripsit Historiam martyrum Angliæ, sub Henrico VIII. qui tamen tyranni ac proditores exciterunt, &c. Verba Simleri apud Morer. *in Dict. Hist.* Obiit An. 1581.

Mauritius Gauritus, Anglus Dominicanus, An. 1290. in Esaiam, Jeremiam, Baruch, &c. commentarios scripsit, Pits. *de Angl. Scr.*

Mauritius Morganus, Poëta ingeniosus, An. 1210.

Mauritius Poncetus, Benedictinus, Concionator inter suos insignis, sec. ultimo.

Mauritius Porta, Parisiensis, scriptis inclytus, Obiit An. 1571.

Mauritius Scæva, Lugdunensis, auctor celebris, sec. præter. Morerius *Diction. Hist.*

Mauritius Sommersetensis, Anglus, Abbas, Ann. 1193. Scripsit Poëma, & librum *de Schemate Pontificali*. Pitseus *de Script. Angl. pag.* 260.

Mauritius Sullius, Episcop. Parisiensis, post Petrum Lombardum, de infima paupertatis fæce, eruditione & virtute evectus. Nobilis, magnificus & excelsi animi. Abbatias aliquot ac complura monasteria fundavit, primusque Basilicam Beat. Virginis inchoavit. Obiit An. 1196. postquam jussisset tumulo verba Hiobi *cap.* 19. *Novi Redemptorem meum vivere, &c.* inscribi. Morer *Dict. Hist.*

S. Mauritius, Ordo militaris Sabaudiæ, ab Amadeo VIII. postquam in secessum Ripariam, cum aliquot nobilibus se subduxisset, institutus, An. 1434. Unitus est cum Ordine S. Lazari An. 1572. Ejus officium, contra hæreticos depugnare, &c. Vide Pingon. *Arbor. Gentil. Ducum Sabaud.* Æn. Sylvium, *lib.* 7. *Comment.* Miræum, *de Ordine Equestr. lib.* 1. *cap.* 18. & 19. Favin. Morerium, *Diction Histor.*

Maurocastrum, Armeniæ oppidum Curopalati, Episcopalis sedes sub Sergiopoli, teste Guillelmo Tyrio.

Maurum, vulgò *S. Mauro*, Lib. Conc. urbs olim magnæ Græciæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Rhegino, nunc oppidum Calabriæ citerioris, inter Coriolanum & Thurios, teste Barrio, à Coriolano 4. à Rosciano 10. in Boream, à Besidiano supra 12. mill. pass. Ferrar. Nunc vicus est in colle, Baudr.

S. Maurus, Congregatio Ordinis Benedictini, in Gallia, à Gregorio XV. in gratiam Ludovici XIII. instituta, An. 1621. Divisa in sex provincias, quarum quælibet viginti domos continet. Monachi hujus Congregationis elegantioribus inprimis literis excolendis vacant, in quem finem Seminaria in qualibet provincia erecta, in quibus Juventus erudiatur. Morer. *Dict. Hist.*

Maurus, Benedictinus Hungarus, Episcopus Quinque Ecclesiensis, à Stephano Rege filio Geisæ, post stabilitam in regno fidem, constitutus est. Scripsit vitam Zoerardi, & Andreæ, Monachorum.

Maurus Ælius, sub Severo & Caracalla, libertus Phlegontis Tralliani, qui prius Adriani. Scripsit quædam, quorum meminit Spartianus *in Severo*, quem locum Andreas Schottus, *libr.* 2. *Observat.* correcturus, reprehensus est à Vossio, *de Histor. Latin. libr.* 2. *cap.* 2.

Maurus Lapius, Monachus Italus, auctor vitæ S. Petri Sardi. Possevin. *in Appar.* Vide & Rabanus Maurus.

Maurusia, regio à Strabone in ora Libyæ occidua contra insulas Fortunatas collocatur. De qua Virgilius *lib.* 4. *Æneid.*

Juppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris. —— ——

Mauru-

Maurusii, Africæ populi, quorum reg. *Maurusia*, quam juxta Herculis columnas, ponit Dionysius, *v.* 184.

Ἀλλ' ἤτοι πυμάτην μὲν ἐπὶ γλωχῖνα νέμονται
Ἀγχοῦ στηλάων, Μαυρουσίδος ἔθνεα γαίης.

Virg. *Æn.* 4.

Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem.

Ubi per *Maurusiam* gentem, *Mauritaniam* intelligi annotat De la Cerda. Et Vitruvius *Archit.* 8. 2. *Maurusia quam nostri Mauritaniam appellant.* Eustath. Οἱ Μαυρούσιοι οὓς καὶ Μαύρους οἱ Ῥωμαῖοι ἔλεγον. Strab. *lib.* 17. Οἰκοῦσι δὲ ἐνταῦθα Μαυρούσιοι μὲν ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων λεγόμενοι, Λιβυκὸν ἔθνος μέγα, καὶ εὐδαίμον, Μαῦροι δ' ἀπὸ τῶν Ῥωμαίων καὶ ἐπιχωρίων. De situ Sallustius: *Proximè Hispaniam sunt Mauri.*

Maus, locus super ripam flum. ubi Christiani olim castra metati. Tyr. *lib* 7. *bell. sacr. cap.* 21.

Mausiacum, & *Mauciacum*, vulgò *Mausac* & *Mozac*, locus in Arvernis, pagoque Ricomagensi, vet. monasterio cognomine insignis: Inter Abbatias Cluniacensi Mon. subjectas. Hadr. Valesius *Not. Gall.* Hic bello contra Albigenses fervente, An. Chr. 1212. horum plurimi sublati sunt. V. Pap. Masson. *Hist. Gall. lib.* 3. P. Æmil. *lib* 6. Lætum *Comp. Hist. Univ.*

Mausoca, Hyrcaniæ urbs. Ptol. mediterr. *Mesat*, ex tabb. rec. proxima metropoli *Cassan*, Molet.

Mausoli, Libyæ interioris gens. Ptol.

Mausolus, I. Cariæ rex, de quo Theopompus ait, eum nullâ re abstinuisse, pecuniæ causâ. Suidas. Fuit autem provinciæ Græciæ præfectus, quem *Satrapam* Persæ vocant, Artemisiæ, V. ibi, maritus, quæ illum tam ingenti amore prosecuta est, ut ejus fato perfuncti cineres vino permistos tradatur ebibisse. Obiit autem Olymp. 106. a. 4. cùm Cariæ 24. annos præfuisset. Ad hæc sepulcrum eidem sumptuosissimum extruxit, quod à nomine ejus *Mausoleum* est appellatum, ob operis magnificentiam, inter 7. Orbis miracula numeratum, à quo omnia pretiosa sepulcra *Mausolea* dicuntur. Unde Suet. sepulcrum Cæsarum appellavit *Mausoleum.* Sic enim ille *in Vespasiano: Cùm inter prodigia cætera Mausoleum Cæsarum derepente patuisset.* Florus 4. 11. *Quod ubi desperavit à principe* (Cleopatra) *servarique se triumpho vidit, incautiorem nacta custodiam in Mausoleum se (sepulcra regum sic vocant) recepit.* Mart. *Spect.* 1.

Aera nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in Astra ferant.

Idem *Epigr.* 65. *lib.* 5.

Jam vicina jubent nos vivere Mausolea,
Cùm doceant ipsos posse perire Deos.

Idem 10. 36.

Marmora parva quidem, sed non cessura, viator,
Mausoli saxa Pyramidumque legis.

Vide *Plin.* 36. 5. Herodot. *l.* 7. Gellium 18. 10. Prop. 3.

Nec Mausolei dives fortuna sepulcri,
Mortis ab extremâ conditione vacat.

Mausolus II. Sociali bello, cum Byzantinis, Rhodiis, Cois, & Sciis, contra Athenienses, junctus.

Mausos, vicus agri Corinthii. Steph.

Mauvia, Ismaëlitarum seu Saracenorum regina, Palæstinam Arabiamque, sub Valente Imp. vastavit: tandem post varia prœlia, fœdere cum illo inito, A. 382. Christianæ fidei desiderio tacta, Monachum quendam, in Ægypti Palæstinæque collimitio degentem, subditis suis Episcopum petiit, obtinuitque: Valente dein mortuo, contra Gothos, Romanis subsidia summisit. Socrates *l.* 4. *c.* 29. Sozomen. *l.* 6. *c.* 38. Ammian. Marcellin. *l.* 14. Baronius *in Annal. &c.*

Mavvornus, Anglus, discip. Worgresi, Episcopus, floruit A. 636. lectioni & prædicationi verbi divini diligentissimè intentus, scripsit Quæstiones S. Scripturæ, Annales & Sermones, Pitseus, *de Script. Angl. p.* 107.

Maxala, Africæ inter urbs à Corn. Balbo devicta Plin.

ad S. Maxentiam, locus Galliæ, in Bellovacis, inter Compendium Suessionum, Creil umque Bellovacorum opp. medium: vulgò *Pont S. Maixance.* Hic ponte junctus est Isara. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

S. Maxentii Monasterium, olim in Pictonibus, sic dictum à Maxentio Abbate, qui Chlodoveo Aquitaniam, contra Alaricum, ingresso, Monasterium suum à Francis illæsum conservavit: Vulgò *S. Maixent.* Ei præfuit Abbas Leodegarius, postea Augustodunensis Episc. quem Ebroinus jussit interfici. Nunc opp. est ad fl. Separim Niortensem, in diœcesi Pictavensi, Cœnobio illustre, cui incrementa sua accepta refert. Idem.

Maxentius Marcus Aurelius Verus, crudelissimus tyrannus, fil. Maximiniani Herculis Imp. viso, Constantini M. imagines Romæ circumgestari, ibidem Cæsaris nomen invasit, A. 306. neque à Constantino in consortium Imperii, pacis causâ, assumi voluit, statuis ejus ubique deturbatis. Severum à Maximiano Galerio Cæsare adoptatum prælio fudit, corruptis ejus militibus, Annullinoque inprimis prætorii præfecto in suas partes pertracto, ac Ravennæ obsedit. Quâ obsidione durante Maximianus Hercules è secessu suo prodiens, intravit Ravennam, & simulatâ cum Severo pace factâ, illum Romam pellectum strangulari Tyrannus curavit. Cumque videret Constantino Christianos favere, & ipse talem mentitus, clementiæ famam sibi conciliavit, sed Alexandro, in Africâ rebelli, oppresso, personâ depositâ, illorum hostem se professus, sævus & crudelis evasit: Civibus prædæ militum indies expositis. Dæmones quoque consulere non dubitans, ex prægnantium infantiumque extis, futura venatus est, luxuriâ insuper infamis. Quibus flagitiis Senatus commotus, Constantinum in Italiam invitavit, ut se à tam gravi tyranno liberaret. Qui, licet difficultate negotii territus, nihilominus signo in aëre viso, confirmatus, per Alpes irrupit, victisque compluribus in locis Maxentii copiis, ipsummet aggressus, devicit. Tyrannus fugâ sibi consulturus, in Tiberi mersus est, An. 311. vel 312. Cadaveri extracto caput demtum, quod in lancea per urbem circumlatum jucundo omnibus spectaculo fuit, Euseb. *in Hist. & vita Constantini.* Zosim. *l.* 2. *&* 3. Eutrop. *l.* 10. Idacius, Aur. Victor, Nazarus & Gallicanus, *in Paneg.* Baronius *in Annal.* Ab hoc Maxentia, vicus agri Mediol. 16. m. p. à Mediolano Novariam versus: *Mazenta* vulgò, dictus.

Maxentius. V. *Johannes Maxentius.*

Maxera, Hyrcaniæ flu. Ptol. *Firt* hodie, juxta quem *Maxeræ* pop. habitant, in Hyrcanum mare labitur.

Maxies, Africæ pop. à Trojanis, ut ipsi gloriantur, orti, qui dextram partem capitis comatam gestant, sinistram radunt, & corpus minio tingunt. Herod. *lib.* 4.

Maxilua, Bæticæ urbs in Turdetanis. Ptol.

Maxima Sequanorum, Galliæ regio apud Sextum Ruffum. Nempe una est, ex quinque provinciis totius Galliæ Belgicæ, & quidem ultima post Belgicam 1. & 2. Germaniamque 1. & 2. Sic dicta, non quòd esset Galliæ provinciarum maxima & amplissima, sed quòd una de maximis. Quibusdam *Germania tertia* non absurdè vocatur: quia Belgæ, quibus attributa olim, plerique à Germanis orti sunt. Populi ejus sunt Sequani, Helvetii & Rauraci. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* & infra in voce *Sequani.*

Urbes Prov. Maximæ Sequanorum.

Matrop. Civ. Vesontiensium.	Castrum Vindonissense.
Civ. Equestrium Noiodunus.	Castrum Ebrodunense.
Civ. Helvetiorum Aventicus.	Castrum Rauracense.
Civitas Basiliensium.	Portus Abucini.

Maximianistæ, Secta Donatistarum in Africa. V. *Maximianus diac. Carthag.*

Imperatores Rom. & Præsules.

Maximianus M. Aurelius Valerius Hercules, Sirmio oriundus, ob fortiter res gestas, præcipuis militiæ muneribus admotus, & à Diocletiano consors Imperii factus est, An. 286. In Gallia Bagaudas dissipavit, cum ducibus eorum Æliano & Amando, qui Imperatores dici voluerunt. Dein, ob sævitiam in Christianos, eò gratior Imperatori, persecutionem ingentem excitavit, quâ durante Christianis neque emere neque vendere, imo neque aquam haurire, aut frumentum molendum tradere licuit, nisi prius Idolis, quæ in omnibus vicis passim erecta stabant, thura adolevissent. Cùm suppliciis Martyrum constantiâ frangi non posse videret, ad Thermas, quas Romæ Carthagineque exstructum ibat, ædificandas eis condemnavit. Similiter Mediolani, & Aquileiæ in Palatio, Veronæ in Amphitheatro &c. erigendo occupatos tenuit. Interea Quinquegentianos in Africa domuit & pace ubique victoriis Diocletiani Galeriique Armentarii partâ, omnium in hoc unum conversus labor. Fertur, cùm Maximiano ludos Circenses spectante, populus duodecies succlamasset, *Occidantur Christiani*, Præfectum Prætorio Eugenium Hermogenianum persecutionis tam funestæ primum fuisse auctorem, quæ postmodum Edicto publico confirmata, A. 302. & 303. Tum Christianorum sanguine inundatus orbis, & in sola Ægypto ultra 144000. Christianorum necata, septingentis millibus in exilium pulsis: Quare etiam nomen illorum extinctum rati Imperatores trophæa, cum superbis inscriptionibus, passim erexerunt. Sed A. 304. Diocletianus, & Maximianus, purpurâ depositâ, ille Nicomediam, hic Mediolanum secessit, & quidem ille sponte, hic tantùm non invitus. Maritus Eutropiæ Syræ, cujus filiam ex priore conjugio susceptam Constantio Chloro despondit, ex illa Maxentium, quem tamen Victor. *de Cæsar.* ab uxore suppositum fuisse scribit, & Faustam Constantino M. in matrimonium datam, suscepit. Audito, Maxentium Imperatorem proclamatum, prodiit denuo, Severo exitii causa: Constantinum quoque per Faustam perditurus, frustra fuit; ab illo tandem Massiliæ obsessus, sibi ipsi, desperatis rebus, fauces elisit, An. 310. Euseb. *l.* 8. Eutrop. *l.* 9. Oros. *l.* 7. Ammian. Marcellinus, *l.* 16. Zosimus *l.* 2. Socrates *l.* 1. Theodoret. *l.* 5. &c.

Maximianus Galerius, Imp. Rom. cum Constantio, patre Constantini M. Christianis infensissimus. V. *Galerius Armentarius.*

Maximianus, Episc. Constantinop. post Nestorium, Concilio Ephesino, An. 431. depositum. Pietate & zelo inclytus, sed litterarum rudis, & ad publicè dicendum ineptus. Obiit An. 434. Proclo successore. Socr. *l.* 7. *c.* 34. *& seqq.* Item Diaconus Carthag. à quibusdam Donatistis electus Episcopus, contra Primianum, à quo Maximianus excommunicatus fuerat. Hinc Primianistarum & Maximianistarum, inter Donatistas, nomina turbæque. August. *l.* 3. *c. Crescon. c.* 6. *&* 7. Baron. *A. C.* 394.

Imperatores Rom.

Maximilianus I. Imp. prudentissimus, Caroli V. Cæsaris avus paternus. fil. Frederici III. *Pacifici* Imp. Primus *Archiducis* titulum sibi sumpsit. Duxit A.1477. Mariam Burgundicam, filiam & hæredem Caroli Audacis. Inducias cum Ludovico XI. pactus, minime diuturnas, A.1479. cum illo ad Guinegastum victor conflixit. Orbatus uxore A.1482. à Gandavensibus, ejus liberos apud se retinentibus, male habitus est. Rex Rom. vivo adhuc patre creatus, ac Aquisgrani coronatus, A.1486. Gandavenses, filio illis erepto, infestos sensit. Quibus cum reliqua Flandria accederet, ipsemet Brugis A.1488. à civibus detentus est: sed paulo pòst liber, Annam Britannicam, per Legatum Comitem Nassovium, sibi, A.1489. despondit, quæ tamen ipsi à Carolo VIII. injustè erepta est, remissâ insuper ei Margaretâ filiâ, quam Carolus antea duxerat. Hinc irritatus Maximilianus, cepit Atrebates, & Audomarum, Hinc Hanonium quoque jam ingressus. Post quæ pax coiit Sylvanecti, A.1493. & successit in imperio Maximilianus, parenti defuncto. Ductâ dein Biancâ, sorore Ducis Medio. junctus Italicis Principibus, Carolum VIII. ex Neapolitano regno in patriam redeuntem ad Fornouam vicit, Ann. 1495. Alberto Saxon. Westfrisiam concessit. Cum Helvetiis infeliciter pugnavit, controversiam Bavaricam prudenter decidit, non acquiescentem Rupertum, Philippi Palat. filium proscripsit, domuit, clementiâ prosecutus est. Ad potentiam Venetorum retundendam, fœdere cum Julio, Ludovico XII. Hispano &c. inito, per Anhaltinum illos X. M. cæsis superavit, plurimaque illis ademit: pace mox factâ, eundem Galliæ R. secundo ad Guinegastum prælio, *calcarium* vulgò dicto, in fugam conjecit. Franciscum I. nimis progredientem coërciturus, à militibus suis desertus & à Borbonio ex agro Mediolanensi pulsus est. Obiit A. 1519. Cameræ Imper. fundator, Princeps eximius, sed venator impotens. Unde frequens illi, de se & Julio II. dicterium: *Deus æterne, nisi vigilares, quàm malè esset mundo, quem regimus nos, ego miser venator, & sceleratus ille Iulius.* Fautor insuper literatorum, ipse quoque poëmata, & commentarios vitæ suæ condidit, P. Jov. *in elog.* Cuspinian. *in Orat. Fun.* Guicciard. *l.* 13. Phil. Cominæus & Gaguin. *in Hist. &c.* Ex Biancâ, nullâ prole susceptâ, ex Maria *Philippi*, qui Austriacam familiam continuavit, Pater fuit, & Margaretæ. Ei successit nepos ex filio Carolus V.

Maximilianus II. fil. Ferdinandi I. Rex Romanorum electus, A.1562. Hungariæ quoque & Bohemiæ regnum tenuit, Protestantibus minimè infensus; unde & Romam de eo perlatum, quòd & Prædicatorem aleret, sæpiusque concionantem audiret, qui in pleraq; regni loca, communionem calicis introduxisset; neque id Rex interdum dissimulabat, se cœnam nisi plenam accipere non posse. Proin & Pius IV. per nepotem suum Marcum Altempsium eum monuit, in fide Catholicâ perstaret, spe ostentatâ Imperii: Cui Rex, se Pontifici, de tam propensa voluntate gratias agere maximas, respondit, sed animæ suæ salutem rebus omnibus mundanis habere chariorem. Quam formulam loquendi Romanę sedis parasiti idioma Lutheranorum esse dicebant. Petrus Suavis *in Hist. Concil. Trid. lib.* 5. in pace Imperium rexit. Patris A. 1564 successor: Bellum Grombachianum, per Augustum Elect. Sax. confecit, ejusque defensorem Joh. Fridericum Duc. Wimariæ, Gothâ arce ejus solo æquatâ, captum ad perpetuos carceres damnavit. Bellum Hungaricum duce Lazaro Suendio, contra Johannem Transylvanum, & Solymannum II. qui in obsidione Sigethi An. 1566. obiit, gessit: Vaivodâ, ademtis omnibus, quæ prius ceperat, Pacotâ exceptâ, coërcito, & X. M. Tartarorum, ex hujus exercitu, occisis, fines ad 40. mill. cis & trans Tibiscum dilatavit. Sigethum amisit, pacem cum Selimo sibi utilem fecit. Pontifici Cosmum, Magnum Hetruriæ D. creanti, minatus, *si Pontifex ulterius imperii jura invaderet*, restitit, eundem Pio IV. Regem creare non permisit: *Non habet*, inquiens, *Italia Regem nisi Cæsarem*; pòst tamen, Francisco, Cosmi F. titulum Magni Ducis, sed, ut Imperii beneficiario, confirmavit. Coronam Polonicam, ab Henrico R. desertam, præventus celeritate Stephani Batorei, non adeptus est. Obiit A.1576. Imperii 12. Ex Maria filia Caroli V. filiorum novem, inter quos *Maximilianus* Mag. Ord. Teut. & sex filiarum pater. Thuan. *Hist. lib.* 36. 37. 39. 44. 60. & 62. Bodin. *de Rep. l.* 1. *c.* 9. Istuanf. *Hist. Hung.* Natalis *l.* 14. Onuphr. *in Chron.* Princeps prudens, pius, pacificus: unde & pacem Religionis inviolatam servavit, *impium judicans, conscientiis imperare, cùm hoc nihil aliud sit, quàm cœli arcem invadere.* Ei successit fil. Rudolphus II.

Principes & Viri clari.

Maximilianus, Arcbid. Austriæ, fil. prioris, frater Rodolphi II. & Matthiæ Imper. à quibusdam Poloniæ proceribus Rex electus, contra Sigismundum, A. 1587. ab hoc victus captusque est. Hinc liber, in Hungaria, Mahometi III. qui Agriam cepit, se opposuit, A. 1596. egregiæ victoriæ fructu, militibus nimis avidè ad prædandum dilapsis, frustratus. Javarino dein frustra obsesso, obiit, A. 1618. Thuan. *in Hist.*

Maximilianus, Bavariæ D. prælio Pragensi, per Tillium, contra Fridericum Bohem. R. victor, hoc remoto, Elector Imperii à Ferdinando II. creatus est, A. 1623. Obiit A. 1651. æt. 70. Prudentiâ inclytus. Ei successit fil. Ferdinandus Maria natus A.C. 1636.

Maximilianus Habequius, Bruxellensis, & *Sandæus*, Jesuitæ, varia scripserunt. Val. Andr. *in Bibl. Belg.* Phil. Alegambus, *de Scr. Soc.* Item, *Vignacurtius*, Atrebas: & *Vrientius*, scriptis clari.

Maximilla, Montani hæretici scortum, ejus cum Priscilla discipula & pseudoprophetissa, opum magnitudine plurimis seductis, ut ipse Montanus, suâ ipsius industriâ laqueo vitam finivit. Euseb. 5. 15. Tertullian. *adv. Physic. c.* 13. Hieron. *ep.* 14. *ad Marcellam*, *ep. Ctesiph &c.* Baron. *A.C.*173.

Maximinianopolis, Ægypti urbs. Lib. Not. Prius *Mageddo*, Hermanno Contracto. Thraciæ item & Pamphyliæ, Ammian.

Imperatores Rom.

Maximinus, Cajus Julius, Imp. Thrax natione, fil. Patris Gothi Micææ, ex Ababa matre, Alana. Ex pastore miles, hinc Dux, Alexandri Severi mortis conscius, militum clamoribus Imperator dictus est, A.235. Prodigiosâ corporis mole, bibo guloq; insignis: Sævus in Christianos, quibus terræmotus aliaq; mala Imperium infestantia, adscriptum ibat. Sævus in alios, magnum aliquod regnum non nisi violentiâ contineri posse dixit. Busiris, Scyron, Phalaris sui seculi, in illos inprimis desæviit, quos natalium suorum conscios nosset, neq; fidissimis amicorum parcens. Post mortuos Gordianos, qui in Africa Imperium arripuere, viginti Proceres à Senatu lecti sunt, qui Maximino, hosti judicato, opponerentur. Quod tantum non in insaniam tyrannum adegit, certè parum abfuit, quin proprium filium C. Jul. Verum Maximinum, quem Cæsarem legerat, interimeret. E Germania itaq; in Italiam transgressus, Aquileiam obsedit, quâ egregiè à Civibus defensâ, ipse à militibus, cum filio, occisus est, A.238 æt. 65. capitibus Romam delatis corporibusque bestiis objectis. Filius obiit æt. 21. Juvenis egregius, Latinè Græceq; doctissimus, à paternis moribus abhorrens, sub Fabilio Poeta, Philemone Grammatico, Modestino JC. Tatiano & Eugamio, qui Rhetor Grecus erat, literis probè imbutus Jul. Capitolin. *in Maximinu*, Euseb. *l.* 6. Oros. *l.* 7. Aurel. Victor *de Cæsar.*

Maximinus C. Valerius, cog. *Daza*, nepos ex sorore Maximiani Armentarii, Cæsar cum Severo factus est. Sævus in Oriente, qui ipsi contigit, inprimis in Christianos, literis Constant. & Licinii coërcitus est. Interea, cum hoc collisus, prælio victus est, hinc in patriã redux Idolorum Sacerdotes, per quos ipsi Oraculum victoriam pollicitum erat, necavit, edicto in favorem Christianorum evulgato. Horribili tandem morbo correptus, incendio intestino viscera depascente, oculis quoque orbatus: Obiit Tarsi, A. 314. Victor *de Cæsar.* Eutrop. Euseb. Zosimus, &c.

Præsules.

D. Maximinus, Apostolorum discipulus, unà cum Lazaro, qui à Salvatore ex mortuis fuerat excitatus, venit in Gallias: ubi in civitate hujus nominis, in provincia Narbonensi sepultus est, Belfor. *Tom.* 1. *Cosmogr.*

D. Maximinus, Episc. Trevirensis, è Pictonibus oriundus. Athanasium exulem benignè recepit, acer Niceni Conc. defensor. Interfuit Concilio Coloniensi, contra Euphratem Episc. A.346. & Sardicensi, A.347. Obiit A. 351. Hieron. *in Chron.* Greg. Turon. *Hist. l.* 1. *c.* 35. & *c.* 93. *de glor. Confess.* Socrates, Sozomen. Theodoretus &c. Guil. Kyriander, *de orig. ac statu Trever.* Christoph. Brouver. *de antiq. Trever.* P. Cratepolius, *de Episc. Trever. &c.*

D. Maximinus, Juliacensis Episcopus, ab Herulis, & Ostrogothis patibuli suspendio, martyrium passus est, A. Dom. 479. Munst. *lib.* 3. *Cosmogr.*

Imperatores Rom.

Maximus Flavius Magnus Clemens, Rom. Imp. ab exercitu, cui in Anglia præerat, proclamatus, A. 382. se è Constantini stirpe & Theodosii proximum agnatum, jactavit. In Galliam transgressus, à Legionibus Gratiano succensentibus, pro Imper. habitus, Treviris sedem Imperii constituit, quo tempore Gratianus Lugduni, ab Andragatho, occisus est. Cui sepulturâ barbarè negatâ, ad Theodosium misit, in imperii consortium ab illo acciri ardens: à quo vanâ spe lactatus, ne Valentinianum in Italia opprimeret, quietus sedit. Postmodum Victore filio Cæsare creato, in Italiam cogitavit, ab Ambrosio obviam misso secundâ vice impediri se non passus. Ergo Italiam ingressus, Valentiniano cum Justina matre ad Theodosium profugo, Placentiam, Mutinam, Rhegium, Bononiam solo æquavit, reliquis urbibus misere vastatis, in publica calamitate, solo Ambrosio, cum Ecclesia sua, intacto. Theodosio adventanti, Andragathum in mari Jonio, Marcellinumque fratrem in aditu Italiæ opposuit, ipse in Hungariam cum ingentibus copiis profectus. Sed ibi, & in Italia à Theodosio victus, Aquileiam confugit, ubi à propriis militibus Imperatori deditus est, qui ipsi caput detruncarunt. Victore fil. proditione Arbogasti, occiso, Andragathus in mare præceps iit. Zosim. *l.* 4. Theodoret. *l.* 5. Socr. *l.* 5. Pacat. *in Paneg.* Paulin. *in Ambrosio*, Sev.

Maximus, domesticus Gerontii, Ducis copiarum tyranni Constantini, Cæsar factus ab hero suo, qui ex Britannia oriundus erat A.411. anno pòst purpurâ exutus, inter Barbaros delituit. Postea in Hispania turbaturus, captus, ad Honorium deductus & à Jovino occisus est. A.421. Prosper & Marcellin. in *Chron.*

Maximus, Imper. ex Maximi, à Theodosio Sen. devicti familia. Senator cùm esset, uxore pulcherrimâ à Valentiniano, mirâ fraude corruptâ, ultionem meditatus, operam dedit, ut Imperator Aëtium à se removeret. Quo facto conjuratione occultissimè initâ, Valentinianum occidit, in Campo Martio, A. 455. hinc throno conscen-

conscenso, & Eudoxiâ, Valentiniani viduâ, per vim ductâ. Palladio filio, Cæsari creato, Eudoxiam Imperatoris occisi filiam, Gaudentio, Aëtii filio desponsatam, junxit, Imperio in pristinum splendorem reducendo intentus. Sed brevi parricidii pœnam dedit. Cùm enim amore amens, Eudoxiæ aliquando affirmaret, Valentinianum se, ut illâ potiretur, occidisse, illa, minimè persuaderi sibi id passa, clam ad Gensericum, in Africam misit, ejus auxilium implorans: qui in Italiam advolans, Romam brevi, Maximo inde profugo, & à civibus occiso, occupavit. Alii dicunt, Genserico appropinquante, Maximum, à milite quodam Urso, occisum, & ab Eudoxiæ ducibus civibusque Romanis in frusta discerptum, ac in Tiberim projectum esse, An. 455. die Imper. 77. Procop. *de bello Vandal. lib.* 1. Evagr. *lib.* 2. Sidon. Apollin. *lib.* 2. *epist.* 23. *ad Sarran.* Nicephor. *lib.* 15. *&c.*

Viri illustres.

Maximus, Consul cum Gordiano, an. U. C. 963. Alius cum Orphito, An. Dom. 914. Alius cum Apro, an. U. C. 959. Idem 2. Consul cum Æliano, an. U. C. 976. Alius cum Albino, an. U. C. 977. Alius cum Lupo, an. U. C. 984. Idem proximo anno cum Paterno, & sequenti cum Urbano.

Maximus, cognomento Memma, Cons. cum Plinta, An. U. C. 1172. Item *Maximus*, Consul cum Theodosio Aug. an. U. C. 1106. Idem 2. Consul cum Paterio.

Maximus, Alexandrinus, ex Cynico Christianus, Constantinopolin venit, An. 379. ubi à Gregor. Nazianz. benignè, tanquam Confessor, qualem se jactaverat, exceptus & laudatus, hunc inde pellere constituit. Proin Gratiani Imp. gratiam aucupaturus, Mediolani librum ipsi, contra Arianos, obtulit, magno in pretio ab Hieronymo habitum. Inde redux, per 7. Episcopos à Petro Alexandrino missos, clam Episcopus ordinatus, mox populo vitiis ejus infesto, urbe exiit: à Gregorio in eam reverso, vivis coloribus depictus, qui Petrum, alias pietate celebrem, in facinus hoc consensisse, vehementer miratus est. Hinc schisma Constantinopoli, Presbytero quodam, Gregorii inimico, Maximo favente: qui à Theodosio, quem interea Gratianus consortem legerat, cõfirmari petens Thessalonicæ, cùm voto non potiretur, pœnâ veritus, Alexandriam ad Petrum se recepit. Sed & inde pulsus, postea in Apollinaris hæresin prolapsus est, & ab Episcopis condemnatus. Gregor. *Carm. de vita sua, & Or. in Max.* Theodor. *lib.* 5. Nicephor. *lib.* 12. Cassiod. *lib.* 9 Baron. *An. Chr.* 379. 380.

Maximus, Patriarch. Constantinop. successit Theodoro III. & Manuelem I. successorem habuit, seculo 13. Item, sec. 15. post Simeonem, ei successit Nipho.

Maximus, aliis *Maximianus*, Episcopus Alexandriæ, durante persecutione, post S. Dionysium, An. 266. Obiit An. 285. Successit Thomas. Euseb. *in Chron.* Baron. *in Annal.*

Maximus, Episcopus Alexandrinus, Domno surrogatus est, à Pseudo-Concilio Ephesino: Obiit An. 456. Successit Basilius. *Acta Concilii Chalced.* 8. 9. *&c.* Baron. *in Annal.*

Maximus I. Episcop. Hierosolymit. 19. seculo 2. post Publium, ante Julianum. Euseb. *in Chron.* Baron. *in Annal.*

Maximus II. Capitoni successit, An. 185. Episcopus 26. ante Antoninum. Euseb. *in Chron.*

Maximus III. post Macarium, An. 334. plurima pro fide passus, in Niceno Concilio, inter Confessores eminuit. Concilio Tyrio, ubi Ariani prævaluerunt, interfuit An. 335. à Paphnutio Episc. de fraudibus horum monitus. Concilio An. 349. Hierosolymis celebrato, Athanasium in communionem Ecclesiæ recepit, literis hac de re ad Episcopos Ægypti, Lybiæq; & totam Eccl. Alexandrinam, missis: hinc Arianorum technis depositus. Obiit An. 353. Successit S. Cyrillus. Theodor. *lib.* 2. Socr. *lib.* 1. Sozomen. *lib.* 1. 3. 4. Rufin. *lib.* 1. Philostorgus, *lib.* 3. *cap.* 12. *&c.*

Maximus, alio nomine *Julius*, in partibus Civilis, Tacit. *Histor. lib.* 4. 33.

Maximus, Scriptor Ecclesiasticus, sec. 13. Scripsit de origine mali & materia, Euseb. Cæsar. & Hieron. *de Script. Eccl.*

Maximus, Sophista Alexandrinus, auctor Declamationum aliquot, Phot. *cod.* 135. Item, Scriptor gestorum Apollonii. Philostr. *in hujus vita lib.* 1. *cap.* 5. Tzetz. *Chil.* 2. *Hist.* 291. Item, Historicus, Idem, *Chil* 9. *Hist.* 292. Item, Episcop. Neapolitanus, ab Arianis, in exilio, necatus. Surrogato Zosimo, qui graviter paulò pòst punitus est, Baron. *in Annal.* M. Herm. *in vita S. Athan. lib.* 7. *cap.* 6. Item, Grammaticus Madaurensis, scripsit ad Augustin. epist. quæ 43. est, inter hujus epistolas, qui sequente illum, responsi loco, est dignatus.

Maximus Cæsaraugustanus, Episc. floruit An. 610. Auctor Historiæ Gothorum in Hispania: quod opus impensè laudatur ab Isidoro Hispalensi, *Catal. de Viris Illustr. cap ult.* Honorio & Trithemio. Ei in Episcopatu successit Johannes, quem Braulio frater excepit. Vide Vassæum, *in Chron rer. Hisp. cap.* 4. Possev. *in Appar. Sacr.* Voss. *de Hist. Lat. &c.*

Maximus Cynicus, Philosophus, Idololatra & Magus, Ephesò oriundus. Juliano Apostatæ, cum quo familiariter agebat, odium religionis Christianæ inspiravit, ipsique imperium prædixit. Hinc Julianus jam Imper. tanto honore hunc coluit, ut ipsi advenienti obviam procederet, eumq; censorem operum suorum esse vellet. Contra Persas dein expeditione susceptâ, cùm ex Maximo audisset, non minus illam gloriosam fore, ac Alexandri M. olim fuerat, ambitione inflatus, animam Alexandri per metempsychosin in se transiisse credidit. Post Julianum & apud Jovinianum in honore, ob eruditionem, fuit, sed à Valente promulgato edicto, ut Philosophi Magi ad pœnam raperentur & ipse Ephesi justas impietatis pœnas luit. Eunapius *in vit. Philosoph.* Sozomen. *lib.* 6. Socr. *lib.* 4. Zosim. *lib.* 4. Ammian. Marcell. *lib.* 22. *cap.* 29. Baron. *in Annal.*

Maximus Dexter, Consul, cum Numio Albino, Ann. Urb. Cond. 1015.

D. Maximus Martyr, Abbas vel Confessor, natus Constantinopoli, inclytâ stirpe, doctrinâ & pietate generis splendorem auxit. Ab Imper. Heraclio invitatus in palatium, ut ibi historiam Imperatorum elaboraret, eo in Monotheletismum prolapso, in monasterium se recepit. Jam Abbas, cùm errorem latè spargi hunc videret, Romam, in Africam, &c. profectus, Episcopos ubique cohortatus est, huic ut gangrænæ in Oriente serpenti mederentur. In Africa, An. 645. Pyrrhum Constantinop. hæresin hanc ibi disseminantem, colloquio instituto, ad meliora inflexit. Dein Romam cùm venisset, Martinum I. ad Concil. contra hos errores celebrandum induxit: aliquoties, cum Anastasiis duobus discipulis suis, in exilium à Constante actus, Obiit. Opera ejus 2. Volum. edita à Combesio: *Quæstio Ecclesiastici dogmatis*, disputationis contra Pyrrhum titulus, &c. Morin. *in ejus vita.* Photius *Cod.* 192. 193. 194. & 195. Anastas. Biblioth. *in Collect.* Theophanes, &c.

Maximus Planudes, Monachus Constantinopolitan. Syllogen epigrammatum, libb. 7. edidit, Metamorphoses Ovidianas græcè vertit; idemque in Commentariis Cæsaris conatus est, aliis quoq; magni ingenii judiciique monumentis editis. Ab Imperatore jussus contra Latinos scribere, utcunque id executus est. An. 1370. Raphaël Volaterran. *lib.* 17. *Anthropol.* Genebr. *in Chron.* Voss. *de Hist. & Poët. Græc.* Scalig. Gesnerus, &c.

Maximus Regiensis. Episcop. seculo 5. Obiit An. 462. Successit ipsi Faustus, qui homiliam in S. Maximi laudes composuit. Dynamius *in vita ejus.* Sidonius Apollinar. *versu Euch. ad Faustum.* Gregor. Turon. *de gloria Confess.* Bartel. *Histor. Nomencl. Præsulum Regiensium.* Alius ibidem Episcopus, seculo 13. Alius, Faventii successor, Ann. 400. Homiliarum auctor, quæ ab aliis Eusebio Emisseno tributæ.

Maximus Scaurus, centurio prætoriæ cohortis, in societatem conjurationis, per Subrium & Sulpitium contra Neronem, adscitus, Tacit. *lib.* 15.

Maximus Taurinensis, Episcopus hujus urbis, in Pedemontio, doctrinâ & pietate inclytus; auctor Homiliarum quarundam, A. 465. Gennad. *in Catalog. cap.* 40. Honoratus Augustodun. *libell.* 2. *cap.* 40. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 13. *&c.*

Maximus Tolosanus, Episc. hujus urbis, ex viro primariæ in Rep. dignitatis, sec. 5. Ei successit Agdus. Savaro *not. in Sidon. Apollin. lib.* 4. *epist.* 24. Catel. *Hist. Tolos.*

Maximus Tyrius, Philosophus Platonicus M. Antonini præceptor Romam venit An. 146. ubi ab Apollonio, Ariano, &c. maximi habitus est: ipsi etiam Marco Aurelio, Imper. qui sæpe auditor ejus esse voluit, gratus. Scripsit de Homero, & quæ apud eum antiqua Philosophia; an rectè Socrates Apologiam detrectaverit, & alias id genus quæstiones philosophicas. Ita Suidas, qui eum Romæ usque ad Commodum Imper. vixisse perhibet. Ejus 41. dissertationes, Cosmus Pactius, Episc. Florentinus, sub initium præt. sec. vertit, Heinsius verò longè correctiores edidit, notisque eruditissimis illustravit. Volaterr. *lib.* 7. *Anthr. &c.* Fuit præter hunc *Maximus* Ephesius, Philosophus & Sophista, præceptor Juliani, ob magiam tandem à Valentiniano interfectus, teste Socrate *lib.* 3. 1. Vide suprà. *Maximus* Alexandrinus Philosophus Cynicus, qui postea Episcopus Constantinopolitanus fuit. Vide suprà. *Maximus* quoque Ægiensis fuit, qui de Apollonio Tyaneo Pythagorico, nonnulla literis prodidit, gesta scil. ab eo Ægis. Vide Philostratum *lib.* 1. *de vita Apoll. cap.* 5.

Maxula, Anton. *Maxulla* Plinio, *Maxula* Ptolem. colonia & oppid. Africæ maritim. Tuneti proximum, inter Carthaginem ad Occ. & Clupiam ad Ort. Episcop. sub Archiepisc. Carthaginensi, inde 18. m. p. in Ortum distans, nunc *Marsa*, Ferrar.

Mayensis Comitat. *Mayo Countie*, regiuncula Connaciæ, in Hibern. Ibi castr. *May* præcipuum, in ora littorali.

Maylles, filius Æneæ, ex Lavinia. Apollodorus, *in Euxenide*.

Mazaca Cæsarea, urbs Cappadociæ, sub monte Argæo, quæ nunc *Tisaria*, teste Nigro. Malè ab Eusebio & Rufo Magaram vocari, monuit Philander *ad Vitruvium.* Baudrando, versus Armeniam minor. & Melam fluvium, 80. mill. pass. à Sebastia in Meridiem, 70. à Tyana in Cæc. 160. à Melitene urbe, & Euphrate in Occident.

Mazaca, Sarmat. Asiaticæ pop. Plin.

Mazaces, seu *Mazæi*, populi Illyrici, versus Savum, in Septentr. & Japodes, sub quibus fuere, ubi nunc pars Croatiæ, versus Unam amnem.

Mazaces, præsidii Persici Memphi dux, qui palantes & incautos Græcos urbe erumpens ad unum omnes, cum ipso duce Amyntâ, occidit, Curt. *lib.* 4. *cap.* 13. Vide *Astaces*.

Maza-

Mazacyla, Marmaricæ urbs, Ptolem.
Mazaum, civitas Bithyniæ, Stephan.
Mazaus, Ciliciæ, sub Artaxerxe Ocho, Satrapes, Diod. *lib.16.*
Mazaus, Babyloniæ Prætor & Darii gener: Alexandro procedenti Babylonem, cum adultis liberis supplex occurrit, urbem seq; dedens, Curt. *lib.5. cap.4.* Ob id à Rege, satrapiâ Babyloniæ donatus est, *cap.9.*
Mazaganum, vulgò *Mazagan*, urbs Ducalæ, in regno Marrochio cum portu, in ora Oceani Atlantici, & arce munita, prope ostia Ommirabihi fluv. Sub Portugalliæ Rege.
Mazana, Palæstinæ urbs, Steph.
Mazandaranum, vulgò *Mazandaran*, urbs Persiæ, caput regni cognom. versus oram Australem maris Caspii, ubi aliàs pars Hyrcaniæ Orientalior. Ad. Olearius. Vide P. de Valle *Itiner.*
Mazara, seu *um*, vulgò *Mazara*, urbs Siciliæ, cum portu capacissimo, satis munita; media ferè inter Thermas & Lilybæum, 30. m.p. à Drepano in Austr. 55. ab Agrigento in Occ. Hinc pars Occ. Siciliæ *Val di Mazara*; estque una ex tribus Siciliæ prov.
Mazara, Siciliæ fluv. Diodor. Castellum item Selinuntiorum, Steph. & Armeniæ maj. urbs, Ptol.
Mazares, Medorum Satrapes fuit, qui Prienenses in Cyri ditionem redegit. Herod. *lib.* 1.
Mazarinus Julius, è Siciliâ oriundus, propriâ industriâ ad purpuram & *primi*, ut vocant, in Gallia *Ministri Status* culmen emersit. Ingenio subtili, & morarum patiente, Reipubl. sic consuluit, ut suam rem non negligeret: Humanitate & rerum inprimis successu inclytus. Quamvis enim Galliam exul relinquere coactus est, An. Chr. 1652. Principes tamen vindices nactus, ipsam Reginam in partibus habuit, unde cum gloriâ dignitati redditus, pace inter Regem suum Hispanumque, nuptiisque auspicatissimis, Pacis pignore, An. Chr. 1660. conciliatis, paulo pòst obiit, die nempe 27. Febr. An. Chr. 1661. cujus mortem quàm ægrè Rex tulerit, testantur literæ ejus ad Hispan. Reg. datæ, quas vide in Diar. Eur. *Cont. V. pag.* 510. Ejusdem Testamentum, amplissimarum ejus opum testem, habes *ibid. pag.* 411. *& seqq.* De rebus ejus gestis vide *Ministerium* Richelii & Mazarini.
Mazaris, Siciliæ urbs, Anton.
Mazax, Africæ populus, in torquendis missilibus non inferior Medis. Lucanus 5.

—— *Æquaturusq; sagittas*
Medorum, tremulum cum torsit missile Mazax.

Claudianus:

—— *Pavidus projectat missile Mazax.*

Mazeras, Hyrcaniæ fluv. in mare Caspium influens, Plin. *lib.6. cap.16.* Plutarch. *lib.6. cap.78.*
Mazenus, Cyri regis miles, Herod.
Mazippa, Maurorum dux, qui, cum Tacfarinate diviso exercitu, leves copias accepit, ut incendia & cædes & terrorem circumferret. Vixit Tiberii Principatu.
Mazira, vulgò *Mazira*, Insula Asiæ oblonga, in ora fel. Arabiæ, aliàs *Organa*, 160. m. p. à Corodamo promunt. in Occ. 140. à Mascata urbe in Mer.
Mazorani, populi Ariæ, in Parthiæ & Carmaniæ confinio, Ptol. *Μαζωρανοι* in MS. Seldeni.
Mazovia, vel *Mazosvia*, tractus Polocensis in regno Poloniæ, nomen à Maslao seu Masosz Pocillatore Miecziflai Reg. qui interregni tempore, illum rapuit, nacta est, An. Chr. 1040. tandem à suis suspensus. Hanc cum Cujavia postea Lescus Albus tenuit, filius Boleslai Crispi, qui fratri Vladislo Reg. pulso successerat. Horum frater quintus Casimirus, postea Rex, Polonicæ seu *Mazoviana* familiæ auctor, obiit An. Chr. 1194. Pater Lesci & Conradi, quorum ille cum Cujavia *Mazoviam* Conrado fratri minori concessit, An. Chr. 1205. ad quam contra Prussos defendendam, Crucigeros evocavit, iis Culmensi tractu, & quidquid inter Vistulam ac Druentium fluv. tradito. Filii ejus Ann. Chr. 1247. extincti, Casimirus rami Lenciniensis, & Ziemovitus rami *Mazovii* auctores extitere. Hunc frater Siradiensi principatu spoliavit: Inter ejus filios Conradus adversus Boleslaum Calvum & postea Lescum nigrum consobrinum suum, regnum vendicaturus frustra fuit. Eum enim à rebellibus subditis contra se Regem electum, ad Rabam fluv. Ludovici Ungari auxiliis nixus superavit Lescus Niger, An. Chr. 1285. Alter filius Boleslaus stemma propagavit, quod aliquoties in diversos ramos, in Ziemoviti inprimis, qui Mazoviam An. Chr. 1355. Regi Casimiro obnoxiam fecit, in Warsovianum vel Cirnensem, & Plocensem seu Ravensem, abiit. Warsoviana linea in Johanne & Stanislao An. C. 1526. extincta est, sicq; omnis in Polonia Piasteus sanguis defecit: quum Plocensis An. Chr. 1462. in Ziemovito & Vladislao, jamque prius Ziemoviti ramus, defiisset. Ita Johannes Albertus Rex, mortuo Janussio Mazoviæ duce, tractum Polocensem & Mazoviam regno univit, (Conradoque demortui Ducis fratri, cujus filii Johan. & Stanislaus præfati, Czirniensem dominatum vicissim concessit, An. Chr. 1501.) nec Regi Sigismundo concessum, ut eam uxori dotalitiam faceret. Vide Martin. Cromerum, *Histor. Polon. à libr. 7. usq. ad lib.* 30. Spenerum *in fam. Piastea.*
Mazua, vulgò quoque *Mazua*, Insula in ora Barnagassi, antea sub Abyssinis, nunc Turcici juris ab An. Chr. 1557. Aliàs *Macaria.* Vide ibi.
Mazula, Africæ propriæ urbs, *Mazula*. Ptolem. Plin. Anton, nunc *Marsa*, Morerio urbs Ægypti infer. Gall. *Mazoure*, ubi Ludovicus IX. An. Chr. 1250. victus captusque est.
Mazyes, Nomades Libyæ, aliis *Maxyes*, & *Machmes*, Steph.
Mazzabanes, Hierosolymorum Episcopus 31. An. D. 253.

M C.

Mcislavia, urbs & Palatinatus Poloniæ, in Lithuania. Hîc Mosci à Sigismundo I. victi, hodie tamen sub illis est. Ad fluv. *Solsz.*

M E.

Meacum, vulgò *Meaco*, urbs ampla Niphoniæ, in tractu Jetseno. Antea totius regionis caput & sedes regia, nunc etiam populosissima, & emporium celeberrimum. Vix 8. m. p. ab ora sinus cognominis, 70. ab ora Bor. Japoniæ, 24. à Jendo in Occid. Urbs ipsa duplex est, *Superior*, ubi palatium Imper. planè regium, & *Inferior*, quæ extenditur versus oram littor. & portum, ubi arx permunita *Fuxima.* Sed tantisper defecit, ex quo Jenda regia facta est.
Mearus, Melæ, *Metarus* Ptolem. fluv. Hispan. Tarrac. in Callaicis. *Rio major*, qui prope Trileucum promuntor. in Oceanum Atlanticum se exonerat, 10. leuc. à confinio Asturiæ in Occ.
Meata, vide *Maata.*
Mecades, Atheniensium princeps, an. ante U. C. 160.
Mecelius Hilarianus, Consul, cum Pacatiano, Ann. Urb. conditæ 1094.
Mecha, vulgò *la Mecque*, Gallis, *la Meccha* Italis, civitas Arabiæ Felicis, quam Saraceni incolunt, Mahumeticæ superstitionis caput. *Petra* vett. Bellonio, *lib.3. observ.* Aliis & meliùs *Marraba*, fuit antiquorum. Juxta fluv. Betium, nunc *Chaibar*, ad radices montium, 80. mill. à mari Rubro in Ort. 200. à Medina Tanalbia in Merid. Ibi sepulchrum Mahumetis. Haud pridem ab Arabibus direpta est. Huc Caravanę frequentes instituuntur à Mahumetanis: Unde & Scirificus Hascenes, humili quidem loco natus, sed homo vafer, qui genus suum ad Scirificum Fessæ Reg. referebat, quem Saidus regno exuerat, postquam affectatâ sanctimoniâ plebem ad se traxisset, ut filios quoque ei charos redderet, Mecham eos, ad visendum Mahometis sepulchrum, misit: qui reduces, Mahomete Fessano Rege victo & occiso, regnum in se transtulerunt, An. Chr. 1507, 1508. 1550. Vide Thuan. *Histor. lib.7.* Et de Caravanis hisce P. de Valle *Itiner. tom.* 1.
Mechanum, villa in tribu Juda, Hieronymi tempore, Eleutheropoli ascendentibus Æliam, in octavo lapide.
Mechlinia, Gallis *Malines*, pulchra ac nitida civitas, quasi cor & centrum Brabantiæ obtinere dicitur. Bruxellâ, Lovanio, & Antverpia quatuor milliaribus distat, situ & opere munita, incredibili aëris puritate gaudet. Habet ædes sacras quamplurimas, sed duas, quæ longè cæteris antecellunt, Deiparæ unam, & alteram D. Rumoldi ornatissimam, cum turri, quæ & magnifica est, & altitudine spectabilis. Optimus est hujus Reipubl. status, nam in eâ Princeps suum imperium, Optimates authoritatem, populus suam vim, authoritatemque retinet. Est hic etiam armamentarium regium incredibili machinarum, tormentorum, armorum, & rerum ad bellum necessariarum copiâ instructum. Varia quoq; opificum hic inveniuntur examina, à quibus ænea conficiuntur tormenta, campanæ, naves, panni, artificiosæ picturæ, & id genus alia, quæ in varias orbis partes, maximè in Hispaniam, transportantur. Juxta S. Catharinæ portam, quâ Antverpiam itur, amplum monasterium est, muris instar oppidi cinctum, in quo aliquoties supra mille quadraginta sunt moniales. An. Dom. 1546. ex pulvere tormentario à fulgure incenso, multum labefactata Mechlinia fuit, nunc verò restaurata, solitâ pulchritudine, & munditie claret. Lloydius. Ob quem splendorem & magnificentiam jactatum in Prov. *Mechlinia pulchra, Antverpia dives, Bruxella nobilis, Lovanium sapiens, Gandavum amplum, Brugæ veteres.* Situ egregio urbs, à fluvio Dyla interluitur, quo maris æstu augescente merces undique in urbem commodè subvehuntur, quæ commerciis proin præ multis aliis floret. In suburbio S. Alexii monasterium est Virginum ad 1600. è quo his exeundi, ambulandi, alios visendi, visitntesque excipiendi, nubendi tandem libertas est. Fuit olim sub dominis peculiaribus, usque ad 1336. quo libera facta est. Postmodum ad Burgundos, hinc Austriacos pervenit, Ann. Chr. 1477. Sedes est Archiepiscopatus à Paulo IV. An. Chr. 1559. fundati: quemadmodum duodecim Canonicorum Collegium An. Chr. 1000. hîc Norgerus Leodiensis Episcopus fundavit: Senatus item regii, à Carolo Burgund. Duc. An. Chr. 1473. instituti, locus insuper Curiæ Equitum aurei velleris. Capta est ab *Alexandro* Farnesio Parmensi Duc. post Antverpiæ expugnationem, An. Ch. 1585. Cæterùm cives ab annuo tributo liberi sunt, ob fidelem operam Carolo Audaci, in obsidione Novesii, præstitam. Vide Guicc. *descript. Belg.* Johan. Bapt. Gramæum, *Histor. de Malines.* Valer. Andream *Bibl. Belg.* Havensium, *de erect. nov. Episcop. in Belgio.* Thuanum & Grotium *in Hist &c.* Item in voce *Machlinia.*

Mech-

Mechmas, vel *Machmas*, opp. in tribu Ephraim. 2. Esdr. 11.

Mechnedebai, nomen viri. 2. Esdr. 10.

Mechoacania, vel *Mechoacan*, regio novæ Hispaniæ, opulenta, ter quippe in anno fruges maturescunt. Inter Mexicanam ad Ort. & novam Galitiam ad Occ. sub Hisp. Extensa per 80. leuc. à Sept. in Mer. juxta mare Pacificum: ex illa pendent Colima & Zacatula prov. Ejus urbes sunt S. Michaëlis *S. Miguel*, S. Philippi, *S. Felipe*, Conceptionis de Salaya, *la Conception de Salaya*, Legio *Leon*, Sentica seu *Zamora*, *Zacatula* & *Colima*. Sed caput est Vallisoletum seu *Mechoacanum*, Gall. *Valladolid de Mechoacan*, Episc. sub Archiep. Mexicano, quæ incolis *Guayangarco*. 47. leuc. Hisp. à Mexico in Occ. & aliquot leuc. à lacu Mechoacano in Austr. teste Herrera.

Mecistus, unus ex sociis Ajacis Telamonii. Hom. *Il*. 13. Item Triphyliæ oppidum. Steph.

Mecœnas C. Cilnius, eques Rom. Augusto gratissimus, ab Hetruriæ regibus oriundus, Horat. *lib*. 1. *carm. Od*. 1. & Propert. *l*. 3. cui velut unico studiorum patrono Virgil. Georgica sua, & Horatius libros Carminum inscripsit. Delicatum hunc fuisse, non solùm cultu ac moribus, sed etiam stylo commemorant, quare Augustus eum frequenter exagitat, ut Cacozelum. Interim taciturnus fuit, nec monere ac reprehendere Augustum dubitavit. Vide infra. Urbis custodiæ præpositus, velut è somniis resurrecturi belli civilis prævidit & restinxit initium, oppresso M. Lepido juvene, formâ, quàm mente meliore, Vellejus Paterc. *l*. 2. Præterea fuit hic vir provehendis cùm omnium disciplinarum, tum præsertim poëticæ cultoribus adeò benignus, ut ab eo etiam hodie studiorum patroni, qui, in sublevandâ doctorum hominum egestate, se munificos præbent, *Mecænates* appellentur. Mart.

Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones.

Idem reperit notas, quibus celeriter scribi posset, & per Acilium, Aquilamve libertum publicavit. Ejus mollitiem Seneca philosophus irridet, & exagitat. Scribe *Macenas*. Apud Herodianum legitur *Μαικήνας*, ut Latinè esset *Macinnas*: Quem tamen in membranis antiquis *Μαικήνας* esse, testatur vir doctiss. Frid. Sylburgius *Indice in Hist. Rom. scriptores Minores*, nec alio à Jul. Capitolino nomine appellatur. Scripsit quædam egregia, inprimis *Prometheum*, Senec. *epist*. 9. Ad Antonium ab Augusto auxiliorum causâ missus, contra Pompejum jun. negotium feliciter confecit. Agrippâ in contrarium nitente, suasit Augusto, ut retineret Imperium, Vide utriusque Orationes excellentissimas, apud Dion. *in Augusto*. Eundem, magnam vim reorum condemnaturum, in ejus sinum schedâ conjectâ, verbis *Surge carnifex & abi*, monuit, ne sævitiæ notam incurreret: moriturus illum hæredem scripsit, licet in uxore ejus Augustus peccaverit. Vide Macrob. *l*. 2. *c*. 4. Sueton. *in Aug*. Plut. *in eodem*. Imo de nobili hoc Romano singularem librum scripsit Meibomius, cui titulus *Macenas*, quem sis vide. Alterius Mæcenatis meminit Plin. *l*. 8. *c*. 6. qui integrum triennium silere potuit.

Mecon, urbs Peloponnesi non procul à Corintho, quæ postea *Sicyon* est appellata. Strab. *l*. 8. Item Insl. parva maris Ægæi, apud Delon, ubi Ajax sepultus.

Mecone, urbs fuit Sicyoniæ reg. Cælius Rhodiginus *l*. 12. *c*. 12.

Mecrida, uxor Lysimachi, mater Alexandri. Polyæn. *l*. 6.

Meculonius, pupillus quidam Roman. ditissimus. Cic. *pro Flacco*.

Mecyberna, Macedoniæ oppid. in Pallene peninsl. proximum Olyntho, inde 20. stad. & *Mecybernus sinus*, oppido adjacens. Plin. 4. 10. Thermaicus, apud Melam.

Mecyra. Marmaricæ locus in Africâ. Anton.

Meda, urbs Arabiæ Felicis. Ptol. Item Thessaliæ, Peroto.

Meda, vicus agri Mediol. familiæ *Coriorum* (an à Curiis Rom.) 12. m. p. à Mediolano: cum antiquo cœnobio Virginum, ab Haymone & Veremundo Comit. circa Caroli M. tempora extructo.

Medaba, urbs Nabathæorum. Steph. Item urbs tribus Ruben. Jos. 13. primaria quondam Ammonitarum, in planitie. Ferrario *Medaba*, Guil. Tyrio *Medavon*, aliis *Medbah*, urbs est Arabiæ Petr. in finibus Moabitarum, Episc. sub Archiep. Bostrensi: *Madaba*, in lib. Machabæorum.

Medad, nomen viri super quem requievit Spiritus Dei in castris. Num. 11.

Medama, fluv. & urbs Brutiorum in ora Calabriæ ulterioris. Fluvius nomen retinet antiquum, urbs à Saracenis excisa, ubi nunc *Nicotera*, urbs Episc. sub Arch. Rhegino. Vide Voss. *ad Melam p*. 168. Baudrando nunc est *Rossarno*, vicus Calabriæ ulter. prope ostia fluv. cognom. *Metramo* nunc dicti, in ora maris Tyrrh. vix 4. m. p. in Mer. à Nicotera, quæ ex ejus ruinis crevit.

Medardi Fanum, opp. Galliæ, ubi in cœtum sacrum impetu facto, multi miserè tractati, locus incensus, & Joh. Malo minister Evangelii, ægrè periculo ereptus est, an. C. 1562. Vide Thuan. *Hist*. *l*. 28. & 29. & infra.

S. Medardi vicus, vulgò *S. Mars*, mel. *S. Mard*, in Gallia, ad fl. Loam, qui apud Stampas in Junnam defluit. Item *Medardi* Monasterium, apud Augustam Suessionum, *l'Abbaye de S. Mard lez Soissons*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall*.

S. Medardus, Noviomensis, & Gildardus Rothomagensis Episc. Fratres uterini doctissimi, ut eodem die nati, sic eodem denati sunt, an. Chr. 564. In *S. Medardi* cœnobium Ludovicus Pius Imp. à filiis compulsus est, an. C. 833. Vide *Ludovicus I. Imper*.

Meddin, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Meddix, summi magistratus nomen erat, apud Oscos. Ennius,

Summus ibi capitur Meddix, occiditur alter.

Medea, filia Æetæ regis Colchorum ex Hypseâ, vel ut alii, Idyiâ conjuge, quæ Jasonem Colchos cum reliquis Argonautis profectum hospitio suscepit. Cumque ejus amore flagraret, vereretur que ne incolumis non rediret, utpote quæ pericula nosceret, habitâ sui conjugii ratione, docuit ipsum, quâ ratione æripedes tauros domare, & jugo submittere, draconemque pervigilem sopire, ac deinde occidere, ejusque dentes sulcis immittere, & vellus aureum rapere posset. Vide *Jason*, & *Absyrtus*. Naturâ misericordem & ab immani patris crudelitate abhorrentem fuisse scribit Diodorus. Hæc postea cum Jasone rapto aureo vellere aufugit atque in Thessaliam Jolchon venit Peliamque regem filiabus ejus per speciem pietatis deceptis interemit: decem sic annos cum Jasone concorditer vixit atque ex eo *Didymum*, *Alcymenum*, *Thessandrum* & *Thessalum* genuit. Repudiatâ dein *Medeâ* Jason Glaucam sive *Creusam*, filiam Creontis Corinthiorum regis, uxorem duxit, quam nuptiarum die Medea cum totâ simul Creontis regiâ missâ coronâ venenis illitâ, vel naphthæ bitumine, ut Plinius ait, cremavit: filiosque in mariti ultionem trucidavit omnes, præter Thessalum, qui fugâ salutem sibi peperit. Tum Jason, cùm doloris vim ferre non posset, propriâ sibi manu mortem conscivit: Medea ad Ægeum Athenarum regem confugit. Cui nuptæ *Medum* filium peperit, qui postea Mediæ imperavit. Inde expulsa ad partes Asiæ transiens cuidam clarissimo nupsit regi, ex quo dicunt filium Medum peperisse. Post mortem, in Elysiis campis Achilli nupsit, Ibycus, Simonides & Apollonius. Medeam nonnulli non veneficam, sed prudentem fœminam fuisse dixerunt, quæ exercitiis gymnasticis molles & effœminatos homines, ad integram sanitatem, traduxerit, & laboribus in locis calidis servaverit. Eam ob causam fabulæ occasio data, quasi homines coquendo in juventutem restituerit. Vide Diod. Sic. *libr*. 4. Plut. *in vitâ Alexandri*, ignem quo Creusa exusta est, & quem in scriniolo, muneris loco, ei Medea misit, ad naphthæ Babylonicæ vim refert. Medeæ fabulam explicat eruditè Nat. Comes *Mytholog*. 6. 7. Hygin. Apollodor. Veneficia ejus, & furores notissimi ex Ovid. *lib*. 7. *Metam*. item ex Seneca *in Medeâ*. De Medea ita Horatius *Epod*. 5.

Cur dira barbara minus
Venena Medea valent.

Ovid. *κακοτεχνίας*, *lib*. 2.

Non faciunt ut vivat amor Medeides herbæ.

Tib. *lib*. 1. *Eleg*. 2.

Sola tenere malas Medea dicitur herbas.

Quibus locis moveor, ut errorem ex Propertio tollam, apud quem *lib*. 4. *Eleg*. 7. depravatè, ut puto, legitur:

Si te non totum Chloridos herba tenet.

Repone *Colchidos*, id est, *Medeæ*. Sic enim frequenter à poëtis appellatur. Horat. *in Epod*.

Nec impudica Colchis intulit pedem.

Ovidius,

Colchida respersam puerorum sanguine culpant.

Statius *Sylv*. 2.

Nec fera crudeles Colchis durasset in iras.

Val. Flacc. *lib*. 7.

——— *Alium dehinc turbida Colchis*
Exarmat. ———

Medea, urbs Thraciæ Episc. sub Archiep. Heracleensi, apud Cheronesum, *Midia* vulgò.

Medelacus, pag. Lotharingiæ, cum cœnobio, ad Sarram fluv. Vulgò *Meteloch*.

Medelicum, Austriæ urbs, *Melch* hodie Lazio, ad Danub. inter Lentium ad Occ. 14. leuc. & Viennam ad Ort. 12.

Medelpadia, vulgò *Medelpad*, prov. Sueciæ, inter Helsingiam prov. ad Austr. Angermanniam & Jemptiam ad Bor. & Sinum Botnicum ad Ort. Ibi castra aliquot.

Medemblicum, urbs Westfrisiæ, juxta mare Austrinum, cum portu capaci. 2. leuc. ab Enchusa in Circ. paulo amplius ab Hornia, in Bor. inter Alcmariam in Africum, & Staveram in Cæc. 4. leucis. Vulgò *Medemblick*.

Medemena, vide *Madmena*.

Medena, provincia. 1. Esdr. 6. Ebr. *Madai*.

Medena, sic vocatum fuisse olim emporium Vectis insulæ, quod hodie *Neuport* vocatur, contra Magnum portum & Hamptonam urb. Angl. scribit Nevyllius.

Medenatensis pagus, Audoëno *in vit. S. Eligii l*. 1. *c*. 7. memoratus, nunc *le Melantois*, caput habet Seclinium *Seclin*, collegio Canonicorum & S. Piatonis martyris reliquiis nobile. Carolus Calvus *in lit. suis*, enumerans res ad Monasterium S. Petri & S. Bavonis, *Gandæ super fluvium Schald* situm, pertinentes, commemorat in pago *Medelentensi* villam Solelnum. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall*.

Medeni, Africæ propriæ pop. Ptol.

Medeon, urbs Bœotiæ, & alia Phocidis, à *Medeone* filio Pyladis, & Electræ. Est & Epiri civitas & vicus. Steph.

Mederiacum, Ant. pagus Germ. infer. in Geldriâ apud Mosam fluvium à Venloâ urbe 3. leuc. in Boream, *Mierle* Simlero. Baudrando fuit opp. Ubiorum, in ipso limite Menapiorum. Nunc vicus *Swalm* Cluver. ad rivulum cognom. in Geldria super. vix 1. leuc. Germ. à Ruremunda in Cæc. paulo amplius à Castello Menapiorum in Eur.

Medesicastes, filia Priami notha. Hom.

Media, Asiæ regio latissima & notissima, cujus Reges olim percelebres. A Septentr. Hyrcano mari, ab Occasu majori Armeniâ, & Assyriâ terminata, à Meridie Persidem, ab Ortu Hyrcaniam habet & Parthiam, quæ Caspiorum montibus ab eâ excluditur. Dicta Media (ut Solino placet) à *Medo* Medeæ & Ægei filio. Strab. *l.* 11. Mediam in duas partes dividit, in *majorem*, cujus caput est *Ecbatana*, & *minorem*, quæ *Atropatia* dicitur. Est autem Media, bonâ sui parte montosa, & frigida, & ferè tota sterilis, exceptâ regione, quæ sub Caspiis portis in humili & concavo solo jacet, quæ opulenta est, rerumque omnium necessariarum ferax, præterquàm olei. Virgil. *Georg.* 2.

Sed neque Medorum sylva, ditissima terra.

Strabo ubi suprà, Εὐδαίμων σφόδρα ἐςὶ ϗ παμφόρος. Idem ita regionis hujus divitias rimatur: *Cum magnitudine & opibus regionis concordant ea quæ de tributis traduntur. Nam cùm Cappadoces Persis quotannis pendant præter argentum, mille, & quingentos equos, mulorum duo millia, ovium quinquaginta millia, duplum ferè horum Medi pendebant.* Consentiunt quæ Curtius *lib.* 5. latè scribit de amne Medo, & quæ Plin. 5. 37. de smaragdis Medorum. De præstantiâ *Mediæ* multa veteres recensent, sed nemo meliora Polybio. In Mediâ campus est latissimus, quem *Hippoboten* vocant, in quo equorum 50000. millia pasci dicuntur. Regium id armentum est. Ex Media primùm allata est malus citrea, quæ inde *Medica* dicitur, & sic à Virg. *Georg.* 2. describitur:

Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum
(Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
Miscuerantque herbas & non innoxia verba)
Auxilium venit, & membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro,
Et si non alium latè jactaret odorem,
Laurus erat. Folia haud ullis labentia ventis,
Flos apprime tenax: animas & olentia Medi
Ora fovent illo, ac senibus medicantur anhelis.

Cordini nomen vulgò habere tradit Haithonus, & *Servan* Castaldus. Baudrando fuit, ubi nunc *Servan*, regio ampla Persiæ, cum parte Occ. *Geilan* prov. & parte Septentr. *Terack Agemi*, prov. Quæ nunc subsunt Persis. Aliàs Media Asiæ imperium obtinuit, Arbace Medo Niniven, ubi Sardanapalus erat, capiente: Sed & vicissim Medorum Imperium, Cyaxare mortuo, ad Persas devolutum est. Vide infra. Regia Medorum Ecbatana fuit. Medi deliciis dediti à Synesio lib. de insomniis traduntur, ut *Medica mensa* in proverbium abierit pro exquisitâ, & sumptuosâ. Sumitur & *Mensa Medica*, pro crudeli apud Athenagoram, ex eo quòd Astyages Medorum rex Harpago consiliario filium, ejusdem Harpagi epulandum apposuit, ut Justin. author est. Eorum τοξοσύνην commendat Horatius *in Odis*,

Ocium Medi pharetrâ decori.

Propertius *lib.* 3.

Neve tuâ Medæ latentur cæde Sagittæ.

Lucan. *lib.* 2.

—— Conjuret in arma
Mundus, Achamentis decurrant Medica Susis
Agmina. ——

Historia paucis hæc: Medi, à Madai, Japheti filio, olim Assyriis suberant, donec Arbaces, Mediæ præfectus, sub Sardanapalo, jugum excussit, Niniveque destructâ, A.M. 3178. an. 100. ante 1. Olymp. 876. ante C.N. Monarchiam Medorum orsus est, quæ sub 9. Regibus duravit an. 317. usque ad Astyagen, fil. Cyaxaris, nepotem Phraartis, quem Cyrus throno deturbavit, an. 195. U. C. sub initium 5. Olymp. Hic Astyages, Harpagi, qui Cyrum ex mandato non interfecerat, filium in frusta concisum, patri inter epulas proposuit. Hinc quibusdam *Medica mensa*, i. cruenta, ut dictum. Vide Herodot. Justin. Diodorum Sic. Euseb. Jul. Africanum, Orosium, Scalig. *in Chron.* Petavium *doctr. temp.* Ricciol. *Chron. Reform.* P. de Valle *Itiner. tom.* 2. & 3. Quomodo Mediam, Saracenis profligatis, receperit olim Basilius Imper. Or. an. 1015. V. Zonar. *tom.* 3.

Media, vulgò *Meath*, prov. Lageniæ in Hibern. cujus medium ferè tenet. Quinta pars Hiberniæ quibusdam dicitur: Estque vel Orientalis, *East-Meath*, Comit. cujus caput Trima; vel Occid. *West Meath*, Comit. cujus caput Molingaria. In confinio Ultoniæ & Connaciæ.

Mediana, Osrhoenæ regionis urbs. Lib. Notit. Suburbium Nessi, urbis Mysiæ sup. seu Dardaniæ, ab ea 3. m. p. Amm. Ferrar.

Medias, Athenis quidam, cognomento *Coturnix*, ob intentum ejus volucris aucupium. Vide Aristoph. Scholia *in Aves p.* 602. *E.*

Medias, Scepsios, quæ est Mysiæ minoris urbs, tyrannus, qui cùm Maniæ Zenidis Dardaniarum urbium principis uxoris filiam in uxorem duxisset & fidelis ob affinitatem haberetur, clam ad socrum ingressus, eam confecit, cupiditate occupandæ ditionis. Sed à Dercyllide mercedem immanitatis tulit. Nam hic ad colloquium tyrannum evocavit, dato juramento, ipsum statim remissum iri. Itaque processit tyrannus. Dercyllidas portas aperiri jussit: Si minus, se mortem ei illaturum. Postquam verò metu victus aperuisset: Nunc, inquit, in urbem te dimitto, hoc enim juravi: verùm etiam cum exercitu meo ingredior. Vide Xenophontem *lib.* 3. *Hellanicor.* & Polyæn. *lib.* 2. ubi vitiosè restat *Timesias*. Nomen integrum extat *lib.* 8. *p.* 635.

Medica, Propontidis Ins. ex Constit. Emmanuelis Comneni.

Mediccara, Africæ propriæ opp. Ptol.

Medimni, opp. Æthiopiæ sub Ægypto. Plin.

Medina cœli, vide *Mediolum*.

Mediolanensis Ducatus, *Ducato di Milano* Italis, *Duché de Milan* Gallis, pars Italiæ in Longobardia, ubi aliàs Insubres. Provincia est fertilissima & cultissima, tota ferè in planitie amplissima. Terminatur à Septentrione Helvetiis & Rhætis, ab Oriente ditione Venetâ & Ducatu Placentino, à Meridie dominio Reipublicæ Genuensis, & ab Occidente partim Montisferrati Ducatu & partim ditione Ducis Sabaudiæ; subestque Regi Hispaniæ. Dicitur aliter *il Milanese* ab incolis, seu *lo Stato di Milano*, Gallis *le Milanois*; & ejus partes seu territoria sunt Mediolanense proprium, *territorio di Milano*, Papiense, *il Pavese*, Novariense, *il Novarese*, Comense, *il Comasco*, Laudense, *il Lodegiano*, Cremonense, *il Cremonese*, Dertonense, *il Tortonese*, Alexandrinum, *l'Alessandrino*, Viglebanense, *il Vigevanasco*, & Laumellina tractus, *la Laumellina*. Ibi aliàs Insubres & pars Borealis Liguriæ. Ejus partes fuere etiam Vercellensis ager & Astensis Comitatus. Sed nunc subsunt dominio Ducis Sabaudiæ, & Cremense territorium paret Reipublicæ Venetæ. Vide *Insubres*.

Ducatus Mediolanensis urbes.

Alexandria, *Alessandria*.	Mediolanum, *Milano*, caput.
Bobium, *Bobbio*.	Mortaria, *Mortara*.
Comum, *Como*.	Novaria, *Novara*.
Cremona, *Cremona*.	Papia seu Ticinum, *Pavia*.
Dertona, *Tortona*.	Valentia, *Valenza*.
Laus Pompeja, *Lodi*.	Viglebanum, *Vigevano*.

Mediolanense autem territorium, *il territorio di Milano*, tractus est parvus Ducatus Mediolanensis, prope Mediolanum; estque riguus & cultus admodum, cum innumeris pagis & villis.

Mediolanum, vulgò *Milan* Gall. *Millain* Anglis, *Milano* Ital. *Meyland* Germ. urbs Insubriæ Archiep. & metropolis amplissima, à Gallis condita, post Romam an. 395. Ducatus Mediolanensis caput, Emporium, & urbium Italicarum maxima, ab urbe Româ 315. m. p. inter Venetias 165. & Lugdunum 215. Hîc copia omnium penè rerum, ac artificum cujuscunque generis multitudo. Ausonius *de claris urb.*

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, fœcunda virorum
Ingenia, antiqui mores, &c.

Hæc urbs inter cæteras Italiæ urbes excellit quatuor inter alia rebus: Populi frequentiâ, Templo augustissimo, vix unquam perficiendo, arce firmissimâ & Bibliothecâ Ambrosianâ appellatâ à Friderico Borromæo Cardinali, & Archiepiscopo Mediolanensi, viro doctissimo, & studiosorum Mæcenate de suo extructa; librisque omnis generis & linguæ, ac reditibus amplis ad perpetuitatem instructa. Ibi ad 300000. capita hodie censeri putantur; cæteras enim Italiæ urbes incolarum multitudine, unâ exceptâ Neapoli, longè superat, Lloyd. Nomen ejus & origo in incerto. Interim à Belloveso Gallorum Duce, qui circa an. 170. U. C. sedem in Italia fixit, conditam esse, colligitur ex Livio, qui Gallos, Tuscis devictis prope Ticinum, cùm audissent regionem Insubriam vocari, nomine castri in pago Augustodunensi, *ibi omen sequutos loci urbem condidisse Mediolanum appellatam*, ait. Postea Gallis sæpius à Romanis, Virodomaro inprimis illorum Rege, an. U.C. 532. à Marcello superato occisoque, Romani Insubriâ simul & Mediolano potiti sunt: à quo tempore varii Impp. sedem hîc habuere. Pluries vastata à Gothis & Hunnis, sub Attila R. inprimis an. Chr. 452. & Vitige Gotho, qui Mediolani unà cum Burgundionibus ad 300000. masculorum trucidavit, an. Chr. 537., postmodum Longobardorum Dominatum agnovit, usque ad tempora Caroli M. tum enim pars Imperii Rom. esse cœpit: sed & sic varios Dominos, Vicecomites Tyrannosque subinde experta. Cum Cremonensibus, ob Cremam, bellum gessit, an. Chr. 1140. à Friderico Barbarossa, ob rebellionem, solo æquata, auctoribus turbarum securi percussis, an. Chr. 1162. iterum à Friderico II. Imp. XM. cæsis victa est, an. C. 1237. Galeacium Ducem accepit à Wenceslao Imper. ob id ab Electoribus deposito an. C. 1400. Cujus successor Philippus Venetos mari, Florentinos terrâ debellavit, anno Chr. 1431. Hujus filiâ Blancâ in uxorem ductâ, Franciscus Sfortia, Venetorum stipendiarius, ad Ducatum viam sibi stravit, an. C. 1438. soceroque oppugnato, ei post mortem, Venetis Mediolanensibusque invitis, successit, captoque Mediolano Dux declaratus est. Orta dein ingentia bella, ob jus Gallorum, quod

in

in Ducatum, propter nuptias Valentinæ filiæ Joh. Galeacii Ducis, cum Ludovico secundogenito Caroli V. Gall. R. unde Carolus D. Aurel. pater Ludovici XII. ortus, sibi vindicabant. Hinc à Borbonio, Duce Francisci I. ex agro Mediolanensi pulsus Maximilianus I. Imp. an. Chr. 1515. postquam jam Carolus VIII. à Ludovico Mediol. evocatus Alfonso Neap. R. bellum intulisset, Anno Chr. 1494. Ludovicus verò XII. Lud. Sfortiam, in Carolum R. perfidum unà cum urbe cepisset, an. C. 1500. paulo pòst ab Helvetiis insigni clade affectus, & Sfortiâ restituto, Ducatu spoliatus, anno Chr. 1513. quem 13. annis tenuerat. Sed Franciscum Carolus V. ex Italia, ademto iterum Mediolanensi Ducatu, ejecit, redeuntem cruentissimâ clade ad Ticinum vicit & cepit, anno Chr. 1525. Quæ lis tandem, post mortem inprimis Francisci Sfortiæ Ducis ultimi, extincti anno 1535. cùm sopienda videretur, investiturâ Ducatus uni ex Francisci filiis promissâ, illum nihilominus Imperator in fil. Philippum II. transtulit: à quo tempore sub Hispanis est, quibus satis addictè paret. Unde Prov. *Siciliam Hispani cum lenitate, Neapolim cum dexteritate, sed Mediolanum autoritate regunt.* Et de Præfectis Hisp. *Sicilia Pro-Rex rodit, Neapol. manducat, Mediolanensis vorat.* Patria Alexandri II. Urbani III. Cælestini IV. & Pii IV. Pontif. item Andreæ Alciati, Hier. Cardani, Lud. Septalii, &c. Dicitur urbs obsessa quadragies, capta vicies bis. *Magna* vocatur, ob 10. mill. ambitum. A Ticino & Addua fluv. per aquæductus, Gallorum opus, multum commoditatis sentit. Portæ ibi numerantur 22. Templa Palatiaque Borromæorum inprimis, Vicecomitum, Sfortiarum, Trivultiorum & Mariniorum superbissima habet: Sacello, ubi Augustinus baptizatus, tumulis Ludovici Imperat. & Pipini Italiæ R. an & serpente æneo, quem Moses in deserto erexerat, in S. Gervasii templo, conspiciendo? nobilis est: Certè serpentem hunc jam ab Hiskia R. Judæ contritum in S. Scriptura legimus. Ecclesia Mediolanensis, magni olim nominis, à Barnaba Apostolo fundata creditur, Ambrosio inprimis Episcopo inclyta. Concilium ibi, an. 344. à paucis Præsulibus Orthodoxis, ut Arianorum furori occurreretur, habitum: Mox aliud priori illustrius contra Photinum, Ursacium & Valentem Episcop. Arianos, celebratum est, qui ad pœnitentiam, sed ementitiam, adacti. Synodus post hæc acta An. Chr. 355. à Constantio, ad promovendum Arii dogma & damnationem Athanasii: quorum tamen neutrum factum, Imperatore ab Hilario Pictaviensi & Liberio Episcopo R. liberè increpito. Contra Jovinianum eodem loci Concilium coactum est ab Ambrosio anno Chr. 390. Aliud an. 451. sub Episc. Eusebio, quo doctrina de Incarnatione Verbi, expressa in literis Leonis Papæ ad Flavianum Constantinop. approbata est. Iterum contra Monothelitas, anno Chr. 679. &c. Angilbertus Archiep. ab Ecclesia Rom. an. Ch. 844. deficiens, schismatis ducentorum annorum auctor extitit. Inter cujus successores Heribertum, quòd vexillo insolenti in stupendo curru erecto usus esset, deposuit ac exilio multavit Conradus II. Imper. Anno 1037. Guido verò, Episcoporum conventu celebrato, Clericis uxores habere permisit: unde iterum secessio facta, sed Guidone à Papa victo, jugum cœlibatus repositum, an. Chr. 1062. Bernhardo adventanti, omnis populus obviam prodivit, anno Chr. 1131. Numerosi Valdensium in agro & urbe cœtus fuere, circa annum Chr. 1220. fratrum in Germania liberalitate sustentati, sed persecutionibus mox ac Inquisitione turbati: imo ut Friderico II. Imper. facilius responderent cives, in multos eorum ultimo supplicio animadverterunt. In Ecclesiam Mediolanensem mirè liberalis Benedictus XI. fuit. Hic & Romæ coronatus Ludovicus Bavarus Imperator, contra Johannem XXII. Pontif. quo invito Italiam intraverat, Synodum habuit, eique deposito Nicolaum V. surrogavit, anno Chr. 1328. Ludovicus quoque XII. Gall. R. ibidem Concilio coacto, de emendando statu Ecclesiæ egit, anno Chr. 1498. &c. Vide Plin. Strabonem, Ptolem. Solinum, Livium, Polybium, Florum, Tacitum, Justinum, Amm. Marcellinum, Procopium, P. Diaconum, Luithprandum, Sigebertum, Villanium, Blondum, Sigonium, Bapt. Egnatium, Volaterranum, Sabellicum, Simonetam, Platinam, Paulum Jovium, &c. Corio & Merula scripserunt *Historiam Mediol.* Ripamontius *Eccl. Hist.* Adde Guicciardinum, Leandr. Albertum, Joh. Bapt. Sylvaticum, Vitalem, Erycium Puteanum, Moretium *in Dict. Hist.* Lætum *Comp. Hist. Univ.*

Mediolanum, Angliæ opp. Ptol. vulgò *Lancaster*. Vide Guil. Burtonum *in Anton. Itin.* quatenus Britanniam spectat. *pag.* 132.

Mediolanum, Aulerciorum Eburaicorum urbs. Ptol. eadem Ebroicis. Vide *Eburovices*.

Mediolanum Germaniæ, nunc vicus ingens ad Vidrum fluv. in Westphaliâ, in Transisalaniæ confin. *Wetelen* Mercatori, inter Monasterium urb. 4. & Veteres Salios urb. Transisalaniæ 7. leuc. in Diœcesi & dit. Monasteriensi.

Mediolanum, alterum Germ. infer. *Metteler* Simlero, pagus apud Mosam, inter Colon. Agrippinam ac Trajanam. Ortelio verò pagus *Midelslun* ejus tractus. Baudrando oppidul. fuit Gugernorum, 3. m. p. à Rheno: nunc Cluverio vicus *Moyland*, 6. m. p. ab urbe Clivia, in Austr. 3. à Calcaria. In Ducatu Clivensi.

Mediolanum item Santonum, *Mediolanium* Ptolom. urbs Gall. Aquitanicæ; *Saintes*, vel *Xainctes* hodiè, vide *Santones*.

Mediolum, Hisp. urbs in Celtiberis. Ptol. *Medina cœli* nonnullis putatur. Aliis *Molina*, urbs parva, juxta amnem cognom. intra montes, in Castella nova, in confin. Aragoniæ, inter Lobetum & Seguntiam.

Mediomatrices, populi, Cæs. *l.* 4. Strab. *l.* 4. qui illos post Helvetios & Sequanos Rhenum accolere scribunt: unde colligere est, Nemetes & Vangiones, fines Mediomatricorum ad Rhenum paulo pòst occupavisse. Eosdem Cæs. *l.* 7. *Mediomatricos* nuncupat, iisque imperata esse VM. ad Alesiam liberandam tradit. *Socia civitas* vocantur Tacito *Hist. lib.* 4. Eorum caput Divodurum est, seu *Mediomatrices*, nomine gentis, item *Metti* & *Metta*, urbs Gall. Belgicæ in Lotharingiâ Episc. sub Archiep. Trevirensi, ad Mosellam fluvium, probè munita, & habitata, olim libera, nunc sub Gallis ab an. 1552. vulgò *Metz*, quæ etiam Latinè *Meta* & *Metis* posterioribus dicitur, à Viroduno 10. leuc. in Ort. Comes Auxiliariorum *Merensium* memoratur, in inscr. apud Goltzium, & in Not. Imper. inter Legiones Pseudocomitatenses recensetur *prima Flavia Metis*, i. legio prima Flavia, quæ præsidet Mettis, à Flavio Constantio A. patre Constantini M. aut à Constantio vel Constante Augustis fratribus, filiis prioris. Fuit & Præfectus militum primæ Flaviæ Constantiæ, in prov. Lugdunensi 2. ex eadem fortasse Legione: nec non Præfectus militum secundæ Flaviæ Vangionis, in Germania prima. Baudrando nunc *pais Messin* tractus hic dicitur. Eorum urbs Divodurus Mediomatricum seu Metæ, ampla & Parlamenti sedes, cum arce permunita, frustra à Carolo V. Imper. olim obsessa fuit. 4. leuc. à Theodonis villa in Merid. ibi Sella fluv. in Mosellam se exonerat, Vide *Divodurus* & *Metis*.

Medion, urbs juxta Ætoliam. Steph.

Medioximus, vulgò *Mioſſan*, fluv. Galliæ in Pictonibus, ad cujus & Clenni confluentes, Nobiliacum sedet. Vide ibi.

Medioxumi, dii Minores antiquis dicti sunt. Plaut. *in Cistel. Ita me Dii Deæq; superi atq; inferi & Medioxumi.*

Mediterraneum mare, aliter *Internum*, latè excenditur, ab Ortu in Occ. inter Europam, Asiam & Africam. Ab Oceano Atlantico freto Herculeo separatur. Partes ejus sunt Mare Agæum, Adriaticum, Jonium, Asiaticum latè sumtum, Gallicum & Tyrrhenum. Vide *Mare*.

Meditrina, medicamentorum Dea Festo. Sacra ejus *Meditrinalia* dicta, 30. Septembr. celebrabantur: quo die primum mustum bibebatur. Varro *de L. L. lib.* 5. Dempstero *Metina* vocatur.

Medium ostium Rheni, Ptol. inter Oriental. & Occident. quod & verum & antiquum, vulgò *Le Rhin*. Paulo infra Lugdunum Bat. in Occ. juxta vicum *Catwick*; fere oblimatum.

Medius, Princeps Larissæ, in Thessalia, bellum gessit, contra Lycophronem, Pherarum tyrannum. Misit Concilio Corinthio, adversus Phocenses & Lacedæmonios, auxilio bis mille. Cepit Pharsalon à Lacedæmoniis custoditam, civesque sub corona vendidit. Diodor. *lib.* 14.

Medma, oppidum in agri Brutii littore, unà cum portu. Steph. Plin. 3. 5.

Medmasus, urbs Cariæ. Steph. *Medmassa* Plin.

Medme, urbs Italiæ, civis *Medmæus*. Est & alia Liguriæ. Steph.

Mednicia, vulgò *Medniky*, caput Samogitiæ; *Wornie* etiam aliquando, ad fontes fluv. *Wirwitz*; satis parva, sedes Episcop. Samogitiæ, cujus Episc. fundatus an. C. 1413. à Wenceslao Rege. 9. milliar. German. à Memelio, & ab ora maris Baltici in Ort.

Medoacus, *Meduacus* Livio, fluvius Venetiæ, qui Plinio geminus est; *major* ex Alpibus Tridentinis per Bassanum opp. & Patavium urb. fluens in mare Hadriaticum 5. m. p. à Venetiis, & *Brenta* appellatur. *Minor*, qui ex dictis Alpibus etiam descendit, Vicentiamque urb. interluit, ac secus Ateste decurrit, in mare Hadriaticum labens apud Fossam Clodiam, & *Bacchiglione* dicitur. Vide Cluverium.

Medoacus portus, Strab. *Malamocco*, olim urbs Episcopalis sub Arch. Aquilejensi, 5. m. p. à Venetiis, aquis mersa; nunc portus, Episcopatu Castellum, quæ pars Venetiarum, translato.

Medobithyni, populi, de quibus Strabo *lib.* 8. quos pauci veterum commemorant: sed apparet ex duobus Thraciæ populis unum esse confectum. De Bithynis satis liquet. Medos autem, h. e. Μέδους per Epsilon gentem esse Thraciæ apparet ex hoc ipso libro Strabonis. *Mædos* vocat Stephanus: Μαιδοί, ἔθνος Θρᾴκης πλησίον Μακεδονίας, ἐκ τούτων μεταβάντες τινὲς εἰς Μακεδονίαν Μαιδοβίθυνοι ἐκλήθησαν. Ita Herodotus ac Thucydides. Ptolemæus quoque in Thraciâ Μαιδικὴν στρατηγίαν ponit. Casaub.

Medobriga, urbs Lusitaniæ ad mont. Herminium, A. Hirtius. *Armenna* Vasæo, excisa. Cujus rudera apud Marvanum oppid. 3. leuc. ab Amœa Scalabim versus.

Medoe, insula Nili in Æthiopiâ sub Ægypto.

Medon, Cyzicenus, qui à convivio ad arma reversis, per errorem nocturnum, Argonautis, prosiliit, cæsusque est. Val. Flacc. *lib.* 3. *vers.* 117.

Medon, nothus Ajacis Oilei. Hom. *Il.* 2. Item unus ex procis Penelopes. Ovid. *Epist.* 1.

Quid tibi Pisandrum, Polybumq; Medontaq; dirum.

Item fil. Codri regis Athenienſium, cognom. *Claudus*, primus eorum Archon ſine regio nomine, an. ante U.C.315. qui Magiſtratus tum perpetuus erat, prælatus oraculo fratri majori Neleo. Incepit regnare, ſecundùm Euſeb. *in Chron. A.M.* 2984. Vide Velleium *l.* 1. Pauſan. *in Attic.* Et Peloponneſi fluv. Strabo.

Medontias, mulier Abydena, quam Axiochus & Alcibiades, cùm ſimul unà in Helleſpontum navigaſſent, abduxerunt, & cum ea tanquam communi uxore victitarunt: Suſceptâ quoque ex illa filiâ, cùm maturuiſſet, abuſi. Lyſias.

Medoſaccus, Sarmatarum, qui Ponticam maritimam attingunt, Rex, luxui crapulæque deditus. Polyæn. *l.* 8.

Medoslanium, Germ. urbs. Ptol. *Znaim*, in Moravia, Cluv. in limite Auſtr. ad Teyam amnem, in colle, 10. leuc. à Vienna in Circ.

Meduacus, ſeu *Meduvagus*, fluv. Cantii, *Medway* vulgò. Roſſam rigat, dein in Thameſin labitur.

Meduali, populi Alpini Vocontiis proximi ad eos montes, è quibus prodeunt fluvii Padus ac Druentia. *La Morienne* Simlero. Vide *Mauriana*.

Meduana, urbs ſatis culta prov. Cenomanenſis, ad fluvium Meduanam. 20. leuc. ab Andegavo, in Septent. 14. ab Alenconio in Occ. uti 14. à Cenomano, 6. à confinio Normanniæ in Mer. 19. à Rhedonibus in Ort. *Mayenne* Gall. Vide infra.

Meduana, vulgò *Mayne*, caſtrum Galliæ olim, nunc oppid. pagi Cenomannici, ad amnem cognom. cum tit. Duc. ſub Principe ex familia Lotharing. Nomen traxit à Juchello, Galterii Meduanenſis filio, qui ſub Fulcone Comite Andium, Turonum & Cenomanorum, poſtea Rege Hieroſolymæ, floruit, circa ann. Ch. 1220. & fluv. Gall. Celt. Baudrando hic oritur in Seſſuis, in ipſo limite Norm. dein in Auſtrum per Cenomanos fluens, ibi Meduanum Juchelli *Mayne la Juhel*, urb. & Lavallium rigat, hinc & Caſtrum Gonterii in prov. Andegavenſi; & paulo ſupra Andegavum, auctus Sartâ & Lædo flum. 1. leuc. infra ipſam urbem, in Ligerim ſe exonerat. Locum os Meduanæ *Bouche-Maine* vocant. Lucan. *l.* 1.

In nebulis Meduana tuis marcere peroſus
Andus, jam placidâ Ligeris recreatur ab undâ.

Medubricenſes, Hiſp. pop. qui & *Plumbarii*. Plin. 5. 22. Horum opp. *Medobriga*. Vide ibi.

Meduli, pop. Gall. Aquitan. ultra oſtia Garumnæ ad Oceanum, pars Biturigum Viviſcorum, vulgò *Medoquins*, quaſi Medulicini, quorum tractus *Meduc*, teſte Vineto, *Medoc* Baudrand. cui eſt regiuncula Aquitaniæ, verſus Garumnæ oſtium, ad Merid. & oram Oceani Aquit. in Guienna propr. 4. leuc. à Burdegala in Occ. Ibi oppida, Eſparca, Caſtellio, & Caſtrum novum, cum aliis minoris notæ. Sunt & Inſulæ circiter tres, in Garumna, infra ejus & Duranii confluentes, & una in mari, quæ Medulicæ *les Isles de Medoc* dicuntur, quarum maxima vicis incolitur, inprimis Lariaco *Lairac*. *Meduli* alii, Strab. Ptol. *Medulli* Vitruvio, ac Plin. pop. Gall. Narbon. in Delphinatu, quorum opp. *Miolans*, Valeſio *Meüillon*, in Caturigibus, *Not. Gall.* Sanſoni fuere, ubi nunc pars Or. Tarentaſiæ, juxta fontes Iſaræ fluv. ad Alpium rad. Incolis guttur vitio aquarum intumeſcit. *Vide Chorerium, l.* 1 *& 2. Hiſt. Delph.* De Medulis prioribus Auſon. *Epiſt.* 4.

Quam tamen exerces Medulorum in litore vitam.

Apud hos albens ſevum, ceram pinguem, ſciſſam papyrum, ac *fumantes olidum tadas, lumina paganica* abundare ſcribens, haſque ſolas Medulorum merces haberi: quibus mel & pecora addit Valeſius. Oſtrea *Medulica*, à vicina urbe *Burdigalenſia* olim, nunc à Solaco vico Medulorum, ad Garumnæ oſtium, *Solacenſia* dicta, laudat Auſonius *Epiſt.* 7 *&* 13. Sidonius Apollin. Plin. *l.* 32. *c.* 4. &c. His vicini ſunt Boji, vulgò *Bujes*, quorum ager *Buchs* & *Buch*, à vico *Buchs* ad Leriam, qui à Bajona duorum dierum itinere diſtat; olim ſub dominio, qui Capitalis Bojorum *le Captau de Buch* dictus eſt; ſicut dominium ejus Capitaletum *le Captalat*, quod nunc Principatus eſt. Utrique Biturigibus Viviſcis ſeu agro Burdigalenſi attribuuntur. Bojorum fluv. Leria eſt *Laire*, qui in Oceanum effluit, & *Sigma* Ptolomæo à figura literæ C. quam curſu ſuo lunato refert, dictus videtur. Inter hujus & Garumnæ oſtia prom. eſt Ptolomæo Curianum, incolis *Cap de Buch*, i. caput Bojorum, ut Scaligero placet. Vinetus *Cordan* eſſe mavult, ſcopulum in Oceano Medulico. Vide Valeſium *Notit. Gall.*

Medullia, Latii oppidum, Albinorum opus. Steph.

Medullina, virgo Romana, ab ebrio patre in tenebris violata, ut ſtupri authorem agnoſceret, digito ejus annulum detraxit; Ubi autem ex pignore patrem eſſe comperit, eum ad aram gladio confodit. Plut. *in Parall.*

Medullius, Oroſ. fluvius in Vaſconibus ſive regno Navarræ; ut patet ex ſitu, quem Ptolomæus ipſi tribuit, Ferrar.

Medullum, Vindeliciæ urbs. Ptol. *Medlingen* Lazio, & Aventino. Aliis *Mitteſpach*, caſtrum Bavariæ ſuper. verſus montes, 6. mill. Germ. à Monachio in Eur. 7. à Chiemo in Occ. inter Iſaram & Oenum fluv.

Medullus, Hiſp. Tarrac. mons, Minio fluv. in Callaicis imminens, Oroſ. *Manduria* Garibæo.

S. Medulphi Aquæ, vicus ad Morgiam fluv. in Arvernis, aquis ſuis & S. Medulfi nomine clarus, vulgò *S. Mion*. Ab opp. Ricomago 6. m.p. ſeu 2. leuc. Ejus thermæ, vertiginoſis & quartanâ febre laborantibus conducunt. Hadr. Valeſius *Not. Gall.*

Medunta, urbs Inſulæ Franciæ, vulgò *Mante*; cum ponte, ad Sequanam, 12. leuc. infra Lutetiam in Circ. Rothomagum verſus, à quo 16. leuc. diſtat, 11. ab Ebroicis in Ort. uti 4. à confinio Normanniæ.

Medus, Mediæ fluv. in Araxem defluens. Strab. & Curtius, à quo fortè *Media* nomen.

Medus Joſephus, Anglus, Eſſexienſis, Burdeni viculo juxta *Bishopſtortford* editus, Theologus eximius. Ejus extant, *Diatribe in loca varia S. Scriptura, Danielis Hebdomada, Expoſitio in 2. Petri c.* 3. *Clavis Apocalyptica &c. Inter opera 2. Vol. fol. Londini* 1664. De Clavi ejus & Comm. Apocalyptico, ſic ſcribit Lud. de Dieu; *Prodit ſcriptum, Auctorem non tantum diligentiſſimum, ſed & doctiſſimum, rerum divinarum cognitione largiter perfuſum, & omnis politioris literatura ornamentis inſtructiſſimum.* Ejus *Apoſtaſia noviſſimorum temporum* ſeu *tract. in* 1. *Tim. c.* 4. 1, 2, 3, 4. Latinè verſus à Joh. Schönauvero Theologo, Baſileæ prodiit an. Ch. 1656. Vide *Vitam ejus in initio opp.*

Meduſa, filia Phorci ex Ceto marinâ belluâ, quæ unà cum duabus ſororibus Euryale & Sthenione Dorcadas inſulas, in Oceano Æthiopico, tenuiſſe fertur. Hæc, præter alias formæ inſignis dotes, capillos habuiſſe fertur proximè ad auri colorem accedentes; quarum ſplendore captus Neptunus, in Minervæ templo, cum eâ concubuit, unde Pegaſus equus natus eſt. Quam injuriam Minerva gravi ac iniquo animo ferens, Meduſæ crines, quibus maximè amatori ſuo placuerat, in angues mutavit, deditq; , ut omnes eam aſpicientes in lapides verterentur. Ovid. *l.* 1. *de Ponto.*

Ipſa Meduſa oculis veniat licet obvia noſtris,
Amittet vires protinus ipſa ſuas.

Quamobrem cùm nemo tam immane monſtrum intueri poſſet, Perſeus Jovis & Danaes filius, Mercurii talaribus, & falcato enſe accepto, Palladis item ſcuto, ut ære repercuſſam effigiem ejus videre impunè poſſet, ex improviſo (cùm ipſa angueſque ſopiti eſſent) eam adortus uno validiſſimo ictu interemit, & in patriam rediens, cùm ejus caput ſecum deferret, contigit, ut guttæ ſanguinis decidentes, per ſolitudines Africæ, mutarentur in ſerpentes. Lucan. *lib.* 9. *v.* 619. Pegaſum & Chryſaora equos inde prognatos, ait Ovid. *Metam. l.* 3. Hygin. Bocatius. Fabulam ejus fuiſſe explicat Nat. Comes *l.* 7 *c.* 11. Dicitur & *Gorgon*. Ovid. *Triſt.* 4.

—— Credam prius ora Meduſa
Gorgonis anguineis. ——

Item *Phorcynis*. Lucan. ubi ſuprà,

Squallebant latè Phorcynidos arva Meduſa.

Et *Phorcys* Prop. *l.* 4.

Sectaq; Perſea Phorcydos ora manu.

Medyllas, urbs ab Albinis condita, Romanorum colonia. Steph.

Meetabel, uxor Adar, Regis in Edom ſeptimi, Gen. 36.

Mega, promunt. Mauritaniæ Cæſarienſis. Ptol.

Megabyzi, ſeu *Megalobyzi*, Epheſiæ Dianæ ſacerdotes, quos Eunuchos eſſe oportebat, unde & pro imbellibus, ac mollibus poni conſuerunt, quales ſunt ſpadones. Quint. *l.* 5. *c.* 11.

Megabyzus, nobilis Perſa, unus ex ſeptem, qui Magorum tyrannidem ſuſtulerunt, à Dario rege dux exercitûs in Europâ relictus, Perinthum cepit, Pæones vicit, Thraciam omnem ſubegit, Macedoniam fruſtra per legatos tentavit, quos rex Amyntas vino obrutos interfecit. Ejus ſuaſu Darius Hiſtiæum tyrannum Mileſium revocavit, qui generum Ariſtagoram ad turbas concitârat. Cœterum tanto apud Regem pretio, ut aperto malo punico, cùm is ab Artabano interrogaretur, cujusnam rei copiam vellet granis pomi parem, Megabyzorum, reſponderit. Herodot. *Muſâ* 4. & 5.

Megabyzus, Zopyri fil. Darii Satrapes, qui Ægyptum domuit, & ex Memphide Græcos ejecit. Thuc. *l.* 1. Schol. *in Aves.*

Megabyzus, ſeu *Megambiſes*, alius Dux Perſicus, contra Ægyptios. Herodot. Diodor. Thuc.

Megacles, Cœſyræ filius, Eretrienſis, ter vicit Olympia, à Piſiſtrato ejectus, ſed Patriæ redditus. Vide Scholia *in Nub.* & Polyæn. *l.* 1. *in Piſiſtrato.*

Megacles, Hipparini filius, Dionis frater, nobiliſſimus inter Syracuſanos, à fratre adjutor ſumptus in deſtruendâ Dionyſii Junioris tyrannide.

Megacles, hiſtoricus, de viris illuſtribus ſcripſit, teſte Athen. *l.* 10.

Megacles Meſſanius, ejus Meſſanæ quæ in Sicilia eſt, Agathocli Syracuſanorum tyranno rebus omnibus adverſabatur multoſque Sicilienſes contra eum concitabat, iiſque qui eum de medio ſuſtuliſſent, ampliſſima munera promiſit. Agathocles hinc irritatus, Meſſanios oppugnare parabat, miſſoque Præcone *Megaclem* à civibus expoſcebat: Quem niſi accepiſſet, omninò ſe eos, urbe per vim captâ, in ſervitutem redacturum interminatus. *Megacles* mortem non perhorruit: ſed ultrò ſe dedendum Tyranno obtulit, ſi legatus mitteretur. Decernentibus hæc Meſſaniis, accedens in caſtris Agathoclem, *Ego verò*, inquit, *& legatus civitatis nomine venio & moriturus. Sed antè de legatione cum amicis audias.* Convocatis ab Agathocle amicis, horum in conſeſſu *Megacles* Patriæ jura percenſens ad extremum; *Si*, inquit, *ad exſcindendas Syracuſas expeditionem Meſſanii ſuſcepiſſent, utrum pro Syracuſanis*

an pro Messaniis omnia faceres? Cùm ad hanc interrogationem subrideret Agathocles, amici qui præstò erant, eum hortabantur, legato & oratori parceret. Ille, deposito bello, Megaclem salvum & incolumem domum remisit amicitiamque cum Messaniis fecit. Polyæn. *lib.* 5.

Megacles, qui Pentalidas, Mitylenes Principes, ob inflicta sibi verbera sustulit. Vide Arist. *Pol. l.*5.*c.*10.

Megaclides, Dux incertum quorum, de quo Polyænus *l.*2.

Megaclides, Philosophus Peripateticus tempore Protagoræ. Laertius.

Megaclo, filia Macaris Lesbiorum regis, quum patrem morosum, & semper cum uxore contendentem videret, matris vicem dolens Musas ancillas emit, & Mysas linguâ Æolicâ vocavit; has docuit canere, & veterum facta ad citharam modulari. Quum verò illæ cantûs suavitate Macarem demulcerent, & iram ejus sedarent, uxorique placarent, Megaclo pro matre eis referens gratias, posuit columnas æneas, & per omnia templa honorari jussit. Clemens Alex. *in Protreptico.*

Meganetus, cognomento Μάνης servus, semibarbarus ac stupidus minimeque civilis; præterea arrogans & affectans seu ambiens Imperatorio officio potiri, denique audax & temerarius. Vide Scholia *in Aristophanis Ranas Act.* 4.*sc.*1.

Megæra, una Furiarum, Noctis & Acherontis filia, ita dicta ἀπὸ τῦ μεγαίρειν, quod *odisse* seu *invidere* significat. Fallitur itaque Statii Scholiastes, qui sic dictam putat quasi Μεγάλη ἔρις. Virg. *Æn.* 12.

Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ,
Quas & Tartaream nox intempesta Megæram
Uno eodemq; tulit partu.

Et alibi,

—— Furiali è cæde Megæra.

Claud. 1. *in Ruf.*

Improba mox surgit tristi de sede Megæra.

Ab Hebræo מגרה *megara* sic dicitur, quod *serram* significat. Familiare id olim Orientalibus, etiam Judæis, supplicium. Furiæ autem suppliciorum præsides. Casaub. *in Suet.*

Megala, Ins. parva, ante Smyrnam. Plin.

Megala Agora, Leuncl. *Malgara*, urbs Macedoniæ, in Thraciæ confinio.

Megalartus, Ceres dicta, & culta est. Cæl. Rhod. 9. 16.

Megale, Ins. in ora Lyciæ. Steph.

Megales, Phryx, qui cum Caco à Marsyâ rege ad Tarchontem Tyrrhenum legatus venit. Caco in vincula dato, & postquam ea frustratus esset, ab Hercule occiso; hunc Sabini receperunt, disciplinam augurandi ab eo edocti. Solin. *c.* 2.

Megalesia, dies nostro 12. April. respondens, qui dicatus erat Magnæ matris Deûm, cujus imago, per Romanorum Legatos, Pessinunte Phrygiæ Romam delata, & à Scipione Nasica, optimo à Senatu judicato, excepta erat, ceremoniis. Ludi quoque, qui celebrabantur ante templum, in ipso Magnæ matris Deûm conspectu, *Megalesia* dicebantur. Liv. *Marcus Junius Brutus ædem Magnæ matris Deûm in palatio dedicavit, & ludos ob eam dedicationem factos Megalesia appellavit.* Juvenal. *Sat.* 6.

Atq; à plebeis longè Megalesia.

Hinc *Megalesiacus.* Idem *Sat.* 11.

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum solenne colunt. —— ——

Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 5. *c.*13.

Megalia, insula parva Campaniæ apud Neapolim. Stat. *Sylv. lib.* 2. *Carm.* 2.

Quaq; ferit curvos exerta Megalia fluctus.

Vide *Megaris.*

Megaliota, populi quidam, ut videtur apud Aristot. *in libro de Poeticâ*, nisi legendum sit μεγαλιῶται.

Megalopolis, urbs præc. Arcadiæ in meditullio Peloponnesi, Episc. olim sub Arch. Corinthio, postea Christianopolis dicta & Metropolis effecta, *Leondari* Sophiano: prope Alpheum fluv. Ferè 40. m. p. à Lacedæmone in Circ. 25. à sinu Messeniaco in Sept. 75. à Corintho in Mer. ad radices montium. Vicus nunc nullius ferme nominis in Tzaconia prov. Fuerunt autem non pauci clari *Megalopolitæ*, quorum aliquot à Stephano nominantur, inter quos Polybius. Hinc *Megalesia* dicta: & Prov. *Magna civitas magna solitudo.* Ovid. *lib.* 4. *Fast.* Strabo *libr.* 8. Polyb. *lib.* 9. Plin. &c. Alia est Cariæ civitas, alia Iberiæ. V. Steph.

Megalopolis, id est, *civitas magna*, Germ. *Mechelburg*, urbs Germaniæ, nomen dans Megapolensi Ducatui: prope mare Balticum. Fuit quidem Vandalorum & Herulorum temporibus, totius Europæ maxima civitas, & non solùm regionis Megapolensis metropolis, sed & Antirii regia, qui ex Scythia venerat, & deinde Bullingi, potentissimi regis, qui & Virginum cœnobium ibi condidit, quod postea ab Henrico Leone Saxoniæ duce, in sedem Episcopalem fuit mutatum: tandem diruta fuit hæc civitas, jacuitque diu inculta. Metel. Vix 3. m. p. à Vvismaria in Austr. Suerinum versus, manet tantùm castrum. Baudr. Familiæ hujus Illustriss. eadem cum Herulorum Regibus, Principibus Vandaliæ, Ducibus Pomeraniæ Rugiæque Principibus origo est. E filiis Henrici jun. nepos Pribislai, qui Rostochium condidit A.C.1215. Johannes ramum *Megapolitanum*, Nicolotus verò Vandalicum, orsus est. Johannes ille *Theologus* dictus, cò quòd Parisiis Doctor Theol. creatus est: genuit, inter alios Henricum successorem, qui Ludovici IX. in Orientem comes, à Saracenis captus, post 26. annorum captivitatem demum rediit, mortuus A. C.1302. Pater Henrici Leonis, qui genuit Albertum & Johannem, Stargardiensis lineæ non diuturnæ auctorem, Imperii principes à Carolo IV. creatos; A. C.1348. Albertus bello inclytus Albertum genuit, qui, ratione matris Euphemiæ, adversus Magnum Smeeck Sueciæ R. avunculum suum, ob Ordinibus ad regnum vocatus, Magnum vicit cepitque, ipse tandem à Margareta Reg. Daniæ & Norvegiæ A. C. 1388. captus, regni spe excidit. Frater hujus Henricus avus fuit Erici Pomerani, qui, intuitu aviæ, Rex Septentrionis electus est. Tertius frater Magnus, stemma produxit, pater Johannis, Academiæ Rostochiensis conditoris, A. C. 1415. quo natus Henricus, Vandaliæ quoque principatum nactus est. Hujus fil. Magnus, pater fuit Henrici Pacifici, qui Evangelium amplexus, in Comitiis aliquoties reformationem ursit. Thuan. *l.*11. Mortuo Anno 1552. Philippus successit: cui sine prole extincto, ad patrueles ejus Joh. Albertum & Ulricum successio delata est: quorum prior fœderi pro defensione religionis & libertate Landgravii icto nomen dedit, ipsique expeditioni interfuit, an. prædicto. Pater Johannis, qui A. C. 1592. in flore ætatis abreptus, reliquit Adolfum Fridericum & Joh. Albertum Suerinensis ac Gustrovianæ, linearum auctores. Vid. ibi, & Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.*

Megalopolitanus Duc. *Hertzogthum Mechelburg* Germ. *Duché de Mecklebourg*, Gallis, prov. Saxoniæ infer. satis ampla, juxta mare Balt. quod ei inest, ad Bor. uti Pomerania ad Ort. Holsatia & Duc. Lavvenburgicus ad Occ. & Marchia Brandeb. ad Mer. Duobus Principibus subest, ex eadem familia, pars sc. Orient. Duci Gustroviensi, ab ejus primaria, sic dicto; & pars Occ. Duci Schvverinensi, ab urbe prim. ejus similiter denominato. In ea prov. sunt etiam Wismaria, sub Danis, Rostochium, urbs libera & Hanzeatica, Domitium, Ratzemburgum, Stargardia & Warenum. Ibi aliàs *Varini* pop.

Megalostrata, Poëtria, Alcmani familiaris. Olymp. 27. Athen.

Meganira, Celei uxor fuit, ac Triptolemi mater, cujus sacellum erat non longè à puteo Bœotiæ, qui alio nomine *Anthion* dicebatur.

Megara, Creontis Thebanorum regis filia & uxor Herculis. Nam cùm Erginus Orchomeniorum tyrannus Thebanos gravi tributo premeret, Herculi filiam suam eâ lege pactus est, si urbem ex onere liberasset. Quo præmio inductus Hercules, Orchomeniis bellum intulit, urbeque expugnatâ, tyrannum interfecit, victorque Thebas reversus, Megaram uxorem duxit. Verum cùm postea, Eurysthei jussu, ad inferos descendisset, diutiusque ibi moraretur, Lycus exul Thebanus, rei benè gerendæ occasionem sibi oblatam ratus, regnum Thebanorum invasit, cumque Megaræ animum ad nuptias suas flectere non posset, vim ei inferre parabat. Inter hæc opportunè rediens Hercules Lycum interfecit, regnumque Thebanorum Creonti restituit. Lyci autem necem inique ferens Juno, tantum Herculi furorem objecit, ut ille Megaram uxorem cum liberis ex eâ susceptis interficeret. Hygin. & Sen. *in Herc. Fur.*

Megara, num. pl. olim *Alcathoe*, urbs Achaiæ, Megaridis caput, prope intimum recessum sinus Saronici, inter Athenas & Corinthum, Baudrando 25. m. p. ab Athenis in Occ. totidem à Corintho in Cæc. 1. mill. ab ora sinus Saronici, ubi ejus portus Nisæa. Hinc *Megaris* regiuncula adjacens, dicta; à sinu Corinthiaco extensa usque ad Saronicum; prope Isthmum ad Mer. An à Megaro, fil. Neptuni, qui suppetias veniens Niso, contra Minoem, in prælio occisus & in hac urbe sepultus est? An à Megareo, fil. Apollinis? Ipsi incolæ Sithonides Nymphas suas populares esse crediderunt, è quarum Thyatræa Jovi Megareus natus, tempore Deucalionis, huic regioni id nomen tribuerit. Alii dicunt, Pandioni Regi Atheniensium quatuor filios fuisse, Ægeum, Lycum, Pallantem & Nisum, huicque ultimo Megaram obtigisse: Adduntque, Codri tempore, Heraclidas, instigatu Messeniorum & Corinthiorum, Atticam ingressos, infelici successu, in Megarium agrum se recepisse, urbemque Doricâ coloniâ eo deductâ, condidisse, Jonibus pulsis, Vellejus Paterc. *lib.* 1. unde factum, ut incolæ Doricæ linguæ in posterum assuescerent. Primò à duodecim Regibus, hanc ditionem gubernatam, à Clesone fil. Lelegis, usque ad Ajacem, fil. Telamonis referunt. Dein libera fuit Respublica, donec ab Atheniensibus occupata, & ab Heraclidis his erepta fuit, ut dictum. Patria Euclidis, Stilponis, ac Theognidis; In hujus urbis agro præstantissimi proveniebant bulbi. Columella *lib.* 10.

Jam Megaris veniunt genitalia semina bulbi.

Ovid. *de Rem. Am. lib.* 2.

Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris,
An veniat Megaris, noxius omnis erit.

Megares, num. plur. apud Plaut. *in Persâ*, ubi *Megaribus* in ablativo legitur. Pop. *Megarenses*, ab Atheniensibus ingressu urbis pro-

prohibiti, A. Gell. 6. 10. Unde Euclides mulíebri habitu ad Socratem ſe contulit, eadem die domum reverſus. Varia inſuper cum aliis bella geſſerunt. Condiderunt Chalcedonem, Thucyd. *lib.* 2. *&* 4. qui etiam refert, Lamidem Megarâ profectum, in Siciliâ coloniam colloca ſſe, ad Pantacem flu. indeque pulſum Thapſum condidiſſe: Poſt ejus dein mortem, Duce Hyblone, Principe, ſocios ejus Megaram Hyblæam fundaſſe, unde an. 245. pôſt iterum à Gelone Syracuſano pulſi, Selinunte prius extructâ, Anno 106. U. C. 33. Olymp. Item urbs Siciliæ, prius Hybla parva, ſed poſtea à Megarenſibus Græciæ *Megara* & *Megaris* appellata, Vid. ſupra; in orâ ad Ort. inter Catinam, & Syracuſas, à Marcello, cùm Syracuſas obſideret, exciſa: ex cujus reliquiis Auguſta quibuſdam orta. Aliter *Galeotis*, prope oſtia Alabi fluv. 20. m. p. à Syracuſis in Bor. 24. à Catana in Mer. *Megaris* quoque. *Riſus Megaricus* ſicut *Chius*, ponitur pro profuſo, & intempeſtivo. *Megarienſes ars* in doloſos & aſtutos. Item *lachrymæ Megarienſis* de fictis dicuntur, à virginibus Megarenſibus à rege Corinthum, ad filiæ mortem lugendam, miſſis. Hodie pagus exiguus Megara eſt, *Megra* dictus, ſub Turcis. Plin. *lib.* 4. *cap.* 7. Strab. *lib.* 9. Plut. *in Vita Solonis*, Diog. Laërtius, *in Euclid.* Euſeb. *in Chron.* Laurenbergius *Græc. ant.* Diodorus, Suidas, &c. Eſt etiam urbs in Theſſalia, alia in Ponto, alia Illyrici, alia Moloſſiæ. Steph.

Megareus, pater Hippomenis, nepos Neptuni ex Onchesto Bœotiæ opido oriundus, vel filius Oncheſti, quæ controverſia ex variâ lectione orta eſt, apud Ovid. *Met.* 10.

Namq; mihi genitor Megareus, Onchestius illi
Eſt Neptunus avus; pronepos ego regis aquarum.

Alii ita legunt,

—— Mihi genitor Megareus, Oncheſtus at illi.

Item Apollinis fil. qui Megaris à ſe conditis nomen fecit.

Megari, Indiæ pop. circa Indum fluv.

Megaricum, opidulum Bithyniæ. Steph.

Megaris, ſoror Theagenis, uxor Cylonis Athenienſis, qui ibidem tyrannidem affectavit. Schol. *in Equites Ariſtoph.*

Megaris, regio Achaiæ parva ſinui Saronico expoſita, inter Phocidem ac Occ. & Atticam ad Ort. ab Iſthmo Corinthiaco ſumens initium. Baudrando, inter Bœotiam eſt ad Ort. & Corinthiam regiunc. ad Auſtr. atque inter Sinus Saronicum in Ort. & Corinthiacum in Occ. Ejus caput Megara. Ibi nunc pars Occ. Ducatus Athenienſis, ſub Turcis. Item inſula parva, apud Neapolim, cui ponte jungitur, in Campaniâ; vulgò *Caſtell' dell' Ovo. Megalia* Papinio, aliter *Caſtrum Lucullanum.* Cum arce permunita, & valido Hiſp. præſidio; atque ita ut inſcriptio arcis docet, poſita Anno 1595. Tum verò ſub ipſo Caſtello ingens nunc Crypta exciſa arte, operis antiqui; tum longè lateque circum circa per mare ſparſa viſuntur rudera & veſtigia ingentium piſcinarum, neque nunc in toto hoc tractu locus eſt adeo oſtreis, echinis aliisque piſcibus refertus.

Megarſus, Siciliæ urbs. Lycophron. Item op. Ciliciæ in orâ ad oſtium Pyrami flu. Mallo urbi propinquum. Eſt & Indiæ flu. ex Emodis mont. naſcens. Dionyſ.

—— Ὕπανις θεῖός τε Μέγαρσος
Λαβρότατοι ποταμῶν. —— ——

Priſcianus *Magarſum* habet pro *Megarſo.* θεῖον verò Dionyſii Stephanus *vaſtum* interpretatur, Priſcianus verò *rapidum.* Nos *divinum* potius reddidimus. Ille enim Poetis mos, ut fontibus ac fluminibus divinitatem quandam adſcriberent. Hinc Prop. 4. 28. *Divini fontes.* Et 2. 28. *Divina aqua.* Theocritus,

—— Ἄγχια καὶ ποταμοὶ θεῖον γένος.

Euripidi etiam apud Cic. *Ep. ad Att. l.* 15. *Ep.* 4. dicuntur ποταμῶν ἱερῶν πηγαί.

Megaſa, urbs Libyæ, in quâ & σιτοφάγοι & ἀροτῆρες. Steph.

Megaſthenes, Hiſtoricus Græcus, ſub Seleuco Nicanore. Strab. *lib.* 1. Clemens 1. *Strom.* Scripſit Hiſtoriam Indiæ, ſæpe laudatam priſcis, quæ periit. Quam enim Annas Viterbienſis, ejus nomine, edidit, ſuppoſititia eſt. Euſeb. *l.* 9. *Præp. Ev.* Arian. *l.* 5. *&* 7. Ælian. *lib.* 8. *Hiſt. Anim.* Voſſ. *de H. G. l.* 1. *c.* 11.

Megatichos, opidum in monte inter Ægyptum & Æthiopiam, quod Arabes *Myrſon* vocant. Plin.

Megbis, nomen viri. 1. Eſdr. 2.

Megem, opp. Brabantiæ, ad Moſam. Metel. Caput Comitatus, 3. leuc. Buſco ducis diſtans.

Megenfridus, vel *Meginfredus*, Monachus Fuldenſis primò, dein Præpoſitus Magdeburgenſis, ſec. 11. Roſa inter ſpinas, Trithemio *in Chron. Hirſaug.* dictus, quòd, inter innumeros ignavos, ſolus ſtudiis & nominis immortalitati vacaret. Scripſit hiſtoriam Monaſterii ſui libb. 24. Vitam S. Emmerani, &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. lib.* 2. &c.

Megeni Monaſterium, inter Offoniſvillam & S Deodati, memoratur in diviſ. Regni Lotharii A. C. 870. facta: quam Abbatiam apud Lotharienſes eſſe, *Moien-mouſtier*, quidam exiſtimant. At Chronicon Senonenſe hoc ab ipſo loci conditore Hidulpho ideo appellatum eſſe vult; propterea quòd ab Ortu Senonienſe Monaſter. vulgò *Senone*, ab Occ. Stivagium, à Mer. Juncturas ſive S. Deodatum *S. Diey*, à Sept. Bodonis Monaſterium *Boudonville* habeat. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Megerlin Petrus, per anagramma *Legum Interpres*, J. U. D. & Mathematicus Baſilienſis celeberrimus. Natus Campidoni A. C. 1623. patre Davide J. U. D. urbis ejus Syndico & Pro-prætore, ſtudiis vacavit Tubingæ ab A. C. 1640. uſq; ad an. 1645. Inde apud Parentem domi, Hailbronnæ poſtea apud Friſchium cognatum, atque in Camera Imp. Spirenſi praxi Juridicæ incubuit. Baſileæ exin Doctor creatus A. C. 1651. ad Syndicatus officium in Patriam vocatus eſt: ſed non admiſſus, ob puriorem doctrinæ Evang. confeſſionem, Baſileam rediit: à Magiſtratu loci A. C. 1660. in Advocatum Reip. ac inſuper A. C. 1674. in Profeſſorem Matheſeos aſſumtus. Ejus extant, præter alia: *Diſſertatio de Cyclis Planetarum & Eclipſium*; Item, *Tabula Mathematico-Hiſtorica*, quâ ſecundùm 7. revolutiones conjunctionum magnarum, ſeries rerum, à M. C. ad noſtrum uſque ſeculum geſtarum 7. columnis exhibetur, cum *Indice copioſiſſimo* & *Commentario Chronologico.* Scripſit præterea *Patrocinium Aſtrologiæ*, Germ. *Aſtrologiam* quoque *Carteſianam*, &c. quæ lucem brevi videbunt.

Nil blandum poppyſma movet, nil tetrice terror,
Poſt Chriſtum audiri ponere cuncta meum.

Meges, unus ex Græcorum principibus, qui Dulichio, & Echinadibus inſ. præfuit, & cum navibus 40. ad Trojam eſt profectus. Hom. *Iliad.* 2.

Megeſaphar, locus in confin. Damaſci, in tribu Manaſſe; quâ Chriſtiani olim caſtra traduxerunt. Tyr. 13. *bell.* 26.

Megia, urbs Meſopotamiæ, ad Euphratem, circa Citham, Zoſim.

Meginenſis pagus, vulgò *Meylandt*, inter Moſellam & Rhenum in Treviris eſt: dictus à Megino vel Megeno, vulgò *Meyen*, loco prope Autunnacum & Bidburgum. Vide Hadrianum Valeſium *Not. Gall.*

Meginhardus, Monachus Germanus, circa an. 870. Scripſit hiſtoriam S. Ferruti Martyris, cujus corpus à Lullio Arch. Moguntino, in Monaſterium Bleidenſtadienſe translatum. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 36. Poſſevin. *in appar. ſacro.*

Megisba, ſtagnum Taprobanes Inſulæ. Plin.

Megiſta, Inſ. Lyciæ, ante portum cognom. Cujus portus Liv. meminit, è regione Pataræ urbis. Hæc *Strongallo* nonnullis, Inſ. Dolicho proxima.

Megiſtanes, dicuntur proceres & magnates, viri ſummates, quibus permiſſum erat cum regibus epulari. Nam & Herodes D. Marco *cap.* 6. dicitur μεγιστᾶσι convivium præbuiſſe, quos vetus interpres *Principes* vertit. Uſi hâc voce Seneca *Epiſt.* 21. Tacitus 15. *Annal.* & Sueton. *in Caligulâ.*

Megiſta, urbs, & inſula Lyciæ. Steph.

Megiſtias, vates, patriâ Acarnam, à Melampode originem trahens: inſpectis extis, ſibi & Græcis, qui erant ad Thermopylas, mortem pariter impendere prædixit, tamen quum à Leonidâ, ne ſecum periret, dimitteretur, abſcedere noluit, filium tantùm unicum unà militantem miſſum fecit. Herod. *l.* 6.

Megiſtus, flu. quidam in Ægæum mare decurrens. Suid.

Megledunum, opp. Gall. Celt. 15. mill. à Bituricis Turon.

Megphias, nomen viri. 2. Eſdr. 10.

Meherdates, Phraatis fil. obſidio Romanis datus, ſub Claudio, quem, odio ſævitiæ ac luxus Gotarzis, Parthi patrium ad faſtigium poſcebant. Tacit. *lib.* 11. *cap.* 11. Sed à Gotarze victus, eíque à Parrhace, paterno cliente, traditus, auribus deciſis vivere juſſus eſt, oſtentui clementiæ ipſius. *c.* 14.

Mehuſim, pater Ahitub. 1. Par. 8.

Viri celebres.

Meierus, vel *Meyerus* Jacobus, Reip. Baſilienſis Conſul. Natus A. C. 1492. patre Henrico Senatore, in Senatum & ipſe maturè lectus, ad Tribunitiam dignitatem brevi aſcendit, Johannis Occolampadii, in Eccleſia illa reformanda ſtrenuè deſudantis, *clypeus & haſta*, Ramo teſte *in Baſil.* inde Conſul, patriam rexit uſque ad A. C. 1541. quo peſte extinctus eſt: *Pietatis ſanæ cultor ac promotor primarius, omnis honeſtatis, quod in ipſo fuit, inſtaurator diligentiſſimus*, Epitaph. Pater Rodolfi itidem Senatoris, & Academiæ Deputati, qui obiit A. C. 1564.

Meierus Jacobus, Theologus Baſilienſis clariſſimus. Natus patre Rodolpho præfato, Academiæ Triumviro A. C. 1526. ſub inſtitutione Simonis Grynæi, viri ob præclariſſimas dotes toto orbe celeberrimi, adolevit: Argentinæ poſtmodum Wolf. Fabricii Capitonis auditor, ab A. C. 1539. uſque ad 41. hoc peſte ſublato, in patriam redux Oſvvaldi Myconii & Martini Borrhai lateri hæſit: inde Argentinam A. C. 1546. rurſus delatus, præſtantiſſimo Theologo Mart. Bucero præceptore uſus eſt: quo in Angliam Anno Chr. 1549. invitato, Philippi Melanchthonis famâ excitus Wittebergam conceſſit, quadriennium ibi moratus. In patriam redux Anno Chr. 1554. mox in partem Marchicæ reformationis: exin in agrum Baſilienſem, tandem Anno Chr. 1564. in ipſam urbem vocatus, ſacrum Miniſterium ſummâ fide & zelo obiit, donec Anno Chr. 1604. æt. 80. in ſummo templo funebrem habiturus concionem, cùm vix exorſus eſſet præclaram Eccleſiaſtis ſententiam, *de ſubitò ruente arbore, cap.* 11. *verſ.* 3. apoplexiâ ictus, coram facie frequentis Eccleſiæ, obdormiit: Parens ex Agnete, Capitonis prædicti filia Wolfgangi. Vita *Jac. Meyeri.*

Meierus

Meierus Wolfgangus, Theologus itidem Basiliensis insignis. Natus Jacobo præfato, A. C. 1577. post Humaniorum, ut vocant, literarum curriculum mirâ felicitate decursum, sacratioribus studiis se totum dedit: quorum fundamentis in Patria jactis, Angliam petiit: ubi mirâ humanitate exceptus, & ob avi Buceri magna in Ecclesiam Anglicanam merita, ab Elizabetha Regina, diplomate ad Proceres Academiæ Cantabrigiensis dato, de convictu sumtibus regiis ei suppeditando instructus eò concessit: ubi eruditionis solidæ documenta cùm varia edidisset, SS. Theologiæ Licentiatus publicè proclamari meruit. Per Galliam inde in Patriam reversus, Patri defuncto in sacra statione successit A. C. 1605. Postea sublato A. C. 1610. Theologo celeberrimo, Amando Pol. à Polansdorff, publicè ex cathedra Theol. prælegendi, donec ordinarius Professor, in defuncti locum surrogaretur, potestatem accepit, quo tempore Polani memoriam panegyricâ oratione excoluit, ipse Doc̄turæ axiomate ornatus, A. C. 1611. Missus An. Chr. 1618. cum D. Seb. Beckio Theol. Profess. ad Synodum Dordracenam, *de perseverantia Sanctorum*, cum applausu, ibi peroravit. Inde per Angliam, ubi Jacobo R. Buceri librum, Latinâ civitate à se donatum, obtulit, Galliamque, patriæ redditus: mox S. P. Q. Mulhusino, à Magistratu suo, ad semestre indultus, eò abiit, ut Ecclesiæ illi, adhuc aliquibus veteris fermenti reliquiis laboranti, suam operam impenderet. Quâ egregiè defunctus, circa An. Chr. 1621. ad stationem suam rediit; ad primarii Diaconi munus A. C. 1630. vocatus, in quo ad mortem usque *fidus* & *industrius Dei* servus versatus est. Obiit Anno Christi 1653. æt. 76. morte tantùm non repentinâ, postquam die præcedente sermonem ϖρογαμίων, eumque nuptialem, ex Hebr. *cap.* 13. *v.* 4. ad cœtum habuisset. Ejus scripta extant varia, quorum indicem, ut & plura, de Viro hoc insigni, exhibet Sam. Keslerus in *Delineat. Vitæ & mortis ejus A. C.* 1655. Basileæ habita. Pater fuit inter alios, Jacobi, qui Cantabrigiæ per 4. annos in Coll. SS. Trinitatis, sumtibus itidem Regiis, ex stipendio familiæ Meierianæ ab Eduardo VI. primùm ordinato; postea verò ab Elizabetâ & Jacobo R. confirmato, Theologiæ vacavit, in flore ætatis, post reditum in patriam Anno Chr. 1634. æt. 21. defunctus: & Maximiliani Jacobi, nati An. 1635. & in agro Basil. verbi divini, non sine sacræ eloquentiæ, familiæ huic quasi domesticæ, laude, Administri.

Meininga, vulgò *Meinungen*, Franconiæ opp. ad Verram flu. in Princip. Hennebergico. 2. mill. Germ. à Smalcalda in Mer. Schvvinfurtum versus 8. circiter.

Mela Pomponius, Geographus, cujus extat liber de situ Orbis. Natione Hispanus fuit, Claudiique Imper. temporibus floruit, ut rectè primus adstruxit Vadianus. Inde est, quòd & ipse meminit Corn. Nepotis, ut recentis scriptoris, & ad partes à Plinio advocetur, in Hist. Naturali, qui Vespasiani temporibus claruit. Vide Voss. *Hist. Lat. l.* 1. *c.* 25. & *Pomponius Mela.*

Mela, vulgò *la Mela*, fluvius prope Brixiam Gall. Cisalpinæ urbem, in Ollium se exonerat, Catullus *ad Januam Carm.* 68.

Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia Veronæ mater amata meæ.

Virg. *Georg.* 4. 4. ubi de amello,

——— *Tonsis in vallibus illum*
Pastores & curva legunt prope flumina Melæ.

Melaca, pagus Atticæ. Stat. *Theb.* 12.

Icarii, Celeiq; domus, viridesq; Melaca.

Melæna, Insula maris Jonii ante Epirum, quæ & Corcyra. Plin. 6. 26.

Melane, quondam Cephallenia dicta. Plin. 4. 12. Item op. in Arcadiâ, à *Melenæo* Lycaonis filio, inter Heræam, & Megalopolim. Steph. *Melanæa*, Plin. Est & Μελανιαὶ urbs Lyciæ. Gentile *Melanites.*

Melaneis, vicus in tribu Antiochide, Callimachus *Melanas* vocat. Tribulis *Meleneus.* Steph.

Melampea, urbs Lydiæ. Steph.

Melamphyllis, insula Samothraciæ. Quin & Samos ipsa *Melamphyllos* dicta fuit. Steph.

Melamphyllos, exiguus mons Thessaliæ. Aliàs *Melamphyllon* insulæ in Asiâ nomen. Plin. 5. 31.

Melampus, Argivus, Amythaonis & Dorippes filius, A. M. 2705. Hom. *Odyss. penult.* Sic dictus, quòd mater eum infantem exposuerit toto corpore tectum, præterquam pedibus, qui à Sole atri facti sunt. Augurio claruit, omnium avium cæterorumque animalium voces novit & intellexit. Fuit & Medicus præstantissimus, cui templum erectum, festaque solennia, & sacrificia fuere statuta, Pausan. *libr.* 1. Biantem juvit in auferendis bobus Iphiclo, quos ille Neleo restituit, cujus beneficii memor Neleus filiam suam nomine Pero ei uxorem tradidit. Filias quoque Prœti furiis agitatas sanitati mentis helleboro, quod postea *Melampodium* dictum, restituit, quarum unam Iphianassam cognomine conjugem accepit. Herodotus *lib.* 9. illum ab Argivis Pisam se missuris, ut fœminas ejus loci à furore liberaret, jus civitatis & regnum petiisse, refert. Sub ejus nomine, liber *Ex palpitationibus divinatio* prodiit Romæ, Anno 1545. Alius, *de nævis*, Venetiis, an. 1552. Pet. Castellanus, *de Vit. Ill. Medic.* Johan. Neander, *in Syntagm. Med.* Justus, *Chron. Med.* Vander Linden, *de Script. Med.* Voss. *de Phil. cap.* 11. §. 17. Virgil. *Georg. l.* 3. *de peste,*

——— ——— *Cessere magistri*
Phillyrides Chiron, Amythaoniusq; Melampus.

Tibullus *ad Messalam,*

——— *Compertum est veracibus ut mihi signis,*
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.

Item unus ex canibus Actæonis. Ovid. *Met.* 3.

——— *Primusq; Melampus*
Ichnobatesq; sagax latratu signa dedere.

Melampygos, cognom. Herculis, quasi *nigro podice*: quòd eam partem corporis, non Lydorum more vulsam, neque candidam, sed nigris pilis hirsutam ac sylvosam haberet. Vide Erasm. *in Proverb. Nec incidas in Melampygum.*

Melana, prom. Chii Inf. Strab.

Melanchates, unus ex canibus Actæonis. Ovid. *Met.* 3. à *nigredine pili* dictus:

Prima Melanchates in tergo vulnera fecit.

Melanchlæni, pop. juxta Bosporum Cimmerium, inter Rha fluv. & montes Hippicos, Ferr. à *vestibus nigris* dicti. Dionys. ubi de Alanis,

Ἔνθα Μελάγχλαινοί τε καὶ ἀνέρες Ἱππημολγοί.

Mela 2. 1. *Melanchlænis atra vestis, & ex eâ nomen.* Dio Chrys. *in Borysthenit.* Χρῶνται δὲ τῇ ἄλλῃ ἐσθῆτι μελαίνῃ ὡς τὸ πολὺ ἀπὸ γένους τινὸς Σκυθῶν τῶν Μελαγχλαίνων, ὡς ἐμοὶ δοκοῦσι, κατὰ τοῦτο ὀνομασθέντων ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων. *Murophoros* Leuncl.

Melanchthon Philippus, Germ. *Schvvartzerd*, Brettâ in Palatinatu oriundus, Germaniæ Phœnix, Artium Restaurator: Nepos ex sorore Johannis Capnionis, seu Reuchlini, Hippophilum Melangæum etiam subinde se vocavit. Natus Anno Chr. 1497. Heidelbergam venit, Anno Chr. 1509. A Friderico El. Wittembergam vocatus, Græcas ibi literas docuit, Anno 1518. ubi plurima edidit, Scholarum multarum parens, in humanis divinisque scientiis versatissimus. Parisiensibus Lutheri libros damnantibus, opposuit Anno Chr. 1521. librum, cui titulus: *contra furiosum Parisiensium Logastrorum decretum.* Itemque Emsero *Didymum Faventinum.* Cum Luthero, scriptum edidit, contra Articulos rusticorum, An. Chr. 1525. Augustanam Confessionem, Carolo V. exhibitam, Anno 1530. composuit. Apologiam dein Confessionis scripsit, quam Cæsar admittere noluit. Cum Eccio, Wormatiæ per triduum collocutus est, Anno 1541. de peccato inprimis originis, post Baptismum remanente, sed interruptum Cæsaris jussu colloquium & Ratisbonam est rejectum. Refutavit librum *Interim*, & minus acriter de Adiaphoris certasse visus est Flaccio, Anno Chr. 1548. In S. Cœna, oralem manducationem non credidit, &c. Obiit 1560. à Ferdinando I. Erasmo, & hostibus ipsis impensè laudatus. Ejus opera tomis 5. fol. Basileæ, an. Chr. 1544. 5. Partibus, 4. Vol. Wittebergæ, Anno Chr. 1564. 1580. 1601. &c. prodierunt. *Vir in quo cum doctrina pietas, cum utraq; candor certavit*, Arrovvsmith *in Tact. sacr. Communis Germaniæ Præceptor* Lipsio: *Literarum & Literatorum decus*, Steph. *Theologiæ corculum Reformatæ*, Montacutio. De eodem Taubmannus *Sched. sacr. lib.* 2.

Heu! quàm multorum lolio sterilesceret arvum,
Ni bove solerti Melanchthonis illud arassent.

Ipse suum Epitaphium, paulò ante beatam ἀνάλυσιν, hoc disticho pronuntiavit:

Iste brevis tumulus miseri tenet ossa Philippi,
Qui qualis fuerit nescio, talis erat.

Melandia, regio Sicyoniæ. Steph.

Melane, prius dicta Samothrace, in quam Dardanus venit: & pulsus inde sterilitate soli demigravit, in ea Phrygiæ loca, ubi Troja postea. Hinc olim *Dardania* dicta Samothrace. Plin.

Melanea, op. Arcadiæ. Plin. 4. 5.

Melaneis, Eubœæ inf. urbs. Steph. quæ & *Eretria* & *Arotria* etiam dicitur, teste Strabone.

Melanes, nigri montes, juxta deserta Arabiæ. Ptol. Hodie mons *Sinai*, & mons *S. Catharina*, *Sur* desertum Ebræis, à Mauris *Tur* dicitur.

Melaneus, Euryti pater, à quo Eretria *Melaneis* dicta. *Melaneus* etiam inter canes Actæonis numeratur, ab Ovidio *Metamorph. l.* 3.

Harpalos & Melaneus, hirsutaq; corpore Lachne.

Est & Centauri nomen apud eundem, *Met.* 12.

Et Pholus, & Melaneus, & Abas prædator aprorum.

Melanga, locus Thraciæ apud Byzantium. Glycas.

Melange, Vid. *Melispora.*

Melangia, Arcadiæ oppidum. Pausan.

Melangita, Arabiæ Felicis gens. Ptol.

Melani, montes Arab. Petr. ad sinum Arabicum describuntur à Ptol. eo loco quo Moses in sacris literis *Sinai* ponit. *Syneum* eum vocat Justinus ex Trogo Pompeio: *Synæum* Josephus & Suidas. Ad ejus Merid. erat Saracene regio, in Arabia fel. Quibusdam extensi fuerunt, ab urbe Petra, Ælanum usque in ora sinus Arabici. Vix 180. mill. pass. ab Hierosolymis in Austrum. Vid. *Melanes.*

Melania, nomen duarum illustrium matronarum; quarum altera obiit An. C. 408. Augustino memorata *epist.* 249. altera A. C. 438. de qua V. Baronium *in Annal.*

Melania, Ciliciæ oppidum, Straboni: an *Myle* Plinii?

Melanion, vir tantæ castitatis, ut per avia montium & nemorum, cane, quo uno convictore utebatur, feras perpetuò insectatus, domum redire noluerit, unde Proverb. *Melanione castior.*

Melanippides, Poëta Græcus, Olymp. 65. Fil. Critonis, varia scripsit. Athenæus *lib.* 14. & Suid. Alius, cognom. *Junior*, Poëta Lyricus Milesius, prioris ex sorore nepos. Floruit Olymp. 80.

Melanippus, Pamphyliæ flu. Steph.

Melanippus, Sacerdos Apollinis, apud Cyrenenses, à Nicocrate tyranno propriâ manu obtruncatus, ut ejus conjuge Aretaphilâ potiretur. Polyæn. *l.* 8.

Melanis, Venus dicta est, quòd ipsa tenebras amet, hominesque noctu sæpius coeant. Palæph.

Melanium, Vide *Malanium.*

Melano, Doridis insula in Ceramico sinu. Plin.

Melanogætuli, Æthiopum gens in Libyâ interiori. Ptol.

Melanopus, civis Atheniensis, pater Lachetis.

Melanos, prom. Besbici Inf. Strab.

Melanosyri, pop. Syriæ, inter sinum Issicum, ad Occ. & Euphratem ad Ort. Strabo.

Melanthes, scripsit de Mysteriis. Vid. Schol. Aristoph. *in Aves.*

Melanthia, filia Deucalionis ex Pyrrhâ.

Melanthii, scopuli maris Jonii circa Samum. Strabo. *Fornelli* Bordonio. *Furni* Nigro. Lege *Melanthii.* Ita enim eos vocat Apollon. *Argon l.* 4. uti videre est in his,

——— ῞Ικεο πέτρας
῾Ρίμφα Μελαντίους ἀελήιο͂ς, αἴ τ᾽ ἐνὶ πόντῳ
῞Ηπλαι. ——— ———

Ubi Schol. Μελάντιοι δέ εἰσι δύο σκόπελοι πρὸς τῇ Θήρᾳ, οὕτως ὀνομαζόμενοι ἀπὸ Μέλανος τοῦ κρατοῦντος τῶν χώρων.

Melanthium, flu. Cappadociæ, qui in Euxin. mare, inter Pharnaciam & Polemonium, per agrum hujus, ut & Jasonium, placidè decurrens, sese exonerat. Plin.

Melanthius, Historicus de rebus Atticæ libros reliquit, testibus Harpocratione, & Athenæo *l.* 7. Item clarissimus pictor Plin. *lib.* 35. 7. de arte suâ scripsit, Diog. Laertius, *in Polemone.*

Melanthius, Tragicus Poëta, leprosus & malitiosus, qui à Comicis traducitur mollitiæ & gulæ nomine. Plato *in Scythis* eum ut garrulum perstringit. Fuit Cimonis, Atheniensium Ducis, æqualis. Vide Scholia in Aristoph. *Ornithas. pag.* 548. G. Plut. *in Cimone.* Etiam Elegias composuit. Vide Suid. Voss. *de Hist. & Poët. Gr.*

Melanthius, nomen viri, qui, cùm Gorgiæ inimicus esset, dixit, hic nobis de concordiâ præcipit, qui tres in unâ domo concordes facere non potuit. Est & nomen viri Trojani proprium, quem Eurypylus in bello Trojano interemit. Hom. Alius ejusdem nominis pastor apud Theocritum. Item caprarius Ulyssis, qui quòd & rem domini absentis unà cum procis absumpsisset, & tam heræ, quàm herili filio molestum sese præbuisset, post reditum Ulyssis à Telemacho trucidatus est. Hom. *Odyss. l.* 22. Ovid. *Ep.* 1.

Irus egens, pecorisq; Melanthius author edendi.

Item Cappadociæ fluvius. Plin. & Syriæ mons, ubi Vestæ fanum. Cedrenus.

Melantho, filia Protei, cui, cùm positis vestibus, Delphino insidens, sæpe per maria patris vagaretur, Neptunus sub Delphini formâ stuprum obtulit: Unde Amycus natus, quem tamen Servius Melites filium facit.

Melanthus 16. Atheniensium rex, an. ante U. C. 367. Messenius erat, & cùm ab Heraclidis, in Peloponnesum reversis, pulsus esset, Athenas venit, ubi interfecto singulari certamine Bœotorum hostium duce Xanthia, rege Thymoete abdicato, ad regnum evectus est. Ab eo *Melanthidarum* familia orta. Idem Apaturia sacra Athenis instituit. V. Schol. *in Aristoph. Acharnan.*

Melanthus, Cyzicenus, cum fratre Are, in conflictu nocturno, interfectus. Flacc. *l.* 3. ℣. 206.

Melanthus, flu. Sarm. Europææ, qui in Borysthenem labitur. Ovid. *Pont.* 4.

Et tacitè peragens lene Melanthus iter.

Melantias, quæ nunc vulgò *Melitias* dicitur, urbs Thraciæ ad Propontidem, olim Archiep. inter Byzantium & Selymbriam: nunc vicus 102. stadiis Byzantio distans. Ex Suidâ, & Procopio: *Athyra* etiam, ad ostia Athyræ flu. *Melancia* Antonino, & *Villa Cæsariana*, Ammiano.

Melanyon, quibusdam dictus est Hippomenes, ἀπὸ τῶν μήλων, hoc est, à *malis*, & ἀνύω *perficio.* Aliis *Melanion*, à nomine μῆλον, & verbo ἀνίημι, quasi *mala* è manu *emittens.* Tu lege & vide *Milanion.*

Melas, Phryxi ex Chalciope filius, duxit uxorem Eurycleam: è quibus *Hyperes*, juxta Pherecyd.

Melas, i. *niger*, Sinus Thraciæ, Ptol. *Melanus* Solino. *Cardianus*, à Cardia urbe adjacente, Eust. *Magarisium* hodie Ortelio.

Melas, id est, niger, fluvius multiplex. Nam unum esse in Mygdoniâ ostendere conatur Ovid. *Met.* 2.

Mygdoniusq; Melas & Tanarius Eurotas.

Alium esse in min. Asiâ, & Smyrnam circumeuntem, Solinus scribit. Alium navigabilem esse, qui Ciliciam à Pamphyliâ dividat, scribit Plin. 4. 27. *Crionero* Nigro. Alium in Bœotiâ ponit idem Plin. qui è Parnasso profluens Minervæ sacer dicitur à Poetis, quia ripæ ejus olivis sunt refertæ. Stat. *Theb.* 7.

Palladiusq; Melas Hecateia gurgite miscet
Flumina. ——— ———

Oves nigras facit, & Nili instar, per æstatem, exundat. Fuit etiam Arcadiæ fluvius, Olenum urb. alluens. Virg. *lib.* 4. *Georg.* Dionys. *Vers.* 415.

῎Αρκαδες ᾽Απιδανῆες ὑπὸ σκοπιὴν ᾽Ερυμάνθου,
῎Ενθα Μέλας, ὅθι Κρᾶθις, ἵνα ῥέει ὑγρὸς ᾽Ιάων.

Alius in Phthiotide Herodot. & Livio apud Heracleam Trachiniam fluens, & à Dyrâ flu. 20. stad. distans. Alius Thraciæ, in Sinum Melanem, ad Caridiam Urb. influens, qui non satis fuit ad bibendum exercitui Xerxis. Herodot. *Mater* Nardo, *Larissa* Bellonio. Alius Cappadociæ, apud Cæsaream, ex monte Argæo oriens, longoque tractu in Euphratem, per Armeniam min. decurrens, non procul à Melitene, Strab. *Gensus* Castaldo. Alius Lyciæ, ubi Latona incolas in ranas convertit, teste Probo. Postremò alium esse in Siciliâ, author est Ovid. *Fast.* 4. cùm de fluminibus & locis Siciliæ, quæ peragraverat Ceres in quærendâ Proserpinâ, loquens ait

Sacratumq; Melam pascua læta boum.

Vide Cluver. *Sicil. Antiq. l.* 2. *c.* 5.

Melatas, decem piratarum Dux, quorum ope mœnia Cassandreæ Aminias cepit. Polyæn. *l.* 4. *in Antigono, comm.* 18. Ubi Interpres habet *Melotas.*

Melbodium, vulgò *Maubeuge*, locus Hannoniæ, in diœc. Cameracensi, ubi Adelgundis virgo monaster. opulentissimum extruxit, ad Sabim fluv. post quam Adeltrudis, ejus ex Waldetrude Castrilocensi sorore neptis, Abbatissa præfuit, Hadrianus Valesius *Not. Gall.*

Melcaba, Ægypti urbs. Lib. Notit.

Melcartus, Hercules Tyriis dictus, quasi *Rex fortis* מלך *melec* enim *Regem* sonat. Unde & Hesych. Μάλικα τὸν ῾Ηρακλέα. עריץ *aritz*, autem *validum* sonat, unde ῎Αρης Græcorum, & ἥρως.

Melcha, uxor Nachor. Gen. 22. Filia item Zalphaad, sive Zelophead. Num. 26.

Melcha, seu *Meltha*, lacus monti & civ. Sephet vicinus. In tr. Nephthalim.

Melchi, pater Levi. Luc. 3.

Melchiades, sive *Melciades*, Rom. Episc. 29. A. D. 301. post Eusebium, Afer. Jussu Constantini, Synodo Romæ coactâ, Donatum damnavit. Fideles diebus Dominicis & Jovis jejunare vetuit, ne Ethnicos imitari viderentur. Obiit an. 313. Successit Sylvester I.

Melchias, pater Phassur. Jer. 21. Filius Amelech. Jer. 38. Filius Athenai filii Zara 1. Par. 8.

Melchiel, filius Beriæ filii Aser. Gen. 46.

Viri clari.

Melchior Adami, Silesius, vitis Theologorum, Philosophorum, Medicorum, & Jurecoss. Germanorum editis, inclaruit.

Melchior Barlæus, Antverpianus, varia edidit. Val. Andr. *Bibl. Belgic.*

Melchior Canus, Hispanus, Dominicanus, Episc. Canariarum Inf. eruditione & scriptis, inter suos, insignis.

Melchior Fendius, Medicinam Wittembergæ docuit, an. 1544. Justus *in Chron. Med.*

Melchior Guillandinus, Regiomontanus, Botanicus celebris. Scripsit inter alia, *de Papyro*, quod opus Jos. Scaliger & Hieron. Mercurialis *refutarunt.* Paschal. Gallus, *in Bibl. Med.* Thuan. *Hist. lib.* 96.

Melchior Hofmannus, Chiliasta, Verbum negavit carnem è sinu B. Virginis desumpsisse, salutem in viribus nostris sitam asseruit, &c. Sec. 16.

Melchior Neipius, Flander, post Erasmum, Adagiorum collector. Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

Melchior Sebisius, Argentinensis, Medicus, scriptis inclytus: cum filio cognomine. Vander Linden *de Script. Med.*

Melchiram, fil. Jechoniæ filii Joacim. 1. Par. 3.

Melchisedech, Sacerdos, & Rex Salem. Lat. *Rex justitiæ.* Gen. 14. Heb. 7. 1. Hunc fuisse Semum volunt Hieronymus, Gerundensis, Primasius, Jonathan Hierosolymitanus, & alii. Contra, est Procopius Gazæus *in Gen. c.* 14. & alii multi, quæ sententia firmatur ex Ep. ad Ebr. *c.* 7. *Melchisedeciani* Spiritum Sanctum, Didymus & Origenes Angelum, Cunæus non hominem, id est, Messiam fuisse volunt: Quæ omnia à Constant. L' Empereur fusè refutata. Fuit enim unus ex regulis Chananæorum, qui piè inter illos, ac sanctè vixit. Suidas oriundum vult à Side filio regis Libyæ, cujus parentes Epiphanius Heraclam patrem, Astaroth verò vel Asteriam matrem appellat. V. Riveti *Exercit. in Gen. c.* 14. &c.

Melchisua, vel *Malchishua*, filius Saul. 1. Reg. 14.

Melchom, vel *Milchom*, Idolum Ammonitarum. 4. Reg. 23.

Melcomani, Dalmatiæ populi. Plin.

Meldaba, Ægypti urbs. Lib. Notit.

Melda,

Meldacensis pagus, *le Comté de Mauge*, aliàs *les Mauges*, pars est veteris agri Pictavi, nunc Andibus attributus, trans Ligerim, in montibus ac finibus Pictonum, sub Episc. Pictavensi. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Meldæ, Gall. Lugdun. pop. Ptol. quorum urbs *Jatinum*, seu *Melda*, elegans & culta, hodie *Meaulx*, op. ad Matronam flu. inter Parisios & Rhemos. 8. leucis á Sylvanecto in Ort. ex præcipuis Briæ prov. Ep. est sub Ar. Parisiensi, prius sub Senonensi. Vid. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Loca Diœcesi Meldensi contenta, ultra citraq; Matronam.

Alnetum *l'Aunay Bruslé.*	Jotrum *Jouärre*, ubi Monast.
Brolium, ubi Monast. S. Petri *S. Fiacre.*	Juliacum *Juilly*, ubi Abbatia.
	Malleus *Villers les Mailles.*
Cameræ fons *Chambrefontaine*, ubi Abbatia.	Marolium *Mareüil.*
	Meduntum.
Castrum Martini *Dammartin.*	Moncelli *Monceaux.*
Cella *la Celle.*	Nantogilum *Nanteüil.*
Columbarium *Coulomiers.*	Novum Monasterium *Neufmoustier.*
Condetum *Condé.*	
Crisciacum, ad Mucram *Crecy.*	Pons Mucræ.
Domunculæ *Maisoncelles.*	Quintiacum *Quincy.*
Eboriacum *Faremoustier*, Monaster. clarum.	Radolium, ubi Prior. *Reüil.*
	Rasbacis *Rebais*, ubi veterr. Monaster.
Faræ Monaster. idem.	
Firmitas Galterii *la Ferté Gaucher.*	Rosetum *Rosoy.*
	Santiacum *Sancy.*
Firmitas sub Jotro *la Ferté sous Jouarre.*	Tria Bardoli *Trie le Bardou.*
	Tria portus *Trilleport.*
Insulæ *L'Ille.*	Villa Regis ad Matronam *Ville Roy.*
Jojacum *Jouy sur Morin.*	

Duos tandem habet Ecclesia Meldensis Archidiaconos, majorem & alterum trans Matronam, in pago Briegio, quem Archiad. *Briensem* appellant. Idem.

Meldita, Africæ propriæ op. Ptol.

Meldula, oppidul. Romandiolæ, in confinio Hetruriæ, ad Bedesim amnem, sub utili dominio Princ. Pamfilii. 10. mill. à Foro Livii in Austr. *Meldola* vulgò. In dit. Pontif.

Meleagenes, Architectus Athen. qui fanum Minervæ extruxit.

Meleager, Macedoniæ Rex, post fratrem Ptolomæum Ceraunum, an. 474. U. C. Victus à Gallis, & occisus, ut & Antipater nepos Cassandri ex fratre, qui illum excepit. Post quos Macedones Sosthenem Regem crearunt. Pausan. *in Phoc.* Justin. *l.* 24. *&c.*

Meleager, Oenei Calydoniæ R. ex Althæâ fil. quo recenter nato visa est mater ejus sibi tres Parcas igni assidentes videre, manuque stipitem tenentes, æqualem puero cum stipite vitam assignare. Recedentibus itaque Parcis, Althæa extinctum stipitem diligentissimè asservavit. Adulto deinde Meleagro, contigit ut pater ejus ex susceptis frugibus, omnibus diis sacrificaret, omissâ Dianâ, quæ ob id

— Oeneos ultorem spreta per agros
Misit aprum, quanto majores herbida tauros
Non habet Epiros: sed habent Sicula arva minores.

Uti loquitur Ovid. *Met.* 8. Ad hunc igitur conficiendum Meleager, collectâ robustissimorum juvenum manu, aprum interfecit, caputque ejus Atalantæ, Jasii Argivorum regis filiæ, quæ prius aprum vulneraverat, velut partem spolii, dedit. Quod ægrè ferentes Plexippus, & Toxeus Althææ fratres, Atalantæ caput auferre conabantur. Quamobrem Meleager irritatus eos obtruncavit, duxitque Atalantam in uxorem, quæ ei Parthenopæum peperit. Quod cùm audisset Althæa, in furorem versa, fatalem illum stipitem in ignem conjecit: quo exusto Meleager etiam exustis intus intestinis omnibus consumptus est. Quæ de fatali stipite in ignem conjecto referuntur, intelligenda sunt, ait Sabinus, de exsecrationibus magicis, quibus Althæa Meleagro imprecata est mortem. Nam Hom. testatur, eam orasse Plutonem, & Proserpinam, ut filio mortem inferrent. Vide Passeratium *in illud Propertii* 3. 22.

Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo.

Ab hoc dicta est *Meleagrea*, quæ & *Calydon*. V. ibi.

Meleagrides, sorores Meleagri, quæ cùm fratrem immoderatè lugerent, in *Meleagrides* aves commutatæ sunt. Hyginus *Fab. Poet. cap.* 174. & Ovid. ubi suprà.

Meleagrus, rex Macedoniæ 31. an. U. C. 474. V. *Meleager.*

Melech, filius Micha filii Meribbaal. 1. Par. 8.

Melegene, insf. in mari Adriatico, Dalmatiæ adjacens. Ptol.

Melenda, urbs Indiæ, intra Gangem. Ptol. *Meleynda* Interpp.

Melerus lacus Sueciæ amplus, inter Uplandiam ad Bor. & Sudermanniam ad Austr. ab Ortu in Occ. extensus, per 60. m. p. Ei adjacent urbes Holmia, Telga, Stregna, Arboga & Torsilia. In mare Balt. se exonerat. *Melerzée* indigenis, *Lac Meler* Gallis.

Meles, rex Lydorum circa Olymp. 13.

Meles, Pisiæ filius, tibicen ineptus ac nihili, traductus à Pherecrate ἐν Ἀγρίοις. Vid. Schol. *in Aves.*

Meles, etis, fluvius prope Smyrnam, apud quem Homerus natus fuit, unde *Melesigenes* dictus est. Plin. 5. 20. Item Samnitum urbs à Marcello capta. Liv.

Melese, Barrio *Melissa*, opp. magnæ Græciæ, in ora Calabriæ ulter. à littore 7. m. p. inter Macellam 3. & Crimissam 13. *Temese* etiam Ovidio.

Meleti sinus, à Melete flu. etiam Smyrnæus dicitur. Steph. *Elaites* Agathiæ, in proœm. hist. Sinus est maris Ægæi juxta Æolidem regionem.

Meletius, Præsul in Ægypto, Arianæ hæreseos sectator, qui sub Diocletiano in exilium pulsus est: *Meletianorum* antesignanus. Hist. Tripart. Alius Episc. Antiochenus, ab Arianis pulsus, Anno Chr. 358. sub Constantio Imp. Euzoio Ariano locum fecit. Mox cùm restituendus esset, antequam rediisset, Lucifer Paulinum Episc. creavit: unde Schisma, & secessus Luciferi. Item nomen Patr. Alexandr. & Constantinop. sec. præt.

Melfictum seu *Morfeta*, vulgò *Molfetta*, urbs agri Bariani, in regno Neapol. Episc. sub Arch. Barensi, inde 15. m. p. in Occ. Tranium versùs 9. proxima Juvenacio 3. à Rubo 4. in ora sinus Veneti, parva sed elegans.

Melgorium, vulgò *Melgueul*, opp. olim aut castrum Galliæ celebre, Montipessulano proximum, caput Comit. cognominis: in Volcis Arecomicis & prov. Narbonensi 1. Ibi solidi & denarii *Melgorienses* percuti consueverunt: librorum *Melgoriensium* in priscis tabb. mentio fit. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Melia, urbs Cariæ. Steph.

Meliacus sinus, Vid. *Maliacus.*

Meliapora, urbs Arch. aliter Civ. *S. Thomæ.* Quia Thomas Apost. ibi martyrio coronatus, in loco *Calurmina* à Malabaris dicto, i. in rupe, prope hanc urbem, ut Athanasius Kircherius explicat. In peninsula Indiæ, cis Gangem. Mel. *Maliapur.* Vide *Melange.*

Melibocus, mons Germaniæ *Hardeswaldt*, Pirchaymero. *Brockersburg* Peucero. Baudrando mons Cheruscorum, nunc in parte Austr. Ducatus Brunsuic. & in tractu Grubenhagensi, inter Halberstadium ad Ort. & Goslariam ad Occ. Cujus altissimus vertex, inter opp. *Osterwick*, & *Werningeroden*, accolis *Blockesbarch*, ex Cluv.

Meliboea, litoralis urbs Magnesiæ, vel secundùm alios, Thessaliæ, ad radices Ossæ, cis Peneum fluv. apud Bœbeidem lacum, Herod. *lib.* 6. Patria Philoctetæ Pœantis filii. Purpurâ nobilis. Festus, *Meliboea purpura, à nomine insulæ, in quâ tingitur, est dicta.* Vid. Lucr. *l.* 2. Virg. *Æn.* 5. Sidon. Apollinarem, &c. Item Vossium *ad Melam, pag.* 141.

Melibœus, Italiæ mons. Isac. *in Lycophr.* Item nomen pastoris, Virgilio, & Theocrito.

Melicerta, Inûs, & Athamantis filius, in cujus honorem Isthmii ludi celebrati, Euseb. in an. 3. Olymp. 49. Virg. *Georg.* 1.

Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ. Vide *Ino.*

Melie, nympha à Neptuno rapta, ex qua Amycum Bebrycum Regem genuit.

Meliei, vel *Melienses*, Thessaliæ pop. Steph. in Melide reg. ad montis Othrys radices, Ferr.

Meligene, *Melitusa* Polybio dicitur. Nos *Meliten* dicimus, de quâ posteà.

Melignanum, oppidul. Ducat. Mediolanensis, ad Lambrum amnem, medium inter Mediolanum & Laudem Pompejam. *Marignano* incolis, *Marignan* Gallis. Quibusd. *Merignanum.* Hîc Helvetii cum Francisco I. Gall. R. duobus continuis diebus pugnantes, tormentorum tandem vi & hostium multitudine superati: densatis ordinibus, depositis in medio sauciis militibus ac tormentis, quæ secum adduxerant, signis item militaribus octo, quæ hosti eripuerant, lento gradu Mediolanum sic rediere, ut receptus eorum nihil fugæ simile haberet, neque victores eos persequi & vestigiis illorum insistere auderent. Ceciderunt utrinque Helvetiorum 5000. hostium 12000. inter quos 8. Principes, & plurimi è summa nobilitate. Fortitudinis encomium in hoc prælio ab Italis Rœstio inprimis & Engelharto Tigurinis tribuitur. V. Simler. *de Rep. Helv.* &c.

Meligunis, una ex Æoliis, quæ & *Lipara.* Callimachus *Hymno in Dianam,*

Νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ (Λιπάρῃ νέον, ἀλλὰ τότ' ἔσκεν
Οὔνομά οἱ Μελιγουνίς.)

De ratione nominis consule Boch. *De Phœn. Col.* 1. 27.

Melilla, vulgò quoque *Melilla*, urbs Gabetæ, in Fezzæ regno, sub Hisp. ab an. 1497. Aliàs *Ryssadirum*: ad mare Mediterr.

Melilotium, urbs Floridæ, caput regni Apalatæi, satis ampla & culta, in prov. Bemarina, ad rad. montis *Olaimy.* Bristochius Anglus. Vulgò *Melilot.*

Melina, urbs in Argo, unde Venus *Melinea.* Steph.

Melinda, Gall. *Melinde*, urbs ampla Zanguebariæ, regni cognom. caput, in ora littor. Oceani Æthiop. Cum portu commodo, aliàs à Lusitanis expugnata. Media inter Magadoxum ad Bor. & Quiloam ad Austr. 400. m. p. utrinq; Arx adhuc sub Lusitanis.

Melinophagi, populi Thraciæ. Stephan. sic dicti, quòd panico vitam transigant, Ferrar.

Melinus de S. Gelasio, Abbas, Poëta celebris, Francisco I. & Henrico II. gratus. Sanct. Marth. *elog. l.* 1.

Meliodunum, Germ. urbs, Ptol. Bohemiæ urbem ex eâ facit Lazius, quæ *Mileuscko* nunc vocatur. 1. leuc. à Taborio. Item, in finibus Biturigum, vulgò *Mehun*, quod aliis *Magdunum*. Ferrar.

Melipia, Mœsiæ opidum. Anton.

Melise, opidum Magnæ Græciæ. Ovid. *Met.* 15.

Thurinosq; sinus Melisenq; & Japygis arva.

Melissa, Melissi Cretensium regis filia, quæ unà cum sorore Amalthea, Jovem caprino aluit lacte. Hanc primùm mellificium ferunt invenisse, unde *Melissam* finxere in apem fuisse conversam, Columella 9. 2.

Melissa, Periandri Corinthiorum tyranni uxor: quam ille, concubinarum delationibus temerè credens, cùm gravida esset, pedibus conculcans interemit. Laertius *in vitâ Periandri*. Item filia Epidamni. Steph. in *Dyrrhachio*.

Melissa, urbs Libyæ, unde regio *Melissea*. Vide Steph.

Melisseus, de rebus Delphicis scripsit, teste Joanne Tzetze *Chil.* 6. *Hist.* 9.

Melissopetrium, opp. Armeniæ. Curop.

Reges & Viri illustres.

Melissus, Cretensium rex, pater Amaltheæ & Melissæ, vide *Amalthea*. Item Grammaticus muneri datus Mæcenati, & manumissus ab eo. Vid. infra. Tranquillus.

Melissus, maritus Inachiæ, matris Phoronei, secundus Argivorum R. primus Leges condidit. Euseb. *lib.* 6. *Præp. Evang* & *in Chron.* Marcus *Melissus*, Spoletanus, celebris sub Augusto Grammaticus, & Hetius *Melissus*, sub Adriano. Aul. Gell. *Noct. Attic. lib.* 18. C. *Melissus*, libertus Mæcenatis, Comicus, ab Augusto Bibliothecæ suæ præpositus. Auctor togarum trabeatarum. Sueton. *de Illustr. Orat.* Hujus meminit Ovidius, *eleg. ult. de Ponto:*

Et tua cum socco Musa Melisse levis.

Melissus, inter Historicos fortasse nomen meretur, de quo Palæphatus *initio lib. de Incredibilibus*; vide Vossium *de H. G. l.* 3. & 4. Alius quoque *Melissus* ille, ex quo Plin. profecisse se fatetur dum conscriberet libros 7. 9. 10. Item *Melissus* Samius, fil. Itagenis, Parmenidis auditor, Philosophus, civibus suis, ut Ephesiis, quibus ab Heraclito impensè commendatus erat, charus; His præcepta plura dedit, Remp. administravit, classique in bello præfuit. Universum credidit infinitum, immutabile, immobile, unicum, sibi simile, plenum. De divinitate nihil certi posse dici asseruit. Olymp. 84. Euseb. *in Chron.* Diog. Laërt. *lib.* 9. *vit. Philos.* Apollodorus.

Melissus Schedius Paulus, Francus, Comes Palatinus & Eques, Poëta laureatus, Civis Rom. Obiit Anno Chr. 1539. Poëmata ejus extant.

Melita, Inf. maris Libyci, inter Siciliam & Africam, à Pachyno promunt. 70. m. p. à Camarina 84. Ipsa longa 20. lata 11. circuitu 60. Sedes equitum Hierosolymorum, ipsis à Carolo Quinto Aug. post amissam Rhodum dono data. *Malta* vulgò, Gallis *Malte*, cum urb. cognomine Episc. sub Arch. Panormitano. De eâ Ovid. *l.* 3.

Fertilis est Melite sterili vicina Cosyra.

Huc appulit D. Paulus post naufragium. Act. 28. Quisquis Hebraicè scit, facilè nomen ejus eruat ex Diod. Sic. qui *l.* 5. sic habet. *Siciliæ versus Meridiem tres insulæ, mediæ in pelago objectæ sunt, quarum unaquæq; urbem habet*, καὶ λιμένας δυναμένους τοῖς χειμαζομένοις σκάφεσι παρέχεσθαι τὴν ἀσφάλειαν, καὶ πρώτη μέν ἐστιν ἡ προσαγορευομένη Μελίτη. Et paulo pòst, *Est autem hac Phœnicum Colonia, qui cùm negotiationes suas ad Oceanum usq; extenderent*, ΚΑΤΑΦΥΓΗΝ εἶχον ταύτην εὐλίμενον οὖσαν καὶ κειμένην πελαγίαν, hoc est, *In REFUGIUM habebant hanc insulam eo quòd & portubus commoda, & in medio mari sit sita.* Id ipsum enim significat *Melita* nomen. Pœnorum siquidem sermone מליטה *Melita* est *refugium* vel *effugium*. Radix מלט *malat* in Piel est *liberare* & *eripere*, & in Niphal *liberari, eripi, evadere, fugere* denique & *effugere*. V. Bochart. *Geogr. p.* 550. &c. Hæc Inf. Baudrando prius fuit sub Barbaris, dein sub regno Tunetano. Fere 500. leuc. à freto Herc. in Ort. 600. à Syria in Occ. Longa est 25. mill. lata 15. 60. mill. distat à Pachyno prom. in Bor. Aliàs erant in ea urbs Melita, nunc *Medina*, ubi Sedes Ep. & Junonis Fanum, *Castello di S. Angelo*. Nunc etiam Valeta, urbs munitissima, Burgus, & urbs S. Michaëlis seu *l'Isle de la Sangle*, à M. illo Magistro dicta, qui eam Inf. fecit fossâ manuductâ.

Melita, inf. maris Hadriatici, Dalmatiæ adjacens, inter oram illius, & Corcyram Melænam 12. m. p. quot patet in latitud. longa 50. Canibus Melitæis, qui olim in deliciis, nobilis, ab Epidauro 70. m. p. Nunc *Meleda*, Slavis *Mliet*, cum oppidul. cognom. Sub Rep. Ragusina. De Melitæis catulis autem Athen. *libr.* 12. qui eos scribit maximè apud Sybaritas in deliciis fuisse. Unde *Melitæus catellus*, Prov. de eo, cujus opera nulli rei seriæ conducit.

Melita, Melitene Ptol. *Malatia* Nigro, urbs Armeniæ min. apud Euphratem flu. Melitenes reg. caput, à Samosatis 90. m. p. in Bor. A Cæsareâ 228. in Ort. Item op. Brutiorum in Calabriâ ulter. vulgò *Mileto*: Episc. sub Arch. Rhegino, apud Hipponium, inde 5. mill. pass. Vid. infra.

Melita quoque, penult. productâ, Cic. quæ postea Miletus, *Mileto*, urbs Calabriæ ulter. 5. m. p. ab Hipponio. Terram novam versus 25.

Melitaenses, Phthiotidis pop. Straboni, quos aliquando Pyrrhæ nomen gessisse scribit. Eorum urbs *Melitara*, Ptol. *Melitea* Strabon.

Melite, vicus in tribu Oeneide. Steph. Item Atticæ oppidum. Plin. vicum Plutarchus vocat *in Solone*.

Melitene, Susianæ ad Tigrim fluv. regiuncula, Ptol. *Aracgelaran* Castaldo. *Suar* Theveto. Ptolomæo regio est Armeniæ min. ad Euphr. *Bosoch* Castaldo, *Suar* Nigro, *Melatie* autem Leuncl. cum urbe cognom. Archiep. quæ, Reineccio teste, apud belli sacri scriptores, *Malatina* & *Melotania* dicitur. Baudr. Erepta Saracenis à Constantino, an. 932.

Melitene, urbs Cappadociæ. Steph.

Melitides, nomen ob stultitiam à Comicis nobilitati, cujus Aristophanes *Ranis Act.* 4. *sc.* 1. & Lucianus, *in Amoribus* meminit.

Melitina legio, precibus suis fulmina ac nimbos cœlitus, contra Quados, impetravit, sub Antonino Phil. A.C. 175. P. Oros. *l.* 7. *c.* 15.

Melitio, unus ex felicissimis illis fatuis, quos Homerus suo carmine nobilitavit. Is non poterat numerare supra quinque, ductaque uxore novam nuptam non attigit, veritus, ne se illa accusaret apud matrem, cujus stultitia abiit in Proverb. *Melitide stultior.* N. L.

Melito, Episcopus Sardensis, cujus meminit Euseb. *Hist.* 4. 25. Sec. 2. M. Aurelio Antonino Imper. excellentem pro Christianis apologiam obtulit. Scripsit præterea libb. 2. de Paschatis festo, de vita Prophetarum, de Ecclesia, de die Dominica, de Fide, de Baptismo, &c. quæ omnia injuriâ temporum perierunt. Idem Euseb. *in Chron. A.C.* 170. Hieron. *de Script. Eccl. cap.* 24. &c. Alius qui de familiis Atheniensium commentarium fecit. Harpocration in Κάθετος.

Melitopolis, Strab. urbs Bithyniæ, aliis urbs Mysiæ min. Episc. prius sub Arch. Cyziceno, postea Metropolis, Ferrar.

Melitta, urbs ab Hannone constructa ad Atlanticum mare. Arrian. *in Periplo*.

Melittaa, urbs Thessaliæ. Theopompus & Philo Μελίτταιαν vocant, unde *Melittæus*. Steph.

Melitus, V. Voss. *de P. G.* nomen ejus qui Socratem accusavit. Fuit Orator & Poëta Trag. qui *Socratem* scripsit; ut frigidus, moribus pravis, & chororum vilium compositor, traducitur *Ranis* Aristoph.

Melitusa, vide *Meligene*.

Melitussa, urbs Illyriæ. Steph.

Sp. Melius, vir Equestris ordinis ac prædives, largitione frumenti delinito populo, quum consilia regni agitaret, vocatus à Dictatore L. Quintio Cincinnato, quòd ad illum venire nollet, opem plebis invocans, à C. Servilio Ahalâ Magistro Equitum interemptus est, an. U. C. 314. Bona publica facta, domus diruta & area *Æquimelium* dicta. Varro *l.* 4. *de L.L.* Val. Max. 6. 3.

Melixandrus, Milesius, Lapitharum, & Centaurorum bellum scripsit. Ælian. *Var. Hist.*

Melizigara, Indiæ intra Gangem emporium. Arrian. *in Periplo*.

Melizigeris, Indiæ intra Gangem insula.

Mella, aliàs *Annæus*, Eques Rom. frater Senecæ, pater Lucani, V. Tacit. *l.* 16. *c.* 17.

Mella, fluvius, vide *Mela*.

Mellaria, Inf. aliàs, nunc scopulus maris Tyrrh. in ora Hetruriæ, ante Liburnum, à quo vix distat 5. mill. in Occ. & vix visitur à præternavigantibus. Aliis *Manaria*, vulgò *la Mallora* dicitur.

Mellaria, urbs Hisp. Bæticæ excisa, inter Tariffam, & Bellonem 2. leuc. *Beiar de Melena* Morali: patria Pomponii Melæ.

Mellaria altera, op. Hisp. Bæt. mediter. in Extremaduræ confin. à Corduba 14. leuc. Emeritam versus. *Puente Oveiuna*, teste Morali. Utraque *Mellaria*, à *mellis* copiâ dicta est.

Mellentum, an à molis? vulgò *Meulan*, castrum vel opp. Galliæ, in Veliocassibus, ad Sequanam: cujus pars est in inf. Sequanæ, dicta *le fort de Meulan*. Ibi Comites olim *Mellentini* opibus, armis virisque florentes. Partem aliquam oppidi pertinuisse antehac ad Archidiaconatum Pinciacensem *l'Archidiaconé de Pincerais*, qui unus est ex Archidiac. Ecclesiæ Carnutinæ, colligere est ex literis Ivonis Episc. Carnut. ad Clericos Mellentinos, Vid. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Mellinga, oppid. elegans Helvetiæ, in Argovia, ad Rusam flu. qui hìc ponte insigni jungitur, 1. mil. Germ. infra Bremogart. Olim sub Habespurgiis Comit. quibus fidelem operam in prælio Tättvillano A. C. 1351. & Sempacensi A. C. 1386. præstitit. Suburbium ejus ab Helv. incensum A. C. 1388. ipsumq; oppidum cum Bremogarto A. C. 1415. à Tigurin. quibus & alii Helvetii accessere, occupatum nomine Imperii, & utrumq; postea à Sigism. Imp. iisdem oppigneratum est, salvis tamen veteribus civium juribus & privilegiis: à quo tempore octo Helvetiorum pagis subest. Horribili incendio arsit, A.C. 1504. malitiâ exulis cujusdam: Missa cum imaginibus A.C. 1529. ibidem abolita, sed A.C. 1531. restituta est. Vid. Stumpf. *de Argovia l.* 7. *c.* 10. Stettlerum, Simlerum, &c.

Mellisurgis, Macedoniæ op. inter Thessalonicam, & Apolloniam. Anton. Ultra Thessalonicam 30. m. p. Amphipolim versùs distat, Ferrar.

Mello, vel *Millo*, ambitus montis Sion interior, quem Reges incluserant muro, vel, ut alii volunt, urbs non ita procul hinc, cujus cives Abimelech regem sibi constituerunt. Jud. 9. Ab hoc loco David cœpit munire terram. 2. Reg. 5. Salomon hanc reparavit. 3. Reg. 9.

Mellona, sive *Mellonia*, Dea mellis Romanis putabatur, Vide Arnobium.

Mellothi, nomen viri. 1. Par. 25.

Mellotum, vulgò *Mello*, vel *Merlou*, locus Galliæ, in finibus Bellovacorum; ad fluv. Taram.

Melluch, nomen viri. 1. Esdr. 10.

Mellum, regnum Nigritiæ, ubi Niger fluv. in plura brachia scinditur; Vulgò *Melli*. Habet ad Ort. regnum Mandingæ & Maleguetam, ad Occ. Oceanum Atlanticum.

Mellus, urbs Græciæ, condita eodem tempore, quo Thasus, & Paphus, anno ante U. C. 675.

Melnicum, opp. Bohemiæ, ad Albim, ubi Muldam recipit, 4. mill. Germ. infra Pragam in Bor. Leitomerium versus. Vulgò *Melnick*.

Melo, nomen fluvii, qui *Nilus*, & *Geon* dicitur.

Melobosis, Nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* ab *ovibus pascendis* dicta.

Melocabus, Germ. urbs. Ptol. *Coburg* Villanovano; ad amnem *Krempen*, urbs culta. Chattorum olim. Aliàs Duces habuit proprios, nunc subest Duci Sax. Altemburgensi. Cum arce eleganti, 8. leuc. à Smalcalda in Eur. V. suprà in *Coburgum*.

Melodunum, op. Episc. inter Celtas, vetustissimum, ac jam inde à Julio Cæsare non ignobile, in insula fluminis Sequanæ positum, vicinum Lutetiæ, ab eâ solùm distans 20. milliaribus. Hic Childebertus R. Chlodovei M. filius, Episcopum cupiens ordinari, obsistente Leone Senonum Episcopo, frustra fuit. Gallicè *Melun en Gastinois*. *Melledunum* in antiqq. libris, *Mecledunum* Gr. Turon. *Opp. Senonum* Cæsari: Distinctum à Metiosedo Parisiorum seu Corbolio, contra quàm Scaliger statuit. Nunc urbis area ipsam Ins. & utramque Continentis ab opposito ripam, instar Lutetiæ Paris. occupat. Estque partim in Bria, partim in Vastinio, in Præfectura tamen Ins. Franciæ. 10. leuc. à Lutetia in Mer. 4. à Fontebellaqueo, 7. à Monasteriolo, ad fines Icaunæ in Circ. Baudr. Urbs olim cum tit. Comitatus, ab Hugone Capeto Burchardo ipsi gratissimo, donata; sub Roberto R. ab Eude Campaniæ Comite argenteis hastis expugnata, sed à Rege recepta est, an. 999. Bellis Anglicis Fortunæ pila. Pagani de Meleun meminit Maria Trecensis Comitissa, in literis ad patrem Ludovicum VII. R. ex quo intelligitur, ante annos 500. Melodunum *Meleun* dici cœpisse. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Duchenius *antiq. urb. Gall.* Ruillardus, *hist. Melodun.*

Meloessa, ins. ex Sirenis una, non tam à pomorum, quàm pecorum abundantiâ dicta. Plin. 3. 10. 7. m. p. à Caulone. Stephano Μηλῶσσα insula est juxta Iberos.

Melon, Astrologus, qui cùm esset militiæ ascriptus, videretque pessimè parti suæ futurum, insaniam mentitus domum suam incendit, ut missionem, & militiæ vacationem impetraret. Plut. *in Niciâ*. Vide *Meton*. Item Darii ultimi interpres, de quo Vide Curt. *libr.* 5.

Melos, insula oblonga Cretæ adjacens, à Bor. in Austr. extensa, & urbs Episc. sub Arch. Rhodiensi, in parte mer. cum tribus castris. A Peloponneso promunt. Scyllæum, à Creta Dictynneum habens. Strabo. Inter Cycladas numeratur à Pomponio 2. 1. Hanc prius (inquit Steph.) Phœnices habitaverunt, unde & *Byblus* vocata est à Bybliis Phœnicibus, item *Zephyria*. Hinc Diagoras Melius, Socrates, & Aristophanes. Pop. *Melii*. In Thessalia verò pop. quidam *Melienses* dicuntur. Est & vicus Acarnaniæ, à quo & *Melicus*. Porro prior *Melos* à Callimacho *Mimallis* dicta est. *Milo* hodiè Sophiano. Gaudet portu capacissimo; 36. m. p. à Cydonia, urbe Cretæ in Sept. uti 70. à Scyllæo prom. in Eur. Ei adjacet ad Austr. Ins. parva, *Antimilo*, Baudr. Melon autem hanc, à mali rotunditate dictam volunt, quia, Plinio auctore, *insularum rotundissima est*. Festus *à Melo, qui ex Phœnice ad eandem fuerat profectus.* Sed Hebraice מלא *melo* est *plenitudo*, vel *expletio*. Hîc sulphur laudatissimum. Rem de hâc insulâ refert Philosophus *in lib. Mirabilium*, quæ superat omnem fidem: Φασὶ δὲ καὶ ἐν Μήλῳ τῇ νήσῳ ἐν τοῖς ἐξορυσσομένοις τόποις τῆς γῆς πάλιν ἀναπληρώματα γίγνεσθαι. Vult in effossæ locum terram aliam ita succedere, ut fossa per se repleatur. Quod miraculum, sive verum, sive fictum, si modò fuit creditum, potuit dare nomen huic insulæ. Porro מלא *melo*, id est, *plenitudo* Ebræis, cùm de frugibus agitur, *maturitatem* sonat, nec non *copiam & ubertatem*. Utrovis sensu sumpseris, in Melon ins. mirè congruit. Theoph. *de caus. Plant.* 4. 12. Τὸ γὰρ αὖ περὶ Μῆλον συμβαῖνον τῆς πλεονάσεως, ὥστε τὸν ὕστερον σπείροντα θερίζειν ἅμα τοῖς πρώτοις, ἐπὶ τὴν χώραν ἀνοιστέον, ὡς εὔτροφον. Idem habet *lib.* 8. *c.* 3. Vide Bochart. *Geogr. pag.* 454. 455.

Melos, opp. Thessaliæ, à Nicia Atheniens. Duce, machinis & fame expugnatum. Hinc *Fames Meliaa* Prov. Thucydidi *Melios*. Vid. *Melus*.

Melphes, fluv. Lucaniæ in sinum Pæstanum, apud Palinurum promunt. influens, *Molfa* Leandro, cis Apenninum, nunc *Molpa* Baudr. in Principatu citer. Exonerat se in mare Tyrrh. inter Sinus Laum, ubi castrum parvum cognom. & Pæstanum. 12. m. p. à Policastro in Occ.

Melphia, vel *Melphis*, urbs Lucaniæ, media ferè inter Neapolim, & Tarentum: Episc. sub Arch. Compsano vel Sipontino, Ferr. *Melfi* hodiè. Parvi circuitus, in Basilicata, 4. mill. ab Aufido, & à limite Capitanatæ, 16. in Ort. à Compsa, 65. à Neapoli etiam in Ort. Tarentum versus, à quo 80. distat. Baudr.

Melpia, Arcadiæ vicus. Pausan.

Melpinum castrum, vulgò *Merpin*, ad Carantonum Gall. fluv.

Melpis, seu *Melphis* Strab. *Melfa*, fluv. Latii, ex agro Arpinate oriens, juxtaque Aquinum urb. decurrens, demumque in Lirim labens.

Melpomene, una Musarum, Tragædiarum inventrix, à *modulando* nomen trahens. Pingitur vultu serio, induta magnificâ veste, sceptra coronasque alterâ manu, pugionem alterâ gestans. De ea Virgil.

Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.

Horatius, ——— *Præcipe lugubres*

Cantus Melpomene. ———

Melpomenos, Bacchus ab Acharnensibus sic dictus, quasi dicas *cantu oblectabilem*.

Melpum, Insubriæ op. amplum, *Melzo* Merulæ. 13. m. p. à Mediolano, in Ort. hybern.

Melsus, Hisp. flu. in cujus viciniâ æstuarium est, ut scribit Strabo, quo Cantabros ab Asturibus dividit.

Meltianus pagus, pars Meldici in Gall. agri, vulgò *le Multien*.

Meltias, nomen viri. 2. Esdr. 3.

Melugda vel *Melunda*, locus Galliæ, in Lingonibus, *Molome en Tonerrois*, cum Mon.

Melus, filius Mantûs, à quo *Melois* Lesbi locus. Steph.

Melus, op. Thessaliæ, quod Nicias Atheniens. dux fame expugnavit, unde Prov. *fames Melia*.

Melusina, Vid. *Lusignanum*.

Melussa, juxta Iberos insula. Steph.

Melyerses, Asiæ min. pop. Herodotus.

Melzitanum, opp. Africæ propr. Plin. Augustin.

Memacens, valida gens Asiæ, qui 50. equites Macedonas, ad deditionem adhortantes, hospitaliter primò interceperunt, dein graves epulis ac somno adorti interfecerunt. Curt. *l.* 8. *c.* 42.

Membliarus, unus ex Cadmi sociis, Theram insulam condidit.

Membliarus item ins. prope Theram, & Anaphen, à *Membliaro* Cadmi socio. Dicitur & *Bliarus* per aphæresin. Steph. Vide Bochart. *de Phœn. Col. l.* 1. *c.* 15.

Membrum, Africæ propriæ urbs. Anton. inter Carthag. & Hipponem Zarethum.

Memelium, vulgò *Memel*, opp. munitum Prussiæ Duc. in confin. Samogitiæ, juxta Curonensem lacum, ubi in mare Balth. se exonerat. Sub El. Brandeburg. 35. mill. à Libavia in Mer. 70. à Regiomonte in Sept. In tractu *Schlavonia*; Curlandis *Cloupede*. Arcem habet validam, cum portu capaci.

Memersium, vulgò *Memers*, opp. prov. Cenomanensis, juxta fontes amnis Diræ, in limite Pertici tractus. 6. leuc. ab Alenconio in Eur. 9. à Cenomano in Cæc.

Memma, & *Menna*, penins. parva Angliæ, in Cornubia, juxta Damnonium prom. inter Falmuthum portum ad Ort. & montem S. Michaëlis ad Occ. Cum aliquot viculis, in ora maris Brit. in intimo Cornubiæ recessu; *Meneg* vulgò.

Memmate, Vide supra in voce *Gabali*.

Memmis, à Mnestheo, Æneæ comite, plebeii & prætorii tantùm. *Reguli* cognomine.

Memminga, vulgò *Memmingen*, urbs Imperialis, Sueviæ, prope Ilarum fluv. 7. mill. Germ. ab Ulma in Austr. 9. ab Augusta Vindelicorum in Africum. In *Algea* tractu. *Drusomagus* antiqq. quibusdam. Baudr. Dicta est à Memmingo conditore, viro prædivite, qui in dira fame, ut ali homines possent, multis eorum conductis extructa est. Priusquam ad Imperium pervenit, Comiti *de Mergau* subfuit. Administratur partim ab Optimatibus, partim à populo, in tribus 12. diviso. Vid. Limnæum Enucl. *lib.* 4. *c.* 36.

Memmius, civis Rom. ambitùs postulatus à Q. Curtio. Cic. *ad Quintum fratrem l.* 3. Hic Largio rivali brachium aliquando mordicùs arripuit: unde Prov. *Lacerat lacertum Largis mordax Memmius*. Porro *Memmiam* gentem plebeiam fuisse, declarant Tribunatus plebis à Memmiis gesti. Veruntamen si nobilitas antiquitate penditur, nobilissima est: A Mnestheo enim Trojano oriundam esse traditum est, idque testatur Virgil. *Æn.* 6.

Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi.

Itaque non immeritò Lucretius C. Memmium Gemellum Lucii filium, ad quem suos libros misit, claram Memmii propaginem dixit. Hic *Memmius* Gemellus est, ad quem scriptæ sunt epistolæ aliquot à M. Tullio *l.* 13 *Epistolarum*, qui cùm præfecturam Bithyniæ non dextrè satis administrasset, apud Jul. Cæs. delatus & absolutus;

postmodum verò, cùm idem munus denuo obiisset, in exilium pulsus est. Orator & Poëta, sed severior paulo. Cic. *in Bruto.* A. Gellius *l.* 19. *c.* 9. Ovid. *Trist.* 2.

Quid referam Ticidæ, quid Memmi carmen, apud quem
Nomen adest rebus, nominibusq; pudor?

Vid. Lambinum *præfat. ad Lucretium.*

Memmius Regulus, post Imperatorem, clarissimus Romanorum, adeò ut Nero æger valetudine interrogantibus, in quo potissimum Resp. præsidium haberet, in *Memmio Regulo* respondcrit. Vixit tamen post hæc quiete defensus, & quia novâ generis claritudine, neque invidiosis opibus erat. Mortuus Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano Coss. Tacit. *l.* 14.

Memna, peninsula Albionis. *Meneg* Camdeno. V. *Memma.*

Memnium, op. Mesopotamiæ apud Babylonem, ubi fontes bituminis multi.

Viri illustres.

Memnon, filius Tithoni fratris Laomedontis ex Aurorâ susceptus: qui cum maxima Orientalium populorum copia in auxilium Priamo venit, & in pugnâ ab Achille occisus, vel ut alii tradunt, ex insidiis à Thessalis interfectus est. Hic cùm in rogo cremaretur, precibus Auroræ in avem mutatus est, ex eademque pyra multæ aliæ aves evolarunt, quas *Memnonias* vocarunt, quæ quotannis ex Æthiopiâ in agrum Iliacum dicuntur advolare, Memnonisque sepulchrum ter lustrare, deinde duas in partes divisæ rostris, unguibusque concurrere, & generis sui authori sanguine suo parentare. Ovid. *Met.* 13. Hunc literarum inventorem A. M. 2232. Anticles, apud Plin. *lib.* 7. *cap.* 58. refert. *Memnonis effigies*, de qua Tac. *Annal.* 2. *Cæterum Germanicus aliis quoq; miraculis animum intendit, quorum præcipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens*, Dionysius *vers.* 249.

—— Ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλοντι ἑὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.

Lucianus *in Toxari*, Τὸν δὲ Μέμνονα βοῶν πρὸς ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον. Juven. *Sat.* 15.

Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.

Vide Strab. *lib.* 17. Pausan. *in Atticis*, Philostratum *in vitâ Apollonii*, Tzetzem *Hist. Chil.* 6. 64. &c.

Memnon, frater Mentoris, quorum soror Artabazo nupta, Darii Persarum regis dux exercitûs, Rhodum, Chium, Methymnam, Eresam ac Pyrrham & Mitylenem vel occupavit, vel vi cepit, quo tempore Alexander primùm in Asiam trajecit.

Memnon, Andromacho vivo à Samaritanis exusto, in administranda Cœlesyria, ab Alexandro, suffectus. Curt. 4. 73. Postea Arachosiis Prætor datus. *lib.* 7. *c.* 16. 4000. peditum & 600. equitum in præsidium relictis. Ex Thracia, in supplementum equitum 6000. adduxit. *lib.* 9. *cap.* 17. Item Prætor, ab Alexandro Thraciæ præfectus, Vid. Diod. *l.* 17.

Memnon, historicus, scripsit de rebus Heracleæ Ponticæ, sub Augusto. Photius *cod.* 224. Vide Voss. *Hist. Gr. p.* 182.

Memnon, insidiator Leuconis, Bosphori Tyranni, per Alcibiadem Byzantium legatum. Polyæn. *l.* 5.

Memnones, Æthiopiæ pop. Plin.

Memnonia, Herodoto Susa dicitur.

Memnonis regia, quæ *Abydus* Ptol. V. ibi.

Memnonis sepulchrum, prope Belum fluv. & Cendeviam pal. Jos. 2. *bell.* 9. In tr. Aser.

Memoria, fons mirus, de quo sic Plinius; *In Bœotiâ ad Trophonium, juxta fluv. Orchomenum, duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem adfert, inde nominibus inventis.*

Mempheus, mons circa Thessaliam.

Memphi, pop. Memphim habitantes.

Memphis, Hebr. *Meph*, vel *Noph*, & *Migdol*, urbs Ægypti excisa, olim regia, ab Osiride condita, apud verticem Deltæ, ex adverso Babylonis à vertice 15. m. p. in Austrum distans. Ibi papyri copia. *Ægyptia Memphis* Lucano dicitur *l.* 1. Martialis,

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.

Pyramidum istarum vestigia adhuc cernuntur. Locus *Menchis*, & *Mitzir* hodie Postello. Sunt qui *Cairo* esse putent, sed Memphis ex altera parte Nili fuit, è regione Cairi. Quin & *Memphin* Arcadiæ Ægyptiacæ urbem memorat Dioscorides *l.* 4. cujus mentionem faciunt Eustath. Lib. Notit. & Steph. Horat. 3. *Od.* 26.

Carens Sithonia nive Memphis.

Vide quoque Ovid. 2. *Amor. eleg.* 13. Propertium *libr.* 3. Hinc *Memphitis*, patronymicum fœmininum, Juv. *Sat.* 15. Tibullus *Eleg.* 1. 7. &c. Item *Memphiticus.* Ovid. 1. *Art. Am.*

Memphricus, Rex Britanniæ qui fratrem Malyn exuit vitâ, ut eo mortuo regnaret. Volater.

Mempsis, ab Arrhibæo bello petitus, ne intra mœnia concluderetur, omnia extra muros protulit, & manifesto desperationis indicio, adversarium à conflictu deterruit. Polyæn. *lib.* 7.

Mena, Dea apud Romanos, quæ menstruis floribus præesse putabatur. Item primus Ægyptiorum rex an. mundi 1251. Diod. Sic. Item insulæ duæ in Hippadis pelago. Ptol.

Menæ, Plin. *Menahon* Diodoro, Siciliæ op. mediterraneum. Ptol. *Meneo* vel *Mineo.* Vide Cluver. *Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 9. apud Palicam urbem dirutam, 2. m. p. à Leontinis 12. ab Enna 36. Syracusas versus supra 30. Pop. *Menenii* Cicer. *Menanini* Plin.

Menæchmi, nomen comœdiæ Plautinæ.

Menæchmus, Philosophus Platonicus Proconnesius, Eudoxi auditor; vixit temporibus Platonis. Item historicus Sicyonius. Voss. *Hist. Gr.* 1. 11.

Menais, fons Leontinorum, per quem cives timent jurare. Vibius.

Menajus, vulgò *Menai*, fluv. Walliæ Bor. seu potius Fretum, Monam Ins. ab Arvonia prov. separans. Ei insident Arvonia, Bangoria, & Bellomariscus, urbes.

Menalcas, pastoris nomen apud Virg. *Ecl.* 3.

Menalippe, Antiopes Amazonum reginæ soror, ab Hercule in bello Amazonico capta, quam cùm sorori restitueret, accepit precium arma reginæ, & baltheum: Nam hæc quoque ex eo bello reportare fuerat jussus ab Eurystheo. Juvenal. *Sat.* 8.

Syrma vel Antigones, vel personam Menalippes.

Menalippides, poeta Melius genere, scripsit Dithyrambicorum plures libros, & poemata Lyrica, & epigrammata, & elegos. Hujus ex filiâ nepos *Menalippides* junior, item poeta, scripsit Lyrica & Dithyrambica. Vixit, mortuusque est apud Perdiccam regem Macedoniæ. Suidas.

Menalippus, civis Thebanus, qui cùm Tydeo ad Thebas vulnus lethale inflixisset, ille sibi hoc mortis solatium à suis præstari petiit, ut antequam moreretur, Menalippi caput ad se referrent, quod cùm non exiguo suorum, hostiumque sanguine obtinuissent, feræ ritu dentibus dilaniavit, tandemque, veluti vindictæ satur, æquiore animo expiravit, Statius *Theb.* 8. Item Tydei frater, quem Tydeus in venatu fertur peremisse, obque id fratricidium exulasse. Item Trojanus quidam, ob virtutem à Priamo, filii loco, amatus.

Menambis, opp. felicis Arabiæ. Ptol.

Menan, Vid. *Memma.*

Viri illustres.

Menander, Archon Athenis, Olymp. 99. an. 3.

Menander, cùm Successores Alexandri provincias inter se partirentur, sortitus est Lydiam.

Menander, Atheniensis, fil. Diophyti, discip. Theophrasti, natus Olymp. 109. novæ comœdiæ Comicus, strabus fuit, mente acutus, amore in mulieres insanus. Scripsit fabulas 80. & epistolam unam ad Ptolemæum regem, aliaque nonnulla solutâ oratione. Suidas. Quintilianus autem de eo *fine lib.* 8. *Menander*, inquit, *meo judicio diligenter lectus, ad cuncta, quæ præcipimus, efficienda sufficit. Ita omnium imaginem in vitâ expressit, tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas, ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus, ut omnibus ejusdem operis authoribus tenebras obduxerit.* Porro tanto fuit in pretio, ut etiam invitatus sit à regibus Ægypti, oblatis magnis honoribus & divitiis. Vid. Euseb. *in Chron.* Casaubon. *in Athen.* Voss. *de Poët. Gr. p.* 57. 58. *&c.* Ovid. *Trist.* 2.

Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri.

Propert. 3.

Librorumq; tuos, docte Menandre, sales.

Idem *lib.* 4.

Sed potius blandi Thais pretiosa Menandri.

Stat. *Sylv.* 2.

Attica facundi decurreret orsa Menandri.

Ausonius,

Conditor Iliados & amabilis orsa Menandri.

Menander Ephesius, historicus, leges Regum Græcorum & Barbarorum, in unum opus collegit, Jos. 1. *c. App.* Tertullian. *in Apol.* Theophilus Antioch. *ad Antioch. lib.* 3. Scalig. *de Emend. temp.* Vide etiam Voss. *Hist. Gr. l.* 3. *p.* 386.

Menander, Laodiceus Sophista, scripsit commentarios in artem Hermogenis, & in præexercitamenta Minutiani. Suidas.

Menander, Pergamenus historicus. De rebus Phœniciæ egit, ut cognoscere est ex orat. Tatiani *adversus Gentes*, & Clem. Alex. 1. *Strom.*

Menander, Simoni Mago successit, sese Servatorem dictitans, ex Olympo ad hominum salutem demissum, docensque nullo pacto Angelos ab hominibus vinci, aut cogi posse, quàm artis Magicæ disciplinâ, & baptismo ab eo traditis, ex quibus immortalitas humano generi proveniat. Epiph. *hær.* 22. Just. & Euseb. *l.* 3.

Menander Protector, sub Mauritio Imp. Chronicon scripsit. Suid. Voss. *de Hist. Gr. l.* 2. *c.* 23. *&c.*

Menanus, vulgò *Menan*, id est mater aquarum, flu. Indiæ ulter. Oritur ex lacu Chiamajo, & post long. cursum, per regnum Peguvianum fluit, hinc per regnum Siam, ubi Judiam, urbem reg. rigat, & 30. leuc. Gall. infra in sinum Siami & Oceanum Indicum exoneratur.

Menanini, Siciliæ pop. Plin.

Menapia, Bactrianæ urbs. Ptol.

Menapii, pop. qui ad utramque Rheni ripam habitant juxta Nervios, qui plerisque Juliacenses & Clivenses cum parte Geldrensium esse videntur, Eburonibus, & Tungris finitimi. Baudr. fuere, ubi nunc Duc. Brabantiæ, à Scaldi ad Mosam usque protensi. Eorum opp. fuit Castellum Menapiorum, nunc *Kessel*, ad Mosam.

Quidam ipsis & partem Or. Flandriæ tribuunt. Pernam ex Menapiis, commendat Martialis *in Xeniis*.

Menapis, exul apud Philippum, regnante Ocho; postea ab Alexandro Hyrcaniæ Satrapes datus. Curt. 6.22.

Menapiscus, vicus hodie Flandriæ Comitatus est, teste Divæo: Pro parte, eodem authore, & Meyero Flandria, proavorum memoriâ *Ruthenia* dicebatur, testibus Lhuydo & Cœnali.

Menaria, vel potius *Mænaria*, insula parva contra Magonem, à *manis* piscibus dicta. Plin. 3. 5.

Menariacum, pagus Flandriæ. *Mergen* Belgis, *Merville* Gallis, teste Ortelio. Etiam *Minariacum* dicitur, Sandero teste, estque *Etayres*, oppidulum Flandriæ, ad Legiam fluv. Aliis est *Merville*, oppid. aliàs Morinorum, nunc Flandriæ, in ipso limite Artesiæ, 6. leuc. à Nemetocerna in Bor. Castellam versus. Baudr.

Menas, vide *Menus*.

Menasséh Ben Israël, Judæus, natus Amstelodami, eruditione inter suos magni nominis. Ejus extant: *Conciliator in Pentateuchum: de Creatione mundi: de Convenientia locorum S. Scripturæ, &c.* Obiit circa an. Ch. 1659. *Singulari modestiâ, & laudabili S. Scripturas V. T. explicandi studio præditus*, Dilher.

Mencorvum, opp. Portugalliæ, *Moncorvum* quibusdam, prope Durium fluv. 4. leuc. à confinio regni Legionis in Occ. 10. à Lameca in Ort. *Torre di Mencorvo* vulgò.

Mendæ, vide *Mende*.

Mendai, Thraciæ populi. Steph. in ora maritim. apud Ænum urbem.

Mende, urbs Siciliæ prope Palicos. Steph.

Mende, Thraciæ urbs, in Pallena reg. Erythræorum colonia; à *Mende* vel *Mendi* muliere dicta. Inde *vinum Mendæum*.

Mendele, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Mendes, urbs Ægypti, juxta Lycopolin, ubi Pana, & hircum colunt, Ægyptiorum linguâ *Mendes* vocatum, cujus libidini excellentissimâ formâ mulieres substerni moris fuisse, ex Herodoto, teste oculato, itemque ex Pindaro, Strabone, Aristide ac aliis patet. Quam suorum irreligiosam religionem defendens Asclepiades, in libris Θεολογουμένων, ex tali concubitu ortos maximos viros dicebat, in hoc album referens, cùm ex fabulari historiâ multos, tum ex verâ, Alexandrum, Scipionem, Augustum, Cæsarem. Plut. *in Iside*, Apim hìc cultum docet.

Mendesium, unum ex Nili ostiis. Plin. 5. 20. Tanitico proximum; *Migrun* vel *Migni*.

Mendesius, ab Ægyptiis, contra Nectanebum, Rex creatus, ingenti cum exercitu adortus est.

Mendesus, urbs Ægypti, à quâ *Mendesium* unguentum dicitur. Cives *Mendesii*, Ovidius *Metam. l. 3.*

Mendiculea, Lusitaniæ opp. Ptol.

Mendoza Johannes, vide *Petrus Castellanus*.

Mendrisium, oppidum Italiæ, tertia inter præfecturas Helvetiorum Italicas seu Transalpinas, ad sinistram lacus Gauni: Luganensium quondam appendix. Venit cum reliquis, in potestatem Helvetiorum, ex dono Maximiliani Sfortiæ, Mediolanensium Ducis, an. 1513. Germ. *Mendris*. Stumpf. *lib. 9. de Lepontiis*, Simlerus *de Rep. Helvet. &c.*

Mendus, urbs circa Cariam. Porphyrogenneta.

Menecina, opp. seu pag. Brutiorum, in agro Consentino, à Consentia urbe, 4. mill. pass. ixio oppid. propinquum. Steph. *Mendicino* vulgò.

Menecles Bacaleus, historiam prodidit, teste Athenæo. Alius videtur esse Orator Alabandensis. Strab. *l.* 15. Priorem, vel tertium aliquem signat Pind. *Schol. in Olymp. Od.* 2.

Meneclides, Rhetor, unus ex his, qui cum Pelopidâ & Melone in Charonis ædes, contra tyrannos convenerunt: qui cùm à Thebanis æquam cum cæteris glorię partem minimè consecutus esset, cùm & procaci linguâ & malis moribus valeret, suopte ingenio ad calumniandos Optimates utebatur.

Menecrates, Amphidori filius, ex parte Sicyoniorum, cum Demotimo, Naucrati filio, missus ad componendam inter Lacedæmonios & Athenienses discordiam, anno belli Peloponnesiaci octavo. Vide Scholia *in Aristoph. Equit.* 336. *G.* Item, unus ex Ducibus Seleuci. Polyæn. *l.* 8.

Menecrates, Medicus Syracusanus, 105. Olymp. sub Artaxerxe Ocho, nullam dicitur accepisse mercedem medendi. Curabat imprimis sacrum morbum, tantùm hâc mercede contentus, ut liberati, se ipsius esse servos faterentur, se verò Jovem appellabat: De quo lepidam historiam narrat Ælian. *Var. Hist.* 12. 51. *Menecrates Medicus*, inquit, *adeò superbiâ turgebat, ut seipsum Jovem appellaret. Misit autem aliquando literas ad Philippum Macedonum regem, in hæc verba*: Φιλίππῳ Μενεκράτης ὁ Ζεὺς εὖ πράττειν. Ad eam autem rescripsit Philippus: Φίλιππος Μενεκράτει ὑγιαίνειν. Συμβουλεύω σοὶ προσνέμειν σεαυτὸν ἐπὶ τοῖς κατ᾽ Ἀντίκυραν τόποις. Quibus eleganter hominem non esse sanæ mentis significavit. Eandem historiam habes apud Athenæum *lib.* 7. nec non apud Eustath. *in Iliad.* Α. vide Suidam in Μενεκράτης. Sed & alteram historiam de *Menecrate* non invenustam exhibet nobis idem Ælianus, *prædicto loco*: *Aliquando lautissimum convivium instruxit Philippus, ad quod illum etiam invitavit, seorsimque ei mensam jussit apparari, & apponi acerram, suffitumque fieri. Reliqui verò epulabantur, eratque admodum opipara cœna. Menecrates itaque primo ferebat, gaudebatque honore; Postquam verò paulatim fames obreperet, & homo esse convinceretur, idemque vanus, & stolidus, consurgens discedebat, seseque injuriâ affectum querebatur, festivissimè Philippo stultitiam ejus redarguente, & in lucem proferente.* Scripsit de Remediis. Athen. *lib.* 7. Suid.

Menecrates, Medicus sub Claudio & Tiberio. Item, Nisæus, discip. Aristarchi, Historicus Græcus. Strab. *l.* 16. Item Ephesius, qui de re Rustica scripsit. Varro *l. 1. de R. R.*

Menecrates, poëta Comicus, Athen. Suidas. Item *Menecrates*, Xanthius historicus, Halicarn. *lib. 1. ant. Rom.* de quo videndus etiam Voss. *Hist. Gr p.* 387.

Menedemium, urbs Lyciæ. Steph.

Menedemus, unus ex Prætoribus Alexandri, à Dahis cæsus, Vide Curt. *lib. 7. cap.* 43. & 5.. Item Philosopus nobilis, inter Socraticos, Phædri discipulus, pauperis architecti filius, alii habent, Phædonis, viri nobilis, sed egeni, ex Eretriâ civitate, à quâ Philosophi *Eretriaci*, cùm prius *Eliaci* dicerentur, dicti sunt. Eretria verò in Eubœâ est. Strabo *lib.* 9. Hic militiam primò exercuit, postea ad Platonem concessit. L. Loyd. secundum alios, cum Asclepiade Stilponis auditor fuit. Hinc Eleam profecti, Antiphilum & Moschum, discipulos Phædonis audierunt. Fuit honestate, & gravitate insignis: status corporis in eo sene, ut in juvene firmus fuit, & validus. Et cùm primùm ab omnibus ludibrio haberetur, postea in tantâ admiratione habitus est, ut civitatis gubernacula ei traderentur. Ab Antigono rogatus, ut comessationi cuidam interesset, *Memento*, respondit, *te natum esse Regis filium, cave ergo, ne quidquam te indignum committas.* Patriam, Demetrii opibus nixus, sæpe à tyrannis liberavit, cùm idem ab Antigono impetrare non posset, septiduanâ fame enectus: Obiit an. ætat. 73. Diogen. *lib. 2. vita Phil.* Lycophron ejus elogium scripsit, quod Athen. *libr.* 10. per jocum compositum esse ait. Vide & Strabonem *lib.* 9.

Menedemus, Lampsacenus, Cynicus, discip. Colotis, qui in tam prodigiosam venerat superstitionem, ut sumpto habitu furiarum prodiret, dictitans se exploratorem ex inferis venisse, delaturum dæmonibus mortalium peccata. Pullatus ambulabat, cum tunicâ talari, adstrictâ balteo puniceo, Arcadicum pileum, in quo 12. literæ inscriptæ, gestabat, cothurnos Tragicos, virgam in manu. Laërtius, *lib. 6. de vit. Philos.*

Menegere, Africæ propriæ urbs. Anton. & *Menegeses* oppid. apud eundem.

Menegetas, Pancratiastes, Philippo Macedoni charus. Polyæn. *libro* 5.

Meneggesem, urbs Numidiæ, Anton. fortè eadem cum *Meneggese*.

Menelajum, parva regio Spartæ. Gentile Μενελαεὺς, Possessivum Μενελαϊκός: sed ab Ægyptiâ urbe *Menelaites* dicitur. Steph.

Menelaus, filius Atrei, & Æropes, ut Hom. tradit. Philisthenis verò, ut Hesiodus, & frater Agamemnonis, rex Spartæ, qui Helenâ uxore, à Paride Priami fil. se absente, raptâ, collectâ mille navium classe, Agamemnonis ductu in Trojam movit: Quam, jam totâ Phrygiâ, atque Mysiâ devastatâ, Græci decennali bello oppugnatam, tandem fraude magis, quàm viribus expugnaverunt: Sic conjugem Menelaus recepit, post octavum erroris annum domum redux. Homer. Item Mathematicus, sub Trajano: auctor libb. 3. de Sphæra, quos Mersennus edidit. Item Prætor Ptolomæi, Salaminæ præfecti, Polyæn. *lib. 4. in Demetrio Comm.* 7.

Menelaus, quidam frater Simonis & Lysimachi, ex tribu Benjamin, qui cùm sacerdotium Judæorum, pulso Jasone, per fraudem adeptum occupasset, sed pecuniam annuam promissam non solveret, Lysimachus frater ejus munus nactus est. Mox magnâ vi pecuniæ denuo restitutus, Oniam sacrilegia ejus improbantem, occidit, per Andronicum. Antiochum dein Epiph. in profanando templo juvit, postea verò ab Antiocho Eupatore, Syriæ rege, interfectus est. 1. Mach. 14.

Menelaus, Anæus (Anæa autem Cariæ urbs est) historicus summus vocatur Stephano in Ἀναία. Diversus ab eo est Menelaus poëta, qui patriâ Ægæus fuit, & Thebaidem libris 12. aliaque, teste Suida scripsit.

Menelaus, urbs Ægypti, Strab. *lib.* 14. eadem Canopo. Vide ibi. Est & urbs Marmaricæ; *Portus Menelai*, Corn. Nep. *in Agesilao*.

Menenia, tribus & gens Romæ, primis Reip. temporibus celebris, ex quâ Agrippa *Menenius* C. F. Lanatus, Cons. cum P. Posthumio, an. U. C. 250.

Menephessa, opp. Africæ in Byzacio, Procop. *Menefessa*, Vict. Uticensi.

Menephron, viri proprium, qui cum matre concubuit. Ovidius *Met.* 7.

Dextrâ Cyllene est, in quâ cum matre Menephron
Concubiturus erat sævarum more ferarum.

Menes, primus Ægyptiorum rex, Memphim condidit, Nilique cursum aliò flexit. Herodot. *l.* 2. Vide *Mena*.

Menesardus, fil. Pythagoræ, cum Telauge fratre, aliquandiu Patris scholæ præfuit. Euseb. *Chron.*

Menesthei portus, Ptol. & Strab. Hisp. Bæticæ urbs, quam hodie *Puerto de S. Maria* vocant, teste Floriano. *Besippo* Plinii est, ut credit Villanovanus.

Menestheus, Petei filius, Erichthei regis pronepos, undecimus Atheniensium rex, an. 24. regnavit. Hic seditione in absentem Theseum Athenis excitatâ, regnum occupavit, ope Tyndaridarum, quorum sororem Helenam ille rapuerat, deinde cum cæteris Græcis ad Ilium expugnandum profectus, in inf. Melo, in reditu, mortuus est. Plut. *in Thes.* Euseb. *in Chron.*

Menesthius, Areithoi & Philomedusæ fil. ex Arnâ civitate, quem Paris in bello Trojano occidit. Hom. *Iliad.* 7.

Menestho, Nymphæ nomen, à *memorando* dictæ, unde & *Menestheus* proprium nomen aurigæ Diomedis.

Menestratus, sculptor præstantissimus, qui Ephesi, in templo Dianæ, Hecaten tantâ marmoris radiatione insculpsit, ut in ejus contemplatione æditui admonerent oculis parcere.

Menetacum, Cenna longa, in vicinia castri Norici, hodieque oppidulum vocatur, an à Cennis Germ. pop.

Menetas, Pellæus & Apollodorus, ab Alexandro M. Babyloniæ regioni & urbi præfecti, Vide Curt. *l.5.c.*9.

Menetor, vetus author, de Donariis opus fecit. Athen. *l.* 13.

Menevia, dicta *S. Davidis* urbs, revera vicus, ob raros incolas; Episcop. sub Archiep. Cantuar. in Comit. Pembrochiensi, & ora maris Hibern. ubi aliàs Octapitarum promunt. in Demetis, nunc *S. Davids head.* 16. milliar. Angl. à Pembrochio in Circ. 30. à Mariduno.

Mengershusia, urbs cum arce in Comit. Waldecensi, Metell.

Menia Columna, locus Romæ. Cic. *pro Sestio.*

Menidas, Scytharum Equirum, in exercitu Alexandri, præfectus. Diod. cum vocat *Minidan*, *lib.*17. *parte priore.*

Menina, opp. Flandriæ, ad Lisam fluv. aliàs munitum. Sub Gallis, ab anno 1667. vix 1. leuc. à Corteriaco in Occas. 3. ab Insulis in Cæc.

Menini, seu *Mimeni*, pop. fuere Provinciæ, juxta Druentiam, inter Caturiges ad Sept. & Salios ad Meridiem, quorum urbs Segustero; extendebanturque usque ad Manoscam oppid. Sansone, Brietio testibus.

Meninx, insula circa Africam clarissima, longitudine 30. mill. pass. latitudine 35. Plin. 5. 7. Ab Eratosthene *Lotophagitis* dicta. Stephanus ins. & urb. esse scribit juxta Syrtes. Ejus meminit Dionysius *Vers.* 480.

Μήνιγξ καὶ Κέρκιννα Λιβυστικὸν ὅρμον ἔχουσι. Ubi tamen MSS. Μῆνιξ καὶ Κέρκινα. *Menix* Punicè scribebatur מי נקץ *me niks*, quasi dixeris *aquas defectûs*, i. e. *deficientes*, vel מי נכץ *me nics*, quasi dixeris *aquas recessûs*, i. e. *recedentes*. *Menicis* enim vel *Meningis* oppidi situs hanc conjecturam plurimum firmat. Describunt enim Plin. & Ptol. hoc oppidum à parte Africæ. Africam autem ab insulâ nihil distinguit, quàm tenue & humile vadum, semel hyeme, bis æstate accedere solitum, adeò ut plerunque 4000. passuum à mari deferatur. Hic Philippus II. Hispan. R. infeliciter Turcis restitit. An. Chr. 1557. Vide Thuan. *hist. lib.* 18.

Menippe, una è præcipuis Amazonum, admodum juvencula, inter auxilia Æetæ. Flacc. *lib.* 6. *Vers.* 377. vulgò legebatur *Exippe*, unde Maserius leg. *Nehippe*, Carrio verò *Henippe*; omnes perperam.

Menippus, Phœnix Philosophus Cynicus, ex servo civis Thebanus, nihil memoriâ dignum edidit; porro ipse librique ridendi: Cumque habendi cupidissimus esset, bonis amissis laqueo vitam finivit. Laërtius *l.6.* Item Poëta Comicus. Suidas.

Menippus, Stratonicensis, in totâ Asiâ disertissimus, præceptor Ciceronis, teste ipso *in Bruto*, Vide Strab. *lib.*14. Alium præterea ejus nominis Macrobius adducit, quem Philosophum, & servum fuisse tradit: scripsisseque libros, quos in Satyris M. Varro imitatur, quas *Menippeas* nominavit. Alii verò Cynicas vocant. Item Athenis quidam, alendis equis famosus, dictusque *Hirundo*. De quo vide Scholia *in Aristoph. Aves.* De variis autem *Menippis* vide Voss. *de Hist. Gr. p.* 388.

Menismini, pop. Æthiopiæ, qui vivunt lacte Cynocephalorum, quorum armenta pascunt, maribus interemptis, nisi sobolis gratia.

Viri illustres.

Menius, Cos. Rom. an. U. C 433. de victis navali prælio priscis Latinis ac Antiatibus, eorum rostra navium ærata in foro posuit, appellarique forum *Rostra* cœpit. Liv. *l.*8. Plin. 34. 5.

Menius, Lycaonis fil. qui cùm patre in lupum verso & domo conflagrante Jovem detestaretur, ab eo fulmine percussus est.

Menius, fluv. Peloponnesi, in mare Jonium, apud Chelonatem prom. exiens. Strab.

Menlaria, Hisp. urbs. Ptol. Vulgò *Marcia*.

Menlascus, Hisp. Tarracon. fluv. parvus, *Magrada* Pomponio, hodie *Oria* vocatur. Inter Vardulos & Vascones, Baudrando, nunc etiam *Rio Menlasco* Juxta Fanum S. Sebastiani, in Oceanum Cantabricum se exonerat. Ejus ostium distat 8. m. p. in Ortum ab ostio Magradæ fluv. qui *Orio* dicitur.

Menna, Episcopus Byzantinus, An. Dom. 536.

Menneiana, Pannoniæ sup. urbs. Anton. 26. m. p. à Varianis in Ortum.

Menni, nomen regionis. Jer. 51.

Mennis, Assyriæ civitas, ubi caverna est, ex quâ fons ingentem vim bituminis effundit. Curt. *l.* 5. *c.* 3.

Mennith, urbs Ammonitarum in terra Gad, Judic. 11. ubi Jephthe præliatus est.

Mennius, inter legiones in Chaucis castrorum præfectus; qui bono magis exemplo, quàm concesso jure, duorum militum supplicio orientem seditionem repressit, sub initium Imperii Tiberiani.

Mennius Ruffinus, ælæ præfectus, præsidium Hadriæ agitans, vinxit Lucilium Bassum proditorem classis Ravennatis in speciem. Tacit. *Hist. l.*3. *c.*12.

Mennonista, secta Anabaptistarum, à Mennone Simonis, Frisio, qui insuper Verbum corpus suum cœlitus è substantia Patris attulisse deliravit. sec. 16.

Menoba, fluv. Hispan. Bæticæ cum opp. cognomine, inter Malacam urb. & Selambinam opp. *Bezmiliana* Moletio. Aliis *Almunecar*, oppidulum cum castro, in regno Granat. in ora maris Mediterr. 14. leuc. à Malaca in Ort. Almeriam versus, 4. à Selambina in Occas.

Menobardi, Armeniæ majoris pop. Plin.

Menocaleni, Alpium incolæ in Histria, inter Tergestum & Polam. Plin. *Mingestal* Lazio.

Menodotus, Medicus insignis ætate Serapionis, cujus meminit Galenus *in Therapeut.* Fuit etiam *Menodotus* Samius historicus, teste Athenæo, *lib.* 15. *Menodotum* fortasse alium signat Laërtius *in Aristippo.*

Menœceus, juvenis Thebanus, Creontis fil. qui, cùm Thebanis eo tempore, quo ab Argivis obsidebantur, redditum esset oraculum, urbem salvam fore, si ultimus ex Cadmi posteris spontanea se morte manibus ejus devoveret, intelligens, oraculum illud ad se pertinere, nihil cunctatus, suo sibi gladio necem conscivit. Stat. *Theb.* 10. Cic. 1. *Tusc Qu.*

Menœcina, vel *Menecina*, urbs Oenotriæ in medit. Steph.

Menœcis, urbs Phocensium ultima, quæ ad Occasum vergit.

Menœtes, unus ex sociis Æneæ, gubernator navis, Centauri, Virgil. *Æn.* 5.

Menœtius, fil. Actoris ex Æginâ, quam vitiatam Jupiter illi conjugem dederat. Hic postea, relictâ Æginâ matre, in Opuntem Locrorum se contulit, ibique Patroclum ex Sthenele uxore suscepit, qui ab eo *Menœtiades* dictus est. Ovid. *Epist.* 1.

Sive Menœtiaden falsis cecidisse sub armis.

Menoida, Palæstinæ urb. Lib. Notit.

Menois, opp. juxta civ. Gazam, in tribu Simeonis. Hieronym.

Menon, bis mille Thessalorum Equitum dux, insignem de Macedonibus victoriam retulit, in quo prælio & Leonatus cecidit, Olymp. 114. an. 2. Diod. *lib.* 18.

Menon, Larissæus, Thessalorum in expeditione Cyri contra Fratrem, Dux; solus ab Artaxerxe, cæteris cum Clearcho interfectis, incolumis dimissus, quòd putaretur commilitones Græcos prodere cogitasse. Vide Polyæn *lib.* 7.

Menon, Sophista arrogantissimus, Socratis ætate. Plutarch. περὶ Πολυφιλίας.

Menophilus, Eunuchus, cui Mithridates à Pompejo victus, filiam servandam dedit in arce quâdam, quam cùm Manlius Priscus obsedisset, defensoresque deditionem parantes Menophilus sensisset, veritus ne parentis opprobrio puella nubilis captiva superesset, interfectâ illâ, mox gladium in viscera sua compegit. Amm. Marcell. 16.

Menophis, rex Ægypti, ante U. C. 662.

Menosca, oppidulum Hispaniæ Tarracon. in Vardulis, *Orio*, ad ostium flu. Magradæ, in Guipuscoa, in ora maris Cantabr. Baudr.

Menosgada, Germ. opp. Ptol. *Eger* teste Apiano, seu *Egra*, Bohemis *Heb*, in Bohemiæ confin. Urbs Armalausiorum, Baudr. in Bohemia, ad amnem Egram, in ipso limite Franconiæ. Cum arce munita, pluries tamen expugnatâ, ultimo bello Germ. 4. mill. Germ. à Locta in Occ. 9. ab Amberga in Bor. 12. à Pilsna in Circ.

Menradus, insignis Eremita, diu multumque in Eremo Helvetiorum versatus, tandem à latronibus circumventus, & trucidatus est.

Mensa, ex ulvis olim palustribus, ut & lecticæ, adeoque etiam lecti ipsi, fiebant: juxta Valer. Flacc. *lib.* 2. *Argon.*

——*Viridique thorus de fronde, dapesque.*

Postea ex acere conficiebantur, Plin. *l.* 23. *c.*11. Hinc Martialis *l.*14. *epigr.* 90.

Non sum crispa quidem, nec silvæ filia Mauræ,
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Lapsis deinde moribus & invalescente apud Rom. luxuriâ, post victam inprimis à Cn. Manlio Asiam, lecti, abaci, monopodia, mensæ, triclinia primùm ærata, deinde & argentea, mox etiam laminis aureis induci cœperunt. Sed & citreæ mensæ in pretio non minori, ac argenteæ, vide Plin. *lib.*13. *cap.*15. Tertullian. *de Pallio cap.* 5. &c. Citreis eburneæ æquiparatæ: vel etiam earum fulcra eburnea erant, laminis putaminum testudineorum minu-

tim

tim sectis cooperta, Plin. *lib.* 9. *cap.* 11. Sed & puro ligno secta testudo inserebatur, maximè longè advecta, ut ex utroque velut unum corpus affabre fieret, &c. Fuere autem mensæ quadratæ primùm, Plin. *lib.* 33. *cap.* 11. postea rotundæ factæ sunt, Athen. *lib.* 11. *cap.* 13. apud Græcos Romanosque, nisi quòd Romanæ referebant figuram sigmatis Græci C. ad cujus cornua honoratiores convivæ collocabantur. Vide Sidon. Apollinarem *lib.* 1. *epist.* 11. Sternebantur Sigmata hæc initiò pellibus ferarum, dein & byssino peristromate; atque cum epularum missibus mutabantur, Vide Thom. Dempsterum, *Antiqq. Rom. lib* 5. *paralip. ad cap.* 26.

Menta, Plutonis concubina, à Proserpina, zelotypâ, in herbam cognominem versa. Strabo *lib.* 8.

Menta, pop. apud Vallum, quo Scotia ab Anglia separatur. Vide *Maata*.

Mentalia, Contestanorum in Hispania Tarracon. urbs. Ptol. *Briar de Melena* Ariæ Montano. Latini codices *Menlaria* legunt. Vulgò *Marcia*.

Mentercosa, vide *Metercosa*.

Mentesa, urbs Hispaniæ, in finibus Oretanorum excisa, Ptol. & Antonino *Mentisa*, Livio *Mentissa*: Episc. cui Giena successit. Baudrando opp. Oretanorum fuit, nunc *Montizon*, vicus agri Lamitani, versus montes Marianos, in Castella nova, in confinio Vandalitiæ, 5. leuc. ab opp. Villæ novæ infantium in Africum, 7. à Tolosa in Cæc. uti 5. à Cazorla in Bor.

Menthitia, vulgò *Menteith*, prov. Scotiæ Merid. cujus caput Dumblanum opp. Habet ad Ort. Tifam prov. & Leviniam ad Occ.

Mentoas, Ister sive Danubius olim sic dictus, teste Eustathio *in Dionysium*. Fortè pro *Matoas*.

Mentonomum, æstuarium Oceani Germ. Plin. *Frischaff* Ortel. in ora Germ. Occ.

Reges & Viri clari.

Mentor, Sidoniorum Rex, inter Phœnices, ab Artaxerxe Ocho deficientes, præcipuus; sed proditione sociorum salutem propriam redimens Sidonios magnis objecit calamitatibus. Diodor. *libr.* 16. *pag.* 532. & 533. de ejus dedignatione & potentia idem *fol.* 537. & 538.

Mentor, Asiæ maritimæ præfectus sub Artaxerxe, omnes ejus reg. civitates vi aut dolo regi subegit.

Mentor, vasis cælandis mirus artifex. Plin. 33. 13. *Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu cælatos* 10. *H. S. emit.* Id est 2500. coronatis Gallicis. Juv. *Sat.* 8.

—— Rara sine Mentore mensa.

Martialis,

Vasaq; Mentoreâ nobilitata manu, &c.

Vide quoque Prop. 1. 14. & 3. 9.

Mentores, Illyrici populi. Plin. 3. 21.

Mentuniacum, al. *Mantiniacum*, municipium olim Galliæ, ad Sequanam, ab urbe Tricassis non procul distans: *Mantenay* veteribus. Hodie vicus est S. Leonis appellatione gaudens, *S. Lie.* Hic Romanus Abbas Monasterium condidit, in diœcesi Tricassina. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Mentyrna, urbs Samnitum *in* Italiâ. Steph.

Menus, vel *Menas*, vir quidam inter Samnites, qui mirè solitudinem amabat, in quâ, ne quid per otium faceret, apes curabat.

Menuthias, quæ & *Cerne Æthiopica*; & Ins. *Delphina* & *S. Laurentii* à recent. insula ingens Æthiopiæ ad Ortum, quæ *Madagascar* nunc dicitur. Ptol. Vide *Madagascaria*.

Menuthis, vicus Ægypti juxta Canopum. Steph.

Menyllus, ex ministris Alexandri M. qui Phocionem corrumpere est conatus. Postea, victis Atheniensibus ab Antipatro, præsidii princeps constitutus. Fuit conjunctus Phocioni.

Mephaath, civitas Levitarum in tribu Ruben. *Jos.* 13.

Mephitis, ait Servius, ex sententiâ aliquorum, *Mephitim* esse Deum Leucotheæ connexum, aut Junonem, nam Juno aër est, atqui putor nascitur ex corruptione aëris, ac proinde ait, *Mephitis* erit Dea odoris graveolentis. Pertinent huc verba Taciti *l.* 19. *Solum Mephitis templum stetit ante mœnia, loco, seu numine defensum.* Priscianus *lib.* 7. deducit vocem à Græco Μεσίτης, mutatione σ. in φ. Scal. tamen *in Conjectaneis* ait esse vocem Etruscam, Etruscos autem ab Syris accepisse. Syrorum verò linguâ hâc voce significari, *gravitatem*, aut *exhalationem* & *flatum spiritûs*. Vide Virgil. *Æn.* 7. Persium *Sat.* 3. &c.

Mephres, rex Ægypti.

Mephyla, Halicarn. opp. fuit Latii, ab Orvinio 40. stad. à Suna verò 30. quæ loca prorsus extincta.

Meppa, vulgò *Meppen*, urbs dit. Monasteriensis, satis munita, ad *Hase* amnem, qui paulo infra cadit in Amasium, paulo infra Lingam, medium ferè inter Monaster. ad Austr. & Emdam ad Septentrion. Expugnata ab Hatzfeldio, uno ex ducibus Ferdinandi III. Imp. bello Germ.

Mequinencia, oppidulum Aragoniæ, ad Secorim, ubi in Iberum cadit, in limite Cataloniæ, paulo infra Ilerdam. Vulgò *Mequinenza*.

Mera, sacerdos Veneris. Stat. *Theb.* 8.

Mera, Proeti & Antiæ filia, quæ cùm venationi dedita, Dianam per nemora sequeretur, à Jove Dianæ figurâ assumptâ, vis ei illata est. Hinc telis Dianæ confossa, tandem ejusdem miseratione in canem est versa. Ovid. *Metam.* 7.

Mera, canis Erigones Icarii filiæ; vide *Erigone* & *Icarius*.

Merajoth, filius Achitob. 1. Par. 9.

Merala, limes tribûs Zabulonis. *Jos.* 19.

Merari, filius Levi. Gen. 46.

Mercator Gerardus, celeberrimus sui temporis Geographus, Rumremundâ Flander, ex parentibus Juliacensibus. Sylvæducis primò, dein Lovanii literis incubuit, tantâ in Mathematicas artes propensione, ut cibo somnoque potius ipsi studium esset. Carolo V. Imper. gratus, dein Ducis Juliacensis Cosmographus fuit. Scripsit Chronologiam, tabulasque Geographicas, elaboravit Atlantem, quem sub mortem ejus Jodocus Hundius edidit: Correxit insuper Ptolomæum; Scripsit porro de Usu annuli Astronomici, Globi cœlestis & terr. sculpturam. In Theologia quoque edidit Harmoniam Evangelistarum, de creatione ac fabrica Mundi librum, qui condemnatus est, ob sententiam ejus de peccato Orig. capite 18. Obiit Duisburgi, An. 1594. æt. 82. Gualt. Ghimmius, *in Vita ejus.* Possevin. *l.* 2. *Bibl. sel.* Voss. *de Scient. Mathem.* &c.

Mercatrudis, uxor Guntrami R. V. Greg. Tur. *l.* 4.

Mercerus, vide *Johannes Mercerus*.

Mercii, populi Angliæ, quorum regio *Mercia*, quæ proprium habuit regem. Aliàs *Angli Mediterr.* sunt etiam dicti. Horum regio continebat totum illum tractum, ubi aliàs fuere Cornavii, Coritani, Dobuni, Atrebatum pars Sept. & Catieuchlanorum pars Occ. Ibi nunc Cestriensis, Darbiensis, Nottingamensis, Lincolnensis Comit. Rutlandia item, Leicestria, Staffordiensis, Salopiensis, Herefordiensis, Wigorniensis, Warvicensis, Northamtonia, Huntingdonia, Bedfordia, Bukingamia, Oxoniensis & Glocestriensis, Baudr. ex J. Speedo. Habebant ad Bor. Northumbriæ regnum, ad Occ. Walliam, ad Ortum partim Oceanum, partim regnum *East-Anglia* & Essexiæ, ad Merid. regnum Westsexiæ: In hac prov. Concilium celebratum est an. C. 705. V. Bedam *l.* 5. *c.* 19.

Mercimen, urbs Afr. propr. Anton.

Mercuria, mulier, propter religionem Christi, sub Decio Imp. apud Alexandriam supplicio affecta. Eccles. Historia.

Mercuriacum, pag. agri Novar. apud Ticinum, Olegio proximus; à Mercurio. Vet. Inscr.

Mercuriale, Anton. *Mercogliano* Mazellæ, opp. Campaniæ amplum, inter Neapolim 12. & Abellinum 18. m. p.

Mercurialia, apud Cretenses, festum Mercurio sacrum, ob insignem in ins. illa mercatorum frequentiam: Saturnalibus apud Rom. respondens, Vide Joh. Brodæum, Dempsterum, &c.

Mercurii prom. *Hermea* prom. Ptol. *Capo Bon*, Africæ, contra Siciliam, 100. mill. pass. à Lilybæo in Austr. inter Carthag. ad Occ. & Hadrumetum in Ort.

Mercurii aqua, apud Capenam portam Romæ. Ovid.

Mercurius, Jovis & Majæ fil. Græcis *Hermes* ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, hoc est, *ab interpretando* dictus. Vossius verò Ἑρμῆς vult esse ab אמר id est, *sermo, eloquium*. Erat enim nuncius Deorum, unde Horatio *in Odis* dicitur

—— Superis Deorum
Gratus & Imis.

Claud. *de eo*,

—— Commune profundis
Et superis numen, qui fas per limen utrumq;
Solus habet, geminoq; facit commercia mundo.

Præter hunc tres alii *Mercurii* dicuntur, unus Cœli ac Diei filius, alter Liberi & Proserpinæ, tertius Jovis & Cyllenes, quem fama est ob Argi cædem profugum, literas Ægyptiis ostendisse. Verùm omnes hi ad Majæ filium referri solent; cui idcirco alas in capite & pedibus attribuunt, eo commento significare volentes, velocem fieri per aëra sermonem. Ideò autem Deorum nuncium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata enunciantur. Dictus est Deus facundiæ, quòd hominibus eloquentiam præstare putabatur. Habitus est etiam Deus mercatorum, lucri, palęstrę, furum. Lyram invenit, Hermaphroditum ex sorore Venere genuit, Martem è duris carceribus liberavit, Argum interemit, Prometheum in Caucaso religavit. Vide Hesiod. Hom. Cartarum *de Imag. Deor.* Nat. Com. *in Mythol.* Est etiam unus ex 7. Planetis, omnium minimus, ferè semper subest radiis solaribus, à quibus non recedit longiùs quàm 28. gradus. A *merce*, sive *mercimonio* Mercurii nomen fortè. Sed (ut inquit Vir Doctus) Hebræis est *Mercolis*, à רכל *negotiari*: ut in illo proverbio, de quo Drusius *Proverb. Class.* 1. *lib.* 2. *Proverb.* 34. *Sparsit lapidem in Mercolis.* Pro eo Solomon habet *Margemah*, à רגם *lapidibus obruit.* *Proverb.* 26. 8. *Sicut qui mittit lapidem in Margemah*, vel, ut habet vulgaris, *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii*; ita qui tribuit insipienti honorem. Erant autem apud priscos Ἑρμαῖοι λόφοι, sive lapidum acervi Mercuriales, viis publicis & compitis ad itinera commonstranda congesti, quos transeuntes viatores crebro lapidum jactu in Mercurii honorem augebant. Dicuntur acervi isti Ἕρμακες Nicandro; ac de iis est intelligendum Epigramma, *Anthol. l.* 4. 12.

Ἱερὸν Ἑρμείῃ με παραστείχοντες ἔχουσιν
Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν.

Voluit

Voluit igitur sapientissimus ille hominum, eum qui stultum honestaverit, perinde facere ac si acervum Mercurii lapidis jactu augeret, neuter enim beneficium agnoscit, neuter rependit. Alii autem à מכר *Vendere, Mercurium* deducunt.

Mercurius, qui & Joannes, 54. Romanus Episcopus, A.D. 532.

Mercurius Trismegistus, Sacerdos, Rex & Philosophus Ægyptius, post Moysen vixit, & cum Philosophia, varias artes suos populares docuit. Cicero *lib.* 2. *de N.D.* & Lactant. quinque hujus nominis Viros illustres habent, quorum ultimus hic. Marsilius Ficin. *T. II. p.* 1836. *& seqq. edit. Bas.* 1576. eum Atlantis facit nepotem, Augustin. *de Civ. D. lib.* 8. *cap.* 23. *& lib.* 18. *c.* 39. Magiæ operatum ait.

Mercurius Vipera, Beneventanus, Auditor Rotæ, scripsit *libb.* 5. *de priscis & sacris institutis.* Sec. præt.

Merdasdes, fil. Cosrois, regno destinatus, à fratre Siroë, ante oculos Parentis, cum aliis ejus filiis jugulatus, an. C. 627. Niceph.

Merecrates, corruptè hic poni solet pro *Menecrates*.

Mered, filius Bethiæ filiæ Pharaonis. 1. Par. 4.

Meremoth, nomen viri. 1. Esdr. 8.

Merenda, vide *Antonii*.

Meres, Æthiops, Ægypti rex. Olymp. 22.

Meretium, vulgò *Meretz*, oppidul. Lithuaniæ, ubi Uladislaus IV. Poloniæ Rex obiit, d. 30. Martii, 1648. 10. mill. ab urbe Vilna, Grodnam versus, ad confluentes Meretzii & Memeni fluv. Amœnissimi est situs, cum splendido castro.

Mergenthemum, opp. Franconiæ, ad Subarum fluv. in dit. Ordinis Teutonici. Dicitur vulgò *Mergentheim*, vel & *Marienthal*. 6. leuc. ab Herbipoli in Meridiem. Sedes est Magistri Ordinis, in Franconia.

Mergillina, Campaniæ locus, Virgilii ac Sannazarii tumulo, & maris prospectu nobilis, Thuanus.

Meri, urbs Mesopotamiæ, circa Edessam. Simlerus ex MS. Anton.

Meribanes, Iberiæ Rex. an. Dom. 362.

Meribbaal, filius Jonathan filii Saul. 1. Par. 8.

Meribriga, opp. Portugalliæ, Ptol. nunc pag. *Abnedara*, Molet. Bretolæo, urbi excisæ, proximus.

Merimuth, nomen viri. 2. Esdr. 3.

Merina, familia Africæ regia, Vide *Marochanum* regn.

Merinianum, vide *Melignanum*.

Meriones, auriga Idomenei, & cum eo dux navium, quæ è Cretâ venerunt ad Trojam, fortitudine Marti ipso comparandus. Homer. Ovid. *Met.* 12. Horat. 1. *Od.* 6.

Meriones, frater Jasonis, admodum dives, sed avarus; de quo Polyæn. *l.* 6.

Merlinus, Anglus, sec. 6. Mathematicus, scripsit Prophetias, aliaque. Vide Pitseum, *de Script. Britan. p.* 101.

Mermeros, Centaurorum velocissimus, in pugnâ Centaurorum adversus Lapithas graviter vulneratus, vix fugâ salutem invenit. Ovid. *Met.* 12.

Mermessos, urbs Troica. patria Erythrææ Sibyllæ. Steph.

Mermex, nomen cujusdam Athenis improbi, & à Comicis ob id traducti. Aristoph. *Ran. Act.* 5. *sc.* 5.

Mermnades, Dynastia vel Epocha Lydorum, à Gyge instituta, an. 40. U. C. ult. an. 17. Olymp. Duravit usque ad Crœsum devictum, per an. 210. U. C. Herodot. *l.* 1. Euseb. *in Chron.* Clem. 1. *Strom.* Plin. *l.* 35. *c.* 8.

Mernia, Com. in parte Septentr. Scotiæ, vide *Marnia*.

Mero, cognomentum Tiberii Neronis, per jocum, quòd vinosior esset.

Merob, primogenita Saulis, Davidi promissa, sed alteri data, 1. Reg. 14. & 18.

Merobandes, Cos. cum Gratiano Aug. an. U. C. 1130. Iterum cum Saturnino sexennio pòst.

Merobrica, opp. Portugall. in ora, *Santgajo de Cacem*; medium ferè inter Ulyssiponem ad Boream & Sacrum promunt. ad Austr. 18. leucis.

Merodach, rex Babyloniorum. Isa. 39. qui 4. Reg. 29. dicitur *Berodach Baladan*, Ptolomæo *Mardokempades*. Fil. Baladanis, qui creditur Nabonassar in historiis profanis. Regnare incepit A. M. 3332. Ezechiam, post morbum ejus, per Legatos salutavit, & de miraculo, quod in Sole paulo antè contigerat, erudiri petiit. Postea Manassen captum, catenisque oneratum Babylonem perduxit: Assyriorum quoque regno potitus, Arphaxadum, Medorum R. qui Arbianes, pater Deiocis, fuisse videtur, prælio superavit. Imperavit an. 42. vel 52. Ei successit Ben-Merodach, quem Nabuchodonosor sen. Beroso Nabopalassar excepit, cui successit Nabuchodonosor, avus Evilmerodachi, proavus Balthasaris. Ptolom. *l.* 4. *Almag. c.* 6. *&* 8. Euseb. *in Chron. & l.* 9. *Præp. Ev.* *Scalig. l.* 5. *de Emend. Temp.* Petavius *l.* 9. *doctr. Temp.* Mercator, Ricciolus *Chron. Ref. lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 1. Codomannus, Funccius, &c.

Merodacus, Sicambrorum rex 14. Olymp. 164.

Meroe, *Saba* Josepho, sicut & nunc ab Abyssinis appellatur; insula Æthiopiæ sub Ægypto: Ferrar. Quid nunc sit, non bene constat; Fortè *Beroam* aut *Baroam*, quam vitiosè *Barvam* vocant. Dicitur & *Debaroa*, ex *Debia Baroa*, quasi mons Baroa, in monte enim posita est. Urbs hæc regia est Barnagassi, & præ aliis Æthiopiæ opp. satis frequens: Illam ab Ortu præterfluens Astaboras flumen *Mareb*, seu *Marabo* nunc dicitur. Is. Vossius, *de Orig. Nili.* Hîc Sabæ regina, quæ & *Candace* nonnullis, regnasse traditur. Urbs à Cambyse Persarum rege condita est, & de nomine sororis, sive matris, ut alii, defunctæ, *Meroe* appellata. In eâ mulieres grandes habent mammas. Juvenal. *Sat.* 13.

In Meroe crasso majorem infante mamillam.

Alia est *Meroe* Antiochenæ juxta Daphnem, Orientem versus. Item civitas Lyciæ. Steph.

Meroliacum, fortè *Oliergge*, castrum Galliæ, in Arvernis, Greg. Tur. *Hist. l.* 3.

Merom, aqua, seu fluv. in terrâ Chanaan, juxta quod gentes convenerant adversus Israëlitas. Jos. 11.

Meron, qui & *Samachonitis*, Masio *Tabario*, lacus Palæstinæ, apud Serapionem, quem Jordanis efficit, qui æstate siccatur.

Merope, una filiarum Atlantis, ex Pleione nymphâ, cujus stella ex 7. Pleiadibus obscurissima apparet, quòd, cùm sorores ejus omnes Diis nupsissent, illa sola Sisypho nupserit mortali. De qua vide Ovid. *Fast.* 4.

Meropia, una Cycladum, quæ & Siphnus, & Acis dicitur. Plin. *lib.* 4. *cap.* 11.

Meropius, Philosophus, cujus discipuli Ædesius & Frumentius in Indiâ religionem Christianam propagarunt. Circa an. Ch. 340. Socr. *l.* 1. *c.* 15.

Meropus, mons Thessaliæ, ex quo ob multos anfractus echo multiplex redditur.

Meros, mons Indiæ, inter Indum & Cophem fluv. *Nysa* Plin. *Sacer* Trogo, *Tricoryphus* Polyæno, in cujus radice Dionysius, in Indiam proficiscens, Nysam urbem condidit. Q. Curtius *libr.* 8. ubi de Nysâ, & incolis ejus: *A Libero Patre se conditos esse dicebant, & vera hæc origo erat. Sita est sub radicibus montis, quem Meron incolæ adpellant. Inde Græci mentiendi traxere licentiam, Jovis femore Liberum Patrem esse celatum.* Græcè enim Μηρὸς *femur* significat. Natus autem Bacchus fingitur ex femore Jovis, (ut illud addam) quia Phœnices nominibus illis, qui propriè femur significant, etiam verenda intelligunt, unde tritum illud in scripturâ, *egredi de femore patris.* Gen. 46. 26. Exod. 1. 5. Sunt autem, quibus in historiâ natalium Bacchi Μηρὸς non est femur, sed montis nomen, in quo putatur esse genitus. Quod potest fieri, modò commodè sumatur, non pro monte in Indiâ *Meri* nomine, sed pro latere montis. Nam & hoc Phœnicium est, partes montis vocare *femora*. Hinc Jud. 19. 1. Ἐν μηροῖς ὄρους Ἐφραΐμ, *In femoribus montis Ephraim* pro lateribus. Ita Bacchus potuit nasci ἐν μηρῷ, i. e. in latere montis, ut propterea nihil sit opus Meron montem in Indiâ sibi fingere.

Meroth, terminus Galileæ super. versus Occas. Jos. 3. *bell.* 2. In tribu Aser.

Merovæus, Francorum tertius à Pharamundo, post Clodionem Comatum, Rex, anno 448. Aetio, Romanorum Duci, & Theodorico Visigothorum R. junctus, Attilam Anno 451. prope Aurelianum, devicit. Postea regni sui terminos, à fluv. Samaro, extendit, usque in secundam Belgicam, & primam Germaniam, ad Sequanam, Matronam, Mosam, & Mosellam usque. Ab eo Reges primæ stirpis *Merovingi* dicti. Obiit an. 458. Ætas, uxor, liberi ejus, excepto Chilperico successore, in obscuro sunt. Videtur tamen Clodionis fil. idemque quem Priscus Panites, Auctor Gr. in sylloge Legationum, à Dav. Hœschelio Græcè Augustæ edita, an. 1603. Romæ se vidisse, quò ab Aëtio missus erat, ad Valentinianum III. ait: Et fortè major natu ejus frater, ope Attilæ imploratâ, causa belli fuit. Greg. Tur. *l.* 2. *c.* 7. Prisc. *Hist. Byzant. tom.* 1. Prosper *in Chron.* Fredegarius, Rorico, Aimonius, &c. Annal. Franciæ.

Meroz, urbis nomen. Jud. 5.

Merrebecchi, Anton. vulgò *Meerbeke*, municipium Flandriæ, haud longè à Ninovia.

Merromeni, aliis *Melomeni*, Illyrici pop. prope Drinum fluv. inter Vardiæos ad Austr. & Savum fluv. ad Septentr.

Merrus, vicus in duodecimo mill. urbis Sebastiæ, juxta Dothaim, in tribu Isaschar. Hier. *in L. H.*

Merseburgum, vulgò *Mersburg*, urbs Misniæ ad Salam fluv. vix 3. mill. Germ. ab Halla in Austr. totidem à Lipsia, sub proprio Episcopo. Olim sub Comitibus, quorum sator fuit Fridericus, pater Dietgremi, nepos Witikindi Jun. qui Wittebergam condidit. Hunc Comitatum dein Judita Merspurgica Theodorico patrueli, marito attulit, quorum fil. Dedoni II. ab Ottone III. Imper. is collatus est. Vide Spener. *Syll. Geneal. Histor.* Hîc Conradus Imper. victus est ab Henrico Saxone, an. Chr. 916. Tenetur hodie à Mauritio, 4. fil. Joh. Georgii El. Vide *Martinopolis* seu *Martiopolis*.

Merspurgum, opp. Sueviæ, ad lacum Constantiæ, sub Episcop. Constant. 2. leuc. à Constantia in Ort. paulo amplius ab Uberlinga in Eur. Sedes hodie Episcopi. Vulgò *Merspurg*.

Merthes, rex Ægypti, qui cornicem habuit usque adeò cicurem, ut, quoquò jussisset ille, epistolas deferret.

Mervera, opp. conventus Hispalensis. Plin.

Mervinia, vulgò *Merionethshire*, Comit. Walliæ Bor. cujus

prima.

primaria Harlechum. Dicitur & Merionethensis Comit. In ora maris Hibern. & inter Arvoniam ac Denbighiam ad Bor. Mongomeriensemque Comit. ad Ort. Ibi Ordovices olim ex parte.

Merula Georgius, Alexandrinâ Mediolanensis, ingenio & eruditione inclytus, ab Erasmo, Hermolao Barbaro, &c. impensè laudatus. Sed nimis in scriptis mordax, ne Philelpho quidem, Præceptori suo, pepercit: Politiano quoque, Calderino, &c. infestus. Docuit an. 40. Venetiis & Mediolani. Auctor, inter alia, Historiæ Vicecomitum Mediolanensium, libb. 12. Scripsit quoque de Vesuvio, & quæ Dion de Trajano scripserat, vertit. Obiit Mediolani, an. 1494. Volaterr. *l.* 21. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3.

Petrus *Merula*, Dordracenus, Professor Lugduni Batavorum, edidit Part. 1. Cosmographiæ libb. 3. &c. Vide Valer. Andr. *in Bibl. Belg. p.* 715. Obiit Rostochii, an. 1607.

Merula super Sartam, *Melle sur Sarte*, castrum Galliæ, ad Sartam fluv.

Merula, flu. Liguriæ apud Albingaunum urbem fluens. *Meira* vulgò. Item fluv. Pedemontii, per territ. Saluciense in Padum influens; *Maira*, Lat. etiam *Macra*.

Merulæ campus, Laonico *Cosobus*, aliis *Cassovius*, regiunc. Mysiæ super. à Merid. in Bor. ad 30. leuc. patens, maximè ferax. *Cassovopolis* Slavis, *Amserfeld* Germ.

Merulis, locus Tusciæ, 8. m. p. à Populonio: ubi S. Cerbonius Episc. à Totila R. feris objectus est.

Merusium, parva regio, cujus incolæ *Merusii*. Vide Steph.

Meryllus, in primo Bœoticorum citatur à Plut. *in Paral. Min. cap.* 14. Item *in tertio Italicorum cap.* 28.

Mesa, Rex Moab 4. Reg. 3. Filius item Caleb fratris Jerameel. 1. Paral. 2.

Mesa, fluv. notus per Leodium fluens, vulgò *Mosa*.

Mesabius, mons Bœotiæ, apud Anthedonem opp. Euripo imminens. Paus.

Mesada, urbs Arabiæ Petr. Ptol. *Mesa* fortè in libr. Not.

Mesambria, tractus & Cherronesus Persidis, Arr. *in Ind.*

Mesanites, sinus quidam apud Martianum in Persici maris descriptione. Steph.

Mesaphar, vicus, inter castr. Toronum & Paneadem urb. in summis montibus situs. In tribu Nephthalim.

Mesapia, & *Mesapus*, vide *Messapia*, & *Messapus*.

Mese, insula Gall. Narbon. una Stœchadum, quæ & *Pomponiana*. Plin. Nunc est *Porteros*, inter Hypæam ad Ort. & Proten ad Occ. Ejus circuitus est 3. leuc. circiter, vix 1. cum dim. ab ora Continentis & ab arce Brigansonia in Austr. Vide *Stœchades*.

Mesech, vide *Moschi*.

Meselemia, nomen viri. 1. Par. 26.

Mesembria, quæ & *Menebria* Strab. & *Mesambria* Herodoto, urbs Arch. Thraciæ maritima, in Mysiæ inf. confinio, in ora maris Euxini inter Anchialum, & Odessum, ad 20. m. p. ubi mons Hæmus desinit, *Mesember* Sophiano. Hinc *Mesembriacus*. Ovid. *Trist.* 1. *eleg.* 9.

Mesene, regionis nomen. Strab. *lib.* 12. Μέση τῆς Τίγριδος, ut Steph. ait: Vide Plin. 6. 27. An Adiabene, an regio, quam cingit Tigris in 2. alveos scissus, quorum dexter *Delas*, sinister *Tigris* dicitur?

Mesezebel, pater Barachiæ. 1. Esdr. 3.

Mesia, vide *Mœsia*.

Mesizabel, nomen viri. 2. Esdr. 10.

Mesola, urbs Laconiæ, una ex quinque. Steph. Est etiam urbs Arcadiæ, quam quidam putant ab Homero *Hiram* vel *Hieram* appellatam.

Mesolam, filius Saphatiæ. 1. Par. 9.

Mesomedes, Cretensis, poëta Adriano principi charissimus, scripsit in laudem Antinoi liberti ejus. Suidas.

Mesopontius, Neptunus in Eresso Lesbi civitate cultus. Steph.

Mesopotamia, regio Asiæ latissima, Tigrim habens ab Oriente, Euphratem ab Occidente, à Meridie Babyloniam, à Septentrione Caucasum. Sic dicta, quòd sit inter 2. fluv. Tigrim & Euphratem: Hinc Arab. *Al Gezira*, i. insula. Ab Hebræis dicitur *Aram Naharaim*, i. e. Syria fluviorum sc. duorum, nam dictio ipsa est dualis numeri: Strabo *l.* 11. Ptol. &c. Olim *Seleucia* dicta, teste Plinio *lib.* 6. *c.* 26. Nunc dicitur *Halapia*, teste Olivario. Cic. *lib.* 6. *De Nat. D. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quasi novos agros invehit.* Stephano *Adiabene* est: recentiores *Azamia* habent. Urbes claræ olim, Edessa, Nisibis, Nicephorium, Seleucia, &c. Ferrar. Baudrando, pars est Assyriæ ad Occ. nunc propriè *Diarbeck*; tota sub Turcis. Ejus urbes nunc sunt *Asanchif*, prim. *Orpha*, quæ Edessa ol. *Caramit*, aliàs Amida, *Merdin*, Marde & *Herren*, aliàs Carræ. Maxima ejus longit. est 420. m. pass. à Circio in Eur. latitudo 270. Ejus incolæ vocantur Arriano, *libr.* 3. Οἱ ἐκ τ̃ μέσης τῶν ποταμῶν. *Terras Interamnas* Mesopotamiam interpretatur Alex. Imp. apud Lampridium.

Mesphar, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Mesphareth, nomen viri. 2. Esdr. 7.

Mesphi, vide *Maspha*.

Mesra, castrum in pede montis Hermon, in tribu Isaschar. Breidenb.

Mesrim, filius Cham. Gen. 10. Hebr. *Misraim*. Vide Boch. *Phaleg. lib.* 4. *c.* 24. Vide sis etiam *Ægyptus*.

Messa, opp. Laconiæ, Pausan.

Messaa, regio Judææ. Hieronymus *de L. H.* in qua habitaverunt filii Joctan. Gen. 10. Item, nomen viri. 3. Reg. 11.

Messaba, urbs Carium. Steph.

Messabatæ, *Massabatæ* Strab. Persidis populi. Ptol. *Sabbat* Hebræis dici, Ar. Montanus tradit. Horum tractum Castaldus *Savas* vocat.

Messageta, vide *Massageta*.

Messal, vel *Massal*, civitas in tribu Aser. Jos. 19. 1. Par. 6.

Messala, dictus est Val. Corvinus, quia Messanam in Siciliâ vicit, & urbis captæ in se translato nomine *Messana* primò, paulatimque vulgo permutante literas, *Messala* dictus est. Unde & *Messalarum* familia Romæ florentissima, ex quâ *Messala* Corvinus Orator nobilis ortum habuit. Hic cùm provectior foret, biennium antequam moreretur, adeò memoriæ sensum amisit, ut vix paucula verba conjungeret, & nominis quoque sui immemor esset. Tandem verò, ulcere ori innato, seipsum inediâ confecit. Crinitus 1. 12. Is orator fuit, Fabio teste, nitidus, & candidus, & quodammodo præ se ferens nobilitatem suam, viribus tamen minor. Horat. *De Arte*,

—— *Mediocris abest virtute diserti*
Messala. ——

Vide Mart. 10. 9. Persium, Passeratium *in Tibulli Panegyr. ad Messalam*, ut & in vocibus *Valerius & Vipsanius*.

Messala, prænomine *Marcus*, Consul cum Pisone, anno U. C. 693.

Messalemeth, mater Amon regis Judæ. 4. Reg. 21.

Messalina Valeria, filia Barbari Messalæ, consobrini Claudii Imp. cui etiam nupsit: summæ libidinis mulier, tandem ab ipso Claudio supplicio affecta est, cùm C. Silio nupsisset. Sueton. *in Claudio.* Prodigiosam hujus libidinem lege, apud Juvenal. *Sat.* 6. Tacit. *lib.* 11. & Plin. 10. 63.

Messalini, vide *Massaliani*.

Messalum, urbs Arabiæ Fel.

Messana, urbs Arch. Siciliæ, Emporium insigne, cum Acad. & portu, propinqua Peloro promuntorio, à *Messenis* Achajæ populis condita, hodie *Messina* incolis, *Messine* Gallis. Omnium totius insulæ principatum sibi vendicans, amplaque, Græcis dicitur Μεσσήνη. Unde oppidani *Messenii*. Sed illa Peloponnesi urbs Μεσσήνη, unde hæc Sicula nomen accepit, Damageto *in Epigrammate* dicitur Μεσσάνα hoc versu,

Οὐ τ' ἀπὸ Μεσσάνας, ἐτ' Ἄργεος εἰμὶ πλανήτης.

Et ita Latino etiam poetæ Statio, *Achil. lib.* 3.

Murorum tormenta Pylos Messanaq; tradunt.

Est in valle Demonæ, ad Ort. Insulæ, cum portu capacissimo. Oblonga, ob montes, quibus premitur: Suburbia habet perampla, pagorum in morem. Munita est quatuor castris & 14. aggeribus. 150. m. p. à Panormo in Ortum, & 60. à Catania in Septentrion. è regione Calabriæ citer. Hæc primùm à Normannis, victis Saracenis, recepta est. Ab Anaxilao Rheginorum tyranno conditam scribit Macrob. 1. *Saturn.* Hodie sub Gallis est. Hujus incolæ primùm *Messanenses* dicti sunt, postea verò cùm Mamertini Campana gens eò colonos misissent, *Mamertini* appellabantur. *Zancle* olim seu falx vocabatur, teste Strabone, *lib.* 6. Hinc *Messenius*. Ovid. *Met.* 4. & 12. Vide Cluver. *Sicil. Ant. lib.* 1. *cap.* 6.

Messanicus fluv. pars Padi, Vide *Padusa*.

Messapea, parva regio Laconica, ubi colitur Ζεὺς Μεσσαπεύς. Stephan.

Messapia, regio Italiæ, Plin. Strab. quæ & *Salentini* Ptolom. ac aliis *Japygia*, peninsula inter Tarentum, & Brundusium, *Terra d'Otranto* Italis, *Terre d'Otrante* Gallis. Hodie prov. est regni Neapolit. inter mare Jonium, & Sinum Venetum ad Ortum; Sinum autem Tarentinum ad Occasum. Ibi aliàs Calabri, inter Apenninum & oram Sin. Veneti extensi; Salentini item, versus Sin. Tarentinum. Vide *Hydruntica Terra*. A *Messapo* Italorum duce, qui Turno adversus Æneam suppetias tulit, dicta. De quo Virgil. *Æn.* 11. Hinc *Messapius*. Ovid. *Met.* 14.

Messapia, oppid. Messapiæ, nunc *Mesagna*, supra Brudusium. *Messana Apulia* etiam L. Holstenio, *in notis ad Geogr.*

Messapius, mons Macedoniæ bonasum animal gignens. Aristotel.

Messatis, opp. Achajæ, inter Aroan & Anthean. Paus.

Messe, oppidum Cytheræ insulæ. Stat. *Theb.* 4.

—— *Volucrumq; parens Cythereia Messe.*

Messeis, Thessaliæ fons, non procul à Pharsalo. Plin. 4. 8. Et Strabo *lib.* 9.

Messene seu *Messena* quibusdam, civitas Græciæ in Peloponneso, Messeniæ caput; ad ostia Balyræ fluv. 13. m. p. à Pamiso fluv. in Meridiem, 13. à Corone in Boream, in ora sinus Messeniaci, cum portu tantisper capaci. Ante ipsam tres Ins. *Oenussæ* sunt. Nunc oppidul. tenue est & nullius nominis, in prov. *Belvedere*, sub Turcis. Pop. *Messenii*, qui, ut Hieron. habet *contra Jovin.* propter frequentem defectionem, à Spartanis in servitutem redacti, durius quàm reliqui servi tractati sunt: Unde Proverbium, *Messeniâ*

fenâ servilior, in eos, qui alieno vivunt arbitrio. Duraverat autem hoc bellum an. 20. à capta Amphia, usque ad destructam Ittomen, an. 1. Olymp. 14. Pausan. *in Messen.* Strabo, Plin. &c. Ovid. *Met.* 6.

Messeneq; ferox, Patraq; humilesq; Cleonæ.

Hinc *Messenius*, Ovid. *Met.* 14. Item *Messeniacus sinus*, qui & *Messenius*, *Coronæus*, & *Asinæus* Straboni. Vulgò *Golfo de Coron*, ab urbe adjacente, Soph. Nautis nunc *Golfo di Calamata.* Baudr.

Messenia, prov. Peloponnesi, versus Austr. inter Laconiam ad Ortum, & Elidem ad Occasum, à Septentr. habens Arcadiam, inter sinus Messeniacum & Cyparissium. Nunc pars est prov. *Belvedere.* Sub Turcis.

Messias, vide CHRISTUS.

Messa, opp. Calabriæ ulter. *Mesiano*; inter Neocastrum 10. & Miletum 6. Hipponio proximum, 12. mill. passuum à Soriano.

Messoa, urbs Laconiæ & tribus ejusdem. Steph.

Messogis, mons Lydiæ, vini ferax. Steph.

Messua, vel *Mesva*, penins. Gall. Mel. *Mese.* Jo. Poldo. Fortè *Mese* Plin. Vid. *Mesva.*

Messua, vide *Misua*, & *Nisva.*

Messulam, pater Asalia patris Saphan scribæ. 4. Reg. 22.

Mesteno, in vett. tabb. nunc *Maintenon*, locus Galliæ, ad Auturam fluv. inter Autricum Carnutum & Novigentum Regis. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Mestra, oppidum Italiæ, ad Musonem fluvium, 10. mill. à Tarvisio urbe, 7. à Venetiis in Occas. in regiuncula Ducatus Veneti; *Mestre* Gall.

Mestrezatius Johannes, Theologus insignis. Pastor Ecclesiæ Reform. Parisiensis, quæ Carentone colligitur; Scripsit inter alia *Sermones in Epist. ad Hebræos, 4. volum. in octav. Gall.* Item nomen Theologi apud Genevenses clarissimi, prioris ex fratre nepotis.

Mestriana, Anton. *Mestri* Lazio, pag. Hungariæ, à Sabaria 6. leuc. Hung. in Ort. Aquincum versus.

Mesva, vulgò *Mese*, oppidul. Galliæ, prope Setium montem.

Mesujum, urbs Germaniæ ad Albim in Saxoniâ. Vide *Parthenopolis.*

Metabeel, nomen viri. 2. Esdr. 6.

Metabus, Privernatium tyrannus, Camillæ pater, qui à suis per seditionem regno pulsus, filiam fugæ comitem Dianæ consecravit. Virgil. *Æn.* 11. Item Sisyphi filius, Æoli nepos, qui Metapontum in Italiæ finibus condidit. Steph.

Metachæum, castrum Bœotiæ, inter Coroneam & Orchomenon. Steph.

Metacompso, *Tacompson.* Plin. *Tachempso* Melæ, urbs Ægypti ad Nilum, juxta Syenen. *Asuan* Zeiglero.

Metacum, urbs Arabiæ Felicis. Ptol. *Calajate* Barrosio. In codd. Græcis *Cumacatum* legitur. Aliis est *Calbat* seu *Quelhat*, opp. prope ostia fluv. *Prim*, 450. m. p. ab Armuzia in Mer. Aliis autem *Matequa.* Baudr.

Meta, vide *Mediomatrices*, *Metis*, & *Divodurum.*

Metadula, urbs Cappadociæ, in Ponto Palemoniaco, Ptolom. *Megaluda*, Interpr.

Metageitnia, sacra quædam, in honorem Apollinis Metageitnii, apud Græcos instituta, quæ fiebant secundo Græcorum mense. Gyraldus *l.* 17. *Hist. Deorum.*

Metagenes Comicus, ut videtur, Poeta, quem laudat auctor Scholiorum, *in Aristophanis Aves* ἐν ᾠδαῖς. *p.* 582. *D.* Iterum *pag.* 602. *F.* ἐν Ὀμήρῳ.

Metagonium, promuntorium, Numidiam ab Africâ dividens, sic dictum, quòd angulare sit. Stephano est urbs Libyæ. *Capo de tres forcas* Castaldo, & Baudr. in ora littorali Garetæ, prov. regni Fezzæ. In mare mediterr. protenditur, è regione Alborani Ins. à qua distat 20. mill. pass. & 160. à freto Gaditano in Ort. *Capo de tres arcas* Olivario, *Capo de Casasa*, Moletio.

Metalassus, Ponti Polemoniaci urbs, in Cappadocia. Ptol.

Metalla, Sardiniæ opp. apud Anton. inter Neapolim, & Sulchos. *Civita de Glesie* Cluverio.

Metallina castra, mel. *Metallinum*, oppidum Extremaduræ, ad Anam, ubi Zujam amnem recipit, 17. leuc. à Pace Augusta in Ortum, uti & 7. ab Emeritâ. Patriâ Ferdinandi Cortesii, qui regnum Mexicanum occupavit; Nunc *Medelin.*

Metamorphistæ, nomen illorum, qui sec. præt. Corpus CHRISTI in cœlis, mutatum fuisse in Deum fabulati sunt.

Metangismonitæ, Hæretici, Verbum in Patre, tanquam unum vas in altero esse delirarunt. Augustin. *hær.* 58. Philastr. *de hær.*

Metanira, Celei conjux. Ovid. *Fast.* 4. ubi codd. vulgò *Menelina*, alii *Menalia*, alii *Melanira.* Μετάνειρα est Nicandro *in Theriacis*, ejusque Scholiastæ, itemque Nonno *Dionys. libb.* 27. & 47. cui ἀρχὼν dicitur κατ' ἐξοχὴν, ut & Nicandro. Μετάνειραν etiam vocat Apollodorus *libro* 1. bis, ut & Aristides *in Eleusiniâ Oratione*, Athenagoras *Legatione pro Christianis*, & Joh. Tzetzes *in Hesiodum.* Μεγανείρα Pausaniæ *in Atticis*, & Nicandri Scholiastæ *in Alexipharm.* mendosè dicitur. Hujus nominis scortum etiam nobile fuit Athenis, Athen. *libb.* 3. & 13. à Lysiâ, & Isocrate amatum, nisi diversæ fuerint.

Metapa, urbs Acarnaniæ. Steph.

Metapinum, unum ex ostiis Rhodani. Plin. 3. 4.

Metapontis, insula, vide *Syme.*

Metapontum, Italiæ oppidum in sinu Tarentino, à Pyliis, qui Nestore duce à Trojâ navigaverunt, conditum; adeò terræ proventu felix, ut ea gratiâ auream æstatem Apollini Delphico aliquando donum obtulerint. Mela *lib.* 2. Idem habet Schol. Dionysii *in hos versus*,

Τοὺς δὲ μεθ' ἑξείης Μεταπόντιοι, ἐχύθη δὲ σφῶν
Ἱμερτὸν πτολίεθρον ἐϋστεφάνοιο Κρότωνος.

Ptolom. & Strab. *Metapontium.* A *Metabo* Heroë dictum scribit Steph. Sisyphi filio, quem barbari Metapontum vocant. *Torre di mare* Leandro. *Pelicore* Gabrieli Barrio. *Thebesaze* verò castellum hoc loco nunc esse scribit Niger. *Vibo* aliquando vocata fuit, ut Solinus author est. Sic quoque eam nominat Cæsar *lib.* 3. *Bellorum Civilium.* Σῖρις olim etiam dicebatur, teste Eustathio. Baudrando urbs fuit Lucaniæ, ad ostia fluv. Caluenti, in ora sinus Tarentini, in Messapiæ confinio, à Samnitibus eversa; nunc castrum tenue. *Torre di Mare*, in Basilicata, 20. m. p. à Tarento in Occasum, 12. ab Heracleæ ruinis in Septentr. 14. à Castellaneta in Merid. Leand. Alb.

Metaris, æstus sive fluv. Albionis, in orâ Angliæ Orientali. Ptol. *The VVashes* Camdeno. Circa Bostonum oppid. in agro Lincolniensi, ut quidam volunt: Inter Icenos & Coritanos.

Metarus, Hispan. Tarracon. fluv. Ptol. *Mearos* Melæ, teste Pintiano: apud Trileucum promunt. inter Astures & Callaicos, Vide *Mearus.*

Metaurus, *Metaurum* Pomponio, *Metauria* aliis, opp. Brutiorum in orâ Calabriæ ulterioris. *Gioja* hodie. A Rosarno oppid. 6. m. p. in Ort. Scyllæum versus, apud Taurianum, patria Stesichori. Ita Ferrarius. Atqui *Mataurus* urbs Siciliæ, patria istius poetæ fuit. Vide Steph. in Μάταυρος. Quanquam Ἱμεραῖος ἀνὴρ dicitur Philostrato *lib.* 6. *de vitâ Apollonii.* Quibusdam est *Oppido*, aliis autem *Gioja*, oppidul. ad ostia Metauri fluv. in ora maris Tyrrh. 9. mill. pass. à Nicotera in Merid. 18. à Scyllæo in Sept. Baudrandus.

Metaurus, fluv. Brutiorum, cujus ostium ex adverso Æoliarum insularum describitur à Plinio. Hodiè *Marro fiume*, teste Cluverio. Prope Seminaram castrum labitur; & auctus aliquot minoribus, juxta Metaurum opp. in mare Tyrrh. se exonerat, 7. m. p. à Rossarno in Austr. uti & ab ostiis fluv. *Metramo*, Mesuna antiquis dicti.

Metaurus, Umbriæ fluv. ingens; hodie *Metaro* penultimâ correptâ, ut Pisaurum nunc *Pesaro*: Ferr. Baudrando nunc fluv. est Duc. Urbini, vulgò *Metro.* Oritur ex Apennino, dein Fanum S. Angeli in Vado, Urbaneam, & Forum Sempronii rigat; postea auctus aliis fluv. in sinum Adr. se exonerat, 4. mill. à Fano Senogalliam versus. Lucan. *lib.* 1.

In lævum cecidere latus veloxq; Metaurus,
Crustumiumq; rapax.——

Vide quoque Sil. lib. 8. & *Claud. in Paneg. de* 6. *Consulatu, &c.* *Nobilitavit eum maximè clades Hasdrubalis. Vide Hor. lib.* 4. *Od.* 4. *Silium ubi suprà, & Sidon. Apollin. Panegyr. ad Anthemium Aug.*

Metelis, urbs Ægypti juxta Heracleoticum ostium Nili non obscura, ab Alexandria 60. mill. pass. in Ort. Pelusium versus. *Rosetto* Italis, *Raschit* Turcis, teste Benjam. Tudelens.

Metelli castrum, seu *Metelloburgus*, urbs Zeelandiæ primaria, vulgò *Mittelburg* vel *Middelburg*, in Valachria ins. vix 1. mill. ab ora littor. ampla & permunita, sub dominio provinciarum unitarum Belgii. 1. leuc. à Vlissinga in Cæc. 4. à Clausulis, uti & 12. ab Antverpia in Circ. Per annum ferè à Batavis obsessa fuit, & ab ipsis expugnata, an. 1574. Emporium est celebre. Vide *Middelburgum.*

Metelli milites, qui & Ærarii. Vide Meursium ad Lycophronis *Cassandram p.* 300. Memorantur plures *Metelli*, ut Balearicus, Vittatus, quem Plin. Diadematum vocat, alii, V. infra.

Viri illustres.

Metellus, Pont. Rom. adeò impeditæ ac balbutientis linguæ, ut multis mensibus fatigatus, tortusq; fuerit, dum meditaretur in Æde Opiferæ dicere. Multis diebus in Pontificatu vixisse perhibetur. Hic Metellus, prænomine *Lucius*, conflagrante Æde Vestæ Palladium Trojâ advectum subtraxit ab incendio; magnâ quidem pietate, sed eventu misero. Nam dum in flammas avidus se conjiceret, orbatus est visu. Plin. 7. 44. Juv. *Sat.* 3.

—— Procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam.

Hic etiam primo bello Punico de Pœnis speciosissimum egit triumphum, 13. ducibus hostium & 120. elephantis in eo ductis. Vide Livium *libro* 19.

Metellus, Pœnis & Siculis socia adversus Romanos arma parantibus, Imperator cùm esset creatus, omnibus Diis, exceptâ duntaxat Vestâ, sacrificium fecit: cui propterea iratæ Metellam fil. immolaturus erat, sed Dea, adolescentulam miserata, buculam supposuit, puellamque ad Lanuvium pater dea ferens, sacerdotem draconis, qui ibi colebatur, fecit. Plutarchus *Par.*

Metellus Q. Cæcilius; à domitâ Macedoniâ *Macedonicus* vocatus,

catus. Prætor Pseudophilippum, & Achæos, quos bis prælio fudit, triumphandos Mummio tradidit. Invisus plebi ob nimiam severitatem, ideò Consul ægrè factus. Liv. *lib.* 5. Etiam in Hisp. victor, moriens 4. reliquit filios, ex quibus tres Consules vidit, quartum triumphatorem, Q. C. Metellum, qui *Balearicus* à victoria dictus. Aur. Victor. *c.* 61. Plin. *lib.* 7. *c.* 44. Florus, *lib.* 2. Lycosthenes *in Plin. de Vir. Ill.* Hic ille *Metellus* est, qui in exercitu arcanum quiddam interrogatus, respondit εἰ ᾤμην τὸν χιτῶνά μου συνειδέναι τοῦ τὸ ἀπόῤῥητον, &c. *Si existimarem tunicam mihi esse consciam hujus arcani, exutam eam in ignem injicerem.* Plut. *de Garrulitate.* Vide plura de eo apud Plin. 7. 13. & 44. Cic. 1. *Tusc.* P. Victorem *de Viris Illustribus.*

Metellus Q. Cæcilius Numidicus, quia de Numidiæ rege Jugurtha triumphavit, dictus: quòd legem Appuleji probare nollet, in exilium pulsus, sed lege Calidii & precibus filii revocatus est. Hujus Metelli de uxoribus ducendis ad populum hæc verba fuerunt, teste Gellio, 1. 6. *Si sine uxore, Quirites, esse possemus, omnes eâ molestiâ careremus; sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commodè, nec sine illis ullo modo vivi posset, saluti perpetuæ potius, quàm brevi voluptati consulendum.* Ejus filius *Q. Metellus*, cognom. *Pius* fuit, de quo vide Aur. Victorem *de Viris Ill. l.* 62. & 63. Florum *l.* 2. Appian. *de B. C. lib.* 1. &c.

Metellus Creticus, à devictâ Cretâ dictus. Plut. *in Pompejo.* Item *Metellus Dalmaticus* à devictis Dalmatis. Pædian. *act.* 3. *contra Verrem. Metelli* autem plebeji fuere, ut ait Liv. *lib.* 9. verùm clari victoriis, & magistratibus, ac *Cæcilii* omnes vocati.

Metellus Tegerensis, monachus Passavii, scripsit *Quirinalia* an. 1160. versibus Lyricis, i. vitam S. Quirini, à Canisio, edita, *tom.* 1. *antiq. Lect.* Voss. *l.* 3. *de H. L.* Casp. Brunichius, *l.* 1 *de Petav. Germ.*

Metellus, vide *Hugo Metellus.*

Metenses, pop. Germ. inferioris, ubi *Metensis* tractus: *le pays Messin.* Regiunc. est inter Lotharingiam inserta, inter Lotharingiam propr. ad Ort. Barrensem Duc. ad Occ. & Luxemburgensem Duc. ad Bor. Sub Gallis ab an. 1552. Ejus oppida Nomenium, Vicum, Marsalium & Gorza. Vide *Mediomatrices.*

Metercosa, opp. Hisp. Tarrac. in Carpetanis. *Pedrazza de la Sierra*, teste Moletio. Hinc Trajanum ortum ferunt. 8. leuc. ab Aranda, Madritum versus, in Eur. & Austr.

Methamaucum, urbs olim Episc. aquis submersa, & portus, contra Medoaci fluv. ostia. 5. m. p. à Venetiis; q. Μετὰ Μεδόακον. Vulgò *Malamocco.*

Methea, nomen loci, in quo castrametati sunt filii Israel profecti de Thare. Num. 33.

Methodius, Dalmatas & Slavos convertit sub Ludovico II. Imp. An. C. 862. Bohemos dein ad finem perduxit, Borzivoo R. baptisato, an. C. 894. quibus, ut & Moravis, jam antea à se conversis, adhuc an. 910. diligenter Christum prædicavit. Lætus *Comp. hist. Univ.* Alius cognom. *Eubulius*, Episc. Tyrius, Martyr sub Diocletiano & Maximiano, an. C. 303. Fuit quoque nomen duorum Patr. Constantinop.

Methone, urbs Peloponnesi in orâ Messeniæ ad Occ. tempestate clarissima, & sedes Præfecti, *Turcis Mutune*, teste Leunclavio. *Pedasus* Homero, teste Ferrario. Baudrando hodie *Modon*, urbs in ora Messeniæ Austr. emporium celebre, cum portu capacissimo, in prov. *Belvedere.* Cum arce permunita. Estque valde populosa, 15. m. p. à Corone in Africum, 22. à Tænario prom. in Occ. 105. à Nauplia in Afr. sub Turcis, à Bajazethi II. tempore, qui illam anno Chr. 1498. cum Naupacto, Mytilene, &c. expugnavit, magna in devictos sævitiâ usus. P. Jovius *Histor. lib.* 8. *cap.* 10. Val. Flaccus *Argon. lib.* 1.

—— Quem parva Methone,
Et levis Elis equis, & fluctibus obvius Aulon.

Alia in Macedoniâ juxta Thraciæ fines apud Olynthum, cujus meminit Demosth. *Orat. contra Philippum*, qui ibi in pugnâ oculo uno privatus est, expugnata & direpta ab eodem Olymp. 106. an. 3. Sunt etiam plures hujus nominis urbes. Vide Steph. in Μεθώνη.

Methuriades, insulæ 4. parvæ in sinu Megarico, inter Æginam, & Atticam, prope Troezenem. Steph. Plin. Ferr.

Methurion, urbs Arcadiæ, alia Thessaliæ. Steph.

Methydrium, opp. fuit Peloponnesi, in agro Megalopolitano. Xenoph.

Methymatnus, fil. Masinissæ, an. æt. 86. ei natus.

Methymna, urbs Lesbi insul. post Mitylenen primaria, in orâ ad Ort. à *Methymna* Macaris filia, uxore Lepydni. Patria Arionis citharœdi nobilis. Illic nascitur optimum vinum. Ovid. 1. *de Arte Amand.*

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Vide quoque Sil. *l.* 7. Virgil. *Georg.* 2. Propert. *lib.* 4.

Methymna Asidonia, urbs Vandalitiæ; *Medina Sidonia* vulgò. Vide *Asindum.*

Methymna Campestris, urbs regni Legionensis, in limite Castellæ vet. 8. leuc. à Vallisoleto in Austr. 11. ab Albula in Septentr. 6. à Durio fluv.

Methymna Cetia, opp vet. Castellæ, in limite Aragoniæ, caput Duc. perampli, ad Salonem fluv. 6. leuc. à Seguntia in Ort. Bilbilim versus; *Medina Celi* vulgò.

Methymna Sicca, oppidul. regni Legionensis, 5. leuc. Hisp. à Palencia in Occ. 8. à Vallisoleto in Circ. 11. à Sentica in Cæc. Cum tit. Duc. Vulgò *Medina de Rioseco.*

Methymna Talnabia, incolis *Medina Talnabi*, i. civitas Prophetæ, antea *Jathreb*, urbs Arab. Fel. ad amnem *Laakic*, ubi natus Mahumetes Pseudopr. 200. m. p. à Mecha in Bor. 90. à mari Rubro in Eur.

Metia, una ex 35. tribubus populi Romani.

Metianus, Jurisconsultus tempore Alexandri Augusti.

Metiche, quæ & *Clepsydra.*

Metilia lex, à M. Metilio Tr. Pl. lata An. 536. U. C. contra morem Majorum, Magistri Equitum & Dictatoris jus æquavit, Liv. *l.* 22. quod factum in gratiam M. Minutii Rufi, qui Magister Eq. contra edictum Q. Fabii Max. Dictatoris sui pugnaverat.

Metilii, cum reliquis primoribus Albanis familiis, Romam à Tullo Hostilio vocati, & in patricias Senatumque, authore Dionysio, allecti.

Metilis, seu *Metelis*, urbs Ægypti prope Alexandriam, quæ nunc *Bechis* vocatur. Steph.

Metilius Bradua, Consul cum Vero, an. U. C. 912.

Metina, nomen Deæ apud Rom. cui sacra fiebant Prid. Kal. Octobr quo die primum mustum bibebant. Item Ins. exigua Galliæ Narb. Plin. quibusdam est *Blasco*, oppidul. permunitum in scopulo, in ora littor. Occitaniæ, continenti ferè junctum, vulgò *le Brescon.* Vide *Blasco.*

Metiochus, Miltiadis Atheniensis ducis filius, qui à Phœnicibus captus, & Dario Persarum regi, contra quem pater bellum gerebat, oblatus, honorificè ab illo habitus fuit, Herod. *lib.* 6.

Metiochus alius, apud Athenienses, qui exercitum duxit, vias curavit, farinam tractavit, & aliis præfuit. Plut.

Metiosedum, soli Cæsari *Comm. de bello Gall. lib.* 7. memoratum, infra Lutetiam Parisiorum ab illo ponitur. Vulgò *Meudon.* Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Metis, nympha, una ex filiabus Oceani & Tethyos, sic dicta à *consulendo.* Hesiod. *in Theog.*

Metis, antiquissima Gall. Belg. urbs, Episcop. quam Mediomatricum vocant civitatem; qui sic dicti, quòd eorum metropolis medium teneret locum inter tres civitates, Tullum, Verdunum ac Treverim. Sedes fuit Austrasiæ Regum & Conciliorum variorum: Habet Treverim ad Septentrion. Tullum ad Merid. & Verdunum ad Occasum. Dictam scribunt à Metio Romano, qui hanc urb. à Jul. Cæsare expugnatam ampliavit, murisque cinxit. Illam Henricus II. Francorum Rex, cepit, Anno Dom. 1552. per Connestabilem Montmorantium: quam cùm paulo pòst Imperator frustra obsedisset, en versum!

Siste viam Metis, hac tibi meta datur.

Munst. *lib.* 2. *Cosmogr.* Vide *Meta.*

Metiscus, Turni auriga, Virgil. *Æn* 12.

Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Exuit. ——

Sunt qui scribendum putent *Methyscus*, etymon ejus derivantes à μεθύσκομαι, quod est *inebrior.*

Metita, oppidum Armeniæ minor. in Laviniensi præfectura. Ptolom.

Metius Carus, delator insignis. Plin. *lib.* 1. *Ep. ad Voconium*, & *lib.* 6. *ad Hispanum.* Vide & *Carus.*

Metius Curtius, Sabinorum dux, contra Romulum ob raptas Sabinas acriter pugnavit.

Metius Suffetius, quem alii *Fufetium* vocant, Albanorum Dictator, tempore Tulli regis Rom. qui, quòd ex præscripto fœderis ad belli societatem contra Fidenates vocatus, euntibus in hostem Romanis, suos prælio eduxerat, jussu Tulli, duabus admotis quadrigis, discerptus est. Liv. *lib.* 2. Flor. *lib.* 1. *cap.* 3. Vide quoque Virgil. *Æn.* 8. Ovid. 1. *Trist. Eleg.* 3. Claud. *Paneg.* 4. *Hon.* Item *de bello Gildonico.* Livium *lib.* 1. & Dionys. Halicarn. *l.* 3.

Metleta, vide *Micela.*

Meton, Astrologus, ex his unus, qui Atheniensibus adscriptus fuit, navigaturis in expeditionem Siciliæ, qui onus detrectare cupiens, tempestatem futuram prædixit, cùmque propterea minimè proficeret, simulavit insaniam, atque hoc modo missionem impetravit. Edidit an. 321. U. C. suam Enneadecaëterida, i. Cyclum 19. annorum, quo solis Lunæque motum conciliare conatus est. Quod factum secundùm Ptolom. An. 316. Nabonassaris, seu 4. an. Olymp. 86. sub Archonte Apsende. Socium observationum Solarium Euctæmonem habuit. Meminit hujus Metonis, Festus Avienus, cùm ait:

Illius ad numero prolixâ decennia rursum
Adjecisse Meton, &c.

Ptolom. *l.* 3. *Almagesti.* Suid. Scalig. *de Emend. Temp.* Petav. *de doctr. temp. l.* 1. *c.* 12. & *in Uranolog. l.* 6. *c.* 2. Langius, *de ann. Christi l.* 1. *c.* 12. & 13. Ricciolus *Chron. Refor. l.* 1. *c.* 19. Voss. *de Math. c.* 33. §. 11. Ælian. *Var. Hist. l.* 10. 7. & 13. 12. Ubi autem periodus hæc figenda, inter eruditos non convenit; quamvis Avienus supra laudatus id decidisse videatur, verbis hisce:

Sed prima va Meton exordia sumsit ab anno,
Torreret rutilo cùm Phœbus sidere cancrum.

Metope, fluv. Arcadiæ. Callimach. *Hymn.* 1.

Πεζὸς ὑπὲρ Κρᾶθιν τε πολύστιον τε Μετώπην.

Ubi Schol. Μετώπην ποταμὸν Ἀρκαδίας.

Metopon, locus prope Peram urbem vicinam Constantinopoli, cujus meminit Nicephorus. *Acra Spandona* Gyllio, *l.2. c. 6.*

Metra, Erisichthonis Thessali filia, nobilis fuit meretrix, quæ nondum invento auro, aut gemmarum usu, bobus, aut equis, aut alterius generis pecoribus noctes suas locabat: unde factus est locus vulgi fabulæ, ut Metra diceretur transformari, in ea omnia, quæ ab amatoribus accipiebat; indeque manavit Proverb. *Mutabilior Metra.* Vide Ovid. *Met.* 8.

Metri, nomen viri. 1. Reg. 10.

Metrocles, Philosophus Maronites, frater Hipparchiæ, Cratetis levir. Tortel. Discipulus Theophrasti, quo relicto Crateti adhæsit. Præceptor Theombroti & Cleomenis: Se ipsum suffocavit senex. Diog. Laërt. *in Vita ejus l. 6.*

Metrocomia, vicorum Matres erant, *the mother Churches* Angl. ut Metropoles civitatum. Unde fortè *Cepha castellum*, *act.* 3. Concil. Chalcedon. In his non Episcopi, sed Chorepiscopi & περιοδευταὶ, i. Circuitores instituti olim, ut *Canone* 75. Concil. Laod. *Can.* 10. Concil. Antioch. *Can.* 6. Concil. Sardic. Anglis *Capcastels.* Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.*

Metrodorus Atheniensis, an Lampsacenus, scriptis inclytus, Epicuri discipulus fidissimusque amicus. Strab. *lib.* 13. Diogenes Laërtius, *libr.* 10. *in Vita Epicuri.* Clem. 2. *Strom.* Gassend. *in Vita Epicuri cap.* 8. Johan. Salisburius, *de nugis Curialium, l.* 7. *c.* 11.

Metrodorus Chius, Mundum æternum esse dicebat: Quoniam si factus esset, ex non ente factus esset: infinitum verò esse, quoniam æternum, & quum non habeat principium, unde incipiat, nec exitum habiturum quo terminetur. Immobilem quoque asseruit, quoniam moveri non possit, quod non transeat: transire autem necesse est, aut in plenum aut in vacuum, in quorum alterum transitus fieri non potest. Ex æthere autem nubes fieri densatione aquæ, quæ supra Solem ascendens extinguat ipsum, & rursus rarefacta accendat. Solem siccitate constipatum ex aquâ splendidâ, stellas efficere. Dixit etiam diem ac noctem inde fieri, quòd sol extinguatur, Eclipsin quoque extinctione fieri. Euseb. *Præp. Evang.* 17. 14. Medicus quoque fuit, discip. Democriti, Hippocratis verò & Anaxarchi præceptor. Scripsit varia, Plin. Athen. Isaacus Tzetzes, &c.

Metrodorus Lampsacenus, amicus Anaxagoræ, Euseb. *Olymp.* 70. *&* 79. Diogen. *in hujus Vita.* Alius Stratonicâ oriundus, Pictor & Philosophus, solus deserto Epicuro ad Carneadem se applicuit. Diog. *in Epicuro.* Cic. *l.5. de Fin. l.1. de Orat. l.* 4. *Acad.* Gassend. *l.* 4. *Vita Epicuri c.*8.

Metrodorus Melicus, artem memoriæ ita consummavit, ut nihil non iisdem verbis redderet auditum. Plin. 7. 14. Item Grammaticus apud Agathiam 5.

Metrodorus, obses Tirgatæo Mæotidi datus à patre Satyro, sed ob fidem à Patre violatam, interfectus. Polyæn. *lib.* 8.

Metrodorus Scepsius, è Philosophicâ vitâ in civilem mutatus est. Magna ex parte in suis scripturis oratoriè loquitur, novo quodam dicendi genere usus. Propter nominis famam, quanquam pauper erat, clarum tamen conjugium apud Carthaginenses adsecutus: Quum amicitiam Mithridatis R. sibi conciliavisset, ad illum cum uxore discessit, & honore maximo affectus est, legatus ab eo ad Tigranem. Strabo *lib.* 11. *&* 13. Hujus summa memoria à Cicer. commendatur *lib.* 1. *Tuscul. Qu.* Plin. *libr.* 3. *cap.* 16. *&* 31. *& libr.* 34. *cap.* 7. Athen. *lib.* 13. *&c.* Cæterùm de variis *Metrodoris* vide Voss. *Hist. Gr. p.* 389. & Jonsium *de Script. hist. Philos. l.* 1. *c.* 12.

Metron, nobilis Macedo, in Alex. M. exercitu, armamentario præfectus. Curt. 6. 44.

Metrophanes, Episc. Byzantinus, ob senium, Concilio Niceno interesse non potuit. Euseb. Morer. *Diction. Hist.* Item Patriarch. Constantinop. seculo præterito. Genebrard. *in Pio V.*

Metrophanes, Sophista, Eucarpiâ oriundus, præter commentaria in Hermogenem, & Aristidem, item volumen de statibus, deque Ideis, scripsit 2. libros de Phrygiâ, Steph. Byzantinus, Suidas, apud quem 2. alii sunt ejusdem nominis, Vossius. Gesner. *in Bibl.* Smyrnii cujusdam meminit, auctoris libri de Spir. S.

Metropolis, urbs Phrygiæ magnæ apud Mæandrum fluv. Episc. sub Archiep. Ephesino: Sed hæc in Joniâ est inter Ephesum, & Smyrnam. Baudrando *Metropolis*, urbs duplex est, una Phrygiæ magnæ, ad Mæandrum, Episc. sub Archiepisc. Antiochiæ Pisidiæ, à qua 60. m. p. distat in Circ. Altera in Lydia, ad Caystrum fluv. in ipso limite Joniæ, Episc. sub Archiep. Ephesino, 20. m. p. ab Ephesto in Cæc. & 50. à Smyrna in Eur. Pop. *Metropolita.* Plin. Fuit & *Metropolis* Thessaliæ urbs, inter Gomphos, & Pharsalum, Cæs. Item Sarmatiæ Europ. Ptolom. Decem *Metropoles* numerat Steph.

Mettius, prænom. *Marcus*, princeps Gallorum, hospes Ariovisti, à Jul. Cæs. cum C. Valerio Procillo, ad Ariovistum missus, sed tum in vincula conjectus. Cæs. *l.* 1. *Comm. c.* 47.

Metubarris, Pannoniæ infer. insula in Savia, *Zygeth* Lazio. Sed *Zygeth* est vocabulum commune omnium insularum linguâ Hungaricâ: Baudrando in Rascia est, intra Savum fluv. 4. leuc. ab opp. *Wivar* in Occ. extensa 3. leuc. Vulgò *Otozecz.*

Metullum, sive *Metulum*, opp. Japodum apud Colapim fluv. in confin. Liburniæ. Appianus *in Illyricis* tradit, eam regionis metropolim esse, sitamque in monte nemoroso, duobus conditam tumulis, quos vallis modica interfecat. Lazius scribit, hodie *Trojam* esse in Ciliciæ Comitatu. Baudrando *Metling* est, opp. amplum Japodum, nunc Carniolæ, in Vindorum Marchia, 2. m. p. à Colapi fluv. & 20. à Lugea palude in Ort. uti 25. à mari Adr. in Bor. Sub Imperatore.

Metullum castrum, sæpè *Metulum*, in priscis literis *Mella*, vulgò *Melle*, locus Galliæ, in Pictonibus, monetâ olim suâ nobilis.

Mevania, Umbriæ urbs, Episc. olim, ad Clitumnum fluv. nunc oppidum amplum; inclytum Propertio alumno, ad viam Flaminiam, 6. m. p. à Fulginio, 12. à Perusia: armentorum & gregum ferax. *Mevaniates* pop. Plin. 5. 41. Vulgò nunc *Bevagna* dictum. Columella 3. 18. *Armentis sublimibus insignis Mevania est.* Lucan. *lib.* 1.

—— Tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat.

Sil. *lib.* 6. Stat. 1. *carm.* 4. Prop. *lib.* 4. *&c.*

Mevius, poëta ineptissimus, Virgilii & Horatii temporibus, utrique æquè invisus, quòd ex alienæ laudis obtrectatione gloriam occuparet. Vide Virgil. *Eclog.* 3. Horat. *Epod.* 6. &c.

Mevius Pudens, è proximis Tigellini, corruptor Prætoriarum cohortium, contra Galbam. Vide Tacit. *Hist.* 1. 24.

Mevaniola, vulgò *Galeate* pagus Galliæ Togatæ, sive Æmiliæ, in Romandiola, à Forolivii ad 10. mill. pass. distans, à Cesena 20.

Meursia, vulgò *Meurs*, urbs parva Germaniæ. In Ducatu Clivensi ponitur à quibusdam, quanquam sit intra limites ditionis Coloniensis. Munita est & culta, 2. milliaribus Germanicis à Rhinoberga in Meridiem, & uno à Rheno fluvio distans, sub dominio Principis Auraici, cum regiuncula seu Comitatu adjacente.

Mexicana, Gall. *le Mexique*, regio præcipua Americæ Septentrion. aliàs regnum potentissimum, *Reyno de Mexico* Hispanis, estque pars ampla novæ Hispaniæ, versus Mexicum urbem, regionis primariam, inter mare Boreale seu sinum Mexicanum ad Ortum & mare Pacificum seu Austrinum ad Meridiem, sub Hispanis. Mexicana etiam dicitur provincia novæ Hispaniæ, inter provincias Tlascalam ad Ortum, Mechoacanum ad Occasum, Panucum ad Boream, & mare Pacificum ad Meridiem, *Mexico* vulgò. Ejus longitudo à Septentrione in Austrum est 130. leucarum Hispanicarum, latitudo autem est 50. leucarum. Sic dicitur à Mexico urbe primaria. *Mexicana* item dicitur America Septentrionalis à Mexicana regione nova ipsius præcipua. Vide *America.*

Mexicana nova, *Nuevo Reyno de Mexico*, regio ampla Americæ Septentr. Vide *novum regnum Mexicanum.*

Mexicanus sinus, *Golfe de Mexique*, pars maris Borealis, in America Septentr. versus oram Mexicanæ seu Novæ Hispaniæ extensus, uti & inter Floridam & Jucataniam provincias & Cubam insulam.

Mexicanus lacus, *Lago de Mexico* Hispanis, lacus Novæ Hispaniæ, circuitus est 30. leucarum Hispanicarum, & Mexicum urbem prim. rigat.

Mexico, civ. Hispaniæ novæ celeberrima, ubi Idola ex farinâ, & humano sanguine conficiunt, quibus multa hominum corda ex viventium corporibus extracta quotidie offerunt. Plura lege apud Novi Orbis neotericos scriptores. V. quoque infra *Mexicum.*

Mexicum, vulgò *Mexico*, urbs Archiepiscopalis Hispaniæ novæ in novo orbe, conventus juridicus, & Hispanorum colonia maxima, 100000. ædium, ut ferunt, continens, intra lacum, ut Venetiæ constructa, Ferr. Baudrando *Mexique* Gallis, *Tenuchtitla* seu *Temistitan* incolis, urbs est totius Americæ præcipua & amplissima, in America Septentr. provinciæ cognom. & novæ Hispaniæ caput, sedesque Proregis Hispani. Sedet in ora lacus cognominis, sed non intra lacum, neque instar Venetiarum; estque tota in planitie amœnissima & pro parte à lacu circumdata. Archiepiscopalis facta fuit anno 1547. à Paulo III. Pontifice Rom. cui suffragantur Episcopi Tlascalæ, Guaxacæ, Mechoacani, Novæ Galitiæ, Chiapæ, Jucataniæ, Guatimalæ, & Veræ Pacis. Anno 1629. hæc civitas aquarum lacus eluvie deformata & pessimè habita fuit; nunc tamen in dies reparatur. Aliàs fuit sedes Regum Mexicanorum, sed capta fuit à Ferdinando Cortesio, & subest dominio Hispanorum ab anno 1519. cum tota regione. 80. leucis Hispanicis distat ab Acapulco ad mare Pacificum in Boream, & totidem à portu Veræ crucis ad mare Boreale in Occasum. Extructa fuit anno 1322. ut narrant incolæ. Synodo hîc à Missionariis, Mexicanorum conversioni intentis, habitâ anno Chr. 1524. statutum est, ut, qui ex recens Christianis adhuc plures, pro more gentis, uxores haberet, unam retineret, cæteris dimissis. Anno dein Chr. 1585. à Petro de Moisa de Contreras Arch. Mexicano ibidem Concilium provinciale habitum est, ad mores reformandos, &c. Morerius *Diction. Histor.* Vide Novi Orbis Descriptores, ut & Itiner. varia.

Meza, filius Rahuel, filii Esau. Gen. 36.

Mezab, pater Matred. Gen. 36.

Mezades, sextus Atheniensium archon. A M. 3021.

Mezentius, Tyrrhenorum rex, summus Deorum contemptor, qui cùm tyrannidem domi crudelius exerceret, à suis per seditionem pulsus unà cum Lauso filio ad Turnum sese contulit, id temporis bellum adversus Æneam gerentem. Quo in bello, cùm magnam tam Trojanorum, quàm Hetruscorum stragem edidisset, unà cum filio ab Æneà est interemptus. V. Virg. *Æn.* 10. Item *l.* 8. *v.* 483. & de la Cerdam *ad locum*.

Mezzaba, vulgò *Mezzaba*, tractus Biledulgeridiæ, cum urbe cognom. Sanso; juxta fluv. Majorem, & inter Zebum reg. ad Ort. & Tegorarinam ad Occ.

M I.

Miacorus, urbs Chalcidica. Steph.

Miacum, Anton. opp. Hisp. Tarr. inter Segobiam 19. & Titulciam 24. m. p. *Cercedilla* vulgò quibusd.

Miamin, nomen viri. 2. Esdr. 10.

Miarius, vulgò *Miary*, fluv. ingens, in parte Sept. Brasiliæ, ubi in mare Bor. se exonerat, juxta Marananiam Inf.

Miasena, urbs Armeniæ, versus Syriam. Anton.

Miba, pop. Lyb. interioris in Austr. vergentes, Æthiopibus & Nigritis proximi. Silius 3.

His simul immitem testantes corpore Solem
Exusto venere Miba. —— ——

Mibahar, nomen viri. 1. Par. 11.

Micca, virgo Eliensis præclarissima, Philodemi filia, moribus & formâ excellentissima, quam Lucius quidam tyranni satelles, cùm frustra misso nuntio ad se venire jussisset, libidine simul, atque ebrietate furens, ipse domum virginis profectus est ac eam paternis genibus apposito capite hærentem offendens, se statim ut sequeretur, minitabundus imperavit. Quod illa cùm facere cunctaretur, Barbarus laceratis vestibus, nudatam gravissimis plagis cæcidit, cumque fortissimè dolorem pertulisset, tandem in paterno sinu jugulavit. Plut. *de claris mulieribus*.

Micela, ita ex vet. codice repræsentat Lud. Carrio, apud Val. Flacc. *libr.* 6. *verf.* 130. Populi vicini Jazygibus. Sabellicus olim legebat *Metleta*.

Micha, pater Abdon. 2. Par. 34. qui & *Michaia*. Item nomen viri de monte Ephraim, in Idololatriam prolapsi, de quo Vid. Jud. 17. & 18. Torniel. A. M. 2594. *n.* 15. Salian. A. M. 2622.

Michæa, nomen prophetæ, Mich. *c.* 1. unius ex 12. minoribus, Morasthiâ, in tribu Ephraim, oriundi. Prophetavit, sub Joathamo, Achaso & Ezechia, Judæ Regg. Locum nativitatis CHRISTI clarissimè prædixit, septem capitibus insignia pandens mysteria. Hieron. *in Comment.* Epiphan. *de vit. Proph.* Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.* Alius fuit, fil. Jemlæ, qui Achabo cladem prædixit, propterea in vincula conjectus. Vid. 3. Reg. 22. 2. Par. *cap.* 18. Torniel. *A. M.* 3137. *n.* 3. In priores *Prophetiam*, extant: Brentii *Comm.* Danæi *Explicatio locorum diffic.* Chytræi item Witeb. 1565. Gerlachius, 1524. Augustæ Vindel. Gravveri *Expositio*, Quart. Grayeri *Comm.* Salmanticæ 1570. Octav. Oecolampadius. Phrygio. Savanarolæ *Sermones*. Tarnovii *Comm.* &c. Vid. Crovvæi *Elenchum*.

Michæa, seu *Michaas*, filius Gamariæ, Jer. 26.

Michæa, filius Joel. 1. Par. 5. Filius Meribaal, filii Jonathan. 1. Par. 8. Filius Mephibosheth. 2. Reg. 9.

Archangelus.

Michael, nomen Archangeli. Dan. 10. & 12. Jud. *vers.* 9. Hujus apparitionem Romæ Drepanius Florus, Poëta Chr. vel in Gargano, Apuliæ monte, sub Gelasio III. cui proin à Bonifacio III. templum erectum, in mole Adriani, hinc *arx S. Angeli* dicta, jactent alii: alii celebre monasterium, nomine *Mons S. Michaëlis*, in medio mari, ob aliam istiusmodi apparitionem, extruxerint: Gallia illum Protectorem suum veneretur: Lescus Niger, Polonorum R. ad prælium contra Lithuanos, visione Archangeli hujus confirmatus, unde Lublini templum post victoriam ei erectum, A. C. 1282. dicatur: Bongomitæ hæretici, eum incarnatum dixerint, propius ad veritatem illi accedunt, qui per Angelum hunc, Angelum increatum, JESUM CHRISTUM ipsum, intellectum volunt. Hic enim verè est *Michaël*: Lat. *Quis sicut Deus*, aut *humilitas*, *paupertas*, sive *percussio Dei*.

Imperatores Græci.

Michael I. cognom. *Rangabes*. Primò Curopalates; dein ductâ Procopiâ, gener Nicephori Imper. eoque occiso, ac filio ejus Stauracio vulnerato, in pugna contra Cromnum, Bulgarorum Principem, Imperator A. C. 811. Filio Theophylacto in consortium Imper. ascito, Saracenos per Leonem ducem repressit, à Bulgaris dein, quos primò viceràt, fugatus, rebus desperatis in cœnobium abiit, misso diademate & pallio purpureo Leoni Armeno, Anno Chr. 813. Theophanes *in Annal.* P. Æmil. *libr.* 3. Anastas. &c.

Michael II. cognom. *Balbus*, natione Phryx. A' Leone V. in vincula conjectus, eo fine, ut post Nativitatis festum neci traderetur, ipso Natali Christi Leone occiso, Imperator salutatus est. A. C. 820. Impius, barbarus, imaginum restitutor, sectâ Sabacæus, Patriarchæ Theodosio Biscodeptem, ejusdem sectæ, surrogavit. A' Thoma fœderatorum legionis tribuno in urbe obsessus, per Bulgaros liberatus est, à Saracenis Cretâ exutus Siciliâque, prodente Euphemio, Dalmatiam quoque, eripientibus Bulgaris, amisit. Obiit, omnibus exosus, dysenteriâ, an. 829. Cedrenus, Curopalates, Theodorus Studita, Sigon. *l.* 4. *ad an.* 20.

Michael III. Theophili fil. cum Theodora matre, Const. Imp. An. Dom. 842. Patri successit. *Bibo* dictus, renuntianti de Saracenis, cursu certaturo, *tùm in tali*, inquit, *certamine sim, & qui medius est, eùm ad lævam propellere properem, tu ineptè de Saracenorum incursione verba facis.* Interea mater, à Monacho quodam, periculorum mortisque metu territa, Imaginum cultum, à Theophilo sublatum, restituit, Johannique Patr. dejecto Methodium surrogavit: Sed iliâ à filio Monasterio inclusâ, suasu Bardæ fratris hujus, per hunc postea omnia Imperator administravit. Patriarcham Ignatium, quòd Mátri crines resecare nollet, in exilium pepulit, Bardam Cæsarem creavit, à Saracenis dein ad Samosatam victus, in urbe à Russis obsessus, eundem insolentius se gerentem occidit; Nicolaum I. qui Photium Ignatio surrogatum excommunicaverat, increpuit, illumque Concilio Constantinopoli habito deposuit. A' Basilio Macedone, quem, collegam lectum, è medio rursus tollere cogitabat, occisus, Anno Chr. 867. Nicetas, *in vita Ignatii*. Curopalates, Cedrenus, Zonaras tom. 3. &c.

Michael IV. Paphlago, occiso Romano III. Constant. Imperatore, imperium arripuit. An. Dom. 1034. ope Zoæ Imperatricis, quæ ipsius, è vilissima fæce & aurifabri, consuetudine aliquandiu usa, per eum, maritum in balneo submerserat. Saracenos in Sicilia per Maniacen vicit, & 13. urbes imperio adjecit, mox eandem sub Stephano denuo amisit, à Petro quodam, qui Bulgariam occupaverat, profligatus. Obiit an. 1041. Successorem nactus Johannem fratrem, ingenio & probitate insignem, qui Zoën monasterio inclusit. Curopalat. Cedren. Zonaras, &c.

Michael V. Calaphates, Zoes Augustæ adoptione Const. Imp. factus, eodem die, quo Michaël Paphlago obiit, in insulam eam relegavit, sed ab ea postea, & regno, & oculis privatus est. Biond. Zonar. Cedr. *in Annal.*

Michael VI. Senior, uno anno Const. Imp. Anno Chr. 1056. etiam *Stratioticus* dictus: adoptatus à Theodora, Zoës minore natu sorore, Theodosium fil. Constantini Monomachi vicit, ab Isaaco Comneno, qui ab exercitu Imperator proclamatus fuit, victus & in cœnobium relegatus. Joh. Scilitz. *in Compend.* Zonar. *in hist.*

Michael VII. Parapinaceus, Constantini Ducæ filius, Anno Chr. 1071. Successit Romano IV. à Xiphilino Patr. coronatus. Ob avaritiam populi odium incurrit, cùm fame durante frumenti mensuram diminueret: Hinc nomen adeptus. Interim Literarum cultor, in Philosophiâ inprimis, Mathematis & Poësi egregiè profecit, sed dum intempestivè hisce vacat, Nicephorus Turcarum opibus subnixus, Constantinopoli captâ, coegit Michaëlem purpuram exuere, an. 1078. qui in Studitarum Monasterium se recepit, postea Archiepiscopus Ephesinus factus. Zonar. *in Hist.* Baron. *in Annal.*

Michael VIII. fil. Andronici Palæologi, ex matre ejusdem familiæ, hinc *Diplo-Palæologus* dictus, Despota primò, dein excæcato Johanne IV. cujus tutor fuerat, Imperium adeptus est, Anno Chr. 1259. Constantinopolim Balduino II. Anno 1261. eripuit, postquam illo Imperio potiti Germani essent an. 58. Ob Imperii fines dilatatos *Magnus* appellatus, contra Venetos, ab Atheniensibus adjutus est. Carolum Siculum, qui imperium dotis nomine filio suo pro filia Balduini repetebat, versutè initâ cum Arragoniis conjuratione, excussit. P. Æmil. *lib.* 7. Pap. Masson. *l.* 3. Sed quòd in Concilio Lugdunensi, Anno 1274. se Gregorio X. submisisset, suis exosus, & à proprio filio sepulturâ privatus est. Obiit autem anno 1283. cùm Johannem Sebastocratum, Thessaliæ Principem, oppugnatum iret. Gregoras, Pachymerus, &c.

Michael Augustus, Vid. *Andronicus II.*

Viri illustres.

Michael, Patr. Constantinopolitanus, sec. 13. quartus hujus nominis, Thomæ à Latinis oppositus.

Michael Antiochenus, condidit historiam omnigenam, de quâ Possevinus *in apparatu sacro*.

Michael Anchialius, Patr. Constantinop. sub Emanuele Comneno, Philosophus insignis, pacis amans: Balsamo *in nomocl. Photii, in Can.* 65. *Conc. Trull. & in Can.* 16. *Conc. Carth.* Baronius *in Annal.* &c.

Michael Angelus Bonarota, Pictor Sculptorque excellentissimus, fil. Lud. Bonarotæ Simonii, ex prisca Comitum Canossiorum stirpe. Anno æt. 16. è marmore statuas fingere incepit, omnibus in artis admirationem raptis: à Julio II. Leone X. Clemente VII. Paulo III. Jul. III. Paulo IV. expetitus: A' Francisco I. Carolo V. Cosmo M. D. Venetis, &c. imò ab ipso Solimanno Turc.

Turc. Imp. maximi habitus: Obiit Romæ, Anno 1564 æt. 89. Cadaver ejus Florentiam translatum & magnificè sepultum est. Thuan. *in Hist.* Vasarius, *in ejus Vita.* Fillebenius, *de Vit. Pictorum, Part.* 2.

Michael Attaliates, JC. & Hist. Gr. scripsit Pragmaticam, quæ est *Tom.* 2. *Juris Græco Romani*, Joh. Leunclavii curâ editi. Vide Voss. *Hist. Gr. l.* 4. *c.* 21. Sub Michaële VII.

Michaël Bajus, cum Cornelio Jansenio, & Joh. Hesselio, ad concilium Tridentinum, nomine Philippi II. missus, an. 1563. Theologiam Lovanii docuit: Augustinum novies evolvit, scripsit plurima, in quibus propositiones quædam Pio V. & Gregorio XIII. ingratæ. Obiit Anno Chr. 1586. æt. 77. Val. Andr. *Bibl.* 8. Possevinus, &c.

Michael Cerularius, Patr. Constantinopol. post Alexin, Anno Chr. 1043. prolixam contra Latinos Epistolam scripsit, postmodum ab Isaaco Comneno, quem tamen ad Imperium promoverat, in exilium ejectus est, Anno Chr. 1058. ubi paulo pòst obiit.

Michael Choniates, Metropolitanus Atheniensis, eruditione inclytus, an. 1210. Frater Nicetæ historici. Diu in Zia, Cycladum una, exul vixit.

Michael Eggenstorphius, Constantiensis, vicesimus septimus & ultimus Abbas cœnobii celeberrimi S. Salvatoris seu omnium Sanctorum, prope Scaphusiam Helvetiorum, tum adhuc vicum, extructi à Comite Eberhardo Nellenburgio A. C. 1052. Hic postquam Reformationi Ecclesiæ Scaphusianæ aliquandiu necquicquam obnixus esset, tandem Evangelio manus dedit, seque cum omnibus sibi subjectis Magistratus auctoritati & protectioni submisit, A. C. 1524. Obiit in eadem urbe A. C. 1552.

Michael Glycas, Historicus Græcus gente Siculus. Scripsit Annales, part. 4. In quarum prima, opera 6. Creationis dierum enarrat; in secunda res à Mundo condito ad JESUM CHRISTUM gestas exequitur. Tertiam, in Constantio M. finit. Quartam, usque ad Alexium Comnenum perducit: Non Historicum modò, sed & Physicum, Theologumque agens. Quintam dein partem Leunclavius adjecit, quæ usque ad Constantinopolim captam pertingit. Voss. *de H. G. l.* 2.

Michael Hospitalius, Arvernus, Cancellarius Galliæ, Philosophus eximius, JC. excellens, in omni literarum genere versatissimus, gratiâ & eloquio inclytus, sed quòd Reformatis faveret, à scriptoribus Rom. Commun. reprehensus. Vixit sub Francisco II. & Carolo IX. cùm prius Margaretæ, Sabaudiæ D. Cancellarius fuisset. Obiit Anno Chr. 1573. Thuan. *in Hist.* S. Marth. *elog. lib.* 2. Beza, *in ejus Vita.* Pater Magdalenæ, quæ Roberto Huralto nupta, ex illo, præter alios, *Michaëlis* Huralt-Hospitalii mater fuit, qui ut ingenio excellenti polluit, Bibliothecam ab Avo muneri accepit, Cancellarius dein Henrici Navarri factus, qui Galliæ quoque R. fuit. S. Marth. *elog. l.* 4.

Michael Mæstlinus, Mathematicus celebris, Tubingæ Professor. Auctor Galilæo, ut Copernicum sequeretur, fuit.

Michael Monachus, vitam exaravit æqualis sui, Theodori Abbatis cognom. Studitæ: *Multa ob imaginum cultum perpessus ab Impp. Iconoclastis. Obiit A. D.* 826.

Michaël Montanus, nobilis Petrocorius, à Patre summâ curâ educatus, Latinam linguam ante vernaculam, ab erudito quodam Germano, ipsi à prima infantia admoto, hausit. Præceptores habuit Nicolaum Gruchium, qui *de Comitiis Rom.* scripsit, Guilielmum Guerentium, qui Commentariis Aristotelem illustravit, Georg. Buchananum & Marcum Anton. Muretum. Græcam linguam similiter per ludum addidicit, instrumentorum Musicorum sono quotidie è somno excitatus. Duxit an. 33. Franciscam Chassanæam, fil. Consiliarii in Parlam. Burdigalensi, ipse quoque eâdem dignitate aliquandiu functus, sed illâ pòst se abdicavit: Eques S. Michaëlis, Civis Romanus, & Major Burdigalensis. Auctor libri notissimi, *des Essais*, obiit, Anno 1592. æt. 59. Idem quoque Raimundi de Sabonde Theologiam, à Patre monitus, vertit. V. Sanct. Marth. *l.* 1. *Elog.* & supra in *Maria* Gornacensis.

Michael Nostradamus, Vid. *Nostradamus.*

Michael Paludanus, Gandavensis, Theologiam Lovanii docuit. Scripsit Chronologiam Regum Israëlis, &c.

Michael Psellus, sive Balbus, Leone V. Armenio per fraudem necato, imperio suo cuncta subjecit, An. Dom. 821. Vid. supra. Alius ab hoc fuit Michael Psellus πολυχρφάτος, præfectus studii Michaelis Ducæ, An. Dom. 1059. qui Romano Diogeni, Anno Chr. 1071. successit, Vide supra *Michael VII.* Scripsit plurima, quæ impensè ab eruditis laudantur. Vid. Annam Comnenam *lib.* 5. *Alexiad.* Cedren. & Zonar. *in Annal.* Voss. *de Hist. Gr.* Possevin. *in appar.* Simlerum *in Bibl.* Leonem Allatium, *dissert. de Psellis.*

Michael Ritius, Neapolitanus, JC. Ludovico XII. à consiliis. Scripsit libb. 3. de Galliæ, totidem de Hispaniæ Regibus, unum de Regibus Hierosolymit. quatuor de Siciliæ & Neapol. duos tandem, de Hungariæ Regibus. Voss. *de H. L. l.* 3.

Michael Rubertus, Florentinus. Auctor historiæ, à Mundo condito, usque ad an. 1430.

Michael Servetus, Tarracone Hispanus, Socinistarum Patriarcha. Medicinam primò Lutetiæ fecit, dein in Africam, ut Alcoranum accuratius addisceret, delatus est. Reversus, diu in Gallia & Germania moratus, impietatis suæ venenum passim sparsit. Tandem Genevam cùm pervenisset, ob horrendas in SS. TRINITATEM blasphemias, consultis prius Helvetiis Theologis, vivicomburio punitus est, an. 1553. Sleidan. *l.* 25. Thuan. *l.* 9. Beza *in Epist.*

Michael Sicidotes, historicus, cujus historia Græca adservatur in Bibliothecâ Vaticanâ, ut monet Gesnerus.

Michael Sonnius, Typographus Parisinus celebris. Sub finem sec. præt.

Michael Vascosanus, Typographus Parisiensis clarissimus. Sub Henrico III.

Michael Verrinus, Poëta Florentinus, Distichis Christianis & castitate inclytus Juvenis.

Michael Villanovanus, Medicus Hispanus, sæc. præt. Addi possent, *Michael*, Bulgarorum Princeps, qui in Christianâ fide subditos erudiri curavit, an. 866. Item, Magnus Moscoviæ D. qui contra Polonos victor, an. 1612. Obiit an. 1645. &c.

S. Michael, Ordo milit. in Gallia, institutus à Ludovico XI. Ambosiæ, an. 1469. in honorem Arch. Michaëlis, quem Gallia Protectorem agnoscit. Nobiles 36. in illum recepti, sub capite Rege: Symbolum, *Immensi tremor Oceani.* V. Favin. *lib.* 3. *theatr. hon. & Eq.* Petrum Matthæum *Hist. Lud. XI.* Nicolaum Ægidium, *in Annal.* Item una ex Inf. Terceris: cujus præc. loca, *Punta delgada*, *Villa Franca* & *S. Antonio.* Item Inf. maris Adriatici, aliis *Ugliana.* Item urbs novæ Hispaniæ. Item, urbs Americæ Sept. quæ olim Chila. V. infra. Item, metropolis Duc. Barrensis.

S. Michael Archangelus, urbs Moscoviæ cum portu ad Mare Album mercaturâ florentissima.

Michaelia, seu *Inf. S. Michaëlis*, vulgò *Ilha de S. Miguel*, una ex Assoribus seu Tertiariis, sub Lusitanis 28. leuc. à Tertiaria Inf. in Eur. Circuitus 32. leuc. Ejus opp. sunt *Punta delgada*, Inf. caput, *Villa Franca*, & Fanum S. Antonii *S. Antonio.* Hic glasti eximia copia, cujus ut & frumenti ferax est Insula.

Michaelia, Inf. maris Adriat. in ora Dalmatiæ, vulgò *Isola di San Michele*: *Ugliana* aliis. Vix 3. mill. à Jadera, extenditur ad 14. m. p. circiter, sub Venetis.

S. Michaelis arx, in insula Melita, frustra à Solimanno Turcarum Imp. acerrimè oppugnata. Obsidionem enim solvere Barbaros Garsias Siciliæ Prorex classe admotâ non solùm coegit, sed & in turpem fugam compulit, A. C. 1565. Thuan. *Hist. l.* 38.

S. Michaelis Monasterium Galliæ Benedictinorum, à Richardo, Wilhelmi Principis filio extructum, in confinio Brittonum & Normannorum, in cacumine prom. in Abrincatuis, quod *Mons Tumba*, *Mons S. Michaëlis* & *in periculo maris* aliis atque aliis dicitur. Vulgò *S. Michel du Mont*: Mons verò *le Mont S. Michel.* Huic proximus est mons alter, mari quoque circumdatus, cum arce in vertice, dictâ *Tombelaine*, q. parva Tumba, quia monte Tumbâ minor est. Hinc locus olim dictus est locus *S. Michaelis Archangeli ad duas Tumbas.* Tumbam autem pro monte accipi non mirabitur, qui Alpium tumulos à Floro *l.* 3. *c.* 3. dici observaverit. Hadr. Val. *Not. Gall.*

S. Michaelis Monasterium, à Vulfoaldo Præfecto Palatii Childerici R. in pago Verodunensi, ad Mosam, extructum, Vulgò *S. Michiel.* Nunc in oppidum excrevit, quod est in Duc. Barrensi, unus è quatuor ejus conventibus juridicis.

Loca in conventu S. Michaëlis.

Calciata *la Chaucée.*	Mandræ ad quatuor turres *Mandres aux quatre tours.*
Confluentes *Coufflen*, al. *Conflans au Jarvisi.*	
Dunum *Dun.*	Montio.
Fagum *Foug.*	Municipium S. Michaëlis.
Longus vicus *Long Wy.*	Satanacum *Stenay.*

Reliqui conventus sunt Barrensis, Claromontensis, & Bassiniacensis. Vid. Hadr. Val. *Not. Gall.*

S. Michaëlis in Eremo, *S. Michel en l'Er*, Monasterium Abbatiale, in Pictonibus, haud procul Turre Talemundi.

Michaelopolis, seu *Archangelopolis.* Vid. ibi.

Michaelopolis, vulgò *S. Miguel*, opp. Guatimalæ, in ora maris Austr. ad ostia Lempæ fluv. V. *Fanum S. Michaelis.*

Michaelopolis, urbs novæ Hisp. in Mechoacana prov. *S. Miguel* vulgò.

Michaelopolis, urbs Quitoæ, in Peruvia, antea *Chila*; in valle *Piura.* 120. leuc. à Quito in Mer. 20. ab ora maris Pacifici. Satis culta est, & prima excitata fuit ab Hisp. in Peruvia. Vulgò similiter *S. Miguel.*

Michaia, pater Achobor. 4. Reg. 22. Mater item Abiam regis Judæ. 2. Par. 12. quæ 3. Reg. 15. *Maacha* dicitur.

Michale, vide *Mycale.*

Michelfeldia, quasi *Michaelis campus*, seu *magnus Campus*, à prisco Germ. *Michel* seu *Mechel* i. magnus, locus dimidio infra Basileam milliari, ubi cœnobium olim fœminarum, Cisterciensis instituti, sub Lucelensi Abbate, postea Blotzhemium translatum. Nunc Pandochium ibi. Christ. Urstisius *Epit. Hist. Basil.*

Michol, nomen filiæ minoris regis Saul, uxoris David, quæ fida ma-

da marito, superba tamen & proin sterilis fuit, 1. Reg. *cap.* 14. 18. & 19. 2. Reg. *c.* 6. S. Ambros.

Miciacense monaster. vulgò *S. Memin*, seu *S. Mesmin de Micy*, Abbatia prov. Aurelianensis, ad Ligerulum fluv. 2. leuc. ab Aureliis in Occ.

Micinas Rhodius, vicit stadium Olymp. 114.

Micipsa, Numidarum rex, Masinissæ R. fil. Manastabilis & Gulussæ, à Patre antelatus, Jugurtham Manastabilis fratris filium unà cum Adherbale, & Hyempsale filiis regni participem reliquit. De quo Sallustius *in Bello Jug.* Ponitur pro Africano, apud Juvenalem *Sat.* 5.

Reges Poloniæ.

Micislaus I. seu *Miesko*, Dux Poloniæ, primus ejus Princeps Christianus evasit, ab uxore Dambrovica fil. Boleslai, Bohemorum Ducis, ad fidem perductus an. 965. Obiit an. 999. Cromer *Hist. Pol.*

Micislaus II. Patri Boleslao I. successit, cum Rixa, filia Emfredi Palatini, uxore suâ coronatus, an. 1025. Ignavus, & infelix. Obiit an. 1034. Wipo, Auctor vitæ Conradi Salici.

Micislaus III. cognom. *Senior*, fil. Boleslai III. frater Ladislai II. & Boleslai IV. huic successit, an. 1173. quadriennio pòst depositus, surrogato Casimiro II. Justo fratre: Item nomen duorum Silesiæ Ducum. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Mictis, insula ultra Britanniam sex dierum navigatione. Plin. *l.* 4. *c.* 16. In eâ candidum plumbum provenit.

Miculi mons, seu prom. Dalmatiæ, prope Jaderam, vulgò *Ponta Micha*, Joh. Lucio.

Micyberna, opp. Hellesponti, à Philippo Macedone, proditione captum. Diod. *l.* 16.

Mida, vel *Midacum*, urbs Phrygiæ. Vide Steph.

Midajum, Ptol. *Midelli* Theveto, urbs Phrygiæ magnæ, Episc. sub Arch. Synnadiensi, ad Sangarium flu. Doryleo & Synao urbibus proxima. Hîc Sex. Pompejus, juxta Dion. cæsus.

Midas, Gordii bubulci filius, Phrygiæ Rex pecuniosissimus, qui cùm Bacchum hospitio suscepisset, jussusque esset petere, quicquid vellet, petiit, ut quicquid attigisset, in aurum verteretur. Quod cùm obtinuisset, solo contactu omnia in aurum convertit. Verùm, cùm urgente fame cibum sumere conaretur, atque illum quoque in aurum mutari videret, sensit tandem stolidus, se parum sapienter optasse. Pulchrè Claud. 1. *in Ruff.*

—— *Sic rex ad prima tumebat*
Mæonius, pulchro cùm verteret omnia tactu.
Sed postquam riguisse dapes, fulvaq; revinctos
In glacie vidit latices, tum munus acerbum
Sensit, & invisô votum damnavit in auro.

Petiit itaque à Libero Patre, ut munus illud, quantumvis speciosum, sibi adimeret: qui ejus misertus, jussit ut in Pactolo fluvio se ablueret: à quo tempore aureas arenas volvere fluvius cœpit, hinc *Chrysorrhoas* dictus. Post hæc cùm Pan Apollinem ad cantûs certamen provocasset, Tmolusque judex electus secundùm Apollinem pronunciasset; Midas, Panem Apollini præferre non dubitavit. Quamobrem Apollo indignatus, asininas ei auriculas addidit, quas tam scitè occultavit, ut nemo sciret præter solum tonsorem: qui cùm rem inauditam tacere non posset, fossam ingressus proclamavit: *Auriculas asininas habet Rex Midas.* Deinde fossam terrâ adoperuit, eoque in loco temporis processu creverunt arundines, quæ commotæ vocem, quam tonsor infoderat, reddiderunt, ut latius fabulatur Ovid. *Met.* 11. Alii tamen malunt, Midam, inter Apollinem & Marsyam decertantes, judicem constitutum, & cùm pro Marsyâ sententiam tulisset, auriculis asininis à Phœbo fuisse donatum. Hinc natum Proverb. *Auriculas Asini Midas habet*, quo utimur in stolidos, & crassis auribus, pinguique judicio homines. Alii rursum sic narrant: Cùm præteriret aliquando Midas Liberi Patris asinos, atque eos afficeret injuriâ, iratum Bacchum asininas aures ei addidisse. Sunt qui dicant, huic aures naturâ prælongas fuisse, & asininarum instar prominentes, atque hinc fabulæ locum ortum esse. Quanquam pluribus placet, hâc allegoriâ significatum, Midam, utpote tyrannum, subauscultatores dimittere solitum, per quos, quæcunque per omnem regionem vel fierent, vel dicerentur, cognosceret, nimirum illis utens aurium vice. Proinde cùm vulgus admiraretur, ab illo resciri etiam ea, quæ clam ac procul fierent, occasionem fabulæ datam esse, ut Midas diceretur auriculas asini habere, idque vel quòd nullum aliud animal acriùs audit quàm asinus, excepto mure, vel quòd aures habeat omnium longissimas. Herodotus *l.* 1. illum thronum aureum, in templo Ephesino, Dianæ consecrasse, refert. Fuit & alius *Midas*, Phrygiæ R. qui, taurino sanguine hausto, seipsum necavit. Euseb. *in an.* 3. *Olymp.* 70.

Midea, urbs olim in Argo, apud Naupliam, nunc vicus sic dictus à *Mideâ* Haloei filiâ, *Persepolis* quondam dicebatur. Hinc *Mideates*, & *Midæus*. Est etiam Bœotiæ *Midea*, Hom. apud lacum Copaidem & Orchomenum, ab altero 12. m. p. Est & alia Lyciæ. Steph. Statius *Thebaid. l.* 4.

Aptior armentis Midea, pecorosaq; Phyllos.

Middelburgum, Germ. *Mittelburg*, Gall. *Middelbourg*, quasi Medit. burgum vel opp. urbs Walachriæ, mercimoniis florentissima, cum tota insula Evangelicam doctr. amplexa, purgatis ab Idololatria omni templis, & principe cœnobio Præmonstrantium, olim adeo celebri, in Curiam converso. Sedes Episc. facta Anno 1561. Nicolaum à Castro Lovaniensem, primum ultimumque præsulem habuit, & Hispanico & Pontificio jugo paulo pòst excusso, Anno Chr. 1574. Guicc. *descr. Belg.* Strabo, Thuanus, Arnolph. Havensius, *de erect. Nov. in Belgio Episc. libr.* 1. *cap.* 12. V. *Metelli castrum.*

Middelburgum, oppidul. Flandriæ, sub Hollandis, 2. leuc. à Brugis, prope Clausulas; Gall. *Middelbourg.*

Middelfortium, urbs Fioniæ; unde freto nomen.

Midias, Vid. *Medias.*

Midila, Civ. Africæ propr. Augus. Cyprian. & Concil. Carthaginense.

Midlesexia, vulgò *Midlesexshire*, prov. parva Angliæ, cujus præc. Londinum, ad Tamesim. Vix extensa ad 15. mill. Angl. Terminatur à Sept. Hartfordiâ Com. ab Or. Essexiâ, ab Occ. Buckingamiâ, à Mer. Surrejâ, à qua prov. separatur Tamesi.

Miesko, Vid. *Micislaus.*

Mieza, opidum Macedoniæ, quod olim *Strymonium* vocabant. Steph. à Mieza, filia Beretis. Hinc *Miezeus*, vel *Miezæus.*

Migirpa, urbs Ep. Africæ propr. Augustin. & Victor Utic.

Milanion, adolescens, qui Atalantam puellam venatricem in Arcadiâ adamavit. Ejus meminere Musæus, Prop. 1. 1. Ovid. *Art.* 2. & 3. *Amor. l.* 3. *el.* 2.

Milcolumbus, Scotiæ R. dignitatum vocabula instituit, Angliam vastavit, effecitque, ut Anglis non nisi ex parte subjectus esset. Conjurationem in se initam, auctore in sylvam ad certamen evocato, fortiter oppressit. Legem priscam, quâ sponsæ pudicitia Regi, si nobilis esset, vel domino loci, si plebeia, vindicabatur, sustulit, sanxitque, ut Virgo nupta nummum propterea Domino loci penderet. Ulturus contumeliam in Rufo R. novâ irruptione, unà cum fil. Eduardo, occubuit. Anno Chr. 1097. Buchan. *Histor. Scot. libr.* 7. Polydor. *lib.* 9. Vide suprà in *Malcolmus.*

Miles, apud Germanos his ceremoniis olim inauguratus est: Mos enim illis in Martis limine salutando, solennis admodum. Statuitur in concione celebri votivus adolescens, magnâ stipatus propinquorum & amicorum multitudine, quem è cœtu aliquis laudatum Principi offert, votum & militiæ professionem facientem. Tum Princeps scuto & frameâ Martis arrhabone adolescentem donat, partemque jam Reip. qui paternæ hucusque familiæ habebatur, constituit: lautiùs dein epulatum est & ab amicis undique gratulatum. Hæc illis, inquit Tacitus, virilis toga. Quos enim *Milites* Angli appellant, Gall. *Chevaliers*, aliunde dignitatem non sunt assecuti, quàm ab honoraria istiusmodi armorum collatione, quâ à gregario milite distinctiores fiant. Milites Romani cingulo usi sunt, Germani antiqui scuto & frameâ, Salici balneo, Germani recentiores cingulo, gladio & calcare. Nec Regum Francorum filii prius Regno digni judicati sunt, quàm ad Equestrem ordinem fuissent admissi, Gorop. *Fr. p.* 50. Et Longobardorum Reges filium ad mensam non suscepere, priusquam armis donarentur militaribus, Paulus Diac. Et Rex renuit filiam dare Regi, nondum *Militi*, Id. In exercitu R. Franc. Duces 16. Comites 26. Milites 3000. pugnatorum 100000. numerat Walf. *in Richardo II.* Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* Hadr. Valesius *Milites* dici *Gentils hommes.* q. Gentiles Homines, hæcque duo vocabulo pro uno eodemque usurpari, observat è literis an. 1228. in Chartario Meldensi repertis, Vid. ejus *Not. Gall. in voce Meldi.*

Milesius, cognomen Apollinis, cujus & Strabo, & Lactantius meminerunt. Hic consultus aliquando, Utrum Christus homo esset an Deus, respondit:

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις,
Ἀλλ' ὑπὸ Χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συλληφθεὶς,
Γόμφοις καὶ σκόλοπι πικρὴν ἀνέπλησε τελευτήν.

Milesiorum murus, locus Ægypti, circa ostium Bolbitic. Strab.

Miletia, una fuit ex filiabus Scedasi, unà cum sorore à juvenibus Spartanis constuprata, Plut. & Pausan.

Miletopolis, Mysiæ urbs, inter Cyzicum, & Bithyniam ad Artyniam stagnum, ex quo Rhyndacus oritur: Episc. sub Arch. Cyziceno, nunc etiam *Melitopoli* dicta. Alia est in Perside. Steph. ex Strab. *lib.* 12.

Miletum, Calabriæ urbem à Milesiis Asiaticis conditam habet Barrius *ex lib.* 6. *Herodoti*, quam hodiè *Mileto* nominari subdit. Eandem à Cicerone *Melita* dici *libr.* 3. *Epist. ad Att.* putat Corradus.

Miletus, fil. Apollinis, & Argeæ Cleochi filiæ, vel ut Ovidius habet, Deiones, qui cùm Minoa Cretensium regem jam senem regno privare vellet, à Jove territus in Samum, deinde in Cariam Asiæ regionem fugit, ibique opidum condidit, quod de suo nomine *Mileton* appellavit, ejusque incolas *Milesios.* Ovid. *libr.* 9. *Met.* Alii tamen, Miletum conditam malunt, à Sarpedone Jovis filio, Minois ac Rhadamanthi fratre, & ab eo Miletum appellatam fuisse, ab alterâ ejusdem nominis urbe, quam in Cretâ reliquerat. Strabo *libr.* 14.

Miletus,

Miletus, urbs in finibus Joniæ & Cariæ, Herod. à Neleo, quamvis alii velint, à Mileto, Apollinis fil. vel à Sarpedone, ædificata, A.M. 2953. cum Cyzico, decem stadiis ab ostio Mæandri amnis secreta. Baudrando urbs Joniæ, versus limites Cariæ, cum portu capaci, in ora maris Ægæi; *Melasso* hodie, 6. m. p. ab ostio Mæandri in Mer. uti 90. à Smyrna, Halicarnassum versus. Mela *lib.* 1. *Miletus* (inquit) *urbs quondam Joniæ totius, belli pacisq; artibus princeps, patria Thaletis Astrologi, Timothei Musici, & Anaximandri Physici, aliorumq; civium inclytis ingeniis meritò inclyta.* Adde Anaximenem, Pittacum, Æschinem, &c. Nunc urbs parva, cum arce: Sub Turcis. Ab hâc *Milesii* pop. dicti sunt, qui quum essent priùs potentes, clari bello, (unde *Milesii olim strenui*, oraculo responsum fuit Samiis primò, dein Caribus, Milesios adversus Persas socios habere cupientibus) & opulenti, sed deliciis dediti, & opes & potentiam amiserunt, Stephanus: postquam enim maris Domini per annos 18. fuissent, 7. Olymp. &c. & Naucratidem in Ægypto condidissent: Sadiatem Lydum infestum sensere, dein à tyranno Histiæo arma contra Persas sumere inducti, urbem amiserunt, an. 250. U. C. 69. Olymp. Quæ quoque ab Alex. M. capta, dein sub Romanis fuit: donec, ut dictum, Turcis cederet. Vid. Aristoph. & Athenæum *lib.* 12. Et quia labracum apud illos copia, hinc *Labrax Milesius*, Prov. in magnum, avidum ac stolidum: Idem tamen Aristophani *Sapientissimus piscis* dicitur. Porro adeò luxui fuere dediti *Milesii*, ut *lascivi* passim dicantur, apud Lucianum & Apulejum. Prius *Lelegeis* vocabatur, teste Plinio, quòd Leleges eam inhabitarent. Deinde *Pityusa*, à piceis arboribus. Postea *Anactoria* nominata est ab *Anactore* (sic enim legendum videtur in Steph.) Terræ, & Cœli filio. Urbem hanc præstantissimæ lanæ proventus nobilitavit, ex quâ fiebant Milesia stragula, & vestes Milesiæ, ob insignem mollitiem, in matronarum deliciis habitæ. Virg. *Georg.* 3.

—— *Quamvis Milesia magno*
Vellera mutentur Tyrios incocta colores.

Fuit insuper hæc urbs caput regionis satis luculentæ, in qua Apollinis oraculum Didymæi, Strabo *libr.* 14. Plin. *lib.* 5. *cap.* 29. Athen. *lib.* 10. Herodot. *lib.* 1. & *seqq.* Euseb. *in Chron.* Diodor. Thucyd. Arian. &c. Alia fuit ejusdem nominis in Cretâ. Hom. *Il.* 2. Altera in Brutiis, de quâ supra. Urbecula nunc Episc. Calabriæ Ulter. *Melito* vulgò, 5. m. p. ab Hipponio in Mer. 7. m. p. à Nicotera in Ort. uti ab ora maris Tyrrh. totidem à Suriano in Occ. ferè media, inter Consentiam ad Bor. & Rhegium ad Mer. Deficit indies.

Milevum, sive *Milevis*, urbs Africæ Episc. sub Arch. Carthagin. (ubi concilium *Milevitanum*, V. infra, habitum est) à Cirta 30. m. p. distans Sitifim versus. Hic Concilium, Anno Chr. 402. ab Aurelio Carthag. tempore Innocentii I. Episc. Rom. celebratum, quo inter alia, Maximiani, qui schismate Donatistarum relicto, Episcopatu se abdicavit, causa ventilata est, surrogato ei fratre Castorio, &c. Dein an. Chr. 416. Pelagianismo nascenti remedium quæsitum, & duæ erronum horum propositiones, quarum prior Gratiæ, posterior Baptismi necessitatem inficiabatur, condemnatæ sunt. Vid. Augustin. *ep.* 91. 92. 217. &c. Tom. II. Concil.

Milfordiensis portus, amplissimus & securissimus Angliæ, in Wallia Mer. & Comit. Pembrochiensi ad mare Hibern. cum duobus castris, 4. tantùm mill. à Penbrochio urbe in Occ. Vulgò *Milfordhaven.*

Miliare, sive *Muliare*, fluv. Daciæ, *Mulbach* Lazio, per Transylv. fluens.

Milias, vide *Milyas*.

Milichie, fons in agro Syracusano. Plin. 2. 8.

Milichius Jupiter, apud Athenienses, extra urbem, victimis non veris cultus: statua pyramis erat. Item Bacchus sic dictus, quòd non solum vini, sed ficuum & fructuum prope omnium inventor fuerat. Nam *Milicha, ficus* olim significabant. Illud nos docuit Andriscus apud Athen. *libr.* 1. Νάξιοι Μειλίχιον καλοῦσι τὸν Διόνυσον, διὰ τὴν τοῦ συκίνου καρποῦ παράδοσιν, &c. Haud procul Naupacto, apud Myoneam urb. in montis vertice quoque lucus & ara fuit Θεῶν Μειλιχίων, quibus noctu sacra facta.

Milicho, nomen viri. 2. Esdr. 11.

Milichus, libertus Scevini, conjurationem Pisonianam Neroni detexit, Tac. 51. 54. hinc *Soteris* nomine sumto, Ibid. 71.

Milinus, in Cretâ prædo, & pirata crudelissimus ab Hercule Libyco interfectus. Berosus.

Milissa, seu *Melissa*, urbs, *Epidaurus* postea dicta, ut supra ex Stephano diximus. Gr. Μελισσία.

Militia Christiana, Ordo milit. V. *Conceptio*.

Millea, Siciliæ fluv. Livio, qui ab Aretio, & Leandro *S. Juliano* vocatur. Lege *Myla*, & vide Cluver. *Sic. Ant. l.* 1. *c.* 11.

Millenarii, Hæretici, V. *Chiliastæ, Nepos, Papias*. Item, alii, qui pœnas Inferni singulis mille annis cessare delirarunt.

Milliacum, opp. Inf. Franciæ, vulgò *Milly en Gastinois*, in Vastinio tractu. 12. leuc. à Lutetia in Austr. 5. à Meloduno in Occ. juxta amnem *Escolle*.

Millialdum, urbs Galliæ aliàs munita, *Millaud* vulgò, in prov. Ruthenensi, ad Tarnum fluv. versus Gabalos, 7. leuc. à Luteva in Bor. 8. à Ruthenis in Ort.

Millus, Æneæ ex Lavinia fil. Apollodorus in *Euxenide*.

Milmandra, fluvius Galliæ, vulgò *Mormande*, in Carum effluit.

Viri illustres.

Milo, Crotoniensis, Sybaritas vicit, illorum urbe destructâ. Homo tantæ fortitudinis, ut in Olympico certamine bovem, retento anhelitu, per stadium portaverit, quem ictu pugni interfecit, unoque die integrum devoravit. Malum terenti digitis nemo poterat extorquere: dum constitisset, nemo vestigio educere. Quum autem nimiâ nervorum fiduciâ arborem in parte mediâ hiantem diducere vellet, brachiis hinc inde constrictis, & deficiente conatu retentus, lupis fuit præda. Cic. Plin. Ovid. *Met.* 15.

—— *Fletq; Milon, senior, cùm spectat inanes*
Illos, qui fuerant solidorum mole tororum
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.

Vide Val. Max. *lib.* 9. *cap.* 12. *ex.* 17. Gell. *lib.* 15. *cap.* 16. Strab. *l.* 16. Athenæum *l.* 10. Pausan. & Lubinum in illud Juvenalis *Sat.* 10.

—————— *Viribus ille*
Confisus periit admirandisq; lacertis.

Milo, qui & *T. Annius Milo*, è Lanuvio municipio familia Papia, adoptatus à T. Annio avo materno, qui cùm P. Clodium Trib. pleb. multa seditiosè in Remp. molientem occidisset, frustra à Cic. defensus elegantissimâ illâ oratione, quæ etiam hodiè omnium manibus teritur, Massiliam damnatus in exilium profectus est, Pædianus. Hic cùm ob eam causam exularet Massiliæ, vidissetque Ciceronis orationem pro se scriptam longè meliorem eâ, quæ habita fuerat, dixisse fertur: *Si sic orasset Cicero, non ego Massiliæ lumbricos legerem.* Asconius Pedian. *in Milone*, Dio Cassius, &c.

Milo, Dux copiarum Pyrrhi, percussor Deidamiæ hujus fil. Polyænus *l.* 8. Item, Episc. Bellovacensis, Cancellarius Caroli VII. Item, Benedictinus Tornacensis. Scripsit poëma de Sobrietate, ad Carolum Calvum. Vitam S. Amandi, luctam Veris & Hyemis, &c. Obiit Anno Chr. 872. Sigebert. *in Catal. Viror. Ill. c.* 106. & *in Chron. A. C.* 879. Voss. *de Hist. Lat.* Possevinus, &c. Ejus nepos Hubaldus, inter eruditos sui seculi.

Milo, mons Indiæ, in quo homines nascuntur aversis plantis, octonos digitos in singulis pedibus habentes. Solinus.

Milonia, urbs Samnitum clarissima. Steph.

Milonius, scurra quidam temulentus, & saltare solitus. Horat. *Sat. lib.* 2. *Sat.* 1.

—— *Saltat Milonius, ut semel icto*
Accessit fervor capiti, numerusq; lucernis.

Milopotamos, vulgò *Milopotamo*, opp. munitum Cretæ, cum portu, in ora Bor. in territorio Rithymni. 15. mill. à Rithymno in Ortum 30. à Candia urbe in Occ. prope ostia Arcadii fluv. sub Turcis.

Milota, Moravorum Dux, ob fratris filiam ab Ottocaro vitiatam, patremque hujus in turri crematum, fugam in prælio Rodolfi I. Imp. contra Ottocarum, primus intendit.

Milthas, vates, quo in explicandis prodigiis Dion usus. Plut. *in Cimone*.

Miltiades, dux Atheniensium clarus, qui præter alia egregiè gesta, cum decem millibus suorum civium, & Plateensibus auxiliariis mille, profligavit 600. millia Persarum in campis Marathoniis. Vid. Herodot. *lib.* 6. Thucyd. *lib.* 1. Corn. Nepotem, *in ejus vita*, Plut. *in Cimone*. Gell. *lib.* 17. *cap.* 21. Dionys. *l.* 5. Just. *l.* 2. Postea tamen peculatûs damnatus in carcere, & in vinculis mori ab Atheniensibus coactus est. Val. Max. 5. 3. Hujus trophæa Themistocli veternum excusserunt. Alii fuere duo *Miltiades*, Archontes Athenienses, priore antiquiores. Item *Miltiades*, Doloneorum tyrannus Olymp. 57.

Miltiades, Theologus celebris, sec. 2. excellentem pro Christianis Apologiam scripsit. Euseb. *Hist. l.* 4. *c.* 25. Item Papa Rom. Vid. *Melchiades*.

Milvius, nomen proprium parasiti. Horat. *Serm.* 2. 7.

Milvius & scurra tibi non referenda precati
Discedunt. —— ——

Milvius Pons, vulgò *Ponte Molle*, unus ex Romæ pontibus, ab urbe 2. mill. distans, unde incipit Via Flaminia: Ejus meminit Claud. *Paneg. in* 6. *Consf. Honor.*

Omne Palatino quà Pons à colle recedit
Milvius. —— ——

Milyas, urbs Pamphyliæ mediterranea, in Carbaliâ reg. *Miliæ* adhuc dicta, sed excisa, apud Termessum. Pop. *Milyæ* Strab. Plin. & Herod. Vide Steph.

Mimallis, Plin. 4. 12. à Callimacho insula dicitur, quæ ab aliis *Melos*, à nonnullis *Zephyria*.

Mimallones, mulieres Liberi Patris orgia celebrantes Straboni, quæ & *Thyades* dicuntur, & *Mænades*, & *Bacchæ*. Dictæ putantur, à *Mimante*, Joniæ monte Baccho sacro, vel, ut quidam nugantur, ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι, eo quòd thyrsos & cornua ferentes, Indicam Bacchi expeditionem viderentur imitari. Hinc *Mimallonens*. Persius *Sat.* 1.

Torva

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Dicuntur *Mimallonides* Ovid. *l.* 1. *De Arte Am.*

Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis,
Ecce leves Satyri, prava turba Dei.

Vid. & Nonnum *Bassaricon l.* 7. *Mimallonides*, Bocharto sunt quasi ממללן *memallelan*, id est, *garrulæ*, & *loquaculæ*. Nisi quis à ממל *mamal* seu *torculari* deduci malit, ut *Mimallonides* eædem sint quæ *Ληναι*.

Mimas, gigas quem Jupiter fulminavit. Hor. *l.* 3.

Sed quid Typhœus, & validus Mimas
Contra sonantem Palladis ægida
Possunt ruentes? —— ——

Mimas, mons & promuntorium, *Capo Stillari*, teste Nigro. Mons Joniæ Colophoni urbi vicinus, contra Chium insulam porrectus. Item mons Thraciæ, ut Suidas ait, continuis obsessus imbribus, unde futuræ tempestates sentiuntur, Solinus. Ovidius *Met.* 2. Luc. *lib.* 8.

Immeritaq; nemus Rhodopes, pinusq; Mimantis.

Mimatum, seu è, antiquis *Anderitum*, Gabalorum caput, in Occitania, versùs Cemenos montes & fontes Oldi fluv. in colle: 10. leuc. à Floriopoli in Eur. uti ab Anicio in Afric. 14. à Ruthenis. Gall. *Mende*. Baudr. Moterio urbs Episc. est, crevitque ex ruinis Gabali, seu Anderedi, capitis Gabalorum, destructi seculo 13. à Barbaris, Episcopo Privato occiso. Hinc ergo Mimatum, quod priùs burgus solùm parvæ notæ erat, sedes Præsulis & caput provinciæ factum est. Situm ejus in valle, quam undique montes cingunt, versibus his vetus quidam Poëta expressit,

Tum terram Gabalûm satis nivosam,
Et quantum indigenæ volunt putari,
Sublimem in puteo videbis urbem.

Præterito seculo capta est bello civili. Episcopus Comes est ditionis, ex concessione Philippi Pulchri, A. C. 1306. facta, habebatque olim jus feriendæ monetæ. Vid. Ptolom. *lib.* 2. *cap.* 7. Strab. *lib.* 4. Plin. *libr.* 11. *cap.* 42. Duchenium *Antiq. des villes*. Sammarth. *Gall. Christ.* &c.

Mimnedus, urbs Lydorum. Steph. ex Hecatæo. Gentile Μιμνήδιος.

Mimnermus, Poeta Colophonius, Ligyrtiadæ fil. teste Suidâ; aut ut alii malunt, Smyrnæus. Claruit circa Solonis tempora. Elegiacis poetis eum accenset Censorinus *in Fragmento cap.* 9. Apud Pausan. quoque *in Bœoticis* legas, elegiaco versu tradidisse pugnam Smyrnæorum contra Gygen & Lydos. Ejus porro meminit, Horat. *lib.* 1. *ep.* 2. & 6. Athen. *lib.* 14. 15. & 16. Strab. *l.* 14. Etiam Ἐρωτικὰ scripsisse, indicat illud Propertii *l.* 1. *El.* 9.

Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.

Supersunt hodiè quoque ejus versus, contra Solonis sententiam, annum septuagesimum homini supremum statuentis. Nam ille octogesimum potius annum statuit.

Mimus, sermonis et cujuslibet seu facti, cum lascivia, imitatio, finitore Diomede: unde *Pantomimi*, omnium rerum imitatores, & *Archimimi*, mimorum principes dicti sunt. Vid. Scalig. *Poet. lib.* 1. *cap.* 10. Nomen *Pantomimi* primus usurpavit Pylades, ex Asia Romam delatus, T. Sulpitio & C. Licinio Stolone Coss. Hos articulis loqui rectè Poëtæ dixerunt, quia digitis præsertim ad id usi: tantusque illis honos tractu temporis habitus est, ut lege caveri necesse esset, ne domos Pantomimorum Senator introiret. V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 6.

Mina, Gallis *la Mine*, arx Guineæ, in ora aurea. Permunita, in colle, cum portu capaci, sub Hollandis, ab an. 1637. cùm Galli ibi habuerint antea coloniam, ab an. 1383. & Lusitani ibi arcem exstruxerint, an. 1482. Vid. *Arx S. Georgii de Mina*. It. duo Africæ fluvii.

Minace, opp. Hisp. Bæt. ad mare Mediterr. Avienus.

Minai, vide *Minnai*.

Minagara, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. *Maciquapatan* Castaldus vocat.

Minariacum, incolis *Merghem*, Gallis *Merville*, ad Letiam fluv. Cluver. Auberto Miræo locus est, Belgicè *Stegre*, Gall. *Esterre* dictus: cui proxima est Mauronti villa, vulgò *Merghem* nuncupata. Vid. quoque *Menariacum*.

Minarii, montes Albionis excelsi in Angliâ, qui incolis *Mendip hills* dicuntur in Comit. Somerset.

Minaticum, urbs Gall. Belg. Anton. *Nintiacum* legit in tab. Peuting. Marcus Velserus.

Mincius, Venetorum fluv. qui ex Benaco lacu profluens, alium prope Mantuam lacum efficit, & inde rursus multis torrentibus auctus influit in Padum. Ejus meminere, Virg. *Georg.* 3. & *Æn.* 10. Claud. *in Paneg. de* 6. *Conf. Hon.* & *in Epith. Palladii Celerinæ*. Μίγκιος Straboni, vulgò *Menzo* dicitur.

Minda, vulgò *Minden*, urbs Westphaliæ, Hanzeatica, à Tillio capta est, A. C. 1628. aliàs sub Ep. proprio, Arch. Colon. suffrag. instituto à Carolo M. unà cum Bremensi & Osnabrugensi an. 794. nunc sub El. Brandeb. cum Episc. Caminensi & Mindensi ac Archiep. Magdeburgensi, loco Pomeraniæ citerioris, quæ Suecis cessit, pace Monaster. Parva est, & satis munita: Distat 9. leuc. ab Osnabruco in Ort. 12. à Ferda in Mer. 10. ab Hannovera in Occ.

Mindanoa, vulgò *Mindanao*, Inf. ampla, una ex Philippinis, aliàs sub Hisp. nunc sui juris. Media inter Manillam ad Bor. & Gilolum ad Austr. ad 400. m. p. ab Ortu in Occ. extensa. Dividitur in tres partes seu Inf. quarum media propriè *Mindanao* dicitur, quæ ad Occ. *Canola*, & quæ ad Ort. *Insula S. Joannis*, ab ea angusto freto separantur. Ejus urbes præc. *Sarago*, *Lomeaton*, *Dapito*, *Canola*, & caput Mindanoa *Mindanao*, in ora Austr. cum portu commodo; quæ & quibusd. *Tabouc*; urbs ampla & munita.

Mindarus, Lacedæmoniorum dux. Vide Voss. *ad Just. l.* 5. *c.* 4.

Mindensis Principatus, incolis *Stift* seu *Fürstenthum Minden*, tractus Westphaliæ, aliàs sub proprio Episc. nunc sub El. Brandeb. Terminatur à Sept. Hojæ Comit. ab Ortu Schaumbergensi, Ravenspergensi à Mer. ab Occ. autem Episc. Osnabrucensi, ad 30. m. p. extensa. Caput *Minda*, V. ibi.

Mindon, antiqq. *Ocelum*, nunc *Mondonedo*, urbs Hisp. in Callaicis, Episc. sub Arch. Compostellano, 4. leuc. ab ora Oceani Cantabrici in Mer. 8. à Luco in Sept. 6. à Ribadeo in Occ.

Mindora, inf. Oceani Indici, una ex Philippinis, ad Austrum Manillæ, à qua freto 30. m. p. separatur, sub Hisp. Ad 120. m. p. extensa; cum urbe cognom. in parte Bor. cui portus capax, è regione Manillæ Inf. juxta *Fretum Mindoræ*. V. ibi.

Minerva, sapientiæ, & bonarum omnium artium dea, ex Jovis cerebro sine matre procreata: Quo commento significare voluerunt Poetæ, bonarum artium disciplinas, humani ingenii non esse inventum, sed ex Jovis cerebro, hoc est, inexhausto divinæ sapientiæ fonte, in humanum usum esse depromptas. Vide *Pallas*, & *Tritonia*. Hæc prima lanificii inventrix creditur extitisse, deque artis ejus præstantiâ cum Arachne puellâ Lydiâ contendisse, cumque jam penè ab eâ vinceretur, radio percussam in araneam eam commutasse. Sunt qui Arithmeticæ quoque inventionem ei tribuunt. Livius *libr.* 7. *Eoq; Minerva templo dicatam legem, quia numerus à Minerva inventus sit.* Olei quoque usum prima putatur ostendisse, ob id honores meruisse, dignamque ideo judicatam esse, quæ Athenarum urbi nomen imponeret, rejecto Neptuno, qui, edito equo, nascenti urbi potentiam bellicam promittebat. Virg. *Georg.* 1.

—— —— *Oleæq; Minervâ*
Inventrix. —— ——

Bellis quoque præerat, unde Ovid. *Fast.* 5.

Ensibus exertis bellica læta Dea est.

Vulcani nuptias constantissimè fertur repudiasse, virginitatemque perpetuò illibatam servasse, unde & *Innuptam* peculiari epitheto appellant poetæ. Virg. *Æn.* 2.

Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ.

Horat. *Castam* vocat *Carm.* 3. *Od.* 3. Hinc apud Coluthum γάμων ἀδίδακτος Ἀθήνη. Et apud Tryphiod. Παλλάδος ἀχράντοιο θεῆς. Inde Lycophroni μισόνυμφος, Orpheo φυξόλεκτρος, Nonno ἀνύμφευτος, φυξόδεμνος, ἄγαμος, ἀπειρόδιν, πόθων ἀδίδακτος, ὦ παρθένος & παρθενική dicitur. Quinque autem *Minervæ* fuerunt. Prima Apollinis mater, secunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt. Tertia, quam à Jove generatam suprà diximus. Quarta à Jove nata & Coryphe Oceani filia, quam Arcades Coriam (alii Coryphasiam) nominant, & quadrigarum inventricem ferunt. Quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare conantem, cui pinnarum talaria affigunt. Hæc Cic. *lib.* 3. *de N. Deorum*. Effingebatur autem *Minerva* vultu virili & truculento, galeam in capite gerens, armis insignibus, oculis torvis & glaucis, cum hasta prælonga, & clypeo crystallino, caput Gorgonis insculptum habente, quo modo è Jovis capite prosiliisse fingitur. Habuit Romæ templa ædesque plurimas: & *Capta* quidem in 2. reg. ædiculam habuit; *Medica* in 5. *Flaviana* in 6. *Aventina* in Aventino monte, templum antiquissimum, & Livii Andronici Poëtæ donariis celebre: Eidem in Capitolio delubrum, à Pompejo M. dedicatum est, confecto 30. an. bello, Plin. *l.* 7. *c.* 26. Porro *Chalcidica* Minervæ templum, erat in reg. 9. ab Augusto consecratum, *Catuliana* à L. Lutatio Catulo, &c. Minervam *Custodem* Cicero domi suæ privatim coluit, quam postea in exilium abiturus detulit in Capitolium; Dio *lib.* 8. Etiam cum Mercurio aram communem habuit, imo & eandem statuam, quæ ob id *Hermathena* dicta est: à Cicerone in Academia sua villæ Tusculanæ posita. Sacra ejus incidebant in 3. Jan. natalis in 19. Martii, quo *Minerval* Magistris solvebatur, & epulum in 30. Septembr. Hesiod. *Theogon.* Pausan. *in Att.* Cartar. *de imagin. Deorum*. Alex. Rossæum, *in Mystagogo Poëtico*; Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. passim*, &c. Quod ad nomen attinet, Arnobius, quasi *Meminervam* dictam vult, eandemque *Memoriam* esse putat, *l.* 3. Etymon hoc firmat, quòd alii *matrem* ejus *Memoriam* faciunt. Afranius apud Agellium,

Usus me genuit, mater peperit Memoria,
Sophiam vocant me Graii, vos Sapientiam.

Sed duo alia etyma adducit è Festo Paulus, his verbis: *Minerva dicta, quod benè moneat. Hanc enim pagani pro sapientia ponebant. Cornificius verò, quòd fingatur, pingaturq; minitans armis, eandem dictam putat.* At apud Cic. aliud quoque Etymon legas 2. *de N. Deorum*: *Minerva*, inquit, *quæ vel minueret*, *vel minaretur*. Ubi cùm *minuere* ait, respicere eò videtur, quòd bello exhauriatur genus humanum. Minerva enim Dea bellica. Apud Isidorum quoque legas 8. 2. *Minervam vocatam, quasi Deam &*

munus artium variarum. Videtur ex *munus*, & *ars* & *varia* deducere. Vossius putat esse ab antiquo *menervo* pro *moneo*, unde *promenervo* eapse notione in Saliari carmine, teste Festo, & inde veteribus *Menerva* dicebatur. *Invitâ*, seu *repugnante Minervâ*, idem est quod ingenio, vel natura repugnante. Horatius,

Tu nihil invitâ dices, facies ve Minervâ.

Hinc *Minerval* διδακτρον, præmium quod præceptoribus dabatur. Sed (notante Vossio) non est tam salarium ipsum, quàm gratuitum munusculum, quo aliquis se in disciplinam tradens, novo commendabat magistro, unde in Glossis Philoxeni legas *Minervalitium* συςατικὸν, quasi dicas *commendatitium*. Nomen, ut diximus, à *Minerva* ingeniorum præside, cujus imago in Scholis poni solebat. Namque *Minerval* designat Juvenalis illo *Sat.* 10.

Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.

Item *Minervium*, templum ei dicatum: *Minervii* versus, à Saliis in ejus honorem cantati, &c.

Minerva Ara, insf. sinus Arabici apud Cardaminem, *Chisale*, teste Ortelio. Ptolemæus *Are* tantùm habet.

Minerva Castrum, opp. Magnæ Græciæ in Calabriâ ulter. apud Locros, *Grottaria*, teste Barrio: inter Hieracium 8. & Caulonem 10. m. p. à Murgetia 6.

Minerva Castrum, in Gallia, à cultu & templo Minervæ nomen accepit, ut Latona ad Ararim, à cultu Latonæ. Fuit unum ex tribus munitissimis circa Carcassonam castris, captum à Simone Monfortio bello Albigensi, An. C. 1210. post multos insultus. Vulgò *Minerve*, al. *Menerbe*, in diœc. Carcassonensi, caput pagi cognominis *le Minervez*, vel *Minerbois*. Hic bello prædicto contra Albigenses, 50. horum, flammis extincti sunt, A. C. 1210. Est & *Minerva* Fanum, 14. mill. ab urbe Durocortoro. Val. *Not. Gall.*

Minerva Prom. quod & *Athenæum*, promuntorium Picenorum, Plin. Vulgò *Capo Campanella*: Maximè extenditur, inter Sinus Neapolitanum & Salernitanum, Baudr. aliàs in Campania, in ipso limite Picenorum, nunc in Principatu citer. versus Capreas, à quibus 4. m. p. in Ortum abest. 6. à Surrento in Afr. 22. à Neapoli in Mer. 76. à Circæis in Eurum.

Minervina, uxor Constantini M. Crispi mater. Hanc Victor *in Constant.* & Zosim. *l.* 2. pellicem solùm Imperatoris, sed auctor Panegyrici uxorem ejus facit.

Minervium, urbec. regni Neapol. in prov. Bariana, Episc. sub Arch. Barensi, in ipso limite Basilicatæ, versus montes; vix 4. mill. ab Aufido, 10. à Venusia in Cæc. 8. à Canusio in Merid. Vulgò *Minerbino*. In regno Neap.

Mines, portus Provinciæ, circa Massiliam. Anton.

Mineus, & *Mineias*, vide *Minyas*.

Mingum, sive *Ningum*, opp. Histriæ, Anton. in ora, inter Tergestum & Justinopolim, utrinque 5. m. p. *Mugia*.

Miniatum, op. Thusciæ, media ferè inter Florentiam, & Pisas. Vid. *Fanum S. Miniati Teutonis*.

Minica, Syriæ urbs, circa Emissam, Ant. aliàs *Minniza* Simlero.

Minicium, pag. Larii lacus, cui à *Minicia* famil. nomen, vulgò *Menasio*, apud prom. Rhetionico opp. finitimum; 20. m. p. à Como.

Minimi, Ordo sacer, in Commun. Romana, à Francisco de Paula institutus. Parisiis *Bons hommes*, dicuntur, à tempore Ludovici XI. & Caroli VIII. qui illos sic vocarunt: In Hispania, *Patres Victoria*, quia Franciscus Ferdinandi V. contra Mauros victoriam prædixerit, appellantur. Jejunio perpetuo seipsos macerant.

Miningroda, quibusd. est *Munster*. Vid. *Monasterium*.

Minio, fluv. Hetruriæ, inter Centumcellas, & Cornuetum in mare decurrens, parvus: *Munio* Rutilio lib. Itinerar. *Mignone* Baudrando; in Patrimonio Petri. Oritur in reg. Sabatina, dein 4. mill. à Centumcellis, in Circ. in mare Tyrrh. labitur, Virg. *Æn.* 10.

Qui Carete domo, qui sunt Minionis in arvis.

Minius, flu. Hisp. Tarrac. qui Gallæciam à Portugalliâ dividit, à colore pigmenti, quo plurimum exundat. Baudrando *Minho*; oritur in Gallæcia, juxta vicum *Castro de Rey*, 4. leuc. à Mindonia in Austr. dein Lucum Augustum urb. rigat & Orensem, Gallæciam bisecans, tandem aliquot flu. auctus, 5. leuc. infra Tydem in Oceanum Atl. se exonerat, juxta opp. Caminam.

Minnai, pop. Arabiæ, mari Rubro adjacentes, primi commercium thuris fecere. Plin. 12. 14. Dionys. v. 958.

Ἀντὰρ Ἐρυθραίης πλόυτον παρ' ἁλὸς νάιουσι

Μιναῖοί τε Σάβαι τε. ———

De quibus fusè Bochartus *Phal. l.* 2. *c.* 22.

Minnodunum, opp. Gall. Lugd. Anton. nunc oppidulum pagi Bernensis, ad amnem *Broye*, inter Lactonium ad Mer. & Peterlingam ad Aventicum in Bor. vix 5. leuc. Gall. à Friburgo in Africum; *Moudon* Gall. *Milden* Germ. V. Simler. Hadr. Val. &c.

Minoa, opp. Cretæ geminum, unum in orâ ad Ort. inter Samonium promunt. & Gamaram urb. in Bor. vergentem. *Altemura* Sophiano. Alterum in orâ Bor. à Cydone 10. m. p. in Ort. apud Amphimalim sinum. *Minola* Moletio. Item urbs in Amorgo, insulâ Cycladum. Steph. in *Amorgos*. Est & altera in Siciliâ, condita à Minoë, cùm quæsitum Dædalum trajecerat in Siciliam, & hospitio Cocali, regis Sicul. utebatur. Diod. 16. Quæ & *Heraclea*, Ferr. Item Megarensium emporium fuit 18. stad. ab urbe distans, quod & *Nisea* appellatur. Gaza quoque Palæstinæ olim *Minoa* dicta fuit. Strabo *lib.* 9. Et alia quoque est in Siphno unâ Cycladum. Et alia Arabiæ, cujus cives *Minoita* à Minoe. Paros etiam vocabatur *Minoa*, unde cives *Minoa*. Steph. Est item portus ad sin. Argolicum, apud Naupliam, in Pelopon. Ptol. *Altamura* Moletio.

Minora, vulgò *Minori*, urbec. Principatus citer. in ora sinus Salernitani, 8. mill. pass. à Salerno in Occ. 3. ab Amalphio in Ort. 22. à Neapoli in Mer. Deficit in dies. Ep. sub Arch. Amalphitano.

Minorica, incolis *Menorca*, Gallis *Minorque*, aliàs *Balearis min.* Insf. regni Majoricæ, inde 30. m. p. in Ort. distans. Circuitus 60. m. p. Ibi *Citadella*, caput Insf. in parte Occ. ubi aliàs Jamna, & Mago, *Porto Maon*, portus capacisf. cum arce S. Philippi & 4. pagis.

Minorissa, urbec. Cataloniæ; *Maurela* vulgò, ad fluv. *Cardoner*, qui paulo infra in Rubricatum cadit. 2. leuc. à Monte Serrato in Bor. uti 10. à Barcinone, 5. à Cardona in Mer.

Reges Cretæ insf.

Minos I. filius Jovis ex Europa, ut poetæ ferè omnes asserunt: Occasione hinc captatâ, quòd speciosa hæc puella, nave, cui Tauri insigne erat, in Cretam asportata, ibi Asterio regi nupta, hunc filium peperit. Aliis est, Xanthi regis Cretensium fil. cui in regno successit. Idem primus Cretensibus leges dedit. Arist. *Polit.* 1. Inde *Legifer* Ovidio dictus:

Optavit Minos similes sibi Legifer annos.

Regnare cœpit A. M. 2645. Pasiphaen Solis filiam matrimonio sibi junxit. Maxima bella gessit adversus Megarenses, & Athenienses, quòd filium suum Androgeum occidissent: atque Megaram quidem Scyllæ puellæ proditione cepit, quæ amore Minois capta Nisum patrem fatali capillo spoliavit: Athenienses autem eò necessitatis compulit, ut septem quotannis juvenes in Cretam mittere cogerentur, Minotauro monstro objiciendos, Dædalum quoque Atheniensem patriâ exulantem Minos hospitio suscepit, qui Labyrinthum ei extruxit inextricabilem, cui & Minotaurum inclusit, monstrum ex Tauro & Pasiphae uxore susceptum. Verùm cùm posteà didicisset, Dædalum vaccam ligneam fabricasse, cui illa inclusa tauro fuerat commista, ipsum unà cum Icaro filio eodem Labyrintho inclusit, cumque illi alis cera conglutinatis inde evolassent, classe eos in Siciliam usque est persecutus: ubi apud Camerinam, seu Camicum urb. à filiabus Cocali regis occisus est. Alii tamen à Cocalo ipso, cui bellum ob Dædalum moverat, per proditionem captum, & in thermis à filiabus ejus suffocatum tradunt. Eus. *in Chron.* Ovid. *in Ibin*,

Vel tua maturet, sicut Minoia fata,

Per caput infusa fervidus humor aqua.

Unus ex inferorum Judicibus à poetis statuitur, Virg. *Æn.* 6.

Quæsitor Minos urnam movit. Vid. quoque Prop. *lib.* 3. Horat. Claud. &c. Cæterùm duo Minoes erant, & quæ de patre Androgei dicta, *Minoem II.* tangere videntur. Voss. *de Idol. l.* 1. *c.* 14.

Minotaurus, monstrum biforme, partim habens formam hominis, partim tauri, natum ex Pasiphae uxore Minois, quæ operâ Dædali cum tauro concubuerat, jussu Minois Labyrintho inclusum, humanis carnibus vescebatur. Huic quotannis Athenienses ex præscripto fœdere, septem ex suis liberis mittebant devorandos. Sed tertio anno Ægei fil. Theseus forte missus Minotaurum occidit, & ab Ariadne accepto fili glomere, fugâ evasit. Servius interpretatur, Taurum fuisse scribam Minois, qui, absente rege, cum Pasiphae concubuit in domo Dædali, & quia Pasiphae eodem tempore gemellos peperit, quorum alter Minoi, alter Tauro esset similis, factum esse locum fabulæ, ut Minotaurum biforme monstrum peperisse dicatur. Vide Plut. *in Theseo*. Hunc Minotaurum Ovid. *l.* 2. *Art.* vocat

Semibovemq; virum, semivirumq; bovem.

Vid. quoque Virgil. *Æneid.* 6. Hanc fabulam quoque Catullus refert *in Argonaut.* Vide etiam Ovidii *Epist.* 10. sed imprimis Diodorum Siculum *l.* 5. *c.* 13.

Minscum, vulgò *Minsck*, urbs Lithuaniæ, Palatinatus cognom. caput, probè munita, ad amnem *Swisloc*z. 32. leuc. Pol. à Wilna in Ort. uti 36. à Braslavia in Mer.

Minthe, à Poetis Cocyti filia puella fingitur, quam Proserpina cum Plutone deprehensam, in herbam sui nominis commutavit. Nam Μίνθη priscis Græcis dicebatur herba, postea, ab odoris suavitate, ἡδύοσμος appellata, Latinis *Mentha*. Ovid. *Met.* 10.

Minthe, mons Peloponnesi inter Taygetum, ad Austr. & Stymphalum ad Sept. *Mittena* hodiè. *Evan* Pausf. *Oleno* teste Nigro.

Minturna, op. Campaniæ inter Sinuessam, & Formias, ad Liris flu. habens propinquas paludes, in quibus Marius delituit, fugiens persecutionem Syllæ. Plut. Geo. Fabricius scribit vulgò *Trajetto* vocari. At ex ejus ruinis Trajectum, oppidul. ad 2. m. p. extructum, habet Ferr. *Castro al Mar* Nardo. Straboni ac Ptol. Μιντοῦρναι, at Plutarcho in *C. Mario* μιντούρνη, & Dionysio *l.* 1. Μιντοῦρναι, Stephano Μέντουρνα, denique Procopio Μιντούρνη. Paludosum locum fuisse innuit Juven. *Sat.* 10. ubi de C. Mario,

Exilium & carcer, Minturnarumq; paludes.

V. quoque Lucan. *lib.* 2. Horat. 1. Ep. 5. Ovid. cui *graves* dicuntur *Met.* 15. Baudrando urbs fuit Latii, satis culta, paulo supra ostia Liris fluv. ad ejus dextram, in planitie, uti videre est in amphitheatri & aquæductuum reliquiis. Suntque in eo loco vestigia pontis

pontis olim conjungentis viam Appiam. Ibi nunc Liris scaphâ trajicitur; hinc locus dicitur *la barca del Garigliano*. Sed vix urbis apparent rudera, & manet tantùm parva turris cum taberna.

Minutia, Virgo Vestalis, quæ, propter corporis elegantem cultum, in suspicionem venit libidinis, unde & servâ quadam contra illam testimonium dicente, viva defossa est. Liv. *l.* 8. *c.* 6.

Minutia, porta quædam Romæ, dicta ab arâ Minutii, cui erat proxima, Vid. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. l.* 2. *c.* 21.

Minutianus, Sophista Atheniensis, qui artem Rhetoricam & præexercitamenta scripsit.

Viri illustres.

Minutius Augurinus, Trib. pl. qui Sp. Melium regnum Romæ affectantem reum peregit. Huic, quòd farris pretium trinis nundinis ad eam vilitatem redegisset, ut asse modius væniret, tantus à plebe est habitus honor, ut collatâ in capita stipe unciariâ, ænea ei statua extra portam Trigeminam fuerit collocata. Plin. *lib.* 34. *cap.* 5.

Minutius Basilus, prænom. *Lucius*, Cæsaris in Gallia Tribunus, *lib.* 6. *Comm. cap.* 29. & 30. postea conjurationis in eum particeps, Vid. Cic. *l.* 6. *Epist.* 6.

Minutius Fundanus, Asiæ Proconsul sub Hadriano.

Minutius Justus, præfectus castrorum legionis septimæ Galbianæ, quia severius quàm bello civili imperitabat, subtractus militum iræ, ad Vespasianum missus est. Tacit. *Hist.* 3. 9.

Minutius Rufus, à partibus Pompeii, qui cum Asiaticis navibus erat Orici, Cæs. *l.* 3. *de Bello Civili c.* 7.

M. *Minutius* Felix, cujus Imper. temporibus Romæ vixerit, non sibi satis liquere ait Franc. Balduinus, Proleg. *ad Minuc. Fel. Octavium.* Hieronymus *in suo Catalogo*, illum Origeni proximum, Cypriano priorem fuisse, obscurè significat. Idem verò *in Epistolâ ad Magnum*, loquens de Latinis Ecclesiæ scriptoribus, etsi Minutium ante Cyprianum laudet, tamen illam de Idolis orationem ascribere Cypriano magis videtur. Sed & *in apologiâ*, pro suis adversus Jovinianum libris, primo loco Tertullianum, secundo Cyprianum, tertio Minucium commemorat. Sabellicus, sed sine teste, affirmat eum Romæ floruisse, quo tempore Urbanus ibi erat Episc. hoc est, temporibus Alexandri Severi Imp. Si ita esset, Minucius antiquior Cypriano, æqualis Tertulliano, adeoq; Jurisconsultis Ulpiano & Paulo foret. *Minuciam* verò gentem olim Romæ nobilem fuisse satis constat; in quâ 4. Consules *Minucii Augurini*, intra annos quadraginta, numerari possunt. Sed & *Minucios Rufos*, & *Minucios Thermos* in Fastis Consularibus legas. Denique & *Minucius Fundanus* Asiæ Præses fuit illustris, ad quem Adrianus Imp. non iniquam de Christianis legem misit: ut jam nihil dicam de eo, cujus in *Epp.* mem. Plinius, vel quem Julianus J. C. laudat, cujus ad *Minucium Natalem* libri de Jure civili laudantur. His verò omnibus unus *Minucius Felix*, etsi non fuerit ejusdem aut gentis, aut familiæ, facilè anteponendus est, ætate quidem posterior, doctrinâ tamen, virtute, & pietate multo superior. Fuit enim non modò Jurisconsultus magnus, & excellens suo tempore Orator, sed (quod majus est) fuit seriò Christianus. Luculentum testimonium de hoc scriptore profert Lactantius *lib.* 1. *cap.* 11. & *l.* 5. *cap.* 1. *Minucius Felix, non ignobilis inter causidicos loci, fuit. Hujus liber, cui Octavio titulus est, declarat, quàm idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.* Sed & Hieronymus *ad Magnum: Minucius Felix causidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octavius est, & in altero* contra Mathematicos, *si tamen inscriptio non mentitur auctorem, quid gentilium scripturarum dimisit intactum?* Juniorem quidem, sed fere æquævum Tertulliano credit Joan. à Wovveren. Scaligeri quoque verba apponam: *Æqualem Tertulliano*, inquit, *Minucium fuisse, semper mihi persuasi, & quæ in utroq; scriptore totidem verbis perscripta extant, uter ab altero mutuatus sit, dubito. Sub Heliogabalo ambos scripsisse verisimile est.* Hæc ille. Alius de Fato, seu contra Astrologos, liber, hujus nomen præ se fert, sed ejus non est: ut vel ex Hieron. modò laudato licet colligere. Cæcilius, qui ab illo differens introducitur, videtur quibusdam Præceptor Cypriani, cujus nomen honoris ergò sibi sumpsit. Vid. insuper Hieron. *de Vir. cap.* 58. Item, *Orat. & apol. ad Pammach.* Eucher. *ep. ad Valer.* Trithem. & Bellarm. *de Scr. Eccl.* Rigaltius, *in not. ad Minut.*

Minya, urbs Thessaliæ circa Scarphiam, à *Minyâ* dicta, quæ prius *Almonia* dicebatur. Item Elidis, ubi Minyeius fluv. juxta Pylum. Inde *Minyates* pop. Est & altera Phrygiæ. Hinc *Minyion*, *Minyeis*, *Minyeius*; Gentile *Minyæ*. Steph.

Minyæ, pop. Thessaliæ, aut certè Magnesiæ, quæ est regiuncula Thessaliæ ab Ortu annexa, qui Jasonem in Colchos proficiscentem sequuti sunt. Sic dicti à *Minyâ* Orchomeni rege, qui cùm omnes mortales suæ ætatis opibus superaret, primus omnium gazophylacium construxisse dicitur. Pausanias & Cælius Rhodiginus *lib.* 20. *cap.* 25.

Minyas, vir quidam Thebanus, cujus filiæ *Minyeades* in vespertiliones sunt commutatæ. Ovidius *Metamorphoseon* 4.

Minyeus, sive *Minyeius*, Homero fluvius Thessaliæ, postea *Orchomenus* dictus. Plin. 4. 8. Strabo *lib.* 8. eundem facit cum Anigro. Hom. *Il.* 11. Juxta Arenem in mare defluere tradit.

Minyta, Amorgi insl. civitas. Steph. *Mandria* Castaldo. *Plati* Sophiano. Ptol. est Insl. maris Icarii, inter Con & Samum.

Mirabellum, urbec. Pictavensis prov. in tumulo, aliàs cultior, nunc deficit; & castrum ejus dirutum est. 5. leuc. à Pictavio in Bor. Salmurium versùs; totidem à Richelæo versus Austr. *Mirebeau* vulgò.

Mirace, locus Scythiæ. Vid. *Tamyrace.* Val. Flac. *l.* 6.

——— *Viridem Miracen, Tibisenaq; juxta*
Ostia. ——— ———

Miraces Eunuchus, à Parthis, ad fœdera Colchica auro conducenda, missus, dum temerè se bello & partibus miscet, à Syene occisus est, Vid. Val. Flac. *l.* 6. *vers.* 690.

Miramolinus, vel *Miramomolinus*, i. caput seu Princeps fidei, nomen Maurorum Principibus commune. Sed & solo hoc quidam insignes fuere: ut ille, qui an. 1195. Hispaniam ingressus, cum 600000. Mauris, Alphonsum Castellæ R. Anno 1233. æræ Hisp. cæsis Christianorum 50000. devicit. Item is, qui aliàs Mahometus Viridis dictus, Maroci R. superatus est, Anno 1212. ab Alphonso Castellano, Petro Arragonio & Sanctio Navarræo. Alius, in Hispaniam irrupit, Anno 1275. Roderic. Mariana, Surita, Turquetus, &c.

Miranda, vulgò *Mirande*, opp. Astaracensis Comit. in Aquitania, ad Baisam fluv. 4. leuc. ab Ausciis in Africum, Tarbam versus, à qua fere 7. leuc. distat.

Miranda Durii, *Miranda de Douro*, urbs Portugalliæ, ad Durium flu. in ipso confinio regni Legionensis. 12. leuc. à Sentica in Occ. uti à Salamantica in Circ. 6. à Brigantia in Mer. probè munita, versus montes.

Miranda Iberica, opp. Castellæ vet. ad Iberum fluv. ubi aliàs Deobriga quibusdam. In confinio Biscajæ, uti & Alavæ, 15. leuc. à Flaviobriga in Mer. *Miranda de Ebro*, vulgò.

Mirandula, incolis *Mirandola*, Gallis *la Mirande*, Italiæ civitas parva, Joanne Pico Comite nobilis. Munita, cum arce valida, sub proprio Principe, à gente Pica ab an. 600. cum regiuncula adjacente, 22. mill. à Mutina in Bor. 10. à Pado in Mer. In Longobardia, inter ditiones Mantuanam, in Sept. & Mutinensem in Austr. Nomen urbi dicitur Eurida dedisse, filia Constantii Imper. quæ ibi loci tres filios peperit, ex Manfredo gravida, qui in rei memoriam urbem hanc condidisse fertur. Leander Alb. *descr. Italiæ.*

Mirapisca, seu *Mirapincum*, seu *Mirapicis castrum* olim, nunc urbs Occitaniæ super. ad Lertium flu. 3. leuc. à Fuxio in Ort. uti ab Apamæa, 7. ab Alecta in Occ. 11. à Toloza in Austr. olim sub Com. Fuxensi, vulgò *Mirepois* vel *Mirepoix*. Sedes Episcop. à Joh. XXIII. fundati, an. 1318. in gratiam Comitum Mirapicens. è familia Levi, qui sub Montfortio contra Albigenses meruerunt, Mareschalli Fidei quoque vocati. Duchen. *antiq. urb.* S. Marth. *Gall. Christ.* In ejus diœcesi continentur præ cœteris Mirapicum, Vivaria, Rivus altus *Rieucros*, Exarta *les Issars*, Villa Nova, Monsferrarius, Aquæ Vivæ, Fanum Jovis *Fanjaux*, Monasteriolum *Monestrol*, & Lauracum majus *Laurac le grand*, Hadr. Valesius in voce *Apamia.*

Miravetum, oppidul. munitum Cataloniæ, cum castro, ad Iberum fluv. 4. leuc. supra Dertusam in Cæc. 10. ab Ilerda in Merid. Vulgò *Miravet.*

Mirecurtium, urbs Lotharingiæ sup. ad Maidonem fluv. versus Vogesum montem. 7. leuc. à Nancejo in Mer. uti à Tullo, 6. à confin. Campaniæ in Ort. Vulgò *Mirecourt.*

Miritus, exiguus mons Thessaliæ.

Mirobriga, urbs Hisp. ulterioris in conventu Cordubensi. Ptol. *Villa de Capilla.* Item urbs Vettonum excisa: olim Episc. sub Arch. Compostellano: cui Rodericopolis successit. *Malabriga*, teste Morali. Item, in Hisp. Tarr. in Oretanis.

Mirtilum, opp. Portugalliæ, *Viana de Foz de Lima*; ad ostia Limii fluv. in ora Oceani Atlant. vix 3. leuc. ab ostio Minii in Mer. uti à limite Gallæciæ.

Mirus, Phrygiæ fluv. Suidæ.

Misaam, fil. Elphaad filii Mehusim. 1. Par. 8.

Misach, vel *Meschach*, unus ex tribus pueris, qui & *Misael*, unà cum Ananiâ & Azariâ in fornacem igneam conjectus hymnum ibi cecinit. Est item filius Oziel filii Caath. Exod. 6.

Misaris, prom. Sarmatiæ Eur. Ptol. ad Achillis Dromon.

Misauci al. *Mascauci*, in trophæo Augusti apud Plin. *Hisarci*; ubi Tschudus legit *Misauci*, Lepontiorum populus, supra lacum Verbanum. Habitant hi vallem Mesoltinam vel Misaucinam *Masoxerthal*, à præc. loco Misauco, *Masox*, arce munita in primo Rhætorum fœdere. Paruere quondam Baronibus Monsaxiis, quos Sigismundus Imp. postea Comitivâ dignitate ornavit. Vid. Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Ant. & Nov.* Simlerum *de Rep. Helv. &c.*

Miscellus, vir fuit, cui redditam ferunt sortem ex adytis; Conditurum cum urbem, ubi in serenitate ipsum excepisset pluvia. Id nunquam futurum conjectatum ab eo, ob rei absurditatem. Cùm tamen in Italiam appulisset, & maxima eventus fluctuaret incertitudine, assedit illi pellex uberius flens, mœstaque. Quod con-

conspicatus Miscellus, finem habere oraculum suspicatus, civitatem (Crotonem) condere adortus est. Cæl. Rhod. 12. 4. Cæterùm, variè scriptum hoc nomen, apud auctores invenias. *Myscilus, Mißilus, Mirsilus* & *Micilos*. Heinsius *in Met.* 15. legit *Myscelos*. Μύσκελος est Dionysio Halic. *lib.* 2. Suidæ, Aristophanis Scholiastæ, ac Chronici Alexandrini authori. Straboni nunc Μύσκελος, nunc Μύσκελλος. Μύσκελλος Zenobio *in Adagio*,

Δῶρον δ' ὅτι δῶτις ἐπαινεῖ. Μύσκελλος verò dicitur Marciano Heracleotæ, & Scholiastæ Dionysii Alexandrini, Μύσκελλος, Stephano in Συρακοῦσαι, Solino *Myscellus*, quod Vid.

Miscera, urbs Sicaniæ. Steph.

Miscovia, vulgò *Miscou*, Ins. parva novæ Franciæ, fertilis, cum oppidulo & colonia Francorum, in Sinu S. Laurentii prope sinum parvum Lebetis; inter Canadam ad Bor. & Ins. S. Johannis ad Meridiem.

Misdates, Persarum rex, An. Dom. 300.

Misenus, Æoli fil. Hectoris tubicen, in ciendis militum animis præstantissimus. Virg. *Æn.* 9.

Misenum Æoliden, quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.

Quo mortuo secutus est Æneam in Italiam. Hic cùm deos marinos ad tubæ certamen provocasset, à Tritone submersus est: sed postea ab Æneâ inventus, ab eo in monte quodam Italiæ sepultus est, qui deinde *Misenus* vocari cœpit. Erat autem in Campaniâ, non procul à Cumis. Virg. *lib.* 6.

Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo.

Item urbs in monte excisa, olim Episc. à Bajis 2. Puteolis & Cumis 3. m.p. in ora, cujus adhuc rudera supersunt. Populi *Misenates*.

Misericordia, ab antiquis fuit culta, ejusque aram Athenienses habuere, ut Pausanias aliique tradunt: Romani etiam *Misericordia* templum asylum vocavere.

Misetus, urbs Macedoniæ. Steph.

Misgetes, populi Iberum. Steph.

Misgomena, urbs Thessaliæ. Gentile *Misgomenius*.

Misitheus, eruditione & facundiâ pollens, à Gordiano Imp. qui ejus filiam duxit, Præfectus constitutus, egregiè rem contra Persas gessit; fraude dein à Philippo Arabe sublatus, unde Gordiano exitium. Jul. Capitol. *in vita Gordian.*

Misna, urbs sup. Saxoniæ, Misniæ caput, condita ab Henrico Aucupe, A. C. 928. qui Marchionem Misnæ constituit. Sigismundus postea Imp. Friderico Marchioni, cum Saxonia, Electoratum contulit, A. C. 1423. Sub initium Reformationis, Johannes Episc. Misnensis, venias venales, circa A. C. 1500. è sua diœcesi ejecit, populi stoliditatem increpans: Vid. Chytræum *par.* 1. *Saxon.* De Misniæ autem Marchionum origine, Vid. Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Hist.* in Familia Saxonica, & supra in voce *Marchio*.

Misna, Carthaginensium navale dicitur. Cæl. Rhod. 18. 38.

Misnia, vulgò *Meyssen*, superioris Saxoniæ provincia, satis ampla, inter Salam & Albim fluvios posita, quam olim Hermanduri, & Sorabi Slavorum natio habuerunt. Ejus montana sunt fœta mineris. Baudr. terminatur, à Sept. Saxoniâ & Princ. Anhalt. ab Or. Lusatiâ, à Mer. Bohemiâ, & Franc. ab Occ. Thuringiâ. Dividitur in 5. partes, nempe in Misniam propr. *das Meisnische*, Lipsiensem tractum *Leipzische*, Osterlandiam, *Osterland*, Voigtlandiam, *Voigtlandische* & in dominia *Ertzgeburgischen*, versus confinia Bohemiæ. Ejus etiam partes sunt ditiones Merseburgensis, Naumburgensis & Hallensis, quæ tamen jam proprios habent Principes, è domo Saxon. uti Osterlandia Duci Altemburgico paret, & Voigtlandia, maj. ex parte Duci Naumburg. Caput prov. *Misna* est, quæ ad Albim, 3 mill. Germ. distat à Dresda in Occ. 9. à Lipsia in Ort. aliàs Episc. erat sub Arch. Magdeburg. cum territorio adjacente, V. suprà.

Misniæ urbes:

Altenburgum, *Altenburg*.	Mersoburgum, *Mersburg*.
Chemnitium, *Chemnitz*.	Misna, *Meissen*.
Dresda, *Dresen*, Elect. sedes.	Naumburgum, *Naumburg*.
Halla, *Hall*.	Sitizum, *Zeitz*.
Lipsia, *Leypzig*.	Suicca, *Zwicka*.

Misor, civ. Levitarum, sita in planitie, quondam Og, Regis Basan, in tr. Ruben. Apud Jerem. est regio Moabitarum, V. Jos. 21. Hier. *in L. H.*

Mispila, urbs Medorum. Steph.

Missa, à mittendo populum. Unde antiquis Germ. *Senta*, Anglis adhuc *Sent*. Hinc *Missale*, liber quo continentur omnia ad Missam quotidie dicendam pertinentia. *Missaticum* Nuncium. *Missaticum* Regis; legatio, jussio, mandatum, quod Rex per nuntium vel legatum suum, quem vett. *Missum* dixere, exponit. In specie *Missi* dicebantur, qui ab Imperatore legati sunt in provincias, ad inquirendos censendosque mores Clericorum, Monachorum, cœterorumque Ecclesiasticorum: Hodie *Visitatores* appellati. *Missus* vel Nuntius Papæ à Legato differt, quòd sine Legati insignibus mittitur. Henr. Spelmannus *Glossar. Archaol.*

Missanium, opp. Salentinorum; aliàs *Messania*.

Missessus, Armenius, Constantino Cæsare à se interfecto, Cæsar appellatus à militibus, ab iisdem paulo post est interfectus, A. 691.

Missorium, Græcobarb. Μισσόριον & Μισσούριον, concha minus grandis, cui liquores infunduntur. Testament. Remigii Episc. Rhem. apud Flodoardum *l.* 1. *c.* 18.

Mistavo I. seu Billungus, fil. Visilai, Herulorum & Vandalorum R. à Vistula ad Visurgim imperitavit, & ductâ Vagonis Episc. Oldemburg. Vagriæ sorore, Christianam fidem amplexus est, mox ejus non desertor solùm sed & persecutor. Ex ejus filiis Grimmus, Rugiorum Principum conditor fuit.

Mistavo II. verò, maximus natu, patris successor, ob negatam à Bernardo I. Saxon. cum quo Ottoni II. Imp. in Italia militaverat, filiam & ingestum à M. Theodorico convitium, *canem non morsurum minus, quàm latraturum*, protestatus, Saxoniam horrendum in modum depopulatus est, & Christianâ fide extinctâ, universum Slavicum nomen ad Deorum cultum reduxit. Tandem ipse senex conversus, Bardovici, quidquid ætatis erat reliquum, exegit. Eo præter alios geniti Udo lineæ Vandalicæ, ac Megapolitanæ: & Ratiborus ac Bogislaus Pomeranæ, conditores fuere. V. infra in voce *Vandali*.

Misthium, urbs Orondicorum, in Galatia. Steph.

Mistia Pomponio, *Mystia* Plin. *Mistra* aliis, op. Magnæ Græciæ in finibus Locrorum, inter Hieracium urb. ad Merid. & Auricellam opp. ad Boream ferè medium. *Gelosia* vel *Gioiosa*, teste Barrio.

Mistyllus, coci nomen, in quem jocatus est Martialis *l.* 1. *ep.* 51.

Si tibi Mistyllus cocus, Æmiliane, vocatur:
Dicetur quare non Taratalla mihi?

Ex Hom. *Iliad.* α. *vers.* 465.

Μίστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

Misua, Anton. *Nisua* Ptol. *Nucbia* nunc Moletio, & aliis *Nubia*, opp. Africæ in ora, apud prom. Mercurii, inter Carpim & Clupeam, 20. ferè m. p. à Clupea in Occ.

Misynos, Ptol. *Mesurata*, Ortelio, Ins. maris Libyci, Cyrenaicæ adjacens, in Syrti magna.

Mithra, Persis dicitur Sol. Strabo *lib.* 15. Τιμῶσι δὲ καὶ Ἥλιον, ὃν Μίθρην καλοῦσι. Plut. *in lib. de Iside, & Osiride*, post relatam eorum sententiam, qui duos esse Deos credebant, quasi adversarios & ἀντιτέχνους, quorum alter Bona, alter Mala operaretur, illumque Deum, hunc Dæmonem appellabant: idem & sensisse Zoroastrem ait, qui ἐκάλει τὸν μὲν (viz Bonum Genium) Ὠρομάζην, seu Ὡρομάσδην, τὸν δὲ (sc. Malum Genium) Ἀρειμάνιον, μέσον δ' ἀμφοῖν τὸν Μίθρην εἶναι. Διὸ καὶ Μίθρην Πέρσαι τὸν μεσίτην ὀνομάζουσι. Hesychius, Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός. A מיתר *mithar* Persico deduci videtur, quod significat *Major*. Et quamvis sit gradus comparativi, Persis tamen absolutè dicitur, cujus generis exempla sunt in eâ linguâ quamplurima. Hujus positivum est מה *Mai*. Unde lucem præbeamus Hesychio, Μαὶ μέγα, Ἰνδοί. Persas intelligit, quod nec semel apud eum reperies. Ponitur aliquando pro primario sacerdote. Apul. *lib. ult. Ipsumq; Mithram illum suum sacerdotem præcipuum sacrorum ministrum decernit.* Vide Lactantium, Statii Scholiasten *in illud Theb. l.* 1. *in fine*,

—— Seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Vide etiam Bernartium ibidem, ut & Dempsterum *Antiq. Rom. lib.* 2. *paralip. ad c.* 8. Hinc *Mithriaca sacra*, de quibus Lampridius *in Commodo*, & Claudianus *l.* 1. *de laud. Stiliconis*,

—— Rex ipse micantem
Inclinat dextrâ pateram, secretaq; Beli,
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.

Mithracenes, Persa, Bessi parricidium perosus, transfugit ad Alexandrum. Curt. 5. 55.

Mithrenes, Sardium proditor, Curt. 3. 50.

Mithridates, rex Ponti, vi tantâ & animi, & corporis, ut 6. juges equos regeret, duarumq; & viginti gentium ore loqueretur. A Romanis gravissimè læsus, cùm justitiam sperare non posset, aggressus fœderatos eorum, Nicomedem Bithyniâ, Ariobarzanem Cappadociâ expulit. Græciam, insulasque omnes, exceptâ Rhodo, occupavit. Cives Romanos, totâ Asiâ negotiantes, nocte unâ occidendos curavit. Qu. Oppium proconsulem & Apuleium legatum in vincula conjecit: Sed à Syllâ, qui Athenas receperat, apud Dardanum fusus, cùm L. Lucullo apud Cyzicum, dein cum Pompeio congressus, tantâ suorum clade superatus est, ut rebus suis diffidens, ad Tigranem Armeniæ regem confugerit: cujus ope cùm bellum instaurasset, à Pompeio omnibus prorsus viribus est exutus, tandemque à Pharnace filio, in regiâ, obsessus, veneno vitam abrumpere tentavit. Verùm cùm eâ viâ parum proficeret, quòd corpus multis antea antidotis adversus venena firmavisset (unde Mart. 5. 77.

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne poßent sæva nocere sibi.

Vide Plin. 25. 2. & Gell. 17. 16.) immissum percussorem Gallum, authoritate vultûs ejus territum revocavit, & in cædem suam magnum trepidantis adjuvit. Hic *Mithridates* maximæ crudelitatis arguitur. Nam Laodicem conjugem & sororem, præterea matrem, fratremque ac tres filios impuberes, totidemque filias interfecit. Cœterùm literatus, & literatorum ingens fautor, ipse-

me,

met librum, *de Arcanis morborum*, scripsit, quem inter præcipua triumphi ornamenta, Pompejus Romam detulit, à Lenæo liberto hujus dein Latinè redditum. Ab hoc Mithridate quoque Mithridaticum antidotum appellatum volunt; quod Quintus Sammonicus sic describit:

Bis denum rutæ folium, salis & breve granum,
Juglandesq; duas terno cum corpore ficus:
Hac oriente die modico conspersa Lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.

Plura de hoc vide apud Appian. *de bello Mithrid.* Livium *l.* 76. 77. *& seq. Brev.* Flor. *l.* 3. *c.* 5. Vellejum Paterc. *lib* 2. Gell. *lib.* 17. *cap.* 17. Plin. *l.* 24. *c.* 2. *l.* 37. *c.* 2. Plut. *in Sulla, Lucullo, Pompejo.* Dion. &c. *Mithridates* alius Bruti epistolas collegit, quæ impressæ sunt ab Aldo. Item filius Gazabar. 1. Esdr. 1. Alius Parthorum rex Olymp. 129. Alius rex Pergami. Olymp. 183 Alius item Parthorum Rex. Olymp. 203. Alius Armeniæ Rex. Olymp. 206. Vide Tac. 11 8.

Mitræas, Assyriorum R. post Sosarmum, A.M. 2822. usque ad an. 2848. Euseb. *in Chron.*

Mitylene, & *Mitylena*, pl. num. urbs maxima Lesbi juxta Methymnam, Archiep. sic dicta à *Mitylene* Macaris filia. Hodie *Metelin*, sicut & insula ipsa, quæ postquam variis dominis subfuit, Turcis ab Andronico Jun. an. Chr. 1338. erepta est, postea sub Venetis fuit, hodie iterum sub Turcis, à tempore Bajazethis II. qui decies octies Ins. aggressus, tandem illam occupavit, an. Chr. 1498. Vide P. Jovium *Histor. lib* 8. 10. Patria fuit Pittaci ex 7. sapientibus unius, item Alcæi poetæ, Diophanis oratoris, & Theophanis historici, qui Magno Pompejo admodum familiaris fuit. De hâc scribit Vitruvius *lib.* 1. quòd magnificè, & eleganter ædificata fuerit, sed non prudenter posita, in quâ Auster cùm flat, homines ægrotant, cùm Corus, tussiunt, cùm Septentrio, restituuntur in salubritatem. Ab hoc oppido etiam tota insula sic dicta fuit, tempore Eustathii. Longus Sophista *Pœmenicorum lib.* 1. Πόλις ἐστὶ Λέσβου Μιτυλήνη, μεγάλη, καὶ καλή. Διείληπται γὰρ Εὐρίποις, ὑπεισρεούσης τῆς θαλάσσης, καὶ κεκόσμηται γεφύραις ξεστοῦ καὶ λευκοῦ λίθου, νομίσαις οὐ πόλιν ὁρᾶν, ἀλλὰ νῆσον. *Pulchra* epitheto quoque illam ornat Horatius 1. *Ep.* 11. Strab. *lib.* 13. κατεσκεύασται δὲ τοῖς πᾶσι καλῶς. Cic. *contra Rullum*, eam vocat urbem & naturâ, & situ, & descriptione ædificiorum, & pulchritudine inprimis nobilem, agros jucundos & fertiles. Cum Rhodo aliquoties à Poëtis conjungitur. Vide Horat. 1. *Carm. Od.* 7. & Mart. 10. 68. Hinc adjectivum *Mitylenæus*, Luc. *lib.* 8. Utrumque dixere veteres *Mytilene*, & *Mitylene.* Sed posterius inter barbarismi species refert Stephanus, Grammaticus Byzantius, *in comm. ad Dionysium Thracem*, & Μυτιληναῖον dici jubet, addens rationem, ἀπὸ γὰρ τοῦ Μύτωνος τοῦ κτίστου Μυτιλήνη καλεῖται. Suffragantur nummi veteres, Voss. Duos habet eximios portus, *Geremia* & *Caloni*, hodie dictos.

Mitys, vir quidam, cujus statua, eum, à quo interfectus fuerat Mitys, collapsa oppressit. Arist. *c.* 10. *de Poëtica.*

Mitys, fluv. Macedoniæ, inter Dium & Agassas urbes. Liv.

Mixodia, fretum Siciliæ, inter Scyllam & Charybdim. Hom. Apoll. &c.

Mizraim, vide *Ægyptus.*

ML.

Mlauna, fluvius Bulgariæ, in Moravam maj. influens. Joh. Lucio.

MN.

Mnas, pirata, qui temporibus Pompeji Magni oram Italiæ proditoriâ classe infestabat.

Mnasalces, Poëta Græcus, Platæensis, an Sicyonius? Epigrammatum auctor, quorum quædam Athenæus refert. Ejus etiam Strabo meminit.

Mnaseas, Phocensis, à Phayllo fratris filio Phalæco tutor datus, Olymp. 107. an. 1. Vide Arist. Polit. *lib.* 5. *cap.* 4. Scripsit libros de Libyâ. Hesychius in Βακχείοις ὄχοις. Erant autem tres ejusdem nominis historici, Berytius, qui *de Arte dicendi* & *Atticis Verbis* scripsit. Colophonius, & Patrensis, de quibus vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 21. Gesner. *in Bibl.* Suid. &c.

Mnasicles, Cres, inter duces Thymbronis, ab eo ob inæqualem prædæ divisionem transfugit ad Cyrenenses, Diod. *lib.* 58.

Mnasippidas, Lacedæmonius, qui, tubicinibus noctu classicum canere jussis, multitudinem militum suorum simulavit. Polyænus *libro* 2.

Mnasippus, à Lacedæmoniis dux constitutus & cum 65. triremibus ac 1500. militibus ad occupandam Corcyram missus. Diod. *l.* 15. in ejus obsidione à Ctesicle occisus.

Mnasitheus, pictor Sicyonius non ignobilis. Plin. 35. 11.

Mnason, Elatensium tyrannus, qui pro duodecim Diis dedit Asclepiodoro pictori in singulos mnas trecentas, ac Theomnesto in singulas heroinas mnas centum. Plin. 35. 16. Item nomen veteris discipuli cujusdam, prout vocatur Act. Ap. *cap.* 21. *Vers.* 16.

Mnasyrium, locus est in Rhodo insulâ, non procul à Lyndo oppido. Strab. *lib.* 14.

Mnemium, promuntorium Æthiopiæ, ad sinum Arabicum. Ptolom.

Mnemosyne, Nympha Pieria, quæ Jovi novem Musas peperit. Hesiod. *in Theog.* Latinè *Memoriam* interpretari possumus, quam ideò Musarum matrem fingunt poëtæ, quòd omnium scientiarum thesaurus memoriæ beneficio acquiratur, & conservetur. Hesiod. *in Theog.* Picturæ excellentis Mnesomynes, à Philisco factæ, meminit Plin. *l.* 35. *c.* 11.

Mnesarchus, inter principes Philosophorum Ciceroni numeratur, *Acad. Qu. l.* 4.

Mnesidemus, conjurationis contra Heraclidem Demetrii Præfectum Athenis particeps, occisus est, Polyæn. *l.* 5.

Mnesilochus, Poëta ut videtur, Comicus, qui scripsit *Pharmacopolam.* Vide Scholia *in Aves.*

Mnesimachus, poëta Comicus, cujus tres fabulæ enumerantur à Suida, Athen. *l.* 8. 9. *& seqq.* Vide Vossium *de Poëtis Græc.* Alius meminit Schol. Apollonii *l.* 4.

Mnesitheus, Medicus, varia scripsit. Vide Galen. *lib. de alim. facult.*

Mneson, fil. Mnaseæ Phocensis, vide supra.

Mnester, Agrippinæ libertus, qui Dominâ à satellitibus Neronis interemptâ, ferro se transfixit, incertum, charitatene in patronam, an metu exitii. Tacit. *lib.* 4. Item nomen Pantomimi, Messalinæ grati, Id. *l.* 11. *c.* 36.

Mnestheus, nomen proprium viri Trojani, qui ab Assaraco rege oriundus fuit. Virg. *Æn.* 12.

Et genus Assaraci Mnestheus.

Nonnunquam verò metri causâ additur e post *m.* Virgil. *Æn.* 10.

Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.

Nec aliter potest stare versus, ut annotavit Servius. Item Pelei filius, 11. Atheniensium rex, an. ante U.C. 450.

Mnestheus, Medicus. Plin. *lib.* 21. *& seqq.* Item libertus Aureliani Imper. necis heri causa: fraude patefactâ cruci affixus & bestiis objectus. Vide Vopiscum, Aurel. Victorem, Eutropium, *lib.* 9.

Mnestheus portus, Gall. *Port de S. Marie*, in Vandalitia, in ora Sinus Gadit. 3. leuc. à Gadibus in Sept. uti 2. à Xera, in Cæc. 4. à Fano Luciferi in Eur.

Mnevis, bos Soli sacer, quem Heliopolitæ pro Deo colebant, in septo eum nutrientes. Strab. *l.* 17. Suidas. Vide Voss. *De Theolog. Gentili l.* 1. *c.* 29.

Mniara, Ptol. *Mina* Anton. *Hubet* Marmolio, opp. Maur. Cæs. apud Telensinum.

Mnizum & *Mizinum*, Lib. Conc. *Minyzum*, Anton. urbs Galatiæ, inter Juliopolim Bithyniæ ad Occasum 47. & Ancyram in Ortum 52. mill. pass. Est & *Mizinum*, idem quod *Drusipara.* Vide ibi.

MO.

Moab, i. filius patris, genitus ex incestu Lot cum filia majore, Gen. 19. A.M. 2139. ex quo orti *Moabitæ*, gens magna, potens, & superba valdè, unde & urbs *Moab*, aliàs *Areopolis* Eusebio, & *Moabitis* regio in tribu Ruben, ad Or. Judææ, proxima mari Mortuo & Jordani, nomen acceperunt. Es. 11. Est autem terra ipsa fertilis, & gens olim tam valida, ut dominati etiam fuerint Israëli: Postea à Davide victi, tributariique facti, ut & à Josaphato, 2. & 4. Reg. Joseph. *Antiq. l.* 1. *& seqq.* Torniel. *in Annal.* Est præterea nomen regis. 1. Reg. 12.

Moab, urbs Arabiæ Petrææ, trans Jordanem, eadem Medabæ, Stephano *Areopolis*, hodie *Aroër* teste Tyrio, Episcop. sub Archiep. Bostrensi.

Moadia, nomen viri. 1. Esdr. 12.

Moaphernes, matris Strabonis Geographi patruus. Strabo ipse *lib.* 12. ὁ δὲ Μοαφέρνης ὁ θεῖος τῆς μητρὸς ἡμῶν.

Moba, pars Arabiæ pro *Moaba*, unde *Mobeni* & *Mobites.* Steph.

Mobannai, nomen viri. 2. Reg. 23.

Mobucharax, ait vocari Stephanus eam Tertiæ Palæstinæ, i.e. Arabiæ Petrææ, partem, quam Ptolemæus *Characmoba* appellat.

Moca, opp. Arabiæ Petrææ. Ptol.

Mocarsus, parva regio Thraciæ. Steph.

Mocata, urbs Bithyniæ. Steph.

Mocenia, opp. olim, nunc pagus Bavariæ, ad Danub. apud Straubingam urb. inde 1. leuc. in Occ. *Motzing* Aventino.

Mocha, Ins. Americæ, in mari Austr. prope Chilen.

Mochimus, è Mesopotamia oriundus, Presbyter Antiochenus, scripsit egregium opus, contra Eutychen, ut & alia quædam. Gennad. *in Catal. Vir. Ill.*

Mochona, civitas. 2. Esdr. 11.

Mochori, pater Ozi. 1. Par. 9.

Mochura, Arabiæ Felicis mediterranea urbs. Ptol. *Mecha* putatur Nigro. Sed hæc creditur *Marraba* antiqq.

Mochus, Phœnix, Phœniciâ linguâ res patrias consignavit, cujus meminit Athen. *lib.* 3. Videtor Vossius *de Hist. Gr. l.* 3. *p.* 390. post Strab. *l.* 16. & Joseph. *l.* 1. *Ant. &c.*

Mocissus, & *Mocasus*, urbs Cappadociæ Arch. sub qua Nazianzum, supra 50. m. p. à Cæsarea in Occ.

Mocle, urbs Phrygiæ; Μόκκλη Stephano.

Modesta Puteana, Veneta, scripsit Poëmata, aliaque, sub titulo, *Moderata Fonte*: cum tractatu, de merito Fœminarum. Ex Philippo Georgio, viro literato, mater filiæ, quæ in opera ejus præfata est. Obiit an. 1592. Nicol. Doglionius, *in ejus Vita*. Ribera *theatr. mulier. eruditarum*. Lud. Jacob, *Bibl. doct. fœm.* Hilario Costus, *de fœm. illustr.*

Modestinus, aliàs Herennius, Jurisconsultus, Alexandri Augusti temporibus. Vide *Herennius*.

Modestus, Consul cum Arintheo, an U.C. 1125.

Modestus, Prætorio præfectus, cædem Edessanorum meditantem Imp. Valentem, motus constantiâ mulierculæ, quæ gnara imminentis sævitiæ ad locum martyrii filiolum raptabat, ne tantum facinus patraret, hortatus est, an. Chr. 368. Rufinus *l. 2. c. 5.*

Modestus, scripsit *de Vocabulis rei militaris*, hortatu Taciti Imper. an. 275.

Modestus Aufidius, eruditus Grammaticus, in Virgilium commentatus est. Philargyrus, *l. 2. Geogr. &c.*

Modestus Polento, JC. Patavinus, scripsit de sepulchris Patavinorum illustrium.

Modiana, urbs Arabiæ Fel. ad sinum Arab. Ptol.

Modicia, P. Diac. Fortè *Modœtia*. Vide ibi.

Modin, civitas in monte sita, inter Emmaum, & Rhamam, patria Macchabæorum, ubi est eorum memorabilis sepultura, septem pyramidibus ex quadratâ mole surgentibus. 1. Mach. 1. Inter Emmauntem & Rhamam, à qua 10. m. p. Hierosolymam versus abest.

Modiris, Indiæ intra Gangem emporium, Ptol.

Modoëtia, oppid. Insubriæ amplum ad Lambrum fluv. Baudrando oppidul. Insubrum aliàs, nunc Duc. Mediol. lepidum, ubi coronam ferream Imperatores, vide infra, accipiebant, 10. mill. à Mediolano, versus Larium lac. in planitie amplissima; vulgò *Monza*. Hìc Carolus M. regno Italiæ jure victoriæ sibi vindicato, ferreâ, per Arch. Mediolanensem, coronâ redimiri voluit, an. 774.

Modogulla, urbs Indiæ, intra Gangem. Ptol.

Modonus, fluv. Hiberniæ Dublinum urb. alluens. *Liffeus* Ortelio. *Slane* Camdeno.

Modrena, quæ & *Comopolis*, Leuncl. *Mudarni*, urbs Bithyniæ mediterr. Ep. sub Ar. Niceno.

Modron, locus Phrygiæ magnæ, unde Gallus fluv. Strabo.

Modrusa, urbs Episc. Croatiæ, 18. m. p. in Bor. à Senia, olim *Tediastum*, quibusd.

Modunga, urbs Maurit. Cæs. apud Ptol.

Modura, quæ *Deorum urbs* dicitur Ptolemæo, Indiæ intra Gangem urbs. *Bisnagar* Castaldo. Aliis est *Maduré*, urbs Coromandelis, ad montium radices; 100. m. p. à prom. Comorino in Sept. sub proprio Principe. Item regia Pandionis eidem Ptolemæo.

Moduti, Taprobanæ insulæ urbs. Ptol. *Pinder* hodie Villanovano.

Mæcenas, vide *Macenas*.

Mœnus, Germaniæ fluv. in Rhenum influens, *Mœnis* Melæ, *Menus* Ammiano. Franconiæ regionis est, & *Meyn* hodie dicitur: Gallis *Mein*. Oritur ex duplici fonte, supra Culembachium; dein paulo infra Bambergam fluens, rigat Swinfordiam, Herbipolim, Verthemum, Asciburgium, & Francofurtum ad Mœnum; tandem auctus aliquot fluv. in Rhenum, juxta Mogontiacum, abit. Hunc Rheginus historicus, & ejus temporis scriptores *Mogonum* vocant. Fortè *Julia* flumen est Vell. Paterculo.

Mœragenes, quatuor libros de Apollonio edidit. Iis fidem habendam negat Philostratus *lib 1. cap. 4.* Meminit & Tzetzes *Chil. 2. Hist.* 60.

Mœragetes, id est, *Fatorum ductor*, Jupiter sic dictus, itemque Apollo. Pausan.

Mœris, Pathaliæ, Indicæ gentis, Rex, qui ad Alex. M. adventum, desertâ urbe, in montes profugit. Curt. *9. 45.*

Mœris, fingitur villicus Menalcæ, i.e. Virgilii, cujus festinationem, ut vidit Lycidas, ita rogat,

Quò te Mœri pedes? an quò via ducit in urbem?

Mœris, *Muris* Herodoto, *Mœridis stagnum*, Ptolemæo, palus ingens Ægypti à Memphi 72. m. p. in Occid. distans, 20. mill. circuitu patens, teste Melâ. Ex quo patet decipi eos, qui illam *Buchiara* indigitant, cum Mareotide eam confundentes, quæ juxta Alexandriam est, multo vastior.

Mœsa, avia Heliogabali, nepotem ad Imperium evexit. Vide Æl. Spartian. *in Vit.*

Mœsia, *Mysia* Ptol. & Strab. regio Europæ, in superiorem & inferiorem Ciabro fluvio divisa. Superior *Bosna* ad Occid. & *Servia* ad Ort. dicitur. Inferior *Bulgaria*, in superioris & Thraciæ confinio, inter Hæmum montem, & Danubium fluv. contenta. Baudrando Mœsia regio est Illyrici Orientis, ampla, ab Ortu in Occas. extensa, inter Macedoniam, & Thraciam ad Mer. Daciamque ad Septentr. à qua Danubio separatur. Estque vel Prima, seu Superior, ubi nunc *Servia*; vel Secunda & Inf. nunc Bulgaria, cui Scythia *Bessarabia*, à quibusdam conjungitur. Sub Turcis, & separatur à Thracia Hæmo. Populi *Mœsi* Plinio dicuntur. Virgil. *Georg.* 1.

—— Nullo tantum se Mœsia cultu
Jactat, & ipse suas mirantur Gargara messes.

Vide sis illic de la Cerdam.

Moga, primùm dicebatur, quæ postea *Cappadocia*.

Mogara, Galatiæ opp. Anton. *Mochera*, lib. Not.

Mogetiana, Anton. seu *Mogentiana*, opp. Hung. *Zicka* Lazio.

Mogol magnus, *le Grand Mogol*, nomen magni Indiæ Monarchæ. Hi ex Tamerlanis posteris, è Tartaria prodeuntes sec. præt. Imperium hoc amplissimum & opulentissimum, incolis *Indostan* dictum, fundârunt. Vide infra, & P. de Valle, *Itiner. tomo 2. & 3.* ut & supra in voce *India*.

Mogola, urbs Asiæ min. circa Cariam. Porphyrog.

Mogoles, Gallis *les Mogols*, pop. Asiæ, qui ex Tartaria Merid. profecti, maximam partem Indiæ intra Gangem sui juris fecerunt, versus Bor. sub initium seculi præteriti. Unde *Mogolum regio*, pars Asiæ vastissima, quæ aliter *India Vera* seu *super.* Incolis *Indostan*, Gallis *l'Empire du Grand Mogol*, sub quo Imperio sunt XL. regna, inter Indum fluv. Sinum Gangeticum, & Caucasum. Terminatur ab Occ. Persiâ, à Septentr. Tartariâ. Urbes ejus præcipuæ Agra, Lahorium, Dellium, Amedebatum, Cambaja & Surata. Vide *India*.

Mogrus, Ponti fluvius. Arrian. Plinius *Nogrum* vocat.

Moguntia, urbs Archiep. Germaniæ superioris ad Rhenum celebris, sic ab amne Mogi dicta. Vulgò *Mentz*. Vide *Magontiacum* & *Mogontiacum*: Agrum habet ab utraque Rheni ripâ fœcundum & præstantissimo vino luxuriantem. Plurima antiquitatis monumenta ostendit, Academiam habet, eique artis Typographicæ inventio debetur, an. Dom. 1450.

Mogus, Samotis filius, apud Gallos regnavit sub annum à diluvio 330.

Mohilovia, urbs Lithuaniæ, probè munita, in colle, ad Boristhenem, 10. leuc. Pol. ab Orsa in Mer. 22. leuc. à Smolencio in Afric. 18. à Mcislavia in Occ. probeque culta. Capta à Moscis, an. 1654. recepta à Polonis an. 1656. *Mohilovv* vulgò.

Mohola, nomen viri. 1. Par. 7.

Moholi, filius Merari. Exod. 6.

Mojenvicum, vulgò *Mojenvic*, opp. Lotharingiæ permunitum, ad Sellam fluv. prope & infra Marsalium arcem. Nunc sub Gallis, pace Monaster. Inter Marsalium ad Ortum, & Vicum ad Occ. dimidiâ leucâ utrinque. 5. à Nancejo in Ort. 9. à Metis in Eur.

Moissacum, vulgò *Moissac*, opp. Cadurcensis prov. ad Tarnum, qui paulo infra in Garumnam se exonerat. In ipso Occitaniæ confin. cum celebri cœnob. 9. leuc. infra Tolosam in Bor.

Mola, perelegans & prælongus vicus Latii novi, in ora, inter Cajetam 4. mill. pass. & Minturnas. *Mola Formiana* Cicer. à molarum frequentia, quas hìc è montium radicibus profluentes aquæ continuò versant. Non longè à Formiis, urbe excisa.

Mola, castellum Apuliæ Peucetiæ in littore. Vulgò *Moisac*.

Molada, civitas, quæ in tribu tam Judæ, quàm Simeonis reperitur. Jos. 15. 2. Par. 4.

Molæ, Deæ quædam antiquitus dictæ sunt filiæ Martis, quas in Romanorum comprecationibus nominari solitas tradit Gell. 13. 21.

Mola Formianæ, Vide *Mola*.

Molanus Johannes, Lovaniensis; scripsit Notas in Martyrologium Usuardi, Calendarium Eccles. Sanctorum Belgii &c. Obiit an. 1585. Bejerlink, *in Chron.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

Moldavia, Germ. *Moldavv*, Gallis *Moldavie*, pars antea Hungariæ, nunc proprium habet Principem, sub clientela Turc. Ibi aliàs pars Daciæ Orient. Terminatur à Septentr. Poloniâ, ab Ortu Bessarabiâ, à Merid. Bulgariâ, ab Occasu Walachia. Urbes præcip. Jassium, sedes Principis, & Soczova. Multò minor est, quàm tabb. Geogr. vulgò notant, nempe inter Sept. & Merid. Juraverunt Moldaviæ Principes, à multis retro seculis, socialem Regibus Poloniæ fidelitatem, unde Poloni semper id egerunt, ut aliquis sibi fidus è Ducali sanguine regioni præesset. Sic an. 1552. Alexandrum Moldaviæ Principem dederunt, aliisque vicibus, ut an. Chr. 1572. 1595. & 1600. jus hoc tutati sunt. Sed illo excidere ab an. Chr. 1612. cùm Tartari in Moldavia sedem sibi compararunt: Accessit Stanislai Zockievii Præf. exercitus cum Skinder Bassa ad Bassam tractatio, quâ ipsum hunc morem convulsit. Sequutum postea bellum Chozimense, quo Zolkievius cecidit an. Chr. 1620. & quamvis felicior Chodkievicius, pacem honestam Turcis extorsit an. Chr. 1621. labefactata tamen manserunt Polonica in Moldavia jura, &c. Vide Auctorem *Hist. Geogr. & Civ. cap. 10. de Imp. Turc.* Huc concesserunt, pulsi à Matthia R. è Moravia Fratres, an. Chr. 1481. & cum Matthia, sacrorum Antistite, à Stephano Vaivoda, aliàs truci, benignè excepti sunt: donec post biennium à Rege melius instructo libertatem redeundi, & suo more sacra administrandi obtinuerunt. Lasicius *de gestis Fratr. apud Lætum.*

Moles, locus excisus, in agro Cæsaraugustano, ad Orbam fluv.

Molfeta, vulgò *Molfetta*, urbec. Barianæ, Episc. 12. mill. à Bario in Occas. 7. à Trano in Ortum, in ora maris Adr. cum Duc. tit.

Molid, filius Abisur. 1. Par. 2.

Molina, opp. Castellæ novæ, ad amnem cognom. in confinio Aragoniæ, ad radices montium, caput regiunc. cognom. inter Lobetum in Eur. & Seguntiam in Circ.

Meli-

Molina, castrum Galliæ, in extremis finibus Æduorum, ad fluv. Elaver *Alier*, Burbonensis pagi caput: dictum à molis aquariis vel hydromylis, quæ ibi multæ, aquis fluminis circumagebantur. Vide infra in *Molinum*. Sunt & *Molinæ Angilbertorum*, in Duc. Nivernensi, diœcesique Augustodunensi, nunc *Moulins Engilbert*: Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Molinæus Petrus, in agro Vexinate Galliæ natus an. Chr. 1586. Pastor primò Eccl. Aurelianensis, dein in Acad. Lugduno Batava docuit, Sedanum tandem translatus est: Theologus inter primos sui seculi. Scripsit plurima tum Philosophica, tum Theologica. Obiit Sedani, An. Chr. 1658. æt. 90. Pater Petri, Ludovici & Cyri, quos an. ætat. 82. cùm è gravi morbo convaluisset, insigni epistolâ, ad pietatem hortatus est. Vide quoque *Carolus Molinæus*.

Molingaria, urbs Lageniæ, caput Mediæ Occ. juxta stagnum, vix 6. m.p. à limite Connaciæ, 40. à Dublino in Occ. vulg. *Molinga*.

Molinum, caput Borboniensis prov. ad Elaverem fluv. cum castro antiquo Ducum, ubi plurimi Reges morari amaverunt, & amplissimis suburbiis: aquis suis nobile, 62. leuc. à Lutetia in Austr. Lugdunum versus, uti 12. à Niverno, 20. à Claromonte in Septentr. Hîc insignes cultri confiunt. V. Morer. & supra *Molina*.

Molio, Jupiter dictus est, ab hospite quodam *Molione*.

Molisia, Gall. *Molise*, oppidul. tenue in regno Neap. 10. mill. ab Æsernia in Ort. uti à Bojano in Sept. Deficit indies. Caput Com. Molisini, vulgò *Contado di Molese*, qui est inter Aprutium citer. ad Sept. Capitanatam ad Ort. & Terram Laboris ad Occ. Ibi etiam Æsernia, Larina, Bojanum, & Triventum.

Molisinum seu *a*, vulgò *Molesme*, castrum & cœnob. Galliæ in Campania, in limite Duc. Burgundiæ, 4. leuc. à Bario ad Sequanam, 9. à Claravalle in Afr. Tornodorum versus, ad amn. *Leigne*.

Molo, Orator Alabandensis, qui Rhodi claruit Ciceronis ætate. Plut. *in Vit. Cic.* & Strabo *lib.* 14.

Molocath, *Mulucha* Sallustio, Plin. & Melæ, fluvius Maurit. Tingitanæ inter Metagonitem promuntorium, & Malvam fluv. terminum utriusq; Mauritaniæ, *Mulucham* hodie, teste Marmol o.

Moloch, qui & *Molech*, & *Milchom*, Latin. *regnans*, aut *consiliarius*, princeps Deorum, non Ammonitis solùm, sed & Moabitis, apud Jerosolymam aliquando in valle *Gehennam*, elegans tabernaculum, & magnificum idolum habuit, quod inter omnia idola illic primatum promeruit. Erat autem ex ære, figuram regis præferens, fabricatum, habens magnam intra se concavitatem: hujus caput vitulum, reliqua verò pars inferior hominem exprimebat, deinde utrumque brachium extensum ad immolatos pueros 4. Reg. 23. Act. 7. comprehendendos, qui maximo idoli calore, inter nefarios ejusmodi amplexus, comburebantur. Cùm enim idolum interius omnino concavum esset, facile impositi ignis actione quodvis appositum concremabat, ne autem inter immolandum puerorum clamor & ejulatio parentum viscera commoverent, atque ut oblatio dæmoni gratior esset, Idoli *Moloch* sacerdotes, quandiu sacrificium durabat, rauco tubarum clangore ac ingenti & indefesso tympanorum strepitu undique aëra replebant, unde & locus ille nomen *Tophet*, quod *tympanum* sonat, sibi acquisivit. Cingebatur Moloch templum luco, idolo isti consecrato, in quo ejus cultores, post expletum sacrificium, sub arborum opacitate scortabantur. Hujus Dei nefandâ religione capti Achab & Manasses ei omnem cultum & venerationem exhibere soliti fuerunt. 4. Reg. 16. Quibusdam hoc idolum cum *Baal* idem fuit: alii sic distinguunt, ut Jovem sub Baalis, Saturnum verò sub Molochi nomine cultum dicant. Sed non hi solùm planetæ sæpe apud Auctores confunduntur, verùm & Sol, modò Jupiter iis, modò Saturnus vocatur, atque porro modò Baalis, modò Molochi appellatione venit. Unde Jupiter Phœnicibus *Baal Samen*, id est, Dominus cœli, dicitur, quod in Solem, ex Gentilium Theol. apprimè quadrat. Vide Thom. Godvvyn in tract. Anglico, cui titulus *Moses and Aaron*, *lib.* 4. *c.* 2. Voss. *de Theol. Gent. l.* 2. *c.* 5. Adrichom. *in theatro Terræ Sanctæ*. Torniel. *A M.* 3406. *n.* 2.

Molœus, fluv. Bœotiæ, juxta Cithæronem. Herod.

Molohom, filius Saharaim. 1. Par. 8.

Molon, Archon Athenis, Olymp. 104. an. 3.

Molones, secundùm Didymum duo extiterunt, unus Histrio; alter fur Vestiarius, quorum ille grandi atque enormi, hic pusillo corpore fuisse perhibetur.

Molorchus, pastor seniculus in agro Cleonæo, qui Herculem illac iter facientem comiter hospitio accepit. Cujus beneficii gratiam, ut hospiti suo rependeret Hercules, Leonem Nemeæum interfecit, qui circumjacentem regionem latissimè devastabat. Huic seni sacra solemnia instituta, quæ *Molorchea* dicebantur. Eorum meminere Virgil. *Georg.* 3. Tibull. *lib.* 4. *ad Messalam*, ubi Vide sis Passeratium. Stat. *Sylv.* 3. 1. & 4. 6. Mart. 9. 44. & 4. 64.

Molossi, populi Epiri, quorum regio *Molossia*, nunc *Pandosia*, teste Pineto, à *Molosso* Pyrrhi & Andromaches filio, nominata, quam postea Helenus de nomine Chaonis fratris sui, quem in venatione imprudens occiderat, Chaoniam appellavit. Hinc canes *Molossi* dicti, quos poetæ fabulantur originem traxisse à cane æneo à Vulcano fabricato, quem ille Jovi, Jupiter Europæ, Europa Procridi, Procris Cephalo dono dedit. Jul. Pollux. 5. Virg *Georg.* 3.

Veloces Spartæ catulos, acremq; Molossum.

Vide quoq; Horat. *Epod.* 6. Sen. *in Hippol.* &c. His Arist. *Hist. An.* 9. commendat ἀπὸ τῆς ἀνδρείας πρὸς τὰ θηρία καὶ τοῦ μεγέθους, *à fortitudine contra belluas, & magnitudine.* Clamosi erant hi canes, quæ res etiam ad terrorem nata. Lucan. *lib.* 4.

Aut dum dispositis attollit retia varis,
Venator tenet ora levis clamosa Molossi.

Qui tam vastus clamor à magno ore, quo præditi sunt: Lucret. *l.* 5. Horat. *l.* 2. *Sat.* 6. Claud. de canibus Dianæ, *in* 3. *Stil.* Mart. 12. 1. Sunt & *Molossi* populi Thessaliæ apud Jolcum opp. teste Athenæo.

Molossus Jupiter celebris, à Molossis Epiri populis & Chaoniæ cognominatus, apud quos oracula quercus reddebant.

Molossus, pes dictus est ab ejus patriæ saltatione, vel quòd eo metri genere odas in templo Jovis ad laudem canere consueverint, in memoriam Molossi filii Pyrrhi, & Andromaches, vel, ut alii volunt, quòd *Molossi*, i. e. Thessali ad bellum procedentes, hujus modulatâ compositione utebantur, constat autem tribus longis, ut *Æneas*.

Molpis Lacon, de Rep. Lacedæmoniorum scripsit. Athen. *lib.* 4.

Molsemium, vulgò *Moltzheim*, urbec. Alsatiæ infer. ad amnem Brusch, 2. leuc. ab Argentinâ in Occ. Sedes Canonic. Argentinens.

Molucca, Gall. *les Molucces*, Hisp. *las Molucas*, Insulæ maris Indici, sub Æquinoct. circulo. Sunt vel *Magnæ* & *Latè sumtæ*, ut Celebes, Gilolum, Terra Papuum, seu Nigrorum, Ceramum, Flores, & Timor cum adjacentibus. Vel *Parvæ seu Veræ*, 5. illæ versus oram Occ. Giloli, nempe *Ternate*, *Tidor*, *Machian*, *Motir*, & *Bachian*: quarum nomina olim *Cupe*, *Duco*, *Mara*, *Moutil*, *Seke*. Ipsarum maxima est circuitus 45. milliar. Totæ sub Hollandis, quanquam Ternata Regem habeat proprium, cui subsunt etiam Motir & Machianum. Tidora etiam Regem habet. Extenduntur à Septentrione in Meridiem. Earum nulla ambitum 6. leuc. excedit, omnesque intra 25. leucarum spatium comprehenduntur. Sunt in toto orbe celebres, ob ingentem aromatum copiam, præsertim Caryophyllorum, suavissimi odoris, nec minoris usus condiendos ad cibos, quæ prope solæ ferunt. Historia illarum hæc: Sinenses, circa an. Chr. 1013. latè per Indiam effusi, has quoque insulas tenuere, non sine sumtu & sanguine; quorum tandem pertæsi introrsum se recepere, derelictis quæ 60. per annos possederant. Post hos profecti Malaccensi regione insedere, & his pulsis, Persis mixti Arabes, qui & Mahumetismum intulere: nec aliunde ipsum nomen, nam regna *Moluccas* Arabes vocant. Græcis vett. ac Romanis ignoratæ hæ Ins. qui ipsum tamen Caryophyllum, per Orientis populos habuerunt: & quia Ægypto transibat, auctum hinc Ptolemæis, & postea Romanis vectigal. Labascente re Romanâ, Genuenses, & secuti hos Veneti per Theodosiam petiere, quæ *Caffa* pòst appellata est. Ex quo dein Constantinopolis in Latinos cessit, & Græca invidia alias Imperii sedes, inter has Trapezuntem, legit, tractum huc per Caspium mare mercimonium est; postquam autem ibidem Turcæ invaluere, per camelos ac dromadas Aleppum ivit: sed Cairum qui tenuere Sultani, Rubro iterum mari & Alexandriæ reddiderunt. Lusitani, postquam multa Africæ Asiæque cognoverant coloniisque insederant, an. Chr. 1512. primùm in has insulas venere, armatique Regum ibi dissidiis & suâ classe facilè se Caryophylli dominos fecere, corruptis etiam navibus, si quæ ab Arabum aut Persarum oris venirent, & omni in Ægyptum itinere præcluso: ita Sultanis non minus octuagies mille ducatis annuum periit. Mox Tidoris Rege Almansore ab illis veneno necato, filius ejus Raxamira Castellanorum fidei se permisit, qui octavo pòst anno Magellani ductu in eas partes palàm, ac velut possessuri, venere. Hinc pugnatum acriter, nec diu tamen, quia Castellæ R. Carolus V. Imp. pecuniæ egens, nec dum satis intellecto, quanta res ageretur, acceptis à Johanne III. Lusitaniæ R. 350000. ducatis, jus illi suum in Moluccas pignori tradidit. Ex eo Lusitani pro libitu illic agere: Caryophyllum omne Goam mittere, unde Persæ, Turcæ, Sinenses, Afri petebant, vix tertiâ parte remanente, quæ Europæis gentibus venderetur. Itaque haud mirum, ex Moluccis ins. & Ambona, quæ haud longè eandem fert frugem, & Banda, ubi nux odorata optimè nascitur, cujus est flos, quem macin vocant, venisse quotannis Lusitaniæ Regg. ducatorum 200000. Primi ab Europa Angli, Draconis ductu, possessionem Lusitanis turbavere, an. Ch. 1579. Anno dein 1599. prima, quæ Lusitanorum potentiæ æquari possent, arma Batavorum, oppressi à Lusitanis Reguli læsi viderunt: cum quibus fœdere inito, Batavorum ibi potentia radicem egit, usque ad hæc tempora inconcussa, Hugo Grotius, *Hist. l.* 15. Tellus arida est, & in modum pumicis fistulosa, itaque non modò cadentes è cœlo imbres momento combibit, sed etiam è montibus manantes absorbet aquas, antequam directo alveo ad mare perveniant: Eadem aliquot locis cum insano reboatu ignes eructat, ipsas insulas olim desertas, & quà planities est, mari mersas fuisse, testantur conchylia & arenæ, quæ fodientibus passim occurrunt. Ibidem Manucodiata avis. Urbes Gammalamma, urbs Ternatæ prim. & arces *Malayo*, *Mariece*, *Mauritz*, *Nassau*, *Loboua*, *Tabillola*, & *Nahaca*, cum aliquot aliis arcibus in Tidora Ins. quæ sola supererat Hisp. ab ipsis etiam haud pridem relicta: Baudr. Vide Maffæum *Hist. Ind. Oros. l.* 11.

Molus, uxorem habuit Siden, Mentauri filiam. Stephanus in Σίδη. Item vir Cretensis Merionis aurigæ, & Idomenei pater. Hom.

Moly, Græcè Μῶλυ, *herbarum laudatissima*, teste Plin. 24. 4.

sed

sed ignota. Homerus à Mercurio monstratam eam scribit contra veneficia Circes, *Odyss.* 10. Vide quoque Ovid. *Met.* 14.

Molybdana, urbs Mastienorum. Steph.

Molybdodes, insula parva Sardiniæ adjacens contra Sulchos, unà cum insula Hieracum; quæ Latinè *Plumbea* dicitur. *Isola del Toro* Leandro. *Isola piana*, Brietio; in ora Austr. Sardiniæ. Baudr.

Molycria, *Molycrion* Pausan. opp. Ætoliæ, seu Locrorum Ozolorum in ora, inter ostia Eveni fluvii ad Occid. & Naupactum urb. proximam ad Ort. apud Antirrhium promuntorium. *Molicria* adhuc ex tab. recentioribus.

Molyndia, urbs Lyciæ. Steph.

Molys, urbs Libyæ. Steph.

Mombaza, insulare opp. elegans ac nitidum in finib. Africæ; à Lusitanis, An. Dom. 1505. ductu Francisci Dalmaidæ, vi occupatum & exustum: sed postea ab Afris restauratum, Theatr. Urb.

Momberonum, opp. Duc. Inculismensis, Metel.

Mombrisonum, opp. Com. Forestii. Metel. V. *Monbrissonium*.

Momemphis, urbs Ægypti, unde *Momemphitis præfectura*. Steph.

Momonia, vulgò *Moun* Hibernis, *Mounster* Anglis, una ex quatuor partibus Hiberniæ ad Austrum extensa. Separatur à Connacia Sineo fluvio ad Boream, ad Ortum habet Lageniam, à Meridie verò & Occasu alluitur mari Hibernico. Dividitur in sex Comitatus, Kerriensem scilicet, *Comté de Kerry*, Limericensem, *Comté de Limerick*, Corcagiensem, *Comté de Corck*, Tipperariensem, *Comté de Typperary*, Vaterfordiensem, *Comté de Waterford*, & Desmoniæ Comitatum, *le Comté de Desmond*. Caput est *Cassilia*, urbs Arch.

Momonia urbes præcipuæ.

Ardatum, *Ardart.*	Kinsalia, *Kynsale.*
Carieta, *Carick.*	Limericum, *Lymerick.*
Cassilia, *Cashell.*	Lismoria, *Lismore.*
Corcagia, *Corck.* Episc.	Rossia, *Rossé.*
Jogalia, *Toughall.*	Waterfordia, *Waterford.*

Momus, Deus quidam à poëtis fingitur. Nocte matre, ut inquit Hesiodus, *in Theogon.* ac Somno patre progenitus: ipse quidem nihil operis edidit, interim aliorum Deorum opera curiosis oculis contemplatus, si quid omissum, aut perperam factum, id liberè carpsit, unde ei nomen. Nam Μῶμος Græcè *reprehensionem* sonat. Vide de eo fabulam, apud Lucianum, *Dialogo de sectis*, & Proverbium *Momo satisfacere*. In hominis opificio illud potissimum notavit, quòd artifex non in pectore fenestras, aut ostiola quædam addidisset, per quæ perspici, quid in corde lateret, posset, quod sinuosum multis alioqui recessibus finxisset. Vitruvius verò *præfat. lib.* 3. id ipsi Socrati tribuit. Vide porro Lucian. *de Concil. Deorum.*

Mona, insula inter Angliam, & Hiberniam sita, ut Ptol. & Plin. eam describunt, *Monna* Xiphilino *in Nerua*. Hæc olim Druidum sedes fuit, Tacito auctore, hodie *Anglesey*, teste H. Lhuydo & Lelando, *Mon* verò antiquis Britannis. Sed hæc insula angusto vado tantùm à Britanniæ continente disjuncta conspicitur, ex quo quis fortasse hanc non esse Cæsaris Monam, quam medio cursu inter Britanniam & Hiberniam statuit, possit suspicari, sed potiùs eam, quam Anglo-Saxones hodie *Man* nominant. De quâ vide *Monaœda*. Baudrando Ins. est Walliæ Bor. prope Arvoniam, à qua separatur angusto freto *Menai*. Circuitus 60. m.p. Oppida præc. Bellomariscus *Beaumaris* & Novoburgus, *Newburgh*. Ibi 74. Parochiæ; ex Speedo. Angliæ mater, ob fertilitatem cluet. Est & insula hujus nominis parva in Rheni ostio, apud Frisios.

Mona, Ins. parva Daniæ, in mari Balt. Selandiæ ferè adjacens, ad Austr. cum opp. *Stege*, vix 4. m. pass. ab Ortu in Occasum extensa; vulgò *Mœn*.

Mona, apud Saxones, teste Bedâ *lib. de temp. rat. cap.* 13. Lunam significat: *Mon* Germanis super. aliis *Man*, non à Dorico Μάνη, pro Luna, sed à *Mon*, vel *Man*, veterrimo ipsorum Rege & Deo patrio, quem Tacitus meminit, & illi in Luna celebrabant. Hinc Lunam masculino, ut Hebræi, quibus Sol quoque fœmininum est, dicunt genere, *der Mon*: dominamque ejus & amasiam, è cujus aspectu aliàs languet, aliàs resipiscit, *die Sonn*, quasi hunc Lunam, hanc Solem. Unde & idolum Lunæ, viri fingebant specie, tunicati & caputio induti, erectis cornibus, quare κηρασφόρος Plutarcho, & aculeatis calceis, ad velocitatem denotandam, conspicui. Nec solùm Lunam ipsam, sed in Luna Ægyptiorum Isidem, juxta Tacitum: Græcorum Romanorumque Cererem & Proserpinam, juxta Diod. Siculum: & Gallorum Ditem, juxta Cæsarem, Germani coluere. Ditem autem rentur eruditi, sub Manni nomine, Thuisconis filii, qui Nimrodi, i. Saturni Babylonici coætaneus censetur, contineri. Qui omnes cùm inferna haberentur Numina, & nocturnis maximè delectarentur ceremoniis; non Germani solùm, sed & omnes Boreales populi, Noctem præ Die, Hyemem præ Æstate, Lunam præ Sole; & in Luna, tanquam in πανθέῳ, & totius cœlestis virtutis receptaculo, ac administratrice, cæteros omnes venerati sunt. In auspicandis igitur negotiis temporibusque distinguendis, Lunam superstitiosiùs observarunt, à nocte diem exordientes, & pro dierum multitudine noctium substituentes numerationem. Vide de Gallis Cæs. *lib.* 6. de Germanis Tacitum, de Anglis Henr. Spelmanhum *in Glossar. Archaol.*

Monachium, caput Bavariæ, ad Isaram, sedes Electoris: muris cincta ab Ottone Duce, an. 1556. est ex munitissimis Germaniæ: capta tamen à Gustavo Adolpho Suec. R. bello Germ. Palatium Principis magnificentissimum, an. 1675. incendio non parum detrimenti accepit. Præterea ædes tum sacræ tum profanæ, supra modum hîc splendidæ. Duabus nundinis quotannis frequentatur. Morerius *Diction. hist.* Vide: *Monacum*.

Monabæ, urbs Isauriæ. Steph.

Monachodamum, opp. Hollandiæ Sept. cum portu, in ora maris Austr. 2. leuc. ab Amstelodamo in Boream, Hornam versus, vulgò *Munickedam*.

Monachus, Solitarius Latinè dicitur ἀπὸ τοῦ μονάζειν. Eleganter Rutilius Numatianus *Itinerarii lib.* 1.

Processu pelagi jam se Capraria tollit,
Squalet lucifugis insula tota viris;
Ipsi se Monachos *Grajo cognomine dicunt,*
Quòd soli nullo vivere teste volunt.

Hieronymus *ad Paulinum: Si autem cupis esse quod diceris Monachus, id est solus, quid facis in urbibus? quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Habitarunt enim principio Monachi non in urbibus, sed in locis desertis procul à conversatione hominum, primùmque eremus habitari cœpta videtur circa an. Chr. 253. à Paulo Thebæo, Hier. *in vita ejus*. Progressu verò temporis in urbes commigrarunt. Primus in Occ. Monasteria in civitatibus condidisse dicitur Eusebius Vercellens. Episc. A. D. 360. Basilius in Oriente, A. D. 370. Vide Ambros. *Ep.* 62. Æn. Sylv.

Non audet Stygius Pluto tentare quod audet
Effrænis monachus, plenaque fraudis anus.

Monacum, vel *Monachium*, urbs Bavariæ elegantissima & primaria, sedes Ducum, vulgò *München*, Gallis *Munich*, Italis *Monaco*, aliàs *Isunisca*, cum palatio superbissimo. An *Abudiacum* Ptol. Ferè 5. mill. à Frisinga in Austr. 15. ab Oeniponte in Sept. Ab Henrico Bavariæ Duce, an. 1072. sub Ottone I. condita. Ab Augustâ Vindelicorum 8. leuc. in Ort. à Ratisbona 15. in Austrum.

Monases, Parthorum rex quidam, Horat. *Carm.* 3. *Od.* 6.

Monaghanum, vulgò *Monaghan*, opp. Ultoniæ, caput Comit. In colle, 20. m.p. ab Armaco in Afric. totidem à Kilmoria in Sept.

Monaldus, Justinopoli Dalmata, Franciscanus, an. 1332. Auctor *Summæ Monaldinæ*. Minimè confundendus cum illo, qui à Saracenis occisus est. An. 1288. Trithem. *de Script. Eccl.* Lucas Wadingus, *in Annal. minor. ad An.* 1288. 1314. 1332.

Monalus, Siciliæ fluv. Ptol. inter Cephalœdim & Alæsam in ora Occ. & Bor. fluens, *Molina* Fazello, *Tosa* autem Leandro. Nunc *Pollina*; In ora Bor. 8. mill. à Cephalœdio in mare Tyrrh. labitur.

Monaœda, insula Albionis, seu Britanniæ inter illam & Hiberniam, media ferè inter Monam ad Meridiem, & Gallovidiam reg. Scotiæ ad Bor. *Monapia* Plin. *Menavia* Bedæ. *Eubonia* Gildæ, *Man* Anglis, & *Menaw* Britannicè dicitur. Baudrando Ins. est maris Hibern. à Sept. in Mer. extensa, 34. m.p. lata verò 12. Ibi parochiæ 17. opp. 4. nempe *Russim* ad Austr. *Duglas* ad Ort. *Peel* ad Occ. & *Balacuri*, ubi Episc. sub Arch. Eboracensi sedes. Aliàs Reges habuit proprios, nunc Comes Derbiensis, Ins. hujus Regulus est, sub Rege Angliæ tamen. *The yle of Man* Angl. *Maning* incolis, & *l'Isle de Man* Gallis. Vide quoque *Camdenum*.

Monasteriolum, vide *Monstrolium*.

Monasterium, vulgò *Munster*, urbs Germaniæ, Westphaliæ primaria, ampla & Hanzeatica, Episc. sub Arch. Coloniensi, olim *Minigroda*, vel *Miningroda*: ad Aam amnem, qui paulo pòst in Amisium cadit. Arcem habet munitam, & celebris est ultimâ pace Germ. 7. leuc. distat ab Osnabruga in Afric. 12. à Paderborna in Occ. 22. à Brema in Austr. 18. à Colonia versus Bor. Capta est à Bernardo Episc. an. 1661. qui ob animum bellorum sitientem, multi nominis, jam contra Suecos rem gerit. Eadem urbs an. 1533. maximam cladem ab Anabaptistis accepit, qui eam civibus expulsis invaserunt, Regeque ex eorum colluvie creato, urbem contra ejus Episcopum, Archiepiscopum Coloniensem, & Ducem Clivensem, qui illam valido exercitu obsederunt, per annum quasi tenuerunt. Sed Episcopus tandem cum suis superior factus, justum supplicium de Anabaptistis, & rege illorum sumpsit. Caput est Episc. Germ. *Stift Münster*, qui inter Transisalanam ad Occ. Comit. Embdensem, & Oldenb. ad Septentr. Westphaliæ Duc. & Comit. Marchiæ, ad Merid. & Episc. Osnabrucensem & Comitat. Diepholtensem, ac Ravensburgensem ad Ort. ad 100. m. p. extenditur, à Sept. in Merid. Hîc etiam Cosfeldia, Linga, Meppa, Vechta & Varendorpia. Hodiernus Episc. Bernhardus à Galen bello hoc varias insuper ditiones acquisivit.

Monasterium, urbs Arch. Tarantasiæ ad Isaram, 5. leuc. a Fano S. Joannis Maurianensis in Sept. 8. à Camberiaco in Ort. Augustam Prætoriam versus; *Moustiers en Tarentaise* vulgò.

Monasterium, opp. Eiffaliæ, ad amnem Erst, in limite dit. Coloniensis; ferè 6. mill. Germ. à Colonia Agrippina in Mer. 7. ab Aquisgrano in Eur. Sub Duce Neoburgico.

Monasterium S. Petri, opp. Nivernensis prov. ubi juridica sedes prov. ferè medium inter Nivernum ad Bor. & Molinum ad Austr. 7. leuc. vulgò *S. Pierre le Moutier*.

Monasterium in valle S. Gregorii, *Münster im Gregorienthal*, urbs parva, sed Imp. Alsatiæ sup. ad amnem *Fach*, ad rad. Vogesi, 5. leuc. à Brisaco in Occ. inter 10. civ. sub Præfect. Hagenoensi.

Monasterium Villare, vulgò *Montivilliers*, locus Galliæ, in diœc. Rothomagensi, Abbatiâ Virginum Benedictinarum insignis. In qua eadem diœc. quoque est Marcasium Radulfi, vulgò *Marcheroux*, ubi Monasterium Præmonstratensium Monachorum, sub Abbate suo. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Monasthi, sive *Morasti*, vicus juxta Eleutheropolim, ad Or. ejus, ubi Micheas natus, & sepultus. In tribu Juda.

Monbaccia, seu *Monbaza*, urbs ampla Zanguebariæ, in ora maris Æthiop. Caput regni cognom. cum arce probè munita, & portu. Sub Lusitanis, 150. leuc. à Quiloa in Bor. ad radices collis, in insula continenti ferè juncta. Marmol. *descr. Afr.*

Monbrissonium, vulgò *Monbrisson*, urbs Forensis prov. super. ad Vesisiam amnem, olim *Castrum Brissonis*, 10. leuc. à Lugduno in Occ. 5. à Fano S. Steph. in Circ. 2. à Ligeri.

Mönchensteinium, vulgò *Mönchenstein*, quasi *Monachorum lapis*, arx cum vico, in agro Basiliensi, dimid. ab urbe milliari, sedes olim Nobilium Monachorum, postea à Thuringo Monacho, Maximiliani I. consensu, An. Chr. 1518. Basiliensibus vendita, quum eam pignoris jure jam aliquandiu tenuissent. Triduo frustra à Saloduriis oppugnata fuit, An. Chr. 1483. Stumpfius.

Moncontурium, vulgò *Montiscontour*, oppid. Pictavii, ad Divam amnem, 9. leuc. à Salmurio in Mer. totidem à Pictavio Urb. in Circ. prælio inter Reformatos & Pontificios celebre.

Monda, vel *Munda* Plinio, flu. Lusitaniæ per Conimbricam urb. fluens in Oceanum occidentalem, medius inter Tagum, & Durium, cum oppido cognomine. *Mondego* hodiè dicitur, teste Clusio.

Monembasia, urbs Archiepiscopalis Peloponnesi in orâ, vulgò *Malvasia*. Vide *Epidaurus*.

Monemugium, vulgò *Monemugi*, regn. Æthiopiæ infer. *Nimeamaje* aliter; peramplum, ab Euro & Austro Regi Macoco conterminum. Extenditur ad limites regnorum Monbazæ, Quiloæ, Sofalæ & Mosambici, Is. Vossio. Incolæ labra genasq; ferro candenti signant, & palpebras frontem versus erigunt, unde Cacodæmones videntur, Merel.

Moneses, nobilis Parthus, equitatui Tiridatem in Armeniam reducturo, à Vologese præpositus., Tacit. 15. 2.

Monesio, ex ære à Vulcano fabricatus canis Cephali. Pollux *lib.* 5.

Monesius, e ducibus Persæ, ab Jasone, aberratione saxi, quod in Colaxen miserat, occisus, Val. Flacc. 6. 652.

Moneta, Junonis cognomentum, apud Rom. *à monendo* impositum, Cic. I. *de Divin. Nam cùm urbs maximo terræ motu concuteretur, nec quisquam nosset quâ victimâ id mali posset expiari, vox ex Junonis templo audita est, quæ sacerdotes monuit sue gravidâ terræ motum esse procurandum.* Plut. Liv. Suidas. Μονήτα ἡ Ἥρα. Ei ædes dicata est à L. Furio Dictatore. Vide Dempst. *Antiq. Rom. l.* 2. *c.* 9.

Monetium, oppidum Japodum in Carniolâ regione, *Mansburg*, teste Lazio. In Comit. Ciliensi, 12. leuc. à Labaco in Bor.

Monferrantium, urbs Alverniæ, vix 1. mill. à Claromonte & 2. leuc. ab Elavere fluv. in Occ. in tractu Limania, 25. à Lugduno in Occ. Hîc summa rei tributariæ Curia, à Caucell. Pratensi, sub Francisco I. erecta. Duchenius *Antiq. Urb.*

Monfia, Insula Oceani Æthiop. in ora Zanguebariæ, versus Quiloam urb. 40. mill. ab ora.

Monfortium Amalrici, *Monfort Amaury*, opp. insulæ Franciæ, in colle, 10. leuc. à Lutetia in Occ. Drocas versus, 7. à Medunta in Mer.

Mongaguaba, vulgò *Mongaguabe*, fl. Brasiliæ, in præfect. Paraibæ.

Monica, mater D. Augustini, cujus vitæ sanctimoniam & ipse D. August. & Maphæus Vegius Laudensis vates literis mandaverunt.

Monitores, officii nomen apud Rom. Vide Dempsterum *Antiq. Rom. lib.* 5. *paral. ad cap.* 25.

Monlussonium, urbs Borboniensis prov. ad Carim fluv. in limite Bituricensi, 4. leuc. à confin. Alverniæ infer. in Bor. 13. à Molino in Occ. Vulgò *Monluçon*.

Monicoga, Insula Belgii, in ora Frisiæ Occ. vix 5. m. p. à Continenti, paulo plus ab Amelandia in Ort. *Schiermong* quibusd.

Monmiralium, opp. Briæ, ad Morinum majorem fluv. in limite Campaniæ propr. 4. leuc. à Castro Theodorici in Mer. 12. à Meldis in Ort. *Monmirail* vulgò.

Monmiralium, opp. Pertici tractus, in colle, in ipso limite Cenomanensis prov. 11. leuc. à Cenomano in Ort. 6. à Vindocino in Sept. vulgò *Monmirail*.

Monmorenciacum, opp. regiunc. Franciæ propriè dictæ, in colle, 4. leuc. à Lutetia in Bor. Cum titulo Duc. Hinc valli adjacenti & fertilissimæ nomen; *Monmorency*.

Monna, vide *Mona*.

Monobazus, Adiabenorum Rex, tempore Neronis.

Monobrica, vulgò *Monbriga*, opp. olim Hisp. Bæticæ, nunc pagus teste Clusio. Sed Ferrario videtur esse opp. Hispan. Tarracon. in Arragoniâ, vulgò *Menebriga*, ad Salonem fluv. à Bilbili 5. leuc. Cæsaraugustam versus 16.

Monodactylus, Æthiopiæ mons. Ptol. *Pentadactylos* Plinii est, Villanovano teste.

Monodus, Prusiæ filius, qui dentium loco os unum continuum habuit, unde ei nomen, quemadmodum Pyrrhum Epirotarum Regem habuisse Plin. & Plut. referunt.

Monœcus, incolis *Monaco*, Gallis *Mourgues*, portus & statio Liguriæ, paucarum navium capax, ab Albinga opp. distans stadiis 480. Dicitur *portus Herculis*, quia, teste Servio, pulsis aliis illic Hercules solus habitavit, vel quòd in ejus templo alius deorum non colitur. Arcem habet firmissimam, in rupe, & inaccessam, cujus Princeps & Dominus, qui à Grimoaldo, fil. Pipini, Austrasiæ Reg. fratre Caroli Martelli, Palatii Mag. An. 713. se oriundum dicit: (de cujus filiis & divisione hæreditatis, Vide Bouchæum *lib.* 8. *Hist. Provinc.*) neminem superiorem agnoscit, licet sub tutelâ olim regis Hispani, nunc Galli, præsidium illius in arcem admiserit. Baudrando opp. est parvum, sed munitum, cum palatio Principis, è gente Grimalda, in ora maris Ligustici; ferè insertum in Comitatu Nicecensi, cum *Mentone*, & *Rocobruna* oppidulis, quæ eidem Principi subsunt. Vide *Herculis Monœci portus*. Ibi incipiunt Alpes maritimæ. Virg. *lib.* 6. De Cæsare & Pompejo:

Aggeribus socer Alpinis, atq; arce Monœci.

Lucan. *l.* 1. —— *Solus quâ litora turbat*
Circius, & tutâ prohibet statione Monœci.

Silius *lib.* 1.
Et nebulosa jugis attollere saxa Monœci.

Monœtius, unus ex Argonautis, Flacc. *lib.* 6. *vers.* 344.

Monogissa, vide Stephanum in Μονόγισσα.

Monoglossum, Ptol. Indiæ intra Gangem Emporium. *Mangalor* à Nigro indigitatur.

Monogramma. Prisci moris erat, in Chartis Regum & inferiorum quoque personarum, Baptismalia nomina inceptivâ solùm literâ designare; ut *W. Dei gratiâ Rex Angl. &c. H. Dei gratiâ Londinensis Episcopus, &c.* Et ita sæpissimè, in citandis testibus. Quod etiam in nummis observatum est, juxta illud in *Capp. Caroli Calvi lib.* 11 *p.* 306. *Ut in denariis nova nostræ monetæ, ex una parte nomen nostrum habeatur in gyro, in medio nostri nominis Monogramma, ex altera parte nomen civitatis & in media Crux habeatur.* Vide Spelm. *Gloss. Arch.*

Monoleus, lacus Æthiop. ex quo Astaboras fluv. effluit, Strab.

Monomeri, populi apud ultimas Orientis terras, singulis cruribus saltatim currentes, vivacissimæ pernicitatis, Gell. *lib.* 9. *cap.* 4.

Monomotapa, vulgò quoque *Monomotapa*, regnum, in parte Austr. Æthiopiæ inter. peramplum, inter Imperium Monemugi ad Sept. & Cafreriam reg. ad Mer. Ibi plurima regna, vix nomine Europæis nota, & amnes auriferi. Hujus caput est

Monomotapa, ad fluv. Spiritus S. versus regionem Cafrorum ad Ort. 30. m. p. ab ora Oceani Æthiopici. Significat autem vox *Monomotapa*, seu Benemetapa, Imperatorem, secundùm Cluver. quem dicit regnare, ab Oceano Æthiop. usque ad mare Rubrum: sed recentiores relationes, ejus potentiam Capite Bonæ Spei terminari dicunt. Ab incolis *Magnus Tabaquus*, vel *Tabachus* appellatur; habetque regiam *Zangibare*, & fœminarum satellitio custoditur. Porro tam efflictim amatur à subditis, ut vitam æternam se, pro eo moriendo, mereri credant. Gentilismum profitetur, sed justitiam rigidè observat. Vide le Blanc *Itin. part.* 2. *cap.* 4.

Monophaga, sacra apud Æginenses, quæ copiosè describuntur à Plutarcho *in Quæstionibus Græcis*, & Athenæo.

Monopolis, vulgo *Monopoli*, urbs agri Bariani, in ora maris Adriat. 22. mill. à Bario in Ort. 40. à Brundusio in Circ. 25. à Tarento in Sept. proxima Egnatiæ, urbi extinctæ, cui successit.

Monosceli, homines Indici singulis cruribus: qui & *Sciapodes* vocantur, quòd in majore æstu humi jacentes σκιᾷ ποδὸς, id est, *umbrâ pedis* se protegant, Plin. *lib.* 7. *cap.* 2.

Monothelitæ, Hæretici quidam, qui duas in Christo voluntates negabant, divinam scil. & humanam. Princeps sectæ fuit Sergius Præsul Constantinop. vel potius, à Theodoro Phorano Episc. id hausit, unà cum Cyro Placidensi. Sophronius, Monachus eruditus, literis suis hanc hæresin impugnavit. Vide Acta VI. Concil. Gen. & Joh. Damasc. *lib. de hæres.* ubi hæreticos hos etiam *Monophysitas* & *Ægyptios* dictos refert. Baron. *in Annal &c.*

Monpenserium, oppid. Alverniæ, in colle, in limite Borboniensis prov. cum tit. Duc. 7. leuc. à Claromonte in Bor. Molinum versus; vulgò *Montpensier*.

Mons, à Statio bis disertè in *Dacis* nominatus; non quia montana *Dacia*: sed ἰδικῶς & unum *Montem* duntaxat appellitando Poëta adspicit, ad ridendam & miri stuporis superstitionem *Dacorum*: quibus Sacerdos in monte quopiam Deus habebatur & mons ipse *Sacer*. Vide Strab. *lib.* 7. Prætereà Cappadocibus *Mons* pro Deo fuit. Tyrius Maximus: Ὄρος Καππαδόκαις καὶ Θεὸς καὶ ὅρκος, καὶ ἄγαλμα. Vide plura de *Montibus* infra in voce *Montes* & *Vulcanus*; item de iis, & de urbibus castrisque, quæ vocem *Mons* in fronte gerunt, in *Appendice*. Addatur hîc saltem.

Mons Jovis, in Hispaniâ, nunc *Monivi* dicitur. Ejus partem Occidenti adversam, eminentiâ cautium, quæ inter exigua spatia, ut gradus subinde consurgunt, *Scalas Annibalis* appellant, Mela 2. 6.

Montanus, Archiepisc. Toletanus, pius & eruditus. Duas Epistolas scripsit, Ann. 531. V. S. Isidorum, Vasæum, &c. Castitatem suam miraculo defendisse dicitur. Præses fuit Concilii 2. Toletani. Vide Acta hujus Concilii.

Montanus, Hæreticus quidam, An. Dom. 173. Caput Montanistarum. Plurimos vitæ austeritate in Asia seduxit, prodigioso interim tumore inflatus. Paracletum se dixit, à Filio Dei Apostolis promissum: secundas nuptias damnavit; repudium permisit, jejunium

nium rigorosum ter quadraginta dierum suis indixit,&c. Cùm diu sic Orbi Christiano illusisset,tandem cum Maximilla,discipula suâ, ex desperatione,ad laqueum confugit. Sectatores ejus, docuerunt insuper, Deum Patrem,cùm mundum frustra voluisset per Legem & Prophetas, salvum facere,incarnatum fuisse, atq; in Jesu Christo prædicasse & passum esse: nunc per S.Spiritum, in Montano & discipulis ejus habitare. Episcopos, post Patriarchas,& Cenones suos locarunt: Cœterùm adeò severi, ut, ob minimum delictum,sectatores suos excommunicarent. Divisi in Cataphryges, discipulos Procli & Æschinis. Euseb. *Hist. lib.5. cap.15.* Epiphan. *hær.*48. Philastr. *de hær. cap.*50. Theodor. *hær. fab. lib.* 3. August. *de hær. cap* 26. Alius item Hæreticus, An. Dom.254. à quo *Montani*, qui & *Cathari*, Euseb. *hær 6. cap.*34.

Montanus, integro nomine *Julius*, Senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus fortè per tenebras cum Nerone veste servili per urbem grassante; quia vim tentantem acriter repulerat, deinde agnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est, Q. Volusio,P. Scipione Coss.

Montanus Julius, Poëta, hexametro & elegiaco pollens carmine. Ovid. *Ponticorum ultimo*:

Quiq; vel imparibus numeris, Montane, vel æquis
Sufficis, & gemino carmine nomen habes.

Vide *Votienus*, & Voss. *de Poët. Lat pag* 36. Item Curtius *Montanus* Orator sub Vespasiano,quem & Carmina scripsisse docent illa Taciti: *Num Montanum detestanda carmina factitantem eludere impune sinerent?* ac post pauca: *Indignum, Montanum, probè viventem, extorrem agi,quia famosi carminis protulerit ingenium.* Meminit quoque *lib. 4. Hist.* Extat quoque ad eum epistola Plinii *lib* 7. de monumento Pallantis liberti. Juven. *Sat* 4.

Montani quoq; venter adest abdomine tardus.

Montargium, vulgò *Montargis*, urbs lepida Vastinii tractus, ad Lupiam fluv. 25. leuc. à Lutetia in Austr. Castro cum antiquo, ubi historia canis, qui domini necem vindicavit, depicta, 18. leuc. ab Aurelus in Ort. Castrum à Carolo V. reparatum, Urbs verò ab Anglis obsessa, An. 1418. arsit An.1528. denuo splendori pristino reddita. Duchen. *antiq. Urb. Gall.*

Montchalus Carolus, Archiepisc. Tolosanus, Hebraicè & Græcè doctissimus, Eusebium innumeris in locis correxit. Obiit An. 1651. Vide Rigalt. Holsten. Sirmond. Allatium, Morer. *in Dict Hist.*

Montensis, seu *Bergensis* Duc. *Duché de Mons*, seu *de Berg*, in circulo Westphaliæ, juxta Rhenum, sub Duce Neoburg. ex hæreditate Juliacensi. Ejus caput est Dusseldorpium. Estque inter Marchiæ Com. ad Ort. & dit. Colon. ad Occ. Vide *Clivia* & *Juliacum.*

Montes, vulgò *Monts*, urbs Belgii, Hannoniæ primaria, in colles assurgens, & vallibus depressa, populosa, naturâ & propugnaculis munitissima. Ad Truliam fluv. parvum, Fert. habet, ad Hanam fluv.à Valencena.7. leuc. inter Duacum ad Occ. & Namurcum ad Ort. 11. à Bruxellis 10. Hîc castrum vetus,ædes splendidæ,& palatium, ubi provinciæ Senatus cogitur. Celebris commercio,egregiis opificibus & insigni Cœnobio S.Waltrudis,Guicc. *descr Belg.*

Montes Acuti, *Spitzberg*, regio recens detecta, multò supra Norvegiam,in Bor. extensa,ubi altitudo Poli Arctici est 80.gr. circiter: Versus Grœnlandiam. Sed an sit pars ejus, seu insul. aut continens, nescitur. Dividitur in Spitzbergam propr. quæ ad Occ. & novam Frisiam ad Ort. Vide *Spitzberga.*

Montes Ærii, sic vocantur apud Diod. Sic. *in fine lib.*4. montes quidam Siciliæ, qui hodiè *Montisori* vocantur,Fazello auctore. Eorum pars editissima, *Monte Artesino.* Ex his montib. apud Capitium opp Himera in Occ. Gelas in Mer. & Terias in Ort. profluunt.

Montes Asturiæ, *Montes de las Asturias*, inter hanc & regnum Legionense, ab Ortu in Occ. per 20. leuc. extensi.

Montes Excelsi, qui Tyrensi urbi ab Oriente adjacent, in quibus dominus castri *Thoron*, sive *Torone*, magnas & amplissimas habebat possessiones. Tyr. 13.*bell. sacr.*13. *&* 17.*bell. sac.*14. *&* 22.*bell. sacr.* 24. Vitri *cap.*43. est in tribu Aser.

Montes Leana, vide *Leonis Mons.*

Montes Nivosi, seu *Andes*, vide *Andes.*

Montes S. Martini, in Guaxaca,in ora Sinus Mexicani: *Sierras de S. Martin* Hispan.

Montes Samariæ, in quibus vineæ, 2. Reg. 20. Jer. 31. Amos 3. in tribu Ephraim.

Montes urbis Romæ, ex Petro Victore.

Aventinus, *Monte di S. Sabina*, à sacra æde in eo constructa, Tiberi imminens, à porta Trigemina incipiens, ab aliisque prorsus discretus.

Cœlius, *S. Gio Laterano*, à basilica Lateranensi denominatus, apud portam Latinam.

Esquiliæ & Exquiliæ, *di S. Maria maggiore, & di S. Pietro in vincola*, ab ædibus sacris in eo sitis.

Janiculus, *S. Pietro in Montorio*, ubi etiam sacra ædes S.Honophrii.

Palatinus, *Palazzo maggiore*, Tarpejo attiguus.

Pincius, *S. Trinita del Monte*, sic à sacra æde in eo constructa nominatus, tempore Aureliani pomœrio inclusus est.

Quirinalis, *Monte Cavallo*, ubi palatium Pontificium, æstivo tempore à Pontificibus habitatum, sic ab equorum statuis, quæ ibi visuntur,dictus.

Tarpejus, qui & Capitolinus, ubi Capitolium, *Campidoglio*, Curia & Senatus, dum hic Magistratus staret.

Vaticanus, *il Vaticano*, ubi ædes Pontificis, & S. Petri basilica.

Viminalis, ubi sacræ ædes S. Laurentii in Palisperna, & S. Pudentianæ.

Montesia, urbs regni Valentiæ. Item Ordo ibi militaris, post Templarios extinctos,institutus, An.1317. Statuta eadem fere cum Ord. Calatravæ statutis. Equites, dicti fratres B. Virginis, in Aragonia, Valentia & Catalonia amplissimos possidebant reditus. Sub M. Magistro. Surita *lib.3. rer. Ind.* Mariana *lib.15. Hist. cap.16.* Spond *An.* 1317. *num.*3.

Montgomeriensis Comit. *Montgomeryshire*, provinc. Walliæ Bor. cum opp. præcipuo cognom. Inter Salopiam Comit.ad Ort. Merviniam & Cardiganiam in Occ. & Radnoriam in Merid. Item Comit. Normanniæ. Notus Comes Montgomerius,qui,cùm in ludis equestribus, Henricum II Gall. Reg. lethaliter vulnerasset, aulâ sponte exul,in solitudinem abiit,ab amicis dein monitus,ut S.Scripturæ lectione mœrorem solaretur, Reformatorum in Gallia insignis defensor evasit. Vide Thuan. *in hist.* Joh.Ser. *Inv.Hist Gall.*

Monthaburum, castellum munitissimum in Germ. à Balano Sicambrorum rege constructum. Olymp.131.

Montia, vide *Modœtia.*

Montilium Ademari, *Montel-imar*, castrum olim, nunc oppidum Galliæ, in Delphinatu, ad Rubeonis *Roubion*, & Rhodani confluentes. Ejus meminit Petrus Monachus *lib. de bello Albig. cap.*84.

Montiniacum, opp. Petrocorii, ad Vezeram fluv. fere 7. leuc. à Petrocorio Urb. in Ort. Tutelam versus, 4 à Sarlato in Septentr. *Montignac* vulgò.

Montiniacum Regium, opp. tractus Bassiniaci, ad Mosam, prope ejus fontes, 6. leuc. à Lingonibus, in Cæc. 7. à Calvomonte in Ort. vulgò *Montigny le Roy.*

Montio, urbs munita Aragoniæ, conventibus regni nobilis, in colle, ad Cincam fluv. 2. leuc. infra Barbastrum in Mer. 16. ab Ilerda in Circ. 5. à Fraga in Bor. Expugnata Ann. 1643. à Gallis, sed recepta ab Hisp. *Monçon* vulgo.

Montio, vicus Lothar. castro dare nomen idoneus, monti impositus,unde ei nomen, vulgò *Monçon*, vel *Mouçon*. Huic adjacet proximus *Pons* Mosellæ & adminiculo confluentibus impositus, unde *Pont à Mousson.* Hoc oppidum 8. jam portas habens S.Imperii urbibus adjunxit Carolus IV. Imper. in gratiam Roberti Ducis Barrensis ac Marchionis Partensis. Sedet ad utramque Mosellæ ripam, sed ad sinistram magis. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Montisbelicardum, vulgò *Mombeillard*, opp. Sequanorum, sub Comite, ex familiâ Wirtembergica. Hoc ne Burgundicum agnosceret feudum Henricus fil. Ulrici, An. 1480. demortui, neq; Dolæ compareret,ab Imp. jussus est. Hinc idem Basilienses & Sundgojos, pro Carolo Burgundo, A. 1474. infestavit, mortuus Uraci, A.1519. Pater communis duarum linearum,Ducalis primæ,per fil. Ulricum & *Montisbelicardicæ*, seu Ducalis sec. per fil. Georgium. Ulricus à Carolo V. Ducatu exutus, Montisbelicardi commoratus est, An. Chr. 1525. illudque Galliæ Regi oppigneravit, An. C. 1533. sed reluit An. 1534. religione Evang. in Principatum introductâ. Lineâ ejus in Ludovico Pio, An. 1593. extinctô, terminatâ: successit agnatus Fridericus, sub quo Colloquium institutum est An. 1586. inter Bezam ac Abr. Musculum, ab una: & Jac. Andreæ, Luc. Osiandrum & Theod. Schnepsium, ab altera parte,nullo successu. Hinc Legatus Principum German. in Galliam profectus est. Obiit An. C.1608. Pater Joh. Friderici, qui Stutgardianum, Lud. Friderici,qui *Monpelicardensem*, & Julii Friderici, qui Julianum seu Brentianum ramum orsus est. Medius itaque Monpelicardum nactus,reditus suos, absque subditorum onere,aliquot fodinis & fabricis ferri institutis, non parum auxit: Mortuus An. Chr. 1631. Ei filius fuit Leopoldus Fridericus, sub quo oppidum à Gallis protectum est: usque ad pacem Monaster. quâ,deducto præsidio Gallico, Princeps ditionem recepit. Moriens A.1662. successorem reliquit fratrem Georgium eruditione inclytum, qui ductâ Annâ, filiâ Gasparis Colinii Marescalli, multa in Gallia bona obtinuit: e quibus Castellione ad Lupam vendito, Colinium dominium retinuit. Pater trium filiarum Henricæ, Eleonoræ Carolæ, & Annæ: ac filii Eberhardi Leopoldi. Principatus ejus à Gallis,sub finem A.1676. occupatus est. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.* & *Mons Belligardus.*

Montuburgus, vulgò *Montebourg*, burgus Galliæ, in monte positus,in diœc. Constantiensi,prope Valonias: cum vet. Monasterio, Abbatiæ nomine,Benedicti regulâ & S.Mariæ titulo insigni.

Montlucius Johannes, Episc. Valentiæ, frater Blasii, Galliæ celebris Mareschalli. Sedecies Legatus, quinque Galliæ Regibus, in Italia,Germania, Anglia, Scotia, Polonia & Constantinopoli,egregiam probavit operam. A Carolo IX. in Poloniam missus,regnum illud Henrico Andio feliciter conciliavit. Obiit Tolosæ An. 1579. à Ronsardo, Mureto, Cujacio, Thuano, Scævola S. Marth. impensè laudatus. Reformatis eum favisse Dupleix, Spondus,&c. scribunt. Vide etiam *Blasius Montlucius.*

Montmelianum, arx munitissima Sabaudiæ, in rupe,cum opp. adjacente & ponte ligneo, ad Isaram, in confinio Delphinatus, 3. leuc. à Camberiaco in Austr. vix 2. ab arce Barraua. Vulgò *Montmelian.*

Montonium, opp. Aprutii, cum titulo Comitat. Item, oppidum Vindo-

Vindocinensis tractus, ad Lædum fluv. in confinio prov. Cenomanensis, 4. leuc. infra Vindocinum in Occ. 9. ab Ambacia in Sept. *Montoire* vulgò.

Montunates, pagus Insubriæ Galerato proximus, 24. m. p. à Mediolano; *Albicia* Merulæ.

Monumentum Caleb, in tribu Juda, Hier. *in vita Paulæ*.

Monumethia, urbs Angliæ, ad Wagam amnem, in ipso Herefordiæ confinio & Glocestriæ, 14. mill. Angl. ab utraque urbe cognom. uti 10. ab æstuario Sabrinæ, 22. à Bristolio in Boream, *Monmouth*. Caput Comit. cognom. *Monmoutshire*, qui in limite Walliæ, inter Glocestriam est ad Ort. & Glamorganiam ad Occ. fuitq; aliàs pars Walliæ Meridionalis.

Monychus, Centaurorum fortissimus, tanto corporis robore, ut vel procerissimas arbores humo evelleret. Equorum autem hoc epitheton, qui unicâ, eâque solidâ ungulâ pedes habent calceatos. Quo fit ut Centauris tribuatur, quibus poëtarum fabulæ equinos pedes affinxerunt. Valer. Flaccus:

Fert gravis invito victorem Nestora tergo
Monychus. —— ——

Juvenal. *Satyr.* 1.

—— *Quantas jaculetur Monychus ornos.*

Et ante utrosque Lucanus:

Aspera te Pholoës frangentem Monyche saxa.

Monyma, Milesia, castitate inclyta, Mithridatis uxor, quæ in desperatione rerum profligatarum detractum è capite diadema, illud collo circumligasse traditur, seseque suspendisse, & cùm corporis pondere laqueus ille disruptus esset, dixisse: *Execrandum diadema, neq; in tam tristi ministerio mihi profuisti*; moxque cum sæpe illud humi abjectum inspuisset, Eunucho regio jugulandam sese obtulisse. Plutarch. *in Lucullo.*

Monymus, Corinthii cujusdam trapezitæ servus, qui cùm maximè cuperet operam dare Diogeni, neque tamen hoc à Domino posset impetrare, simulatâ insaniâ monetam cœpit spargere, eoque modo dimissus ad philosophiam se convertit, Diogenemque & Cratetem secutus est: Inter Cynicos Philosophos æstimatus. Scripsit facetias, pulcherrimis sententiis refertas. Diog. Laërt.

Moos, filius Ram primogeniti Jerameel, 1. Par. 2.

Mophim, vel *Muppim*, filius Benjamin, Gen. 46.

Mophis, Rex Indiæ Taxilis filius ab Alexandro Magno devictus. Diod. Sic. *lib.* 13. Vide *Omphis.*

Mopsia, vide *Mopsopia*

Mopsium, Strab. *Mopsius* tumulus Livio, collis & opp. Thessaliæ, inter Tempe & Larissam.

Mopsvestia, urbs Caramaniæ, Plin. Ptolem. Strab. Episcopalis primò, dein Metropolitana, sub Patriarch. Antiocheno, ad Pyramum fluv. in mediterr. *Malmistra* quibusdam: aliis *Mebseje* etiam. Hîc à 9. Episcopis contra Theodorum, urbis hujus Præsulem, Concilium An. 550 celebratum est. Vide *Mamistra*, & *Mopsus.*

Mopsus, Deus Cilicum, cui divinos honores exhibebant, ut est apud Originem *lib.* 3. *contra Celsum*; & ante eum ita Tertullianus *de Animâ*, *cap.* 46. *Nam & oraculis hoc genus stipatus est orbis, ut Amphiarai apud Oropum, Mopsi in Ciliciâ, &c.* Sed quis *Mopsus* iste fuerit, quæri video. Tres vulgò *Mopsos* imprimis celebrant, imò totidem à Strabone *in nono* referri, annotavit Andreas Schottus *ad Melæ lib.* 1. *cap.* 17 nempe isthic legas, *Mopsium* Pelasgitidis in Thessaliâ urbem sic dici, non à *Mopso* vate Tiresiæ Thebani filio, sed à *Mopso* Lapithâ, Argonautarum uno: ac deinde in codicibus vulgatis edi solet Ἄλλο δ' ἐστὶ Μόψος ἀφ' οὗ ἡ Ἀττικὴ Μοψοπία. Et sanè à *Mopso*, *Mopsopiam* dici sententia Stephani est in Μόψιον, qui similiter apud Strabonem legisse videtur, quin idem etymon extat apud Eustath. *in Dionys.* Verùm obstat, quòd à *Mopso* esset *Mopsia*. Rectè igitur Casaubonianæ Strabonis editio pro Μόψος habet Μόψοπος, unde ἀναλόγως est Μοψοπία, uti & à Μόψου, quomodo idem vocatur Callimacho, apud Stephan. in Μοψοπία. Quare non dubium, quin Mopsus ille, cujus oraculum in Ciliciâ erat, vel Thebani Tiresiæ filius fuerit, vel Argonautarum unus. Posterius censet Pamelius, *ad allatum Tertull. locum.* Fuit is Ampyci filius, unde *Ampycides* dicitur Apollonio in quarto, & Ovid. *Metamorph.* 12. Vatem autem hunc fuisse clarè & Apollonius, & Valer. Flaccus testantur, quanquam verisimilius sit, oraculum illud Mopsi in Ciliciâ non fuisse Argonautæ Thessali, sed Tiresiæ filii, aut nepotis. Siquidem Mopsus vates, cujus in Ciliciâ oraculum, non Argonauticis vixit temporibus, sed belli Trojani, uti constat ex Strabo *lib.* 14. Jam verò Argonautica expeditio generatione integrâ bellum Trojanum antecessit. Hic *Mopsus* etiam fuit, à quo in Ciliciâ *Mopsi focus, lares, sive domus*. Græce Μόψου ἑστία. Vide *Mamistra*. B. Hieronymus *Mopsi viculum* appellat. Μόψου ἑστίαν vocat Strabo *lib.* 14. Cicero scribens *ad Appianum Pulchrum*: *De nostris rebus quod scire vis: Tarso Nonis Octobribus Amanum versus profecti sumus. Hæc scripsi postridie ejus diei, cùm castra haberem in agro Mopsuhestiæ.* Locus celebris mortuo illic Constantio Imper. & Episcopatu Theodori Mopsuesteni, viri à Basilio, Chrysostomo, Cyrillo laudati, sed post exortum dogma Nestorianum ab eodem Cyrillo & Ecclesiâ damnati. Etiam hunc *Mopsum* intelligo apud Pomp. Melam *lib.* 1. *cap.* 14. cùm scribit; *Trans eosdem mons Sardemisos, & Phaselis à Mopso condita, finis Pamphyliæ.* Interea & Mopsos Argonauta suum habuisse oraculum videtur, idq; in Africâ propriè dictâ (interjecta nempe inter Cyrenen, & Mauritaniam) Apulejus *de Deo Socratis*: *Pro numine postea ab hominibus culti in Bœotiâ Amphiaraus, in Africâ Mopsus, in Ægypto Osiris.* De hoc *Mopso*, apud Statium *Theb.* 3. sic ipse Amphiaraus:

—— *Nec me ventura locuto*
Sæpius in dubiis auditus Jasone Mopsus.

Ubi sic Lactantius, sive Lutatius interpres: *In tantum magnus fuit Mopsus in augurali peritiâ, ut post mortem templa ei dicata sint, à quorum adytis sæpe homines responsa accipiunt.* Quibus cultus fuerit locis, non addit, sed de Africâ credere debemus Apulejo, homini Afro, addo, & Mago, eoque oraculorum callentissimo. Proq; hoc etiam facere videtur Seneca *in Medea Choro*, ubi legas:

Idmonem, quamvis bene fata nosset,
Condidit serpens: Libycis arenis
Omnibus verax, sibi falsus uni,
Concidit Mopsus, caruitq; Thebis.

Favet & Ammian. *lib.* 14 ubi quidem Argonautam Mopsum in Ciliciâ cultum, at rectè eum in Africâ mortuum tradit.

Mora, Ptolem. opp. Corsicæ extinctum, in ora Bor. apud Opinum oppidum, inde 4. m. p. in Ort. à Bastia 12. ferè, Centurinum versus; *Villa de Mori* vulgò.

Moradunum, oppidum Ducat. Juliacensis, ad Roram fluv. cum cœnobio. Vulgò *Werben.*

Morantiacum, cujus mentio in Cod. Theodos. *lib.* 1. *tit.* 6 vulgò *Moranci*, vicus est ad sinistram Isaræ ripam, inter Bellum montem & Creditium: vel certè *Morhanges*, castrum oppidulumve Lotharingiæ, inter Saliam & Saravum fluv. Quibus in locis Impp. Roman. sæpius occupati erant, cùm ad arcendos transitu fluminis Germanos, tum ad Barbaros, si qui Galliam intrassent, reprimendos. Unde Duchenium *Montem Morentiacum*, castrum olim, nunc vicum Lutetiæ proximum, in Cod. Theodos. intelligi contendentem, corrigit Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Morasti, vicus contra Orientem Eleutheropoleos, patria Michææ Prophetæ, qui inde *Morastites* dicitur, Jerem. 26.

Morata Olympia Fulvia, Fulvii Morati Ferrariensis Philosophi, filia, Andreæ Grunthleri Medici Suinfordiensis conjux, Græcarum & Latinarum literarum cognitione egregiè exculta: edidit Carmina & Epistolas. Obiit Heidelbergæ, An. Chr. 1555.

Moratensis lacus, *Murtensée* Germ. ab oppido Helvetiæ non incelebri Morato, de quo infrà, nomen habens: Incipit à fluvio Broja, cujus aquis augetur, dein in lacum Neocomensem, propè ædes dictas *à la Sauge* ad Salicem, effluit: unde & vicinum pagum *Sougies* dictum habet. Ferunt omnino deperdi, quidquid in hoc lacu submergitur; piscosissimus est, & aliquando tanto gelu stringitur, ut glacies onustos etiam currus ferat. Credunt nonnulli, latius patuisse olim, & usque ad Aventicanos muros se extendisse, unde & *Aventicensem* fuisse dictum. Certè in fœderum tabb. An. Chr. 1333. scriptis nominatur *der Uchtsee*, unde Simlerus colligit, Aventicum tunc *Uchten* nominatum, regioni nomen *Uchtland* dedisse. Vide Stumpfium *de pago Aventic. lib.* 8. *cap.* 18. Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq. & Nov. &c.*

Moratum, opp. Helv. *Murten* incolis, Gall. *Morat*, ad lacum cogn. ferme in medio. Sub Romanis olim, quorum adhuc monumenta quædam è marmore visuntur. Postea Remontiorum Comitum agnovit imperium ex parte, An. Chr. dein 1351 cum Bernatibus fœdus init, quibus demum An. Chr. 1475. sponte se submisit, salvis tamen juribus suis & privilegiis, quibus jam sub Comitibus olim usum fuerat. Obsessum à Carolo Burgundionum ultimo Duce An. Chr. 1476. acriterque oppugnatum, sed illo mox ingenti acie ab Helvetiis superato, liberatum est. Communem habent hanc Præfecturam, ut & Gransonium, Schwartzenburgum ac Chalansum, cum Bernatibus Friburgii, qui his alternatim per quinquennium Præfectos constituunt. Distat 2. leuc. à Friburgo in Sept. 3. à Berna in Occ.

Moravia, incolis *Mähren*, Gallis *Moravie*, regio German. nunc regno Bohemico adjuncta, ab An. 1086. sub Henrico IV. Imper. unà cum Lusatia & Silesia. Olim *Marcomannia*, quia fines Germaniæ, quà à Danubio in Pannoniam pergitur, terminabat. Nam Germanis *Mark* limes dicitur, atque inde *Marcomanni* limitum, finiumq; accolæ appellati sunt. Hodie quoniam *Moravia* circumscriptos *Moravâ* fluvio habet fines, ab eodem fluv. incolæ *Moravi*, & ipsa regio *Moravia* dicitur. Eam nunc tribus è partibus limitant juga montium, sylvæ, saltusque & fluvii, ab Oriente viz ab Hungaris, ab Occid. à Bohemis, ab Aquilone à Silesiis. Nam à Meridie Austriam versus plana est, à qua dirimitur Thayia fluv. Baudrando est inter Silesiam ad Ort. & Bor. Bohemiam propr. ad Occid. Austriam cum Hung. ad Austr. Ibi aliàs Quadi; & ferè in 2. partes à Moravo fluv. dividitur. Urbes præc. Olmutium, Bruna, Iglava, & Znaima. Ann. 895. S. Methodius, Arnulfo Imper. procurante, hic Evangelium docuit: In agris numismata M. Antonini, Commodique & aliorum nonnullorum Cæsarum, tam aurea quàm argentea reperiuntur, quæ fidem bellorum cum Marcomannis olim in Moraviâ gestorum manifesta facere videntur. Thus & myrrha ibi inveniuntur uno tantùm in loco, cui *Gradisco* nomen, non ex arbore desudantia, ut alibi lecta, sed è solo terræ eruta. Regionis

positio quatenus interius patet, campestris est, campiq; sunt molli, & pingui solo, ideoque segetibus valde idonei, sicut colles vinetis. Culta ferè tota, cultoribusque adeò referta est, ut nullum gregibus armentorum, quæ nisi in solitudinibus commodè pasci nequeunt, locum reliquerit. Bohemicâ linguâ Moravi utuntur. Dubravius, Æneas Sylv. *Hist. Bohem.* Cluver. *descr Germ.&c.* Itiner. *lib.5.*

Moravia, provincia ampla Scotiæ Bor. ab Or. in Occ. extensa, cujus caput Elgia, seu Elginum. Inter Rossiam & Loquabriam, ad Occ. Badenotiam ad Austr. Buchaniam ad Ort. & Oceanum German. ad Bor. *Muray* incolis.

Moravus, Ptol. *Ciabrus*, aliis *Marus*, fluv. prov. Moraviam secat, & in Danubium cadit, ex adverso oppid. *Haynburg*, in Austria infer. 5. mill. Germ. infra Viennam, Posonium versus. Oritur in ipso limite Bohemiæ, juxta oppidum *Altstatt*, & Olomutium rigat; *die Marck* Germanis, *Moravva* Sclavis.

Moravus, Gallis *Moravie*, fluv. Serviæ, *Margus*, seu *is*, antiq. quibusdam. Oritur in limite Macedoniæ, versus fontes Orphei; & auctus plurimis fluv. in Istrum labitur, infra Senderinum, 80. mill. infra Taurunum in Ort. Ferr. Sed *Moravus*, seu *a*, alter major est & Bulgariæ, in Danubium influens, alter minor Serviæ, qui in majorem se exonerat, Joh. Lucio. Hic Vladislaus Turcarum XXXM. stravit, An. Chr. 1441.

Morbihanum, vulgò *le Morbihan*, portus capacissimus, in ora Australi minoris Britann. prope Dariorigum Venetorum, ad Oceanum Aquitan. ferè 7. leuc. à portu Ludovici.

Morbium, opp. Brigantum, nunc vicus *Moresby*, in Cumbria, in ora maris Hibern. 3. mill. Angl. à Verkintonio in Mer.

Morbonium, oppid. Vallis Telinæ, ad Adduam, inter lacum Larium 8. & Sondrium opp. in Cæc, 16. m. p. Arci Fontanæ proxim, vulgò *Morbegno*. An ob aërem gravem, an à morbis?

Morda, fluvius Walliæ, apud Salopiam urbem in Sabrinam influens, *Merse*.

Mordiaum, civitas Pisidiæ, *Apollonia* postea dicta, Stephan. ubi optima mala, Athenæus.

Morduva, populi Moscoviæ, versus Rham fluv. satis extensi, inter Czeremissos Nagornos ad Ort. & Volodimeriam ad Occ. ubi vastæ sylvæ; Gallis *Morduates*.

More, vel *Moore*, urbs Hiberniæ, in Comit. *de Mayo*, in Connacia, cum titul. Episcop.

Moret, sive *Moriensses*, populi Indiæ, ligneas domos habitantes, Μωρεις Stephano.

Morellus Johannes, Ebroduno Delphinas; Erasmo oculos Basileæ clausit. Hinc itinere in Italiam defunctus, à Catharina de Medicis, Henrici Engolismensis, Magni Franciæ Prioris, filii nothi Henrici II. educationi admotus est. Literatorum sui seculi delitium, à Ronsardo, Dorato, Bellajo, aliis impensè laudatus. Ex Antonia Loynæa, parens Camillæ, Lucretiæ & Dianæ, quæ omnes literis inclytæ fuerunt. Obiit An. 1581. ætat. 70. Epicediorum, in Græca, Latina Gallicaque lingg. volumen justum editum est, An. 1583. Scæv. Sanmarth. *lib.3. elog.* Chorer. *Hist. Delph.*

Morellus Meraldus, Delphinas, Jus Valentiæ docuit, Senator Gratianopolitanus.

Guilielmus *Morellus*, Normannus, Typographus Parisiensis, auctor Dictionarii Græci & Latini. Hujus frater, Johannes, similiter Typographus eruditus, ob religionem, flammis est ustulatus.

Moretum, vulgò *Moret*, oppidul. agri Vastinii, ad Lupiam fluv. qui paulo pòst cadit in Sequanam, 15. leucis à Lutetia in Meridiem. Hic Concilium An. Chr. 850. cujus nomine Lupus Ferrerius scripsit *Epistol.* 115.

Morgana, prodigiosa & admiratione dignissima parastasis, juxta Rhegium, Calabriæ oppidum, mediâ æstate plerunque se spectandam exponens; de qua vide Kircher. *A. M. Luc. l* 10. *pag.2. cap.1.* & ex eo Auctorem *Hist. Orbis Terr. Geogr & Civ.*

ad Morganicum, conjugium dicitur, cum Princeps vel Nobilis, filium aut prolem habens, inferiorem duxerit; eâ conditione, ut ne ipsa suæ dignitatis titulum usurpet, nec filios ex iis nuptiis suscitati cum prioribus hæreditatem sortiantur; sed hoc contenta sit, quo mane Nuptiarum, quod *Morgengaba*, seu *Morgangiva*, vel *Morgengeba*, Burgundis, Alamannis Ripuariis, Longobardis dictum, sponsus ejus eam donaverit. Vide Henr. Spelmann. *Gloss. Arch.*

Morgantium, Straboni Μοργάντιον, urbs Siciliæ. Silio *Morgentia, libr.* 14.

—— *Non frondosis Morgentia campis*
Abstinuit Marte infido. ——

Livio *Morgantia* dicitur, Diodoro Μοργαντίνα. Vide Cluv. *Sic. Ant. lib* 2. *cap* 8. *Murgo* Fazello. Pop. *Murgentini*

Morgentium, urbs Italiæ, Steph. *S. Georgio* in Brutiis, teste Barrio. In Calabria ult. apud Apenninum, inter Polistinam 2. & Oppidum 6. mill.

Morges, in Italia regnavit sub Ann Mundi 2349. Italo regi successit, & ab eo *Morgetes* dicti, qui prius Oenotri. Porro & Morgetes & Siculos ex Italiâ in Siciliam trajecisse etiam ex Thucyd. & Diodoro notum est.

Morgina, urbs Siculorum; Gentile *Morginæus*, Steph.

Morgus, Salassorum fluvius, Plin. 3. 16. *Orco* hodiè Leandro, *Orcho* verò Merulæ.

Moria, collis, 2. Par. 3. qui *Terra visionis*, Genes. *cap.* 22. dicitur, à latere montis Sion: Hic Abraham filium immolare jussus est, Hieronym.

Moricambe, æstus & fluvius Albionis in parte Bor. Comitatus Cumbriæ, inter Itunam & Belisamam amnes. *The Bay of Cardronock*, teste Camdeno. Baudrando est æstuarium parvum, ad ostia amnis *Wampul*, juxta Itunæ æstuar. vix 4. mill. Scoticis, à confinio Scotiæ; longè à Belisama æstuar. in Sept. ex Speedo.

Moridunum, opp. Albionis in Comitatu Devoniensi, apud ostia Axæ fluvii. Vulgò *Seaton*.

Morimarusa, mare Septentrionale, quod Scythiam alluit, vulgò etiam *Mare Settentrionale*.

Morini, populi inter Belgas ad Oceanum Britannicum, Caletibus, & Nerviis vicini, quorum oppidum mediterraneum, Ptolemæo teste, fuit Tervanna, etiam hodie nomen retinens. Hi à Virgil. *Æneid.* 8. *Extremi hominum* dicuntur, quod, ut jam diximus, Oceano sint proximi, brevissimusque ab eis, vel ipso Cæsare teste, in Britanniam sit trajectus. Dicti sunt proin, ut & Armorici, quasi maritimi, à *mor*, quod Gallis mare olim significabat. Hos scribit Cæsar, inter Be'gas contra populum Roman. conjurasse, & ad id bellum 15000. armata pollicitos esse, atque in sylvas & paludes se contulisse: postquam autem sylvæ excisæ, omnes ferè in potestatem Labieni venisse. Et certè apud *Morinos* hodieque, quanquam majore parte excisâ, plurimæ supersunt sylvæ, numero ferè 21. vel 22. in primis magna sylva Bononiensis, sylva Hardeloria, sylva Bursinia *le bois de Bursin*, à vico proximo, sylva Abbatis non longè ab urbe Bononia, sylva Cellensis, sylva Surenensis, &c. Plurima item stagna & paludes, ut stagnum Neoletense *de Nieullet*, Gisnense, Hammense, &c. Ibidem & montes à Novo Castello & Danis cognominati, item Mon. St. Engilberti, &c. Totum autem hujusce maris litus, ab ostio fluminis Altejæ, collibus arenaceis assurgit, usque ad fines Batavorum, quos colles *Dunos* vulgò: Plinius *montes mari oppositos*, vocat *lib.* 19. *cap.*1. Baudrando fuere, ubi nunc pars Occ. Flandriæ, inter Legiam fluv & Oceanum German. pars Bor. Artesiæ & Comit. Boloniensis & Guinensis; seu, ubi Diœc. Bononiensis in Picardia, Audomarensis in Artes. & Iprensis in Flandria. Quare quidam Latini scriptores Comites Flandrensium non absurdè Morinorum Comites appellaverunt: quippe qui Morinorum partis non contemnendæ imperium obtinerent. Eorum caput erat Tervanna. Aliæ urbes, Gessoriacum, Icius Portus, Castellum & Hedena. Grudii autem, Centrones, Gorduni, & Oromansaci, sub Morinis continebantur. Plinius *lib.* 10. *cap.* 22. de anseribus loquens: *Mirum*, inquit, *in hoc alite, à Morinis usq; Romam pedibus venire.* Abundasse autem *Morinos* anseribus, indicat hodieque vicus Auca Calesio proximus ad mare, *Oye* vulgò dictus, nomen suum dans agro Aucensi, *la terre d'Oye*: item vicus Aucio, *l'Oison*, non procul à Quantia fluv. in confinio Morinorum, Atrebatium ac Ambianorum. Et memorant vett. scriptores, mulierem quandam inter peregrinos & milites Hierosolymam petivisse, comite ansere semper & ubiq; præcedente. Idem Plinius & platanum Morinis placuisse umbræ gratiâ, pro quo vectigal populo Rom. penderent, *lib.* 12. *cap.*1. refert. In *Morinis* quoq; fretum est, Solino *fretum Gallicum*, Tacito & Amm. *fretum Oceani dictum*: quod angustissimum est, inter *Blacness* Galliæ, & *The Nesse* Britanniæ insulas: Et olim quidem Romani à Gesoriaco Rutupias deferebantur, vel ab Icio portu, nunc Galli in Calesio Dubrim trajiciunt, unde fretum Gall. *pas de Calais*, vel *le destroict de Calais*: Belgis *The strait of Calleis* nuncupatur. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pagi Morinorum, secundùm Valesium:

Aucensis, *la terre d'Oye.*	nomensi.
Bononiensis cum titul. Comit. *le Boulonnois*: vel *la fosse du Boulonnois*, circuitus 26. leuc. seu 80. m. p.	Gisnensis Comit. *le haut pays de Guines.*
	Graveninga, *Graveline.*
	Ternensis, *le Ternois.*
Dunkirca.	Teruanensis, cujus portio Ternensis fuit, &c.
Gesoriacus pagus, idem cum Bo-	

Moriseni, Thraciæ populi, circa Ponti litora incolentes, Plin. *lib.* 4. *cap* 11.

Morissena, seu *Morossena*, tractus Hungar. super. per quem Marysus fluv. decurrit, à quo urbs Morsenes 2 mill. Germ. versus Or. distat, inter Cybinium ad Ort. & Cenadium *Chonad*, vel *Choniad*, urbem Episcop. cujus sedes *Morissena* antea ad Occ.. In confinio Transylvaniæ.

Moritania, pagus amplus territ. Tornacensis; aliàs munitus, ad Scaldim, ubi Scarpam recipit, in confin. Hannoniæ, 2. leuc. à Tornaco in Merid. Valentianas versus; *Mortaigne.* A castro cognomine, quod ab Heriberto Comite, *vi* captum ac dirutum esse, An. Chr. 928. refert Frodoardus. Item in Aquitania secunda, non procul à castro Blavia, cum titulo Comit. in confinio Britanniæ min. & Neustriæ. Aliàs *Moritonium*, vulgò *Mortain*, castrum prope sylvam Putridam, non longè ab Abrincatis & à Ponte Ursionis. Item castrum in Pictonibus. Item oppidum amplum Perticensis prov. vix 2. leuc. in confinio Normanniæ, 17. a Carnuto in Occid. 10. ab Alenconio in Ort. 8. à Sagio in Eur. Vide infrà.

Mori-

Moritasgus, adventu in Galliam Cæsaris, regnum in Senonibus obtinebat; hujus fratrem Cavarinum Cæsar, illo, ut credi par est, mortuo, regem constituerat. Vide *Comment. cap.*54.

Moritonium, opp. Pictavii, ad Separam Nannetensem, in limite tractus Andegavensis, 9. leuc. à Nannetis in Ortum hyb. 10. ab Andegavo in Mer. vix 3. à limite Brit. *Mortagne* vulgò.

Moritonium, opp. Normanniæ infer. vix 2. leuc. à prov. Cenomanensi; 5. à Vira in Mer. 7. à Meduana in Bor. 8. ab Abrinco in Ort. 18. à Bajocis in Mer. Vulgò *Mortain*.

Morius Jupiter, ab Atheniensibus sic cognominatus.

Morius, fluv. Bœotiæ, circa Thurium montem, Plutarch.

Morlæum, seu *Mons relaxus*, vulgò *Morlaix*, urbs Britanniæ min. ad amnem cognom. cum portu in ora Bor. vix 2. leuc. à mari Brit. 4. à Fano S. Pauli, 11. à Trecorio in Afric.

Moro, Strab. *Almourol*, vel *Muraon*, Vasconcello, opp. Portugalliæ, apud Anam fluvium, inter Oliventiam & Mauram oppidum 6. leucis.

Morœca, opp. Cantabrorum, *Miranda* ad Iberum fluv. Ferrar. Baudrando nunc vicus Castelliæ vet. *Villa Diego* quibusdam, ad fontes Pisoracæ fluv. Aliis *Fuentibre*, ad fontes Iberi, longè à Miranda oppido in Occ.

Morosegi, Vardulorum opp. in Hisp. apud Plin.

Morpheus, Somni minister, qui, ut in fabulis est, jussu domini quoscunque vultus hominum fingit, verba ipsa, mores item, & gestus imitans. Ovid. *Metam.* 11.

Excitat artificem formatoremq; figuræ

Morphea. ———

Qui ex regione Huronum, An. 1642. in Europam redierunt, Morpheum ab iis pro Deo coli retulere.

Morpho, apud Lacedæmonios Venus dicta, ἀπὸ τῆς μορφῆς, id est, *à forma*. Hujus simulachro Tyndarus pedicas imposuit, non quòd Venerem vinxerit, ut Deæ in filias opprobria ulcisceretur, quod nonnulli putarunt: sed ut per illas denotaret, mulieres domi manere debere maritorum dicto audientes.

Morsimus, Poëta Tragicus frigidus, filius Philoclis: sed egregius ophthalmicus, seu oculorum medicus. Staturâ fuit exiguâ. Filium habuit Amphidamantem. Vide *Equites Aristoph.*

Morta, una ex Parcis, quòd qui nascuntur ante tempus, vel post tempus, quasi monstra habeantur, Gell. *lib* 3. *cap.*16. Cæsellius autem Vindex, *in Lectionibus suis antiquis, Tria*, inquit, *nomina Parcarum sunt, Nona, Decima, Morta*: & versum hunc Livii antiquissimi poëtæ ponit *in Odyssea*:

Quando dies adveniet, quem profata Morta est?

Sed homo minimè malus Cæsellius *Mortam* quasi nomen accepit, cùm accipere quasi μοῖραν deberet. Hæc ille. Et si verò Natura à nullo æque abhorret ac à morte, tamen & illi apud Poëtas in Numinibus est locus. Unde Virgil. *lib.* 11.

Multa boum circa mactantur corpora Morti.

Ubi Servius annotat, & Mortem esse Deam, memoratam quoque Lucano, Statioque, hujus esse:

In scopulis Mors sæva sedet.

Ita est apud Servium, sed apud ipsum Statium:

In speculâ Mors atra sedet.

Illius autem:

——— *Ipsamq; vocatam*

Quam notat à nobis Mortem tibi coge fateri.

Illi Lacedæmonii templa dedicarunt, auctore Plutarch. *in Cleomene* Θανάτε ἱερὸν, ait ille. Pausan. etiam simulachri cujusdam meminit, quod erectum fuit Ὕπνῳ καὶ Θανάτῳ. Sed & in Orphei *Initiis* habes hymnum Morti, cui manna thuris sacrificatum. Est autem Numen hoc implacabile, cùm eam effugere liceat nemini. Itaque nulla ei fuit ara instituta, exceptâ unâ apud Gaditanos, uti testis est Eustath. *in Iliad* 9. & in Dionys. *Perieg.* Meminit verò Ælianus *in Var. Hist.*

Morta, vulgò *Meurte*, fluv. Lotharingiæ, oritur in monte Vosago, in confinio Lothariæ & Alsatiæ, & accipit Mortanam & Rapidum *Rapin* fluviolum, ex valle Galilæa & Mediano Monasterio venientem, & alios amnes plus minus quatuor, in his Amantiam *Amance*: Alluit oppida, vicos & castella aliquot, in primis S. Deodati *S. Diey*, Vivarium *Viviers*, Stivagium Abbatiæ titul. insigne *Estivay*, Radonem *Raon*, Cannabariis *Chenevieres*, Rosaria *Rosiers*, vicum S. Nicolai & Warangisvillam ei oppositam *Warangeville*, Novam villam, Vendoperam *Vendeure*, Nanceium: tum auctus Amantiâ *Amance*, qui castellum sui nominis attingit, in Mosellam effunditur, ad Condate vicum *Condé*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Mortaria, Gallis *Mortare*, opp. probe munitum Duc. Mediolan. Laumellinæ regiunc. caput, ad amnem Gognam, olim *Bella Sylva*, postea ob Longobardos à Carolo M. hic, victo Desiderio ultimo Rege, cæsos, sic dictum. Acerris, sive Achæris, vulgò *Acere*, anti quo castro proximum ad 3. m. p. inter Papiam 25. & Vercellas, 15. mill. pass. Vide Luitpr. Ferrar. &c. Vix 4. mill. à Viglebano, in Afr. 10. à Novaria in Eur. Captum à Gallis, An. 1658. sed receptum, Baudrandus.

Mortuum mare, nomen multorum in Gallus locorum, quæ à mari remotissima: Vulgò *Mortemer* vel *Mortemar*. Ita dicta autem sunt, quia ad stagna, aquas nempe mortuas & resides sita. Sic in Normannia locus est vet. Monasterio insignis, cujus meminit Ordericus Vitalis *Histor. lib.*11. Item in Lemovicibus &c. Stagna autem maria solere dici, patet vel ex solo illo lacu seu stagno in Lotharingia, non longè ab oppid. Albomonte *Blamont*, unde oritur amniculus, qui in Mortam ad Rosaria defluit; accolæ vocitant *la Grand' Mer*.

Mortuum mare, vide *Asphaltus*.

Morvillerius, vide *Johannes Morvillerius*.

Morvinnus, vulgò *le Morvan*, pagus Galliæ, Fortunato *de vita S. Germani cap.* 30. memoratus, inter Lutetiam ac Augustodunum Æduorum ab illo ponitur, à vico cognom. sic dictus. In eo Cussiacum est, vulgò *Cussi en Morvan* nuncupatum. Attribuitur hodiè, partim Nivernensi, partim dominio Castri Canini *Chasteau Chinon*, partim etiam Burgundiæ, estque montosa & sylvestris regiuncula. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Morundia, tractus Duc. Burgundiæ, inter tractus Alexiensem, Augustodun. & Divionensem. Ejus periere limites. Vulgò *le Morvant*. Satis montuosus, Baudr. Vide suprà.

Morychidus, Archon Athenis, quo regnante latum est istud decretum, ne quis nominatim in comœdiâ perstringeretur. Vide Schol. *in Aristoph. Acharn. pag.* 274. *A.*

Morychus, cognomen Bacchi apud Siculos, cujus faciem vindemiæ tempore musto, & recentibus ficis oblinere consueverunt. Item Tragicus quidam poëta, ab Aristophane derisus. Erasmus *in Proverbio, Morycho stultior.*

Morychus, nomen viri comicum, apud Platonem Πεδαλγεῖ. Ab auctore Scholiorum *in Acharn. Aristoph.* indigetatur Poëta tragicus, qui delitiarum ac luxuriæ nomine malè audiit, *pag.*414. *A* 2. Vide & *in Vesp.* 462. *E.*1. Iterum perstringitur, tanquam delitiosi victûs homo, cætera pallens & ad calefcendum villosis utens vestibus & crassis; *pag.*512. *D.*

Morylii, vel *Morillii*, Macedoniæ pop. in Occasum vergentes, Plin. *lib.*4. *cap.*10.

Mosa, filius Caleb ex Ephâ concubinâ, 1. Paral. 2. Filius Zamri, filii Joadæ, 1. Par. 8. Filius Saharaim ex Hodes uxore, 1. Par. 9.

Mosa, vicus in finibus Lingonum, pagoque Bassiniaco, à fonte fluminis Mosæ, cui adjacet, dictus, inter Andomatunnum Lingonum, & Tullum Leucorum, ab urbe Lingonum quidem 12. m. p. à civitate Leucorum 30. à Monasterio Luxovio fere 40. Vulgò *Meuse en Bassigny*. Hîc Salaberga, Gundunni illustris viri filia, natione Franca, Cœnobium puellarum inchoavit, quod postmodum Lugdunum Clavatum transtulit, sub Sigiberto Rege, unde ejectis ob incontinentiam puellis, sub Ludovico Crasso, An. Chr. 1128. Monachi suffecti sunt. Vulgò *Abbatiam S. Johannis Bapt.* vocant. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Mosa, vulgò *la Meuse* Gallis, *la Mosa* Italis. *Mas* & *Maes* German. unde *Maestricht* sive Trajectum ad Mosam; Mosacum, Comitat. Lossensis clarum oppid. *Maes-eyck*, id est, quercus Mosæ: *Crommaes*, vicus ad flumen hoc, prope Leodicum; Imo totus pagus Mosanus, de quo infra, *Masau*: Fluvius est insignis Galliæ Belgicæ, ex Vogeso monte, non procul à Lingonum finibus, profluens, & per Eburonum, Menapiorum, ac Sicambrorum agrum labens, tandemque in finibus Batavorum accepto Rheno in Oceanum se exonerans. Julius Cæsar: *Mosa profluit ex monte Vogeso qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni receptâ, quæ appellatur Walis, insulam efficit Batavorum.* Baudrando oritur in Campania, juxta pagum *Meuse*, 5. leuc. ab Andomatuno Lingonum in Ort. Inde per Lotharingiam & Barrensem Ducat. fluens, ibi Novum Castrum *Neuf Chastel*, Sabiniacum *Savigny*, Novam Villam *Neufville*, Valculerium, Commercium, villam quondam territorii Tullensis in Leucis, nunc opp. *Commerci*, Vinetum *Vigny*, Pontem, Alliacum, Fanum S. Michaëlis, in parœcia pagoque Verodunensi *St. Mihiel*, Virodunum, Campos, Clariacum *Clairy*, Dunum, Villam Francam, Stenæumque rigat: Hinc per Campaniam iterum ad Mosomagum labitur, & auctus Caro, Sedanum, Doncherium, Macerias, Carlopolim *Charleville*, 4. loca in Rhemis posita, Castrumque Reginaldi alluit: Dein in Belgium tendens, ibi juxta Fumacum, Carolomontium, Acutum montem, Dinantium, & Bovinam labitur, postea ad Namurcam recipit Sabim, uti, post Andanam & Hojum, ad Leodium Urram fluv. Tandem, rigatis Jopilâ, villâ quondam Regiâ, Visato *Veset*, Trajecto, Ruremunda, ubi Rura fluv. nobilis, vulgò *Roër*, qui Marcodurum *Dure*, & Juliacum *Juliers* præterlabitur, in eum influit, Venloa, Gravia, aliisq;, recipit Vahalim in Hollandia, Insulamque Batavorum efficit, & infra Dordracum, in Oceanum se exonerat. Inter hunc fluvium & Rhenum Corbulo, ne miles otio torpesceret, fossam perduxit, An. Chr. 47. Tacit. *Annal lib.*11. Eundem memorabili in omne ævum trajectu, cum toto exercitu, in oculis hostis acerrimi, Albani, superavit Guil. Auriacus, An. Chr. 1567. Mosæ dein cataractis, ut & Isalæ, perfossis, ad ipsa mœnia Lugduni Batav. aqua immissa, urbi ab Hispanis gravissimè obsessæ saluti fuit, Ann. Chr. 1574. quos dein fluvium hunc Rheno infundere molientes, disturbavit Henricus Fridericus, Mauritii Principis fratris, in Ducat. Arausionensi & Præfectura Belgii successor, An. Chr. 1625. Vide Thuan. *Hist.* Lætum *Comp. Hist. Univ.* Sidon. *in Paneg. Majoriano*:

Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus.

Mosæus, fluv. Susianæ regionis, in sinum Persicum fluens. *Museus* Marcell. *Triticiri* Ortel. aliis *Tiritiri*, al. *Macuf.*

Mojaiscus Duc. Moscoviæ, per vim Polonis ereptus, à Johanne Duce M. satis amplus.

Mosambica, Gall. *Mosambique*, urbs Zanguebariæ, in insula parva itori annexa, ad ostia fluv. cognom. in ora Oceani Æthiopici, cum munita arce & portu celebri, sub Lusitanis, media ferè inter Quiloam ad Bor. & Soffalam ad Austr. 270. m. p. à proximiori ora Madagascariæ, in Occ. Ei adjacent S. Georgii & S. Jacobi Insul. fluviusque Mocambus, in ejus viciniis, in Ocean. se exonerat.

Mosanus, pagus German. *Masau* olim, à fluv. nobilissimo Mosa dictus: distinguitur in divisione Regni Lotharii An. Chr. 870. facta, in superiorem & inferiorem, ex utraque fluminis parte. Nunc *Maeslandt* dicitur, & prior quidem *Opper-Maeslandt*, id est, superior Mosæ ager, posterior verò *Onder Maeslandt*, id est, inferior ad Mosam ager, aut terra. Modica fluvii, inquit Valesius, pars fuit, quæ dextrâ ripâ ab Attuariis seu Nersæ amnis ostio, ad Leodicensem pagum pertinebat; sinistra autem inter Hasbaniam & agrum Leodicensem, jacebat. *Notit. Gall.*

Mosburgum, castrum Carinthiæ, ad lacum *Werdsee* Lazio, eversum inter Vacorium, seu Villacum & Clagenfurtum.

Moscha, seu *Moscua*, Gallis *Moscovv*, caput Moscoviæ, urbs perampla, emporium celebre, ad Moschum fluvium. Sedes M. Ducis. Occupata à Sigismundo III. Polon. Reg. sed recepta An. Ch. 1612. maj. ex parte fœdo conflagravit incendio, An. Chr. 1668. Ibi arx perampla M. Ducis, cum valido præsidio. Domus omnes ligneæ, plerunque vineis & sepibus cinctæ, 140. m. p. à confinio Poloniæ in Ort. 240. à Novogardia *parva* in Afr. 370. à *magna* in Eur. Hic *Moscha* fluv. recipit Jayusam. Formâ est penè rotundâ, & dividitur in IV. partes, singulas suis muris cinctas. Intima pars dicitur *Kitaygorod*. Huic proximè adjacet Castellum regium, *Kremlenagrod*. Pars, quæ ab Or. Septentr. & Occ. has cingit, *Tzargorod*, id est, Cæsarea civitas: Pars has extra circumcingens, *Skorod* appellatur: Erat aliàs amplior, antequam à Tartaris Precop. An. 1572. penè tota flammâ deleretur.

Moschi, populi Asiæ, Albanis & Iberis finitimi, circa Caspium mare eos ponit Mela, circa Phasidis fontes Plinius, ubi & montes *Moschici*. Hos *Mosech* in sacris literis dici scribit Arias Montanus *in Appar Bibl.* Lucanus *lib.* 3.

Heniochi, juvisq; affinis Sarmata Moschis.

Sid. Apol. *in Panegyrico Avito:*

Sauromatam taceo, ac Moschum, solitosq; cruentum
Lac potare Getas. —— ——

Vide Bochart. *Phaleg.* 3. 12. Baudrando fuere in Colchide, in limite Iberiæ, ubi nunc pars Or. Mingreliæ. Vide Strab. Eos à Cn. Pompeio subjugatos habet Plut.

Moschius, mons magnæ Græc. apud Scyllacium urbem, nunc inde dictus, Cassiod.

Moschius, fluv. Mœsiæ super. C. Scepepro *Lym.* Aliis est *Ibar*, fluvius Serviæ.

Moschophagi, id est, *Vitulivori*, populi circa mare Erythræum, Arrianus.

Moschus, Citharœdus nihili, Agrigentinus, sic dictus, quòd victor præmium μόσχον sive vitulum tulerit. Vide Scholia *in Aristoph. Acharn. pag.* 371. *A.*

Moschus, Grammaticus, & poëta Syracusanus Bucolicus, quem Aristarcho fuisse familiarem scribit Suidas. Floruit sub Ptolomæo Physcone.

Moschus, vide *Johannes Moschus.*

Moschus, fluvius, nunc vulgò *Morava*, in Mysiâ superiore ex Orbelo monte in Danubium fluens. *Moschius* Ptolem. Vide ibi.

Moscovia, & *Moschovia*, seu *Russia alba* Gallis, *la Moscovie*, seu etiam *la Russie blanche*, regio est ex præcipuis Europæ versus Septentrionem, & amplissima, ubi aliàs maxima pars Sarmatiæ Europææ, cum aliqua parte Asiaticæ. Nunc etiam *Russia magna* dicitur, *la grande Russie*. Terminatur à Septentrione mari Concreto, ab Ortu dividitur à Tartaria magna Peisida, Obio & Jaicio fluviis, à Meridie Tanai minore, vulgo *Donetz*, Desna, & Psola, quibus separatur à Tartaria minori, & ab Occasu Borishene & Narva fluviis, quibus dividitur à Poloniæ regno. Ejus longitudo summa inter promontorium Litarmin & Psolæ confluentem ad oppidum Czercassium, implet milliaria Germanica 380. latitudo verò inter *Corelenborg* oppidum, in confinio Finlandiæ, & Obium fluvium, juxta oppidum *Lepin*, est 300. milliarium, teste Cluverio. Dividitur in quatuor præcipuas partes, nempe in Moscoviam Occidentalem seu præcipuam, Moscoviam Orientalem, Tartariam Moscoviticam, & Lapponiam Moscoviticam: sub quibus sunt 40. provinciæ circiter, quæ plerunque à præcipuis urbibus denominantur: & iis nunc addi possunt Smolenscensis, & Severiensis Ducatus, qui antea erant juris Polonici. Totius regionis primaria urbs est Moscua seu Moscha. Notandum autem est, partes Boreales & Orientales Moscoviæ non esse satis cultas & incolis frequentes pro provinciarum amplitudine. Moscovia nomen habet ab urbe Moscua, non à Moscis populis ultra mare Euxinum, Colchis finitimis; in iisque regionibus Russi rerum potiti sunt, à Roxolanis, fortè deflexo paululùm nomine oriundi; atque eorum Principes ad Varagos originem referunt gentem transmarinam, ut ipsorum Annales testantur, qui Imperii sedem primò Novogardiæ, deinde Kioviæ, ac postremò Volodimiriæ habuerunt, antequam Moscoviam, seu Moscuam transferretur. Populi *Mosci*, qui omnes se Principis, cujus imperium merè despoticum est, servos fatentur. Raró illis est quies, nam aut bellum Lithuanis, aut Livoniensibus, aut Tartaris infert, aut si nullum bellum gerit, præsidia collocat circa Tanaim, & Occam fluv. ad reprimendas Tartarorum deprædationes. Tunicas oblongas, sine plicis, manicis strictioribus, Hungarorum ferè more gestant. Ocreas ferè rubras, easque breviores, ut quæ genua non attingant, soleasque ferreis claviculis munitas habent. Ventrem nequaquam sed femora cingunt, atque adeò pubetenus, quò magis promineat venter, cingulum dimittunt. Justitiam strenuè exercent in prædones: Adulteros in frusta secant: Furta & homicidia raró capitali pœnâ puniuntur: ebrietati mirum in modum dediti. Monetam argenteam habent non rotundâ, sed oblongâ & ovali quodammodo formâ. Pellibus nobilibus, ac pretiosissimis, quæ illinc per totam Europam exportantur, regio abundat; & ubique ferè sylvosa est. Illorum amicitiam exteri Principes aliquoties quæsiere, sed non eo, quem sperabant, successu: Ærâ utuntur non Nativitatis Christi, sed Mundi. Crucem osculando juramentum confirmant: Salis & panis oblatione peculiariter submissionem suam Principi testantur; quo modo inter alia Plescovienses crudelitatem Johannis Basilidis mitigasse legimus. Cæterùm de *Moscovia* nemo meliùs scripsit, quàm Adam Olearius Germanus, libro cui titulus est Gallice: *Relation du Voyage d'Adam Olearius en Moscovie, Tartarie & Perse.* Cui adde Sigismund. Baronem Herberstenium *in Histor. Moscov.* aliosque Auctores laudatos Becmanno *Histor. Orbis Terrar. cap.* 7. Vide quoque in voce *Czar.*

Moscovia, vulgò *Moscovie*, provincia est Russiæ magnæ, quæ ab ea Moscovia dicitur à recentioribus. Terminatur à Septentrione Rostovia & Susdalia provinciis, ab Oriente Rhezania, ab Occidente Bielkia, & à Meridie Vorotina: Illius caput est Moscua, seu Moscha, sedes magni Ducis Moscoviæ.

Moscoviæ provinciæ & partes:

Astracanum regnum, *Royaume d'Astracan.*
Biela Ozera, Ducatus, *Biela Ozera.*
Bielkia Ducatus, *Bielki.*
Bulgaria regnum, *Royaume de Bulgar.*
Cargapolia, *Cargapol.*
Casanum regnum, *Royaume de Casan.*
Condora, *Condora.*
Czeremissi Logovi, *les Czeremisses Logovvoi.*
Czeremissi Nagorni, *les Czeremisses Nagornoi.*
Duina, *Dvvina.*
Jaroslavia Ducatus, *Jeroslavv.*
Jugra sive Juhra, *Juhorski.*
Lappon a Grandvicensis, *Bellamoreskoy Leporie.*
Lapponia maritima, *Mourmanskoy Leporie.*
Lapponia Tersa, *Terskoy Leporie.*
Loppia, *Loppie.*
Lucomoria, *Lucomorie.*
Morduvæ populi, *les Morduates.*
Moscovia Ducatus, *Moscovie.*
Novogardiæ inferioris Ducatus, *Nisi Novegorod.*
Novogardiæ magnæ Ducatus, *Novogorod Veliki.*
Obdora, *Obdora.*
Permia, *Permuki.*
Petzora, *Petzora.*
Plescovia Ducatus, *Pleskovv.*
Pola, *Pole.*
Reschovia Ducatus, *Reschovv.*
Rhezania Ducatus, *Rezan.*
Rostovia Ducatus, *Rostovv.*
Samojedæ populi, *les Samojedes.*
Siberia, *Siberie.*
Susdalia Ducatus, *Susdal.*
Tingoësi populi, *les Tingoëses.*
Tuveria Ducatus, *Tuver.*
Viatka, *Viatka.*
Ukrania, *Okraina.*
Volodimeria *Wolodimer.*
Vologda, *Wologda.*
Vorotina, *Worotin.*
Ustiuga, *Oustiouga.*

Moscoviæ urbes præcipuæ:

Arcangelopolis, *l'Arcangel.*
Astracanum, *Astracan.*
Biela Ozera, *Biela Ozera.*
Bielba, *Bielba.*
Cargapolia, *Carhapol.*
Casanum, *Cazan.*
Coluga, *Coluga.*
Columna, *Colomna.*
Corela, *Corela.*
Demitriovia, *Demitrioff.*
Drogobuscum, *Drogobusck.*
Duina, *Dvvina.*
Jaroslavia, *Jaroslavv.*
Kola, *Kola.*
Ladoga, *Ladoga.*
Moscha, *Moscovv*, region. caput.
Novogardia inferior, *Nisi Novogorod.*

Novo-

Novogardia magna, *Novogorod Velikir.*	Soratovia, *Saratof.*
Papinogroda, *Papinogorod.*	Sufdalia, *Sufdal.*
Pereslavia, *Pereslavv.*	Tobolica, *Toboll.*
Permia, *Permaveliki.*	Toropetia, *Toropetz.*
Petzora, *Petzora.*	Tuveria, *Tuver.*
Pleskovia, *Pleskovv.*	Vasiligroda, *Vasiligorod.*
Potivolium, *Potivol.*	Viatka, *Viatka.*
Rescovia, *Reschovv.*	Vielkiluchia, *Vielkiluki.*
Rhezana, *Rezan.*	Volocza, *Volockz.*
Rostovia, *Rostovv.*	Vologda, *Vologda.*
Slaboda, *Slaboda.*	Volodimeria, *Volodimer.*
	Vorotinum, *Vorotin.*

Ustiuga, *Oustioug.*

Moscus, seu *Moscha*, vulgò *Moska*, fluvius Russiæ albæ, seu Moscoviæ. Oritur in Tuverensi provincia, 70. milliaribus Russicis supra Mosaiscum, à quo ad Metropolim Moscuam 90. milliaria similia sunt, 6. autem milliaribus supra Mosaiscum navigabilis esse incipit. Hinc Moscuam urbem rigat & dividit, atque infra Columnam in Occam se exonerat.

Mosella, Floro *Mosula*, Ptolom. *Obrinca*, Germanis *Mosell*, fluvius Gall. Belgicæ per Austrasiam seu Lotharingiam, & per fines Trevirensium, in Rhenum, ad Confluentes urbem, multis acceptis amnibus, delabens. Dictus est, quasi *parvus Mosa*, seu *Mosa minor*, etsi enim maximus est & clarissimus prov. Belgicæ primæ fluvius, tamen, si non latitudine alvei & rapiditate atque altitudine aquarum, saltem longitudine cursus multò inferior est Mosâ, per Belgicam primam, secundamque Germaniam, nimirum per Verodunum ac Namurcum, & per Leodium ac Ruræmundam Bataviamque Oceanum petente. Fontes ab Araris fontibus decem leucis distant: quo in spatio Luc. Veturius Rom. fossam efficere conatus est, ut in Oceanum brevior esset navigatio. Baudrando oritur ex monte Vogeso, in Lotharing. paulo supra vicum *Bussans*, in limite Alsatiæ & Com. Burgund. dein Stratam *l'Estraye*, unde valli nomen, alluit, & per Lotharingiam fluens, ibi Romaricum montem, Spinalium *Espinal*, Castellum *Chastel*, Ad-Charpinos *Charmes*, Bajonem, Caleniacum *Chaligni*, & Tullum rigat; dein Fontanetum *Fontenoy*, Liverdunum, Condate ad ejus & Murtæ confluentem, Scarponnamq; attingens, porro juxta Mussipontem labitur, uti ad Divodurum, ubi recipit Sellam; postea Theodonis villam rigat, Sircam, Palatium *Pfaltzen*, atque Trevirim; uti post hanc Eringium *Erang*, ad quod oppid. Celbi augetur *Kil*, tum Noviomagum *Numagen*, tandem Rheno ad Confluentes miscetur. De eâ Ausonius *Idyll.* 10. Guil. quoque Britto Armoric. *Philippidos lib.* 10.

Salve magne parens frugumq; virûmq; Mosella.
Millibus à Mosa distans ubi Mosula paucis,
Leucos & Mettes spatiosis irrigat undis.

Paucis enim millibus à Mosa hic fluv. distat, circa Tullum & Vallem Coloris, quorum illud ad Mosellam, hoc ad Mosam sedet. Hinc *pago* seu Comitatui *Mosellano* nomen, qui olim pars erat agri Mosellæ adjacentis circa Divodurum, vulgò *Musel-govv.* Imperante Ludovico Pio *Ducatus* etiam *Mosellanorum* fuit, à Comit. Mosellano distinctus, qui fortè totum Mosellæ tractum designavit, aut certè majorem ejus partem: cujus portio Ducatus *Lotharingiæ* jam pridem vocatur. Lotharii quoque postea min. regno, in varios principatus diviso, duo inprimis Ducatus instituti sunt, alter Lotharingiæ superioris, alter inferioris: quorum ille à Lamberto Schafnaburgensi *Ducatus Mosellæ regionis*, à Sigeberto *Mosellanorum Ducatus* vocatur. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Legislator & Dux Israëlitarum.

Moses, nomen inclyti Judæorum Ducis & Legislatoris: Filius Amrami, ex Jochabeda. Natus is post Mariam sororem, & Aaronem fratrem, An. M. 2464. in circumcisione Joachimi nomen accepit, Clem. Alexandr. postea, cum ex aquis, à filia Pharaonis, quæ Thermutis Josepho dicitur, extractus esset, *Moses* dictus est. Vide infrà. Educatus, in aula Regis, & eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, quam Josephus eò attulerat, cum Æthiopibus bellum feliciter gessisse Eusebio & Josepho, *in Antiq.* dicitur, quod tamen Theodoretus aliique meritò pro fabula habent. Quadragenarius jam existens egressus, divino instinctu, ad fratres suos visitandos, cæde Ægyptii, qui ex illis unum oppresserat, futuro suo muneri, ad quod vocandus erat, prælusit. Hinc profugus in terram Madian, Sephoram, filiam Jethronis vel Raguelis, quem Artapanus apud Eusebium, Regem Arabiæ facit, uxorem sibi junxit, Gersone & Eliezero ex illa susceptis. An. M. 2544. à diluvio 887. ann. agenti 80. loquutus est DEUS in rubo ardenti, illumque ad arduum, è servitute Ægyptiaca liberandi populum Israëliticum, munus vocare dignatus est, se excusantem gemino miraculo confirmavit, fratremque Aaronem, ut ipsi interpres esset, adjunxit. Accinxit itaq; se divino fretus auxilio Moses, & ab Aarone, ut populum dimitteret, petiit, renuentemque 10. plagis miraculosis afflixit; quibus coactus Rex populum exturbavit, jamque procul dissitum insecutus, in mari Rubro, cum omnibus suis copiis submersus est. Reliquas eius res præclarè gestas, commercium cum Deo per 40. dies, Legem in monte Sinai traditam, Taberoaculi exemplar ostensum, quod fidelissimè imitatus est, miracula, quorum 76. fuere, &c. in ejus divinis libb. longè meliùs invenies. Obiit in monte Nebo, nullo prius morbo tentatus, An. M. 2584. ætat. 120. & ab ipso Deo sepultus est: Hinc triginta dierum luctu ab Israëlitis honoratus, Josuam filium Nun, in Ducatu successorem accepit. Quinq; scripsit libros, qui vulgò *Pentateuchus* dicuntur, an & *Hiobi* historiam. Scriptor fuit primæ, & antiquissimæ historiæ mundi, & Ecclesiæ, à primâ orbis creatione, usque ad annum 2493. Estque Scriptorum omnium tam sacrorum, quàm profanorum antiquissimus. Nam Pherecydes Syrus, quem Plin. primum prosam orationem condidisse scribit, posterior Mose fuit, ut ostendit Euseb. *lib.* 11. *de Præp. Evangel.* Literas eum invenisse, Judæisq; tradidisse idem author est *lib.* 8. & 10. quas tamen Philo ad Abrahamum refert. Mortuus est, ut dictum, Moyses in monte Abarim, & non apparuit, nec inventum est ejus corpus, quod sepelivit Dominus Angelorum ministerio. Hoc ideo factum esse autumant Hebræi, ne eum ipsi pro Deo colerent, quia proni ad idololatriam erant, Comestor *in cap.* 34. *Deut.* Atqui non apparet, Judæos tunc temporis adeò Idololatriæ deditos fuisse, ut homines mortuos colerent. Et cùm Michaël Archangelus à Judâ Apostolo introducitur τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος περὶ τοῦ Μωσέως σώματος, de Ecclesia Judæorum intelligi potest, quæ eadem ratione *Corpus Mosis* dici queat, quâ Ecclesia Christiana *Corpus Christi* vocatur. 1. Cor. 12. 20. Vide D. Hammondum *in locum.* Hebraicè מֹשֶׁה id est, *attractus*, vel *assumptus* scil. de aquis, Exod. 2. ut non sit audiendus Flav. Josephus, qui eo quòd Græcè Μωϋσῆς dicitur, credit esse ex Syriaco Μῶ *aqua*, & ὑσῆς *servatus*, quod ab ישׁוה. Quanquam Clemens Alex. *in primo Strom.* ait, Μωϋσῆς esse ex eo, quòd ὕδωρ μῶυ ὀνομάζουσιν Αἰγύπτιοι. De quo & illustris locus est, apud Hipparchum περὶ τῶν δώδεκα ζωδίων, ubi differens, cur signo, quod proximum est ab Ariete, Tauro sit nomen datum, de Nilo addit ista, Πρὸς τὴν τοῦ Ταύρου φωνὴν τὸ ὕδωρ μῶς οἱ Αἰγύπτιοι, ὡς δηλοῦσιν ὑδάτων, σκάπτουσιν. Μῶς γὰρ παρ' αὐτοῖς τὸ ὕδωρ σημαίνει. Sane hodieque Germanis *Mosa* fluvii nomen; non quidem ab Ægyptiis, sed ut puto, à communi originе linguæ deperditæ. A Mô etiam fuerit *Monius*, quomodo ab Ægyptiis dictum ait Abenelra. Imo in quibusdam Orphei versibus dicitur ὑδογενής, hoc est, ὑδατογενής, quasi dicas *Aquigena.* Vestigium nominis *Mosis* in sacris quoque Liberi superest. Nam Orpheus *in Hymnis*, sive potius Initiis *Liberum* vocat Μίσην, quod à vero nomine unicâ aberrat vocali. Nec obstat, quod Μίσην ibidem dicat ἄρρηνον ἄνασσαν *Indictam Reginam*; Nam Dionysius, juxta Orpheum, sexum habuit utrumq;. Imo Alex. Polyhistor tradit, mulierem fuisse nomine *Moso*, quæ leges tulerit Judæis Vide Voss. *de Idol. lib.* 1. *cap.* 30. Salmasius autem *Ep.* 60. *Mosis* etymon planè Ægyptiacum esse putat, & ad verbum sonat, inquit, ἀναληφθεὶς ἐξ ὕδατος, ut vetus poëta apud Euseb. auctor est, hoc est, Μωυσῆ. Μῶς enim in illâ linguâ *aquam* significat, σῆ *assumere.* Moses hic, Act. 7. dicitur, ἀστεῖος τῷ Θεῷ, Est autem Græcis, ἀστεῖος, πιθανός, καὶ χαρίεις καὶ κομψὸς ἐν πολιτικῇ ὁμιλίᾳ ἐπιδέξιος. Unde putet quis, non de specie Steph. sed de moribus loqui, & quidem Moses *mitissimus super faciem terræ* dicitur. Sed rectiùs, Pricæo judice, referas ad formæ elegantiam ejus. Glossarium *Elegans* ἀστεῖος. Suidas, Οὕτως ἦν ἀφιλόκαλος, ὥστε ὡς Μωυσῆν θεασάμενος μὴ ἐκπλαγῆναι τῆς εὐμορφίας. Quæ tamen propriè huc non spectant, ut de Mose adulto dicta: cùm hic, ob sequentia ea, ἀνετράφη, & ἐπαιδεύθη, intelligenda sit venustas oris, quæ in recens nato eminebat. Philo *in ejusdem vita*, de eodem, Γεννηθεὶς οὖν ὁ παῖς εὐθὺς ὄψιν ἐνέφαινεν ἢ κατ' ἰδιώτην ἀστειοτέραν. Joseph. *Antiq.* 4. 5 narrat, ut eum adoptarit Thermuthis, filia Regis, quia esset μορφῇ τε θεῖος, καὶ φρονήματι γενναῖος. Et quid apertius illis Trogi, sive Justini *lib* 36. *Filius ejus Moses fuit, quem præter paternæ scientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat.* Porro *Mosis* mentionem faciunt Gentilium plurimi, Juvenal. *Satyr.* 14.

Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt Jus,
Tradidit arcano quodcunq; volumine Moses.

Plin. *lib.* 30. *cap.* 1. *Est & alia Magices factio à Mose etiamnum & Jochebel Judæis pendens Fuit autem Jochebel ipsius Mosis mater.* Locus corruptus. Lege *Jochebed* ex Sacris. Quin & Apulejus Mosen, & Jannem tanquam celeberrimos Magos conjungit *in Apologiâ.* Sed Strabo *lib.* 16. Mosen non tam fuisse Magum dicit, quàm oraculis deditum, quales Minos, Lycurgus, &c. Quod & clarè indicat Diodorus Siculus, cujus verba hîc apponam: *Lib.* 1. Παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεὸν, *Apud Judæos Moses Deum, qui Jao dicitur, legum suarum auctorem finxisse perhibetur.* Cornel. Tacitus *lib* 5. *Moses, quò sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosq; cæteris mortalibus indidit, &c.* Vide plura apud Joseph. *Hist. lib* 2. 3. 4. & 2. c. *App.* Philon. *in vita Mosis, libb.* 3. Euseb. *in Chron de Præp. Evangel. &c.* Clem. Alexandrin. Numenium, qui Pythagoram & Platonem, doctrinam suam ex hujus scriptis hausisse retulit, & hunc posteriorem, Mosen Atticum, vocare solitus est, Theod. Genebr. Rivet. *Exerc. in Genesin & Exod. &c.*

Viri illustres.

Moses, Episcop. Ismaëlitarum, illorum conversioni intentus, sec. 4. Vide *Mauvia.* Item Rabbinus, qui Talmud docere Cordubæ incepit, An. 999.

Moses Bar-Cheba, Episcop. Beth-Raman & Beth-Ceno, ac Curator rerum sacrarum Mozai, hoc est, Seleuciæ Parthorum, sec. 10.

Scri-

Scripsit de Paradiso; quod opus Latinè versum ab Andrea Masio Bruxellensi; *cautè legendum est*, ut monet Bellarm. Non confundendus cum Mose Mardeno, qui præt. sec. à Patriarcha Syrorum Romam missus est, & Novum Testamentum in Syriaca lingua edidit. Masius *in addit. &c.*

Moses Ben Majemon, Rabbinus, aquila Doctorum à Judæis & Rambam, dictus, in Scientia Hebræorum, Mathematicis artibus & Medicina, exactissimè versatus. Scripsit varia, de Astrologia opus, Item *Doctorem Perplexorum*, à celeberrimo Hebraicæ linguæ in Acad. Basiliensi Professore, Johanne Buxtorfio fil. Latinè, cum eruditissimorum sui temporis Judæorum stupore, versum, &c. Vide Rabbi Gedaliah *in Chron.* Buxtorff. *in Præf.* Cunæum, *lib.* 1. *de Rep. Hebr. pag.* 12. Casaubon. *Exerc.* 16. *n.* 77. Voss. *de Scient. Mathemat.* Quenstedt. *de Patr. Doct. p.* 7. Genebr. *in Chron. &c.*

Moses Kimchi, frater Davidis, qui ambo Hispani, & Grammatici celebres fuere, sec. 11.

Moses, impostor, A. 432. Judæos Cretenses, ut in mare se sequentes præcipitarent, effecit. Socr. *lib.* 7. *cap.* 37. Baron. *A. C.* 432. *n.* 85.

Mosini, vide *Mosyni*. Alii codd. habent *Magynos*.

Mosomagum, seu *Mosomum* castrum, à Mosa fluv. cui adjacet: vulgò *Mouson* dicitur. Hic cœnobium antiquum Monialium, quod Heriveus Archiepisc. Remensis S. Mariæ sacratum, Canonicis attribuerat, Adelbero ejus successor An. Chr. 983. Monachis concessit, Abbate eorum Ledaldo ordinato. Caput fuit pagi *Mosomagensis*, in diœc. Trevirensi. In Not. Imp. milites delecti ex incolis hujus loci *Musmagenses* vocantur. Valef. *Not. Gall.* Vide *Nivomagum*.

Moson, Galatiæ urbs, Ptol. *Aricanda* Nigro.

Mosonium, urbs munita Campaniæ, ad Mosam, in confinio Duc. Luxemburgici, media inter Sedanum ad Bor. & Stenæum ad Austr. 3. leuc. 11. à Viroduno in Sept. 12. à Retelio in Ort. *Mouson*. Pluries obsessa, nunc indies instauratur, 21. leuc. à Mussiponte *Pont à Mouson*, opp. Lotharingiæ ad Mosellam. Hic Concilium An. 948. quo Hugo Veromanduus, qui ad sedem Remensem an. æt. 5. promotus fuerat, citatus, & quia non paruit, suspensus est. Item, An. 995. quo Gerbertus, postea Sylvester II. quòd se in locum Arnolphi Archiepisc. Remensis, intrusisset, depositus est.

Mossini, pop. Mysiæ, circa Pergamum, Plin. quorum urbs *Mossyne* forsan: Urbs Episc. sub Archiepisc. Hierapolitano Phrygiæ.

Messinus, Cariæ fluvius, Plin.

Mosteni, Lydiæ urbs, Ptolem.

Mostensis, arx Bohemiæ, ubi Hussitarum non pauci, sicut & in arce Podiebradia ac Pragæ carceribus, captivi detenti sunt, circa An. Chr. 1468. Lasicius *de gestis Fr. Bohem. lib.* 2. apud Lætum *Compend. Histor. Univ.*

Mosthenes, Lydiæ urbs, Tiberii Cæsar. principatu, terræ motu subversa.

Mosychlus, mons Lemni, in quo fornax Vulcani, de quo Hesychius & Nicander *in Theriacis vers.* 472.

Ἢ Σάυ, ἢε Μοσύχλου. ———

Ubi Scholiastes hæc citat ex Antimacho:

——— Ἡφαίστου πυρὶ εἴκελον, ἥν ῥα τιτύσκει

Δαίμων ἀκροτάτοις ὄρεος κορυφαῖσι Μοσύχλου.

——— *Quales in summâ rupe Mosychli*

Mulciber accensis fornacibus excitat ignes.

Et ex Eratosthene:

——— Φαίνεσκε Μοσυχλαίῃ φλογὶ ἶσον.

——— *Elucet Mosychlæis ignibus æquum.*

Itaque *Mosychlus*, teste Bocharto, vel est מזלגא *Mazlego*, *splendens*, ut in Syrâ paraphrasi, Apocal. 21. 21. vel מזלק *Mazlec*, *ardens*, unde זליק *zelic* Chaldæis *scintilla*.

Mosylon, promuntorium, & emporium Æthiopiæ, ad sinum Archaliten, Steph. *Omgauli* hodiè, teste Moletio.

Mosynœci, ad Pontum Euxinum, gens Dionysio. Inter Cerasuntem & Cytorum oppida eos describit Diodorus. De his multa Xenoph. *lib.* 5. *Expedit. Cyri.* Videntur *Mosyni* Orphei, Stobæi, Eustathii & Plinii, quos vicinos Tibarenis facit: sed geminato *SS*. legunt. Jacob. Micyllus apud Flacc. *lib.* 5. *Argonaut. vers.* 152. legendum censet *Mossynni* ex Græco, cui adstipulatur Pomponius Mela MS. Ludovici Carrionis *lib.* 1. Herm. Barbarus *in Plin. lib.* 6. *cap.* 4. ubi legitur *Masyni*, legendum censet *Mossynici* vel *Mossynœci*: sic autem dicti, quia in turriculis vivunt, quas Græci *Mossynas* & *Mossynos* appellant. Hecatæus Tibarenis jungit ad orientem Solem *Mossynœcos*, quorum urbem Chereades dici plurali numero testatur. Curtius ait mare Caspium accolere à lævâ unà cum Cercetibus & Chalybibus. Getis finitimos collocat Tibullus 4. 1.

Quaq; Hebrus, Tanaisq; Getas rigat, atq; Mosynos.

Mela, *lib.* 1. *cap.* 19. *Ultra Tibarenos Mosyni turres ligneas subeunt.* Ita locum illum restituit Vossius. *Mossonychi* dicuntur Valer. Flacco *lib.* 1. *vers.* 150.

Vos quoq; non nota mirati vela carina

Mossonychi. ——— ———

Apollonius *lib.* 2. *vers.* 1018.

Ἣ ἐνὶ Μοσσύνοικοι ἀν' οὔρεα ναιετάουσι

Μόσσυνας· καὶ δ' αὐτοὶ ἐπώνυμοι ἔνθεν ἔασι.

Ubi Mossynœci in montibus tenent

Falas, unde & ipsi cognomen traxerunt.

Dionysius Perieg. *vers.* 765.

Βύζηρές τοι πρῶτα, καὶ ἀγχόθι φῦλα Βεχείρων,

Μάκρωνές Φίλυρές τε, καὶ οἳ μόσσυνας ἔχουσι

Δουρατέους, τῶν δ' ἄγχι πολύῤῥηνες Τιβαρηνοί.

Ubi Schol. Λέγει ὁ Γεωγράφος ἀπὸ μοσσυνῶν, ὅ ἐστι πύργων, αὐτὴν ὀνομάζεσθαι. Vide Stephan.

Mota, vulgò *la Mote*, nomen plurimorum in Gallia locorum. Sic inter alia dicitur castrum monti impositum, ad amniculum, qui in Mosam defluit: *Mota Galterii*, vulgò *la Mote Gautier*, Orderico Vitali *libr.* 10. memorata. Item Mons de Nube, in pago Sagonensi, apud Cenomanos, *la Mote de la Nuë, &c.* *Motam* autem parvum montem seu monticulum Galli olim appellavere. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Motene, Armeniæ majoris regio ad Cyrum fluv. Ptolem. *Exechia* Castaldo.

Motenum, Pannoniæ superioris urbs, Anton. à Vienna 4. leuc. in Merid. *Bruck an der Leyte*, Simlero. Sed Lazio *Martz* vicus est ejusdem tractus. Cluverio est castellum *Muzon* prope Danub. in Austria infer. Etiam *Mutenum*.

Motho, vicus Arabiæ, in quo Antigonus Macedo à Rhabilo rege Arabum occisus est. Significat autem linguâ Arabum τόπος θανάτου. Stephan.

Mothon, homo fuit garrulus, qui in conviviis inscitissimè saltabat.

Motieni, parva regio Iberiæ, Colonia Romanorum. Phlegon *Mutenum* eam vocat, Steph.

Motira, vulgò *Motir*, una ex Moluccis propr. *Timer* quibusdam. Inter Insul. Tidorum ad Bor. & Machiam ad Austr. vix 18. mill. pass. ab ora Occ. Giloli. Vide *Molucca*.

Motta, castellum agri Tarvisini.

Motuca, nunc *Modica*, opp. amplum Siciliæ, in Valle Neetina, ad Motycanum fluv. 20. m. p. à Pachyno prom. in Occ. 5. ab ora maris Africi in Bor. *Motyca* etiam quibusdam.

Motula, vulgò *Motola*, urbec. prov. Hydruntinæ, ad radices Apennini, in confin. agri Bariani, Episc. sub Archiepisc. Barensi, 7. mill. ab ora sinus Tarentini in Sept. 13. à Tarento in Circ. 25. à Bario in Merid.

Motya, vel *Motye*, opp. Siciliæ, apud Pachynum prom. ab Agrigentinis excisum, Afris ejectis: cujus locus nunc *S. Giovanni* Fazello. Item apud Hyccaram itidem excisum, inter illam & Panormum: cujus locus nunc *Sferracavallo*, aliis *Porto Gallo*. Item in peninsf. apud Erycem montem, in ora Occ. cujus locus nunc *Mundello* Ortelio. De *Motya* sic Vir Magnus, *de Phœn. Col. lib.* 1. *cap.* 27. A Lilybæo promuntorio, versus Aquilonem navigantibus, statim occurrit Motye. Pœnorum colonia, Diod. *lib.* 14. Οὐ μακρὰν τοῦ λόφου τούτου Μοτύη πόλις ἦν ἄποικος Καρχηδονίων, ᾗ μάλιστα ἐχρῶντο κατὰ τῆς Σικελίας ὁρμητηρίῳ. *Non procul ab illo colle* (Eryce) *sita erat urbs Motye, colonia Carthaginensium, quâ potissimum utebantur, ut belli sede, unde in Siciliam irrumperent.* Proinde Thucydides de Phœnicibus, Μοτύην καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον, &c. ἐνέμοντο, &c. ὅτι ἐντεῦθεν ἐλάχιστον πλοῦν Καρχηδὼν Σικελίας ἀπέχει, *Motyam, Soluntem & Panormum incoluerunt, &c. quia minimo inde in Carthaginem trajectu Sicilia distat.* Et Pausanias *in Eliacis*: Ἔστι δὲ κατὰ τὴν ἄκραν ἐν Σικελίᾳ τὴν τετραμμένην ἐπὶ Λιβύης καὶ Νότου, καλουμένην δὲ Πάχυνον (lege Λιλύβαιον) Μοτύη πόλις. Οἰκοῦσι δὲ Λίβυες ἐπ' αὐτῇ καὶ Φοίνικες, *Ad Pachynum* (*imo ad Lilybæum*) *Siciliæ promuntorium, quod in Africam & Austrum, est Motye urbs, quam tenent Afri & Pœni.* Motye in Diodoro legitur urbs fuisse valdè insignis τῷ τε πλήθει, καὶ τῷ κάλλει τῶν οἰκιῶν εἰς ὑπερβολὴν πεφιλοτεχνημένη, διὰ τὴν εὐπορίαν τῶν κατοικούντων, *& domorum copiâ, & specie magnificè exornata propter incolarum divitias.* Situs propè qualis Tyri, nempe in insula, quam Isthmus manufactus stadiorum 6. ita continenti junxerat, ut ex insulâ facta esset Chersonesus. Idem Diodorus, Αὕτη δ' ἡ πόλις ἦν ἐπί τινος νήσου κειμένη τῆς Σικελίας ἀπέχουσα σταδίους ἕξ. Et paulo pòst, εἶχε δὲ καὶ ὁδὸν στενὴν χειροποίητον, φέρουσαν ἐπὶ τῆς Σικελίας αἰγιαλόν. Dictam fabulatur Stephanus, ἀπὸ Μοτύης γυναικὸς μηνυσάσης Ἡρακλεῖ τοὺς ἐλάσαντας τοὺς αὐτοῦ βοῦς. Ego dictam interpretor Punicâ voce מתוחה *metuha*, id est, *protensam*, propter Chersonesi longitudinem. Ad Aquilonem fuit Motyensium portus, quem multis describit Polyænus *lib.* 5. *in Dionysio*, olim sat tutus. Nunc *Isola di S. Pantaleone*; in valle Mazaræ, inter Drepanum ad Bor. & Lilybæum promunt. ad Merid. contra Ægades Insul. Baudrando. Gentile *Motyæus*, nam corruptè legitur apud Steph. Μοτυαῖος.

Motychanus, fluv. Siciliæ per oram Australem fluens inter Motyam, & Inycum, Ptol. *Xicli*, teste Fazello.

Motyla, castellum Siciliæ juxta Motyen, Stephan.

Moura, vide *Arx Nassovia*.

Moussones, Latinè *Motiones* dixeris, venti sunt, qui certam temporis periodum quotannis observantes, in certis maris partibus per aliquot menses spirant. Vide Kircherium *de A M. L.* 3. *part.* 4. *cap.* 2. *pag.* 469. & Auctorem *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 2.

Moyses, vide *Moses*.

Mozambica, vide *Mosambica*.

Mozel, nomen regionis, Ezech. 27.

Mozgavia, oppidum Poloniæ, ubi Miezislaus senex, regnum nepoti erepturus, victus est, An. Chr. 1199. Crom. *lib.* 7.

Mscis-

MS.

Mſcislavia, vulgò *Mſcislaw*, urbs munita Lithuaniæ, capta haud pridem à Moſcis, aliàs peſſimè ibi acceptis, ſub Sigiſmund. I. In confinio Moſcoviæ. 10. leuc. Pol. à Smolenſco in Mer. 18. à Mohilovia in Ort. juxta *Soſz* fluv.

MU.

Mucialla, Procop. *Mugello*, C. Cittadino, ager Florentinus, 14. m. p. à Florentia Bononiam verſus.

Mucianus, vide *Licinius*.

Mucisſus, urbs Cappadociæ. Steph.

Mucra, vulgò *Morin*, fl. Gall. duplex: Major & Minor, *le grand & petit Morin* dictus. Ambo in Matronam decurrunt, hic quidem infra Jotrum ad Firmitatem Anſculfi vel ſub Jotro; ille paulo infra Meldos urbem. A Matronæ & min. Mucræ confluente parum abeſt Monaſt. Jotrenſe: Major verò Novum Vicum *Neuvi*, Firmitatem Galteri vel Galcherii *la Ferté Gaucher*, Gaudiacum, Boſciacum *Boiſy*, caſtrum Columbarium *Coulomiers* attingit: tum Albam *Aubete* recipit, dein ad Evoriacas ſeu Faræ Monaſterium & ad Celiam proximè accedit, Criſciacum alluit; apud Condate *Condé* navicularum patiens eſſe incipit ac ſub mœnibus civ. Meldorum, apud Vinetum *Vigny* in Matronam effluit; *Mucra Columbarienſis* quibuſdam cognominatus. Nihil autem duo hi fluvii, præter nomen, habent commune: & minor à majori 4. leucis diſtat. Hadr. Valeſius *Not. Gall.*

Mucræ, Samnii vicus inter Fauces Caudinas & Bovianum. Silius Ital. *lib.* 8.

Qui Batulum Mucrasq; colunt, Boviania quiq;
Exercent luſtra aut Caudinis faucibus hærent.

Muenna, Anton. *Axuenna* legit M. Velſerus. Vide ibi. Sed provocat ad fidem codicum Valeſius. Surita *Avennia* quoque legit.

Muesa, Guillimanno *Meſa*, unde pop. nomen, Merulæ *Muetium*, Rhætis *die Mönſs*, Ital. *la Mueza*, fluv. Alpinus, oritur ex monte Avicula, quem etiam D. Bernardini vocant, & 4. ſupra Bilitionum m. p. Ticino miſcetur. Plantino oritur ex monte Summano ſeu S. Gotthardi, & vallem Lepontinam, Bellizonamque præterlapſus, ac variis amnibus auctus, in Verbanum lacum evolvitur. Hujus fluv. Muezæ accolæ Miſauci ſunt.

Mugazium, locus Hungariæ, ubi Ludovicus Rex, à Solimanno Turc. Imper. victus & trucidatus eſt. An. Chr. 1526. Jovius *lib.* 23. 28. 42.

Mugillones, pop. Germaniæ, à Maroboduo ſubjecti, quorum nomen torrens *Muhel* in Auſtriâ redolere videtur, teſte Lazio.

Mugius, cogn. Romani cujuſdam à frequenti murmuratione, à quo Mugiola porta, cui ipſe aliquando præfuit, nominata eſt.

Mugonia, porta Romæ, à *mugitu*, quòd per eam venale pecus intraret, an à Mugio? Hæc etiam *Trigonia*, à 3. angulis dicebatur.

Mujacum, vulgò *Mujaco*, regn. Æthiopiæ ſuper. valdè extenſum, inter regna Macoci & Giringbombæ. *Iſ. Voſſius.*

Muicheum, vulg. *Muicheu*, urbs ampla, ex præc. Suchuenſis prov. in Sinis, prope fluv. Chiangum & Hoanum lac. Martinius.

Mula, vide *Maleos*.

Mulancum, opp. Inf. Franciæ, ad Sequanam, cum ponte, aliàs munitum, 9. leuc. à Lutetia, Rothomagum verſus, 3. à Medunta; vulgò *Meulan*.

Mulcedonum, vulgò *Mucidan*, opp. Galliæ, in Petrocoriis, ad ſiniſtram ripam Ellæ fluminis. Vide Hadr. Valeſium *Not. Gall.*

Mulciber, *ciberis*, idem qui Vulcanus. Ovid. *Art.* 2.

Mulciberis capti Marsq; Venusq; dolis.

Apud Cic. verò *Tuſcul.* 2. legitur *genitivus Mulcibri* 2. declinationis 3. ſyllabarum: *Jovisq; numen Mulcibri adſcivit manus.* Etiam *Mulcibero* auferendi caſu legas apud Martianum Capellam *lib.* 6. Alii à *mulcando*, alii à *mulcendo* derivant. Prius placet Donato *in illud Adelph.* 1. 2. *Omnem familiam mulcavit uſq; ad mortem. Multavit* (lege *Mulcavit*) inquit, *mutilavit, maceravit, mollivit atq; diſſolvit, unde Mulciber.* Additur, *à multando quaſi Multiber.* Sed putat Voſſius hæc eſſe ab alienâ manu. Niſi fortè jam Donati ævo *multare*, & *mulcare* confundebant. Poſteriorem verò opinionem ſequitur Feſtus: *Mulciber Vulcanus à mulcendo ſcilicet ferro dictus eſt. Mulcere enim mollire, ſive lenire eſt.*

Mulda, Germ. *Muldaw*, Bohemis *Wultava*, fluv. Bohemiæ, in cujus ultimo limite oritur, ferè 5. mill. Germ. à Paſſavia in Bor. uti 3. infra Pragam, exoneratque ſe in Albim, juxta Melnicum opp.

Mülhuſia, vulgò *Mülhauſen*, urbs Alſatiæ ſuper. ad Hellelum fluv. Imperialis, munita, & Helvetiis aggregata, ab an. 1515. in Sundgovia inſerta. *Arialbinum* vett. quibuſdam. Ejus Advocatiam olim habuit Epiſcopus Argentor. ſicut & Argentuariæ, quæ *Colmaria* hodie dicitur. Cœterum bello, inter Waltherum Geroltzeggium Epiſc. & urbem Argentoratum, an. Ch. 1261. exorto, Rodolphus Comes Habſp. qui poſtea Imp. cum Argentinenſibus fœdere inito, *Mülhuſium* occupavit, arcemque ibi Epiſcopi diruit: à quo tempore rurſus in numero Civitatum Imp. fuit. Captum iterum ab Alberto, Alberti Imp. filio, An. Ch. 1327. ad Imperium poſtea rediit, egregiaque privilegia impetravit, unde vicinæ Nobilitatis invidia, quæ tandem an. Chr. 1468. ex occaſione 6. aſſium, in atrox bellum, *der Plappert-Krieg* dictum, erupit. Quod prævidentes *Mülhuſini* eodem anno, ut Stumpfius: vel priùs anno 1464. ut Simlerus habet, cum Bernatibus, Friburgiis & Solodoriis fœdus in 15. annos iniere: mox, Bernatum interceſſione, in reliquorum etiam Pagorum tutelam recepti. Qui anno præfato 68. communibus armis Nobilitatem, in Campo bovillo *Ochſenfeld*, ivere quæſitum, ſed illa panico metu percuſſa aufugit. Anno dein 1506. à Baſilienſibus *Mülhuſini* in civium numerum aſcripti, nonoque poſt anno omnibus XIII. Pagis Helveticorum fœdere juncti ſunt d. 19. Jan. cujus eadem ferè, quæ Rotevillani, conditio eſt. Hodie Reformatorum 4. Cantonum, ejuſdem Confeſſionis ſocia, fœdere potiſſimum urbs gaudet. Horribili ſeditione ea laboravit, ſub ſinem præt. ſec. auctoribus Jacobo & Matthiâ Finningeris civibus, ac Doctore Schreckenfuchſio Phyſico urbis, exule: quorum ope conjuratio inita d. 21. Novemb. an. Ch. 1586. in tantum vires ſumſit, ut Magiſtratum mutare, Conſulem, Petrum Zieglerum, & Hoſeam Schillingerum urbis Scribam, in carcerem raptos, tormentis excruciare, omnia denique pro lubitu agere, auſi ſint. Sed oppreſſo *gregi parvo*, hoc enim nomine cives bonos ſeditioſis appellare mos erat, auxilio advenientes ex 4. Cantonibus Evangelicis, quibus Glaronenſes ſe junxere, copiæ, Duce Ludov. Erlachio Bernenſi, urbe expugnatâ, pulſis punitiſque tanti facinoris reis, pacem urbi d. 14. Juni an. Ch. 1587. claves Magiſtratui die 7. Auguſt. ejuſdem anni, cuſtodiam tandem portarum civibus reſtituere d. 24. Novemb. an. C. 1588. David Zuingerus Eccleſiaſtes Mülhuſinus, *in hiſt. Sedit. hujus MSCR.* Religioni Reformatæ, ut dictum, cives conſtanter adhærent, quæ ut apud ſe purius doceretur, & ſuperſtites quædam veteris fermenti reliquiæ penitus abolerentur, à Magiſtratu Baſilienſi, Theologum clariſſimum Wolphgangum Mejerum, ad ſemeſtre, eum in finem impetrarunt circa an. C. 1621. Vide in voce *Mejerus*: item Stumpf. *l.* 12. *de Raur. cap.* 35. Simler. *deſcr. Helv.* &c. Diſtat 3. leuc. à Ferreta in Bor. uti à Baſilea in Circ. & à Neoburgo in Occ. Arx ejus diruta à Rodolpho Com. Habſpurgico, dein Imper. ut dictum.

Mülhuſia, urbs Thuringiæ Imperialis, ſatis culta, ad radices montium, juxta amnem Unſtrum *Unſtrutt*. 7. ferè mill. Germ. ab Erfordia in Occ. 4. ab Iſenaco, in Sept. Northuſiam verſus, vulgò *Mülhauſen*. Dicta q. *Domus molaris*. Ab Henrico Leone Saxoniæ D. olim direpta eſt. Inclaruit dein Comitiis Imperialibus & bello ruſticano, an. 1525. quo obſeſſa & capta eſt à Principibus, Pfeifero unà cum ſocio & duce ſuo Muncero, Francuſii poſtea capto & capite mulctato. Sub protectione Electoris Saxoniæ hodie degit. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *c.* 37.

Muliadas, fluvius Hiſpaniæ poſt Tagum fluens. Strabo *lib.* 3. ubi Caſaubonus *Μήνδας* legit.

Mullerasium, vulgò *Mülleras*, oppidul. mediæ Marchiæ Brandeburg. in limite Luſatiæ infer. vix 2. mill. Germ. à Francofurto, ad Oderam, & dimidio à Spreha fluv. Hic an. 1669. ductum eſt juſſu Elect. Brand. incile, inter Oderam & Spreham, quo lintres ex illa in hanc ducuntur, dein per Havelam in Albim deſcendere poſſunt & viciſſim.

Müllerus Johannes, Theol. & Philol. Tigurinus inſignis. Poſt Eccleſias exteras, Galliæ, Angliæ, Belgii, Germaniæ feliciter luſtratas, in Patria Miniſterio ſacro primùm, dein quoque Profeſſioni Theol. admotus, multijugam eruditionem egregiis ſpeciminibus hactenus edidit teſtatam. Ejus extant, præter *Homilias plurimas, Diſputationes varia Hiſtorico-Philologico-Theologicæ. Hiſtoria Chriſti & Apoſtolorum: Janua Antiquitatis Eccl. Tomus variarum Orationum, Tomus Epiſtolarum, &c.* Alia ad prælum parata ſunt. Vide ipſiuſmet *Tubam Joëlis, p.* 86. *& ſeqq.*

Müllerus, vide *Regiomontanus*.

Mullinus, Scriba Alexandri M. Curt. 8. 56.

Mulona, Æthiopiæ opp. Plin.

Multanum, vulgò *Multan*, caput prov. cognom. ad Indum fluv. media ferè inter Lahorium ad Ort. & Candaharium ad Occ. ſub M. Mogole. Aliàs perampla & probè culta, nunc deficit.

Mulucha, Africæ fluvius Numidiam à Mauritaniâ dividens, Strabo, Plin. 5. 2. Cum opp. cogn. in Maur. Ting.

Mulvia, vulgò quoque *Mulvia*, fluv. Barbariæ, oritur ex Atlante, & auctus aliis, regna Fezzæ & Telenſini ſeparat, dein in mare Medit. abit.

Mumaſtis, urbs Cariæ. Steph.

L. Mummius, homo novus, & ad Conſulatum an. 608. U. C. evectus contra Achæos, jam à Q. Metello ad Thermopylas victos miſſus eſt. Cum quibus, duce Diæo, motus ejus & belli auctore ad Iſthmon conflixit, vicitque. Mox omni Achajâ in deditionem acceptâ, Corinthum ex S. C. diruit, quoniam legatos violaſſent. Thebæ quoque & Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ ſunt. Ipſe Mummius ſe abſtinentiſſimum virum geſſit, nec quicquam ex iis opibus, ornamentiſque, quæ prædives Corinthus habuit, in domum ejus pervenit. Sic ferè Livius *lib.* 1. Item Plinius *de Viris illuſtribus.* Acto triumpho, qui ſignis & picturis variis ſpectatiſſimus fuit, *Achaici* nomen tulit. Geſſit poſtea Cenſuram cum P. Scipione Æmiliano; in quo honore cùm lenior viſus eſſet, non dubitavit Scipio pro Roſtris dicere, ſe omnia ex majeſtate

Reip. gesturum fuisse, si sibi cives collegam vel dedissent, vel non dedissent. Val. Max. 6. 4. Paterculus tam rudem & indoctum fuisse tradit, ut captâ Corintho, quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. Scitum est quod scripsit Strabo *lib.* 8. Lucullum cùm Ædem Fortunæ construxisset, atque item porticum quandam, statuas, quas Mummius complures habebat, petivisse in eum usum: Nihil minus autem cogitantem statuas concessisse Mummium, Lucullum verò eas omnes Deæ consecrasse, quòd sciret tum auferri non licere, & tamen ministris repetentibus, ut inde tollerent, jussisse, adjecto, etiam sibi jam nullum illarum usum esse. Quam illius improbitatem & stropham quum Mummius æquo animo ferret, omni prorsus amissarum statuarum abjectâ curâ, populum longè majore laude & gloriâ Mummium, quàm qui eas Deæ posuerat, Lucullum celebrasse. Decessit, cùm ære Corinthio & signis urbem replevisset, non relictâ dote filiæ. Plin. 34. 7. & 37. 3. Florus *lib.* 2. Pausan. *in Ach.* Vellej. *l.* 1. Appian. *in Lyb.* Aur. Victor. *c.* 60. *de Viris Ill.* &c.

P. Mummius, dexteritate morum valde commendatus est, quem C. Publicius ob id dicere solebat, cuivis tempori hominem esse. Refert id apud Cic. 2. *De Orat.* Cæsar. Ubi quod adjicit sumtum ex Catone, priorem illo, vel certè synchronum fuisse arguit. Item Poeta Latinus. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 10.

Mummius Lupercus, Legatus duarum legionum hibernis, sub Hordeonio Flacco. Tac. 4. 18. à militibus cinctus, Civiliq; traditus, inter dona Velledæ, *cap.* 61. in itinere occisus est.

Mummolius, Patricius, Comes Antissiodorensis, victoriis celebris: Dux erat exercituum Guntrani, Burgund. R. filii Clotarii I. Turones & Pictones Chilperico eripuit, qui illis Sigebertum execrat. Dein Amato, duce copiarum Guntrani à Longobardis in Delphinatu victo, Mummolius hos sæpius fudit, & Provinciæ Præfectus Saxones fortiter repulit. Paulo pòst cum Rege suo collisus, ad Gombaldum transiit, sed Convenis captus, occisus, anno 585. & uxor ejus excruciata tormentis, confessa est, ingentem thesaurum Avenione maritum recondidisse. Greg. Tur. *lib.* 5. 6. 7. Paul. Diac. *l.* 3. & 4. Aimon. *l.* 3.

Munatius Gratus, Eques Rom. particeps Pisoni conjurationis in Neronem. Tacit. 15. 50.

Munatius Plancus, Consul fuit cum C. Silio; postea ad seditiosum Germanicum exercitum legatus, ac suspectus, quòd auctoritate ejus Senatusconsultum factum esset, quo irrita redderentur, quæ per seditionem expresserant. Idcircò obvii milites eum invadunt, atque in castris primæ legionis signa & aquilam amplexum trucidare parant, ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset. Fuit & alius *Munatius*, qui censurâ an. U. C. 732. functus fuerat. V. infra.

L. Munatius Plancus, patrem, avum, & proavum eodem prænomine habuit, Orator ac discipulus Ciceronis. Militavit sub Cæsare in Galliâ, cui & in bello civili quum adhæsisset, post Præturam designatus ab illo Consul, cum D. Bruto Galliam Comatam administravit. Bello Mutinensi summa de se Reip. & Ciceroni pollicitus, ad extremum iis desertis, cum Antonio & Lepido se conjunxit, quoque magis eisdem & Cæsari gratificaretur, fratrem proscribi passus est, Lepidi, qui & ipse fratrem prodiderat, studiosus imitator. Unde mox illis triumphantibus milites per jocum hunc versum jactarunt, *De Germanis, non de Gallis triumphant Consules.* Post bellum Perusinum profectus ad Antonium, quum diu illi & reginæ Cleopatræ servilibus obsequiis & assentationibus se comprobasset, inter apparatum Actiaci belli transfugit ad Cæsarem, à quo post aliquot annos ad Censuram evectus est, pluribus etiam honoribus decoratus. Cæterùm Plancus idem aliquando in Meviâ Gallâ nuptâ malè audivit. Unde sutor rogatus ab illo in judicio, quo se artificio tueretur, urbanè respondit, *Gallam se subigere*, adulterium per ambiguitatem exprobrans. Illud scitum est, quod refert Plin. *in Præfatione*, quum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, sed post mortem primum edendas, ne respondere posset, dixisse Plancum, *Cum mortuis non nisi larvas luctari.* Quo dicto sic repercussit adversarios, ut apud eruditos nihil impudentius judicaretur. Deduxit colonias Lugdunum & Rauricam, ut inscriptio habet Cajetæ: Ejus statua visitur Basileæ in Curia, cum inscr. à B. Rhenano concepta. Meminit quoque ædis Saturni ab ipso erectæ an refectæ Sueton. Vide *Plancus.*

Munda, opp. Hisp. Bæticæ, nunc excisum, adhuc *Munda*, memorabili illo prælio inter Cæsarem, & Pompeji liberos gesto nobilitatum, quo quidem in prælio tanta utrinque edita est strages, an. 709. U. C. ut Cæsar victor hostes, qui fugâ sese in urbem receperant, obsidens, congestis corporibus vallum construxerit. Ceciderunt ex Pompejanis ad 30000. peditum & 5000. equitum. Luc. *l.* 1.

Ultima funestâ concurrunt prælia Mundâ.

Silius *lib.* 3.

Et Munda Emathios Italis paritura dolores.

Munda, vel *Weisselmunda*, fortalitium Prussiæ reg. valde munitum, in apice dextro ostii, per quod Vistula in mare Balt. se effundit; unde & dicitur. Impedit, quo minus hostiles naves Vistulam ingrediantur. Prope & infra Gedanum.

Munda, fluv. Lusitaniæ. Vide *Monda.*

Mundus, vide *Paulina.*

Munghoa, vulgò *Munghoa*, urbs Junnaniæ, in Sin. prope Iacum. M. Martinius.

Munichiates, Arabiæ Petrææ urbs. Ptol.

Municipium, vide in *Appendice.*

Munim, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Munitium, urbs Germ. Ptol. *Gottingen*, teste Villanovano, in Hassiæ, Saxoniæque confiniis, media inter Mundam ad Meridiem, & Eimbecam ad Bor. Baudrando opp. fuit Cattorum. Quibusd. est *Gottinga*, urbs Duc. Brunsuic. ad Leinam fluv. in confinio Hassiæ, 3. mill. Germ. à Visurgi in Ort. 4. ab Embeca in Austr. 8 à Northusia in Occ.

Munsterberga, urbs Silesiæ, sub Duce proprio. Cum arce splendida, ad Olavum amnem. 7. mill. Germ. ab Uratislavia in Merid. 7. ab Oppolia in Occ. Bohemiam versus. Vide etiam *Monsterberga.*

Munsterus Sebastianus, Ingelheimensis, Theologus ac Cosmographus præstantissimus, linguæ Hebrææ Chaldææque palingenesiâ, ejus industriâ promotâ, immortale nomen meruit. Hic anno æt. 14. ingenii causâ Heidelbergam missus, biennio pòst Ordinem Minorum de Observantia professus est. Conradi dein Pellicani famâ permotus, obtinuit, ut anno 1509. illius in Hebraica eruditione, quæ tum rara admodum ac insolens, audiendi causâ, ad conventum Rubeaquensem mitteretur. Dein an. 1515. ad Tubingenses Franciscanos concedens, Mathematicas artes, sub Joh. Stoflero Justingensi, perdidicit. Hinc reversus Heidelbergam, aulicum Ludovici Elect. egit Concionatorem: ibique Lexicon Chaldaicum concinnavit, cum Dictionario Talmudico, & primus Grammaticam Chaldaicam annotavit. Inde Basileam perveniens, Pellicano in Hebræa cathedra successit, & in Schola quoque Theologorum aliquandiu docuit. Obiit tandem, an. Chr. 1552. *Germanus Esdras Straboq;* in Epitaphio dictus Scripsit, præter jam memorata, Cosmographiam, opus insigne: *Annotationes item in V. T.* inter Criticos sacros: *Annotationes Gramm. in Proverbia, Matthæi Versionem cum Annotat.* &c. De hoc Verheiden: *Qui cùm variarum scientiarum cognitione, tum verò Mathematicis præclarè imbutus fuit.*

Munus, pro feudo militari, apud Marculfum *Formular. libr.* 1. *c.* 12. & Bignonium *in Notis.* Gunterus Poeta Ligurinus:

Si Patris dominum vassalli filius acri
Laserit offensâ: festinet providus illum
Conciliare pater: quod si contemnet agendum,
Munere privetur. Si vero audire monentem
Filius indomitâ neglexerit aure parentem,
Non erit in feudo successor idoneus illo:
Ni prius accensam Domini placaverit iram.

Munychia, portus Atticæ Piræeo proximus, inter illum ad Occid. & Sunium promunt. ad Ortum, apud Ilissi fluv. ostium, antiquum nomen retinens. Ovid. *Met.* 2.

Munychiosq; volans agros, gratamq; Minervæ
Despectabat humum. —— ——

A *Munycho* principe nomen habet, qui ibi templum Dianæ extruxit, quæ propterea *Mynichia*, & festa ejus eodem nomine, appellata. Strab. & Plut.

Munychiatis, regio Arabiæ Petrææ. Ptol.

Mura, vulgò *Mury*, locus in Helvetiorum finibus, qui dioec. Constantiensi pagoque Argoviæ & Comitatui Roræ attribuitur, cum vett. Cœnobio Abbatiali, vulgò *Mury.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Mura, fluv. Germ. *Muer.* Oritur in dit. Salisburg. dein per Stiriam fluens, ibi Judenburgum, Pontem ad Muram dictum, & Græcium Rachelpurgumque rigat; ac tandem Dravo miscetur, in ipso Hungariæ limite.

Muranum, opp. Lucaniæ, nunc *Morano*, castrum Calabriæ citer. in confin. Basilicatæ. Infra Apenninum, 40. mill. pass. à Cosentia in Bor. medium inter Sinum Tarent. ad Ort. & mare Tyrrh. ad Occ. 16. utrinque mill.

Muranum, vulgò *Mouraon*, quibusdam *Moro.* Vide ibi.

Muratum, vulgò *Murat*, opp. Alverniæ super. ad radices Cantalii montis, juxta Alagnonem amnem. 3. leuc. à Floriopoli in Circ. Vide etiam *Moratum.*

Muravia, vulgò *Muravv*, opp. Stiriæ sup. ad Muram fluv. in confinio dit. Salisburg. 6. mill. Germ. à Judenburgo in Occ. 4. à limite Austriæ.

Murbacum, vulgò *Murbach*, opp. Alsatiæ super. cum Monaster. cujus Abbas Imperii Princeps est, fundato à Com. Eberhardo, tempore Theodorici Franc. R. circa annum 724. 2. leuc. à Vogeso in Ort. 3. à Colmaria, in Afric. uti à Mulhusia in Circ.

Murbogi, Ptol. pop. Hisp. Tarrac. quorum urbs *Burgi.* Vide ibi.

Murcia, Dea, quam ita appellabant, quòd præter modum faceret hominem murcidum, i. e. desidiosum; Cui contraria erat Dea *Strenua*, quæ faciebat homines strenuos. Vide *Murtia.*

Murcia, vulgò quoque sic, aliàs *Vergilia*, urbs ampla Hisp. ad Seguram fluv. in planitie peramœna, 3. leuc. ab Oriola, in Occ. 6. à Carthagine nova in Bor. an. 1265. Mauris, qui regnum fundaverant, ejectis, recepta. Caput *regni Murciæ*, vulgò *Regno de Murcia*, quod, prov. satis parva, ad Mer. Castellæ novæ annexum est, à

quâ

qua terminatur à Sept. uti regno Valentino ab Ort. Granatensi ab Occ. & mari Mediterr. sinuque Virgitano à Mer. In illo & Carthago nova. Fuerunt hîc aliàs Bastitani ex parte. Tam abundans hoc regnum omnis generis frugum est, ut *hortus Hispaniæ* dicatur. Urbs sedes Episcopi, qui tit. Carthagenæ sibi vindicat. Mariana, Surita, &c.

Murcius collis, dictus est Aventinus, à Veneris Murciæ sacello ibi sito.

Murcus, alio nomine *Statius*, Speculator, qui cum Sulpicio Floro Pisonem æde Vestæ protractum, in foribus templi, trucidavit. Tacit. *Hist.* 1. 43. Alius est apud Cæsarem *lib.* 3. *de Bello Civili cap.* 15. legatus, qui in argenteo denario STATIUS. MURCUS. IMP. descriptus est.

Murellum, castrum Galliæ, prope Tolosam, hinc 3. leuc. ad Garumnam, vulgò *Muret*. Portio habetur jam pridem Comit. Convenarum. Hîc Petrus Aragonensium R. cum Tolosano, Convenico & Fuxensi Comitibus ac Gastone de Bearno, Albigensium hyperaspistis, à Simone Monfortio victus est, an. C. 1213. Est & è regione Mellenti, interfluente Sequanâ, vicus *Murelli*, vulgò *les Mureaux*, Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Murena, vel *Murana*, cognomen viri Romani, ab eo pisce deductum, qui *Murana* dicitur, pro quo etiam extat Ciceronis oratio. Consul, renovaverat bellum Mithridaticum, an. 672. U.C. sed à Sylla sequenti anno, revocatus, accusatusque coram Senatu, defensorem Tullium nactus est. Appian. *de bello Mithrid.*

Licinius Varro *Murena*, amicus Augusti, ejusdemque insidiator, & eo nomine oppressus.

Muretum, vulgò *Muret*, opp. tractus Convenarum, in Aquit. ad Garumnam. Ibi an. 1213. cæsi Albigenses à Simone Montfortio, cum Aragonum Rege, Pet. Valcernæus *Hist. Albig.* V. *Murellum.*

Muretum, locus Aquitaniæ, prov. Lemovicensis, haud procul à Ratiasto Lemovicum in Ort. Ubi prima fundamenta jacta Ordinis Grandmontii.

Muretus, vide *Antonius Muretus.*

Murgantia, Samnii opp. Liv. hodie *Morcone*. Opp. amplum, inter Beneventum 16. & Bovianum 11. m. p. in Comit. Molisio.

Murgentia, vide *Morgantium.*

Murgis, vel *Murgi*, Anton. opp. Hisp. geminum; unum maritimum in Hisp. Tarrac. & Bæticæ confin. in orâ regni Granatensis, *Muxacra* hodie, testibus Flor. & Marianâ. Alterum opp. Bæticæ, nunc vicus regni Granatensis, *Murga*, teste Marianâ. Sed Clusio est *Murcia*, urbs regni Murciensis caput. Baudrando *Murgis* opp. est Turdulorum, in Hisp. Bæt. nunc *Muxacra*; in ora maris Mediterr. ferè 3. leuc. à limite regni Murciæ, 6. à Charidemo prom. in Cæc. Cum castro satis munito.

Murittum, castrum Galliæ ad fluv. Lupam *Loin*, in pago Wastinensi, diœcesique Senonica, vulgò *Moret*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Muris, Herod. *Mœris* Ptol. vide ibi.

Murocincta, opp. munitum, Comiti Princ. Auriaco parens, in dit. Coloniensi insertum; *Mœrs* incolis, *Meurs* Gallis: Vix 1. leuc. à Rheno, 9. à Colonia Agrip. in Bor. 3. à Geldria urbe in Eur. 1. à limite Duc. Clivensis.

Muroëla, urbs Pannoniæ superioris. Ptol. *Muera* Lazio. Aliis est *Mureck* opp. Stiriæ inf. ad Muram fluv. 3. leuc. à Græcio in Eur. Rackelburgum versùs, à quo 4. leuc. abest.

Murotriges, vide *Durotriges.*

Murranus, priscus Latinorum Rex, à quo postea omnes Latini Reges *Murrani* dicti.

Murrhanus, fuit quispiam, qui de generis nobilitate apud Virg. *Æn.* 12. gloriabatur,

> *Murrhanum hic atavos, & avorum antiqua sonantem*
> *Nomina, per regesq́ actum genus omne Latinos,*
> *Præcipitem scopulo, atq; ingentis turbine saxi*
> *Excutit.* ——

Mursa, urbs Joniæ, ab Adriano condita. Steph. Item urbs Pannoniæ inferioris, *Mursia* Ptol. nunc opp. Episc. Hungariæ, *Esseck*, sive *Ezeck* Lazio, ad Draum fluv.

Mursa, Galliæ castellum, 3. dier. itinere à Lugduno, ubi Magnentius à Constantino victus est, postquam apud *Mursam* prius, Pannoniæ infer. civitatem, atroci jam prælio superatus esset. Eutr. Socr. Sozom. Quid nunc sit non constat. Baudr. Valesio videtur locus *la Mure*, in Delphinatu, 25. leuc. ab urbe Lugduno, *Not. Gall.*

Mursella, opp. erat Pannoniæ sup. inter Sabariam 22. & Arabonem 10. m. p. Anton. Itiner.

Murta, vulgò *la Murta*, celebre Monasterium Hieronymitanorum, in Catalonia, haud procul à Barcinone.

Murta, fluv. Lotharingiæ, *la Meurte*. Oritur ex Vogeso Nanceiumque rigat, & in Mosellam se exonerat, 3. leuc. supra Mussipontem.

Murtena, castrum Burgundiæ, quod Odo Princeps Gallicæ Campaniæ, captum, præsidio firmasse, an. Chr. 1032. legitur apud Hermannum Contr. *in Chron.* Frustra sequente anno obsessum à Conrado Imp. cùm Geneva & pleraque Burgundia recepta esset. Vulgò *Murte*, Gall. *Morat*, hodie opp. Helvetiæ, non longè à Friburgo & Berna, Caroli Burgundi clade nobilis. Hinc lacui nomen. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* & supra in voce *Moratum.*

Murthlacum, vulgò *Murthlay*, urbs Episc. Marriæ, nunc excisa. In Scotia.

Murtia, Veneris cognomentum, à *Myrto*, arbuscula illi sacra, impositum, unde primum *Myrtia* dicta est, & deinde corrupto nomine *Murtia*. Plin. 15. 29. *Murcea* Festo. Vide Varr. *de L. L. l.* 4. Dempstero malè confunditur cum Venere; diciturque illi à *murcis*, i. e. ignavis. Dicti autem vett. sunt *murci*, i. mutili, qui pollicem sibi præscindebant, ut ad militiam essent inepti. Ei sacellum erat sub monte Aventino, qui antea *Murcus*: Consulantur Tertull. *de Spectac.* & Jos. Scaliger *Castig. in Festum.*

Murvis, opp. Africæ propr. Ptol.

Murum, Ant. *Mur* Tschudo, *Castel Mur* Simlero, vicus Rhætorum, inter Clavennam ad Mer. 12. & Tinnetionem in Cæc. ac Bor. 16. m. p. Curiam versus. Sed *Mur* Tschudo in *Bregentz* tractu est.

Murus, urbec. Basilicatæ, in confin. Principatus cit. prope Apenninum, Episc. sub Arch. Compsano, 12. m. p. à Compsa in Eur. 14. à Marsico in Boream, 20. ab Acheruntia in Occasum. Deficit in dies. *Muro.*

Murus Adriani, & Antonini: Item *Murus* Britannicus, vide *Murus Pictícus.*

Murus Cæsaris. *A lacu Lemanno, quem Rhodanus influit, ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, m. p.* 10. (ita legi vult Cluverius) *murum in altitudinem pedum sedecim fossamq́* se perduxisse, memorat Cæsar. Hunc, prope Genevam, non longè ab Rhodani è lacu effluxu ad montem Juram, quidam: Gaudardus, inter ipsam urbem, Genevam, & ipsos Helvetios, incipiendo paulo supra urbem versus locum in radice montis, ubi vicus *Jornan*, & pergendo per Gayensis territorii medium, extructum fuisse autumat, ad Helvetios intra suos fines coërcendos. Nonnulli murum usque ad Virginis Castrum extendunt. In hoc tria miratur Plantinus, longitudinem, firmitatem (fossâ enim variisque castellis egregiè munitus erat) & temporis in eo extruendo brevitatem, *in Helvetia Antiqua & Nova*. Ejus non obstructa se vidisse vestigia, refert Merula *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43.

Murus Hexamitus, 5. milliarium, in Isthmo Corinthiaco excitatus, ut Moream ab invasione securam præstaret, destructus est ab Amurathe Turc. Imp. Hunc dein reparârunt Veneti an. C. 1453. Sed iterum postea à Turcis occupatus ac destructus est. Becmannus *Hist. Orbis Terr. c.* 6. *sect.* 6. §. 6.

Murus Picticus, antiquus ultimusque Imper. Rom. limes. Primò ex cespitibus & stipitibus ab Hadriano factus, per 80000. passuum, quò sic Barbaros à Romanis discluderet, circa an. Ch. 117. Vulgò *The Picts Wall*. Post hunc Antoninus Pius, Britannis per Lollium Urbicum legatum devictis, alio *Muro* cespititio ducto Barbaros Caledonios submovit, circa an. Chr. 144. Post à Severo Imp. 3. ante obitum anno, qui Christianæ æræ 208. fuit, ubi *Murus* Adriani erat, è lapide multò jam munitior constructus, per Continentem, à mari Germ. ad mare Hibern. perductus fuit; longit. 60000. pass. Carausius, qui an. Ch. 285. sub Diocletiano & Maximiano Hercule, insulæ Imperium nactus est, aliquibus in locis collapsum, inter fretum Dunbritannicum atque Edenburgicum reædificavit, opus adeò celebre, ut inde *Britannicus* dictus sit. Tandem Imperio jam devergente, à Valentiniano III. circa an. Ch. 426. è solido saxo 8. pedum latitudine & 12. altitudine, à *Boulnesse* prope Itunæ sinum in Occ. inchoatus, perpetuo tractu ad Tinæ ostium in Orientem ductus est, & linea maxima ex parte directa per montes vastos ascensu & descensu, super præruptas rupes & excelsos colles procurrens, 100. m. p. ferè longitudine collegit: Cujus ductus multis in locis etiamnum extat, in Cumbria & Northumbria, suis tantùm pinnis nudatus. In eo crebræ turres speculatoriæ 1000. p. inter se distantes exstructæ erant, in quibus milites, ad tutandos ab hostilibus excursionibus fines, excubarent. J. Speedus. Hunc Scoti Pictique, circa an. C. 431. custodibus deturbatis perrupere, horribili intra murum habitantium strage editâ: quâ in re Scotorum Albiensium Historici strenuam Grimi cujusdam operam prædicant, à quo perfossus ille murus *Grahamsdike* vel *Grimesdike* appellationem hodieque retinet. Vide etiam Bedam, Buchananum *lib.* 4. *&c.*

Murus Sinicus, audax industriæ opulentiæque humanæ miraculum, à Xio Imper. Cinæ familiæ auctore, extructus. Hic, totâ Sinâ subactâ Tartaros graviter afflixit, quorum in posterum irruptiones repressurus, murum hunc condere aggressus est, anno Imper. 22. ante C.N. 215. absolvitque annis 5. tantâ operis soliditate & firmitate, ex meris sc. silicibus lapidibusque, compactum, ut sicubi clavus infigi per lapidum commissuras posset, morte luerent, qui illam partem fabricassent. Navibus, quæ crudi ferri massis plenæ, demersis fundamenti loco, innixus, quatuor provincias ambitu suo cingit, 300. mill. longus à sinu maris, in quem *Yalo* fluv. ex Tartaria Orient. influit, usque ad *Kin* civitatis montes, prope Crocei ripas, nusquam interruptâ serie, præterquam ad Boreales partes urbis *Siven* provinciæ Pekingiæ, ubi exiguum spatium tenent horridi & inaccessi montes, qui firmissimum murum nectunt. Ibidem Croceum fluv. ad *Se* fauces, uti & reliqua flumina minora alicubi, arcubus hinc inde fornicibusque superstructis, ad instar pontis admittit: Cœtera totus sibi constans ac ferè unifor-

uniformis, non per planitiem modò, quæ in his partibus rarior est, sed & quà ipsos montes transcendit. Certis intervallis turres habet & portas, illisque vicina castella munitissima, tum ad muri custodiam, tum ad militum habitationem aptè disposita: Habuit enim ibi aluitque, qua longè ab Ortu in Occ patet, ad ejus custodiam Sinicus Imper. decies centena millia militum. Altitudo 30. Sinensium cubitorum est, latitudo 12. & sæpius 15. Ad sinum maris, in regionis *Leaotung* ultimis finibus, quà in Sept. vergit Corea penins. ubi illius initium per aliquot stadia aquas subit, assurgens Occ. versus & *Leaotung* regionem, mox excurrit ad *Peking*, inde Xansiam & Xensiam provincias munit, non rectà semper progrediens, sed quandoque, pro vario locorum situ, deflectens; reliqua ad Oceanum usque montes Damasii claudunt. Dignum omni admiratione muri robur est, ferè sine labe aut noxa, contra tot temporum injurias persistentis. Sed negligentior ejus custodia, tandem ex causis fuit Sinici Imperii à Tartaris nostro seculo eversi. Vide Adam. Preyelium *Sina & Europa cap.* 3. & infra in voce *Sinarum regio.*

Mus Ponticus, Gall. *Hermine*, Ordo Eq. de Britannia, institutus an restauratus à Johanne V. Brit. Duce, circa an. C. 1365. His torques aureus maculis distinctus, Symbolum *A ma Vie.* Sammarthanus.

Musa, Latinè *Vestigatio*, seu *inquisitio* dicitur. Sic enim Phornutus in *lib. de Nat. Deorum.* Καλοῦνται δὲ Μοῦσαι ἀπὸ τοῦ μῶσθαι ὅ ἐστι ζητεῖν. Eò quoque alludit Theognis, ubi ait,

> Χρὴ Μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον εἴ τι περισσὸν
> Εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν,
> Ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύσαι. ——

Sunt qui à convenientiâ, seu nexu disciplinarum, & encyclopædiâ *Musas* quasi ὁμοῦ οὔσας dictas putent. Euseb. *de Præp. Evang.* à μυέω *Musa* nomen deducit, id significat *instituo, instruo.* Scal. *Poët.* l. 2. ἀπὸ τοῦ μυεῖσθαι, quòd iis inventio tribuatur, Platonem secutus deducit. Dan. Heinsius *in Aristarcho sacro*, ab Ebræo *Musar*, quod disciplinam significat, derivat. Musas autem Poëtæ *Jovis*, i. e. intellectus, & *Memoria* filias fecerunt. His enim rebus eruditio constat. Musarum autem nomine omnes artes liberales continentur; quippe quæ ab iis inventæ creditæ sunt. Plut. *Symp.* 8. 14. Hinc Cicero Musas *humanitatem, & literas*, interpretatur *in Tuscul. Qu. & Orat. pro Archiâ.* Gell. 9. 3. *A liberali tamen Musâ, & à studiis humanitatis nunquam abfuit.* Idem. *Ejusdem Musæ*, id est, studii seu disciplinæ. *Musam Platonis* pro Philosophiâ Boëthius dixit *lib.* 3. *Metr.* 11. & *lib.* 1. *Prosâ* 1. *Poeticas Musas* ad differentiam aliarum dixit, de quo & Barthius *Advers.* 6. 20. Præcipuè tamen *Musarum* voce *Poësis* & *Musica* designabantur. His enim artibus primùm omnium pueri imbuebantur. Hinc *Amusos*, i. e. imperitus Musicæ apud Vitruvium, & *amusia* pro imperitiâ canendi Varroni dicitur. Vulgò sedem Musarum Helicona, Parnassumque montes constituunt. Virgil. *Georg.* 3.

> *Aonio rediens deducam vertice Musas.*

Sed in cœlo Hesiodus locat, itemque Horatius *lib.* 3. *Od.* 4.

> *Descende cœlo & dic age tibiâ,*
> *Regina longum Calliope melos.*

Vide Macrob. *in Somn. Scip.* 2. 3. ubi & *Sirenas* appellat. Lesbo autem, si Myrsilo Lesbio audimus, novem Musas debemus; ita quidem ex eo refert Clem Alex. *in Protreptico*; vide *Megaclo.* Cicero *lib.* 3. *De N. Deorum*, de Musis scribit: *Jam Musæ primæ quatuor. natæ Jove altero, Thelxiope, Mneme, Aœde, Melete. Secundæ Jove tertio & Mnemosyne procreatæ novem. Tertiæ Jove tertio Pierio natæ & Antiopa, quas Pieridas poëtæ vocant, eodem numero, quo proximè superiores.* Aliqui tamen Cœli & Terræ filias dixerunt, ut Alcmæon & Phurnutus, unde & Pindarus alicubi Musam Οὐρανοῦ θυγατέρα vocat. Musarum epitheta sunt *Camœnæ, Heliconiades, Parnassides, Aonides, Pierides, Pegasides, Aganippides, Thespiades, Libethrides, Castalides*, &c. Vide Lilium Gyrald. *Syntag. de Musis.*

Musa, vide *Æmilia.*

Musæum, locus circa Olympum in Macedoniâ. Steph.

Viri illustres.

Musæus, tres ejus nominis commemorat Suidas, unum Eleusinium, Antiphemi filium, versificatorem, discipulum Orphei, qui scripsit Ὑποθήκας, i. e. vitæ præcepta, ad Eumolpum filium, versuum ferè 4. millibus. Alterum Thebanum Thamiræ filium, Trojani belli tempore, qui poëta etiam fuit, scripsitque Lyricos versus, & cantica. Tertium Ephesium item versificatorem, qui tempore fuit Eumenis & Attali Pergami regum, scripsitque res Pergamenses, præterea Perseidos libros decem. Musæum verò, qui amores Leandri & Herûs conscripsit, Cæsar Scaliger (at quantus vir!) in suis de Poëtica libris Homero præmisit, quia hunc putaret esse illum, cujus à Virgilio fit mentio *Æn.* 6.

> *Musæum ante omnes.* ——

Sed nihil manifestius, quàm hunc vixisse sub Augustis, & quidem post quartum seculum. Itaque in vett. libb. dicitur Μουσαῖος ὁ γραμματικός. Vide Voss. *de Hist. Gr.*

Musæus, fil. Lunæ & Eumolpi, scripsit de remediis morborum & Oraculis, Aristoph. *in Ran. Act.* 4. *sc.* 2.

Musæus, Auctor Græcus, de Isthmis scripsit. Suid. Item Poëta Latinus, impudicus. Vide Martial *l.* 12. *ep* 93.

> *Musæi pathicissimos libellos,*
> *Qui certant Sybariticis libellis*, &c.

Musæus, Presbyter Massiliensis, sec. 5. à Venerio & Eustathio Episcopis magni habitus: illius suasu composuit lectiones, quæ Festis annuis convenientes, in Ecclesia cantarentur: hujus verò hortatu, tractatum de Sacramentis elaboravit. In Scripturis sacris versatissimus, obiit sub Leone & Majorano Impp. circa an. 459. Gennad. *de Viris Ill.*

Musæus, fluv. Mysiæ infer. in quo S. Sabas submersus est.

Musagores, Plin. 1. Melæ, tres scopuli, in ora Austr. Cretæ, ante Criumetopon prom.

Musanus, Scriptor Eccl. sub Antonino Vero, scripsit contra fideles quosdam, qui Encratitarum opiniones amplexi erant. Qui liber commendatur, ab Hieron. *l.* 1. *de Script. Eccl.*

Musarni, pop. Italiæ antiquissimi, à Libyco Hercule conditi.

Musca, Poëtria lyrica, quæ epigrammata & odas conscripsit. Cæl. Rhod. 8. 1.

Muscanda, urbs Antiochianæ, in Cappadocia. Ptol.

Muscaria, urbs Hisp. Tarrac. in Vasconibus. Id.

Muschianus, Consul cum Paulo, an. U. C. 1320.

Musciacum, vetus Galliæ locus, ad fluv. Tarnim in Cadurcis, prisco Monasterio illustris, vulgò *Moissac.* Castrum fuit, ad Comitem olim Tolosæ pertinens: Monasterium verò aut reparatum est, aut recens extructum à Ludovico Pio, Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Musculus Wolfgangus, Dusanus, Theologus Bernensis. Est autem Dusa opp. Lotharingiæ, salinis percelebre. Ejus extant *Commentarii in Genesin, Psalmos, Esajam, Matthæum, Johannem, ad Romanos, Utr. ad Corinthios, ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, utramq; ad Thess. In pr. ad Timotheum*, 9. *tomis fol. Basileæ variis vicibus editi* Obiit Bernæ, A. C. 1563. æt. 66. Vide Melch. Adami *in Vitis Theol. Germ.* De eo Jac. Verheiden, *in Effig. Profess. Labore*, inquit, *studio ac industriâ, sacrarum item literarum cognitione clarissimus evasit.*

Musi, filius Merari filii Levi, Exod. *6.*

Musica, vide *Hymnorum genera.*

Musicani terra, quam Strabo totius Indiæ Australissimam ponit. Erit ergo ea quæ hodie *Malaca* vocatur. At idem eam paulo inferius ad Pantalenam insulam (hæc ad Indi ostia est) ponit. Cui sententiæ etiam Arrianus *lib.* 5. & Diodorus *lib.* 17. subscribunt. Meminit eorum Qu. Curtius.

Musio, primus est amnis post Cumerum promuntorium, ut scribit Blondus, qui eum ad ostia *Aspidum* vocari addit, utrumque fortè recens est.

Musistratum, Polybio, aut potius *Myttistratum*, *Mutustratum* Plinius scribit, Siciliæ urbs est, quam Fazellus & Aretius *Mistretsa* vocant. Hos eosdem esse cum *Amestratinis*, quorum Cic. *in Verrem* meminit, ait Aretius, sed negat Hermolaus. *Mytiserata* habet Steph. urbs Siciliæ.

Musivum, seu *Museacum*, Plin. picturæ genus, quâ extare aliàs videntur formæ & imagines, aliàs autem deprimi. Gregor. Turon. *lib.* 5. *cap.* 45. *Ecclesiam*, inquit, *fabricavit, quam columnis fulcivit, variavit marmore*, Musivo *depinxit.* Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Muslubium, urbs Mauritaniæ Cæs. inter Salden & Chobata. Anton.

Musolani, Africæ pop. à Cosso duce exercitûs Octavii Cæsaris victi. Orosius *lib.* 6. *cap* 21.

Musonius, Philosophus non incelebris, de quo vide Gellium *lib.* 16. *cap.* 1. Amicus erat Apollonii Thyanæi, sub finem 1. & initium 2. seculi. Extant utriusque Epistolæ. Suid. qui etiam alterius Musonii meminit. Vide Gesner. *in Bibl.*

Musonius, Vulsiniis in Etruriâ natus, equestris ordinis, studium Philosophiæ & placita Stoicorum æmulatus est. Nomina illi *C. Musonius Rufus.* Supervixit ad imperium Vespasiani. Philostratus *lib.* 7. cum in Gyarum insulam projectum à Nerone scripsit. Vide Tacit. *Hist.* 3. *cap.* 81.

Musopalla, urbs Indiæ, intra Gangem. Nunc fortè *Visapor*, caput regni Decani, in tractu *Cuncan*, ubi persæpe regia sedes, ad Mandovam fluv. 5. leuc. Hisp. à Goa in Cæc.

Musse, urbs Africæ propr. ad Cinyphum fluv. Ptol.

Mussidanum, opp. Petrocorii, ad Illam fluv. 5. leuc. infra Petrocorium urb. in Occ. 4. à Bergeraco in Bor. aliàs munitum. *Mucidan* vulgò.

Mussipontum, opp. Lotharingiæ, ad Mosellam fluv. Quibusd. *Pons Comasonis.* Cum Academia. 5. leuc. à Nancejo in Bor. versus Mediomatrices, ferè 2. à Nomenio in Occ. 5. à Tullo in Cæc. 6. à Fano S. Michaëlis in Ort. Aliàs munitum. 18. leuc. à Mosomio urbe Campaniæ, in Eur. Vulgò *Pont à Mousson.*

Mustapha, Turcarum Imp. fil. Mahometis III. è carcere à Janitzaris extractus, fratri Achmeti III. surrogatus est. An. 1622. Postridie nepotem suum Osmanem è medio sustulit, post imperium unius anni & paucorum mensium, denuo in perpetuum carcerem compactus. An. 1623. Amurathe Osmanis fratre illi suffecto.

Mustela, vir qui Ciceronem plurimùm dilexit, ut ipse ad Atticum, 12. Alius, gladiator. Cic. *Philip.*2.

Musti, urbs Africæ mediterr. Episc. olim, sub Arch. Carthag. ad Bagradam fluv. 20. m. p. ab Assuro, Carthaginem versus 88. à Sicca 32. à Cirta 198. in Ort. à Laribus 30. Anton.

Muta, Dea apud Rom. cujus sacra feralia incidebant in 12. Kal. Martii. Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib.*4.*c.*4.

Mutala & *Mutalasca*, pag. Cappadociæ, Cæsareæ finitimus.

Muthi, Thebaidis in Ægypto urbs. Anton. *Mutheos* in libro Notitiæ.

Mutia, Cæsaris uxor, à Clodio amata, Vide Suet. in *Julio*: item nomen legis, quæ à L. Licinio Crasso & Q. Mutio Scævola Pontif. M. Coss. an. 658. U.C. de peregrinis lata belli Italici, quod triennio pòst exortum est, causa fuit. Vide Ciceron. 3. *de Offic. pro Balbo.* Thom. Dempst. *Antiq. Rom. lib.* 8. *cap.*2.

Mutia lex, quæ & *Licinia*, à *Q. Mutio* Scævola Pont. Max. & L. Licinio Crasso Coss. an. 658. U.C. lata, Claudiæ primùm, dein Papiæ legis tenorem renovavit, jubens, *ut in sua quisq; civitatis jus redigeretur.* Vide suprà.

Mutialis collis, pars collis Quirinalis, unius ex septem montibus, in quibus Roma condita. Ejus reliquæ partes sunt Salutaris & Latiaris, Thom. Dempsterus, *Antiq. Rom. lib.*1.*c.*6.

Mutianus, discipulus Chrysostomi, Commentarios hujus in Epistolas Paulinas, aliaque quædam Latinè vertit. Gesner. *in Biblioth.*

Muticenses, pop. Siciliæ. Vide *Motuca*.

Mutilia Prisca, intima Liviæ Augustæ ejusque in animo valida, per quam, subornato tamen ejus adultero Q. Julio Posthumo, Sejanus Liviam suapte naturâ potentiæ anxiam, insociabilem nurui Agrippinæ effecit. Tacit. *l.*4.*c.*12.

Mutiliana, castellum in Rheni ripa, à Camillo Sachino, qui Parmensi Duci in Belgio militaverat, excitum, egregio situ: utque creditur, in ipsis Asciburgii vestigiis: nomine patriæ, in Parmensi solo, indito. Hoc paulo pòst an. 1597. à Mauritio Principe deletum est, irrisâ multùm hominis Itali arrogantiâ, qui *fundatam animi virtute, & inexpugnabilem arcem*, inscripserat. Grotius *Historiarum lib.*6.

Mutilum, opp. Gall. Togatæ in viâ Æmiliâ, sive Romandiola, non obscurum. *Mutila* Julio Obsequenti; hodie *Mutigliano* Blondo. *Modiana* Leandro. Baudrando *Modigliana*, oppidul. in colle, juxta Marzanam torrentem, in ea parte Romandiolæ, quæ M. Duci Hetruriæ subest, in confinio dit. Pontif. 10. mill. in Afr. à Foro Livii 13. à Britinorio in Occ.

Mutina, civitas Gall. Cisalpinæ in Flaminiâ, inter Regium Lepidi, & Bononiam, fontibus abundans, ut & porticibus fornicibusque, sed vicis arcta, Strabo. Colonia Romanorum, in quâ Antonius D. Brutum obsedit, quam tamen Hirtius & Pansa Consules, victo Antonio, liberarunt an. 710. U.C. Sub Gothis Longobardisq; destructa, reparata est, imperantibus Caroli M. filiis. Hîc Concil. an. 973. ad lites inter quosdam Germ. Principes componendas, habitum. Ptolemæo Μουτίνα Latinâ formatione, reliquis verò Græcis omnibus Μουτίνη, excepto uno *Polybio*, apud quem fortè rectius Μοτίνη, quippe brevem eam syllabam fuisse habitam patet ex poëtis. Ovid. *Met.*15.

——— *Mœnia pacem*
Victa petent Mutina, Pharsalia sentiet illum.

Lucanus *lib.*1.

His, Cæsar, Perusina fames, Mutinaq; labores
Accedant fatis.———

Silius *lib.*8.

Certavit Mutina quassata Placentia bello.

Martialis 3.58.

Fullo dedit Mutina, nuncubi caupo dabit.

Vide Plin. 2. 83. *Modena* hodie dicitur incolis, *Modene* Gallis. Urbs munita intra paludes, cum arce recenti, Episc. sub Arch. Ravennate, sedes Ducum ex familia Atestina; prope Sciam fl. Caput *Mutinensis Duc.* an. 1460. erecti, incolis *Ducato di Modena* seu *il Modenese*, Gallis *le Modenois*; qui prov. est Longobardiæ, sub Duce propr. ex Atestina familia: Cui etiam subsunt Duc. Regiensis, Princip. Carpensis & Corregiensis, dominium Saxuolense, Friniana & Grafiniana, maj. ex parte. Terminatur Status ex his conflatus, Ital. *Il Modenese*, vel *lo Stato di Modena*, à Sept. Duc. Mantuano & Mirandulano, ab Ortu Bononiensi agro dit. Pontif. à Merid. ditione M. Ducis, ab Occ. Parmensi Duc. Ditio autem Mutinensis extenditur à Sept. in Merid. ad 60. mill. ab Ortu in Occ. ad 45. circiter, & aliàs suberat Duci Ferrariæ, ex eadem gente Estensi. Sed Princip. Corregiensis haud pridem factus est juris Mutinensis, antea sub Principe proprio. Terra omnium rerum, ingeniorum inprimis, fœcundissima. Strabo *l.* 5. Plin. *lib.*3. Mela *lib.*2. Tacit. *hist. lib.* 17. Appian. *de bell. Civ. l.*3.*&* 5. Leand. Alberti *descr. Italiæ.* Origo *Mutinensium* Principum hæc. Azo Atestinus seu Estensis, ductâ Cunigunde, Welfi seu Guelphi III. Bavariæ Duc. sorore, Welficum nomen & jus in suam gentem intulit. Eum quidam ex Cajo Actio, qui ex Romanis civis Atestinus fuerit, circa an. C. 390. ortum per Majores habuisse dicunt: alii Hugonis M. Tusciæ filium, Lotharii I. Imper. trinepotem, sicque è Caroli M. sanguine oriundum, credunt. Horum quidquid sit, certum est, Azonis consanguineos non obscuræ in Italia conditionis fuisse. Ex eadem enim prosapia orti Theobaldus, & fil. Bonifacius Regii Lepidi, Parmæ, Lucæ, Ferrariæ & Mantuæ Marchiones: quorum hic pater fuit Mathildis, à qua *Patrimonium Petri.* Ipse Azo secutus in Germaniam Conradum II. & Henr. III. Augustos, ibi Cunigundem, Guelforum priorum hæredem, & post illam, Juditam Conradi II. Imp. filiam duxit: ex hac pater Azonis II. Estensis seu Atestini Marchionis, à quo longâ serie reliqui Marchiones, qui, præter Atesten, Genuam, Mediolanum, Anconam, Veronam, Ferrariam, Mantuam, Mutinam, Regium & alia, diversis temporibus, tenuere, descendunt. Ex his Hercules I. Dux Ferrariæ creatus, novo titulo domum auxit, qui ad pronepotem Alfonsum II. duravit: hoc A. C. 1597. sine masculis hæredibus extincto, successionem sibi deberi prætendit, ejusdem patruelis Cæsar Atestinus. Sed quòd hujus pater Alfonsus ex vilis fœminæ contubernio ab Alfonso I. Duce susceptus diceretur, à Pontifice eâ exclusus, Imperialia tantùm feuda, Mutinæ, Regii Lepidi & Carporum obtinuit, Vid. Thuan. *Histor. libr.* 19. Ab hoc moderni Atestini & Duces Mutinæ derivantur.

Mutinensis Ducatus urbes:

Brixellum, *Brisello.*
Carpum, *Carpi.*
Castrum novum Grafinianum, *Castel novo di Grafagnana.*
Corregium, *Corregio.*
Finarium, *Finale di Modena.*
Mutina, *Modena.*
Regium Lepidi, *Regio.*

Mutinus, sive *Mutunus*, Deus Romanis dicebatur, qui Priapus Græcis, super cujus pudendis nupta sedere jubebatur, ut ejus pudicitiam Deus prior delibasse videretur. Lactantius 1. 20. Arnobius *libr.* 4. Augusti. *de Civit. Dei* 4. 9. & 6. 9. à *mutone*, membro virili. Malè *Mutenus* dicitur.

Mutistratus, vide *Amestratus*.

Mutius Cordus, nobilis Romanus, qui acceptâ potestate à Senatu, in castra Porsenæ regis, tum temporis Romanos obsidentis, solus intravit, eo animo, ut regem occideret; sed cùm regem non cognosceret, unum ex purpuratis pro rege occidit. Propter quod comprehensus, & ad regem perductus est: qui cùm extrema supplicia ei comminaretur, Mutius injectâ in focum dexterâ, sponte sibi eam exussit: partim ut eo specimine doceret, se vel exquisitissima supplicia facilè posse contemnere; partim ut pœnam eam à dexterâ suâ exigeret, quæ, in cæde aberrans, satellitem purpuratum pro rege occidisset. Hinc postea *Scævola* cognomen traxit, quòd sinistrâ manu pro dextrâ uteretur. Σκαιὰν enim Græci *sinistram* vocant. Admiratus itaque hominis fortitudinem Porsena, liberum eum dimisit. Cujus beneficii nomine cùm regi gratiæ aliquid vellet rependere, indicavit illi 300. juvenes simili modo in eum conjurasse. Quare territus Porsena, acceptis obsidibus, bellum pace mutavit. Martialis 1. 22.

Cùm peteret regem decepta satellite dextra,
Injecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis jussit abire virum.
Urere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Major decepta fama est & gloria dextra,
Si non errasset, fecerat illa minus.

Idem *l.* 8. *Epigr.* 30. De spectaculo Scævolæ,

Qui nunc Cæsarea lusus spectatur arena,
Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Aspicis, ut teneat flammas, pænaq; fruatur
Fortis, & attonito regnet in igne manus.
Ipse sui spectator adest, & nobile dextra
Funus amat: totis pascitur illa sacris.
Quòd nisi rapta foret nolenti pœna, parabat
Sævior in lassos ire sinistra focos.
Scire piget post tale decus, quid fecerit ante:
Quam vidi satis est hanc mihi nosse manum.

Quod Mutii facinus hic laudat, alibi elevat, *l.* 10. *Epigr.* 25.

In matutina nuper spectatus arenâ
Mutius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens, fortisq; tibi, durusq; videtur,
Abderitana pectora plebis habes.
Nam cùm dicatur tunicâ præsente molestâ;
Ure manum: plus est dicere; Non facio.

Vide Flor. 1. 10. Livium, *l.* 2. Dionys. Halic. Val. Max. *l.* 3. Aurel. Vict. *de Viris Ill. cap.*12. &c. Fuerunt præterea alii *Mutii*, vel *Mucii*, quorum historiam multis prosequitur Raphael Volaterranus *l.* 17. ex Livio, Plutarcho, & aliis: Addam hunc unum.

C. Mutius Scævola, fil. Consulis Rom. cognominis, J C. excellens, scriptis inclytus. Pontifex Maximus, eo tempore, quo cum Domitio, bello Marii & Sullæ fervente, Prætoris Damasippi jussu, confossus est. Vellejus Paterc. *l.* 2. Vid. quoque *Mutia* lex.

Mutusca, quæ & *Trebia*, ac *Trebula*, vulgò *Trevi*, urbs Umbriæ

briæ, Episcopalis olim, nunc op. in colle amplum, inter Fulginium 6. & Spoletium 9. mill. pass. Pop. *Trebulani* & *Mutuscai*. Virg. *Æn.* 7.

Ereti manus omnis, oliviferaq; Mutuscæ.

Sed cùm Eretum sit in Sabinis, Mutuscas quoque in finibus Sabinorum fuisse crediderim, Trebiamque à Trebulâ diversam esse. Itaque *Mutuscæ, M. Leone* in Sabinis hodiè Ferrario. Opidanos *Mutuscaos*, ut dixi, Plin. vocat, *lib.* 3. *c.* 12. qui addit ibidem *& qui Suffenates*. Dionys. verò *Suffenas* vocat.

Mutustratini, pop. Siciliæ, Plin. quorum urbs *Mutustrata*, nunc *Mistretta*. Vid. *Amestrata*.

Muza, portus, & emporium Arab. Felicis, quò appellunt, qui ex Ægypto in Indiam navigant, *Gezien* Moletio, inter Pudnim & Ocelim.

Muzana, urbs Armeniæ min. Anton.

Muziris, urbs & emporium Indiæ citerioris. Plin. 6. 23. *Chaul* Moletio. *Anor* verò supra Calicut Dalechampio. Aliis est nunc *Calecutum*, urbs ampla Malabaris, in ora littor. proprio Regi parens Zamorino dicto.

M Y.

Mya, insula parva Doridis (quæ Cariæ regio est) in sinu Ceramico ad Occasum.

Myagrus, nomen viri, cujus meminit Plin. 34. 4. Quo etiam nomine dictus muscarum deus, qui aliter vocatur Myodes & Achor, ut scribit Plut. Plin. 10 28. *Invocant & Ægyptii ibes suas contra serpentium adventum; & Elei Myjagron Deum, muscarum multitudine pestilentiam adferente: quæ protinus intereunt, quà litatum est illi die.*

Myarida, Ciliciæ urbs mediterranea. Plin.

Myases, Episcopus in concilio Ephesino.

Mycale, nomen veneficæ mulieris. Ovid. *Met.* 12.

Mater erat Mycale: quam deduxisse canendo
Sæpe reluctantis constabat cornua Lunæ.

Est præterea promuntorium in Continenti situm, è regione Sami insulæ. Stephano urbs Cariæ est, quem vide. Inde *Mycalæus*, Claud. 2. *in Eutrop.*

Icarium pelagus, Mycalæaq; litora. ——

Mycalessus, urbs mediterranea Bœotiæ, Thucyd. *l.* 7. sic dicta, quòd vacca, quæ Cadmum cum exercitu Thebas duxit, mugitum illic ediderit; hodiè *Malacasa*. Stat. *Theb.* 7.

—— *Quos pinigeris Mycalessus in agris*
Palladiusq; Melas, Hecatæaq; gurgite nutrit
Gargaphie. —— ——

Hinc Ceres *Mycalessia* dicta, cujus templum juxta Mycalessum singulis noctibus ab Hercule aperiri, rursusque claudi putabatur. Quinetiam fama erat, omnes fructus autumno colligi solitos, si ante pedes Mycalessiæ Cereris depositi fuissent, toto anno integros manere. Est & alia Cariæ, item mons è regione Sami. Steph.

Mycenæ, urbs Peloponnesi, quam Perseus Danai fil. extruxit, in quâ regnavit Agamemnon. Inde Virg. *Æn.* 6.

—— *Agamemnoniasq; Mycenas.*

Idem *Æn.* 2.

Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.

Pelopeiades Mycenas vocat Ovid. *Fast.* 3. quia illic Pelops habitavit, à cujus etiam filio Thyeste *Thyesteas* vocat Lucan. *l.* 1.

—— *Qualem fugiente per ortus*
Sole Thyesteæ noctem duxere Mycenæ.

Inachias vocat Papinius, quòd juxta Inachum flu. positæ videantur. *Agros Adrianos* Sophiano. Nigro *Charia* est, *Gerbigni* Theveto. Equi Mycenarum in pretio fuere. Virgil. *Georg.* 3.

Et patriam Epirum referat, fortesq; Mycenas.

Gratius *in Cynegetico*,

Consule Penei qualis perfunditur amne
Thessalus, aut patria quem conspexere Mycenæ
Glaucum. —— ——

Horat. 1. *Od.* 7.

Aptus dicet equis Argos, ditesq; Mycenas.

Epitheton traxit ab Homero, apud quem,

—— Πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Inde *Mycenæus*. Prop. 2. 22.

Quid? ferus Andromaches lecto cùm surgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuere rates?

Ovid. *Epist.* 5.

Ista Mycenæâ litera scripta manu.

Mycerinus, Cheopis Ægyptiorum regis filius, qui postquam patri successit in regnum; ita paterna facta perosus est, ut populo ad extremum calamitatis afflicto res suas agendi fecerit potestatem: quinetiam præ regibus omnibus justitiam exercuisse dicitur. Herod. *lib.* 2.

Myci, populi de quibus Hecatæus in Asiâ, Ἐκ Μυκῶν εἰς Ἀρξινόν πτε. Steph.

Myciberna, urbs Hellesponti, à Philippo Macedone per proditionem capta. Diod.

Mycithus, Anaxilai Rheginorum tyranni servus, cui cùm dominus moriens, & regnum, & liberos suos commendasset, tutelam eorum tam sanctè gessit, imperiumque tam clementer obtinuit, ut Rhegini à servo regi non dedignarentur: adultis deinde pueris & bona, & imperium tradidit, ipse parvo viatico sumpto profectus est, & Olympiæ summâ cum tranquillitate consenuit. Macrob. *Sat.* 1. 11. *Micythum* alii vocant. Justino *lib.* 4. *Micalus* dicitur.

Mycon, Medicus, qui, adversus serpentes, nihil efficacius hippomaratho scripsit. Cælius Rhod. Item nomen pictoris egregii. Fuerunt autem duo *Mycones*, unus Atheniensis, Syracusanus alter.

Mycone, seu *Myconos*, seu *Micone*, ins. maris Ægæi, una Cycladum, sub quâ poetæ fabulantur sepultos esse Gigantes, postremò ab Hercule interfectos: unde Proverb. *Omnia sub unam Myconon congerere*, quod in eos dici consuevit, qui res naturâ disjunctas eodem libro, vel titulo conantur complecti. Scribit Servius hanc insulam terræ motu diu laborasse: quo cessante, è vicinis insulis populos venisse, qui eam tenerent, & incolerent. Insulares *Myconii*, de quibus literis proditum est, calvos esse solere. Inde *Myconius* pro calvo. Plin. 11. 37. *Micole* hodie Nigro & Soph. *Micoli*, Baudrando; Circuitus est 20. mill. cum arce permunita & duplici portu. Sub Venetis, pluries frustra à Turcis tentata. Vilis autem insula fuit ac despecta; Unde Stat. 1. *Achill.*

—— *Placet ire per altas*
Cycladas, hinc spreta Myconos, humilisq; Seriphos.

Ovid. *Met.* 7.

Hinc humilem Myconem cretosaq; rura Cymoli.

Virg. tamen *celsam* vocat. *Æn.* 3. sed comparativè cum Delo eam conferens. Athen. *lib.* 1. *Myconios* dicit διὰ τὸ πένεσθαι καὶ λυπρὰν νῆσον οἰκεῖν, ἐπὶ γλισχρότητι καὶ πλεονεξίᾳ διαβάλλεσθαι. Unde illud Cratini, in hominem sordidum & avarum: Πῶς ἂν Ἰσχομάχου γεγονὼς Μυκώνιος φιλόδωρος ἂν εἴης, id est, *Quomodo tu ab Ischomacho Myconio genitus munificus esses?* Item Proverb. Μυκώνιος γείτων, & Μυκωνίων δίκην, in eos, qui non vocati ad convivia se ingerebant. Proinde Μύκονος Phœnicibus erat מוכ און *Muc on*, quasi dixeris *censu tenuem*. Bochartus.

Myconius Olvvaldus, Lucernas, Ecclesiæ Basiliensis Pastor. Hic, post egregiam, in juventute moderanda, patriæ suæ probatam operam, præconis Evangelici munere, Tiguri, suscepto, recteque curato, Ecclesiam Basiliensem, post Oecolampadium, annis 20. Verbo veritatis fideliter pavit, ab Antecessoris sui vestigiis nullatenus deflectens. Consensui Wittembergæ an. 1539. etiam in capite de S. Cœna, inito, cum Luthero, Crucigero, Bugenhagio, Melanchthone & Menio, subscripsit. Ejus extant: *Enarratio in Psalm.* 101. *Bremæ*, 1548. *In Esajam, in Marcum Expositio docta & pia, Basileæ A. C.* 1538. *Vita Zuinglii, &c.* Obiit A. C. 1552. æt. 64. Successit ei Simon Sulcerus.

Posse & postgenitis acceptam lampada Verbi,
Unica, inextinctam tradere, cura fuit.

Mydia, insula, quæ etiam *Delos* dicebatur, una Cycladum, ubi primùm ignis inventus fuit.

Mydon, auriga, Atymnis fil. Hom. *Il.* 5. *Vers.* 580.

Ἀντίλοχος δὲ Μύδωνα βάλ' ἡνίοχον θεράποντα
Ἐσθλὸν Ἀτυμνιάδην. —— ——

Alius ab Achille interfectus, Iliad.

Ἔνθ' ἕλε Θερσίλοχόν τε Μύδωνά τε.

Myenus, mons in Ætoliâ, qui antea *Alphius*, Plutarch. *libr. de Flum.*

Myes, Myentis, urbs Jonica: Gentile *Myesius*. Steph.

Myeza, Plin. Ptol. *Lagovischio*, Moletio, opp. Æmathiæ.

Mygdonia, regio Macedoniæ in Thraciam vergens, inter Axium, & Strymonem fluv. Plin. 4. 10. Pop. *Mygdones*, qui in Asiam transgressi, in eâ parte Mysiæ consederunt, quæ Troadi superjacet, Rhyndaco amni, & Dascylitico lacui propinqua, eamque regionem de nomine relictæ patriæ *Mygdoniam* appellarunt. In hâc reg. Nioben natam volunt Poetæ. Est item magnæ Phrygiæ regio, Stephanus: qui hanc quoque *Mychthoniam* vocari ait. Hinc *Mygdonia* mater Deorum. Val. Flac. *Arg.* 3.

—— *Ancipitem lymphaverat urbem*
Mygdonia Pan jussa ferens sævissima matris.

Et *l.* 8. *Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,*
Lætaq; jam Cybele.

Claudianus, de Consulatu quem Manlius Theodorus cum Eutropio gessit:

Perfossiq; ruunt populo pallente leones,
Quales Mygdonio curru frænare Cybelle
Optat. —— ——

Porro Mygdoniam terram divitem fuisse patet ex Horat. apud quem *lib.* 2. *Od.* 12. legimus,

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.

Marmore etiam abundabat. Ovid. *Ep.* 15.

Quæ mihi Mygdonii marmoris instar erunt.

Mygdonius, fame pressus, maximam frumenti copiam simulavit, quod stratagema recitat Polyæn. *l.* 7.

Mygdonius, fluv. Macedoniæ Nisibim urb. interfluens. Strabo. An à *Mygdone* Rege; an à *Mygdonibus*, pop.

Mygdonus,

Mygdonus, frater Otrei, teste Porphyrio in Iliad. 3. ambo fratres Hecubæ regis Priami uxoris, & Cissei filii, ambo reges in Thraciâ: A *Mygdono* ejus filius Coroebus *Mygdonides* dictus est. Virgilius *Æn.* 2.

—— Juvenisq; Coroebus
Mygdonides, illis qui ad Trojam fortè diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore.

Mygisi, urbs Cariæ, hinc *Mygisia* Minerva, & *Mygasais*. Steph.

Myjagrus, Vid. *Myagrus*.

Myla seu *Mylas*, fluv. parvus Siciliæ, in ora Or. in valle Nectina. Nunc *Marcellino*, & in mare Jonium se exonerat, 5. mill. ab Augusta in Mer. Plut. Liv. Thuc. Baudr.

Mylaces, gens Epirotica. Lycophron.

Mylæ, insulæ circa Cretam sunt Plinio, *Cambrusa* Nigro. Pineto verò *Gniosa*, & *Lisso*. Item Siciliæ urbs, Ptol. & Thucyd. *Malazon*, vel *Milazzo* Fazello, & Aretio hodiè appellatur: à Zanclæis condita. Satis munita, in penins. in valle Demonæ, in ora Bor. contra Æolias Ins. 30. mill. à Peloro prom. in Occ. Panormum versus, 17. à Tyndario in Ort. 55. à Catana in Bor. Hic Solis boves stabulatos fabulantur: quòd quædam, ut fimum malè olentia, efferantur in littus. Plin. *lib.* 2. *cap.* 98. Sunt etiam *Mylæ* Thessaliæ, incola *Mylæus*. Steph. *Mylæ* Silio dicitur *l.* 14.

Subsidium infidum fugientibus æquora Mylæ.

Vide Sen. *Nat. Qu. l.* 4. & Plin. 2. 98. Item *Myle*, Siciliæ fluvius. Vide Cluverium.

Mylantia, promuntorium in Camiro Rhodi. Hinc Dii *Mylantii*. Fuit autem illic Mylas quidam, qui molæ usum primus reperit. Steph.

Mylasa, urbs Cariæ, à *Mylaso* Chrysaoris filio; hinc *Mylasæus*. Steph. Item liberum Cariæ opidum, à *Mylaso* Æoli abnepote. Plin. 5. 29. Ferrario *Mylasa*, vulgò *Messi*, urbs est Cariæ, ad oram, à Mileto 30. m. p. in Austrum Bargyliam versùs: vel *Melaxo* seu *Melasso*, Episc. sub Arch. Stauropolitano.

Mylias, urbs Pamphyliæ, inter fluv. Eurymedontem ad Ort. & Cestrium ad Occ. 40. m. p. ab ora maris Pamphylii in Bor. 60. à Termesso in Ort. ac inter Pergas in Circ. & Aspendum in Eur.

Mylias, magnæ Phrygiæ pars, sed Lyciæ attributa Arriano in *Ind.* item Ptolemæo. V. *Milyas*.

Mylisin, gens Phrygiæ. Steph.

Mylitta, Venus dicta est apud Assyrios, ad cujus templum mulieres indigenæ semel in vitâ cum externis hominibus consuetudinem habere lege cogebantur: hospitem verò illum, qui pecuniam in sinum mulieris injiciebat, dicere oportebat, *Tanti ego tibi Deam Mylittam imploro*. Herod. *libr.* 1. Subdit Μύλιττα δὲ καλέουσι τὴν Ἀφροδίτην Ἀσσύριοι. Ritum istum Assyriorum, sive Babyloniorum etiam Strabo commemorat *libr.* 16. Est verò Μύλιττα, ut arbitratur Vossius à מולדת *Moledeth*, hoc est, *nativitas, progenies, genitura*. Gen. 48. 6. Ezech. 16. 3.

Mylois, Arcadiæ fluv. Hesychio.

Mylon, urbs Ægypti. Civis *Mylopolites*, Steph. & *Mylopoliten* nomus. Item poeta Comicus apud Hesychium.

Myndones, populi Libyæ. Steph.

Myndus, urbs Cariæ maritima, inter Bargyliam & Halicarnassum, *Mentese* Leunclavio. Plin. 5. 29. hoc tempore primaria regionis & sedes præfecti: Episc. sub Arch. Stauropolitano. Fuit in eâdem Cariâ & alterum ejusdem nominis opidum, quod postea ad recentioris differentiam *Palæmyndum* appellavere. *Santo Pietro* hodie dici, scribit in suo Livio Nardus. Diogenes apud Laertium: Εἰς Μύνδον ἐλθὼν καὶ θεασάμενος μεγάλας τὰς πύλας, μικρὰν δὲ τὴν πόλιν, Ἄνδρες Μύνδιοι, ἔφη κλείσατε τὰς πύλας μὴ ἡ πόλις ὑμῶν ἐξέλθῃ.

Mynes, etis, Lyrnessi princeps, maritus Briseidis, quem Achilles captâ urbe occidit, uxoremque ejus abduxit, quæ posteà, ab Agamemnone, ei erepta implacabilis inter eos odii causa extitit. Hom. *Iliad.* 3.

Mynias, fuit quispiam suâ ætate mortalium ditissimus, qui primus thesaurum recondendis pecuniis struxisse fertur.

Myon, urbs Locrorum in Epiro. Steph. *Myonia* Pauf. opp. Phocidis, juxta fines Locrorum.

Myonia, urbs Phocidis. Pausan.

Myonnesos, op. Joniæ, in peninsula inter Teum & Lebedum. Steph. Sed Thuc. est Ins. Tejorum, quod mel. Ferr. Item insula Thessaliæ ante Larissam, teste Strabone. Cas. Strabo 194.

Myos hormos, urbs Ægyptorum cum portu ad sinum Arabicum, inter Arsinoen, & Berenicen. *Cosir* eo loco ponit Ramusius. Vide Stuckium *ad Arrianum pag.* 21.

Myra, urbs Lyciæ mediterranea, num. plur. *Strumita* teste Stunica, apud Limyrum fluv. & Limyram urb. in colle, 20. à littore stadiis, Metropolis olim amplissima, sub qua 36. urbes Episc.

Myraum, Ptol. *Micila*, Marmol. urbs Africæ mediterr. à Cirta 30. m. p. in Austr. Μύρεον MS. Seldeni.

Myrcenus, op. Thraciæ, seu Macedoniæ in confinio, ad Strymonem flu. circa Philippos. *Myrcinnus* Stephano.

Myrenaorum civ. Phrygiæ salutaris, meminit Synodus VI. Constantinop.

Myrgeta, populi Scythiæ. Steph.

Myriandrus, civitas Syriæ juxta Phœniciam, Steph. unde finus *Myriandricus*. Sita est, in ora sinus Issici, ad Amani rad. in Ciliciæ confin. inter Alexandriam & Rhossum, 270. stadiis à portu Ciliciæ.

Myrica, Macedoniæ civitas eadem quæ *Amphipolis*, Stephanus. *Et alibi* Μυρίκη, inquit, *insula est in rubro mari*.

Myrice, Milichi mater, Sil. *l.* 3.

Lascivo genitus Satyro, nymphaq; Myrice
Milichus indigenis latè regnarat in oris.

Myricus, urbs Trojæ è regione Tenedi & Lesbi, civis *Myricusius*. Steph.

Myrina, quæ & *Sebastopolis* Plin. urbs Æolidis maritima, *Marhani*, teste Leunclavio. Sic à Myrino conditore dicta. Ep. sub Ar. Ephesino, inter Elæam & Cumam 60. stad. à Larissa 70. *Gircona* Moletio. Fuit præterea Homero urbs in Æoliâ, & alia in Lemno, Steph. *Lemno* vulgò, Bellonio. Sita in colle mari imminente: Forum habet, in quo Solstitio montis Athos spargitur umbra, 87. mill. distantiâ, licet Sol nondum Occasui sit vicinus. Olim Archiep. & celeberrima, nunc parum celebris & à paucis habitata. Metel. Item regina Amazonum, quæ 30. millia peditum, & 2. millia equitum in exercitu habuisse dicitur. Dion. *l.* 4.

Myrinus, Apollinis cognomentum, à *Myrinâ* Æolidis urbe, in quâ religiosissimè colebatur. Item viri nomen, Martialis 12. 29.

Nuper cùm Myrino peteretur missio læso.

Erat autem gladiator. Idem *Spectac. Ep.* 20.

Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum.

Myrtoe, in urbe Arcadiæ, quæ dicitur *Megalopolis*. utitur Demosthenes *in oratione contra Æschinem, de falsâ legatione*; concilium seu conventus est communis Arcadum, Harpocratio.

Myriophytos, lib. Conc. *Miriofidi*, urbs Thraciæ in ora Propontidis, inter Callipolim ad Mer. 32. & Rhædestum in Bor. 35. m. p. Ep. sub Ar. Heracleensi.

Myrlea, op. Bithyniæ, Plin. 5. 23. inter Dascylium & ostia Rhyndaci, Ep. sub Ar. Cyziceno, hodieque *Myrlea*, à *Myrlo* Colophoniorum duce, vel à *Myrleâ* Amazone. Nicomedes autem Epiphanes Prusiæ regis filius, de matris nomine Apames, *Apameam* vocari voluit. Steph.

Myrlus, Colophoniorum Dux.

Myrmecides, nomen viri proprium, de quo Cicero *in Academicis: Ut etiam inter deos Myrmecides minutorum opusculorum fabricator fuisse videatur.* Vide Ælian. *Var. Hist. l.* 1. *c.* 17.

Myrmecium, opidulum Tauricæ. Steph. & prom. apud Panticapæum urb. ad Bosporum Cimmerium. Ptol. Plin.

Myrmex, Epimethei uxor, filium habuit Ephyrum, unde Corinthus olim Ephyre dicebatur.

Myrmex, Ins. parva Cyrenaicæ, ante Arsinoen urbem.

Myrmidones, Thessaliæ populi, qui Achillem ad bellum Trojanum secuti sunt. Sic apud Poetas dicti. (ac teste Plinio 4. 7. sic in universum Græci nominantur; unde Philostratus *in Heroicis* ait, Μυρμιδόνας ὀνομάζεσθαι πάντας Θετταλούς) à formicis, quas ad Æaci preces in homines (illis pestilentiâ sublatis) conversas fabulantur. Virg. *Æn.* 2.

Myrmidonum Dolopumve, &c. Vide *Æacus*.

Myrmissus, urbs juxta Lampsacum. Steph.

Myro, mater Homeri tragici, elegias condidit, Suidas.

Myrobrechatii, pro *Murrobathrarii*, apud Plautum *in Aulul. act.* 3. *sc.* 5. legit Octav. Ferrarius, vultque hac voce indigitari eos, qui unguento perfundunt & madefaciunt, i. simpliciter unguentarios: *de re Vestiar. lib.* 3. *cap.* 21. ubi Turnebum refellit, qui illos *Myrobathrarios* interpretatur, calceamenta muliebria unguentis ac gratis odoribus & suffimentis imbuentes.

Myron, Sicyonis tyrannus, sed mitis; successor, & ut videtur, filius Orthagoræ. Ejus meminit Aristot. *l.* 5. *Pol. c.* 11. & 12.

Myron Prienensis, Messeniaca condidit. Athen. *libb.* 6. & 16. & Pausan. *in Messenicis*.

Myron, statuarius insignis, Olymp. 84. Ageladis discipulus, qui cùm multis aliis operibus, tum præcipuè buculâ, ex ære, veræ vaccæ simillimâ, claruit Poetarum versibus: Prop. 2. 31.

Atq; aram circum steterant armenta Myronis
Quatuor artificis vivida signa boves.

Ovid. 3. *de Arte amandi*,

Quæ nunc nomen habent operosi signa Myronis,
Pondus iners quondam duraq; massa fuit.

Idem *Ponticorum* 1. 4.

Ut similis vera vacca Myronis opus.

Juvenal. *Sat.* 8.

Et cum Parrhasii tabulis, signisq; Myronis.

Stat. Sylv. 1. *In Tiburtino Manlii*,

Quicquid & argento primum, vel in ære Myronis
Lusit, & enormes manus est experta colossos.

Idem 4. *Sylv.*

Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni
Æra. —— ——

Petronius, *Myron qui penè hominum animas, ferarumq; ære comprehenderat, non invenit heredem.* Vide Plin. *lib.* 34. *c.* 8. Legendus etiam *libr.* 4. *Antholog. Tit.* Εἰς ἀγάλματα ζώων, quæ epigram-

epigrammata Latinè fecit Ausonius, *Ep.* 57. 58. &c. Item Rex Suevorum, in Hisp. Vid. *Ariamirus.*

Myron, urbs Lyciæ. Vide *Myra.*

Myronianus, historiarum similium capita reliquit, teste Diog. Laertio *in Xenocrate, Theophrasto, Epimenide & Platone.*

Myronides, Atheniensium dux, insigni stratagemate Thebanos vicit, Vid. Polyæn. *l.* 1. & Frontinum *l.* 2. *c.* 4. *sect.* 11.

Myronos, insula in Arabico sinu. Steph.

Myropolon, Græciæ urbs, ex adverso Heracleæ, fortè juxta Thermopylas.

Myrrha, filia Cynaræ Cypriorum regis, quæ patris sui nefando amore flagrans, nutricis auxilio cum eo concubuit, peperitque Adonim filium: Pater verò cùm illud nefas cognovisset, filiam suam gladio interficere voluit: sed illa fugiens per Arabiam, deorum commiseratione in arbusculam sui nominis commutata est, Vide *Cynaras*, & *Adonis.*

Myrrhina, Pisistrati uxor, mater Hippiæ & Hipparchi.

Myrrhina, meretrix Attica, in cujus amoribus Leogoras, Andocidis Rhetoris Pater, cunctas suas facultates profudit.

Myrrhina, urbs Asiæ, terræ motu eversa, A. D. 105.

Myrrinus, Atticæ municipium Straboni; aut pars tribus Pandionidis: habet nomen, teste Aristophanis Scholiaste *in Plutum*, à myrti copiâ ibi nascentis.

Myrsilus, filius Myrsi, ultimus ex Heraclidarum genere, Lydiæ rex, alio nomine *Candaules*; qui cùm uxorem haberet formosissimam, non contentus secretâ suarum voluptatum conscientiâ, Gygi cuidam ex suis satellitibus nudam eam ostendit, quod indignè illa ferens, Gygem ad viri necem impulit: seseque illi & Lydorum regnum tradidit. Herodot. *l.* 1. Vid. *Candaules.*

Myrsilus, Lesbius, si Inscriptioni fides, de origine Italiæ, ac Tyrrhenorum scripsit. Edidit eum Joh. Annius Viterbiensis, & comment. suis illustravit. Sed *Myrsilus* iste ipsius Annii proles putatur. De genuino autem *Myrsilo* Lesbio, videndus Vossius *de Hist. Gr. lib.* 3.

Myrsinus, urbs Elidis, postea *Myrtuntium* Steph.

Myrsus, Candaulis regis pater. Vide *Myrsilus.*

Myrteta, Hor. Cels. *Fritola* Mazzellæ, lacus sudatorius Campaniæ, apud Bajas.

Myrtia, mulieris panariæ nomen, apud Aristoph. Ancylionis & Sostratæ filiæ, *Crabron.*

Myrtilis, opidum in orâ Lusitaniæ, juxta Anam fluvium, hodiè *Mertola.* Baudrando opp. Portugalliæ, trans Anam, in confinio Vandalitiæ, 10. leuc. Portugall. ab Oceano, & ab ostiis Anæ in Bor. Eboram versus.

Myrtilus, Mercurii ex Phaetusâ, seu Myrto Amazone filius, auriga Oenomai, qui à Pelope curuli certamine cum Oenomao certaturo pollicitis corruptus, axi vectem non objecit, ut eâ ratione Oenomai currus dissolveretur, & Pelops victor evaderet. Quæ res cùm Pelopi ex sententiâ successit, Oenomaus curru delapsus, cervicem fregit, jamque animam agens Pelopem obsecravit, ut vicem suam ulcisceretur. Quare cùm pactum sibi perfidiæ præmium à Pelope reposceret, ab eo in mare projectus est, quod inde *Myrtoum* appellatur. Ovid. *in Ibin,*

Proditor ut sævi periit auriga tyranni,
Qui nova Myrtoæ nomina fecit aquæ.

Myrtos, Ins. maris Ægæi, proxima Carysto urbi Eubœæ, unde *Myrtoum mare* dictum, Plin.

Myrtoum mare, pars Ægæi inter Peloponnesum & Atticam, ac Eubœam insulam, licèt Ptolemæus illud *Myrtoum* appellet, quod Cariam ad Occid. alluit. Sic dictum à *Myrtilo* Oenomai aurigâ, ibi submerso. Plin. tamen 4. 11. appellatam mavult à *Myrto* exiguâ insulâ non procul à Carysto. Ejus meminit. Horat. *l.* 1. *Od.* 1.

Myrtoum pavidus nauta secet mare.

Vide Lambinum *ad locum: Mar di Mandria* Castaldo.

Myrtuntium, mare inter Sin. Ambracium & Leucaden ins. Epirum alluens. Strab.

Myrtussa, vel *Myrtusa*, mons Libyæ. Callimachus in Apollinem, Στὰς ἐπὶ Μυρτύσης κερατώδεος. Ubi Scol. Μύρτουσα ὄρος Λιβύης. Idem habet Steph. Ejus meminit Apoll. *l.* 2.

Αἱ Λιβύην ἐνέμοντο παραὶ Μυρτώσιον αἶπος.

Mys, myos, proprium nomen viri, qui claruit argento cælando. Prop. 3. 9.

Argumenta magis sunt Mentoris addita formâ,
At Myos exiguum flectit Acanthus iter.

Martialis,

Quis labor in phialâ docti Myos, anne Myronis?

Idem, *Archetypum Myos argenti te dicis habere.*

Mysecros, flu. Arabiæ fel. versus Meridiem, Plin.

Myscellus, Vide *Miscellus.*

Mysia, regio min. Asiæ ad Hellespontum, Troadi contermina: cujus incolæ *Mysi*, abjectissimæ conditionis homines, fortisque adeò contemptæ, ut cesserint in proverbium. Quoties enim hominem nullius pretii volebant denotare, *Mysorum ultimum* esse dicebant. Cic. *pro L. Flacco.* Et quia erant injuriarum patientes, hinc *Mysorum præda*, Prov. Item *Mysorum & Phrygum termini discreti*, Prov. de rebus toto cœlo diversis. Strabo etiam *Mysos* constituit in Europâ, in confinio Pannoniæ ad Danubium flu. putatque Mysos Asiæ populos ab his, ut originem, ita & nomen duxisse. Sed hi à Plinio *Mæsi* dicuntur. Vide Boch. *Phaleg. libr.* 1. *cap.* 12. Dividitur autem *Mysia* in majorem, & minorem: Major Hellespontica appellatur à Galeno, & pop. Hellespontii à Strabone, in quâ Cyzicus & Lampsacus urbes præcipuæ. Minor à Strabone Olympica à monte Olympo dicitur, in qua Prusa urbs Bithyniæ. Baudrando fuit hæc regio, maximè ad Occ. extensa. Eaque vel *Minor*, versus Hellesp. & inter Propontidem ad Bor. & Troadem ad Austr. ubi Cyzicus & Lampsacus, in ora Propontidis; vel *Major*, quæ Orientalior erat; inter Mysiam min. ad Occ. Bithyniam ad Bor. Phrygiam magnam ad Ort. & mare Ægæum ad Mer. ex Phil. à Via. Nunc utraque sub Natolia propria comprehenditur, & sub Turcis est, à tribus fere seculis. *Mysia* etiam, regio Europæ gemina est apud Ptol. superior & inferior. Vid. *Mæsia*, sic enim meliùs scribitur.

Urbes Mysiæ seu Mæsiæ Europææ:

* Achillea, *Kylia.*	Rhætiaria, postea Nicopolis, *Nicopoli.*
* Alba.	* Scupi, *Vschup.*
* Arribantium, *VvicZitern.*	* Silistria, sic vulgò, Episcopalis superioris, & sedes Præfecti, *Silistrie.*
Barna. Vide *Varna.*	* Singidunum, *Senderim.*
* Bidina, *Vidin.*	* Sophia, sic vulgò, metropolis & caput Bulgariæ, *Sophie.*
Calatis, *Kilia.*	Sucidava.
Dinogetia, *Drimago.*	Ternobum, *Ternovo.*
* Dionysiopolis. Vide *Varna.*	Tirista, *Drista.*
Durostorum, *Durostoro.*	Tomi, *TomisVvar.*
Galatium, *Galacz.*	Varna, *Varne.*
* Mesembria, *Mesember.*	
Nessum, *Nissa.*	
* Nicopolis, *Nicopoli.*	
Odessus, *Lemano.*	

Mysistratum, urbs Siciliæ, V. *Amestrata.*

Mysius, flu. Æolidis, Strab. *Mæsius* quibusd.

Mysocaras, Ptol. *Aman* Moletio, portus Mauritan. Ting. ad Oceanum Atl. inter montem Solis, & Usadium prom.

Mysomacedones, pop. Asiæ in tractu majoris Mysiæ, à *Macedonibus* oriundi, unde & nomen habent. Plin. 5. 26.

Myson, ex vico territorii Spartani oriundus, unus ex 7. Græciæ sapientibus habitus est. De hoc dicitur, cùm Anacharsis Oraculum consuluisset, quisnam esset Græciæ sapientissimus, elogium hoc Mysoni tributum esse, qui tum aratro terram findendo erat occupatus. Diog. Laert. *in vita ejus.*

Mystia, op. Magnæ Græciæ apud oram, inter Locros, & Cauloniam. *Gioiosa* Barrio. Quibusd. *Monte Gioiosa*, castrum Calabriæ ulter. vix 5. mill. ab ora maris Jonii, ad radices Apennini.

Mystichides, Archon Athenis, Olymp. 98. an. 3.

Mystus, insula parva maris Jonii juxta Echinadas.

Mythepolis, locus Bithyniæ apud Ascaniam paludem, à Cio 120. stad. distans, Arist. ubi fontes, cum Nilo aliquid commune habentes. *Mythopolis* Antigono.

Mythra, Vid. *Mithra.*

Mytiserata, Castellum Siciliæ.

Mytistratum, vide *Amestrata.*

Myus, untis, urbs Joniæ in Cariæ confinio, apud Mæandri ostia, Herod. Strabo. Plin. Steph. cujus populi à culicibus infestati Miletum proximam urb. migrarunt. Hanc Artaxerxes Persarum rex Themistocli Atheniensi in obsonium dedit, cùm Magnesiam in panem, & Lampsacum in vinum dedisset, teste Thucydide.

FINIS TOMI PRIORIS.



